Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C191
M.E.P.S.J. 1.13K

#

Leroy

Vincent

Digitized by Google

R. P.

VINCENTII REGII DILVCIDATIONVM EVANGELICARVM

LIBRI VIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

21.C.16

EVANGELICARVM DILVCIDATIONVM LIBRI VIII.

IN TOTIDEM ENCHYRIDII EVANGELIORVM LIBROS

In quib' vita Dñi N. ex 4. Evangelistis desumpta continetur, habita, quatum fieri potuit, temporum ac locorum ratione: quib' ea quæ narrantur, verosimilius accidisse creduntur; suis Scholijs, Theorijs, ac Digressionibus illustrata.

Authore R. P. VINCENTIO REGIO Soc. IESV Theol.

Opus sanè non inutile S. Scripturæ Interpretibus, Concionatoribus, et Christi vitam meditari cupientibus.

COLONIAE
Sumptibus Bernardi Gualteri. 1615.
Permissu Superiorum

Cum gratia et privilegio speciali Sac. Cæs. Majest. ad decennium.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISS.mo ET REVEREND.mo

PRINCIPI

D. FRANCISCO

LOTHARINGIA, MARCHIONI DE MOY, DOMINO IN KEVRES, BEAVVEAIS, MONCORNAII, TVGNII, &c. ABBATI MEDII-Monasterienſi, nec non Metropol. Eccleſiæ Colonienſ. Canonico,

DOMINO CLEMENTISSIMO.

QVANDO talis eſt, Princeps Ill.me arbitrij noſtri conditio, vt pari ſinguli ſponte, nulla neceſſitate, aliam atque aliam ſibi vitæ rationem arripiant, actiones preſcribãt, ſtudia proſequantur; nemo tamen, niſi Dei iniuria, inficias ibit, quin is, qui *diſponit omnia ſuauiter*, ad ſaluberrima quæq; inſtituta electos ſuos ſpecialibus gratiæ ac naturæ donis alliciat. Quemadmodum verò hoc in omnibus bonorum hominum claſſibus deprehendimus, ita luculenter in Ill.mâ & R.mâ Celſit. V. notare & admirari licet, quæ cùm ad eam proſapiam genus ſuum referat, quæ pluribus retrò ſæculis potentia & opulentia, Nobilitate ac Religione non paucos Chriſtiani orbis Principes ſuperauit; & etiamnum tanta omnium fortunarum affluentia fruitur, vt ad quemuis ſæculi nutum, niſi aliud videretur, ſeſe attemperare ſufficeret; non tamen mancipauit ſe caſtris, ſed conſecrauit Eccleſiæ; nec carnali addixit connubio, ſed virgineũ præelegit conſortiũ, atque adeò cùm cæteri paſſim extendendis Imperij temporalis limitibus, ampliandis Titulorum honoribus, locupletãdis auro & argento ærarijs conficiuntur; Ipſa deſpectis infra ſe armis & opibus, ſceptris ac purpuris, codices ſacros, chlamydem ſacram, domicilium ac dignitatem ſacram in Regia D. Petri Baſilica, cœleſti vtique inſtinctu, ſuſcepit. Nę fœlicem Ser.ma Domus Veſtrę familiã, quę ſic, vel in TEVNO, FRANCISCE, (vt reliquã cognatorum Principum coronam ſileamus) Inclyti Nominis & hæreditariæ virtutis ſuæ ſplendorem perpetuat! Fœlicem Romanam hanc Vbiorum Coloniam, cuius Eccleſia hęreſum ac bellorum iniurijs miſerabiliter hucuſque exulcerata, tam generoſi ſanguinis acceſſione egregiè cõualeſcit. Teipſum verò longè beatiſſimum, qui ad Eccleſiaſtici Ordinis ſublimitatem tali loco, ac Dei priuilegio à filijs ſæculi ſegregatus es, vt boni & improbi patiter, tum præſentiam tuam venerentur, tum Indolem ad ſumma Reipublicæ munera matureſcentem ſuſpiciant.

Cæterùm quis adeousq; vel impius, vel excors sit, quin Illust.ma & Reuer.ma C. V. præclaram hanc vitæ rationem congratuletur, eiusq; nutui sua vltrò impendat obsequia, quæ totam se ad Christianæ communitatis necessitates deuouit? Ego quidem propter nouam patriæ incolumitatis spem, quam Optimi quique in Ipsa collocant, talem in animo meo zelum experior, Eandem nõ publico minus Encomio apud exteros celebrandi, quàm domestico munusculo coram honorãdi, vt hoc ipsum pignus Nomini illius decreuerim, quo nullum chariùs in Bibliotheca mea reperiam. Quocirca, vt verbis fidem faciam, en Commentarios in historiam Euangelicam VINCENTII REGII, Panormitani, Soc. Iesu Theol. qui eodem mense propemodum vsq; ex Sicilia ad prælum meum allati sunt, quo Illust.ma C. V. ex Lotharingia sua faustissimis auspicijs Coloniam appulit: Ac rursus quamprimùm Francisci Principis titulum ac tutelam nacti fuerint, ex Officina mea ad vltimos terrarum fines excurrent.

Ac profectò cùm ad altissimarum rerum cognitionem ab Illa festinari videam, quid laudabili huic proposito in præsenti potissimùm ætate ac dignitate commodiùs, quid gratiùs præsentarem VINCENTIO REGIO? In Scholijs ille Textus ac verborũ connexiones & significationes edisserit; in Digressionibus ad D. IESV disciplinam mores instituit; in Theorijs ad cęlestium arcanorum speculationẽ mentes assuefacit. In Scholijs item hostem se opponit deprauatoribus scripturarum hæreticis; in Digressionibus magistrum præbet Diuini verbi Prędconibus; in Theorijs lumen affert sublimium scientiarum Doctoribus. Summatim solus VINCENTIVS ei satis est, cui propositũ est, aut arcana mysteria sine discrimine penetrare, aut in constantem Christi imitatorem euadere. Istorum igitur voluminum campus peruoletur, idque quò frequentiùs, eò fructuosiùs, & synceriſſimo sapientiæ melle Ill.ma C. V. ingenij sui alueare constipabit. Hoc armamentarium adeatur, & confestim victricibus cõspectis signis spirituales inimici diffugient: Hoc denique gazophylaciũ esto, quod vniuersis mundi opibus anteponat. Si prędstiterit, animæ imprimis suæ decus afferet immortale; Christianã verò Remp. inexplicabili solatio recreatura est: me demum inter clientes suos minimũ, certum reddet, operam meam, quantulacunque sit, tanto nuncupatam Principi non displicuisse. Valeat. Coloniæ Vb. non. Septemb. CIↃ. IↃC. XV.

Illust.ma & Reuer.ma Celsit. V.

Deuotiss. Seru.

BERNARDVS GVALTERI
Ciuis ac Bibliopola Colon.

DEI-

Digitized by Google

DEIPARÆ VIRGINI SEMPER AVGVSTAE

VINCENTIVS REGIVS AMOREM, ET OBSEQVIVM NVNCIO.

QVæ ſine fraude tui ſplendoris, lucis in auras
Æterni radium luminis ediderás,
Virgo, ignes, lux ipſa nitens, fulgore minores,
Quæque tua inuoluis nube nitente Deum:
Sidus vt Arctoum magnes, ſic vſque profundi
Vaſta Euangelij litora cùm legerem,
Mens animi te ſuſpexit, ſenſitq; benignum
Afflari lumen, lucida ſtella, tuum.
Senſi equidem te dulce meo adſpirare labori,
Pandere & induxi vela per Oceanum:
Vtpotè dextra aderas, auſiſq; immota fauebas,
Teq; oculis rapuit nox nigra nulla meis.
Aura in vtrumque pedem diuinitus incidit, atque,
Te duce, longinquum puppis agebat iter.
Quot nitida gemma mihi lumina perſtringentes
Tum pelagi eximis emicuere vadis?
Quarum ego delicijs captus, quandoq; moratus
Longum iter, explicui retia laxa mari.
Nec fruſtra, te namque fauente, mihi eruta paſſim
Plurima concharum è diuite gemma ſinu.
His vbi conatus ſplendorem inducere, terras
Cymba inhiat, merces expoſitura ſuas.
Iamque ſubit pleno portus velo oſtia: Diuûm
Cui nunc vota pius religioſa dicem?
Iure tibi, Virgo, lux ô fidiſſima: ſurgant
E gemmis capiti debita ſerta tuo.

BENEVOLO LECTORI EVANGELICARVM RERVM STVDIOSO VINCENTIVS REGIVS E SOCIETATE IESV.

Christi verba & opera quantopere delectent & doceant.

NIHIL *in vita æquè præstantius dici, aut excogitari potest (amice Lector) nihil vtilius haberi, nihil iucundius amari ipsa Christi Domini Nostri rerum gestarum attenta cōsideratione, atq; eius doctrinæ diligenti inuestigatione. Enimuerò Christus Dominus felix illud lignum vitæ est, cuius non modò fructus vitam, verùm etiam & folia, & flores incolumitatem præbent, integramq; sanitatem ijs, qui vel dulcissimos eius fructus comedunt, vel suauissimos odorantur flores, vel denique sub eius vmbra placidissimè sedent; neq; enim alibi vitam inuenire est, quàm in eius morte, moribus, & verbis,* quem Pater misit in mundum, vt saluetur mundus per ipsum; Neque verò in aliquo alio salus. *quare maximè reprehendi sunt, qui maius & impensius studiū impendunt, vt Cyri, vt Alexandri, vt Cæsaris, reliquorumq; Principum dicta, mores, & gesta discant, quàm vt Christi Domini nostri sanctissimam vitam, mortem, cælestemq; doctrinam accuratè teneant; cùm tamen in illorum vita, & moribus multa sint sæpè maximè fugienda; & ea quæ præclarè gesta, vel laude digna videntur, plerumq; multis infecta sint vitijs: in hac verò Filij Dei sacratissima vita nihil non sanctum, nihil non vtile, nihil non admirabile cernere est. hic amplissimi Christianæ Reipublicæ Reges quæcunq; ad rectè gubernandum necessaria sunt, abundè reperiēt. hic Iudices cuncta monebuntur iustè moderari, & sanctè ius dicere. hinc diuites diuinam hanc sapientiam referent, vt non in incerto diuitiarum spem suam collocent, verùm vt potius sibi amicos faciant de mammona iniquitatis. hinc pauperes mœrore confecti, & quicunq; à potentioribus vexati, vel arumnis affecti sunt, gaudium, opem, & auxilium haurient. hinc qui contra dæmonis astutias, contra turpes carnis voluptates, contra vanos, fluxosq; mundi honores, diuitiasq; decertant, habent quibus se tueantur armis; si peccatis commaculatus es, hinc licet tibi efficacissima remedia petere; si debilis ad resistendum hostibus, hinc omni armorum genere animum munire, & pectus informare validissimè poteris, quibus instructus terrorem hostibus incutere, mortemq; robur, ist hæc sanctitas profecta sint. neq; verò noua ista, atque incredibilia videri debent; est enim Euangelica historia mannæ non absimilis, omne in se continens bonum, omnemq; aduehens saporis suauitatem. Quis enim paupertatem horreat, imò verò non dulcem experiatur, dum Filium Dei legit, stratim ac in lucem editus est, vili conditum esse præsepio,* & nec locum fuisse in diuersorio? *quis nō diuitias à se procul abijciat, dum audit dicentem illum:* Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet? *quis non acriter in procurandam hominum salutem incumbat, dum eundem ipsum Christum Dei Filium pro hominibus totas orare noctes, sitire, esurire, huc illuc commeare, circumire castella, ciuitates, villas, supra modum lassari, opitulari ægrotis, mœstos solari, præsto singulis inuocantibus adesse, scelestorum hominum peccata delere, denique verbum Dei indefessè spargere intelligit? quis non modestiam, animique submissionē amplectatur, tumorem animi, & inflatos spiritus non abhorreat, dum Regem gloriæ coram non modò ceteris discipulis, sed perditissimo etiam Iudæ genibus nixum male olidos illius, fœtidissimosque pedes abluentem aspicit? quis obedientiam non magni faciat, ipsum cœli, terræque Dominum perpendens, mortalibus, ijsdemque pauperibus parentibus esse subiectum? Quis non libenter quidquid oblectare corpus possit à se abijciat, & vltro, ac sponte omnia puparum, & tormentorum genera excipiat, si diligenter oculos, animumque conuertat ad ea, quæ vnicus Dei Filius ad hæc ima descendens, ab impijs & nefarijs hominibus per summum scelus passus est? Quot ille, pro nefas! verbera sustinuit? quoties alapis percussus, quoties immanibus pactis colaphis per summā iniuriam, malè acceptus est? quibus non opprobrijs affectus, quibus non vulneribus confossus pro ingratorum hominum salute fuit? horret hæc meminisse animus. neque tamen ista inexplebilem Iudæorum sitim, qua sanguinem eius bibere, & innumeris illum malis afficere cupiebant, explere potuerūt, nisi prius ferreis clauis inanime eius corpus de cruce pendere, non sine ingenti animi voluptate, impijs cernerent oculis. Quis ista sine lacrymis meditari? quis sine summo animi dolore peccata sua, quæ eorum causa fuerunt, præterire, vel dissimulare poterit? quis non libenter iniurias condonet, cùm Deum ac Dominum suum pro infensissimis hostibus, atque eo tempore, quo illi vitam eripiebant, quo de tot eius malis exultabant, quando malè sanis capitibus concussis, nullis non opprobrijs afficiebāt, tanto animi ardore cœlestem Patrem exorantem audit? Hæc si quis toto vitæ suæ tempore diligenter inspiciat; & siue inter eundum, siue domi sedendo, siue orando quocunque loco, quo-*

Euangelica historia mannæ similis. Luc. 2.

Matth. 8.

Ioan. 13.

Luc. 22.

Christus quanta passus.

cunque

cunque tempore piè meditetur, totamque Christi historiam singulis, binis, terniſve mensibus à capite ad calcem suo ordine percurrat, næ ille etiam, atque etiam perspiciet, quàm vera sint ea, quæ nunc affirmamus, dum huius meditationis commoda experietur, nec facilè is exponet, quantum in harum rerum contemplatione, quoties Deo Patri offeruntur, positum sit momenti, siue ad delenda peccata, siue ad augendos, & accumulandos ingentes meritorum thesauros.

Quare non inanem sanè operam posuisse videbor, si diu, multumque in contexenda, elaboranda, theorijs, scholijs, digressionibus declaranda, atq; amplificanda, denique in ordinem redigenda Christi Domini nostri vita laboraui. Scribunt alij Principum præclara facinora, sequantur alij insanas corporis voluptates, amplectantur fluxas mundi diuitias, & nec veros, nec stabiles honores persequantur; fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Atqui, inquiet aliquis, superuacaneo te labore conficis, fuere nonnulli ante alij, qui rem hãc planè vtilẽ tibi præreptã præstiterint. verùm ego huic obiectioni facilè respondere niſi id pluribus initio nostri Enchiridij Euangeliorũ confeciſſem, vbi etiã auctores retuli, qui in ordinanda Christi Domini vita ex quatuor Euangelistis fructuosè laborarunt. nunc tantum dico nostram Euangelicam concordiam, (quam nos enchiridion Euangeliorum, quod in manibus semper sit habenda, vocamus) præterquam quod in octo libros distributa est, & singuli libri in capita, iterumque capita in versus, quod neque Iansenius, neque Buisonius præstiterunt, differre etiam ab aliorum concordijs, vel harmonijs, tum quòd interdum rationem ordinis, & temporis diuersam secuti sumus, tum quod ea tantùm Euangelistarum verba textui inseruimus, quæ claritatem non impedirent contextus, & hiulcam, perturbatam, ac confusam multis interiectis particulis rerum narrationem non redderent, cetera ferè ad marginem posuimus. Auctoris propositum in hoc opere.

Initio quoq; capitis cuiuslibet, ex quot ille contextus Euangelistis sit constatus, ex literis A. B C. D, appositis, habetur. Tantum sciendum A. *Matthæum*, B. *Marcum*, C. *Lucam*, D. Ioannem significare. Post singulas verò litteras ponuntur vt plurimum duo numeri, quorum primo caput Euangelistæ, altero versus eiusdem notatur. Vnde nimirum incipit, quod de illa historia narrat quilibet Euangelista. Sed de enchiridio Euangeliorum satis hæc dixisse sufficiat. Plura de eo suo loco, vbi etiam de ratione ordinis, quem tenuimus, agemus. *Cant. 1.*

Iam ad Dilucidationes Euangelicas gradum faciamus, quarum hoc volumine, prima pars continetur tribus distincta libris. Sunt autem hæ Dilucidationes veluti fusiores quidam commentarij octo librorum prædicti Enchiridij nostri Euangeliorum: nam breuiora scholia cum ipso seorsim Enchiridio, Dei, ac Deiparæ Virginis ope, & patrocinio, edemus. Ergò hoc totum opus Dilucidationum in aliquot partes tribuemus, quarum singulæ aliquos, vel certè aliquem librum continebunt. Habet autem quilibet liber sua capita, sicut & quodlibet caput suos versus. Et quidem ferè in singulis capitibus tria præstitimus, nam & scholia semper, sæpè verò etiam theorias, & digressiones adiecimus. De quibus singulis agendum erit, vt intelligat Lector instituti nostri rationem, & quid in singulis lateat, agnoscat.

Quare à scholijs incipiendo illud imprimis moneo, hæc legenda esse primo omninò loco ante theorias, & digressiones, & sanè non indiligenter. continent enim sensum, & intelligentiam Euangelistarum, quorum ibi verba exponuntur, & explicantur sententiæ; in quo laboratum est, niſi fallor, non segniter à nobis: an verò assecuti simus quod voluimus, videbit Lector, si diligenter hæc nostra scholia rimatus fuerit. in his aliquando longiores sumus, quia difficultas loci id exigit; neque commodè aliquando differri potest vsque ad theorias. Sunt præterea legenda scholia à Concionatoribus, & Christi vitam meditaturis. Nam sæpè, licèt breuiter, multa habent ad mores pertinentia, quæ quoniam sunt valdè cohærentia cum verbis, non ponuntur seorsim in digressionibus moralibus.

Absolutis totius capitis scholijs theoriæ sequuntur vt plurimum. continent illæ enodationes difficultatum aliquarum, quæ ad textus intelligentiam pleniorem faciunt, & quæ quoniam breuiter in scholijs tractari non poterant, plenius exaguntur seorsim in theorijs. Adhæc, habent theoriæ scholasticas interdum quæstiones, necessarias tamen interpretibus Scripturarum, & Concionatoribus, nec eas per vim quandam, & extra rem accersitas; sed quas ipsemet textus exposcit. Studuimus enim nullam, quantùm fieri potuit, ex scholasticis controuersiam tractandam suscipere, quam non ipsa textus intelligentia, nec sine magna saltem vtilitate exigeret. Et verò modus eius tractandi est interpreti scripturæ accommodatus, & Concionatoribus, quibus hæc parantur non inutilis. Itaque breuiter totius difficultatis, & quæstionis summam, & caput, maiore, qua fieri à nobis potuit, claritate, enodare, & quid sentiendum est, paucis comprehendere curauimus. Quare requirat à me nemo fusiorem harum rerum tractationem, ac subtiliorem inuestigationem multis aduinentis & accersitis argumentis, ac ratiocinationibus ad mea confirmanda. harum enim rerum, quæ spinosiores sunt, auditorum vulgus, vt plurimum, non est capax, & sæpè inutiliter ijsdem referendis à Con- Theoriæ huius operis quid præstent.

tiona-

cionatoribus tempus teritur, potius ex scripturis, & Patribus accersere ea conatus sum, quæ futura visa sunt emolumento ad ea stabilienda, quæ confirmare volui. Nec mirari quisquam debet, si non in singulis quibusq; capitibus aliqua saltem theoria adscribatur. Neque enim semper illam textus Euangelistarum postulat, vel peculiaris aliqua Lectoris vtilitas: & neque disputator hîc esse, vel videri volo. ideò multis supersedeo, quæ fortassis in medium adducere possem, cùm ea in re bonam vitæ partem insumpserim. sed nunc scripturæ interpretem ago, non scholasticum; & tantùm ex scholasticis futura vsui Concionatoribus, & scripturarum intelligentiæ, mutuo.

Digressiones quales.

Reliquum est, de digressionibus dicamus, quæ vt plurimũ morales sunt, & vel in gratiam Cõcionatorum adiectæ, vel meditantibus Christi vitam, atque hæc nostra etiam legentibus, non inutiles. Et verò curauimus in singula ferè Euangelia, quæ in Ecclesia passim leguntur, digressiones aliquas morales scribere, quamuis & alijs etiam locis id præstiterimus.

Sunt hæ digressiones frequenter scripturis ornatæ, & grauibus Sanctorum Patrum sententijs amplificatæ. hæc enim nobis maiorem vim ad auditorum animos permouendos habere videntur, quàm pulchri quidam adinuenti conceptus, vt vocant, præsertim cùm non benè connexi sunt, nec leniter detorquentur ex locis illis scripturarum, vnde eruuntur. Enimuerò non rarò quasi violenter trahuntur, & parum aptè conueniunt locis, ex quibus colliguntur: aures etiam potius perfricare solent, quàm ad detestanda vitia hominum animos inflectere. Quamuis non negem piè, & eruditè, & vtiliter plura huiusmodi excogitari à plerisq; de quibus hîc non loquor. Nobis certè imprimis propositum fuit, in nostris his qualibuscumq; digressionibus ea inserere, quæ ad delenda peccata, & ad vtilem scelerum dolorem concipiendum, vel etiam ad contemnenda ea, quæ mundi sunt, & amplectenda cœlestia, conducere videbantur: quod si non assecuti sumus, certè non defuit animus.

Occurret & aliud interdum in nostris istis digressionis genus, eruditum potius, cui non apposuimus vocem illam, morale, vt in alijs. in his quasi extra rem digredientes quædam ad eruditionem, & scripturarum intelligentiam accommodata, declaramus. huiusmodi est digressio de piscinis lib. 4. item & digressio de mensa propositionis panum, de die Sabbati, &c. quæ tũ in hac, tum in sequentibus partibus huius operis occurrent, quamuis rarò. hæc autem non omninò temerè, & voluntariè scribuntur; nam licèt sine illis textus, & historia Euangelica haberi posset, quippe quæ ab illis non dependeat: quia tamen ab Euangelistis commemorantur, & earum declaratio tantò magis verba declarat, & intelligendis scripturis non inutilis est, ideò breuiter in digressione tractantur.

Illud ingenuè fatebor, plura desumpsisse me tum à Patribus, tum à modernis, ab ijs præsertim, qui alibi ea habent, quæ ad enodandum, vel etiam exornandũ aliquem Euangelij locum pertinent, & Concionantibus emolumento futura sunt; ea verò non sine magno labore conquisita sæpè paucis in vnum coniunximus.

Quod superest, amice Lector, æqui, boniq; consule, ac grato suscipe animo, quæ non sine labore in communem omnium vtilitatem, vel collegimus ex alijs, vel ipsi scripsimus. Faxit Deus, vt labor iste noster non inanis sit, & Ecclesiæ suæ sanctæ inutilis. Ceterùm si quid erratum est, si quid obscurius, vel minus etiam benè explicatum, si copiosius, si subtilius non ista tractauimus: si multa præterita, multa minus eleganter tradita sunt, paruitati nostri ingenij condonandum erit. Si quid verò boni adinuentum, & conscriptum est, id totum in Deum referendum est, ac Deiparæ Virginis patrocinio tribuendum, cui hoc qualecumque opus dicamus, & consecramus.

Tu verò, Lector, quod tuum erit, sedulæ apis instar, si quid in hoc opere dulcis emolumenti, ac cœlestis voluptatis continetur, ijs, quæ nullius sunt momenti, post habitis, diligenter excerpe. Vale, & Deum pro nobis rogatum velis.

CLAVDIVS AQVAVIVA, SOCIETATIS IESV PRAEPOSITVS GENERALIS.

CVM Tomum primum Euangelicarum Dilucidationum P. Vincentij Regij, quatuor Theologi nostrę Societatis, quibus id commisimus, recognouerint; & in lucem edi posse probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 23. Februarij 1612.

Claudius Aquauiua.

SVMMA PRIVILEGII CAESAREI.

MATTHIÆ Roman. Imperatoris semper August. diplomate cautum est, nè quis OPERA P. VINCENTII REGII SOCIETATIS IESV THEOLOGI, citra scitum, ac voluntatem BERNARDI GVALTERI Typographi Colonienſis, intra Sacr. Rom. Imperij fines, siue integra, siue diuisim imprimat, vel alibi impressa, adducere & venundare audeat per integrum decennium, sub pœna in Originali expressa. Signat. Viennæ 16. Martij 1615.

Matthias

Locus sigilli.

V.t H. L. von Vlm.

Ad Mandatum S. Cæs. Mtis. proprium
Io. Barnitius.

INDEX
CAPITVM PRIMÆ PARTIS EVANGELICARVM DILVCIDATIONVM ADIECTIS INTERDVM NOTIS QVIBVSDAM *ad historiam Euangelicam promptius & firmiùs conseruandam.*

CAP. LIBRI PRIMI.

CAP. DILVCID. — Cap. Euang.

PRoœmium C.1
1. Aeterna Christi generatio, & diuinitas D.1
2. Humana eiusdem generatio per Salomonem, & genealogia A.1
3. Eiusdem Iesu Christi generatio humana per Nathan vsque ad Ioachim C.3
4. Annuntiatur Ioannis conceptio Zachariæ, & concipitur Ioannes C.1
5. Angelus Mariam Dei matrem salutat C.1
6. Inuisitur Elizabeth à Maria C.1
7. Nascitur Ioannes, ac circumciditur C.1
8. Angelus Iosepho nuntiat sacrum Virginis conceptum A.1
9. Iesus Christus Dei Filius nascitur in Bethlehem Iudææ, & circumciditur C.2
10. Magi adorant Christum cum muneribus A.2
11. Expletis purgationis diebus Christus puer sistitur Domino quadragesimo à partu die, hic Simeon & Anna C.2
12. In Aegyptum monente Angelo fugiunt parentes cum puero Iesu, iterumque redeunt A.2
13. Iesus natus annos 12. disputat in templo C.2.

LIBRI SECVNDI.

1. *a* Prædicat, & Baptizat Ioannes A.3.B.1.C.3
2. Baptizatur Iesus in Bethabara parte Iordanis Orientali in tribu Ruben trans Iordanem anno trigesimo ineunte A.3.B.1.C.3
3. *b* Statim à Baptismo in desertum ductus ieiunans quadraginta diebus tentatur à Diabolo, ad cuius exemplum ieiunium quadragesimæ institutum ab Apostolis seruatur ab Ecclesia Can. Ap. 68. Const. Apostolica apud Clem. lib. 5. cap. 13. A.4.B.1 C.4
4. *c* Testimonium Ioannis. D.1. Hic ponitur legatio Iudæorum ad Ioannem, fortè à Concil. Synedrim magno dicto, septuaginta duorum virorum missa: ad illud enim concilium pertinebant grauiores causæ de Lege, Propheta &c. erat autem legatio an ipse esset Christus, id accidisse videtur vltima die Decembris
V.15. *d* Ioannes Christum prædicat, & digito indicat prima, vt videtur, die Ianuarij D.1
5. *e* Iterum Ioannes Christum indicans ait, Ecce Agnus Dei, & Andreas Christum cognoscit secunda die Ianuarij, & Simonem fratrem ad eũ deducit tertia die Ianuarij, quẽ Christus, Cephas, vocandum dixit, quòd Syriacè non quamuis petram, sed durissimam, id est, cautem significat D.1
V. 9. *f* Philippum vocat Christus, se vt sequatur quarta die Ianuarij D.1
V.11. *g* Ibidem & Philippus Nathanaelem ad Christum perducit quinta die. Quare Philippo illud dictum à Domino: sine mortuos sepelire mortuos suos, tu me sequere; non videtur, licèt id asserat Clem. Alex. Strom. lib. 3. Affirmat August. tract. 17. in Ioann. Nathanaelem non fuisse adscitum in numerum Apostolorum, quod esset legis doctor.
6. *h* Nuptiæ in Cana Galilææ 6. Ianuarij, quæ tertia dicitur dies ab egressu in Galilæam, seu à vocatione Philippi. id factum vndecima mensis Tybi, quæ apud nos est 6. Ianuarij. ita scribit Epiph. hær. 51. quod & Ecclesia anniuersaria celebritate confirmat, & Augustin. Dominicum diem fuisse asserit. D.2
V. 12. *i* Postea descendit Capharnaum cum matre, fratribus, & discipulis D.2

LIBRI TERTII.

Pascha primum.

1. *k* In Paschate facto flagello de funiculis templum purgat; de quo altercantur cum eo Iudæi D.2
2. Nicodemus Iudæorum nobilissimus noctu adiens Christum, ab eo de fide mysterijs eruditur D.3
3. *l* Christus veniens in Iudæam terram cum discipulis illic demoratur, & baptizat per discipulos suos: baptizante item Ioanne in Aenon iuxta Salim D.3
4. *m* Relinquit Iudæam, & in Galilæam proficiscitur per Samariam, vbi Samaritanam fœminam, & gentem docet mysteria regni Dei D.4
5. *n* Venit iterum in Cana Galilææ, & Reguli filium sanat, quo D.4
6. *o* Ioannes conijcitur in carcerem A.14.B.6.C.3
7. Iesus audito quod Ioannes traditus esset, secedit in Galilæam superiorem de ciuitate Nazareth, ad Capharnaum habitat A.4.C.4.
8. Prædicat in Galilæa, & ad sui sequelam Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem piscatores euocat A.4.B.1
9. *p* Dæmoniacum curat B.2.C.4
10. Socrus Simonis sanatur A.8.B.1.C.4
11. *q* Egreditur in desertum, & circuit Iesus totam Galilæam prædicans regnum Dei, & sanans omnem languorem, vnde & eius fama diuulgatur per totam Syriam A.4.B.1.C.4
12. Confluentibus turbis Christus cõscensa naui Simonis ad lacũ Genesareth, ex ea prædicat, & postea eo iubente laxatis retibus concluditur piscium magna multitudo C.5
13. Reprehenduntur tres volentes ipsum sequi A.8 C.9.
14. *r* Maris tempestas sedatur A.8.B.4.C.8
15. *s* Sanatis duobus Dæmoniacis Dæmones in porcos ire permittit. Videntur huc vsque narrata ab vndecimo vsque ad 16. exclusiuè accidisse in primo circuitu per Galilæam A.8.B.5.C.8
16. *t* Paralyticus per tegulas demissus sanatur. Nunc primùm videtur se recepisse Capharnaum ex circuitione prima A.9.B.2.C.5. & 8.40.
17. Vocatur Matthæus, & de ieiunio disputatur cum discipulis Ioannis & Pharisæis A.9.B.2.C.5
18. *u* Sanatur filia Archisynagogi, & curatur hæmorrhoissa A.9.B.5.C.8
19. *x* Duo cæci curantur, & vnus Dæmoniacus A.9.

Reliqua vide in secunda parte harum Dilucidationum.

a Hic habetur primũ testimoniũ Baptistæ de Christo ver. 22. quod est primum absolutè, & tãtum à Matt. Marc. Luc. refertur.
b Secessus in desertum. Acta huius anni, & sequentis ferè à ceteris Euangelistis prætermissa vnus Ioannes exsequitur.
c Secundum testimoniũ, quod primũ est in Ioannis Euangelistæ Euangelio.
d Tertiũ testimonium, seu secundũ apud Ioannem, hic habetur.
e Tertiũ testimonium apud eundẽ Ioannem, sed absolutè quartum.
f Vocatio Philippi.
g Primus reditus in Galilæam post baptismum, de quo solus Ioannes, vt patet ver. 9. meminit.
h Primũ signum Christi in Cana.
i Primus ingressus in Capharnaũ.
k Prima electio negotiatorum, & primum ex quatuor Ioannis, & primus annus prædicationis, & primus ingressus Ierosolymam post baptismum, & primus ascensus in Iudæam ex Galilæa post baptismum.
l Quartũ testimonium Baptistæ in Ioannis Euangelio hic habetur; licet absolutè quintum sit.
m Secundus reditus in Galilæam, cuius etiam Lucas meminit 4.14.
n Secundum signum factum, cùm venisset iterum à Iudæa in Galilæa.
o Secũdus ingressus Capharnaum.
p Primus dæmoniacus & tertius ingressus Capharnaum secundùm Marcum.
q Secũdus secessus in desertum, & oratio diluculo, itemq; primus circuitus per totam Galilæam.
r Prima maris tẽpestas sedata.
s Duo Dæmoniaci, sectidus & tertius.
t Primus paralyticus, qui & per tectum demissus & quartus ingressus in Capharnaũ.
u Prima suscitatio à mortuis.
x Primus & secundus cæcus, quartus dæmoniacus, quintus ingressus Capharnaum v. 2.

Digitized by Google

INDEX

COMPLECTENS CAPITA SINGVLORVM EVANGELISTARVM, QVAE IN HAC PRIMA PARTE NOSTRARVM Dilucidationum exponuntur.

CAP. D. MATTH.

Cap. Matth.		cap. & libri dilucid.
1.	Genealogia Christi	Cap. 2. lib. 1
	Modus generationis	8. lib. 1
2.	Epiphania	10. lib. 1
	Fuga in Aegyptum	12. lib. 1
	Innocentes	12. ver. 4. lib. 1
	Reditus ex Aegypto	12 ver. 7. lib. 1
3.	Ioannis Baptismus, praedicatio, vestitus, esca,	1. lib. 2
	Baptismus Christi	2. lib. 2
4.	Ieiunium, & tentatio Christi	3. lib. 2
	Secessus in Galilaeam, & habitatio Capharnai	7. lib. 3
	Praedicatio in Galilaea	8. lib 3
	Vocatio discipulorum	ibid. ver. 3
	Circuitio Galilaeae prima, & fama	11. lib. 3
8.	Socrus Simonis, & omnes malè habentes	10. lib. 3
	Reprehensio Scribae	13. lib. 3
	Maris tempestas	14. lib. 3
	Duo Gerasèni Daemoniaci, & porci	15. lib. 3
9.	Paralyticus	16. lib. 3
	Matthaei vocatio, filij sponsi	17. lib. 3
	Iairus, Haemorrhoissa	18. lib. 3
	Duo caeci, vnus daemoniacus	19. lib. 3

CAP. D. MARCI.

Cap. Marc.		cap. & libri dilucid.
1.	Baptismus, praedicatio Ioannis, esca, vestitus	Cap. 1. lib 2.
	Baptismus Christi ieiunium, tentatio	2. lib. 2
	Ingressus in Galilaeam superiorem post traditum Ioannem	7. lib. 3
	Praedicatio in Galilaea, & vocatio discipulorum	8. lib. 3
	Ingressus tertius Capharnaum, & daemonium	9. lib. 3
	Socrus Simonis, & omnes malè habentes, & secessus in desertum, circuitio prima per Galilaeam	10. lib 3
2.	Quartus ingressus Capharnaum, & paralyticus per tegulas	16. lib. 3
	Matthaei vocatio, filij sponsi	17. lib. 3
4.	Maris tempestas	14. lib. 3
5.	Liberatus à legione, submersi porci	15. lib. 3
	Iairus, Haemorrhoissa	18. lib. 3
6.	Incarceratio Ioannis	6. lib. 3

CAP. D. LVCAE.

Cap. Luc.		cap. & libri dilucid.
1.	Proomium	Initio operis
	Annunciatio, & cõceptio Ioannis	Cap. 4. lib. 1
	Annunciatio, & incarnatio Christi	5. lib 1
	Visitatio	6. lib. 1
	Natiuitas Ioannis	7 lib. 1
2.	Natiuitas Christi, pastores, circuncisio	9. lib. 1
	Purificatio	11. lib. 1
	Inuentio pueri Iesu in templo	13. lib. 1
3.	Baptismus, praedicatio Ioannis	1. lib. 2
	Incarceratio Ioannis	6. lib. 3
	Baptismus Christi	2. lib. 2
	Genealogia Christi	3. lib. 1
4.	Ieiunium, tentatio Christi	3. lib. 2
	Regressus in Galilaeam	4. lib. 3. in margin. ad ver. 43. & cap. 5. l. 3. ver. 12
	Descensus in Capharnaum	7. lib. 3. ad marg. ver. 1. & cap. 9. lib. 3
	Spiritus immundus	9. lib. 3
	Socrus Simonis, omnes malè habentes	10. lib. 3
	Egressus in desertum, circuitio prima per Galilaeam	11. lib. 3
5.	Duae naues, & piscium multitudo copiosa	12. lib. 3.
	Paralyticus	16. lib. 3
	Matthaei vocatio	17. lib. 3
8.	Maris tempestas	14. lib. 3
	Legio	15. lib. 3
	Iairus, & Haemorrhoissa	18. lib. 3
9.	Reprehensio trium	13. lib. 3

CAP. D. IOANNIS.

Cap. Ioan.		cap. & lib. dilucid.
1.	In principio erat Verbum	Cap. 1. lib. 1
	Legatio Iudaeorum, & primum testimonium Ioannis iuxta Euangelium Ioannis Euangelistae	4. lib. 2
	Testimonium secundum Ioannis apud eundem Euangelistam	4 lib. 2
	Discipuli, & tertium testimonium apud eundem.	5. lib. 2
	Obserua Pascha vnum, cuius nullus Euangelista meminit inter baptisma, & nuptias lapsum esse	
2.	Nuptiae descensus in Capharnaum, & ascensus Hierosolymam ad Pascha	6. lib. 2
	Electio primo Paschate	1. lib. 3
3.	Nicodemus.	2. lib. 3
	Venit Iesus in Iudaeam terram, & quaestio de baptismo, & testimonium quartum Ioannis iuxta hunc eundem Euangelistam	3. lib. 3
4.	Iter è Iudaea in Galilaeam, & Samaritana, & ingressus in Galilaeam	4. lib. 3
	Regulus	5. lib. 3

Reliqua quære in altera parte.

Digitized by Google

IESVS MARIA.

IN LIBROS OCTO EVANGELICARVM DILVCIDATIONVM

PRÆFATIO.

DE NOMINE TESTAMENTI: ET differentia inter vtrumque, nouum, & vetus, & de Euangelio.

QVONIAM Euangelicæ res, quas, Deo duce, declaraturi sumus, Euãgelium Iesu Christi continent, & Euangelium etiam ipsum, testamentum est; Ideò hoc initio de Testamẽto & Euangelio diligenter agere oportebit.

Ac primùm quidem de Testamento agemus, quod vtrumque continet, nouum videlicet & vetus. Porrò distribuemus totam hanc tractationem, vel disputationem in aliquot capita, quò clarius, ac distributius procedamus.

CAPVT PRIMVM.

De nomine Testamenti.

1. PRINCIPIO illud monere Lectorem velim, obseruasse quosdam veterem interpretem noui testamenti, vocabulum græcũ διαθήκην, semper vertisse testamentum: Interpretem verò veteris testamenti, vocabulum Hebræum berith, quod septuaginta interpretes διαθήκην, perpetuò vertunt, numquam traduxisse testamentum, sed vel pactum, vel fœdus. eundem, Hebraicum nomen Ghed, vel gheda, deductũ vel à verbo Ghada, quod secundùm Hebræos significat testificari, itemque nomen moghed deductum à verbo iagad, quod significat statuere (quæ duo nomina numquam 70. per διαθήκην, sed per μάρτυριον semper reddunt) nonnunquam quidem per testimonium, sed frequentius per testamentum, aut fœdus conuertisse. Sed quidquid sit de vetere interprete, nũ ita semper verterit, an ferè semper has voces: nos hic de testamento loquimur quod à græcis διαθήκη, ab Hebræis berith dicitur, si cõditio operis adiecta sit; & de lege, quam græci νόμον, Heb. thora vocant.

Quamquam nomen berith generatim pro fœdere sæpè accipitur: quod quidem deductũ putant à verbo barha, quod significat scindere, quia in fœderibus ineundis scindi aliquod animal in partes soleret apud Chaldæos, vt Diodorus Gen. 15. auctor est, & Theodoretus Ierem. 34. 18. per quarum medium transire eos oportebat, qui fœdus feriebant, vt pactum esset ratum: quod & apud Hebræos receptum est: vide Mart. Delrio 15. Gen. ad v. 10. atque hæc est causa inquit Perer. tom. 3. in Gen. 15. dis. 4. num. 58. cur Hebræi fœdus facere dicant; diuidere, ac dissecare fœdus; sicut Latini suum etiam repræsentantes ritum ineundi fœdera dicebant percutere, & ferire fœdus: nempè fœcialis saxo, vel silice feriebat porcum, siue porcam, similiter à Deo feriri precatus eum, qui fœdus fregisset, vnde illud apud Poetam (AEneid. 8.) Et cæsa iungebant fœdera porca.

2. *Berith vox Hebræa vnde deducatur.*

Hunc enim fuisse morem sanciendorum fœderum cognosci potest ex Ierem. 34. 18. dabo viros qui præuaricantur fœdus meum, & vitulum quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius, & in Sacris literis, nomen berith cum verbo carath, id est, excindere coniungitur.

3.

Eodem ritu, vt est multorum sententia, vsus est Deus Gen. 15. cùm fœdus iniit cum Abraham, pollicitusque est terram promissionis; capram, arietem, & vaccam percussit, & in partes dissecuit Abrahamus, & ex vtraque parte altaris collocauit. Clibanus verò fumans, & ardens fax per transijt, easq; absumpsit; ea verò face Deus ipse fœdus iniens transire indicabatur: quod Cyrillus libro decimo, aduersus Iulianum sub finem docet: figuratam enim, inquit, fuisse quasi in specie ignis diuinam & immaculatam naturam.

4.

Sed quanquam vox Hebræa generatim significare fœdus videatur; 70. tamen nunquam

5.

eam

Pactum à testamento quomodo differat.

eam per συνθήκην, aut συνθήκλεν, id est, fœdus, vel pactum, sed semper διαθήκλεν, transtulerunt. differt si propriè loqui velimus, pactum à testamento, nam pactum illud includit conditionem vtrimque à cõtrahentibus seruandam, cum tamen testamentum non semper sit conditionibus limitatum.

6. Diffinitur enim esse simplex, & vltima voluntas testatoris legans bona sua hęredibus, deinde pactũ inter eos qui contrahunt, & viuunt sanciri solet, testamentum autem locum habet inter vita defunctum testatorem, & adhuc viuentem hæredem, vt proinde merito Paulus ad Hebr. 9. 16. scripserit; *vbi testamentum est, necesse est mortẽ interuenire testatoris*, vt firmum sit, ratum, immutabile. quod confirmat ex his, quę Exodi 24. gesta esse à Mose in confirmationem veteris testamenti, narrantur.

7. Pactum & testamentũ aliquando concurrunt.

Quæ quamuis ita sint, non repugnat tamen Testamenti significationi ratio pacti: testator enim interdum cõditionibus astringere potest hæredem; quibus non impletis hęreditatẽ adire iure non possit, & tunc interuenit pactum aliquod. Rursus pacto non repugnat, q̃ sit cõtractum inter mortuum & viuentẽ; nam Deus qui testator est, & pactum nobiscum celebrauit, in nouo Testamento re vera mortuus est, & morte illud confirmauit; in veteri verò in animalium, & brutorum sanguine, & cęde dici potest figuratè, & in vmbra cæsus, & mortuus.

8. Vox pacti & testamẽti promiscuè vsurpata in scripturis.

Hinc factum est, vt in scripturis voces pacti & testamenti ita se haberent, vt alterum pro altero promiscuè vsurparetur; nec enim bona siue temporalia, & corporea in veteri testamẽto, siue æterna & spiritualia in nouo legata nobis & promissa, aliter ad nos peruenire possũt, quam quibusdam in vtroque conditionibus ex parte nostra obseruatis, & adimpletis; vnde fit vt tam vetus, quam nouum Testamentum, verè pactum sit; & iterum, vt ita pactum sit vt verè ac propriè sit Testamentum, cum mors intercedat testatoris.

9. Licèt autem Hieron. lib. quæst. Heb. to. 3. in Gen. 17. *Ecce testamentum meũ tecum*; & in Com. ad Gal. c. 3. t. 6. dicat; vbicumq; in Græco legitur testamentum, ibi esse fœdus, seu pactum in Hebr. & defendat proinde Paul. quod pro berith reddiderit testamẽtum cùm significet pactum, vel fœdus, nunquam tamen tantus Pater negauit propriè, verè, rectèque Paulum nomẽ testamẽti vsurpasse; & meritò quia pactum de quo loquitur Scriptura, non est sine sanguine, vel morte, & testamentum, de quo loquimur non est sine conditione operum. Quare & testamentum dici, & pactum potest.

10. Imò, quia in pacto non necessariò includitur mors, vel sanguis (q̃ est hic præcipuè spectandum) & ad testamentum potissimum spectat; Ideò rectius testamentum dixit Apostol. quam si pactum dixisset si rem spectes, & non solam Hebraicam vocem; vt proinde nõ benè dixerit Canus l. 2. de lo. theo. c. 11. cùm ait, in nomine Hebraico Paulum potuisse Rhetorũ more ludere, & vocẽ à proprio ad impropriũ significatum flectere: berith enim pactum significat non magis hoc, quam illud. Quare etiã propriè testamentum significare potest aliquando, tale pactum, quod sit testamentum vt

Melchior Canus reprehenditur.

in hoc maximè loco Pauli ad Heb. ergò Berith quod generatim pactum significat, rectè ad testamentum in Sacris litteris restrictum est, id est, ad hanc speciem pacti, de qua passim illæ loquuntur. Vnde etiam volumen fœderis, seu arcam fœderis, testamentum semper 70. vertunt, & Apoc. 11. κιβωτὸς τῆς διαθήκης, dicitur, arca testamenti, nec refert quod Aquila, & Symmachus aliter verterint, id enim nostrarũ rerum & vocum odio factum videtur.

11. Quare etiam illud est dicendum, de eadem re loqui Mosem Exod. 24. & Paul. ad Heb. 9. & Moses quidem vocat pactum, sed intelligit nõ quodcunque pactum, sed pactum de danda hæreditate post mortem testatoris, & propterea sanguine aspersit populum, qui figura est sanguinis Christi pro nobis effundendi. Paulus autem vocat testamentum, sed intelligit de testamento non qualicumque, sed conditionato, id est, quod simul sit pactum; *atque hinc factum arbitror*, inquit noster Riber. in c. 9. ad Heb. n. 85. *vt* 70. *semper ferè verterint Berith in* διαθήκην, *quæ vox propriè testamẽtum significat, quia promissio hæreditatis & promissio omnium, quibus peruenitur ad hæreditatem, rectè testamentum vocantur*: & subdit, *errant, qui putant græcam illam vocem fœdus significare, vel qui malunt instrumentum nouum, vel vetus dicere, quam testamentum; cùm plenius & melius rem ipsam explicet testamentum.*

12. Erasmus & Caietanus taxantur.

Illud nullo modo ferendum, quod Erasm. & Caieta. initio Comm. in eandem epistolam, negent propterea recipiendam esse epistolam ad Heb. quod eius auctor imperitè, vel non satis aptè voce testamenti abutatur pro pacto: nã hoc modo etiam epist. ad Rom. vbi bis testamentum, pro pacto etiam vsurpatur ca. 9. 4. & 11. 27. & epist. ad Gal. c. 4. 24. vbi de duobus testamentis, recipienda non esset; immò & Zach. dum ait, memorari testamenti sui sancti Luc. 1. & Stephanus Act. 7. 8. qui pactum circumcisionis, dixit testamentum circumcisionis. & denique Christo obijci posset, quod sanguinis calicem dixerit, noui Testamenti, & non noui pacti: Matth. 26. cùm tamen ad sanguinem, quo firmatum est vetus pactum, alluderet. Sed de

13. hoc argumento, an epist. hæc ad Heb. sit Pauli opus, grauiter disputatum est à Driedo. lib. 2. de Eccl. dogma. c. 1. & ab Ambr. Cathe. in proprio libello de ea re, & in lib. 1. annot. in Com. Cai. c. 2. à Cano lib. 2. de lo. theo. c. 10. & 11. in Resp. 7. arg. à Sixto l. 7. biblio. hær. 8. à Michæ. med. l. 6. de recta in Deum fide c. 25. à nostro Bellar. l. 1. suarum disp. c. 17. in 1. contr. de verbo Dei, Ribe. in Proph. in epist. ad Heb. nos aliud agimus: obiter tamen satis sit auctores, qui de ea re agunt, indicasse. Reuertamur iam ad id vnde discessimus: illud omninò superbiæ & arrogantiæ plenissimum est, quod Beza ad Ro. 11. Heb. 8. Gal. 4. docet; Paulum ignorata propria vocis Heb. significatione alluisse ad vocẽ græcam testamenti, non tamen conuenire vocì Hebrææ, aut verę interpretationi eius; cùm tamen præter rationem sanguinis superius n. 10. dictam, etiam ob id retinenda sit vox testamẽti; quod ea gratiosa Dei voluntas indicetur, qui nobis non quasi seruis, sed filijs carissimis Bona sua legare disposuit; qua re quid efficacius excogitari potest ad amorem erga tantum pa-

Beza hæreticum taxat S. Paulum.

rentem accendendum? colligitur denique ex Diuo Paulo ad Hebr. 9. testamentum esse id fœdus, quod Deus pepegit cum ijs hominibus, quibus hæreditatem promisit.

14. Sed vnus remanet scrupulus, cur Hieronym. non vertit testamentum in multis locis Scripturæ, sed fœdus, aut pactum, & præsertim in eo loco, quem Apost. de testamento propriè dicto interpretatus est. i. Exod. 24. Respondet doctè noster Riber. loc. cit. nu. 87. quia fidelissimè vertere voluit, & vox berith pactum, aut fœdus simpliciter significat, non testamẽtum, cõtentus quatenus videl. distinguitur à pacto. Sed si tale pactũ sit vt habeat quæ in testamẽto requiruntur, poterit & testamentũ vocari. Itaque si sensus tantum & rerũ habere rationem voluisset, rectè vertisset testamentũ; sicut Psal. 94. 9. vertit, *Probauerunt me, & viderunt opera mea*, quia in Hebr. & Græco erat vocabulum significans opera, siue sint miracula, siue non; poterat tamen si sensum sequutus fuisset rectè vertere, miracula mea, nam verè miracula fuerunt illa, quæ viderunt in deserto; & vniuersim affirmare possumus de Hieronym. quod ait idem Rib. paulò inferiùs nu. 89. In libris ab eo versis ex Hebr. vertisse ipsum pactum, aut fœdus vocem illam hebræam berith, aut si testamentum vertit pro pacto ponit, vt c. 9. Zacha. Malach. 3. Isai. 14. voluit enim LXX. sequi, nec semper aliter vertere, quam illi interpretati sunt, præsertim in locis quæ solebant passim sic legi in Ecclesijs.

15. *Lex quid significet.* Nunc quia testamentum lege continetur, & exprimitur, ideò breuiter quid significet lex dicamus, & deniq; quibus locis in Scripturis testamentum, tum vetus, tum nouum proponatur, vel comprehendatur. vox legis & si generatim accepta nonnunquam accipiatur pro propensione ad rem aliquã: quo in sensu *legem carnis* vocat D. Paul. fomitis inclinationem ad malum, & *legem spiritus* illud studium ad bonum, quod *charitas Dei diffusa in cordibus nostris* in nobis excitat: propriè tamen in Sacris literis, significationem diuinæ voluntatis designat ad quam tanquam ad regulam dirigere vitam debemus, quæ cum nobis patefit per lumen naturaliter nobis impressum lex naturæ dicitur; cum per reuelationem mediatam, vel immediatam lex diuina reuelata vocatur, lex verò humana Ecclesiastica, vel ciuilis ex lege diuina manat & robur ad obligandum accipit.

16. Porrò testamentum vetus illis verbis continetur, quæ Leuit. 18. 5. habentur: *custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis*, quæ repetuntur ab Ezech. 20. 11. & à Diuo Paulo Rom. 10. 5. Gal. 3. 12. testamentum verò nouum his vocibus Dominus promulgauit; *appropinquauit regnum cælorum, pœnitentiam agite, & credite Euãgelio*, Marc. 1. post resurrectionem autem iussit id per Apostolos promulgari cùm eis dixit; *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ; qui crediderit & Baptizatus fuerit saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*, Marc. vltimo. Item, *euntes docete oẽs gentes Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; Docentes eos seruare omnia quæcunq; præcepi vobis.* Matt. 28. 20.

CAPVT II.

Septem discrimina indicantur inter vetus & nouum testamentum.

1. *Differentia inter vetus & nouum testamentũ.* IAM verò exquirenda est differentia inter hęc duo testamenta nouum videlicet & vetus, vnde constabit vtrum alteri præstet, cùm verò ea differentia sumi nequeat ex varietate testatoris, qui vnus atq; idem Deus est, sumi tamẽ potest ex auctore immediato, ac proximo, seu ex ministro, per quem Spiritus S. loquitur: nã in vetere per Mosem, & per Prophetas legẽ tulit, & explicauit: in nouo *loquutus est nobis in Filio*, Heb. 1. 2. & c. 3. 3. longè aũt antecedit dignitate Filius Mosem, sicut & Angelos; & Apostoli ministri Euangelij, *primitias spiritus habentes*, Sanctitate & gratia superãt Prophetas: hinc fit præstare nouum veteri. Est & alterũ discrimen ex circumstantijs, quod vetus mutabile, & temporarium extiterit: nouum verò immutabile & æternum.

2. *Testamentũ vetus quomodo sempiternum.* Cùm vetus autem dicitur sempiternũ Exo. 12. 14. 17. quasi habens cultum sempiternum, itemque cùm dicitur *legitimum sempiternum*; Reuera pro toto tempore, ac sæculo, quo duratura erat Mosis lex sumitur ibi sempiternum, vt cùm dicitur dãnari aliquis exilio sempiterno .i. duraturo toto vitæ eius tempore; vel legitima illa Mosis dicuntur sempiterna, seu æterna, non se ipsis, sed in rebus figuratis. Est præterà nouum confirmatum & obsignatum sanguine Christi, alterum sanguine vitulorum; illud adumbratum & tectum figuris, hoc clarum: quantũ enim viui & perfecti colores excedunt primas lineas, tantum perspicuitate, & claritate longè veteri præcessit nouum. Hinc Moses velata facie erat; hinc Sanctum Sanctorum velo obtegebatur; hinc item omnia vasa ad Ministerium templi constructa tecta, velataq; erant. illud hic ex Lactant. lib. 4. c. 20. obseruandum; tamdiu clausum & obsignatum esse testamentum, quamdiu, qui testatus est viuit: morte verò interueniente confirmatur: ita vt voluntas, quam iuris periti deambulatoriam vocãt vsque ad mortem, omninò tunc euanescat; & tempus referandi, legendique testamenti aduenìat. Ita intellige antiquas cæremonias, & sacrificia, & obscura Prophetarum oracula fuisse clausa quasi, & sigillo obsignata (*tenebrosa enim aqua*, id est, vaticinia Prophetarum, *in nubibus aeris*, Prophetæ namque rectè nubibus comparantur, cœlestibus aquis terrena hominum corda irrigantes) at Christi morte eadem aperta iam sunt. hinc *scissum velum templi*, & ab inferis resurgens Christus *aperuit Apostolis sensum, vt intelligerent scripturas*, & Apocal. 5. v. 5. dicitur, *dignus inuentus esse agnus, qui aperiret librum, & soluere septem signacula eius.*

3. *Prophetæ nubibus cõparati.*

4. *Vetus testamentum an firmum & ratum ante Christi mortem.* Quod si dicas: ergò ante Christi mortem, firmum, ratumque non fuerat testamentum vetus. Respondeo, suam quandam promissionis, non rei exhibitæ, firmitatem habuisse quidem ante Christi mortem, sed non nisi propter illam; quæ vitulorum sanguine intelligebatur & promittebatur, quia tamen verè Chri-

stus

ſtus nondum mortuus fuerat, nondum omninò firma erant, & rata, hoc eſt, reſerata, perfecta, completa & exhibita, quæ figuris firmiter promiſſa, continebantur tecta, & obſignata. hanc rem videtur mihi doctè enucleaſſe Ribe. loco cit. num. 52. vſque ad 54. ait enim: *duo ſunt teſtamenta propriè accepto nomine teſtamenti, vetus & nouum; in vtroque promittebatur filijs Dei, hæreditas Regni cæleſtis, in nouo apertè, in veteri per ænigmata, per terram videlicet promiſſionis, & figuras alias.* Quod ſignificat Paulus Heb. 4. docens, eos hebræos non introijſſe in requiem Domini, quamuis eos Ioſue introduxerit in terram promiſſionis (ſic verſic. 6. 7. 8. id habet Apoſtolus) hæreditas autem, quæ veteri teſtamento promittebatur non erat danda, donec teſtator moreretur.

5. Promittebatur ergò in eo, non dabatur; & vt ſciremus non eſſe dandam, antequam teſtator moreretur Chriſtus, qui per Moſem legem dedit: (omnia enim, quæ ad hominum ſalutem ante Chriſti aduẽtum facta ſunt, cum ſint communia omnibus perſonis, Chriſto attribuuntur, qui erat venturus ad eos liberãdos) etiam primum teſtamẽtum ſanguine victimarum confirmatũ eſt (vt ait Paul. Heb. 9.) & ſicut in illo teſtamento per terram promiſſam filijs Abrahæ, promittebatur cœleſtis hæreditas, ita in ſanguine victimarũ promittebatur ſanguis Chriſti, per quem danda erat. Et 6. quoniam in hoc teſtamento nec data eſt, nec dari potuit hęreditas, oportuit, vt illi nouũ teſtamentũ ſuccederet in quo nõ per figuras, ſed apertè promittitur, & datur, quia confirmatũ eſt non ſanguine animalium, ſed ipſius teſtatoris. hanc etiam rem explicat Lactan. lib. 4. c. 20. hoc modo: Iudæi, inquit, vtuntur veteri teſtamento, nos nouo; ſed tamen diuerſa non ſunt; quia nouum, veteris adimpletio eſt; & in vtroq; idem teſtator eſt Chriſtus, qui pro nobis morte ſuſcepta nos hæredes regni æterni fecit, abdicato & exhæredato populo Iudæorum, ſicut Ieremias 31. 27. teſtatur: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſummabo domui Iſrael, & domui Iuda teſtamentum nouum, non ſecundùm teſtamentum, quod diſpoſui Patribus eorum.* Quod ſi quærat quiſpiam, quid nouo teſtamẽto opus fuerit, cùm ſatis eſſet primum confirmatum morte teſtatoris? Reſpondet Riber. num. 84. primum teſtamentum ſolis filijs Abrahæ ſecundùm carnem datum eſſe, quare nouum fieri oportebat, in quo & populus ingratus exhæredaretur, & omnium nationum homines hæredes inſtituerentur, vt colligitur ex verbis Ierem. 31. 31. citatis à Paul. Hebr. 8. 8.

Nouum teſtamentum ad quid vtile.

7. Tertium diſcrimen eſt ex fine: habet enim ſe vetus ad nouum teſtamentũ, ſicut media ad finem, quare perfectius eſt nouum. figuræ enim ſunt propter veritatem. & Rom. 10. 4. finis legis Chriſtus dicitur, & ad Gal. 3. 24. Moſes, vel Lex, Pædagogus ad Chriſtum vocatur, qui ſuis inſtitutis & cæremonijs ad Chriſtum duceret populum illum; Deindè *quæcunque ibi ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, in quos fines ſeculorum &c. deuenerunt* 1. Corin. 10. 11. Quarto diſcrimen ex amplitudine & vniuerſitate populi: illa Lex ſoli populo ex Iacob deſcẽdenti data fuit, at de Euangelio dicitur, prædicate Euangelium omni creaturæ; &, euntes docete omnes gentes.

Quintum ex ordine, & duratione, nouum præceſit vetus, tum ordine doctrinę, quia notiùs & clariùs; tum ordine dignitatis, dignius eſt enim, & quia finis, vt in tertio diſcrimine, & quia in mente Dei præceſſit nouum inſtar idææ. Item præceſſit duratione ac tempore, tùm ex parte rei ipſius, hoc eſt, ſalutis allatæ, quæ legis nouæ propria eſt; ac ſolius Chriſti fide, & meritorum eius efficacitate conſtat. nam non modo in lege Moſis, verum etiã ante illam per Chriſti merita, & fidẽ in illum ſalui facti ſunt multi: hi verò ad nouum teſtamentum pertinebant. tum ex parte legislatoris, Chriſtus enim Deus æternus, eſt author noui teſtamenti; Tum quia noui teſtamenti promiſsio per 430. annos vetus teſtamẽtum præceſſit Galat. 3. 17. de his lege Diuum Thom. 1. 2. q. 106. 1. ad 3. & q. 107. 1. 2. 3. q. 108. 1. 3. p. q. 8. 3. 3. Auguſt. lib. 3. contra duas Epiſtolas Pelagian. cap. 4. tom. 7. intelligendum ergò eſt cum dicimus noui teſtamenti promiſsiones, ſeu ipſum etiam nouum teſtamentum tempore præceſiſſe vetus, loqui nos de ſummis eius capitibus, cuiuſmodi ſunt; Gratia, fides, ſpes, charitas, ſalus æterna, Chriſtus, eius ſanguis, eius ſpiritus: non autem loqui nos de ijs, quæ vel ad Sacramenta, vel ad cæremonias ſacras ſpectant, hæc ſiquidem cum nondum eſſent inſtituta, Moſen præcedere non potuerunt. 8.

Sextum diſcrimen petitur ex vtilitate, ſeu hæreditatum differentia, quæ legantur, vel promittuntur: hæc longè maior eſt in nouo, ac proinde præſtantiùs vetere, ſicut nucleus præſtat cortici, corpus vmbræ, triticum nudum paleis: non enim quemquam lex vetus ad perfectionem adducere poterat Hebr. 7. 19. Galat. 4. nec remiſsionem peccatorum facere: vetus enim teſtamentum neminem vi ſua viuificauit Galat. 2. prætereà promittebat vetus illud teſtamẽtum temporalia, ac terra præmia: hæc enim hæreditas ibi promittebatur: nouum verò cœleſtem continet, ac æternã hæreditatem. vnde Paul. ad Hebr. 7. teſtamenti noui vocat meliorem ſpem; & cap. 8. in melioribus, inquit, repromiſsionibus ſancitum eſſe. Quod ſi aliquibus Deus in vetere lege regnum cælorum vt Abrahamo, cùm dixit: ego ero merces tua magna nimis, promiſit; ea non fuit pollicitatio veteris legis, præſertim cum Abraham vixerit ante legem: prætereà eſto fuiſſet tempore legis eiuſmodi promiſsio ad nouum potius ſpectaſſet teſtamentum. Fateor etiam Sanctos veteris legis vitam æternam, & mortuorum reſurrectionem & nouiſſe, & in votis, ac ſpe habuiſſe, fideque docente intellexiſſe Deum vnum eſſe, & quod inquirentes ſe remuneraret, ſed inficior regnum cæleſte, vel reſurrectionem, vel remunerationem, de qua Paulus ad Hebræos vndecimo, legem veterẽ ex vi ſua ſuis obſeruatoribus promiſiſſe tanquam præmium obſeruatæ legis, vt nec Chriſti aduentus hoc modo promiſſus fuit Rom. 8. Galat. 3. neque per legem promiſsio Abrahæ, vt eſſet hæres mundi. 9.

Dices qui legem veterem obſeruabant, gratiam ac ſuo tempore cæleſte regnum con- 10. *Veterem legẽ ſeruantes quomodo ſaluati.*

sequebantur: igitur gratia, & Regno ratione legis obseruatæ, donabantur. Respond. obseruatio legis si sola spectetur sine Christo & eius gratia, digna non est ijs bonis; si cum his verò consideretur digna est tam gratiæ augmento, quam gloriæ; atqui omnis gratia, gratiæque fons noui testamenti est, neque vnquam hanc gloriam ex se lex promisit cum ea promissio ad Christum spectaret.

11. Septimum discrimen esse poterit ex diuersitate eorum, qui hæredes in ipsis testamentis instituuntur. qui ad legem nouam pertinent & filij sunt, & statum filiorum habere dicuntur; qui verò ad veterem pertinebant, filij quidem esse poterant per spiritum adoptionis; at statum filiorum non habebant; quod verò filij essent ex fide, & gratia futuri Christi habebant, atque adeò ratione noui testamenti; (de iustis loquor) aliud est ergo esse filium, aliud est habere statum filij; Infantes enim, & pueri filij sunt; tamen statum filiorum nondum habent; neque enim sui iuris sunt, vt pro arbitrio de suis possint disponere, quod habebunt ætate legitimo. in lege ergò veteri iusti filij verè erant, non serui, conditione tamen erant parùuli, atque adeò statu & forma viuendi vt parùuli & infantes; erant enim sub lege timoris, sub pædagogo, & sub actore; per Christum remota est lex; recessit pædagogus, peruenit ad ætatem iustus, libertate donatus est, Paulus ad Galat. 4. liberi sumus, *qua libertate Christus nos liberauit.* lege hac de re tota Diuum Paulum altissimè differentem toto illo cap. 4. ad Gal. & Tole. cap. 1. in Ioan. anno. 35.

CAPVT III.

Vbi præcipuum discrimen declaratur; vetus litteræ simile, nouum spiritus gratiam habet.

1. OCTAVVM & præcipuum discrimen inter hæc duo testamenta est, quod Diuus Paulus 2. Corinth. 3. indicat (& hæc differentia dici potest ex parte legum; quæ tanquam conditiones in ipsis testamentis ponuntur.) Hanc Hierem. insinuat cum cap. 31. 33. docet, daturum Dominum in nouo testamento legem suam in viscеribus hæredum, & in cordibus eorum eam scripturum: ibi enim, subintelligitur, in veteri testamento, datam fuisse legem scriptam in tabulis lapideis.

2. Hanc igitur legum differentiam, de qua Hierem. loquitur, ita exaggerat Diuus Paulus loco cit. vt propter eam solam vocet legem veterem *litteram occidentem*, legem autem nouam *spiritum viuificantem*, & ministerium illius dicat esse *ministrationem mortis, & damnationis*; ministerium autem legis nouæ, *ministrationem spiritus, & iustitiæ.* Itaque meritò legem nouam Diuus Paul. nunc euangelium, nunc spiritum, nunc legem spiritus vitæ, nunc legem fidei, nunc legem in cordibus impressam vocat: legem verò veterem frequenter generali vocabulo vocat legem; aliquando litteram aut legem scriptam in tabulis; Et quanquam scriptura nusquam legem ijs nominibus distinguat, vt vocet veterē & nouam, sed solum testamentum sic appellet, nos frequenter dum loquimur legem pro testamento, & testamentum pro lege vsurpamus, quia fœderum conditiones, solent fœdera & pacta vocari; Iustitiam verò, quæ vtrique legi & testamento respondet, non nouam aut veterē nuncupamus, sed ijs nominibus discernimus, quod eam quæ in veteri testamento confertur & exigitur, iustitiam legis, aut iustitiam ex lege dicimus; eam verò quę in nouo, iustitiam fidei aut iustitiam ex fide.

3. *Per literam occidentem & spiritum viuificatem quod D. Paulus intelligat.*

Vt autem rectiùs hoc discrimen intelligatur, intelligere oportet, quid Diuus Paulus 2. ad Corinth. 3. 6. per literam occidentem, quid per spiritum viuificantem significare voluerit. In primis statuo per literam & spiritum non esse intelligendum sensum literalem, & spiritualem, quid enim inest sensui literali, quamobrem occidere dicatur; quamuis ab hac expositione nō omninò abhorruerit August. tom. 3. lib. 3. de doctrin. Christian. cap. 5. hoc ergò reiecto, assero: spiritum illum, quem Diuus Paulus docet nos viuificare, Dei gratiam esse per Christi Euangelium nobis donatam; literam autem esse, omnia vitæ præcepta, omnem legem faciendorum, quæ literis continetur: verumque esse affirmo, omnem spiritualem vitam ab illo spiritu nobis manare; hanc autem litteram occidere eos, qui hoc spiritu non viuificantur.

4. Porrò quatuor rationibus ostendam de spiritu & litera, ita prorsus sensisse Paulum, vt dixi. & prima probatio ex lege ducitur secundùm se spectata, cui rectè competit, quod sit littera occidens. Dicitur namque meritò occidere lex sine gratia, duabus de causis; primum, quod cum sine gratia compleri non possit, eum cui datur quodammodo præuaricatorem efficiat. *Lex*, inquit Paulus ad Roman. 4. 15. *iram operatur: vbi enim non est lex, nec præuaricatio.* deindè quod ipsa prohibitione concupiscentiam augeat: nam vt ille rectè ait, nitimur inuetitum semper, cupimusque negata. Audi Paulum Roman. 7. 8. *occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*: Qua de re doctè Augustin. de spirit. & litera cap. quarte, tomo tertio, quare, nec per se proprio vitio suo, sed ex occasione solum, eaque accepta, non data, lex occidit. ita Apostolus loco cit. Roman. 7. 11. *nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, iustum, & bonum. quod ergo bonum est mihi factum est mors? absit, sed peccatum, vt appareat peccatum per, bonum operatum est mihi mortem: vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.*

5. Iam sit altera huius nostræ opinionis probatio, ex ipso Pauli contextu deprompta: hanc enim esse germanam Diui Pauli interpretationem constabit, si quæ in eo. 3. cap. secundæ ad Corinth. præcedunt, non perfunctoriè rimati fuerimus; dixerat Corinthijs: *epistola nostra vos estis*, quod explicans paulò pòst; eos epistolam esse Christi ait, à se ministra-

Digitized by Google

niſtratam, ſcriptam autem non atramento, *ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus*. Hoc quis non videt referri alio non poſſe, quam ad gratiæ infuſionem? Quoniam verò arrogare ſibi miniſterium tam inſignium epiſtolarum non ſine iactantia eſſe, videri poterat, propterea ſubdidit; *ſufficientia hæc non eſt ex nobis, ſed ex Deo, qui* ipſe pro ſua benignitate *idoneos nos fecit nouæ teſtamenti miniſtros non litera, ſed ſpiritu; littera enim occidit, ſpiritus autem viuificat*. Hic Paulus fatetur miniſterium ſpiritus noui teſtamenti miniſtris ex gratia Dei collatum. igitur veteris teſtamenti miniſtri hoc miniſteriũ non habebant; ſed alterum, quod literæ appellatur. oſtendam autem, miniſterium ſpiritus eſſe gratiæ miniſterium, literæ verò eſſe miniſterium legis ſcriptæ dumtaxat, quod ſequenti probatione fiet. Interim conſtet ex verbis Pauli hanc eſſe eius mentem, quam diximus.

6. *Diſcrimen miniſtrorũ veteris & noui teſtamenti.*

Vt igitur pleniùs ac clariùs intelligamus, miniſtros noui teſtamenti ſpiritus dici, quia gratiam Dei quodammodo miniſtrant; veteres verò literæ eſſe vocatos, quod legis ipſa nuda præcepta docerent, atque inculcarent, videamus oportet quid inter miniſtros veteris & noui teſtamenti interſit, vt quid literæ & ſpiritus nomine accipere debeamus intelligatur. atque ea erit tertia eiuſdem rei probatio: ex differentia miniſtrorum aſſumpta. miniſtri veteris teſtamenti quatenus ad vetus teſtamentum tantum pertinebant, proponebant ſuis legem illam in Decalogo ſcriptam ad obſeruandum, grauiſsimam pœnam comminantes tranſgreſſoribus non ad fidem, non ad ſpem, non ad charitatem adhortabantur quatenus miniſtri veteris legis erant; & ad illam ſpectabant, prout diſtinguitur lex vetus à lege gratiæ & amoris. breuiter non id agebant vt auditores eorum fiduciam totam in Chriſto reponerent: & ita nullum ſubſidium internum afferebant, vt ea quæ illis imperabant præſtare poſſent, ſed ipſa in lapidibus præcepta inciſa pronunciabant. ſi quis verò in illo calamitoſo tempore figebat in Chriſto venturo ſpem, non ad vetus, ſed nouum teſtamentum eum pertinuiſſe aſſerimus. At noui teſtamenti miniſter id Dei gratia præſtat, vt cum ſuos auditores totam ſpem & fiduciam in Chriſto collocare docuerit, à quo ſolo ſit vera ſalus, diſcant ſibi diffidere, ſuam imbecillitatem agnoſcere, & ſe per fidem Sacramẽtis teſtatam & charitatem Chriſto coniungere; vtrita allabatur mentibus eorũ, qui obedientes miniſtro fuerint, ſpiritus Chriſti, quo intrinſecus viuat, & quo adiuti vniuerſam legem expeditè poſsint implere.

7. Propterea à Theolog. dicitur nouum teſtamentum interius hominem adiuuare, non autem vetus, niſi extrinſecus, & miniſtros noui teſtamenti, ſpiritus, id eſt, gratiæ Dei eſſe miniſtros, veteris verò literæ, id eſt, legis ſcriptæ dumtaxat, quibus ex patet, quid per litteram, quid per ſpiritum intelligere debeamus.

Quarta probatio ex fine petitur vtriuſque teſtamenti, qui ſi conſtabit, ſimul declarabit, litteram propriam eſſe veteris teſtamenti. deindè etiam per litteram, intelligenda eſſe nuda ipſa præcepta & legem litteris contentam; per ſpiritum verò gratiam Dei. Quod ergò litera ſit propriè veteris teſtamenti ex eius fine patet: cùm teſtamenti veteris finis proprius fuerit, id efficere, vt genus humanum in ipſo primo parente tanquam in radice corruptum, & vitiatum ægrotationis, vulnerumque ſuorum admoneretur; atque timore, & dolore concepto medicum quæreret, atque ad hunc finem lex perducit (per legem enim cognitio peccati, Roman. tertio, verſic. vigeſimo, & peccatum non cognoui niſi per legem, Rom. 7.)

Qua de re lege Auguſtinum epiſtol. 100. ad Aſellicum: hinc fit vt per ſe ac propriè teſtamentum vetus legibus ac literis contineatur, terrore adducat, in ſeruitutẽ generet Rom. 8. & ad Galat. 4. finis porrò noui teſtamenti eſt mederi, ſanare, liberare, quod præſtat gratia, vt docet Paulus Rom. 7. *quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Ieſum Chriſtũ*; & Aug. lib. de ſpirit. & lit. c. 29. ait, *per legem cognitio peccati, per gratiam, ſanatio animi à vitio peccati.* Itaque teſtamentum nouum per ſe & propriè non legem affert, ſed gratiam, nec literæ, ſed ſpiritus ſolius miniſteriũ eſt, nihilq; eſt aliud quam *charitas Dei diffuſa in cordibus veſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* quod prædixit Ierem. loc. cit. cap. 31. *ecce dies venient dicit Dominus & feriam domui Iſrael & domui Iuda fœdus nouum &c.* Et poſtea, *dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam; & erò eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.*

8.

Itaque ſi de eo agatur quod per ſe ac propriè ad vtrumque teſtamentum pertinet, veriſsimè dixit Paul. 2. Corint. 3. 6. *idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti non littera, ſed ſpiritu*, & Ioan. c. 1. *lex per Moſem data eſt, gratia & veritas per IESVM Chriſtum facta eſt.* Ita vt ſcriptura Euangeliſtarum & Apoſtolorũ per ſe ſola ſpectata ſine ſpiritu ad legem veterem pertineat, id eſt, ad litteram occidentem: docet hoc D. Thom. 1. 2. q. 106. a. 2. ſub fin. Cor. ex quibus omnibus ſatis clarum manet octauum hoc diſcrimen, nimirum, quod veteris teſtamenti littera eſt; nuda videlicet præcepta; noui verò ſpiritus & gratia.

9.

CAPVT IV.

In quo hæreticorum prauus ſenſus verborum Pauli excluditur.

1. *Hæretici ex verbis Pauli malè intellectis damnant bona opera.*

SED hæretici malè hæc intelligentes, excludunt operum conditionẽ ad adipiſcendam hæreditatẽ in nouo teſtamento. conditionẽ enim noui teſtamenti hanc eſſe tantũ volunt, vt Dei promiſsioni fides habeatur, licet in veteri teſtamento requiſita fuerit cõditio operum, hoc eſt, totius legis impletio, quare ſeruos dicunt illos fuiſſe, nos verò liberos. hoc videtur Apoſtolus velle ad Galat. 3. 9. qui ex fide ſunt benedicẽtur cum fideli Abraham; *quicunque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt*: & ver. 11. & 12. *quia iuſtus ex fide viuit, lex autem non eſt ex fide.* Rom. 4. 14. *ſi qui in lege hæredes*

sunt, exinanita est fides, abolita est promissio: Rom. 10. 5. *Moyses scripsit iustitia, quæ ex lege est, qui fecerit homo viuet in ea*. Græcè clariùs habetur: Moyses enim scripsit de iustitia legis, quoniã qui fecerit hæc homo, viuet in eis. Pergit Paul. *quæ aũt ex fide est iustitia sic dicit, &c. quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum &c. salus eris*, vt habet versic. 9.

2. *Testamentũ nouum quo modo leges adferat.*

Respond. facilè hæc dissolui si intelligamus testamentum nouũ per se, & propriè leges nõ afferre, afferre vetus: complectitur tamen nouum duplices duplici ratione leges. Primum enim eas oẽs leges, quæ ad benè, beateq; viuẽdum referuntur, gratia noui testamenti nõ destruit, sed confirmat: quippè quæ humanæ infirmitati ad eas implendas vires præbet. Rom. 3. 31. *legem ergo destruimus per fidem? absit, sed legẽ statuimus*. Idem cap. 8. 3. *nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnẽ, Deus filium suũ mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato dãnauit peccatũ in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum*; & August. li. de grat. Christi cap. 9. *lex data est vt gratia quæreretur, gratia data est vt lex impleretur*. Deindè nouas etiã quasdam leges Christus tulit de Sacramẽtis vel exhibendis, vel suscipiendis, quæ dum ad sacramenta nos ducunt atque ad gratiã per sacramenta perducunt, non solum non premunt onere ponderum, vt lex Mosis, verum attollunt etiam vice pennarum, vt verbis vtar August. lib. de perfectione iustitiæ.

3. *Ecclesiam non esse inuisibilẽ contra hæreticos.*

Ex his etiam excluditur alter hæreticorum error, qui volunt Ecclesiam esse omnino inuisibilẽ. Nam licet propriè, & per se interna sit lex euangelica, habet tamen multa externa visibilia; vt homo licet habeat animam inuisibilem, constat tamen corpore visibili. Hi errores nascuntur inde aliqua ex parte, quia nebulones isti non distinguũt duas iustitiæ partes tanquã duorũ longè dissimilium debitorum solutiones; sed solum remissionem peccatorũ, nomine iustitiæ cõplectuntur, nec aliam esse interpositã conditionẽ in promissione vitæ æternæ, quam in promissione huius iustitię arbitrantur, cum tamen promissio vitæ æternę vtramq; iustitiæ partem complectatur pro conditione eo modo quo ab hæredibus vtraq; cum Dei auxilio præstari potest; nempè liberationem à debito peccati, & solutionem debiti legitimi, quæ legis impletio est. hic verò nos vocamus iustitiã, & quæ debitũ soluit peccati, & quæ implet legem non sine gratia sanctificante animam cum cæteris virtutibus infusis.

CAPVT V.

In quo expenduntur verba D. Pauli ad Rom. 2. 13. explicatu difficilia.

1. SED hic molesta sese offert dubitatio; quomodo dictum sit à D. Paulo; *non auditores legis tantum apud Deum iustificari, sed factores legis*. Rom. 2. 13. *non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*. His nutare videtur, quod hactenus discrimen statuimus. Mirum est, quam variè torserint interpretes verba hæc D. Ambr. factores eos legis esse dicit, qui in Christũ credunt, quem lex Mosis non prædixit solum & promisit, verum etiam iussit in eũ credere, atq; obedire Iudæos, vt constat ex loco Deut. 18. 15. sed licet hoc sapienter à sanctissimo viro dictum sit rectè intellectum; à germano tamen verborum sensu alienũ putatur. videtur enim Paul. in vniuersum de legis Mosis obseruatione loqui, non de ea speciatim parte, quæ Christũ promittit, & necessitatem fidei, atq; obedientiæ eius commendat. Hoc significant verba Pauli, nõ auditores legis, sed factores iustificabuntur, vt interim omittam, durũ videri quod facere legem, significet, in Christum credere.

2. D. August. tom. 3. l. de spiritu, & littera cap. 26. sic interpretatur, vt sensum illorum verborũ omninò inuertere videatur: non inquit; ille vbi fuerint factores iustificabuntur, sed per gratiam iustificabuntur, vt sint factores; factores inquit August. iustificabuntur, vt sciamus aliter eos non esse factores legis nisi iustificentur, vt non iustificatio factoribus legis accedat, sed factores legis iustificatio præcedat: sumit ergo Augustinus iustificari, pro, ex impio iustum fieri, quæ est prima iustificatio: in quo Glossa interlinearis, D. Thom. & Lyranus Augustinum sequuntur. sed id quoque extra mentem Pauli videtur, licet verum sit: non enim id agit eo loci Apostolus, vt probet iustificari oportere prius homines, & sic fieri legis factores; sed illud præcipuè intendit, non auditores, sed factores legis iustificatum iri coram Deo.

3. Caietanus de Iustitia operum, & non de iustitia Dei, verbum illud iustificabuntur, intelligendum putat: quo tendere fortè videtur etiam D. Thomæ expositio; verùm quia factores D. Paulus contra auditores opponit, & dixerat illos non esse iustos apud Deum, sed factores iustificandos; ideò prædicta expositio Caiet. locum hic habere non potest: nam si de auditoribus loquẽs de ea iustitia, quæ est apud Deum loquitur, verbum etiam iustificabuntur, quod scilicet, de factoribus pronunciat, ad iustitiam, quæ est apud Deum, pertinebit.

4. Richard. de S. Vict. in decisione quorundam dubiorum epistolæ ad Roma. de prima ire iustificatione exponit, dum ex his verbis colligit; legem talem fuisse, vt si impleta ab aliquo homine fuisset, illum iustificasset, quod verũ non esse inferiùs ostendemus cap. 6. nu. 4.

5. *Iustificari in Scripturis quid sit.*

Verùm vt quid sentiendum sit tandem explicemus, aduerte: iustificari in Scripturis non modo sumitur pro eo q̃ est ex impio iustum fieri, quæ prima est iustificatio, quomodo August. Richar. &c. sumpserunt, Sed secundo sumi potest pro eo quod est in accepta iam iustificatione proficere, ac crescere Apo. 22. 11. *qui iustus est iustificetur adhuc*. Tertiò denique capitur pro eo quod est declarari, haberi, existimari, pronunciari iustũ, Prou. 17. Iob. 9. Matt. 12. Luc. 7. & 10. Rom. 8. Sotus & Stapletonus secundo modo sumpserunt, vt sit sensus Apostoli; qui primò iustificati sunt, deindè per legis obseruationem iustificabuntur. i. proficiẽt magis ac crescẽt in iustitia. Reijcit hãc expositionem Pererius in cap. 2. epist. Pauli ad Rom. disput. 7. nam cùm Paulus ait: *non auditores legis iusti*

Digitized by Google

ges iusti sunt apud Deum, excludit etiam priuam iustitiam, ergo quod subiungit, sed factores legis iustificabũtur, nihil facit ad eius propositum, vel connexionem, vel cõsequentiam sententiæ: si iustificari de profectu, & augmento iustitiæ intelligatur.

6. Quare duæ mihi expositiones huius loci visæ sunt, quæ verbis Pauli commodè aptari queant: quamuis posterior verior, & probabilior, ac menti Pauli magis consentanea videatur. In primis de iustificatione prima, sed probabilissime omnium qui sic intellexere, locum hunc interpretatus est Do. Olauius Societ. Iesu vir planè eruditissimus, ex quo pleraque hausimus, quæ hic de testamento scribimus, quamuis ea nusquam hactenus impressa sint. sic ergò scribit: affirmo igitur veram esse hanc sententiam: auditores legis iusti nõ sunt apud Deum, sed factores legis iustificabũtur, de iustitia Dei loquendo, & nuda præceptorum moralium impletione. Dico autem hunc esse illorum verborum sensum: Qui auditores tantum sunt legis, & præcepta moralia transgrediuntur, illi nunquam sentient fructum Passionis Christi, quia vt fructus percipiatur coniungenda illa nobis est, & offerenda per bona opera. Quarè qui tantum legem audiunt & bona opera per eam præcepta non implent, illi nunquam iusti poterunt esse apud Deum, At, qui legem impleuerint cum Dei auxilio, quatenus hoc faciunt aliquid ponunt quod est causa sine qua nõ nostrę iustificationis, & iustificabuntur quidẽ, non per virtutem ipsorum operum, sed per virtutem eius Passionis, quam illis operibus, si cum fide, & charitate exerceantur, nobis applicamus: vide item Franc. Suar. to. 3. disp. 10. sect. 3. conc. 2. ad funda. secundæ sententiæ.

7. Sed fortassis magis ad mentem Pauli dicemus, non loqui eum de prima iustificatione: ita vt verior sententia sit eorum qui iustificari tertio modo hic accipi putant ab Apostolo: vt sit hæc sententia: eos in conspectu Dei, præsertim verò ad extremum iudicij diem cùm redditurus vnicuique iuxta opera sua aduenier Iudex, extimandos, declarandos, pronunciandos iustos, dignosque æterna mercede, qui non auditores modo fuerint legis, sed factores. Itaque parum vel nihil etiam iuuabit Iudæos legem toties in synagogis audire, discere, curiosè scrutari, plenis etiam buccis iactare, sicut nec gentibus quoque proderit legem menti impressam habuisse, nisi vtrique eam legem opere repræsentarint, declararint, expresserint. Hic mihi germanus verborum Pauli sensus prorsus esse videtur.

A quo nec D. Aug. alienus est, nam post alteram superius commemoratam interpretationem, nostram hanc, quam sequimur, sententiã non obscurè subiunxit: ait enim: Aut certè ita dictum est; factores legis iustificabuntur, ac si diceretur, iusti habebuntur, vel iusti deputabuntur: sicut dictum est de quodam; ille autem volens iustificare seipsum, id est, vt iustus deputaretur, ac haberetur; vndè aliter dicimus Deus sanctificat sanctos suos; & aliter, sanctificetur nomen tuum. Illud enim ideò dicitur, quia ipse illos facit sanctos, qui non erant sancti; Hoc autem ideò dicitur, vt quod semper apud se sanctum est, sanctum etiam ab hominibus habeatur, id est, sanctè timeatur & colatur. Hæc Augustinus.

8. Pererius in epistola ad Roman. disputatione 7. in cap. 2. cui hæc interpretatio placuit, sic tandem rem totam concludit: Apparet igitur ex his quæ sunt dicta, hanc sententiam Pauli aientis factores legis iustificabuntur, non pugnare cum altera illa eiusdem sententia, ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram Deo. Hic enim verbum iustificari significat, ex non iusto fieri iustum: & ideò non potest fieri per opera antecedentia, quæ cum essent hominis iniusti, non poterant iustitiam parere; illic verò iustificabuntur, dictum est, pro eò quod est, declarabuntur, & pronuntiabuntur iusti in extremo iudicio, & pro iustitia, bonisque operibus remunerabuntur æterna vita.

CAPVT VI.

Excutitur sententia Richardi.

9. SED restat videre id quod dicebat Richar. San si quis legem perfectè seruasset verè iustificari potuisset, sic enim dicet aliquis Paulum loqui de perfecta legis obseruatione, cùm ait: factores legis iustificari. constat apud D. Paulum duplicem esse iustitiam, vnam quidem operum, alteram autem Dei; quæ ita discernuntur. nam operis iustitia tunc est, cùm aliquod exercemus opus omnibus circumstantijs ornatum, prout dictat recta ratio, ita vt & opus iustum sit, & inculpatum; & nos quod pertinet ad illud opus, iusti simus, licèt aliorum ratione peccatorum reprehensibiles inueniamur. At Dei iustitia simpliciter & absolutè nos iustos reddit, nam si aliquibus antea commaculati eramus peccatis, illa delet & abstergit; ita vsquequaque sincerum & purum ab omni peccati macula eum esse oportet, qui apud Deum iustus habeatur.

Apud Paulam duplex iustitia.

10. Quare in hoc D. Paulus harum iustitiarum discrimen ponit, quod iustitia operis non remittat præcedentia debita, adeoque nec simpliciter iustum aliquem faciat. Iustitia autem Dei omnia præcedentia peccata deleat, & iustum aliquem simpliciter & absolutè reddat. nam iustitiæ Dei necessitatem ostendit ad Ro. 3. 23. *quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*; & v. 25. iustitiam Dei ostensam fuisse inquit, propter remissionem præcedentium delictorum, quasi dicat; ideò misit Filium suum, vt declararet, se esse eum, qui dat iustitiam perfectam, quæ est apud Deum: propterea & cap. 4. iustitiæ operis hoc tantum adscribitur, quod possessori suo gloriam & laudem apud homines conciliat, sic enim inquit, v. 2. *si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*. vnde colligimus solam Dei iustitiam homines apud Deum cõmendabiles reddere.

11. Quod si ex sententia Pauli operis iustitia separari potest, à fidei iustitia, ergò & esse poterit cum peccato, saltem cum auxilio Dei speciali, quod est contra Caluinum & hæreticos. vide Bellarmin. lib. 5. de libero arbitrio, cap. 9. & 10. dicunt enim hæretici illi, peccatorem, & infideles nil posse facere moraliter Bonum, cum tamen nemo operis iustitiam habeat, nisi

benè moraliter operetur: hæc autem separari potest à iustitia fidei.

Iterum ex his excluditur opinio etiam Richardi: etenim clarè sequitur contra sententiam Richardi de Sancto Victore, legem
4. ne perfectè quidem impletam, quempiam apud Deum iustificare potuisse; ille enim in loco à nobis præcedenti c.3.n.4. citato, oppositū putat propter illa; factores legis iustificabuntur, & ideò inquit D.Paul. Rom.3.20. dixisse, quoniam ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo, vt innueret, non quidem legem insufficiētem esse ad iustificandos nos, sed eam à nobis sine gratia impleri nō posse; gratiam verò Christi hoc nobis præstitisse, vt eam omninò implere possemus, quam sententiam confirmat verbis illis c.8.v.3. nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne; & tandem subdit; vt iustificatio legis impleretur. Verum D. Paul. si rectè huius epistolæ verba perpendamus ex duobus cap. impotentiam legis ad nos
5. iustificandos colligit. Alterum est, ex eo, quod lex nullas vires præbet ad se implendam; cùm alioqui tanta sit carnis infirmitas, vt nisi Diuino auxilio roboretur, vniuersam legem perpetuò seruare non possit, hanc solam rationem annotauit Richard. quam profectò rectè inquit expressisse Paul. verbis 8. cap. iam citatis, quam etiam vsurpat cap. 3. cùm confirmat ex operibus legis non iustificari omnem carnem coram Deo, quoniam per legem cognitio tantum est peccati; & cap. 4. si qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio, quoniam lex iram operatur; & hanc legis impotentiam in toto 7. capite apertè manifestat.

Alterum caput vnde legis impotentiā deducit, est, quia legis obseruatio quantumuis perfecta, & absoluta, non poterat nobis remissionem peccati originalis, & aliorum delictorum,
6. si quæ nos commisimus, impertiri; sed ad hoc, delendum necessaria erat Christi passio & gratia Dei, ergò cùm omnes in Adam peccauerimus, & propter illud peccatum iustitia Dei careamus, cumque iustitia Dei præcedentium delictorum remissionem includat, & eam legis obseruatio concedere non possit, efficitur nullum hominum in hoc statu corrupto per legis obseruationem, quantumuis perfectam posse iustificari.

7. Hoc declarat illis capitis 3. verbis: *omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*; & illis cap. decimi, tertio, *Ignorantes iustitiam Dei, & suam volentes statuere iustitiæ Dei non sunt subiecti*, id est, non tradunt se gratiæ Dei: *finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti*, quasi dicat, non est data lex, vt per eam suis viribus homo iustificetur, sed vt per eam ducatur ad Christum tanquam ad finem legis, per cuius Christi fidem iustificetur.

8 Subdit Paul. *Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam, quæ est ex lege, qui fecerit homo viuet in ea*; quid est viuet in ea? per adimpletionem legis, gloriam apud homines, & præmium temporale consequetur, sed non laudem apud Deum, & præmium vitæ æternæ, quod tantum per Christum conceditur, & ex illis quarti capitis, versiculo secundo. *Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Igitur ad consequendam iustitiam apud Deum (quæ præcedentium delictorum remissionem includit) legis impletio nulli Adæ peccato infecto sufficere poterit, id quod etiam ipse Richardus alio loco distinguens id quod est aliquem esse iustum, & eundem iustificari, innuere videtur, & quasi à sua superius explicata sententia deficere. sequitur, vt de alia voce, id est, de Euangelio, dicamus.

CAPVT VII.

De Euangelio.

EVANGELIVM tria significat. In primis faustum, iucundumque nuntiū. Secundò donum, quod bonum afferēti nuncium dari solet, præsertim, numero plurali, Cicero libro secundo, epistola duodecima ad Atticum: *O suaues duas epistolas, quibus ἐυαγγέλια deberi fateor.* denique sacrificium, quod bono accepto nuncio in gratiarum actionem offerebatur. Hinc apud Isocratem ἐυαγγέλια θύειν, pro læto nuncio sacrificare; & apud Plutharcum in Demost. legimus: Athenienses audita Philippi morte ἐυαγγέλια sacrificasse. nos primo modo hic sumimus & κατ' ἐξοχήν, in Ecclesia, solum declarat præstantissimum illud nuncium, quod Christus attulit, id est, salutem hominum, vitamque Beatam, ipsumque Christum, sic Augustinus libr. secundo contr. Faust. cap. 2. tom. 6.

1. *Euangelium quid significet.*

Porrò quatuor complectitur sub se hæc vox sic accepta. Primò rem ipsam lætam quæ nunciatur Matth. 4.23. & 9.35. Marc. primo, 14. Secundò doctrinam Christi Matth. 24. 14. 26. 13. Mar. primo, 15. & 8.35. & 10.29. Tertiò prædicationem, Rom. 1.1. & 16.25. & primæ ad Cor. 9.12. 18. ad Gal. 2.2. Quartò historiam quā Euangelium, id est, Christi ad nos aduentus & vita narratur, ita videtur quibusdam accipiendum illud Marc. 1.1. Initium Euangelij, & forte 2. ad Cor. 8. 18. cuius laus est in Euangelio. licèt alij quidā nō de Euangelio à Luca scripto interpretentur, sed de labore Lucæ in prædicando.

2.

Vox Hebræa Betorah bonum nuncium videtur perpetuò significare, similiter mebasset Euangelistam; vel boni nuncium: licèt tantum 1. Reg. 4.17. sumi videatur pro mali nuntio, nisi Ironicè sumatur, vel certè nisi ad molliendum dolorem Eli, bonum nuntium vocarint secundùm hominum expectationem de Arca, quam comprehensam spes erat edituram stragem hostium. Significat etiam Bethorah mercedem pro bono nuntio secundo Regum 4.10.

3. *Betorath vox Hebræa quid significet.*

Continent porrò tùm doctrina, tùm prædicatio, & historia in quibus includitur res læta, quæ nunciatur, quatuor, primo aduentum Christi, sub quo intelliguntur incarnatio, natiuitas, mors, resurrectio, ascensio. secūdo eius officium, destructionem Regni diaboli, peccati

4.

deleti o-

deletionem, mortis abolitionem, reconciliationem cum Deo, reserationem cœli, Spiritus sancti dona: tertio eius veritatem, id est, credenda. Quarto legem, id est, seruanda, quæ scilicet, Christus mandauit seruari.

5. Cæterùm licèt hæc complectatur Euangelij vox, per quandam analogiam, tamen videntur hæc significari, sicut sanum analogicè dicitur de animali, medicina, pomo, colore; ita Euangelium vel significat ipsum bonum nuntiũ formaliter, id est, rem lætam, quæ nũtiatur, & hæc significatio est veluti primum analogatum. Vel significat conditionem, sine qua non venit ad nos hæc res læta, & ita conuenit doctrinæ Christi; quam si non seruaueris tam lætam re non frueris; vel significat ipsummet instrumentum per quod nobis insinuatur tam lætum nuntium, & hoc bifariam vel scripto, & est historia; vel voce, & est prædicatio. Igitur cum hæc tria dicant ordinem ad rem lætam; Euangelij primum analogatum & significatum primarium erit res læta ipsa nuntiata. celebrior tamen & communior vsurpatio est vt capiatur pro historia Christi ad nos aduentum, actaque continente Ecclesiastica Catholica authoritate approbata, tanquam à Spiritu sancto dictata.

6. *Hæretici ægrè ferunt à Catholicis dicere, quod Euangelium sit ab Ecclesia authoritatem habeat.*

Sed offendi solent delicatuli isti de fœce hæreticorum, cum audiunt Euangelium, vel Euangelistas ab Ecclesia authoritatem habere. At non intelligunt homines, si Deo placet, acuti, nos ideò dicere Ecclesiam scripturis authoritatem dare, quod à Deo datas declaret, & eas ab ipso dictatas esse confirmet; non ergò Deo Ecclesiam anteponimus; Spiritus sanctus est, qui Euangelia, & libros Canonicos primũ dictauit, idemque postea nobis ea à se dictata fuisse per Ecclesiam declarauit: Sicut Regis minister sigillo muniens litteras regias, dicitur illis authoritatem dare, qua carerent sine sigilli nota, & caractere. iam verò Ecclesiæ velut sigillum suum tradidit Spiritus sanctus: illi enim promissus, vt cum ea perpetuò maneret: ipsa est quæ Spiritus sancti manum, scripturamque agnoscit; *Euangelio non crederem*, inquit Augustinus tom. 6. contra Epist. fundamenti, cap. 5. *nisi me Ecclesiæ Catholicæ non moueret authoritas*; nec nos crederemus nisi Ecclesia, cuius est de Canonicis scripturis, earumque interpretatione iudicare, doceret Scripturam illam esse diuinæ auctoritatis. Quemadmodum enim Margaritarius vnionibus pretium non tribuit, sed candor, læuor, magnitudo, pondusque; pro sua tamen scientia quanti sint pretij nescientibus ostendit: Sic Ecclesia Euangelio veritatẽ non tribuit, sed Deus: pro attributa tamen sibi à Deo potestate, credentibus quantę sit veritatis ostendit, & cum ex Paulo 1. Timoth. 3. columna sit, & firmamentum veritatis, non poterit errare, poterit Margaritarius.

7. *Euangelij quanta dignitas.*

Quanta profectò sit Euangelij dignitas ex eius titulis potest non obscurè declarari: dicitur Euangelium Dei Rom. primo, primo. Euangelium Iesu Christi Marci primo, primo. Euangelium pacis Ephes. 2. 17. & 6. 15. Euangelium Gratiæ Dei Act. 20. 24. Euangelium Regni Dei Marc. 1. 14. dicitur Euangelium æternum, Apocal. 14. 6. dicitur Euangelium Gloriæ Beati Dei primæ Timoth. 1. 11. dicitur frequenter Euangelium nullo addito, quod æterna, cœlestia, spiritualia annuntiet. At lex Moysis non dicitur Euangelium. sunt & alia epitheta, quæ Euangelio passim tribuuntur; tribuitur illi gaudium magnum Lucæ 2. 10. nominatur eorum salutis, Lucæ primo, 69. dicitur, & à Paulo Rom. primo, virtus Dei ad salutem; appellatur lex spiritus vitæ Rom. 8. 2. lex fidei, sicut vetus testamentum, lex operum; seu factorum dicitur à Paulo Rom. 3. Item lex perfecta libertatis Iacobi primo, 25. vocatur. item regnum Dei, regnum cœlorum, iugum suaue, & onus leue, dicitur Psalm. 44. virga directionis, sic ad Hebræ. primo, octauo, vocatur lux magna ab Isaia 9.

Euangelij varia epitheta.

8. Est Euangelium nucleus omnium Scripturarum, & compendium, clauis omnia recondita, & abstrusa mysteria aperiens, Puteus Sacramẽtorum inexhaustus, infinitus spiritualiũ opum thesaurus, fulgentissimus quidam sol omnia suo lumine perfundens veteris legis scripta, & lucem afferens obscuris illis figuris & vmbris, panis noster quotidianus ad esuriem nostram subleuandam semper frangendus; fons indeficiens aquis viuentibus scatens, pelagus denique quoddam inexhaustum immensæ Dei sapientiæ.

9. Iam verò Euangelium quanta polleat veritate, docet nos Paulus Gal. primo, *licèt nos*, inquit, *aut angelus de cœlo Euangelizet vobis præter quàm quod Euangelizauimus vobis, anathema sit, sicut prædiximus, & nunc iterum dico, si quis vobis Euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit.* Quantæ sit efficacitatis idem exponit ad Rom. primo, *non enim erubesco Euangelium. virtus Dei enim est in salutem omni credenti*: nimirum vim habet & efficacitatem ad cõferendam salutem omni credenti & recipienti ipsum, ita vt sine Euangelio non contingat alicui salus. Restat iam, vt cum Euangelio Euangelistas coniũgamus, ac quæ ad Euangeliorum præsertim numerum pertinẽt, sequenti capite adscribamus.

CAPVT VIII.

De Euangelistis, & numero Euangeliorum.

1. *Euangelistæ qui dicantur & vnde.*

EVangelistæ etsi ab Euangelio nomen habent, vt doctè notat Maldonatus sub finem cap. 1. suæ præfat. tamen, quantum nunc quidem meminisse queo, nusquam dicuntur in scripturis sacris, qui Euangelicam historiam scribunt, sed qui prædicant Euangelium. Isaiæ 41. 27. quamquam eum locum 70. græcè non vertunt, & Act. 21. 8. Ephes. 4. 11. 2. ad Tim. 4. 5. Vsus tamen Ecclesiasticus obtinuit, vt qui in Sacris litteris Euangelistæ vocantur, hi vulgò nunquam, & qui in Sacris litteris nunquam, hi vulgò semper Euangelistę vocentur. Nec ideò contemnendus est Matris nostræ sermo, sed imitandus. nunc ad alia pergamus.

2. *Quatuor tantum Euangelia.*

Irenæus lib. 3. contra hær. ca. 11. rectè deducit neque plura, neq; pauciora, quam quatuor esse posse Euangelia: in his enim omnibus, vt habet Orig. hom. 1. in Lucam & Euseb. Cæsar.

lib.6.Eccles.hist. c. 18. nihil aliud probamus, nisi quod Ecclesia probauit, tãtum sc. quatuor recipienda esse Euangelia. quod etiam eiusdẽ Irenæi similitudine demõstrari potest desumpta ex præfat.lib.1. contra hæres. *quemadmodũ, inquit, multi sunt, qui apud simplices, & ignaros, vitrum arte quadam assimilatum pro smaragdo, aut altero magni pretij lapide haberi faciunt, quoadusq; non adest, qui probare, & artificium arguere possit. ita quoque olim multi conficta quadam Euangelia populo proposuerũt, & ita suis dolis effecerunt, vt apud quosdam pro veris haberentur: cùm. n. cõmixtum fuerit aramentum argento, quis facilè poterit, cùm ipse rudis sit, hoc probare?* sic sapienter Irenæus, nã Ecclesiæ id à Deo tributum est propterea, ne quis deciperetur: columna est, & firmamentum veritatis. sed hoc obiter.

3. *Apostolorũ numerus duodenarius quam rectè quadret.*

Audi Originem, & Ambrosium: *Ecclesia cum quatuor tantum Euangelij libros habeat, per vniuersum mundũ Euangelistis redundat; hæreses cum multa habeant, vnum non habent.* sic Orig. tract. 8. in Matth. Amb. l. 1. in Luc. c. 1. Aug. to. 8. enarrans Psal. 103. nihil ab istis recedẽs, etiam quam rectè hic numerus quadret, ostendit; *quia, inquit, quatuor sunt orbis partes, & totus orbis ad Euangelium vocabatur, inde quatuor Euangelia conscripta sunt, & quia totus orbus in nomine sanctissimæ Trinitatis vocatur, vt congregetur Ecclesia, ideò duodecim Apostoli sunt, quia quatuor ter ducta duodecim fiũt.*

4. D. Hieron. l. 1. Com. in Zachar. c. 6. quo visio quatuor quadrigarũ per orbem discurrentiũ describitur: *legi, inquit, in cuiusdã volumine quatuor quadrigas, in quibus sunt equi rufi, & nigri, & albi, & varij, ac fortes, quatuor euangelia esse intelligenda, & equos Apostolos per diuersitatem colorũ diuersas gratias possidentes, quorum alij rufi sint in martyrio, alij obscuri & nigri, & Christi mysteria cognoscentes,* de quibus dicitur in psal. 17. *caligo sub pedibus eius, & posuit tenebras latibulũ suum. alij albi gratia virginali, alij varij, & fortes habentes gratiã curationum, diuersarumq; virtutũ. hæ quadrigæ quatuor, siue currus missi sunt in quator ventos cœli, id est, ad cardines mundi, & vniuersum orbem terrarum, vt explerent Domini voluntatem, quibus postea infertur ab Angelo: ite, & perambulate terram, & in cunctis terrarum finibus Euangelium seminate.*

5. Idem Hieronym. in procemio Com. in Matt. sic scribit: *Ecclesia, quæ Domini voce supra petram fundata est, quam introduxit Rex in cubiculum suũ, & ad quam per foramen descensionis occultæ misit manum suam similis damulæ, hinnulosq; ceruorum, quatuor flumina Paradisi instar bructans, quatuor angulos, & annulos habet, per quos quasi arca testamenti, & custos legis Domini lignis immobilibus vehitur.* Comparat ergò quatuor Euangelia vel etiam Euangelistas quatuor Paradisi fluminibus, & quatuor annulis, quibus arca Domini portabatur.

6. Speciatim verò de ijsdem quatuor Euangelistis in eodem procemio iuxta primã illam visionẽ Ezechielis, vbi dicitur: *& in medio similitudo quatuor animalium; & vultus eorum facies hominis, & facies leonis, & facies vituli, & facies Aquilæ;* sic ait: *Prima hominis facies Mattheum significat, quia quasi de homine exortus est præscribere: liber generationis Iesu Christi filij Dauid. Secunda leonis Marcum, in quo vox leonis in deserto rugientis auditur, c. 1. vox clamantis in deserto. Tertia vituli, Lucam: quia à Zacharia sacerdote sumpsit initium. Quarta Aquilæ, Ioannem, quia sumptis pennis aquilæ, & ad altiora festinans de Verbo Dei disputat.*

Scio Augustinum lib. 1. de consen. Euang. c. 6. ex Apoc. cap. 4. Matthæum leone, Marcum homine potiùs significatum velle. nam Matth. regiam dignitatem Christi explicat, qui est leo de tribu Iuda, ad quem adorandum venerunt Magi ab Oriente; quem etiam Herodes rex reformidans tot paruulos necuit. Marcus verò, qui neque stirpem regiam, neque sacerdotium narrare voluit, in his versatus ostenditur, quæ homo Christus operatus est. vndè & homini assimilatur, & omnium antiquissimus Irenæus Ioannem leonem, Marcum Aquilam facit, quod Ioannes fortiter, & efficaciter aggrediatur: in principio erat Verbum. Marcus spiritu Prophetico sublatus sic ordiatur: vox clamantis in deserto. rectè quidem hæc dicuntur, si ad diuersa referas. sed quod Hieronym. habet, magis videtur receptum, atque Ecclesiæ vsu, & consuetudine magis approbatum. sic enim passim in imaginibus, & picturis Euangelistas colimus. Et quidem rectè Hieronymus à principijs librorum accommodationem animalium deprompsit, licèt id Augustino non placeat lib. 1. de consen. Euang. c. 6. Sed immeritò, cùm hac in re morem scripturæ secutus fuerit Hieronymus; nam plus est, integrum librum à prima voce, à qua incipit, nominari, quod tamen in toto Pentateucho factum esse videmus; nam liber Genesis dicitur Beresith, hoc est, in principio. lib. Exodi Veelleseмoth, hæc sunt nomina. liber Leuitici Vaicra; & vocauit. liber Numerorum Vaiedabber, & locutus est. liber Deuteronomij Ellehaddebarim. hæc sunt verba. Itaque vides sic vocari integros libros ob principium, non ergò mirum, si à principijs Euangeliorum desumatur animalium accommodatio.

7.

8.

Integri libri à principio nomen sortiti.

Sed illud non est in præteritis relinquendum, quod Ioannes in Apocalypsi c. 4. scribit: *hæc quatuor animalia senas habuisse alas, & in circuitu & intus plena oculis fuisse:* per alas namque, quas etiam senas Seraphim habebant, quæ vidit Isaias ca. 6. significatur cognitio, qua mens ad superiora cõscendit, vt rectè Beda, Richardus de S. Vict. & alij interpretantur, quod verò essent senæ perfectam, & cumulatam Euangelistarum scientiam innuit. Numeratur enim senarius numerus in perfectis numeris, quamquam Ioachimus numerum hunc senarium indicare putet sex virtutes præcipuas, quibus Euangelistæ, hoc est, concionatores debent excellere, & opinatur eiusmodi alas eodem planè modo dispositas fuisse in his animalibus, sicut in Seraphim apud Isaiam, *vt duabus pedes, duabus faciem velarent, alijsq; duabus volarent*; & primas illas duas quibus pedes abscondebant, pœnitentiam, & misericordiam, quibus confusio nuditatis nostræ, id est, peccatorum contegitur, exprimere. per duas verò alas quibus facies tegebant, humilitatem & patientiam, insinuari, quibus sancti solent iustitiam suam per faciem designatam, occultare. Denique reliquas duas, quibus volabant, fidem & spem esse affirmat. ijs enim sancta animalia in sublime feruntur.

9.

Senarij numeri perfectio.

Quod

Digitized by Google

10. Quod verò plena sint oculis intus, ante, & retro multiplicem quoque mysteriorum fidei cognitionem significat. ante enim per scientiam futurorum, retrò per scientiam præteritorum, intus per mundam ac rectam cogitationum discretionem vident; vel certè hæc oculorum multitudo circumspectionem significat, quam Christus concionatoribus Marci 9. commendasse videtur, cùm dixit: *habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.*

11. Sed quid est, quod singula pedes habebant, plantam quasi vituli, referentes? quia omnis nostra cognitio, omnes siue gratiæ, siue naturæ vires egent prudentia, & discretione, qua tamquam pede rectè gradiuntur, per pedem enim bouis, qui vngulam habet discretam, seu diuisam, rectè discretio à Patribus intelligitur.

12. Si ergò tanta est Euangelistarum cognitio, tanta circumspectio, tanta discretio, quomodo ausi sunt nonnulli affirmare potuisse Euangelistas, vel Canonicos scriptores memoria labi? & verò si hanc fenestram in Scriptura aperimus, & sanctissimos viros in ijs, quæ dixisse memorantur in Sacris litteris, labi potuisse, atque etiam lapsos esse admittimus, multa, quæ in sacris libris habentur vt certa, & indubitata, in suspicionem falsitatis vocare licebit, atque impiorum calumnijs obijcere, nimirum dicetur, falsum dixisse illos non malitiosè, neque per insciam, sed memoriæ lapsu. Vide Riberam in cap. 5. Michææ Num. 12. vbi Erasmo hunc errorem tribuit, cui placere dicit, in annot. in ca. 2. & 27. Matthæi, eam solutionem ad loca quædam Scripturæ, quæ in speciem falsa esse, vel errorem continere videntur; nimirum, Euangelistas vel Scriptores Sacros labi memoria potuisse. Nec fauet Erasmo, Hieronymus cum Michææ 5. sic scribit: sunt autem qui asserant, in omnibus penè testimonijs, quæ de veteri testamento sumuntur, istiusmodi esse errorem, vt aut ordo mutetur, aut verba, & interdum sensus quoque ipse diuersus sit, vel Apostolis, vel Euangelistis non ex libro carpentibus testimonia, sed memoriæ credentibus, quæ nonnunquam fallitur. hæc non ex sua sententia Hieronymus scribit, sed aliorum; est enim illi mos tacitis sæpè Auctorum nominibus, opiniones referre, quę apertum continent errorem, quas neque refutat, neque improbat, quia vt ipse ait lib. 1. Apolog. aduersus Rufinum: expositoris officium est, vt veterum referat sententias, nec iudicium de illis ferat, sed lectoribus optionem relinquat, vt id probent quod verius esse iudicauerint.

14. Nec item huic causæ fauent Augustinus, & Beda in c. 1. Marci, qui citantur ab Erasmo, nimirum Euangelistas non seruare ordinem rerum gestarum, sed sæpè ita eas referre, vt recordabantur. non nego Augustinum nonnunquam ita locutum, vt patet lib. 2. de consen. Euang. cap. 12. & lib. 3. cap. 7. quo loco apertè concedit potuisse fieri, vt Matthæus in testimonio illo Ieremiæ quod citat, cap. 27. nomen Ieremię scripserit per obliuionem, pro Zachariæ. Et Beda Marci 1. dixit à Marco positum Isaiæ pro Malachiæ nomine. At neque Augustinus, neque Beda opinatus est vnquam, ex naturali quadam vel humana obliuione ita eos scripsisse, sed Spiritus sancti consilio ea tunc eorum menti non fuisse obiecta, quæ obliuioni tradita dicuntur, nimirum vt ea potius scriberentur quæ scripta sunt, quæque eo tempore magis scribi oportebat. Ita tamen, vt in hac ordinis, aut nominum mutatione nihil inesset falsi, cuius Deus auctor esse non potest. & hanc fuisse Augustini mentem intelliget is, qui caput 7. lib. 3. de consensu legerit, & Bedam ca. 1. Marci, qui eadem cum Augustino verba habet, lege item eundem Augustin. lib. 2. de consensu cap. 12.

Euangelistæ an memoria lapsi aliquando.

Erasmus iudicat.

Absit igitur vt Euangelistas credamus lapsos esse memoria. immò oblitos fuisse ordinis rerum gestarum cùm scribebant, *mihi non persuadeo*, inquit Ribera, *sed omnia memoria tenentes, ea tantum scribebant, quæ Spiritus sanctus dictabat, & singula eo tempore, atque loco, quo dictabantur. Nec fieri potuisse arbitror*, ait idem Auctor, *vt Matthæo scribenti occurrerit Ieremias pro Zacharia; aut Marco, Isaias pro Malachia*, & hæc obiter de hac cõtrouersia. reuertamur ad eundem quaternarium Euangelistarum numerum. 15.

16. Hunc quatuor illæ columnæ de lignis Setim deauratæ significabant, quæ *capita habebant aurea, & bases argenteas, è quibus pendebat velum hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & byssо retorta opere plumario, & pulchra varietate contexto*; quod in Mosaico tabernaculo à Sanctis Sancta Sanctorum separabat. Exod. 26. Et Euangelistę capita habuere aurea per charitatem, bases argenteas per cœlestem sapientiam, qua tanquam basi innituntur, & verò etiam sustinent velum, quo Sancta Sanctorum occultantur, quia videlicet diuina ipsi mysteria pro temporis, locorum, personarum ratione & claudunt & aperiunt.

Figuræ veteris Testamenti quatuor Euangelistas designantes.

17. Hunc ipsum numerum vult Rupertus lib. 4. in Exod. c. 7. significatum esse per quatuor illos circulos aureos, qui ad quatuor angulos mensæ propositionis collocabantur Exod. 25. etenim Euangelistæ propositionis mensam, hoc est, humanitatem Christi, in qua nobis Pater salutarem gratiæ cibum, ac cœlestium mysteriorum fercula suauissima proposuit, tanquam aurei circuli ambiebant, vt in omnes mundi partes eorum prędicatione, & scriptione portaretur.

18. Eundem numerum quaternarium quatuor illi scyphi, qui erat in hastili cãdelabri, itemq; quatuor sphęrulæ aureę in eodẽ sitę, aptè referebãt. Candelabrum Ecclesia est, hastile Christus, scyphi ergò & sphærulæ rectè Euangelistas repræsentant, quia in ijs quasi in scyphis diuina nobis mysteria Christus propinauit, in quibus etiam tanquam in sphæris cœlestes, & supramundani motus ostenduntur.

19. Eosdem quatuor Euangelistas quatuor illi fabri ferrarij apud Zachariam ca. 1. figurarunt, quia Ecclesiæ arma contra hæreticorum insaniam & gentilium idololatriam fabricarunt.

20. D. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 32. illam Abacuch cap. 3. triumphalem quadrigam Euangelistis satis aptè accommodat, de qua vates cum Christo loquens canit: qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio. Etenim Euangelistæ per omnes terrarum

tractus

tractus longè lateq; Christum in triumphantis morem gloriosè portauerunt.

21. *Apostolorũ numerus duodenarius quid indicet.*

Nec ineptum est, quod Sedulius obseruat quatuor Euangelistarum numero vniuersitatem temporum significari posse. Etenim duodecim Apostolos, duodecim anni menses; quatuor Euangelistas quatuor anni tempora, per quæ Sol Euangelij decurrat, indicant. sed reliqua prosequamur.

22. Scriptum legimus Numer. 2. iubente Deo, ita, cùm incederent per vastam solitudinem Arabiæ, castra posuisse filios Israel: ad Orientem castrametabatur Iudas, cui adhærebant Issachar, & Zabulon: Meridianam plagam tenebant Ruben cum Simeone & Gad. Ad Occidentem tendebat Ephraim cum Manasse, & Beniamin: Aquilonem cingebant Dan, Aser, & Nephthalim, ita vt ipsa denique tota acies quadratam efficeret figuram, & quatuor decora vexillis procul hostibus metum, horroremq; incuteret. En tibi militantis Ecclesiæ faciem, terribilis est vt castrorum acies ordinata, quadratum agmen ducit ob Sanctissimæ Trinitatis fidem per quatuor orbis partes diffusam; in omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum penetrauerunt, qui duces, ductoresque primæ Christianæ militiæ fuerunt.

23. Porrò Ecclesia per solitudinem, desertaque huius mundi loca ad promissam sibi cœli regionem tendit, neque enim habet hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirit; quatuor ornatur vexillis, quibus maximè fulget, & gloriatur, nimirum quatuor habet Euangelistas, quorum armata fide, & doctrina, quamuis validissimas hostium turmas, in fugam conijcit, penitusque delet. Est autem memoriæ proditum, ea vexilla filiorum Israel imagines hominis, leonis, vituli, vel bouis, denique aquilæ iuxta imagines Ezechielis capite 1. continuisse: ita vt Iudæ vexillum Aquilæ signo esset illustre. Dan bouem gestaret. Vexillum Ephraim Leonem præferret. denique conspicuam hominis imaginem Ruben haberet. licet aliter alij referant. Certè his quid aliud quam Ioannes, Lucas, Marcus, Matthæus repræsentantur? quorum primus Aquilæ, alter bouis, tertius leonis, postremus hominis imaginem suo veluti quodam vexillo in Ecclesia gestat. Lege de his Barrad. tom. 1. lib. 1. cap. 21. & Villalpan. tom. 2. lib. 5. cap. 29. Hos tanquam antesignanos sequimur, his tuti per hanc immanium belluarum solitudinem incedimus, his hostibus terribiles sumus. hæc igitur quatuor sunt Euangelia, quæ hac historia continentur. hi autores quatuor sunt, qui diuino Spiritu imbuti, hæc diuina oracula, hæc cælestia mysteria litteris consignarunt.

(··)

EVANGELICARVM DILVCIDATIONVM

PARS PRIMA,

CONTINENS TRES PRIORES LIBROS ENCHIRIDII EVANGELIORVM.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM EX LVCA.

1. Quoniam quidem multi, &c.

SCHOLIA.

1. PRæfatiuncula hæc est loco Prooemij in totam Euangelicam historiam. Est autem argumentum huius Prooemij ex Gagnæo tale. Quia pleriq; earum rerum narrationẽ cõscribere aggressi sunt, quas pro certissimis ipsi, & compertissimis habemus (vel, quæ plenitudinem habuêre) v.1.

Quemadmodum eas nobis tradidêre, qui ab initio Diuini verbi, & Christi speculatores oculati, assiduiq; ministri fuerunt. v.11.

Ita & mihi visum est, qui à principio omnium illorum affectator, & Comes indiuisus fuerim: vel qui omnia à principio ad calcem assequutus sim, & ab illis didici accuratius, deinceps ijs de rebus optime Theophile ad te scribere v.111.

Vt quibus de rebus instructus ante fueras, & eruditus, certissimam veritatem agnoscas. v.1111.

V.1. *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completa sunt, rerum.*

SCHOLIA.

1. Conari quid significet.

V.1. COnati sunt] conari interdum significat casso conatu, & temerario ausu aliquid aggredi, quod non possis perficere: Interdum idem est ac manum operi admouere: hinc factum est vt quidã priori modo sumentes, velint hic Lucam notare eos qui in Euangelio scribendo non præstiterunt, quod polliciti sunt. Cæterum quia ἐπεχείρησαν proprie significat generatim aggredi, & manum ad opus admouere, seu quippiam adoriri. Ideò arbitror Matthæum & Marcum intellexisse Lucam, & si qui alij fuêre, qui bene scripserunt. Hoc vt mihi persuadeam facit, τὸ &, v. 2. *Visum est & mihi*; Ostendit enim loqui se non de temerarijs, sed habẽtibus eandem cum ipso mentem, par consilium.

A *Multi*] Plures vno. Aliqui eorum, qui conari priori modo sumunt, vt Origen. vel Ambros. Basilidem inter hos connumerant. Beda etiam addit Apellem. Epiphanius hær. 51. numerat Cerinthum, & Merinthum, sed hi omnes Luca posteriores fuêre, vt ex Euseb. l. 4. c. 7. & l. 5. c. 13. & l. 3. c. 22. haberi potest.

Ordinare] ἀνατάξασθαι idem significat cum συνταξασθαι, id est, studiosè aliquid componere, & scribere, vnde σύνταγμα volumen est, studio conscriptum, & elaboratum; non ergo eo ordine quo gestæ sunt res recensere significat.

B *Completa*] Græcè est τὰ πεπληροφορημένων πραγμάτων id est, rerum certissimæ fidei, aut quarum certissima est fides, & veritas, quasi dicat, rerum indubitatæ fidei, & persuasissimæ, non quæ in certa fide, aut rumore acceptæ sunt, vt quæ vulgò iactantur; hoc significat Ambrosius dum sic scribit: Quæ in nobis completę sunt rerum, vel quæ in nobis redundant, quod enim redundat nulli deficit, & de compleo nemo dubitat, cum fidem effectus astruat, exitus prodat; hanc expositionem multi sequuntur putantes, πληροφορῆν deduci vt πληροφορίαν, & similia, à πλήρης quod est, plen^b, &, φορῶ quod est comperire, deprehendere. Hinc Erasm. hic in præfat. Euangel. Luc. inquit: πληροφορῆν, est plenam de aliquâ re, & indubitatam fidem facere; & πληροφορέομαι, inquit Budæus in Commen. Ling. Græc. est, compertum habeo, certissimè noui, hic πληροφορίαν volunt esse certam rei cognitionem, quam vulgus certitudinem vocat. At in primis nõ videtur verum, à πλήρης, & φορῶ deductum esse πληροφορῆν, obstat enim Orthographia, cum in φορῶ sit, ω, in πληροφορῆν, ο; deinde vt ostendit Ribera cap. 6. ad Hebræ. num. 111. & seq. non pauci loci sunt, qui in scripturis non ita accipi possunt. Quare vim huius verbi melius nouit noster interpres, quàm Erasm. vel Budæus: ac πληροφορεῖσθαι nihil aliud esse videtur, quàm abundare, impleri, siue plenitudinem habere, cuius autem sit rei plenitudo ex ijs, quæ dicuntur, intelligetur, siue cognitionis, siue iudicij, vel alterius rei. πληροφορῆν enim dicitur à πλήρης, quod est plenus, & φέρω, cuiusmodi est διαφοροφορῆν lãutum ferre, sic διαφοροφορῆν tędam ferre, sic πληροφορῆν plenitudinem ferre; πληροφορεῖσθαι, impleri; plenitudinem habere, vel etiam abũdare. Póteſt ergo mèlius exponi, *completæ*, id est, perfectæ, iam sunt, plenitudinem ha-

nem ha-

nem habuerunt. Christus enim vaticinia omnia compleuit, perfecitque. Quod verò πληροφορῆν, vel πληροφωρῆν, non certum, & exploratam fidem facere, sed potius complere, implereue significet, & perficere, & πληροφορῆσθαι impleri, vel etiam abundare, plenitudinem habere, constare potest ex varijs locis Rom. 4. 21. πληροφορηθεὶς *plenissimè sciens, quia quacumque promisit, potens est & facere*, id est, plenitudinem habens, id est scientiæ, & fiduciæ Deum posse facere, quæ promisit, interpres dixit plenissimè sciens: Item cap. 14. 1. quisq; in suo sensu πληροφορείσθω *abundet*, plenitudinem habeat in eo quod sensit, & iudicauit, id est, ne faciat dubitando ne peccet; sed plenè persuadeat licere sibi, quod facit; quod firmum iudicium πίστις id est, fidem deinde vocat, nam πίστις, persuasio est ἀπὸ τοῦ πείθειν suadere, & 2. ad Tim. 4. 17. *Vt per me prædicatio impleatur* πληροφορηθῆ, id est, *plenitudinem habeat*; videlicet audientibus omnibus gentibus, vt subdit, & audiant omnes gentes; vbi etiam Erasmus vertit, vt per me præconium expleretur. Hinc interpres eleganter πληροφορίαν plenitudinem vertit, vt 1. Thessal. 1. 1. euangelium nostrum fuit, &c. in plenitudine multa, id est, multorum copia, qui conuersi sunt. Pro nobis etiam facit textus Græcus hic apud Lucam περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων, quod Erasmus vertit, quæ inter nos certissimæ fidei sunt rerum, sed πεπληροφορημένος

2. Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.

3. Visum est & mihi assecuto omnia.

Scholia.

Dicuntur apud Erasmum, qui plenissimè sciunt, quare id de rebus dici non potest; melius ergo noster interpres vertit, earum, quę in nobis completę sunt, rerum, id est, *plenitudinem habuerunt*. Ad Coloss. 2. 2. diuitias plenitudinis intellectus, id est, plenissimæ intelligentiæ mysteriorum Dei. fic ad Heb. 6. & 10. & 12. Hæc expositio magis nostro textui conuenit. Potest tamè prima, ficui placet, nostro adaptari textui, nam quæ impleta iam sunt & perfecta, clara iam sunt, & certa, iuxta quam primam intelligentiam etiam Theophylactus in Lucam ait, res multis argumentis confirmatas, vel comprobatas dixit Lucas: Res enim Christi non simpliciter & nudè traditæ sunt, sed vera, & solida fide, & multorum argumentorum certitudine.

In nobis] qui tunc viuebamus licet non videremus, hinc est quod Tertullian. 4. contra Marcion. vocat Lucam non Apostolum, sed Apostolicum virum, quod Apostolos audierit, non Dominum viderit. nõ igitur inter septuaginta discipulos computandus. Refertur autem, *in nobis*, ad vocem *completæ*, quasi dicat, quæ in nobis sunt impletæ, id est, plenitudinem accepêre, vel manifestissimæ ostensæ sunt vel comprobatæ, vel aliter, *in nobis*, id est, quæ nobis, vel quæ inter nos indubitatæ sunt, vel persuasissimæ fidei secundum primam interpretationem superius positam, num. 7.

V. 2. *Sicut*) refer ad proximè præcedentia, non ad, *conati sunt*, quasi dicat, non aliter, quàm tradiderunt nobis, hoc est, ita completæ, seu compertæ, &c. sunt, sicut nobis tradiderunt testes oculati, dignissimique. Ostendit enim se non visa, nec à Christo ipso audita, sed à fide dignis exposita narrare. Theophyl. sicut, inquit, tradiderunt nobis Apostoli, supple, qui inspectores fuêre, & cooperatores, & ob id non aliter completæ erant, quam quomodo narrarunt.

Ab initio] id est, prædicationis, & miraculorum Christi, vel potius ab initio incarnationis, vt non tantum noret Apostolos, sed Dei parentem Virginem, multa procul dubio Lucas à B. Dei matre, præsertim de infantia Saluatoris didicit, vt meritò à nonnullis Virginis Euangelista vocetur, & fortè ob id consueuit dicere, cùm de Christi infantia scribit: Maria autem conseruabat omnia, &c. Cur enim conseruaret? sibiné tantum? an non etiam vt alios doceret? 9. *Lucas multa à B. Virg. didicit.*

Ipsi viderunt] G. αὐτόπται, Græcis dicitur qui quæ narrat, ipse vidit: testis oculatus, Plauto.

Ministri] ὑπηρέται apud Græcos idem est, ac obsequiosus minister. Cæterum hæc vox pertinet ad τὸ sermonis.

Sermonis] id est, rerum à Christo, & circa Christum gestarum hos potius, quàm Euangelicæ prædicationis ministros intellige, vel per *sermonem* Christum interpretare, verbum illud Patris, cui Apostoli ac in primis Beatissima Virgo ministrarunt, & cuius inspectores fuerunt, & conscij secretorum, tamquam cum eo familiariter versati. Si primo modo exponas intellige ministros, id est, cooperatores in multis à Christo factis, quod est conforme textui Græco. Ex hoc loco patet quomodo occurrendum sit ei dubitationi, cur solus Lucas præfatione sit vsus inter Euangelistas; innuit hic causam Lucas: ne quis, quoniam oculatus testis non fuerat; nec corã aderat, dum illa quæ narrat fiebant; suspicaretur incerta quædam, ac noua auribus auditorum inferre, quod si Marcus non idem præstitit, nil mirum, quia non etiam id vt necessarium, factum dicimus à Luca. 10. 11.

V. 3. *Visum est*) Instigante Spiritu sancto, vt Apostoli Actor. 15. Visum est Spiritui sancto & nobis, cuius videlicet gratia geritur, vt id quod bonum est nobis, etiam bonum videatur, sic etiam Beda. *Assecuto*) παρακολουθῆσαι potest significare cognoscere, vel assequi inuestigando, ex Budæo in Com. l. 6. quasi dicat, qui cuncta accuratè cognoui, vel ponitur pro *assectari* ex Caietano & Iansenio, quasi dicat, qui à principio omnium illorum assectator, & comes indiuiduus fui. Ea verba, *à principio* & *diligenter*, ad τὸ *assecuto* pertinent; vt sit sensus; visum est mihi, postquam omnia à principio ad calcem inuestigaui, deinceps tibi scribere, ita vt illud *ex ordine*, significet idem ac deinceps, idest, post exactam inuestigationem. Est enim Græcè καθεξῆς, quod est *deinceps* potius, quàm *ex ordine*. Optimè tamen vertit interpres, vt significaret ordinatam simul rerum polliceri narrationem, post exactam tamen earumdem inquisitionem, & perueſtigationem. Ordinatam dixi, quantum ad rerum capita: Agit enim prius Lucas de Præcursoris, deinde de Christi natiuitate; postmodum de eiusdem prædicatione, tum de Passione, ad extremum de Resurrectione. 12.

Omnia) G. παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν, quare rectè τὸ omnia, Gagnæ. in argumento, superius numer. 1. allato ad personas ipsas, puta Apostolos refert; ita vt Lucas ostendat, se ipso statim initio adhæsisse Apostolis, & illis quodammodo assedisse semper, & adfuisse diligenter: & vulgatus licet vertat *omnia*, tamen idem significat tacitè, nimirum cognouisse omnia assidendo nimirum & adhærendo ijs omnibus, qui viderant, & ministri fuerant. passim *omnia* ad res ipsas referunt, vt Caietan. & Iansen. licet *assequi* positum pro *assectari* velint. Ambros. inquit, omnia nouisse Luc. non omnia tamen scripsisse; ex omnibus scripsisse, quæ scribenda iudicauit. Idem August. 4. de consens. Euang. cap. 8. Quam multa verò addiderit ijs quæ 13. 14.

alij ta-

Lucas multa scripsit ab aliis omissa.

alij tacuerunt, docet Irenæ. lib. 3. ca. 14. certè multa de B. Virgine, de sudore Christi Domini, de cõfortatione per Angelum ab illo accepimus; adde Magdalenæ historiam; *observa*, dum se affectatum *omnia* dicit adhibito studio, vel adhæsisse Apostolis; ostendit iterum se Christi non fuisse discipulum. Si enim Christum audisset, & cùm eo fuisset versatus, non id fecisset, vt inuestigaret Christi facta tanta diligentia.

à principio diligenter ex ordine tibi scribere optime Theophile.

4. Vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

SCHOLIA.

15. *Principio.*] Non est hic ἀπ' ἀρχῆς, vt ver. 2. sed ἄνωθεν: innuit verò cognouisse, vel affectatum fuisse, à principio videlicet, ad calcem omnia, si ad res referas; vel indicat omnium illorum qui Christo ministrarant, à principio statim affectatorem & comitem se fuisse.

4 Cognoscas] Gr. ἵνα ἐπιγνῷς, id est, agnoscas; cognoscimus enim ante nobis incognita, sed hic *cognoscere* est, secundò noscere, id est, rerum prius vtcunque cognitarum maiorem scientiam accipere, quod latinè potius *agnoscere*, quàm *cognoscere* est.

Verborum) id est, Rerum.

16. *Eruditus es*) Gr. non simpliciter eruditus es, sed κατηχήθης, id est, Viua voce eruditus, vel instructus; quare hoc loco confirmari possunt, quæ traditione accepta sunt. Hinc etiam est intelligere, quòd qui in Primitiua Ecclesia ad sacrum Baptismum accedere volebant, de Christianæ fidei mysterijs erudiebantur. Quòd ideò κατηχούμενοι appellabantur, iam in fide eruditi, & instructi, ac nondum baptizati. est ergo sententia, q. d. vt eorum quæ Catechumenus cognouisti, veritatem certissimam agnoscas. Sic Gagnæus.

Veritatem) Neque hic Gr. est ἀλήθειαν *veritatem*, sed ἀσφάλειαν, id est, *securitatem*, vel *certitudinem*. Interpres videtur legisse ἀλήθειαν: vel veritatem pro certitudine, seu potius pro certissima veritate accipit. Rectè hoc dicit Lucas, nam auditis solemus certius credere, cum à fide dignis scribuntur.

THEORIA I.

De Theophilo.

1. THeorias post absoluta scholia adhibemus, vt plurimum, interdum etiã, & digressiones siue morales, siue tractationem aliquarum per occasionẽ rerum cõtinentes. Porrò in Theorijs vel fusius, ea explicamus quæ in textu continentur; vel quæstiones aliquas excitamus, quæ ex textu nascuntur.

Qui ille Theophilus.

Vero simile est Theophilum hunc fuisse nobilem illum Antiochenum, qui à Petro ad fidem Christianam conuersus, domum quoq; suam, vsui Christianorum mancipatam, in Ecclesiam mutauit: In qua Petrus conuentus agẽs Cathedram posuit: Ita legimus in recog. Clemen. lib 10. c. vlt. quod & refert Baron. in Annalibus, hæc tamen non omnino certa sunt, & ex libro apud multos apocrypho sumpta. Illud certius, fuisse Principem aliquem & primarium virum de Ecclesia benemeritum, ad quem vt in fide magis stabiliret, & quantum Christiana Charitate illi beneuellet, indicaret tantoque magis ad profundendam etiam pro Euangelio vitam, si se daret occasio, excitaret, Euangelicam suam historiam, & Acta Apostolorum scripsit Lucas: & scripsit quidem illi, sed non pro illo tantum.

Quod verò primarius fuerit vir, satis declarat titulus ille, *Optimè*; ex quo collige non fuisse eum Episcopũ aliquẽ, solet enim Principibus viris hic titulus tribui, non Episcopis; & G. est κράτιστον, quod non solũ optimum, sed fortissimũ, strenuissimum significat quæ rectè in primarium virum, & qui Magistratum aliquem gerat, conueniunt, & ita Actorum 23. 26. & 26. 25. leges. 2.

Liquet hinc, non esse probabile, hunc Theophilum fuisse illum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ, is enim fuit sextus post Petrũ; nam primus Euodius, 2. Ignatius, 3. Hero. 4. Cornel. 5. alius Hero. 6. fuit Theophilus tempore Aniceti, & Sotheris, anno Christi 168. At qui tunc temporis excesserat è viuis tum Lucas, tum iste Theophilus de quo lege Eusebium lib. 4. cap. 6. 3.

Certè Lucas scripsit Euangelium circa annum Domini 58. vt Baron. habet Anno Domini 58. Multo minùs verum est Theophili hic nomen esse fictum, quod tum ex Epitheto, tum ex eo quod Acta Apostolorum iterum illi dedicat, conijci potest. Quod ergo habet Ambrosius, moribus deseruit, cùm ait: scriptum est enim Euangelium ad Theophilum, hoc est, ad eum, quem Deus diligit, si Deum diligis, ad te scriptum est, si ad te scriptum est, suscipe munus Euangelistæ: pignus amici in penetralibus animi diligenter obserua; bonum depositum custodi (1. Thim. vlt.) per Spiritum sanctum qui datus est nobis (Rom. 5.) frequenter inspice, sæpius discute, fides pignori primo debetur. fidẽ sequitur diligentia, ne commissa tibi pignora, aut tinea, aut ærugo consumat, quod tibi commissum est, consumi potest, Euangelium consumi non potest. Euangelium bonum pignus, sed vide ne vel in animo tuo illud aut tinea, aut ærugo consumat: hæc Ambr. eodem modo ludit Origenes in Lucam in fine Tom. 2. 4.

THEORIA II.

De Luca.

EX ijs quæ ex procemio Lucę colliguntur, constat Lucam non Christi discipulum fuisse, nec ex septuaginta duobus vnum, quod tamen nonnullis placuit. vt Epiphan. hær. 51. nec refert quod Ecclesia in eius die festo Euangelium 72 discipulorum illi applicet; nam etiã die assumptæ Virginis in Cœlum, legit Euangeliũ Mariæ, & Marthæ: quare nec is fuit, qui post resurrectionem Christi cum Cleopha Emauntẽ ibat, vt alibi dicetur. Fuit quidem Antiochenus arte medicus, vt eũ vocat Paul. Coloss. 4. fuit & pictor potius scientia quàm professione. Isid. Proselytum etiã facit, Græcis & Philosophicis eruditum. fuit Pauli comes & sectator & primum quidẽ illi adhęsisse Troade videtur. Nam ex Act. 16 10. Inde incipit in prima persona loqui, venimus, eramus, &c. Mortuus est in Bithynia, quo anno ignoratur. Anno quidem 61. Domini absoluit acta, incertumque quo abierit. Epiph. hær. 51. de eo, prædicat, inquit, primum quidem in Dalmatia, & Gallia, & in Italia, ac Macedonia; aliter habet OEcum. in Orientem nimirum esse reuersum, & ad

1. Lucas quis fuerit.

Quando Paulo adhæserit.

Quando mortuus.

& ad vltimam senectutem peruenisse. Testatur Hierony. cœlibem vitam vsque ad annum ætatis 84. perduxisse. Alij tamẽ martyrio functum affirmare videntur. Nazianz. orat. 1. in Iulian. Paulin. Nolan. epist. 12. Gaudent. Brixi. tract. de dedica. & alij.

2. Cum verò D. Hieron. in præf. super Matt. ipsum scripsisse Euãgelium scribat in Achaiæ, & Beotiæ partibus, & constet D. Paulum cum eo Anno Domini 58. peragrasse eas Regiones, verosimile est, eodem Anno Euãgelium scripsisse. Præsertim si verum est, illud adhortante Paulo id fecisse, quod tamen nescio, quantũ cum hoc Procœmio cõsentiat, incertũ mihi est. *Cur Euangelium scripserit.* Cur aũt animum ad scribendum Euangelium appulerit, tres ipse causas hic adfert. Prima est, quod alij id fecerunt, & ob id eorum exemplo id facere liceat, hoc significat cùm ait: *Visum est & mihi*, q. d. exemplo aliorum, qui cum laude, impellẽte Deo, id ante me aggressi sunt, *visum est, & mihi*, quod non auderem aliquid, quod non liceret, si eandẽ & ego historiam cõscriberem, hoc totum innuit vocula illa, *Et*; At inquies, potiùs abstinendũ erat illi, si alij id præstiterant. Resp. non omnia illi dixerãt, & quod Caput est, non eodem ipse scripturus erat sermone, vel idiomate, Matthæi Hebraicè, Marcus Latinè (quod probabilior sequitur opinio) Lucas noster Græcè scripsit. Alia caussa est quod eas res, de quibus est scripturus exploratas habeat, vt v. 2. & 3. indicat. Deniq; quod rẽ gratam facturus sit Theophilo, vt ver. 4. constat Euthy. in Procem. in Luc. & Theophilact. & si qui alij, sentiunt anno 15. à Christi ascensione Euangelium ab eo scriptũ esse; & licet nõ legamus eo anno eum in Achaia versatum; potuit tamẽ ibi fuisse, licet literarum monumentis non sit proditum, ac proinde, summũ, probabilius tantũ est, ab eo ann. 58. Christi Euangelium esse conscriptum; meminit Lucæ Paulus 2. ad Timot. 4. Colos. 4. 2. Corint. 4. Hieronym. de scriptoribus Ecclesiasticis in Luca habet; illud Pauli; *Misimus & cũ illo fratrem, cuius laus est in Euang. per omnes Ecclesias.* Item & cũ ait, *secũdum Euang. meum*, de Luca, & Lucæ Euangelio intelligit. Cùm tamen alij primum illum locum de Barnaba, vel Syla intellexerint, quamuis etiam quoad 2. locum attinet Tertullianus ante Hieron. l. 4. contra Marcionem affirmauerit Euang. Lucæ illud esse, quod suũ Paulus dicit. Adde nec illũ videri verum, Lucam eundẽ esse cum Lucio, de quo Paul. Rom. 16. 21. vbi id notat Orig. Idque Græci in Monologio 10. Kalen. Maij expressè profitentur.

4. *Marcum maximè in scribendo secutus.* In ordine maximè secutus videtur Marcũ, & eum sæpè data opera explicare voluisse, & quamuis minimè id agat, vt ordine res narret, non multum tamen discedit ab ordine: nam vsque ad initiũ 8. c. & à medio 9. vsq; ad finem formè continua historia est. in his tamen eisdẽ locis fateor interdum non seruasse ordinem; initio autem 8. c. cùm cœpisset à 2. circuitu, quo Dominus cœpit agere peregrè sine domo, ob quam etiã causam facit mentionẽ mulierũ comitantium & ministrantiũ Domino, cùm inquam cœpisset ab hoc circuitu proximeque sequeretur missio discipulorũ priusquam pergeret ad missionẽ, quædã omissa repetere voluit; Incipitq; ab insigni illa parabola seminãtis, quia paulò antè circuitum dicta erat; huic addit aduẽtum Matris & Fratrum, qui proximè ante parabolam cõtigerat, vt occasione parabolæ eius recordatus Spiritu S. dirigẽte videatur. Subijcit deinde eodẽ ordine, quo Marcus de maris tẽpestate sedata; de porcis & Iairo, ac Hæmorrhoyssa, in quibus repetendis nõ dubium est, quin sit Marcum secutus, vide Enchyr. initio in indice Lucæ. Hæc generatim de D. Luca restat nunc gradum facere ad caput primum huius libri.

CAPVT PRIMVM.

VERBI SEV ÆTERNA CHRISTI GENERATIO, ET DIVINITAS. D. I. I.

A

B

1. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.
2. Hoc erat in principio apud Deum.
3. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.
4. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.

C

D

SCHOLIA.

1. IN *principio erat Verbum*] Totius huius capitis argumentum tale est: docet D. Ioan. 1. quæ ad existentiam & naturam Verbi pertinent; deinde quæ quodammodo ad eius statum referuntur. Est autem hæc series: *Verbum erat in principio*, sic enim cõstruenda sunt verba: est ergo sententia *in principio*, id est, ante omnia creata erat Verbum: Intelligit. n. durationis rerum principium. Hinc cõuincitur eorum hæresis, qui negant ante D. Mariam Christum fuisse, ὁ λόγος additur, ὁ articulus, vt non de quouis verbo, sed de increato illo, & æterno intelligas. vt autem dicitur filius quòd procedat à Patre: ita *Verbum*, quod à mente. Vide Theor. 2. & 3. 1.

Apud Deum] τὸν Θεὸν, *Deum illum, id est, qui Pater est.* Indicatur hic Personarum distinctio; nihil enim est apud se. Item nõ esse separatum verbum, sed intimũ Deo, non vt creaturas, quę extra Deum dicuntur. Quod si apud Patrem. i. apud totam eius substantiam est, ergò æquale verbum Patri, cum nihil sit in eo suprà filiũ, vide Theor. 4. Hinc etiam constat Patris auctoritas; ob quam non dicitur Pater apud filium; sed hic apud illum. 2.

Et Deus] id est, Verbum erat Deus, significatur homousion esse Patri. Hoc igitur versu primo, tria docuit potissimum, AEternitatem, distinctionem Verbi personalem, & quòd eiusdem sit cum Patre Substantiæ: licet & alia hinc deducantur. obserua Deo secundo loco non apponi articulum: ne Patrem esse filium intelligeres: consule Theo. 5. 3.

V. 2. *Hoc erat*] Egit de natura, nunc de statu Verbi, & veluti conditione q. d. Antequam quicquam scil. esset factũ, erat Verbum apud Deum, sc. tantum, id est, nondũ se manifestarat. & is est primus status Verbi: de quo Ioan. 1. ep. 1. *Annũciamus vobis vitã æternam, quæ erat apud Patrem* videlicet tantum, idque ab æterno, vide Theor. 7. 4.

V. 3. *Omnia per ipsum*] Agit de statu Verbi secũdo cum se cæpit quodãmodo ad creaturas cõuertere, quasi dicat: non modò ante quam quicquam Deus conderet, erat Verbum apud Patrem, verum etiam in mundi, rerumq; omnium molitione: Ita vt tunc per verbum Pater omnia faceret. Igitur in priori statu (de quo v. 2.) erat Verbũ absconditum in sinu Patris; at in hoc posteriori statu, inquit Ioã. se manifestasse aliquo modo, & suam vim in rerum cum 5.

patre

patre creatione, ostendisse. *Per*) quam vim habeat, vide in Theor. 8. *Sine ipso factum est nihil quod factum est*) sic lege q.d. nihil eorum quę facta sũt, sine Verbo facta sunt. Sic excluditur Spiritus sanctus, vt nõ comprehendatur sub voce *omnia*, quæ complectitur dumtaxat facta. vide Theor. 9.

V. 4. In ipso) Iam accingit se Ioan. ad scribenda ea, quæ ad œconomiam Verbi pertinent, & tertium eius statũ, de quo postea. Est autem hæc sententia: Deus Pater non modo per Verbum molitus est mundum, verum etiã in eodem per humanam carnem constituit spiritalem, Cęlestemque vitam, vt hominem, qui per peccatũ mortem incurrerat, ad vitam reuocaret: decreuit igitur Deus non aliter vitã homini conferre, quam per assumptã carnem à Verbo, & hoc innuit cùm dicit; *in ipso*: Indicat enim tacitè œconomiam Verbi, id est, carnem decreto Dei in verbi persona naturæ diuinæ vniẽdam. vide Theor. 10. vbi etiã quomodo verba construenda sunt, declaratur.

7. *Et vita erat lux hominum*) q.d. hæc vita in illuminatione hominum posita erat, quemadmodũ, & nunc est: per fidei enim illuminationem illam assequuntur homines. genitiuus *hominum* passiuè sumitur, qua homines illuminantur. dicit, *Erat*, ficut, & de vita dixerat; ob decretum Patris æternum, quo non aliter per Christi fidem homini succurrere decreuit: & quia ab origine mundi id fuit semper verbum, nimirum Vita, & lux, nemo enim vitam, & salutem assecutus est olim vnquam nisi per fidem venturi. Adde quod & natura sua tale quid est. vide Theor. 10. n. 12. 13. 14. 15. & Theor. 11.

5. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

6. *Fuit homo missus à Deo cui nomen erat Ioannes.*

7. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.*

8. *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.*

9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hũc mundum.*

10. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.*

Scholia.

8. V. 5. *Et lux in tenebris lucet*) Idem est, *lux in tenebris lucet*, ac lux tenebras ex se illuminat, eas dissipans, & dispellens. vide Theor. 12. cumque hæc lux, inquit, in tenebris lucere valeat, aptaque sit ex se omnes illuminare; nimirum expulsis ipsis peccatorũ, & errorum prius tenebris, mentes tamen hominũ excæcatæ lucem hanc non receperunt. Lux hic pro Verbo sumitur, non vt superiùs pro spirituali luce: Verbum autem & natura & bonitate sua & potest, & vult omnes illuminare.

9. V. 6. *Fuit homo*) Consule Theor. 13. quia tenebræ præsentem lucem non comprehenderant, id est, excæcatæ ob peccata hominum mentes (has enim vocat tenebras) Verbum induit carnem; ideo antequam hoc suum decretum Deus exequeretur, præmissus est Ioannes, vt optimo ordine Verbum caro factum agnosceretur. *Fuit*) id est, exstitit, non enim iungitur, cum *missus*, q. d. natus est homo, seu exstitit homo quidã missus à Deo. *Missus*) cum in vtero est conceptus, tunc enim quasi Dei beneficio datus est, non casu editus, hoc enim est *missus à Deo*. Nota: Cùm de Verbo loquebatur Ioannes, *erat*, inquit, de Ioanne, *fuit*. Iterum obserua, non reddi hic adæquatam causam, quamobrem Verbum carnem induerit, quod scilicet tenebræ illud non cognouerant: sunt enim & aliæ causæ carnis assumptæ ex iustitia, & alijs Dei attributis sumptæ; hęc tamen vna fuit. indicat etiam Ioan. Deum non ante voluisse filiũ mittere, quam constaret hominibus, quàm necessarius eius esset aduentus. Cùm scilicet Dei obliuio, & teterrimæ peccatorum tenebræ longè, lateque omnia tenerent, & id significat dicens: *& tenebræ eum non comprehenderunt.*

7. Declaratur officium Ioannis, cùm dicitur: *hic venit in testimonium*: cùm verò additur, *vt omnes crederent per illum*, declaratur finis testimonij; testatus. n. est Ioannes, Christũ solùm esse Messiam.

Omnes) Iudæi ad quos missus. *Crederent*) id est, vt quem prius venturum Iudæi credebant, teste Ioanne iam venisse faterentur. (*Per ipsum*) ad Ioannem refertur; ministerialem enim causam notat τὸ, per, *vt testimonium perhiberet de lumine*) est explicatio præcedentis membri.

8. *Non erat*) Quia in magna vulgi opinione erat Ioannes, dicit Euangelista, *non erat ille*) Ioannes. *lux*) scil. illa, G. τὸ φῶς, sed lucis huius testimonium, ne quis putet Ioannem esse Messiam.

9. *Erat lux*) Sensus est: alius, scil. *erat lux vera*, reddit enim rationem, cur non esset Ioannes lux illa, ex cõditionibus huius lucis; nimirum ex Antiquitate, Veritate, Communitate: quæ, cùm Ioanni non insint, efficitur, vt non fuerit ille lux. *Erat*) en æternitatem, seu antiquitatem. *Vera*) en veritatem, q. d. per naturam, non per participationem, hoc enim est, *Vera*: vel quia ex se lucet, quod idem videtur. *illuminat omnem hominem*) en communitatem: Ioannes enim missus est ad solos Iudæos, verùm hæc lux omnes dicitur illuminare, nam quicumque illuminantur, ab illa sola illuminantur. *Venientem*) scil. per Natiuitatem. *Hunc*) G. non habetur, interpres addidit, quia sermo est de illuminatione per fidem, quæ datur in hoc mundo.

10. *In mundo*) Hic, duobus primis locis mundi nomine, intellige ipsam rerum vniuersitatem. tertio autem loco de hominibus præsertim mundo addictis. *Eum*) refertur ad λόγον, & ita latinè dicendum erat: Mundus illud non cognouit, vt ad verbum referatur. docet ergo quod Verbum illud per quod omnia facta sunt, & in quo vita posita; *In mundo erat*, est enim vbique præsens, & omnia replens) *& tamen illud ipsum Mundus non cognouit*, nec ex præsentia cum in omnibus esset, paratum omnes illuminare: nec ex operatione, cum tamen omnia per ipsum facta sint, & conseruentur. quia erga sic mundus illud non cognouit; venit carne vestitum, vt sic cognosceretur, amaretur, hominemque beare, quod versu sequenti dicit, cuius veluti causa est, quod hoc versu 10. habetur. Interim etiam indicat Ioannes, cur eum mundus non cognouerit; & cur opus fuerit testimonio Ioannis, scil. ob hominum cæcitatem, qui illud verbum non cognouerant: nam sua malitia oblatam ab eo lucem repulere: alioqui verbum natura sua lux erat, bonitate verò sua omnes prorsus homines volebat illuminare.

11. *In propria venit, & sui eum non receperunt.*

12. *Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.*

13. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati.*

Sententia verborum Ioannis.

SCHOLIA.

11. IN *propria*) Hic est tertius status Verbi in assumpta, vel post assumptam carnem, de eo nunc agitur, q.d. erat quidam lux vera absq; carne in mundo, & non agnoscebatur. *In sua venit*, scil. in hæreditatem propriam, ac sibi familiarem gentem, id est, Iudaicam, ex qua carnem assumere dignatus est. *Et sui eum non receperunt*) q.d. & hoc sic sui eum receperunt. *Sui*) id est, sibi affines, & congeneres Iudæi. sunt qui per *propria* mundum ipsum, id est, omnes homines intelligant hoc modo: *in propria*, id est, sua, scil. à se factum Mundum venit & *sui*, scilicet homines, *eum*, pro illud, scil. Verbum, *non receperunt* vt autem prius dixerat, *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*; & postea, *In mundo erat, & mundus eum non cognouit*; ita nunc ait: *In propria venit, & sui eum non receperunt*. Insuper, &, occiderunt, inquit Rupert. lib. primo in Ioan. vide Theor. 17. n. 1. Sed quomodo venit qui vbiq; est? Aug. tract. 2. *Hic erat*, inquit, *& huc venit, hic erat per Diuinitatem, & huc venit per carnem, quia cum esset per Diuinitatem, à stultis, & cæcis videri non poterat.*

12. *Quotquot autem*) Ne putares nullos planè eum recepisse: subdit: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.*) vbi explicat vtilitatem eorum, qui illum receperunt, & pœnam non recipientium: nam illis facta est potestas, vt in numerum filiorum Dei cooptari possint; quam non habent qui non receperunt. *Potestatem*) G. ἐξουσίαν, per fidem datur tantùm potestas filiationis, vt, scil. quis filius Dei renasci possit, quod tamen fit per gratiam Adoptionis, id est, per Baptismum saltem in voto.

His qui credunt in nomine eius) Ergò recipere Christum, est in nomine eius credere. Hic versus est explicatio omnium locorum, in quibus soli fidei iustificatio, vel vita æterna tribuitur: est enim fides initium & potestas horum: obserua igitur tantum credentibus esse datam hanc potestatem, propterea dictum, est, *his qui credunt in nomine eius*. *In Nomine*) noster Interpres dicere sæpè solet *in iudicio*, pro *in iudicium*, & vice versa, vt cap. 4. ad Hebr. *in auxilio opportuno*, pro, *in auxilium*; sicut Paulus, & Apost. G. sæpè ponunt ἐν pro εἰς & εἰς, pro ἐν, quod est in nostra Latina translatione, in, modò positū cum sexto casu, modò cum quarto, vt 1. Pet. 1. *conseruatam in cælis in vobis*, G. *in vos*, ἐν ὑμῖν. Rom. 1. *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*, G. *in desideriis*, & ibidem: *qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium*. G. *in mendacio*, vt autem dicitur 1. Corinth. 1. *aut in nomine Pauli baptizati estis*. & G. *in nomen*, & Matth. vlt. *baptizantes vos in nomine Patris*. G. in nomen: Sic hoc loco dictum est ab Interprete *in nomine*, pro *in nomen eius*, id est, in eum: vide Rib. ad Hebr. cap. 6. num. 19. & 47.

13. *Qui non ex sanguinibus.*) Ostendit cur, & quomodo filij Dei fiant; quia, scil. non carnis vel naturæ generatione, sed ex Deo nati sunt. *Qui*) latet tem quandam vim continet causæ, porrò confertur diuina hæc generatio cum naturali, vt vel hinc dignitas filiorum Dei eluceat. *Ex sanguinibus*) Gagnæus secutus Augustinum per sanguines numero multitudinis spermatum commixtionem, i. viri & mulieris semen intelligit. Satius est dicere, quia G. οὐκ ἐξ αἱμάτων legitur, ideò vertisse Interpretem per numerum multitudinis: Intellexisse autem ex Theophyl. menstrua mulieris. vide Theor. 18. num. 2. & seq. iterum, nasci ex sanguinibus, commune est omnibus hominibus: Cùm verò subiicit: *Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri*) ponit duos modos generationis ex parte principij. Nam qui ex inhonesto concubitu nascūtur, dicuntur nasci *ex voluntate carnis*, id est, concupiscentia carnis; qui ex legitimo matrimonio sunt, *ex voluntate viri*, meminit autem vtriusque modi generationis, vt planū sit oēs etiam illegitimos, Dei filios esse posse. Sunt tamen qui per *carnem* mulierem intelligant, vt August. nam opponitur viro. Non dixit autem, *neq; ex voluntate carnis & viri*, sed *neque ex voluntate viri*, quia interdum filius nascitur ex desiderio mulieris, vt Samuel ex Anna: aliquando ex voluntate viri potissimum; vel certè quod interdū ad libidinem mulier sit procliuior, interdum vir. *Ex*) primo loco denotat causam materialem, reliquis duobus sequentibus efficientem. Cùm verò dicitur *ex Deo nati*, Intellige Diuina virtute, & gratia spirituali regeneratos, ac diuinum esse sortitos.

14. *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis.*

SCHOLIA.

14. ET *Verbum caro*) Explicat clariùs Diuinæ OEconomiæ modum per assumptam humanitatem, quod vers. 11. non dixerat. Additur λόγος articulus, vt intelligas illud ipsum Verbum factum carnem, quod erat in principio, & Deus erat, & apud Patrem, & ob id non dixit filius Caro factus est. Obseruat Cyrill. in v. 2. huius cap. Eunomianos duplex fecisse verbum Dei, alterum naturaliter insitum, intimumque Deo, & coæternum, nec ab eo distinctum, nec secundum substantiam, nec secundam personam. Alterum externum extra Deum existēs prioris, perfectam imaginem, quod Caro factum sit; & quod in script. dicatur *filius Dei, & Christus*. Verùm hinc conuellitur tam nefarius error. Nam de eodem verbo (vt vel ipse textus sui vbique similis, & vniformis indicat, & non obscurè ostendit articulus hoc loco additus τὸν λόγον, cùm dicitur, *& Verbum illud caro factum est*) docet Euangelista esse factum carnem, de quo dixerat superiùs, quòd *erat in principio apud Deū, & erat Deus*. *Caro*) id est, homo. dicitur *Caro*, vt Christi humilitas, ac demissio commendetur, & vt quanto interuallo distat Verbum à Carne, magis exprimatur. vide Theo. 19. n. 3. *Factum est*) non conuersum in carnem. hinc Greg. lib. 9. epist. 61. Verbum carnem dicimus factum, non mutando quod erat, sed suscipiendo quod non erat, nostra auxit, sua non minuit. Notat ergò, *factum*, vnionem, & actionem: qua Diuina verbi natura in vnitate personæ eiusdem verbi, humanæ est copulata naturæ. G. ἐγένετο, significat hic, *fieri*, non *esse*, vt Ioan. 3. Nuptiæ factæ sunt. *Habitauit*) G. ἐσκήνωσεν id est, tabernaculum posuit inter nos. Duæ ergò sunt Naturæ, & Tabernaculum vnum, id est, diuina, & nostra natura assumpta; huius autem Tabernaculi inhabitator est Deus. Porrò significatur voce Græca, temporaria Christi habitatio inter nos, cuiusmodi est ea, quæ sub tentoria est, Christus enim sua humanitate sensibus obiecta, nō semper fuit nobiscum. Addidit verò hæc Ioannes, tum, ne quis putaret, Verbum corpus phantasticum accepisse; tum vt impleta vaticinia ostenderet: Baruch. 3. *In terris visus est*, &c. Zach. 2. 10. *Letare filia Sion*, &c. Proinde non ita ad men em Ioan. exponunt, qui *nobis*, id est, *in carne nostra* interpretantur. *Vidimus*) G. ἐθεασάμεθα, quod significat testes oculati sumus. videtur respondere obiectioni: vnde scireit, Verbum carnem factum; *Vidimus*, inquit, &c. *Gloriam*) Intellige quicquid Christi diuinitatem declarauit, id est, signa Diuinitatis, & ceu radios

Digitized by Google

quoldam lucis æternæ. *Quasi vnigeniti*) *quasi* non est nota similitudinis, sed, vt ait Theoph. Confirmationis, & indubitatæ determinationis, q.d. vidimus gloriam eius, qualē decet esse gloriam vnigeniti à Patre. Porrò, ne abiectum quemuis hominem putarēs, dixit, *& habitauit* illud Verbum *in nobis plenum gratiæ, & veritatis*. Nam Græci omnes, & Latini ad verbum referunt meliùs, quàm Caietan. ad Ioan. hæc verba, vt ex sequentibus patet, & de plenitudine eius. Legenda verò sunt hæc per parenthesim, scil. (*& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre,*) deinde *plenum gratiæ*, &c. referatur ad *habitauit in nobis*. vide Theor. 10. num. 9. & lib. 2. cap. 4. in Scholijs num. 15. Cæterùm illud, *à Patre* refertur ad *Vnigeniti*, quod habet vim participij passiui, q.d. vnius geniti à Patre. Numerat Ioan. hic duos Diuinæ œconomiæ effectus, dicitur enim Verbum *gratiæ plenum* quia gratificauit nos Patri. Dicitur *plenum veritatis*, quia viam docuit veritatis, & arcana Dei. gratia respondet vitæ, veritas luci, quorum vtrumque v. 4. tribuerat Ioā. verbo. Hæc autem plenitudo redundantiæ est, & propria illius, nulli enim hominum vnquam licuit alium gratum Deo reddere, & mysteria Dei ex visu per scientiam narrare. Conuenit autem hoc Christo non Deitatis modo ratione, verùm humanitatis etiam, cætera vide in Theor. 10. & de hac Christi plenitudine præter theoriam 10. num. 10. Vide lib. 1. cap. 5. theor. 3. nu. 4. & lib. 2. c. 4. in Schol. num. 15. Hæc de Scholijs.

19.

20.

THEORIÆ ALIQVOT, ET DIGRESSIONES IN PRAECEDENS

CAPVT PRIMVM.

ABSOLVTIS BREVIBVS SCHOLIJS, restat, vt fusius, & exactius in sequentibus Theorijs, & digressionibus exponamus ea, quæ hic habet Ioannes.

THEORIA I.

De Ioanne, & eius Euangel.

1. Ioannes Euang. aquilæ similis.

IOANNES instar volantis Aquilæ, de qua August. volat, inquit, altius cæteris auibus, & Solis radios irreuerberatis aspicit luminibus, in verum illum Iustitiæ solem, ac æternam generationem mentis oculos irreflexos erigens tanquam filius tonitrui tantę Maiestatis nobis oraculum profudit. vt tonitrua potius, quàm verba sonare videatur. Is cum aduertisset reliquos Euangelistas temporalia de Christo scribere se super illos attollens, & Christi diuinitatē aspiciens, relictis terris cum Domino volasse videtur, vt mirum non sit, si Ezech. 1. Aquilam super cætera tria animalia, quæ tres reliquos Euangelistas referunt eleuatam in speciem volantis videat. Ascendit itaque Ioannes super Cherubim, & in morem Aquilæ sublimè volans *in arduis nidum suū posuit*. Iob 39. recubuit enim supra pectus Christi, vbi fluenta Euangelij cęteris vberius potauit. Iacob Gen. 28. supposuit capiti lapidem, quem etiam postea vnxit oleo, & dormiuit eodem in loco, viditq; arcana Dei. Christum

2.

A petram esse docet Paulus, quem Deus Pater vnxit oleo lætitiæ. hic ergo scilic. in Christo, Ioan. nidum suum posuit, & eructauit verbum bonum. *In principio erat Verbum.* Idem Ioannes Christi vt sapientiam indicaret immensam, scripsit; *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*; ita, vt nos quoque agnosceremus summā ipsius sapientiam, quam ipse Dei munere acceperat, & crederemus Euangelio. testatus est recubuisse se in cœna supra pectus Domini. ibi id est, in sinu Christi, Beniamin adolescentulum in mentis deprehend mus excessu; cùm enim reliqui Apostoli fratres Christi propter Patrem dici possint, ipse Ioannes etiam propter Matrem: *Ecce mater tua, ecce filius tuus*, meritò igitur Beniamin comparatur. Neque tamen propterea velim intelligas, Ioannem Euangelistam suū Euangelium de sinu Domini, quando in cœna recubuit, accepisse: licet ita loquantur Patres; Ioannis namque 16. apertè dicitur: *multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*, & cap. 20. articulum de Resurrectione Christi eo vsque se plenè non credidisse affirmat. Intellige ergo ex recubitu tam familiari in sinu Domini habilitatem, promptitudinemque quandam, & gratiam suo tempore ad illud describendum, accepisse, ad quod veluti destinatus tūc quodammodo fuerit per signum illud externum. Sic ergò intelliges Augustinum, cùm ait; *Cælestia hausturum sapientia de ipso Dominici pectoris fonte potauit*. Huius ergo Diuinæ generationis Verbi scriptor, & tam admirandæ sapientiæ auctor, quæ primo hoc Euangel. Dilucida. cap. continentur, Est Ioannes Iacobi maioris frater, Zebedæi, & Salomes filius, à vico Bethsaida Galil. Regionis, arte piscator. Is inter primos à Domino electus, Euangelium vltimus scripsit in Pathmos Insula, ex Metaphraste in vita Io. Dorotheo in Synopsi, Theophilacto in præfatio. comment. 1. Ioan. Niceph. lib. 2. cap. 42. & lib. 3. cap. 9. licet à quibusdam euulgatum dicatur Ephesi rogantibus Asiæ Episcopis; malunt alij Ephesi scriptum, quod videtur magis nunc receptum quamuis in Insula prius prædicatum fuerit. inde ergo reuersus post exilium conscripsit Euangelium. Certè Hieron. in prologo in Matth. significat Ephesi eum scripsisse Euangelium; & quidem vt traduit Eusebius & Epiphanius extremo vitæ tempore. cùm ergo 68. post passionem Domini anno obierit, teste Hieronymo lib. de scriptoribus Ecclesiasticis, fit verosimile circa hoc tempus illum Euangelium scripsisse. Porrò relegatio in Insulam fuit anno decimo Domitiani ex Tertulliano lib. de præscript. hæret. & Hier. lib. 1. contra. Iouin & in cap 20. Matth. cùm antè 9. anno Domitiani Romæ in feruens oleum missus esset: mansit in exilio vsque ad vltimum, hoc est, decimumquintum Domitiani annum, quo tempore accepit Apocalyp. vt ait Irenæus libr. 5. quare lapsus est memoria Epiphanius contra hær. 52. cùm ait, relegatum fuisse tempore principatus Claudij Cæsaris, vide Baronium & Pererium Tom. 3. select. 99. disput. 12. Cur autem scripserit Euangelium, docet Iren. lib. 3. cap. 2. Ioannes, inquit, per Euangelij annunciationem voluisse videtur auferre eum, qui à Cherinto inseminatus erat hominibus

3.

B

4.

C

Et quando

5.

D

Cur scripserit Euangelium.

6.

error,& multo prius ab illis qui dicuntur Nicolaitæ. Cherintus ergo sicut & Ebion negauit diuinitatem Christi,purumque hominem, qui à Ioseph & Maria initium habuisset affirmauit; impudens sanè monstrum. Contra hos scripsit Euangelium in Asia post captam Hierosolymam multiplicatis iam fidelibus. Minus quam cæteri Euangelistæ Græcè loquutus est;Hebraicis namque phrasibus abundat. nusquam ab ordine discedit, nisi quod multa intermittit, quæ vidit satis ab alijs descripta, ac proinde pauciſsima habet communia, cum alijs Euangelistis, eaque fermè pertractat, quæ ad diuinitatem pertinent;& solus acta Christi primo ferè prædicationis anno, qui est secundus à Baptismo, describit, & quæ in Iudæa gesta sunt ante vltimò relictam Galilæam; cum reliqui Euangelistæ ferè nihil attigerint, quæ vel primo anno, vel in Iudæa ante vltimo relictam Galilæam gesta sunt à Domino. Primo enim anno adhuc prędicante Ioanne fermè latuit, nec publicè se gesit pro Messia, nec ita se gesit in Iudæa,nisi pòst vltimo relictam Galilæam & maximè in solemni ingressu in Hierusalem; vnde factum vt reliqui Euangelistæ festorum non meminerint, quibus sæpè Dominus iuit Hierosolymam, quæ Ioānes est diligenter prosecutus, de inuentione Euangelij Ioannis de Græca in Hebraicam linguā transłati,similiter & de Matthæi Euangelio hębraicè inuento,&Actorum item Apostolorum inuentione in Gazophylacio, lege Baron. anno Christi 327.Constantini XXII. Tres eius extant epistolæ, vide apud eundem authorem anno Christi 99. harum duæ posteriores non fuere semper eiusdem authoritatis, cum prima; sed modo non licet dubitare. prima citatur ab Hygino epist. prima, & August. lib. 99. noui Test. q.39. vt scripta ad Parthos, sed inscriptio illa excidit,Hierony.descrip. & epist. 95. vt igitur scripto Euangelio Christi diuinitatem negantes cōfutare voluit;Ita etiam duabus prioribus epistolis aduersus Basilidem, & alios Christi Carnem negātes, scripsit,vt patet 1.Ioan.1. 1.& 4. 2. & epist.2. multi seductores exierunt in mundum,&c. Moritur 68. anno à Passione Domini, à Natiuitate 101. Traiani 2. Ephesi, ibique sepelitur vixit annos secūdum Bedam 98. vel potius 93.vt 22. vocatus à Domino 25.factus Sacerdos sit,cum Hierony.dicat penè puerum vocatum à Christo.

Idem est auctor Apocalypsis quàm scripsit Pathmos, vltimo, hoc est,XV. Domitiani anno ante Euangelium ex Dionys.Areopag. epistola, ad ipsum Ioannem, & ex Epiphan. contra hær.51. & ex Eusebio lib.3. Ecclesiast. histor.& Hierony.descript. Ecclesiast. in Ioanne Apostolo, & Primatio in princip. Comment. in Apocalyp. & ex Beda de sex ætatibus mundi, vbi de Nerua agit : quare miror quod idem Beda in comment. in Apocalyp. scripserit; ante Apocalypsim esse Euangelium scriptum : Obijcitur canon 84. Apostolus vbi inter libros Canonicos, ponitur Euangelium & non Apocalypsis, quòd nondum fortè edita. verùm respondeo ; Canones Apostolorum, vel 50.vel 60. tantū à Pontificibus, vel à Concilijs generalibus approbati sunt: hinc fit 84. non esse receptum ; præsertim cum hi canones dicantur facti, viuente D.Petro, qui sub Nerone mortuus,quoniam nondum Euangelium Ioannis scriptum erat. Dionys.Areopag. epistola ad Ioannem, *Theologum* eum vocat, Et in libro Ecclesiast.hierarch.cap.3. eius Apocalypsim arcanam dicit, & omninò mysticam visionem ; Euangelium vero Diuinissimam & Altissimam Iesu Theologiam.

THEORIA II.

De hoc principio Euangelij Ioannis: In principio erat Verbum.

TErtullianus aduersus Hermogenem,Euangelium vocat *supplementum Veteris testamenti*; quod maximè conuenit Ioannis Euangelio. nam Moyses Deum verbo suo omnia creasse narrauit,sed cuiusmodi esset verbū nō expressit,quod Ioannes adiecit,vt ob id meritò videri posit dixisse Moyses Exod.4. *Non sum eloquens ab heri & nudius tertius*,impeditioris enim fuit linguæ. hæc namque eloquentiæ laus Ioanni debebatur. Adhæc,præuenit Ioannes exordiū illud Moysis qui à creatione rerū orsus est:at Ioannes quæ ante mundi conditionem erant edocuit. tantùm autem differunt,*in principio creauit Deus cælum & terram*; & *in principio erat Verbum, creauit*, & *erat*, *Cælum* & *Verbum*, quantum Creator à Creatura : æternum ab his,quæ tempori subduntur. Chrysost. homil.3. cum Matth. inquit, ab Herode Rege, Lucas à Tiberio Cęsare,Marcus à Baptismo Ioannis exordiatur; his Ioannes omnibus omissis suprà omne tempus & sæculum ascendit; cui consonat August.libro 1. in Ioan. scribens: transcendit omnia cacumina montium, omnes altitudines siderum , transcendit omnes Choros & Legiones Angelorum. nisi enim transcenderet ista omnia, quæ creata sunt,non peruenirет ad eum per quem facta sunt omnia, atque huc vsque venire oportebat , vt nostræ salutis inueniremus auctorem. Idem August. 10. de Ciuit. cap.29. refert quendam Platonicum dixisse,exordium hoc Ioannis dignū esse, quòd aureis literis conscriberetur, & in eminentissimis locis per omnes Ecclesias proponeretur. Addit August. lib.7. confess. cap.9. sub initio quosdam Platonicorū libros ad manus suas peruenisse,& ibi inquit legi , non quidem eisdem verbis, sed similibus & multiplicibus rationibus : *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum* : & quæ sequuntur;etiā si in illis non legerim , quod Verbum caro factum est. Hoc idem de Armelio,Platonico,& Heraclito docet Eusebius lib.11. de præparatione Euangel.cap.10. licet hi nomen Ioannes cælauerint, & sub Barbari interdum nomine more græcorum referant eius dicta. An verò verbum diuinum notum fuerit Philosophis,fusè disputat Barra. Tom.1.lib.4. cap.3. iam ad rerum & verborum expositionem accedamus vberiorem.

THEORIA III.

Quid hic nomine principij intelligatur.

IN primis hoc loco *Principium* non significat Patrem,vt videtur velle Orig homil.2. in diuers. Cyril.lib.1. c.1. qua de re lege etiam August.lib.6.de Trinit. cap.2. nam vox (*erat*) innuit

innuit antecessionem respectu Principij, cum tamen filius non antecesserit Patrem. præterea id à Ioanne inferiùs dicetur, cùm ait, (*Et Verbum erat apud Deum,*) id est, Patrem. Augustin. lib. quæstionum in vtrumque Testamentum cap. 122. habet, hic principium non posse sumi pro principio operis, id est, pro eo, quod factũ est primo loco: quomodo ex quorundã sententia sumitur initio Gen. *In principio creauit, &c.* hoc est, quæ primo facta sunt, hæc fuere, Cœlum non item hic; consequeretur enim Verbum factum esse primo omnium. & hoc, quod rectè affirmat Augustin. indicatur voce (*Erat*): quæ vt dixi, innuit antegressionem respectu principij, quasi dicat: ante ipsum principium operis cuiuscunque, seu ante opera primo omnium facta, erat iam verbum ac proinde in Genes. non est dictum (*erat*) sed *creauit*: propterea sumi potest ibi, pro principio operis, nomen ipsum principij.

2. His reiectis duæ mihi potissimum in hunc locum expositiones conuenire videntur; Vna vt per *principium* æternitatẽ intelligamus: cùm enim sit omni æuo, & tempore prius; nihilque ipsa æternitate prius sit, rectè ipsa principium carens omni principio dici potest, sicut Deus Isa. 41. primus dicitur, id est, æternus, vel ante quẽ nullus, vt significetur nihil illo antiquius. lege Cyril. hic cap. 1. Itaque sensus erit: *in Principio*, id est, AEternitate, quæ prima durationũ est, *erat Verbum*. Ita Eccles. 24. *Ab initio, & ante secula*, id est, ab AEterno. Mich. 5. *egressus eius ab initio* nõ Mundi, sed ab æternitate, quod velut declarans subdit; *à diebus æternitatis*, & 1. Ioannis 1. *quod fuit ab initio*, id est, quod fuit ab æternitate. Altera & quidem melior expositio est, vt *principium* significet communiter principium existentiæ, vel durationis rerum, quando cœpit esse omne, quod factũ est, antẽ quod nihil factum est: vt, *rò* erat; Notat antiquitatem verbi, vt superiùs etiam dixi, antegredientis omne principium. hoc autem quod omne principium rerum factarum antecesserit, omninò æternum est, cùm omnem rem creatam, factamque præcedat. Extendunt alij, vt D. Basilius, D. Thomas principij vocem ad omne, principium durationis, non solum ad principium creationis mundi, sed ad omne, quod animus concipere potest, vnde D. Thomas in Comment. ait: quodcunq; principium durationis sumatur, siue rerum temporalium, quod est tempus, siue æuiternorum, quod est æuum, siue totius Mundi, siue quodcunque imaginatum extentũ per multa sæcula: In illo principio iam erat verbũ, quod autem est ante quodlibet durationis principium, æternũ est.

3. His eisdem verbis ostendere voluit Ioannes, Verbum non esse creaturam, nam ante omnẽ creaturam erat & res, quæ postea sunt conditæ; quoniam ergo Moyses dixerat: *in principio creauit, &c.* voluit ostendere hic Ioannes, non esse Verbum connumerandum inter ea, quæ in Moysis principio creata sunt, & ante quod nihil est creatũ q.d. in hoc principio primæ rerũ existẽtiæ iam erat Verbum, noli ergò ibi illud quærere, id est, inter Creaturas, vbi quæsiuit impius Arrius, nec inuenire potuit. Admiratur Hilarius tam admirandum Ioannis initium lib. 2. de Trinit. circumspicite vtrum mirabilius fuerit mortuum excitasse, an imperito scientiam doctrinæ istius intimasse; Ait enim Piscator, In principio erat Verbum, quid est illud, *In principio erat*? transeuntur tempora, transcenduntur sæcula, tolluntur ætates. pone aliquod quod voles tua principium opinione, nõ tenes tempore, erat enim vnde tractatur, respice ergò ad mundum, & intellige quod de eo scriptum sit: *In principio fecit Deus cœlum, & terram*. fit ergò in principio quod creatur, & ætatem continet, quod in principio continetur, vt fieret; Meus autem Piscator illiteratus, indoctus liber à tempore est, solutus à seculis, vicit omne principium, erat enim quod est, neq; in tempore aliquo concluditur vt cœperit, quod erat potius in principio, quàm fiebat.

THEORIA IV.

Excutiuntur illa, & Verbum erat apud Deum.

HOc primo versu Ioannes, tres verissimas maximè assertiones statuit; primã continet æternitatem verbi, *In principio erat Verbum*. secunda est, *Verbum erat apud Deum*, quàm præ manibus habemus, vbi præsertim explicatur subsistentia hypostatica verbi, & distinctio personalis à Patre. Nam si erat apud alium, ergo non inhærebat, sed per se erat, vnde sequitur distinctio personarum, nam quod est apud alium distinctum esse, necesse est ab illo, cùm nihil apud se esse propriè dicatur. Ex hac etiã veritate & assertione constat secundo hoc verbum licet, distinctũ sit, non tamen separatũ esse, & veluti extrinsecũ Deo, est enim in eo, & intra eum, nõ vt creaturæ quę extra Deum esse dicuntur, efficitur & 3. ex hac propositione vt verbum non sit solitarium, nõ modo, quia verbum ad alium refertur, verum etiam quia esse apud aliũ dicitur, quo satis explicatur nõ esse solitarium. Nyssenus hom. de fide, hinc etiam 4. probat verbi æqualitatem cum Patre nam si filius est apud totam substantiam Patris; ergò nihil est in Patre quod excedat, supraque filium sit, alioquin nõ posset dici verè apud illum esse ratione eius in quo exceditur, sed potius infra ipsum; vel aliter, significat ibi Nyssenus, in vna impartibili essẽtia & natura Deũ infinitas continere perfectiones, quas omnes, & singulas *Verbo* non comprehenderet, nisi illud ipsum *Verbum* æquale haberet infinitatem: nam si quid, inquit, Deo deesset (id est) Verbo in sua magnitudine, vt non posset apud totum Deũ esse (id est, Patrem) prorsus necesse esset, vt æstimaremus absq; Verbo esse eam Dei partem (id est, perfectionẽ) q̃ verbo superior quæ ac maior. Cùm tota igitur Dei Maiestate Verbi maiestas simul cõsideratur, & locum nõ habet in diuinis vt maius, vel minus dicamus, sic ille acutè satis. Deniq; & ex hac clausula constat Patris auctoritas, neq; enim Pater apud filium, sed filius apud Patrem dicitur. Nam vox illa, *apud*, auctoritatem quandam innuit eius apud quẽ esse dicitur, cuiusmodi est Patris in filium sibi æqualem. potest quidem dici Pater in filio, sicut & filius in patre. Sed non rectè affirmabitur, ob eam causam Pater apud Filium, cum non à Filio Pater, sed Filius à Patre sit.

1. 2. 3. *apud. præpositio æqualitatem verbi cum Patre significat.* 4. *Auctoritatẽ innuit eius apud quem aliquis esse dicitur.*

THEORIA V.

In illa: *Et Deus erat Verbum.*

1. *Consubstantialitas filij cum Patre probatur.*

POstrema propositio Ioannis est. *Deus erat Verbum.* Vbi declaratur consubstantialitas Filij cum Patre, est enim Deus Pater habens eandem Diuinitatem prorsus, nam Deus vnus est & aduerte τὸ Deus non subiectū, sed prædicatum esse, vt hæc sit series, & sensus; *Verbum erat Deus*: voluit enim incipere à voce præcedenti: nam Hebræi solent ea figura delectari, qua finis præcedentis clausulæ initium est sequentis: Vt *in principio creauit Deus cœlū & terram, terra autem*, &c. Item hic ver. 4. *in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris*, &c. eodem modo hoc loco v. 1. *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ob id ergò nō dixit: *Verbum erat Deus*, quod fuisset clarius. Obseruandum est deinde: cùm dicitur, *Deus erat Verbum*, τὸ Deus, nō addi articulum vt superiùs, ne intelligeres per *Deum*, Patrē, vt cùm dicebatur, *& Verbum erat apud Deum*; nam est quidem Filius Deus, neutiquā tamen Deus Pater est. At voci, *Verbum*, in in eadē propositione: *Deus erat Verbū*, additur articulus, vt intelligas illud idem verbū, de quo prius, esse Deū. Vel dicendum est, ideo nō esse additum voci *Deus* hic articulum, quia vt quidam volunt nō solet addi articulus prædicato, sed subiecto: Porrò hic subiectum est *Verbum* non *Deus*: qua de re sic ferè scribit Rib. noster ad Heb. 1. nu. 70. cum inquit, sunt duo nomina in eodem casu & dubiū est vtrum illorum subiecti locum habeat, de quo alterum dicatur, illud habet cui articulus additus est, vt *Verbum caro factum. Verbum* cum articulo ponitur, quia vicem subiecti habet; & Ioan. 2. *Vt autem gustauit Architricl. aquam vinum factam*, articulus additur aquæ, & c. 4. *aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ*, articulus additur non fonti, sed aquæ. Psal. 44. 7. *Virga æquitatis virga regni tui, Virga* in 2. loco habet articulū, q. d. *Virga regni tui, est virga æquitatis.* Psal. 103. 4. *Qui facis Angelos tuos spiritus*, articulꝰ additur, τὸ Angelos q. d. qui facit suos Angelos sicut vētos, & ministros suos sicut ignem, sic enim est cōstruendus hic locus ex Diony. c. 15. cœl. Hierar. ita ergo hic: καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, quoniam articulus additur λόγῳ, ideo λόγος habet subiecti, rationem, & propterea ad λόγος est adiunctus articulus. Ex hoc loco colligere est, dari processionē Diuinę personę ab alia diuina persona. Nam si vnus est Deus sicut & Pater; cum filius non sit Pater, sed distinctus ab illo, igitur per generationem, & processionē distingui illū oportebit. Quomodo enim si eadem est natura, distinctio intelligi potest sine processione? Est ergò filius Deus de Deo, quod idem deduci potest ex notione *Verbi*, qua de re inferiùs digress. 2. sect. 1. nu. 5 & digress. 1. sect. 3. nu. 11. B. Leontius Episcopus, vt refert Salmeron lib. 2. tract. 6. rectè obseruauit prius dictum esse, *Verbum erat apud Deum*, quàm *Deus erat Verbum*, quasi hoc nunc diceret: quod nihil aliud esset Verbum (intellige secundùm substantiā) quàm illud ipsum quod erat, apud quem erat. Ne ex secūda clausula ita intelligeretur verbum à Patre oriri, & esse apud eum, atq; adeò ab eo distingui, quasi natura in eo inesset diuersa.

Articulus nō solet dari prædicato sed subiecto. 3

4.

A

Sed dubitatur cur Ioannes non inceperit à natura Verbi, seu à Deitate, sed ab existentia. veluti à quadam proprietate scil. ęternitate? in promptu est respōsio, quia hoc modo nimirū rectius Euangelium connectitur cum historia Moysis, atq; adeò initium Euangelij cum initio testamenti veteris, ait Moyses, *In principio creauit Deus cœlum & terram*, &c. Noster verò Piscator; *In principio erat verbum.* Moyses verbo Dei vniuersitatem hanc rerum conditam narrat, Piscator verò hoc verbum declarat in principio fuisse, nimirum ante mundum conditum, atq; ideò potuisse per illud omnia fieri. Deinde faciliora voluit præmittere; erat autem faciliùs æternitatem credere, quàm distinctionem personarum & homines adhuc proniores sunt ad hoc credendum, quàm ad astruendam trium hypostaseon Diuinitatem eandem. Denique prima veritas de AEternitate, infert secundam de distinctione, & hæc secunda tertiam, nam si verbum erat æternum, cùm nihil esset præter Deum, apud Deū erat. Ecce tibi secundam propositionem; quod si apud Deum, internumq; illi, ergo Deus, nihil enim in Deo, quod non sit Deus.

B

THEORIA VI.

An de Deo rectè dicatur, Erat, an Est, tantum.

D. Thomas aliquid habet, quod huc pertineat p. 1. q. 2. art. 42. ad 4. Non dubium quin, *Est.* de Deo dicatur, est enim proprium Deitatis; non solum quia Deus est ipsum *esse*, Exod. 3. 14. *Ego sum, qui sum*; sed etiam, quia, *Est*, notat stabilitatem illam permanentem, & inuariabilem, quæ in æternitate vigitur; quam ob causam, æternitas dicitur *hodie* ex Clement. Alexand. orat. adhort. ad gentes, *hodie*, inquit, est imago æterni sæculi, & Psalm. 2. 7. *Ego hodie genui te*: Apud Delphos in tēplo ipso Delphico inscripta erat literis aureis, ει, quo, scil. demonstrabāt illi, Deum stabilem & permanentem habere durationē, cùm, ει sit secunda persona verbi substantiui græci, lege Plutarch. in opusc. de hac re. iam quod ad vocem, *Erat*, Nazian. orat. 2. in Pascha, Theod. lib. 2. de curandis affectionibus, negant Deo tribui, *Erat*, vel *Erit*, sunt enim nostri temporis species, vt ait Plato, seu eiusdem segmenta, vt loquitur Nazian. at Ioan. hic contrarium indicat, dum ait: *In principio erat verbum*, quod extendens Basilius de Spiritu sancto cap. 6. pulchrè, inquit, Ioannes duabus vocibus cogitationē nostram intra præscriptos terminos præclusit cum ait: In principio erat, hæc enim vox, *Erat*, nullum cogitationi præbet exitum, quemadmodum & illa, *principium* non dat transitum humanæ mentis imaginationi; quantumuis enim imaginatione curras ad anteriora, non excedis, *Erat*, & quantumuis institeris videre, quæ sint vltra filium, non poteris tamen superare principiū: hæc ille doctè & acutè. Idem habet Hilar. 2. de Trini. quid est illud, *Erat*, transeuntur tēpora, transcēduntur secula, &c. quæ superius retulimus num. 6. Theo. 3. sed nihil clariùs eo, quod c. 1. Apoc. habetur: *Ego sum Alpha, & Omega, principium & finis, qui est, qui erat, & qui venturus est omnipotens.* Porrò & præteritum imperfectū rectè conuenit Natiuitati filij ex Patre.

C

D

5. *Cur Ioannes inceperit Euangel. à diuinitate & non ab humanitate Christi.*

1. *Esse proprium Dei.*

2. *Suarius noster disp. 50. sect. 3. n. 10. 11. 12. in Metaph. quadē habet vide posset exponi Nazian.*

3.

tre: Ita enim natus est vt semper nascatur, quoniam Filij origo est diuina intellectio, per illã dat Pater filio, vt subsistat, manet illa semper, oritur igitur semper filius, semperq; ortus est. Præteritum verò imperfectum, & rem fuisse significat, nec desijsse vnquam.

THEORIA VII.

In v. 2. *Hoc erat in principio apud Deum.*

1. THeophylact. in comment. in Ioan. hunc versum sic exponit: ne quis ita perturbetur, & dicat, ergò si Verbum est Deus, aliquando insurget contra Patrem, vt gentiles fabulantur de Dijs suis, & segregans se ab eo aduersarius erit: propterea dicit, quod licet verbum sit Deus, nihilominus cum Patre est, & ab eo nunquam separatur, sicut semper fuit à principio, & ab æterno. quod etiam videtur secund. Basil. in homi. in hæc verba, & Ambr. l. 1. de fide c. 5. docent enim hic doceri, semper
2. cum Patre filium fuisse, & inseparabilem ab eo esse, & ab æterno. D. Hilar. lib. 2. de Trinit. ait, declarari hinc vnitatẽ Dei: Ne quis duos Deos suspicetur, ideò ait subdidisse, *hoc erat in principio apud Deũ*, ex quibus videtur cõficere Hilar. esse verbum hoc intimũ illi. i. Patri, atque adeò eiusdẽ naturæ, ac vnius Deitatis cum illo, si autẽ est vna, & eadem natura, vna etiam erit & voluntas, & inseparabilis coniunctio prorsus: Itaque oẽs horum Patrum expositiones videntur tandem aliquo modo conuenire.
3. Tertio Orig. hom. 2. in diuer. Cyril. 1. in Ioan. c. 4. referunt, hoc, ad verbum; licet. Græcè sit ambiguum an οὗτος ἦν, referatur ad τὸν λόγον, an verò ad τὸν θεόν. ad vtrumq; enim videtur posse referri, & ita sentit Orig. Tom. 2. passim tamen, & melius ad verbum referunt, ac si diceret Ioan. Hoc verbum quod Deus erat, erat illud idem, quod erat in principio, & erat apud Deum: Ne quis putaret aliud esse verbũ, quod erat in principio & erat apud Deũ, ab eo, quod erat Deus: Sicut Eunomius hæreticus existimauit duplex esse verbum: Alterum intimũ Deo, alterum externum, de quo vide Scholion ad v. 14. initio num. 17. Itemq; ne erraremus putantes verbum fuisse quidem in principio, sed
4. non apud Patrem fuisse semper, & per totam æternitatem. Addit Orig. hanc 4. propositionem non esse aliã à tribus prædictis, sed veluti earũ Epilogum: cùm enim dicit Ioan. *Hoc*, sub intelligit 3. propositionem, ideſt, *Verbum*, quod erat Deus; cum subdit: *erat in principio*, & deinde subnectit, *apud Deum*, primam & secundam propositionem indicat. Antequam ergo transeat ad declarandam virtutem, & efficacitatem verbi, repetit, quæ de eius natura & existentia dixerat.
5. D. Thomas verò Lyr. Carthus. & alij quidam volunt etiam hic ostendi coæternitatem verbi cum Patre, ita vt sit 4. propositio hæc, nam prima ostendebat verbum esse æternum, sed quia aliquis cum Arrio dicere poterat: *Erat in principio* scil. Creaturarum, non autem ante illas, neq; ab æterno cum Patre: Ideò addit hanc 4. propositionẽ, quæ & æternitatem cõfirmat, & esse Patri coæternum verbum clarius indicat, fuisseque ab æterno apud Deum. Est ergò sententia: *hoc erat in principio*, hoc est,

A in æternitate apud Patrem, quod est esse coæternum Patri.

Cæterum mihi videtur germana sententia 6.
huius loci, vt velit Ioan. ad statũ verbi iam aggredi, propterea tres primæ propositiones cõnexuit p cõiunctionem, tanquã ad verbi naturã, & existentiã pertinentes, & 4. huic veritati nõ addidit coniunctionẽ, sed subiecit; *Hoc erat in principio*, &c. nam vult nũc post naturam, & existentiam verbi declaratã, statum quendam primum conditionemque verbi demonstrare. Est enim veluti duplex status verbi, ante scil. 7.
& post res cõditas, quamuis 2. bifariam consideretur ante vel post assumptam carnem, atq; ita tres status esse possunt. Duplicem hunc statum verbi habet Salom. Prou 8. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret*, &c. en primum subdit: *quãdo præparabat cælos aderam*, &c. En secundum statum
B cum se cæpit ad creaturas cõuertere. quod autem Ioannes dicit *apud Deum*, Salomon dicit, *aderam*: quod Ioannes habet, *omnia per ipsum facta sunt*. Salom. dixit, *cùm eo eram cuncta componens*. Declarat ergò Ioan. Si verbum fuit ante creata, vbi nam esset antequam mundus fieret, Respondet: *hoc verbum in principio erat*, antequam nimirum, quicquam esset factum, *apud Deum*, scil. tantum nondum se manifestarat, vel carnem induerat; denique erat *verbum absconditum*; ergo cùm dicitur, *apud Deum erat*, subintellige tantum. Non igitur hæc 4. propositio
C planè eadem est cum tribus præcedentibus, licet eas contrahat & contineat velut quidã epilogus; verumetiam noui aliquid addit. Declarat enim vbinam erat verbũ in principio, cum planè nihil esset conditum. Quare hic *esse apud Deum* significat expresè statum quendam verbi, quamuis tacitè distinctionẽ etiam personalem, & subsistentiam, consubstãtialitatemque inuoluat, quæ tamen expresè 2. propositio cõtinebat. Antequam hinc discedamus, nota ver- 8.
ba Ambrosij lib. 1. de fide ad Grat. cap. 5. perpendentis Ioannem quater repetijsse verbum *erat*, hoc ipso initio, quasi iugulantem hæreticos; *Erat*, inquit Ambrosius, *erat, erat, erat; Vbi inuenit impius hæreticus, quod non erat?* D. Basil. *quartum dic: Erat*, inquit, *& blasphemiam hæreticorum confutabis, qui dicunt non erat*: dicebant
D enim Arriani erat, quando non erat.

THEORIA VIII.

In v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt.*

EXplicat iam secundum statum verbi, cum 1.
cœpit se quodammodo ad creaturas conuertere. Significat igitur Ioann. priori statu de quo v. 2. verbum non se se manifestasse, sed veluti absconditum in sinu Patris fuisse, nondum enim se se aliquo opere declararat. At per posteriorem hunc statũ docet in ipsa mundi molitione rerumque omniũ exordio se se aliquo modo patefecisse, suamque vim, & efficacitatem ostendisse in rerum omnium creatione: cuncta enim Patrem per illum creasse. Nec mi- 2.
hi displicet quod Pater Moldona putat; Euangelistæ consilium tale hic fuisse: Scribebat enim inquit, historiam Christi, secutus est ordinem temporum, proinde agit de eo primum qua Deus, deinde qua homo est. & de eo quidem agens qua Deus, primũ de eius statu scribit, an-

bit, antequam mundus fieret. Deinde quid in ipsa egerit mundi conditione, ait enim: Omnia per ipsum facta fuisse, quod etiã Alcuinus adnotauit. Hæc expositio supradictæ non repugnat, dummodo non negemus tribus primis propositionibus versus primi, de eius æternitate, ac natura distinctioneque actum esse ante statum, de quo v. 2. agere incipit.

3. *Vox illa, Per, quanta excitauerit tragedia inter Catholicos & hæreticos.*

Est autem diligenter obseruanda vox illa, *Per*, quæ innumerabiles tragœdias Catholicos inter & hæreticos excitauit, cõtendebant Ariani *Per* instrumentum significare, ac ministrum esse innuere: Contra respondebant Catholici in scripturis *Per*, nõ semper significare causam instrumentariam, sed interdum principalem, nam 1. Corinth. 1. dici, *fidelis Deus per quem vocati estis*, & iterum, *Paulus vocatus Apostolus* IESV *Christi per voluntatem Dei*, 1. & 2. Corint. 1. Ad hæc Galat. 4. 7. *Si filius, & hæres per Deum.* Valentinus hæreticus, ex Orig. affirmabat, *per ipsum*, significare filium præstitisse Patri causam, cur mundum fabricaret. Affirmandum breuiter est, non significare instrumentum, sed causam principalem, significat enim Verbum filium simul cum Patre operari. Vsus est hac dicẽdi formula potius, quàm illa: *filius* vel *verbum omnia fecit*; quo videlicet ostenderet Patrẽ omnia cum illo fecisse, & interim declararet virtutem, & actionem creandi omnem à Patre filium accepisse. hęc compendio, nunc vberiùs & distinctius.

4. Trifariam explicari potest Patrẽ per ipsum verbum omnia fecisse, & primum quidem, quia omnia Pater fecit per suam potentiam, sapiẽtiam & imperium, quæ verbo appropriantur. Paulus enim 1. Cor. 1. 24. vocat Christum
5. Dei virtutem, & Dei sapientiam; hoc tamen ita accipiendum est, vt non intelligas propterea sapientiam Patris, quæ est Filius, esse Patri rationem formalem operationis suæ, perinde ac in humanis sapientia & ars est ratio formalis
6. Artifici condendorum operum: Sic enim ipsa sapientia, quæ est ipsemet Pater, est ratio Patri suæ operationis. Deinde (& est alter modus) quia virtutem operãdi sicut & essentiam Filius habet à Patre. Qua in re cernitur similitudo quædam instrumenti: quod accipit virtutem ab alio, estque mediatio quædam, vt sic dixerim inter ipsum effectum, & agens. Eodem enim modo Filius accepit virtutem à Patre per originem, & mediat inter Patrem & Creaturas. Sic Clemen. orat. exhort. ad gentes, forsan imitatus Philonem lib. de opif. vocat Filium, Patris *instrumentum*; quamuis impropriè id dictum sit. Interest enim plurimum inter instrumentum propriè ac *Verbum*: Illud enim non plane eãdem virtutem accipit ab agente: & præterea ita mediat, vt primum agens, non sit immediata causa effectus: at Verbum eandem prorsus virtutem & actionem accipit à Patre, & mediatio illius per originem tantum est, quæ non tollit causæ immediationem, hoc est, quin Pater sit immediata causa. quare cum Pater simul cum Filio omnia operetur, & Filius non sit natura à Patre diuersa, eque Pater ac Filius causa sunt rerum omnium immediata, & primaria. Hoc verò posteriori modo non appropriatè, sed propriè per Verbum omnia facta dicuntur.

A Postremò, (& est tertius modus) dicitur per verbum Pater omnia fecisse, quia illud est causa exemplaris rerum factarum, nõ verò etiam operantis Patris; neque enim quid accipit Pater à Filio. Tantum ergo ex parte rerum factarum causa est exemplaris. Nam licet verbum dici possit Patri exemplar rerum factarum, nõ tamen potest dici ipsi causa exemplaris rerum factarum, cum nihil, vt dixi, ab illo Pater accipiat. Propterea inquit Gaietan. Ioannes potius dixit: *Omnia per ipsum facta sunt*, quam *Pater omnia fecit per ipsum*. His igitur de causis Ioannes hic loqui voluit, Omnia *per ipsum* facta sunt, non autem *ab ipso*, vel *cum ipso* omnia facta sunt, atque adeò licet vera sit expositio Cyrilli interpretantis *per ipsum* esse dictum, pro *ab ipso*, sicut 1. Corint. 1. 9. habet Paulus, fi-
B delis Deus per quem, id est, à quo vocati estis. Non est tamen id ad mentem Ioannis omninò, cum multo plura significare voluerit.

7. Neque verò ab hac rerum creatione Sanctissimus ille spiritus excludẽdus est, cum sit virtus etiam, & bonitas Patris, per quam omnia condita sunt. Cauendi hic sunt interim duo Orig. errores (nisi falsò ipsi asscribantur) tract. 2. in Ioan. ex hac quippe particula, *Omnia per ipsum*, malè colligit, & filium patre inferiorẽ, ac instrumentum esse; & Spiritum sanctum esse verbi facturam, quorum vtrumque impium est.

8. Postremo per hæc verba declaratur, omnia ex nihilo à Deo esse condita. Scribit enim Ioann. Omnia per ipsum esse facta, non ergo ex materia; nam ipsam quoque ab illo factam oportuit saltem prius ex nihilo. Et hoc idem
C non obscurè indicauit Moyses in initio Gen. cum nullam ibi materiæ mentionem fecerit, sed tantum factoris, facti, & per quod factum est; quorum hic fit expressa mentio.

THEORIA IX.

Super illa verba: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.*

9. DVplex est lectio prima ferè Latinorum. Ambros. 3. de fide 3. Aug. hic Tertul. lib. contra Hermog. Cypr. lib. 2. quæst. Iud. cap. 3. est & quorundam Græcorum, Atha. sæpè Cyril. l. 1. in Ioan. c. 5. 6. & Nazianz. in orat. de fide, vt sit ibi distinctio; *& sine ipso factum est nihil.* sequentia verò cum sequentibus cõnectantur:
D *quod factum est in ipso vita erat*. nec valet ergo Spiritus sanctus à filio factus est, semper enim intelligitur factor excipi: sicut etiam cum Paulus ad Coloss. 1. scribit: omnia per ipsum, & in ipso condita sunt. pro hac lectione facit modus loquẽdi, quem hic Ioannes vsurpare solet, vt scilicet inchoet sequentem clausulam repetitis postremis verbis præcedentis.

Sed præstat sensum respicere, qui magis accommodatus videatur ad mentem Ioannis, & magis faciat cõtra hæreses. Altera igitur lectio est Chrysost. hom. 4. in Ioan. *Sine ipso factum est nihil quod factum est*, vt hic absoluat Ioan. mẽbrum, vel clausulam. Chrys. in commentarijs sequitur Theophyl. quibus subscribens Euthymius rationem reddit, cur prior lectio non sit recipienda; quia qui Spiritui sancto resistunt, sic legunt: *sine ipso factum est nihil*, &

hic si-

hic sistunt, deinde subdunt, *quod factum est in ipso vita erat:* vt Spiritum sanctum factũ esse demonstrent. Cęterùm licet hi videantur nota hæreseos insimulare eos, qui ita legunt, intelligendum est, vt habet Sixtus Senens. lib. 6. Biblicar. annot. 173. eos loqui de illis, qui eo fine id faciunt, vt Spiritus sancti diuinitatem negent, eandem lectionem sequitur Irenæ. lib. 3. quæst. hæres. 11. Nazianz. orat. 5. de Theologia, & Hierony. Amos 6. Itaque Græci ferè sic legunt; *sine ipso factum est nihil quod factum est*, & hic sistunt, videturque melior lectio, qua faciliùs occurritur argumento contra Spiritum sanctum. non enim simpliciter dicũtur à Verbo omnia facta, sed *omnia quæ facta sunt*, atqui Spiritus sanctus non est factus, & quidem meo iudicio etiam hinc conuincuntur Arriani, nam si nihil eorum, quæ facta sunt, sine illo factum est, non est ergo Dei Filius factus, alioquin per se factus esset, neq; enim est verbum verbi, vnum enim prædicat Ioannes Verbum, quod si Verbum verbi dari contendas, ipsum dico ego, inquit Augustinus Filium Dei.

3.

Iam perpendamus sensum huius clausulæ, & in primis vocem illam, *nihil*; Græcè οὐδὲ ἕν, id est, *nec vnum*. est ergo Græcè sine ipso factum est. *nec vnum quod factum est*. Videtur Hebr. phrasis ad exprimendam vniuersitatem, sic dicitur Psal. 138. 16. dies formabuntur, & nemo in eis, Hebr. *& non vnus in eis*, quasi dicat, ne vnus quidem erit dies, qui non sit scriptus in libro tuo; 1. Machab. 7. non est relictus ex eis nec vnus, ita hic Aug. tract. primo in Ioan. tropologicè potius, peccatum intelligit, per *nihil*, quod reprehendere videtur Hieron. in cap. 2. Micheæ. Sed literalem sensum habet Aug. lib. de nat. boni contra Manichęos c. 25. hunc enim esse sensum affirmat, nimirum, quidquid est factum nõ absque eo factum est, vel, nihil eorum, quæ subsistunt in rebus conditis, sine eo factum est, vt idem hoc significet negatiuè, quod superius dixerat affirmatiuè, omnia per ipsum facta sunt. Addidit autem negatiuam, quia interdum per *omnia* non excluduntur singula, vt cùm dicimus, *omnes quærunt, quæ sua sunt*. Itaque, *nihil*, negatiuè sumitur, non positiuè, scilicet pro diabolo, vt quidam Catholici videntur interpretari, nec pro peccato sumi debet propriè.

4.

5.

6. *Diabolus quomodo non à verbo creatus & quo sensu.*

Cùm autem quidam Catholici aiunt diabolum sine ipso factum esse, intellige ex Orig tom. 2. non secundùm substantiam, sed quatenus diabolus est, ratione peruersitatis, scilic. & malitiæ, sic intellige Basil. hom. quod non sit Deus auctor malorum, multò etiam minus exponemus cum Manichæis, *Nihil*, id est, visibilem hunc mundum, quem non à Deo, sed à diabolo impij affirmabant esse factum, vt habet Aug. l. de nat. boni. c. 75. Hæ omnes expositiones sunt affirmatiuæ, nec textui cõformes. D. etiam Chrys. vt habes apud D. Thom. scribit additam esse negatiuam, ne aliquis legens initium Geneseos, ac deprehendens solum visibilia à Moyse numerata esse in conditione rerum, crederet illa tantùm facta esse per verbũ, propterea Ioan. non contentum dixisse *omnia per ipsum esse facta*, quod intelligi poterat de enumeratis à Moyse, adiecit: *& sine ipse factum est nihil*, quasi dicat, nihil, siue sub sensum cadat, siue non, factum est sine vẽrbo, quod Apostolus docuit ad Coloss. 1. 16. dum scripsit: Omnia condita esse in Christo, siue visibilia, siue inuisibilia.

A

Hilar. lib. 2. de Trinit. vult ideò adiectam hanc particulam, vt ostendatur, quod verbum virtutem habeat rerum productiuam ab alio, vt & operari. Poterat enim quis cùm legeret; *Omnia per ipsum facta sunt*, suspicari Patrem excludi ab hac caussalitate: ob id subiecit Ioan. *& sine ipso factum est nihil*, quasi dicat, sic per eum facta sunt omnia, vt tamen Pater cum illo omnia fecerit. Eam enim vim habet illud, *sine eo*, quã haberet si dixisset, non solus ipse omni alio excluso, est, per quem, & à quo facta sunt omnia, vel, (quod idem est) sine ipso, scil. cum alio operante factum est nihil.

7.

B

D. Thom. sequentẽ laudans expositionẽ Orig. ho. 2. in diuer. dicit: ipsũ obseruasse, quod in græco, vbi nos habemus *sine ipso*, græcè legitur, χωρὶς αὐτοῦ, id est, *extra ipsum*, vt sit sensus: ita omnia per ipsum facta sunt, vt extra ipsum factum sit nihil. Quod ideò dicit, vt declaret per verbum, & in verbo omnia conseruari iuxtà illud Apost. ad Heb. 1. portans omnia verbo virtutis suæ. Sunt enim quædam, quæ non indigent effectore; nisi cùm fiunt, sicut domus non eget artifice, vbi iam semel constructa est. Ne ergo quis putaret omnia per verbum ita esse facta, vt non egeant eius ope, vbi semel facta sunt; Subiecit illicò; & sine ipso factum est nihil. hoc est, nihil factum est extra ipsum, vel, nihil factum est, quod non sit in ipso; quo ostendit Ioannes, Verbum non solũ omnia fecisse, sed omnia item cõtinere, & conseruare. Ambit enim omnia conseruans ea; egent namque eo, vt conseruentur, alioquin peritura, ruituraque in pristinum nihil. Addit Orig. melius rem explicari per *extra*, quam *sine*, quia, inquit, dum quis audiuit, *sine ipso*, potest putare sine ipsius consilio, vel adiutorio ac per hoc non totũ, nec omnia illi distribuit. audiẽs verò *extra*, nihil omnino illi relinquit, quod in ipso, & per ipsum factum non sit, quomodo etiam Dominus dixit discipulis suis Ioan. 15. ὅτι χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν, extra me nihil potestis facere.

8.

C

Sed hoc Orig. non concesserim, melius per *extra*, quam per, *sine*, explicari Euangelistæ mentem; verum enim loci sensum clarius expresit interpres per, *sine ipso*, quam si dixisset, *extra ipsum*; neque verò intelligi potest, *sine ipso*, id est, *eius consilio & ope*, cui enim consuleret, vel quem adiuuaret, si mundi molitionem solus Deus præcesserat? quod si omnia fecit, & quidem ex nihilo, & sine ipso factum est nihil, rerum omnium principium est, nõ modò ergo facta sunt omnia ab illo, sed & conseruari necesse est, cùm omninò ab illo sint, & de se nihil esse constet, ex eo ergo, quod sine ipso factum est nihil, & conseruatio insinuatur.

9.

D

Ex his Patrum sententijs enumerare, atque intelligere possumus caussas, quam ob rem addita fuerit hæc clausula à Ioann. nimirum ad ostendendum, Verbum vniuersim omnium esse caussam; ex Chrys. Ad indicandũ simul cũ Patre ipsum operatũ esse omnia; ex sententia

10.

Digitized by Google

Hilar. ad declarandam virtutem verbi in conseruandis rebus omnibus conditis iuxtà Orig. Deniq; secundum tropologicum sensum Augustini: ad inuendum ita esse omnium causam bonorum, vt nullius peccati auctor sit, nos etiam cum alijs alias adiecimus causas, quas nihil est opus repetere.

II. Sed reuertamur ad tropologicam August. intelligentiam, videtur enim Augustini expositio, dicet aliquis, detrahere de omnipotentia Dei, nam quomodo omnipotentem cogitabimus Deum, si non potest peccatum facere? sed facilè occurritur dubitationi ex Augustini li. 1. contra Iul. cap. 8. non posse auctorem habere quod nihil est; quod veluti declarans Boët lib. 4. de consol. prosa vltim. scribit; Deum esse omnium potentem nemo dubitarit, qui verò est omnium potens nihil est, quod non possit, malum igitur nihil est, cùm id facere ille non possit, qui nihil non potest, paucis igitur respondeo, peccare non potentiæ tribuendum est, sed imbecillitati, sed defectui. Neque est quidquam potenter facere, sed impotenter deficere. In Deum autē nullus cadere potest defectus, qualiter autem impotentia sit peccare, & potentia non posse peccare, declarat August. lib. 5. de Ciu. c. 10. Propterea, inquit, Deus quędam non potest, quia omnipotens est. Non minuitur eius potestas cùm dicitur mori, fallique non posse, sic enim hoc non potest, vt potius si posset: minoris esset potestatis. hæc ille. Idem de potentia peccandi sentiendum, meritò sanè possunt quidem homines mala, sed hoc posse, clarè eos nihil posse demōstrat. Nam si malū nihil est, cum mala possint, nihil posse improbos liquet, lege Boët. lib. 4. de consol. prosa 2.

Deus non pò test peccaū facere, & tamen est omnipotens.

12.

13. Iterum quæres, num per verbum factæ sint priuationes? Respon. Isaiam cap. 45. 7. id affirmare cum inducat Deum sic loquentem: Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras: at tenebras priuationem esse lucis nemo abnuat. Igitur Deus quarundam rerum priuationes decenter facit, vt ait Augustinus libro de natura boni, cap. 16. sicut rerum perfectus Artifex. facit autem eo modo, quo fieri possunt, nec tamen auctor est peccati, quia peccati priuatio culpa est, ad quam perpetrandam concursus causæ secundæ moralis necessarius est, quæ est sola creatura intellectualis, Deus causa naturalis est, & vniuersalis, quippè qui liberrime, per modum tamen causæ naturalis suum præbeat influxum actioni necessarium, & debitum naturæ; ideò in hominem non in Deum culpa refunditur. Sed vrgebis adhuc, nihil, auctorem habere non potest, atqui priuatio nihil est, igitur. in promptu est solutio, per se quidem propriè, ac reipsa authorem non habere priuationem, potest habere eo modo quo fit, scilicet prout consequitur rem, quæ per se fit, vel actionem ipsam. Igitur sensus Ioannis hic est, nulla res, quæ facta est, sine ipso facta est.

Deus an possit facere priuationes.

A

B

C

D

THEORIA X.

Vbi expenduntur illa verba: *In ipso vita erat.*

IN primis excludenda hic videtur lectio eorum, qui *rò in ipso*, referunt ad præcedentia, videlicet; *sine ipso factum est nihil*, quod *factum est in ipso*, & hic sistunt: deinde, nouam sententiam inchoant; *Vita erat*, &c. Sic Hilar. libr. 2. de Trinitat. vt illi tribuit Tole. exponit autem in ipso, id est, per ipsum, ne quis audiens, sine ipso, putet nihil factum esse sine verbo, tanquam sine causa sine qua non. Ideò additum vult, sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso, id est, per ipsum, tanquam per causam efficientem. Illa verò, vita erat, vult esse causam, cur sine eo factum nihil, quod factum est in ipso. eandem lectionem sequitur Epiphan. in Anchorato. 1.

At Orig. t. 3. & Athanas. de vnit. Trinitat. substant. libr. 3. de assumpt. hominis coniungunt quidem vocem, In ipso, cum eò, quod factum est, hoc modo: quod factum est in ipso; sed postea subdunt, vita erat, & hic absoluunt sententiā: Non tamen cum Macedonio intelligūt Spiritum sanctum esse factum. Macedoniani enim per vitam Spiritum sanctum interpretabantur, quem dicebant esse factum in ipso, id est, per filium, & hic à Ioan. id significari. sed sensum esse volunt, quod factum est per ipsum, vita est, sed inde videtur sequi omnia, etiam lapides viuere, sicut omnia per ipsum facta sunt, si de vita naturali intelligas; quod est sentire cum Manichæis: Si verò loquaris de vita spirituali, etiam falsum est, sic August. argumentatur hic tract. primo in Ioannem, & libr. 5. de Gen. ad litteram cap. 14. opinor Athanas. significare voluisse in ipso seu per ipsum vitam esse factam, scilicet spiritualem, & eodem modo loqui arbitror Orig. de qua vita spirituali intelligit Ambros. lib. 3. fidei cap. 3. & in Psal. 36. cum sic exponit, quod factum est in ipso, id est, Christo seu verbo, vita erat. facta sunt autem in Christo caro, passio, mors, &c. quæ omnia Vita sunt hominum, refert autem ibi Ambr. sic obiecisse Manichæos; si quod in ipso factum est, vita est, est ergo aliquid, quod in ipso factum non sit, & Mors sit: vt duo impiè inducant principia. 2.

Macedonia norum error.

Diuus Augustinus, qui connectit, *in ipso*, cum sequentibus vult *omnia quæ facta sunt esse in ipso Vitam*, nam res omnes in Deo contineri, ait, ratione, scilicet, Idearum, quæ sunt ipsa substantia, ac proinde Dei vita. Itaq; August, sic legit; *quod factum est*, & ibi comma statuit; tum subdit: *In ipso vita erat*, & hic sistit, quare lib. 75. quæst. q. 26. de matutina cognitione loquens, vt indicet melius creaturas videri in Deo, & in arte sua, quam in seipsis, affert hanc sententiam Ioannis quod factum est, in ipso Vita erat, subdit: *Omnia ergo, quæ facta sunt, & vitam non habent, in ipso verbo Dei vita sunt, in se ipsis vita non sunt*, hinc infert, *ac per hoc plus videntur ab Angelis Sanctis in verbo Dei vbi sunt vita, quā in se ipsis*, quod fusiùs docet hic tract. 1. in Ioan. in hæc verba, quod factum est, in ipso vita erat. Vbi contra Manichæos probat, lapidem 3.

non

non viuere, vt ipse dicebat, deceptus verbis Ioannis, sed viuere Ideam lapidis, quæ est ipse Deus, hoc igitur modo dicit res in Deo multo meliùs esse, nimirum, quia illarum Idea quid melius est.

4. *Res in Deo contineri quid sit.*

Vt igitur res hæc presiùs intelligatur, declarandum erit, quid sit res contineri in Deo eminenter, quid obiectiouè, & denique quidnam Idea sit, vt hunc locũ secundùm Augustini expositionem penetremus, nec taciti prætereamus, est enim Celebris hæc Augustini interpretatio, & ore omnium trita. Obseruandum igitur trifariam contineri res in causa, vel in re aliqua eminenter. Primùm quidem cum vna causa potest facere quidquid facit alia causa, & aliquid prætereà aliud; qua ratione, anima intellectiua dici potest continere eminenter vegetantem, & sentientem animam, non quia possit eas producere, sed quia possit efficere quidquid illæ efficiunt, & aliquid prætereà aliud. est alter modus continendi rem eminenter, cùm scil. effectus cõtinetur in esse nobiliori, quod est productiuum illius effectus, quomodo calor continetur in luce, habet enim lux vim generandi calorem, iuxtà quem modum dicitur interdum Deus esse homo, leo, &c. Denique cum vnum aliquid alterius perfectionem continet secluſa imperfectione, quomodo res aliqua præstantior continet perfectionem inferiorem formaliter, vt aiunt, secundùm conceptum abstractum, sed non secundùm adæquatam rationem, sicut dicuntur contineri eminenter in Deo perfectiones creatæ dictæ à Theologis *simpliciter simplices*, cuiusmodi quidem est perfectio substantiæ, Sapientiæ, &c. quæ quidem proportione similes sunt in Creaturis, qua de re lege Franciscum Suarez, in sexto opusc. de Iustit. sect. prima, numer. 20. 25. tom. 1. suæ Met. dist. 30. sect. prima, num. 12. hic tertius modus præcisè non secum affert causalitatem, nam intellectiuum in Angelo præstantiùs est, quàm sit in homine, non tamen inde efficitur Angelum esse causam hominis, quod si in Deo id concedendum est, nascitur ex infinita eius eminentia.

Trifariam res in causa continetur.

5. Eminenter ergò Deum continere omnes res, est in vna simplici perfectione hos tres eminentialis continentiæ modos complecti, quatenùs nimirum Creatrix illa Dei essentia se sola, & sua eminenti virtute potest omnia efficere, quæ res creatæ, vel creabiles possunt; & quatenus in eadem eminenti virtute præhabet omnia, quæ fieri possunt, quorum effectiua causa est. 6. Denique quatenus omnes in se, citra omnem Imperfectionẽ, perfectiones perfectissimè claudit. Sed obseruandum est, longè perfectius esse eminenter in Deo creatas perfectiones, quam esse dicantur eminenter perfectiones effectiuè in suis causis æquiuocis creatis v. g. in Cœlo, nam hæ causæ non possunt solę efficere quidquid res ab ipsis productæ possunt effectiuè præstare, nec possunt per se solæ attingere quidquid est in effectu; at Deus eo quòd est infinitus, ac proinde debet omni modo possibili continere perfectiones omnes, eatenus etiam perfectiones eiusmodi rerum creatarum continet, vt possit se solo facere quidquid illæ possunt effectiuè, vnde fit Deum cum tota simul rerum vniuersitate, non esse intensiuè aliquid perfectius, quam sit ipse solus, licet aggregatum ex Deo, & hac vniuersitate possit dici quid perfectius extensiuè, quod fortè voluit Dur. 1. dist. 44. quæst. 3. perfectiones ergo omnium Creaturarum, quatenus sunt eminenter in Deo, nihil aliud sunt, quàm ipsamet Creatrix essentia Dei, vt habet Augustin. libr. 4. de Gen. ad lit. cap. 24. & sequentibus, & lib. 4. de Trinit. ab initio, & tract. primo in Ioan. Anselm. in Monol. cap. 34. & 35. in Prosol. cap. decimoseptimo, atque adeò vita sunt, vt verum sit ex August. sententia, *Quod factum est, in ipso vita erat*, ac melius esse in Deo, & perfectius cognosci, non quod melius cognoscatur propria earũm natura, sed quod hoc modo melius *esse*, & perfectius habeant, quàm in seipsis, & proinde, vt sunt quid perfectius, cognoscantur.

7. *Obiectiuè in Deo contineri quid sit.*

Sequitur vt declaremus quid sit *obiectiuè* contineri in Deo. Res igitur creatæ secundùm esse suum proprium dicuntur esse obiectiuè in Deo, quandoquidem illud dicitur esse obiectiuè in aliquo, quod est terminus eius actionis, sicut paries dicitur terminus, atque adeò obiectum meæ visionis. Tribus autem modis sunt in Deo res obiectiuè. Primùm vt in producente, atque hoc modo dicuntur esse in eius potentia, quatenus eius productionem terminant. Psalm. 94. *In manu eius sunt omnes fines Terræ*, quod etiam ad conseruationem spectat. Secundò, dicuntur esse vt in cognoscente, ad Hebreos quarto: *Omnia nuda & aperta sunt oculis eius*. Tertiò, vt in conseruante, & ita dicuntur esse in voluntate eius. Psalm. 29. 6. *Vita in voluntate eius.* His modis dicuntur esse res obiectiuè in Deo, secundùm suum esse materiale, vel creatum, vt autem ita sint, nascitur ex eminenti eius essentia continente omnia virtute; hinc enim fit quod omnia cognoscat, efficiat, gubernet: hoc ergo modo non sunt creaturæ omnes vita in Deo, nec hoc modo intellecta vera est: sententia August. nec sic ille intellexit.

8. *Idea in Deo quid sit.*

Tertiò, ex his facilè est intelligere quid sit *Idea* in Deo. Est ergò Idea illa notitia, seu conceptus formalis, quem habet Deus de vnaquaque re facienda, quod est secundùm Dionys. cap. 5. de Diuin. nom. & Augustin. 11. de Ciuit. cap. vigesimonono, & lib. sexagesimo quinto, quæst. q. 26. & 5. de Gen. ad litt. cap. decimotertio, vt vocat Ideas *Diuinas incõmutabiles, æternasque rationes*, & statim, cap. 14. subdit ob illas dictum esse, Omnia quæ facta sunt in Deo viuere, scilicet in Dei cognitione, lege hac de re fusiùs disputantem Franciscum Suarez, distin. 25. Met. sect. 1. Nos enim carptim, summatimque hæc tantum attingimus: Deus igitur cognoscendo in sua essentia Creaturas format, vt more nostro loquamur, rationes seu conceptus formales earum, per quos illas directè cognoscit, etiam secundum suum proprium esse, quod habent, quod idem Francisc. Suar. docet dist. 39. Met. sect. 15. licet non aliter cognoscat quam vt secundaria obiecta suæ scientiæ. Cæterùm non

posset ita cognoscere, nisi contineret eo modo, quo declaratum est eminenter in se creaturas, tanquam in caussa; cognoscēdo namque, ac penetrando hanc eminentem virtutem, & caussalitatem, cognoscit in se creaturas etiam secundùm illud esse propriù quod habēt, tanquam secundaria obiecta, atque adeò cognoscendo, efformat earum Ideas, & exemplaria.

9. *Dei scientia perfectissima.* Quoniam verò eius scientia est perfectissima cognoscēdo Creaturas, & efformando exemplaria earum, cognoscit etiā in seipso conceptum illum, qui modo quodam intelligibili repræsentat Creaturas, quod est cognoscere in se exemplaria Creaturarum: ita vt intelligamus nostro intelligendi modo, prius esse ipsa formalia exēplaria, & deinde cognosci, ac si esset in Deo actus reflexus, cum tamen re vera non sit, nisi actus vnus. quare *esse cognitum* non constituit vniuersim loquendo rationē exemplaris, sed intelligit, supponitq; illam, & summū potest esse conditio necessaria, vt causset. Porrò ratione Idearum propriissimè dicūtur esse in Deo Creaturæ, ibi viuere, ibi melius esse, & perfectiùs in illis, & per illas cognosci, & hoc modo præsertim loquitur August. cum affirmat Creaturam esse in Deo vitam: ex quibus apparet quantū delirauit VVicleph. contendēs propter esse quod Creaturę habēt in Deo, quamlibet esse & dici posse Deum. Vide quæ scribat Thom. Valdensis lib. 1. Doctrinalis fidei antiquæ à cap. 1. ad 6. Paucis ergò colligendo, quæ diximus, Creaturæ secundū suū proprium esse dicuntur, obiectiuè tantum, esse in Deo, & hoc modo nō sunt vita in Deo, neq; oēs in se viuūt: Nec hoc modo loqtur August.

10. *Creaturæ quomodo in Deo.* quatenus verò cōtinentur in essentia eminenter & causaliter, sunt in Deo ipsa essentia creatrix, ac proinde dicūtur in Deo viuere, meliùs ibi esse, & perfectiùs cognosci. Denique propriissimè ratione Idearum, quomodo præsertim loquitur August. dicūtur esse in Deo *vita*, vt declarat tract. 1. in Ioan. exponens, *quod factum est, in ipso vita erat*, quia quod factū est, in Deo habet rationem quæ vita est: Idque declarat exemplo Artificis, in cuius mente, vel arte, arca, quæ per se postmodum producta vita caret, quodammodo viuit, nam viuit anima artificis. Appellat autem vitā in artifice, quia est opus vitæ, in Deo autem, quia est ipse conceptus Dei, qui est vita per essentiam.

Vita quomodo in Deo.

11. Hæc ergo est expositio Augustini, sed si hoc modo exponamus, tunc non eodem planè modo sumemus *vitam* in hoc membro & sequenti, quod videtur absurdum. deinde quia illa verba: *quod factum est*: ad præcedens membrum pertinent, vt hinc proinde sit opus inchoare hunc versum quartum. *In ipso vita erat*, non inde, *quod factum est, in ipso vita erat*; vt facit August. & ita non benè conuenit in hunc versum sententia Augustini, licet acuta, celebris, & vera.

12. Vera igitur lectio est, vt, *quod factum est*, ad præcedentia pertineat, tum sequatur versu 4. *In ipso vita erat*, tanquam noua sententia. Iam vberiùs hanc eandem propositionem interpretemur: ergo pergit hic Ioan. declarare efficacitatem opera verbi. Vbi igitur exposuit Creationem rerum, progreditur iam ad ea, quæ ad restituendum hominem lapsum per peccatum pertinent, nimirum vt sit tandem reuocatus ad vitam per istud ipsum verbum quod condidit omnia. Est ergo hæc sententia Ioannis, Deus Pater non modo per verbum molitus est mundum, verumetiam in eodem spiritualem, Cœlestemque, atque adeò æternam vitam ab æterno decreuit operari; quippè homo per peccatum in mortem inciderat, totusque quodammodo mundus cum illo, in quo & continebatur, in mortem inciderat. Decreuit igitur Deus vitam homini conferre in eodem verbo, vt in eodem cuncta cum homine vitam reciperent, quam rem videtur Ioannes, epist. 1. cap. 5. 11. significasse dum scribit: *Vitam æternam dedit nobis Pater, & hæc in filio eius est*; ac si diceret: Vitæ huius fons & origo filius est. Sed non est silentio prætereundum, quamobrem potius dixerit Ioan. *In ipso* vitam esse, & non *per ipsum* sicut superiùs locutus fuerat: *omnia per ipsum facta sunt*. Non vna est caussa: primùm, vt hac diuersa loquendi formula verbi nobis œconomiam insinuaret, hoc est, susciendæ carnis mysterium, per hanc enim ipso inexistentem & Deitati coniunctam vitam haurimus. Deinde, quoniam de hominum vita verba faciebat, quæ in ipso erat, & continebatur (auctor enim & caussa vitæ verbum est caro factum) ac proinde ante Mundi etiam constitutionem nostra vita in illo posita & clausa erat æterno Dei decreto, quoniam inquam, de verbi ipsius vita non erat ei sermo, sed de nostra, eaque spirituali; ideò non affirmat ipsum esse vitā, nec per ipsum. Nam si ipsum dixisset vitam, essentialem eius intellexisses. Si *per ipsum*, vt prius locutus fuerat, facilè intellexisses de naturali rerum creatarum vita loqui eum, nec carnem cogitasses illam, per quam eramus vitam recepturi. Iam verò, cùm dicit *in ipso*, insinuat veluti latentem, & concluſam vitam in eo positam esse, ratione, scilicet carnis æterno Dei decreto assumendæ.

13.

14. Duo autem innuit vox, *Erat*, & antiquum Dei consilium ad hominem restituendum in vitam, & conseruandum, idque etiam ante orbem conditum: & iterum insinuat datam esse vitam ab ipso mundi initio hominibus in verbo ante assumptam Carnem, nimirum per fidem Christi venturi. Consueuit autem Ioan. non rarò in Epistolis suis has voces vsurpare, *verbum vitæ, vitam æternam, vitam*, cum, scil. loquitur de vita per Christum in homines collata, vt non mirum sit, si hic asserat, vitam nostram in ipso fuisse.

15. Postremò nomen, *Vita* sumitur hic, sicuti sumitur *Salus*, Actorum 4. 12. *Non est in aliquo alio salus*, pro *caussa salutis*, q. d. non est alius caussa salutis; Ita hic nomine *vitæ*, auctorem, causamque vitæ intelligere debemus. Cæterùm hac dicendi formula nomine caussæ effectus ipse intelligendus est, id est, vita spiritualis, quàm à verbo, quod est eius auctor habemus, quamuis is effectus nomine caussæ significetur, quibus omnibus fit, hic de vita spirituali hominum, vt vel etiam Athan. intellexit, loquutum esse D. Ioannem.

THEO-

THEORIA XI.

Et vita erat lux hominum.

1. HIc mihi eorum placet opinio, qui affirmant eiusdem verbi alium nunc effectũ explicari, nam ab illo processit esse rerum, ab illo vita, & ab eodem lux est. perinde ergo est, *& vita erat*, &c. ac Verbum, in quo vita erat, sese hominibus insinuasse ante aduẽtum suũ veluti fulgentes à se radios emittens, vt vel ita ab hominibus per fidem agnosceretur, vt eo agnito per hanc fidei illustrationem vitam illam assequerẽtur; dum ergo alium verbi effectum indicat, docet, quod vitã efficiat, & per quem modum eam efficiat.

2. Potest autem bifariam hic accipi *vita*, vel pro spirituali, quomodo Maldon. ait, D. Ioannem docere hic, qua ratione vitã nobis conferat; scil. illuminãdo: vt sit sensus: *vita erat lux hominum*, hoc est, hęc vita in illuminatione hominum posita est, per quam assequimur hanc vitam, ita vt genitiuus, *hominum*, passiuè sumatur, id est, qua homines illustrantur. Tol. verò, pro *verbo* ipso, quod est auctor vitæ spiritualis, quam per eius illustrationem assequimur, contendit sumendam esse vocem *vita*, quare obseruat, quod cùm prius dixisset *in ipso vita erat*, nunc in recto dicit, *Vita erat*, quasi dicat vita. i. auctor ipse vitę, vel verbũ, erat lux hominum, illustrauitq; semper luce spirituali fidei ab initio homines. Mihi tamen verior videtur sententia Maldon. non enim mihi fit verisimile, vt æquiuocè vsurparit *vitam* Ioã. vno, eodemque versu. Nec refert, quod alio modo loquatur, nam non poterat explicare tam benè, quomodo assequantur homines illam vitam, nisi dicendo, quod vita illa (quæ scil. in ipso erat) per fidei illustrationem ab hominibus participaretur, vt vides includi, etiam hic priorem loquendi modum, quem vsurparat Ioan. cùm dixit, *In ipso vita erat*, intelligitur enim, *& vita*, quæ sc. erat in ipso, hoc est, specialis, *erat lux hominum*, de eadem enim loquitur vita. nec iuuat alteram Toleti expositionem, quod Græcè priori loco, nomini ζωὴ, id est, vita, articulus non apponatur, apponatur verò posteriori, quasi quod priori loco de nostra, posteriori de ipsius verbi vita loquatur. Articulus enim referre tantum videtur vitam illã, de qua prius erat loquutus Ioan. innuit enim vitam illam, scil. non qualemcunque, sed quæ erat in verbo, & spiritualẽ, quamquam non semper additus articulus huiusmodi, mysterium continet.

3.

THEORIA XII.

Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

1. SVNT qui hæc verba intelligant de verbo ipso post aduentum assumpta iam carne, lucis suæ radios emittente: quia expositione facilè dissoluitur Origenis obiectio, cur verbũ superiori versu potius lux *hominum* dicatur, & non etiã *Angelorum*, Orig. enim, & Cyrill. qui de naturali luce loquutum Ioan. interpretabãtur, nõ benè possunt hunc nodũ dissoluere. At

A iuxtà horũ interpretationẽ facilè cum Chrysost. hom. 4. dicemus; Verbum ratione carnis non Angelorũ, sed hominum lucem dici debere, cum non Angeli, sed homines ab eo redempti sint, quorum ob id verbũ sumpta carne doctor, lux, vita dicitur. Mihi tamen non probatur hæc expositio. Arbitror enim nondũ cepisse Ioan. loqui de verbo ipso Carne velato, & ad hanc dubitationem responderi posse potius opinor, si dicamus: Ioannem loqui hic de verbo ante aduentum, quatenus aliquibus olim, qui tenebræ erant, affulserat, dispulsisq; tenebris, per lumen fidei (saltem implicitè) in eandem Christi futuri carnem, eos illustrarat; quamuis multi passim lucem eam non cõprehenderint. Deindè non erat, quod Angelorum mentionem faceret, cum de hominib⁹, & cum hominibus loqueretur. De eorum namque
B reparatione per verbũ loqui instituerat. Cæterùm, quia prima illa expositio est satis probabilis, eam breuiter (si quis velit illam sequi) exponam. Secundùm eam igitur affirmandum est, accipi debere hic *lucem* pro verbo, assumpta iam Carne, nobiscũ agente, nosq; illustrante, idem verò est, lucem in tenebris lucere, ac illud quòd Ioan. 1. epist. ca. 1. scripsit; *Vita æterna manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuncianus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Idem enim est, vitam esse manifestatam, vt huius interpretationis autores volunt, ac lucem in tenebris lucere, prius enim inquiunt hęc lux inuisibilis erat, sola fide cognita, at nunc assumpta carne aspectui nostro, & oculis facta est cõspicua. Porrò *in tenebris lucere*
C dicitur, quia Christus in mũdum veniens homines ignorãtes Deum, & à recto virtutis tramite aberrantes inuenit, quibus se doctorem veritatis exhibuit, ipsis etiã oculis spectabilem. Vnde consequutum est illud: *Populus qui ambulat in tenebris, &c.* Vocat igitur Ioan. tenebras, homines Deum, ac salutis semitas nescientes. dictum autem esse, volunt, *lucet*; ad significandum perennem illustrationem, q. d. lucet adhuc, vt & luxit, nec vnquam desinet per se, suosque administros tenebras nostras fugare, etiam cœlo nunc præsidens. & verè etiam tenebræ dicuntur non comprehendisse eam, id est, nõ percepisse hanc lucem: quia fuerunt inter homines, qui salutarem eius doctri-
D nam, sua ipsorum culpa, non receperunt: Ioan. 3. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Non tamen habet Ioan. nullas tenebras percepisse hanc lucem, sed aliquas tantum. Nam vt omnibus luceat hæc lux, sicut Sol omnibus expositus est, non tamen ab omnibus percipitur; sicut etiam sunt qui excludunt lucem hanc externam solis, vt qui claudunt oculos vel fenestras, vel sese in reconditas speluncas abdunt, ij minimè Solis luce perfruuntur; Vt vel hinc discas, aliud esse omnibus lucere quantum est ex se, aliud ab aliquibus non percipi. Hæc est expositio istorum probabilis quidem illa. Sed melior mihi videtur altera: Sermonem hic esse de verbo nondum assumpta Carne, id est, de verbo ante aduentum tantum, vt sit sensus: *lux in tenebris lucet*, hoc est, cùm lux hæc, scilicet verbum, in mundo, id est, inter tenebras lucere

2.

3.

Lux in tenebris quomodo lucere dicatur.

4.

Digitized by Google

soleat, semperque luceat, vt tenebris expulsis lumen homines videant, (vt Sol omnibus lucet, quia omnib⁹ expositus est, licet sint, qui solis radios excludant) mentes tamen hominum excæcatæ lucem hanc non receperunt. quare posteà versu sext. subdit; missum esse Ioannem q. d. cùm decreuisset lux mundo se spectabilem facere, vt vel hoc modo illuminaret omnes, *missus est Ioannes*, vt sic crederent in eam homines, cùm iam in propria venisset, scilicet ad mundum, vel ad Iudæos, de quo tandem aduentu versu 2. agit. Nam quia in mundo existentem lucem illam, homines non cognouerant, *in propria venit*, vt vel sic cognosceretur præmisso etiam Ioanne. Idem autem videtur esse, *lux in tenebris lucet* ac *in mundo erat*, volens omnes illuminare. Idem est, *eam tenebræ non comprehenderunt*, ac, *& mundus eum non cognouit*. Ex quibus patet loqui Ioannem de illuminatione ea, qua à principio Mundi semper luxit in tenebris: ac proinde rectè Augustinus, & Rupertus per *tenebras* mentes hominum peccatis obtenebratas intelligunt, aut ipsos etiam homines errorum caligine offusos, pro vt Paulus Ephes. 5. 8. de quibusdam dicit, *eratis aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino*. dicitur autem *lucet*, quia semper consueuit lucere, nec vnquam non luxit, occultis siquidem gratiæ suæ inspirationibus, aliisque mediis nunquam desinit peccatores collustrare, lege Salmer. Tom. secundo, tractat. decimoseptimo, ad vigesimum, vbi ostendit Verbum fuisse lucem Iudæorum, & Gentilium, etiam ante assumptam Carnem. Verum *tenebræ*, nimirum tenebrosæ hominum mentes, vel homines ipsi peccatis, & erroribus impliciti diuinam hanc lucem intellectu *non comprehenderunt*, hoc est, non cognouerunt eam, sed *euanuerunt in cogitationibus suis*, licet hoc de omnibus hominibus non intelligatur. Nam in Scholijs paulò aliter, sed benè etiã exposuimus illud, *lucet in tenebris*, id est, apta est lucere in tenebris, illis nimirum expulsis, quasi dicat, quantum est ex se: vide versum quintum. D. Bernard. libro quinto, de Considera. moribus hæc verba accommodat: *Videt*, inquit, *tenebras lux (hoc est impios) cui hoc est videre, quod lucere, sed non vicissim à tenebris videtur, quia tenebræ eam non comprehenderunt.*

Quid sit in tenebris lucere. 5.

Altera expositio, quid sit in tenebris lucere. 6.

7. Sed meritò quis dubitet non videri lucem, eodem modo hic versu quinto, atque superiùs versu quarto accipi, cum dictum est, *Vita erat lux hominum*, diximus enim ibi pro spirituali hominum illustratione sumi, id est, pro luce ipsa fidei, qua homines illustrantur. At hic non eodem modo sumitur, cùm dicitur *lux in tenebris lucet*, sicut nec versu septimo, octauo, nono, &cæt. Exposuimus enim per *lucem* Verbum intelligi debere, ergo æquiuocè vsurpatur vox lucis, quod tamen absurdum iudicauimus, cùm diximus *vitam* non debere sumi pro vita hominum spirituali vno in loco, & pro vita essentiali verbi, in altero sequenti, sed debere semper sumi pro spirituali, tam cùm dicitur, *in ipso vita erat*, quàm cum affirmatur, *& vita erat lux hominum*; sed ad hæc non est difficilè respondere; nam locus iste, vbi igitur de vita, rectè potest exponi sumendo eodem modo vitam. At locus in quo versamur, non potest æquè benè; neque enim cùm ait, *lux in tenebris lucet*, potest intelligi id de spirituali hominum illustratione. Ideò res postulat, vt de verbo ipso incarnando intelligatur, & meritò additum est hoc à Ioanne, quia aliquis potuisset conqueri, se non esse illuminatum, ac proinde se non assequutum vitam spiritualem, de qua dicitur, *Vita erat lux hominum*. Respondet tacitè hic Ioannes, suo cuiusque vitio id fieri, quia lux, scilicet Verbum, vnde procedit omnis hominum illustratio, per quam assequimur vitam, quod ad se attinet omnes illuminat, excludit neminem, ipsi se homines hoc beneficio priuant. 8.

THEORIA XIII.

Enodantur illa: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes.*

PROSTRATO Ebione, atque Cherinto, per ea quæ hactenus de verbi Diuinitate atque operibus dixerat, festinare videtur nunc Ioannes, ac veluti sensim delabi ad ea, quæ ad verbi œconomiam pertinent. Ait ergò hic de Ioanne, qui præcursor fuit Christi, missus vt Christo viam præpararet: sic autem ea quæ nunc dicit cum superioribus sunt connectenda. ostenderat superiùs tenebras non comprehendisse lucem, verbiq; Diuinitatem, suo vitio, nec in illud, vt venturum credidisse, quotusquisque enim erat qui illud agnosceret? Ait modò, Deum quod ad se attinebat, non intermisisse vnquam modos & rationes, quibus tenebræ, id est homines, vel cæcæ eorum mentes potuissent credere, sed cum hominum vitio res non succederet, decreuisse tandem exequi opportunè antiquum illud suum consilium benignitatis, ac immensæ dignationis plenissimum, nimirum, vt filius carnem nostram indueret, & sua iam præsentia tenebras abigeret, vel collustraret: vt quem prius non comprehenderamus præsentem, in Carne cerneremus, & vitam reciperemus; quare vt carne velatus agnosceretur, optimo ordine præmissus est Ioannes, qui propter insignem vitæ sanctitatem mundo admirandus de Christo testaretur, ipsum esse à Patre missum, in quem homines crederent, & illustrarentur. hoc ergo est, quod hic dicitur. Quamuis velit etiam hic Euangelista veritatem Euangelicam Diui Ioannis Baptistæ testimonio confirmare: erat enim celeberrimi nominis, ac proinde cum honore, ac laude eius meminit, præsertim cum Ioannes Baptista ea dixerit, quæ Christi diuinitatem, de qua hic egerat Euangelista, magnoperè confirmauerint. 1. *Cur præmissus Ioannes Baptista.* 2.

Nunc sigillatim expendamus singula. *Fuit homo*: Sensum huius locutionis exposuimus in Schol. numer. 9. Missus porrò à Deo, Ioannes est, cum primum in vtero est conceptus. Dicitur ergo *missus*, quasi Dei beneficio, ac munere datus hominibus, & concessus diuinitus mundo, non casu vel euentu aliquo editus in 3.

lucem.

lucem. Quare non est sententia loci huius, vt vult Diuus Chrysostom. hom. 5. fuit homo, vel factus est missus, quem sensum Chrysost. quidam recipiunt, vt excludant errorem etiam Orig. tom. 5. vbi sic infert. Si missus est ergo ex aliquo loco missus est, ergo præcesserat Ioann. ante quám in hunc mundum veniret. Arbitratus est. n. Orig. Ioan. esse Angelum ex Malach. 3. id est. *Ecce ego mitto Angelum meum*; quod reijcit Cyril. l. 1. c. 7. hunc sensum expositio Chrys. tollit; Nam non dicit Euangelista, quod cùm Ioan. factus est homo tunc est missus. Sed cùm esset homo factus, est missus, id est, institutus à Deo, vt testimonium ferret de Christo. Quare non est necesse quærere ex quo loco missus est, nihil enim ad rem; sed satis est, quòd cum prius non esset missus ad concionandum, posteà missus est, cùm scilicet factum est Verbum Domini super Ioannem.

4. Hæc expositio minus mihi probatur, quàm prior, quæ etiá Cyril. videtur l. 1. in Ioã. & procul dubio verior est, vt *factus* vel *fuit*, referatur ad *homo* non ad *missus est*. Est enim græcè ἐγένετο; factus est. per quod Verbum Dei distinguitur à Ioanne, tũ quia Euãgelista dixerat de verbo ἦν erat at de Ioanne ait, *factũ esse*, tum quia Verbum, Deum nominarat, Ioannem verò hominem appellat etiam sine articulo: ne si dixisset illũ hominẽ putaremus hominẽ esse assumpta tantũ carne, re vera angelũ. Excluditur & error Orig. cuius collectio nulla est, nã dicitur fuisse homo quidam, seu natus fuisse homo, missus à Deo, id est, Dei munere, mũdo cõcessus: quod factum est ex eo ipso, quo conceptus est. Quare etiam miraculo editus est, sterilibus, & consenescentibus parentibus, prænunciatus item ab Angelo. Hinc fit veriorem videri opinionem eorum, qui sentiunt Ioannem potius tunc missum hic dici cùm conceptus est, quã cùm missus est ad prædicandum, cùm sc. Dei instinctu, atque impulsu de penitioribus Heremi Iudææ partibus ad prædicandum processit.

5. *Apostolorum triplex genus.*

Missus. Notant aliqui eos, quos *Apostolos* vocamus, Petrũ Ioannẽ, & reliquos apud Euangelistas, fuisse Apostolos Christi, sab illo missos; Paulum, & Barnabá Spiritus S. Apostolos dici. Act. 13. 2. 4. Ioan. Baptistã verò patris; nam missus hic dicitur à Deo, & Apostolus *missus* dicitur, qua in re similis est Christo Ioan. 18. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mũdum, vt testimonium perhibeam veritati*, & de Ioann. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Nec vt alij Apostoli iam ætate maturi, sed ab vtero cœpit, nimirum ad hoc conditus, quare statim illuminare egressus est, tamquam lucerna sub modio exiistens (hoc est adhuc vtero matris clausus) matrem luce spiritali Prophetiæ; Vt & Patrem, quem etiam voce priuatum restituit loquelæ eius enim meritis hæc facta & sanctitate. Vt meritò *natus Apostolus* dici possit, & Ioann. 15. 5. *lucerna* iure nuncupetur; est enim missus, vt luceret alijs, lucernam namque accendimus, vt luceat alijs, & benè Ioanni *lucernæ*, similitudo competit; illa aliunde accipit lumen, & Ioannes à Christo vt ait Cyril. libro tertio, in Ioannem; eadem præsente Sole cessat, & Ioan. Christo prædicante. Vocat aũt Christus eũ non *lucernã* modo, sed illã lucernã

6. *Ioannis Baptistæ præstantia.*

A quod notat Cyril. vt ad Prophetas reuocaret Iudæos, id est, in memoriã reduceret vaticiniũ illud Psalmi centesimi trigesimi primi. *Parauí lucernam Christo meo.* Vt autem esset testis omni exceptione maior, innumeris donatus est à Deo charismatum donis, fuit Virgo, propheta, plusquam propheta, Patriarcha, hoc est, Heremitarum, & Religiosorum Pater, Apostolus, Christi Præcursor Doctor Ecclesiæ, Martyr insignis: Nec mirum, fuit enim veluti operum Dei epilogus quidam (longe tamen inferior quàm Christus, longeque aliter) Vt enim qui in librũ scribendo multa coniecit; sub finem paucis complectitur per epilogum Vniuersa quæ scripsit: Ita cùm Deus siue tempore legis naturæ, siue scriptæ, plurimos sanctos præmisisset, tanquam mundi lumina, ad extremum veluti illorum epilogum Baptistam condidit, cæterorum bona continentem. Quomodo idem Deus vbi cunctas initio molitus esset Creaturas cæteraque omnia creasset, quæ hac rerum vniuersitate continetur, ad extremum, hominem condidit reliquas omnes in se claudentem. Est ergo Ioannes velut Prophetarum, & legis epilogus; vt proinde non mirum sit, quòd Prophetæ & lex. Matth. 11. 13. vsque ad Ioannem esse dicantur. Nihil ergo illi deest in vlla gratia, non virginitas, non Prophetia, &c. 7.

Sed iam nomen eius consideremus, Ioannes] non frustra nomen adiecit, tum vt historiæ fides magis accederet: tum quod per Angelum à Deo datum illi esset id nominis, hoc verò maximè ad laudem eius faciebat cuius vsurus erat testimonio Euangelista ad ea, quæ vel dixerat, vel illi dicenda restabant, confirmanda de Christo, quod scilicet Deus, quod Messias esset: tum quod nomen hoc, non in quo est gratia, si vocem ipsam interpretari velis, sed Dei gratiam ipsam significat; vel certè gratiosum hominem; vnde factum est, vt suo ipse nomine Christi gratiam aduentasse Io. indicarit. Fit item hinc, adeò Diuinum, cœlestemque fuisse Ioannem, vt non nisi de cœlo nomen accipere debuerit; quo vel ita nomen ipsum adsimile esset rei. Porrò dicitur Ioannes *Dei gratia*, vt dixi, sic Hieronym. de nom. Heb. quod & Beda sequitur, & Rupertus, eodem modo exponit Orig. *Iehoua* enim & per Apocopen *Ieho*, vel *Io*, est nomen Dei, *Chen* verò est *gratia*, hinc *Iehochannes*, siue *Iochannes*, vel *Ioannes Dei gratia*, vel vt alij malunt, (Et eodem recidit, si rem ipsam ac sensum spectes) *Ioannes* est idem, quod *gratiosus*, nimirum totus quadammodo gratia erat, nam vt ferrum ignitum licet ferrum sit, quia tamen ita igne totum inuestitum & correptum est, solus vt in eo ignis appareat ferri natura prorsus abscondita, ignis meritò dicitur; Ita dicemus, quãuis Ioannes natura fuerit homo, quia tamen in eo maximè gratia suas exerebat vires, ita illi dominabatur, vt nihil in eo præterea aliud appareret, quàm gratia, ideò nihil humani saltem quod vitium redoleret, vel naturam quodammodo saperet habere videbatur. Vt proinde *neque manducans, neq; bibens* diceretur: propterea igitur gratiæ nomine iure optimo appellari potuit. Ad hæc, Ioan. initiũ legis gratiæ 8. 9. 10.

Ioannes quid significet.

fuit,

Digitized by Google

fuit, Christi præco, Euangelij eiusdemq; gratiæ signum, prophetæ enim & lex vsque ad Ioan. ergo cum hoc tempus summis votis expetitum fuerit, vt indicat Isa. 62. *propter Sion nō tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec oriatur vt splendor iustus eius*; Ideò Zach. D. Baptistæ Pater aduertens oriente Ioanne desideratissimū hoc tempus appetere, & veluti nuntium afferri eius præsentia, de Christo iam præsenti, & Euangelij gratia, quodammodo exclamans præ lætitia dixit; *Ioannes est nomen eius*, ac si clarius dixisset: En gratię tempus appetijt, Messiam cernere videor; ad eum modum quo nautæ cum sunt inconspectu terræ per longam nauigationem exoptatæ, videre se terram lætabundi exclamant; Idem mihi fecisse videtur Zacharias. Incredibilem hanc eamdem lætitiam, animique voluptatem visus est pręuidisse. Isa. 40. 1. dum dixit: quasi Ioannem conspicatus: *Consolamini, consolamini populo meus, dicit Deus noster, loquimini ad cor Hierusalem, & aduocate eam quoniam completa est malitia eius*: quod si Isaiam interroges, vnde valebimus nosse aduenisse tantæ lætitię tempus subdit illicò signū: *Vox clamantis*, &c. ac si dicat, cū hæc vox mundo insonuerit, Messias prę foribus aderit. Iansenius negat interpretationem illam, quod Ioannes idem sit ac *Dei gratia*, quia, inquit, non solent Hebræi genitiuum præponere, sed postponunt; at Hieronymo aliter visum. Respondeo igitur non seruari eam regulam in nominis compositione.

II. Sunt & aliæ rationes cur hoc nomen quod *Dei gratiam* significat obtinuerit Ioan. magis secundum sensum literalem scilic. quia ab vtero matris Dei gratia repletus fuit, nec eam vnquā posteà amisit; quia Dei gratia parentibus, imò & mundo vniuerso datus, quia omnes ante se prophetas gratia antecessit; quia gratiæ, id est, Euāgelij nuncius fuit; quia veluti Orizon quidam fuit legis & gratiæ: lex enim & prophetæ vsque ad Ioannem.

12. *Nomen Ioannis vnde ductum.* Pagninus lib. de Interp. nom. Hebr. nomen *Ioannis*, deductum asserit à *Chanan*, & à nomine ineffabili *Iohoua*, ita vt Hebræum nomen sit *Iochanan*. Significat autem *Chanan, misertus est, & gratis donauit*, vt idem sit *Ioannes*, quod *Deus misertus est*, vel *Deus dedit*, seu *à Deo datus*, quod fauet ijs, quæ diximus cum affirmauimus tūc Ioannem missum cùm conceptus est, quia tūc Dei dono mundo, & parentibus datus est, idq; Dei miseratione. Dices si hęc Pagnini interpretatio esset germana, oportebat vocasse illum *Iochananem*, non *Ioannem*. Respondeo non haberi rationem vocalis vltimæ A. perinde ac si nomen scriberetur absq; ea, *Iochann*; vnde *Iochannes* per duplex nn. & melioris soni gratia, *Iohannes*; cōmendat autem hoc nomen tum significatio, de qua hactenus, tum impositio, quia ab Angelo, vt dixi, impositum, tum miraculum, quod accidit; cùm enim in tabella scriptū esset, loquutus est illicò Zacharias mutus: cùm verò esset Ioannes homo nouus, nomine nouo oportuit eum nominari, quo nemo in cognatione sua nominatus vnquam fuerat.

13. Qui fuerint illi, qui antequam nati nomen acceperint. Hierony. in quæst. in Gen. auctor imperfecti hom. 1. Albin. in Gen. Eucher. q. 2. in Lucam exponunt, in nouo, inquit Euche. te-

A stamento præter Saluatorē solum legimus Baptist. Ioan. In veteri 4. sunt Isaac, Ismael, Salomon, Iosias, qui ortu iuniores esse videantur, quā nomine. Habuit etiā hoc Ioan. cū Christo cōmune, vt ante quā nasceretur nomen illi ab angelo deferēte daretur. Itemque quæst. 6. in Gen. Sed aduerte, quod in his auctoribus leges vitio librariorum pro Ismaele Sampsonem.

THEORIA XIV.

In ea v. 7. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.*

QVOD Ioannes à Deo missus fuerit, ostensum est hactenus in versu 6. hic versus finē huius missionis, & Ioannis officiū declarat. Officiū est quod exprimitur membro 1. versus 7. *Hic venit in testimonium, vt testimoniū perhiberet de lumine*, id est, vt testaretur Christū solē esse, vt inquit Iasen. vnde omnes lumen & notitiam veri Dei accipiant, ipsumq; esse Messiam, quod dum dicit Euang. duo significat, & Ioannē habuisse certam & claram notitiam huius lucis, alioquin non venisset vt idoneus testis, nisi quod sciret, loqueretur, & q̄ vidit testaretur. Deinde & alios passim inscios lucis huius fuisse: alioquin nihil opus fuisset testimonio, & ne quis arbitraretur ob huius lucis defectū, nimirum, quod non ita esset clara, vel sufficiens factū esse, vt egerēt homines hoc testimonio, subiecit membro sequenti huius vers. *Vt omnes crederent per illum*: quasi indicans ob incredulitatē, imbecillitatemque hominum factum esse, vt hoc testimonio indigerimus, quamuis ne hoc quidem modo simpliciter necessarium fuerit.

1. *Ioannis officium.*

Cur ergo, inquies, vti voluit Christus Ioanne tamquā teste. Si simpliciter id necessarium non erat? Primum quia Christi aduētus futurus erat humilis, decuit ergo vt ei lucerna testimonium ferret; erat n. Ioan. magni nominis. Aug. tract. 35. in Ioan. Deinde non omnes, scripturas de Christo & tempore eius aduentus intelligebant: Par ergo fuit vt per Ioan. efficacius ac viua voce hæc aperirentur Iudæis. Aug. ser. 20. de Sāctis. Prima ratio est desumpta ex parte Christi. Altera ex parte Iudæorum.

2. *Cur Christus vti voluerit Ioannis testimonio*

Quod verò nō esset simpliciter necessarium hoc testimonium constat; quia satis erant ad id opera Christi, nō ergo absolutè necessariū fuit Ioan. testari de Christo, nisi ex quadam hypothesi, quod sic Pophetæ vaticinati fuerāt. Hinc est quod Ioan. 5. 36. inquit Dominus: *Ego habeo testimonium maius Ioanne.* i. opera. Ecce tibi qualiter non erat necessariū hoc testimoniū Ioan. Cęterùm supradictis, alijsq; de causis decuit sic fieri, vt proinde optimū fuerit hoc Dei cōsiliū.

3.

Porrò eiusmodi erat hoc testimonium Ioannis, vt tenerentur omninò Iudæi credere illi de Christo asseueráti, habebat n. omnia, & quidē locupletissimè, quæ testi necessaria sunt: scientiam eorum quæ testabatur, erat enim plusquam propheta. Fidelitatem in non mentiendo, opinionem & auctoritatem in animis Iudæorum altè infixam; Adeò aūt amans, & tenax fuit recti & veritatis, vt propterea sanguinem simul & vitam profuderit. Meritò igitur, iureque optimo Iudæis vitio tribuitur, Ioan. 5. 33. quod illi non crediderint: *Vos*, in-

4.

quit

quit Christus, *missistis ad Ioannem & testimonio perhibuit veritati*, & paulò pòst, *Vos autē voluistis ad horam exultare in lucem eius.*

5. Cùm verò subdit Ioan. *Vt omnes crederent per illum*: expositio iam munere Baptistæ ad finem eius testimonij declarandum gradum facit: vbi ostendit non fuisse necessariū Christi caussa hoc testimonium, sed ob Iudæorum imbecillitatem, & malitiam, quod est superius expositum, ex Iansē. num. 1. Omnes verò ait: intellige tu ad quos missus est Ioannes, nempè ad populum dumtaxat Iudæorum missus est, quod si omnes non crediderunt, ipsis vitio vertendum est. Rectè verò *crederent*, inquit, & non cognoscerent, vel scirent, aptè enim testimonio respondet fides, inquit Iansenius, neque aliud quam fidem rei testimonium facere potest, nam scientia & euidens rei cognitio demonstrationi & euidentiæ non testimonio innititur. His adde non posse à nobis lucē istam in hac vita sciri, aut clarè videri, sed sola fide percipi.

8. Sed cur *vt crederent* Iudæi? an non prius credebant? Respondeo, venit Ioannes medius vt per eum Iudæi transirent à fide in fidem; credebant illi quidem prius, sed hæc ipsorum fides quantum ab statum mutanda erat, licet non ipsa in se fides; hoc est vt quem prius venturum Iudæi credebant, Ioanne teste, iam venisse faterentur.

7. *Per illum*, græcè dicitur δι' αὐτοῦ, quod potest referri ad τὸ φῶς, id est lumen, quod est Christus, vt sit sensus, vt omnes crederēt per Christum: atque ita Iacobus Fab. & Caiet. exponunt, sed non benè, nam particula, *Per*, aptius hîc ministerium & instrumentum significat: quare communis expositio est, vt ad Ioannem referatur: licet δι' αὐτοῦ græcè possit esse tam masculini, quā neutrius generis. Porrò Christus est is potius, *in quem* credere debemus; *per quem* verò in Christum credimus, Ioannes est.

THEORIA XV.

In versum 8. & 9.

1. NON *erat ille lux.* Ne quis arbitraretur, vt quibusdam accidit, Ioannem esse Messiam: Subdit quod Ioannes non erat lux, quæ scilicet est Christus, sed vt testimonium, &c. id est, sed missus erat vt testimonium perhiberet, &c. græcè τὸ φῶς, *illa lux* quam inferius *veram* vocat. licet autem interpres nunc *lucis*, nunc verò *luminis* voce vtatur, græcè tamen vbique est φῶς.

2. V. 9. *Erat lux vera quæ illuminat*] Idem est ac si diceret, Alius erat lux vera. reddit enim rationem cur non esset Ioannes illa lux, petitā ex conditionibus huius lucis, quas tres enumerat (vide Schol. ad v. 9.) Antiquitatem, Veritatem, Communitatem, quæ cùm Ioanni non insint, efficitur sanè vt non sit lux. de æternitate in digressione agetur, de veritate iam. *Verū* in scrip. tribus opponitur, vel enim falso. Eph. 4. 25. *deponentes mendacium loquimini veritatem:* vel vmbratili & figurali: vt Io. 1. 17 *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*, de quo tamē loco lege l. 2. c. 4. dilucid. v. 3. plura. Vel denique opponitur ei, quod per participationem tātum tale aliquid

A dicitur 1. Ioan. 5. 20. *Vt simus in vero filio eius.* In *vero* id est naturali, & non per adoptionem, & gratiæ participationem: quo hic accipiendum est dum dicit Ioan. esse veram lucem; vel quod idem est, quod ex se lucet, nec aliunde lumen mutuatur. Ideò Christus dicitur *lux vera*, quāuis sint qui dicant dici *veram* eo sensu, quo dicitur: *Vitis vera, cibus verus*, nimirum, quod verius foueat, nutriat, sustentet, quàm vitis vel cibus iste noster. De Communitate verò scribitur: *Illuminat omnem hominem*, &c. Ioannes ad solos Iudæos illuminādos missus est, Christus omnem hominem illuminat, vel quia quātum ad se, & vt in Schol. loquimur, quo ad sufficientiam omnes illuminare dicitur, quomodo Sol omnibus propositus est, omnesque quò ad se illuminat. Vel vt vult Aug. in Enchyrid. c. 3.

B 102. l. 1. de pecc. mer. & rem. c. 25. vbi etiam disputat contra quosdam Pelagianos, quem sequitur Ruper. quia nemo est, qui illuminatur, qui non ab hac luce illuminetur; vt Psal. 144. 14. dicitur: *Dominus erigit omnes elisos*, quia nemo erigitur, nisi ab ipso, atque adeo vniuersim vera est hæc propositio, omnis qui illuminatur, ab hac luce lumen haurit. Dion. hunc addit sensum, *Illuminat omnē hominem*, quia quosdam homines cuiusque nationis illuminat, vt sit distributio, quam vocāt pro generibus singulorum; Sicut in Enchyr. Aug. illud accipi posse dicit: *Deus vult omnes homines saluos fieri.*

Venientem in hunc mundum. Sunt qui *venientem in hunc mundum* ad lucem referant, & legūt *veniens in hunc mundum*, nam græcè est ἐρχόμενον, quod isti referunt ad τὸ φῶς, alij verò ad *hominem*; potest enim cum vtroq; concordare.

C primo modo lux vel Christus vocaretur hic, lux veniens in mundum, per Incarnationem scilicet ad illuminandos homines: vt sit hic contextus totus: *erat lux vera quæ illuminat omnem hominem, veniens in hunc mundum*, sed haud dubiè referendum est ad *hominem*, vt dicantur homines in mundum venire, quod & Cyrillo probatur. Sed quare dicūtur homines *venire in mundum*? non quod eorum animæ præcesserint, vt Orig. putasse dicitur, cōtra quē doctè hic disputat Cyril. Sed quia cùm nascuntur in mundo homines, tunc ad eum veniunt. Aug.

D lib. cit. de pecc. mer. & rem. redarguit quosdā Pelagianos, qui propter hęc verba *venientem in hunc mundum*, asseruerint, in exortu ex vtero Matris, nascentium paruulorū mentes illuminari. Porrò Græci non habent particulā *hunc*, ne quis putet, inquit Iansenius, de inferiori mundi tantum parte accipiendum, sed simpliciter *in mundum venientem* dicit: quo excluditur error Orig. qui propterea, quod hic dicatur homo venire in hunc mundum sc. inferiorem, intellexit animas hominum fuisse apud Deum in cęlo ante corporum assumptionem, & huius vitæ turpi cupiditate ad corpora esse delapsas; sed rectius tamen dicimus nostrum interpretem addidisse particulam *in hunc mundum*, quia sermo est de illuminatione per fidē, quæ datur in hoc mundo, nō in alio vt Ioan. 3. *Ego sum lux mundi*, nec propterea dicuntur in hunc mundum venire homines, quod eorum animæ præcesserint, sed quia nascuntur, eduntúrque in hunc mundum.

7. Illud ad mores pertinet, quod habet Cyril. nam si roges. Vnde nam veniat homo in mundum? Respondet, homo ex nihilo ad *esse* producitur: locus enim quasi quidam creaturarum confingitur ipsum *nihil*; à quo modo quodam profectæ Creaturæ, locum vt ita dicam, essendi acquirunt. hæc ille, rectè autem indicat Augustin. insinuari hic causam, quam ob rem homo indigeat hac luce illustrari, quod scilicet veniat in hunc mundum tenebrosum, caliginosum.

THEORIA XVI.

In versum 10. *In mundo erat, &c.*

1. HAEC ad *Verbum* referuntur, non ad *lucem*, quod patet si verba græca spectemus; nam græcè relatiuum *eum* αὐτὸν, ad λόγον masculini generis refertur, non ad τὸ φῶς, quæ vox neutrius est, vide Schol. ad vers. 10.

Et autem hic sensus; hactenus de verbo dixerat, & Omnia per ipsum facta esse, & in ipso esse vitam, & quod vita erat lux hominum; primum illud ratione Diuinitatis, posteriora hæc non modo ratione Diuinitatis, verùm ratione etiam carnis. Ioann. ergo iam docet, quod verbum illud, per quod omnia facta sunt, & in quo vita, &cætera. Erat in mundo, & per illud mundus factus est, & tamen illud ipsum mundus non cognouit, nec ex præsētia, nec ex operatione, vt in Scholijs exposuimus ad v. 10. Est autem mens Euangelistæ ostendere hoc vnum, quod hic continetur versu. 10. causam fuisse alterius, quod versu sequenti 11. habetur; nam quia mundus non cognouit Deum, venit carne vestitum, vt vel sic cognosceretur, amaretur, denique hominem beatum redderet. Interim etiam indicat, cur opus fuerit testem Ioannem prēmittere, nam quoniam vbique existens per Diuinitatem, & per Creaturas suas, alijsque modis sese Verbum insinuans, non est agnitum; decreuit indutum Carne venire, ac propterea ob tam incredibilem hominum cœcitatem, & peruersitatem, qui suo ipsorum vitio illud non cognouerunt, opus fuit, Viri auctoritate insignis, testimonio, ad hoc à Deo missi.

3. Cognouit &c. cognitio, hic non simplicē cognitionem significat, sed agnitionem cum approbatione, receptione, obediētia coniunctā, quæ est cum fide saltem implicita Christi, ad quam cum Dei auxilio poterāt homines peruenire, si fecissent cum eodem auxilio, quod in se erat. Quod verò non cognouerit mundus Verbum: id tum excusatione dignum, tum reprehensione non vacat, quod vel hic maximè Ioannes vult indicare: excusatione dignum, quia non poterāt homines distincta, & perfecta cognitione Verbum, atque adeò Diuinas Hypostases agnoscere: reprehensione non caret, nam potuissent imperfectè intelligere Dei sapientiam ac verbum. poterāt enim cognoscere Deum; illum item sapientia sua fecisse omnia, Sapientiam autem esse Dei filium Christiani non ignoramus. Vnde cùm Athan. l. de Comm. Essent. Patris, Filij, & Spiritus S. habet, hinc colligi mysterium Trinitatis non

A posse cognosci lumine naturali; intelligēdum est, de cognitione qua plures in Deo personas cognoscimus, alioquin potius hinc cōtrarium elicitur, nam accusat Ioan. mundum quod non cognouerit Verbum, quasi suo ipsius vitio id factum fuerit.

Extat in hæc verba Aug. serm. 39. de Verbis Domini, & 28. de tempore.

THEORIA XVII.

In 11. & 12. versum.

1. TANDEM hic aliquando, hoc est, in hanc miseriarum vallem de Altissimo Diuinitatis culmine Ioannes noster vt Aquila, præcipiti volatu descendit. Est ergo hic tertius quodammodo Verbi status scil. post assumptā carnem, de eo nunc agitur expresè: Est autem contextus huius sententię totus hīc à versu 10. Erat quidem lux vera absque carne in mundo, & non agnoscebatur; Deinde *in propria* id est, sua *venit* cum carne. Cyril. & Ruper. *In propria* exponunt, scil. ad Iudæos, qui erant populus Dei electus peculium, & hæreditas eius; & hic videtur esse verus sensus: vide Schol. num. 12. Sicut autem superius dixerat quod esset in mundo scilicet eum conseruans, gubernans, continens, volens etiam omnes illustrare, & quod per ipsum mundus esset factus & tamen (quod certè mirum) mundus non cognouerit ipsum, ita & nunc ait; verbum venisse ad suos carne velatum, manu tractabile, oculis conspicuum, & tamen sui ipsum non receperunt. Meritò Rupert. l. 1. In Ioan. per *suos* Iudæos intelligens, parum, inquit, est *non receperunt*; insuper, *& occiderunt*. Nam qui sunt hi *sui*, nisi maligni illi, & perdēdi Agricolæ, quibus ipse suam locauerat vineam. Matth. 21. *Vinea enim Domini domus Israel est.*

Sed quomodo *venit*, qui vbique est? ex Aug. tract. 2. id exposuimus in Schol. ad v. 11. Declarat hoc pressius stylo Scholastico D. Thom. lect. 6. in cap. 1. Ioannis: dicendum ergo quod venire in aliquem locum dupliciter intelligitur; vel quod aliquis venit, ibi nullo modo prius fuerat, vel quod locum adeat, in quem prius aduenerat, sed non cum tali gradu, respectu, aut modo, vt si Rex qui prius authoritate sua in aliqua esse sui Regni vrbe dicebatur, personaliter tandem illam ingrediatur. Sic quidem filius Dei per potentiam & præsentiam prius erat in mundo, sed venit per carnis assumptionem; prius erat inuisibilis, venit vt esset visibilis. hæc ille.

Quotquot autem receperunt eum. Cum ostendisset summam eorum impietatem, qui Christum non receperunt, nunc eorum qui receperunt vtilitatem, & potestatem illis à Deo tributam docet. Neque enim cum dixit, *Mundus eū non cognouit*, vel *sui eum nō receperunt* de omnibus id affirmauit, sed de maiori parte id intellexit. Cyril. l. 1. c. 13. gentium hic etiam vocationem & Iudæorum reprobationē indicari docet, vt sit sensus, cū sui eum non reciperent, ad alios qui se reciperent, est conuersus. Sic aūt ait, equo certè à Deo digno iudicio primogenitus Israel eijcitur; non enim voluit

in affi-

in affinitate Dei permanere, fruentur autem gentes bonis fidei, & ad locum illorum transplantabuntur ab Oleastro secundum naturam abscisi, & fœcundæ naturæ oliuæ inserti. (Rom. 11.) & Israel audiet: *Væ genti peccatrici, Populo graui iniquitate filijs sceleratis.* Isa. 40. *Dereliquerunt Dominum, & Sanctum Israel irritauerunt;* gentes autem longè aliter illud ab Apostolis audient: 1. Petr. 2. *Vos estis genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Addit Chrysostom. indicari quoque hic pœnam non recipientium Christum, quod scil. in numerum filiorum Dei non sint cooptandi, sed serui relinquendi sint peccati.

4. *Tres fines aduentus Christi.*

Ex tribus porrò finibus Aduentus Verbi, quos notat Cyril. lib. 9. in Ioan. c. 47. qui sunt delere peccatū, morte tollere, filios adoptionis per baptismū facere, huius tantum postremi meminit, quia in hoc reliqui quodammodo continentur. Inquit enim, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

5. *In baptismo datur gratia adoptionis filiorum.*

Aduerte per fidem non fieri, nec renasci hominem Dei filium, sed per adoptionis gratiam, hoc est per Baptismum saltem *in Voto*, per quā tribuitur gratia hæc adoptionis filiorum; nam per Baptismū renascimur Filij Dei, per fidem porrò datur potestas tantum filiationis, vt scil. quis per baptismum renasci possit filius Dei. Cæterùm Baptismū tantum credentes & non aliter facit filios Dei. Itaq; cum quis credit, potestatem accipit, vt per Baptismum renasci possit Filius Dei, quam potestatem, si non crederet, non haberet, hæc expositio videtur Theoph. & Carthus.

6. Sed inquies, numquid iusti legis tempore non erant Filij Dei? Card. Tol. qui prædictā expositionem sequitur. Respondet satis doctè ad hoc dubium; fuisse quidem filios Dei, sed non quantum ad statum, antequàm veniret Christus ad nos; per Euangelium enim sumus in statu filiorum Dei: Veteres illi, cùm continerentur lege timoris, sub Pędagogo & auctore erant. Igitur quantum ad statum serui erant, sicut infans vel puer, est quidem filius, sed non quantū ad statū, dum est sub pędagogo, nec libere potest sua disponere, quod poterit tunc cum plenitudo temporis aderit, &

7. ætatis maturitas. Non eo tamen inficias in hac vita nondum omninò perfectum & absolutum libertatis filiorum Dei statum Iustos possidere, quippè corruptioni & interitui obnoxij sunt. Quod Apost. Rom. 8. 23. significat dum ait; iustum expectare adoptionem filiorum Dei, donec liberetur à seruitute corruptionis. Itaque iustus mente quidem liber est, carne seruit. Tota hæc expositio præferenda est interpretationi Caet. Ientac. 3. q. 5. nam interpretatur hunc locum de receptione quidem per fidem cum auctoribus superioris expositionis, sed subdit eos accipere potestatem vt fiant statim, eodemq; momento filij Dei per Charitatem, cum non sola fides Filium Dei faciat.

8. Vera quidem est hæc expositio; sed præstat intelligere locum hūc speciatim de gratia adoptionis per Baptismum, cui maximè competit, vt filij Dei renascamur. At qui locum hunc intelligunt de perfecta filiatione, id est, Glorioſa, quam Beati habent in cœlis, vera quidem dicunt, sed non ad Ioannis mentem, qui loqui videtur de filijs Dei in hac vita, nihil enim adhuc De beatitudine præmiserat; deinde cùm subdit, *his qui credunt in nomine eius*, satis indicare videtur loqui se de ijs, qui adhuc in terris versantur. D. Thom. videtur i taintelligere; qui receperunt eum, his Deus dedit potestatem non quidem postea quam receperunt eum, sed antequam reciperent, non enim recepissent nisi Deus dedisset eis potestatem filios Dei fieri; hanc autem potestatem dedit secundum eum, proponendo eis credenda, & per infusionem gratiæ suæ corda eorum mouendo ad credendum & recipiendum Ipsum. Sed omnium maximè vera & germana huius loci expositio ea est, quæ primo loco allata fuit.

9. Porrò *potestatem* græce ἐξουσίαν, transtulerunt nonnulli *dignitatem vt filij Dei fierent*, sic Ianſen. Quod placuit Bezæ: sed tunc, durum videtur dicere *dedit eis dignitatem filios Dei fieri*: potius dicendum fuisset, vt essent filij Dei. Quare Chrys. Theoph. Euthym. Græci homines, *potestatem* non *dignitatem* interpretantur, vt & noster interpres, cui standum omninò est. colligit ex his Cyril. lib. de Rect. fid. ad Regi. Christum esse Deum. neque enim in alterum competit Dei filios facere, quàm in Deum.

10. *His qui credunt in nomine eius*; per hęc explicat quid sit recipere Christū: est enim in nomine eius, id est, in Ipsum credere, itaque quod superius dixit, non omnes recepisse Christum, & quod hic, quotquot autem receperunt eum & cætera. eodem modo intelliges; Græcè habetur *in nomen eius*, vt significetur quidam voluntatis & charitatis affectus teste Augustino ser. sexagesimo primo de verbo Domini, sed quid quid sit de hoc, clarè hinc profligantur hæretici, qui aiūt solam fidem satis esse ad salutem, & iustitiam: Atqui ex Ioanne credentibus datur dumtaxat potestas, vt filij Dei fiant; non ergo sola fides, eos Dei filios efficit, sed Baptismus, quem rite suscipientibus datur gratia & charitas; vnde hic locus explicatio omnium locorum esse debet; in quibus soli fidei iustificatio, aut vita æterna tribuitur.

THEORIA XVIII.

In versiculum XIII. *Qui non ex sanguinibus.*

1. EXPLICAT cur hi sint filij Dei, qui credunt in Christum, nimirum, quia non carnis, vel naturæ generatione, hoc est, ex sanguine & concupiscentia carnis, & viri, sed ex Deo nati sunt, id est, habent quendam alium partum dissimilem naturæ partui, per quem renascuntur ex Deo iuxta illud Ioan. 3. *quod natum est ex carne caro est, quod natum est ex spiritu spiritus est;* Porrò relatiuum, *qui*, vt in scholijs notauimus Numerorū decimo quinto, vim obtinet causę. rectè autem Ioann. confert Diuinam hanc generationem cùm naturali, vt vel hinc dignitas filiorum Dei eluceat.

Cyril-

Cyrill.in Ioan.lib.1. cap.14. & Chrysost. homil.9.in Ioannē obseruant: propterea Ioan. meminisse generationis naturalis, vt magnitudinem gratiæ, præstantiamque exprimeret, per quam ex tam vilibus orti principijs, in tantam filiorum Dei dignitatem, euehimur.

2. *Ex sanguinibus*: licet latinè vix *sanguines* dicamus, quia tamen Græcè οὐκ ἐξ αἱμάτων legimus, vertit Interpres per numerum multitudinis. Augustin. tamen sic loquutum vult interpretetur, vt declararet ad communem hominis generationem, & viri & mulieris semen concurrere, intelligit enim per sanguines non tantum menstruum sanguinem mulieris, ex quo fœtus alitur, sed & viri & feminæ semen, quod sit residuum alimenti sanguinei.

Sanguines quid.

Vnde Gagnæus sequutus August. *neque ex sanguinibus*, inquit, idest, ex spermatum commistione, quæ ex purissimis sanguinibus concoctis fiunt naturali generationis modo; sed præstat cum Theophylacto per sanguines solum menstrua mulieris intelligere.

3. Porrò loci huius non vna omnium interpretatio est. In primis Tolet. censet numerare hic Ioannem, primùm id quod commune est in generatione hominum. Nam ex sanguinibus nasci cōmune est omnibus hominibus; deinde subijcere duos modos generationis ex parte principij, cùm ait: *Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri*, vide Scholia num.15. Sunt tamen secundò, qui per *carnem* Mulierem intelligant, vt Aug. de quo ibidem vide Scholia: quia .n. caro imbecille quid, & molle significat, rectè per eam vocem, Mulieris imbecillitas significatur. Quod autem mulier quid molle & imbecille significet, signū fuit quod Adam pro Costa quam submini-

Caro mulierem designat & cur?

strauit formandæ Euæ mollem, & infirmam carnem accepit. Et quia ex viri costa formata fuit Eua, quæ tamen mollem & imbecillem carnem continebat, vt par pari quodammodo compensaretur, repleuit Deus carnem pro ea. Hanc mulieris infirmitatem insinuat Paul. ad Galat.4. cum ait: Christum factum ex muliere, non tantùm, quia ex sola Virgine natus est, sed etiam quia nasci voluit passibilis, mortalis, infirmus, vt qui ex muliere nascebatur: & hæc expositio magis placet, vt scilicet per *carnem* mulierem intelligamus. Cæterùm *voluntas* vtrobique accipi potest pro concupiscentia, dum dicitur, *neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri*.

4. Tertiò Maldonatus ex Euthy. dicit, hic explicari duo priora membra per tertium. Hoc enim est *non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis* nasci, ex viri scil. voluntate seu ex viro, hoc est, carnaliter nasci. quomodo sub nomine viri vterque parens accipitur, non multum placet. Sed hic obiter occasionem nacti Diuinæ huius filiationis, hæc paucis ad mores accommodemus; testatur Piscatoriæ artis non ignari (vt ait Author glos. ma. to. 2. in ea verba Gen. Producant aquæ, &c.) Pisces naturæ sexum nō agnoscere vt plurimum, nec inter se coire. ex ipsorum tamen ouis intra aquam calore Solis confotam gigni pisces; hoc exemplo, aptè declaratur spiritualis regeneratio ex aqua & Spiritu S. sine semine; nam qui sic renascuntur, *non*

Spiritalis generatio piscium fœcundæ assimilata.

A *ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri* regenerātur. Sed ex aqua Baptismi, Christi, vel Spiritus S. gratia vel calore cōfota, & vim regenerandi iam adepta. Vt verò pisces geniti, in aquis viuunt, neque egrediuntur. Ita per Baptismū geniti remanere debent, atq; perdurare in Christianis præceptis, & institutis, ne extra ea emoriantur. Nam qui imitantur Murenas, quas ferunt aquis egressas, cum marino serpente coire vnde monstrum existit, ij Hæretici sunt, vel qui fictè baptizantur vt Simon Magus; mox enim sacri fontis aquis abluti exeunt, & cum serpente diabolo coëunt, vt monstrum iam gignatur, quòd neq; hominis Christiani, neque gentilis imaginem gerat. Hinc Petrus Abbas Cellen. l. de Panibus

B c.4. *Opus*, inquit, *quintæ diei huic discretioni conuenit, in qua dicitur, gen.1.20. Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cœli. Hic discretio Baptizatorum notatur, quia alij seruata fide, & deuotione baptismatis nunquam de sinu Ecclesiæ exeunt, alij per superbiam euolantes imò euanescentes in aera præsumptionis & vanitatis blasphemas hæreses confingunt.* 5.

Hanc eamdem ferè renatorum differentiā obseruauit Hugo Carens. in postillis ex eisdē verbis Gen. *producant aquæ reptile, & volatile*, Vel per aquam, inquit baptismus accipitur. Zach.14 *Exibunt aquæ viuæ de Hierusalē, medium earum ad mare Orientale, & medium ad mare nouissimum; quia baptizatorum vna pars elegit amaritudinem in præsenti propter Christum, cui nomen Oriens: alia pars fluit ad amaritudinem æternam,*

C *& hoc est, mare nouissimum.* Iosue 3. 16. *Aquæ intumescentes ad instar Montis apparuerunt procul ab vrbe, quæ vocatur Edom: quæ verò inferiores erant in mare solitudinis, quod nunc vocatur mortuum, descenderunt. Per aquas intumescentes intelliguntur boni, qui sub pedibus suis totum mundum habent; Vnde & procul sunt ab Edom, ab amore terrenorum. Edom enim interpretatur Terrenus. Per aquas quæ in mare mortuum descenderunt, significantur mali qui descendunt in infernum, vbi semper viuunt in morte, Psalm. quadragesimo octauo. Mors depascet eos. Apocal. nono. quærent homines mortem & non inuenient eam, desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis. Iustum est enim vt qui semper vixit in culpa numquam moriatur in pœna.* hæc ille. Curandum est igitur vt facti Dei filij per gratiam adoptionis, in aquis bap-

D tismi more piscium perseueremus. Sed iam vnde digressi sumus reuertamur. 6. 7.

Sed cur, inquies, non dixit, *neque ex voluntate carnis & viri*, sed *neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri*? Si sequamur primam Toleti interpretationē, vel etiam illā Euthy. facilè est causam intelligere, quia secundùm primam expositionem, explicantur duo modi distincti generationis. Secundum alteram verò, tertium membrum est explicatio duorum præcedentium. Si verò cum Augustino, quod magis probauimus per *carnem* intelligamus mulierem tantum, & per *virum* solum masculum: Iam respondimus ad v.13. in Schol. 8.

Illud est obseruandum verba illa: *Ex sanguinibus* explicare maximè materiam generationis, quæ menstruus sanguis est. Contra verò illa *ex voluntate carnis, & viri, & ex Deo nati* 9.

sunt,

sunt, causam efficientem in primis exprimunt. Cùm ergo dicuntur, *ex Deo nati sunt*, intellige *ex Deo*, id est Diuina virtute & gratia spiritualiter regenerati, ac Diuinũ esse sortiti; nam loquẽdo de esse naturæ, nati sunt ex sanguinibus, sicut & infideles. Sed quantum ad esse gratiæ adoptionis, qua cõstituti sunt filij Dei adoptiui, nati sunt ex Deo, tamquam ex patre principali hominem sibi assimilante, ac Deificante. Rectè enim inquit Nazianz. in Sanc. Baptisma. triplex natiuitatis genus Orthodoxa fides agnoscit. Corporum, Baptismi, Resurrectionis: horum primum nocturnum est, & seruum, libidiniq́ue obnoxium, alterum diurnum, & liberum, profligandarumq́ue animi perturbationum vim habens, omne illud à natiuitate contractum velamen rescindens, & ad supernam vitam nos reuocans. Postremum formidabilius, ac breuius creaturas omnes temporis momento in vnum cogẽs, vt creatori sistantur, suæq́ue seruitutis, & vitæ actæ rationem reddant: Atque has omnes natiuitates à Christo meo affectas honore fuisse cõstat. Primam per vitalem insufflationem: Secundam, per Incarnationem & Baptismum, tertiam denique, per Resurrectionem. hæc ille. Iam verò hic mihi siste lector, & quam vilis sit, quàm abiecta hominum natiuitas, quàm misera illius conditio, quàm leuis nobilitas illa carnis, de qua tamen nõnulli, velut de summo aliquo bono gloriantur: & disce nihil excellentius esse, nihil ea spirituali nobilitate præstantius, quam per Christum nacti sumus.

10. *Triplex natiuitatis genus.*

11.

12. Athan. lib. 2. de Vni. Trinit. Tertul. de Car. Christi legunt, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri natus est*, vt sit sensus; idcircò ij filij Dei sunt quia credunt in nomine illius, qui est naturalis Filius Dei, & non filius tantum hominis; vt cæteri qui nati sunt ex sanguinibus & concupiscentia: nam isti licet filij Dei fieri possint, aliter tamẽ filij Dei dicuntur, quàm ille. Cæterùm communis lectio longè præferenda est.

THEORIA XIX.

In verb. 14. *Et Verbum Caro factum est.*

1. NOTAT August. epist. 120. ad Honoriũ c. 4. & l. 2. de Consensu Euang. c. 3. & tract. 2. in Ioan. Occurrere nunc Euangelistam cuidã obiectioni, mirabitur. n. quis dum audit eũ, qui ex sanguinibus, & volũtate càrnis natus est, in Filiũ Dei euadere posse. Respõdet Ioan. nil mirum, quia *Verbum caro factum est*, & verus Dei Filius factus est homo ex carne & sanguine, quod longè maius est, & admirabilius, neque enim si Filius Dei homo factus nõ fuisset, vmquam homo in Dei Filium euasisset. Iuxtà quam intelligentiam particula. *Et*, pro *quia* vsurpatur, *quia Verbum Caro factum est*, Digna quidem Aug. ingenio expositio est, quam habent etiam Chrys. hic & Theophyl. Sed si mentem fortassis Euãgelistæ spectemus, videtur potius explicare nũc velle clarius Diuinę Incarnationis mysterium, eiusq́ue modum. dixerat enim paulò antè v. 11. Verbũ in propria venisse, esse etiam datam credentibus potestatem filios Dei fieri: Aperit nunc & modum, quo venit in propria, nempe per assumptam humanitatem, & hoc esse videtur, quod præcipuè vult declarare, simul tamen, quod August. habet, tacitè indicat non debere esse incredibile fieri homines Dei filios, pro vt declaratum est.

Verbum, additur huic voci Articulus tamquam subiecto ob ea, quæ diximus Theo. 7. n. 3. & initio v. 14. Quamquam etiam *Verbum* dixit, vt carni opponeret, vt paulò pòst dicam. Exprimitur enim hæc oppositio melius voce *Verbi*, quàm *Filij*. 2.

Caro, sumitur pro toto homine; Dices quare non est potius dictum, *Verbum homo factum est*, Respondet Aug. primùm Epist. 120. ad Hono. c. 4. Vt vel hinc Christi humilitas, ac demissio *Carnis* nomine magis commendaretur. Deinde, vt quanto interuallo distaret verbum à carne melius exprimeretur. Ad hoc, quo indicaret Ioan. non animam solam, sed carnem etiam assumpsisse verbũ, quod Deo magis videri posset indignum, & ideò illam speciatim nominat: ijs accedit, quod homo in scripturis nõ est dictus *Caro*, nisi post peccatum. Quamuis enim dictũ fuerit ab Adamo de Eua; *Caro de carne*; non propterea Eua vocata est *Caro*, sed significatum est eius corpus ex Adami carne desumptum esse. At Gen. 6. dicitur. *Omnis quippe caro corruperat viam suam*, cùm iam peccasset homo, immò multis commaculatus esset sceleribus. Ostendere ergò videtur voluisse tacitè Ioan. Verbũ illam accepisse carnem, quæ de peccatoribus erat, & quam venerat reparare: quamuis illam omni peccato liberam assumpserit, in similitudinem tamen carnis peccati. Addunt alij mentem Ioannis quoque fuisse ostendere, quantus Deus, quàm immẽsus quantillus sit factus homo, vt Maldon. loquitur, ideò oppositum verbo carnem, per *Verbum* enim significatur summa Dei potentia, quæ verbo tribuitur, ob id *Verbum*, non *Filius* dixit. 3. Gen. 2. 23. 4.

Factum, *factum* dicitur non *conuersum* contra quoddam Apollinaristarum genus, vt dicit Socrates, quos Philastrius Tropitas, id est, *conuersores* appellatos dicit: affirmabant hi verbum in carnem esse conuersum, idq́ue ex hoc loco quamuis nulla probabilitate, colligebant. Cæterùm sicut non sequitur, *factus est homo in animam viuentem*, ergo conuersus est in animam: homo est factus sanus, ergo in sanitatem conuersus: ita nulla est consequutio, *Verbum Caro factum est*, ergo in carnem versum est. Dicitur ergo ita factum Caro, vt vtraque immutata natura Verbum in vnitate personæ, naturam humanam assumpserit. Istud ergo *factum*, vnionem & actionem significat, qua Diuina Verbi Natura in vnitatem personæ Verbi, humanæ est copulata naturæ. Vnde excluditur error Nestorij ex Gregor. libr. quarto epistol. trigesima secunda, qui in Christo duas ponebat personas. si duæ sunt personæ, quomodo ergo Verbum Caro factum? Neque enim vnus homo dici potest factus alter, nisi adsit Vnitas personæ: quare nec dici posset Deus homo, nec homo Deus; quomodo verò à tota Trinitate Verbum factum sit Caro, id est, incarnatum, licet solum Verbum sit carne vestitum, lege apud Hug. de Sancto Victo. libro secundo de 5. 6.

7. Sacramentis, P. 1. cap. 3. Græcè loco *factum est*, habetur ἐγένετο. Significat autem hæc vox tam *esse*, quàm *fieri*, & hoc secundo modo hic sumitur. Quod verò significare possit *fieri*, patet ex Ioã. 3. c. *Nuptiæ factæ sunt*. græcè γάμος ἐγένετο & infra ὕδωρ οἶνον γεγενημένον *aquã vinũ factũ*. Itẽ hic, *mundus per ipsum factus est*, græcè ἐγένετο, itaque non est legendum cum perfidis hæreticis: Verbum fuisse nihil aliud, quàm carnem, vt

8. blasphemant Ministri Transyluani. Ex hoc verbo, quod dicitur, *Verbum Caro factum est*, ansam arripuere Arrianorum quidam (neque enim omnes in eo errore fuerunt) vt dicerent verbum non animam, sed solam humanam sumpsisse carnem, cui verbum loco animę fuerit. lege Aug. l. de hæres. ad Quoduultde. c. 49. & l. cõtra ser. Arriã. c. 4. & in dial. 4. cõtra Felic. ca. 13. & Philast. in Arriano. sectis. Cæterùm is error maximè Apollinaris fuit, vt D. August. lib. 83. 99. q. 80. Nazianz. ad Chel. d. epist. 1. & Epiphan. hær. 77. significant. Addebat tamen Apollinaris carnem fuisse animatam anima sensitiua; nam videbat alioquin non potuisse esse carnem vnionẽ. Itaque Apollin. non sensit verbum in carnem esse conuersum, ita vt esset sola caro, nec Euthyches, quamuis dicerent ex Verbo, & Carne vnam tertiam naturam factam esse vt ex Calcedon. Concil. primùm hi omnes refutantur, nam alioquin Christus non fuisset homo, & tamen passim in scripturis homo dicitur. Rom. 5. 1. Cor. 15. præterea non considerant, hi *carnem* in Scripturis sumi non rarò pro toto homine Genes. 8. *Omnis caro corruperat viam suam*. Esa. 40. *Videbit omnis caro salutare Dei*. Psalm. 64. *Ad te omnis caro veniet*. Romanorum decimo tertio. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*. vide Augustin. l. 14. de Ciuit. ca. secundo, speciatim illud contra Euthichem facit, concedere enim aliquo modo videbatur Verbum in carnem versum, hoc certè non benè stat cum eo, quod affirmabat ex Verbo, & Carne tertiam naturam factam, non igitur dici debuit Verbum in Carnem versum; sicut nec Verbum Caro, vel homo factum est, dici potest, si Verbum non est homo factum, sed ex Verbo & Carne quid tertium resultauit.

9. Non est autem dictum, *Verbum venit in carnem*, sed *factum est caro*: ne fortè tibi in mentem veniret, ita esse in carne, vt in Prophetis & iustis, in quibus non est per vnionem, naturaleque vinculum duarum naturarum Dei & hominis in vnam, eamdemque personam, quæ vnio hoc dicendi modo indicatur ex Cyril. lib. primo, in Ioann. cap. 15. Nec dixit, *Verbum carnẽ assumpsit*, quia dum ait, *Verbum caro factum est*, melius indicatur, quod eadem sit persona, quę Verbũ dicitur sit & caro, hoc est, homo; & melius Nestorij error refutatur, qui duas in Christo personas posuit. Si enim Verbũ factum est homo, necesse est eamdem illam personam, quæ Verbum dicitur, esse quoque hominem. Sed licet hoc benè dictum sit; ad mentem tamen Ioann. facilius dici potest: Voluisse Ioannem docere, quo se Dei Verbum propter homines demiserit, hoc autem multò melius expressit dum dixit, *Verbum caro factum est*, quàm si per illa verba expressisset: *Verbum carnem assumpsit*, quibus potius declaratur ad quam dignitatem euecta sit caro, quàm ad quam vilitatem abiectum fuerit verbum.

10. *Habitare Verbi quid sit.*

Habitauit. Græcè est ἐσκήνωσεν, id est, *tabernaculum fecit*, tentorium fixit; ἐν ἡμῖν *in Nobis*, seu *inter Nos*. Significat autem temporariam habitationem inter nos, & additum est hoc à Ioan. tum ne quis putaret Verbum corpus phãtasticum accepisse; tum vt impletas Prophetias ostenderet, quæ habentur. Bar. 3. *In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*. Zach. 2. 10. *Lætare filia Sion quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui*. Aliqui exponunt *in nobis*, id est, in carne nostra assumpta, habitare cœpit; quibus videtur fauere vox græca quæ significat *Tabernaculũ* vel *Tentoriũ fixit*. q. in carne, seu tabernaculo aliquo modo habitarit, sed tunc significare ἐσκήνωσεν debet fixam, stabilemque habitationem: & hoc modo ostenditur rectè distinctio naturarum; qui enim habitat differt à Tabernaculo in quo habitat: Personarum porrò diuersitas sublata est, vt dixi per superiora illa, *Verbum caro factum est*. sed melior est prima expositio, nam subditur statim; *& vidimus gloriam eius* scil. inter nos habitantis, vidimus ipsi dum versaremur cum illo; deinde vox Græca non perpetuam habitationẽ significare videtur, sed temporariã, cuiusmodi est ea, quę sub tentorio & tabernaculo est: rectè quidem, nam Christus non semper nobiscum, sua humanitate sensibus obiecta versatus fuit. Sunt qui magis ad mores

11. accommodate, quã ad sensum Ioannis, velint, ipsum vsum esse hoc verbo Græco, quod significat tabernaculum vel tentorium figere, quo indicaret Verbum fuisse inter nos veluti peregrinum, nec habitasse vt indigenam in patria sua, quo nos doceret tamquam aduenas, & peregrinos abstinere à carnalibus desiderijs, & quæ mundi huius sunt oblectamentis; & sic transire per bona temporalia, vt non amittamus æterna.

THEORIA XX.

Vbi reliqua verba huius I. *cap. declarantur.*

1. VIDIMVS. testes oculati sumus 1. Ioan. 5. Vox græca θεασάμεθα significat attentè, & cum admiratione prospeximus. mertiò hoc dicit: poterat enim quis existimare, Verbũ indutum nube carnis nostræ, non nobis effulgere potuisse, quemadmodum obductus Sol nubibus radios suos ad nos mittere non potest. Deinde poterat quis quærere vnde sciret, Verbum carnẽ factũ. vt primum ergo tollat, & secundo respondeat ait: *vidimus gloriam eius*, signa, scil. Diuinitatis, ac radios quosdam lucis æternæ. Subdit enim

Gloriam eius. hæc gloria fuerunt signa seu splendor Diuinitatis, quam Christus Dominus sua Prædicatione, Miraculis, Morte Resurrectione, Ascensione ostendit mundo: non enim abscondit se vel ab oculis se subtraxit, quò minus nobiscum versaretur, & vt semel dicam, per *gloriam* intelligitur totum illud, quo Christus suam Diuinitatem, seque esse Dei Filium declarauit.

2. Iansen: docet hic duo; primum talem gloriã spectasse Apostolos cùm audierunt de eo dictũ

à Patre: *Hic est Filius meus*, & cum propria virtute resurgentem, ac rediuiuũ, & in cœlum ascẽdentem conspicati sunt, cum eius miracula, & doctrinam, vel videbant, vel audiebant. Illa enim propria, & non aliena potestate operabatur, hanc verò tradebat, quasi potestatem habens, non sicut Scribæ; & hoc quidem rectè dictum est: addit deinde: non dixisse Ioannem, *Vidimus gloriam Vnigeniti*, nam hæc videri non potest, quãuis benè videri possit Gloria & claritas digna vnigenito: hoc nõ rectè meo iudicio dicitur, nã debebat dixisse, si hoc voluisset Ioan. *Vidimus gloriam eius, quasi gloriam vnigeniti*, at non hoc dicit, sed *gloriam quasi vnigeniti*.

3. Sed cur inquies, hoc dictum est est à Ioanne? passim Respondent, vt indicaret, quid interesset inter Christi, & Sanctorum gloriam, puta Moysis, cùm ex colloquio Dei eius facies cornuta est. Exod. 34. 29. 30. & 2. Corinth. 3. 7. & Heliæ in cœlum euecti 4. Reg. 2. 12. horum certè gloria, emendicata, ac, vt aiunt, participata fuit; creaturę enim fuerunt: porrò verbi gloria, *quasi vnigeniti*, id est, naturalis. hac autem re fuit simile verbum Moysi, nam sicut ille daturus legem eos emittebat lucis radios, vt velare oportuerit faciem, quò cum suis versaretur, ita verbum ad nos Euangelium afferens multò procul dubio illustrius splendebat, vt tamen agere posset cum hominibus Deitatis sue radios purissima carne obtexit, & obnupsit.

4. *Christus cur Vnigenitus dictus.* At cur potius dixit *Vnigeniti* quàm *Filij*? Respondet D. Basilius hom. de fide, vt insinuaret tantam eius, quantam Patris fuisse gloriam, Cũ. n. Pater aliquis vnum duntaxat habet filiũ, quidquid omninò habet illi tradit, nihil sibi reseruat, denique æqualem sibi eum facere rebus omnibus quærit; secus cum plures habet filios; quare meritò dixit Christus Ioann. 16. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*: quod ei non modo qua Deus est, sed etiam qua homo (quo modo etiam Vnigenitus erat Dei) conuenit, quid enim non habebat, qui inhabitantem in se, & in eamdem personam coniunctam habebat Diuinitatem? sic Maldonatus.

5. Possumus vocem, *à Patre*, connectere cum voce, *Gloriam*, quam habuit à Patre: vel illud, *à Patre*, potest referri, ad *vnigeniti*, subintelligendo vnigeniti procedentis à Patre, vel etiam nihil intelligendo, nam licet *Vnigenitus* sit nomẽ, potest habere vim participij passiui, vt sit sensus, *vnigeniti*, id est, vnius geniti à Patre, quasi vnigenæ à Patre, quod Patri Maldonato placuit, & hoc posterius vt verba illa, *à Patre*, referantur ad vnigenitũ, magis mihi quoq; placet.

6. Cæterùm vt hæretici per vocem, *vnigeniti*, compellebantur confiteri filium esse homousion Patri, ac Deum, ita ipsi contra ex voce *primogeniti*, qua interdum vtuntur scripturæ, conabantur Catholicos oppugnare, & euertere futili hac argumentatione, nam si primogenitus est, ergo multi alij sunt filij, quorum iste primus est, sed nihil obtinent: primogenitum enim fatemur non absolutè, sed *in multis fratribus*, habet enim fratres ratione dumtaxat humanitatis, quorũ primus dicitur, idcirco, quod potestatem dederit cæteris omnibus adoptionis filiorum Dei, nam in ipso sunt in filios Dei adoptati: sicut dicitur, *primogenitus ex mortuis*, quia primus morte superata resurrexit, & primus omniũ carnem in cœlum inuexit. Atq; hic vt vides simpliciter *Vnigenitus* dicitur. At cùm *primogenitus* dicitur, non absolutè sic nominatur: sed aliquid addi consueuit, vnde constare possit ratione humanitatis primogenitum nominari, quamquam primogenitus nuncupari potest, licet nullus post eum sequuturus sit qui generetur, tantùm quia nullus ante eum fuerit. quomodo qua homo intemeratæ Virginis primogenitus nuncupatur, post quem tamen nullus alius. Denique primogenitus dicitur, quia omnium filiationum prima caussa est: Sicut Deus dicitur primus Pater, quia ab illo omnis paternitas est, & prima quidem argumenti solutio locum habet ratione humanitatis, reliquæ Diuinitati conueniunt, lege Cyrill. 10. Thesauri. c. 4.

Quomodo & cur primogenitus.

Plenum gratia & veritatis. Caiet. sic legit: *plenus gratiæ & veritatis. Ioannes, testimonium perhibet de ipso*: sed malè neque enim *plenum* referri potest ad Ioannem; nam inferius subditur de verbo, *de Plenitudine eius nos omnes accipimus*, licet. n. græcè legatur πλήρης, hoc est, *plenus*, refertur tamen ad λόγον. 7.

Cæterùm duplex est interpretatio horum verborum, sunt namq; qui *plenum gratiæ*, &cæt. coniungant cum verbis illis; *& habitauit in nobis*, q. d. habitauit λόγος in nobis plenus gratiæ, & veritatis: illa verò: *& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*, per parenthesim quamdam posita arbitrantur. Sic videntur Orig. hom. 2. ad diuers. & tract. 2. in Matth. & Nyssenus hom. 13. in Cant. Aug. 13. de Trinit. c. 19. Beda, Euthym. & alij intellexisse. Alij verò legunt in recto quidem, sed separatim; *habitauit in nobis*, hoc modo; *& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*, idque sine parenthesi, tunc subdunt; *plenum gratiæ*, &c. quasi dicant, plenum enim erat Verbum hoc gratiæ & veritatis, quasi contineant hæc verba rationem gloriæ perfectæ, & diffusæ in alios. Sic Cyril. cum alijs, & hæc expositio posterior, videtur conformior editioni nouæ, vbi non est parenthesis; quidquid tamen est, videtur omninò in recto accipienda vox, *plenum* ex græcis; licet aliqui malè referant ad, *Vidimus*, & in accusandi casu proinde sumant. 8.

Enumerat hic Ioan. duos Diuinæ Oeconomiæ effectus, dum ait, *Plenum gratiæ, & veritatis*. Vide Schol. ad v. 14. sub finem, & lib. 2. c. 4. in Schol. num. 15. Theophylact. veritatem hic opponi significat figuris, & promissionibus: dici ergo vult Verbum *plenum veritatis*, quia ipsum complemẽtum est veterum figurarum, & promissionum, nam in Christo exhibitum est, quicquid in cæremonijs & figuris veteris legis significabatur, vel id quo Verbum has impleuit, veritas nuncupatur; seu quod idem est, ipsa harum impletio Videtur ex Orig. hæc expositio hom. 2. ad diuer. Eodem modo sumitur veritas cùm dicitur, *Lex per Moysen data est, gratia verò & veritas*, &c. sed magis quadrat in hunc locum interpretatio altera, quam secuti sumus in Schol. ad finem v. 14. 9.

Plenum. Plenitudo ista, qua dicitur Verbum plenum redundantiæ plenitudo est, qua in nos hæc dona effudit, illius quidem propria, nulli 10.

enim hominum licuit alium gratum Deo reddere & mysteria Dei ex visu per scientiam narrare, neque istorum bonorum fuit Verbum illud ratione Deitatis tantùm plenum, sed & humanitatis, nam, & hæc plena fuit omne genus gratijs, ac donis cum fuerit Verbum homo, caput omnium, à quo in cæteros homines vt in reliqua membra omnis gratiæ vbertas dimanauit, ita vt nasceretur hæc redundantia, & plenitudo, non ex Diuinitatis modò perfectione, verum etiam humanitatis. Vide de hac Christi plenitudine lib. 2. c. 4. in Schol. num. 15. & latissimè lib. eodem cap. 2. Theor. 3. per totam. Porrò hi duo effectus, gratiæ & veritatis, proprij sunt Euangelij, nam lex sua virtute gratiam non conferebat, nec occultam Diuinitatis veritatē propalabat, vmbris tantùm quibusdam, velut à longè indicabat; at Euangelium longè aliter se habet.

II. Illud ad mores pertinet, verba nostra Verbo Diuino conformanda ēsse. Sint enim plena gratia, & veritate oportet, vt omnes attrahant, & à mendacijs aliena sint, atque adeò Dei veritatem contineant ac doceant. Hactenus totum Euangelistæ Ioann. qui hoc cap. continetur in theorijs textum excussimus, nunc ad Digressiones.

DIGRESSIO I.

De Verbo.

Quoniam multa de Verbo hactenus disputata sunt à Ioanne, ad meliorem eorum intelligentiam; de Verbo aliquot hic Sectionibus disseremus.

SECTIO I.

De acceptionibus Verbi.

1. *Verbum multa significat in scripturis.*

IN Scripturis multiplex est huius dictionis acceptio (*Dauar*, nuncupant Hebræi) Significat in primis rem. Exod. 18. *non est bonum hoc verbum, quod facis.* 2. Reg. 11. *Displicuit verbum hoc, quod fecerat Dauid.* Amos 3. *Non faciet Dominus Verbum, quod non reuelauerit,* &c. *Verba dierum* historiam significāt, In lib. Reg. sumitur & pro præcepto, Deut. 4 *non addetis super Verbum, quod præcepi vobis*; Pro Iudicio vel Ratione, Deut. 19. *Hoc est verbum homicidæ.* Ios. 5. *Hoc est verbum propter quod Iosue circumcidit populum*; Frequenter sumitur pro sermone Dei, aut hominum, siue ad docendum, siue ad arguendum, siue alia ratione proferatur. Hierem. 1. *Dedi Verba mea in ore tuo.* Psalm. 128. *Lucerna pedibus meis Verbum tuum.* Aliquando sumitur pro Filio Dei, si quādo illi summa potestas, aut Dei operatio tribuitur. vt Psalm. 33. *Verbo Domini cœli firmati sunt.* & Psalm. 107. *Misit Verbum suum, & sanauit eos.* sed expressior eius significatio est apud Ioā. hoc initio, & initio epist. 1. quo alludisse videtur Targum, & antiquiores quidam Rabini; Vbi enim nomen illud Dei Tetragrammaton occurrit *Iehoua*, illius loco legunt *Meimar* voce chaldaica, quæ Verbum significat. lege Petrum Galatinum lib. 3. de art. Catholicæ fidei cap. 4. Græcè λόγος: sed rectè interpres hic vertit *Verbum*; Erasm. in Apolocal. ex ethymologia vocis λόγος quæ *rationem* sonat. Vnde λογισμὸς cogitatio: contendit *sermonem* magis accedere, ad Ethymon Græcę vocis λόγος, quàm *verbum*, quod à verberatu auris, vel aēris dicitur, sermo autem à serendo deriuatur, vnde edissero.

Erasmi sententia de voce λόγος.

Sed multò significantiùs est *Verbum*, quàm *sermo*, est enim sermo quid externum, & foris seminatum, ac iactatum significat; compositionem item quamdam notat: & ita nō facit adeò ad rem quidquid sit de propinquitate latinæ Ethymologiæ ad Ethymologiam græcam, quamquam *Verbum* secundum nonnullos à verò, vel veritate dicitur, quod innuit Aug. l. 15. c. 11. de Trinit. idque maximè quadrat verbo mentis, vt scilicet verum sit, imò & verbo oris vt veritatē, sicut in mente est, repræsentet. Habet etiam Aug. eodem loco initio, magis competere verbi nomen verbo mentis, nam illud inquit, quod profertur carnis ore, vox verbi est, licet & ethymon vocis sumptum sit à verbo oris. Sunt qui apud Paul. Heb. 4. 12. *Viuus est enim sermo Dei, & efficax,* &c. sumant *sermonem* pro Filio Dei vt Rib. noster n. 16. vbi dicit interpretem cum *Verbum* vertere soleat, maluisse ibi *sermonem* dicere, quod ad sensum Apostoli videretur accommodatior quàm *Verbum*. Verbum enim simplex est, sermo multis verbis constat. Apost. enim videtur ibi λόγος vocasse Dei Filium secundum illam rationem, qua verbum dicitur, quia per illum nobis loquitur Pater, & vt ipse Interpres est Paternæ voluntatis, quod Christo competit Io. 15. *Omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis*, hac enim etiam ratione Christum dici verbū, docent Orig. tom. 1. in Ioann. Chrys. hom. 1. in eundem; Theophylact. Euthym. licet hæc ratio nec sit sola, nec primaria cur Christus Verbum dicitur.

2. *Reijcitur.*

3.

Aug. l. 83. q. 9. c. 63. dicit rectius dici *In principio erat Verbū*, quàm *in principio erat ratio*, cuius causam assignat, quia rationis nomen non designat processionem à Deo, quam designat tamē nomen verbi: nam verbum, loquentis verbum est, & ideò magis Deo competit, cuius Verbū ab ipso procedit. ad hæc Ratio est in eo, qui actu non intelligit, at verbum non est nisi in intelligentibus actu, quod Dei proprium maximè est; nec obest prioritas rationis respectu verbi in nobis, nā ratio nō est prior verbo interiori in Deo, qui actu semper, & ab æterno intelligit.

4.

SECTIO II.

Quid nam Verbum sit?

SEQVITVR vt quid nā sit *Verbum* secundo loco exponamus. Porrò quæstiones illas. An per intellectum producatur verbum, An verbū re ipsa differat ab intellectione. An ipsū intelligere sit producere, & id genus alias Scholasticis subtilius tractandas relinquimus. quatuor propositionibus quid Verbum sit declarasse contenti. Cætera vide apud D. Thom. lect. 1. apud Ioan. c. 1. & p. 1. q. 27. 1. apud D. Aug. l. 15. de Trinit. à c. 10. per aliquot sequentia.

5.

Prima propositio; ab intellectu nostro procedit cōceptio rei intellectæ & intellectio obiecti; Cōceptio enim actio est, quod verò actio quæ est intellectio procedat ab intellectu, oēs

faten-

fatétur.ex Aug.Sententia 9.de Trin.12.liquidò tenendum est inquit, quod omnis res, quamcumque cognoscimus congenerat in nobis notitiam sui, ab vtroq; enim notitia paritur à cognoscente & cognito. Itaq; mens cùm se ipsam cognoscit sola parens est notitiæ suæ; & cognitum enim & cognitio ipsa est.

6. Propositio secunda.conceptio ista rei intellectæ est verbum mentis siue sub ratione actionis,siue (quod verius est) sub ratione qualitatis & termini accipiatur (non enim hoc disputo nunc)hanc docet Aug.15.de Trinit.c. 10. & si nullum verbum sonet exterius, dicit tamen omnis qui cogitat ; & probat multis deinceps, quod cogitatio nostra sit verbum ex scripturis Sap.2. *dixerunt intra se, cogitantes:non rectè.* Mat. 12. dicuntur Pharisęi *dicere intra se cogitantes: hic blasphemat.* Luc.12.de Diuite Auar. *Cogitabat intra se dicēs.* Ex quib⁹ sic ratiocinatur Aug. Omne ꝙ dicitur, Verbū est, sed eo ipso ꝙ cogitat quis dicit intra se ergo omnis cogitatio verbū est. Vera est igitur propositio secunda, quod

7. conceptio mentis sit verbum.

Propositio tertia. conceptio rei intellectæ procedit ex notitia intellectus,per notitiam intelligo non modo habitum scientiæ vel sapientiæ,sed etiam & multò magis , speciem ipsam intelligibilem,qua intellectus fit in actu primo quam August. appellauit scientiam præcedentem verbi productionem,& generantem intellectionem , per quam producitur verbum in intellectu, itaque nomine *Notitiæ* intelligimus quidquid est intellectu afficiens, & informans ipsum per modum habitus , totum enim hoc dicimus præcedere ipsam verbi productionē, & hinc solet intellectus à Doctoribus *memoria fœcunda* vocari, quòd verò conceptio rei intellectæ ab hoc actu procedat omnes concedunt. Ob id enim Arist.3.de Anim. scripsit oportere intellectum,qui est pura potentia in genere intelligibilium , fieri in actu primo per formas intelligibilium , vt posteà exeat in actum se-

8: cundum producendo intellectionem.

Propositio quarta Verbum cordis significatur verbo vocis , hoc videntur Nominales negasse,quia fortè aliter quàm oportebat,Aristotelem intellexere. Verbum siquidem oris significat Verbum cordis, non vt Ens quoddā est,sed pro vt imago quædam est rei intellectę: & hoc est verissimum: vnusquisque enim dicit rem vt intelligit,non prout est à parte rei. Vnde non dictum est verbum oris solum exprimere verbum cordis,sed significare. At aliqui scrupulosius negant quod verbum oris significet verbum cordis, cùm tamen Arist. dixerit voces esse notas,id est,signa cōceptuum,& Aug.15.de Trinit.c.11. Verbum ait, quod foris

9. sonat signum est Verbi,quod intus lucet.

Ex his intelligitur,quod Aug.l.15. de Trini. c.10.habet, verbum esse notitiam ex specie intelligibili productam , scribit enim necesse est cùm verbū loquimur , id est cùm scimus loquimur, ex ipsa scientia quam memoria tenemus, nascatur verbum , quod eiusmodi sit omninò, cuiusmodi est illa scientia,de qua nascitur: formata quippe cogitatio ab ea re, quam scimus, verbū est, ꝙ in corde dicimus , quod nec græcum est,nec latinū,nec linguæ alicuius alterius.

A

SECTIO III.

De similitudine verbi humani cum diuino.

CVM Filius procedat à Patre in morem actionis intelligibilis , rectè & verbum & imago inuisibilis,perfectaque dicitur, quomodo autem sit simile verbo nostro , vel quomodo disimile restat paucis aperire , vt quale verbum sit tandem intelligamus. 10.

Igitur Aug.15.de Trinit.c.10.vsque.ad 17.& Damasc.l.1.fidei Orth.18. de hoc verbo agūt,& Aug.quidem c.10. *Quisquis*, inquit, *potest intelligere verbum non modò antequam sonet, verùm etiam antequam sonorum eius imagines cogitatione voluantur;iam potest videre per hoc speculum , atque in hoc aenigmate aliquam similitudinem illius verbi , de quo dictum est: In principio erat Verbū.* Possumus tamē

B ex Augustino & alijs , quinque similitudines notare inter humanum,Diuinumque Verbum. Prima est. Verbum humanum manet in principio, à quo procedit, ita verbum Dei dicitur esse apud Deum & in sinu Patris, atque adeò in ipso Patre, ex qua similitudine inferri potest aliquo modo Consubstantialitas Verbi cum Patre Deo, cùm enim Verbum sit intra mentem, hinc fit cum Deo debere esse consubstantiale, nam nullum accidens esse in Deo potest , licet secus accidat in nobis.Secunda.Verbum in nobis tantum procedit, quanta est applicatio rei intelligibilis,& scientiæ ad cognoscēdum. Eodem modo Verbum Dei æquale est scientiæ Patris.Tertia.Per Verbum cordis omnia fiunt,

C & dicuntur,quæ fiunt, & dicuntur ab homine: Ita per Verbum Diuinum omnia facta sunt, & dicta à Deo Patre vnde rectè dixit Orig. l.1.in Ioan. Clem. in Orat. adhort. ad gentes, & in Pædag.c.12. Basil.in hom.in hunc locum Ioan. Dictum esse Dei Filium Verbum , quia interpres Diuinæ virtutis , atque sententiæ est, & ab æterno id ei conuenit , quantum ad se attinet, cùm sit Dei Sapientia;per accidens est,quia defuerunt Creaturæ , quod ab eterno non fuerit interpres actu ; imò verò hoc modo etiam interpretem esse conuenit verbo nostro,coniuncto tamen cum alio externo,vt voci,vel nutui. Quarta.Potest esse verbum cordis , antequam aliquid fiat exterius, nulla enim re externa indiget non dicto,nec facto ad sui perfectionem: Ita de Dei verbo dictum est. Prou.8.22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*,&c. Quin-

D ta. Verbum cordis non desinit nec mutatur, nec conuertitur in aliud dum venit in os,quando profertur ; tantùm vestitur , & inuoluitur aëre quodam sonante exterius: Ita Verbum Diuinum Caro factum est,& nec desijt esse,nec mutationi fuit obnoxium , nec in aliud conuersum fuit,& tunc quidem veluti exterius pronunciatum fuit , cum Carne indutum humana apparuit. Porrò primaria, & originaria 11. similitudo,quam August.l.7.de Trinit.c.1.docuit; & quæ declarat rationem propriam , cur sacræ Scripturæ Filium Dei,nominent Verbū, est hæc , quod vt Verbum nostrum mentis est partus, ac proinde sine motu procedens simile principio à quo gignitur: Ita Filius Dei ab intellectu paterno procedit vt mentis conceptio. Hinc verò habet quod sit similis Patri, & imago perfecta,& sine motu procedat,consubstan-

Similitudines inter Dei verbum & hominū.

Digitized by Google

tialisque sit eidem, cùm intrà ipsum sit,& ei coæternus,numquá.n. sine verbo Pater, vel nõ intelligés.Basi in ho.in init.Ioã. sic scribit: Cur inquit, Verbũ? vt quod ex mente procedit,ostendatur.Cur inquam Verbum?quoniam sine motu genitum est.Cur Verbum? quoniã imago est genitoris, totum in se monstrãs genitorem,nullam inde partem diducens, & perfecta in se existens, quemadmodum ferè Verbum nostrum,quod totius nostræ cogitationis imaginem refert; quę enim secũdùm cor nouimus, hęc verbo proferimus, & quod loquimur exemplar habet eius, quod corde cogitamus,ex cordis enim abundantia verbum pronunciatur, nam cor nostrum veluti fons est quidam, verbum verò emissum veluti riuus ex fonte profluens. Tantum igitur profluens verbum est,quantum id vnde profluit,ac quale opertũ, tale item apparens extat. Verbum itaque dixit Io.7. Vt impassibilem Patris generationem ostendat,& perfectam Filij substantiam theologizet, & coniunctionem sine tempore Filij ad Patrem per hæc ostendat.

Sectio IV.

De differentia Verbi creati, & Verbi Diuini.

12. VT rectè indicat Aug. cum his similitudinibus multæ sunt dissimilitudines:Nos has enumerabimus. Prima est: quod verbum humanum potest esse mendax,quia potest mẽdaciter proferri;nullo modo Diuinum.Secunda: Verbum humanum potest esse, & si non mendax,falsum tamen; cùm quis putat intelligere,quod non intelligit, cùm tamen Verbum Diuinum sit ipsa veritas. Tertia: scientia illa, vel notitia, ex qua procedit verbum nostrum, potest deleri per obliuionem: Nullo modo in Deo. Quarta verbum nostrum præterit, alterumq; alteri succedit:Verbum Domini manet in æternum.Quinta:verbum nostrum non necesse est adæquari scientiæ nostræ, vel speciei intelligibili, per scientiam enim aliquam perfectam potest quis intelligere effatum, propositionemque vnam,& per speciem vniuersalem potest quis intelligere vnum dumtaxat indiuiduum:quod non est in Deo. Sexta:verbum nostrum prius est formabile, quàm formatum, nam cùm volo cõcipere notitiam lapidis, eiusque rationẽ,oportet,vt ratiocinando ad ipsam perueniam, & hinc est quod in nobis est prius cogitatio,posteà verbum formatũ,perfectumque: At in Deo verbum semper est re ipsa perfectum,absolutumque, nec ibi propriè est cogitatio,vel quidquam volubile, vt inquit Aug. l.15.de ciuit.c.14. de cuius mente lege Vasquez prima p.dis.54. num.2. Septima:similiter præcedit mens in nobis verbum, imò licet Angeli semper intelligant,& nunquam non intellexerint,non tamen omnia intelligunt, sed possunt noua quædam intelligere:At Dei verbum coæternum est Patri,& semper idem & vnum; Pater enim vno actu se simul,& omnia intelligit. Quare August. de hac coæternitate lib. 6. de Trin. c.2.&Ambr.l.5.de fide c.5.exponunt initium hoc Ioan. *In principio erat Verbum.* Octaua:

A scientia nostra,aut species,à qua procedit Verbum,& Verbum ipsum non est nostra essentia, vel natura,sed accidit nobis,alienumque quid, & separatum à nobis est: Scientia verò Diuina, & Verbum ipsum, Dei natura est, & ipse Deus. Nona: verbum nostrum imperfectum est, tum quia vt dixi non semper verbum exequat scientiam nostram, vel speciem intelligibilem, tum quia non possumus omnes nostras conceptiones animique sensa vno verbo exprimere,ideò conamur id pluribus, eisque imperfectis verbis efficere.Deus semel loquitur.Iob: Angeli etiam non omnia possunt simul cognoscere,& postquam aliqua cognouerunt,sicut & nos ad alia deuoluuntur:nimirum limitatę potentię ac mutationi obnoxij sumus.Ex hoc dis- 13.
B crimine cõsequitur verbum procedere in Diuinis ex notitia Diuinitatis, Diuinarumque personarum,& creaturarum omnium, Deus enim Pater se, & omnia cognoscendo verbum gignit,quo se intra se explicat mirabiliter;alioquin si non produxit pater ex omnium notitia verbum, vt quibusdam placuit, necesse erit ex imperfecta natum fuerit cognitione; Verbum igitur esset imperfectum, neque enim exprimeret omnia.eandem sententiam sequitur Augustinus 10. & 11. de Trinitat. alioquin,inquit, Deus non perfectè se dixisset. Item D. Athan. dicit.l.de Decre. Nice. Conc. & D.Basil.hom. 44.In Ioan. si non procederet Filius ex perfecta cognitione Patris,nec ei esset æqualis. hinc 14.
C est quod verbum continet in se respectum ad creaturas,vt dicit Augustinus 15. de Trinit.11. & 83.qq.q.46.& 63.& habia respectu illarum nõ est tantùm principium speculatiuum,sed etiam practicum,ex August.o. de Trinit. 10. propterea dicitur Brachium,Ars, & Manus Patris,in his à nobis stat, Alex. Hale. p.1.q.6.2.a.4. & Bonau.in prima dist. 27. p.2.q.2. Scoto verò obijcienti nobis 2.d.11.q.1.a.2.& quodli.14.a.2. 15.
quod hoc modo verbum esset antequam esset, si verbum ex intellectione verbi nasceretur, & creaturarum; respondemus quod si loquamur de intellectione vt ad essentiam pertinet, ita non conuenit Patri intelligere in verbo, quod Filius est. sic enim intelligit in verbo, id est in essentia,non secus ac Filius, & Spiritus sanctus: sed si loquamur de intellectione, vt ad notionem spectat(sic enim Patres loquuntur)ita terminatur ad verbum tamquam ad id,quod
D producitur per ipsum, atque ea ratione dicitur Pater intelligere in verbo,quod in illud actus eius notionales tendant.ex quibus fit non oportere ad intellectionem verbi percipere productũ esse verbum,cùm in ipsa Dei essentia intelligatur,non in verbo, quod Filius est; quod si vrgeas;illa igitur cognitio non erit intuitiua;negabimus,quia Filius,vt & Spiritus sanctus, antequam producantur, intelliguntur à Patre in eadem durationis mensura, & eodem momento naturæ (nullum enim tale præcedit) quod ad notitiam intuitiuam satis esse putamus.

Itaque pater verbum profert, secundum se loquendo, ex scientia visionis Filij, & Spiritus sancti,qua cognoscit & intuetur Filiũ à se, Spiritum S. verò à se, & Filio productum, id est, cum existẽtia, & præsentia necessaria harũ personarum.

sonarum. Cùm enim personæ diuinæ de se non abstrahant ab actuali exiſtẽtia, vt in ſchoſis loquimur, ſed neceſſariò illam includant: non poterunt abſtractiuè cognoſci, niſi ab intellectu imperfectè cognoſcente: proinde ab æterno Patre ſcientia viſionis, & intuitiua cognoſcuntur, & certè ſi Deus poteſt intueri futuras creaturas prius etiam æternitate, quàm ipſæ exiſtant, quantò magis perſonas diuinas prius ratione vel origine, quàm producantur? 16. Sed præcipua ratio huius rei eſt, quam ſuperiùs attigi; quia prioritas originis, eſt prioritas, *à quo*, vt Scholaſtici aiunt, non *in quo*, & ita non excludit intuitiuam cognitionem, nec, vt ſic dicam, ſimultatem in eadem menſura æternitatis, nempè, quod ſimul ſint & cognoſcantur perſonæ, cæterum ſecundùm noſtrum modũ intelligendi imperfectum, & confuſum, non nego verbum produci à patre aliquo modo ex ſcientia ſimplicis intelligentiæ ipſiuſmet 17. verbi, & Spiritus ſancti. Nec abſurdum eſt cõcedere, Verbum procedere ex Verbo & Spiritu ſancto vt cognitis ſub eſſe quodam futuro, ſecundum nos videlicet, qui prius intelligimus patrem intelligentem, quam concipiamus per- 18. ſonas productas. Porrò ſi de creaturis loquamur, ita pater Verbum profert omnino ex ſcientia dumtaxat ſimplicis intelligentiæ, & ex illis, vt ſub eſſe ſunt poſsibili, cognitis; nunquã tamen admittẽdum eſt, Verbum naſci ex Verbo vel Spiritu Sancto, vel etiam ex creaturis cognitis tanquam ex principio etiam quo productionis diuinarum perſonarum. Tunc enim tantum obiectum cognitũ eſt principium quo cognitionis vel verbi ..us cùm cognoſcens accipit ab illo cognitionem, id eſt, cùm non modo eſt obiectum terminatiuum, ſed etiam motiuum, quomodo non ſe habent Verbum & Spiritus ſanctus, & multò minus creaturæ reſpectu cognitionis Patris à quibus non accipit cognitionem, vel virtutem, vel quaſi ſpeciem ad cognoſcendum cùm ex ſe illam habeat, de 19. quibus fuſiùs Suarez lib. 9. de Trinit. c. 5. Sed quia vlterius progreſsi ſumus hac in re, quàm volebamus: Addamus & hæc; Spiritum ſanctũ etiam procedere ex amore creaturarum, ſed ſub eſſe poſsibili, itemq; ex cognitione creaturarum ſub eſſe poſsibili procedit filius, & ſicut prius ratione noſtra amat creaturas, antequam producat Deus Spiritum ſanctum, ita & prius ratione eaſdem cognoſcit, licet ſub eſſe poſsibili, eadem; & quemadmodum neceſſariò amat, ita & cognoſcit; amare vero creaturas ſub eſſe poſsibili eſt amare ſuam omnipotentiam, quòd ſit omnipotens, atque adeò quod creaturæ à ſe fieri poſsint ſuo ipſum in ſinu gaudere; in hoc enim tota ratio facti, eſt potentia facientis; nihil enim aliud eſt creaturas eſſe poſsibiles, quàm Deum eſſe omnipotentem; 20. Hinc ſoluitur illud, quod hic obijci ſolet, Spiritum ſanctum non procedere ex amore creaturarum, alioquin vel non neceſſariò procederet, vel neceſſariò Deus amaret creaturas, ergo nec filium ex cognitione creaturarum. Quid enim ad hoc reſpondendum ſit iam conſtat ex modo dictis. Soluitur & illud quod obijciunt quidam ſequi ex hac ſententia, quod Verbum reipſa reſpiceret creaturas. quia geniti ad principium, ex quo gignitur, eſt relatio realis; valeret hæc ſequela, ſi ex creaturis reipſa exiſtentibus procederet; atqui modo ex illis ſub eſſe poſsibili, quod nihil eſt omninò extra Deum, procedere diximus. Nunquam enim illorum mihi placuit opinio, qui ſibi fingunt neſcio quod eſſe diminutum Creaturarum, productum à Deo ab æterno: Deindè nec valet ſequela, quia ſicut licet procedat ex cognitione eſſentiæ, non tamen re vera reſpicit illam, ita licet ex cognitione creaturæ procedat, non ſequitur reipſa referri ad eam; nimirum geniti ad principium, quod eſt relatio realis, non autem ad rationem quo, cuiuſmodi eſt cognitio eſſentię & creaturarum. 21.

Cùm igitur ſint plures diſsimilitudines, quàm ſimilitudines, cur Verbum diuinum dicimus, intelligendum noſtro ſimile eſſe & nõ potius diſsimile? Reſpon. quia omnes diſsimilitudines cõueniunt Verbo per accidens, ſimilitudines vero per ſe oſtendo id, quia diſsimilitudines cõueniunt verbo noſtro, quatenus in ſubiecto hæret imperfecto, hinc eſt, quod quantò id cui Verbum ineſt fuerit perfectiùs, tantò magis caret his diſsimilitudinibus: nam v.g. verbum quod Angelus efformat circa notitiam ſui, itemq; Dei notitiam, nullam habet ex ſeptem prioribus, ſed octauam, vel etiam nonam tantum diſsimilitudinem, & verò illas habet; quia in re finita, creataque reperitur: ſimilitudines porrò omnes conueniunt Verbo, quatenus Verbum eſt. 22.

Sectio V.

Deducitur ex dictis, Verbum, propriè de Deo affirmari.

Atque ex his, quæ tribus proximis ſectionibus dicta ſunt, ſequitur propriè Verbum dici de Deo, nec valet ſophiſma Porphyrij ex Theophy. in Ioã. Si enim, inquit, Filius Dei Verbũ vel eſt pronunciatiuũ, vel mẽtale, verum neq; hoc, neque illud, ergò neque Verbũ eſt. Reſpondet Theophy. in Ioan. mentale, & prolatiuũ Verbum de his, quę apud nos ſunt, & naturalibus dici conſueuiſſe: de eo aũt quod ſupra naturam eſt, nihil tale, quia impropriè, & metaphoricè Dei filio tribuitur nomen Verbi; nullum enim nomen proprium quis inuenerit dignum Deo. Sed Theophylactus accipit *Verbum* pro vi ſeu facultate loquendi, vt quidam interpretantur, vel vt ego puto, loquitur de Verbo, vt eſt in nobis, id eſt, quod inhæret, & eſt imperfectum; vel certè loquitur ſecundùm modum ſignificandi, non ſecundùm rem ſignificatam: nam quia nos imponimus nomina rebus, prout illas apprehendimus, non prout in ſe ſunt, hinc fit, vt eodem modo illas ſignificemus per nomina, ſcilicet imperfectè; hinc eſt, quod Patres paſsim affirmant, nec verè, nec propriè Deo conuenire ea nomina, quæ tamen ſecundùm omnium Theologorum ſententiam, de Deo propriè dicuntur, quod videlicet in Deo longè aliter ſignificent, quàm in rebus creatis, vnde ſumpta ſunt. ita Boet. 23.

Verbum propriè de Deo dicitur.

Digitized by Google

ibro de Trinitat. dixit, ſubſtantiam in Deo non eſſe veram ſubſtantiam. Auguſtin. libr. 5. de Trinit. cap. 10. ſub finem, cùm ſcripſiſſet quaſdam Cathegorias, ſeu prædicamenta de Deo propriè dici, ſubdit: ſi tamen de illo dici aliquid propriè ore hominis poteſt. Dionyſ. etiam cap. primo myſt. Theol. dicit: in Deo nec Filij, nec Patris rationem eſſe. Et Baſil. lib. 5. contra Euno. cap. 13. ait: nec filium, nec generationem, Deitatis nomen proprium, ſed ex humana ſimilitudine adductum, atq; idem eſſe de nomine Spiritus.

24. Itaque rectè in his D. Thom. 1. part. quæſt. 13. art. 3. diſtinctione opus eſſe dicit: nam aliud eſt id à quo ſumpta ſunt huiuſmodi nomina, ſeu modus noſtræ cognitionis; aliud res ſignificata, vt vita, verbũ, generatio; formale enim ſignificatum horum verè & propriè reperiri poteſt in Deo non admixtum imperfectionibus, cum quibus eſt in creaturis, & cum quibus ſignificatur à nobis, & cognoſcitur; modus aũt
25. ſignificandi, non reperitur in Deo. Reſpondeo ergò Porph. verbũ Dei nõ eſſe humanum, nec Angelicum, nec prolatiuũ, nec eſſe ſermonem artificioſum, verùm Dei Patris notitiam genitam, quam nomine Verbi iuxtà ipſius formale ſignificatum verè, & propriè ſignificamus. Poteſt enim hoc ſignificatum ab imperfectionibus cum quibus eſt in creaturis, & cum quibus cognoſcitur ſeparari ex ſe; quomodo non ſe habent illa nomina, quæ Deo metaphoricè tribuuntur, quorum ſignificatum nequit ſeparari ab imperfectionibus. Audi proinde Baſil. homil. in initio Euangel. Ioan. ſic monentem: vt cauti ſimus quomodo Verbum Deo tribuamus; quærit, inquit, mens noſtra quis erat in principio? Verbum, inquit, quale Verbum? Humanum ne an Angelorum? Sed & ipſius verbi duplex eſt ſignificatio. Alterum enim per vocem profertur, & hoc, poſtquam ad aërem prolatum eſt, perit. Alterum verò in cordibus noſtris diſpoſitum eſt, & mentis conceptus exiſtit. Eſt & aliud artificioſum verbum, ſiue ſermo artificioſus. Vide itaque ne te vocis
26. æquiuocatio fallat. B. Ignat. epiſt. ad Magn. 6. circa med. vocat Verbum *ſubſtantiam genitam*; ſed ſumit ſubſtantiam pro perſona homouſia, id eſt eiuſdem ſubſtantiæ vel naturæ, neque enim Patres Scholaſtico more loquuntur. Hæc de Verbo.

DIGRESSIO II.

De vnitate Dei, & pluralitate Diuinarum perſonarum, & earum emanationibus.

SECTIO I.

1. QVONIAM D. Ioan. multa de Verbo quod eſſet, ſcil. apud Patrem ſubſiſtens, quod ab illo diſtingueretur, eſſetq́ue illi coæternum, & Conſubſtantiale diſſeruit: æquum eſt ad melius ea percipienda, quædam in hac digreſsione dicere breuiter quidem & carptim, prout Scripturæ interpretem decet; neque enim rem hanc more Scholaſticorum tractare animus eſt. Sit igitur.

Propoſitio prima. Vnum eſſe Deum patet ex Scripturis. Deuter. 6. 4. & 32. 39. 2. Reg. 7. 23. 3. Reg. 8. 60. Eſai. 45. Marc. 12. 29. Ioan. 17. 3. 1. Corinth. 8. 6. ad Galat. 3. 10. ad Epheſ. 4. 6. 1. ad Timoth. 6. 15. Ratio naturalis idem demonſtrat, & quidẽ poſſet id probari ex infinito Dei intellectu, ex infinita Voluntate, ex infinita Bonitate, ex naturę, vel vt aiunt, eſſendi neceſsitate. Sed ego nunc tantùm petam argumentum ab infinitate abſoluta, quam Deo ineſſe ſaltem fide non dubitamus, & ab eius infinita potentia. Primò, quòd infinitũ eſt abſolutè excedi, ac ſuperari non poteſt; At perfectio, quæ poteſt numerari in diuerſis: in ſingulis excedi poteſt; maior eſt enim in pluribus, quàm in vno, vt Auguſt. l. 8. de Trinit. c. 1. aſſerit, vtq́ue ratio euincit: ergò ſi Deus quiddam eſt abſolutè infinitum plures Dij eſſe nequeũt. Secundò ex infinita Dei potentia: non poſſunt plures cauſſæ totales reperiri reſpectu eiuſdem
B effectus in eodem ordine cauſſæ. Deus autem, qui primũ efficiens eſt, & infinitam habet potentiã, cauſa totalis eſt euiuſq; effectus in ordine primæ cauſæ, plures igitur Dij eſſe nequeũt, alioquin eſſent plures cauſæ totales alicuius effectus in eodem ordine cauſſæ, vtpotè plures cauſſæ primæ totales: hoc aũt contradictionẽ inuoluere oſtẽdo. Sint cauſſæ illę, A, & B, ſi hic effectus ab, A: pendet tanquã à cauſſa prima totali, & ſi, B, non ageret produceretur; alioquin quo pacto, A, cauſa totalis eſt? quod ſi hic effectus abſq; actione, B, produci poteſt; non pendet igitur à B, eſſentialiter, tanquam à prima cauſſa: at penderet ſi, B, in ordine eſſentialiter ordinatorum eſſet primum efficiens, & infinitum. Hinc ergo clarè colligitur vnus Deus: hæ
C Oláuij rationes ſunt.

Propoſitio ſecunda. Vnum tradunt Scripturæ, & ratio ipſa naturalis Deum: at non ſolitarium, non otioſum, non ſterilem; docent id innumeræ Sacrarum litterarum auctoritates, ſed ſatis eſt has attuliſſe. Matt. 3. Marc. vlt. 1. Ioan. 5. Eph. 2. ſed idem ſuadent tres rationes ex Richardo primo de Trin. 4. & 3. c. 2. 3. 4. Prima. cùm Deus ſit ſummum bonum, collocanda eſt in eo perfecta, & ordinata Charitas, hęc in aliũ tendit, & quidem non in Creaturam: neque enim iſta ſummè potuit amari à Deo, niſi neglecto Charitatis ordine: in alium igitur tendet æqualem Deo, qui ſummi huius, atque adeò infiniti amoris capax ſit. Secunda. Cùm beatiſsimus ſit Deus, quippè ipſa felicitas, nec eo quidem nomine ſolitarius eſſe poteſt, ſic enim cũ
D ſocietate careret, nec iucundo frueretur amore, nam neq; etiam mutuo, qui ſolus voluptatẽ parit; alius autem qui ad felicitatem Deo eſt neceſſarius, Deus ſit neceſſe eſt, cum nullo qui non ſit Deus, Deo opus eſſe poſsit. Tertia. Poſtremò abundantiam infinitę perfectionis diffundere Deus, quia omnipotens eſt neceſſariò potuit, quia omnia ſciens ſciuit, quia aũt ſummè bonus voluit; ergo dicẽdum videtur ſuam hanc infinitam bonitatem & perfectionẽ communicaſſe alicui perſonæ, quæ ſit Deus, neque enim creatura capax eſt infinitatis.

2. *Non tamen ſolitarius, nec ſterilis.*

Hanc rem confirmat Patrũ authoritas: Damaſus enim ait in ſymbolo vnum Deum colimus, & confitemur, nec ſic vnum quaſi ſolitarium, nec eundem ſibi, qui ipſe ſit Pater, ipſe Filius. Auguſtin. lib. 99. vet. & nou. Te-

3.

ſtamenti

ſtamenti vnus eſt Deus, ſed nó ſingularis. Prudent. initio Pſycho. vnum namq; Deum colimus de nomine trino, tamen nó & ſolum, quia tu Deus ex patre Chriſte es: ſoluũtur ferè iſtæ rationes Richardi à Diuo Thoma 1. par. q. 32. artic. 1. ad 2. ne quis putet ratione naturali probari poſſe Trinitatem perſonarum in Deo; ſufficiunt quidem hæ rationes ſuppoſita fide pluralitatis perſonarum ſedare intellectũ, ſed non perſuadere non credenti; nam pluralitas perſonarum cum vnitate naturæ ſupponit pluralitatem relationum, pluralitas relationum pluralitatem proceſsionum: at, has, eſſe in Deo ex fide dumtaxat habemus: cùm enim intellectio, & volitio Dei ſit ipſius natura, non apparet quomodo poſsint eſſent productiones verbi & amoris, improductæ, cum ſint, atque adeò ipſiſsima Dei eſſentia: quod ſecus eſt in nobis vbi ſunt ab eſſentia diſtinctæ.

4. *Et eſt in eo generatio & proceſsio.*

Propoſitio tertia, ex ſecunda propoſitione, quod Deus non ſit ſolitarius, efficitur tertio loco dari in Deo generationem, proceſsionemque perſonæ, à perſona in eadem natura, neque enim aliter Deum, à ſolitudine vindicare poteris quod hac ratiocinatione cõfirmo: nam neque plures poſſunt eſſe Dij, ſed vnus omninò, neque aliter vna perſona ab alia diſtingui valet ſeruata vnitate naturæ, quam per relationes originũ, vel emanationum, & hoc eſt, antecedens. Igitur nequit intelligi in Deo multitudo perſonarum, niſi per emanationem, proceſsionemque; qua vna perſona ſuam naturam, eandemque numero alteri communicat, ſequela patet; & antecedens antequam probem, ſequenti interrogationi ſatisfaciam:

5. Si quis obiter poſcat rationem aliquam afferri, qua oſtendantur eſſe in Deo eiuſmodi emanationes, breuiter dicam: Poſſe, nos vtcumque oſtendere dari in Deo huiuſmodi emanationes, ſuppoſita tamen fide pluralitatis ac multitudinis perſonarum, hoc modo: fœcunditas eſt perfectio ſimpliciter, vt vocant, eſt igitur in Deo, ergò Deus per generationem, veramque alterius productionem, ſuam naturam communicat; hanc ſequelam probo, quia generatio, vel productio actus eſt fœcunditatis, & naturæ propriæ communicatio; eſt igitur in Deo & hinc efficiam eſſe in Deo perſonæ à perſona diſtinctæ emanationem ſecundùm eiuſdem Diuinæ naturæ ſimilitudinem: Probo iam antecedens, ſeu primam illam propoſitionem primæ ratiocinationis nu. 4. poſitæ: nam cùm in Deo non niſi vnica poſsit eſſe ſubſtantia, non apparet quomodo diſtingui valeant reipſa perſonæ, vnitate naturæ conſeruata, niſi inter eas ſit ordo originis: abſoluta enim in Deo nequeunt diſtinguere, quia ad ſubſtantiam pertinent, etſi perſonæ in Deo abſolutis diſtinguerẽtur, tota diſiderent ſubſtantia: relationes autẽ aliæ non videntur poſſe diſtinguere niſi quę oppoſitionem habent (omnia enim in Diuinis ſunt vnũ, niſi vbi obuiat relationũ oppoſitio) at hæ non videtur (ſi rectè ratiocinemur) aliæ eſſe poſſe, quam originum relationes. Sunt enim tantum tres modi relationum nobis hactenus perſpecti, originis, vnitatis, menſuræ. Reales porrò relationes vnitatis non habent locum in Deo, vbi eſt ſumma identitas trium perſonarũ cum natura: hinc enim eſt quod ſimilitudo etiam, & æqualitas ſint relationes rationis; & relatio menſuræ repugnat immenſo, neque vero originum diſparatis relationibus, vt vocant, ad diuerſos terminos productos diſtingui poſſunt, quæ nobis ſatis ſit attigiſſe: plura qui velit adeat Franciſc. Suarez lib. 1. de Trinit. c. 4.

Igitur non aliter, quàm per emanationes originis conſtitui in Diuinis poterit multitudo perſonarum reipſa diſtinctarum, cùm enim idem tota reclamante natura non poſsit ſe producere, ſed neceſſe ſit diſtinctas eſſe hypoſtaſes producentis & producti, conſtat ſi in Deo ſit proceſsio, non poſſe illam eſſe ſine reali perſonarum diſtinctione, quamuis in eadem natura, quod ordini vniuerſi conſentaneum eſſe oſtendit Richardus lib. 9. de Trinit. cap. 9. &c. 8.

Sectio II.

De eiſdem emanationibus, vel Proceſsionibus.

9. *Qualis ſit iſta proceſsio.*

Porrò hæc Diffuſio, communicatioq; naturæ, quàm ponimus in Deo, quamq; *proceſsionem* Diuinæ nominant Scripturæ Ioan. 8. *Ego à Deo proceſsi*, non eſt ea, qua effectus à cauſſa procedit, alioquin procedens, Deus non eſſet; neque eſt cum vllo motu corporeo coniuncta, vel cum mutatione, cùm rectè intelligamus actionem, ſeu communicationem alicuius eſſe reperiri poſſe, citra mutationem, id eſt, tranſitionem alicuius ab vno termino in alterum, quod facilè intelliges ſi animo concipias aliquod agens inueniri, quod det, atque impertiatur eandem prorſus naturam, quam habet, illamque nunquam incepiſſe, ſed reipſa ſemper cõſtitiſſe, ſic inueniſti actionem ſine mutatione, atque ita eſt in diuinis; nihil enim hic tranſit de vno in alterum extremum, cùm omnia actu intelligantur ſempiterno fuiſſe.

10. Eſſe autem hanc actionem ſpiritualem, & verò etiam intellectualem; docet D. Thom. q. 27. art. 1.

11. *Et quotuplex.*

Quod ſi ſciſciteris, quot ſint in Do proceſsiones; Breuiter reſpondeo, duas eſſe dumtaxat, & eas æternas, intellectus vnam; alteram voluntatis; cùm enim proceſsio æſtimetur in Deo ex actione immanente, actiones autem immanentes in natura ratione prædita (qualis citra controuerſiam Deus eſt) tantùm duæ ſint, nempè cognitio, & amor perinde nec plures, nec pauciores duabus in Deo proceſsiones conſtituere, neceſſarium fore putamus, immò vero certa, ac infallibili fide credimus, quarum altera verbum, altera Spiritus Sanctus procedit.

12. *Deus habet tantùm vnũ intelligere & velle.*

Iterum ſi à me petis, an in Deo plures, quàm duæ Perſonæ poſsint procedere? Reſpondeo, non poſſe, nam Deus non habet niſi vnum intelligere, & vnum tantùm velle. Ideò tantùm vnum Verbum & vnus Amor produci poteſt: neque enim vna numero actio plures, quàm vnum terminum habet. prætereà tota perfectio filiationis & ſpirationis paſsiuæ plenè, atque completè in Filio, & Spiritu ſancto, continetur. Vide D. Thomam 1. p. q. 41. ar. 6.

ſunt

Sunt ergò in vniuersum in Deo tres personæ, duæ quidem productæ, Verbum, & Spiritus S. & Pater improduct⁹ & innascibilis: quod verò persona improducta vna dari debeat, constat, alioqui daretur processus in infinitum, si semper esse deberet persona diuina ab altera diuina persona, nisi absurdissime dicas, Deum ab extrinseco principio pẽdere, quod nõ sit Deus. Non posse verò duas personas, & multò minus plures esse improductas, docet idem Suarez loco citato, præsertim à numer. 7. v. 11. 12. & seq.

13. Neque verò secundùm alia attributa, quia secundùm intellectũ, & voluntatẽ desumi potest processio Diuinarum personarum, nam in primis non secundùm potentiam; quoniam enim est principiũ agendi in aliud potentia; inde est vt secundùm eam possit rectè quidem sumi tantum processio ad extra, nulla vero ad intra, reliqua verò attributa ad essentiam, non ad aliquam operationem ad intra pertinent: consule D. Thom. q. 27. a. 50. ad 1. & 2.

14. *Durandus refellitur.* Quo fit vt nobis placere nequeant, qui cum Durando primo sent. d. 6. q. 2. affirmant ex fœcunditate Diuinæ naturæ existere has processiones: tum quia impropriè filius diceretur *Verbum*: Propria siquidem ratio verbi est, quod ab intellectu emanet, præsertim cum olim à Patribus, vt habet August. hær. 30. & Epiph. existimati fuerint quidam Alogi, vel Alogiani hæretici, dicentes, Verbum non propriè competere filio: tum quia si Filius & Spiritus S. immediatè procedunt ex Diuina natura vt natura est, nulla esse potest ratio cur sicuti Verbum est Filius, Spiritus item Sanctus nõ sit filius. Et verò dicere cum Duran. ideò Spiritum S. non esse filium, quia ab vtroq; procedit, cum filius ab vno sit; & ideò ille per modum voluntatis; hic per modum naturæ pullulet; præsertim cum Spiritus S. post Filij procedat emanationem. Hoc inquam nihil est, quia tũc nulla subesset ratio; cur ipse quoque Spiritus Sanctus à Patre proximè non procederet, sicut Filius; nec esset ratio, quamobrem posterior esset filio, cum æquè naturaliter procedat ex fœcunditate Diuinæ naturæ. Denique vix assignari posset caussa, ac ne vix quidẽ, cur duæ tantùm essent processiones in Diuinis, & non infinitæ potius: ita enim maior esset Diuinæ naturæ

15. fœcunditas. Per hæc tamen non nego, naturam esse fundamẽtum, & principium primum, vel remotum fœcunditatis: at ad agendum requiritur proximum Principium, id est, potentia generatiua. Vide quid habeat Caietan. q. 27. a. 5. contra Duran.

SECTIO III.

Proponuntur aliquot Obiectiones.

16. *Ex eo quod amor productus dicit intrinsecè ordinem processionis ad notitiam genitam, cõfiat etiam*

SED restat difficultas ex his, quomodo si nihil in Deo differunt intelligentia, & voluntas, & notitia, & Amor, fieri potest, vt Hypostases duæ re distinctæ inde processerint? explicat hoc D. Thom. qu. 27. art. 3. ad tertium declarans ordinem, quendam habere voluntatem, & amorem ad intellectum & notitiam, quia de ratione amoris est, vt non procedat, nisi à conceptione intellectus: Vnde fit vt inter amorem, & notitiam intellectus, sit ordo processionis, & originis relatio, ergò distinctio realis, licet inter potentias sit solus ordo rationis. Non enim vna potẽtia ab alia procedit; ordinem aũt hunc rationis, indicat D. Tho. cùm ait, ea quæ inde procedunt, procedere ab illis cum ordine; id enim quod est à voluntate, ab intellectus conceptione procedere habet: est ergo aliquis ordo inter potentias. Docẽt etiam quidam Scholastici in Deo perfectiones esse vnum re & ratione formali, virtute tamẽ plures esse: ita vt quælibet exerceat suũ munus, ac si distincta esset, atque adeò nil mirum, quòd quamuis vnum sint, possint tamen inde duæ hypostases re distinctę manare; quod patet exemplo solis, cuius efficientia vna est, & simplex, quia tamen virtute æquiparatur multis, non minùs benè illuminat, calefacit, exsiccat, decoquit, emollit, quàm si multis & differentibus facultatibus esset præditus: neque enim oportet eandem semper esse vnitatem eorum quæ sunt ab aliquo principio, & ipsius principij; nam ab essentia multæ sunt proprietates, ac vires, ex quacumque vi multæ operationes & habitus existunt, ex paucis principijs multæ conclusiones, vnus finis humanæ vitæ; sed quàm multorum expetendorum ratio ac principium est? & multa quæ aliquo posteriora sunt, ad vnum aliquod reducuntur, vt omnes patiendi potentiæ ad materiam, agendi ad Deum, in bonis vnum summum, in veris vnum primum, videlicet, quodlibet est, vel non est; inter actus vnus simplicissimus est, & purissimus, in necessarijs, vnum omninò necessarium, à quo omnis necessitas, in mobilibus primum vnum cœlum.

aliquo modo ordinem habere aliquẽ volũta. & intellectum inter se.

17. Ad hæc, licet vna virtus sit Solis, & nihil in ea prius, nihil posterius designari possit; ea tamen quæ per eam efficiuntur ordine quodam à sole progrediuntur: Illuminando enim calefacit, calefaciendo emollit ceram, vel exsiccat lutum. Sic concipe aliquo modo in Deo, omnes enim eius perfectiones in producendo ita se habẽt, ac si separatæ essent; & legitimum, intimumq; ordinem seruant inter se, licet intelligi ille ordo non possit à nobis citra distinctionem, cum re vera non ita sit, sed vt tantùm ibi rationis ordo est, ita & distinctio. Constat ergò ex his mirum non esse, si ab intellectu, & voluntate licet vnum sint, plures possint distinctæ Personæ procedere ordinem inter se originis habentes verum, veramq; distinctionem.

18.

19. Sed dices, ordo manantium ex cognitione & amore, inde necessarius est, quia ipsa cognitio, & amor ordine quodam inter se cohærent, nempè vt hic illam consequatur, quare si ordo eorũ, qui ex cognitione & amore procedũt ipsos distinguit, distinguet & Amorem à cognitione, cùm horũ ordo non minor sit, quã illorum: respõdet D. Tho. de Ver. q. 4. a. 7. ad sept. & ex eius verbis colligere est: In Deo non esse verum processum operationis ab operatione, vel operatore, cùm in Deo non distinguatur quod perficit, & quod perficitur, sed ipse sua substantia sit sua perfectio; hinc fit vt volitio, seu amor, & cognitio Dei sint ipsemet Deus.

quare

quare nec verus ordo, nisi rationis erit inter ista. verùm personæ intelliguntur procedere, postquam est perfecta Diuina substantia; ideò re distingui possunt, & ordine quodam inter se cohærere, licet ex actionibus emanent, quarũ in re ipsa nulla distinctio, nullus ordo possit esse; hinc fit vt quæ ratio tollit verum ordinem actionum inter se, non continuò tollat, & ordinem procedentium.

DIGRESSIO III.

Quod verbum Consubstantiale sit Patri, atque adeò Coæternum.

Sectio I.

1. HOc affirmauit Ioan. cùm dixit, *In Principio erat verbũ, & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbum.* Ideò id paucis declarare oportebit.

Christus patri consubstantialis.

Affirmo igitur verbum Deo Patri Consubstantiale, hoc est *Homousion* esse. Id primũ quidem ostendo ex eo, quod Pater de sua substantia Filium gignit; quod esse verum multis locis Augustinus docet, satis vnus instar omnium tom. 6. lib. 3. Contra Max. cap. decimoquarto, vbi inter alia: *Erratis*, inquit, *non intelligentes Scripturas, nec veritatem Dei, nullo enim modo Verbum Dei filium cogitatis, si eum natum esse de substantia Patris negatis*: ex Augustini igitur sententia, Verbum consubstantiale est Patri.

2. Sed aduerte non ita hanc locutionem esse recipiendam quasi substantiam Patris, velit dicere Augustinus esse materiam, vel quasi materiam in filij generatione, nihil enim hoc absurdius, cùm essentia formalis sit terminus generationis secundùm illud Ioan. 10. *Pater quod dedit mihi maius est omnibus*, verisimè tamen affirmat Filium de substantia Patris dici, & propriissimè si particula, *De*, originationem simul cum consubstantialitate significet: quia hoc pacto non erit Pater de substantia Filij, nec creaturæ de substantia Patris, cum in his consubstantialitas, in illo desit originatio.

3. Secundò confirmo eandem propositionem, quia verbum est DEVS, ergo consubstantiale Patri; patet antecedens ex illo, *& Deus erat verbum*: & 1. Ioan. 5. 20. *Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius, hic est verus Deus, & vita aterna.* ad Rom. cap. 9. 5. *Ex quibus est Christus secundùm Carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula Amen.* Ad Tit. 2. 13. *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri* IESV *Christi.*

4. Est tertia ratio Ioannis 10. 30. *Ego & Pater vnum sumus*, & 17. 10. *Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt*, & 1. Ioan. 5. *Hi tres vnum sunt*, igitur natura eadem, nec est quòd confugias ad ruinosum illud hæreticorum ædificium, vnum esse propter consensum voluntatis, non propter vnitatem naturæ, nam Christus Dominus confirmaturus, quòd oues sibi commissas nemo posset rapere, subiecit, Ioan. 10. 30. *Ego & Pater vnum sumus*, ad hoc autem non satis est Filium esse vnum consensione voluntatis cum Patre: nam hoc modo quilibet iustus vnum est cum Deo, & tamen de manu cuiuslibet iusti, multi possunt rapere, quæ sunt illis commissa. Igitur intelligendum id est de Naturæ vnitate, vnde fit vt eiusdem sint potestatis Pater & Filius, quare sicut nequit quis de manu Patris rapere oues, ita nec de manu filij. Nec verò curandum est, quod Erasm. calumniam inferat pluribus locis Scripturæ, eaque veluti enerue t, quæ Catholici pro *Homousio* afferunt, contra quem Episcopus Canarien. de Trinit. disp. prima, par. 2. disputat. Nobis sat erit quòd ea testimonia, quæ citauimus eodem sensu perpetuò sunt ab Ecclesia Catholica, & Sanctis Patribus intellecta. Ab Ecclesia autem Scripturas habemus, & ab eadem veram earum intelligentiam: Hinc Augustin. 1. de Trinit. cap. 4. ait, *Omnes, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate quæ est Deus; Diuinorum librorum veterum & nouorum Catholici tractatores hoc intenderunt secundùm Scripturas docere, quod Pater, Filius, & Spiritus S. vnus, eiusdemq; substantiæ, inseparabili æqualitate Diuinam insinuet vnitatem.* En Ecclesiæ, ac proinde Dei sensum,

5. *Erasmus subdolus Arrianorum patronus.*

Sectio II.

Quomodo soluenda sint argumenta Hæreticorum.

6. DIABOLVS per Arrium de Diuinitatis sede Filium deturbare innumeris modis est conatus, illud inculcans nefariæ Meretricis, *nec mihi, nec tibi.* Porrò argumẽta omnia, quæ Arrius adducebat ad confirmandam suã hæresim ex scripturis, docemur ex August. 1. & 2. lib. de Trinit. ex duabus regulis esse soluenda. Prima est, in Scriptura quædam scribuntur de Christo, quæ ad eius Maiestatem pertinent, quædã quæ ad humilitatem & subiectionẽ; priora competunt illi propter naturam Diuinam; propter humanam posteriora, vt cùm dicitur minor Patre. Est altera regula, quod quando de Patre affirmatur aliquid in Scripturis, quod ad eius AEternitatem, Diuinitatemq; pertinet, sed cum nota exclusionis, vt cùm dicitur, *Solus, Potens, &c.* per eam notã non excludũtur Filius, aut Spiritus sanctus, sed ea tantùm supposita, quæ alterius sunt naturæ. ita intelligẽdus Paulus cùm de Patre affirmat, quod *solus habet immortalitatem*. Sigillatim tamen si quis dissoluere velit, quæ ab impio Arrio obiiciebantur: Consulat Nazianz. 4. lib. de Theol. Epiphan. hær. 69. August. 1. de Trinit. quindecim enim scripsit, vt Hilar. 12. Cyrill. 14. quos Thesaurũ nominat. Victorinꝰ Apher Præceptor Hieronymi in Rhetoricis, 4. libros composuit.

Augustini regulæ contra Arrianos.

Sectio III.

Ostenditur contra Aphtotheanos, Filium à Patre essentiam habere, non à se.

7. QVAMVIS essentiam à Patre tulerit filius. non erit ille tamen essentiator, essentiatus iste. Contra ac argumentantur Autotheani, qui tradunt filium à se essentiam habere sicut & Pater. Alioquin, inquiunt, repugnaremus Concil. Lateran. decernenti essentiam, neque gigni, neque gignere,

Deus pater nõ est essentiator, nec filius essentiatus.

Digitized by Google

& cùm Filius dicatur *Iehoua*, quæ vox ab eo quod est *esse*, deducitur, non erit ab alio, sed à se Deus, atq; adeò *Aptotheos*, vel *Aptousios αὐτόθεος*, vel *αὐτόσιος*. sed ridicula sunt hæc, non enim genitam dicimus essentiam, sed datam, traditam, communicatam à Patre Filio prædicamus. Quomodo enim generaretur, quæ erat iam in Patre? aut vbi hoc didicerunt noui isti Philosophi naturam generari? Denique, si essentia genita, aut generans est, cum ea tribus personis communis sit, omnes personas & genitas, & generantes oporteret esse.

8. Vnde patet etiam quomodo non possit dici *essentiatus* filius, & quomodo etiam possit dici: dici namque essentiatus potest, quod essentiam ab aliquo acceperit, non essentiatus quod ea quam accipit essentia ab alio non sit, vel genita, vel producta, sed se ipsa est. Hinc Eusebius, primo Ecclesiast. Histor. cap. 3. & Pachimer. Interpres Dionysij, Filium *Vsimenon*,

9. hoc est essentiam vocant; Cui nihil obest nomen *Iehoua*, licet significet id, quod verè, propriè, necessariò, independenter est. Possidet enim essentiam, quæ se ipsa est & necessariò, & à qua sunt omnia, non tamen illam omnes personæ à se ipsis possident, sed Filius à Patre, Spiritus sanctus ab vtroque. Neque ideò

10. precario Deus est Filius, quia nō est minus naturale Patri producere, quàm Deum esse, vel patrem esse: neque voluntaria, aut libera Dei fœcunditas est, sed naturalis, ergò, si *αὐτόσιον* filio placet adscribere, nō quòd vsiam à se habeat, sed quòd subsistat Vsia, quæ se ipsa est, à nullo alio dependens; non repugno: nam iuxtà hunc Intellectum vetus Oraculum interpretor apud Iustinum Martyrem in expos. legimus enim prolatum de Deo; soli Caldæi, & Hebræi sapientiam nacti sunt castè à se genitum Regem Deum colentes.

Sectio IV.

Obijcitur contra verbi generationem, & eius Coæternitas declaratur.

11. SI ita dicas, quomodo verbum Patri est coæternum, si ab illo genitus est? nam homo filius à patre homine genitus, necessario est ipso posterior. Igitur & cum filius dicatur à Patre genitus, non poterit illi esse coæternus, & prædicat tamen Ioannes, illum semper fuisse apud Patrem. In promptu est solutio. Principiū prius duratione est eo, cuius est principiū tribus nominibus, vel quia præcedit tempore actionem illam, qua producit rem, cuius dicitur esse principium, vel quia actio non simul est, sed progressu temporis succedit, & absoluitur; Terminus autem actionis non est ante finem eiusdem actionis, vel denique quia voluntate principij decernitur ac præscribitur quando futurum sit initium durationis rei: Sicut cùm Deus voluit, mundum condidit. At nihil horum planè inuenire est in æterna Verbi generatione; neque enim generationis huius principium anteceſsit generationē. Cùm enim Verbi generatio sit quasi intelligibilis conceptio, sicut non potest mens non ligata, & à materia abiuncta esse sine conceptu, & cogitatione, ita non potuit Pater esse sine Verb generatione. Multò verò minus verbi generatio successiua esse potuit, nam alioquin verbum prius fuisset informe, quam formatum, ostenderetur que vel hinc infirmitas & impotentia. Denique nec tertium hic habet locum cum Pater filium non voluntate genuerit, vt blasphemabat Arrius, sed naturaliter; non ergò fieri potest vt Pater à se genitum filium præcedat. Huius rei si aliquod exemplum 12.
vtcumq; habere velis esse poterit lux & splendor inde procedens naturaliter, eodemque momento. Si ergò lucem æternam concipias, etiam illi coæternum splendorem habebis. Quo nomine Paulus filium nominat, & Ecclesia canit, filium à Patre, tanquam *lumen de lumine* procedere, quod exemplum mirum est, quàm faciat ad Coæternitatem indicandam, sicut ad Consubstantialitatem demonstrandam, nomen *filij*: Vt autem ostendatur in nullo Filius à Patre disimilis, rectè *imago* nominatur, sicut & *verbum*, vt indicetur eius generatio ab omni prorsus materia seiuncta.

Sectio V.

Licet Verbum Deus sit, sicut & Spiritus sanctus, vnus tamen est Deus.

QVAMVIS tres sint Personæ in Diuinis, quarum quælibet est Deus, non tamen tres, sed vnus est Deus. Declaro. Hæc in Deo nulla ratione repugnant, vt tres vnum sint respectu diuersorum. Cùm enim tres vnum esse dicimus, affirmamus personarum, negamus verò substantiæ multiplicationem: assueramus identitatem Naturæ, personarum inficiamur: & vt planiùs hæc intelligantur, aduertas necesse est: aliud esse, tres Personas esse tres Deos (quod concedendum non est.) aliud singulas personas verè esse Deum. Nam licet iuxtà Catholicum sensum concedamus tres esse Personas, & singulas esse Deum: Non tamen ob id rectè inferis, ergò tres Dij, sed tantùm vnus Deus; est enim hoc à diuisis ad coniuncta ratiocinari. Ac si dicas; Fons, riuus, & fluuius sunt tres. Fons, riuus, & fluuius, sunt aquæ; fons igitur, & riuus, & fluuius, sunt tres aquæ. Vitium autem in eo est, quod tres in prima propositione notat subsistentias, in conclusione autem ad substantiam violenter trahitur. Ita cum de personis singulas aio DEVM esse, verum dico. Sunt enim Deitatem habentes eandem. Similiter de ijsdem verè affirmo tres esse, quoniam certè tres Personæ sunt. Cæterùm cum infertur, ergò sunt tres Dij, consequentia nulla est. Vt enim sint tres Personæ, satis est multiplicatio triū incommunicabilium rationum, licèt natura, & esse nō numerentur. Porrò vt tres sint Dij multiplicétur necesse est cum rationibus incōmunicabilibus etiam natura & esse, sicut Petrus & Paulus sunt duo homines, eò quod numerentur naturę. Quod autem in Diuinis sint tres personæ non vna, fit 14.
ex numeratione, vt dixi, triū dumtaxat rationum incommunicabilium: est enim vt Pater

ingeni-

Filius Dei Patri coæternus quomodo.

13. *Deus quo modo trium & vnus.*

ingenitus, ita filius genitus, & Spiritus sanctus procedens. At quòd non sint tres Dij, hoc ab vnitate essentiæ habent. Quod verò in creaturis numquam reperiatur numerus personarū sine multitudine naturarum, prouenit vel ex diuisibilitate materiæ, vnde existit diuisio, seu separatio essentiarum, vel ex finitate naturæ, vnde fit vt diuisas essentias sortiantur. At Deus & expers est materiæ, neque vllis clauditur terminis.

DIGRESSIO IV. MORALIS.

In ea verba vers. 3. *Sine ipso factum est nihil.*

POst Scholia, Theorias, & Digressiones, quæ ad verborum, & literalis sensus præsertim intelligentiam pertinent, vel ad rerum tractationes varias; præstat postremò ea subnectere, quæ ad mores vel sensum mysticum pertinent.

1. *Peccatum nihil est.*

Et primùm quidem reuertamur ad eam Augustini expositionem, qua per *nihil*, peccatum intelligit, cùm Ioannes ait, *Sine ipso factum est nihil*: hæc enim expositio licet non sit ad Ioan. fortasis mentem, moribus tamen nostris accommodatissima est. In primis aduerte has tres propositiones esse inter se valdè connexas. *Omnia per ipsum facta sunt. Verbum caro factum est. Sine ipso factum est nihil.* Si rem hanc aptè ad mores consideremus. Ita enim se habent, vt tertia sit veluti finis secundæ, sc. Redemptionis. Nam finis cur Verbum caro factum est, vnus hic est (neq; tamen solus est) quia sine ipso factum est nihil, id est, peccatum. Cur autem Verbum potius sit factum Caro; si conuenientem rationem assignare velimus, & congruentem, hanc assignabimus, quia omnia per ipsum facta sunt, quare dicebat vt per ipsum restaurarentur omnia.

2. *Et quomodo*

Sed quomodo peccatum nihil est? sic accipe. Fecit omnia Deus, & quæ fecit bona sunt. hinc fit vt malum culpæ nihil sit, cùm à Deo factum non sit. Omne enim quod est aliquid, à Deo est. Neque verò velim intelligas ita peccatum nihil esse, vt nullo modo sit, sicut de chimæris & negationibus sentimus. Dicitur ergo nihil esse, vt Scholastici loquuntur, *priuatiuè*; habet enim se sicut cœcitas, & priuatio visus, nihil enim aliud est peccatum quàm eius boni priuatio quædam quod deberet inesse. Cùm igitur omnis priuatio ad non esse ducat, quàtò pluribus priuat bonis, tantò magis ad nihilum subiectum trahit. Si ergò mente concipiatur, aliquam esse priuationem, quę omni bono hominem carere faciat, meritò illa dici posset ad nihilum hominem redigere aliquo saltem modo. Atqui huiusmodi est læthalis culpa, quæ homine Deo priuat. Deus enim omne bonum est, vt Moysi dictum est: *Ego ostendam tibi omne bonum.* quid ergo boni esse potest in eo, à quo discesit Deus, id est, omne bonum? Hinc est, quod cùm Samuel interrogaretur à Saule, respondit: *Quid me interrogas, cū Dominus discesserit à te?* quasi dicat; quid ego tibi possum præstare? quid reliquum tibi est boni? Vgo in Abdiam, in ea verba: *erunt*

3.

A *quasi non sint, qui enim*, inquit, *perit ei, qui est, & qui dicit ad Moysen, qui est misit me ad vos, secundùm Scripturæ regulam, non esse dicitur.* & verò etiam Helter 14. ait, *ne tradas Domine sceptrum tuum ijs qui non sunt*, id est, peccatoribus, & infidelibus, propterea Greg. Iob. 18. in illa verba: *habitent in domo socij eius, qui nō est*, ita interpretatur, & per eum *qui non est*, intelligi diabolum velit: nam qui à Deo seiunctus est per culpam, per quem omnia sunt, & subsistunt, quasi ad non esse tendit.

Diabolus quomodo nō esse dicitur.

At inquies, natura manet in peccatore; fateor: quia malum non potest esse, nisi in bono subsistat; rectè tamen peccatum redigere dicimus hominem in nihilum: tum quia totam gratiæ vitam funditus delet, ac perdit: tum quòd quantum ad illud bonū, quod est Deus, & totum, ac verum bonum est; totum aufert

4. *Peccatum hominem in nihilum redigit.*

B bonum. Denique quamuis naturam non omninò tollat, inficit tamen, destruit quodammodo illam, quia inutilem prorsus efficit, vt meritò peccatum fulmini comparetur, quod relicta vagina gladium in cinerem vertit: sic peccatum animæ bonum relicto dumtaxat corpore, veluti infecto ac tabido, & prorsus inutili, tamquam fœtido sepulchro dissipat, & perdit.

5. *Peccatori bona naturæ nihil prosūt.*

Et verò nihil proderunt ad salutem bonæ naturæ, quæ peccator habet, fit enim peccato totus homo inutilis, iuxtà illud Ezech. 15. *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis? numquid vtile erit ad opus?* nimirum tantum in ignem proijci potest. Palmiti namque conuenit aut ignis aut vitis. *Si in vite non est, in igne erit*; hinc est, vt ne

C oculos quidem habeat peccator ad videndum recta & honesta, sustulit enim eos peccatum, nam & quamuis oculos fidei habeat, non sequitur tamen quæ fidei consentanea sunt, neque aures possidet, vt iusta audiat: non manus vt bona operetur: non pedes ad rectè incedendum. Si Prælatum illum constituas; cui nam optimo exemplo erit? Si ministrum, quomodo poteris securus esse? *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt*, & quidem his accedit, quòd bona omnia si cum diuino bono conferantur, nihil esse videbuntur, nihil igitur verè boni habet, qui Deum non habet; Deus est in anima, vt hęc in corpore, tolle animam, quid erit corpus? Stercus. quare Deut. 28. quàm vile quid, & abominabile sit peccator, his diris & imprecationibus indicatur: *Maledictus eris* (scelestum hominem alloquitur) *in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ; maledictus fructus ventris tui, maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens.* Itaque omnia peccata maledictioni, anathemati, & perditioni sunt obnoxia, quin etiam ipsi peccatoris labores frustra sunt, & in cassum: *dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis.* Hinc est quod Sap. 5. Impij conqueruntur, & expostulant inter se: *Lassati sumus in via iniquitatis, quid nobis profuit superbia & diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Constat igitur ex his peccatum nihil esse, vt proinde non immeritò dixerit Prophęta: *Ego in nihilum redactus sum.* Psal. 72. 22.

6.

Digitized by Google

DIGRESSIO V. MORALIS

In vers. 10. *Mundus per ipsum factus est.*

1. *Mundus instar libri expansi.*

MVndus hic in modum libri expansus est, nobis omnibus ad legendum expositus, quò pertinere potest, illud Psalm. 103. *qui extendit cœlum sicut pellem*: erat enim mos olim, vt scriberent in pellibus, quæ complicabantur, & extendebantur. Significat ergò Dauid cœlos esse vt librum expansum in morem pellis explicatæ: in hoc libro, qui est eius Auctor, Deus sua impressit opera planè admiranda, quasi quosdam caracteres, omnes quidem miramur ea quæ inscripta sunt, sed aliqui vt stulti, aliqui vt docti, aliqui vt ignari sensuum, aliqui vt ea comprehendentes quæ scripta sunt. Solent illi apices ac picturas in libro intueri, illisque dumtaxat oblectari, isti sensum veriantur sub caracteribus, ac scriptura reconditum, illum etiam suspiciunt, & admirantur: sunt enim qui more stultorum in creaturis sistunt, ibi hærent, solam ex ipsis voluptatem capiunt, numquam oculos altius extollentes. At sapiens qui est, & intelligentia pollet, Creatorem in creaturis agnoscit & laudat: & sese in sublime attollens per eas magnis itineribus ad Deum contendit. In scala Iacob Angelorum alij ascendebant, descendebant alij; id cernere est in his, quasi creaturarum gradibus, quidam enim homines per eas, quasi per quasdam scalas ad Dei cognitionem amoremque conscendunt, & hi sapientes sunt: Alij stultorum in modum in creaturarum cupiditatem, & vesanum amorem, & vero etiam more idololatrarum, in earum cultum tanquam bruta animatia feruntur, vt rectè huc quadret illud Sap. 14. *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.*

2.

3. Porrò ad extremum iudicij diem, complicandum hunc librum docet Esa. 14. *& complicabuntur sicut liber cœli*, nam cùm complicatur liber, latent, quæ intus sunt, ita tunc cadente mundo, lux, quæ nunc aurea fulget, auferetur, desinet motus, rerum pulchritudo intercidet, quæ Dei prius potentiam, magnificentiam, pulchritudinem, & sapientiam ostendebant: *Inuisibilia namq; Dei*, inquit Paulus, *à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellectu conspiciuntur.* Vgo de S. V. lib. 7. Dida. cap. 1. ostendit quæ in hoc libro legere debeamus. Tria sunt, inquit, inuisibilia Dei, de quibus Paul. *Inuisibilia Dei, &c.* Potentia, Sapientia, Benignitas, ab his tribus procedunt omnia, in his tribus consistunt omnia, per hæc tria aguntur omnia. Potentia creat. Sapientia gubernat. Benignitas conseruat, quæ tria sicut in Deo vnum sunt, sic in operatione separari non possunt. Potetia per benignitatem sapienter creat, Sapientia per potentiam benignè gubernat, Benignitas per sapientiam potenter conseruat. Potentiam manifestat creaturarum immensitas, scil. multitudo, & magnitudo. Sapientiam decor. Benignitatem vtilitas, hæc Vgo.

ria Dei uisibilia.

5. Cùm verò addit idem auctor, *Omnia per ipsum facta sunt*, & omnia ipsum ostendunt. Intellige non qua trinus est, sed qua vnus, bonus, omnipotens, &c. Trinitas siquidem vel pluralitas personarum ostendi per mundum, & creaturas non potest, hæc enim potius indicant vnitatem: sunt namque à Deo creaturæ qua vnus est. Illustrari id hoc exemplo poterit, si quis videat pulchram aliquam picturam, conijcere is quidem poterit artificis insignis manum, quam ipsa picturæ pulchritudo, bonitas, & venustas exposcit. Processerit enim oportet à bono pictore, vel artifice. An verò pictor ille Italus fuerit, vel Hispanus necne, nequaquam cognoscere poterit is qui picturam inspicit, neque enim illa à pictore est vt Italus, vel Hispanus est, sed ab illo tantum, qua bonus pictor est, exijt. Ostendunt igitur creaturæ eodem modo sua bonitate Dei bonitatem; multitudine, ac magnitudine potentiam; suo etiam modo vnitatem, quatenus ab eo vt vnus est egrediuntur. Cæterùm, non Trinitatem cùm non sint à Deo, qua trinus est.

A

B

C

D

6. *Differentia inter Deum & homines in quibusdã attributis.*

Obseruanda est hic differentia inter Deum & homines in his attributis Potentiæ, Sapientiæ, &c. vt notat Vgo ibidem c. 15. Homo namque cùm vult multa facere, nequit magna: & si vult magna, non potest tamen multa: nam cùm multitudini vacat, non potest ita singulis vacare, & cùm magnitudini studet, retardatur à multis, cùm suum conatum vni tribuat; quod si vacare potest multitudini, & magnitudini, certè pulchritudini non potest: nam qui multa facit & magna, sæpè deformia necesse est faciat, vt artifex cùm vestes construit multas. Quod si in pulchritudinem etiam animum intendat, sæpè numero minus vtilia facit. At in opere Dei, neque multitudo magnitudinem minuit, nec magnitudo multitudinem stringit, neque simul magnitudo & multitudo pulchritudini officit; neque hæc vtilitatem tollit. Sed sic facta sunt omnia, quasi facta sint singula, vt cùm vniuersa aspexeris, singula mireris.

DIGRESSIO VI. MORALIS

Adhuc de mundo.

1. *Tria in mũdi fabrica cõsideranda.*

DIuus Bernardus serm. 3. in die Pentec. *Tria*, inquit, *in magno huius mundi opere considerare debemus, videlicet, quid sit, quomodo sit, ad quod sit constitutus; & in esse quidem rerum inæstimabilis potentia commendatur, quòd tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sint creata, sanè in modo ipso sapientia singularis elucet, quòd hæc quidem sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatissimè sint locata. Si verò ad quod factum sit mediteris, occurrit tam vtilis benignitas, tam benigna vtilitas, quæ etiam ingratissimos quosque multitudine & magnitudine beneficiorum possit obruere; potentissimè siquidem ex nihilo omnia; sapientissimè pulchra; benignissimè vtilia sunt creata. Verumtamen & fuisse nouimus ab initio, & adhuc multos esse videmus in filijs hominum, qui in bonis inferioribus sensibilis Mundi huius tota sensualitate depressi totos se dederunt his quæ facta sunt; quonam modo, vel ad quid facta sint, negligentes. Quid istos nisi carnales dicemus? paucissimos iam arbitror, le-*

2. *Philosophorum veterũ inane studiũ*

gimus tamen nonnullos quandoque fuisse, quibus summum studium fuit, atque vnica sollicitudo modum & ordinem inuestigare factorum: adeò vt pleriique non modo vtilitatem rerum perquirere dissimulauerint, sed & ipsas magnanimiter spreuerint, cibo parcissimo, vilissimoq; contenti. Ipsi siquidem se Philosophos vocãt, sed à nobis curiosi, & vani rectius appellantur. Vtrisque igitur successerunt viri prudentiores, qui nimirum, & quæ facta sunt, & quomodo facta sunt transilientes, intenderunt aciem mentis: vt ad quid facta sunt, viderent: Nec latuit eos quoniam omnia propter semetipsum fecit Deus, omnia propter suos; aliter tamen propter se, aliter propter suos; In eo quippe quod dicitur, omnia propter se, praueniens commendatur origo: In eo autem quod dicitur omnia propter suos; magis exprimitur fructus sequens; Omnia fecit propter semetipsum gratuita scilicet bonitate; Omnia propter electos suos, pro eorum scilicet vtilitate, vt illa quidem efficiens causa sit, hac finis: hi sunt spirituales viri, sic vtentes hoc mundo, tanquam non vtentes; sed in simplicitate cordis sui quærentes Deum, ne illud quidem magnopere inuestigantes, quonam modo mundialis hac machina volueretur: Primi voluptate, secundi vanitate, tertij veritate impleti: hęc Bernar. Pererius in Gen. li. 1. in ver. 31. ostendit mũdi bona septem, quæ eius perfectionem declarant. Primum bonum est Varietas rerum. Secundum, Ordo & illarum dispositio. Tertium, earum Plenitudo. Quartum, miranda omnium inter se partium connexio. Quintum, Sympathia, & Antipathia, quæ inter res aliquas reperitur. Sextum, pulchritudo illarum ac inter se proportio. Septimum, suauis earum prouidentia & administratio, illum vide.

D. Thom. p. 2. q. 102. a. 4. ad 4. dicit; totum hoc vniuersum repræsentatum olim fuisse illo Moysis tabernaculo. *Distinguebatur*, inquit, *Tabernaculum in duas partes, in vnam, quæ vocabatur Sancta Sanctorum, quæ erat occidentalis, & alia quæ vocabatur sancta, quæ erat ad orientem. Item ante Tabernaculum erat atrium. Pars igitur illa quæ Sancta Sanctorum dicitur, figurabat seculum altius, quod est spiritualium substantiarum. Pars verò illa, quæ dicitur sancta, exprimebat mũdum corporalem, & ideò sancta à sanctis sanctorũ distinguebatur quodam velo, quod quattuor coloribus erat distinctũ, per quos quattuor elementa designantur, scil. bysso, per quod designatur terra, quia byssus, id est, linum de terra nascitur. Purpura, per quã significatur aqua, fiebat enim purpureus color ex quibusdam cõchis, quæ inueniuntur in mari. Hiacyntho per quem significatur aer, quia habet aereũ colorem. & Cocco bis tincto, & hoc significatur ignis: hoc ideò quia materia quatuor elementorum est impedimentum, per quod velantur in nobis incorporales substantiæ, & ideò in interius tabernaculum, id est, in Sancta Sanctorum solus summus Sacerdos, & semel in anno introibat, vt designaretur hanc esse finalem perfectionem hominis, vt in illud seculum introducatur. In tabernaculum verò exterius, id est, sancta introibant Sacerdotes quotidie, non autem populus, qui solum ad atria accedebat, quia ipsa corporalia populus percipere poterat. Ad interiores autem rationes soli sapientes per considerationem attingere possunt.* Hæc ille. De Mundo item vide Glossæ magnæ auctorem in apparatu in Gen. Tom. 1. ferè initio.

3. 4. 5. Mundus repræsentatus Moysis tabernaculo.

A

CAPVT II.

GENERATIO IESV CHRISTI HVMANA, ET GENEALOGIA TEXITVR PER SALOMONEM AD D. Ioseph.

A. I. I.

1. *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abraham.*
2. *Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius.*
3. *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron, Esron autem genuit Aram.*
4. *Aram autem genuit Aminadab; Aminadab autem genuit Naasson; Naasson autem genuit Salmon.*

B

SCHOLIA.

Intentio Euangelistæ.

C

DVplex est Christi generatio, diuina vna; altera humana, & hæc iterũ duplex, altera per Salomonem, ad D. Ioseph deducta, hãc Matth. hic explicat: Altera per Nathan vsque ad D. Ioachimum B. Virginis parentem, de qua Luc. cap. seq. diuinam docuit Ioannes cap. 1. Porrò D. Matthæi mentem in hoc capite paucis comprehẽdit, sic Euthym. in Matt. olim promiserat Deus Abraham, & Dauid, ex semine ipsorum nasciturum esse Christum: cùm autem Auditores essent Iudęi, nouerant illas promissiones. Itaque vt Ioannes verè Dei filium testatus est, ita Matth. curauit illũ non modo verum hominem, sed Messiam in lege promissum ostendere, quod & initio pollicetur, ita scribens, *Liber generationis filij Dauid, filij Abraham.* 1. Generatio Christi duplex.

Porrò in tres, vt Hieronym. vocat, Tessaradecades, hic generationis liber tribuitur; quater enim denos continet viros quælibet tessaradecas: De qualibet ergò tessaradecade, & quatuordecim illius viris, seu progenitoribus agit Matth. in hoc secundo de reb. Euang. cap. huius lib. primi. 2.

D

V. I. *Liber generationis Iesu Christi*] id est, *liber*, seu catalogus, & enumeratio eorum, à quibus Christi genealogia processit, vt Gen. 5. 1. *Liber generationis Adam, &c.* vbi series genealogiæ ab Adam, vsque ad Noe texitur, Heb. Sepher. & videtur significare lib. in quo aliquid dignum memoria recensetur, subintelligitur vero, *hic est*; hinc colligere est, & Christum ex semine Dauid esse, & verum hominem, quæ duo permagni ad fidem Messiæ faciunt. 3.

Iesu Christi] Vtrumque simul credendum; nam quis est mendax, nisi qui negat, quod Iesus est Christus? 4.

Hæc prima verba; *Liber generationis Iesu Christi*, continent titulum huic tantum capiti, non toti libro præfixum.

Filij Dauid, Filij Abraham] Vtrumque ad Christum videtur referendum, vt idem & filius Dauid, & filius Abrahãm intelligatur: nam ex eorũ progenie speciatim nasciturum Christum promissum erat. Sed multo melius est, vt vox *Dauid* referatur ad, *filij Abraham*, vt & Christus Dauidis filius, &

Digitized by Google

Dauid Abrahæ censeatur. nam recentior, specialiqr, & honorificentior facta est hæc promissio Dauid; vnde passim *filius Dauid dicebatur.*

3. 2. *Iudam, & fratres*] non meminit fratrum Isaac, vt fratrum Iudæ, quia non ex illis, sed ex istis Iudæi descendebant, & hi, non illi ad semen electum pertinebant.

6. 3. *De Thamar*] cùm Gen. 38. dicatur, *Fornicata est Thamar nurus tua*, non videtur excusari posse à peccato, quare Hieronym. Matth. 1. docet Christum, qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nasci voluisse, vt omnium peccata deleret, lege etiam Augustin. libro vigesimo secundo contra Faustum cap. 64. cur Zaram meminit, cùm per Phares descendat Christus, vide theoriam 6.

7. *Genuit Esrom*] Hebr. *Hezron* legunt. Fuit & alius Hesron filius Ruben, Exod. 6. 14. & Esrom nomen loci in finibus Iudææ. Hieron. de locis Hebr.

8. 4. *Aram*] vocatur & *Ram*, apud Hebr. de hoc Ruth. 4. 19. 1. Paralip. 2. 9. 10.

Aminadab] videtur is in Aegypto obijsse, alioqui si fuisset superstes, cùm populus ex Aegypto discessit; non Naasson filius, *Princeps tribus Iudæ* appellaretur, sed ipse, lib. 1. Paralip. cap. 2. & num. c. 10. 14.

5. Salmon autem genuit Booz de Rahab, Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. Iesse autem genuit Dauid Regem.

6. Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ.

7. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa.

8. Asa autem genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam.

9. Ozias autem genuit Ioatham. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam.

10. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Iosiam.

11. Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius.

Scholia.

9. 5. *Salmon*] dicitur hic natus in deserto, & fuisse vnus ex duobus illis exploratoribus. Ios. 2. 1. exceptis Iericunte in domo Rahab, quam in vxorem duxit in ingressu terræ promissionis.

10. Non videtur verum, Obed natum esse ex Booz tempore Eli, alioqui cum Salmon duxerit Rahab meretricem (vox Heb. *Zonah*, significat, *quæ vendit cibum*, & est mulier cauponaria, sed hæ solent esse meretrices) quo tempore terram promissionis Israel ingressus est, vt videtur haberi ex Iosue c. 6. 25. & inter ingressum in terram promissionis Israel, & Pontificatum Eli plusquam 300. interfluxerint anni, oportuisset Salmonem anno ætatis circiter 150. genuisse Booz, & Booz eadem ætate genuisse Obed, vt numerus 300. annorum expleretur, neque tamen credo, Booz fuisse Abesam, de quo Iud. 12. 8. vide theor. 7. vbi hæc fusius declarantur.

11. *De Rahab*] ex hac, & Ruth gentilibus mulieribus, ex illa propter misericordiam & humanitatem, ex hac propter pietatem erga socrum nasci Christus voluit, vt ostenderet etiã ad gentiles saluãdos venisse, & similiter ex peccatorib. vt ostenderet, se peccatores nõ dedignari. Fuit ducta à Salmone Rahab post conuersionem, cùm desijsset esse meretrix, & gentilis, quod non est prohibitum, Deut. 7. 3. & Exod. 34. 16.

12. *Obed autem*] obserua Booz, Obed, Iesse centenos, aut eò amplius annos natos fuisse, cùm filios à D. Matth. memoratos genuerunt. lege theori. 7.

Iesse] qui & *Isai.* Regem] scilicet primum de tribu Iuda, propterea enim solus ipse *Rex* hoc loco dicitur.

6. *Quæ fuit Uriæ*] non dixit *Bethsabee*, vt ostenderet natum Salomonem ex Bethsabee, non iam coniuge Uriæ, sed vera coniuge Dauid, quasi dicat, ex ea quæ fuerat coniux Uriæ, sed cùm genitus est Salomon, erat coniux Dauid. hactenus de prima tessaradecade.

13. 7. *Salomon autem*] A Salomone incipit secunda Tessaradecas, & Babylonica captiuitate terminatur. D. Hieron. tom. 3. epist. 132. ad Vitalem, videtur opinari Salomonem genuisse Roboam, & Achaz Ezechiã ante annos pubertatis. Sed in Theor. 8. ostendemus Salomonem quidem prætergressum adolescentiam Roboam genuisse; Achaz verò ante pubertatis annum 14. genuisse Ezechiam.

14. 8. *Oziam*] Hic omissi tres Reges, videlicet, Ochozias filius Ioram, Ioas, & Amasias pater Oziæ, vide 4. Reg. 8. 24. & 11. 2. & 12. 21. & 14. 2. & 1. Paral. 3. 11, 12. & 2. Paral. 26. 1. omnes autem qui ab aliquo descendunt, filij eius dici possunt, vtrum nomine *Oziæ* Matth. Ochoziam intelligat, an potius Azariam, non est omnino notum; nomen enim *Oziæ* & *Ochoziæ*, & Azariæ tributum legimus, videntur hi prætermissi, quod Matth. in Christi genealogia tres tantùm tessaradecades ponere visum est; quod si addidisset hos, numerum tessaradecadis excessisset. Aliter Aug. 99. vet. & nou. test. 9. 85. tom. 4.

15. 11. *Iechoniam*] Maldo. putat legendum *Ioacim* loco *Iechoniæ*, sed de hoc consule, quæ in theoria 10. disseruimus.

Verior expositio est, quod Iechonias primo loco positus, finis est secundæ Tessaradecadis, posteriori initium tertiæ, & ille est pater dictus *Ioacim & Eliacim*, hic filius primi, dictus etiam *Ioachin*, ideò non curauit Matth. cùm nouam inchoaret tessaradecadẽ, repetere; *Iechonias autem genuit Iechoniã*, seu (quod idẽ est) *Ioacim genuit Iechoniã*, sed cũ vtroq; vterq; nominari nomine posset, veluti inchoãs nouã tessaradecadẽ, dixit, *Iechonias*, nempe prioris filius, *genuit Salathiel*. vide etiam Hier. Matth. 1. in theoria X. inuenies alias expositiones.

In transmigratione Babylonis.

12. Et post transmigrationem Babylonis.

Scholia.

16. IN *transmigratione Babylonis*] id est, instante transmigratione, ita vt *Tò in* idem sit, ac *ante*, seu *prope*, vt Gen. 2. *Compleuitq; Deus in die septimo*, hoc est, *ante diem septimum*, ex Rabbi chimi; hinc LXX. habent, *In die septimo*, Exod. eriam 12. dicitur, *In primo die non erit fermentum*, id est, prope diem primum, seu instante die primo azymorum. Vocatur autem transmigratio, quæ fuit tempore Ioachin: Hîc v. 11. finis est secundæ Tessaradecadis; nam versu 12. ponitur initium tertiæ Tessaradecadis. Diuisit enim Matth. hunc catalogum in tres tessaradecadas, vt triplicem populi

17.

ſtatum ſub Iudicibus, Regibus, Ducibus, vel Sacerdotibus deſignaret, licet non omnes perſonæ, quæ in ſingulis ponuntur teſſaradecadibus, ſint vel Reges, vel Iudices, vel Duces; tãtum per has tres teſſeradecades, intelligi voluit tres illuſtriores populi Iſraelitici mutationes. Nam prima ab Abraham ducens initium, & in Dauidem deſinens, trãſitum docet à Iudicibus ad Reges; ſecunda à Salomone, in tranſmigrationem deſinens; à Regibus ad captiuitatem Babylonicam; tertia, à Iechonia principium ſumens, quod tempus Duces, & Pontifices habet, in Chriſto terminum ſortita eſt, atque adeò oſtendit mutationem à lege ad Euangelium.

18. Sic autem habent hæ teſſaradecades, primæ hę ſunt perſonę quatuordecim; 1. Abraam, 2. Iſaac, 3. Iacob, 4. Iudas, 5. Pharez, 6. Eſron, 7. Aram, 8. Aminadab, 9. Naaſſon, 10. Salmon, 11. Booz, 12. Obed, 13. Ieſſe, 14. Dauid Rex, conſtat ergo 1.14. generationibus, id eſt, 14. progenitoribus, ſeu perſonis generatis.

Secũdæ Teſſaradecadis, 1. Salomon; 2. Roboam; 3. Abias, 4. Aſa; 5. Ioſaphat, 6. Ioram, 7. Ozias, 8. Ioatham, 9. Achaz, 10. Ezechias, 11. Manaſſes, 12. Amon, 13. Ioſias, 14. Iechonias, id eſt, Ioacim.

Tertiæ Teſſaradecadis, 1. Iechonias, qui & Ioachin. 2. Salathiel. 3. Zorobabel, 4. Abiud, 5. Eliacim, 6. Azor, 7. Sadoch, 8. Achin, 9. Eliud, 10. Eleazar, 11. Mathan, 12. Iacob, 13. Ioſeph, 14. Ieſus Chriſtus Dei filius.

19. Bene autem notat Gagnæus; Matthæus, qui de publicano in ſupremum Eccleſiaſticæ dignitatis gradum, Euangeliſtæ videlicet, euectus eſt, ab humanitate; & imbelli Chriſti infantia, hiſtoriam texere aggreſſus eſt; per omnes humilitatis & ignominiæ ſemitas, ad ſummam Reſurrectionis gloriam illum euehendo.

20. 12. *Poſt tranſmigrationem Babylonis*] Babylonicę captiuitates, vel translationes Regum Iuda filiorum Ioſiæ, tres ſunt, prima ſub Ioacim; ſecũda ſub Ioachin, 4. Regum 24. 2. Paral. 36. Ezech. 40. 1. Tertia, quæ propriè dicitur captiuitas, vel potius deſolatio, ſub *Sedecia* (ſic enim vocatus à Nabuchodonoſor, cùm primum *Mathanias* vocaretur, nouo ſcilicet nomine, in ſignum dominatus impoſito) iſte anno octauo ſui regni ob ruptum fœdus obſeſſus eſt Hieroſolymis à Nabuchodonoſor, ſed poſtea fugato Pharaone, qui veniebat; vt opem Sedeciæ ferret, anno 9. Sedeciæ, iterum obſeſſa eſt Ieruſalem, & anno 11. eiuſdem Sedeciæ capta, & incenſa eſt, Ierem. 34. & 25.

Sedeciæ nomen mutatum à Nabuchodonoſor.

21. D. Hieron. Ezech. 1. ſignificantius inquit, dici *tranſmigrationem Ioachin*, quam *captiuitatem*. In Hebræo tamen *Golah*, ſiue *Galuth tranſmigrationem*, ſiue *captiuitatem* ſignificat: vnde non videtur ſeruari diſcrimen inter tranſmigrationem; & captiuitatem, quod Comeſtor in hiſtor. ſchol. 4. Reg. 39. ponit, cui fauet Hieron. loco cit. eſt enim *tranſmigratio* Ioachin, quia ſponte ſe tradidit; captiuitas eſt poſtea per vim facta; & non ſpontanea, vt Sedeciæ tempore. Porrò Ioſias ante primam tranſmigrationem obijt genito Ioacim. Itaque ſi cùm dicitur, ver. 11. *In tranſmigratione*, accipiamus tranſmigrationem factam tempore Ioachin, vt videtur exponendum (nam hæc dicitur propriè *tranſmigratio*, vt vult Comeſtor) tunc cùm dicitur hic, *& poſt tranſmigrationem*, eodem modo ſumemus tranſmigrationem pro ſecunda, quæ fuit tempore Ioachin: ſi verò ſumamus tranſmigrationem eodem verſu 11. pro tertia, tunc tamen hic, quàm ibi eodem modo ſumere debemus, ſcil. pro eadem tertia. Porrò inter natalem Ioacim & ipſam tranſmigrationem ſub Ioachin, quæ fuit ſecunda, 36. anni interfuerunt, & tres menſes. nam eſt facta ſecunda tranſmigratio tertio menſe Ioachin 4. Reg. 24. 8. 12. erat autem 25. annorũ Ioacim, cùm cœpit regnare, & 11 annis regnauit. 2. Paral. 36. 5. Quia verò Ioachin 18. annos natus regnare cœpit, 4. Reg. 24. 8. ſequitur neceſſario ipſum Ioachin natum fuiſſe ante primam tranſmigrationẽ; & ideò cùm v. 11. dicitur, Ioſias in tranſmigratione genuiſſe Iechoniã, expoſuimus, *inſtante*, & eodem modo Iechonias, id eſt, Ioacim genuit Ioachin, *inſtante*, vel *prope*, vel *ante trãſmigrationem*, non modo ſecundam, verùm etiam primam.

Pradus noſter in cap. 1. Ezech. v. 2. ſcribit: quinquies Reges Iuda filios Ioſiæ eſſe captiuos ductos à Barbaris, ſemel in Aegyptum, quater Babylonem, in Aegyptiaca captiuitate capt" eſt Ioachaz filius Ioſiæ tertio menſe Regni, in cuius locum ſuffectus Eliacim, vel Ioacim à Pharaone 4. Reg. 23. 2. p. 36. In prima Babylonica Ioacim tertio anno regni captus fuit; ſed tributarius Nabuchodonoſor factus in regnum reſtitutus eſt, 4. Reg. 24. Dan. 1. iterum poſt 3. annos rebellauit, & tãdem 11. anno captus à Babylonio eſt, & proiectus beſtijs, 4. Reg. 24. 2. p. 36. Dan. 1. Principes porrò Regni, robur exercitus in Babylonem migrarunt, de Iuda quidem 3000. vt Hebræi tradũt; de reliquis tribubus 7000. Itaque hanc Ioacim captiuitatem, quã nos primã nominauimus inter Babylonicas, videtur Pradus ſecundam facere. Tertiam dicit eam, quæ fuit ſub Ioachin, cum quo translatus eſt Ezechiel. Quartã, numerat eam, quæ accidit 11. anno Sedeciæ, quibus ſi addas illam Aegyptiacam primo loco poſitam, quinque erunt captiuitates ſecundùm illum. Poſſumus & nomine *tranſmigrationis* omnes tres vel quatuor Babylonicas comprehendere, ſemper autem v. 11. cùm dicitur *in tranſmigratione*, interpretabimur *inſtante*, vel *imminente tranſmigratione*, vel ita vt *Tò*, in, ponatur loco *ante*, vel *prope*, quod idem eſt.

Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel.

13. *Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor.*

14. *Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud.*

15. *Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob.*

SCHOLIA.

Iechonias genuit Salathiel] hic inter octo eius filios 1. Par. 3. 17. fuit natu ſecundus, dicitur autem *ſterilis*, Hier. 22. 30. quia nullus ex eius filijs regnauit; nam Chriſtus nõ temporale regnum gubernauit; & rexit. Genuit autem, poſtquã ab Euilmerodach fuit eductus, è carcere trigeſimo ſeptimo anno tranſmigrationis, 4. Reg. 25. 27. qua ratione fieri poterit, vt eius nepos Zorobabel vſque ad templi inſtaurationem vixerit, & rediẽs ab exilio princeps fuerit; 1. Eſdræ c. 2. & c. 3. & c. 5. v. 2. & l. 2. 12. 1. Aduerte quod is qui *Zorobabel* 1. Paral. 3 nominatur, non idem eſt cum altero horum, de quib. Matth. & Lucas ſcribunt: præterea qui 1. Eſdræ c. 5. *Zorobabel* nominatur; eundem eſſe cum eo, cuius meminit Matth. probabile tantum eſt.

26.

27.

16. *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus; qui vocatur Chriſtus.*

17. *Omnes itaq; generationes ab Abraham*

vsque ad Dauid generationes quatuordecim: & à Dauid vsq; ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim: & à transmigratione Babylonis vsque ad Christum generationes quatuordecim.

SCHOLIA.

28. 16. *Iacob autem genuit Ioseph*] Ioseph non genuit Christum, nec vllum habuit filium, fuit enim virgo, hic tamen numeratur, quod pater fuerit Christi hominum existimatione, & verè vir Deiparæ Virginis. Quare dicendi modum mutauit D.Matth. non enim dixit, *Ioseph autem genuit Christum*, sed *Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.*

Obserua Deiparam simul cum Ioseph locum tenere vnius tantùm generationis, vt cùm dicitur, *Dauid genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ*, Dauid, & Bethsabee loco vnius generationis sunt.

29. *Qui vocatur Christus*] Χριστὸς græcè, *vnctum* cùm Latinè significet, qui Heb. *Messias* dicitur, rectè de Christo subdit Matth. *qui vocatur Christus*, id est, qui vt verè est, ita habetur à vulgo verus Christus, & Messias, vt iam alium etiam Iudæi Christum nō expectarent, lege Tol. in Ioannem To.1.c.1.annot. 75. vel *vocatur*, sumitur pro, *est*, nempe *Messias est*. Vide theo.4.initio.

30. Dubitabis, cur Matth. texuerit Ioseph genealogiam, cùm ille nihil ad Christum pertineret? Respond. D. Matth. voluisse nos colligere necessaria consecutione, ex eo quod Ioseph, cui nupserat D. Maria vera Christi mater, ad familiam Dauidis pertinebat, pertinuisse etiam ad eandē familiam Beatiss. Virginē coniugē eius, ac proinde Christū. D. namq; Maria primogenita erat, & vnica hæres parentum suorum Ioachimi & Annæ; quia ergo ad illam hæreditas pertinebat, non poterat nubere viro, qui non esset de Tribu, atque adeò de familia eadem, in qua ipsa numerabatur iuxta legem, quæ habetur num.36.6.7. *Omnes viri ducent vxorem de tribu & cognatione sua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familijs*; quæ lex locum habet in ea muliere, quæ paternę hæreditatis hæres sola est. Quod ex subiūcta ratione colligitur, ne hæreditates quæ Dei arbitrio inter eas tribus ac familias æqualiter fuerāt
31. distributæ, perturbarentur. Hactenus quidem declarauimus rectè, quomodo Ioseph genealogia ad Christum pertineat: sed restat adhuc dubitatio secunda, cur potius per D. Ioseph, quam per B. Virg. progenitores deducta sit hæc genealogia, ita vt rectà ad B. Virginem tenderet. Item dubitari potest, an D. Matth. per solas naturales generationes peruenerit ad Iacob verum patrem Ioseph, de his ne modum Scholiorum excedamus in theorijs disseremus.

A

THEORIÆ ALIQVOT IN CAPVT II.

THEORIA PRIMA.

De D. Matthæo.

CVM de D. Luca, occasione prooemij, & de D. Ioāne occasione diuinę Christi generationis explicatæ, iam dixerimus, sequitur vt de Matthæo etiam disseramus propter humanam generationē Christi ab eo descriptam cap. præcedenti.

Matthæus, vt Hieronymus testatur lib. de Script. Ecclesiasticis, primus Euangelium scripsit. Secundus Marcus. Tertius Lucas. Postremus scripsit Ioannes. Irenæus lib. 3. cap. 1. Romæ Petro, & Paulo Euangelium prædicantibus, in Iudæa suis potissimū popularibus scripsisse affirmat, quod si verū est, oportuit scriptum esse hoc Euangelium minimū anno Domini 44. Petrus enim eo anno, hoc est, secūdo Claudij, post ascensionem Christi 11. Romam venit; Paulus verò non ante tertium Neronis annum. Quare credibilius est, quod Eusebius habet in Chronico scriptum Euāgelium Matthæi anno 3. Caligulæ Imperat. qui Claudium præcessit, anno videlicet Domini 41. iuxta Euseb. Idem Theophyl. sentit, octauo videlicet anno post Christi ascensionem scriptum; licet Nicephor. lib. 2. hist. c. 45. scribat Matth. suum Euangelium scripsisse anno post Christi ascēsionem 15. Sed verius est quod Theophy. affirmat, Marcum 10. post annis ab ascensione, Lucam 15. Ioannem 32. suum Euangeliū edidisse. At Matth. 8. dumtaxat post annis scripsisse.

Euseb. lib. 3. cap. 24. histor. scribit Matth. primo Hebręis prędicasse, verum cùm pararet transire ad gētes, patria lingua scripturam cōposuisse, & ea quæ prædicauerat, comprehendisse, ijsque ad memoriam reliquisse, à quibus proficiscebatur ad gentes. D. Chrysost. hom. 1. in Matth. asserit Matth accedentibus ijs, qui ex Iudæis Christo crediderant, & rogantibus, vt quæ verbis docuisset, hæc eis in literis seruanda dimitteret, Euangelium primum scripsisse.

Ex quibus patet & quo tempore, & qua occasione Euangeliū ediderit, &c. Porrò hebraicè scripsit, sic Hier. lib. de scriptoribus Eccles. & Isaiæ 6. Oseæ 11. Præfatio Euangelij ad Damasum Papam, qui in lib. de viris Illustr. Pantenum, ait, ex India Matth. Euangeliū hebraicis litteris scriptum Alexandriam attulisse. Et quidem Euseb. lib. 5. hist 20 ait, D. Bartholomæum Euangelium Matth. hebraicis litteris scriptum. apud Indos reliquisse, inuentum postea á Panteno. Athanas. in synopsi dicit, Matt. euangelium hebraica dialecto conscriptū est à Matthæo, & editū Hierosolymis, & interpretante Iacobo fratre Domini secūdùm carnem, expositum, qui & primus à Sanctis Apostolis Hierosoly. Episcopus constitutus est. Sed huic cōmuni opinioni opponit se Caietan. qui tam Euangeliū Matthei, quàm epistolam ad Hebr. negat cōscripta esse hebraicè, hoc argumento; quod authores eorū interpretentur verba hebræa, quæ Hebræis non licebat interpretari.

B

C

D

1. *Matthæus quando Euangelia scripserit.*

2.

3. *Et qua lingua.*

4. *Caietani obiectio.*

Paul.

Paul.enim cap.7 *Melchisedech* interpretatur, & Matt.cap.1. *Emmanuel* & c.27.*eli eli lamma sabacthani*? Respondent passim, illas interpretationes ab interprete Græco additas esse, alioqui si ratio hæc valeret, concluderemus, libros Geneſis, & Exod. nō fuisse hebraicè scriptos, quoniam Genes.35.18. interpretatur scriptor, *Benoni*, id est, *filius doloris mei*: & *Beniamin filius dexteræ*, & cap.31.48. nomen *Galaad* exponitur, & 5. Exod.12. *Phase, &c.* Cæterùm hęc responsio, licet vera; non semper tamen habet locum, proinde vt intelligamus vtrum interpretationes, quas in nostra vulgata editione viderimus, aut in quauis alia, scriptoris ne sint, an interpretis, notandus est hic Canon, quem assignat Ribera in procemio epist.ad Hebræos: cùm ponitur interpretatio vocabuli eius linguæ, qua primum liber ille scriptus est, semper ferè illa interpretatio erit interpretis; non scriptoris. si verò sit alterius linguæ, scriptoris est, non interpretis, v.g. Geneſis hebraicè scripta est, si vocabulum hebraicum interpretatum videas, non scriptor, sed interpres id fecit, vt in *Beniamin* & *Benoni*, & Exod.12. in *Phase*, & 16. in *Manhù*, & Matth.cap.1. in *Emmanuel*, & cap.27. *eli eli lamma sabacthani*: At Marcus c.15. qui vel Græcè, vel Latinè scripsit, cùm eadem, hebraicas voces scilicet: *Eli Eli lamma sabacthani* interpretatur, non interpretis, sed ipsiusmet auctoris ea est interpretatio. Idem dicendum cum cap. 14. & Paulus ad Galat.4 *Abba Pater*, interpretatur. idem etiam Ioannes 1. *Messias* interpretatur & *Cephas*, & *Rabbi*: 6. verùm canon iste intelligi debet de interpretationibus, quæ tantū interpretationes sunt, non de interpretationibus, ex quibus argumenta desumuntur, etiamsi detrahantur, aliquid integritatis scripturæ, & sensui auctoris adimeretur; pura enim interpretatio si detrahatur, nihil detrahit de sensu scripturæ, vt patet in *Benoni*, *Phase*, &c. At secus est de loco, ad Hebræos, Pauli, in nomine *Melchisedech*, nam ex eo quod *Rex iustitiæ* est, & *Rex pacis*, iuxta interpretationem nominum, Melchisedech Regis Salem, probat Apost. eum figuram esse Christi. Itaque si demas interpretationē aliquid de sensu dempseris, vide Rib. n.10 & seq. sit ergo positum Hebraicè Matth. 7. scripsisse. De eius Euangelio agit S.Hieron. de scriptoribus Ecclesiast. & in Matth.cap.2. vbi meminit de Nazaræis: qui se authenticū Euangeliū Matthæi habere profitebantur, & Epiph. in Panor.hær.29. de eius inuentione vna cum corpore S.Barnabæ scribit. Theod. lector lib. 1.collect.Niceph.lib.16.c.37. Alex.Mon. in vita S.Barnabæ & alij recentiores.

8. Apud Hyppol. lib. de 12. Apostolis, legi Matth. factum victimam virginitatis, alludente nimirum auctore ad historiam de S Iphigenia virgine, quæ legitur in actis eius ab eo Deo dicata.

9. De vita ipsius Clemens Alexand. in pædag. lib.2.cap.1. hæc ait; Matthæus Apostolus seminibus, baccis, atque oleribus, absque carnibus vescebatur, vide Baron. in martyr.21.Septembris. Quod verò Euangelium Nazaræorū non non illud ipsum Matthæi Hebr. sit docet Barra.lib.1.c.18. Restat tantum de Marco dicere, quod Deo vitam nobis præstante, vbi se primum obtulerit occasio, vt ex eo aliquid ponamus in hac hist. faciemus, quod erit l.2.

A

Cæterùm Matth. hoc habet commune cum Marco & Luca, quod moralis est magis, eaque potissimùm pertractat, quæ ad humanitatem Christi pertinent, nec alia narrare voluisse videtur, quàm quæ Dominus publicè se gerens pro Messia, fecit, & docuit, & ideò nihil attigit quæ vel primo anno & in Iudæa ante vltimo relictam Galilæam gesta sunt à Domino; nam prædicante Ioanne, primo annō fermè latuit; nec ita se gessit publicè pro Messia in Iudęa, nisi post vltimo relictam Galilæam in solemni ingressu in Ierusalem. Vnde factum vt festorū non meminerint, quibus Dominus sæpè iuit Hierosolymam, & vt ita ea, quæ in Galilęa gesta sunt, narrent tres isti Euangelistæ, vt ex eis deprehendi sæpè facilè non possit, quid post hoc, aut illud festum gestum sit, aut quot annis Dominus docuerit: quæ Ioannes diligenter est persecutus. Hoc verò habet peculiare Matth. quod potissimum doctrinam spectasse videtur, in qua explicanda prolixior est, & eam libenter anticipat ac præponit; in miraculis, & rebus gestis succinctior. Marcus obiter doctrinam inspersisse videtur: prolixior in miraculis, & rebus gestis. Lucas inter, vtrumque graditur. Denique Matth. præter anticipatam doctrinam, vix quicquam est, in quo seriem historiæ non seruauerit, adeò vt nullum singulare miraculum inueniatur narrasse ordine præpostero.

B

10. *Matthæus qualia de Christo scripserit.*

11.

C

THEORIA II.

Quanti referat ad fidem, Christi generationem tenere.

1. QVoties, inquit Beuxamis, de hęrede quęritur, vt rerum possessio, cuius sit, intelligatur, edunt illi origines generationum suarum, qui sibi ius vendicant, & hanc vtique legem Tertullianus libr. de præscript. contra hæret. ita vsurpat, vt excludat Marcionem, Cherinthum, & cæteros hæreticos, à fidei & sacrarum litterarum possessione. *Ad quos*, inquit, *meritò dicendum est, qui estis, & vnde venistis? quid in meo agitis, non mei? quo denique Marcion, iure syluam meam cædis? qua licentia, Valentine, fontes meos transuertis? qua potestate, Appelles, limites meos commoues? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo. Habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res.* Et hoc vtique iure Matth. Iesum Messiam esse confirmat, ipsius generationes assignans, non quod à parentibus, à quibus secundùm carnem natus est, hæreditatem Ecclesiæ & Messiæ nomen allecutus sit, sed quod à Deo per Prophetas ex illorum progenie repromissus esset.

D

2. Verùm quæritur quomodo Matth. generationem Christi aggrediatur, cum Esa. clamet, *Generationem eius quis enarrabit*? Respondet, Hieron. in Matth. Euangelistam, non esse Prophetæ cōtrarium, nā quod ille impossibile dixit effatu, hic narrare incipiat, quia ibi apud Hai. de generat. diuinitatis hic de Incarnat. est dictū. Idem habet Aug. l.2. de cōsen. Euang.

Digitized by Google

cap.1. hoc enim exordio suo satis ostendit generationem Christi secundùm carnem se susceпisse narrandam, secùdùm hanc enim Christus filius hominis est, quod etiam sæpissimè appellat, commendans nobis, quod misericorditer dignatus est esse pro nobis. Nam illa superna, & æterna generatio, secundùm quam vnigenitus Dei filius est ante omnem creaturam, omninò ineffabilis est; sed & & ipsa temporalis generatio, non omninò exprimi potest. Idem Hieron. *à carnalibus*, inquit *incipit Matth. vt per hominem Deum discere incipiamus*; itaque sicut Moyses Geneseos librum edidit, quo mũdi, cœli, astrorum, piscium, volucrũ, demùm hominis creationem explicat, à cælo verò & terra auspicatur. Ita Matth. istius orbis renouationem & reparationem narraturus per Christum, à Christi generatione exordiтur. Noua enim omnia per eum sunt reddita, noua Ecclesiæ sacramenta, lex, sacrificium, noua etiam nostra per Christum in aqua, & Spiritu sancto generatio. ita enim Deus per Esa. 65. dixit, *Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouã, & non erunt in memoria priora. non ascendent super cor, sed gaudebitis & exultabitis vsque in sempiternũ in his, quæ ego creo, &c.* Permagni autem refert veritatem assumptæ carnis primo statuere ad fidẽ, quod egregiè sanè Tertul. l. 9. cõtra Marcionem declarat: *nam si mendax esse caro deprehẽditur, sequitur vt & omnia quæ per Christi carnem gesta sunt, mendacio gesta sint, congressus, contactus, conuictus, ipsa quoque virtutes.* & post: *Nihil enim passus est, qui non verè est passus: euersum est igitur totum Dei opus, totum Christiani nominis & pondus, & fructus. mors Christi negatur*, & postea: *negata verò morte, dum caro negatur, nec de Resurrectione constabit, &c.* & paulò post: *proinde resurrectione Christi infirmata, etiã nostra subuersa est.* Nam sicut illi, qui dicebant, Resurrectionem mortuorũ non esse, reuincuntur ab Apostolo ex resurrectione Christi: ita resurrectione Christi non consistente, auferetur & mortuorum resurrectio. Atque ita inanis est & fides nostra, inanis & prædicatio Apostolorum. quod idem declarat Tertull. lib. de carne Christi, at verò Christus mori missus, nasci quoque necessario habuit, vt mori posset, nõ enim mori solet nisi qui nascitur. Mutuum debitum est inter se natiuitati cum mortalitate. Forma moriẽdi causa nascendi est. Hinc Tertull. occurrit his qui assumptam à verbo carnem comparabant ijs corporibus quæ assumunt angeli, quæ tamen nata non sunt. *Non venerant*, inquit, *mori, ideò nec nasci*; habemus igitur ex his veritatem omnium mysteriorum pendere à veritate carnis Christi, & à vera hac generatione temporali.

THEORIA III.

In illa, ver. 1. *Liber Generationis.*

1. HEbraicè *Sepher Hotoldoth liber generationum*, subintelligitur, *hic est*; putat Aug. l. 2. contra Faust. c. 6. hunc esse titulum totius libri sumptũ ab eo, quod initio narratur, sicut *liber Geneseos* nuncupatur, quod initio eius libri, narratio Generationis rerum contineatur iuxta morem Hebraicum, vt quidam inquiunt, D. Thom. Lyran. Carth. At, is mos non videtur esse Hebræis tribuendus; ij enim potius à primis verbis libros nominant, quàm à rebus de quibus ipsis initijs agunt. Ac proinde Genesis ab Hebræis *Bereſith* vocatur, id est, *In principio*, Exodus, *Veelle ſemoth*, id est, *& hæc nomina*, Leuiticus *Vaicra*, id est, *& vocauit*, quod ab his dictionibus initium habeant hi libri; reliqua nomina, quibus nũc vocamus hos libros, Græcorum sunt.

2. Alij qui *generationem* accipiunt pro toto vitę cursu, qua significatione dicitur *Noe perfectus in generationibus suis*, id est, omnibus vitæ suæ partibus, atq; ita erit sensus: liber seu narratio vitæ & gestorum Iesu Christi.

3. *Libri nomine apud Matth. quid intelligendum.* Sunt qui malint huic dumtaxat capiti, non toti libro, hunc esse præfixum titulum; nam moris est Hebræis, vt aliquando *librum* pro catalogo, Genealogia, vel enumeratione, breuique aliqua schedula vsurpent, quod etiam significat nomen Hebræũ *Sepher*, quo D. Matth. vtitur, neque enim longum tantum volumen, sed breuem etiam quandam scripturam, seu instrumentum publicum significat, vt haberi potest ex cap. 32. Ierem. vbi pro *libro* Hebraicè est *Sepher*. Eodem modo liber sumitur Genesis 5. *Hic est liber generationis Adam*, id est, Catalogus, seu enumeratio eorum, quos Adam genuit, sic etiam dicitur *liber Repudij*. Hanc expositionem amplexati sunt Abulen. c. 1. in Matth. Ianse. & alij non pauci. Itaque sensus hic erit: *Liber generationis Iesu Christi*, id est, hic est liber seu Catalogus, & enumeratio progenitorum, ex quibus Iesus Christus secundùm carnem est genitus, vel eorum, à quibus Christi genealogia processit. Et hæc interpretatio optima est.

4. Possumus etiam dicere Matth. vsurpasse vocem *libri* (quæ vt dixi, instrumentum etiam publicum significat, quo res gestæ Regum, aut annales temporave describũtur à publicis notarijs aut scribis) vt indicaret firmitatem, perpetuitatem, veritatemque rei exarandæ, quam significationem habet liber., de quo Ieremias 32. 10. *Scripsi in libro, & signaui* (vt publica auctoritate muniretur) & deinde *dedi librum possessionis Baruch*. Sic Iob, *quis mihi tribuat vt scribantur sermones mei? Quis mihi det vt exarentur in libro?* nimirum volebat sanctissimus vir publica fide signari, vel excipi, & conseruari suos hosce sermones.

5. Aduerte ex Augustin. sermone 16. de Natali Christi, quod Christi generatio attulit reliquis omnibus generationibus salutem. Fuerant enim in orbe tria generationis genera sine viro & fœmina, Adami; sine fœmina, Euæ, ex fœmina, & viro, omnium nostrum. At quarta quæ fuit Christi, ex immaculata virgine, fœmina quidem, sed sine viro, reliquis omnibus vt vides salutem & gloriam attulit. Vide ibi Augustinum. Huc Card. Hugo accommodat illud Genes. 15. *Generatione quarta reuertentur huc*, generatione quarta reuerterũt filij Abraham in Palæstinam è captiuitate Aegyptiaca liberati, & generatione Christi quarta, nimirum ea, quã ex August. quartam diximus, filij Adami reducti sunt in gratiam Dei, dæmonis seruitute soluti.

Ric car-

6. Riccardus Victo. lib.1. de Emmanuel.p.1. c.12.de sexu ait, fortiori fragilior producitur, quando de Adam Eua formatur: sic status statum sequitur, & meliori sublato deterior subintroducitur. Prior fuit ante peccatum. Secundus post peccatum; hic autem è conuerso de infirmiori sexu fortior gignitur, quando de altera quasi Eua, quæ verè est mater omnium verè viuentium, Secundus Adam generatur. Sic hic post vnũ statũ alius exurgit, & deteriori melior succedit; & prior quidẽ ante resurrectionẽ, secũdus post resurrectionẽ. Itaq; generatio Christi innuit statum hũc deteriorẽ, in quem decidimus, mutandum esse in meliorem, atq; adeò cælestem; sicut illa productio imbecillioris ex fortiori Adamo oppositum significabat.

THEORIA IV.

In reliquam partem eiusdem ver. 1.

1. *Iesu & Christi nomina Saluatori nostro conuenire.*

IESV CHRISTI] Cyrill. Hierosolymitan. cathe.10. *Iudæi quidem,* inquit, *concedunt & illam esse Iesum, Christum verò negant, atqui vtrumque simul credendum & confitendum est.* Ideò dicit Apost.1. *quis est mendax, nisi qui negat, quod Iesus est Christus.* Et quidem si prærogatiuas vnctionis antiquæ consideras, illas omnes, sed perfectissimè in Christo reperies, vngebãtur Prophetæ, & ille Propheta est, quem Deus suscitauit de fratrib. Israelis, vt præcinuit Moyses, vngebantur Reges: ille verò Rex Regum est, & Dominus dominantium, vngebantur Sacerdotes, & ille in æternum Sacerdos est secundùm ordinem Melchisedech.

2. Idem Cyrill. ostendit, quonam modo Iesus præ cæteris nomen *Christi* habeat dum ait: *non ex corporea successione accepit Sacerdotium, nec factitio oleo vnctus est, sed tanto excellentius alijs, quanto hic cum iureiurando factus est Sacerdos.* Idem docet Damasc. lib. 3. de fide orthod. c.3. sic:

3. *Christi* porrò vocabulum personæ esse dicimus, vt quod non vnimodè dicatur, sed duplicem naturam significet. Ipse enim se ipsum vnxit, corpus videl. diuinitate sua vngens vt Deus; vnctus autem vt homo, quandoquidem ipse & hoc, & illud est. Vnctio porrò humanitatis est diuinitas. Hisychius lib.2. in Leuit. c.8. ita scribit, & quidem vnctio illa spiritualis nobis cum Christo communis est, & non communis; communis quidem participatione ipsius Christi, a quo dicimur *Christiani*; non communis autem, quia inæstimabili quadam sublimitate excellit Deus hominẽ. & gratia in qua ei communicamus; propterea vnguntur quidem simul cum Aaron filij eius, sed nõ talia in eis, qualia in Aaronis vnctione aguntur. Cernis enim quemadmodum præcipuè exultationis oleo, id est, spiritu, præ participibus, vtiq; nobis vnctus est Christus, vt scribit Psal. Ipse siquidem substantialiter vnctus

4. est, nos verò operatione eius, & gratia. Hunc Prophetæ prædixerant; hunc dæmones venturum nouerant; ipsa etiam mulier Samaritis. exoptatum igitur ab omnibus aduenisse testa-

A tur Matth. enumerationem eius generationis contexens, quem etiam dicit *filium Dauid*, illum ipsum esse assignans, quem omnes quærerent, & ita discernens ab ijs, qui nomen *Iesu* simul cùm vnctione prætulerunt, qui non erant de familia Dauid, vt obseruat Chrysost. hom. 2. in Matth.

FILII DAVID, FILII ABRAHAM] Horum nominat filiũ, quia ad hos facta est promissio Messiæ, & prius nominat Dauid, ne cogatur repetere Abraham, ita Hieron. Sed hoc responsum rectè quadrat, si dicamus vocem *filij* secundo positam referri ad Christum. At non ad illum, sed ad Dauid potius videtur debere referri ex more Hebræorum, qui potius in genealogijs vltimum genitiuum *filij* referre consueuerunt ad proximum. Satius est igitur B dicere hic, filium Dauid tantum esse dictum Messiam. 5.

Sed cur ita? quia ad hunc specialior & honorificentior, & vt dicit Chrysostom. hom. 2. in Matth. recentior facta est promissio, vnde factum est vt passim *filius Dauid* diceretur; & quia præsertim ex eius est familia. Abraham potius erat caput, fons, & origo totius Israeliticæ gentis. Et propterea apud Esai. 51. dictus est *Petra: Attendite ad Petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis, attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos. quia vnum vocaui eum, & benedixi eum, & multiplicaui eum*; quare meritò ab Abraham hanc exorsus est genealogiam Matth. tamquam à fundamento vel petra, qui tamen ipse cum reliquis omnibus huius genealogiæ pro- C genitoribus ad lapidem illũ angularem Christum Dominum referuntur. 6.

Porrò filium Dauid dictum esse Christum constat: hoc inclamarunt cæci Luc. 18. *Iesu fili Dauid miserere nostri.* Hoc responderunt Pharisæi Matth.22. *Interrogati quid illis videretur de Christo, cuius filius esset; Responderunt, Dauid*; sic passim acclamabant Christo, *filio Dauid: Hosanna filio Dauid.* Hinc Paul. Roman.1. *qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem*; vocat autem Dauid filium Abraham Euangelista hic, quia cùm vellet ascendere ad Abraham, vt inde postea à capite texeret historiam, necesse fuit Dauidem Abrahami filium nuncupare, ne extra viam ascendere videretur. 7. *Christus cur filius Dauid dictus.*

THEORIA V.

D

In illa, ver. 2. *Iudam, & fratres eius.*

FVerunt fratres isti non ex vna, sed pluribus matribus: sex ex Lia, Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Isachar, & Zabulon; duo ex Rachele, Ioseph & Beniamin, duo ex Bala, Dan & Nephtalim, duo ex Zelpha, Gad, & Aser. Fuerunt autem Bala, & Zelpha ancillæ. ita duodecim Iacob filij sunt in typum duodecim Apostolorum: adoptati sunt & alij filij, scilicet Ioseph, Ephraim, & Manasse in typum eorum, qui præter duodenarium numerum in Apostolatum acciti sunt, qualis erat Paulus, & Barnabas. 1. *Fratres Iudæ ex multis matribus nati.*

Dices

2. Dices, Iacob duodecim tantùm filios habuit, ex his duodecim tantùm nascuntur tribus, & hic numeratæ sunt tredecim, loco enim Ioseph duos filios eius substituimus. In promptu est responsio: si Ioseph tribum aliquam constituisset, duodecim dumtaxat tribus fuissent, sed quia pro Ioseph Iacob adoptauit duos eius filios, Ephraim, & Manassen, hinc tredecim tribus recensentur positis duobus filijs pro patre Ioseph.

3. Porrò interdum loquitur Scriptura de his tribubus non commemorando inter illas Leuiticam, quoniam erat Deo addicta, & dedicata, & ita legis decem tribus à duabus esse separatas, & Roboam retinuisse tantummodo duas tribus, scil. Iudam, & Beniamin, reliquas verò tribus decem datas esse regi Israel, ita vt Regnum Roboam, & consequentium Regum sit appellatum *duarum tribuum Regnum*, vel etiam *Iudæ*; erat enim Iudæ tribus Regia. Cùm verò 3. Regum 11. dixit Deus vnam tribum se daturum Roboam, loquitur de præcipua tribu Iuda, à qua regnum nomen accepit, cui cõiuncta est tribus Beniamin, vnde nomen duarum tribuum Regno factum, immò & Leuitica tribus eò quod templum cui ministrabat, erat Hierosolymis, etiam in regno Roboam continebatur, sed quia tamquam diuina erat, & extra numerum reliquarum tribuum, quæ certam habebant sortem, cum reliquis numerari non consueuit. lege 2. Paralipom. 11. & vt semel dicam, interdum numerantur tantum duodecim tribus ob eamdem causam, non numerata tribu Leuitica, quæ templo erat mancipata; nec habebat sortem.

THEORIA VI.

In ver. 3. *Iudas autem genuit Phares, &c.*

1. *Quare Thamar recensetur in genealogia Saluatoris.*

D Chrysost homil. 2. operis Imperfecti in Matth. proponit dubitationem: cur Matth. meminit Thamar, cuius factum exhorremus. quid agis, inquit, ò homo? quid nobis recordationem talis infers historiæ, qua adulterium turpe cõtinetur? quid hoc verò rei est? quia si nudi tantummodo hominis describeretur genitus, meritò hæc reticuisset: quia verò de incarnati Verbi mysterio scribimus, non modò non tacere ista, verum ostentare debemus, sic enim magis virtus eius, ac pietas refulgebit, venit enim non vt nostra fugeret opprobria, sed vt ea potius extingueret: sicut enim admirabilis iudicatur, non quia mortuus tantùm, verum etiam quia crucifixus ac sepultus est, quamquam est certè res ista per se ex probatione plenissima, sed quanto magis exprobabile istud est, tanto magis illum ostendit de misericordia gloriosum, sic in regeneratione illius dici potest, quod non solùm quia suscepit carnem & homo factus est, admiratione dignus sit; sed etiam quia natus tales progenitores habere dignatus est, nihil de nostris vilitatibus erubescens.

2. Addit secundo Chrysost. per ista, nos docuisse Christum, vt numquam erubescamus de vitijs parentum, sed vnum quæramus, nobilitari propriarum honore virtutum, itaque si è A meretrice natus, vel adultera sit quispiam, si propria virtute decoretur, parentum suorum non decoloratur opprobrijs.

Addit & tertiam rationem, neque verò vt nos tantummodò doceret, hoc fecit, sed etiam vt reprimeret Iudæorum tumorem, quia enim de Abrahæ stirpe insolenter gloriabantur, virtutem parentum, defensionem suorum rati esse vitiorum, idcirco in ipso Euangelij principio docet non alienis, sed proprijs virtutibus gloriandum esse; simul etiam ostendit, omnes progenitores eorum subditos esse peccatis. 3.

D. Hier. Matth. 1. Christum docet ab his progenitoribus nasci voluisse, vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens omnium peccata deleret. 4.

B Augustl. 22. contra Faust. cap. 64. Saluator inquit non solùm loquendo, sed etiam nascêdo magister extitit, fideles enim eius venturi ex omnibus gentibus, etiam exemplo carnis ipsius discere debuerunt, parentum suorum iniquitates sibi obesse non posse; proinde spõsus ille suis congruens inuitatis, qui vocaturus erat ad nuptias bonos & malos, etiã nasci voluit de bonis & malis. Illud probare non possum in D. Chrysost. hom. 62. in Genes. Iudam & Thamarem hac generatione non peccasse, secus docent Aug. lib. 22. contra Faust. c. 61. & Hieron. in 99. Heb. quare Rupertus rectè ait, omnem gloriam gentis Iudaicæ, cunctamque nobilitatem populi eius ex hoc flagitio profluxisse, vt omne os obstruatur, & de meritis suis nemo glorietur. 5. 6.

C Sed cùm per Phares descendat Christus, cur Zaram meminit? respondet Maldonat: quia Zaram in partu Thamar manum protulerat, & nasci debebat prior, sed postea retraxit manum, & primo natus est Phares: Itaque contendebant hi duo, vter primo nasceretur, & primogenitus esset futurus, ac Christi parens. Quia ergo veluti ius acquisierat aliquod Zaram, & parum abfuerat, quin Christi esset parens, ideò meruit, vt in Christi poneretur Genealogia. 7.

THEORIA VII.

In ver. 4. & 5.

D SVnt qui dicãt Aminadab, & Naasson cum Moyse Aegyptum egressum esse vtrumque; volunt autem Hebræi, quod mari rubro diuiso, & Moyse illud ingresso, cùm cæteræ tribus formidaret, eum sequi, Aminadab cum tribu Iuda, cuius erat princeps, primo secutũ esse, & reliquas demum tribus idem fecisse, & propterea tribum Iuda meruisse Principatum & Regnum: lege Lyran. in cap. 1. Matth. cæterùm Abulen. melius sentit: Aminadab in Aegypto obijsse, sicut & nos docuimus in Schol. huius cap. n. 8. 1. *Rabbinorũ narratio de Aminadab.*

Salmon natus est in deserto, inquit Beuxamis, fuitque Dux eo tempore, quo Iosue Terram promissionis ingressus est simulq; cũ Caleb, mortuis alijs exploratoribus in deserto propter infidelitatem suam: fuit enim Caleb vnus ex duodecim illis qui missi fuerant in 2. *Salmon quis*

terram

terram Canaam, vt explorarent fertilitatem, & aditum eius. Salmon verò videtur, vt vnus exploratorum tempore Iosue latuisse in domo Rahab, ne in Regis Icricho potestatem deueniret, & hic tandem Ierichunte euersa Rahab illam meretricē, seu cauponariam accepit vxorem.

3. Dubitari hic iure potest: an Salmon, qui filius fuit Naasson Principis, Pater fuerit Booz, & hic pater Obed: Nam Obed, qui fuit Dauidis auus secundùm Iosephum l. 5. de antiqu. c. 11. natus esse videtur tempore Heli Iudicis & Sacerdotis. Salmon verò duxisse videtur Rahab, quo tempore terram promissionis Israel ingressus est; quod non obscurè ex c. 6. lib. Iosue videtur haberi posse: Porro inter ingressum in terram promissionis, & Pontificatum Heli plus quàm trecēti interfluxere anni, oportuit igitur Salmonē anno ętatis circiter 150. genuisse Booz, eodemque modo Booz eadem circiter ætate genuisse Obed, vt ita numerus trecentorum annorum expleatur: at quis credat, adeò prouectam ætatem ad generandum idoneam fuisse?

4. *Booz vnus ne fuerit an plures.* Non oportet cum Lyrano præter hunc duos alios Boozos tamquam omissos à Diuo Matth. fingere, ita vt iste Booz D. Matth. genuerit alium Booz secundum, & secundus tertium Booz, qui pater fuerit Obed, quomodo inter Salmonem, & Obed plures interceserunt viri, quàm duo, vt expleri possit annorum illorum summa satis commodè. Non inquam hoc fingere oportet. Nam & apud Matthæum, & apud Lucam, & Ruth cap. 4. & 1. Paralip. 2. vnius dumtaxat Booz fit mentio, cuius pater fuerit Salmon, & cuius filius Obed, nisi velimus dicere omissos esse duos reliquos Boozos, siue alio quocunque nomine vocarentur, sicut à Moyse Genes. 11. omittitur Cainam, & à Matth. hic omittuntur aliquot Reges, at vbique omissos non est probabile.

5. Facilius ergo & verius erit dicere, non esse verum, Obed esse natum ex Booz tempore Heli, sed potius anteceſſisse illum: quod sentiunt quidam Hebræorū, Lyra. & Abul. Ruth 1. licèt non crediderim verum esse Booz fuisse Abezam Bethlehemitem Iudicem Israelitis, 1. Iud. 12. vbi dicitur Abesam habuisse triginta filios, & triginta filias, quæ non conueniunt Booz, qualis autem fuerit Booz explicatur Ruth 2.

6. *Raab an fuerit meretrix.* *Ex Rahab*] hanc Rahab fuisse illā Ierichontinam, non videtur in dubium reuocandum: licet autor operis imperfecti non ausus sit affirmare, & Theophy. dubitet, sed passim reliqui omnes affirmant.

Porrò meretricem, id est, scortum fuisse, quidquid Rabbini dicant, non dubito. Hebraicè vocatur *zonah*, quod non modo cauponariam, sed etiam meretricem significat. Scorta enim solent etiam hospitæ esse, & D. Paul. Hebr. 11. eandem πόρνην, id est, *fornicariam* vocat, errant ergo Lyra. & Titel. Matth. 1. negantes fuisse meretricem, cæterùm à Salmone ducta fuit honoris & gratitudinis causſā, idque post conuersionem, cùm iam desijsset esse meretrix, & gentilis, quod non erat prohibitum. nam Deut. 7. & Exod. 34. tantum

A cauetur, ne quis Cananæam gentilem ducat, & Dauid Maacham duxit. Idem dicendum de Ruth Moabitide ducta à Booz.

Patet hinc, quod ex gētilibus Christus Dominus oriundus etiam fuerit, quod Barradius Tom. 1. l. 5. ostendit: & eodem l. c. 3. docet fuisse Rahab Ecclesiæ vmbram, meretrix quidem erat, qua in re gentes cum Idolis fornicantes adumbrauit; Rahab, ait Chrysost. Ecclesiæ figura fornicatione dæmonum olim inuolutæ exploratores susciptentis non ab Iosue, sed à Christo missos, vide illum hom. 1. de pœnitentia, vox etiam illa Iosue 6. *Solā Rahab meretrix viuat cum vniuersis, qui cum ea in domo sunt*; Ecclesiam solam eiusque filios victuros, qui fidem cum charitate, & operibus connecterent, designabat. In eamdem Ecclesiam competunt illa exploratorum verba c. 2. *Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit super caput ipsius*; nam qui Ecclesiæ ostium abiecta fide egreditur, in pœnas incidit tartareas.

B

Adhæc, funiculus coccineus de fenestra Rahab in signum salutis dependens, indicat consecuturam fore Ecclesiam salutem, purpureo Christi sanguine de cruce pendentis ablutam; cognita est domus Rahab ab Israelitis, signo eam coccineo indicante; & crucis signum purpureo Christi sanguine ornatum indicium est omnibus gentibus, quænam sit vera Ecclesiæ domus. Pendebat pro fenestra Rahab coccineus ille funiculus; & ob oculos eorum omnium, qui intra Ecclesiam cōtinentur, obuersari debet Crux & caro Christi pretiosissimo eius sanguine tincta. Sic Paul. Hebr. 12. *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Fuit igitur Rahab Cananæa Ierichontina, Dauidis atauia, materque Booz, ob fidem à Paulo commendata, Heb. 11.

C

Aduertendum Booz, Obed, Iesse centenos, aut eo amplius annos natos fuisse, cùm filios à D. Matth. memoratos genuerunt, hoc vt confirmemus, pono imprimis D. Matthæum in 1. Tessaradecade, in qua prorsus cum Diuo Luca consentit, nullam generationem intermisisse, & solos tres prædictos Booz, Obed, Iesse, inter Salmon, & Dauid interiectos fuisse; id verò præterquam quod consensu D. Luc. & D. Matth. constare videtur, ex eo etiam constabilitur, quia sub calcem lib. Ruth. tota generatio, & series genealogiæ à Phares vsque ad Dauid recensetur; & inter Salmon qui Salma etiā vocatur & Dauid, soli tres prædicti connumerantur. Idem omninò habetur 1. Paralip. 2. *Naasson quoque genuit Salmon, de quo ortus est Booz: Booz verò genuit Obed, qui & ipse genuit Isai.* Connumerantur posteà septem filij Isai, (qui *Iesse* à D. Matthæo vocatur, & 2. Regum 17. dici videtur *Naas*) inter quos septimum locum tenet Dauid. Cùm igitur ex varijs scripturæ locis nobis declaretur tres tantummodo homines Booz, Obed, Iesse inter Salmon & Dauid interceſſisse; non est quod hoc in dubium vertamus.

D

Neque enim verosimile est intermissos esse aliquos tot locis. Hinc excludi videtur commentum illud Lyra. de quo superius, plures vocatos *Booz*.

7. *Christus etiā ex gentilibus oriundus fuit.*

8. *Funiculus coccineus quid designet.*

9. *Booz, Obed, Iesse, centeni & amplius genuerunt.*

Hoc

10. Hoc igitur confirmato, ostendo tres illos, centenos minimùm natos annos, genuisse filios: ab exitu namque filiorum Israel de Aegypto vsque ad quartum annum Regni Salomonis, quo anno cœptum est ædificari Templum 480. anni fluxerunt, sic enim 3. Reg. 6. habetur, v. 1. *Factum est ergo 480. anno egressionis filiorum Israel de terra Aegypti in anno 4. mense 2do (ipse est mensis secundus) Regni Salomonis super Israel edificari cœpit domus Domino.* Deme hinc 70. annos vitæ Dauidis, & quatuor annos Regni Salomonis, & 40. aut paulò amplius ab egressu filiorum Israel de Aegypto, vsque ad occupatam vrbem Iericho, restabunt 366. ex ijs summum 60. annos dabimus Rahab, antequam pareret Booz. Nam cum capta fuit Iericho, & Iosue exploratores excepit, siue meretrix siue caupona fuerit, siue potius vtrumque 20. annos minimum id tẽporis nata erat, ergo si tunc nupsit Salomon, & post 60. annos ponamus peperisse Booz: concedemus illi quantum ipsa rerum natura patitur, & paulò etiã amplius. Reliqui igitur fiẽt 306. quos totos ita inter Booz, Obed, & Iesse dispertiem', vt vnam partẽ demus Booz, antequam gigneret Obed. Aliam Obed antequam gigneret Iesse. postremam Iesse, antequã gigneret Dauid, quod si partes has æquales faciamus (vt quantum maximè fieri possit ad id quod natura ferre potest, accedamus,) colligemus ex his quę dicta sunt & probata, Booz 102. annos vixisse antequam gigneret Obed, & totidem Obed, antequam gigneret Iesse, & Iesse ante genitum Dauidem.

Augustinus Torniellus in suis Annalibus sentit Rahab 14. tantum annorum fuisse eo tempore.

11. Caietanus volens se ab his angustijs explicare, ridiculum in hac computatione admisit errorem. Sic hanc dubitationem Doct. Olauius nostræ Societ. pro vt retuli, expediuit. Sed quid si dicamus intermissam vnam vel alteram personam, quocumque dicatur nomine? nam propter eam causam, quã vno loco, puta in textu D. Matthęi, eã noluit Spiritus S. nominari, potuit ob eandẽ in alijs Scripturæ locis citatis tacerl, quo excludi videtur ratio doct. Olauij: sed præstat priorem opinionem sequi, tanquam magis Scripturæ consentientem, & in qua nihil diuinare oporteat.

Caietani error.

THEORIA VIII.

In ver. 7. *Salomon autem genuit Roboam.*

1. VEhementer, inquit Olauius, miror D. Hieron. to. 3. 132. epist. ad Vitalem eandem excitasse quæstionem de tempore, quo Salomon Roboam genuit, & de tempore, quo Achaz Ezechiam, & vtrosque probauisse ante annos pubertatis hos genuisse filios. De Achaz deinde dicam, nunc de Salomone. Affirmat igitur Olauius ex scripturis nos posse colligere, eum iam prætergressum adolescentiam Roboam genuisse. 3. enim Reg. 11. sic habetur. *Cumq; Salomon iam esset senex, depravatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos.* Hinc manifestè colligitur ad statum senectutis peruenisse, & in ipsa senectute commisisse ea omnia quę toto illo 11. cap. narrantur. Cùm igitur cõstet ex fine illius capitis, Salomonem 40. annos duntaxat regnasse, opus est existimare illum 20. annorum fuisse minimũ, cùm regnare cœpit, alioquin non verè diceretur; fuisse factum senem, & in senectute scelera illa admisisse. Nec enim scriptura senem appellaret, nec consueuit sic vocare eum, qui 60. annum non attigisset. Cùm etiam constet ex 14. c. 3. Reg. v. 21. *Roboam filium eius vnius & quadragintã annorum fuisse cùm regnare cœpit.* Efficitur profectò Salomonem genuisse Roboam, cùm viginti circiter esset annorum, aut eò amplius.

Salomon quoto ætatis anno regnare cœperit, & quamdiu.

2. Et verò mirum profectò est, aliquem audere affirmare vndecim annorum fuisse Salomonem cùm regnare cœpit (quòd pro confesso D. Hieron. in cit. epist. accipit) cùm id ex nullo Scripturæ loco colligi possit, & loco citato apertè repugnat. Nam quod Ioseph. initio lib. 8. Antiqu. Salomonem ætate iuuenculum regnum suscepisse affirmat, & cùm 14. esset annorum, vt ex 7. cap. ipsius 8. lib. colligitur; id profectò maiorem fidem habere non debet, quam quod in 7. c. ille habet: *Mortuus est itaque*, inquit, *Salomon valdè longæuus, qui regnauit quidem annis 80. Vixit autem 94.* Hinc ex Iosepho rectè colligimus Salomonem annos 14. natum regnare cœpisse, tot enim restant ex 94. demptis 80. Certum est enim ex 3. Regum 11. illum 40. annis dumtaxat regnasse, quare si valdè longæuus est mortuus, magis sententia nostra confirmatur.

3. Sed contra hæc facere videtur, quod non modò Diuus Hieron. sed Hebræi quoque affirmant, Salomonem 12. annos natum cœpisse regnare, & ex sac. lit. 3. Regum 11. constat annos 40. regnasse. *Filius verò Roboam 41. anni erat cùm regnare cœpit.* 3. Regum 14. efficitur ergò Salomonem genuisse Roboam antequam regnare cœpisset, annos natum 10. vel summum 11. Sed facilè respõdebimus Hebræorum sententiam esse falsam, nam Scriptura docet ad senectutem vsque peruenisse Salomonem, 3. Regum 11. At secundum Hebræos mortuus esset 50. circiter anno: cùm tamen ante mortis tempus *senex* in scripturis dicatur, quis autem virum 45. annorum, vel circiter senem vocet? sed opinio Hebræorum ex scripturis videtur confirmari posse, nam 1. Paralip. 29. dicitur Salomon *puer tenellus* fuisse cùm regnare cœpisset, & 1. Paralp. 22. *puer paruulus, & delicatus* vocatur, & 3. Regum 3. iterum ipse iam constitutus Rex vocat se *puerum paruulum* græcè παιδάριον.

4. Sed ad hæc loca respõdeo, Scripturam Hebraismo vti, quo adolescentes *pueri* vocantur: nam alioqui 3. Reg. 2. 9. Dauid ante mortem suam vocat Salomonem *virum*, immò & sapiẽtem, & 70. 1. Paralip. 2. 9. vbi nos habemus *puerum, & tenellum*, habent: νεὸς καὶ ἁπαλός, id est *iuuenis & tener*, & hebraicè locis cit. dicitur Salomon *Nahàr*, quæ vox significat saltem non tantùm eum qui est 10. aut 12. annorum, sed & qui plurium: nam Gen. 37. Ioseph cùm 16 esset annorum, vocatur *Nahàr*, & Dauid 1. Regum 17. pugnaturus contra Philistæum *Nahàr* vocatur, & 70. verterunt παιδάριον, id est, *paruulus*, vbi nos habemus: *erat autem Dauid a-*

dolescens

doleſcens rufus, &c. Abſalon etiam 25. vel 30. annos natus, 2.Reg.18. *puer*, & *Nahàr* vocatur, ſic Ieroboam 3.Reg.11. & Ioſeph: Gen.41. 46. triginta annorum fuiſſe dicitur, *quando ſtetit in conſpectu Pharaonis*, & tamen vocatur *puer* in eodem c.v.12. cùm haberet 28. circiter annos, nondum enim ſteterat in conſpectu Pharaonis, quibus omnibus fit non ſtabiliri ſententiam Hebræorum Scripturæ verbis.

5. Aduerte tẽpore Roboam Regnũ Hebræorum, quod vnicum erat in duo diſtractum eſſe. Alterum, quod Tribum Iuda & Beniamin cum Leuitica continebat; ideoque ſolet in Scriptura: *Regnum Iuda*, vel *duarum Tribuum* dici, nam Leuitica non ſolet connumerari, vt ſuperiùs diximus, Theoria 5.num.3.tanquàm quid ad Deum pertinens. Alterum dicitur, *decem Tribuum*, vel *Regnum Iſrael*, vel *Ephraim* ab Ieroboamo Rege ex Tribu Ephraim. Vt habet Oſeæ 1. Hieronym. Diuiſionis Regni cauſſa fuit Idololatria Salomonis 3.Reg.11.

THEORIA IX.

In verſ. 8. & 9.

1. CONSTAT Matth. in ſecunda Teſſaradecade Regum, tres Reges ſilentio præterijſſe: ſic enim habet, *Ioram autem genuit Oziam, Ozias autem genuit Ioatham*. Itaque inter Ioram & Ioatham vnum tantùm interponit Oziam, cum re vera quatuor interiecti ſint, vt ex 3.& 4.Regum libr. colligimus, Ochozias, Ioas, Amaſias, & Azarias: vide 4.Regum 8. 24. & 11. 2. & 12. 21. & 14. 21. & ſecundo Paralipo. 21. 1. & cap. 22. 1. & 2. Paralip. 24. 27. & c. 26. 1.

2. Sed vtrum nomine *Oziæ* Matth. Ochoziam intelligat, an Azariam non liquet, propterea quod nomen *Oziæ* & *Ochoziæ*, & *Azariæ* multis tributum legimus, & patet legenti cap. 14. lib. 4. Reg. v. 21. & ſecundo Paralip. cap. 26. v. 1. Azariam filium Amaſiæ, vocari *Oziam*, ſunt qui dicant, hos prætermiſſos eſſe ad ſeruandas Teſſaradecades. Alij quia peccatores fuerunt, ſilentio obrutos volunt. Alijs placuit factum id eſſe ad ſeruandum Dei promiſſum, quo comminatus fuerat Achab deleturum ſe eſſe omnem poſteritatem penitus ad quartam vſque generationem. Ex 3.Regum 21. 21. Sic enim hoc intelligendum eſſe volunt hi. quarta autem generatio in Amaſia eſt terminata; nam vxor Ioram filia fuit Achab, 4.Regum 8. 18. & ideo prima generatio incipit ab vxore Ioram. ſecunda generatio fuit Ochozias, tertia Ioas, quarta Amaſias, & licet vxor Ioram dicatur etiam filia Amri & nominetur *Athalia*. 4.Regum 8.26. & 11. 1. & 2.Paralip. 22. 2. id, eſt more Hebræorum vocantium neptes *Filias*. Fuit autem Achab filius Amri, quia igitur ſententia Diuina veluti Capite diminuti ſunt hi tres Reges & condemnati, ideò non ſunt cum alijs poſiti, quia ſemen Achab à Deo damnatum erat. & fortè ob id non nominatur vxor Ioram *Filia Achab*, ſed *Amri*, ad tollendum memoriam poſterorum Achab. Hæc autem Athalia etiam poſt interfecta eſt, 4.Reg. 11. 16. Sed ſi placet alicui hæc ſententia tunc nomine *Oziæ* oportet Azariam intelligere, vt etiã dicitur 4.Reg. 14. 21. & alibi. & cùm dicitur Ioram genuiſſe Oziam intelligendum id erit non per ſe, ſed per poſteros ſuos.

Ozias an Ochozias.

Sed fortaſsis prima ſententia probabilior eſt, præſertim ſi dicamus in tertia Teſſaradecade, veroſimile eſſe aliquos quoq; fuiſſe omiſſos. ſunt enim qui putant tres haſce Teſſaradecades ſtudio magis, quàm quòd ita res ſe offerret (primam excipe) confeciſſe D. Matthæum. 3.

Circa v. 9. *Achaz autem genuit Ezechiam.*] Hanc ſtatuit propoſitionem D. Olauius, Achaz ante pubertatis Annos genuit Ezechiam. Probat, nam 4.Reg. 16. ſcribitur *viginti annorum erat Achaz cùm regnare cœpiſſet, & 16. annis regnauit in Ieruſalem*: In fine 5. cap. habetur: *Dormiuit Achaz cum Patribus ſuis, & ſepultus eſt cum eis in Ciuitate Dauid, & regnauit Ezechias filius eius pro eo*, de quo Ezechia 4.Reg.18. dicitur, *vigintiquinque annorum erat Ezech. cùm regnare cœpiſſet, & 29. annis regnauit in Ieruſalem*. Ex primo loco colligitur Achaz, cùm triginta ſex eſſet annorum fuiſſe mortuum; ex ſecundo autem loco eum mortuum fuiſſe vigeſimoquinto, vitæ Ezech. Quare ſi interregnum nullum fuit inter Achaz & Ezech. euidenter colligemus vndecim annorum fuiſſe Achaz cùm genuit Ezech. aut ad ſummum 13. propter fractiones, quæ in his annis poterant euenire. Quod enim dicitur viginti annorum fuiſſe Achaz cùm regnare cœpit, intelligi poteſt de completis 20. annis cum parte 21. & cum dicitur 16. annis regnauit, intelligi etiam poteſt de ſexdecim annis completis cum parte 17. & ita potuit habere Achaz triginta ſeptem annos, aut paulò ampliùs cum mortuus eſt. 4. *Achaz rex genuit Ezechiam ante annos pubertatis.*

Quòd ſi intelligamus Ezechiam vigintiquinque fuiſſe annorum cùm regnare cœpiſſet, id eſt, incepiſſe eſſe 25. annorum, & habuiſſe 24. completos. licet hac ratione defendere poſsimus, circiter tredecim annos natum fuiſſe Achaz cùm genuit Ezechiam, ſemper tamen neceſſariò conſequitur, Achaz ante pubertatis annos, id eſt, ante annum decimumquartũ genuiſſe Ezechiam, niſi interregnum fuerit inter Achaz & Ezechiam, nec enim vllum alud impedimentum excogitari poteſt, nam ſi verba illa, *vigintiquinque annorum erat Ezechias cum regnare cœpit*, intelligerentur de tempore aliquo, quo ſimul cum Patre regnare potuit, & nõ de tempore, quo poſt Patris mortẽ cœpit ipſe regnare, apertè conſequeretur minoris ætatis Achaz fuiſſe, cùm ipſum genuit Ezechiam. 5.

Reſtat igitur docere nullum fuiſſe interregnum inter Achaz, & Ezech. nam de hoc interregno loquentem quemdam Hebræum ſe audiuiſſe Diuus Hierony. teſtatur; fabulam tamen potius quàm hiſtoriam eum narraſſe putat. 6. *Inter Achaz & Ezechiã nullum fuit interregnũ.*

Denique interregnum nullum fuiſſe, demonſtrat ita Olauius primum ex verbis illis, quæ 4.Reg.16. habentur: *Dormiuit Achaz cum Patribus ſuis, & ſepultus eſt cum eis in ciuitate Dauid & regnauit Ezechias filius eius pro eo*; non hæc profectò hoc modo fuiſſent ſcripta, niſi Ezechias ſtatim poſt mortem Patris in Regno

Digitized by Google

succesisset, sed apertiùs multo hoc ex eo constat; quoniam Oseæ vltimus Rex Israel eo regno, quòd post nouem annos abolitum est, regnare cœpit duodecimo anno regni Achaz, & vt est credibilius iam incœpto decimotertio, 4.Reg.17. Ezechias autem cœpit regnare an.tertio Oseæ, ex decimooctauo, 4.Reg.& vt est credibilius cœpto quarto, ergo colligitur inter regnum Achaz, & regnum Ezechiæ nullum tempus vacuum mansisse, immò colligitur coniunctiora fuisse hæc Regna, quàm re vera fuerunt, probatum est igitur clarissimè Achaz ante annos pubertatis genuisse Ezechiam.

7. Cardinalis Caietan. concedit anno vndecimo Patris, genitum esse Ezechiam, nec videtur D. Hieronym. omninò alienus, licet solutiones alias afferat.

THEORIA X.

In ver. 11.

1. *Maldonati opinio circa hunc locum.*

CIrca v.11. *Iosias autem genuit Iechoniam.*] Maldonatus putat legendum esse, *Iosias aũt genuit Ioacim & fratres eius*: nam Iosias laudatus tantoperè in Scripturis, ob cuius mortẽ tradunt Hebræi Ieremiam lamentationes scripsisse; quatuor filios habuit, 1.Paralip.3. 15. Iohanan, (qui & Ioachaz secundùm aliquos dicitur, 4.Reg.23. 30.31. licet Barradius, vt dicam, secus opinetur) Ioacim, Sedeciam (qui ante Mathanias vocabatur, 4.Reg.24. 17.) Sellum Ierem.22.11. inter quos nullus est qui *Iechonias* vocatus fuerit, proinde videtur legendum *Ioacim* hoc loco.

2. At Ambrosius 3.in Lucam, & Epipha. lib.1. de hæres.in secta Epicur. August lib.2.de conf. Euang.c.4. vel affirmant, vel innuunt Ioacim dictum fuisse alio nomine *Iechoniam*. Occurrit Maldonat.in scripturis nusquam hoc legi, nec ipsos probare, sed coniicere tantùm, vocabatur quidẽ antea *Eliacim*, 4.Reg.23.34. sed Nechao imposuit illi nomen *Ioacim*, huius filius *Ioachin* dictus est, & fratres nullos habuit: iste quidem vocatus est *Iechonias*, etiam 1.Paral.3. 16.Ierem.24.1. & 37.1. secundùm hanc interpretationem dicendum, non deesse vllam generationem in tertia Tessaradecade probabilius videri: si videlicet ita legamus illa verba; *Iosias autem genuit Ioacim, & fratres eius in transmigratione Babylonis, & post transmigrationem Babylonis Ioacim genuit Iechoniam.*

3. At pro ea sententia, quod Ioacim dictus sit *Iechonias*, est 3.lib.Esdræ c.1.34. vbi Ioacim *Iechonias* vocatur. Respondetur à Maldonato quod liber ille Ecclesiasticam nó habet auctoritatem: at hinc nó necessarium voluimus elicere argumentum, sed probabile si verum est, quòd ait Maldonat.in loco cit.Esdræ, Ioacim esse dictum *Iechoniam*: sed reuera nó ita est, Ioachaz enim, non Ioacim ibi *Iechonias* appellatur. quare hic locus non fauet ijs, qui dicunt, Ioacim etiam vocatum esse *Iechoniam*. Nec est verum Ioachin non habuisse fratrem, nam habuit Sedeciam, 1.Paral.3.16. sed pro Maldo. illud facit, si legamus enim pro vt habemus, in 3. Tessaradecade, deerit vna generatio, quòd ingenuè fatentur Epiph. Ambr. Euthym.& alij.

4. Quare factum esse videtur, vt vitio scriptorum illa verba, quæ Maldonatus refert, interciderint, quod Epiphan. placet loco cit. licet dicat intercidisse hæc. *Iechonias autem genuit Iechoniam*, cùm potius legendum videatur, *Ioacim autem genuit Iechoniam*, quod vult Maldon. & Stapulensis affirmat in antiquo se codice Græco sic legisse.

Sed cùm in nostris Biblijs correctis ita legamus, vt hic in text.habemus, nimirum v.11. *Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius*, & v.11. *post transmigrationem Babylonis Iechonias, &c.* non ausim recedere à nostra lectione: quid ergo respondebimus? vna ne deerit generatio? sunt qui asserunt, Iechoniam bis sumendum, siue pro Patre, siue pro Filio sumatur, idem enim nomen vterque habuit, & ob id vnum bis numerari. August.lib.2.de Conf. c.4. Vbi cur bis numeretur ratione reddit. Alijs verò, vt refert Theophyl. placet, potius nomine *transmigrationis*, D. Matthæum generationem vnam comprehendisse, ita vt tempus Captiuitatis sit loco vnius personæ, atq; ita nihil deesse, tribuitur Chrysostomo. At alij malunt Iechoniam, primo loco positum sumi pro Patre; secundo verò loco pro Filio, atque ita nihil deerit etiã ad numerũ 14.generationum in singulis Tessaradecadibus: nam primo loco positus Iechonias finis est 2.Tessaradecadis, posteriori vero loco initium est 3.& ita, cùm esset noua Tessaradecas, nó curauit Matth. repetere, *Iechonias autem genuit Iechoniam*, vel quod idem est *Ioacim genuit Iechoniam*, sed cum vtroque nomine nominari vterq; posset, veluti inchoans nouã Tessaradecadem, dixit; *Iechonias*, nimirum filius prioris, *genuit Salathiel, &c.* vide Hierony. Matth.1. Est enim vero simile, Matthæum vtrumque tàm Patrem, quàm Filium nominasse *Iechoniam*. videtur enim id nominis sicut Ioachazo & Ioachino, ita & Ioacimo tributũ esse ob cognationem horum trium nominum; & hæc expositio mihi placet. potest tamen addi & hęc, vt per Iechoniam primo loco intelligamus Ioachaz; secundo loco Ioachin, cuius Pater Ioacim ponatur implicitè, ac tacitè sub nomine fratrũ Ioachaz: nam cùm Ioachaz fuerit fortè primogenitus, vel saltẽ primus qui in regno Regi Iosiæ succesit, illum posuit Matth. expresè, quia enim sequebatur alia Tessaradecas, non curauit Euãgelista expresè dicere, *Iosias genuit Ioacim, Ioacim aũt genuit Iechoniam.* Sed sub nomine fratrum Iechoniæ, id est, Ioachaz, inuoluit Ioacim patrem Iechoniæ secundo loco positi; ita vt recta linea Genealogiæ non interrumpatur, quia post Iosiam ponitur Ioacim, tacite tanquam frater Iechoniæ primo loco positi, & posteà subnectitur Iechonias alter, filius verus Ioacim fratris Ioachaz: & hæc expositio etiam maximè placet.

Obseruandum est hic 4.Reg.23. & 24. & 2. Paral.36. trium tantũ filiorũ Iosiæ mentionem fieri. Barrad. putat Sellum fuisse Ioachaz, nam is regnasse dicitur. Iohanan vero putat non regnasse, non ergo potuit Iohanan esse Ioachaz, quẽ constat regnasse, potuit ergo Sellum esse Ioachaz; Vnde colligit Iohanan nó regnasse, & Sellum regnasse ex Ierẽ.22. Itaq; quatuor fuere fratres, sed vnus non regnauit, ideò non fit semper eius mentio. 6.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

Digitized by Google

Antequam verò hinc discedamus non est in
7. præteritis habendus hic Sanctissimus Rex Io-
sias, de quo legimus 4. Reg. 23. *Similis illi non fuit ante eum Rex.* Vbi dubitant Doctores in primis quomodo præferatur Iosias cæteris Regibus, nam Dauid fuit ante Iosiam. Respond. excipi Dauid, nam is veluti omniũ Regum Iuda Pater, & Princeps fuit, de reliquis ergo Regibus post eum sunt hæc intelligenda, vel potius dicendum est intelligi solum ea verba de Regibus qui duab' Tribubus imperarunt. Dauid. n. 12. Tribuum Rex fuit, vel denique per quandã exaggerationem dicta sunt, & quendã loquendi modum, ad significandam magnã viri illius virtutem, & non vulgarem. Alioqui eadẽ verba dicũtur de Ezech. 4. Reg. 18. dicitur. n. post eum. 1. Ezech. *Non fuit similis ei de cunctis Regibus Iuda, sed neq; in ijs, qui ante eum fuerunt:* sunt ergo hęc verba accipienda per amplificationem,
8. & hyperbolem quandam. Nisi dicas, quod vt Iosias, etiam ipse non fuit similis Ezechiæ aliquot in rebus, ita Ezechias non fuit Iosiæ similis in quibusdã alijs. nam Ezechias prior fuit in exterminãda Idololatria, quàm Iosias, deinde magno miraculo à Deo sanitatem impetrauit adiectis 15. annis vitæ; propter eundem Ezech. admirãdum prodigium edidit Deus, cum Solem retrocedere fecit, & cùm 185000. nocte vna per Angelum neci dedit; in his ergo rectè dicitur post Ezech. nõ fuisse similem aliũ Regem inter Reges duarum Tribuũ: aliunde tamen præferẽdus est Iosias Ezec. inter Reges. sc. *qui reuersi sunt ad Deum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxtà omnem legem Moysis,* vt habet scriptura: ipse enim reduxit populum ab idolorum cultu ad Deum, ita vt eius tempore idola nõ coleret. Fuerunt ergo inter oẽs Reges Iuda tres eximij Dauid, Ezechias, & Iosias, de quibus Eccles. 49. *præter Dauid Ezechiam, & Iosiam oẽs peccatum commiserunt, nam reliquerunt legem Altissimi, Reges Iuda*
9. *cõtempserũt timorem Dei.* Propter quorum verborum difficultatem negasse videtur Dionys. Carthus. Ecclesiasticum esse librũ Canonicum, quod tamen nunc repugnat Synodo Trid. Sess. 4. Sed inquies quomodo excipitur à peccantibus Dauid? Respon. Scripturam loqui de cultu idolorum. Replicabis hoc modo, neq; peccarunt Iosaphat, Ioathan, Asa, & Ozias, neque enim idola venerati sunt. Respond. primo hos peccasse in diuinum cultum, quia saltem excelsa non abstulerunt. Sunt enim excelsa, loca, in quibus extra Templum quidẽ contra præscriptum Deuter. 12. sed tamen Deo vero immolabatur. Nam de alijs excelsis, in quibus idolis sacrificabatur, dicimus non ea hos Reges permisisse. Ezechias ergo & Iosias illa quoque excelsa euerterunt. Sic Abulens. lib. 4. Reg. quomodo ergo, inquies, pij dicuntur cum contra Dei præceptum excelsa reliquerint? Respond. permissionem hanc excelsorum nõ fuisse peccatum mortale, alioqui hi Reges, qui excelsa
10. non euerterunt, luerent æternas pœnas, à Deo excluſi. quod si obiicias verba allata ex Ecclesiastico, dico non esse necessariò intelligenda verba Ecclesiast. de peccato mortali, sed siue fuerit mortale, siue veniale dummodò fuerit aliquo modo contra Dei cultum: significat. ri.

Excelsa apud Iudeos quæ fuerint.

A Spiritus S. per Ecclesiasticũ illos non perfectè Dei cultum conseruasse. Itaque cùm ait Eccles. *Omnes peccatum commiserunt,* non necesse est fateri, commisisse oẽs illos peccatum mortale, quod si hoc non placet, & contendas de peccato mortali Ecclesiasticũ loqui, tunc affirmare poterimus vel *omnes* poni locò, *multi*, vel intelligi, *ferè omnes*, cùm verò subdit Ecclesiasticus, *reliquisse leges altissimi Reges Iuda*, non addit, *omnes*, quòd si velis repetere; *omnes* suprapositum, tunc eodẽ modo exponemus *omnes*, idest, multi, vel iterum, subintelligemus, *ferè*.

THEORIA XI.

In ver. 17. *De numero Tessaradecadum.*

B QVAERAT aliquis, cur in tres Tessaradecades dispertijt S. Matth. hũc generationis librum? Communis responsio est, voluisse Matthæum triplicem populi statũ sub Iudicibus, Regibus, Ducibus, & Sacerdotibus designare, eiusque triplicem mutationem, prout in Scholijs nu. 17. notauimus. Verùm aduerte, lector, quod tertius status populi à rege Iechonia principium sumens in Christo Opt. Maxi. terminum sortitur: mutationemque declarat à lege, Regno, populoq; veteri, ad legẽ, Regnũ, populumque nouũ. Nec caret mysterio; quòd hic status à captiuo Iechonia initium capiat, & in Christum mundi liberatorem terminetur, atque adeo in longè præstantioré, melioremq; mutetur. Orbis enim ille status admirandam mutationem repræsentat à captiuitate peccati
C in Euangel. libertatem per Christum partam, qui acerbissimum peccati iugum à ceruicibus hominum dispulit. Christus finis est totius genealogię, totius populi Israelitici, totius legis.

1. *Cur tres Tessaradecades à Matthæo positæ.*

2.

Hac de re sic Euthy. Matth. 1. omnes generationes trifariam Matth. diuisit, & meritò: Tres enim fuerunt gubernationis modi. Nam ab Abraham post Moysen, & Iosue vsq; ad Dauid subditi Iudicibus gubernabantur; à Dauide vsque ad transmigrationem Babylonicam sub Regibus; à transmigratione vsq; ad Christum sub Pontificibus. Veniente autem Christo vero Iudice, Rege, & Pontifice cessauerunt dictæ Politiæ, hæc ille.

3.

Origen. hom. 27. in Num. & Hieron. in epist.
D ad Fab. has 42. generationes 42. mansionibus, quibus filij Israel ex AEgypto ad terram vsq; promissionis peruenerũt, respondere affirmãt: totidem namque generationibus, quasi gradibus filij Abraham vsque ad Christum promissum, veræque salutis Portum peruenerunt.

4.

Chrysost. hom. 4. in Matth. inquit; Voluisse Matthæum declarare Deum, antequam filium mitteret; omnes tentasse vias, vt populum suũ per homines gubernaret, & in officio contineret, per Iudices, Reges, Duces, & Sacerdotes: cumq; nihil profeciſſet, misisse filium suum, quò spectat etiam parabola Matth. 21. 23. Luc. 20. 9. Vbi triplices ponunt seruos missos ad repetendum fructum; ad extremum, Filium esse destinatum.

Sed cur singulas Tessaradecadas numero quatuordecim complexus est? videtur litterali sensu factum id esse, quia prima & tertia Tessa-

5. *Cur numero decimoquarto.*

radecas tot continebat viros; saltem prima, voluit ergo æqualitatem etiá seruare, in 2. Maldonat. acutè simul, & lepidè ait; Medicos asserere 14. diem Criticú dici, & omniú in morbis periculosissimum esse. Videtur igitur Deus congruenter Naturæ 14. quoq; seculo, populi sui statum mutare voluisse, vt vna Republ. quodammodo mortua, alia nasceretur melior; vt autem Euangelista aliquid latere mysterij ostenderet, generationum ipse notauit expressè summam in fine totius lineæ.

THEORIA XII.

Cur Matthæus texuerit Ioseph Genealogiam, cùm ille nihil ad Christum pertineret.

1. *Cur Ioseph in genealogia Saluatoris.*

IN primis non illa assignari potest causa, qua quidam vtuntur, quòd voluerit Iudæis satisfacere, qui Ioseph arbitrabantur Patrē esse Christi, ne ergo reijcerēt illi Christum, quem prophetæ Filium Dauidis futurum vaticinati essent, quasi non haberet Patrem, qui ex stirpe Dauidis originem duceret, hanc ob rem aiunt illi Matth. ostendisse Ioseph ex Dauide per rectam lineam masculorum descendisse.

Sed hæc ratio locum non habet, vt rectè animaduertit D. Olauius, quòd hoc eodē 1. cap. disertis, & perspicuis verbis declarasset Matth. Christum non fuisse Ioseph filium.

2. Quare dicendum potius cum veteribus; D. Matth. voluisse nos colligere necessaria cōsecutione, ex eò quod Ioseph cui nupserat Dius MARIA vera Christi mater, & totius mundi Regina, ad familiam Dauidis pertinebat, pertinuisse etiam ad eandem familiam coniugem eius Beatissimam Virginem, ac proinde Christum. Maria enim primogenita erat, & vnica hæres parentum suorum Ioachim & Annæ, quia ergo ad illam hæreditas pertinebat, non poterat nubere viro, qui non esset de Tribu, atque adeò de familia eadem, in qua ipsa numerabatur iuxtà legem quæ habetur Numeror. 36. 6. 7. *Omnes viri ducent vxorem de Tribu & cognatione sua, & cunctæ fœminæ de eadem Tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familijs,* qua de re inferius fusiùs dicam. Vide Eusebium Emissenum homil. de Natiuitate MARIAE.

3. Cæterùm D. Matth. ideò per generationem Ioseph, originem Mariæ significauit, & ad Ioseph genealogiam deduxit potius, quam ad D. Mariam, quòd non fuerit Hebræorum cōsuetudo vt dicit Hieron. genealogiam per mulieres deducere, & cùm videret nō posse se illā contexere vsque ad virū aliquem, qui esset verus Christi Pater immediatus (Sola enim beatissima Virgo illum genuit sine viro) idcircò constituit, ad Ioseph Patrem putatiuum, & verum cōiugem Beatissimæ Virginis illam deducere, ne scilicet consuetudinem Scripturarum relinqueret, per viros deducendi genealogias. Quare etiam D. Luc. licet per progenitores B. Virginis descripserit Christi genealogiam, mox cùm nō posset Patrem Christi assignare, nec pateretur consuetudo assignari mulierem, ad Ioseph diuertit. Vnde Spiritus sanctus hinc effecit vt Christi genealogia ex Dauid pateret, & ex parte Patris putatiui, & ex parte veræ matris.

4. *Obiectio.* Sed licet hoc verum sit, non satis esse videtur; poterat enim genealogia vsque ad D. Mariam de more per viros duci. D. vero Maria quia præter consuetudinem sine viro conceperat, præter morem etiam sola numerari poterat, ita enim de illa loquendum, ac si Pater esset, confirmant hoc aliqui, nam etiam Iudith genealogia texitur, Iudith. cap. 8. quia nimirum illa præstans fuit mulier, & salutem attulit Hebræis. Quia ergo in illa fuit peculiaris ratio, ideò illius posita est origo, & genealogia. At hoc longè magis locum habere debuit cum Beata Virgine, cuius illa figura, & vmbra quædam fuit. Non ergo à Scriptura alienum est, interdum mulierum texere genealogiam cum peculiaris occurrit ratio, sic quidam videntur affirmare.

5. Sed hoc de Iudith non videtur ad rem, nam non possumus negare in Scripturis mulierum etiam esse genealogiam, vel posse esse, præsertim insignium; sed illud dicimus non esse consuetudinis Hebræorum, vt viri genealogia per mulieres texatur. Porrò hic de Christi genealogia agimus, imò addo etiam mulierum genealogiam solere esse per lineam masculinam, ita vt Hieronym. num. 3. citatus hoc velle videatur: eius videlicet, cuius in Scriptura texitur genealogia, per viros eam deduci consueuisse, licet mulieris texatur genealogia.

6. Non inficior tamen, in Christo aliam esse rationem, quia Patre caruit, & ideò potuit Euangelista etiam per Matrem, Christi genealogiam scribere; sed placuit illi tamen à communi vsu, & consuetudine propter Hebræos non recedere; præsertim cum etiam constet, Christum esse ex Dauide ex parte Matris, imò esse ex eodem per Salomonem, minimum ratione Patris.

7. Sed inquies, esto sit B. Virgo de eadem Tribu, ex lege connubij, non propterea sequitur ex eadē fuisse familia. Tolet. in fine annotat. 59. in c. 3. Luc. dicit, hinc tantùm effici, esse B. Virginem de Tribu Iuda, non aût de familia. Sed respondeo bifariam: 1. adeò notum fuisse, vt inquit Maldonat. c. 1. Matth. v. 16. Ioseph, & D. Mariam fuisse non ex eadem modò tribu, sed ex eadem prorsus familia, vt Euangelista non dixerit; sed, quòd caput est, Respondeo 2. Beatam Virginem Ioseph tanquàm maximè omnium propinquo non solum spontè, verum etiam necessitate legis traditam fuisse, lex enim illa Numer. 36. 6. 7. non solum de eadē Tribu, sed etiam de eadem familia intelligenda videtur, vt cùm mulier aliqua paternæ hæreditatis sola hæres esset; non posset nisi eiusdē familiæ viro, & quidē propinquissimo nubere. Vide Ruth. 3. 12. & 4. est & ratio propter quam ita affirmemus: Nam propterea prohibebat lex extra propriam tribū nubere, ne hæreditates, quæ Dei arbitrio inter eas Tribus æqualiter fuerant distributæ, Iosue 19. perturbarentur: hæc eadem ratio in singulis familijs valet, quæ in eadem quoque Tribu æquales terræ portiones acceperant. Sic enim Iosue 19. sæpè dicitur, *per cognationes suos.*

Idem

8. Idem & textus Hebraicè scripturæ dicit. Sic enim habet: *Omnis filia hæres hæreditatu ex Tribubus filiorum Israel, vni ex familia Tribus Patrus sui eris in vxorem, vt possideant filij Israel hæreditatem Patrum suorum.* Vnde Hilar. Cano. in Matth. 1. ex necessitate legis D. Mariam Ioseph nupsisse scribit, Eucherius q.2. in Matth. Theoph. & Euthym. in Comment. legens non de eadem tantùm Tribu, sed etiam de familia interpretantur, vide Maldon. loco cit. quare lex hæc in fœminis locum habebat, & quidem hæredibus pagentum, alioqui Dauid duxit Michol ex tribu Beniamin, 1. Reg. 18. & Iudic. 21. Filij Israel iurarunt ob crimen quoddam se non daturos filias suas filijs Beniamin in vxores; ergò licebat alioqui; & certè inter tribum Regiam cum Leuitica sæpè contrahebátur connubia. Exod. 6. 2. Paralip. 2. & idem ostendit ratio, quæ asseruat. Num. 36. vt hæreditas permaneat in familijs: & quia propinquissimo, qui erat in familia, debebat ea vnica hæres dari, hinc colligo Ioseph fuisse propinquissimum B. Virgini. Sic enim Francisc. Suarez ex lege Numer. 36. colligi putat disput. 3. sect. 1. Vide Euseb. Emissen. homil. de Natiuit. B. Mariæ.

9. Iterùm, si dicas, Faustum, vel qui negaret B. Virginem esse de Tribu Iuda, & diceret esse de Sacerdotali ex Patre Sacerdote, negare etiam, esse filiam hæredem, quia in tribu Leuitica non erant hæreditates, atque ita videtur per hanc Genealogiam deductam à Ioseph nō haberi Christum, vel B. Virginem esse ex eadem tribu cum Ioseph. Ad hæc respōdendum, vt prius, tanquam notum id tacuisse Euangelistam, qui non probationes afferre sed historiam texere decreuerat. Constabat enim id temporis D. Mariam fuisse hæredem & vnigenitam ex eadem familia, & tribu cum Ioseph, idèo satis esse censuit Iosephi lineam in medium afferre seruando consuetum Scripturæ morem in texenda genealogia per viros, & non per mulieres.

THEORIA XIII.

An D. Matthæus per solas naturales generationes peruenerit ad Iacob verum patrem Ioseph.

1. IACOB verum, Naturalemq; Patrem fuisse Ioseph satis confirmat consona Doctorum omnio fermè omniū. D. Matth. autem per solas naturales generationes ad illum vsq; peruenisse, magno argumēto est, vox, *Genuit*, nam vbi reperiantur filj adoptitij, & legales, non tamen illis competit genitos esse à parentibus, quin *Naturales*, *Filij* vocantur, qui geniti à parentibus fuerint, & fortè ideò D. Lucas abstinuit ab ea voce, *genuit*, quia filium vnum non naturalem erat numeraturus, nempè Ioseph respectu Heli, & cùm ventum fuit ad Christum non dixit Matth. de Iosepho. *Ioseph autem genuit Christum*, absit enim id cogitare.

2. Sed hoc prætermisso, idem efficiemus, si declarauerimus contra Philonem, Ioas ex Salomone duxisse genus, & naturalem Othoziæ filium fuisse, nam de illo dumtaxat est controuersia. Principio 4. Reg. 11. Sic habetur: *Athalia verò mater Ochozia videns mortuum filium suū, surrexit, & interfecit omne semen Regium, tollens autem Iosaba filia Regis Ioram, soror Ochozia Ioas filium Ochozia, furata est eum de medio filiorum Regis, qui interficiebantur, & nutricem eius de Triclinio, & abscondit eum à facie Athalie*, vbi apertè vocatur Ioas *filius Ochozia*, nec incredibile est Athaliam crudelem, & superbam fœminam regnandi cupiditate nepotes suos voluisse interficere non contentam regnare nomine nepotis sui, 1. Paral. 3. dicitur: *Filius autem Salomonis Roboam, cuius Abia filius genuit Asa, de hoc quoque natus est Iosaphat Pater Ioram, qui Ioram genuit Oziam, ex quo ortus est Ioas*, quid clariùs? Quare Philonis vel alterius illud figmentum est, quo fingit in Ozia, siue Ochozia lineam Salomonis defecisse, atque ex posteritate Nathan, qui Achiphar institutus fuerat, hoc est, Regiæ stirpis instaurator; Ioas, qui in Regno succederet, fuisse sumptum.

3. Hoc figmentum nulla nititur verosimilitudine, inter Salomonem, & Ochoziam quinque Reges interceſſerunt Roboam, Abia, Asa, Iosaphat, Ioram, nullus sine filijs discesit, & putet aliquis verosimile morte Ochoziæ totam Salomonis posteritatem fuisse abolitam?

At si aliquis illorum Regum memoratorum filius restaret, is potius, quàm quiuis ex genere Nathan in Regno succesisset, nec tantum laborasset Athalia Ioas interimere, si quicumque præterea ex genere Nathan erant, ius successionis in Regnum obtinuissent. Ad hæc

4. absurdissimum est, eosdem homines, qui ab Ozia vsque ad Salathiel constituuntur à Diuo Matthæo, & à Diuo Luca inter Leui & Salathiel, illis Matthæi nominibus, & his Lucæ significatos esse, quod dicere oporteret, si vtriq; essent per Nathan, cuius posteri ibi ponuntur à Luca. Nec satis est dicere eos binomios fuisse; aliqua enim oportet id auctoritate monstrare, præsertim cum ne vno quidem nomine conueniant Lucas & Matthæus in tota illorum Regum Scriptura; Imò dicendū potiùs quod

5. res est, non eosdem fuisse Zorobabel, & Salathiel, de quibus Matth. & Luc. Scribunt, sed multos fuisse his nominibus nominatos. Et verò ne is quidem Zorobabel, qui 1. Paralip. 3. nominatus, idem est cum alterutro horum, de quibus Matthæus & Lucas scribunt. At, qui 1. Esdræ cap. 5. *Zorobabel* nominatur eundem esse cum eo, cuius meminit Matthæus probabile est. Lege hac de re etiam Maldonatum in cap. 1. Matth. v. 16.

DIGRESSIO MORALIS,

In qua accommodatur initium huius Capitis, liber Generationis Iesu Christi, B. Virgini.

1. *Maria virgo liber est diuinæ sapientiæ.*

QVAMVIS totum hoc vniuersum liber quidam sit à Deo nobis ad legendum propositus Diuinas eius perfectiones, in quo elementa ipsa sunt primæ litteræ; mista imperfecta, tanquam syllabæ, perfecta dictiones;

Animalia bruta veluti orationem referunt, quia cognitionem habent aliquam; homines verò & Angeli, qui magis Dei magnitudinem manifestant, veluti sensus profundos ac mysteria nobis aperiunt in rebus contenta. Hinc Trismegistus: *Est natura*, inquit, *veluti liber vnus Diuinitate plenus, quamuis etiã singuli homines sint veluti paruuli quidam libelli, in quibus cõpendio habetur quidquid in hoc magno volumine continetur.* Nullus tamen horum librorum ad dignitatem accedit præstantissimi illius libri, qui Virgo simul, & Dei Mater est; is enim liber omnium ornatissimus & primus est. Vndique argento, auroque rutilat, ob insignem, scilicet gratiam, qua maior post Christi gratiam non
2. est. Septem sigillis signatur, nimirum septem Spiritus sancti donis, scriptus intus, & foris est, nam & intus corde, & extra verbis & operibus Deum magnificat. Hic liber est, in quo æternum illud verbum scriptum est: Liber est vitæ, in quo velut impressa vita nostra est, & ideò *liber Generationis Iesu Christi inscribitur*: sed generationem eius quis enarrabit? quis ergo hunc nobis euoluet librum? quis sensum capiet? & profunda mysteria generationis inuestigare poterit? Plorabat Ioannes, quòd inueniretur nemo, qui librum aperiret, sed gauisus est non parum, cùm audijt ab Agno aperiendum esse. Ipse ergò Agnus, cuius hoc in libro mysteria cõtinentur librum hunc euoluet, secretra & difficultates enodabit, & mentem illustrabit ad ea capienda, q̃ in eo latent.

3. In libro, primum considerare est titulum. Titulus huius est, *liber generationis* IESV *Christi*: hæc est huic libro subiecta materia; agitur enim hic de Dei matre, sui creatoris genitrice dignissima, hinc suam accipit dignitatem liber iste, & ob id rectè *liber generationis* IESV *Christi* appellari potest. Vide igitur quã multa præclara hic titulus amplectatur. Nam cũ titulus iste deiparæ virginis, qua mater, ac genitrix Dei est, continet excellentiam. Hinc multa sequuntur: Nam si Mater fuit, ergo & ipsa etiam
4. Sanctissimum illud Dei corpus operata est. Deinde hinc fit, vt pars aliqua materiæ & substantiæ, quæ in corpore Virginis erat, vnita hypostaticè verbo fuerit, vt meritò proinde August. serm. 5. de Assumptione dixerit: Caro Christi caro est MARIAE, & infrà, caro Christi, quamuis gloria Resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quæ susceptа est de MARIA, vnde inferre licet, quod saltem peculiari Dei prouidentia particulam illã materiæ, quàm Christus ex matre desumpsit, perpetuò conseruarit sibi vnitam: ita vt semper aliquid MARIAE dici possit verbo vnitum, & Latriæ veneratione colatur. Hinc benè Petrus Damian. serm. de Natiuit. B. Virg. scribit: *Hinc taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tanta dignitatis immẽsitatẽ.* Est & tertiũ aliud, q̃ ex hoc titulo colligatur: videlicet, nunq̃ maledicto, nunquã peccato vel minimo subditã Mariæ carnem fuisse. Decentissimum. n. erat, vt ea caro, quæ Dei verbo aliquando vnienda erat, nulla specie labis inficeretur: Nam si primus Adam ex terra Virgine formatus est, quantò magis de secũdo
6. id cõuenit affirmare. Accedit & 4. dicere enim

A Mariam Dei matrem esse, est illi aliquo modo infinitã dignitatẽ affcribere. Sic D. Thom. 1. p. q. 25. a. 6. ad 4. vbi scribit, hanc dignitatem esse suo genere infinitã, cum suprema quædã coniunctio cum infinita Dei persona sit, nec tantũ nominari debet sola Carnis hæc coniunctio, imò & spiritus, qñ licet media carnis conceptione factũ tantum opus fuerit, aliquo tamen modo in Deũ terminatur. & ob id idẽ D. Tho. 2. 2. q. 103. a. 4. ad 2. dixit ob hãc dignitatẽ debitam esse immaculatæ Virgini longè excellentiorẽ adorationem, q̃ Sanctis alijs, q̃a sua operatione fines Diuinitatis propinquius attigit.

Et hoc modo declarari potest: Sicut enim 7.
propter vnionem cum Diuina hypostasi conuenit Christi humanitati summa gratia, & gloria; ita suo modo ob hanc Diuinam maternitatem
B debetur Virgini magna quædam gratiæ plenitudo, & si quis obiiciat Christum dixisse, *quin imò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, quo visus est adoptionem filiorum Dei huic Matris dignitati prætulisse; In promptu est quid respondeam: intelligitur enim id, si tantùm, & vt aiunt, præcisè Matris dignitatem spectemus, tunc enim melior, & eligibilior est filiorum Dei adoptio. Cæterùm quoniam esse Dei matrem, si moraliter loquamur, continet iuxtà Diuinæ sapientiæ consilium, & tantæ dignitatis naturam, vberrimam gratiam, copiosissimaque Dei dona, quæ longè antecedunt, & superant omnium simul Sanctorum priuilegia & dona cœlestia, proindè absolutè affirmandum, hanc dignitatem longè anteferendam esse simplici illi excellentiæ filiationis Dei: Atq; hæc
C dicta sint de titulo, & veluti materia libri huius.

Secundo loco: in volumine aliquo spectari 8.
solet signũ aliquod, vel imago initio libri impressa. Huius ergo libri signũ vidit Ioannes Apoc. 12. *Signum magnũ apparuit in Cœlo, mulier amicta Sole*, &c. Et vide q̃ magnum sit: Ioanni in terris agenti magnũ apparuit, licèt ostensum è cœlo. tradunt Astronomi 167. fermè Solem terra maiorem esse, & tamen cùm ita magnus sit paruus nobis esse videtur. Quantum ergò oportebit esse signum illud, quod in cœlo positum magnum in terra degentibus appáret? 9.

Sed quale sit signum videamus; *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius*
D *Corona stellarum duodecim.* Vestimentum, quod Sponsæ datur eiusmodi esse debet; vt Sponsi, Sponsæque dignitati aptè respondeat, quę igitur vestis? quod indumentum inueniri poterat dignum hac Dei noua Sponsa? Cui nunquam similis nec inueniri potuit, nec in posterùm inuenienda sit alia: Cùm ergò dignum nihil eius dignitate, nihil sponsi splendori inueniri posset, oportuit vt se ipso Sponsus eam indueret. Meritò igitur amicta dicitur Diuina tanquam Cyclade ipsomet sponso Christo, imò & Filio, qui Sol est fulgentissimus. Hinc est quod omnia verba eius Christum resonabant, cogitata, & suspiria Christum expetebant, cùm ambularet, non sine Christo ambulabat; quoties illa flebat, toties propter Christi dolores, vel certè ob Christum plorabat: si gaudebat, de Christo, & propter Christum lętabatur, cum peperit, Christum peperit, neque

alium

alium educauit infantē, quàm Christum, illum pauit, illum gremio gestauit. Denique nihil erat in illa, quod Christum non redoleret, ac repræsentaret: meritò igitur Christo, tanquam sole amiciebatur. Cùm verò Lunam sub pedibus eius substratā audis, intellige omne peccatum, omnemq; culpā pedibus eius cōculcari, & ab eius corpore, atque animo omninò excludi. Quoniā verò Regina est atq; Imperatrix à Deo cōstituta, quid mirum si coronā capite præsefert & diademate redimita apparet? *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circūdata varietate:* & quia cœlorum est Regina, propterea nō auream coronā, vel argenteā capite gestans visitur, sed cœlestē. Quod verò assistere ac stare dicatur, significat proprium esse huius Reginę, vt sit hominum Aduocata, & ideò se promptā, ac paratam esse ipso corporis gestu ostendit, ad ferendam opem.

11. Maria pulcherrima.

Tertium quod in libro spectamus, pulchritudo est: Audi quid Cāt. 4. dicatur, *Tota pulchra es amica mea, & macula nō est in te*, quid pulchrius vniuerso hoc, quod propterea mundus & græcè Κόσμος dicitur? quātum Deus bonè, sua pulchritudine oblectat nos cęlum, cùm illud Sole, luna, stellis ornatū intuemur? quis non ad hilaritatē excitetur, cum terrā videt vernantē floribus, frondibus ornatā, ac fructibus? Quid de Maria dicam, cuius pulchritudine vix satiantur oculi? Omnia quidē viuentia, & in primis Animalia, pulchra sunt: Sed supra omnia hæc eminet homo. De Angelis taceo, qui nobis non satis noti, ac perspecti sunt, quorū tamē tanta est naturæ dignitas tanta pulchritudo, vt nullo eā sermone cōplecti quis possit. At nihil horum ita præstat, ita pulchritudine eminet, vt non aliquo defectu cōmaculetur, & veluti nigrore quodā deturpetur. Quā multa sunt in hoc vniuerso, quæ nobis illud despicabile reddunt? vel in Cœlo ipso stellæ sunt, quæ tamen non sunt mundæ in conspectu Dei: terra vrticas, spinas, tribulos producit, mare demergit naues tempestatibus agitatum, horroreē etiā incutit; etiam homo similis bestijs euasit, & in Angelis reperta est prauitas. Tantùm de hac sola Virgine dictum est, & verè dictū, *Tota pulchra es*, &c. Cui proinde Luna, id est, defectus omnes ad pedes iacent, & proteruntur, & proculcantur.

13.

Duo porrò necessaria sunt, vt pulchrā aliquā imaginem quis exprimat; subtile sc. artificis ingenium ad inuenièdam figurā aliquā pulchrā, & prompta manus & facilis ad id exprimendū quod mente inuentum est. At nusquā horum vtrumque tam perfectè vniri potuit, quàm in Deo, qui huius tam præstantis imaginis auctor est. Ipsa enim ante reliquas oēs creaturas formata, ac cōcepta est. *Nondum*, inquit, *erant Abyssi, & ego iam concepta eram*. Vnam si excipias æterni verbi imaginem viuam, atque expressam Dei Patris, post hanc nunquam manu illius artificis depicta alia pulchrior fuit imago hac vna, atque ideò vbi id vidit summus ille artifex Deus, eiusq; admirandā pulchritudinem agnouit, subiecit statim, *Tota pulchra es*, &c.

14.

Solent pictores pòst depictam aliquam imaginem, vt ostendant non planè illam numeris omnibus absolutam esse, sic scribere: *faciebat*. At non ita Deus, sed tam pulchra imagine effi-

A

B

C

D

cta, dixit: *tota pulchra es*, quia Maria omni prorsus defectu carebat, nihil in ea non pulchrum. Simile quippiam hac in re feciſſe videtur Deus ei, quod narratur de Zeusi: Picturus. n. Helenā, ex præstantissimis quibusq; mulieribus delibauit id, quod in singulis maximè pulchritudine excellebat, figurāque inde pulcherrimā depinxit, & expressit, quæ, quòd in singulis illis maximè eminebat, cōtineret. Ita Deus hic ādhibuit, quidquid decoris & venustatis sparsum fusumq; erat per reliquas omnes creaturas, vt meritò huc illud accōmodetur: *multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu supergressa es vniuersas.*

Zeusis quo studio Helenam depinxerit.

15.

Cæterùm non animo tantū, sed corpore etiā pulcherrimā, eam Deus effinxit, ea pulchritudine, quæ maturā, sanctā, Deiq; matrē deceret, quæq; oculos & ædificaret, & detineret: quare Nazian. vel auctor ille in Christo patiente, primam illā vocat inter pudicas, pulcherrimas ac venerandas. Idem Alb. Magn. apud Diony. l. 1. de laud. Virg. a. 34. & ipse Dion. Ibidē a. 35. Ricard. Vict. Cāt. 6. Tota, inquit, pulchra meritò dicitur virgo, quia pulchra fuit facie, pulchra mente, & corpore. & certè, & si fallacē, & inanē pulchritudinē Scriptura Prou. 31. dicit, fœminas tamen multas ex pulchritudine laudat Esth. 2. Iud. 8. Iob 42. Gen. 29. Quare Virg. quæ fœminarū ornamentū, & decus est, negari nō debuit.

16.

Accedit & habet Caiet. in opus. de Spasmo B. Virg. virgo debet credi similis filio per omnia quantū fas est. Iā verò Christus pulcherrimus fuit, vt Suarez tom. 1. ostendit igitur & mater. Cant. item 4. dicitur, *quam pulchra es amica mea, quam pulchra es*, non simel pulchra, neque enim animo tantū, verū etiā & corpore pulchra erat.

Ad pulchritudinem quæ requiratur.

17.

Porrò ad pulchritudinem tria necessaria; Membrorū apta proportio verbi gratia, quod facies decima sit corporis pars, vt quibusdam placet; vt aspectus gratus, iucundus, atq; hilaris sit, hoc est, non tetricus, non insuauis, non ingratus, his omnibus addenda est quædam coloris suauitas, hæc omnia graues Auctores, inter quos D. Anselmus, & Albertus esse videntur in D. Virgine agnoscunt; & fuisse fatentur, Barrad. l. 6. c. 9. Suauem illum colorem, quem suapte natura sanctissimum Virginis corpus habebat, perpetuis ieiunijs, & contemplatione obliteratum, & in pallorem cōmutatum putat, pallidus enim color sanctis fœminis conuenit. Niceph. l. 2. hist. c. 23. *colore*, inquit, *fuisse frumentum referente, capillo flauo, oculis acribus, subflauas, & tanquam Oleæ colore pupillas habentibus.* Accedebat ad Virginis pulchritudinem, ea verborum modestia; ea morum & gestuum grauitas, is sanctitatis nitor, qui intuentium concupiscentiam omninò profligaret, & ad amplectendam honestatem continuò raperet; quare D. Tho. in 3. dist. 3. q. 1. a. 2. ad 4. scribit. Gratia sanctificationis dicitur non solùm repressisse in Virgine motus illicitos, sed etiam in alijs efficaciā habuisse, ita vt quamuis esset pulchra corpore, à nullo concupisci potuerit. Addit Alen. 3. p. q. 9. m. 3 a. 1. *Beatam Virginem suo aspectu infrænis libidinis motum extinxisse prorsus.* Idem Gers. habet serm. de Concept. Virg. & D. Bonauent. 3. sent. d. 3. 1. p. a. 2. q. 3. & Maior Lucæ. 2. in illa. *Exurgens Maria*, &c. quod videtur prius docuisse Ambr. l. de Inst. Virg. c. 7. vbi ait: tanta erat eius

18.

Digitized by Google

gratia, vt non solùm in se virginitatẽ seruaret, sed etiam si quos inuiseret integritatis insigne cõferret. Lege Gabrielẽ in 3. d.3.q.2.a.3.dub.1. de eius verò pulchritudine lege etiã Ant. in 4. p. Theol.tit.15.c.10.§.2. De forma Virgin. lege Nicep.l.2.c.23. Illud admirabile, ex Virg. vultu splendorẽ quendã emicasse, & ex sacro corpore suauẽ quẽdam odorẽ spirasse: sic Dionys. to.1. l.1 de Virg.a 34.credimus, q̃ de Alexãdro quãtùm ad odorẽ spectat, Plutar. refert. & quidẽ de splendore crediderim non eodem saltẽ semper modo fuisse in Virg. Neq; verò hæc tanquã incredibilia accipi debẽt, tum ob insignem animi moderationem, & sanctitatis dignitatẽ, tum ob præstantissimũ corporis temperamentũ. Certè nullo vnquã morbo corpus eius sanctissimum laborasse, docet Caiet. in Opus. de spasmo Virg. Idemq; de Christo docet Galarinus lib.7.c.20. quidquid Abulensis in q.13.in c.12. Leuit. sentiat. Vide de pulchritudine Virg. Vegam in c.12. Apocal. com.2. de B. Virg. sect.3.& 4.

19.

20. Sed vnde in primis tanta nata est pulchritudo? quia amica Dei. *Tota*, inquit sponsus, *pulchra es amica mea*, quare ornent se quantũ velint mulieres, argento, gemmis, auro fulgeant, pretiosis vtantur vestibus; nisi cum Deo amicitiam iungant, fœdiores erunt Cacodæmone. Notanda sunt proinde diligenter Sapient. verba Prouerb. 11. *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua.*

21. Est & quartũ aliud, quod in libro spectari debeat, candor quidẽ Papyri: sed quis candorẽ in tam præstanti libro, quẽ laudamus desideret? Mariæ puritas, quæ libri huius est cãdor, tribus fulget conditionibus velut margaritis pretiosissimis, est.n. perfecta, continua, impermixta. Primum habet, quia excedit omnem hominũ, & Angelorũ puritatẽ, vt meritò dixerit Ansel. de Concep. Virg. *Nil tibi domina æquale, nil comparabile, omne quod est, aut supra te, aut infra te est, supra te solus Deus, infra te omne illud, quod Deus non est.* Continua etiã, ac perennis fuit hæc puritas, quia nullo vnquam tempore, & ne momento quidem vel leui macula intercepta fuit. Vnde Eccli.24. *Et sic in Sion*, inquit, *firmata sum.* Cæteri omnes sancti illud de se fatentur non inuiti, *si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Deniq; impermixtã dicimus eius puritatẽ, quia nunquã peccati alicuius siue Originarij, siue alterius cuiuscũq; sordes, aliqua ex parte cõmaculata fuit, atq; permixta, vt meritò dicatur Ecclsi.24. *Quasi balsamum non mixtum odor meus.*

ria ab õni peccato munis.

22. Quinto loco maximè in libro, Sapiẽtię quędam magnitudo, ac sensuum profunditas, & sublimitas exigitur, vt proinde quæ libro cõsignantur plena esse debeant, admiranda & alta. Sed vide quanta fuerit sapiẽtię, quã hoc vno libro exarauit Deus, plenitudo. Quadruplicẽ.n. plenitudinẽ distinguere possumus, vnam, quæ nascitur ex partibus, & diuisione gratiæ, ac donorum Dei. 1. Cor.12. *diuisiones gratiarum sunt*, alij.n. Deus dat gratiã miraculorũ, alij sapiẽtiæ, &c. quæ simul omnes in hanc vnam Virg. conuenerunt. Hinc illud Hier. *Cæteris per partes præstatur, Mariæ verò se totam infudit gratiæ plenitudo*, & D. Th.3.p.q.27.a.5. Sapientissimè scribit: omnes quidem gratias habuisse, licèt non omnium vsum, neque enim constat vsum esse, dum viueret, miraculorum dono, quo tamen non caruit. Est & altera plenitudo ex parte subiecti recipientis: Est enim in homine Anima, Spiritus, Caro, Appetitus, Sensus, Intellectus, hæ partes in reliquis iustis non replentur gratia, neque enim eam tantam accopere gratiam in anima, quæ à Carnis appetitu legem illam peccati Spiritui cõtrariam auferret, de qua Rom. 7. *Video aliam legẽ in membris*, &c. quamuis enim gratia efficiat, ne iustus succumbat, non tamen ita spiritui Carnem subdit, ac patere facit, vt quoque facit, ne vnquam illa contra hunc insurgat, & hinc est, quod in omnibus iustis, *ipsa habitare*, dicitur peccatum, sed non *regnare*, quod discrimẽ docuit nos Apost. cùm Rom. 7. dixit, *Non illud ego operor, sed quod habitat in me peccatũ*; & Roman. 6. *non regnet peccatum in vestro mortali corpore*; hunc appetitum effrœnem, & rationi obluctantem vocant sancti concupiscentiam, legem peccati, fomitem; vt enim fomes facilè incenditur, & inflammatur, sic appetitus facilè exsurgit, & contra rationem inuehitur & in peccatum trahit, nisi Diuina gratia reprimatur. At in Beatissima Virgine sublatus est fomes iste, decuit enim carnem illam sanctissimam, de qua Christi Caro sumenda erat, nihil in se tale vnquam experiri. An verò hanc plenitudinem antè, vel pòst conceptum habuerit, docet Tolet. annot. 67. in c.1. Luc. Nos certè cũ D. Leone ser.2. de Nat. ante conceptum sublatũ fuisse opinamur, non ligatum modò.

23.

Appetitus sensitiuus cur dicatur & sanctus fomes.

Est & tertia libri huius plenitudo, legimus enim in eo quidquid Philosophia continet. Est hic in primis profunda humilitas, tamquã materia quædã prima, re vera tamẽ perfectissima; gratia ipsa præstantissimæ formæ rationẽ continet; Motũ declarat Charitas; castissimus eius vterus locus est admirabilis, & quidem non alterius, quàm Dei. Hic siue esse, siue viuere, siue sentire, siue intelligere spectes, plenissima sunt omnia & aureo decore nitentia, in primis Mens eius, (vt cætera taceam) veluti fulgentissimum cœlum est, & sedes Dei. Habes ergo vnde hinc plenam perfectamque haurias Philosophiam.

24.

Postremò, quis non fateatur plenissimam esse huius libri Sapientiã in quo admirãda Dei opera veluti descripta cernuntur, quod factum est quando Verbum Caro factũ est? Per hoc.n. Dei bonitas sese nobis aperuit; quæ.n. maior bonitas excogitari potest, quã vt Deus carnem nostrã intra Virg. vterũ assumeret? hac vna eadẽ re potentiã, misericordiã, Sapientiam, & alia Dei attributa vehementer admirari licet.

25.

Cæterùm hæc libri plenitudo, non sine admiratione est, quod erat alterũ de tribus propositis. Non enim satis est plenam esse libri doctrinam, nisi quoq; admiranda sit. Certè si quis Artifex tanta polleret arte, vt in prauo lapillo, ac gemmula totum vniuersum, turres omnes, ciuitates, omnes agros, montes, flumina omnia, elementa, cœlos, sidera, denique ne longum faciam, orbem ipsum, & plenitudinem eius describeret, quis non obstupesceret? Atqui tam. sublimè opus præstitit Deus in vna hac præstantissima Virgine, quę gemma quidẽ est immensi valoris, Paruula tamen ob humilitatem, & sui despicientiam: In hãc incidit Deus omnes vir-

26.

tutes, omnia gratiarum genera, dicam breuiter, se ipsum. Vides ne, quam admiranda cõcludat? In Mariam confluxere quidquid, vel in veteri, vel in nouo Testamento boni accepêre Sancti, atque adeò omnia noua claudit & vetera, vnus Mariæ liber. Et quidem meritò: ea namque est & Mater, & Virgo; eadem Dei creatura & genitrix; & cum Adam sit filia, sine vlla tamen labe peccati est.

Tria in Virginem admiranda conuenêre.

27. Et quo magis mirere, sic accipe, solet Deus tribus de causis miracula edere, primùm cum aliquem ita eligit, vt in finem præstantissimum prædestinet, quemadmodum Paulum in vas electionis elegit, vt portaret nomen eius coram Regibus &c. Ideò admirando prodigio de cælo eum vocauit, deinde etiam honoris sui causa interdum id facit. Verbi gratia, cùm pertinaciter ac superbè secum contendere aliquem videt, & sibi aduersari, vt cùm Pharaone, & Sennacherib factum legimus. Ob id namq; illud in mare demersit, huius etiã exercitũ funditùs deleuit. Deniq; miracula edit interdum vt se Dominũ ostendat rerũ omniũ, cuius potentiæ omnia subiaceant. Hæ omnes causæ poscere videbantur, vt in hac intemerata Virgine se admirandum planè declararet. Et primùm quidẽ eligebatur illa in Matrẽ, quid igitur mirũ si eã immunem reddidit ab originali culpa? Matrẽ illam suam effecit, in eius vtero requieuit, & indignam eam iudicabimus, vt à peccato sit omninò libera? *Aggregauer.it Dauid*, vt est. 1. Para.

28. 29. Scriptum: *Innumeras diuitias vt templum Domino magnificentissimum exædificaret.* Mirabantur, qui videbãt tam multa splendidè apparata: Respondebat illis sapiẽter Dauid, *Opus namq; grãde est, neque. n. homini paratur habitatio, sed Deo.* Idẽ si spectes hic in B. Virgine, quæ longè præstantius templum futurum erat Diuinitatis, desines protectò admirari, & indignũ omninò iudicabis, si fœdari audias templum illud vna vel leuissima macula. Iterùm, Filij Dei honor rem hanc quamuis admirandam poscebat, vt sine vllo conciperetur peccato eius Mater: An non in eius dedecus conuerteretur, si dici posset aliqua saltem ratione eius, quæ aliquando peccatrix fuit, filius fuisse? *An non ipsa erat ea mulier, quam præparauit Dominus Filio Domini mei?* Gen.

29. 24. Deniq; decebat, vt Deus maximè potentiã suã ostenderet, & se nõ pendere à naturæ legibus declararet aliquando. Sed quæso vbi hoc melius potuit indicari, quàm in matre? quę hoc ipsum insinuasse videtur, cùm ita cecinit, *Fecit mihi magna qui potens est:* cum alijs misericordia præsertim vsus est, quia cùm lapsi essent, in pristinũ sunt statum restituti: In Virgine præ alijs potentiã ostẽdit, magna omninò, & pœnè incredibilia faciẽs. Quis igitur se ipsum cõtinere poterit, qui non admirabundus exclamet, *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate?* Constat igitur librum hunc non plenum modo, sed admirandum planè esse.

Restat tertiũ Altissimus. n. est hic liber Eccl.

30. 24. *Ego in Altissimis habitaui;* & meritò, nam eius, siue virtutes, siue dona, siue merita, siue præmia; altissima fuêre omnia, vt proinde nihil sit in terra, quod cum illa comparari queat. & ideò iure cœlo comparatur, & quidẽ firmamento, in quo innumeræ emicant stellæ, quarum inæstimabilis est pulchritudo, & immensa magnitudo, ad quarum intuitum nutat mentis nostræ acies, vt propterea scintillare videantur.

Ad extremũ, quod in libro considerandũ venit, sigillũ est quo clauditur. Sed quod vnquam præstantius sigillũ, æterna Mariæ prædestinatione? qua veluti obsignata innumera Mariæ bona cõprehẽsa sunt? *Dominus possedit me,* inquit, *in initio viarũ suarũ. Ab initio, & ante sæcula creata sum:* Ante ipsum ergo primã nascentis mundi originẽ, ab ipsa nimirũ æternitate, ante præuisa merita, Dei cõsilio, & volũtate electa, ac prædestinata fuit, vt cum creatura esset Dei, in matrẽ tamẽ Dei acciperetur, vt etiã Virgo esset, & fœcunda, vt sine peccato prorsus omni, & filia tamen Adami foret. Denique vt ad immensam gratiam, supremamque gloriam destinaretur.

B Hinc Cyp. serm. de Nat. Christi per Antonomasiã vocat immaculatã hãc Virg. *Vas electionis.*

Cæterùm, prius secundùm nostræ mentis intelligentiam, electã in matrẽ asserimus fuisse, & mox ad tantũ gratiæ, & gloriæ cumulum, vt. n. more scholasticorũ loquamur, executionis ordo, intentionis ordinẽ ostendit. At in ipsa rerũ executione ea gratia, atq; adeò gloria B. est Virgini concessa, vt esset digna Dei mater: decebat. n. eam, quæ Dei Filium paritura erat, his prius donis ornari, igitur ad tantã gratiã, & gloriã destinata fuit, quia in Dei matrẽ erat præelecta.

Neque verò existimes post præuisum Adæ peccatũ, eò dignitatis euectã esse, tam. n. ad maternitatis gradũ, quã ad tã excelsum gratiæ, & gloriæ cumulũ electa fuit, antequã lapsus hominis nostro modo à Deo intelligeretur. Cùm. n. Christus antè omnẽ peccati cognitionẽ fue-

C rit prædestinatus, necesse est fateri Mariã etiã antè peccatũ fuisse prædestinatã: Nõ. n. prædestinatus fuit Christus tantũ vt homo, sed simul vt filius hominis, igitur nõ est seiungenda mater à filio in prædestinatione; hinc intelligere licet, quã ob rẽ Ecclesia ea, quę de æterna sũt sapientia ad B. hãc Virg. accõmodet, vt illud: *Dominus possidet me,* &c. *& abinitio & ante sæcula,* &c.

Addendũ tamen his, B. Virg. in Adamo quidẽ peccasse, & mortis meritũ incurrisse in illo: placuit. n. Deo nos omnes cõtineri lege illa, & pacto, quo constituit, vt Adã esset caput hominũ, & in eius voluntate nostras omniũ volũtates veluti cõtineri voluit. Ita vt illo vel cõseruante, vel trãsgrediente præceptũ intelligemur & nos cõseruare, vel trãsgredi, omnesq; nasceremur vel cũ iustitia, vel saltẽ obnoxij peccato:

D Atq; adeò quantũ ad hoc inuisi. Hoc tamẽ non obest puritati & sanctitati alicuius, quamdiu in Adamo dumtaxat cõsideratur hoc peccatũ, nec dũ macula aliqua cõtracta est. Est. n. hoc nõ aliud, quã in alio peccare. Quare Aug. l. 6. cõt. Iul. c. 4. peccatũ, inquit, Originale quatenus cõsideratur in actione alterius, alienum est; fit autẽ proprium tantùm contagione propaginis.

Ex his patet, carnẽ B. Virg dici posse *carnem peccati,* carnem verò Christi *similem carni peccati,* licèt neutra vnquam commaculata labe peccati fuerit, vel infecta; quibus omnibus facilè est indagare, quomodo Dei parens redempta à Christo fuerit, licèt peccatum non incurrerit. Videns enim Deus ab alta Diuinitatis Arce, Adæ peccatum, decreuit altissimo suæ mentis

con-

Digitized by Google

consilio B. Virg. subuenire, antequàm in peccatum incurreret, cui quàtum ad se ratione suæ originis erat obnoxia; Ipsa enim eo momento cõceptionis, spectata, quà homo ex Adam erat, obnoxia proculdubio peccato fuit, quod perinde, ac si dicas; ita constitutas fuisse causas, vt inducere deberent peccatũ in illam. Cæterùm eodemmet momento temporis præuenta illa fuit præpotenti manu, ne in peccatum incideret. Prius enim natura est homo quis, quàm peccator vel iustus, semper enim subiectũ antè intelligitur, quam forma non necessariò inhærens: hic ergo admirandus est redemptionis modus, quo à Christo filio Beatissima Virgo redempta fuit: Sic enim Paul. 2. Cor. 5. neminẽ vult esse, qui à Christo redemptus non fuerit; est enim Redemptor vniuersim omnium; *Si enim*, inquit, *vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*, ergo & B. Virgo dici debet, in Adamo tamen mortua, ac proinde à Christo redempta. Cæterùm vbi semel præuenta fuit, iam non debet ampliùs peccato obnoxia dici. Sicut antè sanctificationem meritò obnoxia peccato, & caro eius, *caro peccati* dici poterat.

36. Habes igitur Christiane præstantissmũ Dei sapientiæ volumen, quod si die, noctuque volueris, næ tu ad summum sapientię Diuinæ gradum eucheris, ad quod te ipsa illa Dei Mater, quæ liber iste est, illis verbis inuitat; *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos.*

CAPVT III.

EIVSDEM IESV CHRISTI GENERATIO HVMANA PER NATHAN *vsque ad Ioachim c. 3. 23.*

Cùm narrasset Lucas Baptismum Christi, subdidit hæc.

1. ***Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph.***

SCHOLIA.

1. 1. *T ipse*] Græcè est Καὶ αὐτὸς ἦν ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν, id est, *& ipse Iesus erat ingrediens quasi annum trigesimum*: ἄρχομαι autem, vnde ἀρχόμενος sic sumptum significat *incipere*, & *ingredi*, & re vera iuxtà Ecclesię ritum, quæ Christi baptisma celebrat in die Epiphaniæ, Christus iam tredecim diebus ingressus erat annum trigesimum, & hoc iuxtà annos Imperatorum Octauiani, & Tiberij, quoniam 15 annorum erat in morte Octauiani, & Tiberij 15. baptizatus est; Quare non minus triginta annos natus, vel potius secundùm Ecclesiæ ritum ingressus 30. per 13. dies baptismum adijt. Vnde parum refert hic vtro modo vertas, incipiebat esse quasi annorum triginta, aut ingrediebatur circiter trigesimum annum.

2. Quidam Græci non habent ὡσεὶ & hoc modo sensus est, *ingressus erat annum trigesimum*, cuius vsum tenet Ecclesia, sed vera lectio habet, ὡσὰ, id est *quasi*, vel *ferè*, vel *tamquã*, vel *circiter*. Obserua quod *incipiens* non est iungendum cum *quasi*, sed

A cum *triginta annorum*, cum enim *quasi triginta annorum* significare posset, vel exitum trigesimi anni, vel initium, per vocem *incipiens* contrahitur ad significandum initium, vt patet ex Græcis, vbi non dicitur, *erat incipiens quasi triginta annorum*, sed *erat quasi triginta annorum incipiens*. Euthym. videtur legisse ἐπιόντων, id est, *incedens*, vt sit sensus. Erat tunc Christus quasi triginta annorũ incedens, id est, ita exteriùs viuens, & versatus cum hominibus, vt opinione hominum existimaretur Ioseph filius. Porrò ex voce, *incipiens*, collige circa tempus brumale baptizatum.

Quasi] tribus modis intelligi potest, vel enim 3
significat fuisse tunc Christum propè finem trigesimi anni v. g. expleſſe 29. & menses decem, putant enim quidam natum 6. Ianuarij eodemque die post
B expletum trigesimum annum mutasse aquam in vinum; baptizatum verò 6. Idus Nouembris; Sic Epiphanius hæres. 51. sed hoc Ecclesia non sequitur, vel significat paucis diebus præterijsse trigesimum annum, vt vult Beda lib. de ratione temporum ca. 45. quod nec placet. Vel significat per paucos dies, puta tredecim ingressum annum trigesimum, quod sequitur Ecclesia, & ita id sumere debemus. Patres verò qui docent post trigesimum annum baptizatum, exponas *post trigesimum*, id est, *trigesimo anno*, vt *post dies tres resurgam*, id est, tertia die; itaque hic particula. *Quasi*, non significat deesse aliquid ad trigesimum numerum complendum, sed superesse potius, vt cum Exod cap. 1. dicuntur egressa Aegypto ferè sexcenta millia virorum. Vbi, *ferè*, significat aliquid superfuisse ei numero, non verò defuisse Adde quod interdum habet, *Quasi*, vim affirmantis, vt *quasi vnigeniti à Patre*. Denique sunt qui putant. *Incipiens*, non referri ad Christi ætatem, sed absolutè poni ad significandum exordium prædicationis, vel manifestationis Christi, quasi dicat,
C erat quasi triginta annorum cùm incepit se declarare mundo. Sed præstat dicere hic. *Incipiens*, contrahere, vt dixi, τὸ *quasi triginta annorum*, vt non ad exitum triginta, sed ad initium referatur, poterat enim ad vtrumque referri.

Triginta annorum] hos sic collige. mortuus est 4
Augustus die decimo nono Augusti, id est, decimo quarto Kalend. Septembris ex Dione, quo die primum consulatum inierat, qui erat annus Christi decimus quintus tantùm, scilicet, demptis mensibus quattuor, & diebus sex, qui intercurrunt inter 19. Augusti, & 25. Decembris. Nam Christus 25. Decembris ingressus iam fuerat decimum quintum annum, nec compleuerat. Porrò eodem die 19. Augusti Tiberius suscepit imperium, cuius anno decimo quinto, vt scribit D. Lucas cap. 3. id est, Anno
D decimo quarto mense quarto, & die decimo nono (tot intercedunt inter 19 Augusti, & 6. Ianuarij, scilicet, menses quatuor & dies nouendecim) Christus Dominus baptizatus est sexto Ianuarij. Si ergo ex his Tiberij addas menses quatuor, superque sex dies supradictis illis quindecim Christi quibus deerant quatuor menses, & dies sex, emergent ex prioribus posterioribusque annis, & diebus, anni 29. præterea & dies tredecim; & hoc est, tempus ætatis Christi, cùm ad baptismum venit.

Vt putabatur] quasi dicat, cùm vsque ad annum 5
trigesimum Dominus Iesus putatus fuisset, atque hominum opinione, tantùm externa spectantium, habitus filius Ioseph, post initum vitæ annum trigesimum tunc declaratus est Dei Filius, Voce æterni Patris mirabiliter etiam de cœlo delapsa. Hæc Verba Lucæ licèt ad baptismum pertineant, oportuit tamen declarare, quia posita sunt à Luca simul cõiuncta cum genealogia Christi, ita vt non benè separari potuerint à sequentibus.

Digitized by Google

Qui fuit Heli, qui fuit Mathat.
2. *Qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph.*
3. *Qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahun, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge.*
4. *Qui fuit Matath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda.*
5. *Qui fuit Iohanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri.*
6. *Qui fuit Melchi, qui fuit Abdi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadā, qui fuit Her.*
7. *Qui fuit Iesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathat, qui fuit Leui.*
8. *Qui fuit Simeō, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Eliacim.*
9. *Qui fuit Melca, qui fuit Mēna, qui fuit Mathata, qui fuit Nathā, qui fuit Dauid.*
10. *Qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson.*
11. *Qui fuit Aminadab, qui fuit Arā, qui fuit Esrō, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ.*
12. *Qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor.*
13. *Qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale.*

SCHOLIA.

6. QVi fuit Heli] sunt qui affirmant relatiuum: *Qui*, ad Christum referri, nam cùm ex professo Christum Lucas nominasset, eiusque quæreret genealogiam, quasi per accidens, & per Parenthesim meminit Ioseph; quod videtur textus græc° cōfirmare, vbi per genitiuū dicitur *ipse Iesus erat (vt putabatur Filius Ioseph)* τοῦ ὢν. & quia Lucas præmiserat Christum non habuisse Patrem, nisi putatum, & matris nollet mentionem facere, trāscendit ad Auum, tāquam ad viciniorem parentem seruata consuetudine de non texendis genealogijs per mulieres: quia verò Christus Patrem non habebat, Auum posuit, sicut aliquando D. Matthæus ad auos, & maiores transijt, qui non erant patres, sed satiùs est relatiuum, *qui* ad ipsum Ioseph referre, quomodo dicetur Ioseph filius Heli, lege tantùm vxoria. Idem est enim *Heli*, quod *Ioachim*, vt dicam num. seq.

7. 2. *Qui fuit Melchi.*] Aphricanus, cuius sententiam probat Euseb. l. 1. c. 6. 7. Eccl. Histor. arbitratur Mathan, & Melchi diuersis temporibus de eadem vxore, siue illa Iescha, siue fuerit Esta, vel Estea vocata, Mathā genuisse Iacob, Melchi autem Heli, Heli igitur & Iacob fuisse fratres vterinos, mortuo verò Heli sine liberis, Iacob eius vxorem accepisse, vt fratris sui semen suscitaret iuxtà legem, & ex ea habuisse filium Ioseph, naturalem quidem filium Iacob, legalem verò Heli; sed hanc sententiam reijciemus in Theoria secunda & septima. dicendum potius Lucam B. Virginis ex Dauide per Nathan genealogiam texuisse naturalem, Matthæū verò Ioseph ex Dauide per Salomonem: Itaque idem est hic Heli cum Ioachimo Patre B. Virg. & auo Christi Domini. *Heli* enim *Eliachin* & *Ioachim* idem apud Syros significant Ioacim, & Eliacim eidem reperiuntur imposita, 4 Reg. 24. 2. Parali. 36. *Heli* verò per aphæresim, & breuitatis causa dici videtur. Non igitur Heli filius fuit Melchi, neque frater Iacob, neq; pater etiā legalis Ioseph, sed vt habet D. Lucas filiꝰ fuit Mathat filij Leui, filij Melchi. Quoniam verò in Genealogijs fœminę nō nominabantur, placuit Lucæ hunc morem seruare, & ob id Ioseph pro D. Maria nominauit, interim tamen monuit, Ioseph nō fuisse verū Christi Patrem, licet talis fuerit putatus, lege igitur tantùm vxoria Ioseph dicitur filius Heli; sic enim generos, filios socerorum vocamus.

8. 5. *Zorobabel*] meminisse oportet Zorobabel hūc, & Salathiel non esse eosdē cum Zorobabel, & Salathiel Matthæi. Vnde non sequitur B. Virginē fuisse per lineā masculinā, quā hic describit Lucas, à Dauide per Salomonē, quod sequeretur si essent illi ijdē, quos recenset D. Matth. illi enim sunt à Dauid per Salomonem, non hi qui sunt per Nathan.

7. *Iesu*] græcè & Syriacè *Iose*.

9. *Qui fuit Nathan*] Quod D. Augustl. 83. qq. q 61. scribit: Nathan Dauidis filium, à quo posteritas est vsq; ad Heli, vxorem duxisse ex tribu Sacerdotali, & hoc modo ex Regia, & Sacerdotali tribu descēdisse Christum; incertum est; decuit quidem Christū nasci aliquo modo ex tribu Leui, de quo Theor. quinta. Quod verò Ambr. & Hilar. & Idem Aug. & ante illum Orig. ho. 4. in Lucam dicunt, Nathā, qui ponitur in genealogia B. Virg. fuisse illum prophetam sacerdotem, fuit ab eodem Augustino Retractatum l. 1. c. 26. & l. 2. c. 16. Retract. lege 2. Reg. 5. 1. Paralip. 3.

14. Qui fuit Cainam, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech.
15. Qui fuit Mathusalem, qui fuit Enoch, qui fuit Iared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainam.
16 Qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adæ, qui fuit Dei.

SCHOLIA.

10. 14. QVi fuit Cainan] D. Lucas inter Sale & Arphaxad interposuit Cainan, vnde cōstare debet Arphaxad genuisse Cainan, nō Sale, cōtra ac Hebræi nūc legūt, & nos in vulgata lectione habemus. Secutus est autem Lucas 70. Nec permisissent Spiritus S. Euangelistā sequi hac in re 70. si lapsi fuissent, & verò ratio suadet ita in Hebræis Geneſis Codicibus olim legisse 70. si enim scriptam generationem Cainan non inuenissent, non erant vsque adeò temerarij, vt de suo illā vellent adijcere, prę-scribentes, & quot annos ille vixisset, & quo tempore genuisset, lege c. 10. Gen. & 70. Itaq; cogimur affirmare deesse in nostra editione Gen. quod mirū non est, cū Matthęus in Christi genealogia aliquos omiserit. Licèt dici etiam possit, Hieron. cuius est nostra editio, secutum Hebræa, quæ sunt hic diminuta, vt etiam Exod. 12. 10. Vbi enim dicitur *non remanebit quidquam vsque mane*: 70. addūt, *& os non confringetis*, seu *comminuetis*, vt citatur, Io. 19. ex his apparet Hebræa nūc non esse omninò integra, reliqua in Theor.

THEORIA I.

Quot sint discrimina inter genealogiam à Matthæo expositam, & hanc Lucæ. & cur iste ascendendo progressus sit ad Deū, & post Baptismi Christi narrationem, genealogiam eiusdem scripserit.

1. MInimvm octo sunt discrimina. Primò Matt. Ioseph filium Iacob; Lucas Heli fuisse dicit, si relatiuum, *qui*, ad *Ioseph* referas. Secundò à Ioseph vsque ad Zorobabel Mat. non numerat nisi. 11. Lucas 20. Ad hæc à Ioseph ad Zorobabel Matt. diuersos prorsus

Digitized by Google

Christi parentes numerat, ac Lucas Quarto Matth. affirmat Salathielem fuisse filium Iechoniæ. Lucas Neri, quamuis verum sit Salathiel, & Zorobabel, quorum meminit Lucas non esse eosdem cum ijs, quos Matt. recensuit, vt c.2.n.27.Schol. & Theor. 13. n.5. & hic c.3. Schol.n.8. admonuimus: & aduertit Aug.l.5. qq. in Deut.9. 4. 6. quod est contra Ioannem Aninium in Comm. Breuiarij temporum falso Philoni adscripti. Quinto: A Salathiele vsque ad Dauid alios rursus Lucas, quàm Mat. recenset. Sexto: Luc. per Nathan; Matt. per Salomonem ad Ioseph peruenit. Septimo: Matth. consistit in Abraham, cùm Lucas ad Adam, & Deum ipsum ascendat. Octauo: Matth. descendendo, Lucas ascendendo Christi genealogiam describit. Nono: Mat. à Dauide vsque ad Christum numerat generationes 28. Lucas 42. Denique Mat. vniuersim Tessaradecades tres, personas 42. nominat. Lucas 77.

2. *Lucas ascēdendo, Matthæus descēdendo Christi genealogiam descripserunt, & cur.*

Sed quare Lucas, inquies, ascendendo, Matt. descendendo progrediuntur? Respon. quia cōsuetudo Hebræorum est, vt in recensendis huiusmodi genealogijs ab eo incipiant, quod postremùm in ore fuit. Matt. ergo cùm Abraham nominasset, ab eo processit ad Christum. Lucas dixerat, *ipse Iesus erat Incipiēs quasi triginta annorū, & putabatur filius Ioseph.* &c. Ideò ab eo exorsus est. Potest & ad mores hoc accommodari. Matthæus aduentum Christi ad nos ostendit. At Lucas commodum & vtilitatem aduentus voluit declarare. Nam *Verbum Caro factum est*, & ad nos descendit, vt nos ad Deum ascenderemus.

3. Iterùm scisitabere, cur post baptismum descripta fuerit à Luca Christi genealogia? Respondet August. lib.2. de cons. Euang. c. 4. quia Christum Sacerdotem, qui expiare per baptismum peccata venerat nobis ante oculos ponit. Ideò à baptismo incipit narrare eius genealogiam; vel quia à baptismo cœpit Christus se Dei filium declarare, cùm hactenus existimaretur Ioseph esse filius; ideò distulit eius genealogiam declarare vsque ad hoc tempus, q. iam mundo nasceretur nouo modo per fidem, & sui veram cognitionem. Sic Toler. in Lucam 3. annot. 57. id quod confirmat modus ille loquendi: *& ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta: vt putabatur Filius Ioseph.*

4. Iterùm petes, cur omnes generationes ad Adam vsque enumerauit & Deum? Respondeo, quia cùm à Christo operante hominum salutem, & iam se apud Iordanem manifestum faciente, inceperit occasione baptismi, ob id voluit mentionem facere generationum omnium, cùm omnes item à Christo liberandæ essent à peccato, vt primus homo omnes infecerat; est, & altera ratio, vt interim declararet nobis, Christum restituisse Deo Patri, cuius hic dicitur esse Adam, hominem rectum, & sanctū ab illo conditum, sed dæmonis astu deceptum, & ad pristinam gratiam reduxisse, & quodammodo in cœlum introduxisse. Ideò non ad Adam modo sed ad Deum vsque peruenire voluit. Adde & hoc, tertiò voluisse Lucam, Christi aduentum ad æternam Dei prædestinationē reuocare, & ideò eò peruenit, vt diceret, *qui fuit Dei.* nam prædestinatus est ab æterno, vt Filius esset Dei. Rom.1. 4. & ab origine mundi agnus occisus est. Apoc.13.8.

Sunt ergo omnes Lucæ generationes, computato Iesu, & Deo, qui formauit Adam 77 6. quibus vt D. Aug.2. de Cons. Euang. c.4. omniū peccatorum abolitio significatur. hoc enim numero peccatorum vniuersitatē expresit Dominus Matth. 18. *Non dico tibi septies, sed vsque septuagies septies*, imò & pœna peccati, indicata est eodem numero Gen.4. *De Cain septuplum vltio dabitur, de Lamech verò septuagies septies.*

THEORIA II.

An Heli fuerit Melchi filius.

ITA sentit Aphricanus, & Euseb. qui illius 1. sententiam probat l.1. hist. c.6. & Damas. 4. fid.15. vt retulimus in Scholijs ad v. 2. n.7. putant enim Iacob, & Heli fratres fuisse vterinos id est, ex eadem Matre, sed diuersis patribus, Mathan Patre Iacob, & Melchi patre Heli, & proinde Iacob, mortuo Heli fratre sine liberis, vxorem eius accepisse, vt legem, quæ hoc præcipiebat, impleret, & fratris sui semē suscitaret, atque ex ea habuisse Iacob filium suum naturalem Ioseph, legalem Heli: D. Ambr. legalem patrem Iacob, naturalem Heli videtur facere. Aug.2. de cons. euāg. c.3. l.3. cōt. faust. c.3. l.28. c. 3. naturalem quidē Iacob, sed adoptionis patrem Heli. licèt id retractauerit l.2 .c. 7 12. 55. sequutus Aphrican. In hac narratione aliqua videntur contineri absurda. Primum: Melchi tertius locus tribuitur in serie D. Lucæ ascendendo à Ioseph, quod non negant Aphricanus, & Euseb. primum enim locum assignāt Ioseph, 2. sequentem Heli, tertium Melchi, sicut in Matthęo statim ante Ioseph ponitur Iacob, & deinde Mathan. At in omnibus libris & Græcorū, & Latinorū tertio loco, à Ioseph apud D. Luc. ponitur Mathat, deinde Leui, & quinto loco Melchi. quare credendum tempore Aphricani, & Eusebij, nomina *Leui* & *Mathat* non fuisse inter *Melchi*, & *Heli* interposita, alioqui nō ausi fuissent id affirmare. Tertio scilicet loco positum *Melchi*. Melius Zole. Anno 56. putat esse errorem in istorum auctorum libris, & legendum esse *Mathat* pro *Melchi*, alius error videtur esse apud Damas. Melchi enim ponitur filius Leui, cùm Luc. dicat Leui filiū Melchi, videntur igitur errores irrepsisse in horum codices, & pro *Mathat* positum *Melchi*, & ita Dama. bene dicit Leui patrem esse Mathat, non Mel- 3. chi, vt corruptè videtur legi. Secundum Absurdum est, quod Heli sine liberis mortuo, lege addactum fuisse Iacob dicant, ad ducendam vxorem, quam Heli reliquerat, vt fratris suscitaret semen, quæ quidem res in controuersia est, nam illa lex Deut. 25. de suscitando semine fratris demortui, vt quidam volunt, ad eos fratres, qui tantùm vterini erant, & à diuersis parentibus geniti pertinere non videbatur. Ex littera enim videtur colligi, loqui eam legem de illis fratribus, qui simul habitabant, id est, qui eamdem hæreditatem habebant, quod illis non conuenit, qui ex diuersis patribus sunt orti. hoc absurdum exemplo Booz confutatur ab aliquibus, nam ex eo constat non fuisse necessarium, vt fratres ab eodem patre nati es-

sent,

sent, imò nec vt omninò fratres verè essent: *fratru* enim nomen ad cognatos etiam extenditur, qui ad defuncti hæreditatem, ius aliquod haberent, quam adire, nisi eius vxore ducta, nō poterant, vt Ruth. 4. 5. singnificatur, neq; enim Booz erat frater Mahalō prioris mariti Ruth. sed consanguineus Elimelech patris Chelion, & Mahalon: imò hinc constare potest etiam, non fuisse necessarium, vt simul, id est, eadem domo habitarent, aut in eodem Oppido, nam primus maritus Ruth longè à patria vxorem duxerat, ac mortuus erat, vocabaturque *Mahalon*. Ruth 4. 10. licèt filius suo nomine natus dictus sit *Obed*, quare hoc secundum absurdum
4. non valet. Est igitur tertium absurdum, fratris derelictam ideò accipere alius debebat, vt fratris semen excitaret, ad quem ipsius hæreditas veniret, & in quo nomen, & memoria fratris permaneret; Nam filius dicebatur, qui natus erat, non patris naturalis, sed legalis, hoc enim est vocari nomine mortui, quod posteà aduertit Aug. l. quæst. in Deut. q. 46. & retrac. l. 2. c. 12. Sed Iacob magis curare tenebatur, vt patri sui nomen, & memoria in aliquo permaneret: quā vt fratris qui alio ex patre erat ortus: ergo hac lege cogi non poterat, vt Heli vxorem acciperet; sed contra hoc est, quia satis permanebat patris nomē in alijs filijs Iacob per descendentium lineam. Vnde enim constat Iacob non habuisse alios filios? Ad hæc est ratio cur non Patris, sed potius fratris haberet in hoc rationem; quia aliter hæreditatem adire non poterat: patri verò satis erat, quod filius natus etiā si fuis-
5. set vnicus, esset naturalis Iacob. Quartū igitur absurdum est, quod Heli sterilem fuisse faciūt, neuter igitur ex Euangelistis docuit quomodo Christus ex semine Dauid secundùm carnē esset per lineam directam & propriam: deinde quid ineptius dici potest, quàm Lucam in hac genealogia, quam iam inde ab Adamo repetit, non declarasse nobis Christi originem? sed ad Ioseph nō naturalem, sed legalem tantùm patrem peruenisse?

6. Hanc sententiam Africani, & veterum rectè tuetur Barrad. l. 5. c. 30. est enim probabilis ob tantorum Patrum auctoritatem. Vide etiam D. Tho. 3. p. q. 31. a. 3. ad 2. vt autē secundùm cōmunem veterum sententiam genealogias huiusmodi intelligere possimus melius, hic eas apponam secundùm Damas. & Africanum.

1.	Estha	2.	Leui	3.
Mathan			*Mathat*, sic enim legendum nō *Melchi*.	
Iacob	fratres veterini		*Heli*	
Ioseph filius naturalis Iacob ex dereliçta Heli.			*Ioseph* filius legalis Heli, qui mortuus est sine liberis. Leui igitur est proauus legalis Ioseph.	

Panthera
Barpanthera, Bipanthera.
Ioachim
Beatissima Virgo, itaque Leui est Atauus B. Virg. proauus vero Ioachim naturalis. hæc secundùm Damascenum.

A Toletus habet annot. 56. in tertio modo, Mathan prius duxisse Esthan, & mortuum relicto filio vno Iacob. At Suarez habet Heli maiorem natu Iacob. Ex Euthym. in c. 6. Lucæ sic ille 3. p. To. 2. d. 2. sect. 3. versus finem, dum respondet ad primam difficultatem.

Idem Africanus sequitur quod est in col. prima & secunda licèt non videatur meminisse Leui, sed incipere à Mathat, sic enim legendum, non *Melchi*.

THEORIA III.

An Heli hic apud Lucam sit verus Pater Beatissimæ Virginis.

D Damascenus lib. 4. c. 13. Aphrican. & a- 1.
B lij multi Patres negant. hūc Heli fuisse patrem B. Virginis, immò ex D. Damas. sic stat genealogia B. Virg. & Ioseph. *Leui genuit Mathat, & Pantheram, Mathat genuit Heli*, Heli verò pater fuit legalis Ioseph. Iterùm Panthera alter filius Leui genuit Barpantheram, seu Bipantheram, hic genuit Ioachim, vnde immaculata Virgo Deipara, quare coniunctæ sunt legalis Ioseph & naturalis B. Virg. genealogiæ hic apud Lucam, licet ipse peruenerit respectu B. Virginis tantùm ad Leui, omissis Panthera, Bipanthera, & Ioachimo: Itaque secūdùm Damasc. Ioseph, & B. Virgo communem habent progenitorem Leui naturalem B. Virginis, legalem Ioseph.

In primis affirmo D. Lucam nullam generationem intermisisse in hac genealogia B. Virg. 2.
Probo. In generationibus à D. Luca descriptis,
C quarum cognitionem ex Scriptura habemus, nullā scimus fuisse intermissam à D. Luca; credendum igitur est idem in alijs. Deinde affirmo Heli verùm fuisse patrem D. Mariæ, ita vt non sit intermissus aliquis, etiam inter Helim, & B. Virg. Omnes quidem cōcedunt, si Ioseph respiciamus, non fuisse D. Lucam secutum naturalem genealogiæ seriem. Vt enim nemo ferè est, qui neget Ioseph filium naturalem fuisse Iacob, ita alij legalem filium Heli affirmant: alij rectiùs, eum lege vxoria filium eius fuisse dictum tradunt, eo modo quo generi Socerorum filij vocari solent. & hæc sententia verisima est. Vide Scholia in v. 1. n. 6. Itaque qui hic à Luca vocatur *Heli*, alias vocatus fuit *Ioachim*, legitimus verè, ac naturalis Deiparæ Virg. pater; *Heli & Ioachim idem.*
D voluit enim D. Lucas docere, Christum ex semine Dauid secūdùm carnem esse profectum, tenendo naturalem seriem genealogiæ D. Mariæ, & quoniam in genealogijs fœminæ numquam nominabantur, *Ioseph* pro D. *Maria* nominauit. Vt autem Matth. naturalem genealogiæ seriem D. Ioseph secutus fuerat, vt intelligerent Iudæi, eum quem Christi patrem esse arbitrabantur, ex vero Dauidis semine descendisse, simulq; ipsum Christum secundùm carnem ex eodem esse, sc. ex parte Matris, eò quòd vxores vnigenitæ, & hæredes suorum parentū eiusdē Tribus, ac familiæ cum suis viris essent, eodem modo D. Lucas cum patrem D. Mariæ quæreret, & non Ioseph, assignauit eum, qui verè pater D. Mariæ erat, & lege vxoria, aliquo modo pater D. Ioseph nominaretur. Sequuntur hac sententiam Galatinus l. 7. c. 12. Lucidus l. 7. de Emend. temp. c. 1. Canus li. 11. de Lo. c. 5. 3.

Digitized by Google

Annius in comment. Phil. Sotus 4. sent. d. 30. q. 2. a. 1. Ianſenius, Genebrardus, Caniſius & alij, hi omnes arbitrabantur Matthæum Ioſephi ex Dauide per Salomonẽ; Lucã B. Virg. ex eodem Dauide per Nathã Chriſti genealogiã ſcripſiſſe. Apud Gal. l. 7. c. 12. Rabinꝰ quidã apud Hebr. magnæ auctoritatis ſic docuiſſe dicitur; Animaduertere debes, patrẽ Matris Meſſiæ duplex habiturũ nomẽ, Vnũ *Heli*, Alterũ *Ieboiakim*.

THEORIA IV.

An D. Lucas per ſolas naturales generationes peruenerit ad Heli.

1. REſpondemus ad hanc queſtionem omnes naturales eſſe, nã quæ nobis per Scripturam innoteſcunt inter eas quæ poſitæ ſunt à D. Luca, naturales ſunt, vt ſuperiùs etiã n. 2. The. 3. annotauimus; idem igitur etiã erit ſentiendũ de alijs, quas nõ nouimus, quid enim abſurdius, quã in texenda genealogia interponere legales, cùm naturales adſint generationes? Cæterũ hic occurrit eorum refutanda ſententia, qui arbitrati ſunt Nathan nõ fuiſſe naturalẽ Dauidis filium, ſed prophetam ab eo in locũ filij adoptatum. Nõ. n. veroſimile eſt, Nathan illũ ſacerdotem, qui Dauid reprehendit, & qui per id tempus, vel æqualis, ſi nõ maior, vel certè nõ multò minor Dauide eſſe poterat, adoptatũ in filiũ fuiſſe. An fortè tam inops filiorum erat Dauid? Adde quod 2. Reg. 5. & 1. Parali. 3. Nathan fuiſſe filius naturalis Dauidis manifeſtò dicitur; ſic enim prim loco legimus. *Accepit ergo Dauid Cõcubinas, & vxores de Ieruſalem, poſtquam venit de Hebron, natiq; ſunt Dauid alij filij, & filiæ, & hæc nomina eorum, qui ſunt ei nati in Hieruſalem, Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon.* Obſeruanda eſt hic vox, *Nati ſunt*, nec dicere poſſumus ex Concubina, non ex vxore natum eſſe Nathã: nam ſecundo loco habetur: *Porrò in Ieruſalẽ nati ſunt ei filij Simmaa, & Sobab, & Nathã, & Salomon*, quatuor de Bethſabee: licèt Salomon dicatur *vnicus, & dilectus præ cæteris.* Non ergo dubitandũ Nathan filium fuiſſe Dauidis naturalem. Non nego multos veterum contrariam perſuaſiſſe ſibi ſententiam, cùm Chriſtum ex Regia, & Sacerdotali linea duxiſſe genus ſentirent, ſed nũc paſsim Theologi noſtram ſequuntur opinionem, & Aug. priorem illam retractauit l. 1. c. 26. quam tamen tenuit Orig. hom. 8. in Luc.

Nathan an naturalis filius Dauid, an verò adoptiuus.

2. Sed antequàm ad aliam Theoriam veniamus, vt melius, quod dixi, intelligatur; quærimus, an genealogia Matthæi ſit per lineam Regiam: Lucæ verò per Sacerdotalem.

3. D. Hilarius Can. 1 in Matt. & D. Amb. Luc. 3. affirmant à Matthæo Regiam, à Luca Sacerdotalem Chriſti genealogiã deſcriptã eſſe, ſed cũ vtraq; ſit ex ſemine Dauid, ac ex tribu Iuda, nõ video quomodo ſacerdotalis generatio narretur à Luca. nã quod filij Dauid *Sacerdotes* dicãtur, 2. Re. 8. nõ ſignificat eos, vel verè ſacerdotes fuiſſe, vel munus ſacerdotale exercuiſſe, ſed primates ac principes, Regis lateri adhærentes. Vox. n. Hebræa primatem, & ſacerdotem ſignificare poteſt. Quod verò Aug. l. 83. qq. q. 61. ſcirbit; Nathan Dauidis filiũ, à quo poſteritas eſt vſque ad Heli, vxorẽ duxiſſe ex tribu ſacerdotali, & hoc modo ex Regia & ſacerdotali tribu deſcẽdiſſe Chriſtũ Dominũ, incertũ eſt,

Sacerdos Hebraicè quid.

A vt in Scholijs v. 9. n. 9. monuimus: damus certè libenter Chriſtum ex ſtirpe Sacerdotali fuiſſe: quidquid ſit de Nathan, quod melius ex ſequẽti Theoria colligetur.

THEORIA V.

An B. Virgo fuerit aliquo modo de tribu Leui & quomodo cognata fuerit Eliſabeth.

1. DRiedo lib. 3. Dogm. & Olauius docent Annam & Eſmeriã ſorores fuiſſe ex genere Dauid, & Annam quidẽ nuptã fuiſſe Eliacim de tribu Iuda, & de familia Dauidis, qui Dei matrem procrearunt omniũ Dominã. Eſmeriã nupſiſſe viro Leuitico, quod ipsũ licuit Eſmeriæ, quia hæreditas ad ipsã nõ pertinebat & habuiſſe Eliſabeth filiã, vnde factum, vt D. Maria, & Eliſabeth cognatæ & conſobrinæ eſſent. Dicere ergo poſſumus Eliſabeth fuiſſe de

B tribu Dauid: ita tamen vt eius pater Leuitici generis, vel certè eius Auus duxerit vxorẽ puta Eſmeriã de tribu Iuda, vnde fuerit Eliſab. & ita Amb. putat l. 3. in Luc. nõ aliter fuiſſe cognatas B. Virg. & Eliſabeth, quàm quòd ex tribu Iuda vtraq; eſſet; Sic Driedo. l. 3. de dog. trac. 3. c. 1. p. 4. ad finẽ, & Ianſen. c. 3. cõcord. Imò docti quidam viri negãt, nec ſine probabilitate, B. Virg. fuiſſe de tribu Leui, ob Paulum ad Heb. 7. Vide Ribe. loco citato, Paul. n. 46. 47. &c. quare reſpondeo rem hanc, an. ſc. B. Virgo fuerit ex tribu Leui, incertam eſſe; probabilius tamen videri fuiſſe. Hęc enim tribus Leui, & Iuda poterant inuicem miſcere connubia, ſunt qui dicãt Ioachim Patrẽ B. Virg. accepiſſe D. Annam, ex tribu Leui cognatam Eliſabeth; ſic Hyppol. ex Niceph. l. 2. hiſt. c. 3. vbi dicit Annã fuiſſe filiam

C Mathan Sacerdotis, ſed hoc non placet. In feſto enim D. Annæ legimus ſecundùm præceptum Sixti V. *Anna Virginis Dei genitricis Mater Gazari filia ex tribu Iuda in Bethlehem Oppido Iudææ nata, Ioachimi fuit vxor, qui & ipſe ex eadem tribu Galileus erat ex Nazareth, ambo ex ſtirpe Regia, &c.* Quamuis aũt tam D. Anna, quã Ioachim ex tribu Iuda Regia orti ſint, potuit tamen, vel vterque vel alter ex parte matris aliquẽ habere genitorem ex tribu Leuitica, cuius ratione Chriſtus dici poſsit cũ B. Virg. à Leuitica tribu aliquo modo natus. Abſolutè. n. ex tribu Iuda ortus dicẽdus eſt, vt docet Aug. l. 83. qq. q. 61. Paulus Heb. 7. dum videtur negare Chriſtum eſſe ex tribu Leui, intelligendus eſt abſolutè; id eſt per maſculinam lineam, ita vt poſſet eſſe ſacerdos legalis. Quod ex textu colligitur, inquit. n.

D quòd ex Iuda ortus eſt Dominus, ex qua tribu nullus Altari præſto fuit, at pleriq; ſacerdotũ, matre ex tribu Iuda editi ſunt, vt de filijs Aarõ cõſtat. Aaron. n. accepit vxorẽ Eliſabeth filiam Aminadab, ſororem Naaſſon Principis tribus Iudæ, ex qua nati ſunt omnes ſacerdotes; & Ioiada ſacerdos duxit vxorem Ioſabeth ſororem Ochoziæ Regis de tribu Iuda. 2. Paral. 22. permiſcebantur. n. hæ tribus: loquitur ergo Paulus de linea maſculina, & hoc modo etiam intelligit D. Thom. 3. p. q. 21. a. 1. ad 2. alioqui ſibi non conſtaret. q. 29. a. 1. ad 4. & q. 31. a. 3. ad 3. Vide Tolet. in c. 3. Luc. annot. 58.

Eliſabeth mater Ioannis Baptiſtæ, quomodo cognata B. Virg.

2. Decuit quidem Chriſtũ aliquo modo naſci ex tribu Leui, nam vt inquit Beda, Rex eſt & ſacerdos, vnde ait, & in vtraque tribu Chriſma

4.

per legem mysticum celebratur, Christi nimirum hominis, & generationis prænuntium & Aug.l.2.de Consen.Euang. c. 2. firmissimè, inquit, tenendum est ex vtroque genere propagatum, & Regum sc. & Sacerdotum, in quibus personis apud illum populum Hebræorum etiam mystica vnctio figurabatur, id est chrisma, vnde *Christi* nomẽ elucet, tantò ante etiam illa euidentissima significatione prænũciatum. 5. Cur aũt oportuerit, Christum nõ esse ex tribu Leui sacerdotẽ, docet Aug.l.83. qq. q.61. ait.n. oportebat vt euacuaturus sacrificia, quæ secundùm ordinẽ Aaron in Leuitico sacerdotio fiebant, nõ esset de tribu Leui, ne ad ipsam tribum & ad ipsum sacerdotium, quòd temporaliter vmbra erat futuri pertinere videretur mundatio peccatorum, quam Dominus oblatione holocausti sui, quod in veteri sacrificio figurabatur, impleuit. Quod si dicas Machabæos fuisse de tribu Iuda, quia eis gubernantibus nondum dicebatur sceptrum ablatum de Iuda, & tamen altari ministrabant, quia nimirum ex parte alicuius parentis erant ex tribu Leui. Respondeo, Machabęi licèt per matrẽ attingerent tribũ Iuda, vt reliqui sacerdotes, tamen per Patrẽ erant ex tribu Leui, vt patet 1 Machab.2. quare rectè altari ministrabant. Quod aũt genus (vt obseruat idem Ribe.) illis maternũ erat ex Iuda, quia Aaron primus eorum pater duxit Elisabeth de tribu Iuda, ex qua omnes sacerdotes progenerati erant, satis erat vt ipsis gubernantibus populum, non diceretur sceptrum translatum de Iuda; Verè .n. illi erant de Iuda & ex femore eius, licèt propter patrẽ essent ex Leui. Simpliciter tamẽ vnusquisq; ex ea tribu vt putaretur, sancitum est, ex qua pater eius fuisset, ne confunderentur sortes, & à tribu transirent ad tribum, & propterea Christus ex tribu Iuda numerabatur: quod obstabat ne sacerdos esse posset, vel altari seruiret. Obserua ad confirmandũ hoc, quod satis fuerit, vt aliquis esse posset sacerdos, si quoquo modo pertineret ad tribum Leui afferri solere testimonium libelli cuiusdam de sacerdotio legali Christi, cuius meminit Suidas v. Iesus; sed hoc impudentissimum mendacium est, vt, inquit Ribe. c.7. ad Hebr. n. 51. totusque ille libellus fabulis plenus est, quas rectè confutat Ioan. Hentenius alio libello addito commentarijs Euthymij in Euangelia.

6. *Machabei de qua tribu fuerint.*

7.

THEORIA VI.

An satis sit dicere Christum vocari in Scripturis de semine Dauid, quia Ioseph, qui putabatur eius pater ex tribu Iuda, & Dauidis domo erat, quicquid sit de Beata Virg.

1. ORIGEN. l.1. in ep. ad Rom. & Aug. de consen. Euang. c.2. indicat satis esse. Sed intrepidè asserendum est, non esse satis, sed oportere dicere Christũ verè Carnem susceptisse ex filia Dauid, esseq; ipsũmet ex familia ipsius; vt docuit idem Aug. l.3. cõtra Faust. c.8. q.10. & Eus. l.7. demõst. c.5. & 6. Nec Aug. priore loco omninò contrarium sensit, sed quando non esset alius modus explicandi Matth. qui genealogiã ad Ioseph deduxit. tunc sufficere hunc modum putauit. 2. Sed non sufficere omninò probabo, quia alioqui, sicut Christus non verè fuit, sed A putabatur filius Ioseph, ita nõ verè esset de tribu Iuda, q̃ est contra D. Paul. ad Heb.7. Præterea non esset secundùm veram Originem & successionem ex Dauid, quod tamen Psalm.131. dicitur, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam:* quod Petrus Act.2. de Christo exponit, *de fructu lumbi eius sedere super sedem eius:* & Tertull. de Carne Christi c.21. legit *de lumbis Dauid.* quare constare debet B. Virginẽ in lumbis Dauid fuisse contentam, & ob id etiam Christum, q̃ dixit Esa. c. 11. *Egredietur Virga,* id est B. Virgo, *de radice Iesse, & flos,* id est Christus, *de radice eius ascendet* ex Hieron. interpretatione. Postremò Paul. Rom.1. clarissimè hanc rem nobis aperit: *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm Carnem:* Nec quicquam proficit Origenis interpretatio, nam sola adoptio, vel potiùs existimatio nõ satis est, vt dicatur, *factus secundùm Carnẽ ex semine Dauid,* sicut nec propterea possemus dicere factum ex semine Ioseph. Quare patet non satis esse Christũ dici Filium Dauid, & ex tribu Iuda, quia Iosephi Filius dictus, & putatus est; sed necessarium est omninò fateri, Dei parentem Mariam ex tribu Iuda, & familia fuisse Dauid, cùm ex sola sit Matre Christus & inde censendus est, vnde & illa: semper enim cum Christo Maria. B 3.

THEORIA VII.

An Beatissima Virgo fuerit de stirpe Dauid per Salomonem, & alios Reges Iuda aliquo modo.

C RESPONDEO, quod docuit sapienter D. Thom. q.31. a.3. ad 2. Credendum esse, quòd etiam ex Salomone originem duxerit secundùm aliquem modum, per illos Patres, quos enumerat Matthæus, qui carnalem Christi generationem dicitur narrare, quę sunt verba D. Tho. quod intelligendum est per aliquã maternam lineam. Idem patet ex D. Bernardo serm. de verbis Apocal. Signum magnum. *Quid igitur Sidereum micat in generatione Maria? planè quòd ex Regibus orta.* Amb. l.3. in Lucam Christũ ex semine Iechoniæ Regis Iudæorum esse scribit. Idem affirmat Theod. Hierem. 22. & Hier. ibidem, licèt neget Iansen. Hinc fit Christum, atq; B. Virg. ex Regibus, Iechoniæ progenitoribus originem duxisse; & obiectioni, quã mouet Iansen. respondet Ambr. futuros ex semine Iechoniæ posteros nõ negatur Hier. 22. & ideò de semine eius benè esse potuit Christ⁹, & quod regnauit Christus, non contra Prophetiam est, neque enim terreno, ac seculari honore regnauit. Idem confirmat Ecclesia *Regali ex progenie Maria exorta refulget,* immò aliquo modo deduci potest ex Psalm.131. *de fructu Ventris tui ponam super sedem tuam.* Vbi ad litteram sermo est de Salomone, & de Christo in eius persona. Quomodo magis propriè Christus dicitur in scripturis *ex semine,* seu *ex domo Dauid* Luc.1. *& erexit cornu salutis in domo Dauid pueri sui,* propriè enim *domus Dauid* significare videtur Regiam Prosapiã, ex 2. Reg.7. & 3. Reg.12.16. quomodo Luc.1. & 2. Ioseph *de domo Dauid* dicitur; & absolutè *semen Dauid* videtur esse stirps Regia, quæ per Salomonem descendit. D 1. 2. 3.

CAPVT IV.

ANNVNCIATVR IOANNIS CONCEPTIO ZACHARIAE Cap. 15.

1. Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabeth.

SCHOLIA.

1. *Lucas cur ordiatur à natiuitate Ioannis.*

1. *Fuit in diebus Her.*] Orditur Lucas à Natiuitate Ioannis, quòd hęc multum addat authoritatis testimonio Ioānis de Christo, scribit verò tempus Regis, vt tempus Messiæ aduenisse ostēdat, quo Alienigenæ Regnum gubernabant, vt proinde cōpletum fuerit illud vaticinium Gen. 49. *Nō auferetur sceptrum*, &c. sustulerat enim Herodes collegium Sanedrin penès quod erat Regni auctoritas in tribu Iuda permanens, sustulit autem circa trigesimum annum Regni sui, quando compulsi sunt Iudæi, illum in legitimum Regem suscipere, & iurare illi fideles se futuros, his ergo temporibus natus est Ioannes, & Christus.

Regis Iudææ] hic primus Ascalonita & magnus dictus est Antipatri filius. Fuit alter Herodes Antipas Tetrarcha huius filius; & tertius Herodes Agrippa, de quo in Act. filij Aristobuli Herodis maioris filij, pater Agrippæ iunioris. *Regem* vocat Lucas, vt illum distinguat ab Herode secundo, neque enim iste fuit Rex, sed Tetrarcha. De Agrippa visum fuit Iansenio non imperasse Iudææ fuisse tamen Regem Trachonitidis, Iturææ, & Galilææ; lege cap. 2. suæ concordiæ, licèt ex Iosepho l. 19. Antiq. cap. 4. pateat, Iudææ quoque imperasse, & id sentit Bar. l. 5. c. 28. sub finē. Cùm igitur, inquit Luc. *Iudææ*, distinguit eum ab Agrippa Herode, nam esto ille fuerit Rex, sed non Iudææ; si verum est quod dicit Iansen. per *Iudæam* intelligitur tota terra, quæ incolebatur ab omnibus tribubus, & quę suberat Iudæis, quia autem Tetrarchia non est absimilis Regno; Ideò 6. Marci Antipas *Rex* dicitur.

5. Porrò alter Agrippa Iunior prioris, vt dixi, filius, fuit Rex Chalcidis à Claudio creatus, vt docet Iosephus l. 20. Antiq. c. 3 sed, vt scribit c. 5. posteà Regno Chalcidis ablato, Philippi Tetrarchia, & Batanæa donatus fuit, addita his Trachonitide cum Abila, quæ Tetrarchiā Lysiæ fuerat. Eiusdem Imperium Nero Galilææ parte ampliauit. Item aduerte Herodem primum Innocentes occidisse, sicut Antipas Ioannem decollauit: & Christum indutum veste alba irrisit; & Philippi fratris vxorem Herodiadem habuit contra ius. Tres porrò fuēre filij relicti superstites ab Herode magno; Archelaus, & hic idem Antipas Herodes dictus, & Philippus; Archelaum verò Cæsar August. vt scribit Ioseph. l. 17. Antiq. c. 13. non Regem creauit, sed dimidia parte ditionis, quæ Herodis patris fuerat, concessa, Ethnarcam constituit, Regnum pollicitus si tali se honore dignum redderet: partem aliā in duos alios fratres partitus est. Itaque Archelao Iudæa obtigit, Idumæa, & Sammaria: Herodi Antipæ Galilæa cessit, Regioque Transflumen. Philippo Batanæa Regio, Tradonitis, & Auranitis. Archelaus autem apud Augustum accusatus, imperio mulctatus & in vrbem Galliæ Viennam relegatus est, Iudæa in prouinciam redacta, & à Romanis Præfectis administrata.

4. *Sacerdos quidam*] Græcè ἱερεύς τις hac voce significatur non fuisse summus, alioqui non dixisset *sacerdos quidā*, q. d. vnus inter multos pares, & hæc est prima ratio, quod non fuerit Sūmus Sacerdos.

Zacharias non fuit Summus Sacerdos.

De vice Abia] Dauid diuisit sacerdotes posteros Aaron, qui excreuerant in magnum numerum, in viginti quatuor familias, 1. Paralip. 24. Vt vicissim vna deseruirent Hebdomada, ita vt singulis Sabbathis ad ministerium noui accederent sacerdotes. 2. Reg. 11. 2. Paralip. 23. misit autem sortem super familias, vt ordo constaret sorte, ita vt quæ primo loco exijt, esset prima, quæ secundo, esset secunda, & sic deinceps, quem ordinem semper deinceps tenuerunt. Accidit autem, vt Abia octauo exiret loco, quia igitur Zacharias erat de familia Abia, dicitur de eius vice, Locus enim octauus in familijs debebatur Abiæ familiæ in functione sacerdotij; fuerat autem Abias Princeps primus, & caput huius familiæ; obserua deinde quod his præter summum omnium sacerdotem, & Pontificem præerant viginti quatuor alij, qui *Sacerdotum, & Sanctuarij Principes*, & *Principes Dei* vocabātur, illi sc. qui viginti quatuor sortibus singuli singulis præerant; fuerunt aut ex his viginti quatuor sexdecim vices de familia Eleazari filij Aaron maioris, octo verò fuerunt de familia Ithamar, qui erat minor natu, & eius posteri pauciores: Istæ vices dicuntur etiam familiæ, cognationes, sortes. Itaque sexdecim familiæ erant de natis ex Eleazaro, & octo de Ithamar. Ex his verbis Lucas Zachariam commendat, & Elisabeth à nobilitate, erant enim de sacerdotali stirpe, ille de vice Abia, Elisabeth de filiabus Aaron. Aduerte quod vox græca ἐφημερία plus significant, quàm *vicem*, puta certos dies præscriptos, in quibus certi sacerdotes ministrarent, quod cùm conueniat in minores Sacerdotes, non in summum, fit secunda hac ratione, quòd Zacharias nō fuerit summus sacerdos Idcircò Theophylactus interpretatur *Hebdomadam*. Gagnæus dicit significare *familiam*, & *vicem*; erat autem Zacharias & de familia Abię, & de vice ipsius: Istæ vices ideò etiam *sortes* vocatæ sunt, quia olim sortitò electæ, vt dixi, quæ scilicet earum (viginti quatuor enim erant) primo, quæ secundo, vel tertio loco ministraturā esset, quòd verò octaua sors Abiæ cōtigerit, habetur 1. Paral. 24. 3. & 10. sic etiam Ioseph. 2. antiq. c. 11. Beda, & Theoph hic, Euc. q. 1. in Luc.

5. *Dauid distribuit Sacerdotes in 24. familias*

6.

7.

De filiabus Aaron] *Filiæ Aaron* dicebantur, quæ ab Aarone summo Pontifice ex tribu Leui originē ducebant, hinc fit Christum cognatum fuisse Elisabeth, cùm B. Virgo esset cognata eius, fit etiam hinc ex tribu Leuitica aliquo modò fuisse, qua de re superiùs Theo. 5. c. 3. num. 2. 3. 4. dictum. Significat autem Lucas nō modo ex tribu Leui fuisse Elisabeth, sed etiā ex familia Aaron, vnde Pontifices & Sacerdotes. hinc est colligere Lucam etiam id dixisse, vt ostenderet Ioannem non potuisse Messiam esse, cùm ex tribu Leui fuerit ex patre, ac matre, & ex familia Aaron, & illa verba *de filiabus Aaron*, innuere videntur Elisabeth ex parte patris de ea tribu fuisse, cùm absolutè ponantur.

8. *Filiæ Aaron quæ.*

2. Erant autem iusti ambo ante Deum incedentes, in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.

3. Et non erat illis filius, eò quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.

4. Factum est autem cùm Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deū.

5. Secundùm consuetudinem sacerdotij, sorte exijt, vt incensum poneret, ingressus in templum Domini.

SCHO-

SCHOLIA.

9. 2. *ANte Deum*] commendat parentes Ioannis etiam ex virtutibus, tum vt eluceat dignitas Ioannis, tum vt appareat nō fuisse steriles in peccati pœnam; erant enim hi maledicti à Deo. Idem est *ante Deum*, ac *sine simulatione* quasi dicat, verè iusti; excluditur hinc error eorum, qui negant posse esse aliquos verè iustos non imputatiuè, ideò enim dicuntur apud Deum iusti, & excluditur fundamentum hæreticorum, dum subditur, quòd *incedebant in iustificationibus*, &c. ergo suis operibus erant iusti, quod quia negant hæretici, imputationem illam fingunt, quòd verò iniustitia parentum obsit filijs, prosit verò iustitia; doctè docet Tolet. annot. 9.

10. *Mandatis & iustificationibus.*] græcè ἐντολαῖς *mandata*, scilcet præcepta moralia videntur intelligēda cum Caiet. δικαιώμασι, *iustificationes*, scilicet quę ad cultum Religionis pertinent, vt cærimoniæ, quia maximè iustificamur Dei cultu, & religione; alibi tamen vt in Apocalip. 19. 8. opera, & merita sanctorum δικαιώματα dicuntur, quare hoc discrimen inter *mandata*, & *iustificationes* non est perpetuum.

11. *Sine querela.*] vt de his conqueri nemo posset. licèt propriè sine querela dicatur is, qui non conqueritur. Itaque non tantùm placere Deo studebant, sed etiam nec hominibus vllam iustam causam querelæ præbebant: ita Paul. Phili. 2. *vt sitis sine querela*; G. habetur ἄμεμπτοι id est *inreprehensibiles*. Gagnæus putat melius verti cum interprete *sine querela*, quàm cum Erasmo *inreprehensibiles*, quia cùm dicūtur, *sine querela*, etiam possumus intelligere, quòd nemo de eis conquerebatur, neque ipsi de aliquo, nam & hoc significat, μέμφομαι, id est, conqueri de aliquo, absurdè autem hinc aliquis Hæreticus inferat ex Augustin. epist. 95. posse aliquem absque omni prorsus labe peccati vitam traducere, licet benè possit sine graui peccato, & est *sine querela* viuere.

12. 3. *Eò quòd esset*] tria impedimenta ponit, cur filius illis non esset, & quod Elisabeth sterilis, & quod prouecta, & quod Zacharias ea etiam esset ætate, vt generare non posset. Aduerte, rectè sterilitatem Elisabethæ tributam; nam cùm coniuges liberos suscipere non possunt: sterilitas in mulierem, non in virum conferri solet. Iud. 13. 2. 3. etiam si vir sterilis fortasse sit. hæc eò spectant, vt maiori Ioannem miraculo natum appareat.

4. *Factum est*] accidit. *Fungeretur*] ὡς τῇ ἱερατίᾳ, id est, cùm obuenisset Abiæ familiæ, quæ sua erat sors, vt fungeretur sacerdotio, & sacris operaretur ex instituto Dauidis, 1. Paralip. 24.

In ordine vicis suæ] in sua, scilicet hebdomada, quæ suæ erat familiæ.

13. *Ante Deum*] in primo scilicet Tabernaculo, quod dicebatur *sanctum*, quod quia erat è regione secundi, vbi erat Arca, in quo dicebatur Dominus habitare, idcircò qui ibi operabantur, dicebantur *coram Domino* esse, vel *ante Dominum*, & hinc patet nón fuisse Zachariam Summum Sacerdotem, nam is in Sancta Sāctorum semel, peracto prius sacrificio, ingrediebatur, vt aspersō sanguine populum expiaret, seu vt sacrificij sanguinem inferret: Exod. 30. 10. Leuit. 16. 2. licèt regrediens Summus Sacerdos sacris operaretur in sancto, puta incensum ponebat, &c.

5. *Secundùm consuetudinem sacerdotij*] referuntur hæc ad sequentia, sc. *incensum poneret.*

14. *Sorte exijt*] vox græca nullum genus sortitionis exprimit, sed tantùm innuit sortitum esse, quamuis interpres subindicare videatur, per sortes in vrnam coniectas exisse. Gagnæus sic: græcè *pro sorte exijt, vt incensum poneret* ἔλαχε τῷ θυμιάσαι, id est, sorte designatus est, qui incensum poneret, siue qui thus incenderet λαγχάνω enim *sortiri* significat, & λαγχάνειν βουλήν dicitur, qui designabatur sorte Senator. Cùm enim de eadem tribu seu vice sacerdotes multi essent, sorte eligebatur inter eos, qui templum introiret, & incensum adoleret, vel aliud exerceret munus. Contigit autem, vt quia de vice illa erat Zacharias ea sorte designaretur ad adolendum incensum, sorte tum noua (quod aduersari Bedæ videtur) ex his fit, hunc Zachariam non fuisse summum Sacerdotem, quod tamen placuit D. Ambr. alioqui non per sortem adoleuisset incensum, sed ex officij sui proprietate. Præterea cum quo sortiretur Summus Sacerdos, si vnus erat tantùm? Sortitio enim inter plures est: vnde ex hoc loco duæ aliæ rationes possunt erui ad concincendum eos, qui Summum Sacerdotem affirmarunt. 15.

B Neque verò loquitur, quod putauit Caiet. Euangelista de incenso, quod die expiationis inter Sancta Sanctorum accendebatur Leuit. 16. hoc enim non licebat cuique per vicem ex sorte: at hoc munus Zacharias habuit per sortem, loquitur ergo Luc. de Incensione Thymiamatis, quæ in singulos dies manè, & vespere fiebat Exod. 30. Præterea Lucas non dixisset, si de die expiationis loqueretur, *vt incensum poneret*, sed vt peracti sacrificij sanguinem inferret, quòd longè maius erat, & proprium solius, & Summi Sacerdotis Exod. 30. 10. Leuit. 16. 2. 27. Hebr. 9. 7. nam incensum ponebatur in Sancta Sanctorum, vt nebula tabernaculum impleretur, non verò vt sacrificium.

6. Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.

7. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi.

C *8. Et Zacharias turbatus est, videns, & timor Domini irruit super eum.*

9 Dixit autem ad illum Angelus; ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem.

SCHOLIA.

16. 6. *ET omnis multitudo*] istud addit, vt causam turbationis Zachariæ ostendat, erat enim solus, duo hinc præsertim argumenta eruunt, qui Zachariam Summum Sacerdotem faciunt. Primò, quia tanta multitudo indicat diem solemnem fuisse scilicet expiationis. Secundò,

D quia Summus Sacerdos solus ingrediebatur in Sancta Sanctorum, reliqui in prius tabernaculum non soli; at Zacharias solus erat. Respondeo ad primum non esse necesse fuisse omnem populum, sed aliquam eius partem, id est, qui religiosiores essent, ij enim conueniebant in templum, dum sacrificium fiebat. Omnis ergo multitudo, inquit Lucas, quæ tunc aderat. Ad secundum, Respondeo potuisse quidem cum eo sacerdote, qui sacrificium offerebat, ingredi sacerdotes alios, atque Leuitas.

7. *Apparuit*] græcè ὤφθη, id est, *visus est*, vt ostendatur apparitio hæc corporalis, & visibilis fuisse.

17. *A dextris Altaris*] innuunt hæc Zachariam non fuisse ingressum Sancta Sanctorū, sed tantū primū tabernaculū, atq; adeò nō fuisse Summū Sacerdotem; & est quinta ratio ad id probandum; meritò à dextris stetit Angelus, quia læta nunciaturus venerat. Aduerte quod templi porta Orientem respi-

Digitized by Google

ciebat, altare Thimiamatis de quo hic, erat in primo tabernaculo, ſeu domo exteriori: ad huius ergo altaris dexteram viſus eſt illi Angelus; Cætera vide in Theo. 1. huius capitis, vbi intelliges dextrum altaris eſſe partem meridionalem. Quod Zacharias non fuerit Summus Sacerdos, docet Maldonatus hic, & Villalp. tom. 2. l. 4. in Ezechielem cap. 54. ſuæ explanationis, qui exponit Patres Ambroſium, Auguſtinum tract. 49. in Ioan. Bedam, Strabum, Theophy. ſup. Luc. & Comeſtorem, dum vocant Zachariam *Principem Sacerdotem*, non ſummum intellexiſſe, ſed vnum ex ijs qui multi ſcilicet numerabantur.

Angelicæ maieſtatis aſpectu turbari naturale eſt.

8. *Turbatus eſt*] Aſpectu Angelicæ maieſtatis, eſt enim id naturale, vide Maldonat. Matth. 28. 4. 5. Vel quia ſuſpicatus eſt, ſe protinus moriturum, vt Iud. 6. 22. 23. & 13. 22. arbitratos enim Iudæos, inquit Maldo. ob verbum Exodi 33. 20 *non videbit me homo & viuet*, non ſolum qui Deum, ſed etiam qui Angelum in hac vita vidiſſet, continuò moriturum. Talem id eſt, tam vehementem turbationem, vt quomodo hominem exanimet, innuunt illa verba, *Turbatus eſt, & timor irruit ſuper eum*. Sic Dan. 10. 8.

18. *Angeli boni proprium, pellere timorem.*

9. *Ne timeas*] proprium eſt boni Angeli pellere timorem; ſic Athan. in vita D. Antonij, & Theophylactus in cap. 28. Matth. & meritò, vt quieto, ac ſedato illum animo audiamus.

19. *Deprecatio*] quæritur, quæ non fuerit iſta *deprecatio*. Videtur fuiſſe ea, quę ſacerdoti conueniebat, qua ſcilicet pro populi ſalute, & peccatis orabat, & ſpeciatim pro aduentu Meſſiæ, per quem delenda erant peccata. Sic Auguſtin. 2. qq. Euang. c. 1. Itaque pro eo gratias egit in ſuo Cant. de prole verò iam deſperauerat, vt eſt veriſimile. Porrò pro his rebus non ſemel oraſſe credendus eſt.

20. *Et vxor tua*] intellige hoc adiunctum eſſe ſuperioribus quaſi in ſignum exauditæ orationis pro Aduentu Meſſiæ, vt puerperium Eliſabethæ credibile redderetur, quòd eſſet exaudita Oratio pro populo, & de Meſſia, ſic Theophyl. Ambroſius verò quia, inquit, Diuina bonitas vota ſupplicum excedit, Addit Angelus non modo exauditum pro populo, ſed adieciſſe etiam illi Deum, quod petere non audebat ſcilicet vt filium gigneret: Nam veriſimile eſt, non auſum fuiſſe hoc petere, ſed deſperaſſe filios poſt tam multos ſterilitatis annos. Secundùm Auguſtinum, & Theoph. addidit promiſſionem eius, qui digito monſtraturus eſſet Meſſiam, quem petierat, & pro quo exauditam fuiſſe Orationem dixerat, & qui peccata tolleret, & cui viâ paraturus eſſet Ioannes.

Pariet tibi] quia non ex alio, ſed ex te concipiet.

21. *Ioannem*] *Ioannes* componitur ex nomine Dei Tetragrammaton, & verbo *Chanan*, quod *precari*, & *miſereri* ſignificat vt indicauimus cap. 1. Theo. 13. num. 12. Ianſenius hic interpretatur, *Deus miſertus eſt*; quòd benè quadrat in id, quod dictum erat, *Exaudita eſt*, &cæt. quod rectè hoc nomine, quòd filio imponendum erat expræſſit Angelus. Cùm enim ille naſciturus erat. Tunc Dominus miſereri populo decreuerat per aduentum filij ſui. Beda vult, dictum Ioannem à *Dei gratia*, tum quòd gratuitò parentibus datus, tum quod gratia Dei plenus eſſet adhuc ex vtero. Hinc Ambroſ. ſecundo voca. gen. cap. 3. inquit, Ioannes intra Eliſabeth matris viſcera Spiritu ſancto repletus exultat; & vt nullus inter natos mulierum maior ſit, primus ſentit initia gratiæ, quàm naturæ; Tum quòd in ſalutem datus eſſet filijs Iſrael. & Chryſoſtom. homil. 27. in Math. *Alij*, inquit, *prophetæ miſſi ſunt, vt aduentum eis Chriſti, annunciarent, iſte autem vt pararet viam ipſius; aliud autem eſt aduentum eius annuntiare, aliud viam præparare; Nuntiantibus aduentum eius, prædicationis ſermo cõmiſſus eſt:*

A *præparanti autẽ viam, humanæ correctionis opus iunctum eſt; ſicut Angelus de eo; & multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ſuum: Ille correxit, vt iſte ſuſciperet: Ille mundauit, vt iſte ſanctificaret: Ille præparauit, vt iſte inhabitaret.* Quæ tria ſigillatim, ſi aduertas animum, poſteà explicantur à D. Luca. *Ioannes* cùm aſpiratione ex Hebr. ſcribi debet, licèt aliter græcè. Vide de nomine Theor. 13. c. 1. l. 1. harum dilucidat.

Obſeruandum myſticè, quoniam Zacharias *memoria Dei*; Eliſabeth *Dei iuramentum*, vel *Deus iurauit*, Ioannes *Dei gratia*, vel *miſericordia* exponitur, ſignificari per hæc, quod Dei miſericordiam nobis pepererunt iuramentum illius, & huius memoria, vt habetur Cant. Zach. in quo hæc tria iunguntur. *Ad faciendam miſericordiam*, &c. *memorari teſtamenti ſui ſancti*, &c. deniq; *Iuſiurandum, quod iurauit*, &c. 22.

B *10. Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in Natiuitate eius gaudebunt.*

11. Erit enim magnus coram Domino, & vinum, & Siceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.

SCHOLIA.

10. *Et erit gaudium*] poteſt referri ad filiũ. q. d. ipſe filius naſciturus, erit tibi gaudium. Vel ſenſus eſt, gaudebis tu.

In Natiuitate] pro, *de Natiuitate*, gaudio exultationem adiunxit, quæ lætitia geſtientis hominis eſt, vt non vulgare & vſitatum ex filij cuiuſcumq; ortu hoc gaudium futurum oſtenderet.

11. *Erit enim magnus*] ponitur hic cauſa gaudij, nunquam verò Ioann. peccatum lætale commiſit, nam in vtero eſt in gratia confirmatus. Sic Suarez. diſput. 24. vbi de Ioannis ſanctitate, & gloria agit. 23.

C *Coram Domino*] non fictè, ſed verè, niſi velis dicere, eſſe Phraſim Hebræam, quaſi dicat Maximus, vt Gen. 10. *Memrod robuſtus coram Domino*, id eſt robuſtiſſimus.

Vinum & Siceram] *Sicera* eſt generale nomen ad omnia, quę inebriare poſſunt, ac ſi dicat, vinum, & quidquid inebriare poteſt, non bibet, à verbo Hebræo, quod eſt, *inebriari*. Porrò ratio, cur nunquã ſit bibiturus, eiuſmodi eſt; quia ſemper manebit Domino cõſecratus. Proprium enim erat Nazaræorum in lege à vino, & Sicera abſtinere tempore conſecrationis, Num. 6. ſed cui vini ebrietas tollitur, Spiritus S. conceditur, *& Spiritu*, inquit, *ſancto replebitur*, &c. Quæ genera potus vim habeant inebriandi tradit Plin. l. 14. c. 16. & 22. & l. 22. c. 25.

D *Spiritu S. replebitur*] Dicitur ſecũdùm Maldon. repleri Spiritu S. non cui largiter datur, ſed cui ita datur, vt redundare foras aliquo ſigno videatur.

Adhuc] id eſt, iam inde ab vtero, nam Spiritum S. in vtero ſuſceptum conſeruaturus erat in finem vſque. q. d. replebitur in vtero Spiritu S. & deinceps ſemper: vnde conſtat ſanctificatum in vtero, & à labe originis mundatum fuiſſe, quod pleriq; Ieremiæ conceſſum putant illis Ierem. verbis impulſi c. 1. *Antequam exires*, &c. ſed hic locus de ſanctificatione, quæ fit per prędeſtinationem potius intelligitur, Immò Aug. dubius eſt tam de ſanctificatione Ioan. quã Ieremiæ, ſed immeritò: nec eius ratio euincit id quod vult cùm. n. epiſt. 57. ad Dard. ait, neminẽ renaſci, niſi natũ; ſanctificationẽ verò renatorũ, eſſe hoc, ſecundũ cõmunẽ regulã eſt, ſecus ſi de priuilegio agamus. Deinde eſto ita ſit, neminẽ renaſci, niſi natũ, & ſanctificationẽ renatorũ eſſe, per *natos* intelligere poſſumus, & debemus etiã in vtero natos, quod Angelus indicat, cùm ait; *quod enim in ea natum eſt*, &cæt. Quod Auguſtinus lo- 24.

quatur

quatur de renatis per Baptiſmum, ita verum eſt, neminem renaſci, niſi prius natum extra vterum; quare cautè legendus eſt hic locus Auguſtini.

25. Porrò Ambroſius, dum dicit de ſanctificatione Ioannis, *nondum erat illi ſpiritus Vitæ, ſed ſpiritus gratiæ.* In quo videtur omninò contrario modo loqui, ac Auguſtinus exponendus eſt ſecundùm D.Thom.q.27.a.2.ad 1.per *ſpiritum vitæ* intellexiſſe exteriorem aëris ſpirationem. Vel ſignificat, anteq; oſtenderet perfectè, ac manifeſtaret opera vitæ, cùm tamē manifeſtè indicaret Spiritū S. ſe habere. Ex hoc colligere eſt, Ioannē in vtero cōfirmatum eſſe in gratia, vt ex τὸ, *adhuc*, inſinuatur, *adhuc ex vtero*. Rectè igitur Emiſſenus de Ioan. Baptiſtā ſic ſcribit: Sicut vas plenum balſamo admiſtionem liquoris alterius reſpuit, & penitus excludit: Ita in eum nihil ſecularis maculæ introire poterat, in quo Sanctificationis plenitudo regnabat. An verò peccatum commiſerit veniale. Suarez aſſerit peccaſſe ſaltem eo peccati venialis genere, quod nō plena deliberatione fit, ſed ex ſurreptione potius contrahitur, licet non ſit contra fidem, cùm Galat.l.7.c.9.Abulenſ.Matth.14.q.40. & Catha.opuſc.2 de eximia Chriſti fide, dicere ſine vllo peccato fuiſſe. Sed cùm non caruerit originali culpa, non videtur planè omni veniali caruiſſe, quod eſt cōforme Aug.l.5.cont.Iulian.c.9. vbi rectè inferri vult, caruit quis culpa omni actuali, ergò originali, & ſoli B. Virgini tribui vult, vt cum de peccato agitur, de ea nulla habeatur controuerſia, lege Suar.diſp.14.ſect.4.to.2.

12. Multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum.

13. Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ, vt conuertat corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum parare Domino plebem perfectam.

SCHOLIA.

12. MVltos filiorum] Prædicit quid ſit operaturus Ioannes, vbi repletus fuerit Spiritu S.

13. *Et ipſe præcedet*] hic locus euincit Chriſtum eſſe Deum, nam relatiuum, *illum*, refertur ad *Dominum Deum* Præceſſit autem Ioannes Chriſtum, ergo Chriſtus Deus erat: &, pro, *Nam*, videtur poni.

26. *In ſpiritu & virtute Eliæ*] confertur hic Ioannes cum Elia vt hic ſecundum, ita Ioannes primum præcedit Aduentum, vt hic; infideles conuertet, ſic Ioannes præcedit vt infideles conuertat. Itaque Ioannes ſimili ſpiritu, & virtute præibit, quibus præibit Elias. Eſt enim ſimile vtriuſque officium, eadem fortitudo ad ardua ſubeunda, & ad operandum efficacitur conſimilia. Videtur hic *ſpiritus*, officium, ſeu vocationem, zelum, & fortitudinē ſignificare, quomodo dicitur alibi, *neſcitis cuius ſpiritus eſtis*. i. ad quid eſtis vocati; rectè verò iunguntur *ſpiritus*, & *virtus*, nunquam ſine virtute ſpiritus, nec ſine ſpiritu virtus, vt *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virt*', &c. Item *accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vobis.* Actor.1. ſic obſeruat Ambroſius, quod eſt intelligendum, ſumptu Spiritu, pro dono Spiritus ſancti, vel de vocatione, cui quis reſpondeat: dicitur autem præire Ioannes ratione Prædicationis, & Baptiſmi, iuxtà illud Zachariæ, *præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.*

27. Quod verò cùm Elia venturo fiat hic collatio, vel hinc patet, quod Angelus alludit ad vaticinium Malachiæ cap. vltimo, cùm ait hic, *& conuertet corda Patrum in filios*, vbi Malachias, de vero Elia loquitur, vt venturus erat in ſecundo Chriſti aduentu, & hoc haberi etiam poteſt ex 48.Eccleſiaſtici. Non ergò de Ioanne verba facit Malachias, vt quidam volunt, id colligentes ex Matt.17. vbi tamē Dominus primo confirmat ſenſum Phariſæorū de aduentu Eliæ ad Iudicium, & tunc loquitur de vero Elia, de quo Phariſæi, ſed poſteà ſpirituali ſenſu per Eliam, Ioannem intelligit; & quidem meritò, quia Ioannes præſtabat iam, & ille facturus erat; Nec D.Hieronym.aduerſatur nobis, qui tantùm myſticè Eliam exponere voluit, vt ſoſet, cùm enarrat interpretationem 70. expoſita prius hiſtoria, vel etiā omiſſa, ſi clara eſt, quod fecit in hunc locum Malachiæ. Conſule Ianſenium hic, & Riber.in c.vlt. Malach. de hac cōparatione Eliæ cum Ioanne vide hic eundem Ianſenium. illud ad mores facit, quod prius præmiſit Lucas, Ioannem Spiritu S. replēdum, poſtea verò ſubiecit conuerſurum populum, vt ſciamus eos, qui prodeſſe proximis ſtudēt, prius ipſos Spiritu ſancto plenos eſſe oportere, & Deo vnitos, antequam alios ad meliorem frugem traducant.

Corda Patrum] per *Patres* intelligunt nonnulli 28. Prophetas, & Patriarchas, Abraham, Iſaac: cùm enim Iudæi crediderint in Chriſtum; in quem Patres crediderunt ex Ioanne octauo, *Abraham exultauit*, & cæt. tunc cor Patrum erit conuerſum in paucos illos Iudæos, qui crediturierant in primo Chriſti aduentu, & cōuertetur etiam ſub diem iudicij, à quibus prius propter incredulitatē plurium Iudæorum fuerat aduerſum: & eadem eſt expoſitio Malachiæ: Sic Auguſt.lib.20.de Ciuit. cap. 29.Greg.11.Moral. c.10. ſemper autem in conuerſione hac intelligendus eſt affectus quidā erga eos, ad quos fit conuerſio. & huc reduci poteſt Theophy.neq; enim Auguſt.intelligit cōuerſionem hāc Patrum in filios hoc vno tantum contineri, quod fides, & intellectus, quem Patriarcharum corda de Meſſia habuerunt, ſint inſerenda filijs; ſed præterea continet hæc conuerſio etiam affectum, & amorem ob eam cauſſam, & propterea conuerſio cordium dicitur. Quare Emmanuel in Lucam, *vt conuertat*, inquit, *corda Patrum in filios*, i. vt antiqui Patres poſteros agnoſcant pro filijs germanis, dum Chriſto credunt, vbi expreſſit affectum paternum; Et hæc eſt melior expoſitio, quàm eorum, qui intelligunt, per *Patres* Iudæos, per *Filios* Apoſtolos, & Chriſtianos ex Pſalm.44. *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij*. Cùm enim Iudæi 29. per Ioannem in primo Chriſti aduentu ante mundi finem conuertendi, licet pauci in Chriſtum crediturí eſſent, quorum fidem habuerunt Apoſtoli, rectè vnanimes & conſentientes futuri dicuntur Patres & Filij, & hoc opera Ioannis in primo aduentu Chriſti, vt Eliæ in ſecundo, ſicut prædicit Angelus. Sic Theodo. Euthymius, Matth. decimoſeptimo, cùm Chryſoſtom.ob hanc, ſed in fine mundi conuerſionem dictum eſt à Domino: *Elias quidem veniet, & reſtituet omnia*, id eſt, omnes tribus Iacob ex Eccleſ.48. Vide Gregor.loc.citato, in illud Iob.13. commutans, &c.

Et incredulos] Gagnæus ſic intelligit, vt fidelem, 30. credulamque Patrum mentem tranſire faciat ad Filios eorum, perinde ac Patres credulos faciat; & hoc eſt, quod ſubdit, *& incredulos*, ſcilicet, conuertet ad prudentiam iuſtorum, ideſt, vt incredulos Iudæos ſapere faciat, & ad imitationem iuſtorum credere, & hoc additum videtur, vt oſtenderet corda Patrum pia fuiſſe, & Filios incredulos, ac proinde conuertendos ad fidem Patrum, & ad imitationem animi, voluntatisque parentum, non contra: proinde non dixit, conuertet prudentiam iuſtorum ad incredulos, ſed contra. hoc autem videtur poni

Digitized by Google

loco eius apud Malachiã loci; *& cor filiorũ ad Patres eorum*, & placuit sic loqui potius, vt appareret filios esse incredulos, & patres iustos. *Incredulos*] Gr. ἀπειθεῖς *inobedientes*, sed in voce *incredulos* inobedientia insinuatur. hic vides, rectiùs per *Patres* Patriarchas intelligi, per *Filios*, Iudæos; dicuntur verò *inobedientes*, quòd æquissimis maiorũ suorum præceptis & doctrinæ nõ parerent; & quia inobediens parum credulũ se ostendit; ideò vocem græcam ἀπειθεῖς potius vertit interpres *incredulos*, cùm in hac etiam inobedientia intelligatur; imò qua in re præsertim fuerint inobedientes, explicat, scil. in non credendo Christo, cui illi crediderunt, & quem prædicauerunt. *Prudentiam iustorum*] prudentia est fluxis cœlestia præferre, neque in operibus proprijs, vt legis vmbris fidere, sed in Christi gratia.

Parare] vt paret, reliquit interpres græcum infinitum vertendum per, *vt*.

Perfectam] Sensus est ex Beda, & Dionys. vt paret Domino plebem, quæ postea per fidem & spiritum Christi, erit perfecta; sed cùm vox græca sit κατεσκευασμένον, id est, *præparatam* vt quidam intelligunt, & instructã, ideò melius exponitur, *perfectam*. i. benè ac perfectè adornatã, & instructam ad Christi fidem suscipiendã, & doctrinam, eiusq; baptismum; sed omniũ optimè interpretabimur, *perfectam*. i. credentem, & obsecundantem perfectè, quantũ præstare posset Ioannes. Ratio est, nam τὸ κατασκευάσμενον, significat idem, quod *perficio, absoluo*, quod si sciuisset Caietanus, non quasi emendans versionẽ nostrã, inquit Gagnęus, dixisset, *perfectam* poni pro *apparatam*; nam significatur inquit Caietan. quod Ioannes studebit, non vt plebẽ reddat perfectã, sed adornatam, & apparatam ad suscipiendũ Christum verum Messiam. Sed vt notat idem Gagn. quis docuit Caietan. quòd non studeret Ioãnes parare Domino plebem perfectam. i. perfectè in Dominũ credentem? cùm cum veniſſe Lucas dicat ex Propheta, vt Filios. i. nouissimos Iudæos ad imitationem Patrum cõuerteret, & incredulos ad imitandam iustorum prudentiã? addo ego, quam rem si non posset cum omnibus præstare, saltem venit vt perfectè præpararet ad id, quãtum posset; & ideò optimè vertit interpres, *perfectam*, quod totum hoc sub se complectitur. Hoc tamen facturus erat Ioannes sua prædicatione, testimonio, & baptismo, tantũ inducẽdo populum, non gratiam vel fidem largiendo, id enim gratiæ Christi; ac baptismo eius tribuendum; & ideò dicitur Ioãnes paraturus *plebem perfectam*, quia parando, & exhortando perfecturus erat, non donãdo perfectionem. Describitur porrò hîc finis prioris operationis, ideò enim conuertet corda Patrum, & *vt paret, &c.*

14. *Et dixit Zacharias ad Angelum: Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor processit in diebus suis.*

15. *Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.*

SCHOLIA.

31. *Zacharias ex incredulitate signũ petijt.*

14. ET *dixit Zacharias*] More Iudæorum signũ petit, quod verò Abraham, Gedeon, Ezechias Gen. 15. Iud. 6. 4. Reg. 20. non peccarint petentes signũ, ideò est, quia vel nõ pro se, vel nõ ex diffidentia seu incredulitate, & quasi certã volentes reddere promissionẽ, ac si dubia esset, sed ex quadã familiaritate, vel quia non erant certi de qualitate loquẽtis, quod esset Angelus, qui loquebatur, signum petierunt: At Zacharias ex incredulitate.

A Neque enim dubitauit de potẽtia Dei, sed an quod Angelus pollicebatur esset certò Deus effecturus: itaque de Angeli dictis dubius aliquo modo fuit, rei difficultatem perpendens; quod D. Paulus in Abraham secus accidisse scribit Rom. 4. 19. Certè aduertere debuerat illum esse bonũ Angelum: satis enim se aperuerat: & verò etiam hac de re illum minimè dubitasse crediderim. Putant Caietan & Maldon. venialem tantùm noxam contraxisse, nã quod mutus effectus est, non in pœnam tantũ fuit, sed in signum etiam veritatis. Videtur prior culpa in hoc posita, quod vim tantùm naturæ perpendit non auctoris naturæ, prætereà nec Angeli dignitatem, ac personam attendit.

19. *Ego sum Gabriel*] q. d. si hæc tibi promitteret homo missus ab homine, meritò dubitares, at cùm sit Angelus qui promittat, & quidem celeberrimus notus Danielis vaticinio, & ex Dei mittentis nomine, cui nihil impossibile, te alloquatur; decet potiùs tum ob certitudinem nuncij, tum omnipotentiæ Dei contemplatione, quam vel nomen ipsũ meum præsefert, (*Gabriel* enim est *fortitudo Dei*, vel potius *fortitudo mea Deus*) vt fidem promissis habeas, quàm vt intuitu sterilitatis, ætatisque tuæ inspectione diffidas. Hinc tamen non sequitur Zachariam sciuisse priùs hunc Angelum Gabrielẽ fuisse, licèt bonum nouerit.

32. *Angelos astare cõram Deo quid.*

Asto] dicuntur Angeli astare Deo metaphoricè ad eum modum, quo ministri præstò sunt principi, Dei namq; faciem vbiq; contemplantur prompti, paratique ad omne eius obsequium; cæterùm non hoc eodem modo omnibus Angelis competit, sed propria quadam ac peculiari magis ratione assistentibus & multò perfectiùs septem illis spiritibus, qui vt ab alijs assistẽtibus dignoscãtur, *Astãtes* dici possunt. Sic Raphael Tob. 12. 25. *Ego sum Raphael Angelus vnus ex septem qui astamus ante Dominum.* potest & *Astare*, familiaritatem quandam significare, nam de familiaribus Salomonis Regina Sabæ, 3. Reg. 10. 8. dicit, *Beati serui tui, qui stant coram te semper*, quia proprium est familiariũ, & stipatorum astare Principi, Principis verò sedere. Superbus ille sedere voluit corã Domino, propterea deiectus est sicut fulgur de cælo cadens Isai. 14. 15. Pro, *Asto*, Græcè est participium παρεστηκὼς. παρίστημι autem paulò plus significat, quàm *astare*; Præstò, scilicet esse semper & paratum assistere alicui ad mandata eius excipienda & obeunda. neq; meliùs videtur Erasmus reddidisse παρεστηκὼς per præteritum *astiti*, interpres, *asto*, quod παρεστηκὼς, sit è genere eorum præteritorum sicut ἑστὼς, quæ & præsens & præteritum significant.

16. *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.*

17. *Et erat plebs expectans Zachariam; & mirabantur quòd tardaret ipse in templo.*

18. *Egressus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt, quòd visionem vidisset in templo, & ipse erat innuens illis, & permansit mutus.*

19. *Et factum est vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam.*

20. *Post hos autem dies concepit Elisabeth vxor eius, & occultabat se mensibus quinque dicens:*

21. *Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.*

SCHO-

SCHOLIA.

33. 16. *Ecce*] notat nouum, & insolitum quid, q. d. quoniam petisti signum, En tibi signū, quod ita sit præstandi in posterū promissi argumētum, vt & præsentis tuę, scil. incredulitatis pœna sit; vel diffidentiæ. Aduerte Zachariam nō solùm mutum videri effectum, sed etiā surdum, quod innuitur inferiùs, cùm dicitur, *innuebant Patri eius*, &c. quare cū posteà subditur, *permansitq; mutus*. Gr. est dictio κωφὸς, quæ significat non solùm mutum, sed & surdum, imò hoc magis propriè, & inde ex cōsequenti mutū, quod qui natura sunt surdi, hi etiā sint muti. Rectè has dedit pœnas cōgruenter peccato, quia enim non obedierat surdus effectus est, & quia contradixerat mutus, ille credidit propter quod loquutus est, iste non credidit, sed etiam aliquo modo contradixit; ideò meritò tacuit mutus effectus. Aduerte quoq; vocem Græcam etiam eo loco, *erit tacens*, perfectum silentium significare, quod est in nō audiendo, & nil loquendo. Mysticè hę duæ pœnę significant Synagogæ surditatē in nō audiēdo Christum, & à Dei laude taciturnitatem.

Hæc] scil. de Natiuitate Ioannis, nominis impositione. Nam circa hęc erat dubitatio Zachariæ. Sunt autem hæc plenè completa die octauo cùm circumcisus est Ioannes, postquàm in lucem editus fuerat.

34. 18. *Cognouerūt*] partim ex insolita mora in Templo, partim ex vultus, ac faciei immutatione, partim ex loquelæ amissione, idque perfectum indicium fuit.

Et erat innuens] fortè Populus rogabat silentij causſam quam putabat fuisse, quòd visionem vidisset, & hoc interrogatus, nutu hanc fuisse causſam indicauit. Sic Titus Bostre. Alij etiam, *Et*, pro *nam* sumunt, vt reddatur causſa, cur cognouerunt eum visionem vidisse; nam cùm cœpisset agere nutibus, cognouerunt ipsum non posse loqui, atque adeò visionem vidisse. Vel tertio volens benedicere, & dimittere populum, erat innuens illis, id est, per nutus id agebat, & signa: quod reliquo fortè tempore suæ hebdomadæ non semel fecit, dum alia quoq; sacerdotij obiret munera, cum populo agens. Prima Bostre. expositio omnium optima.

35. 19. *Officij*] λειτουργίας, id est, ministerij Sacri.

Abijt] nam tempore ministerij propè Templum in atrio habitabant Sacerdotes in Domunculis ad id destinatis, non enim licebat adire domum propriam etiam si Ierosolymis essent tēpore suæ hebdomadæ: præterea abstinebant à complexu coniugum, & à vino eodem tempore, quo ministrabant Domino, scil. in sua hebdomada, Leu. 10. Fuerunt autem Sacerdotes & Leuitæ, qui singulis hebdomadis in templo ministrabant septingenti, & eò amplius, vt insinuatur, 2. Paral. 23. 5. 6. 8. quos omnes in ipso templo per totam vicis suæ hebdomadam manere solitos, etiam Lucas confirmare videtur, dum hic ait; *& factum est, vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam, &c* Sic Villalpan. obseruat tom. 2. in Ezech. cap. 9. lib. 1. & vide Zachariæ Sacerdotis sanctitatem, non enim aut Angelico dignus effectus colloquio, aut promissi filij expectatione exultans, aut linguę impedimento consternatus, à munere suo prosequendo dimoueri potuit, quem neque prospera extulerunt, nec conturbarunt aduersa, quo minus in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela, consueto incederet modo.

36. *Elisabeth cur se occultarit tam diu.* 20. *Occultabat se*] sunt qui dicant occultasse se mensibus quinque quod erubescret tam grandi ætate operam dedisse liberis, sed à duobus vel tribus Mensibus non erat, quod se occultaret, quibus nondum tumor vllus appareret. Gagnæus verò sic: concepisse se menses quinque cælabat, ne ridiculū

A videretur, si post conceptus vulgationē processisset nihil, atq; inaniter gloriata videretur (neq; n. illi fortè credidissent ante visum tumorem) post aūt quinque menses, cùm iam tumor vteri manifestè apparet, non iam conceptū cælauit, sed apparentem in se Dei bonitatem prædicauit, præsertim post B. Virginis aduētum, cùm rem satis à Deo patefactā videret tantæ Virginis aduentu: ex prima expositione collige, quod Elisabeth, & Zacharias iam cœperant abstinere à mutuo concubitu, alioquin non erubescerent conceptū, & partum, si nō erubescerent concubitum, vt obseruat Ambr

Mensibus quinque] hi à conceptu numerādi, nam 37.
prænuntiatio Angeli facta est mense Augusti, & eodem mense redijt domum, & post quadraginta dies conceptus est, & animatus fœtus mense Septembri, & quinque mensibus occultarat se Elisabeth, cùm sexto post mense, id est, Martio B. Virginem salutarit Angelus.

B *Dicens*] referendum ad vocem, *concepit*, vt sit sensus, quod concepit honorificans Deum, lætaq; Deo gratias agebat, qui rationem eius habuisset sublato ab ea sterilitatis opprobrio; non ergo, *quia* significat causam quare se occultarit, sed insinuat lætam tantùm fuisse, & gratam Deo, quamuis ob certas se occultaret causſas, illa verò, *occultabat se mensibus quinque*, per parenthesim legantur.

Ex his quæ de mense Martij diximus, cōstat non potuisse Ioannis prædictionē esse in die expiationis, quæ erat 10. Septēbris: Quod tamen D. Bernar. sensisse videtur in serm. de Natiu. Io. Bapt. alioqui non potuissent à conceptu esse sex menses vsq; ad salutationem B. Virginis, quæ fuit Martij 25. vt tenet Ecclesia ex August. l. 4. Trin. Cùm enim conceptio Ioan. fuerit ad 24 diem Septembris, numerando à 24. Septem. vsq; ad 25. diem Martij, apparebit Martium esse 6. mensem à conceptu; nam Angelus C ipsum Martium 6. mensem, nimirum à conceptu nominat; sed ante conceptum numerandi sunt in mūribus 40. dies vsq; ad conceptū fœtus, quot dies non sunt inter 10. Septemb. & 24. eiusdem, præsertim quia non statim discesit à templo Zacharias, sed post officij tempus, & tunc demum ad vxorem accessit ergò si istos 40. dies numeres à die 10. Sept. quando putat Bernard factam prædictionem, vel promissionem Angeli Zachariæ, sic cōceptus non potest cadere in mensem Septēbr. sed versus finem minimum Octobris. vnde ad 2. Martij non erunt menses sept. lege Tol. in c. 1. Lucæ annotat. 36.

12 *Auferre*] vt auferret.

38. *Opprobrium*] scilic. sterilitatis, quæ tunc probro dabatur, quasi à Deo ex graui aliquo peccato in pœnam sterilitas daretur. Significat *opprobrium* hic ignominiam, quæ non solùm in verbo D consistit, sed etiam in ipsa re, & quasi dehonestatione, & malo ipsius rei, vt Gen. 30. 23. Cùm Rachel sterilitatis malo liberatam se vidit, ait: *Abstulit Deus opprobrium meum* hanc ergò dicendi formulam imitata est B. Elisabeth, vbi concepit.

Sic] i. tàm pclarè & magnificè mecū egit Deus, tū quoniā placuit ei auferre non maledictionem suam, sed opprobrium hominum ex sterilitate.

Circa hoc Caput si q.s de Sacerdotis virtute, qua præcellere debet, scire cupit, cōsulat Batra. l. 7. c. 5.

THEORIA DE TEMPLO.

1. *Templi descriptio.*

VT meliùs intelligatur locus in quem ingressus est Zacharias, breuiter, carptimque veluti ante oculos templum ipsum ponēdum est. Igitur quę propriè domus dicebatur, erat interior Templi fabrica, quæ verò circa illam erant, potius Cellæ, & atria vocabantur, licèt interdum tota simul interior, & exterior fabrica, quatenus atria etiam complectebatur,

& Tem-

& Templum & domus nominetur. Illa itaque interior fabrica tres habuit partes tàm in primo, quàm 2. quàm 3. Herodis Templo. Extima omnium Orientem versus, Porticus nominabatur, & vestibulum, Hebraicè *Ulam*. Intima nuncupabatur *Oraculum*, quòd inde responsa redderétur. Dicebatur etiã *Sancta sanctorũ*, Hebraicè *Codes Haccodusim*. i. *Sanctitas sanctitatum*, ac si dicas, Sãctissima pars: Interdum nominatur *Sancta* per Antonomasiam Psal. 133. *In noctibus extollite manus vestras in sancta*: ad Hebræos, *introiuit semel in Sancta*. *Debir* etiam dicitur Hebraicè. Ea quadrata erat, viginti cubitos lõga, lata, alta æqualiter; erat verò Occidentem versus. Vestibulum 3. Reg. 3. habebat longitudinẽ ac latitudinem, illam viginti cubitorum, hanc decem; altitudo erat centum viginti: Inter has media pars, erat domꝰ exterior, Hebr. *Echal*. i. Templum, vel Palatium, 3. Reg. 6. 3. *& porticus erat ante Templum*: Vocabatur etiam domus exterior respectu Sancti Sanctorũ, longa cubitos quadraginta. Totius Tẽpli longitudo ab Oriente versus Occidentem, latitudo ab Austro versus Aquilonem protendebatur: erat illa sexaginta Cubitorum, hæc viginti, altitudo aũt in domo intima, erat 20. cubitorum, 30. cubitorum in exteriori. Richar. Vict. lib. de Templo, Lyran. 3 Reg. 6. volunt, domum interiorem, & exterioré eiusdẽ fuisse altitudinis, Scripturam verò 3. Reg. 6. loqui de intermedij parietis altitudine, cùm habet, viginti cubitorum eam fuisse, non placet. Tota domus maior, & exterior erat circumuestita lignis cedrinis cælatis, inducto etiam super ea auro: imò & pauimẽtum etiam vltra marmora, quibus stratum erat, habebat tabulas cedrinas, saltem abiegnas, & hæ auro tectæ erant. quomodo aũt videatur Scriptura 2. Paral. 36. 4. dicere domum tectam tabulis abiegnis, cùm alibi videatur significare tectam cedrinis docet Barrad. t. 2. l. 3. c. 18. lege etiã 3. Reg. 6. vbi expresè dicitur pauimentum de lignis abiegnis. nihil autẽ erat in templo, ꝙ non esset auro tectũ. Cæterùm Arca in intima parte collocata erat, sicut & propitiatoriũ, & Cherubim. Porrò Arca erat è lignis Setim lõga duos cubitos cũ dimidio, lata vnũ, & semissem, totidem alta. Cubitus duos habet palmos; erat vndequaq; auro tecta, vndiq; etiã Corona, vel Spira aurea cincta: duobus ligneis vectibus auro contectis portabatur, qui 4. annulis aureis inserebantur. Itaq; longitudo fuit 5. palmorũ, latitudo & altitudo trium duntaxat. Setim aũt est arbor similis colore, & foliis spinæ albæ & nascebatur in Eremo. Alij Cedrum putant. Propitiatoriũ, Hebr. *Caporeth*, erat tabula aurea eiusdẽ cum Arca magnitudinis. D. Tho. 1. 2. q. 102. a. 4. ad 6. distinguit Propitiatoriũ à proprio tegmine Arcæ, sed non videtur verum ex Aug. q. 205. in Exod. & Philo l. 3. de vita Moysis ait: Operculum Arcę, ꝙ vocatur Propitiatoriũ basis est Cherubinorum, &c. Nec tamen Arcæ propitiatoriũ iungebatur aureis cardinibus, vt docet Abulens. cont. Ioseph. 3. Antiq. c. 6. *Propitiatoriũ* dicitur, ꝙ inde Deus propitiꝰ esset populo: dicitur & *Oraculum*, ꝙ inde Deus oracula, vel responsa redderet, Num. 7. in hanc intimam partẽ introibat summus Pontifex semel in anno, 10. die mensis septimi in festo expiationis ad Hebr. 9. Porrò ante parietẽ aureis obductũ bracteis & ante ostium, seu fores ex olea inauratas, & cęlatas, per quas ibatur ad Sancta Sanctorũ, erat velũ ex auro, & hyacintho, purpura, Cocco, Byssо, vbi intexti Cherubim. Erant porrò hæc, lanæ istis coloribꝰ tinctæ, Byssus verò lini candidissimi genus, & tenuissimi, de quibus Ribe. l. 1. de Temp. c. 9. Erat aũt hoc velũ eiusdẽ magnitudinis cum pariete distinguente Sancta Sanctorũ à Sanctis. similiter & antè parietẽ, qui erat in fine exterioris domus, erat alterũ velum oppansum simile alteri, & tàm paries ipse, quã fores, per quas patebat ingressus ad hanc exterioré, seu maioré domum erant ante vestibulũ, ita vt immediatè post parietẽ, & fores sequeretur Vestibulũ apertũ sine vllis portis, tantũ parietibus ad latera cinctum. In vestibulo duæ æneæ colũnæ erant *Iachin*, & *Booz*, à fortitudine sic dictæ, illa ad dexterã, hæc ad sinistrã: hæc de interiori fabrica, quæ continebat vt dixi, tres expositas partes. Cæterùm exterior fabrica cõtinebat cellas & tabulata circa templũ, relicta interim parte, q̃ Orientẽ respiciebat libera; erat enim ibi porta Templi. Prætereà eadẽ habebat atriũ Sacerdotum, vbi altare Holocaustorum situ erat, in ꝙ Atrium nõ populus, sed Sacerdotes ingrediebantur, & dicebatur atrium interius, eratq; adiunctũ porticui, seu vestibulo prædicto, & circundabat etiã totum Templũ; erat adhuc & alterum atriũ exterius, in ꝙ populi multitudo confluebat, quod etiã templũ circundabat. Hęc duo atria videntur tantùm fuisse in 1. & 2. templo, & secundum atriũ videtur esse illud, quod vocatur *Porticus Salomonis*; nisi velis dicere totũ spatium cõplectens: vtrumq; atriũ dictum esse Porticum Salomonis, Ioan. 10. Act. 3. & 5. Sed ꝙ prius dixi videtur verius. Non nego tãmen in templo Herodis plura fuisse atria. Basilica seu atriũ hoc Salomonis cõmune erat viris, & fœminis. At procedente tempore videtur, vt scribit Montan. lib. de fabr. Templi, & Geneb. in Chronolog. in duo atria muro non prælto diuisum, vt anteriore Viri, posteriori Mulieres reciperentur, sed mundi: certè 2. Paral. 20. fit mentio atrij noui, fortè huius mulierum.

Iam quod ad rem magis facit: In domo illa media exteriori tria erãt, altare Thymiamatis ex lignis Setim. i. Cedrinis Exod. 30. auri laminis vestitũ, vnde aureũ dicitur. longitudine vnius Cubiti, itẽ & latitudine. Figura quadrangulari nõ omni ex parte quadrata, vt tessera, alioqui altitudinẽ habuit 2. Cubitorũ: ex quatuor angulis quatuor procedebant cornua instar eorũ quæ in animalibus, cõuestita auro. In superiori parte opertũ erat tabula aureis laminis tecta, ac reticulata. i. instar retis intercisa, dicitur Craticula. Itẽ corona aureola. i. ex auro quadratũ hoc altare ambiebat. Erat aũt situ cõtra velum Sancti Sanctorũ iuxtà illud, vnde Exod. 30. dicitur, *pones altare contra velũ versus Septentrionalem parietem*: erat in Tabernaculo quidem Mensa duos cubitos longa, vnum lata, iterùm cubitum ac semissem alta, quatuor pedibus fulta, ex lignis Setim auri laminis contecta, duplici corona cincta, altera interrasili, altera minori dicta aureola super interrasilem collocata: Super hanc mensam singulis Sabba-

tis duo-

2. 3. A B C D 4. 5. *Templi fabrica exterior.* 6.

Digitized by Google

tis duodecim panes propositionis collocabantur. Cæterùm in Templo Salomonis decem erant Mensæ, totidemque Candelabra, licet in Tabernaculo vnum esset Candelabrum versùs partem Australem, cùm in templo Salomonis essent decem, & quidē à dextris quinque, quinque alia à sinistris simul cum mensis, ita vt in medio esset Altare Thymiamatis, haberetque hinc & inde Candelabra cum mensis. Candelabra tota erāt ex auro, & in septem ramos diuidebantur, quibus septem Lucernæ aureę impositæ erant; singuli item rami, Scyphos, seu Calices tres, nucis instar, Sphęrulas, seu globos item aureos, deniq; aurea habebant lilia. Item hastile quatuor habebat Scyphos, globulos itē aureos, & lilia, emungebantur Lucernæ aureis emunctorijs, & ad extinguendos fungos vascula fabricata sunt ex auro purissimo Exod. 25. Porrò in templo non fuit vsus ceræ, sed olei.

8. Dum ergò hic Lucas ait, *à dextris Altaris incensi* apparuisse Zachariæ Angelum Domini de Altaris Thymiamatis loquitur; ad huius ergò dexterā visus est Zachariæ Angelus, id est, ex parte Austrina respectu Altaris. bis autem singulis diebus solebant Sacerdotes ingredi, vesperi, & mane, ad adolendum Thymiama, solis enim Sacerdotibus eò patebat aditus; Antequam verò matutino tempore Thymiama incenderetur, non erat fas immolare foris, id est, in Altari holocaustorum, (quod erat in atrio Sacerdotum) vt ait Philo in lib. de Offerendis Victimis. Componebatur Thymiama ex Stacte, Onyche, Galbano, & Thure; quæ quid sint habet Barrad. lib. 3. c. 24. vbi etiam explicat ad quæ obeunda munera ingrederentur Sacerdotes in domum maiorem, seu exteriorem.

CAPVT V.

ANGELVS MARIAM DEI MATREM SALVTAT, ET VERBVM PATRIS EX EA CARNEM SVMPTVRVM NVNCIAT, C. 1. 26.

1. *In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilæa, cui nomen Nazareth.*
2. *Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria.*

SCHOLIA.

1. VATVOR hîc facit Angelus, primùm B. V. Salutat. v. 3. secundò nunciat partū v. 5. mox perficiendi rē annunciatā nodum indicat v. 9. Postremò difficultate n. quæ de re tota, nasci poterat, adimit.

1. *Mense sexto.*] Non numerat menses à primo anni mense, sed à conceptu Ioan. Baptistæ. de quo idem Lucas egerat. eodem modo intelligendū est quod dicit Angelus, *hic mēsis est sextus illi*, &c. fuit autem is mensis Martius, cuius 5. die conceptus est Christus, & licet sit natus die Dominica: feria tamen sexta conceptus est, vt & passus.

2. *Missus est,*] Similius vero videtur, Salutationē circa initium noctis fuisse, vel non longè post Incarnationē circa mediā noctē; legimus enim, *dum medium silentiū contineret omnia & nox, &c.* quod benè huic mysterio, quadrat, vide infra n. 7. Porrò A rectè, vt ait D. Tho. 1. p. q. 30. ar. 2. Missus est Angelus, vt diuinus seruaretur ordo secundùm quē Angelorum interuentu diuina ad homines perueniunt. lege Dionys. Ariopag. l. de Cœl. Hier. c. 4.

Angelus] Non omnium quidem supremus, sed ex astātibus vnus, quos arbitror esse de Seraphinorum numero; quamuis hi ex officio, & passim mitti non soleant. Nota angelis reuelatum fuisse hoc mysteriū post hanc legationē, ita tamē vt soli Gabrieli, prius quā B. Virgini apertū fuerit: hoc mihi probabilius videtur, id intelligo quantū ad particulares circūstantias, scil. tēporis, matris & c, nam filium Dei futurū hominem ipso creationis initio Angelis reuelatū, non dubito. imò & tēpus per Angelū nouit Daniel. igitur saltem aliquibus Angelis tēpus mysterij huius innotuerat, antequā B. Virgo id per Gabrielem Archangelū nosceret. nec tamen necesse est dicere propterea, certum tempus, puta mensem, diem Angelis prius notum fuisse. Petrus B Damianus Gabrielem Angelum fuisse custodem, vel tutelarem B. Virginis opinatur.

3. *Angeli ad stantes sunt de numero Seraphinorum.*

Gabriel] ex Proclo Cizizeno in quadam homil. quæ habetur in Cōcil. Ephesi. to. 6. c. 7. Gabriel idē est, quod *Deus & homo.* ex Theophy. Luc. 1. idē est, ac *homo Dei*, seu *vir Dei*: passim dicunt esse idem, q *fortitudo Dei*, seu *robustus Dei.* sic Hierony. Danielis 8. & lib. de nom. Hebræ. & super Luc. Prima, ac tertia interpretatio sat benè huic mysterio quadrat; media Danieli congruit, cui annunciatū est per Gabrielem tempus aduentus Christi, & signū 70. hebdomadarum. Vide de hoc Angelo Dan. 8. & 9. & suprà hic cap. 4. ex D. Luc.

4. *Gabriel quid significet?*

Nazareth] Si scribatur *Nazareth* per *Tsade*, vt docet Hiero. scribendum lib. de nom. Hebr. nō per *Zain*, significat *florem*, vt vult idē Hieron. vel *florētem*, vt Pagnin. & ita hæc vrbs non Galilææ modo, vt eā vocat Hiero. ep 17. ad Marcellū, sed totiꝰ orbis *Netser.* i. flos est, in qua Christus est cōceptus, & nutritus, vnde *Nazaraus* est appellatus. Dicitur C ergo secundùm Pagnin *Nazareth* à *Netser.* i. flore, alijs *Netser* virgultū est. Vide Schol. c. 12. harū Dilucid. lib. 1. v. 11. & Theor. 1. in eundem versum.

5. *Nazareth quid significet.*

2. *Ad Virginem desponsatam*] Bifariam dicitur aliqua mulier desponsata, & quæ promissa tantùm est, necdum tradita viro, & quæ iam tradita est viro, sed necdum ab eo cognita, & hic ita sumitur, nam & à Matthæo vxor, vel coniux Ioseph vocatur Beata Virgo.

6.

De domo Dauid,] Non temerè additum hoc, vt vel hinc intelligeremus etiam B. Virginem de domo Dauidis fuisse. *Maria*] Lege Theoriam, 2.

3. *Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Aue.*

SCHOLIA.

3. INgressus] Dum hoc audis, intellige corporali specie Angelū apparuisse, & in cōclaui, ac secreto loco cum sola locutum Virgine. Simon Cassia, in conclaui, inquit, erat Virgo, eam vigilātem inuenit Angelus, deditā lectioni, aut orationi vacantē: nox appendebatur ex medio, nec adhuc tenella Virgo sua mēbra in quiete collegerat: forsitan illa hora illud Isaię vaticiniū ecce Virgo cōcipiet, voluebat animo, & ardescens desiderio, aduentum Messię, & salutē humani generis precabatur. non est aūt ingressus aperto ostio, licet aliter senserit Andr. Episc. Hierosoly. ser. de Annunciat. Ex his patet circa noctis medū Gabrielē Virgini astitisse, si Simonis Cassiæ verba consideres. at iam dixi, num. 2. circa noctis initium, vel certè non longè post, probabilius videri fuisse salutatam, tum quia omnibꝰ Christianis mos est, Beatam Virginem circa initium noctis salutare, in memoriā Angelicæ illius Salutationis. licet non opus sit initium hoc Mathematicè intelligere, sicut nec

7. *Angelus corporali specie apparuit Mariæ.*

medium

medium noctis est quid atomum. est ergo spatium illud noctis, quod est magis vicinum occasui solis, quàm mediæ nocti. Tum quia credibile, colloquium illud Angeli cum B. Virg. non breue fuisse, sed vltra horam protractum, cùm magna & multa contineat, & tam alti mysterij dignitas ita exposcere videatur. dixi vltra horam, nam definire duas, tresve horas durasse, vel etiam eò amplius, diuinare esset, nec id stabili fundamento inniti posset. Qui verò manè salutatam Virg. volunt ab Angelo, vt Albert. Magnus super *Missus est*, & D. Anton. 4. p. summæ tit. 15. cap. 9. putant; & Clichtouæus confirmat ex manna, quod matutino tempore descendit in terram Exod. 16. minus mihi probabiliter loqui videntur. Quod B. Virgo domi resideret tempore huius Angelicæ salutationis; & quòd hæc domus fuerit illa, quæ nunc Laureti visitur, docet Suarius disp. 9. sect. . item, quòd Conceptio circa mediam noctē fuerit, rectè cùm alijs docent Suar. tom. 2. disp. 9. sect. 5. Bar. to. 1. l. 7. c. 6. & nos indicauimus num. 2.

8. *Aue*] Græcè est χαῖρε. quæ vox significat, *gaude, salue*, vel *vale*. Dubitant interpretes, an hic sit reddenda ea vox per *salue*, quasi sit salutem precantis, seu potius, vt sit id verbū annuntiantis Beatissimæ Virgini salutem, & congratulantis per eam mox futuram q. d. salue, quia salus mundo per te aduenit, & in te medicina vitæ, & sanitatis conficietur, vt Tol. exponit an. 65. an verò reddēda sit per, *gaude*, seu quidem est teste Perocto, per *aue*. quòd si vertatur per, *gaude*, ita vt, *aue*, sit *gaude*, noua videtur Angelus, & Hebræis minimè consueta salutatione vsus. licet id non sit absurdum concedere præsertim, quia vt Eua, prima fuit tristitiæ caussa; ita decebat, vt hæc esset, tamquā Eua secunda, lætitiæ origo. Porrò vsitata Hebræis salutatio erat, *pax tibi*, seu *salon leca*: Aliquibus igitur videtur esse potius hic vertenda vox hæc per, *salue*, seu per, *aue*, vt significat *salue*, quàm etiam fuisse interdum Hebræis vsitatam salutationem, volunt. Vnde Iudas, *Aue Rabbi*. Et Christus Dominus, *Auete*, dixit mulieribus Matth. 20. vbi Græcè est χαῖρε, &, χαίρετε; nisi fortè dicas Hebræam illam salutationem *Salon leca*, id est, *pax tibi*, exprimere voluisse Lucam in his locis per χαῖρε & χαίρετε, qua græci vtuntur in salutando: quod non multum probo. Cùm enim Lucas scribat, Angelum *Aue* dixisse, id est, gaude vel salue, cur ergo cum putem per hæc solitam Hebræorum salutationem voluisse significare? & licet Syriacè habeatur *salon leci*; ego Latinum interpretem sequor. Certè Hebræorum modum in salutando extremo Euangelij sui capite idem Lucas expressit, cùm opus fuit, vel cùm morem Hebræum voluit significare, licet græcè scriberet, εἰρήνη ὑμῖν, *pax vobis*.

10. *Saluene an aue vertendum fuerit.*

Multi cum Erasmo in annotat. noui Testamenti arbitrātur, nihil referre, saluenè, an aue vertatur, quia Lucas χαῖρε, scripserit græcè, quod vtrumque significat; mihi tamen videtur multò rectius, & verius verti hic, *aue*, vel *gaude*, quàm *salue*, licet vtrumque possit iungi, vt aue, simul gaudere, & saluere, includat; nam vtrumque vox græca significat, salue simul, & gaude. & *auere*, si Festo credimus, etiam pro *gaudere* sumi solet, & Angeli propositum fuit virgini, vt læta nunciaret, non vt salutaret modo, imò vberior erat causa ad gratulandum virgini, ac propterea lætitiæ signa illicò indicare voluit, vt significat And. Hiero. loc. cit. decebat verò vt gaudij vocabulo salutaretur, quæ verè voluptatis auctorem erat conceptura, & Iesum salutaris gratiæ Principem paritura. Immò in hac voce *aue*, non simplex esse officium salutationis, sed muneris oblationem, famulatum

A obsequij, venerationis delationem docet Chrysologus Sermon. 140. & Sophron. sermon. de Annunt. Angelica; se namque ad nunciandum venisse, Dominam esse omnium eam constitutam, mitti legatum nuntiantem magna, læta, & noua declarat Angelus; ita factum est, vt illi ante omnes gaudium nuntiatum fuerit, quæ matrem & secundam Euam præstare se debuit, quæ primæ parentis tristitiam soluit. Itaque continent quidem salutationem hæc verba, sed per modum congratulantis & annunciantis gaudium.

Gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.

4. Quæ cùm audisset, turbata est in sermonibus eius.

SCHOLIA.

B *Gratia plena*] Multis gratijs affecta, & effecta Deo grata; non potest vno verbo reddi κεχαριτωμένη, participium græcum; optimè omnium interpres vertit, *gratia plena*, vndique scilicet omnibusque modis à Deo referta gratijs, & ob id facta Deo grata; non sunt autem hæc optantis, sed confirmantis, non benè precantis (sicut nec illa, *Dominus tecum*, *benedicta tu*, &c Sunt enim hæc omnia confirmantis) sed gratulantis, vel etiam annunciantis, quasi videatur Angelus vt dixi, nolle simplex salutationis officium offerre, sed muneris oblationem, famulatum obsequij, venerationis delationem deferre, eam namque, vt sibi, reliquisque etiam angelis propositam agnoscit. 11.

Dominus tecum] Ostendit auctorem, & vt dixi, num. 11. hæc sunt verba confirmantis, quod iam reuera in Virgine erat, nec significat Angelus, conceptum iam esse in vtero Dominum, hoc enim mysterium nondum peractum, cùm subdatur, *ecce concipies*: Significant ergo hæc, Dominum suo illi fauore adesse, eam amare, eam inhabitare, nūc quidem in mente, mox etiam in vtero, quibus fit, non idem esse, *gratia plena*, ac *Dominus tecum*, sed hoc esse illius, veluti caussam, & rationem. 12.

C *Benedicta tu*] Vox, *tu*, vim habet verbi, *es*, quasi dicat, tu sola es Benedicta, id est, sine maledictione, reliquæ maledicto obnoxiæ; & quæ benedictæ aliquando referuntur, typum gesserunt tuæ benedictionis, vt Iudith 15. Iahel, Iud. 4. & 5. Abigail, 1. Reg 25. 33. reliquæ enim virgines incurrunt maledictionem legis: Matres verò illam Dei, *in dolore paries*. At tu ita virgo es, vt non sis sterilis; eris ita mater, vt sis sine dolore paritura, vt sine corruptione conceptura, sine reseratione, vllave læsione item paritura. significat etiam, *Benedicta*, idem quod laudata, felix item, seu Beata supra cæteras. quod verò cum ea Dominus esset, & gratia plena, ideò præsertim hic dicitur, *Benedicta*, id est, supra cæteras mulieres repleta benedictionibus, & rectè: sustulit enim Euæ maledictionem. hinc digna est laude magis, quàm Iahel Iud. 1. ac proinde Beata, ac felix. Enim: tu sola inter mulieres expers maledictionis. 13.

D *In mulieribus.*] Porrò *in mulieribus* dicit, pro *inter mulieres*.

4. *Cùm audisset.*] Non est omninò certum, an solita fuerit Angelos oculis cernere Gr. ἰδοῦσα, *cùm vidisset*, vnde fit etiam, ex aspectu Angeli, & ipsius visione turbatā, sed aucta tamen turbatio ex blanda, & inusitata salutatione, & sermone Angeli fuit. 14.

Turbata est.] Turbatio hæc fuit timor; bonus ne, an malus esset Angelus; fuit verecundia, ex forma viri, ac specie iuuenis, & ex laudibus audi- 15. *Vnde turbatio in Maria*

tis,

tis, dum salutaretur; fuit admiratio, quod talia de se prædicaret, cùm tamen esset humillima, nec ea in se agnosceret. Iterum timorem alium de virginitate addunt quidam, quod nescio quid amatorium, vt aiunt, vel nuptias significarent Angeli verba. Sed amatorium quid cogitasse, vel in mentem illi venisse, arbitror indignum castissima ac cælesti prorsus virgine; nuptiarum verò timorem, ita vt virginitati timuerit, non tũc, sed postea adfuisse concesserim, vt cùm dixit, *quomodo fiet istud, quoniam*, &c. nec video in verbis nuntiantis Angeli iam expositis, nuptias insinuatas.

16. Libenter tamen admitto, ex blandâ salutatione & aspectu iuuenis, sine vllo motu (absit enim id opinari) & citra omnem rei amatoriæ cogitationem, vel suspicionem turpis rei, sed ex ipsis obiectis, quæ verecundiam in castis virginibus excitare solent, ac debent, turbatam esse, vt verecundiæ exempla præberet alijs virginibus virginum magistra, dum fortè in hæc & similia incidunt obiecta.

17. Hæc verò turbatio rationis vsum, & mentis iudicium non ademit, quod indicatur verbis illis, *& cogitabat*, &c. immò à ratione ipsa profecta est. & in corpus redundauit, quæ omnia fusiùs explicabuntur Theor. V.

Et cogitabat qualis esset ista salutatio.

5. *Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria; inuenisti enim gratiam apud Deum.*

SCHOLIA.

18. ET *cogitabat*] Bernard. hom. 3. turbata est, sed non perturbata, turbata est, & non est loquuta, sed cogitabat, qualis esset, &c. quod turbata est, verecundiæ fuit virginalis; quod non perturbata, fortitudinis; quod tacuit & cogitauit, Prudentiæ. Sed cur non est loquuta? Primùm, quia ignorabat, esset ne bonus, an malus angelus ex Ber. ser. 3. *super missus est*. deinde ob virginalem verecundiam ex Ambros. 1. off. c. 18. erat enim puriſſimę virginis officium coram salutante tacere, in pudicitiæ argumentum & exemplum. Denique ob singularem animi prudentiam, quam commendat etiam Ambros. in Luc. neque enim, quo spectaret ea salutatio, plenè prospexerat, Eccl. 11. *Prius quam audias, ne respondeas*; quare fit vt non videatur verum, quod habet D. Hieron. epist. ad Eust. de cust. virg. ita illam exterrefactam fuisse, vt respondere non potuerit.

19. 20. *Angeli boni proprium pellere timorem.*

5. *Ne timeas*] sicut humanæ fragilitatis est, inquit Beda in Lucam, primum spiritualis creaturæ aspectu turbari, ita & angelicæ benignitatis est, pauentes de aspectu suo mortales mox blandiendo solari. Aſt cõtra, Dæmoniacæ est feritatis, quos sua præsentia territos senserit, ampliore semper horrore concutere. And. Episcop. Hierosol. sic: non fraudulentus hic modus est, aut fallendi animo ad te venio; non impostor serpens rursus tibi loquitur, non terrenus tibi nuncius adsum. Chrysolog. serm. 144. de annunt. timet non qui inuenit, sed qui perdit; inuenit virgo concipiendo superni germinis gratiam, quæ pariendo non perdidit virginitatem. quid timet, quæ securitatem rerum concipit, parit gaudia seculorum? quid timet, quæ suscepit eum, quem timent omnia, quæ timentur?

21. *Inuenisti*] Consequuta es diuinum fauorem, placesque summopere Deo; quod non ex tuo merito, sed ex Dei munere, & beneplacito est, & hoc mea perhonorifica significauit compellatio, non

A est ergo quod tua attendens merita, humilieris, ac timeas, quòd te gratiosam vocârim. Bernard. hom. 3. inueniſti quod quærebas, inueniſti quod nemo ante te potuit inuenire: inueniſti gratiam apud apud Deum, Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. Andreas Hierosolymit. præfert eam Saræ, Rebeccæ, Racheli, Annæ; nam hæ quidem è sterilibus factæ sunt matres amittentes vnà cum virginitate orbitatem; tu autem inquit, etiam si mater sis, virginitate tamen frueris illæsa. Inuenit ergo gratiam, qualem non nactus est quisquam ab æterno sicut illa. Porrò *inuenire gratiam* apud aliquem, idem valet, ac placere. Genes. 6. *Noe inuenit gratiam coram Domino.* & 39. *Ioseph inuenit gratiam coram Domino suo.* & Esther 2. *Placuit ei, & inuenit gratiam in conspectu illius.* Quare meritò B. Virgo per Esther rem significata est, de qua scriptum cap. 2. *Adamauit eam Rex plusquam omnes mulieres, habuitq; gratiam, & misericordiam super omnes coram eo.*

22. *Inuenire gratiã quid sit.*

B

6. *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.*

7. *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

SCHOLIA.

6. ECce *concipies*] quasi dicat: ita Deo placuisti, vt in vnici filij sui matrem te elegerit, illud vaticinium Isaiæ 7. in mentem reuoca: *Ecce virgo concipiet, & pariet*, &c. Tu es illa Virgo, ò Maria, ecce igitur concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, eritque saluator, & nobiscum Deus, erit enim magnus, & filius altissimi vocabitur.

C

Vocabis] Sic Heb habetur in Esa. 7. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit, id est, ipsa virgo, vbi nos habemus, vocabitur, & sicut ibi dicitur, ecce, ita & hic, vt ostendatur admirandi signi nouitas, nec refert quod Matth. 1. 21. dicatur Ioseph, *vocabis nomen eius Iesum*; satis est, hoc nomen prius declaratum esse matri, quia ad illam potius spectabat hic puer. Hinc est quod apud Esa. matris fit mentio, non patris, imò cùm dicitur Ioseph, *vocabis*, subintelligi potest, prout mater eius tibi ostendet, & licet legamus alias quasdam matres filijs nomina imposuisse, vt Rachel *Benoni* vocauit, quem pater *Beniamin* dixit, videtur tamen proprium fuisse patrum nomina imponere, quare non *Benoni* ille, sed *Beniamin* postea vocatus fuit.

23.

D

7. *Hic erit magnus*] non dicitur *coram Deo*, sed absolutè *magnus*, tum ob diuinitatem, tum ob admiranda opera.

24.

Vocabitur] videtur poni, pro, *esse*. est verò sermo de filio Dei, vt est homo factus; vel sensus est, qui semper fuit, vocabitur ab hominibus tandem Deus, prius enim erit hominibus incognitus, tandem cognoscetur, & voce patris declarabitur filius Dei. & dicitur hoc, vt indicetur futurum hunc filium Emmanuelem, id est, nobiscum Deum, iuxta Esaiæ vaticinium, *& vocabitur nomen eius, Emmanuel.*

25.

Dabit illi] addit, fore illum Messiam iamdiu expectatum, in quo regnum Dauid stabiliendum per omnem æternitatem erat, vt alludere videatur ad illud Isa. cap. 9. 7. *Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in*

26.

Digitized by Google

iudicio, & iustitia amodo, & vsque in sempiternum; & ad illud Psal.131.17. *illuc* id est in Sione id est Ecclesia *producam*, id est, profetam, seu omnibus gentibus notum faciam, seu germinare faciam *cornu*, robur, potestatem, ac regium decus *Dauid* id est Dauidi ex Græco, *paraui lucernam*, id est Filium regni successorem, & hæredē, de quo hîc Angelus:

28. *dabit illi Dominus regnum Dauid*. Sic sumitur lucerna 1. Reg.15.4. Dicitur verò regnum Messiæ, *sedes*, & *regnum Dauidis*, non quod temporale, vel terrenum esset, sed quod regno Dauidis adumbratum fuerit, & Dauidi in proprio promissum semine sub typo regni sui: ita & domus Iacob non pro carnali familia Iacob, sed pro spirituali, quæ est omnium fidelium congregatio, accipitur. ponitur vero Iacob, qui pater omnium tribuum erat, vt significetur non super vnam, vel alteram tribum regnaturum Christum, vt ijs, qui Dauidi successerunt, accidit, sed super omnes, & sub ijs etiam gentes comprehenduntur, sicut verò Dauid multo ante vnctus, regnum multis exagitatus laboribus, & persecutionibus exercitus, tandem victis hostibus obtinuit: primum quidem super Iudam, deinde in omnes tribus: ita Dominus Iesus à natiuitate quidem vnctus est Spiritu sancto à Patre, & Rex destinatus populi sui, ita vt meritò permiserit sibi acclamari *Rex Israel*, & coram Pilato tempore suæ sacratissimæ passionis ipsemet affirmauerit, *Rex sum ego*; cognosci tamen, & in regem veluti euehi magno cum honore non nisi post persequutiones, & labores voluit, primùm quidem super Iudæos, deinde super alios &c. meritò igitur affirmare possumus thronum Dauidis, thronum fuisse Ecclesiæ ac proinde rectè ecclesiæ sedes, seu Regnum spirituale Christi, dicitur *sedes Dauid*. Similiter ecclesia *domus Iacob* vocatur, quia hæc ecclesiæ imago fuit, & in Regno Iacob olim ecclesia erat. *Dabit*].q.d. non vi, vt Herodes, occupabit Regnum, sed à Deo accipiet, præsertim post ascensionem, cum dicet illi, *sede à dextris meis*. perfectissimè autem dabitur ad extremum Iudicij diem, cum pater ponet inimicos eius scabellum pedum ipsius.

8. Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

SCHOLIA.

29. 8. QVOMODO *fiet istud?*] non dubitat, sed modum quærit, vouerat enim, etiam ante desponsationem virginitatem secundùm Augustinum, *quomodo*, non eodem modo accipitur, quo ibi: *quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* neque vt cùm dicitur, *quomodo stabit*, id est, non stabit *Regnum eius?* significat enim hic negationem rei; sed sumitur potius vt illud Nicodemi, quomodo *potest homo cum sit senex*, &c. ex affectu enim ad credendum parato, discendique cupido dicta sunt hęc à Nicodemo; ob id meruit à Christo edoceri, multo autem perfectius B.V. parata erat ad credendum, discendique cupida, affert D. Ambr.2. de Abraham: c.8. exemplum Abrahæ Gen.15. qui dixit, *vnde scire potero quod possessurus sim eam*, quem modum statim ei Angelus aperuit: lege August.16. de ciuitate c.24. qui hom.44 Idem significat; *si verba*, inquit, *attendas, haud ambo crediderunt Zacharias, & Maria. sed nos verba valemus audire. Deus potest & corda interrogare; intelligimus carissimi, quoniam Zacharias quando ait per quid cognoscam hoc? ego enim sum senex, & vxor mea progressior in diebus suis; desperando dixit, non inquirendo; Maria verò quando è, contra*

Discrimen inter Mariæ, quomodo, & aliorum.

30.

A *ait, quomodo fiet istud, quoniã virum nõ cognosco? inquirendo dixit, nõ desperando.* Sed cur modũ sciscitatur? Resp. vt cognosceret quę essent in eo mysterio partes suæ, quidue illi agendum esset; Hinc patet eius obedientia. iudicabat quidē nec posse, nec debere se concurrere per corporis corruptionem ob votum, quod non dubitabat placuisse Deo: meritò ergo quærit modũ, vt & Abrahã Gen.15. deinde voluit, vt & Angelus diuina auctoritate concipiendi modũ confirmaret, quod & fecit Ioannes, cum misit ad interrogandum Christum, *tu quis es?* denique voluit his verbis ad omnium exemplum, suũ propositum testari fixũ & immobile esse, quãtique virginitatē faceret, & quo loco haberet, ostēdere, quæri potest si ergo fidē verbis Angeli adhibuit, de qua re dubitauit dũ dixit, *quomodo?* Imprimis, negandum est, B. Virg. non intellexisse ex verbis Angeli, *ecce concipies*, annuntiari sibi Messiam, Deiq; filium concipiendum lege D. Th.q.30.a 31. 32.

B 4. Igitur D. Amb. Intellexisse eam putat, virginē se concepturã, & parituram ex Esa.7. sed quomodo fieret, ignorabat, quia nõ legerat: sic ille l.2. In Luc. c. de Mar. interrog. sed non videtur quadrare ratio, *quoniã virum nõ cognosco*; sed pro Ambrosio respõderi potest, sensum esse, quoniã votũ habeo virginitatis, & illa mihi omnino cordi est, cedo modũ, quomodo salua virginitate concipiã? Adde quod, vt dixi, sic est locuta, vt Angelus Dei auctoritate declararet, illibatã eius futuram virginitatē, & interim exemplũ virginitatis, castitatisq; præberet tantopere amatæ. Secundo possumus & cum Bern. 33. sermone 4. super *missus est*, dicere. B.V. Ignorasse, virginitate ne incolumi; an aliter Deũ esset cõceptura; Deo enim primum possibile, & sic bene quadrat ratio *quoniam virum &c.* Dices, ergo vaticinium Isa. ignorabat, c.7. *ecce virgo concipiet &c.* Respondeo sciuisse quidē illud, sed tunc nõ aduertisse omnia, nec in mentē tunc illi venisse quid ad se pertineret, neque enim plane intellexerat, illud in se implendum ob eximiam, & incredibilem animi modestiam, nihil enim de se magnificè sentiebat, nihilque per arrogantiam sumebat.

C *Non cognosco* Emm. sic inquit, solet quis vouit, v.g. abstinere à vino, dicere, non bibo vinũ. de virginit. B. Virginis. præterea, quæ dicemus inferius, lege Vegam Apoc. xii. comm. 3. De B. virgine; in vniuersum verò de virginitate lege eumdem c.14. com.1.

9. Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

SCHOLIA.

D 9. SVPERVENIET] cœlitus illabetur: sic Act.1. *Superuenientis Spiritus sancti in vos*, & Luc. vlt. *donec induamini virtute ex alto.*

Et aduerte, quod licet B. virg. habuerit Spiritum sanctum, accepit iam ad alium effectum.

Virtus Altissimi] vel Spiritus sancti potentia; vel idem est *virtus Altissimi*, ac Spiritus sanctus; vel potius virtus altissimi est fortitudo Dei Patris, id per Spiritum sanctum sanctè in virgine efficiēs, quod solet quidem maritus per corporale semen efficere, & ita, idem est, *obumbrabit*, seu conteget te, honestius loquendo, ac quod Cicero dicit grauiditatem, & partum afferre. 34.

Significatur Porrò pro viri virtute, & cõplexu, fore Dei Patris cõplexum & virtutē fœcundantē.

Nec intelligas Spiritum sanctum esse vel verum, quod absit, semen, vel substantiam aliquam corporalem; quomodo id negat Hieron. in quadam fidei 35.

expos. quæ incipit: *credimus in Deum Patrem*, tom. 9. vel esse instrumentum Patris, sed tantùm dicimus, seminis efficientiam suppleuisse.

Nec propterea negandum, principalem cum Patre causam in Verbi Incarnatione fuisse. Et quidem rectè tribuitur Patri hoc modo obumbratio Virginis, ne intelligatur Dei filius alium habere Patrem.

Item rectè Spiritui sancto damus efficientiam seminis; vt munditia & castitas huius conceptionis ostendatur.

36. Si igitur primo modo exponas, tum *obumbrabit*, idem erit, ac defendet te, tuamque virginitatem tutam reddet: vel etiam conteget, seu fouebit te, quasi dicat, Spiritus Dei opera concipies. Porrò *obumbrare*. Psalm. 90. & 139. *obumbrasti super caput*, sumitur pro defendere; & *vmbra* protectionem significat. Hoc verò, quod hic Angelus ait, Virginem concepturam superueniente Spiritu sancto citra omnem virginitatis iacturam, vel niuei pudoris labem, etiam Deus rerum naturalium exemplo aliquo modo indicasse videtur. Nam in genere vulturum marem non reperiri omnes ferè veteres tradunt, vt habet Gloss. mag. myst. in primum cap. Genes. sed ex vento eos concipere, seu ex Euro, vt Plutarcho placuit, seu ex Aquilone, vt Aegyptij produnt. Quid igitur mirum, si Deipara Spiritu sancto, quasi Euro superueniente concepit, & peperit? ait enim Angelus; *Spiritus sanctus superueniet in te*, quasi dicat, Spiritus sanctus quasi aura fœcunda, & viuifica feretur super aquas, & cubabit super purissimos sanguines tuos. Audi quid Ambros. lib. 5. Hex. cap. 20. scribat: *negantur vultures indulgere concubitui & coniugali quodam vsu, nuptialiq; copulæ sorte misceri, atque ita sine vllo masculorum concipere semine, & sine coniunctione generare, natosq; ex his in multam ætatem longæ vitæ procedere, vt vsque ad centum annos, & quid aiunt, qui solent nostra irridere mysteria, cùm audiunt, quod virgo genauit, & impossibilem innuptæ cuius pudorem nulla viri consuetudo temerasset, existimant partum? Impossibile putatur in Dei Matre, quod in vulturibus possibile non negatur? Auis sine masculo peperit, & nullus refellit, & quia desponsata viro Maria peperit, pudoris eius faciunt quæstionem, & nonne aduertimus quod Dominus ex ipsa natura plurima exempla ante præmisit, quibus suscepta Incarnationis decorem ante probaret, & astrueret veritatem?* Hæc ille.

37. *Vultures sine cõcubitu concipiunt.*

38. Fateamur igitur, & libenter concedamus concepisse virginem sine viro, tulisse partum sine onere, peperisse sine dolore & fractione, factumque esse vterum, Empyreum Dei maiestate fulgentissimum, Paradisum, in quo lignum inerat vitæ; Tabernaculum fœderis, in quo per caliginé visebatur Deus; Arcam, in qua manna, virgaque conseruabantur; vas ex auro purissimo; virgam Aaron, vel virgam de radice Iesse efflorescentem. concedamus Deum multa posse, quæ nos non intelligimus, Hæc obiter.

Ideoq;, & quod nascetur ex te.

SCHOLIA.

39. *Ideoque*] quasi dicat, qui ex te, ò Virgo, id est, ex te sola, & tua substantia, omni sanctitate plenissimus nascetur, filius Dei Altissimi vocabitur, non autem alicuius viri filius: quippe qui non virum patrem habebit, sed te matrem in terris; tantumque Patrem Deum in cœlis, si enim ex viro conciperetur, illius filius vocaretur, at quia non ex viro, sed opera Spiritus sancti fiet hæc conceptio, ideò non habebit, vnde possit filius alicuius viri nuncupari, quia tamen in cœlis patrem habet, cuius verè filius est, illius filius nuncupabitur, vel etiam quia in hac Incarnatione, vt Spiritus sanctus locum habet seminis, ita Deus Pater locum principij actiui, quod Pater est in humanis; ideò etiam hinc poterit Dei filius nuncupari, non autem viri. Et, *pro*, etiam, habet hanc vim; ideò non id solùm quod nascetur ex te sine viro, sed quod nascetur etiam sanctum, erit filius Dei; quasi dicat, nascetur sine viro ex te sola, & sanctum etiam nascetur ex vi conceptionis: non sic dicitur de Ioanne: *Sanctum nascetur*, sed *replebitur* Spiritu sancto, vt notat Cyrillus, quia ille donum Spiritus sancti accepit, non ipsam Spiritus sancti diuinitatem vnitam humanitati in persona filij, vel aliter, etiam quod ex te licèt fragili muliere, & creatura nascetur, sanctum, erit filius Dei.

Sanctum vocabitur filius Dei.

10. *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis.*

11. *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

12. *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum, & discessit ab illa Angelus.*

SCHOLIA.

Sanctum] vel plenissimum sanctitate significat, vel *sanctum* positum est pro sanctè; id est, sancto modo, præsertim cùm ex vi conceptionis sine peccato originali conceptus sit; neque enim ex viro, vt habet Augustinus Ench. 41. & lib. 13. de Trinit. 18. refertur autem *Tò sanctum* ad *Tò nascetur*, Græcè Τὸ γεννώμενον ἅγιον κληθήσεται significat, quod concipitur, id est, quod generandum in vtero statim est; non quod iam generatum est, ideò dicitur græcè *nascitur*; licet etiam possit declarari, hoc modo dicendi, continuum augmentum fœtus in vtero post conceptum eius. Item non dicit, *quia nascetur*, sed *quod nascetur*, vt neutro genere insinuet non hominem merum, nec solum Deum, sed vnum aliquem, qui vtramque naturam complectatur diuinam & humanam. Tol. ann. 102. & nasci sumitur non tantùm pro natiuitate ex vtero, sed etiam pro conceptu. 40.

Ex te] ex tua substantia, & te sola, vnde patet, non negasse Angelum fore illum filium hominis, id est, matris fœminæ, sed non habiturum patrem virum. 41.

10. *Et ecce Elisabeth*] licèt minus sit, sterilem & senem concipere, quàm virginem, hinc tamen confirmatur fides credentis iam: sicut solemus rationib. necessarijs probabiles intermiscere. Quod verò hoc ad fidei confirmationem etiam & non ad narrandum modo id, quod factum erat, dictum sit, patet ex illis, quæ habentur v. 11. Interim excitat Angelus ad visendam cognatam. Adde allatum esse hoc exemplum ob similitudinem, tam enim virginem parere, quàm sterilem & senem, contra naturam videtur, & virgo cum sterili rectè conferri potest, dum verò, *ecce*, ait, quasi rem præsentem oculis intuendam ostendit.

Sextus] igitur conceptus ex ventris tumore, & motu cognosci poterat, nec amplius timendus abortus,

ortus, quantum est ex parte virtutis maternæ, & causis intrinsecis.

Vocatur] hota erat vulgò eius sterilitas; vel *vocatur*, deest, erat hactenus vel simpliciter, quæ est secundùm naturam sterilis.

42 11. *Non erit*] quasi dicat, ideò hoc exemplum attuli, vt certiùs cognoscas, quia *non erit impossibile*, &c. Itaque hoc non est causa, cur Elisabeth conceperit, alioquin dixisset, *quia non est*, & non, *quia non erit*; vel potius, *non erit impossibile*, idem est, ac *non potest esse impossibile*, iuxta Hebr. apud quos futurum, modus est potentialis: & hoc modo probat Angelus, & sterilem Elisabeth potuisse concipere, & virginem posse, & videtur verior expositio.

Verbum] id est, quidquid Deus loquitur, prædicit, promittit, non est illi difficile præstare, vel *verbum* pro re, sumtur, quasi dicat, nihil eorum, quæ vult Deus, est illi impossibile, vel difficile vt præster.

43 12. *Ecce*] consentientis id, simul & optantis, Bernard. hom. 4. addit & deprecantis, seu orantis, ex illis potrè verbis, *dixit autem Maria*, rectè colligunt aliqui, expressisse B. Virg. perfectam eorum intelligentiam, quæ ab Angelo dicta fuerant.

THEORIA I. IN C. V.

In ea verba; *In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel.*

A EX Aug. l. 4. de Trinit. c. 5. octauo Kal. Aprilis. id est, 25. Martij Christus conceptus creditur, quo die & passus. Sic Rup. Chryso. & alij: Lucidus lib. de vero passionis die, habet; eo anno nouilunium mensis primi Nisan incidisse in diem 25. Martij, atque adeo in Neomenia, hoc in nouilunio Christum conceptū esse, quando lunæ sol coniungitur, & quidem iurè, quia Christus sol iustitiæ, tūc sanctissimæ Virgini Mariæ per carnis assumptionem coniunctus est. D. Chrysost. docet Ioānem Baptistam conceptum in æquinoctio autumnali 8. Kal. Octobr. id est, 24. die Septembr. in quò est inchoatio noctis maioris, quàm lucis, Christum verò in æquinoctio verno, quod est 8. Kal. Aprilis, id est, 25. Martij, qui dies est æquinoctialis ad inchoationem lucis, iam enim detersa caligine à mūdo, lux in mundum veniebat; Ioannem præterea natum solstitio æstiuo, 24. die Iunij, & Christum solstitio hyberno, 25. die Decembr. vide illum in sermone de natiuitate Ioannis Baptistæ Tom. 2. Ruper. l. 3. de Diuinis off. c. 19. *Dominica, ait, nocte natus est Christus, Feria sexta conceptus, die qua veterem formauit Adam de limo terræ, nouum sibi reformare cœpit hominem Deus, de vera carne Virginis Mariæ, eadem die redempturus mortis passione.* Licèt Augustinus sermone 8. de natiuitate arbitretur, Christum conceptum die Dominica. Sed communior opinio est prior.

2. *Adam formatus de limo terræ feria sexta.*

ANGELVS GABRIEL.

3. *Quis fuerit Angelus Gabriel.*

PER Angelum serpentem decepta fuit Eua, illum audiens; per angelum bonū Gabrielem virgo credens damna reparat Euæ. Quisnam verò fuerit hic angelus, puta cuius ordinis, & an differat ab eo qui Danieli, Zachariæ, Iosepho apparuit, inuestigandum est. Ber. hom. 1. de annunt. negat fuisse de minoribus, qui passim mitti consueuēre. Asserit verò

B propterea dici *missum esse à Deo*, quia videl. à Deo immediatè intellexit mysteriū hoc, quod nulli præterquam ipsi, priusquam virgini declaratum & apertum fuit, & quia ab eodem immediatè est missus, nullo excellentiore spiritu inter Deum, & ipsum intercedente. Quibus indicare videtur D. Bern. vel fuisse supremum Angelorum, ita vt per nullū superiorem mitti vel illuminari potuerit; vel saltem esse ex supremis ordinibus, qui à Deo immediatè illuminantur, quod satis bene in tantum mysterium conuenit: præsertim cùm ad instruendam, informandamq; eam virginem, quæ omnes Angelorū choros longè superabat, demissus fuerit. Nam licèt B. Virgo dignitate superet, & longo post se interuallo relinquat omnem creaturam, ratione tamen status huius vitæ, & ratione naturæ inferior erat Angelis, quare nihil erat absurdi, vt de Angelo disceret tam magnum mysterium, vt ita suauiter res transigeretur, nec refert, quod alij Patres nunc Angelum, nunc Archangelum vocent: nam his etiam nominibus vocant Michaelem, Angelorum procul dubio principem, & caput, quo nomine etiam Gregorius hom. 34. hunc Gabrielem, de quo agimus, appellat, & summum etiam Angelorum, & Archangelorum. Quid, quod Andreas Hierosolymitanus homil. de Anna, vnum ex præcipuis Angelorum nominat? itaque ex his compellationibus nihil certi effici potest. Scio D. Thomam opinari ex vltima Hierarchia fuisse, 3. p. q. 30. ar. 2. ad 4. licèt caput & principem secundi ordinis Archangelorum, cuius sententiæ videtur fuisse Bernardus lib. 5. de consideratione cap. 4. & ad hanc sententiam videtur impulsus D. Thomas auctoritate Dionys. summi theologi, de cœlest. Hierarch. cap. 3. Vult enim Dionysius Angelorum ordines & hierarchias officijs, & ministerijs distingui, neque alicui, vt ait, fas est operari, nisi quod officij sui diuina sanxit institutio. Porrò duos vltimos infimæ hierarchiæ ordines ad tutelam hominum, & ad ea, quæ ad illos pertinent nūtianda, destinatos esse sentit.

C

Sed mihi prima dicendi ratio non displicet: hunc S. Angelum non quidem omnium supremum fuisse, sed vnum ex septem illis astantibus, quos arbitror esse de supremis Saraphinis. quare breuiter hic videdum restat, an omnes angeli mittantur. Hic Theol. nō paria sentiunt. Negant quidam supremos Seraphim, Cherubim, Thronos, dominationes mitti vnquam, quorum anteſignanus D. Tho. est 1. p. q. 112. a. 2. & 4. licèt fateatur quinq; ordines inferiores Principatus, potestates, virtutes, Archangelos, Angelos mitti; nititur autem hæc sententia Dionys. qui sacræ Theologiæ culmē est lib. de cœl. Hier. c. 7. & 13. aliorum est sententia, ex officio quidem inferiores tantùm ordines mitti, ex diuina verò dispensatione etiam supremos. In quorum ego sententiam facilè descenderim; primùm ex scripturis. Nam Genes. 3 legimus antè paradisum Cherubim collocatos, non vnum scilicet & Isai. 6 scribitur, *Et volauit ad me vnus de Seraphim*, & Ezech. 10. sæpè *Cherubim* appellantur ij, qui in quatuor animalibus venerunt ad Prophetam, & hunc fuisse sensum Patrum cōstat ex Basilio, Chry-

D

6. *Angeli an mittantur omnes etiā maximi Seraphini.*

soſt.

solt. Cyril. Hieron. Procop. in c. 6. Isai. & Ambros. l. 1. de Spiritu sancto, cap. 9. Sed imprimis vrget locus Pauli ad Heb. c. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi.* Huic opinioni fauet etiam ratio, qua vtitur Magist. 2. d. 10. nam si nō fuit indecens, vt ipse filius Dei immediatè ad homines mitteretur, neque erit vllum absurdum angelos quosque licèt summos ad eos mitti. D. Dionysius cap. 13. respondet ad locum Isai. & D. Thom. loco cit. ar. 2. ad 2. intelligi de aliquo Angelo inferiore, qui *Seraphim*, propter aliquam similitudinem cum summis Angelis extenso vocabulo appellatur, v. g. ob incendendi ministerium, quo & peccata deleta sunt, & is qui purgatus fuerat, ad diuinæ obedientiæ reparatus ardorem fuit, vt inquit Dionys. vel de aliquo Seraphim, qui non per se, sed per inferiorem Angelum à se illuminatum præstiterit Prophetæ id ministerij. Sed imprimis nec sibi ipsum satisfeciſſe in hac re Dionysius ipse satis declarat, cùm Timoth. monet, vt vel alteram ex his solutionibus eligat, vel commodiorem excogitet. Deinde videntur scripturæ verba obstare, cùm semper propriè accipienda sint, cùm possunt per sanam doctrinam fidei & morum. Tertio, quia non semel accidit vel iterum, vt nomina hæc missorum Angelorum, *Cherubim, Seraphim* legamus in scripturis, & durum profectò videtur toties ea impropriè accipi, præsertim cùm gratissimi & doctissimi patres nobiscum ea interpretentur propriè. Ad locum D. Pauli respondet D. Thom. loc. cit. a. 2. ad 2. & Scot. in 2. d. 10. 9. vn. omnes mitti, vel ad homines, vel ad Angelos inferiores illuminandos, vt hi deinde illuminent homines, videtur hoc desumptum ex doctrina S. Dionys. c. 5. cœl. hier. cùm reddit rationem, cur omnes cœlestes virtutes communi nomine angeli nuncupentur: quia, inquit, reuelationes, quas à Deo accipiūt supremi, inferioribus enunciant.

At certè D. Paulus videtur loqui generatim de Angelis, & de eodem genere missionis scilicet immediatè ad homines, hoc enim significat *mitti in ministerium*: exire scilicet ad nos; vnde Angeli diuidi solent in ministrantes, & assistentes passim. quare nec videtur verum loqui Paulum de ijs angelis tantùm, vt vult etiam D. Thom. per quos data est lex Moysi, nam id dicit Apostolus, vt probet Christum, quia verus est Dei filius, esse superiorem omnibus omninò Angelis, cùm ij non sint veri filij, sed ministri tantùm.

Restat soluere rationes contraria sentientium. Imprimis inquit Dionys. quod ordo diuinæ prouidentiæ est, vt inferiora per superiora administrentur, ergò ordo diuinæ prouidentiæ est, vt superiores angeli illuminent inferiores, & hi homines. Rursum ordo gratię nō habet alium superiorem ordinem, propter quem prætermitti debeat, sicut ordo naturæ interdum prætermittitur propter ordinē gratiæ. Ordo autem angelicus est ordo gratiæ, nō igitur potest prætermitti. Respon. quamuis, vt plurimū ita sit, vt inferiora nō administrētur immediatè per summa, propter tamē aliquod peculiare commodum, vt cùm altissimæ illius prouidentiæ ratio id exigit, propter causas, quas nos ne excogitare quidem possumus, nonnumquam hic ordo prætermittitur, sicut Michael princeps est Angelorum, & tamen ad rem maximam, id est, ad Incarnationem verbi non ipse, sed Gabriel missus est, & idem ad Zach. & Danielem, cum videretur minor potuisse mitti ad hos; sicut & cùm Raphael missus est ad Tobiam, cùm sufficere potuisse videatur eius custos; itaque si rem abstrusam ratione nostra metiri velimus, sæpè multum errabimus. & si ratio illa valeret, tūc nec ex quatuor ordinibus inferioribus mitterentur angeli ad homines (quod concedit D. Thom.) sed solùm ex infimo ordine, qui est immediatè superior ordine hominum: quamuis autem ordo gratiæ non prætermittatur propter ordinem naturæ, potest tamen prætermitti propter bonum sublimius in eodem ordine gratiæ. Ita gratia data est Ioanni Baptistæ in vtero matris præter communem ordinem sine circumcisione; & gratia in Mariæ conceptione præuenit omnem culpam originis, & Christus vt homo simul fuit viator & comprehensor.

Secundum argumentum. Proprietates Angelorum ex eorum nominibus cognoscuntur ex Dionys. c. 7. cæl. hier. sol. ergò ad exterius ministerium mittuntur Angeli illorum ordinum, ex quorum nominibus aliqua executio intelligitur, primò Angeli & Archangeli, qui nomen habent à denuntiando: item virtutes, & potestates, quæ ad aliquem actum respiciunt, & principatus, qui ex Greg. homil. 34. inter alios operantes priores sunt, sed facilè soluitur. Nam hoc modo etiam Seraphim mittentur, quod incēdant; Cherubim, q. doceant; Throni, quod sedentem in se Deum, ad nos, cùm iubentur, ferant; & vt principatus inter alios operantes, priores sunt: ita dominationes dicemus sic dici, quia potestatibus & virtutibus ad ministeria præsunt.

Tertiò dicet quis ex Daniel. 7. *millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebāt ei.* Igitur sunt alij, qui assistunt, alij qui ministrāt, sed facilè qui dicit omnes mitti, respondebit: eos assistere siue astare coram Deo, qui iussionem eius expectant intenti, vt eant, quo missi fuerint: tunc ergò cùm hæc vidit Daniel, multa Angelorū millia occupata erant in ministerio, quod erga nos exercent, sed multò plura coram Deo astitisse eius nutū intuentia, vt citò facerent, quicquid Deus iuberet; aut si eorum sententiam sequi volumus, quę videtur cōmunior, diuidentium ex hoc loco angelos in *assistentes & ministrantes*, vt patet ex l. 17. mor. c. 7. Greg. & ho. 34. in Euangelia, & S. Thom. 1. p. q. 112. a. 3. & 4. Eos assistere dicemus, non qui nūquam exeunt ad nos, quod videtur velle D. Tho. sed qui rarò exeunt, vt Greg. intellexisse videtur 17. moral. c. 7. Itaq; quidam sunt, qui solum assistūt Deo peculiariter, ita illo fruentes, vt in essentia ipsius videat rationes multorum mysteriorū, de quibus alios illuminent, quāuis alia ratione omnes assistant Deo, etiam dum mittuntur, quatenus per visionē beatificā semper illū habent præsentē. Matth. 18. *Angeli eorū semper vident faciem Patris.* Sic Greg. lib. 2. mor. c. 3. Quod verò dicunt quidam, Dionys.

12. 13. *Angelorum proprietates vnde noscātur.* 14. 15.

hæc à Paulo accepisse, non est verosimile de omnibus, quæ Dionys. de Angelis scribit, neque ipse tacuisset, & ita sæpè in his loquitur, vt non certa, sed probabilia dicere se indicet vt potest colligi ex c. 7. & 13. de cœl. hier. Nec Gregor. Dionysij sententiæ subscribit, vt patet ex hom. 34. in Euang. vbi indicat se nó acquiescere omninò Dionysij dictis. Ex his ergò efficitur vel omnes Angelos mitti; vel certè, quod probabilius videtur, quosdã ex officio peculiari, & ordinariè mitti; quosdã non item, sed extraordinariè, & cùm ratio diuinæ prouidentiæ id exigit, quod in hoc tã alto ministerio locũ habet, ad nuntiandũ vnus ex supremis illis missus est Gabriel, quẽ arbitror post Michaelem primũ esse angelorũ omniũ, lege Rib. in c. 1. ad Hebr. n. 93. & alios Theol. in 1. p. D. Thom. loc. cit.

16. Petrus Dami. ser. 1. de Nat. Virg. Gabrielem affirmat Archangelum, & Ioannem Euangelistam duobus comparari leonibus, de quibus 3. Reg. 10. 19. mysticè, quorũ alter dexteræ Virginis, alter sinistræ custos deputatus est, Gabriel enim mentem, Ioannes carnem eius peruigili sollicitudine seruarunt, qui meritò leonibus comparantur propter rugitum altisonæ vocis, sunt enim ab his illa duo verba orbi nuntiata, qualia nũquam ante à mundus audiuit: *Aue gratia plena. In principio erat Verbum.*

17. *Angelorum vnde noscantur nomina.* Illud mihi certius videtur, non esse hũc Angelum distinguendũ ab eo, qui Danieli missus est c. 8. & 9. & Zachariæ Lu. 1. licèt nó omninò id certum sit, quia nomina angelorũ ex officijs seu ministerijs sumuntur, quare idem nomen potest pluribus tribui ob officij similitudinẽ; non est tamen recedendũ à recepta Patrũ sententia. Nihil verò absurdi est, quod aliqua minora prius nunciauerit, præsertim cũ ea ad hoc speciatim mysteriũ referrentur. Nam Danieli nuntiauit tẽpus aduẽtus Christi, & præclarum illud signum 70. hebdomadarũ. Zacharię verò prædixit de filio, *ipse præcedet ante illum* .i. Messiam *in spiritu & virtute Eliæ*, quibus imminentẽ Christi aduentũ significauit. Quid quod verosimile est, vt indicat Bern. eundẽ fuisse angelũ, qui Matth. 1. & 2. Ioseph apparuit? Nam omnia hęc ad idem incarnat. mysterium pertinebant.

THEORIA II.

De nomine Mariæ.

1. *Maria quid significet.* IN primis quæ sit vera huius nominis interpretatio perpendamus. D. Hier. l. de nom. Heb. t. 3. habet *Mariam*, significare stellã maris, seu amarũ mare, & quidẽ rectè, nam Hiero. & 70. nó *Maria*, sed *Mariã* cum *mem* legũt; Græcè etiã D. Luc. c. 1. Μαριὰμ, & à 70. Interp. Μαριὰμ dicitur soror Moysis, Exod. 15. licèt à Latinis *Maria* nominetur, & Hebręi *Miriã* legãt. Porrò syllaba, *iam* Hebræis significat *mare*, altera scil.

2. *Mar* sonat, vt Hier. docet *stellã*, vel *amarum*. Addit Hier. Syro sermone Mariã significare dominã. Quæ omnia rectè quadrãt in hãc Virginem planè cęlestẽ. Nam cùm mater Domini sit Domina est. Hinc Damasc. l. 4. de fid. c. 15. gratia, inquit, nam hoc sonat *Annæ* vocabulũ, *dominam parit*, id .n. Mariæ nomine significatur. D. Bonau. Specul. Virg. c. 3. Virgo, inquit, domina est cœlestium, terrestrium, & infernorũ. Illius deinde typũ fuisse, ait Hester, de qua c. 15. eius libri dicitur: *Assumpsit duas famulas, & super vnã innitebatur, alter.i autem famularũ sequebatur Do-*

A *minã defluentia in humũ indumenta sustentãs.* Duæ ait famulæ, quarum domina est Regina Maria, sunt Angelica & humana natura. Intelligentia Angelica est famula, super quam domina innititur cęlo; anima verò humana est famula, quæ dominã suã sequitur in mundo, colligẽs vestimenta dominæ, scil. virtutes & exẽpla Mariæ. hæc Bonau. Fœmina quæ tetigit fimbriã vestimenti Christi, corporis sanitatẽ est cõsequuta, & qui fimbriam matris collegerit, salutem cõsequetur animæ.

Et stella maris, nam non lõgè à sole est, illum 3.
vt Lucifer antecessit hic, & vt Hesperus subsequuta est post ascensionẽ eius assumpta. A quibusdã dicitur *polaris stella*, habet .n. hæc primũ locũ in nostro hemisphærio, licèt minima videatur. Ita B. Virgo supra omnẽ creaturã exaltata est; minima tamen, hoc est, humillima fuit ancilla Domini. Deinde vt polaris immobilitatem quandã habet in situ, ita Maria immobili ac perpetua fruitur quiete, planè animo beata, & corpore etiã nunc. Ad hæc, vt polare syd⁹ volubile est circumquaq; , ita Maria mouetur, ac velut perpetuo circumuoluitur effectu charitatis erga nos. habet etiã polaris stella attrahendi vim: nam secundùm veteres firmã stabilemq; terrã in centro continet, ita hæc sanctiss. Virgo stabiles nos veluti reddit, ne peccatorũ demeritis, præcipites in inferni barathrũ ruamus. Dirigit eadẽ stella nauigantes, vt portum teneant, ita & hęc in periculis dirigit nos, vt ad æternitatis portum perueniamus. Deniq; stella illa septem circa se stellas velut assistentes habet: ita Maria septem Angelos, qui Deo astant. Nam cùm ipsa vt Regina à dextris Dei assistat, ijdem etiam Angeli, qui Deo assistunt, & Reginæ ipsi assistent.

Mare amarũ fuit, dum filius pateretur: vnde 4.
plusquã martyr dici meruit, teste B. Hiero. de Assumpt. B. Virg. tom. 4. quod verò Epiph. de laudib. B. Virg. scribit; *Mariã* interpretari *illuminatam*, vel vt alij dicũt, *exaltatã*, vel vt quidã malunt *smyrnam maru*, id est, *myrrhã*, non æquè omnib. ꝓbatur, vt ea q̃ pri⁹ diximus ex Hieron.

THEORIA III.

In illa; *Aue gratia plena.*

Ave] meritò Mariæ ante omnes gaudium 1.
ab Angelo prænunciatũ fuit, quæ mater omniũ, secundaq; Eua à Deo electa erat, vt ita primæ matris, cui dictum est, *in dolore paries filios*, tristitia solueretur: in quẽ sensum scripsit Fulgẽtius fer. de laud. Mariæ; in partu Saluatoris fœminas à ruina primæ maledictionis per Mariã eximi, sed videtur is esse sermo decimus quintus Aug. de tẽpore to. 10. tria, inquit, mala Euæ, à tribus bonis Mariæ probantur excluſa. Nam Euæ dictũ est in doloribus, & in tristitia paries, & ad virũ conuersio tua, & ipse dominabitur tui. Tribus ergò his malis se subiugãt fœminæ, quę Mariã non sequuntur, dolori, tristitiæ, seruituti. Maria autẽ è cõtrario, quam præclarissimis trib. bonis sublimetur, auscultа; salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratię. Sic. n. eam legitur salutasse. Aue gratia plena, benedicta tu inter mulieres. Cùm dixit, Aue, salutationem illi cęlestem exhibuit, cùm dixit, gratia plena, ostendit ex integro irã excluſam primæ sententiæ, & plenæ benedictionis gratiã restitutã. Cùm dixit, be-

nedicta

nedicta tu inter mulieres, virginitatis eius benedictum fructū expreſsit, vt ex ea benedicta dicatur, inter mulieres, quęcunq; perſeuerauerit Virgo. Hæc Aug. Sibylla etiam ante Chriſtum natum, vt habetur lib. 3. Sibyll. oraculo. tom. 4. Bibl. Patrum non multò aliter, quàm Angelus Mariæ gratulata eſt. ſic enim ait:

„ *Geſti læta puella, tibi nam gaudia ſempet*
„ *Duratura dedit cæli, terræq; creator*
„ *In te habitaturus: tibi lux æterna manebit.*

Item Epiph. in ſerm. Erich. Virginis, quē vertit Picus Pariſ. & habetur in 2. tom. Bibl. eundem annuntiati gaudij ſenſum loquēti Gabrieli tribuit. Aue gratia plena, multis virtutib. exornata Virgo, & lāpade geſtans lucē inextinguibilē ſole ſplendidiorem. Aue gr. pl. hami eſca ſpiritualis, in te ſiquidē hamus diuinitas. Aue grat. plena, mare ſpirituale habens gēmam cęleſtem Chriſtū. Aue gr. pl. gloriæ arca ſpiritualis. Aue gr. pl. quæ es vrna aurea cōtinens māna cęleſte. Aue gr. pl. quę ſitientes perēni fonte dulcedine ſatias. Aue gr. pl. ſplendidum cęlū, quæ in cęlis incōprehenſum cōtines Deum. Aue gr. pl. quæ cherubicum chorū diuinitatis fulgore ſuperas. Aue gr. pl. quæ poli circulum habes, & Deū incōprehenſum anguſto potiſſimū loco in te ipſa cōtines. Aue gr. pl. nubes columnæ ſimilis, quæ Deum habes, qui populū deduxit per deſertū. quid dicam, & quid proloquar? quo pacto prędicabo beatū glorię radicē? ſolo. n. Deo excepto cūctis ſuperior exiſtis, natura formoſior es ipſis Cherubinis, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ cæleſtis ac terrena lingua minimè ſufficit, imò verò nec Angelorū. Hęc Epiph. quib. docet, quomodo Gabriel Mariā tacitè honorarit, & prima ſalutationis verba intellexerit. Vide ergò quā aptè & conuenienter, *Aue* illi dicamus, quæ nihil priſtinæ retinet maledictionis, quæ à cōmunibus veræ triſtitiæ cauſis ex peccato manātibus perſeuerat immunis, quæ ſummā gaudendi materiā in ſe ipſa ob incredibilē conſcientiæ puritatē circūtulit, ac demū in ipſo gratiæ, gloriæq; fonte Chriſti conſolationem & voluptatē maximam prima perſenſit, nobiſq; perſentiendā obtulit & reliquit, vt habet Caniſ. l. 3. Mar. operis c. 3.

Gratia Plena.

Quam variè noui certāt Interpretes illud, *Gratia plena*, habet Caniſ. l. 3. c. 4. Bucerus. n. habet *gratioſa*. Caluinus verò *gratiā cōſequuta*, Beza, *gratio dilecta*, Bullinger⁹, *gratificata*, & *dilecta*, Sarcerius & Aemilius *grata Deo* paſſiuè, quod ipſa ſit in gratia, Loſsius *cui Deus faueat*, Caſtalió *accepta*, Emingius, *quæ in gratiā à Deo recepta ſit*, interpretātur; querūturq; interpretē latinū Lucæ mentē, & ſermonē græcū non aſſequutū. Syriacè (quomodo ſc. vulgato illius gētis, & ætatis ſermone nō dubito Gabrielē alloquutum B. Virg.) habetur, *pax tibi, ô plena gratia.* Græcè κεχαριτωμένη quod eſt *gratificata*, ſeu qua Deus ſingulari, ſeu gratuito ſuo fauore ſibi gratā fecit, & habet vox latina, *gratioſa*, non omninò expreſſit totā vim huiꝰ vocis, licèt inter omnes maximè ad rē faciat. græca. n. dictio ſignificat eā, quę facta eſt gratioſa, vt donū Dei ſignificetur, quo facta eſt gratioſa. Et ideò interpres benè vertit, *gratia plena*, quod innuit per quod ſit effecta ſic gratioſa, nēpe ex plenitudine donorū diuinę gratię in ipſa, & ita corā Deo coincidūt

A eſſe gratioſum, & eſſe plenū gratia Dei, vel *gratia plena* dictū eſt, vt intelligerem⁹ nō vno modo eſſe gratioſā, ſed omnib. modis, & vndecūq; Deo placere, gratāve eſſe; quomodo dicere cōſueuim⁹, alicuius ſermonē eſſe gratioſum. i. vndequaq; placere, atq; ita quod hic dicitur *gratia plena*, à latinis etiā diceretur *gratioſa*, ſed maluit dicere interpres *gratia plena*, vt hæc omnia expreſſius ſignificaret, immò & hoc ſignificat participiū ſine articulo poſitum, κεχαριτωμένη, ſignificat. n. hanc vnā ſingulari, & omni gratia donatā, ornatāq;, vt Apollonij Gramm. patet teſtimonio, lib. περὶ συντάξεως. hanc enim vim habere participiū ſine articulo docet. & Epiph. hær. 78. idē habet, cùm ait, κεχαριτωμένη. & Athanaſ. in hom. de ſanctiſſ. Deipara. vocat. n. eam κεχαριτωμένην, quod in omnib. fuerit repleta gratia à Spiritu S. & paulò poſt; erāt inquit, illi omnia κεχαριτωμένη per Spiritū S. & virtutem altiſſimi: nec multò poſt ait, à diuitijs multorum charismatū vocata eſt κεχαριτωμένη.

B Quod ſi nomē *gratiæ* accipiatur non tantū, vt donū Dei ſignificat, ſed etiā acceptionem & fauorē alicuius, quæ duo inſeparabilia ſunt corā Deo, tūc *plena gratia* clariꝰ adhuc exprimit totā eandē notionē vocis Græcę, vt idē ſit quod per plenitudinē donorū gratiæ Dei multam cōſecuta gratiā apud Deū, ſcil. multū accepta Deo. non explicatur verò apud quē ſit plena gratia, quia abſolutè gratioſa erat apud oēs ſecundùm veritatē, & quia ſequentibꝰ verbis id declaratur cū dicitur, *inueniſti grat. apud Deū*. Orig. ho. 6. in Luc. habet: id quod ait, gratia plena, quod grecè dicitur κεχαριτωμένη, vbi in ſcripturis aliter

C legerim nō recordor: ſoli Mariæ hæc ſalutatio ſeruatur. Aduertit Maldonatꝰ plꝰ videri gratia plenū eſſe, quā Spiritu S. repleri: hoc. n. pluribus quā illud in ſcriptura datur. Eſt enim non ipſo Spiritu, ſed dono aliquo repleri, quod ſe foris in faciendis ſignis, aut re aliqua mirabili oſtendat: at gratia pleni non tātùm dono, ſed gratia iuſtificāte, & omnium donorum largitate plus minus impleri pro capacitate intelligūtur.

Iam diſtinguamus gratiæ plenitudinē hāc ab ea quæ in Chriſto, & Sanctis. D. Bonau. 3. ſent. d. 13. q. 3. docet Chriſtū plenū fuiſſe gratia, plenitudine ſuperabundātiæ, quia *de eius plenitudine nos oēs accepimus*, B. Virginē plenā fuiſſe plenitudine prærogatiuæ, reliquos ſanctos plenos fuiſſe plenitudine ſufficientiæ. nam vt D. Tho. ait 3. p. q. 7. a. 10. ad 2. habuerūt ſaltē ſufficientē

D gratiā ad merendū vitā æternā, lege D. Tho. in eod. art. vbi diſtinguit gratię plenitudinē, alteram ex parte gratiæ, alteram ex parte ſubiecti; illā tribuit Chriſto, hāc inquit etiā alijs cōmunicari: talis fuit hæc B. Virginis. Idem D. Tho. opuſ. 60. a. 6. triplicē ſtatuit gratię plenitudinē in B. Virg. vt & Alber. in Mariali nimirū ſufficientię, quā ab initio vitę ſufficiētiſſimè habuit in ordine ad ſtatū, ad quē fuit electa, abundātię in cōceptu filij, ſingularis excellētię in toto vitæ decurſu. Deniq; aduerte aliter fontem, fluuiū, & riuulos plenos eſſe. Chriſtꝰ plenus eſt vt fōs, Maria vt fluuiꝰ, reliqui vt riuuli. quare merito Bern. ſer. de nat. B. Vir. docet Chriſtū eſſe fontē gratiæ in Eccleſ. Deiparā Virg. aquæ ductū, reliquos ſanctos eſſe vt riuulos. In Chriſto ergò vt in fonte cōgregātur oēs aquę quę tū ad aquęductū, tū ad riuulos fluūt. in B. Virg. con-

2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Gratiæ plenitudo diuerſa in Chriſto & Sanctis.* 10.

gregãtur omnes; quæ ad riuulos deriuãtur. Ceterũ gratiæ plenitudine non habuisset Virgo, nisi Christũ fuisset cõceptura quare sic intelligendus est Aug. Ambr. Beda, & alij cũ scribunt hanc gratiæ plenitudinem in Deiparẽte Maria in eo positã fuisse, quod mox conceptura esset Christum, in quo omnis gratiæ est plenitudo; alioqui non de Christo, sed de gratia gratum faciente loquitur Angelus: sic ergò sunt exponendi vt dixi.

11. Sequitur vt rem hanc sanctorũ Patrum testimonio breuissimè cõfirmemus, vt ergò gratiæ plenitudo in tã singulari virgine cognoscatur; obseruãda sunt quæ sancti de ea scribũt. Ignat. epist. 1. ad Ioan. *Cœleste eam prodigium, & sacratissimum spectaculũ* nuncupat. Damasc. orat. 2. de Assum. vocat *abyssum gratiæ*; Epiph. de laudibus Virginis, *Mare spirituale habens geminã cœlestem*, quæ est Christus, & eius gratiã vocauerat prius immẽsam. Andreas Creten. orat. de dormitione Virginis vocat eam, *omnis sanctitatis sanctissimum thesaurum*. Præter hos D. Bonau. opus. de laudibus Virg. c. 7. scribit, perfectiones omnes diuisas per varias creaturas in virgine præstantiori quodã modo congregatas esse, quo applicat illud, *omnia flumina intrant in mare, & mare nõ redundat*, quia omnia flumina gratiarũ intrant in Mariã, & dignitatẽ eius non excedunt. quare sicut in mari aquarũ, ita in Maria congregationes sunt gratiarũ, teste Hieron. ser. de Assump. B. Virg. si tamẽ eius est sermo, qui habetur to. 9. vbi ait, cæteris per partes præstatur, Mariæ verò simul se tota infudit gratiæ plenitudo: & huc etiã spectat illud Eccl. 24. *in plenitudine sanctorum* Mariæ detentionem fuisse, quia in mirifica sua perfectione plenitudo perfectionũ

12. omnium sanctorũ illi non defuit; rectè igitur Maria mari cõparatur, nam congregationes aquarũ appellantur maria, teste Mose, & in Maria congregationes sunt gratiarũ: mare profundũ est, & Maria abyssus gratiæ; est latũ, & gratia Mariæ immensa; in mari gemmæ, in Maria Christus gẽma cœlestis, quę instar est omnium gemmarum; in mari thesauri multi sunt abscõditi, & in Maria omnis sanctitatis thesaurus; mare amœnissimũ habet aspectũ, ac cœlestẽ, & Maria cœleste est prodigiũ, & sacratissimũ spectaculũ. Et verò hoc mare in sacrata filij passione agitatũ fuit, sed non perturbatũ fuit, & amarum valdè. Est igitur mare Maria, vt proin-

13. de rectè Hier. vel quisquis sit auctor serm. de assumpt. hortũ illam deliciarũ vocauerit, in quo cõdita sunt omnia florum genera & odoramẽta virtutũ; vt enim *mare* dicitur ob congregationem gratiarum, ita & *hortus deliciarũ* ob easdem gratias & virtutes, quæ instar odoratissimorum florum sunt, dici potest. Petrus etiam Dam. *hortum voluptatis* eam appellat, quẽ Deus omnibus gratiæ delicijs cumulauit.

14. Certum est autẽ, ipsam intensiuè sancti cuiuslibet sanctitatem longè superasse, siue ille in cælo, siue in terra fuerit, hoc est, habuisse maiorem sanctitatem, quam fuerit cuiuslibet sanctitas, adeò vt quamlibet, quæ assignatur, intẽsiuè excesserit. Audi Petrum Dam. in serm de Natiuit. *Quid*, inquit, *grandius Virgine, quæ magnitudinem summæ Diuinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? attende Seraphim, & in illius supe-*

A *rioris naturæ supernolam dignitatem, & videbis quidquid maius est, minus Virgine, solumq; opificem opus istud supergredi*, &c. habet idem auctor & hæc, *sol lucidius incandescens, ita sibi syderum & lunæ rapit positionem, vt sint quasi non sint, & videri non possint. Similiter & Virgo veri præuia luminis, in illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrumq; spiritum habetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere.* Auctor sermonis de Assumpt. t. 9. inter opera Hieron. *vt* inquit *in comparatione Dei nemo bonus, ita & in cõparatione Matris Domini, nulla inuenitur perfecta, quamuis virtutibus eximijs cõprobetur.* Damascen. de dormitione Virginis orat. 1. *Dei matris*, inquit, *& seruorum Dei infinitum est discrimen.*

Licèt autem non ęquè certum sit, credẽdum 15.
B tamen est quidquid Abul. sentiat, q. 19. in prologo Euang. etiam omnem omnium sanctorũ simul in cælis & in terra sanctitatem extensiuè superasse, hoc est, plures gradus gratiæ & sanctitatis habuisse, quam simul erant extensiuè omnes aliorũ sanctorum gradus. Hanc sententiam qui expresè docuerit non video, inquit Barradius tom. 1. lib. 6. c. 10. præter D. Bernardinum, is enim quod de Virginis gloria cõcedit, concedet & de gratia. De gloria verò tom. 1. serm. 61. ar. 3. cap. 3. scribit, superasse omnium hominum & Angelorum gloriam simul sumptam. Hanc tamen sententiam Franciscus Suarez 3. p. tom. 2. q. 37. disp. 18. sect. 4. Henriquez de fine hominis cap. 10. Et idem Barradius lib. 6. cap. 10. tom. 1. sequuntur; eandem ego libentissimè amplector, nec dubito ita esse, delectat

C enim me quod D. Bonauen. scribit in Speculo Virginis cap. 5. *Tu immensissima Maria capacior es cœlo, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti, tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tota se clausit viscera factus homo*: si ergò Maria tam capax fuit ventre, quanto magis mente? etsi capacitas tam immensa, fuit gratia plena, oportuit vt gratia illa, quæ tantam implere potuit capacitatem, esset immensa. Altitudinem cœli, *latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est*? Eccles. iast. 1. 2. Cœlum est Maria, terra est, abyssus est, quis huius cœli altitudinem, terræ latitudinem, quis huius abyssi profundum, Mariæ scil. immensitatem dimensus est, nisi qui eam operatus est?

Denique eadem plenitudo sanctitatis ratio- 16.
D ne confirmari potest; cùm enim gratia detur à Deo, accommodatè ad cuiuslibet statum, & munus suum, ad quod assumitur à Deo, patet maximam in B. Virgine eam fuisse; assumpta est enim in Dei matrem, quæ dignitas tanta est, vt suo modo *infinita* dici queat. Vnde fit, vt rectè dixerit Anselmus, debuisse Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequeat intelligi, ergò etiam decuit, ea vt polleret, gratia, qua nulla maior in vlla creatura, & verò neque in omnibus simul intelligeretur. Maior enim Dei matris dignitas est, quam omnium simul sanctorum munera & dignitates. Hinc igitur efficitur huic matris Dei dignitati optimè respondere gratiam, quæ omniũ gratias exsuperet. Imò verò per illã à Deo ad reliquos 17.
dimanat gratia, vt proinde rectè à quibusdam Christus capiti, sancti membris cæteris, sola Maria collo, quod inter caput & membra intercedit

compa-

15. *An Maria sola superet omnium sanctorum sanctitatem simul.*

comparetur; cætera membra teguntur, caput & collum nuda placent, reliqui enim omnes infecti peccato, Christus tantùm eiusque mater Virgo sine vlla peccati labe, nec se operiente veste indigent, qua se texit Adam. iterum collo monilia, gemmæ, lapides pretiosi, torques appenduntur, & Christus Dominus omnia virtutum decora, gratiæ splendorem immensum, perfectiones propemodum innumerabiles in hoc constituit collo. Hinc Canticor. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculo, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Omnes enim Mariæ virtutes, totidem sunt velut propugnacula, munitionesque firmissimæ contra hostium tela. Postremò per collum deriuatur ad membra de capite vis omnis, motus, vel sensus, per idem ipsum vapores, fumique ad caput ascendunt, & per D. Mariam ad nos gratię delabuntur, per quam vel ipse etiam Christus ad nos descendit, per eandem nostræ preces recta ad Filium porriguntur, & tendunt.

THEORIA IV.

In reliquam salutationis Angelicæ partem.

1. *Dominus tecum*] non constat, an benè precando hoc, an assertiuè sit accipiendum; & quidem primo modo sensus erit. *Dominus sit tecum*, quod dixit Ruth 2. Booz messoribus suis, *Dominus vobiscum*, nempe, sit: Altero modo sent ntia est, *Dominus tecum*, scilicet est; vt dixit Gedeoni Angelus; *Dominus tecum*, Iudicum 6. quod vel ipsum Gedeonis responsum indicat: *Obsecrò mi Domine; si Dominus nobiscum est*, &c. Caietanus priorem modum præfert; ego posteriorem libentius amplector, vt triplex gaudij caussa exprimatur, quasi dicat; gaude, & Aue, quia gratia pleria, quia Dominus tecum. denique, quia benedicta tu, & harum secunda gaudij caussa, reliquarum duarum ratio est: nam quoniam *Dominus tecum*, ideò *gratia plena*; ideò *benedicta*. Maldonatus in commentario huius loci putat idem esse *gratia plena*, quod *Dominus tecum*; sed malo sequi communiorem expositionem, nam licèt re, idem fortasse sit, ratione differt: *gratia plena*, ostendit gratiam: *Dominus tecum*, auctorem gratiæ; *inuenisse verò gratiam apud Deum*, vtrumque claudit, inquit Canisius, distinguit enim ipse gratia plenam esse, ab eo quod est, *Dominus tecum*.

2. Hic obiter aduerte lector, Deo cum illis gradiente nihil non posse mortales, *in quo*, teste Dauid, *infirmi accincti sunt robore*; Samson leonem suffocauit, nil mirum, *Spiritus enim Domini irruerat in eum*. Daniel Iudicum iniquam detexit sententiam, sed *excitauerat Deus spiritum eius*. vicit Iosue tot Reges, Dauid vrsum, & leonem fugauit, Deus enim illis adfuisse dicitur. de Ioanne Baptista legimus, *puer autem crescebat, & confortabatur spiritu*, sed in mentem veniet illud, *etenim manus Domini erat cum illo*. Quid igitur miramur, D. hanc Virginem gratiæ plenissimam esse, cùm Dominus fuerit cum illa specialissimo quodam modo? *Vnde Mariæ tanta sanctitas.*

A est quidem Deus in beatis per gloriam; in electis per gratiam, in carne assumpta per vnionem, in omnibus per prouidentiam; at in Virgine per supereminentem quandam virtutem & operationem, vel, vt inquit, Franco Abbas tom. 6. de gratia Dei, singularis prærogatiua gratiæ, vt cum matre filius.

Andreas Cretensis in oratione de Annuntiatione existimat Christum ante Angeli aduentum esse incarnatum. Vnde hoc quod dictum est, *Dominus tecum*, significare vult, ipsum adesse Regem in vtero Virginis. sed cùm inferius legamus; *Ecce concipies & paries filium*, &c. *Spiritus sanctus obumbrabit tibi*, constare debet omninò, Beatam Virginem postea concepisse; quare cum D. Thom. 3. p. q. 30. a. 4. cum quibusdam alijs Patribus indicat his verbis, B *Dominus tecum*, significatum esse Dominum iam fuisse conceptum; intellige non hoc eos dicere, quod sonant verba, sed de futuro conceptu loqui, v. g. cùm inquit D. Thom. hoc verbo expressisse Angelum, conceptum, intellige, Dominum ex Virgine concipiendum, ponitur enim conceptus loco nominis, id est, filij. Similiter cùm Augustinus ait sermon. 2. de Annuntiatione, qui est decimusoctauus de sanctis, *tecum Dominus in corde, tecum in vtero, tecum in auxilio*, intellige, in ventre, & vtero erit. Item cùm Nicephorus ait libro 1. cap. 8. simul cum ea voce verbum Dei descendit; possumus interpretari vocem, totam Angeli salutationem, atque sermonem, licèt ille nominârit tantùm *Dominus tecum*, cùm etiam Hieronym. C epist. 140. ad Principium ait: Maria quia conceperat euim, in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat, corporaliter, plena gratia salutatur: vsurpauit *conceperat* pro *conceptura erat*. Andreas tamen Cretensis in oratione de Annuntiatione videtur clarè nimis sentire antè aduentum Angeli Dei filium carnem de Virgine sumpsisse. Quod si obijcias illud, *quod enim ex te nascetur sanctum*. Græcè sic legi γεννώμενον, id est quod enim ex te natum. Respon. sumi præsentis participium, pro futuro, vt constat ex nostro Interprete. Confirmatur hic sensus ex Epiphanio de laudibus Mariæ; pater misit Arrhabonem de cælo Spiritum sanctum, præparauit Virginem vnigenito filio cœlesti sponso. Significat ergò, *Dominus tecum*, Spiritum sanctum inhabitantem, & præparantem tabernaculum filio Dei; vt ex verbis Epiphanij licet colligere, non Christum conceptum. Andreas Hierosolymit. *Dominus tecum*, D ait, qui ante te, hodie vnà tecum est, & ex te paulò post nascetur, nam sicut spiritus Beseleel impleuit, & ei Dominus adfuit, priusquam tabernaculi vasa fabricaret, ita prius Dominus sanctissimam Mariam sua gratia impleuit, & cum illa fuit, quàm in ea filij sui corpus efformaret. Hoc ergò, & his verbis *Dominus tecum* contineri potest.

3.

4.

5.

Benedicta tu in mulieribus] *benedictam* intelligunt aliqui, laudatam, & celebri nomine, quare Caietanus subaudit, *sis*, per modum enim beneprecantis sumitur à nonnullis; alij subaudiunt, *eris*; nos exponemus, benedicta, & laude digna es apud Deum, & à Deo, vt de Iudith 15. *Benedicta es tu filia à Domino excelso præ*

6. *Benedicta quomodo Maria.*

omnibus mulieribus. Porrò quia benedicere etiam Deum homini, est beneficijs illum prosequi, & afficere, ideò hic εὐλογημένη sumi potest pro amplissimis præ cæteris mulieribus à DEO beneficijs accepta, cætera in Schol. n. 13.

7. Canisius in die festo Annuntiationis Virginis; *est*, inquit, *inter mulieres benedicta, quandoquidem illatam fœminæ qualemcunque maledictionem effugit, & singularem fructus benedictionem nulli alij datam consecuta est, ac veterem illam maledictionem, quæ infelicibus Euæ filijs debebatur, repulit, atque ademit, edito in lucem fructu sui ventris, qui nos Adæ filios redemit à maledicto legis, adeoq; pro nobis factum est maledictum,* Apostolo teste. Quid multis? nec virgo vnquam purior, nec mater sanctior, nec mulier illustrior, magisque laudata, & laudanda vlla extitit, vt meritò de illa omnes dicamus, *multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas,* neque Latina solùm, sed & Græca Ecclesia publicè canit, *exaltata es sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna.* His veluti commentarius quidam horum verborum continetur, quamuis hæc benedictio esse præsertim posita videatur in supradicta gratiæ plenitudine.

THEORIA V.

Expenduntur illa verba, *quæ cùm audisset, turbata est.*

1. GRæcè ἰδοῦσα, *vidisset*, & sic legit Ambrosius, sed pro *sermone* habet, *introitu*: legit enim: *ipsa autem vt vidit eum, mota est in introitu eius,* & teste Valla, legunt, *vidisset* veteres quidam Codices Latini: si ergo *vidisset*, legamus, sensus est duplex: primus, vt intelligatur viso Angelo, non eam turbatam fuisse in eius visione, cùm fuerit assueta Angelos videre, vt quidam non ab re volunt, sed in sermone, & hic quidem sensus mihi non omninò probatur; alter & melior est, vt intelligamus etiam ex visione non nihil turbatam, auctam verò fuisse turbationem ex Angeli sermone, nam nec omninò certum est, fuisse assuetam visionibus Angelorum, præsertim verò sub forma iuuenis, fulgida & pulchra facie, veste lucida & decora insolito modo apparentis: hinc Ecclesia: *Expauescit Virgo de lumine.* Licèt non negem, quod indicat Ambrosius colloquijs angelorum assuetam. Hieronymus etiam ad Lętham epist. 7. ideò, inquit, forsitan timore est perterrita, quia virum quem non solebat, aspexit, quod innuit etiam idem Ambrosius, nunquam scilicet antea Angelos humana vidisse forma, quare inquit, peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo lib. 1. de Virg. circa principiũ, quasi dicat, speciem viri insolitam timuit, quæ colloquium Angeli solitum nõ timuit; loquitur enim Ambrosius semigręcè ἐξένωσεν. Porrò virginum est ad omnem viri pauere ingressum inopinatũ, vt idem Ambros. etiam dicit lib. 2. in Lucam, & 1. de offic. cap. 18. & Hieron. de custod. Virgin. ad Eustoch. epist. 22. c. 16.

2. Turbatur porrò in sermone etiam, & multò magis, quia castissima Virgo nouam & insolitam salutationem audiebat, & ne quid decipiens esset, metuebat. Ad hæc quia humilis, sui laudes non libenter audiebat; verùm hæc turbatio, mentis vsum & iudicium nõ ademit, neq; enim de ea illud dicitur, quod de Zacharia, *& timor irruit super eum,* sed, *cogitabat qualis esset, &c.* vide Schol. n. 17. quæ diuina planè prudentia Euæ leuitatem damnat. Dubitabat quidem, qualis esset ea salutatio, qua de re mox. Et hæc quidem summatim. Iam speciatim magis hæc enodemus, quæ ad virginis turbationem pertinent. Certè ex horum trium perfecta intelligentia mihi videtur loci huius sententia pendere; primùm vt explicemus qui nam sint affectus, quos passiones vocamus, hoc enim pernecessarium est, vt quid sit, B. Virginem turbatam esse, intelligamus. Deinde in quibus affectibus sita fuerit hæc turbatio, id est, quibus affectibus commota fuerit B. Virgo, dum turbata scribitur. Denique quid interfit inter hãc turbationem, & illam Zachariæ.

3. *Affectus animæ non sunt passiones omninò corporeæ.*

Quod ad primum igitur attinet, obseruandum est, affectus animi, cuiusmodi est timor, ira, tristitia, gaudium, &c. turbationis nomine vocari, quia nõ aliter, quàm cum corporis immutatione quadam fiunt, qui enim irascuntur, sanguinis feruorem patiuntur, imò etiã in illis foras turbatio exit: idem in pudore, & timore est, deinde non esse huiusmodi affectus passiones corporeas omninò intelligere oportet, duo enim cõtinent, & formale vt vocãt, quod est actus animi; & materiale, quod est corporis alteratio. Obseruandum est præterea sæpè hos affectus nõ in nostra esse potestate positos, sed vt vocant, necessarios, quamuis nõ semper. Insurgereq; proinde non rarò ex obiecti apprehensione nolentibus interdum nobis, ita vt rationem præueniant: quomodo dicuntur naturales; semper tamen necessariò consequitur in corpore turbatio aliqua, siue sint liberi, id est, licèt excitemus interdum in nobis illos, siue necessitate quadam proueniãt. cùm igitur audis B. Virginem *turbatam*, intellige illam non animo modò affectum aliquem cõcepisse, verùm etiam commotam corpore, & alteratam fuisse.

Sæpe nõ sunt in nostra potestate, & vnde.

4. His constitutis affirmo, turbationem hanc in duplici minimum positã esse affectu animi, corpore tamen ipso exterius significato, primum quidem in verecundia virginali, vnde autem ea nata fuerit, bifariam explicari potest, vel vt hæc verecũdia orta sit solùm ex aspectu Angeli sub assumpta viri specie, quod indicat Ambros. lib. 2 in Luc. trepidare virginum est, & ad omnem viri ingressum pauere. Est autem verecũdia vt hic sumo, timor quidam seu fuga ignominiosi mali contra bonum famæ, & eius indemnitatem. qua de re lege Valent. tom. 4. de pœnit. q. 2. punc. 1. col. 1283. B. C. D. E. & Franc. Suar. to. 4. de pœn. disp. 7. sec. 1. n 8. 9. licèt verò consueuerit B. Virgo cũ Angelis versari, non tamen exterius assumpto corpore viri cum illa egisse Angelos visum est. Ambros. lib. 2. de Virgin. & Hieron epist. 7. ad Lętham, vt superius n. 1. retulimus; Fauet huic cauſſæ textus Græcus: *quæ cùm vidisset*, vel orta est verecũdia nõ modo propter Angeli aspectũ, sed ob

eius

eius etiam sermonem dum illam blandè suauiter, inusitatè salutat, quamobrem cogitare cœpit, qualis esset illa salutatio, quam intelligentiam præter Eusebium Emis. serm. 4. quatuor temporum aduentus, latina etiam lectio, *quæ cùm audisset, turbata est in sermone*, confirmat. ego vtrumque contigisse arbitror, nimirum cœpisse turbari, prius quidem viso derepentè viro intra secreta cubiculi, sed multò magis dum verba salutationis audiuit. Hinc est quod Damascen. oratione 1. de natiuitate Virginis: ita inquit, comparata eras, vt ad te nullius viri accessus pateret. territ est metus ille, in quem ex inusitato Angeli eloquio incidisti. Sed fateor omninò verecundiam hanc à ratione cœpisse, vt dignam scilicet virgine ea, quæ exemplar, & magistra virginum erat. Nec nego esse, qui negêt aspectu Angeli turbatam; solitam n. Angelos videre aiunt, & quod Græcè dicitur, *quæ cùm vidisset*, vt quid, quod pro se faciat, arripiunt: subditur enim, turbatam esse in sermone eius, quasi non in Angeli aspectu commota sit. Nisi dicas *videre* sumi pro *audire*, sed hoc modo etiã multo minus sequitur ob Angelum conspectum turbatam esse.

5. Secundò, turbatio hæc admiratio fuit, vel in admiratione sita; cuius origo & caussa, eximia Virginis modestia & submissio animi fuit, cùm enim modestissima, hoc est, humillima esset, nihilque de se altum cogitaret, rapta est in admirationem, cùm talia de se prædicari audiret, & ob id *cogitabat, qualis esset ista salutatio*. præsertim verò, vt vult Ambrosius, salutationis nouam formam mirabatur, nusquam enim lecta, vel audita erat, quod sumptum est ab Origine homil. 6. in Lucam. Aduerte meritò inchoasse Angelum à tam eximia salutatione, nimirum vt Virginem attentissimam redderet; sciebat enim nihil esse quod personam humilem tam in admirationem raperet, quàm sui laudationem.

6. His quidam tertio addunt, hanc commotionem, timorem fuisse quemdam profectum ex amore virginitatis, & quidem timuisse, verbis Angeli confirmant, *ne timeas Maria*, concepit itaque, inquiunt, animo timorem, vnde factum, vt corpore commoueretur, sicut accidit timentibus. Itaque turbatio hæc, etiam verus quidam animi timor corpore ipso declaratus fuisse videtur. Hunc verò metum ijdem auctores à ratione ipsa non inficiantur cœpisse, & inde ad partem sensitiuam peruenisse: subdunt tamen caussam eius timoris insignem fuisse virginitatis amorem; aiunt enim in verbis Angeli, aliquid quod prolem & conceptum redoleret, castissimam Virginem subodoratam fuisse, modumque concipiendi ignorasse, timuit propterea, ne minùs virginitatem conseruare posset, si conceptura foret, quamuis enim se Deo conformem in omnibus exhiberet, illibatam tamen se omninò conseruare optabat; sciebat enim Deum ita quę præcipit velle nos facere, vt non displiceat interdum in eisdem nos dolorem concipere; Neque enim Deo dolor Abraham ob filij necem displicebat; eodem modo B. Virgo, licet prompta esset ad parendum Deo, virginitatis tamen iacturam facere timebat. Meritò

A gitur Nyssenus oratione de Christi Natiuit. Angelus, inquit, partum denuntiat, illa virginitatem complectitur, virginitatem præferens Angelicæ apparitioni; non quod diuinæ volũtati morem gerere recusaret.

7. *Quid timuerit Maria.*

Cæterùm arbitror ego Beatam Virginem timuisse quidem ipso salutationis initio; sed non tunc timuisse virginitati, paulò post id accidit; neque video quomodo verba salutationis partum redolerent, eodemque modo neque arbitror amatorium quid animo suspicatam esse; indignum id duco tanta eius puritate, vt in Schol. n. 15. 16. monui. Porrò Angelus timorem vocat in primis verecundiam illam cum admiratione, de qua superius n. 4. & 5. dictum. Deinde etiam fateor ipso initio timuisse, nam quia dubitabat, bonusne esset B Angelus, qui loquebatur nec ne, meritò timere debuit, qua de re dicam postea. Potest autem hic esse tertius affectus propriè timoris, quo turbata fuisse dicatur, & ad duos reliquos addi paulò ante declaratos, verecundiæ scilicet & admirationis. Itaque metum non negamus adfuisse, sed qualem diximus. Rectè autem factum est, vt hoc modo timeret, & quidem Dei consilio, nam timor initium est sapientiæ, promptumque reddit hominem, ac paratum ad Dei gratiam suscipiendam. quare quæ corpore receptura erat Dei filium, & nouo, ac inusitato modo gratia replenda, superueniente in illam Spiritu sancto, meritò timorem animo & corpore concipit. vnde colligere est documentum ad bonas, malasve apparitiones discernendas; bonæ initio C timorem inuehunt, contra malæ ita metum horroremque incutiunt, vt nobiscum perseuerent nullum afferentes gaudium, nullam animi quietem.

Apparitiones Angeli boni & mali quomodo discernendæ.

8. Iam ad tertium ex tribus propositis gradum faciamus, sciscitabitur enim quis, quomodo distinguenda sit hæc virginis turbatio, à Zachariæ, immò & à Christi; legimus enim Zachariam turbatum esse, & Christum Ioan. vndecimo, duodecimo, & decimotertio; turbata est & hic Beata Virgo. Hinc enim intelligemus qualis fuerit hæc Virginis turbatio. Respon. hac re similes fuisse has turbationes, quod omnes cum corporis commotione factæ sint, quod indicarunt sacratissimæ illæ lachrymæ, de Christi oculis cadentes. Hoc autem interest, quod in Zacharia cò peruenerunt affectus, vt non solùm insurgerent contra rationem, sed vt illam per infidelitatem dejcerent, quod illa verba insinuare videntur, *timor irruit super eum*: at in Beata Virgine affectus non modò non poterant eius mentem de suo statu dimouere, sed nec etiam contra illam insurgere, quod tamen in reliquis sanctis fuit etiam dum in iustitia perseuerabant, licèt ipsi eos Dei gratia adiuti reprimerent. Cæterùm in CHRISTO Domino præter hoc fuit, etiam illud, vt non solùm expugnare rationem non possent, vel etiam oppugnare, sed vt liberi etiam essent: timebat enim, dolebat, &c. quando, quantum, & quo modo volebat: at in nobis interdum etiam inuitis, aliquando suboriuntur. Et propterea Diuus Hieronymus illos CHRISTI af-

fectus,

fectus, *propassiones* mauult vocare, quàm *passiones*. Itaque in nobis & insurgunt aliquando contra ac vellemus naturaliter, oppugnát quoque rationem, & expugnant etiam interdum. Hæc duo postrema à B. Virgine procul fuere, in Christo non fuit etiam primum, nec desunt, qui hoc ipsum non sine probabili ratione B. Virgini tribuant, nimirum, vt omnes affectus, voluntatis eius imperio paruerint, quo similis esset in hoc tamquam mater filio: potest & huius esse hæc ratio non contemnenda; quia quod hi affectus nobis non subdantur ex originali peccato profectum est, quo immunis fuit B. Virgo, nec tamen propterea rem hãc eodem omninò modo Christo, & B. Virgini tribuemus; Christo enim id debitum erat tamquam Deo, B. Virgini ex priuilegio tantum affirmabimus fuisse concessum. cùm ergò audis hic turbatam esse, intellige iuxta hunc dicendi modum, voluntariè commotam, & per propassionem quandam timoris, seu verecundiæ, admirationi, dubitationique admixtæ.

9.

10. Ceterùm fuisse aliquam in Virgine naturalem corporis debilitatem superioris potestatis occursu quibusdam credibile videtur, præsertim, cùm sermon. 14. de Natiuit. Domini ante medium tom. 10. qui est 18. de tempore Augustinus B. Virginem inducat sic loquentem: venit ad me Gabriel ille Archangelus facie rutilans, veste coruscans, ingressu mirabili, aspectu terribili, visitauit, & perturbauit me. Idem innuit D. Thom. a. 3. ad 3. q. 30. p. 3. Sed ex hac corporis debilitate ex naturali timore, esto eã cócederemus, nata nõ est turbatio hęc, de qua hic Lucas, nec de hac hic loquitur vllo modo. Immò potius crediderim non fuisse in beata Virgine, nec D. Thomas eam clarè illi tribuit, immò sub finem responsionis ad 3. videtur negare potius. Illud certissimum est, adeò moderatam, temperatamque fuisse turbationem B. Virginis, de qua loquitur Lucas, vt non modò non impedierit mentis cogitationem, sed auxerit potius, & firmauerit: quod illa ostendunt verba: *Cogitabat qualis esset ista salutatio.* Certè si processisset ex corporis vel sensus debilitate & defectu, non potuisset tam profundè & prudenter cogitare: ex virtute ergò animi processit. Quare meritò Bernardus homil. 3. super *missus est*, scripsit, turbata est, sed non perturbata, vt in Schol. n. 18. retulimus. Porrò de caussis trepidationis & stuporis, vel etiam languoris in diuinis, Angelicisque apparitionibus, lege Pereiram lib. 12. in Dan. & Thyræum l. 3. de Apparitionibus imagin. cap. 21. & Serarium in Tobiam quæstiuncula 16. in cap. 12.

A

THEORIA VI.

Cur B. Virgo non statim responderit, nec resalutauerit Angelum, quaúe de re dubitauerit.

1. DIuus Ambrosius lib. 2. de virginibus, & D. Hieronymus epistola ad Eusth. de custod. virg. & D. Bernar. serm. 3. super *missus est*, consentiunt initio non agnouisse beatam Virginem Angelum; sed duo primi videtur sentire putasse eum hominem esse, cùm tamen D. Bernardus concedat nouisse Angelum, verum ignorasse, bonusne an malus fuerit: & hoc quidem initio, nam postea certum est, nouisse, bonum angelum fuisse, nimirum post ea verba: *ne timeas Maria, &c.* His iactis & ad dubitationem non ideo noluisse resalutare, quod putarit esse hominem, quod sic ostendo: nam in primis clausa erat intra cubiculum, quomodo ergo hominem suspicari potuisset? neque quod Ambros. ait: trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, quicquã contra hoc facit; nam satis est ad eum virginum morem astruendum, viri externa tantum effigies intra cubiculum, licet non intelligatur esse reuera vir, qui apparet. Deinde quia, vt dicit August. serm. 14. de Natiuitate Domini, corporis ab Angelo assumpti effigies adeò lucida, adeò pulcha erat, vt humanam excederet pulchritudinem.

B

Affirmo secundo dubiam fuisse prudentissimam Virginem ipso initio, fuerit ne bonus, an malus angelus. Nouerat, inquit Bernardus, angelum sathanæ transformare se solitum in angelum lucis: & ideò cogitabat, quò spectaret, qualisve esset tam amica, tam dulcis salutatio; præsertim cum præ modestia tantam salutationem cum immensis laudibus coniunctam ab angelo lucis ne speraisset quidem. Sed contra hæc obijciat quis, primum nõ videri verosimile, dubiam hac de re fuisse, cùm spirituum discretionem habuerit, deinde quia non permisisset Deus in tam arduo mysterio, & excelso, vt nuncius incertus appareret. Denique Zacharias initio nouit angelum bonum fuisse eum, qui loquebatur, cur igitur id B. Virgini negabimus?

2.

C

Ad primum respõdeo spirituum discretionem esse, vt prudenter quis & considerate discernere sciat, non vt vno temporis instanti quis sit spiritus, qui cum eo loquitur, vel illi apparet, nouerit, hoc fecit B. Virg. attentius perpendens, *qualisnam esset illa salutatio.* Ad alterũ; immò verè assolet Deus ipso initio permittere timorem, dubitationem ve ad animũ hominis præparandum, capacemque reddendum, vt vel ita certiorem reddat postea, magisque attentum. Ad tertium non video, vnde nam ex Euangelio colligatur, Zachariam statim agnouisse Angelum bonum esse, sed esto nouerit, nego parem esse rationem; nam hic Angelus B. Virginis insolito quodam modo satis amicè, reuerenterque, & honorificè Virginem compellauit, salutauitque: vnde prudẽter ingenerari potuit illicò in animo Virginis dubitationis aliquid, quam augebat potius pulchra, ac fulgens iuuenis facies: nam sciebat sapientissima Virgo transfigurari dæmonem in angelum lucis.

3.

D

Affirmo tertio, propterea beatam Virginem statim locutam non fuisse, vel resalutasse Angelum; primum quia ignorabat, esset ne bonus an malus angelus, ex Bernardo Schol. n. 19. deinde ob virginalem verecundiam ex Ambrosio 1. de officijs c. 18. nec obest, quod verecundia, quæ impedit, à debito officio perfecta non sit, nam valdè proprium erat purissimæ

4.

Vir-

Virginis officium coram salutante tacere, non ob superbum, arrogantemque animum, sed in pudicitiæ argumentum, & exemplum alijs præbendum virginibus: erat enim virginitatis exemplar & magistra, decebatque, vt ita alias informaret virgines, vt scilicet coram viris modestè taceant, ac verecundè: non ergò impediuit hæc verecũdia illam à debito, proprioque officio ostendendo, pluris enim facienda erat hæc verecundiæ significatio, quàm resalutare laudantem. Denique tacuit ob prudentiam. vide Schol. loc. cit.

THEORIA VII.

Exponuntur illa: *Quomodo fiet istud.* Num scilicet dubitationem contineant.

1. NON desunt rationes, quibus ostendamus hanc interrogationem non ex incredulo animo profectam esse, cõtra id quod significare videntur Origenes homil. 1. in Genes. Nyssenus oratione de Christi Natiuitate, & Euthym. nam primùm non vacasset culpa Sanctissima Virgo, nisi credidisset, sicut nec caruit culpa Zachar. qui incredulitatis pœnam luit. Nec est admittenda responsio D. Athanasij sermone de Deipara: Et Chrysost. hom. 49. in Genes. B. Virginem considerasse virtutem naturæ. hoc enim ipsum non vacasset culpa, debuisset namque considerare Dei potentiam; nec etiam audiendus Euthymius Zachariam lapsum esse, quia non credidit id, cuius præcesserat in Scripturis exemplum, scilicet in Sara, Rebecca, Rachele, & propterea pœna admonendus fuit. At B. Virgo nullum habuerat exemplum de partu alicuius virginis, ideò licèt non crediderit, vt Zachar. nõ est per pœnam admonita: at ignorare non debuit nil esse impossibile Deo, non igitur culpa caruisset. Præterea nec id expressisse visus fuerat adhuc Angelus, quòd virgo esset paritura, quod tamẽ postea fecit. Sed præter hæc est alia ratio, quia in Scripturis valdè commendatur B. Virginis fides in hoc mysterio; dùm dicitur, *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur omnia, quæ tibi dicta sunt à Domino*, nec quidquam dicitur, quo significetur incredulitas.

2. *Mariæ fides admiranda.* Et verò etiam D. Bernardinus, tribus maximè rebus admirandam fuisse, B. Virginis fidem testatur in hoc Mysterio; nam in primis credidit, quòd à seculo non audierat, & cuius nullum antea exemplum præcesserat, scilicet, quòd Virgo, quòd sine dolore pareret, & post partum virgo remaneret, iuxtà illud Isaiæ vltimo, *antequam parturiret peperit*, id est, antequam sensum & dolorem partus experiretur peperit: *& antequam veniret partus eius*, id est, dolor partus, *peperit masculum*. quis audiuit vnquam tale? quis audiuit huic simile? longè igitur aptius, veriusq; in B. Virginem quadrare poterat illud, *non inueni tantam fidem in Israel.* ad hæc credidit, quòd supra omnem omninò naturam non ignorabat esse, & admirandum valdè erat, Deum scilicet hominem in vtero Virginis futurum. Denique

A magna fuit hæc fides, quia credidit se futuram, inquit Diuus Bernardinus, cooperatricem in hoc mysterio, quamuis indignam se eo opere arbitraretur; additque ideo fortasis tamdiu distulisse consensum, quia mentis oculos ad sui vilitatem, humilitatemque conuerterat. Cæterùm animaduertens hanc esse Dei voluntatem, fassa se tandem est humilem, & promptam Dei ancillam. Vt autem crederet, & sic promptè & voluntariè cooperaretur, Missus est Angelus, ad quam rem declarandam adducit Bernardinus illud Danielis 4. *Ecce Vigil, & sanctus descendit de cælo*, quòd aptè in hoc mysterium competit, non enim, vt ad primum hominem cùm esset de eo mulier educenda, missus est sopor, ita ad Virginem. Sed missus Vigil ad Vi-
B gilem, vt crederet, & sic de ea sapientia carnem assumeret; esset que tanti consilij conscia, & voluntaria, & prompta cooperatrix. vnde deducit, debuisse Angelum mitti, qui nunciaret, vt ita per fidem consensum illa præberet: nam quomodo crederet Beata Virgo sine prædicante Angelo? quomodo prædicaret, & annunciaret Angelus, nisi mitteretur? & ideò missus est, &cæt. Credidit ergò Beata Virgo, vt meritò hic exclamare liceat, *O mulier, magna est fides tua!* Idem Bernardinus sermone decimoquinto, de Festiuit. Beatæ Virginis tomo secundo, dicit plus meruisse Beatam Virginem eo actu obedientiæ, & fidei, quo Angelo annuncianti assensit, & assentiendo se se condignè disposuit, & de congruo meruit, vt esset mater Dei, quàm meruerint omnes Sancti omnibus actis, & meritis
C suis, quia scilicet eo actu, dum protulit illa verba, *Ecce ancilla Domini*, &cæt. saltem de congruo meruit eam dignitatem, cui excellentior gratia & gloria quodammodo debetur: quare de ea accipi potest dictum illud, *multæ Filiæ congregauerunt*, &cæt. Sed objicies, si credidit, quare igitur Angelus illi attulit Elisabethæ exemplum? de hoc inferiùs dicam.

Meritum B. Virg. ex cõsensu.

Sed tunc insurgit noua difficultas: si verum est, adhibuisse fidem verbis Angeli, de qua igitur re dubitauit, dum de modo concipiendi scisitata est? in Schol. numer. 32. dixi breuiter de hoc, nunc pluribus dubitationi eidem satisfaciam. Sunt qui dicant, non intel-
D lexisse Beatam Virginem ijs verbis Angeli, *ecce concipies*, &cæt. annunciari sibi Messiam, & Dei Filium fore accipiendum, & ideò ad illa verba statim cogitare cœpisse de communi modo concipiendi, & quia hic modus ob votum non licebat, interrogasse; *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* sed contra hoc est, non videri admittendum, quod Beata Virgo non intellexerit ex verbis Angeli illis, *ecce concipies*, &cæt. annunciari sibi Messiam. Deique filium concipiendum; lege Diuum Thomam quæst. trigesima, art. 4. habet enim per ea verba vsque ad illa, *Spiritus sanctus superueniet*, &c. Satis indicasse Angelum, conceptum, partum, & prolis dignitatem, ob idem enim vocauit *Altissimi filium*, id est Dei, Regnumque eius sempiternum, quamuis postea modum explicarit concipiendi, dùm dixit,

4. *Si B. Virgo credidit, quomodo dubitauit?*

Digitized by Google

Spiritus sanctus superueniet in te; & verò Patres ex illis verbis confici volunt, Christum esse verum Deum vt ex Concilio Ephesino Tomo primo, capit. quinto patet, & ex Ambrosio libro secundo in Lucam, & ex Cyrillo libro secundo, de fide ad Reginas. Dicere verò Beatam Virginem non intellexisse hæc, quæ pacatissimo semper animo, maximoque ingenio prædita erat, quis æquis auribus audiat?

5. Ambrosius igitur aliam inijt rationem respondendi, fatetur ille Beatam Virginem cùm hoc interrogauit, intellexisse, ac credidisse, se virginem concepturam, & parituram, legerat enim hoc apud Esaiam septimo, Et *idcirco*, inquit, *credidit futuram, sed quomodo fieret, antea non legerat*. Sic Ambrosius libro secundo in Lucam cap. de Mariæ interrogatione: sed hoc contra Ambrosium facere videtur, nam si sciuisset se virginem concepturam, non dixisset planè, *quoniam virum non cognosco*, quasi dicat, declara modum concipiendi; quoniam naturali modo concipere, quòd nuncupaui, voto repugnat: sed potiùs ita dixisset, cùm necesse non sit virum cognoscere, quomodo fiet? & propterea neque hunc modum peteret, nec de eo modo quidquam laboraret, sed Deo committeret certa, quòd esset virgo paritura.

6. Sed pro Ambrosij sententia responderi posset, Beatam Virginem sciuisse quidem, se virginem parituram, sed dubiam esse potuisse, an sine viri complexu, an cum viro id esset futurum. Dei enim potentia seruari virginitas poterat de viro concipiendo, & sunt qui affirment in statu innocentiæ concepturas fuisse mulieres virgines, & sine sigilli reseratione, licèt non sine viri complexu. Hoc verò quia perfectissimæ virginitati tam excellentis virginis obstabat, ideo meritò interrogauit, *quomodo fiet, quoniam virum non cognosco*? vel secundò respondere possumus, quòd licèt virgo intra se priuatimque mysterium hoc satis intelligeret, gessisse se tamen, quasi nesciret virginem se parituram, tum vt Angelus diuina auctoritate concipiendi modum confirmaret, quod & fecit Ioannes cùm ad interrogandum Christum, discipulos misit, *tu es, qui venturus es*? tum præsertim, vt ipsa ad omnium exemplum, propositum suum fixum, & immobile esse declararet. Vel tertiò sensus esse posset (vt in Schol. diximus num. trigesimo secundo,) quoniam votum habeo virginitatis, & illa mihi omninò cordi est, cedo modum, quomodo salua virginitate concipiam? Itaque illibatam se virginitatem esse conseruaturam, vt certum ponit, idque ope Dei, tantùm petit modum sibi declarari seruandi votum, idque ob causas hîc num. 6. pro sententia Ambrosij indicatas. His igitur rebus adductus, Ambrosij sententiam satis probabilem censeo.

7. Postremò Bernardus sermone quarto, super *Missus est*, non inficiatur Beatam Virginem intellexisse conceptionis mysterium, & tamen ignorasse modum, an scilicet virginitate incolumi (quod posse Deum facere non dubitabat) an aliter Deo placeret id fieri; & huic sententiæ benè quadrat ratio, *quoniam virum non cognosco*, vt patet ex Augustin. libr. de Sancta virg. cap. quarto, & serm. decimoquarto, de Natiuitate. Huic sententiæ illud tantùm repugnare videtur, quod hoc modo fateri oporteret, non intellexisse Beatam Virginem illud Isaiæ vaticinium cap. septimo, *Ecce virgo*, &cæt. Sed huic dubitationi occurri potest, sciuisse quidem illud vaticinium, sed tunc non aduertisse omnia, neque illud in mentem venisse tunc, quasi ad se pertinens: quia nondum planè intellexerat illud in se implendum, ob summam animi sui moderationem, & modestiam, neque enim statim ad tantam dignitatem se euehendam cogitauit. Quare inquit Augustinus sermon. nono, de Natiuitat. recole Maria, in libro Isaiæ Prophetæ virginem, quam parituram legisti, & gaude atque exulta quia tu esse meruisti. Tu ibi præfigurata es virgo. Tu ecce concipies in vtero, non de viro, sed de Spiritu sancto: statimque responsum virginis subinfert, ecce ancilla, &cæt. Nec sine causa hoc voluit Deus, vt non statim virgo assensum præberet, vt ita per incrementa, sensimque suauiùs illustraretur, fidesque exerceretur, & posset illa maturius deliberare, liberioremque assensum præbere. 8.

Iam verba ista, *quoniam virum non cognosco*, accuratiùs expendamus. Verba præsentis temporis, vt est hic, *cognosco*, sæpè non consuetudinem modò, sed & legem, statutum fixum, firmum, numquamque violandum significare solent, vt sapienter Origen. in id Ioannis primo. *ecce qui tollit peccata mundi*, & Chrysostom. homil. decimaseptima, in Ioannem docent; vide Pinedam nostrum Tomo primo, in caput decimumquartum Iob. vers. quarto, num. 4. Igitur, *cognosco*, hic tempus omne complectitur, non modò præsens, quasi dicat, non cognosco, sed nec cognoui, & decreui non cognoscere, idque firmum voto, ratumque pectori hæret, non igitur significat nesciui hactenus quid sit vir. Respondere enim tum Angelus posset, cognosces in posterum, quare responsum illud ad rem non esset, vt si diceres virgini concipies, ineptè responderet illa, non noui virum. ita si Beata Virgo votum non concepisset, vel certè firmum virginitatis propositum, responsum hoc ad rem non faceret. quare rectè Augustinus libr. de Sancta virg. Tomo sexto, & Gregor. Nyssen. orat. de Christi Natiuitat. & Bernard. homil. quarta, in *Missus est*, deducunt illam habuisse votum virginitatis ex his verbis, eoque astrictam fuisse. 9.

Itaque similis est hæc locutio virginis ei, qua Christianus aliquis diceret, non adoro Idola, non enim significaret, se tunc non adorare, neque tantùm consuetudinem innueret, sed se non posse id facere tanquam sibi prohibitum, declararet. Addit Augustin. quod quamuis hæc verba non protulisset Beata Virgo, ostendisset tamen se votum huius rei nuncupasse, liberumque illi non esse virum 10.

cogno-

cognoscere, nam ex illis verbis, *quomodo fiet istud?* etiam satis colligitur. cur enim alioqui modum inquireret, si voto soluta erat? constat hinc, quanto prosequeretur amore cœlestis hæc virgo pudicitiæ, & virginitatis ornamenta, & quo eam loco haberet; nam cùm hæc illi sublimia nunciarentur ab Angelo, memor interim fuit voti. Itaque certare videbantur in sacro virginis pectore hinc filium Dei concipiendi gaudium, inde timor saltem perfectè virginitatem non seruandi; ideoque meruit vtrumque obtinere. Hinc patet illud quod superiùs in Schol. numer. decimoquinto, & Theor. quinta, num. septimo, attigimuss, timorem hunc tunc coortum fuisse in virgine, cùm audiuit, *ecce concipies, & paries*, &cæt. Porrò de virginitate eius agendi latior se se hic offert campus. Cæterùm ad eos remittimus lectores, qui de moribus, & virtutibus scribunt, quædam tamen magis præcipua in Digressionem reijcimus, inferiùs ponendam.

11.

THEORIA VIII.

In ea: *Virtus altissimi obumbrabit tibi.*

1. SENSVS est: conteget, & complexabitur, & vndique te circumdabit, vt auis pullos suos. cæterùm triplicem habere possunt intelligentiam hæc verba: propterea obseruandum est, in generatione hominis duo reperiri ex parte viri, nempè fortitudinem viri generantis, & amplexantis mulierem & semen immissum; pro semine Spiritus sanctus hic promittitur; pro fortitudine, & amplexu viri, fortitudo Dei patris, & complexus eius castissimus, & ita non Patris, sed seminis locum habet hic Spiritus sanctus; at æternus Pater locum potius Patris tenet, licèt alioqui indiuisa sint Trinitatis opera. Ita videtur Chrysostomus exponere expositione secunda in Matthæum: quomodo verò Spiritus sanctus dicatur semen, declarat doctè Tol. ad not. nonagesimamoctauam. Itemque ad not. nonagesimam nonam docet, quomodo idem Spiritus sanctus non sit Christi pater: igitur *virtus Altissimi* est fortitudo Dei patris, id per Spiritum sanctum in virgine sanctè efficiens, quod solet maritus per spiritum inclusum in semine. Rectè autem patri tribuitur obumbratio virginis, ne intelligatur alium patrem habere filius Dei; sicuti Spiritui sancto tribuitur esse loco seminis, vel spiritus, qui in eo residet ad formandum corpus, vt munditia & castitas huius conceptionis declaretur; præter alia multa: hæc expositio non displicet, secundùm quàm videtur *obumbrabit tibi* idem esse, quod fœcundam te filio suo reddet, vniendo nimirum diuinam personam humanæ naturæ præcedente opere Spiritui sancto tributo. ex purissimis enim sanguinibus Beatæ Virginis organizabit, & formabit carnem Christi, non sine tamen cooperatione Matris; sed intelligendum semper est, non fuisse Spiritum sanctum instrumentum Patris, sed principalem cum illo causam, quod quia Toletus declarat ad not. 100. dicere supersedemus.

Maria quomodo Christum conceptura fuerit.

2. Est altera expositio Euthymij, quem sequitur Maldonatus, per virtutem Altissimi Spiritum sanctum intelligi, vt sit repetitio præcedentis partis, idemque sit *virtus Altissimi*, quòd, *Spiritus sanctus*, de quo dixerat *superueniet in te*. Solet enim Spiritus sanctus, sicut digitus, sic etiam Dei virtus nominari. *obumbrabit* verò Maldonatus sic exponit; sicut ait solet auis oua tegere, vt eius colore pulli gignantur, excludanturque, hoc modo videtur Spiritus sanctus sanguinem virginis in eius vterò fouisse, calefecisseque vt homo Christus gigneretur; formauit enim corpus ipsum totum omninò, atque perfecit verum more feminis, vt proindè meritò Christi pater non rectè appelletur.

3.

4. Est & tertia expositio, *concipies* non ex viro, sed ex Spiritu sancto. Ipse in te superueniet, & *virtus altissimi Dei*; id est, potentia eiusdem Spiritus defendet te, hoc enim est, obumbrare, tuamque virginitatem, quam tibi incolumem seruari desideras, ita proteget, vt sine vlla illius iactura concipias. Quod autem obumbrare, defendere significet patet ex Psalm. 90. *scapulis suis obumbrabit tibi*, id est, defendet te sub alis suis, & ex Psal. centesimo trigesimonono, *obumbrasti super caput meum in die belli*, id est, defendisti caput meum; & Ecclesiastis septimo, vmbra protectionem significat, nam sicut nos habemus, *sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia*; ita Hebraicè dicitur, *in vmbra sapientiæ, in vmbra argenti.* Denique Esaiæ 49. *In vmbra manus suæ protexit me.*

4.

Obumbrare quid.

5. Aduerte, vt & hoc obiter dicamus, Spiritum sanctum non fuisse Patrem Christi, licèt quod verile semen facturum erat, ipse multo perfectiùs sine semine fecerit, sicut olim Adamum Deus condidit; licèt hoc interfit, quod Adamum condidit ex limo terræ, qui quasi terræ semen est, Christum ex sanguine Beatæ Virginis, ergò esse Christi Patrem propter hanc causam non rectè Spiritui sancto tribuitur, sed soli Patri etiam quoad naturam humanam imperfecto modo, id est, per attributionem. nam quoniam in diuinis illius est paternitas (vt initio Theor. octauæ, dixi) ideò quæ Patris sunt, eidem Patri meritò tribuentur, cum hic fuerit actiuum principium in conceptione Christi; & quamuis Spiritus S. idem omninò effecerit in hac conceptione quod Pater, obstat tamen eius proprietas, ne per attributionem vllo modo dici rectè queat Pater Christi, cùm potius ipse ab illo sit. Spiratur enim Spiritus sanctus à Patre, & Filio, nec vllo modo secunda persona in diuinis à Spiritu sancto generatur, sed à Patre. vnde nec imperfecto modo decet, illum, Christi Patrem nominare. fauet autem paternitas Patri, vt per attributionem dici possit etiam Pater Christi. duo enim requiruntur ad hoc; & vt principium sit actiuum in conceptione Christi, & vt esse Patrem non repugnet eius proprietati in diuinis. hoc postremum Spiritus sanctus non habet: habet

Spiritus S. non est Pater Christi.

verò vtrumque Pater. ideò rectè per attributionem imperfecto modo dici poterit etiam in humanis Pater Christi. Alia præterea ratione nequaquam potest dici filius Spiritus sancti, Christus, qua homo, licèt ipse Spiritus sanctus fuerit actiuum principium eius conceptionis, quia non secundùm similitudinem naturæ, & speciei fuit eius principium actiuum, vt nec Deus Pater, nec secundùm substantiam suam aliquid contulit, sicut nec item Pater. Hoc ergò modo absolutè & perfectè neutrius filius dici potest.

6. Cæterùm dicitur CHRISTVS ex Spiritu sancto conceptus secundùm vsitatum Scripturæ loquendi modum per attributionem, qua quod tribus personis commune est, propter officium, aut proprietatem vni tribuitur lege D. Thom. 3. part. quæstio. trigesimo secundo, articul. primo, In corp. Quia ergo Christi conceptio summum fuit erga homines beneficium, imò omnium beneficiorum caput, & origo; ad hæc, quia fœcunditatis, ac viuificationis opus fuit; ideò Spiritui sancto tribuitur, cui quod benignitatis, & beneficij; & fœcunditatis est, tribuimus, est enim ipse quasi diuinum quoddam semen, quo omnia fœcundantur, vnde initio nascentis mundi ferebatur super aquas, quasi omnia animans, & viuificans; *Spiritus* enim *est, qui viuificat*, Ioan. 6. 64. & Psal. 103. 30. *emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Alias expositiones lege apud Gregor. 18. moral. c. duodecimo, & trigesimo tertio, cap. tertio: & Bedam in homil. de Annunciat. & Ambros. libr. de Mysterijs, Bernard. homil. quarta, super *missus est*: illud verò, quod dicitur, *obumbrabit tibi*, pro, *te*, more græcanico positum est.

THEORIA IX.

Quis sit intellectus eorum verborum: *ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei*; item explicantur illa, *Ecce Elisabeth*, &c.

1. MALDONATVS, *Sermo*, inquit, *est de Christo, non qua Deus, nec qua homo persona diuinæ coniunctus, sed de sola conceptione, humanaque generatione*, quasi dicat, filius Dei erit, quia non à viro, sed à Deo virtute Spiritus sancti generabitur, de modo enim generationis agit Angelus; nam quòd Spiritus sanctus esset superuenturus, & obumbraturus, non satis erat ad probandum Christum esse naturalem Dei filium, qua Deus, vel qua homo ob vnionem, nam hoc modo, etiam purus homo posset concipi. verùm licèt CHRISTVS, DEVS non fuisset, si hoc modo genitus esset, Dei filius tamen diceretur, non sicuti reliqui iusti, sed singulari modo, quo à solo Deo quantum ad virum attinet, esset genitus, neque enim alium quam Deum haberet Patrem, nam sicut Lucas Adamum Dei filium vocat, dùm ait, *qui fuit Dei*, quod videlicet, non ab

A alio, quàm à Deo productus sit; eodem modo; imò multo magis id de Christo hic affirmabimus: verùm hanc filiationem tantùm Dei patri dixi paulò antè Theor. septimæ, numer. quinto tribuendam, cui soli in diuinis competit esse Patrem. quod si Diuus Thomas tertia part. quæst. trigesimasecunda, artic. tertio, negat hanc imperfectam filiationem tribuendam Christo, intelligit absolutè, & perfecto modo. Imò nec negat Christum posse dici ratione conceptionis humanæ filium æterni Patris, sed vel Spiritus sancti, vel totius Trinitatis, vt constabit eius verba perpendenti.

Alij verò sic exponunt, ex eo quod Spiritus sanctus superueniet, tacitè infert Angelus, nasciturum fore Sanctum, & ex eo quod 2.
B dictum est, *superueniet, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, expresè infert idem Angelus, *Filius Dei vocabitur*; quod si dicas, cùm sit natura Dei filius, quomodo dicitur vocandus *filius Dei*, ex eo quod ex virtute Altissimi obumbrante nasciturus est? imò dicet aliquis quia filius Dei, ideò sic nasciturus. Respondeo, si per virtutem Altissimi intelligamus ipsum Dei filium, vt quidam minus fortasis ad mentem Lucæ expositi, nulla subest hîc difficultas; at si per virtutem Altissimi intelligas Spiritum sanctum, vel Patrem, restat difficultas, ideò respondeo (& hinc clarior euadet hæc secunda expositio) propterea hoc dictum esse, quoniam ex hac Natiuitate admiranda declarabitur esse filius DEI secundùm æternam naturam, non
C enim hæc natiuitas alteri quàm DEI filio conueniebat. Itaque alterius filius non dicetur quàm DEI. videtur expositio Caietani.

Sic secundùm aliquos Paulus Roman. 1. dixit, *qui prædestinatus est filius Dei*, scilicet declaratus, vnde declaratus? *secundùm spiritum Sanctificationis*, id est, ex eo quod de Spiritu sancto conceptus est, modo adeò diuino, in quo Pater per Spiritum operatus est in vtero Virginis. Vel tertiò sic expone cum 3.
Barradio, Christus qui ex te, ô Virgo, omni Sanctitate plenissimus nascetur, filius Dei altissimi vocabitur, non autem alicuius viri filius, quippè qui non Patrem virum habebit, sed te Matrem in terris, licèt Patrem Deum
D in cœlis habeat: quod si ex viro conciperetur, illius & filius vocaretur, at quia non non ex viro, sed operâ Spiritus sancti fiet hæc conceptio; ideò non habebit, vnde possit filius alicuius viri nominari, quia tamen Patrem in cœlis habet, illius filius nuncupabitur, quia verè natura filius illius est, is quem tu concipies.

Vt verò has expositiones melius penetres, 4.
aduerte; triplicem filiationem tribui posse Christo Domino, vnam ad Matrem, qua verè, & propriè dicitur filius hominis, seu virginis, hanc verò insinuauit Angelus, cùm dixit, *quòd nascetur ex te*: altera est, quæ Christo competit ratione generationis humanæ, & secundùm carnem, & hoc modo dicitur, licèt impropriè, filius Dei, seu æterni Patris; ipse enim Pater est principium actiuum in

hac

Digitized by Google

hac generatione, præsertim in vnione diuinitatis cum humanitate, in qua Mater nihil habuit, vir verò omnino abfuit, non ergo viri alicuius dici potest filius, sed æterno Patri tribuitur, vt dicatur hoc modo pater Christi impropriè, per attributionem, & similitudinem. Hanc filiationem intellexisse videtur, qui primo modo exposuerunt, numer. 1. Tertia, demùm filiatio proprijssimè, est diuina, quæ conuenit Christo, vt Deus est, & vt est homo, sed non eodem modo, vt Deo competit, per naturam ab æterno, vt homini ratione vnionis, quæ suo tempore facta est: propter vnionem enim ille homo est Deus Dei filius; habet enim filij personam & naturam sibi vnitam. vnica tamen est hæc filiatio, non duæ: de qua Tol. anno centesimo quinto: & de hac diuina loquuntur auctores secundæ & tertiæ expositionis, numer. secundo & tertio.

Et ecce Elisabeth, &cæt.

5. CONFIRMARE vult fidem credentis, iam, & corroborare etiam per aliquid minùs difficilè, & arduum, quod minimè nouum videri debet: hoc modo Ambrosius ex minoribus signis astruere contendit, & confirmare venerabilis Eucharistiæ fidem in libro de Mysterijs: eodem modò Angelus Pastoribus credentibus adiecit signum Lucæ secundo, & nos multis fidei veritatibus rationes adhibemus naturales, licèt illas credamus. Esse autem hoc exemplum allatum ad fidei confirmationem, & corroborationem, dictum est in Scholijs numero quadragesimoprimo, & quidem verè; nam *morale est hoc*, inquit Ambrosius, *vt qui fidem exigunt fidem astruant*; poterat autem fides Beatæ Virginis licèt maxima, crescere in dies.

6. Cæterùm non tantùm ad fidei corroborationem hæc afferuntur, nam si huc tantum respexisset Angelus, poterat maiora, & plura afferre testimonia, voluit ergo DEVS, vt per hoc exemplum excitaretur Beata Virgo ad salutandam Elisabeth, vt Christi præsentia sanctificaretur Ioannes, & Elisabeth repleretur Spiritu sancto, & similiter indicaretur Christi præcursorem iam adesse, ac pro inde instare tempus Natiuitatis Christi, seu Messiæ, itemque vt agnosceret Dei Mater hoc miraculum de conceptu Elisabeth sterilis, & vetulæ factum esse propter Christum, & non ab alijs hæc addisceret quasi noua. Non nego tamen ex his omnibus esse confirmatam, & auctam Beatæ Virginis fidem, & ob eam etiam causam voluisse Deum, Elisabeth vt inuiseret, quod verò hoc exemplum non sit allatum ad hoc, vt crederet Beata Virgo, patet, quia nulla erat causa, quamobrem non crederet. & multæ cur crederet, nam sciebat illum esse Angelum Dei, cuius etiam essentiam mente conspicata erat ex Athanasio, in quæstionibus ad Antiochum quæst. duodecimo, nec posse mentiri nouerat, quæ verò ab illo dicebantur esse Deo facilia non ignorabat. De cognitione Beatæ Virginis lege hic inter alios Iansenium. Neque verò malè erat affecta, vt proinde non crederet, vt de illis dicitur Ioannes quinto, *quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis*? Nam ambitio, & inanis gloria, fidem impediunt: Nil horum in sanctissima & modestissima Virgine.

THEORIA X.

De verbis Beatæ Virginis: *Ecce Ancilla*, &c.

B ASSENSVM præbet: ecce agnosco, inquit, me Ancillam Domini esse, cuius obsequio me totam dicaui, cuius proinde voluntati repugnare impium fuerit, quare fiat mihi, &cæt. vel sic: ecce offero me in ancillam Domini ad omne obsequium eius paratam. Itaque placet, imò opto, vt fiat mihi: Ambrosius enim & Euthymius optantis esse τὸ *fiat*, inquiunt, hoc est voti, & desiderij cum fide coniuncti, quasi dicat, credo quod dicis, & fieri opto. Irenæus libr. tertio, cap. trigesimotertio, & Damascenus libro tertio, cap. secundo consentientis esse volunt, nam verba innuunt eam, quæ remorari iussa videbatur, offerre se iam non repugnantem, Dei voluntate benè percepta; decet enim Ancillam Domino consentire. Diuus Bernard. homil. quarto, super *Missus est*, non negans esse optantis, addit & deprecantis, & orantis. Hæc omnia 2. vera quidem sunt, sed præsertim quod de consensu dicitur; illud tamen non verum, si quis diceret, eadem verba effectiua esse vt illa Matth. decimoquinto, *fiat tibi sicut vis*, quæ efficacitatem quandam continebant, & effectiua erant, non item hæc. Solius enim Dei erat hoc mysterium efficere. Quod si petas, quamobrem voluit Deus, vt intercederet hic virginis consensus, ita vt ob id internuntio Angelo vsus sit: primum quia sponsalia hic Dei Patris cùm Beata Virgine celebranda erant, & filij Dei cum humana natura, denique Christi cum Ecclesia; decuit ergo, D vt consensus adesset vtriusque: deinde quia vna nos mulier malè consentiendo perdiderat, decuit, vt altera benè consentiendo nos sanarat, & incolumitati restitueret. Ad hæc, 3. quia non sicut in prima rerum molitione sine nostro nos consensu creauit, ita sine illo nos redimere, & restaurare decreuerat, sed cùm illo potius, & ideò prima mulier Eua de dormiente Adamo educta est, at de Maria non nisi consensum præbente carnem Deo placuit assumere; præterea arctissimo nos vinculo diuæ Virgini astringere voluit, de cuius placuit consensu, vt suo modo penderet nostra omnium salus. quo ergo affecti animo, in hanc vnam virginem esse debemus? denique vt consentiendo non mater Dei modo efficeretur, sed exerceret etiam multarum virtutum actus: cuiusmodi ostendit, dùm dixit, *ecce Ancilla Domini*, &c. Atque hinc

1.

Consensus B. Virg. cur requisitus.

factum est, vt tantò magis dignè se ad tantum opus præpararet.

4. Quod verò eadem hæc verba immensè optantis, & quod ferè in idem recidit, deprecantis fuerint, præter Patrum auctoritatem, quos superiùs numero primo citauimus, ostendit etiam non obscurè Diuus Bernardinus sermone quinto, de consensu Virg. artic. secundo, cap. primo, Tomo tertio, scribit enim, hoc vehementer optasse summisque votis expetijsse Beatam Virginem tribus in primis de causis; & quia desiderabilia audiuit, & quia eadem desiderabilia intellexit, & quia hæc eadem iam diu adimpleri ardentissimè optauerat; imprimis tria de Angelo didicit, & audiuit, quæ summum sui excitarent desiderium, videlicet Matrem se Dei futuram: *Ecce concipies in vtero, & paries filium*. Ad hæc, hunc filium mundi seruatorem fore: *vocabis nomen eius* IESVM. Postremò didicit se de Spiritu sancto concepturam: *Spiritus sanctus superueniet in te*; hæc autem omnia quis tam inops mentis est, vt non videat, ingens sui desiderium excitare? & ad se vehementissimè rapere? Iterùm, intellexit sapientissima Virgo ex verbis Angeli præsentiam sibi imprimis Dei filij, & toti etiam mundo iam iam promitti, immò affore statim & offerri. Quare si memoria filij Dei summis expetenda est votis, teste Isaiæ vigesimo sexto: *Memoriale tuum in desiderio animæ erit,*

5. quantò igitur maiori iure præsentia? Postremò ne longum faciam, quæ multum, diuque quæsiuimus vehementer optamus. olim Sancti illi vehementer flagrantes huius mysterij desiderio, magnis etiam vocibus cœlum pulsabant, Isaiæ sexagesimo quarto: *vtinam disrumperes cœlos!* quantò igitur magis hoc idem optasse credendum est Beatam Virginem, quæ longè plus alijs simul omnibus Deum amabat, & omnium salutem sitiebat? sed obijciet quis, hoc desiderium non nihil detrahere videtur de eximia illa humilitate, ac Virginis modestia. Respondeo, nequaquam id ita esse, esse enim Dei matrem non modò carnis coniunctionem cum Christo, sed multò præstantiorem alteram spiritualem cum Deo, eamque maximam secum affert; imò & magnum virtutum omnium augmentum, & immensum pœnè cumulum, admirationemque diuinæ bonitatis; secumque trahit mundi salutem, & ob id sanctè optari potuisse, & eximia cum laude, ac meritò dubitare non possumus: quæ huc ad mores pertinent ad Digressiones reijcimus.

DIGRESSIO PRIMA MORALIS,

In illa: *Ecce Ancilla*, &c.

TER locutus fuerat Angelus in hac annuntiatione. Primùm cùm salutauit. Iterùm cùm admiranda enuntiauit. Tertiò, cùm arcanum diuinumque modum concipiendi reseruauit. His quasi litteris perceptis, & cognitis Beatissima Virgo tribus ferè verbis facit satis in hunc fermè sensum; Tu, ô, Angele, gratia plenam me vocasti, Ecce aio ancilla Domini sum. Tu diuinum mihi conceptum nuntias, fiat igitur mihi. denique addidisti, id futurum superueniente in me Spiritu sancto, ita fiat secundùm verbum tuum, nimirùm, illibata virginitate, illæsaque manente per superuenientem Spiritum sanctum. Ecce tibi quàm multa paucissimis prudentissima Virgo comprehendit. Cæterùm cum verba hæc illa protulit, terribilis ille vnicornis in eius sinum, vterumq; descendens, deposito omni furore, & indignatione mitis, totusq; dulcis apparuit. Traditum enim est memoriæ, vnicornem, indomitum, efferumque capi non posse aliter, quàm manu virginis, in cuius sinu furore posito mansuescat. Deus vnicorni olim comparabatur; etenim *gloria eius quasi vnicornis*, ast vbi in castæ virginis vterum descendit, omnem iam iram, terroremque posuit, & humilem se se, suauemque omnibus ostendit. Et cùm esset Deus vltionum, factus est Deus misericordiarum; cùm esset Deus zelotes, factus est DEVS totius consolationis. Erat Dominus, & se nobis in patrem, immò & in seruum conuertit. At non meminimus eò deuenisse, vt ab hominibus comprimeretur? *Turba te comprimunt, & affligunt*, dixerat ille Christo, *& tu dicis quis me tetigit.*

1. *Dialogus B. Virg. cum Angelo, de re maxima breuissima.*

2. *Vnicornis quomodo capiatur.* *Deus vnicorni olim similis.*

Cùm vas aqua plenum est, immisso lapillo effundit liquorem: plena erat gratia virgo, immissa est gemma CHRISTVS in in eius vterum, mox effudit inde Angelis, totique mundo gaudium, & auxilij gratiam, quod factum est cum prolatis his verbis, *verbum caro factum est.* Hoc est illud vas, de quo Eccles. 43. *vas admirabile opus excelsi*; qui huic vasi vicinior est effectus, plus hinc etiam liquoris hauriet & gratiam. sed ad alia veniamus.

3.

Pellucet imprimis hic promptitudo obedientiæ in virgine, cùm ait, *Ecce*, quasi dicat, promptissima adsum, ac veluti in tabulæ pictoris modum Deo totam me trado quod lubet, pingat; indicat & humilitatem eximiam, dùm addit: *Ancilla Domini*. Declarat & fidem: *fiat mihi*: credidit enim omnia, quæ ei angelus locutus est, Deumque tantorum bonorum auctorem agnouit; non enim dicit, faciam quod dicis, sed *fiat mihi*; quasi dicat, ipse in me Deus ea operetur, quæ tu dicis: quorum eum tantum agnosco auctorem. Nec mihi quicquam arrogo. multùm valuit apud Deum hoc, fiat; per quod sicut & creatus

4. *Maria obediens.*

est mun-

5. est mundus, sic & recreatus. Ostēdit & prudentiam, non enim suum præbuit consensum generatim, sed tantùm ad concipiendum sine viro iuxta id, quod ab Angelo audierat, & proinde subdidit, *secundùm verbum tuum*, vbi iterùm elucet eius castitas, & humilitas. Amor enim, quo castitatem prosequebatur, apud illam effecit, vt licèt non ignoraret, se non aliter concepturam, quàm diceretur ab Angelo, verbis tamen voluerit conditionem exprimere. Humilitas verò declaratur, dùm reticuit ea, quæ magnificè de illa angelus prædicarat, neque enim repetijt, fiat mihi ita, vt Spiritus sanctus superueniat in me, & alia multa, sed modestè silentio indicauit ea, dum dixit, *fiat mihi secundùm verbum tuum.*

6. Sed finis non esset, si de singulis his virtutibus verba faceremus. satis igitur erit, paucula tantùm de eius humilitate dicere, Et primùm aduerte ex Greg. 34. moral. c. 7. humilem auertere oculos ab ijs, quæ bona videtur habere, & ad mala conuertere, quæ in seipso cernit, secùs ac elati faciunt. B. igitur Virgo non ad ea aduertit animum, quæ de ipsa gloriosè Angelus dixerat, sed ea omnia in Deum referens, in id quod in te humilius videbatur conuertit se, quod scilicet Dei esset Ancilla, parata in quo vellet ille opere, ancillari. sed vtrumq; verum erat & quod mater, & quod Ancilla esset, vt inquit Gregorius libro nono. epist. sexagesima prima, Mater, quatenus carnem Christi concepit; Ancilla quatenus is Deus erat. Itaque eius opera, & concipere fuit, & ancillari: verùm ipsa tamquam humilitatis magistra, id quod in se depressiùs, seu minùs honorificum erat, attendens, ancillam se nominauit; vt simul etiam ostenderet, plus apud se valere obedientiā & Dei voluntatem, quàm eam dignitatē quā Angelus magnificè nunciabat. Hoc enim etiā significat: *ecce Ancilla Domini*, quasi dicat, nō tam ob ea, quæ magnificè de me prædicas, & polliceris, quàm vt voci Dei obediam consentio. Sed quam ob rem miramur Mariæ humilitatem? plena erat gratia, ideò humilis, sicut quæ spicæ pleniores, fœcundioresque sunt, eæ ferente pondere, deorsum versus tendunt; contra ac solent, quæ vacuæ sunt, ac minùs graues. Talis erat Maria referta virtutibus, & gratia plena, replenda etiam grano illo frumenti, quod Christus est.

8. Debebat porrò beatissima Virgo cœlestem illum ignem, Dei inquam filium ac Spiritum sanctum in se recepere, est enim DEVS noster ignis consumens. Ignis autem vt de speculo accendatur, ad solis radios expositō, concauum sit necesse est, ac profundum. talem se præbuit Maria, vt speculum sine macula sui despicientia, animique submissione concauum, ac profundum,; atque adeò ad solem iustitiæ conuersa cogitationibus, verbis, & opere humilitatem præferens, ecce tibi statim sacratissimo vtero ignem diuinum illum excepit., vehementerque incaluit; & sicut de speculo accenditur quidem ignis, sed absque vlla speculi fractione, fumoque, ita & in Virginem hanc sine virginitatis corruptione, citra vllam peccati labem, vel fœditatem, cœlestis ille ignis descendit, eamque corripuit, & mirum in modum accendit. Hunc ignem venit mittere CHRISTVS in terras, & quid voluit, nisi vt accenderetur? primùm quidem in Maria, vt ita procederet in alios, vt si fieri posset per hominum voluntatem, eo omnes conflagrarent.

9. His adde & hoc. Nouerat sapientissima Virgo locum Deo amicum humilitatem esse, ac vilem sui despicientiam; Alta verò illum à longè cognoscere. Nouerat hoc inquam illa. quare, vt in se Deo dignum pararet habitaculum, sese vsq; ad nihilum ita demisit, vt quoties se, quoties Deum intuebatur, verè illud de se fateri numquam cessaret: *substantia mea tamquam nihilum ante te*, hunc ergo locum cùm conspicatus esset Deus, humilitatem scilicet ancillę, inclinauit cęlos, & in eius vterum descendit, tamquam in amicum, gratumque ac se rege dignū thalamum.

10. *Genibus flexis protulit B. Virgo illa Ecce Ancilla Domini.*

Sed his omissis, quæ restant alia consideremus, & primùm quidem quo habitu B. Virgo hæc verba pronuntiarit; à quibusdam creditur in genua prouoluta, & capite inclinato hæc dixisse, *ecce Ancilla*, &c. At Hiero. de Natiuitate. S. Mariæ ait, manibus expansis, & oculis in cœlū intētis in hęc verba prorupisse, nec sine intimo animi sensu, vtrumque probabile, vtrumque pium, vtrum verius, incertum.

11. *Deum incarnatum adorauerunt omnes Angeli.*

Deinde obseruandū est & illud: pòst eā clausulam, *secundùm verbum tuum*, simile vero videri, omnes Angelos statim de cœlis accurrisse adorabundos, vel certè de cœlis adorasse Deū hominem factum, iuxta illud ad Hebr. 1. *& cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei*, vt exponit Anselmus, dicitur, *iterùm*, quia iam antea erat in mundo, sed inuisibilis, postea assumpta carne spectabilis factus est oculis hominum. Non inficior, Athanasium significasse videri, pòst discessum Angeli conceptum esse Christum.

12. *Christus statim perfectus homo præter naturæ ordinem.*

Obseruandum est tertiò ipso conceptionis momento primò factam esse carnis, & corporis formationem, nō expectatis 40. vel 80. diebus, vt in nobis accidit; deindè animæ creatio peracta est. Tertiò corporis animatio. Quartò intelligitur vnio diuinitatis cum anima & corpore, atque adeò cum humanitate facta; vel aliter, intelligitur assumptio vtriusque partis, atq; adeò humanæ naturę ad hypostasim verbi. Postremò anima illa lumine gloriæ plena, & omnibus item gratiæ & virtutum ornata luminibus Beata fuit. Hæc omnia vno illo momento confecta sunt, quæ tamen silentio inuolùit D. Lucas, vt Thimantes, quod periculo exprimere non poterat, tegebat velo. Iterùm hic aduerte circa primum illud, corporis scilicet formationem; Christi conceptionem, vt dicit organizationem momento fuisse completam, vel hinc patere; quod is, qui concipiebatur erat Dei Filius, igitur, vno instāte tota perfecta fuit, ne cogamur dicere, carni nondum animatæ cōiunctam esse Deitatem, vel imperfecto corpori. Nisi verò eodem instanti, quo est corpus formatum & conceptum in vtero Virginis contigisset assumptio, vt initio numeri huius 12. diximus, non verè crederetur ille ipse, qui est Filius DEI, esse conceptus ex

Virgine, eiusque adeò filius. hoc enim non esset verum, nisi natura illa corporea, quæ à Virgine concepta est, pertinuerit tunc, cùm concepta est, ad personam Verbi, vnita per idiomatum communicationem dicatur filius Dei esse conceptus ex Virgine. Quod si postea primum illa natura Verbo vniretur, nullo modo posset verè dici filius Dei conceptus ex Virgine. Cùm solum illud concepisse dicenda sit Virgo, quod momento illo conceptionis primo, fuit, aut natura ipsa concepta, aut subsistens in illa natura. maneat igitur tamquam verùm, illa quatuor, quæ initio huius numeri statuimus, eodé temporis instanti fuisse. Sed an saltem ordine naturæ aliquid istorum quatuor est altero prius? Respondeo formationem corporis naturæ fuisse priorem creatione animæ; & creationem hanc priorem animatione: & animationem priorem assumptione, si rei executionem spectemus: secundùm autem intentionem ordo naturæ contrarius est. Prima est assumptio; deinde animatio, hęc. n. illa dignior; tertia creatio animæ, est enim illa creationis finis. Deniq; creatio animæ prior formatione corporis. vide Valent. tomo quarto disputatione prima, q. 6. p. 1. fin.

13. Ad hanc porrò organizationem B. Virgo non concurrit, nisi affirmare velis, vt Dei instrumentum sua virtute cooperatam ibi esse, cùm enim organizatio facta sit sine motu locali successiuo, per mutationem scilicet loci instantaneam, non transeundo per medium, sed in instanti occupantibus partibus materiæ locum, vbi debebant esse organizatæ, fuit id supernaturali actione factum. concurrit quidem Beata Virgo naturali actione eo momento, fouendo, alterando, calefaciendo corpus, &c. subministratio tamen materiæ, licèt potuerit hoc modo fieri, breuissimo tamen tempore facta est; quamuis vltima dispositio, vt constat momento constiterit: consule Suarium dis. 11. sect. 2. B.

14. *Prima Christi incarnati cogitatio quæ.* Postremò notandum est primam Christi cogitationem videri illam fuisse, vt se Deo Patri offerret in hostiam, quod innuit Paul. Ad Hebr. 10. *Ideò ingrediens mundum dicit, Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, Holocaustomata & pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi, Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt facerē voluntatem tuam.* Aduerte ex Ribera in hunc locum num. 82. In mundum ingredi propriè dicitur, qui ex vtero in lucem editur, vt Ioan. 1. *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quare *ingrediens in mundum*, significat cùm in vtero Virginis esset, & nasci iam vellet, nam *ecce venio*, festinationem indicat, & ἔρχομαι, rectè vertitur, *Ingrediens, & ingressurus*, habet enim hoc verbum in præsenti etiam significationem futuri. vt Matth. 11. *tu es qui venturus es?* ἐρχόμενος, sine igitur vertas *ingrediens*, id est, cùm iam ingredi pararet, siue *ingressurus*, hoc factum est simul atque CHRISTVS conceptus est. pleniorem sensum totius huius loci, vide apud eundem auctorem. votum porro concepisse CHRISTVM de redimendo mundo, ait Hilarius in illud Psalmi centesimi trigesimi primi. *Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob.* Sicut autem prima cogitatio fuit obedientiæ, qua se ipsum obtulit, ita postrema quoque cogitatio eadem obedientia & oblatio fuit, quod inde clarissimè patet, quia cùm sanctissimum efflaret spiritum, dixit; *Pater in manus tuas*, &cætera. Rectè ergo prima vltimis, & vltima primis consensēre. Sed hæc postrema cogitatio fuit circa meridiem, cùm de cruce penderet, prima illa vel circa mediam noctem, quousque creditur à quibusdam protractum Angeli colloquium cùm virgine, vel certè post mediam noctem peractam. vide Scholia num. septimo. His omnibus adde pium esse credere, Angelum Gabrielem, inde abijsse ad sanctos Patres, qui erant in limbo, & nouo allato nuntio, tantopere ab illis expectato, mirificè illos esse consolatum, & tandem summo cum gaudio perfecta legatione ad Deum in cœlos remeasse, & hoc innuunt illa verba Lucæ; *& discessit ab illa Angelus.* Hæc hactenus.

Item quæ postrema.

15.

DIGRESSIO II. MORALIS.

De septem verbis Beatæ Virginis.

1. NVNC primum *audita est vox turturis in terra nostra*, vox inquam illa DEO dulcis, & amica filiæ, sponsæ, & DEI parentis Virginis, qua cunctos exhilarauit mortales, & Angelorum choros mirificè exultare præ gaudio fecit: meritò igitur hic de septem eius verbis, quæ tantùm scripta leguntur, agere decreuimus. Dominus, Matthæi duodecimo, *Bonus*, inquit, *homo de bono thesauro cordis sui profert Bona*, atqui nullus vnquam sanctior Beata Virgine, cuius *fundamenta* sanctitatis *in Montibus sanctis*; non mirum igitur si de Bono, id est, de omnigeno virtutum thesauro, verba bona protulit, accensa imprimis ardentis charitatis flammis: hac enim cor illius plenissimum erat, hac illa charitate tamquam optimo vino redundauit; quare sicut è dolio præstantis & celebrati vini non nisi præstans, ac nobile vinum elicitur: ita de eius corde charitate maxima incenso, non nisi præstantissima diuini amoris verba, tamquam optimum vinum egredi potuēre. Quod verò septies dumtaxat sapientissmam hanc mulierem loquutam esse Euangelistæ produnt, factum est, vt hac ipsa re similem se filio de cruce pendenti, & septiformi Spiritus sancti gratia repletam ostenderet; & quidem bis cum Angelo loquuta est; *quomodo, fiet*, &cætera. *Ecce Ancilla.* iterùm cum sancta Elisabetha bis, dum illam salutauit, & dum in Dei laudes effusa est. *Magnificat anima mea*, &cætera. bis item cum Filio, semel in templo, *Fili quid fecisti nobis sic?* Lucæ secundo, quadragesimo octauo. Iterùm in nuptijs Ioann. 2. *Vinum non habent.* Ibidem etiam cum ministris semel, *Quodcunq; dixerit*, &c.

2. *Septies B. Virgo locuta.*

Digitized by Google

vbique paucis, semper sapientiam Dei eructãs, nisi quod cum Deum laudaret longius aliquantò produxit sermonem, quando nimirùm cum Deo, non cum homine agebat, quæ quidam verba si mens nostra attentius rimaretur, exclamaret sanè, *quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Psalm. 118. Porrò septem flammæ amoris sunt. Primum quidem simile est flammæ amoris separantis; audi: *quomodo fiet istud*, ostẽdit illa hic remotam, separatamúe se esse ab omni planè etiã corporis corruptione, quæ ipsam à suo dilecto, quamuis sine culpa sua remorari posset, vel paululum. Secundum est, vt flamma amoris transformantis, vnit enim is Deo, ecce ait, *Ancilla Domini*, quasi dicat, faciat in me quidquid vult. Tertium comparatur amori diffundenti sese, ac communicanti, quo amatum alijs imprimere quærit anima, ideò & ipsa *exurgens abijt in montana, & salutauit Elisabeth*, &c. ecce tibi ea ingrediente exultat Ioannes, repletur mater Spiritu sancto, & paulò pòst pater vaticinatur. Quarta flamma est iubilantis amoris, qui enim amant, cantant, psallunt dilecto, & MARIA inquit, *Magnificat anima mea*. Quintum est quasi flamma amoris gustantis, ac sapientis amatum, quid illa? *Fili*, en dulcem saporem, *quid fecisti nobis sic?* Iterùm dulcescit hoc verbum in ore eius expostulantis, vbi inuentus fuit ab illa dilectus; Dum verò subdit, *pater tuus & ego*, sanè amariùs quid sapit. Sextum verbum est compatientis charitatis, *Fili, vinum non habent.* Septimum perficientis, *quæcumque dixerit vobis facite.* hæ flammæ septem amoris, sunt, separare, transformare, communicare, iubilare, sapere, compati, consummare seu perficere. cerne igitur quàm in loquendo prudens, ac parca fuerit sanctissima Virgo, quod si sapis, fac, sicut exemplar, quod monstratum est tibi.

3. *Quinque species verbo qui-bus fouetur.*

Cæterùm quò parcior fuit sermonis, eò illustrior sapientia quæ est altera virtus, quam hic illa præ se fert. possumus quinque veluti gradus, quibus ad summam, atque altissimam Dei cognitionem peruenit B. Virg. hic distinguere, scilicet in hac eadem collocutione cum Angelo. Primus est, quo cognouit statim initio collocutionis Angelum esse eum, qui loqueretur, sed bonusne, an malus esset, ignorauit. Alter gradus, ad quem ascendit, sed incertus tamen, fuit, cùm Angelus dixit, *ne timeas Maria*; tunc enim non modo bonum esse angelum cognouit, quod certùm est, sed essentiam etiam eius vidit, si Athanasio credimus in qq. ad Anthiocum q. 12. si tamen eius liber est, quamuis non dicat ille, quando hoc acciderit. Ad tertiũ prouecta est cùm percepit ex verbis illis Angeli, *ecce concipies*, & cæt. concipiendum Messiam fore, & Dei filium, sic D. Thom. a. 4. q 30. licèt modũ tunc ignorauerit cõcipiendi. Quarto gradu modũ etiã ipsum concepit, & apprehendit cùm ab Angelo didicit, Spiritum sanctum in eam superuenturum esse, &c. Sed in his duobus gradibus ea mentis Altissima visione, qua perfectissimè mysterium incarnationis cognosceret, ornata fuit, quam Theologi intellectualem visionem, non imaginariam vocant. In quam excitata quidem fuit per verba Angeli, quoniam auditus est sensus disciplinæ;

4. *Quinque gradus quibus B. V. peruenit ad Dei summã cognitionẽ.*

5.

A ijs tamen verbis excitatus eius intellectus sub lumine Diuino interius cooperante, tam plenè, ac perfectè percepit obiectum, id est mysterium incarnationis, ac si immediatè proponeretur à Deo; & quidem fuit hæc cognitio abstractiua per alienas scilicet species, vt quæ ad fidem accommodata est. Itaque Beata Virgo lumine interius adiuta, euecta eò est, vt perfectissimè conceperit mysterium ipsum, quantũ per fidei cognitionẽ fieri potuit; & ita habuit ea cognitio, & visio quidquid perfectionis est in intellectuali visione, præterea sẽsus & imaginatio ipsius adiutæ per eadem verba fuére, vt melius cooperarentur intellectuali conceptioni non quidem præcedentes, sed sequentes, vel certè concomitantes illam; vocant autem Theologi intellectualem visionem, quæ ortum non habet à sensu, vel imaginatione, sed quæ immediatè per lumen diuinum intellectui communicatur, licèt cum concursu phantasiæ motæ potius ab illustratò intellectu, quàm mouentis ipsum: nam dum oritur intellectualis cognitio ex sensibili specie, vel imagine in phantasia, vocatur potius imaginaria visio, vel sensibilis, quàm intellectualis, & de hac loquitur Diuus Thomas 2. 2. q. 174. a. 2. & 3. cùm illi præfert intellectualem, per quam intelligit eam, quæ vel sine vlla imagine fit, vel quæ cum ea fit, non præcedente, sed vel subsequente, vel comitante, cuiusmodi fuit hæc, quam B. Virgini tribuimus: illa verò alia imaginaria cognitio sensibilis, quæ in solo est sensu, vix meretur nomen visionis propheticæ.

B

6.

7.

Postremus gradus, ad quem euecta esse piè à quibusdam creditur, fuit, Diuinæ essentiæ, & huius mysterij visio in verbo, nam cùm graues autores id de beata Virgine affirment, certè maximè id accidisse videtur, cùm concepit Filium Dei, post prolata illa verba, *ecce ancilla*, &c. Porrò D. Ant. 4. p. tit. 15. c. 17. §. 1. tenet B. Virgini tunc fortè datum esse, vt videret mysterium, sicut in patria, velut Paulo in raptu. Affert Bernardum homil. 4. in *missus est*, & cæt. vbi ait, illi soli datum est nosse, cui datum est experiri, &c. vt qui soli Patri notus est, sit & illi; citat Albertum pro eadem sententia. Rupertus lect. 30. in Cant. in ea verba, *oculi tui columbarum* scribit, B. Virginem raptam esse in tertium cœlum, & vidisse arcana mysteria, quæ non licet homini loqui, perfectius quam Paulum. Plures congerit auctores Franciscus Suar. Tom. 2. d. 19. sect. 4. Diuus Anselmus lib. de excell. Virg. cap. 7. affirmat accepisse virginem æa hora, qua Christum concepit, certam, atque indubitatam promissionem seu cognitionem suæ prædestinationis & super omnes choros Angelorum exaltationis. Idem sentit Damasc. orat. 1. de dormit. Deiparæ.

C

D

DIGRE-

DIGRESSIO III. MORALIS

De virginitate B. Mariæ propter illa: *Quoniam virum non cognosco.*

1. *Virginitatis B. Mariæ excellentia.*

INTERROGANDO progrediemur, ergo primũ quęri potest, quãta fuerit excellentia eius virginitatis? Respõdeo eius virginitatẽ omniũ superasse puritatẽ, tum quia quo ad propositum & animum efficacior & vehementior fuit: proficiscebatur enim ex maiore charitate, & gratia, tum quo ad immobilitatẽ, fuit enim voto perfecto firmata; tum quo ad intentionem, nam ex perfectissimo Dei & puritatis amore. Id fecit, vt virginitatem voueret; tum quo ad executionem, quia tam perfectè hoc ipsum votum seruauit, vt omni prorsus motu contrario, ac obluctante caruerit, adeò vt vel ipso aspectu cæteros ad castitatem reuocaret. Caruit etiam omni eo quòd minuere posset virginitatis excellentiam & summum eius dignitatis gradum. nam etiam coniugium, quod in alijs virginitati solet obesse, in illa fuit ad eius custodiam, testimonium, & honorem institutum. tum quia eius virginitas comites habuit cæteras virtutes, temperantiam, modestiam, &c. tum postremò, quod eadem directa, instituta que fuit ad altissimum finem, nimirùm ad filij Dei conceptionem, & vt eius vterus dignissimus fieret Deo Thalamus. Quibus fit huius solius virginis puritatem, cæterorum omnium superasse animi, corporisque integritatem.

2. *An prima vouerit virginitatem.*

Iterùm interroget quis, an fuerit prima, quæ virginitatem vouit? huic interrogationi sic satisfacio; duobus scil. modis B. Virginem dici potuisse primam hac in re; primùm quidem quia in scripturis nõ legimus aliam ante ipsam virginitatis votum nuncupasse. Nam de Maria sorore Mosis licèt D. Ambr. lib. 1. de virginibus, & Gregorius Nyssenus de virg. c. 19. scribant, fuisse virginem, id tamen incertum est. Nam Ioseph. lib. 5. antiquitatum c. 2. & 6. habet Vr fuisse eius maritum, & Beseleel filium. denominatur autem à fratribus, non à maritò in scriptura, ob eximiam fratrum dignitatem, & quidem de Iephte filia licèt aliqui dicant, eam immolatam à patre, in hunc sensum quòd virgo Deo consecrata fuerit, passim tamen verè interfecta dicitur, & planxisse quod innupta cogeretur mori, vnde nec propositũ virginitatis habuit. Sed quidquid sit de istarũ virginitate, saltem nescimus istas se voto astrinxisse. Est & alter modus quo B. Virg. prima dici meretur; quia ipsa princeps est virginum etiam earum, si quæ vouerunt quod paulò superiùs n. 1. ostendimus, dum eius virginitatem cæterorũ omnium pudicitiam longo post se interuallo reliquisse, docuimus. Hic aduerte non videri fuisse prohibitum, in lege tale votum, quod si quis contendat prohibitum, vel certè si melius quid connubio non habebatur, affirmandum tunc erit, B. Virginem habuisse ea de re diuinã reuelationem, quod Deo magis placeret, si ipsa voueret.

3.

4. *An voto solemni.*

Tertiò in dubium reuocari potest, an hoc ipsum eius votum solemne fuerit. Respondeo

A breuiter, simplex dumtaxat fuisse, alioqui non habilis ad matrimonium esse potuisset; ille enim dicitur habilis ad matrimonium, qui validè contrahere potest matrimonium, licèt contrahendo peccet, vt si voto verbi gratia, simplici innodatus sit. Excipio vota simplicia Societatis nostræ, hæc enim nunc etiam inhabilem reddunt ad matrimonium, ita vt non modò impediant contrahendum, sed dirimant contractum. inhabilis verò dicitur hic, qui validè contrahere non potest, etiamsi maximè id tentet, & solemnitas post Christum auctoritate Ecclesiæ inducta est, & neque necessaria per se ad virginitatis perfectionem imperfectis hominibus: Imperfectis quidem vtilis est, qui ad perfectionem tendere student, & mutari interim possunt.

B Quarto loco interrogabis, quando votum nuncupauit? Respondeo non dubium, ante contractum matrimonium votum habuisse, vel certè propositum absolutum, quamuis subintellecta conditione, nisi aliter Deus declarauerit. neque verò hæc conditio voti obligationem, vel tollit, vel retardat, seu suspendit: Arbitror igitur, eam cùm primùm habuit vsum rationis, id est, ipso conceptionis eius momento se corde Deo per votum obtulisse, expresisse verò hoc ipsum votum post contractum Matrimonium, idque simul cum Iosepho.

5.

DIGRESSIO IV.

In qua proponitur Dubitatio quinta ex præcedentibus Dubitationibus orta.

C SED hinc quinta oritur dubitatio, quomodo igitur contrahere potuit matrimonium permanente voto, atque adeò non modò sine consensu ad copulam, sed etiam animo, & intentione non consentiendi in illam? quatuor potissimùm in matrimonio obseruanda sunt, imprimis eius causæ scilicet mutuus consensus, & externus contractus, quo sibi mutuò coniuges potestatem, & ius in corpus tradunt, quæ traditio est immediatus quidam effectus huius contractus. Ex his, nec consensus internus, nec externus contractus, sunt id in quo matrimonij vis, & natura posita sunt, nam sunt causæ, quæ illud efficiunt. præterea ijs abeuntibus, remanet, ac durat adhuc matrimonium, D. Thom. in 4. d. 27. q. 1. a. 2. querela 1. ad 2. & Sanches lib. 2. de matrimonio d. 1. n. 8. nec item corporis traditio, quæ est immediatus quidam effectus contractus illius; nam & hæc transit matrimonio permanente. Secundò resultat ex consensu, seu contractu huiusmodi imprimis vinculum ipsum matrimonij, deinde etiã mutua obligatio ad reddẽdum debitum; & item ius, q̃ est in vnoquoq; ad alterũ, ex quibus nec mutua obligatio, nec ius ad alerũ est id, in quo est ratio, & vis matrimonij, in adulterio enim alterius, vel in cõmuni ingressu religionis cessant hæc, permanente vinculo matrimonij. de vinculo mox dicam. est deinde tertiò, in matrimonio mutua cohabitatio cum mutuis obsequijs in eadẽ domo, q̃ est quid extrinsecum matrimonium cõsequens, q̃ vt planè necessarium non est, ita nec ad matrimonium satis est, cum inter fratrẽ, etiã

D

1. *Quomodo potuerit contrahere matrimonium post votum virginitatis.*

Quatuor in matrimonio obseruanda.

& so-

& sororem esse queat. Est denique matrimonij vsus, neque is tamen est de ratione, vel vt aiunt, essentia matrimonij, cum ex Tridentin. sess. 24. matrimonium ratum verum matrimonium sit, licèt non sit consummatum. Restat ergo vt in solo vinculo sit sita essentia matrimonij, & meritò; est enim matrimonium coniunctio maritalis viri & fœminæ inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens, vide Sanches lo. cit. n. 1. & 8. v. 11.

2. *In matrimonio duplex dominium.*

Vt tamen res hæc presius explicetur & clarius intelligatur, accuratè obseruandum est, q sicut in agris, & similibus rebus, quæ vsu non consumuntur, ita & in matrimonio duplex dominium intelligere possumus, & debemus; vnum quasi directum, quo muler efficitur propria viri vxor, vicissimq; vir proprius mulieris maritus; ita vt iam alij neuter se validè in coniungē tradere possit priore superstite; idq; quamuis consummato iam matrimonio profiterentur: numquam enim mulier licèt professa desinit esse vxor viri professi, vicissimq; professus esse verè illius maritus. quod inde oritur quia perseuerat semper directum illud dominium in corpus, & vinculum illud coniugale, in quo tamquam in quadam indiuisibili coniunctione animorum, per quam vnus coniugũ indiuisibiliter alteri fidem seruare tenetur, posita est vis, & natura matrimonij. est & alterum dominium in matrimonio quasi vtile, quod situm est in vsufructu, siue in libero & expedito iure ad vtendum illo pro arbitrio, verũ licitè.

3. Iam verò quamuis coniuges vtrumque dominium corporum vicissim soleant alter alteri concedere, minimè tamen repugnat essentiæ matrimonij, quin seruato tantùm priore dominio directo, paciscendo inter se, reseruent sibi dominium vtile, siue vsufructum corporis. v. g. si se voto obligent, & astringãt Deo, quamuis hoc sit contra Adrianum de matrimonio q. 9. Couar. p. 2. Epit. c. 3. §. in 4. Sotum 4. dist. 29. q. 2. a. 3. est tamen expresè secundùm Paludanum 4. dist. 34. q. 2. & Gabrielem, & alios; quocirca sentiendũ est, non modò actualem ipsum vsum corporis non esse de ratione matrimonij, verùm etiam obligationem reddendi debitum separabilem esse à matrimonio: sicut in agris tradi potest directum dominium sine vtili, ita vt vnũ separetur ab altero, eodem modo in matrimonio dominium vtile separari potest à directo, quòd solum est intrinsecum, & essentiale matrimonij. & hoc non obscurè docent D. Tho. in addit. q. 52. a. 1. ad 4. & Henr. Gand. quodlibet. q. 9. 1. paulò pòst mediũ, Palud. in 4. d. 31. q. 1. a. 3. con. vlt. & 30. q. 2. a. 1. con. 2. & 3. Gabriel In suppl. d. 28. Michael Medina. 4. de cœlib. c. 2. ad finem, Vgo de S. Vict. 2. de Sacr. par. 11. & tract. de B. V. vide Canisium l. 2. de B. Virgine. fol. 139. & 142.

4. *Obligatio ad reddendam copulam duplex.*

Sciendum præterea, obligationem ad reddẽdam copulam duplicem distingui oportere, actualem vnam, quæ ex se, cum absoluto virginitatis voto stare nequeat; propterea quòd votum hoc includat obligationem contrariam abstinendi ab omni copula; quocirca nõ adfuit hæc obligatio in connubio B. Virginis; alteram verò obligationem vocare possumus, aptitudinalem seu radicalem ad reddendum debitum;

A quæ à matrimonio auferri non potest, etiam pòst sublatam obligationem illam actualem, seu formalem reddendi debitum per mutuam iuris renuntiationem, vel iustam aliam ob causam: nam stante matrimonio si reuocaretur ritè ea iuris renuntiatio, vel aliæ tollerentur causæ impedientes copulam, atque adeò tollentes formalem illam obligationem ad reddendum debitum; illicò consurgeret vtrinque ex hac radicali obligatione formalis obligatio ad copulam: sicut verbi gratia pòst sublatam ab vxore adultera ius petendi, & à maritò obligationem reddendi, rursus per remissionem iniuriæ resultat in adultera ius petendi, & in marito actualis obligatio reddendi.

In hãc ergo radicalem obligationẽ B. Virgo omninò consentire debuit, quando contraxit, B licèt à formali illa, & actuali dissenserit: quia hæc, non illa voto castitatis etiam absoluto repugnat, contractuq; proinde matrimonij celebratus sub expressa cõditione, ne teneantur cõtrahentes sibi debitum reddere validus est, vt superius n. 3. diximus. Secus verò si tolleretur etiam aptitudinalis illa obligatio, cùm hæc, non illa sit de essentia matrimonij 5.

Quocirca non mihi probatur sententia Scoti in. 4. dist. 30. q. 2. Bonauen. Ibidem q. 2. Suarij in q. 29. 3. p. disp. 7. Sanches l. 1. de Matr. disp. 28. n. 4. affirmantium B. Virg. in copulam quidem nec formaliter, nec virtute cõsensisse, nisi fortè consensu implicito se tenente non ex parte contrahentium, sed ex parte contractus matrimonij, quod ex se, & intrinsecè ordinatur in C copulam: quo modo consentire, nõ est propriè & verè velle, præsertim cùm per contrarium actum contrahens expresè dissentit. cæterùm in obligationem ad copulam aiunt eamdem B. Virginem consensisse, cùm de ratione matrimonij sit obligatio ad eam reddendam, si petatur, quam tamen Diuini Spiritus illustratione nunquam petendam sciebat, sed si hoc de obligatione ad copulam actuali intelligãt, non possumus idem cum eis sentire, si de aptitudinali non dissentimus. His iactis velut causæ nostrę firmamentis, rem hanc totam paucis cõplectamur sequẽtibus quatuor propositionib⁹. 6. *D. Thom. 4. d. 30. q. 2. a. 1. querela. 2. ad 3.*

7. *Ioseph & Mariæ veri & legitimi coniuges.*

'Affirmo primò inter B. Virginem & D. Ioseph̃um verum, proprium, ac ratum coniugiũ interceſsisse: sic doctores in 4. d. 30. D. Thom. 3. p. q. 29. a. 2. Augu. 1. de nuptijs c. 11. & l. 5. contra D Iulianum c. 9. & alij patres. quod si quidam eorum videntur sentire sponsalia tantùm fuisse iuxta illud Lucæ 2. vbi dicitur Ioseph cum Maria desponsata sibi vxore ascendisse &c. ita exponendi sunt, vt non negent fuisse ratum coniugium, sed tantùm velint non fuisse consummatum. Suarius putat hanc sententiam esse de fide 3. p. q. 29. a. 2. disputat. 7. sect. 1. verùm melius Canisius l. 1. cap. 5. §. Iam verò, negat esse de fide, immò ait esse arbitrariam quæstionem, in qua citra erroris periculum vtraq; pars defendi potest. Medina li. 5. de continentia ca. 64. putat, dicere fuisse sponsalia de futuro, non esse improbabile. Sanches item & Rebellus, ille 2. de matrimonio d. 28. n. 1. hic lib. 2. de matrimonio q. 13. sect. 1. initio eamdem Canisij sententiam sequuntur. Henriquez l. 11. c. 15. n. 1. in com. litera h. refert Canis. nec reijcit.

Affir-

8. Affirmo secundò B. Virginem non contraxisse cum D. Ioseph o nisi implicita saltem adiecta conditione de seruanda perpetua virginitate. dixi implicitè, quia si vtrique reuelatum fuit ante connubium de alterius voto, ac neutrum vnquam petiturum debitum, nō opus erat, vt exprimeretur ea conditio. hoc ex dictis satis patet, nam votum virginitatis omninò reposcere videtur cessionem iuris illius saltem implicitam, quod alioqui habituri fuerāt coniuges facti, quæ tunc affuisse credenda est, cum primò post emissum virginitatis votum, contraxerunt ex impulsu, reuelationeque Spiritus sancti.

9. Affirmo tertiò eamdem B. Virginem nulla ratione consensisse non modo in copulam, sed neque etiam in actualem eius obligationem, satis est enim consensus in aptitudinalem: & certè cōtraria sententia videtur aliquantulum obscurare immensum illum virgineæ puritatis splendorem, quia vt rectè obseruat Rebellus loco cit. sec. 3. n. 10. vt rem sacram profanis vsibus obligare nefas est ex natura rei, quamuis pro composito sit nullum esse secuturum vsum profanum; ita ex se vel contra votum castitatis est, vel minimū illud obscurare videtur, verè & ex animo cōsentire in obligationem ad copulā, si petatur, esto numquā petendam fore prospiciatur, is enim consensus, in obligationem, si in Deipara Virgine ponitur saltem virtute; certè, non fictè, sed verè & ex animo ponendus est.

10. Affirmo quartò consentaneum satis rationi videri, si adstruamus votum virginitatis absolutum emissum etiā fuisse à B. Ioseph o ante cōiugium; non modo quia ita piè sentiendum videtur de eo, qui dignus habendus erat tantæ virginis coniugio, verum etiam quia alioqui non videtur nuptura fuisse ei B. Virgo. Igitur vterque absolutum virginitatis votum habebat, vterque item de voto vlterius certior fieri debuit, vterque diuina reuelatione impulsus est, & coniugium iniret: alioquin vel vterque, vel alter se periculo exposuisset ineundo matrimonium.

11. *Ioseph as virgo.* Porrò perpetuò virginem fuisse Beatum Ioseph um, docent Hier. In 12. Matt. & contra Eluidium August. serm. 14. de Nat. Domini, Beda in 3. & 6. Marci, Anselmus in 12. Matth. Vgo de coniugio B. Mariæ, D. Thom. 3. p. q. 28. a. 3. & Scholastici cùm magistro in 4. dist. 30. Non ignoro Gregorium Nyssenum oratione 2. de resurrectione, Epiphanium l. 2. contra Hær. c. 51. Ambros. de instit. virg. c. 6. Hilarium in 1. Matt. Euthymium in 13. eiusdem, Nicephorū l. 2. c. 3. suspicatos esse diuum Ioseph ante nuptias B. Virginis ex alia demortua habuisse filios, propter eos, qui Ioann. 17. *Fratres Domini* dicuntur, cùm tamen fratris nomen in scrip. & propinquos complectatur.

12. Sed contra ea, quæ dicta sunt quædam obijciuntur, & primùm quidem contra votum absolutum Beatæ Virginis ante initum coniugium videtur facere caput. B. Maria 27. q. 2. vbi legimus eam decreuisse seruare virginitatem, nisi Deus aliud reuelaret. Sed imprimis caput hoc Augustino tributum, inter opera Augustini non reperiri, docet Rebellus lo. cit. sec. 2. n. 6. vbi etiam ait, verosimilè non esse, illud ex varijs Augustini libris fuisse collectum, vt quibusdam placuit: continet enim sententiam nō veram, & cùm doctrina Augustini minimè cohærentem: nempè quod Beatissima Virgo in copulam consenserit, non illam appetendo, sed diuinæ inspiratioi obediendo, cùm nupsit, cùm tamen mentalem virginitatem talis consensus excludat; quod de eximia illa tantæ virginis puritate sentire quis audeat? nec quidquam valet, si cum quibusdam affirmes concessisse illā in copulam, non quidem explicitè, verùm implicitè, nam cū ea puritate etiam implicitus nō stat consensus. Igitur qui caput illud collegit, vt Gratiano, ita & magistro imposuit, & alijs pluribus. Deinde si velimus id, quod ex eo capite contra nos allatum est interpretari, dicendum est, quod cùm dicitur, decreuisse B. V. seruare virginitatem, nisi Deus aliud reuelaret, nō id dicitur quasi votum fuerit propriè conditionatum, sed significatur per id quantum sese voti obligatio extenderet. Idem dicendum de D. Thom. q. 28. a. 4. & in 4. dist. 30. q. 2. a. 1. qui ait, non simpliciter B. Virg. vouisse, sed si Deo placeret: non enim loquitur de conditione quę suspendat voti obligationem, donec impleatur, ita vt B. V. vouerit seruare virginitatem, statim ac Deus illi reuelaret hoc sibi placere: sed potius loquitur de conditione non suspendente obligationem, donec de contraria Dei voluntate non constaret. Quòd verò D. Hier. ait: vouentibus virginitatem non solum nubere sed etiam velle nubere damnabile est, intelligendum venit de nuptijs, quæ includunt carnalem copulam, vel etiam actualem ad eam obligationem; meritò ergò Scotus in 4. dist. 30. q. 2. Gabriel q. 1. a. 2. D. Bonauentura dist. 30. q. 2. Argentinas ibidem q. 4. & alij adstruunt B. Virginem ante nuptias absolutum virginitatis votum emisisse.

13. Secundò contra id, quod affirmauimus, propositam conditionem de perpetua virginitate seruanda, ac proinde intentionem de non habenda copula, non aduersari matrimonio; videtur facere, quia id genus conditio matrimonij bonis repugnat. Verùm respondeo, id intrepidè negando, neq; enim bono sacramenti, hoc est, indiuisibilitati matrimonij repugnat, vt constat, nec bono fidei, cùm obligatio fidei sit ad non adulterandum, vt ex Aug. l. 1. de nuptijs, & concilio Colonienſi c. 41. de Matrimonio, perspicuum est; vt proinde Gregorius nonus cap. vlt. de conditionibus appositis, declarans quæ nā conditio bono fidei contradicat, dixerit; si pro questu te adulterandā trādas. Denique non obluctatur bono prolis; nam bonum prolis continet tantùm obligationem, ne impediatur proles; sed si fortè rem habere libuerit potius grato animo suscipiatur, vt Scotus, & Gabriel. dist. 30, q. 1. indicant, quare verè Aug. l. 1. de nupt. & Conc. Colonienſe, c. 42. de matrimonio, docet triplex nuptiarū bonum in Matrimonio B. Virginis adimpletum fuisse, etiam prolis; per hoc quod Christum Dominum educarunt quem tamen ambo non genuerunt.

14. Tertiò illud etiam afferri potest cōtra prædicta, quod scriptum reliquit D. Paulus 1. Cor.

15.

7.4. *mulier sui corporis potestatem non habet; sed vir, similiter autē & vir sui corporis potestatem non habet; sed mulier.* Sed ad hoc non difficile est respondere. Agit enim Paulus de matrimonio, prout consuevit passim contrahi absque vlla conditione de non reddendo; & cæt. quamuis etiam dici possit nomine potestatis significari ibi dominium illud proprium, ac directum, quod intrinsecum esse matrimonio superiùs affirmauimus n. 3. & 5.

16. Postremò, si sic argumenteris ex dictis expositis, ergo inter duos impotentes, vel inter fratrem & sororem matrimonium poterit intercedere, si per mutuam pactionem tolli potest obligatio reddendi debitum. Respondeo, his nihil effici contra nos, nam in omni matrimonio suapte natura inseparabiliter inesse aptitudinalem ad copulam licitam obligationem, satis n. 4. superius docuimus, si fortè ea renuntiatio iuris ritè reuocaretur, vel alia impedimenta (cuiusmodi est votum) quæ obstant redditioni debiti, tollerentur.

DIGRESSIO V.
MORALIS,

De admirando Incarnationis Mysterio, Quo *Verbum Caro factum est.*

1. Quàm a Dei dignatio in incarnatione exhibita.

NIHIL æquè Dei dignationem & immensam charitatem ostendit, quàm quod *Verbum Caro factum est.* Aduerte quid sit verbum, & vide, quid sit Caro, & perspicies aliquo modo, vnde & quo peruenerit verbum illud, quod erat in principio. Quid enim est verbum? Deus. quid Deus? quantus? *lucem habitat inaccessibilem.* Hinc est ꝙ Diony. li. de Diuinis nominibus, cùm assignasset, Deū cognosci per eminentiam, caussalitatē, per remotionē, & negationē tandem his omnibus perfectè non posse cognosci, sed incomprehensibilem esse docet, nihilque esse omnia, quæ de eo excogitare possumus, si cum eo, quòd verè est, conferantur. Sic in nebulam cum Moyse conscendimus ad videndum Deum. Sicut enim nebula res nobis abscondit, nec eas cognoscere valeamus: ita cùm intelligimus, Deum nostra cognitione nos assequi non potuisse (altiorem enim tunc illum experimur esse) Deum veluti in nebula videbimus, lucidissimisque tenebris. Hinc Psalmo decimo septimo, de Deo proditum est, *posuisse tenebras latibulum suum*; quis ergo quantus sit DEVS, metiri valet? nosse vis quantus sit? tantus est, vt cognosci non possit, & non amari. 1. Ioannis 2. *qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non seruat, mendax est.* Quod si Deum perfectè cognoscere, eiusque pulchritudinem, bonitatemque spectares, non posses, nō amare. Hinc est quod *Ignis consumens* dicitur, & græcè θεὸς ἀναζήλωτος, id est, vrere.

2. Quantus sit Deus.

Quantus est Deus? tantus est, vt eius pulchritudinē, & bonitatē intueri, sit summū Bonū, ita vt omniū & hominum & angelorum gloria, & Beatitudo in hoc sita sit, vt illum intueantur. Quid nonne & Dei etiam gloria in sui ipsius comprehensione est? Finge ditissimam regionem quampiam, hortos habentem amœnissimos, quam si per mille & amplius annos intuereris, eius pulchritudine numquam satiari posses; finge etiam animo talem ac tantam esse, vt meritò omnia præ illa contemneres, non regna, non imperia cum illa conferres, non hasce delicias quascumque, non opes, non cunctos honores illi æquares: finge deinde illam semper te lætum, hilaremque reddere, vt si vel in ignem inijcereris, nihil sentires solo illius aspectu recreatus; certè admiranda esset hæc regio, incredibilis hæc hortorum amœnitas; tale quid est Deus, si licèt magnis cōponere parua; neque verò vnum modò hominem, sed vniuersum hominum genus, innumeros Angelos, seque ipsummet rapit, vt non possint ipsum non amare, non præ illo despicere, & nihili pendere reliqua omnia. Is numquam tædio, nullo dolore affici permittit eos, qui illum intuentur. ita eorum vota explet, vt nihil aliud velint ab illo, semper tuti, semper læti, semper omnibus cum illo affluentes bonis.

3. Quantus, inquis, est Deus? tantus est, vt ne leuissimum quidem peccatum sit admittendum contra illum, etiam si inde totius mundi salus penderet. Nam quid alia omnia si cum Deo conferantur, sunt? certè nihil. vide quid facias, cùm tam multa committis in Deum crimina, quantis sis dignus pœnis, quem offendas.

4. Adhuc nosse vis, quantus sit Deus? animaduerte, & cogita tecum ipse creaturas omnes, quidquid altum, quidquid excelsum est, vmbras esse, amplius quid dicam, nihil esse præ illo; quod vt intelligas, illustrabo id hoc vno exemplo. Sumus nos dum laboriosam hanc vitam procul à Deo degimus, similes homini, qui toto vitæ suæ tempore, & quidem per multos annos in spelunca delituit, qui nullam rerum speciem vidit vnquam; non leonem, non auem, non arborem, sed tantùm harum rerum vmbras inspexerit; dum fortè aliquid eorum per antrum illud transire contigeret, certè huius hominis scientia de vmbris tantùm esset, & quibusdam veluti spectris. Iam verò is si antro eductus res ipsas cerneret, quàm diuersam, quàm longè aliam haberet rerum cognitionem? huic te similem modo cogita, creaturas ceu Dei vmbram nunc conspicaris, non Deum ipsum intueris. & quid erit? quantum illud bonum, bone Deus, dum teipsum contemplabimur, tunc videbimus, & affluemus, & mirabimur & dilatabitur cor nostrum?

5. Absque dilectione Dei homo se ipso non potest diligere.

Vide quam magnus est Deus; tantus est, vt ne te ipsum quidem perfectè diligere possis, nisi illum plusquam te diligas, neque enim sine illo esse potes. Sicut enim solis radius, vel riuus à fonte dimanens, sine sole, sine fonte esse nequit, ita quilibet nostrum sine Deo. vt ergo radius ipse vel riuus si mente atque intelligentia pollerent, plus solem, plus fontem, quàm se amarent, ita & tu longè magis Deum, quàm te diligere debes, si te verè amas. vis igitur, ô homo, quicumque ille es, bonum tuum, dilige DEVM: alioquin si volueris te plus diligere, quàm DEVM: id facere non poteris,

teris, nisi perdendo te, si ergo perdere te non vis; dilige illum plus quàm te, à quo es quidquid es.

6. *Peccator sei ipsum lædit damno irreparabili.*

Sed nondum finis, scire adhuc aues, quantus sit Deus? Breuiter Respondeo, tantus est, vt in eum peccare non possis, quin te magis lædas, & tibi damnum inferas tale, quod resarcire non possis; dicam & hoc, quod longè maius est: Summum Dei supplicium esse, cùm in crimen aliquod cadere te permittit, nihil enim peius optari alicui potest, quam *vt fiat contra Dominum semper* Psalmo centesimo octauo, decimo quinto. Nihil enim grauius, nihil horribilius culpa ipsa, qua in Deum peccatur. esse ergo Deo contrarium, hoc est, malorum omnium summum, & maximum. vide igitur, quàm longè esse debes à crimine, ne Deum iniuria afficias, licèt leuissima videatur. Ex his patet, minimè debere nos in re aliqua, quæ non sit Deus, felicitatem, ac beatitudinem quærere; non enim in eis est verus honor, veræ diuitiæ, vera gloria, denique felicitas: vmbræ sunt si cum diuinis perfectionibus conferantur. Sed accidit nobis, quod & auibus, quæ pictas interdum vuas in tabella aliqua, seu flores, & id genus alia veras esse putantes, ac solidas res, aduolant vt comedant: ita in rebus creatis, quæ DEVS efformauit bona, videntur quidem nobis, vera ac solida, & quæ nostrum desiderium satiare possint, cùm tamen re vera non sint. Imitemur proinde aues, quæ dum vident non expleri se pictura rerum inani, ad alia se conuertunt, quæ vera sunt; ita quoque nos in dies magis atque magis rebus ipsis contemptis ad DEVM feramur. Vide igitur quantam in nos DEI charitatem contineat, quantam dignationem Verbum Carnem esse factum, nam quid caro sit satius est tacere, quàm dicere; præsertim si cum Verbo comparetur; sed quæ Dei est bonitas, hinc caro illustrior est facta, & verbum veluti obscuratum, & absconditum. Audi Gregorium moralium vigesimo octauo, capite secundo, ait enim, verbis illis Ezechielis primo: *de medio ignis, quasi species electri*, hoc ipsum quod modo dixit insinuatum esse. Electrum mistum est ex auro, & argento, qua commixtione argentum clarius redditur auri fulgore, aurum verò quasi fulgorem amittit. his ait Gregorius indicatur Verbum Caro factum, in quo argentum humanitatis purissimæ purgatum scilicet septuplum Spiritus sancti donis, signis, & miraculis redditum est clariùs, præsertim verò verbi coiunctione. At aurum diuinitatis vulneribus, flagellis, doloribus, morte denique ipsa, veluti tenebris tectum, & absconditum est: hoc autem quid aliud quàm summum Dei erga homines amorem declarat? de mysterio incarnationis vide etiam Vegam in Apoc. c. 12. in comm. 1. de Beata Virgine, Sect. secunda.

7. *Nihil horribilius peccato.*

8.

A

DIGRESSIO VI.
MORALIS,

De fructu, quem mundo attulit sacra Verbi Oeconomia.

B

HOc Sacro mysterio expletum est imprimis veterum Patrum desiderium, quod Salomon Canticorum 8. 1. in seipso indicauit, sic enim ait, *quis mihi det, te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris solum, & deosculer te, & iam me nemo despiciat?* scilicet summis votis optabat Salomon, conspicari Deum fratrem suum iam factum, id est, Dei Filium ex eodem Patre Dauid natum videre, nam & ipse Salomon Dauidis quoque filius erat, & verò desiderabat contueri illum gremio Beatæ Virginis exceptum sugentem eius vbera, quæ mater est omnium nostrum ex semine Dauid orunda. Porrò hoc eius votum tunc expletum fuit, cùm ex eadem Virgine carnem induit, & in lucem tandem editus fuit CHRISTVS ex semine Dauid. Ait autem, *vt inueniam te foris solum*, quia solus Filius carnem nostram assumpturus erat, non Pater, non Spiritus sanctus; & licèt non legamus particulam, *solum*, quæ non habetur in correctis biblijs, idem tamen haberi potest sensus. & quidem foris inuenire illum exoptat, id est extra diuinitatis latibulum. Osculum porrò significat factam esse idiomatum communicationem, per incarnationem, sicut in osculo fit Spirituum vnio, & communicatio. Hoc ergo est, quod Salomon, vel etiam sponsa si mauis, vehementer optabat tali nimirum vnione ei vniri, vt diuina humanis communicarentur, diuinis humana. hinc enim futurum erat, vt nemo neque in terris, neque in cœlis ampliùs hominem despiceret. Imò verò, vt vel ipsi Angeli homines reuererentur. Quare Apocalyp. 22. 1. post assumptam à DEI filio carnem nostram, ab Angelo dictum legimus Ioanni, cùm vellet ipsum Ioannes adorare, *vide ne feceris, conseruus enim tuus sum.*

C

Desiderabat olim Moyses DEVM videre, sic enim ipsum precabatur Exod. trigesimo tertio: *Ostende mihi faciem tuam, vt sciam te*, quasi dicat, dic mihi quisnam sis? Respondit illi Deus: *Faciem meam videre non poteris, non enim videbit me homo, & viuet, ecce*, inquit, *est locus apud me, & stabis supra petram, donec transeam, tollamq; manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Præstitit hoc Deus quo die Verbum Caro factum est, tunc enim seipsum ostendit mundo, non quidem omnibus, sed ijs qui supra petram, scilicet supra firmissimam fidei rupem manent, nec omninò nobis faciem, scilicet diuinitatem suam ostendit, sed illam dumtaxat carne velatam exhibuit, vt iam si non omninò, Moysis tamen desiderium aliquo modo in nobis impletum sit, quantum est homini fas Deum hic videre; in gloria verò videbimus sicuti

D

1. *Salomon desiderauit videre Christum incarnatum.*

2.

3. *Item Moses.*

est,

est, quam eamdem, nobis Verbum Caro factũ amplissimè meruit.

4. Augustinus eleganter & piè docet, quantam attulerit verbum carni vnitum vtilitatem, dùm sic scribit tractatu secundo, in Ioannem: *Gloriam eius nemo posset videre, nisi caruis humilstate sanaretur; vnde non poteramus videre? Intendat ergo charitas vestra, & videte quod dico, irruerat homini quasi puluis in oculos, irruerat terra, sauciauerat oculum, videre non poterat lucem; oculus iste sauciatus inungitur terra: sauciatus erat, & terra illuc immittitur, vt sanetur; omnia enim collyria & medicamenta nihil sunt nisi de terra, de puluere. Cœcatus es, de puluere sanaris, ergo caro te cœcauerat, ergo caro te sanat. Carnalis enim anima facta erat consentiendo affectibus carnalibus, inde fuerat oculus mentis cœcatus; Verbum Caro factum est; Medicus iste tibi fecit collyrium & quoniam sic venit, vt de carne vitia carnis extingueret, & de morte occideret mortem, ideò factum est in te, vt quoniam Verbum Caro factum est, tu possis dicere, & vidimus gloriam eius.* Hæc Avgvstinvs.

5. *Incarnationis Christi vtilitas.* Huius etiam tanti mysterij vtilitas satis declaratur Ecclesiastici quadragesimo octauo, *retro redijt sol, & addidit Regi vitam:* latebat ægrotus homo, immò & mortuus, cœlestis ad eum descendit medicus, id est Verbum de quo Ioannes dixerat, quod *in ipso vita erat, & quod erat lux hominum*, cùm autem descendit, veluti retro quodam modo redijt hæc diuina lux; exinaniuit enim Dei verbum seipsum caro factum, & serui forma accepta contulit homini vitam, per decem autem gradus retrogressus est sol Ezechiæ tempore, Isai. trigesimo octauo, & quarto Regum vigesimo, & Dei verbum, lux æterna, iustitiæque sol per nouem Angelorum choros veluti per nouem gradus retrogressum, ad decimum vsque, id est humanam descendit naturam.

6. Adde & hoc emolumentum: Dæmon veluti diuinitatis spe a initio hominem in paradiso deceperat, *eritis sicut Dij*; iam vbi Verbum Caro factum est, diuinitate & ipse captus est, quæ in hami modum sub carne latebat in Christo, vt meritò illud Isai. trigesimi tertij, in dæmonem detorquere possimus: *Va qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?* diuinitatis specie nos cœpisti, & diuinitate captus es. Sic Damascenus tertio de fide cap. primo, & Nazianzenus oratione in Sancta lumina, qui sic scribit: *diabolus nos diuinitatis specie obiecta tamquam illecebra in fraudem induxit: ea de causa ipse prætextu carnis inescatur, vt dum quasi in Adamum impetum facit, in Deum incurrat.* Postremò apparuit Devs humanam carnem indutus, vt peccata destrueret, quibus mundus repletus erat, & obsitus tanquam spinis acutissimus. Devs namque sola clementia conuertit se veluti in fauum mellis, erat enim Diuinitas vt mel, caro tamquam cera, & quia totum dulcem illum effecerat amor, vt rectè dixerit Apostolus ad Titum tertio, *apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei*; accurrerunt ad tantæ suauitatis dulcorem homines, quos Devs elegit & in morem apum circumdederunt eum Psalmo centesimo decimo septimo. *Circumdederunt me sicut apes.* Et ecce tibi, prodijt inde maximus charitatis ignis, quo arserunt hominum peccata, quibus tamquam spinis circum obsiti erant, *& exarserunt sicut ignis in spinis*, peccata enim spinas rectè dixeris. Sed proh dolor, 7. plurimis tam dulce, tam suaue mel degustare curæ non est.

Cæterùm si quis tam suaues fructus tenere desiderat, eorumque gustatu frui, is peccatis in posterum nuntium remittat oportet, vt Christvm in se recipiat, nisi enim tam admirandum pharmacum sibi applicet, nihil proderit illi Verbum Caro factum; *in propria venit*, inquit Ioannes, *& sui eum non receperunt*; ij certè tam suaues fructus non degustarunt; prima quidem omnium quæ illum venientem recepit Virgo Dei mater fuit omni labe carens, & summæ puritatis exemplar & magistra. Ad huius exemplum tu quoque si sapis munda cor tuum, vt eundem Christvm recipias. Origin. homilia decima tertia, in Genes. explicans puteos Isaac, quos terra repleuerant Philistijm. *Si locum Dei requiris*, inquit, *cor mundum est locus eius, in hoc est puteus aquæ viuæ, Dei imago latens, cœlestis sensus. Hunc puteum Pyhlistæi dæmones replent terra, carnalibus sensibus, cogitationibusq; & ob id portamus imaginem terreni. Nunc ergo fodeamus puteos, repurgemus vt appareat, aqua viua, hæc bona intra nos quæramus; in domo propria mulier inuenit drachmam, postquam accendit lucernam, & mundauit domum sordibus. Posuit Dominus in te in corde imaginem suã, sed tali arte vt obscurari possit, deleri non possit. sed sordibus repleta est, obscurata est imago, aqua non manat, induxisti super hanc imaginem aliã terreni, cum te libido fuscauit, induxisti vnum colorem terrenum, si auaritiæ, studes, alium, si superbiæ, alium, si ira corriperis, &c.* Et sic in te terrenam depingis imaginem; ora vt veniat ille, deleat hos colores, & alios inducat. Deberet autem quilibet qui puritati cordis studet, imitari paruum illud animal, quod vulgò Arminium dicitur, quod ne luto fœdetur, si non datur aliter illud vitare, mauult in hostium manus venire. Vnde de sumptum est illud: *malo mori, quam fœdari.* Igitur si venientem Christvm excipere vis, illud scito; cor mundum eius sedem esse, ea semper illi cordi fuit, nec alia vnquam placuit.

Cor mundũ Dei habitaculum & locus.

8.

Arminij animalis natura.

CAPVT VI.

INVISITVR ELISABETH A MARIA C. I. 39.

1. Exurgens autem Maria in diebus illis abijt in Montana cum festinatione in ciuitatem Iuda.

SCHOLIA.

1. HAEC tria, *exurgens in Montana, cum festinatione*, explicant vehemens studium B. Virg. in visenda cognata; profectum ex charitate, humilitate, obedientia, & Dei Spiritu impellente. Obseruant aliqui per vocem *exurgens* tacitè significari, à contemplatione ad opus charitatis surrexisse: sed secùdùm litteræ sensum, vel significat minimè moratam, vel gestum motumq; corporis eius exprimit, qui aliquo proficiscitur, à loco in quo sedet, surgit.

2. *In diebus illis*] propè pascha, paucis scil. pòst diebus, seu vno vel altero die intercedente, hoc est vt quidam arbitrantur 26. vel 27. Martij imò non desunt, qui probabiliter ex hoc loco putent ad nonũ circiter, vel decimum Aprilis diem abijsse ad Elisabeth Mariam salutandi studio: non ergo diluculo eius diei vel noctis, qua conceperat, profecta est: quod tamen Diuo Bonauent. placuit.

3. *Abijt*] committante vt creditur Ioseph, præsertim cùm propè esset pascha quo omnes ascendebant in terram Iuda. simul ergo cohabitabant, cum hoc accidit, Ioseph, & Maria vt docet D. Thom. 3. p. q. 29. a. 2. ad 3. Certè non satis consultum fuisset famæ B. Virg. si sola abiens, postea reuersa vterum gestare visa fuisset. *In Montana*] in montanam regionem ἐις τὴν ὀρεινὴν significat enim montosam illam regionem, in qua Zacharias habitabat: *Orinem* vocat Plin. l. 5. c. 14. montes. n. Iudææ, qui frequentibus etiam ciuitatibus habitabantur, hæc regio complectebatur. fallitur ergo Euthym. dum putat *Orinem*, id est Montanam, esse ciuitatem illam in qua Elisabeth habitabat. quod ex seq. etiam verbis constat; neque enim dixisset, *Abijt in Montana in ciuitatem Iuda*, sed, Abijt in ciuitatem Iudæ, quæ dicitur Montana, vel Orine.

4. *Cum festinatione*] græcè μετὰ σπουδῆς, σπουδὴ verò significat studium, diligentiam, sedulitatem, primo ob lætitiam de sua, cognatæque conceptione, deinde ob pudorem manendi in publico; tertio quia sic mouebatur à Spiritu sancto, sedulo festinat. Ambr. lib. 2. in Lu. c. 6. Secundam rationem cõfirmat, festinationem hanc verecundiæ virginali tribuens: discite inquit virgines non circum cursare per alienas ædes, nõ demorari in plateis, nõ aliquos in publico miscere sermones; Maria in domo sera, festina in publico, &c. Ne ergo in mentem tibi veniat indecora festinatio, sed ex græco intellige studiosam, diligentem, sedulam, sed grauem tamen, flante namque sancto Spiritu impellebatur. Syriacè *Betilaith*, id est sedulo, sic enim pro, *cum festinatione*, legere est in Euangelio Syriaco.

5. Sunt qui tradant (Deo id reuelante, vt volunt, quibusdam) vno eodemq; die Angelorum auxilio fuisse totum illud iter à B. Virg. mensum, & ob id à Luca dictum fuisse, *cum festinatione*: Nonnulli verò ideò festinasse affirmat, vt vel hinc daretur intelligi, non grauari illam eo conceptu, quẽ vtero gestabat, sed subleuari potius; quòd posse his cõfirmari cùm enim duobus temporibus soleat potissimum ventre gestantibus motus prohiberi, initio sc. conceptionis, cùm tener est, & mollis conceptus, & facilè à matrice dissolubilis; iterùm propè finẽ sc. post sextum mensem, cùm grauis est factus, & pondere suo per matris motum seipsum abrumpit. Vt ergo hic conceptus, diuinus ostenderetur, & præter visitatum naturæ modum; statim initio in Hebrõ perrexit Virgo, & propè finem Bethlehem pergere iussa est; vt ita cõstaret, nihil obesse motum posse huic tam diuino, & cœlesti conceptui, vel certè voluit hac sua festinatione nos etiã docere B. Virg. charitatis opera alacriter, & diligenter obeunda esse, eundumq; nobis esse per viam virtutis sollicitè ob tria: & quia distamus à patria, & ideò timendum, ne nox opprimat incautos, ac pigros; & qa ductor noster Spiritus S. sollicitè nos ambulare monet, & impellit; & quia Dei ministri sumus; quare ad illum velocriter magnisq; itineribus contendere debemus, vt serui ad Dominum.

B Denique cùm audis, *cum festinatione*, porrexisse Mariam, reuoca in memoriam mulierem illam euangelicam pòst inuentam drachmam vicinas adijsse, dixisse quoque: *congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram*: Ita Maria inuenta gratia, quam genus perdiderat hominum (*inuenisti enim*, ait illi Angelus, *gratiam apud Deum*) lætà surrexit, cognatam adijt lætabunda cecinit, *exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*. 6.

In ciuitatem Iuda] quatuor ex rebus pendet huius loci expositio; quæ sit hæc ciuitas, quantum à Ierusalem distarit; vbi domus Zachariæ sita, denique quantum à Nazareth dissita fuerit. Beda Luc. 2. Mariam ait Domino cõcepto Hierosolymã mittit, Euangelista, domum Pontificis Zachariæ intromittit. vbi innuit Hierosolymam esse hanc ciuitatem, quod si ita est, *Iuda* pro *Iudæa* ponitur; alioqui Hierusalem in tribu Beniamin erat. Iosue 18. 20. 28. Idẽ sequuntur Hugo Card. & Ecchius in ser. de visitatione & Chlictouæus in libello de visitatione Virginis cap. 2. sed probabilius est, ciuitatem hanc fuisse Hebron, quæ etiam Chebron, vel Chariatarbe dicta est, id est oppidum virorum quatuor, Abrahã, Isaac, Iacob, & Adam magni ibi secundùm Heb. conditi. Erat autem in montanis Iudææ, & ad sacerdotes pertinebat ex c. 21. 11. Iosue. Hierusalem verò ad tribum regiam. erat autem Zacharias sacerdos: alioqui si Hierusalem fuisset, nominasset profectò vt solet Euangelista. 7.

C

Hebron ciuitas in qua habitabat Zacharias.

Quantum ad secundum attinet: distabat Hebron ab Hierusalem secundùm Abulensem Gen. 2. q. 22. Octo leucis. Beda verò c. 9. de locis Sanctis scribit distetisse per 22. milliaria. Gagneus 4. milliarium tantùm ponit interuallum inter ciuitatem hanc Iudæ & Hierusalem. sed quæ sit hæc ciuitas tacet: tantùm dicit fuisse versus Bethlehem ad austrum respectu Hierusalem. 8.

D Iam de tertio. Borchardus. p. 1. c. 7. §. 68. nouem Leucis ab Hebron distare domum Zachariæ dicit his verbis: ex Hebron tribus Leucis contra aquilonem parum tamen declinando ad occidentem, est Nehel Eschol. id est, torrẽs Botri, vnde exploratores missi à Moyse tulerunt Botrum. à Nehel Eschol sex Leucis contra Hierusalem est domus Zachariæ. Itaque domum Zachariæ non locat in Hebron, sed in campestribus, cùm tamen Lucas significet domũ Zachariæ intra ciuitatem Iuda sitam fuisse, non in campestribus. 9.

Error Borchardi & multorum aliorum de situ domus Zachariæ.

Reliquũ est, vt de quarto, id est, interuallo inter Nazareth, & Hebrõ dicamus: Christophor. de vita Christi, à Nazareth ad Hebrõ 35. Leucas statuit. tradunt alij esse iter sex dierum à Nazareth, eo vsque, alij per viginti milliaria distare aiunt hæc duo loca, sed videntur milliaria maiora intelligere, quàm communia. Credunt quidam B. Virg. prius 10.

Hieru-

1. Quanto tempore.
2. Quo tempore Maria visitauit Elizabeth.
3. Quibus comitibus.
4.
5. Quanto tempore.

Hierusalem ad gratias agendum Deo de tam immenso beneficio in se collato, venisse. Sed si Hebrō erat hæc ciuitas non videtur verosimile, cùm abijsse dicatur, cum festinatione in domum Zachariæ: De Hebron lege Hier. epist. 27. & de Io. Hebr. quomodo autem idem locus, quod ibi fuisset quercus mambre, vbi tres visi sunt Abrahæ Angeli, qui vnum adorauit, à Iudæis & Christianis, & gentilibus haberetur in honore docet Sozomen. li. secundo. hist. c. 3.

11. Cùm ergo Lucas ait, *in ciuitatem Iuda*, sensus est, in vnam quamdam ciuitatem ex ijs quæ assignatæ erant pro sacerdotibus in tribu, & portione Iuda. Vel significare vult primariā illam ciuitatem in vno montium Iuda sitam, quæ erat sacerdotibus assignata, & dicebatur Hebron, quæ soli Hierusalem cedebat. vide Iosue 21. vbi memorantur tredecim ciuitates sacerdotibus assignatæ, quæ erant in tribubus Iuda, Simeon, & Beniamin.

2. *Et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth.*

3. *Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth: exultauit infans in vtero eius: & repleta est Spiritu sancto Elisabeth.*

SCHOLIA.

12. 2. SALutauit] græcè ἠσπάσατο. verbum græcum inquit Salmer. tom. 3. tract. 10. ἀσπάζομαι, salutationem cum amplexu & osculo more Hebræo significare potest. nam ἀσπάζομαι est amplector, stringo. Hinc ad salutationem etiam trāsfertur. opinantur quidam salutationem fuisse, *pax tibi*: quibus addunt alij, magni præcursoris, & prophetæ mater prior salutauit, inquit Ambros. decet enim Virginem humilem esse, & deferre senioribus.

Et factum est] en salutationis effectum, vt autem parum sobriæ mulieres vinum solent, vt quidam ait, propinare dùm vel loquuntur, vel salutant, ita Virg. castissimam de Spiritu sancto, quo redundabat, Elisabethæ, dùm eam salutaret, propinasse videmus; quem tamē spiritum prior hausit Ioannes, quàm mater, hausumque in matrem refudit; atque vniuersa lex naturæ inuersa est, in re, quæ naturam excedebat; solent enim infantes vtero matrum clausi, ab ijs spiritum vitæ vel trahere, vel capere. at Elisabeth à filio spiritum cepit. Obseruandum Euangelistam antequam diceret, *vt audiuit*, præmisisse, *& factum est*] quia nimirùm voluit declarare, opus planè mirandum non casu, sed Dei consilio factum, quare *& factum est* ait, quasi dicat, Dei consilio ac prouidentia quiddam admirandum accidit, quod non in communes & vsitatas cadit salutationes.

Vt audiuit] statim, ac audiuit.

13. *Exultauit*] græcè ἐσκίρτησε. Erasmus, *salijt*, alij *subsilijt*, optimè interpres, *exultauit*. est enim exultare præ gaudio subsultare: quod dixit Elisabeth, *exultauit in gaudio*. Prima os aperuit Virgo, & in Ioannem Spiritum exhalauit, & inde in matrem venit, hoc verò innuit Lucas, dùm primam locutam Virginem scribit, & inde repletam matrem cum filio, vtriusque repletionis caussa salutatio fuit Mariæ, & ita completum est illud, *replebitur Spiritu sancto adhuc ex vtero*, &c.

Mariæ verba non significatiua tantum sed effectiua etiam.

Hinc constat B. V. verba non significatiua modo, verùm effectiua quoque fuisse, tamquam instrumenta Dei: vt verba Petri Actorum 3. 6. *Surge & ambula*, & verba Iosue 10. 12. *Sol contra Gabaon ne*

A *mouearis*: sic verba sacerdotis: *ego te absoluo, ego te baptizo*, &c. Sic Cyrillus de recta fide ad Reginas, dùm citat hunc locum ex Euangelio Lucæ. & Ambrosius libr. de Institutione Virg. & meritò: Christus enim infans in vtero clausus vti voluit non sua, sed matris voce. Videtur porrò Ioannes Christum agnouisse. hinc Ecclesia: *sensoras regem thalamo manentem*. hic mihi aduertat lector, quid efficiat tantæ præsentia Virginis; accede, & collustrabere.

4. *Et exaltauit voce magna & dixit: benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.*

5. *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me.*

B

SCHOLIA.

4. ET *exclamauit voce magna*] non tam clamosa, quàm deuota. meritò dicitur, *voce magna* exclamasse, vt aperiretur magna fuisse illa & insolita, ac insperata, quæ illi fuerant reuelata: neque enim Beata Virgo clamoribus egebat. Item & illud per hūc clamorem ostenditur, quod scilicet vehementi Spiritus sancti impulsu ad hæc propalanda, atque in publicum proferenda incitabat, quæ sequuntur. Clamat etiam, quia duas personas repræsentat, suam, ac filij: pro se ergo loquitur, & pro filio, & cum duabus personis Christo, & matre. nō poterat Ioannes proprio ore gratias agere Christo ab tantum in se collatum beneficium, quod se scilicet dignatus esset inuisere, fecit id per matrē vt potuit. Quēadmodum verò sol suis radijs terrā diuerberās, inde resiliens aērē per quē transierat calefacit. Ita Christus, Iustitiæ Sol per aures quodā modo Elisabeth transiens, percussit, calefecitque Ioannem, & inde quasi resiliens, Elisabetham collustrauit cęlesti lumine, & diuino affecit calore. Ob id igitur V. superiore, repleta esse Spiritu sancto Elisabeth dicitur, abundantiam enim, & copiam cœlestium donorum significat, hæc Spiritus sancti repletio, qua factū fuit, vt ad dicendum, quod sequitur plenè à Spiritu sancto instructa & mota fuerit, atque adeò Diuino, non humano spiritu locuta sit. Hic verò obseruandum est, ex Spiritu sancto cognouisse Elisabetham admiranda quæ prædicauit, non ex ipso in fantis motu: immò motum etiam ipsum ob præsentiam Domini, & eius matris, fuisse, Spiritu sancto reuelante, intellexit. 14. 15.

C

Benedicta tu inter mulieres] Benedictam hic alij Spiritu sancto plenam, alij melius fœlicem exponunt, nos plura diximus de hac voce in explicatione Angelicæ Salutationis, cap. quinto. in Scholijs num. 13. 16.

D

Porrò inter alia mirabilia, quæ in hac visitatione euenēre, vaticinium Elisabethæ numerandum est: nam in primis omnem prophetiæ partem cōplexa est Elisabeth, vt aduertit Greg. Hom. 1. in Ezechielem sic scribens: *prophetia omne complectitur tempus præteritum, præsens, & futurum. Elisabeth ergo præterita prophetat, beata quæ credidisti, præsentia verùm occulta indicat, Mater*, inquit, *Domini mei*; futura prænuntiat, perficientur ait, quæ dicta sunt tibi, vt meritò Spiritu sancto repleta dicta sit. quod quidem totum nobis ad cōfirmationem mysterij per Angelum annunciati efficacissimum est argumentum. Deinde admirandum fuit planè hoc vaticinium, nam in eo totam quasi præsentem annunciationis historiam se vidisse ostendit Elisabeth. nam quia Angelus primùm Virginem salutarat, *benedictam in mulieribus* prædicando; idem re-

Elisabethæ vaticinium quale.

Elisabeth Angelo per omnia consonat.

Digitized by Google

petit Elisabeth. prænunciauit Angelus conceptionem, *ecce concipies*, &c. & eam tamen iam concepisse Elisabeth fatetur, *benedictus fructus vētris tui, & vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Affirmarat Angelus *paries filium & vocabis nomen eius Iesum, & dabit illi*, &c. & hæc omnia Elisabeth perficienda prædicit? *perficientur ea, quæ tibi dicta sunt*, &c. Postremò crediderat B. Virg. assensumque præbuerat, & hinc Elisabeth illam laudat, *Beata, quæ credidisti.* Quæ omnia fieri voluit Spiritus sanctus, vt tanti mysterij veritas confirmaretur, & Virgo nouo repleretur gaudio, dùm se credidisse audit, & eius quod crediderat tantùm perspicit argumentum. Et hæc quidem ei fidei adminiculum quoddam fuêre, non quidem necessariũ ad fidem, quippe perfectissimè crediderat, sed ad fructum copiosiorem fidei, maiusque vt dixi gaudium in Spiritu sancto, vt ex subiecto cantico apparet; Auctam tamen fidem non nego, in ea & confirmatam; quare propter hæc omnia impulsa fuit à Spiritu sancto, cognatam vt salutationis gratia, adiret.

17. *Benedictus fructus*] Non adiecit Angelus hæc verba, dùm Virginem salutauit: quia nondum conceptus erat Christus, adhibuit Elisabeth cùm iam conceptus esset. Hinc discè statim pòst Mariæ consensum, conceptum simul ac omninò formatum Christum hominem, itemque animatum esse, alioquin si affectus tantùm fuisset conceptus, & non confectus hoc est, principiũ tantùm aliquod accepisset, non diceret Elisabeth; *benedictus fructus ventris tui*, nec ipsa Virginem *Matrem Domini* vocaret.

Vnde hoc mihi] Quo meo meritò?

Mater Domini] Id est, Dei. Theophylactus. *Alias*, inquit, *priusquam pariant non solemus matres vocare propter metum abortiendi: in Virgine aũt nihil tale suspicari oportebat; & idcirco priusquã pariat mater est.* Aduerte hic lector ab Elisabetha primùm Virg. hanc cognitam, & cognominatam esse matrem Dei; quo non alio maiori titulo donari potuit; benedictam verò in Euang. scimus vocatam Mariam & ab Elisabeth hic, & ab ea quæ dixit *beatus venter*. duæ ergo mulieres sic leguntur vocasse, vtramque verò magna voce clamasse, nam magna erat ea, quam prædicabant; magna item, quæ in ea nouerant dona Dei. Ex his verbis, & ex versu 35. collige B. Virg. dicendam verè *Dei matrem*, nam concepit, & peperit Deum, ergo mater Dei. Antecedẽs patet, quia concepit hunc hominem, & hic homo in sua conceptione fuit Deus, ergo concepit Deum.

18. Cæterùm meritò hic mirabimur: adeò mulierem hanc cœlesti lumine collustratam, vt Dei matrem mereretur agnoscere eam, quæ ad se salutandam venerat. sed quid mirum præsente sole ac luna id videre potuisse? Christo inquam sole iustitiæ, & Maria vt luna perfecta, sua illam præsentia collustrantibus? sed est aliud quo mireris nimirum vidisse Elisabeth magis, ac magis vilitatem suam, & in hęc prorupisse: *vnde hoc mihi*, &c. *accedite ad eum, & illuminamini*, inquit vates ille cœlestis; idcirco sæpè nos ipsi magni facimus, quia longè à Deo sumus; quod si ad nos lux illa æterna propius accedat, tùm verò perspicimus nihil esse nos. Nobilis aliquis credit se aliquid esse, sed cùm ad regis Curiam accedit, videtque Regis proceres ac duces, atque adeò Regem ipsum decore fulgentem Regio, iam se vilem agnoscit, ac nullius, propè nominis, idem nobis accidit cum Dei se nobis aperit maiestas, & numen.

6. Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.

7. Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.

Scholia.

6. Ecce] Id est, statim, sicut & supra, *ecce concipies, ecce eris mutus.* Illud enim redditionem caussæ continet, cur Dei matrem appellarit: iste enim effectus exultationis argumentum fuit, quod ipsa, quæ salutauerat Virgo, esset mater Dei: quod de Spiritu sancto didicerat, ac intellexerat Elisabeth: Alioqui effectus ille solus non satis fuisset ad cognoscendum Dei matrem. Igitur hìc quod factum in ea fuerit, declarare vult Beatæ Virgini Elisabeth, non probationem afferre quod propterea mater Dei sit, cuius tamen indicium fuisse illam exultationem Spiritu sancto reuelante significat, atque hoc Beatæ Virgini ad id credendum satis erat.

Exultauit in gaudio] græcè ἐσκίρτησεν ἐν ἀγαλλιάσει, id est, salijt lætantis gesticulatione, non vt agnus expers rationis, licèt græcum, σκιρτάω, quo Lucas vtitur, etiam ratione carentibus tribuatur: verùm hæc duo simul coniuncta, *exultauit in gaudio*, non brutis, & expertibus rationis tribuuntur, quicquid de sola exultatione sit, verbi gratia, *montes exultauerunt vt arietes.* Fateor dubitasse August. epist. 57. ad Dardanum, an hæc Ioannis exultatio cum vsu rationis fuerit. Negat Iansenius, & quod maius est D. Thom. 3. p. q. 27. a. 6. sed passim patres & interpretes contrarium sentiunt. Augustinum & D. Thomam interpretatur Franciscus Saures to. secundo, d. 4. sect. 7. inquit enim Aug. inuestigando, inquirendoque procedere de tota sanctificatione, non de vsu modo rationis Ioannis in vtero. D. Thom. vt etiam ait Caietanus, nõ asserendo locutus est, sed tantùm voluisse videtur, esto Ioannes non habuerit vsum, lucemque rationis, adhuc tamen negandum non esse quod sanctificatus fuerit. Certum igitur videtur in vtero sanctificatum Ioannem. de Diuo Ioseph verò sponso, D. Iacobo minore, D. Nicolao, & D. Dominico, & in veteri Testamento de Iacob, Mose, & præsertim Ieremia incertum an sanctificati fuerint in vtero, probabilius non fuisse, qua de re lege Barradium l. 7. c. 12. sed cur miramur, si exultat Ioannes? cur enim non gauderet, Regem Christum & Mariam suos esse nutricios animaduertens? vidit Abraham diem Christi & gauisus est, licèt longè antè id quod posteà futurum erat, mente contemplatus fuerat; cur ergo mirabimur si exultat Ioannes coram præsentem intuens eum, qui desiderium collium æternorum erat? Maijr. in sermon. de Ioanne Baptista, sensu mentali, ait non corporis percepisse Elisabeth exultationem pueri in vtero, atque adeò propheticè: Nam nullus videtur corporeus motus, animi exultationem indicare posse. dicendum corporis sensu motum infantis percepisse & externã exultationem, id est, motum illum per modum exultantis, forte enim sensit conuertisse se illum ad Christum, vel aliter se mouisse, internum tamen gaudium & acceleratum vsum rationis Spiritu sancto reuelante cognouit. Sic Barr. l. 8. c. 3. in quinta prærogatiua.

7. *Quæ credidisti*] Caietanus ex hoc quod Elisabeth mutat personam secundam in tertiam dicẽdo & *Beata quæ credidit*, putat Elisabeth ad præsẽtes alias mulieres conuersã dixisse: *& beata quæ credidit*; at inquit Gagnæus: nõ intelligebat Caiet. nullum esse hic verbum, sed Aoristũ tantũ partici-

pium

pium πιστεύσασα, quod ad vtramq; personam referri potest, *quæ credidisti*, vt rectè vertit Interpres, vel *quæ credidit*.

A Domino] vel iungendũ hoc cum *perficientur*; vel potius cum, *dicta sunt*; quo modo, idem est, à Domino, ac Domini nomine.

8. Et ait Maria: Magnificat anima mea.
9. Et exultauit spiritus meus, in Deo salutari meo.

SCHOLIA.

22. 8. ET *ait Maria*] quid causſæ est, quamobrem dùm D. Lucas Elisabethã loquẽtem inducit, præmittit, *& repleta est Spiritu S. Elisabeth, & exclamauit*: & de D. Maria nil tale, sed tantùm: *& ait Maria* vt. ſ. intelligas Elisabetham quidem tũc primùm repletam esse Spiritu sancto, sed Mariam iam pridem plenam fuisse, & eo tamẽ spiritu quo redũdabat, dixisse: *Magnificat*, &c.

Magnificat] pulchrũ sanè futuri ædificij fundamentum, & quidem stabile, ac proinde quadratum, quatuor verbis, quasi quatuor firmissimis angulis constans; *Magnificat anima mea Dominum*. Canticum hoc tribus absoluitur partibus. Primùm enim in Deum absorpta cytharistria nostra gratias illi agit ob beneficia sibi speciatim impensa. Deindè ad excitandam Elisabeth, totumque Israelem, ad cõcinendas Deo laudes, meminit beneficiorum, quæ in vniuersum populum suum præsertim, antequam carne se velaret, cõtulerat; & hæc pars incipit ab illis verbis: *& Misericordia eius*, &c. Denique commemorat beneficium illud, quod suo ter beato in vtero, paulò antè perfectum erat: ab illis verbis: *suscepit Israel*.

Canticum B. Virg. tribus partibus absolutum.

23. *Magnificat*] Solemne est humilibus cũ laudantur, causã in se laudũ nullã agnoscere, sed in Deum referre, si quid in ipsis laude dignũ apparet. Inquit ergo B. Virg. fateor me magna de cœlo habuisse, & Dei matrẽ esse; negare nõ possũ, quæ tu de me, Elisabeth, verè prædicas. Verùm ego cuncta in eũ refero, qui magnus est, à quo & agnosco hæc magna. *Magnificat* igitur. i. exaltat, ac verè magnũ prædicat *anima mea Dominũ*. loquitur in præsenti, nõ enim tẽpus expectat ad laudandũ Deũ, omne illi tẽpus ad id oportunũ, omne idoneũ videtur; sẽper. n Dei laus in ore eius. Nec dixit; magnifica, neque enim opus erat excitari animam illam ad Deum laudandum, quæ semper illum laudibus efferebat. reliquis Sanctis congruit, vt se excitent, hinc Dauid, *Benedic anima mea Dominum*. Psal. 105.

Humilium consuetudo.

24. *Anima*] non inanibus verbis, sed anima & corde Deus est magnificãdus. B. Virgo plus anima & corde loquebatur quã verbis. Qui secus faciunt, similes sunt mortuo leoni Sampsonis, in cuius ore fauus erat mellis, quẽ nunquam tamen in stomachũ, nunquã in ventrem trajciebat: ita sunt qui verba Dei mellita ore tantùm versant.

Deus non inanibus verbis sed corde & anima laudandus. NOTA.

Mea] hæc sola Virgo, animã suã verè nominare poterat; q.a sola plenè suę dominabatur volũtati.

Dominum] non sponsum ait, nõ filium, non patrem; vt discas eius modestiã, & animi submissionem; & vt scias, eos solere magis Dõum reuereri qui cum eo familiarius versantur, ac proinde eum magis noscunt ac diligunt.

25. 9. *Et exultauit*] præteritum pro præsente. est aũt *exultare* affectus, vt *magnificare* intellectus; est igitur sensus: ô Elisabeth *exultauit infans in vtero tuo*, At *spiritus meus* non quidẽ in meis laudibus, quas ego in Deũ refero; sed *in Deo seruatore meo exultat*, & videtur verior expositio. Aliqui tamẽ pro futuro, quidam etiam pro præterito, vt hic habes, sumunt, de quo paulò inferiùs, num. 26.

Exultare quid sit.

Spiritus meus]. i. anima. repetitio more Hebræo, quasi dicat, anima mea quanta quanta est. vel si velimus distinguere, anima dicitur vt viuificat corpus, spiritus quatenus est spiritualis substantia habens esse per se etiã à corpore separata: sic August. in expositione hui⁹ Cantici; vel anima dicitur quãtùm ad naturalia, spiritus quantùm ad ea quæ sunt gratię ad Hebr. 10. 29. & 1. ad Cor. 2. 14. Itaq; vt ostẽdat B. Virgo se totã exultare, Deumq; laudare, & animã, & spiritũ nominauit. Adde quod cùm tria 26.
sint in homine, caro, anima, spiritus, 1. Thes. vlt. 23. B. Virgo carne. i. ore laudabat Deũ, magnificabat anima, exultabat spiritu. Aliqui putant, sumi *exultauit* pro *exultabit*, quod paulò antè nu. 25. tetigi, exultare verò idẽ significare, quod exultando laudare, idemq; ferè esse quod magnificare; nam etiã sub voce, magnificandi exultatio, seu gaudiũ tacitè cõtinetur. quo modo sensus est: laudat anima mea Dominũ, semperq; laudabit, vt hæc pars sit fermè repetitio, & confirmatio prioris. Quod si exultare præterito tempore sumas, tunc meminisse videtur illius immensæ lætitiæ, quam animo conceperat, quando verbũ caro factum est, nec ob id solũ, sed quia in ea id factum erat, & ideò dixit, exultasse se in Deo salutari, neq; hoc tantũ, sed adiecit meo; seruatorem enim mundi, suum vocat, quia de suis visceribus carnem sumpserat, ac speciali, quodam modo eam saluauerat. Rectè enim Deum hic filiũ intelligere possumus Hæc aũtẽ, nempè quod Dei mater esset effecta, quodque iam mundi Saluator adesset, immensam gaudij materiam suggerebant; Reuocauerat verò in mentem hæc illi nouo modo Elisabeth prophetia.

In Deo]. i. propter Deũ *salutari meo*] Interpres legit σωτηρίῳ; Græca nunc habent σωτῆρ. i. Saluatore. Quare salutare idẽ hic significat. Hebraicè diceremus *in Deo Iesu meo*; vt est Habacuch. 3, vocat verò Habacuch, suũ saluatorem, quia de eius gente carnem erat sumpturus; at B. Virgo non hoc tantum modo, sed eo, qui dictus est paulò antè nu. 26. 27.
Cæterùm hoc loco duo veræ lætitiæ conditiones insinuãtur: cùm enim, inquit *spiritus meus*, subindicat non carne, vel corpore, sed sincero spiritus gaudio, veram concipi lætitiam; quæ tunc est cum spiritus carni dominatur. 2. cùm ait, *in Deo salutari meo* docet, nõ in diuitijs, voluptatibus, &c. sed in Deo salutari exultandum, si vera frui velimus voluptate.

10. Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

SCHOLIA.

10. QUIA *respexit humilitatem*] Gr. addunt ὅτι, respexit in humilitatem. Est aũt *respicere* hic non auersari. q. d. nõ est auersata tãta Maiestas humilitatem Ancillæ suæ, quin rationem illius habuit; nõ est dedignatus me Deus paruulã, & vilem aspicere; assignat porrò causam, cur Dominũ magnificet, & in eo exultet: quare inquit? *quia respexit*, &c Declarat B. Virg. satis hîc suũ erga Deũ affectũ, quẽ quò magis extollat, & magnificet humilẽ se, & vilẽ prędicat. ideoq; quia se seruam agnouit, quòd erat, inquit, Aug. facta est quod non erat, nempè Dei mater Sãctissima: secus accidit Euę, voluit esse quod non erat, & facta est quid minus, quàm erat. ideò Euam despexit, & Mariam respexit Deus, is, qui humilia respicit; & alta à longè cognoscit. 28.

Humilitatem] ταπείνωσιν paruitatem, abiectionem, nam virtus, vt patet Actor. 20, 19. Ephes. 4. 2. Phil. 2. 3. Coloss. 3. 12. dici ταπεινοφροσύνη solet, Latinè *modestia*, animi submissio. Sic illud, *reformabit corpus humilitatis nostræ*, viles ne respicere quidem dignatur mundus: at contrà Deus, inquit B. V. meã ancillæ suæ humilitatẽ dignatus est respicere. Vn- 29.

de materiam adinuenit anima mea, Dei potentiã laudandi, quã in me vili euehenda oſtẽdit; Itemq; ſpiritus exultãdi *in Deo ſalutari meo*, videtur aũt antitheſis quædam in his verbis latere; nam humilitatem magnitudini Dei opponit, propter quã dixit, *Magnificat anima mea Dominum*; Deum porrò non vocauit magnum quaſi ſuperbum, ſed præpotentem eminentemque quo fit vt hic humilitas vilitatem, & indignitatem videatur potius ſignificare, quæ magnitudini opponitur, cum humilitas virtus ſuperbiæ opponatur. hinc Iuuencus l. 1. hiſt. Euang. quod me eſt dignatus, in altum erigere, ex humili celſam, cunctisq; beatam Gentibus, & ſæculis voluit Deus æquus haberi. Quare recentior quidam inquit, Mariam humilitatem hoc loco exercuiſſe, non ſignificaſſe; nam ſiue facta ſpectemus eius, ſiue dicta hæc, omnia humilitatem. i. animi ſubmiſsionem ſpirant. ſed quo omnia humilitatis virtute redundant magis, eò minnùs humilem appellaſſe ſe, ea vocabuli notione, fit ſimile vero. ſola inter virtutes humilitas ſeipſam ignorat, quo modo fit vt humillimus quisq; ſimul ac humilitatem aduertit & prodit, perdat. Orig. tamẽ hom. 8. Aug. in expoſitione huius Cant. & ſer. 35. de Sãctis, Bernar. ſerm. 42. & 45. in Cant. Beda, & alij de Humilitatis virtute exponunt, nec ob id ſe iactat B. V. quin Deo plena Dei gratiam commendat. Sed magis prima ſententia probatur, licèt nõ negem primæ Petri. 5. 5. 6. Iac. 4. 6. 10. Matth. 11. 29. ταπεινόω, & ταπεινοῦς, & ταπεινὸς de virtute humilitatis dici. Reſpexit Deus Virginis humilitatem, reſpice & tu, vt imiteris, & cùm illa in altum euehare.

Antitheſis inter magnitudinem Dei & humilitatem Mariæ.

30. *Maldonatum.*

31. *Ecce*] duo continet: Primò magnitudinem virtutis Dei q.d. animaduertite Dei in me virtutem, *ex hoc beatã me dicent*, &c. ſecundò reſponſum ad verba Eliſabeth quę illã Beatam, id eſt, felicem dixerat, quia crediderat; at non, inquit, hæc eſt præcipua meæ beatitudinis cauſſa, ſed quia reſpexit me vilem magnus Deus, cuius rei clariſsimum ſignum eſt, quod ex hoc beatam me, &c. ſpectant enim hæc ad redditionem cauſſæ, cur dixerit, quod Deus ipſam quamuis vilem reſpexerit: eſt enim huius rei cauſa hoc ipsũ planè indicãs, quia ex hoc beatã dicent, & tanquam Dei matrẽ venerabuntur.

Ex hoc] ἀπὸ τοῦ νῦν ex nunc, atq; in poſterum, ſeu ex hoc tempore.

Omnes Generationes] omnis ÆEtas omnis natio. Vel certè fideles intelligit, qui nunquam defuturi, q.d. non tu ſola.

11. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.

12. Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

13. Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

SCHOLIA.

11. QVia fecit] interlinearis habet ſubintelligi particulam, &, hoc modo, & quia fecit magnalia, magnifica, hoc enim eſt, *Magna*] Græcè μεγαλεῖα. Mihi videtur ſignificaſſe tacitè duplicis generis beneficia ſe accepiſſe, & quæ Dei oſtentent potentiam, & quæ bonitatem: ob id enim duorum attributorum meminit, dùm ſubdit: *qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.* Iam verò primi generis beneficiũ eſt Virginẽ cõcipere: & quidẽ Deũ; ſecundi, quod plena ſit gratia: nam immunis omnis labis: & ſupremo ſuper oẽs creaturas conſtituta loco: quare etiã hic verſus poteſt reddere cauſam; cur ab omnib. nationibus ſit prædicanda; & ita non oportet ſubintelligere cum gloſſa; Et, ante *quia*. Vide Theophyl.

32. *Et ſanctum*] Hebraiſmus, pro, *cuius nomen ſanctum eſt*, vt Pſal. 10. *Dominus in cælo ſedes eius.* i. cuius ſedes in cælo eſt. Videtur verò nomen pro re poni, id eſt, pro ipſo Deo. *ſanctum* hic purum, colendum, venerandum ſignificat. & quidem ἅγιος dicitur quaſi ἁγίζω, ab ἅζομαι, colo, veneror.

Secunda pars cantici.

12. *Et miſericordia*] i. & cuius miſericordia infinita, perpetua, ſempiterna eſt, q. d. non olim modò verumetiam nũc, in ipſo filio miſericordiã exercet; nec vnquam exhaurietur. Alluſiſſe videtur ad Pſalm. 102. 17. *Miſericordia aũt Domini ab æterno, & vſque in æternum ſuper timentes eũ.* hæc eſt altera pars cantici, in qua meminit beneficiorum; quæ vel vniuerſim omnibus, vel certè omni populo hebræo Deus contulit.

A progenie in progenies] ſignificat hoc continuatam, & perſeuerantem miſericordiam cum omni hominũ genere; præſertim verò cum parẽtibus, & poſteris hebræorum. Perinde autem eſt, ac ſi diceret, per omnes ætates ſubuenit.

B *Timentibus eum.*] pijs, & fidelibus, ipſumq; religioſè colentibus: incredulos enim, & præuaricatores legis ſuæ, ſeuerè puniuit, pios fouit. Debetur autem Dei potentiæ, & ſanctitati timor, & reuerentia; Deum autem dixerat potentem; *& ſanctum nomen eius.* Græca variant: quædam habent, εἰς γενεὰς γενεῶν. i. *in ſecula ſeculorum*, ſiue *generationes generationum*; quædã habẽt εἰς γενεὰν καὶ γενεὰν, quæ geminatio exauſis eſt Hebraica, q.d. *in progeniem & progeniem.*

13. *Fecit potentiam*] D. Aug. cum quibuſdã alijs, hæc de verbi œconomia intelligit. qua de re vide quid habeat Viegas cap. 12. Apoc. comm. 1. de Beat. Virg. ſect. 2. n. 3. Alij, & quidem probaliùs, ad eductionem populi de ſeruitute Pharaonis pertinere arbitrantur q. d. B. V. eduxit plebem ſuam manu potenti & brachio robuſto de Aegypto. qua de re Deut. 5. *memento quod ſeruieris in Aegypto, & eduxerit te Dominus Deus tuus inde, in manu forti, & brachio extento.* & cap. 7. *recordare quæ fecerit &c.* meminerat autem, vt ſuperiùs Dei miſericordiæ, ita hic potentiæ. Probabiliſſima omnium expoſitio, ea mihi videtur, vt laudare hic velit Deum à rebus potenter, & mirabiliter factis q. d. fecit potenter brachio ſuo: ſeu declarauit quàm potens eſſet brachium ſuum; vel roborauit brachium, id eſt fortitudinem ſuam. loqui autem videtur de omnibus; quæ Deus facere cõſueuit: quamuis præſertim ad ea reſpiciat, & alludat quæ egit cum populo ſuo, & Patribus hebræorum. hæc quidem præterita; fecit, depoſuit, exaltauit, impleuit, dimiſit: ſignificant quid fecerit olim Deus, ſed præterea etiam innuunt quid ſoleat, & poſſit facere. v.g. impleuit bonis, innuit quod poſſit, & ſoleat implere.

C

33.

D Cæterùm, ob illas duas virtutes, potentiam & miſericordiam; quarum partim hic & v. 12. partim ſuperiùs v. 11. meminit, dùm dixit *potens eſt, & ſanctum nomen eius.* Deus igni ſimilis dicitur, Deut. 4. *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt*: & iure, ignis enim ſphæra altiſſima eſt, & omnia complectitur ſub cælo: Deus verò ſphæra altiſſima eſt, cuius iuxtà illud Triſmegiſti, centrum eſt vbique, & circumferẽtia nuſquã, omnia ſub ſe cõtinens, & hoc potentiam declarat. Iterùm ignis in ſe ſub viſum non cadit, niſi dum materiam craſſiorem inuadit, deſcenditque terram verſus: Deus verò cerni oculis nequit, ſed ſub aſpectum tamen, oculosque venit carni vnitus quod bonitatem oſtendit. Habet ignis calorem, quo maximè agit, & ſiccitatẽ, qua maximè cedit minimæque eſt reſiſtentię: Ita Deus; quamuis potentiſſimus ſit virtute, ac inſuperabilis robore: vno tamen verbo, peccaui: & vna ſæpè lacrymula, per miſericordiam ſtatim cedit.

34.

Deus cur ignis vocatur.

In brachio ſuo:] Quidam *Brachio Domini*, Chriſtum hic vocari dicunt, vt Bed. Theoph. Græcus

35.

Auctor apud D. Thom. sed hoc mysticum est, de quo interpretantur quidam illud Isaiæ 53. *brachium Domini cui reuelatum est?* Antequam enim Dei filius carne velaretur, veluti brachium, intra sinum Patris absconditus erat: at carni vnitus, tunc veluti brachio extenso similis fuit. Porrò redemptionis opus per *brachium* rectè significatur; vel etiam brachio tribuitur, vt eius declaretur difficultas: maius enim quid fuit redimere, quam creare mundum; & hinc est quod opus creationis Dei digito tribuitur, Psalm. 8. *videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum.* quid? quod de mirabilibus in AEgypto, Exod. cap. 8. dicitur, *digitus Dei est hic*, quomodo igitur, quæ facilia sunt, digito nos facturos dicimus, meritò redemptionis opus brachio tribuitur, quod inter opera difficiliora referimus. vtimur enim brachio, illudque extendimus, cùm difficiliora agredimur. Cùm Deus creauit orbem, dicitur tantùm dixisse, & facta esse cuncta: at vt hominem redimeret, seipsum impendit, plurima indignè passus. Hoc certè diuinum brachiū tunc apprehendit in se scutū nostræ humilitatis, cùm naturam induit humanā, obiecitque illud hosti; quo factum est, vt sæuissimi hostis sagittas hoc scuto contectus exciperet. Caietan. *Dei brachium* elegāter Humanitatem ipsam esse interpretatur, nimirum tanquam organū coniunctum filij Dei. Hæc quidem rectè mystico sensu dicta sunt: ergò *brachium Dei*, potentiam & virtutem intellige. Neque verò allucineris velim, arbitratus Deo membra inesse: per metaphoram enim hæc illi tribuuntur. habet oculos; quia omnia nosci: aures quia audit preces, & quærimonias, blasphemias; os, quia se manifestat, & aperit: pedes; quia vbique præsens adest nulla sui mutatione vel nouitate, ergò brachia; & manus habet; quia operatur, percutit, punit, &c.

Redemptionis opus per brachii reuelationem.

Redemptio hominis maius opus creatione mūdi.

Deus non habet membra.

36. *Superbos mente cordis sui*] per superbos; AEgyptios intelligunt quidam, qui in suis curribus; & equis contra Deum confidebant: arbitrati posse se populum subigere: quem Deus tutabatur. hos ille submersit aquis; & irritas eorum fecit cogitationes. sed malo, superbos in vniuersum intelligere: quamuis nihil obstet Virginem speciali quodam modo populum suum respexisse eiusque inimicos. Dùm vero (*mente cordis sui*) ait; significat perdidisse Deum eos, qui mente, seu cogitatione cordis sui erant superbi. Sic Euthym. vel (*mente*) est ablatiuus instrumenti, q.d. cœpit eos suis ipsorum consiljs, Gr. διανοίας καρδίας αὐτῶν, ideſt, cogitatione cordis ipsorum: vt *sui* non ad *Deum* referatur, sed ad *superbos*. Vel est hilpalage, dispersit cogitationes cordis superborum, id est, ipsorum consilia: quod fit; cùm in diuersum exitū euadunt quam putabant ipsi. Aduerte iustam satis, ac dignam & propriam superborum esse pœnam, vt disperdantur, ac instar aquæ effundantur: sicut enim sparsa in terram aqua, primùm quidem reparari, vel colligi nequit: deinde à sitiente terra absorbetur; denique in vapores euanescit; ita nullum est vitium cui difficiliùs curatio adhiberi possit, atque est superbia: deindè mentem ita absorbet, vt ad cœlestia nequeat assurgere: postremò in nihilum quodammodo redigit studia, cogitationes, denique hominem ipsum; cuius memoria cū sonitu perit. & verò sicut puluis raptatur à vēto; similiter & fumus: ita homo pulueri, ac fumo adsimilis, nō mirum si à rapidissimo vento superbiæ rapiatur, dispergatur, dissipetur.

Superborum propria pœna.

14. *Deposuit potentes de Sede, & exaltauit humiles.*

15. *Esurientes implenit bonis, & diuites dimisit inanes.*

SCHOLIA.

VERISSIMVM esse, quod hoc versu continetur, docent Scripturæ passim, lucifer deiectus est, confusis etiam linguis dispersi qui turrim ædificare tentabant, submersus Pharao cum suis, Dathan, & Abiron viuos aperta terra deglutiuit; Sauli dictum est, *proiecit te Dominus ne sis Rex super Israel*; cui tamen dictus fuerat; *cùm esses parualus in oculis tuis caput in tribubus Israel factus es*, Regnum Roboam ita diminutum fuit, vt decem illi tribus demptæ fuerint, qui tamen superbè dixerat: *minimus digitus meus grossior est dorso*, &cæt. contra Sennachorib vaticinatur Esaias trigesimo septimo, *Superbia tua ascendit in aures meas: Ponam ergo circulum in naribus tuis & frænum in labijs tuis.* audi & eundem decimoquarto aduersus Nabuchodonosor; *detracta est ad inferos superbia tua*, contra quem etiam Daniel. quarto dicitur: *ejiciam te ab hominibus, & cum bestijs, feriq; erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes*: disiectus, dissipatusq; est innumerabilis ferè exercitus Holofernis, qui eò dementię venerat, vt assus fuerit dicere, *non est alius Deus nisi Nabuchodonosor*: clariùs est suppliciū Aman, quàm vt dici opus sit. de Antiochi superbià, fœtore, vermibus habes 2. Mach. 9. qui tandem supplicijs coactus, agnouit deniq; sceleſtus *iustum esse, subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire*, ad extremum illustrissimum est Herodis exemplum Act. 12. verissimum est igitur quod hic dicitur dispersit superbos mente cordis sui.

37.

14. Dùm de sede dicit, per *sedem* dignitatem, solium regium, ac thronos intellige, q̄ dixit Dauid, Psal. 135. *percussit Reges magnos & occidit Reges fortes, Sehon regem Amorrhæorum, & Og Regem Basan.*

38.

Potentes] hæc vox coniuncta verbis illis *de sede*, denotare videtur reges, quia verò potestas bona est, & à Deo, ideò non dictum est deposuisse sedes, sed sedentes.

Exaltauit humiles] quod dixerat Dauid loco cit. *& dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatē Israel seruo suo*, videtur idem esse cùm hoc quod hic dicitur, *& exaltauit*, &c. *in humilitate*, namq; *nostra*, inquit vates Psal. 135. *memor fuit nostri.* idem habet Dauid alibi, *suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem vt collocet eū cum principibus, cum principib⁹ populi tui*, &c. hoc enim est humiles exaltare, opponit verò humiles potentib: s Regibus, quare videtur propriè, & maximè intelligere viles cōditione, quos in regiū solium euexit, & ad quos superborum regū regna, & opes transtulit. Cæterùm licèt vniuersim de potentibus, & humilibus loquatur. Præsertim tamē alludere videtur ad ea, quæ egit in ingressu populi Hebræi in terram promissionis, sicut prius allusit ad ea, quæ egit cum suis in AEgypto, cum populū eduxit inde in manu potenti, & brachio extento.

15. *Esurientes, &c.*] *esurientes*, dicuntur secundùm quosdam, qui iustitiam esuriunt. sed hoc morale est, ait Maldonat. Alij pauperes intelligunt, & non malè; diuites verò, nempè in oculis suis, superbos vocāt, sed hoc modo erit repetitio. quare melius est intelligere hic per *diuites* confidentes in diuitijs, & per *esurientes* pauperes ipsos, quòd cecinit Anna 1. Reg. 2. *Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat & subleuat*; Item, *repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt.*

39.

Dimisit inanes] quasi dicat, priuauit diuitijs seu bonis quibus gloriabantur; hæc vt & superiora ad omnes tàm superbos, quàm diuites extendi possunt, quamuis populum Hebræum præsertim respiciant,

ſpiciant cui Cananæorũ terram lacte & melle manentem tradidit. Cananæorum porrò natio diuitijs potens & ſuperba erat, populus verò Hebræus AEgyptijs ſeruiens eſuriem tolerabat. Poſſumus & per *eſurientes* intelligere non modò cibo indigentes, ſed quouis humano præſidio deſtitutos, quos bonis implet Deus, & cœleſti gratia, nec diutius egere ſinit, Pſalm. 36. *Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Diuites autem cõtrà erunt, nõ modò fortunis locupletes, ſed qui auctoritate, & potentia valent apud omnes, & eſt optima expoſitio.

16. Suſcepit Iſrael puerum ſuum recordatus miſericordiæ ſuæ.
17. Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham & ſemini eius in ſæcula.
18. Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus, & reuerſa eſt in domum ſuam.

SCHOLIA.

40. 16. *SVſcepit Iſrael*] Eſt tertia Cantici pars, in qua beneficium illud maximum cõmemorat Incarnationis, & promiſſum Meſsiam patribus olim nunc demùm exhibitum fuiſſe recenſet. *Suſcepit Iſrael puerum ſuum*] Gr. ἀντιλάβετο ἰσραὴλ παιδὸς ἀφῶ ἀντελαμβάνω, verò eſt porrecta manu alioqui lapſurum retinere, & iuuare: quod facere ſolent mulieres, ac nutrices pueris ſuis, ac filiolis; ſic feciſſe Dominum B. Virgo narrat Iſraeli (qui filius Dei ac puer dicitur Oſeæ 11.) quẽ alioqui infidelitatis barathrum labentem veluti porrecta manu ſuſtinuerit, ac ſuſceperit, promiſſum illorum patribus Meſsiam exhibens. poteſt autem *puer* ſeruum ſignificare hic, ſicut & filium.

41. *Iſrael*] poſſumus Iſraëlitas ſecundùm ſpiritum intelligere, id eſt, filios Abrahæ ſecundùm ſpiritũ promiſſionis: ſed meliùs eſt, vt intelligamus Iſraelitas ſecundum carnem: ex his enim natus eſt Chriſtus, & naſcendo illis ſuccurrit per aſſumptæ carnis myſterium. Illud potius myſticum, dici verbum ſuſcepiſſe Iſraëlem cum naturam hominis aſſumpſit; & veluti porrecta manu ad tantam euexit dignitatem, vt loquitur Paulus dùm ait, ſemen Abrahæ appræhendiſſe.

Recordatus] q. d. vt miſericordiæ, quàm olim Patribus promiſerat memorem eſſe ſe declararet, ideò ſubdit, *ſicut locutus eſt*, id eſt, quemadmodum Patribus noſtris promiſerat, Abrahamo, & ſemini eius; id eſt, Dauid, ad quem ſpecialis promiſſio de Chriſto facta eſt. Gr. μνησθῆναι eſt recordari, memorari; poteſt idem etiã ſignificare infinitiuus, quod participium *recordatus*, id eſt, vt reipſa oſtenderet, ſe memorem promiſſæ miſericordiæ. itaque memorari idem erit, atq; ad declarandum ſe memorem. Sic in Cantico Zachariæ: *memorari teſtamenti ſui ſancti.*

42. 17. *Sicut locutus*] Sicut idem eſt, quod quemadmodum, vt dixi vers. 6. ſub finem. Deinde poteſt hic contineri cauſſa præcedentis verſus. Tertiò, *ſicut*, poteſt vim habere relatiui, quam, vt mox dicam. *Abraham,*] Solent in Scriptura caſus variari; ſic Pſalm. 102. *Iuſtitia illius in filios filiorum; ijs, qui ſeruant teſtamentũ eius.* Verbũ, λαλεῖν, caſum vtrũque videtur admittere, ſaltè eccleſiaſticè, accusãdi & dandi: vel Datiuus *Abrahã* referri poteſt; ad *miſericordiæ*, exhibendæ Abrahæ, & ſemini eius, & tunc poſſet admitti Parentheſis includens illa (*ſicut locutus eſt ad Patres noſtros.*) Illud *in ſæcula*] oſtendit cõtinuatam per ſemen miſericordiam. Sed hoc modò ſemen ſpirituale *Abraham* intelligetur, nimirum, ſi referas τὸ *in ſæcula*, ad τὸ *ſemen*, quòd ſi *in ſæcula* referas ad *miſericordiam*, ſignificatur promiſiſſe patribus Hebræorum perpetuam miſericordiam, qui eſt fructus aduentus Chriſti. Alij referunt ad *ſuſcepit*, q. d. ſuſcepit in ſæcula, id eſt, in æternum ſuſcepit eum protegendum. Placet autem magis hic nullam eſſe Parentheſim, ſub qua, vel qua claudantur illa verba: *ſicut locutus eſt*; nam vel poteſt afferri præcedentis partis ratio, nempè illius; recordatus miſericordiæ ſuæ, vt *ſicut* ſumatur pro, *quia*, q. d. ideò recordatus, quia promiſerat multo antè. vel ſecundo aliter, recordatus vt promiſerat, vt ſit ſenſus, fecit, ſicut pollicitus erat; vel certè tertio, vt dixi, ſicut, vim habet relatiui, quam; & his duobus poſterioribus modis, non redditur propriè ratio, dùm dicitur; *ſicut locutus eſt*, præcedentis partis: ergò rectè conſtat ſine Parentheſi totus ſenſus.

18. *Manſit autem Maria,*] non dubito interfuiſſe Mariam natiuitati Ioannis: ob id enim ad Eliſabeth venit, vt infantem Ioannem cerneret. Nec fit vero ſimile manſiſſe per tres apud prægnantem menſes, & mox inſtante partu diſceſsiſſe. Dices ſexto menſe veniſſe, tribus non integris manſiſſe cum Eliſabeth; nam dicitur, *ferè*, vel quaſi tribus. Igitur domum redijt B. Virgo nouem nondum menſibus tranſactis. Reſpondeo, dicere poſſumus ſextum iam menſem à conceptu Ioannis tranſijſſe cùm Angelus ad Mariam venit. Vel non fuiſſe neceſſarium, vt nono exacto menſe naſceretur Ioannes, vel dicemus expectaſſe B. Virginem poſt diſceſſum Angeli vſque ad nonum, vel decimum diem Aprilis, & manſiſſe vſque ad extremum Iulij cum Eliſabeth, & ob id, ſuperiùs à D. Luca eſt dictum, *in illis diebus exurgens Maria*, &c. denique illud, *ferè*, vel *quaſi tribus menſibus*, poteſt ſignificare maiorem numerum dierum, nec eſt neceſſe minorem ſemper ſignificare. Hæc de Scholijs.

43. *Maria Natiuitati Ioannis interfuit.*

THEORIA PRIMA IN CAPVT SEXTVM.

Quare inuiſere cognatam Mariæ placuit, & an ſola an cum ſponſo profecta ſit.

1. QVOD attinet ad primùm, non dubium, Spiritu ſancto inſpiratam in viam ſe dediſſe. ille principium fuit efficiẽs, ille eius animum impulit; hinc Ambroſius, *Neſcit*, inquit, *tarda molimina Spiritus ſancti gratia*. & verò etiam ex eodem principio profecta ſunt exultatio infantis, prophetia Eliſabeth, & B. Virginis nouum gaudium. Hoc ergò conſtituto; arbitror Mariam Angeli verbis motam hoc iter ſuſcepiſſe. illis enim cognouit vt erat mente ſublimi, & ad perueſtigandum aptiſsima, hanc eſſe Dei voluntatem, licet id Angelus nõ præceperit, indicauit tamen cùm dixit: *Ecce Eliſabeth cognata tua*; ſciendum præterea eſt alium fuiſſe Spiritus ſancti finem, dùm Beatam Virginem excitauit ad hoc iter peragendum, alium ipſius Virginis. volebat ille hæc facere per hoc iter, quæ facta ſunt admiranda, nimirum Ioannem ſanctificare, Chriſti præſentiam declarare, Dei matrem honorare, &c.

Maria angelo verbis motam Eliſabetham viſitauit.

Fines Spiritus S. & B. Virg. in hac viſitatione diuerſi.

at Bea-

at Beata Virgo horum nescia Dei voluntatem exequi festinabat, non est tamen propterea negandum, venisse eam vt cognatæ gratularetur, & vt vetulæ obsequium exhiberet charitatis, simul etiam flagrasse desiderio suis ipsam oculis cernendi admirandum Dei opus in cognata; sterilis enim quæ fuerat conceperat filium; quòd indicat Ambrosius his verbis: vbi *hoc audiuit Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo; sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio in montana porrexit.* Non igitur audiendus Theophylactus, cui consentire videtur Diuus Bonauentura, Beatam Virginem inuisisse Elisabeth, vt certior redderetur, nùm vera dixisset Angelus de Elisabeth conceptu, vt vel hinc de suo etiam conceptu, & partu certior fieret. his omnibus addendum est, non fuisse adituram Beatam Virginem domum Elisabeth propter hæc, nisi id esse Dei voluntatem cognouisset. quo enim iret iuuencula Dei filium habens in vtero Spiritu sancto operante, nisi hanc agnouisset esse Dei voluntatem? & hæc de primo, iam ad secundum.

2. *Maria an cum Sponso profecta.*

Sola ne inquies, an cum sponso ad Montana perrexit? videtur enim sola profecta, cùm dicatur paulò inferiùs; *in domum suam reuersa*; non ergò cohabitabant Ioseph & Maria; arbitror omninò simul cum sponso profectam, neque vna ad id impellor ratione: mouet me in primis, quia non benè aloqui videretur consultum fuisse tantæ Virginis famæ, cùm postea domum reuersa aluum gestare visa esset. Deindè cùm Beata Virgo concepit matrimonium eius cum Iosepho perfectum erat, non modò quantum ad essentiam omnium consensu; verùm etiam quantum ad omnem eius solemnitatem, potissimum quantum ad habitationem, alioqui si non cohabitassent Ioseph, & Maria, non satis, vt dixi, prouisum fuisset Beatæ Virginis famæ; & iurè Diuus Chrysostomus homil. quarta in Matth. & Diuus Thomas qu. 29. artic. 2. ad tertium, indicant magis consonum hoc Euangelio. Quare censeo Beatam

3. Virginem statim è templo egressam commigrasse in domum viri, illius traditam curæ mortuis iam, ac vita functis eius parentibus, vt habet Cedrænus in Compendio histor. *Et quidem anno B. Virginis ætatis vndecimo mortuus est Ioachimus octogenarius, paulò pòst virum, Anna 79. annorum: mansit autem Beata Virgo in templo annis fermè vndecim, & pòst inchoatum decimum quartum annum tradita est viro, & pòst quartum mensem nuntium de cœlo accepit, & decimoquinto anno ætatis, peperit filium Dei*, sic Nicephorus lib. 2. histor. cap. 3. ex Euodio; itemque Nyssenus, Damascenus, &c. cùm verò dicitur Iosepho ab Angelo: *Noli timere accipere Mariam, &c.* non indicant hæc, non simul cohabitasse, sed hæc illi dicta sunt, quia cogitabat illam, cum qua habitabat, relinquere. id verò quod dicitur, *& nollet eam traducere*, idem est, ac accusare publicè eam notando, infamandoque. hinc inferre licet, cæteras etiam solemnitates matrimonij perfectas fuisse cùm concepit Beata Virgo. neque enim solent coniuges cohabitare sponsis nisi pòst perfectum omninò matrimonium, & aliter facere incontinentiam sapere videtur; sunt autem & reliquæ solemnitates, Sacerdotalis benedictio, si fortè tunc in vsu erat, & si quid aliud id genus.

Iam verò si affirmemus simul cohabitasse, 4. non video quomodo dimittenda foret Beata Virgo à Ioseph sponso abire sola in remotiora loca, inque alienam domum; neque enim satis consultum fuisset, vel famæ honestissimæ puellæ, vel tam diligentis sponsi prudentiæ; & proindè Euangelista solius Beatæ Virginis meminit, fortasis, quia cùm esset cum viro non poterat in dubium quodammodo verti, quin cum illo abiisset in aliam ciuitatem. Quam enim Ancillam haberet cum qua iret, etsi maximè haberet, non debuisset Ioseph solas dimittere. Sunt qui obiiciant: si interfuisset cum Maria Ioseph, intellexisset planè ex ore Elisabethæ conceptum Virginis de Spiritu sancto: quasi verò non potuerit, tunc abesse Ioseph à loco illo mulierum, & se viris adiungere, vel implicitus fuisse alijs negotijs. Ad hæc, quid absurdi est, si dicamus, verba illa Elisabeth à Beata quidem Virgine, secundùm verum ac proprium sensum accepta, & intellecta, non autem ab alijs? Potest & illud obiici: solam videri fuisse, Angelo nuntiante; statim verò in montana abijsse, ergò sola abijt. esto dùm ab Angelo salutata est sola fuerit; nonnè potuit tunc Beata Virgo esse in loco aliquo separato seorsim orans, licèt Ioseph domi esset? quamquam potuit etiam Angelus videri à Beata Virgine, & audiri, quamuis à Ioseph præsente nec videretur, nec audiretur. quod si affirmemus casu aliquo tunc abfuisse Ioseph, vnde fit non redijsse ante discessum virgins, vel virginem solam abiisse non communicata re cum sponso, vel certè illo non salutato?

THEORIA II.

De accelerato rationis vsu infanti Ioanni in vtero Matris.

1. EXultauit, inquit, *infans in vtero meo*, licèt σκίρτησεν, sit animalium præ luxu saltatium, vt pullorum equinorum, & inde ad fœtum, qui in vtero mouetur transferatur; solet tamen saltem per mataphoram ad homines ratione vtentes transferri; est autem idem quod salijt, seu potius exultauit, q. d. saltauit præ gaudio, senserat namque regem thalamo manentem. est ergo sensus: vt audiuit salutationem, q. d. salutatio aures Elisabeth exteriores sono vocis attigit, sed intra eam diuina virtus per illas voces operata est, ita vt præ gaudio exultauerit infans: vt enim CHRISTVS per os Matris locutus est, ita per aures Elisabeth Ioannes persensit; neque id ab re: erat Christus verbum illud, quod erat *in principio apud Deum*; Porrò Ioannes *vox clamantis in deserto*. hoc ergò verbũ Mariæ ore manifestatum, prolatum ve agnouit vox, Ioannes inquã

vtero

vtero incluſus veluti conſenſu, & conuenientia quadam; & quaſi Echo loquente verbo reſonuit. Eſaiæ quadrageſimo, & Malachiæ tertio, duo prædicta erant de Ioanne: quod *vox clamantis in deſerto* eſſet: & illud; *ecce ego mitto Angelum meum*: vtrumque declarauit Ioannes hac ipſa in vtero exultatione, vel ſaltatione, vt enim oſtenderet ſe futurum eſſe vocem qua prænunciandus erat Chriſtus, ſaltauit in vtero; nam cùm non poſſet voce id præſtare, præſtitit ſaltu quo Meſsiam adeſſe teſtatus eſt. Erat olim ſpecies quædam adorationis ſaltus; quare idololatræ illi coram Beelzebub ſaltabant, & 2. Reg. 6. idem feciſſe Dauid coram arca legimus: & confeſſus eſt ergo Ioannes, & adorauit Chriſtum Meſsiam ſibi præſentem; quid? quod & iam ſe vocem hic oſtendit eſſe non ſaltu modo, ſed matris etiam verbis, cuius ore, cùm non poſſet ſuo, locutus eſt, & Deum, eiusque matrem laudauit. Iterùm oſtendit & hic ſe angelum officio quidem, nõ natura; Angelorum enim eſt animos hominum incendere, colluſtrare, & Dei nuncios eſſe; & Ioannes charitate ardens, cœleſtique luce perfuſus vtrumque parentem accendit, vtrumque colluſtrauit non inani, verùm prophetico ſaltu, quando etiam nos omnes per os parentum tantæ lucis participes effecit. Denique, vt ſe quoque nuntium eſſe & præcurſorem Chriſti declaret, per ſaltũ veluti, per vim quandam, carneos quodammodo vteri muros, tanquam ſe retardantes ab officio, effringere conatur, foraſque egredi feſtinat, vt præcurſorem agat. Quibus omnibus facilè conſtat adhuc illum in vtero poſitum ardentem, lucentemq; lucernam verè nuncupari potuiſſe.

Saltationis ſuæ Ioannes quid deſignârit.

Ioannes officio Angelus, non natura. Angelorum officium.

3. Hinc colligunt doctores, Ioanni conceſſum eſſe ante commune, conſuetum ve naturæ tempus, rationis vſum; & quidem iure, ob Chriſti Domini ad eum aduentantis acceſſum. atque adeò fatentur ferè Patres peccati tũc labe purgatum fuiſſe, ſuũ prætereà Dominum, & Domini matrem agnouiſſe; Nec mirum, nam quò propior eſt Sol, tantò mirabiliores effectus producit; eo namq; accedente prodeũt flores, veſtit ſe tellus varijs herbarum ornamẽtis, arbores fructibus onuſtantur, animalia etiã fœcunda redduntur, quid ergo miramur, ſi Chriſto vero iuſtitiæ ſole ad Ioannem accedente, tam admiranda fieri cernamus? teſtantur porrò auctores fide digni, boni olim omnis loco habitum fuiſſe, quòd Nero impius Oriente ſole in lucem editus fuerit, indicio eam rem fuiſſe aiũt, quòd Imperator futurus eſſet: vt eſt Sol planetarum princeps: Itaque antequam terram contingeret, mox futurus Impetor ſolis radijs exornari viſus eſt; ſed quidquid ſit de Nerone, cui Imperium ignominiam potius attulit, quàm laudem; certè hoc multò meliùs in D. Ioannem conuenire quis neget? neque enim Sol iuſtitiæ Chriſtus expectauit vt naſceretur Ioannes, neq; vt ipſe prius è Virgine matre oriretur, ſed veluti moram fugiens omnem, feſtinat mox Ioannem colluſtrare, & charitate inflammare, & ob id auroram citius impellit, & quidem lucidiſsimã, maximeque auream, virginem ſcil. matrem, vt ad Eliſabeth properet, adeat Ioannem, vt non ipſum modò, ſed totam etiam colluſtret domum. Itaque domum eam ingreſſa Maria more rutilantis Auroræ inuaſerunt primùm quidem omniũ, diuini illi Solis radij, qui in aurora emicabãt, Ioannem; hoc enim eſt illud, *ecce vt facta vox ſalutationis tuæ in auribus meis exultauit infans* &c. qua in re videntur mihi cœlum ac terra veluti contendiſſe, quod nam prius Ioannem inuaderet; & occuparet, ſed præuenit cœlum replens illum donis cœleſtibus, antequam terram contingeret. Aſtrologorum eſt 4. opinio in erigenda figura; duo potiſsimum ſpectanda, planetam qui tunc regnat, deindè verò domum in qua eſt: nam pro varietate domorum varijs etiam modis vel illuminat, vel calefacit, vel influit vt de Sole cõſtat, dum virginem tenet, adeò verò certum eſſe hoc aiunt, vt domus benigna (vt vocant) corrigat infauſtum Planetam, ſed cùm Planeta benignus eſt, & domus etiam fauet, magna portenditur felicitas. hæc quæ de figuris Aſtrologi fingunt quamuis vana, & falſa ſint, ea tamen ſuo modo, & multò meliùs accidêre in hoc tam læto virginis aduentu. Præerat, dominabaturque Planetarum omnium conditor primus Chriſtus non fauſto modò Planetæ comparandus, ſed is vnde omnis felicitas & beatitudo exiſtit; domus item in qua reſidebat felix, benigna, fortunataque virgo erat, quantam ergò vim & copiam gratiarum Planetam hunc vbertim in pectus illud Ioannis ſparſiſſe arbitrabimur? quàm innumerabiles diuitias contuliſſe? vt rectè proinde dictum ſit: *quis putas puer iſte erit?* Magnus certè coram Domino, *nam & manus eius cum ipſo erat*. Sed quî factum eſt inquies, 5. vt tàm multa; tàm immenſa gratiarum munera in infante vno potuerint reperiri? rem hoc exemplo intelliges: videre eſt interdum intra vitream phialam varias eſſe perſonas, arbores celſas, montes prægrandes pro loci capacitate, antra, & id genus alia. Miramur, quî fieri potuerit, vt per tam auguſtum ὀs phialæ intromiſſa ea fuerint; ſed illicò ceſſat admiratio; ſi audiamus artificem toto oris ac pectoris niſu ac flatu vitrum permeantem, dùm illam effingit, ſimul ea quæ intus videntur collocaſſe. Idem hic accidit: iacebat Ioannes vtero Matris incluſus ante naſcẽdi tempus; flauit cœleſtis artifex, ſpiritum diuinum in illum immittens, & ſenſim Ioannis animum, mentemque maximis gratiarum donis repleuit.

Sed nunquid hæc vſus rationis acceleratio perſeuerauerit in Ioanne, meritò quis dubitet. Sunt qui negent: poſt tempus enim ſalutationis eo priuatum volunt; mihi tamen magis placet, perſeueraſſe, dicere. Primùm quidem: quia Ambroſ. ait manſiſſe Mariam ad profectum Ioannis tribus menſibus, cùm Eliſabeth; at ſi liberum arbitrium tollas, non datur proficere. Deindè, ſi ad Matris, & Saluatoris præſentiam donatus fuit Ioannes vſu rationis, cùm eadem præſentia perſeuerauerit tribus menſibus, perduraũit & vſus liberi arbitrij. Addam & illud: Non eſſe probabile; vtero egreſſum hoc dono caruiſſe.

6. *Suarez diſp. 4. ſect. 7.*

Acceleratio vſus rationis an permanſerit in Ioanne.

Opinio

7. Opinio est Diuæ Thomæ puerum ad rationis vsum accedentem, teneri se ad Deum conuertere, & amare illum super omnia. Indicat ergò hoc saltu Ioannes? & gaudio; se vt vsu rationis præditum ad adorandum conuertisse, & ad amandum Deum. est Physicorum sententia, infantem ita locatum esse in vtero, vt facies in dorsum Matris conuersa sit; & Doctores tamen non ignobiles opinantur, conuertisse Ioannem ad Christum faciem adorabundum tunc, cùm in vtero saltasse dicitur, quasi illi reuerentiam exhibentem, sed de his satis.

THEORIA III.

De Cantico Mariano in commune.

1. Canticum B. Virg. perfectissimum.

NVLLVM nec in Nouo, nec in Veteri Testamento inter omnia, quæ recensentur cantica, hoc vno Mariano, vel præstantiùs, vel vtiliùs, vel plenius est. Celebrantur apud Euangelistas tria Cantica: Simeonis, *Nunc dimittis*, &cæt. Zachariæ: *Benedictus*: Beatæ Virginis; *Magnificat*. In veteri Testamento, Maria Soror Moysis ante omnes alias mulieres. Exod. decimoquinto, Canticum Deo cecinit; quamuis in Nouo Testamento altera hæc multò præstantior Maria, idem longè meliùs præterit. extat & alterum Moysis canticum Deuteronomy. 32. tertium Deboræ. Iud. 5. quartum Annæ, primo Reg. 2. quintum Dauidis, 2. Reg. 22. sextum Salomonis; cuius sunt Cantica Canticorum sub metaphora sponsi & sponsæ, pastoris & gregis. septimum, Iudith 16. cap. octauum Ezechiæ Isaiæ 38. nonum Abacuc cap. 3. decimum trium puerorum Daniel. 3. Hæc sunt præcipua decem cantica Veteris testamenti, quæ supra cætera celebrantur: habentur enim alia etiam Cantica, vt Isaiæ duodecimo, & vigesimo sexto; sed præstat hoc, decem partibus, quasi decem Melodijs ea complectens, & fortè ob id consueuit in Vesperis decantari. Quoniam enim ad Vesperum celebrantur Sabbatha, id est festi dies; videtur Ecclesia voluisse hoc vno festiuissimo cantico inchoare, & absoluere dies festos. quoniam verò Zachariæ canticum fuit pòst hoc Marianum, & expresè continet Dei laudes, proindè ad laudes etiam canitur. Denique canticum illud Simeonis senis, quoniam de morte agit, ad completorium decantatur.

2. Canticum B. Virg. mysticum.

Sed cæteris omissis; de hoc Mariano illud dicere possumus, Psalm. centesimi quadragesimi tertij, DEVS *canticum nouum Cantabo tibi, in Psalterio decem chordarum psallam tibi*: *Nouum* dici potest hoc Canticum, non solùm quia Diua Maria princeps fuit, quæ Deo primùm ceciniſſe Canticum in Nouo testamento legitur: verùm, & multò magis; quia eo cantico comprehenduntur quædam noua satis, nec vnquam audita mysteria. quod enim Verbum caro factum sit, & Dei filius sit carne velatus, vt est apud Damasc. tertio, de Fid. cap. primo, omnium nouorum maximè nouum est. & verè dicere poterat Deus cum hoc mysterium operabatur: *ecce noua facio omnia*, Apocalyp. vigesimoprimo, potest & nouum dici ob nouam mentis innouationem, quàm qui benè affecti sunt in Beatam Virginem, dùm attentiùs hoc canticum meditantur, experiuntur; semper item nouo quodam gustu, dùm illud audiunt, vel legunt, vel contemplantur, afficiuntur: semper idem nouum intelligentibus apparet.

3. Item Decachordum.

Decachordum porrò nominatur: quia decem versibus quasi decem chordis continetur: qui numerus quod perfectus est, rectè in mediatorem Christum & Beatam Virginem quadrat, & in Nouum testamentum. vel decachordum dicitur: quia sicut omnia vetera sacrificia repræsentabant illud, quod CHRISTVS in cruce peregit; ita reliqua omnia Cantica quæ in Veteri fuerant testamento decantata, hoc vnum referebant: nam eo continentur omnia ea beneficiorum genera, quæ antiquis illas Canticis celebrabantur, sicut vmbræ & figuræ diuinæ Incarnationis, quod Mysterium hic maximè celebratur: vt autem ea Cantica decem imprimis numerantur: ita par erat, vt Canticum hoc decem etiam versibus comprehenderetur. quòd si mauis, dici *decachordum* dici posse propter decem Mysteria quæ ad Christum pertinent, ad quæ reliqua reuocantur, id est, Incarnationem, Natiuitatem, adorationem Magorum, Præsentationem, Baptismum, ingressum in Hierusalem, Mortem, Resurrectionem, Ascensionem, aduentum Sancti Spiritus. Adhæc potest *decachordum* nominari, quia debet ab illis præsertim decantari, qui decem præcepta legis obseruant. Denique quia à singulis Angelorum choris, qui nouem sunt, & ab homine qui ad decimam drachmam pertinet, concinendum est, propterea meritò etiam decachordum appellari poterit.

4. In mentionis occasionem quid designet.

Et verò in montanis Iudææ cythariſtria nostra tam insigne Canticum cecinit. Quare nec quisquam fructuosè hoc, vel audiet, vel canet, qui humi fixus orare videtur, dùm tam suauis concentus in templis editur. In montibus enim diuinæ laudes audiendæ sunt, in montibus orandum est cum Christo & Moyse: de quo item Exod. decimoseptimo, legimus quòd cùm erectis manibus oraret vincebat populus, vincebatur cùm depressis: quare factum est, vt brachijs lapidem supponerent Israelitæ, ne manuum pondere, nimiùm ille defatigaretur. Refert hæc in re Moyses ipse hominis spiritum, manuum verò pondus & grauitas indicat corpus hocce deorsum versus nos trahens, & terræ affigens; si quando ergò carnem, corpusque nostrum veluti in altum erigentes spiritui copulamus, hostes vincimus: sed cùm eam permittimus rebus noxijs, fluxis, humilibusque adhærere, hostium in cursu atque impetu profligamur. quid igitur nobis agendum est ne nos etiam inter orandum deprimat caro, & suo pondere ad ima trahat? Christum

ſtum lapidem viuum, ſummum, angularem, electũ, pretioſum nobis adiungamus, Chriſto innitamur, Chriſti robore fulciamur, Chriſti vitam; moresque meditemur attentiùs, Chriſtum nobis præſentem intueamur vt Deum, orantem vt hominem.

5. Abraham Geneſ. 22. cùm pergeret vt filium Deo offerret in Sacrificium, in montem aſcenſurus ſeruis iuſsit ad montis radices, vt manerent cum aſino; oratio gratiſsimum eſt Deo Sacrificium, quod in monte offerendum eſt (terrena enim omnia excedat oportet qui oraturus eſt,) Itaque quoties Deus eſt orandus, ſenſuum ac carnis cogitationes inſtar ſeruorum & aſini penitùs deſerantur, vt ita depoſitis ſolicitudinibus; curisque alijs ſublatis, in ſublime feratur oratio. hoc nos docent nunc montana Iudææ, ad quæ exurgens Maria abijt, dumque Deum impensè magnificat, in Deo toto mentis exultat affectu.

THEORIA IV.

Cur Beata Virgo laudes ſibi tributas in Deum referat, & vtrum gloriari liceat propter opera virtutum?

1. *Humiles cauſam laudis à ſe repellunt.*

IN Schol. num. 23. monuimus ſolemne eſſe humilibus cum laudantur cauſſam in ſe laudum nullam agnoſcere, & vel propriam dignitatem occulere, virtutesque abſcondere propter quas laudantur; quod præſtare nequeunt, referunt in Deum quidquid in ipſis laude dignum elucet. non poterat Sanctiſsima Virgo, neque verò decebat, ea quæ magnificentiſsimè de ipſa prædicauerat Eliſabeth contegere; nam Spiritus ſanctus Eliſabetham impulerat, vt ea aperiret; quæ verò prædicabantur ad fidei confirmationem, manifeſtandamque Dei gloriam pertinebant: non ergo cœlanda erant: ſicut & Chriſtus Deum ſe faſſus eſt eſſe, quia id in Dei gloriam, proximique vtilitatem cedebat. Igitur cùm animaduerteret Virgo cœlandum non eſſe tam altum Dei Myſterium, quod per Eliſabeth Spiritus ſanctus reſeruauerat, cùm nec piè occulere poſſet, nec verè negare; alterum elegit humilitatis munus obire, vt ad Deum bonorum auctorem reuocaret omnia; & ita ait: *Magnificat anima mea Dominum*. Cùm igitur ô homo intumuerit tanquam mare cor tuum; interroga te ipſum ſicut Ionam interrogarunt Nautæ, cap. primo, *quod eſt opus tuum? quæ terra tua, & quo vadis?* opus tuũ peccatum eſt, nihil eſt. vide quæ terra tua ſit, vnde nimirum es: certè ex nihilo, nam ante tot annos nihil profectò eras. quo vadis? In puluerem, & quantũ ad te attinet in nihilum tendis. hoc ſi perconteris ſeriò, & non indiligenter, continuò quieſcet Mare turgidum & ſubſident feri fluctus elationis.

2.

3. *Vtrum propter bona opera gloriari liceat.*

Sed ſi ſciſcitetur aliquis, numquid poſsimus gloriari propter opera virtutum, quæ agimus? hæc enim noſtra eſſe videtur, cùm Ioânes ſcribat, opera enim illorũ ſequuntur illos, aliquid ergò in nobis eſt vnde meritò gloriari poſsimus. ſed facilis eſt ad hoc reſponſio, ſi animaduertat quis primarium bonorum operum auctorem Deum eſſe Ioan. 15. *ſine me nihil poteſtis facere* 2. Cor. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* ſed præter Scripturę auctoritatem idipſum ſuadet ratio: eſt enim homo organum, & inſtrumentum Dei, ſicut ergò laus & honor affabrè depictæ imaginis, artifici, non penicillo tribuitur, ita quodlibet virtutis opus in Deum, non in hominem referendum eſt. Propterea apud Eſai. cap. 10. legimus ſcriptũ, *nunquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, à quo trahitur?* quare meritò, iureque optimo exclamat Dauid: *Non nobis Domine, non nobis, &c.*

Homo Dei inſtrumentum.

Sed vrgebis adhuc aduerſus hæc: ſerra, vel penicillum omninò ab artifice mouentur, nec ſe vlla ratione cient, ideò nõ habent, vnde gloriẽtur. Cæterùm homo licèt Dei organũ ſit ad bonum aliquod peragendum, propria tamen voluntate concurrit, & liberè cooperatur, vnde fit vt in eius opere non modò laus, verùm etiam meritum inſit. Sed hunc nodum diſſoluere, non eſt difficile, nam licèt verum ſit liberè nos cooperari Deo, hoc ipſum tamẽ quòd eſt velle, quãquam liberè à Deo eſt te mouente ac faciente, vt velis. Audi Paulum Rom. 9. *Non eſt*, inquit, *volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis.* Ad hæc, etiam in eo quod volumus, dùm volumus, & quidem liberè, nobiſcum quoque Deus cooperatur. quamuis igitur aliquid præſtet homo concurrendo cooperando, adeò minimum illud eſt præ illo quod præſtat Deus, etiam in eo quod liberè volumus, vt meritò Deo tribuenda ſit gloria; quòd Auguſt. ſignificat dùm. l. de gratia & libero Arbitrio 17. ſic ſcribit, vt velimus ſine nobis operatur, cùm autem volumus, & ſic volumus vt operemur, nobiſcum operatur. Vbi illa vox, *vt*, initio poſita finalem cauſſam denotat: vt ſit hæc ſententia, Deus vt cauſa moralis (ſic enim loquuntur Scholaſtici) nullo noſtro prę-eunte conatu ſuadet, mouetque interiùs inſpirando, vt velimus, quomodo nos non operamur vt velimus, non enim nobis ipſi hoc perſuademus, hoc enim ſi faceremus profectò iam vellemus; neque tamen ait Auguſtin. Deum facere velle ſine nobis, ſed vt velimus, neque enim Deus efficit ipſum velle ſine nobis conſentientibus, licèt huius conſenſus ipſe ſit primaria cauſſa; in quibuſdam igitur operibus ſolus operatur Deus, vt in gratia præueniente, & in intentione, qua vult ſaluare hunc efficaciter, & in prædeſtinationis ordine, & in his nihil habet homo quo glorietur. In quibuſdã verò aliis homo concurrit cum Deo, & in his præcipuus auctor eſt Deus, & ideò illi tribuenda gloria ſine quo, nec cooperaretur homo. Poſſumus & allata ſimilitudine hoc illuſtrare deſumpta ex cap. 26. Eſaiæ, *à facie tua Domine concepimus, & parturiuimus ſpiritum ſalutis.* Emẽdata Biblia eſto aliter legant, noſtrum hunc conceptum non auferunt. hic videre eſt nos in bonis operibus peragendis locum tenere matris, Deum verò Patris, vt ergò Patri filius tribuitur in Scripturis: ita gloria quæ eſt veluti quidam partus bonorum operum Deo tribuenda eſt, ita vt ei naſcatur, non homini: & ita legimus Saram genuiſſe Abrahamo Iſaac,

4.

5.

à quo accepit nomen, & genus induit. Cæterùm vtilitas confertur in hominem, non in Deum, id est, vita æterna. sed nondum planè in his quiescit animus. Vrgebit quis hoc fortasis modo, det Deus æquale auxilium duobus, & credat vnus, alius verò nō credat, videtur aliquid esse in credente, vnde gloriari posset, contra non credentem. At quis hos discernit? dicendum igitur, secundùm substantiā, & quantitatem posse quidem esse vel intelligi motionem æqualem in duobus, non aūt sub ratione gratiæ, aut quatenus vocatio congrua est, hoc enim modo maior est in credente gratia & motio semper. Bellarm. 6. de libero Arbitrio cap. 15. Iterùm pergat quis obijcere, non videri solam vtilitatē homini cedere ex opere virtutum, & non etiam gloriam, & honorem: ita est, fateor, nam sic testatur Apostolus ad Rom. 2. *gloria, & honor in omnem animam hominis operantis bonum*: hunc tamen honorem dico, vel gloriam voluit DEVS à nobis quæri, sed à se præstari. vult hominem exaltare ipse, & non vt se exaltet, erigatur ille: quomodo longè melius consulitur nostro etiam honori: nouit enim DEVS melius aliquid, ac maius, præstantiusque ad nos cohonestandos præstare; *Domini est enim assumptio nostra, & sancti Israel regis nostri.* Vnde acutè obseruant aliqui iussisse Deum, vt Adam rebus nomina imponeret, noluisse tamen vt id beneficij sibi præstaret, ipse enim Deus Adam nominauit primum hominem, vt vel hinc doceret, debere hominem alia honorare, sed non debere sibi honorem vsurpare, quem multò meliùs à Deo expectare deberet. quamuis aūt Gen. 1. dixerit Dominus homini, *vt dominaretur piscibus maris, & volatilibus cœli*, &c. soli tamen sibi honorem, & gloriam reseruauit. gloriam enim tanquam sibi in vxorem despondit Deus. Itaque cùm sollicitatur aliquis à superbissimo Dæmone, vt gloriam vsurpet, & sibi tribuat, respondeat quod olim Ioseph Gē. 39. nefariæ mulieri respondit: *Ecce Dominus meus omnia mihi tradidit, nec quidquam est, quod non in mea sit potestate &c, præter te quæ eius vxor es, quo modo ergò possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Cæterùm non esse intrinsecè (vt scholasticè loquamur in cōtrouersia etiam scholastica) malum, gloriari hominem de actu suo supernaturali, seu de bono vsu liberi arbitrij cùm gratiam Dei indicant obiectiones factæ, dummodo non in se, sed in Domino glorietur 1. Corinth. 15. 2 Corinth. 10. nimirum, si Deo attribuat ipsummet opus, vt primas partes tenenti, sibi verò solum vt instrumento libero gratiæ Dei, quod innuit Paulus dùm ait: non ego, sed gratia Dei mecum. significat hoc idem Paulus dùm ait: *Si voluero gloriari non ero insipiens, veritatem enim dicam.* quod exponit Suar. l. 3. de auxil. cap. 20. num. 13. moraliter autem non expedire videtur, vt vel hoc modo quis glorietur. res enim est periculi plena; & B. Virgo aliter nos hic docuit, nempè vt in Deum toti feramur, & nihil nobis de operum laude tribuamus.

Adam aliis animalibus non sibi nomen indidit, &c.

THEORIA V.

In illa verba: *Magnificat anima mea Dominum.* Quidnam magnificare Deum sit, & quomodo id fiat.

Magnificare idem videtur, quod magnum facere. Dicet ergò aliquis, quî potest Deus, cuius magnitudinis non est finis, magnus effici à nobis? Dicat enim quis, infinito quomodo fieri additio potest? Sed obseruandum est, bifariam posse aliquem magnum fieri, vel primum verbis, sub quibus etiam signa externa corporis, vel etiam cordis affectus intelligimus, vt cùm alicuius magnitudinem declaramus, dignitatemque aperimus; vel factis, cùm scil. quædam in aliquem conferimus, vel certè facimus aliqua quæ vim habeant, maiorem illum efficiendi, & hoc est propriè magnum facere. Deindè aduertendum, & Deum ab homine magnificari, & hominem à Deo, & vnum hominem ab alio. Sed interest non parum, quis quem magnificet. DEVS hominem magnificat cùm conferens in illum dona ac munera, quæ apta sunt & idonea ad hoc efficiendum, magnum illum facit tum coram se, tum apud homines: Quo modo primo Paralipom. vigesimonono, vigesimoquinto: *Magnificauit Dominus Salomonem super omnem Israel, & dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum Rex Israel.* Homo Deum magnificat verbis, eius magnificentiam & sanctitatem prædicando, & extollendo; ad quam rem hortatur nos Dei vates, Psalm. trigesimo tertio, *Magnificate Dominum meum, & exaltemus nomen eius in idipsum.* Porrò vtroque modo & verbis, scilicet, & factis homo, hominem magnificare potest, Actor. 5. 13. *Magnificabat eos populus*; & 1. Machabæor. 10. 3. *misit Demetrius epistolam ad Ionatham verbis pacificis vt magnificaret eum*, id est, contulit ei magnam potestatem. Iam ad rem: magnificauerat dudum Dominus Mariam, magna ac propè innumera in illam conferendo dona: Hinc illa: *Quia fecit mihi magna qui potens est*, nunc ergo gratissima virgo Dominum magnificat non voce sola, sed cordis etiam affectu: propterea inquit, *anima mea.* Imò verò & opere magnificat, nempè fidei, deuotionis, humilitatis, dilectionis operibus. Hæc si attentius perspiciat quis, intelliget profectò qualiter Deum magnificare possimus, non quidem, vt aliquid Deo accedat, sed verbis laudando nō nudis solùm, verùm per pios etiam affectus in eum tendendo. Deindè virtutum operibus illum glorificando apud se, & alios. Sed præter hunc alter est non contemnendus Ambrosij, & Origenis modus magnificandi Deum.

1. *Magnificare quid sit.*

2.

3.

Tunc enim nos ex horum sententia, in nobis ipsis Deum magnificamus cùm animam nostram, quæ Deum refert, bonis operibus & virtutum donis maiorem quodammodo reddimus: quòd tunc verè fit cùm nos maiores in dies in virtutibus progressus facere contendimus. Hoc autem exemplo res tota illustrari

poterit: sicut enim in paruo speculo, immodicæ statuæ imago, parua item apparet, & in magno maior efficitur, non quid ipsa augescat vel in ipsa imminuatur, sed pro ratione capacitatis, vel magnitudinis speculi; vicissim nunc maior, nunc minor redditur: Ita quo capacior est anima rerum diuinarum & maior virtutibus, eò aptiùs speculum est ad Dei imaginem, magnitudinemque repræsentandam. Et vt in eodem persistamus exemplo: sicut duo sunt speculorum genera. In primis, vnum veluti turgidum, & in vrbem elatum, alterum verò concauum, & depressum. Interest verò inter vtrumque: nam in primo vultus aspicientis paruus apparet, contra in concauo magnus: ita in superbis & elatis hominibus hoc est, in eorũ animis vix vllam cernere est Dei imaginem, secus in humilibus qualis fuit in primis humillima virgo Dei Mater, & mundi Regina. Meritò ergò magnificat Dominum cum illius magnitudinem maximè omnium in se expresserit: *accessit enim ad cor altum & exaltatus est in eo Deus*, vt autem semel ante oculos habeamus, quot modis Deum magnificare possumus, sic habeto: Sex mihi ocurrunt in præsenti eius rei modi non exclusis ijs quos hactenus enumeraui. Primus erit, si hũc verbis & opere laudauerimus, puta ædificandis templis, cæremonijs, vel cetero religionis apparatu. Alter est, si seruos Dei honorauerimus, eos præsertim, qui Deum expressiùs repræsentant, id est, pauperes, qui Dei legati sunt; superiores, illius Vicarios; Sanctos denique omnes, in quibus Deus inhabitat. Tertius est, si eius nomen, eiusque gloriam portauerimus ad eos qui eum ignorant, & proximos lucrifecerimus, vt qui Deum non amabant, ament deinceps: sic enim latiùs diuagatur, & disseminatur Dei fides & nomen. est etiam quartus, si fios ipsi virtutibus perficiamus: tunc enim tanquam in speculo, sic in anima nostra Deus quodammodo magnus fit vt ex Ambros. dixi. Quintus est, si nos depresserimus, si humiles fuerimus; tunc enim tantò nobis excelsior videbitur Deus. nam paruulis omnia videntur grandia: & hinc est quod humiles Dei sapientiam, & bonitatem passim admirantur. Postremò, magnum facimus quodammodo Deum, si reliqua omnia eius amori posthabuerimus. sicut enim qui magno collato auri pondere nobilem gemmam emit, declarat se pluris facere gemmam, quàm aurum: ita qui spretis omnibus soli Deo inhæret, illumque præfert omnibus, maiorem illum esse cæteris, item rebus omnibus declarat. sed, prò dolor, multi secus faciunt, vt meritò conqueratur Oseæ 3.

diligit Dominus filios Israel, & ipsi respiciunt ad Deos alienos, & vinatia vuarum.

(·.·)

4. *Deum quomodo magnificare possimus.*

A

THEORIA VI.

In verba illa: *Respexit humilitatem Ancillæ suæ.*

1. *Deus quot modis respiciat aliquid*

D AVGVSTINVS hic habet: Deum ex sacris Scripturis tribus modis dici aliquid respicere; nempè secundùm contemplationem, gratiam, & iudicium. Primùm quatenus omnia cognoscit; atq; ita omnia respicit; Psalm. 112. *humilia respicit in cælo, & in terra.* Secundùm gratiam respicit, cùm fauet & beneficia confert, cùm sibi complacet in aliquo; Genes. 4. *respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem non respexit,* B quo modo respicere dicitur nos Deus per hebraismum; quoties prius abiectos & derelictos visitat, quoties aliquid in nos beneficij confert, vt Psalm. 85. 16. Luc. 1. 25. sumpta Metaphora ab ijs, qui oculos auertunt ab ijs, quæ sibi displicent. tertiò denique modò respicit cùm castigat, Psalm. 103. *qui respicit terram, & facit eam tremere.* Abacuc 1. *quare non respicis ad iniquitatem?* hic sumitur secundo modo; quo etiam pertinet quòd superiùs diximus, Schol. num. 28. nempè sumi hic *respicere*, pro, non esse auersatum, sed rationem habuisse. eodem enim tandem reuoluitur; siue dicas respexisse B. Virginem; quia complacuit sibi in ea, siue, quia beneficijs affectam extulit; siue quia non est eam auersatus; immò verò rationem habuit humilitatis suæ; vt in Scholijs C est expositum loc. cit.

2. *De humilitate B. Virg. Virga Apoc. 21. com. 2. de B. V. fest. 13.*

Humilitatem] tribus modis in Scripturis hæc vox vsurpari consueuit. Primùm quidem pro abiecta & vili conditione, depressioneve, Deuteronom. 26. *respexit Deus humilitatem nostram*, Philip. 3. *reformabit corpus humilitatis nostræ*, Prouerb. 29. *superbum sequitur humilitas.* Iterùm pro afflictione Psalm. 24. *vide humilitatem meam* Ecclesiast. 2. *in humilitate patientiam habe.* Postremò pro animi virtute quæ elationi opponitur. In Scholijs num. 29. diximus, primo modo sumi hic, non tamen hinc benè colligunt Hæretici vilem degeneremque fuisse Beatam Virginem, cùm tamen de regia stirpe esset, & in templo inter honestissimas Virgines religiosè educata, quam & in omni virtutum genere profecisse, & diuinis Scripturis edoctam à Deo, illisque operam dedisse, præter alios, etiam Origenes fatetur. Adeò autem vel ipsis Sacerdotibus, & egregijs viris præstans, & admirabilis semper visa fuit, & omnis generis sanctitate referta, vt meritò Ambros. lib. 2. de Virg. scripserit, *eius vitam omnium fuisse disciplinam.* D

3. *Parentes B Virg. quales.*

Quod ad eius verò parentes attinet, veterum est traditio, quam scriptis Hieronymianis insertam dicit Canisius tam amplas facultates, & fortunas habuisse, vt bona sua in tres partes distribuerint; & partem Dei templo, eiusque ministris tribuerint, partem in peregrinos, & pauperes dispensarint, partem alendæ familiæ conseruarint. Succesisse porrò eam suis parentibus in hæreditatem vnicè, sumitur est Euseb. Emissen. cui tribuitur homi-

lia de

lia de Natiuit. Mariæ in Euangel. Cæterùm paupertatem, quam postea Beatissima Virgo tenuit, voluntariam fuisse non coactam, docet idem Canisius, & de patre quidem Beatissimæ Mariæ quod insignis quidam ciuis fuerit, obseruantia legis, & vitæ probitate in primis nobilis, tradere videtur Gregor. Nyssen. oratione de Natiuitate. Vnde ergo isti omnium bonorum hostes, & in Deum, ac sanctos contumelioſi, sibi finxerunt, sanctissimam nobilissimamque Virginem; mendicam, ac sordidam vitam degisse? Itaque cùm se vilem, ac abiectam conditionem suam commemorat, coram Deo id facit. idem ipsum dictura, quamuis summis abundaret bonis. sciuit enim præ Deo, exiguum, ac vile videri, quidquid id altum; quidquid excelsum apparet: quòd fecit & Dauid apud Saulem *se canem mortuum, & pulicem vnum nominans*, primo Regum vigesimoquarto, fecit coram Deo cùm se *iumentum* vocat. An non etiam Cananæa catellis se æquare non veretur? Quamuis & his verbis B. Virg. se ideò modicam; & meritis etiam exiguam coram Deo indicet, vt laudem sibi ab Elisabetha tributam, solius Dei gratiæ acceptam ferat. quid? quod hoc modo Deus per hæc Beatæ Virginis verba, & exemplum, commendare voluit humilitatis virtutem, summis votis expetendam? est enim adeò necessaria humilitas; vt præclarè ab August. epistol. quinquagesima sexta dictum acceperimus: non aliam ad capessendam veritatem, viam esse muniendam, quàm quæ munita est ab illo; qui gressuum nostrorum videt infirmitatem. Ea autem prima est humilitas; secunda humilitas; tertia humilitas; & quoties interrogares, hæc dicerem. Non quòd alia non sint præcepta, quæ dicantur; sed nisi humilitas omnia quæcumque benefacimus, & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit; & proposita, quam intueamur; & appositа, cui adhæreamus; & imposita, qua reprimamur: iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. Vitia quippè cætera in peccatis; superbia verò etiam in rectefactis timenda est. quòd ergo Demosthenes primas, secundas, tertias, &c. pronunciationi tribuebat; hoc Aug. ad Christianam humilitatem accommodauit.

Solet humilitas signo, o, apud Arithmeticos comparari; est enim tantæ efficacitatis; vt cum in se nihil esse videatur, cæteris tamē numeris superadditum faciat illos in immensum crescere. hæc est autem humilitatis tanta vis, vt quamuis efficiat, nos vt nihil esse putemus, augeat tamen reliqua merita, cæteraſque virtutes admirandum in modum. Audi Apost. *humiliauit semetipsum*, & cæt. ecce quod se in nihilum redegit, vide quo se abiecerit; sed aduerte quid sequatur; *propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit*, &c. est ergo ingenuus hic, & diuinus lucrandi modus & diuitias amplissimas, comparandi.

Operæpretium erit hîc, aperire loca Scripturarum; in quibus hæc diuina Virgo, & humillima ancillula Christi humilitatisque magistra illustre aliquod huius virtutis exemplum nobis indicauit; primum igitur huius rei specimen exhibuit cum Angelo collocuta; nam & perhonorificè dum salutaretur, *turbata est in sermone eius*, & cùm in matrem eligeretur, Ancillam esse se professa est; *non magnum*, inquit Ambros. in Luc. cap. primo, *est esse humilem in abiectione: magna prorsus, & rara virtus humilitas honorata.*

Edidit secundum in ædibus Zachariæ: nam mater Dei electa, inferiorem adijt, & tam immensè laudata, nihil sibi sumpsit arrogantiæ, sed omnem illicò laudem in Deum retulit. 7.

Tertiò mox paritura eiusdem humilitatis præbuit exemplum: nam Cæsaris se edicto subiecit, censum pendit, & Bethlehem cum sponso perrexit. Neque verò ibi cùm esset, de humilitatis virtute quidquam imminuit, vel detraxit, quamuis omnium ædibus excluderetur, nec reliquus esset ei locus, vbi filium Dei recens natum reclinaret præter præsepium.

Porrò quartum huius rei exemplum illustre habemus, cùm Regina mundi in templo tale munus obtulit, quale pauperes solebant, & immundis alijs mulieribus purissima Virgo licèt sine vlla prorsus esset labe peccati adnumerari se passa est.

Quintum numerari potest, quòd fabro desponsari voluit, & ab eo regi, gubernariuè non indignè tulit, illique se subiecit quo multis partibus superior erat, eundemq; sibi præposuit, cùm diceret, *Pater tuus & ego*, &c.

Sextum erga cognatos ostendit: nam inuitata ad nuptias, venit, ne pauperes contemnere videretur, pauperes enim erant Domini cognati & fratres; his tamen se adiungit, cum his ad Christum concionantem accedit, Matth. duodecimo.

Septimum, eandem prodidit humilitatis virtutem, quamuis nihil ipsa minus cogitaret, quā ipsam prodere, ne perderet dùm summo silentio obuoluit diuinę maternitatis & incarnationis mysterium, quodve Dei filium in suo vtero gestaret: hoc namque mysterium planè diuinum nec Iosepho, nec Elisabethæ, neque vlli alij vnquam aperuit; & nisi prodidisset Deus, nulli vnquam hominum aperuisset, nisi Deo iubente. 8.

Octauum habet Bernar. sermone, signum magnum: Bifariam namque ex Euangel. Mariæ modestiam, & humilitatem declarat, exemplis adhuc ex eius silentio petitis. Primum ex Matth. 12. Foris, inquit Bernar. stabat quærens filio loqui, neque tamen materna auctoritate, aut sermonem interrupit, aut in habitationem illam irruit, in qua filius loquebatur. Alterum quòd affert Bernard. (nouumque esse potest humilitatis exemplum) illud est, quia Maria toties inquit, filium audiuit non modò turbis loquentem in parabolis, sed & discipulis seorsim regni Dei mysteria reuelantem, vidit miracula facientem, vidit deindè in cruce pendentem, vidit expirantem, vidit resurgentem, vidit ascendentem. Sed in his omnibus quoties verecundissimæ Virginis, quoties pudicissimæ turturis vox memoratur 9.

Cur B. Virgo generosa stirpe orta humilem se prædicarit.

4.

Humilitatis virtus qui necessaria.

5. Arithmetici humilitatis virtutem figno omnant.

6. B.V. quando humilitatis exercuerit.

audita? In omni textu quatuor Euangeliorum, si benè meminimus non nisi quater Maria loquens auditur; primò quidem ad Angelum, sed cùm semel atque iterum allocutus eam fuisset. secundò ad Elisabeth, quando vox salutationis eius Ioannem, exultare fecit in vtero, & ea magnificante Mariam, ipsa magis Dominum magnificare curauit. tertiò, ad filium, cùm esset duodecim annorum, quod ipsa & Pater eius dolentes quæsissent eum. quartò, in nuptijs ad filium & ministros: Hactenùs Bernardus.

10. Postremò decimum locum vbi specimen eius modestiæ eluceat, Acta Apostolorum subministrant. humilis est nouissimo loco recûbere Lucæ 14. & 18. Porrò de Virgine hac sic Bernar. eodem serm. legimus in Actibus Apostolorum, quod redeuntes à monte Oliueti *vnanimiter perseuerabant in oratione*. Qui? si fortè Maria adfuit, nominetur prima, quæ super omnes est tam filij prærogatiua, quàm suæ priuilegio sanctitatis: Petrus, & Andreas ait, & cæteri, qui sequuntur; *hi omnes perseuerabant vnanimiter cum mulieribus, & Maria matre Iesu.* Itane & mulierum se vltimam exhibebat, vt nouissima omnium poneretur? & posteà meritò facta est nouissima prima, quæ cùm prima facta esset, omnium sese nouissimã faciebat; meritò facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Meritò denique super Angelos est exaltata, quæ infrà viduas & pœnitentes, infrà eam, de qua eiecta fuerant septem Dæmonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat. Aduerte fieri vero simile, detulisse Apostolos illi in eo concessu dignissimum locum, at illa ne delatum quidem admisit, non modò non sibi sumpsit. Itaque videtur Lucas ita singulos numerasse vt ordine quisque vel præcedebat, vel sequebatur.

11. Sed antequam hinc discedamus, illud in præteritis minimè habendum est: ex tribus capitibus quanta maxima fuerit Mariæ humilitas potissimum declarari. primum quidem, nam quo magis dignior est quis, & altior, eò profundius sese demittat necesse est, cæteris paribus, dum humilitate curuatur. Sicut si duæ curuentur arbores ad terram vsque, magis inflectetur quæ altior est. Atqui vna hæc, solaque Virgo omni prorsus est creatura sublimior, *sicut Cedrus exaltata in libano*, Igitur & per humilitatem maximè omnium se depressisse, fateri necesse est. Deindè & est alterum caput, quia ipsa maximè Deo erat coniuncta; quemadmodum verò quo stellæ remotiores sunt à sole, eò magis lucent si cætera sint paria, & quò magis soli iunguntur obtenebrescere magis videntur ob ipsum solis lumen, quo tunc maximè corripiuntur, & replentur. Ita qui à Deo sunt remoti aliquid suo ipsorum iudicio sibi lucis habere videntur, putant enim se aliquid esse cum nihil sint, at quò magis aliquis Deo coniunctus est, & eius luce perfunditur, quove penitius eius dignitatem intuetur immẽsam, eò obscuratur magis, id est, nihil esse, nihil habere animaduertit, denique agnoscit tenebras se esse, non lucem. Cùm igitur Beatissima Virgo multò plus quàm cæteri Deo inhæreret, factum est profectò, vt tantò magis humilem se, vilemve iudicarit; denique (& sit tertium caput) quia quantò magis se quis cognoscit, atque intimè penetrat, tantò se magis spernit, & abijcit: iam quis non videt nullum vnquam hominem perfectiùs sui cognitione donatum fuisse, atque hanc sapientissimam Virginem? Quare quis etiam dubitet humilitate longè cunctos antecelluisse? Similem rectè hominem putridæ nuci dicere possumus, quæ quidem exteriùs pulchra sit & integra, sed si dentibus conteratur, & quod intus est, spectetur, puluere illicò, ac putredine videbitur esse plena, tuncque statim ex ore cum stomacho reijcitur; huic non absimilis est homo non rarò, videbis interdum pulchrum, comptulumque adolescentem, equitem ornatum argento, auroque fulgentem, comptam fucatamque mulierem, denique non paucos clientum caterua stipatos incedere, magna omnium admiratione, & plausu; cortices hipomorum sunt, pulchritudinem quandam, & dignitatem ostentantes. Parumper expecta, videbis paulò pòst insperatæ mortis dentibus quodammodo frangi. Tum incipit quod intus erat, & occultum apparere, puluere, & putredine cuncta aspersa cernuntur, quæ prius latebant. quare si quis benè se norit, ac sapienter interiora rimetur, sui paruitatem, humilitatemque introspiciet: vt vel hinc intelligas quàm facilis via sit ad humilitatem humilis sui cognitio; & quo se quisque melius cognoscet, næ ille humilior, atque modestior erit.

12.

THEORIA VII.

An meruerit B. Virgo, vt Dei mater esset.

1. OPPORTVNE hoc nunc in controuersiam vertimus, cum de humilitate B. Virginis agimus, occasione præsertim horum verborum, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ*: nam si verba eius respicias, videbitur non id meruisse, testatur enim Deum indignam se ac vilem respexisse. Mouet doctè & explicat subtilius & exactius dubitationem hanc noster Franciscus Suarez, tom. 1. disput. 10. sect. 7. & 8. ego paucissimis respondebo dubitationi; affirmo in primis, condignè hanc virginem affectam, præparatamque fuisse, vt apta, idoneaque esset Dei mater, dignumque eius habitaculum. neque propterea contendo statuere præcessisse in ea depositionem prorsus æqualem tantæ maternitatis dignitati, sed proportionem quandam & congruitatem inter hæc, iuxta rerum capacitatem, & Dei consilium, reperiri significo. Affirmo deinde hanc 2. ipsam dispositionem Sanctissimam Virginem assequutam fuisse qua sola gratia, qua suis meritis. Ostendo primum, nam gratiæ Dei munere, ipso cõceptionis momento, donata fuit, q̃ illicò innumera alia dona, ingentes diuitiæ, præclaræ animi dotes; denique amplissima priuilegia, vt perpetuæ innocentiæ, carentiæ fo-

mitis

mitis &c. consecuta sunt. ad quorum donorũ conseruationem, & vt executioni mandarentur, in reliqua vita suis actibus cooperata fuit; quamuis aliud sit mereri dona, aliud cooperari, quod nunc dicimus, ad eorum conseruationem, & executionem. Nec propterea nego eandem gratiam præcedente sua ipsius dispositione & merito item de congruo accepisse; verùm absolutè, ac simpliciter, gratis, id non suis meritis illam ipsam gratiam cum donis, & priuilegijs recepisse, negandum non est. nam etiam gratia excitante ad eum ipsum motum, quo se aptè, & congruè in prima sanctificatione disposuit, præuenta fuit.

Declaro secundum, nimirum, suis se meritis 3. disposuisse, nam gratiæ augmentum, virtutum donorum, ad conceptionem vsque filij adepta est ex condignis meritis, igitur partim ex sola Dei gratia, partim ex suis meritis apta facta est, & idonea, vt Dei mater esset. Sed hic obseruandum huius dispositionis consummationem, atque vltimam completamque perfectionem propriè non illam meruisse, sed per suos potius actus effecisse, præsertim verò per assensũ quẽ præbuit dùm dixit: *Ecce Ancilla Domini*, neque enim vltimum & perfectum totumque gratiæ cumulum, & donorum suis illa actibus emeruit quo perfectè, ac plenè Dei Mater effecta est, sed Dei vt dixi gratiæ munere atque auxilio præuenta fuit, & gratis multa accepit. Tertiò affirmo non ex his consequi vt de condigno illa meruerit esse matrem Christi. 4. Longè enim aliud est dispositionem necessariam ad formã aliquam mereri etiam de condigno saltem aliqua ex parte, nempe quo ad eius augmentum, quod hactenus diximus; aliud mereri ipsam formam puta maternitatem Dei; ad hoc enim requiritur, vt iure aliquo illi debeatur, alioquin non esset meritum illud, quod Theologi *de condigno* vocant, si nimirum iustitia abesset, immò nec ad id satis esset, si quis sit benè & dignè dispositus ad formam. Iam verò licèt gratia, & opera, quæ ex illa proficiscuntur destinata sint ad augmentum gratiæ, & gloriæ consecutionem non sunt tamen secundùm iustitiæ leges ad maternitatem Filij Dei consequendam de condigno directa, nisi Dei pactum intercederet. Denique affirmo 5. quartò meruisse eam de congruo, vt mater esset Dei, nõ quod electionem ad hanc maternitatem meruerit: gratia enim electionis est omnium radix, & origo meritorum, quæ in ea ipsa virgine fuerunt, sed quantũ ad executionẽ huius electionis id intelligendum est, quo modo ordine executionis prius habuit gratiam, & bona opera, atque adeò merita, quàm matris dignitatem, quamuis eam gratiam, bonaque opera acceperit ex Christi meritis præuisis, ac prædefinitis à Deo. fuit enim prius Christus præuisus, vt concipiendus ex Virgine, quàm prædefinita merita sanctissimæ Virginis. Sed hæc exactiùs excutienda scholasticis relinquimus, nos ad octauam Theoriam gradum faciamus.

A

THEORIA VIII.

In illud: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* V. 10. & V. 11. *Quia fecit mihi magna, &c.*

HIc in primis declarandum est, quid nam innuat, *ecce*, duo .n. significare videtur, primò magnitudinem virtutis Dei. q. d. B.V. animaduerte Elisabeth Dei in me virtutem, & quàm meritò Deum magnis extollã laudibus. Nam cùm vilis essem ancilla Dei, non est aspernatus vilẽ, sed in eum me ille dignitatis gradũ extulit, vt omnibus præponar. Iterùm, *ecce*, cõtinet in se velut responsum quoddã ad verba illa Elisabeth; *Beata quæ credidisti*, &c. In sublimiorẽ namq; causã refert, quod Beata sit, quã sit fides, qua credidit; q.d. nõ est hęc sola, & præcipua causa, quamobrẽ sim Beata, quod crediderim, sed multò altior, prior, & potior causa est, quod me Deus respexerit humilem. Fiet. n. propterea, vt pòst hac nõ tu me sola Beatã dicas, verũ etiã futuræ oẽs generationes. & hinc est vt verbũ illud, *ex hoc*, tempus dicat quidẽ .s. deinceps, vel ex hoc tempore, sed simul tamen inuoluat, vel respiciat causã cur sit dicẽda Beata, ac si clariùs diceret; quia me respexit Deus, ideò ab eo tempore inposterũ, vel pòst hac Beatã me dicent oẽs generationes. reddit verò vox illa .n. causã, cur dixerit, respexisse Deũ suã humilitatẽ, q̃ sc. ex humili cõditione ad tantũ honorem euexerit, vt se omnia sæcula beatam sint prædicatura. quę causa desumpta est ex effectu; quia .n. respexit De illã, inde factũ est, vt Beatã oẽs essent prędicaturę nationes, prout Schol. n. 31. exposuimus. oẽs verò generationes intellige eos, qui in Christũ erant crediturí. Ex his patet rectè intulisse Basil. Esaiæ 8. in illa verba, *accessi ad prophetissam*, itẽ, Epiph. hæresi 88 prophetico spiritu hanc sententiã à Virgine esse prolatã. erat enim quasi stella quædã semper apta, & exposita ad recipiendũ in se clarissimos diuinæ lucis radios ab eo sole, qui eius cludebatur vtero. Sed age verissimũ esse hoc Virginis vaticiniũ breuiter ostendamus. Principio Beatã eam Deus ipse vocauit cùm dixit, *quin immò beati qui audiunt verbum Dei.* nam cùm mulier illa dixisset *Beatus venter*, &c. Intulit Christus, Beatã esse Virginẽ, quia illũ cõceperat, sed beatiorẽ tamẽ, quia auditum Dei verbum, sedulò custodiebat; hoc enim est, quin immò Beati, quare rectè in Virginem conuenit illud Iudith. 13. nomen tuũ ita Dominus magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum. Porrò benedictio patris Ecclesiastici 3. firmat domos filiorum, summa verò benedictio, summi Patris, summæ huic impertita filiæ, eius domum stabiliuit, auxit, ornauit in æuum. Domũ enim Virginis in cœlo, terraque cæteris omnibus nobiliorem, præclarioremque effecit. Angeli etiam eam Beatam prædicarunt: Gabriel dùm dixit, *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu.* Porrò in natiuitate Christo in lucem edito, *gloria in excelsis*, exultantes Angeli cecinére, ob ter felicem partum etiam Virgini gratulantes.

1.

B

2.

3. *B Virgo quomodo beata.*

C

D

4.

Digitized by Google

Rursus ait Ecclesia, Angelos gaudiosos esse illius beatitudine, cùm ascendit in cœlum, dum ait, assumpta est in Maria in cœlum, gaudent Angeli, & quidem ita, vt etiam admirabundi dicerent: *quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens?* Hic etiam reuocandum est in memoriã quod sanctissimo viro D. Greg. accidit. Cùm enim in publica quadã supplicatione, ac pompa per vrbem incederet, Sũmus ipse Põtifex Gregorius Virginis huius imagine depicta in tabula, tanquam Christianorum vexillo præeunte, visi, auditiq; sunt Angeli, circa depictam illam imaginem supplices occinere; *Regina cœli lætare Alleluia, quia quem meruisti portare, alleluia, Resurrexit sicut dixit, alleluia,* quibus Summus Põtifex Greg. subiecit, *Ora pro nobis Deum, Alleluia.* Ecce qualiter omnis cœlestis, mortaliumq; Ecclesia vno ore B. hanc Virginem celebrant. Ad hæc Beatã nominarunt illã etiã sancti, quibus nõ vltimo loco connumeranda Elisabeth, quę dixit, *Beata quæ credidisti,* & apud Lucã exclamat illa, *B. venter,* &c. Reliqua deniq; mulierũ multitudo idem inclamat: *Viderunt .n. eam filiæ Sion, & Beatissimam prædicauerunt eam.* Et ne longum faciam; omne genus hominũ talẽ prædicat, & suspicit: Hebræi quia fœcunda; Christiani quia Virgo; Gentiles quia vitæ lumen illis protulit. quid plura? de Saracenis etiã ipsis legi sepulcrũ eius honorare consuetos, nec quemquã permittere aliquo conuitiorum genere vel contumelia, eam impunè afficere. Deniq; sol quoq; ipse & luna, ac stellæ quomodo possunt Beatã esse significant, & tantũ non voce fatentur; est enim pulchra vt luna, electa vt sol, cui⁹ etiã pulchritudinẽ eadẽ sol & luna cæteraq; astra mirãtur.

5. *Omne genus hominum Mariã beatam prædicat.*

6. D. Thomas opus. 4. aliquot etiam in mediũ allatis rationibus beatam esse confirmat. Primũ quidem ob gratiæ donum, quia si animum eius respicias gratia redundabat, quamobrẽ ab Angelo plena gratia dicta est. Inerat enim in eius animo omnis plenitudo gratiæ, quæ vt idẽ doctor ait, propter duas res dari consueuit, vt scil. benè quid operetur, & vt malum fugiat. hæc autem duo perfectissimè in ea fuerunt, quæ omnis generis virtutibus ornata, & sine vlla peccati labe fuit. Deindè si corpus spectes, etiã quãtùm ad hoc, esse illã gratia plenã negare nõ poteris. Erat enim ita magna eius gratia, vt in corpus etiã suo modo redũdaret, ex quo & in quo Dei erat filius concipiendus. Deniq; *plena gratia* fuit, quod ad alios attinet; deriuantur enim ab ea ad nos omnes nec pauca, nec parua gratiarum auxilia iuxta illud Cant. 4. *mille clypei,* id est remedia cõtra omne peccati genus & periculorum *pendent ex ea,* innumeraq; subsidia cõtra immanissimam hostium infestationem. Secundò *Beata* est quia libera, immuniq; est omni maledicto. triplex enim maledictũ illatum est homini. Primum mulieri vt polluta conciperet, cum dolore pareret, & cum labore gestaret fœtum. his omninò contraria habuit Maria vt patet Esai. trigesimo quinto. *germinans germinabit lætabunda, & laudans.* Alterum maledictum est viro illatum, *In sudore vultus tui,* &c. hoc illa caruit quia non modò Virgo, sed magistra, & Virgo virginum fuit. Porrò de veris virginibus primæ Corint. septimo quod solutę sint curis huius mundi, & sollicitudinibus, & vni soli Deo vacent. Tertium maledictum commune est viris cum mulieribus vt in morte soluantur in cinerem; verùm secùs opinione Patrum, sentiendum de B. Virgine. Denique tertiò Beata, benedictaq; est in primis ob filium. nam si benedicta est arbor cuius benedictus est fructus, quid miramur si Mariam Beatam, benedictamq; dici, prædicariq; affirmamus? Porrò Mariani ventris fructus trifariam benedictus est, & quia pulcher visu, & quia delectabilis ad edendum, gustandumque, & quia per illum similes euasimus Deo. quæ tria bona in suo illo fructu paradisi quæsiuit Eua, sed nõ inuenit pessimo errore decepta; hęc tamen nobis suo tam insigni, diuinoque fructu Maria repræsentauit & contulit, hæc ex Diuo Thoma.

8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

B Virgo præ aliis claris mulieribus benedicta.

Obseruandum prætereà est, hoc eodem capite bis *Beatã* vocari Virginẽ; semel ab Elisabetha, *Beata quæ credidisti,* iterũ in cãtico à Spiritu S. cũ ipsa diceret plena Deo; *ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*; semel verò *benedicta* dicitur, q̃ vel idẽ est q̃ *Beata,* vel certè alterum sub altero cõtinetur, exclamans enim voce magna Elisabeth, *benedicta,* inquit, *inter mulieres.* Iudicũ 4. & 5. (vt adhuc aliquid speciatim de benedictione dicamus) Iahel *benedicta* vocatur, q̃ Siſarę vas lacte plenũ propinauerit, quo somno ille oppressus fuit, longè tamẽ præstãtius hoc eodem nomine Maria *benedicta* vocabitur: obtulit. n. Deo lac cęleste, quo vbera eius de cœlo redundarunt. Benedicta cõpellata fuit Iudith præciso Holophernis capite; multo id magis in Mariam cõpetit, quæ inferni Regis caput amputauit. Abigail benedictæ nomẽ obtinuit, quod Dauidici pectoris iras sedarit prudenti quadã animi submissione, & modestia insigni; sed multò id melius in Maria videm⁹, cuius humilitatẽ respiciens Deus, iustissimã iram deposuit, qua contra genus humanũ exarserat. Quid plura? sunt qui idcirco dicant noluisse Deũ initio homini cùm in peccatũ lapsus est, maledicere, sed id mali terrę potius ac serpenti imprecatũ esse quia inquiũt, in primis illis humani generis parẽtibus virgo hæc velut inclusa cõtinebatur, ex qua Dei filius nasci deberet. Postremò obserua, duas mulieres in Euãgelio vel benedictã, vel beatã vocasse Mariã, & eam quæ Beatũ ventrẽ prædicauit, qui Christũ portauerat, & Elisabeth; vtraque verò magna voce clamasse dicitur, quia nimirum magna erat ea, quę prædicabatur. His cõstat & quod beata, & quod benedicta meritò dicatur. Addamus nunc & tertium ex versu 11. quod *magna* etiam sit, fecit enim illi magna Deus qui potẽs est, quod verò potentiæ Dei fiat hîc speciatim mentio, significat, magna in primis vsum esse Deũ potentia, vt magnã efficeret Mariã. Iure ergo rectèque magnã eã nominare possumus. Porrò ipsa est illud *signũ magnũ* Apocal. quod *apparuit in cœlo*; nec mirũ, quia Christo sole iustitiæ amicta est, quippe Dei mater, cuius etiã luna. i. omne peccati genus, caduca etiã, & fluxa omnia pedibus proteruntur. In cuius capite corona stellarũ 12. quæ sunt 12. eius prærogatiuæ, prima singularis scil. prædestinatio, secunda singularis item sanctificatio, tertia vsus quoque rationis acceleratio, quarta peculiaris despõsatio cum voto virginitatis, quinta singularis conceptio, & partus

cum

cum virginitate, sexta Dei etiam m aternitas ei soli competens propter quam debetur ei propria item quædam adoratio. septima ad hæc Spiritus S. obumbratio, qualis nulli vnquam obtigit, Spiritus enim sanctus, vel Dei Patris virtus eius mentem, ventremque obumbrauit. his accedit octaua quod singularis fuerit Christi ministra & secretaria, nona quod singulare adepta Martyrij aureolam saltem eminenter. accedit decima singularis præseruatio à corruptione in morte, cum qua connumeranda est à mortuis excitatio vndecima prętereà & singularis supra choros Beatorum omniũ exaltatio. duodecima deniq; q̃ singularis mediatrix inter nos, & Deum effecta est. Et vide quàm magnum sit hoc signum, vt cùm in cœlo sit, immò supra cœlos, nobis tamen in terra positis magnum esse apparet.

15. *B.V. ego adorata ab Angelis.*

Quid igitur miramur si hanc, tam Beatam, tam benedictam, tam magnam Virginem initio ipso molitionis rerum cœlestes illæ mentes in admirationem tantæ sanctitatis, & amplitudinis raptæ supplices adorarunt? nam cùm illæ tunc fide saltem, propositum sibi Christum tãquam hominum & Angelorum caput veneratę sint; id quoque officij tantæ Virgini præstitisse, non in dubium reuocandum est; neque enim tunc sine matre verosimile est Christum eis fuisse propositum. quemadmodum verò inquit Paul. ad Hebr. 1. *& cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli eius,* quod præstiterunt in filij Dei incarnatione: ita dicendum est, tunc quoque iterùm adoratam Virginem. Porrò de speciali eius adoratione Hyperduliæ quæ non est illa, quæ innititur excellentissimæ gratiæ, sed quæ illi tribuitur tanquam dignissimæ Dei matri, lege Franciscum Suarez to. 2. dis. 2.

THEORIA IX.

In vers. 16. *Suscepit Israël &c.*

1. TRIA hìc à nobis declarãda erunt, primũ quod opus incarnationis recte vocabulo *susceptionis* exprimatur, deindè quos nam *Israelis* nomine vocet B.V. postremò quomodo dicatur Deus *recordatus misericordiæ suæ.* & quidem quantum ad primum: *suscipere* quod vt in Scholijs notauimus n. 40. est propriè succurrentis prostrato, & manum illi porrigentis, vel vt inquit Gagn. est porrecta manu alioqui lapsurũ retinere, & adiuuare Act. 20. quoniam sic laborantes oportet susci pere infirmos. Heb. etiam suscipere est auxiliari succurrere, & susceptor idem quod auxiliator. quoniam igitur natura hominis quæ iacebat iam iam ruitura in infirmi pœnas, assumpta fuit à Verbo, ita vt illi esse diuinum conferretur, atque adeò veluti porrecta manu ad tam magnam, tamq; incredibilem euecta est dignitatem, non tantum à peccato, sed à sempiterna etiã lue liberata, rectè susceptа dici potest: quo ferme loquẽdi genere vsus videtur Paulus, dùm dixit, nusquã *Angelos apprehendit,* sed *semen Abrahæ*, & hoc modo si exponas, B. Virgini in primis collatum est hoc beneficij quatenus ex ea speciatim sumpta est illa caro, quæ est à verbo susceptа, persona verò

A diuina rectè dici potest, eam nostram susceпisse, est enim filius veluti manus seu brachiũ patris vt superius exposuimus in Schol. num. 35. & Dauid indicare videtur Psal. 97. *Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius,* & Psal. 143. *emitte manũ tuam de alto, & eripe me*; Filius enim nos eripuit de malis, & salutem contulit. Sed melior expositio est vt simpliciter exponamus *suscepit,* id est succurrit, auxiliatus est, quamuis per incarnationis mysterium. populum .n. suũ Deus, quem alioqui in infidelitatis barathrum labentem vidit veluti porrecta manu sustinuit promissum patribus Messiam exhibens: vide Scholia in hunc locum n. 40. 41.

Deindè declarãdum est, quinam *Israelis* nomine vocentur, ad quam interrogationem Respondeo duplicem esse ex scripturis Israelem, B quemadmodum & duplices sunt filij Abrahæ, carnis sc. & spiritus seu promissionis. Rom. 9. non .n. oẽs qui ex Israël sunt, hi sunt Israelitæ, neq; qui semẽ sunt Abrahæ, omnes filij, omnes .n. qui strenuè luctantur cum Deo, & credunt, ad Israel, seu Iacob & semẽ Abrahæ spectãt. huc facit, q̃ *Abram* mutatum est nomen & *Abraham* dictus, similiter & Iacob *Israel* vocatus est, quæ nomina sunt gratiæ, nõ naturæ. Locus ergo iste vbi dicitur, *suscepit Israel puerum suum,* bifariam intellgi potest; nam si de Israel secundùm carnẽ intelligas, sensus erit: vel Christũ ex Israele seu Abrahamo natum esse secundùm carnem, nam constat B. V. de eorũ stirpe genitã; vel secũdo per mysteriũ incarnationis eundẽ Christũ vel labentẽ tenuisse, vel lapsum erexisse Israelem. & iste videtur sensus huius textus germanus, si verò per *Israelem* intelligas Israelitas secundùm Spiritum, ita dicetur Christus susceпisse Israelẽ, quia eius gratia, vel aduentu futurum erat, vt veri filij Abrahã Christũ reciperent, & ab illo susciperentur in curam, & tutelam, & à peccatis liberarẽtur. Atque ita hæc susceptio ad omnes pertinet non Iudæos modò, verùm etiam gentes, dummodo in Christum credant: quod si fidei vitæ sanctitatem addant, tunc perfectiùs susciпientur.

2. *Israelis nomine qui vocentur.*

Restat exponendum tertio loco, quid sit *recordatus misericordiæ suæ.* Et quidem non dubiũ non esse in Deo memoriam, vel propriè præscientiam, quia secundùm Aug. 2. ad. Simpl. q. 2. to. 4. nihil illi præterit, nihil illi prẽsenti intuitu cuncta cernenti futurum est, sed metaphoricè obliuisci dicitur, & recordari: obliuisci, cùm non ostendit per effectum puniendi, vel beneficia, & munera cõferendi, vel auxiliandi, prouidentiã suã, vel certè cũ promissũ differt: hinc Dauid *vsquequo Domine obliuiscеris me,* &c. Oseæ 4. *quia oblita es legis Dei tu, obliuiscar filiorũ tuorũ & ego.* Recordari verò dicitur, cũ misericordiã exhibendã, vel promissam re ipsa ostẽdit. græcè μνησθῆναι recordari, memorari sc. ob id susceпit Israel, vt re vera ostenderet se memoré misericordiæ suæ promissæ. Noster interpres habet, *recordatus,* sed sensus idem est, q. d. vt recordaretur misericordiæ suæ, seu vt re ipsa ostenderet se non oblitum misericordiæ suæ, quam priscis illis Patribus promiserat, sic etiam in cantico Zach. dicitur, *ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris & memorari testamenti sui sancti.* est enim vtrobique infinituus Græcus.

4. Quatuor Dei monumenta promouentia ad misericordiam.

Age nunc ijs connectamus quædam facientia magis ad permouendum affectum erga Dei bonitatem. Quatuor olim monimenta instituit Deus, vt tandem huius generi humano promissæ misericordiæ recordaretur. Nam & fœdus pepigit cum Abrahamo, illi & posteris eius circumcisionem præcipiens tamquam monimentum & signum fœderis inter nos, & ipsum. deindè multa patrata sunt digito Dei signa, id est miracula ad futurum filij Dei aduentum repræsentandum, & præsignandum. Tertiò Spiritu item sancto, qui digitus est Dei, inspirati, locuti sunt olim sancti Dei homines, dùm Christi aduentum & commemorabant, & prænuntiabant. denique scriptum est hoc ipsum incarnationis mysterium à Deo, in libro prædestinationis; iuxta illud, *in capite libri scriptum est de me*. Itaque cùm aduertit DEVS fœdus illud cum Abraham, eiusque posteris initum; signa, & figuras, & vaticinia aduentus filij sui prænuntia, itemque prædestinationis librum relegit, *recordatus est misericordiæ suæ.*

5. Iam verò pòst filij sui aduentum non eget Deus Pater maiore alio signo, vt suæ erga nos clementiæ, ac miserationis recordetur, quàm Christi ipsius præsentia; est enim tãquam periucunda quædam Iris coram Patre Christus Dominus: cuius humanitas locum tenet nubis, Diuinitas instar lucis solaris est, Christusque adeò ipse Cruci suffixus in modum arcus factus est, vnde innumeræ sagittæ in cacodæmonem egrediuntur, eius iugulum, caputque petentes. ergo hanc tam illustrem, tam lætam iridem Deus Pater conspicatus non potest non semper nunc misericordiæ suæ recordari: vt proinde ad hoc significandum huc appositè accommodare possimus illud, *Arcum meum ponam in nubibus, & recordabor fœderis mei.* Et quidem iure, nam nihil Christo efficacius Deo Patri offerre possumus, vel gratius repræsentare: quamquam ille semper iam assistere dicatur Patri, Aduocatum enim habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, qui assistat vultui Dei pro nobis.

6. Postremò obseruandum est, rectè opus redemptionis, seu Diuinæ œconomiæ, Dei misericordiæ attribui, neque enim nostris meritis opus id peractum fuit, imò, proh scelus, multa præcesserant hominum demerita. hoc opus ergo totum sibi tribuit Dei clementia, totum sibi misericordia vendicat; hinc est, quod cùm soleret Deus olim appositа aliqua cõditione quippiã promittere, verbi gratia, si hoc, vel illud egeritis, hoc, vel illud vobis præstitero: hoc tamen opus absolutè promisit, *Iurauit* enim *Dominus Dauid, & non pœnitebit eum.* quare id? quia nimirum opus hoc solius volebat esse misericordiæ. Et propterea affirmant quidam in genealogia Domini plures sceleſtos reges numerari, ne putaret quispiam ob eorũ sanctitatem 7. 8. Dominum originem traxisse ex illis. Hinc Dauid Psa. 97. cùm dixisset, *saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius*, subiecit, *Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel.* vbi vides etiam diuinæ misericordiæ meminisse eodem planè modo, quo B.V. cùm dixit, *recordatus misericordiæ suæ*, & posteà, *sicut locutus est* A *ad Patres nostros*: quod volunt aliqui additum esse ne intelligeremus hoc idem opus esse iustitiæ, quæ tamen innitatur misericordiæ: omnis namque pollicitatio iure aliquo modo debita est, quare cùm Deus fore vt filius suus carnem indueret, pollicitus esset, ex quadam iustitia debita erat ea promissio; cæterùm quia eadem ex sola Dei misericordia promanarat, idcirco quidquid hic debiti est, ac iuris ex misericordia profectum est, & in ea innixum. Sed malo potius opus fidelitatis appellare quàm iustitiæ, promissio enim tunc ex iustitia debetur, cùm onerosa est, vel sub operis conditione. Porrò hæc absoluta fuit, proinde neque ex ea natum est iustitiæ debitum, sed fidelitatis potius. consule ea de re Franciscũ Suarez to. 1. dis. B 39. sect. 1. item disp. 4. sect. 5. an verò sancti Patres Incarnationem meruerint vide eundem, eodem to. disp. 10. sect. 5. & 6. hæc enim reijcimus ad scholasticos. 9.

THEORIA X.

In v. 17. & 18.

CHRISTI promissio de qua v. 17. facta est in omni sæculo: In primo cùm dictũ fuit, *inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter semen*, &c. In sequenti verò sæculo, cùm pòst diluuiũ factũ est fœdus cum Noë, *Arcum meum ponam in nubibus*, vbi mysticè saltem Christus innuitur. In tertio cùm locutus esset Deus Abraham, vt immolaret filium suum Isaac, posteà vt habetur 22. c. Gen. v. 18. dixit illi Deus; C *benedicentur in semine tuo omnes gentes*, &cæt. In quarto, cùm Moysi lex data est, quæ tota typus est Christi. In quinto cùm ad Dauidem locutus est Deus, iureiurando illi affirmans, *de fructu ventris tui ponam super sedem tuã*. In sexto, denique prophetis locutus est, per quorum os, & vaticinia Messiam daturum se pollicitus est. Rectè igitur Paulus ad Hebr. 1. scripsit, *Multifariam multisq; modis, olim Deus loquens patribus*, &c. Imò verò cærimoniæ illę veteres omnes, & sacrificia Christum quodammodo loquebantur, Christum promittebant: erant enim tamquam paries ille, pòst quem Deus, qui ab Isaia dicitur, absconditus latebat, & loquebatur tamẽ licèt non appareret, vt meritò dictum sit, *en ipse stat pòst parietem nostrum*, eadem quoque vaticinia erant illæ fenestræ, ac cancelli, de quibus D subditur, *respiciens per fenestras, prospiciẽs per cancellos*: nam per illa vaticinia, ac cærimonias deriuabatur ad nos Dei lumen, & cognitio de Christo futuro, nouissimè verò fracto pariete, seipsum clarè ostẽdit Deus diebus istis cùm locutus est nobis in filio. 1. 2.

V. 18. *Mansit autem Maria*] solet hic in dubium verti, an B. Virg. interfuerit Diui Ioannis natiuitati, & quidem non videtur interfuisse: nam postquam Lucas descripsit, B. Virg. domum commigrasse, subdidit, *Elisabeth autem impletum est tempus*, &cætera. videtur igitur pòst Virginis abscessum editus Ioannes in lucem: deindè constat ex Luca, sexto mense à concepto Ioanne Virginem in montana festinasse vt cognatam inuiseret, atque tribus ferè mensibus ibi mansit, hoc est non integris, ergo domum redijt, nondum nouem exactis mensi- 3. Maria an interfuerit natiuitati Ioannis Baptistæ.

bus,

bus, qui à conceptu ad partum ſolent interfluere, ſic opinantur Theophylactus hic, Ianſenius, Caietanus, Rupertus Canticor. primo, & alij. At probabilior eſt, vt & communior contraria opinio, & videtur D. Ambroſ. Bedæ, Euthymij, & aliorum, quæ ſic ſtabiliri poteſt, nam vt inquit Petrus Damianus ſermone de Ioanne Baptiſta, fortaſsis vſque in diem natiuitatis Ioannis Glorioſa Virgo cum cognata ſua morata eſt, donec puerum natum ſinu beatiſsimo & foueret, & vno pariete remoto propinquiorem redderet præſentiæ creatoris, non eſt autem difficile hoc ex Euangelio coniectare. Alij, qui librum iuſtorum diligentioribus oculis inſpexerunt, ibi ſe vidiſſe teſtatur, quod ipſa Dei Genitrix fœlicem puerum primùm de terra leuarit. Et cognatæ partum omni proſequuta ſit ſeruitute. Hęc ille. Quis verò ſibi facilè perſuadeat, Mariam, quæ charitate ardens cognatam quod grauida eſſet, inuiſerat, & tamdiu cum ea fuerat, haud dubiè vt pregnantem adiuuaret; cum partui propinquam videret, deſeruiſſe, eo potiſsimum tempore, quo magis erat eius opera neceſſaria? Adde & illud ex Beda, quòd Virgo Beatiſsima ad Eliſabetham venit, vt Ioannem ſuis ipſa oculis cerneret, immò verò, ſi Lucæ verba rimemur exactius, & diligentius perueſtigemus, intelligemus ſanè propterea in primis dixiſſe Lucam, *manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus*, vt indicaret interfuiſſe partui, quem neceſſe erat intra tres illos menſes accidere. & certè abſurdum videtur tam diu apud prægnantem manſiſſe, & deinde inſtante partu diſceſsiſſe, quaſi contempſerit natum eum oculis ſanctiſsimis cernere, quem filij ſui præcurſorem, futurumque prophetam, non ignorabat: vt interim omittam deſideraſſe Beatam Virginem intueri ea, quæ admiratione digniſsima debebant in illius ortu occurrere, quę vero ſimile eſt illã ea nouiſſe. Neq; verò quæ contra hæc obiecta ſunt diſſoluere difficilè eſt, nam quod poſt diſceſſum Mariæ expoſitũ ſcribat Lucas ortum Ioannis, per anticipationem, vt non pauci affirmant neque indocti, factum eſt. Anticipatione verò Euangeliſtas ſæpè vti nemo eſt, qui neſciat, perſertim, vt hiſtoriam aliquam, quam texere inceperant, abſoluant, itaque his prius expoſitis, quæ ad Annunciationem, Mariæ aduentum ad Eliſabeth, eiuſque reditum pertinebãt, aggreſſus eſt Lucas ad aliam hiſtoriam de Natiuitate Ioannis. Ad illud quod de ſexto menſe dicebatur, reſponſũ eſt in Schol. n. 43 Sed ſunt qui non libenter hanc ſententiã amplectantur, quia non decuiſſe affirmant Caſtiſs. Virg. partui intereſſe, ſolitas etiam fuiſſe Virgines inſtante partu diſcedere. Sed imprimis, vbi hunc morem legerint, non ſcribunt. deinde aduertere debuiſſent B. Mariam ita Virginem fuiſſe, vt eſſet & Mater. Poſtremò ſi non decebat intereſſe, potuit dùm Eliſabeth pareret ſeorſim ſecedere. quare omninò hæc mihi opinio magis probatur.

4. *Authoris ſententia.*

5.

A

B

C

D

DIGRESSIO PRIMA MORALIS,

In verba illa: *Exurgens Maria abijt.*

HIc admirari libet inſignem virginis humilitatem: in more eſt poſitum, vt cum quis ad dignitatem aliquã euectus eſt gratulationis & obſequij cauſa inuiſatur domi ab alijs: Et Maria Virgo effecta erat omnium Domina, euecta ad altiſsimũ dignitatis gradum, nempè vt mater eſſet Dei, proſtrauerant ſe Angeli ad Adorandum Chriſtum, ad eius tamquam ad Reginæ pedes accidentes, quam etiam tunc nõ dubium veneratos eſſe omnes Angelorum choros, cùm Chriſtum concepit, & tamen ipſa potius ad inuiſendum Eliſabeth cognatam properat. Quanta verò fuerit dignitas matris ad quã eſt euecta ex tribus conijce. Primùm quia cenſetur Mater, idem quodammodo cum filio, recipit enim filius corpus à Matre. Itaque pars quædam ſubſtantiæ, quæ præceſſerat in Maria, fuit poſteà, & eſt nunc ſubſiſtens in Chriſto, verbi ſubſiſtentia. Deindè Mater vnit animam medijs diſpoſitionibus corpori, vt hoc modo dicere liceat, filium animam à matre accipere. hinc denique fit, vt recipiat filius quæ conſequuntur humanam naturam vniuerſa; & propterea adeò ſimul coniuncti ſunt mater, & filius, vt cum eſt hic in alterius vtero, non duo, ſed vnũ dicantur potius, nõ ſecus ac arbor cum fructu; vnumque ſtatuant tunc Theologi Angelum vtriuſque cuſtodem. quibus addit Ariſtoteles, quod cum editus filius in lucem pars matris dicatur eſſe, eumque illa diligat, vt totũ, partem ſuam, ob id non eſſe mirandum, Dijs & parentibus æqualem gratiam reddi non poſſe. quæ omnia multo veriùs locum habent in B. Virg. quia cùm Chriſtus vt homo patrem non habeat, ſola B. ipſa V. eſt illi Matris & Patris loco. Cùm ergo tanta ſit matris, & filij coniunctio, quanta erit Virginis huius dignitas, quæ tanta eſt filio cohoneſtata, vt proinde tanto maior ſit eius humilitas, cùm ſe ita demittit, ac deſpicit?

1. *B. Mariæ Virginis humilitas.*

2. *Dignitas matris Dei quanta.*

Licèt autem ſe ipſa deprimat & ſalutandi ſtudio inferiorem adeat, incedit tamen cum illa tota cœleſtium, ſpirituum Curia, vbi enim Rex & Regina, ibi Curia præſto eſt. vidit Iacob Gen. 32. Angelos, & ait: *Caſtra Dei ſunt hæc*, ita iam dicere liceat, propè Mariam caſtra Dei eſſe, ac terribilem illam videri truculentis inferni monſtris; ſtipabant quippe illam cœleſtes Angelorum ir numeræ legiones &cæt. vide quanta humilitatem gloria conſequatur.

3. *Maria comitata & munita Angelorum caterua.*

Sed quid Lucas dicat, Audiamus: *exurgens*, inquit, *Maria abijt*] Mater iam erat omniũ noſtrum, cum primùm CHRISTI eſt effecta mater, in ipſo enim Chriſto omnes nos continebamur, & ideò venter eius aceruus tritici dicitur Canticorum ſeptimo. vnum illa vtero geſtabat granum, CHRISTVM ſcilicet; & tamen aceruum continebat, nam propterea venter eius aceruus tritici dicitur. Cur ita? quia nimirùm in illo vno tritici ſemine omnes

4.

etiam

etiam nos portabat vt mater filios, qui in illo vno eius filio continebamur. Propterea minimè mirandum, si iam exurgens festinet, in montanaque properet, quæ prius DEO soli vocans, & contemplationi dedita sedebat domi: mater enim nunc effecta, matrem se ostendit, omnium nostrorum tamquam filiorum curam gerit, & ideò de nostra omnium salute sollicita circuit, non sedet otiosa, non quærit quæ sua sunt.

5. Iterùm si lubet eadem verba perpendamus, abijt Maria: nihil tam admiratur sponsus Cant. 7. quàm sponsæ gressum, *quàm pulchri sunt*, inquit, *gressus tui in calceamentis filia principis*, & quidem per hos gressus, & calceamenta intelligere non absurdè possumus charitatis, & misericordiæ opera, quare hoc non est dissimile ei, quod idem sponsus laudat, & commendat in sponsa, dùm ait Cantic. quarto & septimo. *Duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ.* Duo namque vbera lacte distenta non malè charitatem, & misericordiam indicant; nam sicut vberibus matres filijs succurrunt, dùm lacte eos nutriunt, ita pietate, & misericordia proximis subuenitur, hinnulo inter alia duo insunt promptitudo quædam ad saltandum; & ad currendum hilaris & grata quædam agilitas, vel leuitas quædam corporis. Deinde hinnulo illud tribuitur, quod acumine visus est, ac perspicuitate donatus à natura, meritò igitur misericordia, ac pietas charitasue Mariæ duobus hinnulis similes esse dicuntur. ipsa enim commiseratione in alios velox est, ac prompta ad succurrendum, pietate verò viget incredibili ad subtiliter, atque intimè perspiciendum aliorum necessitates, non publicas modò, sed & singulorum etiam quamuis reconditas, intimas, atque abstrusas; quare subdit sponsus eodem loco; *Oculi tui sicut piscinæ, quæ sunt in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis*; porrò Hesebon ciuitas est, cuius nomen si interpretari velimus idem est, ac cogitatio festinans intelligere, & benè id quadrat in Mariam festinantem cernere, ac intelligere in domo Zachariæ Dei mysteria, & arcana cœlestia. porrò porta huius ciuitatis dicitur vocata Barrabim, id est, *filia multitudinis*, quod item rectè conuenit huius Virginis pietati, ac misericordiæ, respicit eos in primis, qui multitudine filiorum, vel præsurarum multiplicitate grauantur. itaque similes piscinis Hesebon dicuntur oculi Beatæ Virginis, quæ limpidæ prorsus & latè patentes erant: Talis namque est pietas, eiusmodi misericordia Mariæ, quæ ambitu, ac complexu suo omnes complectantur mortales, quæ operum, ac beneficiorum multitudine cunctos exhilarent, quæ nunquam aliorum malis perturbetur, vel cessent à benefaciendo, nec mirum, mater est illa omnium nostrum tranquillè, hilariter, pacatè omnes subleuat, omnes tolerat, omnibus materno affectu compatitur, omnibus item opem fert.

Duo vbera sponsæ quid significent.

6.

A

DIGRESSIO II. MORALIS

In illa: *Magnificat anima mea.*

1. *Maria nitidissimum speculum.*

ERAT castissima Virgo nitidissimi instar speculi, cùm ergo optaret Deus, quæ sua est bonitas, pulcherrimam mundo faciem ostendere, id est, carnem induere humanam, non aliud reperit nisi vnum dumtaxat inter homines speculum, quod sine vlla prorsus macula esset. Mariam intellige, quæ tota pulchra est, & in qua nulla vnquam peccati labes fuit. In eius igitur vtero apparere voluit Dei Filius, tamquam in clarissimo purissimoque speculo, vt se ipsum mundo declararet, seque videndum exhiberet, eorum explens desiderium, qui summis efflagitabant votis, vt tandem aliquando faciem suam ostenderet, seque incolumes redderet, saluti restitutos optatæ. Hoc igitur factum est, cùm primùm assumpta carne, & humanis artubus ex purissmis admirandæ huius V. sanguinibus compactis, & coagmentatis hominem induit; Deus ergo vbi incredibilem hanc verbi pulchritudinem in se ipsa primùm aduertit Virgo rapta tãtę pulchritudinis amore in hæc ardenti studio prorupit: *Magnificat anima mea Dominum*, quasi dicat, laudibus attollo tam immensam pulchritudinem, & ex intimo cordis mei penetrali gratias ago, habeoque quantas possum maximas tantæ liberalitati. est enim hæc loquendi formula hominis magnum in se collatum beneficium prædicantis, ingentesque gratias pro eo agentis.

B

2. Iterùm, vt quantum præstitum sit beneficiũ agnoscas, aduerte hoc in ventre sanctissimæ Virginis peractum esse, cùm Deus hominem induit, vt terra veluti loco mota fuerit, depressi cœli iuxta illud, terra mouebitur de loco suo, & illud, inclina cœlos, & descende, sed hoc interest inter cœlum, & terram hac in re, quod hęc moueri è centro nõ potest, nisi sursum versus ascendat, illud verò inclinari nequit, nisi deorsum versus deprimatur. Itaq; cum vellet cęlũ, hoc est Deus, sibi terrã, hoc est hominẽ conciliare, scilicet deposita inimicitia iustoque odio, eumque amplecti; hoc ipsum effecit in vtero Virginis cùm cœlos inclinans descendit ad nos, naturamque nostram extulit ad sui, hoc est, diuinæ naturæ cõiunctionem, personalemque Verbi vnionem. tunc ergo ascendente terra, verè cœlum ad ima depressum est. quod cũ totũ in virgine gestũ sit, quid miramur, si tanti beneficij conscia Maria tanto studio ad agendas Deo gratias feratur & per omnia Iudęæ mõtana læta concinat. *Magnificat anima mea Dominũ?*

C

D

3. Notaui in scholijs. n. 23. non expectasse vmquam Beatam Virginem tempus ad Deum laudandum; addonunc nos miseros, proh dolor, caducis, ac fluxis rebus affixos à futuro pendere semper, nam dum recẽs ætas est, dicere imprudenter solemus, postea hoc, vel illud bonum opus faciã, ob id erramus sæpius, ac decipimur. Quis enim iuuenis arma detrectans, & imbellẽ, socordemque vitam ducens, nec satis exercitatus in bello, iam factus senex victoriam de hoste præualido in primis, ac robusto viribus reportare poterit? sunt qui mortem expectant incauti, vt Deum per bona opera magnificent, bonisque moribus studeant, vt vitam castè, san-

ſanctèque degant, nimirum ij toto procul dubio aberrant cœlo; nam vt lignum ingens vndis maris iactatum facilè huc illuc mouere poteris, ad littus tamen appulſum plura licèt boum iuga adhibeas, vix trahere valebis, ita dum inuitæ huius ſalebroſo mari vitam viuimus, quamuis contrarijs ventis ſæpè rapti, facilè tamen bonis operibus ſtudere poſſumus, & magnos in virtutibus progreſſus facere. Sed ad littus, vbi venerimus, id eſt ad mortẽ, difficillimi ſanè negotij eſt, veteri conſuetudine renitente, in meliorem nos frugem recipere, & verè ſincereque ad Deum redire; ergò dum tempus habemus, operemur bonum, ad Galatas 4. Sed vide quomodo Deum magnificet.

Ait ergo, *Anima mea*] Non inanibus verbis, ſed anima & corde Deus eſt magnificandus: alioqui in nos iure illud intorquere poterit Deus: populus hic me labijs honorat, cor autem eorum longè à me. Hos leoni mortuo Samſonis n. 24. in Schol. eſſe ſimiles diximus. At non ita Virgo hæc ſacratiſſima, plus illa anima & corde loquebatur, quàm verbis.

Porrò verè *Animam ſuam* appellat. Sola enim Maria, ſi ſincerè loqui velimus, eam quam habebat animam dicere *ſuam* poterat. Primùm quia plenè in ſuam dominabatur voluntatem: nulli enim rei plus quàm oporteret, adhærebat, nulli ſe ſubijciebat. Is verò qui animo ſuo non dominatur, ſæpè vel per impatientiam, & iram, vel per ambitionem & auaritiam, aliaque id genus vitia fertur ad ea, quæ nollet, nec habet in manu ſua animam ſuam, ad quod neceſſe eſt cohibere ſenſum, & intelligentiam permouere. Eſt enim corpus noſtrum non abſimile currui quatuor rotis inſtructo, quæ ſunt elementa quattuor, quibus corpus noſtrum conſtat; trahitur his duobus equis, quorum vnus ardens, & præceps eſt, alter tardus, & piger, ille ſenſus, hic intellectus dicitur, & ille iniecto fræno eſt coercendus, vt pareat, iſte incitandus calcaribus ad earum rerum contemplationem, & meditationem, quæ è re noſtra eſſe cenſentur, vel ad virtutes parandas faciunt: proinde auriga, id eſt, hominis mens, debet altera manu frœnum, altera flagellũ tenere, armet item calcaribus vtrumq; pedem, quod cùm quis non indiligenter præſtiterit, tunc aliquo modo poterit ſuam vocare animam, quam habet. His accedit, & altera ratio, quamobrem Beatiſſima Virgo ſuam potuit vocare animam, quia nimirum totam ſe omninò Deo tradiderat, & plenè conſecrarat, nihil autem magis noſtrum eſt, quàm id quod in Dei manu collocamus; quia nuſquam tutius quàm ibi eſt. Sumit autem hæc ratio ſecunda inde etiam robur non paruum, quia cùm Chriſtus eſſet quodammodo Beatæ Virginis, quippe filius matris eſſe dicitur; propterea quę filij erant, etiam matris eſſe dicenda ſunt, ergò cùm ipſa filij eſſet, & quidem peculiari quodam modo, eadem ratione ipſa etiam ſub ſua erat poteſtate. Denique & aliter ſuam poterat iure vocare animam, propter ardentem, maximumque amorem, quo Deum amabat, atque adeò in Deo, & propter Deum animam etiam ſuam ſummo proſequebatur amore: quanto A autem plus Deum amamus, tanto magis & animam noſtram diligimus, quæ autem amamus magis, vehementiorique amore proſequimur, ea etiam noſtra vocare ſolemus, & quidem tanto magis, quanto plus ea diligimus.

DIGRESSIO III. MORALIS,

In v. 9. *Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.*

SOlet ſubinde gaudium oriri cùm adeptus quiſpiam eſt, id quod ſummis expetierat votis, præſertim ſi præter ſpem eueniat, deinde etiã nobili inuento theſauro adeò quis exultat, interdum, vt præ gaudio illius *vadat, & vendat vniuerſa, quæ habet, & agrum emat.* In B quo theſaurum collocatum inuenit. Mulier etiam edito in lucem filio *iam non meminit preſſuræ* partus *propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum*, Ioan. 16. Adhæc ob partam fortiter in bello victoriam, vt Iſa. habet c. 9. *exultant victores capta præda.* Poſtremò, cùm præſens adeſt ſponſus, & nuptiæ celebrantur, mirum eſt quàm gaudeant homines, præſertim ſi per nuptias ſponſæ dignitas augeatur. His omnibus de cauſſis multò melius, quàm quiuis alius exultare debuit ſanctiſſima Virgo: obtinuerat deſideratum gentibus, & à priſcis illis, ſanctiſque patribus ſummis expetitum votis, & quidem, cùm minimè [illegible] ſe tale aliquid ipſa cogitaret: Inue[illegible]at gr[illegible]m, theſaurum omni diuitiarum genere redundantem, imò omni theſauro pretioſiorem. In lucem filium mox editura erat, quem iam conceperat, cuius ipſa vna, ſolaque parens erat, neque vllum propterea virginitatis detrimentum paſſa fuerat. Eadem ipſa arma contulerat, carnem videlicet, & ſanguinem filio, quibus fuerat vincendus dæmon, eiuſque regnum delendum, vt tanta parta victoria redimeretur orbis vniuerſus, cuius etiam cacodęmonis ipſa quoq; caput cõtriuerat, cùm ſine peccati labe concepta fuit. Poſtremò in eius vteri Thalamo Aeternus pater nuptias fecerat filio ſuo, in cuius ipſa conceptu, Dei matris incredibili dignitate aucta eſt, & donata, iam omnes enumeratæ lætitiæ cauſſæ in hanc vnam incurrerunt. Quare, ò Virgo Beatiſſima, quando *velut mare eſt exultatio tua*, fac me, rogo Domina, tanti gaudij participem fieri, quo dilatato corde curram poſt odorem vnguẽtorum tuorum per viam mandatorum Dei mei filij tui.

1. *Gaudium vnde oriatur.*

Sed non eſt in præteritis habendum, duas hoc verſu lætitiæ veræ conditiones inſinuari, cùm enim ait *ſpiritus meus*, non *caro mea*, nequaquam in carne, verùm in ſincero ſpiritus gaudio veram poſitam eſſe lætitiam manifeſtè virgo declarat. Nam vt viride lignum in ignem iniectum ſimul & ardet, & humorem ceu lacrymas emittit, ita iuſtus vir, dum exultat, mente ardet, ac ſpiritu flagrat amoris igne inflammatus, carne verò gemit & illacrymatur. Itaque qui vera cordis lætitia frui vult, carnem ſubijciat neceſſe eſt. Hinc Ezech. 20. ſcriptum eſt: *Comburam in te omne lignum viride*, & Prouerb. 14. *riſus dolore miſcebitur*, vt intelligas

2.

3.

carnem tibi macerandam esse,& affligendam, si mente,ac spiritu, cœlesti voluptate frui velis. Hinc etiam est,quod Genes.21. monemur, Ismaelem abijcere,ne ludat cum Isaac, *Ejce ancillam,& filium eius,* quia nimirum subijcienda conculcandaque est caro, ne spiritus exultet, nec permittendum,vt illa suis delicijs, spiritus interturbet hilaritatem. Marcescat etiam necesse est neruus viri iusti, percusso eius femore,& claudicet caro,vt faciũ est olim, quando Iacob cum Deo luctatus est, ita illud præstabimus,quod docuit nos Apostolus Coloss. 3. *Mortificate membra vestra.* Altera est veræ lætitiæ conditio,quæ hic innuitur, nimirum,vt in Deo salutari exultemus. Porrò qui in diuitijs, voluptatibus, alijsque id genus rebus fluxis, & caducis exultat,is certè in rebus , quæ nihil in se succi continent,sed quasi vmbra inanes sunt, exultat , audi Eccles.8. *Transierunt omnia tanquam vmbra.* Quid quæso inanius vmbra dici, aut excogitari potest?statim præterit,nũquam non tetrica,nõ obscura,tenebricosa est,quamuis aureo de corpore gignatur : itaque voluptas ea,quæ ex diuitijs,voluptatibus, terrenisque honoribus existit, similis habenda est nigræ obscuræque vmbræ , nihil omninò lucis habens,nihil quod solidum,purum,stabile sit: est enim laboribus,angustijs,periculis admista mundi voluptas.

5. *Beati in cœlis duo agũt.* Aduertit Augustin.in expos. huius cant. præstitisse Beatam Virginem hic duo,quę maximè solent in cœlis beati illæ animæ tes ; contemplantur enim numen illud , maiestatemque Dei immensam; & præterea dulcedine inde quadam afficiuntur, Deique bonitate delectantur. Si enim rectè perspexeris versũ primo virgo Deum, vt vniuersorum Dominum contemplata, laudauit, & immodicis extulit laudibus. Secundo porrò versu, exultauit in obtenta ab eo salute,& beneficijs acceptis, eius bonitate & munificentia singulari exhilarata est. his ergo muneribus se quisque nostrum Virginem imitatus exerceat in terris, quibus perfuncturus est in cœlis.

6. *Tria mirãda in Deo exultemus.* Vt verò hinc aliam quoque vtilitatem decerpat lector,aduertat tria nobis curanda esse, vt in Deo exultemus. Primùm quidem, vt Mariæ personam induamus,nempe simus mare amarum , peccatorum nostrorum dolorem concipientes,ad quem excitat nos toties Deus, quoties tribulationes immittit,& ærumnas: sic enim ille ad se homines vocare cõsueuit, quos videt in fluxis hisce rebus altas iam radices iecisse. 7. Nam vt Absalon 2.Regum 14. semel atque iterum accersiuit Ioab , sed venire ille recusauit , verùm iniecto tandem in segetes , agrumque illius igne compulit illum, statim vt accederet Ita planè nobiscum agit Deus , vocat te semel,& iterum,resistis , vocaui, inquit, & renuistis,extendi manum meam,& non fuit qui aspiceret: tandem calamitatum ignem immittit,vt ad te ipsum redeas , hoc est, vocantem audias,& adeas , quod magni beneficij loco debet esse . Sic Oseæ 2. Meretrix illa, quæ prius dixerat,*Vadam post amatores meos*,&c cùm videret se postea in medio calamitatum igne positam, & miseram , vilemque prorsus effectam,illicò mutato consilio, dixit, *vadam,& reuertar ad virum meum priorem , quia bene mihi erat tunc magis,quàm nunc*;ita nobiscum fit, cùm relicto Deo,sectamur carnem , diuitijs inhiamus,honores prosequimur : Dei consilio , & prouidentia fit sæpè,vt vel ipsæ diuitiæ,honores,deliciæ sint nobis angori potiùs,quàm voluptati,atque adeò fit , vt in his non conquiescat animus ; quare tandem reuertimur miseri ad Deum,quem insani reliqueramus, & meritò id accidit nobis , fecisti enim nos Domine ad te,& inquietum est cor nostrum,&c. simus ergò oportet mare amarum,si in Deo nos cum Maria exultare cupimus.

Non descendat Isaac in Aegyptum , sed Iacob tantùm,sic enim iubet Deus Genes.26. & 46. Isaac risus est , Iacob supplantator, & bellator,Aegyptus mundum repræsentat. Ne ergò Isaac Aegyptum ingrediatur , neque enim risui,& voluptatibus,dum sumus in Aegypto, incumbendum est: descendat illuc potiùs Iacob ad debellandos animi hostes , certandumque cum vitijs. Duo alia restant necessaria, vt exultes in Deo , nimirum sis in domo Zachariæ,id est, beneficiorum Dei recorderis. Zacharias enim memoria Domini dicitur . Ita enim fiet, vt summa voluptate perfruaris. Tãdem mentis vtero , vt Maria etiam corporis Christum portes necesse est,hoc est,Christi fidem , per quam Deum inuoces Saluatorem tuum,opemque implores , ita enim ille aderit,audietque preces de cœlo , & te purissimis rerum cœlestium voluptatibus identidem consolabitur.

DIGRESSIO IV. MORALIS,

In vers. 15. *Esurientes impleuit bonis,&c.*

HVius versus partẽ illam satis in Scholijs declarauimus, quæ ad literæ sensum pertinet;reliquum est, vt hæc mysticè ad Beatam Virginem, deinde verò ad mores accommodemus; sic igitur , quod ad primum pertinet accipe: laborabant olim homines ante Christi aduentum fame,appulit ad vitæ huius portum,nauis onusta pane , quæ esuriem omnem depelleret, & exigeret è mundo.Nauis,inquam,illa;de qua Prouerb. 31.scriptum est , *Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum* , nempe Beatissima Virgo; nauis huius funes orationes erant , quæ illam arctissimo vinculo cum Deo connectebant, per quas etiam & ipsa virgo ad contemplationis arborem ascendebat, eiusque culmen tenebat: sanctæ porrò cogitationes ceu carbasa erant,spiritus sancti vento expositæ ; anchoræ locum habebat spes , neq; ibi deerat omne genus armorum, virtutum scilicet , mille namque clypei pendẽt ex ea , omnis armatura fortium,Cant.4. Panis quem gestabat nauis hæc non alius,quàm Christus erat,panis verus, qui de cœlo descendit.Cæterùm omnibus nos bonis hic panis impleuit , non enim esuriem modò pellit, sed cùm omne in se bonum contineat, & claudat , diuitijs omnibus affluere facit,& vt vno dicam verbo , omnia inuehit bona,quæ desiderare possemus; vt meritò pro-

1.

B. Virgo nauis.

2.

inde

inde *naus* hæc *institoris* vocetur, licèt panem tantum portare dicatur: aduehit enim cum eo tam diuites merces, vt omnium valeat desideria explere mortalium, & beatorum, ergò rectè mystico sensu in Beatam Virginem hæc verba conueniunt, *esurientes impleuit bonis*, &c.

Verùm vt diuites demum inanes verarum diuitiarum, & earum etiam, quæ hic possidentur, remanere non ignores, & saltem ex hac vita miseros, inopesque discedere, illud mihi aduertas velim, quod aliqui non modò verè, sed sapienter etiam obseruant; vti cacodæmonem diuitibus istis insipientibus, & elatis, instar illius vrnæ, in quam pecunias conijcimus, & clam recondimus, quibus integro adhuc vase non fruimur, sed vbi fractum erit, tunc illas vsurpamus; ita dæmon hos diuites implet diuitijs, quasi vasa quædam, quibus tamen diuitijs illi dum viuunt parcunt, quamuis in accumulandis opibus laborem, operamque impenderint non paruam. Cùm verò morte franguntur, tunc non illi ipsimet diuites, qui in modum vrnæ pecunijs stipati erant, sed qui in hereditatem succedunt, diuitijs illis diuitum laboribus partis, perfruuntur: vt non dubites affirmare, inanes illos remansisse. Vulgare quidem exemplum est, & omnium ferè ore tritum, sed quod rem hâc maximè illustret, quomodo nimirum diuites dimittantur inanes.

Si igitur diuites inanes remanere nolint, nec cum diuitijs regno Dei priuari velint, hæc tria non indiligenter obseruent, ad ista animum adijciant, his studeant, primùm, ne plus æquo solliciti sint, præcipuum studium figentes, & cogitationes in aggerendis opibus: hos enim meritò reprehendit Dominus Luc. 12. *& vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis, & nolite in sublime tolli.* Sicut videlicet auari faciunt, qui vultum, oculosque in altum tollunt, ad obseruandas pluuias, astrorumque mutationes, solliciti nimium, & anxij de futura annonæ caritate, vel copia; hoc igitur primum est. Alterum verò est, ne in alios insolescant, vel etiam superbiant, & propter opulentiam efferantur, semper alta, sublimiaque mundi spectantes. 1. Timoth. 6. scribit Apostolus ad Timotheum, *diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere.* Rectè namque quidam viri sanctitate & sapientia illustres docuere, perinde esse, ob diuitias efferri quemquam, ac si quispiam ægrotus iactaret se de multis pharmacis, & medicamentis; sunt enim diuitiæ ad necessitatem naturæ tanquam remedia, & pharmaca quædam. Denique tertiò esse non debent diuites illis similes, qui sibi thesaurizant, *& non sunt in Deum diuites*, Lucæ 12. 21. quod est, vti diuitijs ad bona opera, quibus in Deum tenditur, hoc enim est in Deum diuitem esse, quod monet Apostolus Timotheum in prima ad illum c. 6. *diuitibus huius sæculi præcipe*, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.

A

B

C

D

CAPVT VII.

NASCITVR IOANNES PRAECVRSOR CHRISTI, ET CIRCVMciditur c. 1. 57.

1. *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium.*
2. *Et audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.*
3. *Et factum est in die octauo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam.*
4. *Et respondens mater eius dixit, nequaquam, sed vocabitur Ioannes.*
5. *Et dixerunt ad illam, quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.*
6. *Innuebãt autem patri eius, quem vellet vocari eum.*

SCHOLIA.

MEns Lucæ est D. Ioannis Baptistæ natiuitatem nobis ob oculos ponere, ait ergò *impletum fuisse tempus ipsi Elisabeth pariendi*, qua dicendi formula vtitur, vt non solùm secundùm naturæ ordinem natum esse Ioannem, verùm etiam, vt quod Angelus promiserat Zachariæ de partu Elisabeth, iam adimpletum esse, ostenderet. Itaq; significat, & Diuinam promissionẽ per Angelum factam cõpletam esse, & Ioãnem in suo ortu tempus à natura præscriptum non mutasse. Nam quod Orig. hom. 9. & Ambros. obseruant in scripturis, de iustis tantùm scriptum, quòd impletum sit tempus pariendi, & quod vbicumque iustus nascitur ibi compleri dicantur esse dies, ortus enim iusti plenitudinem habet; peccatoris, vacuitatem quandam, & inanitatem: hæc quidem rectè dicuntur, sed ad spiritualem sensum pertinent, illud ad literæ facit sensum, impletum esse tempus, nouem scil. mensium à conceptu Ioannis circa 24. Septemb. Interea cùm Maria ageret cum Elisabeth, nã eius discessum ab Elisabeth narrari à Luca per anticipationem satis superq; prius dictum est c. 6. tum in Schol. n. 43. tum Theor. X. n. 5. 1.

2. *Audierunt vicini*] grauidam audierunt, quia post quintum mensem non se amplius occultabat Elisabeth, iam vero audito partu, longè maiori admiratione, & lætitia affecti sunt. 3.

Magnificauit] quod magna vsus esset misericordia erga eam liberans illam opprobrio sterilitatis, & talem impertiens prolem.

Congratulabantur] Græcè συνέχαιρον, id est, cõgaudebant: sic impletum est illud vaticinium, *multi in natiuitate eius gaudebunt.* Potest quis congaudere, & non gratulari, si lætitiam animo conceptã exterius non exprimat: contra, potest quis gratulari, & non gaudere, si tantùm exterius lætitiam ostentet. Congratulatur autem qui non fictè, sed verè, qui & animo gaudet, & exterius gaudij signa exprimit. hoc ergò rectè dixit Latinus interpres, per verbum *congratulari* potiùs, quàm per verbum *congaudere*, vt internam simul & externam lætitiã exprimeret. Non dicuntur autem vicini cõgratu-

lari Zachariæ, quia surdus erat, & licèt nutibus fieri potuisset congratulatiò, vt plurimùm tamen solet verbis, ob id dictum est, *congratulabantur ei*, id est, Helisabeth, nõ igitur voluit Luteæ interpres verbo gratulandi vti, sed maluit cógratulandi vocem vsurpare, vt internam etiam lætitiam tacitè indicaret, & quod sicut Helisabeth animo verè gaudebat, ita vicini nõ fictè illi gratularentur, sed animo, communem cum illa lætitiam habentes.

4. Ioannes domi circumcisus.

3. *Venerunt*] igitur domi videtur circũcisus, neque enim verosimile est Helisabetham ire potuisse post partum eam citò in locum alium, & interfuit tamen filij circumcisioni: itaq; venerunt, intellige in domum Zachariæ, si autem alibi fuisset circũcisus, dixisset potiùs Lucas, tulerunt puerum vt circumcideretur. Veniſſe autem intellige nõ Ioannis parentes, sed alios, qui circumcisionis causa venerant, amicos scil. cognatos, & circumcisionis ministros, & de illis intelligi debet dictum esse, quod sequitur.

5. *Vocabant eum*] id est, volebant vocare, seu vocare incipiebant, ac quasi de vocãdo tractabant: in circumcisione namq; imponebantur nomina. An verò ante, vel post quam erat circumcisus puer, quod videtur probabilius, non cõstat; quod autem hoc sit probabilius patet ex eo, quod nominis impositio subditur hic post circũcisionis commemorationem, & inferiùs c. 2. dicitur, *Postquam impleti sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus*, &c. En prius de circũcisione, posteà de nomine fit mentio. Porrò Zachariæ tẽpore in more positũ videtur, vt imponerentur nomina parentum, aut cognatorum recens natis infantib. & idcirco subditur, *quòd nemo in cognatione tua est* &c. vt v. 5. habetur. Cur autem in circumcisione & nunc in baptismo imponantur nomina. Vide hic apud Mald. & Tolet. annot. 124. breuiter ex Theophylacto, & Chrys. ho. 9. de laudibus Pauli, causſa est; quia per circumcisionem, sicut per baptismum nunc, puer de populo Dei efficiebatur, & verè inter Iudæos vt nũc inter Christianos cõputabatur.

4. *Mater eius*] edocta videlicet à Spiritu sancto. Nec enim de muto marito id didicerat, præsertim quia si matrem Dei agnouerat, quid mirum si & hoc nosse potuit?

6. Respondere in scripturis quis dicatur.

Respondens] Nota, in scripturis dici respondere interdum eum qui aggreditur loqui etiam non interrogatus, & licèt nemo ante locutus sit. Matt. 11. *& respondens dixit; confiteor tibi Pater*, &c. dicitur etiam respondere, etiã si non sit interrogatus quis, quoties præcesſit aliquod dictum, vel factũ, cuius occasione loquitur, & hoc modo potest hic sumi, nam cognouit voluisse cognatos Zachariam vocare; potuit tamen interrogari, sed prius est verius, nõ fuisse interrogatam.

5. *Quia nemo est*] quia, more Græcorum, & Hebræorum additum est non significationis causa, vt & quoniam Paul. Heb. 7. *Contestatur enim, quia tu es sacerdos in æternum.*

7. *Et postulans pugillarem scripsit dicens; Ioannes est nomen eius, & mirati sunt vniuersi.*
8. *Apertum est aũt illicò os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.*
9. *Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgabãtur omnia verba hæc.*
10. *Et posuerũt omnes qui audierãt in corde suo, dicẽtes: Quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo.*
11. *Et Zacharias Pater eius repletus est Spiritu sancto, & prophetauit dicẽs:*
12. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.*

A

SCHOLIA.

7. *Ioannes est nomen eius*] quasi dicat, Ioannes est à Deo impositum nomen eius, & propterea non dixit *sit* vel *erit nomen eius Ioannes*. cùm hic legamus, *scripsit*, non est verum dicere, illum dum tentat scribere, loquutũ, nec tamen scripsisse, vt vult Aug. vel autor lib. de mirab. sacræ script. l. 3. c. 1. Idem videtur Iuuencus l. 1. hist. Euan. sensisse dum canit: Sed prõ mira fides; tabulis cùm scribere tentat, implicitam soluit per verba fonantia linguam. 7.

Mirati sunt vniuersi] nimirum, quòd cùm alter de altero non didicerit, vnũ tamen & idem nomẽ, B
respondent, vnde cognoscebant qui aderant nõ obscurè à Deo sic nominatum esse, postulasse verò dicitur, nẽpe pater mutus; pugillarem, id est ceratam tabellam, in qua stylo scribitur, Græcè πινακίδιον tabellam.

8. *Apertum est autem*] quam incredulitas Zachariæ linguam Angelica voce ligauerat, subsequens fides nato puero soluit, sed & octaua die à natiuitate prolis editæ circumcidendæ: Cæterùm miraculum hoc restitutæ linguæ, quidam Patrũ infanti tribuunt, hoc est, eius meritis, quod & hìc indicatur, quia non prius quàm nasceretur puer, & dies eius circumcisionis adueniret, loqui potuit, imò Ecclesia insinuat, dũ canit: *Reformasti genitus peremptæ organa vocis.* Sed Tolet. ait; ideò octaua die locutum Zachariam nõ die natalis Ioannis, ne locutio virtuti nascẽtis tribueretur, sed illi, quem aduenisse Zacharias significauit. Sed responderi C
posset, ideò octauo die, quo imponebatur nomen locutus est, sed non die natalis, vt noua nominis futura impositio nouo miraculo confirmaretur, erat. n. noua huius impositio nominis in cognatione Zachariæ, & ideò non, dum circumciditur, sed dum nomẽ imponitur, Zachariæ lingua soluta est, quod & ipse Tolet. obseruat, itaq; ex eo, quòd non antè locutus est, quã nasceretur, rectè intelligitur virtuti filij tribuendũ id. quod verò non statim ac natus id factũ est, ratio reddita est ob nouã miraculosi nominis impositionẽ. Beda myſticè potiùs, ait; Pulchrè Zacharias octauo die editæ prolis loquitur, quia per Domini resurrectionẽ, quę octauo die, hoc est, post septimã Sabbathi facta est, occulta sacerdotij legalis arcana patuerunt. linguaque Pontificũ Iudæorũ, quam diffidẽtiæ vincula strinxerant, intelligentiæ rationabilis est voce soluta.

8. Zacharias quãdo vsum loquelæ recepit.

9. *Timor*] more Hebræorum est reuerentia & religio, q. d. impleti sunt religione quadam, itaq; natus est timor hic ex admiratione Diuinorũ operũ, D
expectabant autẽ admirabũdi vicini, quis istorum operum sequeretur euentus, quem tot signa præcurrebant.

9.

10.

Verba] id est, Res; hebraismus.

10. *Posuerunt omnes*] Ponere in corde, vel cõ ad aliquid, est de eo attentè cogitare, vt Luc. 9. *Ponite vos in cordibus vestris sermones istos.* Deut. 32. *Ponite corda vestra in omnia verba mea*, 1. Reg. 25. *Ne ponat Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum.* Ps. 47. *Ponite corda vestra in virtute eius.* Lucæ tamen 21. videtur sumi pro memoria tenere, & animo infigere, sic enim dicitur: *Ponite in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respõdeatis.*

11.

12.

Quis putas] Græcè, id est, quis nam. *Et enim manus*] verba sunt Lucæ. *Manus* significat aliquando potentiam, aliquando Prophetiæ spiritũ. Vtrumque, inquit Maldon. hic potest significare, sed puto

13. Manus quid significet.

tan-

tantùm pro potentia capi, q.d. quæ videbantur, & quæ præcesserant declarabant Dei potentiá in eo, seu in eius ortu & pueritia, & in primis Deum esse qui illa operabatur, ad indicandá pueri dignitatẽ, & quod singularis futurus esset vir, & Propheta. Obserua manú Domini, fieri super aliquem, esse, ostendere Deũ in illo suam potentiá, vel puniendo vt in Actis 13.11. *Ecce manus Domini erit in te, & eris cæcus:* vel cõmunicando illi energiam, seu Spiritũ Diuinum, quo indutus verè admiranda, & diuina, vel loquatur, vel faciat, vt 3. Reg. 18. 46. *Manus Domini facta fuerat super Eliã, accinctisq;* &c. & 2. Paralip. 30. 12. *In Iuda verò facta est manus Domini vt daret,* &c. 4. Reg. 3. 15. & apud Prophe. &c. & hoc idem hîc significat manus Domini, licèt illa præpositio cum, significet prætereà, multa Dominum ipsum operatum fuisse ad pueri indolem & dignitatem indicandá, idq; toto infantiæ & pueritiæ tẽpore. de toto enim loquitur Lucas cùm ait: *Etenim manus Domini erat cum illo,* nõ de vno solo die. Itaque sensus est, conferente Deo energiam ac spiritũ multa supra ætatem egisse puerũ, multa Deum etiá ipsum fecisse miranda ad indicandam pueri dignitatem, &c. G. est καὶ. loco etenim; sed vt notat Tolet. vim habet causalis particulæ, etiam apud Græcos. Euthym. per manú Domini intelligit virtutẽ, & gratiam, quæ erat in Ioanne, virtutẽ videtur intelligere, qua multa supra ætatẽ operabatur, gratiam verò quatenus erat plenus Spiritu sancto, & legit ὡς pro &, sed melior est prima expositio.

14. 11. *Repletus*] ad loquendũ quod sequitur, duo præstantissima cantica in domo vocis, id est, Ioannis audita sunt: *Magnificat anima mea Dominum. Benedictus Dominus Deus,* &c. Quid mirum si diuina Cantica resonant, vbi Diuini verbi vox sanctissima nascitur? sic Barradius.

12. *Benedictus*] scil. sit, id est, laudetur, seu prædicetur Deus Israel, hoc est, quem Israel colit, laudat hoc Cãtico Deum Israel Zacharias, Beneficia populo eius præstita enumerans, vtpotè quem visitauerit, & à peccatis suis, quibus venundatus erat redemerit. Visitauit autẽ Deus Israelẽ per se, non per angelos, idq; assumpta carne, sc. vt liberaret & redimeret populum: quod statim subdit: *Et fecit redemptionem*] id est, & misit Redemptorem. q.d. visitando redemit populum patet per filium, & ipse filius. potest autem, & illud, fecit redemptionem, declarare, quid sit, visitauit. dicitur aũt redemptio facta. i. inchoata, vel quia rédẽptor iã missus erat. *Plebi suæ*] quia primum venit vt redimeret plebẽ suam Israel; & suã præsentiam exhiberet illi soli, alios enim visitauit per Apostolos. Græcè habetur; τῷ λαῷ αὐτοῦ.

13. *Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui.*

14. *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum eius.*

15. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.*

16. *Ad faciẽdam misericordiam cum Patribus nostris, & memorari testamẽti sui sancti.*

17. *Iusiurandũ quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.*

18. *Vt sine timore de manu inimicorũ nostrorum liberati seruiamus illi.*

SCHOLIA.

13. Cornu salutis] Diuinam manum, atq; potentiá, quæ nobis salutem afferri dicitur, & erexisse hoc cornu, quasi pri⁹ deiectũ, quando sc. nondum salutẽ afferebat, iam verò sublimè apparet, ex eo verò, quod animaliũ cornutorum fortitudo maior, ac robur in cornu consistit, metaphoricè cornu potentia significatur. *Cornu salutis* etiã dicitur hebraico more, q. salutare cornu, continetur etiam metaphora ibi, erexit cornu; sumpta à Tauris, qui quo robustiores, alti⁹ cornua erigunt. Vel 2. per cornu intelligit Regnũ, seu Regem & eius gloriã, alludere. n. videtur ad illud Ps. 131. 17. *Illuc producam cornu Dauid:* Dauid est datiui casus, ex Græco & Hebræo, & *illuc* positum est pro *illic; Producam* verò oriri, seu congerminare faciã, propriè est; hinc Christus *germen* dicitur, Hier. 23. Cornu verò robur est, Regnũ, decus, & Regia maiestas Christi: effecit. n. Deꝰ, vt quasi repullulascere, & crescere videretur regnũ Dauid, quasi prius deiectũ, cùm Rex Christus appropinquauit, qui in eius Throno sedit. Græcè ἤγειρε κέρας σωτηρίας ἡμῖν.

2. Regnum, Rex.

3. Gagnæus exponit: suscitauit nobis salutarẽ potentiã, *in domo.* i. familia *Dauid pueri.* i. serui *sui.* Id Iere. 23. prædixit: *Ecce dies veniũt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustũ, & regnabit Rex,* &c. hoc autẽ cornu salutis seu salutaris hæc potentia, quã suscitauit Deus Iudæis ex familia Dauid, Christus ipse est, quem toties Dauid in psalmis fortitudinẽ suã appellat, sicut salutẽ hic Zacharias. Idem autem secundùm Rem videtur erigere cornu deiectum, suscitare, germinare facere, seu repullulascere. Vocat Dauid *seruum* nõ ob sanctitatem modò, sed quia Dei minister erat tanquam Rex.

3. Christus. 16.

14. *Sicut locutus est*] Hyperbaton est, ac si dicat, erexit nobis cornu, &c. sicut loquutus est, & promisit *per os sanctorũ* suorum Prophetarum, *qui à seculo sunt.* i. fuerunt, hoc est, longè ãntè præcesserũt, vel qui olim fuerunt. i. veterũ Prophetarũ, vt ot. ã Gen. 6. 3. dicitur, *ipsi sunt potẽtes à seculo viri famosi,* id est, isti sunt Gigates illi antiqui adeò celebrati, neq;. n. à seculo semper significat tẽpus infinitum præcedens, sed longũ admodum. Per os ait, nõ per ora, quia Prophetæ oẽs vno cõsensu de Messia vaticinati sunt, sic Barrad. sed videtur modus loquẽdi, vt pro plurali interdum singulari vtamur: sed quia nihil est fruſtrà in scripturis, potiùs hoc dicendi modo potest dici Lucas vsus, vt id explicaret, quod ex Barrad. notaui.

17.

15. *Salutem*] per appositionẽ, q.d. Erexit, inquam cornu salutis, salutẽ dico *ex inimicis nostris,* sic Beda & Euthy. vel sicut locutus est. i. sicut promiserat salutem ex inimicis, videl. fore vt nos ab inimicis spiritualibus liberaret & de manu hostium, ita & erexit nobis cornu salutis. i. vel salutarẽ potẽtiam, vel Christum, qui pro ratione nominis sui, Iesus, seruat nos, & tuetur ab inimicis, hoc modo versus 13. accipiendus est post versum 15. cõnectit scriptura inimicos, & odio habentes, Ps. 105. 41. 42. & Ps. 54. 13. vt & hîc. porrò interest hoc inter inimicũ; & osorem: ille. n. non tantũ odio habet; sed illud etiã exterius significat. Odio verò habere dicitur, qui licèt malũ alteri velit, illud tamen occultat, quod peius est. Lege Tol. in Luc. c. 6. annot. 43.

18.

16. *Ad facien. latin*] vt faceret misericordiam cum Patribus nostris, quod potest referri ad, *erexit cornu,* id est, ideò erexit cornu salutis, vt faceret misericordiã; vel referatur ad *salutem ex inimicis.* Cum patribus autem licèt mortuis fecisse misericordiã dicitur, quia non modò promiserat Christum, sed suo etiã miserat tẽpore, vt datã seruaret fidem, & hoc est quod subdit, memorari. i. vt sancti fœderis sui cum illis initi recordaretur. Græcissmus est, recordari. i. vt recordaretur, explicat autẽ statim, q̃ nam sit testamentũ, de quo dixerat *memorari testamenti* iusiurandum, inquam, q. d. quod testamẽtum est iusiurandum. Videtur alludere ad illud Gen. 22. 16. 17. & 18. *per memetipsum iurauí,* &c. Sic. n. intellexit Zacharias locum hunc Gen. Spiritu Dei illustratus, nempè cõtineri his verbis Gen. promissio-

19.

15. 13. Cornu, diuina manus & potẽtia.

Digitized by Google

nem Meſſiæ, & prima quidē promiſſio (loquor de ijs quæ factæ ſunt Abrahæ) habetur cap. 12. In hac autem ſecunda additur iuramentum.

17. *Iuſiurandum*] non mirum quod *teſtamenti* dicatur in genitiuo, & *iuſiurandum* in accuſatiuo, quia eſt metathefis caſus, & idē verbum ſc. memorari, quod paulò ante genitiuū habuit, habet nunc Accuſatiuum. Alij ſubaudiunt, κατὰ, id eſt, ſecundum iuſiurandum.

Daturū ſe] explicat qd in illo iureiur. cōtineretur.

18. *Vt ſine timore de manu*] nempè, fore vt hoc daret nobis loco beneficij, vt liberati de inimicorū noſtrorum poteſtate, ſine timore liberè illi ſeruiremus. De inimicis ſpiritualibus intellige; iam .n. ligatus eſt hoſtis, nec mordere poteſt, niſi volētes. Deniq; nemo læditur niſi à ſeipſo, inquit Chryſoſ.

19. In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.

20. Et tu puer Propheta altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.

21. Ad dandam ſcientiā ſalutis plebi eius: in remiſſionem peccatorum eorum.

22. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitauit nos oriens ex alto.

23. Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

24. Puer autem creſcebat, & cōfortabatur ſpiritu, & erat in deſertis vſque ad diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael.

SCHOLIA.

19. IN *ſanctitate & iuſtitia*] Declarat quomodo ſeruire debeamus Dēo, præſertim in noua lege opponens quodā modo Euangelium legi. Sanctitatem aliqui referūt ad Deum, iuſtitiam ad homines, itaq; vtraq; legis tabula hīc continetur. Alij iuſtitiam magis generatim capiunt, vt cōprehendat oēm virtutem, ipſam etiā in Deum pietatē. *In ſanctitate*: Gr. ἐν ὁσιότητι. ὅσιος, inquit Theophy. in ep. ad Heb. 7. 26. in ea; Sanctus, innocens, &c. eſt qui nihil eorum, quę facere debet omittit, propriè ὅσιος dicitur purus, & omnis labis expers, vt Act. 2. & Pſ. 15. *Neq; dabis ſanctū tuū videre corruptionē*. 1. Ti. 2. *leuātes puras manus* ὁσίας χεῖρας. inde ὁσιότης ſanctitas, puritas, Luc. 1. hīc, & Eph. 4. *qui ſecundū Deū creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis*, hīc itaq; ſanctitatē accipere, pro, ipſa Dei gratia liberos, & peccatis immunes, ac puros nos reddēte, & immaculatos, & quæ diuinum eſſe confert. Iuſtitia verò vniuerſim ſumitur, vt dictum eſt, comprehenditq; fidem, ſpem, charitatem, & quæ verè iuſtum coram Deo, hominem efficiunt.

Coram ipſo] nō hominū tantū iudicio, & hoc poteſt etiā intelligi ſpeciatim in Euāgelio, quia Chriſtum in Euchariſtia præſentē habemus, nō Moſen.

21. *Omnibus diebus*] indicat perpetuum fore Euangelij beneficium, ſecus ac lex erat.

20. *Et tu*] non modò in ſanctitate & iuſtitia verſaberis coram Deo tuo, ſed Altiſſimi etiā vocaberis. i. eris Altiſſimi Propheta, ſeparat .n. ipſum ab alijs hominibus. voce *Altiſſimi*, aliqui intelligunt ſpeciatim filium. Alloquitur infantem fortè intelligentē, quæ dicebātur, & ſignificat Orig. ho. 10. in Luc. cognouiſſe præſentē Dominum docet Chryſ. ho. 3. operis imperf. Maximus ſer. 1. in nati. Io. Bap. Antipater Boſtrarum Epiſcop. orat. de S. Io. Bapt. idem Chryſoſt. orat. de nata. Præcur. Ambroſ. ſer. 63. & Chryſol. ſer. 87. 88. 91.

21. *Ad dandam ſcientiam*] docet quid ſit parare viā, id eſt, ſalutis viā demonſtrare. Gr. δοῦναι γνῶσιν dare ſcientiam, vt ſupra dixit parare. i. vt de ſcientiam ſalutarem, & viam pareſs vel ad indicandum vel parandū ſalutis viā. hoc aūt fecit Ioannes cùm Chriſtū docuit eſſe verū Saluatorē & Meſſiā: eius enim erat oſtendere Saluatorē, non dare ſalutem.

In remiſſionem] Gr. ἐν ἀφέσει pro εἰς ἄφεσιν poni enim ſolet ἐν pro εἰς, nō quod Ioannes remiſſionem poſſet impertiri, ſed quod ad Chriſtum duceret, vnde remiſſio, dicturus enim erat, *Ecce Agnus Dei*.

22. *Per viſcera miſericordiæ*] id eſt, intimam miſericordiam Dei in nos per Chriſtum. *Viſcera miſericordiæ* hebraicè dicuntur, profunda miſericordia, ſeu viſcera miſericordiæ plena. quare iungēda præcedentibus ſunt hæc, q.d. in remiſſionem peccatorum obtinendā per viſcera miſericordiæ plena, ſeu intimam miſericordiam, hæc enim remiſſio non noſtris meritis, vel Ioannis, ſed Dei miſericordia facienda erat.

In quibus] per quæ, hebraiſmus, *in*, pro, *propter* vel, *Per*.

Viſitauit] venit vt redimeret nos. Viſitare eſt munus exequi Præſidis inquiſentis prouinciam, qui alios quidem vēdicat à calumnijs, alios punit, primo modo vſurpatur hīc, ſicut & ibi viſitauit, & fecit, hoc enim fecit Chriſtus miſſus à Patre per ſe ipſum nos viſitans, vt etiā dixit v. 12. At Num. 14. 18. *Viſitans peccata Patrū in filios*. & Pſ. 88. 33. *Viſitabo in virga iniquitates eorum*; & alibi ſæpè ſumitur poſteriori modo.

Oriens] non participium eſt, ſed nomen ſubſtantiuum Chriſtū ſignificās, Zacha. 3. & 6. Gr. ἀνατολή. dicitur viſitaſſe *ex alto*. id eſt, cœlo, quia Deus, & quia de Spiritu ſancto conceptus, non habet ergò ex terra ſuam primam originem, ne verò illud, *ex Alto* referas ad vocem *oriens*, ſed ad *viſitauit*.

23. *Illuminare*] vt illuminaret, hæc eſt cauſſa cur viſitarit nos, & videtur alludere ad Iſai. cap. 9. *habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis*, ſequutus phraſim Græcam ἐπιφάναι τοῖς καθημένοις illucēſcere, vel apparere, qui ſedent, id eſt, qui habitant, & luctuoſi iacēt in ſtatu peccati & ignorantiæ, non valentes ambulare.

Vmbra] quidam, in tenebris morti ſimilibus, vel quæ mortis metum incutiunt; melius alij, *vmbram mortis* dicunt vocari caliginem magnā, qualis ea eſt, quæ mortuorum oculis circumfunditur, vel in ſepulchris tenebroſis reperitur: ſic Genebrar. in Pſ. 22. *Vmbram mortis* inquit, appellat denſiſſimam vmbrā, & tenebras: deinde accipiunt pro extremo vitæ diſcrimine: idē in Pſ. 43. vmbra mortis, inquit, eſt acerbiſſima calamitas & ſeruitus, optimè Ianſe. c. 5. conc. in hunc locū; vmbra, ait quit, mortis, eſt phraſis Hebræa, qua propriè ſignificantur tenebræ ſepulchri, & inferni, quod eas mors afferat, & inducat; ſed generatim ſæpè ſignificat déſiſſimas quaslibet tenebras: vt autem tenebræ in ſcripturis metaphoricè ſignificāt nunc tribulationes, nunc ignorantiæ errores & peccata: ita vmbra mortis & pro inferni tenebris accipitur, Iob 3. & 10. & pro afflictionibus & calamitatibus. Pſ. 22. & 43. Item pro ignorantia & peccatis, Iſa. 9. hīc verò ſignificat craſſam hominum ignorantiam antè aduentum Chriſti.

Ad dirigendos] verè iungitur directio pedum cum lumine. *Pedes*] ſunt pedes affectus ipſi.

Viam pacis] cœleſtem beatitudinem, vel viam tutam ab omni periculo intelligit, vel viam iuſtitiæ, cuius opus pax.

24. *Creſcebat*] corpore, *& confortabatur*] ſpiritu, quia Dei in illo ſpiritus apparebat magis creſcēte corpore; vel ſpiritus ponitur pro effectu ſpiritus. i. virtute animi & corporis, nam etiam confortari ſpiritu, eſt fieri robuſtū, vt habet Emman. & Gag. inquit. *Confortabatur*. Gr. eſt ἐκραταιοῦτο. id eſt, ſubinde ſe ipſo validior ac robuſtior fiebat nō corpo-

re tan-

ùm, sed & spiritu. Orig. hom. 11. vtrumq; ad vel spiritum refert incremẽtum ad augmẽtię & virtutis, confortationẽ ad robur spi- cõtra carnis infirmitatẽ. Spiritus .n. prom- aro aũt infirma, sed prior expositio est vera.

27. *serti*] ne hominum cõmercio labem cõtra- vt liberè posset reprehendere neminem re- us, item vt diù cum Deo ageret, vt rigidâ vitâ coleret, maioriq; posteà authoritate prædicaret: deniq; ne suspectũ esset de Christo testimonium, si cum illo fuisset versatus. Orig. in desertis apertius colũm, familiarior Deus, illic vacabat orationib. cum Angelis cõuersabatur. hîc excludenda opinio Scot. 4. d. 30. q. 1. a. 1. ait enim fuisse Ioannem in solitudine in Essenorum Collegio, qui ibi vitam more Anachoretarum ducebant, quod si verum esset, nõ fuisset adeò admiranda Iudæis vita Ioannis: nec Ecclesia caneret illũ in deserta fugisse, vt extra hominũ cõmercium vitã traducẽs, ne quidẽ leui verbo posset maculare vitã. Itaq; neminẽ ibi hominẽ vidit vnquam, vt ait Chrysost. hom. 38. in Matth.

Ostensionis] Theophyl. nimirum, donec Deo placeret ipsum demõstrare. Exmit. anno vitę 29. eo. n. se cœpit manifestare; & Christum prędicare. Gagn. Donec aduentante Christo, se ipsum Israelitis visendum præbuit, vt Christi illos aduẽtum doceret occisus annno 31. ætatis.

28. Dubitari potest quo tẽpore Ioan. desertum petierit. Respon. certũ esse puerũ fuisse: hoc enim indicat Luc. cùm ait: *puer crescebat*, &c. *& erat in deserto*, & Ecclesia sequitur, *Antra deserti teneris sub annis*, &c. Niceph. l. 11. c. 14. scribit: Annum cũ dimidio agentẽ ductum à matre in desertũ fuisse, Herodianâ fortassis fugiente irã. Cedre. in compendio hist. addit; delituisse in spelũca quadã, ibiq; matrẽ obijsse post 40. dies, & Angelum curã pueri suscepisse, cuius speluncæ ad Iordanẽ sitæ fit mentio in prat. spirit. c. 1. & ibi dicitur Ecclesia ædificata, cuius meminit Beda l. de Io. san. c. 13. Fracisc. Suarez multos citat patres; qui idẽ aliquo modo significat to. 2. disp. 24. sec. 3. Tol. reiecta sententia Orig. ho. 9. & 11. qui nõ modò clarius eo loco idẽ sentit, sed ne lacte quidẽ nutritũ affirmare videtur, infantem. n. ait, adhuc in desertũ secessisse, neglecto matris lacte. Tole. inquã in q. Luc. c. 1. an. 167. sic scribit: quãdo cęteris vsus rationis illucescere incipit; Ioannẽ in desertũ secessisse probabile est, idq; Ecclesia videtur recipere cùm canit, *Antra deserti*, &c. *ne leui saltẽ maculare vitã famine posses*, ergò eo tempore recessit, quo loqui poterat; quod verò de neglecto matris lacte scribit Orig. si verũ esset, nõ tacuissent Euangelist. nam certè maximũ fuisset miraculum. Mihi sententia hæc ferè placet, quãuis arbitrer nõ oportuisse, vt expectaret omninò tẽpus illud vsus rationis, nam Ioannes in vtero illũ habuit, ac proinde ferè statim à lacte in desertũ abijsse opinor, circa tertium vel quartum annum: nec erat qui expectaret tẽpus perfectè loquendi, sed illud prœuenit, vt tantò melius linguã cohiberet: monẽt me & Lucæ verba, *puer autem crescebat & cõfortabatur*, &c. & erat in desertis, & authoritas Patrum fauet, qui hoc indicant, & ad hunc sensum trahi possunt.

29. Sed quomodo dices, ausus est puerulus solus inter feras in deserto versari? Respondet Petr. Dami. Card. non obstitit ætatis infirmitas, quã Maiestas Domini fœcundabat. Idem sic ait; *mira cõuersio hominẽ vix mundũ ingressum, mũdi fugere gloriam, & seculi cupiditates nõ solũ obliuisci sed & nescire, perpetuumq; cũ diuinitate stabilire consortiũ. Sed quid mirũ, cùm ante fuerit sanctus quã natus.* Audi Petrũ Chrysol. ser. 91. *Videtis quemadmodũ Ioannes ante peruenit ad cælũ, quàm tangeret terram: ante accepit Diuinũ Spiritũ, quàm haberet humanũ; ante suscepit Diuina munera, quàm corporis mẽbra, ante cœpit viuere Deo, quàm sibi, ante rapuit arma, quã mẽbra; &*

A *vt vinceret mundũ, vicit ante naturã, antequã Christum præcederet, seipsum præcessit.* hæc ille elegãter & pie. Aug. ser. 22. de sanc. habet ferè eadem. Porrò de natali Io. Bapt. vide præter superius n. 21. citatos. Bern. ser. in nat. S. Io. Bap.

Verùm an B. Virgo natali D. Io. Bapt. interfuerit, 30.
plurib⁹ & eruditè quidẽ tract. Io. de la haye euãg. disp. c. 6. sub fin. sentit; non interfuisse, tandemq; sic rem totã absoluit: neq; inquit, obstetricãdi, verum sanctificandi fœtus causa, illã vt eò iret spiritus impulerat. Pulchra huius rei figura, quãm etiã Bonau. notauit, habetur 2. Re. 6. vbi sic dicitur: *Habitauit arca Domini in domo Obededom tribus mẽsibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnẽ domũ eius. Nuntiatumq; est Regi Dauid, quod benedixisset Dominus Obededom, & omnia eius, propter arcã Dei. Dixitq; Dauid: Reducã arcam cũ benedictione in domum meã.* Maria sic nos etiã adiuuat, vt à nobis quã diu eius auxilio indigemus, nõ recedat, sic nos debemus ad externa opera extendere, vt ad domum cordis & conscientiæ reuertamur, & illius nostræ domus curam non negligamus. hæc ille. quæ verò hac de re fuerit nostra sententia, aperuimus cap. 6. in Sch. n. 43. & in Theo. 10. n. 3. cap. eodem.

B

CAPVT VIII.

ANGELVS IOSEPHO NVNTIAT SACRVM VIRGINIS CONCEPTVM.

1. *Christi autẽ generatio sic erat: cùm esset desponsata Maria mater eius Ioseph, antequàm conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.*
2. *Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.*

C

SCHOLIA.

DEclarat Matthæus quid euenerit, vbi domũ reuersa est D. Maria: inuenta .n. est in vtero habens, &c. id est, grauida statim apparuit. 1.

Generatio] Per *generationẽ* intelligit non modò partum, sed multò etiã magis conceptum, vult .n. ostendere Christi generationẽ, ac proinde Genealogiam non fuisse vt aliorum Sanctorũ. Gr. γέννησις, cùm Erasmus putet interpretandam *Natiuitatẽ* rectius quàm generationẽ, hac ab illo dici miror, inquit Gag. cũ paulò superius hoc cap. eo loco; *dequa natus est Iesus*, cùm Græcè sit, ἐγεννήθη, idẽ videl. verbũ, vnde γέννησις, maluerit dicere, *genitus*, q. *natus*.

Antequàm conuenirent] Gr. πρὶν ἢ συνελθεῖν prius 2.
quàm congrederentur; coniunctionem naturalem hoc verbo significat, neq; tamen ob hoc vocabulũ, *Antequàm*, statim oportet suspicari cum Heluidio hæretico, posteà Mariã à Ioseph cognitã, quemadmodum inquit Gagn. si quispiã iudex indicta causa nec cognita iudicet; dicimus eum prius quàm causam cognoscere, iudicasse, nec tamen consequens est, eum posteà de causa cognouisse: ita cùm Euangelista dicat, *Antequàm conuenirent*, &c. nõ statim oportet concludere, eos posteà conuenisse.

Inuenta est] Gr. εὑρέθη ἐχουσα nõ significat quę- 3.
rendo, scrutandoq;, sed potiùs non quærendo, vel non cogitando præter opinionẽ, expectationemq; aliquid inuenire, vt Chrys. annotauit, ita enim subitò ex inopinato tumido apparuit vtero, vt quis, qui modò oculos adijceret, videre posset grauidã: quare non probo quod Orig. ho. 2. in diuer. & Hieron. ex illo dicunt, inuentam à Ioseph, qui pænè licentia maritali futuræ vxoris omnia nouerat.

De Spiritu sancto] ne quispiam turbetur, inquit 4.
Ianse. eò quod dixerit repertam esse grauidam (hoc enim çst in vtero habere græco more, grauidam

dam esse, & concepisse, quod latinè dicitur gestare vterum) si hoc solùm audiat: ideò adiecit *de Spiritu sancto*, quę tamen oratio non potest coniungi cũ toto illo, quod præcedit, sc. *inuenta est habens in vtero*: cùm Ioseph, qui reperit esse grauidã, nõ intellexerit eam grauidã esse ex Spiritu S. licèt aliquando id Orig. hom. 1. ex varijs, & Bernar. ho. 2. in *Missus*, & Basil. hom. de humana Christi generat. & Theophylact. Matth. 1. innuere videantur, sed non est vero simile, alioqui non esset satis apta illa ratio Angeli; *Noli timere accipere Mariam coniugẽ tuã: quod enim in ea natũ est, de Spiritu S. est.* profectò si id non ignorasset, & propterea recedere cogitasset, indignum se iudicãs, qui cùm illa esset, vt Helisabeth sentiebat de se: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* si, inquam, id nõ ignorasset Ioseph, nõ vtiq; congrueret ratio: nam Ioseph Angelo dicenti, *Noli timere accipere Mariam coniugem*, è Spiritu enim sancto concepit. Respondere: propterea illam dimittere volo, quia è Spiritu sancto concepit, nõ enim cum ea habitare audeo. Itaque sensus est, quod Virgo aduerteretur à Iosepho esse grauida, cùm grauida esset, non opera hominis, sed autore Spiritu sancto.

5. 2. *Ioseph autem vir eius*] Quomodo verum fuerit matrimonium inter B. Virginẽ & Ioseph, diximus in digress. 4. in cap. 5. Porrò de dignitate D. Ioseph eiusq; sanctitate, vide quæ habet Suarez to. 3. disp. 8. Vide Orig. hom. 1. in diuer. to. 2. Chrysol. serm. 145. Bernar. serm. 2. in *Missus est*. Basil. orat. in Natiuit. Dom. Epiph. to. 1. l. 3. dicit circa annum octogesimum Ioseph duxisse Deiparam, sed non est verosimile, & passim reijcitur.

6. *Iustus*] perfectus, seu eximia probitate vir, planè iustus, qui suum cuiq; reddidit: Deo timorem: vxori charitatem: sibi cautionem: planè inquã iustus, qui deprehendens spõsam grauidã, nec cum ea expostulat; nec verò apud aliquẽ quæstus fuerit. Gloss. Iustus est cõscientia castitatis, seruans innocentem. Sciebat inculpabilem, sed vnde, vel quid esset ignorabat. Elegit ergò effugiendi viam, vt nec innocẽtem proderet, nec rei incognitæ consentiẽdo se reum faceret coram Deo. Docemur hîc deliberare in incertis, vt Glos. etiã habet, ne peccemus temeritate. Amb. l. 2. in Luc. Iustus opprobrio coniugis deprehenso, se incruentum ab homicidio, & castum ab adulterio præstare debet. Verùm non omnes Patres idem sentiunt de animo Iosephi, cùm cogitabat cõiugem relinquere, de quo mox dicam si declarauero quomodo hîc iustitia sumatur.

7. Iustitia hîc omnem virtutem comprehendit, ac si diceret Matthæus: cùm esset plenus charitate, prudentia, patientia, &c. nam alioqui cùm lex permitteret Adulteram accusari, non videtur contra iustitiam facturus si accusasset, si iustitiam spectes, quæ est vna virtus ex Cardinalibus. At magnæ iustitiæ. i. virtutis erat & charitatis in primis putare iniuriam sibi factam, vel eam suspicari, & tamen patienter illam velle tolerare, non deferẽdo in publicum, sed ne peccato consentire videretur, velle clam dimittere. Est autẽ duplex hîc opinio, an Ioseph mali aliquid vt homo suspicat fuerit de Virgine, vel certè dubitarit nũ quid illi huiusmodi accidisset: sunt qui affirmãt Iosephum nil mali, vel prouisse iudicare, vel suspicatum fuisse de Virgine, & propterea suspendisse iudicium veluti stupore quodam raptum, quæ certè magna iustitia fuit non cõmoueri modo in re tam graui, sed ne suspicatum quidem esse malum, imò putasse id sine peccato euenire potuisse, quod Gloss. superius n. 6. citata videtur innuere, vnde factum vt illam traducere noluerit: Cæterùm quia nihil illi satis de re tota cõstabat, relinquere illam voluisse: hoc enim ad iustitiam pertinere arbitratus est. Imò nõ desunt Patres, qui cognouisse Ioseph mysterium

An Ioseph malè suspicatus fuerit de Maria.

8.

9.

A gestũ in Virgine, & ideò ex humilitate reliquere voluisse dicant. Sic Origen. hom. 2. in diuer. *Ideò*, inquit, *dimittere volebat quoniam virtutem mysterij, & quoddã sacramentũ magnificũ in eadẽ cognoscebat, cui approximare indignũ se existimabat; ergò humilians se, quærebat se longè facere.* D. itè Basil. in orat. de humana Christi generat. *Vtrumque*, ait, *Ioseph reperit, & conceptionẽ, & causſam è Spiritu sancto, quãobrem hoc ignorãs ab initio, talis nominari vxoris maritus metuẽs, voluit etiã occultè dimittere, verẽs patefaccre, qua circa ipſam acta fuerãt*; Theophylact. quoq; *innotuit*, ait, *Iosepho, quod Deipara ex Spiritu S. concepit, vnde clàm voluit eam dimittere, & non audebat habere vxorem, quæ tantã habebat gratiã.* D. Bernar. hom. 2. super *Missus*, hanc sententiã Patrum appellat, *accipe*, inquit, *non meã, sed Patrũ sententiã: Propter hoc Ioseph voluit dimittere Virginẽ; propter quod Petrus Dominũ à se repellebat*, Luc. 5. Hos sequuntur Viguer. in Theol. instit. c. 20. §. 9. & Gerson Tom. 4. epist. quam de institut. festi D. Ioseph scripsit, vbi addit, antequàm ad inuisendam Helisabeth abiret, Virginẽ Incarnat. mysteriũ sponso aperuisse. Verùm hæc opinio non videtur verosimilis multum, tum quia verbis Angeli, vt superius dixi n. 4. non congruat, deinde si affirmat Matt. noluisse Iosephum traducere eam. i. infamiæ nota afficere: ergò suspicabatur conceptum illum non laude, sed ignominia dignum. Postremò, quia ij, qui ita sentiunt vt humilem Iosephum faciant, imprudenter ostendunt. Si enim ex Spiritu S. Virginem ille concepisse nosset, imprudens maximè fuisset, si dimittere cogitasset. Nam quo titulo mysterium tantum tunc tegeretur, & quomodo ignominiæ famã non incurrisset B. Virgo. Opinor ergò cum alijs. i. Ambr. de instit. Virg. c. 5. Aug. ser. 16. de verbis Dom. & epist. 54. ad Macedon. Chrysost. ho. 4. in Matth. Euthy. Niceph. l. 1. c. 8. & alijs, Iosephũ mysterij Diuini in Virgine ignarum fuisse, & ex veteri tumore, vt hominem, mali aliquid de Virgine cogitasse, licèt interdum saltè insigni Virginis sanctitate perpensa dubitarit, vel iudicium suspenderit; nam D. Hieron. sentit non persuasisse sibi Iosephũ à Virgine cõmissum adulterium, ait .n. hoc testimonium Marię est, quod Ioseph sciens illius castitatẽ, & admirans quę euenerat cælat silẽtio, cuius mysterium nesciebat. Auctor etiã imperf. affirmat Iosephi animum inter vtrasq; partes fluctuasse.

B

C

10.

11.

D

12. *Traducere*] infamare, vel accusare: lex accusari adulterã permittebat, sed nõ præcipiebat; sic Ianse. c. 7. conc. in hæc verba: nisi iudex iuridicè interrogasset, sic .n. intelligitur locus Leuit. 5. ex Ianse. etiã conscios criminis, si tacuerint, obnoxios esse peccato. Gr. παραδειγματίσαι, q. d. exemplificare, seu exemplum facere. Hac voce item vtitur D. Paulus in epist. ad Heb. 6. 6. *ostentui habentes* Gr. est παραδειγματίζοντας, accipitur ergò in malã partem, cùm, videl. quis in exemplum vitiosorum morum adducitur, & de eo omnes in irrisione locũtur, vt notat Ribe. in hunc locum Pauli, & vt interpres noster vertit, ostẽtui habere idẽ videtur. i. digito, aut verbo quẽpiam notare, & omnibus ostendere, atq; irridendum exponere: sic etiam Coloss. 2. *expolians principatus & potestates traduxit cõfidenter, palàm triumphans illos in semetipso.* Pro *traduxit* est ἐδειγμάτισεν. i. omnibus irridendos exposuit, pro quo Amb. legit l. 2. de pœnit. c. 2. *ostentui habuit.* Igitur traducere hic videtur significare, exemplificare, seu propalare, seu palàm facere, hoc est, infamare potiùs, quã vt adulterã accusare, neq; enim Ioseph apud iudices agere poterat, vt dicam, sine testibus. porrò *occultè dimittere* contraponitur voci *traducere*. & innuit antea fuisse ad cohabitandũ admissam. Nam vt monet Ambr. l. 2. in Luc. initio, quam nõ accepit nemo dimittit, quare nõ rectè exponũt *traducere*, qui interpretãtur, in domũ suã adducere

13.

quod

quod etiam colligi potest ex verbis illis, *Cùm esset iustus*, nam quota, vel quanta iustitiæ pars fuisset, adulteram in domum non admittere?

Occultè dimittere] clàm dato libello repudij: poterat enim is dari etiam ante consummatũ matrimoniũ contra Abulens. vt significatur Deut. 24. sic Iansen. & Barrad. hîc, sed licèt hoc sit probabiliter dictum, videtur verius cogitasse aliò occultè abire, vt docet Maldon. c. 1. Matth. hîc, quod satis indicat vox λάθρα, *occultè*: porrò omnis scriptura licèt clam data, natura sua publica est.

Cæterùm videtur Ioseph non omninò coniugè apud iudices ipsos potuisse accusare, quod testibus careret, quod etiã Barrad. opinatur, alioqui dicerent iudices à viro cognitam, sed per odiũ & inuidiam traduci, potuisset tamen vtrumq; infamare, & accusare apud alios.

Obseruandum hîc: coniugem adulterij sui coniugis conscium, posse in foro conscientiæ, secluso scandalo, ab eius habitatione diuertere, quãuis adulteriũ occultũ sit, nec ad id aliquã iudicis sententiã desiderari. ex c. *Dixit Dominus* 32. q. 1. & ex c. *de Benedicto* 37. q. 1. Vide Sanches Lib. 10. de matr. disp. 12. n. 31. imò etiam licèt id in violenta adulterij suspicione contra Ledesm. 2. p. 4. 9. 64. a. 3 ex eo. Sanch. eod. lo. Hinc excusatur D. Ioseph à culpa, qui ob suspicionem adulterij occulti voluit ab vxore recedere in remotas (vbi matrimonium ignorabant) partes, quia ea dimissio occulta erat, & absq; scandalo, quæ licet in foro conscientiæ. Sanches n. 36.

3. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est:*
4. *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.*
5. *Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictũ est à Domino per Prophetam dicentem.*
6. *Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabũt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.*

SCHOLIA.

3. *Cogitante*] Græcè cùm cogitasset. *In somnio*] Græcè κατ' ὄναρ per somnium, interlin. nõ manifesta visione, quia dubietate animi premebatur, velut somno infidelitatis.

Accipere] q. d. noli timere, quasi Deum offensurus retinere, seu recipere animo iam dim issam, vel in vitæ consuetudinem adiungere, iam enim in vxorem acceperat.

Natum] hic *natum*, hoc est, conceptum in Maria fœtũ audimus, sicut Tertull. lib. de carne Christi, & Aug. in Enchyrid. c. 28 & epist. 57. ad Dardanũ, interpretantur. Discimus etiam hinc Mariæ cõceptum partim vel, partim supernaturale, partim naturale fuisse opus; ob primum dicitur de Spiritu S. esse, quatenùs illic Spiritus S. vim & potestatem suam Dominicæ Incarnat. effectricem exercuit, & ostendit. ob secundum dictum est, *quod in ea natum est*, &c. vbi Virginem cooperantem debes intelligere, fuit enim ideò in Virginis vtero id natũ, siue formatum, vt assumeret hominem filius Dei, matre suũ illi sanguinem purissimũ suppeditante. Iterũ Ambro. l. 2. de Spiritu S. c. 5. & Chrys. vel Auctor in opere imperfecto legũt, *quod enim ex ea nascetur*, sed græcè legimus τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, quod in ea genitum vel natum est. Maluit porrò Interpres, & Angelus *nascendi* quàm *concipiendi* vti vocabulo, vt Christi corpus statim à sua cõceptione cõsummatè formatum & animatum significaret, id enim proprie natũ, quòd formã suam, quòd aiunt, essentialem assequitur, perfecteq; formatũ est, appellare solem. Sic Basil. hom. de humana Christi generat. & Euthy. in c. 1. Matth. non ergò per interualla tẽporis hoc conceptũ formatũ fuit, sed illicò. Adde, vt ait Damasc. l. 3. de fide Orthod. c. 12. quòd simul caro, simul verbi Dei caro, simul caro animata rationis particeps & intelligens, propterea non dicimus hominem deificatum, sed Deum humanatũ, & ob hanc eandem causam perfectionemq; fœtus dicta est mulier circumdedisse virum.

De Spiritu sancto est] Græcè & hîc, & suprà, *ex Spiritu sancto*, id est opera Spiritus sancti. sic illud, *vnus Deus Pater ex quo omnia*. Sed aduerte rectè dici *de Spiritu sancto*, non tantũ sumendo, *de*, pro, *ex*, Corpus enim Christi potiùs ex Spiritu sancto dicitur, vt ab efficiente causa, quàm de Spiritu sancto. Sed quatenus etiã Christus suppositum dicit simpliciter dictus, pro quo supponit, & hoc est cõsubstantiale Spiritui sancto, & ideò rectè dici potest Christus de Spiritu sancto conceptus, vt suppositum eiusdem cum illo naturæ, & vt simul causa effectrix est eius quãtum ad corpus, neq; tamen necesse est vt secundùm eam naturam, qua cõceptus est, sit cõsubstantiale suppositum, & ita secundùm hũc sensum in symbolo fatemur; Christũ de Spiritu sancto esse, vt hic habet etiã interpres. hæc interpretatio D. Thomi est 3. p. q. 32. ar. 1. vt aduertit etiã Suarius in comment. eamque D. Thom. vocat conuenientem, & Suarius in rigore veram.

4. *Pariet autem filium*] non dixit, *tibi*, vt Lucæ 1. 23. dixerat Zachariæ: Heli sabeth *pariet tibi* (ex te, scil. parente) filium, cùm enim Christus non de Ioseph, sed de Spiritu sancto esset futurus, non addidit, *tibi*, quod enim in ea natum erat, de Spiritu sancto erat: lege Pinedam in Iob to. 1. c. 1. ver. 2. n. 8.

Iesum] nomen à Deo datum, solet aliquid significare illi, cui datur, ideò subdit: *Ipse enim saluum faciet*, &c.

5. *Totum*] quòd scil. Virgò conceperit, quòd Iesus, infans nondum natus, appelletur: sic Auctor imperfecti, quem etiam affert Maldonat. quia nimirum hoc IESV nomine, quod sit Emmanuel, declaratur, id est, *Nobiscum Deus*. Nulli enim conuenit prolato sui sanguinis pretio saluare populũ suum, nisi Deo in natura humana, vt dicam cap. 9. Theor. 7. n. 13. quare iste infans, IESVS, meritò appellatur, quia Emmanuel, id est, nobiscũ Deus est. ergò totum hoc, id est, quod Virgò sit paritura, & quod Deum nobiscum, id est, in humana natura subsistẽtem, quod etiam nomine Iesu significatur, nunc est impletum. Vocandus autem erat, *Emmanuel*, at non tãquam nomine proprio, sed quod res significata Emmanuelis nomine, erat ei verè tribuenda propter diuinam, humanamq; naturam in vna eius hypostasi vnitam.

Vt] & consecutionem significare potest, vt putat Titelm. & Abulen. & causam finalẽ: fuerũt enim multæ causæ conceptionis Christi ex Virgine, Redẽptio hominum, Dei misericordia, iustitia, promissio facta patribus, atq; adeò scripturarum impletio, in quibus ea erat promissio: est ergò sensus, Deum ex Virgine conceptum, *Vt impleretur quod*] id est, vt staret Deus, promissõ per Prophetã facto.

6. *Ecce Virgo*] significat Virginem absconditam, quæ vix vnquam oculos virorum viderit, Hebraicè *Alma*, & meritò Isa. vsus est hac voce, vt significaret perfectissimã Virginẽ. Septuaginta παρθένος verterunt. Isai. septimo. Punica item lingua, quæ est ab Hebræa deducta, Virgo *alma* dicitur.

18.

19.

20. *Vide Bern. hom. 3. in Missus.*

21.

22. *Vide Gal. 3. c. 18. de Emmanuele.*

Digitized by Google

dicitur. Sunt qui ex Prouerb. 30. 19. probent significare mulierem corruptam, *& via viri in adolescẽtula.* Ad quod respondeo etiam in hoc loco Prouerb. Virginem significare, vt sit sententia verborum: Difficilius esse cognoscere an fœmina, quæ quòd recondita semper fuerit, maximè virgo putatur, virgo sit, quàm cognoscere, an Aquila per aëra, coluber super petram, nauis per mare transierit, hoc enim est, *& quartum penitùs ignoro.* Vt igitur hoc significaret per Epitasin vsus est verbo *Alma*, de qua voce vide Perer. tom. 3. in Gen. c. 24. disp. 10. pag. 100.

23. *Emmanuel*] *Nobiscum Deus* vocabitur, q.d. & credetur Deus esse, & homo, talisque dicetur. Vide Isa. 8. 9. 62. Ierem. 23. dicitur autem nobiscum futurus re ipsa per Incarnationem, non modò auxiliando.

Nobiscum Deus] Caietanus & Erasmus hinc colligunt Matthæum non scripsisse Hebraicè Euangelium, quod Hebraicum verbum sit interpretatus, quasi verò non Latini ipsi multorum verborum subobscurorum analogiam, & ἰδίωμον interpretari sæpius soleant, aut non licuerit Hebraici Euangelij Diuino Interpreti, quod Auctor non fecerat alienæ linguæ, idque magni mysterij vocabulum sua lingua interpretari.

8. Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, & vocauit nomen eius Iesum.

Scholia.

42. 8. NON *cognoscebat*] licèt id de congressu maritali intelligendum videatur. Hilarius tamen citatus à D. Thoma in Cate. Gloss. ordinar. in Matth. & alij referunt ad excellentem B. Virginis dignitatem, & splendorem vultus eius, qui talis, ac tantus erat, vt Ioseph non auderet ad eam accedere, à quo solo fulgor ille cernebatur. Neque tamen hoc ita accipi debet, quasi negent hi nullo modo cognitam à Iosepho Virginem, alioqui quomodo illi inseruiret; sed ostendere volunt mutatum fuisse vultum Virginis per eos dies quantum ad splendorem attinet. Sicut filij Israel Moysen cognoscebant, licèt glorioso, & perfulgido vultu; nec mirum, est enim hæc mulier illa amicta sole, Apoc. 12. & in huius quodammodo figuram. Exod. 14. *Operuit nubes Tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud, ita vt ne Moses quidem ingredi tectum fœderis potuerit, nube omnia operiente, & Maiestate Domini coruscante:* Ita vbi Verbum humanos induit artus, huic sacratissimo Virginis tabernaculo accidit. Cæterùm à partu desijt iste fulgor.

Splendor vultus Mariæ tempore partus.

25. *Primogenitum*] ante quem nullus genitus. Vult enim ostendere Matthæus Christum de Virgine natum, quomodo etiam vnigeniti vocantur & primogeniti, quatenus nullus ante eos.

Donec] Nugantur qui ex hac vocula censent D. Mariam alios suscepisse liberos ex Ioseph, quod mendacium sceleratissimum & impudentissimum est: similis loquutio habetur Genes. 48. de coruo, qui dicitur non reuersus *donec siccarentur aquæ*, & 2. Reg. 6. dicitur, *Michol non fuit natus filius vsque in diem mortis suæ*, & Dauid habet, filio dictum à Patre, *Sede à dextris meis, donec ponam*, &c. lege Tol. in Luc. c. 12. annot. 90. vel vlt. & D. Tho. 3. p. q. 28. ar. 3. ad 3.

A

B

C

D

THEORIA.

Cur desponsari placuit Deo Virginem Dei parentem?

1. MIRIS in præsenti, quæ ad matrimonium Beatæ Virginis spectant, de quo superius cap. 5. digress. 4. dictum est, vnum tantùm obseruabo ante quàm de causis desponsationis breuiter hic disseram, nimirum vt constet ratio matrimonij inter Beatam Virginem & Ioseph, non opus dicere cum Palud. Abulens. Gers. Carthus. antè sponsalia conuenisse expresè inter Mariam & Ioseph, vt neuter alter ab altero matrimonij vsum exposceret. non quia probabilius sit, conditionem hanc connubio repugnare, sed quia admissa, & posita, vt dictum est loco cit. n. 8. Dei reuelatione non erat hoc necessarium, qua etiam fit, vt contractus iste iustus fuerit. Patres hoc Matrimonium *sponsationem* vocant, non quia non esset verum ac perfectum matrimonium, etiam quo ad cohabitationem in eadem domo cum solemni sacerdotum benedictione, & alijs eo tempore requisitis conditionibus contra Caietan. Sed quia matrimonium erat ratum, non consummatũ, nec consummandũ vnquam. De hac desponsatione lege Canisium lib. 2. operis Mariani cap. 11. & 12. & Franciscum Suarez disput. 7. sect. prima & secunda, cum D. Thom. 3. p. quæst. 29. art. 2. & Toletum in primum cap. Lucæ annot. 56. & 57.

2. Quando autem contraxerunt matrimonium, non erat Ioseph octoginta annos natus, quod D. placuit Epiphanio, quamuis maturæ iam esset, non iuuenilis ætatis; quomodo enim tam prouectæ ætatis vir subire potuisset tot labores, quot necessarij erant domesticæ illi familiæ sustentandæ, ac defendẽdæ: quomodo tot itinera conficere valuisset ea ætate senex? B. item Virgo post inchoatum decimum quartum annum, fuit tradita in matrimonium Ioseph, nam vndecim annis mansit ferè in Templo, & exactis mensibus quattuor à desponsatione salutata fuit à Gabriele, adducta verò fuit in Templum inchoato iam tertio ætatis anno, quare agẽs decimum quintum annum peperit Christum Dominum: hinc cõstat, qua ætate matrimonium contraxerint D. Maria, & Ioseph.

3. *Ioseph quota ætatis anno Mariæ desponsatus.*

4. His ergò expeditis reliquum est nunc, vt rationes inquiramus, quamobrem desponsata fuerit Diua Maria Ioseph: hoc enim altissimo Dei consilio factum esse non dubitamus. Diuus Hieronymus libro primo comm. in cap. 1. Matth. sic ait: Quare non de simplici virgine, sed de desponsata concipitur? Primùm, vt per generationem Ioseph Mariæ origo monstraretur. Secundò, ne lapidaretur à Iudæis vt adultera. Tertiò, vt in Aegyptum fugiens haberet solatium. Martyr Ignatius etiam quartam addit causam cur à desponsata conceptus sit; vt partus, inquiens eius cælaretur Diabolo, dum eum putat non de Virgine, sed de

Maria cur desponsata Ioseph.

vxore generatum. hæc Hieronymus. Scotus in 4.d.3 quæst.2. Abulensis quæst.31. in primum cap. Matth. confutant vltimam hanc rationem: Integritas namque virginalis, & generatio res sunt sub sensum cadentes, quas proinde Angelus clarè intueri potest, cui rei non poterat obesse matrimonium, poteratque dæmon cognoscere nunquam cum Iosepho Virginem conuenisse, imò & absque opera viri, & absque mora, quæ in alijs requiritur, filium concepisse, eiusque claustrum semper integrum mansisse, vt ante partum, ita etiam in partu, & à partu. Nec valere videtur illud D. Thomæ responsum q. 29. art. 1. dæmonem non semper omnia actu intueri, & Diuina præsertim prouidentia posse nunquam aduertisse: Nam vt inquit Scotus, hoc ipsum fieri sine coniugio poterat, atque adeò sicut nunc existimauit dæmon, Virginem de Iosepho concepisse; ita tunc iudicaret viro alteri commistam. Sed respondet Suarez ad hoc scribens in illum art. primum D. Thomæ, tantam Sanctissimos Patres de insigni Virginis puritate habuisse opinionem, vt ne dæmonem quidem sibi persuaserint suspicari potuisse quicquam sinistrè contra illibatam eius integritatem, vel virginitatem; quare si dæmon existimare non potuisset concepisse illam ex suo viro, suspicaretur potiùs sine viro concepisse. vel dicere possumus, & fortè magis ad Diui Thomæ mentem, quod cùm viro traditam videret dæmon, Deo permittente & agente etiam ea re contentus fuit, secus verò fuisset si viro caruisset omninò, tunc enim attentiùs, & exactiùs, & diutiùs obseruasset, & quamuis Deus hoc impedire posset: suauiùs tamen id per speciem matrimonij veri & manifesti fiebat citra miraculum. Verùm vrget Abulensis, minimè necessarium fuisse, vt hoc potius mysterium dæmonem lateret, illique occultaretur, quàm alia Christi miracula. Respondetur, imò verò maximè necessarium id fuit, ne statim initio Christum dæmon agnosceret esse Messiam illum in lege promissum, statim enim callidus hostis, & antiquus veterator omni studio, atque ope Christi mortem procurare, nostramque Redemptionem impedire niteretur. Sic Leo sermone 2. de Natiuitate, & Diuus Thomas ad tertium locum citat. lege circa prædictas desponsationis rationes D. Thomam q. 29. art. 1. & Suarez, Toletum item in cap. 1. Lucæ, Annotat. 55. Cur autem de muliere nasci decuerit Dei filium, & de Virgine annot. 54. idem declarat.

CAPVT IX.

IESVS CHRISTVS DEI FILIVS NASCITVR IN BETHLEHEM IVDAE, & circumciditur

C. 2, 1.

1. Factum est autem in diebus illis exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.

SCHOLIA.

1. FACTVM est] non casu accidit, sed Diuina prouidentia factum est, vt professuri Ioseph, & Maria in Bethlehem abirent, nimirum sic voluit Deus impleri illud, *Et tu Bethlehem terra Iuda*, &c. Ita Deus per quem Reges regnant, vt toti orbi pacem dederat, Cæsaris quoque animum ad edicti huius promulgationem erexerat, vt hac iusta occasione ibi eius filius nasceretur, vbi prædictum erat à Michæa, simulque ostenderetur clariùs de stirpe Dauidis natus esse Christus: pateret quoq; Messiæ tempus appetisse, cùm scilicet sceptrum ablatum esset de Iuda: ostendebat enim hæc descriptio, & edictum, Iudæos Romanis esse subiectos. 1. *Prouidentiæ diuinæ insigne exemplū*

In diebus illis] circa annum sc. quadragesimum secundum Imperij Augusti, pòst primum consulatum, vel post Triumuiratū eius per vnum, vel per tres, vel per quatuor menses iuxta varias sententias Auctorum inchoatum; anno trigesimo post Actiacam victoriam, & exordium Monarchiæ; anno verò sexagesimo secundo ætatis Augusti. Vide l. 2. dilucidæ c. 2. Theo. vnica. 2.

Edictum] publicum præceptum, Imperium. *Edicere* enim propriè est voce præconis, Magistratum, siue Principem iubere aliquid quod omnibus obseruandum proponitur: & vt interdictum est, præceptum eius rei, quæ fieri vetatur, ita edictum est eius quod ab omnibus effici præcipitur. Græcè dicitur πρόσταγμα, vel vt habet hic Lucas, δόγμα. id est, placitum ἀπὸ τοῦ δοκεῖν, eo quod Principi illud præcipere, vel edicere placuerit; hinc leges à principibus latæ dici solent Principum placita, eadem voce Græca vtitur Lucas Act. 16. 4. & 17. 7. dicūtur hæc exire in Scripturis, vt Esther 1. Dan. 6. 7. quia de corde Principis vel Dei, *in cuius manu Regum corda sunt*, in publicum proferuntur, & promulgantur populo. 3. *Edicere quid sit.*

Describeretur] ἀπογράφεσθαι, quod significat nomen dare & profiteri. Edictum ergò seu decretum factum fuit, vt omnes in ciuitatem suam, non quidem vbi nati erant, vt vult Gagn. sed vnde oriundi, vt docet Caiet. se reciperent, singuliq; singularum ciuitatum nomina sua darent in tabulis perscribenda, vbisq; ciues aliquo modo se profiterētur esse, & Imperatori subiectos. Itaq; describi hîc non tam significat censeri, hoc est facultates æstimari, & multò minus censum pensitare quomodo vertit Erasmus, & plerique interpretantur, quam numerari, recenseriq; potiùs, quamuis Ambros. etiam 2. in Luc. c. 2. to. 5. legat, *vt censum profiteretur vniuersus orbis*, pro *describeretur*. Videtur autem Augustus voluisse, vt in acta publica referretur Romano Imperio subditorum numerus, licèt interim quid certum recensiti soluerent, quod Salmer. tom. 3. tract. 32. (idque est contra Gagne.) ostendit pag. 340. quodque Tertulliani auctoritate l. 4. contra Marcion. 7. suaderi potest: asserit enim eum censum Iudææ prouinciæ fidelissimū testem 4. *Quàlis fuerit ista descriptio.* 5.

Natiui-

Natiuitatis Christi sua etiam ætate in Romanis Archiuis asseruatum fuisse, vbi per censum librum actorum descriptionis illius, & professionis intelligit. Idem de tabulis asseruatis docet Iustinus oratione ad Antoninum. Sed hæc tamen non ostendunt vel probant non fuisse etiam notatum in libris, quantum quisque facultatum haberet. Nota igitur hâc descriptionem, & capitationem factam etiam præter alias causas vectigalis augendi causa, id est, vt quantum emungi posset, pecuniæ sciretur, & ita is census non idem erat omnium. Illud porrò quod singuli recensiti soluebant cùm censerentur, certum videtur fuisse apud Iudæos saltem, siue fuerit denarius, siue potiùs didrachmus, nempe medij sicli pars singulis annis. nam Exod. 30. soluebant Iudæi, cùm numerabantur sicli dimidium, scil. duos regales, & hoc postea tributum indixit Vespasianus Iudæis vbicumque degerent ex Iosepho lib. 7. de Bello c. 26. nempe duas drachmas, ita vt ante hac Tẽplo pendebant. Vide Matt. 17. & verosimile est hoc idem tributum in hac prima descriptione fuisse solutum, licèt Beda hom. 1. in hoc Euangelio, & Hay. censeant denarium potiùs soluisse. Soluebant verò singuli, vt opinatur etiam Maldon. tam viri, quàm mulieres: in singula enim fiebat capita, imò & infantes censebantur post nomen inditum, & ita in tabulas referebantur, postea tamen Prouinciæ Syriæ, sub qua censebatur Iudæa, concessum est vt soli puberes censerentur, & in tabulas referrentur. Descriptionis causas commemorat Suidas in histor. verbo ἀπογραφή. Sigonius de iure antiquo Italiæ l. 3. c. 21. Salmeron to. 3. tract. 32.

6.

7. *Vniuersus orbis*] id est, vniuersi Romano Imperio subditi; hinc patet tempore pacis Romani Imperij natum Christum, quomodo enim poterat vniuersus orbis vnius Imperatoris edicto, nisi magna florente pace vocari ad censum; porrò pax hęc diù duravit. Illud verò Isai. 2. 4. *non exercebuntur ad prælium vltra*: non significat semper duraturam pacem, sed diù: sic enim accipiendum est ibi, *non vltra*, vt etiam sumitur 1. Reg. 7. *Nec apposuerunt vltrà vt venirent*. Illud aduertendũ anno quo natus est Christus. Tertiùm clausas fuisse Iani portas. Sic Barrad. lib. 8. c. 12. ex Orosio contra Baronium. Ambros. trahit hoc ad mysterium, vt intelligeremus descriptionem hanc vniuersi orbis potiùs pertinere ad eum, qui tunc nascebatur verum totius orbis Dominum, cui consonat quod refert Oros. Augustum hoc ipso tempore Domini titulum recusasse, quem plerique ei tribuendum putabant, quasi præsagientem natum iam in Terris eum, qui verè esset Cœli, Terræque Dominus.

8.

9.

2. *Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino.*

3. *Et ibant omnes vt profiterentur singuli in suam ciuitatem.*

SCHOLIA.

10. HAEC *descriptio*] id est, hæc descriptio prima facta est Præside Syriæ Cyrino, quem alij Cyrenium, alij Quirinum vocant, Græcè non dicitur ab illo, sed illo Præside facta, sed idem videtur esse quod dicitur hic à Præside, nempe illum censum fecit per alium in Iudæa, vt indicat Tertullian. lib. 4. contra Marcion. cap. 19. vbi Sentium Saturninum nominat, nam is fortè fuit ille, per quem Præses Cyrinus hunc censum fecit in Iudæa, vide Pamæ. in hunc locum Tertullian.

A *Prima*] Prima nominatur ante quam nulla alia facta, siue postea fuerit alia, siue non. Fortè enim aliæ postea factæ, loquimur enim de factis in vniuerso mundo, hoc verò ideò notatum est à Luca, vt appareret id Dei consilio factum, vt Christus in Bethlehem nasceretur, errat autem Ioseph. l. 18. Antiq. cap. 3. dum arbitratur factam hanc descriptionem anno trigesimo octauo post victoriam Actiacam, quæ fuit circa quadragesimum nonum annum Augusti ab initio Consulatus, seu Triumuiratus; iterumque errat l. 17. Antiq. c. 15. & l. 18. c. 1. dum ait, Cyrenium mortuo iam Herode, & Archelao eius filio in Galliam relegato missum, vt censum hũc ageret. Quomodo ergò inquies, viuẽte Herode dicitur Cyrinus Præses, & quomodo facta est descriptio hæc, & recensio in Regno Herodis? Respon. erat Cyrinus Syriæ Præses, quia verò Iudæa ad Syriam tunc pertinebat, eius partes erant non modò Syriam, sed etiam Iudæam describere; non nominatur autẽ *Herodes*, quia res hæc ad Imperium Romanum pertinebat, ideò per Præsidem hic census, non per Regem agebatur: nec mirum, quia Herodes Imperio subditus erat, & non nisi precariò & seruiliter regnabat, & vt ait Appian. in Syriaco l. 1. tributis non nisi ordinatis: solent autem nunc etiam Reges in terris non sibi immediatè subiectis, recensere homines alijs subditos immediatè, vt in terris Marchionum, Ducum, &c. Huius porrò nobilissimi census memoriam non extare in Romana historia mirũ non est, cùm Liuij, & Dionis eius temporis historia interciderit, Tacitus Annales inchoet à Tiberio, Suetonius carpens multa transiliat; sed omninò extitisse eius census tabulas in Archiuo Romano excitata Iustini mart. oration. ad Antoninum, & Tertullian. lib. 4. contra Marcion. cap. 7. patet. lege Baronium.

B

C

3. *Vt profiterentur*] ἀπογράφεσθαι, vt describerentur, vt nomina darent, voluit interpres non solùm descriptionem exprimere, sed & causam, vt scil. se profiterentur esse huius, vel illius familiæ Imperatori subditos: idem verò dicitur re ipsa hîc descriptio, & professio, & idem est vocabulum Græcum, nam quia ministri describebãt, & ciues profitebantur, ideò quòd erat descriptio ex parte ministrorum: erat professio ex parte eorum, qui nomen dabant, & fortunarum suarum mensuram profitebantur.

14.

In suam ciuitatem] quæ non Tribus, sed familiæ suæ caput esset, iuxta illud, *eò quod esset de domo & familia*, &c. erat enim Bethlehem patria Isai patris Dauid, 1. Reg. 16. 1. vbi Dauid & natus, & educatus est: *suam* dicit, vnde scil. oriundi erant, vt ratio, quæ affertur inferiùs, *eò quod esset de domo* &c. indicat: poterat enim esse aliquis de domo & familia Dauid, etiam si Bethlehem natus non esset, sicut & nasci poterat in eadem vrbe, quamuis non esset de domo, & familia Dauid. Notat Salmer. to. 3. tract. 32. in Iudæa speciatim eum modum seruatum esse videri, quem innuit Lucas, vt quisquis in sua ciuitate, ex qua oriundus, vel vt ait Salmeron, Vbi erat natus profiteretur propter legem. In alijs prouincijs vbicumq; quis esset describebatur, sed hoc incertum mihi, nam Lucas ait, *Ibant omnes*, &c. Sed quomodo si facultates recenseri debuerunt, quod verosimiliùs videtur, non in proprio cuiusq; loco id fiebat? Respondet Carthus. credendum esse quemq; suis in locis proprias facultates suas enumerasse prius ante discessum coram iudicibus ad id destinatis, à quibus subductione facta tum quis pendendus esset census quisq; intelligeret, indeq; ad ciuitatem familiæ communem se conferret.

D

15.

4. *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem; eò quod esset de domo & familia Dauid.*

SCHOLIA.

4. *Ascendit autem*] more Hebræo sæpè ascendere ire est, licèt locus non sit eminentior. Situs tamen Bethlehem altior erat, quàm Nazareth; opinor tam Ioseph, quàm B. Virginem natos fuisse Nazareth, & probabile esse quod scribit Epiphan. hæres. 51. tempore Machabæorum ob assidua bella, quibus infestabatur Iudæa, eorum parentes, vel maiores in Galilæam commigrasse: nil tamen hic certi.

A Nazareth] quattuor minimum dierum iter erat in Bethlehem. Ab Hierusalem verò distabat Bethlehem secundùm Brocard. leucis duabus, vel triginta quinque stadijs secundùm Iustinum, vel sex milliarijs secundùm Hieronymum. Aranda scribit in prologo libri de terra sancta, Nazareth distare ab Hierusalem triginta leucis; Borcardus viginti septem leucas ponit. Erat autem Bethlehem in tribu Iuda ad Austrum in monticulo sita, dicta est etiam Ephrata. Mons is arctus erat, nec excelsus extendens se longitudine ab Oriente in Occidẽtem, vnde patebat ingressus, ad extremam Orientalem partem spelunca illa erat ter fausta, & cœleste illud præsepe, vbi Iesus, id est, salus nata est, sic sentire videtur Borcardus. Beda de locis sanctis c. 8. Bethlehem inquit, in dorso sita est angusto, ex omni parte vallibus circumdato ab Occidente in Orientem mille passibus longa, humili sine turribus muro. In cuius orientali angulo semiantrum est, cuius exterior locus natiuitatis, interior præsepe fuit. Porrò verosimile est B. Virginem scisse diem, & locum partus, quare se eo libẽtius suo tempore contulisse. An vecta fuerit asino non constat, potiùs oppositum credendum ex auctor. serm. de Natiuit. qui Chrysost. tribuitur, to. 2. quidquid d. Lyra. Carthus. & Io. Ma. qui volunt Asino vectam. Neque enim B. Virgini Christus erat oneri, imò instigabat is, alacrioremque reddebat, & vt citra periculum veniret, auxilium etiam, opemque ferebat. Venit igitur tuta, nec de Aborsu dubia, imò & ex hoc itinere, quod Virgo confecit partui vicina, colligit Ludol. in vita Christi, infantem hûc matri nulli fuisse oneri, sic sentit Fulgentius de laudibus Mariæ, & August. serm. 11. de Natiuit. cùm esset inquit, grauida salubri lenitate plaudebat, licèt is sermo tribuatur Fulgentio, vel Seueriano à Louanien sibus. Denique Ber. ser. signũ magnum ait: illud molestissimum tædium, quo omnes grauidæ laborare noscuntur, solam Virginem non sensisse, quæ sola sine voluptate concepit, item ait, sola sine corruptione concepit, sine grauamine tulit, sine dolore parturijt. Io. Ma. parum inquit, aut nihil oneris virgo inter ambulandum in fœtu (vt puto) sentiebat, agilitatis dote grauitatis pondus fuit ademptum, diminutumve. hæc collegit Barrad. l 8. c. 19.

Non videtur mysterio vacare, quod Bethlehem ciuitas Ioseph, & Mariæ tacitè dicatur, ac proinde etiam Christi: & tamé in ea Christus tanquam peregrinus, & alienus natus sit, nimirũ quia in propria veniens, tanquam peregrinus apud nos diuersatus est, *non habens vbi caput suum reclinaret*, vt neque apud Bethlehemitas locum inuenerit; reclinauit enim eum mater in præsepio, *quia non erat ei locus in Diuersorio.* Quod verò tacitè Bethlehem ciuitas Ioseph, & Mariæ dicatur, patet ex versu tertio. Nam professuri in ciuitatem suam ibant.

Ciuitatem Dauid] ibi enim natus. *Quæ vocatur Bethlehem*] id ad distinctionem alterius ciuitatis, quæ etiam ciuitas Dauid dicitur in scripturis, adiectum est. Nam & arx Sion ciuitas Dauid dicta est, quod ab eo ædificata, & in sedem Regni electa. 22.

De domo & familia] domus hîc, vt Gagnæ. aduertit, familiam significat, vt supra c. 1. 27. de Ioseph dixerat, *quod esset de domo Dauid*, vbi non addidit familiam, eò quod domus vtrumque designet, quare meritò Caietani obseruatio hîc nulla est, potestque *Id, & familia*, declarationis caussa appositum, videri, q. d. & familia pro, id est, familia, quia domus interdum potest pro Tribu, seu magis amplè accipi. 23.

5. *Vt profiteretur cum Maria desponsata sibi Vxore prægnante.*
6. *Factum est autem cùm essent ibi impleti sunt dies vt pareret.*
7. *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio.*

SCHOLIA.

5. CVM *Maria*] Iam dixi profiteri, idem esse quod describi, supra n. 14. apparet & hinc fœminas solitas describi, alioqui cur grauida eò proficisceretur, imò & infantes post nomen inditum censebãtur, & in tabulas referebantur, posteà tamen prouinciæ Syrię, sub qua censebatur Iudæa, concessum est vt soli puberes censerentur, vt superius etiam diximus n. 6. Itaq; verosimile est Christum Dominũ descriptum fuisse postquàm natus est & circumcisus, fauet lex illa ff. de censibus; ætatem in censendo significare, necesse est, quia quibusdam ætas tribuit, ne tributo onerentur, veluti in Syria à decimo quarto masculi, à duodecimo fœminę vsque ad sexagesimum quintum tributo capitis obligantur. Idem sentit Oros. lib. 6. c. vlt. 24.

Desponsata] dicitur interdum, quæ nondum domum ducta, sed hîc significat Virginem non dum consummato matrimonio. quamuis verò illud, cùm desponsata, referri possit ad verbum, ascendit; vt significetur Ioseph ascendisse cum vxore suaitamen non videtur verosimile Ioseph cum vxore sua tam vicina partui ascensurum, nisi & mulieres describi necesse fuisset, itaque potiùs ad verbum *Profiteretur*, referendum id est: meritò *desponsatam* vocauit Lucas ad significandũ eam Virginem peperisse, sicut Virgo conceperat.

Prægnante] id est, quæ prægnans erat tunc. 25.

Cùm essent &c.] non ergò eodem quo venit die peperit, sed per dies aliquot morata, venisse quidam affirmant die Veneris, peperisse Dominico. dicuntur autem impleti dies, non quod illorum successu Christus in vtero formatus sit, quem scimus momento perfectum quoad organizationem corpus assumpsisse, sed quia augmentum tantum corporis progressu temporis accepit. Sed neque tempori obstringebatur, vt aut in vtero delitesceret, aut ex ipso erumperet, & Matrem vrgeret, quod in cæteris fieri videmus, nec enim ille dolorem incussit Matri; aut aliquid non spontaneum passus est, sed hucusque ille distulit, vt & perscriptioni temporum, sicut & legi se submitteret. Impletio 26.

Christus quomodo in vtero formatus.

pletio igitur dierum magis ad Diuinum, quàm ad naturale decretum referendum est.

27. 7. *Peperit*] sicut per hoc quod dicitur Virgo peperisse, significatur eam tanquam veram illius matrem edidisse in mundum per consueta membra Christum infantem, ita cùm dicitur inferius pannis inuoluisse, & reclinasse in præsepio satis insinuatur sine omni prorsus dolore, & languore peperisse, vt quæ sine libidine conceperat. Hinc constat nõ omninò naturaliter filium suum peperisse, lege enim naturæ partus sine virginei claustri reseratione, dolorevè non potuisset esse, est ergò fides Ecclesiastica, quòd Maria Virgo fuerit in partu.

28. *Christus quãdo natus* Peperit verò vigesima quinta Decembr. die Dominico (licèt incarnatio fuerit 25. Martij) nocte nimirum media ad sequentem diem spectante, circa annum ab orbe cõdito quatermillesimum. Baron. addit viginti duos annos, Barrad. octoginta quinque. Alij ignorare putãt an omninò elapsus fuerit quater millesim⁹, vel aliquot addẽdi supra ipsum sint anni, hoc secundùm vulgatam latinam editionem, nam iuxtà septuaginta natum dicit Baron. anno ab orbe condito quater millesimo sexcentesimo octauo. Martyrologium habet anno à creatione quinquies millesimo cẽtesimo, nonagesimo nono. Olympiade verò natus est centesima nonagesima quarta, anno tertio, quod etiã notat Suarez to. 1. disp. 6. sect. 1. licèt Baron. ponat annum secundum, ab vrbe condita secũdùm Varronianam supputationem, septingentesimo quinquagesimo primo. Barrad. habet septingẽtesimo quinquagesimo secundo, Augusti anno quadragesimo secundo inchoato, Herodis magni Antipatri filij vigesimo nono imperfecto. Ab Actiaca victoria, postquàm nouo Senatus decreto confirmatum fuit illi Regnum ab Augusto: ex Iosepho lib. 15. antiq. cap. 10. Benedictus Perer. lib. 11. in Daniel. sub fin. q. 5. rem dubiam reliquit de Herodis annis. Ex his cõciliari possunt Irenæus l. 3. c. 25. Tertull. aduersus Iudæos, qui quantum ad Augusti annos scribũt quadragesimo primo natum esse Christũ, & Euseb. in Chronic. & l. 1. hist. Eccles. c. 5. Epiphan. hæres. 51. qui dicunt quadragesimo secundo eiusdem in lucem editum, primi enim tantum perfectum, secundi imperfectum etiam annũ enumerare videntur. Illud addendum, nono expleto mense ex vtero prodijsse ita vt in vtero fuerit per dies ducentos septuaginta sex, licèt aliquando Augusti. nouem mensibus sex dies addiderit, quia computat nouem menses integros, sed æquales trigintà dierum; qui conficiunt dies 270. vt patet si numerum subducas.

Iulius mo Olympiadum est à mense Iunio.

29.

30. *Primogenitus quis.* *Primogenitum*] etiam est primogenitus quem nullus sequitur, dũmodo ante illum natus sit, Græcè Τὸν πρωτότοκον illum primogenitum, nos ita definimus, inquit Hieron. aduersus Heluid. to. 2. c. 5. omnis vnigenitus, est & primogenitus, non omnis primogenitus vnigenitus est. Primogenitus est non tantùm post quem etiam alij, sed ante quem nullus. *Omne*, inquit Dominus ad Aaron Numer. 18. *quod aperit vuluam ab omni carne, quæ offertur Domino ab homine vsque ad pecus, tibi erunt, tantũmodò pretijs redimãt primogenita hominum, & primonita pecorum immunda redimi.* Definiuit sermo Dei quid sit primogenitum, omne inquit, quod aperit vuluam, &c. Cogit me sermo Dei, vt *omne masculinum, quod aperit vuluam, si de mundis animalibus sit, Deo voueam; si de immundis, redimam.* Possum respondere, quid me in vnius mensis stringis articulo? quid primogenitum vocas, quem an fratres sequantur ignoro? expecta donec nascatur secundus, nihil debeo sacerdoti, nisi & ille fuerit procreatus, per quem is, qui antè natus est, incipiat esse primogenitus.

A *Pannis eum inuoluit*] Græcè Καὶ ἐσπαργάνωσεν, quod est, *infascinauit*, aut fascijs inuoluit. Non est ergo, quod pannos laceros suspicemur, vel sordidos. Verissimũ enim est Mariæ pauperetatem fuisse mundam, paupertas illi placuit, sordes nunquam, quantò minùs in hoc obsequio? Hieronym. aduers. Heluid. nulla vbi obstetrix, nulla mulierculatarum sedulitas intercessit, ipsa pannis inuoluit infantẽ, ipsa & mater, & obstetrix fuit, quę sententia & Apocryphorum deliramenta conuincit, dum Maria ipsa pannis inuoluit infantem. 31.

Hinc collige B. Virginẽ sine dolore, & ruptura peperisse, cõtra impios Caluinianos: alioqui quomodo suis ipsa manibus inuoluere potuisset? & in præsepe reclinare? nimis certè credul⁹ Suidas scribit parienti obstetrices adfuisse, nunquid si adfuissent non illæ inuoluissent? hinc etiam cõstare potest non esse natum Christum cum sordibus, nec B. Virginem secũdinas, & cum illis sordes emisisse post partum, quid illis inquies factum? vel resolutæ in aliam materiam, vel miraculo in aliam trãslatæ locum, legimus enim hìc natũ inuoluisse, non verò lauisse, vel expurgasse. De honore sacrosanctis illis fascijs & pannis exhibito, vide Germanũ & Euthymiũ in orat. de fascijs Domini apud Lipomanum tom. 6. die 31. Augusti. 32. 33. *Christus quomodo natus.* 34.

In præsepio] inter bouem, & asinum secundùm Nazianz. & Nyssen. in orat. de sancta Christi Natiuitate: erat autem præsepe iuxtà Bethlehem in quadam spelunca secundùm Iustin. in Tryphon. licèt Tolet. annot. 10. contendat fuisse intra Bethlehem, vt sic dicatur Christus verè in Bethlehem natus. Maldonat. quoque asserit hoc stabulum vbi natus est, & reclinatus Christus in oppido ipso fuisse propter eandem causam, nempè vt Bethlehem natus esse dicatur Christus, quamuis parùm apud me valeat hæc ratio, sic enim solemus dicere, esse v. g. Panormitanos, qui in coniunctissimis, & vicinissimis locis nati sunt, quamuis extra Panormum. De Magis verò idem Auctor sentit nõ inuenisse infantem in stabulo, sed in domo, qua de re suo loco. 35.

Et quidem videtur præsepe fuisse in rupe excisum intra speluncam, sicut de sepulchro Domini dicitur, & quamuis ab aliquibus dicatur fuisse ligneum, à quibusdam verò saxeum, vel luteum, possunt hęc omnia vera esse, nam cùm esset in rupe excisum, saxeum erat, & potuit etiam addi aliquid, puta lapides cum luto, vt melius aptaretur, præterea ligneum, & asseres superaddi. Speluncam istam paruum terræ foramen vocat Hieron. ad Marcel. *Vbi*, vt inquit, *cœlorum conditor natus est.* Porrò in parte huius speluncæ interiori erat in rupe, illud, vt dixi, præsepium excauatum, est autem simile sepulchrum Christi, hìc excauatur præsepe post speluncam, illic sepulchrum; loci humilitatem considera, simul & Domini maiestatem, nihil enim illinc potuit esse abiectiùs, nihil hinc augustiùs, lege Hieron. ad Marcel. & in Epitaphio Paulæ, Bedã lib. de locis sanctis, Brocard. 1. p. c. 7. §. 56. 36. *Præsepe Christi quale & vbi.*

Non erat eis locus in diuersorio] Græcè, & Syriacè *eis* non *ei*, quare si hoc modo legamus, non solùm loquitur de infante Lucas, sed de parentibus. Videtur enim esse pulsi ex hospitio & hominum habitatione confluentibus eò diuitibus, hoc enim significat *Diuersorium* hìc, ex Græco Κατάλυμα, siue sit publica, siue priuata domus: quare cùm non inuenissent parentes Iesu locum inter homines in hospitio ipso, ad bestias confugerunt, nempè ad stabulum, quod credo cõiunctum fuisse hospitio, & propterea dicitur B. Virgo reclinasse puerum in præsepio, quia ingressi fuerant stabulum, hominũ confluentiũ multitudine compulsi, & de diuersorio, id est, de hospitio excluſi, in præsepio, quod erat in stabulo, reclinarunt infantem, & hoc modo 37.

diuer-

diuersorium,& stabulum,quod sub nomine intelligitur præsepis, veluti opponuntur. quamuis sit
38. etiam probabile(minùs tamẽ quàm id, quod prius dixi)diuersorium significare hìc locum quo diuerterant,scil. stabulum ipsum, in quo cùm non esset locus ad reclinandum puerum aptior,in præsepio reclinarunt.Stabulum hoc dicitur à Græcis Patribus spelunca,tophaceam specum vocat Theodor. de curan.Græc.affec. l.8. quia erat excisa in petra seu Topho.

39. *Animalia fuerunt in stabulo.*

Verosimile est tunc fuisse animalia in stabulo, puta bouem & asinum, quæ vt arbitror non erant Iosephi,& hoc confirmat illud Abacuch 3.1. Nam vbi nos legimus: *In medio annorum viuifica illud*, Septuaginta verterũt, *in medio duorum animalium cognoscêris*,& illud Isa.1.3.põtest huc afferri, *Cognouit bos possessorem suum,& asinus præsepe Domini sui.* non ergò mirum quod B.Virgo in præsepio locarit infantem,hoc enim mysterium fuit, vt vaticiniũ compleretur:in his enim, & similibus Spiritu sancto agebatur B.Virgo.

8. Et Pastores erant in Regione eadem, vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.

SCHOLIA.

40. *Tribus personarum generib.Christus reuelatus.*

8. ET *Pastores*]Tribus personarum generibus recens natus infans manifestatus est, pastorib. propè Bethlehem,Simeoni,& Annæ in Tẽplo,tribus Magis in stabulo. Beda de loc. sanc.c.8.ad Orientẽ in turri Ader,id est,gregis mille passus à ciuitate Bethlehem,segregata est Ecclesia trium pastorum Diuinæ natiuit.conscriorũ monumenta cõtinens,hìc ergo Angelus apparuit pastoribus,quos scribit Beda tres fuisse. Iuxta hanc
41. turrim Ader sentiunt quidam Iacob pauisse greges suos.Gen.35.21.de qua intelligunt illud Michææ c. 4.*& tu Turris gregis nebulosa*,&c. licèt Hieron.in hunc locũ Michææ dicat; per Turrim gregis intelligẽdam esse Sion,& Hierusalem.At idem D.Hieron.trad.in Gen.ponit eam iuxta Bethlehem. Villalp.negat,& meritò, Turrim illã vbi pauit Iacob
42. gregẽ,Gen. 35.21.esse in loco iuxtà Bethlehem, vbi Angelus Pastoribus apparuit, licèt nominetur etiã ille Bethlehemiticus locus, vbi Angelus visus est pastoribus,*turris gregis*,nõ est tamen illa locus Iacob, imò in Script.sacris non aliam esse turrim gregis opinor,iuxtà quã Iacob pauit gregem; quã quæ dicitur *porta gregis*,iuxtà montẽ Sion vel Moriam ad vallem Iosaphat,in qua lapidatus est Stephanus,& ideo nunc dicitur porta D.Stephani,& à Iosepho Genath.6.de bel.c.6.& dicitur ædificata à Dauide,& amplificata à Salomone,de hac Michę.4.*& tu turris gregis nebulosa*(Ophel Hebr.)*filia Sion*,nõ *filia*,vnde pater iuxtà illam fuisse, dicitur *Turris*,licèt sit porta,ob altum,& magnũ ædificiũ, per hanc ingressus est Dominus in die palmarum, &c.cõfirmant hæc;quia Iacob,sepulta Rachel,discessit ex loco illo iuxtà Bethlehem,& fixit tabernaculũ suum trans turrim gregis, sitam ad radices Moria ex Gen.35.21.erat autem ad Orientem, non
43. ad Aquilonẽ hæc porta. Ben. Ariasmont.l.12.Gẽt. c.10.cùm commemorasset Iacob sepeliisse in terra Bethlehem Rachelem,subdit,atq; aliquãto itineris spatio progressus in Iebusæorũ agro trans Turrim gregis tabernaculum collocauit,sic ille & rectè,nam mõtem Moriã, cui proxima est porta gregis,Aream fuisse ornam Iebusæi putat. Cur verò
44. vocet Moses eam turrim gregis,duæ reddũt causę, vel Prophetico spiritu à turri ibi ædificata,postea à Dauide: vel quod Iacob pauerit gregem in valle Hennon vel Iosaphat, vnde factũ vt turris in eius vallis altero cliuo erecta diceretur tempore Mosis turris gregis,cuius rei memoriam cõseruantes habitatores Hierosolymitani,vocarũt portam illam ædificatã à Dauide in eo loco vel propè,& magnificè amplificatam à Salomone portam, vel turrim gregis,quã Lyran. etiã negotiatorũ dictam putat. Nehe.1.1.& 3.31. & Ben. Lege Villalpan.to.2.p.1. de vrbe l.3.c.7.D.Hieron.in c.32.Esa.meminit duarum turriũ Hierusalẽ, quod si aliqua ex istis esset, 45.
cuius mentionẽ facit Moses;illud non est vllo modo concedendũ Borchardo,& eius asseclis portam vallis eandem esse,quæ gregis, sicut nec illud eidẽ Borchardo p.1.c.7.§.4.quẽ sequitur Adrichomius de vrbe.n.137.Portam sancti Stephani esse illã,quæ *Ephraim* dicebatur,ad Aquilonem vrbis sitã, cùm S.Stephanus sit lapidatus in valle Iosaphat,quæ vt 46.
& mons Oliueti,ad Orientem est. Porrò is Angelus,qui apparuit pastoribus, creditur fuisse Gabriel.Sic Cyprian.tract.de Natiu.Christi.

Vigilantes]Græcè ἀγραυλοῦντες,est autem ἀγραυλεῖν 47.
rusticari in villa,& non in vrbe habitare, q.d. erãt rusticantes,siue manẽtes in villa eiusdem agri, sic Gagnæ.Maldon.interpretatur sub dio cubantes cũ grege,seu in agro stabulantes,& quidem non somno dediti,vt subdit, hæc ergò significauit interpres,cùm dixit, *erant in Regione eadem vigilantes.* Quidam dictionem Græcam exponunt, ὠ ἀγρῳ αὐλεῖν,hoc est,in agro tibia,vel fistula canere,sed potiùs videtur dici ab ἀγρὸς,id est,ager,& ἀυλὴ, id est. stabulum,secũdę tamen interpretationis meminit Theophyl.

Custodientes vigilias noctis]Gr.φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς,id est,noctis excubias agentes, 48.
siue noctis vigilias obeuntes,nam φυλακὴ noctis custodias,latinè vigilias significat: φύλαττω enim est vigilias collocare, idcò rectè interpres dixit vigilias,latinè alij reddũt *custodientes custodias noctis*, vt dicitur ludere lusum. Maldon. interpretatur quattuor noctis vigilias ordine suo agentes more militum,in comm.in Psal.qui Arnobio tribuũtur, non illi magistro Lactantij,sed alteri. quarta noctis vigilia dicitur apparuisse Angelus Pastoribus. Sed nihil hìc certi,illud certius videtur loqui Lucam de quatuor illis vigilijs,& custodijs, in quas olim diuidebatur nox, has obseruabãt Pastores ad arcẽdam luporum rabiem, quod innuit hìc Lucas. Hinc constat nocturno tempore Christum natum adiectis,præsertim Angeli verbis. *Natus est vobis hodie*, vide n.52.

9. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.

10. Et dixit illis Angelus: nolite timere,ecce enim euangelizo vobis gaudiũ magnum,quod erit omni populo.

SCHOLIA.

9. *Claritas*] Diuinus splendor,& insolitus 49.
fulgor,Diuinum quid præferens,ac maiestatem illam æternam insinuans,Græcè Δόξα Κυρίς Gloria Domini, sic Lucas splẽdorem vocat,vt in trãsfiguratione accidit, eandem enim ibi vsurpat vocem,cùm de Mose & Elia ait, visos in maiestate.ὼ Δοξῃ,gloria,fulgore circũdatos cælesti;quare rectè interpres,qui Græcè gloria dicitur,claritatem vertit, exprimens nimirũ quænam esset illa gloria.

Circumfulsit illos]id est,circum eos resplenduit: 50.
aduertit Beda nusquã in scripturis alios Angelos cęlesti lumine fulgentes apparuisse,& meritò,nũc enim primùm *lux orta est iustis,& sedentibus in Regione vmbræ mortis.*

Stetit]Gr.ἔστη,q.d. superastitit, & ita sumendum,cùm ait,*iuxtà illos*,i.in aere prope illos,nam

ſtatim ſubditur de multitudine Angelorum canentium procul dubio in aëre.

Timuerunt] ad inſolitum ſplendorem.

10. *Euangelizo vobis gaudium magnum*] id eſt, affero vobis lætum nuntium gaudij magni.

Erit omni populo] q. d. publicum erit gaudium, alioqui per *populũ* intelligunt Iſraelitas, alij totius mũdi nationes, ſed malim intelligi hîc Iſraelitas, qui eum venturũ ſperabant, & quibus ſe exhibuit, & prædicauit, Matt. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues*, &c. & propterea Rom. 15. dicitur Chriſtus *miniſter circũciſionis*. Aſſignat aũt quatuor cauſas cur timere nõ debeant, & quod gaudium magnũ nuntiaturus veniat; & q. publicũ & non priuatum, nimirũ quòd erit omni populo; & quod non omnibus, ſed ipſis annuntiet, *Euangelizo*, inquit *vobis*, quod quidem magni beneficij erat, vt relictis Principibus, & nobilioribus viris ipſis, qui Paſtores erant, tale nuntium afferretur; denique & quod præſens eſſet gaudium, hoc enim innuit vox illa; *Ecce enim*, &c. q. d. adeſt iam cauſa noui gaudij & lætitiæ, vocat porrò gaudiũ magnum nũcium illud, quod gaudij magni materiam præbiturum erat. 51.

11. Quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid;

12. Et hoc vobis ſignum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.

SCHOLIA.

11. QVia natus eſt vobis] id eſt, hominũ cauſa. 52.

Hodie] cùm dies à veſpera apud Iudæos inceperit, ex eo quod Angelus dicit *hodie*, intelligẽdus eſt loqui de tempore illo veſpertino, quod tũc erat, & vnde incipiebat dies ſequẽs, atq; adeò non poteſt intelligi, quòd loquatur de luce præcedente hanc noctẽ, in qua vigilabant Paſtores, & quæ pertinebat ad diẽ præcedentẽ, itaq; ſi hæc duo iungamus, quę ex textu cõſtant. & quòd angelus apparuerit nocturno tẽpore paſtoribus, & quòd dixerit *hodie* natum Chriſtum, liquidò conſtabit noctu, & vt creditur etiam poſt mediam noctem natum eſſe Dei filium, vt proindè rectè huc accommodetur illud Sapien. 18. 14. *Cùm enim quietum ſilentium*, &c.

Chriſtus Dominus] ille ſc. quem expectatis, vocauit Dominum, quia Deus, quia verò Ieſus Saluator populi fuit, declarat Angelus, de quo Saluator loquatur, nimirum de eo, qui verus, & omnib. partibus abſolutus futurus erat Saluator, ſc. Chriſtus, id eſt, Meſſias olim promiſſus, & deſideratus cunctis gentibus, & vt hũc non hominẽ modò, ſed etiã Deum eſſe inſinuet, *Dominum* nominat, & quidem abſolutè; quod in ſolũ Deum conuenit, quaſi non hominem tãtùm, ſed Angelorũ etiam Dominum. 53.

In ciuitate Dauid] iunge cùm *natus eſt*; in Bethlehem ſc. quæ dicitur ciuitas Dauid, nec ſine cauſa repetit natum eſſe in Bethlehem, & quidem, *in ciuitate Dauid*, vt tanto clariùs oſtendat in Chriſto illud Michææ 5. vaticinium impletum eſſe, de quo Matth. c. 2. Itemq; de genere Dauid, ac ſtirpe Regia natum eſſe iuxta illud Pſ. 131. *De fructu ventris tui*. 54.

Ex verſu porrò hoc quinque gaudij magni rationes indicat Angelus paſtoribus, & quòd natus ſit Saluator mundi; & quòd id maximè in bonum ipſorum futurum ſit, *natus eſt*, inquit, *vobis*, id eſt, veſtro bono; oſtẽdit, & naturæ humanæ dignitatem, ad quam prouecta eſt verbo carnem aſſumẽte, hoc enim ſignificatur dum dicitur, *natus eſt*, hoc eſt homo, & eiuſdem vobiſcũ naturæ, quarto ex tẽporis præſentia & breuitate ſumitur non parua cauſa gaudij, & ideò ait, *hodiè natus eſt*, recens natus eſt. 55.

A Nouitas autem rei gaudium auget, quod etiam indicat deſiderium illud immenſum, quo Chriſtus manifeſtare ſe ſtatim alijs ad impertiendam, ſc. illis ſalutem optabat. Denique quinta huius gaudij magni cauſa eſſe poteſt, quod qui iam aduenerit, ſit Meſſias diù expectatus, ſummiſq; ſanctorum Patrũ votis expetitus, quod innuitur verbis illis; *qui eſt Chriſtus Dominus*.

12. *Signum*] hoc ſignum, quod Angelus tradit, vt ſe vera dicere confirmet, poſitum in hoc eſt, quod futura prædicat, fore nimirũ, vt cùm paſtores eò venerint, infantem in præſepe poſitum inueniant, quod non niſi à Deo miſſus, ſcire potuiſſet, nã quomodo potuiſſet homo ſine Deo prænoſſe matrẽ eo tempore, quo peruenturi erant paſtores, non inde remoturam infantem, & accepturam potius in vlnas? At Angelus aſſeueranter, & certo ita eſſe futurum prædicit. Datur etiam hoc ſignum tanquã indicium ad agnoſcẽdum infantem, vbi enim ea viderint paſtores, quę de hoc infante prędicit Angelus, certi eſſe debebãt illũ eſſe infantẽ, de quo Angelus loquebatur. Credibile eſt Angelũ docuiſſe locũ vbi eſſet præſepe illud, licèt id taceat Luc. niſi mauis dicere, Dei ductu eò adiiſſe paſtores Spiritu S. interius edoctos, vt Cyprian. indicat ſerm. de natiu. Chriſti, vel niſi affirmare velis, quoniã not erat, & communis, & prope murũ ciuitatis ad Orientem hic locus: ideo dum præſepe abſolutè audiebant, illud intelligere paſtores ſolitos eſſe; ſic enim fortè tunc à paſtoribus locus ille paſſimque vocabatur, nimirum *præſepe*. B

Deniq; obſeruandum cùm multiplex ſit ſignum, illud hic certũ eſſe debere, non dari hoc loco illud genus ſigni, quod diſtinctionis appellatur, quo ſc. hic infans ab alijs diſtingueretur, neq; enim eo loci alium inuenturi erant infantem, à quo hunc ſeiungerent & diſtinguerent. Sumitur ergò hîc ſignũ vt ex dictis patet, pro ſigno agnitionis & probationis: Agnitionis quidem, quia datur ad agnoſcendum hunc infantem eſſe illum, de quo dixerat Angelus, q. d. Vbi inueneritis infantem talẽ, &c. ſcitote eum eſſe Chriſtum Dominũ. Probationis verò, quia ſimul eſt ſignum, quo oſtenduntur, probãturq; vera eſſe ea, quæ ab Angelo dicebãtur, cuiuſmodi fuit illud, quod dedit Samuel Sauli, 1. Reg. 2. eſt enim probationis ſignũ: illud ad mores ſpectat, quod habet Bernard. Pãni tui ô Chriſte poſiti ſunt in ſignum, ſed in ſignum cui quotidiè à multis contradicitur. C

13. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum, & dicentium:

14. Gloria in Altiſſimis Deo, & in Terra pax hominibus bonæ voluntatis.

SCHOLIA. D

13. MVltitudo militiæ] ne vnius parua videretur auctoritas, & ne Chriſti paupertate paſtores offenderẽtur, adfuit *multitudo militiæ*, &c. Dicitur ergò *multitudo*, vt oſtendatur magnus numerus adfuiſſe; dicitur *Militiæ*, vt oſtendãtur Angeli, & cæleſtes illæ mẽtes veluti nati infantis milites eſſe, & exercitus cæleſtis. Idem verò eſt *multitudo militiæ* quod exercitus, nẽpè annuntiabãt Dominũ Sabaoth, id eſt exercituũ. quo ſignificatum eſt natũ illum puerum, quẽ Angelus Dominum vocauerat, eſſe Dominũ illum Sabaoth, ſeu virtutũ, fortemq; in prælio. Arbitror verò oẽs quotquot in cælis erãt Angelorum choros nocte illa ter fauſta ad Dominum hunc ſuum adorandum cælo delapſos eſſe, vt illud etiam tunc impleretur, quod Paul. ad Hebr. citat: *Cùm iterũ inducit primogenitum in orbẽ terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius.* 59. 60.

14. *Gloria in Altissimis Deo*] id est, in cœlo, vbi sunt Angeli, facta est Deo gloria, q.d. Argumentum glorificandi Deum Angelis, qui in cœlis sunt, exhibitum est, propterea quæ Angeli Deum laudant.

61. *In terra*] hoc nato Christo, consequuti sunt homines, quod Deo fuerint conciliati. Nota cælo terram, Deo homines opponi, sunt porrò hæc verba, non tam optantium, quàm annuntiantium Deo laudem, & pacem hominibus factam: quod si velis vt optantium sit vox hæc, *Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus, &c.* subintelligenda sit: tunc non omninò per modum optantis hæc sumenda, quæ aliqua ex parte præstita erant, & impleta, quare oportebit intelligere, Angelos quæ fieri videbant, optasse, vt magis & magis fierent & perficerentur, idque in signum lætitiæ eorum, & significandæ congratulationis gratia, ob beneficia hominum generi impensa, vt in Apocal. legimus: *sedenti in Throno & Agno benedicto, & honor, &c.* nempè *sit.* Optant ergò perpetuam Deo laudem, ita vt etiam potiùs significent gaudere se gloria & laude Dei, quam sempiternam esse norunt, deinde optant pacem hominibus bonæ voluntatis Dei, vt in omnibus perficiatur id, quod cœpit Christo nascente fieri. Per Christum enim conciliandi erant homines Deo, & in gratiam ab eo recipiendi, quos ille elegerat sua bona voluntate. hoc igitur modo ostendunt se Angeli gaudere propter tãtum Dei beneficium hominum generi præstitum.

62. *Bonæ voluntatis*] Græcè legitur εὐδοκία in recto, sed legendum cum interprete εὐδοκίας, nam quod hic multi philosophantur tria hic distribui; Deo gloriam, Terræ pacem, & hominibus bonam voluntatem, parum ad rem facit. quid? quod neque ita tria tribus redderentur, sed duobus: nam *terræ* nomine iuxta eam distributionem, non video aliud posse significari, quàm homines istic habitantes. Est ergò sensus, istam Christi natiuitatem gloriam cœlis afferre, id est, laudandi, & glorificandi argumentum, terrenis autem hominibus pacem, nec omnibus, sed hominibus tantùm *bonæ*
63. *voluntatis*, vbi nota εὐδοκίαν, apud veteres Græcos Theologos vsurpari pro antegressa Dei in nos bona voluntate, ac propenso fauore, ergò hunc locum sic intellige: *Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis:* ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας, id est, in hominibus, quos propenso fauore suo dignatus fuerit Dominus. hi autem sunt prædestinati, quibus solis in finem profutura erat pax ista, quos scil. Deus sua bona voluntate prosequitur & amat, nam vt omnibus attulerit Christus, non omnibus profutura tamen est, sed prædestinatis tantùm. Emmanuel sic ista interpretatur in notis. *Gloria in Altissimis Deo*, scil. datur, *& in terra pax hominibus bona voluntatis*, id est, ex bona Dei voluntate, seu beneplacito, nam Græcè inquit, est εὐδοκία; sed prior expositio longè magis præferenda est, refertur enim hoc ad homines, vt ipsimet dicantur bonæ voluntatis, scil. Dei, vt iam expositum est.

64. Obseruant quidam non absurdè in Missa post gloriam decantatam solitum dici à sacrificante ad Populum conuersò; *Dominus vobiscum*, quasi quod post pacem ab Angelis denuntiatam testemur, ac profiteamur illud Isa. 7. Emmanuelem, id est, nobiscum Deum esse, confirmantes id quod ab Angelis verè prædicatum fuerat. Sed non est silentio inuoluendum, quod obseruat Bernard. sermon. de conuer. ad Cler. cap 17. *Cæterùm*, inquit, *sic declinemus à malo, vt faciamus bonum; inquiramus pacem, non gloriam prosequamur. Illa enim Dei est, & eam alteri non dabit: gloriam, inquit, meam, alteri*

A *non dabo* (Isai. 42. 8.) *Et dicebat homo secundùm cor Dei: non nobis Domine &c.* (Psal. 113.) *recordemur etiam Scripturæ dicentis: si rectè offeras, & non rectè diuidas, peccasti: recta est fratres, illa nostra diuisio: nemo detractet. alioquin si cui forsitan minùs placet, sciat non nostram esse sed Angelorum. Priores enim Angeli cecinerunt: gloria in excelsis Deo, &c.* Vide eumdem sermon. 13. in Cantica, & Epist. 126.

15. *Et factum est vt discesserunt ab eis Angeli in cœlum, Pastores loquebantur ad inuicem, transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.*

16. *Et venerunt festinantes, & inuenerũt* B *Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio.*

17. *Videntes autem cognouerunt de Verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.*

18. *Et omnes qui audierunt mirati sunt, & de his quæ dicta erant à Pastoribus ad ipsos.*

19. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.*

SCHOLIA.

15. FACTUM *est vt discesserunt*] discè Diuinos motus, id est, inspirationes, quæ sunt vt 69.
C lut Angeli Christum nobis annuntiantes, statim audire, statim tibi adeundus Christus, ille omni studio quærendus, qui non nisi in Bethlehem in Ecclesia, & præsepi, id est, in summa humilitate & paupertate, frigore, & nuditate reperitur. Ecce tibi Pastores Christum inuenerunt, quia festinantes venerunt, vis tu inuenire, disce festinanter venire.

Verbum) ῥῆμα, quod facit, vt non de Verbo, id est, filio Dei intelligatur, is enim non ῥῆμα, sed λόγος in Scripturis dici solet: significat ergò *Verbum* hîc rem nouam, & veluti rumore diuulgatam.

Quod factum est) id est, rem quę gesta est, factum 66.
quod accidit, vel contigit, Deo ita disponente, hoc enim significat hic modus loquendi, vt Ezech. 1. Threnor. 1. Machab. 1. *& factum est Verbum*, q.d.
D accidit, contigit, fuit, vt Septuaginta vertere solent, vel Deo ita disponente, euenit, ita se res habet, sic Pradus in c. 1. Ezech. initio explanat. nec verò Græcè, nec in correctis nostris Biblijs habentur illa, *quod fecit Dominus.*

Ostendit) Græcè ἐγνώρισεν, id est, notificauit, seu indicauit nobis.

17. *Cognouerunt*) Græcè διεγνώρισαν, est autem 97.
διεγνωρίζειν propriè diuulgare, ac notum alijs facere. Itaque sensus esse potest, diuulgauerunt de verbo hoc, id est, notum istud factum, quod dictum illis erat de puero Iesu, quod esset in præsepio inueniendus, & esset Christus Saluator, &c. cui intelligentiæ rectè quadrant quæ sequuntur; *& omnes qui audierunt mirati sunt de his quæ dicta erant à Pastoribus*, ergò quod viderant alijs diuulgauerũt; cæterùm eadem vox Græca significat cognoscere, quare vtrumque dicemus verum esse, & cognouisse Pastores, quæ audierant, cernentes infantem in præsepio positum, vt prædictum erat; itemque credidisse esse Messiam, & Saluatorem, quod ab An-

Digitized by Google

gelis etiam audierant; deinde eadem diuulgasse, quod ex sequenti versu patet, id est, euulgasse illos, quæ audierant, vt proinde sub verbo, Cognouerunt, subintelligi oporteat hanc euulgationem adiuncta parte sequentis versus. Vide Theor. 4. n. 3.

68. 18. *Et omnes qui audierunt*] id est, Maria, Ioseph, & alij qui audierunt mirati sunt de ijs, &c. Græcè, & Syriacè non est, *Et*, nec Ambros. legit, nec videtur adiuuare sententiam, quia tamen in Biblijs correctis habetur, videtur sensus esse, quòd omnes qui audierũt mirati sunt, quòd inuenissent puerum, prout dixerant Angeli positum in Præsepio; itémque mirati sunt de ijs, quæ narrabant Pastores de ipsismet Angelis, itaque mirati sunt & ea quæ viderant Pastores, & quæ gesserant credentes, & adorantes; viderant enim puerum in præsepio positum, crediderant Messiam, & adorauerãt. Item demirati sunt ea quæ præsertim de Angelorum visione & cantu syncerè & candidè narrabãt Pastores, non ergò inutiliter repetitur, & de his quæ dicta erant à Pastoribus ad ipsos, nam membrum illud primum, *& omnes qui audierunt mirati sunt*, refertur ad ea ipsa quæ Pastores viderant & fecerant, credentes & adorantes. Secũdum verò membrum refertur præsertim ad narrationem Pastorum, de Angelis visis, & concentu, ac multitudine, & de signo dato, & inuento. Lyranus, *Et*, loco *id est*, accipit. Glos. pro *etiam* sumit, id est, non solùm de ijs, quæ in puero viderant, nec solùm de mysterio Incarnationis mirati sunt, sed etiam de tanta Pastorum attestatione, qui fingere inaudita nescirent: si verò non legamus, *Et*, clarus est sensus. Vide Theor. 4. de Pastoribus. n. 2.

69. 19. *Conseruabat*] sicut dixit Luc. c. 10. *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, scil. ne effluat, ac pereat obliuione, aut veniat diabolus, & tollat verbum de corde, & Gen. 2. 15. legimus posuisse Deum hominem in paradiso voluptatis, vt

70. operaretur, & custodiret illum. Videtur hic *conseruare* esse summa solertia ac diligentia prospicere, cauere, obseruare, vt solent custodiæ & excubiæ nocturnæ, vt etiam solent gregum custodes ne quid pereat. hunc ergo sensum potest facere hic, *conseruabat*, & *custodiebat conferens*, id est, tractans, & versans corde, & animo, vt per illud *conferens* significatur modus, quo conseruabat nempè diligenter reuoluens & cauens, ne per obliuionem & iniuriam efflurent verba illa, &c. quamuis & illud *conferens* aliquid, etiam aliud indicare videatur, quod mox subiungam.

Conferens] Maria corde tacito, inquit Gagnæ. quæ circa se fieri videt, confert cum his quæ in scripturis vidit Prophetarum circa se agenda ex Isa. *Ecce Virgo concipiet*. Et, *Bos cognouit possessorem suum, & Asinus* &c. Ex Michæ. *Tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es*, &c. Conferebat hæc, cum his omnibus conuenire verba Gabrielis, non dubitans quo pacto in tam humili vitæ statu hæc tam ingentia venire possint promissa. Itaque licèt de Gabriele didicisset, & legisset in scripturis, cõferebat tamen ea secum, quæ videbat, & fiebant cum auditis & lectis. Magnam interim mysteriorum confirmationem & consensionem animaduertens. Vide vt sapientissima Virgo de pastoribus discere non dedignatur.

71. *Duo in B. Virg. tẽpora.* *Verba*] id est, res, addam hîc loco Coronidis, quod Rupert. piè satis obseruat; distinguit is duo in B. Virgine tempora, tacendi alterum, alterum loquendi. Primùm viuente filio, erat tunc *hortus conclusus, fons signatus*, audiebat verbum Dei, & custodiebat illud, tunc *conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo*. Alterum nempè loquendi tempus post Christi in cœlum ascensum fuit, quãdo erant *emissiones eius Paradisus, labia eius fauus*

A *distillans*, cùm Apostolorum erat magistra, & rerum nostræ Religionis interpres, hæresum interemptrix, thesaurus omni diuitiarum genere redũdans, in quod tempus rectè cõgruit nomen Maria, quod *Illuminatrix*, nostro idiomate dicitur, sic eã Ignat epist. 1. vocat, quid ergò miraris, si Ioannes tam sublimia eructauit, cùm ei præsto esset, cœlestium sacramentorum aula, vt loquitur Ambros. meritò Ecclesia illud de ea vsurpat: *Gaude Maria Virgo cũctas hæreses sola interemisti in vniuerso mũdo*, tum quia lucem illam genuit, quæ errorum omnium tenebras disijcit, atque dispellit, tum quod pro fide pugnantibus ipsa in primis opitulari soleat, deniq; quia Apostolorum Magistra fuit, quorum doctrina cunctæ hæresum vmbræ fugantur, sed de his hactenus.

B *20. Reuersi sunt Pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.*

21. Et postquã consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer: vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo prius quàm in vtero conciperetur.

Scholia.

20. AVdierant] ab Angelis. *Viderant*] in Bethlehem.

Sicut dictum est] hoc refertur ad *viderant*, cùm verò dicitur *in omnibus*, *In*, pro, *De*, sumitur.

C *21. Postquam consummati sunt dies octo*] Præcipiebat lex Leuit. 12. vt natus infantulus octauo die circũcideretur. hoc igitur est quod significat Lucas dum ait: *Postquàm cõsummati sunt*, &c. hoc est, completi; nimirum, cùm aduenisset dies octauus. Nota Christum voluisse legẽ hanc perficere, quippè qui legem soluere non venerat, sed consummare, & implere: neq; etiam per se necessariũ fuerat, vt Christi parentes circumcisionis præceptum seruarent, non modò quia Deus erat Christus, verùm etiam quia non consuetudo modò genitus fuerat. At per accidens, vt inquiunt, nempè ratione scandali, ne ea res in pessimum exemplum traheretur, decebat saltem, & aliquo modo necessarium erat vt circumcideretur, alioqui grauiter homines offensi fuissent, cùm is conceptionis modus ignoraretur. Quamuis dici possit non fuisse necesse, vt clarè constaret circumcisio, & ob id dixi decuisse saltem, & non affirmaui fuisse absolutè necessarium circumcidi.

73. *Legem circumcisionis Christus voluit perficere, & cur?*

D *Vt circumcideretur*] fide tenemus Christum esse circumcisum, licèt id Euangelistæ expresè non scribant, sic tamen Ecclesia semper intellexit. Est enim hæc verborum Lucæ sententia: Postquàm aduenit circumcisioni destinatus dies, post illam eodem die peractam, vocatum est nomen eius, &c. cùm enim lege & consuetudine perscriptum esset, vt infantes octauo die circumciderẽtur, propterea id Lucas, vt rem minimè dubiam reliquit, de nominis verò impositione distinctiùs, sigillatim ve scripsit, quia erat res propria & peculiaris Christo ea, quæ nomine Iesu significabatur, propter quam venerat, nempè vt salutem nobis afferret. Nec sine causa hoc illi nomen diuinitùs erat impositum, obiter ergò insinuata circumcisione confestim ad nomen transijt, & quidem græcè magis sensus elucet: interseritur enim, *Et*, *postquàm consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, & vocatum*

74. *Christum circũcisum esse scriptura expresè non dicit.*

est, &c.

Digitized by Google

est, &c. vbi vox *Et*, indicat circumcisionem, non tamen propterea necessarium est addere eam particulã, satis is sensus in nostra editione insinuatur.

7. Hoc loquendi modo, quo noluit Lucas, sigillatim, & clarè scribere circumcisum esse puerum, sed tantùm dicere: *Postquàm consummati, &c.* multa tacitè indicantur ab Euangelista, primum præceptum fuisse, vt die octauo celebraretur circumcisio, q.d. postquàm consummatum est tempus ad circumcisionem destinatum secundùm legem. Deinde significatur à Luca, eadem die moris fuisse circumcisis nomina imponere, id, quod non ita clarè significatum esset, si dictum fuisset, *Postquàm*, &c. circumcisus est puer, & vocatum est nomen eius. Denique ostendit circumcisionem præcessisse nomen, prudenter ergò sic loquutus est D. Lucas.

THEORIA I.

De descriptione iussu Augusti toto orbe peracta, & censu secundùm sensum mysticum hîc à Spiritu sancto intentum, & de pace, & prodigijs.

1. AMbrosius lib. 2. in Luc. c. 20. docet, quid descriptio hæc generalis significarit: *quid enim professio secularium ad generationem Domini pertineret, nisi vt aduertamus hoc quoque Diuinum esse mysterium, quia dum professio secularis obtenditur, spiritualis impletur, non Terrarum Regi dicanda, sed cœli. Professio ista fidei, census animarum est, abolito enim censu synagogæ vetusto, nouus census Ecclesiæ parabatur, qui tormenta non exigeret, sed auferret, & spiritualiter in typo plebis suæ iam Christo nomina conferebat, non hic spatia terrarum, animarumq; censentur, nec describuntur limites, sed proferuntur, nec ætas distinguitur, sed omnis adscribitur, nullus enim ab hoc immunis est censu, quia omnis ætas munifica Christo est, quem vagientes pueri martyrio confitentur, quem intra vterum positi exultatione testantur, nihil in hoc sensu verere terribile, nihil immite, nihil triste, sola vnumquemque fides signat: vis Christi audire censores? iubentur censere, sed non virgis, nec terrore, sed gratia plebem quærere, recondere gladium, non possidere, denique vt scias non Augusti censum esse, sed Christi, totus orbis iubetur profiteri. Quis autem poterat professionẽ totius orbis exigere, nisi qui totius habebat orbis imperium? Non enim Augusti, sed Domini est terra, & plenitudo eius. Gothis non imperabat Augustus, non* 2. *Armenijs, imperabat Christus*, &c. Gregor. in homil. *quid est*, inquit, *quod nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc, quod apertè monstratur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate, quod contra de reprobis per Prophetam dicitur, deleantur de libro viuentium, &* 3. *cum iustis non scribantur.* Adde tertiò & id quod Theoph. aduertit in Lucam: *decebat vt cùm Deus vnus, Deorum multorum cultui finem esset impositurus, vnus etiam Rex, nempè Cæsar imperaret, quod nimirum hic insinuatur, dum dicitur: Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.* Applicat hic Salmeron. tom. 3. tract. 32. illud Psal. 86. *Nũquid Sion*, &c. Sic enim Hieron. legit ex Heb. tom. 8. *Ad Sion autem dicetur, vir, & vir natus est in ea, & ipse fundauit eam excelsus; Dominus numerauit scribens populos, ipse*

A *natus est in ea semper*, vt sit sensus, dicetur Syoni, id est Ecclesiæ, quæ ex Syon prodijt, filiorum multorum fœcundissimæ parenti, quasi congratulãdo, ecce hic, & hic, & ille, id est, magna multitudo virorum nati sunt in ea, per regenerationem ex aqua & Spiritu sancto, posteà subdit, Dominus in descriptione populorum per Augustũ Cæsarem facta (quam more prophetico Deo tribuit, cor enim Regis in manu Domini) oriturus est in Bethlehem, &c.

De hoc censu & descriptione sic Beda lib. 1. 5.
in Luc. c. 2. tom. 5. scribit: *quomodo tunc imperante Augusto & Cyrino Præsidente, ibãt omnes vt censum profiterentur singuli in suam ciuitatem: ità & nunc imperante per Ecclesiæ Præsides, id est, Doctores, imò*
B *suadente, & præmia pollicente Christo eamus omnes, nullus excipiatur à censu iustitiæ, veniamus ad eum qui laboramus, & onerati sumus, & ipse reficiet nos, Tollamus iugum eius super nos, &c. & discamus ab eo, quia mitis est, & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus nostris*, & paulò post: *deinde inferendum*, inquit idem Beda, *quia iubente Domino, quæ Cæsaris Cæsari, & quæ Dei sunt, Deo esse reddenda. Nobis quoque solerter intimatur in similitudinem denarij Regalis Deo Regi nostro decalogum legis offerendum, hoc est, amorem Dei, & proximi, quorum vnus*
C *tribus præceptis, septem alius completur, integro esse corde seruiendum, in quo, videlicet scripturæ sacræ, denario, decem mãdatis cœlestibus, quasi totidem aureis nummis insignito, vultum, nomenq; Regis æterni, hoc est, agnitionem Diuinæ volũtatis quisquis intueri nouit, inueniet*, hæc ille. quæ ideò hic à me relata sunt, quia sensum mysticum, quem Deus etiam intendebat, aperiant, sine quo nec benè intelligi literæ sensus potest, hoc est, cur Deus, hæc ita fieri voluerit.

His adijciam quę ad pacem & prodigia, quę 6.
tẽpore ferè huius descriptionis accidere, pertinẽt, Hieron. ergò lib. 1. com. in Isa. c. 7. sic scriptum reliquit: *Veteres reuoluamus historias, & inueniemus vsque ad vigesimum octauum annum Cæsaris Augusti, cuius quadragesimo primo anno Christus natus est in Iudæa, in toto orbe terrarũ fuisse discordiam, & singulas nationes contra vicinas gentes arsisse studio præliandi, ità vt cæderent, & cæderentur; orto autem Domino Saluatore, quando sub Præside Syriæ Cyrino prima est in orbe terrarũ facta descriptio & Euangelicæ doctrinæ pax Romani Imperij præparata, tunc omnia bella cessauerũt, & nequaquã*
D *per oppida & vicos exercebantur ad prælia, sed ad agrorum cultus, militibus tantùm, legionibusq; Romanis contra barbaras nationes bellandi studio delegato, quando impletus est Angelorum illè concentus. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, & in diebus eius orta est iustitia, & multitudo pacis.* Idem Isa. de hac pace c. 11. sic prædixit, *Egredietur virga de radice Iesse & flos*, &c. & 7.
paucis interiectis, v. 6. *habitabit lupus cum Agno, & pardus cũ hœdo accubabit*, & quę sequũtur, quę 8.
idem Prophetiæ Spiritus ijsdem ferè verbis per Erythræam Sibyllam expresit lib. 4. Oraculorum, quæ Lactant. l. 7. de Diui. præmio transcripsit c. 24.

Tunc verò Lupi cum Agnis in montibus versabuntur.
Vrsi cum vitulis simul, omnibusq; pecoribus,
Carnivorus verò Leo comedet paleas ad præsepia.

Nimirum, id prædicebatur, quòd nulla futura fuisset natio tam crudelis, tam barbara, quæ non accepto Christi Euangelio mansuescceret, siquidem & Paulus de quo Augustin. interpretatur illud: *Beniamin lupus rapax*, habitauit cum Agno, nempè Anania, à quo baptizatus est, vel cum Petro, cui dictum est, *pasce agnos meos*; & Pardus, qui prius non mutabat varietates suas Iotus in fonte Domini, accubuit cum hœdo, non qui à sinistris est, sed qui immolatur in Pascha Domini; qui autem ablactatus est, & iam solido verbi cibo vescitur, iste in Reguli cauernam mittet manum, hoc est in ipsius Sathanæ habitaculum, & inde extrahet eum, vnde & Apostolis potestas data est calcare super serpentes, & scorpiones, & super omnem fortitudinem inimici. Illud hic aduerte, ante Augustum bis tantùm clausas legi Iani portas, apud Sueton. in vita August. scil. semel tempore Numæ. Iterum M. Attilio, & Tito Manlio Coss. At tempore Augusti sunt ter clausæ, primò post victoriam Actiacam, anno ab vrbe condita 725. ex Orosio lib. 6. c. 20. Iterum post victoriam Cantabricam anno septingentesimo vigesimo sexto ex Oros. lib. 6. c. 21. Denique anno septingentesimo quinquagesimo secundo cunctis gentibus vna pace compositis; hoc autem anno ab vrbe septingentesimo quinquagesimo secundo ex martyrol. Rom. natus est Christus. Scio Baron. sequutum Dionem aliter sentire, id est, bis tantùm ab Augusto clausas ante annos viginti septem, & iterũ ante annos viginti tres, quàm Dominus nasceretur. At præstat alios sequi, Suetonium scilicet, quàm Dionem; & ratio descriptionis vniuersi orbis idem indicat, orbem nimirum vniuersum tunc pace vigente Augusto paruisse.

9. *Iani templũ quoties clausum sub Augusto.*

Rectè quidem, nam sic decebat, vt Melchisedech, id est, Rex Salem (Heb. 7.) videlicet rex iustitiæ & pacis tranquillo nasceretur tempore. & quid mirum, si pariente Virgine pacatur orbis, quando Alcyone pullos excludẽte pacatur mare? de quo Ambros. Exameron. lib. 5. cap. 13. *Vbi vndosum*, ait, *fuerit mare, posito ouis Alcyonis, subitò mitescit, & omnes cadunt ventorum procellæ, flatusq; aurarum quiescunt, ac placidum ventis stat mare, donec oua foueat Alcyon sua. Septem autem dies fœtus sunt, quibus decursis, educit pullos, fœtusq; absoluit. Illicò alios quoque septem dies adiungit, quibus enutriat partus suos, donec incipiant adolescere. Tantam autem gratiam auis minuscula diuinitùs indultam habet, vt hos quattuordecim dies, nautici præsumptæ serenitatis obseruent; quos & Alcyonidas vocant, quibus nullos motus procellosa tempestatus horrescant.* hæc Ambros. Ros item sereno cadit tempore, serena nocte, silentibus ventis, teste Aristot. 1. Meteor. c. 10. Et mirabimur, si ros iste cœlestis Christus sereno ac tranquillo tempore in terram nostram cadat?

Hanc proinde nobis ille pacem natus commendat; huic nos studere seriò monet, quam vt teneamus cedendum nobis est, & de nostris commodis detrahendũ aliquid. Sic Abraham Genes. 13. cùm exorta esset rixa inter pastores gregũ suorum, & Loth, *ne quæso*, inquit, *sit iurgium inter me, & te*, &c. *ecce vniuersa terra coram te est*, &c. cessit Abraham Loth, vt pacem teneret, nam nisi lapidem reseces, minimè cohærere poterit cum altero. Ergò cede fratri, detrahe non nihil de summo iure, ac remitte, vt cum fratre conuenias.

A

Restat de prodigijs pauca dicamus, igitur inter hæc numeratur templum pacis dirutum: quod tamen verum non esse ostendit Baron. nullum enim templum pacis antè Vespasianũ traditur Romæ fuisse: id etiam ex Ioseph. l. 7. cap. 24. haberi potest. numeratur & fons olei Romæ trans Tyberim ex taberna meritoria de terra toto die manans ex Oros. & Euseb. in Chron. licèt non dicant fontem aquæ in fontem olei conuersum, quod referunt Bonauen. & Petrus de natal. Cæterùm hoc signum 27. annis ante natum Christum accidit: quamuis quia videtur factum ad natalem Christi, qui vnctus dicitur, ostendendum, ideò cum prodigijs natiuitatis Christi connumeretur quod Euseb. tertio anno August. accidisse scribit. Percrebuit etiam rumor non omninò incertus, omnes quotquot pessimo, ac nefando crimine commaculati erant, repẽtè ea nocte Deo puniẽte sublatos è vita, quod D. Bonau. refert, & Pet. de natal. qui nescio quid ex Hieron. affert, non quod inuenitur. Dicuntur, & tres soles in Hispania visos in vnum tandem coiuisse ex Iulio obsequente. l. de prodig. 128. & sequ. & D. Tho. 3. p. q. 36. a. 3. ad 3. Euseb. in Chron. anno Iulij extremo, id est, 42. ante Christum natum, Romæ ait, tres soles exortos paulatim in vnum coiuisse. Sunt etiam qui oracula dæmonùm conticuisse non leuiter affirmẽt. quare fama est Augustum cum sacrificio hecatombe oblato ab Pythio Apolline peteret, quisnam post eum Romanum regeret Imperium, nullum tulisse responsum, iterum adiecto sacrificio cùm silentij causam rogasset, accepit:

B

C

Me puer Hebræus diues Deus ipse gubernans
Cedere sede iubet, tristemq; redire sub orcum.
Aris ergò dehinc tacitus abscedito nostris.

Igitur Augustus Romam reuersus aram maximam extruxit cum hac inscriptione: *Ara primogeniti Dei*: sic Nicephor. lib. 1. c. 17. Baron. putat fuisse in loco qui nunc dicitur *Ara cæli*. Denique communis & publica pax in Romanorum Imperio loco prodigij rectè statui potest: itemque stella visa Magis. de his consule Franciscum Suarez disput. 13. sect. 1. & Barrad. lib. 8. cap. 13. & Cæs. Baron. initio annal. Porrò tria alia signa, scil. vineas Engaddi florentes, splendorem media nocte exortum, & in limbum vsque, terra dehiscente, immissum; simulacrorum denique in Aegypto casum, leges apud eundem Barad. nam vt incerta omitto. Illud magis iactatum, Virginem infantem gremio gestãtem aureo circulo in sublimi inclusam, fulgentemque à Sibylla fuisse Augusto ostensam, audita confestim voce: *hæc est ara cæli*. Tunc verò Sybillam Imperatorem monuisse, vt puerum illum adoraret: qua de re extant carmina Mantuani:

D

Fulgentem nitido monstrauit in æthere circum,
Irideq; inclusam parua cum prole parentem.
Atque manum tendens, vultuq; ad sydera verso,
Ille puer, Deus est inquit.

10. *Prodigia quæ tempore natiuitatis Christi.*

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

Digitized by Google

vb[illegible]hanc Sibyllam non fuisse ex decem illis p[illegible]m celebratis: nam Cumæa vltima, vixit te[illegible]pore Tarquinij Regis, vt tradit Soli. Polihi[illegible].8. fuit ergò fatidica aliqua mulier, vel virgo tempore Augusti. Sed hoc quoque 18. incertum est. Vide Conimbricenses tract. 1. metheo. c.3. Quæ omnia, & etiam multò plura per Aggæum Prophetam c. 2. 7. significata fuisse videntur: *adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cœlum & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.*

THEORIA II.

De anni tempore quo Christus Dominus nasci voluit, & de loco, vbi natus, denique de modo, quo Virgo peperit, quantùm ad corporis habitum.

1. BErnardus serm.3. in natiu. Domini, *Nunquid*, ait, *credimus casu factum esse, vt in tanta aeris inclementia nasceretur, cuius est æstus & hyems, & nox. non eligunt cæteri paruuli quando nascantur. Christus si homo erat, tamen in principio apud Deũ, & Deus erat eiusdem cuius nũc est sapientiæ & potestatis. Nasciturus itaque Dei filius, cuius in arbitrio erat quodcũque vellet eligere tempus, eligit, quod molestius est, & non est tale iudicium mundi, aut iste fallitur, aut mundus errat, sed diuinã impossibile est falli sapientiã, meritò proinde, & carnis prudentia mors, siquidem & ipsa inimica est Deo, & seculi quoque prudentia stultitia nominatur. Christus vtique non fallitur, eligit quod carni molestius, id ergò melius.* Obseruant & peruetusti patres, ipsum media nocte natum, nimirũ vt ex tenebris lux splẽdesceret, quo superius illud Sapien. 18. *cùm quietum silentium*, &c. accommodauimus, lege Tertull. lib. 5. aduers. Mar. An verò in solstitiũ hybernum inciderit Domini natalis disputat Barr. l.8. c.10. De loco, id est, de specu & præsepi; de sancta Bethlehem, quędam adijciam ex Hieron. in Epitaph. Paulæ; *Paula*, inquit, *Bethlehem ingressa, & specum Saluatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diuersorium, & stabulũ in quo agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, vt illud impleretur, quod in eodem Propheta scriptum est, beatus qui seminat super aquas vbi bos & asinus calcant: me audiente iurabat, cernere se oculis fidei infantem pannis inuolutum, vagientem in præsepe Dominum, Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, Matrem Virginem, nutritium sedulum, Pastores noctu venientes vt viderent verbũ quod factum erat, & iam tũc Euangelistæ Ioannis principium dedicarent: In principio erat Verbum, & Verbũ caro factum est*, &c. & paulò post: *mistisq; gaudio lacrymis loquebatur; salue Bethlehem domus panis, in qua natus est ille panis, qui de cœlo descendit; salue ephrata regio vberrima, atque καρποφορε, cuius fertilitas Deus est, de te quondã Michæas vaticinatus est; & tu Bethlehem domus ephrata*, & reliqua, quæ illa piè & eleganter prosequitur, sicut & illud Dauid Psal.131. *si introiero in tabernaculum domus meæ*, &c. subdit deniq;, *& ego misera atque peccatrix digna sum iudicata deosculari præsepe, in quo Dominus paruulus vagijt? orare in spelunca, in qua Virgo puerpera Dominã fudit infantem? hæc requies mea: quia Domini mei patria est, hic habitabo quoniã saluator elegit eã, paraui lucernã Christo meo, anima mea illi viuet, & semen meum seruiet ipsi*, vide

Christus hyeme natus & cur.

2. Et media nocte.

3.

A

B

C

D

locum dignissimum, qui totus attentè legatur. Idem Hieron. epist.18. ad Marcellam de Bethlehem sic ait: *vt ad illam, & ad Mariæ diuersorium veniamus, quo sermone, qua voce tibi speluncam Saluatoris exponam? & illud præsepe, in quo infantulus vagijt silentio magis, quàm infimo sermone honorandũ est, vbi sunt latæ porticus? vbi aurata lacunaria? &c. Bethlehem ecce in hoc paruo terræ foramine cœlorum conditor natus est. hic inuolutus pannis, hic visus à pastoribus, hic demõstratus à stella: hic adoratus à Magis, & puto sanctior locus est rupe tarpeia, quæ de cœlo sæpiùs fulminata ostẽdit, quod Deo displiceat.* 4.

Huc elegãter & piè accõmodat Sophro. Episc. Hierosoly. desiderium illud Dauid 2. Reg. 23. *O si quis*, inquit, *mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam; nam quod transigebatur*, inquit Sophro. *hæc figura de Christo erat, qui est aqua viua omnibus vitam infundens; cisterna sanctissimam Virginem designabat, quæ eum paritura erat.* hæc ille & iure, nam cisterna aqua de cælo repletur, sic Virgo de cœlo cõcepit aquam viuam; Dauidi aquam tres viri fortissimi attulêre castra hostium irrumpentes, aquam hanc nobis haurient cordis contritio, oris cõfessio, operis satisfactio, tres virtutes fortissimæ, sic Barrad. l.8. c.18. speluncam vbi Christus natus, in petra, seu topho excisam Iust. dial. cum Tripho. dicit ab Isaia 33. prædictam: *iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius erit*; vbi 70. legunt, *hic in excelsis petræ fortis spelunca habitabit.* 5. 6.

Cur verò in præsepi nasci voluerit, quatuor assignat causas Tol. in Luc. c.2. in verba illa; *& reclinauit eum in præsepio*, primùm, vt statũ, in quem deciderat homo comparatus iumentis ostẽderet, secũdò ad humilitatis exemplum, qua iacentem volebat erigere mũdum, tertiò, vt se futurũ cibum habẽtem qui in brutum euaserat præsignaret. quartò, indicare voluit gẽtium, quæ bestijs per idololatriam similes erant, conuersionem. Greg. Nyssen. huc applicans illud Esa. c.1. *Præsepe*, inquit scr. de nati. *rationis, atque sermonis expertium animalium domicilium est, in quo sermo nascitur, vt bos agnosceret possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Per bouem intellige illum, qui legis iugo subiectus est. Per asinũ autem, quod est animal ferendis oneribus natũ, eum qui simulacrorũ cultus onustus est crimine. Cæterum cõmune rationis expertium animaliũ pabulũ & vita fœnum est; producens inquit Propheta fœnum iumentis. Quod autem ratione præditum est animal, vescitur pane. iccirco in præsepi, quod est animalium carentiũ sedes, è cœlo delapsus vitæ panis proponitur, vt & quæ à ratione remota sunt animalia, rationis cibo nutriãtur, atq; ita ratione decorentur. Medium igitur in præsepi se inter bouem & asinum vtriusque Dominus locat, vt medium parietem materiæ soluens duos cõdat in semetipso in vnum nouum hominem, ab altero graue iugum legis eripiens, alterum simulacrorum cultus onere liberans.* 7. 8.

Cur in præsepi positus.

Adijciam & modum hic, quo infantem suum Deum Virgo peperit. narrat B. Brigitta in suis reuelationibus l.7. c.21. hæc se à Beata virgine per visum accepisse, quod sciuerit se parituram in Bethlehem, vt scriptura impleretur, idcircò de mundissimis & decentissimis lineis pãniculis sibi prouiderit, & cùm primũ applicuit cũ Iosepho Bethlehem non inuento loco in diuersorio, stabulũ intrasse, ligatisq; bone, 9.

Modus quo modo Christus natus.

& asino

& asino ad præsepe quos secum adduxerant, Ioſephum continuò ad candelam accendendam exiuiſſe, iterumque egreſſum. Virginem porrò depoſitis calceamentis, & pallio albo quo tegebatur, & velo capitis, ſparſiſque crinibus produxiſſe paniculos laneos, & lineos mundiſsimos, & genu flexam, verſamque ad orientem oculis in cœlum intentis ſtetiſſe quaſi extaſi contemplationis raptam, & diuinis voluptatibus abſorptam, cumque pro partu preces funderet ardentes, illicò momento temporis filium ante ſe fuiſſe editum, tumq; ſenſiſſe dimidium cordis ſui quaſi exiiſſe, ex quo tantus fulgor prodibat, vt vix ei ſol conferri poſsit. Natus ergò infans iacuit in terra nudus, & nitidiſsimus; tunc auditus Angelorum cantus; at virgo inclinato capite, iunctiſq; manibus puerum adorauit, cumq; puer præ frigore, & duritie pauimenti non ſine eiulatu, & tremore paululum ſe verteret, & extenderet membra quaſi matris opem querens, tunc illum ſuſcepit Virgo ſanctiſsima, ſtrinxitque ſumma cæleſtium voluptatum affluente copia intra ſinum ſuum, fouitq; illum incredibili animi affectu, ac caleſecit, ſtatimque cœpit diligenter inuoluere, & reclinauit in præſepio; ingreſſus Ioſeph, & infantem cernēs, & ipſe in terram corruit, genibuſque flexis ſimul cum matre adorauit, hæc ex Diua Brigitta, quæ ob tantam eius ſanctitatē, quantam habuiſſe ſcimus magnę auctoritatis loco eſſe debent, cùm nihil nō veroſimile, nihil repugnans contineant. Quod verò ad fulgorem pertinet etiam D. Vincent. ſermone de nat. conſentit: *quando Chriſtus natus eſt*, inquit, *corpus eius reſplenduit vt ſol quando oritur, & nox facta eſt ſicut meridies, de qua luce interpretatur illud Iſa. 9. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*; & quamuis verè Iſa. de ſpirituali luce loquatur, potuit tamē Diuus Vincent. hoc etiam applicare ex Dei intentione ad lucem de Chriſti naſcentis corpore manantem.

10.

11. Sed priuſquā ſupremam manū huic Theoriæ imponamus, duo hæc nō ſunt ſilentio prętereunda, & quidem primū eſt, Franciſ. Soariū 3. p. q. 35. diſt. 13. ſec. 3. cenſuiſſe infantē Chriſtū, cùm primū ex vtero prodijt, Angelorum manibus fuiſſe exceptū, & in brachijs Deiparę collocatum. Barrad. l. 8. c. 15. credit ad humilitatis exemplum in nudam nudū ſe abieciſſe humū, atq; hunc fuiſſe locū, quem ante Virginis brachia tenuerit; poſſet & quis arbitrari paraſſe Virginē matrem veluti fiſcellam refertā palea pānis impoſitis, vt ibi Chriſtus naſceretur, credat etiam quis matris primo exceptū brachijs, Deo hoc agente, vt virginis tūc brachia ita extenderentur, vt & continerent puerū, & Virgo apertis oculis illum ſe geſtare ſentiret, poſſunt hæc omnia piè dici, & probabiliter, ſed mihi quid habet D. Brigitta, quam Barradius ſequitur, & ante illum Salmeron, probabiliſsimum omnium videtur.

12.

13. Alterum aduertendū item diligēter eſt, narrari quædā in natiuit. Domini, totave eius infantia à Deipara Virgine peracta, quæ minùs decere prudentiſsimā Virginē videri poſſent, exempli cauſa, quod naſcituro Domino dederit ſe contēplationi, quod calceamenta ſibi detraxerit, nēpè ob reuerētiam, quod natū reclinarit in præſepio vbi pannis inuoluiſſet, quod permiſerit ſponſum Ioſephum abeſſe, cùm ſe ſciret mox paritūrā, quod tamdiu manſerit in ſtabulo, & quod ante hæc omnia fuit, quod grauida ſe dederit in viā, &c. hęc inquā narrantur, quæ vera & prudēter geſta omnia eſſe poſſunt; nam cùm illa in omnibus à Spiritu S. dirigeretur, & fortè etiā illuſtrante Deo qualiter ſe gerere deberet, eſſet edocta, nō mirū ſi quędā feciſſe legatur, quæ ſi ſecundū ſolā hominū rationē ſpectentur, nō ſatis prudenter & conſideratè facta iudicabuntur; at ſpectato Dei cōſilio, & Prophetarū vaticinijs ſapientiſsimè geſta ſunt.

THEORIA III.

Quod Virgo ſine dolore Chriſtum pepererit.

TOletus annot. 9. in c. 2. Luc. duas affert doloris partus cauſas, nempè auulſionē infantis à vulua matris, cui per vmbilicarem neruū, & ſecundinas veluti inſertus eſt; itemq; vuluæ, & genitalium membrorum reſeration-nem, ex quibus infans egreditur. cęterùm conſtat Dei virtutē Chriſtum in lucem editū eſſe ſine vlla prorſus vteri, clauſtriq; virginei aperitione; atq; adeò liquet poſteriorem cauſam locum in hoc partu non habuiſſe; verùm nec prima hic reperitur, nam vt inquit Cyprian. orat. de natiuit. Chriſti, *vltro* (virtute ſc. Chriſti naſcentis *id factum eſt*) *maturus ab arbore baiula fructus elapſus eſt, nec oportuit vellicari, quod ſponte prodibat*. Leo ſerm. 2. de natiu. *non hic*, inquit, *cogitetur parentis conditio, ſed naſcentis arbitrium*, & hæc quidem rectè à Toleto dicta ſunt, quibus adde id quod habet Damaſc. lib. 4. c. 15. *conceptio quidem per aurem contigit, procreatio autem per eam partem, qua fœtus in lucem oriri conſueuit*, quæ confirmant quod ſuperius in ſchol. n. 27. dictū eſt, de egreſſu per membra cōſueta partus, qua de re lege Suarez diſp. 13. ſect. 1. Verùm annot. 8. affirmat idem auctor Tolet. B. Virginis manibus preciſum fuiſſe vmbilicarem neruum, & addit etiam lotum per Virginem fuiſſe Chriſtum, quæ mihi aliena omninò videtur ab hac natiuitate. Arbitror equidem, tempore natiuitatis Chriſtum ſicut prodijt per cōmunes, naturaleſq; omnium vias abſq; virginalis taemn ſigilli violatione, fractioneve; ita etiam exuiſſe membranas illas, indeq; egreſſum penetrando eas abſq; ruptione vlla, atq; adeò nitidum, fulgidumq; ex matris vtero exiiſſe. quid autē factum fuerit illis membranis, cùm de purificatione, ſi Deo placuerit, agetur, paucis dicem⁹, multò minus placet quod Caiet. ait, infantem natū angelorū obſequio abſq; vlla aqua lotum fuiſſe, quod B. Virginē non decuerit huic officio vacare, & manus inficere, ſed contēplationi illi potiùs vacandum erat. hoc inquam nulla mihi ratione probatur, tum quia lotione non eguit, tum quia ſi eguiſſet, decebat maximè Beatam Virginē ſe tanto occupaſſe officio, quod quidem tunc ſublimius quid contemplatione fuiſſet; & verò id obſequij contemplationem non modò non impediſſet, verùm adiuuiſſet potiùs. Porrò cùm apud aliquos ex

1. *Diuę doloris partus cauſę*

2.

3.

4.

ſanctis

sanctis Patribus legimus, obstetricis officio
5. Beatam Virginem Dei parentem hic functam esse, intelligendum id est, quod illa inuoluerit, quod in sinum acceperit, quod fouerit, & prius de terra leuarit, & quantum ad his similia. Diuus Cyprian. verò dum sermon. de Natiuit. Christi ait, *designatis diebus recubuisse Beatam Virginem, & depositi oneris lassitudinem professam oblatæ quieti paruisse*, intelligendus est velle dicere, Deiparam reliquarum mulierum consuetudinem sequutam se domi, vel in spelunca continuisse per quadraginta dies, & quidem lecti loco quodammodo permansio illa in stabulo dici potest.

6. Hæc quam hic sequimur sententia, conformior longè est Patribus in Trullo congregatis can. 79. absque vllis enim secundinis ex Virgine editum esse Christum confitentur, illi autem canones in septima synodo, actione septima, can. primo approbati sunt, vt Surius aduertit. Non eo inficias Iouerium in suis sanctionibus Ecclesiasticis non habere, non absque secundinis; sed vertere, absque vllo dolore; certè in sexta synodo, actione vndecima. Sophronius in sua epistola, virginis partum incorruptibilem vocat, hoc est, sine sordibus, sine sanguinis fluxu, & similibus; quod & Epiphanius lib. 3. contra hæres. sub finem affirmat, cùm ait, *natus est per genitales meatus citra pudefactionem impollutæ, absque inquinamentis.* Cyprianus serm. de Nat. Christi, asserit, nullam naturæ contumeliam in hoc puerperio fuisse, & August. lib. de quinque hæres. cap. 5. verè ac lepidè inquit, *stulte vnde sordes in Virgine matre, vbi non est concubitus cum homine Patre?* huc referunt Patres illud Isa. 31. *germinans germinauit sicut lilium.* Idem planè ostendunt, & similitudines seu exempla, quibus sacri interpretes, ac patres hunc illibatæ Virginis partum declarant, primùm verbi humani huc accersita similitudine; intrat enim ac subit cor audientis, nec quicquam referat, exasperat, commaculat. Christus autem verbum est Patris æterni. Affertur & exemplum Apum, quæ cùm duas præstantissimas res ex floribus decerpant, ceram, & mel, citra vllam tamen læsionem id efficiunt, ita Dei filius de virginis matris vtero assumptis, carne & sanguine, nihil maternæ virginitatis florem læsit, & verò etiam pulchriorem, suauiusque redolentem, reddidit. Idem similitudine floris illustrari potest, qui cùm suauem; dulcemque odorem exhalet, non quicquam propterea damni accipit, nec quicquam venustatis amittit. hinc Bernard. si quæris quomodo Virgo genuit Saluatorem, quomodo flos vitis dedit odorem; si inuiolatum inuenis florem, eo quod dedit odorē, violatum nō credo pudorē, eo q genuit Saluatorem, audi Esa. 11. 1. *egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*; In hunc locum rectè cadit illud Eccl. 24. *quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Potest & afferri exemplum fructus arboris, qui nusquam fracta arbore oritur; & quintum ex solis radio sumi potest, qui vitrum crystallumque permeat, ac pertransit, nulla eius parte diminuta. Ex his ergo efficitur Dei parentem Virginē tam fœlicem infantem non modò citra vllum dolo-

7. *Christus verbū verbo similis.*

& apibus.

A rem, & citra vllam fœditatem, sine sordibus peperisse, verū summa etiā cęlestiū gaudiorū voluptate pfusam, quare quid sibi velit Hier. 8. in epist. 22. ad Eustoch. de custodia virginitatis, cùm ait: nouem mensibus in vtero, vt nascatur expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur: non planè intelligo.

Postremò his omnibus addendum est, Dei parentem virginem tamquam veram, germanamque matrem non merè vt aiunt, passiuè in 9. ipso partu se gessisse, habuisseve, sed aliquo modo agendo, & impellendo cōcurrisse, vimque suam adhibuisse ad edendum in lucem fœtum; alioqui quo modo propriè, vereq; affirmare possemus, ipsam peperisse filium; imò verò posset affirmare aliquis, & quidem iure aliqua alia causa agente de vtero egressum esse, B vt de sepulcro exijt, nihil hoc, id est, sepulcro peragente, quod cùm omni prorsus careat fide, falsumq; planè sit, asseuerandum est, eandē virginem eum impulsum, eamq; efficacitatē quam aliæ solent matres, adhibuisse ad edendū fœtum. Protulit ergo nobis Maria tanquam 10. promissionis terra fluens lac, & mel, lac humanitatis Christi cum melle diuinitatis, Deum scil. & hominem. rectè enim *promissionis terra* dicitur, quæ oraculis prædicta, figuris præsignata, Deique munere concessa est mundo, & his omnibus promissa est; lacte item rectè humanitas significatur. lac enim ex vberib. fugitur, quod ex escis è terra manantibus coagmētatur, sic humanitas est ex virgine, quæ suam originem è terra, hoc est, ex radice Iesse refert, mel verò è cælesti rore in flores decidēte colligitur, ita diuinitas in virginis vterum, id est, C tanquam in purissimum florem descēdit, Spiritus sancti irrorante virtute, atq; ita terra nostra dedit optatissimum fructum suum.

Sed antequam hinc ad alia nos cōuertamus, 11. non iniucundum erit de lacte B. virginis illud *Lac B. Virg. quale.* in controuersiam vocare, natura ne, an supra naturam illi obtigerit. Magnum hic silentium si Euangelistas legas, sicut enim vt rem clarissimam non visum est illis declarare Deiparæ Virginis lacte nutritū esse infantem Iesum, ita etiam vt de re non necessaria nihil de hac nostra dubitatione dicere curarunt, hoc ergò vt verissimo constituto, puerum Iesum Virginis lacte educatum fuisse, sunt qui affirment miraculo, non natura B. Virginem lac à Deo accepisse, ad id probandum illud afferūt, quod Ecclesia canit, *quem virgo lactabat vbere de cœlo pleno.* Potest & ratione idem confirmari, neque enim dat lac nisi mulier cognita, non incognita viro. Sunt quibus videatur claustra quidē illa, seu mauis venas dicere, per quas solet sanguis ad mammillas defluari, Dei miraculo relaxatas in B. Virg. fuisse, cùm lac tamē ipsum naturale fuerit. Sed minimè his opus est, nam in primis 12. canō ille de muliere cognita, vel incognita viro, verus nō est; & id quod de apertis miraculo venis dicitur; necessarium non est; est enim naturale parienti mulieri, vt sanguinem menstruum confestim ad mammillas emittat, in alimentum fœtus, nec est, quod miracula fingamus citra necessitatem. Præstat proinde affirmare Dei parentem virginem natura lac habuisse, quamuis non sine ingenti miraculo,

Deique

Deique virtute viro incognita, hoc est, Virgo conceperit. Quod verò canit Ecclesia, veritatem continet, propter id quod præcesserit hac in re miraculum, nempe quod Virgo sola Spiritus sancti virtute conceperit, ob cuius miraculi magnitudinem, miraculum etiam appellari potest Virginem lactare; Quis enim vmquam hoc audiuit, vel etiam vidit? quamuis eo, primo miraculo posito naturale fuerit Virginem lactare. Huius porrò sententiæ videtur Beda lib. 4. in Lucam c. 49. dum ait; qua enim consequentia eius lacte credatur nutritus, cuius semine negatur esse conceptus, cùm ex vnius, eiusdemque fontis origine vterq; liquor emanet; nisi fortè putanda est virgo sementinam suæ carnis materiam nutriédo in carne Dei filio suggerere potuisse, incarnando autem quasi maiori, & insitato miraculo minimè potuisse. Hic mihi siste lector, & intellige sementinam materiam non esse Bedæ idem quod semen propriè, hoc enim non suggessit, vel subministrauit B. V. quia nec necessarium fuit, cùm id efficientiæ, quod virile semen, & muliebre, ex Galeni sententia 14. de vsu par. & lib. 2. de semine præstat, Spiritus sanctus suppleuerit, & quicquid virile semen, vel etiam mulieris, vt vult Galen. (est enim non vna hic philosophorum sententia) materiæ subministrare potest ad formandum fœtum, id totum potuit, & longè melius sanguinis copia, eiusque perfectio in Virgine suggerere, ac subministrare. Ergò Beda loquitur ibi contra hæreticos, & ostendere vult Christum de Virginis matris substantia conceptum esse, & hanc vocat sementinam materiam, vt ex præmissis & subsequentibus verbis liquet, cùm ait, nisi fortè putanda est virgo sementinam materiam nutriendo filio potuisse suggerere, non autem incarnando, at constat nutriendo fœtui non subministrari semen propriè dictum, sed sanguinem; igitur etiam constabit per sementinam materiam, vel semen non intelligere ipsum propriè semen, sic Suarez disp. 10. sect. 1. Cæterùm quando per virile semen solet excitatus, vellicatusque aliquo modo vterus, vel etiam adiutus attrahere ad formandum fœtum conuenientem sanguinem ex venis, hac certè actione Deipara non caruit, duplici tamen ea cum miraculo cõiuncta fuit, primum, quod sine viri semine id præstiterit (quod enim hac in parte facere habebat virile semen, Spiritus sanctus effecit) deinde & illud alterum adfuit hic miraculum, nam multò breuiori tempore hæc sanguinis attractio facta est, quàm sola virtute naturali fieri consueuit.

Ad rem igitur redeuntes, hac sanguinis attractione, conceptioneque peracta, suo postea tempore ad mammillas sanguis transmittitur, naturaque attrahitur, & in lac denique concoquitur; quod etiam naturaliter; (illo duplici asserto miraculo, quod in attractione sanguinis in vterum reperiri iam diximus, itemque facta formatione fœtus virtute Spiritus sancti tamen, vt vult D. Thom. q. 32. ar. 4. & q. 33. ar. 4. ad secundum) factum est in Beata Virgine, lege D. Thom. 3. par. quæst. 31. ar. 5. ad 3. & Franciscum Suarez disput. 10. Verùm quoniam de lactis in virgine emanatione disputantes eò delapsi sumus, vt affirmaremus quoque nullum illam semen emisisse in filij Dei conceptione, vt clariora sint quæ diximus superioribus addendum est, quod si quam vim actiuam per suum semen mulier habet ad formandum fœtum, de quo vide Conimbricen. in l. 1. de gen. c. 4. q. 27. 28. & Sanches lib. 2. de matri. disp. 21. illa non est omninò necessaria, ita vt nequeat verè ac propriè mulier mater esse, si illa actione careat, & aliunde suppleatur, nempè per virile semen, si copiosum & perfectum sit, satis enim esset tunc hoc tantùm sine semine muliebri; nec propterea non verè mater esset, quæ sic cõciperet, quod ergò seminis multitudo & perfectio præstare potest, id Spiritus sancti virtus multò efficacius suppleuit in virgine, neque id impediet, quo minùs vera Christi mater esse dicatur. Quod si aliæ mulieres fœcundæ etiam per suum semen ad formandum fœtum vim conferunt actiuam, & effectricem, vt Galeno placet, quæ Aristot. sententia lib. 2. de generat. animalium c. 2. illud est, quia naturali modo concipiunt, & excitantur ad seminis emissionem, quod cùm in conceptu purissimo Virginis absfuerit, non erat necesse vt naturaliter semen conferret, vt accidit in ijs qui naturali & consueto modo concipiunt. Virgo autem supernaturaliter, & non vsitato modo conceperat, non ergò debuit naturalis ille, licèt nõ necessarius effectus consequi, vide Suar. lo. ci. sect. 2. sub fin. huius autem sententiæ, quod non sit necessarium semen fœmineum ad generationem: videtur fuisse Gal. l. 1. de sanit. tuenda c. 1. & lib. 2. de naturalibus facultatibus cap. 3. & Auicen. lib. 99. naturalium c. 1. vt refert Hugo Senen. super lib. tegni Galeni. l. 2. 5. frigidum verò & siccum, &c. idem tamen Gal. videtur tenuisse esse necessarium, vt refert Iauellus 8. m. q. 17. & Sanches loc. citat. lib. 2. de matrim. disput. 21. n. 11. & alij, quos citat Sanches, necessarium quoque esse censuit Hipp. ex ijsdem auctoribus. Sed fortè intelligunt ex defectu virilis seminis, id est, imperfectione.

Ex his collige tria, in primis lac natura in Virgine fuisse, deinde Beatam Virginem nullum emisisse semen in filij conceptione. Denique eandem ad formandum quidem fœtum nihil actiuè concurrisse, influxisse tamen vim actiuam, quatenus decoxit, & confecit sanguinem, ex quo fœtus componi debebat, item euocauit sanguinem ad locum generationi destinatum, & calefecit, & conseruauit, & si quæ sunt alia matris munera in conceptione necessaria, obiuit.

THEORIA IV.

De Pastoribus.

2. QVAEDAM sunt aliquanto obscuriora in his, quę de Pastoribus scribit Lucas, & primùm quidem quis nam sit sensus illorum verborum v.17. *Videntes autem cognouerunt*, &c. Similiter & eorum v.18. *& omnes qui audierunt mirati sunt, & de his*, &c. græcè dicitur ἐθαύμασαν περὶ τῶν λαληθέντων ὑπὸ τῶν ποιμένων πρὸς αὐτούς, quod videtur sic exponendum: vbi vidissent notum fecerunt, siue diuulgarunt: vt intelligas illos quod viderant, alijs, qui non viderant, prædicasse. Est enim verbum compositum à γνωρίζειν, quod modò v.15. vertit interpres, *ostendit nobis*, nimirum & illi primùm experti sunt ea omnia signa coram oculis posita, infantem scilicet in præsepio, & eundem pannis inuolutum, & posteà diuulgarunt, quod sequentia confirmãt. *Et omnes qui audierant, mirati sunt de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.*

2. Illud ego addo, vt in Scholijs notaui num. 67. non vulgare modò, sed & cognoscere hic comprehendi sub voce, *cognouerunt*, vt patet ex græco, adiuncto ver. 18. sequenti. Toletus annot. 26. in cap. 2. Lucæ: *sequentia*, inquit, *huic expositioni aduersantur; nam dictum est, qui audierant admirati sunt, & de his*, &c. *particula, &, non potest stare cum hac expositione, qua cognoscere, etiam pro vulgare sumitur. esset enim, inquit, repetitio quædã inutilis.* Propterea qui illam expositionem amplectuntur, negant legendam particulam, &, & tunc rectè quadrat prædicta intelligentia, & quidem nec Theoph. nec Euth. nec modò exemplaria græcè habent, &. Atqui habet interpres noster, nec proindè est inutilis repetitio, nec sensus est ineptus, vt vel ex Scholijs in ver. 18. num. 68. intelligere est.

3. Sed occurrit dubitatio, quam mouet idem Auctor: quod nunc cognouerint pastores, cum v.17. dicũtur hic, cognouisse *de verbo, quod dictũ erat illis de puero hoc*, Et quidem iam dixerat illis Angelus, infantẽ natum Saluatorem esse mundi, & Christum Dominum. Assignauerat præterea signum &c. quid ergo nunc cognouisse dicuntur? Respondeo Pastores dictos esse, *cognouisse de verbo, quod dictum erat illis de puero*, non modò quia infantem inuenerunt, quem Angelus illi designarat, & prænunciarat (quod imprimis meo iudicio significat vox illa, *videntes*) verùm etiam, quia cùm hoc oculis cernerent, cognouerant non modò infantem prænuntiatum, verùm etiam illud aliud, nempè esse Saluatorem mundi, & Christum Dominum, & vtrumque alijs euulgarunt, vt vox græca indicat, & versus 18. continet, & licèt oculis non conspexerint posterius hoc, id est esse Messiã, & Dominum, cognouerunt tamen, id est crediderunt, non quod anteà non crediderint: sed quia viso signo, maiorem fidem cõcepere. Dicitur enim in scriptura confirmata, & aucta fides, cognitio, & scientia, vt Io. 4. *iam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuimus & scimus qui sit hic est verè Saluator mundi*, &c. & Io. 7. *& me scitis, & vnde sim scitis*, & 14. c. *tanto tempore vobiscum sum & non cognouistis*, &c.

A Iam veniamus ad interpretationem sequentium verborum: *& omnes qui audierunt*] eorum hæc videtur sententia: nimirum omnes quotquot audierunt natum & inuentũ puerũ prout dixerant Angeli & aduentũ pastorum ad eum colendum & venerandum. Et præter hæc illa etiam quæ pastores narrabant, mirati sunt. Quod ergo Pastores egerant, & inuenerant ad hæc, quæ ipsi narrabant, vniuersos, qui audierant in admirationem, stuporemque rapuerãt tamquam noua, nec videri solita, & quæ supra homines esse viderentur. Hinc colligere non difficilè est, nõ tantùm B. Virg. vel Ioseph hæc euulgasse Pastores, sed in aures etiam plurium aliorum sparsisse; *nec mediocre fidei*, inquit Amb. *hic tibi hoc videatur exemplum, nõ vilis persona pastorum, certè quo vilior ad prudentiam, eò pretiosior ad fidem. non gymnasij choris referta sapientia, sed plebem Dominus simplicem requisiuit, quæ phaleratæ audita, & fucare nesciret. Simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur.* Hæc ille. & quidem meritò: nam eò fide digniores erant Pastores, quò simpliciores, à quibus dolus, & fraus tantò magis abesset. Sed quid est, quod Amb. ait: B. Virginem de pastoribus didicisse natum Saluatorem? significat didicisse de pastoribus, id quod cum illis actum erat, nempe Angelos nuntiasse natum Christum, atque eius laudes postmodum ceciniisse. Neque enim hæc gesta fuisse, ab alijs, quàm à pastoribus primùm illa cognouit.

Sed quia de pastoribus agimus scisciteturfortè quis, quamobrem inter Iudæos pastoribus; inter gentes Regibus primùm Christus annuntietur? cui ego dubitationi breuiter sic occurro, nimirum inter Iudæos, qui sapientes, ac Principes, & Pharisæi erant, increduli obcęcatique fuere. At pauperes, & illiterati Christo adhæserunt, quod vel Iudæorum Principũ testimonio comprobari potest, hinc enim illæ lacrymæ Io. 7. *numquid ex Principibus, aliquis credidit in eum? sed turba hæc*, &c. Idẽ fatetur Christus Io. 9. n. 39. *in iudiciũ ego in hunc mundũ veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant*, & Matth. 11. *abscondisti hæc à sapientibus*, &c. huc facit illud Lucæ 14. 21. *exi cito in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* vt igitur qualis futura erat Messis apud Iudæos in Dei euangelio admittendo indicaretur, primitiæ similes præmittantur. At inter gentes Principes Reges, Imperatores, denique sapientes plurimi Euangelij iugo colla suppositurierant, nec pauperes tantùm, vel idiotæ Christi legem erant amplexuri: idcirco tales eliguntur primitiæ, vt ex principijs ipsis, quæ consequutura erant, intelligerentur. hinc illud omnium ore celebratissimum Isa. vaticinium c. 60. *ambulabunt gentes in lumine tuo & Reges*, &c.

Postremò Coronidis loco, quod scribunt Theophylact. & Eucher. in hom. in hęc nostra conijciam, in illa enim *vigilantes, & custodientes, vigilias*, ait Theoph. *Pastores figura sunt spiritualiũ pastorum. Oportet igitur Episcopos custodire gregem suum, & ἀγραυλεῖν in agro canere: hoc est canere spiritualia & docere populum, & sic audire diuinas visiones, & auditus. Bethlehem interpretamur, domum panis, quæ autem alia est domus panis quàm Ecclesia, in qua panis repositus est: officium itaque spirituа-*

5.

6.

Pastores fide dignitestes quia simplices.

7.

8. *Cur Christus inter Iudæos pastoribus; inter gentes Regibus primùm annunciatus.*

Primitiæ totius futuræ messis indices.

9.

Pastores typus Episcoporum.

spiritualium Pastorum fuerit, quærere panem cœlestem, quem cùm viderint, debent illum, & alijs prædicare; sicut & Pastores, qui viderunt infantem, loquuti sunt de eo, & alijs. Porrò Eucherius sic 10.
scribit: *quantum ad litteram ea caussa esse videtur, vt prius pastoribus hæc verba Angelus nuntiaret, ne quasi incauti stabulum intrarent, & in præsepe adire tentarent, in quo puer positus erat. Spiritualiter autem stabulum Ecclesia, præsepe scriptura diuina; pastores verò Episcopi, & doctores intelliguntur; Stabulum enim vocatur Ecclesia, ad quam Dei animalia vndique fluunt, ibique stant, & morantur in ea. Vnde scriptum est; animalia tua Domine inhabitabunt in ea* (Psalm. 67.) *hæc autem animalia, quasi in præsepio, in diuina Scriptura, cibus spiritualibus nutriuntur. Ibi positum inueniunt Christum: ibique comedũt panem viuum. Beati, qui huius præsepis cibis aluntur, & de delicijs ibi positis reficiuntur. Vos autem Ecclesiæ pastores, vos Episcopi, & Sacerdotes audite, & intelligite: Vobis Angelus loquitur, vobis hoc gaudiũ magnum euangelizat, quia vobis datum est, nosse mysterium regni Dei, &c. nuntiate ergo quod audijstis, prædicate quod vidistis, nolite cœlare quod cognouistis. Toties enim Christus in stabulo oritur, toties vt paruulus in præsepio ponitur, quoties virginis partũ, & Christi natiuitatem alijs nũtiatis &c. quoties eius natiuitatis memoria innouatur, celebratur, prædicatur.*

THEORIA V.
De Circumcisione Christi.

1. QVAE generatim ad Circumcisionem pertinet, fusè disputata sunt, & eruditè à pluribus, & inter alios à nostro Pererio 3. tomo in Genesim cap. 17. nos hic de Christi tantum Circumcisione. D. Epiphanius in Panario lib. 1. tit. 1. sub finem, testatur in spelunca, vbi natus est, Circumcisum Dominum. Si quis verò hic à nobis exposcat causas, quamobrem Christus Circumcisus sit, is Diuum Thomam adeat q. 37. & Suar. disput. 15. Nos vt interpretes decet verbis Epiphan. lib. 1. hæresi 31. nonnullas breuiter complectemur causas. *Primùm* ait, *Circumcisus est vt ostenderet seipsum in veritate carnem assumpsisse, propter Manichæum, & eos qui dicunt eum in specie apparuisse*, &c. Addit secundam, *vt non haberent Iudæi excusationem: si enim non fuisset circumcisus poterant dicere; non potuimus Christum suscipere.* Addit & tertiam, *oportebat ipsum qui præceperat Abraham, vt circumcideretur signaculi apparentis gratia, dati verò ad figuram veri, & inuisibilis, nunc circumcidi, & hoc signaculum confirmare, quasi dicat, vt legem compleret & bonam esse ostenderet,* Statuit quartam causam *durauit*, inquit, *hac vsque ad Christum, & hac de causa etiam ipse circumcidi voluit*, & rectè sic ait Epiph. nam vt Euseb. Emis. Hom. in octaua Natiu. docet, circumcisio in Christo completa est, in quo & aliæ leges, & cæremoniæ cõsummatæ sunt; finis enim legis Christus. Quintò subdit Epiph. *vt circumcisus rationabiliter circumcisionem dissolueret, & aliam maiorẽ ostenderet, non velut qui nõ haberet, & sibi ipsi constitueret, sed qui haberet quidem, ostenderet autem, quod hac amplius non esset opus, sed maiore.* Idem docet Euseb. Emis. ideò circumcisum esse, vt eius nobis significationem commendaret. Et posteà; & Iudæi quidem in vno membro circumciduntur: quare autem circumcidantur non intelligunt: Christiani verò quid circumcisio significet intelligentes non vnum tantùm, sed omnia membra circumcidunt, non pellis incisione, sed totius superfluitatis abiectione. Circumcisio verò spiritualis, est vitiorum omnium remotio, inanium cupiditatum quoque, ac superfluatũ abscisio cum pietate, amore, & obseruantia erga Deum, ceterisque virtutibus coniuncta; quam prædicat Paulus Roman. 2. dùm ait: *non qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio: sed qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis, & spiritu, non in littera; cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* & clarius ad Titum 2. *Apparuit gratia Dei, & Saluatoris nostri omnibus hominibus: erudens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo,* quam perfectè ille assequitur, qui omnium illud secutus, vt perfectus sit, *vadit, & vendit omnia, quæ habet, & dat pauperibus:* & veniens nudus nudum Christum sequitur. ad hanc spiritualem circumcisionem tanquam præcipuam hortatus est etiam Moyses Hebræos Deuter. 10. 16. *circumcidite præputium cordis vestri, & ceruicem vestram, ne induretis amplius. Deum tuum timebis, ei soli seruies, ipsi adhærebis, iurabisq; in nomine illius: ipse laus tua, & Deus tuus.* Item Deuter. 30. 6. vide locum. sed nihil exactius eo, quod habet Christus Dominus: *si quis vult venire post me, abneget semetipsũ, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

Et quidem per hanc circumcisionem Spiritus perfecta euadit anima hominis in sponsam Christi, vt enim non aliter mulierem bello captam iungere sibi Hebræus matrimonio poterat, nisi *rasa prius Cæsarie, & circumcisis vnguibus, ac deposita veste, in qua capta fuerat.* Deuteron. 21. ita his tribus, in quibus vis, & ratio spiritualis circumcisionis posita est, fit anima hominis sponsa Christi, per abdicationem videlicet bonorum temporalium, quam capillorum notat abscisio, & per superuacui amoris, & curæ rerum terrenarum resectionem, quam vnguium abscisio significat. Denique per spoliationem veteris hominis. Sed vt mulier illa tribus illis peractis iubebatur domi sedere, & per mẽsem parentes flere; ita ad spiritualem perfectam, absolutamq; circumcisionem requiritur perfecta renunciatio parentum cum creatis rebus omnibus. sic enim Christo sponso perfectè anima copulabitur. vide digressionem quintam inferiùs. Sed per causas Epiphanij dictas, aliam 5.
rationem notare possumus ex August. l. 95. noui testamenti q. 21. to. 4. *Circumcisio*, inquit, *vsque ad Christum indulta est; Abraham autem circumcisionem in Christo promisso accipit, vt tamdiu circumcisio curreret quamdiu Christus nasceretur promissus Abrahæ, qui omnes gentes iustificaret per fidem, sicut fuerat iustificatus Abraham,* & subdit, *ideò debuit circumcidi, vt ipse probaretur esse, qui promissus Abrahæ esset: ita vt de cætero cessaret circumcisio impleta promissione, quasi dicat, oportuisse Christum circumcidi ne à semine Abrahæ putaretur alienus. atque adeò non putaretur esse ille de quo Abrahæ dictum fuerat: in semine tuo benedicentur omnes gentes,* &c. lege etiam q. 50. qq. noui testamenti eodem tom. Non omittam, interroganti, quid factum sit CHRISTI præputio, 6. *Præputium Christi vbi manserit.*

Digitized by Google

tio, respondere: non esse in dubium reuocandum, quin illud diligentissime à Deipara Virgine asseruatum fuerit: sed an modò sit in terris nec disputari in vtramque partem posse: verùm paucis respondeo, præputium quidem de integritate esse resurgentis corporis, non ita tamen hoc intelligendum est, vt proinde necesse sit illam eamdem materiam, quæ in caduco, ac mortali corpore præputium erat, eamdē plane in immortali corpore debere esse, neque enim ad veram anastasim, vel resurrectionem simpliciter necessarium est, vt omnes materiales corporis partes ex eiusdem numero partibus materiæ constent, ex quibus constabant prius: satis enim, superque est, vt totum corpus sit ex eadem materia, & summum vt plures partes sint ex eadem materia cum qua erant. Itaque affirmo resurgentis Christi corpus habuisse præputium quidem, verùm formatum ex aliqua parte materiæ illius, quæ aliquando fuit in Christi corpore, quæque per continuam nutritionem resoluta fuerat. Particulam verò illam quæ ex circumcisione abscissa est, credibile est in terris relictam esse ad Christianorū consolationem. consule Suar. to. 2. disp. 47. sec. 1. & ita habemus Christi corpus integrum resurrexisse, & non negamus tamen quod in historijs habetur, siue in Lateranensi templo ad Sancta sanctorum asseruari Christi præputiū, siue potius Calcatę propè Romam, vt est copiosè legere apud Tol. in Lucam.

THEORIA VI.

In illa: *vocatum est nomen eius Iesus.*

1. D. Cyprianus l. de Gard. Christi oper. c. de ratione circumcisionis sic ait: *hoc cum octaua die iussum sit celebrari, & nomen circumciso aptari, intimatum est ijs, qui digni sanctorum consortio censebantur, quod eorum nomina scriberētur in cœlis & aterna beatitudinis, quæ post vitæ huius septimanam octaua consequitur, hæredes fierēt, & consortes, quicumque vita innocentia, & calibatus sanctimonia sese Domino consecrassent.* Quibus non vult Cyprianus significare vtrumque fuisse præceptum à Deo, nimirum, vt die octauo circumcideretur Puer, & eidem nomen imponeretur. Nihil enim Genes. 17. vbi traditur de circumcisione præceptum, de nomine dicitur. tantùm significat Cyprianus consequi aliquo modo iuxta hominum consuetudinem vt in
2. circumcisione nomen imponatur. Nam cùm necesse sit nomina imponi, non debet id diu differri, quia decet vt publicè, & cum pompa aliqua fiat: idcirco in more positum fuit, vt statim ferè nomina imponerentur in primo aliquo solemni ritu circa puerum exercendo; ritus autem circumcisionis, & celeberrimus erat apud Iudæos, & statim ab initio natiuitatis exercebatur, proinde meritò hic mos apud illos est obseruatus; imò verò Theophylact. & Euthymius Lucæ 1. conijciunt, circumcisionem præcedere cōsueuisse nominis impositionem, quod deceret diuinum signaculum antecedere humanum, & prius infans Deo consecrari deberet quàm censeretur inter homines dignus nominari. hunc morem sequutus est Christus,

A vt quantùm posset nobiscum communicaret qui communicauit carni & sanguini.

Dùm verò scribit Lucas: *vocatum est nomen eius*: obseruat Bernardus serm. 2. de Circumcis *meritò Euāgelistam, vocatum dixisse, non impositum, quia nempè hoc nomen ei est ab æterno, nam à natura propria habet vt sit Saluator atque adeò innatum est ei nomen Iesus, non vel ab humana, vel angelica creatura inditum.* Rectè quidem, nam nomen imponere, munus est auctoritatem habētis in eum, cui imponitur. Hic autem solus est Deus qui potestatetem habeat in Christum hominem. verùm, quamuis hæc verissima sint, per homines tamen hæc impositio facta est: nam tam Beatæ Virgini, quam Iosepho dictū est ab Angelo: *vocabis nomen eius Iesum.* Pertinet 4.
B enim ad parentes vt filijs nomina imponant, propterea ad Beatam Virginem præsertim spectabat hoc munus, cùm re vera sola ipsa parens esset. De Iosepho namque, cui hoc à Deo non sine magno beneficio concessum est, quippe qui verus, & germanus coniunx virginis erat, sic loquitur Angelus apud Chrysostom. Hom. 4. in Matth. *non quia de Spiritu sancto est, idcirco te à ministerio tanta existimes dispensationis extraneum: nam & si nihil habes in hac generatione commune, tamen quod est proprium Patris, quodq; nihil ladit Virginis dignitatem, hoc tibi facilè cōcedo, vt scilicet nato nomen imponas: quamquam enim non sit filius tuus, tu tamen curam erga illum & sollicitudinē ostendes Parentis, & propterea illi te ab ipsa statim nominis impositione appropio, familiaremq; facio nato infanti:* Restat excutere verba illa: *Quod* 5.
C *vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur*] sensus est; non casu, aut fortuitò, neque hominum voluntate, sed Dei consilio nomen Iesus aptatum est infanti: quod & ipse per prophetam Isa. c. 49. Christus loquens fatetur: *audite insulæ*, id est, vt ipse vates exponit, *Populi de longè*: hoc enim vocat insulas gentes quæ in extremis orbis partibus habitant semotas à Iudæis. Deindè subdit quid audire eas velit: *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*, hoc est, Iesus nomen mihi indidit. Quamobrem? nempè futurum erat vt gentes meis concionibus, miraculis &c. cōuersæ in meliorem frugem, salutem per me consequerentur. Hoc enim ipse prosequitur in sequentibus, vt ostendit Adamus Sasbot Ho. 2. in Circumcisione Domini: & quidem his
D Lucæ verbis liquet, hallucinari eos, qui opinati sunt ad pronunciationem illorum verborum: 7.
Dominus tecum, conceptum fuisse Christum: Vide quid hic Lucas dicat: *prius quàm in vtero conciperetur vocatum esse ab Angelo Iesum.*

Igitur cum Angelus dixit: *vocabis nomen eius Iesum*, nondum erat conceptus.

THEORIA VII.

De ter Augusto Iesu nomine.

1. IEsus Heb. *Iesuah* dicitur, vel *Iehosuah*, potius, quid significet exponit Angelus: *ipse enim saluum faciet*, &c. Quomodo soli Christo proprium est hoc nomen. Nam licèt quo ad sonum, & caracteres, etiam loquendo de nomine Iehosuah, non modò Iesuah, tributum sit alijs, (quod est contra Galati. l. 3. de Arcanis, & Sanctes Pagninũ in interpretatione nominis huius quos sequitur Iansen. c. 7. concordiæ) vt patet de Iesu sacerdote magno. 1. Esdræ 3. & 5. vbi dicitur *Iesuah*, licet Zach. 3. & Aggæi 2. *Iehosuah* dicatur, & 1. Paral. 24. & 2. Paralip. 31. duo alij Iesuah vocantur, reliqui tamen, nec verè, nec absolutè, saluatores fuere, nempè à peccatis, & summum dici possunt typi locum, & figurarũ adumbrantium infantem hunc saluatorem, tenuisse, lege & Suar. disput. 15. sect. 2. igitur affirmare possumus nomen hoc esse propriũ Christo, non modò vt distinguitur à nominibus, quæ ei tribuuntur metaphorice, vt cùm dicitur, Pastor, ostium &c. verùm etiam quia quod ad vim & efficacitatem, veramque notionem attinet, illi soli tribuẽdum est. Competit enim id, hoc est, saluare à peccatis prolato sui sanguinis prẽtio soli Deo in humana natura, vnde fit vt Iesus, verè sit nobiscum Deus, & noster Emmanuel. Potest, & aliter dici proprium nimirum, vt distinguitur à communi, cuiusmodi est Christi, vel Messiæ nomen ex vi significationis. At nomen hoc designat Deum, & hominem, qua de re inferiùs.

Iesu nomen an alijs vnquam tributum.

2.

3.

4. *Beneficia per nomen Iesu designata.*

Explicatur hoc nomine in primis immensum illud beneficium nobis omnibus ab hoc infante collatum, quod nempè à peccatis nos liberarit. Quantum autem hoc boni contineat his intelliges: cùm. n. peccatũ diuidat inter Deũ & homines, vbi peccatũ nõ est, inimicitia procul omnis abest, & lętissima pax præsto est, hãc ergo illa exclusa peperit nobis Christus, dùm à peccatis liberauit. Iterùm peccatum in seruitutem homines redigit & sub tyrannidem, iugũque Diaboli mittit, Io. 8. *Qui facit peccatum seruus est peccati*, quo quid infelicius dici vel excogitari potest? *stipendia enim peccati mors*, & quidẽ æterna: audi prophetam Psalm. 10. *Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum*, quasi dicat, hæc erit portio & hæreditas eorum: gehenna ignis, quã spiritus Domini velut torrens sulphuris, & procellosus, ac impetuosus ventus succendit, ita vt semper ardeat; æternitatem quoque pœnarum significant laquei numquam defecturi, & carcer æternus. Ab inimicitia ergo Dei, & à captiuitate peccati, atque adeò à morte æterna per infantem Iesum Saluatorem nostrum erepti sumus, quæ omnia paucis illis verbis continentur: *ipse enim saluum faciet*, &c. imò verò vno Iesu nomine comprehenduntur.

5.

6. Est & aliud beneficium priore non inferius, quod Iesu, hoc est, Saluatoris nomen amplectitur. Nos enim à peccatis, & potestate tenebrarum erutos, & æternæ morti obnoxios, filios Dei fecit; & hæredes regni, vt ita perfectam nobis salutem afferret, & nullam relinqueret Saluatoris partem, quam non obiret, quod expressit Ioannes dùm verba faciens de ijs, qui illum receperunt scribit: *dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius*, igitur per CHRISTVM, & IESV nomen, in filios Dei euehimur. Quod quàm magnum bonum sit, & ingens beneficium nemo est ita amotæ mentis, vt non videat. declarat hoc sapientissimè Dauid, qui cùm Psalmo centesimo quadragesimo tertio, ex vulgi sententia proposuisset fœlices illos esse *quorum filij sicut nouellæ*, & cætera. reiecta postèà insipientium opinione, sic rem definit: *Beatus populus cuius Dominus Deus eius*, id est, quem sibi Dominus adoptauit in filium, & hæredem.

A

7.

B Et vide quàm aptè nominis huius impositio infantis circumcisionem consequuta sit: Placuit enim non prius Saluatoris nomine insigniri, quàm sanguinem suum pro nobis funderet. Quoniam verò gutta quælibet tam pretiosi sanguinis ad omnium hominum salutem procurandam, & obtinendam satis esse poterat, idcirco oblato eo nostræ redemptionis symbolo, Saluatoris nomen promeruit, & assumpsit, ad quam rem indicandam potest afferri illud Isaiæ sexagesimi secundi, *vocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominauit*: vbi Hebraicè *perforabit*, legitur: inciduntur enim in lapidem nomina, qua re mystice innuitur, hoc nomen meruisse CHRISTVM vulnerum suorum perforatione: vt propterea meritò factum sit, vt in circumcisione cum sanguinis effusione impositum illi esset.

8. *Cur circumcisio ante nominis impositionem.*

9.

C Hinc obiter dissoluitur illa quæstio cur Iesu nomini caput inclinare soleamus, non item alijs nominibus: nempè testamur ea re Christo nomen Iesu multo stetisse, neque enim aliter quàm sanguine fuso sibi illud comparare voluit, quo nos de peccati, ac inferni potestate redemit. Constat ex his quantum ad Christi gloriam faciat hoc ipsum Iesu nomen non solum, quia eius diuinam indicat efficacitatem, & vim quæ ad perficiendam hominum salutem fuerat illi necessaria: sed etiam quia suis illud operibus ac triumphis promeruit. est enim illud nomen vnicuique gloriosius, quod non ab origine solum, & natura dimanat, verùm etiam rebus præclarè gestis comparatum est Philip. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.*

10. *Cur ad nomen Iesu caput inclinamus.*

11.

D Illud verò nullo modo est in præteritis relinquendum, quod quoties veteri Testamento CHRISTVS sub nomine Messiæ promittitur. 70. σωτὴρ vertant, & Hier. seu vulgata Saluatorem, Isai. 62. *propter Sion non tacebo*, &c. *donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius, vt lampas accendatur*; & Mich. septimo, *Ego autem ad Dominum aspiciam, exspectabo Deum Saluatorem meum*, & Habacuch. 3. 18. *exultabo in Deo Iesu meo*, vbi in Hebr. est Iesa quod salutem significat, & videtur poni abstractum pro concreto.

12.

Interest autem hoc inter CHRISTI & IESV nomen nam illud dignitatis nomen est:

13. *Differentia inter nomen Iesu & Christi.*

est; ex vi enim suæ notionis commune est regibus,& sacerdotibus,qui oleo vngebantur, vnde transfertur ad significandos iustos, & sanctos viros qui cœlesti Spiritus sancti gratia vncti sunt: inde etiam deriuatur ad significandum per Antonomasiam Messiam,quod Deus futurus esset, & homo diuinitatis oleo inunctus,itemque Rex,& sacerdos. at nomen Iesu, significat hanc personam in hac natura, & ad hoc significandum impositum fuit; nam saluare à peccatis, nisi Deus esset & humana præditus natura, qua salutis pretium offerret, minimè poterat; qua de re lege Patrem Natalem in imagine de circumcisione & annot: Salmeronem etiam tom.3.tract.34.in illa:*qui est Christus Dominus*,& Bern.serm.15.in Cant.in illud: *oleũ effusum*, &c. Quomodo verò nomen Iesu reliqua nomina contineat quæ Christo tribuuntur docet Bern.serm.2 de circumcisione, & quod formaliter significet humanam naturam, vt Christi nomen vtramque & humanam & diuinam,habet D. Thom.3.p. 16. ar. 5. corp. Nomen certè *Emmanuelis* cùm ab Isaia illi attribuitur, intelligendum est quantum ad rem eo nomine significatam, vt sit sensus: vocabitur Emmanuel, hoc est, tribuetur illi, res hoc nomine significata. Quod factum est cùm vocatus est Iesus,& verbum caro factum,& habitauit in nobis.

14.

15. *Christum Saluatoris partes diligenter & abunde exercuisse.*

Reliquum est ostendamus, Christum Saluatoris officium, partesque omnes diligentissimè exequutum esse, vt meritò Saluator tanquam ab officio denominari posit (velut dæmonem tentatorem dicere solemus, quod hoc sit ei munus homines vexare) etenim vita eius sanctissima, viuendi omnes rationes,& studia, conciones, miracula, indefessi eius labores, denique mors ipsa ad saluandum directa, destinataque fuerat. quàm autem experiens huius artis, vt sic dixerim, vel officij Christus fuerit vt iure inde *Saluator* dici queat, ex cõsequentibus constare potest: duo namque sunt, quæ maximè aliquem insignem, & illustrem in arte quapiam, vel numere reddunt, primùm affectus, vehemensque studium artem illam aptè, & cum laude exercendi: quàm autem Christi cordi inhæserit hominum salus, quàm magna illum eius rei sitis exercuerit, ac delassauerit quodammodo nemo est qui ignoret: nam & somni, & cibi etiam obliuiscebatur, vt animarum salutem curaret. Et verò etiam Mar. 3. constat ita interdum in hoc opus incubuisse, vt crederetur à suis in furorem versus. Alterum verò necessarium vt sit aliquis illustris in arte quapiam est, attem vt illam benè calleat, ac teneat, sic enim illa cum hominum admiratione vtetur. At Christus Dominus ita penetrabat modum quo singuli salutem, sine liberi arbitrij iactura consequi possent, vt nullius vel Angeli, vel hominis intelligendi vis eo peruenire valeat. Hinc est, vt his, qui fœdas has voluptates amabant, proponeret etiam iucunda, vt Samaritanæ aquam, quæ fieret *in ea fons aquæ salientis in vitam æternam*; his qui aurum sitiebant thesauros polliceretur æternos: *vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo*; parvulos amplexaretur, iuueni præciperet vt mãdata seruaret, neque enim illi statim altiorem,

16. *Duo aliquẽ insignem in arte quapiã reddunt.*

17. *Christi excellentia in arte salutis.*

A rudioremque vitam proposuit: eos qui siderum arte pollebant, per stellam traheret; non abhorrebat à peccatoribus, non illos à se abigebat, licèt adessent, qui propterea obmurmurarent. Porrò ab ijs quæ à Saluatoris munere & partibus aliena viderentur vehementer abstinebat. qua in re diuisionem petenti respondit, *ô homo quis me constituit iudicem*? Denique si à capite illum ad pedes vsque intueare, Saluatorem fatebere; vndique salutem spirat, eius verba vitam afferunt, oculi peccatores sanant, sputum lumen tribuit, & oculos ad videndum aperit, contactus vestis sanguinem sistit. Quibus omnibus quanta veneratione dignum sit hoc diuinum nomen satis arbitror constare. De quo vide etiam Vegam Apoc. 12. Comm.

B 2.de 6.Virg.sect.1.vbi etiam notat tria esse nomina tetragrammata apud Hebr. *Iehoua, Iesuagh*,& *Miriam*, vel *Mariam*, dissyllabum Hebraicè, Chaldaicè, & Syriacè cum accentu in vltima. 18.

DIGRESSIO PRIMA,

Qua declaratur sapienti Dei consilio factum esse, vt diuini verbi Aduẽtus, diu, multumque dilatus, extractusque fuerit in vltimam mundi ætatem.

C HANC rem quidã Noëticę columbę symbolo expressam arbitrantur: sic.n. Gen. 8.10. 11. legere est: *expectatis autem vltra septem diebus alijs, rursum dimisit columbam ex arca, at illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo*. quam si quis sententiam attentè consideret non dubito in ea breuiter quidem, sed non obscurè inspecturum eum, illa omnia, quæ de verbi œconomia olim Patres copiosè disseruere. Hoc autem verissimum esse intelligemus si quæ sit hæc columba primùm inuestigauerimus, deindè à quo est, & vnde missa, quove deuenerit; ad hæc, quo tempore missa; Quam denique in partem iterùm reuersa, & quo fructu, & vtilitate fuerit. Hæc enim omnia sola hæc, nec satis longa sententia complectitur. Age igitur, quæ sit hæc columba videamus. Paucis respondeo; innocentissimus est æterni Patris filius *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*. Quatuor animaduertimus memorari filij Dei aduẽtus, quibus numquam aduenit nisi missus. Et primùm quidem ad nos descendit assumpta carne, cùm visitauit nos oriens ex alto; iterùm solet per gratiam mentem, animumque hominis illustrando inuisere densissimis criminum, vel ignorantiæ tenebris depulsis, vt propterea illuminare dicatur *ijs qui in tenebris, & vmbra mortis sedent*. Est & tertius eius aduentus mortis tempore cùm solutis mortalitatis vinculis nos ad æternum præmium adducit: Hinc Dauid *dirupisti Domine vincula mea*, & cætera. denique ad extremum iudicij diem ostendet se cùm venerit iudicaturus orbem, & redditurus *vnicuique secundùm opera sua*. Primus aduen-

1.

2. *Christum designatum per columbam emissam à Noe.*

Quatuor Christi aduentus.

Digitized by Google

tus misericordiæ est: gratiæ alter; tertius pietatis; postremus iustitiæ. rectè igitur mitti in illum conuenit, vt & columbæ similem esse, propter innocentiam & corporis, animique candorem. Porrò columbę huius visus est quodammodo Dauid elegantiam & colorum venustatem sic describere: *penna columbæ deargentatæ & posteriora dorsi eius in pallore auri.*

3. Columba pennis se tegit, & in altum volat. & Christus immaculata humanitate, quæ tamquam argenteis duabus alis anima & corpore constat sese induit, ac vestit, cum qua sublimis in cęlum abijt. Et quidem Anima dexterę, corpus sinisteræ alæ vicem gerit. His ideò alis obtexit se Dei Filius, vt hominum oculi intueri possent vtcumque immensam illam suæ diuinitatis lucem. His opertus est quasi pallio zeli Isa. 59. hinc est quod arca quæ CHRISTVM

4. repræsentabat cùm extra tabernaculum portaretur, vndique tegebatur. Sed quid dorsum huius columbæ aureũ significat? diuinitatem nimirum, quæ in modum dorsi omnia sustentat & fulcit; & ne mireris aureum dorsum appellari, sic diuinitatem Salom. in Cant. visus est auri nomine describere, *caput*, inquit, *eius aurum optimum.* & quidem, aurum si demas nihil restat præstantius inter metalla argento, ita quia post diuinitatem nihil est Christi humanitate pretiosius, ideò illa rectè per argentum significata est, dùm columbæ alæ argenteæ ponuntur esse. Iterùm columba hæc rubentibus

5. pedibus insignitur; nempè proprio tinctos sanguine pedes habet: extremum namque vitæ Christi rectè pedibus repręsentatur, quod eius pretioso cruore signatum quodammodo, ac madefactum fuit: vt meritò proinde huius columbæ pedes rubere dicantur, lauit enim CHRISTVS effuso in mortem sanguine nostra delicta, quod multò antè prædictum fuerat: *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Hæc est igitur columba, quæ missa dicitur, Dei Filius.

6. Sed à quo missa? à Noe, de quo in sempiternam cœli, terræque memoriam scriptum est: *Noe perfectus in generatione sua:* propterea rectè Deum Patrem refert; qui benedictus DEVS & Pater est Domini nostri IESV CHRISTI, & quidem ne inueniri vel cogitari potest perfectior generatio ea, qua ab æterno Patre DEI Filius genitus est antè sæcula; ita enim genuit vt semper gignat, nec partem naturæ tribuit, sed totam eamdemque quam ipse habet. Quam ergo totam dat, totam etiam in se continet, neque vmquam sterilis DEVS Pater, sed sicut semper intelligit, ita numquam non verbum æterna mentis fœcunditate gignit, & sicut nunquam intelligere desijt, nec desinet aliquando, ita nec Filium gignere; & quidem ita æternum, ita viuentem, ita fortem ac potentem, sicut & ipse est. *Hoc igitur perfectus in generatione sua est:* optimè quidem, nam adeò immensa & sublimis est hæc generatio vt nec explicari, nec capi possit, *generationem eius quis enarrabit?*

7. *Noe* requiem significat, & Deus ipse primus est cœli motor, qui ita omnia ciet, vt semper immobilis perseueret: stabilisque manens dat

A cuncta moueri, estque in primis hominum & Angelorum quies, hoc est, beatitudo: extra quem quiescat nullus. Hic ergo est à quo columba mittitur. Sed vnde nam demissa est inquies? ex arca, scilicet ex cœlo tuto ac fœlice simul beatorum omnium domicilio. In arca variæ erãt diuisiones, & in domo illa æterni Patris mansiones multę sunt. In arca seruati sunt, quotquot à morte liberati fuerunt tempore diluuij; siue homines, siue feræ, siue aliud quid; & in cœlesti illa patria quotquot prædestinati sunt, salui erunt: siue docti, siue simplices; siue actioni, siue contemplationi vacantes, &c. Pater ergo Filium suum ex cœlesti domicilio misit, sicut Noe columbam ex arca. 8.

B Sed antequam vlterius progrediamur inuestigemus causas oportet, propter quas non Pater, non Spiritus sanctus, sed Filius missus est: ipsum enim columbæ nomine intelleximus. Non poterat Pater ab alia mitti persona; cum sit principium sine principio. Nec congruum erat, vt spiritus sanctus mitteretur, quia tunc per assumptam humanitatem Filij nomen assumpsisset. At non decebat inter diuinas personas duas esse, quæ Filij nomen obtinerent; quamuis vna secundùm diuinitatem, altera secundùm humanitatem. tantùm ergo filio id conueniebat qui & à patre nascitur, & *Filius* nominatur in diuinis, vt ille idem; qui FILIVS secundùm diuinitatem dicitur, esset & secundùm humanitatem. 9. *Dei Filius cur missus.*

C præterea FILIVS sapientia est Patris, rectè ergo congruebat, vt sapientia per quam pater mundum condiderat, eumdem instauraret. Ad hæc, Filius Verbum est Patris, cùm ergo vellet se Deus creaturis insinuare & aperire, non poterat id melius præstare, quàm verbo sine quo nec loquimur, nec intelligimus, quod significasse visus est Christus cùm dixit; *Pater, manifestaui nomen tuum hominibus.* 10. *Quatuor nomina Filij Dei.*

D His accedunt quatuor illa nomina, ac tituli quos Dei filio tribuunt sancti, vel diuinæ etiam scripturæ. Dicitur enim sapientia, virtus, species, seu pulcritudo, & æqualitas. Sapientia & virtus vocatur à Paulo, primo Corinthiorum primo. *Prædicamus Christum Dei virtutẽ & Dei sapientiam*; nominatur æqualitas à D. Augustin. lib. 1. de Doctr. Christiana ca. 5. D. Hilario dicitur Pulchritudo, & ornamentum. quoniam igitur sapientia est: ipsius proprium erat liberare eum: qui ob nimium sciẽdi desiderium, seruum se fecerat Dæmonis. Quoniam virtus est, ad eum spectabat æterni Patris hostem debellare; cuius est & brachium, & dextera, & gladius. Quoniam verò eius est æqualitas, par erat, vt ipse sanaret eum; qui Dei scientiam quasi per æqualitatem vsurpare voluit. Denique quoniam summa est pulchritudo, aptior persona non erat, quæ Dei imaginem in homine deformatam renouaret, Hæc obiter.

Iam verò vnde discessimus redeuntes, quo tempore ad nos venerit colũba videamus: expectatis septẽ diebus, &c. hoc est, septima mundi ætate. Prima numeratur ætas Adami, altera Noe, tertia Abraham, sequitur quarta Moysis, quinta Dauid, sexta est Prophetarum, septima 11. *Reassumitur colũbæ figura infra num.* 29

Chri-

Digitized by Google

Christo tribuitur. scimus autem totum tempus hoc septem diebus finiri.

Placuit igitur Diuinæ prouidentiæ non priùs, quàm ad extremam temporum ætatem filium mittere: *vbi venit plenitudo temporis.* Hinc 12. Ioannes, *nouissima*, inquit, *hora est.* Quod si scisciteris, cur tamdiu distulerit Deus tam necessarium beneficium in mundum conferre? tres in primis afferre poterimus ex Patribus rationes. nam & decebat hoc libertatem arbitrij nostri, & magis magnitudini beneficij conueniebat, & ad integritatem vniuersi plus etiam facere videbatur. libertas namq; arbitrij poscit, vt non vi in aliquam partem inflectatur. vt ergo suauiùs liberaretur homo: decuit vt saltem aliqui prius essent, qui salutem desiderarent, quærerent saluatorem, & summis votis à Deo exposcerent. quam rationem vt exactiùs intelligas; aduerte, hominem à Deo creatum *ad imaginem & similitudinem suam*: ad imaginem secundùm rationem, ad similitudinem secundùm dilectionem: ad imaginem quantum ad veritatis cognitionem, ad similitudinem quantum attinet ad virtutis amorem; ad imaginem secundùm intellectum, ad similitudinem secundùm affectum. Sic enim Sanctissimi Patres interdum imaginem & similitudinem distinguunt, & quamuis secundùm mentem Moysis, vnum, idemque videatur esse imago, & similitudo, libet tamen hac in re ad mores accommodata Patrum dicta sequi. Voluit ergò Deus, quandoquidem homo ad imaginẽ ipsius creatus erat, vt ipsum cognosceret; & quia ad similitudinem erat conditus ipsum vt amaret: vt & cognoscendo, & amando summum bonum possideret, 14. & possidendo beatus esset. Quæ omnia hoc vno exemplo illustrari possunt, in igne quod vnum est elementum, duas res inter se diuersas, quarum vna non est alia, inuenire est, splendorem & calorem. Neque enim splendor calor est, vel contra: ille enim lucet, hic ardet, hic oculis cernitur, ille sentitur tactu. Ita in vna, eademq; anima imago, & similitudo Dei diuersæ esse videntur. Quandoquidem per imaginem splendet anima cognoscendo, 15. per similitudinem ardet amãdo. Ita ergò constitutus à Deo homo, & in paradiso positus à Dæmone inuidia stimulante inuaditur, denique decipitur. Vnde duo sunt nata præcipua mala supradictis duobus bonis opposita; nam pro intelligentia & cognitione in maximas incidit tenebras, & pro Dei dilectione repletus est turpi cupiditate & continua ad malũ propensione. Ex vtroque igitur hoc fontè lutoso, cætera omnia enascuntur mala, quæ in vita experimur. Ita factũ est vt infelix homo & vulneratus & denudatus sit, malorũ scilicet multitudine circumseptus & bonis priuatus; Postremò vt semiuiuus relictus fuerit; non enim omninò abolita est natura. sic lapsus ac fractus non poterat per se mala pellere, iterumque se in bonam frugem recipere, & in pristinum statum reuocare. Propterea clementissimus Deus duo illi præbere decreuit valdè apta remedia, consilium & auxilium, vt per primum imaginem renouaret: altero ad similitudinem rediret. Cæterùm quia par erat vt tam

Cur tamserò venerit filius Dei.

Homo quomodo creatus ad similitudinẽ & imaginem Dei.

16. Duo homini remedia tributa à Deo.

A insignia dona cognoscerentur ab homine, placuit Deo vt suam ipse cęcitatem, rerum omniũ ignorationem, & virium infirmitatem ante agnosceret, quàm consiliũ & auxilium acciperet. Præterlabi igitur placuit Deo legis naturæ tempus, vt ipsa faceret quantum ex se posset, non quod posset reuera seipsam reparare natura, sed vt cognosceret quod non posset eò pertingere suis viribus nixa, propterea sibi ipsi relictum cœpit in tam graues, enormesque errores cadere humanum genus. Hinc cœpere homines solem, lunam, lapidem, cæpas etiam adorare, ita factum est vt declararetur homini sua ipsius cæcitas & ignorantia. sed ne- 17.
que hoc solo naturæ tempore contentus fuit Deus; legem scripsit quam Moysi tradidit, &
B illa cœpit tam ingentes ignorantiæ tenebras ex orbe dispellere. Verùm cùm non præberet ea lex vim ad efficiendum id quod ipse docebat, non poterat homo infirmitati suæ, & vulneri medicinam facere, quo factum est vt in suis ille viribus cœperit non confidere, nempè peccati vires ac cupiditatis in se expertus; ergò aduertens non præbere legem vim ac robur ad hos depellendos morbos qui ex cupiditate existebant, cœpit Dei implorare opem, *eò quod neminem posset lex ad perfectum adducere.* Hinc ille voces & lacrymæ, *emitte agnum Domine dominatorem*; Et, *vtinam disrumperes cœlos: rorate cœli desuper*, &c. tunc ergo aptum accommodatumq; tempus visum est, quo
C mitti donariue deberet hoc tam immensum donum, vbi quantum satis foret notum & expetitum esset, & vbi se homines illo tantoperè indigere cognouissent. Hæc ergò est prima ratio. Altera verò satis etiam per se apta est: exigebat enim tanti mysterij dignitas, & magnitudo vt viua ac stabili fide crederetur priùs, & intenso charitatis ardore expeteretur. Igitur oportuit præcessisse multa signa, figuras, oracula vt illud cognoscerent, crederẽt, amarent homines, & summis votis expeterent. Postrema causa ex mundi integritate desumpta est. Decebat enim perfectissimum omniũ operum in hac rerum vniuersitate, omnium esse postremum. Is enim est rectus ordo vt ab imperfectioribus ad perfectiora progrediamur. & propterea homo sexta die atque adeò vltimo loco conditus est. Esse autem perfectissimum omnium quæ Deus creauit hoc
D vnum opus, nemo est adeò amens vt non videat. Igitur expectatis septem diebus vltima scilicet, ætate, vltimo loco ad nos hæc cœlestis columba descendit de cœlesti arca à Noë missa, id est, à Deo Patre.

Eandem rem Gregor. Nyssen. homil. de S. Christi nat. confirmat his elegantissimè: *quod autem non ab initio Dominus apparuerit, vel hanc forsitan aliquis causam animo conceperit, quod is, qui vitiositatis tollendæ causa vitæ humanæ se immissurus erat, necessariò expectauit donec omne peccatum operæ inimici radicibus actis germinasset, atq; ita deindè radici securim admouit, vt Euangelium dicit. Etenim ex medicis ij, qui artem exercent dum adhuc febris corpus intrinsecus vrit, ac paulatim à causis morbi efficientibus accenditur, indulgent infirmitati donec ad summum vigorem ægritudo progressa fuerit, nullum à cibis* 18. 19. 20.

Rectus ordo quis.

Digitized by Google

auxilium agrotanti adhibentes. Cùm autem constiterit malum, ac morbus se totus exeruerit, tunc demùm adhibent artem. Itidem is qui animo maleualentibus medetur, expectauit, donec malitiæ morbus quo oppressa fuit hominum natura, totus reuelatus atque detectus esset: vt nihil latens & occultum curationis expers maneret, si medicus id solum quod apparuisset curaret. Et subdit: *itaque nec Noë tempestate, cùm omnis caro in iniquitate correpta esset, aduentu suo medicinam attulit, quia nondum Sodomitici sceleris germen pullulauerat: nec tempore euersionis Sodomorum Dominus aduenit, quoniam in humana natura multa adhuc mala latitabant. vbi enim impius Pharao? vbi indomita AEgyptiorum malitia? nec tunc igitur tempus fuit, vt huic vitæ se Deus cõmisceret. Oportebat vt Israelitarum iniquitas patefieret, oportebat vt Regnum Assyriorum, & superbia Nabuchodonosor, adhuc in vita latitans, ostenderetur; oportebat vt piorum vades tanquam scelerata, spinosaque planta ex mala diaboli radice oriretur, oportebat, vt Iudæorum Prophetas occidentium & à Deo missos lapidibus obruentium, ac Zachariam tandem inter templum & altare interfecto piaculum admittentium rabies detegeretur; ad sceleratorum germinum numerum, adde, & infantium ab Herode patratam cædem. Cùm igitur malitiæ vis se totam effudisset, multisque luxurians modis creuisset in animis eorum, qui singulis seculis scelere insignes extiterant, tunc DEVS, vt ad Atheniẽses Paulus ait, Actor. decimoseptimo, ignorantiæ tempora despiciens in diebus vltimis aduenit, quando non erat intelligens, nec requirens Deum, quando cuncti declinauerant, & facti erant inutiles, quando conclusa erant omnia sub peccato, quando iniquitas abundabat, quando vitiorum tenebræ ad summum vsque venerant, tunc apparuit gratia, tunc veræ lucis enituit radius, tunc in tenebris & vmbra mortis sedentibus ortus est Sol iustitiæ, tunc humanam carnem indutus multâ serpentis capita pede contriuit, ad terramq; allidens conculcauit,* &c.

21. Obijcit postea sic: *qui tempora quibus malitia retegeretur, expectauit, vt illam auctam, cumulatamq; radicitus euelleret, sic illam tollere, atque abolere cunctam debuerat vt nullæ ipsius in vita reliquiæ remanerent; nunc autem & homicidia, & furta, & adulteria & reliqua flagitia debaccantur.* Respondet hoc insigni exemplo, *quemadmodum cùm serpentes interficiuntur nõ continuò reliquas partes vnà cum capite mori videmus. sed cùm interierit caput, illa tamen adhuc vitam retinent, nec vitali priuantur motu: sic accidit in draconis interitu. Etenim ingens cùm esset admodum fera, quippè quæ singulis hominum ætatibus excreuerat, qui multiplex eius caput, id est, vim illam malorum inuentricem multa in se capita continentem sustulit, cæterarum ipsius partium tractus neglexit, vt interfecta fera motum posterũ ad exercitationis occasionem relinqueret;* Et paulò inferiùs; *Quod autem huius fera in humana vita relictum fuit, &c. potestate quidem iam mortuum est, cùm eius caput contusum atque inutile factum sit* (cùm scilicet, qui mortis euertit imperium, vim quæ in capite serpentis erat, Genes. 3. contriuit) *at vbi tempus transierit & ea quæ mouentur constiterint, aduenerit-*

A *que vitæ huius absolutio quam expectamus, tunc hæc cauda & extrema pars inimici, mors ipsa nimirum, destruetur,* primæ Corinth. decimoquinto, *atque ita delebitur omninò cuncta malitia,* &c. sic ferè Nysse. & vide eius Catech. orationem c. 29. vbi eamdem affert rationem. De hoc argumento lege Theodore. de curatio. Græcarum affectio. lib. 6. D. Thom. 3. p. quæst. 1. art. 5. & Cai. ibi. Huius tam alti mysterij 22.
opportunum tempus significatum etiam fuit Eliæ sub typo illius nubeculæ 3. Reg. 18. quæ sese è mari sensim attollebat in altum, hoc autem septima vice contigit: in septima autem vice *ecce nubecula parua quasi vestigium hominis, ascendebat de mari. Deindè; & facta est pluuia grandis.* Circumspexerat puer Eliæ, an indi-
B cium aliquod pluuiæ videre posset, fecerat id sexies, nec quidquam viderat quo spem cõciperet futuræ pluuiæ; septima aũt vice *ecce nubecula parua*, in qua impressum visebatur *Nubecula Eliæ ostensa filium Dei designat.*
humani pedis vestigium, quæ à mari leniter emergens, & in aëra sese efferens adeò repentè excreuit, vt in arescentis terræ gremium magnam vim effuderit aquarum. nubecula Dei filium repræsentat, circumamictum carne nostra mortali quidem, sed pura tamen; fragili, verùm innocente; tenera, cæterum sancta, *Ascendet Dominus super nubem leuem, & ingredietur AEgyptum*: rectè enim Christi humanitatem nubi comparabimus. Circumobtegit nubes ac defendit *Nubes Christi humanitatem designat.*
nos, *dedit eis nubem in protectionem*; & de Chri-
C sto scriptum est, *oculi Domini super timentes eum*: temperat illa solis ardorem, & CHRISTVS Dominus seueritatem leniuit, atque adeò in se paternæ iræ ardorem recepit; illa terram inebriat & infundit, & CHRISTVS mentibus nostris illabens fœcundos nos virtutibus & meritis reddit; illa inter solem & oculos nostros interiacet media, ita vt eius beneficio solem intueri possimus, & Christus humanis artubus lucem diuinitatis operuit, vt imbecilles mortalium oculi intendere in illam possent: illa cœlum inter & terram pendet, ecce tibi Christum mediatorem inter Deum & homines: mediator Dei & hominum CHRISTVS IESVS. sed quis consequi verbis poterit quan-
D ta aquarum multitudo & vbertas ex hac nube manarit, quam immensa pluuia? non istarum quidem aquarum, sed spiritus; non humoris, sed ardoris; *effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

Verùm hæc nubes varijs se se coloribus 23.
mundo ostendit; candida namque aliquando, fulgida item, rubicunda, nigra, hiacynthina visa est, denique veluti ardens ac tota collucens apparebit aliquãdo. In nauitate candida apparuit, quę planè tota extitit purissima; fulgida, cùm inter homines ageret Christus, ob clarissimos sanctitatis radios; dùm pateretur verò rubicunda visa est, ob emanantem vndique sanguinem, & hiantia vulnera; cùm moreretur nigra conspecta est; at cùm in cœlum ascendit, veluti hiacynthino colore ornata fuit. Postremò ad extremum iudicij diem iterùm sese ardentem, atque igneam

demon-

Digitized by Google

demonstrabit. Igitur hæc nubes à multis diu expetita fuit, & magnis desiderijs exspectata, sed nemo eam vidit vnquam, nisi septima tandem vice, hoc est, ætate vltima; septima autem vice ecce nubecula; & vide quàm hoc consonet cum eo quod de columba paulò antè recitauimus; *expectatis autem septem diebus dimisit columbam*, &cæt. Sed ad alia veniamus, vestigium hominis habere dicitur, quo Christi humilitas declaretur: propterea enim non absolutè hominis, sed vestigium hominis dicitur continere: de Christo enim illud dictum est, *opprobrium hominum, & abiectio plebis*, sed quamobrem additum est *quasi*? (sic enim legimus, *quasi vestigium hominis*) & non absolutè vestigium hominis dictum fuit. vt significaretur natura quidem Christum verè hominem fuisse, sed quantum ad culpam attinet quasi hominem: fuit enim malè acceptus quasi homo peccator multis plagis & flagellis, cum tamē vacaret omnino culpa; *Consideravimus eum quasi leprosum à Deo percussum, & humiliatum.* Ita extremis morbis extrema remedia, & extremis peccatis repurgādis extrema iustitia necessaria fuit, vt contra superbiā humilitas, contra ignorantiā & cęcitatem sapientia, contra rerū mundanarū cupiditatem paupertas, contra carnis delitias, patientia, & laborum tolerantia, contra iniquitatem, sanctitas ipsa procederet, & ita summa summis repugnare debuerunt; non ergò mirū si ipso statim initio suæ natiuitatis hæc tam insignia virtutum exempla Christus declarare voluit: his enim armis instructum oportebat eum in aciem, dimicationemque venire. Sed quid innuit mare vnde sese in sublimè extulit nubecula? Beatam virginem repræsentare si dixeris, næ tu etiam atque etiam rectè affirmaueris, quæ verè mare vastum, profundum, immensum virtutum omnium & gratiarum pelagus fuit, mare amarum multis ærumnis, & dolorum fluctibus agitatum. Quod vnquam mare extitit tot ac tantis ornatum gēmis, quot & quantis Maria virtutibus illustrata fuit? *in me* inquit, *omnis spes vitæ, & virtutis*; quod çquor tàm amœnum aspectu, quàm plena lætitia, & voluptate Maria fuit, cùm se Dei matrem effectam vidit? cùm infantem illum Deum hominem factum gremio gestauit? cùm illum amplexabatur, lactabat, osculabatur? quod vnquam pelagus tot porcellis agitatum fuit, quot Mariæ cor, cùm natum vidit de cruce pendentem mori: nudatum vestibus, siti enectum, inter duos pendere medium latrones? ex hoc inquam Mari nubecula hæc egressa est quæ ecclesiæ terram cœlestibus postea imbribus fœcundauit.

Sed vt vnde egressa est, eodem reuertatur oratio, ad id venio quod de columba reliquum erat dicere nempè, quò tandem missa; proh dolor! in hanc malorum eluuionem, laborum, dolorum, atque ærumnarum vitæ huius congeriem, ac veluti domicilium venit. Audi quid de se dicat: *veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Saluum me fac Deus quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*: sed ô imminentem Dei charitatem, ad hæc se mala toleranda se ipse impendit libenter vt humanum genus liberaret, *si propter me*, inquit, *orta est hæc tempestas* (appetiuerat enim homo temerè ac citra ordinem Dei sapientiam) *tollite me & mittite in mare.*

Sed non hîc semper hæsit columba, *reuersa est in arcam* ad patrem *portans ramum oliuæ*: at illa venit ad eum *ad vesperam portans ramum oliuæ* virentibus filijs in ore suo, his veluti describitur diuinæ natiuitatis & œconomiæ fructus & vtilitas, quæ latè in omnes homines promanauit, nimirum pax, & totius mundi innouatio. quædam cœlestis, quæ ramo viridantis oliuæ rectè significantur & de pace quidem scriptum erat; *orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis*: de innouatione verò, *ecce veniet Propheta magnus, & ipse renouabit Ierusalem*. tunc autem regressa est columba ad Patrem in arcam cum Christus in cœlum victor ascendit. *Hæc hactenus.*

DIGRESSIO II.
MORALIS,

In qua, ad Christi natiuitatem accommodatur illud Isai. 40. *Apprehendent septem mulieres virum vnum*, totum Lucæ percurrendo euangelium, vbi septem virtutum habetur non obscura significatio, id quod ad permouendum affectum non erit inutile.

MERITÒ, iureque optimo Christum Dei sapientiam, quamuis puerum, & infantem, *virum* apellaueris. quomodo interpretantur patres illud; *mulier circundabit virum.* quod cùm ita sit non absurdè etiam affirmabimus, *septem mulieres*, de quibus Esai. septem esse eximias virtutes, quæ simili prorsus studio, & singulari affectu vix natum hunc puerum virum, circumuallarint ac veluti sibi sponsum desponderint; nec mirum, *tanquam sponsus* enim *Dominus IESVS processit de thalamo suo, speciosus forma præ filijs hominum*. Prima quidem fuit obedientia, quæ illi inhæsit nondum matris vtero egresso, illis significata verbis à Luca; *exijt edictum à Cæsare Augusto*, cuius imperio Rex Regum ipso adhuc vtero clausus parere, mox in lucem edendus, voluit, vt suo nos confestim exemplo virtutem hanc amplecti doceret, qui eius eramus vexillum sequuturi: & hic tamen infans Virginis adhuc incluſus aluo vir erat tantus, vt cùm Augustus scire aueret, an in orbe alius esset se maior futurus, ostensus sit clara iam luce circa Natalem eius diem in circulo circumambiente solem, nec sine ingenti fulgore, vlnis Virginis gestatus cum hac inscriptione; hunc adora. sic enim quidam non obscuri auctores referunt, quocunq; id euenerit tempore. Altera accesit mulier virginitas, & quidem fulgens ac nitens Crystallo non absimilis; *impleti*, inquit Lucas, *sunt dies Mariæ, vt pareret*. à virgine nitidissima, ac purissima, non ab alia edi in lucem voluit, vt quanto illi

virgi-

1. *Christum et iam in infantia vir fuit.*

Septem mulieres septē virtutes sunt.

2.

3.

Digitized by Google

virginitas semper cordi fuerit, ostenderet: ergo *tandem germinauit radix Iesse, orta est stella ex Iacob, virgo peperit Saluatorem*. Porrò Charitas tertia aduenit illis descripta ab Euangelista; *& pannis eum inuoluit*; nam quæ alia poterat omnipotentem vincire, vel fascijs obuoluere? *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. qui verò proprio filio non pepercit, quomodo cum illo non omnia nobis donauit?* Quartam paupertatem nominabimus, quæ eum etiam in præsepio reclinauit, *quia non erat ei locus in diuersorio*. Væ igitur vobis, qui dormitis *in lectis eburneis & lasciuitis in stratis vestris*, (sic enim exclamabat paupertas verba Amos cap. 5. vsurpans, dum infantem reclinaret in præsepio) & adijciens hæc aiebat; præposuit me sponsus meus, & vir meus IESVS Christus statim natus Regnis, & sedibus *& diuitias nihil esse duxit in comparatione mea*, nec comparauit mihi lapidem pretiosum, *quoniam omne aurum in comparatione mea arena est exigua, & tanquam lutum extinabitur argentum in conspectu meo; super salutem, & spiritum dilexit me vir meus, & proposuit pro luce habere me, quoniam inextinguibile est lumen meum*, Sapien. cap. 7. Quinta adfuit misericordia, quam verbis Angeli didicimus in hanc natiuitatem interfuisse, *annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator mundi*. quo enim potiore nomine misericordia significari potuit ab Angelo, quàm saluatorem nominando eum, qui aduenerat summis illis olim clamoribus expetitus: Sic enim querebantur homines, *vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine?* quibus ille de stabulo respondit; misericordiam complectens, & ostendens, ecce adsum inquiens, venio salutem allaturus mundo, quam rem Paulus ad Titum cap. tertio, commendat nobis dùm ait; *non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit*. non alia mulier ita vnquam viro suo adhæsit, vt misericordia Christo, tantumque valuit vt antiquo illi nomine mutato suum tribueret; cùm enim *Deus* olim *vltionum* diceretur, tunc *misericors & miserator* passim vocari cœpit, tantas potuit iniecisse ardoris faces misericordia Deo. Nec ab hoc Sanctarum mulierum numero humilitas, summo prædilecta Regi abfuit; audi enim quid Angelus apud Lucam dicat pastoribus; *& hoc vobis signum; inuenietis infantem pannis inuolutum*; Humilitas quippè signum est certissimum, & minimè fallax ad inueniendum Christum in stabulo natum: recta enim ad cœleste istud stabulum ducit, vbi est Christus, & Maria, quorum factum est præsentia, vincant vt præsepia cœlum, *in stabulo ponitur qui continet mundum, iacet in præsepio & in cœlis regnat, ô, magnum mysterium & admirabile Sacramentum vt animalia viderent Dominum natum iacentem in præsepio*. hoc potuit humilitas cuius fragrantissimam suauissimamque nardum dùm esset in accubitu suo odoratus Rex æternus, omnium Regum opibus & imperijs longè antetulit. congratulamur tibi sancta humilitas omnes, qui diligimus Dominum, quia cùm esses partuula, ita placuisti Altissimo, vt inclinarit cœlos, & descenderit, & te sibi in sponsam elegerit.

4. 5. 6. 7.

Humilitas inuenit Christum.

A *Domine audiui auditum tuum, & timui, consideraui opera tua & expaui*, inter brachia humilitatis, *in medio duorum animalium iacebas in præsepio.*

Porrò tribus in rebus maximè procax & spectabilis est superbia, in scientia, diuitijs, honore, id est, sublimis loci potestate supra mortales cæteros. contra hæc, tria opponit Angelus: contra scientiam hanc tumidam, infantem, *inuenietis enim*, ait, *infantem*: contra diuitias, rerum humanarum despicientiam & contemptum, dùm addit; *pannis inuolutum*: contra potestatis supra cæteros ambitionem subdit; *positum in præsepio*, nempè inter bestias, vt intelligas quàm vilem elegerit locum. 8.

B Hanc igitur humilitatem cum paupertate coniunctam omni gloriæ, & diuitijs anteferendam meritò iudicat Augustin. de Natiuitate Domini; *absconde Maria*, ait, *noui solis fulgorem, inuolue pannis infantem; nam & ipsi panni diuitijs omnibus præstosiores sunt, omni purpura gloriosiores, denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris anteponenda est*; ô terque quaterque fælicem paupertatis simul, & humilitatis nexum, quo omne bonum breui compendio continetur. Postremò visa est in hoc stabulo tanquam de cœlo delapsa ad terras, pax optata diu. hinc concinunt læti angeli, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax*, &c. *hodie enim nobis de cœlo pax vera descendit, hodie per totum mundum melliflui facti sunt cœli*; ergò, quicunque Christum infantem vis inuenire, inquire pacem, & persequere eam, Psalm. 33. amando iustitiam persequere & inuenies, Psalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam Domine*. Sic eum quæsierunt pastores, dum festini & IESV infantis amore flagrantes inquiunt; *transeamus vsque Bethlehem*. 9.

C Sed iterùm, ad humilitatem, & paupertatem redeamus, quæ cùm charitate & virginitate principem ibi locum obtinebant. Igitur paupertas pannis Christum inuoluebat infantem, humilitas reclinabat in præsepio. Dum verò ambæ his obsequijs puero inseruiebant, in has voces amoris plenas quinque alijs admistæ mulieribus, erumpebant, vt solent matres infantibus cantilenas occinere; 10.

D ô felices pannos quibus peccatorum nostrorum sordes deterfæ sunt; quibus alligata vulnera consauciati hominis, quibus pannis Ieremias, hoc est, genus humanum de lacu eductum est, quibus inuoluta maiestas, & ne feriret ligata potestas immensa; ô, terque, quaterque Beatum præsepe, & incunabula; stabulum etiam in quo cœlum est, in quo Bos cognouit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Nec interim otiosæ ibi virginitas & charitas aderant, illa lactabat, & ista lauabat; *Sola enim Virgo lactabat vbere de cœlo pleno* eum, quem brachijs complexa charitas lachrymis abluebat, vtraque interim cæteris adiuncta sororibus dulciter cantabat infanti; ô beata vbera, quæ lactant æterni Patris filium, pascunt eum, qui omnia pascit; aperit enim manum suam, & implet omne animal benedictione; Beatæ Millies *(Ierem. 8.* 11.

lachry-

Digitized by Google

lachrymæ, quæ lauant eum, qui rigat, & fœcundat omnia. hæc hactenùs: similia suggeret Spiritus sanctus, & multò his maiora.

DIGRESSIO III. MORALIS,

Quomodo similis Natiuitas Passioni.

Christus natus etiam passus.

SIC accipe; cœpit CHRISTVS salutem nostram operari, ipso statim natalis sui die, humilitatis nobis, paupertatis, & obedientiæ exempla præbens; hanc autem salutem in cruce perfecit. In stabulo nostros artus indutus pauper, & infirmus apparuit; cruci vero suffixus, instar vermis erat, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis; In stabulo iacet infans, & quasi fari nesciat, cùm æterna tamen sit Dei sapientia; & passionis tempore, quasi stultus ac loqui nescius ab Herode deridetur; nascitur nudus coram matre, in crucem actus est nudato in omnium oculis corpore; cùm nasceretur *non erat ei locus in diuersorio*, dùm vixit, dumque de cruce pependit, *non erat ei locus vbi caput suum reclinaret*, & mortuus alieno sepulchro illatus est; sub mediam nascitur noctem incommoda tempestate; ob it post meridiem densissimis vndique tenebris omnia occupantibus; in lucem editus fascijs à matre vincitur, & colligatur, & cùm ad mortem raperetur per summam crudelitatem manibus, ac toto penè corpore funibus constrictus est; infans adhuc, purissimo matris sinu quasi inbecillis; & sine viribus gestabatur; asperis postea ac duris crucis Brachijs sustentatus est; cœpit vbi primum natus est vagitu & lachrymis genas perfundere, in cruce cùm esset, *cum clamore valido, & lachrymis preces offerens exauditus est pro sua reuerentia*; Puer in cæterorum infantium morem Matris vberibus lactatur, cruci suffixus felle & aceto potatur; in stabulo cum nasceretur graui odore loci exceptus est, diem supremum cum obiret, graui, ac fœtido montis Caluariæ odore affectus est; in præsepio reclinatur mox in lucem æditus, moritur in angusto & duro crucis lecto extensus, & attractus; natus inter duo medius animalia collocatus, inter duos latrones medius emittit spiritum; Postremò Cæsari Augusto morem gerens in lucem prodijt, & nefario Pilati iussu vitam amisit; vbique obedientiam sectatus, denique eam veluti testamento in hæreditatem nobis reliquit.

A

DIGRESSIO IV. MORALIS,

Quod in Christi carne, vt in nube purissima cum circumcideretur cœlestis quædam iris spectaretur.

VIDERE mihi videor in candidissima Christi carne purpureo distincta sanguine, quasi diuinam quandam cœlesti fulgentem luce iridem. vidit Ioannes Apocalyp. 10. circa Christi caput cœlestis huius arcus effigiem, nunc verò ecce tibi dùm infans octauo circumciditur die, aperit se- 1. *Christus iris est.*

B se varijs distincta coloribus pulcherrima in eius corpore iris, *signum fœderis inter Deum & hominem. est enim ipse propitiatio pro peccatis nostris*, primæ Ioann. secundo, *neque enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*, Ioan. 3. Et ve- 2.
ro quoties hunc pater intuetur, quoties cælestem hanc iridem diuino radiantem lumine in eius corpore conspicatur, toties fœderis huius illi in mentem venit, quod nobiscum inijt. Sed parumper quæso in hac iride describenda immoremur. Distinguitur iris 3. *Iris triplici colore distinguitur.*
tribus coloribus, viridi, Rubeo, & cæruleo; Viror in Christo, eius est Deitas, quæ nunquam exaruit cæruleum colorem mare refert ac proinde rectè Christi animam tanquam Mariæ ærumnis, & doloribus plenam
C color cæruleus ante oculos nobis ponit; *tristis*, ait, *est anima mea vsque ad mortem*. Cæterùm caro dum circumciditur purpureo tincta sanguine sat per se colorem rubeum declarat. 4.
Nisi malimus dicere tres hosce colores, tribus Christi insignibus titulis adaptari posse Regis, Iudicis, & Legislatoris, de quibus Isaias 33. *Dominus enim iudex noster Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse saluabit nos*; vel certe si magis propriè & accommodatè ad circumcisionem loqui libet, tres hi colo- 5.
res tria illa, quæ in hac circumcisione cõmendantur sunt; nomen enim IESV viridi colore, qui symbolum est spei significatur, lacrymulæ verò illæ quæ à teneri infantis ocellis
D exprimuntur cæruleum, hoc est, aqueum colorem innuunt; sanguis denique ipse apertè ruborem ostendit. Quis igitur oculos hoc tam insigni virore non oblectet? quid non impetrent hæ lacrymæ? quem non accendat, & inflammet hic rubor? Diuus Greg. hom. 4. in 6.
Ezech. duos agnoscere videtur colores in iride, sed de primarijs, magisq; spectabilibus loqui intelligendus est de aqueo, videlicet & igneo, hoc est, cæruleo, ac rubeo, quibus duplex Dei iudicium repræsentari affirmat, alterum per aquam factum iam, alterum per ignem futurum: in hac igitur Christi circumcisione sanctissima, eisdem duobus coloribus, aqueo & lachrymarum scilicet & sanguinis, duo hæc eadem iudicia exprimuntur vt omnibus constet, aduenisse ipsum vt patris, id est, diuini iudicis iram à nobis auerteret, & pro nobis illi satisfaceret. possunt, & non absurde 7.
isdem duo colores lacrymarum, & sanguinis, Baptismũ innuere, quem ille instituturus erat

in aqua,

in aqua, & Spiritu sancto Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.*

8. Verùm obseruandum est hìc, Ioan. Apoc. 4. aduertisse iridem etiam aliam circa thronum Dei, quam rem, si quis mysterio non vacare affirmet, næ ille rem verisimam affirmabit; est enim Christi thronus Ecclesia. vt igitur interdum duas simul irides cernere est. Tunc verò posterior ex prioris reflexu fit, hoc est, radijs eisdem quibus prima decoratur, & fulget. Ita iris hæc posterior, quæ Christi thronum, id est, domum Dei totam ambit, & complectitur, quam rectè misericordiæ iridem vocet, ex priore illa resultat; hoc est, ex Christi meritis, ac lacrymis purpureo intermistis sanguine. Porrò triplex est hæc miseratio; prima, quòd in Ecclesia fides vera nunquam deficiat; altera quod nunquam sanctitas; postrema, quod verus in ea Dei cultus desiturus nunquam sit. Itaque cùm hæc iris misericordiam notet, misericordiæ triplex pars triplicem etiam iridis huius colorem significare potest.

9.

10. Cæterùm cùm semicirculi figuram, & non integri circuli contineat iris quælibet, quæ in aëre fit, ideò vna tantum medietate supra orizontem extat. vnde fit, vt frustra eum laborare oporteat, qui sub orizonte medietatem alteram, quæsierit: neque enim datur. Ita Dei misericordiam ne quæsieris post exantlatum vitæ huius cursum. Quære illam in hoc vitæ nostræ hemisphærio, hìc si quæris inuenies; frustra & inutiliter post hanc vitam quæsieris; non secus ac si quis iridis partem sub hemisphærio nostro inuenire vellet, is frustra laboraret, & inutili consumaretur labore.

11. Et verò neque absunt ab hac iride, de qua v. 2. & seq. dictum est, & quæ in Christi carne lachrymis conspersa, & sanguine tanquam in nube rorida spectatur, tria illa, quæ de iride Philosophi affirmant; nam & signum esse aiunt serenitatis interdum, interdum verò etiam pluuiæ; reddere item plantas odoriferas, quod suauem exhalare faciat odorem si illas tangat; denique caussa esse cœlestis mellis generandi, cui etiam manna tribuitur. Senec. primo naturalium quæstionum cap. 6. scribit, quod cùm iris ab Oriente emicat, signum est tranquillitatis, cùm verò ab occasu, tonabit, & leuiter impluet. Iam hæc tria in nostra hac iride spectemus. Huius sanè tam conspicui, ac venusti colores, qui augustius fulgent in charissima orientis Christi carne, serenitatem portendunt in primis, id est salutem; ob id enim Iesus vocatur qui circumciditur Isaiæ 63. Redemptor noster à sæculo nomen tuum dicitur de Deo, quo non obscurè declaratur, ferè ab initio vsque mundi, redemptorem vocari se voluisse Deum; cùm enim ageret cum Moyse de liberando populo ab AEgyptiaca seruitute Exod. 3. dixit, *Ego sum qui sum*, Hæbraicè, *ero qui ero*, vel *sum qui ero*, ac si diceret, ego sum ille, qui redemptor, qui liberator ero; hoc est, celeberrimum illud Iehouah, qui ero. Idcircò nomen hoc, non tam essentiam diuinam significat (nisi fortè Ethymologiæ vocabuli inhæseris) quàm secundum litteræ sensum Deum

Iris quæ portendat.

12.

A notat esse populi sui prouisorem, & Redemptorem. etenim sumptum est ab eo, quod fasturus erat Deus liberando populum ab AEgyptiorum seruitute. Hoc ergò nomen non manifestauit Deus Abraham Exod. 20. quia liberi erant tunc, qui ad illum spectabant; at captiuitatis tempore tandē illud aperuit Exo. 6. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob* in Deo omnipotente, id est, prouisore, & nomen meum Adonai non indicaui eis. quòd ergo Deus *Redemptor*, & *Saluator* ab initio vocari voluerit, id in figuram hui⁹ nominis Iesu fuit, quare multò magis in Christum nunc conuenit hoc *saluatoris* nomen, non modò quia illud tunc Iehouah huius erat figura, sed etiam quia olim vnius dumtaxat populi liberator Deus fuerat; at nūc omnium hominum redemptor,

13.

14.

B & liberator iure nominari debet, *ipse enim saluum fecit populum suum*, omne, scil. genus humanum, *à peccatu eorum*, non à seruitute modò AEgyptiaca. In eo igitur nomine *Iehouah*, iam indè ab initio Sacrosanctum IESV nomen cōtinebatur; non quidem ita clarè, ac distinctè, sicuti illud nunc in hoc vno longè perfectiùs, præstantiùs, & clariùs includitur. Illud erat *Iehouah*, hoc *Iehosuagh*, sic enim dicitur Hæbraicè, licèt per cōtractionem, vel corruptionem aliquando dictum sit *Iesuah*, idem enim videtur *Iehosuah*, ac *Iesuah*, sicuti *eli*, & *eliachim*; quamuis fortè vulgò, licet non ita eleganter, diceretur Christus *Iesuah*. Meritò igitur hoc nomine declarata est serenitas, quam Christi caro in modum iridis tam varijs insignita coloribus in mundum inuexit. Verùm quando

15.

16.

17.

C hæc iris ad occasum visa est vergere quantum proh dolor, impluit sanguinis; nempè, dùm Christus cruci suffixus, mortem subiuit. Sunt qui dicant inter Philosophos, iridem matutino tempore apparentem, pluuiam portendere; cùm vero propè Solis occasum emicat, serenitatem indicare, quod rectè in nostram hāc iridem conuenit, quæ sanguinem præferēs ipso matutino, hoc est, circumcisionis tempore, quantam quæso pluuiam in Passione futuram demonstrabat? verùm eadem in Christi morte visa, breui adfuturam pacem significabat, & regnum. huc afferri potest illud Matth. 16. *facto vespere dicitis serenum erit, rubicundum enim est cœlum; & mane, hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum*; Ecce tibi hoc matutino, seu infantili

18.

D tempore circumcisionis, Christi humanitas quasi cœlum aspersa sanguine visitur, hæc de prima, id est, de serenitate, & pluuia. iam ad odorem transeamus.

Aristotel. sect. 12. Problematum, probl. tertio refert fuisse, qui dicerent iride plantis incubante odoratiores reddi. Plin. lib. 12. cap. 24. id asserit de Asparatho, id est, candida spina, modica quidem arbore, sed flores rosæ similes habente, cuius radix vnguentis est expetita: immò lib. 11. cap. 5. idem de terra docet sicca post imbibitum imbrem. quæ omnia rectè quadrant in rem hanc; neque enim opera nostra Deo placent nisi hac vna iride contingantur; tunc enim illa tanquam suauissimos flosculos odoratur Deus Pater; cùm veluti Christi sanguine, & lachrymis contecta, & conuestita videt. Propterea currendum nobis erit

19.

alacri-

Digitized by Google

alacriter in odorem tam ſuauis, ac venuſtæ iridis. denique (quod tertium reſtat) facit iris non parum ad mel aëreum gignendum, ſic Ariſtot. de hiſtor. anima. lib. 5. cap. 22. iam verò quid ſuauiùs dici, aut comprehendi poteſt dulciùs Sacratiſſimo IESV nomine, quo nunc primùm audito tanquam præſtantiſſimo delibato melle dulceſcit animus. nihil hoc manna ſuauiùs expertus erat Bernard. dùm ſuauiſſimè caneret: *Ieſu decus Angelicum, in aure dulce canticum, in ore mel mirificum, in corde nectar cœlicum, deſidero te millies, mi IESV quando venies, me lætum quando facies, me de te quando ſaties?* Fac ergo bone IESV, vt tui nominis dulcedo ſic corda noſtra perluadat, vt omnia nobis humana ſine illo inſipida, & amara videantur: pergamus ad alia.

DIGRESSIO MORALIS QVINTA,

De Circumciſione ſpirituali.

1. *Circumciſio ſpiritalis maximè à nobis exigitur.*

DE ſpirituali Circumciſione aliqua ſcripſimus ſuperiùs Theoria 5. n. 3. & 4. hic paucis quædam alia addemus. Principio inter ea, quę maximè probat Deus, & à nobis exigit, circumciſio eſt, nõ quæ in carne eſt, ſed circũciſio ſpiritus; vt enim veriſimum eſt, quod ſcribit Apoſt. *Mortuum eſſe Chriſtum propter delicta noſtra, & reſurrexiſſe propter iuſtificationem noſtram*; ita rectè, ac verè propter circumciſionem noſtrã circumciſum eſſe dicemus. quemadmodum verò niſi cõmoriamur illi, & cum eo reſurgamus, neque mors, neque reſurrectio eius quidquam nobis prodeſt: ita nec ipſi circumciſio, & in ea ſanguis eius effuſus proderit nobis, niſi circumcidamur ipſi.

2. *Carnis concupiſcentia refrænanda.*

Et verò maximè concupiſcentiæ carnis ac libidinis vitium circumcidendum eſt, quòd ita eſſe oſtendit circumciſio carnalis, quæ in ea parte fiebat, vbi maximè carnis concupiſcentia viget. Erat enim vt Ambroſ. habet lib. 1. de Abraham cap. 17. illa Iudæorum circumciſio ſignum caſtitatis. ſic enim ait: *Circumcidi iubetur Abraham accepturus veri ſeminis hæreditatem. nonnè euidenter circumciſio carnis præceptum eſt caſtimonia, vt aliquis reſecet libidinem carnis, & indomitus luxu, ac laſciuia frænet cupiditates? Etenim circumciſionis vocabulo id præſcribitur, vt omnis impuritatis fœtor abſtergatur, & incentiuum libidinis auferatur.* Sic Ambroſius.

3. *Caſtitas initium virtutum.*

Et meritò, quia fruſtra quis laborat in acquirendis reliquis virtutibus, niſi rebellem, repugnantemque coërceat libidinem, & carnis concupiſcentiam reprimat. hinc viri probi initium eſt, vndè ad altiſſimum poſtea virtutis culmen intrepidè peruenire queat. Suſan regni Aſſueri exordium fuit Eſther 1. Suſan lilium ſignificat. lilium autem rectè caſtimoniam indicat; ergò lilium, hoc eſt, caſtitas principium eſt regni Chriſti. neque enim Chriſtus Virginis filius regnare poterit in homine, vbi fœdiſſimus luxuriæ ſpiritus habitat.

4. Tale Chriſti regnum nobis ob oculos caſtiſſima Suſanna ponit, cuius nomen, lilium

A rectè interpreteris, in quam rectè quadrat illud, quòd Cant. 2. legimus, *ſicut lilium inter ſpinas, &c.* quid enim aliud immundiſſimi illi Senes erant, quàm ſpinæ caſtiſſimum pudicitiæ lilium circũdantes? pupugerunt quidem tanquam lethiferæ ſpinæ lilium caſtitatis, ſed indè prodijt ſuauis caſtitatis odor, quo etiam nunc ſuauiſſimè recreamur. Quem enim tantæ mulieris exemplum non recreat, quæ nè pudicitiæ ſuæ maculam aliquam afferret, maluit ſe ignominiæ, atq; morti vltrò exponere? *Anguſtiæ*, inquit, *mihi ſunt vndique, ſi enim hoc egero, mors mihi eſt, ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras.* Sed vide, quàm ſuauem candidiſſimum lilium verbis ſequentibus exhalarit odorem. Ait: *ſed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* His, his inquam, verbis vos armate mulieres, ſi pudicitia cordi eſt, cum petulantium hominum impetum, impreſſionemque ſenſeritis. melius eſſe vobis putatote abſque opere incidere in manus hominum, quàm peccare in conſpectu Domini. Sic enim tanquam lilia hortum Chriſti condecorabitis, ſuauiſſimoque odore ſparſo cæteros confirmabitis.

Suſanna caſtitatis & pudicitiæ exemplar.

B

Sed quamuis magis in ea parte, in qua mandata eſt Iudæis circumciſio, regnet concupiſcentia, per vniuerſa tamen corporis membra reſperſa eſt; itaque non vno tantùm membro, ſed toto corpore circumcidamur oportet, & concupiſcentia, vbicumque ſit, amputanda eſt. Viget illa in oculis, viget in auribus, viget in lingua, in mente viget & carne, & quia totum occupauit hominem, iure totus circumcidi debet.

5. *Circumciſio omnium mẽbrorum neceſſaria.*

C

Circumciderat Iob oculos ſuos *qui pepigerat fœdus cum oculis ſuis, vt nè cogitaret quidem de Virgine*, non, inquit, vt nè aſpicerem quidem virginem, quòd res ipſa, & oratio poſcere videbantur, ſed *nè cogitarem*, inquit, vt fontem indicet eſſe oculos, vndè in nobis lubricæ, ac fœdæ cogitationes oriuntur. ſubdit verò; *quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem omnipotens de excelſis?* quaſi dicat, alioqui mihi nihil prodeſſet Chriſtus, ſi incircũciſos oculos in virginem conijcerẽ. ſubducit enim ſe ille ab eorum cordibus, in quibus fœdæ, atque immundæ cogitationes habitant, quæ ex incauto naſcuntur aſpectu. Ecce tibi oculos: qui

6. *Iob. 31. 1.*

Ibid. 2.

D concupiſcentiæ tabe etiam infecti ſunt.

Quid de auribus? nunquid non ipſas immoderatæ voluptatis illecebra occupauit? *Cythara*, inquit Iſaias cap. quinto, *& tympanum & lyra, & tibia, & vinum in conuiuijs veſtris, & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis.* quænam rogo hæc opera ſunt? nihil errabimus, ſi duo illa præcipua eſſe dixerimus conditionis alterum, alterum redemptionis opus, ac de hoc potiſsimum loquitur Dei vates, vt ſit ſententia hæc: ſi quis Dei beneficia commemoret, moleſtus narrator eſt, continuò aures auertitis veſtras, & audire quanta pro nobis fecerit, quanta paſſus fuerit, libenter non habetis, at ſi quis fiſtula ludat, & laſciuas ſimul occinat cantilenas, magna fit omnium attentio, patulas admouetis aures. vndè fit, vt virilis illa animi fortitudo moleſcat. in circũciſi auribus quotquot huiuſmodi eſtis, nonnè

7.

apertè Spiritui sancto resistitis? nonnè spiritum Dei extinguitis? & ecce in auribus etiam concupiscentiæ malum residet.

8. *Lingua radix malorum malorum.*

Sed ad linguam iam gradum faciamus, quæ licèt paruum membrum sit, non parua tamen in ea regnat concupiscentia, quæ amputanda est. lingua mulieribus persuadet, mollescere facit viros, castitatis lilia tanquam ignis adurit, inhonesta dum profert, puros animos commaculat, & blandis sermonibus, ac per adulationem sese insinuans, de sua sede virginitatem deijcit. mitto sexcenta alia mala quæ ex tam paruo igne, in altissimas flammas, vastissimumque incendium excrescente enascuntur. hinc oriuntur mendacia, detractiones, dissensiones, contumeliæ, cædes, bella, periuria, hæreses, denique blasphemæ in Deum voces, & quæ longum esset enumerare, innumera alia scelera in hominum vitam inuehuntur, vt meritò dixerit Diuus Iacobus cap. 3. *lingua mundus est iniquitatis*, seu vt nos legimus, *vniuersitas iniquitatis.* cur quæso diues cruciabatur lingua? cur tam flebilibus vocibus inclamabat: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Causam assignat Abraham tam diri cruciatus, *quia recepisti bona in vita tua*, quòd velut exponens Sanctus Lucas, inquit, *epulabatur quotidiè splendidè.* Gr. λαμπρῶς, hoc est sumptuosè, opiparè, largè, in lingua enim maximè gustatus cernitur, cui ille perditè seruiebat.

9. Sed monet me euangelica circumcisionis historia, in qua sanctissimum Christo nomen cælitùs impositum fuisse narratur, vt de præcipuo vno linguæ malo seorsim dicam, quod Iacobus cap. quinto, longè à nobis abesse omninò vult. *ante omnia*, ait, *fratres mei nolite iurare, &c.* quæ verba obseruans August. serm. 28. de verb. Apostoli. *Isto*, inquit, *verbo ante omnia, cautos nos fecit Diuus Iacobus aduersus linguam nostram. ante omnia ait, vt attendatis præ cæteris, vt vigiletis, nè subrepat vobis consuetudo iurandi.*

10. *Iurandi consuetudo quomodo superanda.*

Hoc autem vitium nulla meliore ratione amputatur, quàm si cogites, quantè cum honore, ac reuerentia sit Dei nomen vsurpadum. quod perpendens Chrysost. homil. 26 ad Pop. *Nescitis*, inquit, *quid sit Deus, & quali debeat ore vocari? quod si de quopiam probo viro loquamur, dicimus: os tuum ablue, & ita commemora. nunc verò nomen super omne nomen venerandum, in omni terra admirabile, quod audientes Dæmones horrent, temerariè circumferimus. nonnè dum Deus nominatur, oporteret, horrere? & apud Iudæos quidem tam venerandum erat Dei nomen (Iehoua) vt in lamina (aurea) scriberetur Exod. 28 & nemini litteras nominis ferre liceret, nisi Sacerdotũ principi: nunc autem vel vt quiddam vulgare sic ipsius nomen circumferimus.* Sic Chrysostomus.

11. Idem homil. 7. ad pop. hæc addit, *quomodo non est*, inquit, *absurdum seruum quidem non audere Dominum nominatim, & sine honoris præfatione appellare, Angelorum vero Dominum temerè, & contemptim vbique tractare? vis discere, quomodo ipsum appellent superiores potestates, cum quanto honore, quanta admiratione? videbam Dominum* (ait Isaias 6.) *sedentem in throno alto, & elevato, & Seraphim stabant circa ipsum, & clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria eius. vidisti cum quanto timore, quanto horrore nominant eum?*

Aduersus hæc linguæ vitia vniuersim timorem Dei adhibendum esse August. serm. cit. 28. de verb. Apostol. docet, *quantò*, inquiens, *lingua citius, & facilius mouetur, tantò tu aduersus illam fixus esto. domabis, si vigilabis, vigilabis, si timebis, timebis, si Christianum te esse cogitaueris.* idemque monet Chrysost. homil. illa 7. ad pop. etiam allato oratoris cuiusdam exemplo, qui dextrum eundo humerum continuò mouebat. quam consuetudinem vt vinceret, gladios acutos vtrimque humeris imposuit, vt vulneris timore membrum ineptè se mouens, corrigeret, subijcit mox Chrysost. *hoc & tu linguæ facias, & ipsi progladio diuinæ pœnæ timorem impone, & omninò superabis.* 12.

Non esset finis, si reliquas omnes hominis partes, & potentias percurrerem, quæ singulæ tam pestifero concupiscentiæ veneno infectæ sunt, quanta rogo mollities in tactu, quanta in odoratu, quantus fastus in incessu, quantus luxus in vestibus, quanta in ædibus curiositas, quantus in famulis apparatus. denique quanta in omnibus rebus vanitas? propterea meritò illud Isaiæ cap. tertio, ad hæc nostra tempora detorquere possumus, dùm ait: *pro eo, quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit, in die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas & torques, & monilia, & mitras, & discriminalia, & periscelides, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & anulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & syndones, & thoristra. & erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilitium. pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. & mœrebunt atque lugebunt porta eius, & desolata in terra sedebit.* hæc Isaias. Vix existimantur hæc nunc peccata esse eò miseriæ iam ventum est, cùm tamen adeò grauiter Propheta veteris populi mulieres reprehendat. quod si toleranda hæc non sunt in fœminis, ferenda erunt in viris, in iuuenibus, in adolescentibus? 13.

Circumcidamur igitur, obsecro, nè præcidamur, & circumciti in ignem proijciamur inferni. Christum audiamus Matth. 18. sic monentem: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternũ. & si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te: bonum tibi est cum vno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* 14.

Arripe petram, id est cultrum petrinum, & eo omnia corporis tui, atque animæ facultates circumcide, & procul à te carnis concupiscentiam proijce. culter hic Dei timor est. culter hic CHRISTVS est cruci suffi- 15. *Culter circumcisionis timor Dei.*

xus,

xus, qui & petra est; illum intuere, in illum oculos conuerte, & pudebit te, sub capite spinoso membrum esse delicatum. Vide ne si carnalis es, ab illa bestia deuoreris, quàm Daniel. 7. vidit vrso similem, *in cuius ore tres ordines erant, & in dentibus eius, & sic dicebat ei: surge, comede carnes plurimas*. bestia hæc horrendum libidinis monstrum repræsentat. cuius tres sunt dentium ordines. nam & adolescentes, & viros, & senes quoque ipsos dilaniat, qui cùm canos habeant pilos, in morem tamen canum viuunt. comedit autem hoc monstrum *carnes plurimas*, hoc est carnales homines.

Bestia vrso similis apud Daniel. quos desig nat.

16. Vinea es Christi, ô homo, superfluos ergo palmites amputa. febre ardentissima laboras, hoc est concupiscentiæ calore æstuas, venam aperi, vt superuacaneus sanguis egrediatur. templum Dei es. vide nè in eo virgulta nata sicut in saltu, vel in montibus sint. quod accidit olim in atrijs templi, 1. Machab. 4. lapis es, ædificijs cœlestibus destinatus; ergo si quid inæquale est, ac superfluum, rescinde, ita in cœlestibus illis mansionibus assumeris. si capillum tondes, & barbam, si vnguium sordes recidis tanto studio, non debes animæ sordes, & ea omnia, quæ eius auferũt pulchritudinem, à te procul abijcere? alioquin verendum tibi est, nè sicut capilli Absaloni mortem attulerunt, ita tibi fœdarum cupiditatum multitudo, & magnitudo sempiternum afferat interitum. Hactenus de his.

CAPVT X.

MAGI ADORANT CHRISTVM CVM MVNERIBVS.

1. Cùm ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis Regis; Ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam.

SCHOLIA.

1. *Vm ergo*] Notanda est, inquit Iansenius, locutionis cõtinuatio: Cùm *natus esset Iesus, ecce Magi venerunt, &c.* vt intelligas statim à Natiuitate Christi Magos aduentasse. Gloss. quatuor inquit, ponuntur à Prophetis roborata, Natiuitas, *cum natus esset*: Nomen, *Iesus*. locus, *in Bethlehem Iuda*; Tempus, *in diebus Herodis Regis*, quod ponitur, ex gloss. vt videatur illud impletum, *nõ deficiet Princeps de Iuda*, &c. occupauerat enim regnum Herodes alienigena.

2. Triplex Bethlehem.

Bethlehem Iuda] verbo *Bethlehem* adiecit *Iuda*, quia alia est Bethlehem in terra Zabulon Iosu. 19. & Iud. 12. quare melior est lectio hæc, quam si legamus *Iudææ*; præsertim cum apud Michæam dicatur, *& tu Bethlehem terra Iuda*. Porrò Iudæa totam promissionis terram, omnis simul trib⁹ complectitur, sic dicta à nobiliori, ac potiori tribu Regia. Cæterùm vtraq; Bethlehẽ in Iudæa erat. Hieron. in cap. 2. Matth. tom. 9 ait, librariorum hic error est; putamus enim ab Euãgelista primum editũ, sicut in ipso hebraico legimus, *Iudæ*, non *Iudææ*, quæ est enim aliarum gentium Bethlehem, vt ad distinctionem eius hic *Iudææ* poneretur? *Iudæ* autem idcircò scribitur, quia est & alia Bethlehem in Galilæa. Sed certè nõ omnino euincere videtur ratio hæc: nam etsi interdũ *Iudææ* nomine venient oẽs tribus, aliquando tamen capitur pro sola tribu Iudæ, vt videre est hic apud Matth. paulò inferiùs: *audiẽs aũt Ioseph, quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode*, &c. Et Luc. 2. sors vel tribus Iudæ vocatur Iudæa: *ascendit, & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam in Ciuitatem Dauid*. Actorum item 9. habetur: *Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem*; vbi vides distingui Iudæam à Samaria, & Galilæa in Euangelio Syriaco, Iudææ habetur, sicut & Græcè: videtur igitur vtraque lectio bona: magis tamen probo, vt cum Hierony. legamus *Iudæ*. Notant quidã quod Romani tribũ Iuda, & Beniamin postquam eorum terra facta est Regnum, Iudæam vocarint.

3.

4. *In diebus Herodis*] in Christi describenda natiuitate, non Augusti meminit, quòd fecit Lucas, inquit Gagnæus; cùm enim Iudæis Euangelium describeret, ac iam vltra trigesimum annum in Iudæos regnaret Herodes, expressam illius mentionem fecit, vt intelligerent ex prophetia Iacob Genesis 49. *non auferetur sceptrum de Iuda, nec Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est*, trãslato ab Iuda ad alienigenam Herodem Iudæorum imperio, non iam amplius venturum Christum esse sperandum, sed venientem recipiendum fore. Erasmus vertit, *temporibus Herodis*, cùm tamen Græcè legamus ἐν ἡμέραις *dies* autem in Scripturis omne tempus significat, videtur autem Matth. alludere ad Prophetas, qui Regum tempora per dies solent exprimere vt Isaiæ 1. *in diebus Ozie*, Oseæ primo, &c. Fortè vt instituetur breuitas temporis, quo Reges dominantur, *omnis enim potentatus breuis vita*. Eccles. iast. 10.

5.

Ecce] Chrysostomus, *confestim, vt natus est*; itaque hic significat vel statim, vel inopinato, vel potius vtrumq; simul. Huc adaptari potest illud Hierem. ex Ambros. Exameron. lib. 6. c. 3. *Perdix fouit, qua non peperit*, aliena oua diripit, & fouet; sed qui nascuntur pulli audita voce Matris, relinquunt eam, sic infantili Christi, vagitu edito, gentes ad suum creatorem alieno relicto, id est, diabolo, redeunt.

6.

Item, *Ecce*] rem admirandam innuit, scil. Magos ipsos nobiles viros, & sapiẽtes de remotis Regionibus venisse, vt quærerent, & adorarent recens natum infantem in vrbe Regia, Iudæis nihil cogitantibus, & ideò de pastoribus non dictum est, ecce pastores, neque enim mirum à Iudæis Messiam expecta um adorari.

7.

8. Magi triplices.

Magi] triplices Magos Hieronymus numerat, tom. 9. ex Euseb. sapientissimos, Sacerdotes, & sacrorum Antistites; & Dæmonum; si Hebraicum textum sequaris Matthæi, hos præstigiatores dixeris, qui incantationibus, vel aliter res mutant, vt aliæ sint, aliæ appareant. Sed arbitror hunc textum Hæbraicum, quem habemus vel totum, vel eius partem à Munstero corruptum. Fateor Tertullianum lib. de Idololatria, dæmonum Magia pollutos affirmasse, vt & Theophylact. in Matth. sed à vero aberrasse opinor. Rectiùs Leo serm. 4. de Epiphania scribit; Euãgelicos Magos naturali Magia imbutos, *gens*, inquit, *quæ spectandorum siderum arte pollebat*. Porrò magia vniuersim sumpta ab efficiente causa triplex est, naturalis, artificiosa, & diabolica, quia cuncti effectus eius adscribendi sunt, vel insitæ rebus naturæ; vel humanæ

9. Magia triplex.

industriæ; vel cacodæmonis malitiæ. A fine verò alia bona, quæ bona intentione & licitis medijs vtitur. Alia mala, cuius finis & media, quibus vtitur mala seu praua sunt. Cæterùm hos *Magos* appellatos crediderim more gentis, id est, Philosophos, Persæ enim, & Chaldæi suos sapientes *Magos* nominabant, est enim vox persica, etsi quidam græcam puant.

10. *Ab Oriente*] ab Orientali Regione, sita videlicet verè, saltem respectu Iudææ ad orietalem plagam, proinde aiunt: *Vidimus enim stellam eius in Oriente.* vide inferiùs num. 34. Alij hos ex Perside aduenisse. Alij ex orietali Arabia. Alij ex Chaldæa opinantur. Vero similius iudico, hos Arabes fuisse ex Arabia felice, quæ Saba dicitur, & fortè ob vicinitatē interdum Persæ dicuntur; nam Arabia saltem felix sub Persia comprehendi potest. Illud constat, Balaam, cuius vaticinium hi sunt sequuti, & de cuius genere nonnulli quoque Magos ipsos ortos asserunt, illa protulisse: orietur stella &c. cum, scil. esset in Moab, quæ est in Arabia Num. 24. Hieronym. lib. 13. in Esai. cap. 46. ait: *orietur stella ex Iacob, & homo ex Israel, cuius nomen est oriens* (Zachar. 6.) quem adorauerunt Magi de oriente venientes.

2. *Dicentes: Vbi est qui natus Rex Iudæorum? Vidimus enim Stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.*

SCHOLIA.

11. 2. *Vbi est qui natus est?*] Græcè ποῦ ἐστὶν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, hoc est vbi est ille natus Rex Iudæorū? & potest esse duplex sensus, vel simplex, vbi est ille Rex Iudæorū, sc. futurus, qui iam natus est; vel vt significetur Rex iste, quem quærunt, esse natus Rex, hoc est, qui nō ab hominibus in Regem eligēdus, & adulta iam ætate vngendus esset, sed qui natus esset Rex naturalis, ac legitimus, vt distinguatur ab alijs Regibus, qui factitij sunt, cuiusmodi Herodes erat. Est autem primus sensus verior. lege Tol. tom. primo in Ioan. cap. 3. comment. in illa: *Rabbi scimus, quia à Deo*, &c. notant aliqui his verbis Magos Christum verum hominem, verum regem, verumque Deum prædicasse. Cùm enim *natum* esse dicunt, hominem fatentur; cùm *Regem Iudæorum* vocant, dignitatem eius agnoscunt; *Deum* testantur, cum subiiciunt, *& venimus adorare eum.* Emmanuel tamen in Addit. in cap. secundum Matth. numer. decimooctauo, sic notat: an vt Deum ex verbi significatione adorare veniunt non constat. nam & homines adorantur in Scriptura, de quo postea num. 17. opinor enim vt Deum adoraturos veniſſe.

13. *Stellam eius*] Græcè τὸν ἀστέρα, id est, certam quandam & insignem stellam. *Eius*] id est, nati: præcesserat enim, *vbi est qui natus*, quasi dicat, stellam illam eum natum indicantem, ex quo loco constat eodem die apparuisse stellam, quo natus est Dominus, vel certè non antè, vel longè post, sed eodem tempore; nam ideò dicitur stella nati index, quare vel hinc liquet Magos statim visa stella venisse, dicunt enim *vidimus stellam, & venimus*; falsum ergo est biennio à Christo nato Magos venisse, vt credidit Epiphan. in Panario lib. 1. tom. 1. propè finem; & Tom. 2. hæresi 30. contra Ebionæos; & lib. 2 tom. primo, hæresi 51. item auctor Imperf. homil. secunda: sic Euseb. in Chronicis, ob vocem, *à bimatu*, de qua suo loco. Refelluntur & hinc qui biennio ante natiuitatem affirmant Magos vidisse stellam, sed decimotertio Ianuarij venisse. Sic

A Augustſerm. 7. de Epiphan. de Temp. 35. & in Addit. serm. de Epipha. edit. Louan. p. 431. quomodo non rectè diceretur hæc stella nati index: præterquam si vel nimium tardi in conficiendo itinere fuissent, si statim visa stella iter sunt ingressi, vel certè negligentiæ reprehendi possent, dùm moras domi nectūt, nec se dant illicò in viam visa stella, quæ illos vocabat, quod facit contra vtramq; opinionem siue Epiphanij, siue aliorum. Sed vnde inquies cognoscere potuerunt stellam illam huius pueri indicem esse? Respondeo primùm quidem à Sybilla Erithræa Beroſi Chaldæi filia, vel ab alia Indica siue illarum Regionum, cuius hæc fuerunt Oracula in Chronicis Chronicorum: *In vltima ætate humiliabitur Deus, humanabitur proles diuina, vnietur humanitati diuinitas, iacebit in fœno agnus, & puellari officio educabitur.* Percrebuerat etiam fama per Orientem ex Suetonio in Vespasiano, B nasciturum in Iudæa Regem, qui rerum potiretur, sic significat Cicero 1. de Inuentione. Sueto. in Vespasian. sic A Egesip. lib. 5. & Oros. lib. 7. c. 8. denique id discere potuerūt ex Balaamo, qui licet Aramæus fuerit, seu Chaldæus, de illo tamen vaticinatus est in Moab, quæ est in Arabia num. 24. *Orietur stella*, &c. hoc enim vaticinium intelligendum esse de stella à Magis conspecta, patet ex Hieronym. in primo Matth. Comment. & Ambrosio Comp. Episcopo, lib. 2. adnot. Contra Gæt. omitto hic vero simile etiam esse, Persas, & Chaldæos & Hebræos Babylone degentibus multa de rege nasciturо audisse. Ergo cùm dicunt, *vidimus*, innuunt hanc esse stellam illam, quam expectabant à Balaā præsertim prædictam; Cæterùm hæc omnia non satis erant, vt tres Reges tanta fide, & fortitudine in ea vrbe Regem quærerent, vbi non ignorabant esse crudelissimi Regis alterius præsentiam: quis enim audeat in media regia regem alium quærere C præter eum qui regni gubernacula tenet? *omnis potestas impatiens consortis erit*, & locum in omnibus regnis habet hæc Alexandri ad Darium sententia; *neque cœlum duos soles, neq; terram duos reges ferre posse*, vt scribit Plut. in Apophthegm. hæc eadem satis esse poterant, vt inuentum denique Regem in stabulo prostrati tanquam Deum adorarent; aderat proculdubio illis longè præstantiùs lumen interius, quod ad hæc illos impelleret, doceretque, quo tenderent, & qualis, quantusq; esset Rex ille quem quærebant. Chrysost. habet specie pueri apparuisse hanc stellam crucem humero gestantis. Leo serm. 4. de Epiphan. ante med. ostendit etiam Spiritu sancto illustratos Magos, vt cognoscerent stellam illam Christum natum designasse. sic enim ait: præter illam speciem, quæ corporeū incitauit obtutum, fulgentior veritatis radius eorū D corda perdocuit, vt priusquam laborem itineris inchoarent, eum signari sibi intelligerent, cui in auro regius honor, in thure diuina veneratio, in myrrha mortalitatis Confessio deberetur.

Et venimus] Græcè ἤλθομεν, præteriti temporis, venimus.

Adorare] ideò munera ferebant. Persis enim mos, Regem non sine munere adorare, quamuis etiā hinc fatendū sit eos Deum etiā verè adorasse, ac propterea venisse interiore instinctu, ac lumine edoctos. licèt id ex sola verbi significatione nō constet, nam & homines adorantur in Scriptura.

3. *Audiens autem Herodes Rex turbatus est: & omnes Hierosolyma cùm illo.*

4. *Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur.*

14. *Sybillæ Erithrææ vaticinium de Christi incarnatione.*

15.

Præter stellam quid Magos moueris ad quærendum Christum.

16.

17.

Digitized by Google

Scholia.

3. *Audiens*] regem Iudæorum natum.

18. *Quare Herodes turbatus.*

Turbatus est] quamobrem? primùm quia timebat ereptum iri sibi regnum, deindè vt Christi dignitas cœlestis declararetur: nã vt inquit Greg. hõ. 10. in Euang. *Cœli rege nato Rex terræ turbatur, quia nimirum terrena altitudo confunditur, cùm cœlsitudo cœlestis aperitur.* Ad hæc, vt Christum Iudicem timeremus, *quid erit*, inquit August. *tribunal iudicantis, quando superbos Reges cunabula terrebant infantis?* Denique vt per hoc, regnum cacodæmonis ruere significaretur, & ad interitum tendere. Hinc Leo, *non tantum Herodes in semetipso turbabatur, quantum diabolus in Herode.* Sed frustra times Herodes, nam vt scribit Leo ser. 4. de Epiphan. *non capit Christum regia tua, nec mundi Dominus potestatis tuæ sceptris est contentus angustijs.* Et Fulgentius, *quid turbaris Herodes? Rex iste qui natus est, non venit reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subiugare, nec ideò natus est vt tibi succedat, sed vt in eum mundus fideliter credat, venit non vt pugnet viuus, sed vt triumphet occisus.* Vide etiam D. Thom. q. 36. ar. 2. ad 3.

19. *Et cunctus Hierosolymitani.*

Et omnis Hierosolyma] vt dicit auctor Imperf. homil. secunda de aduentu iusti; *non poterant gaudere iniqui; vel certè volebant Herodi fauere; fortassis etiam nouitate rei mouebantur; vel denique timore Romanorum.* Cùm autem audis *omnem Hierosolymam*, intellige maximam partem. Vide hic apud Barra. quædam ad mores facientia. cap. 12. lib. 9. ostendit enim Regem & Principem trahere ad se populum, eumque si malus sit, peruertere.

4. *Et Congregans*] intellexit non vulgarem aliquem regem, sed Christum requiri, qui ab omni populo expectabatur: audierat fortè & tempus aduentus illius iam elapsum esse, vel imminere, ideò de loco tantùm natiuitatis scisciatur, *vbi Christus nasceretur.* Optimum autem ordinem seruat: ad tantam inquisitionẽ conuocat non quoslibet è plebe, sed omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi. Siquidem vt scribit D. Thom. in Matth. ad habẽdam alicuius rei certitudinem tria requiruntur. Creditur enim multitudini, auctoritati, & litteratis. Auctoritas in Pontificibus, & doctrina adfuit, copiosa demùm multitudo cùm oẽs congregati sint. Ex his patet difficiles quæstiones, vt notat Beuxa. tom. 1. harmonię in hunc locũ, ad Concilia referẽda esse, auctoritatem aũt Conciliorum ex Matrice Ecclesia haberi; sic enim vt scribit Iren. lib. 3. cap. 4. contra hæreses, & Tertull. lib. de præscript. contra Hæreticos, si quid ambiguum resoluendum erat consulebantur olim Matrices Ecclesiæ, qualis fuit semper, & est Romana, vtique instar veteris Hierosolymæ, cuius Synagoga ceteris prælata est.

20. *Tria requiruntur ad habendam alicuius rei certitudinẽ.*

21. *Principes Sacerdotũ*] vnus erat, & multi Principes Sacerdotum; vnus Summus, qui absolutè Princeps Sacerdotum dicebatur, multi qui erãt Capita familiarum Sacerdotalium, 1. Paral. 15. 6. & 24 6. non vocat oẽs Sacerdotes, quia innumeri erãt, sed Principes, qui doctiores, & de numero Sanhedrim id est, ordinariorũ Iudicum, & Consiliarij. Neque enim absq; Principibus Sacerdotum vllũ ferè cogebatur Concilium; præterea ideò *Sacerdotes* vocat, quia de lege respondere partes eorum erant. Sunt qui affirment plures Principes Sacerdotum dictos fuisse ab eo tempore, quo Pompeius vrbem Hierosolymitanam expugnarat, & veltem Sacerdotalem in suam, populiq; Romani potestatẽ redegerat. Sic Chrysost. Euthy. Theoph. & alij, vnde annuus & venalis cepit esse summ⁹ Põtificatus, sed hoc nõ probatur: nam plures etiam fuisse legimus 2. Par 36. 14. Quod ego prius dixi, vero similius est.

A *Scribas*] horum enim officiũ erat non solum publica instrumenta cõficere, & asseruare, vnde græcè γραμματεῖς vocantur, quasi ij, qui vulgò Cancellarij dicuntur, sic Saria dicitur scriba Regis Dauid, & Sopna scriba Ezechiæ, verum etiã eorum officium erat sacras Scripturas interpretari, & incorruptas seruare 4. Reg. 22. 8. 9. 10. 1. Esdr. 7. 10. 11. ijdẽ dicebantur *Legisperiti*, non autem *Legislatores*.

22. *Scribarum officium.*

Nasceretur] Hæbr. nasciturus scilicet, esset, seu nasci deberet.

5. At illi dixerunt ei: in Bethlehem Iudæ: sic enim scriptum est per Prophetam.

6. Et tu Bethlehẽ terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet Dux, qui reget populum meum Israel.

B

Scholia.

5. IN *Bethlehem Iudæ*] græcè *Iudææ.*

Per prophetam] Michæam cap. 5.

6. *Et tu Bethlehem terra Iuda*, &c.] Michæas sic habet, *& tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Matt. aliter refert: *Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te ẽnim exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* Maldonatus Hieronymum sequutus putat hæc nõ esse verba Euangelistæ, sed Sacerdotum ab Euangelista fideliter relata, cui fauere videtur connexio, contextusque verborũ; *nolunt ergo*, inquit, *Euangelista referre verba Prophetæ.* Sed non est dubiũ id noluisse, & sensum tantùm spectasse; at incertũ est, voluisse tantum referre fideliter verba Sacerdotũ, & non potius ex se hoc modo retulisse, quæ illi fortè aliter referendo verba dixerant. Emmanuel in c. 5. Michææ, sic ait: Bethlehem Ephrata dicitur, ad distinctionẽ. est enim altera in tribu Zabulon. sic Matth. 2. additur terra Iuda: olim Bethlehem Ephrata dicta. Vide Genes. 35. & 48.

23.

24.

C

25.

Paruulus es, &c.] quasi dicat Michæas, paruulus quidẽ es vicus, si conferaris cum præcipuis Iudæ ciuitatibus; at ego te magnam faciam, ideò Matth. 2. redditus est sensus illis verbis; *nequaquam minima es.* quidam putant per interrogationem legendum apud Michæam, quasi dicat, an paruulus es in millibus Iuda? subintellige, non certè. Ego malim affirmatiuè legere. planus enim sensus est, *es tu* quidem paruulus, sed ex te mihi, &c. id quod te faciet magnam, (subdit Michæas.

In Millibus] sic vocantur vrbes quæ multos habent ciues: ideò Matth. 2. dicitur *in Principibus*, id est, *præcipuis vrbibus.* vel millia Michæas familias vocat, earum aũt Capita Matthæus principes. vide Iud. 6.

D

26. *Millia Hebraicè quid significet.*

Ex te] pro, at ex te. *Egredietur*] Chald. prodibit *Christus dominator* LXX. *princeps Israel*, sc. secundũ spiritum. Egressus] id est, natiuitas ex Patre: est autem plurale, & Hebr. in 70. quo solet vti Scriptura ad rei alicuius magnitudinem demonstrandã, sic Deum vocat *Elohim*, id est, Dij, *Adonai*, id est, Domini nostri. *Ab initio*] id est, ante omnia. scil. ab æterno, vt statim declarat, &c. sic Emmanuel; quibus adde, posse *millia* duces significare. Solebant enim sæpè duces millib⁹ præesse, vnde Chiliarchi. populus autem in chiliadas distribuebatur Exo. 18. 25. 1. Paral. 23. 4. Adde & illud; cùm inquit, paruulus es, posse accipi dictum de vico, quasi de paruulo inter homines, & minore natu. Scriptura enim interdũ loquitur de vrbibus, ac si homines essent. Denique adde propter paruitatem Bethlehem non

27.

28.

Digitized by Google

fuisse connumeratam vrbibus Iuda in libro Iosue, vt neque Nazareth vrbibus Zabulon, quæ ad humanitatis Christi humilitatem quidem terrenam spectant: significant vérò mysticè diuinam atque cœlestem amplitudinem. Porrò subiecit Michęas æternitatem, ne quis nasciturum in Bethlehem hominem purum existimaret: hæc de loco Michææ tantùm obserua, Prophetam dixisse *ex te mihi nascetur*, in persona Patris, sic enim dicitur nasci filius Patri. Verùm 70. sic habent, *Et tu Bethlehem domus Ephrata minimaes vt sis* (id est, constituaris) *in millibus Iuda Ex te mihi egredietur vt sit in Principem Israel, & egressus eius ab initio ex diebus sæculi* apud D. Hieron. & alios Codices legitur, *nequaquam minima es*, μὴ ὀλιγοστὴ, vel ὢν ὀλιγοστὸς ὦ. Itemq; apud Tertull. aduersus Iudæos cap. 13. ac D. Cyprian. lib. 2. testimoniorum aduersus Iudæos tom. 2. cuius verba libet adscribere; & tu Bethlehem domus Ephratà non exigua es vt constituaris in millibus Iuda; ex te mihi procedet vt sit Princeps apud Isra l, & processiones (sic enim legēdum) eius à principio, à diebus sæculi. Cæterùm *minima es* etiam legimus apud Euseb. lib. 2. & 7. Euangelicæ demonstrationis, & respondet Hebr. Noster igitur Euangelista sensum respexit, non verbà, dùm dixit (fortè secutus 70. licèt aliter nunc legamus in Sixtina editione) *nequaquam minima es*, quasi dicat, paruula quidem es si aliarum Ciuitatum principalium, quæ principes nominantur, numerus spectetur, vbi multa hominum millia, at si Princeps qui ex te nascetur, non parua es. Quamuis & per Principes, non modò præcipuas Ciuitates, vbi multi sunt ciues; verùm etiam Capita familiarium, vel Duces intelligere possumus, vt ex dictis patet nu. 26 27.

29. 30. *Regat*] Gr. ποιμανῆ, *pascet*, id est, pastoris more reget, hoc enim propriè vox græca significat, licèt vt inquit Iansenius vox Hebræa dominatum potius.

Populum meum] fideles intellige, quorum Israel populus figura.

7. Tunc Herodes clàm vocatis Magis diligenter didicit ab eis tēpus stellæ, quæ apparuit eis.

8. Et mittens illos in Bethlehem dixit: ite & interrogate diligenter de puero, & cùm inueneritis renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum.

9. Qui cùm audissent Regem abierunt, & ecce stella, quam viderant in Oriente antecedebat eos vsq; dum veniens staret suprà vbi erat puer.

SCHOLIA.

7. CLam] ne natum alium regem Iudæis inno-
31. ceiceret. pessimè enim de illis meritus Tyrannus nihil non ab illis metuebat, ne fortè Iudæi intelligentes, quod puero insidiaretur illum tanquam proprium Regem occultarent.

Tempus stellæ] quo primùm tempore cœpisset apparere vt posset pueros eius ætatis omnes occidere, atque adeò ille ipse Rex natus effugere nō posset. Interl. quia locum didicerat, quando nasceretur explorat.

8. *Interrogate*] Interl. cognito loco, & tempore restat cognitio personæ. ait ergò, *ite & interrogate diligenter de Puero*] Chrysost. in homil. non regem nominat, non enim ferebat Principatus nomen, sed puerum modo,

32. *Mihi*] volebat occidere, priusquam Iudæi natum resciscerent, & hoc est, quòd ait: *mihi*, Chrysost *deuotionem promittit, & gladium acuit.* Fulg. ser. 5. *ite*, inquit, *& nuntiate mihi; vt & ego veniens adorem eum. O calliditas ficta, ô crudelitas impia, ô nequitia fraudulenta, sanguis innocentium quem crudeliter effudisti, attestatur quid de hoc puero voluisti.*

9. *Stella, quam viderant in Oriente.*] Hinc conijce cum Haymone, Gagn. Iansenio, Emman. & alijs, & meo iudicio satis appositè, in Oriente tantùm visam illis stellam, per quam, quoniā cognouerant siue ex vaticinio Balaham, siue Dei instinctu natum in Iudæa Christum, imò secundùm aliquos, quoniā eam stellam viderant in Oriente positi primum nato Christo lucētem super Iudæam, ideò Iudæam versus iter ingressi sunt; vel potius Sybillis edocti, ac perenni rumore, & stabili, qui de rege nascituro in Iudæa ferebatur commoti, recta Iudæam petierunt, & in Iudæa principem vrbem Ierusalem. Non ergo illos Ierosolymam vsq; stella duxit, vt vulgò putatur; & huic nostræ opinioni videtur fauere, August. lib. 3. de Mirab. Sacræ Scripturæ, c. 4. cùm ait; *Cæterùm qui de terra sua vsque Hierusalem hanc ducem itineris habuisse Magos existimant ex Euangelica authoritate firmare nō possunt.* Meritò autē in Oriente dicunt, quia felix Arabia quæ feliciores istos Reges ad Christū felicissimè misit, respectu Iudææ Orientalis est. licet ad austrū alioqui aliquo modo vergat. & solet scriptura tractū, qui circa Persicum sinum est, *Orientem* nominare, quamuis passim auctores Regiones eas, quæ vltra, vel citra Gangem sunt Orientis nomine vocēt. Pater Natalis obseruat, vbi nos legimus *orietur stella*, Hebr. esse, *incessit* siue, *iter habuit stella ex Iacob*, vnde suspicatur ortam primum Bethlehem, & inde transmissam per Angelum in Orientem, quem motum cum obseruassent Mag', & contulissent cum prophetia Balaam fuit traditio & stella visa, eorumq; fides, vt Dei inspirationem pio animo susciperent. Quod confirmat eorum sententiam qui sentiunt super Ierusalem visam fuisse primùm stellam, vt num. 33. retulimus; nam Bethlehem iuxta illam erat. Obserua quòd multiplicatio seminis Abrahæ ex August. in stellis est significata; accommodatè igitur Magi stella duce trahuntur, & ortu noui sideris excitantur; Cæterùm discrepabat hæc sex nimirum rebus, à reliqua stellarum multitudine, qua de re consule Theor. 3.

33. *Magi in Oriente tantùm stellā viderunt non to. to itinere.*

34. *Arabia Felix Iudæa Orientalis, licèt vergat ad Austrū.*

35.

Straret vbi erat puer.] Obserua stetisse stellam nō supra stabulum modò, sed supra eum ipsum locum, quo tunc nullus erat augustior toto orbe, vbi cœlestis ille puer IESVS cum Deipara semper Virgine Maria residebat, & inde natum gaudium illud magnum valde.

36.

37.

10. Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno valde.

11. Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, Aurum, Thus, & Myrrham.

SCHOLIA.

10. VIdentes autem stellam] non scribit Mat-
38. thæus aspectu stellæ gauisos: nam hoc oportuisset dicere omninò cùm superiùs scripsit, *& ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos*, tunc. n. subiungendū fuisset, *gauisi sunt gaudio magno valdè.* Non hoc ergo est ꝙ significare vult, hic saltem præcipuè; sed gauisos potius fuisse quia viderunt illam stantem vbi erat puer. Neque verò

inficiari

inficiari velim exhilaratos fuisse visa priùs stella, cùm Hierosolymis excederent, sed summum illud gaudium de quo nunc loquitur Matthæus, tunc fuisse affirmauerim, cùm supra tabulum illud, aureo quolibet palatio augustiùs, pependit fulgentissimũ sidus, index Infantis. Ac certè quid ni gauderent in sinu tam pretioso thesauro inuento? Ex hac porrò intelligentia constat, parùm probare ex hoc loco, qui negant stellam toto itinere ducem Sanctis Magis fuisse, quod nos tamen firmiùs ex versu nono ostendimus numero trigesimotertio.

39. *11. Intrantes domum*] id est, tugurium, vel speluncam, teste Iustino Dial. cum Triphone: neq; enim mihi illorum opinatio arridet, qui sentiunt; non in præsepi, sed in domo aliqua inuentos esse à Magis Christi parentes cum infante; nam præsepium, hoc est tugurium illud, & speluncam rectè *domũ* vocare potuit Matth. vt Psalm. 103. *Herodij domum* legimus, sic Chrysost. hom. 6. & 8. in Matth. Nyss. in oratione de Christi Natiuit. Aug. ser. 1. de Epip. cum alijs multis, licèt in aliam abierit sententiam Maldonatus, Epiph. hæresi 51. Theoph. Matth 2. & Iansen. c 8. secutus.

40. *Cum Maria*] fortè Ioseph domi non erat, aut mysterio factum est, ne putaretur Pater Christi: pastores autem puerum cum Maria & Ioseph inuenerunt. quo verò die peruenerint ad optatum locũ Magi dicere supersedemus hic, vide Theor. 1.

Magi Reges & tres numero fuerunt. *Et apertis thesauris*] ex his verbis, & ex muneribus duo colligimus, & Reges istos, & tres Reges fuisse. primum Ecclesiæ consensus docet; docent vaticinia, *Reges Tharsis, & Insulæ*; docent, & hæc verba. *apertis thesauris*: Regum enim est propriè thesauros habere. Deniq; apud Persas, & Caldæos philosophi, & sapientes, qui Magi nominabantur, Reges creari cõsueuerant; qui Magicam non didicisset regnare non poterat. Cyprian. de Baptismo Christi, initio, Reges nominat, Tertull 3. contra Marcionem cap. 13. & lib. aduersus Iudæos ca. 9. Athan. qq. ad Anthiochũ q. 2. interprete Beuchlino, Anselmus, Gloss. ordinaria. Canus lib. 11. c. 3. 5. argumento & c. 5. ad 4. Vide etiam Mola. de picturis c. 57. & Pame. lib. 3. contra Marcionem anno 93. Nec Hiero. Psal. 71. negat, licèt hos typum gentiũ & Regum vocet, quia nimirum primitiæ erant gẽtium, & earum Regum, Vide Canum loc. cit. Tres verò fuisse testatur Leo ser. 1. de Epip. 3. 4. & 5. Aug. serm. 5. de eodem festo, & ex numero Munerũ conijcimus. Nisi quis contendat singulos tria obtulisse cum Anselmo Matth. 2. gloss. ordin. Lyra. Cartus. Abul. q. 46. & est probabile satis, quia singuli illum Deum, Regem, & hominem confitebantur. Ex his patet non esse audiendos, qui dicunt appellari Reges more scripturæ, quæ Dominos cuiusq; oppidi sic vocare solet, vt quidam affirmant de illis quinque Regibus ab Abraham debellatis in Genesi. Nec refert q non Reges vocat Matth. nam vt inquit Canus lib. 11. c. 5. ad 4 *non existimauit Euangelij testimonium regio apparatu cumulandum.* Porrò aurum Regi, thus Deo, myrrha homini conuenit. Glos. confunditur in Thure Arius, qui soli patri vult sacrificari; in Mirrha Manichæus, qui mortuũ non credidit; in Auro vterque; iste enim Christum negat de semine Dauid, ille seruum dicit. Bern. Sermone secundo & tertio de Epiphania Aurum paupertati, Mirrhã cõsolidandis infantilibus membris, Thus loci fœtori mitigando datum putat. Rupertus libro secundo in Matth. hoc numero tres orbis partes significari scribit, erant enim hi primitiæ, & gentium patriarchæ. Augustinus ser. 1. Epiph. hoc eodem numero mysticè vult mysterium sanctæ Trinitatis insinuari. D. Gregorius homilia decima, aurum offerimus si sapientiæ lumine splendemus, thus si orationis studio redolemus, myrrham si carnis vitia mortificamus. Gloss. offerenda primo fides Christo, deinde oratio, Tertio operatio. Tres Magi significant gentilem populum de tribus filijs Noë procreatum ad fidem Christi venientem; stella est sermo propheticus, Herodes diabolus, à quo recedentes, ad Ecclesiam in qua Christus est, gentes perueniunt. Munera, Trinitatis fides. Si verò dicamus singulos tria obtulisse munera, numero eodem trium munerum, rectè Trinitas significatur personarum; quod verò tria singuli obtulerint vnitas diuina declaratur.

43. *Magi quos designant.*

12. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

Scholia.

44. 12. *Et responso accepto*] καὶ χρηματισθέντες κατ' ὄναρ oraculo admoniti in somnis. χρησμός quidem oraculum petentibus redditum significat: χρηματίζεσθαι nempe dicitur, quem Deus suo sermone, & colloquio dignatur; quod si verũ est quod vult Emmanuel χρησμός significare oraculum petentibus redditum. Rectè quidam hinc collegunt consuluisse Magos Dominum quid facere deberent, dubios an ad Herodem redeundum esset, ob id dictum videri potest, responso accepto. Pater Salmeron tom. 3. tract. 40. scribit hoc modo: Annotat Hiero. Resonsum, quòd græcè dicitur χρησματισθέντες, non per Angelum fit, sed per ipsum Dominum, vt meritorum Ioseph priuilegium demonstraretur. Ita ille. Quis non videat in his verbis paucis memoria lapsum esse Hieronymum? dicendum enim erat, vt constat ex præcedentibus, vt meritorum Magorum priuilegium demonstretur. Sic P. Salmer. sed vide hic Theo. 4. n. 5. 6.

45.

46. *Magi in regnum in speluncam dormierunt.* *Ne redirent ad Herod. Reuersi sunt*] Magi clam noctu in speluncis dormiebãt, tantum abest, vt recta Hierosolymam redierint. in vita S. Theodosij Cœnobiarchæ ex Cyrillo apud Metaphrastem die 11. Ianuarij legimus habitasse illum in vna ex speluncis in qua redeuntes Magi dormierant; quales verò redierint, & de Regum officio vide Pined. in c. 1. Iob. n. 75.

47. *Nota quo! pro ne redirent*] Græcè est, μὴ ἀνακάμψαι *ne reflecterent*: verbum aptum ac peculiare facientibus iter nauigio, vel equis, similiq́ue animalium genere.

THEORIA I.

Quæ de Magis hîc vaticinia & Christo infante Matt. insinuet. Et vnde nam illi venerint, Et an tam citò peruenire potuerint.

1. IN primis de Epiphania, & Magis consule Sixtum lib. 7. Bilio. hæresi. 2. n. 14. Augustin. serm. 1. ex posterioribus serm. item 29. de tempore, Chrysol. ser. 157. 156. 158. 159. 160. Greg. hom. 10. in Euang. Chrysost. hom. 1. ex varijs in Matth. locis. Basilium in Sancta Christi Natiuitate. Cypr. de stella & Magis, D. Thom. 3. p. 36. Pinedam in c. 1. Iob. n. 75. Ricadineira etiam quædam habet spectantia ad Magos in vita D. Thomæ Apostoli; Porrò quanta celebritate olim coleretur Epiphaniæ festum, etiam ab Imperatoribus, docet Baron. in Notis ad Martyro. eadem die.

Digitized by Google

2. *De Christo infante quintuplex Prophetia.*

De Christo infante, id est, qui per ætatem fari non poterat quintuplex Prophetia loquebatur, quæ hoc Matth. Euangelio insinuatur. Prima ea, quam citarunt sacerdotes, & scribæ Michææ.5. *Et tu Bethlehem*, &c. de loco natiuitatis. Altera est de tempore, Gen. 49. *non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius*, seu vt Hebræi legũt, Scriba, seu legislator, seu præceptor, magistratus, hoc.n. impletum est tempore Herodis alienigenæ, qui anno 30. tyrannici principatus sui ex Phil. l. Chronolo. Sanedrim ex domo Dauid deleuit, & Analænum quendam Iudæũ Babylone accersitum, Pontificem creauit, atq; Sanedrim ex ꝓselytis suffecit. Sed quod horũ auctor, verus Philo sit, obscurũ est; 3. illud certius, ac verius, quod Rupertus lib. 9. Cõm. in Gen. c. 26. in hunc modũ scribit; quando ablatũ est sceptrũ de Iuda? ex tunc videlicet quando Regnũ Iudæorũ Romanis tradentibus adeptus est Herodes alienigena patre Idumæo matre ortus Arabica. Et reges sanè iam dudum defecerant à tempore captiuitatis Babylonicę. Duces tamen qui erant ex gente illa perseuerarunt vsq; ad contentiones Hyrcani & Aristobuli, qui ex cõmixtis tribubus sacerdotali sc. & Regia orti, Regnũ & sacerdotium discordibus inter se animis diuidentibus, contendendo, & inuicem pugnando, tandem occasioné porrexerunt Romanæ potestati, locumq; aperuerũt alienigenæ Herodi. Vnde prudenter non tantũ dictum est; *non auferetur sceptrũ*, sed additũ est, *& dux de fœmore eius*, vel neq; Scriba, neq; legislator, sed de his alibi. Tertia prophetia est de stella indice Christi recens nati, nũ. 24. *Orietur stella ex Iacob, & cõsurget Virga de Israel*. Quarta est de aduentu Regũ & Gentiũ ad Christũ Isa. 60 *ambulabũt Reges in lumine tuo, & Reges in splẽdore ortus tui*. Postremũ vaticinium est de muneribus, quibus infans cohonestandus erat. Psal. 71. *Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent*.

Ijs igitur quæ ad vaticinia pertinent breuiter expositis nunc ad ea quæ de Magis dicẽda sunt speciatim, gradũ faciamus. tres fuisse, & quidẽ reges, & de eorum muneribus in Scholijs satis dictum sit, nu. 40. 41. 42. Beda nomina eorum & ætatẽ describit, primum *Melchiorẽ* nominat, senem & Canum barba prolixa, & capillis. protulisse verò ait, aurum Regi. Secundum *Gasparem* iuuenem imberbem rubicundum; obtulisse autem thus Deo. Tertium *Balthassarem* nomine, fuscum, integrè barbatum, myrrhã hominẽ indicantem, exhibuisse. Idem in collectaneis initio fermè refert, vestimentorum genus (ex quadam vt arbitror traditione ex ipsorum picturis habita) quo induti ad infantulũ Iesum venerunt. Melchior tunica Hiacynthina, sagoque mileno, & calceamẽtis hiacynthino & albo misto opere, promitrario variæ compositionis indutus accesit. Gaspar verò Milenica tunica, sago rubeo, calceamẽtis hiacynthinis vestiebatur. Tertius tunicam habebat rubeam, albo vario, calceamentis milenicis amictus, videtur autem vestimenta hæc Syriaca esse. Aduerte ꝙ color milenicus, vel milenus colorẽ mellis ex græca voce, vt arbitror significat, hiacynthinus verò apparet idem esse quod Cæruleus, promitrarium videntur, turbantem vulgo dicere.

4. *Magorum nomina, facies & vestitus.*

5.

A

B

C

D

Dictum est autem in Scholijs Magos Arabes fuisse, quod consonat cum eo quod Epipha. in Cõpend. doctr. scribit; Abraham dedisse munera filijs Cethuræ: in peris enim ait concluſit aurum, thus, & myrrham Regum Sodomorũ, & Gomorrhæ quasi in mysterio. hi ergó filij Abraham habitarunt in Arabia, & ab his videtur oriundi hi Magi tamquam posteri longo pòst tempore, qui eadem munera obtulerunt Christo ob eandem spem, vt proindè videatur Abraham, qui vidit diem Domini, prospexisse futurum id, quod Matth. hic narrat de aduentu gentium, & Magorum ad Christum puerum, ideoq; veluti per manus filiorum, & nepotum iam ab eo vsque tempore quo viuebat, voluisse munera venturo Christo offerre, vel præparare. Magi igitur posteri filiorum Abraham eadem dona, in participatione eiusdẽ spei, Christo in Bethlehẽ obtulerunt, quando stellam conspicati venerunt. Quorum donorũ ait loc. cit. Epiph. manifestam certitudinem Propheta (Isa. 8.) declarat dicens; *antequam sciat Puer vocare patrem suum, & matrem suam, capiet vim Damasci, & spolia Samariæ contra Regem Assyriorum*. hæc enim à Damasco à temporibus Abraham à regibus qui venerant accepta sunt Genes. 25. quando ergo accepit? priusquam nosset vocare patrem, & matrem, quando venerunt Magi, & aperuerunt peras suas, siue thesauros (veluti antiqua exemplaria habent) & obtulerunt aurum, thus, & myrrham. Sic Epiphanius. Videtur aũt Epiph. alludere ad aurum & spolia illa, quæ accepit Abraham victis illis Regibus, de quib⁹ Gen. 25. Et neq; auertere ea, quæ iam Deo destinata erãt, ausus est, sed dedit ea cũ alijs donis filijs Cæthuræ vnde isti Magi erant futuri, quæ dona sub nomine spoliorum Damasci intelligi possunt. Et hęc infanti Christo à SS. Magis mysticè reddita & oblata sunt.

6. *Magi Arabes.*

7.

Quot verò dierum spatio Magi Bethlehẽ peruenerint, seu quantùm in itinere temporis impenderint, breuiter ex dissolutione dubitationis sequentis haberi poterit. Posset namque petere fortasis nõ immeritò aliquis, quo modo potuerunt tam breui temporis spatio Hierosolymam peruenire à tam remotis regionibus? Respondeo cum istos Reges Arabes fuisse dixerimus, & non longè à Hierosolymis sit Arabia, non mirum si Dromedarijs vecti vndecim, aut duodecim diebus iter non adeò longum conficere potuerint. Neque verò ex Petræa Arabia, quæ non Orientalis, sed ex felice, quæ ad Orientem sita erat profecti sunt. Et verò mouere nos non debet, quod legamus, *corã illo procident Aethyopes, & inimici eius terram lingent*, ac proinde suspicetur quis non Arabes fuisse; nam ibi sermo est de gentilium Ecclesia, quæ nigra erat, vt Aethyopes, sed per Christum purganda; terram autem lingere est more supplicũ exosculari terrã, vt bello victi faciunt corã victoribus. Subditur verò statim initium cõuersionis gentiũ à Propheta; *Reges Tharsis, & Insulæ*, &c. ꝑ Tharsim, & Insulas intellige mare Arabicũ, ac Persicũ, cui aliqui horũ fortè regũ dominabantur: sequitur; *Reges Arabum, & Saba*. Heb. sic legitur locus iste Psalmi: *Reges Scheba, & Seba*. i. Reges Arabiæ felicis, & Aethiopiæ; dicũt. n. ꝙ cũ *Saba* scribitur, per *Samech*, signi-

8. *Quot dierum spatio iter absoluerint.*

9.

cat

cat Aethiopiã; cũ per *Scin* Arabiã; quod si verũ eſt, dicendũ erit, nõ loqui tantũ Dei vatem de primis iſtis Magis, qui erant Arabes, ſed prius de illis, poſteà etiam addere quædã vniuerſim de gentiũ cõuerſione, ſub nomine *Seba*, vel *Aethiopia*. quamuis ſint qui putent cũ ſcribitur pro *Samech Seba*, vel *Saba* ſignificare Arabiæ certam quandã regionẽ, cũ per *Scin* totam Arabiã. Sed vero ſimilius eſſe cũ alijs dicimus tã *Scheba*, q̃ *Seba* ſiue per *Schin*, vel *Sin*, ſiue per *Samech* eſſe duas regiones Arabię felicis, de qua re vide fuſius l. 4. c. 12, harũ Dilucid. n. 72. & 75. in Schol.

10. Quod ſi iterũ vrgeas, Nau. de horis Can. c. 25. teſtari, didiciſſe ſe ex Oſorio, Regẽ Calecutij, vt (Oſorio eodẽ referẽte) habetur ex antiquis annalibus regni illius, fuiſſe vnũ ſaltẽ primariũ ex ſocijs triũ Regũ, qui reuerſus templũ ſub titulo Marien ædificauerit ibi, & intra illud ſacellũ cum ara, in qua picta erat imago B. Virg. geſtantis puerũ Ieſum vlnis ſuis; quẽ Regẽ fuiſſe illũ eundẽ, quẽ Maffęus lib. 2. rerũ Indicarũ refert Pirimalẽ nominatũ, Regẽ ſ. Ceylam, quæ eſt inſula propè Comorinum, nõ eſt

11. forte abſurdũ. Quo in loco (vt hoc obiter annotẽ) idẽ Maffæus ſcribit. D. Tho. Apoſtolũ ex Zochotora inſula maris rubri in Indiã proficiſcentẽ, vt Euangelij lucẽ in remotiſſimas illas, & barbaras gentes inferret, cũ tribus his regibus verſatũ fuiſſe, illoſq; allocutum, & inde ad Synas vſq; penetraſſe, deniq; ꝓ Chriſto mortẽ oppetiiſſe ad Malipur quæ Inſula D. Thomæ

12. nunc dicitur. Iam àd rem. quomodo igitur inquiet aliquis Arabes erant, & non potius ad Indiã pertinebãt? Reſpõdeo hæc in primis incerta ſunt, deindè nõ cõſtat illũ de quo Oſorius & Nauarr. fuiſſe vnũ de tribus Magis, potuit fuiſſe comes primarius, vt vel Nauar. ſignificat, vel certè amicus, ſeu cognatus eorũ qui de illis reuerſis Chriſti fidẽ didicerit, vel ſucceſſor aliquis eorũ. Deindè eſto vnus ex illis fuerit, potuit habuiſſe partẽ regni in Arabia, neq; .n. Calechut ab Arabico ſinu adeò multum diſtat, vt hoc incredibile ſit. Tandẽ nõ eſt neceſſe dicere oẽs Arabes fuiſſe, potuere duo tãtũ Arabes eſſe, & quo tẽpore ſtella apparuit accidere potuit, vt & tertius eſſet in Arabia, vnde forte originem trahebat, quamuis hoc non ſatis mihi placeat.

13. *Arabia quã longè differt à Bethleem.* His igitur ſic cõfirmatis, & declaratis, reſtat vt ad dubitationẽ n. 8. propoſitã reſpõdeamus in hunc modũ. Arabia diſtat ſummũ trecentis leucis à Bethlehẽ, quod iter decẽ diebus cõfici poterat ab illis, cũ præſertim Iſa. c. 60. ſcribat, eos cum Dromedarijs fuiſſe venturos, & rectè; nã in Arabia procreãtur Cameli dicti Dromedarij à curſu. Sunt autẽ animalia velociſſima ex Ariſtot. lib. 9. de Hiſt. anim. c. vlt. teſtis eſt etiam Philoſtratus in vita Apollonij, id genus Camelos die vno mille ſtadia, id eſt, milliaria 125. Leucas 41. ⅓. i. cum 2. milliaribus cõficere. Sumo aũt Leucas breuiores 3. milliariũ Italic.

14. *Magi quando venerint in Bethleẽ.* Porrò Magi peruenerunt Bethlehem decimatertia die pòſt Chriſtũ natũ. ſexta nimirum Ianuar. quæ fuit dies Veneris, ſeu feria ſexta nã licèt in 8. decreto pòſt ſextam Synodum in to. 3. Concil. ſignificari videatur die Dominica ad optatum locum peruenìſſe. verè tamen ibi ſermo videtur eſſe de tempore quo illis apparuit ſtella. habetur enim ibi Magis ſtellam refulſiſ-

A ſe die Dominico, quo ſc. natus eſt Chriſtus, nec obſtat hoc myſterium eadem die factum cum Baptiſmo, de quo paſsim dicitur die Dominico eueniſſe, potuit enim eodem die menſis videlicet ſexto Ianuarij vtrumque accidiſſe, licèt fortaſsis non ſit neceſſe dicere in diem Veneris, vel Dominicum vtrumque incidiſſe, ſed hæc ex calculis & tabulis pendent quæ incerta ſunt. De inuentione corporum horum Regum lege Sigonium anno 1159. de Regno Ital. ſcribit enim à Mediolanẽſibus deſtruẽtibus Monaſterium D. Euſtorgij inuenta in aditu templi cum oſsibus, neruis, ac pelle ſuperinducta, incluſa circulo aureo cum inſcriptione, quòd ſuperuixerint Chriſto crucifixo, & quod ab Apoſtolis fuerint baptizati. Accidit hoc tempore

B Friderici Imperatoris. De translatione verò eorum facta Coloniam anno 1162. lege Anto. p. 2. tit. 17. c. 9. in corpore. Tritte. in Chron. Hirſaur. Abbas. 17. Sigo. eundem anno 1164. lib. 13. de Regno Ital. Pineda loc. cit. ſuperius, id eſt, cap. 1. Iob num. 40. docet Iob præcurſorem fuiſſe trium Magorum. De eiſdem etiam Magis pòſt Chriſti aſcenſionem quid egerint lege Ribadin. loc. cit. hìc num. 1. Quod verò Reges Deum, eiuſque legem colere debeant docet Viegas Apoc. 4. Comm 1. ſect. 10. num. 5.

15. *Magorum corpora quãdo & vbi inuenta.*

16.

THEORIA II.

De ſtella.

C EXCLVDAMVS in primis errores quoſdam, qui huius ſtellę occaſione emanarunt, vel ex male intellectis illis Magorum verbis, *vidimus ſtellam eius*, quos notat D. Tho. in Matth. Alij enim, vt Priſcillianiſtæ omnes actus hominum fato dirigi confirmarunt. Alij, nimirum Manichæi Euangelium Matth. reiecerunt, quaſi fatum hoc loco admittat quod ipſi negant. Contra primum errorem Auguſt. diſputat. lib. 5. de Ciuitat. Dei c. 1. vbi oſtendit cauſſam Romani Imperij, omniumque Regnorum nec fortuitam eſſe, nec in ſtellarum poſitione conſiſtere. & cap. 4. ad eam rem producit Eſau, & Iacob geminorum multum

1. inter ſe diſpares mores & actiones, qui tamen eodem temporis momento nati ſunt, ſic vt poſterior plantam prioris teneret. & cap. 5. ex his

D quæ quotidiè videmus in his qui eodem tempore nati ſunt, qui tamen nec eoſdem mores, nec fauores, nec opes, nec pericula nanciſcuntur, mathematicorum vanitatem oſtendit. cap. item ſeptimo contra eos agit, qui ſuperſtitioſè dies obſeruant. Greg. quoque Nyſſenus lib. de fato Tom. 2. diſputat cõtra inſaniam iſtam. eumdem errorem conuellit Baſil. Ho. 6. exa-

2. mer. & Greg. in hom. hìc. Rectè igitur D. Tho. in Matt. ait: eſt Chriſtus Rex cœlorum, & ideò per cœleſte indicium voluit manifeſtari Pſal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*, &c. Iudæis quidem lex data eſt per Angelos ad Gal. 5. gentiles verò Romanorum 1. *Inuiſibilia Dei opera, per ea quæ facta ſunt, viſibilia cognouerunt.* Vnde, &

3. eorum vocatio promiſſa eſt Abrahæ ſub figura ſtellarum Geneſ. 15. *Suſpice cœlum, & numera ſtellas ſi potes.* vnde intelliges cur Iudæi per

ange-

Digitized by Google

Iudæi per angelum gentiles per stellam vocati & cur.

angelos, gentes per sydera vocentur, cuius etiã rationem sic assignat Greg. in hom. *cur non potius*, inquit. *Angelus illis*, Id est, gentilibus, *sicut & pastoribus apparuit? quia videlicet. Iudæis tamquam ratione vtentibus, rationale animal.* 1. *Angelus prædicare debuit. Gentiles verò quia vti ratione nesciebant, ad cognoscendum Dominum non per vocem, sed per signa perducuntur. quia & illis prophetia tamquam fidelibus non infidelibus: & istis signa tamquam infidelibus, nõ fidelibus data sunt, & notandum quod redemptorem nostrum cùm iam perfecta esset ætatis eisdem gentibus Apostoli prædicãt, eumq; paruulum, & necdum per humani corporis officium loquentem stella gentibus denuntiat, quia nimirum rationis ordo poscebat, vt loquentem iam Dominum nobis prædicatores innotescerent, & necdum loquentem elementa muta prædicarent.* Addit Theophylactus in Matth. *quoniam Astrologi Magi erant, propterea Dominus familiari ipsis signo eos adduxit, sicut Petrum piscatorem à multitudine piscium ad nomen Christi, venatus est, & stupescere fecit.* Sixtus Senen. l. 6. bibl. anno. decimo refert, Petrũ Aliacum. q. 30. In Gen. & in libro de legibus, & sectis, scripsisse, Magos sideralis scientiæ peritissimos potuisse ex astrologicis contemplationibus prænoscere futuram Christi natiuitatẽ, & vitam non tamen ea certitudine, qua postea ortum Christi noua stella præmonstrante cognouerunt; constituit autem figuram cœli tempore natiuitatis Christi, quam apud eumdem Sixtum videbis. Hanc sententiam Alberto Magno tribuunt in lib. cui Speculi nomen est, sed non arbitror eum librum Alberti esse, quod & alijs eruditis viris videtur. Sed contra hæc hominum deliramenta stant à veritate omnes illi patres, quos citaui, & alij inter quos numerari potest Bened. Perer. qui l. 2. in Gen. Tom. 1. acerrimè contra istos Astrologos disputant, quare in Indice voluminum à Synodo Tridentina damnatorum regula nona connumerata sunt omnia genethliacæ artis, imò impostura iudicia, inter ceteras sacrilegę diuinationis impietates, lege eumdem Sixtum anno 15. & 81. lib. 5. & lib. 2. sub dictione, curiosarum artium. detestata est autem semper Ecclesia Astrologos, adeò vt Epiphanius lib. de ponderibus & mensuris scribat; Aquilam ponticum primum diuinæ scripturæ interpretem, non alia de caussa fuisse à patribus de Ecclesia pulsum, nisi ob eam, quod geniturarum inscriptionibus, & natiuitatum diuinationibus vacaret. Certè si non ob aliud, ob hoc tantùm Astrologica diuinatio ab Ecclesia explodenda prorsus, damnanda, ac profligãda esset, quod Dei prouidentiæ perpetuum bellum inferre videatur, & illam penitus de mundo tollere conetur. quo eleganter inflectit signum illud magnum, quod apparuit in cœlo à Ioanne in Apocalyp. relatum, auctor glossæ magnę, in cap. 1. Geneseos, cùm enim dicat Ioannes, *Signum magnum apparuit in cœlo mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat: Et visum est aliud signum in cœlo: Ecce draco Magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem*; cùm inquam in hunc modum scribat Ioannes, auctor iste nunc à me citatus sic ferè ista interpretatur

4.

5.

6.

7.

8. *Astrologia prouidentiæ diuinæ vim infert.*

A mysticè; Nõ me latet mulierem pariẽtem masculum, qui recturus esset omnes gentes in virga ferrea, à dracone persecutionibus impetitã, Ecclesiam esse Christum gignentem. Verùm si mulierem hãc diuinæ prouidentiæ maiestatem præ se ferre dixerimus, nihil dicemus absurdi, hæc enim eleganter amicta est sole, quoniam eius claritas apud omnes gentes latissimè emicat, lunam pedibus calcat, quia omnia hæc sublunaria eius subsunt potestati, & regimini; stellæ velut coronæ caput eius vndique ornant, quia astra ei parent, ac gloriam à mortalibus immeritò sibi attributam, ipsa in Deum referunt, tantùm abest vt sibi necessariarum caussarum nomen vendicent. Neque verò (aduerte quæso lector) prouidentia Dei exactius

B describi, quam Hieroglyphico illo, quod *Astræa* ab Aegyptijs nuncupatur, potest. Pingebant namque quod in cœlis illa sederet eo habitu, vt caput inter sidera ipsa condens, pedes tamen supra lunam figeret, & amicta sole omnes orbes occuparet. Quo symbulo potissimũ insinuabant Dei prouidentiam inter cœlestes orbes residere, non modò quia effectus ab eis productos dirigeret, verùm etiã quod caussas ipsas regeret, adeò vt astra nõ ex sibi insita virtute, sed ex Dei prouidentia collata vi influãt, ea semper lege vt impleant quidem, sed non cogant. Porrò mulierem illam hoc est, Dei prouidentiam, Dæmon, draco nimirum ille magnus & propter crudelitatem Rufus semper lacerare, semper deglutire, ac deuorare conatur, cuius rei hanc accipe caussam. Hic enim

C draco ille Lucifer est, qui ab initio ad tantam elatus est superbiam, vt dicere ausus fuerit, *ascendam in cœlum, & ero similis altissimo.* Isai. 14. & quod impiè tunc optauit, nunc iugiter etiã non tantùm concupiscit, sed omni studio implere conatur. Inclamat igitur semper *ascendam in cœlum: & ero similis altissimo.* Porrò nihil diuinitatem quoquo modo magis præ se fert quam futura prædicere: *annuntiate quæ ventura sunt, & sciemus, quia Dij estis vos.* Isai. 41. Cuius enim præuidendi est facultas, eius quoque tamquam Dei, munus est & prouidendi. contulit igitur Lucifer omne studium ac vires in eam curam vt futuros euentus sua facultate præuidere cõmonstret, Deiq; cultum ac nomen procaciter sibi arripiat, ac Deum si possit de sede diuinitatis depellat; sed quidnam sunt illa septem capita,

D nisi septem diuinationum genera ab eo excogitata, hominibusque perditissimis tradita? Horum primum *Mantice* dicitur, quæ duplex est, vel ex elementis sumpta, & quidem si ex terra est *Geomantia*, si ex aqua *Hydromantia*, si ex aëre *Aeromantia*, si ex igne *Pyromantia* dicitur. vel verò ex mortuis desumpta est, quæ *Necromantia* nũcupatur. Secundũ genus *aruspicium* appellatur ab animalibus in aris turcidatis de promptum. Tertiùm porrò *augurium* est ab auibus, huc, illuc volantibus excerptum. Quartùm est *maleficium*, quo præscriptis sibi ritibus ipse se ipsum cogit dæmon, atq; per spectra sæpius apparet. Quintùm *sortilegiũ* dicitur iuxta varij generis sortes multiplex. Sextùm *præstigium* ex phantasticis illusionibus desumptum. Postremò tandem *horoscopia*, siue diuinatio Astrologica vocatur, quæ ex syderum intuitu

futu-

Mulier Apocalyptica Ecclesiam designat.

9.

Astræa prudentiæ Hieroglyphicum.

10.

Lucifer per draconem designatus.

Eius conatus quis.

11. *Septem diuinationum genera.*

Digitized by Google

futura prænoſcit, prædiciq́ue poſſe mortalibus vaniſsimè, ac mendaciſsimè perſuaſit. Vtinam mihi Herculis adeſſent vires, quibus tot immania capita horrido ſibilans, ac ignium eructatione portentoſa præciderem ac conflagrare facerem. Hæc fere gloſſæ magnæ auctor, qui multa congerit contra ſtellarum obſeruationes, & Aſtrologorum deliramenta, dùm de quarto die in c.1. Gen. diſſerit ſub finẽ. Sed antequã ſupremam manum huic Theoriæ imponamus, non deſinam verba Auguſtini huc afferre 2. contra Fauſt. Man. c.5. tom. 6. quapropter ſi ſtella illa ex ijs erat, quæ in cœlo peragunt ordines ſuos, quomodo poterat decernere quid natus Chriſtus acturus eſt, quæ nato Chriſto iuſſa eſt relinquere quod agebat? ſi autem vt probabilius creditur ad demonſtrandum Chriſtum quæ non erat, exorta eſt: non ideò Chriſtus natus eſt: quia illa extitit, ſed ideò illa noua exorta eſt, quia Chriſtus natus, eſt, vnde ſic dici oporteret nõ ſtellam Chriſto, ſed Chriſtum ſtellæ fatum fuiſſe diceremus, ipſe quippe illi, non illa huic naſcendi cauſſam attulit. Si ergo ſunt fata, quæ à fando, id eſt à dicendo appellata ſunt, quoniam Chriſtus verbum Dei eſt, in quo antequã eſſent, dicta ſunt omnia, non conſortium ſiderum fatum eſt Chriſti, ſed fatum etiã ſiderũ Chriſtus eſt, qui & ipſam carnem ſub cœlo creatam ea voluntate aſſumpſit, qua etiam cœlum creauit; ea poteſtate depoſuit & recepit, qua etiam ſideribus imperauit. Hæc Auguſtinus ſapienter ſimul ac piè.

12.

THEORIA III.

Quid nam eadem ſtella fuerit.

1. AVguſtinus tom.3. lib.3.c.4. de admirabilibus ſacræ Scripturæ: ſiue quiſquis auctor eſt lib. de admirabilibus. *De iſta*, inquit, *ſtella dubitatur; vtrum ſtella ſimplex, an Angelus, an Spiritus S. accipiatur*, & paulò pòſt, *quod ſi quis ſimpliciter ſtellam eſſe maluerit, à ceteris ſtellis in hoc ducatu quomodò deuiauit, quarum natura ab initio condita in firmamento conſtituta fuiſſe dignoſcitur? ſi ergo in firmamento maneret, dux fieri ambulantibus qualiter poſſet? & ſi per æra peruolaret aſſuetum in firmamento locũ, & curſum deſereret* &c. & poſteà 2. *niſi forte aereus ille ignis, qui tale miniſterium accepit propter ſimilitudinem, ſicut in multis diximus, ſtellæ vocabulum accepit. Aut ſi Angelus habitu ſtellæ hoc miniſterium fecit, quod non repugnat, dùm ſe Angeli quando ſe hominibus oſtendũt in multos transformãt habitus, quomodo & Moyſi in Oreb de Rubo Angelus ignita facie loquebatur Exodi 3. Et miles armatus Ioſue oſtenditur cap.5. ſicut currum & equos igneos aſcenſione Eliæ Angeli funguntur.* 4 Reg.2. & paulò pòſt: *nimirum & iſta via Angelus dux Magorum efficitur, qui Aſtrologis in ſtellæ ſimilitudinem transformatur*, & iterùm: *ſtellæ ſeptem Eccleſiarum, ſeptem Angeli ſunt.* Apoc.1. *Vnde quamuis in ſpiritu dùm tamen ſtellæ Angeli dicuntur, quid repugnat ſi etiam in hoc loco ſtella Angelus dictus eſſe ſentiatur? vel certè ſi neque angelus, neque ſtellæ firmamenti, neque alius quiſpiam ignis hæc ſtella fuiſſe dignoſcitur, Spiritus ergo ſanctus hæc ſtella fieri concedatur, qui ſicut poſtmodum corporali ſpecie columbæ deſcendit ſuper Iesum Dominum in Iordane: ſic* A *gentes adoratrices ſtellæ ſpecie duxit ad cunabula Domini naſcentis in carne.* Item mox: *ſicut ergo in igne ſuper Apoſtolos poſteà deſcendit, ita in ſpecie ſtellæ Magos ad Dominum Spiritus ſanctus deduxit.* Hæc Aug. vel potius auctor illius lib. quibus confici maximè nititur ſtellam hanc non ex earũ numero fuiſſe, quæ primo creatæ ſunt, quod libenter admittimus, licèt nec Angelum eſſe, nec Spiritum ſanctum concedamus.

Sed fortè quis dicat cometis eſſe connumerandam, qui in aëre gignuntur, vt quidam falſo ſunt opinati, ſed id nulla ratione credendum eſt, nam in primis cometæ noctu ſolum clarè videntur: hæc ſtella interdiu autẽ maximè fulgebat; & cometæ quidem circulari motu cientur, hæc motu recto ac plano ferme. Ad hæc, tredecim diebus ſummum hęc mota fuit Bethlehem verſus, cùm tamen cometæ integra die B integrum item circulum abſoluant. Præterea cometæ non niſi conſumpta materia euaneſcunt; hęc interdum apparebat, interdum occultabatur. Cometarum motus naturalis eſt, iſtius quaſi voluntarius: ſiquidem Magis pergentibus & ipſa pergebat, & cum ſtantibus ſtabat, quare ſi illos comitata ſemper fuit cũ in hoſpitijs Magi quieſcebant, ſtella ſuper eum locum manebat. Quod cùm non accidiſſet vbi ventũ fuit Hieroſolymam ideò ibi cœperunt ſciſcitari de Chriſto (ſic enim quidam opinantur, qui ſtellam ſemper illos comitatam affirmant) & quando egreſsi ſunt, viſa ſtella gauiſi ſunt. Si ergo in ſingulis locis in quibus Magi manebãt conſueuiſſet ſtella occultari donec iterùm ſe ad iter accingerent, neque mirati, neque gauiſi fuiſſent. Fuit ergo nouum.

4. *Stella Magorum dux non fuit cometa.*

C Fulgent. ſerm. de Epiphan. rem ipſam veluti definiens, inquit, *hæc ſtella nunquam apparuit, quia tunc eam puer iſte creauit & Magis ad ſe venientibus præuiam deputauit, iſte puer in præſepe quidem paruulus collocatur, ſed magnus in cœlo mirabiliter operatur, permittit ſe manibus in terra portari, ſed præcipit ſibi cœleſtia famulari. quid eſt ergo quod infantilem attendis ætatem, & eius diuinam non intelligis poteſtatem.*

5.

Vt igitur intelligas cuiuſmodi fuerit hæc ſtella, obſerua; nouam eam fuiſſe vt ex Fulgentio notauimus, non de initio creatis, neque verò affixa erat cœlo, & quãuis Fulgentius vocabulo creationis vtatur, non eſt dicendũ creatã fuiſſe, ſed ſatis eſt affirmare eam ex materia aërea, vel elemẽtari formatam; & verò lux quã habebat connaturalis erat illi, conſequens formam talis mixti, & quidẽ non tanta erat quanta ſolis, licet Eccleſia per hyperbolem quandã, & ſenſu quodam myſtico de ea illud concinat; quæ ſolis rotam vincit decore, ac lumine. Quãuis non dubium ſit ſuperaſſe fulgorem reliquarum ſtellarum, quem nos percipimus. Hinc Leo ſerm.1. ait *tribus Magis Orientis, ſtella nouæ claritatis apparuit, quæ illuſtrior ceteris, pulchrioraq́; ſideribus in ſe intuentium oculos animoſq́; conuerteret, vt confeſtim aduerteretur non eſſe otioſum, quod tam inſolitum videbatur.* ciebatur porrò intelligentia motrice, quod inſinuat Chryſoſt. & alij qui inficiari videntur veram ſtellam fuiſſe, dùm affirmant vim quandã fuiſſe inuiſibilem, quæ quodam modo aſſumpſerit, mouerit q́ue illud corpus.

6. *Neque de initio creatis.*

7.

8.

9. *Quinque rebus a reliqua stellarum multitudine distinctus.*

Discrepabat quinque rebus à reliqua stellarum multitudine, primùm motu, à septentrione siquidem ad meridiem mouebatur, nempè à Hierosolymis versus Bethlehem, cùm reliquæ ab exortu solis in occasũ tendant motu diurno. Deindè etiam quietè: *stetit* enim *supra vbi erat puer* cum reliquorum siderum nulla quies sit. Ad hæc, splendore etiam differebat ab alijs, reliqua enim sidera solari luce obscurantur interdiu; verùm hæc meridiana solis luce fulgebat, quantuis eam non omnes aduerterent, vel notarent; vel si mauis aduertisse, quid portenderet ignorabant: plerique enim Cometam arbitrabãtur, quales multos natura gignit. præterea apparendi, occultandique se vicissitudine ipsa multum inter hanc, & cæteras stellas intererat, interdum siquidem abscondebat se, siue tunc illa in altum sese ita attolleret, vt non videretur; siue potius Deus suspenderet vim illã, & efficacitatem, quæ necessaria erat illi, vel ad lucendum, vel ad mouendum hominum oculos. Discrepabat denique ab alijs loco, & situ, erat enim citima terræ; nam neque alioqui viã indicare, vel infantis præsepe declarare potisset, & hinc etiam est, quod non à multis cerneretur.

10. *Chalcidij Platonici sententia de hac stella.*

Meminit huius stellę Chalcidicus Platonicus, qui hæc habet in suis ad Platonis Timacũ Comm. *Sanè notanda est*, inquit, *alia sanctior, & venerabilior historia, quæ perhibet de ortu stellæ cuiusdam, non morbos mortesq; denuntiantis, sed descensum Dei venerabilis ad humanæ cõuersationis, rerumq; mortalium gratiam: quam stellam cum nocturno itinere suspexissent Chaldæorum profectò sapientes viri, & consideratione rerum cœlestium satis exercitati, quæsisse dicuntur recentis Dei ortum repertaq; illa maiestate puerili, venerati esse, & vota Deo tanto conuenientia nuncupasse.* Hæc ille.

THEORIA IV.

In varia loca huius capitis.

1. *Tribus modis scriptura perlustratur.*

PRIMO quidem loco occurrit v. 4. 5. & 6. vbi dicitur Herodes sciscitatus à Iudæis *vbi Christus nasceretur*, ex ipsis nimirum scripturis. elicimus enim hinc tres modos scrutandi scripturas; euoluerunt illas Scribæ, vt hic habes, non vt ipsi discerent, quod alioqui debuissent, sed vt alios tantùm docerent, sic faciunt, qui legunt scripturas vt alios hortentur ad virtutem amplexandam, fugiẽda verò vitia, cùm tamen inde ipsi nullam hauriant vtilitatem, inuestigabat Herodes eadem quodammodo, & sciscitabatur quid in illis lateret: non vt sibi prodesset, sed vt Christo si posset, obesset. Herodi similes sunt hæretici, dùm Christi fidem euertere ex scripturis falso citatis, vel malè intellectis Sathanico quodam furore conantur. At non ita Magi de scripturis interrogant; sed vt discant ipsi veritatem, & exequutioni confestim mandent, quæ didicerint. horum ergo exemplo disce qualiter Dei verbum legere & audire opus sit.

2. Rerùm versus sextus, obseruandus erit: *tu Bethlehem nequaquam minima es.* Est hic qui Hieronymi interpretationem in Michæam suggillet. Opinatur enim is Hebraica in Michæa sic verti debere; *& tu Bethlehem Ephrata parum est, vt sis inter Chiliades*, seu Chiliarchos *Iudæa*; intelligens. sc. nomen illud masculinum, quod Hieronym. vertit *paruulus*, & septuaginta ὀλίγος accipi pro neutro genere, quo cùm careant Hebræi vtuntur masculino, aut fœmino; vt ergo iste ostendat testimonium hic citatum à Matth. conuenire cum loco Michęę, vult idem esse: parum est vt sis inter principes Iudææ, &, nequaquam minima es inter principes Iudææ. cùm enim Michæas secũdùm ipsum dicat, parum esse vt numeretur Bethlehem inter principes Iudæ, satis innuit eam maximam fore inter principes, ac proindè non minimam in principibus Iudæ, quod habet Matt. sed certè quicquid sit de verbo, *es*, an vertendum sit, 3. *vt vis*, quod secundùm veritatem Hebraicam asserit esse Ianſenius, certè iste auctor contra omnes loquitur, cum masculinum nomen pro neutro accipi debere putat, vt omittamus Hebræa nullo modo illum sensum habere posse. nam Isai. c. 49. vbi talis est locutio, qualem hic esse vult, *parùm est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob.* Isa. 7. *numquid parum nobis est molestos esse hominibus.* Diuersa est dicendi formula in Hebræo, quam hic apud Michæam. Quare septuaginta sic reddiderunt: *& tu Bethlehem domus Ephrata minima es, vt sis in millibus Iuda: ex te mihi exibit vt sit in principem Israelis.* Et Chaldęus interpres: *Et tu Bethlehem Ephrata, quodammodo minor fuisti, quàm vt numerari potueris inter Chiliades domus Iudæ.*

Versu verò 11. conuellitur Lutheri error 4. *Lutheri error Christum in Sacram. Eucharistia non esse adorandum refutatur.* satis impius, Christum in Venerabili Sacramento adorari non debere, eo quod inquit, Eucharistia non ad hoc est instituta vt adoretur. Ergone idololatræ fuerũt Magi, qui procidentes adorauerunt Christum infantem in cunabulis, & mysticis muneribus cohonestarũt? Neq; verò propterea carne se velauerat præcipuè, vt hic adoraretur in mortali corpore, sed cõspueretur vt potius, cæderetur, in crucem ageretur, neque vllum Dei verbum è scripturis proferri potest, quo à Magis ille cultus exactus fuerit. Sic Ianſenius citans Pighium controuers. octaua.

Denique reliquum est dicere de illis verbis 5. versu 12. *responso accepto in somnijs*, in quibus obserua lector, græcè sic legi: καὶ χρηματισθέντες κατ' ὄναρ *oraculum accipientes per somnium.* dicuntur enim χρησμοὶ, *oracula*, quæ redduntur numina consulentibus aut petentibus. Vnde probabiliter conijcitur Magos de suo ad Herodem reditu aliquid sciscitatos esse, vel à parentibus infantis, vel per preces ab infante ipso, vel certè dubios fuisse, auidosque sciendi quidnam facerent, redirent, nec ne ad Herodem. Eodem verbo vtitur postea Euangelista, cum Ioſephum Aegypto redeuntem, & dubitantem num in Iudæam secedendum esset admonitum dicit, vt in Galilæam concederet. non autem vtitur hoc verbo cum admonitum dicit, vt vel in Aegyptum fugeret, vel 6. inde rediret. Eodem vtitur & Lucas, cum Simeonem dicit *responsum accepisse à Spiritu sancto.* vbi etiam Erasmus vertit: *Responsum acceperat.* Porro Hieronymus putat χρησμὸν esse cùm Deus non per Angelum, sed per se respondet:

respon-

Digitized by Google

responsum inquit, quod græcè dicitur χρηματισθεὶς non per Angelum fit, sed per ipsum Dominum, vt meritorum Ioseph priuilegium demonstraretur. Cur autem ita dicat Hieronymus de Ioseph non apparet. Vel igitur subtrahi debet nomen Ioseph, quomodo Iansenius refert hoc testimonium Hieronymi, vel potiùs alludit Hieronymus ad id, quod cum Ioseph factum est, cùm dubitaret num in Iudæam secedendum esset. Eodem enim verbo, vt dixi num. 5. tunc vsus est Matth. vt significaret, sicut Hieronym. velle videtur, Ioseph per se, & non per Angelum Deum respondisse, vel legendum, vt meritorum Magorum priuilegium demonstraretur, vt ex Salmeron retuli in Schol. num. 45. Sed quod secundo loco hic ponitur, probabilius est.

DIGRESSIO MORALIS PRIMA.

1. Magorum fides & deuotio incredibilis.

DECERPEMVS tùm ex Regibus, tùm ex stella aliquid, quod in nostram conuertere possimus vtilitatem. Admirari satis non possum tam incredibilem sanctorum Regum istorum fidem, & deuotionem. Obstupescimus sanè, & meritò cùm audimus, vel legimus, Abraham exijsse de terra sua, & de cognatione sua, &c. vt Dei pareret imperio. Sed nescio qui fiat maius quiddam, in his Magis elucere videtur; quod Abraham fidem pluribus capitibus excedat. Ille vt exiret, mandatum habebat à Deo, isti nullum præceptum acceperant, sed cùm liberum illis esset, exiere tamen de terra sua, & de cognatione, &c. Ille, licèt loci nomen & situm, quo pergeret, ignoraret, certus tamen erat, quod perueniret ad destinatum locum (Deus enim erat, qui vt proficisceretur mandabat) isti non itidem. Ille magnis promissis euocatus est: *faciamq; te in gentem magnam*, dictum est illi: istis pollicitatio nulla facta est, terram ille deseruit, in qua manere haud tutum sibi erat; isti cùm tuto agerent in terris suis, alienam adiere per aperta pericula. quod autem Abraham non esset tutum inter suos degere, constat Iudith cap. 5. vbi scribitur; Abraham, & totam familiam Thare, persecutionem esse passam à Chaldæis ob veram pietatem, ob cultum nempè, vnius veri Dei. Iam mihi vide, in quod se discrimen coniecere Magi, erat Herodes, si quis alius superbissimus, & per Tyrannidem regnum inuaserat, interfecto Hircano. Itaque vel Regem alium nominare in ea vrbe, vbi iste regnabat, quid rogo erat aliud, quàm se manifesto periculo exponere? fecerunt tamen isti; tanto fidei & deuotionis ardore tenebantur.

Eorum fides excedit fidē Abrahæ.

Abraham persecutionē passus à Chaldæis. 2.

3. Sanctus Ephrem libr. contra eos, qui filij Dei naturam scrutari volunt cap. 2. Magorum fidem sic commendat. *Attende ô infelix Magos illos, qui de remotis terræ partibus ad adorandum nuper editi regis infantiam aduenerunt, non illi regem inuenerunt in purpura iacentem, non*

A *diademate lucentibus gemmis intexto insignitum caput, sed infantem inuolutum vilibus pannis in præsepio repererunt, & continuò apertis thesauris suis obtulerunt ei munera cum gaudio cordis. Vide excellentissimam fidem. Offendunt in vili præsepio iacentem Regem cœlestem, nec tamen vltra inquirere pergunt, inter tot vilia nullum Regis indicium cernentes, Magi; nihil de illius Maiestate dubitant, nihil pannorum nouitate mouentur, neque geniti naturam curiosè rimantur; ipse autem infelix ad patris dexteram conspicus vnigenitum filium omni subnixum maiestate Regem considere Patri, cum ipso laudari, & audes illum temerè scrutari? qui te ipsum non noscis, etiam creatorem explorare præsumis? Angeli, Archangeli, Cherubim, & Seraphim cum metu & tremore astant illi, pressis deorsum cum horrore reuerenter obtutibus. Cinis autem ac puluis in terra sedens scrutatur opificem.* Hæc ille. De

B eadem fide audi Bernardum sermone secundo, *Videte*, ait, *quàm oculata sit fides, quàm lynceos oculos habeat. Diligentius considerate, cognoscit Dei filium lactentem, cognoscit morientem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem, siquidem latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt; ille clauus infixum, isti pannis inuolutum.* 4.

Apocalyp. 4. Coràm Dei Throno viginti quatuor seniores procidunt, coronasque abijciunt, at hi Magi, coronis depositis non ante sublimem thronum, sed ante præsepe, & stabulum, vbi nihil regium oculis corporeis occurrebat, procidunt adorabundi, & inter iacentes paleas, viles pannos, & animalia rationis expertia in præsepio positum infantem, tamquam Regem adorant; Meritò, erat enim C Rex regum, & Dominus dominantium, cùm Iudæorum Pontifices dicerent Pilato: *Noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum:* Respondit ille: *quod scripsi scripsi; O ineffabilem vim*, inquit Augustin. tract. 117. in Ioannem. *Diuina operationis etiam in cordibus ignorantium, nonne occulta vox quædam Pilato intus quodam si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tanto ante in Ps. literis prophetatum est? ne corrumpas tituli inscriptionem*, Psalm. 65. *Ecce tituli inscriptionem non corrumpit; quod scripsit, scripsit. Sed etiam Pontifices qui hoc corrumpi volebant quid dicebant? noli scribere inquiunt, Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Quid loquimini insani? si corrumpi non potest, quod Pilatus scripsit, corrumpi potest, quod Veritas dixit?* Et subdit sub finem: *ideò enim Pilatus, quod scripsit, scripsit, quia Dominus quod dixit, dixit.* Vide

D eundem Psalm. 56. Cyrillus item Ioan. 19. *Titulus*, inquit, *iste per præcipuas linguas Christum futurum principem omnium linguarum prædicabat. Nullus ergò hoc regium nomen Christo, siue gentilis, siue Iudæus is sit, neque cùm nasceretur in stabulo, nec cùm moreretur in patibulo, auferre vnquam potuit, abrumpatur, quamuis cum Cacodæmone Herodes, & Iudæorum principes, vt iurè proinde dictum sit de Christo*, Psalm. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, & ne putares Iudæorum tantùm esse Regem, additum est*; Dominus dixit ad me, *filius meus es tu, ego hodie genui te, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* 5. 6. 7.

Est autem obseruare multiplex discrimen 8.

Discrimen inter Christum & alios Reges.

inter hunc Regem, id est, Christū & alios Reges: primùm hic nascitur Rex, ipse enim est *qui natus est Rex Iudæorum.* Alij factitij sunt: deinde alij per hunc instituuntur, *Per me Reges*, inquit, *regnant*. Prouerb. 8. vt proinde iure dicatur Psalm. 88. *Ego primogenitum ponam illum excelsum præ Regibus terræ.* Adhæc, cæteri duntaxat regni partem tribuere possunt, ni se velint toto regno priuare, at hic totum dat, & Rex est tamen. *Venite benedicti Patris mei possidete Regnum*: alij præterea Reges nec semper, nec diu regnant, hic æternum habet Imperium, quare de illis Eccl. 10. dicitur. *Rex est hodie, & cras morietur*; & de hoc canit Ecclesia, *cuius regni non erit finis.* Postremò reliqui consilio egent illustrium & sapientium virorum, huic, quoniam æterna Dei sapientia est, numquam consiliarijs opus est. Sed iam finis sit. restat tantùm, vt etiam aliquid spiritualis lucis ac splendoris ex cœlesti sydere desumamus.

9. *Contra spiritualiter cæcos.*

In primis monet nos tam nouum, atque insolitum sydus non deesse aliquos, qui stellam intus radiantem non videant, neque obseruēt, hi videlicet, qui rebus his caducis, & fluxis altiùs caput numquam efferunt: *Statuentes oculos suos declinare in terram.* Deinde docet etiam alios esse quosdam, qui videant quidem, quin & gaudeant visu, aspectuque fulgentioris stellæ, quales sunt ij, qui libenter Dei verbum & cœlestia audiunt, nec tamen stellæ huius ductum sequuntur; contra ac monebat vates: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Sunt præterea nonnulli qui & vident, & sequuntur diuinæ huius lucis radios, verùm non diù perdurant, sed ab incepto per socordiam & ignauiam desistunt, *ad tempus* nimirum *credunt*, *& in tempore tentationis recedunt.* Postremò soli illi beati censendi sunt, qui sanctorum Regum exemplum imitati, & virtutem æmulantes, stellam intuentur, & vident, visam sequuntur, denique perseuerant, quousque intrantes cum Magis domum, offerant Christo munera, *aurum* sapientiæ, *thus* orationis, *& myrrham* mortificationis.

ALTERA DIGRESSIO MORALIS,

In illa: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum.* Quod diligenter quærendus sit Christus.

1. *Lumen æternum necessarium homini ad Deum tendenti.*

DIVVS Thomas opusc. 60. ar. 7. Animaduertit tribus omninò rebus diligentem & accuratam alicuius rei inquisitionē definiri, id quod authoritate Augustini ostendit. Ait enim August. *O anima mea si diligenter peteres, tribus hoc signis ostenderes. Primò enim lumen peteres, ne tenebris impedireris. Secundò scientes interrogares, ne quærens oberrares. Tertiò in nullo loco quiesceres donec dilectum inuenires.* Et quidem necessarium esse lumen ad petendum, & inquirendum (quod erat primum ex tribus ab Augustino requisitis) satis ostendit Dauid

A Psalm. 66. dum ait: *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos*, & subdit, *vt cognoscamus in terra viam tuam*, quasi dicat, vt semitam, quæ recta in cœlestem patriam ducit, inueniam, affulgeat mihi rogo Deus bone, & misericors lumen tuum, *ne tenebræ me apprehendant.* Sic enim fiet vt cognoscam, & inueniam in terra hac obsita tenebris viam tuam, quæ vt ait Glossa, ducit ad cœlum: 2.
quoniam verò iusti hanc lucem ad ineundam, & arripiendam virtutis viam tantopere necessariam de cœlo obtinent, & in ea ambulant de virtute in virtutem, quousque videant *Deum Deorum in Sion:* ideò de illorum via Prouerb. 4. scriptum est: *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem*, vbi Glossa habet, iustorum opera luce
B scientiæ peraguntur, & æternam ducunt ad vitam, quæ est perfecta dies. Dixerat autem sapiens de via impiorum: *Via impiorum tenebrosa*, vel vt est in Hebræis, via impiorum, sicut caligo. Nam sicut semita iustorum comparatur luci fulgenti, ita via impiorum caligini obscuranti, interpres sensum reddidit, illa verò verba procedit, & crescit referri apud nos videntur ad semitam luce fulgentem; sed ex Hebræo (licèt eodem recidat sensus) possunt referri ad lucem ipsam splendentem, quasi dicat, iustorum semita, quasi lux splendens procedens, & crescens. Confert enim Salomon iustorum viuendi rationem, & consilia matutinæ luci, quæ deinceps procedente tempore sensim crescit magis, ac magis, quousque ad
C perfectum diem perueniat, nimirum ad lucem meridianam, quando iam non augescit amplius; ita se habet vita iustorum initio lucet & bono vitæ exemplo alijs etiam prælucet, & procedente tempore indies lucidior fit, dum iusti de virtute in virtutem progrediuntur, vsque quo tandem ad lucidissimum illum, perfectumque diem perueniat, cùm tanta erit lux, vt crescere ampliùs non possit iuxta præscriptam à Deo mensuram, & iustorum merita quod erit in futuro sæculo, vbi iusti fulgebunt sicut sol in Regno patris eorum, qui & hic per bonorum operum exempla cæteris præluxerunt omnibus; propterea enim Matth. quinto: *Lux mundi* vocantur. & Philippen. 1. lucere sicut luminaria in mundo
D in medio nationis prauæ & peruersæ, dicuntur.

Magi igitur non sine cœlesti stellæ lumine Dominum quæsierunt, sic enim testatur Ecclesia: *Ibant Magi quam viderant stellam sequentes præuiam, lumen requirunt lumine.* Ceterùm cauendum diligenter est, ne iusti lumen hoc gratiæ quod de cœlo illis affulsit, per peccatum amittant, quod euentus ille magorum significasse videtur, dum ingressi Hierusalem, vbi Herodes regnabat, stellæ lumen amiserunt, vt non pauci putant. Sed mox inde recedentes iterum receperunt. Nam teste Remigio, stella gratiam DEI, sicut Herodes diabolum repræsentat. Qui autem per peccatum diabolo subditur, mox gratiam DEI perdit, à quo si per pœnitentiam recesserit, gratiam statim inuenit, quæ ita iusto in- 3.

Lumen cæleste non admittendum per peccati

hæret,

Digitized by Google

hæret, vt quod ad se attinet, numquam hominem dimittat, donec ad domum pueri, id est, Ecclesiam perducat, & hæc ad primum pertinent.

4. Iterùm aliud requiritur ad diligenter aliquid inueniendum, vt interrogemus eos, qui rectum virtutis iter callent. Hinc est quod Hieremiæ 6.16. monemur: *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris; & dixerunt: Non ambulabimus:* quia ergo id facere mali neglexerunt, subdit Hieremias adhuc, quod magnæ Dei in nos charitatis indicium est, *& constitui super vos speculatores, audite vocem tubæ: Et dixerunt: non audiemus.* Speculatores sunt, vel motiones ipsæ à Deo hominum mentibus immissæ; vel sunt qui spiritum Dei habent, futura supplicia malorum, vel prospicientes, vel prædicentes, dum diem nobis mortis incertum, & vitę breuitatem, cum æternitate pœnarum annuntiant, & verò cùm ita monent, quasi tuba canunt, vt citato Hieremiæ testimonio continetur, quia magno clamore nos ad audiendum inuitant: quos quia sæpè mali audire nolunt, propterea iram suam, & iustam vltionem istis minatur Deus, dum ibidem subdit: *Ideò audite gentes, & cognosce congregatio, quanta ego faciam eis, audi terra: Ecce ego adduco mala super populum istum, fructum cogitationum eius, quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt.*

6. Gentes testes esse vult, vt vel ipsæ sciant, non placere sibi eorum mores, quos punit, qui more gentium viuebant. Vocatur etiam congregatio iustorum, vt quàm vtile sit adhærere Deo, cognoscant ex vltione malorum. Terram etiam iubet audire, quæ videlicèt ab illis

7. in delicijs tantopere habebatur. Istos igitur Dei nuntios, vt præcones quoniam mali audire nolunt, mittit diabolus permittente Deo suos Prophetas, qui sanctorum Prophetarum verba eleuantes, falsam peccatoribus securitatem inducant. Videmus enim duo esse inter homines genera spirituum, vel Prophetarum, quidam terrent recordatione mortis & iudicij, iustitiæque Dei; contra alij fallaces, ac deceptores bonos istos insectantur aciter, dicentes illud Michææ 2. 6. *ne loquamini loquentes, non stillabit super istos, non comprehendet confusio*, quasi dicat, Deus, ipse enim loquitur; increpant isti Prophetas meos, & aiunt, semper nobis mortem, captiuitatem, supplicia prædicitis, toties ad nauseam vsque minas intentatis, & Dei nomine nihil non infaustum comminantes repetitis. Id enim indicat verbi geminatio; *ne loquamini loquentes, & ne stilletis, stillantes:* stillare autem de comminatorijs, & grauibus verbis dicitur. Audent, inquit Deus, isti falsi Prophetæ etiam polliceri suis, *non stillabit super istos*, id est, nil tale patietur iste populus, non inuadent hæc mala populum, quem terretis, non comprehendet eos confusio. Hebr. non comprehendent confusiones, id est, neque illa confusio, neque vlla alia peccatores inuoluet, quibus hæc comminamini, & quod alibi memoriæ proditum est, dicunt ijdem isti mali dæmonis vates: *Pax, pax, & non est pax.* Verùm occurren-

Duo inter homines genera spirituum.

9.

A dum est istis deceptoribus, *quid vobis, & paci*, quod fecit Iehu à Deo electus, vt vniuersum impij Regis Achab genus deleret, cùm à nuncijs Ioram Regis Israel offerri sic sibi pacem audisset: *Numquid pax est?* nam ne pacis quidem nomen audire sustinuit, respondit enim nuntio Regis, *Quid tibi, & paci?* Sunt enim isti similes illis, de quibus Esaias trigesimo, *qui dicunt videntibus, nolite videre: & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Nam profectò viri illi à Deo missi, qui nobis indicant peccata & iustitiam Dei, atque supplicia inculcant; soli reuerà Prophetæ, soli videntes sunt: cæteri non modò cæci, sed duces cæcorum, nihil aspicientes præter errores. Hos igitur omni studio vitare oportebit, illos verò interrogare & audire par

B est, si verè Deum quærimus, vt inueniamus.

Rectè proinde Magi cœlesti lumine illustrati venerunt Ierosolymam, quærentes rectam ad Christum viam perdiscere, & dicentes: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? annuntiant*, inquit Augustinus, *& interrogant, credunt & quærunt, significantes eos, qui ambulant per fidem, & desiderant speciem. Sed prò dolor! quàm multos inuenias doctores, Iudæis non absimiles, qui Magis demonstrato vitæ fonte, siccitate mortui sunt*, vt idem inquit Augustinus, quos etiam fabris arcæ Noe similes esse dicit, qui alijs, vt euaderent, præstiterant, & ipsi diluuio perierunt: quos etiam similes lapidibus viarum indicibus rectè dixeris, qui viam

C alijs ostendunt, cùm tamen ne latum quidem vnguem loco moueantur.

Reliquum est, vt de tertio non nihil agamus, hoc enim tertiò necessarium esse diximus n. 1. inquirenti, vt quiescat numquam, donec inueniat, quem diligit anima eius, sic sponsa dilectum suum quærebat, Canticorum tertio, *In lectulo meo quæsiui per noctem.* In quem locum Diuus Gregorius sic scribit: *dilectum in lecto quærimus, quando in præsentis vitæ requie aliquantula in redemptoris nostri desiderio suspiramus; per noctem quærimus, quia etsi iam mens in pso vigilat, tamen adhuc oculus caligat. Sed qui dilectum suum non inuenit, restat vt surgat, circumeat ciuitatem, id est, sanctam Ecclesiam electorum, mente, & inquisitione percurrat, per vicum eum & plateas quærat, id est, per angusta & lata*

D *gradientes aspiciat, vt si qua in eis eius vestigia inuenire valeat, exquirat, quia sunt nonnulli etiam vitæ seculares, qui imitandum habent aliquid de actione virtutis. Ad hanc rem nobis exemplo fuêre sancti Magi, qui longum dimentientes iter quærere dilectum numquam cessarunt, donec illum cum Maria matre sanctissima inuenerunt*, qua nulla profectò fuit inter omnes creaturas, vel quæ diligentiùs, vel quæ ardentiùs dilectum quæsiuerit, verè id quidem, nam cùm CHRISTVS sit *desiderium collium æternorum*, Genes. 49. 26. & sint colles piorum animæ, Dei parens Maria non colles modò omnes excessit, sed mons etiam fuit, *in vertice montium*, vt D. Gregor. lib. primo, cap. primo docet, ergò quis negabit multò præstantiùs Christum

10.

11. *Deum quærenti numquam quiescendum.*

12.

desiderium Mariæ fuisse, quàm cæterorum omnium collium, vt meritò principalem locum hac in parte teneat, & afferri possit, vt exemplar quod intueamur attentissimè, si Deũ inuenire quærendo cupimus, quare de illa discere modos, atque artem inueniendi Christũ in primis oportet.

13. Quæsiuit illa per Sponsam designata Cantic. 3. dilectum suum quinque modis, & primũ quidem quoad corporalem eius præsentiam quæsiuit eum, & desiderando quæsiuit, etsi enim illum pannis inuoluebat, alebat lacte, sinu fouebat, osculabatur, amplectebatur, præsentem tamen illum semper quærebat, quasi absentem, nec vnquam se ita inuenisse credebat, vt ab inquirendo cessaret, nam tantæ dilectioni insatiabile inerat desiderium, vt quanto vicinior dilectus habebatur, tanto ardentiori studio desideraretur. Sic Angeli semper Deum vident, qui semper in eum prospicere desiderant, 1. Petri 1. 12. plus Angelis mater desiderabat, matrem considerate, matrem

Maria quinque modis Deum quæsiuit.

14. cogitate, & quidem talem, ac tantam: ideò non per dies tantùm, sed per noctem etiam dilectum quærebat, nimirum siue prospera se offerrent, siue aduersa vrgerent, hanc numquam deponebat curam. Altero idem modo quæsiuit per illud triduum, quando in templo remanserat filius, quem in comitatu esse crediderat, & per noctes illum quæsiuit, dum vesperi inter notos & amicos quærens illum non

15. inuenit. Quis sollicitudinem illam, quis desiderium fando explicet? quanta in hoc triduo discursatio? quàm longiùs effusæ lachrymæ? quot suspiria? quanta cordis mœstitudo; nec à quærendo cessauit, donec in templo inter doctores inueniret, & descenderet dilectus cum illa.

16. Tertius fuit quærendi modus, quo dilectum filium quæsiuit ad Golgotha tendentem, cùm mœrens illum suffixum cruci medium inter duos latrones, & toto nudum corpore pendentem inuenit, simulque gladium, qui suam transuerberaret animam. *Per noctes quæsiuit*, hoc est, per multas tribulationes, quas de amarissima dilectissimi filij passione sustinuit: Tum sanè illa *quæsiuit, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inuenit. In lectulo quæsiuit*, per quem quies mentis designatur, in qua Deus quærendus est, quæ quoniam pro vitæ istius statu exigua est & angusta, ideò *lectulus* dicitur, quies quidem mentis, & constantia in Maria etiam tunc stabiles permanserunt: nec cessauit tamen quærere donec die resurrectionis dispulsis tristitiæ tenebris magno gaudio repleret eam dilectus filius.

17. Quartus sequitur modus, quo Virgo virginum dilectum quæsiuit, postquam illum in cœlum abeuntem aspexit. Quæsiuit per noctem huius vitæ, per crebra suspiria, & sancta desideria eum videre, & complecti desiderans, quem diligebat anima sua. In lectulo quæsiuit, per quem non absurdè inquit Alanus, domus illa in arce Sion sita, in qua Christus cum discipulis supremam cœnam celebrauit, significatur, in quam post filij passionem gloriosa Virgo sese recepisse perhibetur, ibique loca illa venerabatur, venerando-

A que ore cordis osculabatur, in quibus dilectum filium, vel cum discipulis accubuisse, vel in eorum pedum lotione prostratum fuisse, aut alicubi resedisse cogitare poterat. Sed quid per huiusmodi pia deuotionis obsequia, quàm dilectum requirebat? sed minimè inuenit, quia ex his consolationem non recepit. sic Alanus.

Quintum ac postremum quærendi modum 18.
Honorius paucissimis complexus est; ait enim: *In requie suæ contemplationis, & in huius vitæ nocte quæsiuisse intellige filij diuinitatem, sed non inuenisse, quia non potuit ad eius altitudinem pertingere; nimirum dum per fidem hic Christum quærimus, nox est, donec eo inuento per speciem dies oriatur.*

B Itaque discamus de domina nostra, & magistra omnium virtutum non modò diligenter Christum quærere, sed ita vt numquam quiescamus, donec dilectum inuenerimus; discamus de illa istis etiam nos quinque modis quærere; primùm desiderando magis ac magis indies, quem amamus. deinde etiam quæramus per triduum contritionis, confessionis, & satisfactionis, si fortè peccando amisimus. Tertiò, in montem Myrrhæ venientes ibi quæramus eum, non in delitijs & voluptatibus, sed cum Maria Caluariæ montem cum cruce Christum ascendentes sequamur, & iuxta eius crucem maneamus. 19.

Adhæc, ad cælum ascendentes mente, & cogitatione contendamus, vt ad dexteram patris sedentem dilectum nostrum inuenire, & alloqui, & amplecti, & venerari possimus: optemus ibi esse vbi ille est, vt numquam ab illius vel latere discedamus, vel laude cessemus. Postremò eius Deitatem ita videre semper optemus, vt præ illa alia omnia amara, & vilia esse putemus, & nihil difficile, nihil asperum arbitremur. Hæc breuiter. 20.

C

DIGRESSIO TERTIA MORALIS,

De inuento Christo cum gaudio à Magis simul cum Maria.

QVAEDAM in hac Magorum inquisitione præterea in præteritis relinquenda non sunt, primùm, quod ardens diuini amoris desiderium non sinit animam quiescere, quousque dilecto potiatur: naturale verò est, quod cùm desiderata adipiscimur, & quod fuerat in votis, re ipsa assequimur, quadam animus noster voluptate perfruitur, vnde efficitur, vt quanto desiderium feruentiùs fuerit, tanto maiore cum voluptate dilecto potiamur. Propterea Magi, qui ardentissimo desiderio Christũ quærebant, eo inuento summo sunt gaudio affecti, id quod Matt. testatur, cùm ait: *Videntes Magi stellam, gauisi sunt gaudio magno valde.* Vbi Glossa habet, quod is gaudio gaudet, qui propter Deum, qui est verum gaudium, gaudet. Additur & *magno*, quia nihil est, quod maius sit ipso Deo. Denique dicitur *valdè*, quia de magno potest alius alio magis gaudere. 1.

D

Digitized by Google

2. *Magorum prudentia.*

Illud deinde diligenter obſeruandum eſt, Magos cauiſſe ſibi in hoc itinere à dolis, atque inſidijs Herodianis ne læderentur, dum in ſuo animi propoſito vt ad Chriſtum perueniant, conſtanter progrediuntur, nec diu hærent apud Herodem, vt nos etiam doceant *de medio Babylonu fugere*, ſi propriam ſalutem amamus, ſi Deum inuenire volumus, & inuentum conſeruare, & modò puri eſſe velimus à pice abſtinere nos monent; *nam qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*; *& qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam, cùm etiã modicum fermentum totam maſſam corrumpat*, vt monet Apoſtolus 1. Corint. 5.

3. Tertiò laudandi ſunt Magi, & imitandi, quod tam ſedulò, atque indefeſsè Chriſtum quæſierint, vt etiam fida duce ſtella deſtituti, cœptum iter non deſeruerint, non ſecus ac ſi ſemper ante oculos illam cernerent præſentem, qua re docent nos ſpirituales, interioreſque conſolationes decere non aſpernari, cùm ſuppetunt. Cùm verò ad tempus ſubtrahuntur, pergendum tamẽ eſſe alacriter in via Domini, nec propterea à cœpto itinere deſiſtendum. Aderit de cœlo cœleſte ſydus, quod nos iterum gaudio magno valdè recreabit. Sic enim Eſaias 28. teſtatur: *Quem docebit* (Deus) *ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus*, hoc eſt, à carnis voluptatibus, & omni vitæ ſuauitate ſeparatos.

4. *Mundi gloria deſpicienda.*

Quartò docet nos præſens ſanctorum Magorum exemplum, vt ſi Chriſtus nobis in votis eſt, qui eſt vera Gloria, mundi gloriam, qua nihil eſt fugacius, deſpiciamus omninò. Sic ſapientiſsimi iſti Reges diuino ſpiritu illuſtrati poſt exactos longè peregrinationis labores, in vno Chriſto ſpectando, omni honore proſequendo, omni affectu complectendo toti fuere. Quare deijciunt ſe ſe Regio diademate poſito, totoque corpore humi proſternunt, tantum in puerum apertis fidei oculis intendunt, eiuſque paupertatem, & quæ cum ea, ac cruce coniuncta ſunt, exoſculantur, & amplectuntur. Multi ſunt, qui Chriſtum redemptorem fateantur, adorent, extollant; ſed pauci qui vnà cum Magis ita Chriſtum quærant, vt illum vnicum viæ, ac peregrinationis ſuę ſcopum ſpectent, & rebus omnibus abiectis cum ſui deſpiciẽtia, cum paupertate, cum cruce, toto pectore complectantur.

5. Poſtremò, coronidis loco, obſeruanda ſunt illa Euangeliſtæ verba: *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius*: vt enim ait Rabanus, diuino nutu factum eſt, vt præſens non adfuerit Ioſeph, ne fortè aliqua grauis ſuſpicionis occaſio daretur gentibus, communi generationis ratione, & hunc infantem in lucem editum eſſe. nouiſſe enim poterant gentes ſiue ex Sibyllinis libris, ſiue aliunde Regem illum, quem ita auidè quærebant, ex Virgine naſciturum. Hoc etiam modo abſente viro aperiebatur tantò plus via, vt cogitarent Magi Regem hũc, Meſſiam ac Deum eſſe, & cœleſti conceptum operatione Spiritus ſancti. Hac item ſententia ſignificaſſe videtur Spiritus ſanctus per Matthæum non eſſe Ieſum inuenire, niſi cum Maria. nuſquam enim eſt Ieſus, niſi cum Maria,

6. *Ieſus & Maria ſemper ſimul ſunt.*

A nec Maria vſquam ſine Ieſu, nec poteſt aliquis Ieſum colere, & amare, niſi ſimul etiam in Mariam affectus concipere ſe ſentiat. quando enim fuit vmquam Ieſus ſine Maria? prædeſtinatus eſt Ieſus, at non ſine Maria. Iuſsi ſunt Angeli adorare Ieſum: *& adorent eum omnes Angeli eius*: verùm non ſine illa, *quæ audiuit, & lætata eſt*, & quæ ſuper choros angelorum exaltata eſt, non enim dubito affirmare eo ipſo mométo, quo Chriſtus Dominus in aureo Virginis vtero conceptus eſt, omnes vbique angelos, omnes cœleſtes choros non modò coram Chriſto adorabundos, procidiſſe, ſed & coram matre; ſi concipitur Chriſtus Nazarethi, non id tamen factum eſt, niſi prius Maria præberet aſſenſum; naſcitur in Bethlehem, verùm ex Maria; adoratur tunc ab angelis quidem, ſed prius à Maria; inuenitur & à paſtoribus, & Magis, ſed ſemper eius lateri adiuncta Maria conſeruans omnia verba, & conferens in corde ſuo. Portatur ad tẽplum, & offertur, at nõ ſine Maria. Fugit in Aegyptũ, ſed Mariæ gremio geſtatur; redit, ſed cũ Maria; quotannis templum inuiſit Patrem adoraturus, inuiſit, & Maria cum illo; edit ad nuptias in Cana Galilææ, primum miraculum, ſed petente Maria; Prædicat turbis, prope adeſt Maria; Pendet de cruce ſanguine conſperſus, ſed ſtabat iuxtà crucem Ieſu Maria mater eius cruci, & ipſa corde inhærens & affixa; de cruce deponitur, ſed illum ſuo ſinu excipit Maria gemens, & multa querens; Sepelitur quidem in ſepulchro nouo, quod exciſum fuerat de petra, ſed multò præſtantiùs intra Mariæ pectus conditur, quæ rectè de petra, hoc eſt de Chriſto, ſicut prima fęmina de coſta viri exciſa eſt, in quo ſepulchro nullus antea poſitus erat, quia nullus ibi vnquam locus diabolo fuit. Redit Chriſtus victor ad vitam ſubacta morte, Primùm tamen Virgini matri apparet; ſed & ad dexteram Patris, verùm prædictum eſt: *aſtitit Regina à dextris eius in veſtitu deaurato circumdata varietate*; quod ſi venturus eſt accepto Regno iudicare viuos & mortuos, eius tamen lateri adhærebit Maria, quando ſimul omnes *exibimus obuiam ſponſo, & ſponſæ*, Chriſto nimirum, & Mariæ, vtinam facias Domina, vt tuis ſanctiſsimis precibus, & filij tui meritis olim tibi, ac ſponſo lætus occurram.

B C D

Amen.

CAPVT XI.

EXPLETIS PVRGATIONIS DIEBVS CHRISTVS PVER SISTITUR Domino quadragesimo à partu die. A.2.13. & C.2.22.

A.

I *Qui cùm recessissent.*

C. *Et postquam impleti sunt dies purgationis (Mariæ) secundùm legem Moysi, tulerunt eum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino,*

f. eum habet Lucas, cuius loco Mariæ posuimus, explicationis gratia.

SCHOLIA.

I. TRIVM hic legum fieri mentio videtur. Et prima quidem est de purgatione mulierum, videlicet. lex Cerimoniarum, quibus puerpera lustrabatur, vt posset in templum ingredi, Leuit. 12. 2. *Mulier si suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstruæ, & die 8. circumcidetur infantulus, ipsa verò 33. diebus manebit in sanguine purgationis suæ: omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ, sin autem fœminam peperit, immunda erit duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menstrui, & 66. diebus manebit in sanguine purificationis suæ.* Hæc lex hic tangitur cùm dicitur, *dies purificationis eius secundùm legem Moysi.* Altera est de consecratione primogenitorum, Exod. 13. 1. & 34. 19. Leuit. 27. 26. Num. 8. 16. hæc continetur illis verbis: *tulerunt illam in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctũ Domino vocabitur.* Tertia habetur Leuit. 12. 6. 7. de hostia, quæ offerebatur tum in holocaustum, tum pro peccato, de qua hîc dicitur, *& vt darent hostiam, secundùm quod dictum est in lege Domini.* Est autem hostia pro peccato, sacrificium pro peccato; holocaustum verò erat hostia in gratiarum actionem; has porrò leges Tol. ann. 34. fusè explicat, vt non sit opus repetere.

2. *Eius*] hic Græci codices variant. Quidam habet αὐτῶ, vt referatur ad Christũ. Hispana editio Complut. habet αὐτῆς vt referatur ad D. Mariam, cuius proximè mentionem Lucas fecerat, cùm dixit:

Maria autem conferebat] Aldinus Codex, ac plerique alij legunt αὐτῶν, vt referatur ad vtrumque, legendum autem videtur 2. modo. vt *eius* referatur ad D. Mariam Dei parentem: nam Leuit. 12. de purificatione fœtus nihil dicitur.

Secundùm legem Moysi] quasi dicat, impletis diebus purgationis Mariæ; quos lex Moysis præscripserat, videl. 40. ab ortu infantis.

3. *Tulerunt illum*] duæ assignantur causæ, cur venerint in Hierusalem. Altera, vt sisterent Domino puerum Iesum, & redimerent. Altera, vt offerrent par turturum, aut duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, alterum pro peccato, scil. immunditia, quæ potiùs est pœna peccati, vel pro peccato, si quod mulier incurrisset. Primum fiebat propter infantem, ipse enim sistebatur, & redimebatur; alterum propter parentem, scil. matrem; pro ea enim fiebat oblatio, vel turturum, vel columbarum, nempè ad eam purgandam tantùm ex Leuit. 12. ea est multorum sententia: illud autem Ecclesiæ, obtulerunt pro eo, &c. intelligunt pro eius partu; sic etiam interpretare Augustin. in cap. 12. Leuitic. quæst. 10. tom. 4. cùm dicit, pro sobole, atque adeò Christo oblatum par turturum. In eundem sensum trahuntur aliquot patres, qui videntur sentire pro Christo oblatum par turturum, vel columbarum duos pullos, vt Hieron. lib. 1. aduersus Iouin. & D. Thom. 3. p. quæst. 37. ar. 3. ad 4. Cæterùm alij quidam, vt Barradius, sentiunt, sacrificia illa oblata esse pro prole, saltem ex more, siue pro matre etiam offerrentur, siue non. Quod si dicas, pro quo peccato prolis offerretur sacrificium pro peccato? Respondetur pro originali dimisso in circumcisione. Verba verò legis in Leuit. sic August. dispungit: *Cumq; expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, vel pro filia, deferet agnum,* &c. vt *pro filio, vel pro filia* referatur ad verbum *deferet.* At verò Abulens. & alij referunt ad præcedentia, & sic legunt: *Cumq; expleti fuerint dies purificationis suæ siue pro filio, siue pro filia deferet,* &c. & videtur lectio verosimilior, & quidem quod pro partu, seu pro Virgine matre, quæ pepererat, & non pro Christo oblatio sit facta, est probabilius meo iudicio, quod Ians. & Abulens. & alijs etiam magis placet. Redimebatur autem primogenitus siclis quinque.

4.

Sed numquid Beata Virgo lege purgationis tenebatur? Respon. cùm secundùm legis peritos ibi leges locum habeant, vbi legis ratio locum habet, non indigebat purificatione Beata Virgo, in qua nihil purgandum: sine viro conceperat citra omnem corruptionem, sine sigilli reseratione, citra dolorem, absque fluxu sanguinum, denique sine peccato originis, non ergò in ea legis ratio locum habebat; sed quia solent leges interdum obligare, etiam si desit speciatim, & in particulari ratio legis, propterea addimus, non fuisse Beatam Virginem hac lege comprehensam, si vel ipsa legis verba spectemus, neque enim sine causa dicitur, mulier, si suscepto semine, licèt id alijs non placeat haberi, aiunt enim Hebraicè mulier si seminificauerit, id est, si semen fecerit, hoc est, prolem conceperit, semen enim hebraicè vocatur interdum proles. Sed magis probo quod priori loco dictum est.

5. *Maria an purificationis lege tenebatur.*

2. *Sicut scriptum est in lege Domini. Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.*

3. *Et vt darent hostiam, secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.*

SCHOLIA.

2. *Adaperiens vuluam*] aperire vuluam, est interdum fœcundam reddere, quod Beatæ Virgini meritò attribuitur, cui opponitur claudere vuluam, quamuis etiam dici possit Christum aperuisse vuluam matris, quia sine vllo impedimento matris vtero prodijt, sicut dicimus aliquem vidisse cœlos apertos, qui ea vidit, quæ in cœlis sunt, absque eo quod cœli ipsi impedimento fuerint, licèt re vera aperti non fuerint. Sic Patres interpretabere, si fortè legeris apud quosdam, Christum aperuisse matris vuluam, &

6.

ideò

ideò comprehensum his verbis legis. Sed si velimus Moysem de vera reseratione esse locutum, ita Christus nullo modo matris vuluam adaperuit, ac propterea constanter affirmabimus non comprehensum hac lege, etiam spectata vi verborum, quod magis placet.

7. Sed inquies; nonne satis erat dixisse, *omne primogenitum*? Respondeo, nequaquam, potest enim esse primogenitus, & non aperire vuluam, si ante masculum nata est fœmina; potest esse & viri primogenitus, qui non aperuerit matris vuluam, si ea alteri prius nupserat, à quo filios tulerat. Itaque primogenitus ante quem nullus alius natus, dicitur *primogenitus adaperiens vuluam*. Licèt autem vir mulierem cognoscens, mulieris vuluam aperiat, propriè tamen, & multò expressiùs primogenitus id facit.

3. *In lege Domini*] dicitur lex Domini, quia ipse Dominus auctor: dicitur Moysis, quia per ipsum promulgata, & scriptis tradita.

8. *Aut duos*] non ergo vtrumque offerendum par columbarum & turturum, sed alterum par. Vide quæso æterni Regis paupertatem; non agnum obtulit, quod ditiores consueuerant, & tunc, vt videtur colligi ex Leuit. 5. emebatur duobus siclis, sed munus pauperum. quare opinor, totum thesaurum à tribus Magis oblatum, fuisse à Beata Virgine Deo consecratum, vt Canus opinatur lib. vndecimo de loc. cap. quinto, vel certè pauperibus distributum ex Bonauent. lib. de vita Christi, cap. nono, sic etiam Abulens. Matth. 2. quæstion. quadragesima septima, ne ergò mireris, dum audis duos pullos columbarum, vel par turturum eam obtulisse. Origenes hæc allegoricè interpretatus est: veros turtures, vel pullos fuisse non dubito. Illud obseruandum, quod ad Virginei partus puritatem indicandam pertinet; Deiparentem Virginem, nec à partu, nec ante partum, & vt semel dicam, nunquam menstruum passam esse peculiari Dei munere, vt & omni caruit peccato. Nec audiendos arbitror eos, qui affirmant Beatam Virginem vmbilicarem neruum, cum quo nascuntur infantes proprijs ipsam manibus incidisse, & nati pueri corpusculum lauisse, scilicet non erat his opus, lucentem, nitidumque regem gloriæ in lucem edi, præciso etiam Dei virtute vmbilicari neruo, decebat. Hinc meritò Lucas idipsum insinuans, tantùm pannis inuolutum dixit, cùm natum scripsisset. Quid verò velit Hieronym. contra Heluidium ignoro, dum ait: iunge si libet & alias naturæ contumelias, nouem mensibus vterum insolescentem, fastidia, partum, sanguinem, &c. Lege hæc apud Tolet. ann. 35. An verò nostræ mulieres lege purificationis teneantur, disputat Salmeron tract. 41. breuiter possunt si velint ex humilitate & reuerentia erga Deum ad tempus aliquod templi ingressu abstinere, verùm ad id non adstringuntur.

Mulieres Christianæ lege purificationis non astringuntur, nec templi ingressu arcentur.

4. *Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus, & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo.*

5. *Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.*

Scholia.

9. 4. *Expectans consolationem*] Quod Simeonem Lucas inducat expectantem consolationem Israel, argumento esse quidam volunt, plerosque iustos, & scripturarum non ignaros intellexisse ex sceptro de Iuda ablato, & completis hebdomadibus Danielis, Messiam aduentare, ac prope esse in foribus; quod notat Gagnæus, sed præsertim de Simeone id dixisse videtur Lucas, quia Spiritu sancto reuelante visurum se sciebat Christum Domini, alij sumam vt desiderarint, nõ tamen omninò, id est, suæ vitæ spem expectabant, iste verò suo etiam tẽpore expectabat, & propterea non optasse, sed expectasse dicitur. *Spiritus sanctus*] præsertim ob spiritum prophetiæ, non tantùm ob iustificantem gratiam: si enim de inhabitatione Spiritus sancti omnibus iustis cõmuni Euangelista loqueretur, non erat quod diceret, *Spiritus sanctus erat in eo*, cùm prius dixisset eum iustum & timoratum fuisse. Significat ergò eum Spiritũ sanctum habuisse etiam quantum ad illuminationes, & consolationes speciales diuinas, & hoc patet ex v. sequenti, vbi spiritum prophetiæ ei inesse significat. *Timoratus*] græcè εὐλαβὴς pium & religiosum esse significat: itaq; videtur δίκαιος, id est, *iustus* ad proximũ referendũ, εὐλαβὴς ad Deum. quidam affirmant magistrum Gamalielis fuisse, ad cuius pedes Paulus se eruditum affirmat, discipulum verò Hellelis, vnum ex auctoribus magnę congregationis, qui in Thalmudicis libris *Simeon iustus* appellatur, alij sacerdotem credunt, vt Cyrill. in hom. de occursu Domini. Epiph. de vitis Prophet. at secus Theoph. & Euthymius, nam dixisset, & non tacuisset id Lucas; apud Celsum lib. de incredulitate Iudæorum ad Vigilium, qui inter Cypriani opera circumfertur, cæcum fuisse inuenio, & ad contactum Christi, cùm eum in vlnas accepisset, visum recepisse, quod certè non dissimulasset Lucas. hæc ergo incerta sunt, præsertim quod de cæcitate, & de Gamaliele & Hellele dicitur.

10. Cæterùm tangit Euangelista quatuor causas, cur hunc Deus elegit ad testandũ publicè de filio suo, & quia sanctissimus, & quia Propheta, & quia maximè senex, & quia auidè aduentũ Christi desiderabat, & expectabat, hæc enim innuunt illa, *& homo iste iustus, & timoratus, & Spiritus sanctus erat in eo*, & quod responsum acceperat, non visurũ se mortem, & quod expectaret consolationem, &c.

5. *Responsum acceperat*] id est, diuino ei oraculo reuelatum fuit, nec cogimur affirmare, quod ipse id petierit, licèt nõ sit omninò improbabile, sic dicitur de Magis, responso in somnis accepto; est igitur phrasis Hebræa.

Non visurum se mortem] videre mortem phrasi Hebræa est gustare mortem, & experiri. *Christum Domini*] promissum à Domino Messiam, seu potiùs Patris diuinitate vnctum vt eius filium.

11. Lyranus scribit, oranti Simeoni; vt Christum suum mitteret Deus Pater, id reuelatum; quod nõ esset visurus mortem, nisi, &c. Niceph. verò lib. 1. c. 12 ait, legenti illud Isai. 7. *Ecce Virgo concipiet*, & ambigenti de diuini eius oraculi fide, significatum per Angelum, non visurum se mortem, nisi illum Emmanuelẽ vidisset, de quo ibi Beauxames in harmonia ex Egesippo narrat, Simeonem è præcipuis Iudæorum Rabbinis fuisse, & cùm pro suo munere in synagoga illud Isai. 7. de virgine paritura interpretaturus esset, dictionem, *ha Salma*, displicuisse, quæ viro absconditam designat, quod minus credibile videretur, virginem parituram, affert enim *ha* emphasim, & vrget dictionem, cui præmittitur, vt per excellentiam intelligatur. hinc factum est, vt litteram illam seruilem sustulerit, hanc deletã rursus reparatã vidit, secundò deleuit, & secundò repositã vidit. id tertiò cũ deleret, reparatã aureis litteris perspexit, non sine miraculo, ex quo cùm

fiduciam maiorem parituræ Virginis concepisset, oraculum consuluit, ex quo audiuit, non prius sese moriturum, quàm Christum videret. sed hæc omnia minimum incerta sunt, nam quod ait Lyranus, orantem accepisse responsum, non omninò colligitur ex eo, quod dicatur Simeon accepisse responsum, vt diximus n. 10. licèt id probabile sit, quod verò Nicephorus ait, & multò magis quod Beuxames ex Egesippo, nulla ratione adducor, vt credam. Neq; enim ea dubitatio de oraculo Isaiæ rectè quadrat in sanctitatem Simeonis, quam hic non obscurè insinuat Euangelista, dum eum docet iustum, & timoratum, & expectantem consolationem Israel, quas ob res significat responsum illud à Spiritu sancto accepisse, non autem propterea quod de oraculo dubitaret Isaiæ: quamquam quod Beuxames narrat diù quæsitum, apud Egesippum non inueni. Illud certum videtur, quod habet Nicephor. lib. 1. hist. 12. Simeoni vitam ad multum senium fuisse propagatam, vt Christum videret, quod indicat Aug. serm. 13. de tempore, vel q. de Natali.

12.

6. *Et venit in spiritu in templum, & cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo.*
7. *Et ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit:*
8. *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace.*
9. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.*
10. *Quod parasti ante faciem omnium populorum.*

Scholia.

13. 6. IN *spiritu*] actus à Spiritu sancto, seu instigante Spiritu sancto venit in templum nesciens, quòd esset ibi Christum inuenturus: sic Origen. hom. 15. Euthym. Theophyl. vel potiùs, vt ego omninò credo, monente, & reuelante Spiritu sancto, vt in templum veniret, quod Christum, quem expectabat, ibi visurus esset. Sic Iuuencus lib. 1. histor. sic Timoth. presbyter Hierosolymitan. hom. de Propheta Simeone. Sic Cyprian. lib. de mortalit. & quidem meritò, non enim dubito, monente Spiritu sancto, Simeonem venisse in templum, vt ibi Christum videret, quod & Lucas indicat, dum ait; venisse in spiritu in templum, & postea, eo in templo vlnis suis excepisse Christũ, quasi sibi prius cognitum per Spiritum, id est, signo dato reuelatum. Significatur ergo, certus fuisse Simeon, quod visurus esset in templo Christum, nec tantùm dicitur, quod instigãte spiritu in templum ierit: Timotheus autem opinatur, Simeonem anteuertisse aduentum Christi in templũ. At probabilius est, fuisse illi reuelatum, quod in templũ ingressus, inuenturus illic, & statim visurus esset Christum, nec erat, quod ibi illum expectaret. & ita S. Lucas cùm dixisset, ipsum venisse in templum, statim subdidit, *cùm inducerent puerum*, &c. *accepit eum*, &c. & ita significat, Virginem prius ingressam templum: sic sentit S. Cyprianus.

14. *Vt facerent*] Explicat Lucas tacitè, quo tempore acceperit Simeon illum in vlnas, cùm scil. parentes aggrederentur illum sistere & redimere quinque siclis, & hoc est quod ait, *cùm inducerent puerum Iesum*, id est, cùm aggrederentur pro eo facere secundùm consuetudinem legis, id est, illum sistere; tunc Simeon non cernere oculis contentus, cœlesti totus gaudio perfusus, accessit, accepit eum, &c. hoc ergò significat, *pro eo*, non quod oblatio turturum, vel columbarum esset pro eo facienda, simulque innuunt hæc verba, non tantùm quo tempore, sed qua etiam occasione acceperit eum Simeon in vlnas suas: quasi dicat, non cùm facta est oblatio pro purgatione Matris (hæc enim præcessisse significatur istis eisdem verbis) sed cùm facerent secundùm consuetudinem pro eo, id est, dum illum sisterent pro more, & redimere vellent. Beda inquit, eadem gratia, qua venturum prænouerat, venientem cognouit. Timoth. presbyter Ierosolymit. in oratione de Simeone Propheta, putat vidisse illum Deiparam diuino circumdatam lumine, inter fœminas reliquas, & hoc indicio Dei matrem intellexisse. Carthus. etiam, forsitan, inquit, vidit diuinũ quendam splendorem in vultu pueri, arbitror tamen ego huiusmodi vel splendoris, vel alterius rei signum illum accepisse, antequam in templum veniret, quo postea in templo agnouit Christum infantem, eiusque matrem sanctissimam. Obserua *secundùm consuetudinem* dixisse, non *secundùm legem*, quoniam nulla tali lege tenebatur; quod fauet opinioni eorum, qui satis probabiliter opinantur, & ex vi verborum non modò, quia Deus erat Christus, ad ipsum non pertinuisse hanc legem: licèt se sponte ad aliorum exemplum legi submiserit, vt & mater eius.

7. *Et ipse accepit eum in vlnas suas*] Tò &, idem est, ac, etiam ipse, quem mater gestabat, *Accepit in vlnas suas*] eodem spiritu, quo Christum venturum agnouerat, *benedixit*, id est, laudauit, vel gratias egit, vel bona, quæ extra ipsum sunt, precatus est, ac desiderauit, vt, quod eum omnes agnoscerent, laudarent, amarent, quod tertium est propriè benedicere, scil. bona precari, licèt verò laudare, gratias agere, benedicere distinguantur, non tamen semper seruatur discrimen. 15.

8. *Dimittis*] Græcè est ἀπολλύεις, id est, abire me facis in pace, hoc est, facis, vt cum gaudio; & pace hinc discedam; putant aliqui, *dimittes*, legendum, & cùm Hebræi, vt aiunt, vota per futurum explicent, volunt optantis esse hæc verba. Sic Ambros. Beda, Lyranus, & alij graues auctores. Sed passim *dimittis*, legimus ἀπολλύεις, quod videtur propriè esse liberari de fœdo carcere; cùm ergo promisisset Deus, non mortem obiturum Simeonem, quin prius Christum videret, quasi statim eo viso moriturus esset, & non ob aliud ei vita proroganda videretur; ideò huius rei non ignarus senex, quasi iam moriens præsenti vsus est tempore, *Nunc dimittis*. Alloquitur autem Patrem, à cuius spiritu responsum acceperat. Vide Cyprian. lib. de mort. & Euthym. in comm. Alij sic exponunt. si nunc dimittas, in pace dimittis, qui sensus ferè idem esse videtur, cùm à nobis allato, sed obscurior, qui verò allatus est, cùm sit absolutus & simplicior, clarior videtur, est ergò hæc sententia tota, nunc è viuis eripisme, & tamquam de tetro carcere abire me facis, prout promisisti, & quidem quieto, & tranquillo animo, quasi dicat, nunc lætus morior. 16.

Secundùm verbum tuum] id est, iuxta promissionem tuam mihi factam, qua moriturus significabar lætus viso Christo, & ob hoc vnum detinendus in vita. Porrò illa, *secundùm verbum* id est, sicut promisisti, referuntur, & ad, *nunc dimittis*; prænouerat enim spiritu, vt dixi, ex responso illo accepto statim se moriturum; similiter & referuntur, ad, *in pace*. Significat autem, *In pace*] contentum 17.

Digitized by Google

tum expletis votis, seu compotem voti, & quietò animo: quasi dicat, dimittis lætum, & quietum, sicut mihi etiam promisisti. Cyprian. de mortalitate, *in pace*, inquit, *quasi in pacem dimitti dicit, quia ad æterna vitæ pacem ex hoc carcere festinabat.* Alij inquiunt, idem esse *in pace*, ac plenum dierum mori, nec præmatura morte, nec repugnantem. Vox Hebræa, *Schalon*, pax, significat sanitatem, integritatemque, successus boni, & votorum omnium adeptionem, animi etiam tranquillitatem, & lætitiam, Genes. 43. *Estne pax patri vestro?* quod Hieronym. vertit, *Sanus ne est pater vester*, Genes. 15. *Ibis ad patres tuos in pace*, id est, contentus, & tranquillo animo. Sic Tobias rogat, c. 3. recipi spiritum suum *in pace*. & Psalm. 4. *in pace in idipsum dormiam, & requiescam.* Heliseæ. 4. Reg. 5. & Christus, ille Naaman Syro, hic mulieri dixerunt, *vade in pace.* His duobus posterioribus modis pro felici votorum successu, & tranquillo, ac læto animo hic sumitur.

18. 9. *Oculi mei*] emphasim habent, quasi dicat, non fidei solùm oculis, vt olim Patres, sed istis eisdem oculis meis carneis vidi eum. *Salutare tuum*] id est, filium tuum Christum Saluatorem meum. Porrò redditur hic causa, cur nunc sibi moriendum sit, & quidem in pace, quia inquit, iam vidi oculis meis id, propter quod in vita detinebar, & quia consolationem Israel, quam expectabam his ipse oculis prospexi inter brachia, complexumq; meũ hærentem.

19. 10. *Ante faciem*] κατὰ πρόσωπον. quasi dicat, tanquam signum aliquod conspicuo, editoque loco positum, ad quod conuertantur omnium oculi. videtur alludere ad Isa. 11. *& erit in signum omnium populorum*: sed præsertim ad illud Isa. 52. 10. *Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium*, id est, exeruit, nudauit, expediuit; quare sequitur, *& videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Est ergò sensus, quod scil. salutare tuum parasti, id est, exposuisti, nudasti, expediuisti in conspectu omnium populorum, & gentium, quod omnes aspiciant, vt quicunque velint ab eo saluentur. Apud Isa. est verbum *Chasaph*, quod significat nudare, detegere, expedire, loco cuius vertit interpres vulgatus, parauit, id est, expediuit, nudauit; &c. & Ezech. c. 4. 7. vbi dicitur, *brachium tuum erit extentum*, Rabbi Dauid vertit, *nudatum* ex hoc Isa. 52. *nudauit Dominus brachium suum.* sic enim ex Hebræo legit. Est autem apud Ezech. idem verbum *Chasaph*, licèt apud Ezech. rectius vertatur *extensum*, nam & hoc potest significare vox Hebr. Sic Pradus in cap. 4. Ezech. 7. Illud verò, *quod*, refertur, ad *salutare tuum*, per quod significat salutem aduenisse, hoc est, mundi saluatorem. Et nota prædici hic gentium conuersionem; neque enim tantùm Iudæorum, sed etiam gentium Saluatorem Christum prædicat; sicut enim solem omnes aspiciunt qui volunt; vbi dies illuxerit, ita & se Christus omnibus communicauit, vt lucem inferat gentibus; & infidelium discutiat caliginem, Ioan. 8. *Ego sum lux mundi*, lumen autem tenebris opponitur, vt fides infidelitati, religio impietati, & cognitio cæcitati, imò & tenebræ sunt sapientia mundi, prudentia carnis, & omnia peccata, de quibus Coloss. 3. Ephes. 5. 1. Corinth. 6.

11. *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.*

12. *Et erant Pater eius, & Mater, mirantes super his, quæ dicebantur de illo.*

A

Scholia.

11. LVmen] *Tò lumen, & Tò gloriam* referuntur appositiuè ad *Tò salutare*, videtur alludere ad Isa. c. 40. 42. & 46. 13. & ad c. 60. 1. 2. Duplices porrò tenebræ sunt, peccatorum, & ignorantiæ, vtrisque laborabant gentes; cùm Iudæi tantùm primis tenerentur; ideò gentibus dicit potiùs futurum esse lumen; verùm quia ex Iudæis propagatus erat, Iudæorum gloriam vocat. *Ad reuelationem gentium*] id est, illuminationem gentium. Quatuor igitur nominibus appellat hic Christum, mediatorem tacitè, dum se per illum obiturum in pace prædicit, Saluatorem omnium, Doctorem, ad illuminandas præsertim gentes, denique gloriam Israelis nominat, ipsum vehementer exornans, & clarum reddens, ex cuius ipse Messias stirpe descendat. Hæc hactenus. 20. *Tenebræ duplices.*

B

12. *Pater*] Ioseph, Christi pater appellatur, tum quia nutritius. Orig. ho. 16. in Luc. Augustl. lib. 2. de consen. Euang. c. 1. tum quia communi hominum opinione parens habebatur. Sic Hieron. c. 28. Ieremiæ, & aduersus Heluidium. sic Luc. 3. 23. *vt putabatur filius Ioseph*, obseruat autem August. loc. cit. quod non solùm ab his, qui conceptionis Christi modum ignorabant, sed etiam, quod caput est, à B. Virgine Luc. 3. 48. *pater* vocatus est: *pater tuus, & ego.* Ab ipso item D. Luc. n. 27. 33. eodem c. 2. Tum quia vir erat & maritus B. Virg. veræ Christi matris, præsertim cùm propter ipsum Christum peculiari Dei consilio B. Virgo Ioseph in matrimonium tradita fuerit. Lege August. loc. cit. omnia porrò quæ sunt coniugis, mariti fiunt, nam vir dominium habet corporis suæ coniugis, igitur & omnes fructus, qui inde nascuntur ad eum pertinent, mulier enim sui corporis potestatem non habet, sed vir. Cùm ergò Christus sit fructus virginei corporis, etiam ad Iosephum pertinebit; quæ confirmantur ex instit. vbi habetur, quòd Dominus fundi, est Dominus eorum; quæ in eo nascuntur, instit. de rerum diuisione, §. *in suo solo*, versic. *ex diuerso*: quod in alieno solo nascitur (adde, etiam si miraculo nascatur vt fons) vel ædificatur, sub illius dominium cadit, cuius est solum. quod si adoptione quis efficitur filius alterius, multò id magis matrimonio ipso fiet, & si corporis coniunctio efficit carnem vnam, multò magis ipsum connubij vinculum cor vnum, vnum velle efficiet, atque adeò omnia bona coniugum communia reddet, multò feliciùs quàm amicitia, etiam si filij sunt, qui inter maxima matrimonij bona connumerantur. 21. *Ioseph quare pater Christi vocetur.*

C

D

Ex his patet habuisse Ioseph non solùm *patris* nomen, sed etiam rem, nam excepta carnali generatione habuit perfectam patris sollicitudinem, amorem, & vt sic dicam, auctoritatem; quod præter dicta sic confirmatur, cùm enim Deus Ioseph elegerit in filij sui patrem, & matris sponsum, nõ dubium, quin illi impresserit, quæ veri patris sunt. Eodem modo quo D. Ioanni Euangelistæ, cùm à Christo electus fuit in filium suæ matris, illis verbis, *mulier ecce filius tuus, ecce mater tua*, impressit ipse Christus quæ filij sunt, hoc vno excepto, quod genitus à B. Virgine non esset. Hinc Damascen. oratione 3. de Natiuit. Virginis, & Epiphan. hær. 51. Iosephum aiunt, assumptum esse loco patris, & Bern. hom. 3. vocat Iosephum, seruum fidelem, & prudentem, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritiũ. & Rupert. 3. de off. c. 18. & lib. 1. de honore & glor. filij hominis in Matt. circa illa, *Iacob autem genuit Ioseph*; dicit Iosephum esse supremum scalæ illius gradum, cui Dominum innixum vidit Iacob, comparat enim scalæ Ia-

22.

læ Iacob lineam generationis Iesu Christi. porrò Ioſepho, cui etiã ſe ſponte ſubiecit tãquam parenti optimo ac dulciſsimo innixus eſt Chriſtus. Vide ergo Ioſephum non ideò tantùm in ſcripturis dici Patrem Chriſti, quod ſic putaretur vulgò, ſed etiam potiori alia ratione, quam hactenus expoſuimus. quare non mirum, quod Pater à Luca, & B. Virgine, quos non latebat conceptionis eius modus, vocaretur.

23. *Mirantes*] Licèt noſceret Beata Virgo myſterij ſummam, præſertim quæ ad conceptionem pertinebant, ſingulares tamen myſterij partes & circumſtantias ignorare potuit, & præter illa, quæ audierat prius, potuit magis ſingillatim, ac ſpeciatim in dies mirabiliora videre, hæc ergò cùm enucleatiùs & diſtinctiùs audiebat, cernebatque, mirabatur, conferens etiam cum iis, quæ à conceptu eousque acciderant. Toletus verò, admirabantur, inquit B. Virgo, & ſanctus Ioſeph de ijs, quæ Simeon ſignificabat, non quod ignorauerint ea, ſed quod ex ſe illa eximia eſſent, & captum, humanamque virtutem excederent, tanquam magna & inſolita: vtraque expoſitio bona eſt.

13. Et benedixit illis Simeon: & dixit ad Mariam matrem eius: ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur.

SCHOLIA.

24. 13. *Benedixit*] parentibus dum taxat tam felicem prolem eſt gratulatus, feliciaque eſt precatus, benedixit autem non vt ſacerdos, ſed vt iuſtus vir & ſanctus, licèt Toletus etiam ſacerdotem fateatur. *Et dixit ad Mariam*] ad quam puer vt veram matrem pertinebat, ſola enim ipſum genuerat; vel quia Ioſeph non erat futurus præſens morti Chriſti. *Ecce poſitus*] his loquendi formis non Dei conſilium, ſed tam certus ſignificatur euentus (nimirum quod multi culpa propria & vitio ſuo, in eum non credentes voluntariè caſuri ſint, & fidem ſalutemque amiſſuri per occaſionem) vt diuino conſilio tribui poſſe videatur, quaſi enim de induſtria videbatur poſitus, vt alij caderent, quomodo omnes, qui in illum non credunt, offendunt in illum, cùm reuera ad reſurrectionem tantùm à Patre miſſus ſit, omnes enim vult ſaluos fieri, 1. ad Timoth. 2. 4. ſic expone Ioan. 9. 39. *In iudicium ego in hunc mundum veni.* & Iſa. 8. 13. 14. 15. *Dominum exercituum*, &c. Cæterùm hîc *ruina* non peccatum, ſed peccati effectum, id eſt, caſum, & interitum ſignificat. Eſt ergo ſenſus, *in ruinam multorum*, id eſt, perditionem multorum poſitus eſt, quippe qui lapis eſt offenſionis, & petra ſcandali, in quam multi impegerunt, & lapſi ſunt, & quotidie labuntur. Occaſione quidem accepta, non data, ægrè ferentes quòd filium Dei ſe faceret, quod mores & vitia publicè carperet. *in reſurrectionem* quoque, id eſt, ſaluationem multorum Iſraelitarum poſitus eſt, quippe, quos & morum ſanctitate, & verborum vi, ac pondere, & miraculorum admiratione ad fidem, bonamque frugem reduxerit; hoc eſt, quod Iſaiæ 8. habetur, *& erit vobis Dominus in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis, & petram ſcãdali duabus domibus Iſrael.*

25. *Signum in ſcripturis tripliciter accipitur.* *Et in ſignum*] ſignum tripliciter vſurpatur potiſſimùm in ſacris litteris; vel enim miraculum ſignificat, quod miracula diuinam virtutem confirment, vt Pſalm. 134. *& miſit ſigna & prodigia.* Actor. 5. *Per manus Apoſtolorum fiebant ſigna*, &c. Vel ſignificat vexillum Iſa. 5. & *leuabit ſignum in nationibus procul.* Pſalm. 73. *Poſuerunt ſigna ſua, ſigna, (& non cognouerunt) ſicut in exitu ſuper ſummum.* Signa priori loco pro inſignibus, & vexillis, poſteriori pro trophæis, & monumentis victoriæ ſumuntur: q. d. poſuerunt ſua inſignia & vexilla, in ſigna & trophæa, id eſt, vt eſſent trophæa, & monumenta ſuæ victoriæ ſuper ſummum (templi) *ſicut in exitu*, id eſt, ſicuti in Compito, & loco profano, & non cognouerunt, ſcilicet nos ſpectantes iſta non curarunt, vel non diſtinxerunt inter ſacrum & profanum, vel non cognouerunt ſe tua permiſſione eam victoriam conſecutos; ſed ſuæ virtuti eam attribuerunt. *Exitus* hic potiùs compitum ſignificat, in quod exeunt, & deſinunt multi vici, quàm portas. Sic Matth. 22. *Ite ad exitus viarum.* Tertiò ſcopum ſignificat, vt Thren. 3. 12. *Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam, miſit in renibus meis filias pharetræ ſuæ.* id eſt, ſagittas, ſic Iob 16. *Poſuit me ſibi quaſi ſignum.* Sic ſumitur hîc pro ſcopo, vt ſumpſit Tertullian. lib. de carne Chriſti cap. 22. Agit autem hîc Simeon de morte, & paſſione Chriſti, & ſignificat fore, vt Iudæi certatim in Chriſtum manus inijciant. Dicit igitur, Chriſtum ſimilem ſigno futuro, cui contradici, id eſt, de quo feriendo, cõfigendoque certari ſolet, & propterea non deſunt, qui ex Græco omninò, *contraditur*, legendum ſentiant. Si enim ad Chriſtum referretur, diceretur *in ſignum* ἀντιλεγόμενον, *cui contradicetur*, cùm autem Græcè ἀντιλεγόμενον, *cui contradicitur* legamus, erit Epithetum ſigni, non Chriſti, quaſi dicat, ſignum contradictionis. Verùm ego arbitror interpretem rectè ſic vertiſſe, & fortè ἀντιλεξόμενον legerat, licèt ſecundùm rem idem ſit ſenſus, quomodocunque legas; nam in primis aliquando præſens tempus Græcè pro futuro ponitur, vt Lucæ 1. *quod naſcetur ex te ſanctum*, Græcè, τὸ γεννώμενον præſenti tempore. Deinde ſic legit Auguſt. lib. qq. num. q. 36. & lib. 2. de Conſ. Euang. c. 5. & Origen. homil. 17. in Lucam, & Ambroſ. de fide reſurrectionis, ad hæc non rectè tribuitur contradictio ſcopo, ad Chriſtum verò ſimilem ſcopo, rectè refertur, quoniam enim linguis Iudæorum & factis, quibus illi vitam eripere, & eius excludere doctrinam certabant, quaſi ſagittis immiſſis impetebatur ſubinde, ideò rectè dici potuit ſignum, cui contradicendum erat, cùm in prædicatione, ac miraculis, tum verò maximè in morte, & paſſione. Itaque illud, *cui contradicetur*, rectè in Chriſtum quadrat, & hac ratione vox contradictionis propter Chriſtum, & de Chriſto dicitur non de ſcopo abſolutè, neque enim Chriſtus *ſcopus* dicitur, quomodocumque, ſed eiuſmodi, qui verbis & re contradicendo, non ſimpliciter attingendo feriatur. Quomodo autem, & Eccleſiæ Dei, & Beatæ Virgini competat, eſſe in ſignum, id eſt, miraculum, vexillum & ſcopum, docet eruditè & piè Vegas in Apoc. c. 12. ſec. 2. & ibid. de B. Virg. Comm. 1. ſec. 1. 2. & 3.

14. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

SCHOLIA.

14. ET *tuam ipſius animam*] particula, &, indicat eundem futurũ gladium, qui Chriſtum ſit occiſurus, & Matrem penetraturus, id eſt, vulneraturus. At quia non per corporis mortem, ſed animi dolorem id effecturus erat, ideò non corpus ait, ſed *animam pertranſibit.* Ipſa 27.

igitur

igitur eadem Christi mors, vel passio, & filij, & matris gladius prædicitur, sed qui Christum occisurus esset, Mariam vulneraturus, & hoc significat Simeon, cùm inquit, *Animam pertransibit.* Anima enim immortalis est, non ergò mortem infert iste gladius, sed animi dolorem, confertur igitur hic passio, morsque Christi gladio, qui magna vi & summa contentione in aliquem vibratur, adeò vt illum interimat, & proximum vulnerando attingat. Atque ita tacitè insinuatur iuxtà crucem Iesu staturam esse matrem. Porrò patres, qui de dubitatione Mariæ locum hunc interpretantur, vt Chrysost. homil. de occursu Domini. Basil. ad Opt. Damascen. 4. de fide c. 11. qua in re videntur Origeni homil. 17. fauere, intelligendi sunt piè de stupore & admiratione rerum visarum, non de fidei infirmitate. Sic D. Thom. 3. p. quæst. 27. ar. 4. ad 1. & Franc. Suar. d. 4. serm. 3. sub fin. An verò Martyr fuerit Beato Virgo, docet idem Suarez. d. 21. sec. 4.

28.

29. *Vt reuelentur*] *vt* non caussam finalem dicit, sed ipsum tantùm rei euentum, referendumque est hoc ad totum id quod præcessit, scil. quod Christus *positus est in ruinam & in resurrectionem multorum, vt reuelentur, &c.* Est igitur hæc sententia: ita fiet, vt dum alijs erit in ruinam, alijs in resurrectionem, alij sequentur, vt credant, alij contradicent, vt persequantur, ita *vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes*, id est, quid de Christo sentiant, aperiatur. Patiente enim Christo quosdam de illo iniquè sentire, quosdam piè & religiosè clarum & apertum erit, præsertim quia multi Iudæorum odium & inuidiam contra Christum supprimebant metu plebis; sed postea patiente, ac moriente Christo, quæ prius malè tecta fuerunt, foras emiserunt, & ideò apparuit multorum animus, qui prius occultus erat, quod est reuelari cogitationes multorum. Iuxta hunc sensum verum, ac germanum illa verba, & *tuam ipsius animam pertransibit gladius*, veluti per parentheſim interiectam accipi debent.

15. *Et erat Anna Prophetissa filia Phanuel de tribu Aser: Hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à Virginitate sua.*

16. *Et hæc vidua erat vsque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte, ac die.*

SCHOLIA.

30. 15. PRophetissa] vel quæ spiritum Prophetiæ habebat, vel per antonomasiam sic vocabatur, ob celebrem & frequentem prophetandi vsum.

A Virginitate sua] id est, à die nuptiarum, quando Virginem illam desponderat vir suus, quod poterat circa decimum quintum annum contigisse. Alij malunt intelligere à prima virginitate sua, id est, à prima pubertate sua, hoc est, ab eo, tempore, quo Virgo esse cœpit: sicut dicimus à iuuentute, ab eo tempore, quo cœpit esse iuuenis. Tunc autem fœmina esse Virgo propriè incipit, cùm nubilis esse cœpit & corruptionis capax, puta ab anno duodecimo, tunc enim hæc nuptui tradita, 7. annos cum viro, id est, vsque ad 19. circiter vixit.

31. 16 *Vsque ad annos* 84.] Interpres legisse videtur Ens. id est, vsque ad. Græc. Codices habent, ὡς ἐτῶν

A ὀγδοήκοντα τεσσάρων, id est, circiter annorum 84. vnde ambiguum est, an intelligendum sit, quod ipsa iam in viduitate annum ageret 84. aut circiter. An verò quod tunc 84. annos nata erat. Ambros. in in hunc locum, & lib. de viduis primo modo sumpsit; sed non videtur admodum verosimile: nam credibile est vxoratam non fuisse id tèporis, ante 15. annum si sequamur primam intelligentiam eorum verborum, *à Virginitate sua* n. 30. allatam, cui numero si addas septem annos in matrimonio, conflabuntur 22. quibus rursus si addas 84. erunt anni 106. qua ætate vix videtur potuisse vigilijs, & ieiunijs diu multumque vacare, & alijs corporis castigationibus, quæ sub ieiunijs rectè contineri possunt, & sic interpretantur Euthy. Gagnæ. Ianse. Tolet. Maldon. Emma. &c. Quare quod scripsit Erasmus in annot. 84. annos ad tempus viduitatis referri, tantùm ob Ambrosij auctoritatem, probabile est: quod si sequaris secundam expositionem illorum verborum, *à Virginitate sua*, eod. n. 30. positam, idem ferè conficitur numerus duobus, vel tribus tantùm annis demptis, sunt qui referant August. quasi consentientem cum Ambros. in epist. 121. c. 16. vel certè q. legentem hunc locum, vt nos habemus, sic videtur Serarius Iudith 16. q. 4. habere, sed nihil tale reperi eo loci apud Augustinum.

B *Seruiens*] scilicet Deo, non autem seruiens ieiunijs & obsecrationibus, quasi significetur dedisse illis operam, qud tamen Lansenio non displicuit, licèt Τὸ seruiens aptiùs ad Deum referri dicat: quod omninò dicendum, nam λατρεύειν in sacris litteris non datiuum rei, sed personæ solet admittere, ita vt sit sensus, ieiunijs, & orationibus Deum coluisse, id enim Græcè est λατρεύειν, disce hinc Deo cultum tribui, etiam ieiunijs. Porro Deum colebat ieiunijs, quasi holocaustis, obsecrationibus velut incenso; illis corpus, his animum Deo immolabat; illa respondent sacrificio de animalibus, quæ foris offerebantur in atrio super altare holocausti. hæ sacrificio de incenso, quod offerebatur intra templum super altare aureum, aptè verò hæc duo iunguntur, cùm se mutuò iuuent: dicitur enim Tobiæ 12. *Bona est oratio cum ieiunio.*

C *Non discedebat è templo*] Modus hic loquendi quotidianum, frequentemque ac diuturnum accessum significat: cùm enim vidua esset, vitâ suam dicârat Deo, templum quotidie adibat, ibique diu multumque orabat, hoc est, in atrio fœminarum, somni tantùm, cibique capiendi caussa domum repetebat. Cæterùm quoniam iuxtà templum virgines quædam habitabant, potuit etiam cum illis Anna habitasse: fuisse porrò apud Iudæos fœminas, quæ diuino cultui se tradebant, spreta mundi vanitate, intelligi potest ex Exod. 38. 8. & 1. Reg. 2. 22. de Virginibus etiam quæ circa, vel potius iuxta templum habitabant, est illud 4. Regum 11. 3. & 2. Machab. 3. 19. Ambros. lib. 1. de Virg. etiam inquit templo Hierosolymis legimus fuisse virgines deputatas. Dixi autem potiùs iuxta templum habitasse, nam vt obseruat Barrad. noster tom. 1. lib. 1. cap. 40. non est verosimile adhæsisse templo cellas Virginum, sed credibile est potiùs fuisse iuxta atrium mulierum ædificatas, de quo atrio mulierum loquitur idem Barrad. cap. 29.

D 17. *Et hæc ipsa hora superueniens, confitebatur Deo, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.*

18. *Et vt perfecerunt omnia secundùm*

legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth.

19. Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientia, & gratia Deus erat in illo.

SCHOLIA.

33. 17. ET *hæc*] tanta mulier. *Ipsa hora*] ergo Spiritu sancto impulsa, sicut Simeon. Fuit autem hora hæc cùm puerum præsentarent parentes, & vt credo, cùm Simeon infantem in vlnis gestaret.

Superueniens] quasi confirmans, quæ dicebat Simeon.

Confitebatur] Græcè ἀνθωμολογεῖτο. Est autem ἀνθωμολογεῖσθαι, idem quod χάριν ὁμολογεῖν, id est, gratias agere, & confiteri ab aliquo beneficia habere, hic ergo sensus esse potest, gratias Deo agebat de misso ad nos in carne Saluatore filio. Eodem verbo vtitur Nazianz. de Simeone, & Anna loquens, μετὰ Συμεῶνος ἐνηγκαλισάμεθα, καὶ μετὰ Ἄννης ἀντωμολογησάμεθα, id est, cum Simeone amplexemur, & cum Anna accepta illi beneficia referamus, aut gratias agamus. Igitur hic, *confiteri*; non tam pro laudare sumitur, quàm gratias agere, vt & Lucæ 10. *Confiteor tibi Pater*, &c. *quia abscondisti*, &c. Sic Gagnæus, qui etiam notat αὐτὴ non significare vicissitudinem hîc, vt respondeat confessioni Simeonis, quod tamen Erasmus putauit.

Domino] id est, Christo, nam sequitur, *& loquebatur de illo*, id est, Christo. *Qui expectabant*] auidè, præsertim hoc tempore. Expectare enim hic, vt & superius, non significat solam spem, sed iam iam adfuturum sperare, quem optamus. *Redemptionem Israel*] λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ. quasi innuens nutu Dei redemptionem Israelitici populi faciendam expectabant à Messia Ierosolymis in templo.

34. 18. *Et vt perfecerunt*] Augustin. 2. de consen. Euang. cap. 5. docet perfectis his, quæ à Luca narrantur, die purificationis facta: Ierosolymis apparuisse Angelum, & monuisse, vt in Aegyptum fugerent, ideò ex Hierusalem in Aegyptum concessisse, & post reditum ex Aegypto euenisse illud quod hic dicitur à Luca, reuersos scil. esse Nazareth, quod & Matthæus narrat, dum ait: *secesit in partes Galilææ, & habitauit in ciuitate Nazareth.* hoc sequitur Iansonius. Sed verior sententia est, vt statim post purificationem redierint in Galilæam, videlicet Nazareth, & paucis post diebus moniti, in Aegyptum descenderint cum puero, nam scribit Lucas, reuersos postquam Ierosolymis perfecerunt omnia; si reuersi non fuissent, nisi post reditum è fuga, non addidisset Lucas, *postquam perfecerunt omnia*, significare enim videtur ob purificationem duntaxat detentos fuisse, ne statim redirent. Vt ergo expleuerunt omnia, ad propria redière: nec deest ratio, decebat enim vt ante fugam ea componerent, quæ domi habebant. Probabilis tamen est sententia Augustini. Illud nullo modo mihi credibile videtur, redijsse Bethlehem, & inde fugisse, præsertim, si dicas quod Epiphanio videtur placuisse hæres. 51. post duos annos id contigisse à partu Virginis, quando etiam putat Magos adueniisse, ita vt post Magorum recessum statim moniti fuerint vt fugerent in Aegyptum; nec multum vrget ratio Iansenij, nam alioqui inquit, cur Ioseph reuersurus ex Aegypto, Iudæam cogitabat, & non potiùs Galilæam redire, si inde fugerat, præsertim, cùm ibi domum haberent, ex Iudæa ergo fugerant, & ideò illuc proficisci volebant vnde discesserant, licèt admoniti in Galilæam deuenerint, sed textus ipse, & ratio vt dixi, magis fauent nostræ opinioni. De eo verò, quod affert Iansenius, suo loco dicetur.

19. *Et confortabatur*] Græcè καὶ ἐκραταιοῦτο, id est, & fortior reddebatur, & corroborabatur, addunt̃que Græci τῷ πνύματι, id est, spiritu, quod ad augmentum corporis referendum est. Origen. hom. decima septima & decimaoctaua non agnouit vocem *spiritu*, & noster interpres optimè vertit absque *spiritu*, hæc enim ad corporis vires, & robur pertinent, & licèt addas *spiritu*, idem est sensus, significatur enim quidam vigor membrorum, q. d. Lucas, & statura corporis, & membrorum robore augebatur in dies.

Plenus sapientia] De corpore dixerat, confortabatur, at de sapientia non vertit interpres, implebatur sapientia, sed *plenus sapientia*. nam verè non poterat in sapientia progressus facere, nec valet dicere quantum ad ostensionem sapientiæ creuisse. Id quidem rectè potuit dici, cùm annorum esset duodecim: sed non cùm infans; neque enim ostendendi sapientiam tempus aduenerat, quippè infans est mutus quodammodo, quomodo verò inferius dicat Lucas, *proficiebat sapientia & gratia*, ibi exponemus. Nec contra hæc, quæ diximus, facit textus Græcus, qui πληρούμενον habet, nam participium præsentis temporis, & imperfecti sumitur interdum pro nomine. Itaque hic pro pleno ponitur, quòd cogimur affirmare, quia Christus infans nullo modo verè proficiebat sapientia. Huc accedit, quod in sacris litteris hoc verbum πληροῦσθαι non motum ad plenitudinem, quod notat Toletus, sed terminum plenitudinis significat, vt Iosuè tertio ὁ δὲ Ἰορδάνης ἐπλήρετο, non est sensus, Iordanis implebatur, sed plenus erat, eodem modo hic vertitur rectè, *plenus erat sapientia*, non autem *implebatur*, quod etiam valet, licèt vim participij haberet, cùm verbum hoc perfectionem, & plenitudinis terminum significet, quasi dicat, Dius Lucas, replotus sapientia, vt dicit Vigilius libro secundo contra Euthy. Lege Suarez disput. 17. sec. 3. ad 4.

Et gratia Dei erat in illo] Significare voluit Lucas esse in Christo, vt in fonte gratiam, quæ in reliquos dimanaret, de cuius plenitudine nos omnes accepimus: propterea non dixit, vt de sapientia, plenus gratia. quomodo in Christo, & cum Christo, & super Christum fuerit gratia Dei, aliter quàm in nobis, nobiscum, & super nos. Doctè declarat Toletus ann. 67.

THEORIA,

Circa aliquot loca præcedentis capitis.

1. Masculi citius formantur in vtero quàm fœmellæ.

CIRCA Vers.1. *Postquàm impleti sunt dies Purgationis*. Dies præscripti in partu masculi 40. erant, ad imitationem naturæ, quod scilicet in maribus à conceptu circa 40. diem corpus formetur, & animetur, in fœmellis verò propter seminis frigiditatem, atque ob eiusdem tardiorem decoctionem circa 80. diem teste Arist. lib. 7. de hist. an. c. 3. Mares inquit, fœtus magna ex parte circa 40. diem dextero potius latere mouetur, fœminæ sinistro circa 80. est enim Embrio per sex dies in materia lactea, per sequentes nouem in sanguinea, per duodecim alios subsequentes fit caro, per quindecim verò, qui cõsequuntur caro crescit formanturque eius organa, & præparantur ad susciendam animam rationis compotem. Plus verò temporis est in formatione fœminę. Vnde in lege hoc tempus geminabatur, si fœmina ederetur, quia defectus maior, & humorum copia abundantior diuturniore egebat purgatione. Hinc Arist. lib. 7. de hist an. c. 9. *si mas* inquit, *nascitur, profluit sanies dilutа, pallidiuscula, si fœmina cruenta*. Vide quàm fœtida res sit hominis corpus, & an habeas in medio tui, vnde humilieris. Porrò hæc olim iussa purgatio ostendit mysticè nasci hominem peccati labe infectum, *nec enim mundus à sorde est, licèt puer vnius diei sit super terram*. quare neminem sanctorum natalem suum diem lætitia prosequutum legimus, quin & Iob. 3. & Hier. 30. in diem natiuitatis suæ maledicta congesserunt; tantùm sceleſtos homines, proditum est, in scripturis natales suos dies celebrasse; nimirum Pharaonem Gen. 40. qui tamen ipso die natalis sui pistorem suspendi iussit, & Antiochum, qui 2. Machab. 6. & seq. compellebat die natalis sui Iudæos ad sacrificia impia, & Matth. 14. Herodem, qui tamen sanctissimi præcursoris cæde natalem ipsum suum sceleſtissimè cruentauit.

Pij natalem suum lugent, impij celebrant.

2. Erasmi error

Iterùm circa leges; quarum hic meminit Lucas, Erasmus satis turpiter in paraphrasibus errauit, dùm has leges non benè discernẽs scribit; *exhibitus est veluti legi obnoxius in templo, qui dominus erat omniũ cœlestium, ac terrestrium, redemptus est exiguo pretio, qui sui sanguinis pretio redempturus erat vniuersum mundum, lex enim præscripserat, vt parentes primogenitum masculum redimerent agno anniculo, qui dubatur in holocaustum, deindè adderetur columbus: aut turtur pro expiatione peccati, si quid labis in concubitu aut post esset contractũ. Debet enim vndequaque purum esse, quod Domino sit offerendum, quod si rei familiaris angustia non patiebatur dari agnũ, agni vice dabatur turtur, aut pullus columbæ pro redemptione pueri. Altera auis offerebatur pro expiatione peccati.* Hæc ille. Sed apertè allucinatur dùm scribit, id quod in holocaustum offerri debuit ex Leuitico duodecimo pro pueri redemptione datum, cùm tamen vtrumque offerendum esset, etiamsi primogenitus non esset, neque masculus. quare cum Leuitici duodecimo legimus: *cumq; expleti fuerint dies Purificationis suæ pro filio, siue pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum*, &c. Illud *pro filio*, siue *pro filiâ*, non debet referri ad verbum, *deferet*, sed ad præcedentia, vt patet ex distinctione Hebræorum; ita vt hęc sit sententia; cùm expleti fuerint dies, quos siue pro filio, siue pro filia in lucem editis expectare debet vt purificetur: tunc offeret agnum non quidem pro prole, sed pro se ipsa præsertim.

Circa versum sextum, *vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo*. obseruandum quod in omni eiusmodi mysterio, in quo potuit Dominus Iesus quasi vnus ex nobis peccati labe infectus videri, ita se gesit atque legi subiecit, vt testimonia interim locupletissima suæ innocentię habere voluerit, tria autem fuerunt maximè hæc mysteria: Circumcisio, Baptismus, & Mors in cruce obita medio inter duos latrones loco. sed in primo, vel ipsum Saluatoris nomen à Deo tributum illum clarè sceleris omnis purum esse ostendit. In Baptismo, Pater de cœlo testatus est, *hic est Filius meus dilectus, in quo* &c. Et verò Spiritus sanctus columbæ specie super ipsum descendens, id ipsum nõ obscurè indicauit. Et Baptista tanta Christi dignitate attonitus, idem professus est, dum ait: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* In cruce porrò medius inter latrones testes habuit suæ innocentiæ, & quidem clarissimos, solis tenebras, scissas petras, tremorem terræ, diruptum templi velum, monumenta aperta, & his visis Centurionem exclamentem; *Verè Filius Dei erat iste*. Hic ergo ipso Purificationis die (quod quartũ addi potest tribus illis mysteris) quando peccatori similis Domino sistitur, etiam testes habere voluit sanctitatis suæ, Simeonem senem, Annamq; Prophetidem, quibus fit, ita Dominum Iesum nobis modestiæ, ac submissionis exempla præbuisse, vt simul etiam fidei, quam de ipso par erat nos habere, prospiceret. Hæc de Theoria.

3. Christus ita peccatoris figuram sustinuit, vt innocentiæ testimonium semper adhibuerit.

DIGRESSIO PRIMA MORALIS.

SVPERIVS in Schol. n. 5. & 6. ostensum fuit à nobis neque Christum, neque B. V. prædictis legibus subiectos fuisse, etiã quoad cum verborũ attinet. Qr ergo legi obedire voluerunt, nostra instructio esse debet. Itaq; primũ lege se subdidit Christus, quia venerat curare vulnera nostra, quoniam enim nos Deo non paruimus, vt ex Ierem. thren. 2. colligi potest, dùm dicitur; *à sæculo confregisti iugum*, ac si dicat, ab ipsa prima mundi molitione; Hinc inuecta sunt in genus hominum tot mala, quibus vt medicinam faceret Christus Dominus, legibus sponte se subijcere voluit Rom. 5. *sicut enim per inobedietiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per vnius obeditionem iusti cõstituentur multi.* Prætereà docere nos Christus voluit, eiusque parens sanctissima, non vitanda nobis tantùm esse mala, verùm etiam id quod mali speciem habet 1. Thessalonicens. quinto: *ab omni specie mala obstinete vos*: primo ad Corinthios octauo, decimonono docet Paulus, non esse idolothita comedenda, quãuis licere

1. Cùm Christus lege non teneretur, cur se legi subiecerit.

Digitized by Google

licere id ex se non neget, quod tamen aliqui nimium religiosi aliter docebant: innuit autem eius rei causâ hanc Paulus, quæ his verbis comprehenditur: *quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* & Christus Ioanni, cùm ab illo prohiberetur baptizari, *sine*, inquit, *modo; sic decet nos implere omnem iustitiam*, ac si dicat, non ea tantùm præstanda sunt; quæ præcipiuntur, sed ea etiam quæ proximis optima præbent exempla virtutum, atque adeò cùm omnes ad baptismum descendant, videndum est, ne pessimi exempli loco habeatur, si ego non baptizer, sed contemnere potius hoc opus videar, & Matth. decimoseptimo, soluit Christus tributum dicens, *ne scandalizemus eos.* Quod si vetera etiam reuoluamus exempla, animaduertemus Num. decimoquarto cùm perdere populum cogitaret Deus, opposuisse se Moysen, ac veluti excepisse; *Dicturi fortè sunt*, inquit, *Aegypti: callidè eduxit eos de Aegypto*, quibus auditis statim annuit Deus precibus Moysis. Iam ad rem: quia pessimi exempli loco accipi poterat, apud eos, qui audierant Beatam Virginem peperisse, nec tamen Purificationis legem implesse, & nec templo illatum esse Filium, vel redemptum, idcircò, vt hæc, quæ mali speciem habebant vitaret, legibus his parere voluit. Ad hæc quia proprium amicorum Dei est plus facere, quàm teneantur, id est, non ea tantùm exequi, ad quæ astringuntur, idcò CHRISTVS vt hoc ipsum nobis suo persuaderet exemplo, ea præstare voluit, ad quæ non tenebatur. Itaque frigidi serui illi sunt, qui ea tantùm exequi volunt, quæ proposito supplicio Dominus præcipit. Huiusmodi sunt qui affirmant, satis esse præcepta seruare, nec multum curæ nobis esse debere, quæ perfectioris vitæ sunt, quare propterea ea negligunt, parumque abest, nec contemnant etiam. Postremò hac vna re declarauit nobis Christus Dominus, *nihil quod coinquinatum sit, admittendum esse in cœlestem illam ciuitatem, cuius plateæ sunt aurum mundissimum*, & vbi fulgentibus margaritis omnia collucent, nihil ibi fœdum, immundum nihil locum habet, ac proinde vt scias cor tuum, cogitationes, verba, facta, denique omnia tua munda reddere, placuit Christo, mater vt sua à purificationis lege non abhorreret. Hæc de legum obedientia.

2. *Proprium amicorum Dei plus facere quam tenentur.*

3. *Quadragenarium numerum pœnitentiæ symbolum.*

Est & aliud hîc quod etiam ad mores maximè facit, si nimirum ea spectemus, quæ superiùs de purificatione dicta sunt, eaque nobis applicemus. quadraginta dierum interuallo opus est minimum ad purificationem nostram, hoc est, ad emundandas animas nostras, ad eluenda peccata. hoc autem tempore totum vitæ huius tempus rectè significatur, hoc est, pœnitentiæ tempus, quod quadragenario numero aptè exprimitur. quadraginta dies pluit Dominus de cœlo, vt scelestos homines perderet & deleret. Niniuitæ quadraginta dies pœnitentiam egerunt, Moyses, & Elias eodem dierum numero cibo abstinuerunt. sed illud obseruare hac in parte oportet, mulierum tres classes fuisse: quædam marem pariebant, & hæ post quadraginta dies templum

Mulierum tres classes tres hominũ ordines designant.

A inibant, quædam fœminam, & his, quadraginta alij dies superaddebantur antequam liceret templum adire. quæ verò steriles erant, legis maledicto subiacebant. hæ tres mulierum classes tres hominum ordines ac gradus repræsentant, sunt enim perfecti; qui opera virilia, & vsquequaque perfecta edunt, & hi quadraginta diebus pœnitentiæ exactis, id est, vitæ huius cursu peracto, statim cœleste illud templum ingrediuntur, & cum Simeone Cantat. *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, &c. quæ verò fœminam pariunt, eos significant, qui bona quidem, verùm imperfecta opera pœnitentiæ edunt, nec rarò maculas aliquas contrahunt. hi quoniam non tantùm hic pœnitentiæ, quantùm satis est peregerũt, purgatorio etiam igne

B lustrabuntur ante cœlestis domicilij ingressum, quod significant quadraginta dies posteriores prioribus superadditi. steriles verò sunt, qui nullis pœnitentijs hic vacant, sed tempus conterentes genio, voluptati, rebusque vanis indulgent, semper fluxis his rebus affixi, quibus dicetur, *ite maledicti in ignem* &c. *Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Dum ergò tempus habemus, operemur bonum, nullus nostrum otio tabescat, nullus inter nos sterilis reperiatur.

Ex oblatione porrò ipsa non paruum ad virtutem emolumentum decerpere poterimus. ea duplex fuit, par scilicet turturum, vel duo pulli columbarum, altera cuius præstantiam ne mente quidem complecti possis, infantis scilicet Dei, & hominis immensa dig-

C nitas. in turture & columba secundùm Bonauenturam, tùm actiua, tùm contemplatiua vita designatur, nam columba gregatim, turtur sola volat, & amborum cantus fletibus potius ac gemitibus adsimilis est. decet ergò iustos in vtroque viuendi genere excellere & vim potius lacrymarum profundere, quàm vitæ huius voluptatibus vacare, tamquam ad CHRISTVM non ad mundum spectantes, vt in eis illud locum habeat, *mundus gaudebit, vos verò contristabimini*, & quidem quis ita amens est, vt in exilio positus gaudere malit, & non ingemiscere magis, dum felicem illam patriam considerat, vt illi faciunt, qui ciues sunt supernæ illius ciuitatis, & vbertim lacrymas emittentes lugubre carmen, resonant;

D *super flumina Babylonis sedimus & fleuimus, dùm recordaremur tui Sion.* &c. quod & præstantissimus vates effecit, dùm in hac lacrymarum valle positus cecinit: *quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Sic Simeon, *Nunc dimittis seruum tuum*, & cætera. sed ab hac ad præstantiorem alteram primogeniti oblationem gradum faciamus.

4.

Et primùm quidem vniuersim de primogenitorum oblatione loquamur. Exod. vigesimo primo sic scriptum legimus: *sanctifica mihi omne primogenitum tam de hominibus, quàm de iumentis, mea enim sunt omnia.* duo primogenitorum genera poscit à nobis Deus, videlicet hominis & iumenti, primum amor est cordis, radix, origo, & fons cæterorum omnium animi affectuum. *Fili*, inquit, *præbe mihi cor tuum.*

5. *Duo primogenitorum genera poscit à nobis Deus & quid ea significent.*

Pri-

primogenitus porrò iumenti pars est illa in nobis in qua vigent sensus & residet appetitus, quam & sensualitatem, vulgo dicimus. Ergo hunc primogenitum occidere, ac mactare iubet Deus, sibique sacrificare, nisi occideris, occidet te. *Nam si secundùm carnem vixeritis*, inquit Apostolus Roman. 6. *moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*. Speciatim iam de præstantissima hac oblatione, qua Deipara, Deo Patri Christum Deum hominem obtulit agamus; nullum certè maius, præstantius nullum, aut gratius Deo munus oblatum, vnquam fuit. plurima à Deo sanctissima virgo dona acceperat aptabat illa aliquid dignum Deo offerre. obtulerat se ipsam voto, sed creatura erat. inuenit die Purificationis, quo parem quodammodo gratiam referret videlicet si rem hanc oblatam absolutè spectes, & vt aiunt præcisè; Deum Filium susceperat illa à Deo, Filium & ipsa nouum Patri offert, qui Deus sit, ergò vt Pater D. Mariæ dedit vt mater esset Dei, ita Dei parens Maria dedit (vt sic dixerim) nouum Filium habere Patri, & quidem Deum. *Nouum* dixi ratione carnis, quam induit in vtero eiusdem Virginis, neque enim Filium habebat, nisi qui purus esset Deus, nunc habet & hominem factum. par ergo redditum est. dixit, quodammodo, quia Dei beneficio factum est, vt id posset, totum igitur id tandem in Deum refertur. Cæterum tam insignè donum Deum nobis meritò iratum placauit omninò, quod primo Regum vigesimoquinto significatur eo, quod Abigail ad placandum Dauidem effecit, qui cum quadringentis socijs ira inflammatus ad perdendum Nabal properabat, verùm Abigailis muneribus oblatis, & prudentia plenis verbis ita placatus, mitisque redditus est, vt ea audiente Abigail proferret: *Benedictus Deus Israel, quia misit hodie te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem*. Denique sic legimus: *suscepit ergo Dauid de manu eius omnia, quæ attulerat ei, dixitq; ei: vade pacifice in domum tuam, ecce honoraui faciem tuam*. At longè id feliciùs, & cumulatiùs ipso sacræ Purificationis die Beatissima Dei mater Maria, hoc vno tam præstanti oblato munere perfecit, cum Dei Patris iustas de toto hominum genere reposcentis pœnas, iram ita placauit, sustulit, extinxit, vt in incredibilem amorem conuerterit. Illud præterea non est hic in præteritis relinquendum: Reginam se hodie, nostramque aduocatam, & patronam declarasse Dei parentem Virginem Mariam, idque tribus modis. Primùm quidem per Filium dùm se eius genitricem declarat, qui Aeterni Patris Filius est, & Rex Regum. non carthis papyraceis, & sigillo munitis. Obtulit enim Filium Deum Patri; qui numquam non vt Deus ab eodem Patre agnoscitur; atque adeò vel hac vna re se Dei matrem per hanc oblationem, & Reginam esse confirmat. Deinde per testes omni exceptione maiores aderant enim ibi Ioseph, Simeon, & Anna qui dùm tamquam locupletissimi, maximeque diuini testes hunc puerum Deum & Regem Regum esse fatentur, etiam eam vt matrem illius suspiciunt ac venerantur. Reginam ergò esse testantur. Denique per leges idem à nobis declarari potest. est enim lege cautum; quod si mulier aliqua ostendit se Filium Regem habuisse; licèt non amplius, quàm viginti quatuor horarum spatio, & habeatur, & vera sit Regina, ac regni hæres. Iam verò quadraginta dies natum filium dùm nobilissima simul & sanctissima Virgo cunctis aperit, qui aderant, exceptumque Virgineo gremio gestat, omnibus simul iustis admirantibus, & præ gaudio gestientibus; nulli dubium, satis se Dei ac cœlestis Regis Matrem, atque adeò reginam declarasse. His fit, aduocatam etiam & patronam se nostram esse ipso Purificationis die probasse, quid enim tam benignus, ac potens Filius, tam sanctæ, ac dilectæ matri negabit? Igitur dùm Mariam vides, purissimis manibus filium patri offerentem, perpende illum etiam pro nobis obtulisse, ac se proinde patronam, & aduocatam declarasse. Immò verò & per manus quodammodo nos à filio, qui offerebatur, tractos, Deo reconciliauit. Timebat olim homo ad Deum accedere. *Audiui*, inquit, *vocem tuam, & timui, & abscondi me*. Inuenit tandem qui illum quadammodo per manum susceptum ad Deum duceret, per quem & se illum placare posse confideret; dùm enim humanitatem nostram sibi vnijt Verbum in vtero virginis, quasi per manum hominem suscepit ad Patrem trahendum, vt suo tutum præsidio, ac patrocinio redderet, ac Patri reconciliaret, id quod præsertim die Purificationis præstitit, quando Virgo Deipara Verbum non sine homine, hoc est, cùm assumpta carne eodem die gratissimum Deo Patri munus & tulit, & obtulit, *odoratusq; est Dominus odore suauitatis*, ac vetere odio, quod in hominem iustè conceperat, deposito, *Ecce*, ait, *odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Ad alia veniamus.

8.

DIGRESSIO II.
MORALIS,
De Personis, quæ huic oblationi interfuerunt.

OBSERVANDVM est in primis, aperuisse se Christum Dominum omni hominum generi: simplicibus, & sapientibus; viris, & mulieribus; iustis, & iniustis; Iudæis, & gentilibus; pauperibus & diuitibus. Hæ. n. hominũ differentiæ in tribus generibus personarum, quibus se Christum manifestasse Euangelistæ referunt, continentur. Primi fuere Pastores, qui ex Beda de locis sanctis cap. octauo tres dumtaxat fuére, eoque loco vbi illis Angeli apparuére ædificatam Ecclesiam propè Bethlehem ad turrim Ader Hieronymus tradit epistol. 17. Secundo loco recensentur Magi. Postremò fuére iusti, quibus apparuit in templo, Simeon, & Anna. Prius autem se pastoribus declarare voluit, qui ex Iudæis erant, deindè verò Magis gentilibus. Postremò iterùm Iudæis Simeoni, & Annæ, quo significatum est non obscurè, vtrorumque esse Christum Saluatorem, Iudæorum, ac gentium, nempè lapi-

1. *Christus omni hominum generi se aperuit.*

7. *Maria se Aduocatam nostram probat tribus modis.*

6.

dem illum angularem, qui fecit vtraq; vnum; sed initium fidei ex Iudæis futurũ erat, & quidem præsertim à pastoribus, id est Apostolis iuxta illud, *de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Hierusalem*; inde autem ad gentes eadem fides diriuanda erat, & penes eas perseueratura ad finem vsque mundi, & tunc Iudæi ingredientur. ex Augustino sermone secundo, & quarto, de Epiphan. Notat Rupertus libro secundo in Matth. propè initium, in Magorum adoratione gentium perfectionem figuratam, nam pastores Iudæi ab Angelo licet instructi, non tamen adeò sunt eruditi vt procidentes adorarent, & munera offerrent: quod tamen Magi, qui gentium erant primitiæ præstiterunt. His adde significari in his tribus generibus personarum tres modos, quibus cognitionem suam Deus impertit hominibus, licet semper adsit cœlestis illustratio mentis. quosdam enim per Angelos docet, alios miraculis accedente hominum prædicatione ad se vocat. Deniq; quosdam solo Spiritus magisterio ad sui cognitionem adducit, vt factum est cum Paulo, qui gloriatur se non ab homine Euangelium didicisse. Primi significantur per pastores, qui ab Angelis sunt instructi, secundi per Magos, quos stella accedente hominum ex scripturis testimonio ad Christum duxit. Postremos indicant senes Simeon & Anna quos solum Spiritus sancti lumen adduxit, & in omnibus his semper adfuit superna mentis illustratio, sed ceteris prætermissis Simeon, qui *obedientia*, vel *auditus* est, si nomen interpreteris, legem significat. Anna, vel *Hanna* idem est quod *gratia*, ac proinde Euangelium indicat. Vterque perhibet Christo testimonium lex, & Euangelium. & vt Anna Simeoni superuenit, sic Euangelium legi successit, comprobans quæ lex de Christo testata est. Agunt de Simeone Epiphanius, de vitis Prophetarum propè finem capite vigesimo quarto, & Timoth. in sermone de eorum. Cuius etiam meminit Baron. p. 70. De Anna verò Ambrosius de viduis non longè à principio Cyrill. Catech. decima & nos inferius digress. 3. 4. 5. de vtroque verò Nyssenus, Chrysostom. Amphilochius hom. de occursu Domini. Aug. serm. 13. & 20. de Tempore, seu 9. & 16. de natali; nos hîc pauca de Simeone. Quinque de illo scribit Lucas digna sempiterna memoria. Primùm quod Hierusalem habitaret, quod benè in hunc senem quadrat, qui edomitis affectibus interna pace fruebatur. Alterum quod Iustus esset, solet autem iustitia, & Deum, & proximum respicere, is Deo, quod indicat Simeonis nomen parebat, mandata nimirum eius & legem ad vnguem seruans, Proximum verò non modò non lædebat, sed amabat etiam, & omni officiorum genere quantum poterat prosequebatur. Additur tertium, quod timoratus esset, est verò timor indiuulsus iustitiæ comes: iustus enim semper est pauidus, quia nouit quantùm iustitia valet, & quanti sibi stat. secus impius non timet, quia latet illum iustitiæ splendor, & quid virtus valeat; & tum illa careat, atque adeò pro ea assequenda nihil laboris impenderit, flocci pendit, & vel nullius esse momenti iudicat, vel certè illam assequi nõ curat. Quarto expectasse dicitur consolationem Israel, animo prorsus omni humano, & terreno affectu vacuus, cœlum tantùm cogitabat, inde totus pendebat; illinc vitam, salutem, Deum denique ipsum expectabat; aliud prætereà volebat nihil. Postremò Spiritum sanctum in illo fuisse testatur Lucas, cùm enim Deo gratus, caruscque esset, illum solabatur Spiritus sanctus, illum cœlestibus donis, illum diuinis gaudijs replebat continenter, illum ipse senex quocumque duceret, sequebatur. Nec mirum quod in spiritu venit in templum. illum ipse doctorem, illum magistrum in primis habebat, ô terque, quaterque felicem senem, felices pectoris vlnas, felices manus quibus tanto thesauro frui, ac potiri singulari Dei munere concessum est. Audi quid Audbertus Presbyter ordinis S. Benedicti in solemni Purific. scribat: *O quam*, inquit, *ardenti desiderio homo iste expectabat secundùm Spiritus sancti promissionem, videre in carne redemptorem: quæ putamus fuerit instantia orationis, qua diuino responso meruit firmari de his, quæ petebat? quæ erant eius gemituum continuata verba in sancta precatione, non enim in petendo cessant, vsquequo responsum acciperet super his, quæ poscebat. fuerunt siquidem multi simili desiderio accensi teste Domino, qui ait: multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, &c. sed ex illis hoc isti soli concessum est, qui in plenitudine temporis horum vltimus apparuit. sed si vigilanti desiderio subsequentium sanctorum attendimus desiderium, quibus Christus viuere est, & mori lucrum, inueniemus eos non minori anxietatis ardore diuinitatem eiusdem Saluatoris intueri velle, quàm ille concupiuit inspicere carnem. Hinc Paulus dicit, cupio dissolui, & esse cum Christo. multò autem melius hinc Psalmista ex persona Ecclesiæ dicit: sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Quis ergo iam hinc nõ videat in vno Simeone multos, per vnum cunctos significari electos, qui nunc iusti ex fide, atque operatione, & timorati ex futura expectatione, & attoniti inueniuntur ex futura consolatione? in quibus est & Spiritus sanctus, charitas enim Dei inquit Apostolus diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; quiq; responsum accipiunt à Spiritu sancto non visuros se mortem, nisi prius videant Christum Domini: quia in hac vita adhuc eiusdem Spiritus sancti gratia reuelante, apertis fidei oculis, eum, qui se cum illis vsque in finem seculi mansurum esse, repromisit, aspiciunt non iam carne paruulum, sed diuinitate immensum. qui etiam cum Apostolo dicunt: etsi noueramus Christum secundùm carnem, sed iam nunc non nouimus. Habitant etiam iusti in Hierusalem atque in spiritu in templum, quo Christus introducitur veniunt. Ipsi enim sunt Hierusalem, qui habitant in Hierusalem, ipsi & templum sunt, qui veniunt in templum in quibus, & à quibus Christus excipitur.* Hæc ille. lege item Augustinum citato sermone decimo tertio & vigesimo, de tempore vbi piè satis desiderium, quo senex iste tenebatur videndi Christum amplificat.

Sed parumper hîc sistamus gradum, & hunc senem interrogemus. Cur rogo te sancte senex, hinc dimitti nunc tantopere cupis? neque enim causam video, an non satius esset diutius hoc puero frui, diu optato? vt vel ita repue-

raſcas

1. 2. De Simeone. A B C D 3. 4. Cur Simeon viso Christo mori desiderat, cum vita longiori ipsi optanda erat.

Digitized by Google

s potius in puero. Vitam potius petenempus est, dùm vitam portas. Sed (audi) ria sunt, inquit, quæ meum animum ad id impellunt. Primum quidem, quia cum mors omnibus terrori sit, nunc dùm vitam manibus, & sinu gesto, metus mihi omnis adimitur, nec elabi patiar hanc tutò, & cum gaudio moriendi opportunitatem; cum quis manus plenas diuitijs habet, vel in thesaurum incidit, locare illum in tuto loco statim cogitat, ita ego, ait, inuentum hunc thesaurum, per mortem meam tutum in sempiternum reddere cogito, quem certè multis expositum periculis in hac vita non ignoro. Deindè vidi inquit, vidi oculis meis tam ingens, tam præclarum bonum, vt nihil amplius expectandum sit, quod videam, immò claudendi oculi sunt, nè rebus istis humanis fœdentur, vel nè si fortè in turpem aliquam rem, vel mœstam incurrant, contristentur, atque ita meam mihi hanc, quam hausi oculis, pulchritudinem, & mundissimũ nitorem, qui me summoperè recreat, atque confortat, vel eripiat prorsus, vel certè imminuat, & obscuret. Denique animaduerte, ait, quanta puer iste passurus sit olim mala, quantam heu vim sanguinis profusurus, quàm horrendam, crudelemque mortem per meos etiam Iudæos (quis credat?) obiturus sit: ideò horrent oculi horum aspectum, & in mortem claudi malunt, qua superstites esse; scies tamen tu, heu nimis mater infelix, cùm *tuam ipsius animam pertransibit gladius doloris*, quàm acerba sint hæc futura quæ mente reuoluo. Ego verò in modum cygni cœlesti cantu viam patrum lætus inibo.

DIGRESSIO III. MORALIS,

De festo Purificationis, & de Anna vidua.

1. HOc festum Græcis dicitur ὑπαπάντη, hoc est *obuiationu*, vel *occursus*, quandoquidem admonet de multis Israelitis, qui Christo puero in templum venienti se obuios exhibuerunt, sicut Idelphonsus interpretatur sermone primo de Purificatione. alij non malè *Domini præsentationem* appellant, vt ad historiam alludant Euangelicam; sed vsitatius festi nomen est, vt *purificatio D. Mariæ* dicatur non tantùm ob veteris legis ritum, qui in mulieres alias iurè conuenit, & qui in Virgine purissima locum non habet, nisi fortè ad obedientiæ, & humilitatis exemplum alijs præbendum; sed etiam, quia hac die religiosè pij colunt perfectam, perpetuamque Virginis Matris puritatem.

2. Processionis nomen antiquum & vsitatum.

Et quidem Patres, maioresque nostros gratissimos, sapientissimosque viros maximè commendare oportet, quod ex hodierno Euangelio collegerint formam aliquam seruandæ, vt loquimur processionis, fuit autem nomen processionis veteribus pro itione ad templa, & synaxes vsitatum, vt apud Tertullianum libro secundo ad vxorem, libr. de præscriptione aduersus Hæret. cap. 43. & in libro Iudith idem insinuatur, nam c. 16. 27. legitur de Iudith: *erat diebus festis procedens cum magna gloria*, nimirum Hierosolymam. quo enim alio castissima vidua diebus festis procederet? sicut & Anna Samuelis mater primo Regum primo, *ascendebat cum viro statutis diebus vt adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silo*, & Beatissima Virgo Lucæ secundo, quotannis Hierosolymam ad templum. D. etiam August. lib. 22. de Ciuit. cap. octauo, processionis meminit.

3. Quod verò modus ipse, & ritus aliquis processionis ex hodierno Euangelio colligatur obseruat Bernardus sermone secundo de Purificatione, *offerunt*, inquit, *Ioseph & Maria sacrificium laudis, sacrificium matutinum, Simeon & Anna suscipiunt. Ab his quatuor celebrata processio est, quæ per quatuor orbis climata solemnibus hodie gaudijs ad memoriam reuocatur.* His adiungit Catholicũ ritum, quo bini, & bini solent procedere, & candelas habere in manibus, easq; succensas igne, qui prius in Ecclesia sacerdotali benedictione sit consecratus. de qua cœremonia Rupertus Tuitiensis lib. tertio, diuin. offic. capite vltimo, sic scribit: *in Purificatione Sanctæ Mariæ ideò candelas portamus, vt felici gaudio iusti Simeonis aliquatenus participemus, qui Christum infantem gestans in vlnis, agnouit & confessus est paratum antè faciem omnium populorum lumen ad reuelationem gentium. hoc enim signo commoniti exterius ipsum verum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in mente nostra fidei vlnis arctius attingimus, & absentiam eius corporalem sursum tendentibus desiderijs gementes quærimus, quærentes gemimus.*

4. Cerei accensi quid significent.

Confirmat rursus hic ritus fidem Virginitatis integræ Deiparæ Virg. ante partũ, à partu & in partu, nam vt apes nõ sine operè virginali cerã, & mella producũt, sic nos monet præsens cæremonia Mariam semper purissimam, salua vteri sui Virginitate illum nobis concepisse, & genuisse, qui mundi Saluator, Dei, & hominis est filius. monemur & eodem ritu vt exemplo prudentium Virginum, quæ lampadibus accensis ad felices sponsi nuptias prodierunt, lumbos nostros præcingamus, & lucernas ardentes in manibus habeamus, & memores simus illius doctrinæ à Christo traditæ; *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*

5. Et verò in hac processione imprimis oculos conijcere oportebit in Iesum infantem, quem Simeon de sinu Matris acceptum portat in vlnis, vt ita beatissimos prædicemus eos, quibus tanti thesauri complexus, & deportatio contigit. Porrò de gloriosa CHRISTI deportatione sic sapienter differit Bernardus sermone octauo in paruis: *quid est, quod Maria portat Iesum in vtero; Ioseph in humero, in Aegyptum scilicet iens, & indè rediens; Simeon portat in brachijs; significant isti tres, tres electorum ordines, Maria prædicatores, Ioseph pœnitentes, Simeon bonos operatores, qui enim alijs Euangelizat, quasi Iesum in vtero portat, vt eum alijs, vel potius alios ei pariat. de talibus erat Beatus Paulus, qui dicebat: Filioli mei, quos iterùm parturio, donec Christus formetur in vobis*, Galat. quarto. *Qui*

Maria, Ioseph, & Simeon tres electorum ordines designans.

verò pro Christo laboribus fatigantur, quia persecutiones patiuntur, qui nulli mala inferunt, sed ab alijs illata patienter ferunt, meritò isti portare eum in humeris dicuntur, quibus & ab ipsa veritate dicitur, qui vult venire post me, &cæt. tollat crucem suam, &cæt. si quis autem est, qui porrigat panem esurienti, potum sitienti, cæteraq; misericordiæ opera sollicitè impendat egenti, nonnè iste videtur eum portare in brachijs? huiusmodi enim dicturus est in iudicio Dominus: quamdiu feciſtis vni ex minimis, &c. Sic Bernardus. Itaque etsi non corporaliter, spiritualiter tamen Christum portare poterimus prout Bernardus monuit, & verò vt Bonauentura Lucæ secundo notat, consolatus est senem filius per dulcem amplexum: ducisimum enim filium amplexatus est, quandò ipsum accepit in vlnas: sic nos accipere debemus in duobus brachijs animę, videlicet timoris, & amoris, &c. magis autem stringendus est brachio amoris.

6. Verùm præter ea, quæ hactenus diximus, consideranda quoque hìc venit hostia, quæ affertur, par turturum, aut duo pulli columbarum. Rectè Eucherius Lugdunes. homilia Dominicæ infra Octauam Natiuitatem. *talem*, inquit, *hostiam offerre debuit Virgo Maria, per quam castitas, & humilitas figuratur, quæ inter omnes mulieres & castior semper, & humilior exstitit; & benè quidem non singula, sed paria obtulit, quæ non corpore tantùm, sed corpore & anima*
7. *casta, & humilis erat*. Ditus Basilius de turture loquens homilia octaua exam. turturem asserunt, ait, seiugatam à coniuge numquam societatem inire cum alio: sed sine coniuge vitam cœlibem degere, & Psalmo vigesimo octauo sanctum dicit appellari columbam propter Innocentiam, vt proindè typus castitatis esse posit, & innocentis humilitatis, & epist. centesima septuagesima quinta Iulittæ liberę scribit: ars quædã est aucupãdi columbas, videlicet talis: vbi vnam cœperunt, qui capiendis illis studeant, cicurem illam reddunt, & ad humanum conuictum assuefaciunt; deindè vnguento alas illius perungunt, sinuntque coniungi agrestibus. illa verò per vnguenti fragrantiam aggrestem illum, ac liberi pastus gregem ad possessionem transfert eius, cuius ipsa est domestica. benè olentes namque sequuntur & reliquæ; atque ita in potestatem columbarij veniunt. sic Basilius; quod nos ad nostram spiritualem vtilitatem fructuosè conuertere poterimus, si conuersi à peccatis, & agresti illo viuendi genere, domesticam vitam, ac familiarem cum iustis agamus sub potestate superni aucupis, nimirum Spiritus sancti, qui nobis spiritum pœnitentiæ tribuit, & item si eius charismatibus tamquam suauissimo vnguento perunctì alios ad illum adungamus.

8. Augustinus libro decimo sexto de ciuit. capite vigesimo quarto vult homines spirituales per turtures, & columbas figurari: siuè à negotiosis conuersationibus hominum se remoueant sicut turtur, siuè inter illos degant, sicut columba, Vtraque auis est simplex, & innoxia, sermone verò ducentesimo decimo octauo de tempore; *ad modum*, inquit, *turturum, & columbarum, quæ oua sua non sinunt refrigerari, nè*

A *fructum illorum petdant: nos permittere non debemus, vt semen Verbi Dei in nobis congelascat.* Bernardus addit serm. quinquagesimo nono in Cantic. *quia*, inquit, *columba libidinosa auis est, non decuit offerri eam in sacrificium Domini, nisi ea sane ætate, qua nesciret libidinem. At turturis non designatur ætas, quoniam agnoscitur castitas in quacumque ætate. Denique compare vno contenta est, quo amisso, alterum iam non admittit, numerositatem in hominibus nuptiarum redarguens.* Et hæc de hostia, quæ hoc festo oblata est, dicta sint satis. 9.

Iam verò quoniam de Simeone plura diximus, tum in Scholijs à numer. nono, tùm in digressione secunda à num. secundo restat, vt de sanctissima vidua Anna dicamus, quæ inter alias personas hanc processionem clausit, suis benedictionibus DEO gratias agens, & alios ad confitentum DEO, & eius Filium agnoscendum inuitans, hoc enim est, quod dicitur: *confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus.* hoc est, gratias Domino ex animo agebat, ac dicens: hic est mundi redemptor; hic hominum est seruator, hic ille est, qui nostram mœstitiam, animique deiectionem, in gaudium, & lætitiam conuertet, vt exponunt Titus Bostrenus, Theophylactus, & Euthymius Lucæ secundo, hanc Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi decima monialem vocat, dùm ait: *Et Anna prophetissa continens, & religiosissima monialis testatur de ipsa.* hanc magnis attollit laudibus Amphilochius de occursu Domini: C *corona viduarum*, inquit, *mulierum Anna, sexu mulier, ordine prophetissa, versans in regno, corpore laxa, ac remissa, animo firma, ac neruosa; facie rugosa, explicata autem prudentia; senio incuruata, recta incedens cognitione: multitudine annorum inueterata: iuueniliter verò exultans diuina scientia; ieiunans, & non se explens ad satietatem; orans, & non vacillans, & domos alienas non obiens; psallens, non nugans; prophetans, & non dicens fabulas; diuina meditans, & quæ sunt turpia non addiscens. Superauit Anna viduam, quæ ab Apostolo beata dicitur. primo Corinthiorum septimo quadragesimo, quæ nam ea est? Audi Apostolum dicentem, primo ad Timotheum quinto, nono: vidua eligatur non minùs quàm sexaginta annos nata: si filios aluit: si Sanctorum pedes lauit: si egentibus opem tulit; si omne opus bonum est consecuta. Superauit ipsa eam,* D *quam Apostolus dixit beatam, & annis, & viuendi ratione.* &c. hæc ille. 10. 11. *Anna religiosissima monialis.*

Fulgentius epistola secunda capite decimo quinto comparat hanc, cum Iuditha sic scribens: *istæ duæ viduæ licet tempore fuerint diuerso, vnius tamen fidei seruierunt ambæ mysterio: quia* CHRISTVM, *quem Anna cognouit in carne natum, ipsum Iudith nouerat nasciturum, quàm verò multum Deus in vtraque viduæ continentiam sibi placitam demonstrauit? nam Iudith spiritualibus armis accincta, caput lasciui prædonis abscidit: Anna verò ipsum caput Ecclesiæ Spiritu sancto repleta cognouit. datus est Iudith Holofernis interitus. Anna reuelatus est Saluatoris aduentus. illi Deus dedit à populo repellere pestilentiam, huic tribuit humani generis agnoscere medicinam. Et quia sanctimoniã virginalem vidualis* 12.

continentia gradu inferiore subsequitur: idcircò postquam de Virgine natus est filius Dei, viduatus linguæ dignatus est officio prædicari, nec tamen de illo locuta est vidua, delicijs dedita, quæ viuens mortua est; sed quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte, ac die. Hæc ille.

13. Sed quomodo hac ipsa hora superuenisse dicitur Anna, quæ non recedebat à templo: fortasis in alia erat templi parte, nisi dicas, sic consuesse nos loqui, vt eum, qui in loco aliquo frequenter esse soleat, nunquam indè discedere dicamus.

14. Cæterùm non omnes viduæ his laudibus ornandæ sunt quibus Iuditham, & Annam sancti Patres afficiunt. Multa sacræ literæ in verè viduis exigunt: & illud in primis vt à voluptatibus abstineant, cap. 24. 21. impij scelera describens Iob ait, *pauit enim sterilem, & quæ non parit, & viduæ non benefecit*, vbi nomen viduæ cum sterili coniunxit, tacitè insinuans quod vidua sterilis esse debeat, hoc est, à voluptatibus & delicijs longè abesse, alioquin *quæ in delicijs est, viuens mortua est*, vt ait Apostolus, primo ad Timoth. quinto, quomodo verò viuens mortua sit Theodoretus velut explicans ait, ibidem: *immodicæ deliciæ rationem obruunt, & efficiunt vt in corpore tanquam in aliquo sepulchro iaceat.* Et Hieronym. ad Furiam, *viuere quidem videtur ignorantibus, & non esse peccato mortua: sed Christo, quem secreta non fallunt, mortua est. anima quæ peccauerit ipsa morietur*, &c. Est autem quoddam impostura genus, vt Ambros. inquit, *aliud agere, & aliud profiteri*, id est, viduitatis statum velle tenere, & delicijs tamen velle operam dare.

DIGRESSIO V. MORALIS,

De laudibus viduitatis, & quantum verè vidua à delicijs abesse debeat.

1. MAGNA quædam res esse videbitur, nec paruo honore afficienda viduitas, si quæ de ea in scripturis Spiritus sanctus, & quæ Patres dixerint, expendamus. principio Diuus Lucas cap. 2. 36. vt ostenderet quantæ sanctitatis, & auctoritatis esset Anna, quæ illustre testimonium Christo dedit, commendat eam quod vidua esset, dùm sic scribit: *& processerat in diebus multis, & vixerat cũ viro suo annis septem à virginitate sua. & hæc vidua vsque ad annos* 48. Et Apostolus 1. Corinth. 7. 8. *dico autem*, inquit, *non nuptis, & viduis, bonum est illis si sic permaneant sicut & ego.* & versu 27. *Solutus es ab vxore? Noli quærere vxorẽ.* & versu 34. *Mulier innupta & Virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta, & corpore, & spiritu.* Denique de muliere illa, quæ viro aliquandò tradita est sub eiusdem capitis finem vers. 39. & 40. tria statuit. Primum quid viuente adhuc viro eam facere oporteat: *mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit.* Alterum est, quod eo mortuo: bonum sit, posítque illa matrimonium iterare: *quod si dormierit vir eius liberata est, cui vult, nubat: tantum in Domino.* Tertium, quòd eodem mortuo melius, & beatius etiam sit, virum non quærere, sed viduitatem conseruare: *beatior erit; si sic permanserit secundùm meum consilium. Puto autem quod ego spiritum Dei habeam.*

Sanctus Ignatius Epistol. 8. ad Philip. & 10. ad Smyrnenses. D. Ambros. lib. de Viduis, D. August. de bono Viduali cap. 5. D. Fulgent. Epist. 2. cap. 6. Epiphan. libr. 2. tom. 1. hæresi 61. Apostolicorum. Diuus Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum. Et epist. ad Principiam Saluinam, Furiam. Chrysost. homil. 69. in Ioan. homil. 5. de Pœnit. hom. 10. & 13. in 1. ad Timoth. vel magno in honore has verè viduas habendas docent, vel multis enchomijs extollunt. Lege de his libro 3. de continentia Claudium Espencæum. Neque hac de re dubitare possumus. nam si virginitatem tueri perpetuam laudi tribuitur, qui fieri potest, vt viduitas vitio tribuatur. imò non maximè laudetur, cùm illud teneat, quod virginitati proximum est. aliosque thalamos declinet? Proindè Sacræ literę Iuditham sic laudant, imitandamque proponunt cap. 16. 26. *Erat etiam virtuti castitas adiuncta, ita vt cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir eius.* 2.

Sed non propterea in alterum extremum inclinandum est cum Tertullian. qui libro de Monogamia cap. decimoseptimo, in Montani errorem turpiter lapsus, secundas nuptias veluti adulteria quædam damnauit; sapientissimè Augustinus libro de Viduis, cap. quarto, sic Iulianam monet, quæ perpetuum sibi viduatum indixerat: *Hoc primum oportet, vt noueris, bono quod elegisti non damnari nuptias secundas, sed inferiùs honorari. nam sicut bonum sanctæ virginitatis, quod elegit filia tua, non damnat vnas nuptias tuas, sic nec viduitas tua cuiusquam secundas.* Et posteà, *ab hac sanitate doctrinæ nullius indocti, nullius docti disputatione mouearis: nec ita extollas bonum tuum, vt quod malum non est, tãquam malum crimineris alienum: sed tantò magis gaude tuo bono, quantò magis vides, non tantùm illo deuitari mala, sed quædam etiam bona superari.* Tantùm Augustinus, & verè, non enim quia viduatus bonus est, ideò malum est iteratum connubium. neque quia virginitas bona est, primum connubium malum est, sed illo ille, & isto ista melior est. 3. *Viduitas ita laudanda, ne secundæ nuptiæ damnentur.*

Sciendum tamen est non eas à Sanctis Patribus commendari Viduas, quæ delicijs deditæ sunt, contra quas Apostolus scribit; *Quæ in delicijs est* (Vidua) *viuens mortua est.* 1. Timoth. 5. 6. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 74. legit locum istum Pauli, *quæ autem delicata est, viuens mortua est.* illud, *delicata*, proprium earum videtur esse, quæ viros habent: vt ex illo Isaiæ quadragesimoseptimo, octauo, nono colligere est, *audi hæc delicata quæ dius in corde tuo, non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem*; ergò delicijs contraria est viduitas; & ideò meritò in loco illo Iobi Vidua nomen habet ab obmutescendo, & colligendo. *Alam*, enim à quo dicitur *Almanah*, Vidua, significat colligare, & trãsfertur ad vinculum linguæ, quod est obmutescere. Vidua igitur sonat *colligatam*, & *mutam*, quorum vtrumque mortuis conuenit. debent enim viduæ intra cubiculũ clausæ, 4. 5.

ac colligatæ esse, & vix inde pedem efferre nisi quando charitas, & Dei cultus aliud docent. debent præterea ita silentio studere, vt quasi mutę videantur, quibus duabus virtutibus videlicet sacri secessus, vt silentij duo alia viduarum vitia opponit Apostolus 1. ad Timot. 5. 13. *Simul autem, & otiosæ discunt circuire domos: non solùm otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ loquentes quæ non oportet.*

6. *Viduis à vino abstinendum.*

Præsertim verò viduæ à vino abstinendum est, vt videlicet sobriè viuat, quòd eleganter Ambros. lib. de Viduis sic monet: *Inebriatus vino viris, & somno sepultis abstulit Vidua gladium, exeruit manum, bellatoris abscidit caput, per medias hostium acies intemerata processit. Aduertitis*, inquit, *quantum nocere mulieribus possit ebrietas, quando viros vina sic soluunt, vt vincantur à fœminis. esto igitur Vidua temperans. casta primum à vino, vt casta possis esse ab adultero. nequaquam te ille tentabit, si vina non tentent; nam si Iudith bibisset, dormisset cum adultero; sed quia non bibit, haud difficilè ebrios exercitus vnius sobrietas, & vincere potuit, & eludere. nec dexteræ tantùm hoc opus, sed maiora trophæa sapientiæ. nam manu solùm Holofernem vicit, consilio autem omnem hostium vicit exercitum. suspenso enim Holoferne capite, quod virorum non potuit excogitari consilio, suorum erexit animos, hostium fregit, suos pudore excitans: hostes quoque terrore percellens, eoq; cæsi sunt, & fugati. ita vnius viduæ temperantia, atq; sobrietas nō solum naturam suam vicit, sed quòd est amplius, fecit viros etiam fortiores. Nec tamen his elata successibus, cui vtique gaudere, & exultare licebat iure victoriæ, viduitatis reliquit officium, sed contemptis omnibus, qui eius nuptias ambiebant, vestem iucunditatis deposuit, viduitatis resumpsit: nec triumphorum suorum amauit ornatus, illos existimans esse meliores, quibus vitia corporis, quam quibus hostium arma vincūtur.*

7. Habebat Iudith super lumbos suos cilicium: sic enim de ea scribit Scriptura cap. 8. libri Iudith: *habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ præter Sabbatha, & Neomenias, & festa domus Israel.* & nè arbitrareris paupertate compulsam, delitijs abstinuisse, vel quod vt deformis contemneretur à cæteris; audi qui subdat Spiritus sanctus: *erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat diuitias multas, & familiam copiosam, ac possessiones armentis boum, & gregibus ouium plenas: & erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valdè, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* quàm rem admiratus Fulgent. Epistol. 2. cap. 15. *Ecce Vidua*, inquit, *præclara natalibus, facultatibus diues, ætate iuuenis, specie mirabilis, diuitias contempsit, delitias respuit, carnis incentiua calcauit.*

8. Græcè sic legimus de cilicio Iudithæ ἐπέθηκεν ἐπὶ τὴν ὀσφὺν αὐτῆς σάκκον. *imposuit super lumbum suum saccum.* solet autem quod Hebraicè, & Græcè dicitur, *saccus*, à nostro interprete sæpè *cilicium* verti, quia è cilicina materia sacci fiebant Apocalyp. 6. 12. non est autem apud Latinos dictio, quæ vim, & proprietatem exprimat τῆς ὀσφύος, nam modò *lumbos*, modò *ilia* vertunt loco vocis græcæ. Putat autem Serarius eam totam dorsi partem, qua cingimur significare, & esse totius spinæ partium crassissimis, maximisque vertebris compactam, quæ quinque numero sunt, eæque inter dorsum, & os sacrum mediæ. Hesychio verò auctore partem illam corporis indicat, quæ propè latera inanis est. quare arbitror fuisse in modum fasciæ cilicium illud sanctissimæ Viduæ, quæ lumbos, & vmbilicū, & ilia, totamque illam corporis partem circumdaret. nam vt ibi rebellem inprimis carnem experimur, ita domanda ante alias est, & rationi subesse cogenda; vel potiùs tale erat cilicium, vt corpus totum contegeret. ita vt extendens se vsque ad infimos lumbos, circumdaret totam etiam illam corporis partem, quæ lumbos, ilia, & vmbilicum complectitur, vt enim vestium mollitudo luxuriæ læna quædam est, ita earundem asperitas, ac duritas castimoniæ custos. quarè, non mirum quòd Christus Dominus de Ioanne insigni pœnitentiæ exemplo diceret; *quid existis in desertum videre, hominem mollibus vestitum? eccè qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt.* sic Elias *vir erat pilosus, & zona pellicea accinctus renibus* 4. Regum 1. 8. Sic idem Ioannes tanquam alter Elias noui Testamenti, habebat *vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos*, Matth. 3. 4. sic Sancti, *quibus dignus non erat mundus circumierunt in melotis, in pellibus caprinis.* Ad Hebræ. 11. 37. Erat enim hic habitus Prophetarum, vt Hieronymus ait, Zachariæ 13. vt quando populum ad pœnitentiam prouocabant, induerentur cilicio.

Cilicium in diuersis quale.

Hæc tantùm corporis cultus negligendus est viduæ, *quæ in mariti tumulo sepelisse debuit omnes pariter voluptates, & litam purpurisso, & cerussa faciem super feretrum viri lacrymis diluisse, & pullam tunicam, nigrosq; calceolos, candidæ vestis & aurati socci depositione sumpsisse*, vt Hieronymus loquitur ad Saluinam viduam scribens: Verùm etiam ieiunijs deditam esse decet, *Non velis*, ait Fulgent. epistol. 2. cap. decimotertio, *talibus nunc mensam tuam replere delitijs, quibus eam replebas, quando carnali connubio seruiebas.* Et Hieronymus ad Saluinam, *comedant*, inquit, *carnes, quæ carni seruiunt.* Et subdit, *quarum vteri portant fœtus, earum & intestina carnibus impleantur.* Et posteà: *pallor, & sordes gemmæ tuæ sint, plumarum mollities iuuenilia membra non foueat, balneatum calor nouum adolescentulæ sanguinem non incendat.*

9. *Viduarum vita quam debeat esse seuera.*

10. Ex his ergò satis constat, quantùm abesse debeat Christi vidua à delicijs, & voluptatibus; ijs enim sponsus ille cœlestis offenditur, carnis verò maceratione attrahitur, vt rectè Fulgentius ead. epistol. secunda, cap. 12. dixit: *Ille sponsus carnem tuam maceratam vult videre, non nitidam, animæ connubio vtitur, nec carnis, sed animæ pulchritudine delectatur. quo circa castigatione corporis, acquire pulchritudinem cordis. vilibus caro tegatur operimentis, & pretiosis anima vestibus induatur: nec quæras, vt placeas oculis hominum, sed vt Christi non offendas aspectum. ille in te quod diligit videat, quod dedit inueniat, quo delectatur agnoscat. Concupiuit enim Rex speciem tuam. sed omnis gloria filiæ Regis intrinsecus.* quare sic Viduas hortari possumus, vt Tertull. Christianas fœminas monet extremo libr. de cultu Fœminarum: *Prodite vos iam medicamentis, &*

ornamen-

Digitized by Google

ornamentis exstructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & spiritus taciturnitate, inserentes in aures sermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Christi: & satis ornatæ eritis. manus lanis occupate, pedes Domi figite, & plusquam in auro placebunt. Vestite eos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem. Reliqua in sequentem Digressionem reijciemus.

DIGRESSIO V.

Quibus ornanda sit virtutibus Viduitas.

1. *Viduitatis virtus non debet esse solitaria, sed sociata multis aliis virtutibus.*

CVM multis sit exposita periculis viduitas munienda est solido virtutum præsidio. neque enim solitaria esse debet. sic Annam nobis proponit Lucas dùm ait: *Et hæc vidua vsque ad annos 84. quæ non discedebat de templo, ieiunijs, & orationibus seruiens nocte, ac die. & hæc ipsa hora veniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabãt redemptionem Israël.* Sic Iudith viduitas solitaria nequaquam fuit, sed virtutũ, operumq; bonorũ comitatu insignis. hinc in sempiternam eius memoriam scriptum de ea est: *erat etiam virtuti castitas adiuncta*, quod non obscurè significat Suidas; dùm eam scribit habuisse virturem, & exercitationem, quod præter virtutum præsidiũ studijs, & exercitationibus pietatis, castitatis, precationũ, vigiliarum, ieiuniorum, aliarumq; actionum similium dedita esset, & hoc nomen exercitationis significare videtur, quòd græcis est ἄσκησις. Vndè Religiosi, & Monachi veteres vocantur *ascetæ*, moniales *ascetriæ*, & *asceterium* in prisca Ecclesia, gymnasiũ Sacrum vocabatur, in quo ascetæ, aut ascetriæ, id est, viri, aut fœminæ se in meditatione rerum sacrarum, & officiorum meditatione occupabant. Vide Billium lib. 1. Sacr. obseruat. c. 40. & Petrum Fabrum nu. 2. Agonisticon c. 24. ipsa quoque continentia, & certamen, ἄσκησις, dici videtur Suidę. cuius generis exercitationẽ meritò quis Annæ viduæ tribuat, vt iurè inter principes ascetrias connumerari queat.

2. Sit igitur fortis ad resistendum, & firma viduitas, tantò magis, quãtò diuturnior est. nam viduatum diu custodire, & quotidianũ, & assiduum cum carne bellum, & cum voluptatibus certamẽ habere, difficillimũ est; sed quod maximè laudabilẽ reddat viduitatem. Talis fuit Anna Prophetissa, talis Iudith. vixit enim illa vsq; ad ann. 84. ita vt vidua fuerit circiter 62. annos, qua de re vide quid hîc in Scholijs scripserimus n. 31. Iudith etiã (quàm vixisse quinque suprà centũ annos scriptura Iudith. 16. 28. affirmare videtur, licet obscuriùs, sed si consulamus textum Græcum clariùs constabit, à natiuitate, non à morte viri numerari in nostro textu 105. anos: habet enim textus græcus; *consenuit in domo viri sui annos* 105. i. consenuit vsque ad annũ ætatis 105. permanens in domo viri) Iudith inquã puella erat, & quidẽ vidua iam tres annos, & sex menses cũ Holofernis Caput abscidit. puellam. n. eam vocat tunc scriptura, & verò etiam pulcherrimam. pòst aũt eandem victoriã ânnos circiter 65. superstes fuit, vt. n. quidã notant anno 40. se ad Holofernem contulit, cùm annos 3. & menses 6. eius vir in viuis esse desijsset; quos si demas à 40. reliqui fient anni 36. aut circiter cùm vidua esse incepit. Vndè ad explendum tempus totius vitæ reliqui erunt 69. anni. tot ergò annos viduitatem custodiuit. Sic etiam sentit Serarius c. 16. Iudith, quæstiuncula 1. & 3.

Iudith quot anno cum fuerit cum Holoferne occidit.

Speculum viduarum.

Deindè quod caput est, diù orationi præsertim instare debet vidua: sic monet Apost. 1. Timoth. 5. *quæ autem verè vidua est, & desolata,* (Gr. sola vel desolata, μεμονωμένη) *speret in Deũ, & instet orationib⁹, & obsecrationibus nocte, ac die.* Hanc rem sapientissimè Augus. pertractat epist. 121. præsertim c. 16. sic. n. scribit ad Probam viduam: *Concerta in oratione vincere hoc sæculũ, ora in spe, ora fideliter, & amanter, ora instanter, atque patienter, ora sicut vidua Christi: quamuis. n. omnia membra eius, hoc est ad oẽs, qui in eũ credunt & eius corpori sociantur; sicut docuit, orare pertineat, specialiter tamen diligentior cura orationũ in scriptura eius, viduis inuenitur iniuncta. nam duæ fuerunt Annæ honorabiliter nominatæ, vna coniugata, quæ sanctum Samuelem peperit; alia vidua quæ Sanctum Sanctorũ, cùm adhuc infans esset, agnouit. orauit & coniugata in dolore animi. & afflictione cordis, quia filios non habebat: tunc ipsum Samuelem impetrauit, & acceptam Deo reddidit, quia cum poscoret, vouit. sed oratio eius quomodo ad orationem illã pertineat, non facilè reperitur, nisi quia in eo, quod ibi positum est: libera nos à malo, non paruũ malũ videbatur, & nuptã esse, & fructu carere nuptiarũ, cùm sola excusset nuptias procreandorum causa filiorũ. De illa verò Anna vidua; vide quid scriptũ sit: quia nõ discedebat de templo ieiunijs, & orationibus seruiens nocte, ac die.* Nec aliundè Apostol. ꝙ & suprà cõmemorauit, *quæ aũt verè Vidua est, & desolata*; sperabit in Domino, & persistet in orationibus nocte, ac die. Et Dominus (Luc. 18.) cùm semper ad orandum, & non deficiendũ nos hortaretur, viduam commemorauit, quę licèt iniquũ, & impium iudicem, ac Dei, & hominũ contemptorem, ad audiendã causam suã assiduè interpellando conuertit. quàm ergo præ cæteris viduæ debeant vacare orationibus, satis hinc intelligi potest, quod omnibus ad suscipiẽdum orandi studium, de viduis propositũ est exhortationis exemplũ. quid autem in hoc operis genere in viduis electum est, nisi destitutio, & desolatio? quapropter si se omnis anima intelligat in hoc sæculo destitutam, atq; desolatam, quamdiu peregrinatur à Domino, profectò quandã viduitatem suam Deo defensori assidua, & impensissima precatione commendat. *Ora ergò vt vidua Christi nondum habens eius conspectum, cuius precaris auxilium. Et licet sis ditissima sicut pauper ora: nondum enim veras futuri sæculi diuitias habes. Vbi nulla damna formides, licet habeas filios, & nepotes, numerosam q; familiam,* quòd & suprà dictum est, sicut desolata ora; incerta enim sunt omnia temporalia, etiam vsq; in finem vitæ huius in nostram consolationem mansura. Tu autem si ea, quæ sursum sunt, quæris, & sapis, æterna, & certa desideras, quæ quamdiu nondum habes, etiam saluis omnibus, atque obsequentibus tuis, tanquam desolatam putare te debes.

3.

Iudith in superioribus domus suæ, fecit

4.

sibi

Viduis semper & sedulò orandum.

sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur. excitarat siquidem in domus suæ tecto siue solario precatorium tabernaculum, quod ideò secretum dicitur, quia à reliquis domus habitaculis, vt inquit Serar. quæ quotidianis vitæ vsibus applicata erant, seiunctum soliſque precibus, & sanctis, religioſisque actionibus dicatum fuit. itemque ab omni eorum, qui in eam domum ventitarent, aditu, strepituque remotum. ibi Deum in abscondito precabatur, & à Deo videbatur, & vt Anna vidua nō discedebat de templo, ieiunijs, & orationibus seruiens nocte, ac die, sic Iudith in hoc suo precatorio tabernaculò morabatur, semper ibi habitans, illinc non discedens; moraliter hæc intelligendo, vt quis dicitur libris semper inhærere, & ab alicuius latere nunquā discedere. Clausa ibi sanctissima mulier morabatur, quia videri nolebat, quæ solis Dei oculis placere studebat, non sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearū stantes orare, vt videantur ab hominibus, ac hi receperunt mercedem suam. 5. Clausa erat nè per oculos, vel aures, vel sensus alios vana quędam hauriret, quæ illam ab orandi studio remitterent, & cęlestes interturbarent animi voluptates, & cogitationes, nam vt ait D. Greg. 21. moral. c. 2. *Nobis ad custodiendam cordis munditiā exteriorum quoq; sensuum disciplina seruanda est. nam quantumlibet virtute mens polleat: quātalibet grauitate vigeat, carnales tamen sensus puerile quiddā exteriùs perstrepūt: & nisi interioris grauitatis pondere, & quasi iuuenili quodam vigore refrænentur, ad fluxa quæque, & leuia mentem eneruem trahunt:* Sic ille.

6. Sed nec propterea lentescere debet orandi studium, quia tentationibus pulsata, vel alio quouis genere malorū exercita Christi vidua, non statim videtur à Deo his malis eripi. indè tantò magis orationi insistendū est, aderit Dominus; cùm tempus erit, cum animæ saluti expedierit, quàm rem præclarè satis Chrysost. ad populū hom. 4. sic declarat. *Potest*, inquit, *Deus omnia grauia hac ipsa die soluere, sed donec nos purgatos videat, donec videat factam conuersionem, & pœnitentiam firmam, & inconcussam, nō dissoluit tribulationem. Etenim aurifex donec aurum benè purgatum viderit, de conflatorio nō extrahit: sic & Deus non abducit hanc* (tribulationis) *nubem, donec nos penitus emendauerit. qui enim tentationem promisit, ipse nouit, & tentationis soluendæ tępus. Et sicut Cytharœdus neque neruum intendit, vt non abrumpat: neque remittit vltrà modum. nè armonia concentū lædat: sic vt Deus agit, neque in remissione continua, nec in longa tribulatione nostram constituit animam, secundùm suam prudentiam vtrumque faciens. non sinit enim nos continua potiri remissione, nè segniores fiamus. non autem rursus sinit in continua esse tribulatione, nè concidamus, neue desperemus. Ipsi aduersitatis finiendæ tempus relinquamus, nos verò tantum in sanctitate viuamus. opus enim nostrum ad virtutem mutari, Dei verò opus malis vrgentibus finem imponere. Etenim ipse magis, quàm tu qui tentaris hoc incendiū extinguere vult, sed salutem tuam exspectat, sicut igitur ex remissione tribulatio facta est. sic & ex tribulatione remissionem exspectare conuenit.* 7. Tantùm Chrysost. Meritò igitur sanctissima illa vidua Iudith cap. 8.

A 10. Oziam reprehendit, qui tradere Assyrijs ciuitatem consenserat, si intra quinque dies nō veniſſet illis adiutorium: *Et qui estis*, inquit, *vos qui tentatis Dominum, non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. posuistis vos tępus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei.*

At quamuis cætera adsint viduę, & orationi satis sibi dedita videatur si tamen castitate non fulget, Christi vidua nunquam erit: hinc tantoperè commendat scriptura Iudithæ castitatem, dùm ait: erat etiam virtuti castitas adiuncta, ita vt non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir eius cap. 16. 26. Iudith, & c. 8. 8. *Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valdè, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum.* B Et Lucas de Anna, *vixerat*, inquit, *cùm viro suo annis septem à virginitate sua; & hæc vidua vsque ad annos 84. quæ non discedebat de templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die,* Procul dubio, quæ sic corpus macerabat, quæ precationibus insistebat, quæ nunquam à templo, nunquam à Dei cultu recedebat, castam viduitatem conseruabat. & quia mundo erat corde, meruit Deū videre. hoc enim est, quod subdit Lucas, *& hac ipsa hora superueniens confitebatur Domino*, &c. Habent igitur Christianæ viduæ, & in nouo, & in veteri testamento, sanctarum Viduarum, quibus animentur, exempla, quarum si Domino adiuuante imitatrices fuerint, & delicias carnis, & iactantiam sæcularem vera cordis humilitate calcabunt. C *vt illius in se sponsi, semper viuat aspectus*, vt loquitur Fulgent. epist. 2. c. 14. *qui semper est viuus*, sicut eodem resurgente vocis Angelicæ attestatione firmatur, cum mulieribus dicitur; *quid quæritis viuentem cum mortuis?* de quo etiam Apostolica sic auctoritas loquitur: *viuus est enim sermo Dei, & efficax.* viuus est ergò ille, qui est verbū Patris, & ideò ipse est fidelium vita. non ergò se arbitrentur Christi viduæ amisisse virum, sed in meliorem commutasse putent, cui non aliter, quàm integra mentis, & corporis castitate placebunt, de quo viro dictum est, *post me venit vir, qui antè me factus est*, non igitur alium quærant, sed virum illum potius videant, illum ament, cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudiné Sol, & Luna mirantur, illi soli seruent fidem, illi se tota deuotione committant. D

Et verò si viduali continentia fulgeant 10. Christianæ viduæ, næ illæ mundo, carni, dæmoni atrociſsimum, ac luctuoſisimum bellū inferēt, & magnam de hostibus victoriam reportabunt, quod exemplo Iudithę ostendi potest, nam cùm Holofernes innumero Bethuliam obsedisset exercitu, vt idem, inquit, Fulgentius, & omnis Israelitarum virtus perturbata langueſceret: *Egreditur castitas oppugnatura lasciuiam, & ad interitum superbiæ humilitas sancta procedit. ille pugnabat armis, ista ieiunijs, ille ebrietate, ista oratione. igitur quod omnis Israelitarum populus facere non potuit, sancta vidua castitatis virtute perfecit. Obtruncauit vna mulier tanti arminis ducem, & inspiratam Dei populo reddidit libertatem. Tantùm potuit humilis castitas.* Epipheme. Tales si fuerint Christianæ viduæ, quales hactenùs descripsimus, tunc

8. *Viduis cast vinendum*

9.

puellis

puellis benè instituendis, & ad pietatem, modestiam, omnemque virtutem conformandis operam non inutilem dare poterunt, etsi filios habèt, quod non est parui apud Deum meriti, benè illos educabunt. Atque ita plus omnibus mittere poterunt in sacrum Domini Gazophilatium, Luc. 21. & de viduis hactenùs.

CAPVT XII.

IN ÆGYPTVM MONENTE ANGELO FVGIVNT PARENTES, CVM PVERO IESV, iterumque redeunt Nazareth.

A. 2. 13.

1. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph: dicens: surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in AEgyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi, futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.*
2. *Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in AEgyptum.*
3. *Et erat ibi vsque ad obitum Herodis, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: ex AEgypto vocaui filium meum.*

SCHOLIA.

1. V. 1. ECce] non est intelligendum statim illos fugisse, vel etiam apparuisse illis Angelum, sed historiæ ordo tantùm in præsenti loco insinuatur ab Euãgelista; nam alioqui quadragesima saltem die Hierosolymam venerunt parentes pueri. Deindè rediere Nazareth, & postèa tandem factum est, quòd hic narratur, quidquid dicat Caietanus alios secutus auctores.

Surge, & accipe] Græcè ἐγερθεὶς παράλαβε *expergefactus, accipe*, i. expergiscere statim & accipe. Porrò causas, cur voluit Deus, vt Christus fugeret pulchrè docet Francis. Suar. d. 17. sec. 1. vide illum.

2. *Qui consurgens*] ὁ δὲ ἐγερθείς. *ille verò expergefactus*, id est, cùm statim post visum euigilasset, accepit puerum.

2. *In AEgyptum*] tanquam in locum extra ditionem Herodis. erat AEgyptus in rebus aduersis Iudæorum confugium, vt Genes. 46. 6. 4. Reg. 25. 26. Sed cur statim è lecto surrexit? nimirum, vt statim fugeret: & hoc indicat Euangelista, subdens, *qui consurgens*, scil. statim è lecto accepit puerum, & matrem eius nocte: eadè nempè nocte abijsse significat, alioqui nõ erat quod præmitteret illa, *qui consurgens accepit*, &c. Non ergò audiendus Abulensis Matt. 2 q. 59. qui arbitratur non eadè nocte, qua monitus profectũ; & licèt insciis vicinis profiscisceretur, poterant iudicare illi abijsse eos, negotij alicuius caussa, neq; verò inde aliqua illis infamiæ nota inuri poterat, cùm nota esset eorum sanctitas. Vel quod ad rem magis facit, parere statim voluerunt: cætera, vel quę ad famã, vel quę ad pauperẽ supellectilem pertinebant, Deo cõmiserunt: præsertim, ne quid propter morã periculi infanti crearetur; immò ex hoc loco Iansenius Parentum Christi paupertatem colligit, nõ enim ait ante fugam sarcinæ diu colligendæ erant, aut debitores adeundi, aut facultates disponendæ, &c.

Nocte] eadem, scil. vt dixi nocte, cur enim expergefactus est, & surrexit, nisi vt tunc decederet à Nazareth Hierusalem vsque. Borcardus 27. leucas, à Hierusalem vsq; Hebron 3. hinc ad Gazã dietæ vnius iter esse scribit. secundũ Abul. verò Matt. 2. q. 6. à Gaza quæ in finibus Iudææ ad austrum sita est ad Cairum vsq; 70. leucæ numerantur. igitur à Nazareth ad Cairum terrestri itinere erant leucæ ad 110. circiter.

3. *Vsque ad obitum Herodis*] in Vitis Patrum, quod opus etiam Euagrij putatur, dicitur; *vidimus, & alium*, scil. virum *nomine Apollonium apud Thebaidem in finibus Hermopolis: ad quã Ciuitatẽ Saluatorem, cùm Maria & Ioseph de Iudæa venisse ferunt. Vidimus templũ, in quod ingresso Domino corruisse omnia idola memorantur.* Dicuntur autem in AEgypto omnia idola corruisse, non quod verè omnia corruerint, sed aliqua in signum destruendæ idololatriæ: an verò hoc significauerit Isai. c. 19. 5. disputat Suar. d. 17. sect. 1. Sozom lib. 1. c. 20. Veterẽ famã refert, Christo infanti Hermopolim ingredienti præcelsam arborem acclinatam. alij habitasse inquiunt Heliopoli, & Babylone; quidam & in loco quodã *Matharæa* dicto domicilium habuisse referunt iuxtà hortum balsami. Est autẽ locus hic inter Heliopolim, & Cairum situs: hunc hortum refert Borcard. p. 2. c. 4. irrigatum à fonte paruulo, sed vbere in quo fama est B. V. puerũ Iesum sæpè lauisse, panniculosq; eius sæpè mundasse, & super lapidem qui ibi visebatur eosdem exsiccasse. Itaque potuit B. V. dùm in AEgyptum pergeret, & cõmodum locum quæreret, vel alia quauis de caussa habitasse Heliopoli, vel Memphi, vel etiam Hermopoli licèt Matharææ tandem sederet, & hoc videtur probabiliùs.

Vt adimpleretur,] sumptum est hoc testimoniũ ex Oseæ. 11. & ad literam secundũ multos de Israelitico populo intelligitur, quẽ Deus non filiũ modò, sed primogenitum suũ vocauit: exprobrat aũt hic illi ingratitudinem, quod præ cæteris nationibus à Deo dilect⁹, & ab AEgyptiaca seruitute Pharaonis liberatus sibi parère neglexerit. Sunt ergò qui nolint literali sensu hæc de Christo esse dicta, sed per ipsam rem verbis proximè significatã, mysterium fugæ Christi in AEgyptum expressum esse, quæ videtur definitio sensus spiritualis allegorici, quia ergo sub ea ratione filij & primogeniti gerit populus Dei figuram Christi, cõstare videtur, sensum hũc spiritualem qui dẽ esse, sed intentum à Spiritu S. & ob id dicitur, vt adimpleretur, &c. Si dicas, infirmũ esse argumẽtum sumptum ex mystico sensu, nisi ille notus sit audientibus, vel ex alijs locis Scripturæ, vel optima ratione cõprobetur. fateor id quidem, sed cùm Euãgelistæ ad probandum. i. conuincẽdum Iudæos eiusmodi testimonia non afferant, sed ad historiã simplicem rerum, quæ in omnium erant oculis illustrandam & credibiliorem reddendam fidem de Christo Messia, facilè est, intelligere, eos tantũ voluisse indicare, ex ipsa analogia rerum, quæ prædictæ erant, cum ijs quæ de Christo narrabãt, & quæ negari nõ poterant, cùm publica essent, ea scripturarũ testimonia in Christo impleta esse. Vide Vasquez p. 1. d. 14. c. 4. Cæterùm licèt hoc sit probabile, probabiliùs tamẽ est, etiã in sensu literali quãuis figurato, vel allegorico de Christo esse hæc dicta à Prophetа, & in sensu literali historico de populo Dei, quod fieri posse, ostendit noster Pradus in Commentario Isagogico in Ezech. sect. 8. tomo primo initio, scribit enim ex August. duplicem esse allegoriam, vocum, & rerũ, illa est perpetua Metaphora

3. *Quantum iter ipsis faciendũ fuerit à Nazareth in AEgyptum vsque.*

Idola AEgypti an omnia corruerint.

Vbi Christus cum parẽtibus in AEgypto habitauerit.

4.

5.

Paupertas Mariæ & Ioseph.

taphora vt Iudicum 9. *ligna ierunt, vt vngerent super se regem*, 4.Reg.14. *Cardus Libani misit ad Cedrum.* Isaiæ 11. *habitabit lupus cum agno*, vbi verba figuratè sumuntur, etiã sensu literali; hæc verò. i. rerũ allegoria est cũ personæ in Scriptura relatæ, vel res suo tempore gestæ, aut gerendæ notæ sunt, & figuræ aliarũ rerũ sacratiorũ, sensu mystico, vt Gal.4.24.Paul.per *Saram* & *Agar* duos montes dicit significari Sion, & Sinai, per *Isaac*, & *Ismael* duo testamenta, itaque hinc colligemus definitionem sensus litteralis esse, vt sit is quẽ verba faciunt sumpta propriè, vel figuratè, mysticus verò sensus est quem res ipsæ per voces significatæ repræsentant ex vi similitudinis & proportionis, quib⁹ positis facilè constare potest, aliquot Scripturæ locis duplicem esse, ac misceri allegoriam vocum, scil. & rerum, hoc est, non solùm vi analogiæ & similitudinis rei ad rem, vel personæ ad personã, Christum repræsentatũ esse, quod est mysticè, & secundùm allegoriam contineri, sed etiã verè & secundùm litteram, ex meritis inquam ipsarum vocum, vel rationis à Spiritu S. ordinatæ, simul typum, & Christum significatũ; alterum ex proprietate vocis; alterũ figuratè, vtrunq; sensu literali, sed illud historico, hoc prophetico, ita vt eędem voces propriè, & figuratè sumantur, cuiusmodi exẽpla pos- 6. sunt afferri ex 2.Reg.7.v.12.& ex Exod 12. 46. Itaq; dicere possumus, hunc locũ Oseæ 11. 2. *ex Aegypto vocaui filium meum*, accipiendum esse in sensu literali de Christo, non solùm in mystico, quod significatum videtur à Matth. per illa, *vt impleretur quod dictum est*, &c. nam hęc verba, vt Lyranus hic & Dionys. obseruarunt, arguunt in sensu literali accipiendum esse locum de Christo, & non solùm in mystico, qui cùm non sit ex vi verborũ prophetiæ intentus, non implet Prophetiam. quæ tamen ratio non videtur multum valere, nam vt demus maximè sensu literali impleri Scripturam, nõ video, cur id quod intentum est à Spiritu S. vel etiam figuratum est nõ potest dici veritate ipsa, & euẽtu rerum impleri. Illud me mouet magis, quia possit cũ commodè locus iste sic accipi, cùm etiã modus loquendi Matth. faueat magis, vt & Oseæ efficacior erit citatio, & testimonium hoc, si litteraliter accipiatur de Christo nomen etiam filij mei, imò & primogeniti, multum fauet, & quidem numero singulari hic positum. Itaque vt vox *agnus*, ex verbis illis Ioan.19.36.*os non comminuetis ex eo*, sumitur Exod. 2.46.in sensu litterali non solùm pro ipso animali ratiõis experte propriè; qui typus erat Christi, sed etiam pro Christo figuratè, vel per metaphoram, quæ est in voce *agni*, desumptam ex allegoria, vel ex similitudine, & analogia agni cum Christo de cruce pendente; ita hic vox *filius* per vtramq; allegoriam, hoc est, per metaphoram, quæ est in voce, & allegoriam quæ est in re ordinatur à Spiritu S. ad significandum Christum magis, quam ad populum de Aegypto eductum, qui typus erat Christi, ita vt non sit absurdũ apud sapientes vsurpari vocem aliquam translatam, & pro, proprio, seu primario significato, & pro ascititio, cùm res quas vox propriè, & figuratè significat, sunt inter se subordinatæ & similes, ita vt analogia, & allegoria rerum quædam pulchra inter illas cernatur. 7. Hanc Pradus opinionem pluribus eruditè declarat loc.cit.sec.8.& item, q. 9. illã defendit. Euseb. demonst.Euang.lib.9.demon.4.sic etiam interprẽtatur secundùm sensum literalem hunc locum de Christo, quod si August.tract.120. in Ioan. Chrysostom homil.84. Theophylact.& Diuum Thom. in locum Exod. Driedo lib.2. de Sacra Scriptura c.2.docẽt locum illum de agno Exod.duodecimo, citatum esse à Ioan. in sensu mystico. Et de loco Oseæ, quem tractamus, idem videtur sentire Hieron.Oseæ 11.& Chrysost.hom. 8.in Matth. nil mirum, nam Patres antiqui videntur hunc sensum literalem propheticum, qui non est dicendus historicus, vocare mysticum, quia sub alio literali historico latet, non quod non sit literalis; itaq; veteres nomine sensus spiritualis, & allegorici non semper intelligunt eum, qui literali opponitur, nec per eum, qui historicus dicitur, intelligunt literalem, licèt etiam iste literalis sit, sed non tantũ ipse: quod verò in vna litera possunt esse in Scripturis plures sensus literales non solùm sententia est Pradi, sed aliorum etiã. vide Vasquez.1.p.d.17. c.2. Nec quicquã valet quod objicit Osiander, existimans in historico sensu locum hunc Oseæ sumendum, nõ allegorico, licèt literali, quia fieri nõ potest, inquit, vt populus innumerabilis vnius hominis figura sit: at si in vno homine duæ gentes cõtinebãtur Genes.21. *duæ gentes sunt in vtero tuo*, &c. cur in vno populo vnus Christus significari nõ poterit? qualiter aũt populus ille fuerit figura Christi peregrinantis in AEgypto, & inde redeuntis, fusè explicat Rupertus in hunc locum Matth.

Vt adimpleretur] *Vt*, euentum videtur significare, vt infrà c.5.16.Ioan.9.39. 1.Cor.11 19.q d. factum est, vt Prophetia impleretur: vel, atq; ita impletum est, quod, &c. potest verò quatuor modis impleri aliquod vaticinium. Primùm cùm id fit, quod proprio, vel literali sensu intelligitur comprehendi eo vaticinio, vt cùm dicitur impletum illud Isai. *Ecce Virgo*, &c. in Virgine Deipara, Matthæi 1.22. Secundò, cùm fit non id, de quo propriè Prophetia intelligebatur, sed quod per illud significabatur 2.Reg.7.14. 1.Paral. 22. *Ego ero illi in Patrẽ*, &c. quod propriè de Salomone sit dictum, D. Paulus de Christo exposuit Hebr.1.6. nam Salomon figura Christi fuit. *similiter os non comminuetis ex eo* Ioan.19.36.quamuis meo iudicio hæc loca etiam sensu literali de Christo sint intelligenda, sed non vacat in his diù hærere. Scio P. Riber. ad Heb.1.n.4. opinari non posse hæc in sensu literali de Christo sumi: sed ratio eius præcipua est, quia negat, in vna littera esse posse plures sensus literales, quod mihi non probatur, nec eius rationes difficilè est dissoluere. illa sunt veriora ac certiora exempla, vt cùm Ioan.3.adducitur illud Nu.21. de æneo serpente, qui fuit expressa figura Crucis & Matth 12.& Luc.11.affertur signum Ionæ, & Galat.4.24. affertur illud de Sara, & Agar, Isaac, & Ismaële. Tertiò, cùm neutrum horum sit, sed quod simile est illi & omninò huiusmodi, vt non minùs aptè de eo vaticinium illud dici possit, quàm de eo de quo dictum est, vt v.g. illud Isai.19.13. de antiquis illis Iudæis dictum, Christus in ijs, qui suo tẽpore erant impletum significat. Matt.15.7.8. *Populus hic labijs*, &c. sic & Matt.13 14. Act.28.26.dicitur hoc modò per accõmodationem impleri scriptura, vide Vasquez.1 p.d.14.c.1. Quartus modus est, cùm id ipsum quod per Prophetiam dictũ erat, quamuis iam factum fuerit, magis tamen, ac magis fit, Ioan.2.11. dicuntur discipuli credidisse, quia magis ac magis crediderunt, vt quidam etiam exponunt locum Iacobi 2.23 Cæterùm cùm in Scripturis dicitur, *vt impleretur quod dictum est* (quod maius quid est quàm dicere, *& impletur*, vel dicere, *vt benè prædixit* Isai.v.g.) est sanè probabilissimum, non necessarium signum, locum accipiendũ esse in sensu literali, ac primo modo, hic enim est qui maximè propriè impleri dicitur in Scriptura, quamuis non ausim affirmare certissimum hoc signum, atq; infallibile esse: duo enim alia sensus literalis signa sunt, communis Sanctorum Patrum expositio, & diligens totius contextus obseruatio non vnius dumtaxat periodi, sed totius Capitis, vel interdum etiam vaticinij. Vide Vasqu. 1.p. 8. 9.

d.15.c.6.

d.15.c.6. Sed de his hactenùs. Interpretatio porrò Ianſenij, de modo, quo hæc Prophetia accommodatur ad Chriſtum à D. Matth. non eſt admittenda, lege eundem Vaſqu. d.14.c.2.&3. Poſtremò argumentum ſumptum à ſenſu ſpirituali declarato in alio loco ſcripturæ, vel cum conſtat, hunc eſſe intentum à Spiritu S. firmiſſimum eſt. quare de fide eſt. igitur ſi in his Oſeæ verbis, latere ſenſum ſpiritualem dicamus, hoc tamen quod ſignificatur eo ſenſu, nobis etiam de fide erit.

4. *Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valdè: & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infrà ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis.*

5. *Tunc adimpletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam dicentem:*

6. *Vox in Rama audita eſt, ploratus, & vlulatus multus, Rachel plorans filios ſuos & noluit conſolari, quia nō ſunt.*

Scholia.

10. v.4. *Quoniam illuſus eſſet*] *quoniam*, pro, *quòd*. *A bimatu*] videlicet vt ſecurior eſſet, vel quia non ſtatim occidi iuſſit infantes: aliquot .n. menſes conquiſiuiſſe veroſimile eſt Magos, & infantem. Adde quod fortè ignorabat an eo die, quo viderant Magi ſtellam, natus eſſet infans, an antea potius. Addit Gagnæus, quia nonnunquā validiores naſcuntur infantes, quàm ſplēdidè educati bimuli. Ideò ne Chriſtus valentiore forſan corpore elaberetur vſque ad bimulos iuſſit infantes occidi. *Et infra ſecundùm tempus*] hæc verba *ſecundùm tēpus*, videntur declarare τὸ *infrà*, q.d. tantundem infrà, quantùm cōijciebat ex tempore explorato ſatis eſſe. Igitur non iuſſit interfici eos, qui recēs nati duorum vel trium dierū, vel menſium etiā erāt, ſed eos qui veroſimiliter erant tot circiter menſes nati, quod eſſe poterat tunc ſaluator iuxtà acceptà à Magis; Computauit enim v.g. quot eſſent elapſi menſes ab eo tempore, quo Magis ſtella viſa fuerat, & ita coniecit veroſimiliter quot eſſet menſiū infans natus, atque ita iudicauit ſatis eſſe, ſi interficerentur ij, qui propè eam ætatem eſſent, non qui multò inferiores ætate. hæc expoſitio mihi valdè probatur. eam laudant, & ſequitur Cęſar Baro. an. primo Chriſti, c.12.n.30.& n.35. etiam eius ſententiæ facit Corn. Ianſen. ſed ante iſtos idem ſenſere, Euthym. & Abulen. q.71. eamque probabilem cenſet Barra. licèt aliam magis probet Beda omnes eſſe interfectos qui erant infrà bimatum, quod ego etiam probabile iudico, ſed in priorem opinionem magis propendeo.

11. V.5. *Tunc adimpletum eſt*] quod de Beniamitis & Iuda Ieremias dixit: hoc nunc de Bethlehemiticis infantibus, qui ad tribum etiā Beniamin ſpectant impletum eſt. Nam Bethlehem, etſi de tribu Iuda eſſet, ceſsit tamen Beniamitis in ſortem; quare rectè nunc dicitur plorare ſuos filios. i. Bethlehemiticos infantes, quibus aptè hæc conueniunt. An verò ſenſu myſtico dicatur hoc vaticinium impletum, an ſenſu literali, paulò pòſt inueſtigabimus.

12. V.6.] *Rama*] Hebr. vox ſignificat *excelſum*: vnde ſenſus eſſe poteſt *vox in excelſo*, id eſt, longè, lateque *audita eſt*, vel diffuſa, *Rachelis plorantis filios ſuos*, poteſt & *Rama* proprium nomen loci eſſe in confinio Iuda & Beniamin, iuxtà Gabaon in tribu Beniamin & propè Hieruſalem, vt poteſt intelligi ex Ioſ. 18.25. Iud. 4.5. & 19.13. Eſtque & mons qui non multum diſtat à Bethlehem, in Bethlehemitica porrò regione ſepulta erat Rachel, & ad eam ſpectabat, Bethlehem, licèt eſſet in terra Iuda: ideò non fuit contentus Propheta nominare Rachelem; ſed addidit *Rama*, ne quis per *Rachel* Bethlehem tantū intelligeret; vt clariùs inſinuaret, planctum vtrique tribui fore communem. Qui ergò hunc locum in ſenſu myſtico intento à Spiritu ſancto de Chriſto intelligunt, aiunt loqui Hieremiam ſecundùm literam, tantùm de captiuitate duarum tribuum, totamque earum regionem nomine *Rachelis* intellexiſſe; Nam & mater erat Rachel Beniamin, & ſepulta iuxtà Bethlehem, quæ verè erat in tribu Iuda, licèt pertineret ad tribū Beniamin; vel quia Ieruſalem, ſeu Iebus caput erat Regni Iudaici, & erat in tribu Beniamin, Ioſue 18.28. 1. Paralip. 11. 4. ideò per Rachelem, quæ mater erat Beniamin Geneſ. 35.18. in cuius tribu Ieruſalem erat, totius Iudaici regni caſus ſignificatur, & tota terra duarum tribuum ſub nomine Rachelis, quia verò iuxtà Bethlehē ſepulta erat Rachel, & ad eam pertinebat Bethlehem, potuiſſet quis per Rachelem plorantem filios ſuos ſolam Bethlehem intelligere, & ſolos eius filios, ideò vt eò clariùs explicarentur duæ tribus, potuit eſſe addita *Rama*, vrbs Beniamin vltrà Bethlehem; ſi tamen loci nomen eſt hic Rama. Dicunt ſecundò ijdem auctores, verè ſcripſiſſe Matthæum hanc propheriam impletam fuiſſe, licèt myſticè in Bethlehemiticis mulieribus deplorantibus indignam cædem innocentium puerorum, & his quidem aptiùs competere, quàm captiuis tribubus, multò .n. magis ob innocētes infantes Rachel plorare debebat, quàm propter captiuos ſcelere cōmaculatos, & dignos, qui in ſeruitutem captiui adducerentur; probabile quidem eſt hoc, ſed probabilius loquemur, ſi dicamus, locum hunc etiam de Chriſto, infantiumque innocent. cædē literaliter ſumendum eſſe; eo modo quo de loco Oſeæ diximus, ver. 3. a. num. 5. tum quia vtitur ea dicendi formula Matth. *tunc impletum eſt, quòd dictum eſt per Ieremiam*, &c. hoc enim modo, ſcilicet, ſenſu literali, magis impleri dicitur Prophetia. Tum quia vox illa *Rachel*, id non obſcurè indicat. viſus eſt enim Propheta vſurpaſſe vocem hanc, qua ſignificaretur Bethlehem, iuxtà quam erat ſepulta, quaſi reſpiciens Bethlehemiticarum mulierum planctum, alioqui duarum tribuum nominibus vſus potius fuiſſet; quamquam non nego ſub nomine Rachelis intellexiſſe Ieremiam terram duarum tribuum, vt dixi numer. 13. Tum quia dùm meminit Propheta planctus matrum propter cædem filiorum, videtur ſatis innuere, & inſinuare planctum Bethlehemiticarum matrum ob extinctos innocentes, ac lactentes filios; nam planctus mulierum ob captiuitatem, erat communis cum reliquis qui matres non erant, & prætereà non filios tantùm, ſed ſeipſas etiam, maritos & ciues, & patriam, & cognatos, & amiſſa pariter omnia bona; tunc planctu illæ, lacrymisque proſequebantur. Denique efficacius erit hoc teſtimonium ſi ſic intelligatur; ad id oſtendendum quod vult Euangeliſta. Itaque vox *Rachel* propriè ſignificat terram duarum tribuum apud Ieremiam, & ſub illa figuratè, ac per Metaphoram etiam ſignificat Bethlehemiticas matres; nomen verò, *filiorum* illos notat, qui ad duas tribus pertinebant, & in captiuitatem abducebantur, idque propriè; figuratè verò ſignificat innocentes pueros crudeliter ab Herode neci datos: nam propter ſimilitudinem & analogiam, quæ eſt hic inter illam captiuitatis calamitatem, & hanc infantium necem vtroque modo ſumi poſſunt vo-

13. *An myſticè hic locus ſumendus.* *§ Prima opinio.*

14. *§ Altera opinio.*

15.

ces & propriè, & figuratè, itemq; immediatè significare vtramque calamitatem. Allegorico igitur sensu, sed literali, immediatè per verba figuratè sumpta cædes innocentiũ significatur: atque adeò duplex etiã hic latet allegoria vocũ, & rerũ, & duplex sensus literalis, proprius, & Allegoricus, seu Propheticus, quem superiùs in Scholijs simul posse in vnum locum Scripturæ conuenire docuimus v 3. à num. 5.

16. *Quia non sunt*] perierunt, repentè ab oculis euanuerunt, occisione sublati sunt. Hebraismus est, sequitur aũt hic interpres & Euangelista 70. nam hebraicè habetur *non est*, i. quia nemo remansit. Infanticidij huius meminit Macrob. lib. 2. Saturn. c. 4. Vide etiã Baron. anno Christi 1, vbi in margine leges, *Herodes in infantes sæuit*, paulò pòst. Dubitari potest, quonam tempore Herodes infantes occiderit. Mihi eorũ probatur Opinio, qui sentiunt interfectos fuisse ab Herode innocentes exacto iã anno à Natiuitate Christi, eodem die quo Ecclesia eorũ cædẽ cõmemorat: sic Haymo Matt. 2. sic etiã D. Ansel. & Vgo Card. in Matt. glo. item ordinaria. Nec alienus est Beda ab hac opinione Matth. 2. Fauet eidẽ Opinioni Ecclesię festũ 4. die à Natiuitate celebratũ: Scio Onuphrium in fastis, qui Christũ anno ab vrbe condita 752. natũ docet, opinari innocentes occisos ab Herode anno 754. quo anno Christum in AEgyptum fugisse etiam putat, à quo nõ discrepat Euseb. cùm scribit: anno ætatis Christo 3 infantes occisos, & Herodis 34. Christum verò ait ortum anno Herodis 32. Vide Barrad. lib. 10. c. 10. qui pluribus rem hanc tractat. Porrò ex v. 4. & voce illa *mittens, occidit*, conijcit idem Barrad. per loca omnia Bethlehemitica misisse Herodem satellites, qui infantes occiderent; non fuit autem difficilè à vicinis inuestigare in Bethlehẽ, eiusq; finib⁹ quænã fęminæ filios bimulos, vel infrà haberẽt, eosq; illis extorquere, quãuis mihi etiã nõ displiceat quod D. Anton. 1. p. tt. 5. c. 1. §. 4. scribit matres, ac nutrices cum infantibus ab Herode vnum in locum congregatas, quasi alicuius pietatis, ac munificentiæ titulo, & tũc in oẽs paruulos milites sæuijsse; sed certè verba Matth. scribentis *mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius*, magis videntur indicare modũ Barrad. veriorem esse. Macrob. loc. cit. ait; Herodis filiũ etiã occisum esse cum istis, nam agens de Augusto sic scribit; cùm audisset inter eos quos in Syria Herodes Rex Iudæorũ inter bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait; *melius esse Herodis porcum esse, quàm filium.*

quando infantes occisi ab Herode.

17. *7. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in AEgypto.*

8. Dicens: surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.

SCHOLIA.

18. 7. *Herode*] Ascalonita filio Antipatri. is præsertim ob cædem infantum infeliciter extinctus est. Febrin, dissenteria, scabie, podagra, verendorum putredine, vermium corrosione, spirãdi difficultate, denique membrorum tumore malam soluit animam. Mortuus est 37. anno à Monarchia Augusti propè pascha, verno tempore agens annum 67.

19. Cuius regni anno 29. Christus natus est, & tertio, vel quarto à Natiuitate circiter mense in AEgyptum translatus est, vbi ad octauum vsq; annũ

A manſit, id est, ad septimum, ac prætereà tres menses qui intercurrunt à Decembri, vsque ad extremum ferè Martium, cùm mortuus est Herodes. tãdem 9. ætatis currente anno die 7. Ianuarij Christus in terram Israel venit, vel etiam Nazareth, neque enim statim post mortem Herodis monitum fuisse Ioseph ab Angelo, vel parentes illicò in viã se dedisse pòst monitionẽ, necesse est dicere; dùm ergo parentes monentur, dum se parant ad iter, dùm veniunt in Palæstinam, & quidem cautè ac lentè, iam aduenerat septimus dies Ianuarij anni 9. ætatis Christi per paucos dies inchoati. Quæ omnia ex annis, quibus Christus vixit cum Herode, & ex obitu eiusdẽ Herodis circa Pascha, & ex tempore, quo Ecclesia celebrat reditum pueri Iesu, nempè 7. die Ianuarij, quæ occurrit primo pòst Pascha, quando mortuus est Herodes, clarè deducuntur. Natum verò esse Christum currente anno 29. He-
B rodis docet Baronius in apparatu. initium enim regni Herodis sumendum docet ab anno 2. 187. Olympiadis, quo anno Augustus Antonium, & Cleopatram bello superauit Actiaco. Vnde vsque ad obitum Herodis numerari ait idem Baronius 37. illos annos eius regni, licèt 37. non fuerit integer. Item quod Herodes mortuus fuerit agens annum vitæ 67. docet Ioseph. antiquit. lib. 17. cap. 10. obijsse verò anno 3 . regni inchoato propè, vel circa tempus Paschale, esse videtur communis sententia. lege præter Baron. Franc. Suarez dist. 17. sect. 2.

8. *In terram Israel*] videtur Angelus non præcepisse, vt irent in Iudæam, nam nomine terræ Israel vtrumque poterat intelligi, & Iudæa, & Galilæa. Cæterùm D. Ioseph (quod notauit Iansenius) videtur Hierusalem cogitasse, vt Deo gratias ageret. Abulensis ait, decreuisse quidem Ioseph Galilæam & Nazareth repetere; cùm ergo dici-
C tur timuisse in Iudæam ire, significatur timuisse per Iudæam iter facere in Galilæam propter Archelaum: nam ex AEgypto reuertentibus in terram Israelitarum, prima, quæ occurrit prouincia est Iudæa, q. d. timuit per Iudæam iter facere in ciuitatem Galilęæ Nazareth, & confirmatus etiam ab Angelo secessit in partes Galilææ, diuertens à recto itinere, ne Iudæam pertransiret, quod mihi non displicet, licèt Augustin. lib. 2. de consensu Euang. c. 9. opinetur Iosephum decreuisse habitare in Iudæa, cùm redijt ex AEgypto. Interim verò timuit, vel subdubitauit, & ob id admonitus ab Angelo in Galilæam venit. Porrò licet Antipas esset Tetrarcha in Galilæa; dicitur tamen non vsque adeò immiti, ac crudeli ingenio fuisse, qualis erat Archelaus. Propterea, præsertim monitus non
D timuit eò se conferre. Sed verior ratio est, quia Antipas non videtur fuisse Successor regni Herodiani vt Archelaus, qui successit in regnum Herodi Patri, cuius regni infans recens natus Rex esse ferebatur, & ideò ab eo timendum meritò fuerat, qui erat Rex Iudęæ. Obserua, ignorasse primum quidem Ioseph, an aliquis regnaret in Iudea. Neq; enim iurè debebatur Herodi regnum Iudææ; ideò ratus, neminem ibi regnare, Iudæam cogitauit: Ast vbi auditum est, Archelaum vel certè aliquem regni gubernacula tenere, timuit eò proficisci, vbi sciebat regem esse Iudææ.

Defuncti sunt enim] secundùm aliquos pluralis pro singulari ponitur Hebræo more. Verùm Hierony. ex hoc loco, inquit, intelligimus non solùm Herodem, sed & Sacerdotes, & Scribas eodem tempore necem Domini fuisse meditatos, quos Herodes per Salomen, & Alexandrum in Hyppodromo occidi iussit, ne fieret in vrbe lætitia in obitu suo. *Animam*] Vitam.

Augustinus Torniellus in Annalib. anno mundi 4051. num. 30. & seq. sensit & prolixè probare nititur contra Baronium Herodem primo Christi anno non iam & eius natiuitati vix tribus mensibus superuixisse. vide eundem.

20.

21.

22.

Digitized by Google

9. *Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Israel.*
10. *Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode Patre suo, timuit illo ire: & admonitus in somnis secessit in partes Galilææ.*
11. *Et veniens habitauit in Ciuitate, quæ vocatur Nazareth: vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.*

SCHOLIA.

9. *Accepit puerum*] non dixit accepit filium suum, vxoremque suam, sed *puerum & matrem eius*. q. nutritius & non Pater, scilicet, per generationem. aduerte etiam non dixisse Matth. vt superiùs ver. 2. accepisse puerum nocte, & venisse in terram Israel: quare non est vero simile, eodem tempore, quo surrexit è somno, inde recessisse Ioseph cum puero & matre.

10. *Regnaret*] Toparcha nomine, sed Regia potestate.

11. *Vt adimpleretur.*] vt, consequutionem significat, q. d. impletum est.

23. *Prophetas*] vide Isai. 4. Ierem. 13. Zachar. 6. In his enim locis dicitur germen, surculus, qui *netser* dicitur Hebr. & propterea *Prophetas* dixit numero plurali, quod verius, quàm quod ait Hier. ideò fixum de scripturis exemplum, non posuisse Matthæum quia *Nazaræus* Sanctum significat, at sanctum omnis scriptura loquitur. Alij optimè numerum pluralem pro singulari positum volunt, vt Io. 6. 45. *est scriptum in Prophetis*, scil. Isai. 54. 13. idem & Actor. 13. 40. & 15. 15. & apud Matth. c. 26. 56. Itaque indicari volunt hîc, locum Isai. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.*

24. *Nazaræus*] Isai. habet, *netser*, Hebraicè, per, *tsade*, nos habemus *& flos de radice*. nam flos, & tener surculus, seu vt ait D. Hiero. ad c. 14. Isa. virgultum illud, quod ad radicem arboris nascitur, appellatur *netser*, à radice *natsar*, quod significat seruare, custodire, quòd scilicet flos, & surculus magna diligentia custodiri soleant, cùm indè fructus pendeat. *Nazareth* autem idem est quod *custoditæ* si deducatur à verbo *Natsar*, vel (& meliùs) *florida*, seu *ciuitas germinis*, vel surculi à nomine *netser*, quod dicitur ab Isai. & significat surculum vel florem, vel florentem seu Nazaræum, vel sumendo hæc duo adiectiuè, & appellatiuè, vel sumendo substantiuè, vt sumitur *oriens* aliquàdo pro Christo. *Netser* enim substãtiuè significare potest, vt etiam appellatiuè. hinc patet Christũ non *Nazaræum* dici per z, sed si hebraicam dictionem respicias appellari potius *Natsaræum* per, *tsade*, sicut & *Nazareth*, quamuis *Nazareth* non sit in veteri testamento, vt habet Maldonatus, & Vegas in cap. 12. Apocal. com. 3. sect. 22. n. 4. de B. Virgine, & Iansenius; sensus ergò esse ìdci huius potest, quod *Nazaræus* substantiuè esset vocandus ab hominibus, quod factum est ex occasione vrbis Nazareth, in qua educatus est, ita vt ab Isai. id sit prædictum cùm dixit, *egredietur virga*, id est Deipara *de radice Iesse*, qui fuit Pater Dauid, & *netser*, hoc est Messias, qui nimirum à populo *Netser*, siue *Nazaræus* vocabitur *de radice eius ascendet*, quod & nunc cœpit impleri occasione educationis Christi in vrbe Nazarethana. Vel sensus est, Christum à Nazareth patria vocandum fore *Nazaræum* appellatiuo nomine, vndè factum vt adimpleretur quòd prædixit Isai. *Egredietur virga de radice Iesse, & Nazaræus de radice eius ascendet*. Hebr. netser, quod sapientes Hebræorum, vt Hieronymus ibi, & Matth. 2. refert, nomen esse appellatiuum affirmant. quasi dicat, *Egredietur virga de radice Iesse*, qui fuit pater Dauid, & Bethleemita, *& de eius radice ascendet Nazaræus*, id est Christus, qui Nazaræus erit. Vide Tol. in Lucam cap. 1. adnot. 51. Vel tertiò sensus est ex Iansen. in cap. 11. concord. Christum habitasse in ciuitate Nazareth, quæ dicitur *ciuitas floris*, vel surculi, seu germinis, quo factũ vt vel ex ipsa ciuitate, à qua cognominandus erat, demonstraretur in ipsum, verè competere nomen illud *netser*, id est, flos, vel germen, quo Propheta Messiam appellat, immò germen plures Prophetæ vocant, vt superiùs dixi num. 23. quoniam enim plerosque Iudæos offendebat, quòd Iesus diceretur *Nazaræus*; à Nazareth enim non potuisse aliquid boni esse dicebant Ioan. 1. ostendit Euangelista quod id conueniat scripturis, quæ passim eum vocant nominibus significantibus germen, quod nomine Nazaræi aliquo modo continetur & significatur. Idem est de nomine floris apud Isaiam, quare coniunctio, *vt adimpleretur*, consequutiuè accipitur semper.

THEORIA PRIMA,

In vers. XI. præcedentis Capitis: *Quoniam Nazaræus vocabitur.*

VT in Scholijs num. 23. dictum est, videtur Matth. spectare locum cap. 11. 1. Isai. licèt plurali numero Prophetas citet. vt ergò quæ hîc habet Matt. intelligantur, declare oportebit locum illum Isaiæ, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*. Hebræi vtrumque, & virgam, & florem, Messiam interpretantur: quod scil. in virga teste Hieronymo regnantis potentia, in flore pulchritudo monstretur: quod & multi ex Patribus, & Paraphrastes Chaldæus inter alios secutus est. Orig. hoc etiam ad mores accommodat eleganter homil. 9. super Numeros: *Habemus*, ait, *hæc omnia non tàm in virga Aaron, quàm in ea virga quæ exijt de radice Iesse, de cuius etiã radice flos ascendit, in quo nec hoc ipsum videtur otiosum, quod exire dicitur virga, & flos ascendere; quamuis enim vnus sit Christus per substantiam, singulus tamen diuersus efficitur, prout indiget is, in quo operatur; qui ergo segnior est, & negligentior, fit ei pro disciplina Christus virga, & in virga non ascendere dicitur, sed exire; exeundum namque est ei, qui iners, & segnis est de eo statu, in quo non rectè consistit, & transeundum ad alium, tanquam virga compulso, id est, seueritate doctrinæ rigidioris admonito; qui verò iustus est, quia iustus, sicut palma floret: in hoc ascendere dicitur Christus, sic ergò qui verberibus indiget, exit ad eum virga, qui autem proficit ad iustitiam ascendit in florem, ascendit autem vsque quo afferat fructus spiritus.* Hæc Orig.

Alij, vt Diuus Hieronymus in vndecimum caput Isaiæ opinatur virgam de radice Iesse Beatam Virginem esse, & florem Messiam: sic enim scribit Hieronymus: *Nos autem virgam de radice Iesse, Sanctam Mariam Virginem intelligamus, quæ nullum habuit fruticem coharentem, de qua*

& suprà legimus: ecce Virgo concipiet; & pariet filium; & florem, Dominum Saluatorem, vt dicit Cant. 2. 1. ego flos campi, & lilium conuallium. Idem Tertullianus habet, & quidem rectè, nam sicut flos, non ex semine, vt arbor ipsa, sed ex virga frondeque arboris cælesti vi solum, roreque perfusa oritur; ita CHRISTVS absque semine ex Virgine diuini numinis potestate, & Spiritus sancti rore fœcundata & conceptus, & natus est, tantumque abest, vt aliquid venustatis, vel puritatis amiserit, vt purior potius, venustiorque per hunc conceptum, partumque apparuerit Virgo, vt virga enascente flore.

3. Sed illud hic mirandum, quod cum reliquæ omnes virgæ, atque arbores cùm in fructus erumpunt, florem amittant, Virgo hæc supra omnem naturæ vim, & consuetudinem conseruato virginitatis flore suauissimum vitæ fructum mundo attulit. sic Bernardus lib. de Passio. Domini, cap. 46. Alij per ascensum floris conceptionem Christi purissimam de Virgine intelligunt, fructum verò aiunt Christum in lucem editum ex eadem Virgine, in qua neque virginitas partum prohibuit, neque partus virginitatem soluit, vt dixit Nyssenus in orat. de S. Christi nat. vel certè idem qui flos fructus est.

4. *Christus quomodo flos de radice ascendẽs*

Sed cur inquies, flos Christus de radice arboris, non de virgæ culmine prodijsse dicitur? cur item virga non de arboris cacumine, sed de radice egredi dicitur? Aduerte loco *radicis* Hebr. esse *Gezaa*, quæ vox propriè truncum arboris significat truncatis frondibus, & præsertim eam partem, quæ super terram eminet, vt docet numer. 8. loc. cit. in Schol. num. 25. Idem Vega ex Rabbi Chimi; quia igitur legitima Regum Iuda successio conceptionis Christi tempore defecerat; ideò Iudaicum regnum truncо abscisis frondibus, ideſt, legitimis Principibus carens comparatur. Quo fit, vt cùm Beata Virgo ex tribu Iuda atque adeò ex familia Dauid nata sit, ex ipso regali trunco dissectis ramis ex ipsa radice, seu trunco quasi virga pullulatit. itemque quia Christus ex Virgine huiusmodi, id est, nullis suæ familiæ regalibus sceptris fulgente, sed potiùs humili, ac paupere ortus est. meritò non de virgæ summitate, sed de radice ascendisse dicitur, qua nobis re humilitatis virtus mirificè commendatur; sicut & ex eo quod de radice Ieſſe, qui rex non fuit, sed pastor, non autem de radice Dauid regis dictum est, vt eadem

5. videlicet nobis inculcaretur humilitas. Aduerte hic, quòd si per *nètser*, florem intelligas, quàm benè hoc nomen in Christum cõueniat, intelligere poteris ex eodem Vega in cap. 12. Apocal. com. 3. de Virg. sect. 23.

6. Iam verò sequitur, vt declaremus, an Christus *Nazaræus* per, z, an verò per *tsade*, dict⁹ sit. Castro in comm. in Isaiam cap. 11. & lib. 6. Apolog. pro editione vulgata, contendit *Nazaræum* per, z, id est, *separatum*, sanctum dicendum esse, à *nazar*, separo, sanctifico, consecro. sic enim semper scribitur *Nazarænus* in vulgata editione. idem aliquando Hieronym. sensit Isaiæ vndecimo, at passim hebraicæ linguæ non ignari, dictum esse Christum autumant

A *Nazaræum* & *Nazareth*, à *netser*, vt videre est apud Maldonatum hic. Tolet. in cap. 1. Lucæ, adnot. 50. & 51. Barrad. lib. 10. cap. 11. Vegam in Apocalyp. cap. 12. comment. 3. de B. Virg. sect. 22. & ante istos apud Salmeronem, tom. 3. in hunc locum Matth. mitto Iansenium & ceteros. Potest id probari ex titulo Crucis, qui Romę visitur *Iesuah hanatseri melech Naieudim.* 7.
qua de re lege Sixtum Senensem lib. 2. Bibliothecæ in Pontio Pilato, & Pagninum in sua interpretatione Hebraicarum vocum, quę habetur in calce translationis Scripturæ, quam edidit ex Hebræo, in dictione *Nazareth*, quam rationem ex titulo Crucis sumptam rectè defendit Toletus annotat. 50. deindè in Euangelio Matthæi Hebraico scribitur hoc nomen
B per, *tsade*. Tertiò, qui dicuntur *Nazaræi* scribuntur Græcè cum, *Zain*, & *alpha*; at Christus dicitur Ioan. & Lucæ 18. *Nazoræus* per omega, vt significetur non esse Nazaræum per, *Zain*. Marcus qui Latinè scripsit, per alpha, habet *Nazarænus*, nè à Latinis discreparet. Quartò fauet magis Ethymologia; nam deriuatur *Natsaræus* à voce hebræa significante florem, id est, florentem, vel surculum, quomodo ostendimus in Schol. num. 24. 25. dictum esse Christum ab Isaia & Prophetis. Quintò, significat Matthæus à Nazareth dictũ esse Christũ *Nazaræum*; at *Nazareth* passim per *tsade* scribitur, non per *zain*; quod verò Latinè & Græcè, per
C *zita*, dicatur Christus *Nazaræus*, factum est, ex Hieronym. in cap. 11. Isaiæ, ex eo quod litera *tsade* habet sonum medium inter z, & s, atque vtriusque literę vim participat; quare potuit à Græcis & Latinis siue per z, siue per s, scribi; & vt vocis asperitas molliretur, placuit scribi per z, præsertim cùm nec Græci, nec Latini habeant litteram vnam magis respondentem litteræ Hebraicæ *tsade*, quàm z, idemq; dicendum de *Nazareth*. & hanc opinionem videtur approbare tandem Hierony. in comm. Matth. cap. 2. nam cùm posuisset, *Nazaræum* dici Christum, quasi Sanctum ac separatum; subdit id quod magis videtur approbare: possumus & aliter dicere, quòd etiam ijsdem verbis iuxtà Hebraicam veritatem in Isaia scriptum sit: *exiet virga de radice Ieſſe, & Nazaræus de radice eius conscẽdet.* idem habet lib. de opt. gen. interpret. ad Pammachium: vbi ait; in Hebræo iuxtà linguæ illius idioma ita scriptum est: *exiet virga de radice Ieſſe, & Nazaræus de radice eius crescet.* sig-
D nificat ergò Hieronymus dici *Nazaræum* à, *Netser*. Quod verò Christus nõ fuerit Nazaræus, vt erant legales illi, ostendit Barradius, & Maldonatus loc. cit. hic num. 6. Postremò sensus Matthæi excutiendus esset, dùm ait, *vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas: quoniam Nazaræus vocabitur*: sed nos in Schol. nu. 24. 25. 26. 27. tres attulimus interpretationes, quarum tertia, quæ est Iansenij, maximè probatur.

Digitized by Google

THEORIA II.

Quomodo Angelus Ioſepho in ſomnis apparuerit.

1. QVAE cauſſæ efficientes apparitionum imaginariarum, earum maximè quæ in ſomno accidunt, dubitari poteſt; Deone, an Angelis loco Dei vt effectricibus cauſis conueniant: qua de re noſter Thyræus lib. 3. de Apparitionibus cap. 15. agit. Cæterùm quod hic in ſomnis accidit Ioſepho, non dubium, per Angelum fuiſſe perfectum; diſertis enim verbis id teſtatur Euangeliſta. nam Matth. 1. dicitur Angelus in ſomnis apparuiſſe Ioſepho, eundemque monuiſſe, ne coniugem dimitteret, & auguſtiſsimum Chriſtianæ religionis myſterium docuiſſe. deindè Matth. 2. idem Angelus eidē Ioſepho apparuit, atq; vt in AEgyptum fugeret cum vxore & filio ad Herodis manus effugiēdas, ſuaſit. idemq; tertiò poſt Herodis mortem in ſomnis eidē Ioſepho apparuit, atque vt in terram Iſrael rediret, mandauit Matth. 2. & Actor. 27. idem ſibi euenisſe narrat Paulus: *Aſtitit mihi*, inquit, *hac nocte Angelus Dei*, &c. idem conſtat Geneſ. 31. vbi apparuiſſe dicitur Angelus in ſomnis Iacob, & vt domum Laban relinqueret, iuſsiſſe. item 3. Regum 19. Angelus dormientem Eliam monuit, vt ſurgeret, & comederet. & Danieli altiſsima multa reuelata ſunt ab Angelo, vt patet ex capit. ſeptimo, & quòd per Gabrielem ea dicta fuerint, ſignificatur cap. 9. Igitur reſtat, vt duo de ijs apparitionibus in ſomnis,
2. vt hæc Ioſephi intelligatur, videamus. Et primùm quidem explicemus quomodo facta fuerint illa ſomnia per Angelum, & iuſſa illa quali ſignificata, intimataque locutione. Deindè inueſtigemus, quomodo Ioſeph, vel ſi quis alius eſt, cui eiuſmodi ſomnia fiunt, norit, ea fuiſſe diuina ſomnia. ſequemur autem Thyræum carptim, breuiterque colligentes, quæ cap. 14. 15. & 16. ab illo pluribus explicantur.

De Apparitionibus imaginarijs.

Igitur in Imaginaria apparitione duo ſunt; actus ipſe phantaſiæ, & obiectum, ſeu phantaſma. Primùm actus ipſe ipſius eſt potētiæ imaginatiuæ, eſt enim actus vitalis, atq; adeò eius principium eſt illud idē, in quo ipſe actus eſt,
3. eſt autē in phantaſia. quare phantaſia ſiue imaginatio cauſa ipſius efficiens eſt. Deindè intelligendum eſt, Angelos per ſe neque ſpecies intelligibiles, neq; phantaſmata, neq; ſpecies ſenſibiles immediatè efficere poſſe, ſicut nullius formæ per ſe immediatè ſunt auctores Angeli. quod ergò per ſe, atq; immediatè nequeunt, ſubſidio naturæ corporeę poſſunt, & perficiūt. itaq; per varias formas, atq; phantaſmata quæ in corpore reſident, imaginationē hominum in ſomnis trāſmutant, & mouent. lege D. Tho. 1. p. q. 111. ar. 3. ad 2. & in corpore. quare in hac imaginationis motione per Angelos non noua phantaſmata effinguntur, ſed veterum ſolùm
4. nouus eſt vſus, atque exercitium.

Aduertendum præterea, bifariam contingere, vt nouum vſum ſortiantur phantaſmata in his apparitionibus. Primò vt ſimpliciter, qualia reperiuntur, imaginationi obiiciantur ab Angelis, vt v. g. fuēre vaccæ Pharaoni exhibitæ. Secundò, vt diuerſa inter ſe miſceātur phātaſmata, ita vt poſsint repræſentare vnum aliquid, quod nunquam fuit in ſenſibus externis, vt ſtatua Nabuchodonoſor Danielis 2. indicat. faciunt autem hæc Angeli virtute naturali, ſiue boni, ſiue mali. ex quibus colligimus, magna Angelos intelligendi, & efficiendi vi pollere. intelligendi vis hinc deprehenditur, quod in ſpiritibus, atque humoribus latentes poſsint cognoſcere, atque diſcernere ſpecies, & phantaſmata: efficiendi verò, quod eoſdem ita poſsint componere, vt quas ipſi velint, poſsint hominibus exhibere formas, & ſimulacra.

Præter hos duos modos, tertium Thyræus adiecit per externum quendam ſuſurrum, & ſecretam quaſi locutionem in ijs apparitionibus, & ſomnijs, in quibus iudicatur, & creditur loqui quis, & audiri. quamuis enim in loquendo Angelus, dum à ſomniantibus loqui creditur, & iudicatur audiri, prioribus, & ante habitis phantaſmatibus vti poſsit, ſuſurro tamen quodam externo, quæ vult, cogitationi, & imaginationi inſinuare interdum credibile eſt. quod vbi fit, ſicut noua, & nunquam audita vox percipitur, ita noua quædam phantaſmata obijciuntur, quorum auctores, vt & vocis quæ auditur, aliquo modo ipſi ſunt. Videntur verò efformari propriè phantaſmata hæc per potentiam ſenſitiuam internam excitatam per motionem ſenſus externi, puta auditus. ſic enim Thyræi hic dicta recipio, alioqui Angeli per ſe nullam formam efficiunt immediatè. Dicet quis, fruſtra adhiberi dormientibus voces externas, ſeu ſuſurrum. at non tam altus ſemper eorum, qui dormiunt ſomnus eſt, vt externos ſenſus prorſus occupet, poſſuntq; cum eodem ſomno aliquanto remiſsiore, ſi non perfectam ſaltem aliquam ipſi habere operationem. probant hoc reſponſiones dormientium ad vigilantium interrogata factæ. Eſt autem hic tertius modus valdè congruus, vt tantò certiores de diuina reuelatione ſint mortales; externa enim vox efficacitatem quandam ad credendum affert. Deindè congruit id hominum conditioni: nam ad imaginationem res non tranſeunt, niſi priùs in ſenſibus externis fuerint; Itaque dum in apparitionibus in ſomnis, ſiue Deus, ſiue Angelus quædam inſuſurrant, conuenientiori modo homines illa percipient, quàm ſi per alias iam habitas formas, atque phantaſmata, adeoque per nudum ſomnium offerat. Hoc accidiſſe videtur in apparitione Abrahæ facta, qua ſecundo proprio nomine compellatus, vbi reſpondiſſet (voce procul dubio expreſſa) *adſum*: mox iubetur tollere filium, & offerre illum in holocauſtū. idem accidit Samueli 1. Reg. 3. cùm tertio vocatus eſt à Deo. denique idem arbitror accidiſſe Diuo Ioſepho locis citatis num. 1. Hæc de primo.

Quæ verò ſint ſigna ad internoſcendum quæ diuina ſint ſomnia, vel non diuina, docet Thyræus capit. decimotertio, & decimoquarto, lib. 3. breuiter duo ſunt, quæ ſi præſertim coniungantur, non dubium diuinum eſſe ſomnium illud, ſiue fiat per Deum, ſiue per An-

5. 6. 7. *Quomodo cognoſcatur verum ſomnia fieri à Deo aut nō.*

gelum in persona Dei, siue per Angelum vt minister est Dei; nam si ea, quæ in somnis reuelantur sunt futura contingentia, vel arcana cordium, vel præcipua fidei nostræ mysteria nulli nisi Deo magistro nota, accedente interiore hominis motione, quæ fit per Dei illustrationem, qua Deus ipse mentem illustrat, voluntatem afficit, certioremque de auctoritate somnij facit, tunc non dubium somnium esse diuinum, quorum duorum posterius solum etiam sufficit: prius, antequam fiat res, quæ reuelatur, & constet, vel ipso euentu manifesta fiat, non videtur sufficere, nisi maiora alia signa adsint; possent enim quædam libera reuelari à Dæmone, vt certò futura ex coniecturis, quæ tamen vel euenient post eà contingenter, & casu, vel certè non euenient.

8. *Conimbricensium de somnijs sententia.*

Hæc de secundò: nunc rem hanc totam Conimbricensium Patrum in librum de somnijs, cap. 4. sub finem librorum de Cælo auctoritate concludamus; *Solet*, inquiunt, *Deus tum ob alios fines somnia immittere, tum sæpè numero vt rerum latentium, & futurarum prænotionem hominibus impertiat. Quod facit vel nouas imprimendo species siue sensibiles, siue intelligibiles, vel componendo, & coordinando eas, quæ nobis anteà inerant, & insuper intelligibile lumen communicando, si ita opus sit. Angeli verò, quia neque species, neque lumen per se in animum hominum transfundunt, quoties aliquid inter dormiendum edocent, aperiuntuè, id præstant expediendo illis species, easque appositè coordinando ministerio spirituum, qui ipsis vti catera corpora, ad motum localem obtemperant,* (vt Diuus Thomas habet loc. cit. numer. 3.) *Adde sicuti in vigilia, ita & in somnijs mouere nonnunquam Angelos corporu humores ad extandum vtilem alicuius rei affectum, & cogitationem. habet enim ad id non parùm momenti humorum excitatio, sicut & ipsum primarum qualitatum temperamentum*: Hæc illi.

9. *Item Aristotelis quæ reijcitur.*

Cæterùm dogma Aristotelis est nulla videri à Deo somnia proficisci, tùm ob alias causas, tùm quia *oporteret*, inquit, *ea immitti optimis viris, & sapientibus; at indiscriminatim, ac sine lege vlla abiectissimis hominibus, & de face vulgi obueniunt.* Sed in primis Deus non solis imperitis & ignobilibus somniorū prænotiones confert, vt ex Scripturis patet. Deindè, neque id Dei maiestate indignum foret, sed summam eius prouidentiam, & bonitatem commendat, neque enim infimis somnia tribuendo deterior, nec summis largiendo eminentior fit.

10. Illud rectè dictum est ab Aristotele, aptiùs esse ad harum rerum imagines recipiendas nocturnum tempus, quàm diurnum; siquidem cùm noctes tranquilliores sint, magis tunc expeditus, ac liber est aër ab omni motu, & perturbatione, & dormientes paruos etiam motus, agitationesque interiores faciliùs percipiunt, quàm vigilantes; quia occultæ motiones phantasiæ, quæ secundùm vigiliam fiunt, obscurantur incursu, & adumbratione maiorum, quæ tunc per sensus palam inferuntur. Ex his patet, qualia fuerint Diui Iosephi somnia, & quomodo Angeli locutionem percipere, qualiteruè certus esse potuerit Dei auctoritate immissa esse per Angelum. Illud postremò non dissimulabo reperiri interdum somnia, in quibus sine vlla visione imaginaria intus Deus loquitur Prophetæ, & res occultas exponit; qui gradus est prophetiæ altior, quàm cùm visiones imaginarias illi offert, alioqui cum somnia visiones habent, quales vigilantibus obijciuntur, altior est vigilantis prophetia, quàm somniantis. De primo somniorum genere videtur intelligendum Ioel. cap. secundo, vers. vigesimooctauo, cum tanquam perfectioribus, senibus somnia tribuit, & iuuenibus visiones tanquam minùs perfectis. Sic Ribera in hunc locum Ioelis: Vide de his Diuum Thom. 2. 2qu. 174. art. 3. ad 3. & art. 3.

11.

12.

DIGRESSIO PRIMA MORALIS.

Quantum boni attulerit AEgyptijs Christus in eam regionem ingressus, & quæ huius figura præcesserit.

MAGNVM sanè AEgypto beneficium attulit Christi in eam ingressus. primū quidem per se, deindè per Apostolos. & prior quidē ingress⁹ velut figura posterioris fuit, cū tandem amplissimè sui hospitij mercedē AEgyptijs reddidit. nam quàm longè à religione ij recesserant, sat nouimus, vt meritò Procopius Isai. 19. dixerit, vt nè à brutorum quidem animalium cultu abstinuerint, & vt ait Cyrill. Isai. 11. *AEgyptij præ alijs superstitiosissimi delubra passim, & simulacra infinita habebant, adorarunt volatilia, & pisces, & capram, & ouem, & vitulus ab illis in honore habitus est.* qua de re lege Euseb. lib. 9. de demonstr. cap. 4.

1. *AEgyptij ante Christi nat. maximis idolatræ.*

At quales pòst Baptismum, & Euangelium ob Christi merita receptū, fuerint AEgyptij, docet Chrysost. homil. 8. in Matth. *Si quis nunc ad AEgypti veniat solitudines, Paradiso prorsus omnem illam videbit Eremum digniorem, & innumerabiles cœtus Angelorum, in corporibus fulgere mortalibus, & populos Martyrum, & choros Virginum & omnem quidē Tyrannidem Diaboli dissolutam, Christi autem regnū coruscans. & illam Magorum quondam, ac philosophorum parentem, &c. Videbit modò piscatorum magisterio gloriantem, & contemptis omnibus iam illis repudiatiq; doctoribus publicanos, vbique ac sutores pellium circumferentem, atque ad maximam fidei suæ gloriam crucem Domini præferentem, &c. Est enim cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, & admirabilem illum regium gregem, virtutumq; cœlestium conuersationem in terris micantem, &c.* Deniq; addit: *non ita varijs astrorum choris cœlum refulget, vt AEgyptus innumeris Monachorum, & Virginum distinguitur, atque illustratur habitaculis.*

2. *Post à Christianis mi & fidelissimi.*

Vndè autem tot hæc in AEgyptum profecta fuerint commoda tot cœlestes diuitiæ, tam præclara dona, docet idem, dùm subdit eodem loco: *Si quis illam AEgyptum veterem nouit rebellem Deo, ac magnitudine superstitionū furentem, adorātem irrationales animantes, &c. hic optimè potest Christi nosse virtutē, per quem facta est tam admirāda mutatio.* Sic Chrysost. proindè enim in AEgyptum fugit Agnus verus Christus, in qua illius typus, paschalis olim agnus immolatus

3.

præcesse-

præcesserat, nè sine illa regione pateretur (quod animaduertit D. Leo serm. 3. de Epiph.) singularis hostię sacramentum, in qua primum occisione agni, salutiferum crucis signum, & pascha Domini fuerat efformatum, atq; ita etiam indicaret participem aliquādo illam gentem esse futuram sanguinis illius veri, ac immaculati agni, quem ibi typicus ille agnus primum immolatus ostenderat, & simul declararet illius crucis vexillum salutiferum inferendum aliquando fore in eas oras, vbi olim cum admiratione ostensum fuerat, salutem Israelitis afferens, & eos Deo auctore à percutiente Angelo liberauerat. hoc ergò suo Christus in Aegyptum ingressu veluti gustandam præbet illi suam præsentiam, eamdem posteà largiturus per Apostolos in copiosis epulis fidei, & Christianæ charitatis. quod docet Chrysost. loc. cit. n. 2. cùm ait, tactu ipso Domini gustum quemdam sanctificationis Aegyptus adipiscitur, vt cùm illum audierit ab Apostolis prædicari, huius quasi priuilegij honore decoretur, quod Dominum prima susceperit.

4. Isaias decimonono: *Ecce*, inquit, *Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum*, aliquo modo vtrumque Christi ingressum, & per se, & per Apostolos tacitè subindicans, cùm enim infans esset Christus primum Aegyptum inijt carne, quasi candidissima nube conscensa, & quidem leui, hoc est, nullo peccati onere prægrauata, atque ita penetrauit Aegyptum; nisi malis nubem leuem Beatissimam Virginem intelligere, quæ coniugij onera nulla persensit, nec vllo vmquam peccati pondere depressa fuit. Huius ergò brachijs tamquam cœlesti curru in Aegyptum inuectus fuit. Nec sine insigni gentis illius emolumento quod præclarè D. Leo sermone tertio de Epiphan. sic exponit: *Aegypto se Christus intulerat, repetens scilicet Hebræa gentis cunabula, & principatum veri Ioseph maioris prouidentiæ potestate disponens, vt illam diriorem omni inedia famem, qua Aegyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de cœlo panis vitæ, & cibus rationis auferret.* sic Leo.

5. Nec hoc solo contentus, iterùm eamdem posteà inuasit gentem per Apostolos, quasi nubem cœlestibus aquis onustam, quibus effusis sic illos populos irrigauit, vt eorum terras in paradisum conuerterit. Vndè factum est, vt tam vberem posteà fructum Aegyptus redderet, vt ad abigendam spiritualem cœlestis doctrinæ, ac veritatis famem, diuinorumque donorum, & gratiarum penuriam nihil amplius desideraret. Ita Christus longè præstantius, atque vberius, quàm Ioseph Aegyptios à grauissima fame liberauit, atque ab illis in munificentissimum principem libenter admissus est, totamque illam gentem suo, Patrisque subiecit imperio. Vndè factum, vt si Aegyptum Nilus vberem, fœcundamque prius reddebat, multò certè copiosius, cœlestis Euangelij pluuia plenius de cœlo ingruens, totam posteà irrigauerit, ac longè ditiori segete abundantem magis, fœlicioremque reddiderit; ac quantò nobilior est Spiritus sancti gratia, & diuinæ veritatis cognitio terrenis aquis, tantò melior est Euangelij pluuia omnibus totius mundi, quamuis laudatissimis fluuijs.

Septem quoque alueis, hoc est septem Spiritus sancti donis longè fœlicius, quàm Nilus septemplici ore decurrens eadem cœlestis Euangelij pluuia fœcundauit Aegytum. 6.

Huius porrò fugæ infantis Christi in Aegyptum nonnulla præcesit olim figura, sic obseruat Eucherius homilia de Innocentibus, dùm scribit: hanc Christi persecutionem & Moyses in seipso significauerat. multa enim sunt, in quibus Moyses Christum significat. sicut enim Moyses à Pharaone, ita & Christus ab Herode persecutionem passus est, & sicut infantes propter Christum in Iudæa occisi sunt, ita in Aegyto propter Moysen in flumine necati sunt. Narrat autem Iesephus (lib. secundo antiq. cap. 9.) quemdam Sacerdotem, & Magum Aegyptiorum prophetasse quod de Hebræorum gente talis homo nasciturus esset, qui totam illam terram perdere debuisset. Vndè & Pharaoni consilium dedit, vt omnes Hebræorum infantes interficeret. Præcepit igitur Pharo vt Hebræorum masculos interficerent, & fœminas reseruarent. hoc autem ideò faciebat, vt ille vnus qui quærebatur, vel sic inter alios occidi potuisset. Eadem autem intentio fuit & Herodis, qui quoniam Christum inuenire nō poterat, tot millia puerorum interfici iussit. illis autem diebus nātus est Moyses, de quo longa historia scribitur, quomodò à parentibus occultatus, quomodò in flumen missus, & cæt. quomodò etiam puella de manibus illius impij sacerdotis, qui eum occidere conatus fuerat, eum liberauerit, quandò vt prædictus historiographus narrat, de capite Pharaonis ludens in infantia coronam eiecit. hæc autem Moyses ideò fortasse prætermisit, nè suum præconium scribere videretur. Verùm posteà in Pharaone, & in exercitu eius completum vidit, quod tunc in illis quæ infans, & insçius agebat, significabatur. Hæc ille. 7.

Figura fugæ Christi in Ægyptum.

DIGRESSIO II.

MORALIS.

Cuius rei signum sit, & quem nobis afferat fructum Christi fuga in Agyptum.

1. BEDA homilia in natali sanctorum Innocentium præclarè docet cuius rei signum Christi fuga in Aegyptum fuerit. sic enim scribit; *quod Dominus ipse, nè occideretur ab Herode, sublatus est à parentibus in Aegyptum, significat electos sæpius malorum improbitate suis effugandos sedibus, vel etiam exilio damnandos, Vbi simul exemplum datur fidelibus, nè dubitent rabiem persequentium, vbi opportunum fuerit declinare fugiendo, cùm hoc Deum, ac Dominum suum fecisse meminerint. siquidem ipse qui erat suis præcepturus* (Matth. 10.) *cùm vos persecuti fuerint in ciuitate ista fugite in aliam, prius fecit quod præcepit, fugiendo hominem, quasi homo in terra, quem Magis paulò antè monstrauit stella de cœlo.* sic ille.

Digitized by Google

2. Cur Christus fugeris in Ægyptum.

Chrysologus sermone centesimo quinquagesimo idem ferrè prosecutus argumentum, rationes propter quas CHRISTVS fugit aliquot & vtilitates piè, & eloquenter enarrat, quas ex hac Christi fuga decerpere fructuosè possumus miratur ille quod persequente homine Deus fugit, sæuiente terra, cœlum trepidat, & volitante puluere, pauore turbantur Angeli, & pauor patris filio fugiente monstratur. deindè quærit *si rerum refugium fugit, auxilium latescit omnium, si formidat fortitudo cunctorum, si se vniuersorum defensio non defensat, quare humana notatur fuga, arguitur trepidatio, formido culpatur? quare vocatur in crimen Petrus qui negat, discipuli omnes, qui deserunt per pauorem*, &c. & subdit paulò pòst, *quid sibi vult ergò Euangelista, quod hæc scribit ad memoriam sempiternam? deuoti militis est, regis sui tacere fugam, referre constantiam, virtutes loqui, timores silere, aperire fortia, infirma reticere, aduersa delere, prædicare victorias, quo & hostium frangere ausus possit, & sociorum excitare virtutem. Euangelista igitur referendo talia, videtur excitasse hæreticorum latratus, & defensionem fidelibus sustulisse.*

3. Huius igitur fugæ rationes & fructus, enumerat eodem loco. Et hanc primam statuit rationem, & vtilitatem: *si pietatis*, inquit, *esse diximus, quod natus est* CHRISTVS, CHRISTVS *quod fugisse legitur, quid dicemus? fortè sicut natum diximus vt repararet naturam; dicamus, vt fugaces reuocaret, ausugit. & reuerà, si, vt reuocet errantem ouem, in montibus ipse erat* (Matthæi decimo octauo) *quomodo ipse non fugit, fugientes populos, vt reducat?*

4. Subdit alteram rationem. *bellicosus quod in bello fugit, artis est non timoris; Deus quando fugit hominem, Sacramenti est, non pauoris: potens quando se subducit infirmo, insequentem non pauet, sed foris producit: vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoste victoriam: occultum se non patitur inire conflictum, qui mandare suum saculo vult triumphum, secreta victoria, virtusque latens exemplum posteris non relinquunt. Hinc est quod Christus fugit, vt cedat tempori, non Herodi: neque enim mortem fugit, qui venerat de hoste reportare victoriam: neque humanas insidias expauescit, qui totas venerat diabolicæ fraudis aperire versutias, & cætera. Christus, fratres, si mactatus in illo grege lactentium tunc fuisset, mors ei casus fuerat, non voluntas: non virtus fuerat, sed infirmitas: necessitas fuerat, non potestas: & innocentiæ fuisset præmium, maiestatis gloria non fuisset. Certè vbi esset quod à Deo dictum est* (Exodi vigesimo tertio, & trigesimo quarto.) *non coques agnum in lacte matris suæ?*

5. Addit tertiam causam, & vtilitatem. *Herodes*, ait, *quærebat, sed quærebat diabolus per Herodem, qui videbat sibi Magos auffugisse, & cætera.* CHRISTVS *si vinctus pannis, si sub matris vberibus occupatus, si tacens lingua, & cætera. Magos in duces fidelissimos commutauit, perfectæ ætatis* CHRISTVS *quid posset facere Diabolus iam videbat, & ideò mouebat Iudæos, instigabat Herodem, vt* CHRISTI

A *suspectam sibi præueniret infantiam: vt futura virtutis eius anticiparet insignia, vt peremptorium sibi, nobis victoriosissimum vexillum crucis, callidus machinator auferret. Sentiebat Diabolus, sentiebat quod* CHRISTVS *doctrinis, virtutibus vitam mox repararet, & mundum totum, & cætera. Vndè hæc Christus impleturus vir, infans mortem distulit, non fugit.* hanc rationem idem auctor sermone centesimo quinquagesimoprimo magis exaggerans, inquit: *Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se paruulum permisisset occidi, Christus venerat, vt quos præceptis docuerat, firmaret exemplis, & ipse faceret, quæ facienda mandauerat, & visu probaret possibilia, quæ impossibilia videbantur auditu. Venerat, vt mundo notitiam suæ deitatis infunderet, & humani generis ignorantiam auferret.* B *Venerat, vt pigra mortalium corda ad fidem virtutibus excitaret. Venerat Diabolum publico superare conflictu, vt ab omnibus & diuino vinceretur iussu, & humano prosterneretur exemplo. Venerat præsentiæ suæ promissa persoluere, vt quibus scire se dederat, concederet se videre. Venerat, vt veniret Iudæus de contemptu legis. Venerat, introducere ad fidem gentes. Venerat eligere Apostolos doctores orbis, eosque cœlestibus implere doctrinis, munire virtutibus, armare signis, vt signis edomarent feros, sanarent virtutibus infirmos, doctrinis dociles edocerent, & ad summum, venerat mortem perdere moriendo, penetrando inferna dissoluere, resurgendo sepulchra reserare, ascendendo ad cœlos cœlestibus donare terrenos. Omnia hæc vtique perijssent nobis, si* CHRISTVS *cùm esset in cunabulis non fugisset.*

C Est & quarta causa ab eodem auctore sic commemorata sermone illo centesimo quinquagesimo. *Denique fugam eius, non de periculi metu, sed de prophetiæ veniisse mysterio, Euangelista asserit sic dicendo: accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & pòst, vt impleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem: Ex Aegypto vocaui filium meum. Christus ergò fugit, vt staret legis veritas, prophetiæ fides, Psalmistæ testimonium, dicente ipso Domino necesse erat impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* 6.

Postremò totam hanc rem sic claudit: *Christus fugit nobis, non sibi: Christus fugit, vt dispensata temporibus Sacramenta seruaret. Christus fugit, vt futuris virtutibus, & perfidis materiam tolleret* D *excusandi, & credituris fidei fiduciam largiretur; quia in persecutione melius est fugere, quàm negare. Denique Petrus, quia fugere noluit, abnegauit, Ioannes nè abnegaret, ausugit.* 7.

Digitized by Google

DIGRESSIO III.
MORALIS.

Quid, & quomodo debeat Christianus fugere.

1. HOC CHRISTI exemplum monet nos, vt salutari fuga nostræ saluti consulamus. nisi enim blandientem mundum, & fucatam meretricem fugerimus, per Salomonem Spiritus sancti præceptum Prouerbiorum quarto non custodiemus, quo sic iubet *ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via, fuge ab ea, nec transeas per illam, declina, & defere eam*; & per Isaiam quinquagesimo secundo, idem spiritus iubet, *recedite, recedite, exite indè, pollutum nolite tangere, exite de medio eius*, quod Paulus secundo Corinthiorum, sexto paucis comprehendens dixit: *exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus*, igitur mundum si sapimus, aspiciemus tanquam carcerem electorum, quasi infelicem quamdam dæmoniorum habitationem, *totus enim in maligno positus est, & omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*: rursum arbitrabimur illum tamquã damnatam quandam perditorum hominum massam, secum inuehentem inundans vitiorum omnium diluuium. non est enim vt Osæ quarto primo secundo habetur: *non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulerium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit*, igitur nihil nobis cum hoc mundo immundo commune sit, nè tam præcipiti ac vasta vitiorum voragine rapiamur ad tartara. *Recedite*, inquit Moyses Numerorum decimo sexto, vigesimo sexto, *à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, nè inuoluamini peccatis eorum.*

2. *Christus mundum debellauit.* Venit ad nos Dei Filius mundo bellum illaturus, & paupertate, humilitate, rerum mundanarum despicientia instructus debellauit illum, diruit, deleuit, atque illud, quod Iosue contra Ierichuntinæ ciuitatis ædificatores protulit (c. 6. 26.) imprecatus est ijs, qui mundum auderent iterùm excitare, ac restituere: (mundus enim sub Ierichuntinæ ciuitatis figura rectè significatur) nimirum, *maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit ciuitatem Ierichò, in primogenito suo fundamenta illius iaciat, & in nouissimo liberorum ponat portas eius.*

3. Sed nec minori studio, ac vigilantia prouidendum nobis est, vt ab Herode, hoc est, à mundi principe Satana, tamquam oues à lupo caueamus, & à prauis eius suggestionibus, tamquam à pestifero veneno fugiamus; est enim satanas vafer, versipellis, fallax, & dolosus, vt etiam sese in lucis Angelum transfiguret, serpens anticquus, qui orbem fallit vniuersum, vt Apocalyps. duodecimo monet Ioannes; de quo Sapiens Ecclesiastici vigesimo primo, tertio

A *dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum*. Cauendum est diligenter, nè ab illo seducamur, quod nobis Apostolus secundo Corinthiorum vndecimo, significauit esse timendum: *timeo*, inquit, *ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo*, qui enim amat periculum, in illo peribit.

Quarè minimè mirum videri debet, si minus hac in parte cauti à Satana decepti fuerint, 4. sic imposuit pestilentissimus Draco matri generis nostri Euæ, quæ quoniam Satanæ familiaris nimium fuit, propterea à callido aspide statim seducta fuit, seque ac virum, ceteramque generis sui prosapiam funditus vna perdidit, meminisse oportet, militiam esse, & B tentationem vitam hominis super terram: meminisse, nobis omnibus colluctationem esse aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus: meminisse omnem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere, & accipiendam armaturam Dei, *vt possimus resistere in die malo*. nullum igitur nobis cum Satana versipelli fœdus ineundum est, quin omnia eius dicta, facta, cogitationes suspecta habere conuenit, nec sola fiducia innitendum est, sed etiam prouida fuga vtendum; expedit enim aliquando tempestiuè fugere potius, quàm in acri pugna periclitari. sic enim Prouerbiorum duodecimo monet Salomon: *qui confidit in cogitationibus suis impiè agit*. & ca. C decimoquarto, *Sapiens timet, & declinat à malo; stultus transilit, & confidit*. Petrus gloriosè de se locutus est: *etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo*. & fugere noluit, sed sese in domo Caiphæ adiunxit impijs, ob id turpiter Christum abnegauit. Hinc Chrysologus n. 7. digr. 2. superius citatus dixit: *Petrus quia fugere noluit, abnegauit, Ioannes nè abnegaret, aufugit, ni castissimus iuuenis Ioseph fuga sibi consuluisset, & oblatum à Domina sua stuprum fortissimè recusasset, in quas se angustias coniecisset, & quàm magno se periculo exposuisset?* De Tobia puero proditum memoriæ est, quod contemptis alijs, qui impiè aureos vitulos adorauerant, ad templum confugeret Domino supplicaturus, sic enim cap. 1. 5. eius libri legimus; *cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ierboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel*, & cætera. sic vt enim modicum fermentum totam conspersionem corrumpit, sic vel vnus dumtaxat impius multos bonos interdum inficit, immò verò volenti ad meliorem mentem, ac frugem malos homines conuertere, curandum est, vt cautè ad agat, ac sobriè, nè fortè ipse potius ad vitia trahatur; sicut enim qui ex terra conspicatur quempiam in mari naufragantem, & iamiam medijs vndis submergendum, cautè ad illum ac circumspectè debet accedere nè pariter cum illo circumfluentibus immersus vndis ad ima trahatur, ita circumspectè agat qui vt aliorum saluti consulat, cum proximis versatur, sic Ioannes cum peccatores ad DEVM vocaret, intra desertum se tamen continebat. & Paulus castigabat

Fugienda consortia malorum.

gabat corpus suum, & in seruitutem redigebat, ne alijs prædicans ipse reprobus efficeretur.

5. Fugerunt monente Domino Israelitæ ne cum idololatris commiscerentur, vel quid commune haberent; atque ita ab impijs separati possent sanctificati DEO sacrificium in deserto offerre. Repetamus memoria misisse DEVM Angelum sanctum ad Loth, eiusque domesticos, vt si salui esse cuperent, è peccatrice Sodoma profugerent. id ipsum nobis præcipi arbitremur; audiamus singuli monentem Angelum: *salua animam tuam* Geneseos decimonono, *noli respicere post tergum: nec stes in omni circa regione; sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas*; & Dominus Lucæ decimo septimo monuit nos: *memores estote vxoris Loth*: hæc enim, quia conuertit se ad ea aspicienda, quæ omninò fugere iussa erat, in nostram vtilitatem in salem mutata fuit.

6. Quam rem declarat Rupertus Geneseos libro sexto, capite duodecimo, *quoties stultus*, inquit, *reuertitur ad iniustitiam suam, sicut canis ad vomitum suum, in quocumque ordine, vel proposito fuerit, exemplo vxoris Loth in statuam salis conuertitur. Id autem est, ipsum quidem insensatum, ac sibimet inutilem effici, sed alijs tamen prodesse plurimum, dùm finem eius attendentes, corriguntur: quemadmodum petram salis lingentibus animalibus palatum sapidum redditur, & edendi auiditas reparatur. proinde Dominus in Euangelio cùm dixisset, in illa hora qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, ne descendat tollere ea: & qui in agro, similiter non redeat retrò: continuò subiunxit; memores estote vxoris Loth. benè ergò non in statuam qualemcumque, sed in statuam versa est salis, cuius meminisse proficit ad sapientiam, secundùm Euangelium Christi.* sic Rupertus.

Vxor Loth in statuam salis conuersa quid doceat.

7. Postremò in hac fuga illud meminisse oportet, vt expediti, vt celeres, vt nullo grauati pondere curramus. ad quod nos hortatur Apostolus ad Hebræos duodecimo *deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem* IESVM, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera sedis* DEI *sedet*. Sic Paulus. cuius singula verba momentum habent; cùm enim currentem duo maximè impediant, pondus, quod nisi abijciat, expeditus esse non poterit; & si iter intercluſum sit, muro aliquo, vel rupe obiecta, non curret, nisi diijciatur; ideò Apostolus, si quis velit ad cœleste brauium expeditè currere, iubet onus deponat, id est, quicquid impedimento nobis esse potest ad cursum, & vt Theophylactus exponit, terrestrium negotiorum sarcinam, & curas illis admixtas. Deindè monet, vt quoniam peccato quasi muro quodam cingimur, illud etiam deponamus, & penitus DEI gratia à

8. nobis deijciamus. Videtur autem per peccatum præsertim concupiscentiam carnis aduersus spiritum intelligere. Græcè enim

A cum articulo dixit, τὴν ἁμαρτίαν. quomodò solet Paulus concupiscentiam nominare, vt Romanorum septimo, octauo & alibi. Vult ergò dicere quod Romanor. sexto monuit, *non ergo regnet peccatum, in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.* quod si labor cursus nos deterret, conuertamus, inquit, oculos in Iesum, qui nobis dux, & auctor est fidei & consummator. Nam & docuit credenda, & dat vt credamus. consummator verò est fidei, quia quæ credenda docuit posteà videnda præbet. si igitur inter currendum Christum aspexerimus, non deficiemus, neque ignorabimus, quomdò, & quò currendum erit.

9. Sicut enim filij in parentes, & discipuli inB ter certandum in magistros oculos conijciunt, ita si benè, si fructuosè currendum est, diligenter CHRISTVM intueamur oportet: quem dùm Apostolus *consummatorem fidei* vocat, cœleste brauium nobis in memoriam reuocat, quod per CHRISTVM præstandum strenuè currentibus erit. ita fiet, vt non refugiamus timore certamen, sed potius ad illud properemus intrepidi, & rectè cursus certamen dicitur, nam nisi fortiter, ac strenuè hostes depellas, qui cursum nostrum retardare conantur, numquam ad brauium supernæ vocationis perueniemus, quamuis & ipse currendi labor certamen quoddam sit, & hic sensus nostris exemplaribus magis conformis est,

10. C nam qui legunt: *curramus propositum nobis certamen*, aliter exponunt. cur autem aspicere nos iubeat CHRISTVM, docet cùm subdit Apostolus: *qui proposito sibi gaudio*, & cætera. id est, cum sibi gaudium propositum esset, cùm mortem posset effugere, & suo corpori continuò immortalitatem, & gloriam tribuere, maluit crucem sustinere, atque illa patientia, & humilitate tantum honorem consecutus est, vt in dextera Dei sedeat, quæ si attentè considerauerimus nequaquam nos persecutiones, dolores, certamina ab incepto cursu deterrebunt.

DIGRESSIO IV.
MORALIS,
De sanctis Innocentibus.

1. IN hac præclara Innocentium martyrum historia, par est agnoscere typum, & præludium futuræ persecutionis quam indè ab initio præfiniuit Altissimus, vt noui Testamenti fideles præcipui per sanguinem CHRISTO capiti conformarentur & ad singularem coronam præpararentur: propterea, inquit Christus, *si me persecuti sunt, & vos persequentur.*

2. Nec solùm adulti, sed infantes etiam Christo in cruce, sicut & in gloria conformes esse debuerunt, vt vel sic *lauarent stolas suas, & dealbarent in sanguine Agni.*

3. *Innocentium cædes quid signif.*

Ad quam rem Beda homilia in Natiuitate

San-

Sanctorum Innocentium, hoc Euangelium accommodat his verbis: *quod in Bethlehem, & in omnibus finibus eius occisi sunt* (Innocentes) *ostendit non solùm in Iudæa, vndè Ecclesia cœpit origo, sed & in omnibus eiusdem Ecclesiæ finibus, quacumque per orbem diffusa est, persecutionem sæuituram persidorum, & prorum patientiam esse coronandam, qui à binatu occisi sunt, doctrina, & operatione perfectos indicant: qui verò infra, simplices vel idiotas, fidei tamen non ficta constantia, fortes æquè denuntiant. Quod illi quidem occisi sunt, sed* CHRISTVS, *qui quærebatur, viuens euasit, insinuat corpora quidem ab impijs posse perimi; sed* CRISTVM, *pro quo persecutio tota sæuit, nullatenus eis, vel viuentibus, vel occisis posse auferri: sed eos veraciter contestari, quia siue viuimus, Domino viuimus, siue morimur, Domino morimur, siue enim viuimus, siue morimur, Domini sumus.* Romanor. 14. sic Beda.

4. Ceterùm tanta crudelitas vt non obfuit, sed profuit mactatis Innocentibus, ita nec reliquis; quin illis prærogatiuam affert insignis priuilegij, vt tamquam fortissimi CHRISTI martyres, & Christiani belli triumphalis duces à fidelibus habeantur. Audi rem hanc sic explicantem Fulgentium sermone quinto, vbi ita Herodem alloquitur; *non solùm istum puerum non inuenisti, sed nec illis pueris aliquid nocuisti, immò inscius, quod illis proderat, hoc egisti.*

5. Statim verò subdit idem Fulgentius, cur permisi sint Innocentes occidi. sic enim pergit Herodem alloqui: *per sæuitiam quippè tuam facti sunt martyres, qui per infantiam suam fuerant Innocentes, quando per gratiam huius pueri pro eo meruerunt mori, priusquam eum possent coram hominibus confiteri. iste itaque puer, qui mundum creauit, qui mundum regit, qui omnia quæcumque vult facit, qui cuncta mirabili, ac insuperabili ordine disponit, hoc ordinauit, hoc egit, vt per tuam inuidiam furiosam, illi pueri mortem susciperent pretiosam. & quod eis ad salutem suam præstare non posses amicus, hoc ad damnationem tuam faceres inimicus, ad hoc ergo te permisit infantes occidere, vt illos de te faceret triumphare, te ergò permisit ad nequitiam, illos perduxit ad palmam. Quod si sciscitaris, quamobrem* CHRISTVS *cum alijs non occidatur? cur euasit ipse solus, & alios propter se permisit occidi? cur hos occidi permiserit, paulò antè à Fulgentio expositum audisti.* Audi verò ab eodem, cur solus euaserit Christus, sequitur enim.

6. *Iste puer, qui natus est, ideò non inuenitur in numero paruulorum morientium, qui ipse est expectatio gentium. Sanguis huius pueri propterea non cum istorum sanguine funditur puerorum, quia solus in remissionem fundendus est peccatorum. & illi omnes pueri inaniter morerentur, nisi huius sanguine saluarentur. & iste quidem puer certissimè morietur: quia si mori nollet, nullatenus nasceretur. morietur autem, non vt impleat sæuitiam tuam: sed vt perficiat mansuetudinem suam. faciet enim eum mori benignitas propria, non malignitas aliena. morietur non vt tu infidelis regnes in sæculo, sed vt sæ-*

cum regnare faciat fideles in cœlo, morietur non vt regnum amittat, sed regnaturos acquirat. morietur non vt perdat breuem vitam, sed vt conferat sempiternam & cætera. & paulò pòst: morietur per propriam potestatem, vt suam in omnibus adimpleat voluntatem. ad hoc enim misericorditer morietur, vt resurgens cunctis gentibus dominetur. Tantùm Fulgentius.

Reliquum est, vt quibus in rebus imitari debemus sanctos Innocentes, breuiter ostendamus. Duo sunt, quæ in his infantibus cum primis se offerunt imitatione dignissima, & quod martyres sint, & quod Innocentes. & in veroque habemus quod imitemur, martyres sunt Innocentes, imò, & primitiæ martyrum, vt illos Augustinus vocat homilia quarta in serto Innocentium. *qui non loquendo, sed moriendo confessi coronas meruerunt, qui antè vitæ perpetuæ adepti sunt dignitatem, quàm vsuram præsentis acceperint,* vt idem ait homilia tertia in qua etiam illos martyrum flores pulchrè vocat, *quos in medio frigoris infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas, quædam persecutionis pruina decoxit.* Cyprianus, vel quicumque sit auctor peruetustus sermone de stella, & Magis, & Innocentium, nece: *secretorum diuinorum conscios* appellat, & *in ordine sanctorum protomartyres*, qui primum habeant locum, Deique clementiam, pro nostris exorent laboribus. Itaque iure Bernardus sermone in Natiuitate sanctorum Innocentium *Ille*, inquit, *pro* CHRISTO *trucidatos infantes dubitet inter martyres coronari, qui regnaturos in* CHRIRTO *non credit inter adoptionis filios numerari.*

7. *Innocentes in quibus imitandi.*

Quare eorum vestigia in quantum possumus hac in parte sequi conemur. atque adeò non sit graue nobis vmquam pro Christo, & in vita, & in morte decertare, illudque memoria præsenti complecti studeamus, quod ad Hebræos duodecimo scripsit Apostolus, *nondum vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes.* putemus nobis non in solo fluminis baptismate conquiescendum esse, sed ad perfectiorem sanguinis baptismum nos excitemus, de quo Cyprianus libro de exhortatione martyrum amplissimis verbis loquitur: *hoc baptismagratia est maius, in potestate sublimius, in honore pretiosius, baptisma, in quo Angeli baptizant, in quo Deus, & Christus eius exultant; baptisma post quod nemo iam peccat; baptisma quod fidei nostræ incrementa consummat; baptisma quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. in aquæ baptismo percipitur peccatorum remissio, in sanguinis corona virtutum.*

8.

Optandum est igitur Christiano homini vt martyrij spiritum in se foueat, nutriat, & matureſcere faciat. atque ita fiet vt si non actu, & opere, saltem voluntate, & affectu Christo nos gratos ostendamus, & licèt acerbam mortem non toleremus, testimoniũ saltem feramus, continua veteris hominis mortificatione, satis enim piè, & ad rem nostram accommodatè id docuit Bernardus ser. in octau. Paschatis. *Nam*, ait, *esse martyrij genus quoddam, &*

9.

effusio-

effusionem quamdam sanguinis in quotidiana sui corporis afflictione, diuturnitate quidem molestius, sed honore mitius, quàm in illis martyribus, quorum membra ferro secantur, & sanguis apertè profunditur.

10. Alterum quod æmulari in sanctis Innocentibus debemus, innocentiæ est, vt moribus efficiamur paruuli; in infantili porrò ætate elucent puritas, virginitas, verecundia, simplicitas, candor, sinceritas, modestia, facilitas, amabilitas, obedientia. has nos virtutes nostras pro virili efficiamus, vt sic malitiæ omnis expertes simus, & sicut *modò geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscamus.* 1. Petri 2. sic enim fiet, vt Christo cari simus. ipse enim vt Marcus habet ca. 10. cùm illi paruuli offerrentur, vt tangeret illos, & discipuli ægrè id ferrent, cùm id videret Iesus indignè tulit, & ait illis: *sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis: quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud, & complexans eos, & imponens manus super illos benedicebat eis.* quem nos spiritum si hauserimus, Deo benè iuuante, displicebit nobis quod baptismalis Innocentiæ vestem tam pretiosam nobis traditam, tot sordibus cõspurcauerimus, & vehementer dolebimus, cùm videamus Christianorum pueros, non Euangelicè institui à parentibus, ita vt non mirum sit, si cùm ad maturiorem veniunt ætatem, innocentiam, quam in baptismo perceperunt, statim amittant, ac de Filijs Dei in immundorum spirituum, id est Diaboli filios, euadant. quod Dominus auertat à nobis.

CAPVT XIII.

IESVS NATVS ANNOS DVODECIM DISPVTAT IN templo c. 2. 41.

1. *Et ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die solemni Paschæ.*
2. *Et cùm factus esset annorum duodecim ascendentibus illis Hierosolymam secundùm consuetudinem diei festi.*
3. *Consummatis q. diebus cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius.*

SCHOLIA.

1. *Parentes eius*] quidam græci codices habent; *Ioseph, & Maria*: Porrò quomodo Ioseph dicatur pater Christi, vide in Scholijs lib. 1. dilucid. capite vndecimo in Scholijs numer. 21. 22. *Per omnes annos*] quasi dicat, ibant quotannis itinere trium dierum in Hierusalem. masculi ter singulis annis ibant Hierosolymã Deo præcipiente Exod. 23. 4. 17 Deuter. 16. 16. in Paschate, Pentecoste, & Festo tabernaculorũ. nec tamen mulieres lege tenebantur ire. Meminit Lucas solius Paschatis, quia mens eius erat narrare ea, quæ in Paschate contigerant. Euseb. Emissen. in hom. *erat*, inquit, *igitur cum cæteris Iesus in solemnitate, qui totius erat causa solemnitatis, permixtus turbis, ab omnibus videbatur, qui in lege, & Prophetis prædicabatur, in sacrificijs signabatur, & à nemine cognoscebatur, quia duplici velamine tegebatur, inde velamine litteræ hinc carnis pariete. Vnde scriptum est Cant. 2. en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. ipse iugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis, & in omnibus sacrificijs offerebatur. mater quoque eius multa in lege & Prophetis cantari ibi audiebat, quæ de se ipsa dici intelligebat; & in se iam completa esse sciebat. qualia sunt Isaiæ 7. ecce Virgo concipiet. & 11 Exsurget virga de radice Iesse.* 2. Eucherius in hom.

Sed mirabitur meritò quis? quomodo ausi fuerint parentes Christi Hierosolymam petere regnante Archelao. Respondeo ob tantam hominũ multitudinem, quæ tunc esse solebat Hierosolymis, credere prudenter poterant, non potuisse in cognitionem Archelai, vel suspitionem ipsos venire; neque aliquid propterea periculi creari. quare maluerunt Dei cultum, & præceptum præferre timori Archelai, si quis forte suboriretur in illis. Sed illud est instar omnium rationum, eos Deo plenos eius ductum in his omnibus secutos esse. Nec tamen placet respõdere, relegatum tunc fuisse Archelaum, quod tamen non omninò displicuit Augustino. 2. de consensu Euangelistarum cap. 10. nam ex Iosepho lib. 17. Antiquitatum cap. 15. annis decem regnauit Archelaus, antequàm in exilium mitteretur. quare necesse est, vt eo regnante Hierosolymam ascenderint Ioseph & Maria, prout hic narrat Euangelista Lucas. Scio tamen Iosephũ de bello Iudaico libro secundo cap. sexto aliter, & fortè melius scripsisse, anno nono id accidisse, nam in hac re non sibi constitit. 3.

Cùm factus] græcè γενόμενον, id est, cùm natus esset annos duodecim, γίνομαι nasci significat. *Annorum duodecim*] In quo tempore incipit iudicij specimen apparere; propterea videtur Christus voluisse id ætatis, aliquod diuinitatis specimen præbere in pueritia: vt sensim homines ad diuinitatis eius fidem recipiendam præpararentur. *Secundùm consuetudinem diei festi*] quomodo dies festi sint colendi, cuius hic nobis exemplum præbuit B. V. lege apud Barradium c. 16. l. 10. 4.

3. *Consummatis q. diebus*] septem diebus quibus festum paschatis celebrabatur. *Remansit puer Iesus*] præbet hic pueris Christus pietatis exemplum, vt templum frequentent, ac diuinis rebus assuescant: *Puer enim iuxta viam, quam ambulauerit, etiam cũ senuerit non recedet ab ea.* Puer Samuel in templo pernoctans, Dei voce excitari meruit. Diuus Martinus, quod duodecim annos natus inuitis parentibus ad Christianorum templa confugerit, & se catechecumenum fieri postularit à Seuero Supplitio commendatur. 5.

Cùm redirent] ἐν τῷ ὑποστρέφειν αὐτούς, hoc est, in ipso actu redeundi. Hinc collige non in templo amissum fuisse puerum Iesum, sed cùm redirent, seu in ipso actu redeundi remansisse Ierosolymis. ex verbo porrò altero; *in comitatu*, elicit Baron. non videri verum, seorsim viros à mulieribus ire solitos fuisse, si non cùm ad festa venirent, saltem cùm in patriam redirent. nam si non ita esset non existimassent parentes puerum Iesum in comitatu esse inter cognatos & notos, sed apud alterutrũ ipsorũm; quod æquius fuisset opinari, si seorsim ab inuicem processissent. vnde constat non eam fuisse subductionis amissionisve pueri Iesu causam, vel occasionem, quod apud alterutrum quisque parenten- 6.

Digitized by Google

rentum existimaret illum esse, quod sequitur Beda in Lucæ cap. 2. vbi scribit fuisse apud Iudæos consuetudinem eam vt ad festa venientes, vel redeuntes in patriam, seorsum viri à mulieribus choros ducentes incederent; exemplo petito, vt quidam opinantur, quod olim mari rubro transmisso, Iudæorum viri ac mulieres seorsum ab inuicem procedentes, laudes Deo cecinerint, pueris verò licebat esse cum vtrouis parente. Baron. putat eam consuetudinem conseruatam ab adeuntibus templum, non à redeuntibus, & potest esse causa, quia in templo seorsim viri à mulieribus manebant, atque adeò ne commiscerentur in ingressu templi, seorsim etiam incedebant, dum in templum pergebant, hæc, quæ ex Baronij sententia hîc scripsimus, probabilia quidem sunt, illud certius, non colligi ex hoc loco Lucæ, seorsim ire solitos viros à mulieribus, siue eundo, siue redeundo.

7. Alia est igitur quærenda ratio subductionis Iesu, id parentibus non sentientibus; quæ hæc esse videtur posse commodissima, vt illi discessuri Ierosolymis vnà cum cognatis, & notis, & reliquo comitatu, cæteris præcedentibus improuisa aliqua, sed Dei prouidentia oborta occasione, detenti; dimiserint cum cognatis & notis puerum Iesum: qui paulùm cum ipsis progressus, intra ciuitatem, veluti parentum cupidus, vt pueri solent, vel constitit, tamquam illos expectaturus; vel ad illos rediturus, hospitium versus tendens, iter alio flexerit, suisque insciis diuino se consilio ubduxerit, nec id illis sentientibus, nisi emenso eius diei itinere. *Et non cognouerunt*] Inconsultis remansit parentibus, vt doceret patrem se in cœlis habere, cuius res etiam illis insciis, & inconsultis agere deberet: quod verò illis soleret obedire, voluntate facere, non debito: quod docet Tolet. in Lucam, capit. secundo, anno. 84.

8. *Duplex operatio in Christo.* Obseruandum proinde est duplex fuisse operationum genus in Christo vnum commune, alterum proprium. primi generis operationes sunt, quas vt homo nobis similis exercebat, & in his parentibus subditus esse voluit, & ab eorum pendere arbitrio. Secundi verò generis sunt, in quibus à solo patre pendebat, vt in miraculis edendis, quærenda hominum salute, in moriendi præcepto. Ad hoc posterius genus, & disputandi operatio pertinet, ostendendique ea ætate sapientiam tantam, vt admirationi esset. Proinde non mirandum, si parentibus insciis remansit. docuit nos interim in rebus ijs, quæ ad animæ salutem spectant, vel ad Dei gloriam pertinent, non semper consulendos esse parentes, id est, carnem, & sanguinem, quam rem grauibus verbis ad Heliodorum Hieronymus expressit; licèt inquit, paruulus ex collo pendeat nepos, licèt sparso crine, & scissis vestibus, vbera quibus te nutrierat mater ostendat, licèt in limine iaceat pater; per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola: solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. Itaque laudatur Deut. 33. Tribus Leui, quod *dixerit patri suo, & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos & nescierunt filios suos.* & Christus, *Qui reliquerit patrem & matrem, sorores, fratres, vxorem, filios, & agros propter me, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit*; vnde & dicenti sibi; *vado primùm sepelire patrem meum, & sequar te*, ait Christus; *sine mortuos sepelire mortuos suos.*

9. *Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos.*

A

Scholia.

4. *Existimantes autem illum esse in Comitatu*] id est, cum notis, & amicis, eiusdem itineris, ac viæ comitibus; neque enim simul incedere hi solent, præcedunt quidam, subsequuntur alij, prout se res fert. Dictum est autem hoc ad tollendam omnem negligentiæ suspicionem à parentibus, cùm enim putarent esse illum cum cognatis, ideò vsque ad noctem progressi sunt. Cùm autem nõ compareret eo tempore, quo videbatur præsto esse debere, remensi sunt iter die sequenti, cùm prius sub noctem, ac mane facto inter cognatos quæsiuissent. Tertio mox die cùm Hierosolyma redijssent, mane, vt verosimile est, quando mos erat fieri conuentus illos Scribarum, & Doctorum, quæsitum inuenerunt. Videtur autem consueuisse Christum cum vicinis, & notis

B nõ rarò versari quia illo non parùm, qui nouerat, oblectabantur, eius nimirum modestia, vultus serenitate, morum, gestuũ, & totius corporis compositione, lepore item, ac verborum prudentia, &c. diffusa enim erat prudentia, & gratia in labijs eius. Sed mirabitur hîc quispiam, ac dicet, qui factum vt B. Virgo passa sit priuari se integrum diem tam dilecto filio, præsertim inter eundum, locis peregrinis, ætate tenera. Dicitur enim à Luca, *existimantes autem esse illum in comitatu venerunt iter diei*, nempè ab Hierusalem domum versus, & tũc demum aduerterunt, quem amisissent. Sed quod nulla negligentiæ labe aspersi fuerint parentes, ex multis patet. Primũ quia hęc Dei omnia facta sunt consilio, & prouidentia. Deinde quia ita filium tanquam Deum reuerebatur sanctissima mater, vt multa eius relinqueret arbitrio, secura, nihil illi præter eius voluntatem accidere potuisse. Denique, quia in more positum videbatur, quod ex verbis Euangelistæ colligitur, nec obscurè, *existimantes*, inquit, *illum esse in comitatu*, vt filij etiam cum notis & cognatis, relictis quoque parentibus incederent, quo gaudio, atque animi voluptate B. V. noluit notos, & amicos suos priuare, præsertim ne illis contradicere videretur.

C Sed hic iterum vrget alia difficultas: quomodo dicatur sapientissima Christi parens opinata illum fuisse in comitatu, cùm tamen ille reuerà non esset, sed hoc in Theoriam reijcimus declarandum.

5. *Et non inuenientes regressi sunt in Hierusalem requirentes eum.*

6. *Et factum est post triduum inuenientes illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem eos.*

D

Scholia.

5. *Regressi sunt*] sequẽti die ab eò qui discesserũt Hierosolymis, cùm etiam mane diligenter conquisissent, venerunt Hierosolymam, & ibi tãdem tertio die à digressu primo Hierosolymitano, eum inquirentes, inuenerũt in templo. Idem est ergò post triduum, ac, cùm iam aduenisset dies tertius, quomodo etiã illud intelligitur: *Postquam consummati sunt dies octo.* Item illud, *post tres dies resurgam.* Num verò eodem die sequenti venerint Hierosolymam, puta sub noctẽ: & tandẽ mane in sequentis tertio diei inuenerint: An verò tertio tandẽ die venerint Hierosolymã, quãuis matutino tẽpore, incertũ est. Primum mihi probabilius. non ergo Niceph. l. 1. c. 24. audiẽdus,

qui censet die quarto inuentum fuisse exacto triduo.

12. 6. *In medio Doctorum*] P. Natalis ad imaginem decimam, sedentem in Cathedra Iesum colloçat, & ita scribit: is est vsus communis in Ecclesijs, *ille enim in medio esse dicitur*, vt inquit August. Psalm. 108. *cui honor præcipuus adhibetur*; & ad hoc alludens Beda; quasi sapientiæ, inquit, fons sedet in medio Doctorum. Certè in Susannæ historia Danielem iubent seniores populi in eorum medio sedere, vt de duobus illis sceleratis senibus iudicet, & in Gen. 23. *Habitat Ephraim in medio filiorum Heth*: & Salomon 3. Reg. 3. *est in medio populi Israel*. & in Eccles. c. 10. *in medio fratrum rector illorum est in honore* (quibus fortè addi posset illud Sunamitidis, 4. Reg. 4. 13. *in medio pop. mei habito*) est igitur cur receptam imaginem retineamus. Hæc
13. ille. & quidem satis piè, nec sine probabilitate, quam præsertim faciunt picturæ receptæ. Docet autem rem ita transactam fuisse: venit tertio post die puer Iesus in templum ad porticum Salomonis, vbi ampla exhedra: in qua disputare de lege solebant Iudei, & è cathedra docere populũ; cumque essent congregati Doctores, & disputarent de aduentu Messiæ, audiens primum quid dicerent. cœpit illos interrogare, & respondere, & cum illis disserere tam sapienter, tamque prudenter, tanta omnium admiratione, vt cunctorum animis commotis illum iuberent in cathedra sedere, vt plenius, & maiore cum dignitate, vel disputaret, vel doceret Doctorum alij audiunt, alij inquirũt scripturas, vnus ex omnibus doctissimis cum Christo differit, omnes stupent, ac Deum Israel laudãt.
14. Sic Pater Natalis. Cæterùm alij ex D. Ambros. 1. ad Corinth. 14. non opinantur ipsum in cathedra sedisse, sic enim scribit Ambrosius; hæc traditio synagogæ est, vt disputent sedentes seniores dignitate in cathedris, sequentes in subsellijs, nouissimi in pauimento super mattas. Inter hos arbitrantur isti humi puerũ Iesum videri sedisse. Licebat tamẽ istis interrogare & interrogari, & aliquid dicere, si quid occurrebat. Locus aũt vbi disputabant, fuisse videtur, ex Montano in apparatu ad portã atrij, seu templi secundi Orientalem, licèt Pater Natal. & p. p. D. Ant. tit. 1. c. 1. §. 5. dixerint ad porticum Salomonis fuisse eum locum, vbi Doctores docebãt, sed idem videtur, vt constabit consideranti ea, quę de porticu Salomonis dixim⁹ hoc l. dilucidatio. c.
15. 4. Theor. vnica. n. 5. Itaque cùm *in medio Doctorum* fuisse dicitur, intelligunt isti Hebraismum hic latere, quo significatur inter eos fuisse. Est autem credibile Doctores in orbem iuxta parietes editiori loco sedisse, auditores verò in medio humilioribus subsellijs, vt dictum est n. 14. licèt autem hæc vera sint, potuêre tamen cum Christo aliter segerere Doctores ob eximiam, & incredibilem eius sapientiam, modestiam, & prudentiam, vt proinde retineri possit imago communis pueri Iesu sedentis in cathedra in medio Doctorum. Declarat autem Gregor. Nazianzen. in oratione de moderat. in disput. quo mõdo puer in disputationem admissus sit, cum ab ea pueri, & idiotæ arceantur. Respõdet, aliquid eos quasi homine maius in eius dictis obseruasse, vnde pleniorem ei loquendi facultatem fecerint: magnam quoq; modestiam in Christo fuisse, & prudentiam, quæ eos ad audiendum alliceret. Verùm licèt dictum sit tertio die Christum disputasse, an tamen totos hos tres dies disputarit, sunt qui in dubium vertant. Illud ad sensum mysticum pertinet, in medio se prælatorum sedere, docuisse Christum, & per eos erudire suos; ait enim: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Et quoties duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio illorum sum.*

A *Audientem illos & interrogantem*] en humilitatis exemplum; prius audit, & postea interrogat, quàm doceat; nec solum audiebat, & doctè interrogabat, sed & doctius ad interrogata respondebat, ita vt omnes in stuporem adduceret, & hoc est quod subdit Lucas: *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia, & responsis eius.* Orig. hom. 19. interrogat, inquit, pro ætatis officio, vt nos doceret, quid pueris, quamuis sapientes & eruditi sint, cõueniat, vt audiant potiùs magistros quàm docere desiderent, & se vana ostentatione non iactent. 16.

7. *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia, & responsis eius.*

8. *Et videntes admirati sunt, & dixit mater eius ad illum: Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.*

B

SCHOLIA.

7. *Super prudentia*] Græcè ἐπὶ τῇ συνέσει. videtur poni pro intelligentia præsertim scripturarum, q. d. videbant eum acutè res penetrantem; licèt interpres videatur *prudentiam* dixisse, quod cum intelligentia prudentiam quandam supra hominem ostenderet. *Responsis*] sunt qui intelligant quemcumque sermonem etiam si interrogatio non præcedit, & ita hæc interpretatio complectitur etiam ea, quæ Christus interrogatus respondebat. quidam verò intelligunt ea tantùm responsa, quæ dabat cùm interrogaretur à Doctoribus, vel cùm illi obijciebant aliquid. Itaque Christus, non vt doctor, sed vt discipulus inter illos versabatur. Cæterùm ita cùm rogaretur, respondebat, vt illi ipsi
C Doctores, infantes præ illo viderentur. Credibile est etiam ipsum cùm illi fortè non rectè respondèrent, modestè quasi dicere volentem, vel obijciendo, vel rogando veram difficultatum solutionem illos docuisse, ita vt constaret eorum responsa solida non fuisse. Hinc patet has Christi interrogationes & hunc auditum non fuisse, vt ipse disceret, sed vt doceret potiùs; quamuis ad præbendum humilitatis exemplum, non aliter doceret, quàm si discere velle videretur. 17.

8. *Et videntes*] Interlinearis, *hoc*, sc. loquitur verò de parentibus. Porrò admirabãtur non sapientiam, quam nouerant illum habere, sed quod præter opinionem inter Doctores reperissent disputãtem, tamquam rem insolitam, & quia ignorabant causam, quamobrem illis inconsultis remansisset. quod verò in B. V. fuerit admiratio propriè, docet Franc. Suar. disp. 19. sec. 6. 18.

D *Dixit*] seorsim, non coram Doctoribus. *Mater*] ad illã enim spectabat loqui cuius erat verè filius. *Fili*] verba sunt dolentis & admirantis; cur enim illis inscijs remansisset, causam ignorabat; vel etiam sunt piè expostulantis, & ex affectu conquerentis; vel hoc dixit mater Dei instinctu, vt suũ nobis erga filiũ manifestaret affectũ, qualem decebat habere matrem. Nec rogat cur id fecerit, cur disputarit; sed cur fecerit illis sic, id est, vt parẽtibus inscijs remanens causa doloris illis fieret. Est ergò sensus, scio, fili, scio, te iusta de causa à nobis ad tempus recessisse. Sed cur quæso me huius rei conscià esse noluisti? tantorum me secretorum participem fecisti, cur ergo tuum hoc consilium cælare voluisti? & tanti doloris causam nobis, dilectissimis scilicet parentibus præbere, quos amas, & à quibus tantoperè vicissim amaris? Hoc innuunt illa duo, *nobis*, & *sic*, sciebant certè sua voluntate id factum, eique euenire 19.

Digitized by Google

nire aliter non potuisse, & idcirco interrogant, *quid feciſti ſic?* vt vel hinc cõſtet nihil illos humile de Christo ſenſiſſe, & eorum illuſtrior fides appareat. *Pater tuus & ego*] Nota Virginis modeſtiam ſibi Ioſephum præferentis. *Dolentes*] Orig. hom. 19. in Luc. ſcribit: quæſiſſe parentes Chriſtum, & cum dolore, ne fortè receſſiſſet ab eis, eiſque relictis ad alia tranſmigraſſet loca, & verò etiam ne reuertiſſet ad cœlos, cùm placuiſſet, iterũ deſcenſurus. His reſpondet ad quæſtionem, quam etiam mouent Theophyl. & Euthym. in comm. cur doleret B. Virgo, & filium quæreret, quem ſciebat Deũ, & nec potuiſſe errare, nec perire. ait enim Orig. quomodo tu ſi quando ſcripturas legis, quæris in eis ſenſum, cum dolore quodam ac tormento, non quod ſcripturas erraſſe, aut perperam quid habere arbitreris, ſed quod illæ intrinſecus habeant veritatis ſermonem, atque rationem, & tu nequeas inuenire, quod verum eſt: ita & illi quærebant ne fortè receſſiſſet ab eis, ne relinquens eos ad alia tranſmigraſſet, & quod magis puto, ne reuertiſſet ad cœlos, cùm illi placuiſſet, iterum deſcenſurus: ſic ille. Sed quid de hoc ſentiendum ſit, aperiemus in Theor.

20. *Modeſtia B. Virg.*

9. Et ait ad illos, quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?

10. Et ipſi non intellexerunt verbũ, quod locutus eſt ad eos.

11. Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis, & mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo.

SCHOLIA.

9. *Quid eſt quod*] non vt reprehenderet hæc dixit, ſed vt doceret, ſeque oſtenderet in his non pendere ab ipſis. eſſe enim Dei filium, & patrem Deum habere; ideoq; reprehendẽdis habitum induit; fuiſſent quidẽ reprehendẽdi ſi ſciuiſſent negotijs eum patris diſtentum, & voluiſſent ſe ſequeretur illis omiſſis. *Neſciebatis*] neque hic eorum ignorantiam notat, nam quomodo poterãt hãc ſubductionẽ ſcire, ſed ſpecie reprehẽdentis, vt dixi, docet & ſententia ſecundùm aliquos hæc eſt, quomodo ego matrẽ relinquerem niſi ob gloriam patris? quomodo hæc verba inſignẽ erga matrem charitatem continent; ſicut & illa matris. *Oportet*] decet.

10. *Et ipſi non intellexerunt*] An in B. Virg. fuerit ignorantia aliqua, in Theoria dicemus quod autẽ hic dicitur, eſt; non intellexiſſe Deiparẽrem verba filij, quia non ſatis comprehendit, quænam eſſent ea illæ ad æternum patrem pertinentes, in quibus Chriſtum verſari; & propter ipſas oportuerat parentes relinquere, vel vt interpretatur Ianſen. c. 11. an ſignificare voluerit Chriſtus aduentaſſe iam tẽpus ſeipſum mũdo declarandi, & hominum redẽptionem aggrediendi, quib. mõdis nulla tribuitur prauæ diſpoſitionis ignorantia (quod ſatis per ſe clarum eſt) ſapientiſſimæ Virgini, ſed nec vlla priuatiua, quam ſc. eo tempore ratione ſui ſtatus habere deberet; ergò tantùm negatiua ignorantia in illa fuit eius rei, quę ad ipſam eo tempore minimè ſpectabat.

11. *Deſcendit*] ne putaretur ſe ab illis emancipaſſe, in hunc locum moraliter lege Orig. hom. 20. Ambroſ. etiam hic. Nyſſ. in orat. in illa, 1. ad Corint. 15. 28. *Tunc & ipſe filius*, &c. Bern. ſer. 1. de laud. B. Mariæ, & ſerm. 19. in Cant. *Subditus illis*] Paulus Burg. Marci 6. addit. 1. contendit Chriſtum non mœchanicis hoc reliquo tempore occupatum ſe, ſed contemplationi potiùs vocaſſe. Porrò *faber*, vel *filius fabri* vocabatur per contẽptum, vt videtur Auguſt. dicere. 2. de conſ. Euang. c. 42. ſed licèt ita ſit vt vacarit contemplationi, tamen conformius videtur Lucæ, dum ait, *deſcendit cum illis & erat*, ſcil. totò reliquo vitæ tẽpore ad annum 30. *ſubditus illis*: conformius inquam eſt, vt hoc tempore adiuuerit etiã operibus manuũ ipſos parentes. Sic Abulenſ. Matt. 13. q. 8. in Lyr. Mar. 6. & Caiet. Marci item 6. immò & Iuſtinus in dialogo cum Tryph. & hoc eſt inſtituto Chriſti conuenientius.

Quid Chriſtus egerit vſque ad annum triceſimum ætatis.

Mirabile certè fuit ſolem in cœlo ſtetiſſe immobilem, Ioſue 10. obediente Deo voci hominis, longè tamen admirabilius fuit iuſtitiæ ſolem in terras deſcendiſſe veluti retrogreſſum, & carne ſumpta voci B. V. matris & Ioſephi obediſſe; & verò hæc ſubiectio, ſicut inæſt mabilem notat humilitatem in Chriſto, ita dignitatem incomparabilem ſignat in B Virgine & Ioſepho. Vidit Iacob Deum in cęlo ſcalæ ſupremo gradui innixum, Geneſ. 28. nos eumdem videmus in terris Ioſepho, qui ſupremus eſt Genealogiæ gradus incumbentem. Inhixus enim eſt illi, inquit Rupertus, tamquam pupillus tutori, vt eius ſolatio paterno puer cum matre ſuſtentaretur. Sic Rupertus. Verùm nonne ſulciebatur etiam, ſuſtentabaturque à Ioſepho, & à B. Virgine, imprimis Chriſtus cum eorũ brachijs geſtabatur? cùm in eorũ gremio dormiebat? quod cùm Simeoni ſemel contigiſſet, exclamauit: *Nunc dimittis*, &c. D. Bonau. ex hoc loco colligit, quantum Deo ſubijci debeamus, idque ex D. Bern. *erat*, inquit, *ſubditus illis, quis quibus? Deus hominibus. Deus inquam ſe hominibus ſubijcit. & tu dominari geſtiens tuo te præponis creatori? quoties enim hominibus præeſſe deſidero, toties Deum meum præire mutendo. vt tale aliquid mihi Dominus reſpõdeat*, Matt. 16. *Vade poſt me Satana, non ſapis quæ Dei ſunt*, vnde ipſe verè dicere poterat illud 1. Corinth. 9. *cùm eſſem liber omnium me ſeruum feci*, & nos omnibus amore ipſius debemus eſſe ſubiecti, 1. Petri 2. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum*, & verò quam maiore multò ratione iugum Domini ſuſcipere, eiq; in omnibus nõ coactè, ſed ex animo inſeruire debemus? habent & hic qui præſunt quid diſcere debeant.

23.

24.

Puto inquit Orig. homil. 10. in Lucam: *quod intelligebat Ioſeph quia maior ſe erat Ieſus, qui ſubijciebatur ſibi. & ſciens maiorem eſſe ſubiectum trepidus moderabatur imperium. Videat ergò vnuſquiſque, quod ſæpè melioribus Præpoſitus ſit inferior, & nonnunquam accidat, vt ille qui ſubiectus eſt, melior ſit eo, qui ſibi videtur eſſe præpoſitus, quod cùm intellexerit dignitate ſublimior non eleuabitur ſuperbia, ex eo quod maior eſt, ſed ſciet ita ſibi meliorem eſſe ſubiectum, quomodo & Ieſus ſubiectus fuit Ioſeph.* Hæc ille.

25.

Si quæras à D. Luca, quid reliquo vitæ tempore egerit Chriſtus? reſpondebit hoc vnum obediuit; hoc tibi ſatis, vt ſcias totam vitam obedientiam eſſe debere, nihil enim aliud Lucas de toto illo tempore quod tranſegit Chriſtus à duodecimo ad trigeſimum annum ſcribit, quàm *quod erat ſubditus illis*. Porrò de obedientia multa præclara habet Barrad. hic l. 10. c. 19. an verò hoc triduo, quo Ieroſolymis videtur fuiſſe Chriſtus, mendicarit victũ, & an alio etiam vitę tempore precariò ſeu mendicato vixerit, lege apud eundem Barrad. lib. 10. c. 15. & Fran. Suarium tom. 2. d. 28. ſec. 1. quid verò egerit vſque ad baptiſmum, habet idem Barrad. ibidem, & Suar. d. 17. ſec. 3. Illud item quæri poſſet an nudis pedibus inceſſerit Chriſtus, qua de re vide d. 28. ſec. 1. eumdem Autorem tom. 2

26.

27. *Conseruabat*]de Maria perpetuò hæc dicit Lucas, primùm vt indicet maiorem eius fuisse fidem cognitione mysteriorum Christi: vnde obseruatio maior proficiscebatur omnium, quæ de Christo videbat, & audiebat. Deinde declarat, vnde Apostoli multa hauserint, quæ de Christo dixerunt, vel prædicarunt. Denique ostendit, vnde ea ipse cognôrit, quæ hactenus de Christi infantia, & pueritia scripta reliquit.

12. *Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.*

SCHOLIA.

12. ET *Iesus*]Hactenus Matth. & Lucas Christum ferè puerum, seu puerulum potiùs vocarũt, nam Græcè est, παιδίον alludẽtes interim fortè ad illud Isai. *paruulus natus est*, &c. nam & ibi LXX. verterunt παιδίον. Iam verò absoluta pueritia, & declarata sapientia, Iesum incipit illam hic nominare Lucas.

28. *Proficiebat*]significat Lucas puerum Iesum, in quo gratia, & sapientia Dei peculiari modo inerat toto tempore, quo iam grandior erat eximia gratiæ & sapientiæ opera exercuisse, & vnà cum corporis incremento, vt Cyrillus lib. 2. de fide ad Reginas ante medium ait, sapientiam illius & gratiam quotidie magis magisque foras prodijsse, quod quia maximè conuenit grandiusculæ ætati, idcircò cùm dixisset Euangelista prius, vt patet li. 1. de rebus Euang. cap. 11. 19. plenum fuisse sapientia, nunc quod proficeret, ait. In ætate namq; grãdiori poterat indicare signa sapientiæ, & gratiæ maiora in dies. Itaque non est intelligendum, quòd maiorem cum tempore gratiam, vel sapientiã acceperit, quippè qui summa, atq; infinita gratia & sapientia iam ab ipso conceptionis momento repletus fuit. Sed quod adolescente puero subinde maior, & maior appareret in eo sapientia & gratia apud Deum & homines: ita vt subinde sapientior, & apud Deum atque homines gratiosior appareret. Reliqua vide in Theoria.

29. *Apud Deum*]Sunt qui exponant phrasi Hebræa, vt idem sit ac verè, non sola hominum opinione, verè etiam apud Deum ipsis operum effectis excrescebat, edendo scil. opera magis, ac magis eximia, maiorem gratiam, sapientiamque redolentia.

Aetate]Græcè ἡλικία, quæ & ætatem significat, & staturam corporis, atque hic magis quadrat staturam intelligere. Vel potiùs ætatis voce vtrumque comprehendere voluit interpres de duplici ætate, vna quæ non est in manu nostra, & altera in manu nostra, piè hic agit Origenes homil. 20. sub finem.

THEORIA IN CAPVT PRAECEDENS,

In quâ obscuriora quædam declarantur in Scholijs omissa.

1. *Ignorantia an in B. Virgine fuerit.*

IN primis in controuersiam venire potest, an in Beatam Virginem ignorantia cecidерit. Nam videtur Lucas id indicare, cùm scribit, illam *existimasse puerum Iesum in comitatu fuisse*. Præterea idem ostendere videtur cùm ait; *& ipsi non intellexerunt*, vt est, v. 10. Præterea ille ipse dolor, quem conceperat B. Virgo ob amissum filium, idem indicare videtur. Respondeo nunquam illam laborasse ignorantia prauæ dispositionis. Itaque hic non omninò assueuerabat puerũ Iesum esse in comitatu, sed ex circumstantijs dumtaxat censebat, id non tamquam certum, sed vt probabilius, quod est contra Cordubensem lib. 1. Theologicarum quæstionum, q. 46. falsò enim putat deceptam fuisse Beatissimam & sapientissimam Dei parentem Virginem: à contraria tamen sententia stat Medina quæst. 30. a. 1. & Suar. d. 29. sec. 6. & Barr. tom. 1. l. 10. c. 14. sub finem, vbi ait, & merito, non modò abfuisse à Virgine decipientem ignorantiam, seu prauæ dispositionis, sed etiam priuatiuam, quam vocant, semper enim prædita fuit ea scientia, quæ inesse pro tempore illi debebat. Ignorantiam porrò purè negationis illi non negamus, neque enim dicimus omnia cognouisse, & huiusmodi fuit ea ignorantia, qua dicitur non intellexisse Christi verba. Vt enim non oportuit illam semper esse beatam, ita nec oportuit omnia sciuisse, quare antequam de Angelo salutante disceret, ignorabat se Dei matrem futuram, modum item concipiendi, neque verò futura omnia nouit, vel quæ remotioribus locis fierent omnia, neque omnes circumstantias mysteriorum Christi, quod fortè voluit Origen. hom. 20. in Lucam. Quibus facilè est obiecta dissoluere.

2. Iterùm dubitabis non videri beatissimam Virginem ea fide de filio suo excelluisse, quam par erat habere: dum enim quæsiuit illum, putasse videtur, quod aberrasset à via, vel perijsset, ac propterea in grauem illam dolorem incidisse.

3. Origenes hom. 19. vt adnotauimus in Scholijs v. 8. n. 20. scribit; Christi parentes cum dolore quæsisse puerum Iesum, ne fortè recessisset ab eis, vel ne relinquens eos, ad alia transmigrasset, & quod magis inquit puto, ne reuertisset ad cœlos, cùm illi placuisset, iterùm descensurus. Sed hoc quod ait de ascensu in cœlum, verosimile omninò non est. Quod verò vererentur, ne ad tẽpus eos relinquere cogitaret, non est planè absurdum dicere.

Toletus annot. 79. docet Beatam Virginem doluisse de filij absentia, quem putabat à via aberrasse, sicut cæteros pueros, licèt non eodem modo, quæsisse enim ait matrem suum filium, quem putabat non nisi sponte, à via tamen aberrasse. Neque verò vlla ratione accidisse credidit illi aliquid per errorem, non volenti, sed vt similis esse voluit in infantia alijs infantibus in membrorum paruitate, infirmitate, lacrymis, in eo, quod non loqueretur, vt infantes cæteri, &c. ita arbitrari potuit B. Virgo, placuisse illi nunc more aliorum puerorum, sponte tamen aberrare à via. Perditum ergò putauit in morem aliorum puerorũ, sed voluntate, non necessitate. & verò quemadmodum B. Virgo doluit, cùm illum tot mala patientem vidit, cùm de cruce pẽdentem aspexit, licèt sciret voluntate, nõ necessitate ea passum; ita nũc doluit amissum, quamuis eius voluntate id euenisse sciret. Quod verò perijsset, vel in cœlum abijsset, nullo modo illi in mentem venit, sciebat enim cur in mundum venisset.

4.

Digitized by Google

5. Barrad.l.10.c.14.dolebat, inquit B. Virgo, quia mater erat, & filij mater immenſo amore digni, quia ea inſcia, & nihil tale opinante diſceſſerat. Hæc ex ſententia etiam D.Anton.1. p.tit.5.c.1.§.5.dolebat quod metueret, ne fortè in manus Archelai Herodis filij, qui Hieroſolymis imperabat, deueniſſet, vel alia quapiam de cauſſa eam deſeruiſſet, nempè ad tempus, vt ego interpretor.

6. Arbitror ego apud ſe cogitaſſe B. Virginem incommoda multa paſſurum illum ſine conſueto parentum obſequio. In his enim quę ad corpus ſpectabant, nõ ſolebat Chriſtus virtute ſua vti, ſed communem hominum ſequebatur conſuetudinem. Igitur dolebat, & de abſentia, & de illius incommodis, item quia neſciebat, an eum ſtatim eſſent inuenturi, & vbi nam. maximus etiam amor, quo proſequebantur eum parentes, dolorem maiorem in modum augebat. Addi poteſt, doluiſſe, ne fortè aggredi negotium ſalutis hominum vellet, atque ob id eos relinquere cogitaſſet in poſterũ, nec tamen certi quid definiebant, ſed an ita eſſet, inuenire cum dolore volebant, & quamuis culpam non agnoſcerent: ſolliciti tamen erant, ne fortè quid occultæ culpæ eſſet, quàm ignorarent. Hæc coniuncta cum his, quæ ex Barradio referuntur, mihi veroſimiliora videntur.

7. Quod verò Tolet. excogitauit, non ita probabile arbitror, data enim opera ac de induſtria Hieroſolymis remanſit, quamuis occultè atque inſcijs parentibus, non quaſi à via aberrãs. Neque enim eò confugere in hac dubitatione cogimur, cùm planior via non deſit, vt declarauimus. Illud eſt certiſsimum ſciuiſſe B. Virginem, quòd ita vellet quæri Chriſtus Dominus, & quod ita inueniendum ſperaret. Reſtat nunc vt ea Lucæ verba declaremus, quæ v.12. continentur.

8. *Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines*] cùm prius dixiſſet Lucas plenũ fuiſſe ſapientia, non dubitauit nunc dicere, quod *proficiebat*, &c. quia iam id accipi non poterat in eum ſenſum, vt crederetur fuiſſe aucta in illo ſapientia, in ſeipſa, qua ab infantia plenus omninò fuerat. Sed contra eam expoſitionem, quam in Scholijs n.28. ſecuti ſumus, ita quis poterit excipere: ita dicitur in gratia & ſapientia creuiſſe, vt & in ætate, atqui in ætate non oſtendit modò augmentum, ſed verè illud comparauit ſenſim augeſcendo, igitur & gratia & ſapientia verè augebatur, cui difficultati ſic occurritur. Inprimis in ſcriptura interdum verba, quamuis eodem contextu poſita, non eodem accipi videtur modo, Ioan. 20.17. *Aſcendo ad patrem meũ, & patrem veſtrum*, non vtique eodem modo pater eſt, Matth.8. 22. *dimitte*, inquit, *mortuos ſepelire mortuos ſuos*; vbi ſimul mortuos animo, & mortuos corpore connectit. Ita ergò licèt hic dicatur, *proficiebat ætate, & ſapientia, & gratia*, non proinde fit,

9. vt eodem modo ſit id accipiendum. Deinde reſpondeo, non ita id quod diximus in Scholijs accipiendum eſt, ſolum creuiſſe, ac profeciſſe, ſapientiam ſuam, & gratiam oſtendendo vtcumque; verum etiam verè & apud Deum, & apud homines, quoad effecta ipſa earum rerum creuiſſe, nimirum edendo opera magis, ac magis eximia, gratiam maiorem & ſapientiã redolentia, quibus licèt ipſe ſanctior & iuſtior non fieret, nec plus aliquid mereretur ob infinitam perſonæ dignitatem, & quia ab initio gratiam conſummatam habuit; ſecũdùm ſe tamen talia erant ea opera, vt augere gratiam poſſent. Poteſt & tertiò ſapientia, & 10.
gratia pro operibus ipſis tam ſapientiæ, quàm gratiæ ſumi: & ita verè in his creſcebat: dicimus enim verba alicuius & facta ſapientiam, vel gratiam. Ita enim cùm quædã admiramur eximia, dicere ſolemus ſuſpicere nos, & admirari ſapientiam vel gratiam huius, vel illius, & hoc modo verè dicere poteris, creuiſſe in ipſa ſapientia, & gratia, vt & in ætate. Porrò in 11.
humana ſapientia, & experimento proficere potuiſſe Chriſtum, docet Franc. Suar. tom.1. d.30.ſec.2. concl. 2. licèt hic mihi ſermo eſſe videatur de diuina, & infuſa ſapientia, vel beata etiam, quæ foras per opera prodibant. Non nego tamen Chriſtum acquiſitam ſapientiam etiam per opera oſtendiſſe, & multò magis quàm homines ſoleant, ita vt ſi hanc etiam cõprehendere velis, non ſit opus recedere à ſenſu, quem in Scholijs poſuimus, loqui enim dicam Lucam de omni Chriſti ſapientia, prout per opera prodibat foras, licèt verè non negemus in acquiſita ſcientia Chriſtum verè creuiſſe: hoc autem de gratia dici nequit, nullo enim modo in ea creſcebat, niſi tantum quoad
opera, &c. vt dictum eſt. D. Vincent. in ſerm. 12.
infra octau, Epiphan. ait, Chriſtus non profecit in ſapientia habitualiter, ſed effectualiter (ſic enim loquitur) quia quanto magis creſcebat in corpore, tanto maioris effectus oſtendebat ſapientiæ, ſicut ſol, licèt tantam claritatem habeat hora prima, quantam hora tertia & meridie: effectu tamen proficit in claritate. Indicat quidem maiorem hora tertia, & maiorem adhuc hora ſexta vel meridie, ſed re ipſa, & quod ille ait, habitualiter, eamdem ſemper habet lucẽ & claritatem, ita Chriſtus, &c. Huius ſententiæ eſt D. Thom. 3.p.q.7.a.12.& eſt Nazianz. orat.20. de laudibus Baſ. Dam.3. de fide 22. Athanaſ. orat.4. contr. Arr. &c. Denique videtur communis ſententia. Conſule item Bernard. hom.2. ſuper *miſſus eſt*.

D. Bonau. huius hiſtoriæ, quod ſcil. remanſit puer Ieſus ſolus, præceſſiſſe inquit figurã in Samuele, 1.Reg.2. ſic .n. de eo ſcribitur, quòd 13.
Abijt Elcanâ in domum ſuam: puer autem erat miniſter in conſpectu Domini. Vnde ſolus remanſerat, vt melius orationi vacaret. Thren.3. *Sedebit ſolitarius, & tacebit.* Quod verò non cognouerint parentes remanſiſſe ipſum, præceſſerat iam figura in Samſone, qui noluit patri & matri indicare, quod mel de corpore leonis aſſumpſerat, Iud.14. Hæc hactenus.

DIGRESSIO MORALIS PRIMA.

VT Chriſtum inueniamus, ſi fortè, quod abſit, amiſerimus, & tempus, & modus, & locus conſideranda ſunt ex Bern. in Cant. De tempore dicitur hic, *per triduum* quęſiſſe, & poſt triduum inuentum, hoc eſt, tertio 1. *Chriſtus quomodo quærendus.*

Digitized by Google

ipso die, monemur hic nullum tempus satis lõgum esse, vt inueniatur Christus, itaq; desistẽdum non est, antequàm inuenias iuxta illud: *si quæritis quærite*, Isa. 21. Lege Bern. ser. 2. ad fratres. displicuit Deo quod Bethuli fecerãt, præfiniſſe illos ad inueniendam Dei misericordiã quinque dierum spatium. Non est tempus definiendum Deo, sed tam diu plorãdum, tamdiu precibus vacandum, quousque nostros audiat gemitus.

2. Modus verò quærendi est, vt cum dolore quæras, quare dicitur hic, *dolẽtes quærebamus te.* quod vt melius comprehendas, intelligere debes: amittere hominẽ propter peccatum Deũ, animam, & merita. Hanc triplicem tamq; ingentem iacturam, solus dolor, solæ lacrymæ resarciunt, vt nõ mirum sit si peccatoris planctus cum triplici maximo in terris luctu, vel planctu in scripturis comparetur. Primũ cum planctu matris super vnigenitũ, Ierem. 6. Deinde Draconũ. Postremò cum luctu struthionum. sic Michææ 1. *Faciam planctum quasi draconum, & luctum quasi struthionum,* & quidem meritò, sic enim decet vt doleat, quem delictorũ suorũ verè pœnitet. Nam inter homines nullus dolor vel planctus cum matris planctu cõferri potest, quo vnici filij mortem deplorat: sic inter animalia terrestria mœstissimus est Draconum planctus, qui ab Elephantis victi terribili sibilo personant, vt ait Hieron. Inter aues struthionũ, vel vt hebraicè legimus apud Michæam, *filiarum struthionis.* Fœminæ enim in hoc genere gregatim magis incedunt, & frequentiùs vtũtur, percussæq; ab homine, aut ab alijs animalibus vocem dant acriorem, ac magis lugubrem. His ergò similitudinibus & exemplis docet nos Spiritus S. quanto dolore cõficere nos debeamus propter admissa scelera.

3. Et quidem meritò, iureque optimo: quæ enim maior iactura esse aut dici poterit animę amissione? præsertim verò ipsius Dei? ob id Laban Gen. 31. tãtoperè irascebatur Iacob, quòd idola surripuisset sua, ob id Michas Iud. 17. tantoperè doluit. Quare si isti tanto afficiebantur dolore ob idola sublata: quid nobis agendum erit Deo vero amisso? denique cuius thesauri tam deploranda iactura est, quàm bonorum operum, ac meritorum.

4. Locus denique obseruandus, vbi Christum reperias. Maria *in templo* inuenit, inter cognatos & notos non repperit: illic quære, illic frequens esto, & inuenies quem diligit anima tua. Quæcunque enim in templo vel videntur, vel audiuntur, vel fiunt, ad inueniendum Christũ nos maximè iuuant. Origen. homil. 20. in Luc. quærebant, inquit, Maria, & Ioseph inter affines Iesum, & non inueniebant in comitatu, & inuenire non poterant. Quæsierunt in templo, sed apud Magistros, & in medio præceptorum inueniunt eum. Vbicumq; magistri fuerint, in medio Magistrorum inuenitur Iesus: si tamen magister sedeat in templo, & nunquam egrediatur ex eo. Mysticè igitur Christus docet, se in medio Prælatorum sedere, & eos erudire, idque in Ecclesia.

5. Aduerte ex Beux. in concord. inuentum esse Christum primò in præsepio, sc. à pastoribus, Prou. 14. vbi non sunt boues, præsepe vacuum

A est. Boues sunt prædicatores. Sic Paul. 1. Cor. 9. *Non alligabis os boui trituranti.* Inter boues ergò & eorum præsepia, hoc est, inter prædicatores inuenitur. Deinde inuentus est domi à Magis, Matth. 2. *& intrantes domum inuenerunt puerum.* Domus hæc conscientiam significat, quam excutere diligenter debeas. Sapien. 8. intrans domum meam conquiescam in illa. Denique vt dixi, inuentus est in templo. *Dominus* enim *in templo sancto suo.* Cæterũ non inuenitur in monumento doctrinæ erroneæ, nec in lectulo cõscientiæ fœdatæ peccatis, & multis molestiarũ fluctibus inquietæ, Cant. 3. *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Denique nec inuenitur inter mundanos, Iob. 28. *Sapientia vbi inuenitur?* & post: *non inuenitur in terra suauiter viuentium.* Huc

B pertinent quinque illi modi, quibus B. Virgo Christum quæsiuit, quos habes c. 10. digress. 2. num. 12. & seq.

DIGRESSIO MORALIS SECVNDA.

Quod nemo possit Deum fugere, sed quærere diligenter debeat.

1. *Deum fugere non possumus, sed quærere possumus & debemus.*

DVas mitio statuo propositiones, vtramque verissimam, quarum altera sit, Deũ nulla nos ratione fugere posse, quod si fugere tentauerimus, magno illum nostro malo præsentem semper nobis offendemus, &

C seueriſsimum nostrorum scelerum vindicem experiemur. altera verò sit hæc, Deum posse nos, eius ope quærere, quem si diligenter quæsiuerimus, magno nostro bono inueniemus, & cælestium bonorum liberalissimum sentiemus largitorem. Vtraque hic nobis propositio breuiter, & ad mores accommodatè erit enodanda.

2. *Deus est vbique.*

Deus est, qui vt omnia condidit, ita conseruat vniuersa, atque adeò cuncta implet, ità vt neque vllus locus sit, siue in cœlis, siue in terris, siue vspiam alibi, quem sua ipse immensitate non repleat, quod nec illum latuit, qui cecinit:

D ---*Iouis omnia plena.*
Non est, quò fugias homo, quascunque acceſſeris orbes,
Sub Ioue semper eris.

Multò verò id præstantiùs Dauid Psalm. 138. cecinit, diuino afflatus numine: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* nimirum non est, quò abeam, vbi Spiritus Dei non sit præsens. Ascendam, inquies, in cœlum, at ibi est ille, quod si descendere in infernum voles, etiam adest ibi. Quod si alas tibi nectas, & ad Indos, extremosque Garamantes volare coneris, nec sic quidem euades præsentiam eius, siquidem illuc comitabitur te manus eius, neque vnquam aberit, sed velut apprehensum quocumque pergas, tenebit te. Subdit enim diuinus idem vates: *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim*

illuc

illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

3. Ergò si præsentem Deum semper habemus, si nusquam ab eo fugere datur, quales oportet, nos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei Domini, 2. Petri 3. 11. 12. quantò satius erit ea omnia fugere, quæ sanctissimos eius oculos offendere possunt, & cuius lucem nullæ tenebræ obscurare queunt?

4. Et verò non ea tantùm considerat, quæ exterius agimus, & quæ mortalium etiam oculos non fugiunt, sed illa quoque cernit, quæ interius sunt, quæque animo voluimus, & mente pertractamus. Verè enim Ecclesiast. 17. 16. testatur: *Omnia opera hominum velut sol in conspectu Dei, & oculi eius sine intermissione inspicientes in vijs eorum.* Quàm ergò ij insaniunt, qui voces illas blasphemia plenas edunt? *quomodo scit Deus, aut si est scientia in excelsis?* & iterùm dicunt, *quis me videt?* Ecclesiast. 23. 26. *Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me. quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus, & non intelligit* (inquit idem Ecclesiast. sequentibus versibus) *quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei, huiusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum: & non cognouit, quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.*

5. Neque aliud sanè Ieremias 32. testatur, *fortissime, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi*, &c. *cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, vt reddas vnicuique secundum vias suas, & secundùm fructum adinuentionum eius.*

6. Hanc sanctissimam cogitationem, & omnibus hominibus saluberrimam, quia senes illi deposuere, in turpissimum scelus inciderunt, atque inde præcipites in mortem ruere visi sunt, dicebant enim, cùm castissima mulier fortè corpus ablueret, cuius illi deorsum pulchritudinem conspicabantur, Deum verò sursum non aspiciebant: *Ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt, & in concupiscentia tui sumus, quamobrem assentire nobis*, &c. non sic insignis, atque honesta puella, sed *melius mihi est*, inquit, *incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Affirmabant illi falsò neminem eos videre, at ista in conspectu Dei esse omnia, quem nullus hominum fugere queat, contendebat; ita illi mortem inuenere, hęc verò & vita, & nomine æterno donata fuit.

7. Habemus ergò primæ propositionis veritatem. sequitur altera. nam si Deum fugere non possumus, est quod illum diligenter quæramus. Sed quomodo, inquies, quæram eum, qui semper mihi adest, nusquam discedit? facilis responsio; Deus quoad essentiam, præsentiam, & potentiam vbique adest, nullis excluditur, sed neque includitur spatijs, verùm quod attinet ad amicitiam, & gratiam eius, amittere illum possumus. Sic enim abest interdum, nostris sceleribus offensus, & qui amicus erat, repentè fit aduersarius, ergò Deum quærere, est eius gratiam, & amicitiam vel amissam conquirere, vt repares, vel quam habes conseruare, & augere, vel si nusquam habueris, ad eam accedere.

Deum quomodo absit à nobis.

8. Vnum verò illud nos maximè ad Deum quærendum impellit, temporis videlicet breuitas, etenim si tempus nobis concessum præterlabatur, frustra quæretur postea. Vidit Ioannes in Apocalyp. 10. *Angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt sol, & pedes eius tanquàm columna ignis, & habebat in manu sua libellum apertum, & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram, & leuauit manum suam ad cœlum, & iurauit per viuentem in sæcula sæculorū, qui creauit cœlum, & ea, quæ in eo sunt, & terram, & ea, quæ in ea sunt; & mare, & ea quæ in eo sunt; quia tempus non erit amplius.* Sic Ioannes. Quis quæso non admiretur? quorsum tam amplus verborum apparatus? tanta attestatio? quò talis attestantis habitus spectat? fixis pedem dextrum super mare; sinistrum super terram, vt qui in insulis, & in terra versantur, vocem eius exciperent; extendit manum suam ad cœlum. quid plura? iureiurando etiam quæ diceret, confirmauit, Huc nimirum omnia hæc spectabant, nostrum quemque vt moneret, tempus non fore amplius. quod verò tempus? ipsum videlicet, quo operari quisquam, quo profusis lacrymis veniam obtinere peccatorum, iustitiam adipisci, Dei misericordiam, & amicitiam assequi, denique quo promereri vitam posit æternam.

9. Hoc idem nos Saluator, Ioannis nono docuit, cùm dixit: *venit nox quando nemo potest operari*; hoc autem tempus non aliud est, quàm mortis, nunc exeundum est homini ad opus suum, & ad operationem suam, verùm *vsque ad vesperum*, Psalm. 103. ad vesperum, inquam, mortis; quando propter bona opera, mercede, vel propter mala, supplicio afficiendi erimus, quod Matth. 20. Christus indicat, *cùm serò factum esset, dixit Dominus vineæ procuratori suo: voca operarios, & redde illis mercedem.* Cùm serò factum est, hoc est mortis tempore vocat Deus operarios, soluitque mercedem, dum dies est, operantur, qui sub vesperum mercedem accepturi sunt; propterea enim operarij dicuntur.

Tempus huius vitæ fructuosè & piè transigendum.

10. Quare ergò negligimus hoc tempus, quo nihil pretiosius? videamus nè magno nostro malo, si præsentis temporis occasionem prætermiserimus, frustra aliquando dicturi simus: Iob 3. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in quæ dictum est, conceptus est homo. dies illa vertatur in tenebras, occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine, noctem illam tenebrosus turbo possideat. Obtenebrentur stellæ caliginе eius, expectet lucem, & non videat: nec ortum surgentis aurorę, quia non conclusit ostia ventris, qui portauit me, nec abstulit mala ab oculis meis. Quare non in vulua mortuus sum, egressus ex vtero non statim perij? quare exceptus genibus?*

cur lactatus uberibus? & iterum illa Sap. 5. Serò nimis inculcemus, *ergò errauimus à via veritatis, & lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus uias difficiles; uiam autem Domini ignorauimus. quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra,* & quæ sequuntur.

11. Sapienter Seneca, turpissimam esse dixit temporis iacturam, quæ per negligentiam fit, vt mirum non sit, si Paulus dixerit ad Ephes. 5. *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Tempus vocat oportunitatem, est enim Græcè καιρὸν. hortatur namque fideles, vt temporis opprtunitatē præterlabi non sinant. Est enim hoc vitæ spatium ad animi negotia gerenda opportunū: cùm tamē omnis in morte peritura sit opportunitas, quāquam aliter etiam redimi tēpus posit, quod quasi nūc peccatis nostris obsequi, & vanis fluxisq; rebus quodammodò inseruire cogitur, de qua seruitute ab eo redimitur, qui voluptates, res fluxas, ludos deniq; vana dimittit omnia; & hoc est quasi precium tradere, quo pretiosissimū tempus in libertatē asserat, quod tunc fit, cùm iam diuinis rebus, ac sanctis operationibus impēditur. Audiamus igitur Dei voces sic nos monentes: *quærite Deum dum inueniri potest, inuocate eum, dum propè est.* Duo ergò hactenus ostendimus, quod Deum fugere nemo posit, deinde quod & quærendus sit, dūm tempus habemus ad inueniendum opportunum, & antequàm nox improuisa subrepat, quando inueniri non possit. Restat vt diligenter esse quærendum, moneamus.

12. *Deus quomodo quærendus.* Calidè, ac feruidè quærere oportet eos, qui Deum inuenire exoptant, nè si tepidè quęsuerimus, illud nobis iurè obtrudatur quod Apocalyp. 3. scriptum est contra tepidos: *Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus, & nec frigidus, nec calidus incipiam te euomere ex ore meo.* Quam ego sentētiam non ignoro, alium fortè

A proprium magis sensum cōtinere. verùm modò non id ago, sed de his disputo, quæ rectè ad rem nostram accommodari queunt, sic igitur cū Adamo Sasbout interpretor. Vtinam horrore gehennæ concussus, tu quicumque es, qui tepidè viuis, toto animi affectu Deum quæreres, & Dei misericordiam implorares, qua à tanto malo liberari posses, & hoc est, *vtinam frigidus esses.* Iterùm, vtinam cœlestium amore succensus, toto conatu Deum, eiusq; amicitiam ambires, & gratiam, qua omnia quæ quoquomodo obsistunt, quò minus cœlestibus inhæreas semel valeas abrumpere, & hoc est, *vtinam calidus esses.* Verū *quia tepidus es,* quia languidè, flaccidè Deum quæris, & nec horrore gehennæ, nec amore cœlestium exstimularis, vt totus in hoc studium assurgas, quo Deum inuenire valeas, *incipiam te euomere ex ore meo.* Hoc verò figurato sermone significat, eiusmodi homines negligentius agentes, non sibi gratos esse, verùm nauseam mouere, & tandem aliquando euomendos esse. Solemus enim euomere, quæ nauseam mouent. qui ergò tepidus

B est in quærendo Deo, non modò non illum inuenit, sed potiùs de domo Dei eijcitur, vel certè de amicorum eius numero tollitur. Est autem, *incipiam te euomere*, hoc nimirum quod

C eiusmodi quicunque est tepidus, in hac incipit vita euomi, nec omninò euomitur. priuatur. n. nūc quibusdam auxilijs, & gratiæ præsidijs efficacibus: sub finem tandem omninò separādus à Deo. cùm verò dicitur *ex ore* euomi, & nō ex stomacho, quod dicendū videbatur, significat, ita displicere Deo tepidos, vt sint tanquàm cibi insulsi, quos deglutire horremus, & in stomachum traijcere, sed statim ore cum nausea depellimus, ergò fugere non possumus Deum, illum quæramus dum tempus habemus, non tepidè, sed diligenter, vt tanto bono potiamur.

13.

14.

Finis Libri Primi.

Digitized by Google

EVANGELICARVM DILVCIDATIONVM LIBER SECVNDVS,

CONTINENS EXPLANATIONEM Rerum à Christo gestarum, à Baptismo vsque ad primum Pascha, seu primum Annum prædicationis eius.

ARGVMENTVM.

Habet Liber Secundus Capita VI. Agit de Ioanne Baptista, de Baptismo Christi, de deserto & tentatione, de testimonio Ioan. vocatione discipulorum ad fidem Messiæ, de Nuptijs.

CAPVT I.

PRÆDICAT ET BAPTIZAT IOANNES.

A.3.2.B.1.1.C.3.1.

1. B. INITIVM Euangelij IESV CHRISTI filij Dei.
2. Sicut scriptũ est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.
3. Vox clamantis in deserto parate viam Domini, & rectas facite semitas eius. Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.
4. Ann. autem 15. Imp. Tiberij Cæsaris procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode; Philippo autẽ fratre eius Tetrarcha Ithuræa, & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ Tetrarcha.
5. Sub principibus Sacerdotum Anna & Caipha, factum est Verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.
6. Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans A. in deserto Iudææ C. baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

A 7. A. Et dicens: pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum.
8. Hic est enim qui dictus est per Isaiam Prophetam C. dicentem: sicut scriptũ est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ. AC. Vox clamantis in deserto parate viam Domini: rectas facite semitas eius.
9. C. Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas.
10. Et videbit omnis caro salutare Dei.
B 11. A. Ipse autem Ioannes habebat vestimẽtum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erant locustæ & mel syluestre.
12. Tunc exibat ad eum omnis Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis Regio circa Iordanem.
13. Et baptizabantur ab eo in Iordane A.B confitentes peccata sua.
C 14. C. Dicebat ergo ad turbas quæ exibãt; vt baptizarentur ab ipso; Genimina viperarum quis ostendit vobis fugere à ventura ira?
15. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere A. intra vos: A.C. Patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.
16. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor C. non faciens A. C. fructum bonum excidetur, &

A. videns autẽ multos Pharisæorum, & Sadducæorũ venientes ad baptismũ suũ, dixit eis: Progenies Viperarum.

A. quæ non facit.

tur, & in ignem mittetur.

17. C. *Et interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergò faciemus?*

18. *Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat.*

19. *Venerunt autem & publicani vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister quid faciemus?*

20. *At ille dixit ad eos: nihil amplius quàm quod constitutum est vobis faciatis: interrogabant autem eum & milites dicentes: quid faciemus & nos? & ait illis: neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendijs vestris.*

21. *Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus.*

A in Aqua A. qui autē post me venturus est.

22. *Respondit Ioannes dicens omnibus: ego quidem aqua* A. *in pœnitentiam* C. *baptizo vos: veniet autem fortior me, cuius non sum dignus,* B *procumbens* B. C. *soluere corrigiam calceamentorum eius (&)* A. *portare calceamenta:* C. *ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.*

23. *Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.*

24. *Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo.*

Scholia.

1. INITIVM *Euangelij*] Legitimum huius loci sensum, hoc est, trium horum versuum arbitror esse: vt illa verba: *initium Euangelij Iesu Christi filij Dei*, non quidem contineant libri huius titulum: sed loco prooemij præmittantur à Marco, vt illa Matthæi; *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abraham.* Vterque enim his verbis indicare voluit, vnde facturus esset initium. Matthæus incepit à generatione humana Christi: Marcus verò ostendit hîc, se à principio prædicationis Iesu Christi (hoc enim significat hîc Euangelium) orsurum suam historiam. Porrò prædicatio Christi à Ioannis prædicatione cœpit. Itaque vt Matthæus, & Ioannes à Christi generatione aggressi sunt historiam Euangelicam; hic à Diuina, ille ab humana: ita Marcus & Lucas à Ioanne Baptista: ille à prædicatione, hic à conceptu & infantia. Legenda sunt ergò verba hæc per se: nec cum sequentibus coniungenda; licèt sit aliquid subintelligendum, nimirum: *Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei*, tale est, vel quid simile; & hic figatur punctus. tum sequatur noua sententia: *sicut scriptum est*, &c. ita vt pendeant hæc omnia sequentia, quousque absoluatur sensus, qui deinceps vsque ad illa verba: *Fuit Ioannes Baptista baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, excurrit. Hîc enim iterum quiescendum est. Subintelligitur autem particula, *ita*, ante illa verba: *fuit Ioannes*, &c. nam referuntur hæc ad superiora illa; *sicut scriptum est.* Interponuntur autem verba Prophetarum, quæ significant Ioannis prædicationem esse initium prædicationis Christi. Prædictum enim erat, audiendam prius esse vocem clamantis, tum mox ad futurum Christum & prædicaturum, & hoc indicat testimonia allata. Est ergò ista series horum verborum: *Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei*, tale fuit. *Sicut scriptum est in Isa. Proph: vox clamantis in deserto, parate viam Domini rectas facite semitas eius:* ita *fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, q.d. vt à Deo constitutum fuit, & ab Isai. prædictum, præuenturum esse Ioannem Christi prædicationem, hoc est, præparaturum gentes per baptismum pœnitentiæ, & mox sequuturū Christi Euangelium, ita omninò accidit, sic *fuit Ioannes in deserto baptizans*, &c. tūc nimirum se Christus declarare exorsus est. Porrò verba Mala. *Ecce ego mitto Angelum meum*, &c. per parenthesim quidam interponunt: At melius auctor qq. ex nouo testamento, operum Augustini tom. 4. reddens rationem cur Marcus Isa. tantum citarit, inquit; sciens enim omnia ad auctorem referenda; dicta hæc ad Isa. reuocauit, qui sensum istum prior intimauerat. Denique post verba Malachiæ statim subiecit dicens: *vox clamantis in deserto* &c. vt iungeret verba vtriusque Prophetæ ad vnum sensum pertinentia sub persona prioris Prophetæ. Hæc ille, & benè, & videtur Hier. idem sentire Malach. 3. ait enim, Marcum duo testimonia sub vnius Prophetæ sermone contexuisse, scil. vt idem significantia. Itaque non est legendum in Prophetis, &c. vt quidam Græci codices habent, & vt legunt Theophy. Euthym. Irenæ. l. 3. c. 18. Solùm enim Isaiam citat. Cyriacum Euang. vt & Codices Latini habent nomen Isa. Lege notationes Lucæ Burgensis. Alij, sed vt ego arbitror, minùs probabiliter, docent admiscuisse Marcū hîc Malachiam, vt probaret illa verba, *vox clamantis* &c. quæ sunt Isai. & quo pertineri volunt illa verba, *sicut scriptum est in Isa. Propheta*: de Ioanne intelligi, saltem sensu aliquo à Spiritu sancto intento. hinc soluitur quæstio, quam Hieronymus mouet de optimo genere interpret. nec soluit, cur Isa. tribuatur, quod ex Malach. cap. 3. & Isaiæ 40. testimonio conflatum est, ex eo enim quod auctor qq. ex nouo testamento dicit, habetur solutio, vel certè illa, *sicut scriptum est in Esa. Proph.* referuntur ad illa tantùm verba, *vox clamantis*, &c. cætera interponantur, vel per parenthesim, vel simpliciter ad probandum verba Isa. de Ioanne intelligi debere; sed quod auctor qq. habet, probabilius est, & verius, & citra obscuritatem. Vnde credibile est tempore Hieron. Græcos codices etiam legisse, *sicut scriptum est in Isa. Proph.* Ex his constat Tò *sicut* non esse referendum ad præcedentia, sed ad subsequentia, prout nos exposuimus. Biblia enim iam emendata punctum figunt ante vocem *sicut*. Quare dispunctio illa non est ita probabilis, sit enim legunt quidam: *Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei. sicut scriptum est in Isai Proph.* id est, principium prædicationis Euangelicæ, sicut Isa. vaticinatus est, sic se habuit, quod ostendit postea citatis duobus testimonijs, altero Malach. Isa. altero, licèt Prophetas non nominet. Sed malo nostra emendata sequi.

2. *Ante te*] hęc verba in testimonio Malachię initiū innuūt prædicationis Christi: sicut & illa: *ante faciem tuam. Ante faciem tuam*] in Malachia habetur *faciem meam*; nam in Propheta inducitur

Christus

Christus de Ioanne dicens: *Mitto Angelum meum*, id est, nuntium meum; qui erit Anglicæ puritatis, ante faciem meam. Marcus verò velut Deum Patrem inducit loquentem cum filio; & ideò dicit: *mitto Angelum meum antè faciem tuam*, id est, antè te. *Mitto*]pro *Mittam*] *Angelum*]Græcè τὸν ἄγγελόν μου. illum Angelum, vt certus quidam nuntius significetur; hunc autem Angelum esse Ioannem Baptistam, explicuit Dominus Matthæi 11.

5. *Operâ S. Trinitatis comm. 1.a.* Obseruandum opera Sanctissimæ Trinitatis communia, modò vni personæ, modò alteri tribui interdum, vt illud Isaiæ 6. *Vidi Dominum sedentem*, &c. Damascenus citans Basilium in Epist. de Trisagio dicit esse Patris. Ioannes capitis tribuit filio; Paulus Actor. 28. Spiritui sancto, vt appareat eadem virtus, potestas, & natura trium personarum. Ita missio Ioannis, nunc Patri, nunc Filio, tribuitur: vt autem ostendatur distinctio personarum, dicit filius *antè faciem meam* apud Malachiam. Pater apud Euangelistam: *antè faciem tuam*, hoc est, *ante te*: est enim hebraismus. Cæterùm Euangelista voluit hæc verba Malachiæ referre, vt Christus retulerat. Voluit autem sic loqui Christus, vt ostenderet se esse vnum cum Patre natura. Obijciat quis, non seruari hoc modo sensum verborum? est enim alius, si dicas filium loqui; alius si Patrem. Verùm nego non eumdem esse sensum: cùm enim idem sint Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus; perinde est dicere, patrem misisse, ac filium, vel Spiritum sanctum. Nam ille Deus misit, qui est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & perinde hîc est nominare vnum, ac tres; sed cur inquies, Ioannes *Angelus* dicitur? quia venerat Christum nuntiare? nomen enim *Angeli* non naturæ, sed officij est. Voluit etiam Euangelista nos intelligere, non qualemcunque nuntium missum; sed Angelicæ puritatis, vt Theophyl. & Euthym. in cap. 11. Matth. notant; & Chrysost. ibi dicit: *Puto quod glorioſior eſt Ioãnes, quod homo fuit; & propter virtutis meritum Angelus eſt vocatus; quam ſi nomine Angelus & natura fuiſſet.* Obseruant aliqui nomen *Angeli* in scriptura non dari solere, nisi magnis nuntijs, vnde Iob 1. & 2. qui nuntiabant mala illa Iob, & calamitates, non Angeli; sed *nuntij* dicuntur. At Malachiæ secundo, Sacerdos Dei *Angelus Domini* vocatur.

6. *Ioannes Baptista cur Angelus dicatur.*

7. 3. *Vox clamantis*] vel clamaturi; subintellige dicet, vel audietur. melior est hæc expositio, quàm eorum, qui vocem clamantis, idem esse ac vocem clamantem asserunt, vt Ioannes dicatur, *vox*. Iam verò cùm Ioannes testatur, dicens: *Ego vox*, &c. perinde est ac si diceret: Ego sum, de quo Isaias prædicit audiendam esse vocem clamantis. Hæc verba habentur Isai. cap. quadragesimo, vbi licèt alium esse literalem sensum, quidam astruant, nimis certè huic loco vim inferentes: verus tamen sensus non modò à Spiritu sancto intentus; sed proprius & literalis est, de ea captiuitate, qua hominum genus sub diabolo captiuum tenebatur, & de redemptione per Messiam. Per vocem autem clamaturi vox Ioannis Baptistæ intelligenda est. Qua de re vide Theoriam. *In deſerto*] hoc docere nos debet vocem hanc propriè & secundùm litteram pertinere ad Io. ipse enim morabatur in deserto, vt dicat Vates, venturum magnum Prophetam, & illum non in Vrbe, sed in deserto habitaturum, & in eodem Euangelium prædicaturum; quare non mihi bene facere videntur, qui Τὸ *in deſerto*, ad sequentia referunt: præsertim cùm Septuaginta, & Euangelistæ ad superiora referant. *Parare* autem *viam Domini*, idem est, ac pœnitentiam agere; hominum A enim animi inculti cùm essent, pœnitentia colendi erant, mansuetudine emolliendi, humilitate explanandi, fide dirigendi, spe erigendi, atque æquandi, vt omnis mons, collis, vallis, asperitas, prauitasque tollatur, id est, vitiorum inæqualitas, vt ita per eos transiens Christus secum illos in cœlum rapiat. Vide v. 9. vbi ista nempè eruit praua indirecta, & aspera, &c. secundùm Chrysost. aliter de præceptis veteris legis exponuntur.

4. *Anno autem decimoquinto*] Natus est Christus anno quadragesimo secundo Augusti Imper. is autem quinquaginta sex annis Imperium rexit, ex Euseb. in Chron. & alijs, vixit ergò Christus Dominus noster cum Augusto annos quatuordecim: Successit Augusto Tiberius; Anno ergò Tiberij 15. Christus iam 29. annum agebat, quando etiam ad Baptismum venit, ingressus 30. annum per dies 13. de quibus vide c. seq. Non meminit verò Lucas Herodis, quod in conceptu Ioannis fecerat: quia nullus filiorum Herodis in Iudæa imperitabat. Redacta enim erat in Prouinciam, ac sub Imperatore Romano. meritò hîc ergo Tiberij facta mentio est à Luca, & ob hanc causam vnius inter gentes imperantis meminit, sed plurium Gubernatorum apud Iudæos, vt indicaretur tempus aduentus Messiæ: quod ex triplici præsertim vaticinio colligi posse declarat Toletus adnot. prima in cap. 3. Luc. videl. ex Genes. 49. *non auferetur*, &c. Daniel. 2. vbi ponitur aduentus Messiæ, in quarta Monarchia Romanorum. Denique Danielis 9. ex septuaginta hebdomadibus, quæ conficiunt annos 490. quæ omnia declarant decimoquinto Tiberij anno oportuisse Messiam iam aduentasse, & mundo se manifestasse. Hæc igitur vaticinia veluti in mentem nobis voluit reuocare Lucas, vt cognosceremus tempus fuisse illud, quãdo non modò ablatum erat de Iuda sceptrum, verùm etiam Romanorum Imperatores Iudæis dominabantur, & quo cœperant compleri Danielis hebdomadæ 15. Tiberij anno, dissecto iam Iudæorum Regno, & in Romanorum potestatem redacto. D. Greg. hom. 12. in Euangelia scribit; ideò meminisse Lucam vnius imperantis inter gentes, & multorum Gubernatorum apud Iudæos, quia gentes erant colligendæ, & Iudæa dispergenda; & addit, insinuasse Lucam Christũ simul Regem & Sacerdotem esse; meminit enim etiam sacerdotum. Origenes hom. 21. docet meminisse Lucam principatus gentium & Iudæorum, quia Christus in salutem vtriusque populi venerat, sed legitimus sensus litteræ est, quem priori loco attulimus.

8. *Christus quo modo natus.*

9.

Procurante Pontio Pilato] Græcè ἡγεμονεύοντος, id est, præsidem agente Pontio Pilato; nec regem nominat Iudææ, quia abolitum erat Regnum; nec Archelaum, quia relegatus Viennam Galliæ erat. Iudæa ergò adiuncta erat Syriæ prouinciæ, & qui ei præsidebant subditi erant Præsidi Syriæ: & ita vnus propriè erat Syriæ & Iudææ præses. Vel dic: vnum quidem fuisse præsidem Syriæ, quia Iudææ potius erat procurator, quàm præses, siue esset illi subditus, siue non, vt interpres explicare videtur, dum, *procurante* vertit. Porrò cœpit Pilatus esse procurator anno duodecimo Tiberij, & peruenit vsque ad mortem eius per decem annos, nam Viginti duobus regnauit Tiberius. Itaque annus decimus quintus Tiberij, erat tertius Pilati, cùm cœpit Ioannes prædicare. Cecidit autem Christi mors in annum septimum Pilati. Tiberij verò decimum nonum, cùm CHRISTVS Dominus à baptismo anno quarto mortuus sit. Vide de procuratoribus Iudææ Theor. 3.

10.

Tetrarcha autem] Nouem Herodes vxores habuit,

11.

Herodes quot vxores & proles habuerit.

buit; ex duabus altera, consobrina, altera fratris filia, nullos suscepit filios; ex alijs verò nouem procreauit, Alexandrum, Aristobulum, Antipatrum, Herodem, Antipam, qui & ipse postea *Herodis* cognomen accepit, Archelaum, Herodem alterum, Philippum, Phasellum. filias tres, Roxanem, Salomen, & Olympiadem. Iosephus libro decimoseptimo antiquitat. cap. primo, & lib. 18. 12. cap. 7. l. 1. de bell. Iud. cap. 18. huius eiusdem Herodis magni nepos fuit, Herodes ille Agrippa ex filio Aristobulo, qui Iudææ Regnum à Romanis adeptus, Iacobum interfecit, & Petrum coniecit in carcerem, Actor. 12. licèt Iansen. neget hunc fuisse Regem Iudææ, contra ac scribit Iosephus lib. 18. Antiquit. cap. 4. & vltimo. Is consumptus fuit vermibus, Actor. 12. Huius filius fuit Agrippa iunior, quam Claudius Chalcidis Regem creauit, Iosephus lib. 20. Antiqu. cap. 3. cuius mentio fit Actor. 25. & 26. Ex filijs Herodes magnus duos primos strangulauerat, lib. 17. Antiqu. cap. 7. & lib. 1. de bello Iud. cap. 17. Tertium Antipatrum quinque ante mortem suam diebus occidit lib. 17. Antiqu. cap. 9. alijs mortuis, tres patri Herodi superstites fuerunt, Archelaus, Antipas, & Philippus. Duo autem testamenta Herodes fecerat; priore Antipam Regni hæredem scripserat, posteriore mutata subitò voluntate, Archelaum natu maiorem Iudææ Regem, Antipam verò Tetrarcham Galilææ & Perææ Toparchiæ (quæ est Regio trans Iordanem magis versus Meridiem, quàm Trachonitis, & pertingit à Pella ad Machærunta, & à Phyladelphia, seu Rabath Ammonitarum ad Iordanem secundùm longitudinem & latitudinem, Tribum Gad complectens, quam Vilhelmus Tyrius semper Transamnanam vocat, vt ait Adrichomius) Philippum verò item Tetrarcham Trachonitidis, Gaulonitidis, Bathaneæ, & Paneadis Regionis, in qua Dan, nunc Cæsarea Philippi, 13. reliquit. Idem Iosephus lib. 17. cap. 13. dicit traditam Philippo Trachonitidem vnà cum Auronitide, & parte quadam, quæ fuerat Zenodori olim tradita ab Augusto Herodi, vt idem ait lib. 15. cap. 14. 13. Quas inquit Baron. anno 31. Sanctus Lucas, & post eum Dio. lib. 49. Hist. Roman. Ithuræam vocat. Nam pars illa Zenodori videtur fuisse saltem iuncta Auranitidi. Est autem Auran, vel Hauran vrbs in confinijs Damasci supra Ior fontem Iordanis, id est, magis ad Orientem, quàm Ior, à qua dicta est Regio Auronitis, & incolæ Auronitæ; est autem contermina Trachonitidis; hanc ergò, simul fortè cum Paneade & parte Zenodori videtur Diuus Lucas Ithuræam vocare; Gaulonitidem verò & Bataneam comprehendere videtur sub Trachonitide. Est autem Batanea intra, vel iuxta Trachonitidem, & Gaulonitidem ad Orientem, orientalior Trachonitide, maiori saltem ex parte, vt & Gaulonitis. Cæterùm condidit Herodes hoc testamentum ea conditione, vt nec Archelaus *Regis* nomen assumeret, nec quicquam quod testamento mandasset, nisi approbante Cæsare, ratum esset, Iosephus lib 17. Antiqu. cap. 10. Hic Lucas Archelai non meminit, quia iam ab Augusto amotus fuerat: cui tamen prius concesserat, non quidem Regis, sed Aethnarchæ nomen, fecit enim eum Aethnarcham Iudææ, Idumææ, & Samariæ. Tantum ergò Philippi, & Antipæ fit mentio. Porrò vt hic Lucas ait, *anno decimoquinto*, ita Matth. cap. 3. 1. habet: *in diebus illis*. Videtur autem intelligere tempus, quo CHRISTVS erat Nazareth. De hoc enim loquutus fuerat sub finem cap. 2. quod tempus Luc. expressit magis, vt hic habes v. 4.

16. *Philippo autē fratre eius Tetrarcha*] Cùm Regnū in quatuor partes diuidebatur, & vnicuiq; Princeps vnus præficiebatur, partes Tetrarchiæ, & Principes Tetrarchæ dicebantur: proinde videri potest, inquit Iansen. cap. decimotertio, Syriæ administrationem Græcis quadripartitam fuisse, atque in Tetrarchias ipsas Regiones suis limitibus determinatas, præsides verò earum *Tetrarchas* appellatos fuisse. Postea factum, vt & si plures, vel pauciores essent partes, eodem tamen nomine *Tetrarchæ* dicerentur. Potest id colligi ex Plinio libro quinto, cap. decimooctauo, & vigesimo primo.

17. *Ithuræa, & Trachonitidis*] Ithuræa erat in sorte tribus Nephthalim ad Libani montis radices. Trachonitis verò dicitur fuisse vltra Iordanem in sorte dimidiæ tribus Manassis propè Libanum & Damascum. Hanc attingebat terra Vr, in qua Iob. Aliqui volunt Ithuræam partem fuisse Trachonitidis quasi initium eius ad Antilibanum, qui est magis ad Occidentem, & minus ad Septentrionem, quàm Libanus distans per miliarium à Sidone, & hoc videtur significare Lucas, dum primò ponit Ithuræam, q. initium Trachonitidis.

18. *Lysania Abilinæ*] Videtur hîc Lysanias alterius cuiusdam Lysaniæ, qui filius fuit Ptolemæi cognomento Mennæi Dynastæ Chalcidis, filius fuisse.

Abilinæ] Abila vrbs Syriæ in Chalcide, vnde Regio tota *Abilina* dicta est. Genebrar. ex Iosepho eumdem ait esse Principatum Chalcidis & Abylinæ. Sed ex Ioseph. lib. 20. Anquitat. cap. 5. videtur Regio Abilina distingui à Regno Chalcidis, nam ait Agrippæ ablatum Regnum Chalcidis, quod quadriennio possederat, & datum fuisse illi Abilinam cum alijs Regionibus. Videtur certè Regnum Chalcidis propriè esse magis ad Occitem. Abilina verò Regio magis ad Orientem vltra, citraque Abilam vrbem, quare ob vicinitatem potuit idem interdum principatus censeri, interdum verò seorsim numerabatur. Ptolemæo Abilina dicta videtur Lysanium. Meminit porrò Lucas huius Tetrarchiæ, quia Chalcis contermina erat Iudææ, intra eam regionem comprehensa, quam Deus promiserat Abrahamo, sita in monte Libano, vt Ioseph. ait, aut illi certè adiacens, fortè etiam bona ex parte à Iudæis tunc habitata. Est autem Chalcis vel Abilina magis ad Septentrionem sita, quàm Paneas, quæ vrbs dicta est Dan, & prius Lais, & postea Cæsarea Philippi, vnius diei itinere distans à Sidone; ab hac nominata est regio Paneas, data etiam Philippo à patre Herode.

19. 5. *Sub Principibus*] Ex his difficilis ad soluendum oritur quæstio: quomodo scilicet duo fuerint Pontifices eodem tempore, sed cæteris breuitatis causa omissis, Respondeo; si verum est, vt ex Iosepho quidam colligunt libro decimo octauo antiquitatum cap. 4. Caipham gessisse Pontificatum per totum Pilati tempus, vt habet Baron. 31. anno, verosimile est obtinuisse Caipham per largitiones, vt in eum conferretur Pontificatus hac lege, vt posset eum communicare si vellet cum Anna. Potuit ergò tempore prædicationis Ioannis cedente Caipha Anna fuisse Pontifex, & elapso circiter anno potuit iterum ad se Pontificatum transferre. Sicut tempore eius historiæ, quam narrat hic, Act. 4. 8. rursum labentibus aliquot annis fuit Anna Pontifex, & ideò non mirū, quod ibi primo loco mētio fiat Annæ, videlicet, tamquam summi Pontificis, & ob id meritò dicatur *Princeps Sacerdotum*. Neque enim mihi persuadere possum verum esse, quod scribit Baron. non fuisse Annam summum Pontificem, sed Principem tantum Sacerdotum, id est, caput Synedrij, ad quem

Ithuræa & Trachonitis vbi sita.

An fuerint duo summi Pontifices eodem tempore.

21. *Baronij opinio reijcitur.*

per ti-

pertinuerit primo loco ſedere in Concilio antè Summum etiam Pontificem, & ad eum etiam ſpectaſſe cauſas ad Religiones pertinentes in conſultationem vocare eiſque præſidere. certè locus primus & titulus Principis Sacerdotum ſignificat illum primum, hoc eſt, Summum Sacerdotem fuiſſe, præſertim cùm Caiphas ſine titulo, & ſecundo loco nominetur ibi à D. Luc. quod verò adfert Baronius de cauſis Religionis, reijcitur, nam Chriſti cauſa de lege, & de Deo erat: & tamen per Summum Pontificem iudicata fuit, cuius perquàm honorificè fit mentio, & non alterius, qui non fuerit Summus Pontifex. Quia ergò hoc tempore de quo hic Luc. Caiphas Pontificatum communicarat cum Anna, vel etiam ſi mauis in illū tranſtulerat; Ideò Annæ fit hîc mentio. Verùm quoniam hac largitione obtinuerat Caiphas, vt ſibi daretur Pontificatus & ea communicatio ab arbitrio Caiphæ pendebat; propterea etiam ipſe cum Anna nominatur, nam cenſebatur toto illo tempore, vt Pontifex: vt proindè rectè ſcripſerit Ioſephus per totum Pilati tempus Caipham Pontificem datum: Id verò quod de largitionibus diximus, probatione non eget, cum multi referant id temporis Pontificatum venalem fuiſſe.

22. Cui verò hæc ſolutio non placet, affimare poterit non eſſe neceſsè dicere toto Pilati tempore Caipham Pontificem eſſe datum; ſed ſatis eſſe, vt ferè ſemper initio præſertim procurationis Pilati, & ſub finem eiuſdem Pontificatum geſſerit, & ferè intermedio tempore, propterea-que dixiſſe Ioſephum toto Pilati tempore Pontificem datum: Lucā verò meminiſſe non tantū eius Pontificis, qui initio prædicationis Ioannis erat Pontifex; verùm etiam omnium Pontificum, qui tempore prædicationis eius fuerunt. fuerunt autem primū Anna, deinde Caiphas. lege Euſeb. lib. 1. hiſtor. c. 10. quamuis quædam ibi addat, quæ acciderunt tempore Grati, cuius tempore nondum Ioannes, non modò Chriſtus prædicare cœperat, vt patet ex Ioſepho li. 18. antiq. c. 4. vnde ille id deducit, vt obſeruauit Barradius tom. 2. lib 1. cap. 1.

23. in hæc verba. Emmanuelis verò visū quod à Pilato largitionibus obtinuerant, vt Pontifices fierent viciſſim Caiphas ſc. & Anna alternis videlicet annis; quod eſt Aug. tract. 113. in Ioan. vel quod Caiphas adiutor erat Annæ, aut Anna Caiphæ, Quod dictū poſterius nō opinor eſſe verū, cùm Lucas Pontifices, vel principes ſacerdotum ſimpliciter eos nominet, quod verò primo loco dicit non eſt improbabile. Certè Ioannes cap. 11. 49. 51. & 18. 13. id ſignificare videtur, cùm vocat Caipham Pontificem anni illius, quaſi alternis annis Caiphas & Anna Pontifices eſſe ſolerent; Itaque toto tempore prædicationis Ioannis, potuit vterque eſſe Pontifex. Quod etiam accidere potuit ſi ſentiamus cum Auguſtino tract. 49. & 113. in Ioannem; ad tempus tunc pro arbitrio Romanorum duraſſe Pontificatū, quo ſignificabatur, auferendum ſacerdotium illud aduenientе alio Summo Chriſti ſacerdotio

24. æternum duraturo: hæc ſunt probabiliora, quàm ſi dicamus cum Auguſt. eodem tract. 49. ſimul fortè duos & plures vno eodēq; anno fuiſſe Pontifices: nā nullo firmo teſtimonio, videtur ea opinio fundari.

25. *Factum eſt*] Hebraiſmus quaſi dicat, iuſſus eſt à Deo cùm eſſet in deſerto prædicare. *Verbum* pro præcepto ponitur. *Super*] pro, *Ad* vt Exod. 9. 22. *extende manum tuam in cœlum*, Hebr. *Ghal*, id eſt, *ſuper* pro *ad cœlum*, 1. Reg. 1. 10. *cùm eſſet amaro animo orauit Ghal.* id eſt, ſuper, pro, *Ad Dominum* Pſal. 17. 42. *clamauerunt ad Dominum*, Ad Dominum Hebr. *Ghal.* Oſe. 12. 10. *& locutus ſum ſuper prophetas*, pro, *Ad*, & alibi ſæpè, ita hîc videtur ſumpſiſſe Luc. *ſuper*, pro, *ad Ioannem*, dùm verò ſubdit Luc. *in deſerto*] docet ibi factum eſſe ad Ioannem Verbum Domini. Hinc notat Barrad. c. 7. l. 1. quid ad mores pertinens: vbinam inquit, factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannē? Numquid in Aula Herdis? Numquid in foro? numquid in frequentia hominum? *factum*, inquit Lucas, *eſt Verbum Domini ſuper Ioannem in deſerto*. Vt. n. ſuauiſſimè Cytharæ concentū audias populi perſtrepentis tumultum fugias neceſſe eſt; ita vt ſuauiſſimam Dei vocem animo cōplectaris, & mente percipias negotiorum hominumque tumultus à te longè abijcias opus eſt. Philo lib. de ſomnijs, *Cœlum*, inquit, *perpetuo concentu ſuorum motuum reddit harmoniam ſuauiſſimam, quæ ſi poſſet ad noſtras aures peruenire, in nobis excitaret impotentes amores & inſanum deſiderium; quo ſtimulati rerum ad victum neceſſariarum obliuiſceremur.* Minimè quidem id verum eſt de proprio cōcentu; veriſſimum autē de illo cuius meminit Vates Pſal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*, &c. hunc tu concentum hauries ſi cum Ioanne in deſerto deliteſcas, & cum Deo tuo ibi verſeris *Ducam eam in ſolitudinē dixit Deus* Oſe. 2. *& loquar ad cor eius*; Exod. 3. *cùm minaſſet gregem Moſes ad interiora deſerti apparuit ei Dominus*; defer igitur gregem, id eſt cogitationes ad interiora deſerti, & ibi quoq; tibi Dominꝰ præſens aderit; ibi ad cor tuū loquetur. ibi tamquā in deſerto Sinai legem in tabulis cordis tui inſcribet. ibi cum propheta Pſal. 84. *audies quid loquatur in te Dominus.*

6. *Et venit*] Ingreſſus iam fuerat Ioan. ætatis annū 30. antè quod tēpus nemini ſacerdotis, Doctoris, vel Prophetæ officio fungi licebat, vt Hebræi tradunt & ex 1. Paralip. poteſt non obſcurè colligi c. 23. 3. & ob id Chriſtus Dominus hoc tempus expectauit. *In omnem Regionem*] græci hic addunt, *εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου*, id eſt, *in omnem Regionem finitimam* ſeu circumiacentē Iordani. *Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionē peccatorum*] prædicaſſet baptiſmum *pœnitentiæ* dixit, non *gratiæ*, quia Ioannis baptiſmus erat aquæ, & gratiam ex ſe non conferebat, ſed ad pœnitentiam tantùm Iudæos inducebat, ad quam Ioannes hortabatur; vt videlicet idonei eſſent ad accipiendam remiſſionē peccatorum per pœnitentiam. Deindè erat baptiſmus Ioannis ſignum ſubiectionis, & humilitatis, quo homines ſe peccatores profitebantur ac pœnitētes & indigere interna ablutione & remiſſione. Item ea ablutio externa, Chriſti etiam baptiſmum ſignificabat ſecundario, per quem danda verè erat remiſſio peccati. Quare rectè Damaſcenus l. 4. c. 10. Baptiſmum Ioannis *rudimētarium* vocat. Et Iuſtinus quæſt. 39. *præludiū ſeu proœmium gratiæ Euangelicæ.*

Hinc ergò patet ob tria dici pœnitentiæ, baptiſmum Ioannis, tùm quod ad pœnitentiam induceret, tùm quod qui eo vtebātur ſe peccatores eo geſtu, & humilitate profiterentur, tùm deniq; quod ſecundario Chriſti baptiſmum ſignificaret ratione externæ ablutionis. Cæterùm per baptiſmum Chriſti effectus pœnitentiæ nimirum peccatorum remiſſio, propria baptiſmi ipſius vi dabatur. *In remiſſionem peccatorum*] hæc iunge cum verbo *pœnitentiæ*, non cum baptiſmo, neq; enim is ex ſe remittebat peccata, ſed pœnitentia, non tamen ſine fide Chriſti intercedente, quam prædicabat Ioannes, dicens, in eum vt crederent, qui pòſt ipſum venturus eſſet, & ita venturi fidem prædicabat; vbi verò Chriſtus oſtendit ſe mundo, tunc fidem eius prædicabat Ioan. vt iam præſentis, primus modus prædicandæ fidei habetur Act. 13 *prædicante Ioan. ante faciem*, &c. & 19. *Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: in eum qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent*, &c. quod verò ait, *poſt ipſum*, propinquitatem Aduentus Chriſti oſtendit.

26. 27. *Concentus cœlorum quàm ſuauis iuxta Philonem.* 28. *Ioannes initio prædicationis ſuæ triginta annorum erat.* 29. 30.

Digitized by Google

hoc etiam est idem cum eo quod Matth. 3. habetur, *Pœnitẽtiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum*, hoc enim posterius fidem Christi proximè significat. posterior modus habetur Ioan. 1. *Ecce agnus Dei*, &c. *hic est de quo dixi*. &c.

31. 7. *Pœnitentiam agite*] hæc, quæ sequitur secũdùm Euangelistas fuit oratio & concio qua vsus Ioann. est, & qua continebantur ea, quæ habet Isa. *parate viam Domini*, neque enim significat Isa. ijs vsurum verbis omninò Ioan. Addit Isa. insolitum. sed Euangelistę sequuti 70. omiserunt, sic Chrysost. hom. 10. in Matt. 3. *Regnum cœlorum*] Est gratia, fides, renouatio spiritus; quod Regnum Luc. 17. 21. dicitur esse intra nos; vel etiam est Regnum ipsum cęleste; vel potius hęc omnia. appropinquasse ergò dicitur Regnum cęlorum. i. tempus horum omnium per aduentum, videlicet Messiæ, quo ad hæc omnia aperta est hominibus ianua quæ prius clausa erat, *quia* ergo, *appropinquauit regnum cœlorum, pœnitentiam* inquit *agite*. Quod D. Paulus monuit ad Rom. 13. *nox præcessit, dies autem appropinquauit, abijciamus ergò opera tenebrarum & induamur arma lucis*. Et aduerte ꝙ per mortẽ Christi mox aperienda cœli porta erat, vt proindè rectè dici posſit etiam regnum ipsum cęleste appropinquasse. idem verò quod dicitur hic, est cũ eo, *videbit omnis*, &c. hocenim est appropinquasse Regnum Dei.

32. 8. *Hic est enim.*] hæc non sunt verba Ioannis, vt putauit Euthym. sed Euangelistę Matthęi volentis Isaiæ prophetiam de Ioanne interpretari, vt constat ex Marc. 1. 1. & Luc. 3. 4. ex Ioannis. 1. 23. vbi Ioannes testatur suam esse vocem hãc, quam Isaias exaudiendam vaticinatus fuerat, moxque ad futurum dixerat Messiam. Buisonius in harmonia ad c. 13. inquit: ter posuimus in textu harmoniæ, prophetiã Isaiæ, quia Marcus eam referre videtur ad designandum initium Euangelij, seu prędicationis Christi; Lucas ad prędicationẽ Ioannis; Matthęus, ad ipsummet Ioannem videtur referre. Interim tamen omnes accommodare voluerunt verba hæc ad Ioannem quilibet iuxta suam mentem. Nos verò quia id quod habet Lucas facilè habetur ex testimonio ipso citato à Matthæo & Marco, bis tantùm posuimus in lib. hoc. 2. de rebus Euangelicis c. 1. ea verba Isa. vox clamantis, &c. cuiusmodi enim futura esset prædicatio Ioannis satis ex his Isaiæ verbis habetur.

Per Isaiam.] Lucas habet: *sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ prophetæ*. i. quos Deus reuelauit cum eo loquens. Vel quos Isa. habuit ad Reges &c. ea proferens quæ secum Deus loquens manifestauerat per visionem. *parate viam*] hæ duæ sententiæ *parare viam Domini*, & *rectas facere*, &c. Ita se habent, vt posterior explicatio sit prioris q. d. sic parabitis viam Domini, si rectas feceritis semitas eius. est autem metaphora sumpta ab ijs, qui parãt viam, & callem dirigunt principi aduentanti, vel qui proximè venturus est. parare ergo viam & rectas facere monebat semitas, pœnitentia, *pœnitentiam agite*, mandatorum obseruatione, *facite fructus dignos pœnitentiæ*. denique fide in Christum, *post me veniet, ipse est, qui baptizabit in Spiritu sancto*, &, *ecce agnus Dei; hic est de quo dixi, pòst me venit vir*, &c. ergo hæ sunt semitæ rectæ pœnitentia, opera bona, vel mandata, & fides Christi. Quia ergò hæ duæ sententiæ idem sunt; Ioan. Euangelista c. 1. illas coniunxit, dicens, *ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini*, ex prima sumpsit *viã*, ex secunda *dirigite*, id est, rectas facite.

34. 9. *Implebitur.*] pro imperatiuis more Hebræo futura posita sunt, impleatur, humilietur. *Erunt prava*] græcè est τὰ σκολιὰ, quod propriè significat obliquum, tortuosum, & in æquale. *Et aspera in vias planas*] græcè λείας, id est, læues vt opponatur

A asperis; nã quod interpres per neutrum, quia græcè deerat substantiuum ὁδοὶ, id est, *viæ*, græci habẽt ἀτραχεῖαι, & λεῖας in fœmineo genere. hoc est, vt inquit Chrysostomus hom. 10. in Matth. tom. 2. tortuosa & lacinios a legis præcepta, quæ implere nemo aut penè nemo poterat, in facilia ac plana Euangelij mandata conuertentur, secundùm hanc Chrysost. (quæ videtur verior) opinionem, erunt, futuro tempore accipiendum erit; si verò sequaris expositionem, quam v. 3. n. 7. significauimus in Scholijs ita *erunt* pro imperatiuo sumes, vt, & *implebitur & humiliabitur*.

ἀτραχεῖαι asperæ nimirũ vias, εἰς ὁδοὺς, λείας in vias planas læues.

10. *Videbit*] scilicet etiam oculis carnis. *Omnis caro*] quicumque hominum volet. Carnem enim, vel animam pro toto homine Hebręi vsurpant. *Salutare Dei*] scilicet Christum Dei Patris, qui Filium misit Saluatorem. Vide v. 3 n. 7. vbi quædam exponuntur, quæ hoc v. 9. continentur; sunt qui exponant *videre* pro *gustare*, experiri, percipere, quasi dicat, omnes homines modo velint, Dei salutem gustabunt & experientur, eiusque participes fient, alij verò sic: omnes homines cõspecturi sunt quomodo Deus populum suum à Diaboli tyrannide liberaturus est; quod est dicere cum Dauid Psa. 73. 12. Christum *operaturũ esse salutem in medio terræ*, id est toto inspectante orbe, & Psal. 97. 3. *viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri*. Gregor. hom. 20. in Euang. cum Beda affirmat; omnem hominem carnalibus oculis Christum esse visurum in die saltem Iudicij, id est, Deum in assumpta humanitate.

B

35.

Nota, vbi nos habemus, *videbit omnis caro salutare Dei*, Hebraicè haberi: *reuelabitur gloria Dei, & videbit omnis caro, quod os Domini loquutum est*. 70. verò loco eius: *quod os Domini*, verterunt paraphrasticè *salutare Dei*, id est, Christũ ore Dei promissum & per eum salutem dandam. Prætermisit autẽ Euangelista: *reuelabitur gloria Dei*, quod eamdem contineant sententiam hæc cum illis, *videbit omnis caro salutare Dei*. Nam in Christo, & in salute danda per eum, gloria Dei manifestata est. Io. 1. *vidimus gloriam eius, gloriã quasi vnigeniti à Patre*.

36.

C

11. *Ipse autem Ioannes*] totus Ioannes erat pœnitentiæ exemplar, nihilque erat in homine quod ad pœnitentiam non incitaret. Habitatio, desertum erat; vestitus, cilitium: neque enim mollibus vestiebatur, sed vestimento ex pilis Camelorum contexto; Zona verò, qua olim gentes illæ pretiosa vtebantur, pellicea præcingebat vestimenta circa lumbos suos. nisi fortè dicamus inhæsisse carni ad eam affligendam, quod innuit. Hieronym. epist. 8. ad Demetr. lege Abul. Matth. 3. sed cum cilitium satis per se carnem domaret, vero similius est suprà cilitium adhibitã; Qua in re Eliam referebat, qui vile quoddam cingulum suprà vestem gestabat; Alioqui quomodo illud videre potuissent, qui 4. Reg. 1. nuntiarunt Eliam à se visum Zona pellicea pręcinctum renibus. Hinc patet hęreticorum stultitia, & stoliditas, qui Ioannem asserunt habitasse in domo paterna; quæ, quoniam in montanis erat, desertum dicatur. O insulsos & ridiculos planè homines, & vt se omninò fatuos ostẽdant, addunt vndulatam etiam vestem induisse, hoc est, tantùm non oloſericam. *Locustæ*] Locustis animalibus victitasse Parthos & in delicijs illis fuisse, testatur Plinius lib. 11. c. 29. Porrò Leuit. 11. inter mundos cibos quædam numerantur genera locustarum. Theoph. putat locustas dici herbæ, aut fruticis agrestis genus. Aliqui putant summitates fuisse teneras herbarum, seu frondium, sic Isidor. Peluſiota l. 1. epist. 132. ad Timo. & epist. 5. ad Nilum, quod fortè non differt ab eo, quod Theoph. habet. si animalia intelligas, fuere, ea insecti genus, humiliter & saltando volitans. Apud Orientales, & Libyæ

37. *Ioannes pœnitentiæ exemplar.*

Hæreticorũ stoliditas.

38. *Locustæ & quibus quibusdam cibus erant.*

popu-

los D.Hieron. loc. cit. testatur vilissimo qui- sed esui tamen fuisse, & Plin. l. 6. c. 30. refert, in quamdam Aetiopū locustis tantùm viuere & sale in annua alimenta duratis. græci vo- ἀκρίδας, quod indifferens est ad locustas, vel um cauliculos. Barrius lib. 3. dec. 2. c. 4. refert ullos Lusitanos expertos qualis hæc esca sit, seruisse locustarū carnem gambarorum carni ore similem, saporisq; iucundi esse. illud mihi tur certum, Ioannem his nec paratis, nec con- vsum fuisse, sed summum ad solem maceratis ier. 2. aduer. Ioui. & Ionæ c. 4. Hil. in Matth. D. Thom. Theophyl. Marc. 1. & alij, sentiunt stas, quibus Ioannes vescebatur nō fuisse her- bas, sed animalia satis nota, quod videtur indicare lex Leuit. 11. vbi tamquam de vsitatis, vel notis fit de eis mentio, & ita opinor etiam ego animalia fuisse, non herbas.

39. *Mel sylueſtre quale.*

Mel] Suidas habet rorem fuisse, non credo: puto enim mel agrestium apum potius esse in campis; sapit autem naturam florum vnde est. Quare nec semper, nec omninò amarum est, & repositum in petris reperitur.

40. *Ioannis origo.*

12. *Omnis Regio circà Iordanem*] Iordanis oritur ad radices montis Libani è duobus fontibus Ior & Dan, ex Hieronymo in qq Hebraic. in Genes. & Matthæo decimosexto. Est autem ad Orientem ipsi Galilææ quæ Septentrionem spectat, & Iudææ, quæ ad Austrū vergit & Samariæ, quæ inter vtram que iacet. A Septentrione fluit in Austrum: oritur enim propè Cæsaream Philippi, quæ etiam *Paneas* vocatur, vel Dan, estque terminus terræ sanctæ ab Aquilone, cui respondet ad Austrum Bersabeæ. Iosephus libro tertio, de Bello, cap. decimooctauo, & decimoquinto antiquit. capite decimotertio, docet Iordanis aquas ex Phiala originem ducere, qua de re vide Theoriam vbi etiam quodnam fuerit desertum Ioannis, & quæ Iordanis Regio explicabitur. An verò credendum sit Regionem trans Iordanem, de qua Ioann. decimo, quadragesimo, eamdem esse cum Regione Iordanis, vel circa Iordanem, & an sita fuerit trans Iordanem respectu Aegypti (quod verò similius docti quidam censent) An vero respectu Iudææ, consideret lector, nobis nihil certi affirmari posse videtur.

41.

42.

13. *Et Baptizabantur*] non videtur Ioannis baptismus fuisse in præcepto, sed consilio, sic Barrad. libro primo, capite quarto, videturque imposuisse in pœnam opera aliqua satisfactoria, vt indicat Diuus Thomas in caput vndecimum, ad Rom. lec. 4. & 4. distinctione secunda q. secunda, artic. secundo, non tamen tenebantur ex præcepto ad illa opera exequenda.

43. *Confiteri peccata quid sit.*

Confitentes peccata sua] Perperam hic agit, qui hoc interpretatur, profitebantur se peccatores esse: quorsum enim illud opus erat, vt confiterentur se peccatores, cùm nemo nesciat peccatores esse omnes homines. Aliud est enim confiteri se peccatorem esse, aliud peccata confiteri. Nam quod in primitiua Ecclesia non modò se peccatores confiterentur, sed peccata ipsi sua declararent, testatur Luc. Act. decimonono. *multiq; credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos*, sic Gagnæ. Adde quod Euangelista id, quasi rem nouam & inusitatam narrat. Deniq; vt remedium aptum reciperent confiteri sigillatim oportebat peccata saltem quæ eorum magis conscientiam premebant. Est autem vero simile antè baptismum id fieri solitum, alioqui diu detineri illos intrà aquam oportuisset. An olim fuerit aliquis confessionis modus, Vide Genebrar. Psalm. trigesimoprimo, Galati. libr. 10. cap. 3. Bellar. lib. 3. de pœnit. cap. 3.

44.

45.

14. *Genimina viperarum*] Matth. ad Pharisæos & Sadducæos locutum Ioannem; Lucas ad turbas scribit; sed idem videtur. Loquebatur enim turbis in vniuersum, in quibus erant Pharisæi, & Sadducæi; sed propter hos ista dicebat, non propter reliquos ferè de turba, vt assolent concionatores, dum in omnes inuehuntur, licèt in aliquibus non in omnibus sciant esse ea, quæ reprehendunt.

Vt baptizarentur] Videtur posse colligi ex Luc. vers. septimo, non venisse ad Ioannem ad Iordanem Pharisæos, vt baptizarentur, sed contradicendi studio, & calumniandi causa; sed reuera ex Matthæo vers. septimo haberi potest venisse vt baptizarentur. Intelligendum est ergò paucos venisse ad baptismum, multos ad calumniam inferendam, & malitiosè obseruandum. *Genimina*] id est, progenies viperarum vocat, eò quod malo exemplo & erroribus ac turpi simulatione populum inficiebant tamquam virulenti, in quo similes erant parentibus, & maioribus suis. sic Clem. Alex. orat. Exhor. ad gentes. Gagnæ. verò sic scribit: quia soliti erant gloriari de prosapia, vt retundat eorum gloriationem de generis nobilitate, progeniem viperarum vocat, patribus quippè eorum nihil venenosius, aut crudelius. Aut progenies Viperarum vocat, quia vti viperæ filij, dùm matris vtero egredi volunt traditatis impatientes matrem occidunt; ita ipsi eorum patrem Christum occidere moliebantur & occiderunt tandem. Quod de filijs Viperæ hic dicitur à Gagn. affirmat Plinius libro decimo cap. 62. sed negat Alb. libro vigesimoquinto histor. de animalib. sicut est illud, quod ore concipiat, quod nec Plin. d vt habet Tol. ann. vigesimasecunda, quod videtur conformius Aristotel. libro quinto, de histor. cap. trigesimo quarto, & Apollonio, vt refert Cœlius libro sexto cap. decimotertio. & Pererio, Valeriano, libro decimoquarto, licèt Diuus Chrysostomus homiliz vndecima, & Basilius nono Hexam. Augustinus sermone primo Domin. 3. 4. communem vulgi opinionem sequuti, dicant erosso, vel dilacerato matris vtero, id est, occisa matre foras prodire. Scholiastes & Theodor. in cap. decimūseptimū Ezechiel. in ea ver. *pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa* sic scribunt: Valdè efferebantur Iudæi quod ab Abraham ducerent genus: nam & Domino dicebant: *semen Abrahæ sumus, nemini seruiuimus vnquam*: quam arrogantiam Ioannis Baptista comprimit, dicens: *genimina viperarum*, & cæt. nec velitis dicere intra vos: patrem habemus Abraham: dico, & cætera. quemadmodum igitur Ioannes ferinos homines ex venenatis feris natos dicit, sic Ezechiel adulteram ex Amorrhæis, & Cethæis, non ex Abraham, neque ex Sem, sed potius ex Canaam. Rectè quidem, nam quorum quis mores imitatur & vitæ rationem sequitur, filius dicitur. Hebræi certè patrem vocare solent, non solum qui genuit, sed etiam qui instituit, vt Genes. quinto vers. vigesimoprimo, *ipse est pater malleatorum, & Canentium Cythara*, & Christus Isai. quinto, vers. sexto dicitur *Pater futuri sæculi*, id est, nouæ vitæ spiritualis institutor. Non mirum ergò si Ezechiel ciues Hierusalem *Amorrhæos* & *Cethæos* vocat, vt Ioann. viperarum, quod earum sic dicam, mores & venenatos affectus sequantur, quasi viperas pro institutoribus habuerint. Hæc ergò potest esse altera ratio, cur viperarum genimina vocentur, hîcà Ioanne.

Viperæ partus qualis.

46.

47.

48.

49.

Cæterùm aduerte ex Chrysostomo homilia eadem Ioannem Spiritus S. inspiratione, istos quod tales fuerint nouisse. *Quis ostendit*] quasi dicat, ita vitijs vestris tenacius inhæretis, vt videamini edocti esse, posse vos fugere Dei iram in vos Certè non ita erit, nisi peccata per pœnitentiam elueri-

50.

tis. Idem dicit, quòd Dominus Matthæi vigesimo tertio. *Genimina viperarum, quomodò fugietis à Iudicio Gehennæ.* Gagn. sic: quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira, id est, cùm malè fitis instituti & more parentum Viperinorum educati, quis vos docuit ab ira Dei, & vltima declinare? & ad meliorem frugem reuerti? Illud enim *quis*, admirantis est nouitatem. *venturam* autem *iram* nouissimi iudicij, & inferni pœnam intellexit, non excidium gentis Iudæorum, &c. subdit Gagn. si vos ergò veteris vitæ pœnitet & ad meliorem frugem reuerti vultis facite fructus, qui deceant pœnitentes. Emm. etiam Matth. tertio in addit. num. trigesimo quinto, per admirationem exponit hoc modo: admirantis verba, quasi dicat, quid hoc noui est? quæ hæc mutatio? mira Dei benignitas, qui talem mentem dederit. Et per venturam iram exponit Gehennæ supplicium. alijs is est sensus: quis vos docuit sceleſtos homines ad baptismum venire? num putatis hoc modo posse iram Dei fugere? si ergò non fictè venitis pœnitentiam agite veram; neque enim satis est peccata confiteri, baptizari, &c. sed necessarij sunt fructus huius pœnitentiæ. igitur *facite fructus*, &c. id est, opera bona: necessaria est quidem fuga mali, sed addenda bonorum operum exercitatio est.

51. 15. *Dignos pœnitentiæ*] id est fructus, qui deceant pœnitentes, seu pœnitentiæ dignos, iustos, rationabiles, & vt græci habent ἀξίους rationi consentaneos. Aduerte quòd cùm alia sit arbor, alij fructus; Ideò Ioannes non tantùm ad pœnitentiam hortatus est, sed etiam ad eius fructus, qui illam consequuntur, id est, bona opera. Secundùm Gregorium dignos dicit, hoc est, proportione respondentes gratiati culpæ. si enim grauia fuere peccata, debent & opera consequentia magna esse, vt tantò maiora acquirat quis bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò grauiora sibi intulit damna per culpam. *Ne cœperitis dicere*] id est, nolite gloriari de patrum nobilitate, & sanctitate, à qua glorificatione, vt illos auerteret, rectè ab initio vocauit eos progenies viperarum; & non modò ait non gloriemini, sed neque fiducia promissionum, quas illis patribus Dominus fecit, nimis fidite, quasi non vos perueršè agentes abiecturus sit Deus. Nam & si verè futurum sit, quod Abrahæ, & semini eius promisit; nolite putare vos tantùm Iudæos in Abrahæ semine censeri; nam & de lapidibus istis suscitare potest filios Abrahæ; neque vt Paulus Romanorum nono, *omnes qui ex Israel sunt, ij Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.* Nihil genus vestrum, patrumque fidem moratur Deus, nisi simili fide, similibusque moribus illos referatis. sic Gagn. in cap. tertiũ Matth. in multitudine ergò filiorum Abrahæ, illi omninò intelliguntur, qui viuam Abrahæ fidem imitantur siue sint ex Iudæis, siue ex gentibus; sijs benedictio, quæ omnia bona complectitur, promittitur, *& benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, quod semen est Christus, vt

52. expositum Apostolus Galat. tertio. *De lapidibus*] Gentes sic vocat, quæ tunc duro, & incircumciso corde erant; vel quia lapides adorabant, ideò similes illis facti sunt. Secundùm Emm. videtur alludere ad Saræ sterilitatem, quæ Isai. quinquagesimoprimo, *petra* dicitur, sed licèt sub nomine *lapidum* tacitè, ac verè indicentur gentes, videtur tamen lapides ipsos antè se positos ostendisse. Adrichom. in descriptione tribus Beniamin. num. centesimo decimoseptimo scribit: Cùm Ioannes dixit *potens est Deus de lapidibus istis*, & cætera. Demonstrasse quasi digito in ipso Iordanis alueo

A eo loco, per quem traiecit populus Israel in terram promissionis, vbi & baptizabat Ioannes scilicet in Bethabara, quod transitum sonat, illos lapides quos posuit Iosue in medio Iordanis alueo, Iosue quarto, nono. sic docet & Remigius, & Anselmus Matth. tertio. illi ergò lapides demersi, & obruti vsque ad Ioannem Baptizantẽ superstites, gentium figura erant, quæ errorum fluctibus obrutæ, & tandem ad Christi Ecclesiam per baptismum ingressuræ, erant suscitandæ de imo rerum fluxarum alueo ad filiorum Dei gloriam, & nobilitatem. Filijs scilic. Iudæis de sede depositis, vt illud impleretur, *deposuit potentes de sede & exaltauit humiles. Istis*] energiam habet ad declarandum Dei potentiam, quæ tanta est, vt verè ex istis materialibus lapidibus possit filios seu posteritatem, id est, credentes ipsi Abrahæ suscitare. est n. datiui casus: & ob id vtitur verbo suscitandi, non gignendi, significat enim suscitari gignere aliquid,

B vnde videatur non posse gigni. Ità frater viuus 53.
mortuo fratre suscitare semen dicebatur, quod mortuum quodammodò videretur. Cæterùm nomine *lapidum*, vt dixi, gentes insinuat in locum contradicentium Iudæorum succeſſuras.

16. *Iam enim securis*] quæcumque sunt hîc verba, translata sunt, securis, radix, arbor, excindi, 54.
in ignem mitti. Securis est Christus; seu eius sententia & iudicium. radix, Abraham. arbor geniti ex eo secundùm carnem. excindi est declarare per reprobationem, non esse filios Abrahæ: quod clarius pòst Christi aduentum est factum; præsertim veluti præcisis per Romanos Iudæis, incredulis reprobatis iusto Dei iudicio, & à radice Abrahæ separatis, ne filij sint Abrahæ. Quoniam ergò hæc præcisio, & Christi prædicatio & mors propè erant; Ideò dicit Ioannes, securim ad radicem esse positam, non vt radix excindatur, sed arbor ipsa à radice. gentes verò excindi non dicuntur: quia

C numquam in radice fuerunt. græcè verò, *exciditur* & *mittitur*, habetur apud Matthæum, sed præsens pro futuro sumitur. Secundùm Gagnæum in Luc. 55.
arborem intelligit hominem; radicem eius voluntatem, quæ & operationis & fructus est principium; securis autem, Christi Euangelium per quod paratus erat confidentes genere Abrahæ, sine eius imitatione Iudæos & occidere, & perpetuæ destinari Gehennæ; iuxtà illud Pauli ad Romanos 11. *si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte, nec tibi parcat.*

17. *Quid faciemus*] quasi dicat, si non benè viuimus, si pœnitere debemus, nec aliter salui esse possumus; quid faciemus, doce nos? en fructus concionis Ioann.

18. Complectitur paucis ad misericordiæ præceptum facientia, vt videlicet, subueniant egenti. hoc enim est dicere, *non habenti*: quare meminit tunicæ vnius & non pallij, vt necessitatem clarius

D indicaret. Per duas tunicas superflua insinuat: tunc enim obligat præceptum ad dandam eleemosynam, cùm superflua habes siue naturæ in grauibus, siue statui in communibus etiam necessitatibus. vide Val. tom. tertio. disp. 3. quæst. 9. p. 4. Deniquè loquitur de vestitu & escis, quia his duobus continentur necessaria proximo. *Det non habenti*] græcè μεταδότω impartiatur, seu communicet. nempè det, è duabus vnam. Iubet contentos esse his rebus, quæ necessariè nobis sunt. De his autem quæ superant eleemosynas largiri.

19. *Venerunt autem & Publicani*] Publicani 56.
sunt qui populi Romani vectigalia conducebant; dicti à *publico*, i. populi Romani bonis, infame hominũ genus ob auaritiã, & rapinas, odiosumq; Iudæis, qui tributa iniqua censebant. sic Emm. in cap. tertiũ, Luc. num. quadragesimo septimo, Hieronymus

mus epistola ad Dam. contra Tertullianum, libro de pudi. ostendit non fuisse publicanos gentiles, sed Iudæos, Romanorum tamen ministros ad extorquendum à populo pecunias, & ideò odio, & inuidiæ patebant.

20. *Faciatis*] græcè πράσσητε, quod etiam verti poterat, *exigatis*. Iniustè scilicet & per extorsionem: sed iustum tantùm & constitutum vectigal.

57. *Concutiatis*] idem potest significare, quod ne extorqueatis pecuniam per terrorem potestatis. hoc enim significat interdum vox latina, & verbum græcum διασείσητε. solent milites vim inferre per vulnera, cædes, solent calumniari iniustè accusando alios, quasi infidiétur Principi, & infideles sint; *est. n. calumnia*, vt inquit Beda, *veluti quædam fraudulenta malitia*; vel deferre apud principem aliquos falso crimine impositos. Denique solent milites deprædari, his ergo tribus adhibet doctus medicus remedia. Augustinus vigesimo secundo, capite sexagesimo quarto, contra Faustum, 58. *si bellum*, inquit, *non liceret respondisse, arma abijcite, militiam deserite. Milites salutis publicæ defensores sunt; nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacabilis animus, libido dominandi, & similia in bellis iurè culpentur.* Chrysostomus in Matthæum, *publicanos* ait, *& milites ad maiora traduxisset Ioannes, si idonei fuissent*, vt habet Emm. in capite 3. Luc. 21.

21. *Existimante*] videtur legisse, vt notat Emm. δοκοῦντος, nunc legitur προσδοκῶντος exspectante seu sperante.

59. 22. *Fortior*] Ideò fortior, quia poterit, quod non ego per meum baptismum, tollere scilicet peccatum. Arbitror baptismum in Spiritu sancto, & igne esse eumdem Christi baptismum: quasi dicat, non solùm corpora aqua, sed etiam animos effuso Spiritu sancto purgabit. Quidam præsertim in die Pentecostes intelligunt id esse faciendum, quod colligunt ex particula, *&*, quæ videtur esse declaratiua baptismi in Spiritu sancto, vt non qualiscumque Spiritus sancti communicatio intelligatur, sed illa quę die Pentecost. facta est per ignē missō scilicet Spiritu sancto sub specie ignis. sic videtur Maldo. Sed magis placet prior expositio. licèt non desint, qui distinguant baptismum Spiritus, à baptismo ignis, & primum intelligant cōmunē; secundum tribulationis, vt in Martyribus.

Non sum dignus] græcè ἱκανὸς idoneus, sufficiens. Nota superfluere, *eius*, nisi dicamus, cuius ipsius non sum dignus soluere, &c. potius est Hebraismus; Quod verò Matthæus simpliciter dixerat, *cuius non sum dignus portare calceamenta*, expressius dixit Marcus maiorem Ioannis humilitatem exprimens his verbis, 60. *procumbens soluere corrigiam calceamentorum*. Est autem soluere corrigiam calceamentorum, illa detrahere, sicut dictum est Moysi *solue calceamenta de pedibus tuis*. Matth. sensum eumdem cum Luc. & Marco continet quasi dicat, indignus sum vilissimum illi præstare obsequium; vel dicere possumus vtrumque dixisse Ioannem, & soluere, & portare; vel certè vnum vno, alterum alio tempore, lege Augst. consen. Euangel. lib. 2. c. 12. Hilar. can. 2.

61. 23. *Ventilabrum*] est iudicium Christi, quod dicitur esse in manu Christi, quia licèt ad finem mūdi sit futurum, incipit tamen in morte cuiusque: quodcumque etiam tempus, & illud ipsum extremum Iudicij, præ æternitate satis breue est, ac proindè dici potest, propè esse. Propterea igitur dicitur ventilabrum in manu esse; cùm enim rusticus in manum accipit ventilabrum, iam est tempus separandi paleam à tritico. Gagn. *Ventilabrum Christi* exponit, verbum Euangelij, quo secernitur triticum à palea, id est veri credentes ab impijs.

Purgabit] sc. tribulatione hîc, vel postea die iudicij. græcè διακαθαριεῖ, purgabit, permundabit. *aream suam*] Ecclesiam totam, vel Iudæos.

In horreum] Regnum cœlorum. *Igni inextinguibili*] sic Esa. vltimo.

24. *Euangelizabat*] de Christo & Regno.

THEORIA I.

De Diuo Marco.

QVONIAM hîc se primùm offert occasio, vt paucis de D. Marco agamus, cuius Euangeliū hic ordimur, ideò vt de locis egimus, ita & de eo dicamus cuias fuerit, quando Euangeliū scripserit, qua occasione; qua lingua, cur Petri interpretes dicatur, An de numero 70. discipulorū fuerit, quādo obierit & quidē breuiter. Sunt qui filiū fuisse Mariæ Ierosolymitanæ, cui fit mētio Act. 12. 12. 25. sic Doroth. in Synopsi, & Theoph. Euthy. & alij, sed his refragatur Euseb. l. hist. Eccl. 7. c. 20. & meritò nam ille cuius fit mētio in Act. 12. 12. 25. & 15. 37. 39. & Colos. 4. 10. 2. Tim. 4. 11. 1. Petri 5. 13. nominatus est *Ioannes* licèt cognomento *Marcus*, at Euāgelista perpetuò *Marcus* dicitur, nunquam *Ioannes*. Deindè in illo Act. 15. 37. aliquid fuisse culpæ indicatur, quod de Euangelista non facilè credendum est. Denique Ioannes Marcus attigisse videtur 14. Neronis annum, vt notat Barrad. to. 1. l. 1. c. 19. cùm Marcus noster 8. dicatur obijsse. Ad hæc ille consobrinus Barnabę dicitur fuisse & in Martyrolo. Romano de illo fit mentio 27. Septenbris; huius nostri festum 25. Aprilis celebrat Ecclesia. Beda in prologo, tradunt, inquit, Marcum natione Israelitam & sacerdotali ortum prosapia, ac pòst passionē, & resurrectionem Domini ad prædicationem Apostolorum Euangelica fide, ac sacramentis imbutum, atque ex eorum fuisse numero, de quibus scribit Luc. Act. 6. quia multa turba sacerdotum obediebat fidei, &c. sic auctor prologi in Marc. dicit eum Leuitici generis fuisse. Papias autem apud Euseb. lib. 3. hist. c. vltimo, negat Christi fuisse discipulum. Quamuis D. Epiphanius. hær. 51. id affirmarit, immò & Origen. l. de recta in Deum fide, & Dorotheus in synopsi. Sed primum probabilibus videtur nā Petrus 1. epist. c. 5. 13. vocat eum *filium suum*, quia eum in Christo genuerat, vt ego arbitror, & quidem discipulū fuisse Petri, & Comitem in Euangelij prædicatione tradunt Iren. l. 3. cap. 1. Euseb. 2. hist. c. 14. Epiph. hær. 51. Chrys. hom. 59. in Matth. Hieron. in vita Marci, & alij passim, à Petro verò baptizatū indicat vox *filius*, apud Petrum. Et docet Petrus Dam. in serm. de Marc. Euangel.

I.

Marcus Euang. quis fuerit.

2.

Porrò quidam scribunt 15. pòst ascensionem anno Euangelium scripsisse, quod reijcit Baro. dicēs 12. annum ab ascensione illum fuisse, quo scripsit Euāgelium, nempe annum Christi 45. vide eumdem auctorem in annal. eod. Christi anno. scripsisse aūt, non in Aegypto, vt Chrys. hom. 1. in Matth. ait, sed Romæ, constat ex Athanasio in synopsi ad constantem Augustum, & ex Euseb. l. 2. hist. c. 24. Antequā. n. Roma amandaretur Alexandriam à D. Petro, rogantibus fidelibus, prout à Petro audierat Euangeliū scripsit; Quod verò Aug. de Marc. dicit. de consen. Euang. l. 1. c. 2. fuisse breuiatorē Matth. accipiendum est, nō q Euangeliū Matthæi in

3.

Quando scripserit Euāg.

Digitized by Google

compendiũ redegerit; sed quod multa à Matth. fusius enarrata, Marcus secundũ, quod à Petro acceperat, breuiori tamen narratione contracta descripserit. Alioquin nonnulla addit, & 4. quædã prolixius q̃ Matthęus enarrat. Temporis ordinem, quo res gestæ sunt maximè seruat paucis exceptis, cuiusmodi sũt, cùm pòst parabolas narrat sedationẽ maris, historiã dęmoniaci, & porcorũ, cui aduentum Iairi subijcit, vt notat Buisso. in Harmonia in Marco. Itaq; præter pauca quædã ordinẽ seruat magis quã alij. Marc⁹ obiter doctrinã inspergit, prolixior est in miraculis, & rebus gestis, vt Matth. maximè præponit & anticipat doctrinam, in qua est prolixior, at in miraculis & rebus succinctior, Lucas inter vtrumque graditur. vide Enchyri. nostrum Euangelior. initio in indice Marci.

3. Qua occasione scripserit ex dictis patet. Euseb. id docet ex Clem. & Papia lib. 2. c. 15. & Athan. in Synopsi ad finẽ; breuiter Hier. *Marcus*, inquit, *discipulus, & interpres Petri, iuxta quod Petrũ referentẽ audierat rogatus Romæ à fratribus breue scripsit Euangelium, quod cùm Petrus audisset, & probauit, & Ecclesiæ legendum sua auctoritate dedit.* Iussum à Petro scribere tradit Epipha. Hær. 51. sed potest hoc intelligi pòst preces fideliũ factum esse, iubente, hoc est exhortante Petro.

6. Quã lingua. Scripsisse eum lingua latina viri docti nostri tẽporis nõ pauci tenẽt, vt Genebrar. l. 3. Chon. & Baron. anno 45. At D. Hier. ep. 133. ad Dam. Aug. l. 1. de consen. Euang. c. 2. græcè scripsisse affirmant. Syri ex Guidone Fabritio præfa. in nouũ testam. Syriacũ, affirmant latinè scripsisse, & latinũ Euangeliũ Venetijs asseruari, eumdem postea Marcũ etiã aiũt illud in linguã Syriacam ac Galilæã transtulisse, arbitror latinè quidẽ scripsisse, quia Romæ à latinis rogatus id fecit. scripsisse tamen græcè libenter etiã mihi persuadeo, vt ad græcos Euang. ꝓpagaretur.

7. Quomodò Petri interpres. Cur *Petri interpres* nominetur à Hier. l. de viris illust. à Io. presbyt. apud Eus. l. 3. c. vlt. Tertul. l. 4. cõtra Marcio. & alijs nõ cõstat. q̃ Hier. habet ep. 150. ad Hed. q. 11. refutatur à Baron. ann. 45. & à Barfad. to. 1. l. 1. c. 19. rem doctè definit idem Baron. sic scribens; duplici tãtùm ex causa Apostolis inseruiebãt interpretes, vel cũ alicui genti loquentes puta Romanis in auditorio essent alij, qui latinũ sermonẽ ignorarẽt; tũc .n. officiũ desiderari videbatur interpretis: vel cũ captu difficilia Apostoli loquuti fuissẽt, tũc erat interpretis eadẽ explanare. His addere possumus interpretationẽ Apostolicarum epistolarum; nam licèt ad vnam, vel aliam darentur illæ Ecclesiam, opera tamen interpretum communes omnibus reddebatur. Hæc Baron.

Quod verò ex n. 70. discipulorũ non fuerit liquet ex superioribus n. 2.

8. An martyr fuerit dubitatũ est; sed martyrẽ fuisse tradit Ribad. in eius vita 25. Aprilis, quo die mortuus est ann. 8. imperij Neronis, & 64. Christi, vt vult Baro. vel 63. secundũ Honufr. Porrò de feruore Alexãdrinæ Ecclesiæ & Aegyptiorũ sub Marco præceptore piè satis agit idem Rib. citans etiã Philonẽ. Præfuit Ecclesiæ Alexandrinæ 19. annis numerando ab eo, quo Alexandriam perrexit vsque ad 8. Neronis annum; ab anno scil. 45. Christi ad 64. vel 63.

9. Illud tãquam falsum passim reijciunt, q̃ sibi pollicem præsciderit nè Episcopus fieret, licèt rogatus à Petro. Id .n. fieri non potuit nisi instinctu Spiritus S. at Spiritus S. eum per Petrũ ad Episcopatum vocabat. Hoc à Marco Anachoreta factum inquit Baron. Hæc de Marco.

THEORIA II.

In ea verba: *Vox clamantis in deserto, &c.*

PETRVS Chrysol. ser. 87. sic scribit: ita in Ioan. accendit, & præmisit Dominus sui luminis lucernã, vt degustato lumine, in se iam diuini solis iubar ipsũ perferrẽt, & ipsã Deitatis caperẽt claritatẽ: Io. 2. dictũ est de Ioan. *ille erat lucerna ardens & lucens*, vt ille densas noctis placido lumine aperiret tenebras, & nesciũ noctis diẽ desiderantibus, ad lucẽ perpetẽ redonaret. Hinc est q̃ & Magos adhuc noctis incolas, & totis obstupescẽtes oculis, tenuiter micãs stella assuefecit ad lucẽ, & gradatim pertraxit ad fontẽ luminis, & dierum. Itaq; sicut ea, quæ nuper videndi facultatẽ acceperũt, paulatim educuntur ad lucẽ, & primũ quidẽ vmbris, demũ maiori lumini assuefiunt, donec firmata oculorum acie solis ipsius radios plenius intueri possint: Ita quoq; Deus, cùm nos capaces cognitionis filij sui fecisset, paulatim in eum erexit, vt primũ eis typos, & vmbras, Patriarchas, & antiqua legis sacrificia obseruaremus: Vbi verò confirmari sensus nostros oportuit, propius ad ipsum solẽ Christũ sc. eduxit, ita tamẽ vt sub tenuiori & faciliori lumine, sub Ioanne sc. anteà probaremur. Neq; .n. qui ad Reges accedũt, statim illos obuios habẽt; sed aut comites, aut Duces: Ita licèt Christus, in quantũ Deus omnia cõpleat, & omnia nostra prospiciat, vt aliquis nostræ infirmitati præfigeretur ordo, quo ad ipsũ graderemur, præmiserat viros pietate, & vitæ sanctimonia insignes, illũ etiã quo *maior inter natos mulierũ nemo surrexit*: quorũ fuit & iter ad Christũ dirigere, & nos ita ei parare, vt tandẽ tanquam ab elemẽtis ad solidiorẽ doctrinam proueheremur. hæc ille. Hoc ipsum q̃ Chrysol. ait significãt Euang. & Esa. dùm aiunt de Ioan. *Vox clamantis in deserto Parate*, &c.

Sunt, quibus videtur mystico sensu hæc ad Io. accõmodari: volũt .n. sensu literali agere c. 40. 3. Esa. de reditu filiorũ Israel de captiuitate Babylonica, in quã præcedenti capite ducẽdos vaticinatus fuerat, & significare, Deũ eo modo, quo populũ per desertũ ex Aegypto superatis itinerũ difficultatibus induxit in Palæstinam; eodẽ ex Babylone deducturũ. q. d. est cœlo, qui pandat iter. Hunc isti litteralẽ esse sensũ cõtendunt. Mysticũ verò & à Spiritu S. intentũ hũc esse: Populus, inquiunt, sub Diaboli potestate cõstitutus, populo captiuo sub rege Babylonis cõparatur, Christus cũ Cyro, qui populũ ad libertatẽ inuitat Isa. 44. 28. & 45. 1. Ioan. cũ præconibus Cyri, qui Iudæos ad reditus inuitabãt, & omnia necessaria ad superandas difficultates promittebãt, hoc .n. est apud Is. *parare viã, rectas facere semitas*; hoc est illud, *erunt praua in directa & aspera*, &c. quo scilicet & plana & recta via Deus cum populo suo transeat. Desertũ de quo Isa. respondet deserto, in quo Ioan. Quòd ergò apud Isai. dicitur de via paarnda, hìc dicitur de Iudæorum animis (hi enim sunt via) qui cũ inculti sint iubentur pœnitentia eos colere,

& man-

& manſuetudine emollire, humilitate explanare, fide dirigere, &c. vt in Schol. dictũ eſt. n. 7. facit verò præſertim mentionẽ deſerti Iſaiæ; tum, vt alludat ad viam populi olim per deſertum, tum quia in deſerto præſertim ſolet eſſe via inuia, & difficilis, deniq; vt ſub ſenſu myſtico deſertũ Ioan. veluti tacitè indicetur.

3. Sed mihi omninò videtur ſenſu literali hęc Prophetia de captiuitate accipienda eſſe, qua homines ſub Diabolo captiui tenebãtur, & de redẽptione per Meſsiã facta. vocem verò hanc non aliã eſſe contendo, quã Ioan. Bapt. Mouet me tum vox *deſerti* expreſsè hic poſita, in quo voce hanc exaudiendã vates prænunciat, quod in deſertũ Ioannis aptè conuenit. Mouet me & ea, quæ hoc vaticinio cõprehenduntur, non omnia ad amuſim in ea captiuitate ac reductione videntur contigiſſe, vt proinde nõ ſit dubitandũ aliã inſinuari captiuitatẽ, quàm Babylonicã; licèt nõ ſine alluſione ad illã propter analogiã & ſimilitudinẽ cum ea. Poſtremò mouet me maximè quod Euãgeliſtæ ipſi, quod Ioannes, denique Chriſtus ipſe hæc Ioanni ita tribuunt, ac ſi non modò verè, non modò accõmodatè, ſed propriè etiã de illo dicta eſſent.

4. Age nunc, ſenſum hunc paucis explicemus. ſolent Prophetæ vtramq; captiuitatẽ & illam populi Hebræi ſub Nabuchodonoſor, vel Rege Babylonis, & generis humani ſub Dęmonis poteſtate, & liberationẽ ab vtrauis ita miſcere, vt ſæpè neſcias quò reſpiciant. Læta ergò illa, quæ initio c. 40. ſcribit Iſai. cùm ait: *Conſolamini conſolamini populę meus*, &c. etiam ab Hebræorũ nonnullis ad tempora Meſsiæ referũtur. Intelligunt ſiquidem beneficia ea, quæ ab Iſai. narrantur maiora eſſe, quã quæ cõueniant liberationi è captiuitate Babylonica; licet ea ſcribendi occaſio, fuerit illa captiuitas, & ab eadẽ redẽptio. Sic ergò ait Iſai. *Conſolamini conſolamini populę meus*] qui ſit iſte populus interpretatur Zacha. c. 2. ſecundũ Hierony. cùm ait: *gaude & lætare filia Sion, quia ecce veniam & habitabo in medio tui, & confugient gẽtes multæ ad Dominum in die illa, & erunt ei in populũ.* omnes ergo credituri ſiue ex gẽtibus, ſiue ex Iudæis populus eius erunt. Idem Oſe. 1. Cùm ait deinde

5. Iſai. *Loquimini ad cor Hieruſalem*] Hebraiſmus eſt. qui mœrenti loquitur, ait Hieron. & blandiens conſolatur, dicitur ei loqui ad cor. ſic Gen. 31. de Sichem, & Oſeæ 2. Eſt ergò ſenſus: proponite Hieruſalem læta omnia, & quæ illã cõſolentur: quia ego factus ſum ei propitius & conceptã iram depoſui. *Quoniam cõpleta eſt malitia eius*]. i. remiſsio peccatorum facta eſt. Statuit Deus iam miſereri veſtri, & delicta omnia auferre. Alij quia hebraicè eſt *ſeba*, legũt minus benè, *malitia* vel potius tẽpus præfixũ, quo ſcilicet erat vexanda. Satius eſt tamen per *malitiã*, afflictionẽ intelligere, vnde 70. *humilitas* vertunt. *ſuſcepit de manu Domini duplicia*] multa ſcilicet bona pro omnibus peccatis ſuis q. d. cùm nos peccatis noſtris mala mereremur, Deus pater propter Chriſtũ magna nobis bona cõtulit, ſed melius eſt, vt per *duplicia* intelligamus grauiſsima ſupplicia pro peccatis ſuis: Iam verò cõſolationis tẽpus adeſt. Deniq; ſubdit: *vox*

6. *clamantis in deſerto*] agit de præcurſore Meſsiæ q. d. vox præcurſoris clamãtis in deſerto Meſ-

A ſiã præcurret, quã vbi audieritis mox illũ affuturũ ne dubitetis. Hoc aũt loquetur vox: *parate viam Domini*, hebraicè *Iehoua*, hoc eſt, Deo Meſsiæ venienti viã ſternite; & cætera, quæ in Scholijs declarantur, n. 7. & 33. eſt aũt trãslatio deſumpta ex hominũ conſuetudine; qui veniẽti Regi viã inſtaurant, dirigunt, purgant, exæquant, & quæ impediunt procul amouent. 70. legunt, *rectas facite ſemitas eius*, quos ſequuntur Euangeliſtæ. Dum verò ait Iſa. *rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri*, per *ſolitudinem* mundum intelligit.

THEORIA III.

In v. 4. De Iudææ regibus, qui poſt hiſt. Regum Ieroſoly. regnare cęperunt, & de procuratoribus, quo nimirum tempore dati fuerũt, & quot, & quotus in ordine fuerit Pilatus.

B VT intelligas quo tempore Iudææ reges iterũ cępére, & quãdo (horũ. n. hîc Lucas c. 3. meminit, in primis) procuratio cœpit: adſcribenda erit hic tabella eorũ principum, vel regũ, qui poſt hiſtor. Machabæorũ regnarunt in Iudæa poſt primos illos veteres reges, quam Nicolaus Serar. ſub finem Machabæicæ hiſtoriæ appoſuit ad Chriſti ortum: Additis quibuſdam ex Carolo Sigonio. 1.

Synoptica continuatio hiſtoriæ Machabæorum vſq; ad Chriſti ortum.

C 1. Poſt Simonem Patrem, qui finem imponit libris Machabæorũ, Ioannes Hyrcanus & Principatum, & Pontificatum tenuit annos 31. Ioſeph. lib. 13. c. 18.

2. Ariſtobulus eius filius, qui & *Iudas* nominabatur, ex Ioſeph. l. 2. c. penul. poſteaquã matrem Salomen remouerat, ei ſucceſsit: Antigonum fratrẽ ex inſidijs interemit; primusq; regium nomen, & diadema ſumpſit; licèt Iudæi dum ab Aſſamonæorum regno numerant, à ſuperiore Hyrcano incipiant; Regnauit annum vnum. Ioſeph. ibid. c. 19.

3. Alexander ipſius frater, qui & *Iannæus* dicitur varia cum varijs bella geſsit, ſæpè victus, & victor fuit: duos filios reliquit, Hyrcanum ſeniorem, & Ariſtobulũ iuniorem, qui ad Herodem vſq; de regno inter ſe decertarunt Ioſeph. loc. cit. c. 26. viginti ſex annos regnauit apud Ioſeph. l. 13. c. 23. Egeſip. l. 1. c. 12. Euſeb. l. 8. demonſ. & apud D. Hieronym. Daniel. 9. anno 527.

D 4. Alexandra, quam alij *Solinam* vocant ipſius Alexandri vxor, iam Vidua, regnum tenuit annos 9. Phariſæorum maximè conſilijs, & Imperijs benè vſa. Ioſeph. l. 13. c. vlt. qui & ſua in vita nonum illius annum recenſet.

5. Succeſsit Hyrcanus filius; vt dixi ſenior, factus Rex & Pontifex: ſed ab Ariſtobulo fratre ſtatim depulſus eſt, & pòſt varias fortunæ vices tandem ab Herode rege occiſus, Ioſeph. lib. 14. & 15.

6. Ariſtobulus verò varia etiam fortuna vſus eſt, cùm & à Craſſo templum expilatum eſſet Ioſeph. lib. 14. c. 12. & ipſe à Pompeio captus ibid. c. 16. Romam miſſus c. 8. & cùm fugiſſet remiſſus c. 11.

Digitized by Google

2. Sigonius annos sex Aristobulo tribuit, Hyrcano menses tres, subdit verò post Aristobulum hæc:

Iudæa sub Romanis Pompeius cùm bellum Mithridaticum gereret Syria in potestatem redacta, atq; Aristobulo Rege capto, Iudæam in Prouinciæ formulam redegit, atque ei procuratorē Antipatrum Ascalonitam imposuit.

Antipater Ascalonita Iudææ procurator annos tres. sic Sigonius.

3. 7. Antigonus Rex Aristobuli huius filius non multò post Ab Antonio securi percussus. apud Ioseph. l. 15. qui Hyrcano, Aristobulo, & Antigono annos 34. tribuit; licèt aliter Sigon. itaque pòst Antipatrum procuratorem Reges tertium Iudææ numerantur; nam primi reges fuerunt qui in libris Regum; secundi qui iam numerati sunt pòst Hyrcanū Simonis filium; tertij verò fuerunt pòst Antipatri procurationem.

4. 8. Herodes alienigena, pulso iam, vt ait Sigo. ab VrbeAntigono vltimo, Assamonæorum per Caium Sosium Syriæ Præsidem, ter Iudææ Rex pronunciatus fuit: primò Romæ ex Senatusconsulto Olympiade 184. secundò ab Antonio. tertiò à Cæsare August. & hinc eius regni numerantur anni 37. Eorumque anno 29. inchoato ex Baronio in apparatu, natus est ex stirpe Dauid, Assamonæorum iam regibus vt visum, sublatis; Dominus noster IESVS Christus.

An Herodes fuerit alienigena, vt communiter creditur, & quoto eius regni anno Christus natus sit, accuratè disputat, & multò aliter sentit Torniellus in suis Annalibus, quem vide anno mundi 4018 num. 7. & 4051. nu. 11. & seq.

Ex his habemus Antipatrum Herodis Patrem primum omnium procuratorem Iudææ fuisse constitutum; licèt is inter procuratores connumerari non soleat, nam pòst tres annos, vt vult Sigon. Reges tertium fuerunt Antigonus, pòst quem Herodes filius Antipatri, dictus magnus.

5. *Synoptica continuatio Principum Iudææ, vel procuratorum vsque ad excidium Vrbis.*

6. POST Herodem Archelaus Herodis Magni filius potius Aethnarcha, quam rex Iudææ, imperauit ann. 9. Herodes Antipas frater eius Tetrarcha Galilææ an. 34.

Archelao inde ob immodica imperia relegato Viennam ab Augusto, iterùm Iudæa redacta est in formulam Prouinciæ, & procuratoribus commissa.

Iudæa iterùm sub Romanis.

7.
1. C. Coponius procurator Iudææ ab Augusto datus ann. 2.
2. Marcus Ambiuius an. 1.
3. Annius Rufus sub quo mortuus Augustus ann. 1.
4. Valerius Gratus Procurator à Tiberio Imperatore missus an. 11.
5. Pontius Pilatus item annos 10. huius anno 3. vel 4. IESVS Christus Dei filius patitur.
6. Marcellus ann. 3.

Hic Maxillum addit Ianseñ. qui erit septimus si numerandus est: si verò sequamur ordinem Sigon. septimus erit, qui posteà ponetur, Cuspius Fadus.

A

Reges quartum.

Agrippa Herodes filius Aristobuli Herodis magni filij Rex Iudææ, à Caio Imperatore factus an. 10. 8.

Iudæa sub Romanis Tertium.

1. Cuspius Fadus Procurator à Claudio Imperatore missus an. 3. 9.
2. Tiberius Alexander an. 2.
3. Cumanus an. 3.
4. Antonius Fœlix an. 3.
5. Portius Festus à Nerone missus an. 3. De his duobus Actor. 24.
6. Albinus an. 3.

B

7. Gessius Florus an. 3.

Vrbs Ierusalem cum Templo à Tito Cæsare euertitur imperante Vespasiano Patre.

THEORIA IV.

De Iordane & Deserto Ioannis.

IOSEPH lib. 15. Antiquit. cap. 13. & lib. 3. de Bello cap. 18. docet Iordanis aquas ex Phiala originem ducere, distare autem Phialam quæ est in Trachonitide Orientem versus, ad ad centum viginti stadia à Cæsaræa; esse verò Lacum rotæ speciem præferentem intra cuius labra semper vndam cohiberi nunquam deficientem, vel exuberantem. Itaq; occulto ortu Phiala lacus, vel fons defluit in Panium (quæ spelunca est in monte Libano amœnissima) hic enim scatet ille Iordanis fons *Dan* dictus, & propè eum alius fons *Ior* oriētalior oritur, qui coniuncti propè portam Cæsarææ efficiūt copulatis aquis & nominibus fluuiū Iordanem. ex *Ior* enim & *Dan* fit *Iordanis*; longitudo eius, vt ait Adrichomius in tribu Nephtalim, & Abulensis Gen. 13. q. 69. ab ortu, scilicet suo sub monte Libano, vsq; ad Mare mortuum & desertum Pharam quo se extendit centum circiter milliaria conficit. Hic fluuius non procul à fontibus Lacum Samochenitim efficit, ipsiusque paludes secans centum viginti stadijs procurrens in lacum primo maiorem se fundit, dictum stagnum Genezareth, seu mare Tiberiadis, seu Galilææ. Inde emergens multaque solitudine peragrata lacui Asphaltidi se miscet, & vt ait Plin. l. 5. histor. c. 15. aquas suas laudatas perdit pestilentibus mixtas; ab eoque lacu qui *Mare mortuum* dicitur, absorbetur vt non amplius erumpat, licet sint, qui dicant erumpere quidem eius linguam quandam, sed statim absorberi non longo pòst tractu. 1. *Phiala lacus aut fons quis.*

C

D

Ex Adricho. habet Campos amœnos, latos, argillosos, & vberrimos qui vtrimque multis & altissimis montibus sibi inuicem Cohærentibus circundantur. Hi porrò campi circumuicina multa habent oppida, dicunturque *regio Iordanis.* 2.

Obseruandum, vnum fuisse Iudææ desertum, in quo Ioannes & baptizauit, & prædicare cæpit. Cæterùm prius in interioribus partibus, & montanis seorsim ab hominibus 3.

vitam

Digitized by Google

vitam egit. hic *factum est verbum Domini super Ioannem*, vnde ad partem viciniorem habitationi hominum prædicationis, & Baptismi gratia
4. descendit. Porrò differt desertũ Iudææ à regione Iordanis ex Matth.3. exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanẽ. Itaq; cùm desertum esset in Iudæa, regio Iordanis ferè tota erat in Galilæa: non ergò idem sunt. quod verò Luc. vocat *desertũ*, Matthæus dicit, *desertum Iudææ*. quamuis per *desertum* interiora, & magis abdita loca intelligere possimus: per *desertum* autẽ Iudææ idem desertum quidem, sed quantum ad partes hominibus viciniores.

5. Iam verò speciatim magis explicemus, vnde & quo venerit Ioannes ad Prædicandũ. non exibat Ioannes ad pagos, vel oppida, sed in vicinioribus deserti partibus erat, & versabatur: quo veniebant multi, & vel ipse etiã Herodes; neq; enim vrbes, vel aulas Ioannes adibat (nisi fortè monẽdi, reprehẽdẽdiq; regis gratia paruam ibi moram nectens) nec mirum quod superbissimus rex ad illum accederet, cùm celeberrimum sanctitatis eius esset nomen? hinc Christus Dominus, *quid existis inquit, in desertũ videre?* ergò cùm Lucas ait: *venit in omnẽ regionẽ Iordanis*, intellige venisse ex deserto interiori ad propinquiores habitationi hominum partes, licèt deserto non egrederetur ad oppida & pagos; quòd & clariùs indicat Matth.c.3. *exibat ad eum*, inquiens. *omnis Hierosolymi, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem* περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου, id est, circum Regio Iordanis.

6. De hoc deserto Adrichomius in tribu Beniamin n.97. scribit: Quarentanum desertũ esse inter Hierusalem & Hiericho, quod incipit iuxtà Anathot, & extenditur supra Galgala vsq; ad desertum Thecuæ & Engaddi iuxtà mare mortuum; Hic ait commoratũ Ioannẽ, exstructumq; in eius memoriam templum, & cœnobium, hic baptizatum Christũ & ieiunasse. idẽ Andrichomius in descriptione tribus Iudę nu. 102. puerum Ioannem non iuxtà paternam domum, vt videtur Antonius Aranda, cap. 37. in descriptione terræ Sanctæ scribere, sed longè ab illa in deserto Iudææ vixisse ait, & in eo pœnitentiam prædicasse.

7. Alij his ferè cohærentia scribunt: desertum hoc inter Orientem & Septentrionem citra Iordanem, secundùm fluuiũ fuisse versus Meridiem, in cuius extrema parte erat AEnnon Salim vbi Ioannes baptizare solitus dicitur Ioann.3.23. videturque hic locus fuisse in parte Septentrionali huius deserti. porrò videtur etiam Ioannes saltem aliquãdo mansisse in parte quadam huius deserti, quæ procedente tempore dicta est *Sapsas*, qua de re lege Sophroniũ, c.1. prati spiritualis. vide lib.3. huius historiæ cap.3.v.2.&3. Quomodo autem in desertum fugerit Ioannes declaratur non admodum verosimilis caussa, licet non omninò improbanda à SS. Archiepiscopo Petro Martyre in suis Cano. in tom.7. Biblio. Patrum. cano.9. de varijs desertis in scripturis, vide Maldonatum in cap.3. Matt.v.1. de Spirituali verò deserto lege Barrad. tom.2.l.1.c.7. & eundem de deserto Christi eodem to. lib.2. cap.1.

A

THEORIA V.

De Baptismo Ioannis interpreti Scripturæ, & concionatoribus non inutilis.

BAPTISMVS Ioannis contra Vgon. Vict. lib.2. Sacr.p.6.c.6. Mag. 4.d.2. Abulens. Matt.3.q.4. Nec Sacramentum erat veteris, nec nouæ legis. sic Suar. to.2. disp. 25. sec.4. nec obligabat sub præcepto, vt idem docet loco eo: sub finem 1.concl. nec satis erat ad salutem, ex eodẽ ibidem concl.1. imò nec erat propriè quid de lege veteri, Suar. ibidem concl.2. contra Orig. qui l.5. ad Rom.c.6. vocat baptismum Ioannis, baptismũ in lege. Errat Magister 4.d.2.5. vlt. ait enim ablutis eo baptismo
B non fuisse opus baptismo Christi dummodo Spiritum S. non ignorarent, & spem non ponerent; vt D. Thom.q.38.art.6. refert, in illo Ioannis baptismo. Sed à veritate stat Paul. Act. 19. & Christus Ioan.3. Vocat quidem eum Iustinus q.37. præludium, siue proœmium gratiæ Euangelicæ: Damascen. l.4.c.10. Rudimentarium; Cyrill. l.2. in Io.c.57. Introductorium ad perfectionem; Basil. hom.13. Initiatorium, Nostrum verò vocat Perfectorium. Rab.2. de Institut. Clericorum c.26. vocat Catechismum ad baptismum Christi & D. Thom.3. p. q.38. art.2. Sacramentale; sed non dicunt Sacramentum, vel quod fuerit necessarius. August. in Enchirid.c.49. non renascebantur inquit, qui
C baptismate Ioannis baptizabãtur, sed quodam præcursorio illius ministerio qui dicebat, *parate viam Domino*, huic vni in quo solo renascimur, parabantur.

Sed obijciat quis, Ioannis baptismum vderi fuisse Sacramentum, cùm esset cęremonia quędam instituta à Deo; & remisisse etiã peccata: sic enim Basil. initio lib. de Baptis. Cyrill. Ierosol. Catec.3. & alij sensisse videntur. Resp. Nego cæremoniam fuisse aliq̃ stabilem in lege aliqua ad sanctificandũ hominem vel interiori sanctificatione, vel exteriore, scil. legali seu cęremoniali, ita vt auferret irregularitatem, vel immunditiam aliquã legalem, nec significabat gratiam sanctificantem modo practico, quia nec promittebatur per illum gratia, vt respectu paruulorum in circumcisione. Vnde dicebatur Ioan. tantùm in aqua baptizare, id est,
D corpus abluere, Suar. loc. cit. concl.2. ratione 2.

Patres verò intelligendi sunt baptismum Ioannis remisisse peccata media pœnitentia; at Christi baptismus propterea non dicitur pœnitentię Baptismus, quia per se valet ad remissionem peccatorum, vt causa illius proxima, quamuis supposita Pœnitentia. Non ignoro D. Gregor. in hõ.20. in Euang. & Bedam Marc.1. sic interpretatos esse, ideò dici prædicasse Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, quia alius erat Baptismus quem conferebat Ioannes, alius quem prædicabat. hic enim erat baptismus Christi conferens remissionem peccatorum. Cæterùm quia in Script. Baptismus Christi nunquam dicitur pœnitentiæ, sed tantùm iste Ioannis, vt patet Act.19. ideò melior est prima expositio, qua de re in Schol. ad

1. *Baptismus Ioannis non erat Sacramentum.*

2.

3.

4.

Digitized by Google

v.6.nu.1.& 2. dictum est. hinc Ambros.Luc.3. dicit aliud fuisse,baptismum pœnitentiæ,aliud vero gratiæ.

5. Sed dubitari posset an vteretur Ioan. aliqua forma inter baptizandum. Respondeo, nulla verborũ forma vsum fuisse.illud enim Actor. 19. *Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populũ, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederet,hoc est,in Iesum*; non est intelligendum de forma baptismi;quæ nulla erat; sed de doctrina,qua docebat,in Christum vt crederent,non quidem exigendo hanc fidẽ ab ijs quos baptizabat,sed eos docens Christum. itaque baptismus Ioannis erat positus quo ad essentiam suam & materialiter in extrema tantum ablutione aquæ ; nihil enim aliud erat in eo, quod esset de necessitate & essentia eius præter ablutionem; ex modo tantum quo fiebat, & ex speciali deputatione ; sacræ cęremoniæ, & signi sacri rationem quandam obtinebat, in quo differebat à communi ablutione: Erat in signũ subiectionis,& humilitatis,quo homines vt dixi se peccatores profitebantur,& indigere interna ablutione.Erat similiter secundario ad significãdum Christi baptismα,ex quadam potius naturali similitudine cum baptismo Christi, quare aliquid sacri habebat.

6. *Ad quid vtilis baptismus Ioan.* Sed ad quid vtilis erat iste baptismus? Respõdeo ad Christum manifestandum , ad præparandum homines ad Christi baptismα, eiusque fidem Ioan. 1. *vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans* ; Porrò manifestabat Christum populo occasione baptismi ad eum confluentis,& dolore peccatorũ, quæ cõfitebatur populus & signo subiectionis præparabat se,vt Christo crederet. Eademque occasione baptismi , dandum erat de cœlo à Patre coram confluente multitudine, testimonium de Christo filio.

7. Iterùm petes,à quo institutus fuit?Respondeo à Deo : Quare à solo Ioanne exercebatur; vt enim erat cæremonia sacra , sic à Deo instituta fuit,vt à solo Ioanne ministraretur. Quare etiam non durauit vltra vincula Ioannis, & simul cum Ioanne extinctus fuit. Id colligitur ex Ioan.3.*Erat Ioannes baptizans in Aennon iuxtà Salim,&c. nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem.* 1ò, *enim*, reddit causam quare Ioãnes baptizaret, quia nondum missus erat in carcerem. Quod si potuisset per discipulos baptizare,durasset etiã post carcerem eius baptismus. item Ioan.4.*qui misit me baptizare*,&c. vocatur tamen iste *baptismus Ioannis*, quia licèt quoad ritum & institutionem esset de cælo Matth.21. habebat tamen effectum humanum ex se, sicut etiam dicebatur olim *lex Moysis*. Deindè quia à solo Ioanne dabatur. Quod verò baptismus Ioan.non conferretur infantibus , nec gentilibus docet D.Thom.3.p.q.38.a. 4. ad 3. Quo modo item Ioan. dicatur *Angelus, vox, lucerna* lege ad notationem 16. Toleti in c.3.Luc. quod ad mores pertinet.

A

THEORIA VI.

In ver. 7. *Pœnitentiam agite.* quid sit Pœnitentiæ virtus. & quid sacramentum Pœnitentiæ?

QVONIAM Ioannes Baptista parare viam Domino venerat, meritò à Pœnitentia suam ortus est prædicationem, Pœnitentiam indicans eam esse,per quam via Domino paratur. Sic enim Christus disiectis peccatorũ repagulis animum nostrũ occupat. Sic Cant.5. docet nos Sponsa: *surrexi, vt aperirem dilecto meo* (stat enim ille ad ostium,& pulsat Apoc.3.) *manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima*, quibus non obscurè significatur,manibus myrrha plenis, hoc est, pœnitentiæ operibus, quæ probatissima sit, hoc est, non fucata,sed vera, fores pulsanti Christo aperiri,viamque illi hac arte parari, vt in animum peccatoris ingrediatur. Paratur item via per Pœnitentiam, & ostium aperitur ad cælestе regnum ; cuius quidem rei similitudinem quandam exhibuisse videtur antiquus ille Israelis Pontifex, qui teste Paulo ad Hebr. 9. semel quotannis Sancta Sanctorum ingrediebatur ad diem 10.Septemb.mensis, quæ expiationis dicebatur, cùm se populus ieiunio, ac pœnitentia maceraret: Sic enim Leuitici ca. 16. constat.Ingressus namque Pontificis in Sancta Sanctorum eo die peractus, quo se per Pœnitentiam populus affligebat, hoc nimirum adumbrabat,rectam in cælum viam per Pœnitentiam aperi,quam qui respuunt, regno cælorũ exclusos, tanquam arescentes,& steriles palcas ignis comburet inextinguibilis. quòd Ieremiæ 1. significatum vult Chrysost.hom.22. ad popul.Vide,inquit, quomodo primum virgã videt Propheta;posteà ollam superardentem. demonstrans, quod non sustinentem virgæ castigationem, ignis susсipit. non igitur ab re erit, si quædam hîc de Pœnitentia differuerimus.

I. *Pœnitentiæ vtilitas.*

2.

3.

4.

5.

B

C

D

Fuit quidem Pœnitentiæ virtus vniuersis hominibus, qui se mortali peccato aliquo inquinassent,quouis tempore, ad gratiam, & iustitiã assequendã necessaria, illis etiam,qui Baptismi sacramẽto ablui petiuissent, vt Tridentini Patres sess.14.cap.1.monẽt;rectè sanè. nam cùm peccatum ita voluntatẽ vitiet , & peruertat,vt Deo posthabito amorẽ illa suũ in creaturas transfundat, remitti illud profectò nulli vnquã potuit, quin prius peruersitate illa abiecta,& emẽdata,tantam Dei offensionem cũ vero animi dolore, & peccati odio luxisset.

Cæterùm dolorem hunc explicatum esse oportere,nequaquã definimus, ne multorũ vehementi charitati, & non nullorũ etiã martyrio,qui nihil fortasis de peccatis cogitantes, veram nihilominùs in Deum conuersionem adepti sunt, detrahere videamur: ipsam tamen pœnitentiæ virtutẽ, aut explicitè, aut implicitè à peccatoribus omnibus, qui iustificari velint, necessario esse adhibendã,non obscurè litteræ sacræ testãtur,cùm tam frequẽter illę nos ad eã amplectendã, vel ingenti incusso timore vocãt, vel maximis propositis præmijs inuitant,

& alli-

Digitized by Google

& alliciũt. Nam quis non ſuauiſſimis illis Domini vocibus attrahatur: *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. quare moriemini domus Iſrael? quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus. Reuertimini, & viuite.* Quod ſi quis ita peccato affixus hæret, vt nihil his moueatur; metu ſaltem, & terrore hunc Spiritus ſanctus Chriſti ad meliora reducere conatur: *Si pœnitentiam,* inquit, *non egeritis, omnes ſimiliter peribitis:* quibus ſentẽtijs plenæ ſunt ſacræ Scripturæ, pleni Sanctorum Patrũ libri, vt mirum non ſit Chriſti præcurſorem à pœnitentiæ exhortatione prædicationis ſuæ exordium accepiſſe. Et Dominus Apoſtolis poſt reſurrectionem ſuã præcepit, *vt prædicarẽt in ſuo nomine pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in oẽs gentes.* Apoſtoli verò cũ ad Baptiſmũ homines hortabantur, pœnitentiam tanquã quiddam neceſſarium ad eum ritè ſuſcipiendum peccatoribus iam adultis commendabant. Sic Petrus Actor. 2. 38. *Pœnitentiam dicebat, agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum, &c.*

Ezech. 18. 30. & 32.

Luc. 13. 5.

6. Sed ne quis nos nudam pœnitẽtiæ virtutem, & ab omni Sacramento ſeparatam in lege Euangelica cõmendare arbitretur, intelligẽdum eſt, nec peccatorum remiſionẽ abſq; applicatione paſſionis Chriſti, cuiquam poſſe contingere, & ſola ſacramenta eſſe in lege Euãgelica, illa velut medicamenta, ac remedia, in quibus ſuæ mortis vim, & efficacitatem Dominus incluſit, vt cũ ea homines dignè ſuſciperent, fructum ſalutarem ex diuina illius paſſione colligerent: Ergò cum ſeria Pœnitentia non ſinat hominem ea media negligere, per quæ intelligit Deum ſibi conciliare oportere, non potuit illa profecto vtilis eſſe ante baptiſmũ, niſi intentione ſaltem, cum ipſius baptiſmi deſiderio eſſet coniuncta. nec poteſt in homine poſt baptiſmum lapſo eſſe fructuoſa, niſi fuerit ſacramento, quod à Pœnitentia nominatur, reaut voto alligata. Quomodo aũt differat virtus Pœnitentiæ à ſacramento Pœnitentiæ, & quæ vtrique ſint communia, nunc inſpiciendum eſt, vt quid interſit inter illam veterum pœnitentiam, ad quam hortabatur Ioannes, & hanc Euangelicam, intelligamus.

7. Imprimis commune habent, *Pœnitentia* nomen, deductũ ex Auguſt. lib. de vera, & fal. Pœnit. c. 19. Iſidoro l. 3. Ethymol. c. vlt. à pœna, vt ſit idem pœnitere, q̃ pœnam tenere, & pœnitentia ſit pœnæ tenentia, vt inquit Auguſt. vel vt vult Iſid. punientia. Porrò ipſe dolor cõmiſi, vel omiſſi eſt prima ac præcipua pœnitentia. Et ideò pœnitentia ſignificat præſertim dolorem, & vt aiunt, retractationẽ delicti. Quare rectè definitur dolor de peccato commiſſo; & meritò Auguſt. & Iſid. affirmant, pœnitentiam eſſe pœnam, qua aliquis in ſe punit, quod peccando cõmiſit, vt ſicut voluntariè peccauit, ita voluntariè ſe affligat. Vnde apparet toto cœlo aberrare hæreticos, qui pœnitentiam tantùm nouam viam, ſeu recipiſcentiam eſſe mentiuntur.

8. Iterùm, commune eſt virtuti, ac Sacramẽto Pœnitentiæ, quod vtraq; neceſſaria medicina eſt ad delendum capitale peccatũ. Vnde Lucæ 13. 3. dicitur, *niſi pœnitentiam habueritis, oẽs ſimiliter peribitis.* idem ver. 5. quam auctoritatẽ Di-

A uus Thom. 3. p. q. 84. art. 5. rectè accommodat ad quamcumq; pœnitentiam à Deo præſcritam, & deſignatam in vnaquaq; lege, & tempore. Ad hæc pœnitentia quæcunq; illa ſit, *ſecunda* à Patribus *tabula poſt naufragium* nũcupatur, qua metaphora, pœnitentiæ neceſsitatem explicare voluerũt. lege Magiſtrum d. 14. & Diuum Thom. q. 84. ar. 6. hãc metaphoram Tridentini Patres Seſſ. 6. c. 14. & Seſſ. 14. can. 2. valdè probarunt cõtra huius temporis hæreticos, & deprompta videtur ex Hieron. Iſaiæ 3. & epiſt. 8. ad Demetriadem, & 48. ad Sabinianũ, quam ſic exponit D. Thomas: *Nam primum,* inquid, *remedium mare tranſeuntibus eſt, vt cõſeruentur in naui integra, per quam ipſe, integritatis, & innocentiæ ſtatum intelligit, quæ tamen frãgitur per*

B *quodlibet peccatum mortale. Secundum aũt remedii poſt nauem fractam, eſt, vt quis tabulæ adhæreat, quæ eſt Pœnitentia, & ideò dicitur ſecunda tabula, non per reſpectum ad priorem aliam tabulam, ſed ad prius remedium.* quare à Tertull. lib. de Pœnitentia, non *ſecunda,* ſed ſimpliciter *tabula* dicitur: *pœnitentiam,* inquit, *ita amplexare, ſicut naufragus alicuius tabulæ fidem.* Sic etiam Ambr. ad Virginem lapſam c. 18. ait: *tu quæ iam ingreſſa es agonem, pœnitentiæ inſiſte miſera fortiter inhære tamquam naufragus tabulæ.*

Quartò, vtraq; & virtus, & Pœnitentiæ ſacramentum circa peccatũ actuale tanquã materiam circa quam, verſatur. Poſtremò, vt repeti poteſt Pœnitentiæ virtus, ita & Sacramentum. 10.

C Verùm differunt inter ſe plurimum. Primùm Pœnitentiæ virtus loco generis habet actum vel habitũ. Pœnitentiæ ſacramentũ ſub ſigni genere collocatur. quare D. Thõ. loc. cit. art. 1. declarans, pœnitentiam eſſe Sacramentũ, ſic ratiocinatur. Pœnitentia prout agitur in Eccleſia, nimirũ prout eſt à Chriſto inſtituta, ſignum quoddã eſt, ſub ſenſum cadens interioris ſanctificationis, & remiſionis peccati, quã præſertim ſignificat, & perfecit abſolutio Sacerdotis; & propterea art. 3. abſolutionem formam Sacramenti nominat; licèt ſimul ſignificetur ille effectus per Confeſsionem, & actus pœnitentis, qui propterea materia pœnitentiæ dicuntur ab eodem D. Thom. art. 2. 11.

D Iterùm diſcrepant: quod Pœnitentia vt Sacramentũ, eſt actꝰ exterior, vt virtus, interior. non quod ſacramentum Pœnitentiæ nullo modo includat interiorẽ actum: cùm conſtet contritionem eſſe vnã eius partẽ; ſed q̃ ſolus actus interior nunquã ſatis ſit ad Sacramenti vim, & rationẽ conſtituendã. quare ipſa contritio interior, vt pars ſit Sacramẽti, opus eſt, vt externis quibuſdam ſignis ſe prodat. Similiter & Pœnitentiæ virtus ita eſt in interiori cordis actu ſita, vt etiã in exteriorẽ exeat, illũ imperãdo. Verùm quoniam in ſolo interiori actu reperiri poteſt integra ratio huius virtutis, ita vt ab actu interiori in exteriorẽ tota huius virtutis honeſtas proficiſcatur, propterea hinc fit, vt in actu interiori collocari, rectè dicatur. 12.

Tertium diſcrimen eſt: quod hæc duo, virtus, & ſacramentum Pœnitentiæ, ſi cõferantur inter ſe, vnum reſpectu alterius pars eſt; alterum verò totũ quoddã ex Chriſti inſtitutione. nam nunc lege Euangelica virtus pœnitentiæ

pars

pars quædam sacramenti est, ratione sui actus, alioqui id sua natura non habet pœnitentiæ virtus.

13. Hinc quartò fit, vt plurimum interſit inter vtramque pœnitentiam, in ratione, & modo condonandi peccata, & conferendi gratiam; nam Sacramentum quod aiunt Theologi, *ex opere operato* gratiam confert, qua deletur peccatum. Efficit namque gratiam. At virtus non propriè gratiam vel confert, vel efficit, qua fit condonatio ipsa peccati, sed obtinet potius, & ex operantis disposition quasi illam impetrat, non verè ex merito de condigno: sed nunquid de congruo? probabile id quidem est, non omninò certum.

14. Deniq; inter hæc quantùm ad originem, antiquitatem, & diuturnitatem non parùm interest, qua de re vide D. Thomam loco citato ar. septimo, vbi docet; pœnitentiæ Sacramentum ad Christi institutionem pertinere, virtutem verò ad ius naturæ; quam rem doctè declarat Franc. Suar. disp. 1. de Pœnit. sub finem sect. 2.

THEORIA VII.

In ver. 15. *Facite ergo fructus dignos Pœnitentiæ*, & de sacramenti Pœnitentiæ partibus.

1. *Fructus pœnitentiæ opera ſatisfactoria ſunt.*

MONET nos hic locus, vt de satisfactione nonnulla dicamus, nomine enim fructuum, qui digni sunt pœnitentiæ, hoc est, quales postulat commissa peccata, vt satis iustitiæ diuinæ fiat, intelliguntur opera imprimis satisfactoria, sic enim D. Gregorius hęc verba de satisfactione exposuit homil. 20. in Euangelia: *Per hoc*, inquit; *quod dicitur: facite fructus dignos pœnitentiæ, vniuscuiusque conscientia conuenitur, vt tantò maiora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò grauiora sibi intulit damna per culpam.* Ita etiam de satisfactione eadem verba interpretatus est D. Bonauent. Lucæ 3. Abulensis, & D. Thom. imprimis, qui Matth. 3. sic scribit: *In arbore sunt fructus post flores, flos quidem pœnitentiæ apparet in contritione, sed fructus est in executione. Alius est fructus iustitiæ, alius pœnitentiæ. plus enim requiritur à pœnitente, quàm ab eo, qui non peccat: est autem triplex fructus dignus pœnitentiæ. Primus est, vt puniat in se, quod commisit. Secundus est, vt fugiat peccata, & occasiones peccati. Tertius est, vt tantùm studeat ad benè agendum, quantùm studuit ad peccandum*, iuxtà illud Paul. ad Rom. 6 *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Sic piè & sapienter D. Thomas, Scio Theophy. & Euthymium, & fortasis etiam D. Chrysostomum per fructus pœnitentiæ dignos, bona opera intellexisse, vt sit sensus: non sufficit per Pœnitentiam peccata delere, verùm oportet etiam fructus huius pœnitentiæ dignos ferre; hoc est, bona opera posteà facere, quòd est declinare à malo, & facere bonum, vtramque sententiam hæc verba continet: sed imprimis satisfactionis opera complectuntur. hæc enim magis à pœnitente exiguntur, & magis propriè fructus pœnitentiæ digni nominantur.

Verùm quoniam satisfactio pars quædam sacramenti Pœnitentiæ est, de partibus eius in vniuersum, breuiter hic primũ differetur; deindè de sola satisfactione speciatim agendum erit; nam de reliquis partibus, auspice Christo alibi erit magis aptus ad dicendũ locus. Pœnitentiæ ergò virtus non propriè constare partibus dicitur, est enim quid simplex potiꝰ. quare nil mirum, si nullas hic eius partes inuestigamus. Exigit quidem illa actus quosdam doloris, satisfactionis, &c. non tamen si propriè loquędum est, partes habet. Iam verò omnia sacramenta veteres Patres in elementum, & verbum tanquã in materiam & formam diuidere consueuerunt. Rem verò sacramenti. i. eius effectum ab ipso sacramẽto distinxerant. Sacramenti ergò pœnitentæ formam, in qua præcipuè ipsius est vis, in illis ministri verbis vnanimis Patrum, & Doctorum consensus posuit: absoluo te à peccatis tuis. quãuis neq; illa verba, *à peccatis tuis*, omninò necessaria sint, intelliguntur. n. etiamsi nõ proferantur, implicitè, dùm illa, *absoluo te*, super peccata confessa proferuntur. D. Thom. q. 94. ar. 3. Anton. 3. p. t. 17. c. 21. §. 1. Caiet. in sum. v. *absolutio*. 6. q. 4. Nauar. de Pœnit. d. 6. c. 1. initio, n. 9. & in summa. c. 26. n. 2. Suarez disp. 19. sect. 1. n. 22. Soto, & alij. Vix tamen ob Ecclesię praxim & vsum, posset quis excusari, si omitteret. Vide Suarez loc. cit. nu. 24. idem de voce, *ego*, dicendum. Suar. n. 22. Locum verò quasi materiæ pœnitentis actus tenere volunt, qui in contritionẽ, confessionem, & satisfactionem diuisi, pœnitentiæ nomen huic sacramento indiderunt. quamuis aptissimè etiam ipsum vel à forma, vel ab effectu, absolutionis, aut reconciliationis sacramentum dici posset.

3.

Porrò hi actus in hac de Ioanne historia aliquo modo adumbrantur; contritio enim clarè ponitur sub nomine *pœnitentiæ*: Confessio insinuatur, dùm Matth. 3. dicitur; *baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua*, vt etiam hic habes ver. 13. satisfactio verò satis patet ex ver. 15. *facite fructus dignos pœnitentiæ.*

5.

Quamuis autem ijdem isti actus, externi omnes non sint, meritò tamen materiam cõficere vnam dicuntur, quatenus absolutioni, vel formæ substernuntur. Ita enim & ipsi inter se, & cùm absolutione copulantur, vt & singuli à reliquis duobus, & oẽs ab absolutione pendeant. non enim contritio sacramentalis habẽda est, quæ confessionem, & absolutionem cum proposito satisfaciendi, saltem voto nõ concipiat. Nec confessio Christiana, existimari debet, quæ ex contritione nõ manat, & absolutionem cum voluntate satisfaciendi non expectat. Ipsa adeò satisfactio vim suam ex Christi merito per absolutionem communicato, mutuatur. Quare multi ex Patribus cùm ad connexionẽ, & necessitatem harum actionum intuerentur, non modò eas materiam, verùm etiam partes huius Sacramenti aliquo pacto esse dixerunt.

6.

Impositio verò manuum etsi adhibita olim à multis in absolutione fuerit, & adhiberi etiam nunc ab omnibus cum vtili significatione posit: materia tamen huius sacramenti nunquam fuit existimata, nec necessaria quidẽ cæremonia ad eius administrationem: retinenda

7.

tamen

2.

Digitized by Google

tamen illa iuxtà veterum doctrinã, cum quis ab excommunicatione absoluitur, & Ecclesiæ reconciliatur.

8. Animaduertendum præterea, rem & effectum huius sacramenti remissionem peccatorum esse, verba Domini perspicuè demonstrare, quibus ait: *accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. quam remissionem nonnunquam in viris pijs, & magna cum deuotione animi hoc sacramentum percipientibus ingens quædam conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet, vt Tridentini Patres habent cap. 3. Sess. 14. qui etiam damnant eorum absurdissimas sententias, qui pœnitentiæ partes vel conscientiæ terrores, & fidem, vel spiritus viuificationem, vel carnis mortificationem esse contendunt, vt ex cap. 3. & can. 4. Sess. 14. patet.

9. Etsi enim Sacramentum nullum consistere absque fide possit, ipsa tamen fides nullius pars constituitur, quod nec forma, nec materia cuiusquam sit. Terrores verò illi valent quidem ad excitandam pœnitentiam, eius tamen pars dici nequaquam possunt: si quidem illi ad futura pericula tantùm spectant, Pœnitentia in præteritorum peccatorũ recordatione, & luctu versatur. Mortificatio, & viuificatio perfectæ quidem pœnitentiæ effectus esse solet, partes certè constitui nulla ratione debent.

10. Sed audebit aliquis ea quæ sanctè, & verè de Pœnitentiæ partium necessitate, dicta sunt, in dubium reuocare. nam Prouer. 10. dicitur, *vniuersa delicta operit charitas.* & cap. 15. *per misericordiam, & fidem purgantur peccata*, ergò si quis charitatem, fidẽ, & misericordiã habeat, citra pœnitentiam salutem consequetur. Vidit hoc D. Thom. q. 84. ar. 5. & doctè respondet, quod ex quo aliquis peccatum incurrit, & charitas, & fides, & misericordia non liberant hominẽ à peccato sine pœnitentia. postulat enim charitas, vt homo doleat de offensa in amicum cõmissa, & vt studeat amico satisfacere. Fides quoque ipsa poscit, vt per virtutem passionis Christi, quæ in sacramentis Ecclesiæ operatur, quærat à peccatis purgari. Denique ipsa misericordia ordine recto progrediens exigit, vt quis subueniat per pœnitentiam suæ miseriæ, in quam commisso peccato incidit. nam Prouer. 14. dicitur, miseros facere populos peccatum. Et Eccl. 30. *miserere animæ tuæ placens Deo.*

THEORIA VIII.

De satisfactione, ac præsertim de eius necessitate.

1. *Hæretici satisfactionem quàm maximè impugnant.*

NVLLA pars est pœnitentiæ, contra quam Satanę ministri, & Ecclesiæ hostes non insurrexerint, sed in hanc vnam, nimirum in satisfactionem visi sunt acrius hoc luctuoso tempore incubuisse, vel magna cõtentione, & dimicatione oppugnasse: & vt crimine ab vno discas omnes, Lutherus in assertione suorũ artic. art. 5. ait, vehementer se odisse vocabulum etiam ipsum *Satisfactionis*, & voluisse sublatum; quibus indicat quantum esset, malo genio, vino, crapulæ & voluptati deditus: sic enim hæresis istos non homines esse finit, sed fæces hominum facit.

A At Ecclesia Dei spiritu illustrata & Spiritus S. magisterio edocta semper tenuit, & prædicauit hanc ipsã satisfaciendi per *fructus dignos Pœnitentiæ* rationẽ, quam à pœnitentibus exigit: Fuerunt etiã Cypriani tẽporibus hæretici, qui vehementer elaborarunt, vt hanc pœnitentiæ partem abolerent, operam dantes, ne satisfactionibus, & lamentationibus iustis delicta redimerẽtur, ne vulnera à lacrymis abluerentur, vt pax vera falsæ pacis mendacio tolleretur. 2.

Quare Ecclesia Dei, quò pluribus hanc partem incõmodis affectã vidit, eò studiosius subleuare volens; declarauit nuper in Trid. Synodo Sess. 14. c. 8. falsum omninò esse, & à verbo Dei alienũ, culpam à Domino nunquã remitti, quin vniuersa etiã pœna condonetur. Esse n. 3.

B duo Sacramenta à Christo Domino in reconciliationem instituta, per quæ vna, eademque passionis eius virtus hominibus applicetur; ex quibus tamen nõ par ominò fructus ab hominibus percipitur. Baptismo etenim ait, ita culpam remitti, vt omnis etiã pœna cõdonetur. At pœnitentiæ sacramento reatum quidẽ æternæ pœnæ tolli, culpam tamen absq; alicuius temporalis pœnæ expiatione non indulgeri. Cuius diuersitatis causa hæc assignatur: quod sicut infinitã Domini benignitatẽ decuit, nulla eũ culpę aut pœnæ obligatione manere obstrictũ, qui per Baptismi sacramentum, & repoti nequit, & cuiusuis hominis ministerio cõferri potest, omninò regeneratur, ac Christi corpori tanquã verum ipsius membũ absq; vllius iudicis exa- 4.

C aminatione, ac sententia inseritur, tunc primũ viuificæ crucis eius merito participato: ita Dei æquitas postulauit, secus agi cum eo oportere, qui per Christi passionẽ à peccatis, & Dęmonis tyrãnide liberatus, ac Sãcto Dei spiritu donatus, immemor beneficij, ita esset ingratus, vt tãto beneficio quasi despecto, nouis se postea peccatis polluẽret, & Spiritum S. contristaret. huic iustissimus Deus iurè veniã dare noluit, nisi tanquã reus crimina ipse sua ad iudiciũ Sacerdotũ sui accusator cum vero animi dolore (qui *tristitia secũdùm Deũ* ab Apostolo dicitur) deferret, & nisi tanq; reus cum vera animi submissione paratus accederet ad subeundam pœnam quã, Sacerdos pro delictis imponeret, quę pœna ab eodem Apostolo (vt noster Olauius interpretatur in manuscriptis) pœnitentia *ad salutem stabilis* esse dicitur.

D Hanc firmissimam veritatem non Ecclesiæ tantùm auctoritas, sed Scripturarum etiã testimonia stabiliunt; monet nos Scriptura, vt pijs pœnitentiæ exercitijs, & bonis operibus ita nos comparemus, vt sine impedimento possimus statim à morte vitã assequi beatam. Ad quod necessariũ est prius facere satis pro debita temporali pœna. Hinc Paul. 1. Cor. 11. *Si nosmetipsos, inquit, dijudicaremus, non vtique iudicaremur*, quæ verba Augustus. c. 66. Enchir. ad redemptionem pœnæ temporalis diuino iudicio debitæ post hanc vitam accommodat. Et verò etiam Ioannes Bapt. Matth. & Luc. 3. cùm homines hortaretur, vt facerent fructus dignos pœnitentiæ, absolutè hortabatur ad ea opera pœnitentiæ, quę possent funditus destruere, & abolere peccatũ, adeoq; redimere etiã quamcunq; pœnam temporalẽ peccato debitam. Ita enim demùm 5. 6.

Dissimilitudo inter Sacram. Baptismi & Pœnitentiæ.

talia

talia opera nominari pœnitentiæ fructus verissimè possunt, si videlicet congruant cum sua quasi radice, & arbore. i. cùm ipsa virtute Pœnitentiæ. Et quemadmodum hæc virtus tota in destruendo vitando, abolendoque, funditus peccato versatur, ita etiam eò illa opera conferant, vt penitùs peccatum exinaniatur, atque adeò tollatur etiá cuiuscumq; pœnæ temporalis reatus. quod clarè indicat, iurè ab interpretibus, apteque illam Baptistæ exhortationem ad satisfactionis opera accommodari.

7. Huc facit etiam consilium à Daniele ca. 4. Nabuchodonosor Regi datum, *vt peccata eleemosynis redimeret, & iniquitates suas misericordijs pauperum.* idemq; ostendunt alię id genus scripturæ auctoritates, quibus eleemosynæ, & similibus operibus vis extinguendi peccata tribuitur, nam cùm hæc sine limitatione dicătur, intelligi debent, eò etiá valere bona opera, vt reatus quoq; pœnæ temporalis peccatum consequens, soluatur. quibus omnibus perspicuè destruitur ruinosum illud hæreticorũ perfugium, satisfaciẽdi studiũ olim in Ecclesia, tantùm disciplinæ cuiusdã causa, & in veræ pœnitentiæ internæ quoddã testimoniũ fuisse vsurpatum. Neq; enim meridianam lucem obscurare possunt, ac mentiri dicentes; non hortari Patres passim peccatores ad has pœnitẽtias: vel negare vsurpari solitas in Ecclesia fuisse. Cùm ergo id inficiari nequeant, hoc perfugiũ commenti sunt, quod quàm fragile sit, quàm ruinosum, quę iam diximus, Scripturę testimonia clarè indicant, vt breuitatis studio innumeris alijs locis supersedeamus. constat enim, satisfactionẽ vel eo maximè nomine commendari à Spiritu S. & Ecclesiæ Patribus, vt ipsi Deo illata iniuria aliquo modo compensetur, & redimatur pœna peccatis debita.

Hæreticorũ commentũ de satisfactione veterum.

8. Quod si deessent alia, hæc vna id euinceret ratio. nam sicut in peccato mortali duo insunt, auersio à Deo tanquã ab vltimo fine, & cõuersio ad creaturã, quæ peruersè Deo vltimo fini anteponitur: eodẽ modo opus fuit, vt præter pœnã damni auersioni respondentem, decreta fuit etiam peccatori pœna sensus ei peruersitati respondens, quæ in conuersione ad creaturam cernitur, vt Apocal. 18. declaratur. *quantùm glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.*

In peccato mortali duo insunt & quæ.

9. Porrò hæc pœna sensus infinita est durationę, quãdiu peccator in culpa ipsa peccati mortalis perseuerat, propter infinitam offensam, q̃ peruersa illa conuersione infinito Deo intulit peccator. Cùm verò peccatum mortale quoad culpam remittitur, remittitur item pœna sensus, non quidem secundùm se tota simpliciter, sed secundùm perpetuitatem dumtaxat durationis: imò lui adhuc debet ad tẽpus breuiùs, vel longiùs pro ratione, & grauitate peruersitatis, quæ fuit in ipsa peccati mortalis conuersione, ergo nisi per satisfactionem tollatur pœna, nisi fortè eius locum indulgẽtiæ suppleant, luenda igne purgatorio erit; quibus sit contra hæreticos: scripturas hortari homines ad satisfactiones, & eas vsurpari solitas fuisse in Ecclesia hac quoque vna ratione præsertim, vt omninò destruatur peccatũ, exinanita pœna, quę remanet, temporali. Sed ne longior, quàm par

A est, sit hæc Theor. seorsim sequenti, ac speciatim de satisfactione Sacramentali disseremus.

THEORIA IX.

De satisfactione Sacramentali.

1. *Satisfactio Sacramentalis vnde ortum habeat.*

SAtisfactionem sacramentalem inde ortum habuisse, docẽt Patres, quod instituerit Dominus, vt Sacramentũ hoc per sententiã iudicis in quodam velut conscientiarum tribunali administraretur. quoniam verò nulla æquitas patitur, vt qui susceptã Christi gratiam impiè abiecit, & conculcauit, iterùm eam per sententiã iudicis absq; vlla punitione recuperet. Inde in Ecclesia creditũ semper fuit, hãc fuisse Domini voluntatẽ, vt nemini absolutio sine aliqua satisfactiõe cõferretur. In quo sensu ab Apostolo dictum est: *quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* B Et ipse etiam Dominus quodam loco: *Ego,* inquit, *quos amo, corrigo & castigo.*

2. Nec verò, quod accidere aliquando potest, vt Deus pro sua clementia vehementem pœnitentis contritionẽ pro integra satisfactione recipiat, ideò vel Sacerdotem vult ab imponẽda pœna cessare, vel pœnitentẽ ab ea soluenda manere liberũ, quoniam neutri ipse suã voluntatẽ patefacit. Neq; enim eorum mihi vnquã, quãuis Catholicorum placuit opinio; vel non teneri pœnitentẽ pœnitentiam acceptare à confessario; vel etiam quòd ait Caiet. acceptatam non teneri exequi, cùm Sacerdos imponendi pœnitentiam, & obligandi potestatem habeat, vt verus iudex ordinarius, siue delegatus, non vt arbiter. C

3. Istud etiam est magnoperè considerandum, cùm certa sit temporalis pœna, cui pœnitens in diuino iudicio post impetratam recõciliationem manet obstrictus, tamen nec eam hominibus esse notam, nec quidquã præterea, quod ad quantitatẽ, & rationẽ pœnæ pertineat, quæ sit pro peccatis à sacerdotibus imponenda, lege diuina esse præscriptũ. quamobrem mirum videri non debet, magnam in imponendis satisfactionibus diuersitatem in Ecclesia varijs temporibus accidisse, nam præterquam quod plurimum de veterum satisfactionum veritate detractum est, retro semper cedentibus moribus hominũ, & in maiorẽ quandã licentiam, ac voluptatem propendentibus, tum in ipsa temporũ ratione maxima est facta varietas, vt annotat Doctor Olauius in MS. quibusdã. Olim D enim satisfactionẽ à sacerdotibus iniunctam, vt ipse ait, prius pœnitentes implebant, quã absolutionis beneficiũ consequerẽtur, atq; ita illi salubri satisfactione purgati, vt D. Leo scribit, ad cõmunionem Sacramentorũ per ianuã reconciliationis admittebantur, nunc contrarius seruatur ordo. Sed hęc ex hominũ arbitrio pẽdebant, qui leges ad suorum temporum mores accommodarunt: vim certè, & substantiam Sacramenti non immutabant; quod nullam certam satisfactionẽ præscriptã habet, sed qualicunq; imposita à Sacerdote manet integrum.

4. *Sacerdotis officium.* Sacerdotis tamen munus esse debet perspicere diligenter, vt satisfactio, quam imperat, non grauitati modo, sed etiã qualitati criminũ respondeat, vt sit etiã illa, pœna, & vindicta peccati, non solum quoddã velut nouæ vitę medi-

camen-

lentum, quo vitæ veteris vitijs pœnitens
ccurrat, ne tam facilè in ea relabatur. An ve-
rò quis posit semel impositam ab vno sacer-
dote pœnitentiam mutare, vel tollere. Item
an Sacramentalis satisfactio habeat ex opere
operato non modò efficere remissionem pœ-
næ alicuius, verum etiam conferre auxilium
aliquod præseruans, vel adiuuans ad emenda-
da peccata, & aliquam gratiam gratum facien-
tẽ, docet Franc. Suar. disp. 38. sect. 10. & sect. 2.
accuratè, vt solet, vt non sit hîc aliquid dicere
necessariũ. Quoniam aũt post expletã sacramẽ-
talem satisfactionem sæpè numero restare so-
let nõ parua adhuc illius tẽporalis pœnæ por-
tio luẽda, quam Dominus in suo arcano, & iu-
sto iudicio ad plenam delictorũ expiationem
decreuit, cùm pœnitentem per Sacerdotis ab-
solutionẽ reconciliauit, & quam in purgatorio
exigit, nisi illã dum viuimus, pendere studea-
mus; ideò hortatur sancta Synod. Trid. Chri-
stianos oẽs, ne post solutam sacramentalem sa-
tisfactionẽ, securi dormiant, & otio, ac torpo-
ri se dedant, quasi Dominũ omninò placatum
habeãt; & nulla eos amplius ab eo pœna maneat,
quin vigilent potius, & ieiunijs, eleemosynis,
orationibus, atq; alijs vitæ spiritualis exercitijs
sedulò vacent. Declarat enim illa, etsi hęc opera
(quæ *fructus digni pœnitentiæ* in Scriptura vo-
cantur) à Sacerdotibus imposita non fuerint, si
cõiuncta tamen cum cõtritione, & gratia abso-
lutionis sint, magnificas Dei promissiones ha-
bere, plurimumq; valere ad mitigandã ipsius
iram, vt, pœnã tẽporalem, q̃ inferre iustissima
sentẽtia statuerat, vel remittat penitùs, vel sal-
tem imminuat iuxtà illud Apostoli verbum, *si
nosmetipsos iudicaremus, non vtiq; à Domino iudi-
caremur; dum iudicamur aũt à Domino, corripimur,
vt non cum hoc mundo damnemur.* lege in hoc te-
stimoniũ Augustin. in Enchirid. c. 66. & Chry-
sost. hó. 42. in Matt. Neq; verò improbãda est
in hoc sensu veterũ aliquorũ sententia, qui ad-
monuerũt, vniuersam Christiani hominis vi-
tam, pœnitentiam redolere debere.

5. Duo verò sunt, quæ maximè hæretici con-
tendunt, & nec culpam vnquam remitti à Deo,
quin vniuersa etiã pœna cõdonetur, q̃ superiùs
etiã attigi Theor. 8. n. 3. & nostris satisfactioni-
bus beneficium Christi vehemẽter obscurari.
Verùm hæc adeò impia sunt, & blasphema, vt
excogitari nihil possit, q̃ vel cum Scriptuæ te-
stimonijs, & Patrum doctrina euidentiùs pu-
gnet, vel qud vitæ Christianæ disciplinã pernicio-
siùs soluat, & corrumpat. Sola profectò Adę,
Moysis, & Dauidis exempla satis esse pos-
sent, licèt his plura sint, ad demonstrandum, &
probandũ post remissam culpã, nonnullã pœnã
Deum aliquando exigere solere à pœnitentib.
lege Genes. 3. 2. Reg. 12. Num. 12. & 20. Quare
rectè Trident. Synod. sess. 14. cap. 8. docet, per-
spicua & illustria in Sacris litteris exempla re-
periri; quibus præter diuinam traditionem,
hic error quam manifestissimè reuincatur.

6. Id cùm intelligeret Dauid, quanquã de Na-
than didicerat transtulisse Dominũ illius pec-
catum, idq; filij eius morte expiari voluisse, nõ
cessabat tamen clamare posteà: *amplius laua me
ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me:* &,
auerte faciem tuã à peccatis meis, & oẽs iniquitates

A *meas dele.* Ephraim etiã pœnitentis reconciliati
persona sustinens apud Ierem. Domino dice-
bat; *postquam conuertisti me, egi pœnitentiam.* quin
& ipse etiam Deus per Ioelem Prophetam ad
perfectã cordis conuersionẽ homines inuitãs,
ieiunij tamen, fletus, & planctus satisfactionem
simul postulabat. quibus operibus placatum
se Niniuitis, & Achab Regi, & alijs item non
obscurè testatus est.

Nec certior profectò vlla via in Ecclesia Dei 7.
vnquã fuit ad auertendã pœnã à Deo nobis im-
pendentẽ, quã si hæc pœnitentiæ opera, quæ sa-
tisfactionũ nomine à Patribus vocata sunt, cũ
vero animi dolore homines adhiberent. Hinc
Deus, inquit, Ier. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa
à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam &
ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerẽ
ei.* Et Tertull. lib. de Pœnit. optimè dixit: *in
quantũ non peperceris tibi, in tantum, crede, Deus ti-*
B *bi parcet.* Et Orig. hom. 3. in lib. Iudicum: *tu ipse
præueni tortoris manus.* Hieronym. item c. 9. A-
mos: comminatur Deus, & dicit se illaturum
supplicia: si agamus pœnitentiam, ipsum quo-
que pœnitebit suæ sententiæ.

Quam verò falsissimum sit meritum pas- 8.
sionis Christi Redemptoris nostri satisfactio-
nibus nostris, aut obscurari, aut aliquo modo
imminui, hinc clarissimè constat, q̃ Catholici
oẽs vnanimi consensu testamur, vna Christi
morte abundè æterno Patri pro totius mũdi de-
lictis fuisse satisfactũ: Christum itẽ vnicũ illũ
agnum & propitiatorẽ esse per quẽ non culpa
modo peccatorũ tollitur, sed omnis etiã pœnæ
C reatus aboletur, nullamq; in satisfactionibus no-
stris ad placandũ Deum vim sitã esse, q̃ non sit
ex ipsa Christi satisfactione mutuata. Hinc
Trident. Synod. loc. cit. habet: *neque verò ita est
nostra satisfactio hæc, quã peccatis nostris exsoluimus
vt non sit per Christum Iesum: nam qui ex nobis tan-
quã ex nobis, nihil possumus, eo cooperante, qui nos cõ-
fortat, omnia possumus. ita non habet homo, vnde glo-
rietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est: in quo
viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, faciẽ-
tes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habẽt; ab
illo offeruntur Patri, & per illã acceptãtur à Patre.*

Cæterùm, quoniam æterno Patri ita placuit, 9.
vt nec crucis Filij sui fructũ caperent, qui cru-
cem post illum non ferrent; & vt passionis eius
vtilitatem ita demùm homines sentirent, si illi
passo cõpateretur, meritò propterea semper in
D Ecclesia creditũ fuit, constituisse etiã illũ pro
sua infinita æquitate, q̃ Sancta Synod. Triden-
tina sess. 6. c. 14. declarat, ne satisfactionis Filij
sui meritũ plenè illis applicaretur, qui gratiæ
Dei, quã acceperunt in baptismo, ingrati, Spi-
ritus S. templũ violassent, nisi suis etiã ipsi pœ-
nis, & afflictionibus suo Filio velut satisfacerẽt,
qui pro omnibus passus, omnibus etiã exemplũ
reliquit, vt vestigia eius sequerentur. hinc Tri-
dent. Patres docent sess. 14. c. 8. quod dum sa-
tisfaciẽdo patimur pro peccatis, Christo Iesu,
qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo om-
nis nostra sufficiẽtia est, conformes efficimur;
certissimam quoque arrham habentes, quod si
compatimur, & conglorificabimur.

Statuit ergò Sancta Synodus verissimam 10.
hanc, & SS. veterum Patrum doctrinã semper
in Ecclesia retinendam, non sufficere nimirum

accedentibus ad Sacramentũ Pœnitentiæ mores in meliùs cõmutare, & nullis præsentibus vrgeri peccatis, nisi pro præteritis etiã, pœnitentialẽ Deo satisfactionem, cùm vero animi dolore offerant per humilitatis gemitũ, & cordis contriti sacrificiũ, cooperantibus eleemosynis, ieiunijs, & orationibus, quibus pœnitentes oculorũ, & carnis concupiscentiam, ac superbiam reprimant, vindicantes, & punientes eam in se prauam delectationem, quam his velut iniquitatis instrumentis peccando perceperunt; quæ dùm Nouatores intelligere nolunt, ita optimam pœnitentiam, nouam vitam esse docent, vt omnem satisfactionis vim, & vsum tollant. Superest, vt qualis esse debeat satisfactio, breuiter explicemus.

THEORIA X.

Qualis esse debeat Satisfactio generatim sumpta.

1. *Satisfactionis conditiones.*

EX tribus capitibus potissimum eruendæ sunt veræ satisfactionis conditiones: ex ijs ipsis, pro quibus satisfieri debet, ex operibus, per quæ satisfaciendum est. De singulis breuiter dicendum.

2. Principiò necesse est, vt qui satisfacit, Dei gratia, & charitate præditus sit, vt eius satisfactio valeat. sic habet communis Scholasticorũ sententia de Satisfactione pro alijs oblata, d. 19. 20. & 45. & D. Thom. in primis d. 45. q. 2. ar. 1. quæstiuncula 3. & 3. p. q. 82. ar. 6. Opus enim in peccato mortali factũ, nullius est valoris apud Deum ad satisfaciendum, quod non obscurè ostendit Apostol. 1. ad Corin. 13. *Si distribuero in cibos pauperum oẽs facultates meas, charitatem autẽ non habeam, nihil mihi prodest.* Et hæc eadem item est ratio, cur peccator non possit satisfacere nõ modo pro alijs, sed neq; pro pœna debita sibi, propter alia peccata sibi remissa, dum est Dei gratia priuatus. quod est contra Scotum in 4. d. 15. q. 1. ar. 4. & contra Maiorem. q. 1. Gabr. d. 16. q. 2. ar. 3. dub. 3. Medinam tract. 3. q. 5. dubio vlt. Nauar. c. 1. de Pœnit. d. 6. n. 45. 46. 47. Et quidem, quis sibi persuadeat, acceptari à Deo opus vllum, quod non proficiscatur à persona ipsi grata, ita vt iustitia quadã remuneret, seu compenset illud? hinc Scriptura Prou. 15. *victimæ impiorum abominabiles.* Eccl. 34. *dona impiorũ non probat altissimus.* igitur nemo in peccato mortali potest nec pro se, nec pro alio satisfacere pro pœna tẽporali, ratione alicuius peccati debita. An verò satisfactio extra gratiã exhibita incipiat postea valere, quando redit homo rursus in gratiã, disputant Theologi. Et de ea quidẽ, quæ imposita non est à Sacerdote, neq; talis est, quę reliquerit aliquẽ quasi permanentem effectum, vt eleemosyna relinquit substãtiam diminutam, ieiunium carnẽ debilitatam, conueniunt passim, nec postea valere, cùm redit homo rursus ad gratiam. De satisfactione verò à Sacerdote imposita siue vno, siue altero modo dicas, probabile erit, vtrumq; probabilius fortasis, quòd Suar. to. 4. d. 38. sec. 8. nu. 5. opinatur reuiuiscere, licèt ex ijs, quæ hac de re disputat, Valentia t. 4. d. 7. q. 14. p. 3. oppositum verius putet. Quod si aliquis relinquitur effectus, putat Palud. in 4. d. 15. q. 1. concl. 7. & Capreol. eadem dist. Syluester, v. Satisfactio. §. 7. obtinere eam satisfactionem postea suum valorem accedente gratia, quibus videtur fauere D. Thomas in suppl. q. 14. ar. 3. ad 3. sed merito hi confutantur ab Adriano 4. q. 1. de Satisfact. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 5. de Satisfact. qu. 2. Soto in 4. d. 14. ar. 5. & alijs. nam quod aliquis sit relictus effectus ex Satisfactione, vel non sit, nihil interest; quandoquidem ipsa certè Satisfactio secundùm se non manet. Potest quidem tunc aliquis de nouo vti, vt rectè notat Valentia effectu satisfactionis præteritæ, tanquam obiecto quodam actus noui, quo satisfaciat, voluntate sua nimirum illum effectum acceptando, & referendo in Deum, non tamen propterea putandum est, reuiuiscere præteritam satisfactionem, quæ ob gratiæ defectũ fuit nulla. Discrepat enim actus nouus circa effectum ex præterita satisfactione relictum ab ipsa præterita satisfactione. D. Thomas autẽ quod est in supplimento non recognouit in summa: quamuis illum exponere, & interpretari conetur Suarius disp. 37. sect. 2. n. 8. illud fatemur omninò per eiusmodi satisfactionem extrà gratiam factam adimpleri præceptum ipsum de exequenda pœnitentia à Confessario iniuncta. satis enim est ad hoc actus ipse quoad substantiam: sic Valent. loc. cit. nec placet eũ peccare mortiferè, qui iniunctam pœnitẽtiam in peccat. m. exequitur. de qua re Suarius disp. trigesima octaua, sect. octaua num. 7.

4. Verùm hîc in controuersiam venire potest, num Suffragia nomine Ecclesiæ facta à ministro existente in peccato lethifero, alijs prosint. Nam de his, quę offeruntur à priuatis personis proprio nomine, non valere, nullus est, qui dubitet. Ad hoc respondet Suar. d. 48. sec. 8. num. 3. orationes nomine Ecclesiæ factas habere proculdubiò vim & efficacitatem ad impetrandum apud Deum, licèt is, qui orat, sit in peccato. Non enim tunc spectanda est efficacitas orationis ad impetrandum ex parte proximè orantis, sed ex dignitate Ecclesiæ, cuius ille minister est, & cuius nomine petit. Nec contra hoc quidquam facit. quod habet Greg. in Past. part. 1. cap. 11. sollicitè formidandum, nè qui placare posse iram Dei creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur: cuncti enim liquidò nouimus, quia cùm is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur; nihil inquam contra id, quod asserimus, hoc facit; nam loquitur de illo, qui propria auctoritate, & vt persona priuata intercedit etiam pro alio, non modo pro se.

5. Quantum verò ad Satisfactionem, & rationem suffragij per modum solutionis, seu satisfactionis, non habẽt effectum suffragia Ecclesiæ, quæ per malos ministros fiunt, quãuis nomine Ecclesiæ. Si Missæ sacrificium excipias, quod vim habet ex opere operato. opus enim satisfactorium, quatenus pœnale est, propriũ est talis personæ, quæ ratione illius patitur; nõ verò respectu Ecclesiæ pœnalis operis rationẽ habet, ergo si priuata persona inimica est Dei, nequit illud opus esse satisfactorium ex opere operantis.

6. Itaque plurimum interest inter impetrationem, & satisfactionem, nam illa respicit ora-

tionem,

tionem, prout petitio quædam est, & significatio voluntatis, ac desideriorum Ecclesiæ, quæ quatenus est vnum corpus mysticum, loqui potest per vnum, vel alium ministrum: & verò ea locutio, vt est petitio quædam Ecclesiæ, sic repræsentantis Deo sua desideria, sumit quamdam dignitatem, atque efficacitatem ad impetrandum. At oratio prout satisfactoria est, sicut & quodlibet aliud opus pœnale, sub hac ratione non refertur ad Ecclesiam, sed quid personale est, & eum respicit, qui per illud patitur.

7. Sed hinc emergit dubitatio quædam non dissimulanda: effici enim hinc dicet aliquis, nihil interesse inter suffragia publica, & priuata, quia etiã pia oratio à peccatore fusa, impetratoria esse potest, cùm nõ in sanctitate orantis, sed diuina misericordia nitatur. Respõdebit quis, orationẽ peccatoris esse dumtaxat ex Dei miseratione impetratoriam, vt est à priuata persona, non aũt de condigno. at hoc non admittet D. Thomas, nimirum, aliquã orationem etiã à iusto, etiã à tota Ecclesia fusam esse impetratoriam de cõdigno. Vide illum 2.2.q. 83.ar.16. id enim ibi insinuat; & meritò, est.n. hoc Christi Domini proprium. igitur in hoc nulla est differentia inter orationẽ peccatoris ipsius priuato, vel Ecclesiæ nomine. Posset responderi, differentiam esse in oratione peccatoris, quatenus peccator est, hoc est, vt Scholasticè dicam, in oratiõe peccaminosè facta, hęc enim si fiat à priuata persona, nunquã est impetratoria: at qui si nomine fiat Ecclesiæ, impetratoria esse poterit, cùm id quod petitur, iustum & sanctũ est, licèt ratione modi, & intentionis ministri malè illud petatur.

8. Sed si hoc tantùm dicamus, licèt verum sit, valdè parùm tribuemus Ecclesiæ orationũ efficacitati suprà priuatas orationes cõtra cõmunem sensũ Theologorũ, & præcipuè D. Tho. 3.p.q.82.ar.6. quare non displicet, quod Suar. loc. cit.n.8. sentit, orationes, quæ fiũt nomine totius Ecclesiæ, adeò esse efficaces, vt immediatè impetrent à Deo remissionẽ pœnæ temporalis, idq; infallibiliter, & ex certa promissione propter singularem amorẽ, & sanctitatem totius Ecclesię, vel etiã quia in Ecclesia est potestas ad applicandã Christi satisfactionẽ, vel potius ad impetrandũ, vt Deus eã applicet, hoc verò facere intendit Ecclesia per has orationes publicas, vult. n. impetrare à Deo, vt sub hac ratione eas acceptet, præsertim cum per modũ suffragij eas offert pro defunctis, & hoc fortassis voluit Nauarr. cùm dixit tract. de orat. c.19. concl.4.n.59. & seqq. & c.20. n.39. & seqq. has orationes habere effectũ ex opere operato ex institutione Christi, vel Ecclesiæ, citatq; Gabriel. & Gerson. Dixi vt immediatè impetrent remissionẽ pœnæ. i. citra solutionẽ satisfactionis priuatæ personæ, seu nõ per modũ solutionis, vel satisfactionis oblatæ pro remissiõe pœnæ, sed per solã vim impetrandi, & applicandi ad id Christi satisfactionẽ, speciatim concessã Ecclesiæ. quando verò cẽsendus sit aliquis nomine Ecclesiæ orare, declarat Nauarr. c.20. de orat.n.40. & Suar.n.9. & de his hactenus. hæc ergo est prima conditio ex parte offerentis satisfactionem siue pro se, siue pro alio.

A Altera est, vt is, qui satisfacit, intendat per opus suũ suffragium ferre alteri, siue satisfacere pro se. Tertia est, vt opus, per quod satisfacit, sit proportionatũ, & aptũ ad satisfaciendũ. de quo mox dicã, cum opera, per quæ fit satisfactio, qualia esse debent, declarabo à nu.16. 9.

Quoniam verò de satisfaciente agimus tam pro se, q̃ pro alijs siue viuentibus, siue vita functis, quo fructuosior sit hæc tractatio, addimus ad prædicta, eiusmodi satisfactionẽ esse de cõdigno, & iustitia: quã rẽ hac ratione confirmo: nam ad meritũ de condigno requiritur primò dignitas operantis, vt sit in gratia qui satisfacit: deindè proportio operis, quæ petenda est ex cõditione ipsi⁹ actus & præsertim quatenus ex Dei gratia proficiscitur; nam q̃a actus iste per quẽ satisfacimus, debet esse pœnalis, aliq̃ proB portionẽ habet cũ pœna, pro qua satisfit, quãuis sit pœna Purgatorij; & quia proficiscitur à persona Dei amica, cõtinet in se valorẽ moralẽ vt possit esse pretiũ aptũ, & proportionatũ ad redimendam aliã pœnã. Item si conferatur cũ pœna Purgatorij, act⁹ viatoris satisfactorius superat hoc nomine etiã Purgatorij pœnam, fit enim maiori quadã voluntate & libertate, quã subeatur Purgatorij pœna. hæc ergo proportio, & valor sufficit; neq; enim requiritur Physica pœnarũ æqualitas, sicut nec ea requiritur inter meritũ, & præmiũ, licèt sẽp aliqua proportio exigatur, vt exposuimus. Deniq; requiritur promissio Dei, sicut etiã & ad meritũ, alioquin etiãsi opus esset proportionatũ, & æquale pœnæ, ꝓ qua fit satisfactio, nõ teneretur Deus ex C iustitia illud acceptare. At qui hæc tria reperiuntur in satisfactione, quã quis vel pro se, vel pro viuentibus, vel pro defunctis Deo offert. Ponimus. n. iustum esse, qui satisfacit, & cõdigno opere satisfacere modo explicato, & esse promissionẽ prædictã, vt mox ostendã hîc & n.13. ergo eiusmodi satisfactio erit de iustitia, & de cõdigno. huic doctrinæ præsertim quan- 11. tum ad id q̃ diximus de promissione Dei fauet Concil. Trid. sess.14.c.8. dùm.n. ait, in Christo nos satisfacere, faciẽtes fructus dignos Pœnitẽtiæ, qui ex illo vim habent: explicat gratiã, & & auxiliũ per Christũ nobis datũ ad hęc opera facienda: cùm verò subdit, nostras satisfactiones, seu fructus dignos pœnitẽtiæ à Christo offerri Patri, & per illũ acceptari, & vt habetur c.9. maximũ hoc ipsũ diuini amoris argumenD tum esse, q̃ nostras satisfactiones acceptet, nõ obscurè significat, infallibiliter eas, atque adeò de cõdigno acceptari à Deo Patre, quãuis non sine præuio Christi merito, nec sine eius intuitu. vnde videtur effici promisisse Deum Patrẽ propter dignitatẽ & merita Christi eiusmodi satisfactiones factas ab homine iusto & æquales proportionaliter, & moraliter, acceptare, atq; adeò nõ posse, si offerantur, non acceptare ꝓ pœna Purgatorij, quæ per se respõdet peccato non plenè remisso. Dixi pro pœna Purgato- 12. rij, quia secus est de pœnis alijs exordinarijs, quibus Deus punit interdum peccata in hac vita, vt rectè docet Medina tract.2. de Confess.q. 46. Sic enim scribit: pœnas huius sæculi Deus nec de iustitia legis infligit, nec de iustitia legis eas tollit, sed pro voluntate sua; pœnas aũt alterius sæculi de iustitia legis infert, & simi-

liter de iustitia legis eas remittit ob satisfactionem debitoris: & de hac pœna extraordinaria & huius vitæ, 2. Reg. 12. dixit Dauid, *quis scit, si fortè donet mihi eum Dominus?* & Ioelis 2. & Ionæ 3. *quis scit, si conuertatur, & ignoscat?* hęc enim verba insinuant talis pœnæ remissionem
13. infallibilem non esse. Quod verò requiratur diuina promissio ad hanc iustitiam, & infallibilitatē satisfactionis, quę talis est vt nō possit non acceptari à Deo secundùm iustitiam, fit hinc cōstat, qa pœna per se debita peccato est pœna alterius vitæ, atqui nulla huius vitæ pœna conferri cum illa potest, si secundùm se spectetur & physicè, ergò sine Dei promissionè non potest ex iustitia teneri Deus ad illam acceptandam, etiamsi prout à gratia procedit, moralem habeat condignitatē, & ęqualitatem cum pœna alterius vitæ, vt dixi nu. 10.

14. Quare minimè est eorum admittenda sententia, qui sentiunt, hanc satisfactionē non esse de condigno, & iustitia, sed ex libera acceptatione Dei, quod de suffragijs, quæ pro alijs fiunt, sentire videtur Medina tract. 3. de satisfact. qu. 2. & 3. & tract. 6. de Oratione q. 19. & Cordub. lib. 5. de Indulg. q. 5. ad 8. cùm tamen D. Thom. 3. contra Gentes cap. 158. dicat, sicut per se ipsum, ita & per alium potest aliquis satisfacere Deo. & infrà ait: affectio charitatis in eo, qui pro amico patitur, facit magis satisfactionem Deo acceptam, quam si pro se pateretur. qua de re lege copiosè differentē Suarez disput. 48. sect. 3. & speciatim de satisfact. pro defunctis, quod sit ex iustitia sect. 6. Et hæc pertinent ad conditiones satisfactionis ex parte satisfaciētis. Sequitur, vt de qualitate satisfactionis ex parte eius, pro quo offertur, dicamus.

15. Requiritur ergo primò, vt is, pro quo offertur suffragium, vel satisfactio, sit sine culpa ea, ratione cuius pœnam meretur, pro qua debet offerri satisfactio; nequit enim pœna remitti nō remissa prius culpa, & neque potest vnus alteri remissionem culpæ mereri. Deindè exigitur, vt is sit in statu gratiæ. Potest enim fieri vt aliquis sit reus aliquarum pœnarum, quæ sint illi debitæ pro culpis antea remissis; & nihilominùs quod sit Dei gratia priuatus. Denìq; requiritur, vt is egeat satisfactionis effectu, hoc est, quod sit reus alicuius pœnæ, alioqui, si nullam debet soluere pœnam, nihil habet pœnarum, quod ei remittatur. & hæc de conditionibus eius, pro quo satisfactio offertur.

16. *Satisfactio per quæ opera fieri debeat.* Reliquum est, vt doceamus, per quæ opera debeat fieri satisfactio. Ad quam dubitationē respondeo primum quidē vniuersim per omnia omninò virtutū opera siue interna, siue externa, quæ ex charitate proficiscātur, fieri posse satisfactionem. Sic Sotus d. 19. q. 2. ar. 1. & est communis sensus Theologorum: omne enim opus huiusmodi, est Deo acceptū, & aliquam molestiam affert, quatenus omne opus virtutis difficilè est. Idem etiā confirmarunt Patres Tridentini sess. 14. can. 13. vbi vniuersim, & absolutè definiūt, satisfieri Deo pietatis operib⁹.

17. Deindè fieri potest satisfactio speciatim, etiam per ea opera, quæ sint alia ratione debita, videlicet ex alijs præceptis, nam etiam in istis est vtraq; illa conditio, ex qua existit in opere vis, & ratio satisfactionis, hoc est, vt sit Deo

A gratū, & molestiam habeat, ergo licèt alia ratione sit debitum, potest etiam esse satisfactorium, vt hanc vtramq; conditionē obtinet. licèt verum sit, nisi aliqua subsit peculiaris ratio, non debere Confessarios in eiusmodi operibus pœnitentias imponere, atq; adeò, cum iniungunt ieiunia & similia non intelligendi sunt iniunxisse ea, quæ alioqui Ecclesiæ præcepto adimplenda sunt.

Tertiò per quandam antonomasiam docent 18.
Theologi satisfieri Deo illis operibus, quibus ex peculiari ratione proprij obiecti eorū operū, priuamus nos bono aliquo, q̄ vtilitatē, vel delectationē aliquā affert, q̄ opera vniuersim oratione, ieiunio, & eleemosynis cōtinentur. nam ieiunio priuam⁹ nos bonis corporis, eleemosyna bonis fortunæ, oratione aliquo etiam
B modo dicimur priuari bonis animæ, nō quidē verè, sed quaten⁹ ea per orationē Deo subijcimus, volētes in omnibus ab eo pendere, & eius voluntati cōformes esse. hęc etiā tria valent ad euitāda omnis generis peccata, tanquā optimæ medicinæ, & cautelæ, nam oratione rectè vitātur, q̄ sunt ex superbia: ieiunio, q̄ ex cōcupiscentia carnis: eleemosyna, quæ ex cōcupiscentia oculorū, q̄ sunt tres radices omniū vitiorū.

Postremò potest homo etiā satisfacere per 19.
quascumq; ærūnas, & afflictiones, quas patienter tolerat à quocunq; immittantur: qua de re doctè differit Suar. d. 37. sect. 7. proinde ne actū agamus, eò remittimus lectorē. Hæc quæ his Theorijs disseruimus, erūt fortasis non inutilia cōcionatoribus, nō modo ad docendū populū quę ad fidē de Pœnitentia pertinent; verū
C etiam ad excitandū pœnitentiæ desiderium & libenter amplectēdam pœnitentiam, & ad declarandum modum quo fructuosè fiat. Sunt autem multa prioribus theorijs posita, quæ ex manuscriptis Olauij desumpsimus.

DIGRESSIO MORALIS,
De zona & cibo Ioannis ex Ioachimo in Apocalypsim.

LIBET quædam huc transferre ex Ioachimo de zona, & cibo Ioannis, sed breuiter, & carptim. *Sciendum est*, inquit Ioachimus, *duplicē esse custodiā castitatis, quarum altera in zona Christi, altera in zona Ioānis significata est. vterq; n. habuisse zonā legitur, sed Christus aureā, & circa pectus; Ioannes pellicean, & circa lumbos. iterum Ioannes mel syluestre, & locustas comedit, Christus piscē assum cum fauo mellis. Esca ergo, & zona Ioannis qui de terra est, & de terra loquitur, veteris Testamenti iustitia designata est. per Christi verò zonam, & escam noui Testamenti iustitia, qua de cœlo est, sicut & Christus significata est.* 1.

D *Porrò infirmorum est, & imperfectorū habere zonam circa lumbos pelliceam, religiosorū verò & perfectorū zonas aureas ad mammillas, quia illis aliquid est, si corpus impollutū seruent; istis aūt hoc pene nihil est, nisi habeant & munditiā cordis. sufficit illis cibus locustæ, qui raram, & interpellatā lectionē sacrarum litterarū designat, istis necessaria est iugis lectio, quam significat piscis, animal scil. in aquis nutritum. locusta siquidem à terra paululum eleuata, mox cadens deficit in volatu, cum piscis perpetuò in aquis degat. locusta in sola terra residet, à qua paululùm se attollit, & quidē vix nisi compulsa, statimq; cadens,* 2.

iterum

iterum in terra manet, & qui Sanctarum scripturarum notitia carent, aut consuetudinē eas legendi non habent, terrenis desiderijs vehementer incumbunt. quod si interdum compelluntur surgere, diu in alto stare non possunt. mel quoque syluestre qualemcunque circa res diuinas delectationē designat, mel domesticum integram, & perennem iucunditatem.

3. *Ad hæc differentia est maxima. quod enim inter zonas pelliceas, & aureas differt, hoc inter corporis, & mentis castitatem interest. illic enim exterior homo, hic interior à carnalibus illecebris custoditur immunis. Zona igitur aurea virtus est interna munditia firmum & inconcussum habens perfectæ castitatis propositum. aurum enim imputribilis est natura, & in sui nouitate diutius conseruatur, at pellicea zona citò deficit, & vetustate consumitur. eadem deformis, & vilis est; aurea mirum quam pretiosa. ita castitas corporis quantacumque sit, si cum spirituali conferatur, vilis apparet, quia potest carere spirituali puritate, qui carnis munditia gloriatur; at nequit corporis munditiam non habere, qui gaudet animi castitate, propterea non est dictum à Domino: Beati mundo corpore, sed corde, in pelle splendor non est; in auro est. quia mundis corde Deum videre conceditur, qui zonis aureis circa pectora constringuntur.*

4. *Denique zona pellicea cinctum esse, significat necessitate quadā castum esse, vel timore pœnæ. verùm zona aurea circumcingi indicat amore iustitiæ, atq; æternæ gloriæ desiderio spiritualis munditiæ virtutem totis complecti viribus.* Hæc ex Ioachimo in cap. 1. Apocalypsis non totidem quidem verbis, sed iuxta eius sententiam deprompta sunt.

CAPVT II.

BAPTIZATVR IESVS IN BETHABARA PARTE IORDANIS Orientali, 30. annum inchoans.

A. 3. 13. B. 1. 9. c. 3. 21.

1. *A. Tunc venit Iesus, B. à Nazareth Galilææ, A. In Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo.*
2. *Ioannes aūt prohibebat eum dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?*
3. *Respondens autem Iesus dixit ei: sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam: Tunc dimisit eum.*
4. *Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua.*
   C. Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante; apertum est cœlum, & descendit Spiritus S. & C. Et ecce, C. Iesu baptizato, & orante, A. Aperti sunt ei cœli: Et vidit Spiritū Dei, C. corporali specie, A. Descendentem sicut columbam, Et venientem super se. B. & manentem in Ipso.
5. *A. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cōplacui.*
6. *C. Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum 30. vt putabatur filius Ioseph.*

SCHOLIA.

VT baptizaretur] Baptizari voluit primū, vt suo baptismo mūdaret, ac sāctificaret aquas, vimque regenerandi illis conferret. Aug. ser. 1. & 2. Epiphan. addit, vt noui baptismatis constituat Sacramentum: quia sc. tunc cōsecrauit aquas. i. destinauit ad sacramentale mysterium; sic intelligere debes cū audis sanctificasse aquas, eisq; vim regenerandi impertijsse. Neq; n. qualitatem vllam impresit, sed per extrinsecam quandam, vt aiunt, denominationem id accipi debet, nempè quatenus destinauit, ac decreuit aquas ad illum sacramenti effectum, vel vsum. Quod si vnicorni datum est, vt suo cornu aquas tangens tollat ab eis venenum, ita vt securè ac tutò animalia bibant ex eis: Et sal Elisæi iniectus, aquas reddidit sanas, ac fertiles: & lignum Moysis in dulces vertit, amaras prius aquas; quid mirum si tanta sit virtus aquarum, vt corpus tangāt, & cor abluant, postquā sacratissima Christi carne contactæ fuerunt, & vt sic dixerim, fotæ, & ablutæ? Iam Naaman si se hic lauet, saluus erit, & liber à lepra, & ferrum sursum ascendet quod anteà suo peccati pondere ad inferna deprimebatur. Deinde ex Damas. lib. 4. c. 10. & Nazianz. in orat. in Sancta lum. Baptizari voluit Christus, vt veterem Adam in aquis sepeliret, nempè, per quādam repræsentationem hoc Christi baptismate significatum est, in Christo, & per Christum fore, nimirum, vt totum hominum genus à peccatis abflueretur. vel certè hoc, quod Damas. & Greg. aiunt secundùm valorem, & meritum accipiendum est: Nam per illū nobis actū Christus meruit abundè, vt omnia nostra sepelirentur, & absorberentur peccata.

1. *Christus cur voluerit baptizari.*

2.

3.

Nota hic obitur, cùm Io. cit. Damas. ait, Christū esse baptizatū suo baptismo, non propriè loquutū esse: sed tantum voluisse, suum præfiguraſſe baptismum, & quodammodò instituisse dùm baptizaretur à Ioa. Allucinatus est ergò Clichtouę dùm exposuit Damas. prout verba sonāt. Deniq; ex Matt. baptizari voluit Christus, quia sic decebat Christū *implere omnem iustitiam*, vt nihil eorū omitteret, quæ Pater præcepisset; vel quę alijs mādare & præcipere debebat. Idem de Ioan similiter dicendum, is. n. qui docet alios, nec ipse facit, similis est ei, qui pulchras quidē Tibias habet, ac pedes, sed inæquales. Prou. 26. At inquies Christus suum præcepit Baptismum, nec recepit tamē. Respondeo id ita factū, quia nec decebat accipere; cuius rei ratione afferre, alterius loci est. Certè hūc Ioannis ideò accepit, vt habet Aug. tract. 5. in Ioan vt cognoscerēt serui, quanta alacritate properare deberent ad baptismum Domini, quando ipse Dominus dignatus est accipere baptismum serui.

4.

5.

Diuus Gregor. orat. 40. scribit, Tres esse hominis Natiuitates; per generationē, per baptismum, per Resurrectionem, hos omnes nascendi modos in se recepit Christus, eosq; dignos reddidit, & cōmendauit, dū natus est, baptizatus, & Resurrexit.

6. *Tres in homine generationes.*

2. *Prohibebat*] agnouit eum Spiritus sancti inspiratione, quæ confirmata posteà fuit columbæ signo Io. 1. Ita duobus modis cognouit. sic Emma.

7.

Ego debeo à te baptizari] græcè ἐγω χρείαν ἔχω. Ego indigeo, opus habeo, debeo à te baptizari, æquius est, vt ego à te baptizer, tuo ego baptismo indigeo potius, quam tu meo. sic Petrus, Ioann. 13. *Domine tu mihi lauas pedes?* Ne cum Glossa interlineari intelligas, Ioānem eguisse baptismo Christi vt mundaretur à peccato originali? Erat ab vtero ea labe immunis. Egebat ergò baptismo vt signaretur caractere, vt ampliori gratia augeretur, vt à

peccatis leuiusculis purgaretur, quæ ne haberet, timebat.

3. *Sine*] sine me facere. *Modò*] cùm scilicet nondum cum descensu Spiritus sancti, & voce de cœlo missa Christus declaratus: sed tanquam priuatus accedo. *Sic*] faciendo scilicet prius, & posteà prædicando, seu exemplo præeundo. Vel *sine modò*] id est, sine me nunc baptizari prius, vt posteà, quod vis, spiritu baptizeris: dixerat enim Ioannes se debere potius vt peccatorem baptizari, ac mundari à Christo, qui tollebat peccata Mundi. Chrysost. ait, indicari hic posteà à Christo Ioannem esse baptizatum: quod de Baptismo Spiritus non dubito, incertum de Baptismo aquæ. Cyril. l. 2. Thes. c. 4. sub finem ait Christum Baptismum Ioan. in aliud distulisse tempus, quod & verosimilius videtur: Sic Abul. Matth. 3. q. 78. Alij post hæc verba: *Sine modò*) subintelligunt, hanc piam recusationem; sed magis probantur priora. *Omnem Iustitiam*] .i. consummatam. Est autem consummata Iustitia, cùm quis seruo suo se subijcit. Vel *Omnem Iustitiam*] .i. omnia Patris mandata, quæ nos perficere æquum est & iustum. Sic Gagnæus: sed probabilius fortasse est hic *omnem iustitiam* significare ea omnia, quæ virtuti & bono exemplo sunt consentanea, licèt non sint præcepta. Sumitur *Iustitia* non pro habitibus virtutum, sed pro actu. Aliqui per *Iustitiam* humilitatem. Alij cum humilitate obedientiam intelligunt. q. d. Tu quidem obediendo, ego me subijciendo iustitiam teneamus. i. obedientiam & humilitatem. Sed hoc non videtur diuersum ab eo, quod iam vltimo loco diximus.

9. *Ioannes quomodo baptizarit.*

Tunc dimisit eum] .i. non vltrà prohibuit, sed baptizauit. credibilius quidam iudicant, Ioannem non immergendo, sed infundendo aquam super caput, Christum baptizasse. Cæterùm si verum est, solitum fuisse Ioann. cæteros omnes immergendo baptizare, ita puto factitasse cum Christo, quia sic intelligebat eum velle, & magis hoc immensam Christi humilitatem nobis commendat, & Ioannis obedientiam maximè exaltat. exat autem locus, vbi Christus baptizandus vestes deposuit, quod indicat non aliter, quàm alios esse baptizatum, id est per immersionem. quod autem picturæ quædam aliud indicent, non mirum, quia nescitur quo modo Ioannes baptizaret omnes, & quia decentius sic repræsentari videtur Christus, sicut, licèt Christus omninò nudus sit cruci affixus, operitur tamen ob decorum. De loco baptismi Christi lege Baron. anno Christi 33. ex Grego. Turon. l. de gloria Marty. cap. 17. lege & Bedam de locis Sanctis c. 13. Borcar. p. p. c. 7. §. 30. Adricho. in suo Theatro In tribu Beniam. locum notat, n. 15. *Hic*, inquit, *Christus baptizatus est, qui locus ruinoso ædificio nùc insignis est, atque ibidem Peregrini in memoriam baptismi filij Dei sese abluere solent cum oratione ad Deum, vt pro sua ille misericordia, & Christi meritis peccatorum sordes abluat, atque hic postea sacellum extructum est in honorem D. Io. Bapt.* igitur erat iste locus in finibus Iudææ. Borcar. dicit distare à Hierico duabus leucis. Mundari ibi leprosos affirmat Greg. Turon. dum se lauant. Beda eo loco positam esse crucem ligneam ait, vsque ad collum altam, quam interdum excrescens aqua operiret: Solebant autem Christiani ascendere ad illam crucē adorandam per pontem, qui erat coniunctus monasterio, cui annexa erat Ecclesia S. Io. Bapt. & ipse quoque asserit, fuisse constructum templum quadratum eo in loco vbi Christus Baptizandus vestes suas deposuit in extrema fluminis parte.

Locus vbi Christus baptizatus est.

10.

11.

12.

4. *Confestim*] Cum dicitur *confestim* ascendisse interiore sensu significatur, quam leues sine peccatis animæ emergant, è baptismo. Quanquam secundùm litteram illud *confestim* videatur referri debere, ad, *aperti sunt ei Cœli*, quare Marcus inquit, *& statim ascendens de aqua, vidit cœlos apertos.* est ergò sensus, statim ac ascendit de aqua, aperti sunt ei cœli. Dicitur autem *ascendisse*, quia terra altior est littoris aqua. Sunt verò statim aperti cœli, quia nimirum Pater, & Sp. S. nihil expectabant aliud ad testimonium reddendum de Christo, quàm Ioannis baptismum, & eiusdem testimonium, decebat enim vt Dei testimonium hominis testimonium confirmaret, non contra. Sic Maldon.

A

Iesu Baptisato & orante] Igitur post Baptismum aperti sunt cœli, ne Baptismo Ioannis id tribueretur. propterea ascendit Christus de aqua, & tunc aperti sunt. sed cur apertum est cœlum? cur etiam Christo orante, & Baptisato apertum est? Responderi potest, vt constet cœli aditum per peccatum Adami clausum, aperiri per Baptismum; Cæterùm quia post Baptismum necessaria est oratio: ideo Iesu *Baptizato & orante* apertum est. Nam licèt remittatur peccatum per Baptismum, restat tamen fomes, & proinde iugiter oratione vtendum est, vt cœlum ingrediaris.

B

13. *Cur Baptizato Christo cœli aperti sunt.*

Dicere etiam possumus, ideò Christo Baptizato & orante reseratum esse cœlum, vt appareret virtute orationis Christi factum esse, vt aperiretur cœlum, quod innuere videtur Marcus dum ait: *Et ecce aperti sunt ei cœli*, vt si Imperator alicui pro aliquo supplicanti concedens quod petitur dicat, Ecce hoc beneficium non illi do, sed tibi. i. propter te: sic Chryso. hom. 4. In Matth. addit & hom. 14 apertum esse cœlum Baptizato Christo, quo intelligant Baptizati omnes, se ad cœlos vocari, iam nihil cum terrenis habere commune, *nostra enim conuersatio in cœlis est.*

14.

Significatum est etiam per hanc cœli reserationem Baptismum Christi lumen esse quoddam. Nicetas in Scho. ora. Nazianz. In sancta lum. *Baptismus*, inquit, *luminum nomine appellatur, quod purget, & illustret, quod sit vt faces eo tempore lætitiæ signum accendamus.* Dyon. lib. de Eccl. hierar. c. 3. In 1. eius parte sic inquit: *& sacræ diuinæ generationis Sacramentum, quia primi luminis consortium tradit, omniumq; Diuinarum illustrationum principium est, & ex effectu ipso verissimo, illud illuminationis cognomine prædicamus,* & Paul. Hebr. 10. *rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum,* hoc est, postquàm baptizati estis, tunc enim eos Iudæi persequuti sunt. sic & Hebr. 6. Secundùm aliquos; *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati.* &c.

C

15.

Aperti sunt ei cœli] Tribus modis intelligere possumus aperiri cœlos primo Metaphoricè, quia aliquis apparet de cœlo effectus, vt cùm Genes. 7. habetur, apertas esse cataractas cæli, seu fenestras; significatur vbertim de cœlo irruisse aquas, non aliter quàm si aër ipse, vel cœlum apertum esset varijs in locis, per quæ ingens aquarum vis ingruerit; eodem pertinet, si ideò dicantur aperti cœli, quia cœlestia mysteria, seu arcana, Deo alicuius viri intellectum illustrante, intelligerentur vt Isa. 7. Cùm mens eius Diuina luce irradiata incarnationis mysterium cognouit: *Ecce Virgo concipiet.* Sic Dauid Psalm 107. Christi Regnū percepit dùm dixit: *Dixit Dominus Domino meo*; & hæc cœlestiū mysteriorū cognitio Prophetica, non est visio, sed reuelatio, vel illustratio appellanda potius.

D

16. *Tribus modis aperiuntur cœli.*

Deinde cum interiori sentui apparent: ac si aperti essent per impressam aliquam speciem, vel similitudinem intra ipsam imaginationem, vel etiam oculis: quod accidisse videtur in ea visione quæ Stephano facta fuit Act. septimo, & Ezech. cap. primo. *Aperti sunt cœli & vidi visionem Dei*

ter-

Digitized by Google

Tertiò cum Dei virtute in Aëre vel alio elemento externis oculis apparet aliquid, quod sub obtutum oculorum cadit, præ se ferens reserati cœli similitudinem, quæ dicitur visio, non propriè prophetica, cum ea quæ sub visum cadunt obscura non censeantur, iam affirmo hic postremo modo esse cœlos apertos, in aëre siquidem ipso quidam veluti hiatus patefactum cœlum repræsentans, visus est, quod fieri potuit per condensationem quàdam aëris lateribus circumquaque lucentibus, & media hiatus parte ob sui raritatem lumine destituta; vel contra, vt mediam partem lux possideret, vndique luce destitutis lateribus. Hinc ergò descendere visa est columba, & vox Patris ad astantium aures deferri. Hæc enim signa facta sunt ad homines qui præsentes coram aderant, excitandos ad CHRISTI fidem, & testimonium Ioannis suscipiendum, omnibus igitur apparere, omnium oculis cerni, & externa esse debebant.

Christo quomodo cœli aperti.

17. *Vidit*] Gagnæus scribit Matthæi tertio, in illa: *aperti sunt et cœli*: dubium est, quo referatur, *ei*, ad Ioannem ne, an ad Iesum? quidam putant ad Ioannem referri, propterea quod habet Diuus Marcus; *& statim ascendens de aqua, vidit cœlos apertos*; quod ad Ioannem refert: quod tamen ex contextu ad Iesum mihi referendum videtur, paulò enim antè præcedit: *Venit Iesus à Nazareth Galilææ, & baptizatus est à Ioanne, & statim ascendens de aqua vidit cœlos apertos*; & eo modo, quod sequitur in Marco, *vidit columbam descendentem & manentem in ipso*, pro ἐπ' αὐτῷ, siue ἐφ' αὐτῷ, legendum esset *in se*, sic Gagnæus; Itaque videtur, *in ipso*, reciproce sumi, prout vertit in Matthæum Interpres, licèt Græcè habeatur ἐπ' αὐτόν. *super ipsum*, vel eum; sumendum est enim reciproce; nec tamen hinc efficias velim tantum Christum hæc signa vidisse, vel solum Ioannem; sunt namque hæ dicendi formulæ ad indicandum propter Christum hæc euenisse, & propter illum esse hominibus cœlum aperiendum, & Spiritus sancti gratiam tribuendam; sicut cum Ioannes dicit, *Ego vidi*, non sequitur quod alij non viderint, sed de se mentionem facit, quia sibi id promissum, & forte inter eos, quibuscum loquebatur Ioannes, aderant aliqui, qui columbam non viderunt descendentem, quia tunc præsentes non fuerant cùm descendit: quamuis hinc colligi non possit, nec debeat alios id non vidisse.

18. *Sicut columbam*] non descendit in Christum ad internum aliquem effectum in illo faciendum, erat enim Christus à momento conceptionis adeò gratia plenus, vt crescere non posset, tantum ergò indicabat columba in illum descendens id quod Christus prius acceperat; item significabat donum quod erat dandum baptizatis per Christum, hic enim est qui baptizat in Spiritu sancto, & de eius plenitudine nos eramus omnes accepturi. Cùm verò leges apud Patres, vnctionem Christi factam in Baptismate fuisse, intellige quo ad externam vnctionem, tunc enim *Vnctum*, id est, *Messiam* esse, palam fecit Spiritus sanctus, & Pater. lege Augustinum decimoquinto, de Trinitate capite vigesimosexto, & Gregorium libro nono regist. sexagesimaprima epistola, quomodo verò dicatur Spiritus sanctus descendisse visibiliter in Christum, cùm nihil tamen in eum tunc contulerit, docet Suarez quæstione trigesimanona Diuus Thomas art. septimo.

19. *Spiritus sanctus cur in columbæ specie apparuerit.*

Porrò in columbæ specie apparet Spiritus sanctus, vt in simplicitate columbæ significetur Baptismi effectus, sic Tertullianus libro de Baptismo, capite octauo, & quia columba à principio

A diuinæ pacis erat præco, Idem l. contra Valentinan. capite secundo, quam rationem declarat Hieronymus aduersus Luciferan. *emittitur de arca coruus, & non redit, & postea pacem terræ columba nunciat. Ita & in Baptismate Ecclesia, terrimo alite expulso, id est diabolo, pacē terræ nostræ columba Spiritus Sancti nuntiat.* Beda Marc. 3. 34. *Ideò*, inquit, *Spiritus sanctus super Saluatorem in specie columbæ apparet quia non veniebat vt per zelum peccata puniret, sed vt per mansuetudinem toleraret; In igne verò super simplices homines apparuit, vt eos ad punienda in se peccata Spiritualis feruor accenderet, quæ Deus per mansuetudinem vindicari parceret.* Chrysostomus, *Columba*, inquit, *præ cæteris animantibus cultrix charitatis, quam solā nō possunt immundi spiritus imitari, & nihil sic indicat Spiritum sanctum, vt gratia charitatis.* Glossa columba simplex & mansueta, Spiritus

B sancti natura simplex, Christus mitis. Item columba sine felle, non ore vel vnguibus lædit, puro vescitur grano, alienos pullos vt suos fouet, gemitū pro cantu habet, super aquam sedet, vt accipitrem præuisa vmbra declinet. Docemur ergo iram vitare, studere innocentiæ, abstinentiæ, charitati, compunctioni, & esse solliciti. Remigius secus scripturæ fluenta residentes incursum diaboli euadunt, sanas sententias eligunt, alios doctrina erudiunt, & exemplo; vtque columba in cauernis, nidificant in Christi plagis. 20.

Sed an vera fuit columba? bifariam id intelligi potest, vel vt dicatur verum quod non est apparens tantū, puta in imaginatione, & hoc modo vera fuit columba hæc, hoc est fuit signum aliquod exterius re ipsa cohærens; vel verum significat id fuisse, quod verè repræsentabat, & ita non fuit vera, quo modo colores iridis nō sunt veri, licèt primo modo veri sint. Idem dico de igne & linguis

C quæ super Apostolos emicuerunt. Non inficior 22.
Augustinum de Agone Christi, capite vigesimosecundo, quem secutus est D. Thomas quæstione trigesimanona, artic. septimo, in tertia parte, aliter sensisse de columba, quamuis aliud habeat epistola centesimasecunda, quod etiam indicat secundo de Trinitate, capite quinto, cum Ambrosio libro primo, de Sacrament. capite quinto, vnde fit non esse vllo modo probandum in vnitate suppositi columbam assumptam fuisse, sicut nec probat Augustinus tractatu nonagesimonono in Ioannem, & libro secundo contra Max. capite decimonono, libro secundo de Trinitate capite sexto, tomo tertio, & Chrysostomus homilia duodecima in Matthæum tomo secundo, nec erat necessaria talis vnio vt docet D. Thomas prima parte, quæstione quadragesima tertia, articulo septimo, ad

D quartum; & idem insinuat Augustinus libro tertio de mirabilibus sacræ Scripturę, capite quinto licèt Tertullianus lib. de Carne Christi, capite tertio, assumptam dicat, sed quo modo, non clarè exponit.

Sed dices, si vera columba non fuit ergo Spiritus sanctus fictione vsus est. Respondeo non esse fictionem cum aliquid assumitur ad repræsentandam aliquam veritatem, vt, cùm Christus specie peregrini apparuit, ex Augustino l. 2. qq. in Iuuenc. q. vltima vbi dicit, quando species aliqua diuinitus formatur & ad Veritatem aliquam formandā refertur, nullam esse deceptionem, sed veritatis significationem, licèt inde per accidens sequatur aliorum deceptio, alioquin etiam deceptioni tribuendum, cùm Angeli specie virorum apparuêre, cùm Spiritus sanctus in specie ignis visus, & sexcenta alia. Certè ad significandum Spiritum sanctum tam vera, quàm aërea columba assumi poterat. 23.

Manentem] Non est græcè nec Syr. vt notat Emmanuel. Marci primo de eo verò, quod dicitur *in se, & in ipso*, dictum est superius numero decimo-septimo.

24. 1. *Ecce vox de cœlis*] Vox Patris auditur & Spiritus sanctus descendit vt iuxta Hilarium Can. secundo in Matthæū, ex eis quæ consumabantur in Christo cognosceremus pòst aquæ lauacrum, & de cœlestibus portis. Sanctum in nos Spiritum inuolare, & cœlesti nos gloriæ vnctione perfundi, & Paternæ vocis adoptione Dei filios fieri, cùm ita dispositi in nos Sacramenti imaginem ipsis veris effectibus veritas præfigurauerit. Iterùm cum voce simul descēdit columba vt appareret de quo intelligenda esset vox illa, quæ externa fuit, & aures percutiens, ac de articulata, atq; adeò descensus ille columbæ digito indicanti rectè comparatur. Denique auditur hìc vox Patris, vt expressa repræsentatio Trinitatis haberetur, quam in Baptismo profitemur: Spiritus enim in columba, filius in homine, pater in voce, sua præsentia Baptismum consecrare voluerunt. Basil. in Psalmum vigesimumoctauū, Eleganter detorquet huc illud Psalm. *Vox Domini super aquas.* (Ioannes scilicet Baptizans super aquas) *Deus Maiestatis* (Pater) *intonuit* (*hic est Filius meus*, &cætera) Cyprianus de Baptismo, hanc vocem reueritus, huc vsque ait, Domine sancte Patre non audiuimus te ita loquentem vt personaliter assignetur loquutio tibi, quam proferres, hanc vocem à paternitate tua delatam, nemo est qui ambigat, nemo est qui hoc verbum sibi audeat arrogare. Hæc ille. Facta sunt autem hæc pòst collatum Christo Baptismum, vt non Ioannis Baptismo, sed Christi constet esse tribuenda.

25. *Hic est Filius meus dilectus*] Patet igitur hæc patri esse tribuenda; Ipse.n. est cuius Christus est Filius. Erat quidem effectus hic externus, id est, vox totius Trinitatis (vero similius enim est columbam & vocem à Deo factam, non per Angelos, sic Augustinus quarto de Trinitate vigesimoprimo. quem sequitur Diuus Thomas tertia p. q. 39. a. octauo, ad secundum licèt aliter Abulens. Matth. tertio, quæstione prima.) Sed vt columba erat ad repræsentandum Spiritum sanctum. Ita vox ad patrem indicandum; nec erat vera vox animalis ex Augustino epistola centesima secunda. Marcus habet, *tu es Filius meus dilectus*, vt & Luc. Matth. *hic est*, &cætera. Verosimile est Euangelistas rem vnam, & eamdem respexisse, licèt vario modo expressam lege Augustinum secundo de Consensu Euangel. cap. decimoquarto, si conijcere licet videtur Matth. retulisse verba eo modo, quo dicta sunt, quomodò etiam referuntur in transfiguratione à Matth. Marc. Luc. & Diuo Petro epistola secunda cap. primo. Denique; perinde est dicere alijs, *hic est Filius meus dilectus.* & cætera. ac Filio, tu es, & cætera: Posset & quis dicere vno modo locutum Patrem, sed in aure Christi aliter sonuisse ea verba; quàm in populo, vt de Apostolis dicitur cùm audirentur ab omnibus, sed verior est prior expositio.

In quo mihi] græcè non est *mihi*, nec apud Marcum.

26. *Complacui*] græcè apud Marcum ὁ ἐυδόκησα, id est, *in quo mihi complacuit*, in quo acquiescit spiritus meus, & animus meus, quem probaui, tot enim modis vertit Budæus. Ita Gagnæ. Marci primo.

Mihi tamen videtur præcipuè significare: per quem placatus & reconciliatus sum mundo, hoc est, per quem placari & reconciliari decreui, & in quem cùm intueor omnem iram pono, nam vox illa: *Dilectus* significat, in quo delector, quiesco, in quo nihil est, quod non placeat, quod non diligam. Cyprianus libro secundo, de Baptismo addit ex transfigurationis mysterio, *Ipsum audite*, sed hìc non habetur id; & est ratio in promptu ex Chrysostomo homilia quarta imperfecti; quia hìc agebatur de notitia Christi, & manifestatione: in transfiguratione verò de præponendo Euangelio lege Iustin. in dial. contra Triph. & Hilar. libro vndecimo, de Trinitate, & Can. secundo, in Matthæum, sic referunt hæc verba. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Psalm. secundo, quomodo Augustinus secundo, de consen. cap. decimo quarto scribit, habuisse nonnullos codices apud Lucam. Sed sententia quidem, quæ illis verbis Psalmi continetur eadem fuit, cum ea, quæ hic comprehenditur, sed non eadem tamen sonuere verba.

Erat incipiens, quasi annorum triginta] *incipiens* 27.
ad ætatis annos pertinet, & ideò non contentus fuit dicere, *quasi annorum triginta*: nam hic modus loquendi significare potest, parùm defuisse ad trigesimum annum complendum, vel etiam parùm præterijsse supra trigesimum completum, ideò addidit *incipiens*; vt intelligeretur loqui de initio anni trigesimi ineuntis, quasi dicat, ita erat tunc quasi triginta annorum, vt ingrederetur, & iniret annum trigesimum; græcè est καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν, id est, *& ipse Iesus erat propè ingrediens annum trigesimum.* ἀρχόμενος autem, vnde ἀρχόμενος significat incipere, & ingredi. Et re vera, inquit Gagnæus iuxta Ecclesiæ ritum, quæ Christi baptisma celebrat in die Epiphaniæ, iam tredecim diebus ingressus erat Christus annum trigesimum: Et subdit: Vnde parùm refert hoc loco, vtro modo dicas: incipiebat esse quasi annorum triginta, aut ingrediebatur circà trigesimum annum. quidam græci non habent ὡσεὶ & hoc modo sensus est, ingressus erat annum trigesimum. Ex voce, *incipiens*, collige circà brumale solstitium fuisse baptizatum DOMINVM IESVM.

Vt putabatur] quasi dicat, cùm vsque ad annum 28.
trigesimum putatus hactenus fuerit, vt filius Ioseph: nam pòst initum trigesimum declaratus fuit Filius Dei voce de cœlo delapsa. De annis Christi vide Theoriam. illud tantùm hic obseruandum, Diuum Ignatium epistola ad Trall. dicere: expletis tribus annorum decadibus verè baptizatus est à Ioanne: sed non significat, cùm venit ad baptisma, expleuisse omninò annos triginta; sed iuxtà vulgarem dicendi modum loquitur, quo dicimus aliquid egisse expletis tot annis, licèt non omninò completi fuerint, vt Diuus Lucas ait: *postquàm consummati sunt dies octo.* Denique græcè non habetur, *expletis*, apud Ignatium; sed καὶ τρεῖς δεκάδας ἐπὶ πολιτεύσαμενος ἐβαπτίσθαι. id est, & tres decadas annorum cùm vixisset, vel conuersatus esset, vel suo munere functus esset baptizatus est. & hæc de Scholijs.

THEORIA I.

De annis ætatis Christi vsque ad mortem.

1. PLACVIT hic paucis, vbi de baptismo Christi agimus, ad quem trigesimum annum ingressus accesserit, annos ætatis eius vsq; ad mortem simul complecti, vt tantò clariora sint, & magis ordinata, quæ libris istis conscribimus. Hinc ergò ordiamur. Conceptio Christi incidit in Octauum Kalend. Aprilis ex Ecclesiæ consensu. hinc verò ad octauum Kalendas Ianuarij, cùm natus est, nouem intercedunt menses, quot fuit in vtero. Itaque natus est CHRISTVS vigesimo quinto Decembris circa quater millesimum annum à creatione mundi. Pererius in Danielem libro vndecimo quæst. quinta scribit; pòst orbem conditum anno 4022. in lucem editum. Olympiadis 194. anno tertio, secundùm Eusebium in Chronic. & Bedam de sex ætatibus mundi (est autem initium Olympiadum à Iunio mense) idem etiam Suar. sentit tomo primo, distinct. sexta, sectione prima, & tomo secundo distin. decimatertia, Sectione quarta, licèt Baronius minus probabiliter ponat annum secundum; & Pererius annum quartum Olympiadis 194. Ab vrbe verò condita anno 751. Consulibus
2. Cn. Cornelio Lentulo, Valerio Messala, vel Messalino secundùm Casiodorum & Baronium in apparatu, qui fuerunt Consules ex Dione libr. 55. anno vrbis conditæ 751. licèt secundùm Epiphanium in Panar. hæres. 51. & Panuinum in com. Fast. libro secundo assignentur consules sequentis anni 752. scilicet Augustus 13. & M. Plautius Siluanus; qui Olympiadis 194. anno tertio vel quarto, secundùm Pererium, (sed fortè minus probabiliter) videntur consules fuisse. Verùm de consulibus, & vrbis conditæ anno res est obscura: satis verò est, quod auctores præstantiores
3. senserint annotasse. Imperij Augusti erat annus quadragesimus primus completus, & quadragesimus secundus inchoatus. sic enim ad concordiam reduci possunt, qui scribunt 41. Augusti natum Christum, vt Irenæus lib. tertio capite vigesimoquinto, & Tertullianus aduersus Iudæos cum ijs, qui quadragesimum secundum Augusti ponunt, vt Euseb. in Chronico. & lib. primo histor. Eccleiast. capite quinto, Epiphanius hær. 51. Pererius tamen Tertullianum accusat q. 5. citata: nam subdit Tertullianus anno quadragesimo primo imperij Augusti pòst mortem Cleopatræ ortum Christum, & tamen à morte Cleopatræ sunt anni triginta tantùm vsque ad ortum Christi: nam fuit mors Antonij, & Cleopatræ 12. annis circiter post primum consulatum Augusti, & anno Monarchiæ Augusti primo. Vnde fit, vt anno Monarchiæ Romanorum trigesimo natus sit Christus Dominus, tot enim numerantur anni ab initio Monarchiæ, seu à morte Cleopatræ, ad ortum Christi. Cœpit autem monarchia, atque adeò mors Antonij & Cleopatræ & Actiaca victoria 12. ferè anno à consulatu: vt autem clarius Augusti annos teneas, quo-
4. rum cognitio multum facit ad annos ætatis Christi fideliter indagandos. Obseruandum

Christus quando conceptus & natus.

Terminus posit anno mundi 4031.

A est, Augustum vixisse septuagintaquinque annos, id est ferè septuaginta sex; imperasse quinquaginta sex integros, si numeramus eius imperium ab initio consulatus: nam eodem die quo mense August. est renunciatus consul pòst quinquaginta sex annos imperij, qui fuit ætatis eius septuagesimus sextus annus, defunctus est, vt habet Pererius libr. vndecimo in Danielem q. quinto circà principium ex Dione, & Tacito. & si ab initio triumuiratus numeres eius imperium, idem erit numerus annorum, nam duo tantùm menses à consulatu ad triumuiratum fluxére. Porrò mors Iulij Cæsaris duobus ferè annis secundùm Appianum libr. quarto de bello ciuili præcesit primum Augusti consulatum, licèt Baronius vnum tantùm annum agnoscere videatur. Et hinc id est à mor-
B te Cæsaris videntur aliqui computare eius imperium. Accepit autem consulatum Augustus pridiè quàm vigesimum annum ætatis attingeret. fuit ergo imperator 56. annis, Monarcha ferè 44. vixit. 76.

Obijt ex Suet. 14. Kalen. Septemb hoc est, 19. Aug.

De annis verò Herodis Pererius rem dubiam reliquit q. 5. in lib. vndecimũ Daniel. sub finem. Videtur certè Regni Herodis anno 29. inchoato natus esse Christus. Regnauit enim Herodes annis 37. nam fuit initium eius regni ferè ab Actiaca victoria, seu quandò Antonius & Cleopatra victi sibi mortem consciuere, seu quod eodem redit à Monarchia Romanorum. Hinc verò ad mortem eius numerat Baronius in appar. annos 37. sic Ioseph. lib. 11. de bello Iudaico 22. & Euseb. in Chronicis.

5.

Descriptio prima sub Cyrino præside Syriæ facta fuit sub Herode anno ab Actiaca vi-
C ctoria 29. vel summum trigesimo, qui incidit in 42. imperij Augusti, cùm verò Eusebius ponit descriptionem hanc Olympiadis 194. anno secundo factam, & natiuitatem anno tertio, significat anno secundo missum Roma Cyrinũ fuisse ad faciendã descriptionem, licèt sequẽti anno facta fuerit. ita Suar. dist. 12. Sect. 4.

6.

Baptizatus est autẽ Christus anno ætatis 30. inchoato per 13. dies, imperij Tiberij Cæsaris anno 15. quod sic ostendo: nam vixit Christus quatuordecim annos simul cum Augusto integros, & menses octo, qui intercurrunt à fine Decembris, quando natus est Christus vsque ad finem Augusti, quando Augustus interijt, & eodem ferè die Tiberius regnare cœpit, cùm fuerit adoptatus tamquam hæres. Vnde cœpit imperare mense Augusto, licèt alij quidam
D scribant mense Septembri, sed videtur verius primum. cœpit autem tunc, quia tunc mortuus est Augustus. contigit autem Baptismus anno 15. Tiberij, scilicet anno 14. completo, mense verò quinto anni 15. imperij Tiberij Cæsaris (tot enim menses fluxerunt à fine Augusti vsque ad 6. diem Ianuarij: additis ergò simul 14. annis, & mensibus ferè quinque, ac illis mensibus octo supradictis inter finem Decembris & Augusti, fiunt anni 15. integri, & aliquot insuper dies.

7. *Christus quando baptizatus.*

Cæterùm interfluxit annus à baptismate vsque ad nuptias in Cana Galilææ celebratas, & ostendit Suar. to. 2. disp. 26. Sect. 1. sub finẽ quẽ etiam lege Sect. 2. Vbi declarat tempus baptismi, vt & Pererius lib. 11. in Danielem q. 6.

8.

D. Tho-

Digitized by Google

9. D. Thomas Ioan. 2. inquit: in primo anno à baptismo ad nuptias nihil aliud legitur Dominus fecisse, nisi quod dicitur Matth. 4. de Ieiunio in deserto, & de tentatione, & ea, quæ refert Ioannes cap. 1. de testimonio Baptistæ, & conuersione discipulorum. A nuptijs autem cœpit publicè prædicare, & miracula facere vsque ad passionem. Caietanus verò Ioannis 1. reationi ait consentaneum est, vt annum, qui inter baptismum, & nuptias intercesit, exegerit. Christus docendo priuatim, & conuersando sæpè cum Ioanne, vt frequens de ipso testimonium redderet, & ipse Christus inchoaret, docendo priuatim, monstrare, qui erat. Similia habet Rupertus Ioan. 1. Hoc tempore vero simile est, ad intemeratam Virginem redijsse, & iterùm in Iudæam venisse.

10. Eodem autem mensis die baptizatus est Dominus, quo à Magis adoratus est 6. Ianuarij, eodemque pariter nuptias cohonestauit. Die quidem Dominico contigit Natiuitas, & Baptismus, non autem miraculum in nuptijs, nec aduentus Magorum, licèt Augustinus serm. 154. de tempore aliter significet: diei enim Dominico hæc tribuit, sed populariter agit. Lucidus Mathematicus lib. 7. cap. 2. Feria 6. scripsit baptizatum Christum.

11. Mortuus est autem Christus Dominus expleto 33. ætatis anno & trigesimo quarto inchoato per tres menses nempè 19. anno Tiberij nam baptizatus est 30. inchoato, & pòst annum edidit miraculum in nuptijs; & indè numerâtur illa quatuor Paschata Ioannis nam de eo Paschate, quod incidit inter baptismum Christi & nuptias nulla habetur in scripturis mentio. Obijt autem olympiade 202. anno eius 4. ex Euseb. in Chronico. Vbi refert ex Phlegonte miraculosam solis defectionem, quæ contigit patiente Domino, contigisse eo anno die 25. Martij.

12. An verò potius 3. Aprilis mortuus fuerit, non vna est omniù sententia. lege de his Suarez. disp. 40. si. verò obijt 25. Martij, tunc dicèdum, dies 90. vixisse suprà annum 33. tot enim numerantur à. 25. die Decembris ad 25. Martij, si is annus non fuit bissextilis, alioquin adijciendus erit dies vnus. sunt qui dicant anni 33. die 100. & Aprilis tertio obijsse. asserunt enim ex tabulis Alphonsinis colligi à 30. anno Christi ad 37. exclusiuè non incidisse decimam quintam lunam in diem Veneris, nisi in annum 33. Christi 3. Aprilis; sed facilè potuit esse error, præsertim cùm Christus non 33. anno obierit, sed 34. Nihil autem in hoc Ecclesia decreuit, tamquàm de fide.

THEORIA II.

De Christi prædestinatione; in illa; *hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

1. *Incarnationis Christi summum beneficium.*

SATIS indicant hæc verba, quam præstantissimum opus fuerit à Deo factum, eùm Verbum caro factum est, quo neque esse, neq; excogitari maius aliud possit, vt non mirum sit, si tam immenso illud amore prosecutus fuerit Deus, vt in eo conquieuerit, & sibi complacuerit, adeò vt meritò dici possit, propter hoc opus reliqua omnia facta esse, & nó ipsum propter aliud. quod nobis hic ostendendum erit, vt tantò magis huius operis præstantia eluceseat; & simul constet, quàm omninò verum sit, hoc Dei Patris præconium: *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Ergò quamuis vno, eodemque decreto ab ipsa æternitate decreuerit Deus, omnes, quotquot sunt, creaturas condere: hoc tamen non impedit, quo minus inter se illas ordine quodam voluerit esse connexas, ita vt altera sit propter alteram tanquam propter finem. Produxit enim Deus elementa propter mista, hæc propter animantia, animantia propter hominem. 2.

B Est autem mea opinione verisima illa multorum Theologorum sententia, & nec obscurè, vt videtur, ex sacris Scripturis deprompta rerum omnium, quas Deus Opt. Max. condere decreuit, tamquàm omnium primam ac præcipuam, decreuisse præsertim ac voluisse Verbum carnem, id est, Christum Deum, & hominem, in quem omne illustrium donorum genus conferret, vt se in eo, quantùm fieri posset, explicaret. propter quem etiam placitum illi fuerit, reliqua creare omnia, quæ hac rerũ vniuersitate constant. Propter hoc namque Verbum in carne tanquàm ob primarium finẽ vniuersa molitus est. quod cum plura suadeãt, mihi tamen imprimis hæc tam singularis vox æterni Patris de cœlo missa multum persuadet qua testatur, hunc esse Filium suum dilectum C in quo sibi complacitum sit. 3.

Quoniam verò hæc vna res maximè Christi gloriam, & hunc Euangelij locum illustrat, & singularem illius prædestinationis modum rationemque declarat, paulò vberiùs enodare, & aliquot rationibus, & scripturis confirmare, sequẽtibus theorijs libet. Et hac quidem declarare conabor, Christum primariò à Deo intentum, & antè quodlibet peccatum præuisum, prædestinatum esse, ex Dei attributis, atque adeò ex natura summi boni. 4.

Principiò sumo Deum summũ esse bonum, ac proindè sese offendere, ac cõmunicare voluisse: & quidem optimo modo quo poterat. neque de ea loquor communicatione, quam *ad intra* Theologi vocant, sed de ea, quæ *ad extra* nominatur. Est enim omninò boni proprium, D sui esse diffusiuum. Cùm ergò Deus nõ modò bonus, sed ipsissima sit bonitas, decebat, vt se summè cõmunicaret. Et verò si Deus in mũdi huius molitione creaturis naturam cuilibet & consentaneas vires tribuendo, cõmunicarat. at hæc communicatio secundùm participationẽ quandam & similitudinem est. nobiliori propterea modo se per gratiã & gloriam iustis & beatis incredibili bonitate effundere voluit, quibus dat se tamquàm amoris, & fruitionis obiectum. 5.

Verùm & hæc communicatio, quoniam per modum obiecti est, adhuc imperfecta censetur, & decebat tamen, vt tamquàm summum bonum perfectè se, quamuis liberè impertiret, cùm posset, hoc ergò factum esse dicimus, cùm suam naturæ humanæ hypostasim contribuit. hæc enim communicatio nec per similitudinẽ 6.

est

per modum obiecti; sed tanta, vt per se verè Deus ipse creaturæ impertiatur etiam factum est, vt vel cæteræ omnes creaturæ quendam hic dignitatis gradum obtinerent. Nam cùm omnes vno, eodemque homine contineantur, cùm se Deus secundùm suummet esse homini dilargitus est, sui quodam modo reliquas etiam creaturas participes fecit. Et vt semel dicam, tanta est ea communicatio, vt per ipsam verè dici possit, homo est Deus, & Deus est homo.

7. Ex quibus quis non videt effici, vnum hoc opus ante cætera omnia, & præ omnibus, æquum fuisse, vt à Deo præscriberetur, & intenderetur propter summam eius præstantiam, nec decuisse, vt ex aliquo euentu penderet. Et hæc sit prima ratio ex natura summi boni desumpta.

8. Deinde si potentiam Dei spectes, quam ille vt cæteras diuinitatis suæ diuitias hoc potissimùm opere explicare, & aperire voluerit, idem efficies. quid enim potentiùs cogitari potest, quàm duas tam diuersas, tamque dissentientes naturas, diuinam & humanam tam valido nodo connectere? quam ipsam rem præclarum illud facinus Samsonis significasse, vel adumbrasse prius videtur, is enim duas columnas magna vi concutiens, & in se vno coniungens ipsa templi ruina, quod totum columnis ipsis innitebatur, interfectus est, ac suo veluti triumpho sepultus. Ecce tibi Dei Filium hic velut ob oculos positum, qui valida quasi manu duas naturas in suam vnius hypostasim copulauit, quod tunc præstitit, cùm se hominem fecit. Dum verò nostra supra eum peccata quodammodò ceciderunt, gloriosè extinctus est. Quare verè illud vsurpare potuit: *Opprobria exprobantium tibi ceciderunt super me.* Cùm igitur hoc opus valdè illustrem Dei potentiam efficiat, decebat vt propter se à Deo decerneretur, quamuis nullum vmquam peccatum futurum esset, imò licèt nihil aliud præter illud esse deberet.

9. Tertiò æquum erat, vt antequem veluti ab arce Diuinitatis, & tamquam ab æternitatis specula Deus peccatum prospiceret, hoc ipsum opus à Deo decerneretur ad iustitiam, misericordiam, sapientiamque suam ostendendam, & ad reliquas Deitatis perfectiones illustrandas, quod videbat, siue peccatum esset futurum, si ille permisisset; siue futurum non esset, semper ad eum finem vtile, & expetendum fore. quod verò semel admisso peccato ea consequatur, quam dixi misericordiæ, iustitiæ, ac sapientiæ DEI illustratio, non est difficile vel intelligere, vel declarare.

10. Vt enim Damascenus obseruat lib. 3. inter misericordiam & Dei iustitiam magna quædam lis coorta fuerat. Petebat illa remitti peccatum hominis, hæc iustam delicti vltionem postulabat. qui soluere debebat pœnam, homo erat, sed non poterat condignam. Deus qui poterat non debebat. Excogitauit Dei sapientia, vnde fieret vtrique satis. Atque ita Deus factus est homo, vt ita tamquam homo solueret quod debebat hominum genus; vt

A Deus verò haberet vnde solueret. Itaque *iustitia & pax osculatæ sunt, misericordia, & veritas obuiauerunt sibi.*

Magnæ profectò sapientiæ est prolapso iam in peccatum homine facere, vt qui semel victus est, iterùm in singulare certamen cum hoste descendat, eumque prosternat, id quod per hominem Deum factum iam vidimus. Visne perpendere, quanta hîc lateat sapientia? Audi. 11.

Specie diuinitatis victus homo fuerat à dæmone, at per hominem Deum effectum est, vt obiecta humanitatis specie, latentis diuinitatis potentia & virtute vinceretur ab homine Dæmon, vt ita homo pristinæ dignitati restitueretur, hæc si peccatum consecutum fuisset. 12.

Quod si nullũ extitisset, adhuc tanta est huius operis præstantia in repræsentandis immensis diuinitatis diuitijs, tam admiranda quædam B res est, & omnem prorsus creatam excedens pulchritudinem, vt dignissimum fuerit, quod propter se expeteretur. Ergò non dubitandũ, voluisse omninò Deum etiam propter se hoc vnum opus, tamquam se dignissimum, & in omnem euentũ per se expetendum magis, quàm quodvis aliud creatum. 13.

Iterùm hoc ipsum magis confirmari potest, nam cùm optarit Deus tamquam summũ bonum seipsum effundere, & inexhaustum suarũ diuitiarum pelagus ostendere: sit autem hęc omnium optima, pulcherrimaque id præstandi ratio; decebat sanè, vt hoc ipsum opus, hoc est, Verbum caro factũ, reliquorum omniũ, quæcumque condenda essent, finis foret, ita vt omnia propter hoc credi debeant à Deo fuisse facta, vt illi assisterent, illud comitarentur, & aliquo modo exornarent. quomodo solent pictores in tabella imaginem depingere, cui ornatus gratia quædam alia adiungunt, vt tantò pulchrior, ac conuenientior imago appareat, ita in hoc opere factum esse credere debemus, in quo tantũ elucent diuina attributa, vt nullo modo reliqua cum hoc conferenda sint. erit igitur omnium finis. 14.

Quod Rupert. l. 3. de gloria & hon. Trinit. & processi. Spiritus sancti cap. 20. sic docet: *religiosè dicendum, reuerenterq; est audiendũ, quia propter hunc hominem gloria, & honore coronandum, Deus omnia creauit.* & paulò post, *Rectius dicitur non homines propter Angelos. sed propter quemdam* D *hominem Angelos quoq; factos esse, & cætera omnia.* 15.

Atq; hæ rationes ex diuinis perfectionibus depromptæ sunt, quas subodorati etiam mundi sapientes aliquo modo fuere; nam philosophorum quàmplurimi Dei bonitatem, & immensas perfectiones, illiusq; ad se effundendũ & cõmunicandum consilium & amorem subtilius expẽdentes, dixêre, fieri non potuisse, vt vnicum duntaxat mundum effecerit, quare infinitos induxêre, vel certè plurimos, alioquin inquiunt, similem Deum fecerimus pictorem valdè insigni, qui artis suæ peritiam vnius musçæ pictura ostẽderet. Vix enim ac ne vix quidem quantum pingendo posset, hac sola re declararet. Et quidem, licèt hæc ab his benè aliquo modo disputata sint, non tamen ita factũ esset satis, vt sic dicam, diuinæ bonitati infinitate mũdorum inducta. Restat enim altior ad- 16.

Digitized by Google

huc modus seipsum communicandi, qui Deo homine facto continetur. Nam præterquàm quod mundorũ pluralitas non satis conueniẽs est, hoc solum opus per immensum interuallũ innumeros mundos superat præstantia ac dignitate. Vt interim fileam mediam aliam communicationem esse potuisse per gratiam & gloriam.

17. Quis ergò audeat affirmare peccati tantùm occatione à Deo factum esse, & alioqui futurũ non fuisse hoc opus, nisi per illud adhibere remedium, & medicinam facere, nostris peccatis voluisset Deus? Et quidem si Regi alicui pulcherrimus natus esset filius, & quidem optatissimus, ac dilectissimus supra omnia reliqua, & disceremus ab aliquo, regem summoperè gauisum esse, quòd natus esset sibi filius, vt curare posset vile aliquod mancipium per illum, certè nemo nostrum esset, qui non affirmaret, multò magis gauisum esse regem propter ipsummet filium, quem longè magis facere, & æstimare deberet, quàm quidquid accidere posset seruo, quamuis postea serui incolumitate, quam inde nascituram præuideret, ob suam in seruum beneuolentiam quoque gauderet.

18. Hactenus ex diuinis attributis ostendimus Christi prædestinationem talem fuisse, vt in omnem euentum, siue peccatum esset futurũ, siue non, absolutè esse debuerit; sequitur vt Theoria sequ. ipsam per se operis huius pulchritudinem, magis speciatim declaremus, quod benè perpensum eamdem rem clarius confirmabit.

THEORIA III.

De prædestinationis Christi præstantia, ac dignitate.

1. VNiuersim, & quasi implicitè huius operis pulchritudinem, & præstantiam mirati sumus. Age nunc vtcumque balbutientes pressiùs ac magis speciatim ostendamus, quæ hoc ipso opere tam admirando charismata, & dona insignia contineantur tamquam quædam diuinitatis immensa lumina, quæ si quis attentè consideret, næ ille omninò affirmabit, propter se optandum fuisse hoc hoc tam excelsum, & sublime opus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.

2. *Tria gratiarum genera Christo incarnato tributa.* Constat quidem communi Theologorum sententia tria prorsus gratiarum genera ipso conceptionis momento sanctissimæ Christi humanitati esse tributa, quarum singulæ suo gradu ac modo infinitæ sint, videlicet gratiam diuinæ vnionis, gratiam item capitis, denique & aliam peculiarem, ac animæ illius immaculatæ propriam, quam personalem nominant. Est namque concessum ei naturæ ipsum planè diuinum esse tunc, cùm diuinæ personæ fuit vnita, & quidem tam perfecto, & stabili nodo, vt verè dici queat homo ille Deus, & Dei Filius, atque adeò in cœlis, & in terris adorandus. Vnde non obscurè intelligitur hoc gratiæ genus infinitũ esse non ob ipsum duntaxat bonum, quod hic datur; est enim ipsum-

A met esse diuinum, sed propter ipsum etiam modum quo datur. Strictissimo namque & arctissimo nodo colligantur hic Deus & homo vnione personali, qua maior excogitari non potest præter eam, quæ est inter diuinas personas.

3. Alterum genus gratiæ fuit, vt homo ille caput esset, & vniuersalis hominum omnium Pater. & iuxta hanc eius dignitatem data illi quoque fuit infinita suo modo gratia, vt ab eo tanquam à fonte gratiarum vberrimo, & immenso sanctitatis oceano cæteri omnes vbibique hauriant quidquid habituri sunt gratiæ: atque eo nomine imprimis Christus dicitur *Sanctus sanctorum*, non eo solùm, quod longè excedat sanctos, sed multò magis, quod ijs omnibus sanctitatem impertiatur quotquot

B sancti fiunt. hæc gratia rectè infinita vocatur, quia ad infinitos homines saltem sese extendit, quantum ad se attinet; neque vmquam deficit, vel exhauritur vberrimus iste gratiarum fons.

4. Postremum gratiæ genus pertinet ad sanctitatem eius animæ, quod genus etiã suo gradu infinitum dici potest, quatenus omnia continet, quæ ad perfectam gratiæ rationem, conditionemque requiruntur. Neque tamen hic disputo, an hæc duo postrema gratiarum genera distincta sint, non enim necesse est distingui, sed satis est, vt pro ratione munerũ nunc capitis, nunc personalis appelletur. Et hoc ergò tertium gratiæ genus cum vnionis gratia connexum infinitatem quandam contrahit.

C 5. Verùm præter hæc gratiarum genera (neque enim hic est finis) eodem ipso momento omnia illa dona, quæ ad faciẽda miracula pertinent, perfectissimo sanè gradu eidem collata sunt. Nec mirum videri debet, tot vni homini, ac tam immensa collata esse charismatum genera, hunc namque veluti quendam omnis pulchritudinis florem esse voluit Deus ad commendandam diuinitatis potentiam, & ad edendum, quantum fieri posset, suę pulchritudinis exemplum, supra quem proinde florem candidissima illa columba, Spiritus inquam sanctus mansit, apertisque alis complexus est eum, totamque illi gratiam & virtutem plenissimè contulit. *Hic enim est Filius ille dilectus* æterni Patris, in quo sibi complacuit. Hic vas est electionis, in quod fluuius ille cœlestis omnium gratiarum copiosissimè ingressus est, ita vt nihil remanserit, ne

D gutta quidem, quæ eò non penetrarit. Fecit enim in eo Deus, quantum facere; dedit, quantum conferre potuit; & vt aiunt, iuxta vltimum potentiæ suæ hic operatus est.

6. Et neque his contentus eodem temporis, quo conceptus est, puncto, simul illi concessit DEVS diuinam intueri naturam, & omnibus etiam scientijs copiosissimè cumulauit, siue inditæ illæ, siue acquisitæ sint, & nominentur. Et quo magis admirere, hæc tam sublimia, & ingentia dona non vllis in illum meritis collata sunt. Sic D. Thomas doctissimè scriptum reliquit 3. p. q. 2. ar. 11. simul enim eam humanitatem, dum creauit Deus, ijs tam

maxi-

Digitized by Google

maximis, ac multiplicibus donis affecit. Neque id ob aliud potissimùm, nisi quia hoc modo voluit suæ potentiæ vires, perfectionum diuitias, munificentiamque suam declarare, & quàm multæ, quàm maximæ sint gratiæ vires,
7. ostendere. Quare meritò, iureque optimo Augustinus propter hoc ipsum, Christum vocat *exemplar gratiæ*, & quasi ideam. Vt enim magni scriptores, pictoresve insignes exemplaria quædam suorum operum edunt interdum, quibus artium suarum præstantiam, & quantum ipsi valeant, ostendant: Ita Deus optimus Max. vt suæ munificentiæ magnitudinem, & immensos bonitatis thesauros ostenderet, hoc vnum mente concepit opus, & suo tandem in lucem edidit tempore. Et vt Hester 1. Assuerus lautissimum ac solemne epulum instituit, quo vniuersi imperij sui duces, ac principes eius diuitias & potentiam agnoscerent; ita longè præstantius conuiuium Deus cœli & terræ Dominus Christi humanitati, quam veluti in sponsam sibi desponderat, exhibere voluit, atque adeò admirandum, vt creaturæ omnes magnitudinem, liberalitatem, diuitias suas cognoscerent, vt meritò de Christo dixerit de cœlo Pater, cunctisque testatum esse voluerit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

8. Hinc obiter patet (quod ad manifestandam Dei erga homines ad immensam planè bonitatem, & clementiam vehementer facit) quàm incredibili amore sanctissima illa Christi anima eodem ipso temporis momento, quo creata fuit, hominum genus prosecuta fuerit. Cùm enim sine suis meritis vidisset tunc, caput se, ac principem creaturarum omnium esse constitutam, & prostratis antè se cunctis cœli, terræque potestatibus adorari, quanto credimus amore, se ad DEVM amandum, cognoscendumque conuertisse, à quo cognoscebat tunc tam immensa in se dona esse collata?

9. Tunc ergò, cùm apertum illi fuisset, reuelãte Deo, nihil posse se gratius suo benefactori liberalissimo, & multiplicium gratiarum largitori præstare, quam si toto studio, & viribus hominum genus lapsum in pristinam vendicare salutem conaretur, atque adeò numquam desisteret ab hac cura, & cogitatione, quousque ad optatum finem hominum causam perduceret; quis iam hominum, vel Angelorum sermo satis explicare queat, quanto se Christi animus amore erga homines tunc conuerterit? quo desiderio, quàm ardenti studio, hoc Dei præceptum, hanc Patris voluntatem amplexatus fuerit? Ita Christi amor erga
10. hominum genus non ex ipsis hominibus qui amantur, mensurandus est, sed ex ipso erga Patrem amore immenso. Vnde factũ est, vt immensus quoque fuerit amor, quo in hominum salutem ferebatur, quia sic videbat, rem gratam omnium suorum bonorũ auctori munificentissimo se præstiturum esse. *Hinc exultauit vt gygas ad currendam viam.* Hinc de illo rectè dicitur Cant. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus transiliẽs colles.* Hinc est, quod hæc vna eum cura vrgebat semper, Lucæ 12. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor quousque perficiatur?*

A In libro Genes. cap. 29. scriptum est, septem seruitutis annos visos esse breuissimos Iacob Patriarchę, vt ad optatas Rachelis nuptias perueniret: quãto autem breuiores putamus visos esse Christo triginta tres laboriosissimæ vitæ annos, vt desponderet sibi sponsam Ecclesiam non habentem maculam?

Hic amor ebrium quodammodò illũ reddidit, ac in morem Noe toto nudatum corpore, & de ligno pendentem esse compulit, vulneribus saucium, madentem sanguine, sputis illitum, quando filiorum suorũ subsannationibus, & insultibus malè acceptus, mortis somno correptus est. Neque tamen ea omnia, quæ exterius passus est, ingentem illum atque immensum, qui intus latebat, amorem omninò exprimunt. 3. Reg. 6. legimus, tẽpli Salomonis
B fenestras latiùs patuisse ab interiori parte tẽpli, quàm extra viderentur: ita longè veriùs dicemus, vulnera quę toto Christi corpore sparsa conspicimus, quasi fenestras quasdam veri animatique templi, in quo diuinitatis plenitudo corporaliter habitat, ingentem quidem charitatem Christi nobis exprimere; sed præ illo, qui intus latebat, amore, satis arctas & angustas videri debere.

11. *Christus amore ebrius.*

Verùm hæc obiter, reuertamur nunc ad id, quod initio ostendere volebamus. Sanè tantum à Deo paratum opus, tot diuitiæ Christo collatæ, tot dona paulò antè explicata quid innuunt aliud, quid loquuntur, quàm hoc opus in primis à Deo propter se decretum esse? quamuis deinde oblata occasione per illud confecta sit hominum salus.
C

12.

THEORIA IV.

Idem auctoritate Scripturæ confirmatur.

1. SED ne videamur nulla sacrarum litterarum auctoritate niti; diuinis scripturis cõformem esse hanc sententiã, paucis ostendemus. De Christo Coloss. 1. scribit Paulus, *qui est imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creaturæ*, quo loco dicitur *imago*, vt Deus; *primogenitus* vt homo, nam qua Deus potiùs vnigenitus. Reddit mox Paulus causam, cur sit primogenitus, *quia in ipso*, inquit, *condita sunt vniuersa siue in cœlis, siue in terris, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Ecce in ipso, inquit, condita esse omnia, id est, propter ipsum, & in
D eius gloriam, etiã vt homo est, non ergò ipse propter alia. Sic nobis viri sapientissimi simul & sanctissimi locum hunc exposuere, Hieronymus in hæc verba, & Anselmus. Sic Augustinus contra epistolam fundamenti cap. 37. Nazianzenus orat. 3. post medium. Chrysostomus homil. 15. in illa ad Romanos 8: *Vt sit ipse primogenitus*, &c. Taceo alios. quid quod propterea Paulus ad Hebræos 2. affirmat, Christum esse eum, propter quem sunt omnia? est enim omnis creatura creata, vt conueniens domus, familia, regnum pararetur tanto Principi.

Digitized by Google

2. Item 1. Corinth. 3. *Omnia*, inquit, *vestra sunt; vos autem Christi; Christus verò Dei.* & loquitur secundùm rationem finis, hoc enim modo etiam electorum esse dicuntur omnia, cùm dicitur, *omnia vestra sunt.* Finis autem est prior in intentione; primus ergò, quem in rerum molitione Deus intendit, Christus fuit, reliqua propter ipsum.

3. Et verò neque illud silentio prætereundum est, quod cap. 8. Prouerb. scribitur, facit enim maximè ad rem: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, vel vt Septuaginta habent: *Dominus creauit me in initio viarum suarum.* Quod plerique Ecclesiæ Patres de sapientia carne velata interpretantur, id quod vel ex illo verbo: *Dominus possedit me*, acutè colligit Ambrosius. Itaque Christus qua homo idcircò ab æternitate ipsa conditus initio viarum Domini dicitur, quia peculiari quadam, ac propria ratione in ipsa Dei mente ab æterno primatum habuit, & primus fuit, quem Deus intendit, & propter quem ei cætera condere placuit. Quãuis autem quidam inter Patres, viarum nomine, redemptionis opera intellexerint, multò tamen verius Athanasius omnia Dei opera, *viarum* nomine interpretatus est. Vt enim via vestigijs impressis signatur, quæ transeuntis alicuius signa sunt, & effectus; ita diuina opera veluti quædam viæ sunt, & viæ vestigia ad ipsum ducentia: *Vniuersa* namque *via Domini misericordia, & veritas.* Psalm. 24. Has igitur Sapiens explicans, subijcit, *antequàm quidquam faceret à principio, & antequàm terra fieret*; quæ expositio de Christo homine consentit cum alio quodam loco Ecclesiastici 24. *ab initio & ante sæcula creata sum*, &c. vbi indicat, se de CHRISTO homine loqui, cùm subdat v. 34. *Posuit Dauid puero suo excitare Regem ex ipso fortissimum, & in throno honoris sedentem in sempiternum.*

4. Hanc eandem rem ex Psalm. 67. colligemus; ibi enim Christus vocatur fructus: *& terra nostra*, inquit Dauid, *dabit fructum suum.* Ergò vt propter fructum est arbor, & ille est, qui præcipuè intenditur, ita tota hæc rerum moles propter Christum constituta est, vt meritò Apostolus tempus Messiæ, *plenitudinem temporis* vocet. Tunc enim res perfecta dicitur, cùm suum, propter quem condita est, finem assequitur: sic enim ait: *Cùm autem venit plenitudo temporis*, &c. quasi dicat, tempore fructus aduentante iam. Et neque si Christus non fuisset non peccante homine, perfectus fuisset mundus, sicut nec est perfecta arbor, quæ fructu careat. Testatur Galatinus libro septimo de arcanis capit. secundo & quarto passim sentire, ac docere Hebræos, Deum ob Messiæ amorem vniuersa condidisse, ac propterea Isaiæ quarto vocari *germen.* & Psalm. 67. *fructum terræ.* Sunt enim hæc ceu finis & pulchritudo arboris. Messias verò vniuersitatis rerum omnium finis, fructus, & pulchritudo est.

5. Idem expressisse videtur Dauid Psalm. 39. illis verbis: *In capite libri scriptum est de me.* Christus enim de se loquitur, & in principio decretorum se à Deo electum fuisse ad eius manifestandam gloriam docet. Hoc autem

A quid est aliud, quàm omnium se non prædestinatorum modò finalem caussam fuisse, verùm etiam omnium creaturarum? quod tamen præsertim de hominibus verum est; nam quidquid gratiæ, & gloriæ hominibus concessum est, totum id in Christi gloriam & honorem refertur. Vnde fit, vt nostram gloriam, suam ille vocet; atque adeò suam mortem & ignominiam, quæ in nostram cedit dignitatem, suam glorificationem. *Venit*, inquit, *hora, vt clarificetur filius hominis.* Augustinus tract. quinquagesimo primo, & quinquagesimo secundo hoc modo ait, glorificari Christum in membris suis.

Sit ergò positum tamquam certissimum 6.
B Christum finem esse, propter quem omnia condita sunt, præsertim verò prædestinatorum. Et verò non solùm, vt ostendimus, finem, sed exemplar etiam fuisse docet Apostolus ad Roman. 8. dum ait: *quos præscijit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Non ignoro Diuum Thomam cum paucis quibusdam de Christo vt Deo hoc interpretari, quòd filij per adoptionem imitari debeant naturalem Filium. Passim tamen Hieronym. Anselm. Chrysost. Græci, Latiniique ferè omnes de Christo, vt est homo, intelligunt, vt sit hæc sententia, Christum mensuram quandam primam, & exemplar esse cæterorum prædestinatorum, vt sint illi in sanctitate, & gloriæ dignitate conformes. Hinc est, quod Origenes libro septimo super Epistol. ad Romanos per
C imaginem Filij, animum Christi intelligit. Dici enim potest imago Filij peculiari ratione, quia eum integrè in se suscepit, eumque perfectissimè refert. Huic ergò imagini docet nos Apostolus debere conformes esse, vt alibi nos etiam hortatur: 1. ad Corinth. 15. *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* De gloria verò corporis habet idem Paulus Philipp. 3. *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Est igitur Christus exemplar omnium prædestinatorum.

Nec satis est, dici prædestinatos *conformes* 7.
imagini filij, quod re ipsa in gloria illi similes sint; hoc enim modo etiam Beatæ Virgini, etiam Angelis conformes erimus. Et quidem
D hæc satis ostendunt, Christum caussam esse exemplarem nostræ prædestinationis. Si ergò exemplar omnium prædestinatorum fuit, primaria quadam intentione decretum fuisse, necesse est affirmare. Idem etiam clarissimè ostenditur ex eo, quod ipse caussa est meritoria omnium bonorum etiam spiritualium, & speciatim electionis, & prædestinationis, quod confirmat Apostolus ad Ephes. 1. cùm scribit: *Prædestinauit nos per Iesum Christum in ipsum*; vbi, *per*, caussam indicat meritoriam: *in*, verò finem. Et eodem cap. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso antè mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate.* Idemque docet Ioannes ca- 8.
pit. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Et cùm eadem videatur ra-

tio de

tio de Angelis, nam in omnibus primatum habet, sequitur profectò gratias omnes hominibus collatas, etiam Adamo, etiam Angelis ante peccati præscientiam per Christum, & propter Christum datas esse; alioquin quomodo staret illud Apostoli, saltem de hominibus acceptum? *Benedixit nos omni benedictione*; & vniuersim etiam de Angelis illud ad Colossen. 1. *qui est caput omnis creaturæ*? quare etiam Angelos oportet eius fidem habuisse, nec sine illa iustificatos esse. Illi enim Christi fide illustrati, tamquam caput illum admiserunt, & reueriti sunt (de bonis loquor) per quem, & propter quem gratiam, omniaque bona acceperunt: ob id subdit Apostolus; *Vt sit in omnibus primatum tenens*. Sicut autem in quolibet genere datur vnum, quod sit primum, & aliorum norma, cuius etiam participatione reliqua talia sunt, ita in genere habentium gratiam, Christus est primus dilectus, & prædestinatus, finis, exemplar, & causa meritoria electionis & prædestinationis aliorum.

9. Ab hoc ergò necesse est, gratiam hauriant, quotquot eam accipiunt. & hoc est, quod Luciferum cum suis detrusit in tartara, quia noluit sub Christo capite esse, nec ab illo gratiam accipere. Vnde factum est, tantum vt odij in illum conceperit, vt meritò *homicida* ab initio sit à Christo vocatus.

10. Quare nemo sibi persuadeat, si homo non peccasset, Verbum carnem non sumpturum fuisse, alioquin quomodo omnes in Christo, & propter Christum prædestinati fuerunt, vt vult Apostolus? saltem illi, qui ante peccati præscientiam prædestinati sunt, vt Angeli, & Adam: (quamquam omnes ante peccati præscientiam prædestinati fuerunt, iuxta veriorem Theologorum sententiam, vt Diuus Thomas quæst. 6. de veritate ar. 2. ad 9. docere videtur, & insinuat 1. p. quæst. 23. ar. 3. 4. 5.) Quomodo verum erit, in statu innocentiæ datam esse gratiam Adamo propter Christum? quomodo eumdem Adamum fidem in Christum concepisse in eo statu dicemus, si post præuisum peccatum Christus à Deo volitus, & prædestinatus est? Illa enim gratia, illa fides effectus est procul dubio prædestinationis, & electionis Adam, quam fuisse ante præuisum peccatum, non dubito.

11. Neque enim dubitandum est, fuisse prædestinationis illius effectus, cùm reuera fuerint media, quibus Adam salutem tandem adeptus est, sicut in alijs omnibus prædestinatis similia media, effectus procul dubio sunt prædestinationis eorum. at ostensum est superius prædestinationis, & electionis causam exemplarem, finalem, & meritoriam Christum fuisse, non ergò potuit Christus post præuisum peccatum esse volitus. Adhæc illa saltem Dei voluntas iam beneuolè in omnes homines propensa, qua vniuersim cunctos voluit ad æternam, & supernaturalem beatitudinem condere, & media conferre ad id necessaria, peccati præscientiam antegressa est, & eius permissionem: at etiam respectu huius Christus finis & exemplar fuit, igitur præcessisse

A necesse est in Dei mente Christi prædestinationem. Apostolum enim par est audire: *per Christum, & in Christo* Deum Patrem *omni nos benedictione*, id est, omni eo, quod effectus gratiæ est, benedixisse, siue illa in statu innocentiæ, siue post ad nos descenderit. Nec satis est 12.
dicere, in re datam esse Adamo gratiam, & fidem ob Christum, & per Christum, ipsam verò voluntatem dandi hæc in statu innocentiæ Adamo per modum intentionis non fuisse per Christum, nam vt hæc voluntas, inquiet aliquis, præcesserit peccati permissionem, velut habitus priuationem suam, non tamen Christi prædestinatio; hoc inquam non satis est dicere, cùm electio etiam ipsa ad iustitiam & gratiam fuerit per Christum, in cuius etiam gloriam cedit, vt ex citatis verbis scripturæ,
B præsertim D. Pauli, patet ex n. 10. atque adeò ipsa Christi prædestinatio ipsam voluntatem dandi gratiam præcesserit, necesse est.

Finem dicendi faciam, si vnam ex Patri- 13.
bus rationem afferam, quæ non parum roboris habere ad hanc ipsam sententiam confirmandam videtur. Si, teste Augustino lib. 14. de Ciuit. cap. 23. inquit Rupertus, absurdum esset dicere, Adam non peccante, generationes hominum non fuisse futuras, ac si propter homines, vt nascerentur, peccatum fuisset necessarium, quid de isto capite, & rege, omnium electorum angelorum & hominũ sentiendum, nisi quod ipse maximè omnium necessarium non habuerit peccatum, vt homo fieret ex hominibus, delicias suæ charitatis cum illis habiturus? quod confirmare videtur D. Thom. 1. p.
C q. 89. ar. 1. & hanc aliam addit rationem, animum rationis participem ob suam immortalitatis dignitatem esse per se intentũ à natura, non modò in specie, sed quoad numerũ ipsum & singularia indiuidua. Vnde colligit, hunc animorum numerum fuisse futurum, quamuis nullum fuisset peccatum. quis igitur affirmare audebit, non futuram Christi incarnationem fuisse, si non fuisset peccatum? cùm longè præstantius donum sit, quàm hominum propagatio, & multò magis per se intentũ, quàm quotquot sunt hominum animæ.

Idem & illud Anselmi confirmat lib. 1. *cur* 14.
Deus homo, cap. 18. quo probat homines futuros fuisse beatos, quamuis Angeli in peccatũ lapsi non fuissent, quia inquit, alioquin gaudendum esset hominibus, quod peccauerint Angeli.
D Vnde generatim efficit, nullam animam esse in cœlo, quæ sibi persuadeat, sine alterius peccato non futurum fuisse, vt ipsa bearetur. Nec alienus est Cyrillus ab hac sententia lib. 5. thesauri. cap. 3. vbi aduersus Arrianos, si, inquit, vt hæretici dicunt, vt nos produceret Deus, Filium produxit, erit ipse propter nos factus, non nos propter ipsum, cur ergò nobis non aget gratias, qui propter nos est? Erit etiam ipse sic gloria nostra, vt fœmina viri, non enim vir creatus est propter fœminam, sed fœmina propter virum. Et paulò post subdit: si propter nos Filius factus, primi nos erimus apud Deum: sic enim Deus nos primò, deinde Filium propter nos intendisse videbitur. Hæc quæ Cyrill. contra Arrianos disputat de Christo vt Deus est, æquè ad rem nostram faciunt,

si ad Christum, vt hominem accommodetur, ita vt propter nos primariò existimetur prædestinatus. Quare cùm lib. 5. thesauri cap. 8. significat à principio Christum fuisse prædestinatum in eum finem, vt si homo in peccatum caderet, per eum repararetur, & Deum præsciuisse futurum peccatum, & ideò totam humanam naturam in Christo fundasse, vt per eum restitui posset, loquitur de illa præscientia simplicis intelligentiæ, quæ antecedit omnem voluntatem, per quam Deus cognoscit quidquid euenturum est in creaturis, si hæ, vel illæ creentur.

15.

THEORIA V.

Respondetur ijs, quæ obijciuntur ab aduersarijs.

1. CAEterùm, quia nobis aduersarij varia scripturę loca obijciunt, & Patrum testimonia, ea omnia ferè duplici hac obseruatione excludentur. Prima obseruatio est, vt cùm Scripturæ, vel Patres docent, Christum carnẽ sumpsisse non nisi propter peccatum, aliter nó sumpturum, accipi & exponi debeant de carne morti, passionibusq; obnoxia. Sed iste modus diluendi obiecta nó quadrat in omnes auctoritates, quæ afferuntur, præsertim ex Patribus. quare alium possumus assignare modum respondendi obiectionibus. Altera igitur obseruatio est, probabilem nobis videre eorum Theologorum sententiam, qui opinantur, Deum eo genere scientiæ, quam *conditionatam* vocant, præscire, quid sua voluntas sit electura, antequàm intelligatur eligere: & quod magis adhuc certum est, constituendam esse in Deo, antequàm quidquam absolutè velit, scientiam per quam cognoscit, quid vnaquæque res operatura sit, si cum hac vel illa rerum conditione in hoc vel illo statu conderetur.

2. Hinc autem fieri volunt, præsciuisse Deũ, si creasset vniuersum, & in eo Angelos & homines cum his vel illis gratiæ auxilijs, lapsurũ fore genus humanũ in primo homine, si ipse peccatum permitteret; & hinc vidisse eadem conditionata scientia, offerendam sibi occasionem optimo modo suam Sapientiam, Bonitatem, Iustitiam manifestandi. Et hæc quidem scientia omne decretum omnemq; Dei volũtatem anteceserit. Hoc ergò posito rectè intelligimus, potuisse illum liberè, ita vniuersum condere velle, vt primum omnium Christum intenderit, tamquam cæterorum finem, caput, & fontem omnium bonorum vberrimum ad explicandos suarum diuitiarum thesauros, licèt re vera non esset executurus huius diuinæ œconomiæ mysterium, nisi post oblatam peccati occasionem; hoc enim modo aptissimè executioni mandandum esse videbat.

3. Ex his ergò, si rectè animaduertamus duplicem ordinem hac in re elicere possumus, intẽtionis vnum, alterum executionis. quare illæ scripturæ, quibus significatur, Christũ esse primò dilectum & amatum tanquam finem viarum Dei, intelligendæ sunt quoad intentionis ordinem. Cæteræ verò scripturæ quæ Verbũ induisse carnẽ non nisi oblata peccati occasione affirmant, de ordine executionis accipiendę sunt: nam posita illa scientia conditionata, qua peccatum, & Adami lapsus præuidebatur, & quidem ante decretum illud, quo Deus ad se manifestandum, sacræ œconomiæ mysterium condere decreuit eo potiori modo, qui se offerret; sic, ad hoc vt veniret, id est, vt tale decretũ exequeretur, necesse erat, vt peccare permitteretur, atq; adeò, vt præuisum erat, peccaret Adam, alioquin nisi id permitteret Deus, Adamo non peccante non venisset Christus ex vi illius decreti de exequendo eo mysterio, optimo quo dabatur modo. optimus .n. modus præuiso per scientiam conditionatam peccato Adam, fuisset, vt permitteretur peccare; alioquin illud decretũ non staret; habet namq; necessariam connexionem permissio, & peccatũ præuisum cum tali decreto, licèt si præcisè & simpliciter intentio & decretum spectaretur, quo voluit propter se tale mysteriũ condere, sic etiam nullo existẽte peccato venisset Christus: abstrahit enim illud decretum ex se præcisè ab hoc, quod Adam sit peccaturus, vel non peccaturus, atq; adeò non necessariò requirit peccatũ; qaia potuisset homo nõ peccare creatus cum talibus auxilijs & tentationibus, & tũc optimus modus Incarnationis fuisset, vt Christus veniret tanquam glorificator; secus facta illa hypothesi præuisionis peccati, tunc enim nisi peccasset, non venisset ex vi illius decreti, vt ex sequentibus clarius eluceset n. 4.

A B C D

Itaq; fatemur, quod si homo permissus peccare, non peccasset, venisset Christus, nõ vt redemptor, sed vt iustificator hominũ, & Angelorum, venisset vt eorumdem glorificator, venisset vt decus, gloria, & pulchritudo vniuersi. nam si homo præuideretur nõ peccaturus, nõ alius esset melior modus manifestandi suas diuitias, & perfectiones, quàm vt Christum conderet iustificatorẽ, & glorificatorem, &c. neq; non peccante homine cessaret absoluta volũtas Dei, & decretũ tam insignis & præclari operis condendi optimo, quo posset, modo; sicut cessaret, si præuiso peccato per scientiam cõditionatam, nollet illud permittere; quia tũc ex hypothesi, dato nimirum, quòd peccasset homo, si permisisset Deus, modus optimꝰ productionis Christi fuisset permittendo peccatũ. quare si illud nó permitteret, nõ staret illud decretũ optimo modo condẽdi tam insigne & præclarum opus, atq; adeò seipsum manifestandi.

4.

Deniq; si quis à me poscat, an licet Deus ex vi decreti, quod re ipsa, & (vt aiũt) de facto habuit, non fuisset incarnatus, si homo non peccasset, ex vi tamẽ alterius decreti, quod potuisset habere in tali euẽtu, quo homo non peccaret, fuisset incarnatus. Respon. secundũ nostrã sententiam, qua censemus, Christũ esse prædestinatũ & intentum simpliciter, & sine necessaria connexione cum peccato, constat vẽturum fuisse, neq; fore Deum aliud habiturũ decretũ contrarium. at ex hypothesi, qua ponimus ipsum peccatũ præuisum fuisse, nõ venisset, quia tunc facta hypothesi ex decreto, quod de facto habuit veniẽdi optimo, qui se offerret modo, necessariam haberet connexionẽ eius aduẽtus, & decretũ cum permissione peccati, & peccato ipso. Verùm in opinione eorum, qui sentiunt,

5.

6.

Chri-

Christum esse prædestinatũ ex occasione oblata peccati in eius remediũ, præuiso peccato per scientiam futurorũ absolutã imprimis nõ veniſſet ex vi præsentis decreti, quod de facto habuit, vt cõstat, licèt cõtra cẽseant, qui Christum absolutè prædestinatũ volũt de facto ante præuisum peccatũ: & sic propriè disputatur ista quæstio à Doctoribus grauioribus. An verò habuiſſet aliud in eo euentu decretũ, disputant quidã Doctores, licèt iste sensus huius cõtrouersiæ sit improprius, vt valdè incertus, & pendens à libera Dei voluntate. Si tamẽ liceat cõijcere aliquid, videtur potius opinandũ, non fuiſſe venturum, nam si reuera, & de facto non habuit nunc tale decretum condendi hoc mysterium, nisi post oblatam peccati occasionem, licet inde conijcere, non habuiſſe talem animũ non oblata ea occasione, cuius contrarium potius sequitur ex sententia nostra, qua dicimus absolutè decreuiſſe dato quocumq; euentu optimo modo illud exequi.

7. Et de hac controuersia satis, nam fusius, & exactius emungere hęc, & ad finem vsq; persequi, non ad interpretẽ Scripturæ pertinet, sed ad Scholasticos, inter quos consule Frãciscum Suarez nihil non huc pertinens amplectẽtem, & imprimis vide disp. 5. sect. 5. tom. 1.

DIGRESSIO MORALIS PRIMA.

Qualiter Christus Ioannem cohonestarit.

1. *Tres honoris gradus ad quos Ioãnes à Christo sublatus.*

OBseruandi sunt hîc tres insignes honoris gradus, ad quos Christus Ioannẽ ad Iordanis extulit aquas, sublimemq; corã omnibus fecit. Primum quidẽ quod dignum illum effecerit, qui secũ de humilitate cõtenderet. Contendebat Ioannes, & quidem meritò Christo se subijcere. Christus verò sponte primũ illi locũ deferebat, nẽpè vt baptizaret ille, baptizaretur ipse. Vicit Ioannẽ Christus: namq; præcederet baptizando, voluit, seq; illi inferiorẽ exhibuit.

2. Honorauerat olim Ioãnes, vt poterat, Christũ, dum in vtero exultauit infans, adhuc intra matris viscera positus, tunc cùm à Christo vicissim ille, quodãmodò baptizatus est, nimirũ sanctitate repletus. At Christus; nũc inquit, ego tibi honorem exhibebo, & à te iam baptizari volo: honorẽ exhibuisti, gaudio me præsente gestiens, en refero. Baptizatus es olim à me in Spiritu, ego nunc à te in aqua baptizari postulo. Et tu quidem clam, ego verò palam honore te afficiam: ergò *sine modò*.

3. Iam quis verbis consequi possit, quantũ ad hoc quod ei præcipiebatur, Ioãnis animus alienus erat: & obediuit tamen. nihil est tam molestum humili, quàm in altũ tolli; verùm Ioãnes hoc vno dumtaxat verbo audito; *sine modò*, statim cunctis omissis, non sine ingẽti stupore & reuerentia paret; vir sanè humillimus, ô cęcam celeremq; obediẽtiam? non ita Petrus imminẽsa Christi humilitate perculsus, cùm ad pedes illum suos accidentẽ vidisset, se gessit: sed dicere perrexit: *non lauabis mihi pedes in aternum.* quare factum est, vt audiret: *si non lauero te, non habebis partem mecum.*

4. Vtinam homines nũc, hoc est, terra & cinis non de sublimi loco certarent, & altiori dignitatis gradu, sed de humilitate contenderẽt. Audi quid Ecclesiast. 3. moneamur: *quantò magnus es, humilia te in omnibus.*

5. Iterum Christus sua ipsius submissione Ioannem ad sublimẽ honoris gradum vehementer extulit, non secus quàm si quis hominum ingentem aliquem, ac vasti ponderis lapidem in altum tollere volens, depressu alterius maioris lapidis id efficiat: Tunc enim quantum hic deprimitur, tantum lapis alter erigitur. Ergò quantò Christus se magis deprimit, tantò plus Ioannes attollitur, & supra cõmunem cæterorum statum collocatur, quantum verò se nunc Christus submiserit, quis capiat? ergò quantum Ioãnem extulerit, quis dicat?

6. Obseruant quidam quatuor fuiſſe Christi actiones, quibus immensam quandam animi submissionẽ nobis declarauit, vt imitaremur modestiæ, & humilitatis exemplum, quæ sunt Circumcisio, Baptismus, lotio pedum Apostolorũ, passio, præsertim verò dum nudus in crucem sublatus inter latrones medius fuit: & vt de cęteris taceam, certè quod tertio loco posuimus, magnum ac prope incredibile videtur, Deum, ac Dominum ad piscatorũ pedes abluendos abijcere se se. Verùm quantò maius est mundari, quàm mundare, tãtò ex hac parte maius videtur esse humilitatis exemplũ in baptismo, qui in lotione pedum, non quod purgatione vlla egeret ipse, neque quod ideò eò venerit, vt se peccatorem per humilitatem ostenderet. absit enim, sed in se peccatorum personã voluit sustinere. Ita Salme. to. 4. p. 1. pa. 64. col. 1. tract. 7.

7. Tertiò, postremò summo nũc honore à Christo Ioannes afficitur, itemque clarissimus redditur, cùm eum Angelum præconem suum, sui ipsius matutinum luciferum vt veri solis indicem esse facit. Præcesit enim Ioannes, secutus est ad Iordanem Christus, vt lucifer solẽ præcedere solet, & indicare præsentẽ. Vide Salm. Tom. 4. p. 1. tract. 3. pa. 21. col. 2. sub fin. de Iosepho, & eius præcone. §. memoriæ proditũ, &c. item quod habet ex Basil. ibid. pa. 22. col. 1. §. hæc vox repræsentata est:

DIGRESSIO II. MORALIS,

De Christi Baptismo, cui illa accommodantur; *Spiritus Domini ferebatur super Aquas.*

1. BEda exponens cap. 1. Gen. sic scribit: *hoc quoque quod dicit, Spiritus Dei ferebatur super aquas, figurat Spiritum sanctum descensurum super Christum de aqua Baptismi in specie columbæ.* Sic Beda. Nec tantùm descendit spiritus, & ferebatur super aquas Iordanis, eas fœcundãs, vimque regenerandi tribuens; sed & descendit, & mansit super eum ipsum, de quo Pater testatur dicens, *hic est filius meus dilectus*; & quidem gratiarum vbertatem, & donorum plenitudinem spiritus in Christum delapsus non obscurè indicat. Est. n. Christus vas illud Gomor, Exod. 16 quod manna repletum est vsq; ad summũ.

2. Quare iurè affirmare possumus de Christo, quod scriptum est; *super lapidem vnum septem oculi; Ecce ego cælabo sculpturam eius*, Zachar. 3. Sed quis est hic lapis? qui oculi? quæ sculptura?

lapis Christus est. *Petra autem erat Christus*, 1. Corinth. 10. lapis qui fortem Goliath confregit, & superbiam prostrauit, diaboli vires & imperium penitus deleuit, vicit namque leo de tribu Iuda. Apocalyp. 5. lapis inquam, qui abscissus de monte sine manibus, statuam illam, cuius caput aureum erat, pectus argenteū, venter æreus, crura ferrea, pedes de terra, prostrauit, diffecit, absumpsit, Regna nimirum Medorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, lapis, qui virga crucis percussus aquas redemptionis protulit. Lapis qui oleum, & mel dedit, *Eduxit mel de petra, & oleum de saxo durissimo*, pietatem, & misericordiam, scil. de saxo Diuinæ iustitiæ, ob quam Deus ipse, *Deus vindictæ* olim dicebatur, vindicans peccata in tertiam & quartam generationem, Deuteron. 32. lapis inquam angularis, *quem* Psal. 117. *reprobauerunt ædificantes, & factus est in caput Anguli*, nempè legis & Euangelij, Iudæorum, & gentilium, Diuinitatis & humanitatis, cœli & terræ, immortalitatis & mortis.

3. Ergò super lapidem hunc, *septem sunt oculi*, id est, septem Spiritus sancti dona, timoris, consilij, fortitudinis, pietatis, scientiæ, intellectus, & sapientiæ, quæ omnia Christus in cruce clarissimè ostendit, & nobis commendauit, Timorem quidem dum clamat, *Deus Deus meus vt quid dereliquisti me*? quid enim magis timendum, quàm ne Deus à nobis discedat? non quod Christus hunc de se in se conceperit timorem, sed quod nobis, his verbis illum insinuando commendauit. Ille enim non habebat, vnde sic timere posset; nos multa, quibus timendum ne Deus à nobis iratus abscedat. consilium indicauit, dum ea eximiæ charitatis verba protulit: *Ecce mater tua; ecce filius tuus.* Fortitudinem declarauit, quando post tot tormenta fortiter tolerata dixit: *consummatum est.* Verùm quæ maior pietas dici potest, aut inueniri, quàm vt quis pro inimicis, & persequentibus oret? *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Quæ maior scientia excogitari potest, quàm vt quis in medijs tormentis constitutus, atque adeò morte ipsa, impios de morte æterna nouerit liberare? *Hodie*, ait, *mecum eris in paradiso.* Quis intellectus maior, quàm se Deo commendare? *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Denique quæ sapientia cum hac comparari potest, qua terrena despicimus, & cœlestia meditamur, æternis anhelantes? Atqui hoc est, quod verbum,

4. *sitio*, nobis repræsentat. Fateamur igitur id, quod re ipsa verissimum est, ideò columbam descendisse, & super ipsum quieuisse, vt Spiritus sancti in eo plenitudo significaretur, & numquam ab eo discessura intelligeretur. & quoniam ita Spiritus sancti plenitudo Christo inhæserat, vt numquam imminuenda foret, non modò non tollenda, ob id præstantissimum Spiritus sancti opus in Christo, & donorum immensus cumulus, *sculpturæ* etiam nomine appellari potuit à Zacharia. quod enim sculptum est altè inhæret, vt amoueri non posse videatur: ac proinde rectè, ac verè dictum est; columbam super Christum sedisse, ac quieuisse.

5. Quod igitur nunc super has Iordanis aquas

A Spiritum Domini superferri legimus, initio nascentis mũdi allegoricè indicatum est à Mose, dum sic scribit: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.*

DIGRESSIO TERTIA MORALIS,

De sacro Baptismatis fonte.

AGE nunc, quoniam mundissimæ carnis Christi contactu sanctificatas esse aquas ad abluendas animas diximus: aliquid de sacri fontis, id est, Christi Baptismatis præstantia, & virtutibus, magno Spiritus sancti munere concessis, recensеamus. 1.

Ergò præstantiores has esse aquas verè affirmare possumus, quàm aquæ illæ cœlestes sint, cùm verè cœlestes, diuinosque homines reddant; præcedunt hæ aquæ aquas de petra à Moyse eductas, cùm è meliori petra, hoc est, de Christo, virga crucis eductæ sint. Hæ dulciores longè sunt, quàm aquæ illæ à Moyse iniecto ligno in dulces mutatæ. Istæ enim sanctissimo crucis ligno cœlestem quendam suscepere dulcorem; sunt item hæ nitidiores aquis templi, quibus tum vasa, tum sacerdotes abluebantur, cùm digniora aquæ istę vasa cordium, & accedentes Christianos efficiant, peccatorum sordibus emúndent, & in regale Christi sacerdotium conuertant. Longè hæ certè aquæ illis præstant, quæ hyssopo aspersæ eos, qui cadauera tetigerant, purgabant; at hæ multò felicius animarum sordes abluunt. *Aquæ baptismi præstantia.*

C hic baptismatis Christi fons, terrestris Paradisi fonte significatur, nam in quatuor diuisus partes, hoc est, per quatuor mundi plagas latissimè excurrit; longè perfectius totam irrigans, & fœcundans Ecclesiæ terram. Fons iste tãquam mare rubrum, in quo Aegyptij mersi sunt, & liberati Hebræi, teterrimum inferni Regem obruit, & veris Israelitis animæ salutem affert. Ad hæc, idem hîc multò melius, quàm calentes illæ aquæ in deserto ab Ana compertæ, ad omnia animi morborum genera pellenda efficaciſsimè confert; quid plura? 2.

Hæ sunt verè illæ Iordanis Aquæ, per quas Hebræi promissionis terrã ingrediuntur, hoc est, Christiani cœlestem beatitudinem assequuntur. Hoc sanè fonte Nahaman Syrus omni lepræ labe immunis redditur. Fons iste, verus fons Syloe est, in quo hominum genus Adæ peccato obcœcatum lumine fidei illustratur. Idem probatica est piscina, in qua languidus sanatur. Non esset dicendi finis si cuncta persequerer. 3.

D Admiranda sunt profectò, quæ de quibusdam fontibus referuntur, sed si cum hoc fonte comparentur, nullius sanè sunt momenti. Fons quidam in Macedonia esse narratur, cuius aquis pecudes albescunt. At Diuinus hic fons animas super niuem etiam albas, candidasque reddit. Dicuntur in Bæotia duo nasci fontes, quorum alter inducat obliuionem, reminiscétiam alter excitet, Baptismi fons terrenarum rerum contemptũ multò vtiliorem, & cęlestiũ rerum recordationem longè iucundiorem inuehit. Referunt non contemnendi Auctores 4. *Fontium admiranda cum fonte baptismatis collata.*

duos 5.

Digitized by Google

duos esse fontes in Aegypto, quorum vnus faces extinguat, alter extinctas accendat: At noster hic humanum cor terrenarum rerum ardens desiderio exscindit, ac destruit, & quãuis gelidum cœlesti charitate inflammat. Fons Solis apud Garamantes friget interdiu, noctu feruet; verùm hic longè felicior fons rebus ad nutum fluentibus ne extollamur, ne deijciamur aduersis efficit. Fons nescio quis Idumææ, tribus anni mensibus cœnosus, tribus limpidus, tribus viridis, denique tribus ruber apparere dicitur. Et noster hic fons modò contritionis terrorem incutit, & scelerum recordationem inducit; modò fidei claritatem affert, modò spei virorem aduehit, modò charitatis gratissimum, suauissimumque roborem renatis exhibet.

6. Habet & Sicilia, vt quidam aiunt, fontes duos, quorum alter sterilitatem, alter fœcunditatem præstat. Et sacra Baptismi aqua mala opera resecans sterilia reddit: sanctis verò actionibus altricem vim, & viuificam præbet. Postremò Canarias insulas fontem ab arbore scatentem habere, est, qui scribat; & sacri huius fontis aquæ longè fœliciùs ex vberrimo Christi in crucem sublati latere, vbertim scaturiunt, quibus omne hominum genus viuat & recreetur. Hæc carptim, breuiterque ex auctore Glossæ Magnæ in cap. 1. Genes. tom. 2. in illa verba: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.*

CAPVT III.

IESVS A IORDANE IN DESERTVM A SPIRITV ACTVS EST, VT TENTARETVR à Diabolo. A. 4. I. B. I. 12. c. 4. I.

1. A. TVNC *Iesus* C. *plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane:* (&) A. *ductus est;* (&) C. *agebatur.*

A. *in desertum à Spiritu* (quo) B. *statim spiritus expulit eum,* A. *vt tentaretur à Diabolo.*

B. *Et erat in deserto 40. diebus, & 40. noctibus: & tentabatur à Diabolo.*

C. *Agebatur à spiritu in desertum diebus 40. & tentabatur à Diabolo.*

B. *Eratq; cum bestijs* C. *& nihil manducauit in illis diebus.*

2. A. *Et cùm ieiunasset 40. diebus, & 40. noctibus,* C. *consummatis illis,* A. *postea esurijt.*

3. *Et accedens Tentator, Dixit ei: Si filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.*

4. *Qui respondens dixit: scriptum est, non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*

5. *Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi.*

6. *Et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum; scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

7. *Ait illi Iesus: Rursum scriptum est: non tentabis Dominum Deum tuum.*

8. *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* C. *in momento temporis.*

9. A. *Et dixit ei: hæc omnia tibi dabo,* C. *potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum.* A. *si cadens adoraueris me.* C. *quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa.*

10. A. *Tunc dixit ei Iesus: vade Sathana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

C. *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, vsque ad tempus.* A. *& ecce, Angeli accesserunt, & ministrabant ei.*

SCHOLIA.

TErtull. l. ad mrtyres: *Nemo, inquit, miles ad bellum cum delicijs venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis & substrictis, vbi omnis duritia, imbonitas, & insuauitas constitit.* Hoc si in corporali; quantò magis in spirituali militia requiritur; vbi spiritum liberum esse oportet, mentem sanam, carnem autem domari necesse est, ne in spiritum eleuetur? vnde concludit Tertul. *Itaque epistates vester Christus Iesus, qui vos spiritu vnxit, & ad hoc scamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione seponere, vt vires corroborarentur in vobis.* Hoc ille nobis exemplum proposuit, cùm statim à baptismate se ipsum à mundo in desertum segregauit, & ibi ieiunauit; & vt idem Tertul. scribit libro contra Psychicos de ieiunio, *contra diriora daemonia ieiunijs præliandum esse docuit.* Porrò tria narrant Euangelistæ de hoc Christi secessu: quibus se armis contra Satanam munierit: vt illum hostis adortus sit; quomodo aduersarium confuderit, dissecerit, confregerit. De hac histor. vide D. Ignat. epist. 8. ad Philippenses 3. tom. Biblioth. Patrum. Ambros. sermon. 35. tom. 3. Chrysolo. serm. 11. 12. 13. Chrysost. hom. 5. ex varijs in Matth. lo. Bern. serm. 14. in Psal. *qui habitat.* Origen. par. 2. in c. 4. Luc. de tentat.

1. *Tunc*] Post Baptismum 6. die Ianuarij manfit autem in deserto vsque ad 15. Februar. sine cibo, & 16. die tentatus est. Vide Canni. de Ioan. c. 2. paulò post initium.

Petiuisse verò statim à baptismo desertum, imò eodem ipso die significat Cyprianus serm. de ieiun. & tent. Christi. & Eusseb. Emissen. in ho. quod etiam facilè ex Euangelistarum verbis est colligere. Matth. enim statim post Christi baptisma, & auditam vocem subiecit: *Tunc ductus est.* Et Marc.

con-

continuò spiritus expulit eum. Luc. *Egressus est à Iordane, & ductus est à spiritu in desertum.* vt videl. intelligamus illicò nos à baptismo ad certamen esse vocatos. Deinde docet nos suo exemplo Christus, vt cùm aggredi paramus magnum aliquod opus, cuiusmodi est animarum reductio, ad Deum prius accurrendum esse. Res est enim hæc difficultatibus implicita, & periculo plena, si fine Dei ope præsletur. Denique eos, qui diuina Spiritus sancti gratia verè impelluntur, docet Christus statim spretis omnibus deserta petere, id est, ad interiora, & secretiora confugere, vbi cum Anan filio Sebeon lacrymarum nanciscantur irrigua, quæ calidæ sunt, nimirum diuini amoris igne succensæ. *Plenus*] non quod antea semper non ita fuerit, sed quod tunc magis ea re demonstrârit se plenum esse, quodque apparuerit, vel ex hac vna, in cæteris etiam omnibus actionibus à Spiritu sancto regi.

4.

A spiritu] non à spiritu malo, vt docet Gregor. homil. 16. sed à sancto Spiritu, nam cùm paulò superius mentio Spiritus sancti fit facta: dicitur enim *plenus Spiritu sancto*, certè cùm subditur, *ductus est à spiritu*, vel *agi*, vel *expelli* de eodem debet spiritu intelligi: & meritò, ab hoc enim tempore præcipuo quodam modo ad maiora Regni Dei negotia Spiritu sancto directore Christus progrediebatur. Et hoc quidem exemplo videmus eos, quos Spiritus sanctus ad gloriam diuini nominis seligit, in alios repentè viros demutari. Sic Moyses delectus ad populi liberationem, repentè & gregem, & Iethro deseruit, sic Saul cùm esset vnctus à Samuele 1. Reg. 10. repentè mutatus est in alium virum, & relictis paternis asinis ad sublimiora rapiebatur; sic Apostoli induti virtute ex alto, repentè omnibus admirationi fuerunt, cùm dicerent Iudæi: *nonne omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt?* itaque cùm prius narrassent Euangelistæ Christum è Iordane Spiritu sancto plenum ascendisse quasi vnctum, explicant nunc, vt in aciem processerit: ita enim olim pugiles vngebantur. Sic & nos vngimur in baptismate, quasi mox futuri pugiles Christi. Audi Chrysost. homil. 5. in Matth. *Numquid miles signatur, & oleo vngitur, vt sedeat? signati sumus in cruce Christi, oleo vncti, & spiritu promissionis sancto purificati, sicq; Christo nomen dedimus.* vt docet Tertullian. libr. de corona militum: nunc igitur & ab illo Christi spiritu ad pugnam inuitamur.

5. *A quo spiritu Christus ductus.*

Ductus est] Obseruandum est hæc tria: ductum esse à spiritu, expulsum, & actum in desertum; licèt aliquo modo pro eodem sumi possint, aliquid tamen diuersi continent, & ideò in huius historiæ textu omnia posita. *ductum esse*, significat à turbis se subduxisse. Græcè enim est apud Matth. ἀνήχθη, sed quia hoc magna Spiritus sancti efficacitate factum est: nouum enim viuendi modum aggressus est tunc Christus; & Dæmonem inuasurus desertum inijt, propterea Marc. *expulsum* dicit, quod non vim illatam significat, sed spiritus, vt dixi, efficacitatem, qua Spiritus sanctus Christum exposuit à Dæmone totis tentandum viribus in deserto.

6. *Mutatio dextera excelsi in illis, qui regnum Dei promoturi sunt.*

7.

8.

Tentauit enim Dæmon eum quantum potuit, at nos tentat quantum nos possumus sustinere. Cæterùm quia in eodem deserto spiritu Dei regebatur, siue dum oraret, siue dum ieiunaret, siue dum locus mutandus esset, ideò Luc. dicit, *agebatur à spiritu*, id est, vi spiritus, *in desertum*. hic enim accusandi casus tacitè locorum mutationem, vel etiam operationem innuere potest; eademque dicendi formula ostenditur Christus sponte & iussu in desertum, & ibi fuisse, sicut & cùm dicitur *à spiritu ductus*. Sunt etiam qui dicant non improbabiliter idem esse agi in desertum, quod expelli in desertum, tam enim *expelli*, quàm *agi* significare videtur efficacitatem Spiritus sancti, quæ Christum ad desertum impulit, & vt inquit Matth. duxit, & simul Christi promptitudinem ad eum ductum, impulsumque sequendum: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Huius ergò fluminis impetus lætificabat humanitatem Christi, tamquam amplissimam, bonisque omnibus refertam ciuitatem Dei, vnde factum, vt prompto, alacriq; studio in desertum venerit cum hoste pugnaturus, & sanctam quadragesimam consecraturus. Illud obseruandum Gr. apud Marcum haberi ἐκβάλλει, id est, *expellit*, siue *eijcit*.

9.

A

Desertum] Desertum hoc idem erat cum illo Ioannis, quamuis fortassis non eandem incoluerit Christus partem: interiora tamen deserti petijt, vocatur à quibusdam *Quarantenæ*. Vide quæ superius diximus c. 1. Theor. 4. de deserto.

11. *Quod desertis Christus inhabitauerit.*

B

Vt tentaretur] bifariam explicari potest vocula illa, *vt*, vel vt dicat consecutionem, seu rei euentum, præsciens enim Christus, se in tam sancto secessu tentandum, voluit id permittere ob causas assignatas à Diuo Thoma 3. p. quæst. 41. art. 1. vide illum; vel vt notet causam, seu finem, ita tamen vt non tentatio, sed eius promissio & fructus dicantur intenta, quæ possunt non modò ad Spiritum sanctum, sed ad humanam quoque Christi voluntatem referri: sciebat enim Christus Spiritus sancti voluntatem, nullumque subesse periculum posse. Lege Suarez quæst. 29. sec. 1. sub finem tom. 2. Sed rogabis, præbuit nè Christus occasionem Dæmoni, vt ipsum tentaret? Respondet D. Thom. loc. cit. art. 2. ad 2. duplicem esse posse occasionis formam, alteram ex parte hominis, cùm videlicet aliquis exponit se periculo peccandi per eam: hæc omninò vitanda est. Alteram ex parte

12.

13. *Duplex occasionis forma.*

C

diaboli, qui semper inuidet ad meliora tendentibus, vt dicit Ambrosius lib. 4. in Lucam, c. de ductu Iesu in desertum tom. 5. & eiusmodi occasionis genus vitari non debet, quamuis sciuerimus aggressurum esse nos Diabolum, si bonum opus aggrediamur. In Christo non potuit habere locum primum illud occasionis genus, sed posterius tantum: Dum per bonum opus ieiunij, & contemplationis cœlestis, Dæmonem lacessiuit. de tentatione multa hic habet Bar. to. 2. l. 2. c. 8.

A Diabolo] Diabolus est insidiator, & calumniator; vocatur autem hîc tribus nominibus. *Diabolus, tentator*, denique *Sathanas*, est autem *satan*, seu *satanas* vox Hebræa apostatam significans, teste Iren. l. 5. alij *aduersarium* interpretantur, Apocalyp. 12. Iunguntur hæc duo nomina *sathanas*, & *diabolus*. In veteri testamento *satan* interpres vertit, in nouo, *satanas*. Psalm. 108 (vbi tamen Heb. *sathan*, Septuaginta vertunt, *Diabolum*) Iobu. Zachariæ 3. hinc & hostis, seu aduersarius, & insidiator quilibet dicitur *satan*, 2. Regum. 19. *quid mihi & vobis filij Saruiæ? cur efficimini mihi in satan?* Sic Matth. 16. Petrus dictus est. talis autem effectus est diabolus, non naturâ, sed voluntate & operatione: ob hoc se tentari voluit Christus, nemo igitur diffidat, nemo se torpori det, si tot se diaboli circumuentum insidijs videat, quin etiam post baptismum, etiam post religiosæ vitæ ingressum: non enim accepisti arma, vt otieris, inquit Chrysost. homil. 13. imperf. in Matth. *Cum bestijs*] Græcè μετὰ τῶν θηρίων. est autem θηρίον venenata bestia, quales sunt serpentes & viperæ. Erat igitur desertum hoc incultum, & horridum. Quod autem Euseb. lib. 9. de demonstr. Euangel. cap. 7. per bestias Dæmonem intelligat, mysticum continet sensum.

14.

15.

Diabolus illis] sub diebus, intellige noctes.

Digitized by Google

Vide tom. 3. Bibl. Pat.

Cùm ieiunasset] cur ieiunarit Christus, do-
D. Thom. q. 41. a. 3. in corpore. August. serm. 77.
mp. sic scribit hac de re; hoc enim fecit caussa
tis nostræ, vt rem vtilem non solùm doceret
bis, sed etiam exemplis institueret, vt ijsdem
ligijs quibus ad fidem gradimur, ad abstinen-
n gradiamur. Bonus enim medicus poculum,
od ægro daturus est, ipse prius gustat, vt peri-
m artis suæ ante ipse in se demonstret, vt expe-
entum æger accipiens, securus sit de poculo,
curior de salute. Assignat & alteram causam ibi-
dem Augustinus, arbitror, inquit, causam hanc es-
se ieiunij: vt quia primus Adam in paradiso con-
stitutus per intemperantiam gulæ, gloriam im-
mortalitatis amiserat, eandem immortalitatem
secundus Adam Christus per abstinentiam repa-
raret; & quia contra mandatum Dei gustans de in-
terdicta arbore, in peccatum mortis inciderat,
nunc secundùm mandatum Domini ieiunans, vitæ
iustitiam mereretur. Hoc enim egit Saluator, vt
ijsdem vestigijs, quibus admissa fuerant delicta,
purgentur, id est, quia homo manducando deli-
querat, corrigat abstinendo; vel quia epulando
mulierem cognouerat, nunc eandem ieiunando
despiciat. Adam enim Euam non nisi intemperan-
tia prouocante cognouit. quamdiu autem in illis
mansit temperata parcitas, mansit & impolluta
virginitas.

17.

En igitur Christiane ostendit tibi Christus ar-
ma, quibus hostem superes, solitudinem, oratio-
nem, & ieiunium.

18.

Cæterùm sicut cùm Christus Iordanis aquas te-
tigit, eas sanctas & salutares reddidit, eisque vir-
tutem ad generandos Dei filios contulit, ita ieiu-
nium nostrũ quadragesimale suo hoc ieiunio de-
signasse, ac sanctificasse iurè dicitur, & vniuersim
omnia Christianorum ieiunia, nempe quia veluti
suo ipse ieiunio diuinam eis quandam, cœlestem-
que virtutem, ad sanctificandos imposterum ho-
mines impertijt, vt enim si aqua per loca aliqua
transeat, eorundem locorum conditionibus affi-
citur: ita ieiunium cùm per Christum vitæ auctо-
rem veluti pertranſit, vim quandam nouam, & di-
gnitatem continet. Itaque iam ieiunium non vir-
tutis tantùm abstinentiæ actus est, sed religionis
etiã, & imitatio Christi. De ieiunio lege multa a-
pud Tertul. aduers. Psychicos, & Barr. c. 7. to. 3. l. 2.

Suo ieiunio Christus nostrum sanctificauit.

19.

Quadragesimale ieiunium à Christo inchoatum & seruatum.

Quadraginta diebus] de ieiunio quadraginta
dierum præter Maldo. Matth. 4. 2. vide in primis
Ambros. sermon. 25. & in Quadragesima serm. 3. v-
bi inter alia habet: *Scriptum est* (1. Ioan. 2.) *qui di-
cit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit,
& ipse ambulare. Si ergò vis Christianus esse, debe
quod Christus fecit. Ille qui peccatum non habebat.
Quadragesimam ieiunauit: tu non vis Quadragesi
mam ieiunare qui peccas? ille inquam peccatum non
habebat sed pro nostris ieiunauit peccatis; qualis er
gò apud tuam conscientiam Christianus es, cum Chri-
sto pro te esuriente tu prandes, cum Saluatore pro te
ieiunante reficeris?* Hieron. etiam lib. 9. comm. in
Ezechielem 19. inquit, *& hic sanè numerus sempe
afflictionis, & pœnitentiæ est, vnde Moyses & Elias,
ipse Saluator quadraginta diebus & noctibus ieiuna-
runt, & per quadraginta annos populus erat in solitu-
dine, vt postea circumcisus in Galgalis opprobrio &
ignominia AEgypti liberetur* (Numerorum 24.) *in
cuius numeri sacramento & hic idem Propheta pro
tribu Iuda 40. diebus dormit in dextro latere, &
400. annis populus seruiturus in AEgypto nuntiatur,
qui faciunt 40. decadas. Pluuiæ quoque diluuij 40
diebus inferunt orbi naufragium, iustum enim erit
vt qui per quatuor elementa mundi, quibus omnia
constare dicuntur, dum ea diligit & fouet, Deum of-
fenderat, in ipso numero puniretur.* Albinus quoque
qq. in Gen. inter. 127. *Quadragenarius*, inquit, *nu-
merus tribulationem pœnitentiæ ostendit, quod verò
Noe post quadraginta dies fenestram arcæ aperuit,
significat ieiunio cœlum reserari: Ideò Moyses, Elias,
& ipse Saluator quadragenario numero ieiunia con-
fecerunt tanquam tribus temporibus necessaria antè
legem, sub lege, sub gratia.* Ecce tibi typos nostræ
Quadragesimæ. Ifichi. in Leuit. exponit, quib. & ad
cuius exemplum hoc ieiuniũ præscribatur: nam l.
7. in c. 27. illud explicans à quinto anno vsque ad
vigesimum, masculus dabit 20. siclos, id est, vt 70.
vertunt, 20. didrachmos, qui sunt 40. drachmæ; ita
explicat quod is qui 20. annos attigerit, quadra-
ginta dies ieiunio cõsecratos obseruare debeat; 20.
enim annorum inquit, inter fortes etiam pugnare
valens numeratus est à lege. Ieiuniorũ autem atq;
orationis profectum 40. drachmarum numerus si-
gnificat; quia tot diebus ieiunasse & Mosem & Eliã
& ipsum Dominum didicimus, quando à Diabolo
tentabatur.

20.

Meritò igitur Aug. ser. 77. de tempore ait: *Qua-
dragesimã abstinendo ipse Dominus cõsecrauit, & tot
dierum, & noctiũ curriculo cibũ omninò non capiens,
vnum, ac solidũ ieiunij tempus effecit. Totum non ob-
seruare sacrilegium, est, ex parte autem violare, pec-
catum est.* Vide eundem in Ps. 110. ep. 119. c. 15.

21.

Coronidis deniq; loco Ignat.) adscribamus ver-
ba ep. ad Philipp. to. 3. Bibl. *Quadragesimam nolite
pro nihilo habere, imitationem enim continet Dei cõ-
uersationis.* Est igitur Quadragesima exemplum
Christi, itemq; institutio, seu traditio Apostolorũ
est, vnam Quadragesimam ieiunare, vt ait Hieron.
ad Marcell. lege Cano. Apostolorum 68. constit. a-
pud Clem. l. 5. c. 13. quod decretum confirmauit Te-
lesphorus Papa Sextus à Petro in decretali ad om-
nes Episcopos. Abulens. in Matt. 6. q. 152. habet, D.
Petrum ipsti tuisse Quadragesimam primũ, & ad-
uentum, sed hũc non fuisse ab omnibus receptum.
Vide item Greg. c. 2. l. 3. in l. 1. Reg. & c. 1. l. 5. eiusdẽ
expos. & ep. 24. l. 7. Chrys. ho. 1. in Gen.

22.

Postea esurijt] cur esurierit, habet Ambr. ser. 31.
Aug. l. 3. de mirab. sa. scr. c. 6. supernaturali virtute
intrinseca, eaque miraculorum effectrice vsus est
Christus, qua impediuit actionẽ, alterationemve
famis & sitis, scil. caloris in humidũ radicale, seu
primigenium, qua in re multũ interest inter ipsum
& Mosen, & Eliam, nam hi externa tantùm virtute
id potuêre. At Christus plenum dominiũ habebat
in corpus suũ, vt ea tantũ agere vel pati posset, quę
vellet, neq; verò sola ipsa attentio, & studiũ; neq;
contẽplationis voluptas & suauitas quædam satis
esse potuit ad impediendum, quo minus naturales
vires bona ex parte operarẽtur per tot dierum in-
teruallum: atq; adeò ne corpus deficeret. Possunt
fortassis hæc ad tempus aliquod facere, ne fames
sentiatur, & vt impediatur quadamtenus, non o-
mninò tollatur.

23.

Cæterùm cùm hic dicatur postea esurijsse Domi-
nus, clarè significatur cõtra Isidorũ Clariũ orat. 8
in Luc. nõ esurijsse per omnes illos dies, verũ illis
tantũ peractis. Caietan. affirmat Matt. 4. afflictum,
macieq; per dies illos confectũ quidem, quod cibi
potusq; indigẽtia laborârit: vt solẽt qui cibi inap-
petentiã patiuntur; neq; enim hi esuriunt, licèt ob
cibi indigentiã debilitentur, sic Christus. Sed nec
hoc verũ: nam tunc nõ se Deũ tam clarè ostẽdisset,
neq; verò hoc est multiplicare miracula; nã eadẽ
illa virtute qua caloris naturalis actionẽ in humi-
dũ radicale prępediebat, effectũ quoq; cuiuscunq;
alterius cõtrariæ affectionis, quæ ex fame oriri so-
let, impediebat. Atq; adeò potuit nil gustare, & nõ
esurire: neq; aliquid eorũ pati, quæ ex cibi defectu
vel esurie cõsecuntur, vt est macies, & quæ nume-
rat Caietan. ad quod non parum iuuat etiã Spiritus

24.

Quando esurierit Christus.

sancti

sancti solida consolatio, & diuinis attentiùs inhęrere; hæc enim vigorem quendam, & hilaritatem quandam, ac veluti virorem afferunt corpori, conformius ergò est verbis Euangelistarum nihil horum passum Christum, cùm scribant postea esurijsse; carere quidem voluit cibi oblectatione, vt nobis esset exemplo, alijsque modis sanctissimum illud corpus affligere, loci videlicet asperitate, vigilijs, humi iacendo, orando, & inde aliqua vt in corpus redundaret immutatio permittere; nihil tamen huiusmodi sensit ex cibi defectu. Vide Theor. 1.

25. 3. Et *accedens tentator*] Græcè est ὁ πειράζων, *ille tentator*, scilicet diabolus, qui solet tentare, & ad malum sollicitare. Dicitur ergò hîc, tẽtator, quod experimentum vellet facere diuinitatis Christi eumque ad malũ illicere. Vide in hæc verba Amb. l. de Cain, & Abel, c. 5. Greg. 2. mor. c. 23.

Fuisse videtur ex Augustino l. 9. de ciuit. c. 21. ex Ioanne item 14. *princeps dæmonum*, dicitur enim, *venit princeps mundi huius*, &c. cùm autem ait, *accedens*, id est, gradiens significat corporali specie, & gressu accessisse: tentauit autem Christum verbis extĕrnis: neque enim poterat interiores sensus Christi, vel affectus excitare, & commouere. vide num. 30. 31. 33. & 34. Consule Toletum adnot. 6. & 7. in Luc. c. 4. imò nec per somnum, aut ignauiam; vel tristitiam vnquàm eum Dæmon tentauit: nihil enim eiusmodi, in eius potuit corpore operari. Quod est contra Euth. Matt. 4. in illa, *& cùm accessisset ad eum tentator*, &c.

26. Quare rectè Gregor. hom. 16. in Euan. *Omnis*, inquit, *illa tentatio foris, non intus fuit, sic etiam per serpentem Dæmon impetiuit Adamum*, ex Barrad. l. 2. c. 3.

27. Sed numquid à solo Lucifero, an ab alijs Dæmonibus etiam tentatus est? à multis millibus Dæmonum tentatum putat Euseb. Cæsarien. l. 9 de demonstratione c. 7. equidem arbitror à solo Lucifero saltem visibiliter fuisse tentatum. Potuêre alij adesse inuisibiliter, non tamen tentasse videntur si adfuêre.

28. Non est autem ausus accedere cùm nõ esurientem vidit, timebat Deum. At postea cœpit dubitare magis, cùm esurientem videt, & infirmitatem hominis, qua Christus eum lacessebat, si vellet inire certamen, idque ob bonum, quod inde in omne hominum genus redundare debebat. Illud ad mores facit, quod hic obseruat Theodo. serm. 10. de prouid. hîc probè prędiscere, inquit, licèt, quo pacto à nobis ipsis belli occasionem hostis ille arripiat, famem enim conspicatus, ex illa, ceu edito loco, tela immittit. nam & verum est prouerbiũ, necessitas cogitat turpia. prodigus adolescens fame compulsus, pascit porcos, & quàm multi aut pigritia, aut ingluuie ad necessitatem, & famem compulsi adigunt se prauis satanæ consilijs, vt furentur, occidant, se prostituant, & nihil non quãtumuis impium, attentent, vt misero isti corpori cibum aliquĕ conquirant. Hinc meretricum è corpore quæstus, hinc fures, latrones, falsi testes, mẽdaces, & quotquot sunt huius generis. Vide itẽ in eandem sententiam Isidorum Pelusi, l. 3. ep. 385.

29. Sed quomodo esurientem cognouit? vel vidit calorem naturalem agere, ac absumere humidum radicale, cum prius oppositum Christo permittente vidisset.

Vel aliquo externo signo id Christus indicauit. Vide Chrysost. hom. 15. in Matth.

30. Iterum hic quæri potest: an Dominus per totum 40. dierum & noctium interuallum tentationes sit passus? Marc. cum D. Luc. habet: *& tentabatur*.

Videturque præsertim apud Luc. vbi Græcè non est coniunctio, &, iungi Τὸ *tentabatur* cum Τὸ, 40. *diebus*. Sunt præterea qui dicant, vt Beda, totos 40. dies tentatum; sed hoc inquit D. Thom. q. 41. ar. 3. ad 2. non de illis visibilibus tentationibus intelligendum est, quas narrant Matth. & Luc. quas constat factas esse post ieiunium. Sed quibusdam alijs impugnationibus, quas fortè illo ieiunij tempore est Dominus à Diabolo passus. Sed iam dixi superius num. 26. & dicam nu. 33. 34. non potuisse Christum interius à dæmone tentari. Et verò non decebat, vt intra se cogitationes, aut phãtasiæ, aut sensus motum, inquit Caiet. Matth. 4. per Diabolum haberet. Sed dicere tamen possumus inuisibiliter tentari potuisse quantum ad personam dæmonis, & quantũ ad externa verba, licèt per externa quædam alia signa, seu spectra, vel res, quibus dæmon seruorum Dei pacem, animiq; tranquillitatẽ turbare assolet. Verùm multò melius est si dicamus non fuisse tentatum, nisi post 40. dies. hoc enim indicare videtur Matth. cùm ait, *cùm ieiunasset* 40. diebus, &c. postea, hoc est, 41. die, quando etiam soluit ieiunium, vel summum 40. ipso die esurijt & accessit tentator, ita tamen vt 41. dicamus ieiunium soluisse. & idem est sensus Marci, & Lucæ, Græcè enim per participium hi loquuntur: nam Luc. ait, *agebatur spiritu in desertum 40. diebus tentatus à Diabolo*, intellige ante vocem, *tentatus*, *& cùm ibi esset 40. diebus tentatus est*, vel agebatur in desertum, ibi manens, vel mansurus 40. diebus, postea tentatus est, ita vt illa: 40. *diebus*, referantur ad præcedentia. hoc enim indicat coniunctio, &, quam habet hic interpres, *& tentabatur*, licèt Græcè non legatur apud Luc. Qua declarasse videtur interpres illas voces 40. *diebus* cum antecedentibus coniungi debere. Quod & Matth. textus indicat, & ratio ipsa suadet. Nam tentator ex esurie videtur arripuisse ansam tentandi, alioqui non ausus tentare. Audierat enim de cœlo, illum esse filium Dei, & ob id accedere metuebat. Marc. textus, vbi etiam annectitur latinè coniunctio, & facilius sic exponitur.

Habet enim græcè ad verbum: *& erat ibi in deserto dies quadraginta tentatus à Diabolo*, scilicet post absolutos dies quadraginta, & quidem continenter factæ sunt hæ tentationes.

33. Sed opportunè tandem dubitet hic aliquis, quamobrem non potuerit Christus tentari per internam suggestionem, sicut verè superius asseruimus num. 26. 30. 31. Ad hanc dubitationem respondet optimè Damascen. lib. 2. de fide cap. 20. *Malignus igitur deforis suggerebat, non per cogitationes*, &c. *per interiorem enim suggestionem nec à Diabolo, nec à carne, nec à mundo tentari potuit. Nam tentatio interior non fit sine aliqua delectatione, quæ non est nisi in natura peccatrice, id est, qua per peccatum vulnerata, nec plenè sanata est: non decebat autem Christum talem naturam assumere, sed ab omni peccati contagio liberam, ne ipse etiam secundùm assumptam naturam redemptore, & liberatore egeret.* Hanc rationem benè explicat Abulens. quæstion. 21. in cap. 4. Matth. his verbis: 34. *Tentatio per delectationem est, quando sine aliquo suggerente incipit aliqua res placere contra ordinem rationis, & inde oritur desiderium illius, vt cùm aliquid delectabile secundùm carnem homini incipit placere, non quidem per deliberationem, sed quia in homine est naturaliter complacentia illa, in quantum talia videntur bona secundùm carnem.* In Christo autem non potuit esse tentatio aliqua ab intra, quia ista incipit per quandam deordinationem virium nostrarum, in quantum vires affectiuæ incipiunt aliquid concupiscere, quod est contra rationis desiderium, & non subijciuntur immediatè illæ vires imperio rationis. & ista

deor-

deordinatio vocatur peccatum quoddam, quia est quędam repugnantia ad legem, cùm vires superiores sint, lex & mensura virium inferorum. Non est tamen peccatū, quod nos Deo faciat reos, &c. deindè huiusmodi tentatio etiam si in nobis posit esse interdum absque peccato, in Christo sine peccato non esset: in nobis enim præcedit sæpè iudicium rationis, in Christo autem præcedere nō poterat, qui omnia præuidebat, nec erant in illo motus qui primo primi appellantur, vt ait Damasc. l. 3. c. 20, tentatio siquidem propriè dicitur cùm est in nostra potestate, & aduersatur rationi. ex dictis intelligitur optimè, quod etiam inquit Ribe. ad Heb. c. 4. Cur S. Tho. 3. p. q. 41. art. 1. ad 3. dixerit tentationem carnis non posse fieri sine peccato, quia fit per delectationem & cōcupiscentiam. *Si filius*] audierat cœlestem vocem: *hic est filius*, &c. idemq; ex Ioānis prædicatione, vel fama cognouerat; ideò non statim agressus fuerat timens Dei Filiū; ast vbi sēsit illū esurire partim timore depositō, dubitare vehemētius cępit. Accessisse porrò videtur animo explorandi an verè Deus esset, & si nō esset animo inducendi etiam in peccatum. si enim voluisset ad peccatū impellere nō lapides attulisset, sed panes. si autem tantùm explorare voluisset, non cibum proponeret. Volebat ergò eum ad appetendum cibum, & comedendum ante tempus, vel certè indebito modo pro miracula sine necessitate excitare; lege D. Tho. 3 p. q. 41. art. 4. ad 1. Quare illud Hier. argum. in comm. in Matth. duobus contrarijs teneris Diabole, si ad imperium eius possunt lapides panes fieri, frustra tentas eum qui tantæ potentiæ est: si autem non potest facere, frustra Filium Dei suspicaris. hoc inquam argumentum firmum est, spectata prima ac præcipua intentione Diaboli, qua venerat exploraturus an De Filius esset: hoc enim modo procedit Hier. quomodò nihil perfecisse poterat tentando eum, neque negat potuisse proficere inducendo in peccatū quandò Filius Dei non fuisset. Tol. annot. 9. aliter sentit dein huius rationis Hieronymianę. Collegisset porrò Diabolus esse filium Dei, si conuertisset lapides in panes. neque enim id facere potuisset nisi Dei virtute; atque Deus non vires præbet, adiuuatq; ad testandum, confirmandumque falsum, quale maximè fuisset pro Filio Dei haberi si talis nō fuisset: & propterea ita aggreditur: *si Filius Dei es.* q. d. in huius rei testimonium & confirmationem hosce lapides in panes verte. neque enim contentus fuit dicere hos lapides panes effice, sed voluit id faceret in eius rei cōfirmationem, nimirum si Filius Dei erat, videturque hæc vox supponentis, vel affirmantis esse Filium Dei. ac si dicat: quandoquidem Dei Filius es, & esuris, cibusque in promptu non est, vtere potestate tua, quod si fecisset attestatus fuisset se Dei Filium esse. Emm. ait: ita apparet occultum illi fuisse incarnationis mysterium, alioqui non speraſſet Deum se posse decipere; vult dicere occultum Dæmoni fuisse an esset Filius Dei.

Quomodò, inquies, Dæmon non cognouit esse Deum; cùm id videatur potuisse ex annuntiantis Angeli verbis, & Patris in baptismate, stella, Magis, &c.

Respondeo ex Caiet. Luc. 4. Dæmonis intellectum ne id intelligeret fuisse à Deo impeditum, quemadmodum enim illius vim ad nocendum, ita vim ad intelligēdum pro diuina sua prouidentia, quantùm opus est, frænat. quod ex Hessel. etiam notabimus infrà num. 49. tantùm. n. inquit Aug. l. 9. de ciuit. c. 21 Christus Dæmonibus innotuit quātùm voluit, tantùm aūt voluit quantùm oportuit. vnde rectè infert Caiet intellectum dæmonum ligatum seu impeditum esse à Deo in pœnam peccati; ita vt non solùm potentia eorum sit ligata, sed etiam intelligendi vis vt nequeāt cognoscere quæ alioqui naturalis sui luminis vi possent cognoscere. ex eo enim quod pòst verba Gabriel. ad Virginem; pòst verba Angeli ad pastores, pòst verba de cœlo in baptismo diabolus non cognoscit Iesum esse Filium Dei, habetur quod non intellexit testimonia, sic Caiet. sentit. Idem ferè Abulens. Matth. 4. q. 22. sciebat quidem inquit Barrad. l. 2. c. 3. Deo reuelante antequam, è cœlo caderet Filium Dei carnem sumpturum, at tempus, & quid acturus esset Deus homo factus ignorabat; propterea an ipse Iesus esset Deus hominem indutus ambigebat. Vide inferius lib. 3. c. 9. in Theoria & cap. 10. in Scholijs ad ver. 8. Porrò ad Scholasticos pertinet disputare, an dæmō cognoscere potuerit Christi humanitatem propria carere personalitate, & cum diuino suppositō coniunctam esse; nam vt primum concedatur, negandum est secundū omninò, quod diabolus cognoscere voluerit, an esset Dei Filius

Docet etiam Suarius q. 41. art. 1. D. Thom.

Dic] Iube. Beda, *dic*, non *fac* dicebat dæmon, quia scriptum nouerat, *fiat lux, & facta est lux*, id est Filius Dei verbo condidit omnia, ergo *dic*, loco *dic*, quidam Scioli hæretici, *iube* vertunt, quos meritò redarguit Maldo. Matth. 4. in hæc verba. nam licèt vtrumque idem hîc sit; maiorem tamen vim habet, *dic*, quàm *iube*.

Aduerte hic lector aduersus Hæreticos quanto illi hac in parte peiores sint dæmone. putauit ille Filium Dei posse saxa in mollem panem conuertere. negant isti panem ac vinum in suum corpus ac sanguinem conuertere, cùm dicit, *hoc est corpus meum*, &c. Cyril. Hierosol. in Cathe. Mystagogica 14. *Aquam Christus aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propinquum in cana Galilææ sola voluntate: & non erit dignus cui credamus quod vinum in sanguinem transmutarit?* Luc. habet, *dic lapidi*, sed potuit singularem ponere pro plurali; vel sensum sequutus est, non verba, vel vtrumque cum multa miscereret verba diabolus dixit, & ostenso vno ex lapidibus quos gestabat ait vt Lu. habet, sed vel prius vel posteà dixit vt Matth. scribit. & obserua quod licèt Dæmon mendacissimus sit dùm tamen ait: *si Filius Dei es, dic vt lapides*, &c. his verbis rem sanè verissimam protulit, quamuis nihil ipsé minus cogitaret. Est enim proprium filiorū Dei lapides in panes vertere. i. dùm verbo tamquā lapide feriuntur, vertunt illud patienter tolerando in mollem panem. Maius enim homini vulnus, conuitium: quàm lapis infert; Eccl. *flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa.*

4. *Non in solo*] q. d. potest Deus omni alia re, quam decreuit in cibum dare, hominem sustentare, puta, manna, vel aqua, vel frugibus, vel herbis, vel quapiam alia re. Sicut Io. in eremo sustentabatur locustis & melle syluestri. verba hebręa sunt: in omni egressione oris eius, vbi nos legimus *ex omni verbo, quod procedit ex ore Dei*, & est sensus in omni egressione, &c. i. in omni re, quam Deus ore præcipiens miserit ad hominem, vel ostenderit homini. Verbum ergo est iussio, ostensio, & res iussa vel ostensa. *Viuit*] viuere potest Deut. 8 3.

Quod procedit] quod Deus dixerit, seu voluerit; ita se Christus Dei Filium occultauit, non negauit. Hæc est igitur prima tentatio. Vide in hunc v. etiā Chryso. opere imper. hom. 41. pòst initium.

5. *Assumpsit*] sequitur secunda ordine tentatio, nam subdit Matth. *iterum assumpsit*, & pòst sequentem additur: *tunc reliquit eum Diabolus*, & cætera. Matth. ergò, non Luc. rei ordinem est sequutus. licèt in quibusdam codicibus reperiatur idem ordo etiam apud Lucam. Verè autem assumptus fuit à diabolo, & ductus super pinnaculum templi Hierosolym. & inde in altum montem

35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. *Hæretici peiores dæmone in quo.* 42. *Filij Dei lapides in panes conuertunt & quomodò.* 43. *Marci 1.* 44.

sed Christo permittente, & eo modo quo Abacuch Angelus transtulit. Quare non videtur verùm quod D. Thom. habet in Matth. 4. dæmonem per viam duxisse illum. quo modo enim Christus sequutus dæmonem fuisset? Imo si hoc suasisset dæmon, se vt sequeretur, non fecisset. Vide Abul. q. 35. Nec audiendus est auctor lib. de operibus cardinal. qui Cypriano tribuitur, quod à Spiritu sancto sit ductus in pinnaculum, vel montem. Nam Euang. ait, *assumpsit eum diabolus*, & cùm videtur innuere idem auctor fuisse assumptum non corporaliter, vel non vera loquitur, vel minus probabilia. *Sanctam ciuitatem*] Ierusalem ob templum, & Dei cultum dicitur *Sancta*. vide item Hieron. q. 8. ad Hedib. *Pinnaculum*] græcè πτερύγιον, id est, alam scilicet extremitatem tecti, quod planum erat. Videtur autem pars tecti fuisse extrà parietes extans, & circumclusa in modum periboli, ne quis circumambulans caderet. Latinè videtur podium dici. vnde dicitur *pinnaculum*, quia pinna est altissimus tecti locus, qui in modum alæ est in aere pendens extra ædificium. Nec videtur verosimile Phariseos inde docere solitos, quod enim dicit Dominus *prædicate super tecta*; Hiperbolicè dicit quasi dicat, quod in aure auditis, palam prædicate. Villalpa. tom. 2. p. 2. l. 5. c. 34. vult *pinnam* vocem latinam deductam esse à voce Hebræa *Pinah*, deducta à verbo *panah* quod aspicere significat; vel conspicuum esse. itaque pinna, vel pinnaculum eminetia in summis muris propugnacula significat. Vnde Gelli. l. 5. noc. acti. muralem definiens coronam: idcirco inquit quasi muri pinnis decorata est. Putat autem Villalpan, dæmonem statuisse Christum super lapidem illum reprobatum, qui factus est in caput Anguli, hic. n. ait in ædificio templi in summa facie orietali vestibuli templi supereminebat, eratque triangularis, totumque continet tympanũ (quæ vox significat eam partem frontispicij, quæ cingitur coronide, quæ est summa pars ædificij perficiens, & ornans illud, vulgus *cornicem vocat*) cùm sua corona, & ornamentis, extenditurque secundùm totam latitudinem domus, ferè ad 60. cubitos: super hunc ergo lapidem ait statuisse diabolum, Christum, qui lapis caput etiam pinnæ dicitur, vel anguli, & dixisse Christo; *mitte te deorsum*, quasi vellet, vt iuri suo cederet, neq; amplius summo illo lapide repræsentaretur. sed hoc vltimum potius mysticum est, quidquid sit de loco vbi constitutus est Christus; diabolus enim nesciebat illũ esse Filium Dei, immò magis putandum tunc inclinasse in eam partem, vt crederet non esse Dei Filium. quod si dubitasset, tunc non illum latebat, quod si Deus esset fieri non posset, vt cederet iuri huic suo, si homo nullum haberet ius tale cui cederet.

45.

46. *Si Filius Dei es, mitte te*] vide Ambr. 4. in Luc. Iren. l. 5. pòst med. Illud ad mores facit: *mitte te deorsum*] subtrahe te de Ecclesiæ doctrina, traditionibus, præceptis superiorum, pœnitentię laboribus &c. Hieron. sic. *vox diaboli qua semper omnes cadere deorsum desiderat; mitte te inquit deorsum; persuadere potest, præcipitare non potest.* Emisse. in hom. *videmus* ait, *illos, quos supra pinnaculum templi Diabolus statuit, in quibus mihi clericorum ordo maximè significari videtur. illi enim à diabolo super pinnaculum templi eleuantur, qui dùm se idoneos esse putant, qui Ecclesiam Dei regere possunt, & pretio, & precibus, & quibuscumque modis possunt, Ecclesiæ prælati & Episcopi fieri nituntur. neque enim se aliter Christus illuc à diabolo duci pateretur, nisi quia tales Christianos suo nomine præsignatos in hoc facto significare volebat, & benè quidem tunc omniũ personas bonorum, malorum, in se significando suscepit, quando se à diabolo tentari permisit.* non est tamen

A inconueniens, quod malos Christianos in se Dominus significare voluit, qui per baptismi Sacramentum eius corpori vniti sunt, cùm ipse dicat, *ego sum vitis vera, omnem palmitem in me non f. f. e. in me ait*: omnes palmites enim etiã infructuosi per baptismum in ipso sunt, licèt aliquando tollendi. Quod etiam ait, *si Filius Dei es, mitte te deorsum*, hoc dicere videtur; iam inter filios Dei cõputatus es, iam Episcopus ordinatus es, iam ab his qui te non cognoscunt, videris esse quod non es: fac ergo aliquid vnde laudaris, vnde magnus videaris. mitte te deorsum, semper enim hi tales deorsum se mittunt qui solas diuitias, gloriam, dignitatem quærentes, quotidie deteriores fiunt.

6. Angelis suis] Psalmus de iustis intelligitur, non de Christo. non enim custodia Angelorum erat illi necessaria, ne offenderet. D. Th. p. p. q. 113. a. 4. de quo optimè Orige. ho. 3. in Luc. quidam tamen Patrum hunc locum de Christo secundùm literam intelligunt vt Eusseb lib. 9. demonstrat. c. 7. Iren. l. 5. c. 21. & perperá cõtendit Eras. & Caiet. vide Barrad. c. 4. l. 2. qui pro prima vera expositione Patres affert. Nota, subticuisse dæmonem, quæ contrà se faciebant, id est, super aspidem & basiliscum, &c. quare Ber. ser. 14. in Psalm. 90. ait: *quid ô maligne taces & illud quod sequitur: super aspidem & basiliscum ambulabis, &c. te enim hæc parabola tangit, monstruosa malignitas monstruosis appellationibus conculcanda signatur.* & Hieronymus, *dæmon de angelorum auxilio quasi ad infirmum Christum loquitur, de sua conculcatione quasi tergiuersator tacet.* iterùm Bern. ibidé: *quid maligne Angelus mãdauit Deus? nempe vt custodiãt in omnibus vijs. numquid in præcipitijs? qualis via hæc de pinnaculo templi mittere se deorsum, non est via hæc, sed ruina, & si via est, tua est, nõ illius, id est, Christi.* Nota dæmonẽ non omisisse illa, *vt custodiant te*, habet enim Luc. *vt conseruent te*, sed verosimile est omisisse, *in omnibus vijs tuis*, quia contra se videbat facere. multa peccauit in hoc scripturæ testimonio referendo diabolus, primum quod de iusto homine dicitur ad Christum pertinere interpretatur. deinde abusus est hac scriptura, qua promittit in se confidenti iusto Deus liberaturum se illum à malo, & persuadendam impietatem & præsumptionem ad hæc detorquet prauè sensum, in omnibus enim vijs dicit, non præcipitijs. denique detruncat, reticendo sequentia.

47.

B

48.

C

Sed numquid dæmon scripturas intelligat iuxta verum sensum? Abulensis Matth. 4. affirmat. vnde quãdo falso allegat, facit inquit, vt decipiat. Hessel. respondet & quidem melius, tãtùm descriptura illum scire, quantùm Deus permittit, quod ex ijs quæ diximus sub finem Scholij ad v. 3. n. 39. ex Caiet. cõfirmari posse videtur. Barad. etiam respondet & quidem benè, ante Christi aduentum multa non cognouisse, vt nunc pleraque de Apocalypticis mysterijs. pòst aduẽtũ multa à Christo, Apostolis, sanctisq; interpretibus didicisse, multa item alia scripturæ loca adhuc non intelligere. Vinc. Lirin. l. contra hæres. c. 35. *Hæretici*, inquit, *tantò magis cauendi, & pertimescendi sunt, quantò occultius sub diuinæ legis vmbraculis latitant. sciunt enim fœtores suos nulli ferè citò esse placituros, si nudi, & simplices exhalentur; atque idcirco eos cœlestis alloquij velut quodam odore aspergunt, vt ille qui humanum facilè despiceret errorem, diuina facilè non contemnat oracula. idemq; faciunt quod hi, qui parvulis austera quadam temperaturi pocula ora melle circumlinunt, vt incauta ætas, cum dulcedinem præsenserit, amaritudinem non reformidet. quod etiam his curæ est, qui mala gramina, & noxios succos medicaminum vocabulis præcolorant, vt nemo ferè vbi suprascriptum legerit remedium, suspicetur vene-*

49.

Diabolus an scripturas intelligat.

D

num

num Cyprianus l. de simplic. prælato; *corruptores* inquit, *Euangelij, atque interpretes falsi extrema ponunt, & superiora pratereunt, partis memores, partem subdole comprimentes, vt ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita capituli vnius sententiam scindunt.*

50. 7. *Tentabis*] Tentare is Deum dicitur, qui ab eo petit miraculum cùm opus non est, est enim id velut Dei potentię periculum facere. Vide Aug. 22. con. Faustum c. 36. D. Tho. 22. q. 97.

Matth. habet, παραλαμβάνει assumit. Lucas, ἤγαγεν, duxit.

8. *Assumpsit eum diabolus*] an visus fuerit ab alijs Christus dum per aëra ferebatur potest ex Chrysost. & D. Thom. 3. p. q. 41. a 4. ad sept. haberi Responsio: quantùm ad se inquit Chrysost. diabolus sic Christum assumebat in pinnaculum templi vt ab omnibus videretur, ipse autem Christus nesciente diabolo sic agebat vt à nemine videretur. Idem dici potest de itinere, effecisse Christum ne videretur. Nota quod diabolus ducere eum festinat ad montes, vt per quos ipse corruerat, cæteri corruant sic Hieronymus. *In montem*] incertum an ille mons fuerit in quo dicitur ieiunasse vt videtur velle Aranda cap. vigesimo septimo, & dicitur *quarantana*, quo non altior in eo deserto, vbi in summitate sacellum habet. Alij putant alium esse qui duabus leucis (nisi fortè *leucas* miliaria vocent) distat à quarantana: duobus enim miliaribus distare habet Abulens. Matth. 4. quæst. 48. & Adrichom. in tribu Beniamin. n. 40. idem dicit, vocatque *montem diabolí*. Brocard. p. p. cap. 7. §. 28 ex Galgala inquit ad dimidiam leucam tendendo in Hierico ad dexteram iuxta viam est mons dictus *quarantana*. & subdit, tentatus autem fuit in alio monte qui duabus leucis distat à quarantana. fortè ipse etiam *leucas miliaria* vocat, nisi potius alij per miliaria intelligant maiora, quæ respondent leucis. P. natalis putat montem hunc fuisse Nebo & eius illum verticem qui *phasga* dicebatur, in quem montem duxit Dominus Moysem vt promissionem videret Deut. 33.

51. *In què mouitem Christus assumptus à diabolo.*

52. *Ostendit*] fortè per species à se formatas & Christi oculis obiectas, vide Tol. annot. 16. species verò intelligo externa quædam spectra ac simulacra rerum ex aëre, & vaporibus coagmentata, vel narrando vt fit, ostendit, sic Emm. sed hoc secundum non probo: nam quomodo momento, id est, breuissimo tempore id potuisset efficere? primum ergò recipiendum arbitror. Nec tamen assentiendum est Bucero affirmanti, Domino per satanam sensus delusos fuisse, dum modò in templi pinnaculo, modò in excelso monte sibi videbatur collocatus. qui enim ludificari potuit tam perfecta animà inquit Gagnæus: potuit satan illarum rerum ei species ponere ob oculos, & arbitrari humano fortasse more delusum. licèt nec eo necesse sit venire: nam reuera Christus à dæmone corpore assumptus est in pinnaculum & montem. Dum verò ostendit omnia regna mundi, tunc illi eorum species eius oculis obiecit sine vlla prorsus delusione Christi. *Omnia*] præcipuas scilicet orbis partes & regna. *Gloriam*] non solum loca indicauit, sed rerũ etiã pulchritudinẽ magnitudinemq;, adde diuitias & voluptates, &c. vel gloriã, quæ ex illorum est administratione, intelligit.

Bucerus hæreticus refellitur.

53. *Fraus diaboli.* *Momento temporis*] obserua diaboli astum; regna indicat & gloriam eorum, sed eorum pericula, angores, labores & id genus alia subticet. quæ placent ante oculos statuit vt alliciat, occultat quæ displicent, ne terreat, rectè aũt dicitur *ostendisse*: quo videlicet alliceret appetitum. nam vt docet Gregorius in hom. 13. in Euangel. fluxa hæc, & caduca bona pluris fiunt cùm non habẽtur & desiderantur, quàm cum possidentur. Et benè quidem *momento temporis* ostensa dicuntur; tam parua enim temporis mora nobiscum sunt vt ostensa magis, quàm data dicantur: græcè habetur ἐν στιγμῇ, id est *puncto*.

9. *Potestatem*] id est ditionem. promissio hęc mendax fuit, falsa, arrogans, & dolosa: docet singula Tol. hîc in comm.

Tibi dabo] mentitur cùm non intenderet dare, & verò neque posset; & aduerte *dabo* inquit, in futurum, sed adorari vult in præsenti, in quo dolo vtitur. *Cadens*] id est, humi procidens seu prostratus græcè ἐὰν πεσὼν si prostratus, si pronus Dan. 3. *cadentes omnes populi, tribus, & linguæ adorauerunt statuã.* quod semel bibit furcifer, semper retinuit, nempe diuini honoris cupiditatem inexplebilem: hinc Augustinus, *quemcumque superbum videris, filium diaboli esse non dubites.* D. Hieronymus in cap. 3. Danielis sic scribit: omnem scripturam sanctam mente percurrens, nisi tamen me fallit obliuio, nequaquam reperio quod sanctorum quisquam Deum cadens adorauerit, sed quicumque idola, dæmones, & res illicitas adorauerit, cadens dicitur adorare, vt in hoc loco sæpius dicitur, Babylonios cadentes adorasse statuam Regis Nabuchodonosor, & in Euangelio diabolus dixit Domino: *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* sic ille. Pererius in cap. 7. Apocalyp. disp. 13. ait: sed enim viro sanctissimo nõ venit in mentem aliquot scripturæ locorum, in quibus hoc ipsum, quod est adorare cadendo, ponitur in Dei, & Christi adoratione. vt Psalm. 94. *Venite adoremus, & procidamus ante Deum.* & Matth. narrat, Magos procidentes adorasse. Apocalyp. 7. de Angelis dicitur. *& ceciderunt, & adorauerunt Deũ.* & cap. 19. Seniores ceciderunt, & adorauerunt Deum. hæc Pererius. sed exceptis Apocalypsis locis, non puto alia quidquam facere contra Hieronymũ, qui non de re significata, sed de voce cadendi loquitur, non procidendi, vel simili alia. Vide lector obsecro à quàm paruis initijs huc diabolus deuenerit. sensim illabitur astutus serpẽs, obsiste principijs. *Quia mihi tradita sunt*] scilicet à Deo creatore, iterum mentitur. Domini quidem est terra, cuius est & creatura, nec tamen dæmoni dedit vmquam. Addit & tertium mendacium cùm asserit: *cui volo do illa.* Nota de diaboli astu exponi posse sensu morali verba Habacuc primo: *super omnem munitionem ridebit, coaceruabit aggerem* (Heb. *puluerem*) *& capiet eam.* omnia regna mundi puluis vilissimus sunt, hoc ergo oculos nostros excæcare, & excusa Dei, ac rerum cœlestium luce, obscurare nititur dæmon, vt sic pugnando victoriam referat. sic Aquilæ ceruos puluere vincunt, lege Plin. l. 10. c. 4.

10. *Scriptum est*] Deut. 6. & 10. vbi tamen non habetur, *adorabis*, sed *timebis*; quare hinc colligitur eodem verbo etiam significatam esse adorationem. Aug. in Genes. q. 61. notat, non additum hîc *solum* sicut cùm dicitur *illi soli seruies*: multi enim sunt, qui præter Deum adorantur. Alij exponunt, adorabis, quia Deus; seruies, quia Dominus; & hi videntur adorationem minus amplè, quàm Aug. sumere. vide item in hunc locum Bedam in cap. 4 Luc.

55. *Seruies*] λατρεύσεις vnde latria Deo soli debita, sic enim vsu recepta est significatio huius vocis cũ alioqui seruitutem significet. Tol. adoratio ad exteriorem inquit, venerationem spectat. seruitus dicit obsequium generale, & mandatorum obseruationem, totamque religionem continet.

56. Notat Gagnæus in Matth. non postulasse Diabolum vt adoraretur, nisi cùm regna mundi pollicitus est, verè enim honorũ appetitio plena à Deo auersio est. obseruat etiam cum alijs idem auctor, in prioribus quidem tentationibus patienter Dominum respondisse, vbi autem vidit ipsum impu-

54. *Et mendacium.* *Item diuinitatis appetitum.*

57.

Digitized by Google

denter Dei ad se adorationem trahere, tunc increpasse, ac repulisse: *vade Sathana*: Hil. præbuit huius responsionis effectu magnum nobis Dominus exemplum, vt contempta humanæ potestatis gloria, & sæculi ambitione postposita, solum meminissemus Deum & Dominum adorandum, quia omnis sæculi honor diaboli sit negotium. Iansenius legit, *vade retro Sathana*, at hoc non Sathanæ, sed D. Petro tantùm dictum est Matth. 16. quo loco Origenes, considera ait, differentiam verbi, quoniam ad ad Petrum dixit *vade post me Sathana*: ad diabolū aūt dixit, *vade Sathana*, nec addidit *post me*. Ire. n. post Iesum bonum est. & D. Hier. Matth. 4. non vt plerique putant inquit, eadem sathanas & Apostolus Petrus sententia cōdemnantur. Petro enim dicitur, *vade retro me sathana*, id est, sequere me, qui contrarius es voluntati mex. hic verò audit, *vade sathana*, & nō ei dicitur retro me, vt subaudiatur, vade in ignèm æternum, qui præparatus est tibi & angelis tuis. *Ad tempus*] q.d paulò pòst reuersurus iuxta illud Ioannis 14. *venit enim princeps huius mundi*; venit non vt tentaret, sed vt pugnaret contra Christum per Iudæorum insidias & persecutiones, quas per eos Christo vsque ad mortem excitauit, Ioannis 4. *vos ex patre diabolo estis*. Luc. 22. *hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*. Præsertim verò id fuit tempore passionis. sed qua vi pulsus fuit? videtur per se discessisse videns se iam esse victum & deceptorem se clarè ostendisse. si verò dicas vi Christi depulsum est quod affirmes non notam fuisse eam vim diabolo, aliquin nouisset esse Deum cuius potenti virtute sentiebat se depelli. Itaq; potuit putasse eius precibus vt viri iusti à Deo procul inde arceri. Quare non video, cur non potuerit vi Christi depelli, quāuis ea vis illi fuerit occulta, quod Christi esset; sed per se discessisse probabilius est. Victor ergo fugato dæmonum, & inferni Rege remansit Christus. vt meritò huc illud applicemus Prou. 30. *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro; viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram*, &c. petra Christus est; coluber diabolus; vt igitur coluber nullum sui signum relinquit in petra, sic nec diabolus in Christo potuit vllum peccati vestigium relinquere. vide Ambros. exponentem hunc locum Prouer. eodem modo pòst psalmorum expositionem.

58.

59.

60.

Angeli] Corporali specie, ministrabant, nimirū cibos manibus, vt quidam meditantur, à B. V. paratos. ministrare etsi verbum generale sit, solet de his sæpè dici, q i aut cibos parant, aut paratos in mensam afferunt, vt de socru Simonis, *surgens ministrabat illis*, & Luc. 12. *amen dico vobis quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis*. præterea, hoc propriè etiam in scripturis significat eleemosynas largiri, aut ab alijs acceptas deferre, quorum vtrum que constat tum ex v. 25. c. 15. ad Rom. nunc igitur proficiscar Ierusalem ministrare sanctis, id est eleemosynas deferre Christianis, tùm ex v. 27. debent & in carnalibus ministrare illis. i. elargiri eleemosynas, sic Rib. c. 6. ad Heb. n. 48. *Et ministrabant ei*] quod autem Angeli ei, ministrant, nobis etiam indicat angelos post victoriam ministraturos. cuncta enim propter nos & fecit, & ostendit Christus, cui veluti Deo semper angeli ministrant.

Sed vbi inquies, ministrarunt illi Angeli? Abulensis hîc sententia mihi probatur Matt. 4. q. 59. in eodem monte, vbi tertiam passus est tentationem, cibum sumpsisse, vnde etiam pedibus posteà ipse descendit, non Angelis vectus, quidquid Titelma. & Dion. Carth. Matt. 4. sentiant. Deniq; obseruandum est has tentationes eadem die peractas. primā in deserto quarantanæ; alteram in pinnaculo extra desertum; tertiam in monte excelso. Hæc autem dies fuit quadragesima prima, quando & ieiunium soluit.

A

B

C

D

THEORIA VNICA.

An per illos 40. dies esurierit Christus?

COMMODE hîc quæri potest, & in dubitationem verti, an Christus per hos ieiunij dies esurierit. Isidor. Clarius orat. 8. in Luc. videtur significare esurijsse Christum, q̄ ex eius verbis colligo, sic enim scribit: *in illo 40. dierum spatio accidere Christo potuit, quod vnicuiq; nostrum vsu venire experimur, ieunat quis vsque ad vesperam in illo interuallo sentire potest inediam, quā tamen fert, neque ita destituitur natura viribus vt expectare vesperam non possit. quod si duorum, aut trium dierum spatio sine omni cibo degere velit omninò deficiat. Tale quippiam ergo accidere Domino potuit, vt sc. toto quo ieiunauit tempore famem quidem sit passus, quā tamē pertulerit, peractus verò 40. diebus permisit naturæ vt cibum sentiret sibi iam esse necessarium.* hæc ille. An verò Caiet. idem senserit non ita constat. sic. n. scribit Matth. 4. *Iesus ex ieiunio illo afflictus est secundùm corpus, indigente corpore eius alimento. sed non est tantum afflictus, quantùm vis tanti ieiunij naturaliter nata erat affligere: quia nata erat perimere. sed vsque ad certū terminum rationi consentaneum. & eadem diuina dispositione, qua miraculosè seruatum est corpus in tanto ieiunio, retentus est appetitus animalis ab actu esuriendi, & sitiendi, moderata est itaque diuina dispositio afflictionē, & indigentiā alimenti, retinuit aūt appetitū animalē ab actu esuriendi, & sitiendi sicut etiam retinuit ignem ab actu comburendi tres pueros in camino ignis. & ideò Euang. dixit, posteà esuriit. ideò diabolus non prius tentauit. sed vbi esurientem vidit, ac carentem cibo occasionem opportunam nactus est.* sic ille. vt aut horum sententias & rem item ipsam intelligas, ex Philosophia obseruādum est, ad famem quinq; concurrere ex mente Gal. l. 1. de Causs. Symptoma. c. 7. vt ex ijs quæ ibi tradit colligi potest. Primum est mēbrorum inanitio deficiente alimento. secundum tractus membrorum conantium allicere ad se, & rapere vndecumq; valeant nutrimentum, cuius inopia laborant. Tertium diuulsio ventriculi cum acri quodam morsu, qui nascitur tùm ex vehementi attractione, tùm quia destituta alimento ventriculi cauitate eius latera in se concidunt, & corrugantur. Quartum sensatio diuulsionis, nam cùm hæc ventriculū grauiter afficiat, ipsumq; lædat, consequens est vt doloris sensum inuehat. sentitur autem potissimum fames in ventriculo, ac præsertim in eius ore, quia membrorum suctio ad hæc vltimo terminatur, ijsque maior inest sentiendi arimonia. Quintum appetētia cibi, i. actus appetitus sensitiui optantis externum alimentū, vt præsenti malo occurrat. phantasia siquidem percipiens diuulsionem ventriculi ex alimenti penuria, apprehendit alimentū vt conueniens, & necessariū, & proponit id appetitui sensitiuo, qui confestim in ipsum per actū appetendi fertur, vt vitæ cōsulat, quæ appetitio non fuit necessaria stirpibus, quia alliciunt radicibus præsens alimentum, quod tamē animalia quærant necesse est, ac proinde egent appetitu, qui virtutem motiuam ad quærendum impellat.

1. *Isidor. Clar. sententia de fame Christi.*

2. *Item Caietani.*

3. *Ad famem quinque concurrunt.*

4.

id autem

id autem in quo potissimum sita est fames; est quartũ inter enumerata, sic Gal. 5. de vsu part. c. 9. est. n. fames propriè dolor si propriè loquamur de fame vnde sic definitur: est sensio diuulsionis ventriculi orta ex attractione alimenti, ac proinde cum dolor sit vna ex passionibus appetitus sensitiui, non videtur esse nisi in ipso appetitu vt docet D. Tho. p. p. q. 2. art. 1. & p. 2. q. 35. art. 1. ad 1. licèt aliter senserit in 3. sententiarum dis. 15. ad q. 2. a. 3. vt obseruat Capreol. ibidem. q. vnica a. 3. iuxta quam sententiam, fames est in appetitu concupiscibili vt in subiecto quo: in ea verò parte corporis in qua fit diuulsio est caussa & obiectum doloris.

5. Famis definitio.

6. Sitis vnde gignitur. Sitis verò gignitur, cùm deficit in corpore succus, quem potus inuehit; tunc enim inarescunt membra, & oritur attractio similis ei, quæ in fame, carpens, ac vellicans præsertim ventriculum, exophagum, & fauces; porrò vt fames cõsistit sensione, & dolore, ita sitis, vtraque enim vexat, & cruciat. est ergo sitis sensio vellicationis factæ potissimum in ventriculo, exophago, & faucibus, ex attractione potus. est & hic etiã vt in fame appetentia potus, quæ est actus appetitus etiam sensitiui; quare suo modo etiã siti insunt ille quinque res, quas n. 3. enumerauimus in fame. Tam Isid. Clarus quantùm ex eius verbis conijcere datur, videtur perfectam famem in Christo posuisse, & vt credo, sitim (eadem. n. videtur vtriusq; ratio) quantùm ad omnes res illas quinque quę ad famem & sitim pertinẽt. solum enim videtur significare quod miraculo per quadraginta dies sustinuerit famem sicut nos natura possumus sustinere per vnum; & alterum circiter diem. quamquam Aug. epis. 86. versus finem, refert aliquos vltra hebdomadam sine vllo cibatu vixisse, quemdã verò ad quadraginta dies peruenisse, quod & de Simeone Stylite Theodoretus in relig. hist. refert: sed hoc Dei virtute factum arbitror. Porrò peractis quadriginta diebus permisisse, ait Isidorus, Christum naturæ, vt cibũ quæreret; ne omninò deficeret, atque adeò comedit, alioqui moriturus, nisi sua se virtute iterum sustentare voluisset. Caiet. verò dicit, vt nobis videtur, quatuor illas primas res, quæ ad esuriem concurrunt fuisse in Christo, atque adeò famem formaliter, ac veram, quæ in illa quarta re propriè consistit; tantùm appetentiã sustulit. quare factum est vt debilior, & macilentior factus sit ieiunio Christus, ac proinde sacratissimum corpus afflixerit. Hæ mihi opinationes omninò videntur falsæ, illam Caiet. Fran. Suar. temerariam minimum vocat; ego etiam erroneam. alteram Isid. appellãdam arbitror: nisi fortè eorum mens alia fuerit, quàm verba indicant, quod de Caietano, & Isidor. nõ est alienum credere, aliam videlicet eorũ mẽtem fuisse, quàm verba sonent. cùm. n. Euangelista expresse scribat, ieiunasse Christum 40. diebus, & 40. noctibus & postea *esurijsse*, quod verbum propriè significat famem non esse passum; quis affirmare audeat Christum verè ac propriè esurijsse? dices, propriè esurire est cibum appetere, quod si negatur in Christo, satis videbitur. (sit enim qui pro Caietano hoc modo respondeat) Respondetur non esse esurire, cibum appetere tantùm, verùm maximè dolorem illum sentire, quem dixi, n. 5. idemque est de siti. Accedit, & communis sanctorum Patrum sensus, & interpretatio, Hilarij, Orig. Hierony. Ambr. Chrys. denique aliorum latinorum ac græcorum in Matth. & Luc. quorum verba si quis velit legere adeat disp. 29. Franc. Suar. Sect. 2. quare nec mihi placet, quod Medi. hanc sententiam Caiet. referens in Comm. in D. Thom. q. 41. art. 4. dicat esse probabilem. Assignant & sancti Patres rationem quamobrem non minus quàm 40. diebus ieiunauit, ne sc. inferior Moyse & Elia videretur, quare simile eius ieiuniũ propterea, horum ieiunio fuisse affirmant. sicut & Christi & illorum ieiunium, peragendum in Ecclesia ieiunium significauit 40. dierum, nec voluisse aiunt Christum illum dierum numerum ieiunando excedere, ne existimaretur non esse verus homo, & ob reconditum in hoc 40. dierum numero mysterium. Iam verò de Moyse 11. constat & Elia non esurijsse, agente Deo ne calor naturalis ac natiuus humidũ radicale absumeret, icèt in Elia de quo scriptura affirmat, quod *ambulauit in fortitudine cibi*, &c. videatur Deus aliquã vim indidisse cibo, quę humidum 12. radicale illis diebus conseruaret. & verò etiam plures illum quàm 40. dies abstinuisse cibo nõ arbitror, quamuis aliter visum fuerit Abulensi 3. Reg. 19. q. 8. vbi etiam sentit pani subcinericio nullam inditam fuisse à Deo vim ad sustẽtandũ Eliam, cùm tamẽ scriptura habeat, *ambulasse illum in fortitudine cibi illius* 40. *diebus, & 40. noctibus.* ergò licèt post illos dies per desertum ambulasse scribatur, potuit famẽ præsentiens ad pastores, vel aliò diuertere mendicandi cibi caussa. neque. n. opus est omnia in scripturis narrari. Sigillatim alioqui constans fama est Moysen, & Eliam 40. dies ac noctes ieiunasse, eorumq; ieiunium Christi & Ecclesiæ ieiunium hoc numero præfiguraſſe, sed vt obiter in nostra hæc tempora inuehar: ieiunamus quidem plerique hoc dierum numero, 13. sed more vulturum, de quibus Epiph. in Physiol. sic scribit: *Vultur cunctis auibus voracior est, 40. enim diebus cibo abstinet, quem cùm inuenit, totidem sese ex illo liberis ingurgitat. Itaq; quadragenariam abstinentiam, quadragenaria ingluuie compensat.* mox subdit Epiph. *tu igitur spiritualis homo, qui in quadragesimali ieiunio Dominicam resurrectionem expectas, noli ventri fœdè indulgere, ne quadragesimalis abstinentiæ meritum perdas.* Nec 14. valet ratio, quam nonnullos audio afferre, q nisi hoc modo Christus ieiunasset, nullum veri ieiunij exemplum dedisset. Respõdeo Christum verè ieiunasse, ac à delitijs seu ea voluptate quæ capiendo cibo ingeneratur abstinere voluisse. Ad hæc, quam corporis afflictationẽ fames & sitis afferre solent non sensit quidem, nec est passus; at loco illius inter bestias per 40. dies solus permansit, humi cubauit, vigilauit, contemplationi deditus fuit, denique à dæmone indigna multa passus est. placuit autem nõ sentire famem, vel sitim, ne inferior Moyse & Elia esse videretur, & vt se Deum declararet; sentire voluit pòst quadraginta dies ac noctes, vt se hominem insinuaret, & ita dæmonem ancipitem redderet, qui ansam inde arripuit tentandi eum, quod est signum antea

7.

8. Vultur abstinentia.

9.

10.

non esurijsse, alioquin multò prius tentasset. indicauit etiam delitias spirituales adeò superare corporis voluptates, vt vel hominem cibum negligere faciant, ac vix sentire corporis afflictationē, quod de Ioanne Abbate Cassian. coll. decima nona capite quarto, memoriæ prodidit.

15. Sentiendum est igitur Christum ita ieiunasse vt nulla illarum quinque rerum vt supra exposuimus hic num 3. quæ vel ad famē, vel ad sitim conueniunt adfuerit, non inanitio vel ariditas membrorum, non enim humidum imminuebatur represso calore, non membrorum attractio, non vellicatio, non dolor vllus, nec appetentia cibatus, nec potus. Denique non ibi adfuit macies ob esuriem vel sitim, non ægritudo vel infirmitas corporis ob inediam, nec quidquam simile, quæ etiam à ieiunio Moysis & Eliæ procul fuēre.

DIGRESSIO PRIMA MORALIS,

De caussis Christi secessus, & de spirituali deserto.

1. DVCTVS est Christus in desertum vt solitudinem commendaret, & sanctissimum monachorum institutum probaret. Locus hic inquit Beuxames, proprius duello, ieiunio, diuino cultui, & meditationi; prius enim in desertis olim meditabantur, qui Ecclesiæ munera obituri erant. sic Moyses quadraginta annis pascit gregem in deserto, antequam ad Israelis liberationem pergat & legislatoris officium faciat. Ita Basilius, Chrysostomus, Hazian. è solitudine monastica ad magnarum Ecclesiarum moderationem delecti sunt. Basilius epistola ad Chilonem: *in hac*, inquit, *solitudine dego in qua Dominus versatus est, hic, est quercus illa Mambre: hic ad cœlum ferens scala, hic Angelorum castra à Iacob conspecta, hic solitudo in qua populus purificatus legem accepit, & sic in promissionis terra Deum vidit, hic mons Carmelus in quo Elias Deo placuit, hic campus in quo secessu facto Esdras omnes diuinos libros ex mandato Dei eructauit, hic solitudo in qua Beatus Ioannes locustas edens hominibus pœnitentiam prædicauit, hic mons oliuarum in quem Christus oraturus ascendit: hic arcta illa & angusta via, quæ ducit ad vitam: hic Doctores & Prophetæ qui in solitudinibus errant, in montibus, & speluncis, & cauernis terræ.* Scribit Philo. libro de vita supplicium de primis illis Christianis, qui in Alexandria à Diuo Marco Euangelium acceperant, quod ad solitudines se conferebant, ibiq; se acerrimis ieiunijs castigabāt. licet Philo suis hoc tribuat. hinc factum est vt Aegyptus tot monachorū fuerit ferax, ita vt vnus Serapion ad decem millia monachorum habuerit. Voluit idem CHRISTVS suo exemplo declarare quam sit secretus locus tentationi & victoriæ aptissimus. Postremò docere voluit quid concionatoribus præsertim, & ijs, qui proximorum saluti vacant, agendum sit. Antequàm enim alios ipse doceret concionando, se in solitudinem recepit, vt vnde auxilium ad animas, ad Deū, adducendas petendum sit, & quibus sit armis pectus muniendū, vt cum hominibus versetur, cōcionatorem ac religiosos moneat exēplo. egregiè docet id Abul. Mat. 4. q. 5. Quare Greg. in Iobi c. 5. l. 6. c. 25. *Bis tinctus*, inquit, *coccus* num. 19. *offerri præcipitur, vt videlicet ante interni iudicis oculos charitas nostra Dei & proximi dilectione coloretur: quatenus conuersamēs, nec sic pro amore Dei quietem diligat, vt curam proximorum, vtilitatemq; postponat; nec sic pro amore proximi occupationi inseruiat, vt quietem funditus deserens, ignem in se superni amoris extinguat.* & alia ibi habet huc spectantia. & Ber. ser. 57. in cant. *Habes*, inquit, *tria hæc, id est, prædicationem, orationem, contemplationem in tribus designata vocabulis sc. amica mea, columba mea, formosa mea. & enim merito amica dicitur, quæ sponsi lucra studiosè ac fideliter prædicando, consulendo, ministrando conquirit. Meritò columba, quæ nihilominus pro suis delictis, in oratione gemens, & supplicans, diuinam sibi non cessat conciliare misericordiam. Meritò quoque formosa quæ cœlesti desiderio fulgens superna contemplationis decorem se induit, horis duntaxat, quibus comodè, & opportunè id potest, &c.* & addit, *Audit sponsa vt surgat & properet, non dubium quin ad animarum lucra: nam*, vt ipse ait, *anima Deo dedita libentissimè ocium contemplationis pro studio prædicationis intermittit.* lege illum loc. cit. & serm. 58. in cantica, & Greg. loc. cit. & ho. 5. in Ezech. Vide etiam quæ Scholio. v. 1. diximus n. 4. in verbum illud, tunc. Sanè Isaac dum agri secessum & solitudinem petit Genes. 24. 63. ad meditandum, & orādum inclinata iam die videtur primus docuisse mortales, quàm oportuna sit solitudo ad res quascumque magnas & sublimes animo agitandas tractandasq; ad quas res duæ caussæ in solitudine impellunt, tùm quod illa ab omni tumultu, interpellationibus, cæterisq; animi auocamētis sit vacua, tùm quod & istud ipsum silentium, & arborum quoque, camporum, vallium, montium, & quod caput est, cœlorum & siderum patentissimus prospectus, mirum quàm excitet hominum mētem ad rerum diuinarum contemplationem, in eaq; detineat insatiabili cum voluptate, & hinc est vt verè ille dixerit: *Scriptorū chorus omnis amat nemus & fugit vrbes*, vt proindè non mirum sit, si flagrantissimus ille solitudinis cultor Hieron. epist. ad Heliod. & Rust. scripserit: *ô desertum Christi floribus vernans; ô solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi: ciuitas magni Regis extruitur: ô eremus familiarius Deo gaudens. Quid agis, frater, in sæculo, qui maior es mundo? quādiu tectorum vmbræ premunt? quamdiu te fumosarū vrbium carcer includit? Crede mihi, nescio quid hic plus lucis aspicio. libet, sarcina corporis abiecta ad purum ætheris euolare fulgorem.* Et alibi: *viderint quid alij sentiant: vnusquisque enim suo sensu ducitur, mihi oppidum carcer, & solitudo paradisus est: Moses vt præesset populo Iudæorum 40. annis eruditur in eremo. pastor ouium, hominū factus est pastor.*

Illud hic monemus non omnium esse vitam solitariam, qua de re lege Hieronymum epist. ad Rust. c. 4. Bas. epist. ad Chlion. & in tract. de Laudi. vitæ Soli. & Cassia. col. 19.

Cæterū præter superiores causas 11. quæ mores informāt, addimus allegoricum etiam sensum, Iesum Christum Dominum in desertum exijsse, vt hominem in solitudine cum bestijs

terræ

Solitudo cultui diuino apta.

Horat. lib. 2. epist. 1.

Ægyptus monachorū ferax.

terræ agentem quæreret, quod significatū fuit Ioſephi exemplo, qui miſſus à Patre ad deſerta venit, fratres ſuos vt quereret, & interrogatus, Reſp. *Fratres meos quæro.* Meminiſſe hic oportet eius hominis qui in Hiericho deſcendens incidit in latrones, non longè ſaltem ab hoc Chriſti deſerto. Hunc ergò vt quæreret Chriſtus nudatum veſtibus, & multis, grauibuſq; vulneribus malè acceptum, in deſertum abijt. Neque verò alium ille repræſentat quàm Adam omnium noſtrorum parentem; vide igitur tantā Dei in homines clementiam. Quædam iam de deſerto ſpirituali adijciamus.

8. Illud igitur aduertendum non Chriſtum modò, verùm etiam omnes filios Dei habentes Spiritum S. in deſertum duci. Sic Chryſoſt. hom. 5. in Matth. in oper. imperf. *non ſolùm*, inquit, *Chriſtus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ſed etiam omnes filij Dei habentes Spiritum ſanctum. Non enim ſunt contenti ſedere otioſi, ſed Spiritus S. vrget eos aliquod magnum apprehendere opus, quod eſt ire in deſertum quantum ad Diabolum, quia non eſt ibi iniuſtitia, qua Diabolus delectatur. omne etiam bonum eſt extra carnem, & mundum, quia non eſt iuxta voluntatem carnis, & mundi. Ad tale ergo deſertum omnes filij Dei exeunt.* Et inferiùs: *Filij diaboli in carne & ſanguine confringuntur à Diabolo: nam in carne & mundo cōſtituti confringuntur, & pereunt, ſicut bonus homo ſi vxorem habuerit non fornicatur; ſed ſufficit ei vxor ſua. Malus autem habens vxorem, fornicatur. Filij ergo diaboli non exeunt ad Diabolum vt tententur, quid enim opus habent ad certamen exire, qui nō deſiderat vincere? qui autem glorioſiores ſunt filij Dei extra fines carnis exeunt contra illum; quia victoriæ gloriam concupiſcunt.*

9. Auguſt. ſerm. 77. de tempore, & habetur in Append. tom. 10. & eſt Serm. 38. ſpirituale deſertum elegantiſimè declarat, ac quomodo in eo verſandum ſit edocet: *Videte*, inquit, *rem miram, in Paradiſo cum Adam Diabolus decertat, in deſerto cùm Chriſto diabolus dimicat, vbique inſidiatur homini, vbique congreditur. ſed vbi mulierem inuenit, ibi vincit; vbi mulierem non inuenit, victus abſcedit. formam igitur dedit nobis Deus in hoc facto, vt iciuniorum tempore tanquam in deſerto habitantes abſtineamus epulis, voluptate, muliere; nec coniungatur nobis Eua, ne nos à caſta obſeruatione illecebroſa perſuaſione ſubuertat &c.*

10. Addit, & ibidem: *Deſertum planè quoddam ipſum quoque corpus Chriſtiani eſſe cùm non impletur cibis, non poculis irrigatur, ſed arentis inedia ſqualore negligitur. Deſertum*, inquit, *eſt corpus noſtrum cùm abſtinentia marceſcit caro, ſiti pallor obducitur, & contemptu rerum totius hominis ſpecies inculta ſordeſcit. Tunc Chriſtus Dominus habitat deſertum pectoris noſtri cùm noſtram terram fame ſqualidam, & ſiti aridam eſſe reperit; ſecundùm quod ait Propheta Dauid, ſicut in terra deſerta, & inuia, & inaquoſa, ſic in Sancto apparui tibi. Aliter enim ei in Sancto apparere non poſſumus, niſi terra corporis noſtri fuerit deſerta mundanis delicijs, inuia diabolicis concupiſcentijs, & inaquoſa libidinoſis illecebris. Tunc habitans Saluator hoc deſertum corporis noſtri, omnes ibi diabolicas factiones ſuperat.*

Hæc hactenus.

DIGRESSIO II. MORALIS,

De tentationibus Chriſti, & armis, quibus hoſtem ſtrauit.

CIRCA has tentationes aduerte in primis figuram earum præceſsiſſe apud Zach. 3. 1. *Et vir*, inquit, *oſtendit mihi Ieſum Sacerdotem magnum ſtantem coram Angelo Domini: & Sathan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei. & dixit Dominus ad Satan: increpet Dominus in te Satan; & increpet Dominus in te, qui elegit Hieruſalem. numquid non iſte torris eſt erutus de igne?* Hierony. in Comment. lib. 1. in cap. 3. Zach. docet, Sacerdotem magnum hūc Chriſtum eſſe Pſal. 109. ſecundùm ordinē Melchiſedech; & eundem, Angelum Domini, Angelum magni conſilij; non quod alter & alter ſit, aut duas perſonas recipiamus in filio, ſed quod idem atque vnus, & quaſi homo ſordidatus oſtendatur; & quaſi Angelus mediator Dei, & hominum apparere, dicatur. ſtat: qm̄ ſtabili gradu facilè nō ſuccumbit tentationi. ſtat & Satan per pertinaciā malitiæ. à dextris aūt eius eſt, vt aduerſetur ei, Heb. 4. tentatus eſt. n. Chriſtus per omnem modum abſq; peccato. A dextris quia ſemper virtutibus eius opponitur. Et dixit Dominus ad Satan, increpet Dominus in te. quis Dominus cupit Dominum increpare? Filius ſcilicet, cupit Patrem increpare. vterq; enim Dominus eſt, *dixit Dominus Domino meo.* non q̄ ipſe Dominus qui loquitur, increpare non poſsit, ſed q̄ ex vnitate naturę cum alter increpauerit, increpet ipſe qui loquitur; increpauit etiam cùm ait: *vade Satana.* Iterùm aduerte non vna tantùm tentatione contentum fuiſſe Dæmonem, ſed ſemel & iterū, ac 3. aggreditur, deniq; in omnem ſe partem vertit. Audi Chryſ. hō. 13. in Matth. *Neq; mireris ſi diabolus Chriſto loquens, ſæpè huc illucq; vertatur. nam vt præliantes ſoient, cū acceperint lethales plagas, multo vtique ſanguine profluentes, tenebrasq; patientes morituras circumferre membra: ita hic quoque prima quidem, ac ſecunda ſauciatus plaga, in alia atque alia verba deuoluitur, atque tertium certamen aggreditur.*

2. *Diabolus tentationes ſuas reiterat.*

Tertiò ſi materias harum tentationum ſpectemus circa quas verſantur, & res, affirmare oportebit de gula, ſuperbia ſeu vana gloria, & auaritia Chriſtum tentatum eſſe. Aſcendit autem callidus hoſtis velut per gradus ſenſim irrependo vſque ad peſsimum idololatriæ ſcelus. Vide Gregor. homil. 16. in Euangel. vbi Chriſtum tribus tentationib⁹ gulæ, inanis gloriæ, & auaritiæ docet oppugnatum, & ſubdit, *quibus modis primum hominem. i. Adam ſtrauit, ijſdem ſecundo homini. i. Chriſto tentato ſuccubuit.* idem habet Caſſ. coll. 5. Abbatis Serapio. c. 6. licet vt verum fatear non ita propriè Adam de auaritia tentatus ſit, cùm dictum eſt illis, *ſcientes bonum & malum*, quod tamen vult D. Greg. Rectiùs videtur D. Thom. docere 3. p. q. 41. ar. 4. ſollicitaſſe Diabolum mentē primi hominis de ligni veriti eſu dicēs, *cur præcepit vobis Deus* &c. ſecundò de inani gloria, *aperientur oculi veſtri* &c. 3. produxit tentationem ad externam ſuperbiam, *eritis ſicut Dei ſcientes*

3. *De quibus Chriſtus tentatur.*

4.

bonum & malum à leuioribus incipiens, & ad grauiora ducēs. eodem modo ait Diuus Thomas se gessisse cum Christo. primùm tentauit de sustentatione corporis per cibum; deindè de ostentatione vel inani gloria; tertiò vt diuitias & gloriam mundi concupisceret vsque ad contemptum Dei. & ideò subdit Diuus Thomas in primis duabus tentationibus dixit: *si Filius Dei* &c. non autem in tertia, quæ non potest conuenire spiritalibus viris, qui sunt per adoptionem filij Dei, sicut duæ primæ: hunc enim cum spiritualibus viris ordinem in tentando seruat, vt à leuioribus incipiat, vt postmodum ad grauiora perducat.

5. Augustin. tom.9.tract.2. in Epist.Ioan. de tribus illis tentatum Dominum ait, quæ D.Io. numerat 1.epist.c. 2.*omne quod est in mundo* &c. Cæterùm quia regna se habere iactat diabolus, & ambitione decipere mortalium pectora conatur, ideò vt quale sit regnum Diaboli agnoscas, & de ambitione multa, lege Cyprianum in homil.de Ieiunio, & tentatione Christi.

6. *Diabolus in tentādo qualem se Christo ostenderit.* Quartò: Obseruandum est Diabolum hîc se primo hominem tantum ostendisse, deindè victum, ac audaciorem factum Angelum se lucis declarasse, alioqui non Christum assumpsisset ad templi pinnaculum: nec enim id poterat facere nisi Angelus, atque adeo cùm hoc fecit talem se ostendit, Angelum, non quidem tenebrarum, sed lucis vt deciperet. tertio denique conflictu audacissimus iam factus, vel falsò persuasus eum, quem debellare parabat non esse Dei Filium, vel potius adhuc dubius (vt mox nu.8.dicam) aliter adoriri, & alia vti arte volens ad explorandum Deinè Filius is esset, se Sathanam ostēdit cùm ad idololatriam palàm induxit: sed pulsus ipse turpiter à Christo est. hæc autem omnia facere potuit retenta semper hominis figura dum tentabat, nisi fortè dicas in raptu hominis speciem reliquisse, inuisibilemque se reddidisse.

7. Cæterùm controuersum est, & dubium, an in hac tertia tentatione explorare voluerit, esset nè Dei Filius. Hilar. can.3. in Matth.de tertia hac loquens scribit: *gemina tentatio opinionem suspicionis excesserat, id est, superauerat opinionem suspicionis in Diabolo, quia videlicet, bis se tentari Christus per miserat, deposuit in tertia Diabolus tentationis suspicionem, quam ante conceperat, illum esse Filium Dei. Putabat enim voluntatem Saluatoris, qua bis passus est se tentari, necessitatem esse.* Sic Abulensis opinatur Matt.4.

8. Cæterùm Hieronym. arbitratur, etiam hunc tertium accessum ad explorandum fuisse. prouocat autem ad adorandum, atq; ipsius regnum vsurpat, confidens fore, vt tanta irrogatā iniuria commoueretur, & commotione ipsa interea se prodituru. Hanc ego Hieronymi sententiam vehementer laudo, & libenter amplector, præsertim cùm totus hic callidi veteratoris aggressus eò tenderet, vt exploraret. at nec primò, neque altero agressu id obtinuerat, cælans se dæmonem esse; palàm ergò inire aliam certandi rationem tertio hoc conflictu decreuit, se fortè res hac arte succederet.

9. Postremò discat de Christo duce Christianus miles arma, quibus se ab hostibus defendat, ieiunium contra carnem, contra Diabolum orationem, solitudinem cōtra mundum. ieiunio armabat se Dauid cùm diceret Psalm. 108.*genua mea infirmata sunt à ieiunio.* Itemque cilicio corpus domabat Psal.34. *cùm mihi molesti essent, induebar cilicio.* Dicam quod maximè mireris; in medijs occupationum fluctibus, solitudinis memor erat: Psal.54. *ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Nam de oratione superuacaneū arbitror, dicere, cum Psalmos habeamus eius rei locupletissimos testes Psal.118. *septies*, inquit, *in die laudem dixi tibi.* & Psal.62. *media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo*; & rex tamen erat vir iste. Vbi nunc sunt, qui quadragesimæ ieiunium velut delicatuli milites horrent, & tantum non explodendum prædicant?

Sed præter hæc armorum genera ad repellenda hostium tela satis apta, insinuauit etiam Christus hic commune aliud, nō ad repellendum modo dæmonum ictus idoneū, sed multo etiam magis accommodatum ad impetendum, & quo inflicto etiā lethali vulnere perimere inferni regem possis, verbum videlicet Dei. Scriptum est, inquit, semel. Iterum scriptum est. Tertiò item scriptum est, ait. Reuocate quæso in memoriam Hiericōtinos parietes tubæ personante clangore corruisse. quid, rogo, aliud Dei verbum est, quàm tuba? de qua Oseæ octauo, *in gutture tuo sit tuba.* & Isaiæ 58. *quasi tuba exalta vocem tuam.* Ierem. 6. *constitui super te speculatores. audite vocem tubæ.* hac clangente terrentur hostes, accēduntur, & inflammantur ad victoriam Christi milites. inferni cōcidunt muri, & de crudelissimo hoste gloriosissimus reuehitur triumphus.

Præcesit huius rei exemplum in duce nostro. *vicit aduersariū testimonijs legis*, inquit Leo serm.1.de Quadrag. *non potestate virtutis.* ad sacram nos Scripturam mittit Apostolus Ephes. 6. Si hostem, si aduersarium perditum volumus. *in omnibus*, inquit, *assumentes scutum fidei, in quo positis omnia tela nequissimi extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus quod est verbum Dei.* nec immeritò turris Dauid celebratur, ex qua *mille clypei pendent, omnisq; armatura fortium*, atque ei turri collum sponsæ simile dicitur, ex quo prodit omnis sermo, qui nimirum ex doctrina Ecclesiæ vt ex fortissima turri innumeros clypeos, omne armorum genus vt ex regio armario depromere, in promptu sit. quomodo ex verbo Dei astus Dæmonis, & eorum perniciem deuitemus, docet Greg.in c.5. Cant. in illa, *oculi eius sicut columbæ*, &c.

Quibus armis resistendum tentationibus diaboli.

10. *Verbi Dei efficacia.*

CAPVT IV.

IOANNIS TESTIMONIVM.

D. 1. 15.

1. *Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat, quem dixi: qui pòst me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.*
2. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.*
3. *Quia lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christũ facta est.*
4. *Deum nemo vidit vnquã. Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse enarrauit.*
5. *Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad eum, vt interrogarent; tu quis es?*
6. *Et confessus est, & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus.*
7. *Et interrogauerunt eũ, quid ergò? Elias es tu? Et dixit nõ sum. Propheta es tu? & respondit non.*
8. *Dixerunt ergò ei, quis es tu, vt responsum demus his qui miserunt nos, quid dicis de te ipso?*
9. *Ait: ego vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini sicut dixit Isaias Propheta.*
10. *Et qui missi fuerant erãt ex Pharisæis.*
11. *Et interrogauerunt eum & dixerunt ei: quid ergo baptizas si tu non es Christus, neq; Elias, neq; Propheta?*
12. *Respondit eis Ioannes: dicens, ego baptizo in aqua, medius aũt vestrum stetit quem vos nescitis.*
13. *Ipse est qui pòst me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti.*
14. *Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem vbi erat Ioannes baptizans.*
15. *Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*
16. *Hic est de quo dixi: pòst me venit vir qui ante me factus est, quia prior me erat.*
17. *Et ego nesciebam eum, sed vt manifestetur in Israel propterea veni ego in aqua baptizans.*
18. *Et testimonium perhibuit Ioannes dicens: quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum.*
19. *Et ego nesciebam eum sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum descendentem & manentẽ super eum, hic*

A *est qui baptizat in Spiritu sancto.*
20. *Et ego vidi & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.*

SCHOLIA.

1. **T**Estimonium perhibet] Gr. habetur: testatur de illo, & clamauit. interpres videtur legisse in præsẽti; *clamat*. Certè magis emphaticum est præsens. est ergò sensus, vt dicat Ioannes Euangelista; huius rei, quam suprà dixeram, Verbum Deum esse carnem factum, & *plenum gratiæ, & veritatis* nobiscum habitasse, locupletissimum testem Ioannem alterum, Baptistam affero, qui apud vos Iudæos magnæ erat auctoritatis. *clamandi* vocem vsurpauit, vt ostenderet, Ioannẽ B multa fiducia, ac libertate; non timidè, nec inconstanter; clarè, non obscurè testatum esse, Iesum, nõ se Messiam esse. Quid si etiam dicãmus alludere 2. voluisse ad Isaiæ vaticinium: *Vox clamantis*] ac proinde clamandi verbo vsum Euangelistam? Verùm inquies, quomodo Ioannes hoc testimonio confirmat id, quod dixerat: *In principio erat Verbum, & Verbum esse Deum*, & carnem factum? Respõdeo; hoc ipso quod Baptista testatus est, Iesum esse Messiam, qui venturus est, declarauit esse Deũ, & Verbum illud, q̃ erat in principio apud Deum. tale quid enim Prophetæ futurum prædixerant Messiam, & eo ipso quod dixit, se vocem esse clamantis, qui ante Deum ad nos venientem venturus est, docuit esse Deum. præiturus enim erat non alium, quàm Deum ex Isai. vaticinio. Idemque significat cùm ait, *ante me factus est*, plus enim significat quã verba videantur sonare. Gagnæus in Ioannẽ eleganter connectit hæc cum præcedentibus: C *perinde enim est ac si dicat*, inquit, *Euangel. ne putetis me in gratiam Christi, quippè eius Sectator fui & discipulus, hæc dicere, testificatus est. n. de ipso verbo & Christo ante me, prius quàm me vidisset, aut nosset Ioannes Baptista, qui multa fiducia clamat seu clamauit, est enim Gr.* κηρύσσει. Tria testimonia Ioan. de Christo narrantur hìc ab Euangelista. Primum in legatione, vt habes hic c. 4. v. 5. & seq. Secundũ postridiè legationis v. 15. cum quo est idẽ illud quod per anticipationẽ habetur v. 1. Tertiũ habetur c. 5. v. 1. & seq. Quartũ additur l. 3. c 3. v. 6. ita vt vniuersim quatuor sint. Porrò plura fuisse testatum Ioan. non dubiũ. Sed hæc præcipua sunt eius testimonia, proindè ab Euangelista nõ omissa. Summa omniũ testimoniorũ Ioan. de Christo hæc fuit. Primum ipsum esse super oẽs, *qui de sursum est, super oẽs est*, se verò, nõ esse dignum soluere corrigiam calceamẽti eius. 2. non se, sed ipsum esse verum Christũ. D 3. ipsum esse verum Ecclesiæ sponsum, se verò amicum sponsi. 4. ipsum baptizare non in aqua tantũ, sed in Spiritu S. 5. ipsum esse Redemptorẽ, & Saluatorẽ mundi, & *agnum Dei qui tollit peccata mundi*. 6. ipsum iudicem omnium hominũ esse futurũ, cùm ait Matt. 3. *cuius ventilabrum in manu sua*. constat quidem, aliqua ex his testatum esse Ioan. ante Baptismum, aliqua post Baptismum, sed quantũ inter singula hæc testimonia intercesserit temporis, non planè constat. *Qui pòst me*] alludit ad cõsuetudinem seruorum, qui non solent Dominos suos præire, sed subsequi, quod Cyrill. annot. q. d. & si ergò præter morẽ seruorũ præcedã, sequatur ille, ne propterea me Dominum arbitremini, illum seruum. præcessi enim ego vt solent interdum serui Domino præire, obsequij causa, vt viam sternant, Domum parent, &c. *Ante me factus*] mihi prælatus, antepositus, plus honoris quã ego cõsequutus est. subdit rationem; *Quia prior me erat*] id est, quantùm ad naturam diuinam prior me

erat

erat: nam ab æterno genitus; solet autem maioribus natu maior deferri honor, ita videntur intelligere hunc locum Epiphan. hær. 51. aduersus item Ariomanitas hær. 69. August. tract. 3. Chrysost. homil. 12. Gregor. hom. 7. in Euang. Sed meliùs erit
4. hæc ad naturæ & personæ præstantiam referre, nõ ad durationem, ac si dicat; ideò mihi prælatus, quia re ipsa & natura sua multò præstãtior, ac melior me erat, licet pòst me venturus. quo nõ modo significatur Christus, vt homo præstantior, cuius erat humanitas tot ac tantis condecorata donis, sed præter hoc innuitur eius diuinitas. quod verò alij Euangel. dicunt *fortior me est*: hoc dicit Ioan. *prior me*. loquitur aũt hebraicè, dùm ait, factus est, præterito vsus, pro futuro. nondũ enim Christus assequutus fuerat hanc maiorem præstantiã, quam Ioannes apud homines, nam vt plus assequutus præstantiæ fuerit quàm Ioan. reipsa, nondum tamen hominum opinione.

Post me venturus est] ad annuntiandum, videlicet, vobis regnum cœlorum. factus est Gr. γέγονεν, nec rectè vertitur *ante me fuit* cum Epiph. hær. 51. & 69. neque enim aptè congrueret ratio *ante me fuit*, quia prior me erat. Ideò rectè interpres vertit *ante me factus*. Hoc enim etiam significat vox Græca.

5. 2. *De plenitudine eius*] aliqui hæc verba esse Ioannis Bapt. affirmant, vt sit sensus, ego & omnes alij Prophetæ, & quotquot præsentes sumus, si quid gratiæ Prophetici spiritus habuimus, ab eo accepimus, qui spiritu & gratia plenus est. sed in eam sententiam magis inclino, vt sint verba Euangelistæ coniungenda cum illis; *habitauit in nobis plenum gratiæ & veritatis*: ita vt reliqua nimirum, *Ioannes testimonium perhibet*, & cæt. fuerint interposita per Parenthesim, vt Chrysost. exponit. licèt Nonnus Græcus Ioannis Paraphrastes, verba hæc Baptistæ tribuat, & in catena aurea recitantur verba Origenis, cum Nonno sentientis, vt & sentit Athanas. lib. de natura humana contra Apollina. & orat. contra Arria. Basil. in Psalm. 28. & Epiphan. hær. 51. & Theophylact. & August. tract. 13. & l. de gratia & libert. Arbitr. cap. 9. & lib. 5. de Baptis. contra Donatist. c. 9. cum Cypriano lib. de Baptismo. Ruperto, & Toleto in
6. Ioan. hîc an. 50. Si ergò cum Chrys. hom. 23. Cyrill. lib. 1. cap. 20. Euthymio, Beda, Lyrano, Ianfenio Euangel. tribuamus, erit hæc sententia: nos autem omnes duodecim, innumera Iudæorum multitudo, omnis fidelium cœtus, qui tunc fuerunt, nunc sunt, & futuri sunt fideles, *de plenitudine eius omnes accepimus* declarare enim vult illud, quod dixerat ante interiectum testimoniũ Baptistæ, Christum fuisse *plenum gratiæ*, &c. & verò etiam magis conuenit Euãgelistæ dicere, *de plenitudine eius nos omnes accepimus*, quàm tempori Baptistæ.

7. Obserua multa hæc verba innuere. In primis nullum præter Christum gratiam, nisi acceptam, & participatã habuisse; deindè à nemine alio quã à Christo accepisse; adhæc neminem tantum habuisse gratiæ quantum Christus habuit, & ideò nõ dicit nos accepisse plenitudinem, sed *de plenitudine*, non fontem, sed de fonte. Denique innuunt omnibus eam plenitudinem expositam esse, ceu fontem, vnde haurire liceat.

8. *Gratiam pro Gratia*] Pined. in cap. 2. Iob ver. 8. nu 3. *omnem gratiam* exponit. 1. gratiam super vel vltra gratiam. secundum alios particula *&*, significat quamuis, vel sed, q.d. non vnam omnes, sed alius vnam, alius pro illa aliam, non omnes eandem, sed diuersi diuersam; *diuisiones enim gratiarum sunt*, 1. Corint. 12. 4. 8. 9. 10. *& vnicuique sicut*, &c. Rom. 12. 3. 4. 5. 6. Alij tertiò exponunt *gratiã, pro gratia*, quia in ipsius Christi gratia, & per ipsius

A gratiam oẽs nos gratiam consequuti sumus nostrã, & per eum grati facti Deo. 4. Chrysost. interpretatur perfectã Euangelij gratiã, pro imperfecta legis gratia, quod videtur probari ex auctoritate & dignitate legislatorum in sequentibus verbis, hoc modo: quod per legislatorem Dei verbum & Filiũ datũ est, nõ potuit nõ esse perfectius eo, q̃ per seruum datũ est. Lex aũt p̃ Mõsem seruũ data est, Euangelica gratia per Filium, non igitur pòtuit tantùm nobis per Mosem conferri, quantùm per Dei filium. Hæc mihi Chrysost. expositio non multum arridet. nam semper gratiam Euangelista opponit legi, vt patet. 3. interpretatio satis quadrat in hũc locum, præsertim si *gratiam* secundo loco positã sumas pro ipsomet Christo, quatenus nobis datus est ex singulari Dei dilectione; vt sit sententia hæc: propter Christum gratis à Patre, & peculiari nobis datum dilectione omnẽ aliam gratiam recipimus, ita etiã exposuit Suar. li. de Prædest. c. 19. n. 9.

B 3. *Quia lex*] reddere videtur causam cur de plenitudine, &c. nam dicat quis: nunquid ergò ante Christũ non erat gratia? Respond. nondũ fuisse allatã gratiã tempore legis: nimirum nondum erat patefactus eius fons. Lex quidem data erat, gratia non erat. interim docet Euangelista, accepisse nos de Christo gratiam, nam qui ante Christum gratiam perceperunt in eius fide ac merito acceperunt, vt & veram fidem. 9.

Obseruandæ sunt quatuor antitheses. prima inter gratiam & legem. lex quasi corpus mortuum erat, gratia vt anima; illa onerabat, non exonerabat, nec roborabat, iubebat, non iuuabat; gratia anima legis est, quæ vigorem illi vt seruari queat, imprimit. Roman. 5. 20. & 7. 7. 8.. 1. Corint. 3. 6. vt enim primo Deus dedit Adamo corpus inane, tum animam adiecit: ita hominem reformauit, prius legem, mox gratiam dando. 10.

C Ribera ad Hæbr. c. 2. nu. 3. cum Chrysost. annotauit; Apostolum ibi versu 2. & 3. Sermoni opposuisse salutem. Legem enim *sermonem* vocauit, quòd doceret illa quidem, quid agendum esset, sed nihil præterea faceret, neque salutem animæ afferret. legem verò Euangelicam appellauit *salutem*, quod gratiam conferat, & salutem afferat, sicut & Ioannes dixit cap. primo, *Lex per Moysem data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. Sic Rib. 11.

Lex Mosis nomine sermonis, Euangelium verò salutis vocabulo designatum.

Altera est Antithesis inter veritatem, & eandem legem; non quatenus præcepta affirmatiua, seu negatiua citra gratiam, sed quatenus cæremonias, & figuras & rerum prõmissiones continet; vt enim præceptis gratiam, sic promissionibus, Cæremonijs, & vmbris veritatem opponit; Rectè, nam vt notauit Rib. ad Hebr. 8. n. 4. Res figuratæ
D veræ in scripturis appellantur comparatione figurarum, vnde dicimus, Christum verum Dauid, verum Salomonem, verum Melchisedech: quoniam ita habent figuræ cum rebus figuratis, sicut signa cum re signata, & sicut pictura cum re ipsa; & pictum hominem nemo dicit verum, sed eum qui viuit: neque enim accipiuntur figuræ vt res quædam sunt, ita enim veræ sunt, sed vt ad aliquid significandum assumuntur; atque adeò id quod in eis significatur, potiùs verum dicitur: sic ad Hebr. nono, Paulus appellat res quasdam veteris legis *exemplaria verorum*, & Ioannis sexto, Christus panem verum dicit, & 1. Ioan. 2. verum lumen, & hîc dicitur *veritas per* IESVM CHRISTVM *facta est*, quia videlicet in Christo exhibitũ est, quidquid in cæremonijs, & figuris vet. legis significabatur. præterea, figura q. prophetia quædam est, & promissio rei futuræ, & quia veritas dicitur cum præstatur quod erat promissum, ideò rectè dicitur, *gratia & veritas per Iesum*

12.

Digitized by Google

Christum facta est, & ipsæ res in quibus impletur, quod promissum, & prædictum erat, veræ appellantur. Sic Rib. qui loc. eodē sed n. 11. aptè declarat cur figura dicatur vmbra, figura inquit, siue exemplar (vt vertit interpres apud Paul. ad Hebr. 8) ὑποδείγμα dicitur (eodem loco apud Paul.) & Theophyl. interpretatur obscurā picturā, q.d. subostensionem, id est, obscuram repræsentationem. eadem figura dicitur *vmbra*; duplici ratione, & quatenus opponitur imagini expressæ, & quatenus opponitur corpori, 1. vmbra dicitur rudis & inchoata pictura. vnde adumbrare. sic Heb. 10. vmbrā. n. habens lex futurorū bonorū, non ipsam imaginē rerū. iterum vmbra dicitur quæ ex aliquo corpore fit; sic Colos. 2. *Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu*, &c. quæ sunt vmbra futurorū: corpus aūt Christi, quasi d. mysteria Christi fuerunt corpus, ex quo factæ sunt huiusmodi vmbræ; ad significandum illum iussa sunt hæc. Hæc rectè quidem dicta sunt.

13. 14.

Sed satius est dicere sumi hic *veritatem*, non tantū vt opponitur vmbris, & promissionibus, sed etiam pro ipsa rerum diuinarum cognitione verissima, & earum rerum quæ salutem afferunt cœlestem: quæ cognitio Euangelio continetur, & imperfectæ veteris legis cognitioni opponitur, cuius auctor & magister oculatus Dominus IESVS fuit, atque ita altera Antithesis erit, qua opponitur veritas ipsi legi, quatenus lex non modò promissiones & figuras continebat, sed etiam imperfectam rerum diuinarum cognitionem.

15. Ergò cùm veritas tripliciter sumi possit, prout promissionibus, figuris, vel inchoatæ & imperfectæ cognitioni opponitur: ijs omnibus modis hic commodè accipi potest. quod si aliquibus veteris legis hominib⁹ abscondita quędam mysteria Trinitatis, &c. reuelabātur, priuilegio id fiebat, ob Christum futurū, sicut & fides verè dabatur; quomodo item veritas etiam alibi accipiatur libr. 1. cap. 1. ad v. 14. nu. 19. & Theor. 20. nu. 9. diximus.

16. Tertia Antithesis est inter Christum & Mosem, vt inter Dominum & seruum, inter legislatorem, & legis præconem. Est autem legislatoris dispensare & soluere à reatu legis, quod est gratiam facere. prætulit ergò Ioannes Euangelista Christum Baptistæ, & Mosi. verissimum est enim illud Psal. 88. 7. *quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filijs Dei.*

17. Quarta denique, inter facere & dare. Moses non fecit, sed dedit legem, Christus non solùm dedit, sed & fecit gratiam, etiam vt homo, cum sit gratiæ fons; & verò non id solum, sed nobis etiam vt homo eam meruit, compleuit etiam quæ promissa erant in lege, & continebantur in figuris, occulta item legis declarauit; vt meritò gratiam & veritatem feciisse videri debeat. est autem hic sermo præsertim de Christo vt homine redemptore.

18. 4. *Deum nemo*] docet vnde hauserit Euangelista, quæ de Christo in superioribus dixerat. *Deum*, inquit, *nemo vidit vnquam*, quasi dicat, nolite putare, quæ à me de Deo Patre, & vnigenito eius Filio efferuntur, nimirum, *In principio erat Verbum*, &c. tanquam de meo sensu deprompta esse. nam quis hominum si se suis viribus metiatur, differere audeat de Deo, quem nemo vidit vnquam? quę ergò de Deo diximus ipse nobis vnigenitus Dei Filius, qui solus est in sinu Patris, enarrauit. hic tacitè præfert Christi testimonium non legi modò Mosis, verùm etiam testimonio Ioannis, quòd hic obseruauit Maldon.

19. Sed est altera melior meo iudicio, interpretatio huius loci, vt velit Euangel. ostendere Christum esse auctorem, & magistrum veritatis, non Mosem, vel quemcumq; alium, atque adeò de plenitudine eius veritatis nos sumpsisse, quæ de Deo scimus, & quæ Euangel. nobis enarrauit: neque alium potuisse esse auctorem & magistrum veritatis, quia nemo alius Deum viderit præter ipsum, vt auctor esse possit & magister veritatis. quod si dicas, poteramus discere ab alio, qui audiuit ab eo qui vidisset. Respondeo, ergò non ille, sed iste auctor. *Veritas* hic sumitur per cognitione rerum diuinarū verissima, & vitæ perfectioris pro vt etiam diximus, sumi veritatem lib. 1. in Schol. cap. 1. ad ver. 14. nu. 19. vbi dicitur *Verbum plenum veritatis*, quia viam docuit veritatis & arcana Dei, lege ité ea, quæ ibid. scripsimus sub finem Theor. 20. nu. 9.

A

Iterùm obijcies, Moses Deum vidit, ergò potuit esse auctor veritatis. In primis nego id quod assumitur. nam Mosem Deum vidisse negant Dionys. Areopag. de cœlest. hier. c. 4. & de myst. Theo. c. 1. Cyrill. hîc, Chrysost. hō. 14. Theophyl. in Ioan. hìc Iren l. 4. c. 37. Nyssen. lib. de Beatitudinibus in illa: *Beati mundo corde*. Greg. 18. moralium c. 28. Deindè licèt Moses Deum vidisset nō posset dici auctor, & magister veritatis quia videre aliunde habuisset. i. à Verbo; Filius autem ex se id habet, cum sit in sinu Patris. Præterea nec Moses, nec beati qui Deum vident, possent dici magistri & auctores, quia non perfectè Deum vident. i. comprehensiuè, atq; adeò nequeūt perfectè de Deo loqui, vt auctores & magistri oculati, quibus totus Deus comprehensiuè cognitus sit. Vide Epipha. hær. 70. & Ambr. lib. 1. de Spiritu S. c. 1. Caiet. exponit: *Deum nemo vidit vnquam*, scil. viribus naturæ. At hoc non excluderet, quin ea, quæ de Deo narrauit Euangel. & eius Filio per legem, & Mosen manifesta prius facta sint, quod negare vult Ioannes asserens se ex sola diuini Verbi reuelatione ea nosse. Dici ergò potest, ꝙ nemo Deum vidit vnquam clara visione, seu saltē (si velimus hic etiam comprehendi Angelos beatos) cōprehensione perfecta secundùm oēs suas proprietates, & perfectiones. Cæterùm reuerà neque hic de Angelis loquitur Ioan. nec de Dei comprehensione, vt sensus germanus huius loci sit; esse hic sermonem de hominibus tantùm viatoribus; præsertim verò Prophetis & Doctoribus. Et certè ad narrandam veritatē visam nihil erat opus comprehensione Dei, præsertim cum verosimile sit, Ioannem, cum affirmauit Deum vidisse neminem, Vnigenitum etiam vt hominē excepisse. nam hoc modo nobis ille locutus est. de quo c. 6. idem Ioan. ita testatur. hic vidit Patrem, cùm tamen nec ipse vt homo cōprehendat Deum. Deniq́ue quod caput est; mentis Ioannis erat excludere omnes homines veteris legis, qui Christum præcesserant, vt ostenderet illum singulari ratione potuisse esse auctorem veritatis. & ita tandem exposuit Augustinus epist. 112. cap. 4. & alij, quos citant Maldonat. & Toletus. neque etiam Ioannes ita strictè, ac rigidè loquitur de auctore veritatis, vt in eum id tantùm velit conuenire, qui ex se habeat, Deum videre, illumuè comprehendere. & iuxtà hanc interpretationem negandū est, Moysen Deum clarè vidisse. quod præter loca superiùs citata etiam habet Dionys. Areopag. epist. 1. ad Caium. Nazianz. orat. 34. Orig. 1. Periarchon cap. 4. & homil. 1. in Isaiam. consule item Suar. lib. 2. de attrib. negati. cap. 30. & Pererium in cap. 1. Ioannis disput. 39. & 40. imò aliquando insinuauit id D. August. tract. 3. in Ioannem, & libr. 12. super Genes. cap. 27. nec abhorruit Diuus Thomas 1. 2. quæst. 98. articul. 3. ad. 2.

B

20. *Moses an & quomodo Deum viderit.*

C

21.

22.

D

Vnigenitus] nomine *vnigeniti* adoptio excluditur. *In sinu*] est velut explicatio illius, erat apud Patrem, vt inquit Emm. significanturq; cōiunctissimus Patri & consubstantialis, ita vt eius omnia norit cōsilia, nec satis est amor, vt quis dicatur esse

23.

in sinu

in sinu Dei. nam Christus vt homo coniunctissimus est amore patri, & tamen vt sic nō dicitur esse in sinu patris. Continet ergò naturæ coniunctionē ob quam omnia Dei arcana cognoscit filius; quæ enim in sinu sunt in occulto sunt, & ibi occultam interdum quæ volumus occulta esse, quæ non cognoscet nisi intimus, sinumque prælustrans. Vide Ambros. de benedic. Patriarch. c. 11. & ser. 17. & Chrysost. hom. 14. in Ioan.

Qui est] quia etiam postquam in mundum venit non desijt esse in sinu Patris.

Enarrauit] quæ supra de verbo dicta sunt, & quę ad veritatem diuinam pertinent; cunctis item hominibus quantū in se fuit, patefecit Christus consilia diuina, quæ ad eorum salutem pertinebant. G. ἐξηγήσατο: latentia in lucem pertulit, id est, expressiùs & certiùs declarauit.

24. 5. *Et hoc Testimonium.*] Et hæc est testificatio qua tam de se, quàm de Christo testificatus est Ioannes, quæ videlicet testificatio sequitur: ad hanc sanè legationem excitati sunt Iudæi præclara Ioannis fama: quia verò pertinebat ea res ad religionem, ideò miserunt Sacerdotes & Leuitas, fortè inuidia aliquā mouebantur in Ioan. ob eius nominis claritatem volentes calumniam inferre eius responso.

Miserunt] nimirū Iudæi, cùm, vt habetur in glo. interlineari ex Augustino eius auctoris excellentia mouerentur, quia ausus est baptizare.

25. *Tu quis es?*] munere, officio, dignitate. sciebant enim filium Zachariæ. videtur ij habuisse in mandatis vt interrogarent primùm, an esset Christus; & postea si negaret, interrogarent quis esset. verùm Euangel. posuit generalem interrogationis partem pro tota legatione; cùm dixit missos hos, vt interrogarent: *Tu quis es?* & patet verum esse, quod dixi, nam Ioannes statim respondit, se non esse Christum; saltem illud negari non poterit hāc fuisse illorum intentionem, esto interrogarint *tu quis es?* nimirum imprimis rogare volebant an esset Christus: & sic videtur sentire Chrysostom. putat enim his verbis interrogasse, *Tu quis es?* Ioannem verò non ad verba, sed ad mentem respondisse. Sed quod prius dixi magis mihi probatur, quod sequitur Caiet. Iansē. Tol.

26. Sed quomodo poterat in mentem Iudæis venire Ioannem posse esse Messiam, cùm esset de tribu Leui; & non natus Bethlehem, nec miracula edidisset, vide Tol. annot. 36. in cap. 1. Ioan.

27. Obserua hic, quia Ioannes Euangel. c. 1. ver. 15. vt habes lib. 2. huius hist. c. 4 vers. 1. per anticipationem citauerat testimoniū illud baptistæ, quod habetur v. 30. apud Euangel. & in hoc lib. 2. v. 16. c. 4. quo baptista dixerat, *hic erat, quem dixi, qui, &c.* ideò quomodo, & quando primum hoc testatus fuerit Ioannes Baptista de Christo, declarare hunc vult Euangel. & quando repetitū fuerit hoc idem testimonium, significat aūt in legatione primum dictum esse, vt cōstat hic ex v. 13. huius c. 4. & v. 27. apud Ioannem c. 1. Repetitum verò fuit post leganem Iudæorū, cùm rediret Christus ad ipsum Ioannem, vt patet ex v. 16. hīc, & hanc huius testimonij repetitionem cōmemorauit Euangel. v. 1. huius c. 4. hīc, & v. 15. c. 1. sui Euangelij, licēt hoc testimonium reuera primum dictum fuerit in legatione ipsa, quam hic exponit Ioannes.

28. 6. *Confessus est*] id est, veritatem inquit Emma. sed non videtur esse necesse, nam subdit, *quia non sum ego Christus.* Hebræi quod per affirmationem dixerunt repetunt per negationem: vt *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ*: ita & hic. *confessus est, & non negauit.* licēt eiusmodi repetitio indicet cōstantem veritatis asseuerationem; confirmationem ve.

A 7. *Elias es tu?*] ex hoc loco colligunt quidam videri Pharisæos παλιγγενεσίαν, vel iteratam generationem, seu μετεμψύχωσιν etiam credidisse. sed illis id falsò affingi, docet Tol. ann. 59. in c. 1. Ioannis. Itaque dubitabant verè an sub suo corpore, licèt sub habitu baptistæ, ille esset Elias. quare ex hoc locò nō colligitur, nec palingenesia, nec trāsmigratio. Elias enim viuebat, & in suo corpore gestabat animam. tantum ergò sub specie Baptistæ suspicari poterant illum esse Eliam, ipsum verò Ioannem Baptistam in deserto delitere adhuc, vel obijsse. Cæterùm Pharisæos vel etiam Iudæorum plebem sensisse animas bonorum ante resurrectionem transmigrare facilè in aliena corpora, videtur ex Iosepho 2. de bello Iud. c 7 constare, qua de re lege Barrad. libro 2. cap. 13. in illa, Elias es tu? Sed Pererius in cap. 1. Ioan. disput. 43. breuiter respondet, Iosephum impropriè vsurpasse transmigrare, pro remigrare in propria, scilicet corpora per resurrectionem, quā ex Actis Apostolorum dogma fuisse Pharisæorum didicimus: quod ipsemet Iosephus habet in lib. Antiquitatum, quos post libros de bello Iudaico scripsit. nam libr. 18. antiquit. docet Pharisæos sensisse, animis bonorum hominum facilè patere ad sua corpora reditum. quod verò Herodes dixerit, *quem ego decollaui, Ioannes ipse est*, &c. non mirum, putabat enim resurrexisse Ioannem, & sub diuersis nominibus versatum inter homines. 29.

B *Propheta*] Gr. ὁ προφήτης ille, videlicet, de quo Deut. 18. de hoc enim Propheta intelligunt interrogasse Pharisæos hic Ioannem Origenes, Theophyl. Euthy. Chrys. Cyrill. Eusebius l. 9. de demonstratione c. 11. putabant enim Iudæi ante Christum venturum & Eliam, & alterum Prophetam, de quo Deut. 18. & ideò quidam volunt addi hic articulum, *ille Propheta*: licèt verè ille Propheta, verè esset Messias ipse, vt patet ex Actis Apost. c. 3. sed veriùs & meliùs, Prophetam hic intelligemus vniuersim quemuis Prophetam, vt neget Ioannes se esse Prophetam futuri, non tamen Prohetam indicem præsentis; articulus verò sæpè redundat. 30.

C 9. *Ego vox*] vide Scholion v. 3. huius lib. c. 1. q. d. quæritis quid sim. ego inquit, sum ille præcursor Messiæ, nō Propheta venturi, sed index præsentis, quem descripsit Esai. præmissus præparare ac disponere illi viam, quod & baptizando facio. quomodo Ioannes vox fuerit, vide apud Tol. ann. 61. Barrad. lib. 2. c. 13.

10. *Ex Pharisæis*] *Pharisæi* nomen est Sectæ: Sacerdos, & Leuita, tribus, & officij. hi ergo Sacerdotes, & Leuitę Pharisæi erant; & quia interrogauerunt Ioannem de his quæ non habebant in mandatis, puta cur baptizaret si non erat Christus, &c. ideò vt id Euangel. significaret, cur videlicet hoc priuato nomine interrogassent, ait, quia erāt Pharisæi, hoc est, qui maximè tantam Ioanni gloriam inuidebant; vel qui per traditionem habebant, vt inquit, Amma in catena græca, nemini licere baptizare nisi Christo aut Eliæ, quem venturum ante Christum credebant, aut Prophetis. videbatur enim eis quædam legis transgressio hoc facere: vel cùm iudicarent nemini licere auctoritatem docēdi alios, & baptizādi sumere nisi Christo, & Prophetis, qui à Deo acceperunt auctoritatem, ideò interrogant quomodo hoc faciat cum nō sit Christus, neque Propheta aliquis à Deo missus. hoc enim scire & cognoscere ad summū religionis antistitē pertinet. quia verò per modū accusationis vel reprehensionis interrogabant, propterea dicit Euangelista interrogauerunt, & dixerunt, innuens non simplicem fuisse interrogationem: sed reuera reprehensionem. 31.

11. *Quid ergo*] ex hoc loco collige Prophetam 32.

vniuer-

vniuersim superiùs n.30. sumi debere. nam quicunque Propheta ad baptizandum mitti potuit. habet enim Prophetæ à Deo auctoritatẽ, & ad aliquod opus mittuntur: Et Conf. hæc opinio, nam alioqui reliquum fuisset quærere 4. esnè aliquis alius Propheta missus à Deo ad docendum, & baptizãdum? nec satis fuisset quærere, esnè ille Propheta Mosis?

Neque Elias] Eliam se esse in persona negauit, quem in virtute & imitatione sanctæ, & austeræ vitæ Eliam Christus nominauit. Matt. 11.14. & 17.12. est verò sensus malè ac properam agis, quod baptizas, cum non sis Elias, nec &c.

33. 12. *Ego baptizo*] Reddit baptismi rationem, cur videlicet baptizaret. *ego*, inquit, *baptizo vos in aqua* tantum, præparans & disponens homines ad Messiam recipiẽdum, qui iam in medio est vestrũ, inter vos est, adest iã, licèt vos ignoretis; ideò ego vt illius scil. præcursor prædictus ab Esai. baptismi in aqua prædicatione ad illum vos adhortor, viam præparo, eius aduentum, & præsentiam denuntio. Porrò in Spiritu sancto baptizare illi' est, quare id mihi munus non arrogo.

Medius autem vestrum] quòd ait, *medius vestrum stetit* de Christo intelligendum est, alluditque ad illã Mosis Prophetiam Deut. 18. *prophetam de gente tua*, siue vt Hebræi habent, de medio tui, *suscitabit tibi Dominus Deus tuus. Stetit*] loco *stat* ponitur.

34. *An Christus vsus scandalis.* 13. *Vt solaam corrigiam Calciam.*] non omninò hinc euincitur; Christũ habuisse scandalia, vel nudis non incessisse pedibus, videtur enim Ioã. communem vsum, & consuetam dicendi formulam vsurpasse. est enim perindè ac si diceret, non modò non sum Christus, verum, nec dignus sum cui in viliſſimis seruiam. Vide Suar. disp. 28. sect. 3.

35. 14. *Hæc in Bethania*] videtur quibusdã legendũ *Bethabara*, quæ erat in tribu Beniamin; eius fit mẽtio Ios. 18. & vltra Iordanem dicitur eo sensu, quo vltra Iordanem vocamus ea loca, quæ veniẽtibus ab AEgypto trans Iordanem occurrebant, & ad quæ transito Iordane ibant, sic Mald. hic secutus Hiero. de loc. Hebr. Epiph. hær. 51. Tolet. licèt conueniat in re, defendit tamẽ rectè legi in Bethania, ita vt idẽ locus duobus nominib' diceretur *Bethania*, & *Bethabara*, sed aliter vult scribi *Bethaniam*, cùm significat *Bethabaram*, aliter cùm Bethaniam Mariæ & Marthæ, vt mox notabo: sicut etiã de Iechonia dicit. vide ipsum ann. 66 in c. 1. Ioã. & Barradium sub calcem c. 13. Ribera de templo l. 1. c. 2. v. 13. *in Bethania*, inquit, idẽ est, ac iuxtà Bethaniã. passim græci Codices legunt *Bethabara*, sed communior lectio est *Bethania* saltem in nostra editione. in Biblijs correctis *Bethania* etiã legitur. quare ita legẽdum arbitor cum Tol Barrad. & alijs, quos ipsi sequuntur. dicitur aũt *Bethania* domus nauis, eo quod fortè esset ibi nauis ad traijciẽdum fluuiũ. & habet *aleph* in medio: cùm ciuitas Mariæ & Marthæ habeat *ain*, & significet domum obedientiæ, vel afflictionis. *Bethabara* verò domum transitus, quia fortassis per hunc locum Israelitæ olim venientes ex AEgypto, transierunt Iordanem; vel quod per eum locum traijcere soleret Iudæi, eundem fluuium cum opus erat. quod si verum est Ioannẽ baptizasse, qua trãsiêre Israelitæ ex AEgypto venientes; erat is locus iuxtà Ierico. nam legimus Iosue 4. postquàm Iordanem transiêre Israelitæ in Galgalis castrametati sunt contra Orientalẽ plagam vrbis Ierico exstabat eo loci templũ D. Ioan. dicatum. est vero similius Bethabaram fuisse præcipuum locum, seu Vrbem, at propè illam fuisse locum alium, vbi erat nauis ad traijciendum, & sic qui eum locum petebant dicere consueuerant se *Bethabaram*, vel *Bethaniam* ire.

36. 15. *Altera die*] i. postridie eius diei quo legatis

A Iudæorum responsum, paulò ante expositũ, dedit. neq; verò intelligas hanc alteram diem fuisse ante baptismum Christi, vt videtur aliquo modo indicare Greg. hom. 6. in Euangelia. docet aũt hic Euangel. testimoniũ secundùm Ioan. Bapt. quod quidem primum fuerat in legatione dictũ, & hic iterùm repetitum, cuius mentionẽ fecerat per anticipationem Euangel. superiùs vt habes, huius libri, hoc c. 4. nu. 2. & 27.

Ecce Agnus Dei] non agnus Moysis, inquit, Gangęus, cuius sanguis ad postes Israelitarum illitus, ab exterminatore Angelo eos seruauit incolumes, erat enim ille agnus hui' agni Christi figura. & rectè *agnus* dicitur Christus: quod agnus in lege esset sacrificijs & hostijs addictum animal, Christus aũt ab æterno immolationi pro peccatorum nostrorũ expiatione, destinatus est, vnde Apoc. 13. dicitur *occisus esse ab origine mundi.* 37.

B *Tollit*] in præsenti loquitur, vt virtutem & efficacitatem Christi ad semper tollendũ peccatum doceat, idque propria virtute.

Peccatum] τὴν ἁμαρτίαν. i. peccatum quod significat peccatorum omniũ, & flagitiorũ, quibus mũdus scatebat, congeriem. obseruat Barrad. quod verbũ Latinum *tollo*, & Græcũ αἴρω, significat portare, & auferre. Vtrumq; præstitit Dominus Iesus, & portauit iniquitates nostras Isai. 52. 1. Petr. 2. & abstulit. rectiùs aũt legitur *peccatum*, quã *peccata*, & peccatum nunc habemus in Biblijs correctis; sic legit Iren. l. 3. c. 11. Orig hom. 10. in num. Cypr. l. de duplici martyrio, Aug. l. 10. cont. Faust. c. 30. Theophyl. & Euthy. in Ioan. Ambr. l 3. de Fide c. 5. & alij. Neque verò necesse est exponere de peccato originali, cùm D. Tho. q. 1. ar. 4. p. 3 quasi venerit ad tollendum præsertim peccatum originale, nec cum Theophy. de primi parentis inobedientia. Satiùs est dicere *peccatum* esse positum pro *peccatis* in numero multitudinis ad complectendam totam peccati naturam, & veluti massam. 38.

C 16. *Dixi*] videlicet, in legatione. innuit enim quando primum hoc testimonium dictũ fuit. *Venit*] præsentis temporis est, *Vir*] id est, quidam vir.

17. *Nesciebam*] Gr. est, οὐκ ᾔδειν αὐτὸν, quod aptè vertas: non noueram eum, videlicet de facie. nam qui matris adhuc vtero clausus, nosse poterat? nec tamen posteà viderat, cùm vix natus in desertum secesserit. Poterat quis quærere à Baptista, quomodo illũ, quem ostenderat, sciret esse Christum? Respondet totam rei seriem enarrans: ego cùm essem in deserto, non cognoueram de facie eum: sed propterea missus sum baptizare, vt ille man. festaretur populo, qui ad baptismum conflueret, Dei Patris voce, digito etiã ostensus à me, vt item p baptismũ prępararetur idem populus ad pęnitentiã, & eiusdem baptismi nouitate excitaretur ad tempus Messiæ intelligendum, eumq; intelligendum. 39. *Ioannes quomodo Christum in deserto cognouerit.*

D 18. *Quia vidi*] videlicet, post Christum baptizatum. Obijceret aliquis fortè; vidisti quidem spiritum specie columbæ super eũ; verùm vnde habes illud fuisse signum Christi, qui venturus erat, vt tu de eo testimonium perhibeas? Respondetur sequenti versu.

19. *Et ego nesciebam eum*] ait enim: datum sibi fuisse signũ columbæ, licèt prius nesciret eũ videl. de facie, datum est illi hoc signum, cùm missus est baptizare; itaq; cùm Ioã v. 31. & 33. & vt hic habes ver. 17. & 19. dicit, *nesciebam*, intellige de tempore cum missus est baptizare, & testificari, cùm videlicet adhuc ageret in desertis. Cæterùm venientem ad baptismum Christum statim interna illustratione cognouit ex Matt. 3. 14. dixit enim Christo, *ego debeo à te baptizari, & tu*, &c. Et paulò pòst, eadem hora signum publicum accepit, quod 40.

 intelli-

intelligebat populo prædicandum. simile quid habetur Exod. 3. 12. Bifariam ergò eadem die baptismi, Christum cognouit de facie; & interiore primum reuelatione, & deindè accepto publico signo sibi prius promisso. nec probo quod habet Augustin. tract. 5. in Ioan. & lib. 5. cont. Donatist. c. 13. & lib. 2. consens. Euang. c. 15. nouisse Ioannem ante baptismum Dominum & Messiam: nam dixit: *ego à à te debeo baptizari*, & in hoc consentio Augustino, & posteà accepto signo cognouisse quandam in eo proprietatem, quòd videlicet, propria quadam & excellenti potestate baptizaret, ita vt illi soli baptismi sanctitas tribueretur; verùm hæc verba Ioannis, *& ego nesciebam eum*, videlicet, de facie, *sed*, &c. indicant se hoc signum accepisse, vt cognosceret id quod nesciebat, nempè illius personam, ac faciem. nec Abulensis dictum probo Matt. 3. q. 76. ignorasse ante signum, esse Messiam, licèt nouerit vt virum Sanctissimum, quod putat significari illis verbis: *ego debeo à te baptizari.*

41.

42.

43.

Et manentem] Ambros. lib. de Noë & Arca c. 3. *datur*, inquit, *Spiritus S. hominibus, sed in eis non permanet; quia caro sunt, carnis enim natura disciplinæ repugnat, quia voluptati obtemperat. Denique de solo Domino Iesu Christo scriptū est: super quem videris Spiritum descendentem de cælo, & manentē super eo, hic est qui baptizat in Spiritu S. in eo manebat, quem nulla corruptelæ carnalis impedimenta reuocabant, quo minus incorruptæ, & impermistæ ordinem disciplinæ seruaret, cuius caro non vidit corruptionem.* hęc intelligenda sunt de eximio & singulari modo, quo tantum mansit in Christo, alioquin etiam legimus mansisse in alijs hinc; Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* mansit & in Ioanne Baptista, longè autem perfectiùs in Beata Virgine.

THEORIA PRIMA.

In ver. 12. *Ego baptizo in aqua.* & ver. 19. *hic est qui baptizat.* An instituere Deus potuerit, vt in nomine puri hominis baptismus conferretur, & per occasionem de tota disputatur excellentiæ potestate, an in puram creaturam cadere possit.

1. *In Christo duplex potestas.*

LYRANVS super illis verbis 1. ad Cor. 1. *Vnusquisque vestrum dicit: ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo*, &c. docet, duplicem potestatem fuisse in Christo respectu Sacramentorum, diuinam vnam, quam potestatē in nullam creaturam conferre potest, vt nec Deitatem. Alteram secundùm humanam naturam eidem Christo conuenientē; & dicitur hæc potestas excellentiæ. de qua loquens, quatuor illi attribuit: quorum quartum est, quod in eius nomine, hoc est vt ipse loquitur, ad eius inuocationem sacramenta conferantur. Cæterùm de istis simul quatuor, quæ potestati excellentiæ Lyranus adscribit, nunc non disputo, hoc expendere in eius dictis tantū lubet, quod quarto loco posuit, nimirum hanc potestatem excellētiæ, per quā Christus habebat, vt in eius nomine baptismus conferretur, puro homini potuisse cōmunicari. Glossa eodē loco sic scribit: *ministerium baptizandi dedit suis seruis Christus, potestatem autem retinuit sibi, sed & hanc, si voluisset, seruo communicare potuisset, vt tanta vis esset in baptismo serui, quantam vim habet baptismus*

Potestas excellentiæ.

A *à Domino datus.* quæ verba sunt à Gloss. desumpta ex D. August. to. 9. tract. 5. super Ioan.

Doctor Olauius relatis horum Doctorum sententijs asserit, contra D. Paulum loqui Doctores hos, cùm asseuerant, Deum efficere potuisse, vt in nomine puri hominis baptismus tantæ efficaciæ, quantæ nunc est, conferretur. ad quod probandum argumentū sumit ex illis verbis eiusdē capitis: *nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* vbi, inquit P. Olauius, quod prius dicit Apostolus causa est posterioris. nam quia Christus crucifixus est pro nobis, & per Passionem suam baptismo efficaciam nos mundandi meruit, ideò in nomine Christi baptizamur. Ergò ex oppositō si Ioannes crucifigi non potuit pro nobis, nec efficaciam baptismo mereri, vt nos

B mundet, non potuit in nomine Ioannis institui baptismus.

2.

Vt igitur, quod sit ferendum de hac controuersia iudicium, explicemus, operępretium erit, de tota excellentiæ potestate respectu Sacramentorum, videre, an ea communicari puræ creaturæ possit, num tota, num aliqua tantum eius pars, & quo vsque. sic enim plenior erit huius quæstionis explicatio. Initio sciendum est, excellentiæ potestatem videri quandam partem gratię capitis, quam vocant ij, qui subtiliter, & copiosè his de rebus agunt. nostri enim instituti est, non ista prout à Scholasticis tractantur, persequi, sed summa tantùm rerum capita delibando ita ea complecti, vt habeatur maiore, qua per nos fieri possit, claritate

C breuis totius rei comprehēsio, vt & locus aliquis Euangelij pleniùs aliquantò intelligatur, & habeant qui concionaturi sunt, vnde petere possint quæ breuius, & clariùs queant interdum auditoribus exponere: Scholasticos enim euoluere, & ea quæ spinosiùs & obscuriùs scribuntur, legere, non omnium est, neque sine temporis iactura fieri potest.

3.

Sed reuertamur ad rem. Excellentiæ potestas portio quædam est gratiæ capitis. (hoc est sub illa continetur) Porrò capitis gratia nō solam habitualem Christi gratiam comprehendit, sed etiā eam, quam *vnionis* nominant, sicut hi, qui hac in parte rectiùs sentiunt, affirmant. Gratia namq; habitualis ex coniunctione quā habet cum gratia vnionis, appellari potest *gratia capitis*, ita vt plenè atq; integrè gratia capitis cōprehendat, & vnionis & habitualem gratiam, in quo complexu gratiarum, ea, quę *vnionis* dicitur, est primariū meriti principiū. inde enim existit præcipuus & infinitus valor, efficacitas & influxus in alios. Gratia verò habitualis est tanquā proximum principium eiusdem meriti. Et quidem propriè per vnionis gratiā caput ipsum constituitur in ratione, vi, & notione capitis: per gratiam verò habitualem datur capiti, vt proximè exerat & eliciat actiones capitis, & per quas influat in alios, q̄ non præstat gratia vnionis, quæ operādi principium proximum non est; atque ita harū gratiarū quælibet suo ordine, ac gradu rectè *gratia capitis* nuncupari poterit. imò cum Theologi de gratia capitis Christi loquuntur, de habituali intelligunt, quæ tamen cōnexa est cū vnionis gratia. hæc verò gratia habitualis est ea,

4. *Excellentia potestas quid sit.*

Gratia capitis.

quæ

quæ personalis etiam dicitur, non modo capitis, & generatim complectitur totam animam Christi, iustitiam, & potentiarum habitus.

5. Sic ergò exposita gratia capitis propria est Christi, neque communicari simpliciter, & absolutè potest puræ creaturæ cum necessario requirat connexionem cum gratia vnionis, & quosdã dicat actus, qui omninò pendẽt à gratia vnionis. Vnde fit, vt nullus possit caput Ecclesiæ esse eo modo, quo Christus est, licèt sub Christo eius Vicarius sit Ecclesiæ militantis caput, à Christo constitutus tanquã supremus gubernator Ecclesiæ, & mysteriorum Dei dispensator, non ita tamen vt interius gratiã influat: hæc vniuersim de gratia capitis.

6. Verùm cum multa pertineant ad hanc gratiam capitis, nobis tantum est hic sermo de *potestate Excellentiæ*, quam habet Christus, qui est Ecclesiæ caput respectu Sacramẽtorum, quam docet D. Thom. 3. p. q. 64. ar. 3. in his quatuor positam esse. Primò, quod merito suo illã gratiam nobis ipse compararit, ad quam efficiendam in Sacramentis concurrat. Iterùm quod nobis in Sacramento eius nomine conferatur gratia, hoc est, eius nobis virtute detur; tùm quatenus tribuit alijs ministris efficacitatem, & virtutem ministerij, quẽmadmodũ ipse est coniunctum Dei instrumentum secundũ humanitatẽ. tùm quatenus non aliter nobis prodesse potest Sacramentum, dùm illud suscipimus, quam si habeamus fidem in Christi nomine: neque enim aliter copulatur nobis meritum & virtus Passionis Christi, quàm per fidem, vt testatur Paul. Rõ. 3. *quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Tum deniq; quatenus ipse nobis Christus meruit Sacramenti fructum. *non enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Act. 4.

7. Tertiò consistit Excellentiæ potestas in eo quod ex Christi institutione & mandato Sacramenta nobis administrantur. neq; enim alius est Noui testamẽti legislator, atq; adeò institutor Sacramentorum Religionis Christianæ. Deniq; in hoc posita est ista potestas, quod ipse potuit effectũ Sacramentorum sine exteriore Sacramento conferre, vt cum Paralytico, Magdalenæ, Adulteræ, Zachæo, Latroni gratiam tribuit. quòd cæteris ministris cõcessum non est. De hac ergò potestate vniuersim prout ista quatuor cõtinet, scire nunc auemus, an in puram creaturam, Dei etiam potentia, transferri possit. alij affirmant, alij negãt. Speciatim verò de institutione Sacramentorum Scholastici disputãtes in varias abiere sententias.

8. Scotus in 4. d. 1. q. 3. ar. 2. cum quibusdam alijs negat omninò potuisse Deum puræ creaturæ cõmunicare potestatem instituẽdi Sacramenta. nam licèt possit Deus cõmittere homini alicui, vt suo arbitratu instituat signa aliqua, quæ sub sensum cadant, semper tamen eiusmodi gratiæ effectus non aliundè, quam ex libero Dei arbitrio pendebit. Quare in eo euentu non daretur homini facultas ad instituenda Sacramenta. i. signa certa, & efficacia gratiæ, sed dũtaxat ad designandũ signũ, quo præsente Deus gratiã pollicetur, & confert. quod confirmari potest ratione deprompta ex d. 2. q. 1. eiusdem

A Scoti. quia cum gratia, sit proprius solius Dei effectus, non poterit ad illum Deus ab alio applicari, & determinari: solus enim ipse est, qui ad producendũ sibi proprium effectum se mouet; alioquin si ab alio ad id determinaretur, causa secunda esset respectu illius.

Quæ si vera sunt, constat, non posse hominem purum instituere talia signa, quæ verè, & efficaciter, & certò gratiam efficerent. Nequit enim fieri, vt talis efficacitas, veritas, & certitudo significationis nõ pendeat à Dei voluntate, & promissione sic volentis & promittentis certò gratiam sub illis signis ab homine institutis. Sed si hæc ratio Scoti valeret, etiam locum haberet in Christo quoad humanam eius attinet voluntatem, quod Scotus inficiari B minimè videtur. Alijs verò non paucis aliter visum est.

9.

THEORIA II.

Difficultatis enodatio.

1. AD hanc igitur dubitationem vt respondeã, affirmo primum cum Soto in 4. d. 1. q. 5. ar. 4. bifariam intelligi posse aliquẽ alium præter Christum potuisse habere illam excellentiã quoad omnia illa quatuor vel eodem planè modo, atq; adeo ita perfectè, sicut est in Christo; vel nõ eodẽ prorsus modo, neq; ita perfectè vt Christus: reperitur aũt in Christo, primum quidem vt Deus est per quandã C auctoritatẽ à nullius superioris arbitrio depẽdentem, quomodo nec ipsimet Christo cõpetit secundùm humanitatem. Deindè in Christo quatenus homo est reperitur eadem potestas connexa & complicata cum gratia vnionis. Tertiò hinc fit, vt Christus secundùm omnem iustitiæ rigorem mereri & satisfacere pro omnibus potuerit. Ad hoc, est in Christo eadẽ potestas etiam quantum ad ea, quæ necessariò dependent à gratia vnionis, & ad eam intrinsecũ respectum habent, vt est meritum infinitum; vnde etiam proficiscitur, vt infinitæ dignitatis & valoris sint eius operationes. Quintò est in Christo ita, vt per fidem nominis Christi tanquam veri non solum hominis, sed etiam Dei accipiatur in Sacramentis gratia. Postremò est in illo tanquam ipsi propria, & connaturalis; D propterea quod eius humanitas coniuncta est Deitati, vnde oritur vt solus ipse eam obtineat modo quodam sibi proprio ac connaturali.

2. Affirmo secundò excellentiæ potestatem, quæ Christo tribuitur respectu Sacramentorum, non posse primo illo modo, hoc est perfectè, & prout in Christo est etiã per Dei potestatem alicui puræ creaturæ tribui, iuxtà illos sex modos paulò antè numeratos. Impossibile enim est, vel vt alius à Deo in Sacramentis potestatem habeat auctoritatis, quæ solius est Dei; vel vt purus homo cum cæteris posterioribus quinque titulis & prærogatiuis habeat potestatem excellentiæ, quamuis Sanctissimus sit, nisi Deus etiã sit, quomodo in Christo fuit tantum, qua homo hæc potestas, & nec per Deum ipsum aliter fieri potest, vt proinde meritò dicat Ioannes: *hic est qui baptizat.*

Digitized by Google

3. Et hoc est, quod ratio Scoti probat de institutione Sacramentorum facta, neminem videlicet posse instituere signa aliqua pro suo arbitratu certa & efficacia ad conferendam gratiam, quæ à Dei non dependeant voluntate, cuius solius effectus est ipsa gratia, ita vt neq; ipsi Christo vt homo est, id cõcedatur. At non euincit ratio Scoti non posse Deum cõmittere creaturæ vt possit non tantùm imponere signum, quod solum concedit Scotus, sed etiã dare certitudinem, & efficaciã, vt per illud signũ quando & quomodo illa creatura voluerit omninò conferatur gratia. neq; enim necesse est vt in tali creatura sit hæc potestas absoluta, & minimè pendens à superiore aliqua voluntate; sed satis est, si creaturæ delegetur, & committatur, ita tamen vt effectus gratiæ sit positus in voluntate & arbitrio creaturæ, & tota efficacitas Sacramenti pendeat ex voluntate creaturæ id genus signum instituentis, nec sola applicatio huius, vel illius signi sit in manu creaturæ, nam hoc non est Sacramentum instituere. (est enim Sacramentum, signum omninò certũ & efficax gratiæ) Vt in statu naturæ institutio Sacramenti erat à Deo, solùm ab hominibus illis erat, vt hanc, vel illã cæremoniam applicarent tanquam ministri à Deo deputati; sic enim instituerat Deus tunc sacramẽta, vt ratio, & modus talis cæremoniæ, quæ non institutio erat sacramenti, sed applicatio talis institutionis ad talem materiam, vel modum, esset ministris relicta. Et hoc modo Sancti, quo Christo vt homini tribuunt hanc potestatem instituendi sacramenta, nõ eam aliter illi tribuunt, quamuis excellenti modo ob gratiam vnionis, cum qua in illo est cum quinque prærogatiuis posterioribus suprà numeratis. quam rem nõ negaret Scotus, vt meritò controuersia inter illum, & alios Doctores de nomine videatur.

4. Affirmo tertiò, puram creaturam potuisse habere potestatem hanc excellentiæ quoad omnia illa quatuor superiùs à D. Thoma numerata aliqua ratione, tamen nõ ita perfectè omnino, vt eam Christus habuit iuxtà illos sex modos paulò antè positos in prima conclusione. nam potest pura creatura de potentia Dei absoluta mereri gratiam de condigno pro alijs non illo summo rigore, quo Christus, verùm Dei promissione aliqua, & peculiari acceptione intercedente; quod sic demonstro. Potuit pura creatura exhibere Deo pro offensa generis humani aliqualem satisfactionem per recta aliqua obsequia, quæ placeret Deo benignè acceptare ad eum finẽ, ergò & potest mereri pro alijs gratiam. Antecedens ostenditur, quia satisfactio aliqualis etiam censetur illa, quæ licet æquialens non sit, acceptatur tamen liberaliter à persona, cui est irrogata iniuria ad hunc finem, vt propter illam velit relaxare offensam.

5. Neque in hoc audiendus est Alanus lib. de Scrament. cap. 49. vbi negat potuisse aliquam puram creaturam pro alijs gratiam de condigno mereri. quod probat ex D. Thom. 1.2. qu. 114. ar. 4. Vbi habet, non posse purum hominem de condigno mereri alijs primam gratiã. Sed hoc loco D. Thomas loquitur secundùm legem Dei ordinariam, nos autem loquimur

A hic secundùm Dei potentiam absolutam. Iterum potest pura creatura de potestate Dei absoluta alijs ministris virtutem & efficacitatem ministerij in Sacramẽtorum administratione tribuere, & q̃ Sacramentum suscipiẽtibus prosit, si habeãt fidẽ nominis ipsius creaturæ, nõ eam fidem, quod ea sit Deus, sed quod aliquo alio dignitatis, seu sanctitatis genere sit prædita, ergò fieri potest, vt Baptismus vel Sacramentum aliquod conferatur nomine alicuius puræ creaturæ, & hoc est Sacramentum conferri nomine alicuius.

Ad hæc non dubito posse etiam puram aliquam creaturam instituere Sacramenta modo superiùs explicato, vt pendeat interim hæc institutio à Deo tanquam à prima & libera causa, ita vt hoc posit creatura de legatione quadam, & veluti commissione ipsius Dei. Et verò non video, cur non possit committi puræ alicui creaturæ vt Sacramentorum effectum, nempè gratiam sine Sacramentis tribuere valeat. Denique quæ nõ habent necessariam connexionem cum gratia vnionis omnia, & quæ in potestate excellentiæ continentur, conferri quoque posse videntur per absolutam Dei potentiam puræ creaturæ. His autem rationibus, quas hactenus fecimus, illa quatuor complexi sumus, quæ D. Thomas potestati excellentiæ respectu Sacramentorum tribuit. igitur vniuersim, quamuis non perfectè excellentiæ potestas communicari potest puræ creaturæ. 6.

Postremò affirmo hic, quod initio quæstionis in dubium vertebamus, potuisse Deum instituere, vt conferretur baptismus in nomine puri hominis. Patet id ex hactenus positis, & confirmatis. Quare Doctor Olauius non aliud sua illa ratione euincit, quàm quod non ita perfectè instituere potuerit Deus, vt Baptismus conferretur in nomine puræ creaturæ, vel puri hominis, sicut confertur in nomine Christi. quod etiam D. Augustinus, & qui illum sequuntur, non negant, sed tantum volunt imperfectè id potuisse facere. Porrò D. Paulus loco cit. 1. ad Corint. significat id, quod factum est à Deo, non quid potuerit Deus facere, nunc enim solus Christus crucifixus est pro nobis, solus nobis gratiam meruit, solus habet potestatem instituendi Sacramenta, vt reliqua quæ potestate excellentiæ continentur, & hæc de hac quæstione, ex cuius dilucidatione constat verum esse illud Baptistæ: hic est qui baptizat. nam & secundùm ordinariam ipse solus est nunc, qui excellenti modo baptizat, etiam quatenus est homo, quomodo causa est tantum Sacramentorum ministerialis, seu instrumentalis, longè excellentius, quàm reliqui ministri, id quòd explicant Doctores cùm asserunt, ipsum habuisse in Sacramentis excellentiæ potestatem, seu ministerij principalis. 7.

B C D

Digitized by Google

DIGRESSIO MORALIS

In ver. 2. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus*, &c. Et de Baptistæ humilitate, ac mystico eorum verborum sensu, *non sum dignus soluere*, &c.

1. *Bono doctori duplex plenitudo necessaria.*

DGregorius duplicem plenitudinem ex his verbis colligit bono Doctori necessariam; sic enim ille cap. 4. lib. 4. in librum 1. Reg. scribit. *bonus Doctor dum dulciter, quæ dicit, in deuotionem mentis accipit; se, & eos, qui audiunt, simul pascit. Quo contrà Doctores reprobi: quia quæ dicunt, non amant, cùm alios verbo pascunt, ieiunant. Nam cum animæ refectionem verbum Dei esse Dominus dixerit, verbum verò Dei in mente, plena sit eruditio, plena deuotio, verbo Dei non pascuntur, qui deuotè, quod loquuntur, non audiunt. Apostolus quidem quasi iam illa verbi dulcedine repletus, ait: de plenitudine eius omnes accepimus. Alia est plenitudo Verbi, alia libri. de plenitudine Verbi accipere non nisi electi possunt: de plenitudine verò Scripturæ possunt & reprobi.* Hæc Gregorius, qui cùm ait; de plenitudine Verbi accipere non nisi electos posse, intelligere videtur, vel de ea plenitudine, quam in cœlis habent electi, quæ hic imperfecta est in iustis, vel de plenitudine quæ vsque ad mortem iustos comitatur. Illud tamen curandum est Doctori, vt & plenitudinē habeat Verbi eo modo, quo hic haberi potest, & simul libri, vt Scripturas teneat, & ab earum sensu non recedat.

2. *Triplex gratia nobis data à Deo.*

Bernardus verò serm. 5. de Assumpt. Beatæ Mariæ, triplicem gratiam ex his eisdem verbis elicit: *Hæc est enim*, ait, *illa gratia, quam nobis commendat B. Ioannes Euangelista dicens: & de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Ex quibus scilicet verbis innuitur, quod triplicem gratiam diuinitus accepimus: vnam, qua conuertimur: aliam, qua in tentationibus adiuuamur: tertiam, qua probati remuneramur. Prima nos initiat, per quam vocamur: secunda prouehit, qua iustificamur: tertia consummat, qua glorificamur. Et prima quidem beneplacitum est, secunda meritum, tertia præmium. De prima dictum: & de plenitudine eius omnes accepimus: de duabus reliquis dictum est: & gratiam pro gratia, id est, munera gloriæ æternæ, pro merito temporalis militiæ.*

3. *Humilitas instrumentum quo acquiritur gratia.*

Verùm, quod hic caput est, discere nos oportet, quomodo hanc plenitudinem, & istam gratiam assequi possimus. docet nos Ioan. Baptista suo exemplo artē, qua eò perueniamus: demisit se ille quantū potuit, dùm negauit esse se, quod nō erat, dum sua mēsura cōtentus noluit se supra se extollere, atque adeo dùm fassus est, non esse se dignum, qui solueret, vel portaret calceamenta Christi; illum Dominum, se serū; illum Verbum, se vocem. hoc est, quod de eo sapienter docet Augustinus serm. 23. de Sanctis: quod enim est maius testimoniū veritatis, quam se humiliando eum agnoscere, cui æmulando potuit inuidere? putari Christus potuit, & noluit: dixerunt homines, cùm fallerentur in eo: num fortè hic est Christus? respondit ille quod non erat, vt maneret quod erat. Inde quippè Adam lapsus perdidit quod erat: quia quod non erat, vsurpauit &c. Igitur ideò Ioannes plenus gratia, ideò gratiam pro gratia accepit, ideò meruit à Domino commendari, vt diceret de eo; inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Si enim quod non erat, fallaciter putaretur, ab illo, qui erat veraciter, amputaretur, vt affirmat idem Augustus.

Quare rectè Isidorus Hispalensis in libro Ruth dixit: quod ille cognatus confitetur se eidem nubere non posse, hoc loco Ioannis Baptistæ figuram ostendi æstimamus; qui cùm ipse à populo Israel Christus putaretur, & interrogaretur, quis esset, non negauit, sed confessus est, dicens Christum se non esse. sicut ille propinquus negauit; & posteà Ruth iungitur Booz: ita Christus qui verè Sponsus Ecclesiæ est, quem omnium Prophetarum oracula cecinerant, dignatus est Ecclesiam assumere, & ex omnibus Gentibus per totum orbem terrarum Deo Patri innumeros populos offerre. 4. *Ruth. 4. 6.* *Ruth. 4. 6.*

Quo etiam alludit Ambros. lib. 3. de Fide cap. 5. vbi ait: *lege proximo defuncti, vel fratri copula deferebatur eius vxoris, vt semen fratris, vel proximi resuscitaret. Vnde quòd Ruth, licet illa alienigena, tamen quia maritum habuerat ex Iudæis, qui reliquerat superstitem proximum, eamque colligentem manipulos suæ messis, quibus alebat & Socrum, Booz vidit & amauit, non aliter eam acepit vxorem, nisi calceamentum eius ante soluisset, cui vxor debebatur ex lege &c. Designabatur autem futurus ex Iudæis, ex quibus Christus secundùm carnem, qui proximi sui, hoc est, populi mortui semen, doctrinæ cœlestis semine resuscitaret, cui calceamentum nuptiale Ecclesiæ copulandæ præscripta legis spiritualia deferebant. Non Moyses sponsus: illi enim dicitur: solue calceamentum pedum tuorum, vt Domino suo cedat. Non Iesus Naue filius sponsus: nam & ipsi dicitur solue calceamentum pedum tuorum; ne ex similitudine nominis sponsus Ecclesiæ crederetur. Non alius sponsus; sed solus Christus est sponsus, de quo dixit Ioannes, qui habet Sponsam, Sponsus est. illis igitur calceamentum soluitur, huic solui non potest, sicut dixit Ioannes: non sum dignus soluere corrigiā calceamenti eius. Solus ergò Christus est Sponsus, cui illa veniens ex Gentibus sponsa, ante inops, atque ieiuna, sed iam Christi messe diues, nubat: quæ manipulos fœcundæ segetis, verbiqúe reliquias gremio legat mentis interno, vt exhaustam illam viduam morte filij, atque inopem defuncti populi matrem nouus pascat alimentis, non relinquens destitutam viduam, & nouos quærens,* &c. Sic Ambros. 5. *Exod. 3.* *Iosue 5.* *Ioan. 3.*

Et vt hoc obiter dicam, scio Ambrosium libr. de instit. Virg. c. 14. aliter etiam sensu mystico exposuisse eadem verba: *non sum dignus soluere* &c. id est, non sum dignus Incarnationis mysterium comprehendere angustijs mentis humanæ, atque inopis vilitate sermonis absoluere. Vnde & Isaias dixit; *generationem eius quis enarrabit?* & Gregor. homil. 7. in Euangel. *Incarnatus*, inquit, *Dominus quasi calceatus apparuit. Corrigia calceamenti, est ligatura mysterij. Ioannes itaque soluere corrigiā calceamenti non valet, quia nec ipse inuestigare sufficit incarnationis mysterium, qui hoc per prophetiæ spiritū agnouit.* Nicetas quoque explicans Gregor. Nazianz. eumque secutus in oratione in Sancta lumina, scribit: *Corrigia lorum est calcei. Humanitatis autem à Christo* 6.

assumptæ consilium, ac Verbi cum carne coniunctionem significat, cuius ne extrema quidem, & breuissima mysteria solui atque explicari possunt &c. Rectè hæc, nam vt Basil. ait in Psal. 59. *diuinitatis calceamentum est caro Deum ferens, per quam descendit ad homines* &c.

7. At Theophy. aliter hanc allegoriam explicat Luc. 3. & Matth. 3. nam per calceamenta intelligit duos Christi descensus, alterum è cœlis in terram, alterum à terra in infernum; hos non potest portare præcursor, intelligere non valens quomodo facti sunt.

8. Verùm nobis (vt hoc ipsum ad mores conuertamus) solutis calceamentis, ac nudis pedibus præcipitur vt constanter incedamus; ita vt nihil mortuum ferat, quisquis, vt Nazianzen. ait oratione 2. in Pascha, contacturus est terrã Sanctam, ac diuinis vestigijs impressam, terra enim Sancta Ecclesia est, in illa ergò stemus, vt ait August. ser. 42. de Sanctis, calceamenta soluamus. i. mortuis operibus renuntiemus, &c. *Quid enim aliud sunt calceamenta, quàm mortuorũ animaliũ pelles?* Sic Angelos imitabimur, qui nudis pedibus discalceatique pinguntur, cuius rei hanc Dionysius Areop. c. 15. de cœlesti Hierarchia rationẽ assignat: *Quod*, inquit, *discalceati describuntur Angeli, hoc signat, quod liberi, & absoluti, & expediti, atque exteriorũ omnis adiectionis labe sint puri; & ad diuinæ simplicitatis similitudinem pro viribus tendant* &c.

Angeli cur discalceati pinguntur.

9. Hæc ferè, quæ hactenùs ex SS. Patribus commemorauimus, satis per sè indicant Baptistæ modestiã, summamq; animi submissionem, q̃ quia constanter ille tenuit toto vitę suæ curriculo, magnus effectus est: hæc enim est virtus illa, quæ homines excelsos facit. quare Chrys. hom. 3. in Matt. ait: *Si bona tua magna vis facere, noli ea magna putare*: aliter enim magna esse nõ possunt. Sic enim Centurio dixit: *non sum dignus vt intres sub tectum meum*: & propterea dignus effectus est: supraque omnes Iudæos iurè mirabilis; Sic Paulus ait: *non sum dignus vocari Apostolus*: ideò omnium primus inuentus est. Sic & Ioannes: non sum, inquit, idoneus soluere corrigiam calceamenti eius: idcircò amicus factus est sponsi, & manum quã indignam calceamentis esse dicebat, eam Christus ad caput suum subleuauit. Sic etiã Petrus ait: *exi à me Domine; quia homo peccator sum*: & propterea factus est Ecclesiæ fundamentum. Nihil enim sic est amicum Deo, quàm si quis se minimis annumeret. Hoc est enim caput totius Philosophiæ atque fastigium.

10. Postremò vt ad tam excelsæ virtutis fastigium peruenire possis, dictum illud altius tibi menti imprimendum erit: *tu quis es?* nam, vt rectè Bernar. lib. 2. de consid. speculatur: *à te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia te neglecto. Quid tibi prodest, si vniuersum mundum lucreris, te vnum perdens? & si sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris. quantum verò? vt quidem sentiam ego, totum. noueris licet omnia mysteria, noueris lata terræ, alta cœli, profunda maris: si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento; ruinam, non structuram faciens. quidquid exstruxeris extra te, erit instar congesti pulueris, ventis obnoxiũ. non ergo sapiens qui sibi non est. sapiens, sibi sapiens erit; & bibet de fonte putei sui primus ipse. à te proinde incipiat tua consideratio: non solùm autem, sed & in te finiatur. quocunque euagetur, ad te reuocaueris eam cum salutis fructu. tu primus tibi, tu vltimus. Sume exemplum de summo omnium Patre, Verbum suum & emittente, & retinente. Verbum tuum consideratio tua. quod si procedat, non recedat. Sic progrediatur, vt non egrediatur. Sic exeat, vt non deserat. in acquisitione salutis, nemo tibi germanior, vnico matris tuæ. Contra salutem propriam cogites nihil. minus dixi, contra: præter dixisse debueram. quidquid se considerationi offeart, quod non quoquo modo ad tuam ipsius salutem pertineat, respuendum. Et hæc tui consideratio in tria quædam diuiditur, si consideres quid, quis, & qualis sis. Quid in natura, quis in persona, qualis in moribus.* Hæc & alia piè suauiterque Bernardus.

Nosse seipsũ quam vtile & necessarium.

B Ne igitur aliorum dicta, factaque rimemur, neque in aliorum vitam tanquam seueri censores inquiramus, sed in nos ipsos oculos mentisue aciem conuertentes, vt monet Bernardus, quid, qui, & quales simus diligenter subinde expendere ne grauemur, dicta, facta nostraque omnia quotidiè recensеamus, à nobis ipsis exquirentes *tu quis es?* Sic animalia illa Ezechielis imitabimur: de quibus scriptum legimus cap. primo, *vnumquodq; eorum coram facie sua ambulabat*, quia videlicet nobis ipsis nos esse præsentes conuenit, ita enim coram facie nostra semper ambulabimus. & quemadmodum eadem illa animantia singula quadruplices vultus, atque oculos habuisse dicuntur, Aquilæ, Hominis, Leonis, & Bouis. ita & nos Aquilæ nimirum oculos æmulabimur, si fide præfulgida, ac puro corde solem ipsum Deum intueamur. Hominis verò tunc nobis inerunt oculi, cum commiseratione ac lacrymis proximi calamitates prosequemur, & benignitate iacentes erigemus. Leonis, cum atrocibus, ac minacibus quodammodo luminibus mundum despiciemus, nullum cum illo fœdus ineuntes. Denique bouis tunc habebimus, cùm huius animalis instar, terram nostram, id est, corpus diligenter inspicientes, in illud crucis aratro sulcos altissimos exarabimus, & impresso vomere omnem noxiam herbam, ac spinas euellemus.

11.

Sequitur caput quintum.

C

D

CAPVT V.

QVINQVE DISCIPVLI SEQVVNTVR IESVM.

D. 1. 35.

1. *Altera die iterùm stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo.*
2. *Et respiciens Iesum ambulantem dicit: Ecce Agnus Dei.*
3. *Et audierunt eum duo discipuli loquẽtem, & sequuti sunt Iesum.*
4. *Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: quid quæritis? qui dixerunt ei, Rabbi (quod dicitur interpertatum magister) vbi habitas?*
5. *Dicit eis; venite, & videte. venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo. hora autem erat quasi decima.*
6. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierunt à Ioanne, & secuti fuerant eum.*
7. *Inuenit hic primùm fratrem suum Simonem, & dicit ei, inuenimus Messiam (quod est interpretatum, Christus)*
8. *Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus dixit: tu es Simon filius Iona; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.*
9. *In crastinũ voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum & dicit ei Iesus: sequere me.*
10. *Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri.*
11. *Inuenit Philippus Natanahel, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege & Prophetæ, inuenimus Iesum Filium Ioseph à Nazareth.*
12. *Et dixit ei Natanahel: à Nazareth potest aliquid boni esse? dicit ei Philippus: veni & vide.*
13. *Vidit Iesus Natanahel venientem ad se & dicit de eo: ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.*
14. *Dicit ei Natanahel: vnde me nosti? Respõdit Iesus, & dixit: Priusquam te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te.*
15. *Respondit ei Natanahel, & ait: Rabbi tu es Filius Dei, tu es rex Israël.*
16. *Respondit Iesus, & dixit ei: quia dixi tibi, vidi te sub ficu, credis: maius his videbis.*
17. *Et dicit ei: amen amen dico vobis; videbitis cœlum apertum & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra Filium hominis.*

SCHOLIA.

TERTIVM testimonium scribitur. primum enim fuit in legatione; alterum cùm indicato Christo Ioannes dixit; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit,* &c. *hic est de quo dixi,* &c. nec putes huic testimonio duos tantum Ioannis discipulos interfuisse. 1.

1. *Altera*] τῇ ἐπαύριον, id est, sequenti die. *Stabat*] Emman. inquit constiterat vt Christum transeuntem videret. Maldona ait, stetisse coniectis in Iesum oculis, quasi defixum, quod inquit sequens versus indicat. *Et respiciens Iesum*] Græcè καὶ ἐμβλέψας, id est, coniectis in Iesum ambulantem oculis.

3. *Duo Discipuli*] fortasis duorum meminit superius vers. 1. quia duo tantum sequuti fuerant Iesum.

4. *Vbi habitas*] Hinc insinuatur, ideò sequutos vt in hospitio cum illo loquerentur, nõ in via. obserua Christum nos præuenire, hos enim discipulos gratia Christi præuenit vt sequerentur, & tamen nisi se ad nos conuertat, & cooperetur non possumus quidquam. 2.

5. *Die illo*] videlicet, vsque ad noctem. *Decima*] diuidebatur dies quisque in duodecim horas. Itaque reliquæ erant duæ tantùm horæ; appetente nimirum iam vespera hospitati sunt. quidam à decima diei per totam insequentem noctem cum Domino fuisse affirmant. Idcircò enim meminisse videtur horæ decimæ vt redderet rationem, cur ea nocte apud eum manserint, & non redierint ad Ioannem. licèt aliqui exponant. τὸ *illo die*, id est, artificiali, nempè per reliquas duas horas diei. *Venite & videte*] ostendit (quod facit ad mores) non satis esse Ecclesiam scire, sed oportere adire, & per fidem ingredi, & quid in ea sit, & doceatur attendere; iterùm disce non differendũ esse vt ad Christum venias. Domum non habuisse, sed hospitium Dominum Iesum inquit Chrysost. hom. 16. Theophyl. & alij; *vulpes enim foueas habent, &c. Filius autem hominis,* &c. 3. 4.

6. *Andreas*] de altero nil dicitur. Epiphanius hæresi. 51. putat Ioannem, aut Iacobum filios Zebedæi.

7. *Inuenit*] præsens est. Sic infra bis inquit Emm. *primùm*] Græcè *primus*: innuit hoc, illos duos discipulos fuisse diuisos ad quærendum Simonem fortè missos à Domino; Andream verò prius illum inuenisse. vel *primùm* significat quod Andreas primùm in Petrum fratrem inciderit Dei consilio. Vel quod antè quemcumque alium ipse Petrum adduxerit ad Christum. Itaque *primùm* hoc modo signficat, ante omnes alios quosque, primum omnium.

Inuenimus Messiam] cum quodam magno affectu hoc dixit Andreas; Græcè *illum Messiam*, id est, tantopere expectatum; audierat enim à Ioanne illum venisse, ideò indicatum à Ioanne auidè sequutus fuerat. Messias latinè *vnctus*, Græcè dicitur *Christus*. porrò de nomine *Christi*, & *Iesu Christi*, lege Toletum annotatione 76. in caput primum Ioannis, præterea quæ à nobis superius dicta sunt lib. 1. cap. 9. Theor. 7. *Quod est interpretatum*] Gagnæus ait, non arguit hæc particula, vt malè cum Erasmo est persuasus Caietan. Matth. Græcè scripsisse. diximus nos hac de re libro primo, harum dilucidationum capite secundo, Theoria prima à num. 3. 5.

6. 8. *Tu vocaberis Cephas*] an ab hoc tempore vocari cœperit Petrus; vel hic tantùm nomen sit prædictum, quo posteà vocandus erat, incertum sed similior vero Augustini sententia est, de consensu Euangelist. lib. 2. c 17. & 53. & libr. 4. cap. 3. & Abulens. Matth. 16. quæst. 66. nomen, hoc in loco, ei esse impositum; ita vt in posterum *Cephas*, seu *Petrus* dictus sit ab hoc vsque tempore; vide Bellarmin. De Romano Pontifice lib primo, capite decimoseptimo. Tolet. capite primo in Ioannem anno 76. & Maldo. Matth. 16. vers. 18. itaque vocaberis
7. intellige post hac. Aduerte soli Petro Christum inter Apostolos imposuisse nomen; quod facere Deus consueuit ad significanda priuilegia concessa, vel concedenda ijs, quibus nouum imponit nomen vt notat Chrysost. Ioannes verò & Iacobus non sunt dicti vnquam *Boanerges*, quia non vt proprium nomen hoc illis est impositum, sed potius vt cognomen quoddam; communicauit autem Dominus Petro suum nomen; Nam in scripturis dicitur Christus *petra*, simulque hac nominis impositione indicat futurum Petrum fundamẽtum, & caput Ecclesiæ suæ, quomodo verò Marci 3. & Luc. 6. significetur tunc primum nominatus fuisse Simon à Christo, Petrus, eo loci declarabimus. *Cephas* est nomen, Syriacum, lapidem magnum &
8. fundamentalem significans, Græcè verò *caput*. *Intuitus*] magis internis oculis, quàm corporeis, vt patet ex sequentibus. vt enim occulta manifestaret intuitus est. Et ideò nomine proprio nominat, & nomen Patris commemorat, cùm numquam viderit, vel audiuerit, prædicit quoque futura; nomen enim Petri innuit quod super illum esset ædificanda Ecclesia; *vocaberis*, inquit *Cephas*, non quidem mutato nomine, aut sublato *Simone*, sed *Petri* superaddito. *Filius Iona*] nomen Patris adiecit, tùm vt ex reuelatione nominis ostenderet se occulta nosse, & sibi debere credi, tùm vt indicaret se speciatim vel sigillatim statum Petri cognoscere & non ignorare hominem esse inferioris conditionis. Honorificum tamen nomen illum habiturum dicit in posterum; vt sit sensus, tu es Simon & Filius Ionæ, quod benè scio; licèt tamen talis sis, hoc tibi nomen impono, quod per honorificam portendit tibi dignitatem, nomenq; clarum. Obserua *Ionas* idẽ esse quod *Ioannes*, per contractionem enim quamdam dicitur *Ionas*.

9. Hæc vocatio horum Apostolorum Simonis & Andreæ interior fuit, non exterior quæ propriè *vocatio* dicitur. Philippi verò vocatio quæ sequetur etiam exterior fuit.

10. 9. *In crastinum*] Tol. plures hic dies distinguit, at non plures agnosco, quàm quatuor. prima dies fuit legationis, quam memorat Ioannes non commemorato diei vocabulo, vt habes hîc ver. 5. cap. 4. Posteà addit nomen diei eodem cap. quarto, ver. decimoquinto. Nam inquit. *altera*, id est postera die, ostendit digito Baptista Iesum: *Ecce Agnus*, &c. quasi dicat, ecce hic est ille, quem dixi præcedenti die legationis, venturum post me, &c. quem tantopere expectatis. Iterùm hoc capite quinto, vers. primo, ostendit postridiè huius diei proximè memoratæ in qua fuerat indicatus Christus à Ioanne capite quarto, vers. decimoquinto. Andream Christum sequutum esse, vbi didicit de Ioanne, ipsum esse Agnum Dei, &c. is verò Andreas, vel eadem vespera, vel nocte insequente, vel certè sub primam lucem, sequentis alterius diei ante solis fortassis ortum, inuentum Petrum ad Iesum duxit, de qua mox die subditur vers. nono. hoc eodem cap. in crastinum, &c. hæc ergò dies tertia est, licèt sit quarta respectu legationis. igitur cùm vers. 9. ait: *in crastinum*, intelligit tertiam diem inter eos quos nomine *diei* compellat, quamuis quarta fuerit comparatione legationis; in qua eadem die nuptias esse factas nõ possumus dicere! nam illa verba vers. nono, *in crastinum* non obscurè indicant diem illam, quam initio seq. capite sexto, hic tertiam nominat Euangelista, differre à die illa crastina vers. nono, in hoc cap. 5. habes ergò breuiter legationem cap. 4. ver. 5. at primam diem, quæ cõsequuta est legationem habes c. 4. v. 15. secundam diem verò consequentem hanc cap. 5. v. 1. Tertia dies denique ponitur cap. 5. vers. 9. quæ tamen non est eadem cum die tertia nuptiarum cap. 6. vers. 1. ijs ergò tribus si connumeres primam illam legationis, erunt vniuersim dies quatuor.

Voluit] vt ostendatur Christus certo consilio, 11.
scienſque quid futurum esset, in Galilæam abijsse, seu potius redijsse; ideò dictum est *voluit*, vt videlicet, ibi doceret, discipulos eligeret, primum ederet miraculum, ibi non casu Philippum inueniret. nam Petrum & Andream videtur secum habuisse. Porrò voluit habere discipulos ex Galilæa quo simpliciores, & minus suspecti essent. *Inuenit*] id est, in eum incidit, quem animo quærebat.

11. *Inuenit*] quæsitum. *Inuenimus*] sensus est: *inuenimus Messiam* illum, quem Moyses venturum prædixerat, qui est vel vocatur *Iesus*. vocat *filium Ioseph*, vulgi opinione. Nondum enim nouerat; eodem modo dicit *à Nazareth*, quia vulgo *Nazareus* vocabatur. Notat Gagnæus Philippũ & Natanahelem scripturarum studiosos, ac peritos fuisse declarant verba hæc, *quem scripsit Moyses in lege, & prophetæ*; ille gene. 49. Deuter. 18. illi multis locis Esai. 40. Hierem. 23. Ezechielis 34. Daniel. 9. &c. de Natanahele non dubito fuisse doctum & in lege versatum. Philippum verò ab errore vtcumque versatum, vel non omninò ignarum.

12. 12. *A Nazareth*] respondit homini minimè 12.
docto vir sanè doctus per modum admirantis, nec planè negantis, quare modestè se gerit, nobisque exemplum præbet vt quæ etiam ab indoctis dicuntur non omninò contemnamus. Est ergò sensus: à tam ignobili loco potest aliquid esse boni? si voluisset omninò negare, ac dicere non potuisse Messiam esse à Nazareth, sed à Bethleem; dixisset, à Nazareth potest esse Messias; vel Christus? non autem vniuersim potest aliquid esse boni? Admiratus autem est & interim dubitauit aliquo modo non ex incredulitate, sed ob ignobilitatem loci; neque verò Philippus tunc vt Apostolus habebatur, vt illi statim crederet. Nazareth autem nullius ferè nominis vicus tunc erat. Cæterùm quia Messias, ex Bethleem sperabatur, & non ex Nazareth, potest & esse sensus alter per modum dubitantis, ac ferè negantis cùm à Nazareth videatur aliquid boni esse non posse, quo modo poterit tantum bonum esse, quantum bonum est Messias, quem ex Bethleem nasciturum speramus?

Veni & vide] veni & experire. nesciebat Philippus respondere, ideò ad Christum remittit, quem sciebat plenè facturum satis.

13. *Verè Israelita*] Hæc tunc pronunciata sunt 13.
à Christo, cum Natanahel tanto spatio vicinus esset Christo, vt loquentem posset audire, vnde factum vt responderit. Dicitur autem *verè Israelita*, id est, verus obseruator legis, sicut si nunc diceremus, hic verè Christianus est, non nomine tantùm, sed re, non carne solum, sed spiritu etiam Israelita.

In quo dolus non est] sine simulatione candidus, moribus simplex, doctus licèt. Erat enim sine peccato mortali. Natanahelem quidam putant Philippi fratrem, vt est in Glossa ordinaria, & interl. alij fuisse Bartholomæum, quod semper Bartholomæus Philippo connumeretur; & Ioannis

Natanahel an idem qui Bartholomæus.

Digitized by Google

vltimo, Natanahel, qui dicitur otiundus ex Cana Galilææ, inter Apostolos commemoratur. aiuntq; isti hoc fuisse nomẽ propriũ eĩ⁹, *Bartholomæũ* verò cognomen, vt Petri *Bariona*. Quod non absurdum putare videtur Rupertus Ioan. 1. sic Iansenius. Verùm alij repugnant passim, & constanter negant. Nam ideò Christus Natanahelem noluit esse suũ Apostolum, quia doctus erat, rudes enim habere placuit Apostolos, ac simplices ne Euangelium humanis viribus tribueretur: & vt per abiecta, & infirma, & humilia, fortia mundi confunderet. Vide hic August. Cæterùm vbi in cœlum Christus ascendit, doctos etiam & nobiles vocauit, ne illos planè reijcere videretur. satis fuit orbem per rudes homines sub iugum Christi missum esse, quos in terris agens elegerat, & in mundum vniuersum miserat suum illis spiritum largiens.

14. *Vnde me nosti?*] cùm vidisset Natanahel notum se fuisse Christo, interrogauit *vnde me nosti?* si enim ab alio audisset, non mirum quod talia de illo protulisset. Si à nullo, diuinitatis erat inditiũ: vnde interrogat *Vnde me nosti?* Christus verò duo manifestat occulta, vt se Filium Dei declaret. Primum quod à Philippo vocatus sit; iterum quod fuerit solus sub ficu aliquid boni meditans, vel orans fortè etiam.

14. 15. *Tu es Filius Dei*] vocat *Filium Dei* non adoptione, sed eo modo quo insigniores Iudæi affirmabant futurum Messiam supra Angelos insigni quadam filiatione, licèt fortè non id assequerẽtur, vt intelligerẽt esse Patri homousion: futurum quidem putabant Regem in Israel. ijs enim duobus Natanahel Christum exprimit esse Messiam. Nam hæc duo de Messia affirmabant Iudæi, futurũ Dei Filium & Regem temporalem. Nota, maius fuisse occulta cordis reuelare, quàm dicere: *Vidi te*, præsentia, videlicet, diuinitatis *sub ficu*. Quia tamen illud poterat scire Christus ab alio, quod de bonitate vitę Natanahelis dixerat, idcircò plus miratur Nathanael hoc posterius quàm prius.

16. *Quia dixi*] Non illum reprehendit, sed laudat q.d. tam pauca signa vidisti & tantùm profecisti, quid facies cùm maiora videbis?

15. 17. *Ascendentes & descendentes*] obsequentes mihi significat hoc ministrare. quia verò Angeli de cęlo ad ministrandum nobis veniunt, ideò dicitur cœlum apertum quod in toto Ecclesiæ decursu fieri debebat. Nam angelorum ministerio vtitur Christus in Ecclesia gubernanda. Quia verò iussu Christi id facient dicit *supra Filium hominis*, id est, sub imperio Filij hominis. Verum præsertim id fiet cùm Christo ministrabunt in iudicio: & *supra Filium hominis*, potest exponi iuxta, vel circa, per Hebraismum, id est, ministrabunt illi assistentes ei, & missi ab eo & redeuntes ad eum.

CAPVT VI.

NVPTIÆ IN CANA GALILAEAE.

D. 2. 1.

IN CAPVT VI.

1. OBSERVANDVM in primis inter baptismum & nuptias annum intercessisse à festa ad festum Ianuarij: ita vt tempore nuptiarum fuerit natus Christus annos 30. & dies 13. quare hic qui sequitur & cuius historiã iam aggressi sumus hoc cap. 6. & prosequemur quoque sequenti lib. secundus annus est Christi à baptismo; deinde obseruandum non meminisse Euangelistam paschatis, quod in hoc intermedium tempus incidit & proinde non ab isto numerantur quatuor paschata Ioannis, sed à sequenti huius anni paschate, vnde nos lib. tertium ordiemur, & deinceps per paschata progrediemur cum Ioanne.

A 1. *Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi.*
2. *Vocatus est autem Iesus, & discipuli eius ad nuptias.*
B 3. *Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: vinum non habent.*
4. *Et dicit ei Iesus: quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.*
5. *Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis facite.*
6. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundùm purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas, vel ternas.*
7. *Dicit eis Iesus: implete hydrias aqua, & impleuerunt eas vsque ad summum.*
8. *Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte Architriclino, & tulerunt.*
C 9. *Vt autem gustauit Architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum Architriclinus.*
10. *Et dicit ei: omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est.*
Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.
11. *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.*
D 12. *Post hæc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius: & ibi manserunt non multis diebus.*

SCHOLIA.

1. ET *die tertia*] diẽ tertiã numerabimus cum Origine hoc loco à die egressionis in Galilęã proximè cõmemoratæ in præcedẽti c. v. 9. hic potuit autem Nathanael venisse ad Christum ipsomet die egressionis in Galilæam, sed credibilius arbitror, postridie huius diei egressionis in Galilæam, cùm iam esset Christus in Cana Galilææ accessisse ad eum Nathanaẽlem, & sequenti die, hoc 2.

est

est tertio ab egressu in Galilæam factas nuptias in Cana Galilææ. Cùm ergò tempus illud, quo Nathanaël venit ad Christum incertum sit, non fit verosimile tertiam hanc diem ab aduentu Nathanaelis connumerari, quod tamen voluit Caietanus: nam videtur Ioannes dum diem tertiam nominat, ab aliquo die vel tempore signato sic numerasse tertiam.

3. *Duplex Cana.*

In Cana Galilææ] Cana Galilææ dicitur ad differentiã alterius Canæ Sidoniorum, quę quamuis esset in Galilæa superiori quia tamen vicina erat Sidonijs dicta est Sidoniorum; eadem dicebatur maior, hæc verò de qua Ioannes minor, patria Simonis Cananæi, vnde & Nathanaël erat, Ioannis 21. vt ait Gagnæus hîc, à Ptolemaide quinque leucis distans, vel secundùm Masium itinere quatuor horarum & tantumdem fermè, vt idem ait ab vrbe Nazareth. vbi adhuc monstratur nobile illud nuptiarum triclinium subterraneum; erat verò Cana maior in tribu Aser. de qua Iosue 19. minor in tribu Zabulon in inferiore Galilæa sita super vallem Carmeli.

4. *Erat mater Iesu*] præcesserat more mulierum ad adiuuandum consanguineos pauperes, & ob id vocatus est Iesus.

Non video quomodo verum esse possit Christũ de his nuptijs Ioannem vocasse, si nuptias voluit honorare sua præsentia dissoluisset potius suo hoc opere matrimonium, quam approbasset. fateri quidem videtur hoc Beda in præf. in Euang. Ioannis & qui in tract. Aug. in Ioannem prologum scripsit; Ruper. item l. 2. in eundẽ Ioãnem. At Hieronym. l. 1. aduersus Iouinian. maritum simul & virginem fuisse dicit: quibus indicat à desponsis nuptijs reuocatum fuisse: quod verò ab istis, quæ in Cana Galilææ fuerunt, non dicit, nec etiam Aug. nam præfationes quædam Aug. & Hieronym. falso attributæ in quibus id significatur potius sunt ex Beda consarcinatæ; & quidem cùm Ioannes nõ esset Cananæus non videtur id verosimile. lege Maldonat. in c. primum Ioannis initio ferè.

Ioannes dicitur fuerit sponsus in his nuptijs.

5. 2. *Discipuli*] per discipulos intelligere Philippum & Nathanaëlem, crediderim, & Petrum & Andream, & alterum Andrææ socium hîc discipulos vocari; licèt non semper essent cum Christo; est verosimile mortuum tunc fuisse Diuum Ioseph, alioquin eius fieret mentio, sic Epiph. hær. 78. fratres Christi credibile est etiam fuisse vocatos. Certè Ioannes cùm tam accuratè, ac subtiliter hanc historiam scribat non obscurè indicat istis se nuptijs interfuisse. quomodo verò hi *discipuli* dicuntur, cùm nondum Petrus & Andreas ad discipulatũ vt aiunt essent vocati, sed ad fidem Messiæ tantùm? Respondeo dici *discipulos*, quia in eum credebant & ab illo discebant vt apud Luc. dicitur, *Turba discipulorum Christi* vt obseruat Augustl. 2. de consen. Euang. c. 17. vide item inferius num. 21.

6. 3. *Deficiente vino*] Græcum participium potius indicat, vinum penitus defeciſſe, q. d cùm defecisset. Et si probabile est, vt ser. 41. de tempore dicit Augustnon exspectasse Matrem Dei, vt nihil esset omninò vini. *Dicit mater Iesu*] cùm nunquam viderit miraculum à Christo patrari hactenus, vnde mota, vt id posceret? fortè experta fuerat ad subleuandam inopiam aliquod prius miraculum edidisse. Præsertim verò ducta fuit, quod sciret prophetarum oraculis, illustrandum esse Messiam miraculis, vocandumque *Altissimi Filium*. Iam verò appetijsse tempus videbat ostensionis suæ, cùm iam esset à Io. declaratus tanquam Messias, ac Dei Filius, inciperetque discipulos congregare.

7. 4. *Quid mihi & tibi*] id est, quid mihi tecum est. Et vel de diuinitate loquitur q. d. miracula facere non à te habeo; vel de humanitate q. d. hoc

A opus non ex humano affectu, vel consanguinitate pendet. Quæ dixit Christus ad eos qui coram præsentes aderant instruendos, ne putarent ex affectu materno moueri, & consanguinitate ad miracula edenda; simulque se Deum ostenderet, qui patrem habeat in cœlis. Gagnæus cum Chrysost. interpretatur hunc locum: Quid ad nos, te scilicet & me spectat, si vinum non habent? Græcè enim sic habetur, τί ἐμοὶ καὶ σοὶ γύναι, id est, *quid tibi mecum*, q. d. quid ad nos, sine illos primum suum penuriam sentire, vt beneficium melius agnoscant. addo, & tanto clarius, & illustrius sit miraculum. Vide de hac phrasi plura l. 3. c. 9. in Schol. n. 14.

Hora mea] Patrandi videlicet hoc miraculum. 8. Oportune B. Virgo petierat antequam appareret omninò defectus vini ad consulendum conuiuarum honori. Quare simile verò est, hæc ad aurem insinuata filio à matre. Cæterùm tempus Christi B erat, cum notus esset defectus veni, vt cognosceretur miraculum, & conuiuæ mero se indigere animaduerterent; est autem hoc verbum reuerentiæ in matrem. Honorauit enim matrem acceptando preces oportuno tempore ex audiendas, suntque hæc instruentis verba, quibus declararetur omnia se ex diuino consilio, & voluntate facere. sunt & prouidentiæ indicium, qua ab æterno decreuit, ac digessit, quæ susceptа carne postea egit. Non mirum hoc mysterium B. V. tunc latuisse, quæ in ijs proficiebat.

5. *Quodcumque*] ex his verbis patet non fuisse 9. verba priora Christi reprehensionis, immò verò constat Beatam Virginem intellexisse propositum Christi ad patrandum miraculum suo tempore; ait autem *quodcumque*, vt omninò obediant etiamsi inutile videatur quod iusserit; Nam Deus aliquando facit miracula admiscendo repugnantia, vt per C salem sanauit aquas 4. Reg. 2. 20.

6. *Secundum purificationem*] vocat hîc Iudæorum purificationem, non legalem illam, qua qui secundùm legem polluti erant, mundabantur; sed eam, qua propria quadam pharisæorum traditione frequenter inter prandendum manus, brachiaque cubitorum tenus subinde lauabant. *Metretas*] nomen *metretæ* significat mensuram liquorum 12. congiorum, siue quod est idem 72. sextariorum capacem ex Georgio Agricola, Alciato & alijs & patet autoritate 70. interpretum, qui in lib. 1. Esdræ cap. 7. 22. cum Hebraicè bis ponatur vocabulum *bati*, ipsum græco vocabulo *metreta*, reddiderunt, vt videntur quidam testari, licèt in meo textu græcè *Batos* legam in latina tamen editione 70. *amphoras* legimus, & amphoræ atticæ metreta est æqualis. Et D. Hieron. lib. 2. Paralyp. c. 4. vbi est Hebraicè *tria millia Bat*, vertit latinè *tria millia metretas*. At Hebraicum *Bat*, capacem fuisse 72. sextariorum, vel 12. congiorum, docet Ioseph libro 8. antiquitatum. sed hoc intelligendum est de minori bato; nam maior 108. sextarios continet, de quo 3. Reg. 7. 26. Vide Villalp. to. 3. p. 2. appar. l. 3. cad. 8. metretas verò græcas 1½. habet, Amphoras Romanas 1¾. libras aquæ 180. Est autem metreta æqualis amphoræ, vt dixi, atticæ, quæ similiter est duodecim congiorum. Porrò sextarius continet 12. Cyathos, cyathus continet quatuor ligulas, seu cochlearia maiora. erat enim ligula, seu cochlear ex Colum. 21. c. 1. 20. quarta pars Cyathi, sic Villalp. tom. 3. appa. p. 2. l. 3. c. 3. Vbi etiam *congium* dicit esse octauam partem amphoræ Romanæ, & quartam vrnæ. Denique si velis ad ponderum rationem redigere, ligula capiebat tres drachmas, & vnum scrupulum, sicut sextarius viginti, & congius libras decem. lege de his Pereiram in Danielem libro decimosexto, sub finem capite quadragesimo.

10.

11. *Metreta qualis mensura.*

Congius habet sex sextarios.

Digitized by Google

Binas vel ternas] Haimo notat non dixisse Ioan. Hydrias alias continere potuisse binas metretas, alias verò ternas, sed singulas; vt intelligeres, æquales fuisse. secundùm Haymonē ergò indefinitè loquitur Ioa. nempè singularum hydriarum mensuram, duarum vel trium metretarum fuisse. At fortè verior est expositio Caiet. vt definitè loquatur quasdam ex hydrijs illis ternas, quasdam binas continuisse eiusmodi mensuras.

12. 7. *Hydrias aqua*] quod vasorum multitudinē, magnitudinem, qualitatem & vsum videlicet, quod essent hyrdiæ vasa aquaria, nō vinaria, Euangelista declararit, eo omnia pertinent vt miraculi magnitudo planius intelligeretur. Constat enim hydrias magnas fuisse, vel vt Varro vocat l. 4. de lingua latina aquales; frequenti namque Iudæorū purificationi seruiebant. Et hinc fit etiam nihil ibi vini fuisse, nec de industria eò loci ad miraculum posita. Quoniam verò vacua ferè erant, ideò iussit dominus impleri. Scribit autem Euangelista aqua ad summum impleta, ne arbitraretur quispiam ex alia re, quàm ex aqua fuisse vinum factum: & ne quis calumniaretur vini aliquid superinfusum: hoc enim satis excluſum fuit, cum plenas ad summum fuisse dictum est. Villalpandus cap. 5. ibidem lib. 3. docet, plerumque fictiles fuisse hydrias Iudicum 7. 16. 19. 20. & Gen. 24. 15. 16. fuisse ad hauriendum, vel continendum aquam tantumque capere, quantùm virgo ferre potuit, & in vlnas vna aliqua accepta potare seruum Abrahæ. sed dicendum hydrias non fuisse æquales, minorem etiam eam fuisse, de qua in Genesi ijs, de quibus hîc Ioan. quæ potius erant ad seruandam, & contiendam aquam, & ad ablutionum cæremonias, non ad hauriendum è puteo vt videtur. Cæterùm interdum in hydrijs farina asseruabatur. 3. Reg. 17. 12. 14. videnturque hydriæ in modum cadi ore latiore fuisse. quod si Genesim legas, videbis hydriæ respondere non rarò Hebraicè vocem *Cad*, Greg. hom. 6. in Ezechielem mysticè potius super illa, *implete hydrias aqua* sic scribit: *implere hydrias aqua iubet: quia prius per sacra lectionis historiam corda nostra replenda sunt. Et aquam nobis in vinum vertit, quando ipse historia per allegoriæ mysterium in spiritualem nobis intelligentiam commutatur.*

13. 8. *Haurite nunc*] significat vt statim depromāt vasis illis vinum vt miraculo pateat, non arte vel natura aquam in vinum esse conuersam: neque enim natura id statim efficeret; voluit autem Dominus id fieri per ministros vt ipsi testes essent oculati, qui aqua iam vasa implerant, & propterea placuit iubere vt vasa aqua implerentur, & vinum ex aqua fieret, vt constaret magis miraculum per testes qui implerant vasa ipsa, & ideò iussit ministris, implete hydrias aqua; poterat enim id ipse præstare, sed voluit per ministros.

Ferte Architriclino.] iussit Architriclino ferri per ipsosmet testes, vt Architriclinus gustaret, & rem admiratus quæreret quomodò id factum esset, vt tam suaue & copiosum vinum à ministris adferretur, & ministri posteà rem declararent, & miraculi fama spargeretur.

14. Hîc velim considerēs ministrorum obedientiam, seruarunt iussa Beatæ Virginis, & quæ Christus præciperat ad vnum omnia, licèt inutilia viderentur; quod verò nihil dixerint de miraculo Architriclino fortè factum est, quia credebant ministri Christum nolle publicari vt consuleretur honori sponsæ; vel certè quia præceperat Christus tantùm vt ferrent nihil propterea adijciens; quare non sunt ausi prætergredi Christi verbum, quod benè cecidit. nam si statim spontè rē aperuissent visi fuissent non ita digni fide, sicut si interrogati totam rei seriem exposuissent:

A 9. *Vt autem gustauit Architriclinus*] Architriclinum vocat eum qui curando conuiuio præerat, quasi principem triclinij, cuius erat de his quæ ad conuiuium spectarent, disponere, est autem triclinium locus in quo veteres cænare solebant in lecto accumbentes; dictum à tribus lectis: nam κλίνη. Græcè lectus dicitur, de Architriclino videtur esse sermo Eccles. 32. 10 2. 3. *Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi vnus ex illis, curam eorum habe, & sic considera, & omni cura tua explicita recumbe vt lateris propter illos & ornamentum accipias coronam, & dignationem consequaris correctionis.* Quibus declaratur officium Architriclini, is curam habebat conuiuarum, non antè solitus accumbere quàm finito conuiuio, suo munere perfunctus esset. obibat conuiuium tanquam Oeconomus omnia destribuens, ministris præcipiens, ordine suo cuncta digerens. Et quidem vini præcipuam curam gerebat, degustabat & quod non placebat reijciebat. dabatur illi corona, sicut & cæteris conuiuis, ac reliqua munuscula, quæ à græcis eo φ domum referrentur, *apophoreta* dicebantur. 15. *Architriclinus quis.*

B *Vt autem gustauit*] clarius sic verti potest: cùm gustasset Architriclinus aquam vinum factam, id est, in vinum conuersam, cùm nesciret vnde esset, ministris tantùm, qui hauserant scientibus: vocat sponsum, &c. vocasse dicitur id est, compellasse, ad ipsum accumbentem nimirum accedens. vel fortè non accumbebat sponsus cum cæteris. quod aliqui etiam de beata Virgine opinantur, accessisse videlicet ad filium accumbentem, sed neutrum est credibile, nisi fortè feminæ saltem aliquę seorsim accumberent, & quidem etiam absoluto virorum conuiuio, quod non est incredibile: fortasis verosimilius propè Filium accubuisse Virginem matrem, ita vt ad aurem intimare aliquid potuerit. Vinum hoc fuisse rubrum creditur, canit enim Ecclesia, aquæ rubescunt hydriæ: præsertim quia 16.

C illa regio his abundabat, quod facit vt tantò clarius & illustrius esset miraculum: Hinc iugulatur hæresis Seueri, qui dicebat non licere vinum bibere: nam vitem sobolem esse diaboli: versum enim in serpentem miscuisse se terræ. 17.

10. *Inebriati*] id est, cum egregiè biberint; copiam id significat, non ebrietatem, affatim videlicet omnibus suffeciſſe. *Adhuc*] Hebraicè, id est, nunc. ideò verò initio conuiuij bonum vinum propinari dixit Arcitriclinus: quia tunc sensus acrior est ad iudicandum de sapore vini, ad extremum verò conuiuij oppressi cibo, potuque hebetiores fiunt. 18.

Scisciteur quis, quantùm vini isto miraculo à Domino factum est? Respondeo quantum sex hydriæ capere poterant, quarum tres ponamus continuisse metretas duas, tres verò alias metretas tres: (nam Ioan. ait, quod singulæ hydriæ capiebāt metretas binas, vel ternas) ita vt omnes continerent quindecim metretas. scire oportet, quantùm metreta capiat, vt sciam⁹ mensurā quindecim metretarum, atq; adeò totius vni sex hydrijs cōtenti. 19.

D Porrò metreta sextarios habet 72. sextarius verò habet $\frac{5}{6}$. vnius quartucij panormitani, igitur multiplicando $\frac{5}{6}$. per 72. erunt in metreta 40. quartucij, ergò quindecim metretæ erant 600. quartucij, qui conficiunt dolium vnum panormitanum, & præterea $\frac{1}{2}\frac{2}{3}$. quæ minutia æquat 130. quartucios, qui reducti ad barriles, sunt tres barriles (vtimur autem patrijs vocabulis vt res intelligatur planius) & $\frac{2}{3}\frac{5}{6}$. quæ minutia facit 12. quartucios $\frac{1}{2}$. dolium autem panormitanū, continet 12. barriles, barrilis autem panormitanos quartucios $39\frac{1}{2}$. cùm complectatur duas quartaras nostras panormitanas, & dimidiam, quarum vnaquæque constat quindecim quartucijs, & $\frac{2}{3}$.

Ex his

Ex his fit, vnam hydriam ternarum metretarum cõtinere 120. quartucios, hoc est tres barriles cum $\frac{3}{47}$. quæ minutia efficit duos quartucios, & dimidium. Hydriam verò duarum metretarum complecti quartucios 80. hoc est duos barriles & $\frac{2}{47}$. quæ minutia continet duos quartucios cum $\frac{1}{3}$.

30. 11. *Fecit initium*] matris precibus Christum citius edidisse hoc miraculum scribit D. Ambrosius serm.28. in Psalm.118. Cyril.l.2.c.3. Chrysost.hom. 21. Ab æterno enim præuidens matris suæ intercessionem, decreuit æterna prouidentia citius patrare miraculum, lege Tol.ann.9. in c.2. Ioan. Cæterũ nõ probo quod hic aliqui sentiunt, hoc primũ eorum tantùm signorum dici, quæ Christus fecit in Cana Galilææ. Nec tamen velim quod Chryso. hom. 22. & Euthy. faciunt, omnia signa excludere, media incedendum via: Hoc primum fuisse signum non omnium quæ fecit; fecisse enim priuata aliqua alia, est verosimile, certè constat disputasse duodennem non sine miraculo. Nec primum tamẽ eorum quæ fecit in Cana, quorsum enim hoc attinebat explicare? præsertim cùm non legamus aliud factum anteà in Cana, vt ob id eorum primum esset nominandum. Primum ergò est eorum quæ fecit publicè ad se manifestandum, idque initio suæ prædicationis.

21. *Gloriam*] Diuinitatem. *Crediderunt*] Aucta fides est. Cæterùm non puto credidisse, Filium Dei esse, vt posteà credidit Petrus, cùm dixit; *Tu es Christus Filius Dei viui* & creditur verò hi *Discipuli*, quia aliquo modo adhęserant illi, & motui Ioannis testimonio, audierant illum, eique fidem aliquam adhibuerant, quæ nunc aucta, & confirmata fuit. Vide item superius num.5. Allegoricè has

22. nuptias exponunt Cyril. & Beda, Theophylus Antiochenus l.4. allego. Aug. hîc Seuerus Antiochenus, & Anastasius Gaud tract.8. de lectionibus Euangelicis, Ambro. sermon.19. & 20. Greg. homil.6. Ezechi. quos citat hîc Maldo. sub finem v.11. & vide Osorium nostrum in hoc Euangelio.

23. 12. *Fratres*] *Fratres Domini* dicuntur Iacobus Alphæi. is autem est Iacobus Apostolus minor, & iustus dictus, de quo ad Gal.c.19. Iudas Iacobi, id est frater, Tadæus dictus Simon, & Iose, vel potius Iosephi filij fuerunt Mariæ Cleophæ, id est, vxoris Cleophæ, qui videtur etiam dictus Alphæus; licèt non desint, qui dicant illam duos habuisse viros Alphæum, vnde genuerit Iacobum, & Iudam. Deinde verò habuisse pòst illius mortem Cleopham, vnde Simonem, & Ioseph habuerit. Omnes tamen ab isto vocati sunt filij Cleophæ qui dicitur frater fuisse D. Ioseph. spõsi Beatæ Virginis, vnde factum est, vt Mariæ Cleophæ dicatur soror eiusdem Beatæ Virginis nimirum, ambæ vxores erant duorum fratrum. Tol. in c.7. Io. negat vllum ex Apostolis 12. fuisse de numero horũ, qui dicuntur fratres Domini, de quibus etiam agit in c.2. Ioan. ann.18. vbi & de sororibus Domini; sed quæ diximus veriora mihi videtur. Franc. Suar. etiam disputat hac de re to.2. disp.5. sect.4. Arbitror tamen non hos tantũ fuisse fratres Domini, sed plures alios cognatos vel ex parte matris, vel Ioseph, & ita nõ mirũ si Io. 7. dicantur fratres Domini non credidisse in eum; hoc enim de Apostolis non est credendum. Item non mirum quod dicat Marc 13. fratres Domini de Christo dixisse, quia in furorem versus est. Nec mirum si pòst omnes Apostolos Act.1. nominentur fratres Domini cum Maria Deipara, nam de alijs videtur esse sermo, non de Apostolis Iacobo & Iuda quos numerauerat. Tol. verò sententiam non probo, quicquid sit de Hieronym. ad Gal.1. Plura de hac re vide l.4. Dilucida. in c.16. Theo. vnica in

24. vers.9. & in c.12. v.39. in Schol. n.95. eodem l.4. aliqua etiam inuenies huc facientia. Illud omninò

A reijciendum, Mariam Iacobi, & Ioseph matrem, esse Dei genitricem Virginem quod Nyssen. orat. 2. de resur. Theoph. & Niceph. li.1. historiæ c.33. affirmant, licèt non genitos dicant à B. Virg. sed Ioseph filios ex præmortua vxore. vt enim tradit Epiphan. hær.51 78. & passim græci Ioseph habuit aliam vxorem & filios inde susceptit. lege D.Tho. 3.p.q.28.a.3.ad.5.

Descendit Capharnaum] primus accessus Capharnaum, quasi habitandi causa, licèt non ita apertè. Hoc enim fecit mox misso Ioanne in carcerem, tunc enim cœpit palam Capharnai habitare. Orige. in Cate. græca putat hunc Christi aduentũ Capharnaum à patrato miraculo in Cana Galilęæ 6. die contigisse, sed non satis magna coniectura probat. Hoc costat, hunc ipsum descensum Capharnaum non eumdem esse cum eo, de quo Matt. 4. sicut nec exitum in Galilæam de quo ibidem

B Matth. vt docet Iansen. c.19. concordiæ ipso statim initio. 25.

Porrò rectè *descendisse* dicitur, quia decliuis erat via à Cana, vel Nazareth Capharnaum versus. Nam Christus vel statim ex Cana Capharnaum inijt, vel certè profectus prius Nazareth cum matre eo se contulit: & inde, (& quidem vt videtur cum eadem, quia prope erat Pascha, ad quod celebrandum mater de more ire consueuerat) Ierusalem concesit; sed festo peracto videtur mater Nazareth reuersa, & filius in terram Iudæam, sic enim Christus se velle indicarat, ne mater illum passim sequeretur. Sed hæc incerta sunt. 26.

DIGRESSIO PRIMA MORALIS,

In ea verba: *vinum non habent.*

C DEFECTVS hic vini in nuptijs significat, labores, & angustias eorum qui matrimonio iuncti sunt. vini enim penuria, quam parua sit in connubio consolatio non obscurè indicat. quod se verò Christus difficilem aliquo modo exhibeat ad patrandum miraculum indicio est, raròac perdifficile animi quietem & lætitiam in matrimonio reperiri & amissam vix posse repararì; ita vt miraculo tribuere debeas si quando coniuges iucundam, tranquillamque vitam degant. 1. *Varie difficultates matrimonij per vini defectum significata.*

Apostolus 1.Cor.7.3. enumerat matrimonij mala seruitutem, tribulationem, diuisionẽ animi, & de primo quidem sic scribit: *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter* D *& vir*, &c. quare sapientissimè Chrys. scriptum reliquit, esse coniuges vt par seruorum fugitiuorum inuicem colligatorum, ita vt si vnus fugiat, alter sequi cogatur, de virgi. c.41. hinc Paul. *alligatus es vxori*, non licèt frangere hæc vincula, *noli*, inquit, *quærere solutionem*. De tribulatione quod erat secundum ex tribus malis ait, *tribulationem tamẽ carnis*, id est, curas, in educandis liberis sollicitudines, parturiendi dolores, mille matrimonij labores *habebit huiusmodi* &c. Cæterùm hæc carnis sunt, id est, pro terrenis; alioqui laborem pro Deo, magnam habet adiũctam animi voluptatem, & sinceram mentis tranquillitatem. Sed audi quid de virginibus canat illustriss. Dei vates Psalm.44. *Adducentur regi virgines pòst eam, afferentur in letitia, & exultatione*: ecce tibi qui nubunt tribulationem carnis habent, sed virgines Christum 2.

amantes, eiusque sponsæ indiuiduæ lætitiam & exultationem. Iam de postremo malo subdit Apost. *Qui cum vxore est, sollicitus est, quæ sunt mũdi, quomodo placeat vxori, & diuisus est; quæ autẽ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo &c.* tot rerum curæ mentem in primis huc illuc distrahunt, multitudo cognatorum, filiorũ aspectus amorẽ in varias partes dissecat, ac dispertit cor. Taceo dicere de voluptate ipsa corporum, quantum illa alienet animum, & quasi auocet à diuinis, denique mentem cœcam, inopemque quantum reddat. facilius est intelligere, quã vt pluribus explicari oporteat. Rem hanc copiosè & eruditè Hieronym. Platus describit. Sed qui fieri poterit, vt assequantur aliquam animi pacem, vel lætitiam coniuges? quomodo item poterit angustiarum aqua in lætitiæ vinum conuerti? nimirum si Christum præsentem habeant coniuges in nuptijs ac beatissimam Dei matrem, eique addicti sint. Si Christi etiam discipulos ac sanctos reuereantur; si quæcunque dixerit Christus, seruauerint, id est, Dei præcepta custodierint. Si subinde ad Christum clament, illum inuocent sæpè, magno cordis affectu vini penuriam exponant, ac dicant, Domine vinum non habemus, & in illo spes suas omnes collocent. Si misericordes fuerint, cuius rei præbet hic exemplum beatissima Virgo, dum conuiuis etiam non rogata prospexit, honorique consuluit. Porrò mensuræ tot hic commemoratæ, innuunt debere matrimonio iunctos metiri se, ac expensas quas faciunt, pro modulo diuitiarum, ac legis diuinæ; ne plures alant seruos vel famulos, nec pluribus se vestimentorum ornamentis & currutum, equorumque splendore, atque id genus alijs exornent plus quàm par est. Denique si fecerint, quæ præcepit Apost. 1. ad Timoth. 2. *Saluabitur*, inquit Paulus, *mulier per filiorum generationem si permanserit in fide & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate*; vbi quatuor enumerat virtutes necessarias nuptis, vt seruent fidem mutuam, inter se diligant, turpitudinem omnem fugiant, denique luxum & omne intemperantiæ genus euitent. Lege item quatuor præcepta, quæ danda sunt nupturis puellis apud nostrum Serarium in caput 10. Tobiæ in commen.

3. *Quomodo ea fugenda vel superanda.*

4. *Quatuor virtutes nuptis necessariæ.*

5. Vltimo loco obseruandum est in his tribus personarum generibus, Christo, Beata Virgine, & Discipulis vltra tria matrimonij bona, fidem, prolem, sacramentum; significari etiam tres conditiones eorum qui matrimonio iuncti sunt. Primum vt viri diligant vxores suas, vt Christus Ecclesiam, quam conditionem significat Christus, *qui dilexit nos*, &c. deinde tam in viro, quàm in vxore requiritur castitas, nempè vt matrimonio sanctè vtantur, & hoc rectè per virginem virginum significatur. Postremò mulieres subditæ sint oportet viris suis, vt discipuli Christo. Quorum etiam fidem eos æmulari conuenit, qui connubio iuncti sunt, vt sic armati, Diabolo faciliùs resistere valeant, & expectatione futurorum præsentia contemnant: sic enim serm. 20. scribit Ambros. de fide Apostolorum; de qua hic Euangelista: & crediderunt in eum discipuli eius: *Prædicanda*, inquit, *plane Apostolorum fides, quæ viso vno signo credidit in omnipotentiam Saluatoris. & Apostoli dum mirantur aquam in vinũ versam, ipsi ex omni face peccatorum similiter sunt conuersi, & instar facti miraculi ex vili superstitione gentilium in pretiosam deuotionem credentium sunt translati, & vt aqua in vinum versa sapore, rubore, calore conditur, ita scientiæ, quod erat in his insulsum, accepit saporem: quod pallens, gratiæ sumpsit calorem: quod frigidum, incaluit immortalitatis ardore. Magnificanda igitur Apostolorum fides, quæ ideò Euangelico sermone descripta est, vt & illis esset ad laudem, & nobis proficeret ad exemplum. Sed, quod peius est, his illis laus sua permanet: nos exempla non promouent: nam quantò posteriores sumus tempore, tantò & inferiores merito. Illi enim viso vno signo statim Domino crediderunt; nos acceptis adhuc tot beneficiorum mirabilibus dubitamus. dubitamus inquam, quia præsentia diligimus, dum futura non credimus. diuitias amamus in seculo, dum eas accipere cunctamur à Christo. Dicit autem & alius; & nos Christiani sumus, sed credere opus est opere, non seruone, non lingua sed corde: ne & nobis dicatur, plebs hæc labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Hæc Ambrosius.

SECVNDA DIGRESSIO MORALIS.

Quòd Christus sponsis suis vinum intelligentiæ scripturarum proponit.

GLoriatur se sponsa Cant. 2. introductam à Rege in *cellam vinariam*, & tamen pudicã fœminam vinũ efflagitare, vel apud Ethnicos nefas erat. Et matronæ Romanæ etiam semel hausto vino perpetua laborabant infamia. Quid igitur est quod ait castissima Christi sponsa, *Introduxit me Rex in cellam vinariam?* Sed si si quid interfit inter Christi, & hoc nostrum vinũ intelligamus, omnis illicò conquiescet admiratio. Christus rex ille cœlestis educit animam tanquam sponsam è culpa, adducit ad iustitiam, deducit per virtutes, conducit ad perfectionem, circumducit per contemplationes, denique introducit in scripturæ intelligentias: est ergò cella vinaria sacra nimirum scriptura, in quam anima introducta intelligentiæ vino epoto mirificè recreatur.

1. *Vinum tibi decet fœminas.*

Sed vide inquies tam suaue intelligentiæ vinum aduectum est; vnde effluit, vel ex quo vuarum genere decurrit? Audi. Detulerunt olim duo exploratores de terra lacte, & melle fluente botrum vuæ tantæ magnitudinis, vt vix duo illi robusti viri valerent botrum illum de ligno pendẽtem gestare humeris. Terra hæc lacte ac melle manans Deipara Virgo est, vnde lac illud virginitatis candidissimum effluit, & vbi mel pietatis reconditum est; quo gustato amari Christianorum gemitus & dolores in dulces ac cœlestes voluptates conuertuntur.

2. *B. Virgo per terram promissionis adumbrata.*

Hæc terra botrũ hunc nobis protulit, dum Christum Dei filium fœliciſsimè peperit, & ex hac eadem terra deuectus est idem ad nos botrus. Quem etiam duo exploratores nouum vide-

videlicet, ac vetus testamentum in mundum A
inuexerunt, dum nobis virginis partum vel
futurum prædixerunt, vel præsentem osten-
derunt: nam qui præibat explorator, id est, ve-
tus testamentum, non nisi conuerso capite bo-
trum illum intueri poterat, Christũ enim ven-
turum prædicebat, non præsentem ostende-
bat. at qui sequebatur, quoniam nouum repræ-
sentabat testamentum, in eum os, vultumque
conuertebat; aduenisse enim Christum nõ ob-
scurè declarat Euangelium: igitur botrus hic
felicissimus de ligno pedens in torculari cru-
cis expressus, & compressus est; inde igitur ex-
cussum est vinum intelligẽtiæ mysticorũ sen-
suum, quod in cellarijs scripturarum repositũ B
4. est: hoc illud vinum est, de quo Architriclinus
ait, *bonum vinum seruasti vsque adhuc*, nam per-
fecta scripturarum intelligentia vsq; ad tem-
pus, quo Verbum caro factum est, ac diuinita-
tis, humanitatisq; nuptiæ celebratę sunt in Na-
zareth Galilææ in castissimo Virginis vtero,
nec percipi, nec comprehendi poterat. Tunc
siquidem ex aqua vinum factum est, quoniam
literales, insipidique illi sensus tempore legis
vet. ad spirituales intelligentias transierunt, &
5. ex obscuris in claros conuersi sunt. Hoc est vi-
num ad quod sponsa Cant. 5. cunctos liberalis-
simè inuitat, dum ait: *Bibite & inebriamini cari-* C
simi. Hoc illud est vinum, quo Noe hausto de-
nudatus dormit: mens siquidem hominis huius
scripturarum intelligentiæ vino, ac suauitate
refecta, terrenas opes, carnisq; illecebras sper-
nit, & in suaui diuinarum rerum contempla-
tione conquiescit. Cæterũ vt rectè inquit Am- 6.
bros. exhæm. l. 4. c. 1. *Qui vindemiam colligit, vasa*
prius, quibus vinum infunditur mundare consueuit,
ne sordes aliqua vini gratiam decoloret. Quid enim
prodest ponere vitem ordine, fodere quotannis, aut a-
ratris sulcos ducere, putare, subrigere, adiungere vl-
mis & quodam connubio copulare, si tanto labore vina quæsita in vase acescant. Rectè quidẽ Ambros.
& sapienter: nam scripturarum intelligentiæ
magno labore cõparatæ, in sordido vase, nem-
pè corde peccatis fœdato, acescunt.

Postremò totam historiam de mutatæ aquę 7.
in vinum miraculo, claudat narratio quædam.
Narrat Epiphan. hæresi 51. ad huius miraculi
cõfirmationem, postea quibusdam in locis eo-
dem illo die eadem hora, qua miraculũ illud
Dominus fecerat aquam mutari solitam in vi-
num, sic enim scribit: *Quapropter etiam in multis*
locis vsque in hunc diem hoc fit, quod tunc factum est,
diuinum signum, in testimonium incredulis, velut te-
stantur in multis locis fontes ac fluuij in vinum cõuer-
si. Cibyles vrbis Cartæ fons vinum fudit ea ipsa hora,
qua in illis nuptijs hauserunt ministri, & illis dixit
Dominus; date Architriclino. Testatur etiam Gerasa
Arabiæ fons similiter, & nos quidem bibimus de Ciby-
les fonte, fratres autem nostri biberunt de eo fonte,
qui est in Gerasa in martyrum templo. Multi quoque
in Aegypto testantur Nili aqua idem accidere
quibusdam in locis. Tot, ac tan-
ta Epipha-
nius.

Digitized by Google

DILVCIDATIONVM EVANGELICARVM LIBER TERTIVS,

COMPLECTENS ACTA PRIMI Paschatis vsque ad secundum.

CAPVT I.

D. 2. 13.

1. ET propè erat Pascha Iudæorum, & ascēdit Iesus Ierosolymam.
2. Et inuenit in tēplo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios sedentes.
3. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo; oues quoque & boues, & nummulariorū effundit as, & mensas subuertit.
4. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domū negotiationis.
5. Recordati sunt verò discipuli eius: quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.
6. Respondérunt ergò Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?
7. Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite tēplum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.
8. Dixerunt ergò Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?
9. Ille autem dicebat de tēplo corporis sui.
10. Cùm ergò resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus.
11. Cùm autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nòmine eius, videntes signa eius, quæ faciebat.
12. Ipse autem Iesus, non credebat semetipsum eis, eò quod ipse nosset omnes.
13. Et quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine.

A

B

C

SCHOLIA.

1. ET *propè erat Pascha*] Hinc incipit primū Pascha, atque adeò primus annus prædicationis Christi, licèt inter baptisma, & nuptias aliud Pascha præcesserit, cuius apud Euangelistas nulla mentio, quo prætermisso, hoc est primum Pascha prædicationis Christi, quod hic nominatur à Ioāne. Imò verò prætermissum illud non prædicationis Pascha dici, nec primus annus prædicationis nominari potest annus ille, qui inter baptismum & nuptias intercessit, sed tantum dici poterit primum Pascha; vel primus annus à baptismo, nām eo anno Christus priuatam ferè vitam agebat. Sunt autem à Ioanne quatuor Pascha ta prędicationis Christi commemorata, de quibus sigillatim suò loco Deo duce dicemus. 1:

2. *Numularios*] qui ad emendum animalia ad sacrificia paratas conferebant pecunias, dispulit tēplo, id est, atrio populi. Quisnā esset hic locus vbi hæc exercerentur, consule Riberam l. 1. de templo c. 32. n. 9. 2:

3. *Eiecit*] hæc est prima eiectio vendentium, de qua hic Ioannes, de altera habetur Matt. 21. Marc. 11. Luc. 19. cur eiecerit lege Tolet. annotat. 21. Dico paucis, decuisse hoc initio præsertim prædicationis zelum hunc contra inueteratam consuetudinē Iudæorum erga Dei cultum ostendere. Et si enim licitè viderentur vendi & emi in templo quæ templo offerenda erant, & ibi immolanda. Noluit tamen Dominus, quæ sub honesta quadam occasione fieri putabantur in templo suo exhiberi: nimirum quod esset, inquit Gagnæus; ad hoc institutum vt orationis, non negotiationis haberetur locus. 3:

An homines funiculo eiecerit? Iansenius Caietanum secutus ex Græcis, quæ non habēt quoque, sed oues que & boues, putat non esse funiculo homines eiectos de templo, vt sit sensus, omnes facto flagello eiecit de templo, nimirum, vt statim Euāgelista ipse subdit, omnes oues & boues, qui tantum continentur sub voce *omnes*; significat autem nullam ouem, nullumque bouem prætermisisse, quem non flagello eijceret. deinde idem cōfirmatur in eiectione columbarum, cùm enim columbę per homines essent eijciendæ tanquā caueis inclusæ, idcircò columbas vendētibus dixit, *auferte ista hinc*, ad homines ergò conuersus monuit verbo, vt inde illas auferrent. Respondeo, non modò homines eiecit, de quo dubitat Iansen. verū & flagello: quod satis innuit interpres per illud quoque, quod & græca significant, præmittunt. n. Τὸ *omnes* quos nominauerant *vendentes, & numularios*, & postea cumulatiuè subdunt, *oues q́, & boues*; itaque sensus est, omnes flagello eiecisse, quos numerauerat Euangelista superius, nempè vendentes boues & numularios, hos enim significat *omnes*; tum subdit 4:

Digitized by Google

cumulatiuè *oues q́*, &c. Columbas verò nō poterat flagello eijcere, vtpotè caueis incluſas. effractis verò caueis auolaſſent aues, quod nolebat. Propterea per venditores erāt templo exturbandæ, ad quos ſe conuertit. Eſt ſententia Cyrilli lib. 2. c. 28. Chryſoſt. ho. 22. Pontificum Anacleti ep. 2. & Iulij ep. ad Orientales Epiſcopos. obſeruandū in altera electione prope mortem nullam flagelli mentionem fieri, ſed additur reprehenſio grauior, dictum eſt ibi, ſpelūcam latronum factam eſſe ab illis do-
5. mum Dei. Cùm enim ſemel admoniti nō profeciſſent ea admonitione nihilo meliores facti, vſus eſt Chriſtus grauiore altera reprehēſione, & acerbiore obiurgatione: vbi etiam ſubuertiſſe dicitur Cathedras vendentium columbas, quæ non erant vt Cathedræ Doctorum, ſed ſedes quædam in quibus
6. vendentes ſedere conſueuerant. Hic verò nil tale habetur. Et quidē de ſedibus numulariorum nihil eiuſmodi narratur nec apud Io. nec apud alios Euangeliſtas, licèt maius quid hi de numularijs referant, quod ſcil. eorum effuderit æs, & mēſas euerterit. ob id videntur Euangeliſtæ, quod minus erat non poſuiſſe.

7. Quod verò *ſpelūcam latronum* ibi legis, non mirū, voluit enim indicare, nō modò eos peccaſſe, quod rebus vacarent, quas non decebat in templo exercere, ſed quod negotiationi iniuſtæ cum dolo vacarent & fraude, & extorſioni pretij iniuſti ſtuderent; quod non ita intelligo quaſi illi qui eiecti ſint prope finem vitę Domini tantum negotationi iniuſtæ vacârint, & hic qui nunc eiecti ſcribuntur iuſtè, quamuis non cum debitis circumſtantijs loci, tēporis, &c. quod videtur docere Aug. tract. 10. in Io. ſed puto & illos, & iſtos peccaſſe tum ob iniuſtas negotiationes, tum ob circumſtantiarū defectum. Sunt ergò poſteriores acrius repreheſi,
8. quia vt dixi prius ſemel moniti, non ſunt meliores effecti. Addit Anacle. epiſt. 2. & Iulius ep. 1. contra Orienta. etiam ſacerdotes à Domino expulſos eſſe de templo, vnde innuunt fuiſſe inter vendentes & ementes. Porrò flagellum fortè confecit Dominus ex ijs funibus, quibus alligata fuerant animalia.

9. Reliquum eſt videre quomodo nūdinas has, ſeu mercatum, vt vocant, inſtituerint Iudæi. Hieron. ita ſcribit Matth. 21. *& hoc primum ſciendum, quod cuncta mādata legis auguſtiſſimo in toto orbe templo Dominī, & de cunctis pæne regionibus Iudæorū, illuc populo confluente innumerabiles immolabātur hoſtiæ maximè feſtis dieb. taurorum, arietum, hircorū, pauperibus ne abſq; ſacrificio eſſent pullos columbarū, & turtures offerētibus: accidebat plerumq; vt qui de lōgè venerant non haberent victimas; excogitarunt igitur ſacerdotes quomodo prædā de populo facerent, & omnia animalia quibus opus erat ad ſacrificia vendebant, vt & venderent non habentibus, & ipſi rurſum empta ſuſciperent. Hanc ſtrophan eorum crebra venientium inopia diſſipabat, qui indigebāt ſumptibus, & non ſolùm hoſtias non habebant, ſed ne vnde emerēt quidem aues, & vilia munuſcula. Poſuerunt itaq; & numularios qui mutuam ſub cautione darēt pecuniā. Sed quia erat lege præceptum vt nemo vſuras acciperet, & prodeſſe non poterat pecunia fœnerata, quæ cōmodi nihil haberet, & interdū ſortem perderet: excogitauerunt & aliam techna, vt pro numularijs collybiſtas facerēt. cuius verbi proprietatē Latina lingua non exprimit. Collyba dicuntur apud eos, quæ nos appellamus tragemata, vel vilia munuſcula. v. g. frixi cìceris, vuarumq́ paſſarum, & poma diuerſi generis. Igitur quia vſuras accipere nō poterāt collybiſtæ, qui pecuniam fœnerati erant, pro vſuris accipiebāt varias ſpecies: vt quod in numo non licebat, in his rebus exigerent, quæ numis coemuntur: quaſi non hoc ipſum Ezechiel prædicauerit, dicens, vſurā & ſuperabundantiam non accipietis.* Hæc Hieron. Maldo. in cap. 21.
10. *Collyba quæ dicantur.*
11.

A Matt. verſ. 12. dubitat an ea conſuetudo à ſacerdotibus ſit inducta. Ianſen. verò putat hos numularios conſtitutos nō ad mutuandam pecuniam, ſed ad commutandā, vt collybiſtæ dicti ſint non à dictione *collyba*, ſed è dictione κόλλυβος, quod ſignificat numum parui, qui pro commutanda pecunia numulario datur, ſic Euthymius collybus inquit, obolus eſt qui pro mutatione monetæ datur, & χίμα congeries eſt obolorum, aut minutorum numorum, quibus fit permutatio; ſed apud me plurimùm Hieronymi valet autoritas, quamuis non ſit improbabile quod Ianſenius aſſerit. Et vtrumque eſſe potuit, vt & tragemata darent cùm pecunias non haberent, & pecuniam tamen paruam, qui haberent, & mallent ſaltem dum cōmutarent pecunias. Lege hac de re Ianſenium c. 10. cōcordiæ in illa verba, & prope erat Paſcha. *Collybiſtæ vnde dicti.*

Perpende lector quod dicitur effudiſſe numulariorum æs, & menſas ſubuertiſſe, vt habes v. 4. & diſce auaros ſic ſæpè punire Deum, vt quæ tātō la- 12.
B bore congregarunt, vno momento diuina iuſtitia diſſipet & euertat. Sic Hierem. 17. *Perdix fouit, quæ non peperit fecit diuitias, & nō in iudicio, in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas, & in nouiſſimo ſuo erit inſipiēs.* Perdix aliena excludit oua, ſed ſuę furacitatis dignas luit pœnas. nam tādem excluſi pulli commentitiam matrem naturę inſtinctu deſerunt, ita diuitiæ malè partę auaris, rapacibuſq; Dominis relictis illudunt: dum vel fiſcus, vel creditores, vel fures, vel in fortuniū illas rapit & diſperdit. certè morte quicquid cōgeſtū eſt diuitiarū, diripitur, & ita dictū eſt illi Luc. 12. *Stulte hac nocte repetēt animam tuam à te, & hæc quæ paraſti cuius erunt?* nam vt rectè Eccleſiaſt. 14. dicitur; *In bonis eius alius luxuriabitur*: & quæ nullo labore hæres acquiſiuit, illicò dilapidat. Vide in locū Hiere. Hieronymū.

C 5. *Zelus domus tuæ*] Hieron. Matt. 21. *Plerique*, in- 13.
quit, *arbitrantur maximū eſſe ſignorum quod Lazarus ſuſcitatus eſt, quod cœcus ex vtero, lumē accepit; quod ad Iordanem vox audita ſit patris; quod transfiguratus in monte gloriam oſtenderit triumphātis; mihi inter omnia ſigna, quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſe: quod vnus homo, & illo tempore contemptibilis; & in tantum vilis, vt poſtea crucifigeretur, Scribis & Phariſæis contra ſe ſæuientibus, & videntibus lucra deſtrui ſua, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eijcere multitudinem, menſaſq́ ſubuertere, & Cathedras confringere, & alia facere quæ infinitus nō fecit exercitus: igneum enim quiddam, aſſidereū radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maieſtas lucebat in facie: cumq́ manum non audeant injicere ſacerdotes, tamen opera calumniantur.* hæc ille.

Dum verò ait, *zelus domus tuæ*, videtur ſignificare 14.
D Ioan. quod cæteris admirantibus rationem facti, & facto ipſo offenſis, diſcipulis tamen in mentem venerit ea ſcriptura eo ipſo tempore, qua facti rationem intellexerunt. Neq; enim adeò rudes erāt diſcipuli vt ſcripturas aliquo modo nō intelligerēt, quas ſingulis ſabbatis in ſynagogis legi audiebant, quamquam nondum vſq; ad illud tempus intellexerant eam ſcripturam, totumq; Pſ. ad Chriſtum pertinuiſſe. Eſt ergò ſenſus: ardentiſſimū ſtudium gloriæ domus tuæ tanquam ignis quidā intra præcordia incluſus vſſit, torſit & conſumpſit animum meū ferentem moleſtiſſimè contemptū domus tuæ. Simile quid habetur Pſ. 118. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*; & iterum, *tabeſcere me fecit zelus meus*, quia obliti ſunt verba tua inimici mei. Sunt qui non hoc tem- 15.
pore, quo factum accidit, recordatos loci ſcripturæ, diſcipulos opinētur, vt Rupert. Io. 2. Caiet. &c. ſed quid dixi, eſt ex ſententia Chryſoſt. ho. 22. & Cyrilli in Ioan. & aliorum quos etiā ſequitur Ianſen. c. 19. cōcor. obſerua vel hinc colligi poſſe, no-

uiſſe

quisse discipulos ipsum fuisse Christū, & Messiam.

16. *Comedit*] Rupertus verbum hoc sic interpretatur; zelus domus tuæ totum me corripuit, vt velut oblitus infirmitatis humanæ, quam susceperam, solā diuinitatem ostenderim, quod enim comeditur, totum transformatur, & in nihilum redigitur. De zelō quædā inuenies apud Viegam Apoc. 2. com. 1. sec. 3. de quo & nos alibi. Duo tamen silentio non præteribo, primùm esse aliquos Dei etiam sacerdotes, quos non comedit zelus domus Dei, sed qui comedunt de zelo domus Dei. qui enim siue Episcopi illi fiat, siue Vicarij, siue iudices Ecclesiastici, inquirunt in criminosos, & facinorosos homines, mulctant, puniunt, quo nimirum ea pecuniaria pœna seipsos pascant, ditent, augeant, ij potiùs de zelo domus Dei comedunt, non comeduntur. Nec de ijs loquitur scriptura. Audi quem comedat zelus Dei, qui nimirum dicere cum Paulo potest: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* 2. Cor. 11. &, *ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris*, 2. Cor. 12. Alterum est, tria debere zelum habere, vt sit gratus Deo & secundùm scientiam. Primùm vt eum non appetitus vindictæ ob iniurias, sed iustitiæ, Deiq; honor suscitet. Deinde vt non aduersus homines sit, sed eorum peccata, vt scil. homines amemus, peccata oderimus: denique vt eum externa seueritate correctionis, & acerbitate animaduersionis misceamus interius, & seruemus mentis tranquillitatem, & dilectionem erga correctos animo teneamus.

Zelus tria habere debet

17.

18. 6. *Responderunt*] respōdere pro simpliciter loqui ac dicere, etiam si nulla intercesserit interrogatio, sumitur. Potest & sumi pro, orsi sunt dicere, vel obiecerunt: ita enim respondendi verbo sæpè vtūtur Hebræi, vt notauimus l. 1. c. 7. in Schol. n. 6.

19. *Quod signum ostendis*] Ribera ad Hebr. 2. num. 10. sic scribit: signa vocat (Apostolus Heb. 2.) miracula, quæ ita dicta sunt apud Iudæos, quoniam peti consueuerunt tanquā indicia virtutis diuinæ, cùm Deus rem admodum difficilem pollicebatur, aut cùm nouus Propheta surgebat: tūc enim miracula petebant Iudæi, vt signa essent rei illius futuræ, vt crederetur, aut vt Propheta ille, missus à Deo existimaretur, vt Gen. 15. *Domine Deus vnde scire possum quod possessurus sim eam.* Isa. 7. *Pete tibi signum*, &c. Zacharias etiam ab angelo signum petit Luc. 1 Matt. 12. *Magister volumus à te signum videre*, &c. sic Luc. 11. ita & hic Io. 2. Quod signum ostēdis nobis, &c. hinc Paulus 1. Cor. 1. *Iudæi*, inquit, *signa petūt*, &c. Portenta verò vocat (idem Apostolus) maiora & mirabiliora miracula, quæ vocantur τέρατα, id est, prodigia, siue portenta. Virtutes, id est, δύναμεις quæuis miracula dicuntur, quia potenti Dei virtute & potestate fiunt: more enim Heb. *virtus* dicitur, quod cum virtute, id est, potentia magna fit. Vt morborum subita sanatio, mortuorū resuscitatio, Luc. 10. *Si in Tyro & Sido factæ fuissent virtutes*, &c. Act. 19. virtutesq; non quaslibet, &c. hæc ille. Est ergò sensus huius loci, *Quod signum ostendis*] q. d. ostende nobis signo aliquo edito, quod non temerè hoc facias, sed Dei auctoritate; quēadmodum etiā Moses legationem suam Exod. 3. à signis auspicat' est. Signum quærūt eius rei, q. verò paruum fuisset miraculū omnes eijcere, nemine hiscere audente. *Facis*] perinde ac si dicant, quod faciendi hæc habeas auctoritatem.

20. 7. *Soluite*] ænagmaticos respondit, *soluite* pro *soluetis*, id est, separabitis hoc corpus ab anima, & tunc signū dabo, videl. resurgendo. Nam resurrectio maximè ostendit Christi diuinitatem, ipsumque verè Messiam fuisse. Ponitur hîc imperatiuus more scripturæ pro futuro indicatiui. Licèt Christus sciret non intellecturos hoc Pharisæos, fore tamen sciebat, qui intelligerent saltem post resurrectionem.

8. *Quadraginta sex annis*] De templo materiali intelligentes Christum loqui mirantur illud tam citò reædificandum, quod sub Esdra Cyri anno secundo reædificari cœptum, Esd. 3. (licèt facta fuerit facultas ædificandi anno primo eiusdem Cyri. 1. Esd. 1. & 5.) perfectū est autem anno sexto Darij, 1. Esd. 6. sed Iudæi hîc nono anno Darij significant absolutum; nam secundo Cyri ad sextū Darij quāuis 46. annos numeret Euseb. l. 8. demonst. Euang. contrā hoc tamē facit, quod in chronico eiusdem pauciores numerántur. Nam Cyro tribuuntur 30. anni, Cambysi 8. Magis 7. menses, qui reliqui erant ad complendū octauum annum Cambysis ex Herodo. l. 3. His adde annos 6. Regni Darij, & cōficies annos summū 44. etiā connumerando primū Cyri. Dicendum ergo videtur anno nono Darij absolutum fuisse templum, quātum ad omnes eius partes exteriores, nempè, atria, porticus, & alia ornamēta, &c. licèt quātum ad interiores partes, quæ propriè templū erant. Anno 6. Darij sit absolutum 44. annis à secundo Cyri anno, quando iacta sunt fundamenta. Hinc est quod Ioseph. l. 11. Antiq. c. 4. septem annos numeret, sc. à secūdo anno Darij, quo repetita est ædificatio, 1. Esd. 4. vsque ad nonū, quo perfecta, igitur numerando à secundo anno Cyri habebis ad nonum vsque Darij 46. annos, nimirum 29. Cyri, 8. Camby. & Magorum, Darij 9. nec tamē per totos hos annos cōtinuata fuit ædificatio, sed vacauit ad tempus.

21.

Illud nota, hîc sermonem non esse de templo Salomonis, sed de secundo sub Zorobabele; illud enim 7. annis exstructum est 3. Reg. 6. 38. Quamuis autem templū quod tempore Christi extabat, secundū Ioseph ab Herode extructum nouem annis cum dimidio, ex l. 15. antiq. Ios. c. 14. Nihilominus Iudæi non distinguebant templū Herodis à secundo templo Zorobabel. neq; enim fuerat ab hostib. euersum, vt proinde aliud ædificaretur, vel censeretur. Hac de re lege Ribe. l. 1. de Temp. c. 26. & Maldon. hîc, Barrad. l. 3. c. 8. nobis quę diximus visa sunt probabiliora, & eadē est opinio Bene. Pererij l. 13. in Dan. sub init. Sunt tamen qui negant templū ab Herode exstructum, & figmenta esse volūt, quæ Iosephus dicit de Herodiano templo, tantū volūt ædificasse meridianam porticum atrij gentium: lege Villalpand. to. 2. p. 2. lib. 5. disp. 4. cap. 67. & 68. D. Aug. lib. 2. de doct. Christ. c. 28. & 4. de Trinitat. c. 5. & tract. 5. in Ioan. & lib. 83. qq. q. 56. asserit numerum illum 46. conuenire formationi corporis Christi in vtero matris. Formationē enim humani corporis perhibēt physici 46. diebus in vtero materno absolui. idem Beda & Rupertus Augustinum secuti. Sed cùm corpus Christi formatum & organizatum fuerit in instanti, vt docet D. Thom. 3. p. q. 33. ar. 1. incredibile videtur, quod ait Augustinus. verùm eius mentem Magist. Sent. lib. 3. d. 3. & S. Bonauentura interpretantur. Verior tamen videtur interpretatio D. Thomæ loc. cit. ad 1. Augustinum nō esse locutum de formatione tantùm fœtus vsq; ad conceptū & animationem, sed de vniuersa formatione & perfectione corporis Dominici facta in vtero matris ab eius conceptu vsq; ad ortū eius; & hæc continet tēpus 46. dierum sexies multiplicatum, quod idem indicat Aug. l. 83. qq. q. 56. & 4. de Trinit. c. 5. vide eundem lib. 2. de doct. Christ. c. 28. vbi docet quosdam ex numero 46. annorum cōiecisse Christum Dominum non minus 46. annis vixisse in terris. Certè Irenæ. lib. 2. cap. 40. affirmauit Christum proximè ad 50. ætatis annum accessisse. Sed hæc falsa esse illud præter multa ostēdit, quod Christus alioqui nec sub Pontio Pilato, nec sub Tiberio Imperatore mortuus esset.

22.

23.

24.

25. 10. *Et crediderunt*] Firmius, & clarius non solùm Christi sermoni de sua resurrectione post tres dies, quam his verbis prædixerat, sed etiam scripturæ, quæ de morte, & resurrectione Messiæ loquitur. Crediderunt inquam, scripturas, quæ de morte & resurrectione Christi locuntur esse completas, & finem, ac veritatem accepisse in Christo. Non ergò significat Ioan. per hæc verba, antè resurrectionem absolutè non credidisse scripturis Apostolos, quæ de Messiæ erant morte, & resurrectione: sed significat credidisse illos post resurrectionem fuisse eas in Christo completas. Videntur Apostoli verba Christi hæc, nõ percepisse nisi post resurrectionem.

26. 11. *In nomine*] idem est, ac si dicas hîc, in nomine ei is, id est, in eum crediderunt, quod videlicet esset Messias lege promissus.

In pascha in die festo] id est, in die festo Paschæ. Intelligat autem festum, quod per septem dies celebraretur.

27. 12. *Non credebat semetipsum*] Aliter hic sumitur credere, nempe pro committere se, fidere. Sciebat illos mutandos à fide, nec perseueraturos, & fore vt illum persequerentur. Loquitur de Christo, vt homine, nostro loquendi more, neque enim Christo quis nocere poterat, cùm Deus esset, si nollet ille: Ex parte tamen credentium eorum inconstantia spectata, & propenso eorum in Christum animo, hinc inquam præcisè timendum fuisset. *Eo quod ipse nosset*] per se ipse nouerat quid lateret in cuiusque animo, quid quisque tandem facturus esset.

13. *Et quia opus ei non erat*] Non alicuius testimonio indigebat ad declarandam Iudæorum in se mentem, quippè qui sciret quid in homine esset, qui animorum scrutator esset, & cordium. Nec tantùm de occultis cordium id intelligas, sed de eo etiam quod futurum erat, & quid homo facturus esset, quantumve in bono perseueraturus, & quantum esset in illo fidendum, hæc enim omnia illi constabant.

28. Obseruanda sunt quæ Augustinus piè, & eruditè habet in tract. 11. in Ioan. c. 3. *De ipsis dicit Euangelista crediderunt, de quibus dicit, ipse Iesus non credebat semetipsum eis. Quare? quod ipse nosset omnes, &c. plus nouerat artifex quid esset in opere suo, quàm ipsum opus, quid esset in semetipso. Creator hominis nouerat quid esset in homine, quod ipse creatus homo non nouerat. Nonne hoc probamus de Petro, quia non nouerat quid in ipso esset, quando dixit, tecum ero vsque ad mortem. Audi quia Dominus nouerat quid esset in homine, tu mecum vsque ad mortem? Amen Amen dico tibi prius quàm gallus cantet, ter me negabis. Homo ergò nesciebat quid esset in se, sed creator hominis sciebat quid esset in homine.*

DIGRESSIO PRIMA MORALIS,

De sacrarum ædium dignitate, & veneratione ex varijs capitibus desumpta.

1. NActi occasionem non modò ex facto Domini, sed ex illis etiam verbis: *Domus mea domus orationis vocabitur.* Subijciemus hic aliquot digressiones de templis Christianorum; & quidem omnia, quæ dicturi sumus, ad tria capita reuocabimus. In primis de eorum dignitate agemus. mox de Dei vltione

A aduersus eos, qui templa violare ausi sunt. Postremò de templo spirituali breuiter disseremus.

Templorum dignitas, & diuersa nomina vnde.

Dignitatem templi non video vnde melius possimus cognoscere, quàm ex eius finibus, ob quos sacræ ædes eriguntur. Primarius finis est, vt in eis Deo sacrificium offeratur, & hinc propriè dicuntur templa, quomodo soli Deo dicantur. Deinde vt in illis sacramenta ministrentur, vel asseruentur, quibus populus sicut verbo Dei, ita & sacramentis pascatur, & hinc dicuntur Ecclesiæ. Tertiò, vt in ijs orationibus vacetur, vnde oratoria sunt appellata. Quartò, ad martyrum reliquias honorificè conseruandas, & hinc dicuntur basilicæ, memoriæ, martyria, quomodo etiam martyribus, & vniuersim sanctis ædificantur, & dedicantur sacræ domus, non solùm Deo; idque propriè, & verè, non quidem sub ratione templi, sed basilicæ, vel memoriæ. qua de re lege Bellarmin. lib. 3. cap. 4. de cultu sanctorum. 2.

B Quintò extruuntur templa, vt in eis fidelium corpora sepeliantur. hinc Ambros. libro secundo de offic. cap. decimo octauo, *Nemo*, inquit, *potest accusare, quod templum Dei ædificatum est, nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquijs spatia laxata sunt.* Quare de sancto Ioanne Euangelista memoriæ prodiderunt Abdias Babyl. & Hyer. in epist. ad Galat. quod cùm esset morti vicinus, se in Ecclesiam deferri fecerit, viuumque in monumentum, quod sibi parari fecerat, ingressum, ibidem obijsse. Non nego ob templorum reuerentiam cautum olim fuisse, nè intra templorum ambitum fidelium corpora sepulturę traderentur, verùm in atrio, vel cœmeterio cap. præcipiendum. de consecr. d. 2. Sed id non videtur olim generatim obseruatum fuisse, & constat nunc, vniuersim non seruari. Vnde in Concil. Moguntino cap. 52. dicitur: *Nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi aut Abbates, aut digni presbyteri, aut fideles laici,* per quos intelligere debemus fideles baptizatos, quos vero simile est in fide viua ex hac vita discessisse. 3. 4. 5. 6.

C

Augustin. lib. de cura pro mortuis agenda cap. vlt. & Gregor. libro quarto dialog. cap. quinquagesimo, enumerant aliquot vtilitates, quas fideles assequuntur, propterea quod in sacris ædibus sepeliantur, nam & altaris sacrificio, & fidelium orationibus, ac eleemosynis frequentius iuuantur. Ex his ergò constat, quanta sit templorum dignitas cum vtilitate coniuncta. 7.

D

Eadem sacrarum ædium præstantia sumi potest ex cæremonijs, quæ in earum dedicatione solemniter peraguntur, de quibus vide apud Augustin. & Bernard. in sermon. de dedicatione, & apud Vgonem de sancto Vict. lib. 2. de sacr. p. 5, & Iuonem in sermon. de consecrat. templi. D. Anton. 3. p. tt. 12. cap. 6. Bellarmin. lib. 3. de cult. sanct. cap. 5. proposit. 2. Indicant verò eiusmodi solemnes cæremoniæ meritò sanctas, & venerabiles, & diuina quadam virtute præditas ædes sacras existimari debere. Rectè quidem quod ex hoc cæremoniarum cultu satis declaretur, ad Deum referri templum, Deo dedicari, ergò vt res Dei suspicienda est; atque adeò sanctum, & 8. 9.

vene-

venerandum censeri debet; *quidquid enim semel fuerit consecratum Domino, sanctum sanctorum erit.* Leuit. vlt. Idemque euincunt Ecclesiæ preces cum benedictione Episcopali. hinc est, quod sanctificante Salomone templum, Deus etiam sanctificauit: *Exaudiui* inquit Dominus, 3. Regum 9. *orationem tuam, & sanctificaui domum hanc, quam ædificasti.* Atqui Ecclesiæ preces nihil habent, vnde minus efficaces sint, quàm Salomonis fuerint. Iam verò eadem templi dignitas tertiò declaratur ex his, quæ sunt in templo, locus enim rerum sanctarum, sanctus sit, necesse est. Verè enim Exod. 3. dicitur, *Locus in quo stas, terra sancta est.* quod Domini præsentia sanctificaretur. Atqui in sacris ædibus multæ res sanctæ visuntur: crux ipsa, & imagines Christi, & sanctorum. Adhæc reliquiæ, atque eorundem sanctorum tumbæ, & præcipuè præsentia corporis Domini in Eucharistia, præsentia item Angelorum, neque enim ea de re dubitandum est, cùm vel ipse Iosephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 12. scribat: in templo Salomonis, paulò antequam euerteretur, auditas voces; *migremus hinc*, quas Angelorum fuisse eum locum deserentium passim Doctores opinantur. Quod Diui Chrysost. hom. 1. in illa Isaiæ, *Vidi Dominum sedentem* &c. auctoritas confirmat, dum asserit, Angelorum multitudine vallari sacram mensam in Ecclesijs. Quid plura? Vel ipse Deus in Ecclesijs adest per singularem quandam protectionem & virtutem, quod significasse videtur nubes illa, vel caligo Dei gloriam referens, dum Domini tabernaculum texit, quod à Moyse dedicatum fuerat; & idem accidit, cùm templum à Salomone dedicatum est. Sic enim habet liber tertius Reg. 8. *Nebula enim gloria impleuit domum Domini*, & verè 2. Machab. 3. legimus dixisse Heliodorum: *in loco illo est verè Dei virtus quædam: nam ipse qui habitat in cœlis, visitator & adiutor est loci illius.* quæ sanè omnia rectè declarant dæmonem procul hinc abesse. Quod Gregor. lib. 3. dialog. cap. 30. confirmat, dum refert dæmonem ex templo quodam, quod Arianorum fuerat sub forma suis egressum fuisse post eius templi consecrationem, idque non sine maximo strepitu excitato, neque enim finitur dæmon grassari in domo Dei, sicut nec lictores in ædibus principum manus audent alijs inijcere. Fabulantur Hebræi, templum à Salomone constructum leonina figura fuisse, apertius enim, ac latius spatium atriorum omnium ab ortu, quàm ab occasu fuit, ita vt tota fabrica leonis formam referret, qui pectore, quàm tergo multo est latior. & hinc toti loco à Prophetis nomen *Ariel* impositum esse dicitur. significat enim *Ariel* leonem fortis, vel leonem Dei. Vide Ariam Montanam in apparatu. Sed cùm ciuitas Hierosolymitana *Ariel* dicatur Isaiæ 29. & ipsum quoque altare templi Ezech. 43. Ariel quoque nuncupetur, potiùs dicendū est, templum Ariel dici ob Dei cultū, quo hominibus robur vireſq; subijciuntur ad propulsandos dæmonum impetus, vel etiam quia ex eo Deus tanquam leo rugit, pauoremque hostibus inijcit, iuxta illud Isaiæ 3. *Quomodo fremuerit leo, & catulus leonis super prædam suam, cùm occurrerit ei multitudo pastorum; à voce eorum non formidabit, & à multitudine non pauebit: sic descendet Dominus exercituum, vt præliatur super montem Sion, & super collem eius.* Vide ergò Christiane cùm versaris in templo, quàm sanctè in illo esse debeas, *locus enim in quo stas, terra sancta est* Exod. 3. atque adeò *soluenda* tibi esse intelligas terrenarum cupiditatū *calceamēta de pedibus*, hoc est affectibus, *tuis.*

Quartò item constat templorum præstantia ex collatione nostrorum cum illo Salomonis. Templum illud adeò celebre ac sanctū habebatur, vt toti Hierosolymitanæ ciuitati quandam sanctitatis venerationem communicaret. hinc est quod Matth. Ierusalem *sanctam ciuitatē* appellat, quod in ea templum contineretur, in quo tunc Deus sanctè sacrificijs & orationibus coleretur. Quod si sanctum tēplum dicitur, in quo pecudum sanguis fundebatur, & pecudum sacrificia offerebantur, quantę rogo sanctitatis erit domus illa, in qua Christi sanguis, & venerabilis Eucharistiæ tremendum sacrificium quotidiè proponitur? Continebat enim illud arcam tantùm, & thronū Dei, id est Cherubinos: nostra augustissimū Eucharistiæ sacramētum, in qua Christus Dei filius nobis corā prēsens adest, *neq; enim est alia natio, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.* In Salomonico illo pecora Deo mactabantur, in his ipse Dei filius immolatur, & sanguis funditur, qua vna hostia omnis constat hominū salus. Erat illud in alto, atq; excelso loco sitū, vt tantò clarius eius dignitas indicaretur. Porrò eius altitudo cū duobus cœnaculis superiorib. 120. cubitorū erat 2. Paral. 3. alioqui 30. cubitos tantū continebat pro domo infima sumptum, quod 3. Re. 6. dicitur. Vnde hæc duo loca scripturæ non sunt sibi contraria, ob altitudinem verò illā rectè dicitur turris ab Isa. c. 5. & quidē meritò tēplo altitudo conuenit. nam quæ domus, vel turris excelsior templo Dei in terris censeri debet? at nostra longè excelsiora sunt, cùm longè maiora, sanctioraq; contineant, vt meritò nō tam illud sanctū, & sanctum sanctorum dici debeat, quàm nostra. Terribilis sanè locus iste est, ad quem quoties corpore ascēdimus, toties mente in cælū nos ascendere putare debemus, atq; adeò cum Dauide dicere, *Introibo in domum tuā, adorabo ad templū sanctum tuum in timore tuo.* His differentijs & illa addi potest, quæ in ministrorum sanctitate posita est, vt. n. lex noua longe veterem antecellit, sic Euangelij ministri lōgè maiori sanctitate pollere debent, quàm veteres, quod sequentia ostendent. digress. 2. n. 5. & sequentibus.

Neque verò hæc, quasi amplificandi studio dicta sint à nobis, accipies si prospexeris quanta sint ea, quæ hactenus exposuimus de diuino venerabilis Eucharistiæ sacrificio, quod in nostris peragitur templis. contremiscunt cœlestes illæ mentes, neque audent eius, quem in hac diuina hostia veneramur, faciem, speciemque intueri. Audi Isai. 6. *Vidi* inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant, & clamabant alter*

10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

Quæ in templis visantur

Diabolus nō est in templis.

Comparatio templi Salomonis cum templis Christianorum.

Matth. 4.

Isai. 6.

alter ad alterum, & dicebant: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* Hic, quem vidit Isaias, si Ioanni credimus cap. 12. vt omninò credere debemus, filius ipse est, cùm enim citasset Ioannes verba illa Isaiæ huius capitis 6. *Excæcauit oculos eorum, & induravit cor eorum* &c. Statim subiecit: *hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.* Christum vtique significans. quanto igitur tremore sacrificium hoc, & horrore plenũ est, in quo hostia est ille, qui numine suo, non terram modò, sed & cœlum implet? hunc enim tremorem, hanc reuerentiam significat Isaias dum ait, vidisse se Dominum sedentem *super solium excelsum & eleuatum, atque ea quæ sub ipso erant replere templum.* 19. Horrent Seraphim, neq; audent eius gloriam obtueri, nam propterea velant facies suas, quod enim noster textus habet, *faciem eius*, rectè interpretari possumus, *faciem suam*, neque enim Hebræi pronomina reciproca à non reciprocis separant, quod nos latini facimus. Nec facies tantùm velant, sed & pedes; facies quidẽ non ferẽtes radium è throno prodeuntem, & immẽsam filij gloriam, simul verò venerationem, religionemque suam ostendunt, nam cùm non omninò eã exprimere possint, immò nec assequi tantam quantam vellent; idcircò & pedes tegunt, vt quod deest affectui, hoc velo obtegant. Vt verò promptã eorum obedientiam intelligeremus, duabus volare alis describuntur. Deinde rei magnitudine obstupescentes, seq; mutuò adhortantes, identidem inclamãt, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum:* cùm enim nihil natura sanctũ sit præter ipsum, ideò ter sanctum nominant. Cuius item quoniam potentia vbique ostenditur, propterea dicitur plena esse omnis terra gloria eius. Quo igitur sensu esse nos debemus, quo affectu, qua cordis veneratione erga eundem ipsum Dominũ, quem supremæ illæ mẽtes tanto cum pauore venerãtur, qui nobis etiam passim per Christiana templa in augustissimo sacramẽto non modò vt verus Deus, sed vt verus etiam homo proponitur tanquam in excelso, & eleuato solio. Pergit Isaias in hoc eodem vaticinio; & *commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis,* hoc est, Seraphim clamantium more Hebræo, *& domus repleta est fumo. & dixi; va mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum,* si cardinum super liminaria commota sunt à voce clamantium, & domus repleta est fumo, an non decet multò magis nostrum intra pectus cor exagitari metu, ac tremore, & domum animæ nostræ gloria Dei veluti fumo repleri, & veneratione cõcuti, quoties in sacris ædibus coram sacratissimo sacramento astamus, & adorabũdi ante ipsum prosternimur; quoties illud, vel intuemur, vel recipimus?

Cum metu & tremore in templis versandum.

22. Sed non est illud oscitanter prætereundum, quod Propheta videns in ea maiestate Dominum; optabat quidem se cantãtibus Seraphim adiungere, ac sanctum trisagium resonare, at non audebat. Quid enim faceret, cùm indignũ se arbitraretur? & hoc est quod ait, *va mihi quia tacui*, cur autem loqui non audeat non aliam reddit caussam, nisi quod *vir pollutus labijs esset.* Videṡ ob quam leue peccatum indignũ se arbitretur, non qui sacrificiũ hoc faciat, qui mysteria hæc contrectet, sumat, alijs porrigat, sed qui Seraphim adiunctus ter sanctum Dei numen inclamet? & vnde illi labia polluta? non tam suo vitio, quàm societate potius populi polluta labia habentis, quo cum loqui sæpissimè cogebatur, labia polluta incurrerat. Ergò si sanctus vates ob polluta dumtaxat labia, hoc est, ob leue aliquod peccatum, quod dum cum populo versaretur contraxerat, indignum se fatetur, qui cum Seraphim trisagium concinat. Quales obsecro nos esse oportebit, dum sacra templa ingredimur, vbi hoc sacramẽtum adoremus, vel etiam sumamus? sed nè nimis longa sit hæc digressio de Christiani templi dignitate, reliqua quæ supersunt, in sequentem reijciamus.

DIGRESSIO SECVNDA MORALIS.

Declaratur eadem templorum dignitas, & veneratio ex duobus alijs capitibus, quinto, & sexto.

QVinto igitur eandem templi sanctitatem ministrorum sanctitas non obscurè demonstrat Leuit. 21. docet diuina scriptura, quales vellet Deus suos sacerdotes esse: *Sancti*, inquit, *erunt Deo suo, & non polluent nomen eius: incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideò sancti erunt.* & alibi: *eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei*, sic enim, inquit Deus cap. 20. ibidem. quibus satis intelligimus, non vulgari sanctitate contentos esse debere sacrarum ædium ministros, ac Dei sacerdotes, sed supra cæteros eminere contendendum illis esse, tum quia propterea separati à reliquo populorum cœtu dicuntur, tum quia Dei speciatim sunt, qui sanctus est, tum quia incensum, & panes Deo suo in sacris ædibus offerunt, & ob hæc non vulgariter sancti esse debent. 1. *Sacerdotum sanctitas quanta esse debeat.*

Quam igitur, inquies, sanctitatem ab illis exigebat Deus? breuiter respondeo primum, vt non solùm à sordibus peccati mundi essent, quod in omnes conuenit, verùm vt mentem quoque liberam haberent omninò, & nullis prægrauatam curis, nullo rerum fluxarum irretitam amore. Hinc enim est, quod cùm terram promissionis in varias partes dispertiret, quibus id Deus commiserat, & agros partirentur in vndecim tribus, præcepit Deus, nihil vt ex ea distributione ad Leuiticam tribum pertineret. Voluit enim ex ea partitione portionem nullam illam percipere, vt quæ diuinis rebus insistebat, nulla harum rerum cogitatione pulsaretur, quæ hic apud nos sunt, & nullo auocaretur externarum rerum studio à diuinarum rerum meditatione, verùm iugiter sanctis insisteret actionibus, vt cæteris terram colentibus, illa tantùm Deum coleret, & ad victum, atque alimentum suum à reliquis tribubus fructuum decimas acciperet. 2.

3. Voluit deindè, vt ab omni prorsus tum vini, tum siceræ potu abstinerent tépore saltem ministerij, cùm tamen cęteris largior tantùm potatio prohiberetur. Audi quid Dominus dixerit ad Aaron Leuit. 10. *Vinum, & omne quod inebriare potest, nō bibetis tu & filij tui, quando intratis in tabernaculū testimonij ne moriamini, quia præceptum sempiternum est in generationes vestras, & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatisq; filios Israel omnia legitima mea*, &c. Postremò tam illustrem eorū volebat esse vitam, tam sublimē cum cęteris agendi consuetudinem, tam circūspecta in illis omnia esse dicta, facta, cogitata, vt ex his omnibus & ipsemet Deus sanctus agnosceretur, & ipse populus ad maiores indies sanctitatis progressus accēderetur. Quare filijs Aaron Nadab & Abiu ob temeritatem à Deò percussis dixit Moyses, *hoc est quod locutꝰ est Dominus: sanctificabor in ijs, qui appropinquāt mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor*; quorum verborum hæc est tententia: agnoscar ipse sanctus ex mihi ministrantium sanctitate, neq; faciam vt per malos mihi ministros ministretur.

Leuit. 10.

4.

5. Et hæc quidem Deus tot ac tāta de antiquis illis sacerdotibus præceperat olim, quid ergò iam dicturi sumus? an non multò maiora meritò iureq; optimo à nouæ legis sacerdotibus exiget Deus? an nō multò maiorem de illis sumet vltionem, si eos deprehenderit non modò non antiquis sanctiores, sed multò etiam inferiores esse? Panem illi offerebant, qui è terra educitur, vos Christi sacerdotes, *panem, qui de cælo descēdit, & dat vitam mundo*: brutorum animantiū illi carnes immolabant, & sanguinem, quæ nulli poterant auferre peccatū, vos *immaculati agni, & incontaminati Iesu Christi* sanctissimum corpus, & sanguinem immolatis, *in quo semel pacificata sunt, atque instaurata, & quæ in cælo, & quæ in terris sunt*. Si ergò illos veteres templi ministros tam sanctos esse oportebat, quales vos nouos Christianarū ædium ministros esse oportet, considerate. Atq; ex his quis non videat, quanta sit nostrorū templorum sanctitas, atq; adeò dignitas, quippè in quibus neminem ministrare deceat, qui non eximia polleat sanctitate.

Comparatio Sacerdotum veteris & nouæ legis.

6. Sextò si titulos, & nomenclaturas obseruemus, quibus sacræ Christianorum ædes passim vel apud scripturas, vel apud Patres insigniuntur, facilè percipiemus, magnā earū esse dignitatem. Sunt templa altissimæ quædam turres, illi similes, cuius Cant. 4. perhonorifica mētio fit, *sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. An nō propugnacula tibi esse videtur in templis tantus sacramentorū apparatus? quàm innumeros, Deus benè, illic verbi diuini clypeos videre est, quib. Christiani hominis pectus cōtra tartareas hostiū phalanges muniri queat? nonne ipsæ sacerdotum assiduæ preces, sacrificia, Christianorum lacrymę, pœnitentium gemitus, omnium virtutum exempla, omnis armaturæ fortium instar sunt? Rectè verò collo in morem turris cōparatur Ecclesia, nam vt è collo vox erumpit, ita ex sacris Christianorum ædibus sacerdotum cantus, & psallentium vox sese in sublime efferens egreditur, & in modum turris Ecclesiā Dei munit, atque aduersariorum iniurias propulsat.

Templorum dignitas ex nominibus quibus appellantur.

Templa sunt turres.

A

Sunt templa Dei Basilicæ, sunt cælestis Regis aulæ omni veneratione dignissimæ, vnde omne auxiliorum genus sperare debeamus, quod si in aulam quidem regiam intraturus, & habitu, & oculis, & incessu, & in cunctis alijs componis, & ornas temetipsum, quantè magis id præstare deceret, quādo huc ingrederis, vbi est aula regis, & talis, qualis cælestis est? & tu tamen rides, quod rectè Chrysost. reprehēdit hom. 15. ad Hebr. *Stat*, inquit, *sacerdos Dei orationem offerens cunctorum; tu autem rides nihil timens, nō contremiscis, non colligis teipsum?* Sunt domus Dei & portæ cœli, imò cœlum ipsum, cur enim cœlum non appellem, vbi omnipotens rerum omnium conditor sub augustissimi sacramenti velamine, veluti sub nebula quadam habitat. *Dixit* autem *Dominus* 3. Reg. 8. *vt habitaret in nebula*. Vnde meritò Chrysost. ho. 36. in priorem ad Corint. *Ecclesia*, inquit, *locus est Angelorum, Archangelorum, regnum Dei, ipsum cœlum*. Est Ecclesia Dei *mercatus quidā spiritualis, medicorumq; officina animabus*, vt Chrysost. ait ho. 21. in Genes. & par est, vt sicut qui ad nundinas veniunt, indè multis mercibus conquisitis redeamus, vel quasi è medici domo receptis, quæ animabus nostris congruent, medicamentis exeamus. Et vt idem hom. 7. ad Eph. ait, *qui se cōferunt in medicorum officinam, illis non eò simpliciter eundum est, sed curandum, vt discant quomodo curētur, ac pharmacis vtantur, ita & nobis qui in Ecclesiam conuenimus, non hoc tantummodò agendum, sed discēdum, quid ad salutem prosit*. nam vt idē rectè habet ho. 5. ad Pop. Antioch. *Semināt nō propter hoc seminat vt tantū seminet, sed vt metat, quod nisi fieret, etiā dānum sēmētis pateretur, semūnib. temerè & in cassum marcefactis. Mercator non propter hoc nauigat, vt tantùm nauiget; sed vt peregrinatione maiorem faciat rem: quod nisi hoc adsit, & damnum accidet extremum, & dammosa mercatorum nauigatio: sic nos in Ecclesiam conuenimus non propter hoc solum, vt illic immoremur, sed vt aliquod magnū lucrati, & spirituale lucrum, discedamus*. Rursus homil. de non contemnenda Ecclesia Dei, *medicamentum*, ait, *si tibi adhibeatur, nec te purget, nonne altera die rursum ad ipsum adhibes? sit quispiam incisor arborum, ô homo, velitq; quercum incidere, accipit ascia, deindè radicem incidit, quod si vno ictu arbor non concidit, nonne & alterum idem ictum addit? non quartum, non quintum, nō decimum? Itidem tu facito: Ingressus es in Ecclesiam, ô homo, dignatus es Christi consortio, nè exeas, nisi dimittare. Nam si ante missionem exieris, perindè ac fugitiuus reposceris: Totum diem in his rebus quæ ad corpus spectant, insumis, & duas horas spiritualibus non vacas. Ad theatrum sæpè ades, neque inde discedis, donec dimittaris, & in Ecclesiā ingressus, priusquam diuina mysteria peragantur, abis*. Meritò tanta Chrysost. nam Ecclesia locus quidam est medicinæ spiritualis, vt num. 9. dixi, & testatur ipse in Genesim, & eos, qui huc veniunt, decetne domum redeant, nisi congrua remedia acceperint, illaque suis vulneribus adhibuerint. quibus ego addiderim esse Ecclesiam eximiam quamdam officinā odoramentorū suauitatē continētem, quæ odoramēta orationes sunt fideliū, quare si vulneribus medicinam facere non indiges, eò

B

C

D

7. *Sunt basilicæ.*

8. *Domus Dei, & portæ cæli.*

9. *Officina medicorum.*

10.

11.

Non discedendum ante finem sacrorum.

12.

13.

quod

quod illis careas, certè Ecclesiâ ingressus, ibiq; residens, non sine magna odorũ suauitate indè discedes, quod sic rectè testatur Chrysost. ho. 51. in Ioan. *si vnguentario quispiam, aut vnguẽtaria taberna assideat, etiam inuitus illum accipit odorem, longè magis qui Ecclesiã frequentat. Itaque quamuis ager non sis, adhuc multũ lucraru si Ecclesiam adeas; si æger, erit tibi domus salutis, omnisq; medicina prõptuarium,* vt meritò aduersus eos illud Iere. 8. vsurpare possimus, qui vitam semper in ægritudine inter Christianos transigunt. *Numquid resina non est in Galgala, aut medicus nõ est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* numquid resina cœlestium sacramentorũ, diuinique verbi non est in templis Christianorum? an nõ ibi concionatores & confessarij tanquã egregij medici? his certè omnia plena, his referta sunt templa, quare ergò adhuc æger es? Quod si tu dum te veneno infectũ credis, statim antidotũ quæris, vt veneni vim opprimas, quare vbi peccati mortiferum ebibisti poculum, in templum, non cõuolas, tanquam ad salutiferũ cornu vnicornis? *Aedificauit enim Dominus sicut vnicornium sanctificium suum.* Psal. 77. Sanctificium enim idem quod sanctuarium, seu locus sanctificationis est, locus, in quo homines sanctificãtur propter rem diuinam, sollemnes preces, & communionem sacramentorũ. hoc ergò sanctificium ædificauit Deus in similitudinẽ monocerotis, vt Hier. habet, seu sicut vnicorniũ, videl. sicut cornu vnicorniũ, vnde Chaldaicè dicitur: *sicut cornu vnicornis.* quod bifariam interpretari possumus, vel vt hoc faciat ad tacitè crucis mysteriũ significãdum, vnde ad templa nostra virtus omnis emanat, in quibus & præcipuè colitur: cornu namq; monocerotis crucis habere formam, testis est Iustin. cõtra Tryphonem. Vel secũdo, *adificauit sicut vnicornium sanctificium suũ*, hoc est, quam magnificè & pretiosè fundauit, nã cornu vnicornis est pretiosum, sumptuosum, & eleuatũ. *In terra*] Hebraicè velut terram. est enim Dei templum tanquam tabernaculum, quod firmum & stabile ille esse voluit, vt diu maneat, nõ aliter ac terram firmiter stabiliuit.

Contra negligentes confessionem.

14.

15.

Quæ si ad mores, remque nostram accommodes, aptè hac eadem sententia insinuatur, virtutes vnicornis ad pellenda scelerũ venena templa habere Christianorum, tum quod crucis mysterium efficacitatemq; continent, tum quod pretiosarum rerum instar plurimas virtutes complectuntur. Non est dicendi finis, si omnia, quæ ad dignitatem templorũ pertinẽt, prosequi vellem, tantum illud adijciam, quod apud Matt. 21. habetur, templum domum Dei, & orationis appellari, qua de re tertia digressione differam.

DIGRESSIO III. MORALIS.

Affertur septimum caput eorum, ex quibus templi dignitas, & cultus sumitur.

1. *Oratio totius religionis firmamentum.*

DOmus, inquit Christus, *mea, domus orationis vocabitur.* Et quidem orationis nomine vniuersum religionis, & pietatis cultum erga Deum accipere debemus, nam oratio est quasi totius religionis firmamentũ. & hinc est, quod cùm Christianæ religionis fundamenta collocabantur, Christi discipuli statim à magistro petiêre: *Domine doce nos orare,* sicut & docuit Ioannes discipulos suos, Lucæ 11. 1. Neq; ob aliam caussam putandum est, satrapas illos, qui vehementer Danieli inuidebãt, accusasse apud Regem illum, quòd Deum suum oraret. Dicebãt enim Daniel. 6. *Non inueniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui.* Itaq; excogitarunt ad subruendam veri Dei religiõnem, vt omnis, *qui peteret aliquam petitionem à quocumque Deo & homine, nisi à Dario mitteretur in lacum leonum.* Existimabant enim nefarij homines sublata oratione, ceu fundamẽto, ruiturum fore totum veræ religionis ædificium.

2.

Quod verò templum orationis domus est, hinc factũ arbitror, vt non rarò Ecclesiæ Christianorum ad orientem fuerint conuersæ, passimq; quatuor latera haberent, quibus quatuor mundi partes aspicerent, docent namq; vetetes quidam Apostolicam esse traditionem, vt oremus conuersi ad orientem, quod in solemnibus precibus præsertim seruari decet, quæ funduntur in templis. Fauent & huic cæremoniæ rationes, nam primum hoc gestu profitemur nos peregrinos esse, & ad patriam nostrã suspirare, vnde eiecti sumus, quæ paradiso rectè significatur, qui ad Orientem fuisse dicitur Gen. 2. secundùm versionẽ 70. sic Greg. Nyss. orat. 5. de oratione Dominica. Deinde quia pars illa orientalis totius mũdi corporalis excellentissima est, ideò faciem animæ spiritualem conuertendam esse significamus ad spiritum excellentissimum, qui est Deus, vt ait August. 2. de serm. Dom. in monte cap. 9. & Deo danda semper esse meliora, vt ait Iustin. 9. 118. Addo tertio quod Christus, quem oramus, *lux est mundi*, Ioan. 8. *& vir oriens nomen eius* Zachar. 6. innuimus ergò, precantes à Christo illustrari sole iustitiæ. Sic Vvalfridus Strabo lib. de reb. Eccles. c. 4. Quarto ad orientem oramus, vt quasi in faciem crucifixi intueamur, moriẽs enim in cruce Christus occidentem respiciebat. Quincto cùm idem ascendit in cœlum, *ascendit in cœlum cœlorum ad Orientem.* Ps. 67. vnde & venturus creditur ad iudicium ex illo Matth. 24. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, ita erit aduentus filij hominis.* Igitur illũ ascendentem votis & precibus quodammodo deducimus, & quasi venturum iudicem expectantes precamur ad Orientem. Sic Damasc. lib. 4. de fide c. 13. Denique quia Iudæi ad Occidentem versi orabant. Dicitur enim Exod. 26. *Ostium tabernaculi ad Orientẽ fuisse versum.* Nos verò ad Orientem precamur, vt vel hoc ipso significemus, eorum esse litteram Occidentẽ, nostrũ autem spiritũ viuificãtem, &c.

3. *Ecclesiæ cur ad Orientem conuersæ.*

4.

5.

Verùm adhuc ex scripturis ostendamus, tẽplum domũ esse orationis: imprimis 3. Reg. 8. & 2. Paral. 6. asserit Salomõ, templũ factũ esse, vt sit locus orationis, petitq; exaudiri 3. Reg. 9. quicunq; ibi orauerit, quod & ita futurũ pollicitus est Deus. Itẽ 1. Reg. 1. Anna precatura Dominũ, ad tabernaculũ accedit, vbi eius preces exauditæ fuêre à Deo. Dauid 2. Reg. 7. ad tabernaculum perrexit, vt preces Deo offerret coram arca Domini. & 1. Paralipom. 21. voluerat ad tabernaculum Domini in Gabaon ire, vt Deum precaretur pro auertenda

6. *Templa domus orationis.*

peste

Digitized by Google

pestè à populo, sed nimio timore perterritus non prævaluit. Daniel vt cap. 6. habetur captiuus aperta fenestra orabat ad eam partem cõuersus, vbi fuerat templũ Domini. Luc. 2. Anna filia Phanuelis *nõ discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die.* & Luc. 18. Publicanus in tẽplo orãs iustificatur. Act. 3. *Petrus & Ioannes ascendebant in templũ ad horam orationis nonam.* Act. 8. Eunuchus reginę Aethiopum venerat adorare in Ierusalem. mitto Isaię 16. id ipsum dici, vt & Matth. 21. Quibus satis apertè indicatur, Deum esse quidem vbiq;, sed non omnibus modis, alioquin frustra diceremus, Pater noster, qui es in cœlis, atq; adeò in templis esse peculiari quadã ratione ad audiẽdum preces, & ad efficiendũ sæpè numerò cœlesti inspiratione, permouendumq; fidelium animos. Quod si templa domus orationis sunt, cur ibi nihil minus sæpè agitur, quàm vt Deus oretur. cur cùm Deum ibi precamur, mente ad alia transferimur? audi Hieron. lib. aduersũ Luciferianos, quanta modestia, quanto tremore orandũ sit, explicantem. *Ad orationem* (sic enim scribit) *ἀβίστο: non orarem si non crederem: sed si verè credarem, illud cor, quo Deus videtur, mũdarem, manibus tunderẽ pectus, genas lacrymis rigarem, corpore inborrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eosq; fletu perfunderem, crine tergerẽ, hærerem certè trunco crucis, nec prius amitterem, quã misericordiã impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore cõputo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescẽda sunt, gero. Vbi est fides? siccine putas oras se Ionam, sic tres pueros? sic Danielem inter leones? sic certè latronem in cruce?* Tantùm Hieron. Cerne qualiter cęlestes illę mentes coram Deo stant, qualiter illũ venerantur, quibus tu multis partibus inferior es. Eius rei Apoc. 7. testis est Ioan. dum ait, *& oẽs Angeli stabãt in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animaliũ, & ceciderunt in facies suas, & adorauerũt Deũ.* Quod idem cap. 5. vigiati quatuor illi seniores præstiterunt, *ceciderunt* enim *in facies suas, & adorauerũt viuentem in secula seculorum.* Quidnì se prosternat homũculus Regem allocuturus omnipotentem, ante quem Sap. 11. *Orbis terrarũ tanquam gutta est roris antelucani?* Quidnì vt cum Bernar. dicam: *totis artubus contremiscat ranuncula vilis è sua palude procedẽs ad thronum Regis Regum?* Potianũ imitare, de cuius in orando feruore vide August. lib. 8. confess. c. 6. Doceat te Paulus qualiter in Ecclesia orare debeas, vult enim c. 2. 1. ad Tim. *viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione. Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, & veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittẽtes pietatem per bona opera.* quam Pauli sententiam tãquam ad rem hãc maximè facientem paulò diligentiùs expendamus. in primis sciendum est, videri Apostolum loqui de publica oratione, quæ fit in Ecclesia, quomodo *in omni loco* idem est, ac in omni eo, vbi ad orandũ publicè conuenitur, id est, omni Ecclesia, propter Iudæos enim ita locutus est, qui solũ in vno loco, id est in templo Salomonis orandũ censebant, licèt orationes priuatas etiã Iudęi vbiq; facerent, vt patet Matth. 6. *Amant in synagogis, & in angulis platearũ stantes orare.* Loquitur ergò de publica oratione, & sacrificio, & propterea subdit, *similiter mulieres in habitu ornato.* ἐν καταστολῇ κοσμίῳ, hoc est, *in veste modesta*, id est, honesta, ambiente totũ corpus, nè sint muscipulæ pedibus insipientiũ, καταστολὴ enim longiorem habitum significat vndequaq; tegentem, cum verecundia & sobrietate, id est, ostendentes ipso corporis vestitu pudicitiam & modestiã. Vox enim αἰδοῦς verecũdiam, vel potiùs pudicitiam significat, ita vt sobrietas Gr. σωφροσύνη idem sit quod verecundia, & tanquam declarationis loco ponatur, licèt etiam possit significare sobrietatem. i. modestiam & sanctitatẽ quandam mentis. Cyprian. tractat. 2. de habitu Virg. legit cum verecundia & pudicitia. Quare cùm sit hic sermo de publica oratione, nõ mirum si dicat, *volo ergo viros.* vox enim ergo coniungit hanc sentẽtiam cum initio capitis, vbi dixerat: *Obsecro primũ fieri obsecrationes, orationes*, &c. quę Aug. ep. 59. ad Paulinũ, & græci intelligũt esse dicta de publica oratione, quæ fit in Missarum celebratione. Deindè obseruandũ circa eundẽ locũ Pauli, in scriptura aliud esse *leuare manus*, aliud leuare manũ, hoc enim significat iurare, quod Abraham dixit: *Leuo manum meam ad Dominum Deũ*, &c. Gen. 14. & Deut. 32. Deus more humano iurans, *leuabo*, inquit, *in cœlum manũ meam*, quasi dicat, per memet ipsum iuro, & Ps. 106. *Leuauit manum suam super eos*; id est, iurauit se perditurum rebelles illos Iudęos. Lippomanus in Catena in Genes. ait: fortè iurãdi modus erat apud priscos manus leuatio. At leuare manus est orantium. Vult igitur Paulus, vt cùm oramus, puras manus leuemus. quam autẽ puritatem poscat, indicat cùm ait, *sine ira & disceptatione.* Quæ verba triplicẽ habent intellectũ. Primus est, vt idem sint ira & disceptatio, hoc est sine iniuriarũ memoria. Sæpè enim qui alteri irascitur, & memor est iniuriarũ, secũ disceptat, ac disputat aduersus eũ in animo suo, à quo iniuriã accepit. Vult ergò Paulus, orationem esse ab his immunẽ, quod Christus Marci 10. præcipit, *cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem.* Iterùm, iram quidẽ interpretatur Chrysost. iniuriarũ memoriam, per disceptationem verò hæsitationem, & ambiguitatem intelligit. διαλογισμὸς enim Gr. significat nõ simplicem cogitationem, sed talem, qualis est in ratiocinante, expendente & diiudicante; & sic vertitur hæc vox græca c. 4. ad Rom. & non hæsitauit diffidentia, est ergò hic disceptatio secũdùm Chrysost. qũa quis intra seipsum disceptat dicens, putasnè audiat me Deus? putasnè me temerè & vanè precari? cùm tamen Dominus Matt. 21. dicat, *omnia quæcunq; petieritis in oratione, credentes accipietis.* Deniq; sine disceptatione idẽ esse potest, ac sine dialogismis negotiorũ iuxta Ambros. lib. 1. de sacramẽtis, plerumq; negotiator venit ad orationẽ, aut auarus de pecunia cogitat, alter de lucro, alter de honore, alter de cupiditate, & putat quod eum Deus possit audire: & ideò quando oras diuina humanis præferre te conuenit. Atque hæc de templorum dignitate, ac veneratione dicta sufficiant. Sequitur vt de secundo eorum, quæ proposuimus digress. 1. n. 1. dicamus.

7. *Deus est vbiq;, sed nõ omnibus modis.*

8. *Quomodo orandum.*

9.

10.

11.

12.

Discrimen inter leuare manum & manus.

13.

14.

15.

Digitized by Google

DIGRESSIO QVARTA MORALIS.

Qualem se Deus exhibuerit aduersus templi violatores.

1. SEcundo Machab. cap. 3. satis declaratur, quanto in eos zelo feratur Deus, qui templum eius violare ausi sunt, etenim vt ibi narratur, expertus est id suo magno malo Heliodorus, cui terribilis quædam sacrilegij pœna per Angelos inflicta est, quorum vnus equi corpus ex aere conformârat, equitemque agebat, prout 4. Reg. 2. & 6. alij duo quasi apparitores videbantur, in quorum manibus erant flagellæ. Is enim Heliodorus à Seleuco cum exercitu Hierosolymam missus, cùm templũ prophanaret, & sacrum ærarium cum satellitibus expilaret, *subitò multis plagis verberatus, & multa caligine circumfusus, diuinitùs raptus est, atque in sella gestatoria positus è templo eiectus est, nullo sibi auxilium ferente.* Sed cùm idem Heliodorus Oniæ Sacerdotis precibus à morte liberatus esset, & recepto exercitu repedasset ad Regem interrogatus ab illo, quis esset aptus adhuc semel Hierosolymam mitti, ait: *Si quem habes hostem aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen euaserit: eò quod in loco illo sit verè Dei quædam virtus: nam ipse qui habet in cœlis habitationem, visitator & adiutor est loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit ac perdit.*

Heliodorus quidam templum spoliare volẽs quomodo punitus.

2. Præterea 2. Machab. 15. legitur; Nicanor dux superbus ingentis exercitus, missus fuisse à Demetrio ad Iudæos bello appetendos, & sexcentas blasphemias in verum Deum euomuisse, atque dixisse: si credatis, Deum vos in cælis habere, qui Sabbatum obseruare compellat, alter ego sum qui id ipsum veto: id quod proferebat manu versus templum eleuata, cui ruinam minabatur, sed tũc temporis ducem æquissimum Iudam Machabæum Iudæi habebant, quem de hoc crudelissimo tyranno triumphare Deus voluit: cui à se occiso linguam præscindi, in frusta diuidi, & auibus vorandam tradi voluit. deinde verò manum amputauit, qua ruinam templo fuerat minatus, & illius valuis affligi præcepit, vt Deus, qui in illo habitat, de hostibus suis victoriam reportasse ostenderetur. Erat enim tunc tamquam leo rugiens in impios Deus.

Item Nicanor.

3. Habemus & in prophanis historijs exemplum, quod hic referre non grauabor. Lucius Florus narrat, Pompeij perditionem à Hierosolymitani templi depopulatione sumpsisse exordium, & ex eo tẽpore res suas in deterius semper sensim corruisse.

4. Non omittam illud, quod Heli summo sacerdoti contigit, cùm enim eius filij per summum scelus cubarent cum mulieribus, quæ erant ad templi portam, & multa committerẽt impiè aduersus Dei cultum in templi sacrificijs, dissimulabat quodammodò Heli, ac leuiter, & perfunctoriè tantùm impios filios reprehendebat, quasi illa non atrocia essent facinora, quare meritò iratus contra illum Deus: *Honorasti*, inquit, *filios tuos plusquàm me* 1. Reg. 2. hoc est, plusquam locum mihi consecratum, atque adeò non modò illum interitu filiorum puniuit, sed etiam amissione arcæ & vita, ac sacerdotij dignitate eumdem, posteroſq; eius spoliauit. Tãtus est enim honor, quem templis sibi dicatis tribui vult Deus, vt sibi reputet factum, quidquid iniuriarum in illa collatũ est.

1. Reg. 2.

5. Verùm si non alia suppeterent exempla, quę nos à sacrarum ædium violatione absterrerẽt, satis esset quod hic Christus mitissimus alioqui agnus effecisse narratur. ascendit in templum, & cùm inuenisset ibi vendentes oues, & boues, & nummularios sedẽtes, facto quasi flagello de funiculis omnes eiecit è templo, zelo magno, atq; ira inflammatus, oues quoque & boues, & nummulariorũ effudit æs, & his, qui columbas vendebant, dixit: *auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domũ negotiationis.* Zelus enim domus Dei comederat eũ, est quidem ille mitis & humilis corde, verùm diuinę glorię zelator studiosissimus. Vidit eum Ioannes Apocal. 1. veste cãdida, & facie lucẽte tanquam sole, sed *ex ore eius procedebat gladius ex vtraque parte acutus.* Vidit eum Daniel. 7. sed *fluuius igneus rapidusq; egrediebatur ex ore eius.* referebat quidem Moyses mansuetissimus super omnes, qui habitabant in terra, Christũ ipsum, at sicut idem Moyses vidẽs populi idololatriã zelo succensus euaginato gladio idololatras percussit, Exod. 32. ita & Christus, licèt alioqui mansuetissimus, auaritiã sacerdotũ in templo cernẽs, veluti districto gladio in illos inuectus est, cuius zelũ etiam Elias dum quadringentos sacerdotes Baal trucidat, repręsentat. 3. Reg. 18.

Zelus Christi in templorũ prophanatores.

6. Omnia sanè peccata, quæ in sacris ædibus fiunt aduersus sacrorum locorum dignitatem, idola quædam zeli rectè appellantur prouocãtia iram, & indignationẽ Dei. Sic. n. Ezech. c. 8. legimus in templo statutum *idolum zeli ad prouocandam emulationem.* Idolum enim illud ab idololatris ijs, qui erant de populo Dei, ita zelũ, iram, atq; indignationẽ Dei prouocarat, vt tam templũ, quàm vrbs ipsa Hierosolymitana solo ęquata propterea fuerit, quare cap. 9. eiusdem Prophetæ subditur visos esse tum sex viros gladios sumere quasi ad vindicandas, quæ templo irrogatæ erant, iniurias. Ecce (inquit Vates) sex viri veniebant, &c. & vniuscuiusque vas, id est, instrumentũ interitus in manu eius. statimq; cap. 10. præceptũ est viro lineis indutо, *vt impleret manus suas pruinis ignis, &c. & effunderet super ciuitatem.* quæ omnia indicabãt mox affuturam insignem contra Israelitas vltionem ob sancta violata, & idola domus Domini. Ceterùm non dubitemus omnia, quæ committũtur peccata contra sacrorum locorũ cultum & veneratione esse quasi idola quædam zeli, hoc est prouocantia zelũ Dei, ecce tibi nunc Christus hoc repletus zelo contra auaritiam sacerdotum, quam in templo indignè exercebant omnes flagello malè acceptos templo expulit. vbi non inutiliter obseruandum, quod non secum habebat Christus flagellum, sed confecit illud ex funiculis in templo repertis apud illos ipsos, quos expulit, quia ex nobis ipsis habet, vnde flagellum faciat, nos enim peccata submiſtramus, ex quibus veluti funiculis comparat flagellum.

7.

8.

9.

Digitized by Google

Rectè enim Bernardus serm. 5. de natali die affirmat Deum ex se sumere materiam, & velut quoddam seminarium miserendi, nam quod iudicat, & condemnat, nos eum quodammodo cogimus, quo verò grauiora sunt, & atrociora peccata, eò flagellorum ictus, & supplicia grauiora, & atrociora sunt. Et August. tract. 10. in Ioan. ait *vnusquisque in peccatis suis restem sibi texit, Propheta dicit, va ijs, qui trahunt peccata sua, sicut restem longam, & quis facit restem longam? qui peccato addit peccatum*. Porrò Deus nunc quasi dormiens dissimulat, & patienter sustinet peccata hominum. erit sanè tempus, quando quasi suscitatus à somno de malis vltionem sumet *Dominus*, inquit Isaias, *sicut fortis egredietur, & sicut vir praliator suscitauit zelum, vociferabitur, & clamabit, super inimicos suos confortabitur, excitatus est*, inquit Dauid Psalm. 77. *tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos in posteriora*. dormit nunc quidem Deus quod ad se attinet ad flagellandum, & percutiendum nos, & quidem tam profundo somno, vt dormire videatur, *tamquam potens crapulatus à vino*, qui vt excitetur, magnis clamoribus ad extutiendum somnum indiget. Ita pijssimus Dominus quantùm ex se est quasi dormire dicitur, quod nonnisi nostris sceleribus excitatus ad vindictam mouetur, tam namque vehemens est scelerum nostrorum clamor, vt Deum, quasi vino dilectionis suæ, & charitatis suporatum vigilare faciat ad supplicia. Vox sanguinis innocentis Abel clamauit de terra, eumque quasi de somno excitatum surgere fecit ad sumendum dignas de Caini scelere pœnas. Ascendit, & Sodomorum clamor ad supremi Regis solium, nefandorum criminum vltionē petens, Deumque pijssimum excitauit, vt scelestas ciuitates in cineres redigeret, atque in imum dehiscente terra detruderet. Quid plura? certissimè affirmo, nisi Christi Domini passionis merita, & innocentis agni innoxius sanguis in cruce pro nobis fusus pijssimum Deum cohiberet; næ illum dormientem, quotidiè ad nostram vindictam facinora nostra subindè lacesserent. sed quid est quod subdit Dauid: *& percussit inimicos suos in posteriora*? nimirum significat velut ex insidijs ad iudicium sæpè venire Deum, nec rarò peccatores imparatos offendere, diuinæ iræ oblitos. Correptus somno Noë iacebat in tabernaculo suo postquam vino indulsisset, ignarus quid illud posset aduersus hominem. Irrisit illum tùm Cham impius filius, at Iaphet paterni honoris rationem habens, quæ occulta esse oportebat, pallio cooperuit. mox ille digesto vino è somno surgens huic benedixit, illum verò execratus est, ita pijssimus Deus quasi nūc dormiens peccatorem ad libidinem agere permittit, contemnitur, & tacet, susque deque omnia ferri videt, & dissimulat, erit erit aliquādo tempus, cùm excitatus sua benedictione, cœlestibusque muneribus pios prosequetur, malos verò malè perdet, & malè sana capita denoluet ad tartara. sic enim ait Isaiæ 42. 14. *tacui semper, silui, patiēs fuit, sicut parturiēs loquar, dissipabo, & absorbebo simul*. ex quibus omnibus fit, verissimum esse quod diximus num. 9. nostra peccata materiam, ac seminarium Deo præbere ad vindictam, nam ex se quæ bonitatis sunt, & mansuetudinis versat semper, & præmio afficere potius, quàm punire vult homines. & ita in nobis tantùm inuenit, quæ vlciscatur, & vndè sibi flagellum efficiat.

Nec dissimulandum est, ex ijs ipsis funiculis, quibus suas merces colligabant, flagellum sibi conflauisse Christum: nam ijs ipsis rebus, quibus Deum offendimus, solet nos punire. Equidem quoniam terra sæpè sua vbertate, atque prouentu ansam veluti præbet populo Deum deserendi, quod tamen secus euenire deberet. ideò *conuertit* sæpè Deus *terram fructiferam in salsuginem ac malitiam inhabitantium in ea*. Psal. 106. abutimur sæpè gelidis fontiū aquis, easq; contra Deum conuertimus, proindè non rarò *ponit* ille *flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim*. Produxit ipse aurum, & argentum, margaritas, & lapides pretiosos, sed ex his veluti vitulum aureum conflamus, quibus Deū ipsum liberalissimum benefactorem nostrum offendimus, quare non mirum, si sæpè *pauci facti sumus, & vexati à tribulatione malorum, & dolore*, si hostes nostri, si infideles idololatræ nostra diripiunt, diuitias auehunt, fruges dissipant, muros turresque demoliuntur, ciuitates solo æquant, gladio, cęde, flammis, cuncta deuastant, vt meritò illud Ioelis 1. vsurpare possimus. *depopulata est Regio, luxit humus, quoniam deuastatum est triticum, confusum est vinum elanguit oleum confusi sunt agricolæ, vlulauerunt vinitores super frumento, & hordeo, quia periit messus agri*. quod ergo Christus flagellum sibi conflet ex his ipsis vinculis, quibus in colligandis mercibus homines illi vtebantur, hoc quod hactenus declarauimus, nobis non obscurè significat.

Adijciamus & illud, duas Deus sibi virgas conflare consueuisse, quibus vniuersum hominum genus castigat, siuè boni illi sint, siuè mali. de quibus illud Zachariæ cap. 11. interpretari possumus. *& assumpsi mihi duas virgas, vnā vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum*. Virga quæ funiculus dicitur, flagellat malos æternis inferni pœnis, quæ meritò funiculus vocatur, quia semper Deus citra condignum castigat, at virga, quę bonos in hac vita percutit, vt emendet decor nūcupatur, qa ea correptio ad eorū decorem, & ornatum pertinet, quod exemplo virgæ, qua pallium percutitur, vt ab eo puluis excutiatur, illustrari potest. Hinc Dauid Psal. 17. *& disciplina tua correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit*, quæ quanti facienda sit, docet idem Dauid Psalm. 2. dum ad eam amplectendam nos exhortatur. *apprehendite*, inquit, *disciplinam, ne quandò irascatur Dominus, & pereatis de via iusta*. docet Paul. ad Hebr. 12. *fili mi noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris, quem enim diligit Dominus, castigat. flagellat autem omnem filium, quem recipit, in disciplina perseuerate*, docet apud Ioannem Deus Apocalyp. 3. *ego quos amo, arguo, & castigo*.

10. 11. 12. Genes. 4. Genes. 18. Ira Dei in eos qui in templis peccant. 13. 14. Genes. 9. 15. 16. 17. Duæ Dei virgæ. 18.

Digitized by Google

DIGRESSIO V.
MORALIS.

Aperiuntur quæ præcipuè vitia detestatur Deus in templis, atque hîc de primo agitur.

1. TRIA videtur in primis idolorum genera in templis detestari Deus. Primùm quidem obscœnum impudicitiæ idolum, quasi Veneris simulacrum. Deindè auaritiæ. Postremò discordiarum & odij, de quibus singulis quædam breuiter dicenda hîc sunt.

Mulieres velandæ in templis.

Tantam in sacris ædibus honestatem, & modestiam seruari voluit Deus, vt & mulieribus grauiter præcipiat Paul. 1. ad Cor. 11. 10. debere mulierem potestatem habere supra caput propter Angelos sic enim nunc legimus, potestatem & græcè ἐξουσίαν habemus & idem est quod velamen, si sensum respicias. nam velamen supra caput significat vxorem sub viri potestate esse, ita vt alterius esse nec possit, nec debeat. Quare si sine velamine sit, offendit alios, quos aliquo modo videtur ad libidinem prouocare spreto viro. Hinc meritò Anselmus in hæc Apostoli verba inquit, nõ habeat mulier caput liberum in Ecclesia, sed velamine tectum propter Angelos, qui nobis sunt dati ad custodiam, nè displiceat eis lasciua mulieris denudatio, si viderint forsitem peccati per eam excitari, quia cum viro suo subiecta sit, non debet alijs placere. Quid quod ingratum est Angelis spectaculum, cùm mulieres cernunt comptas, adornatas, & pompaticè inire templa, sicut nec nos libenter videmus, cùm fœdum aliquid sese oculis nostris subijcit, statimque procul vt tollatur, præcipimus, vel certè oculos, ac faciem auferentes, aliorsum conuertimus. Ita turpè, ac fœdum spectaculum est Angelis mulier compta, vt in illam intendere non queant. sed sicut Iehu 4. Reg. 9. videns Iezabelem stibio depictis oculis, & ornato capite in fenestra, eam præcipitem dari iussit, ita videntur mihi Angeli optare, ipsa vt potius in præceps ruat mulier ornata, quàm vt multos homines veluti hamo trahat, illiciat, & absorbeat. Deindè velanda sunt capita mulierum in templis propter Angelos hoc est sacerdotes, qui ea castitate nitere debent, vt cœlestium mentium puritatem imitentur, si fieri possit, & nec cogitationem vllam turpẽ quamuis miniman intra se admittant. Etenim si vt panes propositionis Achimelech 1. Reg. 21. Dauid communicaret, interrogauit prius, *si mundi sunt pueri maximè à mulieribus*, qua rogo puritate pollere debet is, qui templum adit, siuè ipsum puritatis fontem adoraturus, siuè etiam sumpturus, siuè quod nec Angelis ipsis concessum est, consecraturus?

2. *Mulier compta fœdum angelis spectaculum.*

3.

4.

5. *Sacerdotes Angeli vocantur.*

Neque verò dubitandum est, aptè sacerdotes, *Angelos* appellari posse, cùm id manifestè doceat Malach. 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.*

A Si pecora in atrijs templi Christus non fert, si oues, & boues abigit, si in terram effundit æs, & mensas nummulariorum subuertit, laturum putabimus, si videat in ore, oculis, ac manibus eorum, qui ipsius corpus, & sanguinem in templo tractant, impudicitiæ idola, Asmodæos, Adonidesque, & Priapos per templa discurrere, & cuncta turpissimis lasciuiæ sordibus inquinare conspiciat? quomodò tantam lasciuiam, tam procaces, & petulantes mores in templis ferat Deus? quomodò isti scelerati, ac nefarij homines tot commaculati criminibus, facie, oculis toto corpore lasciuiam spirantes non experientur durissimum flagellum Dei? non in illius indignationem, & iracundiam incident, cùm tam turpe, & immane scelus operentur in domo Dei? 6.

B Sunt qui veterum philosophantium testimonio confirment, Leænam non audere se antè Leonem sistere, postquam cùm loepardo turpiter versata fuit, quia prius diligenter se lauerit, nè tam infidele commertium à leone deprehendatur, & audebimus tamen ad templum accedere, & coram venerabili Eucharistiæ sacramento nos sistere impudicitiæ sordibus inquinati? quomodò carnem illam manducabimus commaculati, & panem illum cœlestem degustabimus corde sordido & ore polluti? Perpendant isti Achimelech, de quo superius num. 4. largitum fuisse Dauid panem cum gladio cùm rogasset prius, *si mundi sunt pueri*, quia nimirum tam bonis, quàm malis panis iste in templo propositus non sine gladio 7. 8. *Eucharistia gladius est, & quomodo.*

C datur, sed multùm interest inter vtrosque: malis enim panis iste intra corpus sumptus gladij instar est, qui eorum disrumpat viscera, dissecet præcordia, & multis illatis vulneribus animæ mortem afferat sempiternam. At bonis idem panis degustatus rerum mundanarum esuriem tollit, & sitim pellit, auget verò cœlestium rerum desideria, & summa quadam afficit suauitate: & quia robur etiam, & vim quandam, atq; efficacitatẽ addit aduersus animæ hostes, ideò etiam ijsdem est tanquam gladius. Vt enim posuit Deus gladium flammeum, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ, ita ad pijorum defensionem tradidit hunc panem Deus, quem pij ita comedant, vt tamen sit in ore eorum, tanquam gladius ante ostiũ Paradisi, quo se aduersus hostes tueantur. Qua in

D re tanquam os Christi sunt boni, in cuius ore gladium exeuntem vidit Ioannes Apocalyp. 1. quod Ierem. 15. significasse videtur, dùm sic ait: *si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Ergo boni, qui separant pretiosum hunc panem à reliquis cibis, qui præ illo viles omninò sunt quasi os Christi meritò dicuntur. 10.

(∴)

Digitized by Google

DIGRESSIO VI.
MORALIS,
De Auaritiæ Idolo.

1. IAM ad alterum transeamus idolorum genus quod Christus execratur in templo, istud auaritia est, præsertim verò eius temporis sacerdotum, de qua multò anteà sic vaticinatus fuerat Amos c.9. *Vidi*, inquit, *Dominum stantem super altare* (quasi instantem operi) *& dixit* (nimirum, vt Hieronym. interpretatur, prophetæ) *percute cardinem, & commouentur superliminaria*, quibus significare voluit templum ab imo olim esse euertendum, quandò venientibus Romanis auferendus erat Iudæorum locus, & gens, ita vt in templo non esset remansurus *lapis super lapidem*, sicut prædictum est etiam posteà à Domino Matth. 24. huius enim eiusdem euersionis templi meminisse videtur verbis citatis Amos, quam Christus posteà prædixit, horum autem malorum non aliam causam indicat siue Deus, siue propheta esse, quàm auaritiam, cùm subdit, *auaritia enim in capite omnium*, hoc est dominatur passim in omnibus auaritia, omnesque inuasit, vt Threnor. 1. dicitur *facti sunt hostes eius in capite*: nam qui superior, ac victor est, esse dicitur in capite.

Auaritia causa euersionis templi Iudaici.

2. Quare benè Hierony. interpretatur, auaritiam omnia possidere. Vel ex Hebræo, vbi legimus, *& auaritia eorum in capite*, seu *in caput omnium eorum*. sensus erit auaritiam eorum venturam in caput omnium, id est, supplicium quod eorum meretur auaritia venturam in eos. respicit verò propheta illos præsertim sacerdotes, qui tempore Christi futuri erant. Quis autem ignorat ex Matth. 15. & 23. & Lucæ 16. auaros valdè fuisse aduersarios Domini, & propterea odio in illum exarsisse quod illis crebrò auaritiam exprobraret. propter quam denique illum non modò non receperunt, verùm, & occiderunt?

3. Ergò hanc ita hoc loco detestatus est Dominus, vt cùm vidéret in templo nummularios, oues, boues, & vendentes columbas, quas negotiationes exercebant sacerdotes propter lucrum, zelo incensus omnes eiecerit, & verò etiam *latrones* meritò compellarit apud Matthæum propterea quod Dei domum spelunca latronum effecissent, cùm enim sacerdotibus stipendia tribuantur, vt soli Deo, animarumq; saluti vacent, si ab hoc munere alieni sint, & sibi ipsi intendant, nec gregem Domini curent, meritò *latrones* vocari poterunt. an non pro fure habendus est pastor, qui stipendia pastoris vsurpat, & gregem derelinquit? Quarè si plures huiusmodi in aliquo templo videas, rectè illud, & ad rem satis accommodatè *spelunca latronum* appellaueris.

4. An tu latrones non dixeris, Babylonios illos sacerdotes, qui simulabant idolum absumere plurima eduliorum genera, cùm tamen ipsi ea raperent, & deuorarent quæ offerrebantur? vt ergò Daniel eorum tunc ostendit rapinam, ita Christus sui temporis sacerdotum cap. 21. Matthæi, quos alibi etiam apud eundem cap. decimoquinto reprehendit, quod munera sibi vendicarent, quæ filij parentibus debebant, irritum facientes mandatum Dei. Sed vtinam tantùm hæc in illos veteres sacerdotes conuenirent, & non etiam nostros. Audi Hieronym. in Esa. tertio, in ea verba: *Vos enim depasti estis vineam meam, rapina pauperum in domo vestra*: sic scribentem de Ecclesiæ principibus, & sacerdotibus: *Et rapina pauperum in domibus eorum est, quandò replent thesauros suos, & Ecclesiæ opibus abutuntur in delicias, publicasq; stipes, quæ ad sustentationem pauperum datæ sunt, vel sibi reseruant, vel propinquis distribuunt, & alienam inopiam suas, suorumq; faciunt esse diuitias*. sic Hieronymus. 5. 6.

B sanè in eos qui eiusmodi sunt rectè cõgruit illud Prouerbiorum quarto, decimoseptimo, *comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt*, hoc est rapto vt rapacia animalia viuunt. cuiusmodi sunt accipitres, gryphus, harpyiæ quod quam magnum peccatum sit, vel hinc intelligere est, quod etiam Romani sacerdotibus lyræ contactu, quæ est ambitionis symbolum, & fabarum attrectatione, quæ auaritiam præseferunt, interdixisse dicuntur. fabæ enim auaros significant, qui suffragia, pecunia corrupti iniustè ferebant.

Lyra ambitionis faba auaritiæ symbolum.

Digno verò supplicio, hoc est earum rerum amissione, quas per auaritiam, vel Simoniam accumularunt eiusmodi sacerdotes, affici sæpè à Deo significat hîc Dominus, dùm cathedras vendentium columbas euertit, vt enim D. Gregorius ait libro quarto epistola C quinquagesimaprima, *qui in templo dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo iudice cathedræ ceciderunt.* & homilia decimaseptima, in Euangelia ait: *qui sunt in templo Dei hodiè, qui columbas vendunt, nisi qui de impositione manus pretium accipiunt? columba ergò venditur, quia manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium præbetur. Sed Redemptor noster cathedras vendentium columbas euertit, quia talium negotiatorum sacerdotium destruit. hinc est enim quod sacri canones simoniacam hæresim damnant, & eos priuari sacerdotio præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt.* hæc verè Gregorius. Nam etiam primo Machabæorum septimo legere est, impium Alcimum miserè, & turpiter exhalasse animam, qui pontificatum pretio redemerat, & nemo est qui nesciat, decus omne tùm demum concidisse apud Iudæos, vbi venalia, & annua summa sacerdotia esse cœperunt. id quod Ecclesijs Orientis, & Græciæ bona ex parte accidisse, memoriæ proditum est. Dignã ergo suo scelere pœnam, qui Simonica labe infecti sunt Deo iudice suscipiunt, amissa dignitate, & sede sacerdotali, qui illam in negotiationem, & lucrum vertunt. 7. 8.

Simoniacorum pœna.

Quod verò nummulariorum effudisse æs, & mensas subuertisse scribat idem Ioannes in vniuersum significat, ea sæpissimè, quæ pecuniarum corrogatores longissimo congregarunt tempore vno momento effundi, atque subuerti, vt aptè huc referri possit, quod eleganter Ieremias 17. habet *Perdix fouit, quæ non peperit, fecit diuitias, & non in iudicio: in dimidio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens.* quem locum Hieronymus sic ex- 9.

ponit; *aiunt scriptores naturalis historiæ, hanc perdicis esse naturam, vt ova aliena furetur, & eis incubet, foueatq; : cumq; fœtus adoleuerit, auolare ab eo, & alienum parentem relinquere, huiuscemodi diuites sunt, qui aliena diripiunt, & absque cogitatione iudicij Dei, faciunt diuitias non cum iudicio, quas in medio tempore relinquunt, subita morte subtracti, quandò dicitur eis, stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem præparasti cuius erunt? nihilq; insipientius, quàm non prouidere nouissima, & breuia putare perpetua.* sic Hieronymus. Quibus adde malè parta malè dilabi, sic enim deauaro legimus Iob. 15. 29. *non ditabitur, nec perseuerabit substantia eius, nec mittet in terra radicem suam*; & quæ sequuntur. Et Dauid Psalm. 108. 11. *Scrutetur*, inquit, *fœnerator omnem substantiam eius, & diripiant alieni labores eius.* atque ita rectè Ieremias loco cit. subdit, *in nouissimo suo erit insipiens*, id est, apparebit eum insipientem esse qui aliena rapuit. Denique quod præclarè Hieronymus ad Nepotianum scribit, menti altius inserendum est: *clericum negotiatorem, & ex paupere diuitem vt pestem fuge.* hoc ergò significant nummulariorum effusum æs, & mensæ subuersæ.

10.

11. Quod si tantoperè placet negotiatio, imitare eam, quam viri sancti in templo exercent, nam vt indicat Chrysostom. homil. 5. ad pop. Antioch. *in Ecclesiam conueniendum est, vt aliquod magnum lucrati, indè discedamus: est enim templum veluti forum quoddam amplissimum pretiosarum rerum venalium.* Vbi diuinæ fiunt nundinæ, in quibus quæ infiniti sunt pretij, paruo venduntur; precibus, auxilium Dei; lacrymis, & confessione, peccatorum condonatio; diligenti Verbi Dei auditu, vitæ, ac morum emendatio: numquam hinc si velis, pauper discedes, quamuis pauperrimus ingrediare. Accipe & hoc venerabilis Bedæ consilium Marci 11. & simul Christi hîc exemplum imitare, quod, inquit, Beda, *Dominus ingressus ciuitatem primo in templum adijt formam nobis religionis quam sequamur præmonstrat: vt cùm fortè villam, aut oppidum, aut alium quemlibet locum, in quo sit domus orationis, Deo consecrata, intramus, ad hanc diuertamus, & postquam nos Domino per orationis studia commendauerimus, sic deindè ad agenda ea, propter quæ venimus, temporalia negotia secedamus.* sic ille. hoc est illud negotiationis genus, ad quod nos hortatur Dominus Lucæ decimonono. *negotiamini dùm venio.* Reliquum est, vt de tertio idolo verba faciamus. hoc autem est, odij ac discordiarum simulacrum in templo erectum ab ijs, qui cædis, & sanguinis appetentes sunt.

12.

DIGRESSIO VII.

De discordijs, & odio, tertio idolo.

1. ET quantum quidem Deo displiceat in eo qui oraturus ascendit in templum inimicitiæ, atque odij liuor, satis ostendit Dominus Marci 10. vbi ait, *cùm stabis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem.* præcipit & Matth. 5. *si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* & cap. 6. docet nos Christus, sic orare, *demitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, & subdit rationem, *si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra, si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* hinc Paulus quem superius citauimus digress. 3. mu. 11. monet nos *leuare puras manus sine ira, & disceptatione.* Neque verò solum mundities manuũ ad orationem confert, sed splendor quidam, & nitor, quem efficit misericordia, & beneficentia. hæc enim faciunt, vt fulgeant velut mundissimæ manus nostræ vt loquitur Iob 9. 30. nam orationis comites, eleemosyna, & ieiunium sunt. Porrò eleemosyna omne beneficentiæ genus etiam complectitur, nec tacendum illud, quod apud Isaiam 1. 17. 18. scriptum est: *discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me dicit Dominus: si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*, &c.

A B C D

2.

Hoc mihi clarissimè significasse videtur Deus 1. Paralip. 22. & 29. quibus locis explicans Dauid, reiectum se esse à Deo quo minus illi templum exædificaret, assignat caussam, cur fuerit excluſus, quia dictum sibi fuerat à Deo, *multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo*: atque Dauid locutus ad omnem Ecclesiam, *Salomonẽ filium meum vnum elegit Deus, adhuc puerum, & tenellum.* quamobrem? *opus namque grande est.* quis non miretur, hæc a Dauide esse dicta, quę minimè Dei sapientiam decere videntur? quomodo enim hæc cohærent, *elegit puerum, ac tenellũ: opus namque grande est?* atqui si opus grande erat templũ, q̃ Dei iussu erat exstructurus eligendus potius fuerat, non puer, non tenellus, sed vir fortis ac robustus, magno pollens iudicio, ac potentia, non ergò apta videtur hæc ratio. sed desines admirari, si quod subditur, non oscitanter legas, *neque enim*, inquit, *homini præparatur habitatio, sed Deo.* atqui hæc est ratio, quamobrẽ electus fuerit à Deo puer & tenellus Salomon, excluſus verò Dauid. nam si exædificandum templum locus Dei futurum erat, ergò pacis locus esse debebat, *factus est enim in pace locus eius.* facessant ergò indè viri sanguinum, accedant verò, qui pacifici sunt, qualis futurus erat Salomon. de quo Deus 1. Paralip. ca. eodem 22. *filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus, pacificus vocabitur, & pacem, & otium dabo in Israel cunctis diebus eius, ipse ædificabit domum nomini meo*, &c. quia ergò domus Dei erat ea, quæ ædificanda præcipiebatur, & non homini, sed Deo præparabatur habitatio, ideò grande quidem opus erat, sed nonnisi à puero, tenello, denique pacifico, à quo longè absunt odium, & inuidia, & omnis sanguinis effusio ædificanda erat.

3.

Ex his autem quæ hactenus retulimus, satis conijcere cuicumque nostrum datur, quantoperè detestetur Deus in templis, quæ pacis loca esse debent, odij, inuidiæ, inimicitiarum, alieni sanguinis appetentiam, & omnem in proximum inordinatam iræ commotionem. quare cùm templum ingredimur iterum, atque iterum perpendamus, vtrum aliquod ex his

4.

Remittendas esse iniurias vt dimittantur nobis peccata.

tribus

Digitized by Google

tribus vitijs, quæ hactenus declarauimus, deprehendamus in nobis, siuè illud sit libidinis ardor, siuè auaritiæ sitis, siuè discordiæ liuor, curemusque puras ad cœlum manus tollere. Omnis enim, vt inquit Liuius lib. 41. præfatio 5. sacrorum, eos, quibus non sunt puræ manus, sacris arcet. Quantum verò placeat Deo ipsum in templo colentium pax, ac mentis quædam tranquillitas, docet Dauid Psalm. 64. iuxta versionem Hiero. nam vbi nos legimus, *te decet hymnus Deus in Sion*, legit ille, *tibi silentium, laus*, abesse enim debet à templo non excandescentia, & liuor modò, sed omnis etiam clamor, garritus, & vociferatio; Sionis enim, hoc est, Ecclesiæ ornamentum, quies, & silentium est, quod ad laudem, & cultum Dei maximè pertinet. quam rem confirmet sententia Aristæi lib. de 70. interpret. qui de sacerdotū ministerio sic scribit: silentium verò tantum inest, vt cùm 700. ferè ministrorum continuò adsint, & offerentium libamina multitudo ingens, nec vnum quidem hominem in loco versari putes summa namque veneratione cuncta, & magna Dei pietate perficiuntur. sic Aristæus, tanta erat in eo templo silentij, & concordiæ cura.

DIGRESSIO VIII.

De spirituali templo animæ.

1. EX tribus capitibus à nobis digressione 1. num. 1. propositis, duo iam expositimus, superest nunc, vt de tertio capite strictim carptimque dicamus. Auspicabimur autem ab eo, quod Apost. sapienter nos monet 1. Corinth. 3. *templum Dei estis vos, si quis ergo templum Dei violauerit, disperdet illum Deus*; itaque cùm aliquis peccatum lethale committit, censeri is debet domum Dei violasse, imò verò in speluncam vertisse latronum, denique bestiarum stabulum, venenatorumq; serpentum effecisse specum, *ergò disperdet illum Deus*, cuius flagellantis manus non effugiet. templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. *Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo Angulari lapide Christo Iesu. in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum in Dei spiritu*, vt ait Apostolis qua 1. Corin. 3. qua ad Ephes. 2. *templum*, inquit, Innocent. sermone secundo, in Dedicatione templi, *quod dedicatum est intelligitur corpus, altare quod consecratum est, intelligitur cor. & de templo quidem corporis dicitur, nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti? quomodo loquebatur Christus Ioann. 2. cùm dicebat; soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. hoc autem dicebat de templo corporis sui, & de altari cordis accipi potest illud quod præceptum est à Domino Leuit. 6. ignis in altari meo semper ardebit. hunc autem ignem, qui ardet iugiter in altari, rectè charitatem esse arbitrabimur, qua perpetuò feruet in corde, nec aquæ multæ possunt illam extinguere.*

Peccatum mortale cõmittens templum Dei violat.

2.

3.

4. *Templum corporis nostri quomodò consecramus Deo.*

Igitur templum corporis nostri per abstinentiam dedicemus, emundemus à sordibus gulæ, dedicemus per continentiam, vt purgemus ab inquinamentis luxuriæ, nam om-

A *ne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*: 1. Corinth. 6. diligenter ergò perpendamus, quàm graue scelus sit, templum Spiritus sancti per adulterium violare: *nescitis*, inquit Paul. eodem loco, *quoniam corpora vestra membra sunt Christi, tollens ergò membra Christi, facies membra meretricis? absit.* Expedit proinde carnem nostram crucifigere cum concupiscentijs, nè dominetur peccatum in nostro mortali corpore. qua in re imitari decet Paulum de se sic affirmantem 1. Cor. 9. *castigo corpus meum & in seruitutẽ redigo, nè fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. consecremus & altare cordis in nobis, vt concipiamus desideria sancta ad pariendum opera iusta, vt ita mundi corde, & B casto corpore sacrificemus Deo, *non in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azimis synceritatis, & veritatis.*

Porrò altare cordis consecratur in nobis concipiendo timorem Dei, & affectum amoris, quo consummatur, nam initium sapientiæ timor Domini. finis autem præcepti est charitas, quæ est & plenitudo legis, vt verum sit quod Isaias vigesimosexto habet, *à timore tuo Domine concepimus, & peperimus Spiritum salutis.* quod si scire auemus, quo ordine altare cordis in nobis consecrandum sit docet id nos idem Innocentius alludens ad ritum consecrationis altaris Ecclesiæ *reconduntur*, inquit, *reliquæ, quæ sunt exempla, nobis ad imitandum relicta. hæc in capsa recondimus, cùm ad imitandum ea, in memoria* C *retinemus. quod ijsdem verò reliquijs tria thuris etiam grana coniunguntur, significat, sanctorum exempla cum fide Trinitatis debere nos in memoria conseruare, nam sinè fide impossibile est placere Deo. Tabula superposita charitatem innuit, de qua Apostolus, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, de cuius latitudine ait Dauid: latum mandatum tuum nimis. extenditur namque vsque ad inimicos. diligere enim oportet inimicos corde, orare ore, benefacere opere, vt fiat in nobis funiculus triplex, qui difficile rumpitur. Reliquijs ergo tabula supponitur, quia exemplis sanctorum accenditur charitas, quæ operit multitudinem peccatorum. mensa inungitur, vt charitati misericordia adiungatur, vnctio namque misericordiam designat, quam Samaritanus exercuit superinfundens vinum, & oleum.*

Cæterùm sex locis inungitur mensa, in medio, in quatuor angulis, & in fronte, quia charitatem per sex opera misericordiæ exercere D debemus. post vnctionem adoletur incensum, vt fama boni operis effundatur ad proximos, *vt ita Christi bonus odor simus in omni loco*, & cortina cortinam trahat. Vestitur hoc altare, quando cor hominis mundum operibus adornatur, super hoc ergo altare sic consecratum sacrificium offertur acceptum altissimo, de quo Dauid: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum.* Vel etiam illud, de quo idem alibi: *immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Psalmo quadragesimonono.

Possumus & animam nostram nedum corpus, vt hactenus ostendimus, templum, & domum Dei esse affirmare, domum autem Dei decet sanctitudo; qualiter igitur sanctificanda sit anima, vt in Dei domum euadat breuiter

5.

6. *Quomodo altare cordis.*

7.

8. *Mensa seu altare sex locis inungitur.*

Exod. 36.

9.

Digitized by Google

hîc doceamus. Intelligere enim debemus nouem quasdam res potissimum esse, quæ ad sanctificandum animæ templum conueniunt, significatas per ea, quæ in materialis templi sanctificatione fiunt, nam principiò ad materiale templum sanctificandum expurgatur templū remotis inde sordibus, & fidelium ossibus, & hoc indicat, remotam debere esse animam nostram ab omni errorum pertinacia, & vitiorū labe, idque per peccatorum confessionem.

10. *Aliæ ceremoniæ in templi dedicatione quia significent.*

Deindè quod ter soleat Episcopus circa materialem Ecclesiam circuire, nobis ostendit triplicem circumspectionem debere esse in spirituali animæ templo siuè in cogitatu, siuè in verbis, siuè in operibus. Tertiò quod ter item pulset ostium baculo pastorali idem Episcopus, & aperiatur templum, innuit. Triplex genus diuinarum inspirationum, quibus animam instigat Deus ad bona opera, & sui amorem, idque facit dum illi aperit suam bonitatem, largitatem beneficiorum, præmiorum immensitatem. stat enim ad ostium animæ & pulsat.

11. Ad hæc in Ecclesiæ consecratione fit mixtio quædam aquæ, cineris, salis, & vini, & his immixta aqua aspergitur Ecclesia, quia præsentem hanc vitam fideles animæ si templum Dei esse volunt, consumere debent in mortificandis vitijs, & vitæ nouitate quærenda, & retinenda, nam aqua significat hominem qualis est ex se pòst peccatum, est enim frigidus, & insipidus, cinis significat pœnitentiam, & mortificationem vitiorum. Sal saporem, & vinum lætitiam, & feruorem nouæ vitæ.

Quintò aspergitur Ecclesiæ materialis pauimentum cinere, quod significat mortis meditationem debere perpetuò animæ inhærere.

Sextò quod baculo pastorali Episcopus describat in pauimento cinere conspersо alphabætum, significat in spirituali animæ templo debere rudimenta fidei, & Euangelij doctrinam coniungi cum humilitate. Septimò pinguntur in parietibus, & inunguntur cruces, quod exprimit templum spirituale, maximè contrariorum tolerantia, & perpessione niti debere. Inunctio verò crucium spiritualis gratiæ pinguedinem disignat, quæ facit vt crucem Christi obuijs vulnis excipiamus, & libenter, & alacriter portemus. Octauò cerei accenduntur, per quos bonorum operum exempla rectè intelligamus. Nonò agitur dies festus cum lętitia absoluta consecratione, quod significat pòst finem huius vitæ intraturas esse animas, quæ hic templum Dei fuêre, in gaudium Domini, & transferendas in cœlestia sancta: vbi perpetuò lætabuntur. Nunc enim animæ iustorum velut in ostio tabernaculi, id est, cœlestium sanctorum excubant habentes secum specula, ex quibus fit labrum spirituale. specula quippè mulierum ex Gregorio homilia decimaseptima in Euangel. sunt præcepta Dei, in quibus se sanctæ animæ semper aspiciunt, & si quæ in eis sunt fœditatis maculæ deprehendunt. cogitationem vitæ corrigunt, & quasi renitentes vultus velut ex reddita imagine componunt, quia dum præceptis dominicis solerter intendunt, in eis procul dubio, vel quid in se cœlesti viro placeat, vel quid displiceat, agnoscunt, quæ quamdiu in hac vita sunt, æternum tabernaculum ingredi nequaquam possunt: sed tantum ad ostium tabernaculi mulieres excubant, quia sanctæ animæ etiam cum infirmitate adhuc carnis grauantur, amore tamen continuo ingressum æterni introitus obseruant. hæc Gregorius, in hæc igitur specula si diligenter intendimus, internæ nostræ imaginis, vt idem, inquit Gregor. maculas videmus, videntes autem maculas in pœnitentiæ dolore compungimur, compuncti verò quasi in labro de speculis mulierum lauamur.

Cæterùm violatur hoc templum animæ per peccata, sed præsertim per tria, quæ significata sunt per tres illos scelestos homines, qui Hierosolymitanum templum non sine immani scelere violarunt, quorum primus Nabuzardan fuit princeps exercitus Nabuchodonosor 4. Reg. 25. 9. & repræsentat gulam, ac luxuriam. Alter verò Antiochus cognominabatur 1. Machab. 1. elato vir ingenio, per quem significatur superbia, & ambitio. Postremò Romani numerantur loco à quibus etiam omninò deletum est templum, per quos auaritia significatur. 13.

Ingredere igitur quicumque es, animæ tuæ templum, & vide, quæ in eo sunt, & quasi tibi dicta, accipe quæ Dominus Ezechieli dixit capite octauo. *Fili hominis fode parietem, ingredere & vide abominationes pessimas,* inspice cor tuum, inspice templum in te Dei: fortè tibi accidet, quod Ezechiel tunc euenisse sibi narrat, subdit enim, *& ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum,* fortè, & tu, si conscientiæ tuæ latibula ingrediare, si foderis pectoris tui parietem contritione, videbis non sine magno dolore quot in eo vitia, quot scelera depicta sint. Inspicies superbiam, auaritiam, luxuriam, immanium belluarum imagines, abominationes stantes in loco sancto. Vidit Iudas vt dicitur 1. Machab. 4. *sanctificationem desertam, altare prophanatum, portas exustas & in atrijs virgulta nata sicut in saltu, vel in montibus, & sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno, & clamauerunt in cœlū.* Sic etiā tu simili perspecta calamitate in interiori animæ tuæ tẽplo, plorare nè cesses, clama in cœlo, Deumque exora, vt vitiorum virgulta euellat, & prophanatū cordis altare sanctificet. Huius etiam domus interioris zelus comedat nos, eamque purgare curemus. iuxta illud. *mundemus conscientias nostras ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti.* 14. 15.

CAPVT II.

CONVENIT IESVM NICODEMVS IEROSOLYMIS.

D. 3. 1.

1. *Erat autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine.*
2. *Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus, quia à Deo venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*
3. *Respondit Iesus, & dixit ei: Amen Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.*
4. *Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci cùm sit senex? nunquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci?*
5. *Respondit Iesus, Amen Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*
6. *Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.*
7. *Non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuò.*
8. *Spiritus vbi vult spirat: & vocem eius audis, sed nescis vndè veniat, aut quò vadat: sic est omnis qui natus est ex spiritu.*
9. *Respondit Nicodemus, & dixit ei: quomodo possunt hæc fieri?*
10. *Respondit Iesus, & dixit ei: tues Magister in Israel, & hæc ignoras?*
11. *Amen Amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis.*
12. *Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si dixero vobis cælestia credetis?*
13. *Et nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui est in cælo.*
14. *Et sicut Moyses exaltauit serpentem æneum in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.*
15. *Vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*
16. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*
17. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.*
18. *Qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit iam iudicatus est: quia non credit in nomine Vnigeniti filij Dei.*
19. *Hoc est autem iudicium quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera.*
20. *Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.*
21. *Qui autem facit veritatem venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.*

SCHOLIA.

1. AVtem] connectit sequentia præcedentibus, dictum enim fuerat sub finem capitis præcedentis, multos credidisse in Christum. Nicodemus vnus eorum fuerat, qui per signa crediderant Christum esse Propheram. 1.

Homo] quidam, hebraismus. Pharisæus erat, & Princeps Iudæorum: non quod illis omnibus præpositus esset, sed quod vnus aliquis ex principibus. Nec ab re Pharisæum, & Principem scribit fuisse, nempè vt ostenderet quod timeret, ex Chrysost. simulque puderet illum ex Cyrillo in Ioan. & Aug. epist. 28. ad Hierony. die clara Iesum adire, & audire. Timebant porrò Pharisæi, & Principes ejci de Synagoga, & plebis offensionem. Vel etiam cùm Nicodemus magister esset, non audebat palam discere, & scisciтari à Christo, qui esset, ideò nocte adijt Christum, pleniùs super creditis, ipsũ interrogaturus. Vel certè etiam nocte venit, vt remotis arbitris cum Christo ageret solus cum solo. Voluit etiam declarare Euangelista, tantam fuisse vim doctrinæ Christi; vt de pharisæis, & nobilibus viris aliqui crediderint in eum, contra ac dicturi erant Pharisæi cap. 7. 48. numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? 2.

Princeps] Græcè ἄρχων, vel ἄρχοντες, ἄρχοντες autem, vt inquit Budæus in Commentarijs, ijdem pænè sunt, qui διοικηταί, qui Sacrorum curam habebant, & legum, qui quotannis leges emendabant, & ad congruentiam, consentaneumque sensum reddebant, ἄρχων, etiam dicebatur speciali vocabulo, qui præerat iudicibus, iudiciorumque moderator erat, ac puto, inquit Gagnæus, talem magistratum inter Iudæos gessisse Nicodemum. Verosimilius loquitur Emmanuel in Ioannem cap. 3. in addit. Principes, inquit, dicebantur vel capita tribuum, vel familiarum, vel nobilissimi. 3.

2. *Nocte*] nunquam hunc Nicodemum, etsi primus venit ad Iesum ex Pharisæis, & Principibus, constat palam professum se esse Christi discipulum, vt patet si legas non modò ea, quæ hic de eo scripta sunt, sed & ea quæ cap. 7. ver. 50. & cap. 19. ver. 39. apud Ioannem. sed non dubito tandem palam fuisse Christum confessum, quamuis id litteris mandatum non sit.

Dixit ei] Verba Nicodemi, ipsum adhuc in fide non perfectum fuisse, nec in Christum benè omninò, ac perfectè affectum, declarant. Credebat enim à Deo quidè esse missum, & signa diuina virtute edere; At purum hominem existimabat, & ideò dixisse videtur nisi fuerit Deus cum eo, cùm ta- 4.

men dicere debuisset, nisi esset Deus, hoc enim assatim Christi signa ostendebant, & huc à Christo referebãtur, vt Deus crederetur, id est, ad hoc probandum, & ostendendum, Deus autem falsitati nõ atteſtatur, nec quæ vera non sunt, præsertim verò blasphema, & atrocia crimina editis eius nomine miraculis, confirmare potest. Ad hæc ipsa in se ipsis spectata signa satis declarabant illum esse Messiam. Etenim ea omnia signa fecit Christus, quæ prædixerant Prophetæ à Messia debere fieri. Esaiæ 35. *Ecce Deus veniet*, &c.

Signa Christi ipsum Deum esse testabantur.

5. Cæterùm an miracula à Christo edita satis probauerint eius diuinitatem docet id Tolet. adnot. 2. erat ergò eius fides imperfecta. Affectum verò dixi imperfectè adhuc, quia dilexit quidem, nam ad eum venit & honorificè salutauit; non ita tamen dilexit, vt gloria hominum spreta, publicè profiteretur. Volebat iste & Christi amicitiam, & mundi gloriam, atque adeò duobus dominis simul seruire.

Nicodemi fides imperfecta.

6. *Magister*] est nominatiui casus. *Scimus*] scire nõ quærit inquit Tolet. sed se iam scire dicit, quasi verò satis esset fateri de Christo missum à Deo esse tanquam magistrum ad docendum. erubescere ergo videtur, cùm magister sibi ipse videretur, discere ab alio. Sed certè potius videtur his verbis, discendi causa ad Iesum venisse, satis declarare, ac vt doceretur viam salutis. Porrò venisse à Deo magistrum, non est natum esse magistrum (licèt & hoc verissimum sit) sed significat missum esse vt doceret: sicut dixerunt Magi prout quidam exponunt, *vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* id est, non qui iam natus est rex Iudæorum, licèt ita reuera esset, sed qui missus est à Deo vt sit futurus rex Iudæorũ. Ex his quæ hic dicit Nicodemus collige Christum ante hæc tempora plura edidisse miracula.

7. 3. *Amen Amen*] id est, verissime. de voce *Amen* vide Tolet. adnot. 4. & Maldon. in Matth. c. 5. v. 18. & in Ioan. c. 3. v. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuò*] Gr. est ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, id est, nisi quis renatus, aut genitus fuerit denuò, siue de supernis ac cælitus (vtrumque enim significat ἄνωθεν, licèt ex responso Nicodemi priore modo potius videatur hic poni ex Chrysost. hom. 23.) *non potest videre*, &c. Hæc autem Nicodemo dixit salutis suæ viam affectanti, eoque nomine Christum à Deo venisse confitenti, vt quæ ad salutem hominum facerent, doceret; hoc enim significat Nicodemus cùm ait; *scimus, quia à Deo venisti magister*, id est, vt magistrum te & Doctorem nobis præberes, viamq; salutis nobis commonstrares. quare non ita quadrare videtur Toleti interpretatio paulò antè posita nu. 6. Nicodemum cùm doctor esset non eo animo ad Christum venisse vt disceret, vel certè non id præseferre voluisse; huius cõtrarium Beda, Ruper. Gagnæus & Caietan. docent. Immò & Christus ipse idem indicat, dùm eum docere incipit salutis viam, & verba ipsa Nicodemi id ipsum declarant.

8. *Videre regnum Dei*] duplex est sensus: alter vt regnũ Dei, Christus appellat Ecclesiam, congregationemq; eorum, qui sibi adhærent, sic enim tempus & status aduentus Messiæ olim vocabantur. est autem hoc modo videre, eorum qui assequuti Christi baptismum, de numero fidelium eius facti sunt. idem enim est *videre regnum Dei*, ac intrare in Ecclesiam Christi, in quam nemo admittatur nisi per baptismum renatus. Baptismus enim est porta per quam Christi regnum, id est, Ecclesiam quis ingreditur.

Iterùm regnum Dei pro beatitudine æterna sumi potest, & ita est sensus huius loci facilis, & videtur verior ac germanior. Sic Beda, Carthu. Iansen. & alij. D. Chrysost. Christum intelligit, dici regnum, ita vt videre illud sit, Christum cognoscere, vt sit sententia, neminem Christum cognoscere nisi per baptismum Spiritus sancti particeps fiat. Sed non videtur genuina interpretatio. Duæ primæ magis propriæ sunt, & secunda verior. Respondit porrò occultè Dominus, vt Nicodemum aliquantulum adhuc fortè de sua scientia præsumẽtem cognoscere faceret se multa ignorare. Vel vt interrogandi ansam Nicodemo præberet, vt tantò melius & vberius edisceret posset, quæ necessaria erant.

9. *Amen Amen dico tibi nisi quis*, &c.] Gagnæus hæc sic interpretatur: carnalis ex veteri Adam natiuitas, cùm morti tantum reddat obnoxios, opus habuit regeneratione altera, qua ad vitam renasceremur immortalem, qua beatitatis compotes redderemur ab ea veteris Adæ peccato exclusi. modum autem quo ita nasceremur Christus instituit ex aqua & Spiritu sancto, per quem vnum ad vitam immortalem regenerari possimus. quia inquit (versu 6.) *quod natum est ex carne caro est*, id est, caro non nisi carnem, & carnales generare potest; ideò & spiritu opus fuit, qui spirituales nos (adde, & filios Dei & hæredes cæli) generaret. quasi dicat Christus: non sufficit Nicodeme, quod de me præclarè sentias, me videlicet à Deo venisse, opus est te denuò, ac cælitus nasci. Hæc ille. 10.

10. Dùm ait, *è Spiritu sancto*, inquit Pererius hic, denotat causſam principalem, à qua prouenit effectus baptismi: quo circa qui fictè, vel indignè baptizatur, in aqua quidem baptizatur, sed nõ in Spiritu S. non accipiens principalẽ eius effectũ, qui est remissio peccatorũ, & renouatio interioris hominis per dona cælestia. A qua itaq; est instrumentum Spiritus S. à quo vim habet abluẽdi sordes animorũ: sicut virga Mosis vim habuit faciẽdi miracula, palliũ Eliæ diuidendi aquas Iordanis 4. Reg. 2. & ipsa Iordanis aqua lauandi lepram Naaman, & ipsa probatica piscina sanandi oẽs infirmitates. Cyrill. *noli*, ait, *considerare naturam aquæ, sed virtutẽ spiritus, qui vtitur aqua: nam vt aqua ex se non habet vim calefaciendi sed commixta igne calefacit, ita nec per se vim habet remittẽdi peccata, sed cõiuncta Spiritui S.* Græcè non habetur *Sancto*, sed *Spiritu*: addidit illud interpres ad tollendam ambiguitatem. 11.

Cùm vero introire dicat Christus in regnũ Dei sine Baptismo neminem posse rectè hinc colligas, ergò baptismus aperit Paradisi ianuam, q̃ præmõstratum fuit, cùm Elias transito Iordane raptus est in cælum, cùm eodem flumine transmisso inière Hebræi promissionis terram; cùm baptizato Domino aperti sunt cæli.

Cæterùm obseruandum, addidisse hic Dominũ, *ex Spiritu S.* videlicet, *ex aqua & Spiritu S.* vt cõstaret, se nõ præcipere baptismũ, Ioannis, qui erat in sola aqua, sed suũ, qui erat futurus etiã in Spiritu S. Iterùm obseruandum, quod cùm quis fictè vel indignè accipit baptismũ, dici potest in aqua baptizari, quatenus tunc nõ accipit actu Spiritus effectum; verè tamen facit satis præcepto Baptismi, & baptizatur baptismo Christi, q̃ est in aqua, & Spiritu S. accipit enim characterem, & virtute gratiam ratione illius baptismi, recedente nimirum fictione. de se ergò ille baptismus est in Spiritu S. habetque conferre gratiam. Cùm igitur spiritualẽ natiuitatẽ non intelligeret Nicodemus, ac proinde verba Christi v. 3. *nisi quis*, &c. corporalia cogitabat, ideò declarans amplius Christus quod dixerat, nasci denuò, & ad spiritualia veluti manu Nicodemum ducens, inquit, *nisi quis renatus fuerit*, id est, nisi quis per oblutionem aquę baptismalis, per quam datur gratia Spiritus S. qua homo fit Dei filius, regni ciuis, & hæres, *non potest introire in regnum Dei*, id est, particeps illius fieri nõ poterit.

Obseruandum primò, cur Baptismus regenera- 12.

tio di-

tio dicatur: est enim ratio quia faciat Dei filios, q̃ circũcisio non prȩstabat, erant enim tunc homines licèt iusti in statu seruitutis, & propterea nec dabatur tũc hęreditas, vel cęlorũ regnũ, quod per baptismũ factum est. cùm enim cælorũ regnum sit hæreditas filiorũ Dei, & filij non simus nisi in statu Euangelij, quo per baptismũ renascimur; ideò cælorũ regnũ per baptismũ datur. Iterùm obseruandum, voluisse Christum hominẽ Pharisæũ, & senẽ iam Pharisaicis moribus imbutũ deprimere, & necessitatem nouæ legis ostendere & statum mutãdi aduenisse tempus; propterea non potuit aptiùs quid dicere, quàm exuendam quodammodo esse illi pellem, nascendum denuò si saluum se velit.

13. Deniq; obseruandum significasse dominum hic, quod suo tempore futurum erat: neq; enim docet hic statim teneri homines ad baptismũ, cùm nec dum esset institutus: ea porrò obligatio post promulgationem præcepti à Christi resurrectione cępit. sicut & quando Ioan. 6. dictũ est, *nisi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. non tunc obligabat V. Eucharistiæ præceptum cùm nondum esset sanctissimum hoc Sacramentum institutum.

14. 6. *Quod natum est ex carne*] hæc exposita sunt n. 11. verùm obiiciet quis, si quod natum est ex spiritu spiritus est. i. spirituale esse habet superadditum naturę, igitur Christi generatio spiritualis est, non carnalis, cùm fuerit de Spiritu S. Respond. licèt Christus natus sit de Spiritu S. id fuit, quia Spiritus suppleuit efficientiã seminis, non prout spiritus rationem habet. propterea nõ cõficitur hinc Christi generationem spiritualem, & non potius carnalem fuisse.

15. 7. *Non mireris*] sunt qui putent, Nicodemi admirationem ex incredulitate ortum habuisse: huiusmodi est illa Ioan. 6. *quomodo potest hic carnem suam*, &c. quę infidelitati iuncta fuit, alioqui si talis non fuisset, non prohibuisset dominus illũ admirari. verùm ipse arbitror non ex incredulitate omninò ortam eam admirationem, sed ex rerum potius magnitudine cum illarum ignoratione; sic ut cũ aliquis paratus est instrui, & admiratur interim ea quæ dicuntur, illa non capiens. obiicitq; contraria, quæ occurrunt, vt eorũ dissolutione instruatur. Dum autem, inquit Dominus, *ne mireris*, sensus est: disce quod ignoras, & cesset hęc deniq; ignoratio tua ac proinde admiratio, fateor ego quidem non fuisse hanc admirationem Nicodemi omninò similem admirationi illi, de qua Matt. 8. *qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* ij enim qui hoc dixerunt, altitudinem tantum mysterij mirabantur, quamuis crederent: hæc autem Nicodemi admiratio ex rerum difficilium ignoratione nata fuit: adiuncto animo sciendi cupido.

16. 8. *Spiritus vbi vult spirat*] Hunc locum quidam de Spiritu sancto exponunt, vt Augustin. tract. 10. in Ioan, Ambrosius lib. 2. de Fide, cap. 3. Hilarius lib. 2. de Trinit. Athanasius lib. 1. & 5. de vni. Dei Trin. Basilius lib. 5. contra Eunomium cap. penultimo, Nazianz. orat. 5. Theologiæ sub finem; Nyssenus &c. alij de animo hominis. Mihi sensus tamen planior videtur, si hæc accipiamus de vento: quę est expositio Cyrilli, Chrysostomi cum Theophyl. & Euthymio, & auctoris qq. Noui testamẽti 4. Tom. Augus. 9. 59. immò, & Dionys. Areopag. de cælesti Hierarchia cap. 5. vbi probat venti latebras esse incognitas hac Christi auctoritate.

17. Gagnæus totum hunc locum eleganter interpretatur: quemadmodum aërius, inquit, hic spiritus, & ventus, licèt eum minimè videas non hominũ arbitrio, sed naturali impetu (hoc enim est vbi vult, metaphoricè enim velle vento tribuitur) modò hunc, modò illuc perflat, & quamquam vocem eius audis, id est, flatum, ac sibilum, & stridorem, at interim ignoras vnde prodeat, & quo vadat (id est, determinatè) ita, etiam nil mirum esse debet si spiritualis regenerationis modum capere non potes, quandoquidẽ diuini Spiritus substantia homines latet. At vox eius, spirituales sunt Hymni, & Cantica, verbique Prædicatio, quibus afflantur diuino Spiritu regenerati; qui vbi vult spirat, quando teste Apostolo dona sua singulis prout vult diuidit. *Sic est* inquit, *omnis qui natus est ex Spiritu*; id est, de quouis homine, qui Spiritu Dei regeneratus est. Videmus enim nunc animalem, & carnalem hominem nil nisi carnalia sonantem, statim verò spiritu Dei flante vbi vult, afflatum non nisi spiritualia eructantem: idque quomodo fiat à Spiritu, qua improuisa, & inexpectata agitatione, quibus occultis modis, iudicijsq; Dei arcanis. Deniq; quo secreto Dei consilio, & euentu, vnus nouit, qui hominem afflat, ac regenerat, Spiritus. sicut, ventus ex quo primùm loco flare incipiat, vbi demùm ex toto deficiat, ignoramus, quo minùs mirum est, si tu cum carnalis sis adhuc, & animalis, capere non possis, etsi Magister es in Israël. (Adde, Sanctos sępè Dei spiritu rapi ad multa, quorum ipsi rationem & exitum ignorant, ad ea tamen fidenter & alacriter pergunt. Ignorant vnde sibi accidit, & quorsum euasura sit talis, ac tanta animi cõmotio, libenter tamen sequuntur. Hinc Iob de Deo cap. 9. ait: *si venerit ad me, non videbo eum, & si abierit, non intelligam.* & hoc etiam est, *nescis vnde veniat, aut quò vadat* ad Spiritum S. accommodatum) Pergit Gagnæus: quapropter si hæc capere velis, tum fidem, te nobis habere oportet, qui de compertis loquimur, & de visis testificamur, & testimonium nostrum non accipitis, quia adhuc carnales estis (quod magis in alios Pharisæos, quàm Nicodemum conuenit) quod si terrena, id est, terrenam, & corpoream de spiritu, aëre, ac ventu similitudinem vobis dixi, neque capere potestis, quomodo spiritualia vobis, & cælestia narranti fidem habebitis? Hæc Gagnæus. Verùm malim per *terrena* ea intelligere, quę prius dixerat Pharisæorum, ac Iudæorum genti de virtutibus, vitijs & huiusmodi quæ merito terrena dicuntur, ac facilia, si cum altissimis alijs Deitatis, Trinitatis, Beatitudinis, cælestiumque Spirituum arcanis conferantur. Neque enim Christus loquitur de modo loquendi, videlicet, per similitudines, &c. sed de rebus ipsis vel terrenis, vel cælestibus. Lege apud Pererium in cap. 3. Ioan. disp. 10. quatuor errores, quos ex his verbis impij quidam homines astruere, & probare volebant.

9. *Quomodo possunt*] Theophy. in illud Ioan. 6. quando potest hic &c. ait quando cogitationes incredulitatis ingrediuntur in animam, ingreditur simul, quomodo?

10. *Tu es Magister*] meritò Dominus sic loquitur cum Nicodemo, qui adhuc spiritu Pharisaico non nihil fortasse tumebat, nec plenè, ac perfectè credebat, licèt crederet Christum verum esse magistrum, nec posse mentiri. Audi Augustinum: *O fratres*, inquit, *quid putamus Dominum huic magistro Iudæorũ quasi insultare voluisse? nouerat Dominus quid agebat, volebat illũ nasci ex spiritu; nemo ex spiritu nascitur nisi humilis fuerit: quia ipsa humilitas facit nos nasci ex spiritu, quoniam propè est Dominus obtritis corde. Ille magisterio inflatus erat, & alicuius momenti sibi esse videbatur, quia Doctor erat Iudæorum; deponit et superbiam, vt posset nasci de spiritu, insultat tanquam indocto.* Chrysost. etiam homil. 35. notat, Christum non malitiæ, sed stultitiæ, & simplicitatis hunc hominem, accusare voluisse; præsertim quia cùm insignis doctor esset, ignoraret tamen, quæ scire deberet, nimirum, renasci homines seu Filios Dei effici per gratiam.

Aduerte græcè adijci articulum cùm dicitur *tu es magister in Israel*, vt significetur singularis, & eximius ille magister, q. d. tu es ille magister, qui totum penè Israel dóces.

11. 12. Hi expositi sunt nu. 18. 19. tantùm nota: *scimus* numero plurali dixisse Christum, quia non solus est Ioã. 8. vel vsus est plurali pro singulari more Heb. v. verò 12. *vreditis*, p credidistis exponi potest.

22. 13. *Nemo ascendit*] ἀναβέβηκεν, præteriti temporis est, dixerat, quomodo si cœlestia dixero vobis &c. ostendit nunc se de cœlestibus verè loqui posse & ob id adhibendam sibi de his differenti fidē, est autem hoc Enthymema, quod ita ad syllogismum reduci potest: Nemo de spiritualibus & cœlestibus sufficienter te instruere potest, nisi qui in cœlū ascenderit, & ibi versatus fuerit. In cœlum aūt nemo vnquam ascendit, neq; in eo quisquam versatus est, nisi qui de cœlo descēdit Filius hominis; ergò nemo de his quempiā instruere potest, nisi filiꝰ hominis. Ei ergò, q renasci oporteat ex aqua, & Spiritu S. vel de cęlestibus differenti, fides adhibēda est, qui pōt de cęlestibus loqui vt nemo alius

23. Dicitur in cælum ascendisse Christus. id enim significatur clarè, cùm dicitur, *Nemo ascēdit in cœlum nisi* &c. eo quod mēte beatus esset, quæ magna est, & vera in cælum ascensio, hoc est, præsentem Deum videre sicuti est. vnde hinc nō obscurè colligere est, ab instanti conceptionis, Christi animā Deum semper vidisse, quod Scholasticorū omniū consensu admissum, & cōprobatum est in Ecclesia tanquam certū, & indubitatū dogma Theologicū, Bucero licet refragante, & Erasmo minimè catholico in dubitationem adducente. Vide Melchiorē Canum l. 12. de locis Theol cap 14. Licet & ascendisse dici possit in cælum Christus ratione cōmunicationis idiomatum. Nam cùm sibi naturā vniuit humanam Dei filius, qui vbiq; est maximè verò ac peculiari modo in cælis, eo ipso datum est illi homini, vt conueniret etiā ei esse in cælis. Dicitur porrò descendisse filius hominis, qui idē est Filius Dei. naturam humanam assumendo: nec. n. cælum deseruit vnquam. Ideoq; sequitur, *filius hominis, qui est in cælo*, vel erat in cælo, Gr. enim habetur, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ, quibus indicat non deseruisse cælum vnquam. *Filius hominis*] apparet hic vna filij Dei persona. Loquitur enim de se in tertia persona sub nomine filij hominis, vt vnitatem, siue identitatem suæ personæ significet, Nam qui est filius hominis, ille idem filius Dei, qui est in cęlo.

24. 14. *Sicut Moyses*] vsus fuerat saltem tacitè ad persuadēdam fidē primo illo argumento, quia nemo cælestia, vt ipse narrare posset. Nunc secundò vtitur, vt ostēdat necessariam esse fidem in ipsum, vt qui salutem comparet: vt enim percussis ab ignitis serpentibus (lege histor. Num. 21.) antidotū nullum erat aliud præter quàm in serpentem æneū aspectus: ita à diaboli morsu lethaliter vulneratis, reliquæ nihil est spei præter Christum exaltatum in cruce serpentem. dici enim iure serpens potest propter prudentiam, & verò etiam propter alia,

25. qua de re Tol. an. 21. egregiè differit. Hinc serpens à Mose erectus dictus est ignitus, *fac tibi serpētem æneum*, vel *ignitum, vrentem*. & paulò antè: *immisit Dominus in eos ignitos serpentes* num. c. 21. v. 8. & v. 6. dicuntur hi etiā serpentes *Seraphim* quod ignei essent coloris, vel potius, quod ardore lethali inflāmarēt eos quos momordissent. non dubito tamen etiam æneum fuisse eum serpentem, quem Moyses erexit; nam æs maximè igniri potest, & ignis speciem saltem præferre. Et quidem verum esse, quod dictum est de illis serpentibus quod essent igniti, eo quod venenū ore mordendo immitterent, quod postea per venas & membra diffusum incredibili ardore cruciaret, cōfirmat locus Deut. 8. vbi sic legimus: *Ductor tuus fuit Deus in solitudine magna & terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas*, hebraicè Zamron, quæ vox significat sitim, & locum siticulosum. Certè Solinus cap. 30. scribit, *dipsas siti necat, omnē enim absumens humorem, lethalē inducit sitim*. Serpentem hunc dicitur 26. Moses Num. 21. q. posuisse pro signo, vbi vocem, signum, sunt qui interpretentur palū, vel perticam, vel furcam. Pererio videtur propriè significari ea voce vexillum militare, vt credibile sit, Deum iussisse serpentem illum poni in extremitate alicuius hastæ vexillaris. quocirca rectè Latinus interpres vertit *signum*: sic enim à Romanis vexilla militaria vocabatur, & de Christo constat Simeonem vaticinatum: *positus est hic in signum*. quid quod speciatim vexillū crucis Christi figura est, vt meritò Ecclesia canat, *vexilla Regis prodeunt, fulget crucis mysterium*; & Constantino de cælo ostensum est

B venerandum crucis signum, cum inscriptione: *in hoc signo vinces*, vt proinde dubitari non debeat Christianorū vexillum salutare, crucis signū esse. Porrò serpentem illum vsque ad tempora Ezechiæ conseruatum fuisse, & tunc demum confractum, & diminutum ab eo Rege post 700. circiter annos, quibus asseruatus fuerat, docet lib. 4. Reg. cap. 18. Cur autem Dominus se filium hominis libenter appellet, docet idem Tol. an. 19. Maldon. in Matth. c. 8. 20. & aduerte quod interim ea, quæ credenda sunt, reuelat Nicodemo cuiusmodi est, esse exaltandum, id est, in crucem agendum, vt credentes in eum salui fiant.

16. *Sic enim Deus*] Hæc Christi verba sunt po- 27. tius, quàm Euangelistæ; innuunt causam humanæ reparationis, summam Patris dilectionē erga mūdum; per crucem enim suam, ac mortem, salutem consecuturum mundum ostenderat. Meritò igitur

C nunc, vnde tantum, ac tam salutiferum beneficium in hominum genus profectum sit indicat.

Sic] amoris vehementiam insinuat, quam maximè hæc exprimunt, quod filium non Angelum, nō seruum dederit, eumque vnicum. Per mundum intellige hominum genus. Porrò tribus modis in Scripturis sumitur vox *mundi*, vt significat hominem, primò pro vitiosis, & caducarum rerum amatoribus, & maximè pro reprobis 1. Ioan. 4. 5. *ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit*. Ioan. 17. 9. *non pro mundo rogo*. & vers. 16. *de mundo non sunt, & ego non sum de mundo* hunc mūdum qua talis est, non diligit Deus, & ad eum destruendum misit Filium suum. hinc Christus: *confidite, ego vici mundum*. huius verò mundi princeps, & Deus vocatur in Scriptura Diabolus. de quo Iesus dixit: *nunc princeps huius mundi ejicietur foras*. Adhæc accipitur mundus pro hominibus prædestinatis in terris peregrinantibus 2. Corint. 5. *Deus*

D *erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Postremò sumitur pro quibusdā hominibus in terra degentibus, siue bonis; siue malis, siue reprobis, siue prædestinatis, prout tamen capaces sunt æternę salutis ex natura suā, & sufficientia gratiæ. & ita hic præcipuè sumitur, nam quoad sufficientiam pro salute omnium Filius Dei factus est homo, & mortuus, licèt quoad efficaciam pro electis tantū mortuus sit, & ideò dixit: *non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt*. De hac sententia lege Tol. anno. 24. satis sit indicasse, nos ad alia festinamus breuitatis studiosi.

Daret] videlicet, in mortem, quod & dilectionem etiam commendat: quam eandem maximè 28. declarant illa duo, si inter se conferantur Deus & mundus.

17. *Non enim*] si igitur venit vt mundum saluet, & à condemnatione liberet, *non* ergò *venit vt iudicet*, id est, condemnet. *sed vt saluetur*] August.

ergò

Digitized by Google

ergò quâtum in medico est sanare venit ægrotum, ipse se interimit, qui præcepta medici seruare non vult.

29. 18. *Qui credit in eum*] qui ergo credit inquit Gagnæus in Filium Dei, non venit in iudicium, id est, condemnationem, qui ab æterno prædestinatus est in salutem; *qui verò non credit, iam iudicatus est*, id est, ipse suo iudicio se condemnat, non Christus, qui fecit quod in se erat ad salutem eius. verùm illum iam sua damnauit infidelitas, qui antidotum sibi allatum noluit suscipere, quia ergò habet in se damnationis causam, nempè, pecatum incredulitatis, iam damnationi obnoxius dicitur, vt qui lethale vulnus accepit, iam mortuus dici consueuit. Chrysost. etiam homil. 27. optimè idem declarat, sicut qui homicidium committit iam iudicatus dicitur damnationis sententia, quia lege lata contra homicidas morti est addictus, quamuis sententia iudicis nondum lata sit: ita qui non credit, causam in se damnationis habet, & legi damnationis subiectus est, propter peccatum, quo detinetur, & propterea *iudicatus* dicitur, sententia tamen non est lata vsque ad alterius sæculi iu-
30. dicium: est ergò dupex iudicium; legis, & hoc hîc præcedit; & iudicis, quod sustinebunt in iudicio mali, qui hic dicuntur non credentes, quia vel nõ credunt, vel non vt debent. sed inquit Chrysost. quid si quis vitam habeat immundam? Talis non fidelis est secundùm Paulum, *qui confitetur se nosse Deum, factis autem negat*. Alcuinus, in eum credit, qui ei adhæret, vt membrum Capiti; iuxtà hãc expositionem Chrys. & Alcuin. per infideles intelliguntur, ij qui licèt credant ore, factis negant; & ij quoque qui sunt verè infideles. hos enim omnes opponit credentibus, quos dixit non esse obnoxios damnationi, ergò sermo est illi de his
31. qui ita credunt vt fidei addant opera bona. Ex hoc loco, inquit, Gagnæus quidam negant futurũ iudicium, quippè quia nec fideles iudicabuntur: Nec etiam infideles quia iudicati sunt; nemo ergò superest iudicandus. Nec aduertunt hic *iudicium* pro damnatione sumi, quam non consequentur fideles, secus de infidelibus, quia fideles non venient ad damnationẽ, infideles autem suo proprio mucrone se cõfodiunt, damnationẽ fidei viuæ saltem præponentes. An verò infideles iudicãdi sint prolata in eos condemnationis sententia in iudicio diuino, sicut & fideles prolata sententia salutis, non videtur ad hunc locum pertinere. Lege tamen si placet Suarez tom. 2. disp. 57. sect. 5. & Tyræum de iudiciaria apparitione cap. 13. n. 44. tantum ergò ex hoc loco Euangelij habemus, infideles secum habere certam condemnationis sententiam. Augustin. *Nondum*, inquit, *apparuit iudicium & iam factum est, nouit enim Dominus qui ad coronam, & qui ad flammam permaneant* Cyrill. lib. 3. in Ioannem, cap. 53. iudicatum ait esse. incredulũ, quod ipse in seipsum condẽnationis intulit sententiam. est ergò sensus Christi, Hos qui non credunt esse iudicatos, id est, habere in se certam damnationis sententiam: quam expositionem significat etiam August. lib. de Agone Christiano, cap. 27. & habet magis locum in veris infidelibus, quia non meritis modò, sed & fundamento, id est, fide omninò carent.

Quia non credit in nomine vnigeniti] in quo solo est salus, & à quo ipsi se sponte separant, Augustin. de p. mer. lib. 1. cap. 33. paruulos Baptizatos inter eos ponimus, qui crediderunt, hoc enim eis acquiritur per virtutem sacramenti, & offerentium responsionem.

32. 19. *Hoc est autem iudicium*] condemnationis causa vel materia. *Lux*] verbum in carnem, quasi dicat, ob eam causam iam eos apprehendit con-

A demnatio, iam damnati sunt. *Quod dilexerunt magis tenebras, quàm lucem*, id est, quia in tenebris peccati & ignorantiæ iacere maluerunt, quàm veram lucem & vitam Christum sectari, & eum, dum sibi vltrò obuiam veniret, apprehẽdere quippè qui cum peruersam vitam ducerent, talesque qualem agebant vitam, videri nollent, improbitati suæ hypocrisim addentes, lucem oderũt, prauæ suæ vitæ indicem. Sic Gagnæus. *Venit*] Chrysost. inquit, idem est, ac si dicat, non ipsi eam quæsierunt, vel laborauerunt, vt venirent, ipsa ad eos venit, nec ei occurrerunt. *Dilexerunt*] Chrysost. omni eos, inquit, priuat excusatione, quis eius, qui non vult accedere, miserebitur? *Homines*] carnales. *Tenebras*] peccati & ignorantiæ. *Quam lucem*] peccata arguentem. *Erant enim*] ratio cur tam pulchram rem oderint, & tenebras amarint, eorum erant mala opera, quæ cum tenebris occul-
B tentur: & luce manifestentur, & redarguantur, ideò non mirum, si tenebras hi amarint. & ita patet ver. 20.

21. *Qui autem facit veritatem*] facere veritatem est operari secundùm legem iustitiæ, id est, facere quod veritas iubet: Christus autem veritas est. Qui ergò sic operantur libenter secum habent, & vident lucem Christi, eique inhærent, quo cognoscantur opera esse secundùm Deum. 33.

In Deo] id est, eius voluntati consentaneã.

DIGRESSIO PRIMA MORALIS,

In ea verba: *nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. De aquis multa, occasione Baptismi.

C CYRILLVS Hierosolym. Catechesi tertia sic scribit: *Quod si quis scire desiderat, quomodo per aquam potius, quàm per aliquod aliud elementum gratia detur; Sacras scripturas relegens, inueniet. magnũ enim quiddam est aqua, & ex quatuor mundi elementis apparentibus pulcherrimũ; Angelorum habitaculũ est cœlũ; atqui ex aquis sunt cœli: terra est hominũ locus; atqui ex aquis etiam, terra. & ante omnem rerum creatarum sex illis diebus distinctionem; Spiritus Domini ferebatur super aquas. principium mundi aqua; principium Euangelij Iordanis: liberatio Israelis à Pharaone per mare facta est: & liberatio à peccatis mundi, per Luacrum est aquæ in verbo Dei. vbicunque fœdus aliquod inter Deum & hominem, ibi & aqua. post diluuium fœdus percussum est cum Noë; fœdus, & cum Israele ex monte Sina; verùm hæc nõ sine aqua & lana rubea & hyssopo. Elias assumptꝰ est, sed nõ sine aqua; prius enim transiuit Iordanem, deindè in cœlũ raptus est: prius abluitur summus Sacerdos factus; quomodo enim susciperetur pro alijs oraturus, qui nondũ per aquã purificatus esset? symbolum Baptismi erat labrũ in tabernaculo positũ; veteris testamenti finis, & noui est principiũ Baptismus. Ioannes erat dux eius quo maior inter natos mulierũ nullus, qui finis erat prophetarũ: Omnes. n. Prophetæ & lex vsque ad Ioannem: & idem erat rerum Euangelicarum principium; initium enim Euangelij Iesu Christi, & quæ sequuntur, erat Ioan. baptizans Baptisma.* sic Cyrillus. 1. *Aquæ præstantia.*

D Augustinus serm. 134. *Quinta die fœtus suos pisces & aues factum est vt producerent: in comparatione piscium Sanctos dicimus, qui in aqua baptismatis viuũt. Ideò pisces benedictionem primò consequi meruerunt, quia fideles in sacramento Baptismatis benedici potuerunt.* 2.

3. Anastasius quoque Sinaita exhæm. libr. 5. *ex aquis*, inquit, *genitas animas, nempè per Baptismum regeneratas, benedixit Deus, dicens, Crescite & multiplicamini & replete aquas, animantibus autem & iumentis & feris quæ terræ sunt, serpentibusq; & venenatis hominibus, qui sunt peregrini & alieni à regeneratione baptismatis, nequaquam eam impertijt benedictionem; tum tanquam medius stans Christus inter terrestria & marina animantia, & ad ea quæ sunt ex terra genita oculos defigens, & dicens nisi quis fuerit generatus ex aqua & spiritu, qui fertur super aquam, non intrabit in regnum cœlorum; neque fiet per columbam, nempè per spiritum, volucris cœli, neque rapietur in nubibus obuiam mihi in aëra* &c. Aduerte quod alludit Anastasius ad locum illum Geneseis; vbi Deus piscibus, & auibus benedixit, non autem animantibus, & feris terræ, &c. quibus efficere vult, baptizatis tantùm conferri benedictionem; & quidem meritò; omnis enim gratia è cœlo ad nos venit: *omne enim datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est*; atqui cœlum non reseratur nisi in baptismo, ad quod indicandũ baptizato Christo *cœli aperti sunt, Spiritus sanctus descendit velut columba, & vox Patris intonuit: hic est Filius meus dilectus*. igitur extra Baptismum nihil est gratiæ sperandum.

Baptizatis tantum confertur benedictio.

4. Iterùm omnis gratia ex Christi humanitate dimanat ad nos, tanquam ex vnico, eoque ditissimo, & vberrimo gratiarum fonte. Hinc est, quod de Christi latere lancea perfosso egressus est sanguis, & aqua; quibus duo baptismatum genera significantur; sanguinis, quo martyres Deo renascuntur; & aquæ, quo cæteri renouantur. hûc reuocatur Baptismus flaminis à Doctoribus nominatus. Igitur nulla confertur gratia, nisi his duobus baptismatum generibus renatis, cùm omnis gratia ex latere illo ad nos proficiscatur.

Humanitas Christi omnium gratiarum fons.

5. Porrò Pererius in cap. 3. Ioan. disp. 5. num. 18. sic ait: hanc baptismalem aquam multa præfigurarunt in Veteri testamento: aqua egrediens de templo Domini sanans, & viuificans omnia, de qua est apud Ezechiel. cap. 47. fons ille, de quo dixit Zacharias cap. 13. *in die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris*: Aqua Iordanis mundans lepram Naaman, sicut scriptũ est 4. Reg. 5. Transitus Hebræorum per mare Rubrũ sub ductu nubis, de qua sic Paulus 1. Cor. 10. *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt; & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari.* Diluuium Noëticum, de quo B. Petrus: *in qua* (scil. arca Noë) *octo animæ saluæ factæ sunt per aquam, quod & vos nunc similis formæ saluos facit Baptisma, non carnium depositio sordium, sed conscientiæ bonæ in Deum interrogatio.* Denique probatica piscina omnes sanans infirmitates, de qua scribit B. Ioan. in cap. 5. huius Euangelij.

Figuræ Baptismi.

A

DIGRESSIO MORALIS SECVNDA,

Quod in cruce Dei Sapientiam, & Dei Potentiam doceamur.

QVONIAM Dominus Nicodemo dixit, *sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, vt omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitã æternam*, propterea non erit ab re hîc aliqua de Cruce scribere in gratiam concionatorũ: nam & hæc verba leguntur in Ecclesia die inuentionis S. Crucis. 1.

B Principiò existimare debemus sanctæ Crucis lignum cathedram esse, vbi Christus sedens docet nos. ipse Liber, ipse Doctor est, de quo interpretari possumus illud 2. Reg. 23. 8. *sedens in cathedra sapientissimus*, &c. *ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus*. magis enim hæc verba in Christum conueniunt, quàm in Dauidem, qui non tam sapientiæ, quàm fortitudinis nomine excelluit, at Christus Dei sapientia est. Idemque in cruce tanquam in cathedra sedens, *tenerrimus ligni vermiculus* rectè appellari potest propter eximiam humilitatem, dulcemque mansuetũdinem modestissimi eius animi, neque enim alibi magis vermis apparuit, quàm cùm in cruce esset, nusquam sapientius docuit, quàm sedens in cathedra Crucis. *Crux cathedra Christi.* 2.

C Igitur si Christus liber est, qui & Doctor, candidissima eius caro membrana libri erit: atramenti locum aureus sanguis tenebit, claui, lancea, spinæ ipsæ calamum referent, libri titulus satis omnibus expositus est: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, scriptus est hic liber intus, & extra, nam quæ foris sunt vulnera, & quæ hìc à Christo resonant verba, indicia quædam sunt immensæ eius sapientiæ, charitatis, patientiæ, humilitatis, &c. quæ intus latebant. Huius libri duplex pars est, practica altera, altera speculatiua, illa habet septem capita, hoc est, septem illa verba, quæ cùm esset in cruce protulit, quorum singula singulares quasdam virtutes continent, charitatis, patientiæ, & cæterarum id genus virtutum, quibus vita nostra informatur, de quibus alibi erit opportunior dicendi locus. Altera verò pars speculatiua, quatuor habet capita, quæ sunt quatuor quædam D attributa Dei, quę maximè splendent in cruce, ad quæ cætera reuocantur, videlicet Dei Sapientia, Potentia, Iustitia, Bonitas. Hunc ergò librum nobis omnibus legendum offert pijssimus Deus; nec est quod quispiam obijciat, minimè se visu ad legendum pollere, nam caracteres huius libri adeò magni sunt, vt similes sint ijs, quibus præcepit Deus Abacuch 2. vt visum scriberet. *Scribe*, inquit, *visum, & explana eum super tabulas, vt percurrat, qui legerit eum.* *Christus liber, caro eius membrana, sanguis atramentum.* 3. 4. 5.

Quod si rursum vrgeat aliquis, & contendat, nescire se notas huius libri, & literas legere, quasi peregrinas, scriptus est eodem stylo, quo liber ille Isaiæ 8. *statue tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis*, nõ angelico scriptus est stylo, sed eo, quem hominum quilibet legere queat.

Digitized by Google

6. Contemplemur ergo singula capita, quibus Dei attributa declarari diximus, numer. 4. imprimis sapientia Dei magna est, quam in hac cathedra docemur à Christo, nam quis non vehementer admiretur per contemptum crucis tantam gloriam parari potuisse, vt idem lignum, quod secundùm homines insignis ignominiæ causa erat, Christo exaltatio fuerit? magnæ profectò sapientiæ fuit per stultitiam, & infamiam crucis, spoliasse dæmonem, inferni debilitasse vires, mortis, & peccati abstulisse imperium. vt enim piscis hamo, sic antiquus hostis, & inimica mors dum hominem Christum absorbere parant, occulto diuinitatis hamo capti & decepti sunt, & imperio quod tyrannicè in homines exercebant spoliati.

In cruce lucet Christi sapientia.

7. Ad hæc quæ maior excogitari poterat sapientia, quam mortem moriendo destruere, & perpetuam vitam per propriũ effusum sanguinem in mundũ, vndè exulabat inferre? Postremò quantæ quoque sapientiæ fuit, per flagella, per vulnera, per contumelias, per innumerabilia mala, sempiternam gloriam, ac beatitudinem comparare? en tibi quantum in cruce Dei sapientiam commendauit, & edocuit Christus, vt meritò dixerit Apostolus 1. Cor. 1. 23. *Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. ipsis etiam vocatis Iudæis, atque gentibus, Christum Dei virtutem, & sapientiam.*

8. Præclarè idem Apostolus ibid. vers. 25. ait *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*, quæ res satis mihi aptè explicari posse videtur per dissimulatam illam Dauidis insaniam, de qua 1. Reg. 21. cùm enim timeret Dauid valdè à facie Achis Regis Geth, *immutauit os suum coram Philistæis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebantq; saliuæ eius in barbam*. hanc autem sanam insaniam, & sobriam ebrietatem, constantemque furorem, vt eam vocat August. in Psalm. 33. Philistæi vehementer irridebant, & summam esse stultitiam putabant, proindè dixit Achis seruis suis 1. *vidistis hominem insanum, quarè adduxistis eum ad me*? Sed nusquam sapientior Dauid, quam tũc fuit, cùm super barbam ei saliuæ decurrerent, quæ quidem stultitiæ symbolum sunt, sicut barba fortitudinis, & sapiẽtiæ. quod ergò decurrentes saliuæ barbam obtegunt, aptè significare potest sub specie stultitiæ sapientiam sæpè tegi. Quare hoc Dauidis factum satis appositè à Patribus applicatur ad explicandum immensam illam sapientiam, quæ in crucis mysterio sub ignominiæ, & opprobriorum forma sapientissimè latebat.

9. Iam secundum caput de omnipotentia consideremus. hanc per crucem ostendendam docuit Isaias cap. 9. dùm dixit: *factus est principatus super humerum eius*. quibus verbis crux ipsa, Messiæ principatus appellatur, quem ille super humeros suos gestaturus esset, quod quis non videat ad crucem referri debere, quam sacris humeris gestauit? Crux igitur ista principatus erat futurus Messiæ, & potestas eius immensa.

Item omnipotentia.

10. Hinc Tertullian. libr. aduers. Iud. cap. 10. meritò admiratur inquiens: *quis omnino Regum insigne potestatis suæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut in manu sceptum, aut aliquam propriam vestis notam? solus nouus Rex sæculorum Christus IESVS, nouæ gloriæ & potestatem, & sublimitatem suam humero extulit, crucem scilicet, vt secundùm prophetiam Dominus regnarot à ligno.* Alludit autem Tertull. ad illud, quod Psal. 95. habemus: *dicite in gentibus: Dominus regnauit:* 11. vbi Septuaginta 300. circiter annis ante Christum legunt: *Dominus regnauit à ligno.* quam dictionem erasam à Iudæis, docet Iustinus in dialogo cum Tryphone aduersus Iudæos.

Putabant Iudæi magnam ex cruce obuenturam esse ignominiam Christo, sed contra accidit, ac existimabant illi. Ieremiæ enim 11. hortantur se Iudæi dicentes: *venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium*. Quid inde? *& nomen*, inquiunt, *eius non memoretur amplius.* vtique in corpus eius lignum crucis missum est. Corpus namq; Christi *panis* dicitur, *qui de cœlo descendit.* 12.

Verùm inde consecuta fuit potius gloria Christi. quare subdit Isaias eodem cap. 9. cùm 13. *Et gloria.* meminisset crucis eius, *& vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis, multiplicabitur eius imperium.* & Christus post exantlatos crucis labores, cum rediuiuus surrexisset à mortuis, dixit: *data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Apocalyp. 19. Apparuit Christus super equum album indutus veste aspersa sanguine, in qua tamen scriptum erat; *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* quæ vestis cruentatam Christi carnem, vel humanitatem significabat, ergò inscriptio Regis Regum &c. hac in veste posita, indicabat Christum per passionem, & sanguinem, quem in cruce fudit, suum imperium super omnes principes consecutum esse. 14.

Neque verò aliud docere voluisse videtur Paulus 1. ad Corint. 2. sic scribens: *si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. opportunè*, inquit Chrysost. *Dominum gloriæ appellat, cùm loqueretur de cruce.* Rectè, nam per hanc nobis quidem tùm essentialem, tùm accidentalem, sibi verò corporis gloriam promeruit, celebritatem item nominis, & omnem super omnes Reges principatum. 15.

Quod si quæras ab Isaia, cur ita factum, vt 16. non nisi per crucis labores, & contumelias tãtam assequeretur gloriam, subdit rationem. *Zelus Domini exercituum faciet hoc.* quasi dicat, ingenti erga nos amore, & Zelotypia faciet hæc omnia Deus.

Sed nescio an alius quispiam clariùs, vberius, 17. atque efficacius hanc Christi potestatẽ in cruce absconditã explicarit, quàm Paul. Col. 2. *expolians*, inquit. *principatus, & potestates, traduxit cõfidenter, palam triũphans illos in semetipso.* loco traduxit Græcè est ἐδειγμάτισε. infamia affecit, & velut exemplũ, & spectaculũ omnibus proposuit, quomodo in triumphis circumagere captiuos victores solent, vt sit sensus, ita Christum victorem in cruce diabolicis potestatibus, & dæmonibus spolia detraxisse, vt eos sua potestate exutos, & nudatos imperio ostentauerit, ac spectandos omnibus proposuerit, & iustis, & Angelis Sanctis.

Triumphans] græcismus est, ac si dicat de illis 18.

triumphum ducens, seu illos in triumpho circumducens. *in semetipso*] id est, fretus semetipso, virtute solius sanguinis sui, non adiutus ab Angelis, sed merito suæ mortis. Origenes hom. 8. in Iosue innuit in Græcis haberi *triumphans illos in ligno crucis*: & licèt nunc non habeamus, *in ligno*, sed ἐν αὐτῷ, id est *in ipso*, tamen optimè referri potest ad crucem, de qua suprà dixerat ἐν τῷ σταυρῷ; vt refert Theophylactus. dicit ergò Origenes, in cruce duos fuisse affixos, Christum visibiliter, sponte sua & ad tempus, diabolum autem inuisibiliter inuitum, & in sempiternum eius opprobrium; & hoc probat ex hoc loco, vbi Paulus vtitur metaphora *triumphi*, volens significare, crucem in modum triumphantis currus esse, in cuius suprema parte assidet Christus triumphator; in parte verò ima trahitur Diabolus, velut catenis innexus, & ostentatur quasi in pompa.

19. ergò τὸ *in semetipso*, idem est, ac ea virtute, quâ ille vt crucifixus erat exercebat, vt simul in Christo virtus crucis intelligatur, qua de diabolo triumphum reuexit.

20. *Confidenter palam*] Græcè est vnica dictio, ἐν παῤῥησίᾳ. videtur autem idem esse quod cum magna confidentia, eiusmodi est, cùm quis palam audet coram omnibus aliquid vel dicere, vel facere. Verùm quibus inquies, id præstitit armis? Audi adhoc respondentem Abacuch, non alijs, quam cruce. *cornua*, inquit ille cap. 3. *in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius*. fuit enim crux in manibus Christi tunc, cùm maximè manus eius illi infixæ erant. tanquàm potentissimum quoddam armorum genus ad ventilandos, profligãdosq; tartareos hostes, totumque hostem sibi subijciendum. Meritò igitur innumeris laudibus crucis potentiam extollit Chrysost. homil. 55. in Matth. sic enim ait: *hoc signum & priscis, & nostris temporibus clausas ianuas reserauit. hoc venenorum vires extinxit, hoc feroces bestias repressit, hoc lethales serpentum morsus curauit, etenim si portas inferni perfregit, si cœlorum ostia recluſit si paradisi renouauit ingressus, si diaboli neruos recidit: quid mirum si pestifera venena, atroces bestias, aliaq; huiusmodi superauit? hoc igitur in mente tua insculpe, & animarũ amplectere salutem.* Sic Chrysost. Huius ergò virtute crucis freti Christiani contra humani generis hostes animum sumere, arma capere, & aduersus totius inferni acies impetum impressionemque facere, confidenter possumus.

21. *Cruce Christi diabolus victus.*

22.

23. *Procedebat*, inquit scriptura 1. Reg. 17. 16. *Philistæus manè, & vesperè, & stabat quadraginta diebus. quadraginta dies*, inquit August. serm. 197. de tempore circa medium *propter quatuor tempora, & quatuor partes orbis terra vitam præsentem significant, in qua contra Goliath, & exercitum eius, id est contra diabolum, & Angelos eius Christianorum populus pugnare non desinit: nec tamen vincere posset, nisi verus Dauid Christus cum baculo, id est, cum crucis mysterio descendisset.* Restat agamus de iustitia, & bonitate, quas etiam in cruce declarari diximus, nu. 4.

DIGRESSIO III. MORALIS.

Quod in cruce Dei iustitia, & bonitas manifestæ fiant.

SEQVITVR tertium caput eorum, quæ in cathedra crucis sedens Christus docet, hoc verò est iustitia Dei, hanc ego nusquam clariùs declarari à Christo, censeo, quàm Ioan. 12. 31. illis verbis: *nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras*. triplex enim iudicium factum in cruce video. primùm fuit abolitionis peccati, ad quod illud Sap. 14. non ineptè applicare possumus: *benedictum lignum, per quod fit iustitia*, quamuis enim de arca Noë videatur ibi sapiens loqui, per quam absorptis impijs, iustus Noë cum suis liberatus est non sine iustitia. Eleganter tamen Ambros. in Psalmum 118. benedictionem hanc ligno crucis attribuit: *quæ*, inquit, *est iustitia crucis, nisi quod ascendens illud patibulum Christus, peccatorum nostrorum chyrographum crucifixit, & totius orbis peccatum suo cruore mundauit.*

1. *Triplex iudicium factum in cruce.*

2.

Facto verò hoc iudicio, & deleto peccato redijt homo ad amicitiam Dei, cui reconciliatus est, atque indè post deletum peccati chyrographum factum est hoc lignum, arcus fœderis, de quo illud cap. 9. Genes. accipere possumus: *arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Verè arcus est, sagittis amoris plenus, & quidem acutis contra dæmones: *sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, & corda inimicorum Regis*, Psal. 44. arcus ille pulcherrimus, *mille trahens varios aduerso sole colores*.

3. *Crux arcus.*

4. *Virgilius.*

Fuit & alterum iudicium, hoc est alterum iustitiæ opus in cruce exercitum contra mundi cupiditates, atque peccata, nam cùm in mũdo tria hæc contineantur, *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ* 1. Ioan. 2. damnauit Christus carnis voluptates sui corporis cruciatu, oculorum concupiscentiam rerum omnium indigentia, *cùm enim diues esset*, inquit Apostolus, *factus est pro nobis egenus.* Denique vitæ superbiam sua ad mortem vsq; humilitate in nihilum planè redegit. Iam si peccata, & concupiscentias eorum Christus in cruce damnauit, quis erit ita mentis inops, & ingratus, vt ea iterùm suscitare queat, & in se admittere?

5. Accipe & tertium iudicium, hoc est iustitiæ opus ostensum in cruce, hoc verò est satanæ mundi imperio gloriantis expulsio, & confractio, testatur id Christus iamiam moriturus in cruce, cùm ait: *nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Ioan. 12. eijcietur gladio crucis eiectus.

6. Huc enim spectat, quod Isai. 27. multò antè prædixerat: *Visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super leuiathan serpentem.* quod sic Apost. confirmat Coloss. 1. *eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.*

7. Erat sanè tartareus hic serpens intra hominum corda, veluti intra vteros absconditus, at *obstetricante manu Dei eductus est coluber tortuo-*

sus, ni-

ſus, nimirum DEI obſtetricante potentia mirabili quodam pacto extractus fuit, hoc enim eſt, quòd ait Chriſtus; princeps huius mundi eijcietur foras: *cauernæ*, inquit Greg. *huius colubri corda ſunt iniquorum. obſtetricante manu Domini coluber de cauernis repulſus eſt: quia dum nobis diuina gratia medetur, is, qui nos tenuerat antiquus hoſtis, à nobis eijcitur.*

8. Quartum iudicium in cruce factum, fuit omnium tractio; *Et ego*, inquit Dominus, *ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum:* cùm enim diabolus ſibi homines, quos non crearat, ſubiecisſet, eccè factum eſt iudicium, vt ad ſuum conditorem Deum reuocarentur: exaltatus ergò in cruce Dominus, per fidem ad ſe homines traxit, traxit cælum, id eſt Angelos, qui in eius reſurrectione apparuere. traxit terram, dum mortuos ab inferis excitauit. myſterio igitur crucis iuſtitia Dei abundè declarata eſt.

9. *Crux amoris Dei ſymbolum.* Immenſum ſanè dilectionis, ac diuinæ bonitatis pelagus ſeſe nobis aperit in cruce, hic enim cernere eſt, *ſic Deum dilexiſſe mundum vt Filium ſuum Vnigenitum daret*, in mortem, *mortem autem crucis.* Quis hoc audiens, & ex animo credens, tam immenſam Dei charitatem ſine lacrymis cogitare queat? quis veniam peccatis ſuis deſperet, & non ſperet potius quodlibet donum ſe à Deo conſecuturum? ſic enim ratiocinatur Paulus cap. 8. ad Roman. dùm ait, *qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?*

10. Tanta in cruce Dei bonitas demonſtratur, vt veriſimè dicere poſsimus, Chriſtum in crucem ſublatum ad ſe traxiſſe omnia. traxit enim ſuos electos amore Cant. 2. *ordinauit in me charitatem.* quòd Pagninus ex Hebræo vertit: *vexillum eius ſuper me amor.* Quid enim eſt crux, niſi vexillum amoris ad amandum Deum mirificè cunctos inuitans? de quo Iſaiæ 11. *& leuauit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael.* 11. *In funiculis Adam*, inquit Deus, *traham eos in vinculis charitatis* c. 11. Oſeæ, quod nuſquam melius facit Chriſtus, quàm in cruce ſedens, trahit enim indè homines non funibus, quibus trahuntur animalia, id eſt nõ violenter, ſed quibus homines voluntariè, ac libenter trahi ſolent. id autem eſt promiſsis, beneficijs, oſtenſo amore, oblata bonitate, per toleratas calamitates, per effuſum ſanguinem, per ignominioſam denique mortem.

12. Quare rectè illud Ieremiæ 31. vſurpare poteſt in cruce. *in charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miſerans tui.* Neque verò vna me ratione dilexit, nam vt Bernardus ſerm. 20. in Cantic. dixit. *Dilexit me ſimul Deus fortiter, ſapienter, & dulciter, quia carnem induit. ſapienter, quia culpam vitauit. fortiter, quia mortem ſuſtinuit.* Præclarè Bernar. nam in perferenda morte, charitatis eius fortitudo, & robur emicuit. Et ſicut potentiſsimi quondam Reges parta victoria ſibi nomen compararunt, ſic enim 2. Regum 8. fecit ſibi Dauid nomen capta Syria in valle Salinarum, ita CHRISTVS Dominus longè præſtantior, nomen ſibi fecit in Caluariæ monte, fortiter amantis homines, nomen miſericordis, nomen clementis. Ibi datum eſt illi nomen, *quod eſt ſuper omne nomen*, nomen IESV, nomen ſalutis, nomen amoris.

Huius porrò tantæ charitatis erga homines contemplatio Sanctos illos Martyres olim traxit, vt ad quodcunque pro illius amore ſubeundum, atque ferendum quantumuis aſperum, quantumuis horrendum humanis ſenſibus, paratiſsimos, & promptiſsimos effecerit. 13.

Curramus igitur & nos ad Chriſtum, vſurpemuſque ſubinde illud ſponſæ. *trahe nos poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* nam quoniam qui trahitur amore, non trahitur inuitus, ideò ſubdit ſponſa. *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Sanguis enim Chriſti vnguentum fuit, quo & ipſe perfuſus eſt, & cuius ſuauiſsimo odore, cælum, terra, & plenitudo eius completa ſunt.

Sed heu ingratam hominum conditionem. prior ille amauit, vt redamaremus, ſubiecit flammas, vt incenderemur. quid nos? vt frigidi, & ingrati in Deum fuimus, ita pigri ad redamandum. rectè Auguſtinus de catechi. rudibus capite quarto, ſi amare Deum pigebat, ſaltem redamare non pigeat. ô certè nimium duros mortalium animos, qui dilectionem vt impendere nolunt, ita nec rependere volunt. *Lux*, inquit CHRISTVS Dominus, *venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* 14. ſic Oſeæ tertio ſignificatum eſt Prophetæ à Domino, *vade dilige mulierem dilectam amico & adulteram, ſicut diligit Dominus filios Iſrael, & ipſi reſpiciunt ad Deos alienos, & diligunt vinacea vuarum*, &c. Adulteræ nos meritò ſimiles affirmat DEVS, quam etſi vir magno diligat amore, illa tamen inſano ardore adulterum proſequitur contempto viro: ita nos miſeri ſpreto Deo, qui tanto nos complexatus eſt amore, perditè mundum deperimus, & vuarum vinacea diligimus, fluxas videlicet, inaneſque res, quæ veræ lætitiæ vinum proferre non valent, &, prò ſcelus, cæleſtis patriæ, ac promiſsionis terræ botrum immenſæ ſuauitatis dulcedine redundantem deſpicimus. *Hæccinè reddis Domino, populeſtulte, & inſipiens*, dictum eſt populo à Moyſe Deuteronom. trigeſimo ſecundo, at non eadem iurè in Chriſtianum populum dici poſſunt? *numquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?* 15.

Sed illud iterùm, atque iterùm perpendendum eſt, eos, qui nunc tam pulchro, & periucundo vexillo amoris, tam ſuaui vnguentorum odore, trahi ſe non permittunt, ad diem iudicij extremum inuitos trahendos fore, quò nollent. *Videbit enim eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent ſe* (infelicem nimirum ſuum ſtatum, & conditionem) *ſuper eum* (id eſt propter eum non creditum, & non dilectum) *omnes tribus terræ* Apocalyp. primo, non ſoli Iudæi, verùm omnes tribus terræ. de hoc planctu Zachar. duodecimo, *& plangent eum*, hoc eſt, eius mortem propter æterna mala inde ſibi conſecuta, *planctu quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti*, nimirum luctu magno, qualis ſolet eſſe, cùm luge- 16.

tur vnigenitus, aut primogenitus, qui erat totius familiæ columen. Atque hoc erit, quando sub finem sæculi, vt Matth. 24. dicitur, *parebit signum filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ.*

DIGRESSIO IV.
MORALIS.

Vbi serpentis in altum à Mose elati exponitur figura, & ad Christum crucifixum applicatur.

1. *Multæ crucis figuræ in veteri testamento.*

COMPLVRES sunt in Veteri testamento figuræ crucis, & mortis Christi. hanc enim repræsentauit incomparabilis, atque insignis illa arbor; quam Moyses in medio paradisi positam scripsit, & *lignum vitæ* nominauit. hanc Noë arca retulit. Est enim singulare electorum refugium, extra quam qui sunt, horrêdo olim scelerum, & pœnarum absorbendi erunt diluuio. huius typum gestat patri morem gerens Isaac in montem adductus, & alligatus, vt in holocaustum offerretur, qui patientissimè suis humeris ligna portauit. hæc eadem crux postibus, & superliminaribus domorũ Israelitarum figurata describitur, vt Cyrillus lib. 8. in Ioan. cap. 1. loquitur, quæ sanguine agni delibuta, exterminatorem AEgypti, nè ingrederetur, propulerunt Exod. 12. hæc est virga illa Mosaica, quæ mare rubrum percutiens, diuisit aquas, & traducto Dei populo, regem submersit AEgypti cum vniuerso equitatu.

Hanc extensis repræsentauit manibus Moses, cum Amalechitas populi Israelitici infestissimos hostes precibus ad Deum fusis deuicit. hæc est Dauidis gladius ad immanem, ac superbum hostem Goliath detruncãdum exertus. hæc est nobile illud trophæum, Christianæ laudis, victoriæque insigne, & monumentum; quo nimirum Christus aduersus malos dæmones triumphauit, hæc est summi Sacrificij altare, quo placatus est Deus, est Scala, qua pij ad cæleste regnum ascendunt. est denique generis humani ad liberationem instrumentum admirandum, & omni prosequendum veneratione. Cæterùm figura illa exaltati à Mose serpentis, omnibus alijs expressior, atque illustrior fuit, quod nobis hic auspice Christo exponendum erit.

2. *Christus crucifixus serpenti cõparatur.*

Quàm enim aptè crucifixus elato serpente exprimatur, hæc quæ sequentur, declarant. Principiò Christi crucem tanquam vexillum quoddam esse contra tartareas infestantium dæmonum acies erectum, ostendit hæc sublati serpentis figura. dictus est enim serpens ille, positus in signum, nam vox Hebræa, *Nes*, *signum*, seu *vexillum* significat. Iussit namque Deus serpentem illum constitui in summa vexillaris hastæ parte, tanquam vexillum militare. quod proinde figuram gessit Christi Domini, quem prædixit Simeon positum fuisse *in signum, cui contradicendum erat à multis*, imò & figura fuit crucis Christi, quæ futura erat vexillum Christianæ militiæ. quo nomine

A vocat Ecclesia, dùm canit: *Vexilla Regis prodeunt, fulget crucis mysterium*, & Constantino dùm in Maxentium pugnare parat, apparuit in cœlo signum Sanctæ crucis clarissima luce figuratum, cum hoc dicto; *in hoc signo vinces.*

Sic olim quoque narrant historiæ, crucis signum figuratum, & efformatum esse in vexilli videlicet militaris modum. quod noster Bellarminus libr. secundo, de imag. Sanct. cap. vigesimoseptimo, inter alios refert, & describit hoc modo: *Lignum*, inquit, *crucis longum producebant sursum versus, & flectebant ad modum baculi pastoralis, vt referret litteram græcam. P. paulò inferiùs apponebant duo ligna transuersa ad similitudinem crucis Sancti Andreæ, quæ*
B *referrent litteram græcam. X. ita vt duæ illæ litteræ per abbreuiationem significarent Christum. infrà illud ponebant lignum transuersum, quod verè perficit crucem, & inde pendebat velum expansum. infrà lignum transuersum erat lignum longum in similitudinem hastæ. ad infimam partem addebant capulum ad cõmoditatem gestandi. Hæc omnia significabant, crucem esse vexillum Imperatoris Christi; nam crucem testabatur ipsa figura, Christi nomen indicabant duæ litteræ X. & P. Vexillum ex velo, hasta, & capulo dignoscebatur.* Vide Ioannem Pierium Valerianum de signis Hieroglyphicis libro 50. & Primasium libro quarto in Apocalyp. vbi hoc ipsum signum vocat *monogramma*, & *signum Christi.*

3.

Tale ferè fuit & labarum Constantini. nam 4.
vt Eusebius refert lib. 9. histor. cap. nono, labarum, quod ante Imperatores gestari solebat, &
C à militibus adorari, Constantinus in modum crucis redegit, sic tamen, vt etiam vexilli formam non amitteret. Describit autem ipsum labarum Euseb. lib. primo, de vita Constantini vbi dicit, fuisse hastam, totam auro circumdatam, in cuius summitate posita erat corona pretiosissima, infra eam cornu transuersum ad formam crucis, ex quo pendebat velum purpureum auro, & gemmis ornatissimum, ad cuius partem infimam visebantur imagines Constantini, & filiorum. In ipsa verò hasta sub corona erant litteræ nominis Christi.

Nec grauabor hîc referre historiam, quam 5.
Constantinus apud Eusebium narrat de vexillifero Crucis, quam ferebat, defertore, *cùm in*
D *media*, ait, *belli dimicatione ingens fortè fremitus & turbatio repentina exercitum occuparet, ille, qui vexillum hoc portabat humeris inter præliandum, primùm præ formidine exhorrescere cœpit, deindè alteri illud tradere, vt belli impetum effugeret. postquam alter accepit, isteq; fuit ex acie egressus, & extra vexilli præsidium locatus, telo coniectõ in ventre confossus est, morteq; sopitus concidit. Atque vt iste timiditatis, & diffidentiæ pœnas luens, ibi mortuus iacuit, sic ille, qui salutare trophæum, sublime, & erectum portabat, omninò eius euasit subsidio incolumis. Adeò vt sæpè cùm tela frequentia ab hostibus in eum iacerentur, qui ipsum ferebat, saluus exiterit, & vexilli hastile tela missa excœperit. Atque istud omnem planè exsuperat admirationem, tùm quod tela ab hostibus iacta, sic intra angustum illum, & exiguum hastilis ambitum prouolabant, vt in eo fixa hærescerent; tùm quod ille, qui illud ipsum portabat,*

Historia.

tabat, mortem effugeret. imò vero, vt qui hoc ministerium obibant, nihil damni, incommodiue aliquandò acciperent. Hæc Constantinus apud Eusebium. Rectè ergò serpens exaltatus à Moysè, quem Deus iussit poni pro signo, crucis vexillum repræsentat: & verè noster interpres Numer. 21. 8. vocem signi vsurpat: *fac serpentem aneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, viuet.*

6. Deindè nullo alio meliore modo explicari poterat causa, ob quam Christus in cruce atrocissimam obijt mortem, quàm hac vna exaltati serpentis historia, qua etiam remedium nostro adhibitum morbo aptissimum explicatur. sciendum enim est, peccatum illud, quod Israelitæ in deserto commiserunt, propter quod percussi sunt à serpentibus, valdè simile fuisse peccato Adami in Paradiso. concesserat Deus illis manna, suauissimum edulij genus. Verùm illi eo contempto optabant allia potius, cepas, & ollas carnium, dicentes: nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo Numer. 21. ad quod illi peccatum instigati fuerant interius à teterrimo Orci serpente, qui suo illis morsu excitarat inordinatam appetitionem carnium, & ceparum, & alliorum, propterea voluit Deus, vt qui serpentem interius audierant, exterius etiam à serpentibus morderentur. ob id misit Dominus in populum ignitos serpentes. simile quid accidit in Paradiso. dederat Deus creato homini omne lignum paradisi, vt cuiusque fructu, prout vellet, vesceretur, vno excepto ligno scientiæ boni, & mali. Sic enim præceperat: *ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali nè comedas.* At homo quasi reliqua cõtemneret, hoc vnum, quod vetitum erat experiri voluit ingratus.

7. Serpens enim tartareus, qui semper Deo contrarius est, eius momorderat animum, & excitarat appetitum, quare in pœnam factum est ab eo vsque tempore, vt cunctos mortales, qui à primo illo homine descendunt, subindè praui incitent appetitus, sensimque extimulent ad malum. Morsus enim ille diaboli tanquam venenum quoddam primùm fuit instillatum homini, quod ad finem vsque temporis serpit in omne hominum genus, vt meritò huc illud inflectere possimus, *& tu insidiaberis calcaneo eius.* pars enim illa pedis vt corporalium serpentium patet morsibus, ita dæmonum insidijs appetitus pars hominis infima, quam semper ferè illi mordent, vellicant, excusitant, iam ad rem.

8. Sicut Deus serpentem exaltari voluit à Mose in deserto, vt Serpentum morsibus mederetur, & sanitatem reciperet quicunque in illum intenderet. Ita Christum in crucem agi voluit Pater, vt homini, qui propter simile peccatum, à Serpente quoque grauiter læsus fuerat, medicinam faceret, & sanaretur. quoniam verò Serpens tanti mali origo fuerat, & contra ipsum Deum superbus insurrexerat, dum Dei opus, id est, hominem persecutus, sibi illum audaciter, & iniustè subiecit, optimo vsus remedio Deus, ita sanare voluit hominem, vt simul etiam superbissimi Serpentis proteruiam, audaciamque contereret. *inimicitias*, inquit, *ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius; ipsa conteret caput tuum.* quasi dicat, tu capite tuo, id est, superbi cordis elatione Euæ momordisti calcaneum, id est, appetitum incitasti, tibique illam crudeliter subdidisti, efficiam ego, vt alia multo nobilior Eua (hæc verò est cæli, terræque regina) pede, hoc est, te despicatissimo seruitutis genere subijciens, tui capitis superbiam conterat (hoc enim est *conteret caput tuum*) quòd illa per Filium effectura est, qui olim in cruce elatus, victum te, ac triumphantum traducet, omnibus ostẽtans. Vel aliter, conteret caput tuum, hoc est, incredibilem tuam superbiam, qua tibi subijcere ausus es hominem, pede conteret filius mulieris, hoc est humillimo, abiectissimoque mortis genere, & formam etiam Serpentis indutus; nam vt Apostol. ait, ipse in similitudinem carnis peccati venit, & de peccato damnauit peccatum in carne, hoc est, factus hostia peccato aboleuit ipsum peccatum, id est, reatum concupiscentiæ sustulit; in carne, hoc est, per corporalem suam mortem, & passiones, quas in carne sua protulit.

9. Ex his igitur constat, quàm apta sit hæc Serpentis figura ad indicandam causam aduentus, & mortis Christi, quæ fuit, vt qui Serpentis dente læsi fuerant, sanarentur, & Serpentis ipsius caput, id est, superbia pede, id est humillimo, vel mortis, vel seruitutis genere contereretur.

10. Tertiò in hac Serpentis exaltatione præmonstratum est genus mortis Christi per exaltationem eius in cruce. nam crucifixio sæpè exaltationis vocabulo exprimitur in Scriptura. vt Ioan. 5. *cùm exaltaueritis Filium hominis* &c. Ioan. 12. *ego si exaltatus fuero à terra.* notat id Augustinus libro primo de peccat. mer. & remiss. cap. 32.

11. Iterùm hæc eadem exaltati Serpentis figura, insignem quandam Christi ipsius, præsertim verò in cruce patientis conditionem significauit. Apparebat enim Serpens ille, cùm reuera æneus esset non verus Serpens, ita Christus carnem sumpsit in similitudinem peccatoris, cùm tamen reuera peccator non esset, Rom. 8. *misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati*, quomodo eius incarnatio in Serpente significatur, quòd obseruat Cyrill. lib. 2. cap. 50. potissimum verò de cruce pendens peccatoris habitum, speciemq; assumpsit. Sed licèt in similitudinem carnis peccati factus sit Christus, licèt tanquam facinorosus in crucem actus sit, nullum tamen aut fecit, aut contraxit peccatum. quare ad Hebr. 4. docet Apostolus, *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.*

12. Quintò his omnibus accedit, congruè per illud æs carnem eius præsignatam fuisse: quamuis enim vulnerata, quamuis mortua fuerit semper tamen incorrupta mansit, statimq; immortalis, atque impassibilis facta est.

13. Sextò sicut Serpens ille, vt doctè notat Rupertus igni conflatus est ab artifice (nec sine causa *ignitus* dicitur Hebraicè) ita Christi corpus non virtute seminis virilis, sed virtute Spiritus sancti formatum est, spirans ignem amoris, tum in omni vita sua, tum in cruce

14. maximè. Adde prætereà ſeptimò ſatis aptè æris materiam in crucis Chriſti prædicationem, conuenire. ſonorum eſt enim æs, & crucis, ac mortis Chriſti prædicatio per omnem terrarum tractum ingenti ſono percrebuit.

15. Octauò, fructum quoque mortis ac paſſionis Chriſti hæc eadem Serpentis figura mirificè præſignauit, & expreſsit, Serpens enim ille Iſraelitarum in ſublime ſublatus, virtute eius quem repræſentabat, morſu ignitorum ſerpentum ſaucios ſanabat, ſtatim ac illum aſpexiſſent, ita Chriſtus in crucem ſublatus, hominum peccata deleuit, in quæ Serpentis antiqui morſu lethifero totum hominum genus veneno infectum, ac tabefactum, corruerat. Itaque vt Serpentem illum aſpicientes ſanitatem conſequebantur, ſic ij, qui in Chriſtum cruci ſuffixum aſpiciunt, hoc eſt, perfectè credunt, liberantur à morte æterna, & perpetuam in cœlis vitam aſſequuntur incolumes.

Fructus mortis Chriſti per crucem deſignatus.

16. Duplex eſt enim paſsionis, & mortis Chriſti fructus, depulſio mortis æternæ, & immortalis vitæ donatio: quæ omnia Marci vltimo teſtimonio cõfirmantur. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Duplex fructus mortis Chriſti.

17. Sed iam coronidis loco totam hanc digreſsionem claudamus vna propoſita interrogatione; cur enim dicet aliquis, Moyſes, qui ab erigendis ſtatuis perpetuo auerſus fuit, hunc tamen erigere ſerpentem, eumque adorandum proponere non dubitauit? an non erat hoc ad idola propenſum populum ad malum excitare? Reſpondeo ſine dubio credendum eſt, Moyſi crucis, ac paſsionis Chriſti myſterium in illo Serpente latens patefactum à Deo fuiſſe: nam ſicut alij Prophetæ intelligebant, quid ſignificarent viſiones imaginariæ ſibi datæ à Deo: ita Moyſes omnia illa Sacrificia, omnesque Cæremoniæ, quæ figuræ erant myſteriorum Chriſti, quid ſignificarent, intelligebat. Videtur item indicare voluiſſe cætera omnia ligna in ſtatuas elaborata, & idola procul eſſe abijcienda: Solum verò ſanctiſsimæ Crucis lignum adorandum, & per illius cultum ceſſare debere tandem aliquandò execrandam omnium idolorum adorationem. neque tamen intelligas, illum Serpentem per ſe adoraſſe Iſraelitas, ſed in illo, illud, quod Deus per Moyſen tacitè ſub illo voluit vt ſignificari, ita & adorari. hic igitur eſto huius Digreſsionis finis, ſequitur vt de ligno quoque vitæ, ac virga Moyſis, quibus crux ſignificatur, paucis diſſeramus.

A

B

C

D

DIGRESSIO V.
MORALIS.

Crucem lignum eſſe vitæ.

PRroduxit *Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue. Lignum etiam in medio paradiſi collocauit.* de quo iſta ſcribuntur. quod *lignum vitæ* diceretur: quod tria homini beneficia præſtaret: nam ita prohibebat ex ſe omnem ægritudinem, vt debilitatem etiam auferret & immortales homines conſtitueret. Tertiò denique quod in medio Paradiſi poſitum eſſet. quæ omnia in Sanctam crucem multo verius, ac præſtantius conueniunt. eſt enim arbor vitæ. propterea enim crucifixus eſt Chriſtus, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium ad Hebr. 2.

1. *Tria beneficia ligni vitæ quadrant in lignum crucis.*

Narrant auctores non ignobiles, præſertim verò Ruffinus lib. ſecundo, hiſtor. cap. 29. inter hieroglyphicas AEgyptiorum litteras, vnam repertam fuiſſe, quæ crucis referret ſpeciem. cuius hoc erat ſymbolum, & interpretatio, *vita ventura*. Fuiſſe verò tradunt apud AEgypti ſacerdotes antiquam traditionem, tùm demum finem imponendum eſſe AEgyptiorum religioni, cùm illud crucis ſignũ prædicaretur in mundo. quare factum eſt, vt cùm in AEgypto Chriſti fides prædicari cœpta eſſet, Sacerdotum plurimi ea traditione imbuti, Chriſti fidem amplexati ſint.

2.

Verùm ea littera hieroglyphica AEgyptiorũ ſimilis fuiſſe videtur hebraicè, Tau, quæ Crucis figuram habebat. Porrò Ezech. 9. 6. per crucis ſignum à morte liberari homines, & ad æternam trãſire vitam ſignificatur his verbis: *omnem, ſuper quem videritis, Tau, ne occidatis,* qui autem ſint hi, quibus inſcriptum eſt, *Tau*, indicat idem Vates eodem loco. ver. 4. *ſigna, Tau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, & doloribus, quæ fiunt in medio eius.* de his multa eruditè habes apud noſtrum Cretſerium lib. 1. de Cruce cap. 51.

3.

Effecta verò ligni vitæ longè etiam præſtantiùs, & copioſiùs in cruce cernuntur. Eſt enim crux virtutis infinitæ ob ſacrati Sanguinis Chriſti, & eius Sanctiſsimæ carnis contactum, vt indicat D. Thom. 3. part. quæſt. 25. articul. 4. & in primis quod à peccatorum ægritudine tutum hominem reddat, ac præſeruet, ſatis intelligi poteſt ex his quę diximus de Serpente illo æneo Digreſſ. quarta, numero octauo.

4.

Neque vtcumque depellit morbos, ac ſanitati reſtituit crux Chriſti, ſed ita vt pulchros interim nitidosque efficiat peccatores, quod Petrus Damiani in illa Iacob, Geneſ. 49. *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum*, ſic indicat, *ſtola*, inquit, *& pallium multitudo gentium eſt. quas Dominus induit, quando per redemptionis gratiam ſibi adiunxit. Sic Propheta Iſaias, viuo ego dicit Dominus, niſi hos omnes induam, ſicut veſtimentum. tunc ergo lauit ſtolam ſuam in ſanguine vuæ, cum pendens in cruce, vt botrus emiſit ex latere aquam, qua nos*

5.

lauit,

lauit, & sanguinem quo redemit, exhiberet sibi sponsam non habentem maculam, neque rugam. scio alios quosdam interpretes malle per stolam intelligere Christi carnem purissimam, quæ CHRISTI sanguine elota in cruce est, significabat verò humanitatem nostram iam esse à peccatis, eiusdem sanguinis virtute ablutam. sic ergò ab ægritudine, id est, à peccatis nos liberat.

6. Veniam iam ad alterum beneficium, quod lignum vitę in hominem conferre poterat. debilitate enim sublata robur nobis ex se vireſcj; addebat, vt diximus num. 1. hoc verò in crucem rectiùs conuenire manus illæ Moysis Exod. 17. significarunt. quarum extensione ad Amalechitas infestissimos hostes vincendos

7. fortis reddebatur Israel. Quarè sapienter ij mihi facere videntur, qui Christi crucem illi clypeo compararunt, quem iussit Dominus ad

Clypeus Iosue Christi crucifixum designat.

prælium acriter eleuari contra Hai. sic enim Iosue octauo, decimooctauo legimus: *leua clypeum, qui in manu tua est contra vrbem Hai, quoniam tibi tradam eam.* Tradunt Hebræi, clypeum illum, vt ab omnibus videretur, longæ hastæ impositum fuisse; vt meritò dici posit, Christum in cruce elatum significasse. hunc si piè aspexeris, næ tu etiam de hostibus triumphabis.

8. 9. Facit, & ad hanc rem locus ille Isaiæ quinto, vigesimosexto, *& eleuabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter veniet.* Ad notum quippè CHRISTI crucifixi aduolarunt ad eum tot militum cohortes, hoc est martyres, & innumera sanctorum agmina virtute crucis robusta, valentiaque viribus effecta, quæque ad crucifixi Domini imitationem potenter hostes debellarunt.

10. Quò etiam pertinet illud primæ Petr. quarto, primo. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* neque oscitanter accipiendum est, quod *armamini*, dixerit, non induimini: nimirum à cruce significare voluit omne armorum genus esse petendum, quo pectus contra quascumque hostium cateruas muniamus.

Crucis varia virtus.

11. Hæc crux dæmones vincit, hæc hominum insidias detegit, hæc omni prorsus eximit periculo. hanc vehementer horret inferni rex, vt enim natura ipsa consueuêre homines patibulum illud horrere, locumque detestari, vbi in reos animaduerti solet, ita longè execratur magis dæmon, ac fugit trophæum illud, quo victus, superatusque est. quoties enim illud crucis augustissimum lignum immaculato CHRISTI sanguine tinctum, & Caluariæ montem obijcis dæmoni, toties repentè illum in fugam conijcis.

Signo crucis miracula edita.

12. De Hilarione scriptum, testatumque reliquit Hieronymus vnico crucis signo magnas sæpè hostium dissipasse insidias. idem Hieronymus de eodem Hilarione refert; ter baculo ipso in littore impresso signo crucis intumescentes aquas, quæ erumpebant, & iam iam homines, pagos, vrbes deuoraturæ videbantur, resedisse, nec vlterius esse progressas.

13. Iam ad tertium effectum, seu ligni vitæ beneficium transeamus. hominem enim immortalem multò quoque melius quam lignum vitæ semper vitalis efficit crux Christi. dum illi cœli ianuam aperit, quod verbum illud à CHRISTO de cruce pendente latroni dictum, clarissimè confirmat: *Hodiè mecum eris in paradiso.* Propterea rectè crucem claui illi similem esse dixeris: de qua Isai. vigesimosecundo, vigesimosecundo, *dabo clauem domus Dauid super humerum eius.* hac aperitur cœli ianua, per quam nobis ad immortalitatem certus patet aditus.

14. Cùm CHRISTVS in crucis arborem ascendit, cùm manus extendit, immortalitatis, ac resurrectionis fructum nobis apprehendit. Sic enim Canticorum septimo innuitur; *ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.*

15. Postremò aptè in hanc arborem congruit, quod in medio sit paradisi: id verò est quod legimus, *in medio terræ* CHRISTVM hominum *salutem operatum esse*; meritò id quidem. nam omnes ad se vt traheret, in crucem ascendit, ideò medium eligit locum, vt ex omni mundi parte ad eum gentium pateret accessus. Atque ita verissimum esse constaret, quod de se aliquandò dixerat: *cùm exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum.* Et vt rectè Irenæus adnimaduertit, duo brachia crucis sub

16. vno titulo Saluatoris, significant duos populos sub vno capite CHRISTO inter se esse connexos.

17. Ad CHRISTVM igitur properandum tibi est, vt salutem haurias. Sed si ad CHRISTVM venirę optas, inquit Petrus Damiani, memineris venire te ad hominem crucifixum. Crucifixus ergò venias, vel crucifigendus: nam qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs, ad Galat. 5.

18. Iterùm quod in medio Paradisi constituta crux esse dicatur nos tacitè admonet, vt in medio cordis nostri illam collocemus, ad illius exemplum, quæ dicebat Canticorum primo, *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* omnem enim laborum multitudinem, omnem pœnarum Christi aggregationem, omnia passionis eius instrumenta, quæ animo, ac cogitatione complectebatur sponsa CHRISTI, *fasciculum* vocat, nimirum amanti nil graue, nil intolerabile videtur.

19. Ex his ergò liquet omnibus, quantum arbitror, sanctam crucem rectè lignum vitæ nominari cuius præterea tam incredibilis est dignitas, tam immensa gloria, vt etiam admirabiles ex se lucis radios emittat, oculosque eximia sui pulchritudine recreet. quod visu illo celeberrimo crucis sub ipsam meridianam lucem apparentis ad multas horas ostensum est septimo Maij. Visum est enim maximum crucis signum, luce ac fulgore conspicuum monti Golgotæ imminens, & ad Oliuetum vsque protensum, ita vt splendore, ac venustate sua solis radios superaret. Vide Surium septimo Maij, vel potius Cyrillum Hierosolymit. in fine Catechesion.

20. Sub hanc arborem infodias, si sapis quæcumque extra Deum malè amas, & colis, obrue humo, sicut fecit Iacob, dum omnia suorum idola sub illa infodit terebintho, ac sempiterna obliuione sepeliuit tegens humo, sic enim Genes. trigesimoquinto habes. *dederunt ei (Iacob) omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum. At ille infodit ea subter terebinthum.* Omnia ergò tua idola, inanes honores, opes, voluptates propter crucifixi amorem, propter eum, qui pro te duram subijt mortem, despice, & sub crucis ligno in sempiternam obrue obliuionem. quod ille diligenter perficiet, qui magno cordis affectu ad CHRISTVM de cruce pendentem subinde oculos conuertet.

DIGRESSIO VI.
MORALIS.
Quod crux Christi virga Moysis repræsentata fuerit.

1. *Quatuor miracula virgæ Moysis cruci aptata.*

VIRGAM, inquit Deus Moysi Exod. quarto, *hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa*, & cætera. Quatuor insignia opera imprimis Moyses hac virga præstitit; aquam de silice bis percussa eduxit Numer. vigesimo, iterumque aquam conuertit in sanguinem Exod. septimo, Mare in duas distraxit partes Exod. decimoquarto, vt viam populo in terram promissionis aperiret. Pharaonem Regem prostrauit, medijsque vndis demersit cum exercitu. hæc omnia multò felicius, multò vberius, longè etiam præstantius effecit Christus virga sanctissimæ crucis. Et

2. de primo quidem opere, inquit Scriptura: *cumq; leuasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ:* & quidem vt ait Apostolus: *Petra erat Christus* primo Corinthiorum decimo, sed petra ligno percutitur, quia ligno ad petram accedente manauit gratia, qua sitis interior mitigatur: bis verò petra percutitur, quia crux duobus componitur lignis. sed vide quàm largissimæ indè egressæ sunt aquæ, & continuò exiuit sanguis, & aqua, hinc enim aqua baptismi, & redemptionis extitit sanguis, neque vno ex fonte

3. manauit vnda, sed ex manib', ex pedibus, oculis, latere, toto denique corpore. Alterum de aqua in sanguinem versa per virgam Moysis Strabus exponit, aquam enim ait humanam sapientiam significare, in qua quisque hæret, crucis mysterium stultitiam arbitratus, occiditur, idque verò est aquam in sanguinem verti. Occiditur inquam non alijs quàm crucis armis ad diem illum iudicij extremum, quod innuitur Matth. vigesimoquarto, *parebit signum Filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ*, quasi dicat propterea apparebit, vt damnationi, mortique æternæ tradantur, qui crucem impij despexerunt, salutem verò consequantur, qui illam in honore habuerunt.

4. Tertiò aperuit & CHRISTVS nobis hac virga in cœlum viam, quarè vt id fortassis insinuaret, dixit Ioannes, *vnus militum lancea latus eius aperuit*, non ait, *percussit*, non *vulnerauit*, sed *aperuit*, nam Christi latere in cruce aperto, vniuersæ etiam cœli valuæ cunctis patuere mortalibus. Postremò nè longum faciam, Pharaonem etiam CHRISTVS eodem crucis signo demersit, videlicet ipsum inferni regem cum vniuerso dæmonum exercitu. Idcircò meritò inquit Macarius homilia quadragesimaseptima, virgam Moysis sub specie serpentis, mordentisque anguis expressam esse, ac baculi, quod dæmones pellat, & hostes occidat animæ, ac simul etiam in modum Scipionis sustentet.

5. Sed antequam huic digressioni supremam manum imponamus, non est in præteritis habendum, in eo certamine quod Israelitæ inierunt contra Amalech, vt Exod. cap. 13. videre est, Moysem delegisse Iosue, vt ad bellum proficisceretur, eique mandasse; *elige viros, & egressus pugna contra Amalech, cras ego stabo in vertice collis habens virgam Dei in manu mea.* Paraphrasis Cald. habet: & virga, qua facta sunt miracula, erit in manu mea, quis tam inops ingenij est, vt hic non videat, in erectione huius virgæ cœleste aliquod latere mysterium? nam rogo quid isthuc remedij est? quod armorum genus contra ingentes militum copias, hominumque multitudinem in collem ascendere, & virgam erectam manu tenere? An virga illa metum addere hostium animis poterat? sed desines lector admirari, si aduertas, quàta per illam virgam operatus fuerat Moyses, quæ olim in colubrum non sine ingenti omnium stupore fuerat conuersa, per quam tot Aegypto illatæ plagæ, tam multa prodigia facta sunt, tam varia ostensa portenta. hoc enim si consideres, omnis planè concidet dubitatio; cur enim hostibus magnum nō incuteret timorem, quæ tantæ efficacitatis, tantorum effectrix miraculorum fuerat? Itaque hæc ratio videtur, cur virgam contra Amalech dixit Moyses se habiturum in manu sua, nimirum volebat vir Dei non modò, vt Israelitarum hostes Amalechitæ eius terrerentur aspectu, sed vt ipse etiam recrearetur, & animaretur ad prælium, Dei populus, atque ita fiduciam & spem victoriæ cōciperet, virgam illam intuitus, atque adeò ad memoriam reuocans, quæ olim miracula illius virtute facta sunt in Agypto, crederet, quod is, qui potuit plagas illas Aegypto inferre, cyniphes producere, flumina in sanguinem conuertere, & mare rubrum aperire, nullo etiam negotio posset Amalechita superare. Verùm

7. multò verius, & efficacius Christi miles cùm se conspexerit ab inimicis obsessum, calamitatibus vexatum, magnam suæ salutis spem concipiet, & præsentem opem sibi adesse sentiet, si in eam virgam oculos conijciat, de qua interpretari possumus illud, Psal. 109. *virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum*, hoc est, si in Christum, in crucē elatum oculos, animumq; intendat, qui longè plura, ac maiora, quàm per virgam Moses operatus est. sic Dauid inter medias perse-

8. cutionum vndas memoria fortiter à Deo factorum, recreabat sese, animumque sumebat aduersus omnes hostium insultus, & persecutiones, *memor fui*, inquit Psalm. 142. *dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar.* Vbi Hieronymus iuxta veritatem Hebraicā interpretatur.

facta manuum tuarum loquebar, id est, mihi ipse narrabam, vt vel sic non desperarem, sed fiduciam conciperem. & verò etiam animabar ad libenter perferenda mala. Nusquam igitur oculos deflectat Christianus, verùm illos in verum Mosem Christum formam crucis extensis manibus in Caluariæ monte ostentantem conuertat, & experientia comperiet non Amalechitas modò, verùm multò magis vniuersum tartari robur, vel solo ipso terrore concussum, in fugã sese dare, nec audere propiùs accedere.

DIGRESSIO VII.
MORALIS,
De sacra Crucis inuentione.

1. *Admiranda crucis potentia.*

SI quis vel ipsam inuentæ crucis historiam diligenter apud se contempletur, animaduertet profectò admirandam crucis virtutem, & potentiam. quarè age iam eam hîc exponamus breuiter. Exod. decimoquinto, quasi tacitè indicari mihi videtur, isthæc inuentæ crucis historia. Narrat enim scriptura, venisse Israel in Mara, nec potuisse eius aquas bibere, eò quod essent amaræ, murmurasse verò populum contra Mosen; at illum clamasse ad Dominum: *qui ostendit ei lignum: quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt*. Numquam in mentem, cogitationemque venire Moysi potuisset lignum illud, quo omnis aquarum amaritudo in dulcorem conuertenda erat, nisi lignum ipsum, quod occultum erat, aperuisset Deus. Erant sanè initio nascentis Ecclesiæ aquæ persecutionum, quibus tyranni impiè prosequebantur fideles, amarę valdè, & felli non absimiles. Vt igitur reddita pace Ecclesia cœlestium voluptatũ dulcedine frueretur, & amara illa tempestas in suauem quamdam tranquillitatem verteretur, Helenam Reginam ad tantum munus elegit Deus, vt lignum vitæ occultum à se verò præmonstrandum inueniret, Helenam inquam non superstitiosam illam, vt per impudentem blasphemiam Magdeburgenses nominant, sed cœlestem potius mulierem, & dignissimam quam sancti Patres omnes mirificè laudent, & affirment Spiritu sancto inspirante crucis lignum quæsisse. Neque enim illa ex se incitata est ad crucem Domini quærendam, sed diuinis admonita reuelationibus. Testis locupletissimus eius rei est Eusebius in Chronico, quod Hieron. in latinum vertit. ibi enim sic ait: Helena Constantini mater diuinis monita visionibus, beatissimum crucis lignum, in quo mundi salus pependit apud Hierosolymam reperit. testis est item Ambrosius Ruffinus, Paulinus, Sulpitius, & alij.

Helena Imperatrix crucis inuentrix.

2.

3. *Crux naui comparatur, & scalæ.*

Porrò crucis inuentio clarissimum argumentum est ad concipiendam eius venerationem, & intelligendum, quantum Deo placeat. Quis enim profundum pelagus traiecturus multis obnoxium periculis, scopulis infame, & innumeris celebratum monstris, non vehementer lætetur, si audiat inuentam esse nauim quandam, quam si quis intret, facili negotio optatum portum tenere possit, omni prorsus periculo immunis? quis non in sinu gaudeat, si in altissimum montis culmen ascendere cupiens, vbi in amœnissima regione sempiternis fruatur delicijs, & in tranquilla omniũ bonorum societate conquiescat, intelligat, scalam quamdam inuentam esse, qua id tutò, & efficaci, breuique compendio obtinere possit? ecce tibi lignum crucis repertum nunc esse, quo tamquam tutissima naui ad cœlestis patriæ portum, tranquillamque vitam nullo discrimine peruenire potes. Præclarè Augustin. tractatu secundo in Ioannem. *ad illam stabilitatem nostram*, inquit, *vbi quod est, est, quod hoc solum semper sic est, vt est, volumus peruenire: interiacet mare huius sæculi, quia imus, & si iam videmus, quo imus: nam multi, nec quo eant, vident, vt ergò esset, & qua iremus, venit indè, ad quem ire volebamus. & quid fecit? instituit lignum, quo mare transeamus. nemo enim potest transire mare huius sæculi, nisi cruce Christi portatus*, & cætera. Deindè paulò pòst subdit *mare transeundum est, & lignum contemnis? O sapientia superba irridens crucifixum*, & cætera. *ipse factus est via, & hoc per mare. indè in mari ambulauit, vt ostenderet in mari esse viam. sed tu quomodò ipse, ambulare in mari non potes, naui portare, ligno portare crede in crucifixum, & poteris peruenire.* sic Augustinus. 4.

Exiguo (& quidem dubio) *ligno credunt homines animas suas*, & non credet Christianus tutissimo ligno crucis CHRISTI animam suam? 4

Quod autem crux ad patriam pòst multos errores redire nos faciat, *Dominus*, inquit Ambros. ser. quinquagesimoquinto, vel quinquagesimoprimo, *declarat, dicens, latroni in cruce posito; hodie mecum eris in paradiso. qui vtiq; latro diu oberrans, ac naufragus aliter ad patriam paradisi, de qua primo homo exierat, redire nõ poterat, nisi fuisset crucis arbori religatus*. Affirmat idem sanctus quod cùm Vlysses dulce Sirenarum naufragium, & suauitatis illius vellet declinare periculum, dicitur inserta cera auribus sociorum, se ipsum ad arborem nauigij religasse, quo & illi carerent pernicioſa auditus illecebra, & se de periculo, nauigij cursus auferret. quam fabulam sic commodat ad rem nostram Ambros. *arbor*, ait, *quædam in naui est crux in Ecclesia, quæ inter totius sæculi blanda, & pernicioſa naufragia incolumis sola seruatur. in hac ergo naui, quisquis aut arbori crucis se religauerit, aut aures suas Scripturis diuinis clauserit, dulcem procellam luxuriæ non timebit. Sirenarum enim quædam suauis figura est mollis concupiscentia voluptatum, quæ noxijs blandimentis constantiam captæ mentis effœminat.* 5. *Crux reducit nos in patriam.* 6.

Quod si tibi superandus est mons, vt ad cœlestem patriam queas peruenire, crux tibi erit fidissima scala, cui innixus est Dominus, neque timendum, nè firma minus, ac stabilis sit, CHRISTVS enim Dominus illi præduris suffixus clauis, & ambabus manibus, brachijsque protensis, ac toto corpore nitens, sustinet illam, ac ita fulcit, vt nihil verendum sit, nè vacillet. Ingredere alacriter, Christiane, & per salutares eius gradus humilitatis, patientiæ, obedientiæ, nuditatis, & charitatis, ad altissimam cœlestis patriæ regionem lætus pertinges. 7.

Cùm

8. *Diaboli odium in crucem.*

Cùm ergò tanta sit crucis præstantia, non mirum, si tanto studio dæmon eam abolere, ac de medio tollere sæpè conatus fuerit. hoc autem verissimum esse, docet historia inuentionis sanctissimę crucis, vt enim hostes Christianorum, crucis memoriam delerent, & eius omnia penitus vestigia auferrent, altissimè crucem sub terram absconderunt, & in loco crucis, Veneris simulacrum; vt in loco resurrectionis, Iouis, & in loco natiuitatis, Adonidis posuerunt, vt refert B. Hieronymus in epistola ad Paul. de institutione Monachæ. sed nihil effecêre, imò potius rem nobis vtilem effeciſſe videntur; decebat enim eo tempore occultum esse lignum crucis regnantibus persecutoribus; quorum tempore magis ludibrio, quàm honore exceptum fuisset; quousque ad initium imperij Constantini quandò tutò poterat coli, tandem inuentum est. Et vide insignem Dei prouidentiam, cur quæsò non cremarunt crucem Christiani nominis hostes? cur non flammis absumpsêre, vel etiam in mare demersêre, cùm ad id nec voluntas, nec vires deessent? nimirum Deus abstulit illis mentem, vt ad solatium piorum lignum pretiosissimum seruaretur.

9.

10. Nos igitur Christiani Helenæ Reginæ præstantissimæ gratulari debemus, quæ inuento sacræ crucis vexillo totum Christianum exhilarauit orbem, dæmonum verò renouauit pœnas, luctu illos iterum, mœroreque discrutians, & veterum prodigiorum memoriam refricauit.

11. *Quomodo vera crux ab alijs discreta & cognita.*

Cuius etiam crucis eximiam dignitatem declarasse videtur Deus, cùm per euidentia miracula demonstrauit inter tres, quæ vera crux esset, quibus simul non obscurè declaratum est, illam reuelationem, ac inuentionem non ab alio, quàm ab ipso fuisse, vt enim scribunt Rufinus libro decimo histor. capite octauo, Socrates libro primo, capite decimotertio, Theod. libr. primo capite decimooctauo, Sozomenus libro secundo capite primo, & Nicephorus libro octauo cap. vigesimonono, cùm tres cruces simul inuentæ fuissent, nec posset planè crux Domini à crucibus latronum internosci, admotæ fuerunt omnes tres ad mulierem quamdam in extremis agentem, & cum duæ priores nihil egissent, admota tertia statim illam sanitati restituit. Addit Paulinus epistola vndecima ad Seuerum; itemque Seuerus lib. 2. histor. sacræ, & idem Sozomenus ibidem etiam mortuum virum excitatum eodem tempore fuisse.

12. Quamuis autem Ambrosius oratione in Theodosium, & Chrysostom. homilia 84. in Ioannem scribant, crucem Domini cognitam ex titulo fuisse, quo aliæ duæ carebant, nihil obest ijs, quæ diximus, nam teste Ruffino non non omninò euidenter ex titulo cognita fuit, nam titulus licèt esset propè eam inuentus, nõ tamen erat illi infixus, non ergò omninò sublata erat ambiguitas. Propterea ad miraculum confugerunt.

13. *Clauus missus Constantino Imp.*

Neque verò miraculis crux tantùm emicuit, sed etiam clauus, quem ad Constantinum filium Helenam matrem misisse referunt historiæ, vt meritò dixerit Ambrosius loco cit.

A *Ecce & clauus in honore est, & quem ad mortem impressimus, remedium salutis est, atque inuisibili potestate dæmones torquet.*

Et verò non inuisibiles tantum, & spirituales hostes sanctæ crucis vexillum vicit, sed & visibiles etiam militum cohortes in fugam sæpè coniectæ, prostratæ, penitusque confractæ vnius crucis auxilio fuêre, sit verò instar omnium vnum hoc exemplum, quod Eusebius narrat libro secundo capite septimo, de eo bello verba faciens, quod Constantinus cum Licinio gesit. sic enim de Labaro illo Constantiniano scribit: *Salutari seruatoris vexillo exercitum antecedente, præclariora victoria trophæa consecutus est Constantinus. nam in qua parte istud crucis vexillum visum fuit, hostes fugam capere, victores persequi. qua re intellecta Imperator sicubi partem aliquam sui exercitus languentem cernebat, ibi salutare istud vexillum tanquam quoddam subsidium ad victoriam obtinendam locari mandauit; cuius adiumentis extemplò parta est victoria; quippè dimicantium vires diuina quadam potentia fuere ad modum confirmatæ. quapropter suis iussit satellitibus, qui & corporis robore erant, & virtute animi, & pietatis institutis inprimis eximij, vt in solam vexilli illius gubernationem omni cura, at studio incumberent. Erant viri non pauciores quinquaginta numero, quibus nihil aliud impositum erat negotij, quàm vt vallarent vndique vexillum, præsidijs minirent, singuliq; ordine illud ipsum humeris portarent.* Reliqua vide apud illum.

B

14. *Crucis vis cum contra hostes.*

C Cæterùm tunc maximè sanctæ crucis robur, & efficacitatem Christi milites experientur, cùm ad extremum iudicij diem, sese infensissimum Christianorum hostem ostentabit Antichristus, & aduersus Christi seruos crudeliter sæuiet, nimirum tunc omnibus viribus contendet filius hic iniquitatis caractere quodam proprio suos insignire contra eos, quos signo crucis Christi munitos esse conspiciet. sic enim habes in Apocalysi: *faciet omnes pusillos, & magnos; diuites, & pauperes habere caracterem suum in dextera manu, aut in frontibus suis,* nam vt inquit Ambrosius, *sicut nos habemus caracterem Christi, id est crucem, qua signamur, ita habebit antichristus proprium caracterem, quo signentur hi, qui in eum crediderint,* siuè illud signum sit Draco aliquis, siuè græcæ aliquę litteræ, siue quiduis aliud, opponere enim contendet caracterem suum contra caracterem Christi, de

D quo Angelus in Apocalyp. loquitur, cùm iussu Dei præcepit quatuor Angelis, *quibus datum est nocere terræ, & mari dicens: nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quousque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Vndè intelligimus eos, qui Christi caractere non signati perdendos esse omnes, & ab interfectore Angelo interficiendos: Verùm quicumque eius consignatione frontem animumque munierint, de manibus interficientium liberandos, & Antichristo superiores esse futuros. Tanta est sanctæ crucis contra inuisibiles, visibilesque hostes potentia.

15. *Et præcipua contra Antichristum.*

Antichristi odium in crucem.

16.

DIGRES-

Digitized by Google

DIGRESSIO VIII.
MORALIS.

Etiam crucis figura eius patefieri dignitatem.

1. SI sanctissimæ crucis virtutes exactius perspicere cupis, perpende quæso mecum eiusdem figuram, & singulas partes, videbis enim nihil in ea esse quod non ex se admirandam, & infinitam propè virtutem effundat, suauissimumque vitę non spiret odorem. Aug. tract. 4. de Cataclysmo cap. 6. crucem, scalam quamdam esse docet quatuor habentem gradus, quos posuisse ait Apostolum ad Ephes. 3. dùm dixit, *vt posſitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum. Non ergò laboriosæ sunt hæ scalæ*, inquit Augustinus, *quattuor gradus habent, & perducunt ad cœlum. in altitudine crucis, caput positum est crucifixi. sursum cor habeat Christianus ad Dominum, quod interrogatus quotidiè respondet; & ascendit vnum gradum, in latitudine crucis manus affixæ sunt crucifixi: perseuerent manus Christiani in operibus bonis, & secundum gradum ascendit. In longitudine crucis corpus pependit crucifixi, castiget quis corpus suũ obseruationibus, ieiunijs illud suspendat, vt seruituti animæ subijciat, & tertium gradum ascendit. In profundo crucis occultum est, quod non vides, sed indè surgit hoc totum, quod vides; Adsit fides Christiana; quod non potest comprehendere, credat corde, altiora se non quærat, spes eum nutriat; & tunc quartum gradum ascendit.* Alibi idem Augustinus docet profundum, fidem esse; sublimitatem, spem; latitudinem, charitatem; longitudinem, perseuerantiam.

2. *Crux scala quatuor graduum.*

3. Porrò rectè huc Augustinus eam Apostoli sententiam applicat. nam latitudo crucis vocatur lignum transuersum; sublimitas, pars ligni, vbi est titulus supra transuersum; longitudo ligni pars à transuerso vsque ad terram; profundum pars eiusdem, quæ latet sub terram; lege Augustinũ sermone septimo de verb. Apostol. & libro secundo de doctrina Christiana capite quadragesimoprimo, & epistola centesima decimanona cap. decimoquarto, & 120. cap. 26.

4. *Crucis partes passionis effectum designant.* Eædem partes Christi passionis effectum mirabiliter designant, nam lignum supremum significat cœlum, Christi passione apertum, & Deum peccatoribus esse placatum; lignum verò sub terram infixum, infernum euacuatum, & diabolum deuictum; lignum transuersum respiciens ortum, & occasum totum orbem terratum redemptum, quarè propterea Christum crucifixum adorant cœlestia, terrestria, & infernа, vt Nyssenus deducit.

5. *Crux trophæum.* Rectè item Ruffinus in expositione symbo. scribit, *sciendum quod crux triumphus erat: triumphi enim insigne est trophæum. trophæum autem deuicti hostis indicium est. quia ergò aduenens Christus tria pariter sibi regna subiecit. hoc enim indicat Apostolus ad Philippenses secundo, vbi ait, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestiũ, terrestrium, & infernorum. & hæc omnia sua morte vincebat: cõueniens mysterio mors quæsita est: vt in aerẽ sublimatus, & aereas subiugans potestates, victoriam de his supernus, & cœlestibus traderet, expansas autem manus tota die, sicut Isaias sexagesimoquinto ait: tenderet ad populum incredulum, qui est in terra: vt incredulos contestaretur, & inuitaret credentes. ea verò parte, quæ sub terram demergitur, infernа sibi regna subijceret.* hæc ille. Idem habet Venantius Pictauiensis Episcopus in exposit. eiusd. symb.

Petrus Damiani sermone de cruce, docet figuram crucis à terra in cœlum erectam, cum cœlo terram, cum Angelis cœlestibus homines, qui in terra sunt coniunxisse. Et addit, *hæc est firmissimum, & indissolubile gluten, quo conglutinantur rationales creaturæ, vt ex vtrisque fiat illa ciuitas, cuius participatio eius in ipsum.* 6. *Coniungit terrena cœlestibus.*

Diuus Iustinus Martyr in Apolog. secunda, Diuus Ambrosius sermone quinquagesimosexto, Maximus de cruce, homilia vndecima, & Minutius in Octauio. indicant. natura ipsa crucis figuram salutarem esse, atque adeò per multa vagari. Aues enim inter volandum dùm alas expandunt, crucis figuram describunt, nec sine cruce volare queunt, quemadmodum & qui inter homines natant, non sine crucis adminiculo natant, nèc nauis profunda sulcaret æquora, nisi ex malo & antenna crux fieret; nec arator proscinderet terram, nisi ex aratro, & stiua conficeret crucem, & rursum aliam ex iugo, & temone, cœlum ipsum crucem facit si trahantur lineæ ab ortu ad occasum, itemque ab Aquilone ad Austrum; quin homo ipse qui erecta est figura, si brachia, manusque portendat, formabitur in crucem. quin & seraphicæ illæ, ac beatæ mentes, quas Isaias vidit, dùm duabus alis faciem & duabus pedes contegunt, duas verò in medio positas expandunt, crucis efformant figuram quasi nos docere velint crucifixos nos esse oportere, si CHRISTO in Venerabili Sacramento assistere, & ad eum accedere dignè volumus. 7. *Crucis figura à natura salutaris.*

Sed antequam huic digressioni supremam manum imponamus, dissoluenda restat dubitatio quædam. sciscitabitur enim aliquis, cùm tam mulæ sint crucis virtutes, & admiranda potentia, quid caussæ est, quod tam pauci illas verè, efficaciterque cognoscant? nam si cognoscerent, sequerentur vtique illam, nec à se nisi amentes planè sint, depellerent. tantam salutem. Huic obiectioni Respondere cum Isaia possumus. Interrogat enim ille: *quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum?* vbi scientiam vocat, & auditum doctrinam fidei à Deo reuelatam. huic perconctationi respondet: *ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus*; quasi tacitè insinuet, eos denique credere, qui paruuli sint, quarum adhuc os lac redoleat, quique paulò ante à matris vberibus auulsi sint. 8. *Isai. 28.*

Sic dictum sapienter Nicodemo à Christo est. ille enim senex iam & ipsa venerandus Canitie, humana verò scientia tumidus non satis aptus, atque idoneus videbatur ad fidem percipiendam, ideò vt capacem illum CHRISTVS redderet dixit; *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre* 9. *Ioann. 3.*

videre regnum, & licèt miraretur ille, ac diceret, *quomodo potest homo nasci cùm sit senex?* non aliud tulit responsum, quia nimirum vt religionis nostræ mysteria quis ad discat, paruulus hoc est humilis sit, necesse est. iam ex his patet, quid sit obiectioni propositæ respondendum; ideò multos altissima, maximeque recondita sanctę crucis mysteria non intelligere, quia superbiæ vento distenti, sanctæ humilitati minimè student.

CAPVT III.

BAPTIZAT PER DISCIPVLOS CIRCA BETHABARAM.

D. 3. 22.

1. *Post hæc venit Iesus, & discipuli eius in terram Iudæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.*
2. *Erat autem & Ioannes baptizans in Aennon iuxta Salim.*
   Quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.
3. *Nondum enim missus fuerat Ioannes in carnem.*
4. *Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione.*
5. *Et venerunt ad Ioannem & dixerunt ei: Rabbi qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.*
6. *Respondit Ioannes & dixit: Non potest homo accipere quidquam nisi fuerit ei datum de cœlo.*
7. *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: non sum ego Christus? sed quia missus sum ante illum.*
8. *Qui habet sponsam sponsus est: Amicus autem sponsi qui stat, & audit eum gaudio gaudet propter vocem sponsi: hoc ergò gaudium meum impletum est.*
9. *Illum oportet crescere, me autem minui.*
10. *Qui de sursum venit, super omnes est: Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur, qui de cœlo venit, super omnes est.*
11. *Et quod vidit & audiuit hoc testatur: & testimonium eius nemo accipit.*
12. *Qui accepit eius testimonium, signauit, quia Deus verax est.*
13. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum.*
14. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.*

A 15. *Qui credit in Filium habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

SCHOLIA.

1. POST *hæc*] Dubitari potest, quò se contulerit Dominus pòst colloquium statim cum Nicodemo. Beda, inquit, non statim à disputatione cum Nicodemo in Iudæam venisse Christum, sed pòst aliquantulum temporis iterùm in Iudæam ex Galilæa, quo se contulerat, redijsse. ita vt pòst disputationem cum Nicodemo habitâ reuersus fuerit in Galilæam, & inde in Iudæam redierit. sic Iansenius, & Gl. Ordinaria. At contraria B est opinio Augustini epistola centesimaoctaua, Theophil. & aliorum passim, quod & magis probatur. hoc enim indicant hæc verba versus primi: *pòst hæc*: nempè pòst colloquium cum Nicodemo in terram Iudæam venisse. Idem confirmatur ex capite quinto vers. tertio, & vndecimo, huius libri tertij, de rebus Euangel. Videtur igitur Christus Hierosolymis fuisse per festum Paschæ, quod vbi præterijt, egressus est in terram Iudæam, ac propè Iordanem versatus. 1.

In terram Iudæam] Sic vocat secundùm aliquos ad distinctionem terræ Beniamin, in qua Ierusalem: sic Caietanus At Tolet. habet pòst colloquium cum Nicodemo habitum (quod Hierosolymis contigisse verosimilius est) Iesus cum suis discipulis in terminos alios Iudææ, seu vt vulgò dicimus, in territorium aliud se transtulit. & hoc C idem videtur esse cum eo quod alij opinantur, venisse ex vrbe Hierosolymitana in alia loca prouinciæ Iudææ, quasi dicat, non est reuersus in Galilæā, sed in terræ Iudææ loca alia. hæc eadem expositio inde etiam robur accipit, quia cùm à Galilæa in Iudæam venit Christus, numquam dictus est *In Iudæam terram*, sed *in Iudæam* ascendisse. hoc duntaxat loco in Iudæam terram venisse scribitur, quia videlicet ex vno in alium locum Iudææ se contulit. 2.

Demorabatur] quia multis ibi mansit diebus, vbi sui baptismi fecit initium. baptizasse autem dicitur, non quod ipse per se baptizarit: nam cap. seq. vers. 2. negatur baptizasse, sed quod id per discipulos suos præstiterit. Augustinus ait: vtrumque de Domino scriptum est, & quia baptizabat plures, quàm Ioannes; & quia ipsa non baptizabat; & quidem baptizasse præsentia Maiestatis, nõ tamen baptizasse manibus suis; ipsius enim erat D Sacramentum baptismi, ad discipulos autem baptizandi ministerium pertinebat. Sed cur ita locutus Euangelista? si dixisset, discipulos baptizasse, & non Christum, facilè quis iudicasset, eos baptismum Ioannis cõtulisse. Vt ergo significaret, Christum instituisse suum baptismum, & ipsius præcepto vsum eius cœpisse, maluit dicere Christum baptizasse. licèt Maldonatus nihil absurdi putet consequi, si dicamus baptizasse pauciſſimos, & ideo inferius rectè negasse Euangelistam, quod Christus baptizaret. Verùm præferenda mihi videtur omninò prior expositio. 3.

Nota iterùm ex Ribera ad Hebr. cap. 11. num. vigesimooctauo, quod *demorari* de ciuibus dici non solet, sed de transeuntibus in aliam vrbem, aut regionem & per occasionem inter eundem in aliquo loco morantibus, donec expedire se possint, vt eò, quò volunt, proficiscantur. hinc Virgilius: *Iam pridem inuisus Diuis, & inutilis annos Demoror.* 4.

quasi

si d. iampridem hinc migrasse debueram. Sic
erpres no er solet vti hoc verbo, vt hîc Ioan. 3.
& Act. 13. *Paulus autem, & Barnabas demorabantur*
Antiochiæ, & ad Hebr. 11. de Abraham dicitur:
demoratus est in terra repromissionis, vbi in
co est propriè, *incola fuit*, id est, non vixit in ea
inquam ciuis & Dominus, sed vt peregrinus, &
quasi in aliam terram migraturus, vt post ait Pau-
lus: & confitentes quia peregrini sunt & hospites
super terram. qui enim hoc dicunt, significant se
patriam inquirere, & Syriacus habet: per fidē fuit
inquilinus in terra illa. quare Erasmus non rectè
apud Paulum sumpsit παροικῆν pro commigrare; at
interpres noluit dicere *commigrauit*, sed *demora-*
tus est & melius licet παροικῆν quo vtitur Paulus,
significet etiam aliundè commigrare in locum, in
quo quis incola futurus sit. Sed eo loci magis sig-
nificat incolatum, quàm commigrationem.

4 2. *Erat autem & Ioannes*] Beda, *non debuit*, inquit,
præcursor cessare, donec veritas manifestaretur. Lege
plures rationes huius rei cur Ioannes simul cum
discipulis Christi baptizaret, apud D. Thom. 3. p. q.
38. ar. 1. *In Aennon iuxta Salim*] est enim alia ter-
minus Damasci, vt dicitur Ezech. 47. 17. *Aennō* vel
Enon vt quidam græcos imitantes vltra cōmunem
vsum legēdi dicunt, est oppidum non longè à Ior-
dane authore Hieronymo de locis Hebraicis, qui
ad eam vsq; ætatē fuisse hunc locum scribit in 8.
lapide, id est, miliari Scythopoleos ad meridiem
iuxta Salim & Iordanē; ab Hierosolymis autē 37.
6. leucis distasse idē Hieron. cōmemorat, inquit hîc
Gagnæus, quod ego nō legi apud Hieron. Vide ité
ep. 126. ad Euagriū. Baron. anno Christi 31. opinatur
idē *Enon*, quod *Aenan* (vtrumque n. nomen *fontē*
interpretatur Hieron. de locis Heb. & nominibus
Heb.) Erat aūt Aenan locꝰ inter Aeliā i. Hierusalē,
& Diospolim, id est, Lyddam, de qua Act. 9. *Salim*
verò idē Hieron. dicit, nōn tamē fuisse in Sichem,
sed eius nomine, inquit, *alia villa ostenditur vsque in*
præsentem diem iuxta Aeliam contra occidentalem
plagā, in qua etiam esse Diospolim ad Aegyptum
7. vergētem ex eodē Hieron. liquet, ac proinde recte
dicitur *Aenon*, id est, *Aenan* iuxta Salim esse. Hic
ergò affirmat iste author, id est, in hoc Iudęę loco,
Ioannem bapt. fuisse, nec longè Christum per suos.
Et confirmatur id, quia Aenon iuxta alterā Salim,
seu Sichem non in Iudæa est, sed in Samaria, atque
adeò Ioannes in Samaria, non in Iudæa cū Christo
baptizasset. Sed hoc nihil est; vltro enim da-
mus Ioannē in Samaria baptizasse nōn longè à Ior-
dane, neq; enim Euangelista id negat, nec dicit ba-
8. ptizasse in Iudæa, obijcit Baronius illā Salim fuis-
se iuxta Sichem, at regio illa Sichimorū, aquarum
fluentis carebat, vt Samaritanæ puteus satis decla-
rat. Sic occurro huic dubitationi: Salem hanc pro-
pinquā fuisse Iordani fluuio, neque adeò vicinam
Sichem; nam vt retulimus ex Hieron. erat Aennon
in 8. lapide Scythopoleos ad meridiem iuxta Sa-
lem, & Iordanem. non ergò recedendum à cōmu-
ni sententia Aennon iuxta Sichem & Iordanem
9. fuisse, non iuxta Eliā, vel Hierusalem. *Salim*] non
refert, inquit Hieronymus n. 5. Io. ci. *vtrum Salim*,
an Salem nominetur cùm vocalibus in medio literis
perrarò vtantur Hebræi, & pro voluntate lectorum,
atque varietate regionum eadem verba diuersis sonis,
atque accentibus proferantur. Scire in primis opor-
tet *Salem*, vt Gen. 14. & ad Heb. 7. cuius Rex dicitur
Melchisedech, idem esse propriè, quod *Hierusa-*
lem, sic dictam nō à Iebus mutata b. in r. & Salem,
vt quidam aiunt, nec à ἱερὸν Græca voce, quod est
templum, sacellum; sed à *Iern* deducto à verbo
ראה *raa*, quod *videre* significat, ab eius enim
futuro יראה, *ijre* mutata *Aleph* in *vau* formatur
Iern, quod coniunctum cum *Salem*, facit *Hieru-*

A *salem*, id est, *visio seu visus pacis*, id est, pulchritu-
do, vel forma pacis, q. d. spectaculum pacis, secu-
ritatis, integritatis. Obiter autē nota *Selim*, & *Salē* 10.
duas fuisse distinctas vrbes, & illam in monte *Dua Salem.*
Sion, hanc in monte Acra sitam fuisse, quæ regia
erat Melchisedech, à quo est & ædificata, & nomi-
nata quoque est ab eo *Hierusalem*; quod tamen
nomen postea factum fuit commune cum *Selim*,
sed longè post tempora Melchisedech. dixi etiam
propriè esse Hierusalem; nam Salem alterā, dicta
Sichem, non semper dicta fuit *Salem*, nec semper
hoc nomen retinuit. Vide Villalp. to. 3. lib. 1. c. 1. & 11.
2. & 3. Hieron. ecus opinatur, nimirum, *Salem*
non esse *Ierusalem*, nam quod habet in tradit.
Hebr. in Genes. ex Hebræorum opinione dicit; a-
lioqui alibi negat expresse Salem, cuius Rex dici-
tur Melchisedech, esse Ierusalem: communior tā- 12.
men opinio est, Salem illam, cuius Rex dicitur
Melchisedech, esse Ierusalem, quam opinionem
B defendit Ribe. in epist. ad Hebr. c. 7. n. 1. Deinde ad- 13.
uerte Hieron. duplicem Salem posuisse, alteram
in Sichem, alteram fuisse ait villam vsque ad sua
tempora; iuxta Eliam contra occidentalem plā-
gam, in qua est Diospolis ad Aegyptum vergens;
de prima, non de secunda est hic sermo, eadem di-
citur *Sichem*, de qua c. seq. vs. 5. ab. 12. dicemus, iuxta
hanc igitur erat Aennon.

Quia aquæ multæ &c.] non ociosum est, quòd 14.
hic dicitur Quia alioqui rarā sunt in Iudæa aquæ,
illic autem frequentes; vide & nomen *Salim* in-
ditum est, inquit Gagn. nam *Salim* Syriacum vo-
cabulum *scaturiem* significat, vel vulpem. Sed
quamobrem inquies, Euangelista meminit Baptis-
mi Ioan. vt videl. intelligeremus, quare Ioan. dis-
cipuli ægrè tulerint; quod Christus baptizaret
Ioanne fere deserto, simulque ea occasione Ioan-
nis de Christo testimonia referret.

C 3. *Nondum enim missus*] Chrysost. homil. 29. air; 15.
significare hîc Euangelistam; eousque baptizasse
Ioannem, donec in carcerem conijceretur: quo
munere non sibi gloriam; sed Christo acquire-
bat, eratque eius testimonium citra suspicionem,
& maioris apud omnes autoritatis, quàm discipu-
lorum Christi. Existimo verò ob hoc sublatum de
medio Io. vt omnis multitudinis affectus transi-
ret ad Christum. Videtur Io. de Bethabarā cessisse
Christo, & Aennon concessisse; quia videl. fortè
Christus eo venerat ad baptizandū, vel certè prō-
pe eum locum, vt vel hinc constaret Christum esse
Ioanne maiorem, daretur quē occasio Io. perhi-
bendi sequens testimonium.

4. *De purificatione*] id est, de baptismo Ioan. & 16.
Christi: vt sit sensus, vt Gagnæo etiam placet: facta
est, siue orta est quæstio, aut (iuxta illum) magis
contentio (nam ζήτησις hic, pro στάσις inquit Ga-
gnæus, positum puto) discipulorum Ioannis cum
D Iudæis, ijs scil. qui Christi prædicatione, & mira-
culis, vel à Ioanne ad Christum conuolarant, vel
Christi baptismō baptizati erant, eumque audie-
rant. Contentio hæc erat, verùm præstaret Ioan-
nis baptismus, an Christi: sed re vera optimè eti-
am dicitur; & maximè propriè quæstio, licèt non
sine contentione esset. Cæterùm, quia autores hu-
ius quæstionis fuerant Ioan. discipuli, dictum est,
ex discipulis Ioan. quare non superfluit, *ex*, vt vult
Gagnæus.

5. *Et venerunt ad Ioan.*] carnales ad huc Ioan. 17.
discipuli ad magistrum accedunt, Christo apud
eum inuidiam conflare volentes, nempè quòd
Christus quem Ioan. baptizaret, cuique laudis te-
stimonium præbuerat præillo baptismum vsurpa-
ret, & ad se Io. discipulos alliceret.

Rabbi] sic vocant Io. captantes eius beneuolen- 18.
tiam. *Qui erat tecum*] hoc contemnentium vide-

tur esse, nolunt enim Christum dicere, q.d. qui se baptizandum tibi subdiderat. *Cui tu*] q.d. vide quã ingratus est. *Ecce hic baptizat*] vrgent & hic magis, ac si dicant, tuũ munus vsurpat. *Omnes veniũt*] augent maximè rem: erant isti Io. discipuli, qui ijs verbis volebant Io. excitare in eamdem, quã ipsi pleni erant, æmulationem. Quam opinionem verè humilis, verè mitis Io. volens ab eis auferre dixit:

6. & 7. *Non potest*] ne discipuli, inquit Chryso. ab eo discederent, & nec Christo adhærerent, patienter ac leniter cum illis agit, vt eos Christo lucrifaciat, ac proinde nec acriter reprehendit. Ait ergò Io. vt Cyril. exponit: decet hominem cõcessa sibi de cœlo honoris mensura contentum esse, nec maiora flagitare, quàm ferre possit. Neque debet quispiam pudore turbari, si perfectiora diuinitùs præferuntur; sed ea potiùs magnificare quisque debet, quibus misericorditer à Deo decoratus est. Non ferat igitur hoc grauiter meorum quispiam discipulorum, meam ipse mensuram cõseruo, maiorem minimè ignoro. hominem me esse non sum nescius, quippè qui, vel testibus vobis, me Christũ ac Messiam non esse sum professus, sed eius tantùm seruum, & præcursorem. Itaque Cyril. hæc verba tanquam dicta à Io. propter se ipsum accipit (licèt D. Chrys. hom. 28. propter Christum dicta putet) idem quod Cyril. sentit Aug. tract. 13. vt sit horum sententia verborum; non potest quispiam aliquid habere, vel autoritatis, vel dignitatis, vel gratiæ, vel sanctitatis, &c. nisi id è cœlo à Deo acceperit: Ego quid acceperim sat scio, non enim dignitatem Messiæ; vos mihi testes estis quod dixerim, *non sum ego Christus.* præcursoris munere fungor, missus sum ante Dominũ, pronubus ego sum, ille sponsus.

18. *Christus sponsus & quomodo.*

8. *Qui habet sponsam*] Christus sponsus dicitur, vel quòd humanam naturam vnione verbi sibi desponderit, & coniunxerit; siue quod Ecclesiam & credentium in se multitudinem spirituali sibi matrimonio copulauerit. Ait ergò Ioannes, *qui habet sponsam*, &c. q.d. verus sponsus est Christus qui Ecclesiam sibi, humanamque naturam desponsit. Ego pronubus tantùm sum, & paranymphus, atque sponsi amicus. Amici autem officium est non inuidere maioris se gloriæ. Sed congaudere illi, & cõgratulari, quod & nunc facio, præsentẽ ipsum audiens & videns; quapropter impletum est iam gaudium meum, & cõsummatum, cùm ad eum omnes confluere videam, via illis ad cõfluendum per me in Heremo præparata, sic Gagn. *Qui stat*] assistit cernens. *Propter vocem sponsi*] vox sponsi completur præsentiam sponsi, imò & omnia, quę sponsus agit cum sponsa illam amans, cum illa familiariter agens. Potius autem se amicum, quàm ministrum vocauit, vt ostenderet se verè, & ex animo gaudere ijs, quæ circa sponsum videt: nempè, confluentibus ad eum hominibus, eumq; audientibus de nuptijs Christi, lege hic Tol. ann. 36. Mald. in c. 22. Matth. v. 2.

19. *Christus an Ioannis gloriã obscuraverit.*

9. *Illum oportet*] paulatim illum mũdo per signa, miracula, & prædicationes innotescere oportet, atq; ita sensim illi gloriã crescere, meã aũt minui.

Sed nunquid gloria Christi, cuiusq; gloriæ afficit? Nequaquã, sed sicut lucernæ lumen imminui dicitur aduentante die, non quod re vera minus luceat, sed pręmaiore lumine imminui videtur: ac sicut orto sole tam luna, quàm cætera astra nihil censentur lucere (maiori enim lumine minus semper obscuratur, & offunditur) ita collatum se ad Christũ, Ioannes ait, nihil videri præ illo. Vel minui inquit, non modò cõparatiuè, sed quia minui cęperat ille hominũ confluxus, ité æstimatio Messiæ de ipso olim habita, & iam cœperãt homines accedere ad Christũ. Itaq; tota sententia hęc est: cũ Christus, inquit Io. adhuc lateret, ignotusq; esset, cumq; id illum ego spõsam ducerem, mihi aliquis deferebatur honor, & quasi Christus putabar, circa me magni fiebant hominũ concursus. Nunc aũt declarato & cognito spõso dignitate eius, opinionemq; de eo decet crescere, & populi ad eum multitudinem augeri, & eadẽ in me minui. Vide Greg. ho. 20. Aug. tract. 14. in Io. sic scribit: *crescat in nobis gloria Dei, & minuatur gloria nostra, vt in Deo crescat & nostra.* Hoc. n. d. cit Apost. *qui gloriatur in Domino glorietur*; in te vis gloriari, & crescere; sed malo tuo, malè crescis, qui enim malè crescit, iustè minuitur. Crescat ergò Deus qui semper perfectus est, crescat in te: quantò enim magis intelligis Deum, & quãtò magis capis, videtur in te crescere Deus, ipse autem non crescit, sed semper perfectus est. Notat etiam Aug. l. 83. qq. q. 58. Ioannem referre Prophetiã Christũ Euangeliũ. Illa decreuit, postquam ꝙ prænuntiabat, aduenit, scil. crescẽte euangelio. Amb. idẽ dicit ser. 12. de nata. legẽ Ioãne repræsentari, lex aũtẽ vetus, crescẽte noua, decreuit.

10. 11. *Qui de sursum*] rationẽ reddit, cur crescere oporteat Christum, quia *qui de sursum venit*, id est, qui de cœlo venit, videl. à patre missus vt Deus, superiorẽ illũ necesse est infernis esse omnib. & terrenis, imò & angelis, deniq; omnibus. *Qui autẽ de terra est*, vel græcè, *ex terra*, id est, ortum habet & originem à terra, de terra est cõpositus, & ideò ex se nõ nisi terrena sapere, & loqui potest, nisi aliũde iuuetur. Nõ quod spiritualia, viri sancti, qui de terra sunt, cęlestiaq; non loquatur, sed quia, vel id à Deo, non sua virtute habent; vel quia collata ea, quæ loquuntur, ad ipsam Christi doctrinam merè terrena videantur; vel quia non habẽt vim eam, efficacitatemq; ad permouendos hominũ animos, quàm Christi verba, quæ iure proinde vitæ æternæ sunt: nũquam enim sic locutus est homo: & perinde est, ac si diceret Io. nõ mirũ quod me deserto ad eum turbæ cõfluunt: ego. n. vt homo loquor, quod si quid boni persuadeo, Dei virtute id facio. Ille tanquam Deus virtute sua mouet & afficit, & persuadet, eoq; maius est eius testimonium meo, quod quæ ille vidit, & audiuit, testatur. Loquitur hic Io. de te præsertim, licèt ea quæ dicit ad omnes homines etiam pertineant, atq; ita non mirũ quod quidã interpretantur verba hæc à Io. dicta tanquã de se, quidam vt dicta de omnibus, vtrumq; verũ.

Nemo] Pauci, non quod planè nulli fidem illi haberent; nam subdit:

12. *Qui accepit eius testimonium signauit*] id est, fide ipsa testatur Deum, hoc est, ipsum Christum, vel patrem, qui misit eum, esse veracem, quippè qui promisso steterit; vel testatur Deum esse veracem, quia Christi verba Dei verba erãt. Vnde subditur, *quẽ enim misit Deus, verba Dei loquitur*; licèt enim quilibet Deum esse veracem generatim fateatur, quis enim nisi planè amens neget? non tamen speciatim: qui. n. Christo non credit à Deo patre misso, vel qui Deus est, negat Deum esse veracem. Pro, *signauit* Gr. est, ἐσφράγισεν, id est, *sigillauit*, siue obsignauit, quod sic Gag. exposuit; nimirum in animo suo tãquam in sigillo impressum habet, Deum veracem esse, vel etiam dici potest, testari quasi adhibito sigillo.

13. *Quem enim misit*] videntur hæc potissimũ referenda ad ea, quæ v. 11. dixit, *& quod vidit, & audiuit hoc testatur*; vt reliqua sint obiter interiecta, q.d. testatur ꝙ à Deo audiuit, quia quẽ misit Deus, verba Dei loquitur. *Non enim*] probat verba Dei loqui. Nam qui ad mẽsuram spiritũ habet, (vt sunt cæteri hominũ, quorũ *alijs datur per spiritũ sermo sapiẽtiæ, alijs sermo scientiæ*, 1. Cor. 12.) is non est necesse, vt quicquid loquitur verbum Dei sit, potest enim aliquando non DEI, sed suo ipsius spiritu loqui: Qui autem non ad mensuram

habet

habet spiritum, id est, Christus cùm non alium habeat spiritum, quàm diuinum, vt Deus est, non potest nisi spiritu Dei loqui; vt verò homo Deus, non potest nisi Deo placentia, & Deo inspirante loqui, atq; adeò quicquid Christus loquitur, verbum Dei erit.

24. Verùm quod Pererius notat, mihi valdè illustrare huius loci sententiam videtur: dare inquit aliquid ad mensuram, vel cum mensura, & dare aliquid non ad mensuram, vel sine mẽsura sunt in sacra scriptura locutiones quasi prouerbiales; & dare quidem ad mensuram, vel cum mensura significat modicè & parcè dare; nã quod subtiliter mẽtiendo vel numerando, vel ponderando damus, nõ largè, sed parcè dare volumus; sic Ezech. 4. aquam bibes in mensura. & cap. 7. Iudith legimus, propter penuriam aquæ datam fuisse populo aquá ad mensuram. At dare aliquid non ad mensuram, vel sine mẽsura, significat dare illud largè, prolixè, copiosè. Oseæ 1. *Erit numerus filiorum Israel, sicut arena maris, quæ est sine mensura* 1. Esdræ 7. scriptum est, Regem Artaxerxem iussisse dari Iudæis vinum & oleum, &c. cum certa mensura, at verò sal dari eis sine mensura.

25. 14. *Pater diligit filium*] secundùm Augustũ, redditur causa, propter quam ad mensurã non sit ei spiritus datus. Hæc si de Christo vt Deus est intelligantur, non redditur causa per illa verba; *& omnia dedit in manu eius*, quasi sit sensus: Pater diligit filium, & ideò dedit ei omnia: nam vt notat hic Caiet. generatione, nõ dilectione omnia tradita sunt vnigenito. Sed Tò, *&*, significat hîc *atque adeò*; vel, *& non tantùm diligit, sed etiã* &c. si verò de Christo vt de homine loquamur, ne sic quidẽ redditur propriè causa, ait Maldon. cur omnia Pater dederit in manu eius; neq; enim prius Pater dilexit hominem illum Christum, & postea dedit omnia in manus eius, sed simul formauit, & filij personę cõiunxit, & simul omnia quæ habebat, cum eo communicauit, vt ait Ammonius, & habet hic Maldon. & postea dilexit. Verùm mihi videtur non esse hîc sermo de Christo vt Deus est. Nam hoc modo, quę accepit à Patre per generationem, & substantialiter; sunt essentia, potẽtia, &c. Hæc autem non sunt in manu eius, hoc est, subdita eius potestati, nisi valdè impropriè. Quod verò continet hæc expositio de Christo vt homo est, non video quomodo sit verum, videl. dilectionem non fuisse causam, quamobrem ei darentur omnia in manu, id est eius potestati omnia cõmitterentur, etiam redemptio, & salus. Quare planior sententia est amorem in Christum vt filium, id est, quia dilexit vt filiũ, hoc est, quia voluit illi homini diuinum filij esse communicare (hoc enim est præsertim hîc *diligere*) propterea etiam voluit eidem omnia committere, nimirum illi humanitati rerum omnium imperiũ, nostrum omnium salutem.

26. 15. *Qui credit in filium*] Qui solus salutem, & vitam æternam dare potest. Ego quidem, inquit Ioãnes, ad eam tantùm præparare possum, illi in manu est eam sibi fidem habentibus, & credentibus elargiri. Qui autem ei non crediderit, non videbit vitam: quia Christũ veram vitam aspernatus est, sed in morte permanebit æterna, nimirũ in Dei æterni ira & indignatione, quæ iugis manet super diffidentes & incredulos in vindictam perpetuo manentem, vt Prou. 19. *Parata sunt derisoribus iudicia, & malleipercutientes stultorum corporibus.* Itaque *manet* permanentiam quandam, & æternitatem significat.

27. Ex his est colligere duplicem pœnam, alteram damni; *non videbit vitam*: alteram sensus; *ira Dei manet super eum.*

A

CAPVT IV.

RELINQVIT IVDAEAM, ET IN GALILAEAM PROFICISCITur per Samariam.

D. C. 4. 1.

1. *Vt ergò cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes.*
2. *Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius.*

B

3. *Reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam.*
4. *Oportebat autem eum transire per Samariam.*
5. *Venit ergò in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo.*
6. *Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergò fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta.*
7. *Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus, da mihi bibere.*
8. *Discipuli autem eius abierant in ciuitatem,*

C

vt cibos emerent.

9. *Dicit ergò mulier illa Samaritana: quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.*
10. *Respondit Iesus, & dixit ei: si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere: Tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.*
11. *Dicit ei mulier: Domine neque in quo haurias habes, & puteus altus est, vnde ergò habes aquam viuam?*
12. *Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius?*

D

13. *Respondit Iesus, & dixit ei: omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.*
14. *Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*
15. *Dicit ad eum mulier: Domine da mihi hanc aquam vt non sitiam: neque veniam huc haurire.*
16. *Dicit ei Iesus: vade voca virum tuum, & veni huc.*
17. *Respondit mulier, & dixit: non habeo*

virum : dicit ei Iesus : benè dixisti,
quia virum non habeo.
18. Quinque enim viros habuisti, &
nunc quem habes non est tuus vir: hoc
verè dixisti.
19. Dicit ei mulier: Domine, video quia
Propheta es tu.
20. Patres nostri in monte hoc adora-
uerunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis
est locus vbi adorare oportet.
21. Dicit ei Iesus, mulier crede mihi,
quia venit hora, quando neq; in mon-
te hoc, neque in Hierosolymis adorabi-
tis patrem.
22. Vos adoratis quod nescitis: nos adora-
mus quod scimus: quia salus ex Iu-
dæis est.
23. Sed venit hora, & nunc est, quando
veri adoratores adorabunt patrem in
spiritu & veritate. Nam & pater
quærit tales qui adorent eum.
24. Spiritus est Deus: & eos qui adorant
eum, in spiritu & veritate oportet ad-
orare.
25. Dicit ei mulier: scio quia Messias ve-
nit (qui dicitur Christus) cùm ergò ve-
nerit ille, nobis annuntiabit omnia.
26. Dicit ei Iesus: ego sum qui loquor te-
cum.
27. Et continuò venerunt discipuli eius,
& mirabantur, quia cum muliere lo-
quebatur. nemo tamen dixit, quid
quæris, aut quid loqueris cum ea.
28. Reliquit ergò hydriam suam mulier,
& abijt in ciuitatem, & dicit illis ho-
minibus.
29. Venite & videte hominem, qui dixit
mihi omnia, quæcunq; feci, numquid
ipse est Christus.
30. Exierunt ergò de ciuitate, & venie-
bant ad eum.
31. Interea rogabant eũ discipuli eius di-
centes: Rabbi manduca.
32. Ille autem dicit eis, ego cibum habeo
manducare, quem vos nescitis.
33. Dicebant ergò discipuli ad inuicem:
Numquid aliquis attulit ei manduc-
care.
34. Dicit eis Iesus: meus cibus est, vt fa-
ciam voluntatem eius qui misit me,
vt perficiam opus eius.
35. Nonne vos dicitis, quod adhuc qua-
tuor menses sunt, & messis venit? Ec-
ce dico vobis, leuate oculos vestros, &
videte regiones, quia albæ sunt ad
messem.
36. Et qui metit mercedem accipit, &
congregat fructum in vitam æter-
nam, vt & qui seminat simul gau-
deat, & qui metit.
37. In hoc enim est verbum verum, quia
alius est qui seminat, & alius est qui
metit.
38. Ego misi vos metere, quod vos non la-
borastis: alij laborauerunt, & vos in
labores eorum introistis.
39. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcũque feci.
40. Cùm venissent ergò ad illum Samaritani, rogauerunt eum, vt ibi maneret: & mansit ibi duos dies.
41. Et multò plures crediderunt in eum propter sermonem eius.
42. Et mulieri dicebant, quia non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est verè Saluator mundi.
43. Post duos autẽ dies exijt inde, & abijt in Galilæam.
44. Ipse enim Iesus testimoniũ perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non habet.

C.4.14. regressus est in virtute Spiritus in Galilæam.

SCHOLIA.

1. Pharisæi] Quorum consilio captus est Ioannes: vel certè Pharisæos vocat discipulos Ioannis, qui maximè fuerunt ex Pharisæis. 1.

2. Quamquam] correctio est eius, quod superiori cap. dixerat v. 1. & demorabatur cum eis, & baptizabat, videl. nõ per se, sed per discipulos; qui verò per alium facit, per se ipsum facere videtur. quamuis verè alia quadam ratione solus ipse baptizaret: quippè qui suapte virtute solus peccata ablueret. Fortassis etiam Pharisæi disseminarunt ipsum baptizasse, vt maiorem inuidiam, odiumq; in illum concitarent.

Noluit porrò Dominus per se hîc baptizare, sed per discipulos, vt ostenderet discrimen inter suũ, & Ioannis bapt. sinum. Ioannis baptismus non erat idẽ si ab alio, quàm à Ioanne datus fuisset, quia Ioannis nomine non dabatur. Christi verò baptismus à quocunque daretur, Christi erat: quia non eius, qui dabat, sed eius, qui instituerat, Christi nomine & authoritate dabatur. Sic Cyrillus hic, & August. contra Donatistas sæpè. 2.

Sed quæret quis, an baptismus hic Christi fuerit, an potiùs Ioannis? Chrys. ho. 28. in Ioan. & Theophyl. in c. 3. Io. docent, hûc baptismum, quo Christi discipuli baptizabant, fuisse baptismum tantùm in aqua, non spiritu. Videtur fauere Leo ep. 4. ad Episcopos Siciliæ c. 3. verùm August. tract. 13. & 15. & ep. 108. ad Seleucianum; Cyril. l. 2. in Ioan. c. 57. longè verosimilius affirmant, non aliũ hunc, quàm Christi baptismum fuisse, nec tantùm in aqua: alioqui non rectè diceretur Christus ipse baptizasse, sed Ioannes potiùs diceretur baptizasse eos, quos discipuli Christi baptizabant. Quãquam nec id verum est, nec factum legimus, quod quispiam in baptizando Ioannis veluti minister esset, vel cum eo, vel loco eius baptizaret. Et Ioannis primo dicitur; hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Ad hæc, nec fuisset inter discipulos Christi, & Ioannis vlla contentio, imò verò vehementer illi gauisi fuissent. 3.

Quomodo ergò inquies verum est, quod legi- 4.

mus:

ſanctum nondum fuerat datus, quia nondum fuerat glorificatus. Reſpondet Albi- inquit, dabatur Spiritus ſanctus in orum baptiſmo, non tamen ea mani- a poſt aſcenſionem & glorificationē erùm quia Chriſtus nondum ſatisfe- nium peccatis, ideò baptiſmus iſte peritbat cœli ianuam, nec tamen hoc tu baptiſmi.

eres, quando fuerit Chriſti baptiſmus icendum inſtitutum, quòdo Dominus ne à Ioanne baptizatus eſt. Sic habe- bif. conc. Trid. ſed obſeruandū ex Bel- pt. c. 5. non eſſe hoc ita accipiendum, ui baptiſmi Chriſtus docuerit mate- nam baptiſmi. Sed quod tunc primò ind poſtea declarauit Ioan. 3. Nicode- tempore ſuis diſcipulis, vt aqua eſſet ptiſmi, & vt forma eſſet inuocatio triū n diuinarum. determinauit enim aquas materiam, cùm eas tactu mundiſſimæ conſecrauit, id eſt, deputauit ad ſanctifi- m. Similiter, & formam decreuit, cùm in ptiſma e rota Trinitas apparuit omnium Matth. 3. vbi etiam teſte Hilario declaratus tiſmi effectus, nam & baptizatis aperitur , & in filios à Patre adoptantur, & Spiritu replentur.

6. verò ab eo tempore quo baptizatus eſt, Chriſ- ternam, ac deliberatam voluntatem habue- rit, vt huiſmodi baptiſmus efficacitatem haberet; etiam antequam declararet id hominibus, eoſque doceret materiam hanc & formam, incertum eſt. Illud videtur certiſſimū, & ſi nō de fide, ante mor- tem factam eſſe ab eo hanc materiæ, ac formæ de- clarationem, puta ſi non hoc tempore, cùm in ter- ram Iudæam venit, ſaltem alio: licèt D. Leo ep. 4. decreta. c. 3. aliter videatur ſentire, quem interpretatur Suarius to. 3. d. 19. ſec. 1. ſub fin. & eundem conſule ſect. 2. ibid.

7. Sed iterum ſciſcitaberis, an baptiſmus etiam prius inſtitutus fuerit neceſſarius. Reſp. nec medij nec præcepti neceſſitate neceſſarius erat ante diē Pentecoſtes. Quare illud Ioan. 3. *niſi quis renatus*, &c. intelligendum eſt, non quod tunc neceſſarius eſſet baptiſmus, ſed quod eſſet ſuo tempore futurus neceſſarius, vt ibi n. 13. ſumus interpretati. Sic Bern. ep. 77. ad Vgon. & eodem modo intelligen- dus eſt D. Fulgen. l. de fide ad Pe. c. 3. illud verò Luc. 17. lex & Prophetæ vſque ad Io. non ſignificat tunc legem ceſſaſſe, quoad vim, & obligationem, ſed quo ad prædicationem. Fuit enim Ioannes vl- timus Prophetarum. Nam ideò ſubditur: ex eo regnum Dei euangelizatur. Poſt reſurrectionem quidem publicauit, ac ſollemniter propoſuit ba- ptiſmi formam.

8. Dubitari etiam hîc poteſt, ſub qua forma bapti- zarint Apoſtoli. Sunt qui in nomine Chriſti, & ſunt qui in nomine Trinit. baptizaſſe affirment. Primum ſequitur Can. l. 8. de locis c. 5. & Tole- ann. 1. in c. 4. Ioan. ſecundum ſequitur Magiſter 4. d. 3. §. 7. Sed prior ſententia ſimilior vero eſt, quod in Chriſti, vel Ieſu Chriſti nomine baptizarint: nondum enim Chriſtus præceperat Apoſtolis, ne cui dicerent, quod eſſet Chriſtus Matth. 15. & de- cebat tunc celebre eſſe Ieſu Chriſti nomen, vt & confirmaretur teſtimonium Ioan. affirmantis Ie- ſum eſſe Chriſtum, & Meſſiam, & agnum Dei, & ſponſum, &c. itaque cùm Trinit. myſterium non- dum eſſet notum, necdum accipi poſſet, vt à Chri- ſto ipſo dictum, quod eſſet Meſſias, vel Chriſtus, ſed potiùs vt doctrina Io. ideò non eſt ita credi- bile, quod baptizarent in nomine Trinit. ſed mul- tò verius quod in nomine Chriſti, eamq; formam

ſub qua for- ma baptiza- rint Apoſtoli

A ſeorſim edoctos fuiſſe à Chriſto diſcipulos non dubito, ſi verum eſt in nomine Chriſti baptizaſſe.

Poſtremò in dubium reuocari poteſt, an Apoſtoli baptizati fuerint. Reſpon. cum Auguſt. lib. de origi. animæ cap. 9. & ep. 108. ante Chriſti paſſionem vero ſacramenti baptiſmo fuiſſe ablutos: & corroboratur hoc ex eodem ep. 163. quia Euchariſtia, & ordo baptizatis conferuntur. Quare Niceph. lib. 2. c. 3. ex Euodio refert, Chriſtum manibus ſuis Petrum tantùm baptizaſſe, & Petrum filios Zebedæi cum Andreas; hos verò cum Petro alios Apoſtolos. In prato ſpirituali cap. 76. ex Clemen. Stromatæo l. 1. hypotipo. idem de Apoſtolis aſſeritur. Iterum 70. diſcipulos à Petro & Ioanne baptizatos, habes ibidem apud Nicephor. Quare non eſt recipiendum, quod Chryſoſt. hom. 24. in acta Apoſtolorum ſignificat, Apoſtolos non fuiſſe baptizatos ante Penteceſten. Pium eſt autem credere quod ait Euthym. Ioan. 3. Chriſtum ante Apoſtolos matrem ſuam ſuis manibus baptizaſſe; cùm autem baptiſmus ſit initium nouæ legis; & ianua reliquorum ſacramentorum, non rectè diceremus hos baptizatos poſt reſurrectionem. De D. Io. Bapt. quidam vt verosimilius aſſerūt à Chriſto baptizatum ex Matth. 3. *Ego à te debeo baptizari.* Certè Nazianzen. oratione in ſancta lumi. Hieron. & auctor imperf. in c. 3. Matth. affirmant ſaltem ſpiritu à Chriſto baptizatum.

9. Apoſtoli an baptizati fuerint.

Chriſtus matrem & Petrum ſuis manibus baptizauit.

10.

B

3. *Reliquit Iudæam*] Auguſt. reddit cauſam; quia cognouit, inquit, eorum ſcientiam ſimul & inuidentiam: non enim didicerant vt ſequerentur, ſed vt perſequerētur. Poterat quidem præſens non terreri ab illis ſi nollet, ſed vt homo hominibus in ſe credituris ſe præbebat in omnibus exemplum: non procul qui ſecedit in alium locum videſ furorem ſe perſequentium. Fecit ergò hoc vt doceret, non quia timeret.

11.

C

Abiit iterum in Galilæam] hic eſt ſecundus receſſus, vel reditus in Galilæam. Videtur porrò hîc intelligenda Galilæa inferior, & quidem mihi ſatis probabile eſt Dominum Nazareth nunc vehiſſe, de hoc reditu in Galilæam videtur Luc. loqui c. 4. Cæterùm audita traditione Io. deceſſit Nazareth & Galilæa inferiore relicta, in ſuperiorem, atque adeò Capharnaum ibi habitaturus; acceſſit.

12.

4. *Per Samariam*] non ciuitatis, eſt hîc Samaria nomen, ſed regionis ſic dictæ à Ciuitate, quam ædificauit Amri Rex Iſrael 3. Reg. 16. quæ diruta, & inſtaurata, *Sebaſte* dicta eſt. Non otiosè verò ait Euangeliſta, *oportebat eum tranſire per mediam Samariam*, ne in odium Phariſæorum, quibus inuiſæ erant gentes, & cumprimis Samaritani, videretur relictis Iudæis ad alienigenas tranſire; cum eiſque quod Iudæis non licebat, commercium habere. Porrò à Iudæa in Galilæam proficiſcenti, media occurrit Samaria.

v. 13.

D

5. *Sichar*] videtur eadem, quæ Sichem: corruptè temporibus Chriſti Sichar dicta, de qua Euſeb. de locis Hebr. quod opus Hieron. latinum feciti *Sichem* ait, *& Salem, quæ latinè & græcè Sichima vocata eſt ciuitas Iacob, nunc deſerta eſt, oſtenditur autem locus in ſuburbanis Neapoleos iuxta ſepulchrū Ioſeph, quam ſubuertit Abimelech* (Iud. 9.) *& ſeminauit in ea ſalem, ſicut in lib. Iudicum ſcriptum eſt.* Poſtea verò inſtaurata eſt à Ieroboam, vt regnorum narrat Hiſtoria 3. Regum 12. & ſita eſt in finibus tribus Ephraim. Sed & filius Hemor appellabatur *Sichem*, à quo locus nomen acceperat, Gen. 34. fuit autem, & altera Sichem in monte Ephraim ciuitas fugitiuorum. *Andreas* Maius c. 20. Ioſue, negat duplicem eſſe Sichem. *Euſebius* inquit, *diuerſam eſſe putat hanc Sichem* (loquitur autem de

14. *Sichar quæ ciuitas.*

hac fugitiuorum in monte Ephraim) ab illa Dina stupro, Ioseph sepulchro, alijsq; multis rebus nobilitata vrbe quã posteritas dixit Neapolim, vulgò nunc Naplozam vocat: sed veteres Iudæi in commẽtarijs scriptis Tambuma, siue Ielam Medena, Neapolim fuisse Asylum censent, idq; ego esse credibilius opinor, cùm de duabus Sichem nil certi proditum sacris literis esse videatur. Fuit quidem vt apparet, Sichem apud mõtem potiùs, quàm super montem posita, sed satis fuisse puto, vt vrbis indicium mons procul visui facere

16. *posset.* Hæc Masius. Borchar. de diuisio. Terræ sanctæ: *Inter montes*, inquit, *Bethel & Dan sita est vrbs Sichem, hodie Neapolis dicta, incredibili amœnitate & delicijs abundans, non tamen munita, nec enim munitionis capax, ob idq; incursionibus hostium obnoxia, hanc readificauit Ieroboam, fuitq; prima sedes regni eius, à porta Sichem australi, quantum bis iacere posset arcus, est fons Iacob. super quem fatigatus ex itinere sedit Iesus Ioan. 4. Fons ipse effossus est in via, qua tendimus Hierusalem.* Beda de locis sanct. cap. 5. *Prope ciuitatem*, inquit, *Sichem, quæ nunc Neapolis dicitur, Ecclesia quadrifida est, hoc est, in modum crucis facta, in cuius medio fons Iacob habetur quadraginta cubitos altus, de quo Dominus a quas à Samaritana muliere petere dignatus est.* hæc ille. Meminit eiusdem Ecclesiæ ante Bedam Hieronym. de loc. Heb. in Acta Apost. aitque, ad latus montis Garizim positam esse. Vide ibi. verbo, *Si-*

17. *chem.* Ex his apparet non duas fuisse Sichem, sed vnam, quæ hîc Sichar vocatur: præterea non videtur fuisse olim sita, vbi nunc Neapolis omninò, quod etiam Aranda, & Borcar. significant, imò Euseb. seu mauis Hieron. de locis Heb. licèt vulgò secus iactetur. Borcar. putat in loco Neapolis fuisse Thebe Iud. 9. distat Sichem ab vrbe Samariæ, teste Borcar. duabus leucis; ab Hieroly. ex sententia Abulen. Gen. 12. leucis 10.

18. Caiet. in Gen. 33. 48. dicit *Salem* ibi esse nomen appellatiuum, & significare integrum, sanumque: est enim Heb. & venit Iacob. Salem (id est integer, sanusq; ciuitatem Sichem, nam inquit, non habet præpositam præpositionem vllã, & salem alioqui integrum significat, q.d. venisse sanus quod attinet ad coxendicis morbum. At repugnat hoc nostro interpreti, qui sic vertit. *transiuitq;* (Iacob) *in Salem vrbem Sichimorum.* Est ergò verum *Salem* fuisse nomen vrbis Sichem. Cæterùm vt superiori cap. diximus n. 10. non diu, nec ab initio hoc nomen tributum est Sichem ciuitati Sichimorum: quod ex hoc loco Io. haberi potest: *venit enim*, ait, *in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.* Ergò tunc nõ retinebat nomen Salem, alioqui sic nominasset Ioannes, vel certè dixisset, *quæ vocatur Salem*, sicut alijs circumstantijs locum describit.

19. *Iuxta prædium*] Nota est historia Gen. 33. emerat Iacob à filijs Hemor partem agri cẽtum agnis, cùm venisset ex Mesopotamia Sichem. Cùm autẽ in Aegypto moraretur præter duplicem hæreditatis partem, hanc etiam agri partem adiecit, deditque Ioseph Gen. 48. & dicebatur *prædium Iacob.* Ergò propè hoc prædiũ sita erat Sichar. Porrò vel propè, vel intra idem prædium erat fons Iacob extra Sichem duplici arcus tractu distans, & in eodem prædio sepultæ iacebant ossa Ioseph. De qua re lege Perer. Gen. 48. 9. 2.

20. 6. *Fons*] à fundenda aqua, & ipsi putei *fontes* dicuntur. Dicitur *fons Iacob*, id est, effossus à Iacob. August. puteus erat inquit, sed omnis puteus fons, non omnis fons puteus.

Sedebat sic] *sic*, id est, simpliciter, videl. prout locus vel casus se se offerebat; vel humi sine sede; alij referunt ad verbum *fatigatus*, q.d. *sic.* i. modo, habituq; hominis fatigati. Alij malunt *sic* esse illatiuam, vel causalem particulam vt significet, pro-

A pterea q.d. fatigatus ergò erat, & propterea sedebat, vt Psal. 60. *sic Psalmum dicam nomini tuo*, vbi *sic* sumitur pro *ergo*, vel propterea. Alij *sic*, id est, negligenter, ac leuiter, ita vt hæc notent laudabilem corporis sui incuriam. Hinc Terent. in And. *mirabar hoc, si sic abirent.*

Supra] id est, iuxta fontem, vt *super flumina Babylonis*, & *stans super eam imperauit febri.* *Hora erat*] notatio horæ ad historiam pertinet; erat enim penè meridies, quando sol vehementior est. Itaque fatigatus fuit Iesus, & longo itinere, & æstu solis, vel ardore. 21.

7. *Mulier de Samaria*] id est, Samaritana, alioqui ciuitas ipsa *Samaria* dicta, & postea *Sebaste*, vel *Augusta* procul aberat. Veniebat autem hæc mulier de Sichem, in qua habitabat. *Da mihi bibere*] ieiunus erat, bibere tamen petijt, non vt re vera biberet, vt quidã volunt, licèt sitiret; nam nec post multum tẽporis bibit, nec oblatos cibos sumpsit, sed vt per eam occasionem mulierem docere aggrederetur. An verò biberit Christus, vel certè, an illi obtulerit aquã Samaritana dubium est, & probabilius bibisse, vel obtulisse illi aquam Samaritanam opinatur Maldo. in fine versus 9.

8. *Discipuli enim*] Illud *enim*, causam reddit cur ipse per se à muliere aquam petierit, aberant enim discipuli, sed hæc erat humana causa, & externa. Latebat intus diuina altera, & occultior, qua factũ est, vt & discipuli non adessent, vt ita colloquij vltro, citroq; daretur occasio; vtque solus cum sola loqueretur. Omnes abierant discipuli, vt omnes laboris essent participes; & citius necessaria afferrent. Solum autem reliquêre, quia nouerant Christi mores, ac mansuetudinem, & modestiam. Neq; enim relinqui se solum ægrè ferebat. 22.

9. *Ergò*] duo significat, & quia bibere poposcerat Christus, & quia mulier illa Samaritana erat. 23.

C *Quomodo*] exprobrantis est. contemnebant enim Iudæi Samaritanos, q.d. quomodo tu nunc Iudæus potum à me Samaritana petis? potest & esse irridẽtis Iudæorum superstitionem. Procul dubio ex lingua, & habitu cognouit Christum esse Iudæum. *Non enim coutuntur*] id est, commercium cum eis non solent habere tamquam cum Idololatris & q. gentilibus, præsertim verò dum cibum, potumque sumunt. nam in rebus necessarijs, breuiq; sermone non abstinebant Iudæi conuictu gẽtium. Propterea non dixit hæc mulier, *cur mecum loqueris*; sed *bibere à me poscis*: putabant enim pollui Iudæi, si cibis gẽtium, & vasis vterentur. Necesse enim erat vti Christum mulieris huius amphora si bibendum illi fuerat. Deut. 7. 2. cautum erat ne Iudæi cum gẽtibus inirent fœdus, imò verò magis abominabantur Samaritanos, quàm gentes (vt & nos Christiani hæresi infectos) tum propter vetera odia, de quibus l. 1. Esdræ 6. & Ioseph. l. 11. c. 4. antiqu. tum quia *Odium Iudæorum in Samaritanos.* 24.

D & si quinque libros Mosis reciperent, cæteros tamen scripturæ libros abijciebant, Gentiumq; idola colebant. Iurè ergò Iudæis plus quàm cæteræ gentes inuisæ erant. Vnde opprobrij loco Christo obiecerãt, Samaritanum eum esse. Chrysost. hom. 30. & Theophyl. dicunt licuisse Samaritanis agere cum Iudæis, non contra, propterea mulierem dixisse, *quomodo tu*, &c. nec respondisse, *dare non licet.* De Samaritanorum origine, & quomodo in Samariç regionem venerint, lege librum 4. Reg. 17. & 18. & Iosue. 9. antiq. 14.

Sed scifcitatur Chrysosto. loc. cit. cur Christus contra legem, & traditionem Iudæorum de muliere hac poscit bibere? Respondet exemplo voluisse docere, non esse iam necesse illas Iudæorum traditiones obseruare. Sed inquies, nondum erat abrogata lex: non ergò licebat illam præuaricari. Pro Chrysostomo respondeo, in manu 25.

Digitized by Google

Christi totam legem fuisse, eum Dominum, eum Regem esse, si omnia licuisse. Quare Carthusianus ait, illud quidem cum Samaritanis commercium prohibitum fuisse, sed Christum vt Dominum dispensandi potestatem habuisse: Tol. hic negat vetitum fuisse hoc commercium, quod & verius videtur. Lege Abul. 4. Reg. 17. ver. 24. & Iudicum 19. Quare paucis respondeo cum Cyrillo lib. 2. cap. 80. legem solùm prohibuisse tactum immundi. Adde & commercia, & fœdera cum infidelibus. Iudæi huiusmodi prohibitiones extenderunt, & alia superstitiosa miscuerunt. Neque verò commercij loco habebatur, si cibos emerent, vel si bibere poscerent, vel quid acciperent, dum iter per eorum fines facerent, saltem vtcumque necessarium.

26. 10. *Si scires*] Aliqui se ipsum *donum* vocasse Christum hic putant, q.d. si scires quantum hominibus donum Deus præstiterit, quod me ad eos miserit, & quis ego sim, qui à Deo missus sum, & qui tecum loquor; tu aliam à me aquam postulares, sic Ammo. vel *donum Dei* dicitur, quod tam commoda illi mulieri occasio salutis oblata fuerit, vt Christum ad fontem inueniret, à quo fœliciorem, præstantioremque aquam hauriret. Vel idem est, *Si scires donum Dei*, ac, quod dicitur, *& quis est qui dicit tibi*, &c. per exegesin enim dictum esse hoc videtur, vt idem sit & illius explicatio. Dixerat enim mulier, *quomodo tu Iudæus cum sis*, arbitrata ita Christum esse Iudæum, vt nihil præterea supra Iudæos esset & homines: propterea Christus, *si scires*, inquit, non solùm me Iudæum, sed Regem etiam Iudæorum, & verò Deum, *tu petijsses abeo bibere, & dedisset tibi aquam viuam*, id est, baptismi, vel Spiritus sancti gratiam, vel ipsum Spiritum sanctum vitam in se habentem. De baptismo intelligunt Ambros. ser. 31. & Cypr. ep. 63. gratiam Spiritus sancti Cyril. Chrysost. Theoph. Spiritum sanctum Aug. lib. 83. quæstionum q. 64. Basil. Ps. 45.

27. *Spiritus S. dicitur aqua viua vocetur.* Cæterùm quomodo Spiritus dicatur *aqua viua*? docet eruditè Tol. annot. 10. & 11. Quod si roges quidnam est *aqua viua*. August. tract. 15. *viua*, inquit, *aqua dicitur vulgò illa, quæ de fonte exit, illa verò quæ colligitur de pluuia in lacunas, vel cisternas aqua viua non dicitur*. Euthymius aquæ vita fluere est, ac moueri, quæ rectè baptismo, & gratiæ, & Spiritui sancto adaptantur: viuificant enim, irrigant, salire faciunt, & moueri ad bona æterna, & virtutes. Aduertit hic Gagnæus, quod sensim Christus à muliere aquam postulans erigere vult, vt aquam viuam postulet: & illa vt carnalis pergat de hac sensibili aqua intelligere.

Forsitan] Gr. σὺ ἂν ᾔτησας αὐτὸν, tu petere ab eo potuisses. quare interpres sensum posuit, indicatur enim per vtramque dicendi formulam, libertas arbitrij.

28. 11. *Domine neque*] Iam incipit lucem diuinam paulatim haurire. *Dominum* enim vocat eum, quem *Iudæum* dixerat, nec irridet, vel reprehendit, sed ingenuè ignorare se ostendit, vnde aquam viuam proferre possit. Ex hoc enim puteo non videbat, quomodo hauriri posset ab eo aqua, qui vase esset destitutus. quare non infert aquam, non habes: sed *vnde ergò habes*, quasi doceri velit, vnde eam aquam sit hausturus. Nota quod qui supra, *fons*, nunc *puteus* dicitur, omnis enim puteus fons est, non contrà. Si enim è terræ superficie scaturiat aqua, fons dicitur, non puteus.

12. *Numquid tu maior*] Significauerat Christus habere se aquam illa potiorem, quam Iacob inuenerat, idcirco interrogat, numquid tu maior, &c. Iacob enim meliorem hac non habuit aquam; alioqui, neque ipse, neque filij eius de hac bibissent. Cyrillus: *Samaritani*, inquit, *quamuis Babylone in Coloniam missi fuissent, tamen aut quia vicini Iudæis erant, aut quia nonnulla religionis Hebræa probauerant; maiores Iudæorum, patres suos appellare non erubescebant.* 29.

13. Non respondit Christus ad eam interrogationem, *Numquid tu maior es*, & cæt. ne arrogans videtur mulieri nondum credenti, quamuis verè responderit: nam si propter aquam, quam dederat, tantùm putabat esse Iacob, multò certè præstantiorem decebat iudicare Christum, qui longè meliorem aquam polliceretur. confert autem hic Dominus suam aquam cum illa Iacob, vt mulierem hanc excitet ad eam expetendam. Aqua, inquit, quam tu tantoperè laudas, non extinguit sitim, at mea tollit planè sitim. Augustin. tractat. decimo quinto, *& verum est*, inquit, *hanc aquam*, scilicet, *quam mulier intelligebat, quod sitiat iterum qui biberit, & verum est secundum, quod significat illa aqua. Etenim aqua in puteo voluntas sæculi est in profunditate tenebrosa. hinc eam hauriunt homines hydria cupiditatum, cupiditatem quidem proni submittunt, vt ad voluptatem haustam de profundo perueniant, & fruantur voluptate, præcedente, & præmissa cupiditate; nam qui non præmiserit cupiditatem peruenire non potest ad voluptatem: pone ergò hydriam, cupiditatem; & aquam de profundo, voluptatem; cùm peruenerit quisque ad voluptatem sæculi huius, cibus est, potus est, lauacrum est, spectaculum est. numquid non iterum sitiet? ergò de hac aqua qui biberit iterum, inquit, sitiet.* Hæc Augustinus. 30.

14. *Sed aqua*] ob id non sitiet in æternum, quia *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, id est, vsque ad vitam æternam, vsque ad cœlum ascendentem, vel salire facientem: quis enim sitiat, qui fontem in visceribus habeat tam altè salientem? tam immensè crescentem? Metaphora est à fontibus sumpta altè aquam eiaculantibus, quod propter ingentem copiam fieri solet: sic, qui gratiam, vel Spiritum sanctum in se habet, fontem habet perennem ex se, & vsque ad cœlum salientem, id est, ascendentem, hoc est, ascendere facientem, seu eo vsque ducentem. Vel loquitur de aqua, tamquam de planta ac semine, quod iactum in terram nascatur, & augescat. Sic enim illam aquam fieri in nobis fontem salientem in vitam æternam. Etenim fiet quasi aqua saliens, id est, crescendo producens vitam æternam, ac proinde nobiscum semper perseuerans in cœlis, alioqui non æternam vitam, sed temporalem produceret, si enim cessaret esse nobiscum, desineret, & vitam producere, quæ non nisi ex hoc fonte dimanat, sed mihi metaphora sumpta à planta vel semine, non videtur ita quadrare in naturam aquæ. 31.

Secundò, aliqui videntur intelligere, quod faciat salire in vitam æternam, id est, quod ebulliet, & scaturiet in sempiternum, numquam cessabit exse, numquam enim gratia arescit, nisi per peccatum lethale. Videtur expositio Caietan. & Iansen. Gagnæus ait; Aqua hæc fiet bibenti fons aquæ salientis in vitam æternam, id est, quæ perpetuò illi fundat spiritualis gratiæ aquam in æternum viuificantem, ac numquam sitire sinentem; & idem hoc mihi videtur, ac in æternum scaturiet, vtraque expositio bona, siue quæ habetur n. trigesimo primo, siue n. trigesimo secúdo. Ex his interpretationibus duplex colligitur causa, 32.

tur hæc aqua omnem planè sitim extinguat. Tum quia est intra eum copiosè, qui bibit. Tum quia in vitam perducit æternam ac beatitudinem, in qua nulla sitis. Tum quia secundùm alteram interpretationem n. 32. iugiter ex se augescens emanat, ac scaturit perpetuò, vt aquæ viuæ solent. hoc enim est *in vitam æternam salire*, in sempiternum salire.

33. Quomodo autem qui semel biberit nō sitiat in æternum, patet ex discrimine inter elementarem, & hanc spiritualem aquam, quoniam enim elementaris aqua, stomachi calore consumitur; hinc est quod iterum sitiat animal. At spiritualis aqua nec corrumpi, nec digeri potest, ideoque semel spiritualis aqua epota, æternum ex se perdurat, & qui eam biberit, nisi fortè sua culpa eam euomuerit nunquam amplius sitiet. At *inges*, obstat illud Euch. 24. 29. *Qui bibunt me adhuc sitient.* Respon. ibi sitire est amare, & concupiscere: quia amor, quo magis sapientiam gustamus, augescit magis. hic verò non sitire est non indigere re alia ad vitam æternam, aut non opus esse eundem spiritum, eandemque gratiam iterum accipere, quod est iterum bibere: semel enim acceptus spiritus & gratia, semper in nobis manent, & semel haustus spiritualis iste potus est in animis nostris veluti perennis fons saliens in vitam æternam. Simile quid habetur inferius cap. 6. 35. consule hac de re Tol. an. 12.

15. *Da mihi*] Chrysost. vide vt paulatim ducitur ad dogmatum altitudinem, verè aquæ illius desiderio tenebatur. Et hic igitur indicat hæc mulier se Christi verbis profeciſſe, quod indicat desiderium potiendi eius donis, seque item credidisse Christo non obscurè declarat.

34. 16. *Vade voca*] Obserua Christum vt sapientissimum medicum causas aperire ægritudinis, vt hanc cœcam, & peccatis oppressam mulierem illuminet, & ita culpam suam fateatur, simulque deitatem quoque suam agnoscat. Lege Augustin. doctè de his verbis & alijs huius colloquij differentem l. 83. qq. q. 64.

17. *Non habeo virum*] Negauit illa se virum habere, ac mérita esse videtur; fortè vt statim à Christo acciperet quod ei promittebat, non expectato viro suo, cuius Christus præsentiam requirebat, non viri opera vsurus, quem sciebat non esse venturum, sed vt mulieri diuinitatem suam aperire inciperet. Et si autē decipere voluit mulier Christum, vera tamen dixit imprudens: nam illum ipsa quidem pro viro habebat, qui tamen verè non erat. Quod si sciebat non esse virum legitimum, negauit tamen se virum habere, seu verum, seu quem homines putarent, q. d. sola sum, *sic Emman.*

Bene dixisti] q. d. verum est quod dixisti, quod virum non habeas: sed aliud tacuisti: nam viros habuisti quinque, & quem nunc habes virum, tuus non est. Propterea verè fassa es non habere te virum. Confirmat igitur eius dictum. Athanasius ad Antioch. q. 59. inquit, *hæc mulier viros iuxta Samaritanorum legem quinque habuit, postea verò scortabatur. Nemo siquidem cum ea, vt cum vxore legitima cohabitare volebat. Illa verò cùm concupiscentiam refrænare non posset, clam apud se habuit, cum quo consuetudinem habebat, & non hic erat manifestus, aut legitimus maritus, sed eum secum occulto habebat.* Hæc ille. Vnde patet ex sententia huius authoris, quicumque sit ille, quinque priores illos viros legitimos fuisse; non desunt tamen qui contrarium tueantur, vt Irenæus l. 3. c. 19. idem videtur indicare Chrysost. vel quicunque sit ille auctor, imò illos simul habuisse in Psalmum 53. Sed conformius est textui, vt quinque fuerint legitimi, nam *viri* appellantur, sextus autem non vir, sed

35. *Samaritana an vnum virum legitimum habuerit.*

adulter potiùs. Videtur autem author ille ad Antioch. indicare non licuisse Samaritanis mulieribus sexies nubere, quod parum verosimile appareret. Malè Tertullian. l. *de monogamia* abutitur hoc loco contra secundas nuptias, cùm potiùs etiam hic quintæ nuptiæ non damnentur; imò nec vlteriores, quicquid sit de Samaritanis, num lege prohiberentur. Nec Basil. epist. ad Amphilo. cap. 4. damnat quartas, vel vlteriores nuptias, tantùm significat argumentum esse incontinentiæ, nisi peculiaris causa subsit, & propter eam incontinentiam etiam pœnitentia dignæ erant, quæ toties nubebant. Et aduerte quod hic occulta manifestauit Christus, tum quod sextum nō virum esse, tum quod quinque viros habuisse (quod vir Iudæus & incognitus non poterat scire, si rem modo humano spectes) aperuerit.

36. *Tertullianus refellitur.*

37.

19. *Domine*] agnouisse videtur erratum suum, & reprehensionem non reiecisse; quia & tacitè etiam admisisse, cùm Prophetam esse fassa est; magis semper proficiens. Chrysost. reprehensa non est contristata, nec abijt, sed admiratur, & immoratur. *Quia*] id est, quod. *Propheta*] in hoc inquit Chrysostomus, quod mihi occulta dicis, ostenderis Propheta esse.

Christi prudentia.

Ex ijs, quæ hic dicuntur, apparet Christi prudentia; quamobrem voluerit abesse omnes discipulos, volebat enim huius mulieris delicta aperire soli, non coram alijs. Quod verò prædestinatorum sit, vt reprehensi culpam agnoscant; contra ac reprobi faciunt, doctè ostendit hic Maldona.

38.

20. *Patres*] Iacob & filij eius Genes. 33. licèt ibi non habeatur in monte ipso adorasse, lege v. 19. & 20. illius cap. putabant tamen id Samaritani, vt videtur, ob loci vicinitatem, in quem venisse dicitur Iacob loc. cit. Gen.

Controuersia vertebatur inter Iudæos, & Samaritas, his in solo monte Garizim, illis Hierosolymis tantùm adorandum Deum, id est, Deo sacrificandum contendentibus. Chrysost. patrem intelligit etiam Abraham, nam in monte Garizim putat perrexisse Abraham ad immolandum filium.

39.

In monte hoc] id est, Garizim, qui erat prope Sichar, vt ait Ioseph. l. 11. c. vltimo, & l. 4. sub finem. Licèt Euseb. apud Hieron. de locis Hebrai. id neget, nempe montem Garizim fuisse prope Sichem. Borcardus ait, prope Sichar montem fuisse, cuius duo erant capita Garizim, & Hebal. in montem Garizim, inquiunt quidam, vt Chrysost. homil. 31. contendisse Abraham, vt immolaret filium: verùm eum montem in terra Moria, id est, *visionis* fuisse ostendit Barrad. l. 3. c. 11. non tamen in montem Moriam, vbi fuit templum postea erectum, sed in montem Calvariæ tradit Isaac immolandum à patre ductum esse ex Hierony. apud Augustin. ser. 71. de tempore. in hoc monte Garizim ædificarunt templum Samaritani, quod stetit 200. annis, euersumque fuit ab Hyrcano, vt Ios. l. 13. antiqu. c. 17. lege eundem de hoc templo l. 11. antiq. cap 8. 8o. a Machab. c. 6. & Barrad. com. l. 1. c. 25. *Vos*] Iudæi.

40.

Locus] Templum. incertum an voluerit hac proposita quæstione abrumpere sermonem de sua incontinentia. An verò quod teneretur eius controuersiæ dirimendæ cupiditate, id proposuerit.

21. *Credemihi*] Meritò postulat, vt sibi tamquam Prophetæ (sic enim illa vocauerat) fidem adhibeat. Duo proposuerat Samaritana, & quod Samaritanis non liceret alibi, quàm in monte Garizim adorare, i. sacrificare: de hoc n. adorationis genere potissimùm præsens locus intelligitur, & quod

Adorare hic idē est, quod sacrificare.

Digitized by Google

Iudæis alibi, quàm Hierosolymis non liceret. Vtrorumque cultum cessaturum Christus asserit, significans superuacaneam iam esse illam quæstionem vtri melius saperent; nam hora venit, iuquit, & tempus, quando & vester, & Iudæorum cultus cessabit; & neque hic vos, neque Iudæi Hierosolymis Patrem adorabitis; id est, iam instat hora, quando ad adorandum, vero cultu, Deum nullus præscribetur locus, ita vt alibi adorare nefas sit. Porrò non respondet Dominus propriè ad id, quod mulier interrogauerat, siue quòd noluerit ostendere ipso statim initio se vni parti magis fauere, siue quod noluerit contentiones alere. Eleganter Basilius lib. 2. de baptis. cap. 8. *Dilatat*, inquit, *Dominus, & deducit adorationem Dei ab angusto Hierosolymæ ambitu, in omnem totius orbis locum.* Vide illum. *Adorabitis*] videtur se eximere à colentium numero, & filium Dei se tacitè declarare. Sic Ambrosius lib. 5. de fide cap. 3. quod si inferius dicit *adoramus*, referri id potest ad totum Iudæorum genus, non personam, quod fecit vt se Iudæum ostenderet, vnde Messias proditurus esset, sensimque gradum faceret ad id quod postea insinuaturus erat, se Messiam esse. Vt si Primarius aliquis Panormitanus diceret, nos Panormitani Regi nostro fideliter tributa ministramus, licèt ipse exemptus esset; rectè ita loqueretur, totum Panormitanum genus significans. *Patrem*] Meum. Hoc enim quidam subintelligunt. Quo verbo simul indicat sublato imperfecto illo Iudæorum cultu, futurum alium longè præstantiorem, quo per filium ad patrem accedant homines. *Patrem* enim dum dicit, satis indicat filium habere, itaque pergituros nos esse innuit per filium. Quamuis indicet etiam, sublatis idolorum sacrificijs immundis purissimam loco illorum successuram esse oblationem, & hostiam, quia nimirum Deum Patrem, filij dilectissimi oblatione mundissima in odorem suauitatis sit Ecclesia veneratura.

22. *Vos adoratis quod nescitis*] Docet melius Iudæos hactenus adorasse, quàm Samaritanos. Sed quomodo dicuntur adorasse quod nesciebant, Iudæi quod sciebant? Respon. cum Cyrillo, primùm quia licèt eumdem adorarent Deum, Iudæi tamen certa doctrina, legeque à Deo sibi præscripta; Samaritani verò inuento ab hominibus ritu. Iterum respondeo, hi ad Deum verum Idola etiam addebant. Deinde Samaritani adorabant in Garizim, id est, excogitato à se loco, ac proinde nescientes verè cur ita facerent; at Iudæi licèt Hierosolymis adorarent, sciebant quid facerent, quia Dei iussu id præstabant. quamobrem quæstioni propositæ à muliere, hic tacitè respondit, & licèt videatur Dominus non de loco velle respondere, sed ab obiectum adorationis transferre sermonem; tamen & illud de loco quando præscriptum est à Deo, ad obiectum aliquo modo pertinet, hoc est, ad modum colendi Deum. Adorari enim debet, prout ipse vult sine errore. Præscripsit autem Deus Deuteronom. 12. vt adoraretur Hierosolymis; ibi enim sibi sacrificia fieri mandauit. hoc enim *adorare* significat hoc loco, cultu externo Deum colere, vt dixi n. 40. Denique ideò dicti sunt adorasse Samaritani quod nesciebant, quia non veram omninò habebant intelligentiam Dei, sed erroribus admixtam. arbitrabantur namque loco circumscribi Deum ex Chrysost. & neque omnium gentium esse Deum, sed Iudæorum & Samaritanorum dumtaxat ex Euthymio. *Quia salus*] reddit causam cur Iudæi potius scirent quid facerent, curve maiorem Dei cognitionem illis dederit, quia ex ea gente decreuerat Deus æterno suo consilio Saluatorem mundo educere, & parare, vt ea gens peculiarem Dei notitiam haberet. Ergò propter Christum donata fuit Iudæorum natio præstantiore Dei cognitione, lege, & insignibus beneficijs præ cæteris gentibus; nempè ex Iudæis, & ex Sion exitura erat lex, & verbum Domini de Hierusalem.

23. *Sed*] referri debet ad *nos adoramus quod scimus*: est enim aduersatiua particula. Est sensus: licèt Iudæi hactenus præferendi fuerint vobis, quo ad adorationem, & cultum Dei; venit tamen hora, qua ne hoc quidem modo quo nunc fit à Iudæis adorabit; quicunque volet Deum ritè colere; sed in spiritu & veritate. *Veri adoratores*] Christianos intellige. *In spiritu & veritate*] *Spiritus* opponitur loco corporeo, veritas figuris, id est; non certo loco corporeo, ita vt alibi adorari non possit: nec certis cæremonijs vmbratilibus: sed animo, aut spiritualiter; id est, fide, spe, & charitate; & veritate etiam, id est, rebus illis, quæ carnalibus illis sacrificijs, ac cæremonijs significabantur; non vmbris, & imaginibus; vel idem est in spiritu, & veritate, neque quid interest inter hæc duo, quasi dic. ex animo, & corde, absque vmbris & figuris, & hæc vtraque expositio placet Caietan. in quæst. 93. 22. ex hoc loco Ioan. confirmat diuisionem D. Thom. eo loci, qua superstitionem diuidit in perniciosam, id est, falsam & mendacem; & in superfluam, nam falsitas veritati opponitur; superfluitas autem spiritui. Lege Suarium de Religi. tom. 1. tractat. tertio, lib. secundo, capit. secundo, & tom. secundo, tractat. 4. lib. tertio, capit. septimo, n. 8.

Nunc est] ex Chrysost. hoc dicit, vt se discerneret ab antiquis Prophetis, qui futura prædicebant, vel potiùs vt excitet ad interrogandum quonam modo in spiritu & veritate adorandus sit Deus; multum siquidem intererat id scire, quandoquidem aduenisset tempus. *Nam Pater*] duas rationes assignat, quamobrem veri adoratores in spiritu, & veritate adorare debeant: alteram ex patris voluntate, & habetur in hoc versu, licèt enim temporis ratio olim peteret, vt per cæremonias coleretur, & vmbras: ejus nunc tamen voluntas ea est, præteritis vmbris, & rerum luce affulgente, vt adoretur spiritu, & veritate.

24. *Spiritus est Deus*] Est altera ratio ex Dei natura assumpta. Vel possumus dicere vnam tantùm assignari rationem; videlicet, ex natura desumptam, si nimirum versum vigesimum tertium, & vigesimum quartum simul iungamus; vt sit hæc sententia: Tales quærit Deus adoratores, qui nimirum in spiritu adorent, nam ipse spiritus est. Notabis: esse adorationem spiritualem illam, quæ in interiore animi affectu sit, siue ea solùm animi sit, siue etiam externa corporis.

25. *Venit*] ἔρχεται, præsenti tempore, id est, venturus est, vt Matthæi decimoseptimo, ἁλίας μὲν ἔρχεται, quod noster interpres vertit, *venturus est*. Vel potiùs hîc significat, aduentat, in proximo est, iam fama est natum esse, & miraculis se declarasse. fit verosimile subodoratam aliquid de Christo dixisse, *cùm ergò venerit, annuntiabit omnia*, quod speraret se illum cõspecturum, ideò ad eum quæstionem retulit.

Qui dicitur Christus] verba sunt Euangelistę interpretantis Messiam.

26. *Ego sum*] Docilem mulieris animum videns, adeoq; ad fidem pronũ non sustinet illã diutius q petierat cęlare, sic cũ cęco nato fecit: cũ. n. rogaret

quis

quis esset Dei filius, vt crederet in eum; Respondit Christus: *qui loquitur tecum ipse est.* Ioan. 9. Itaque *ego*, inquit, *sum qui loquor tecum*, q.d. ne iam pures aduentare Messiam, etenim venit: *nam & ego ille ipse sum qui tecum loquor, crede quod audis. quid quæris, quod vides?* Aug. ser. 42. de sanct. Chrys. fidelior inquit, Samaritana erat Iudæis, qui nō discendi, sed arguendi causa rogabant, cum Io. 10. circumdantes eum dicebant, *quousque animam nostram tollis, si tu es Christus* id est, Messias, *dic nobis palam*; nam si discere voluissent, verborū, scripturarumque & miraculorum sufficiens eis fuisset doctrina. Samaritana simplici fide & integra petijt, vt ex sequentibus facilè potest intelligi: nam audiuit eum, & credidit, & alios ad credendum traxit.

46. Notat August. q. 64. lib. 83. quæst. fortasse vt intelligentibus indicaret, quinque corporis sensus quinque virorum nomine significari, post quinque responsiones carnales ista mulier sexta responsione nominat Christum, qua fatetur Christum omnium esse Doctorem, dicit enim: *Scio quia Messias veniet, qui dicitur Christus: cùm venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Sed adhuc errat, quia eum, quem venturum sperat, venisse non videt. Veruntamen misericordia Domini nunc error iste tanquam adulter expellitur, *ego sum qui loquor tecum.* quo audito illa, non respondit; sed (excedens sensus naturales, & intellectus errore depositō tanquam adultero, & Dei supernaturali auxilio munita) relicta statim hydria abijt festinans, vt Euangelium, & Domini aduentum non tantùm crederet, sed etiam prædicaret. Vide Aug. fusius ibi.

47. 27. *Venerunt*] non casu factum, vt tunc venerint cùm absolutus erat sermo. *Mirabantur*] nimirum insolitum erat Christo cum alienis, & non notis mulieribus, vel sanguine iunctis, remotis præsertim arbitris, quamuis aperto loco colloqui. Cyprian. lib. de sing. cle. vsurpat hunc locum ad declarandum vitari debere à clericis commercium cum mulieribus. Sunt qui velint discipulos admiratos esse Christi humanitatem, quod cum vili, & abiecta fœmina colloqueretur. Addit D. Thom. *& tum Samaritana.* Sed prior ratio est verior: nam alioqui consueuerat Christus etiam cum abiectis personis versari, licèt hoc quod de Samaritana addit. D. Tho. sit probabile. *Nemo tamen dixit*] Sciebant, inquit Leontius, non sine consilio Christum id facere. Hinc discant de sanctis Apostolis, inferiores de factis, & consilijs superiorum non iudicare, nec curiosè scrutari.

Consortia mulierū clericis fugiēda

48. 49 28. *Reliquit*] Expressum hominis verè conuersi exemplum, etiam omnia quæ habeat in manibus, confestim relinquere, & Christum euangelizare. Vide quo tandem prouecta sit per Christum Samaritana; meritò eam *Samaritanorum Apostolam* appellat Origenes in Ioan. Venerat, inquit Chrysost. hauriendæ aquæ gratia; & cùm verum fontem inuenisset, alterum contempsit. Aquam mortuam quærebat, & in viuam incidit. O terque quaterque beatam. Vide si non Euangelistæ munus obeat: nil moratur, manum operi admouet, immensæ, quæ intus latebat, diuinæ voluptatis, atque haustus cœlestis, alios participes efficere gestit. Præ gaudij magnitudine non valet se cohibere, quin elata voce clamet, cæterosque inuitet. Sequitur enim.

50. 29. *Venite*] Thesaurum in agro inuenit, inuentum non abscondit. Neque enim timebat ne perderet, si alijs communicaret, abundè omnibus suppetere posse sat citò didicerat. Meminit scriptura Gen. 36. Anæ, qui aquas calidas in solitudine reperijt: fœlicior longè hæc mulier, quæ non calidas aquas, sed omnium gratiarum vberrimum fontem nacta est in solitudine, qui possit omnium rerum sitim extinguere; & æternum beatos efficere eos, qui biberint. Rogo te, quicunque hæc legeris, siste parumper, & vide quanta sit diuinæ gratiæ vis, & efficacitas, vt illam meritò summis votis expetere, maximo ardore postulare, & inflammato studio quærere, & inuentam omni diligentia conserre debeamus.

51. *Venite, & videte*] Cyril. lib. 2. c. 100. solus visus sufficiet ad fidem, faciet vos ille multis, ingentibusque miraculis certiores, nam qui cordium nouit secreta, & hanc diuinam possidet dignitatem, quomodo non cuncta efficiet, quæ voluerit; ideò *hominem* dixit, non *Prophetam*; non Deum, licèt supra hominem crederet, quia hoc ipsum maluit ab illis exploratum credi, quàm à se dici. *Videre* hîc, videtur idem esse ac experiri. *Omnia quæcunque*] Per synechdochen, totum pro parte; vel hyperbolicè loquitur. *Nunquid*] non quod dubitaret interrogat mulier, sed perinde est illud; ac si diceret, quod vulgo dici solet, vt notat Gagnæus, possetne ille esse Christus, vt ad explorādum illos alliceret, ac iam ipsi cùm eum audiuissent, facilius persuaderentur. Est hoc prudentius, quàm si apertè dixisset, ipse mihi aperuit se Christum esse; rogat itaque eos, vt & ipsi an ita sit experiantur.

52. 31. *Interea*] id est, dum veniebant Samaritani, vt dicitur v. 30. *Rogabant*] ἐρώτων secundùm Enthym. & Theoph. sumitur hic pro *hortabantur*, cùm enim eum fessum, ieiunumque transacta iam hora sumēdi cibi, sat scirent, & appositis cibis, manum non admouere viderent, sed hærere potius expectantem videl. animarum epulas, quas longè præferebat corporis cibo, hortabantur ipsum dicentes, *Rabi manduca*: propterea respondit Christus, *ego cibum habeo*, &c. vt est in v. 32. Porrò appositū esse cibum, Christumque hæsisse credibile sat est: alioqui non erat cur rogarent vt comederet, nè cibo posito hæsisset Christus, & abstinuisset. Meritò hortabantur, quia iam solum esse videbant; fateor græcam vocem ἐρώτων propriè esse *interrogare*, sed pro *hortari* sumendum hic arbitror.

33. Non magis discipuli Dominum de cibo spirituali loquentem parabolicòs intellexerunt, quā Samaritana fecerat de aqua.

34. *Meus cibus est*] Cùm discipuli non intelligerent, quod dixerat, planius illis aperit; *meus cibus, inquit est vt faciam*, &c. q.d. non veni corpus, ac cutē lautè, & molliter curaturus, sed ad hoc veni, vt voluntatem patris mei, & opus, cuius gratia me misit (hoc est animarum salutem) perficiam, hic meus vnus cibus est, meum vnum desiderium, vt quamplurimos, & laboribus ac mortificatione, & morte mea adducam, cui rei collaborare vos mecum oportet. Quod probat sequenti versu.

53. Scito aliter voluntatis diuinæ obsequium, & præceptorum obseruantiam esse cibum nobis; aliter fuisse Christo: in nobis cibus quatuor præstat, resarcit humorem consumptum; roborat, ac vires auget; debilitatem subleuat; recreat ac delectat, & ob has quatuor cibi proprietates obseruatio diuinę voluntatis, & bona opera appellantur *cibus* in nobis, in Christo eadem res *cibus* dicuntur ob postremum illud.

35. *Nonne vos dicitis*] Probat similitudine messorum collaborare illos secum oportere, ad animas adducendas ad Deum, *nonne*, inquit, *vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit?* id est, exactis quatuor mensibus, metendi mox tempus aderit. At ego dico vobis, iam tempus instare, atque adesse metendi spiritualem messem, non

54. temporalem; leuate oculos vestros, &c. q. d. iam propè maturuit seges, & metendi tempus statim instat. Seges spiritualis, hominum animi sunt, vt cumque ad recipiendum Christum præparati, si-

Digitized by Google

as, siue alios diuino spiritu tactos,
iud nihil est, quàm falce messoria,
lica Apostolorum prædicatione.
colligere est, quatuor ante messem
ense videlicet circiter Decembri in-
unte Nouemb. hæc dicta esse à Chri-
s saltem ordei, in Palæstina fiebat ad
ca Martium mensem exeuntem, vel
t sermo, ad Aprilem, vel circa mensis
facta semente mense Nouembri. Le-
edibile est igitur loqui Dominum de
ense Nisan fiebat, qui mensis respon-
Martio, partim etiam interdù Apri-
e dixi mense Nouembri exeunte, vel
embri loquutum hæc Dominum cum
Potrò mese Nisam messuisse olim pa-
e Exod. 13. & Deut. 16. vbi mensis Ni-
ouarum frugum mensis, & Leu. 23. de
picarum offerendis ad sacerdotem fit
d fiebat mense Nisan, quod patet v. 5.
em etiam ver. 15. 16. 17. præcipitur vt ih.
offerantur duo primitiarum panes, er-
Pascha, & Pentecosten metebatur, quod
o, etiam verum erat; licèt magis versus
sten meteretur. Idem haberi potest ex Io-
is iungas ista cum illis, quæ habentur c. 4.
.10. 11. videtur autem Dominus loqui non
aritanis modò, sed de Iudæis, & fortè et-
tibus, quas etiam Patriarchæ inter illas a-
præparauerant, vt diuini verbi satores, &
quit, *videte regiones*; non vnam hanc dum-
uitatem, licèt inde fuerit sumpta occasio

57. his duo colligimus per diem festum c. 5. Io.
qui sequitur, intelligi Pascha, non Pentecosten;
ter lapsum Pascha, de quo cap. 2. & sequens
um festum, de quo cap. 5. debent intercede-
ac recenseri minimum quatuor menses, qui
non interlabuntur inter Pascha, & Pentecosten.
Rursum colligere est ex dictis, Christum Domi-
num secundo anno à Baptismo cùm esset vnius &
30. annorum nondum expletorum, fuisse ad octo
circiter menses in Iudæa, numerando illos à pri-
mo Paschate à D. Ioanne commemorato, quod
proximè secutum est nuptias, ac ingressum Christi
Capharnaum; paulò post ergò hoc tempus, id est,
post mensem hûc Nouemb. expleuit Christus Do-
minus trigesimum primum sanctissimæ vitæ annũ
ad 25. Decemb. insequentis.

58. 36. *Et qui metit*] Aug. in opus feruebat, & operarios mittere festinabat. Gloss. quos mittit exhortatur proposita mercede, q.d. Cùm iam multi propè parati sint non modò ex Iudæis, sed ex Samaritanis, (adde & cum Caietano, & alijs etiam ex gentibus, non secundùm dispositionem; quæ in ipsis tunc reperiretur; longè enim aberant à fide; sed secundùm Dei decretum & prædestinationem: sic enim propè erat tempus quo aggregandæ erant ad fidem, præsertim præsente iam sole, id est, Christo prædicante; cùm autem sol ad nos accedit, tunc flauescunt, & ad messem albicant segetes (meritò ergò, ait Christus, & mihi in horreum cœlestis patris congregate: nam & messores sua manent præmia. Quippè qui congregant fructum in vitam æternam, quando homines prædicatione sua ad Deum adducunt, vt ita simul gaudeant; & seminatores, & messores: Mercedem intellige vitam æternam; fructum, animas ad Deũ adductas in Ecclesiæ triumphantis, siue militantis horreum illatas, vt vita fruantur æterna; fructus verò qui colligitur ex messe temporali, consumitur tandem, & iste animarum, in æternum durabit in cœlestes apothecas congregatus & reconditus. Vnde etiam gaudio accidentali fruentur in cœlis

A qui laborarunt, vel seminando, vel in colligendo, & metendo fructu. Seminatores sunt, qui antè Christi aduentum verè prædicabant, homines que ad recipiendum eum præparabant; Messores sunt qui falce verbi prædicatoria, eius seminationis fructum messuerunt, & ne quemque fraudet laude sua Christus, docet alium esse qui seminat, & alium qui metit, seminatores fuerunt. Prophetæ, & qui ante Christum prædicauerunt; Messores Apostoli, & quiq; sectatores eorum, qui ne totam fructus huius sibi gratiam tribuerent, ait illis Dominus, ego misi vos metere quod non laborastis; pars certè fructus agricolis, etiã & seminatorib. debetur. Hæc summatim habentur v. 36. 37. 38. ex Gagn. Nota, & qui metit, videri Tò, &, sumi, pro, nam.

37. *In hoc enim*] videtur hoc fuisse prouerbium, 59.
alius est, qui seminat, alius qui metit, quod significaretur vulgò alium sæpe laborare, & alium eius frui laborare, hoc est; fructum ex labore alterius
B demetere, q.d. in hoc verum est, in spirituali agri cultura, alium esse qui seminat, alium qui metit; quia verè hac in re de qua loquor, alij fuêre satores, vt antiqui Patres, alij messores, vt vos Apostoli. At non est verum prouerbium, quantum ad fructum attinet; nam tam qui seminat, quàm qui metit eo fruitur. Itaque reddi videtur ratio hîc eius, quando v. 36. dictum est, *vt & qui seminat simul gaudeat, & qui metit*, & rectè, nam vterque in vitã æternam congregat. Pulchrè August. *Iam in Iudæa* inquit, *messis erat, quando tot millia hominum pretia rerum suarum offerebãt ad pedes Apostolorum, Christumq; expedita, equebãtur: de qua messe electa pauca grana seminarunt orbem terrarum.*

38. *Misi vos*] *Misisse* non est necesse interpretari, 68.
quasi iam re ipsa misissent, sed quia iam re vera ipsos elegisset ac destinasset, & suo mitteret tempore, sic Matth. 10. dici potest misisse, & Marc. 3. dedisse potestatẽ, hoc est, destinasse mittere, vel dare eam potestatem; ac veluti parasse; vel certè mitti cœperunt cùm baptizare iussi sunt.

Vos in labores] non significat Apostolos minus 61.
laboraturos, quàm Patriarchas & Prophetas, sed illos præparasse, ac disposuisse Iudæorũ pop. præsertim, idque suis laboribus; vnde factum vt Apostoli non tantùm laborarint, quantũ oportuisset, si illorum non præcessisset labor, imò verò Apostoli respectu gentium saltem quarundam non tam messores, quàm seminatores fuerunt; respectu verò quarundam & satores, & messores. At absolutè loquendo quatenus præcesserunt illos Patriarchæ & Prophetæ; & sancti illi qui etiam gentes aliquo modo præpararunt; dicuntur hoc respectu messores, præsertim verò respectu Iudæorum, & Samaritanorum. Itaque laborastis hîc, possumus interD pretari, coluistis, præparastis.

Numerat Pererius quinque caussas, cur Prophe- 62.
tæ plus laborasse dicantur. Prima est, quod Iudæi ob animum rudem, & carnalem ægrè dociles erãt rerum diuinarum, & spiritualium. Secunda, quod difficillimè contineri poterãt, ne in idololatriam laberentur. Tertia, cùm essent durę ceruicis, vix iugo diuinæ legis subijci, & ad bonorũ operũ studiũ adduci poterãt. Quarta, laborẽ augere solet paruitas fructus; & Prophetæ perexiguũ magni laboris fructũ capientes, tristitia afficiebantur; cùm cõtra spes vberioris prouẽtus, & percepti fructus gaudiũ imminuat laborẽ, abstergat molestiã. Quinta, quia eo maior est labor hominis, quò minùs Dei gratia iuuatur. Deus aũt in veteri testamẽto parcius gratiam suã hominibus largiebatur: cùm cõtra tẽpore legis nouę & prædicatorib. Euãgelij ad cõuertendos homines, & ipsis hominibus, vt sese ad Deum, fideq; Christi cõuerterẽt, copiosior gratia data sit, idcirco laboriosior erat hominũ cõuersio ad Deũ

hac

hac ex parte olim, quàm tempore legis Euangelicæ: vt qui nauigant, si secundi venti flatu parùm iuuantur, laboriosè remigant: contra qui secundis ventis aduti, & simul etiam remigatione vsi magna facilitate nauigant: non igitur mirum, si tam breui tempore, & tanta iucunditate, ac sæpenumero facilitate, Apostoli longè maiorem tulerint fructum.

40. *Ibi*] apud eos, vt Græcè, & Syriacè habetur.

Duos dies] cur duos dies tantùm manserit, & quomodo ad Samaritanorum vrbem contra suum præceptum, Matt. 10. 5. sit ingressus, vide apud Maldon. v. 40. c. 4. 10.

63. 42. *Non*] videlicet tantum, seu tam. *Mundi*] græcè additur *Christus*, Syriacè *Messias*, dum dicũt, *nos audiuimus, & scimus*, scientiam vocant fidem, vt obseruat D. Thom. & rectè, nam non modò æquat fides scientiæ certitudinem, verùm lõgè etiam excedit. significant autem his Samaritani Dominum duobus illis diebus docuisse illos viam Domini, & fidem rectam: nec enim opus fuit miraculis, satis fuêre Christi verba, & internum auxilium ad ingenerandam in animis illorum fidem. Nec Messiam modò credidêre, sed Saluatorem & quidem mundi totius, non Samaritanorum, vel Iudæorum solùm. Lege Chrysost. vbi extollit Samaritanorum fidem, quæ gentium item fidē præsignabat. Itaque non tantùm Samaritana veram Christi fidē animo concepit, & gratiæ beneficiũ adepta est per Christum; sed & per illam etiam Samaritanorum multi, neque enim frustra cum illa Christus sermonem miscuit, seque Messiam declarauit. Audi Ambros. ser. 30. *Samaritana*, inquit, *relinquens aquæ vasculũ, ad ciuitatem non fert hydriam, sed refert gratiam. Vacua quidem videtur reuerti onere, sed plena reuertitur sanctitate.* Hic ergò finis, hic fructus Christi cum Samaritana colloquij.

64. 43. *Abijt in Galilæam*] Iste est secundus regressus in Galilæam, de quo etiam Lucas cap. 4. 14. quem regressum scribit *in virtute*, id est, cum magno Spiritus sancti instinctu, ac feruore ad prædicandum fuisse. Titus Bostrenus exponit regressum in virtute spiritus fuisse propter miracula quæ facturus erat in Galilæa, & propter prædicationem, & doctrinam. Per totam enim Galilæa regrediens verbis & operibus nominis sui notitiam sparsit. Origen. ho. 32. regressum in virtute spiritus Christum interpretatur, quod virtus addita ei fuerit, conculcato iam ac prostrato hoste, cum quo decertauerat, hoc autem secundùm fidem intelligere debemus, additam esse virtutem quantum ad ostensionem & manifestationem. Alioqui non poterat ei addi virtus, qui vnitam habebat Spiritus sancti substantiam.

65. 44. *In sua patria*] Patria Christi dici potest Iudæa, quod ibi natus, cùm ergò dixisset Ioan. abijsse Christum de Iudæa in Galilæam; reddere voluit rationem, cur egressus fuit de Iudæa, quæ patria erat, in Galilæam. Respondet, nam ipse Dominus, nimirum postea, vt habes Matth. 17. 57. & Marc. 6. 4. Lucæ 4. 24. dixit, non esse Prophetam sine honore, nisi in patria; intellige vt plurimùm. Porrò tũc hoc à Christo dictum est, cùm relicta Nazareth, abijt Capharnaum, vt ibi habitaret, quod fauente Deo inferius videbimus. Quod ergò postea dictum est à Christo accommodat Ioan. ad similem hanc caussam. *Honorem*] nimirum, non de suo sollicitus angebatur honore Christus, sed de patris gloria sollicitus erat, nempè, vt animæ ad Deum adducerentur.

DIGRESSIO PRIMA MORALIS,

De aqua, quam suis mundus pollicetur: in illa: *Omnis, qui bibit ex aqua hac sitiet iterùm.*

ILLE denique verissimam esse hanc Christi Domini sententiã agnoscet, qui vel mũdi honores, vel carnis illecebras, vel terrenas diuitias, quæ ompia rectè nomine *aquæ* intelligimus, & quorum desiderium, sitim nominamus. expertus aliquando fuit, nam si veritatem fateri volet, constanter negabit quidquam illorum sitim explere potuisse.

1. Mundi aq non satiat.

Rectè enim Chrysost. hom. 31. in Genesim, eos, qui sese auaritiæ tyrannidi subiecerunt, testatur, nullum concupiscentiæ finem scire, quantò enim plura afferunt, tantò magis flammam crescere. & homil. 21. in Matth. inquit, *quemadmodum ignis addita materia magis effertur, sic pecuniarum cupiditas adiectione auri magis extollitur.* nec aliena sensit Gregor. Nyssenus in oratione funebri de Placilla, *quid est*, inquit, *pecuniæ studium? an non verè dolium perforatum, toto fundo profluens, cui si vel totum mare affundas, ea natura est, vt expleri non possit? quam rem significare mihi videtur diues ille, qui in medijs flãmis vehementi siti æstuabat; ita vt vel guttam aquæ petijsse narretur.*

2. Auari nul concupisc tiæ finem sciunt.

Quid ego de voluptatibus & honoribus dicam? Vnus in medium prodeat Amanus, qui apud Assuerum eo loco habebatur, vt nulli cederet. Bibit iste affatim ex hac mundi aqua, sed an sitim extinxerit, ipse declarat; audi referentem scripturam, quantum ille iactauerit opes suas, gloriam, honorem, Hester 5. *Conuocauit ad se amicos suos, & Zares vxorem suam; & exposuit illis magnas diuitias gloriæ suæ, filiorumq; turbam, & quanto eum gloria super omnes principes, & seruos suos Rex eleuasset.* & posthæc ait; *Regina quoque Hesther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege præter me, apud quam etiam cras cum Rege prandiurus sum*, &c. quantum Deus bone, hic aquæ ex mundi puteo potarat? Sed numquid sitim expleuit? Audi quid dicat: *& cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias.*

3. Amani a bitio. Hester 5.

Præclarè Seneca eos, qui ex hoc mundi puteo bibunt, simillimos esse arbitratur cani, missos è mensa Domini panis, vel carnis bolos captanti. Sic enim ait ep. 73. *Vidisti aliquando canem immissa à Domino frusta panis, aut carnis aperto ore captantem? quidquid excipit, protinus integrum deuorat; & semper ad spem futuri hiat. Idem euenit nobis, quidquid expectantibus fortuna proiecit, id sine vlla voluptate demittimus, statim ad rapinã alterius erecti.* Sic sapiẽter Seneca. ad quã quoq; canis similitudinẽ alludisse videtur Boetius lib. 2. de consolatione metro secundo; *nil iam parta videntur, sed quæsita vorans sæua rapacitas altos pandit hiatus.*

4. Mundani canibus fo melicis si miles.

Neque mirum videri debet, non satiari hominem posse quauis rerum mundanarum affluentia, quia illusiones quædam sunt, quibus imple-

5. Mundi bo illusiones sunt.

impletam esse animam suam, vel etiam lumbos Dauid affirmat Psalm. inter pœnitentiales tertio. nam cùm satietatem maximè promittant, maiorem tamen sui famem excitãt. quod exemplo Euæ ostendere possumus, quæ cùm vidisset pomum illud arboris vetitæ, *quod esset bonum ad vescendum, pulchrum oculis, aspectuq; delectabile*, comedit ex eo, verùm, famem nõ modò, nõ extinxit, sed excitauit etiam. Tales sunt sæculi voluptates, honores, diuitiæ, famem nõ auferunt, sed prouocant, sitim non pellunt, sed incendunt, speciem quamdam præ se ferũt boni, & externam pulchritudinem ostentãt, satietatem promittunt, quam verè non cõferunt.

6. Quo detorquere possumus illud Isaiæ 29. *sicut somniat*, inquit, *esuriens, & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius, & sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, sic omnes qui dimicauerunt contra montem Sion.* De Caldæis, & Babylonijs, vel Romanis hæc vaticinatus est Isaias, quos prædicit, non magis ex spolijs, quæ auferent ex Hierosolymitana vrbe ditandos esse, quàm Famelius aliquis dùm somnians se nocte comedere, famem expleat. quod nos ad homines voluptati deditos, quique fugaces mundi honores, perituras diuitias auidè sequuntur, accommodare possumus. ij enim multò verius contra montem Sion, videlicet contra monte cœlestis Hierusalem dimicant, cùm suis sceleribus continenter bellum Deo inferant. *Erit ergò multitudo omnium istorum, sicut somnium visionis nocturnæ*, vt loquitur ibidem Isaias, omnes enim æternum interibunt, & eorum recordatio perpetua obliuione sepelietur, quibus illud accidet, quod somniantibus contingere solet.

7. *Somniantiũ illusiones.* Somniat aliquis interdum, videturque sibi sedere secundùm ripam alicuius fluminis placido murmure decurrentis, inter condensas & amœnas arbores, non sine dulci Philomenæ, & iucundo aliarum auium concentu. ibi cernere videtur, opulentissimam sibi esse propositam mensam, omni ciborum genere refertam ad exsatiandam famem aptissimam, omni item pretiosissimorum vinorum ornatam genere ad pellendam sitim. gaudet, comedit, bibit. At postquam expergefactus somnum excussit, agnoscit omnia illa illusiones, & vmbratiles quasdam res, ac rerum potius imagines quàm res fuisse. quarè eadem, vel maiorem etiam famem, vel sitim quam prius sustinet, nullamque saturitatem ex vmbratili illa mensa delusi hominis anima secum fert. simile quiddam ac peius etiam aliquid ijs euenit, qui præsentem vitam transigunt miseri in turpitudinibus, & voluptatibus, & id genus alijs rebus, quas summo studio, ac labore conquirunt, vt ardentissimam sitim extinguant, qua tamquam intensissima febre phrenetici corripiuntur. Sed falluntur miseri, quasi somniantes, neque enim explere queunt earum rerum appetitum, sed quò magis ista veluti vorant, & exhauriunt, eò plus & esuriunt, & sitiunt.

8. Nec est quod ista miremur, nam corpus dumtaxat, ac carnem attingunt hæc, quæ bona videntur, cùm animæ interiora penetrare non possint. At ibi sitis est vera, quæ non his, vel honoribus, vel voluptatibus, vel diuitijs expleri potest, sed cœlestibus dumtaxat bonis, quæ vera, & non simulata bona sunt. An potest aliquis sitiens bibendi appetitum explere, si alius super eius manus frigidam infundat? excitaret is potius, non expelleret sitim; nam cùm sitis intus sit, & remedium exterius adhibeatur, semper interius perdurabit sitis, dùm remedium intus non applicatur. Satiari ergò appetitus animę verè non poterit, nisi cœlestibus bonis.

Iterùm numquid depictis frugibus, mensis, fontibus expleri potes, & non irritari potius, vt tantò magis appetas, quæ depicta esse cernis? tales sunt fluxæ, & caducæ omnes hæ voluptates, & id genus alia, quæ mundus offert. Testis est huius rei locupletissimus filius ille prodigus Lucæ 15. qui tam magnam patiebatur famem, *vt cuperet implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Quærunt voluptarij homines, quorum Deus venter est, implere ventrem suum fœtidissimis voluptatum cibis, sed implere non valent, quia hæ voluptates non bona, sed vmbratilia bona sunt, ac velut depicta, nec ad animæ appetitum pertingere possunt. 9.

Quid est rogo, quod in statuam salis vxor Loth conuersa est Genes. 19. cur non potius in statuam æris, aut lapidis alicuius? Aduertit Caietanus hanc mulierem non tam corpore, quàm corde retro aspexisse; addit etiam quidam, forsitan Sodomitarum peccatis consentiebat, & quod seuerè nimis punirentur à Deo secum ipsa reputabat, quod verosimillimum Pererius censet, & ideò retardabat gressum, quasi quæ nollet illos dimittere, quos amabat, & coniugem suum sequi. quarè teste Iosepho non semel, aut iterùm, sed sæpè retardabat iter, & ad infames ciuitates impellente amore oculos subindè conuertebat. Ex quibus est qui colligat, non prorsus à lasciuis illis hominibus fuisse voluntate alienam. Versa est igitur in salem, quia carnis voluptates, & desideria naturam salis imitantur, quæ sitim potius excitant, quàm satiant. 10.

Non possum hîc nõ exclamare cum Isaia ca. 15. & insipientibus, ac stultis non dicere. *quarè appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* quarè ponitis laborem, & studium vestrum circa caduca, & fluxa bona, quæ non possunt animam reficere, sed magis famem, & sitim excitare solent. Agite dùm voluptates illas inquirite, quæ permanere diu nobiscum possunt, & aquam illam quærite, quam Christus dabit, & quam qui biberit, *non sitiet amplius*, neque veniet huc haurire aquam. 11.

Sed illud omnium infelicissimum accidit in consectandis voluptatibus, diuitijs, honoribus, quod non modò non satiant, sed interimunt etiam esurientem, sitientemque hominem, quod mihi satis indicari videtur exemplo Iahelis Iudicum 4. hæc enim Sisaræ bello fracto cùm ad tentorium eius peruenisset, occurrit blandis eum verbis alliciendo: *intra ad me Domine mi, intra nè timeas*, cùm autem ille ingressus potum ab ea aquæ postulasset, aperuit vtrem lactis, eijque bibendum porrexit, quo hausto, operuit illum pallio, vel pellibus, vt habent 70. & somno sopitum clauo in tempo- 12.

ra eius infixo interfecit, atque adeò soporem, vt scriptura inquit, morti socians defectu, & mortuus est. Rectè igitur fallax Iahel procacem, ac petulantem, & fallacijs plenam carnem nostram repræsentat, quæ animæ sitienti potum lactis offert, hoc est voluptates, & similia, quæ potio licèt amarissima sit, & plena lethifero veneno, lactis tamen speciem, & vmbratilem etiam saporem refert. animæ namque esurienti etiam amara dulcia esse videntur, eadem caro cooperit suos amatores pellibus, semper enim mollia, & delectabilia offert, aspera verò & laboriosa fugit, quibus peruertitur ratio, & consopitur mens, vt imminentem sibi mortem æternam non videat, atque ita fit, vt æternum pereat.

13. Monet nos Prouerb. 23. Salomon; *Prouerb. 23.* *nè intuearis vinum, quandò flaueſcit, dùm ſplenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet.* Vbi nota, pro, *ingreditur*, Hebraicè haberi *vadit*, vel *incedit*, hoc est, placet videnti, & gustãti, ac benè & blandè se habet initio. Hinc intelliges alium locum Cantic. 7. vbi nos habemus, *ſicut vinum optimum delicto meo ad potandum*, hoc est, dignum dilecto meo ad potandum, Hebræa habent; vadens dilecto meo rectè, hoc est gratum illi, ac benè se habens. Iam ad rẽ; licèt hîc de vino speciatim loqui videatur Sapiens, in reliquis tamen cæterorum sensuũ illecebris, quæ vinum quoddã voluptatis dici possunt, & multò fortius inebriãt, iudicium verò rationis euertũt, idem verissimum est. Est ergò sensus; quoties ó homo, blanditur caro, quoties voluptatis vinum offert, ne intendas in tale vinum, verùm oculos contemplationis, illicò ad finem, atque exitum voluptatis amarum, ac tristem transfer. Placent enim illa, & dulcia videntur initio, quæ sensibus ingeruntur, sed in nouissimo mordebũt vt coluber, & sicut regulus venena diffundent, saltem ad extremum diem mortis, ac iudicij, id magno suo malo experientur miserrimi isti voluptatum assectatores. Itaque voluptates non *venientes*, vt quidam ait, sed *abeuntes* intueri debemus.

14. Hactenus ergò exposuimus duo mala voluptatum, & similium bonorum, quæ mundanarum aquarum nomine vocãtur. Primùm quod famem, sitimque non auferant, sed accendant potiùs. deindè quod initio quidem placeant tanquam fallacia bona, & satietatem promittentia, sed sub finem in modum reguli mordeant, & infuso veneno vitam auferant.

15. Sed præter hæc tertium aliud secum habent annexum vitium, quod laborem, rixas, inimicitias, & innumerabiles sæpè cædes hominum secum aduehunt, & amatorum suorum inquietant animos, vt meritò *aquæ contradictionis* appellari queant; similes illi aquæ de qua Numer. 20. dicitur, *hæc est aqua contradictionis*; & illis, de quibus Gen. 26. *propter puteum iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac dicentium; nostra est aqua*; quamobrem vocauit Isaac nomẽ putei *calumniam*, alium aperuit Isaac puteum, & pro illo quoque rixati sunt, appellauitque eum *inimicitias*; tales sunt rerum mundanarum aquæ, contradictionis, calumniæ, iurgiorum, & inimicitiarum seminarium, ac seges.

A At contra aqua Christi latitudo est cordis, abundantia, saturitas, similis aquæ illi de qua eodem cap. Genes. *profectus inde Isaac fodit alium puteum, pro quo non contenderunt, itaque vocauit nomen eius, latitudo, dicens: nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terram.* & paulò pòst, *ecce venerunt in ipso die serui Isaac annuntiantes ei de puteo, quem foderant, atque dicentes: inuenimus aquam; vndè appellauit eum abundantiam.* hæ sunt veluti notæ fontis, & aquæ Christi, dilatat hominem, & crescere virtutibus facit super terram, abundè etiam satis mentis appetitum satiat, & bonis omnibus abundare facit: de qua aqua sequenti digressione pluribus differendum est. 16.

B

DIGRESSIO II.
MORALIS.

De aqua Christi, quę est diuina gratia, in illa: *qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.*

C VALDE contrariæ, & aduersæ sibi inuicem sunt Christi, & mundi aquæ. Etenim quia solet aqua mundi peccatum secum afferre, quadruplicem coniunctam habet caussam sitis; peccatum namque continet frigidi, humidique defectum, quod solet sitis secum habere, efficit autem hoc peccatum, quia inducit defectum beneuolentiæ, & fauoris diuini, quo refrigeratur, recreatur, sustentatur mens hominis. Contrà verò Christi aqua, id est, gratia, Dei fauorem, & beneuolentiam afferens, contrarium omninò effectum efficit. 1. *Christi & mundi aquæ sibi contrariæ.*

Iterùm suscitat peccatum ardens, & inordinatum desiderium rerum temporalium, vndè excitat sitim potius, quàm pellit. At diuina gratia, quæ est Christi aqua eam sitim bonorũ temporalium, vel extinguit, vel valdè mitigat, & corrigit, vt verissimum sit illud Salomonis Prouer. 13. *iustus comedit, & replet animam suam, venter autem impiorum, insatiabilis.* Quod confirmat Dauid Psalm. 33. *melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas.* 2.

D Tertiò quemadmodum vehemens sitis corporum cruciat ipsa corpora, & angore quodam perpetuo, & mœrore quiescere minimè sinit, ita peccatum non minori agnore, ac tristitia, ac varijs, inordinatisque motibus humanum animum excruciat, nam pudor ipse, ac pœnitentia malorum, quæ quis commisit, metus etiam ille diuini iudicij, ita sæpè hominem exstimulat, vt quiescere non permittat. At gratia Christi exhilarat, & quietam, ac pacatam reddit animam, quod non aliter melius, quàm ipsa experientia probari potest. 3.

Postremò sicut sitis ariditatem quamdam, & siccitatem corporis humani secum affert, cui nisi subueniatur, virium quædam defectio sequitur, & vitæ, ita peccatum perpetuam quamdam mentis ariditatem, & sterilitatem inducit. Vndè Dauid Psalm. vigesimoprimo, *aruit tamquam testa virtus mea*; & Psalmo centesimoprimo, *percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*, & 4.

nisi

nisi subueniatur, mortis, atque interitus causſa est. At Dei gratia fertilem, & spirituali succo plenam efficit animam, & velut secus decursus aquarum sedere illam facit; si igitur peccatum est, quod spiritualem, vt ex his constat, inuehit sitim, cùm Christi gratia auferat peccatum, sitim etiam, hoc est immoderatam cupiditatem bonorum temporalium, & spirituales defectus, quos secum illa affert, tollat, necesse est.

5. *Gratia cur aquæ collata.* Sed quæret aliquis cur gratiã aquæ comparemus? Respondeo ob tria potissimũ. primùm quidem, q̃ sicut aqua abluit corpora, & sordes, ac maculas detergit, ita gratia eluit sordes peccatorum, &, quod non facit aqua corporalis, munditiem quamdam animæ imprimit, quam prius non habebat, cùm efficiat eam diuinæ consortem naturæ 2. Petr. 1. & Dauid, *lauabis me, & super niuem dealbabor*. itaque tale quoddam aquæ genus est, quod ita peccatorum eluit maculas, vt aureum quemdam nitorem in animam inducat, atque ita pulchram reddat, vt decorem eius concupiscat Rex, Psalm. quadragesimoquarto.

6. Deindè sicut aquâ fœcundam efficit terrã, ita Spiritus sanctus fœcundat animas gratia sua, vt suauissimos illos fructus reddat, de quibus Paul. ad Galat. 5. scribit: *fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.*

7. Tertiò sicut aqua corporalis sitim extinguit, & indè refrigerat, ac recreat, ita multò melius gratia Spiritus sancti. quã de re Tolet. annot. 12. nos aliqua diximus in Schol. à n. 31. & nunc addemus alia. Facit autẽ hoc gratia ostendendo bonorum temporalium fœditatem, fallaciam, despicabilitatem.

8. Habet namque hæc aqua annexam sibi cœlestem quamdam, ac verè diuinam efficacitatem ad oculos mentis illustrandos, vt cernere valeant rerum mundanarum abiectissimã conditionem, nam quemadmodum Ionathæ 1. Reg. 14. cùm fauum mellis degustasset, oculi, qui prius præ fame caligebant, ita aperti sunt, vt omnia circumquaque posita, manifestè intueri posset: ita ijs, qui suauissimum huius aquę dulcorem degustant, quæ omne mel, & nectar exsuperat, mentis oculi aperiuntur, tantumq; roboris accipiunt, vt facilem possint rerum omnium visibilium vilitatem fœtorem, & miseram conditionem, cœlestium verò altitudinem, & suaueolentiam claro mentis oculo cõtemplari. Sed sicut tunc Ionathas cùm didicit de vno quopiam de populo, iureiurando cõstrinxisse patrem suum populum, ac dixisse, *maledictus vir, qui comederit panem hodiè*, dixit: *turbauit pater meus terram, vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi mei, eò quod gustauerim paululum de melle isto: quantò magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quàm reperit?* ita affirmare possumus eos, qui hanc aquam gustauerunt, dùm considerant, mundum in Saule figuratum, potum huius cœlestis aquæ vetuisse, & Christi milites esse iussisse inter hostes sine vllo spirituali potu, idem dicere, quod Ionathas aliquãdò, *turbauit Pater noster terram: vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi nostri, eò quod gustauerimus paululum de aqua ista*, &c. mundum *patrem* etiam Pij possunt vocare, quod ab eo quo ad naturam geniti sint: Patrem inquam, cui & cõcupiscentiæ matri dicunt: *nescio vos, & fratribus suis: ignoro vos.* Deuter. 33. hic Pater, vt Saul olim cibum vetans, turbat terram, dum eos, quos pugnare videt aduersus Domini hostes, vetat, huius aquæ dulcedinem degustare, sine qua citra omnem controuersiam vinci, atque in bello cadere oporteat. Nouit enim mundus, quod si huius aquæ dulcore fruamur, illicò illuminatis oculis, vniuersa, quæ mundus ipse amat, vilissima esse censebimus.

Daniel vbi Angelum vidit Danielis 8. ait: 9. *& ego Daniel lãgui, & agrotaui per dies, cumq; surrexissem, faciebã opera Regis, & stupebã ad visionem.* Similis omninò Danieli est homo, cui Deus aquę fuę gustũ impertit, & rerũ mundanarũ vilitatẽ agnoscere facit, languet is primùm ægritudine sãlutari, quo cuncta ei mũdana amara, & tanquã insipida, & noxia videntur, & ab eius gustu, & appetitu se subtrahunt. Deindè surgit, Regis negotia vt tractet, & vt in Dei amorem, & obsequium totis se viribus impedat. Denique stupor eum circũdat, dùm animaduertit, diuinæ gratiæ tantam esse potentiam, & efficacitatem, vt quæ horrori prius habebat, leuia faciat, & quæ dulcia olim erant, in amara conuertantur.

Cœpit Iacob, cùm primùm *Israel* vocatus est, & Deo præualuit, vno pede claudicare, & ex pugna cum Angelo, qua benedictionem, qua pedis vnius imbecillitatem assequi, quia homo Deum amore, ac sanctis desiderijs complectens, sicut puritate crescit, ita in rerum mundanarum cupiditate decrescit, & dùm affectibus rerum cœlestium accenditur, in desiderio rerum visibilium infirmatur: nam sicut post gustum mellis, aut Sacchari, & suauis alicuius nec̃arjs potum, omnia, quæ gustamus, videntur insipida, ita quoque vbi veram, perfectamque virtutem experti fuerimus, cætera omnia, quæ mendacissima mundus offert, insulsa, & amara censentur. ita vt verissimum sit, quod qui biberit ex aqua, quam Christus dabit ei, non sitiet in æternum. quid enim sitiat anima, & quid sibi velit in via Aegypti, vt bibat aquam turbidam? & quid sibi cum via Assyriorum, vt bibat aquam fluminis, quæ purissimo diuinæ gratiæ fonte potatur, cuius aqua concupiscentiæ calorem si non extinguit, mitigat?

10. *Iacob claudicans vnde.*

Cæterùm illud diligentissimè perpendendũ est, plurimum iuuare ad hanc obtinendam aquam cœlestis gratiæ, qua sitis vel extinguatur, vel mitigetur rerũ temporalium, vehemens, ac flagrans eius habendæ desiderium; quale significabat Dauid habere se cùm dicebat: *anima mea sicut terra sine aqua tibi*, vbi Hebræa sic habent: *anima mea sicut terra sitiens ad te semper*: qua similitudine non video an aliam meliorem afferre potuisset ad sitim, & ardorem explicandum quo Dei creatoris sui præsentiam, & gratiam expetebat. terra namque sitiens, quę pluuijs cœlestibus non irrigatur, arida est, sterilis est, nullis neq; floribus ornatur, neq; fructibus abundat. sed in varios hiatus scinditur, quĩ quasi fauces, atq; ora ipsius terrę videtur ad

11. *Psalm. 142.*

petendam pluuiam. sic ergò vehementi desiderio æstuet anima, cùm diuina gratia priuatur & se in omnem partem vertens, quietem nullam capiat, quousque expansis ad Deum manibus, voti campos fiat. sic idem Dauid, *quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. & expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.*

Psalm. 41.

12. Finge animo viatorem æstiuo tempore, & quidem calidissimo, per deserta grandientem, & præ ardore solis, & nimia itineris asperitate fatigatum, qui licèt paludes aquarum inter eumdum offendat plures, quarum tamen quia aquæ turbidæ, ac putridæ sunt, illis abstineat, & patienter suam sitim differat, quousque tandè ad clarissimum fontem perueniat, vbi sitim explere summa cum voluptate cogitat, & sperat, similem huic Dauidem si dixero, non aberrabo. errabat ille per vitę huius mortalis iter asperum, & ardentissimo aliquando concupiscentiæ ardore æstuabat, non tamen hinc ille explere sitim optauit, sed ad cœlestem patriam pergebat alacer; subindè inclamans: *sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?*

Psalm 41.

13. Isaiæ 55. *Omnes* ergò *sitientes venite ad aquas.* mittite turbida Aegypti flumina, quæ sitim non auferunt, sed nec possunt. quid vobis ô mortales vultis in via Aegypti vt bibatis aquam turbidam? nec velitis vestram inopiam excusare, dicit enim Isaias, *& qui non habetis argentum, properate; emite, & comedite, venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac.* Isaiæ 55. Nimirum sine argento gratiam emimus, si quod à nobis est, spectemus; at si meritorum Christi infinitum pretium consideremus, non sine pretio, & argento emimus. sic Ambros. lib. de Ioseph Patriarcha cap. 7. *emite*, inquit, *sine argento, neque enim pretium quæsiuit à nobis, qui pro nobis sanguinis sui pretium soluit.* nisi velis cum Nazianzeno in oratione *in sanctũ baptisma* dicere, pretium ad emendam gratiam reputari à Deo ipsum amicitiæ, & gratiæ desiderium, & voluntatem, quæ iustificationem antecedit: sic enim ait Nazianzenus: *ô mirã beneficentiæ celeritatem, ô facilem contrahendi rationem. hoc bonum solo voluntatis pretio emendum tibi proponitur. appetitionem ipsam Deus ingentis pretij loco habet, sitit sitiri, bibere cupientibus potum præbet; cùm à Deo beneficium petitur, beneficio id ducit, prompta, munifica, atque prolixa natura est. iucundius dat quàm alij accipiunt:* neq; aliter Clemens Alexandr. in protreptico, siuè exhortatoria ad Gentes locum hunc exponit: *omnes sitientes venite ad aquas. & hortatur*, ait *ad lauacrum, ad salutem ad illuminationem propemodum clamans, & dicens: do tibi, ô fili, terram, mare, cœlum; solummodò, ô fili patrem sitias, Deus tibi gratis ostendetur.*

Et hæc breuiter de tanta re dixisse sufficiat.

(·.·)

A

CAPVT V. HISTORIA REGVLI.

REGVLI FILIVS SANITATI RESTITVITVR.

C. 4. 14. D. 4. 45.

1. C. *Et fama exijt per vniuersam regionem de illo.*
2. D. *Cùm ergò venissent in Galilæam exceperunt eum Galilæi cùm omnia vidissent, quæ fecerat Ierosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum.*

B

3. *Venit ergò iterum in Cana Galilææ vbi fecit aquam vinum, & erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.*
4. *Hic cùm audisset, quia Iesus aduenisset à Iudæa in Galilæam abijt ad eum, & rogabat eum, vt descenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori.*
5. *Dixit ergò Iesus ad eum, nisi signa, & prodigia videritis non creditis.*
6. *Dicit ad eum Regulus; Domine descende priusquam moriatur filius meus.*
7. *Dicit ei Iesus, vade filius tuus viuit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat.*

C

8. *Iam autem descendente, serui occurrerunt ei, & nuntiauerunt ei dicentes: quia filius eius viueret.*
9. *Interrogabat ergò horam ab eis, in qua melius habuerit, & dixerunt ei: quia heri hora septima reliquit eum febris.*
10. *Cognouit ergò pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus, filius tuus viuit, & credidit ipse, & domus eius tota.*
11. *Hoc iterùm secundum signum fecit Iesus cùm venisset à Iudæa in Galilæã C. & ipse docebat in Synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.*

D

12. *Et venit Nazareth vbi erat nutritus.*

SCHOLIA.

1. REgionem] intellige Galilęam. 2. *Cùm ergò venissent*] non simpliciter intelligendi sunt excepisse, sed libẽter, vt Prophetam, vt virum sanctum, fortè etiam, vt Christũ, quare opponuntur hic tacitè Galilęi Iudęis, isti ieecerunt, illi exceperunt. *In die festo*] Pascha intellige, vt cap. superiori annotauimus n. 57. 1.

2. *Regulus quis fuerit.*

3. *Regulus*] nobilis quidam erat, & Iudæus vt probabilior fert opinio. Dicitur porrò *Regulus* non quasi rex paruus, sed vt Hieron. Esai. 65. exponit, *quasi regius*, siue de aula regis, siue palatinus; Chrysost. hom. 34. siue quod regio esset genere, siue quod aliqua principatus dignitate fungeretur, regulum dictum esse putat. Interpres noster legisse videtur βασιλικὸν & propterea vocat regulum. At Hieron. & alij quidam βασιλικὸς, propterea vertũt *palatinum* aut de genere regio, aut ministrum Herodis, siue Cæsaris: Facitque eum Hieron. gentilẽ, sed opinor Iudæum potius: in Iudæum enim quadrant verius illa: *nisi signa, & prodigia*, &c. *Iterum*] Nam in primo regressu ex Iudæa, in Galilæã, cuius meminit Io. c. 2. aquam in vinum conuertit in nuptijs. *Capharnaum*] Potest hæc vox referri ad regulum, vel ad ægrotum, vt sit sensus, erat in rerum natura quidã Regulus cuius in Capharnaũ ægrotabat filius, vel erat in Capharnaum regulus, cuius filius erat ægrotus. Huic vrbi non est verosimile imperasse hunc regulũ, vt arbitratus est Baron. Nã Plin. l. 5. cap. 18. vt Barrad. noster notat, inter vrbes decem Decapoleos, nõ videtur numerare Capharnaum, cuius tamen Plinij authoritati sententia Baronij nititur, nimirum, Quod dicat Plinius lib. 5. cap. 18. in qualibet ex illis decem ciuitatibus fuisse singulas Tetrarchias regnorum instar, & in regna solere conferri. Potius opinor parũ alicui loco præfuisse cuiusmodi nunc apud Siculos videre est, quos nos *barones*, & si quid aliud, vocamus, à qua sententia Baronius non abhorret.

4. *Cùm audisset*] Hinc collige famam Christi exijsse per vniuersam regionem de illo, vt hic habes v. 1. ex Luca. Huius verò famæ causam, & originem assignauit Ioan. v. 2. huius cap. n. 1.

Incipiebat enim mori] Proximus morti erat Græcè, *futurum erat mori* q. d. deplorata erat salus eius, & ideo iste venit ad Christum. videbat enim nullam Medicinę artem prodesse amplius posse, & hanc causam significat, enim.

4. *Iudæorum infidelitas.*

5. *Nisi signa &c.*] Peccabant Iudæi, qui Christo non credebant etiã ante eius miracula, & idcircò iurè hic regulus reprehenditur, & vniuersim Iudæi, quod sine miraculis noluerint credere, cùm tamen Samaritani crediderint. Inprimis, qui inter Iudæos certò nouerant testimonium Ioannis Baptistæ, tenebantur sub peccato credere, eum esse Christum quem Ioan. ostendebat; Nam Ioannes *missus est à Deo in testimonium*. erat igitur fide dignus. Alioqui vanum fuisset eius testimonium. Deinde sola Christi prædicatio citra miracula Iudæos ad credendum non sine graui crimine obstringebat Io. 15. *si non venissem, & locutus eis fuissem peccatum non haberent*, &c. cùm .n. prædicabat Christus etiam interius corda mouebat, vt possent qui vellent, nisi repugnarent credere: quod Samaritani conuersi citra miracula, satis declarant. Dices, prędictum fuisse per prophetas Messiam editurum esse miracula: nisi ergò viderent credere non tenebantur. Respondeo audito testimonio Ioannis, vel Christi etiam doctrina, expectare debebant, quæ super erãt faciẽda, nec dubitare futura. Itaq; prædicta erant miracula in scripturis, sed non erant expectanda, vt crederent; alioqui ante visam Christi mortem, & resurrectionem credere non debuissent, cùm & hæc prædicta essent. Ad hæc tamen addendum est, longè tùm maius peccatum fuisse, & grauius cùm editis visisque miraculis non crediderunt. quomodo accipienda esse videntur illa: *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*; intellige tam magnum, tam graue, alioqui dixerat Christus: *si locutus non fuissem peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, quia nimirum Iudæorum cœtu, inter eos enim maiores principes, doctores, & pharisæi audita Christi doctrina credere tenebantur. At turbæ, & ignari homines ob solam prædicationem excusari poterant. factis verò miraculis nulla ratione. Consule Toletum in c. 4. Io. ann. 27. & in cap. 15. ann. 22. Perer. in cap. 4. Ioan. disp. 12. 13. 14. 15. 16.

Signa, & prodigia] *Prodigium* vt quibusdã placet est in re præter naturã, vt suscitatio mortui; *signũ* verò in re naturali, vt curatio ægroti. Theoph. & Euthy. signum vocant miraculum non respectu facti, sed respectu modi faciendi, vt febrim tollere solo tactu, verbo: alioqui etiam medicus tollit. Prodigium est tam ratione facti, quàm modi. sed interdum nomen signi generatim sumitur, vt Esai. 7. *Ecce virgo*, &c. 6.

Sed rogabis: cur Christus sic respondit, cùm iste signa non petierit. Respondendum est, non ita respondisse Christum, quod Regulum videret tentandi animo accessisse vt experiretur, quisnam, qualis, quantusque esset; quod Aug. placuit tract. 16. venerat enim non tentandi gratia, sed quia filij sanitatem optabat, eius impetrandæ causa; verùm voluit Christus Iudæos, & Regulum ostendere Samaritanis esse inferiores, credidisse. n. eos viderat absque miraculis, cùm tamen ipsi neutiquam ita affecti essent. Sic Euthy. Mald. Emm. interpretantur, quasi dicat, miraculis, vt video opus est, vt vos ad fidem adducam, alioqui non venturos; contra, ac accidit cum Samaritanis, nisi enim signa, &c. ad fidem ergò vos miraculis adducam; præsertim aũt Regulum reprehendit, nam non credebat absentem se posse sanitatem restituere filio, per signa igitur adducendus fuit. 7.

6. *Domine descende*] quia videbat Christum nectere moras reprehẽdendo incredulitatem, nec credebat absentem posse sanare, vel mortuum in vitam reuocare; ideò vrget vt descendat. descendere oportebat quoniam in eminentiori loco erat Cana, si quis Capharnaum inde cogitasset. *Filius meus*] Gr. παιδίον μου. id est, *puer meus*, non ergò videtur grandior natu fuisse, si fortè pueritiam excesserat.

7. *Vade*] cur ad Centurionem venire libuit Christo, non autem ad hunc? quia illius fides hoc erat modo ad aliorum exemplum magis declaranda, & amplificanda, hac enim occasione aduentantis ad se Christi modestiam, & humilitatem suam clarius ostendit, & indignum se esse testatus est Centurio, quem Christus ipse per se adiret: quare, & prohibuit ne faceret; quia ergò satis declarauerat potuisse Christum solo imperio etiam absentem sanare, ideò dignus fuit quem Christus conueniret. At Regulus incredulus erat, quare ostendendum illi fuerat, quantum à vera fide abesset, dùm absentem Christum sanare posse negabat animo; voluit igitur Christus non adeundo sanare filium, vt ostenderet non deesse se vbi inuitabatur; quod non erat, cur obseruaret cum Centurione. Vnde Chrysost. illic, inquit, fides confirmata erat, ideò promisit Christus ire, hic adhuc imperfecta erat. Gagnæus ad mores conuertit: retunditur, inquit hic superbia nostra, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores, & diuitias veneramur. Christus ad filiũ Reguli ire noluit, ad seruum Centurionis ire paratus fuit; sed vrgebit quispiam etiam Dominum quod Regulo negauit, Principi Synagogæ concessisse Matth. 9. orauerat is pro filiæ sanitate; *veni*, inquiens, *impone manum tuam super eam*; plus aliquid iste petebat, vt manum imponeret. quid Christus? surgens sequebatur eum, fecit quod popposcerat, puellæ manum tenens sanitati restituit. sed hæc

8.

9.

10.

sunt Dei iudicia, nouit ille quid cuique expediat, nemo queratur quod non secum ita agat Deus, ac cum altero quopiam; nouit ille melius, quid mihi, quid illi vtile sit, eius nos fidei, ac sapientiæ committamus, illud nobis certò persuadentes; Deum nobiscum summo iure non agere, sed infirmitati sæpè nostræ sese accommodare, virium nostrarũ, & vtilitatis quoque nostræ rationem, quam maximam habere. *Viuit*] certo viuit, ne dubita, id est, incolumis est. Hebr. fic-viuificare pro liberare à malis. *Credidit*] incepit credere. Chryso. credidit ait, non tamen integrè, quasi dicat, credidit verum esse, quod Christus dixerat; sed non crediderat ipsum esse causam sanitatis, sed credidit, vt viro sancto digno fide vndequunque esset sanitas; vbi verò interrogatis seruis horam intellexit, tunc perfectè credidit, Christum eam sanitatem contulisse.

8. *Serui*] Ex seruis occurrentibus declaratur dignitas, vel officium viri.

9. *Interrogabat*] ergò non crediderat perfectè: interrogat enim scire cupiẽs, vtrum casu, an Christi præcepto hoc factum esset. conferre enim volebat horam, qua melius habuerat filius, cum ea, qua Christus prædixerat: *vade filius tuus viuit.*

11. *Habuerit*] .i. habuisset. *Hora septima* puta hora vna à meridie, nempè prima post meridiem iuxtà horologium, vel computationem Hebræorum. hi enim diu idebãt diem in duodecim æquales horas, & in totidem noctem, incipiendo ergò ab exortu Solis, hora septima erat prima post meridiem.

10. *Ergò*] q.d. Io. horam quæsiuit, quia dixerat, videlicet Christus, viuit, vt conferret, videretque. num casu id factum, vel aliunde: an verò ipse fecisset Christus suo imperio. *Filius tuus viuit*] vide modũ quo Christus hoc edidit miraculum, neque enim orat, non adit domum, non inuocat patrem; sed tantum vade, inquit, *filius tuus viuit*; vt diuina illum præditum virtute agnoscere possis, porrò repente puer conualuit, nec sine ingenti omnium admiratione, quibus res cognita fuit. 12. *Credidit ipse*] Beda datur, inquit, intelligi esse in fide gradus, sicut in alijs virtutibus, quibus est initium, incrementũ, & perfectio. Huius fides initium habuit cùm filij salutem petijt, incrementum dùm credidit sermoni Domini, perfectionem verò obtinuit nuntiantibus seruis. 13. *Domus eius tota*] conuerso patrefamilias, conuersa est, & familia. Vide quanti referat superiores alijs exemplo præire. fit inquit Fulgen. epi. 6. ad Theod. vt qui sunt in sæculi culmine constituti, aut plurimos secum perdant, aut secum multos in via salutis acquirant.

14. 11. *Hoc iterùm secundum*] non asserit absolutè hoc esse secundum Christi miraculum, sed eorum dumtaxat quæ fecit, dùm rediret à Iudæa in Galilæam, vbi significat non obscurè duos regressus Christi, à Iudæa in Galilæam, vt proindè iterùm ad reditum referri debeat, vt *iterùm secundum* ad *signum*, vt sit sensus: hoc secundũ edidit signum cùm *iterùm*, hoc est, secundò reuerteretur in Galilæam: licèt multa alia Hierosolymis fecisset. Non dixit verò eorum, quæ fecit in Cana, sed absolutè *in Galilæa*, vt intelligas hæc esse facta ante omnia miracula, quæ cæteri Euangelistæ commemorant facta esse in Galilæa; ij enim scribunt miracula patrata à Christo in Galilæa post alterum hunc eius reditum in Galilæam. duo ergò tantũ edidit, in reditu ipso miracula, primum in primo reditu. i. in nuptijs, alterũ in hoc secundo. Nõ tamẽ omninò certũ est ex hac Ioannis narratione inter primũ & secundum hoc miraculũ, quæ redeũdo in Galilæã fecit Christus, nõ esse alia edita ab eodem in eadem Galilæa permanente.

15. 12. *Venit Nazareth*] Historia, quæ sequitur non nunc accidit, sed Lucas per anticipationem hic attexuit. Patet id: nam Luc. 4. dicitur de Capharnaitis, dixisse nimirum Nazaræos: *quanta audiuimus facta in Capharnaum*. Iam ergò multa ediderat Christus miracula Capharnai, cùm ea, quæ illa historia continentur, euenerunt: eum tamẽ in hoc regressu quo in inferiorem Galilæam venit, atque adeò Nazareth, nondum illa fecisset. Præsertim cùm verosimilius sit, licèt non certùm, hoc quod hic narratur à Ioanne fuisse secundùm omninò miraculum eorum, quæ in Galilæa patrata sunt. Cæterùm Lucas hic narrauit, cùm quia meminerat Nazareth, ad quam nunc diuertit Christus; tùm vt ostenderet ex eo, quod posteà contigit, quam iustè Dominus patriam suam reliquit; tùm etiam, quod vaticinium illud Esa. 61. quod commemorauit Lucas ipse c 8. v. 18. lectum Nazareth à Domino, optimè quadraret in descensum Spiritus S. in Christũ, cuius prius meminerat in baptismo, & dùm dixit, c. 4. v. 14. regressum esse in virtute Spiritus in Galilæam, atque adeò in Euangelicam prædicationem, quam narrare aggreditur. fit enim in eo vaticinio mentio Spiritus sancti in Christo manentis, & Euangelij disseminandi; ad quod accepto Spiritu missus erat Christus.

THEORIA I.

Constituitur ratio ordinis præcedentium capitum cum sequentibus. declaratur item an idem sit regressus Christi in Galilæam cum secessu in eamdem?

CONSTITVENDA est imprimis ratio ordinis huius capitis cum sequentibus, quam sic tradit Tol. adnot. 26. in c. 4. Io. Christus ex Iudæa deserto pòst ieiunium, & tentationem egressus, in eadem Iudæa mansit aliquot diebus, quibus facta sunt, quæ Ioannes narrauit c. 1. de Ioannis testimonio, & vocatione Andreæ, & Petri; posteà venit in Galilæam, vbi in nuptijs aquam in vinum conuertit. Pòst hæc scribit Ioannes: *Propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit Hierosolymam, & eiecit de templo vendentes*, gestaque sunt ea, quæ Ioannes c. 3. narrauit de Nicodemo, & alia. Quibus peractis iterũ in Galilæam venit, quod c. 4. 3. 43. refert Ioan. & hic est alter regressus, cuius inquit Tol. cæteri etiam tres Euangelistæ meminerunt. Mat. 4. 12. Marc. 1. 14. Luc. 4. 14. hoc autem interest, quod illi occasionem regressus expresserunt, nempè, cùm audisset Christus Ioan. Bapt. traditũ esse, hic verò nẽpè Lucas, id prætermisit, idem tamen omninò est regressus hic Lucæ, cũ illo, quẽ Matth. Marc. & Ioan. describserunt. sic Tol. Cæterùm quamuis priora benè dicta sint, hoc postremum tamen nõ videtur esse verum, regressus enim de quo Io. c. 4. 3. 43. & Luc. itidẽ c. 4. 14. nõ idem est cum secessu illo. Matth. & Marc. in Galilæã, siquidẽ ratio, quã assignat Io. cur regressus fuerit de Iudæa in Galilæã c. 4. v. 1. & quã nos habemus hic l. 3. c. 4. v. item. 1. est inuidia Phariseorũ, & discipulorũ Ioannis, quã subticuit Lucas; ratio verò Matthæi, & Marci est, quod traditus esset Ioannes. Prætereà Luc. apertè ostendit Dominum venisse Nazareth in hoc regressu: at Matthæus, & Marcus habent, relicta Nazareth secessisse Capharnaum. Tertiò ex eo q hi duo dicunt reliquisse Nazareth,

Digitized by Google

& inijsse Capharnaum, colligimus loqui ipsos de seceſsu ex Galilæa Iudæorum, cuius erat Tetrarcha Herodes, & inferior dicebatur, in ſuperiorem Galilæam, quæ extra Herodis iuriſditionem habebatur, & *Galilæa gentium* vocari conſueuerat, quod bona ex parte à gentibus incoleretur. In ea namque Salomon Hiram Tyriorum regi viginti Vrbes olim dederat 3. Reg. 9. 11. Porrò Capharnaum, quo profectus eſt tunc Chriſtus ex verſ. 13. Matth. erat in finibus ſuperioris Galilææ, quod etiam innuit idem Matth. v. 15. *Terra Zabulon, & terra Nephtalim via maris trans Iordanem Galilæa gentium.*

4. Mitto quod nec congruat id, quod habet Tol. cum ipſa ratione ſeceſſus, quam afferunt Matth. & Marcus, nam Ioannes in Galilæa inferiore traditus eſt ab Herode. ſcil. eius Galilææ Tetrarcha, Luc. 3. 1. quomodo ergo in Galilæam ſeceſsiſſe dicitur ex Iudæa (ſecundus enim reditus ex Iudæa in Galilæam fuit) ſi ob traditum Ioannem ſeceſsit, ne videlicet, & ipſe traderetur: nimirum potius in manus Herodis veniſſet Chriſtus eo concedens. Rectè autè omnia quadrant, ſi dicamus ipſum ex Galilæa inferiore vbi traditus fuit Ioannes, puta ex Nazareth ea relicta ſeceſsiſſe in Galilæam ſuperiorem Capharnai habitaturum.

5. Hoc modo rectè intelligimus, cur Matth. dixerit Chriſtum in Galilæam ſeceſsiſſe tradito Ioanne, & non dixerit potius abijsſe, vt loquutus eſt Ioan. vel regreſſum eſſe, vt dixit Lucas. Quia nimirum Ioannes, & Lucas verba faciũt de reditu ex Iudæa in Galilæam: Matth. vt & Marcus, non de reditu in Galilæam, in qua erat, ſed de ſeceſſu ex quadam Galilææ parte in remotiorem loquuntur, id eſt, ex inferiore in ſuperiorem Galilæam, vt à loco, cui dominabatur Herodes, tranſiret in locum extra eius iuriſditionem.

6. Ex his patet, non rectè hæreticos quoſdam apud Matth. loco *ſeceſsit*, vertiſſe, ſeu interpretatos eſſe, *rediijſſe* græcè eſt ἀνεχώρησεν, quod licèt ſignificare poſsit, *redijt*; tamen etiam *ſeceſsit* ſignificat quia verè non tunc redijt in Galilæã, redierat enim iam vt ex Ioan. & Luca conſtat, tantum ergò ſeceſsit.

7. Ex quibus conſtat non eandem eſſe hiſtoriam, quam Matth. c. 4. v. 12. vel Marc. cap. 1. ver. 14. & quam Lucas cap. 4. v. item 14. ſcribit: Lucas enim agit, ſtatim poſt ieiunium, & tentationem, de ſecundo reditu Chriſti in Herodis Galilæam omiſsis ijs, quę ſolus Ioan. narrat à cap. 1. vſque ad initium quarti. Matth. verò & Marc. agunt de ſeceſſu ex Herodis Galilæa in Galilæam gentium, ſtatim pòſt traditum Ioannem. quod latuiſſe videtur magnum etiam Auguſtin. lib. ſecundo, de conſenſu Euangel. cap. vigeſimo octauo, lege Maldonat. Matt. c. 4. v. 12. in eodem errore videntur hærere Ianſenius, & Buiſonius.

8. Obſeruandum tamen eſt Lucam adieciſſe hiſtoriam, quæ accidit Nazareth per anticipationem, non enim accidit, cùm nunc ingreſſus eſt Chriſtus Nazareth, ſed alio tempore vt in Scholijs adnotauimus hîc num. 15. quam & nos in ſuum locum etiam reiecimus, id eſt, in lib. 4. Dilucid. cap. 16.

A Cæterùm non nego ſub hoc Lucæ regreſſu tacitè inuolui, & comprehendi poſſe Matthæi ſeceſſum cap. 4. 12. 13. ſeu aduentum Chriſti, vt loquitur Marc. cap. 1. 14. in Galilæam, nam poſt hunc ſuum regreſſum, narratamque non ſuo loco hiſtoriam, quæ Nazareth accidit, ſtatim narrat Lucas ea, quæ in ſuperiori acciderunt Galilæa poſt traditum Ioan. atque adeò poſt ſeceſſum illum Matth. vel aduentum Marci, qui idem ſunt: nam Marcus affirmat, eum aduentum poſt traditum Ioan. accidiſſe, quod ſimiliter de ſeceſſu Matth. verum eſt. Quamuis ergò regreſſus iſte Lucæ in Galilæam inferiorem, & Nazareth, fuerit ante traditum Ioann. nempè poſt tentationem omnem conſummatam, vt patet cap. 4. Lucæ v. 13. 14. & poſt quædam alia, quæ narrat Ioann. B quæ continentur hoc libro tertio Dilucidat. capit. quarto, ver. 43. vſque ad ver. 12. capit. quinti, quia tamen ſtatim Lucas poſt commemoratum illum regreſſum, & Nazareth hiſt. incœpit narrare ea, quæ alij Euang. narrãt poſt traditum Ioannem (eò enim ſpectabat, vt narrare inciperet prædicationem, quã paulò pòſt ſecundum reditum, ac ſtatim poſt ſeceſſum, aggreſſus fuit Chriſtus cùm de Iudæa redijſſet in Galilæam inferiorem) ideò rectè dici poteſt Lucas eundem quodammodo indicaſſe, ſeu potius inuoluiſſe, quamuis non expreſsè, ſeceſſum Matth. & aduentum Marc. & hæc videtur cauſſa, quamobrem Lucas dixerit regreſſum fuiſſe Chriſtum in virtute ſpiritus. Hæc de ordine.

C

THEORIA II.

In illa: *Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.* de credibilitate fidei ex falſitate doctrinæ, & teſtimonio aduerſariorum.

OCCASIONE verborum Chriſti *niſi ſigna*, &c. non inutile erit hic agere per aliquot Theorias, de euidenti fidei noſtrę credibilitate, quæ non ſolis miraculis, ſed alijs etiam firmiſsimis argumentis nititur. Et quidem latiſsimum ſeſe hic nobis aperit ad nauigandum pelagus, ſed inſtituti noſtri ratio monet nos vela contrahere, & quæ tantùm Scripturæ interpreti, & concionatoribus vtilia erunt, in medium breuiter afferre. Ex quinque D igitur capitibus fidem noſtram euidentẽ credibilitatem habere, oſtẽdere poſſumus. Et primùm quidem in hac Theoria id oſtendemus ex falſitate cæterarum omnium doctrinarum, quæ falſitas probari poteſt ex his, quæ illæ admittunt, & in quibus illæ conueniunt cum doctrina Chriſtiana; v. g. falſitas hæreticorũ ex Euangelio; & Iudæorum ex Veteri teſtamento, Gentilium verò ac Philoſophorum ex lumine ipſo naturali; Denique Saracenorum falſitas quia ex ſingulis Sectis aliquid habet, ex ijſdem fermè capitibus, ex quibus aliæ, refutari poteſt.

Et quidem aduerſus hæreticos fidem noſtrã Catholicã eſſe veram, & à Chriſto ad nos vſq; incorruptam peruenisse ex Canonicis, ac diuinis Scripturis Catholica ſatis euincit Ec-

9.

1. *Teſtimonia fidei Chriſtianæ credibilia nimis.*

Ex quinque capitibus.

2. *Hæreticorũ falſitas oſtenditur.*

Digitized by Google

cleſia, à qua Sacras ſcripturas accepiſſe oportuit hæreticos, cùm ante cuiuſlibet hæreſis exortum fuerint.

3. Cùm enim quæ vera Scriptura ſit, ex ipſamet ſacra ſcriptura diiudicari non poſſit, neq; ex priuato ſingulorum ſpiritu, id ex Catholicæ Eccleſiæ doctrina, & auctoritate petendum erit, in quo Eccleſia Catholica falli nõ poterit, alioquin incerta eſſet ſcripturarũ fides. Quod ſi falli non poteſt circa ſcripturas Canonicas, neque circa alia ad fidem pertinentia falli poterit: nam ſi vno aliquo errare eam poſſe conceſſeris, nihil certi ab ea poterit haberi: quare cùm Eccleſia ex ſcripturis, ſicut & traditionibus Apoſtolicis, & ex Antiquiſſimis, & Oecumenicis Concilijs contraria hæreticorum placita vnanimi conſenſu reiecerit, exploſerit, damnauerit; meridiana luce clarius euadet, falſa eſſe quæcunque contra noſtram doctrinam portæ inferi temerario auſu adinuenire conatæ ſunt.

4. *Iudæi conuincuntur erroris.* Iterùm aduerſus Iudæos euidenter ſic noſtræ fidei credibilitatem aſtruemus. nam quidquid vetus olim teſtamentum de legis illius abrogatione, quidquid de euertendo principatu, & Regno Iudæorum, de deſolatione Ieroſolymitanæ vrbis, ac templi, quidquid de abiectione Hebræorum, vel ab antiquis Prophetis, vel ab ipſo Chriſto, eiuſque Apoſtolis, antequam euenirent, prædicta ſunt, itemque quæ de gentium vocatione, de Chriſtianorum multiplicatione, de Euangelij in omnem terrarum tractum diffuſione, & promulgatione. denique de Chriſtianæ Eccleſiæ amplificatione, ab eiſdem illis prænuntiata fuerunt, ipſo iam rerum euentu, completa eſſe videmus admirando conſenſu Veteris, ac Noui teſtamenti. Atque hæc euincunt aduerſus Iudæos veritatem fidei noſtræ, etiam ſi maracula deeſſent.

5. *Gentiles redarguuntur.* Iam verò non eſt multum laborandum in ſuperſtitione Gentilium, ac vanitate idolorum oſtendenda, cùm apertè vana ſit, falſa, abſurda, obſcœna. nam quos pro Dijs colebant gentiles vel viliſſima animalia erant vt apud AEgytios; vel cœli, & aſtra ſenſu deſtituta vt apud Chaldæos; vel mortales Saturnus, Iuppiter, Mercurius apud Græcos; vel ficta, & ſæpè horribilia arte hominum facta ſimulacra ſerpentum, & aliorum animalium, & ſimilium rerum; quæ irridens Dauid Pſalm. 113. olim cecinit: *ſimulacra gentium argentum & aurum, os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient, nares habent, & non odorabunt; manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt, non clamabunt in gutture ſuo.* quid plura? *Dij Gentium dæmones*, qui miſerè deceptos homines ad ſui cultum, ſeu potius tyrannidem adduxerant. *Pſalm. 95.*

6. Quid verò ſentiendum ſit de cultu, quo gentes ſimulacra ſua colebant, ille demum ſciet, qui poëtarum, & gentilium ſcripta reuoluet. nam quid obſcœnius ſacris Priapi? quid furibundius Bacchanalibus, & lupercalibus? quid crudelius ſacris Saturni, & ſimilibus, in quibus viui homines immolabantur? non eſſet finis, ſi ſpurciſſimam gentium ſuperſtitionem perſequi vellemus à quibus omnibus longiſſimè abhorret Chriſtiana Religio, eaque vt enormia, & infamia deteſtatur, tanquam à ratione etiam ipſa valde remota.

A

Sed qui plura his argumenta, ac validiora etiam contra has omnes ſectas habere deſiderat, auctores adeat, & quidem contra gentiles Iuſtinum Martyrem in admon. Gent. Arnob. aduerſus gentes. Tertullian. in Apolog. contra Gentes. Origenem contra Celſum, Cyrillum aduerſus Iulianum Apoſtatam, Euſebium de præp. Euangel. Theodor. de curat. græc. affect. Auguſtin. de Ciuit. Dei per viginti duos libros. Aduerſus Iudæos autem Auguſtin. orat. *contra Iudæos*, & in Dialog. Eccleſ. & Synagog. Chryſoſtom. quinque orationibus contra Iudæos. Euſebium de demonſtr. Tertullianum aduerſus Praxeam. Nyſſenum libris contra Iudæos. Iuſtinum contra Tryphonem. Adde & Lyranum tract. contra Iudæos in fin. Veter. teſtam. in Gloſſa ordin. At contra omne genus hæreticorum ſtat Irenæus, Tertullian. de proſcript. hæret. Epiphanius in Anchorato. Philaſtrius Auguſtino prior, de hæreſibus, Auguſtin. de hæreſ. Ad Quoduult Deum, Lyrinenſis aduerſ. Nouatores. Contra Saracænos non eſt quod quæramus Scriptores, quia in hac doctrina ſunt multa repugnantia lumini naturæ, neque admittit diſputationes, & eorum præcipuum fundamentum eſt, vt armis, non litteris ſpurciſimam doctrinam defendant, & in vniuerſum contra varios hoſtes fidei, ſcriptores affert Medina lib. primo, cap. 4. 7.

B

C

Cæterùm adhuc ex ijs ipſis, qui falſas doctrinas, ac ſectas ſequuntur, confirmare poſſumus fidei noſtræ credibilitatem. Primùm quidem à teſtimonio eorum, qui fidem Chriſtianam non receperunt. Cuiuſmodi fuit Ioſephus Iudæus, qui lib. dicimo octauo antiquitat. cap. nono, de Chriſto fidei noſtræ auctore præclarè ſic ſcripſit. *Fuit his temporibus Ieſus ſapiens vir, ſi tamen virum, eum nominare fas eſt, erat enim mirabilium operum effector, & Doctor omnium eorum, qui libenter audiunt, quæ vera ſunt. & multos quidem Iudæorum, multos etiam ex Gentibus ſibi adiunxit. Chriſtus hic erat. hunc accuſatione primorum noſtræ gentis virorum, cùm Pilatus in crucem agendum decreuiſſet, non deſeruerunt hi, qui ab initio eum dilexerunt. apparuit enim eis tertia die iterùm viuus: ſecundùm quod diuinitus inſpirati Prophetæ vel hæc, vel alia innumera miracula futura prædixerant. ſed & in hodiernum diem Chriſtianorum, qui ab ipſo nuncupati ſunt, & nomen perſeuerat, & gens.* quia verò breuitati ſtudemus legat Lector epiſtolas varias aliquot Imperatorum apud Euſeb. libro quarto, hiſtor. capit. decimo tertio, & libro nono, capite nono, & Apolog. 2. Iuſtini ad Antonium Pium in fin. inueniet enim præclara teſtimonia, quæ Imperatores pro Chriſtianis, quos atrociſsimè perſequebantur, à veritate ipſa ferre compulſi ſunt. Hoc autem argumentum maximum ad religionem confirmandam habere pondus, docet Auguſt. lib. decimo octauo, de Ciuit. Dei cap. 47. 8. *Ioſephi teſtimonium de Chriſto.*

D

Deinde

9. Deindè argumentari possumus à calamitatibus eorum, qui fidem Christianam opprimere, & oppugnare ausi sunt, Ite, si vis Tertull. lib. ad Scapulam & Euseb. li. 2. historiarum cap. 4. & 7. & lib. 7. cap. 20. & lib. 9. cap. 8. & 9. Nicephor. lib. 2. ca. 10. & 11. hoc argumentandi genere ad fidem nostram stabiliendam loco citato vtitur Tertull.

10. Et D. Chrysost. orat. 3. contra Iulæos, cuius verba quoniam egregiè id efficiunt, quod hic volumus, subijciemus. *Si Phinees*, inquit, *vnico peremptohomine, totam numinis iram aduersus populum placauit (stetit enim Phinees & placauit, & cessauit quassatio* Psal. 105.) *tamq; multos homines eripuit ab ira diuina vnius hominis cædes: multò magis hæc vobis oportuit accidere, si legis transgressor erat, quem vos crucifixistis. cur igitur quæso, Phinees, viro legis transgressore peremptо, iustus habitus est, & sacerdotio honoratus; vos autem cùm in crucem egeritis virum impostorem, vt dicitis, non modò non indè fertis laudem, & honorem; verùm etiam acerbiora patimini, quam tu, cùm filios vestros mactaretis? an non istud perspicuum est etiam vehementer tardis, & hebetibus, quod posteaquam aduersus seruatorem, ac Principem orbis impiè egistis, talis sit de vobis sumpta vindicta?* Hæc speciatim de Iudæis Chrysost. Porrò de supplicijs, & horribili aliorum exitu, inuenies apud præcitatos auctores, vt hic dicere opus non sit.

11. Postremò argumentari etiam possumus à testimonio, quod Iudæi fidei nostræ hostes præbent Veteris testamenti scripturis. nam vt August. censet lib. 1. de consens. Euang. cap. 14. & lib. 18. de Ciuitate c. 46. & epist. 59. ad Paulinum in solut. 2. quæst. vt Iudæi in illa vastatione Hierosolymitana, non ad vnum omnes sublati fuerint, sed in varias aliqui dispersi regiones non sine nostro magno bono diuinitus factum est. ipsi enim Iudæi iam testimonia fidei nostræ contra se circumferunt; & *inimici nostri sunt Iudices* pro nobis Deuter. 32. hoc argumentum prosequitur August. lib. 18. de ciuit. Dei cap. 47. vbi concludit: sed quæcumq; aliorum prophetiæ de Dei, per IESVM Christũ, gratia proferuntur, possunt putari à Christianis esse confictæ. ideò nihil est firmius ad conuincendos quoslidet alienos, si de hac re contenderint, nostrosque fulciendos, si rectè sapuerint, quã vt diuina prædicta de Christo ea proferantur, quæ in Iudæorũ scripta sunt codicibus. quibus auulsis de sedibus proprijs, & propter hoc testimonium toto orbe dispersis, Christi vsquequaque creuit Ecclesia, & hæc, quæ hactenus diximus, ostendunt, credibilitatem fidei nostræ euidẽtem ex falsitate aliarum sectarum, vel earundem testimonio. sequitur, vt directa magis argumentandi ratione, eandem fidei nostræ credibilitatem ostendamus. quod sequenti fiet Theoria.

(··)

A

THEORIA III.

Ex quatuor aliis capitibus elicitur fidei nostræ credibilitas.

VBI iam ex aduersarijs sumpsimus fidei nostræ confirmationem, sequitur vt propria capita, vndè clariùs eandem credibilitatem elicere poterimus, constituamus. qua in re egregiè versatus est Lactantius Firmianus in lib. diu. institut. & quidem multa sunt, vndè hæc veritas patere potest. nos omnia ad quatuor capita reuocabimus, nimirum ad, *Vnam Sanctã, Catholicam, & Apostolicam* Ecclesiam. 1.

B Sic verò ratiocinamur: ea doctrina tantùm est non modò necessaria ad salutem, verùm etiam euidenter credibilis, quæ est *Vna, Sancta, Catholica, & Apostolica*, sed constat, tantùm Christianam doctrinam esse *Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam*, ergò planè constat, esse credibile, non modò quod sola ipsa necessaria sit, verùm etiam quod à Deo reuelata est. prima illa propositio non eget ad sui probationem, nisi vocum declaratione. nomine igitur *Vnius* intelligo conuenientiam doctrinæ cum doctrina, & præterea auctorum inter se consensionem, quod nihil aliud est, quàm habere auctores priores, qui testimonium præbeant posterioribus, vt Prophetæ perhibent testimonium Apostolis, & rursum posteriores præbeant testimonium prioribus, vt Apostoli Prophetis. 2. *Vna quomodo vocetur Ecclesia.*

C *Sanctitatis* verò voce accipio doctrinæ puritatem, ac stabilitatem. puritas in eo posita est, vt errorem admistum nullum habeat, nec vllam peccati maculam. stabilitas doctrinæ est immobilitas verbi, & firmitas quam facit in homine ea doctrina imbuto. 3. *Sancta quomodo dicatur.*

Catholica, idem est quod vniuersalis. vniuersalitas porrò doctrinæ est, vt doctrina illa comprehendat omnia tempora, vniuersa loca, cunctas personas secundùm sexum, ætatem, statum, gradum, & officium. sitque vniuersalis secundùm res omnes, quæ pertinent ad hominum salutẽ procurandam. debet enim docere Deum, Angelos, animas, corpora nostra, & mundum, & horum omnium D ostendere debet originem, compositionem, naturam, vim, actionem, finem & terminum. 4. *Quomodo Catholica.*

Vocabulo *Apostolica* significamus doctrinam à Deo missam, & reuelatam, & habentem visibile, & supernaturale testimonium, quod sit à Deo missa, itemq; doctrinam traditam ab homine habente potestatem faciendi miracula in confirmationem doctrinę, quandò, & sicut oportet. 5. *Quomodo Apostolica.*

Ratio horum quatuor capitum hinc sumitur, cùm enim Deus sit maximè vnus, non tradet hominibus doctrinam dissentientem. & cùm sit purus actus, non potest tradere doctrinam falsitati admistam, aut peccato fœdatam; iterùm cùm sit summa veritas, eius doctrina vera sit omninò, necesse est, cùm verò sit æternus, eius doctrina stabilis erit, & deficere non poterit. 6.

Rursus

Digitized by Google

Rursus cùm sit vniuersalis rerum omnium auctor, non erit ab eo expectanda nisi vniuersalis doctrina. Postremò cùm doctrina ad salutem necessaria debeat esse reuelata, & euidenter credibilis, non poterit probari lumine naturali, ergò supernaturaliter probanda est, igitur saltem respectu totius Ecclesiæ miracula habere debet, atque adeò debet esse *Apostolica*. quibus cor stat prima propositio ratiocinationis propositæ nu. 2.

7. Iam probatur assumptum, & primum quidem ostendo, nulli alij doctrinæ à Christiana eas quatuor notas inesse. nam doctrina Hæreticorum, & Gentilium deficit in miraculis, & speciatim hæreticorum doctrina caret vniuersalitate temporum, & locorum manifestè; Gentilium verò, vniuersalitate rerum quia nullus Philosophorum veram cognitionem earum rerum, quæ ad salutem hominum necessariæ sunt, alijs tradere potuit, sicut nec ipse assequi.

8. Adhæc Iudaismus deficit in vniuersalitate personarum. lex enim illa data est ijs, qui descendunt de stirpe Abraham. Denique Saracenismus deficit manifestè in sanctitate; omnes enim defectus aliarum in illa sunt, quare meritò spurcissima omnium dicitur. Restat iam videre hæc quatuor capita in sola Christiana doctrina reperiri.

9. Principio doctrina Christiana, ac fides habet vnitatem & consensionem dogmatum. dogmata enim mirificè inter se conueniunt, vt dogma Incarnationis cum doctrina Trinitatis. Iterùm idem mysterium aduentus filij Dei, & doctrina Sacramentorum benè congruit cum effectu sicut effectus cum fine, scilicet gloria futura.

Fides quoque immortalitatis animorum, doctrina contemptus rerum temporalium, corporis afflictationes rectè stant cum ijs, quæ nobis in altera vita promittuntur. Quies etiam & consolatio, & centuplum, quæ in hac vita fides pollicetur, rectè concordant cum ea doctrina, qua ad patientiam, contemptionem sui, & similium rerum exhortatur nos Christiana Religio.

10. Nec deest hic summus auctorum consensus. nam Patriarchæ præbent testimonium Prophetis, Prophetæ Apostolis, Apostoli Doctoribus quoad dogmata, & auctores ipsos inter se. Priores etiam posterioribus, & posteriores prioribus conformes sunt, ac se inuicem commendant, & stabiliunt. Enim verò quæ Christianæ fidei doctrina continet de Christo, & ab eius Doctoribus prædicantur, multis retrò sæculis non à Sybillis modò, sed Patriarchis, à Prophetis Iudæorum prænuntiata sunt, & eodem prorsus modo, quo prædicta, sua quæq; tempore contigerunt.

11. Iam gradum faciamus ad sanctitatem. in Christiana hac doctrina iam ab ipso nascentis Ecclesiæ initio nulli permissi sunt errores, sed statim opposuere sese fidei nostræ proceres cuiuscumque erroris magistri, ita vt etiam vitam, & caput potius cuicumque obijcerent discrimini, quàm vt errorem, & falsitatem admitterent.

A Tanta verò est eius puritas, vt nè otiosum quidem verbum vllum toleret, & breuiter tanta est eius integritatis, atque sanctitatis præstatia, vt qui ad normam eius vitam suam actionesque conformant, vel ab ipsis etiam entibus commendentur, & Christi fidei aduersarijs amabiles sint.

Quam rem luculentè & eruditè satis Lactantius persequitur lib. 3. cap. 26. *Dei*, inquit, *præcepta quia & simplicia, & vera sunt quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrænatus; paucissimis Dei verbis tam placidum, quàm ouem reddam. da cupidum, auarum tenacem: iam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam tibi plenis manibus largientem; da timidum doloris, ac mortis; iam cruces, & ignes, periculum* B *omne, & aurum contemnet. da libidinosum, adulterum, ganeonem, iam sobrium, castum, continentem videbis; da crudelem, & sanguinis appetentem, iam in veram clementiam furor ille mutabitur; da iniustum, insipientem, peccatorem, continuò vt æquus, & prudens, & innocens erit. vno enim lauacro malitia omnis abolebitur, tanta diuinæ sapientiæ vis est, vt in hominis pectus infusa, matrem delictorum stultitiam, vno semel impetu expellat:* Hæc ille. 12.

Nec eius tantummodò sanctitas apparet ex hominibus, qui illam suscipiunt, & ad eius se normam dirigunt, verùm secundum se spectata eadem doctrina maximè sancta est, quod hac argumentatione liquere potest; ea doctrina maximè sancta est, quæ Sanctos fa- C cere, vel inducere homines ad sanctitatem potest, sed inter omnes, quæ excogitari possunt, hæc maximè hoc habet, igitur Sancta erit. Assumptum sic ostendo: sanctitas hominis ab his dependet, quod recedat à malo, & faciat bonum Psalm. 33. & 36. & quidem bonum facere tribus rebus constat. Primò quod habeat quis reuerétem erga Deum dilectionem. Deindè amicitiæ quandam beneuolentiam erga proximum. Postremò tolerantiam, nimirum vt aliquis extrema etiam mala sustineat pro his duobus fulciendis, & conseruandis vndecumque illa mala sint. At Christianæ religionis doctrina quatuor ista continet, ergò sancta. Probo singula. 13. *Sanctitas hominis ex quibus dependeat.*

Christi doctrina in primis retrahit à malo, nam quid efficacius dici, aut excogitari potest D ad hoc ipsum, quàm id quod Petrus epistol. 1. cap. 2. 24. scribit? *qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati estis.* 14.

Præterea quid potentius eo, quòd D. Paulus ad Hebr. 6. habet, per peccatum rursus crucifigi Christum, & ostentui haberi Filium Dei. *impossibile enim est*, ait Paulus, *eos, qui semel sunt illuminati &c. & prolapsi sunt, rursus reuocari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Et ad Hebr. decimo, *quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* ergò ad reuocandum homines à peccato, non video quid nam aliud dici posset, quod maiores habeat vires.

Iam

15. Iam verò ad dilectionem Dei assequendam nihil amabilius dici poterat eo, quod habet Ioannes tertio capite, *Sic DEVS dilexit mundum, vt Filium suum, &cæt.* Et Paulus ad Galat. secundo, vigesimo, *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Et verò ad exhibendam debitam Deo venerationem, & reuerentiam; quantas habet vires id, quòd Paulus ad Philippens. secundo, scribit? *qui tum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit &cæt. propter quod & DEVS exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur,* &c.

16. *Dilectio proximi in duobus sita.* Venio ad dilectionem proximi, quæ in duobus sita esse videtur. & quod non ponamus offendiculum proximo ad Rom. decimoquarto, *noli cibo tuo illum perdere, pro quo CHRISTVS mortuus est.* Deindè quod illi subueniamus. Certè ad vtrumque eorum efficacissimum est illud quòd Ioannis decimo tertio legimus: *qui accipit, si quem misero, me accipit, qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit*; itemque quod Matth. 25. *quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*, ergò ad dilectionem proximi nihil fortius dici potuit.

17. De postremo autem, nimirum ad sustinenda quæuis grauissima mala pro Dei simul, & proximi dilectione, quid potuit dici potentius eo, quod primo Ioannis tertio habetur? *in hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere*, vel etiam eo, quod scribit Paulus ad Hebr. 12. *recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem: vt nè fatigemini animis vestris deficientes. nondum enim vsque ad sanguinem restitistis aduersum peccatum repugnantes.*

18. Ad sanctitatem etiam pertinere stabilitatem diximus. Porrò stabilem esse Christi doctrinam is demum clarè intelliget, qui secum ipse reputauerit omnia illa, quæ CHRISTVS prædixit implenda in hoc tempore, impleta esse. patet, dixit enim CHRISTVS, Ierusalem euertendam Lucæ decimonono, & iam vidimus euersam. prænuntiauit conuersionem gentium Ioannis 12. & 17. & gentes iam conuersæ sunt. Idolorum euersionem, & vel euersa vidimus pluribus locis, vel procedente tempore sublata iri non dubitamus.

Prædixit Synagogæ reiectionem, dispersionem Iudæorum, quæ tamen omnia oculis nostris cernimus. prædixit futuram in Ecclesia perfidiam hæreticorum Matth. septimo, prædicationem Euangelij vbique terrarum Matth. vigesimoquarto, peccatum Petri, Matthæi vigesimo sexto, Iudæ proditionem Ioannis 13. Apostolorum Martyrium Matth. vigesimoquarto, & hæc omnia quemadmodum prædixit, euenerunt. mitto intimas hominum cogitationes, diuinitus sæpè vidisse Christum Matth. nono, & duodecimo, & Ioannis decimo sexto, ad easq; mirabiliter responsum accommodasse.

A Quare quia ea, quæ prædixit in hac vita implenda esse, completa sunt, restat credere ea, quæ promisit in futura omninò implenda quoque fore. quo genere argumentandi vtitur Augustin. vigesimosecundo, de Ciuit. à capite 5. per plura capita ad ostendendam resurrectionem. 19.

Reddit etiam hæc doctrina stabiles eos, qui eam hauriunt, quod inuicta Martyrum constantia manifestè indicat, quemadmodum & reliqui omnes Sancti, vt meritò dixerit Paulus ad Hebr. duodecimo, *ideoq; & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* 20.

B Et verò quis sibi persuadere possit, falsam esse eam doctrinam, quam tot Martyrum myriades vitæ probitate ac Sanctimonia illustriũ, cuiuscumque ordinis, ætatis, sexus, non alio quàm Dei placendi studio, & veræ religionis colendæ desiderio ita complexæ fuerint vt exquisitissima tormentorum genera sustinere, & atrocissimam mortem alacriter non dubitauerint adire? Quomodo enim id permisisset Deus, cuius bonitas immensa? quid enim crudelius, quàm pati, vt homines tanta probitate insignes, & studio religionis accensi, ea salutis cupiditate inflammati in ea re, quæ ad salutem æternam pertinet, decipiantur tam turpiter, & sanguinem, ac vitam citra vllam vtilitatem profundant? quænam rogo esset hæc Dei charitas? quæ prouidentia? efficiamus igitur doctrinam Christianam prorsus C verissimam esse, atque certissimam. 21.

Cæterùm non satis est considerare hic solum martyrium, seu pœnarum tolerantiam, nam etiam hæreticorum quidam subierunt mortem, & constat Ethnicos etiam quosdam, specie religionis falsa deceptos, dæmoni sese deuouere consueuisse. Videre namque oportet diligenter, alias conditiones in nostris martyribus affuisse, quibus caruere ij de quibus hic in obiectione fit mentio. nostri enim tam multi fuere, ac varij etiam pueri, etiam puellæ, vt eorum numerus iniri nequeat, tam verò probæ, & sanctæ vitæ, vt admirationi essent, tot ederent miracula, vt à Deo directos, illiq; caros esse nemo dubitet; tam constantes, tanta charitate erga tyrãnos, tam feruidos, tam alacres, vt nonnisi Dei auxilio, ac prouidentia id euenisse, non verò humana leuitate, vel spiritu constet. 22.

Hæc omnia mirificè credibilem reddunt fidem nostram, vel etiam ex hoc capite, quod inter tot aduersa, & persecutiones Imperatorum, Hæreticorum, Iudæorum, semper illibata perseuerat, *stabiliq; manens dat cuncta moueri.* quod maximè admirabile est in Ecclesia Romana cuius stabilitatem, & perpetuitatem multò antè prædixerat Christus. eius enim fides & primatus multis alijs cessantibus Ecclesijs eo ipso in loco perseuerauit, vbi eius persecutores Imperatores sedem habebant, quam ipsa fractis illorum viribus adhuc tenet, æternumque tenebit. 23.

Hæreticorum verò vel etiam Gentilium qui feruntur Martyres, planè res aut crediderunt, 24.

aut

aut fecerunt tam pugnantes cum ipsa ratione, & lege naturæ, vt facilè appareat, paucos illos, qui recensentur in ea morte subeunda non à diuina prouidentia, vel à religione directos esse, sed secundùm æquissimum Dei iudicium, & prouidentiæ rationem, stultitiæ, vel improbitatis dignas pœnas luisse.

THEORIA IV.

De reliquis duobus capitibus, vnde euidens religionis Christianę liquet credibilitas.

1. TERTIVM caput credibilitatis est, ostendere, doctrinam hanc esse *Catholicam*. Primò continet vniuersa tempora: fuit enim ab Adam vsque ad Noë, à Noë vsque ad Moysen, à Moyse vsque ad Dauid, à Dauid vsque ad Christum Redemptorem, à Christo vsque ad nos. hæc eadem doctrina perdurauit semper, maiori tantum, minoriue rerum explicatione differens. semper verò docuit ea, quæ necessaria erant ad salutem etiam ante aduentum Christi, multò autem distributius, & explicatius post eius ad nos aduentum, licèt ipsa salus nondum sit nobis manifesta, sese verò aperiet in ipsa beatitudine 1. Ioan. 3. *Carissimi nunc filij Dei sumus: & nondum apparuit quid erimus, scimus quoniam cùm apparuerit similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.*

2. Secundò comprehendit omnia loca, quod illustrari potest exemplo, & verbis Domini Matth. vigesimoquarto, *sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, ita erit aduentus Filij hominis*. hoc est, quod quemadmodum Sol exiens ab oriente suo splendore omnia loca collustrat, non tamen simul, ita prædicatio Euangelica ab Hierusalem exiens, Asiam, Græciam, Africam, Italiam, Germaniam, Hispaniam collustrauit: ergò apparuit in Oriente, & visa est vsque in Occidentem.

3. Vidimus quoque temporibus nostris per Beati Ignatij Loyolæ Socios, extremos etiam Indos adijsse, illum enim virum elegit Deus, vt suis laboribus, meritis, doctrina, sanctitate, prudentia collapsam multis locis Religionem restitueret, labàtes suis humeris sustineret, & perdurantes in fide, & sanctitate confirmaret.

4. Extendit se eadem ad omnes item personas, nullus est enim ordo, nulla ætas, nullus sexus, nulla natio, nullus status, officium nullum, in quo per hanc doctrinam non possint homines salutem consequi. Prætereà includit in se res omnes, quæ iuuare possunt homines ad benè beateque viuendum. claudit enim in se Dei, Angelorum, corporis, animæ, denique vniuersi cognitionem, de quibus omnibus docet quæ sit origo certa, quæ partes, & compositio, quæ facultates, actiones, denique finis. Speciatim verò tria hæc expressè docet cognitu necessaria cuiuis homini ad benè viuendum, nimirum tradit de Deo, esse ipsum infinitæ potentiæ, ac virtutis, liberè agere, omnia comprehendere, & ea nunquam deficiente prouidentia, moderari, nihil illum latere eorum, quæ homines, vel loquuntur, vel agunt, vel etiam secum cogitant; esse misericordem simul, & iustum, redditurum esse cuique hominum pro eius meritis tanquam æquissimum iudicem siue supplicia, siue præmia. Secundò de anima rationali docet immortalem eam esse, & suam cuique hominum propriam, non ex vlla materia, sed ex nihilo esse à Deo creatam, & infusam corpori. Adhæc libero pollere arbitrio, & æternæ beatitudinis participem esse, quam sine Dei ope non est, qui assequatur, neque enim potest.

Postremò de hominis fine differit multa, & in primis in clara Dei visione, ac fruitione sitam esse, & post depositam huius corporis sarcinam nobis Dei beneficio contingere. futuram esse aliquandò totius huius mundanæ machinæ dissolutionem, cunctos denique de morte ad vitam reuocandos esse, & ante Dei tribunal debere sisti. nihil igitur est, quod tam salubri doctrinæ Christianæ desit, quominus *Catholica* sit. sequitur vt postremam notam euidentis credibilitatis explicemus.

5. Planum esse Christianam doctrinam esse *Apostolicam*, hoc est, miraculis pluribus esse illustratam testis est Chrysost. homil. 3. in secundam epist. ad Corinth. testis August. lib. 22. de Ciuit. cap. 8. & de vtilit. cred. cap. decimosexto, testis Paulus ad Hebræos secundo, legantur Euangelia, & Apostolorum Acta, & clarissimum esse videbitur, plurima supernaturalia miracula in huius doctrinæ confirmationem edita esse, quæ antonomasticòs *signa* dicuntur, quia cum primis significant, atque declarant eam doctrinam diuinitus probari, atque adeò veram esse, ad quam stabiliendam eduntur. habet signa circa cælum, elementa, obscuratus est enim sol, mare præbuit seipsum calcandum Christi, & Apostolorum pedibus, terra tremuit, & petræ scissæ sunt. in aëre visa Christi maiestas, vox Patris audita, & Spiritus sanctus descendisse visus sub nubis, vel etiam columbæ specie. Angeli descendere non rarò de cœlo ad Christiana mysteria nuntianda, & obsequium præstandum Christo; expulsi dæmones passim non sine magna videntium admiratione, & tremore, innumera morborum genera extincta; vita functi ad superos reuocati, immutatæ subitò hominum mentes per diuinos instinctus, conuersi homines ad meliorem frugem, & quæ in illorum cordibus latebant, reserata aliquando fuerunt. Denique tot fuere miracula, vt eloquentissimus quisque narrando deficiat.

6. Sed vni restat hic calumnię respondere. vndè nam constat hæc miracula esse vera, & non in speciem tantũ, vt Magorum olim corã Pharaone? Adhæc esto hæc vera sint, vndè scire poterimus supernaturalia esse, immò verò dubitare poterimus, an verè facta sint quæ narrantur. Breuiter respondeo, primùm quidem clarum esse, quod vera, id est, non apparentia fuerint, tùm quia longè antè prædicta tanquã certò futura, vt Prophetarum vaticinia legentibus constat; tùm quia percensentur tanquam

perma-

permanentia fuisse, non in speciem ad horam, vel tempus aliquod oculis imposuisse. id ipsum ostendebant ij, qui signis illis illustrati Euangelij lucem hauriebant. idem confirmat multitudo, ac celebritas horum signorum, quæ non in tenebris, sed in luce ipsa, & in aperto, neque apud vnum aliquem, sed apud multos, non vno loco, sed pluribus patrata sunt. Deindè fuisse supernaturalia ex ipsa miraculorum ratione constat. neque enim natura potest suis viribus mortuos ad vitam reuocare, non cordis secreta attingere, non illustrare mentem, voluntatem afficere tam certa, ac repentina commotione; solus Deus hæc potest.

7. Quod verò facta sint, constat, quia vndè tibi liquet, quæ de Romanis dicuntur, gesta fuisse? ergò sicut euidens est, credenda esse illa, quæ de Romanorum gestis, narrantur in historijs, ita & clarum esse debet, multò magis ea, quæ de Christo dicuntur, verè facta esse. narrantur enim à pluribus Euangelistis, qui scripserunt diuersis temporibus, locis, linguis: scripserunt simplicibus non fucatis verbis. & quidem doctrinam narrant inducentem hominem ad sanctè, beatèque viuendum, & hi ipsi Scriptores sanctitate, ac probitate vitæ floruerunt, nec propria commoda quærebant, vt proindè non sit verisimile voluisse alijs imponere.

8. Immò verò ea ipsa, quæ à nostris scriptoribus Sacris narrantur, aliqua ex parte etiam ab alienis confirmantur. nam Iosephus dicit, Christum fecisse diuinas virtutes, & in epistol. Lentuli quædam habentur huiusmodi. Ipsi quoque Ecclesiastici scriptores cùm tempore Imperatorum, & Gentilium scripserint, quandò fides augebatur, & confirmabatur, digniſsimi fide sunt, quia non est verosimile eos tunc mentiri potuisse, viuentibus aduersarjis fidei nostræ, in quorum oculis narrantur hæc fuisse gesta. Idem confirmat stabilis, & celebris traditio, idem vestigia, & monumeta relicta, ob id ab Imperatoribus, vel Principibus ædificata. Idem gentes ad fidem adductæ.

9. Sed siuè miracula verè facta fuerint, siuè falsò facta narrentur: Ad confirmandam fidem nostram sic cum Augustino libr. 22. de Ciuit. Dei cap. quinto, ratiocinabor. Aut Christiana religio diuinis miraculis orbi probata est, aut nullis miraculis est confirmata. si primum fateare, igitur diuina est, & digna, quæ admittatur ab omnibus. si alterum concesseris multò etiam magis est fide digna. quod enim maius miraculum proferri potest, quàm vt vniuersus orbis, nimirum tot sapientes, & litterati, tot diuites, & nobiles, tot potentes, & principes sine vllis miraculis, ab hominibus rudibus, & illiteratis, (*stulta enim elegit Deus, vt confundat fortia* primo Corinthior. primo) ab incognitis, & obscuris, & qui passim odio haberentur sine vllo verborum ornatu, breuissimo tempore perducerentur ad eam amplectendam doctrinam, quæ mentis captum excederet, & inaudita antea prædicaret, quæ sensui repugnantia præciperet, nihil verò fermè in præsenti vita promitteret præter calamitates, & persecutiones, omnia bona vera, ac stabilia in futurum reseruaret?

Dilemma insolubile.

Hoc certè argumentum omnes omnium argumentorum vires exsuperat, & excedit. enim verò digitum Dei hic esse oportet, & diuinum aliquid latere necesse est, cuius vi & efficacitate coacti homines libenter cedant, & manus fidei tradant. est enim lex, & doctrina Christi, Verbum Dei, *Lex immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis.* Psalm. decimo octauo, est quasi ignis, & malleus *conterens petras* Ierem. 23. & *gladius penetrans vsque ad diuisionem animæ, & spiritus* ad Hebræos quarto, lege Chrysostomum homilia 66. ad populum.

10. *Hæreticorũ miracula qualia.*

Sed dicet aliquis, etiam hæreticus aliquis, vel infidelis miracula vera edidit, lege Nicephorum libro decimoquarto, cap. quadragesimoprimo, & librum Tripart. 12. cap. 10. & 14. Antichristus quoque miracula faciet, & alij seductores 2. Thessalon. 2. Sed quidquid sit num ea sint vera miracula: tamen inficior facta vnquam fuisse in confirmationem sectæ ipsorum, sed ad defensionem innocentis, vel ostensionem virtutis, vt de virgine Vestali dicitur, quæ cribro tulit aquam, & Claudia, quæ nauem mouit: sæpè etiam numero non vera erant miracula, sed meræ præstigiæ, vel quæ in causam naturalem referri poterant, & ex vita, consilijs, actionibus sciri poterat, quò pertinerent, & cuius adminiculo ederentur illa signa, & ad ambitionem plerumque, & ad oppugnandam veram doctrinam, quæ alijs, ac multis argumentis probata erat, referebantur. quorum opposita inuenire erat in miraculis, quibus fides nostra confirmabatur.

11. Equidem hac in parte Richard. Victor. sententiam lib. primo de Trinit. cap. 2. & admiror, & verisimam simul esse arbitror: Innumera, inquit, miracula, & alia, quæ non nisi diuinitus fieri possunt, in huiusmodi fidem faciunt, & dubitare non sinunt. Vtimur itaque in eorum attestatione, seu etiam confirmatione signis pro argumentis, prodigijs pro experimentis. vtinam attenderent Iudæi, vtinam animaduerterent pagani, cum quanta conscientiæ securitate pro hac parte ad diuinum iudicium poterimus accedere. nonnè cum omni confidentia Deo dicere poterimus: *Domine si error est, à te ipso decepti sumus. nam ista in nobis, tantis signis, & prodigijs confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.*

12. *Miracula nõ semper necessaria.*

Verùm quamuis multum efficiant miracula ad confirmandam fidem nostram, multumque iuuent ad credendum, non tamen omninò, & semper necessaria esse videntur, nam etiam sine miraculis, Christi fides probari poterit quod sit vera, euidenterque credibilis siuè aduersus Gentiles, siue Iudæos, siue Hæreticos, quemadmodum adducta à nobis argumenta ex quatuor illis, vel quinque capitibus, de quibus Theoria secunda, numero primo, & Theor. tertia, numer. primo, manifestè declarant, vt meritò proindè reprehensus

hensus fuerit Regulus, quod signa, & prodigia à Christo petierit, alioqui non creditu-
rus.

13. Cæterùm de motiuis credibilitatis fidei, vide Augustum contra epist. fund. cap. quarto, de fid. rerum mirab. cap. quinto, & libro de Catechizandis rudibus, & lib. 12. 13. contra Faustum. Eusebium de præp. & demonst. Euangel. Vincentium Lyrinensem in suo admonit. Diuus Thom. 1. contra Gent. cap. 46. 3. part. quæst. 43. Bagn. 1. part. quæst. 1. art. 4. dub. 4. Medinam lib. 2. *de recta in Deum fide*. Vegam de iustificat.

14. Scotus 2. q. prologi collegit omnes rationes in confirmationem euidentiæ credibilitatis fidei. Primò, ex prænuntiatione prophetica. Secundò, ex Scripturarum concordia. Tertiò, ex authoritate scribentium. Quartò, ex diligentia recipientium. Quintò, ex rationabilitate contentorum. Sextò, ex irrationabilitate errorum contrariorum. Septimò, ex stabilitate doctrinæ. Octauò, ex claritate miraculorum. Addi possunt & duo alia argumenta ex multitudine venientium ad eam, & profectu permanentium in ea, sed hæc decem reuocantur ad illa quatuor, *Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam* doctrinam, nam prænuntiatio Prophetica, & Scripturarum conuenientia reducuntur ad *vnitatem*. auctoritas scribentium, & claritas miraculorum ad *Apostolicam* doctrinam, alia quinque reuocantur ad *Sanctitatem*. multitudo venientium pertinet ad *vniuersitatem* doctrinæ.

15. Verùm antequam finem huic Theoriæ imponamus, ad maiorem eius claritatem sunt quattuor obseruanda. Sit ergò primum quod argumenta, & rationes à nobis supra facta, & id genus alia non euincunt, euidens esse quod doctrina Christiana sit supernaturalis, vera & cæt. licèt ostendant esse euidenter credibile, quod hæc doctrina sit supernaturalis, & vera, quæ distinctio est Diui Thom. secunda secundæ, quæst. 1. articul. 4. ad 2. vbi docet articulos fidei non esse euidentes, sed euidenter tamen credibiles. Idem omninò affirmo de tota doctrina Christiana.

16. Secundò obseruandum est, dubium esse posse, qua fide fit euidens esse credendam, vel credibilem fidem nostram: aut enim de fide humana id intelligitur, aut de diuina, si de humana, ergò falsa esse potest, si de diuina, ergò non solùm euidens est credendum esse, quod sit vera, sed esse necessariò veram.

Huic obiectioni sic occurro: Primùm quidem dici posse euidens esse, credendas esse res fidei abstrahendo, vt in Scholis loquimur à fide humana, & diuina, & in commune fidem sumendo.

Deindè & clariùs affirmo superiùs à vobis argumenta ducta euincere, res sanctæ fidei nostræ esse credibiles, & credendas quadam fide ita certa, vt quod in nobis est omnem excludat dubitationem: talia enim sunt testimonia, & motiua illa, vt reuera valeant omnem dubitationem, omnem etiam formidinem excludere.

Affirmo tertiò adhuc distributius, argumenta ducta, euincere has res esse credibiles eo modo, quo proponuntur credendæ. proponuntur autem credendæ, vt certæ, & dictæ à Deo, ergò hinc fit, vt mediatè, & veluti consecutione quadam sit euidenter credibile, has res credi debere fide infusa, & supernaturali. nam testimonia seu argumenta adducta cõuincunt, vniuersa, quæ docet fides, esse euidenter credibilia. Vnum autem ex his, quæ docet fides est, has res credendas esse fide supernaturali, ergò & hoc ipsum est euidenter credibile. Itaque quamuis nunquam concedendum sit, esse euidens, nobis esse impositum præceptum de fide supernaturali, quibus enim principijs euinci id potest? tamen dandum omninò est, euidens esse, hæc omnia esse credibilia, vel credenda eo modo, quo proponuntur credenda. hoc enim sufficit ad credendum.

B

Obseruandum tertiò, hanc credibilitatis euidentiam respectu huius, vel alterius hominis non esse necessariam ad prudenter credendum in eodem semper gradu, sed satis esse aliquam, quamuis non ita magnam. Nam rustici aliqui non habent interdum huiusmodi euidentiam, illis enim satis est, vt non occurrat quid in fide rationi contrarium, & quod videant sapientissimos, & pastores docere eos eam fidem, sic enim non imprudenter credunt, neque enim sine vllo motiuo, vt vocamus in Scholis, prorsus credunt, nam alioqui imprudenter ordinariè crederent, & fide humana. Itaque quamuis sit euidentia credibilitatis necessaria respectu totius Ecclesiæ, respectu tamen huius, vel illius, vel non est omninò, & semper necessaria vel non tam magna. 17.

C

Postremò obseruandum hanc euidentiam credibilitatis, licèt non necessariam modo iam dicto num. præcedenti, afferre tamen secum multa commoda, & vtilitates. Est in primis valdè vtilis pro his, qui fortes sunt in fide, & firmi, ad consolationem illorum, vt Paul. significat ad Roman. decimoquinto, *vt per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeant.* his quoque qui infirmi sunt in fide, valde prodest, vt minus exagitentur varijs phantasmatibus contra fidem. hos enim vocamus *infirmos in fide*, non eos, qui huiusmodi phantasmatibus consentiunt, nam ij infideles sunt. 18.

Præterea vtilis etiam est ijs, qui nondum fidem susceperunt, vt fidem tantò lubentius complectantur. Quartò vtilis est plurimum, vt quis poscenti rationem eorum, quæ credit, reddat iuxtà illud Petri 1. 3. *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe.*

D

Postremò valdè commoda est, & vtilis ad perfidos Iudæos, & obfirmatos in infidelitate conuincendos, & redarguendos iuxtà illud Pauli ad Titum 1. *oportet Episcopum sine crimine esse &cæt. amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem, sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere.* Vide Eusebium libro nono, histor. vbi inducit Lucianum præsbyterum Martyrem Christi Antiochenum interrogatum à Tyranno, quare crederet doctrinam, cuius rationem reddere non posset: ille elegantissimam

quandam

quandam orationem aggressus est, & diuinam prorsus, in qua ea, quæ nos latè diximus, breuiter comprehendit.

DIGRESSIO PRIMA MORALIS,

In illa: *Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum, hic cùm audisset*, &c. ver. 3. & 4. De vtilitate Vexationis.

1. *Diuites calamitatibus trahuntur ad Deum.*

RESTAT vt Euangelij huius quasdam sententias ad mores accommodemus. Inprimis verissimum est potentes, ac diuites homines rarò ad Deum trahi aliter, quàm per calamitates, vel corporis afflictationes. Eccè tibi Regulum istum nobilem, & locupletem virum non ante quàm post filij ęgritudinem, ad Christum accessisse.

2. Hoc ego Danielis quarto, præclarè significatum esse intelligo illis verbis: *succidite arborem, & præcidite ramos eius; verumtamen germen radicum eius in terra finite.* de Nabuchodonosor elato, ac superbo Rege loquitur, ipse arbor siluestris erat, cuius honores, diuitiæ, potestas per ramos rectè intelliguntur; sicut igitur agricola, dum cogitat syluescenti arbori surculum inserere fructiferum, agrestes rescindit ramos, ita Deus vt syluescenti Regi, & scelesto, fructuosum gratiæ suæ surculum insereret, regalem eius honorem, diuitias, & regiam potestatem succidit. germen verò radicum eius reliquit. hoc est, non omninò illum exturbauit è vita, sed radicem reliquisse dicitur, si fortè humilitatis, ac religionis ramos, eius auxilio, ac benignitate proferret, & ita factum est, vt Rex superbissimus regno deiectus, & quasi in bellum conuersus cœperit humilia de se sentire, & magnifica de Deo prædicare. vtinam intelligerent misericordem Dei manum, cùm potentes isti à Deo in hac vita castigantur, & moniti resipiscerent, & cùm Regulo supplices properarent ad Christum.

3. *Multi calamitatibus non conuertuntur.*

Verùm, prôh dolor, quàm multi sunt, qui à Deo percussi non modò in meliorem frugem se minimè recipiunt, verùm etiam in deteriores euadunt. de quibus meritò conqueritur Deus Amos 4. *Ego dedi vobis stuporem dentium* (id est, dolorem, qui ex fame sequitur) *in cunctis vrbibus vestris, & indigentiam panum in omnibus locis vestris, & non estis reuersi ad me, dicit Dominus. ego quoque prohibui à vobis imbrem &cæt. & non redistis ad me &c. percussi vos in vento vrente &cæt. misi in vos mortem in via AEgypti, percussi in gladio iuuenes vestros &c. subuerti vos, sicut subuertit Deus Sodomam, & Gomorrham, & facti estis quasi torris raptus ab incendio, & non redistis ad me dicit Dominus. quapropter hac faciam tibi Israel &cæt.* hoc est, innumeris te opprimam malis. Aduersus hoc genus hominum, audi quid Deus apud Oseam decimotertio, dicat, *& ego ero tibi quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum. occurram eis quasi vrsa raptus catulis, & dirumpam interiora ieA coris eorum & consumam eos ibi quasi leo. bestia agri scindet eos.*

Sed pergamus vlterius. Regulus cùm audisset, quia IESVS veniret à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum. Afflictatio enim atque ægritudo sæpè in caussa est (sicut non solum hoc loco, sed etiam alibi passim apparet Matth. nono in Paralytico, Marci quinto in Iairo, Lucæ decimoseptimo in decem leprosis) vt Christus vtiliter cognoscatur, quæratur, adeatur, inuocetur, nec tantum præsens, verùm & absens honore afficiatur. 4.

Porrò non vno modo electis vtilis est vexatio, siue corporis, siue spiritus. Primùm quidem, vt in cruce ipsa probentur, quod testatur Iob cap. 23. *ipse scit viam meam, & probauit* B *me quasi aurum, quod per ignem transit.* 5.

Secundò virtus ipsa & in primis patientia in bonis probatis cùm affliguntur, magis elucet, & in exemplũ patientiæ ad posteros transmittitur. qua de re sic Iacob. 1. *exemplum accipite fratres exitus mali* (id est, asperæ mortis) *laboris, & patientiæ Prophetas, qui loquuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt.* 6.

Tertiò vexationis argumento significat Deus, quos habeat in hac vita carorum, ac filiorum loco ad Hebr. 12. *quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* qua in re nihil clariùs eo afferri potest, quòd Raphael Angelus Tob. 12. dixit Tobiæ Seniori: *quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* 7.

C Quartò eadem vexatio reddit hominem in dies sapientiorem, ac magis circumspectum. Isaiæ vigesimo octauo, *vexatio dat intellectum.* 8.

Quintò plurimum etiam iustis confert, vt intra modestiæ limites se contineant, & dignè magis, ac prouidè in via Dei progrediantur, quod sui exemplo Paul. ostendit 2. ad Corinthios 12. *ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus satanæ, qui me colaphizet,* &cæt. *nam virtus in infirmitate perficitur.* 9.

Sextò affirmare ausim, licet nihil aliud secum boni afferret tribulatio, satis certè commendanda foret, quod illa gloriam Dei magis illustret, & latius toto orbe patere faciat. Hinc D Christus Ioan. 9. de cœco nato: *neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo,* & Ioan. 11. de ægrotante Lazaro: *infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.* 10. *Tribulationis vtilitas.*

Sed vt cætera emolumenta, quæ plurima sunt, silentio præteream, illud propriũ est vexationis, vt in viam bonam per illam Deus reuocet passim homines malos; & vt Oseæ c. 2. loquitur, vias peccatorum sepit spinis, vt ad bonum quasi compellat, dum morbis, & aduersis tentati, sua ipsi vitia cognoscunt, & corrigunt, mentemque recipiunt saniorem. testem huius rei non alium appello, quàm diuinum Vatem Psalm. 15. *multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt,* & Psalm. 106. *clamauerunt ad Dominum dum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos,* & Psalm. 118. de 11.

seipso testatur. *bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.* hanc ergo vtilitatem, cum bene teneret, & expertus esset idem Vates, profusis ad Deum precibus orat pro his, qui malè securi grauius peccant; & ad nutum succedentibus rebus insolescunt: *imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* &; *in camo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Facit autem hoc non rarò vexatio carnem domando.

12. Etenim ille est non infimus vexationis effectus, vt carnem veluti subneruet, & spiritui, tanquam rebellem, obedire compellat, quæ nisi castigetur, contra rationem insolescens in omnia vitiorum genera, morem sibi gerêtem, ruere cogit. Præcepit Dominus Iosue 11. cùm ille prædixisset victoriam de quinq; Regibus; *equos eorum subneruabis, & currus igne combures.* idem tibi præceptum putabis, si victoriam de hostibus spiritus reportare desideras. Quod declarat Origenes homil. decima quinta, in Iosue, notat enim non præcepisse Deum occidi, aut subneruari reliqua iumenta, quæ oneribus ferendis apta sunt, tantùm subneruari equos, & currus comburi. equos autem subneruare, est pedes, & crura ijs incidere, atq; ita debilitare. Hebraicum verbum valet, quasi fundamentũ, ac radicem auferre, quia crura equorum fulcimenta sunt, ac fundamenta: in typo ergò equorum, & curruum possumus passiones corporis, id est, libidinem, lasciuiam, vel superbiam, ac leuitatem intelligere, quibus infelix anima, velut equitans vectatur, & fertur ad præcipitia. Subneruatur porrò equus hic, quandò ieiunijs, & vigilijs, & omni abstinentiæ afflictatione, denique immissis calamitatibus, & ægritudinibus corpus humiliatur, & currus igne exuruntur, cùm in nobis completur sermo Domini dicentis: *ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* quo igne iam se illi ardere confessi sunt, qui dicebant: *nonnè cor nostrum erat ardens in nobis* &c. ideò ergò & *falsus equus* dicitur *ad salutem* Ps. 32. si motus corporis nostri fieri permittamus infrenes, nec abstinentiæ iugo lasciuiam carnis, & superba colla subdamus.

13. Rectè proindè teste Palladio Euagrius objicientibus sibi, vt quid corpus tuum occidis? respondit *occidit me, occido illud.* & Moyses ille Abbas cùm vehementer corpus suum opprimeret, & spiritui seruire cogeret, & ei discipuli dicerent: quiesce pater paulisper. Respondebat: *quiescant passiones, & quiescam ego.* infirmitas enim corpus cruciat, sed mentem curat, inquit Gregor. alioqui in eum hominem, qui carnem suo modo agere permittit, eamq; nutrit, ac fouet, rectè conuenit id, quod Deut. 32. vaticinatus est Moyses de populo Israel; *incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, & impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suũ, & recessit à Deo salutari suo.* Constat ergò non paruum esse vexationis fructum, dum carnem comprimendo, spiritui parere compellit.

(·.·)

DIGRESSIO II. MORALIS.

In ea verba: *Rogabat eum, vt descenderet, & sanaret filium eius.* Quod filij Dei beneficio traduntur parentibus, & de eorum educatione.

MAGNIFACIVNT homines filios habere, sed hoc quidquid beneficij est, à Deo agnoscendum est, nam vt rectè Vates, ait, Psal. 126. *nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Filij enim sunt veluti lapides, quibus domus, & familia ædificatur. hinc Hebraicè *Banim*, dicuntur, à radice, *Abanim*, quod *petra* est. Est autem phrasis in Scripturis non rarò vsurpata, qua dicitur Deus ædificare alicũi domum, id est, dare illi filios, & supellectilem, quæque ad instruendã, & amplificandam domum faciunt, illi concedere. Itaque Dominus tanquam hæreditatem largitur filios. sic enim ibidẽ ait idem Dauid: *cùm dederit dilectis suis somnũ*, hoc est, cùm Deus suorum labores iuuat, & quietem impertitur, *ecce hæreditas Domini*, id est, quæ illis à Domino tribuitur, sunt *filij*, & *merces.* id est, lucrum rectè paratum, est *fructus ventris*, id est, multitudo pecorum. 1.

Hanc rem rectè animaduertisse videtur Eua omnium nostrum prima parens, cùm, vbi primùm peperit Cainum filium, *possedi*, inquit, *hominem* per Deum Genes. 4. & cùm Rachel Genes. 30. sterilis esset, dixit Iacob, *da mihi liberos, alioquin moriar*, sapienter Iacob imprudentem, & stultam petitionem quasi redarguens: *num pro Deo ego sum?* significans filios donum esse Dei. nec hoc tantùm, sed etiam sterilitas ipsa à Deo est. & quidem non rarò parentum peccatis id exigentibus. 2. *Filiorum procreatio donum Dei.*

Quam rem non obscurè significauit Deus per Oseam cap. 9. 11. *Ephraim quasi auis auolauit, gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu.* tribuebatur enim præsertim olim, non paruæ gloriæ filijs abundare. quare Deus propter decem tribuum scelera, & idololatriam, minatur illis ablaturum se hanc gloriam ab eis. est ergò sensus: *sicut auis è nido fugiens, it. a fugit gloria Ephraim.* à partu, id est, simul ac in lucem editi fuerint infantes; & ab vtero, id est, ante legitimum etiam nascendi tempus, & à conceptu, id est, antequam in vtero formentur; efficiam enim eos steriles nè concipere quidem in vtero queant. sic Ribera in commentarijs breuioribus. Vel est hebraismus, *Ephraim*, pro *gloria Ephraim*, auolabit, sicut auis, id est, velocissimè. quasi dicat, filij Ephraim morituri sunt, cùm primùm prodierint in lucem, aut abortiẽt, aut vxores eorum non retinebunt semen. subdit mox ver. 12. *quod etsi enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus*, id est, inter homines. sæpè enim per mortem de medio tollit Deus filios vel in ægritudinem incurrere facit propter parentum peccata in negligentiam, quá in rectè instituendis filijs vtuntur. 3.

Narrat Scriptura admirandum sanè exemplum. Vndè intelligi liceat, quantoperè displiceat Deo parentum erga filios incuria. non 4.

reprehen-

Filij peccantes castigandi.

reprehenderat acriter Heli filios suos vt debebat, sed amori cedens, & filijs indulgens mollibus quibusdam verbis eos monebat; *quare facitis res huiusmodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo? nolite filij mei*, nimirum ita facere, &cæc. quare vehementer indignatus DEVS, & filios vno tempore miserè occumbere fecit in bello, & patrem vita simul, & Sacerdotio spoliauit, quod ad aliam familiam transtulit; hoc verò iustum Dei iudicium Samueli per noctem sic indicatum est à Deo: *ecce ego facio verbum in Israel, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius: in die illa suscitabo aduersus Heli omnia quæ locutus sum super domum eius. incipiam, & complebo &c. eò quod nouerit indignè agere filios suos, & non corripuerit eos. idcircò iurauí domui Heli quod non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsque in æternum*, &c. Sic de Dauid de quo 3. Reg. 1. 6. dicitur, *nec corripuit eum* (Adoniam) *pater suus aliquando dicens, quare hoc fecisti?* Salmeron tom. 4. p. 3. tract. 10. affirmat, punitum eum grauiter fuisse, quod Adoniam non corripuerit, fortè ea punitio fuit Adoniæ rebellio, & repentinus tumultus, licet aliqui Dauidis culpam hac in parte extenuent.

5. Obseruat Epiphanius lib. 1. contra hæres. tom. 1. pag. 3. ante Scythismum; primum eorũ, quos in scripturis legimus, è viuis excessisse ante parentum interitum fuisse Haram filium Thare, nam Abel occisus est, nõ naturali morte sublatus fuit. olim autem commune erat, parentes ante filios vita cedere. primus ergò parens qui viuens filium sepulturæ tradidit Thare fuit Gen. 11. 28. statuarum artifex, quæ exterioris idololatriæ materiam suggesserunt. Itaque iusto Dei iudicio factum esse videtur, vt quia filijs Idololatriæ viam aperuerat (Abraham saltem semper excipio) primus filij sui mortem videret, sic enim ait Script. loco cit. *Mortuus est Haran ante Thare patrem suum, in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum.* Contra verò accidit Seth, qui Patris Adami fidem, & sanctitatem secutus fuerat, quod ex illis verbis aliquo modo est colligere, quæ scriptura habet cap. 5. vbi cùm Adam genuisset Seth; *genuit*, inquit, *filium ad similitudinem, & imaginem suam* non modò secundum corpus, sed etiam animæ sanctitatem, quasi dicat, sibi persimilem: is ergò post parentum obitum superstes fuit, eiusque fides, & sanctitas vsque ad Noë peruenit, qui per eius descenderat lineam ab Adam vsque.

6. Verissimum est enim illud, quod de homine timente Deum cecinit Dauid Psalm. 127. *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ*, hoc est, animi, & corporis vigore florentes, futuros esse eorum filios, qui Deum cùm timeant, illos sibi similes efficiunt.

7. Contra verò magno digni sunt supplicio, qui filiorum curam negligunt, contra quos inuehitur Chrysost. homil. 6. in Matth. *Vxorii*, ait, *liberorum, & famulorum nullam curam habemus, sed alia pro alijs, quasi temulenti solliciti cogitamus, quomodo scilicet comparabimus, quomodò liberis amplas facultates relinquemus, quomodò vxor ornatu aureo potiatur, nullam nostri, sed rerum nostrarum curam habemus, vxoris obliuiscimur, & quæ*

A *vxoris sunt recordamur; de liberis non prouidemus, & quæ liberorum sunt amplificare, atque augere studemus. itaque ijs similes sumus, qui cum malè materiatam, ac ruinosam videant domum, ipsam quidem restituere negligunt; amplos autem ei hortos in circuitu præparant, aut illis, qui quamuis morbo conficiantur, cura tamen valetudinis neglecta aureas sibi vestes contexunt. non aliter nos, cùm anima nostra mirabiliter vexetur, & ab innumeris laceretur feris* (id est vitijs) *non vt ipsam curemus, sed vt magnificas ædes construamus, & gregem seruorum, cæteraq; huiusmodi acquiramus, omni studio, atque cura vigilamus.*

Hos ego parentes, inquit idem Chrysost. aduersus vituperatores vitæ monasticæ, *parricidis ipsis immaniores dixerim; illi enim corpus ab anima separant: isti, & animã, & corpus æternis ignibus tradunt.* Et Hierony. epist. ad Gaudent. & ad Lætam, docet ad parentum exemplũ liberos edoceri. *Te*, inquit, *habeat magistram, te rudis miretur infantia, nihil in te, & in patre suo videat, quod si fecerit, peccet, mementote vos parentes virginis, magis eam exemplis doceri posse, quàm verbis. quemadmodum ex eadem cera cum mollis est, iuxta diuersos, variosq; digitorum ductus, vel Angelus effingitur, vel malus Dæmon; ita ex eadem natura dum mollis est ætas, vel Angelo similis puer, vel Cacodæmoni efformatur.*

8. 9.

Hic ego Cratetis sententiam satis laudare non possum, qui teste Plutarcho in libro de liberis educandis dixit; se, si fieri posit altissimo vrbis loco cõscenso, proclamaturum: quo tenditis homines? quid rei faciendæ omne impendistis studium, filijs, quibus opes vestras relinquetis, perparuam curam? quibus addendum quod dicit Chrysost. tales patres perindè agere, ac si quis de calceo sit sollicitus, pedem nihil curet.

10.

Meritò monet Salomon Prouerb. 23. *Noli subtrahere à puero disciplinam, si enim percusseris eum virga, non morietur: tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis*; & capit. 22. *stultitia*, inquit, *colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam:* quasi dicat, cor puerorum aliud non cogitare, quàm quæ vana sunt, inutilia, & mala, nec posse stultitiam hanc facilè sanis monitionibus ab eis auelli, ita vt quasi vinculis quibusdam videatur eorum cordi alligata, quare vbi monitio non succedit, & eruditio ad eam abigendam, virga disciplinæ fugabit eam. tunc enim sola vexatio dabit intellectum. Et obserua dixisse, virgam disciplinæ, vt significaret moderatam castigationem pueris adhibendam. Virga enim iræ impijs debetur, qui scientes peccant, virga disciplinæ pueris, qui ex ignorantia labuntur, & errant.

11. Prou. 23.

12.

Quantùm verò hominum cura valeat ad corruptæ naturæ mutationem, & correptionem docet Basil. homil. 5. in Hexameron ex cura agricolarũ, qua fructus feri, & syluestres emolliuntur, & ad vtilitatem humanam transmutantur.

13. *In educatione liberorũ tria concurrunt.*

Docet Plutarchus de educandis liberis, ad bonam pueri institutionem tria concurrere, naturam, rationem seu doctrinam, & exercitationem. natura quippè absque disciplina si sit, cæca est: disciplina, si natura destituatur,

defecta: exercitatio his duobus demptis imperfecta est, & quemadmodum ad agriculturam primùm requiritur bonum solum, deindè peritus colonus, denique semina frugi: ita planè natura solo, agricolæ magister, semini præcepta respondent. nam vt agricolæ stirpibus pedamenta apponunt, sic probè magistri accuratis præceptis, admonitionibusque adolescentes suffulciunt, vt mores recti inde germinent.

14. Iam in Regulo isto magnus quidam emicat amor in filium, dùm Christum adiens sollicitè rogat, vt descendat priusquam moriatur filius eius, sed nescio an tantam animæ curam habuerit, quantam corporis, qua in re significat parentes illos, qui toti sunt positi in procuranda corporis salute, in accumulandis opibus, conciliando principum fauore, in acquirendis honoribus suis filijs, cetera negligunt.

DIGRESSIO III.
MORALIS.

Perpetuò nos mori, in illa: *incipiebat enim mori.*

1. *Mundus regio morientium.*

SAPIENTER D. Basilius in Psalm. 114. morientium regionem hoc vniuersum appellat, cùm enim viuere incipimus, statim & incipimus mori. quam rem grauiter Philonis testimonio confirmare possumus lib. de Ioseph vbi scribit; fortasse ætates singulæ decedendo præmoriuntur, natura nos paulatim docente, non timere mortem extremam omnium; quandò priores facilè tulimus, infantiæ, pueritiæ, pubertatis, adolescentiæ, iuuentutis, & virilitatis quæ omnes ætates ante senectutem euanuerunt; quod nō minus eleganter explicat August. Psalm. 127. *veniente pueritia moritur infantia, veniente adolescentia moritur pueritia, veniente iuuentute moritur adolescentia, veniente senectute moritur iuuentus, veniente morte moritur omnis ætas. quot optas gradus ætatis, tot simul optas, & mortes ætatum.* sic August. quibus fit, nostrum quemlibet, cùm viuere incipit, incipere & mori; ergò quod præterijt tēpus, mortuum iam est, quod futurum est, nondum adest, restat igitur vt vita nostra momento duntaxat mensuranda sit. Atque hinc pendet æternitas.

Momentum vnde pendet æternitas.

2. *Vita scintillæ vel bullæ similis.*

Equidem sapienter arbitror fecisse eos, qui vitam, vel scintillæ, quæ media nocte interdensissimas obscuritatis tenebras apparet; vel bullæ, vel somnio, vel vmbræ compararunt, sed illa Iacobi sententia nihil explicatius cap. 4. *quid est*, inquit, *vita nostra? vapor est ad modicum parens.* facilè enim producitur, ac dissoluitur, & breuissimo tempore euanescit vapor. sic vita nostra statim ac incipit, etiam desinere & ad mortem rapi magna celeritate videtur. sic Sapiens cap. 5. *Et nos nati continuò desiuimus esse.*

3. Stat enim verissima illa Domini sententia, quæ contra Adam, & filios eius prolata est: *in quacunque hora comederis, morte morieris.* Itaque eodem planè momento, quo Dei præceptum fregit Adam, mori iam cœpit, & indè factum est, vt statim ac natus est homo in mundum illicò ad interitum tendat, hoc est sensim corrumpatur. Agit enim continuò inditus nobis à natura calor naturalis; & radicale humidum pabulatur, in quo vitæ nostræ vis posita est, quod nunquam secundùm eandem bonitatem, & vt aiunt Philosophi, æquiualentiam, reparatur. hinc sensim irrepit corruptio, & interitus. sicut vinum, cui sensim miscetur aqua, etsi illam in se conuertat, efficitur tamen minus efficax, ac fortè, quod si pergas miscere aquam, interit omninò, & vinum esse desinit.

4. *Vita nostra telæ similis.*

Patientissimus Iob multis allatis similitudinibus docere nos conatur præsentis vitæ simul celeritatem, & breuitatem. sed cæteris omissis satis est illam afferre, qua cap. 7. telæ, quam textor succidere solet, humanam vitam comparat: *dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque vlla spe*; quæ comparatio etiam Ezechiæ placuit apud Isaiam 38. *præcisa est velut à texente vita mea:* clariùs tamen Iob vitæ velocitatem expressit.

5. Rectè verò, & appositè vita cum tela, quæ à texente succiditur, confertur. nam quasi filis quibusdam texatur vita, ac torqueatur, ita antiqui Philosophi, & veteres Poëtæ eam tribus Parcis nentibus expressere. has enim fingunt vitæ hominum præesse, & nendo eam ducere; nam quod in fuso perfectum est, præteriti temporis habet speciem: & quod torquetur in digitis, momenti præsentis indicat spacia; & quod nondum ex colo tractum est, subactum curæ digitorum, futuri, & consequentis sæculi posteriora videtur ostendere. quia verò, vt inquit Iob, *dies consumuntur absque vlla spe*, vel longioris vitæ, vel melioris fortunæ, ideò *Parcæ* meritò dictę sunt per contrarium, eo quod nemini parcant. Et verò vita nostra non annis tantum & horis, sed minutissimis etiam particulis, & momentis, quasi subtilissimis quibusdam filis constat. Textori porrò, quem eundem esse cum Parcis intelligo, aptè respondet tempus, quod veluti filis vitam contexit. Ait igitur Iob, dies suos velocissimè aufugisse, neq; minus velociter, quàm cum nouacula in manum accepta dicto citius textor telam suam præcidit, perfecto iam opere; tempus enim vitæ nostræ postremum, hoc est, mors ipsa falce præcidit sua sine vlla spe totam vitæ nostræ telam, quam ad finem vsque perfecit. Itaque quamuis ferrea quibusdam videatur vita præsens, reuera lanea est, & ex filis contexta. quippè debilis, & fragilis, nimirum ea facilitate, qua lanæ filum, rescinditur.

Parcæ apud Poëtas quæ deæ.

6. Vox hebræa, *Ereg*, quod noster interpres *telam* vertit, alijs magis significare videtur *radium textorium*, qui est instrumentum in nauiculæ modum quo filum subtegminis ab vna manu dimittitur absque vlla temporis mora ad extremam alteram; seu ab altero telæ latere incredibili velocitate ad alterū defertur, dùm textor mira dexteritate dextra coniectum in sinistram, momēto reijcit in dextram, hoc ergò radio velociores dicit trāsijsse dies suos, ac confectos esse. Vatablus sic vertit: *dies mei velocius*

Digitized by Google

… tela & trama deficiente finiuntur.
… o verò aliter : Dies mei velocius
… udius textorius, & finiuntur absque
… ione. Alij sic? *dies mei fuerunt ve-*
… defecerunt in fine expectationis, id

… r mortales phræneticis potius
… voce fic appellare: an non ruere
… iter ad mortem ab ipso ortus vestri
… o intelligitis? cur ergò quasi immor-
… tis futuri, luxui, delicijs, voluptatibus
… habenas? an non animaduertitis *statutũ*
… minibus semel mori? & illud, *quis est homo, qui*
… & non videbit mortem, eruet animam suam de
… inferi? Psal. 88. an non illum diceremus
… mnis sapientiæ exortem esse, & mentis inо-
… em, qui pronuntiata sententia præeunte præ-
… one si deferatur ad mortem, rideat tamen;
… præsentem calamitatem lacrymis minimè
… osequens?

8. Liceat mihi illud hîc vsurpare Rabsacis Isa. …
… qui duxerat exercitus Assyriorum, & Eze-
… iæ dixit: *quæ est ista fiducia, qua confidis? aut quo*
… *nsilio, vel fortitudine rebellare disponis? ecce confi-*
… *super baculum arundineum confractum istum, su-*
… *Aegyptum: cui si innixus fuerit homo, intrabit in*
… *anum eius, & perforabit eam.* audite ô mortales
… nè sine mente, ac sine iudicio in mortem
… itis? quibus quęso rebus confidis, diuitijs, ho-
… oribus, voluptatibus, pulchritudine, aura po-
… ulari? eccè ista omnia caduca, fragilia peritu-
… ra sunt. quo quęso consilio, qua animi prudeн-
… tia, vel fortitudine à Deo deficere, & rebellare
… paratis? sine quo nihil salutis, nihil veri bono-
… ris, nullæ veræ diuitiæ, nulla voluptas solida,
… nihil denique boni esse vnquam poterit. quid
… super baculum confractum arundineum inni-
… mini? nam quid aliud rogo est vita præsens,
… nisi baculus confractus? quæ enim sine pecca-
… to immortalis futura erat, & firma, ab illo iam
… effecta est, quasi confracta, mortalis, fragilis,
… debilis. quæ ita vita est, vt gladius etiam sit, &
… instrumentum mortis, qui quotidiè velut sub-
… stantiam nostram quodammodò penetrans,
… ad mortem tandem perducit. quantò enim ali-
… quis magis vixit, tantò sibi minus viuendum
… est, tantoque morti vicinior enadit.

9. Quantò satius esset regem Iosiam imitari:
… de quo 4. Reg. 23. proditum est memoriæ con-
… fregisse idola, quæ maiores sui fabricauerant,
… & super altare, in quo idolis libabant, mortuo-
… rum ossa combusisse, vt hoc saltem spectа-
… culo desinerent idololatræ idolis sacrificare.
… sic. n. legimus loc. cit. vers. 15. & 16. aptissimum
… sanè remedium, vt finem sceleribus, & idololа-
… tris imponamus est, si quis super altare, in quo
… suis sacrificat idolis, mortuorum ossa concre-
… met. Porrò altare, in quo idolis nostris sacrifi-
… cia offerimus, cor nostrum est, quod tunc idо-
… lolatriam committit, quandò neglecto Deo
… per culpam, voluptatem quærit, & contempto
… bono incommutabili fluxa, & caduca hæc dili-
… git. ad hanc autem idololatriam euellendam
… nihil est efficacius, quàm si quis in eo ipso
… altari ossa defunctorum per con-
… tinuatam mortis recorda-
… tionem combu
… rat.

A

DIGRESSIO IV.
MORALIS
De fide Reguli.

DVABVS sanè in rebus regulus iste infir-
mitatem, paruitatemque fidei suę ostеn-
dit, dùm dixit: *Domine descende priusquam mo-*
riatur filius meus. dũ. n. petit, vt descendat, signi-
ficat absentẽ Christũ non potuisse filium sana-
re, nisi coram præsens adesset. Deindè dùm
subdit, *priusquam moriatur filius meus*; indicat,
mortuum non potuisse reuocare ad vitam.

Tanta porrò sollicitudo non obscurè redar-
guit eamdem fidei paruitatem. ait enim, *Domi-*
ne descende priusquam moriatur filius meus. At Isai.
28. 16. dicitur, *qui crediderit, nõ festinet.* Sperandũ
B est enim ei, qui aliquid à Deo postulat, nec
temporis mensura aliqua Deo præfigenda est,
sed obnixè rogandus, vt beneficium tunc im-
pertiat, quandò illi expedire, & quomodo vi-
debitur. Decreuerant olim Bethuli ciues intra
quinque dies Dei auxilium expectare, alioqui
si intra eos dies non præstò adesset Deus, vr-
bem proderent hosti. peruenit hoc ad aures
Iudithæ, & misit ad presbyteros Chabri, &
Charmi, & venerunt ad illam, & dixit illis, vt
cap. 8. eius libri legimus: *quod est hoc verbum, in*
quo consensit Ozias vt tradat ciuitatem Assyrijs, si
intra quinque dies non veniet vobis adiutorium? &
qui estis vos, qui tentatis Dominum? non est iste ser-
mo, qui misericordiam prouocet. Reprehendit
Christus discipulos Matth. 8. quid timidi estis
C modicæ fidei? quia himium solliciti; nimium
anxij ab ingruente maris periculo liberari pe-
tiuerant: *Domine salua nos, perimus.*

Haud ita bonus ille latro de cruce pendens
fecit: petijt ille, vt ad extremam saltem diem,
dùm venturus erat Christus tanquam Rex cũ-
ctos mortales iudicaturus, sui, vt meminisset;
proindè audire meruit: *hodiè mecum eris in regno*
Dei.

Sed imprimis imitari hac in parte debemus
Abrahami fidem, qui cùm iam iam extenso
brachio filium esset immolaturus, de fidei ta-
men constantia nihil imminuit, sed promisso-
rum cui ã Deo reliquit, arbitrãs, vt D. Paul. in-
quit, *quia & à mortuis suscitare potens est Deus:* vn-
dè eum & in parabolam excepit. itaque magna
est opus fiducia, magna fide, dũ à Deo aliquid
D contendimus obtinere, vt illi modum, ac tem-
pus relinquentes, eius voluntatem non coar-
ctemus, & fidem nullo vnquam tempore de-
ponamus.

Meritò proindè reprehendit Christus Re-
gulum hunc in fide vacillantem & spem in mi-
raculi celeritate ponentem. sed quamuis re-
prehendat, concedit tamen, quod petit. similis
est enim Christus clemẽtissimo parenti, quem
cùm carissimus filius vestem rogat, quod ea,
qua vtitur effracta, ac dilacerata sit; Arguit
eum in primis amantissimus, quod tam citò
vestimenta dilaceret, & atterat, verùm petitio-
ni acquiescẽs iubet illi vestem confici. ita cum
hoc Regulo se gessit Christus Dominus, pa-
ruitatem quidem fidei reprehendit, sed ita vt
plena manu concesserit, quod petebat. nam nõ
modò filium ægrotantem ægritudine libera-
uit, verùm & patris animum ab infidelitate, &

1. *Reguli modica fides.*

4. *Abrahæ perfecta fides.*

5. *Christus similis Patri.*

Digitized by Google

totam etiam domum ad veram, stabilemque fidem traduxit. Ad quam rem Reguli huius in orando perseuerantia plurimum valuit; quod etiam historia Cananææ manifestè ostendit. testatur autem Euangelista non modò filium eius sanitati restitutum fuisse, verùm etiam patrem ipsum cum tota domo credidisse: tantùm valet in orando perseuerantia.

6. *Perseuerantia in oratione quam valet.*

7. Verùm non dissimulandum est hic non vno modo Euangelistam de fide Reguli esse locutum. Primùm enim paruam declarat initio fuisse, atque ideò reprehensum à Christo, *nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.* Deindè veluti de iam aucta aliquantulum fide dixisse, *credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat.* tandem perfectè credidisse significat, dùm ait; *& credidit ipse, & domus eius tota.* Ex quibus liquet fidem non semper, neque in vno eodem, neque in singulis æqualem esse, sed aliquandò maiorem, aliquandò minorem; in vno incipientem, in alio auctiorem vel perfectam.

8. *Fides quomodo augeatur.* Quamuis enim fides augmentum non suscipiat, nec intentionem, aut remissionē ex parte obiecti formalis vt D. Thom. docet 2.2. q. 5. a. 4. suscipit tamen augmentum tùm ex parte obiecti materialis fidei, vt videlicet aliquis credat plures veritates de Deo explicitè; tùm ex parte subiecti intensiuè (vt aiunt) & id quidem tam secundùm intentionem maiorem in assensu ipso intellectus, quàm secundùm maiorem voluntatis deuotionem, seu promptitudinem in credendo ijsdem rebus. Et hoc quod de deuotione voluntatis, & affectu diximus confirmare possumus testimonio Vgonis lib. 1. de sacram. p. 10. cap. 4. quem citat Alexand. 3. p. q. 68. memb. 5. a. 2. testatur enim Vgo duo esse, quæ fidem adaugent, cognitionem, & affectionem sunt enim qui cognitionis plurimū adepti sunt, & amoris, & affectionis parum. & sunt, quibus maior inest affectio, quàm cognitio, plus deuotionis, quàm sermocinationis. innuit autem Alexander, optandum magis esse cum humili cognitione amorem, & deuotionem maiorem, quàm cùm multa scientia parum affectus, & deuotionis.

9. 10. Proindè Dominus regnum cœlorum *grano Synapis* comparauit Matth. 13. quod cùm sit exiguæ molis, magnæ tamen virtutis est, quia videlicet non tam quantitas & magnitudo cognitionis, quàm feruor, & affectio fidei desideranda est.

11. Orandus proindè Deus magis, ac magis, & vsurpanda frequenter Apostolorum petitio Lucæ 15. *Domine adauge nobis fidem.* est enim magnum Dei beneficium augmentum fidei, propterea enim Apostolus 2. Thessal. 1. scribit: *gratias agere debemus Deo semper pro vobis fratres, quoniam supercrescit fides vestra*; ita tamen vt maiorem semper rationem habeamus charitatis & affectus, & deuotionis fidei, quàm cognitionis. sic Cant. 1. sponsus sponsam alloquitur; *murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* murenulas inaures intelligit Bernar. serm. 41. in Cant. quæ genas sponsæ exornant, & rectè fidē significant quæ est ex auditu; has aureas esse oportere significat sponsus, si verè illi placere debeant, *vermiculatas argento*, hoc est, in more vermium argenteis quibusdam punctis sparsas, ac signatas, & quidem per *aurum* charitas significatur, sicut in *argento* cognitio Dei notatur; vt ergò intelligeremus, maiorem debere esse charitatem, at deuotionem, quàm scientiam, & cognitionem, vocauit *murenulas aureas* non *argenteas*, sed argento dumtaxat vermiculatas. Fides enim illius, qui charitate pollet plus valet apud Deum, quàm eius, qui Dei altiora contemplatur, & inuestigat arcana, si minus charitate fulgeat.

12.

CAPVT VI.

IOANNES CONIICITVR IN CARCEREM.

A. 14. 3. B. 6 17. C. 3. 10.

1. C. *Herodes autem Tetrarcha cùm corriperetur ab illo de Herodiade vxore B. Philippi fratris sui, quia duxerat eam, C. & de omnibus malis quæ fecit Herodes.*
2. *Adiecit, & hoc super omnia B. misit, ac tenuit; C. & inclusit Ioannem in carcerem B. & vinxit eum.*
3. *Dicebat enim Ioannes Herodi: non licet tibi habere vxorem fratris tui.*
4. *Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat.*
5. *Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum, & sanctum: & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.*
6. A. *Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicut Prophetam eum habebant.*

SCHOLIA.

1. HErodes] Antipas magni illius Herodis filius, quo regnante natus est Christus, qui etiam infantes occidit. Hic ergò eius filius fuit tetrarcha Galilææ, & regionis trans Iordanem, Ioseph. lib. 7. cap. 13. Marcus Regem appellat, quod potestas eius esset veluti regia. & quidem antiqui, tetrarchias regna vocabant ex Plinio lib. 5. cap. 18. Hinc est quod Matth. 2. 22. Archelaum cùm numquam verò Rex fuerit, *Regē* vocauit. *De Herodiade*] secundùm Hieron. Matth. decimoquarto, hæc filia fuit Arethæ regis Arabum, qui eam à genero ablatam ob inimicitiam, Herodi huic dedit genere sui fratri: quod Beda magis declarat:

1.

2. *Herodias quæ & eius filia.*

Duxit,

Euſ.l.1.c.11.

Montaniſtarum impoſtura.

Quxit, inquit, *Philippus Herodiadem filiam Regis Arethæ, qui ob ſimultates quaſdam cum genero, filiam ſuam ab eo ablatam, Herodi eius inimico copulauit.* At re vera erat Herodias filia Ariſtobuli filij Herodis magni ſecundùm Ioſeph. libro decimo octauo antiquit. capite ſeptuageſimo ſexto & ſoror maioris Agrippæ, de quo Actorum 12. non *Aretha Regis filia*, vt habet mendoſus codex Euſeb. vbi legendum, vxorem Herodis legitimam fuiſſe filiã Arethæ; & ex hoc errore qui ob verſionem Ruffini latinam irrepſit in Euſebium hauſerunt alij Hieronymus, Beda & cæteri errorem ſuum, cuius origo fuit Ruff. adijciens nomen Herodiadis. cùm enim Euſeb. dixiſſet, ex Ioſepho, vxorem Herodis fuiſſe filiam Arethæ, Ruff. arbitratus illum loqui de poſteriore nõ autẽ de priore vxore, addidit nomen Herodiadis. in hoc etiam Hieron. Beda, Strabus non ſunt recipiendi cùm ſcribunt non ipſum Herodem fratris vxorem vſurpaſſe, ſed Aretham regem Arabum propter inimicitias quas cum Philippo gerebat, filiam Herodiadem, quam illi vxorẽ dederat abſtuliſſe, ac fratri eius, ac Riuali Herodi tradidiſſe. Aliter certè Ioſephus l.18.c. 9. & Aegeſip.l.2.c.12. videt autem ob hoc publicum ſcandalum publicè reprehendiſſe Ioannes Herodem Abulenſis Matthæi 14.q.15. Chryſoſt.hom.1.ad popul.Antioc. Victor item Antiochenus.

3. 4. 5. 6. 7.

Philippi] Ioſephus hanc non Philippi, ſed alterius Herodis cuiuſdã, Herodis huius tetrarchæ fratris vxorem fuiſſe affirmat, cuius quidem Herodis inter magni illius Herodis filios nulla apud Ioſephum, nullæ apud alios mentio eſt. Vnde ergò iſte Herodes prodijt? ſunt qui arbitrentur ipſum Philippum fratrem Herodis, cognominatum Herodem. Sed quis hoc vnquam ſcripſit? malim opinari Ioſephum aut ignorantia, aut obliuione lapſum. Vide illum l.18.cap.4. *Fratris ſui*] locus hic à Montaniſtis corruptus eſt ad extruendam hæreſim de monogamia, non licere viduæ vlteriùs virum ducere: ideò vt non hoc loco probatio ſuppeteret, adiecerunt *fratris ſui defuncti vxorem*, prout & Tertull. aduerſus Marcionem l.4.cap.34. qui eandem cum illis ſententiam ſequebatur, legebat: licèt in lib. de Monogamia, aduerſus Catholicos quos Pſychicos nominat, ab hac falſa citatione obſtineat. Certè viuum fuiſſe Philippum tunc, ex Ioſepho, & Aegeſippo locis proximè citatis conſtat. Hieron. etiam Matth 14. viuente Philippo ablatam vxorem, vt & Beda, Haymo, gloſſa interli. Euſebius l.1. Hiſt.c.10.& Niceph. lib. item 1. Hiſt. c.9. docent. Non inficiabor tamen præter Tertullianum, Chryſ. etiam, Theoph. & Euthy. hoc loco, mortuum putaſſe Philippum, & ideò reprehẽſum à Ioanne, quod vxorem fratris ſui emortui, qui ſemen reliquerat, ſuſceperat: quod fuiſſe prohibitum etiam olim affirmant. Aug. lib. de fide, & operibus c. 19. dubiam rem eſſe dicit, vtrum Herodes mortui duxerit, an viui fratris vxorem: & ideò nõ ita clarere, quid Ioannes ei non licere diceret. Cæterùm Ioſephus aliter, quem fortè nondum hi Patres legerant lib.18. antiqui.16. Ex quo loco conſtat Philippum obijſſe anno 20. Tiberij. Porrò ante annum 20. liquet, Ioannem ab Herode interfectum. viuebat ergò Philippus, & tam immane ſcelus videbat. *De omnibus malis*] oſtendit D. Lucas non ſolum à Ioanne reprehenſum Herodem adulterij, & inceſtus, ſed plurium etiam malorum: propterea non ob eam modò cauſam, quàm referunt Matth. & Marcus, verùm etiam ob reprehenſionem aliorum ſcelerum eſſe coniectum in carcerem ac neci datum. qualis verò fuerit Herodes docet Ioſeph. l.18. Antiq. c. 9. vbi ſubdit ob ſcelera priuatum fuiſſe tetrarchia, & in exilium actum per Caium Cæſarem, quem Luc.13. Chriſtus Dominus,

A *vulpem* appellat, iſte Dominum veſte indutum albã contempſit.

2. *Tenuit*] comprehendit; etiam odio atque Hypochriſi phariſęorum, & conſilio credibile eſt, Ioannem, quaſi ſtudẽtem rebus nouis, in carcerem eſſe coniectum: alioqui ſolus non fuiſſet auſus Herodes id attentare, niſi illis ſuadentibus; erant .n. magnæ apud Iudæos authoritatis phariſæi, in ijs præſertim quæ ad religionẽ pertinebant: & verò etiam id inſinuari videtur Matth.17. vbi Dominus: *Elias*, inquit, *venit, & non cognouerũt eum, ſed fecerunt in eum quæcunque voluerunt, ſic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis.* Vide Hier. hic in Matth. idem ſubindicat vox, *traditus*, quam vſurpant Euangeliſtæ, quaſi Ioannes Herodi ab alio traditus fuerit, hæc tamen omninò certa non ſunt. *Et incluſit*] &, declaratiua vox eſt, q.d. Ioannem in carcerem miſit, hoc enim eſt, quod ſuper omnia adieciſſe dixerat Lucas, vt initio huius verſus habes.

B 3. *Dicebat*] licèt fortè Herodi profuturũ id non ſperaret, redarguebat tamẽ, quia peccatum hoc in aliorum vergebat damnum, & alijs ruinæ eſſe poterat, ac periculi occaſio. Licere enim, putare potuiſſent alij exemplo principis, id, quod alioqui licere nulla ratione poterat. tunc namque reprehenſio, vel correctio quamuis non profit, nec vtilis ſit futura, adhibenda eſt, præſertim cùm is qui corrigere debet probare factum tacendo, vel conſentire iudicaretur. Ioſephus lib. 18. antiq. c.7. addit tertiam cauſam non commemoratis his duabus quas Euangeliſtæ recenſent, cur in carcerem miſſus ſit in Io. nimirum, voluiſſe cauere Herodem ne ob concurſus qui ad Ioannem ſubinde fiebant, defectio, vel tumultus aliquis ſuboriretur ideoque vinctum in Macheruntem caſtellum miſſum, illic occidi iuſſum fuiſſe. Sed germana cauſa fuit, &

C de adulterio corriperetur, & de alijs ſceleribus reprehenderetur. potuit quidẽ hanc cauſam rebellionis obtendere Herodes, quam fortè etiã timuit propter hanc Ioannis reprehendendi libertatem. *Herodem*, inquit, Chryſ. ſerm.127. *Ioannes monitis, non accuſatione pulſabat: corrigere voluit, non perire. Sed Herodes, facibus libidinis ardens, perire maluit, quàm rediret, & vxorẽ fratris poſſidere illicitè. captiuis criminum, innocẽtiæ inimicis, odioſa ſit ſemper libertas, virtus contraria vitioſis, inimica caſtitas impudicis, crudelibus miſericordia, pietas impijs, &c. ecce vnde Ioannes offendit, ecce vnde Herodes furit: malos qui monet, offendit; incurrit odium, qui arguit criminoſos. dicebat Ioannes quod erat legis, quod iuſtitiæ, quod ſalutis: certè quod erat non odij, ſed amoris: ecce qualem conſecutus eſt ab impio pro pietate mercedem.* ſed reuertamur eo, vnde diſceſſimus; illud in Ioſepho l.18.c.10. quidam non probant: carcerem hunc cui mancipatus eſt Ioannes, Macheruntem fuiſſe. Hoc enim caſtellum ſecundùm mare mortuum erat, hoc eſt, non longè ab illo, vt proinde videatur non potuiſſe eò ire atq; inde allato Ioannis capite redire ſpeculator, cùm iuſſus fuit capite Ioannem plectere, longè enim diſtabat caſtellum ab eo loco, vbi conuiuium celebrabat Herodes, nimirum à Galilæa, & tamen puella dixit: *volo vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis:* igitur propè erat locus. Aranda cap.2. de Samaria ſcribit: carcerem Ioannis in Samaria oſtendi. ſed non arbitror recedendum à Ioſepho; potius puto Herodis conuiuium, & Ioannis carcerem fuiſſe in Macheruntina arce, quod Maldonato placuit Mat. 14. & ita ſoluitur quod obijciebatur. in eodẽ enim loco fuit conuiuium celebratum & Ioannes capite plexus, fateor caſtellum hoc non fuiſſe in Galilæa, ſed in regione trans Iordãnem non longè à mari mortuo, quamuis potuerit poſteà caput Hieroſolymam duci, & ibi ſepeliri.

8. 9. *Reprehenſio quando adhibenda.* 10. 11. *Dubium de carcere Ioannis.*

12. 5. *Custodiebat eum*] Matth.14.5 ait:& *Volens illum occidere timuit populum,quia sicut prophetam eum habebant.* At videtur Marc.6.19.20.& hic v.4. 5. contrarium docere;Herodiadem nimirum,insidias struxisse Ioanni;Herodem verò quia Ioannem reuerebatur impediuisse,& ob id ait Marcus,quòd cùm Herodias quæreret interficere Ioannem, non poterat.fortassis etiam non poterat ob metum populi.ex Marco igitur videtur colligi non ideò Herodem in carcerem coniecisse Ioannem, vt illi vitam eriperet,sed potius, vt ab Herodiadis insidijs indemnem,liberumque seruaret, volés hac ratione impotentis mulieris iram placare, & spe tamquam secuturæ necis deludere. Et hoc videtur significare verbum illud, *custodiebat eum*, apud Marcum.Locus hic difficilem habet intellectum, sed Respondeo credibile esse initio solam Herodiadē Ioanni insidiatam, vt siue per vim, siue per dolum interimeret: Herodem verò obstitisse ne fieret vt Marcus significat hic versu quinto, *custodiebat*, inquit,*eum*,id est,ne illi insidiæ nocerent, cauebat: sed posteà adulteræ,& incestuosæ victus precibus, fortè etiam reprehensionis impatiēs, carceri mancipauit. deniq; occidere mutata sententia voluit; *timuit tamen populum, quia sicut Prophetam eum habebāt*,vt habet Mat.etiā p.3.v.6.vbi,*sicut* veritatem significat,non similitudinem, q. d. videlicet, verè prophetam habitum. immò Herodes antequam saltem in carcerem conjeceret Ioannem tutum illum esse voluit ab insidijs Herodiadis nondum pertæsus reprehensionis: qua Dei in se iram experiri timuit: sciebat enim Ioannem virum sanctum,& iustum,vt ait Marcus, & audito eo multa faciebat. quæ potissimum referenda sunt ad tempus ante carcerem: licèt Marcus anticipatione vsus prius carceris meminerit; hinc exploditur Caietani Marci 6. sententia affirmantis Herodem ficto animo,& timuisse,& obseruasse Ioannē. Nam Euangelista secus ostendit: *sciebat enim*,ait,*illum virum sanctum*; illorum etiam non placet sententia qui ideò detrusum in carcerem Ioannem ab Herode scribunt, vt illum redderet tutum ab insidijs adulteræ: nam verbum *custodiebat* non carcerem significat, sed quod caueret, ne quid aduersi, propter adulteram mulierem pateretur.& ita corruit huius sententiæ firmamentum. & ex his constat dilucidatio versus 4.& 5.& 6.

13.

14. Sed antequam ad sequens aggrediar cap. Duas huc pertinētes Sanctorum Patrum sententias non prætermittam.Vna est Chrysol.ser.127. *Facilè deuiat à iustitia, qui in causis non Deū,sed hominē pertimescit. hic timor peccādi facultatem differre potest auferre nō potest voluntatē:vnde etiā quos suspenderit à crimine auidiores reddit ad crimē, & æstuat animo quousq; perficiat quod cogitat malū. Solus est Dei timor qui mentes corrigit,fugat crimina,innocentiam seruat,perpetem tribuit facultatem*; tantum Chrysol.in illa,volens occidere eum,timuit populum. Altera est Fulgen.lic.n ait: *Audiuimus vitijs obuiasse virtutes, cum Herodis nequitia, Herodiadis luxuria, Ioannis iustitia demonstrata est, ita tantum vt libenter mortem susciperet,ne videretur contemnere veritatem. vide quæ tria in vnam cōuenerint causam. mirandæres, si rectè discutias grauitatem Propheta, luxuriam muliebrem & Herodis feritatem. Dicite mihi,quid habetis cum Ioanne Bap. Herodes & Herodias,quos ad consortium adduxit nominum,impuritas criminum:an hoc timetis,ne qui vobis vocabulis coniungimini,in luxuria separemini? estote certissimi quod sicut vno consensu caditis in luxuriam, ita vno nomine suscipietis sententiam. Tenetis in carcere iustum:quia vobis legaliter interdixit incestum, quasi possit veritas alligari.* sic Fulgen.serm.7.vt quidam illum citant.

A

CAPVT VII.

HABITAT CAPHARNAI.

A. 4. 12.

1. *Cùm autem audisset Iesus,quod Ioannes traditus esset: secessit in Galilæam.*
2. *Et relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit Capharnaum maritima, in finibus Zabulon,& Nephtalim.*
3. *Vt adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam.*
4. *Terra Zabulō,& terra Nephtalim,via maris trans Iordanē Galilæa gentium.*

B

5. *Populus,qui sedebat in tenebris,vidit lucem magnam: & sedentibus in regione vmbræ mortis,lux orta est eis.*

SCHOLIA.

1. *Traditus*] scilicet in carcerem.*Secessit*] nè videlicet,& ipse in carcerem truderetur, malè quidam hæretici vertendum iudicant *rediit*, neque enim de reditu est sermo de quo iam dictum est superius à Ioanne,& Luca c.4.43.& c.5.11.tunc enim regressus est cùm venit in Galilæam inferiorem, & Nazareth ingressus est. Iam verò sermo est de secessu in Galilæam superiorem extra ditionem Herodis, saltem in locum longius positum ab Herodis conspectu,alioquin si Herodem fugiebat quomodo ex Iudæa in Galilæam inferiorem vbi erat Nazareth,transijt;unquid vt in manus Herodis commodius incideret?vide cap.3.Theo.1. 1.

C

2. *Relicta Nazareth*] omissa, vbi paucos dies mansit,quò tempore accidisse videtur, vt Ioannes traderetur sub finem circiter mensis Nouembris, licèt non statim fama ad Christum perlata fuerit, sed paulò pòst cùm esset Nazareth, & circa hoc tempus videtur dominus ingressus annum 31.absoluto 31. non erat *relicta* interpreteris *præterita*, quasi non illam prius esset ingressus, sed transierit iam,nec verosimile est transiturum fuisse iuxta ea loca vbi Herodes dominabatur, & vt plurimum, versabatur. 2.

Capharnaum] à *Caphar* quod est ager, vicus, vel villa non à *Caper* Capernaū, vt quidam scioli proferunt,inquit Gagnæus. 3.

In finibus Zabulon & Nephtalim]possumus *Zabulon* non eodem modo hic sumere, quo inferius versu sequenti,vt hic notet tribum,non terram,& aliud sit tribus Zabulon, aliud terra Zabulon, seu Chabulon.fuisse autem dicitur Capharnaum circà ea loca vbi erant fines Nephtalim, & tribus Zabulon;nam tribui Nephtalim, quæ est in superiori Galilæa, obuenit pars septemtrionalis versus fontes Iordanis,& montem Libanum; huic proxima fuit tribus Zabulon in Galilæa inferiori: in his finibus dici potuit ab Euangelista fuisse Capharnaum: hæ duæ imò tres tribus Nephtalim, Zabulon & Aser videntur fuisse coniunctæ,& se attigisse:porrò meminit situs Capharnai,vt indicaret illam ad Galilæam superiorem pertinere, & haberet occasionem ostendendi initium & progressum prædicationis Christi in hac ipsa Galilæa fuisse, prout futurum esse prædictum fuerat ab Esa. & proinde præmisisse videtur Christum relicta Nazareth,atq; adeò inferiore Galilæa,ad superiorem confugisse, cuius erat Capharnaum nobile emporium. 4.

D

3. *Vt*] euentum notat.

Digitized by Google

5. 4. *Terra Zabulon*] obscura est hæc prophetia, & perdifficilis ad declarandum ob multiplicium locorum nomina, quæ continet. Itaque vt clarior sit huius loci expositio quatuor explicabo: primũ Euangelistæ mentem siue dum Capharnai situ explicat, siue dum Esa. vaticinium citat. mox locum ipsa, totamque prophetiam declarando, breuiter, carptimq; percurram. Tertio loco primam interpretationẽ totius huius loci in medium adducam. Postremo alteram explicationem faciliorem; fortè etiam accommodatiorem subnectam, quamuis vtramque amplectar vt probabilem.

6. Primum igitur vt Euangelistæ mens habeatur, hæc quæ subijciam aduertenda sunt. volebat Mat. initia prædicationis Christi declarare, & vbi potissimum tum docendo, tum miracula edendo obuersari deberet, aperire taciteq; etiam subindicare futuram olim gentium conuersionem: Hæc autẽ omnia tamquam prius Isaiæ vaticinio prædicta, nunc verò impleta confirmare. Ergò arrepta occasione secessus Christi in Galilæam superiorem, & ciuitatem Capharnaum (quæ est in Galilæa superiore, & tribu Nephtalim, non autem in tribu Zabulõ, vt falsò putauit Arias Montanus, quãuis eius attingat fines) ostendit Christi prædicationẽ hinc initium habuisse, proindè completũ esse quod prædictum ab Isaia fuerat, videlicet, hũc terræ tractũ, qui prius despectus esse videretur, sacratissimis Christi vestigijs terendum, prædicationis eius, & Euangelij luce illustrandum, denique miraculis honorandum forè vt eodem vaticinio continetur.

7. Illud præterea obseruandum est Matthæum de prophetia Isaiæ omisisse verba illa: *primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephtalim, & nouissimo aggrauata est.* contentus enim fuit, quæ mens eius erat, ostendisse: Galilæos superiores initia prædicationis Christi, atque adeò progressum suscepisse iuxta Isaiæ vaticinium.

8. Est ergo hæc horum duorum versuum breuiter constructio, & series; *terra Zabulon*, id est, Chabul, *& terra Nephtalim, via maris trans Iordanem, Galilæa gentium*; nempè, *populus iste qui sedebat in tenebris, vidit lucem*, &c. & ad hoc verbum referendi sunt omnes illi recti, *terra Zabulon, terra Nephtalim, via maris, Galilæa, populus*, &c. hæc vniuersim vt Euangelistæ mens haberetur, iam per partes vaticinium hoc excutiamus, quod secundo loco inuestigandum proposuimus.

9. *Terra Zabulon, & terra Nephtalim*] sunt qui dicant, quod regio tribus Zabulon, & tribus Nephtalim, dicatur hîc apud Isaiam c. 9. terra Zabolon, & terra Nephtalim. hæ enim duæ tribus in superiori Galilæa sortem acceperunt. Sed hoc postremum saltem videtur falsum. nam tribus Zabulon ad Galilæam inferiorem pertinet, vbi est Nazareth, & Cana, & Thabor: terra verò Zabulon, licèt sumi etiam possit pro tribu Zabulon, quæ est in inferiori Galilæa, prout inferius n. 26. sumemus in expositione altera. nunc tamen satius erit si dicamus videri hic aliam à tribu Zabulon, quod superius n. 4. indicauimus. quare dici posset v. 4. non de tribu
10. Zabulon esse sermonem, cùm dicitur terra Zabulon, sed de terra Chabulon dicta: hæc enim est regio Galilææ gentium Tyriorum finibus vicina, cuius viginti ciuitates non procul à Tyro dissitas, Salomon Tyriorum regi Hiram attribuit: sed ob id quod graminis plenæ erant, vt inquit Hiero. displicuerunt regi. Vnde eas terram Chabulon vocarunt, quæ vox Iosepho teste, id quod displicet, Phœnicum lingua significat; Hebraicè verò tenacitatem, terra enim agri illius argillosa, & pinguis atque vliginosa est, pedibus adhærens, lege l. 3. Reg. c. 9. Iosephum 8. antiquitatum. 5. & contra Appionem, Hieron. in locis Hebraicis, & Amos

A 1. Lyranum 3. Reg. 9. 2. Paralip. 8. & ibi Hier. erat autem terra Chabulon in tribu Aser, tribus enim Nephtalim & Aser ad Galilæam gentium pertinebant, sicut tribus Zabulon, & Issacar ad Galilæam Iudæorum. iam de via maris agamus, sequitur enim.

Via maris] aliqui per *viam maris* intelligunt eã oram maris Galilææ in qua erat Capharnaum, & alia oppida puta Tyberias, Corozaim, videturq; sententia Hier. Isa. 9. ita vt via maris non à mediterraneo, sed à Galilææ mari dicta sit. Probabile est quidem hoc, vt inferius dicam n. 28. sed nunc magis placet, eorum opinatio qui malunt, dici hic viam maris à mari mediterraneo, quod eo duceret, sic Abul. Matth. 4. Lyranus, Vatablus, & alij. 11.

Bifariam verò sumi potest hic via maris: primũ quidem vt non certa aliqua via designetur vt paulò pòst dicam à n. 14. vel secundò vt notetur via quædam certa, quam, quæ sit, paucis sic declarabo. 12. *Via maris quæ.*

B Scito igitur ex Adrichomio in tribu Nephtalim, & ex alijs: quod via maris cuius hic apud Matth fit mentio, & quæ inde nomen habet, quod ex Syria in Occidentem ad mare mediterraneum ducat, publica quædam via est quæ, initium in Syria sumens per Montana Trachonitidis regionis, perque ciuitates Cedar, & Corozaim, & per Iordanem fluuium, tandemque per Capharnaum transit, & illic per litus maris Galilææ procedens iuxta Ciuitates Bethsaidam, Nephtalim, Sephet, & Naasson præterit, & per Galilæam gentium, ac vallem Mansor, quæ nunc *Sancti Georgij* appellatur, Ptolomaidem decurrens ad mare magnum merces suas exonerat in vniuersum occidentem distrahendas. Huius viæ vt vult Borcardus mentio fit Tob. primo. Cæterùm videntur Matth. & Esai. hîc intelligere viam maris non ita amplè, sed præsertim partem eam, quæ citra Iordanem est respectu Iudæorum, licèt trans Iordanem alio respectu dicatur hoc loco, vt mox exponam num. 18. videturq; esse à Capharnaum, 13.

C seu mari Galilææ ad mare vsque mediterraneum, & ideò forsan vox *Galilææ* addita est, ad explicandum non de tota hac via verba fieri, sed saltem potissimum, de ea eius parte quæ Galilæa gentium comprehenditur, & superior nominatur. Ergò si primo modo sumatur hic *via maris*, non pro aliqua certa via, sed nimirum pro regione ipsa Nephtalim, & Cabulon ad mare vergente, erit sensus, & constructio horum verborum: tertia Nephtalim, & Cabulon, via maris per appositionem, hoc est, Regio vergens ad mare magnum, &c. vidit lucem magnam, &c. tota enim sententia à verbo, *vidit*, pendet. Porrò vergebat hæc Regio Nephtalim, & Aser, seu Cabul ad mare, quia vicina erat mari Phœ- 14. 15.
nicio, vbi Tyrus dominabatur. Græcè legimus 16.
ὁδὸν θαλάσσης, *viam maris* aduerbialiter, id est, versus mare quod Hebræi dicunt via, hoc est, versus mare vt 2. Paralip. 6. 38. ex Maldonato hic in Matthæum; sed idem est sensus, hoc est, regio vergens

D ad mare Hoc igitur modo siue appositiuè, siue aduerbialiter capiatur via maris apud Matthæum, nõ sumitur pro certa aliqua via, sed pro tota ipsa Regione Cabulon, & Nephtalim, quæ vergit ad mare magnum: at apud Isaiam c. 9. cùm legamus in genitiuo *Galilææ*, videturque genitiuus referri ad rectum via subintelligendo, *&*, nimirum, *& via maris Galilææ*, non benè sumi potest *via maris* aduerbialiter, sed potius erit nomen. posset quidem etiã apud Isaiam sumi per appositionem, hoc modo, terra Chabulon, & terra Nephtalim, appositiuè via maris Galilææ gentium, id est via Galilææ gentium vergens ad mare, vt illud *maris* significet vergens ad mare. Si verò capiatur *via maris* posteriore 17.
modo, nempè, pro certa illa via ex Adrichomio, & alijs superius num. 12. descripta; tunc cùm legimus

hîc,

hîc, *via maris* apud Mat. subaudiendum erit, κατὰ, id est, *secundum*, vel *iuxta viam maris*; regio enim ista, hoc est, Galilæa superior, vltro, citroque, id est, vtrimque adhærescebat ad hanc viam, cùm per illã ista transiret, ergò hoc modo significatur certa & publica via illa maris, quam superius definiuimus n. 12. & videtur melior hæc acceptio.

18. *Trans Iordanem*] q. d. vergens ad mare trans Iordanem. Atqui, vt tribus Zabulon, ita & Nephtalim, & terra Cabulon, ac proindè via maris quantum ad eam partem, de qua hic est sermo citra Iordanem sunt respectu Iudææ, & Hierosolymæ. Respondebis fortassis, vltra fluenta Iordanis longè, lateque ab Oriente se extendere Galilæam, quod Adrichomius in tribu Nephtalim affirmat, & Iosephus l. 3. de bello c. 2. ait. Galilæam ab Oriente Hippene & Gadaris, sed & Gaulanitis definit: hæc autem loca trans Iordanem sunt; sed hoc non satis est: nam quæ consueuit *Galilæa* vocari, & in qua dominus diuersatus est, cœpitque prædicare, cis Iordanem est, hanc illustrauit ille, ac proindè de ea Matthæus, & Isaias exponendi videntur.

19. Quare dicendum potius hæc loca trans Iordanem dici respectu Assyriorum de quibus ibi propheta. alijs placet hæc loca aliqui citra Iordanem à priscis Iudæis ab Aegypto venientibus fuisse vocata trans Iordanem, & ita postea retentum fuisse nomen, vt Itali etiam in Germania habitantes loca citra montem Germanis, trans montana vocant. alij respondent vocem Hebræam vtrumque significare, *citra*, & *vltra*, sequitur.

20. *Galilæa gentium*] videtur hoc dici per appositionem, q. d. qui tractus dicitur Galilæa gentium nisi subintelligas, *&*, vt sic legamus: terra Nephtalim, & terra Zabulon via maris trans Iordanem, & Galilæa gentium; sicut diximus n. 16. in illis verbis Isaiæ, *via maris Galilæa gentium*, subaudiri posse, *&*, videlicet, & via maris trans Iordanem Galilææ gentium. nec totam ego intelligo Galilæam, superiorem, inferiorem cõplectentem; illam enim i. superiorẽ tantũ arbitrantur passim dici Galilęã gentium. est aũt hic apud Matthæum legendum in recto *Galilæa gentium*, vt in emendatis biblijs legimus, cùm tamen apud Isaiam sit Genitiuus *Galilææ gentium*.

Obseruandum non alibi in scripturis quã hoc loco Galilæam gẽtium dictã videri, & quidẽ meritò Matth. & Esaias hic Galilęam gentium nuncuparunt, nempe, in figuram vocandarum gentium, cuius rei iam Christi prædicatione optatissimum tempus appetebat.

21. 5. *Populus*] per appositionem q. d. iste populus, videlicet, qui habitabat prædicta loca. *Qui sedebat*] iacebat, & dormiens viuebat aliqui legũt ambulabat. i. viuebat, & agebat, per Habraismum & eodem recidit. *In tenebris*] densissima opertus caligine. Chrysost. hom. 8. tenebras inquit, vocat errorem, & impietatem. *Vidit lucem*] non oculis tantum lucem, id est, Christum Dominum perspexit, qui de se testatur, *ego sum lux mundi*, itemque signa & prodigia: verùm etiam vidit. id est, audiuit Christi conciones quæ etiam *lucis* nomine cõtinentur. itaque *videre* hic commune visui est &

22. auditui. *In regione vmbræ mortis*] vmbrã mortis vocat, tenebras densissimas ignorantiæ, & peccatorum. Glos. mors in inferno, vmbra mortis peccata, quę nimquam sine morte: qui vult ergò mortem fugere, vitet vmbram. Græcè & apud septuaginta habetur, sed eodẽ sensu, in regione, & vmbra mortis, id est, in regione vmbræ mortis. Vide l. 1. diluci. c. 7. in Sch. n. 25. *Lux orta*] Christus, vel lux Euangelica, Christi cõciones, miracula &c. Chrysost. in hom. non enim ipsi quærentes inuenerunt; nec enim ambulabãt in tenebris, sed sedebant. hæc

A de secundo, iam ad tertium accedamus eorum, quę n. 5. proposuimus. breuiter huius vaticinij hæc est summatim sententia: vaticinatur Esaias loca illa prædicta veluti prius contempta, & abiecta per Christi præsentiam, prædicationem, miracula honoranda fore. hanc enim Galilæam Christus sua præsentia illustrauit, quam incolere in primis dignatus est. hic sensus huius loci, cui intelligentiæ, principium huius textus Esaiæ fauet (quamuis non ignorem non eodem planè modo Hebrços legere) ait enim (quod omisit Matth.) Esaias: *primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & nouissimo aggrauata est*, &c. vbi *primo tempore*, id est ac prius, vel antè, sicut *nouissimo*, idem est, ac posteà, vel deindè, videlicet, ante Messiæ tempus, & posteà. i. tẽpore Messiæ; alleuiata verò, idem est ac leuis, seu vilis, & despecta quodãmodo facta est. hoc enim significat verbum Hebræum, *Calal*, alleuiare, despicere, B paruifacere, sicut, *Cabad*, grauare & honorare, est ergò sensus ante Messiam, despecta visa est Galilęa gentium, tùm quia adducta in captiuitatem, tùm quia Galilęi à Iudæis veluti contemptui habebantur; terra item Chabul, denique tota etiam Galilæa obscura videbatur; & licèt ex Iosepho lib. 3. de bello c. 2. pugnaces essent Galilæi, respectu tamen Iudæorum potius viles, & despicabiles habebantur ab ipsis saltem Iudæis; At tempore Messiæ eadẽ regio honore, & gloria ob eius præsentiã, & prædicationem aucta, & cohonestata est. Congruit hæc prima de Galilæa superiore interpretatio itẽ Isaiæ, si præsertim per terram Zabulon intelligamus terram Chabulon, vt quidam Hebrææ linguæ non ignari accipi volunt apud Esai. c. 9. nec Matthæus ab hoc sensu videtur alienus, dum præmittens Christum reliquisse Nazareth, atq; adeò ex Galilæa inferiore secessisse in superiorem, subiecit C illicò Esaiæ vaticinium; quasi significans de superiori illud Galilæa esse accipiendum.

Restat vt iam ad postremum ex superius propositis, id est, ad alteram interpretationem gradum faciamus. Si Matthæi verba expendas & mentem, aptior fortassis, & clarior hæc erit loci huius expositio, nempè vt tam Esaias, quàm Matthæus loquantur hic de vniuersa Galilæa superiore, inferiore, quam totam illustrauit Christus non præsentia modo sua, sed & concionibus, & magno miraculorum numero. itaque iuxta hanc intelligentiã nomine *terræ Zabulon, & terræ Nephtalim* intelligentur sortes harum tribuum, in quarum erat finibus Capharnaum. erant autem hæ sortes vel regiones in Galilæa, Zabulon quidem in inferiore, Nephtalim verò in superiore. & hoc modo per Zabulon perpetuò tam apud Matthæum v. 2. & 4. quàm apud Esaiam intelligemus tribus ipsas non D terram Chabul: & glosta quidem sic videtur sumpsisse dum hoc loco scribit super hæc verba: *terra Zabulon, & terra Nephtalim*, &c. hic prima captiuitas ab Assyrijs 4. Reg. 25. & 29. vbi ergò prima legis obliuio, ibi prima legis prædicatio. in his tribubus fuere viculi de quibus Apostoli, hinc illud: principes Zabulõ, & principes Nephtalim. Porrò viã maris interpretabimur cũ Hieronymo, Ianseno, & alijs, eam viam fuisse quæ mari Genezareth adiacebat. hoc enim mare vt intelligam cogunt ferè me frequens ibi Christi præsentia, innumera miracula, denique conciones plurimæ ibi habitæ; & ex Matthæo facilè id persuaderi potest: nam propter hanc causam visus est Capharnaum maritimam vrbem vocasse, quia nimirum iuncta, vicinaque mari, non Mediterraneo, sed Galilææ, hocque statim ostendere voluisse videtur loco illo Esaiæ, clarum videlicet eum tractum redditum esse Christi præsentia. duo enim dixerat Matth. de Capharnao antequam Esaiæ testimonium afferret, &

23. 24. 25. 26. 27. 28.

quod

quod esset maritima, & quod in finibus Zabulon, & Nephtalim, id est, harum duarum tribuum sita, quia videlicet Esai. quem citaturus erat, horum duorum mentionem faciebat, dum dixit, *Terra Zabulon, & Nephtalim in via maris Galilææ.* &c. Itaque ex Matthæo Esaiæ mens haberi potest, vt loquatur etiam ipse de tribu Zabulon, & de mari Galilææ, non de mediterraneo.

29. Porrò per *Galilæam gentium*, vel vtramque Galilæam intellige, quæ hic *gentium* dici potest, quia cincta gentibus erat, vt ait Ioseph. lib. 3. de bello. cap. 2. immò à Strabone lib. 16. Galilæa ipsa commixta gentibus dicitur, vel certè intellige totam tantùm Galilæam superiorem, quæ continebat non modò tribum Nephtalim, & viam maris Galilææ, sed tribum etiam Aser, vbi erat terra Cabulon, & se extendebat ad Tyrios illis propinqua, & propterea dicta est *gentium*, vt altera vocata est *Iudæorum*. Quia ergò non meminerat totius superioris Galilææ, sed eius partis, quam occupabat Nephtalim tribus, & via maris, ideò vt semel totam complecteretur, subiecit, prout citat Matth. in recto *Galilæa gentium*, subintellige, quasi dic. & tota denique Galilæa superior; vel certè per appositionem id accipi potest, sumendo Galilæam gentium, pro vtraque Galilæa, vt hoc n. 29. dixi accipi posse. In lib. tamen Esai. *Galilææ* genitiuo casu legimus; quod tam de sola superiori Galilæa speciatim accipi potest, vbi fermè est via illa maris, quàm de Galilæa absolutè, & vniuersim, non distinguendo hanc, vel illam; nam etiam via maris incedit per terram Zabulon, quæ est in inferiore Galilæa.

Galilæa gentium quæ.

30. Loci ergò huius erit hæc sententia: vt doceat Esai. totam Galilæam inferiorem, superiorem, hoc est, populum qui sedebat, &c. vidisse lucem magnam, &c. prout superius expositum est in prima interpretatione: tantùm enim in his tribus differt hæc posterior explanatio ab illa; quod aliter terram Zabulon sumit, & viam item maris, denique Galilæam. Hæc hactenus de hoc Esa. loco, & Matth.

CAPVT VIII.

PRÆDICAT IN GALILAEA, ET VOCAT PETRVM, ANDRAEAM, &c.

A. 4. 17. B. 1. 14.

1. A. *Exinde cœpit Iesus prædicare* ⌣.
   B. *Euangelium Regni Dei.* A. *& dicere* ⌣.
2. B. *Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei: pœnitemini, & credite Euangelio.*
3. A. *Ambulans autem iuxta mare* ⌣ *Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare, erant enim piscatores.*
4. *Et ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.*
5. *At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum.*
6. *Et procedens in* B. *pusillum* A. *vidit alios duos fratres Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua (vel)* B. *componentes in naui,* A. *& vocauit eos.*
7. *Illi autem statim relictis retibus, & Patre* ⌣ B. *suo Zebedæo in naui cum mercenarijs secuti sunt eum.*

B. Præterijt secus mare Galil.

SCHOLIA.

1. COEPIT] publicè ac manifestè magis. *Euangelium Regni*] id est, bonum nuntium de æterna salute, ac de cœlesti Regno mox aperiendo, de lege item Euangelica, de aduentu Messiæ. Nimirum prædicabat Christus, aduenisse tempus gratiæ, & salutis optatissimum, cuius sola recordatione prisci illi, sanctissimique Patres etiam atque etiam gaudebant. prædicabat quoque Christus quomodo cœleste regnum acquiri iam posset, quodque illud iam quisuis ingredi valeret. 1.

4. *Appropinquauit*] Quid sit appropinquasse regnum Dei, dicerem nunc, nisi dixissem superius n. 31. cap. 1. lib. 2. Ab eodem inquit Gagnæus, Matth. 4. orditur prædicationem suam Christus, à quo & Ioannes: vt consonantia vtriusque ostendatur. Deinde dicere possumus ijsdem verbis vtrumque vsum, vt ostendatur Ioannes legatus fuisse Christi, qui non sua, sed eius à quo missus fuerat, verba vsurpauerit. Disce & hinc Euangelij initium pœnitentiam esse. Vide August. serm. 1. de verbis Domini. 2.

Pœnitemini] interli. & Beda, renuntiate operibus mortuis. Hieronym. Amaritudinem radicis, dulcedo pomi compensat, periculum maris spes lucri delectat, dolorem medicinæ spes salutis mitigat; qui desiderat nucleum frangit nucem. *Credite*] interl. Aliter non intelligeretis; non fiunt opera, vt sit fides, sed fides vt sequantur opera. 3.

3. *Iuxta mare Galilææ*] id est, lacum, more Heb: dicitur, & à Luca cap. Genezareth, à tota regione, quæ vt Aegesipp. ait lib. 3. cap. 26. *Genesar* vocabatur, & à Diuo Ioanne vocatur *mare Tyberiadis*, sicut Numer. 34. & Iosue 13. *Mare Cenereth.* Erat autem Cenereth oppidum, cui successit Tyberias, de qua & nos inferius in cap. 6. Ioan. seu lib. 4. cap. 19. harum dilucidationum à n. 1. in Schol. iuxta hoc mare ex parte quidem occidentali maris, Capharnaum sita erat; ab Oriente Corozaim, à Capharnaum quatuor miliarium spatio dissita; inter quas vrbes Iordanis in hunc lacum decurrebat. Post Capharnaum à Bethsaida miliario. 6. Magdalum oppidū erat, post quod in eodē occidentali littore Tyberias occurrebat. Iuxta ergò hoc mare, circa has vrbes sæpè ambulauit Dominus Iesus; multa admiranda, & dixit, & fecit. *Fratres*] vidit, inquit Gagn. loc. cit. duos fratres, quod fratres omnes esse oportet, qui Christum sequi desiderant, & idem penitus sapere, & in idem tendere, qui à Christo docentur, & in eius cupiunt doctrina proficere. 4. 5.

4. *Venite post me*] Sequimini me. Heb. hic intelliges à Matth. & Marco describi vocationem propriè, & verè horum Apostolorum, nō item à Luc. c. 5. hîc enim dicitur, *Venite post me faciam vos*, &c. ergò ad discipulatum, & Apostolatum hîc, non ibi vocantur, vt suo ibi loco dicam. hæc autem vocatio illam Lucæ historiam præcessit, secuta tamen fuit vocationem illam Ioann. de qua vi- 6.

7. de Schol.n.9.c.5.lib.2.dilucid.sub fin. *Fieri*]id est, esse *piscatores hominum*] alludit ad præteritum munus Apostolorũ, simulq; exprimitur quale debeat esse Apostolicum officium, expiscari nempè homines,& ad summum Christũ piscatorem trahere. Ille enim est, qui sagenam mittit in mare, Matth.13.47. illius verbo,& virtute capiuntur pisces,sine quo frustra tota nocte laboratur. Luc.5.5.& rectè Christiani, *pisces* dicuntur, propterea quod ex baptismi aquâ nascantur, vnde Christus à veteribus illis inquit Maldo.Matth.19. ἰχθὺς *piscis* appellabatur,cuius anagrammatismus erat : ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ,qua de re extat carmẽ Erythræ Sibillæ.Vide Augustin.lib.8.c.23.de ciuit.Dei.

8. 6. *Vidit alios duos fratres*]Isidor.Pelus.ep.10.l.1. nihil ait,apud Deum tanto in pretio est, quàm caritas;ob quam & homo factus est, & ad mortem vsque obediens,eaque de caussa discipuli quoque illi,qui primi ab eo vocati sunt,duo fratres extiterunt. Ex quo statim per ipsa initia sapientissimus Saluator illud indicauit,se discipulos omnes suos fraterno amore copulari velle, quæ cùm ita sint, nihil caritati anteponendum ducamus, quæ quidẽ omnia inter se deuincit, atque in vtili concordia conseruat. Theophy. prius obseruat Petrum esse vocatum,quàm Io &ait:scias primùm vocari practicen,deinde contemplatiuam.Petrus enim symbolum practices est:feruentior enim erat alijs,sicut & practicè est. Ioannes verò contemplatiuam significat, plus enim de rebus diuinis disserit Io. hæc Theophy.Vide illum Marc.1.&Matth.4.

9. *Reficientes*]Marcus habet *componentes*, scilicet farciebant vt ex Matth.patet, sic malim accipere potiùs,quàm *plicabant*.Chrysost.veniẽti ad Christum relinquenda tria retia,id est, carnalis actus; Nauis,substantia mundi,& parentes.

10. *Relictis retibus*] Gr.& Syr. relicta nauicula reliquerunt omnia cùm primum vocati sunt, vt hìc habes ex Matth.vers.5.& 7. nempè quod attinet ad dominium, & proprietatem, & quantum ad officium piscandi;non quantum ad vsum aliquem necessitatis caussa;semel item,& iterum, ac tertiò piscari non est officium piscatoris exercere, vel repetere,quod etiam fecêre Apostoli post Christi resurrectionem;neque hoc fuit redire ad ea,ac repetere,quæ prius omiserant. Hinc Aug.2. de consensu Euan.ait,quando Christus dixit, *eris homines capiens*,non ita dixit, vt nunquam amplius pisces piscaturi essent : similiter quando dixit, *faciam vos fieri piscatores hominum*, non ideò prohibuit pisces piscari.Gregor.item hom.24.in Euang. post resurrectionem discipulos ad artem piscandi

11. reuersos esse affirmat.Sed iam Hierony.audiamus explicantem ep.ad Pamma.quid &quantum Apostoli reliquerunt: *Apostoli autem*,inquit,*quantum ad diuitias nihil,quantum ad voluntatem,totum mũdum pariter reliquerunt. Si offeramus Christo opes cum anima nostra,libenter suscipiet. Si autem, quæ foris sunt,Deo,quæ intus sunt,diabolo demus, non est æqua partitio.& dicitur nobis:Nonne si rectè offeras, & non rectè diuidas,peccasti?*

12. D.Gregor.hom.5.*Hac in re*,inquit, *affectum debemus pensare potiùs quàm censum. multum reliquit,qui sibi nihil retinuit;multum reliquit qui quãtumlibet paruum,totum deseruit. certè nos & habita cum amore possidemus;& ea. quæ minimè habemus, ex desiderio quærimus. multum ergò Petrus, & Andreas dimisit,quando vterque etiam desideria habendi dereliquit.multum dimisit, qui cum re possessa,etiam concupiscentijs renunciauit. à sequentibus ergò tanta dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt. Nemo igitur dicat ; imitari mundi huius contemptores volo,sed quod relinquam non habeo.multa fratres relinquitis,si desideriis terrenis re-*

A *nuntiatis. exteriora nostra Domino, quamlibet parua,sufficiunt.cor namque & non substantiam pensat, nec perpendit quantum in eius sacrificio,sed ex quãto proferatur.* Subdit item Greg. *æstimationem quippe pretij rectè non habet, sed tanen regnum Dei tantum valet,quantum habes.* Vide eumdem Gregor. hom.32.& 36.& Bern.serm.20.in Cant. & Chrysost.serm.28.initio.

Postremò sunt inter Religiosos, qui rete desideriorum mundanorum adhuc in mare mittunt, cupientes quæ mundi sunt,& corde ad seculi mare,quod reliquerunt,reuertuntur: quidam adhuc in religione reficiunt, & lauant retia, nimirum, maiores vt dignitates expiscentur, ardentiore desiderio & studio incumbunt,quàm prius. 13. *Religiosi quidam taxantur.*

Ex his quæ hoc capite notauimus fit,vnam tantùm fuisse vocationem horum Apostolorum externam,quam hìc describũt Matth.& Marc. nempè ad Apostolatum, nam illa Ioannis potiùs interior fuit vocatio,& ad Messiæ fidem,cognitionem B & familiaritatem, quod verò narrat Luc.cap.5. & posterius accidit,vt hoc lib.3.de rebus Euangelicis videre potes cap.12. & vocatio non est, sed miraculum, quod fateor feciſſe Apostolos ipsos firmius Christo inhærere. quid autem velit Lucas dicere, dum ait : *relictis omnibus secuti sunt eum*, quasi prius non fuissent secuti, suo loco dicemus. Plura quæ possint etiam concionatoribus vtilia esse circa hoc Euangelium,potes desumere ex eod. cap.12.huius libri in Schol.Theor.& Digress. præter sequentia. 14.

DIGRESSIO PRIMA MORALIS.

C Quod primus Andreas Christum secutus fuerit,& agnouerit.

QVoniam hoc Euangelium in Ecclesijs legitur in die festo S.Andreæ,ideò de eò præsertim erit hic sermo. 1.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres,non aliter vidit,quàm consueuit sol suę præsentiæ aspectu speculum aliquod non colluſtrare modò,verùm etiã ita suam in eo imaginem efformare,vt qui vident speculum, velutì paruum,ac tenuem quemdam solem videre sibi videantur.Vidit verus sol iustitię Christus Dominus Petrum & Andream; Iacobum, & Ioannem homines simplices,ac candidos,& ita illos suo fulgore colluſtrauit, incenditéque, vt in eorum cordibus suam per fidem expreſſerit imaginem, quare mirum non est,quod D tam altas in eorũ animis iecit radices Christi amor, quodve illum postea mirificè virtutibus,rerum contrariarum tolerantia, denique morte ipsa imitati sunt. *Visus Christi quã efficax.*

Verùm in vno cæteris,qui vocati sunt,Apostolis præferendus est Andreas, quod primus ipse fuerit,qui Christũ quæſierit, secutº fuerit, apud eum manserit,eumq; antè alios seorsim audierit,ita vt *primus* omniũ *Christianus* meritò à quibusdã appelletur, primus Iesu Christi discipulus,primus itẽ,qui euãgelicæ prædicationis iugo colla dederit,ducẽ & antesignanum se cæteris præbens,vt suo ad Christũ exemplo alacriter venirẽt; quod ipsum in Petro per eum ad Christũ adducto,manifestissimè patet,quæ omnia aliter,quàm Euangelij auctoritate confirmãtur.Scribit.n.Ioan.Euang.c.1.sui Euang. 2. *Andreas primus Christi secutus.*

iter um

ex discipulis eius duo, & re-
eum dicit: Ecce Agnus Dei, &
puli loquētem, & secuti sunt
Iesus, & videns eos sequētes
qui dixerunt ei: Rabbi, quod
Magister, vbi habitas? dicit eis
nerunt, & viderūt, vbi maneret,
unt die illo. Erat autem Andreas
ēynus ex duobus, &c. narrat de-
Andreā primum fratrē suum
adduxisse eum ad Iesum.

ritò Andreā cōparabimus co-
quas solent cæteras colūbas ad suū
olumbarium, quibus vt scribit Pli.
est ars inter se blandiri, & corrum-
furtoq; comitatiores reuerti. Simili
do Andreas in incipientis Ecclesiæ
asi colūbario primū à Christo lacte
utritus, ac cælestium eloquiorū sua-
ctus, statim præpeti volatu fratrem
um attraxit. & dum sapienter blan-
nctè decipiens reliquis ad Christum
viam inchoauit, ad Christi colum-
omitatior redijt.

inus aptè eundem nubeculæ compa-
cui de mari Gelilææ in altum sese ef-
eliqui Apostoli vt nubes aliæ, sensim
ggregati sunt: ex quibus suo olim tem-
estis doctrinæ imber ad irrigandam
n terræ faciem descensurus erat. Ipsis
risti discipulis illud Isaiæ rectè con-
ui sunt isti, qui vt nubes volant, & sicut co-
ad fenestras?

5. rrò vt Andreas Dominū affecit honore,
multò quoq; vberius honestauit Andreā
inus, ille primus Christū secutus fuerat;
verò primitias dilectionis suæ illi prægu-
das in odoré suauitatis cōtulit, & primatū
esię suę homini de eius familia destinauit,
germanū fratrem eius primum, & caput
istianæ Ecclesiæ esse voluit? nam sicut ob-
ant nonnulli, & videre est apud Titelman.
Psl. 113. in illa: *facta est Iudaea sanctificatio eius;*
emadmodum tribus Iuda ideò regnū supra
ceras tribus assecuta est, quod eius duces ausi
erint primi mare rubrum pertransire, quod
oses virga in duodecim partes, vt quidā vo-
nt, diuiserat, vrgente illos à tergo Pharaone
cum exercitu; cùm enim trepidarent cæteri, &
se non auderēt per reseratas fluminis vias vitæ
periculo, quod frustra timebant, committere.
Abinadab ex familia Iuda dux arrepto vexillo
forti animo ac magna fide per apertas æquoris
vndas primus ingressus est, quē reliquæ tribus
secutæ insequentem hostem effugerunt, quem
postea medijs vndis absorptum suis illæ oculis
cōspexere, itaq; quoq; nihil nos absurdi dixe-
rimus, si tum ob alias vrgentiores causas; tum
ob eam etiam, quod Andreas primus iter illud
inter has sæculi vndas ingressus fuerit, quod
Christus Dominus tanquam alter præstantior
Moses, iam iam virga crucis reseraturus erat;
affirmemus eius familiæ hominem, id est, Pe-
trum ad Pontificatum à Deo electum, & reli-
quos omnes Pontifices Christi vicarios, eius-
dem Petri successores esse factos.

Cæterùm bis vocatum Andream legimus:
primū quidem apud Ioan. c. 1. ad fidem, & fa-

A miliaritatem Christi; iterū Matth. c. 4. vt di-
scipulus esset Christi, & vtrobique prius illum
respexit Christus, quàm vocauit; quia Dei do-
num vocatio est.

Sed prætermissa prima illa vocatione circa 7.
secūdam obseruandū est, vocasse Christū An-
dream, cùm circa mare ambularet, ac velut ex
aquis eduxisse, quia enim ad Ecclesiæ suę regi-
men ipsum elegerat, ideò vt in salem euaderet
optimū, illū de mari vocauit, nam qui Eccleſię
prælati futuri sunt, sali terræ comparantur à
Christo. Sal autem fit ex aqua educta de mari,
& in separatū aliquem locum coacta, vbi solis
radijs, & ardori exposita in salē vertatur. Itaq; *Prælati Ec-*
sensu mystico, è mari huius mūdi tanquā aquā *clesiæ sali si-*
quādam eductū Andream intelligere oportet, *miles.*
vt de reliquis mundi aquis, hoc est, de cætero
B hominum cœtu eductus & separatus, diuina
seorsim illustratione, & charitatis ardore, in
cœlestem salem conuerteretur.

Sic enim Deus, quos in magnos Ecclesię suę 8.
rectores, & gubernatores destinauit, solet de
cōmuni hominū vita, & cōmercio subtractos
ad solitudinē ducere, hoc est, ad tale vitæ gen⁹
pertrahere, vbi ad diuinā illustrationē recipiē-
dam, hauriēdamq; doctrinam aptiores sint, &
veterem exuant hominem, nouū verò induāt.
sic cum Ioanne Bapt. factum est, sic & Oseæ 2.
significatur: *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in*
solitudinē, & loquar ad cor eius, ideò nō mirum si
Apostoli rudes & idiotę homines prius, in do-
ctissimos postea euaserint, cùm. n. Deū habue-
rint præceptorē, cuius sermo viuus & efficax
C est ad Heb. 4. quid mirū, si datū sit *illis in illa ho-*
ra (id est, cùm oportuit) *quid loquerētur?* non. n.
sine causa dictū est, non modò, *ducam eam in so-*
litudinem, sed additur, *& loquar ad cor eius*, quib.
sapidā quandā sapientiam Propheta describere
videtur, qua instruuntur electi, qui ab eo vo-
cantur.

Sic cum Abraham scimus olim fecisse Deū, 9.
cùm illum gentis Hebreę in parentem eligens,
præcepit vt egrederetur de terra sua, & de cog-
natione sua, & domo patris sui. Sic Moysi de
terra Aegypti egresso, fugientiq; conspectum
Regis Pharaonis, cùm iam moraretur in terra
Madian, Exodi 2. præcepit Deus: *Veni, & mit-*
tam te, vt educam populum meum de Aegypto: Da-
uidem etiam in Regem extulit non in ciuitati-
bus, sed in solitudine habitantem. sic enim ha-
D bet Psal. 77. *Sustulit eum de gregibus ouium, & de*
post fœtantes accepit eum.

Denique cùm mittere cogitaret ad prædi- 10.
candum Paulum, & Barnabam, præcepit Act.
13. Spiritus sanctus: *Segregate mihi Paulū, & Bar-*
nabam ad opus, ad quod assumpsi eos. Itaque Andreā
Dominus eductum iam de mari, in solitudinē
quodāmodò duxit, vt dulcibus Euangelij ver-
bis, & promissionibus lactaret eum, ac pellice-
ret, vt lætus ad labores, & persecutiones veni-
ret, relictis omnibus, vt vel ij venire solent, qui
decipiuntur. Segregauit eum ab amatoribus
mundi, & ab omni eo, quod à Dei amore illum
remorari posset, effecitque vt ex corde suo e-
ijceret omnes rerum mundanarum affectus,
quasi iam inter eas non viueret: & verba
blanda, & consolatoria locutus est ei, qui-
bus cœlesti eum voluptate suauissimè perfun-

deret, & diuinis blanditijs animum eius deliniret.

11. *Andreas an idoneo tempore vocatus*

Illud hic prætereundum non est, à Christo vocatum Andream loco, & tempore vt videtur, minimè congruo, cùm iam mitteret retia in mare, & in piscatum totus incumberet. Sed si quis attentius consideret quantæ sit dignitatis vocatio hominum, næ ille iterum, atq; iterum fatebitur, nihil esse inter mundanas res, quod cum illa quidem conferri queat, non igitur mirum, si Christus tunc hos Apostolos vocauit, cum lucris terrenis studerent, & voluit, vt posthabito lucro, & prætermisso piscatu se nudum nudi sequerentur.

12. *Eius obedientia.*

Sed vide quæso iam Andreæ, & fratris obedientiã. Vix illis dixerat Christus: *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum,* cùm illi continuò relictis retibus secuti sunt eum. Præclarum sanè obediendi genus, & cum Abraham obedientia conferendum. cùm enim ille audisset: *Egredere de terra tua,* &c. egressus illicò est, & ad locam quem Deus voluit, venit. Atqui etiam Andreas simul cum fratre vocatus, posthabitis omnibus, nulla mora, nulla tergiuersatione interposita, præeuntem Christum secutus est, nec interrogauit, quò sibi eundum esset, vel quid faciendum. hæc enim omnia in Christi reliquit arbitrio, quia nimirum iam Christi imaginem in se cõtinebat altius impressam, qui factus fuit obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, ipsumque iam imitari vehementer optabat.

13. Qua in re sapientissimos, ac cœlesti luce maximè illustratos hos fratres esse oportuit, vt qui scirent nihil neque vtilius, neque dignius expeti posse, quàm vt quis Christum sequatur. Audierunt illi libenter dici sibi, non sine magna amoris Dei erga se significatione: *Venite post me,* hauserunt vix de Christi ore emissum verbum, arripueruntque auidè, quia nihil sibi dulcius contingere posse sciebant, quam si inter mundanas tenebras præeuntem lucem haberẽt. Est autem Christus lux, quam qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

14. In quam lucem Dauid oculos suos perpetuò conlectos habere se gloriabatur, Psal. 24. *Oculi mei semper ad Dominum:* nec veretur, nè fortè dum oculos in Deum intẽdit, cæco gressu in foueam, vel laqueum incidat, *quoniam ipse,* inquit, in quem intendo, *euellet de laqueo pedes meos.*

15. Itaque felices hos ego dixerim Apostolos, qui Christum secuti præeuntem; habebant & lucem, qua peccati, & errorum tenebræ fugantur; & scopum in quem omnia sua cogitata, dicta, facta, collimarent, & à quo nusquam oculos deflecterent, nè à via aberrarent aliquando.

A

B

C

D

DIGRESSIO SECVNDA MORALIS.

De altissimo Dei consilio, quo ad extruendam Ecclesiam suam, humiles ac pauperes elegit.

1. ADmirandum sanè semper visum est Ecclesiæ Christianæ principibus, & cunctis, qui nostræ religionis fundamenta, & initia non segniter obseruarunt, illam non à mundi principibus, non ab ijs qui diuitijs, vel honoribus pollerent, in mundum inuectam esse, sed à piscatoribus, ab illiteratis, & rudibus, à tenuis fortunæ hominibus, qui nullo numero haberentur, qui victum sibi manu, & arte cõpararent, suę originis accepisse principia. Quis non miretur tot Imperatores, tot Reges, tot Principes, tot diuites, & quod caput est, tot sapientes à piscatoribus persuasos relictis idolis, quæ olim tanto studio colebant, Christianam Religionem amplexatos esse?

2. *Terra fundata super nihilum.*

Enimverò huius quæstionis tres mihi solutiones in præsenti occurrunt, quæ Dei sapientiam, potentiam, charitatem, liberalitatem non obscurè declarare possunt. Principiò cùm Deus ex nihilo cuncta formaret, & cœlum, sidera, & elementa mirabili artificio contexeret, & varijs motibus, ornamentisque insigniret, tum terram ipsam immobilem, stabilemque in medio posuit, quæ nulli niteretur corpori, sed sua se stabilitate muniret; nam vt cœlum ipsum fixum, ratumque sit, non mirum fortasse videatur, cùm vnum alterum sub se habeat, quo fulciri si necesse sit, possit, ipsa quoque elementa ita se mutuò circumdant, vt alterum alteri subsit. Denique vniuersa ipsa rerum creatarum congeries vni innititur terræ. At quis non obstupescat ipsum terræ orbem totius vniuersi firmamentum nihil sub se habere, à quo sustentetur, vel cui innitatur? Audi Iob hanc Dei potentiam sic suspicientem: *qui extẽdit Aquilonem super vacuũ, & appendit terram super nihilum,* nullo nimirum fundamento nitentem, sua tantùm grauitate connixam.

3. Quod Dauid Psalm. 103. eleganter cecinit: *Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi.* Vbi Aquila, & Symmachus habent. *Fundasti terram super sedem suam.* & D. Hieronym. ex Hebr. interpretatur; *super basim suam.* Quod Theodoretus explicãs ait. cùm ipsam super se ipsam fabricasset; dedit ipsi vt nunquam moueatur, & hoc modo permaneat. Terræ ergò stabilitas, basis, sedes, & hoc nihilum, aliud esse non videntur, quàm centrum ipsum, ad quod omnes, vt Genebrardus ait, terræ partes vndique sua grauitate nituntur. hoc autem in Dei voluntatem (quæ terram suspendit, atque firmauit, vt Greg. Nazianzen. loquitur, ita vt dicatur suspensa super nihilum, id est, nihil esse quod illam fulciat) tandem referendum est.

4. Licèt negandum haud sit, quin ex ipsius terræ partium grauitate, extrema cœli fugiente, & in centrum remotissimum à cœlo locum,

am coarctante, ea terræ ſtabili-
tiò conſequatur. Verùm hanc ei
Dei voluntas, & omnipotentia con-

ir ad rem noſtram veniamus, vt
ine admiratione tam magnum ter-
ſuper nihilum fundauit, ita non
d eamdem ſuam potentiam oſten-
ſapientiam declarandam, & in hu-
tatem, Chriſtianam Eccleſiam ſu-
n, hoc eſt, ſupra pauperes, & hu-
a litteratura inſignes, nulla elo-
ſpicuos, nullis opibus, nullis ho-
uſtres perpetua, & nulla vnquam
interitura ſtabilitate, fundauit.
him eſt aliud quodcumque ædifi-
od præ vno iſto non ruinoſum eſſe
duerſus quod nè portas quidem in-
lituras eſſe ipſa veritas docuit, Mat-
imo ſexto. Inſurgant quamuis vni-
rtareæ phalanges; conſpirent omnes
Tyrannorum, & Principum vires;
parte terribiles bellorum procellæ
nt; ardeat quamuis bellis mundus, et-
actus illabatur orbis, Eccleſiæ num-
Chriſtianæ ſtabilitatem turbabunt hęc,
ei conſilium dimouebunt. quod ipſe
euentus in hunc vſque diem oſtendit, &
m vſque exitus declarabit.

6. ritò igitur de Apoſtolis, qui poſt Chri-
Eccleſiæ fundamenta ſunt, illud Annæ
Regum ſecundo interpretari poſſu-
Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſu-
orbem. Apoſtoli enim, non quia ipſi per
rmi, & ſolidi, ſed quia Domini erant,
c eſt, à Domino electi, ſtabiles facti ſunt,
pra quos tanquam ſupra cardines vniuerſus
cleſiæ Chriſtianæ verteretur orbis; quam
terpretationem magis confirmat textus He-
bræus, *Domini enim ſunt afflicti terræ*, quos e-
nim melius per *afflictos* intelligere poſſu-
mus, quàm piſcatores homines ſimplices, &
viles?

7. Eſt & altera huius quæſtionis elegantiſsi-
ma ſolutio, quam Paulus Doctor Gentium
Deus contemptibilia elegit. 1. ad Corinth. 1. aſsignauit: *Infirma*, inquit, *mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt, deſtrueret.* quamobrem id
Paule? *vt non glorietur omnis caro in conſpectu Domini*; nam ſi litteratos, ſi potentes, ſi diuites, ſi
honoribus conſpicuos elegiſſet, de ſe ipſis fortaſsis gloriari potuiſſent, quod ſuis viribus,
ſua eloquentia, ſua ſapientia, ſuis opibus Chriſtianam fidem mundo perſuaſiſſent, modò
verò cùm nihil ſit, in quod eam laudem reuocare poſsimus, ad ſolum Deum referri debere non dubitamus, cuius potenti virtute etiam per ineptiſsima inſtrumenta tam
ſingularis, & eminentis religionis fundamenta locata ſunt: cuius ſuauiſsimo iugo
mundi potentia, & ſapientia elatum ſubmiſit caput.

8. Hanc ego veriſsimam Pauli ſententiam, quamuis multis confirmare poſſem rationibus, exemplis, auctoritatibus, breuitatis tamen ſtudio ex duobus ſcripturæ locis declarabo ſimul, & corroborabo. & primum quidem occurrit Samſon, qui vt cap. 15. lib. Iudicum memoriæ proditum eſt, maxilla aſini, nimirum animalis ſtolidiſsimi, Philiſtæorum plurimos proſtrauit, ſibi, ac populo Dei infenſiſsimos homines ferè procero, atq; alto corpore inſtar Gygantũ quodammodo, eoſq; neci dedit; qua poſtea parta victoria quaſi de inimicis triumphans ait: *In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum deleui eos.* Sic Chriſto Domino placuit per mandibulam aſini, hoc eſt, per ſimplices, ac rudes, & illiteratos homines, eoſque pauperes, ac viles, vniuerſum ſibi mundum ſubijcere, ſiue ad fidem trahendo, ſiue flagellis, & morte obſtinatos in barathrum tãdem deturbando, ſiue reluctantium conſilia, machinationes, conatus diſsipando, & in nihilum redigendo, vt proinde multò verius illud vſurpare poſsit: in maxilla aſini, non mille dumtaxat viros, ſed innumeras hoſtium phalanges percuſsi, ac deleui. Sic ille ſempiternum immenſæ gloriæ nomen ſibi comparauit. lege Proſperũ Aquitanum 2. p. cap. 21. & 22. de præd. & promiſſ.

Secundo deinde loco afferri poteſt id, quod 9.
1. Reg. 16. ſcriptum eſt: cùm eſſet Samuel à Deo miſſus Bethlehem, vt vngeret in regem vnum ex Iſai filijs, quem Deus commonſtraret, coniecit ille primùm oculos in Eliab procerum hominem, & vultu decoro, conſuluitque Dominum, *num coram Domino eſt Chriſtus eius?* at tale tulit reſponſum à Deo: *nè reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius: quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Itaque hoc primùm ſpreto, deindè etiam alios, qui nulla minimi fratris mentione facta adducti fuerant, cõtempſit Deus, & quem minimè cogitare poſſet aliquis, omnium poſtremus, ac minimus natu, & qui oues ſequebatur, electus eſt Dauid: de quo dixerat Dominus Samueli: *Surge, vnge eum, ipſe eſt enim.* Non elegit Domin⁹ in principes orbis terræ philoſophos, ac ſapientes, non ea in re vultus potentum reſpexit, non familiæ ſplendorem, non diuitiarum fulgorum, nõ cætera huiuſmodi, quæ ſuſpiciunt, & admirantur mundani homines, ſed piſcatores tenuis fortunæ, & conditionis homines, Petrum, Andream, Iacobum, Ioannem, &c. neq; enim vt videt homo, ita etiam videt Deus. Sed ad tertiam pergamus eiuſdem quæſtionis ſolutionem.

Decreuerat Dominus de hoc mari magno, 10.
ac ſpatioſo piſcari homines, ac rete ſuum, videlicet, Euangelium per vniuerſum hoc mundi pelagus expandere, quo etiam *gygantes, qui gemunt ſub aquis*, hoc eſt, potentiſsimi, ac ſapiẽtiſsimi viri inſtar piſcium, concluderentur. Fuit autem tam ardens Chriſti deſiderium, & propenſa voluntas ad huiuſmodi piſces capiẽdos, vt nulla re magis oblectari videretur. & verò hoc tam vehemens deſiderium oſtendit inprimis ipſo reſurrectionis ſuæ die, cùm ab inferis viuus rediiſſet ad ſuos; tunc enim nihil illum comediſſe legimus præter piſcem aſſum, & fauum mellis, vt nimirum indicaret, quanto piſcium, hoc eſt, hominum ardore teneretur, quos Euangelij rete concluſos, & ſui amoris igne excoctos comederet,

hoc est, sibi vniret per fidem, quę per dilectionem operatur.

11. Quoniam igitur piscari decreuerat homines, ideò piscatores eligere voluit, eosque ab irrationalium piscium piscatu ad rationales pisces capiendos transferre. hoc ergò vt indicaret, suauiter cuncta disponens, Petrũ, & Andream, &c. dum secus mare piscarentur, ad se vocauit. *Venite*, inquiens, *post me, faciam vos fieri piscatores hominum.*

12. Docuit autem illos quale sibi, futuri hominum piscatores, Euangelij rete comparare deberent. neque enim rete sericum esse, nec varijs picturis, aut coloribus ornari debet, sed planum sit, simplex, non magno, atque elaborato artificio contextum, forte tamen, & solidum. Iterum instructum sit oportet non solo plumbo; nec subere tantùm, aut ligni cortice, alioqui vel solo plumbo penitus traheretur ad fundum; vel solo cortice summis innataret aquis, & nec medias penetraret vndas, vbi pisces commorari solent. Postremò, quod proprium est Euangelicæ prædicationis, ad dexteram nauigij Christo iubente, mittendum est Euangelij rete.

13. Ex quibus tria hæc efficiuntur: primum quidem Euangelij prædicationem non figuratarum elocutionum picturis, non eloquentiæ splendore, non mundanæ sapientiæ auro indigere, sed potiùs debere concionatoris sermonem sale esse conditum, vt luceat in eo Christiana quædam simplicitas, & cœlestis sapiętia, & grauis compositio cum quadam moderatione coniuncta. Habeat deindè oportet Euangelicum rete, & plumbum diuini iudicij, quo peccatores terreat; & leue suber misericordiæ Dei, nec solo nitatur timore, nè fortè ad ima desperationis suò secum pondere pisces rapiat; nec sola misericordiæ recordatione blandiatur, nè fortè nimium fidentes cœlestorum animi in elationem efferantur. Postremò debet Concionator non in sinistram nauigij iacere Euangelij rete, hoc est, non sinistro aucupandæ gloriæ, vel diuitiarum acquirendarum studio concionari, sed spe cœlestis gloriæ frętus, quæ per dexteram significatur, & ardenti animarum zelo inflammatus ad concionandum accedat, oportet.

14. Quo zelo ardebat ille, qui dixit: *Quis mihi det antequam moriar? quis mihi det videre Ecclesiam Dei sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia, non in capturam argenti, vel auri, sed in capturam animarum?* Vtinam, Bone Iesu, id sponsæ tuæ Ecclesiæ perfectè videre concesseris aliquandò.

A

CAPVT IX.

DÆMONIACVM CVRAT.

B. 1. 21. C. 4. 31.

1. B. *Et ingrediuntur Capharnaum* C. *ciuitatē Galilææ.* B. *& statim sabbathis ingressus in synagogam docebat eos.*

2. *Et stupebant super doctrina eius:* C. *quia in potestate erat sermo ipsius.* B. *erat enim docens, quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ.*

B 3. *Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamauit voce magna,* C. habens dæmonium immundum.

4. *Dicens: Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te, quis sis sanctus Dei.*

5. B. *Et comminatus est ei Iesus, dicens: obmutesce, & exi ab homine.*

6. *Et cùm proiecisset illum dæmonium in medium,* B. *discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exijt ab eo:* C. *nihilq; illi nocuit.*

7. *Et factus est pauor in omnibus,* B. *& mirati sunt omnes, ita vt conquirerent inter se,* C. *& colloquerentur ad inuicem dicentes:* B. *Quid nam est hoc? quenam doctrina hæc noua?* C. *quod est hoc verbum? quia in potestate, & virtute imperat immundis spiritibus* B. *& obediunt ei.* C. *& exeunt.*

8. *Et processit rumor eius statim, & diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis Galilææ.*

C

D

SCHOLIA.

1. IT *ingrediuntur Capharnaum*] Et Matth. prout ex superioribus c. 7. v. 2. colligitur, videtur Christus ingressus esse Capharnaum, antequã discipulos vocaret. Eam enim veluti sedem elegit, vt ibi frequentius versaretur, & vltrò, citroque commearet, vt meritò Christi ciuitas vocetur Matth. 9. 1. erat enim emporium Galilææ nobile appulsu nauium, frequens, & mercatorum multitudine celeberrimum adiacentis maris occasione, aprumq; proinde ad hominum piscatum. At Marcus vt hîc habes, scribit post vocatos Apostolos, in ipsse Christum Capharnaum. Igitur dicendum est Matth. de primo ingressu, Marcum non de eodem, sed de secundo locutum; & verò decebat vt priusquam discipulos eligeret, in suam veluti sedem ingrederetur, & deinde sibi aliquos in socios eligeret; vt tanquam ex arce regia, regnique sede quodammodo cum socijs digressus ad debellandos hostes, & mundum Euangelio subigendũ procederet. Et ita factum est planè: Nam vbi primùm ingressus est, vt narrat Matth. post aliquam morã egressus, & ambulãs iuxta mare socios elegit: qui-

1.

2.

bus

bus ascitis iterum ingressus est, vt ait Marc. & signa edere cœpit, ac docere, hoc est, in aciem, dimicationemque venire. Hoc modo rectius, ac suauius meo iudicio conciliantur Matth. & Marc. nec opus est anticipationem fingere. Porrò Lucæ in eandem ciuitatem ingressum c. 4. v. 31. vt in hac historia habes c. 9. v. 1. huius, possumus vel ad primum Matth. vel ad secundum Marci ingressum referre. Sed malim ad secundum Marci; quia in hoc posteriore videtur maximè in synagogis prædicasse. Quamuis potuerit Luc. missis intermedijs de vocatione Apostolorum, ad synagogas transire non memorato secundo ingressu. Maldo. in c. 1. Marc. v. 21. scribit: quod ergò dicit Capharnaum ingressum esse, postea factum fuisse intelligendum est, cùm ad lustrãdam Galilæam rediisset. Quo videtur significare post ascitos Apostolos ingressum esse Capharnaum iterum; vt inde digrediens paulò pyit cum discipulis lustraret Galilæã; *Et statim*] En tibi in concionando, atque in procuranda hominum salute ardens Christi studium, & diligentiam, statim, inquit, hoc est, primo Sabbati die cùm primũ lucuit, & cõgregata synagõga fuit. *Sabbatis*] id est, per singulos dies sabbati. His enim diebus solebant Iudei conuenire ad legendam, audiendamq; legem Mosis Luc. 4. 16. 31. & 13. 10. Acto. 15. 14. 27. 42. 44. & 15. 21. & 17. 2. & 18. 4. & 20. 7. & videtur Hebr. qualis est Ps. 62. 7. *In matutinis meditabor in te*, hoc est, in singulis matutinis, seu Heb. in custodijs, seu vigilijs, q. d. per singulas noctis vigilias, quibus milites ad agendas excubias solẽt surgere, ego ad meditandum in te surgo. Hinc intelliges nomen *sabbatorum* numero plurali etiam pro die certo hebdomadę vltimo sumi, vt docet etiam Maldo. Matth. 28. 1. *Docebat eos*] moris erat, vt si quid alicui occurreret in synago. surgeret, ac doceret: Luc. 4. 16. 17. Actor. 13. 15. 16. 1. Corinth. 14. 30.

2. *Et stupebant super doctrina eius*] quia noua, diuina, inaudita erat, & tamquam à legislatore proficiscens. Aequè enim Christi sapientia, ac virtus admirationi erant; ita vt obstupescerent planè & ob ea, quæ dicebat, & ob signa ea, quæ vel solo iussu operabatur, quæ duo potestatis nomine comprehendi videntur; de qua subdit, quia in potestate erat sermo eius, vt Luc. hic ait; vel vt loquitur Marc. *Erat enim docens eos, quasi potestatem habens; & non sicut Scribæ*; eodem modo Matth. septimo, vbi Caie. rectè ait, ratio admirandi integratur ex doctrina, & modo faciendi miracula, scil. imperando solum.

Quia in potestate] Reddit causam admirationis; *quoniam in potestate*, &c. apud Marc. ἐξουσία habetur, quæ vox significat libertatem, auctoritatem, potestatem. Itaque hic videtur potestas sumi maximè pro auctoritate; quam in docendo præferebat. Tamquam enim Doctus legislator loquebatur, multa addens legi, etiam noua, etiam inaudita, atque diuina prorsus, multa item declarans; & verò neque præmittens, *hæc dicit Dominus*; sed, *ego autem dico vobis*. Porrò hanc doctrinam numquam antea visis miraculis confirmabat magna potestate, solo imperio editis, & quod caput est vitæ inculpatæ exemplo: nam rectè dixit Sene. epist. 6. ad Luc. *Longum ad virtutem per præcepta, breue & efficax per exempla iter est.* Addit Marc. non vt Scribæ, cui Matth. alibi videl. c. 7. 29. addit: *& non sicut Scribæ eorum, & Pharisæi.* Quibus apparet antithesim contineri, inter Christum & Scribas, ac Pharisæos. Quod verò eorum dixit Matth. dum aliud narrat loc. cit. emphasim habet, q. d. non sicut scribæ, quos ipsi magni pendunt, libenterq; audiunt, hunc locum doctè tractat Maldo. Mar. 1. 22.

A 3. *Et erat in synagoga homo in spiritu immundo*] id est, spiritum immundum habens, Heb. vt latinè dicimus, esse in armis, id est, armatum esse. immundum ideò dixit Mar. quia *spiritus* nomen commune est bono & malo, sancto, & immundo. Lucas *dæmonium immundum* vocat: quia licèt in scriptura ex August. li. 9. ciu. 19. nomen dæmonis semper in malam partem accipiatur, rectè tamen omnis dæmon immundus dicitur propter peccatum, quo pollutus est, & alios polluere studet. Vel vt dicit Euthym. Marc. 1. quia immunditijs, & sceleribus gaudet. Meritò item voci dæmonis Luc. addidit, *immundum*. Nouerat enim Græcè etiam in bonam partem accipi. No. eos præsertim dæmones immundos vocari, qui ad carnis spurcitias homines alliciunt. Quomodo dæmon animæ non illabatur, vel eam inhabitet, sed corpus, lege apud D. Thom. quod. 3. A. 8. & Abul. Matth. 8. q. 113. & Doct. in 2. sen. d. 8. consule & Moli. p. p. q. 56. a. 2. & q. 111. a. 1. & 2. vnde verò dicatur dæmon, vide hic apud Barrad. lib. 5. cap. 7. *Exclamauit*] Nempe timore perculsus ob Christi præsentiam. præsagiebat ab eo se expellendum fore: volebatque item impetrare vt ab eo sibi parceretur.

B 4. *Sine*] Me hic habitare, ne expuleris. Græcè ἔα, nõ est hic interiectio eia, sed imperatiuus à verbo ἐάω *sino*, itaque *sine*, missos nos fac. *Quid nobis*] loquitur vnus dæmon ex his, qui obsidebant corpus illud, quasi dic. quid nobis tecum est, vel quid nobiscum tibi cõmune est? nil cum Iesu habere commune volunt. Alij sic, & clarius: nil tibi mali fecimus, cur nos hinc debeas expellere, in nulla re te offendimus, quid tibi nobiscum est belli? peccatores vexamus, quid ergò aduersus nos habes, vt propterea nos persequare? sic 2. Regum 16. 10. *quid mihi & vobis filij Saruiæ?* mentitur furcifer, in multis offenderant, & Christi regnum occupabant. *Nazarenum* vocant, quia sic passim videbat tunc appellari, de hac phrasi lege Tole. Ioan. 2. in illa, *quid mihi & tibi.*

C *Venisti perdere nos*] aliqui *ante tempus* addunt. Sed passim non habetur. Forte desumptum ex Matth. cap. 8. 29. sensus est, numquid venisti vt nos torqueas? Sic enim Matth. 8. 29. legimus in alio simili βασανίσαι, quod est torquere, in infernum detrudere, quare Luc. 8. 31. rogant Dæmones ne in abyssum ab illo mittantur; ideò non placet exponere, vt perdere sit priuare in homines potestate, licèt ità Euthym. & Theophyl. exponant. Fateor apud Lucam 4. 34. & Marcum 1. 28. haberi ἀπολέσαι perdere. Ideò vtrumque ego coniungerem, vt sit *perdere*, torquere, & in infernum mittere priuando in homines potestate; Glo. ait, quod suspicabantur dæmones fore se statim à Christo iudicandos, & in infernum præcipitandos, hancque vocasse perditionem, quod verissimum iudico. Hoc autem ad extremum iudicij diem faciendum est. Tunc enim perfecta erit ipsorum damnatio.

D *Scio te quis sis sanctus Dei*] Scio quis sis, non verò *qui sis*, esse legendum docet. Mald. c. 1. Mar. ver. 24. *quis sis*, nimirum, ille sanctus Dei, ὁ ἅγιος, quia est sanctus non vt Prophetæ, sed vt Deus, vt ille sanctus, qui est absolutè sanctus. Dicunt autem *sanctum Dei*; id est, illum sanctum filium Dei, & ita aliqui Dæmones vocarunt illum *filium Dei*, vt patet capite decimo, vers. octauo, vel sanctum Messiam intellige. An ista confessio fuerit coacta, & an dæmones Christum cognouerint, vide in Theo.

5. *Et comminatus*] Græcè ἐπετίμησεν, Lucas habet, *increpauit*, quare *comminatus est*, non significat tantùm, os obturauit, vt Euthym. interpretatur, sed etiam eum reprehendit, & obiurgauit;

11. 12. *Nomen dæmonis in scriptura in malã partem accipitur.* 13. 14. *Dæmon mẽdax.* 15. 16. 17.

protulit enim verba quæ hic ponuntur, *obmutesce & exi*, per modum obiurgantis. Reprehendit autem illum ob peruersam eius voluntatem, qua grauatè ferebat, vt cessaret ab hominis vexatione; tum ob mendacia quæ admiscebat; tum quia abutebatur notitia de Christo, quatenus per eam impetrare nitebatur ab homine illo non depelli.

18. *Obmutesce & exi*] Duo præcipit Dominus dæmoni, primùm, vt obmutescat, nec plura loquatur, deinde vt exeat. Apud Marcum Græcè est φιμώθητι, tanquam fræno cohibere, ne loquaris, sic Gagnæ. Marc. 1. Itaque increpat, simulq; silentium indicit, qua in re potestate sua vsus est, ita vt potentiam dæmonis ad loquendum cohibuerit. Factum est enim eo verbo prolato, vt loqui non posset dæmon, & si maximè vellet. Neque enim Christus per dæmonem voluit prædicari, quod esset Messias, vel Christus, ad declinādum, fugiendumque Pharisæorum calumnias, quod cum dæmone consuetudinem haberet Matth. 12. 24. & ne à patre mendacij, testimonium acciperet. Alijs placet id feciſſe Christum, quod noluerit intempestiuè, & temerè obtrudere diuinitatem suam, sed sensim illi placuit, ac paulatim eam hominibus insinuare, vnde Matt. 17. 9. prohibuit Apostolis, ne Deitatem suam cuiquam declararent, quo hominum fugeret inuidiam. Voluit denique ostendere, vt notat Theoph. & Euthym. non esse dæmones etiam si vera dicant audiendos, sed confutandos, neque illis credendum, etiam vera dicentibus. Vera enim ideò dicunt, vt veritatis esca in falsitatem ducant, nosque fallant. Hinc est quod Paulus Act. 16. iussit egredi dæmonem obserato, vt inquit Oecumenius ore etiam vera dicenti. Illud ad mores pertinet quod Gregor. aduertit homil. 12. in Ezechielem: *Mox*, inquit, *vt animus qui prius terrena sapuerat amare cœlestia cœperit, antiquus aduersarius acriores ei; quàm consueuerat tentationes admouet, ita vt plerumque sic resistentem animam tentet, sicut ante nunquam tentauerat, quando possidebat, vnde Dæmoniacus qui à Domino sanatur ab exeunte dæmone discerpitur.* hæc ille. Id autem quod ait Gregor. ex sequenti versu patet.

19. *Christus non vult testimonium diaboli.*

Dæmones etiam vera dicentes non audiendi.

20. *Gregor.*

21. 6. *Et cùm proiecisset*] hoc est, cùm iactasset illum à loco in quo erat, in alium, non sine vi, atque impetu, siue solo strauerit, siue non. Marc. ait: *discerpens eum*, græce σπαράξαν, significat autem σπαράσσειν *dilacerare*, ac laniare. D. August. 4. de consen. Euang. c. 2. & Beda hic vertunt, *conuexans eum*, id est, contorquens, & crucians: fortè etiam vestimenta discerpens. Luc. dicit nihil illi nocuisse, quia licèt in medium proiecerit, contorserit, cruciauerit, fortè etiam vestimenta discerpserit, nullam tamen corporis eius partem debilitauit. Hoc autem permisit Dominus vt constaret, quàm inuitus exiret, quantoque malo homo ille liberatus esset. Emman. *discerpens* interpretatur, huc, illucque iactans, seu distrahens nihil lædendo. Quod cum superioribus coincidit. *Clamans voce*] nihil significante voce. Prohibitus enim erat à Christo loqui, clamauit autem præ dolore vel coactus à Christo, vt omnes intelligerent à maiori potestate depulsum esse, licèt inuitum, non sponte, nec casu.

22.

23. 7. *Factum est pauor*] θάμβος. Marc. verò dicit, ἐθαμβήθησαν, id est, præ timore stupefacti sunt. Significat verbum Græcum religiosum metum cum admiratione coniunctum, vt cùm nescimus causam inuenire magni atq; noui alicuius facti, quod timemus & admiramur. q.d. timuerunt, & admirati sunt Christum, aliquid in illo supra hominem, ac diuinitatis aliquo modo agnoscentes, atque adeò, ne sibi ab eo tanquam præpotente mali aliquid inferretur, cui resistere non possent, timentes. *Ita vt conquirerent*] proprium est eorum qui timent, & admirantur inter se loqui, dum inuicem scisciatantur, quid nam sibi illud velit, aut quomodo fiat. *Quænam doctrina*] vocant hic doctrinam, non id solum quod Christus docebat, sed potestatem in dæmones doctrinæ adiunctam, quod constat ex Luc. qui doctrinam *verbum* appellat: ait enim: *quod est hoc verbum?* id est, quę nam res est hæc? phrasi Hebræa; subdit verò Euangelista causam, *quia in potestate, & virtute*, &c.] ita vt hæc sit sententia, quæ est ista tam efficax doctrina, vt eam, qui tradit, solo sermone dæmones eijciat? *Nouam* vocant, quia Scribæ, & Pharisæi non hoc modo docebant. *In potestate* græcè est, ἐξουσίᾳ, καὶ δυνάμει, hoc est, cum auctoritate, & potestate, & vi magna imperat dæmonijs, & nec precibus, nec diuino nomine inuocato, sed solo imperio expellit. Quod ergò dicit Marc. *quidnam est hoc*, &c. dicit Luc. *quod est hoc verbum?* id est, res. porrò per rem intelligo doctrinam nouam, miraculorum potestati adiunctam, & modo eam tradendi cum auctoritate, &c.

24.

25. 8. *Processit*] Exijt, euasit rumor, id est, fama. gr. ἐξῆλθεν ἀυτοῦ auditus eius, nempe, fama, vt statim subnectitur. *Statim*] breuissimo temporis interuallo. Hæc de nono cap.

THEORIA.

An Dæmonis confessio, quæ habetur v. 3. coacta fuerit, & num Christum Messiam, Deique filium nouerit.

1. IN controuersiam vertitur hic à nonnullis, an illa confessio, qua dæmon fassus est Iesum esse sanctum Dei, fuerit coacta, an verò voluntaria, & an Dominum Iesum verè Christum vel Messiam, ac Dei filiū dæmones nouerint. Vtrique dubitationi paucissimis satisfaciendum arbitror. Et primæ quidem sic occurro: Confessionem illam minimè coactā fuisse, imò verò potiùs voluntariā. Nam quomodo cogi dæmon potuit à Christo ad eam eliciendam, si Christus illam inhibuit, nolens ore dæmonis *Christus* vocari; & *Dei sanctus*? igitur procul dubio voluntaria dicenda est; cæterùm non ex caritate nata, sed ex metu pœnæ profecta. Itaque quod ait Beda: *non voluntatis ista confessio est, quam præmium sequitur confitendi, sed necessitatis extorsio, quæ cogit inuitos confiteri*; hæc inquam, Bedæ verba possumus interpretari de voluntate conditionata, à Theologis dicta, quod videlicet noluissent confiteri, absolutè tamen voluerint.

Confessio dæmonis fuit voluntaria.

2. Neque verò hæc eadem verba à dæmonibus animo adulandi prolata fuêre saltem potissimùm, sed ex timore præsertim & metu, & cum quadam expostulatione, vt simul etiam declararent, quod sibi permittendum esset vti potestate sua in homines, nec deberent ad imos inferni carceres detrudi: nam cùm Christus in se credentes susciperet, ipsi verò etiam confiterētur ipsum Dei filiū & Messiam, putabant hac ratione non fore depellendos ab illo, nec loco mouendos, vel exturbandos. Posteriori dubitationi sic opinor, rectè fiet satis: Equidem, si dęmon nō fuisset à Deo impeditus, ipso statim initio infantiæ Christi, agnouisset, opinor esse Christū ac Messiā. At egit Deꝰ ne id posset, saltē vsq; ad tēpora post baptismū, & tentationē; nimirū, ne statim eiꝰ morte procuraret, animos inuidos & atroces Iudæorū excitando; q verò

Neque adulatoria, sed ex metu.

3. *Quomodo diabolus Christum in infantia non nouerit.*

saltem

saltem ab infantiæ vsq; ad baptismi & tẽtationis tempora impeditus fuerit, docet nõ obscurè Aug. 9. ciu. c. 21. de dæmonibus loquens: *tantum eis inquit, innotuit, quantum voluit, tantum voluit, quantum oportuit; innotuit verò, per quædam sua virtutis effecta.* Deinde in eam propendeo partem libenter, vt ipsos dæmones credam agnouisse Messiam, quo tempore iam Christus prædicationem aggressus fuerat: cõfestim verò etiam, & Dei filium iudicasse, sed hoc secũdum, non citra formidinem vt plurimum, ne videl. Dei filius adoptione, vel aliter diceretur. Sciebant enim scripturas non obscurè docere Messiam Dei filium fore, nec ignorabãt Christum Dei Patris voce, filium esse vocatũ, seq; etiam Christum ita dixisse. Cæterùm cum hoc *filij Dei* nomen non vno tantũ modo, eoq; proprio accipi possit, idcircò dixi vt plurimũ; vel certè interdum, formidasse dæmones veritos, ne impropriè *Dei filius* diceretur. Certum tamen eorum iudicium hoc erat, vt crederent verè ac propriè Dei filium, sed formidine laborabant, nam iudicium certum non excludit semper omnem formidinem, quando cognitio nimirum non est clara vel per reuelationẽ, vel per signa euidens: cuiusmodi cognitio clara, & euidens non inerat dæmonibus, cùm Dei filiũ dici Christum videbant. Quare nõ mirum est doctores interdum dicere solitos, dæmonem suspicatum fuisse Dei filiũ, vel formidolosum, vt aiunt, ei rei assensum præbuisse. Quod ergò tempore prædicationis cognouerint esse Messiam, ex hoc loco probari potest, quẽ præmanibus habemus, nempè ex v. 3. & clarius ex Lu: c. 4. quia sciebant ipsum esse Christum. Si præsertim hæc verba causam contineant. Sed de hoc loco Lucæ inferius c. 10.

4.

5.

6.

7. *Sciebant dæmones Christum euersurum regnũ ipsorum, sed nesciebant quomodo.*

Postremò diligenter obseruandum est, sciuisse quidem dæmones Christum redemptorẽ hominum esse futurum, euersorem item regni diaboli, sed quod hoc facturus esset per mortẽ ignorabant; vel enim id non permissum est à Deo vt noscerent, & intelligerent; vel certè odio quo ardebant excæcati fuére; vel denique ita accidit, quia non est necesse dæmones semper omnia aduertere, quæ sunt in scripturis, ita videtur Greg. 33. mor. c. 7. & c. 14. existimare, & Beda Mar. 1. Luc. 4. Leo ser. 9. 11. de pass. Domini. D. Th. 3. p. q. 44. a. 1. ad 2. Quo etiam quidam referunt illud Pauli 1. Cor. 2. 8. si tamen ibi de dæmonibus loquitur; *si enim cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*: hoc est, si sciuissent id in suam ipsorum perniciem esse casurum. Fateor verò post Christi resurrectionem, hoc ipsum quod prius eos latuerat, animaduertisse, cùm viderent Apostolos ad gentes ab idololatria auertendas esse profectos, & ad Christi Euangelium longè lateq; disseminandum crucis & mortis Christi mysteria cõtinens. Lege hac de controuersia Patres Societ. nostræ, Tol. in Luc. c. 4. an. 74. & 75. Mald. c. 1. Mar. 24. Franc. Sua. to. 2. disp. 31. sec. 3. Barra. l. 5. c. 9. to. 2. qui etiam c. 10. An olim, antequam ruerent, dæmonibus diuinæ œconomiæ mysterium cognitum fuerit, explicat.

8.

9.

10.

A

B

C

D

CAPVT X.

SOCRVS SIMONIS SANATVR.

A. 8. 14. B. 1. 29. C. 4. 38.

1. B. *Et protinus egredientes de Synagoga, venerunt in domum Simonis, & Andreæ cum Iacobo, & Ioanne.*

A. *Et cùm venisset Iesus in domum, vidit socrum eius iacentem, & febricitantem, & tetigit manum eius, &c.*

C. *Surgens autem Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis, &c.*

2. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus (&) B. decumbebat, & statim dicunt ei de illa. C. & rogauerunt illum pro ea.*

3. B. *Et accedens C. & stans super illam, B. eleuauit eam apprehensa manu eius, & C. imperauit febri, & dimisit illam: & continuò surgens ministrabat illis.*

4. B. *Vesperè autem facto, cùm occidisset sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, C. variis languoribus, B. & Dæmonia habentes.*

5. A. *Et eiiciebat Spiritus verbo, & omnes malè habentes curauit, C. singulis manus imponens.* B. Curauit multos.

6. A. *Vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit.*

7. B. *Et erat omnis Ciuitas congregata ad ianuam.*

8. C. *Exibant autem Dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es filius Dei: & increpans non sinebat ea loqui: quia sciebant ipsum esse Christum.*

B. *Et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.*

SCHOLIA.

1. IN primis constituenda est series, & ordo rerum. Matth. cap. 8. post narratam centurionis Historiam refert, sanitati à Domino restitutam socrum Simonis; at Marc. vt hic habes ver. 1. scribit, Dominum postquam eadem die Sabbati curato Dæmoniaco de Synagoga egressus est, protinus domum Simonis, & Andreæ, cum Iacobo & Ioanne, & duobus alijs fratribus, Petro, & Andrea ingressum esse. Lucas autem habet capit. 4. vers. 38. post sanatum Dæmoniacum: *Surgens autem Iesus de Synagoga, introiuit in domum Simonis.* Qui loquendi modus indicat post curatum Dæmonia-

cum

cum statim domum Simonis iniisse. Quare constat Matth. non suo loco scripsisse socrus Simonis historiam; longè enim antè Centurionis puerum sanatum accidit, vt videre poteris, si legas hoc cap. decimum huius lib. tertij, & cap. nonum, lib. quarti, atque ideò quod præcesserat, postposuit Euangelista vt solet interdum. Itaque hæc est ratio ordinis: egressus Dominus Capharnao, perambulabat iuxta mare Galilææ, & vocauit primùm quidem Petrum, & Andream; & paulò post Iacobum, & Ioannem. Deinde cùm illis iterum Capharnaum est ingressus, vt narrat Marc. & die Sabbati in synagoga hominē à dæmone liberauit, & statim inde egressus, eodē die Sabbathi ingressus est domum Simonis, & Andreæ, cibi sumendi causa: quod Victor Antiochenus censet, & merito, nam socrus Petri recuperata sanitate, scribitur statim illi ministrasse, vt habes vers. 3. Nec dedignatus est cœlorum Dominus vilis tugurij penetralia subire.

2. 1. *De synagoga*] Quid nomen *synagoga*, quid *Ecclesia* significet, & cur non dicatur Christianorum Ecclesia synagoga. Vide apud Barrad. lib. 5. cap. 7.

3. *In domum Simonis*] licèt Petrus & Andreas Bethsaidæ videantur nati, & educati, & ideò dicantur *de Bethsaida*, potuerunt tamen habere domum aliquam paruam Capharnai, in qua vrbe frequenter erant propter piscatum. Capharnaum verò erat emporium ad mare situm, & oportunum piscantibus. Quæ sententia longè probabilior est, quàm eorum qui sentiunt Christum eodem die synagoga egressum abijsse Bethsaidam in domum Petri, & Andreæ, quæ est opinio Maldon. Matth. octauo, 14. nam si perspiciamus Euangelistarum contextum, Lucas, ac Mar. indicare videntur, non in aliam diuertisse tum Dominum, ciuitatem, sed statim de synagoga in domum Petri & Andreæ se contulisse. Ait enim Lucas: *Surgens autem Iesus de Synagoga, introiuit in domum Simonis.* Sic Marc. *& protinus egredientes de Synagoga, venerunt in domum*, &c. Mitto quod cùm esset dies Sabbathi, non licebat vltra miliare aliquò proficisci; at longius abfuisse creditur Bethsaida Capharnao. Vide item vers. septimū, n. vigesimo tertio. Tole. annot. 67. in cap. 4. Lucæ, non improbabiliter putat domum hanc, socrus Simonis fuisse; dictam verò Simonis, & Andreæ, quantum ad habitationem, quod in eam ob affinitatem diuerterent, cùm essent Capharnai: Quod confirmat Epiphan. hær. 51. scribit enim Petrum à Bethsaida fuisse, vxorem tamen duxisse è Capharnaum, & proinde eius socrus Capharnai habitabat, ibique domum habebat. Quod si verum est, facilè orit alteri dubitationi occurrere, quomodo dicantur nunc Simon, & Andreas domum habere, cùm omnia reliquissent. Dicam enim hanc non illorum verè, sed socus Petri domum fuisse.

6. quod si sequamur alteram opinionem, quod hæc domus fuerit Petri, & Andreæ; respondere oportebit; dici nunc etiam post vocationem domum illorum, quia licèt dominium eius abdicarint, vtebantur tamen ea cùm se occasio ferebat, vt cùm Capharnai essent. Itaque erat illorum quo ad habitationem, non quo ad dominium: neque enim omnia reliquerant, quantum ad vsum, sed quantum ad proprietatem. Vel dicere possumus vocari domum Simonis & Andreæ, quia cùm prius esset vtriusque parentis, postea verò ipsorum; factum est, vt post vocationem etiam sic vocaretur.

7. 2. *Socrus autem*] Simeon Metaphrast. in vita Petri, illius vxorem, Iliam fuisse scribit Aristobuli. Ambros. Socrum Simonis lib. de viduis, numerat inter viduas, quia tunc, cùm sanata est, vidua erat. Cæterùm an hoc ipso tempore superstes quoque fuerit vxor Simonis, quæcumque illa fuerit, incertum est; Hieron. negat, affirmat Clem. Alexand. lib. 7. strom. eam enim martyrium subijsse asserit postea pro Christo, sic etiam refert Euseb. l. 3. hist. c. 30. Num verò solus Petrus inter Apostolos vxorem habuerit, ad Theoriam reijcimus post Scholia.

8. Porrò quid in mentem venerit sanctissimo viro Ambrosio lib. 4. in Luc. c. 4. sub finem, quod etiam habetur in Breuiario Romano Sabba. infra octau. Pentecost. in Homil. dum socrum non modò Simonis, sed Andreæ etiam hanc vocat; haud planè scio, fortassis ob affinitatem quandam socrum etiam Andreæ nominare voluit. Alioqui Euangelistæ solius Simonis socrum appellant.

9. *Statim dicunt ei de illa*] Cùm enim esset ministratura mox accumbētibus, statim Christum certiorem reddiderunt quatuor illi discipuli; mori item, atque impulsi charitate in ægrotantem mulierem, vt sanitati redderetur.

Et rogauerunt] preces hæ fidem ostendunt, & dilectionem erga proximum; adde, & necessitatem obsequij, quam vltimam causam Athanas. orat. 4. contra Arianos, & Victor Antioch. Marc. primo, afferunt. Quare quàm salutares sint preces pro ægrotis effusæ, & quàm Deo gratæ, non difficile est intelligere.

10. 3. *Accedens*] poterat absens sanare si voluisset, sed maluit, vt mulier ipsa clarè intelligeret, in quem referenda esset accepta sanitas.

11. *Stans super illam*] inflexo corpore incumbens in eam, vt iacentis manum apprehenderet: ita 2. Regum 1. *Sta super me, & interfice*, vel certè ponitur *supra*, pro, *iuxta*. Græcè ἐπὶ ἑστὼς *astans*. Luc. 4.

12. *Imperauit febri*] ἐπετίμησεν, solet magis propriè si græcam vocem spectes, verti etiam *increpauit* Mar. 4. 39. Luc. 4. 39. & 8. 25. noster tamen interpres vertit aliquando *imperauit*, vel *præcepit* vt hîc, & Matth. 8. 26. & c. 11. Euthym. putat hîc non esse vertendum per verbum increpandi, sed imperandi. Sed re vera aliquid amplius explicat verbum græcum, quàm solum imperium, interdum namque idem est apud Euangelistas ἐπιτιμᾶν, quod comminando præcipere, vt Matth. 12. *præcepit ne eum manifestum facerent*, id est, additis minis. Interdum est idem quod dicere, sed cum quadam reprehensione: quo modo dicitur Christus Petrum increpasse Matt. 16. aliquando idem ac iubere cum obiurgatione quadam, vt cùm spiritum increpauit, dicens, *obmutesce, & exi*, in his omnibus locis est idem verbum græcè; hic ergò hoc tertio modo sumi videtur.

13. Vtebatur porrò Christus comminationibus, reprehensionibusq; & imperio, etiam cùm ad res eas se conuertebat, quæ ratione carent, ac sensu. Primum quidem, quia mala vt morbi, tempestates, &c. immiti solēt per malos dæmones, quæ Dauid appellasse videtur *immissiones per angelos malos*. Psal. 77. 49. proinde ita loquebatur, ac si malis spiritibus loqueretur. Ad hæc, propter homines id quoq; faciebat, vt intelligerent mala hæc propter culpas, & peccata euenisse, neque enim tales Deus homines fecerat. Itaque culpam, causamq; malorum increpatio respicit; voluit præterea Dominus ostendere ea loquendi formula & declarare hominibus potestatem, imperiumque suum in res omnes. Denique potest eodem dicendi modo in dicari virtus verborum Christi; operabantur enim illa verba, quod significabant, nec significabant tantùm; etiam operatorius erat sermo Christi.

14. *Cur Christus comminatim fuerit morbis & alijs rebus inanimatis.*

Digitized by Google

16. Obseruandum verò aliter præcepisse CHRISTVM rebus ratione carentibus, aliter intelligentibus. Illis enim ita præcipiebat, vt operaretur suis ipse verbis, quod iubebat, cùm non se illa mouerent, verb. grat. vt cùm tempestati, vel ventis imperabat; verùm non item cum ratione vtentibus iubebat, v.g. Dæmonibus cùm præcipiebat, vt loco egrederentur, in quem ingressa fuerant; non enim veluti vi quadam extrinsecus adhibita exibat, pellebaturque Dæmon quasi absolutè, simpliciterque inde egredi nolens, sicut accidit cùm pellitur quis ab aduersario illata vi trusus, pulsusque de loco suo, quem deserere non vult; non ita Dæmon; volens enim egrediebatur timore correptus, quamuis non absolutè quidem, sed secundùm quid inuitus tandem exiret, noluisset enim se ipsum ergò mouebat, agebatque vt egrederetur, vt cùm seruus aliquis à Domino reprehensus acriter, facit licèt inuitus quod iubet, agens nimirum ac mouens se simpliciter, quamuis secundùm quid nollet id exequi, quod habet in mandatis. Hieronym. Matth. 8. *Ex hoc*, inquit, *loco colligimus, quod omnes creaturæ sentiant creatorem; non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed maiestate conditoris, quæ apud nos insensibilia sunt illi sensibilia sunt.* Hoc Augustinus magis probat, quàm illud, quod Psalmo centesimo quarto dubitando scripsit, & ex aliorum sententia potiùs, dum exponens illa: *& vocauit famem super terram. Quid est*, inquit, *vocauit famem? an fortè ista mala, quæ patiuntur homines, habent quosdam præpositos suos Angelos malos: nam & in alio Psalmo dicitur, immissione per Angelos malos Deum homines afflixisse.* Sic ille. Sed verius est proculdubio, cùm res omnes suam vim, suum vigorem non nisi à Deo acceperint, ideò Deo subtrahente operationem, protinus concidere; Deo præstante, vigere, atque existere. Vnde Paulus Rom. 4. dixit, Deum vocare ea, *quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.* Nutui ergò diuinæ potestatis obtemperant: non tamen negandum, ab Angelis hæc sæpè immitti, etiam malis, vnde Ecclesiæ exorcismi ad sedandas tempestates & similia mala, nam licèt elementa non sentiant, sentiunt spiritus illi, qui ea commouent, vim Ecclesiastici præcepti, & Christi fidem vehementer formidant.

Exorcismi Ecclesiæ in tempestates & res inanimatas.

17. *Ministrabat*] hinc patet necessariam fuisse mensæ accumbentibus, siue prandium illud esset, siue cœna, solitam verò arbitror id præstare Christo; & discipulis eius, & hæc videtur miraculi patrandi occasio fuisse. Discas de hac muliere, gratum te Christo accepto beneficio exhibere, eique diligentiori studio inseruire. Lege plura in hanc sententiam apud Simonem de Cassia libro quinto cap. nono. Auferet sæpè Deus bona quæ tribuit, si ingratus fueris. Sic Oseæ secundo dicitur: *& hac nescisti, quia ego dedi eis frumentum, & vinum, & oleum; & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal, idcircò conuertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius, & nunc reuelabo stultitiam eius.* Obseruat hic Hieronymus Matth. 8. naturam, conditionemque hominum huiusmodi esse, vt, post febrim magis lassescant corpora, & incipiente sanitate ægrotationis mala sentiant. Verùm sanitas, quæ à Deo confertur, integra est, totumq; simul reddit, quod amissum erat.

18. Chrysost. item Matth. octauo, homil. vigesima octaua, *non febrium*, inquit, *tantùm ardores Christus extinxit, verùm pristinas etiam corporum vires recuperare illicò fecit, vt quando facilis curatu, videretur ægrotatio, curandi modo virtus curantis ostenderetur.*

Vespere] dies erat idem Sabbati, expectarunt proinde ægroti solis occasum, vt gestarentur, nam ante solis occubitum lege prohibebantur Hebræi laborare. Victor Antioch. Mar. 1. *Christi*, inquit, *discipuli, qui nonnullos iam in fide progressus habebant, non expectata vespera, Iesum vt Petri socrum à morbo releuet, rogant.* 19.

Cùm occidisset sol] nam erat & vesper alter paulò post meridiem. Sanè vespere fidei inclinante, nimirum quando vt Paulus ait Roman. vndecimo, *omnia in incredulitate conclusit Deus, vt omnium miseraretur*, passim inuadere dæmonia cœperunt homines: nulla enim re magis dominium in homines dæmon cœpit, quàm incredulitatis vitio. Hieronym. Matth. octauo ait: *Omnes non manè, non meridie, sed ad vesperam curantur, quando sol occubiturus est, quando granum tritici in terra moritur, vt multos fructus afferat.*

5. *Omnes*] Marcus multos fuisse curatos scribit. Chrysostom. *multos*, id est, *omnes* iuxta scripturæ consuetudinem exponit, omnes quidem ægrotos curauit, vt Matth. 8. 16. Lucæ 4. 40. At voluit Marc. explicare illos omnes fuisse multos, non paucos. Eodem modo cùm Lucas 4. 41. ait, vt hic habes vers. 8. *Dæmonia à multis ejiciebat*, non significat non ejecisse omnia, sed ea omnia fuisse multa voluit indicare. hoc magis placet, quàm id, quod dicit Theoph. sanauit eos qui fidem habebant, infideles autem ob incredulitatem non sunt sanati. Arbitror etiam incredulos sanatos, vt Christi potestas ostenderetur. 20.

Obserua libenter Christum Petri domum ingredi, Ecclesiam enim significat, hîc admiranda fiunt, ægri curantur, pelluntur dæmones, extra domum Petri nulli salus obtingit. 21.

6. *Accepit*] ἀνέλαβεν: *accepit*, dictum est, pro, *portauit*, tulit, vt & Esaias habet, cap. 53. 4. & sic Hieronymus vertit, *accepit*, scilicet ad verbum respiciens. At Septuaginta sensum spectantes, *portat*, verterunt 3. ipse peccata nostra portat, videntur autem Septuaginta λαμβάνειν. quod est accipere, pro φέρειν ponere. hos videtur imitatus Matth. ponens *accipere* pro *portare*, idem est autem hic accipere, id est, portare, quod auferre, non enim accepit vt sibi haberet, sed vt auferret à nobis. Chrysost. in homil. in hæc Matth. cùm hoc de peccatis magis fit à Propheta dictum, Euangelista exponit de ægritudinibus, plures enim sunt ex peccatis. Vel etiam quia morbos Christus corporis propter animi ægritudines curabat. Est ergò sensus, suscepisse Christum dolores, qui nostris peccatis debebantur, hoc est, abstulisse curando, vel aliter. Sunt qui locum Esai. duplicem habere sensum literalem affirmant, de peccatis, & de morbis corporis, & Matthæum hunc insinuasse. 22.

7. *Omnis ciuitas*] omnis ciues Capharnaitæ. *Ad ianuam*] Domus Petri. His indicare voluit Mar. multos fuisse testes eorum, quæ Christus faciebat, miraculorum. Item multitudinem afferentium ægrotos insinuare, simulque studium Capharnaitarum non paruum audiendi CHRISTVM, eiusque miracula videndi. Dum verò ait, *erat omnis Ciuitas congregata ad ianuam*, non obscurè indicat Petri domum Capharnai fuisse, quia de nulla alia ciuitate locutus fuerat Euangelista. 23.

8. *Quia sciebant ipsum esse Christum*] hæc verba ita quidam interpretantur, vt illud, *quia sciebant*, non sumatur, ac si causa redderetur, cur iu- 24.

beret

beret eos non loqui, sed vt sint explicatio quædam eius rei, quam non sinebat ea loqui, nimirum, non sinebat eos dicere, quod scirent ipsum
25. esse Christum, nec tantum curabat Dominus, quod dicerent eum filium Dei, quantum, quod affirmarent scire ipsum esse Christum; nam illud dictum est etiam de sanctis viris; Messiæ verò nomen, mouisset magis malesanos animos Iudæorum; nam Messiam, seu Christum, Regem fore putabant, vnde accusarunt Dominum, quod se *Christum*, Regem videlicet vocabat: imò non ob aliud videntur in animum induxisse, quod regnum affectaret, nisi quod se *Christum* ille dicebat. Vt interim omittam, quod superius dixi capite nono, n. decimonono, noluisse Dominum dæmonum testimonio Messiam affirmari. Huic expositioni fauet græca lectio, licèt alteram, qua indicatur causa, non excludat.

26. Est ergò altera intelligentia, vt ea verba, *quia sciebant ipsum esse Christum*, contineant causam, cur non sineret Christus, dæmonia loqui; sintque Lucæ confirmantis Cacodæmones non ignorasse ipsum esse Christum. Prohibebat enim Christus, nè dæmones omninò loquerentur, ne inter loquendum, interque alia dicerent ipsum esse Christum, sicut dicebant ipsum filium Dei, quod confirmans Euangelista, ait, *quia sciebant ipsum esse Christum*, vel potiùs *non sinebat ea loqui*, ac dicere, subintellige, *ipsum esse Christum*, *sciebant enim*, ait Euangelista, id confirmans, *ipsum esse Christum*. Licèt non magni penderet, quod dicerent, & vocarent *Dei filium*: ex qua verborum intelligentia clarius habetur, dæmones nouisse
27. Christum esse Messiam. Quare non benè quidam sic reddunt in ver. 8. illa: *dicentia, quia tu es Christus filius Dei*; sicuti textum Græcum, vbi legimus, ὅτι σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ: nos legimus cum interprete, *quia tu es filius Dei*. Est autem plus credendum interpreti nostro, quàm cuicunque Græco codici. Itaque dæmonibus non permittebat Christus, vt vocarent ipsum *Messiam*, atque adeò non vocarunt nunc ipsum Messiam, sed *filium* tantùm
28. *Dei*, quod non multum curabat Christus. Cur verò Dæmones vocarent Christum *filium Dei*, & superius etiam cap. 9. *sanctum Dei*, id est, vt quidam non malè exponunt, Messiam, seu Christum, rationem eodem cap. 9. in Theoria n. 1. 2. assignauimus, ex metu pœnæ depromptam; timebant enim ne in abyssum truderentur priuati potestate in homines, quasi non credentes & infideles, ideò testabantur ipsum esse Dei filium. Addunt nonnulli,
30. superbiæ & elationi id tribuendum, ne viderentur ab alijs; quàm à Deo depelli corporibus hominibus. Vide Tol. Luc. 4. in hæc verba.

DIGRESSIO PRIMA.

An solus Petrus inter Apostolos maritus fuerit in v. 2.

1. PAulò accuratius disquirendum est: an reliqui etiam Apostoli præter Petrũ mariti fuerint. Clemens Alex. lib. 3. strom. (vt omittam Ambr. 2. Corint. 11.) sic habet: *An etiam reprobant Apostolos? Petrus enim & Philippus filios procrearunt. Philippus autem filias quoque suas viris tradidit. Et Paulus quidem certè non veretur in quadam epistola (Philip. 4.) suam appellare coniugem (σύζυγον) quam non circumferebat, quod non magno ei esset opus ministerio: dicit itaque in quadam epistola; nõ habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli? sed*

A *hi quidem vt erat consentaneum ministerio quod diuelli non poterat, prædicationi scilicet attendentes, non vt vxores, sed vt sorores circumducebant mulieres, quæ vnà ministraturæ essent apud mulieres, quæ domus custodiebant: per quas etiam in gynecæum absque vlla reprehensione, malaue suspicione ingredi posset doctrina Domini.* Hæc Clemens. in 2.
quem locum sic Heruetus interpres scribit: *Ad probandum non esse reijciendum matrimonium multum facit, quod ipsi quoque Apostoli vxores duxerint, & liberos procrearint. Sed ad cœlibatum quoque commendandum facit plurimum, quod qui vxores duxerant Apostoli, vxores non tanquam vxores circumducerent, sed tanquam sorores.* Et postea: *De Apostolis autem Petro & Philippo, quod vxores duxerint, & liberos procrearint, nemini est dubium; & quod Philippus filias habuerit virgines,*
B *quæ etiam prophetarint, constat ex actis Apostolorum; quod autem ex his aliquas collocarit in matrimonio, non memini me alibi legere.* Paulus autem duxerit ne vxorem, non leuis est dubitatio: *Videtur Clemens quidem sentire eum duxisse, sed aliter sentit Theod. qui sic scribit in epist. ad Philip. comparem seu coniugem, nonnulli stultè existimãt esse vxorem Apostoli, non attendentes ea quæ scripta erant in epist. ad Cor. quod scilicet se retulerit in numerum cœlibum. Dico enim ijs, qui matrimonio iuncti non sunt, & viduis: bonum est eis si maneant, sicut ego. Et clarũ est quod siue esset cœlebs, hoc est, qui nũquam duxisset vxorem, siue viduus vxorem non habebat, vxorem autem numquam duxisse est verius: Adolescens enim vocatus est; comparem ergò seu coniugem ipsum vocat, vt qui iugum pietatis secum trahat.* Hæc Heru. Verùm non videtur habuisse 4.
C mentem Clementis, vt nec Eusebius. Nam Clemens de Apostolo loquitur, cui tres tribui videntur filiæ, non de eo de quo Act. 21. cui erant filiæ quatuor, & virgines: at Heruetus, & Eusebius confundunt Apostolum cum diacono. in collectaneis in Clem. n. 465. sic legimus: idẽ accidit Herueto in hunc locũ scribenti, quod Euseb. lib. 3. hist. c. 25. (vel 31. secũdùm Ruffinum) qui citat locũ Act. 21. de Philippo diacono, cui erant quatuor filiæ, nec distinguit ab Apostolo diaconum. nam & hunc Clementis locum inseruit lib. suo Euseb. c. 24. (vel 30. ex Ruffin.) sed interpres nouissimus Christophorsonus in c. 25. Eusebij citato vertit; Philippum dico vnum è septem diaconis, 5.
qui Hierapoli extremum vitę diem obijt, cùm sit græcè φίλιππον τῶν δώδεκα ἀποστόλων, ὃς κεκοίμηται ἐν ἱεραπόλει. quod enim ait, Suffridus Petrus, cùm legisset εἷς τῶν ἑπτὰ διακόνων, vel ἕνα, ex coniectura, non ex manuscripto videtur esse. Nam & Ruffinus c. 31. vertit: dico autem de
D Philippo, qui fuit vnus ex Apostolis, qui dormiuit apud Hierapolim. in Catalogo de viris illust. D. Hier. est; Philippus Apost. in Phrygia prædicat Euangelium Domini Iesu: sepelitur Hierapolim cum filiabus honorificè. At 6.
monet Marian. Victor. hæc adiecta esse à græcis. Sed in voce Polycrates genuinum est Hieronymi, quod citat, ex eius epistola aduersus Victorem synodica, vnde etiam illa sunt Eusebij, vertitque: Philippum, loquor de 12. Apostolis, qui dormiuit Hierapoli, & duas filias eius, quæ virgines senuerunt, & aliam eius filiam quæ Spiritu sancto plena in Epheso oc-

cubuit.

3. An Paulus duxerit vxorem.

nit. Postremum istud Euseb. effert: καὶ ἡ ἑτέρα αὐτοῦ θυγάτηρ ἐν ἁγίῳ πνεύματι πολιτευσαμένη ἐν ἱερᾷ ἀναστάσει. Ruffinus: sed & duæ eius filiæ inibi virgines consenuêre, & alia eius filia Spiritu sancto repleta permansit apud Ephesum, rectius quàm Chrystophorsonus, qui vertit, quarum altera vitam Spiritus sancti, &c. tres enim apparet fuisse. Vide, & Nicepho. lib. secúdo, capite quadragesimoquarto, qui errorem Euseb. animaduertens ait, per interpretem; alterius Philippi, non Apostoli: ex his quę hic annotauimus constat Clemen. non Apost. fuisse, sed diaconum, eum Philippum, cui filias fuisse tres memorant.

8. *Præter Petrum nulli Apostoli fuerunt mariti.*

At Tertull. l. de Mono. & B. Hieronym. lib. primo in Iouinian. existimant præter Petrum cuius socrum in Euangelio legimus, nullum alium Apostolorum vxorem habuisse. Est ergò hæc verior Patrum sententia, quam & nos libenter amplectimur; credibilius esse reliquos Apostolos à Domino vocatos, excepto Petro, Maritos non fuisse; illud verò certum ex Apostolos si qui fortè vxores habuerunt, postquam à Christo vocati sunt, officio coniugali renuntiasse, vt B. Hieronym. loco citat. in Iouinian. docet. id quod etiam indicat Clemens lib. tertio Strom. dùm ait, eos non vxorum, sed sororum loco illas habuisse mulieres, vt patet. id, quod etiam hoc modo confirmari potest, quia omnia reliquére Apostol. à Christo vocati; ergò & vxores, quo ad vsum coniugij: Nam inter omnia ibi à Christo vxor nominatur. Matth. 19. 29.

9.

10. *Paulus non habuit vxorem.*

Verùm de Pauli coniugio aliquanto maior est controuersia, Diuus Ignatius in epistola ad Philadelphienses scribit: Petrum, & Paulum, & reliquos Apostolos, etiam coniugatos fuisse excepto Ioanne. sed quod attinet ad reliquos Apostolos facilè intelligere erit, illum non de Apostolis à Christo vocatis omninò loqui, sed de primis Patribus, sanctisque viris Ecclesię, quorum aliqui vxores aliquando duxerant; Verùm quod Paulum nominet addititium videtur; in vaticano etenim Codice, & in quibusdam alijs, peruetustis quoque non habetur nomen Pauli. Pamel. in annot. lib. de Monoga. num. 13. refert Richardum Malcum Anglum vidisse Oxoniæ epistolarum Ignatij exemplar vetustissimum, in quo nulla Pauli fit mentio, Michael Medina lib. 2. de continen. c. 15. citat codices duos peruetustos, Anglicanum, & Vngaricum, epistolarum Ignatij, vbi nulla Pauli mentio in hoc loco, qui pro vxore Pauli citatur. Est ergò credibile corruptum esse locum hunc Ignatij ab hæreticis mulierularum assectatoribus, vt suam libidinem, fractamque Deo semel datam, per summũ scelus castitatis fidem tegerent. Vide Baronium anno 57. nihil ergò ex Ignatio habent adiumenti contrariæ partis assertores.

11.

12. *De quali sorore Paulus loquatur 1. Cor. 9.*

Sed nec ex quibusdam alijs locis quæ citari solent ex epistolis Pauli pro eius connubio; vt cùm 1. Cor. 9. de circumducenda muliere sorore agit. Nam ibi non de vxoribus, sed de pijs feminis loquitur, quę sequebantur Apostolos, & eis ministrabant, vt Domino Luc. 8. 3. ita Chrys. Theod. Oecum. & Amb. exponunt: & August. docet c. 4. l. de opere Monacho. D. Hieron. l. 1. cõtra Iouin. sic scribit: *si autem nobis Iouinianus illud opposuerit ad probandum, quod omnes Apostoli vxores habuerint, numquid non habemus potestatem mulieres, vel vxores circumducẽdi?* (quia γυνὴ apud græcos vtrumque significat) *sicut cæteri Apostoli? fungat & illud, quod in græcis codicibus est, qui voci significanti mulieres, vel vxores, adiungunt vocem, quæ significat sorores.* Ex quo apparet Paulum de illis loqui sanctis mulieribus, quæ iuxta morem Iudaicum, magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum. Nam & ordo verborum hoc indicat: dixerat enim *numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi?* & subdit; *aut sorores mulieres circumducendi? vbi de comedendo, & bibẽdo, & de administratione sumptuũ prætermittitur, & de mulieribus sororibus infertur, perspicuum est, non vxorem debere intelligi, sed eas, vt diximus, quæ de sua substantia ministrabant. Quod & in veteri lege de Sunamitide illa scribitur, quæ solita erat Elisæum recipere, & ponere ei mensam, & panem, & candelabrum, &c. vox etiam illa, quæ additur sorores tollit vxores, & ostenditur in spiritu eas fuisse germanas, non autem coniuges.* Hactenus Hieron. nihil ergò locus iste, caussam aduersariorũ iuuat, & multò minus loc⁹ alter ex ep. ad Philip. c. 4. *et iã rogo & te germane cõpar.* Gr. γνήσιε σύζυγε. σύζυγος autem coniugem videtur significare. Sed imprimis cum ep. ad Philip. sit scripta pòst primam ad Cor. vt Perer. notat in Prolog. ad ep. ad Ro. disp. 1. n. 15. & vberius disp. 2. & c. 7. prioris ad Cor. non obscurè Pau. significat se coniugem non habere illis verbis: *dico autem nõ nuptis, & viduis, bonum est illis si sic maneant, sicut & ego* constat multo minus tùm coniugem habuisse cùm ad Philip. scriberet. Caie. licèt dicat hunc locum ep. ad Philip. indicare Paulum cõiugem habuisse, quod & innuit Orige. Rom. 1. 1. tamen Cor. 7. eum inter non coniugatos ait se numerare.

13.

14.

15.

16.

17. Gagnæus in c. 4. ep. ad Philip. sic habet in illa, *Germane compar*: Græci hoc loco reprehendunt eos, qui pro eo, quod græcè est, γνήσιε σύζυγε coniugem Pauli intelligũt. Cùm σύζυγος socium significet. nec vsquã Paulus vxoris meminisse legatur; & feminino genere vtrumq; posuisset, si de vxore intellexisset, vt inquit Theoph. nec verosimile est, vt Græci dicũt, vxorem Pauli, si habuisset, Philippis in peregrina patria habitasse, sed Tharsi potius, aut Hierosolymis: sic autẽ Græci hoc loco ea de re disserunt: σύζυγε γνήσιε, ἐκ τούτου τινὲς ὑπενόησαν γυναῖκα ἔχειν τὸν παῦλον, καὶ αὐτὴν γράφειν, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ τοιοῦτον, id est, ex hoc loco quidam suspicãtur, Paulum vxorem habere; & illi scribere, sed ridiculum, & stultum est istud. Hæc Gagn. Quare credibile est virum quempiam compellari, quem vocat Paulus germanum comparem seu coniugem, vel quod esset maritus alicuius ex feminis iam nominatis Euodiæ, aut Syntiches vt Chryso. & Theoph. dicunt; vel quod socius euangelij, vt Theodo. & Haymo; vel est nomen proprium viri vt Oecume. & Niceph. loc. cit. licèt nec ipsi dicant, neque constet, num *Germanus*, an *compar* sit nomen viri. vel potest illum appellare *germanum comparem*, quod germanus esset, & fidelis Euangelij operarius. Vide Bella. to. 1. l. 1. c. 20. de Clericis.

σύζυγε γνήσιε, ἐκ τούτου τινὲς ὑπενόησαν γυναῖκα ἔχειν τὸν παῦλον, καὶ αὐτὴν γράφειν, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ τοιοῦτον.

18.

19.

20.

20. Catherinus Philip.4. deceptus fuit cùm ex reuelationibus B. Brigittæ haberi ait, Paulum maritum fuisse. imò addit secundũ aliquorum sententiam Pauli coniugem *Phœben* fuisse vocatam, de qua Paul. Rom. 16. 1. At qui ex l. 2. c. 7. & l. 8. c. 1. earum reuelationum contrarium

21. omninò constat. Quantò melius senserunt qui Paulum non modò coniugem nõ habuisse vnquam dixerunt, verùm etiam virginem fuisse. sic Tertull. Paulum Euangelicum Spadonem, & castratum dixit, alludens videlicet ad verba illa Christi, *sunt nonnulli qui se castrauerunt propter regnum cœlorum*. Sed clarius virginẽ testatur Oecumen. Philip. 4. sed & in primis Hier. ep. 22. ad Eusto. Niceph. l. 2. c. 44. cum alijs id probat ex verbis Pauli, cùm ait: *volo omnes esse sicut meipsum*, 1. Cor. 7. sed neque ex hoc loco

22. v. 7. neque ex v. 8. cùm subdit: *dico autem non nuptis, & viduis bonum est illis si sic permanserint sicut & ego*, re vera certò confici potest, sicut ex nullo alio in scripturis Paulum virginem fuisse, imò nec perpetuò sine vxore fuisse, sed hoc tantum certò colligi potest, ipsum vel virginem, vel perpetuò cœlibem, hoc est, sine coniuge fuisse, vel viduũ dùm prædicta verba scripsit c. 7. 1. ad Cor. v. 7. & 8. Vox quippè *non nuptis* vt inter alios obseruauit Perer. disp. 1. n. 17. in Prol. ad ep. ad Ro. comprehendit tam virgines, quàm cœlibes: illa verò viduis, eos, qui vxore sunt orbati. Paulus igitur potuerat vxorem habuisse, quæ vel ante conuersionem eius ad Christum, vel certè antè scriptionem illius ep. ad Cor. vita fuerit defuncta; nam quod super eum locum tradunt Amb. & Theod. Paulum antè conuersionem fuisse perquam adole-

23. scentem, & per ætatem planè immaturum, minimeque idoneum coniugio, falsum omninò arbitror, nam Cæsar Baro. in annal. & idem Ben. Perer. in Prol. loc. cit. n. 25. ostendunt, excessisse trigesimum annum cùm est ad Christum conuersus, erat enim natus annos 34.

24. Sit ergò Hæc breuiter nostra sententia: ego quidem Paulum virginẽ fuisse probabile; probabilissimum cœlibem semper, i. nec coniugatum vnquã, nec viduum, verùm non omninò certum, opinor. illud certissimum, non reperiri quicquam in sacris litteris, qꝫ ostendat Paulũ vel virginem, vel perpetuò cœlibem non fuisse, sed vel vxorem habuisse, vel certè viduum aliquandò vixisse.

Conclusio de Pauli coniugio quid sentiendum.

DIGRESSIO II.
MORALIS,
De socru Petri, & quæ sit febris animi.

1. S Petrus Chrysologus ser. 18. *cùm venisset*, inquit, *Iesus in domum Petri vidit socrum eius iacentem, & febrientem. Videtis quæ res ad domum Petri inuitauerit Christum: vtique nõ discumbendi voluptas, sed iacentis infirmitas, non prandendi necessitas, sed salutis occasio: diuinæ virtutis opus non humani pompa conuiuij. in domo Petri non vina, sed lacrymæ fundebantur: turbabat ibi familiam non cura conuiuij, sed cura languentis: febris ibi, non edacitas æstuabat. Vndè illuc Christus nõ epulas percepturus, sed vitam redditurus intrauit. Deus quærit homines, non humana; cœlestia dare cupit, non concupiscit inuenire terrena: Christus ergò recepturus*

Christus quærit nos, non nostra.

A *nos, non nostra quæsturus aduenit: cũ venisset in domũ Petri, vidit socrũ eius iacentẽ, & febrientẽ. ingressus in domũ Petri Christus, ad quod venerat, vidit, non aspexit qualitatem domus, nõ occurrentium turmas, non salutantium pompam, non familiæ concursum: certè non ipsum præparationis ornatum, sed inspexit gemitum languentis, febrientis attendit incendium. Vidit periculum desperatæ: & statim manus ad opus suæ Deitatis exẽdit: nec anteà ad humana discubuit Christus, quã mulier, quæ iacebat consurgeret ad diuina.* sic ille piè simul, & eleganter.

2. *Socrus aũt Simonis tenebatur magnis febribus.* Quod socrus hęc Simonis magnis teneretur febribus, malum erat quoddã naturę, corpori infestũ, sed animo nequaquã noxiũ. at alia longè deterior febris est, quæ animum occupat, & ad

Febris animæ quam noxia.

B æternam mortem hominem impellit, & vrget, de hac nũc paulò vberius animus est dicere, vt quantum fugienda sit, vbi eam agnouerimus, intelligamus. sunt enim pleriq; qui cũ magnis teneantur animi febribus, se tamẽ saluos, & incolumes arbitrentur. Et verò non arbitror, melius intelligi posse hoc febris genus, quàm per analogiam comparatione quadam facta cum corporis febri.

3. Febris sic cõmodè describi posse videtur, vt sit calor extraneus, in corde inflammatus per venas, & arterias in vniuersum corpus procedens, facultates nostras, earumque operationes impediens; nostræ substantiæ noxius.

Comparatio febris spiritualis cum corporali.

4. Febris quoque spiritalis calor quidam est insurgens in nobis ex immodico effrænis appetitus ardore, qui voluntatem prauè inflammat, & accẽdit, & per vniuersas animi vires discur-

C rens totum hominẽ inficit, eumq; à recto virtutis tramite diuellit. Porrò calor hic extraneus est. i. rationi contrarius, & inordinatus, hoc est ordinem, quẽ charitas Dei constituit, perturbans. præfert enim Deo creata contra omnem æquitatem, & rationem.

5. Est autem vt in corpore duplex calor, naturalis, & pernicios̃us, qui febrim facit, ita in animo adhuc duplex inest calor, bonus, & supernaturalis vnus, malus, inordinatus, & noxius alter; quemadmodum in naturali calore, vita corporis posita est, ita in supernaturali calore, hoc est, Dei amore vita animi sita est, nã si naturalem calorẽ tollas, & vitam corporis simul abstuleris; eodem modo, si charitatem ab animo expellas, vitam quoque spiritualem animo

6. dempseris.

D Iterùm quemadmodum pernicios̃us, inordinatus, & extraneus corporis calor, qui febris est, nisi pellatur, occidit naturalem illum corporis calorẽ cõrumpens, ita pernicios̃us calor animi, qui concupiscentia est, nisi ab animo extrahatur, interimit supernaturalem calorem animi. i. charitatẽ auferens. Constat igitur spiritualẽ febrẽ animi esse calorem quemdã immodicum amoris, & cõcupiscentiæ: quod præclarè confirmat Amb. l. 4. in Luc. c. 4. *nec minorem*, inquit, *febrem amoru esse dixerim, quàm caloris; itaque illa animum, hæc corpus inflammat. Febris enim nostra auaritia est; febris nostra, libido est; febris nostra, luxuria est. febris nostra: ambitio est; febris nostra, iracundia est.* Tantùm Ambr.

7. Reuoca quæso in mentem Ammonis languorem, quo miserè deperibat Thamar 2. Reg.

Febris Ammonis & Thamar.

13. num-

13. numquid tu istum non dixeris vehementi febris ardore languisse? Reuoca in memoriam Aman, qui desiderio honoris æstuabat. cogita insanam Nabuchodonosoris imperandi libidinem, recordare innumeros diuitiarum, & voluptatum amatores, an non omnes isti magnis febribus arsisse tibi videntur? Est igitur crudelissimum febris genus, inordinata cupiditas, minimè rationi parens. sed iam speciatim magis expendamus, quomodò vtraque & animæ, & corporis febris conueniat.

8. Principiò febris corporis verè, & propriè non prius adesse censetur, quàm cùm pernicio-sus humor, ac noxius calor cor occupat, vel inficit. Ita in febrem animæ non incidit homo, nisi prius voluntas hominis & afficiatur, & inficiatur.

9. Iterùm febris corporis ex pulsu deprehenditur inordinato. animæ quoque febris hinc facilè agnoscitur cùm nimio rerum caducarũ ardore concitatus est animus, & earum obtinendarum frequenti cogitatione, & anxia sollicitudine commotus est.

10. Tertiò frequenter corporis febris comes est sitis: quem enim corripit febris, vexat ferè sitis, & ita interdum, vt non possit fontes non cogitare. Et verò euenit aliquandò vt sitis explendæ desiderio nulla habita sanitatis ratione plenos æger exhauriat calices, & nisi posteà epotã euomat aquã, magnũ adeat vitæ discrimẽ. idem euenit homini intenso cupiditatis calore laboranti; non exsatiatur acquisitis honoribus, non diuitijs, non alijs rebus potitus, quarum ardenti desiderio tenebatur. Sic vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis, & quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ, quarè nisi hanc miseram rerum cupiditatem deponat, & quasi euomat, animę mortem procul dubiò incurret. quod si sitis corpus vexat, multò certè magis animum atrox cupiditas affligit, & exæstuans libido.

11. Rectè Solon apud Plutarchum lib. de cupiditate diuitiarum, *haud est finis opum fixus mortalibus vllus.* & B. Basilius ad Chilonem testatur: eam esse humanæ istius vitæ conditionem, nunquam contenta vt sit acceptis, spe alitur continenti, & secura præteritorum inhiat futuris.

21. Est autem tanta etiam corporalis sitis vis, vt Lysimachus, (legere id est apud Plutarchum lib. de tuenda valetudine) siti inter Getas constrictus sese pariter, atque exercitum hostium manibus tradere non dubitauerit. Aſt vbi frigidam ebibit aquam cùm in potestatem hostium venisset: *Dij*, inquit, *boni, quàm breuis voluptatis causa magnam deposui felicitatem!* quantò, rogo, potiori ratione exclamare is debet, qui ad explendam libidinem, & rerum caducarum desiderium se, id est, animam, ac corpus in potestatem dæmonis, & inferni dedit, & non exercitum, vel regnum amisit terrenum, sed omnia merita, atque animi diuitias, cœlestem regnum, & quod caput est, etiam Deum ipsum abiecit?

Sitis corporalis quanta vis.

14. Quartò reddit etiam febris corpus quamuis vegetum, quamuis formosum, exsuccum, deforme, horridum. sed multò magis id impotens cupiditas facit; animum namque cœ-

A lesti præditum pulchritudine, dùm hominem in peccatum mortale præcipitem agit coram Angelis, & Deo turpem, fœdum, obscurum, deformem, atque horridum, & quasi maciè confectum reddit. nihil est autem in mundo ità pulchrum, vt cum animæ pulchritudine conferri queat, dum gratiæ nitore fulget, aut eo decore amisso nihil ea turpius dici potest.

Graphicè hanc animæ pulchritudinem 15.
B descripsit Ieremias cap. 4. Threnorum: *Candidiores Nazarei eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.*

At non minus aptè turpem impotentium 16.
hominum statum depingit, cupiditatis ægritudine languentium; dùm subdit; *denigrata est super carbones facies eorum: & non sunt cogniti in plateis. adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est, quasi lignum*; liceat cum eodem vate exclamare: *quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus*, itemque *qui vescebantur voluptuosè, interierunt in vijs, qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.*

Quintò illud est solemne febri, vt gustatum 17.
ita inficiat, vt cibi ipsi quamuis melle dulciores sint, felle ipso amariores videantur. Inuehere etiam solet fastidium comedendi ea, quæ vtilia essent, & salutaria; tantum appetere ægrotantem facit interdum, quæ noxia sunt. hoc quàm verè in spiritualem animæ febrem commodè quadret, non est qui non videat; nam qui
C animi ægritudine laborat, suauissimos, ac cœlestes cibos melle ipso dulciores, ieiunium, orationem, eleemosynam, Dei verbum & cætera id genus, fastidit, horret & quasi super cibo leuissimo nauseat. quæ verò noxia sunt, & terrena, nimirum superioribus contraria, quærit, amat, fouet, & incredibili ardore illis adhæret, & immoritur. Quò illud Dauidis Psal. 106. accómodare possumus nõ ineptè sanè: *omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis.* ad eas enim mortis angustias tandem rediguntur, qui pœnitentiam, venerabilem Eucharistiam, sacras lectiones, rerumque cœlestium contemplationem fastidiunt.

Sextò ea est natura febris corporis, vt ho- 18.
D minem quiescere non sinat, & modò eum, qui ea laborat, in vnum, modò se in alterum latus conuertere cogat, quamuis sæpè nullo corporis situ quietem vllam adipiscatur. sic qui inanium cupiditatum morbo premuntur, in omnem se vertunt partem, nec sibi ipsi omninò satisfaciunt, neque optata vnquam quiete, vel pace fruuntur; *non est enim pax impijs* Isaiæ 48. hinc verissimè Horatius cecinit; nullum sua sorte contentum viuere, alienam tantum laudare; rectè id quidem, *cor enim impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.*

Septimò febris ex horrore quodam mem- 19.
brorum, & frigore initium sumere non rarò consueuit, quod posteà caloris excessus excipit, ita vt initium febris sit nimium frigus, quod in excedentem calorem terminatur. Eodem modo intelligendum est in animo hominis accidere. nam in eo etiam & febris, & om-

Digitized by Google

nis mali origo, & fons, frigus quoddam, ac tepor spiritus est.

20. Postremò non vna interdum febris corpus corripit, & illud affligit, & de socru Simonis dicitur, *tenebatur magnis febribus.* ita & animum sæpè varia, & multiplex febris inflammat, & sæpè accidit ex contrarijs illas innasci causis; vt si in vno, eodemque homine auaritiæ febris sit, & ambitionis, vel superbiæ. tunc verò fit, vt infelix homo, in varias distrahatur partes, ac miserè exagitetur, & diuellatur, dum superbia, & ambitio instigat illum, ac rapit ad fastum, ad pompas, ad externum familiæ splendorem ostentandum; auaritia verò ad contraria impellit, vt pecuniæ parcens, maiores in dies opes accumulet, & thesaurizet in terris; ita miserè pluribus tyrannis seruire compellitur eiusmodi homo.

21. Et qui vnius Christi iugum ferre detrectat, magno sui labore, quinque sæpè sibi emit, quibus collum miserè submittit.

22. Ac veluti mare cùm contrarijs agitatur ventis, & in varias vndas distractum, horrido, atque inordinato quodam clamore rugit, ita eiusmodi hominis animus diuersis, contrarijsque dissipatus motibus, suspirijs, gemitu, & magno cordis eiulatu infelicem sui conditionem deplorat.

23. *Febris animæ quo modo pellenda.* Sed tempus est, vt quod pellendæ huic spirituali febri remedium esse debeat, aperiamus. doceat id nos Paulus Ro. 7. 24. *quis me,* inquit, *liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum.* Veniat in domum tuam Christus, & stans super te speciali gratiæ suæ auxilio excitet, & præueniat te? interim roga tu illum vt imperet febri: & tandem vt imponat super te manus suas, atque ita curabit te. sic enim, inquit Lucas, in hoc Euangelio: *Omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens curabat eos.*

24. Socrum quoque Simonis non aliter sanauit, quàm apprehensa manu eius Marci 1. quod idem Matth. affirmat cap. 8. dùm ait: *& tetigit manum eius, & dimisit eam febris.* cuius tactus mysterium sic interpretatur Chrysologus ser. 18. *Tenuit,* inquit, *manum eius, & dimisit eam febris. Videtis quomodò dimittit febris, quem tenuerit Christus. ibi non stat infirmitas, vbi auctor salutis assistit. Accessus illuc mortis nullus est, vbi viuificatoris ingressus est. Tenuit manum eius, quæ necessitas tangendi erat, vbi inerat ius iubendi? sed Christus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem. tenuit manum eius, vt quod manus præsumentis amiserat, manus repararet auctoris. tenuit manum eius, vt acciperet indulgentiam manus, quæ carpserat de morte sententiam.* sic ille. *Tactus Christi efficax.*

25. Quod si tanta est virtus in manibus Christi, noli fugere manum Christi, vt experiare virtutem CHRISTI. Audi ergò medicum tuum: Petit ille à te, *accede huc, & tangam te, fili mi,* At tu repugnas, & in fugam te proripis, nec pateris ab illo tangi. Fortasis dices: si me ab illo tangi permisero. hoc est, si mutandæ vitæ consilium Deo mouente, & cor tangente admisero; alienum æs restituendum erit, contemnendę voluptates, vanis honoribus, & prauis amicorum consuetudinibus nuntius remittendus. ita est vt ais. sed nisi te medicus cum tuo aliquo dolore attrectet, & vulnera tangat, aperiat, numquam pus foras erumpet, numquã sanus euades. ita nisi initio graues aliquo modo Christi manus expertus fueris, animæ sanitatẽ minimè recipies. Cæterùm sub finem senties diuinæ manus efficacitatem dùm sanitati restitutus, cœlestibus voluptatibus perfrueris. Vt ergò salutem recipias, est quod tria hæc prædicta remedia adhibeas; Christum ad te venientem, id est, suo auxilio, & gratia te vocantem libẽter admitte, roga vt febri imperet, & recedat à te; Postremò patere vt tibi manus imponat, & tangat te.

26. *Infernum sepulchrum concupiscentiæ.* Illud velim iterùm, atque iterùm animaduertas quicumque es, qui Dei manum, & medicinam detrectas, manere te tandem nõ aliud sepulchrum, quàm tartarum. sic enim dicit ille, qui tot æstuabat cupiditatum febribus, in inferno sepultus est Lucæ 16. Rectè enim, & accõmodatè satis inferni loca *sepulchra concupiscentiæ* appellare possumus. nam vt Num. 11. propter auidã nimis carniũ, & ceparum, & aliorum cupiditatem, Israeliticus populus ingenti plaga percussus, eo loco sepultus est, cui posteà nomen est impositum, *sepulchra concupiscentiæ.* ibi enim sepelierunt populum, qui desiderauerat: multò certè magis id nominis in tartarum conuenit, nam quid aliud illa inferni loca sunt, quàm sepulchra concupiscentiæ, hoc est, infelicium eorum hominum, qui post concupiscentias suas eunt, & à voluntate sua non auertuntur Ecclesiast. 18.

27. Restat vt vltimo loco videamus, quid faciendum sit ei, qui febribus facta à Christo medicina curatus est. duo fecisse Socrũ Simonis commemorat Lucas, primùm surrexit è lecto, in quo decumbebat. deindè subitò Christo cœpit ministrare. tam enim plenè sanitatem receperat, vt pristinas vires statim pulsis febribus recuperarit. hæc tibi duo præstanda sunt, cùm saluti redditus es. surge è lecto, in quo iacebas, hoc est, recede à malo, pristinam consuetudinem depone; & Christo obsequere, hoc est, fac bonum. Ad hæc nos duo hortatur Apostol. ad Eph. 4. 27. *qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, vt habeat, vndè tribuat necessitatem patienti.* & ad Rom. 6. *sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* exemplum habemus hac in re insigne Zacchęum Christo dicentem: *dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quẽ defraudaui, reddo quadruplum,* cui congruè à cœlesti medico responsum est: *hodiè salus domui huic facta est.* Lucæ 19. sancta illa peccatrix cuius pœnitentiæ exemplum numquam satis laudari poterit, relicta domo, & spretis sæculi voluptatibus, ad Christum accedens, *& stans retrò secus pedes eius lacrymis cœpit rigare pedes eius, capillis capitis sui tergere, osculari pedes, vnguento vngere.* Vndè meruit à Christo audire, *remittuntur tibi peccata tua, &, fides tua te saluam fecit, vade in pace,* & hic esto finis huius digressionis.

Duo facienda ei qui febri animæ liberatus est.

Zacchæi pœnitentia.

CAPVT

CAPVT XI.

EGREDITVR IN DESERTVM.

A. 4. 23. B. 1. 35. C. 4. 42.

1. B. *Et diluculo valdè surgens,* C. *facta autem die egressus ibat in desertum locum,* B. *ibique orabat.*
2. *Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant.*
3. *Et cùm inuenissent eum dixerunt ei: quia omnes quærunt te.*
4. *Et ait illis: eamus in proximos vicos, & ciuitates, vt & ibi prædicem: ad hoc enim veni.*
5. C. *Et turbæ requirebant eum, & venerunt vsque ad ipsum, & detinebant illum, nè discederet ab eis.*
6. *Quibus ille ait: quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideò missus sum: & erat prædicans in Synagogis Galilææ.*
7. A. *Et circuibat Iesus totam Galilæam, docēs in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium Regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo,* B. *& dæmonia eijciens.*
8. A. *Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes varijs languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos.*
9. *Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Hierosolymis & de Iudæa, & de trans Iordanem.*

SCHOLIA.

1. HAEC sequenti die Dominica gesta sunt vt ex Marco, & Luca facilè videre est hic versu primo; Ita n. loquuntur, vt indicēt trāsacta ferè nocte consecuta Sabbathū Christū in desertū abijsse, quare, quæ Matth. capite octauo post supra narrata miracula subiecit; non hoc, sed alio pòst tempore facta sunt, non igitur ordinem Matthæus tenuit.

2. 1. *Et diluculo valdè*] Græcè ἐν τῷ πρωῒ ἔννυχον λίαν, id est, & mane noctu valdè. Videtur hic nescio quæ discordia inter Marcum, & Lucam. Nam Marcus, vt ex græcis vidimus, significat, multam adhuc noctem fuisse: at Lucas ait, *facta die*: cæterùm idem dicunt: Nam aurorę tēpus *diei* nomine vocat Lucas albescēte cœlo, cùm adhuc tamen tenebræ sint: Marc. illud ipsum matutinum tempus, nondum dispulsis tenebris significare voluit. Quidam referunt id quod habet Luc. ad tempus quo ciuitate egressus peruenit ad desertum: quod verò habet Marc. ad tempus illud, quo iter ingressus est, At non placet: Nam Lucas satis ostendit loqui se de tempore quo domo egressus est. meliùs alij Lucam aiunt esse locutum, de tempore quo domo Christus egressus est, verùm Marcus de tempore quo surrexit, sed nec hoc satis aptari potest ad verba Marc. indicare enim videtur surrexisse ipsum, statimque exijsse, ob id enim surrexit, vt semotus à turbis se protinus in desertum conferret.

Ibique orabat] cur in desertum abijt egressus vrbem? imprimis vt oraret: deindè vt simul gloriam, ac laudem, ex bonis, & admirandis operibus patratis præcedenti die, ac nocte, fugeret. nosque idem facere doceret. Cùm igitur boni aliquid nos feciſse viderimus, in Deum totam benefacti operis gloriam conferamus, & ad gratias agendas Deo nos ad orandum recipiamus. Idem nobis exemplum fugiendæ glorię pòst miracula, & bona opera, Matthæi 14. 23. tradidit Christus.

2. *Simon*] vt rectam seriem huius historiæ teneas, & gestorum ordinem, sic accipe; ex Marc. & Luca primum omnium surrexit Christus, statimque vrbem egressus in desertum abijt, vt oraret; mox Capharnaitæ domum illam repetiēre vbi Christus pernoctauerat, quærentes eum, nec inuenerunt. Tunc cum cæteris Apostolis Petrus in desertum abijt (illuc enim esse profectum, vel nouerant vel augurati sunt) discipulos consecutæ sunt turbæ, simul nos docentes, vt si inuenire Christum voluerimus, Apostolos sequamur, eò enim illi ducunt, Discipuli deindè Christum primi inuenerunt, antequam eò accederent Capharnaitę & ad Christum conuersi dixerunt: *omnes quærunt te.* Quibus Christus, *eamus*, inquit, *in proximos vicos*, &c. cùm ergò in viam se darent, desertoque egrederentur, ei turbæ occurrerunt, & videntes illū ad alia loca recedere, precibus conati sunt illum retinere, quibus ipse ait; quia, & alijs ciuitatibus, &c. Atque inde digressus prædicabat in Synagogis.

3. *Omnes*] Capharnaitæ nimirum, qui ad ianuam pridiè steterant, quærebant verò illum vt verbum Dei audirent, tracti etiam miraculis, quæ multa ediderat.

4. *Eamus in proximos*] Dixerant Apostoli *omnes te quærunt*, & vt simile vero est, vt in ciuitatem reuerteretur, rogauerunt. quid Christus? ostendit se gaudere quidem quod quæreretur, non tamen vrbem repetere debere. Alijs enim ciuitatibus prædicare æquum esse, nam ad hoc missus à Patre fuerat. Discant concionatores de Christo, non populorum plausum quærere, non popularem auram aucupari, sed laudem fugere, & Dei gloriæ, animarumque omnium lucris studere, illudque prosequi quod his consentaneum est. *Ad hoc enim.*] ostendit Marc. dùm ait; *veni*, diuinitatis celsitudinem, & voluntariam Filij Dei exinanitionem. Luc. verò. versu sexto, dùm ait, *missus sum*, sacram œconomiam indicat, patrisque beneplacitum, *missionem* appellat. Fortè discipulis dictum, vt opinor, *ad hoc enim veni*: turbis verò *quia ideò missus sum*, quod ex versu 6. conijci potest.

6. *Erat prædicans*] verbum imperfectum continuationem, & consuetudinem subindicat. *In Synagogis*] Heb. per singulas Synagogas ibi enim erat Iudæorum schola.

7. *Circuibat*] Hic est primus Christi circuitus: Chryso. ait, *congregato exercitu procedit rex ad pugnam, & medicus quærit ægrotantes.* Discę impi-

3. Ratio ordinis, seu series rerum.

4.

5.

6.

7. Descriptio Galilææ.

grum oportere esse doctorem. *Totam Galilæam*] Gentium scilicet quæ sic dicta est, vel quod hic vsque ad Salomonis tempora, gentes habitauerint; vel quod Salomon viginti eius ciuitates gentili Tyriorum regi Hiram donauerit: vel quod extima esset Palestinæ, vicinis vndique gentibus cincta. Hæc qua parte intra Iordanem est, Cæsaræa Philippi, Capharnaõ, Tyro, Ptholemaidi adiacens, in tribubus Nephtalim, & Aser sita est, dicturque superior; porrò tota Galilæa tam superior, quàm inferior Syriæ regio est, inter montem Libanum, & Samariam sita, cuius Septentrionalis tractus Tyro, Tyriorumque finibus terminatur. A meridie Samaritis, & Scythopolis, Iordanisque suis eam finibus claudunt. A solis occasu ciuitatis Ptolemaidis territorio, & monte Carmelo disterminatur (vnde ab historijs interdum Phœnici annumeratur) Ab Oriente verò vltra fluenta Iordanis longè, lateque se extendens Gaulanitidem, Hippenen, & Gadaritin complectitur. Porrò inferior Galilæa circa Tyberiadem, & stagnum Genezareth, in tribubus Zabulon & Issachar posita est, cuius longitudo à Bersabe, vsque ad vicum Xaleth, qui in campo magno situs est, viginti miliaria complectitur. latitudo à mari Galilææ ac Iordane, vsq; ad vrbem Zabulon Ptolemaidi proximã, & montem Carmelum 14. miliaria perficit: vtraque Galilæa opima olim, & fertilis, olei in primis ferax. In Galilæa Christus educatus, & conceptus, hîc vt plurimum versatus cum Apostolis, qui fermè Galilæi erant, saltem ex Galilæa superiore, circumiit bis singulas ciuitates, & vicos peragrans, vbique in Synagogis docens, & signa edens, vnde Christus *Galilæus* est dictus, & Apostoli Galilæi, immò verò ab impio Iuliano, & apostata, & Christus, & Christiani *Galilæi* nominabantur. *Docens*] Glossa: de moribus docet, prædicat de futuris. *Euangelium regni*] non fabulas, sed quæ ad regnum æternum valent ex interli. Glo. verò habet: ad Euangelium pertinet beatitudinis promissio, peccatorũ remissio, adoptio, resurrectio, cœlestis hæreditas, angelorum societas. Iterùm Interli. *Euangelium regni* quo reges fiunt, quo datur regnum; & Glo. iustitiæ labor non suscipitur, nisi merces operis expectetur. *Omnem languorem*] interli. corporum, vel morbum inueteratum. *Infirmitatem*] scilicet aliam, puta animi. Chrysost. vel languor aliqua animi passio est; infirmitas infidelitas; vel languor grauior morbus, infirmitas leuior; & aduerte, quod prius docet, postea sanat, illud enim necessarium magis. Deindè quia verba per miracula commendantur, non contra, sic Chrys.

8. *Christiani Galilæi vocati.*

9.

8. *Et abijt*] scilicet sic. *Opinio*] fama. est autem fama propter eos qui foris sunt quærenda, non tamen amanda, sic Interl. Glossa verò opera salutis sine fama non satis relucent, nec fama sine opere perficit. *Syriam*] Quæ ab Oriente Euphrate terminatur, alioqui nomen hoc latius patet.

10. *Abagarus rex scribit Christo.*

Occasione famæ miraculorum Iesu euulgatæ per totam Syriam, quam credibile est ad aures vsque Abagari regis peruenisse, libet hic meminisse literarum ab Edessæ Syriæ ciuitatis rege Abagaro ad Iesum missarum, & earum quas Iesus ipse ad ipsum reddidit, quasque ex tabulario, Edessenæ ciuitatis Eusebius recitat lib. 1. cap. 15. eas quidem Gelasius Papa inter apocrypha recenset, non omninò tamen ab Ecclesia proscribit: certè ab antiquioribus receptas epistola Darij comitis ad Augustinum 263. edit. Louan. docet; ante Augustinum. idem patet etiã ex Ephrem Edessenæ Ecclesiæ Diacono testamento & ex epistola Theodori Studitæ ad Paschalem Papam, denique ex Cedreno idem colligere est. Cæterùm vnà cum literis suam ipsius imagnem ad eumdem Abagarum in linteo ad faciem admoto non sine stupore expressam misisse dominum, vt eius se videndi cupiditati satisfaceret, non ignobiles, nec pauci auctores scribunt. Et in primis Ioannes Damascenus libro quarto, cap. decimoseptimo, de fide. Ort. sic scribit: *Historiæ quoque proditum est, cum Abagarus Edessæ rex eo nomine pictorem misisset vt Domini imaginem exprimeret, neque id pictor ob splendorem ex ipsius vultu manantem consequi potuisset: Dominum ipsum diuinæ suæ, ac viuificæ faciei pallium admouisse, imaginemq; suam ei impressisse; sicq; illud ad Abagarum vt ipsius cupiditati satisfaceret misisse.* De eadem re Nicephorus libro secundo, capite septimo, Metaph. 10. Augusti, & 15. Nouembris in Actis sanctorum Samonis, & Guriæ; de qua, & græci anniuersariam celebrant solemnitatem in Menol. 17. Calen. Septembris: & Euagrius complura miracula per eam edita recenset l. 4. cap. 26. Histor. quæ in Nicæna Synodo secundà sunt comprobata. Apud Latinos etiam Adrianus Papa epistola ad Carolum Magnum eandem, de imagine hac Historiam à Stephano Papa in concilio Romano cognitam, & receptam fuisse testatur. lege de ea re etiam Baron. anno 31. Christi. *Varijs languoribus*] Interli. scilicet Grauibus. *Tormentis*] id est, grauioribus, & acutis, vel tormentis, id est, cruciatibus. *Lunaticos*] comitiali morbo laborantes, quo ferè laborant nati in lunio: vel à Dæmone vexatos secundùm certa lunæ tempora vel humore melancholico, quo plurimùm videtur dæmon vti ad homines vexandos. Notat Glo. solere dæmonem lunę tempora in diuexando interdum seruare, vt creaturam infamet in creatoris blasphemiam. *Et curauit eos*] Chryso. significantur omnes curati. Idem in hom. à nullo inquit, horum fidem requisiuit, nondum enim virtutem suam illis ostenderat, & venientes à longè satis fidem suam declararant.

11. *Christus mittit Abagaro imaginem suam.*

9. *Secutæ*] Glos. Alij ob cœlestia, alij ob curationem, alij fama, & curiositate ducti, alij per inuidiam volentes in aliquo capere, & accusare.

12. *Decapolis regio.*

Decapoli] est decem ciuitatum regio Matth. 4. Marc. 5. 7. celebris quidem, sic dicta græcè à decem præcipuis vrbibus, quibus præter multas alias maximè fulget. Longitudo eius 30. militaribus, latitudo autem paulò minus censetur. A Septentrione Libanum mõtem, & Damascum, ab Occidente Sidonem vrbem, à Meridie ciuitatem Bethsan, quę & Scythopolis appellatur, fines habet. Ad Orientem verò trans Iordanem, & mare Galilææ vltra Gadaram, Hippum, & Pellam sese extendit. Porrò ciuitates à quibus regio Decapolis dicta est, hæ numerantur: Cæsaræa Philippi, Asor Cedes, Nephtalim, Sephet, Corozaim, Capharnaum, Bethsaida, Iotapata, Tiberias, & Bethsan, quæ & Scythopolis. *Trans Iordanem*] id est, & de regione, quæ erat trans Iordanem respectu venientium ab AEgypto, vt ego interpretor, re vera autem citra Iordanem fuisse videtur.

CAPVT XII.

CAPTVRA PISCIVM.

C. 5. 1.

1. *Factum est autem cùm turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei; & ipse stabat secus stagnum Genesareth.*
2. *Et videns duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lauabant retia.*
3. *Ascendens autem in vnam nauim quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum, & sedens docebat de nauicula turbas.*
4. *Vt cessauit autem loqui dixit ad Simonem: duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.*
5. *Et respondens Simon dixit illi: Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.*
6. *Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam: rumpebatur autem rete eorum.*
7. *Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos, & venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.*
8. *Quod cùm videret Simon Petrus procidit ad genua Iesu dicens: exi à me quia homo peccator sum Domine.*
9. *Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant in captura piscium quam ceperant.*
10. *Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis, & ait ad Simonem Iesus: noli timere: ex hoc iam homines eris capiens.*
11. *Et subductis ad terram nauibus relictis omnibus secuti sunt eum.*

IN CAPVT XII.

SCHOLIA.

1. IRruerunt] Cùm Christus Capharnao egressus Galilæam circumiret, & obambularet, accidit id quod hìc Lucas scriptum reliquit; vt turbæ præ multitudine, studioque audiendi verbum in eum irruerent magis, quàrogarent, & medicinam salutis nõ spèrarent per humilitatis gratiam, sed per importunitatis iniuriã: ita vt irruentes turbas nõ desertum separaret, non Synagoga repelleret, non reuerentia diuinitatis peraręeret. *Hæc enim consuetudo infirmantium, vt quantò plus medetur ille qui sanat, tantò amplius ille importunus sit, qui laborat*, sic Ambros. serm. 11. vbi multa alia habet huc spectantia.

A Iterùm Chrysost. in hoc ipsum verbum *irruerent*; diligebant inquit, mirabantur, tenere cupiebant. sunt qui legant *incumberent ei*, id est, instarent, vrgerent eum. *Et ipse*] qui magna fecit in terra, transit ad mare, vt & ibi faciat, & dominus maris, terræque appareat. Sic interlin. *Stabat*] pro, *staret*, inquit Emman. sed tunc, &, sequens vacat. quod si, &, (quod videtur planius) ponatur per Hebr. loco *tum* quasi dicat, *tum ipse*; non est necesse, vt *stabat*, pro *staret* accipiatur. 2.

Stagnum Genezareth] Mare, more hebræo vocatur & hoc stagnum, vnde dictum est mare Cenereth; vel Ceneroth, vel Chenereth, vel Chineroth, vel Chennereth; idem, mare Galilææ à prouincia; & Tiberiadis, à Ciuitate, quam ferunt illis primũ nominibus appellatam, vt quidam scribũt, itemque à continente terra, stagnum Genesareth dicitur. Itemque lacus, & aqua Genesar, ac Genesarites. Emman. in additionibus in cap. 5. Luc. Genesareth, inquit, hebr. Cinereth, vel Cineroth, Num. 34. Deut. 3. Ios. 11. & 12. Chald. Ginosar. Itaque *Genesar*, vel *Genezareth*, corruptum est. Hæc ille. nunc aiunt vocari ab accolis Tabariæ, Vide Iosephum 3. de Bello 18. 3.

B 2. *Duas Naues*] vna harum erat Simonis, & Andreæ; altera Iacobi, & Ioannis fuerat, sed eas reliquerant, vt ex superioribus liquet. Beda has duas naues circumcisionem, & præputium intelligit mysticè; vidisse autem dicitur eas, quia nouit in vtroque populo qui sint eius piscatores, doctores rectæ fidei comprehendentes nos, & terræ viuentium aduehentes; retia modo laxantur in capturam, modo lota plicantur, non enim omne tempus doctrinæ habile, nunc exercenda est lingua doctori, nunc sui cura gerenda: Petri Nauis Ecclesia primitiua: vna dicitur, quia *credentium erat cor vnum & anima vna*. August. l. 2. de consensu Euangel. *Inde Christus docet turbas, id est, de auctoritate Ecclesiæ gentes. reducitur à terra pusillum, turbis enim nec terrena præcipienda, nec profunda Sacramentorum committenda*: vel primum, proximis regionibus prædicandum erat, deindè in altũ, id est, ad remotiores gentes eundum. Ambros. *fluctuat Petri nauis apud Matth. secundùm Luc. repletur piscibus, vt principia Ecclesiæ fluctuantis, & posteriora exuberantis agnoscas.* 4. *Duæ naues duo populi.*

C Idem Ambro. ser. 11. duplicem considerat nauim, Moysis vnam, alteram Petri, ab illa ob Synagogæ incredulitatem affectus est iniurijs Christus: *ergò hanc Petri eligit, Moysis deserit, hoc est, spernit Synagogam perfidam, fidelem assumit Ecclesiam*; *duæ enim quasi nauiculæ à Deo destinatæ sunt. quæ in hoc mundo tanquã in mari salutem hominibus piscarentur. sicut ait Dominus ad Apostolos: venite faciã vos piscatores hominũ. Ex his igitur duabus nauiculis vna relinquitur in terra inanis, & vacua; altera perducitur in altum onusta, vel plena. Vacua enim Synagoga relinquitur in littore, quia Christum cum Prophetarum amisit oraculis; onusta autem Ecclesia in altum assumitur, quia Dominum cum Apostolorũ doctrina suscipit. Synagoga inquam remanet ad terram, quasi terrenis inhærens operationibus, Ecclesia aũt in altitudinem reuocatur, tanquam cœlorum profunda Sacramenta discutiens* Hæc Ambros. 5.

D *Stantes*] quia iam piscatores desperantes de captura piscium à piscatu desierant: nihil enim capere potuerant; quod quidem Christi nutu, & cõsilio factum est, vt tanto esset maius, & euidentiùs miraculũ. Quoniam verò spem omnem abiecerãt comprehendendi pisces, ideò descenderant, & lauabant retia. Barrad. libro 5. cap. 6. in hæc verba, *Piscatores descenderant, & lauabant retia*: oportet inquit, post piscationem, id est, concionem cordis humilitate descendere, & lauare retia 6.

ſi quid fortè iactantiæ adhæſerit. Haymo; qui verbum Dei loquitur aliquando quodam puluere iactantiæ inquinatur. Ideò neceſſe eſt vt prædicatione expleta, quod inquinatum eſt abluatur. Porrò ante concionẽ, cœleſtem opem implorare debet concionator, alioqui per totam noctem laborantes, id eſt, ſine luce cęleſtis auxilij, nihil capiemus.

7. 3. *Rogauit*] non quando aſcendit, quia neceſſitate compulſus in nauim ſtatim aſcendit; At intus poſitus rogat, quia magis iam liber erat ab impetu irruentium, præſertim quia vt aſcęderet in nauim, non erat opus eorum labore, qui tamen adhibendus erat in reducenda naui.

8. *Reducere*] ἐπαναγαγεῖν reducere eſt: prius enim nauim ad piſcandum duxerant in mare à littore ſubducentes; nunc rogat mitis Dominus, ac modeſtiæ exemplar, non iubet, vt poterat, reducant, id eſt, iterùm ducant in mare, quò liberior etiam ſit ab irruentibus populis, qui in nauim ipſam ingreſſi fuiſſent. Puſillum verò non longè à littore nimis, vt audiri poſſet ab omnibus. Poterat Dominus ſua virtute cohibere turbam, nec egebat vt aſcenderet in nauim, ſed voluit more hominũ agere.

Sedens] Auguſt. lib. 2. qq. Euangel. quæſt. 2. quod Dominus, inquit, de nauicula docet turbas, ſignificat hoc tempus, quando Dominus de auctoritate Eccleſiæ docet gentes. *Vt ceſſauit autem loqui*] Doctrinæ admiſcet opera, quibus magis adhuc mouit, quos non ita ſermo commouerat. Stupor enim præſentes circumdedit, & quidem diſcipulos præſertim. Diſcant hinc concionatores vitæ exempla magis poſſe, quàm verba ad animos hominum lucrandos: Vacent proindè bonis operibus à concione, quibus alijs optima præbeant exempla virtutũ.

9. 4. *Duc*] .i. nauim; voluit inquit Theophy. Chriſtus Petro pro eius nauicula qua vſus erat, naulum ſoluere cumulatũ. Collige cõſimili mercede non carituros inquit Maldon. qui Chriſti concionatores domo recipiunt. *In altum*] profundiorem locum: imò in eum ipſum vbi prius nihil erant expiſcati, vt tantò clariùs, & admirabiliùs ſit miraculum patrandũ. Soli Petro dicitur inquit Ambr. *duc in altum*, id eſt, in profundum diſputationum.

10. Triplicem ſenſum ſpiritualem hic recondi docet Tolet. adnot. 5. *duc in altum*. i. in cordibus hominũ reconde doctrinam; vel duc in altum, myſteriorũ cœleſtium altitudinẽ, profunditatemq; aperi: vel denique gentibus remotis Euangelia prædica.

11. *Laxate*] hoc eſt, nunc tempus eſt, cùm me præſente, & iubente facitis, nõ erat prius quando veſtra voluntate, non mea faciebatis. Habet autem *laxate*, emphaſim quandam, q. d. quàm maximè poteſtis retia extendite. tantum enim trahetis piſcium, quanta retis erit capacitas. Ambroſ. hîc, ſic retia exponit: *Quæ ſunt*, inquit *Apoſtolorum, quæ laxari iubentur, retia, niſi verborum complexiones, & quaſi quidam orationis ſinus & diſputationum receſſus, qui eos, quos ceperint non amittant? & benè Apoſtolica inſtrumenta, piſcandi, retia ſunt. Quæ non captos perimunt, ſed reſeruant, & de profundo ad lumen extrahunt, & fluctuantes de infernis ad ſuperna perducunt.* Gloſ. *retia* dicta, quaſi retinentia. Breuiter, retia, Euangelica eſt doctrina.

12. 5. Præceptor Gr. ἐπιστάτα, q. d. Præfecte. *Per totam*] oſtenditur fides hic Petri magna in Chriſtũ, & obedientia. ſolet per noctem maior piſcium copia capi, & tamen piſcãtibus per noctem Apoſtolis id non eſt factum. *Hoc ergò augẽt miraculum, quod interdiu tot capti piſces, nempè quia nondum per legem veterẽ illis ſol iuſtitiæ ortus erat, in tenebris ambulabant, multumq; laborantes nihil perficiebant.* Sic Ambroſius, & Beda, & rectè quidem, non enim eſt humanæ facundiæ opus, ſed ſupernæ vocationis munus, vt idem ait Ambroſius. *In verbo tuo*] iuſſu tuo; hæbr. vel certè verbo tuo confidens.

13. 6. 7. *Et annuerunt ſocijs*] non hoc fecêre, quod voce præ ſtupore loqui non poſſent, vt Theophy. & Euthymius interpretantur: nam Petrus loquutus fuit Chriſto capta multitudine tanta piſcium, *Exi à me Domine.* Imò cùm annuerunt ſocijs nondum viderant piſcium multitudinem, nec factus ſtupor fuerat: dicuntur enim viſis tam multis piſcibus obſtupuiſſe. Annuebant ergò quia rumpebatur rete, hoc eſt, aliqua ex parte verè frangebatur, non enim *rumpebatur* ſignificat quod eſſet tantum rupturæ proximum, ſed quod verè parte aliqua rumpi incipiebat. Vt ergò cum minori poſſet periculo trahi, aduocabant ſocios, qui adiuuarẽt. Ad hoc, ſi clamare non poterant; nec ergò trahere potuiſſent, ſi ſtupor vires ademerat. Ratio ergò cur ſignis, & non voce acciuerint eſt, quia remotiori loco poſiti; diffitique erant: quare, & hinc augetur miraculum, quod alij forte eodem tempore piſcarentur, & nihil tamen piſcium caperent, cùm hi eodem tempore tam multos comprehenderint. 14. *Cur annuerint ſocijs Apoſtoli.*

15. Illud etiam tertiò miraculum auget, nempè retis peruetuſti fractura, quod tamen non eſt ſciſſum, cùm minus eſſet aptum ad tantam piſcium multitudinem continendam; nec, verò piſcis indè dilapſus eſt. *Rumpitur* inquit *Beda, rete, ſed non labitur piſcis, quia piſcis, quia ſuos dominus etiam inter perſequentium ſcandala ſeruat. Diſcant paſtores Eccleſiæ, cùm per ſe non poſſunt, alios in auxilium animarum aduocarè, exemplo Apoſtolorum ſocijs annuentium.*

16. *Ambas nauiculas*] conuertere debebant, & Iudæos, & Gentes, ſed vt hi qui erant in Naui Petri annuerunt his, qui in alia, ſic è Iudæis Apoſtoli egreſſi conuerterunt gentes ad Chriſtum. *Penè mergerentur*] Beda non ſubmerguntur, ſed periclitantur. In nouiſſimis enim diebus erunt periculoſa tempora. Idem habet, ſed clariùs Auguſt. lib. 2. qq. Euangel. q. 2. nimirum, hanc nauium ſubmerſionem ſignificaſſe futuros eſſe in Eccleſia, & naui Petri, homines, quorum prauis moribus illa videatur ſubmerſa.

17. 8. *Exi*] adorabundus & precabundus ſimul hęc dicebat Petrus. Euthymius putat timuiſſe Petrum ne quid ſibi mali accideret, quod Chriſtum quem vel Deum, vel certè hominem Sanctum eſſe credebat, in nauiculam ſuam admiſiſſet; vt Sareptana illa vidua, cauſam cur filius ſuus mortuus fuiſſet, putabat eſſe quod parum dignè Prophetam apud ſe habuiſſet 3. Regum 17. 18. vel hæc dixit humilitatis cauſa, iudicans ſe ob peccata præteritæ vitæ indignum, qui Chriſtum exciperet hoſpitem. Admirabatur multa Petrus & Piſcium multitudinem, & quod nocte nihil cepiſſet, die cepiſſet, quod non eſſet fractum rete, quod non elapſus piſcis, quod ſocij nihil prendidiſſent, prendidiſſet ipſe eodem fortè tempore, quod non ſubmerſæ cymbæ, &c. ſimulque inde aciem mentis in Chriſti potentiam fixerat, ſeque indignum conſiderabat qui coram illo adeſſet, atque adeò ijs factum eſt vt timeret, ne qua re tantam offenderet maieſtatem.

9. *Circumdederat*] Hebr. totum inuaſerat, totũ tenebat q. d. Lucas: excuſandus quod à ſe abijcere volebat Chriſtũ. Quid enim diceret non ſatis aduertebat, licèt eius humilitas magnoperè laudanda eſſet. *In captura*] propter capturã. *Et oẽs*] quotquot aderant piſcatores etiã ij qui ſe ex altera naui Petro adiunxerant, quod auget miraculum, quod nimirũ piſcatores, qui alioqui piſces multos capere ſolent, vel ipſi obſtupuerint. *Similiter & Iacob.*]

horum

Digitized by Google

horum specialiter meminit, quia secuti cũ Petro Dominum sunt; & cùm verò ait, qui socij Simonis erant, distinguit ab ijs qui aderant, & significat in eandem nauim conscendisse illos, vbi Christus, & Petrus.

18. 10. *Capiens*] ζωγρῶν viuificans, seu ad vitam capiens, non vt piscatores omninò, qui ad interitum capiunt pisces, ob id enim dicitur capiens ad vitam, sic Iustin. qq. gentium q. 40. vel certè ad mortem, & ad vitã capiens vt à piscatoribus pisces; interimuntur illi quidem, sed dum comeduntur ab hominibus, vitam capiũt nobiliorem: sic homines veteri vitæ moriuntur; dum trahuntur ad Christũ; sed illi vniti, meliorem vitam viuunt, sic Origen. hom. 16. in Hiere. *Ex hoc*] scil. tempore, Post hac.

Petrus ad Ecclesiæ regimen vocatus. Obseruandum Petrum hic ad Ecclesiam vocatum, non quidem ad Ecclesiam absolutè; nam iam Ioannis primo, ad Christum venerat, eiusque fidem receperat: sed ad Ecclesiam, hoc est, ad Ecclesiæ regimen: propterea dicitur illi, *duc in altum* disputationis tuæ, fideique remigium, vt loquitur Ambrosius libro tertio, de Virginit. soli igitur Petro Christus loquutus est hæc verba, quia soli illi Ecclesiæ primatũ, & piscationis principem locum promittebat. Neque verò proindè velim existimes, cùm audis *ex hoc eris homines capiens*, continuò atque illicò Petrum hominum accepisse primatum, ac Episcopum constitutum seu Rectorem esse in eorundem piscatione: sed designatũ intellige nunc esse, cui tale munus iniungendum erat: quamuis etiam ab hoc tempore semper quendam quasi principatum præ cæteris habuerit, primusque discipulorum habitus sit.

20. 11. *Relictis*] benefactorem beneficio prætulerunt: nam relictis nauibus onustis piscibus sequuti sunt Christum. temporalia socijs reliquere nempè pisces, & Christum sibi elegerunt, nulla piscium, aut lucri cupiditate detenti.

THEORIA VNICA.

An hęc historia Lucę sit eadem cum histor. Matt. c. 4. & Marci 1. & an quod hic narrat Lucas ad vocationem Apostolorum pertineat.

1. TRIBVS locis in Euangelio videntur hi fratres Petrus, & Andreas à Domino vocati; primùm apud Ioã. c. 1. deindè Matt. 4. Marc. 1. postremò Luc. cap. 5. & in his duobus vltimis locis simul cũ Ioan. & Iacob. Christum sunt secuti. Nunc de hist. illa Ioan. 1. non disputamus: constat enim fuisse diuersam, sed præsertim agimus de historia Matt. vel Marc. an sit eadem cum ea quam narrat hic Luc. c. 5. Sunt qui putent à Matthæo, Marc. & Luc. narrari vnam, eandemque vocationem duntaxat, eaque Petrum & Andream cum filijs Zebedæi vocatos fuisse; neque enim distinguunt historiam vocationis eorum, quam referunt Matt. cap. 4. & Marc. c. 1. ab historia quam Lucas scribit cap. 5. 1. alij distinguunt quidem quod narrat Lucas ab eo quod Matt. & Marc. sed priorem faciunt historiam Lucæ, posteà verò eam, quam narrat Matth. & Marcus, euenisse censent; & in historia Lucæ magis accessum contineri volunt ad familiaritatem Christi, quàm vocationem; & ideò dicuntur illi discipuli subductis nauibus q. reuersuri secuti Dominum, & hoc sequitur Augustin. lib. 2. de consensu Euangel. cap. 17. & Beda in cap. 5. Lucæ; volunt enim post miraculum illud narratum à Luca non inseparabiliter Petrum & Iacobum, & Ioannem Christum sequutos esse, sed ita vt de more remearint ad piscium capturam, post vocationem verò Matthæi, & Marci illi tanquam indiuidui comites inhæserint, & vt discipuli Magistro.

Porrò Lyranus opinatur tres fuisse vocationes Petri & Andreæ primã ad agnitionẽ, & fidẽ Christi, Ioan. 1. secundam ad familiaritatẽ Luc. 5. tertiam ad discipulatũ. vocatos ergò ait apud Lucam eos Discipulos, nõ ad perfectum discipulorum officium, sed ad familiaritatem quandam, ita vt posteà, quod referunt Matth. & Marcus, verè ad discipulorum officium accíti fuerint: cùm tamen Augustin. loco cit. non appellat vocationes, illam Ioannis, vt nec hanc Lucæ, sed tantum postremam Matth. & Marci. Nam tantum hæc extrema dicuntur fuisse in Euangelio vocati, qua vt discipuli inhæserunt inseparabiliter Christo. D. Thom. etiam Matth. 4. triplicem distinguit horum discipulorum vocationem, primam ad familiaritatem, Ioan. 1. secundam ad discipulatum, tertiam qua totaliter, inquit, Christo inhæserunt.

Mihi optimè differere hac de re videtur Toletus cap. 5. in Luc. annot. 15. & prætermissa quidem Historia Ioannis, qua potiùs admonitio quædam & præparatio ad vocationem futuram continetur, seu quæ summum interior vocatio fuit, non ad officium discipulorũ, sed ad fidem, vel ad Messiam cognoscẽdum, adde, & ad familiaritatem: Mea hæc est breuiter opinio: id quod Lucas narrat, nullo modo vocationẽ illam horum Apostolorum fuisse, seu historiam illam, quam narrant Matth. & Marc. sed omninò ab illa diuersum, solumq; miraculum quoddam continere, post quod Petrus & cæteri Christum secuti fuerint.

Deindè hoc ipsum accidisse sentio post vocationem à Matt. & Marc. narratam. Itaque in hoc discrepamus ab August. & alijs auctoribus superiùs adductis nu. 2. quod arbitramur priorem fuisse vocationem apud Matt. & Marcum, quàm fuerit historia, quæ recitatur à Luca; tertiò solam illam dici vocationem externam debere contendo, quam Matt. & Marc. referunt; non illam Ioan. & multò minùs illam Lucæ & hoc quidem postremum patet, nam præter Augustini auctoritatem; nulla apud Ioan. vel Lucam mentio vocationis habetur quàm dicantur vocati, vt essent discipuli. Deindè quia vt ostendam illa Matth. & Marc. vocatio præcesit hoc miraculum Lucæ, ergò cum illa fuerint expressè vocati, non est dicendum iterùm vocatos, quasi redierint ac repetiuerint, quæ prius reliquerant, dicuntur enim apud Matth. & Marc. reliquisse omnia.

Iam reliqua duo, vbi maior est difficultas ostendo. & quidem primùm illud assertũ, quo diximus, diuersam esse historiã Matt. & Marc. ab historia Lucæ, multa confirmant, imprimis veterum Patrum consensus: nullus enim antiquorum quod sciam, has historias easdem esse docuit. Deindè sunt & rationes, & quidem meo iudicio firmissimæ quibus idẽ confirmatur.

3. 4. 5. 6. 7.

Digitized by Google

tur. nam primùm Matt. & Marc. scribunt; vocatos fuisse discipulos, & quidem seorsim Petrum & Andream, à Ioanne & Iacobo; at Lucas nullius vocationis mentionem facit, quod aduertit August. l. 2. de consen. Euang. tantùm refert discipulos viso miraculo sequutos Christum. Ad hæc apud Matth. & Marc. fit Andreæ mentio, quem tamen Lucas nō commemorat, videlicet quia is non interfuerat in ea piscatione, quod ex Luca colligo qui numerans socios Petri dixit: *Similiter Iacobum & Ioannē filios Zebedæi qui erant socij Simonis*; alioqui cur silentio prætereundus esset Andreas? vide August. 2. l. qq. Euang. 2. & 2. de consensu Euang. vbi tres tantùm recenset. His accedit quod Matth. & Marc. narrāt Petrum & Andream prius vocatos fuisse, deindè verò Iacobum, & Ioannem, cùm tamen Lucas referat Simonem, Iacobum & Ioannem simul tempore Christum sequutos fuisse nulla prorsus vocatione præmissa. Prætereà apud Matth. Petrus & Andreas describuntur tanquam iacientes rete in mare, Iacobus verò & Ioannes reficiētes retia cum Patre. Atqui Lucas expressè scribit eos iam desijsse retia iacere quasi iam depositā spe capiendorum piscium, lauisse verò tantum retia, Christumque iussisse vt eadem laxarent in capturam piscium. non igitur, vel mittebant in mare retia vel reficiebant quando Christum sunt sequuti. Adde quod apud Matth. vtrique Simoni, scilicet & Andreæ dicitur à Christo *venite post me faciam vos* &c. cùm tamen Lucas affirmet soli Petro dictum *ex hoc eris homines capiens*. quid plura? ea verba à Christo prolata sunt *nempè venite faciam vos* &c. cùm iuxtà mare ambularet, illud verò quod refert Lucas *ex hoc eris homines capiens* dictum à Christo fuit cùm adhuc esset in naui.

8. Quod verò præcesserit historia Matth. & Marc. hanc Lucæ non obscurè indicat Greg. hom. 5. in Euangel. cùm ait: nulla hunc facere adhuc miracula viderant, nihil ab eo de præmio æternæ vitæ audierant, & tamen ad vnum Domini præceptum, hoc, quod possidere videbatur obliti sunt. Porrò hoc quod Gregor. ait, de historia Lucæ dici non potest, qua miraculum narratur, pòst quod Christum sequuti narrātur Petrus & Socij; igitur historiam Lucę præcesit historia Matt. & Marc. idem non obscurè significat Ambr. lib. 3. de Virg. vbi mentione facta huius historiæ Lucæ subdit; per parabolā hic vocat ad Ecclesiam Petrum, quem secundùm Matth. simplici vocauit sermone.

9. Tatianus etiam antequam ab Ecclesia recederet in sua Harmonia, vbi Catholicè agit, historiæ Lucæ Matthæi historiam præmittit, fortè sequutus hac in re Iustini Martyris doctrinam, cuius fuerat discipulus; idem Euthymius sentire videtur. Quare non est dubitandum historiam Matthæi, & Marci hanc historiam Lucæ præcessisse, diuersaque continere, illi enim externam fratrum vocationem, vt Christi discipuli essent, narrant; hic verò miraculum, vocationem non item: Hæc hactenùs.

A

B

C

D

DIGRESSIO PRIMA MORALIS.

Quid interfit inter hanc Lucæ piscationem, & alteram Ioannis cap. 11. sensu mystico.

1. *Duæ piscationes diuersæ, diuersi Ecclesiastum designant.*

OBSERVANDVM duas reperiri piscationes, alteram hic, Lucæ scilicet; alteram Ioan. 21. quibus Petri prærogatiua designatur, & in vtraq; duo Christi miracula explicantur edita in piscatione Petri: quorū primum manifestè designat ex August. tract. 122. in Ioan. Ecclesiam militantē; secundum Ecclesiam triūphantem. nam idcirco primum factū est ante Resurrectionē Christi; secundum post Resurrectionem: & in primo retia non iaciuntur in dexteram partem tantū, ne solos bonos, aut solos malos ad Ecclesiā venire credamus, sed indifferēter dicitur: *laxate retia in capturā*. At in secundo tantum in dexterā partem nauigij iaciuntur retia, quia soli boni colligentur ad vitam æternam. Prætereà in primo rumpebatur rete, & nauis penè mergebatur; quod significat schismata, & hæreses, & scandala, quæ Ecclesiam fluctuare cogunt; at in secundo non est ruptum rete, vt Ioan. admonuit quasi respiciens ad istam piscationem priorem, in qua retia rumpebantur, nec nauis fluctuauit, quia in alia vita nulla erūt schismata, nec scandala. Ad hæc in primo, sine vllo numero comprehenduntur pisces, vt impleretur quod scriptū est Psal. 39. *Annunciaui & loquutus sum, & multiplicati sunt super numerum*: at in secundo nulli fuerunt super numerum, sed certus numerus, id est, 153. nulli enim præter numerum electorum colligentur ad regnum. denique in primo pisces introducuntur in nauem adhuc fluctuantē, in secundo trahuntur ad littus, quod propter stabilitatem, vitam immortalem designat.

2. *Petri insignis prærogatiua.*

Iam ergò insignis prærogatiua Petri est, quod in vtraq; naui & piscatione, quæ apertissimè totius Ecclesiæ statum significat, semper Petrus princeps inuenitur. Nam Lucæ 5. intrasse dicitur Iesus non in aliam nauim, quàm in eam quæ erat Simonis, & ex ea docuisse; vt intelligas in ea tantùm Ecclesia esse & docere Christum, cuius Gubernator est Petrus. Ambros. serm. 11. hanc, inquit, solum Ecclesiæ nauem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus; ibidem soli Petro dicitur: *duc in altum, & laxate retia in capturam*; vbi Petrus iubetur tanquam summus nauclerus & piscator ducere alios ad piscandum. Ibidem Dominus exponens figuram soli Petro dicit; *noli timere; ex hoc enim eris homines capiens*. sic etiam Ioann. 21. Petrus dicit: *vado piscari, dicunt q; ei alij: venimus & nos tecum*. Ibidem ascendit Simon Petrus & traxit rete in terram. Et quid quæsò aliud his figuris significatur, quàm Petrum esse, qui homines de mundo ad fidem & Ecclesiam militantem adducit, & qui eos regens & gubernans, ad Ecclesiam triumphantem perducit?

Digitized by Google

DIGRESSIO II.
MORALIS,

De piscatione Spirituali.

1. AMBROSIVS Hexhe. lib. 5. cap. 6. sic eruditè, & luculentè, quæ sit hominis mystica ac spiritualis piscatio exponit, qd multũ facit ad ea verba intelligẽda, quæ Christus superiùs dixit Matt. 4. & Marc. 1. *venite post me faciam vos fieri Piscatores &c.* & quod hic dicit; *ex hoc eris homines capiens.* Sic igitur scribit Ambros. *piscis ergò es, ô homo. Audi quia piscis es: Simile est regnum cœlorum reti misso in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Cùm autem esset impletum, duxerunt id ad littus & sedentes elegerunt optimos in vasis suis, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi, Exibunt Angeli & separabũt malos de medio iustorũ & mittent eos in caminum ignis. Sunt ergo boni & mali pisces: boni seruantur ad pretiũ, mali statim ardent. bonum piscem* 2. *nec retia inuoluunt, sed eleuant. Nec hamus internecat atq; interficit, sed pretiosi vulneris perfundit sanguine: in cuius ore confessione bonũ pretiũ reperitur, quo tributum Apostolicũ, & census Christi posit exsolui. Sic n. scriptum est dicente Domino: reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? (Matt. 17.) à filijs suis, an ab alienis? & respondente Petro, ab alienis, ait Dominus; vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies ibi staterem, illum sumens da eis pro me, & te. Noli igitur ô bone piscis, Petri hamum timere, nõ occidit, sed consecrat. Noli quasi vilem te contemnere, quia vides corpus infirmum: habes in ore tuo, quod & pro Petro, & pro Christo offeras. Noli timere Petri retia, cui dicit Iesus; duc in altum, & laxate retia. Non. n. in sinistram partem mittit, sed in dexteram sicut iussus à Christo est. Noli timere sinum eius, quia dictũ est illi; ex hoc eris homines vi-* 3. *uificans: Ideò misit retia, & cõplexus est Stephanum, qui de Euangelio primus ascendit, habens in ore suo staterem iustitiæ. Vnde confessione constanti clamauit dicens; ecce video cœlos apertos, & Filiũ hominis stãtem ad dexteram Dei. Pro hoc pisce stabat Dominus Iesus. sciebat enim esse in ore eius pretium sui census. Deniq; glorioso martyrio, & Petri iudicium atq; doctrinam, & Christi gratiam locuples assertor implet, sic Ambr. c. 6. & mox c. 7. nec te moueat, inquit, quod pro mari Euangelium posui. Euangelium est in quo Christus ambulauit: Euangelium est, in quo licèt titubauerit Petrus, non tamen negauit, quando per dexterã Christi fidei, munimentũ stationis inuenit: Euangeliũ est de quo Martyr ascendit, Euangeliũ est mare in quo piscãtur Apostoli, in quo mittitur rete quod simile est regno cœlorũ. Euangelium est mare in quo Christi figurãtur mysteria; Euangeliũ est mare in quo Hebræus euasit, Ægyptius interemptus est. Euãgelium est mare in quo est sponsa Christi Ecclesia, & diuinæ gratiæ plenitudo, quæ super maria fundata est, sicut dixit Propheta; ipse super maria fundauit eam. Exili super undas ô homo, quia piscis es. non* 4. *te opprimant sæculi istius fluctus; si tempestas est, pete altum, & profundum: si serenitas lude in fluctibus: si procellæ, caue à scopuloso littore, ne te in rupem furens æstus illidat; scriptum est enim, estote astuti, sicut serpentes.* Hæc Ambros.

Homo piscis est, reti Euangelico capiendus.

Euangelium mare est.

A Auctor gloss. Magnæ Tom. 2. clariùs, & paulò aliter mysticam hanc piscationem hominis expositi; quod quia ad illustrandã loci huius sententiam facit. His nostris attexere non grauabor. Sic ergò ferè scribit: *inuestigandum est de hominum piscatione quid mare sit, qui pisces, qui piscatores, quod rete, qui hamus, qui exitus piscium, ferè* ex D. Ambros. *mare igitur mundus est, ex quo fideles piscatu trahuntur ad fidem; vel aptiùs, Mare est Ecclesia ex qua electi per piscationem ad vitam æternam educuntur. Est mare Ecclesia tertio die coactum ex aquis, nimirum, non in statu naturæ, neque legis, sed euangelij, congregata ex gentium multitudine. Est mare rubrum sanguine Christi aspersum, & purpuratum, Mare in quo euasit Hebræus, AEgyptius perẽptus est. Vnde incolumis existit electus, perit peccator, & reprobus; mare in quo Christus ambulat, sua charismatum dona dispertiens. Mare in quo* B *licèt titubet Petrus, non tamen mergitur, quia dextera Christi eripitur, in quo inquam Papa errare nequit in his, quæ ad fidem & mores spectant cum Spiritus S. gratia, & afflatu muniatur. In hoc mari piscãtur Apostoli & præcones verbi Dei, in hoc mittitur rete, cui simile est regnum cœlorum, quæ enim Ambrosius Euangelio tribuit, rectè etiam ad Ecclesiam accommodantur.*

In hoc igitur mari diuersa piscium genera natant, nempè fideliũ, piscis est enim homo, vt rectè Ambros. ostendit, in cuius ore stater est, id est, anima in homine. Stater aureus non erat, sed argenteus. Dupiex siquidem cùm sit creatura spiritualis, Angelus, & anima, rectè ille auro, hæc argento æstimatur ob diuersam naturæ præstantiam. Nummus impressam habet regis imaginem, & anima Dei imago est: deformata C *sordidataq; fuit isthæc imago, & ærugine demolita, sed ærugo, & macula omnis fonte baptismatis ablata, & ablata est, ac ictibus suppliciorum, & ærumnarum huius vitæ frequentibus, quasi iterum insculpta, atque ita quod aberat ponderis, siue iustitiæ in Adam amissæ ex Christi iustitia recepit; cùm liquefacta cõtritione, noua iustificatione antiquam illam reparauit iustitiam. A nobis ergo piscibus statum hunc, ac perennem staterem Christus requirit vt patri reddat. Hoc piscium genus vehementer exoptat Christus; quare exili, ô homo super undam, atque è terrenis rebus erutus ad cœlestia suspires. Aperi os tuum, & staterem redde Domino, vt ipse Patri, quasi censum pro se, & Petro persoluat. Est enim hoc Summorum Pontificum in primis munus, homo regiminis ex captis piscibus, id est, fidelibus staterem, hoc est, animam eruere, vt Deo reddant.* Hæc de piscibus.

D Piscatores verò Apostoli ipsi fuere, & nunc Ecclesiæ Prælati. Horum alij à terra non recedentes, terrenarum videlicet rerum cupiditate, ad sinistram retia mittunt, affectant enim dignitates, purpuram, diuitias, honores. Atque hæc assequi conantur, vel Christum simulantes, vel principum intercessionibus, vel longa seruitute, vel nobilitate generis, vel quod pessimum est, pecuniarum largitione. Hi per totam noctem vitæ huius nihil capiunt, neque Christi iussa audiunt, vt in altum ducant, & laxare retia ad dexteram nauigij velint. Hoc est, vt ab rerum humanarum cupiditate ad cœlestiũ amorem corda subleuent, & pro animarum salute laborent, neque enim aliter piscium multitudinem capient.

7. *Apostoli piscatores.*

Sed quod rete hoc est? qui hamus? rete

aureum,

aureum, Euangelica lex est, ex funiculis caritatis contexta. Piscis dum incautè in aquis ludit, rete suauiter capitur, & ad littus nil penè reluctans trahitur; verùm cùm ex aqua extrahitur perstrepit, & mox halitu aquæ destitutus emoritur. Ita peccator sæpè, vel Euangelij prædicatione, vel Dei inspiratione, dum voluptatibus incumbit, capitur etiam si modum quo capiatur ignoret, vel nō aduertat, sed cùm ex delitijs veluti ex aquis ad virtutem, Dei manu, educitur, resilit aliquantulum, quod voluptatum memor non ita hilari animo virtutis difficilitatem admittat, & toleret; sed tandem contritus, & in virtutis itinere progressum faciēs, gaudet, ac nobiliori vita viuit posthabitis voluptatibus, & caducis rebus planè mortuus.

9. Hamus etiam ipsa lex est, gloriæ æternæ pollicitationibus complicata. Tria namque vt quis hamo vtatur, necessaria sunt præter hamum, piscatoris manus, funis, & esca; cùm igitur hamus lex ipsa sit, manu Christi opus est, necessarius funis gratia est; esca verò cœlestis beatitudinis promissio. Hoc ergò dumtaxat requiritur ab homine, vt præostensam hanc escam, paratumque hamum ore hiante capiat; Christi postea munus est, gratia intercedente veluti fune quodam hominem peccatorem ad littora trahere.

10. Sed quid tandem his piscibus contingeret? id Saluator docet Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum Sagenæ missæ in mare, &c.* nempè restat extrema iudicij dies, quo seiunctis bonis à malis piscibus, illi quidem ad cœlestis regis mensam, hi verò foras mittentur. hoc est illi cœlesti gloriæ addicentur, hi in infernum detrudentur. illud aduertendum est interim piscibus, quod docuit Ambrosius, vt studeat homo bonus esse piscis. Quod si piscis es, vide nè opprimant istius seculi fluctus. Reliqua vide superiùs sub finem eorum, quæ ex Ambrosio citauimus num. 4.

CAPVT XIII.

REPREHENDVNTVR TRES VOLENTES CHRISTVM SEQVI.

A. 8. 18. C. 9. 57.

1. *A. Videns autem Iesus turbas multas circum se iussit ire trans fretum.*
2. *C. Factum est autem ambulantibus in via. A. Accedens vnus Scriba, ait illi: Magister sequar te quocunque ieris.*
3. *Et dicit ei Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.*
4. *C. Ait autem ad alterum A. de discipulis eius: sequere me, ille autem dixit: permitte mihi primùm ire, & sepelire Patrem meum.*
5. *Dixit q. ei Iesus A. sequere me, C. sine vt mortui sepeliant mortuos suos, tu autē vade, & annuntia Regnum Dei.*
6. *Et ait alter: sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renuntiare his, quæ domi sunt.*
7. *Ait ad illum Iesus: nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.*

A. Alius autem de Discipulis eius, ait illi: Domine permitte me primum ire & sepelire, &c.

SCHOLIA.

B VT ratio ordinis assignetur obseruandum: quod cùm iussisset Dominus discipulos parare se ad transfretandum; in itinere, quo pergebant, accessisse omninò videtur hic Scriba, de quo Matth. & Lucas. Neque obstat quod videatur Lucas loqui de ea via, qua ibat Christus Hierosolymam, & Matt. de alia, qua transfretare cogitabat. Nam Lucas trium volentium Christum sequi exempla simul coniungere voluit, tanquam similia, licèt diuersis temporibus, & locis contigerint. Quamuis vero simile sit tantùm tertium exemplum, quod affert cap. 9. v. 61. accidisse eo itinere quo Christus Hierosolymam proficiscebatur. Cæterùm adiunxit reliqua, tum quia similia, vt dixi; tum quia omnia hæc in via contigerant, quamuis fortè alia, & alia. Quare rectè mihi facere videntur, qui, quòd ait Lucas *factum est ambulantibus in via*, accipiunt non de via speciatim, qua ibat Dominus Hierosolymam, sed absolutè, pro via quadam, quatenus sub se cōprehendit tacitè & viam, qua ibat Hierosolymam, & qua nunc transfretare meditabatur. 1.

C Illud etiam mihi valdè probatur, quod prius Maldonato placuit, credibile etiam esse id, quod secundo exemplo narratur simul, id est, eodē tempore euenisse cum eo, quod de Scriba in primo exemplo refertur. Nam quod Christus repulso primo illo, qui sese offerebat, alium se non offerentē vocauerit, ac ne sepelire quidem Patrem permiserit, videtur industria fecisse, vt qui aderant, & vtrumque videbant, intelligerent, nō volentis, neque currentis, sed miserentis opus illud esse Dei, Rom. 9. 16. nec eligi omnes, qui se offerant saltem, si de beneficijs eiusmodi vocationis v.g. vt sit aliquis inter discipulos Christi, loquamur, & similibus, (de qua re num. 23. dicam inferiùs) nec omnes, qui nō se offerant repudiari, quod indicat eodem simul tempore illa duo accidisse. 2.

D An verò iste Scriba reuera reiectus à Christo fuerit inferiùs declarabo, num. 10. Hæc mihi magis probabilia videtur, quo ad ordinem eorū, quæ narrātur hoc loco cum alijs præcedentibus. Quoniam verò non omninò certum est qua via ingrediente Domino, vel quo tempore hæc singula euenerunt, propterà totam hanc historiam hic attexendam putauimus simul vnitam; quamuis saltem id, quod tertio loco narratur, nō eo itinere, de quo loquitur Matt. accidisse credamus, sed potius eō, de quo Lucas. 3.

Ver. 1. *Videns turbas*] videtur hic velle causam exprimere, quamuis obscurè, cur traiecerit Christus stagnum, nempè vt hominum turbam fugeret, vt etiam cap. 5. v. 1. *videns turbas ascēdit montem*, inquit Matth. idem Marc. 1. 35. Luc. 4. 42. *& die facta* 4.

cibat in desertum locum, & turbæ requirebant est, i. luce, voluit enim tectus tenebris no- fugere hominũ multitudinem &c. Porrò o lacu in desertũ, & mõtes abijsse credibi- Marc. 5. 11. Luc. 8. 32. *Ire*] discipulos, videl. pa- re illos volebat vt traijceret. inter eundum ergò ccidit quod dicunt hic Euangelistæ de Scriba.

5. Ver. 2. *In via*] quadam, absolutè enim accipien- dum vt dixi nu. 1. de his volentibus sequi Christum August. serm. 7. de verb. Domini, & lib. qq. ex Matt. c. 5. Chrysost. serm. 19.

6. V. 3. *Vulpes*] videtur hic Scriba vel ob spem lu- cri, & diuitiarum quas cum Christo comparare se posse credebat propter miracula quæ patrabat; vel etiã ob vanam gloriæ cupiditatem, & populi plau- sum, sequi Christũ voluisse. Itaque rectè per aues cœli elatio illius & superbia; & per vulpes, fictio, & dolositas exprimitur: fingebat enim velle se esse discipulum. Quare meritò proinde Scribam fuisse Matthæus notauit, quia id genus homines elati, a- mari, dolosi erant. Certè passim Patres hunc super- biæ, ac auaritiæ, & dolosi animi sugillant. Athana- sius ausum esse, inquit, æquiparare se incõprehen- sibili Saluatoris potestati, qui loco non circũscri- bitur, ait enim, *sequar te quocunque ieris.* Non tamen re vera putandum est id illum planè voluisse, quãuis id eius verba aliquo modo sonarẽt, præser- tim ab elato, auaro, tectoq; Scriba prolata. Theo- phylact. *Viderat*, inquit, *Dominum multum popu- lum adducentem, putauit ergo si Christum sequere- tur posse pecuniam congregare.* sic Chrysost hõ. 28. in Matt. & Hierony. Matt. 8. & Euthym. ibi. Gloss. miraculis motus ab inanem iactantiã sequi voluit, quam significant aues, & obsequium finxit, quod rectè per vulpem significatur. Itaque Patres passim hunc superbum, dolosum nominant, vel etiã aua- rum, quare respõsum hoc Christi à Gregor. 19 Mo- ral. c. 1. sic accipitur: Vulpes fraudulẽter in spe- cubus absondũtur, & tortuosis amfractibus currũt; aues volatu se subleuant; significant ergo fraudu- lenta, & elata dæmonia in illius corde habitare. nec posse Christi humilitatem in superba mente quiescere. idẽ videtur August. velle lib. qq. in Matt. c. 5. tom. 4. & ser. 7. de verbis Domini, & de Sancta Virginitate c. 51. Ambr. ser. 79. item D. Bern. to 2. in declamation. Prudentiã carnis in fouea vulpis, in nido volucris arguens cordis elationẽ ait: est enim interdũ videre nonnullos qui relictis omnibus re- nuntiare sæculo disponẽtes, cùm rectè offerre ve- lint, nolunt diuidere rectè, calliditate humana to- tos sese diuino committere nutui formidãtes, sed reseruantes nescio quid fermenti, vt totã massam corrumpat: quod in multis frequenter expertum est. Alius sine duce, & Præceptore spirituale stu- diũ apprehendere facilè cogitans ambulat in ma- gnis, & mirabilibus super se, vt vulgò dicitur sa- liens antequam videat, casurus antequam debeat. Petrus cogitatum suum iactans in domino, & om- nem sollicitudinem suã in eum proijciens certus quod illi foret cura de eo, reliquit omnia, secutus Dominum ne interrogans quidem de præmio.

10. Vera ac germana huius loci intelligentia est Hierony. *vulpes foueas* &c. q.d. quid me propter diuitias, & sæculi lucra sequi vis, cũ nec hospitio- lum habeam. Itaque vt Chrysost. ait; arguit Domi- nus malum consilium, non tamen repellit illum, vt non sequatur, sed concedit potius si velit pau- perem sequi; voluit ergo his verbis eum cupiditatis rerum huius vitæ monere, qua laborabat, & si- mul offerre conditionem, si vellet sequi: se enim pauperem esse, adeò vt nec tantillum habeat loci proprij, quo tamen non carent minima animalia, & pernicioſa, cuiusmodi aues esse solẽt, & vulpes, pariterq; humilem se vitam degere docet; si ita ve-

A lit sequi, licere. Sed disce, inquit, idem Chry sost. eius malitiam qui correptus nõ dixit, paratus sum sequi, illa ergo expositio Bern. Gregor. & August. de auibus, & vulpibus moralis est potius. quomo- do verò dicatur repulsus iste à Christo prout qui- dam interdum Patres aiunt, vide num. 22.

Titelmanus paraphrasi in Matt. 8. existimat, hũc 11. legis peritũ, Christi verbis permotũ sequi illũ de- creuisse, suiq; animi decretũ sincero animo Chri- sto transfretare paranti aperuisse. Christi aũt res- ponsum eo spectare nõ vt dolosum & lucri cupidũ notet, ac reijciat, sed vt rei difficultatẽ desideranti proponat, vt cœnobiorum superiores cum his fa- cere solent, qui in eorũ numerũ cooptari petunt. Titelmanum sequitur Barrad. sed vt ille aduertit hæc sententia Patrum auctoritate cõuellitur, quos malim in Scripturarum interpretatione cõsectari.

B 4. *De discipulis*] multos namq; discipulos habe- 12. bat Christus; videl. qui in ipsũ credebant, licet nõ semper sequerentur eum vt Apostoli faciebant: Is erat vnus ex istis, qui ad sequendũ inuitatur. Tol. in comm. sic ait: hic vocis obsequio non se offerebat vt alius, & tamẽ Christus hunc inuitat, *sequere me.* Discretor enim cordiũ, & futurorũ omniũ præco- gnitor Christus quid vterque mente versaret, vel quid facturus foret, prænoscebat & intuebatur. Dixi etiam superiùs numer. 2. ostendere hac re vo- luisse Dominum eiusmodi beneficia Dei miseren- tis esse, non volentis, neque currentis opus. For- tè etiam dici posset vocatum hũc esse discipulum, non quia tunc erat, sed quia postea fuit inter dis- cipulos admissus. Clemens Alexandr. li. 3. Stroma- 13. tum scribit ea verba, *sine mortuos sepelire mortuos suos*, dicta esse Philippo à Domino, vnde effici vi- detur hunc discipulum fuisse Philippum: Sed non est vero simile, cùm ante Christus secutus fuerit C Ioan. 1. videtur & quibusdã Tertull. de Baptismo c. 12. affirmare, hunc discipulum Matthæum fuisse, sed Pamelius negat id Tertullianum dicere.

Sequere me] Matth: prius refert verba illa: *Do-* 14. *mine permitte me primùm*, post quæ ait, Christum respondisse *sequere me.* Lucas verò narrat dixisse Christũ *sequere me*; posteà verò hunc hominẽ re- spondisse, *sine me sepelire Patrem*, &c. August. l. 2. de consen. Euang. c. 23. respondet, vnum & idem esse, cæterùm alterum Euangelistarum non seruasse or- dinem in referendo, quod non rarò fit ab Euange- listis. Credibilius puto bis dictum à Christo, *seque- re me*, semel à principio quod refert Lucas & ta- cet Matt. repetitum postea, idque post petitionem hominis de sepeliendo patre, dictumq; est illi *se- quere me*, & *sine mortuos*, &c. quod Matth. expres- sit, tacuit Lucas.

Domine permitte mihi primùm] qui *primùm* di- 15. D cit, nõ negat, & verò etiã significat se postmodum secuturũ; & hoc causa rei honestæ & piæ. i. ad se- peliendũ Patrem, neq; id sine facultate à Christo prius petita, & quidem reuerẽter, & cum honore; *Domine*, inquit, non sicut Scriba, *Magister*, quod minus est: indicant hæc animũ Deo deuotum, sub- iectum, pium, fidelem, non vanum, non elatum, nõ subdolũ, non auarũ. Quare videtur meritò hic as- sumptus, ille verò relictus. Nam Scriba audita vi- tæ difficultate licèt se prius obtulerit, recessit po- stea: non igitur sine causa serm. 7. habet Augustin. de verbis Domini: *quantum in Scriba mali, tan- tum in hoc homine boni fuisse.*

Permitte mihi primùm ire, &c.] sunt qui putant, 16. quod nondũ fuerat mortuus Pater huius hominis; ac proinde sensum esse, sine me ire, & adesse Patri iam seni, vsque quo oculos eius claudam, & tunc veniens sequar te. Verùm Chrysost. hom. 38. Basil. in constitutionibus Monasticis 21. Theophyl. Eu- thym. asserunt fuisse mortuũ; sed reuera nomine

Digitized by Google

sepulturæ non omninò id declaratur. Solemus. n. vulgò hęc verba vsurpare, sine claudâ patris mei iã sensi oculos; vel sine eum sepulturæ mandẽ, & tũc hoc vel illud fecero. Sed mortuum fuisse id satis probat, quod non videtur vero simile eum tanti temporis spatium petiturum vt sequeretur.

Mortui qui dicantur.

5. *Sine vt mortui, &c.*] mortuos aliqui infideles intelligunt, qualẽ fuisse huius hominis parentem opinantur. sed placet magis, eos hic dici *mortuos*, qui rebus caducis affixi, non de Deo, sed de mundo cogitant, 1. Tim. 3. 6. nam quæ in delitijs viuens est, mortua est. Ephes. 2. 1. *cùm essetis mortui delictis. Mortuos suos*] hinc D. Hilar. Chrysost. Euthy. colligunt parentem huius hominis à Christo vocati gentilem fuisse, & ideò *suum* vocari à Christo, vt sit sensus, sine gentiles sepelire gẽtiles suos; & quidem mortuus est quicunq; non credit, vt etiam ait Hier. Sed qui fieri potest ad prędicandum Euangelium vocatũ esse à Christo eo tẽpore hominem nõ Iudæum? magis igitur credo *suos* vocari, quia sicut illi, mortui sunt: q. d. sibi similes, quia vtriq; quãuis non eodem modo, mortui sunt. Sed hi peccato mortui, illi vita functi sunt. Aut *suos*, id est, suum quemq; patrem, suum filium, suam vxorem, prout quilibet mortuus ad aliquem pertinet: Sic Gen. 23. 4. 13. vbi Abraham, vocat mortuum suum: *vt sepeliam*, inquit, *mortuum meum.*

19. Sed meritò dubitet hic aliquis, cur prohibuerit Christus hunc hominẽ ire, ac sepelire Patrem suũ? multa respondeo: primùm, quia eius opera necessaria videtur nõ fuisse, aderant qui sepelirent. Deindè iuxta quorundam vt dixi n. 17. opinionẽ, quia Pater ipsius, & domestici infideles erant, cùm tamen hic homo in Christũ crederet; minimè ergò decebat vt se illis cõmisceret, ne fortè contaminaretur, vel saltem eius rei periculo se committeret. Ad hoc, ipse charitate viuebat, decebat autem vt mortui mortuos sepelirent suos, igitur sepeliri debebat is, qui mortuus erat corpore, non animo tantùm, ab his qui animo mortui erant, scil. vel ab infidelibus, vel certè à malis qui cũ charitate priuarentur, animo mortui erant, ita enim fiebat vt mortui suos mortuos sepelirẽt. Adde quod ad Euangelium prædicandum mittendus is erat: quare huic tam præstanti officio, posthabẽda erat sepulturæ cura. Postremò non id permisit Christus ne dum sepulturæ indulgeret, operamq; nauaret multis alijs emergentibus mundi negotijs implicaretur, quibus vel auerteretur à Christo vel certè retardaretur. Interim tamen Christus nec improbauit hominis huius consilium, nec expressè prohibuit ne iret; tantum quod perfectiùs, & præstantiùs erat exposuit, ne videretur affectum, pietatemque in Patrem damnare, Ambro. in cap. 9. Luc. non ergo inquit, paterni funeris sepultura prohibetur, sed necessitudini generis, diuinæ religionis pietas antefertur; illud consortibus relinquitur, hoc mandatur electis. vide D. Thom. 2. 2. q. 101. 2. 4. & q. vlt. 2. 6. Gregor. l. 7. Moral. c. 14.

20.

21. *Regnum Dei*] aduentum Messiæ, siue suum sic vocat; quo gratiæ tempus continetur, & promissionis, cùm cœlorum ianua mox aperienda foret.

22. Sed illud nonnulli in controuersiam vertunt, cur istum Christus ne ad Patrem quidem sepeliendum redire permisit ob rationes paulò antè in medium adductas, sed vt se protinus sequeretur admonuit; Scribam verò, etsi non reiecit vt dictũ est superiùs nu. 10. non tamen attraxit, vel gratiæ suæ beneficio præparauit, vt oblatam sequendi conditionem libenter admitteret. Huic dubitationi sic occurro: non nego potuisse Christum eum attrahere, disponere. ac præparare, quod eius gratiæ tribuendum fuisset, si fecisset. Quòd autem non fecerit iustè fecit ob illius peccatũ, & quia per ipsum stetit quo minùs veniret, vbi de Christo didicit id quod seruaturus erat; habebat verò ad hoc tantùm gratiæ quantùm satis erat, vt veniret si vellet. Quod verò Christus Dominus maiore auxilio non attraxerit, ipse itẽ in causa fuit, qui se indignũ præbuit, & hoc modo dici potest à Christo reiectus, vel repulsus: atq; adeò ita intelligendi omninò sunt Patres cum affirmant horũ alterum reiectũ, alterum receptũ fuisse. intuebatur porrò Christus amborum corda & quid futurum esset sat benè callebat. Quamuis neq; id negem si de quibusdam beneficijs sit sermo ad salutem non necessarijs, Aliquos etiam se offerentes reijci absurdum nõ esse si dicatur, licèt fortè vix vnquã id eueniat, vt quis se verè, & ex animo offerat, & tamen reijciatur, ne vitæ genus præstantiùs, ac securiùs amplectatur, cùm præuidet Deus illum eo beneficio benè vsurum. Vide item Greg. homil. 13. lib. 1. in Ezech.

23.

B 6. *Renuntiare*] ambigua sunt verba græca ἀποτάξασθαι τοῖς τὸν οἶκόν μου, aut renuntiare bonis meis, deque illis disponere; aut valedicere domesticis meis. Posteriorem sensum, Cyrill. apud D. Thõ. & Beda sequũtur. August. 2 de consen. Euang. c. 23. videtur probare magis priorem: vertit. n. *renuntiare his quæ domi sunt*, quod confirmari potest: nam τοῖς τὸν οἶκόν μου, magis de rebus, quàm de personis dici posse videtur. Idem tamen Aug. serm. 7. de verb. Domini, interpretatur, *renuntiare*, esse certiores reddere suos. D. Basil. const. mona. c. 21. explicat, idem esse, ac res suas componere. Verùm finis huius renuntiationis secundũ Titum Bostrenum erat, vt suos consuleret. Videtur aũt *renuntiare* sumpsisse Titus pro certiores facere. verùm non placet, hunc finem habuisse istũ, dicere; nam absolutè dixerat, sequi se velle Christũ, nec adiecit, si mei id consuluerint: Iuxtà August. verò ser. illo 7. de verb. Domini, finis eius renuntiationis videtur fuisse, ne sui illum nõ videntes ãxij, ac solliciti essent, propterea illis renũntiare. i. certiores illos reddere volebat. Basilius verò ait, finẽ eius fuisse, vt sua componeret. meo iudicio Emmanuel optimè exposuit; renuntiare idẽ esse quod vale dicere datis mandatis, vt Act. 8. vbi idem verbũ græcum: & hoc indicat ille dicendi modus, *renuntiare his, quæ*, nõ *quis* sed sub hoc fine cõtinetur velle etiã suis vale dicere nõ modo rebus, sed etiã amicis, imò & illos certiores reddere; & hoc idẽ videtur mihi significare Basil. dum *renuntiare* explicat; esse cõponere sua.

24.

C

25.

7. *Nemo mittens*] Metaphora ab aratoribus sumpta. Glossa: *arans si retrò respiciat, aut inutilem, aut tortuosum faciet sulcum, aut boum vestigia vulnerabit; ita qui spirituali vomere vitia persulcat, si se ad impia & vana conuertat; corpus & animam vulnerabit, & itineris periculosum incurret errorẽ*: quibus

D constat quid sit secundùm Gloss. mittere manum suam ad aratrum, & respicere retrò. Aliter quid sit mittere manum suã ad aratrum, & respicere retrò, declarat Cyrillus: *velle*, inquit, *consulere proximos non consensuros, erat vtcumq; labentis: apposuit manum aratro qui habet affectũ sequendi; tamen respicit retrò qui dilationem petit occasione redeundi domũ, & cùm propinquis conferendi.* quare iurè August. de verbis Domini inquit: vocat te oriens, & tu attendis occidentem? hoc est, mittere manum ad aratrũ & respicere retrò. D. Gregor. hom. 3. in Ezech. Acõmodat ijs, qui redeunt ad ea peccata quæ prius ad Deum conuersi reliquerant. sed potius est accõdatio: Porrò mysticè Beda manum ait, ad aratrum mittit, qui quasi compunctionis instrumento, ligno, & ferro Dominicæ Passionis duritiem cordis atterit, & ad operum fructus aperit: Sed non est cũ vxore Loth ad ea quæ reliqueris respiciendum: & si sequuturus Dominum, quia vel domi renuntiare vult, arguitur; quid fiet illis, qui sæpè nulla vtilita-

26.

27.

28.

tis gra-

tis gratia eorum, quos in mundo reliquerunt domos visitant? sed sensum totũ litteralem huius v. 7. clariùs exprimit Maldonat. Luc. cap. 9. 62. licet inquit, eádem ferè sententia nomine *Regni Dei* (vt hic habes v. 7.) & cœlũ ipsum, & Ecclesiã, & discipuli Christi officium, intelligere. Nam qui retrò respicit, neq; ad Regnum cœlorũ quo tendit facilè perueniet, neq; Ecclesiam quasi Dei agrũ benè arat, & colit; nec bonus est discipulus Christi, qui vt alia curet negotia, ab eius latere discedit. Sed hoc loco Christus de ijs qui idonei nõ erant vt discipuli illius essent, speciatim agere videtur. Nam ille qui dixerat *sequar te Domine, sed permitte prius renuntiare his, quæ domi sunt*, eius procul dubio discipulus fieri volebat. Itaq; *Regnum Dei actiuè* intelligendum est q. d. *nemo mittens, &c. aptus est regno Dei*. i. vt discipuli Christi munere fungatur in euangelij præsertim prædicatione. Sanè Euangelij prædicatorem militi similem esse necesse est, liberum, nullisque alijs affixum curis: *nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus*, 2. ad Tim. 2. 4. *& ij qui in stadio currunt ab omnibus se abstinent*, 1. ad Cor. 9. 24. 25. ad Phil. 3. 13. 14. de se loquens Paulus ait: *quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatũ persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei*. Ex quibus intelligere est, quid sit mittere manũ ad aratrum: est enim Dei militiæ nomen dare, est in stadio velle currere, à Deo vocatum esse (vt Gyrill. superiùs nu. 27. relatus præclarè significat) at *retrò respicere*, est ad priores sæculi huius curas animum conuertere. Ex his patet sensus istorum verborum. Ab hac interpretatione, quã videtur etiã Orig. tract. 35. in Matt. attigisse (eadẽ enim verba de prædicatoribus exponit) non discrepat Tolet. ferè annot. 132. cùm ait: nõ solum respicere retrò esse cõuerti ad opera temporalia, sed etiã cessare ab opere inceptо, & id intermittere, quod iste iuuenis faciebat. hoc autẽ intellige absq; necessaria vel vrgenti causſa, præsertim cùm adest periculum perdẽdi opus inchoatum; idq; in hoc eodẽ iuuene significatur adfuisse. Non enim solùm occasio sequendi Christum præcidebatur per reditum ad suos, sed etiã periculo se ipse exponebat mutandi bonum consilium. Mitto q; rediẽs retardasset Dei vocationẽ, & prædicationem regni, cui Christus cũ discipulis vacabat. quæ præsertim locũ habent, si iam iste erat discipulus Christi, q; innuit Basil. quamuis fortè non ita indiuiduus, vt qui nondũ reliquisset sua: vel saltem vt ait Cyrill. iam conceperat affectũ sequendi Christum, quòd est misisse manum ad aratrum. nam & vocatus fuerat, & vocanti consentire decreuerat, & iam saltem affectu consenserat. Et hoc nomine manum ad aratrum misisse dicendus est. Illud non est dissimulandum hic, quod Matthæo, & Zachæo permissum est, sua disponere, cum hoc ipsum huic negatum fuerit. Videlicet illi pecuniosi erant, & negotijs impliciti, & ita necessaria, & vrgens aderat causſa quæ in hoc iuuene non erat.

Cæterùm in his tribus qui Christum sequi volebant, duo docemur, primùm non debere se quemquam ingerere prædicandi officio, bonorum caducorum intuitu. Deindè, eum qui à Deo vocatur nullam trahere debere moram, nec pietatis vel honestatis prætextu de die in diem differre, sed mox relictis omnibus vocanti obediendum, iuxtà illud Eccl. 5. *nè tardes conuerti ad Dominum, & nè differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te*. Multa quæ ad mores faciunt apud Barrad. inuenies. Moraliter, Gregor. 4. Moral. tunc ait, *mortui mortuos sepeliunt cum peccatores peccatoribus fauent.*

A

CAPVT XIV.

MARIS TEMPESTAS SEDATVR.

A. 8. 23. B. 4. 35. C. 8. 23.

1. C. *Factum est autem in vna dierum, & ipse ascendit in nauiculam.*
2. A. *Et ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius.*
3. B. *Et ait illis, in illa die cùm serò esset factum, transeamus contra* C. *trans stagnum; & Ascenderunt.*
4. B. *Et dimittentes turbam assumunt eum ita vt erat in naui, & aliæ naues erant cum illo.*

B

5. C. *Et nauigantibus illis obdormiuit.* A. *Et ecce motus magnus factus est in mari* C. *& descẽdit procella venti in stagnum* B. *& fluctus mittebat in nauim ita vt impleretur nauis* A. *& operiretur fluctibus.*
6. B. *Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens.* — C. & complebantur & periclitabantur.
7. A. *Et accesserunt ad eum discipuli eius & suscitauerunt eum dicentes:* B. *illi.*
8. *Magister non ad te pertinet quia perimus* A. *Domine salua nos perimus.* — C. Μῶσα & Μῶσατα.
9. *Et dicit eis Iesus: quid timidi estis modicæ fidei? tunc surgens* C. *increpauit ventum & tempestatem aquæ.* — A. imperauit ventis, B comminatus.

C

10. B. *Et dixit mari; tace, obmutesce, & cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna, & ait illis: quid timidi estis, nec dum habetis fidem?* C. *vbi est fides vestra?*
11. A. *Porrò homines mirati sunt* B. *& timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: quia* C. *& ventis & mari imperat, & obediunt ei.*

SCHOLIA.

D

PERPENDENDA est hic ratio ordinis. Narrat Matt. hanc tempestatem excitatã ante doctrinam illam parabolarum, quam ipse tradit ca. 13. at Marc. & Lucas statim post parabolas subdũt hanc de tempestate commota historiam. Sed proculdubio legenti Matth istud quod hic scribitur, apparebit in hac transfretatione, cuius fit mentio in hac historia cõtigisse. transfretatio porrò hæc non est facta statim post parabolas, quæ à Luc. 8. & Marc. cap. 4. & Matt. c. 13. traduntur. Ratio est quia quando Christus has parabolas turbis edisserebat, erat in naui, posteà narrat Matt. Christum dimissis turbis domum venisse; nõ igitur post eam doctrinam transfretauit. Quare cùm dicit Marc. eum illa die cùm serò factum esset transfretasse, vsurpat diem pro tempore illo, quo erat in Galilæa: quod Lucas significat dicens, indefinitè; vna dierũ. Præterea ostendam, quod hæc transfretatio ante parabolæ explicationem facta est, atque ita fiet planum Lucam, & Marcum nec temporis, nec rerum Gestarum ordinem sequutos fuisse, id quod Matt. præstitit ex Chrysost. homil. 29. in Matth. & Aug.

1.

2.

1. 2. de consensu Euang. cap. 23. & probatur ex Matt. 8. vbi videmus Christum transfretasse, fecisseq; ea quæ Luc. & Marc. narrant, iterumq; reuersum fuisse, & paulò pòst Matth. vocasse, Matth. 9. & tamen quando parabolas explicuit erant duodecim Apostoli cũ illo ex Marc. 4. non ergò transfretatio cuius mentionem Lucas & Marc. fecerunt, post parabolas facta est; nam nondũ erat vocatus Matt. cùm Christus trãsfretauit, & tamen vt dixi, quando parabolas docuit, aderat Matth. cum alijs discipulis. Igitur ex dictis patet, hanc historiam euenisse in hac trãsfretatione ante parabolas. Hæc de ordine.

3. 1. *In vna dierum*] hæc declarata sunt dum tradidimus rationem ordinis nu. 2. sicut & cùm dicitur *in illa die*, ver. 3.

2. *Ascendente eo*] vide Origen. hom. 6. in diuer. Chrysol. serm. 20. 21.

3. *Et ait illis*] post sermonem, vt mox dicam nu. 4. cùm tarda iam esset hora.

4. *Contra*], i. vt ait Lucas, vt trans stagnum irent ad alteram ripam, hoc enim est Contra græcè διὰ θαλάσσης, τὸ πέραν Marc. 4 videtur Dominus cõscensa naui cum discipulis, ex ea docuisse aliquantulũ, & imminente vespera imperasse vt soluerent: sic enim illa v. 3. *transeamus contra stagnũ, & ascenderunt:* item v. 4. *& ascẽdentes & dimittentes turbam assumunt eum vt erat in naui*; hæc inquam τὸ *ascenderunt*, & τὸ *assumunt* ita intelligenda sunt, videl. non de ascensu, & assumptione in nauim, in qua iã ascẽderant Christus & discipuli, sed de soluti one, & assumptione seu abductione in altum. Quod ex verbo græco meliùs declaratur: græcè. n. habetur ἀνήχθησαν *subducti sunt*, scil. in altũ. Est porrò idem verbũ apud Luc. c. 5. cùm dicitur; *rogauit à terra reducere pusillum*. i. abducere, ἐπαναγαγεῖν. sed hic in passiua significatione ponitur. *Itaque ascenderunt*] intellige in altum. Alij vertunt *soluerunt*, alij *prouecti sunt*, seu abducti sunt à litore in altũ mare nauigantes. Hoc idẽ explicat Marc. cùm ait: *& eum ita vt erat in naui*. i. vt prius erat in naui quãdo docebat turbas, *assumunt*, hoc est, in altũ mare vehũt. nec significat quod vel decumbentẽ, vel sedentem ferrent, sed vt prius erat docens positus in naui, sic eum scilicet, positum, & manentem in naui, in altum prouehunt.

5. Barrad. obijcit; ergò Marc. significat Christũ soluisse post parabolas, quod est n. 1. & 2. negatũ: nam si exponamus ita vt erat docens assumptum fuisse, cùm Marc. parabolarũ tantum doctrinam præmisisset, nõ aliã; sequitur, Christum assumptũ post eã doctrinã. Respondeo nõ est necesse dicere post parabolarũ doctrinam assumptũ cùm Marc. ait, eum assumptũ ita vt erat, sed tantum significat docuisse, & ita vt erat prius docens, quamuis nõ illas parabolas, assumptũ esse, nec descendisse. Voluit. n. docere, Christum in nauim fuisse ingressum, & post doctrinam præcepisse vt trans fretum nauigarent, antequam descenderet, statim ipsos obedisse.

6. Iterùm dubitabis, quid sibi vult Matth. cùm (vt præcedẽti ca. 13. v. 1. habes) scribit Christum iussisse ire trans fretum, cùm videret turbas multas circum se, An hoc præceptum Matt. fuerit idem cum hoc Lucæ & Marci, cùm aiunt, dixisse Christum, *transeamus contra*, vel *trans stagnum*. Respondeo, idem est, sed non omninò, hoc est, de eadem re, sed non eodem tempore datum; nam Matt. loquitur antequã Christus conscenderet nauim, antequam doceret. At Luc. & Marc. loquuntur de eo quod dixit, post doctrinam cùm esset iam in naui positus.

4. *Assumunt eum*] Hoc v. 3. est declaratũ, n. 4. & 5.

7. *Aliæ Naues*] Marcus addit, alias naues fuisse cum illo Gr. καὶ ἄλλα πλοιάρια ἦν μετ' αὐτοῦ illud *cum illo* græcè, & ad nauim, & ad Christum referri potest: referendum tamen videtur potius ad

A Christum: Euthymius ad nauim refert, quæ græcè est neutrius generis. Idem semper est sensus. Non est aũt vero absimile, has nauiculas sequi voluisse Dominum, licet bona pars turbæ remanserit in litore: sic. n. ait Marcus, *dimittentes turbã* & c. voluisse aũt videtur Dominus vt aliq naues ipsum comitarentur inquit Euthy. vt constaret nõ casu, vel natura, sed suo ipsius consilio ac prouidentia tempestatem illam fuisse coortã, vt ipse edendi miraculi materiã, occasionemq; haberet, cùm viderent oẽs non alias naues in quibus alij erant, sed tantũ eam in qua ipse Christus erat tempestate iactari, vt Beda, & Strabus factũ putant, licet id mihi nõ admodum verò simile videatur. Glossa docẽs vnde nam orta sit hæc tẽpestas, in Christum refert: non ex se inquit, orta est hæc tẽpestas, sed Christi imperio, sic Orig. hõ. 6. in Diuer. Beda & alij cum quib⁹ sentiendum iudico. Sed quamobrem excitatam dicemus? Eadem glo. ordinaria habet, vt discipuli magis timeant, & rogẽt, & rogantibus ostendat Christus potentiã suam, sic Origen. hom. cit. Theophy. verò ait, permissum esse vt discipuli ad tentationes exercerentur, & per miraculũ crederent. Ambros. Luc. 5. vnde sumpsit Beda Luc. 8. coortã esse ait tẽpestatem, turbatamq; nauim, quæ Iudam vehebat: sed incertum est tunc Iudam improbum fuisse.

B

5. *Et nauigantibus illis*] tria videntur hic non casu, neq; natura, sed cõsilio & prouidẽtia Christi facta esse; primum quod Christus solus cum discipulis nauim vnã conscenderit, vt videtur haberi posse ex Luc. 8. 23. idque vt posset liberius eorũ reprehendere diffidentiã. Alterum vt tempestas exorta sit, excitat enim Deus aliquando tẽpestates vt probet, sicut cum Iob factum est. Ait aũt Chrysost. turbationẽ hanc typum fuisse futurarum tentationũ. tertium, vt Christus dormiret, quẽ, etsi verum & naturalẽ, non simulatum somnũ fuisse credendum est, voluntarium tamen, & procuratũ vt tempestas eo dormiente, & quasi sine eius consilio, oriretur. hæc quidẽ vero similiter dicuntur: quamuis opiner verosimilius esse in eadẽ naui qua vehebatur Christus, etiã saltem nautas aliquos fuisse, & fortè paucos etiã alios qui homines inferiùs dicantur, non solos discipulos. *Obdormiuit*] Chrysost. hom. 29. in Matt. & victor Antiochenus Marc. 4. scribũt, si vigilantem vidissent Christum, aut non adeò timuissent discipuli, aut nõ peterent ab eo salutem, qui pericula eorum videret, aut non ita ardenter petissent, aut non posse ipsum fluctus sedare putassent; idcircò dormit vt & timoris causa ipsis maior præberetur, & vehementiùs ab eo opem peterent, & sensus eorũ apertior ad videnda miracula redderẽtur. Et Lyranus; dormit vt veritas humanæ naturæ in eo ostẽderetur, & vt discipuli in periculo positi ad ipsũ recurrerẽt. Origenes, dormiebat corpore, vigilabat Deitate. Glossa, dormit Dominus. i. fides Domini, cũ negligẽtius agimus, & ideò tempestas. Si verò fides resurgit, imperat ventis, & fluctibus. Hieró. figura huius, cùm Ionas dormiret cæteris periclitantibus. de differẽtia inter somnũ Christi, & nostrum, lege Tolet. annot. 43. in Luc. 8.

C

D

Hic mihi Lector, Iesum considera, prius quidem suauissimè in puppi declinato capite in ceruical, (vt habes hic v. 6.) vulgare videl. & nauticũ puluinar, dormientem: nisi velis ligneũ fuisse ceruical in puppi fabrè factũ ex Theophyl. & Euthym. deindè placidissimè oculos aperientẽ ad clamorem discipulorũ: mox verò, & surgentem, & discipulos è vestigio increpantẽ, mari pro imperio minitantem, obiurgantẽ ventos, & mari dicentẽ: *tace, obmutesce*. Ad hæc cessat ventus, subsidunt fluctus, mare, simul vento cadente, cõponitur, fit tranquillitas amenissima. Iterumque Christus discipulos obiurgat, discipulos enim semel obiurgauerat, vt

eos

Digitized by Google

eos metu liberaret, & disponeret tantò melius ad miraculum excipiendũ & intelligendum. Iterùm verò obiurgat, vt animo iam quieto fidei infirmitatem agnoscant, eamque confirment, & corroborent magis, & ad alias perturbationes ferendas alacriter animentur.

14. 7. *Suscitauerunt*] Origen. hom. 6. in diuer. asserit Christi discipulos tãto timore correptos fuisse, vt penè extra se facti irruerent in eum, ita vt excedentes modestiæ, & lenitatis limites turbulentè excitarent eum dicentes: *Præceptor, vel Domine non ad te pertinet* &c. perimus &c. quod non est incredibile cùm in manifestissimum vitę periculum se incidisse viderent, & graui tempestate iactari, accedente parua adhuc præsertim fide. verùm secus euenire par erat: nam cùm Saluatorem secũ haberent, nõ erat, quod periculũ timerent, vel de salute dubitarent; cumq; vita cùm illis esset, nihil erat quod de morte angerentur. Quod verò Luc. ait, discipulos ad Christum accedentes dixisse, Μάκαρ Μάκαρ. id est, *magister, magister*, significat in eum quodãmodo irruisse, ac summa celeritate opem petijsse.

15. 8. *Non ad te pertinet*] non est tibi curæ, q. d. in tanto periculo non subuenire, est hominis nõ curantis salutem nostram. Aliter Matt. aliter aliquo modo Luc. referunt hæc verba, sed cùm plures discipuli loquerentur potuêre hi dicere, *salua nos*, vt Matt. illi, *non ad te pertinet*, vt Marc. alij *præceptor*, *præceptor*, vt Luc. habet græcè: vel nõ curarunt Euangelistę verba scribere, satis contenti sensu verborum. lege August. 2. de consen. Euangelist. c. 24.

16. 9. *Tunc surgens*] Gr. τότε ἐγερθεὶς. Tunc expergefactus increpauit ventũ &c. licèt Marc. dicat vento comminatum esse, non tamen negat id etiam cùm Marci factum esse, quod alij Euãgelistæ exprimũt: vtrique ergo comminatus est. *Tempestatem aquæ*] aquæ tempestatem vocat Luc. mare ipsum turbatum, commotum, agitatum.

17. 10. *Dixit Mari*] addit Marcus Ioli Mari dixisse vt tãceret, nam vt dicit Euthym. Matt. 8. maris cõmotio non ita facilè sedari solet vt ventorum: cadentib⁹ enim ventis adhuc mare tumet, ac fremit, terroremq; incutit, sic aũt cum imperio & minis loquutus est, vt se omniũ dominum declararet. *Et cessauit*] & hoc mirum est, quod simul vtrumq; factum sit, & venti posuêre, & mare deferbuit; sedatumq; illicò redditum est. *Necdum*] Matt. habet *quid timidi estis modicæ fidei?* Marcus, *quid timidi estis, necdum habetis fidem?* Lucas, *vbi est fides vestra?* August. dicit hæc omnia dicta à Christo, secũdo de consensu Euangelist. 24. Modica ista fides, de qua Matth. fuit causa paruæ fiduciæ in Christum dormiente; non enim animaduertebant, posse etiã illum dormiente liberare à periculis. Itaq; hîc fides non pro fiducia, quæ est in voluntate, sed pro fide ipsa intellectus ponitur, cuius paruitas, & infirmitas causa erat tam paruæ fiducię, lege Orig. hom. 6. in diuer. & Chrysost. hom. 29. in Matth.

18.

19. Adhæc obseruandum est, timorem causam & originem fuisse paruitatis fidei: quemadmodum timor in causa fuit, vt Petrus dùm Christo iubente super aquas ingrederetur, dubitarit. Itaq; non parua fides causa fuit timoris, sed è conuerso, timor fons fuit, & origo paruæ fidei ipso initio: non eo tamen inficias fidẽ hanc imminutam magis auxisse timorem, & hũc vicissim adhuc magis fidem infirmasse, & sic in vnam, eandemq; sententiã reuocari possunt qui ex fide natũ esse timorẽ, vel contra affirmant. Cùm ergò prima origo paruæ, vel imminutæ fidei timor fuerit, meritò Matth. priore loco timoris meminit; *Quid timidi estis* &c. Lucas verò dùm ait, *vbi est fides vestra* clarè significat Discipulos, prius, hoc est, ante hanc exortam tempestatẽ, vel ingruens periculum, cùm nondũ timerent fidẽ

Timor causa exiguæ fidei.

A habuisse, atq; adeò timorem vehementem in dubitationem illos induxisse, ne fortè dormiens Christus liberare eos non posset, atq; hoc modo timor fidẽ paruam, & imminutam reddidit: est ergò sensus Lucæ; vbi est fides vestra, quam prius in me habebatis q. d. nonnè prius credebatis me vos saluos, & incolumes reddere posse? Quid ergò nunc ancipites, ac dubios efficit? minusq; credentes, confidentesve me etiam dormientem posse vobis salutare afferre? Porrò sensus Marci, dùm ait; *necdum habetis fidem*; est, visis tot miraculis fidem iam perfectam habere deberetis, quæ tandem nondum in vobis apparet.

Obserua Apostolos, vt indicat Lucas, cùm ait: 20.
vbi est fides vestra implicitè saltem, ac virtute credidisse, posse Christum etiam dormiẽtem salutem afferre; conspectis enim tot miraculis maiora etiã de illo credebant, scil. vel esse filium Dei, vel mortuos ad vitam reuocare posse &c. in qua fide virtute continebatur id, quod minus erat. At quia fides hæc non ita altas radices iecerat, ingruente timore, actu ea de re dubitare cęperunt. Solent enim id animi affect⁹ efficere: propterea meritò à Christo reprehensi sunt.

Iterùm illud in dubium vocari potest: quo tempore reprehensi à Christo discipuli fuerunt, ante transactam tempestatemne, an post? Respond. ad hoc: probabilius videri id quod habet Matth. ante sedatam tempestatẽ dictum fuisse discipulis nempè, *quid timidi estis* &c. Mox sedata tempestate iterùm reprehensos esse, prout Marc. & Lucas referunt, & ita rectiùs conciliari videtur Euangelistæ, nec quicquam mutatur. Quamuis & illud probabile esse non negem, quod & Toleto placuit Luc. 8. an. 51. ante sedatam tempestatem omnia illa dicta esse potuisse hoc modo: *quid timidi estis modicæ fidei? vbi est fides vestra? necdum habetis fidem*, scil. perfectam. Primum tamen probabilius, quod nec Toleti ratio infringit; non enim cùm ait, *vbi est fides vestra?* negat eos fidem post sedatam tempestatem habuisse; sed sensus est: itanè tam citò relinquitis fidem vestram? ac tam citò obliuiscimini quæ vidistis, & credidistis? Non reprehendit autem Dominus discipulos ob timorem absolutè, est enim à natura, sed ob inordinatum, & nimium timorem, & non compressum, sed permissum labefactare aliquo modo fidem; & consequentem inde fiduciam, vel tollere, vel minuere. 21. *Apostoli quando à Christi reprehensi.* 22.

11. *Porrò homines*] Ego cum Hieronymo, Apostolos intelligo, & cum Beda & Origen. hom. 6. in diuer. eos qui in eadem naui erant, quod non negat Hieronym. Matt. 8. Nec mirum si discipulos *homines* vocet Euangelista cùm nondum potẽ tiam Saluatoris nossent. Porrò per *homines* eos intelligere, qui alijs vehebantur nauibus non est verosimile: nam illi non potuerunt tam citò intelligere Christi virtute factum esse miraculum: atqui hîc *homines* vocãtur, statim viso, factoq; miraculo stupuêre. Quid? quod Lucæ textus indicat Discipulos admiratos fuisse, & verba illa protulisse; *Quis putas?* &c. 23.

Timuerunt] non est hîc timor qualis prior, scil. mortis ex tẽpestate maris, ac ventorũ iactatione, & fluctuũ tumore proueniẽs; iam enim hoc timore carebant Christi beneficio. Erat ergò hic cuiusdã reuerentiæ timor, & venerationis plenus: proficiscebatur verò ex tantæ Christi maiestatis significatione, ac diuinitatis præsentia, quæ sese tanto edito signo repetè declarauit. Metuebant. n. ne fortè minùs essent reueriti tantum virum, q̃ par erat. Verũ admiratio ex rei nouitate coorta est: neq; .n. vnq̃ tale quid viderãt, illud. n. in primis fecit eos animaduertere tãti miraculi magnitudinẽ, q̃ se videbant ereptos tam præsenti magnoq; periculo. 24.

Digitized by Google

DIGRESSIO PRIMA MORALIS.

Quod Christus terræ, marisque Dominus sit, & quod Ecclesia, quæ naiculæ comparatur, vtiliter tempestate sæpè iactetur.

1. SAPIENTER Origenes homil. 6. in diuersos obseruat, se Christum ostendere voluisse non terræ tantũ, sed maris etiam Dominum, & Imperatorẽ; cùm enim edidisset plura in terris positus miracula, sanauerat enim socrũ Petri, eiecerat dæmonia, impositis manibus ægrotos plurimos curauerat ingentem piscium multitudinẽ concludi fecerat, quibus se in terris imperiũ habere non obscurè indicauit, transijt nunc ad mare, & suo illud imperio cõpescuit, quo se etiã maris Dominũ ostenderet.

2. *Christus terræ & maris Dominus.* Quam Christi potestatem, & imperium in terras, & plagus Ioan. Apoc. 10. expressit, narnat. n. vidisse se Angelum fortẽ descẽdentem de cælo amictũ nube, aitq; *& iris in capite eius, & facies eius erat vt sol, & pedes eius tanquam columnæ ignis*; refert deindè, posuisse pedem dextrum suum super mare, sinistrum autem super terrã. Angelum hunc si Bedæ, Rich. Vict. Pannonio, & alijs quibusdam credimus, Christum Dominum esse interpretabimur, vel Christum ipsum potius repræsentasse.

3. Et quidem Isai. 9. Christus *magni Consilij Angelus* secundùm 70. vocatur. Amictus erat nube, nimirũ tegumento purissimæ carnis ex purissimis visceribus candidissimæ Virginis desumpto. in capite ornabatur Iride, quæ signum est pacis, quia fœdus inter Deum, & hominem cõpositurus venit. splendor faciei eius erat vt solis, quia cùm inter homines versaretur, suæ doctrinæ luce, & miraculorum fulgore mortalium oculos perstrinxit. *splendor enim eius vt lux erit*, prædixerat Habacuch. 3.

4. Eius pedes instar duarum columnarum ignis, significant firmitatem, & stabilitatem prouidẽtiæ certę, ac ratę, qua Christus omnia prępotenti virtute administrat, & nè in nihilũ resoluantur potenter sustinet. Ita pedibus Christi tanquam firmissimis quibusdam columnis vniuersa mundi moles, & Ecclesiæ fabrica sustentatur, quæ igneæ dicũtur, quod prouidentia immensum, & ardentem Dei amorem erga creaturas lucidissimè ostendat.

5. Quod verò pedem dextrum in mari, sinistrum in terra haberet, innuit Dominũ, & Imperatorem esse illũ maris, & terræ, quibus interim eius in vniuersum mundum potentia declaratur. Porrò dexterum pedẽ, qui robustior est super mare, quod natura sua inquietum, & procellosum est, habet: sinistrũ verò, qui imbecillior, super terram natura immobilẽ, quia Christus vbi maiores aduersus Ecclesiam procellæ excitatæ fuerunt, ibi maiorem suam vim, & potentiam ostendit. Quoniam igitur terræ, marisq; habet imperium, non in terra modò, sed in mari etiam suam exercet potestatem.

6. *Ecclesia naicula.* *Ascendit in nauiculam*] Ecclesia nauicula dicitur, quia humilium & paruulorum est, non elatorum, & propterea grano sinapis similis

A esse dicitur. hinc quoq; est quod ij, qui in ea rectores sunt, & gubernatores, non dominari debent, sed tanquam ministros gerere se debent. *Reges*, inquit Dominus Luc. 22. *gentium dominantur eorum, vos autem non sic, sed qui maior est inter vos, fiat sicut minor.* quod si Clemens Ecclesiam nauem magnã vocat, non mirum, quia de interiori Ecclesiæ vi, & efficacitate loquitur, licèt externa facies parua sit, doctrina etiam eius, & sapientia maxima est. hanc nauem Christus ingreditur cũ suis, hoc est, fidelibus.

7. *Ecclesiæ malum crux est.* Huius nauiculæ malus, crux est, carbasa virtutes, aura illam prouehẽs, Spiritus sanctus, de quo Dauid Psalm. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Contra eam nulla prævalet inimica potestas, nullum est periculum, quod euertere illam possit, nulla tempestas,
B non Syrtes, non Scylla, vel Charybdis. Denique *porta inferi non prævalebunt aduersus eam*, extra quam, qui spatiosum hoc mare, & vastum Oceanum ingreditur, certissimo periculo sese committit. Reliquarum enim omnium nauium, si quæ mundi pelagus nauigant robur, & fortitudo soluetur iuxtà illud Isaiæ 23. 14. *vlulate naues maris, quia deuastata est fortitudo vestra.*

8. Propterea meritò Ecclesia per *arcam Noë* significata est, in qua tantum salui facti sunt à diluuio, quo vniuersum genus hominum perijt, ij, qui eam ingressi sunt. in quo dissimilis valdè est Ecclesia Synagogæ, extra hanc enim poterant homines salutem consequi, at non extra Ecclesiam possunt.

9. *Comparatio Ecclesiæ cũ naui.* C Hæc autem comparatio Ecclesiæ cum naui insignem quandam Ecclesiæ notam designat, vt enim nauis diuisionem, solutionem ve nullam patitur, quãuis minima sit, hauriret enim inde aquam, & demergeretur. ita Ecclesia Christi vna est, schisma nullum admittit, vel diuisionem patitur. & qui Ecclesiam lacerare, ac diuidere conatur, plurimum aberrat, & Ecclesiæ vnitatem non tenet. Verum est enim illud. *Vnica est columba mea, perfecta mea*, Canticor. 6. 8.

10. *Hæretici & schismatici peiores tortoribus Christi.* Crudeliores isti profectò sunt, qui Ecclesiam scindere, ac separare contendunt, immanibus Christi tortoribus, qui quamuis innumeris, & atrocibus vulneribus eius corpus affecerint, tunicam tamen eius inconsutilem
D scindere ausi sunt nunquam, sic Cyprian. lib. de vnit. Ecclesiæ, tunica hac inconsutili, Ecclesiam significari vult, quam nunquam lacerari patietur Deus, quamuis in manus veniat crudelissimorum hostium.

11. *Ecclesia cornu Rhinocerotis.* Quare non ineptè ij mihi facere videntur, qui Ecclesiam cornu Rhinocerotis similem volunt; Christus enim rectè Rhinoceroti cõparatur ob fortitudinem, & robur, & de eo dicitur Num. 23. & 24. *cuius fortitudo similis est Rhinocerotis.*

12. Iam planum est ijs, qui in Scripturis versati sunt per *cornu* sæpè regnum significari, cornu igitur Rhinocerotis, id est, Christi regnum Ecclesia est, quæ quoniam vna est, rectè per cornu Rhinocerotis, quod solum vnum est, significatur.

13. Contra verò crudelis illa & cruenta bestia Apocal. 13. *capita habebat septẽ, & cornua decem,*

Digitized by Google

& super cornua eius Decem diademata, & super capite eius nomina blasphemiæ, quo horribili monstro, rectè regnum Diaboli significatur, quod scissum in innumeras sectas est, quæ longissimè inter se dissident, hoc vno tantum concordes, quod Ecclesiam Christi persequãtur, & oppugnent.

14. In hoc quoq; similis est Ecclesia naui, quod sicuti hæc aperta est, qua cœlum respicit, & per ampla; qua verò aquas tangit, angusta, & clausa, & benè munita, ne fortè aquæ illam penetrare valeant, sic Ecclesia qua cœlum respicit, spatiosa, lateque patens conspicitur. intelligit enim omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum esse.

15. Similis enim est terræ illi de qua Deuter. 11.10. dicit Dominus: *terra, ad quam ingrederis possidendam, non est, sicut terra Aegypti, de qua existi, vbi tacto semine in hortorum morem, aquæ ducuntur irriguæ, sed montuosa est, & campestris, de cœlo expectans pluuias, quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt.* Iterùm arcta est, & angusta eadem Ecclesiæ nauis qua parte mare, hoc est mundum tangit. Versetur enim oportet inter homines, & terrenis indiget subsidijs, sed paucis contenta est, iuxtà illud Apostoli 1. ad Timoth. 6. 8. *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus*, scio Diuum Hieronymum etiam animam iusti nauiculæ comparasse.

16. *Et nauigantibus illis obdormiuit; & ecce motus magnus factus est in mari*] præsens coram aderat Christus Dominus discipulis suis, quos vehementer diligebat, & tamen dormit eo tempore, cùm coorta tempestas terreret discipulos, quia nimirum non ideò liber est iustus à tempestatibus, id est, persecutionibus, angustijs, & calamitatibus, quod secum præsentem habeat Deum.

17. Quod qui non intelligunt, similes sunt Gedeoni strenuo Israelitici populo duci, cùm enim eum comiter salutasset Angelus: *Dominus tecum virorum fortissime*; respondit Gedeon: *obsecro mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia?* quasi verò non dicat Deus, *cum ipso sum in tribulatione*, Psal. 90. ergò bono suo, iusto dormire videtur Christus, dùm ad meritum eius, & exercitium virtutis sinit illum persecutionibus exerceri, & expoliri, licèt interim vires subministret, quibus eas toleret, & vincat. valdè enim vtiles sunt.

18. Quod quidem declarat Augustin. eleganti exemplo, & valdè accommodato serm. 78. de tempore: *Concepit*, inquit, *de Isaac Rebecca, quia conceptura erat spiritaliter de Christo Ecclesia, sed sicut duo paruuli in vtero Rebeccæ collidebãtur, sic in vtero Ecclesiæ duo sibi populi iugiter aduersantur. si enim aut soli mali, aut soli boni essẽt, vnus populus esset, quia verò in Ecclesia & boni inueniuntur, & mali tanquã in ventre spiritalis Rebeccæ duo populi collidũtur, humiles &c. & superbi, casti, & adulteri; mansueti, & iracundi; benigni, & inuidi; misericordes, & cupidi. Boni enim luctari volũt malos, mali verò extinguere cupiunt bonos. & postea; de vno ergò semine Isaac, & Esau nascitur, & Iacob; sicut de vno baptismo Domini Saluatoris, & de Ecclesiæ vtero procreatur populus Christianus, qui tamen pro morum diuersitate, sicut Esau, & Iacob in duas partes diuiditur; cùm autem Rebecca molestiam illam ex collisione puerorum non sustineret, ac diceret; si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? ait illi Dominus: duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo diuidentur, populus populum superabit & maior seruiet minori. maioris nomine mali intelliguntur, quia semper maior est numerus malorum, quàm bonorum. quomodò ergò mali seruiunt bonis? nam secundùm litteram in Esau, vel in Iacob non videmus id impletum, non enim corporaliter Beato Iacob Esau seruisse commemorat scriptura. quod si hoc spiritaliter accipiamus, facilè intelliginus malos bonis seruire non vtique obsequendo, sed persequendo. quomodò ergò mali seruiunt bonis? quomodo persecutores martyribus, quomodo lima, vel malleus auro, quomodò molæ seruiunt tritico, quomodò panibus coquendis fornalia, vt illi coquantur, ista consumantur, quomodò inquam mali seruiunt: quomodò in fornace aurificis palea seruit auro, vbi sine dubio palea consumitur, aurum probatur. non ergò glorientur mali, quandò bonis aliquas tribulationes immiserint, quia cùm illos persequuntur in corpore, se occidere probantur in mente.* Hæc ex August. quibus constat, quod persequantur mali bonos, vtile exercitium esse bonorum: nec propterea mirandum id à Christo permitti suis amicis euenire, cùm in bonum illorum tandem aliquandò cedat, si patienter mala tolerent cum ea, quam illis largitur, ope.

Sapienter Seneca epist. 87. auctoritate Demetrii confirmat; sine tentationibus vitam instar maris mortui esse. rectè, nam vt ego opinor, qui nullis in vita contrarijs agitatur ventis, moribũdo potius quàm viuenti similis est. ipsa quoque tempestas naues impellit, vt ad optatum portum citius appellant. sed iterùm rogo suauiter dormientem Christum super nauticum ceruical in puppi contemplemur, quod fiet altera digressione.

19. *Vita sine tentatione mare mortuum.*

DIGRESSIO II. MORALIS,

De conscientiæ securitate, & quomodò nos gerere debeamus, dùm nos rerum aduersarum tempestas exagitat.

1. *Conscientiæ bonæ securitas.*

FVRIT mare fluctus ad æthera tollit. Certant venti, sursum deorsum omnia elemẽta feruntur, & feri maris tempestas concutit vniuersos, & Christus tamen interim securus dormit, ac suauiter quiescit, omni sollicitudine immunis, & metu liber. *Exprimitur*, inquit Ambros. Luc. 8. *securitas potestatis, quod omnibus timentibus solus intrepidus quiescebat.* sic ille. sed etiam exprimitur, verissimum esse illud Prou. 12. *non contristabit iustum quidquid ei acciderit*, & cap. 28. *iustus quasi leo confidens absque terrore erit.* quod & poeta ille, quamuis Ethnicus testatus est lib. 3. Ode 3.

Iustum & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis Tyranni
mentet quatit solida: neque Auster
Dux inquieta turbidus Adriæ
si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

Ceruical super quo securè dormit iustus in

2.

medio periculorum, ac procellarum mundi, imperturbati animi pax est, quę tribus nititur, bonæ conscientiæ securitate, qua fruebatur Augustinus cùm lib. contra Secundinum Manichæum cap. 1. sic scriberet: *Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* deindè consensione, & conformatione cum diuina voluntate, qua in primis enituit Iob, vndè identidem repetebat, *sicut Domino placuit, ita factum est*: postremò firma in Deum spe, sciunt enim iusti oculos Domini super ipsos esse, & *quod non in finem obliuio erit pauperis.*

3. *Conscientiæ malæ inquirendo.*

Verùm impij, & scelesti homines, quoniam bonæ conscientiæ, ac pacis huius cęruicali destituti sunt, dùm tempestas cooritur, non dormiunt, non quiescunt, cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis. *semper enim præsumit sæua, perturbata conscientia* sapient. 17. Præclarè, sapienterque M. Tullius in Pisonem: *sua*, inquit, *quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate, ac mente deturbat. hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces.*

4. Macrobius lib. 1. de Somnio scipionis ca. 10. *vulturem*, inquit, *iecur immortale rodentem nihil aliud intelligi voluerunt* (sapientes poëtæ) *quam tormenta malæ conscientiæ, obnoxia flagitio viscera interiora rimantis; & ipsa vitalia indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, semperq; curas si requiescere fortè tentauerint, excitantis, tanquam fibrus renascentibus inhærendo, nec vlla sibi miseratione parcentis lege hac, qua se iudice nemo nocens absolutur, nec de se suam potest vitare sententiam.* sic ille. sententiam intellige improbantis, condemnantis, & conuincentis conscientiæ.

5. *In calamitatibus ad Deũ fugiendum.*

Accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum dicentes: Magister, &c.] est nunc quod videamus, quomodò nos coorta tempestate siuè persecutionum, siuè calamitatum aliarum, præsertim verò cum iustè à Deo cędimur propter commissa scelera gerere debeamus. Principiò docent nos discipuli primam curam esse debere vrgente tempestate Christum adeundi, & quidem non sine precibus, lacrymis, corporis afflictatione, stabili emendandæ vitæ proposito concepto; absque his enim velle vt Deus tempestatem, & supplicium auertat quoddam superbiæ, & amentiæ genus est, tunc potissimum, cùm iustè ab eo punimur ob malæ actæ vitæ scelera; quod sapienter D. Gregorius lib. 8. epist. 41. ad Episcopum Carthag. grauibus verbis docet: *in flagellis*, inquit, *positos, flagellus digna committere contra ferientem est specialiter superbire, & sauientis acrius iracundiam irritare. Atque est primum genus dementiæ nolle quępiam à malis suis iustè quiescere, & Deum iniustè à sua velle vltione cessare.* sic præclarè Greg.

6. *Ion. 1.*

Vide quæso quid scriptum sit de nautis Ionæ pòst horribilem coortam tempestatem. *timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deum suum. itemq; accessit gubernator ad Ionam, & dixit ei: surge, inuoca Deum tuum.* Disce de Ethnicis quid te oporteat facere, cum aduersitate vrgeris. stabit, crede mihi, mare à feruore suo, quod cum eisdem nautis factum esse scimus. *stetit*, inquit scriptura, *mare à feruore suo.*

7. Iterùm, dùm spiritalis tempestas instat, cõtendamus, quod & discipulos fecisse legimus, quasi dormientem Christum excitare. quam rem egregiè Augustinus sic interpretatur ser. 3. 17. homiliarum: ait enim: *audisti conuicium ventus est; iratus es, fluctus est; vento igitur flante, fluctu surgente periclitatur nauis, periclitatur cor tuum. audito conuicio vindicari desideras, & eccè vindicatus es, & malo alieno cedens, fecisti naufragium. & quarè hoc? quia dormit in te Christus. quid est, dormit in te Christus? oblitus es Christum. excita ergo Christum, recordare Christum, euigilet in te Christus, considera illum. quid volebas? vindicari. excidit tibi, quia ipse cùm crucifigeretur, dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt? qui dormiebat in corde tuo, noluit vindicari. excita illũ, recole illũ; memoria ipsius, verbũ ipsius; memoria ipsius, iussio ipsius. & dices apud te, si vigilat in te Christus, qualis ego homo qui volo vindicari? qui sum ego, qui in hominem exero comminationes? morior fortè antequam vindicer. & cùm anhelans ira inflammatus, ac sitiens vindictam, exiero de corpore, non me suscipit ille, qui noluit vindicari. non me suscipit ille, qui dixit: date, & dabitur vobis: dimittite, & dimittetur vobis. ergò compescam me ab iracundia mea, & redibo ad quitem cordis mei, imperauit Christus mari, facta est tranquillitas. quod autem dixi ad iracundiam, hoc tenete regulariter in omnibus tentationibus vestris. nata est tentatio, ventus est, turbatus es, fluctus est: excita Christum, loquatur tecum.*

8. Chrysologus sermone vigesimo, de hoc eodem Christi somno ait: *quid est quod ipse Christus futurorum præscius, præsentium sic videbatur ignarus, vt instantem procellam tempestatis horà tempus periculi non caueret, sed inter vigilantes omnes tunc solus teneretur in somno, quando imminebat sibi, suisq; tam grande discrimen? fratres gubernatoris peritiam non probat temperies serena, sed procellosa tempestas: blandiente aura nauim regit vltimus nauta: in confusione ventorum primi quæritur ars magistri.* sic ille. voluit ergò Christus dùm dormit oriri, & augeri tempestatem, vt tantò magis eius potentia appareret, & constaret auctoritas.

9. Tertium hoc ad duo hactenus explicata accedat, quod sub finem præcedentium verborum insinuauit Augustinus, increpa tempestatem; ventis, & mari impera. hoc est, compesce tempestatem, impera cupiditatibus, & fiet tranquillitas. dic iracundiæ, auaritiæ, libidini, cæterisque procellosis perturbationum ventis, cœlum, & terram miscentibus, hoc est, pacem, & animi quietem auferentibus. tace, obmutesce. atque ita optata potieris pace. obedierunt venti, & mare Christo, quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud. Audiet, & te perturbatio tua si virtute Christi te ipsum increpes, & impotentis animi motus frœnare contendas. vim tibi facito. neque vnquam à prauis animæ perturbationibus comprimendis desine, donec optata redeat tranquillitas.

10. *Confessio peccatorum faciendã in aduersitatibus.*

Quartò exoneranda est in tempestate nauis, qua in re imitemur oportet nautas illos, qui tempestate iactati miserunt vasa, *quæ erant in naui, in mare, vt alleuiaretur ab eis.* Ionæ 1. Proijce de naui, de cõscientia tua onera deprimentia, id est, peccata. Deindè aliter etiam exonera illam nè dimergatur, hoc est, attende, nè

crapu-

crapula,& ebrietate grauetur cor tuum; nam quid rogo submersit Sodomam, quàm saturitas panis,& abundantia,&otium ipsius,Ezech. 16.49. Ad hæc, alleuabis nauim; si ea quæ debes, restituas. Postremò de tuis diuitijs aliquid detrahe, & largire pauperibus, & sic nauim leuiorem efficies magno onere leuatam.

11. Quintò fac, quod solent nautæ cùm ventus vehemens irruit, solent tunc vela contrahere, nè fortè medijs in vndis arrepta nauis, impellente vento ad ima trahatur, ita cùm te turpiũ cogitationum venti agitãt, vela delitiarum cõplica,& corpus tuum ieiunijs, cæterisque afflictionibus cohibe, nè te fortè præcipitem in peccatum ruere faciat.

12. Tandem illud obseruant prudentes nautæ, nè dùm tempestate vrgentur ad loca terræ viciniora accedant, nè fortè in rupem, vel scopulum aliquẽ impacta nauis effringatur, quin in altum potius mare, ac vastum sese illi vi magna insinuant. Idem tibi faciendum spiritualiter est,dùm tempestate iactaris spirituali, dùm tentatio vrget, dùm exercet te persecutio,terram fuge,hoc est, mundi solatia deuita, tunc illud Dauidis vsurpa Psalm.76. *renuit consolari anima mea,memor fui Dei,& delectatus sum.*

13. Sed supremam manum huic digressioni illa sententia imponat,quæ sub finem huius capitis habetur.[b] *Quis putas est iste,quia* [c] *ventis, & mari imperat, & obediunt ei?* vel ex Matth. *qualis est hic, quia mare & venti obediunt ei?* sic enim homines illi potentiã Christi admirati dixerunt: Ait Christus mari, *tace,obmutesce,*& statim paret,imperat homini,& non obedit. An non iurè ad extremum iudicij diem omnis creatura contra rebelles peccatores armabitur? Venit vir Dei 3.Reg. 13. &ait, *ecce altare scindetur,& effundetur cinis, qui in eo est, & scissum est, & effusus est cinis de altari,* at non ita Ieroboam, sed lapidibus quoque ipsis durior, vocem Domini audire noluit. præcepit Deus igni Daniel.3. nè tres pueros combureret; mandauit Danielis 6. leonibus diuturna etiam fame exagitatis, nè Danielem tangerent: dictum factum, iussit mari:Iob. 38. 11. *vsque huc venies, & non procedes amplius,& hic confringes tumentes fluctus tuos,* & hoc factum esse ipsis oculis videmus. O obdurata mortalium corda. disce homo de creaturis,quę minimè rationis compotes sunt,obedire creatori.erubesce ait mare,quod quamuis turgidum,& inflammatum videar Christo iubente illicò conquiescam, tu verò tot monitionibus,& miraculis,tot instigationibus,& exemplis,tot acceptis beneficijs Domino tuo, & creatori ingratus parêre non vis. Sed ad alia pergamus.

Duritia hominis.

DIGRESSIO III.
MORALIS.

1. *Crux nauicula.* BEDA totam hanc historiam moraliter exponens ait: Nauicula arbor crucis,cuius beneficio adducti, maris, id est, mundi fluctibus emersi obtinemus litus patriæ cœlestis; ascendunt & discipuli, ait enim; *si quis vult venire post me, tollat crucem suam,* &c. Obdormit Christus tempore scilicet passionis; exorta tempestas,id est, persecutio Dæmoniacis flatibus excitata;Excitant Dominũ discipuli,cuius mortem viderant, resurrectionem optantes, surgit celeri resurrectione, ventum increpat, id est,superbiam Diaboli sedat, tempestatem, id est, insultantium Iudæorum Rabiem labefactat, increpat discipulos, exprobrauit enim post resurrectionem incredulitatem eorum.

Hosius tom.1.confessio. Polo. cap.29. hoc Euangelium ad nostra tempora accommodat. sic enim scribit: *Hoc discipulorum exemplum quicumque pij sunt, imitari debent. Vident nauiculam, in quam ascendit Christus, hoc est, Vnam, Sanctam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam, ita procellis, ac tempestatibus iactari, atque agitari, vt mergenda iam iam esse videatur. simul & hoc intelligunt tempestatis huius non postremam esse causſam, quod in vicarijs suis obdormiuit Christus, qui cõmodus huius mũdi deliniti, profundo somno ita sunt consopiti,vt quamlibet vellices, quamliber inclames, non queant expergisci. Confugiant ad summum Nauclerum Christum: accedant ad ipsum in fide nihil hæsitantes, eum in vicarijs suis dormientem excitent, ac supplici voce precantes, exclament: Domine salua nos, perimus. Expergiscere in ijs,quibus in gubernãda Ecclesiæ tuæ naui vices tuas committere dignatus es. Excitet eos è profundo somno spiritus timoris tui, ac per eos iam experrectos impera ventis, & mari, quo tandem aliquando sedatis tempestatibus, ab omnibus exoptata tranquillitas, consequatur,vt videntes homines mirentur, & glorificent te, dicentes; Qualis est hic, quia etiam ministris eius venti & mare obediunt?* Hanc bonus Hosius ratione docuit medendi Ecclesiæ malis, si fortè qui præsunt mali sunt, non ea, qua nunc sataniſtæ vtuntur, vt siue declament de loco superiore, siue aliquid scibant, nulla alia in re plus temporis consumant, quàm in Pontificibus maledictis incessendis, & in eorum fama multis etiam confictis criminibus laceranda. 2.

3. *Hæretici sathanistæ.*

4. *Prælatorum Ecclesiæ vitia tegenda.* Non ita Constantinus Christianissimus Imp. vt ex Theod.l. 1. c.11. habetur; cui cùm essent oblati libelli, in quibus crimina quædã sacerdotũ & Episcoporũ cõtinebantur, nõ satis habuit, q eos exuri fecit, cùm se ab illis,nõ eos à se iudicari oportere diceret: Verùm & hoc insuper adiecisse legitur: *si fortè suis oculis turpe facinus aliquod Episcopum designantem conspexisset,obtecturus id fuerit paludamento suo,ne cuius oculi ea re offenderentur.* Gregor. item tractans illum locum ex Gen.9.de Cham: *Quid est ergo,* 5. inquit,*quod filij verenda patris superiecto dorsis pallio auersi venientes operiunt, nisi quod bonis subditis præpositorum suorum mala displicent. Vt tamen hæc ab alijs occultent,operimentum auersi deferunt: quia indicantes factum, & venerantes magisterium noluut videre quod tegunt.* Sed semini Chanaan, hęreticis dico, solemne est, vt & vulgo,vt malè de principibus etiam bonis sentiant & sæpè illis falsa imponant crimina,vel vix audita,credant,cùm tamen *qui citò credit, leuis sit corde,* 7. Eccles.10. hinc illud,Regium est,*malè audire,cùm benè feceris.* Videlo. cit. Hosium plura in hanc sententiam scribentem. 6.

CAPVT XV.

SANATIS DVOBVS DAEMONIACIS DAEMONES IN Porcos permittit ingredi.

A. 8. 28. B. 5. 1. C. 8. 27.

1. B. *Et venerunt trans fretum maris in regionem Gerasænorum* C. *quæ est contra Galilæam.*

2. B. *Et exeunti ei de naui* C. *ad terram,* B. *statim occurrit de monumentis homo* C. *qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed* B. *domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iam quisquam poterat eum ligare.*

3. *Quoniam sæpè compedibus, & catenis vinctus, dirupisset catenas, & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare.*

4. *Et semper die ac nocte in monumentis, & in montibus erat, clamans, & concidens se lapidibus.*

5. *Videns autem Iesum à longè cucurrit, & adorauit eum,* C. *& procidit antè ipsum.*

6. B. *Et clamans voce magna dixit: quid mihi & tibi Iesu Fili Dei altissimi:* A. *venisti huc ante tempus torquere nos,* C. *obsecro te nè me torqueas.* B. *adiuro te per Deum nè me torqueas.*

7. C. *Præcipiebat enim spiritui immundo, vt exiret ab homine.*

8. B. *Dicebat enim illi: exi spiritus immunde ab homine.*

9. *Multis enim temporibus arripiebat illum.*

10. *Interrogauit autem illum Iesus dicens:* B. C. *quod tibi nomen est?* B. *& dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus* C. *quia intrauerant multa dæmonia in eum.*

11. B. *Et deprecabatur eum multùm nè se expelleret extra regionem (&)* C. *nè imperaret illis, vt in abyssum irent.*

12. B. *Erat autem ibi* A. *non longè ab illis,* B. *circa montem,* A. *grex multorum porcorum* B. *magnus pascens* C. *in monte.*

13. *Et deprecabantur eum spiritus dicentes:* A. *si eijcis nos hinc,* B. *mitte nos in porcos, vt in eos introeamus.*

14. *Et concessit eis statim Iesus* C. *exierunt ergò dæmonia ab homine* B. *& exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia & suffocati sunt in mari.*

15. *Qui autem pascebant eos fugerunt, & annunciauerunt in ciuitatem, & in agros: & egressi sunt videre quid esset factum.*

16. *Et veniunt ad Iesum, & vident illum, qui à dæmonio vexabatur, sedentem, & sanæmentis* C. *ad pedes eius* B. *& timuerunt.*

17. *Et narrauerunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei, qui dæmonium habuerat,* C. *quomodo sanus factus esset à legione,* B. *& de porcis.*

18. A. *& viso (Iesu)* C. *omnis multitudo regionis Gerasænorum* B. *rogare cœperunt eum, vt discederet de finibus eorum.* C. *quia magno timore tenebantur.*

19. *Cum q. ascenderet nauim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonia vexatus fuerat, vt esset cum illo, & non admisit eum, sed ait: vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui.*

20. *Et abyit, & cœpit prædicare* C. *per vniuersam ciuitatem (&)* B. *in Decapoli quanta sibi fecisset Iesus, & omnes mirabantur.*

A. Et cùm venissent trans fretũ in regionem Gerasænorũ, occurrerũt ei duo habẽtes dæmonia de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam.

B Homo in spiritu immũdo C. vir.

C. Et vinciebatur catenis & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta.

A. Et ecce clamauerũt dicentes.

C. Et rogabant illum nè imperaret illis vt in abyssum irent.

A annunciauerunt eum qui dæmonia habuerant. C. & in villas. A. & ecce tota ciuitas exijt obuiã Iesu.

C. permisit.

A vt transiret à finibus eorum.

IN CAPVT XV.

SCHOLIA.

V. 1. G *Erasænorum*] Gerasa, & Ierasa, olim Gergesa, Iosepho etiam tertio de bello secundo, Gerasi, Hieronymo verò de locis Hebraic. littera G. dictione Gargasi, dicta est Gargasi, insignis vrbs ac munita trans Iordanem, cuius Regio, monti Galaad iungitur, ac continetur. sita verò est supra montẽ, in vlteriori, hoc est, Orientali maris Galilęæ litore ex aduerso Tiberiadis, paululum tamen ab ea ad Aquilonem declinans. hanc olim dicuntur habitasse Gergesæi, qui à Gergesæo quinto filio Chanaan suam traxêre originem. Sed posteà cum hos filij Israel in promissæ terræ inuasione deleuissent, tenuit eam dimidia tribus Manasse.

I. Gerasa quæ ciuitas.

Ab hac Ciuitate circumiacens territorium *Regio Gerasænorum* vocatur, quam Matth. Græcè γεργεσηνῶν, id est, *Gerasænorum*, Marcus verò, & Lucas γαδαρηνῶν, hoc est, *Gadarænorum* vocant. Quare multi arbitrati sunt vnam, eandemque ciuitem tria hæc habuisse nomina Gerasa, vnde Gerasæni

2.

Digitized by Google

rasæni, Gergesa vnde Gergesæni, & Gadara, vnde Gadaræni etiam dicti, qui illam regionem incolebant. Sed ex Iosepho 2. de bello 19. 20. & 3. de bel. 2. Hier. de lo. Heb. lit. G. dictione *Gadara*, & Gergesa, Ptolomæo lib. 5. tab. 4. liquet Gerasam, & Gadaram diuersas fuisse ciuitates, ambas trans Iordanem ac mare Galilææ, nec longè inter se dissitas. Itaque credibile est eamdem hanc regionem ab vtraque ciuitate nomen accepisse, & à Gerasa quidem, quæ & Gergesa quibusdam etiam dicitur, Gerasænorum, & Gergesænorum: à Gadara verò Gadarænorum, & Gadarensium dictam esse. Latinus porrò interpres ideò videtur nomè Garasænorum vsurpasse, quod illud suo tèpore esset notius, & communius. nam & Hieron. in Abdiam primo scribens, eam Arabiæ partem, quæ prius *Galaad* vocabatur, suo tèpore nuncupatã asserit *Gerasam*.

3. Iosephus lib. 5. de bello c. 3. habet: Transannanæ Regionis Metropolim fuisse Gadara. Iosue 15. & apud Ioseph. 3. de bel. c. 6. fit mentio alterius Gadaræ citra Iordanem in Iudæa. Baronius anno Christi 31. scribit *Gergesænos* appellatos vt Heuæos, Cæthæos, Iebusæos, fuisse scilicet populos trans Iordanem, & lacum Genezaret positos, quorum ciuitates sint ab Hebræis excisæ ex Iosepho l. 1. antiquitatum 6. Earumque nomen tantum mansisse, licèt Hier. de locis Hebraicis dicat, supereße viculum supra montem iuxta stagnum Tiberiadis, qui *Gergesa* dictus est, ibique factum miraculum de porcis. Videtur autem Baronius distinguere Gergesam, à Gerasa. Porrò Gadaram dictam ait, à tribu Gad, cui etiam in sortem venit, quæ cùm à Iudæis esset destructa, Pompeius ex Iosepho l. 1. de bello, quintò, in gratiã liberti sui Demetrij Gadarensis restaurauit. in re peruetusta satis hæc adnotasse.

4. 2. *Statim occurrit*] cur vnius meminêre Marcus, & Lucas, cùm Matthæus duos commemoret? Respondeo licèt Marcus, & Lucas vnum occurrisse dicant, non tamen negant duos occurrisse, quod habet D. Matthæus. vnius verò tantum fecêre mẽtionem, siue quod iste vnus clarior, & celebrior esset, vnde eius curatione magis illustre redditũ sit Christi nomen, & latius se sparserit fama, vt Aug. 2. de consensu 24. vult; vel vt placet Chryso. quod iste idem sæuior fuerit, cuius sæuitiam quia Matthæus sigillatim omiserat, voluêre isti duo Euangelistæ latius prosequi, & ob id huius dumtaxat meminere, quod solum ipse voluerit Christum sequi & à Christo missus longè, lateque ipsum prædicauerit, nam de suis duobus nil tale narrat Matthæus.

5. *Homo*] Græcè apud Lucam additur *è ciuitate*, non quod tunc è ciuitate Gadarænorum fuerit egressus; è monumentis enim exijt; sed oriundum voluit Lucas significare ex ea ciuitate. *In monumentis*] Hebræi monumenta extrà ciuitatem in agris, desertisque locis habebant, quę excauabant, & excidebant in rupibus, vel in speluncis quæ plures caperent, extruebant. In his ergò locis domicilium hi dæmoniaci habebant. Chrys. hom. 29. in Matth. Euthym. Matth. 8. Victor Antiochenus Marc. 5. hanc assignant causam quamobrem in sepulchris dæmones versarentur, quo scilicet rudi plebi pernicioßum dogma persuaderent. nempe demortuorum animas in dæmones transformari. Quamquam & illud hinc declaratur; dæmones mortis auctores esse, eorum enim inuidia mors orbem terrarum ingressa est, itaque delectari se mortuis tanquam opere ipsis proprio satis indicant. Diuus Augustinus meminit huius erroris lib. de hær. cap. septuagesimooctauo, & eundem errorem tribuit Tertulliano sub calcem lib. de hær. cap. octuagesimosexto, sed Tertullianistis, non

6. *Dæmones mortis auctores.*

A Tertulliano tribuendum docet, Pamel. Paradoxo vndecimo. Vide Heieronym. epistola quinquagesimanona, ad Auitum libr. secundo contra Ruffinum, Chrysostom. homil. vigesimanona, Augustinus lib. nono de Ciuitate capite vndecimo. Sed cur non omnes, inquies, Dæmoniaci in his habitant locis? ad hoc Respondeo dæmones istos, qui nondum sunt in abyssum detrusi, non vno omnes loco morari, quosdam in aquis, alios in montibus, hos in syluis, alios alijs etiam terræ ac mundi partibus habitare. Fit ergò vt quidam etiam in sepulchris versentur mortuorum: cuiusmodi videntur fuisse isti qui hos homines inuaserant, eò enim trahebant hos miseros. meritò ergò Ecclesia fideles in locis sacris sepelit ad arcendos, procul-que abigendos cacodæmones. Illud hic est notandum, Marcum, & Lucam tanquam de vno spiritu loqui, illumque dicere, homo in spiritu immundo; istum, dæmonium habebat, nam licet multi essent, B vnus erat princeps totius illius multitudinis.

7.

8.

9.

5. *Videns autem*] ordo quo totius miraculi historia accidit talis fuit: Cacodæmon, statim ac intuitus est Dominum, occurrit ei, & ad pedes eius accidit; tunc Christus eius paruipendens adorationem, imperauit, vt exiret ab homine, quo imperio vexatus, & afflictus dæmon clamare cœpit, quid mihi & tibi, & cætera. neque enim ante præceptum clamauit: cùm autem vrgeret Christus præcipiendo, vt inde faceßeret, subiecit malus Dæmon, *obsecro nè me torqueas*. Et cùm adhuc pergeret Christus dicere, vt exiret, dixit; *adiuro te*, & cætera. tunc interrogauit Dominus, *quod illi nomen esset, & respondit, legio, cæpitque rogare, nè se in abyssum conijceret, sed in porcos abire permitteret*; tandem expulsus porcos inuasit: certè illa vers. septimo, præcipiebat & dicebat vers. octauo, indicant Christum, vel non semel præcepisse vt exiret, vel certè postquam semel præceperat perseueraße in eo præcepto, & ideò non mirum si Cacodæmonem locutum, rogaßeve non semel CHRISTVM legamus. C

Verùm hic dubitari potest: quamobrem cacodæmones hi occurrere potius ausi sint Christo, quàm fugere voluerint. Respondeo partim Christi virtutè coacti sunt, vt occurrerent, partim quia sentientes eius præsentiam quæ eos inuisibili modo torquebat, sperabant humili se prece aliquid quod vellent, impetrare posse. ad hoc, cùm sciret Dominus adeò sæuos esse hos dæmoniacos vt nemo auderet illos curandos ad Christum adducere, ideò sponte ipse ad eos adijt trans fretum, atque ibi cùm esset, voluit sibi præsto esse, & occurrere, eorum miseratus conditionem. Neque enim decebat vt vsque ad eos iret, eosque inquireret, ne gloriam aucupari D videretur. Quare non in eorum imus sententiam, qui arbitrantur cacodæmones ignorantes Christi vim, strepitu hominum commotos in Christum irruere, eiusque comites voluisse; atque hoc animo egressos occurrisse primum, sed posteà eius in se vim expertos adoraße, ac rogaße, &c. cæterùm Mar. contrarium indicat, dicit enim de suo dæmoniaco, quod videns Iesum à longè cucurrit, & adorauit eum, non ergò initio nocendi animo venit.

10. *Dæmon quo modo Christo occurrere ausus.*

11.

6. *Quid mihi*] q. d. quid tibi mali intulimus, nihil contra te molimur. Hieron. Matth. 8. *non voluntatis*, inquit, *est ista confeßio quam præmium sequitur confitentis, sed neceßitatis extorßio, quæ cogit inuitos: velut si serui fugitiui post multum temporis Dominum suum videant, nihil aliud nisi de verberibus deprecentur; sic & dæmones Dominum cernentes in terris repentè versari, ad iudicandos ipsos*

12.

Digitized by Google

veniſſe credebant, ita vt detruſi in infernum poteſtate in homines ſpoliarentur.

13. *Dæmones ignorant diē iudicij.*

Ante tempus torquere nos] ante diem iudicij nos ſpoliare in homines poteſtate. aduerte cacodæmones ignorare proculdubio diem iudicij, quādò futurus ſit. ſciebant tamen tunc nondum aduenisſe; quemadmodum & homines ſcire poſſunt nondum eſſe præſentem, propterea quod ſigna, quæ illum ſunt præceſſura nondum obſeruarint, & ſimul ignorare quando nā ſint ventura. vide Thyr. de iudiciaria appa. c. 19. n. 66. & ſeq. cùm verò aiūt,

14. *torquere nos*, non de cruciatu, quem Theologi pœnam eſſentialem vocant, loquuntur: hanc enim nec tolli, nec augeri, nec minui poſſe ſciebant, poſita eſt autem in priuatione viſionis Dei, & in ignis æterni cruciatu. verùm præter hanc, pœnis quibuſdam interdum puniuntur, quas accidentarias nominant, v. g. dolent, & vehementer anguntur, cū quis redit ad cor, cùm ipſi ex hominum corporibus depelluntur, &c. Porrò hæ pœnæ non omnes perpetuæ ſunt, ſed pro varijs rerum euentibus, & accedunt & recedunt. Eſt & alia pœna dæmonum nimirum, detruſio in infernum, quæ nondum omnibus impoſita eſt, ſed ad extremum Iudicij diem omnibus irroganda.

15. Cruciatus ergò, quem deprecantur nunc, non iſte eſt (quamuis victor Antiochenus Marc. 5. & Ambr. Luc. 8. hunc poſtremum cruciatum, id eſt, metum ne in infernum detruderentur intelligant) Sed potius eſt angor ille, quem dum Dei virtute inuiti de hominum corporibus egredi cogebātur, cōcipiebant; vehementer enim & dolebant, & diſcruciabantur propter eam vim. hinc Theophy. quē ſequi videtur Caiet. ait; tormentum, & cruciatum dæmones putant ſi non permittantur lædere homines: eſt etiam non incredibile aliquo Chriſtum cruciatu addito vt exirēt illos afflixiſſe efficacitate & virtute illorum verborum, quibus præcipiebat, vt exirent; ſicut cùm quis adhibita quadam vi inuitus de loco, in quem ſe coniecerat, extrahitur. Hunc eſſe germanum loci huius ſenſum, conſtat ex ratione, quam ſubnectunt Euangeliſtæ cur deprecaretur, ne torqueret eos, quia inquiunt, præcipiebat illi, vt exiret ab homine. Igitur hinc illę lacrymæ. Vnde fit vt non ſola Chriſti præſentia eos nūc cruciaret, & neque de hoc cruciatu locuntur Euangeliſtæ, immò nec propterea nunc rogant & deprecantur, quod metuerent, ne in infernum deturbarentur, licēt & hinc cruciarentur, non hoc tamē eſt, quod nunc rogant, paulò inferius id facient.

16. Scio D. Hieron. Matth. 8. ipſa Domini præſentia cruciatos dicere, neque enim negandum etiam illa cruciari, id dicunt Athan. lib. de interpretatione Pſalmorum ſub finem, Chryſoſt. hom. 29. imò & idem victor Antioch. Mar. 5. ſed vt dixi, non hac tantum præſentia torquebantur, nec hanc deprecantur iam.

17. *Adiurare quid.*

Adiuro] Emm. Mar. 5. adiurare, inquit, in ſcriptura aliquandò ſignificat facere iurare Geneſ. 24. Ioſue 2. aliquando iuramento execratorio maledictioni ſubijcere Num. 5. 1. Reg. 14. aliquando religione obſtringere, ſcilicet, metu religionis violatæ ad aliquid faciendum adigere. Erit ergò hic ſenſus, per obedientiam Deo debitam te obſtringo, vel peto à te vt mihi per Deum iures, quod me non torquebis. græcè ὁρκίζω, ſeu ἐξορκίζω vide Ianſen. ca. 31. concordiæ & Tolet. Annot 62.

18. 9. *Multis enim*] habuiſſe dæmonium iam temporibus multis quod habetur hic verſu ſecundo ex Luca: & quod nunc dicitur ex eodem Luca: *multis enim temporibus arripiebat illum, &c.* non idem ſunt. primùm enim idem valet, ac à multis annis, vel per longum iam tempus habuiſſe dæmonium; alterum verò ſignificat frequenter eum arripi, id

A eſt, vexari à dæmone. primùm græcè ἐκ χρόνων ἱκανῶν à tēporibus multis; ſecundo loco non habetur præpoſitio, nec genitiuus eſt, ſed dandi caſus πολλοῖς χρόνοις *multis temporibus*. Dicitur ergò arripuiſſe Dæmon hunc hominem, non quatenus in eo habitabat; hoc enim perpetuum, & continuum erat ab eo tempore quo eum inuaſerat: ſed tantum quandò illum vexabat, & torquebat, & membra illius ad opera quædam impellebat, & cogebat, quod licèt frequenter eſſet, non tamen ſemper erat. Hoc ergò eſt multis temporibus arripuiſſe eum.

Porrò his verbis Lucas reddit cauſam, cur Dominus ſponte à nullo rogatus præceperat dæmoni vt exiret: nimirum, quod ob mali diuturnitatem & magnitudinem illius miſereretur; propter quod & non inuitatus mare tranſmiſit. Hinc Chryſo. in hom. *quia nemo*, inquit, *audebat afferre ad Chriſtum*

B *propter ſæuitiam, Chriſtus ad eos vadit. Cuſtodius*] ſub cuſtodibus poſitus veluti carceri mancipatus.

19.

20. *Quod tibi nomen?*] interlin. ex Beda: *non vt ignarus inquirit, ſed vt confeſſa peſte, quam furens tolerabat, virtus curantis gratius emineat.* Addit Beda: *ſed & nunc qui per exorciſmos dæmones ejiciūt, dicunt non aliter patientes poſſe curari, niſi quantum poſſunt, quod à dæmonibus, quolibet ſenſu corporis, vel animi pertulerunt exponant patenter.* Theophyl. interrogat vt cæteri ſciant multitudinem inhabitantium Dæmonum. *Interrogauit autem Ieſus, quod tibi nomen?* q. d. ſecundùm Emma, quis es tu? *Legio*] videtur reſponſum ducis, ac principis iſtorum cacodæmonum. λεγιών vox latina fecundū quoſdam continet cohortes decem, cohors verò 50. manipulos, manipulus 25. milites, adeoque legio 12500. milites hic non tot dæmones ſignificantur, ſed

C multitudo tantum dæmonum, q. d. non vnus, ſed multi ſumus. Valtrinus l. 3. c. 1. & 2. de re militari negat legionem eundem habuiſſe ac certum ſemper numerum, ſic enim ferè ſcribit C. 1. legionem primus Romulus inſtituit, eamque à fortiſſimorū militum delectu nominauit, tāquam propria Romanorū legio fuit, quēadmodum aut Macedonum Phalanx, aut cæteruæ Galloruṁ. quod ſi à Romulo poſteà auctam legionem volumus, eam ad quatuor millia redactam eſſe verosimilius puto, quæ ex eo quadrata legio ſit, auctore Feſto appellata. hoc enim numero, atque ad ſua tempora legiones ordinariè ſcriptas grauis auctor Polybius teſtatur: aut cùm maius aliquod periculum inſtaret, quinque millium.

21.

22.

Per belli autem punici ſecundi tempora, & deinceps, quinum millium peditum legiones frequentari ſunt cœptæ. & Appiano auctore 300. etiā equites habuere præam. primus C. Marius, auctore Feſto, legionem ſex milliū ducentorum hominum conſcripſit, quia nimirum is primus ordinarium in legione numerum ſenum millium, ac ducenorum peditum fecerit: cum ad ea niſi extra ordinem, graui aliquò cogente periculo ad eum numerum legiones non adaugerentur. ipſæ porrò legiones ab ipſius delectus ordine, Dione teſte, nominabantur, vt quæ primo loco conſcripta eſſet, prima diceretur; & ſecunda, quæ ſecundo, &c. aut à locis; vbi ſtationes habebant. Hinc legiones Germanicæ, pannonicæ, &c. aut à ducibus: vt Auguſta, Claudia, &c. aut denique ab alijs euentibus, vt legio Martia, Rapax, victrix, ferrea, fulminifera. ex his quæ ex noſtro Valtrino annotauimus, liquet, non eumdem ſemper numerum habuiſſe legionem, & ſummum vix ſex millia exceſſiſſe hominum. ſed cur legionis nomē ſibi attribuit? Greg. Nyſſen. imitantes inquit, legiones Angelicas dicunt ſe legionem. & Emman. ait, vſurpaſſe dæmo-

D

nes

nes nomen militare, vel quod hostes hominum, & Dei; vel per superbiam, quia illud bonis angelis conuenit. Sed numquid singuli dæmones nomen habent proprium? Iansen. interrogat inquit, Dominus de nomine, non quod singuli dæmonum speciale habeant nomen sibi proprium, sed interrogatione nominis exigens notificationem eius dæmonis qui loquebatur: nomine enim rem notiorem facimus. Hactenus locutus fuerat Dæmon vt vnus, vt ostenderet Dominus esse multos, sic interrogauit. Viguerius instit. cap. 10. §. 9. expositores inquit, dicunt quod Angeli in cœlo carent nominibus proprijs, quia quemadmodum illa ciuitas non eget sole, neque luna, sic neque aliquo adminiculo ad cognoscendum. Nam quilibet per propriam personalitatem cognoscitur. Sed si aliqua nomina horum reperiuntur in scripturis, per illa declarantur opera ministerij, ad quod mittuntur. Hæc Viguer. Idem sentit Lyran. Genes. trigesimo secundo, & Abulens. Matth. 8. q. 110. & Matth. 25. q. 405. & Iudicum 13. q. 33. vbi idem de beatis omnibus dicit, imò videtur idem sentire Gregor. in hom. 34. in Euangelia. quare sunt qui negent nomina *Michaelis, Gabrielis, Raphaelis* esse aliquorum peculiaria, sed nunc vni, nunc alteri Angelo tribui, iuxta rationes rerum, quas nuntiant, vel gerunt.

24. *Beati habebunt nomina propria.* Placet mihi hîc sententia Barradij, habere Angelos vt & beatos nomina propria, non quidem vt per illa ab alijs beatis cognoscantur, quod tantùm docet Gregorius, sed vt in collocutione illis vtantur Beati, nam post Iudicij diem alij Beati de alijs, & de angelis loquentur, ergò eorum nomina vsurpent necesse est. Et nunc tam animæ, quàm angeli per signa spiritualia collocũtur & externa, vt vult Molina prima parte, vel quocunq; loquantur alio modo, egent nominibus ob eamdem causam. Lege Barrad. lib. 5. cap. 12. idem sentiendum de dæmonibus: quod verò dæmon hic interrogatus de nomine, *legionem* responderit, non est quod iste dæmon, & alij etiam nomina non habent, sed quia non vnus erat dæmon, sed innumeri, & hæc erat Christi mens interrogantis, vt multos esse cognosceremus. & si nomen non haberent dæmones, frustrà interrogasset Christus, quod esset eius nomen.

25. Cæterùm quanta sit Angelorum multitudo in commune si quis scire auet, consulat auctorem gloss. Mag. in cap. 1. Genes. fol. 430. vbi etiam de bello Angelico ait; & Serarium nostrum in c. 12. Tob. quæst. 5.

26. Tolet. annotat permittere Dominum, vt multi cacodæmones vnum inuadant, & arripiant hominem, eumque infestent, vt quot inimici nobis insidientur agnoscamus, atq; vt vel hinc intelligamus quanta sit cura Deo de nobis: ecce legio dæmonum quę comminuebat catenas, &c. vnum hominem neci dare non potuit, scil. Deo non permittente.

27. 11. *Et deprecabatur*] Mirum videri posset, cur nõ statim electi dæmones, ad quod paucis respondeo, non imperasse Christum vt statim egrederentur, immò verò voluit Christus, vt non statim exirent, ob vtilitatem, spiritualemque fructum eorum, qui præsentes aderant, dum videbant trepidare dæmones, multumque precari ipsum ne torquerentur ab eo: non negantes interim se velle parere; ex hac etiã mora conijcere homines poterant, quantum desideret cacodæmones vexare miseros mortales. quare priuari summus est illis in commune dolor. poterat & hinc colligi quanta esset multitudo dæmonum, dum interim interrogati respondebant. postremò nihil eos posse, nisi quantum cęlitùs permissum.

A *Vt in abyssum*] Abyssus græca vox, aquarum immensitatem significans. sumitur verò in testamẽto nouo ferè pro inferno in quem adacti, coniectique damnati veluti immersi sunt. 28. *Abyssus quid.*

Maximus; vnicuique inquit, peccato Deus consonam pœnam statuit, gehennam ob carnis incendium, stridorem dentium ob risum lasciuum, sitim ob voracitatem, & crapulam, vermem ob malignum cor, caligihem ob ignorantiam, & fallaciam. Itaque dæmonibus vt superbis abyssus delegatur. 29.

Porrò duo rogant hunc hîc dæmones, & ne se extra eam regionẽ expelleret Christus, & hoc vel quia delectãtur locis, vbi plus nocere possunt hominibus; vel quod maiorem habeãt experientiam illorum locorum & hominum ingenia melius calleant; vel ob aptitudinem maiorem, opportunitatemq; locorum ad peccata, & proinde timent dæmones ne in loca deserta, & inuia pellantur, vt Tob. 8. Hoc ergò est primum quod deprecantur; B alterum est, ne se in abyssum, hoc est, inferni carcerem conijceret. Horum primum illud, priore loco; alterum, posteriore obtinere contendũt; sed præter hæc duo, duo etiam alia in tota hac historia deprecati sunt, primum vt ne de homine expellerentur, vt patet v. 3. & 6. & 7. alterum etiam quod rogarunt fuit, vt sibi permitteretur in porcos ingredi. Itaque hoc ordine hæ petitiones digerendæ sunt. prima fuit, ne ab homine expellerentur. Secunda, ne in abyssum conijcerentur. Tertia, ne extra regionem fierent. Postrema, vt porcos inuaderent. cùm enim agnouissent dæmones post preces nolle Christum eos in abyssum mittere, quamuis non propter illorum preces id factum sit, rogare cœperunt, ne extra regionem fierent, sed sinerentur saltem porcos ingredi. cæterùm in hac nostra historia, vt patet v. 11 commoditatis ac necessitatis causa præcedit petitio illa, C ne extra regionem pellerentur alteram, ne in abyssum truderentur. Cùm enim vnus Euangelista numero singulari loquatur, *& deprecabatur eum ne se expelleret extra region.* alter verò loquatur numero multitudinis, *& rogabant*, &c. non potuit commodè præmitti id quod de abysso dicitur. 30. *Cur dæmones regiones quasdã alijs locis præferant.* 31.

12. *Circa montem*] Lucas in monte. videtur ergò pars iuxta montem, pars altera porcorum in monte fuisse, sic Aug. 2. consens. 32.

Non longè] græcè ἀπὸ μακρὰν, id est, erat autem longè, quæ reddunt sensum cõtrarium nostræ versioni, sed non est dubitandum lectionem latinam incorruptiorem esse. Omnes enim veteres, & noui latini codices, omnesq; antiqui interpretes præter Euthy. ita legunt. Marcus etiam §. 11. & Lucas 8. 32. habent, *erant autem ibi*, hoc est, eò loci, & id est, q̃ Matth. dicit, *non longè*. Fauet & ratio, quia idcircò Christus permisit, vt in porcos irrueret, vt qui aderant ex porcorum suffocatione apertè viderent, D quàm multi & fœui dæmones fuissent; at hoc quî cognosci poterat, si procul illi fuissent?

12. *Mitte nos in porcos*] ideò verò id petisse videntur dæmones, vt porcos ingrederentur, quia putabant id se facile obtenturos. Erant enim animalia lege immunda, quare neque in sacrificia offerebantur; nec ijs licebat vesci. Verùm Christus non propter has causas, sed ob alias id illis permisit. *Dæmones cur in porcos ingredi petierint.*

Ambros. pœnam fuisse existimat dæmonibus, in porcos, hoc est, immunda animalia ingredi. Iam verò eam elegisse ne extra regionẽ fierent, vel ne in abyssum truderentur. Chrysost. hom. 29. Euthym. & Theophy. addunt hanc rationem: vt Gadarenses porcorum effecti affecti damno, Christum nõ reciperẽt: quare postea rogasse dicũtur, *vt trãsiret à finibus suis*. alij odio hominum id tribuunt: 33.

cùm enim corporibus nocere non poſſunt, ſaltem bonis damnum inferre conantur. Docet hoc Hilarion, vt Hieron. refert in eius vita, quod ex hoc loco probabat, & exemplo Iob.

34. Obſeruandum ex Tolet. annot. 72. Chriſtum nō permiſiſſe Dæmones inuadere porcos antequam ipſi petijſſent; quo nobis conſtaret voluntatem quidem tentandi, nocendive nobis, à Dæmone eſſe, ſed non id poſſe, niſi permittente Deo iuſtis de cauſis, quæ nobis vtilitatem afferre poſſint. Deinde vt vel hinc etiam pateret, quàm mala, quàm iniqua, quàm plena inuidiæ, ac furoris Dæmonum mens eſſet in hominum genus. Ambroſius hanc addit cauſam, *clementiam*, inquit, *Domini debemus aduertere, quod nullum prius ipſe condemnat, ſed vnuſquiſque ſibi auctor eſt pœnæ, non mittuntur in porcos dæmones, ſed ipſi petunt: quia cœleſtis luminis claritatem ſuſtinere non poterant: vt qui oculos dolent radios ſolis ferre non poſſunt ſed tenebroſa eligūt & ſplendentia derelinquunt.*

35. *Cur porci in Iudæa?* Dubitatur à quibuſdam, cùm vetitum eſſet Iudæis veſci porcis, quomodo tam multi ibi porci? Rupertus ideò inquit, hac pœna mulctatos à Chriſto Iudæos, quod contra fas porcos haberent. Credibilius eſt Gadaram, & alias vicinas ciuitates græci ritus fuiſſe ex Ioſepho lib. 17. Antiquitatum cap. 13. & ob id porcos habuiſſe. Idem lib. 3. de bello Iudaico cap. 2. ait. Regionem, quæ trans Iordanem eſt, eſſe habitatam, à Syris, Iudæiſque permixtim, quare Syrorum potius videntur fuiſſe porci. Quamobrem ergò inquies, Chriſtus eo proficiſcebatur, qui ad oues quæ perierant domus Iſrael venerat? Reſpondeo, non in græcis modò, verùm etiam in latinis ciuitatibus multos tunc fuiſſe Iudæos, quorum cauſa Chriſtus eo ibat, vt vel ex citato loco Ioſephi intelligi poteſt. Quanquam etiam Gadara propriè ad regnum Iudææ pertinebat: fuerat græcis à Cæſare attributa ad habitandum. Vide eumdem Ioſephum cap. decimoquarto & decimoquinto, lib. decimoſeptimo Antiquitatum.

36. 14. *Conceſſit*] permiſit. Mirum cur id Chriſtus conceſſerit. Hieronymus hanc reddit rationem, vt ea vexatione eius ciuitatis homines ad ſalutem adducerentur. Chryſoſtomus, Theophyl. & Euthymius tres alias aſſignāt cauſas, vt ſanati quantum illis beneficium eſſet collatum cognoſcerēt, quippè qui tanta eſſent Dæmonum multitudine liberati. Altera vt liquidò conſtaret, nè porcis quidem nocere dæmones poſſe, niſi Deus permiſerit: denique vt qui curati erant intelligerent, quid ipſi mali paſſi fuiſſent, cùm viderent ſtatim ingredientibus dæmonibus præcipites ruiſſe porcos in mare. Auguſt. tract. 6. in Ioan. itemque Chryſoſt. myſticam addunt rationem, vt cognoſceremus dæmones in hominibus porcorum more viuentibus, libenter habitare.

37. Conuelluntur & hinc Saducæi negantes ſpiritus. Aug. tract. 6. ep. Io. *Inuenimus* inquit, *quoſdam non exauditos ad voluntatem. exauditos ad ſalutē*. Et rurſus, *quoſdam inuenimus exauditos ad voluntatem, & non exauditos ad ſalutem. Paulus ad ſalutem exauditus eſt, ad voluntatem non eſt exauditus* (2. Cor. 12.) *Diabolus exauditus eſt ad voluntatem ſed ad damnationē*, & c. ſubdit, imò *Apoſtolus exauditus eſt, Dæmones non ſunt exauditi. Dæmonum voluntas facta eſt, Pauli ſanitas perfecta eſt. Deus & ſi voluntati noſtræ, non dat, ſaluti dat. Nō fit quoduis, ſed fit quod tibi expedit: non te exaudit ad voluntatem, ſed exaudit ad ſanitatem.*

38. *Cur porcorū damno Chriſtus affici permiſerit Gadarenos.* Quod ſi roges, cur tam mitis Dominus tantùm Gadarenſibus damnum inferre voluit, præſertim ſi nil peccabant alendis porcis? vt videlicet etiam porci gloriæ Dei, & hominū ſaluti ſeruirent, dum ſua præcipitatione Chriſti poteſtatem declararūt, quod ſi ciues illi viſo miraculo Chriſtum recepiſſent, etiam hominibus profuiſſent. Sed hominum malitia obſtitit, & fluxarum rerum cœca cupido. Ad hunc etiam nodum diſſoluendum paulò antè allatæ rationes n. 36. etiam faciūt. Vide item n. 43. & Auguſt. tract. 6. in ep. Ioannis, D. Thom. 3. par. q. 44. ar. 1. ad 4. & Barradiū l. 5. c. 18. to. 2. ſub fin. cap.

39. *Cur porci ſtatim ſubmerſi.* *Magno impetu*] credo idcircò irruiſſe tam celeriter in aquas, vt ibi ſuffocarent, ac ne diu cogerentur eſſe in illis corporibus immūdis, itemq; vt nocerent ſtatim hominibus, vbi permiſſum eſt. Permiſit autem Dominus id nempe vt ſtatim necarentur porci, quo diuina eius virtus appareret in miraculo patrato, & cohibenda malitia dæmonum, & vt quoque pateret quanta eſſet dæmonum peruerſitas. quod ſi non ſtatim aquis eſſent præfocati, non ita planum fuiſſet, eoſdem omninò dæmones in porcos eſſe ingreſſos, qui fuerant in homine.

40. Quomodo Dominus ſui dominij vſum in omnes creaturas exercuerit, docet Tol. an. 76. illud obſeruandum hîc quod D. Dio. lib. 4. diu. nom. tradit: diaboli caſum conſecutum fuiſſe furorem quendam irrationalem, dementem cōcupiſcentiam, & proteruam phantaſiam. Intellige furorem non prout in irraſcibili noſtra viget, & feruet, & quo homo inſurgit in ardorem ſanguine ad cor, oculos, & faciem illapſo, ſed prout eſt in intellectu, atque vt eſt, animi ad ardua mala facinora accenſio, inflexibiliſque obſtinatio. Dementem verò concupiſcentiam intellige, non quæ ſit ex organi alicuius læſione, ſed quæ ex praui habitus confirmatione proſilit.

41. *In mare*] Epiph. contra Ebio. hær. 30. oſtendit ad aquas calidas quæ erant in agro Gadareno potiùs, quàm ad lacum Genezareth, vt vult Hieron, de Io. Heb. merſos eſſe porcos; natn locus ille impudicitijs, & illuſionibus dæmonū erat expoſitus: & licèt Euangeliſta dicat *mare*, more Hebræo cōgregatio licèt parua aquarū, dicitur mare: ſed nulla id ratione mihi probatur: intelligo igitur lacū Genezareth, prope enim aderat lacus iſte, ſeu mare Galilææ dictum, non opus longè lacum quærere alium. præſertim cùm mare non videatur in Euangelio dici, niſi illud Genezareth, alios lacus non item; & Hieron. lib. de Io. Hebr. affirmet, ſuis temporibus vicum oſtendi ſupra montem iuxta ſtagnū Genezareth, in quod porci fuerant præcipitati.

15. *Fugerunt*] tum ne quid damni, & ipſi à dæmonibus paterētur: tum vt dominis in ciuitate; & ijs qui in agris erant, nuntiarent, ne fortè ipſi cogerētur de amiſſis porcis rationem reddere, & damnū reſarcire ob cuſtodiæ negligentiam.

42. 16. *Et veniunt*] Ordo eiuſmodi fuiſſe videtur: poſt narratam hiſtoriam à paſtoribus, exierūt Garaſæni verſus eum locum, vbi erat Dominus Ieſus; vt quæ acciderant oculis ipſi cernerent; cumq; vidiſſent porcos longè, lateq; per mare innatantes ſuffocatos, poſtea ad Ieſum venerunt. Prius enim occurrerat illis multitudo porcorum innatantiū, & eo prius contenderunt vt explorarent, factum ne ita eſſet, vt paſtores narrauerant; & certiores effecti, ad locū vbi Chriſtus Dominus erat acceſſerunt: viderunt̄que illum hominem ſanum ad pedes Ieſu, quem veroſimile eſt prius genibus nixum gratias egiſſe, & habuiſſe Domino; iuſſum deinde ſurgere aſſediſſe vt agnum iam mitem ad ſanctiſſimos Chriſti pedes, vt vel ita ſimul oſtēderet ſuum benefactorem, & amoris in eum ſignum aliquod ederet, vel declararet.

43. Titus notat, duxiſſe iſtos damni neceſſitatem, vt ad Chriſtum venirent. Dum ergò Deus homines punit in rebus, confert beneficium animabus.

Digitized by Google

44. Gerasæni Christum à se discedere petunt cæco & mundano timore.

18. *Vt discederet*] Quamobrem *vt discederet?* vt enim rectè Titus animaduertit; oportebat eos rogare ne discederet, vt custodiret regionem, ne infestarentur à Dæmonibus. Sed timebant hi ne à Christo simile aliquid, aut grauius alijs in rebus, externisque bonis, vel etiam in corpore paterentur; vel ne fortè Dæmones irritati in ipsos odium omne, inuidiamq; conuerterent: timor verò iste, vt cernis, non bonus erat; sed mundanus, & eorum hominum, qui terrenis rebus affixi hærent. Plus apud istos valuit iactura porcorum ad Christum procul à se exigendum, quàm hominum vtilitas (quam consequuti fuissent, inde procul depulsis dæmonibus & ex hominū etiam corporibus electis) ad illum suscipiendum, ac retinendum; factumque est ita, vt dum non benè timent porcorum interfectorem, amittant hominum Saluatorem. Hoc est quod Lucas indicat, dum ait, *quia magno timore tenebantur*, vt habes hoc versu, ideò ipsum expulêre de finibus suis, ac proinde eumdem nec recipere, nec audire meruerunt. non eiusmodi fuit D. Petri timor dum dixit: *Exi à me Domine*, reuerentiæ enim, humilitatique tribuendus is erat, ac propterea Domini factus est indiuulsus comes, & Ecclesiæ illi promissa gubernacula. non nego Hieron. Matth. 8. & quosdam alios affirmasse ex humilitate Gerasænos Christum noluisse recipere. Hieronymum veneror, sed magis in hoc laudo Chrysostomum hom. 29. in Matth. qui ingratitudinis accusat Gadarenses: clementiam inquit, Christi, considera: nam cùm à regione sua, qui hæc miracula viderunt, eum ingrati abigerent, non repugnauit, sed cessit.

45. 14. *Cumq; ascenderet*] hoc est, cùm vellet ascendere in Galilæam remeaturus.

Cœpit illum deprecari] faciebat id candido, & grato animo secundùm Euthym. quasi Christum velut obsequiosus minister sequi vellet: vel certè vt idem Euthym. & Theophyl. docent: timebat homo, fœuitiam dæmonum expertus, ne qui præsente Christo exierant dæmones, absente redirent. Denique beneficij auctore priuari nolebat. addit Gregor. lib. 6. mor. cap. 17. & lib. 16. c. 12. quia gustauerat quàm suauis Dominus esset, velut apud se dicens, *mihi autem adhærere Deo bonum est*; ideò illum non omninò sequi grauatè ferebat. volebat autem sequi tanquam discipulus, non vt turba Christum sequebatur, hoc enim modo iniussu Christi facere potuisset; at in numerum discipulorum eius, nisi eo approbante, admitti non poterat.

46 *Et non admisit eum*] Huius prima ratio est, quod magis ad diuinam gloriam spectare videretur, vt ille in patriam reuersus, tanto à Christo accepto beneficio Christi potentiam, doctrinam, & diuinitatis signa tanquam oculatus testis suis ciuibus prædicaret. Est & altera Ambros. ratio. l. 8. in Luc. *Voluit Christus iactantiam effugere, quam malignè aliquis illis adscribere potuisset, si hominem illum à se sanum effectum, quasi per ostentationem circumtulisset.* Tertiam rationem addit Greg. l. 6. moral. cap. 17. & l. 16. c. 12. vt ea ratione eius augeretur meritum: *Amanti*, inquit, *adhuc dilatio imponitur, vt ex dilati amoris desiderio meritum retributionis augeatur.* Denique Theophy. & Euthym. voluisse inquiunt, ostendere Christum, se, quem præsens à dæmonibus liberauerat, etiam absentem conseruare posse innoxium.

47. *Annuntia illis*] Theophyl. formam inquit, præbet humilitatis, vt bona referamus in Deum. Titus verò ait, iubet vulgari, quia regio illa Deum ignorabat, dæmonum cultibus irretita.

Præcepit interdum Christus, ne miracula à se patrata euulgarent: at nunc annuntiari mandat: quia cùm prohibebat causa erat vna inter alias, ne sibi inuidiam Pharisæorum conflaret. Porrò in Decapoli eiusmodi periculum non erat, ijs accedit cum Decapolitæ Tyrijs, Sidonijsque vicini semigentiles essent, voluit Christus prædicatione miraculi eos præparari, alliciique ad fidem. Potest & illud addi, quod cùm de se Christus loquitur, expresse saltem, taceri mandat miracula; verùm cùm de patris agitur gloria, euulgari. Quare vt rectè Theophy. & Euthym. animaduertunt, dixit: *quanta tibi Dominus fecerit*, non *quanta tibi ego fecerim.* Vbi vides quod quæ ipse fecit in patrem refert. Quamquam non desunt, qui de seipso tacitè loqui per tertiam personam velint: se enim Dominum, nam patrem Deum solet appellare.

20. *Et abijt*] Ecce tibi promptam hominis obedientiam, animumq; gratum erga Christum. collige & hinc Decapolitam fuisse hunc hominem; fuerat enim in patriam missus à Christo. 48.

Quanta sibi fecisset Iesus] dixerat illi Christus, *annuntia quanta tibi Dominus fecerit*, ille memor beneficij à Christo accepti, Iesum auctorem nominabat. Titus inquit, nouerat Deum esse Iesum. & Christus quidem post hæc, qui relictis Iudæis ad gentes, vt ait Gloss. transierat, in patriam reuertitur: vbi enim plenitudo gentium intrauerit, omnis Israel saluus fiet.

Et omnes mirabantur] Ecce tibi fructum Euangelicæ prædicationis, erat enim admiratio hæc fidei fructus, aut etiam initium, vtpotè laudatione coniuncta, nam interdum quę non probamus, miramur.

THEORIA.

In qua mouentur aliquot dubitationes de morbis qui à Dæmonibus immittuntur.

PRima dubitatio, an Dæmones vim habeant immittendi in corpora morbos. 1.

Franciscus Valesius citans Luc. c. 8. lib. de sacra philos. c. 28. sic scribit: *occurrit illi vir quidam qui habebat Dæmoniū iam temporibus multis*, & quæ sequuntur: ex hac narratione facilè constabit cuiuis, qui vel summis labijs degustauerit medicinam, hunc hominem laborasse ea maniæ specie, quæ vocatur à medicis *Lycanthropia*, seu lupina insania: his enim præcipuè accidentibus definitur is morbus, quod ita affecti domi contineri non possunt, sed circa sepulchra frequenter vagantur. Iam verò eum cuius mentio fit 9. cap. Marci, constat fuisse epilepticum, ita enim dicitur, *& attulerunt eum, & cùm vidisset eum, statim spiritus cōturbauit illum, & elisus in terram volutabatur spumans.* Constat verò elidi in terram ac volutari, & fieri spumam circa os, certissimas notas esse epilepsiæ. Quin etiam (quod aliquanto videtur rarius) constat decimo tertio cap. D. Lucæ, puellam quamdam conuulsionem spinæ accepisse à Dæmone: qua laborauit octodecim annos. manifestum ergò est quanto in errore sint, qui, quod indicauerint eum qui defertur ad exorcistas teneri Epilepsia, aut Catocho, aut melancholia (ijs enim morbis frequenter tenentur) aut alio quouis morbo, putant se iam indicasse, nō esse id à Dęmone, cùm his exemplis constet eos morbos quandoq; fieri à Dæ-

mone, quamuis constet etiam plurimos eorũ, qui Dæmonis opinione ad exorcistas deferuntur, dæmonem non habere, sed morbis aliquibus eorũ qui dicti sunt, teneri, ex qua doctrina Valesij constat à dæmone nõ rarò morbos immitti, vt exemplis allatis liquet.

4. Dubitatio secunda, quo pacto esse possint spiritus immundi talium morborum causæ.

Idem Valesius loco cit. respondet, dæmonem causam esse externam morborum. non enim intra corpus ipsum latenter nascitur, sed extrinsecus accedit morbos illaturus, eos igitur qui pendent ex materia non aliter infert, quàm aliæ causæ procatharticæ, puta mouẽdo internas, vt melancholiam morbum, augendo melancholicum succum, & eum qui inerat cõmouendo, deferendoq; in cerebrum, & internorum sensuum sedes, vapores nigros, augere verò potest melancholiã eam, quæ naturaliter generatur, detinendo ne expurgetur: aut quascunque exurentes causas admouendo. Epilepsiam verò, apoplexiã, Paralysim, aut cathocũ, deferẽdo crassos succos, ac per eos cerebri vẽtres, aut ipsas neruorum radices obstruendo: cœcitatem aut surditatem eodem modo, excrementa ad oculos, aut aures aceruando: quãquam hæc duo mala sine interna causa facere per sese possit, neruos visorios, aut auditorios comprimẽdo, quo minus per eos facultas sentiendi transmittatur: aut cœcitatẽ quidem, humorem aquæ qui crystallino oppositus est, agitando, surditatem, detinendo aerem congenitum: aqueum enim humorem tranquillum esse, expedit vt rectè agatur visio, & aerem internum agitari vt auditio. multa alia mala sunt huiusmodi quæ aut per seipsum possit dæmon facere, aut per internas causas. Quapropter ad tollendum ea mala, quæ per se se facit solis exorcismis sit satis vti: ad ea verò quæ per internas causas, medicinalibus pariter auxilijs vtendum erit, &c.

5. Dubitatio tertia, an sint aliqua naturalia remedia, quæ per se in ipsos dæmones ferãtur? respondet idem eodem loco: existimat enim nihil in dæmonem hæc remedia posse, sed iuuare tamen ægrotum, vel etiam irritare morbum. Ratio, quia si dæmones sunt incorporei, vt verè sunt, nullam à corporibus naturaliter passionem possunt accipere: sed neq; si corporei essent (nisi etiam essent corruptibiles) voluptate, aut dolore affici possent; quia neutrũ horũ potest esse sine sensu, neq; sensus esse potest, nisi cum organis habentibus communem naturam cum ipsis sensibilibus. Quapropter corruptibilium rerum sensitiua, corruptibilia esse necesse est. Nisi igitur dæmones corporei, & corruptibiles sint (quales certè non sunt) neque voluptate, neque dolore affici possunt naturaliter. Nam prima causa potest corporibus præstare vim attingendi etiam incorporea, ea verò vis non fuerit naturalis, sed superior, vt igni torquendi Diabolum & angelos eius, & benedictæ aquæ hostem fugandi, & abluendi

6. mentem. Huiusmodi quamdam virtutem tributam esse hepati illius piscis, quo Tobias vsus est, crediderim. Dicitur enim eius vel odore vel suffitu dæmonium pulsum: contigit verò hoc in figura, vt significaret exurendam es-

A se concupiscentiam in sanctis connubijs: iecur enim symbolum concupiscentiæ est. At dices, suffitu cornu caprini vrgetur dæmon; sic ruta & hypericone sedatur; similiter & Saulis immundus spiritus coercebatur cytharæ pulsu. Respon. istæ res, & huiusmodi, naturaliter dæmonem non afficiunt. Sed v.g. suffitu cornu caprini manifestatur epilepsia. Statim ergò ac epilepticus illius suffitu perurgetur, corripitur paroxismo, aut si paroxismo tenetur ingraescit, non quod irritetur dæmon, & afficiatur. Rutam verò & hypericonem salutares herbas esse ad dictos morbos, res est apertissima. Absumunt enim flatus, atque ita humores sedant, qui magna ex parte flatuum agitatione perturbantur, ex libello de flatibus Hypocrati tributo. Eodem modo nec Dæmon

B musicæ suauitate captus mitescebat in Saule. Sed vis verbi Dei, & Dauidicæ prophetiæ significabatur: & ideò pulsante Dauide Cytharam abigebatur Dæmon, non ob soni numeros, sed ob diuinos hymnos, quos ille cantando recitabat. Itaque diuinis psalmis vt exorcismis, abigebatur Dæmon, vel quiescebat. Sed non est negandum, adiuuare etiam aliquid cantilenam, & musicorum instrumentorum concinnum sonitum placarè naturaliter posse melãcolicorum sæua symptomata, etiam cùm eo morbo quis laboret autore Dæmone, vide Valesium c. 16. & 28. de sacra philoso.

Postrema dubitatio, qui fiat si Dæmones nihil habent commune cum vllo corpore, vt

C melancholicos homines magna ex parte inuadant, aut melancholicos ipsi morbos inferant. Videtur ad eorum nequitiam referendum, non ad naturam: nimirum melancholicus succus maximè omnium paratus est in insaniam, & desperationem adigerè, quæ illi nequam maximè exoptant. Adde quod iste humor aptus est ad lites commouendas, ad impatientis animi motus excitandos, ad mentis serenitatem tollendam, &c. propterea solet tantoperè à Dæmone procurari, à quo etiam, vt ipse hominem intempestiuè adoriatur, diligentissimè obseruatur.

7. *Iecur symbolum concupiscentiæ.*

8.

9. *Cur dæmones maximè inuadant melãcholicos.*

10.

THEORIA II.

In illa ver. 6. *Venisti hùc ante tempus torquere nos.*

D

1. *Dæmones nunc patiantur pœnas inferni.*

MEritò dubitari potest, an Dæmones qui in hoc aere tenebris & caligine obtecto sunt, ignis inferni pœnam patiãtur. Videtur enim fieri ex istis verbis non torqueri eos, & quidem Aug. de natura boni c. 33. sic scribit: Petrus in 2. Epist. sua c. 2. dicit, *sienim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferi detrudens tradidit in iudicio puniendos seruari.* Hic Petrus ostendit, adhuc eis vltimi iudicij pœnam deberi, de qua Dominus dicit, *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius*, &c. His Augst. significat deberi dæmonibus ignis inferni supplicium in extremo iudicio.

2. Sed supplicio ignis vbique eos plecti, veluti qui febre exardentissima exæstuant plurimi

Patres & Theologi arbitrantur. Hinc glossa in illud Iacobi, *inflammata à gehenna. Gehenna*, inquit, *est Diabolus, propter quem facta est gehenna, sicut gehenna semper ardet, sic Diabolus vbiquumquè sit vel in aere, vel sub terra fert secum tormenta suarum flammarum.* Hæc Glossa. Deinde si anima flagitij rea mox decedens gehennali plectitur igne, multò magis desertores Angelos, quorum execratior est culpa, & quibus parata est primùm gehenna, ardentissimis ignis tartarei flammis exuri semper existimandum est. lege D. Thom. p.p. q.64. art.4. ad 3. Cæterùm quomodo hæc verba quæ hic ver. 6. habentur, intelligenda sint, iam exposuimus in Scholijs n.13. & 14. quod verò pertinet ad id, de quo hic dubitatur; sentiendum est procul dubio Angelos malos vbicumque sint, nunc igne torqueri. Ad Diui ergò Petri & Augustini auctoritates respondemus: deberi quidem pœnam dæmonibus ad extremũ iudicij diem, quatenus qui nunc in aere versantur, præcipites in tartara ruent. Illud autem est hic difficile, quomodo dæmones qui longè absunt ab igne inferni eo igne torqueri queant. Molina p.p.q.106.ar.4. opinatur, Deũ se solo sine causa secũda infligere in hos Dæmones tormenta, quæ ab igne corporeo passuri erant in inferno; sed minus id decere videtur Deum. Barrad. li. 5. cap. 17. melius iudicat id, media qualitate aliqua dæmones incendente fieri. Nec desunt, qui sentiant Dei virtute fieri, vt dæmones incendantur eo igne, qui apud inferos est. Sed hoc philosophus non admitteret & miraculum hoc concedere sine necessitate non debemus. D. Thom. p.p.q.74. art.4. ad tertium dicendum est, inquit, quod sicut locus cœlestis pertinet ad gloriam Angelorum, tamen gloria eorum non minuitur cùm ad nos veniunt, quia considerant illum locum esse suum, eo modo quo dicimus honorem Episcopi nõ minui, dum actu non sedet in cathedra. Similiter dicendum est, quod Dæmones licèt non actu alligentur gehennali igne, dum sunt in aere isto caliginoso, tamen ex hoc ipso quod sciunt illam alligationem sibi deberi, eorum pœna non diminuitur; sed difficile videtur sola apprehensione effectiuè illos tantoperè cruciari, sicut ij qui verè igni alligantur, & ab illo patiuntur. Satius dicerem suum dæmones istos, qui in hoc aere obuersantur inferni ignem deferre: Deique virtute fieri, vt is ignis dæmones torqueat, Deo ad id concurrente; nec tamen ab alijs videatur, neque alios vrat suspendente Deo suum cum igne ad hæc peragenda concursum. Sic Beda, *Dæmones*, inquit, *vbicunque vel in aere volitant, vel cùm in terris, vel sub terris vagantur, siue detinentur, suarum secum ferunt tormenta flammarum, instar febricitantis, qui & si in lectis eburneis; feruorem tamen, vel frigus insiti sibi languoris euitare non potest*, &c.

3. 4. 5.

Dæmones in aere vagãtes quomodo ardeant igne inferndi.

A

THEORIA III.

In v.14 *& concessit eis*, &c.

HIc in controuersiam potest vocari, an Dæmones aliquod gaudium percipiãt, dum illis id succedit quod volunt. August. de Gen. cõtra Manich. c.17. ait: Diabolus de tam infelici potestate lætatur, nimirum quam in peccatores exercet. Sed cõstanter respondendum est cum Molina disp.3.q.64. art. 3. p.p. nullum verè gaudium, nullam lætitiam esse in illis, licèt eis res pro voto succedant. Primùm quia si quod enasceretur, in eis huiusmodi gaudium absorberetur, atque adeò impediretur ob vehementem tristitiam, doloremque, quo continenter cruciantur, vt patet in ijs, qui inter nos grauissimis doloribus affliguntur. Deinde quod caput est, quia videtur B Deus statuisse denegare concursum suum vniuersalem ad eam rem, idque in pœnam delictorum. August. verò sumit lætitiam impropriè: quod scilicet sibi complaceant dæmones, dum pro votis res cedit. Neque enim complacere sibi est gaudere, vel delectari, licèt soleat coniunctum habere gaudium, quomodo beatis displicent mala nostra, & compatiuntur, etiam nobis, sed sine vlla tristitia, & mœrore, qui procul dubiò consequeretur, si eorum status nõ impediret. Quare reijcienda est eorum sententia, qui aliquod gaudium accidentarium dæmonibus concedunt.

1. *Dæmones nunquam gaudent.*

2.

3.

4.

DIGRESSIO MORALIS,

Vbi affertur mysticus sensus.

C

IAnsenius hominem istum Dæmoniacum, exemplũ esse docet hominis sceleratissimi, qui diu, multisque vitijs assuetus, non vno solùm tenetur dæmone, sed multis, dum nullo facinorũ genere caret, & miserãdo spectaculo oculis Dei, ac sanctorũ incorruptæ vitæ stolã exutus, omni virtutũ ornatu nudus, incedit; & neque in domo, neq; in ciuitate, quæ est Ecclesia, manet; nullis iam siue Dei, siue hominũ legibus coercetur; non amore, non pudore, non reuerentia, nõ metu, sed in agros & deserta vagatur, inter eos scil. viuens qui agrestem, facinorosam, ac sterilẽ vitam agũt; habitat verò in monumentis, hoc est, mortuorũ operum receptaculis; vt in prostibulis alijsq; scelerum officinis; atq; adeò in sui corporis sepulchro, quod nihil aliud; quàm fœtidum halitum per guttur eructat. Verùm neq; de huius salute planè desperandũ est. Curabitur modò & Christus ad eum venire dignetur, & ipse vicissim Christo trahẽte accurrat ad eum, prius à se fidei oculis conspectũ: & ita quidẽ curabitur, vt proijciantur in profundũ maris omnia peccata eius. Michæ. 7. iam verò is vbi legionis dæmonum, hoc est, vitiorũ vinculis solutus est, ac cõpos, sanæque mentis effectus, primùm quidem ad pedes Iesu sedere aliquãdiu debet, nimirũ discẽs qua ratione vitã deinceps viuat, sine scelere, Deoq; acceptam: Deinde verò prædicare, magnificareque Dei in se misericordiam, idque maximè apud suos, debet.

1.

2.

Diuus Augustinus aliter sensum mysticum assignat in hunc modum lib. 2. qq. Euangel.

3.

tom.4.cap.13. Quod in regione Gerasænorum curauit Dominus eum, in quo erat legio dæmonum: significatæ sunt gentes, quæ multis dæmonibus seruiebant. Quod sine vestimento erat, non habebat fidem, Quod in domo non habitabat, in conscientia non requiescebat. Quod in monumentis manebat, in mortuis operibus, hoc est, peccatis delectabatur. Quod autem compedibus ferreis, & catenis ligabatur, significat graues, & duras leges gentium, quibus & in eorum Republ. peccata cohibentur. Quod etiam vinculis talibus diruptis agebatur à Dæmonio in Eremum, significat quod ipsis etiam transgressis legibus ad ea scelera cupiditate ducebatur, quæ iam vulgarem consuetudinem excederent. Quod autem in porcos pascentes in montibus dæmonia ire permissa sunt; significat immundos, & superbos homines, quibus dæmonia dominantur per Idolorum cultum. Quod autem in stagnum præcipitati sunt; significat, quod iam clarificata est Eccles, & liberato populo gentium à dominatione dæmoniorum, in abditis agunt sacrilegos ritus suos, qui Christo credere noluerunt cœca, & profunda curiositate submersi. Quod autem pastores porcorum fugientes, ista annuntiauerunt: significat quosdam etiam primates impiorum, quanquam Christianam legem fugiant, potentiam tamen eius per gentes stupendo, & mirando prædicare. Quod Gerasæni pergunt videre quod factum est, & inueniunt hominem vestitum, & mente sana sedere ad pedes Iesu, & cognoscentes quid factum sit, rogant Iesum vt ab eis discederet magno timore perculsi: significat multitudinem vetusta sua vita delectatam, honorare quidem, sed nolle pati Christianam legem, dum dicunt, quòd eam adimplere non possint, admirantes tamen fidelem populum à pristina perdita conuersatione sanatum. Quod ille cupit iam esse cum Christo, & tamen dicitur ei, *redi in domum tuam, & enarra quanta tibi fecit Deus*: ex illa Apostoli sententia rectè potest intelligi, cùm ait: *Cupio dissolui, & esse cum Christo, multò magu optimum, manere in carne necessarium propter vos.* Vt sic quisque intelligat post remissionem peccatorum redeundum sibi esse in conscientiam bonam, & seruiendum Euangelio propter aliorum etiam salutem, vt deinde etiam cum Christo requiescat, ne cùm præpropere iam vult esse cum Christo, negligat ministerium prædicationis fraternæ redemptioni accommodatum. hæc August. Alia etiam quæ ad mores pertinent, videre poteris apud Ambros. in Luc. 8. Hilarium canone 8. Chrysostomum hom. 29. in Matth.

CAPVT XVI.

PARALYTICVS CVRATVR.

A. 9. 1. B. 2. 1. C. 5. 17. & 8. 40.

1. A. *Et ascendens (Iesus) in nauiculam transfretauit.* — B. 5. 21. cùm transcendisset Iesus in naui rursus transfretũ. C. 8. 40.
2. C. *Factum est autem cùm redijsset, excepit illum turba: erant enim omnes expectantes eum* B. *& iterum intrauit,* A. *& venit in ciuitatem suam* B. *Capharnaum post dies.*
3. *Et auditum est quod in domo esset, Et conuenerunt multi, ita vt non caperet neque ad ianuam, & loquebatur eis verbum* C. *in vna dierum & ipse sedebat docens.*
4. *Et erant Pharisæi sedentes & legis doctores qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Ieruſalem, & virtus Domini erat ad sanandum eos.*
5. *Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus* B. *qui à quatuor portabatur,* C. *& quærebant eam inferre & ponere ante eum.*
6. *Et non inuenientes, qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum,* & B. *nudauerunt tectum vbi erat & patefacientes* C. *per tegulas summiserunt eum cum lecto* B. *in quo Paralyticus iacebat,* C. *in medium ante Iesum.* — B. cùm non possent offerre eum illi præ turba, patefacientes. Gr. est ἐξαντες, id est, effodientes.
7. B. *Cùm autem vidisset Iesus fidem illorum, ait Paralytico:* A. B. *Confide fili,* B. *dimittuntur tibi peccata tua.* — C. Homo A. remittitur.
8. *Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis:*
9. *Quid hic sic loquitur? blasphemat. quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*
10. *Quo statim agnito Iesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista* A. *mala* B. *cogitatis in cordibus vestris?*
11. *Quid est facilius, dicere paralytico, dimittuntur tibi peccata, an dicere, tolle grabatum tuum, & ambula?*
12. *Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait Paralytico.)*
13. *Tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.*

14. Et

A. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deū. C. Stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum.

14. *Et statim surrexit ille: & sublato grabato* C. *in quo iacebat* B. *abijt coram omnibus* C. *in domum suam magnificans Deum,* B. *ita vt mirarentur omnes, & honorificarent Deum,* A. *qui dedit potestatem talem hominibus.*

15. C. *Et repleti sunt timore, dicentes: quia vidimus mirabilia hodie (&)* B. *quia nunquam sic vidimus.*

SCHOLIA.

1. NON est in controuersiam vertendum, quin hic sequi debeamus, narrationē Matth. ac proindè constituendam hoc loco esse post transfretationem à Gerasēnis ac reditum in Galilæam, historiam paralytici. Nam quatuor sequentia: hæc inquam historia; Matthæi vocatio; disputatio de ieiunio; & accessus Iairi, ita cohærent apud Matthæum, vt non alio loco, aut ordine collocari posse videantur. Matthæus enim principem illum, qui pro filia sua precabatur (quem eundem Iairum esse, nemo est qui neget præter vnum Osiandrum, non bonæ fidei hominem) scribit Christum adijsse cùm loqueretur, & disputaret de ieiunio cum discipulis Ioannis, & Pharisæorum, quam disputationem habitam post vocationem Matthæi, & hanc factam esse post curationem paralytici non ex Matthæo modò, verùm etiam ex Marco, & Luca constat, quorum vterque tria illa videl. curationem paralytici, vocationem Matthæi, ac disputationem de ieiunio eodem inter se ordine cum Matthæo describunt, quamuis alio loco, nempe Marcus cap. 2. Lucas cap. 5. ante transfretationem ad Gadarenses. Porrò illa verba Marci, post dies cap. 2. & Lucæ in vna dierum c. 5. 19. antequam narrant histo. paralytici, ostendunt quod eorum narratio non exigat immediatum ordinem eorū, quæ narrantur cum superioribus. Videtur autem Marcus & Lucas ideò transfretationi superiori proximè subiecisse aduentum Iairi, quasi accessisset a; pellente Domino, quia scil. paulò post ad idem littus accesserat, ea verò quæ in medio gesta sunt, inter hunc accessum & transfretationem, scil. paralytici historiam; vocationem Matthæi; disputationem de ieiunio prius eodem ordine narrauerunt, licèt ante transfretationem. & videtur quidem Marcus occasione littoris recordatus Iairi, & Hemorrhoissæ hæc subiecisse, quasi eodem die; quo appulerat Dominus ad litus, accessisset Iairus, cùm tamen non tunc accesserit, sed paucis post diebus ad illud idem littus venerit, vel iuxta illud, seu circa, ibique Dominum inuenerit, quare non propter aliud adiecisse videtur illa verba, *& erat circa mare*, significans Dominum ab Iairo inuentum circa mare. nihil itaque mirum, si quantū ad ordinem Matthæum sequamur.

4. 1. *In ciuitatem suam*] cùm Marc. expressè nomen *Capharnaum* ponat, & hoc miraculum factum ibi esse referat, rectè Chrysost. ho. 3 in Matt. & August. lib. 2. de cons. Euange. cap. 15. affirmant, hic Capharnaum vocari ciuitatem Christi, id est; patriam, distinguit enim Chrysost. tres Christi patrias, natiuitatis Bethleem, educationis Nazareth, habitationis Capharnaum, vbi adultus habitauit. Sic enim Matth. 4. dicitur; *relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum.* Non ignoro Hieronymo Matth. 9. patriam hanc fuisse Nazareth: sed quod dixi magis placet.

A 2. *Et iterum introiit*] *Iterum*, inquit Marcus, post scilicet illum ingressum, de quo ipse c. 1. 21. & 3. 3. diluci. c. 9. v. 1. nos meminimus. *Post dies*] codices latini aliquot peruetusti, nonnulla græca exemplaria habent, *post dies octo*, sed ratio rerum & temporis repugnat: nam non potuit Christus statim post dies octo redire Capharnaum. Vbi enim ex ea vrbe discessit, in multis Galilææ rum synagogis prædicauit, Marc. 1. 39. nec poterat in synagogis, nisi diebus Sabbathi prædicare, quibus solis synagoga congregabatur, multa ergò Sabbatha inter discessum Christi à Capharnaum, & reditum interfuerint, necesse est. Non potuit igitur post octo redire dies. Fortassis erroris causa, quod phrasis Hebraica non intelligeretur. Solent enim Hebræi dicere *post dies*, id est, *multis post diebus*, quod perbelle in hunc locum quadrat. 5.

B 3. *Auditum est*] innuit hic Euang. Mar. clam, atq; adeò noctu ingressum esse ciuitatem, statimque domum venisse. *Quod in domo esset*] non dubito Petri domum intelligi, ibi enim cùm Christus in ea vrbe erat, solebat habitare, quod indicat Mar. c. 1. v. 29. 6.

Conuenerunt multi] *non potest ciuitas abscondi supra montem posita*, Matth. 5. 14. græcè dicitur, *statim congregati sunt.* ἐπὶ τῷ αὐτὸ συνήχθησαν πάντες, quo declaratur vehemens studium populi. *Neque ad ianuam*] gr. μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν, id est, vt non caperent (eos locа) quæ ad ianuam (erant) videtur vestibulum insinuari, quod multitudinem magnam fuisse indicat. Aliqui codices habent caperet. Maldonatus inquit, hunc errorem colligi ex græco articulo τὰ pluralis numeri. Emmanuel ait, *caperet*, q. d. caperent, hoc est, locum non haberent. Ego puto subintelligi domum; ita multi erant, vt non caperet eos domus, ne ad ianuam, id C est, ne ad vestibulum quidem; vel neque ea loca, quæ circa domus erant ianuam, non ipsa modò domus. Et ita in emendatis biblijs nunc legimus, *caperet*. 7.

In vna dierum] quidam idem valere putant hoc, quod *quadam die*, sed Toleto annot. 31. in 5. Lucæ placet, significatum esse hîc diem Dominicum, ita vt *vna* significet primam diem, quæ erat proxima post Sabbatum, vt Genesis 1. *Factum est vespere & mane dies vnus*; id est, primus; & Ioan. 20. *vna sabbathi*, id est, prima, ita hic, *vna dierum*; id est, prima dierum hebdomadę, id est, die Dominica, quæ sabbato succedit. *Sedebat*] græcè non habetur *sedebat*, sed *erat docens*, videtur ab interprete explicandi causa adiectum, quod fortè innuitur, cùm dicitur ver. 4. *& erant Pharisæi sedentes.* Illud enim, *&*, videtur significare, quod & ipsi sedebant, sicut Christus ipse sedebat: saltem multò magis Christo conueniebat sedere, quia docebat. 8.

D 4. * *Hierusalem*] est ablatiuus. *Virtus Domini erat*, &c.] *erat* inquit, *ad sanandum*, pro. se exserebat oblata occasione: quia fortè cœperat iam miracula edere post doctrinam; quæ Euangelistæ suppresserunt. Vel certè idem est, ac si diceret, aderat prompta & parata ad sanandum; vt doctrinam confirmaret etiam tanto magis, imò vtraque expositio locum hic habere potest simul coniuncta. 9.

5. *Et ecce vir*] Beda, quatuor inquit virtutibus ad promerendam salutem homo fiducia mentis erigitur, scil. prudentia, fortitudine, temperantia, iustitia, hæc ille; quatuor igitur qui portabant quatuor virtutes cardinales significant secundùm eius sententiam. 10.

6. Obserua humilem fuisse eam domum, quippè in quam ascenderūt vectores paralytici, apertoq; 11.

tecto per tegulas eum intra domum intulerunt. Sublimiores enim domus Iudæorum, non erant imbricibus tegulisque contectæ: sed solaria habebant pauimento constrata, habentia circumcirca repagula, secundùm legem Deut. 22. Hinc intelligere est quid sit illud Luc. 17. *Qui fuerit in tecto, non descendat*, &c.

12. 7. *Fidem illorum*] inprimis fidem coniunctam cum fiducia impetrandæ sanitatis intelligere debemus. Deinde magnam fuisse eam istorum fidem; denique rectè Bonauenturam Lucæ 5. dixisse: veram fidem impedimenta nō retrahere, sed accendere. *Morum*] sunt qui intelligant tam paralytici, quàm eorum qui gestabant, fidem. Nam inquiunt, si paralyticus fidem non habuisset, neque se efferri passus esset in tectum, neque peccata illi Christus remisisset. Fateor, non paruam paralyticus fidem habuit, verùm hic Euangelistæ eorum fidem qui portabant, notant, cuius intuitu sanatum significant paralyticum, vt fuit fide centurionis sanitati item restitutus paralyticus eius seruus, sic Cyrillus catechesi quinta, Ambros. 5. in Luc. Hier. Chrysost. hom. 30.

13. Quàm bonum sit cum viro iusto versari, & quantæ vtilitati sit mundo, lege hic Barrad. libro quinto, capit. vigesimo, §. 40. obserua circa med.

14. Porrò ostendit hic egregiè satis Maldon. contra hæreticos, quàm ignoranter, quàm stupidè colligāt ex hoc loco, sola fide peccata remitti, meritò sanè; cùm enim hic non fiat mentio illius fidei, quā illi iustificantem vocant, sed potiùs fidei miraculorum, cui vel ipsi non tribuunt remissionem peccatorum: constabit sanè vel hinc eorum stoliditas, & stultitia. quid plura? nonne secundùm nebulones istos, qui adulti iam sunt, nequeunt aliena, sed propria tantùm fide iustificare possunt, qua Christi iustitiam apprehendimus, vt ipsi inquiunt? igitur cùm de aliena hic agatur fide, eorum scilicet, qui portabant paralyticum, qua consecutione noui isti dialectici effici volunt ex hoc loco, solam fidem iustificare? *confide fili*] bono animo esto Matth. & Marc. *filium*, Luc. *hominem* vocatum scribunt, sed iste sequutus sensum videtur, tam dulcis, tam suauis erat Dominus, contemneret vt neminem, omnes vt filios caros haberet, & filios etiam vocaret. *Dimittuntur tibi peccata tua*] Gr. ἀφίωνταί σοι *remissa sunt tibi*, & est præteritum actiuum: ponitur verò hic pro præsenti more Hebræorum, sic Luc. c. 7. 47. 48. imò & ex Matth. c. 9. 5.

16. Iurè Christus non petenti remissionem peccatorum, sed corporis sanitatem, peccata condonat. Voluit namque morbi originem ante morbum ipsum & indicare, & tollere. Solent enim non rarò ægritudines effecta esse, & pœnæ peccati. Vel etiam ex occasione, quam inde Scribas sumpturos ad calumniandum sciebat, voluit & ipse ex eorum calumnia probare, se dimittendi peccata potestatem habere. Postremò docuit nos quid primo statim loco petere debeamus, nimirum, Dei regnum & eius iustitiam; tunc enim hæc omnia adijcientur nobis.

17. *Propter alienam fidem aliquando peccata remittuntur, & quomodo.* Cæterùm quomodo inquies, propter alienam fidem peccata paralytico remittuntur? respondeo, non sola aliena in adultis fide, sed etiam propria adiuncta remitti credendum est, dum propria ab aliena iuuatur; non enim credere debemus ijs, qui nullam fidem habent aliorum fide peccata deleri; sed ijs qui tam imbecillem habent, vt nisi aliorum fidem intueretur Deus, qui pro illis rogāt, non remitteret peccata. quod si dicas, atqui hic non minorem, quàm qui portabant fidem, habebat. Ita est: at licèt paralyticus paruam habuisset, seu minorem quàm necesse erat, tamen illi, eorum qui portabant, motus fide, remisisset Deus peccata. Est & alius modus, quo aliorum fide alijs peccata remittuntur. Dum aliorum fides orando, alijs aut nihil agentibus, aut malè agentibus, & saltem non credentibus fidem impetrat. Sic dicit Augustinus Stephanum Paulo fidem impetrasse.

18. Aduerte quod fides petentium impetrat quidem alijs tum corporis sanitatem, tum fidem, denique animæ salutem, non quidem ex iustitia, vel meritò condigni; sed ex quadam Dei clementia, & bonitate, qua suos fideles exaudire dignatur, & hoc dicitur meritum de congruo. Est autem differentia inter corporis, & animæ salutem, quia Christus propter fidem quorundam, etiam aliquibus non operantibus sanitatem concedit. At salutem animæ, quæ in fide, spe, charitate, gratiaque est posita, non confert nisi ipsis dispositis, & cooperantibus per fidem, & dilectionem propriam. Fides ergò petentium impetrat, vt Deus excitet, præparet, & disponat aliquos ad fidem, & pœnitentiam.

19. Porrò hæc gestantium fides, quæ tacita quædam oratio & petitio erat, vtramque paralytico salutem impetrauit. Barrad. lib. 5. cap. 19. nescimus ait, an hi paralytici gestatores informem fidem, an charitatis aurea veste amictam habuerint. & quipem si informi fide præditi erant, potuit mitis & misericors Dominus ipsam quamuis informem respicere, & propter eam paralytico opitulari. Quemadmodū eleemosynas intuetur, quæ à peccatoribus, pauperibus donantur, ita vt pauperum inopiam, ac miseriam subleuantibus, & adiutrices manus porrigentibus, manum ipse, & auxilium porrigat, vt à peccato resurgant.

20. *Blasphemat*] id est, tribuit sibi quod Dei solius est. quid sit blasphemare, & quot modis in scripturis accipiatur vide apud Toletum anno. 40. in c. 5. Lucæ, certè interdum sumitur pro coniicijs afficere, vt Matth. 27. *prætereuntes blasphemabant eum*. 1. Corinth. 4. *blasphemamur, & obsecramus*. & Ephes. 4. 31. *omnis amaritudo & ira, & indignatio, & clamor; & blasphemia tollatur à vobis*. Hic verò accipitur, prout dixi paulò superius n. hoc eodem 20. Blasphemia etiam ista intra corda istorum erat, quæ Christus videbat, & quo penetrabat. *Blasphemare quid sit.*

21. *Quid est facilius*] quoniam locus hic difficilior est, quàm vt in Scholijs enucleari breuiter possit, ideò fusiorem loci declarationem vide in Theor. mens Christi est hîc ostendere se, quamuis sit homo & simul Deus, nihilominus potestatem habere remittendi peccata etiam qua homo est, sicut habebat potestatem sanandi paralyticum, non distinguendo quomodò hanc potestatem obtineret, diuinane liberalitate, vel munere cœlesti, an verò ex diuinitatis vnione. & propterea se *filium hominis* vocauit, & addidit ob eandem causam, se potestatem istam in terra habere: quia nimirum ostendere volebat loqui se, de se præsertim vt homo erat. Vis autem argumenti in hoc statu non est minus difficile, vel impossibile homini peccata dimittere, quàm paralyticum curare, hoc est antecedens, ergò qui facit vnum in alterius confirmationem, nimirum, qui curat paralyticum vt ostendat potestatem se habere dimittēdi in terra peccata, ille necessariò declarat habere se potestatem à Deo dimittendi in terra peccata, & hæc est prima consequentia. Igitur vt intelligatis me hanc potestatem, licèt homo sim, habere; ecce in huius confirmationem præcipio paralytico vt surgat, & tollat grabatum suum & ambulet, idque quod præcipio opere efficio, ergò verissimum est,

22.

me

me potestatem, quam dixi; remittendi in terra peccata, habere; & est secunda cõsequentia facto atq; opere stabilita, antecedens sic probatur: quia vtrumque opus est diuinæ virtutis, & vtrumque æquè homini impossibile, consequentia prima probatur, quia opera diuinæ virtutis non possunt fieri in confirmationem falsi dogmatis. Et ex his patet efficacitas argumenti, ad quam nihil facit collatio inter se illorum duorum, vtrùm sit facilius dicere paralytico, *dimittuntur tibi peccata*, an dicere; *tolle grabatum tuum, & ambula*; vel vtrum maius, seu minus sit, sed tantùm hoc facit ad vim argumenti, vt vtrumque intelligatur esse opus diuinæ virtutis, & æquè homini impossibile, & item vt vnum in alterius confirmationem fiat. Nota quod hic *dicere*, non est simpliciter affirmare, sed cum efficacitate, vt fiat id quod iubetur. Cætera vide in Theoria. Nota præterea *dicere* primo loco positum non esse coniungendum cum præcedentibus, vt sit sensus, quid est facilius dicere, alioqui dicere secundo loco positum esset superfluum. Sic ergò loquendum est: *quod est facilius, dicere remittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge & ambula?*

12. *Vt autem sciatis*] hæc non Euangelistarum, sed Christi verba sunt, alioqui sine istis diminutum esset argumentum Christi, cuius vis ex hac sententia pendet. Illa verò, *tunc ait Paraly.* Euangelistarum sunt, quibus declarant totam hanc sententiam quæ præcessit, à Christo pronunciatam illis esse, ita vt ad solo verbo sanãdum paralyticum interim se conuerterit. *In terra*] id est, ipse existens in terra. vel hominum peccata, qui sunt in terra, cum quibus etiam versabatur Christus, cùm esset in terra.

13. *Surge*] Hilar. canon. 8. in Matth. significari dicit, his tribus verbis, totam redemptionem per Christum factam; nam surge indicat peccatorum remissionem, & reconciliationem per gratiam; tolle lectum tuum, indicat corporum resurrectionem; vade in domum tuam, declarat introitum in cœleste regnum, quod verè est nostra patria; ad quam creati sumus, & vnde nunc peregrinamur.

14. *Ita vt mirarentur*] quod hic Matth. admirationem vocat (nam græcè, quod nos habemus *timuerunt*, est ἐθαύμασαν *admirati sunt*) Lucas stuporem, seu extasim vocat, & timorem simul, duabus id vocibus exprimens. Itaque tria consecuta sunt hoc miraculum, primum stupor, id est, vehemens quædam admiratio, qua velut præcluditur via ad inueniendam rationem rei gestæ, hæretq; animus in sola magnitudinis rei consideratione, alterum est, quod qui præsentes aderant admirandæ Dei virtutis opus confitebantur; denique magno sunt timore correpti, dicentes: *quia vidimus mirabilia hodie*, &, *nunquam sic vidimus*. Græcè apud Lucam; *mirabilia* dicuntur παράδοξα, id est, incredibilia: admiranda siquidem Dei opera sceleſtis hominibus metum, timoremque incutiunt, ne fortè ob scelera aliquid aduersi patiantur. Cæterùm interpres apud Matth. rectè vertit, *timuerunt*, nam sensum respexit. Significare enim voluit vehementem timorem ex admiratione natum; quem, stuporem videtur vocasse Lucas, & timorem duplici voce. Marcus expressè videtur tantum admirationis meminisse. Maldonat. Matth. 9. v. 7. tantùm vocem stuporis apud Lucam dicere videtur, voci, *timuerunt*, apud Matth. respondere, sed aptius quod dixi.

29. *Mysticum sensus huius miraculi.* Sensum mysticum huius historiæ habet August. de con. Euang. Paralyticus anima est dissoluta membris, id est, operationibus. Christum quærit, scil. volũtatem Dei. Impeditur à turbis cogitationum. per tecta, hoc est, per operta scripturarum abdita; ad Christi notitiam peruenit, ad eius humilitatẽ, fidei pietate descendens. Ante Christum ponitur à bonis Ecclesiæ doctoribus, cũ lecto. i. in carne istâ adhuc constitutus. Iubetur tollere lectum, vt non in carnalibus gaudijs tanquam in lecto requiescat anima, sed magis affectiones contineat, & tendat in domum suam, id est, requiem secretorum cordis sui. Aliam expositionem moralem etiam vide apud Iansen. c. 31. sub finem.

THEORIA.

Vis, & efficacitas argumenti, quo v. 11. & sequentibus vtitur Christus, excutitur.

1. VT loci huius difficultas tollatur, & Christi argumentum declaretur, aliqua sunt præmittenda. In primis hæc tria; miracula edere, dimittere peccata, & cogitationes cordium cognoscere diuinæ solius virtutis esse, nec posse humanis, vel creatis viribus effici, constare sat debet Catholico, licèt communicari possint homini. Nam & sancti miracula ediderunt, cordis occulta cognouerunt, & nunc sacerdotes Dei peccata remittunt. Nunc ergò quoniam reliqua duo etiam sanctis veteris testamenti concessa fuerant, non tamen peccata remittere illis fuerat datum; nam post resurrectionem cum discipulis dixit Dominus, *Accipite Spiritum sanctum, quorum*, &c. tunc primùm data est hominibus eiusmodi potestas) propterea hic isti dixerunt, *quis est hic qui loquitur blasphemias? quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* toto quidem errabant cœlo, dum sibi falsò persuadebant, non potuisse hominibus tribui Dei virtute, vt peccata remitterent: in quem errorem lapsi sunt, quia nunquam id antè vel viderant, vel audierãt. Et ob id blasphemasse Christum arbitrati sunt quasi sibi arrogasset, quod solius Dei est.

1. Quæ Deo propria aliquando hominibus concessa.

2. Secundo loco constituo: aliter Christum etiam vt hominem, aliter sacerdotes remittere peccata, aliter etiam Deum. Sacerdotibus hoc competit vt Christi ministris: Christo homini authoritatiuè, vt aiunt & meritoriè fuit id tributum. Est enim hæc potestas, vt & miraculorum & cognoscendi cordium cogitationes illi velut propria & intrinseca ob vnionem diuinitatis cum sacratissima illa humanitate, illi namque debebatur. Pertinet verò ad excellentiæ; quam vocant, potestatem. Porrò Deo competit tanquam primæ & non aliunde dependenti causæ: neque enim ab alio hanc potestatem accepit, sed à se habet, cùm tamen Christo & sacerdotibus ab alio, scilicet Deo, tributa fuerit; diuinæ enim virtutis est, non creatæ. Nam cùm iniuriam condonare contra Deum factam; & remittere æternam pœnam lege Dei peccato decretam propter peccatum; & gratiam, per quam remissio peccatorum fit, tribuere, sit solius Dei; eius etiam erit peccata remittere ex seſe, non aliundè dependendo. Verùm alijs etiam virtute diuina concedi potest, vt talem iniuriam, & pœnam possint remittere, gratiamque suo modo tribuere.

2. 3. Aliter Deus, aliter sacerdotes remittunt peccata.

Tertiò, ex his fit nõ omninò effici aliquem

4.

esse

esse Deũ, siuè miracula edat, siue remittat peccata, vel cordiũ cogitationes cognoscat. cũ hęc omnia homines etiã pręstare valeãt, diuina tamẽ virtute fulti. Quod si quis dicat ijs Christũ ostendisse esse se Deum manifestè, quod hæc faceret solo verbo, & iussu. occurrendum est, sanctos etiam sic eadem interdum fecisse, vt Iosue cap. 10. sol contra Gabaon, &c. testatur item Gregor. 2. dialog. 30. sanctos aliquando imperio, ac ex potestate miracula facere. Et sacerdotes dum absoluunt, eandem dicendi formulam vsurpant, *ego te absoluo*, qua vsus est Christus, cùm diceret. *dico tibi surge*. Postremò vel ijdem ipsi qui Christo aduersabantur, ex miraculis hoc modo factis non intelligebant Christum ostendere se voluisse Deum, cùm tamen Deum glorificaret, qui potestatem talem hominibus dedisset. Quid? an non Christus ipse de se tanquam de homine loquens dixit, *vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra*, &c. Constat igitur ex his, non posse clarè inferri Christum esse Deum, nec hoc loco id manifestè ostendere decreuerat Christus, sed potiùs id quod hic contendit ostendere est, se quamuis esset tantùm homo, posse dimittere peccata, non humana, sed diuina virtute, ac proinde non blasphemare eum si dicat, se dimittere peccata posse.

5. *Difficilius est peccata remittere, quã miracula facere.*

Quarto loco aduertendum est, quod si quis hæc inter se conferat, difficilius est peccata remittere, quàm miracula facere; nam in peccatoris conuersione & reditu ad meliorem frugem, seu in remissione peccatorum aliquid fiat necesse est, quod omninò naturam excedit, fit enim gratia, charitas, quæ superioris sunt ordinis; at in miraculis, vita restituitur, visus, sanitas, quæ res naturales sunt, & per naturam fieri possunt, licèt non in his subiectis, quæ post habitum illis priuantur; adhæc, dum quis ad vitã excitatur, Deus est, qui solus sine nobis id peragit, sicut & cùm quis cogitationes cordis cognoscit; verùm cũ nos iustos efficit, nõ sine nobis id facit, propterea difficilius hoc est. Cæterùm intelligenda sunt hæc non respectu Dei, cui omnia æquè facilia, sed respectu potestatis creatæ. Lege de his D. Thomam p. p. quæst. 105. art. 8. quod verò miraculum nõ soleamus vocare, cùm peccatores ad cor redeunt, & cùm peccata remittuntur, inde est quod hæc non rarò, & præter ordinem fiunt; an verò remittere peccatum difficilius sit creatione nec ne, alijs disputandum relinquo. certè August. in illud Ioan. 14. *maiora horum faciet*; maius esse opus asserit, vt ex impio quis fiat iustus, quàm creare cęlum & terram.

6.

7. *Dicere quomodo hic intelligendũ.*

Quintò obserua; vt iam propius ad rem accedamus: cùm Christus aduersarios interrogat, an sit facilius dicere, &c. sumit *dicere* nõ pro simpliciter affirmare, sed cum efficacitate quadã, vt fiat id quod iubetur: alioqui quoad prolationem attinet, æquè vtrumque facile est; & meritò *dicere* potiùs quàm *facere* vsurpauit; nam blasphemiæ ab aduersarijs accusabatur; blasphemia verò in voce est; ostendere vult hic Dominus, se ea verba dicẽdo, nõ esse blasphemum; verè enim vt hominem etiam, potestatem dimittendi peccata habere magis re, quàm verbis mox declaraturus erat.

A Cæterùm sextò aduertendum est, non conferre Christum hæc duo inter se, vtrum sit facilius dimittere peccata, an sanare, &c. sed ea respectu potentię ac virium hominis considerat, quidquid sit, an si inter se conferrentur, vnum altero maius vel minus esset, q. d. homini vtrumq; est impossibile: vt si quis interroget vtrum horũ homini facilius sit ambulare super aquas, an paralysim curare; is non significaret inter se hæc collata ita se habere, vt vnũ altero sit difficilius, sed insinuaret potius neutrum facilè, vtrumque homini esse impossibile, & diuinæ virtutis opus, non humanæ.

8. *Deo æquè facilè, sanare, & peccata remittere.*

Quibus rebus fit minus aptam videri D. Hieronymi & Chrysostomi expositionem hom. 30. in Matth. quæ supponit, Christum comparasse hæc duo inter se, item Victoris Antiocheni Mar. 20. volunt namque hic vnum alteri conferri, ita tamẽ vt dicere, *remittuntur peccata* facilius sit, quàm dicere, *surge & ambula*, non quidem re ipsa, sed ad probandum; nam vt quis probet se paralyticum posse sanare, est quod re ipsa id efficiat extrinsecus, quod non est necessariũ in remissione peccati; ille enim effectus sanitatis sub sensum cadere potest, nõ iste. est enim ille, quid notius & sensui manifestius; esto exemplũ, velut si quis diceret facilius esse loqui de excentricis, quàm de ijs quę oculis exposita sunt rectè dicet, non quod excentricorum scientia nõ sit difficilior re vera, sed quod in istis, non facilè erroris redarguatur quis, sicut redarguitur cùm errat in rebus manifestioribus. Ita cùm quis dicit, *remittũtur tibi peccata*, non facilè erroris arguetur, quippè cùm is effectus sub sensum non veniat. At si quis dicat, *surge & ambula*, facilè redarguitur falsitatis, quia effectus hic sub oculos cadit, ita isti doctores cum alijs. sic etiam Maldon.

9.

B

C

10. Placet mihi magis, nullam hic rerum inter se collationem contineri; quod si qua est comparatio, cum homine fit; ita vt sit sensus, vtrũ est homini facilius, dicere *dimittuntur peccata*, an dicere paralytico: *surge & ambula*? q. d. vtrumque est illi impossibile, neutrum facilè. Hinc verò deducemus paulò post argumentũ Christi, quo se etiam vt homo est, probat blasphemum se non esse, quamuis dixerit paralytico, *remittuntur tibi peccata*, &c.

11. His constitutis non est difficile vim argumenti Christi colligere, & quæ fuerit hic eius mens. Igitur, incipiendo ab hoc secundo, mẽs Christi est probare, se (quamuis homo sit, & simul Deus) habere potestatẽ remittendi peccata, etiam vt homo est, sicut habebat potestatem quoque sanandi paralyticum; non distinguendo quomodo haberet hanc potestatem ex concessione ne diuina, an propter vnionem cum diuina persona. Primum verò illud, id est, argumenti vis in hoc posita est, quod paralytici curatio, quæ fieri nequibat, nisi Dei virtute, sumitur ad astruendam potestatem remittendi peccata. Nititur porrò hoc argumentum in principio quodam subintellecto, quod omninò certissimum est, nimirũ, diuinæ virtutis opera in confirmationem falsi dogmatis fieri non posse; enim verò propterea petiuit Christus ab aduersarijs, vtrum facilius esset, dimittere peccata, an sanare ver-

12.

D

bo, vt

bo, vt cõstaret horum vtrumque opus esse diuinæ potentiæ, vbi vides nihil facere ad argumenti efficacitatem illorum duorum inter se collationẽ, vtrum maius aut minus esset, dummodo vtrumq; sit diuinæ virtutis: quo admisso si vnum fiat in alterius cõfirmationem; clarè constabit, verissimum esse illud quod sic stabilitum & confirmatum est potenti Dei virtute.

13. Itaq; dum Christus ad confirmandum se potestatem habere dimittẽdi peccata, Dei virtute paralyticum sanat; efficaciter ostẽdit se potestatem habere dimittendi peccata, atq; adeò non esse se blasphemum, si hoc affirmet. Itaq; non id propriè agit hoc loco Christus vt se Deum ostendat, licèt alioqui Christi miracula facta in confirmationem suæ diuinitatis efficacissimè id probauerint. Verùm hic sanatur ægrotus in alterius veritatis corroborationẽ, huius nimirum, quod potestatẽ habeat, etiam qua est homo, dimittendi peccata: credibile enim est contrarium eius quod scribæ putabãt, probare voluisse; putabant autem illi solum Deum posse remittere peccata, hoc ergò est quod reijcit Christus, posse etiam quãuis Dei virtute, homines id præstare: quo facit sibi Christus viam ad id insinuandum, & persuadendum, quod erat in Euangelio instituturus, cùm sacerdotibus potestatem in posterum remittendi peccata daturus erat.

14. Est ergò hoc argumentum secundùm nostram, quam veram putamus, loci huius intelligentiam: non est minus difficile & impossibile homini peccata dimittere, quàm paralyticum curare; probatur, quia vtrumque opus est diuinæ virtutis, vtrumq; æquè homini impossibile. Tunc vlterius: ergò qui facit vnum in alterius probationem, nimirum qui curat paralyticum, vt ostendat potestatem se habere à Deo dimittendi in terra peccata; declarat necessariò habere se eam potestatem: patet hæc sequela, quia opera diuinæ virtutis nõ possunt fieri in cõfirmationem falsi dogmatis, hoc est, argumentum; vt igitur ostendat & sciant Aduersarii, potestatem se habere dimittendi peccata, paralyticum solo verbo curat in eius rei probationem, quæ fit opere ipso. Hæc est igi-

15. tur huius loci tota sententia. Hæc interpretatio videtur esse Euthy. sic enim ferè ait: quando quidem blasphemare vobis videor, vtpotè remittens peccata, respondete mihi, vtrum est facilius vt opere perficiatur, an dicere, remittuntur tibi peccata, an surge & ambula. Erant autẽ ambo hæc hominibus impossibilia, Deo possibilia. Cùm autem illi taccrent, eò quod neutrum altero facilius erat, ait ipse: vt sciatis quia filius hominis &c. ex his fit totum argumentum non esse conclusum nisi post illa, vt autem sciatis, &c. tibi dico surge, &c. argumentatur enim Christus non verbis modò; sed factis, quibus tandem conficit quod vult. digna Deo probatio.

A

CAPVT XVII.

VOCATVR MATTHAEVS, ET DE IEIVNIO DISPVTATVR CVM discipulis Ioannis, & Pharisæis.

A. 9. 9. B. 2. 13. C. 5. 17.

1. A. *Et cùm transisset inde Iesus,* B. *egressus est rursus ad mare: omnis q; turba veniebat ad eum, & docebat*
B *eos: & cum præteriret,*

2. B. *Vidit hominem* C. *Publicanum* A. *sedentem in Telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: sequere me. & surgens secutus est eum,* C. *relictis omnibus.*

3. *Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua.*

4. A. *Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi Publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, & discipulis eius.* B. *Erant enim multi, qui & sequebantur eum.*

C. Erat turba multa publicanorũ, & aliorum, qui cum illis erant discũbentes.

5. C. *Et murmurabant Pharisæi & Scribæ eorum* B. *Videntes quia manducaret cum publicanis, & peccatoribus*
C *(&)* A. *dicebant discipulis eius. Quare cum publicanis & peccatoribus manducat,* B. *& bibit* A. *Magister vester.*

C. quare cũ publicanis & peccatoribus manducatis, & bibitis.

6. *At Iesus audiens ait: non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.*

B. Iesu hoc audito.

7. *Euntes autem discite quid est: misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores* C. *ad pœnitentiam.*

8. B. *Et erant discipuli Ioannis, & Pharisæi ieiunantes.* C. *At illi (Scribæ consentientibus Pharisæis) dixerunt*
D *ad eum. Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum; tui autem edunt & bibunt?*

9. A. *Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis, dicentes: Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter; Discipuli autem tui non ieiunant?*

B. & venit, & dicunt illi: quare discipuli, &c.

10. *Et ait illis Iesus: numquid possunt filij sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus: & tunc ieiunabunt.*

B. filij nuptiarum.

11. B. *Dicebat autem & similitudinem*

ad illos

C quia nemo commissuram à nouo vestimẽto immittit in vestimentum vetus: alioquin & nouum rumpit, & veteri non cõuenit commissura à nouo.

ad illos. A. *Nemo immittit commissuram,* (*vel*) B. *assamentum,* A. *panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius à vestimento, & peior scissura fit.*

12. *Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conseruantur.*

13. B. *Et nemo bibens vetus, statim vult nouum. Dicit enim: vetus melius est.*

IN CAPVT XVII.

SCHOLIA.

1. 1. *VM transisset*] rediens ad mare, vt explicat Marcus c. 2.13.

Egressus] exijt videl. Capharnaó Matth. c. 9. & Marc. c. 2. Itẽ Luc. 5. Matthæi vocationem post paralytici historiã narrant. Chrysost. ho. 31. in Matt. assignat causam, quare Dominus edito illo miraculo statim domo exierit, ne hinc Scribæ videntes ipsum, maiore arderent inuidia, atque adeò affectum eorum mitigaret, quod nobis faciendum monet Chrysost. *Non enim,* ait, *debemus cominus in aduersarios insurgere, sed vlceribus eorum mederi cedentes, & relaxantes eorum intensionem.* Theophyl. & Euthym. plausus, laudesque facti miraculi eum fugisse putant. Alij ex effectu, quia volebat Matthæum piscari, ad mare egressum esse volunt. Denique Euangelista ostendit ideò ad mare profectum, vt ibi doceret, *& docebat eos,* inquit Marc. licèt. n. ad ianuam substiterit multitudo ciuitatis, cùm concionatus est domi, tamen nõ pauci alij non interfuerant, sed ad litus negotijs vacabãt, hos vt quæreret, abijt Dominus ad mare.

2. *Rursus ad mare*] egressus est rursus ad mare, quia prius transfretauerat è regione Gerasænorũ ad alterum maris litus, & se Capharnaum receperat, vbi paralyticum domi curauit, inde egressus rursus ad idem mare abijt, quo omnis turba veniebat ad eum, eosque docebat, vt Marcus habet, & lib. 3. dilucidat. cap. 17. v. 1. hîc continetur. Terræ sanctæ scrutatores referunt, extra Capharnaum circa mare ostendi locum, vnde sit Matthæus vocatus. consule Adrichomium. n. 92. in tribu Nepht. licèt in tribu Zabulon n. 99. videatur affirmare Tiberiade vocatum Matthæum: at prope Capharnaum vocatus est, vt ipse idem scribit in vita Christi.

3. *Et cùm præteriret*] fortè non dum pergeret ad mare addocendum vidit: sed cùm inde rediret, quomodo intelligendus esset Matthæus, cùm ait: *& cùm transisset inde Iesus, vidit,* &c. Sed similius vero est, quod cùm pergeret ad mare, Matthæum vocarit, vt se sequeretur: quem secutus ille de Deo differentem audiuit, quo factum est, vt incœpto virtutis itinere, tantò magis animatus, & constabilitus sit in rerum item mundanarum despicientia.

4. 2. *Vidit*] Interl. non tam corporeo, quàm miserantis intuitu.

Hominem] hominem inquam, illum, quem Ezechiel cap. 1. prædixerat. videbat enim iam tunc in publicano illo ad Telonium sedente, primum suum Euangelistam, qui specie alati hominis repræsentabatur; nam per rerum mundanarum contemptum ad cœlestes enolaturus erat diuitias. De ijs item qui hominis nomine digni sunt, lege Chrysost. ho. 23. in Gen. & Pinedam in Iob c. 1. *Vir erat in terra Vs,* &c.

Publicanum] Iuris consulti illos dixêre *publicanos,* qui vectigalia à fisco conducunt, id Vlpian. l. 1. ff. *de publica.* & Caius l. 16. ff. *de verborum significatione* affirmarunt. Addit Martian. l. vlt. ff. de publica. non tantùm horum fuisse munus, vectigalia à subditis, verùm etiam professionem ab illis exigere. Habebatur horum munus apud Romanos honestissimum, & non nisi equestris ordinis hominibus conferri solebat, vt ex lit. ad M. Brutum de Terent. Varrone lib. 13. epist. fam. & ex orat. pro Planc. & ad Q. F. de regimine præfecturæ Asianæ scribente, colligere est: qui etiam addit nomen publicanorum non Iudæis tantùm, verùm etiam Græcis infensissimum, & inuidiosum fuisse. 6. *Publicani qui.*

Mittebantur hi ad prouincias ad vectigalia exigenda, qui ex ijsdem prouincijs homines, quos eidem muneri ascriberent, sibi eligebant, qui item publicani dicebantur; cuius ordinis Matth. erat, & Zachæus dictus *princeps publicanorum,* qui dicebatur Hebraicè *Gabbe*, cæteri verò publicani *Gabbain.* vnde fortasse deductum nomẽ *gabella.* In Hebraico tamen textu Euangelij sancti Matth. quod peruetustum habetur, publicanos *Parisim* inuenimus appellatos, quod nomen est illorum latronum, qui maceriem, vel sepes dissipant, vt ad furãdum pateat aditus, quo vtitur Hierem. 7. dum ait, *numquid ergò spelunca latronum.* Hebraicè *Parisim.* 7.

Latronum ergò nomine publicanos Iudæi appellabant, quod illi libertatis asylum viderentur effringere, & ad seruitutem aditum aperire, habebanturque infames, quod Iudæi, genus Abraham ex libera, liberos se esse profiterentur, nec quidquam alijs debere, nisi Deo decimas, quodque lege statutum foret, ne esset vectigal pendens ex filijs Israel ex Deuter. id citat Tertullian. sed non habetur, vide Pammel. licèt in 70. sit, de quo alibi; alioqui soluisse Iudæos tributa patet 1. Regum 17. 3. Regum 11. Execrabantur ergò Iudæi, quod à contribulibus suis ad id Romanis præstandum, compellerentur. Quare non mirum si Iudæi murmurasse dicuntur contra Dominum, quod cum publicanis manducaret, sicut etiam murmurarunt Pharisæi, cùm conuiuio à Zachæo exceptus esset, *quia videlicet, ad hominem peccatorem diuertisset*; quin Dominus ipse de homine incorrigibili loquens ait: *sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Rursumque parabolam afferens de Publicano, & Pharisæo, illum peccatorem repræsentare demonstrat. Potuisse verò publicanos absque peccato suo fungi munere, colligi potest ex cap. 3. Luc. nam venientes ad Ioannem publicani interrogarunt, *quid faciemus?* Respondet ille, *nihil amplius quàm constitutum est vobis, faciatis*: ex Græco verti potest, *nihil amplius exigatis.* Malè tamen audiebant, & ideò cum peccatoribus numerantur Matt. 5. & 18. 8. 9.

Obserua, malè Tertullianum l. de pud. existimasse, publicanos omnes fuisse gentiles, quem redarguit Hier. epist. 146. quasi verò inquit & Matt. non ex circumcisione fuerit Publicanus, & ille qui cum Pharisæo in templo orans, oculos ad cœlum non audebat erigere, non ex Israel fuerit publicanus. 10. *An fuerint omnes gentiles.*

Sedentem in telonio] *Telonium,* vox Græca, à τέλος, quod est vectigal; significat vel ipsum vecti- 11.

gal,

gal, vel mensam ipsam vectigalis, in qua numerabatur pecunia; nam vectigal plerumque pecunia constabat: quomodo accepit interpres noster apud Luc. & Marc. dum vertit, *sedentem ad Teloniũ*; vel significat locum, seu domum, in qua reponuntur vectigalia, & vbi sedent Publicani, hoc est, publicorum vectigalium redemptores, vel exactores, quomodo accepisse videtur interpres in Matth. dum vertit, *sedentem in Telonio* (quamuis græce eodem modo habeatur in Matth. ac in Luc. & Marco καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον, *Sedentem ad Telonium*: constat olim tributa non ostiatim colligi solita, sed à subditis in certum locum deferri.

12. Chrysost. hom. 31. in Matth. *Sed cur dixit in Telonio sedisse? virtutem vocantis voluit ostendere, qui non imposito adhuc fine praua publicanorum conuersationi, è medio malorum pelago ipsum abstraxit; sicut Paulum quoque furentem ac omni rabie ardentem, & ignem Ecclesiæ inferentem transmutauit: quam vocatis virtutem ad Galatas scribens, expressit, cùm dicat: Audistis fratres, aliquando conuersationem meam in Iudaismo, qui supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam ipsam. Piscatores quoque à mediis operibus suis vocauit. Sed piscatura quoddam artificium est, quod quamuis rudiorum hominum sit, & simplicium, nihilominus non vituperatur. Publicanorum autem studia, & exercitatio, impudentiæ, & crudelitatis plena sunt, quæstus nata illiberalis, turpis quædam mercatura, immò rapina lege sæculari concessa; quæ omnia non erubuit Dominus. Nec mirum si publicanum non erubuerit, quando nec meretricem erubuisset; quam non à fornicatione solùm eripuit, verùm etiam pedes osculari permisit. Venit enim non vt corpora solùm curet, verùm etiam multò magis, vt ægrotis animis incolumitatem præstaret; quod planum in paralytico fecit, cuius cùm peccata dimiserit; tunc ad Matthæum accessit, ne turbarentur; si publicanum viderent in discipulorum consortio collocatum. Nam qui potest delictorum dissoluere vincula, quid mirum est si peccatorem Apostolum fecit? Vidisti virtutem vocantis, disce nunc vocati obedientiam. Non enim repugnauit, nec ambigendo secum dixit: Putasne publicanum, peccatoremq; me, rectè absque fraude vocauerit? Non est enim huiusce modi intempestiua humilitas laudabilis: sed confestim ita obtemperauit, vt nec domum quidem ad communicandum rem cum suis profectus sit; verùm sicut piscatores prius, retibus vnà cum nauigio, atque patre relictis; sic ipse publico officio, & quæstu relicto, sequebatur: sic præparatum animum, atque præmeditatum ostendens; sic ab omni sæculari negotio se ipsum abrumpens, mirabili hac obedientia testimonium vocanti perhibuit, quod opportunè ipsum vocauerit.* Hæc Chrysostomus.

13. Gregor. lib. 18. Moral. cap. 16. *Solent hæretici de iustitia sua contra nos elatione gloriari, atque opera ostentationis inflatione iactare: nosq; iniquos, vt diximus, aut esse, aut fuisse criminantur. Per humilliman ergo confessionem, & veracem defensionem cõtra eos, vir sanctus loquitur, dicens: Ferrum de terra tollitur. Ac si apertè dicat: Fortes viri, qui acutissimis linguarum gladijs, in hac acie defendendæ fidei ferrum fiunt, aliquando terra, in infimis actionibus fuerunt. Peccanti quippè homini dictum est: Terra es, & in terram ibis, sed de terra ferrum tollitur, cùm fortis propugnator Ecclesia, à terrena quam prius tenuit, actione separatur. Non ergo in eo debet despici quicquid fuit, qui iam cœpit esse, quod non fuit. An non Matthæus in terra inuentus est, qui terrenis negotijs implicatus, Telonij vsibus seruiebat? Sed de terra sublatus in fortitudinem ferri conualuit; cuius videlicet lingua, quasi acutissimo gladio, Euangelij*

A *administratione, Dominus infidelium corda transfixit, & qui infirmus prius, despectusq; fuerat, per terrena negotia, fortis postmodum factus est ad cœlestia prædicamenta.* Sic Gregor.

Chrysolog. serm. 129. in Matthæum ait: *non subtrahitur operi, sed mutatur & Teloniũ suscipit magũ, quàm reliquit, vt mansura Deo, non homini peritura conquirat: exigebat Matth. vectigalia, nõ minus omninò reliquit, sed mutauit, exigebat tributa homini postea exegit Deo: hoc enim Matth. munus fuit quæ Deo debentur tributa, videlicet fidem, spem, charitatem, gratiarum actionem; iustaq; opera ab hominibus exigere. Felix qui quæ debet Deo tributa, soluit. Isaacar vidit requiem quod esset bona, & terram quod optima, & supposuit humerum suum ad portandum, factusq; est tributis seruiens Genes. 49. ita vir bonus æterna præmia, cœlestemq; quietem contemplatus, alacriter humerum suum labori subjecit; sicq; tributis seruiens, dum operum bonorum tributa persoluit Deo, &c.* 14:

B Sed neque lucifer cacodæmonum Princeps suo Telonio caret, & verò publicanus est, & exactor; sic eum Gregor. lib. 3. mor. cap. 13. vocat, immò & Isa. cum c. 9. *Sceptrum*, inquit, *exactoris eius supẽ rasti*, exigit autem à nobis maxima & intollerabilia tributa, turpissimasque vsuras, nimirum, peccata, vt appellat August. Psalm. septuagesimo primo, cuius vocem exactoris non audit vir pius, Iob 39. vbi Gregor. clamorem ait, exactoris non audire, est vidente tentationis motibus non consentire. 15. *Diabolus quoque publicanus est.*

Matthæum] non vna est omnium opinio de nominibus *Matthæi*, & *Leui*. quidam putant accepisse hoc nomen *Matthæi*, postquam est ad Apostolatum vocatus, cùm antea *Leui* diceretur. Bedæ videtur vulgare; & commune nomen eius fuisse C Matthæum; ait enim, Lucas; & Marcus propter honorem Euangelistæ, nomen tacent vulgatum. Matthæus se etiam publicanum nominat, ne quis salutem desperet. Alij binomium dicunt fuisse, alijs videtur fuisse *Leui* veluti cognomentum, & ob id *Matthæum nomine*, Euangelistam scripsisse. Hieronymus obseruat honorificentius fuisse nomen *Leui*, quàm nomen *Matthæi*: nam numquam se *Leui* modestiæ caussa, sed *Matthæum* nominat: alij verò eum non solùm *Matthæum*; sed *Leui* etiam honoris caussa vocant. *Leui Alphæi* dictus est, id est, filius Alphæi. Interlinearis; *Leui* additus (est) vel assumptus, quia diuina eum electio assumpsit, & numero Apostolorum addidit. 16:

Obserua illud Ecclesiastici 11. 12. *est homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius: & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum.* Rectè in Matthæum hæc conueniunt; erat prius miser & pauper; verùm vbi illum Christus aspexit de miseria sua erectus est. Facilè est enim in oculis Dei subitò honestare pauperem; Ecclesiast. 11. sicut enim sol aspectu suo plurima, ac pretiosa metalla producit in terræ visceribus, & gemas ac lapides pretiosos. Ita Christus sol iustitiæ in corde Matthæi diuersa germina virtutum aspectu suo produxit. Hinc orat Psalt. es: *Respice in me, & miserere mei.* Nec mirum eam inesse vim in oculis Christi: si enim aliqui sunt serpentes adeò pestiferi, vt visu occidant homines, vt Arist. & alij testantur. 17. *Matthæus ex paupere dives.*

Quid mirum est, si in oculis Christi vis sit viuificatrix? Ideò *respexit Dominus Petrum, & fleuit amarè.* Respexit Matthæum, & effecit, vt se ipse respiceret, sibique prospiceret, sicut Struthio visu oculorum viuificat oua sua, nec eius incubat; vel vt sol aspectu suo ea viuificat, vt alijs placet. Et

Discrimen inter piscatores & publicanos.

ideò loco magni beneficij Dauidi promittitur; *firmabo super te oculos meos:* & Sapiens ait: *gratia Dei & misericordia in sanctos eius, & respectus in electos illius.* Respexit ergò Dominus Matthæum, & facile fuit in oculis eius subitò honestare pauperem.

18. *Sequere me*] Ambrosius: *non gressu corporis, sed mentis affectu.* Interlinearis: imitare me, non est tamen negandum etiam vocatum vt corpore sequeretur: verùm mente magis, & imitatione. *Sequutus est eum*] Interl. non leuitatè ductus, sed virtute operum, & diuina potentia intus operante sequitur tam corpore, quàm mente. Chrysost. nec in propriam domum ire voluit, vt suis intimaret: addit Basil. etiam pericula contempsisse, quæ sibi ac suis accidere poterant, dum calculos telonij dimittit imperfectos: credendum tamen ipsum postea Christi voluntate omnia sua disposuisse, licèt vocatus confestim sequutus sit Christum.

19. Euthym. admirare eius, inquit, qui vocatus est perfectam obedientiam; quomodo neque consultauit apud se, quomodo super ea re nullum consuluit amicum, quomodo non disposuit quæ domus erant, atque substantiæ suæ, sed confestim surgens secutus est relicto vniuerso mundo. Hæc ille. Sed ne putares illum iussu postea Christi non disposuisse omnia sua, subdit Euthym. Solam autem adduxit mentem ad omnia paratam, quæ iussisset is, qui eum vocauerat, sicut & qui antea vocati fuerant. vbi significat tacitè arbitrio Christi redijsse domum ad sua componenda.

20. Chrysost. hom. 31. in Matthæum, significat tunc vocasse Christum discipulos, cùm sciebat illos obtemperaturos; sic Matthæum vocauit cum miraculorum fama perdomitum, minimè reluctaturum sciebat. Hoc intelligendum est, quando sciebat obtemperaturos videlicet per ipsius gratiam; sciebat enim quando ipse operaturus erat in eis, vt obtemperarent vocanti, & tunc vocauit. Alioqui tunc vocauit discipulos multos, etiam Matthæum, quando plus erant impediti, magisque distinebantur vt venirent, mundi nimirum curis impliciti; sic Petrum & Andream vocauit cùm retia mittebant in mare, Paulum quando in viam se dederat acceptis litteris aduersus Christianos minas spirantem, Matthæum cùm sederet ad Telonium, hoc enim modo virtus gratiæ magis illustris est, & emicat, minusque homo de se, suaque virtute, vel meritis confidit. Sic Paulus, *complacuit* inquit, *ei, qui me segregauit*, &c. ad Galat. quod si ante placuisset Deo, ante consensisset; non solet expectare Deus arbitrium nostrum, qui ipsum excitat, & ipsi dat velle, & perficere, ijs etiam qui rebelles esse videbantur. hoc modo videtur Tolet. ann. 54. Luc. 5. sententiam Chrysost. declarare, alioqui inquit non eam probo.

21. *Virtus Christi vocantis.* *Relictis omnibus*] D. Hieron. *Fulgor*, inquit, *ipse, & maiestas diuinitatis occulta, quæ etiam in humana Christi facie relucebat, etiam primo aspectu videntes ad se trahere poterat. Si enim in magnete, & succinis hæc esse vis dicitur, vt annulos, & stipulam, & festucam sibi copulent, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos volebat?* & in epist. ad principium ex Psal. 44. *nisi Christus habuisset, & in vultu quiddam sydereum, numquam eum statim sequuti fuissent Apostoli.* Lege Abulen. Matth. 9. q. 42. sed non est necesse eò confugere: satis erat quod intus moueret Christi virtus. Emmanuel relictis omnibus inquit, scil. negotijs, postea verò etiam rebus: quod non placet, quia eodem modo dictum est de Matth. reliquisse omnia, quomodo de cæteris Apostolis, puta Petro, Andrea, Ioanne, Iacobo, at de illis non dubium, quin omnia reliquerint, nec eorum placet opinatio, qui Euãgelistas per anticipationẽ quandã locutos autumant, ita primũ vt cùm secutus esse Christũ dicitur, in familiaritatẽ eius tantùm sit receptus, at postea re ipsa omnia reliquerit, & in discipulum admissus sit. Sed hæc nullo nituntur fundamento eorum malo probare sententiã, qui nunc cùm vocatus dicitur, omnia reliquisse, quantum in se erat, affirmant, & in primis Telonium, & officium publicani, & alia; Christi tamen iussu, vel voluntate disposuisse sua cùm locuples esset, & pecuniarijs negotijs vacaret, domumque redijt, in quam Christum hospitio recepit, conuiuio illum excipiens, idque vt disponeret omnia, quomodo Elisæus ad parentes redijt annuente Elia. Cæterùm dispositis omnibus, rerum quoque suarum vsum omnem abiecit, licèt prius quantum in se erat, omnia reliquisset.

Conuiuium magnum] id est, splendidum. Græcè 23.
apud Lucam est, δοχὴν μεγάλην *magnam receptionem*, id est, magnificè eum excepit, ac tractauit. Matth. meminit tantùm conuiuij; Marcus addidit in domo ipsa Matthæi instructum. Lucas subiecit non in domo modò Matthæi, verùm etiam ab eodem Matthæo conuiuium paratum fuisse; propterea verò Christum excepit cõuiuio, partim vt magistrum honoraret, partim etiam vt gratum se exhiberet ob vocationis beneficium. Adhæc, ad ostendendum quanto esset gaudio affectus tanto beneficio accepto: denique vt amicis, ac familiaribus vale diceret, quod fecit Elisæus 3. Regum 19.

Hoc conuiuium vas illud velut linteum magnum Act. 10. repræsentare videtur, continebat siquidem quadrupedia, serpentia terræ, volatilia cœli; audita vox est, *Surge Petre occide, & manduca.* Quid aliud erant quæso publicani isti, & peccatores mensę accumbentes, quàm immunda quędam animantia, quadrupedia, ac serpentia intra linteum contenta? hos Christus sibi vniens, veluti comedit, & per pœnitentiam in cœlum transtulit. Meritò igitur in hac die ablactationis Isaac Gen. 21. conuiuium celebratur. Iam enim Matth. iam reliqui peccatores ablactationis suæ diem festum agebant, quo à mũdi vberibus auulsi, ad dulciora vbera adhæsêre, de quibus Cant. 1. *Meliora sunt vbera tua vino, fragrãtia vnguentis optimis.* Sanè perhonorificè externo conuiuio Christum excepit Matthæus, sed longè præstantius eidem præbuit epulum, ac suauius multò, cùm se ipsum cum cæteris, quos asciuerat, facinorosis hominibus, tradidit comedendum. Rectè virginitatis victimã 25.
appellatum Matthęum apud Hippolitum in libello de duodecim Apostolis, docet Baron. in notis martyr. 21. Septembris. Etenim propter Hiphigeniæ virginitatem ab Hirtaco Rege interfectus est, cùm rem diuinam faceret: à conuiuio igitur cœpit Matthæus, in conuiuio sanctissimam vitam amisit, illud ipse Christo, hoc Christus ipsi exhibuit, cùm Christi sanguine & corpore frueretur ad aram. De Matthæi abstinẽtia Clemens Alexand. l. 2. pedag. c. 1. sic scribit: *Matthæus Apostolus seminibus, baccis, atque oleribus absque carnibus vescebatur.* Hic Apostolus nobis omnibus solemne parauit epulum, dum sacri Euãgelij volumine nos cibauit, vt Ezechiel loquitur c. 3.

22. *Et factum est*] ostendere hic videtur Euangelista, alibi Matthæum domum, nempe intra vrbem: Alibi telonium; videlicet, ad litus maris habuisse. Nam ex telonio, vnde vocatus, secutus est Christum, auditaque vt vero simile est eius doctrina ad mare, postea in domum venit, ibiq; magnum Christo conuiuium exhibuit. An verò eodem, an alio die non omninò constat, verosimilius alio, fortè sequenti. *Multi publicani*] Chrysost. hom. 31. in

Matth. concurrerunt ad Matth. inquit, quasi ad cōsortem artificij, multi publicani, quos ille lætitia non parua, propter accessum Christi, inuitauit, Domino ita disponente, qui omne genus curationis animorum exhibuit. Nec disputando solùm, aut ægrotos curando, aut inimicos redarguendo, verùm etiam comedendo, atque bibendo multos à vitijs ad virtutem reduxit, vt nos doctiores his omnibus efficeret. Non enim tempus est, nec opus, ex quo non possimus vtilitatem subducere. Sic ille.

27. Quæritur an publicanos, & peccatores in conuiuio discumbētes Christus animi sanitate donarit? affirmat Chrysost. ibidem Hieron. Matth. 9. & Euthy. item in Matth. & meritò, nam vt bene obseruat Beda; si in peccatis perseuerare decerneret, ei qui sine peccato est, conuescì non auderet.

28. Iterùm circa eadē, multi publicani, habet Glos. iam post se multos trahit Apostolus; & doctor futurus: & Hieron. videntes publicanum locum inuenisse pœnitentiæ, non desperant salutem. Emm. non erant inquit, hi gentiles, vt patuit Tertull. l. de pudi. c. 9. vt superius nos etiam notauimus n. 10. Chrysost. ipse glorians de præsentia Christi conuocauit omnes: neq; verò Christus vitabat publicanos propter vtilitatem sequentem, nisi enim tāgeret saniem non liberaret à morbo. quare rectè Chrysost. ait: Christum non solùm disputando, sanando, & arguendo, sed etiam comedendo errātes corrigebat: instruēs quodlibēt opus & tempus posse vtilitatem afferre. hinc rectè Ambr. infert, quod Christus cum peccatoribus manducando, etiam cum gentibus non prohibet nos inire conuiuiū, intellige cum Dei gloria, & proximi vtilitas id suadent, vel necessitas cogit.

29 *Peccatores*] publici, seu manifesti, aduertit Rab. per Matthæi & publicanorum vocationem, gentium fidem exprimi; per superbiam Pharisæorum, inuidiam Iudæorum de salute gentium.

Erant enim multi qui & sequebantur] his voluit Marcus fructum & efficacitatem prædicationis Christi insinuare, quæ tanta esset, vt vel publicani, & peccatores multi, eum tam quam magistrum discipuli sequerentur, & hoc innuit vocula illa, &. q. d. non solùm peccatores multos Christum libenter audisse, & in eum credidisse, sed sequutos etiam fuisse quoquo pergeret, & forte ex his aliqui in discipulorum numerum, forsan etiam septuaginta duorum, electi sunt.

30. 5. *Et murmurabant Pharisæi*] qui aderant, non vt conuiuæ, sed vt spectatores. *Mirari Iudea*, inquit Chrysolo. serm. 29. *cur Christus misceatur conuiuio peccatorum, qui propter peccatores & nasci voluit, & non recusauit occidi oblatras, cur peccatorum vinū bibat, qui pro peccatoribus suum sanguinem fudit? & si vis nosse amplius, suscepit ipse peccatum, ne perderet peccatores, in se sententiam suam iudex retorsit, vt amasse se peccatores proderet magis soluendo, quàm donando.*

31. *Scribæ eorum*] non modò Pharisæi, vt dicit Matt. sed etiam Scribæ, vt Marcus & Lucas aiūt, *obmurmurabant*. Porrò quod Lucas dicit, *eorum*, referendum est ad ea verba eiusdem Lucæ, quæ ad marginem ad v. 4. hic habentur, *turba multa publicanorū*, & aliorum *qui cum illis erant discumbentes*; vt subijciamus postea v. 5. *Pharisæi & Scribæ eorum*, videlicet, Pharisæi, & Scribæ, qui inter eos erant, nō quidem accumbentes, sed præsentes, murmurabant: conuiuium enim publicum erat, omnibusque patens.

Videntes] hæc verba indicant eodem tempore quo accumbebant Christus, & discipuli, & conuiuium celebrabatur, adfuisse Pharisæos & Scribas, & vidisse quod agebatur, ac murmurasse, quare rectè Victor Antiochenus Marci 2. scribit; veniisse eò Scribas & Pharisæos, non quò aliquid discerent, verùm quò ea quæ fiebant, curiosè inquirerent.

Pharisæorū curiositas.

Dicebant] non quidē à conuiuio, sed dum mensæ accumberet, vt iam dictum est, hoc enim significant illa, *Videntes quia manducaret, dicebant*, &c. *Quare cum Publicanis & peccatoribus*] Augustin. 2. de consensu Euang. 27. Lucas inquit, indicat Christo & discipulis obiectum. Sed cùm discipulis obijcitur, magistro obijcitur. vna est ergò sententia. idem Augustin. Matthæus ait, & Marcus narrant obiectum discipulis de Christo, magis enim ei obijciebantur, quàm discipulis, qui eum sectando imitabantur. aliqui dicunt vtrumq; simul dixisse, *quare magister vester, & vos*, &c. *Quare*] sic aduertit Ambr. hanc primam vocem serpens emisit, patris ergò sui venena diffundunt. *Magister vester*] quasi sugillant, & reprehendunt doctrinam Christi, vt inuidiam illi conflent apud discipulos, quasi doceret cum publicanis, & peccatoribus manducandum esse, addunt, vester, quasi ipsi talem abominētur disciplinam, qualem discipuli à Christo discebant. distinguunt peccatores à publicanis, non quod publicanos peccatores non arbitrarentur; sed quia cum publicanis nō publicani essent admisti; siue socij essent, vel ministri publicanorum, siue pessimi exempli homines, vel forte etiam è synagoga electi. *Manducat & bibit*] hæc innuunt in ipso conuiuio reprehensionem esse factam, sunt enim verba præsentis temporis, dum verò *manducat & bibit*, inquiunt, plus significant, quàm dicunt. Augent enim & amplificant rem, quasi sæpè, & sine delectu in cibos, calicesq; irrueret. vide insignem hominum audaciam, & insolentiam.

6. *Audiens*] præ animi ardore & inuidia non ita sermonem comprimere potuerunt, quin quæ obijciebant ad aures Christi perueniret. Suscepit verò Dominus & discipulorum, & publicanorum causam defendendam. *Non est opus*] hæc est prima ratio, qua tutatur se & discipulos Christus à simili ducta. Medicus corporis non tam versari debet cū sanis, quàm cum infirmis, qui magis eorū opera indigent: nam illis satis est si ea adhibeantur, quæ incolumitatem conseruent; cùm igitur ego sim animarum medicus, magis cum publicanis & peccatoribus versari debeo, itaque cùm dicitur, non est opus, intelligendum est, non tam est opus.

7. *Euntes*] secunda ratio, vox illa *euntes*, vim habet cuiusdam reprehensionis secundùm Hebræos, vt Iosue 10. *Ite, & inuocate Deos vestros*, &c.

Misericordiam volo] sic septuaginta. at hebraicè legimus apud Oseam c. 6. *misericordiam volui*; sed parum refert, sæpè enim tempus pro tempore vsurpatur. 32.

Ad intelligendam verò hanc Oseæ sententiam & secundam rationē Christi animaduerte. Solere hebræos quando vnum alteri præferunt, vsurpare modum loquendi per absolutam negationem verbi non dicunt, hoc mihi magis placet, quàm illud, sed hoc placet, non illud. quo significant hoc magis placere quàm illud, vt 1. Reg. 8. *non te abiecerūt, sed me*, id est, non tam te, quàm me. Matt. 10. *Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri*, id est. non tam vos estis, quàm Spiritus, &c. Luc. 5. *non veni vocare iustos sed peccatores*, id est, non tam veni. Similiter, *non egent qui sani sunt, medico, sed qui malè habent*, id est, non tam egent. Luc. 15. *gaudiū est in cœlo super vno peccatore*, &c. hoc est, maius *quàm super nonaginta nouem iustis*, &c. Super peccatores enim in hoc est maius gaudium, quia maiori in periculo versabantur. Rom. 9. *non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*, id est, non tam volentis seu currentis, quàm Dei miserentis,

Hebraismus notandus.

1.Cor.15.*non ego, sed gratia Dei mecum*, id est, non tam ego, quàm &c.

33. Iam ad rem; hæ tres sententiæ, *non opus est valentibus medicus, misericordiam volo & non sacrificium; & non veni vocare iustos, sed peccatores.* Iuxta hunc hebraismum exponendæ sunt, videlicet non tam opus est valentibus medicus, quàm malè habentibus, non tam volo sacrificium, quàm misericordiã, vel quod idem est, hanc volo magis, quàm sacrificium; nõ tam veni vocare iustos, quàm peccatores, neque enim dubium esse potest ad vtrosq; vocandos venisse Christum, & iustos, & peccatores. Ioan.10. *veni vt vitam habeant*, ad peccatores hoc, & abundantius habeant, ad iustos id pertinet. cõstat etiam vocasse Nataneelem *iustum*, &c. Præterea hîc per *sacrificium* intelligenda sunt illa Iudæorum sacrificia animalium, & per *misericordiam* dilectio proximorum, qua opem illis ferimus. Oritur enim misericordia ex proximi dilectione, promptumque reddit hominem ad opitulandum ijs qui indigent. Porrò opera misericordiæ docet August. l.20. cõtra Faust. c.16. & de ciuit. l.10. c.5. esse sacrificia, & anteponenda sacrificijs pecorum, Hebr.13. *talibus hostijs promeretur Deus.* Gr. εὐαρεστεῖται, hoc est, oblectatur, vt vertunt Chrysost. & Theophyl. vel placatur, & in eis complacet secundùm eundem Chrysost. & Oecumen. & Aug.10.ciui.c.5. Bedam in collecta. in v. Placeo, vel secundùm Riber.c.13. ad Heb.n.55. optimè promeremur de Deo, vt nos amet, nobisque benefaciat, demeremur tali obsequio Deum nobis. Vtitur autem interpres *promeretur* passiuè, ac si esset verbũ cõmune, q̃ passiuè etiã sumi potest. cùm ergò finis præceptorum sit dilectio, rectè Deus externis sacrificijs, proximi dilectionem præfert, non quod sacrificia reijciat, quæ olim præcepta erant. hoc docet Dominus Matth.5. dum ait; *dum offers munus tuum ad altare*, &c. & Matth.15. *irritum feciſtis mãdatum Dei*, &c. est ergò sensus huius loci: misericordiam Deus præfert sacrificio, nõ ergò est quod me notetis, quod cum publicanis & peccatoribus versẽr. Est enim hoc misericordiæ munus eos ad pœnitentiam pertrahere, & in viam salutis inducere aberrantes, neque verò ob aliud quidpiam cũ eis comedo, nisi vt hac familiaritate & comitate in eos, salutem illis tribuam. hæc ergò est secunda ratio defensionis. Sed scisciabitur aliquis: sacrificia ad Dei cultum referuntur, misericordia hęc ad proximi dilectionem, ergò cùm præferendus sit Dei cultus dilectioni proximi, videntur præferẽda sacrificia misericordiæ. respondeo, cùm sacrificium prætermittere cedit in Dei, religionisque contemptum, potius sacrificandum, quàm proximo subueniendum, si simul vtrumq; fieri nequit: at si talis absit contemptus, præferenda semper vita nostra, aliorumq; ipsi sacrificio: horum ratio est, quia quando adest contẽptus simul cum præcepto positiuo, immiscetur naturale præceptum de honorando Deo, de non prætermittendo eius cultu & honore, quod naturale præceptũ præferendum est naturali item præcepto subueniendi proximis: cæterùm cùm abest id genus cõtemptus, ita vt res non cedat contra Dei honorem, tunc sacrificare, cæterisque huiusmodi ritibus colere Deum, præcepti est positiui, cui proinde præferendum naturale præceptum succurrendi proximo; tunc enim ad honorem Dei pertinet magis proximis opitulari, quàm Deo sacrificare exterius.

34. *Vtrum misericordia sit præferenda sacrificio.*

Non enim veni vocare iustos] est tertia ratio ex fine aduentus Christi: quis sit autem sensus ex superius annotatis, patet, quasi dicat, finis ob quem in hunc mundum veni is est, vt homines non tam iustos, quàm peccatores ad salutẽ vocem, imò hos ad pœnitentiam in primis: non ergò oportet me

A abhorrere ab eorum consuetudine. porrò idcircò potiùs dicit se venisse ad vocandum peccatores, quàm iustos, quia illi maiori in periculo versabãtur: & magis ob id indigebant auxilio, & multò plures erant. non loquitur autem hîc de redemptione, quã passione & morte perfecit, sed de prędicatione, & consuetudine. *Ad pœnitentiam*] non habetur apud Matt. & Mar. licèt in pluribus græcis exemplaribus id legere etiam sit apud Matth. connecti etiam debet cum voce *peccatores* tantùm. aliqui per *iustos* hîc intelligunt eos qui se iustos arbitrantur, & superbia tument: at etiam istos vocat, quo resipiscant. Caiet. dicit insinuasse Dominum, omnes peccatores esse, & egere vocatione sua: certè *nemo mundus à sorde, neque infans*, &c. sed non videtur hæc mẽs Christi, quare primam expositionem amplector, vt nõ neget vocari iustos suo modo, sed nõ tam propterea venisse, quàm vt ad pœnitentiam vocaret peccatores. Licèt non sit omninò improbabile, si intelligamus vocari solos peccatores, nempe ad pœnitentiam, ita vt exponatur iste locus tantùm de vocatione ad pœnitentiam. Iusti enim potius ad beatitudinem vocantur, abundantiorem gratiam, & excellẽtiorem statum. 35.

B 8. *Et erant discipuli Io.*] duplex hic esse potest expositio, vel quod cùm hæc ipsa dicerent reuera Ioannis & Pharisæorum discipuli ieiunarent: vel quod non tunc quidem ieiunarent: sed quod frequenter solerent id facere; licèt lex id non præciperet; ita vt non actum, sed consuetudinem verba significent. Prior mihi sensus verior videtur, quasi ex præsentis ieiunij occasione id quod hic habet Euangelista, obiecerint ipsi Scribæ consentientibus Pharisæis. 36.

Edunt & bibunt] plus volunt dicere, quàm dicunt, videlicet non modò non ieiunare, sed dare etiam operam opiparis, lautisque conuiuijs, ingurgitare sese, atque inebriare. *At illi*] vox *illi* ad scribas referri debet, sed consentientibus, & instigantibus Pharisæis. per *Scribas* enim tanquam per peritiores maluerunt id obijcere, nõ ausi pro se id facere victi; ac debellati priori Christi respõso, & ideò per parenthesim glossulam illam interposuimus, Scribæ consentientibus Pharisæis.

C 9. *Tunc accesserunt ad eum*] præcedens obiectio Scribarum & Pharisæorum alia est; ab ista discipulorum Io. vt patet ex forma dicendi, *quare discipuli Io. & Pharisæorum ieiunant.* non ergò ea obiectio processit à discipulis Io. & Pharisęorum, quamuis moti fuerint Scribæ ad id obijciendum occasione ieiuniorum, quibus tunc se macerabant discipuli Io. & Pharisæorum. Hæc autem calumnia altera, à discipulis Io. profecta est, tam enim hi, quàm illi eamdem vel similem calumniam obiecerunt simul, & quasi certatim vt vult August. 16. de consen. Euang. c.27. aut certè hi post illos, vt probabilius tenet Euthymius; nam quod Scribæ de discipulis Io. & Pharisæorum, consentientibus Pharisæis, obiecerunt, ipsimet discipuli Ioannis de seipsis loquentes iterum obtruserunt. Ex his optimè conciliantur Euangelistæ; nam Luc. & Marcus de calumnia prolata à Scribis, *consentientibus Pharisæis*, loquuntur occasione ieiunantium, qui aderant; Matth. verò loquitur de eadem vel simili calumnia à discipulis Ioannis iterũ obiecta. quare non mirum, si calumniam hanc Matth. discipulis Io. tribuat, quã tamen Lucas, & Marcus Pharisæis, & Scribis attribuunt, non eodẽ tamen modo, nam à Scribis prolata fuit: sed consentientibus Pharisæis, & hoc significant verba illa, *dixerunt ad eum* apud Luc. *& veniunt & dicũt* apud Mar. non enim hæc verba *veniunt & dicunt* ad discipulos Io. & Pharisæorum referenda sunt, sed ad Scribas *cõsentientibus Pharisæis*, vt vult August. loc. cit. 37.

38. *Nunquid possunt filij sponsi*] tribus rationibus facit obiicit propositæ calumniæ. & prima quæ hic habetur sumpta est à sua persona, aut à conditione præsentis temporis, tempus enim præsens non cõgruit, ieiunio discipulorum, nam quem admodum non conuenit vt lugeant, & ieiunent, qui ad nuptias vocati sunt; & nuptialibus gaudijs intersunt, ita rem planè absonã requirit ab ijs, qui mihi sponso adhærent, qui ieiunium, luctumve exigit. Futurum autem est vt ab ijs per mortem, & ascensionem auferar, & tunc destituti voluptate, quam ex mea corporali præsentia capiunt, ieiunabunt, & in luctu erunt, ac mœrore. Gr. οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος *thalami*, aut *cubiculi nuptialis* Marci 2.19. Interpres noster vertit, *filij nuptiarum*. Interl. scilicet, Christi & Ecclesiæ ex Augustino, q d. nunquid possunt, id est, debent filij Christi & Ecclesiæ ieiunare, quam diu sponsus, id est, Christus est cum eis corporis præsentia? dicuntur autem Apostoli *filij*, secundùm glossam; quia de spirituali connubio Christi, & Ecclesiæ creati sunt. At magis ad modum hebraicè loquendi accommodatè Emm. *per filios nuptiarum* intelligit eos, qui nuptijs intersunt. Similiter *per filios sponsi* eos, ad quos pertinet cum sponso versari, & nuptialibus gaudijs perferri. Itaque hebraismus est: & sicut *filij regni* vocati sunt Matth. 8.12. qui sunt ex regno, ita *filij nuptiarum*, qui celebrant nuptias, & cum sponso versantur & gaudent. Chrysost. affirmat, lætitiæ fuisse illud tẽpus, & nuptiarum; inquit enim, præsens tempus lætitia est, non sunt ergò admiscenda tristia, & rectè ac verè dicit hoc Chrysost. nam vt ait Cyril. Saluatoris in hoc seculo apparitio, quædam fuit festiuitas populans illi naturam nostram

39. q. sponsam. Porrò sponsum esse Christum significat parabola nuptiarum: Matth. 22. 2. & 25.1.5.6. 10. Apocal. 19.7.9. cuius, vt sic dicam, sponsalia hic celebrantur, Matth. 22.2. & 25.1. nuptiæ autem in cœlo propriè, vbi matrimonium quodammodo cum Ecclesia eius sponsa consummatur, Apoc. 19. 7.9. quia tunc eam in cubiculum suum, id est, in cœlum introducit, vbi perpetuis eius fruetur am-

40. plexibus. *Lugere*] non hîc lachrymas fundere significat, hoc est, plangere, sed ieiunare; & vniuersim tristem esse; & in luctu, sordibusq; versari; vt qui lucubrem vestem gestant, dicuntur mortuos lugere, quamuis non perpetuò plorent. Dixit autem *lugere*, & non *ieiunare*, vt omnes etiam alias luctus species comprehendat. Itaque sub *lugere* etiam ieiunare intelligi vult.

41. Sed obijcitur, si filij sponsi non debent ieiunare, cur amicus sponsi Io. Baptista, eiusq; discipuli ieiunarunt?

Respondeo Ioannem non propriè sponsi filium dici, id est, Christi discipulum, nec celebrasse cum eo nuptias, sed venisse, vt ad Christum homines adduceret. Parabat enim viam, qua alij ad nuptias venirent, ipse non venit, & quidem per asperam qui venturi erant viam, venire debebant.

Venient autem dies] q.d. tempus aderit cum illis ieiunare incumbet.

Cùm auferetur] ablatus fuit tempore passionis, sub qua ascensio comprehẽditur. hoc autem tempus durat à discessu Christi per mortem, & ascensionem vsque ad secundum eius aduentum, nec tantùm coarctatur ad tempus passionis, vel etiam ad aliquot dies post Pentecosten. Apostoli porrò de quibus præsertim est hic sermo, ieiunarunt ieiunio tribulationis & luctus, mortuo Christo per eos dies vsque ad eius resurrectionem. Iterùm ab Ascensione lætitiæ ieiunium coluerunt; itemque tribulationis ac mœroris, ob hominum peccata, & Ecclesiæ persecutiones se affligentes.

42. Huius testimonij occasione, vt ait Hieronym.

A Montanus etiam post Pentecosten facit Quadragesimam, quia per eos dies sponsus Ecclesiæ in cælum abijt. Allucinabatur tamen, nam satis ad confirmandam Christi sententiam si ieiunemus toto vitæ tempore, quamuis non post Pentecostem, nec singulis diebus, sed certis anni temporibus, & quidem ieiunio tribulationis ob peccata; & multò etiam magis lætitiæ, id, quod & in Apostolis indicatum nobis est. nam in morte Christi, vt inquit Glossa, in mœrore & luctu erant, donec per Christi resurrectionem, & per Spiritum sanctum exhilarati, lætitiæ præsertim ieiuniũ celebrarunt, non solùm à cibis, sed à terrenis etiam omnibus abstinentes, ablato iam ab eis sponso.

Aduerte non dixisse Christum, cùm ab illis discesserit sponsus, nec cùm mortuus fuerit, sed *cùm ablatus fuerit*, significans (proh scelus) ab illis ipsis Pharisæis, quibus cum loquebatur, de medio tollendum; vide August. 2. consen. cap. 27. sub finem. Auferendus etiam intelligitur à Patre per ascensionem. 43.

B *Ieiunabunt*] vt prius *lugere*, posuit pro *ieiunare*, genus pro specie: ita nũc *ieiunare* pro *lugere*, quod sub se ieiunare complectitur, speciem pro genere ponit. Erat autem mos lugendi mortuos adhibito ieiuniõ. Est ergò sensus; sicut nunc celebrant meas nuptias, ideoque non ieiunant; ita tunc meam lugebunt mortem, vt vel nunc facit Ecclesia; ideoque ieiunabunt & lugebunt. Itaque contra Caluinistas dicimus, ablato sponso Christo sapienter & piè, ac verbis Christi congruenter Ecclesiam ieiunia instituisse, etiam illud quadragesimæ, vt hinc nos non tam cum Montano Quadragesimam colligamus, quàm ieiunij rectam institutionem Christi verbis congruentem. 44.

Iuxta tropologiam, ait Hier. Luc. 5. *Quamdiu sponsus nobiscum est, & in lætitia sumus, nec ieiunare debemus, nec lugere, cùm autem ille à nobis discesserit propter peccata, indicendum ieiunium, luctus suscipiendus.* Non vult negare Hier. ieiunandum esse Sanctis, ob præceptum seruandum; vel alias vtilitates ieiunij, quod & Hieron. ipse fecit: sed significat magis congruere ieiunium, vt est luctus quidam, & opus pœnitentiæ ijs qui peccarunt. sic etiam intelligendus Ambros. l. 4. ep. 13. secundùm Hila. verò, & item Ambr. *Significatum est eos, qui iam regenerati sunt per Baptismum, & sponsum iam præsentem habent, non ieiunare, sed assiduè pasci corpore & sanguine Domini, eos verò quibus sponsus non est præsens, ieiunare & esurire quod cibo vitæ careant*, lege Hilar. can. 9. in Matth. & Ambr. Luc. v. Hic. 45.

C 11: *Dicebat autem*] subnectit alteram rationem, quæ duabus constat similitudinibus, quibus ostendit se prudenter facere, cùm discipulis ieiunium non imponit; & præcipit; est autem desumpta hæc ratio ab imperfectione, seu infirmitate discipulorum, quam ostendit duobus exemplis allatis; primum ergò exemplum, seu similitudo est panni rudis, & vestimenti veteris; comparat enim discipulos suos vestimento veteri, genus autem viuendi asperũ & difficile, id est, doctrinam de ieiunio & huiusmodi alia, pãno adhuc rudi, impolito, ac nouo; quasi dicat, sicut vestimento veteri non prudẽter assuitur particula, commissura, seu assumẽtum panni noui, seu rudis; disrumpi enim necesse est, & perdi assumentũ illud, & maiorem scissurã fieri in veteri vestimento, quàm erat prius, dum qui immisit frustum illud, & assumentum nouũ in vetus, offensus postea in concinna cõiunctione dissimilium, aufert assutam partẽ, perdens & supplementum illud quod fuerat ablatum ex nouo panno, vel vestimento; & scissuram veterem ampliorẽ faciẽs: ita nec prudenter facit, qui nouam ieiunandi rationem, quam noua Euangelij doctrina ab homi- 46.

D

nibus exigit, hominibus adhuc infirmis & incapacibus indicit. sic enim vsu veniret, vt & doctrinæ fructus periret, & ipsi à virtutis perfectioris tramite, quem tenere cœperūt, alienarentur: & peius haberēt quàm prius. expectandū proinde quousq; cæleſti ſpiritu innouentur. Neque ergò aſperiora, puta ieiuniorum præcepta, & difficile, ac cœleſte vitæ genus, meis inquit, diſcipulis adhuc infirmis, ſubitò præſcribi poteſt, ne difficultati, ac magnitudini inſtituti ſuccumbant, & doctrina pereat.

Altera ſimilitudo ſumpta ex comparatione vini noui, & vtris veteris habetur. ſeq. verſu.

12. *Neque mittunt*] non inquit, vinum nouū conuenit veteribus vtribus; crepant enim præ vetuſtate feruente muſto, & vinum perit; ita nec viuendi genus aſperum & difficile, rudibus & infirmis adhuc conuenit ſubitò præſcribere. Itaq; vtribus veteribus; Apoſtolos; ſuam doctrinam, vino nouo cōparat; quod vtrib. ſimiles iuſti, habet Tol. an. 78.

Chriſti doctrina vino nouo comparata.

13. *Et nemo bibens*] Hæc eſt tertia ratio ab indiſpoſitione diſcipulorum, quæ ex conſuetudine naſcitur. hāc ſimilitudinem tertiam ſolus Lucas appoſuit. eſt ergò vinum nouum Chriſti lex & euangelium; vetus verò antiquum viuendi inſtitutū, & conſuetudo degendi ſub lege. eſt autem hæc ſimilitudo: is qui aſſuetus eſt guſtui veteris vini, nō libenter mox nouum bibit, ſcil. muſtum. eſt enim initio auſterum, cui vetus etiam propter conſuetudinem ipſam longè præfertur; & melius, hoc eſt ſuauius videtur; at paulatim nouo aſſueſcens quis, guſtare incipit noui ſuauitatem, & veteri præponere, q. d. aſſueti aliquibus ea præponūt, paulatim ve ad noua aſſuefaciendi ſunt: ita & his meis diſcipulis veteri legi hactenus aſſuetis, nequeūt ſtatim ſapere nouæ legis cæleſtia planè, & ab humanis

47. rebus abducentia præcepta: paulatim id verò faciendum eſt. vbi obſerua nouam legem primo quidem aſpectu carni grauiorem, aſperioremq; videri; & reuera eſt, ob cōtinuam mortificationem, ſui victoriam & contemptum, denique vitæ ſanctitatem & innocentiam, quam expoſcit. Sed cùm quis guſtauerit eius dulcorem, ſenſimq; aſſueuerit, næ ille in dies promptior, alacriorq; euadet, ad omnia pietatis officia. An verò Euangelium lege ipſa ſit antiquius, & nos in præfatio. in hæc noſtra docuimus cap. 2. n. 8. & Tol. etiam docet anno. 79.

48. Obſerua iterum, Auguſt. 2. de conſen. 27. & 2. qq. Euang. 18. de ieiunio expoſuiſſe hanc Chriſti doctrinam hactenus declaratam, qua nimirū defendit Chriſtus ſuos diſcipulos contra obtrectatores; & per luctum apud Matth. intelligit Auguſt. ieiunium tribulationis vt vocat, ad propitiandum Deum pro peccatis; & per vinum nouum, & pannum nouum intelligit ieiunium, *quod pertinet*, inquit, *ad gaudium mentis in ſpiritualia ſuſpenſæ, atq; ob hoc alienatæ quodā modo à corporalibus cibis; nam tanto minus delectant carnalia quanto ſpiritualium maior ſagina eſt, nec refert quod Chriſtus nō tradiderit Apoſtolis doctrinæ ieiunij ſaltem partem*, puta quę ad gaudium mētis pertinet, *nam non erat diuellenda doctrina ieiunij, ſed ſuo tempore, poſt diſceſſum ſponſi, tradenda & inchoanda: nunc verò cum ſponſo erant.* quæ quamuis vera ſint, non tamen negaret Aug. etiam loqui Chriſtum de ſublimioribus legis Euangelicæ præceptis, vt nos expoſuimus hæc loca. Ieiunium enim gaudij hæc etiam comprehendit. lege Auguſt. verba, quia pulchra ſunt, præſertim l. 2. qq. Euang. c. 18. §. ieiunium, &c.

THEORIA
Continens exactiorem verborum textus. II. declarationem.

1. REſtat nunc, vbi ſententiam ac mentem Chriſti tradidimus, vt etiam verba ipſa primæ ſimilitudinis vnde pendet ſecūda, perpendamus, quod fiet in hac theoria, ne plus æquò Scholia longiora ſint. Aduerte igitur primò, quod vt verbū *immittit*, dum ait v. 11. Dominus, *nemo immittit*, &c. refertur ad eum qui ſcindit veſtimenti partē, ita & verbū, *tollit*, ad eundē pertinet, nō ad *cōmiſſuram*, vel *aſſumentū*, is enim qui immittit, eſt, qui tollit plenitudinē eius. i. veſtimēti. Vbi per *veſtimentum* intellige nouum, non vetus; de nouo enim pars detracta fuit: neque. n. vetus, veſtimenti plenitudinem habet, alioqui quare opus fuiſſet aſſumēto, vel ſupplemento, niſi velim⁹ dicere cum Ianſenio, eſſe poſitum *τὸ eius*, pro. *ſuam*, id eſt, quam ipſe immiſit. cùm verò dicitur, *Et peior ſciſſura fit*, intellige, veteris veſtimenti. Nam quādo tollitur plenitudo, ſeu pars veſtimenti noui, quæ inſuta iam erat, fit peior ſciſſura, veteris veſtimenti; quā prior illa, quā voluimus ſupplere per noui partē, fuerit. eodē plane modo cùm Luc. v. 12. ſcribit: *alioqui etiā nouum rūpit*, non eſt intelligēdum, q⁹ nouum rūpit vetus, vt putat Euthy. Matth. 9. quaſi nouū trahat ad ſe parum firmas veteris partes, & maiorem faciat ſciſſurā, itaq; vult ſubintelligi vet⁹, rumpit ſcil. vetus, quod & alij quidam ſequuntur, ſed non benè. Verbū igitur *rumpit* pertinet ad illum, qui immittit, is enim rumpit nouū; & hoc ſignificat ille mod⁹ loquendi: *alioquin & nouum rumpit*, & veteri nō conuenit cōmiſſura à nouo; ſi voluiſſet quod dicit Euthy. dixiſſet potiùs: alioqui rumpit & non conuenit cōmiſſura veteri, q. d. cōmiſſura noua rūpit vetus veſtimentū, & non conuenit illi, &c. Sed non ſic loquitur; non ergo referri poteſt *rumpit* ad *cōmiſſuram*, q. ipſa rumpat, &c. adde quod appoſuiſſet *τὸ, vetus*. i. rumpit vetus; at non adiecit, ſed abſolutè *rumpit* dixit. ſenſus ergo eſt; qui immittit, rumpit ipſum nouū aſſumentum, & commiſſuram, ſeu illam partem nouā detractam, & aſſutam iam, rumpit inquā id eſt, ſcindit, ita vt eius iactura fiat, dum ſcinditur; & præterea illa eadem particula non cōuenit veteri, propter quod fuit ſciſſa.

Aduerte quod Matth. c. 9. 16. ſic habet: *nemo autem immittit commiſſuram, pānī rudis in veſtimētum vetus: tollit enim plenitudinem eius à veſtimēto, & peior ſciſſura fit.* Marc. verò 2. 21. ſic: *nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimēto veteri: alioquin aufert ſupplementū nouū à veteri, & maior ſciſſura fit.* At Luc. 5. 36. *Nemo commiſſurā à nouo veſtimēto immittit in veſtimentum vetus, alioquin & nouum rumpit, & veteri nō conuenit cōmiſſura à nouo.* Vbi notandum in primis loco commiſſuræ Græcè haberi ἐπίβλημα, quod & additamentū ſignificat, vel auctuariū: *commiſſura* porrò coniūctionem potiùs ſignificat & adiunctionem, quàm partem adiunctā, græcè dicitur συναφεία, vel σύραφις, & ἐπαφήμοσυνη ex Gagnæo Matt. 9. ponitur tamen hic *commiſſura* pro additamento, ſeu fruſto illo pāni, quod ad ſarciendā plagam veteris veſtis adijcitur, ſeu quod cōmittitur. i. aſſuitur veteri ſarciēdo, Tertull. & Aug. videtur *plagulam* vocare. Pannus rudis verò ſignificat pānum impexū, & adhuc impolitū, qui ſc. nōdum à fullonib. apparat⁹ eſt, veluti cùm pann⁹ à textore venit. Hoc. n. ſignificat græcè ἄγναφον, quæ eſt vox cōpoſita ex priuatiua particula, α, & γνάφειος, quod fullonē ſignificat. grę-

cè apud

cè apud Matt. & Marc. habetur ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου, *additamentū panni rudis*, id est, impexi, impoliti: apud Luc. habetur græcè *commissuram vestimenti noui*, noster interpres habet *commissuram à nouo vestimento*, scil. acceptam, nec refert quod Lucas ἱμάτιον ponat, alij ῥάκος pannū; nam vel vtrumque dixit Dominus disiunctiuè; vel sensus idem; vel Lucas declarat, quid significat pannus apud alios Euang.

3. Vox verò illa, *plenitudinem eius tollit*] græcè est πλήρωμα, quod cùm sit neutrius generis, nō ita cōstat an sit nominatiui, an quarti casus; sed procul dubio accusatiuus. est: nam alioqui subaudire oporteret aliquid, puta, plenitudo eius tollit aliquid veteri vestimento, si verò accusandi casus ponatur, sensus nō est cōmissura vel assumentū illud, tollunt plenitudinē, hoc est, perfectionē & integritatē à vestimēto veteri, quia scil. tua firmitate illud discindit: neq; etiā sensus est, quod is qui immittit huiusmodi cōmissuram pānī noui, tollit plenitudinē à vestimento veteri. quia scil. deformat illud: huic. n. interpretationi obstat vox, *eius*, quæ videtur vacare, si his modis exponas, id patet legēti v. 11. huius cap. Aliqui vocem *eius* referunt ad *nouum vestimētum*, hoc modo: quasi is, qui immittit tollat plenitudinē eius, scil. noui panni, ita vt scindatur pannus nouus, & peior in eo scissura fiat. At ex Marco constat, non sic debere accipi, habet enim: *aufert plenitudinem à vestimento veteri*: quid clariùs? quare mihi placet lāfenij expositio. Aduerte igitur in primis, quod hîc *plenitudo*, significat illud supplementum; seu frustū panni rudis, quo ille, qui illud immiserat, ruptura veteris vestimēti expleuerat, & vox *aufert*, vel *tollit*, refertur ad eundem, qui immisit, & non oportet subaudire aliquid; particula verò *eius*, vel ponitur pro *suā*, vt dixi n. 1. vel refertur ad pannū rudem, cuius fuerat illa plenitudo, hoc est, vnde ablatū est frustum & assumentum illud, quod scinditur, & perditur. Deinde ex Luc. qui addidit, *& veteri nō conuenit cōmissura à nouo*, videtur aperiri via ad intelligentiam faciliorem huius sentētiæ Domini; sensus. n. esse videtur, quod is qui immittit commissurā eiusmodi animaduertēs postea, vt dicit Luc. non quadrare eiusmodi cōmissuram veteri vestimēto adiunctā, ob dissimilitudinē veteris & noui pāni, offensus ea incōcinnitate aufert plenitudinē suam, hoc est, supplementū suum, quod assuerat, vel supplementum panni noui assutū à veteri vestimēto, & sic maior & peior scissura fit. Idem aūt est sensus aliorū Euangelistarū: nā hoc dicit Matt. tollit. n. plenit. q.d. vidēs non aptè conuenire, dissuit eam, vel aufert, & peior scissura fit: & clarissimè omniū Mar. alioquin, scil. aduertēs inconcinnitatem, aufert plenitudinem à vestimēto veteri. i. quā cùm cōsuerat partē panni noui detrahit veteri, & fit peior scissura. Vt duo inferantur ex omnibus Euangelistis absurda, & detractio ac deperditio supplementi, & maior ruptura veteris vestimenti.

5. Iam ergò sic tota ratio hæc conficiatur: sicut pannus nouus non assuitur indumento veteri, ne sequātur illa absurda prædicta, similiter (vt secūdam coniūgamus similitudinem) nec vinū nouū in vtribus veteribus ponitur, alioqui eadem sequerētur incommoda: ita non sunt præcepta vitę austerioris, vt ieiuniorū, abstinentię à certis cibis, & similium rerū iniungenda veteribus, & infirmis hominibus, quales tūc erāt Apostoli, & cæteri Christi discipuli, sed renouatis, & fortibus, quales Apostoli erant futuri post aduentū Spiritus sancti, sic ferè SS. Patres, Chrysost. Hieron. Beda & alij in comment. ad c. 9. Matth. & Aug. l. 2. quæst. Euang. c. 18. & l. 8. cont. Faust. c. 2. qui etiam per *vestimentum vetus* intelligunt ipsos Apostolos, qui eo tēpore adhuc veteres erant .i. infirmi; per *assumentū pānī nouī* intelligūt præcepta euangelica vitæ austerioris, quorū vnū esse dicūt de ieiunio. Dices, 6.
si præcepta ieiuniorū non conueniūt hominib. veteribus: præterea si magis propria sunt testamenti noui, quā veteris, ac proinde nō tradēda veteribus hominib. quomodo discipuli Ioānis & Pharisæorū, qui sine dubio veteres erant, ieiunabant frequenter? & quomodo itē Ioannes suis ea mandabat? Ex. inprimis alium tenuisse modū viuendi Ioannē, aliū Christū; ille venerat, vt per austeriorē vitā ad Christū traheret homines, Christo verò magis mansuetudo, & communis vita conueniebat. Et fortè Ioannis discipuli promptiores erant ad ieiunandū, infirmiores Christi discipuli. cùm ergo perspectos eos haberet Christus, à ieiunijs abstinuit præcipiendis. Verior responsio est, præceptum euangelicū ieiunādi, ppriè cōuenire hominib. nouis, suos. n. discipulos Christus ieiunare volebat ex amore sc. non ex timore, & multo minùs cū iactantia, & hypocrisi. Discipuli aūt Ioannis & Pharisæorū nō ex amore, sed ex timore, vel etiā cū hypocrisi ieiunabant. Et fortasse 7.
Dominus cùm similitudines illas adhibuit de vestimento veteri, & vtribus veteribus nō solū significauit discipulos suos nondū esse idoneos ad euangelica præcepta cū ea, quæ par erat, perfectione seruanda, sed etiā obliquè discipulos Io. & Pharisęorū voluit admonere, vt nō multū de suo ieiunio gloriarentur, nam ipsos quoq; esse vestimenta vetera, & vtres veteres, & ideò parū capaces doctrinæ euangelicæ, ac ppterea non assequi mysteriū, vel consiliū Christi, nimirū cur eo tēpore discipuli eius minimè ieiunarēt, & hoc modo cōciliari possunt sancti Patres, quorū aliqui per induméta vetera, & vtres veteres intelligūt Pharisæos, per pannū nouū, & vinū nouū doctrinā euangelij perfectiorē & austeriorē, lege Epiph. hær. 24. Hila. & Hiero. in c. 9. Matt. & quidē Hier. hic attigit breuiter vtramq; explicationē, primā cū ait: *Nemo autē immittit*, &c. quod dicit hoc est. Donec renatꝰ quis fuerit, & veteri homine depositō per passionē meam nouū hominē induerit: nō potest seueriora ieiunij & continētiæ præcepta seruare, ne per austeritatē nimiam, etiā credulitatē, quam nūc habere videtur, amittat, vbi præcepta ieiunij comparantur panno nouo, & hominibus renouatis, nō veteribus conuenire dicūtur, quales erant Apostoli tunc & discipuli. Secundā verò explicationē attigit etiā hoc modo: veteres vtres debemꝰ intelligere Scribas & Pharisæos: plagula vestimēti noui, & vinū nouum præcepta euāgelica sentiēda, quę non possunt sustinere Iudæi, ne maior scissura fiat. Vbi per veterem pānum Pharisæos intelligit.

8. Obijci etiam potest, quia videtur Dominus non iniunxisse vel curasse, vt discipuli sui ieiunarent ex præscripto legis veteris, quod videtur absurdum. Respon. fateor ieiuniũ non modò rem fuisse veterem, & vsitatam, sed etiam fortasis sub præcepto (quamuis id neget Tol. anno. 70. in c. 5. Luc. nullum enim fuisse tẽpus certum ieiunandi affirmat) nam Act. 27. 9. videtur fieri mentio de huiusmodi ieiunijs lege præceptis, quæ ab omnib. seruabantur, vt nũc Ecclesiastica. Sed Pharisęi & Scribę isti, seu discipuli Io. non de his loquuntur, nec Christus ista prohibebat, imò seruãda dicebat, vt & cætera præcepta. Loquuntur autem de suis illi ieiunijs, quæ præcepta non erant, neq; cõmunia, sed voluntaria, & illis propria, quibus se Pharisæos, id est, singulares, cæterisque sanctiores esse gloriabantur, vt Pharisæus ille Luc. 18. 11. 12. in templo orans dicebat; *non sum sicut cæteri hominum, sicut etiam hic publicanus, ieiuno bis in Sabbato.*

DIGRESSIO MORALIS PRIMA.

1. *Tyronibus non esse grauia imponenda.*

DVo hic quæ ad mores faciunt, aduertit Barra. quæ mihi non sunt prætermittẽda, sub fin. c. 23. vnum est non ijs grauia imponenda onera, qui recens ad virtutẽ cõfugerint atq; infirmi adhuc sunt: nimirũ ne vt vtres veteres vi ebullientis musti, disrumpãtur, & id vini, id est, virtutis quod continent, effundatur, & euanescat. Accusat Dominus Pharisæos eo nomine Matt. 23. quod alligarent onera grauia & importabilia, & imponerent ea in humeros hominũ, digito autem suo nollent ea mouere. Huc rectè accommodari potest illud Gen. 33: 4. *nosti*, inquit Iacob, *quod paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges*; rectè his informatur pastor bonus, vt sciat qualem se debeat præbere erga teneras ouiculas, ac debiles suos paruulos; sequatur paulatim, sicut viderit paruulos suos posse. Sic Paulus 1. Cor. 3. ait: *Lac vobis potũ dedi, nõ escam: nondum enim poteratis, sed nec nũc quidẽ potestis, adhuc enim carnales estis*, &c. Alterum quod aduertit Barrad. est si vinum nouum vtres veteres disrumpit, caueat Christi sacerdos, ne vinũ illud nouũ. i. noui testamenti, clarius dicam Christi sanguinẽ in vtrem veterem. i. animum, mortifero scelere inueteratum, infundat, quod si faciat, disrumpetur. His duobus addo tertium: 4. *Spiritus sanctus vino significatus.* scimus rectè Spiritum sanctum vino significari, nam & calefacit, *nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* exhilarat Sap. 12. *O quàm bonus & suauis est Domine spiritus tuus.* Eccles. 24. *Spiritus meus super mel dulcis*; ebrium item reddit hominem, quod aliquanto fusius paulò post à nobis declarãdum erit. Vtrem ergò te oportet esse paratum, vt hoc musti genere implearis, quo Apostoli pleni erant ipso die sancto Pentecost. 5. Porrò tria habet vter ex B. Ambr. ser. 11. in Ps. 118. primùm pellis est demortui animalis. Moriare necesse est fluxis rebus, vt Spiritu sancto implearis, Colos. 3. 3. *Mortui enim estis, & vita vestra*, &c. Iterũ, vter pellis est auulsa à carne: Et Spiritus S. eos inhabitat, qui lõgè à voluptatib. carnis, & illecebris remoti sunt. Deniq; in v-

A trem loco carnis aer & spiritus succedit: eodẽ modo vir pius nõ carne, sed spiritu Dei viuit, sentit, ac mouetur. Iusti olim sub lege Mosis erant quidẽ vtres, sed sicut vtres in pruina, nec tam magna dona ob contractionem capiebãt. At iusti tempore euangelij vt vtres noui plurã ac longè maiora dona acceperunt. Iterum erãt illi vt vtres veteres, quia lex illa imperfecta erat, & ad finem vergebat; at Euangelij lex omnib. numeris absoluta & perpetua est. Hæc duo 7. debemus nos diligenter vitare, ne simus sicut vtres in pruina, vel fumo, vt quidam legũt, ne scil. tepidè, vel frigidè viuamus, vel denigrati simus peccato, prauorumq; affectuũ fuligine deformemur. Deinde ne veteribus simus vtribus similes, prò virili cõtendamus seruire Deo in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ;

B alioquin duo nobis euenient mala: nã & effundetur vinum ipsum effractis vtribus, & simul vtres peribunt. Cæterùm qui similes prædictis 8. vtribus nouis sunt ij, vtpotè pleni illo diuino musto, diuinam quãdam ebrietatem sobriam patiuntur. Quod vt intelligas scito ebrietatem tria secum afferre, primùm plenitudinẽ quandam, seu vt vocant impletionẽ; deinde obstructionem meatuũ, per quos spiritus ingrediuntur; deniq; excessum quendam à ratione & sensu. Hæc tria etiam in spirituali ebrietate reperiũtur, vt in Apostolis patet, nam primùm *repleti sunt omnes Spiritu sancto*; deinde obstructæ sunt viæ, per quas trãsire poterat ad eos peccatum, & spiritus malus, confirmati enim gratia Dei fuerũt; deniq; supra rationem excesserũt, *Spiritualis ebrietas, corporali collata.*

C *Ceperunt* namq; *loqui varijs linguis prout Spiritus sanctus*, &c. *& loquebãtur magnalia Dei*, ita vt stuperent omnes & mirarentur ad inuicem dicẽtes: *quid nam vult hoc esse? alij autem irridentes dicerent, quia musto pleni sunt isti.* Porrò ex hac ebrietate quatuor enascuntur cœlestes effectus; 9. vt .n. ebrius nudat se vestibus; sic viri pij hoc musto ebrij cum Apostolis omnia relinquunt, atq; despiciũt: ecce nos reliquimus omnia, &c. sic qui primũ ad Ecclesiam vocati sunt, & euãgeliũ, efferuescente hoc musto omnia reliquerunt. Ebrij minus sapienter videtur negotiari, sic mundo visi sunt, egisse Apostoli, & qui eos secuti sunt. abiecerunt re ipsa in præsenti omnia, & voluptate, diuitijsq; abdicatis futurum præmium, ac mercedẽ securè expectarunt; quę tamen magna est sapientia, quam inducit hæc ebrietas. Sic enim illi Christo dixere: *ecce nos reliquimus omnia, & c. quid ergò erit nobis?* Ebrietas

D obliuionem inducit, qualẽ Apostolus expertus est Philip. 3. *quæ quidem retro sunt obliuiscẽs, ad ea verò quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatũ persequor, ad brauiũ supernæ vocationis.* Inducit & iniuriarũ obliuionem Act. 5. *Ibãt Apostoli gaudentes*, &c. & D. Stephanus: *ne statuas illis hoc peccatum.* Deniq; affert secum lętitiam simul & tristitiam: ad lætitiã pertinet illud Act. 5. *multitudinis autem credẽtium erat cor vnum, & anima vna.* De tristitia sic Iere. 23. *contritum est cor meũ*, &c. & *factus sum sicut ebrius, & quasi homo madidus à vino à facie Domini, & à facie verborũ sanctorum eius.* sic Act. 2. ij, quibus Petrus concionatus fuerat, *compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & reliquos Apostolos: quid faciemus viri fratres?* hæc hactenus.

DIGRES-

Digitized by Google

DIGRESSIO MORALIS SECVNDA.

De vocatione D. Matthæi, & de necessitate gratiæ.

1. VEriſimè Lucæ 19. ſcriptum eſt: *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat*, quod ipſe Chriſtus teſtatus eſt, cùm dixit Matt. 9. *non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Hanc rem nunc velut oculis ſubijciens confirmat hiſtoria hæc Matthæi conuerſi ad Chriſtum.

2. Et eandem longè ante iuxta quorundam expoſitionem teſtatus fuerat Iſaias c. 55. 13. his verbis: *pro ſaliunca aſcendet abies, & pro vrtica creſcet Myrthus, & erit Dominus nominatus in ſignum æternum, quod non auferetur*, vel vt Vatablus interpretatur, *& erit Domino in nomen, in ſignum perpetuum, quod nunquam exſcindetur.* quæ verba ſic interpretatur Cyrill. Alex. *pro ſaliuncula*, inquit, *& vrtica herbis ſpinoſis & fœdiſſimis, quæ humi repunt, ſurget cyparissus, & myrthus, id eſt, pro peccatoribus, & hominibus facinoroſis & fœtidis, qui nec ſe attollebant humo, ſurgent Apoſtoli & Euangeliſtæ, pro publicano Matthæus, pro Eccleſiæ perſecutore Paulus, pro idololatris Eccleſiæ doctores, & fulgentiſſima lumina.* Tantùm Cyrillus.

3. Hanc autem rem ceſſuram eſſe in magnam Dei omnipotentis gloriam ſequentibus verbis declarat Iſaias: *& erit Dominus nominatus*, vel, *& erit Domino in nomen*, &c. quaſi dicat, ex hoc laudabitur Dominus monimento perpetuo, quod ex improbis probos fecerit.

4. Ecce tibi nunc abundè ſatis impletum eſſe vaticinium Iſaiæ. Cernis non Matthæum modò, ſed plurimos etiam facinoroſos homines, ſpinoſos, ac ſordidos, in fructuoſos, & Chriſti charitate conſpicuos eſſe repentè mutatos. Superbi namque & elati, humiles fiunt: tenaces, & auari, liberales: luxuriæ ac libidini dediti, caſti: iracundi, mites: vinolenti, ac ebrioſi, planè frugi ac ſobrij: inuidi, charitate ardentes: pigri, negligentes, ignaui: attenti, ſolertes, induſtrij. Vides nè eos, qui olim belluarum more viuebant in cœleſtes homines, ac quaſi Angelos eſſe mutatos?

5. Gratia Dei conuertitur peccatores.

Verùm hoc non ſine liberali Dei beneficio, benigno aſpectu, & congrua vocatione factum Euangeliſta commemorat, dum ſcribit tranſiſſe Ieſum, vidiſſe hominem ſedentem in telonio, dixiſſe illi: *Sequere me*, vbi tranſitus, intuitus, vocatio, gratiæ Dei auxilium indicant, quod illorum falſum dogma quaſi pugione confodit, qui negant egere hominem ſpeciali Chriſti gratia ad iuſtificationem, itemque vt iuſtè viuere, Dei præcepta implere, & æternum præmium conſequi valeat. quod D. Paulus, qui acerrimus fuit ſemper gratiæ Dei propugnator illis verbis grauiſſimè etiam confutat, Rom. 9. 16. *neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* & 1. Cor. 3. 7. *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed, qui incrementum dat Deus.* & 2. Cor. 3. 5. *non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* ad Titum 3. 5. *non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.*

A Conuellit & eundem errorem Iſaias 26. 12. *omnia opera noſtra operatus es nobis.* Vbi nomine iuſtorum clarè indicat gratiæ Dei honorem eſſe tribuendum propter benefacta. neq; aliud vult Ieremias 10. 23. *Scio Domine, quia non eſt hominis via eius: nec viri eſt, vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos.* 4.

An non Chriſtus omnis gratiæ auctor eſt? 7.
an non fons aquæ viuæ? an non is, de cuius plenitudine nos omnes accepimus? numquid non vitis vera, extra quam areſcere quidem palmites poſſunt, at fructum reddere nequaquam? veriſimum eſt enim illud: *ſine me nihil poteſtis facere;* & Ioan. 6. *nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Faceſſant ergò homines iſti in Deum, eiuſq; gratiam iniurioſi ac blaſphemi: nos verò gratiam Dei tanquam abſconditum
B theſaurum, & pretioſam margaritã, & cupiamus, & conſeruemus. Eſt enim bonorum omnium ferax, & melior eſt acquiſitio eius negotiatione argenti, & auri primi, & puriſimi fructus eius. pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, ei non valent comparari, Prouerb. 3. 14.

DIGRESSIO TERTIA.

De libero arbitrio cum gratia Dei cooperante.

QVoniam verò vna eſt veritas, à qua qui recedunt, in contrarias ſæpè, vel certè abſurdas abeunt ſententias, propterea 1.
C non mirum, ſi inuenti ſint Manichæi, qui ad cõtrarium priori abeuntes errorem, etiam libero arbitrio ſpoliare hominẽ auſi ſunt, quaſi præſenti Dei gratiæ nec poſsit, nec debeat cooperari. Cur ergò inuitat nos ad pœnitentiã Zacha. 1. 3. *Cõuertimini ad me* ait *Dominus exercituũ, & conuertar ad vos?* cur negligentes, & incredulos reprehendit eodem capite; *nè ſitis ſicut patres veſtri, ad quos clamabant Prophetæ priores, dicentes: hæc dicit Dominus exercituum: Conuertimini de viis veſtris malis, & de cogitationibus veſtris peſſimis: & non audierunt, neque attenderunt ad me?* cur hortatur nos Chriſtus Matth. 7. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis?* cur nobiſcum expoſtulat Deus de factis in illum iniurijs, & commiſsis culpis; *Hieruſalem, Hieruſalem, qua occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Matth. 23. Homo debet cooperari gratiæ Dei.
D

Igitur veriſimum eſt, quod cap. 21. de Eccleſiaſt. dogm. ſcriptum eſt: *Initium ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus, vt acquieſcamus ſalutifera inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt.* hinc Ioan. 1. *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* hinc illud Apocalyp. 3. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum.* 2.

Hinc illæ voces à Paulo ſæpè vſurpatæ, Dei ſumus adiutores, *Vnuſquiſque videat quomodo ſuperædificet*, 1. Cor. 3. *gratia Dei ſum id, quod ſum, & gratia Dei in me vacua non fuit*; item, *nõ ego, ſed gratia Dei mecum.* 1. Cor. 15. 3.

Quare

4. Augustinus. Quare verisimè affirmat August. *qui fecit te sine te, nõ iustificabit te sine te*, & lib. 1. ad Simpl. q. 2. *aliter Deus præstat vt velimus; aliter verò quod voluerimus; vt velimus enim, & suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo; quod autem voluerimus solus præstat, id est, posse benè agere, & semper beatè viuere, quo loco tribuit gratiæ excitanti, vel præuenienti, vt fit id quo Deus operatur in nobis, vt velimus, quamuis ipsum velle non fiat sine nobis, gratiæ Dei cooperantibus. cùm verò ait: quod voluerimus, solus præstat*, &c. rò, quod, non aduerbium est, sed relatiuum, vt sit sensus, licèt nos à Deo vocati velimus, operando gratię ipsius; id tamen quod volumus vel expressè, vel virtute, solus ipse præstat: quod hoc exemplo illustrare poterimus: vocat te Deus ad contritionem, & consentis, Deoque cooperante contereris. Cæterùm quod per hanc contritionem, & pœnitentiam vis consequi, condonatio est delictorum. Hanc ergò solus præstat Deus. Iterum cum vocanti Deo consentis, assequi vis æternæ beatitatis præmium, hoc est, vis semper beatè viuere. at hoc solius Dei est præstare.

5. Obseruandum, id, quod Aug. ait, quod à solo Deo præstatur posse benè viuere, intelligi, q à Deo solo sit, gratiam ipsam largiri, qua proximè potentes simus meritoriè, & vt oportet, operari, licèt potentia remota ad benè operandum non sit neganda nobis, completè tamen proximè, & simpliciter, non est in nobis posse benè agere, sed à gratia, nec negandum, dum credimus, vel volumus, etiam nostram

6. liberè concurrere volũtatem. Quomodo August. lib. de prædest. 55. cap. 3. dicit; nostrum est credere, & velle, illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem benè operandi per spiritum sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris; verum est quidem, sed eadem regula, & vtrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & vtrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis; quo loco August. in facultate benè operãdi comprehendit voluntatem nostram, nam etiam illa concurrit ad bonam operationem, & sic facultas illa benè operandi integratur ex nostra voluntate, & Dei gratia, quæ est præcisè principium benè operandi. quomodo q. 2. ad Simpl. citata num. 4. locutus est.

7. Idem, quod hactenus probauimus, & de gratia excitante, & de cooperatione nostra, confirmat Concil. Arausic. 2. can. 9. vbi generatim pronuntiat: *quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum vt operemur, operatur. in nobis ait, vt operemur propter gratiam excitantem & præuenientem; nobiscum autem*, inquit, *operatur propter cooperantem seu adiuuantem gratiam.* & can. 25. sic definit: *hoc salubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus meritis fidem & amorem sui prius inspirat, vt post cum ipsius adiutorio, quæ sibi sint placita, implere possimus.*

8. Et Bernard. lib. de gratia, & libero arbitrio initio: veluti huius necessitatis rationem paucissimis assignans, *duo*, inquit, *mihi sunt necessaria, doceri, ac iuuari.* quasi dicat, egeo intellectus illustratione, deinde etiam excitatione volũ-

A tatis, quæ ex illa nascitur, neque enim satis est illustratio, nisi spiritus adiuuet voluntatem nostram, vt vires habeat ad hos actus perficiẽdos. hoc autẽ totũ sub nomine doctrinæ cõtinetur iuxta illud: *Erunt oẽs docibiles Dei.* Ioan. 6.

Id quod August. clarissimè explicat lib. 1. 9.
de gratia, & libero arbitrio cap. 17. vbi sic scribit: *quis istam, etsi paruam dare cœperat charitatem, nisi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? quoniam ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. vt ergò velimus* (& conuertamur) *sine nobis operatur (sua suasione, & vocatione; ipse enim inuitat nos ad conuersionem, non nos ipsi) cùm autem volumus, & sic volumus vt faciamus (id est, cùm conuertimur, & piè operamur) nobiscum cooperatur (suo efficaci auxilio, hoc enim est gratia cooperans) tamen sine illo vel operante (per suam vocationem, & gratiam excitantem) vt velimus; vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Ex quo loco colligo, Augustino gratiam operantem esse illam, qua præparatur voluntas à Domino; & hanc eamdem esse, qua dicitur Deus vocare nos, seu facere vt velimus, & faciamus: quamuis non sine probabilitate magna aliter visum fuerit D. Thomæ 1. 2. q. 111. a. 2. Vide Valen. tom. 2. disp. 8. q. 3. p. 5. constat enim hoc fieri à Deo in nobis per gratiam excitantem, seu vocantem, per illam enim nos illuminando, dirigit gressus nostros, quod gratiæ operanti tribuit August. c. 16. lib. 1. de gratia, & libero arbitrio. itemque alliciendo voluntatem, præparat, vt suauiter velit, credere, amare, aut operari.

C Et obserua, aliud esse operari vt velimus, aliud operari ipsum velle. hoc enim est efficere ipsummet volendi actum: illud est efficere in nobis aliquid, quo disponamur, vel inclinemur ad volendum, & eo animo, & consilio vt velimus. atq; hoc est quod ait August. loc. cit. Deum operari in nobis sine nobis, vt velimus, cùm ipse solus sit, qui sine libero nostro cõsensu excitantem gratiã in nobis efficiat, qua præparatur voluntas à Domino: quare in eo etiam qui non vult Deus operatur, vt velit, sed sufficienter tantùm; quoniam verò postquam excitati sumus ad volendum, adhuc ad isthuc ipsum impotentes sumus, nisi Deus ipse nobiscũ concurrat. hinc nascitur cooperantis, vel adiuuantis gratiæ necessitas. 10.

Verùm quia August. aliquãdo aliter sumit, 11.
D *vt velimus*, propterea obseruandum est (*vt velimus*) duobus modis posse intelligi. primò pro præparatione volũtatis, quæ est à Deo per gratiã excitantem, & hoc modo est solius Dei, nec potest dici nostrum, & licèt August. loc. cit. de gratia & libero arbitrio, vt habes num. 9. & alibi ita sumat, dum soli Deo tribuit sine nobis, vt velimus, nõ tamẽ sic semper sumit. Itẽrùm accipi potest pro ipso velle, ac cõsensu libero, quomodo tribuitur Deo, nõ modò quia ipse cooperatur cũ voluntate, sed quia præcessit incipiens, & præparans voluntatẽ, nobis verò tribuitur per cooperationem nostram, atq; ita ad Simpl. q. 2. cit. num. 4. loquitur August.

Et D. Paulus ad Philippens. 2. 13. *Deus est qui* 12
operatur in nobis & velle, & perficere pro bona volũtate. Vbi Apostol. nostrũ velle, bonũ & super-

naturale

naturale, ſpeciatim attribuit Deo ratione gratiæ excitantis, ſeu operantis, quia nimirum ſolus ipſe eſt, qui moraliter præuenit, & facit vt velimus, quamuis ipſum velle nobiſcũ faciat, lege Aug. lib. 83. qq. 9. 68.

13. Hanc ipſam veritatem, quam hic tradidimus, nõ obſcurè confirmat celebris illa diſtributio gratiæ, in gratiam excitantem, & adiuuantem, præuenientem, & comitantem, à qua non diſtinguitur ſubſequens. Denique operantem, & cooperantem, de quibus diuiſionibus vide Franciſcum Suarez lib. 3. de auxil. præſertim cap. 4 & 5.

14. Sed ſi alia adiumenta non eſſent, ad veritatis huius confirmationem quãtum hac, tum præcedente digreſsione poſuimus, ſatis eſſet id quod in hac hiſtoria narratur; ex illa enim cõſtat, neceſſariam eſſe gratiam, eiuſq; cõcurſum cum libero ſimul arbitrio cooperante. quis enim non videat, modò velit aduertere, Chriſti gratiæ eſſe, quod pertranſeat Chriſtus paſtor bonus ouem perditam quærens, & Matthæum ſuauiter ſedentem in telonio, & pecuniis inhiantem clementer aſpiciat, efficaciter vocet, & potenter conuertat, & ex rapaciſsimo publicano Apoſtolũ faciat? Quid verò Matth. an non ipſe vocem Dei libenter accepit, vocanti reſpondit, *& ſurgens ſecutus eſt eum*? Quis ergò negabit liberi arbitrij cooperationem cũ gratia Dei? quæ maiora rogo poſcimus huius rei argumenta, quàm legere præuentum Dei auxilio hominem relictis omnibus, vocantem ſecutum eſſe; ſeque illi comitem indiuiduum magna cum fiducia adiunxiſſe; & eumdem in lætitiæ, & animi ſignum cum Apoſtolis magno excepiſſe conuiuio? verè igitur Matth. inter illos numerandus eſt, de quibus Apoſtolus Rom. 8. *quos prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit.* Vos igitur fratres huius Apoſtoli exẽpla ſecuti, *hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Libenter excipite ſapientis verba, & ſalubria monita ſequimini: *In omni*, inquit, *loco oculi Domini contemplantur bonos & malos', non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Eccleſiaſt. 5. & *Fili peccaſti? nõ adijcias iterum; ſed & de priſtinis deprecare, vt tibi dimittantur.* Eccleſiaſt. 21. Roga pro virili Dominum, vt pertranſiens aſpiciat te, & efficaciter vocans trahat ad ſe.

15. Etenim de oculis Chriſti ſcriptum eſt: *pulchriores ſunt oculi tui vino*, Gen. 49. Quæ iſthæc queſo oculorum cum vino collatio? an non ſatius feciſſet, ſi ſmaragdis, vel lucidiſsimis cœli luminibus oculos comparaſſet? non ita: verùm nil aptius dici potuit. Etenim vino hæc ineſt proprietas, vt non vno effectu alios oblectet, alios contriſtet, quod vltimum patet in eo, qui benè potus interdũ in mœrorem ſoluitur, nec ſine lacrymis. hoc ipſum quã benè in diuinos oculos quadret, is demũ ſciet, qui meminit Petrum, vbi illum intuitus eſt Chriſtus, mœſtiſsima illa paſsionis ſuę nocte, lacrymarũ imbre perfuſum eſſe. *Egreſſus foras fleuit amarè.* Contra verò, Matthęũ iſti ipſi oculi intuentur, itemq; Zacchæum & in ſpem ſalutis erigunt, & incredibili voluptate reficiunt. Hanc ergò oculorũ vim, ac naturam ſi attendas, næ tu iterum, atq; iterum aptè vino lucidiſsimos Chriſti oculos conferri dixeris. Cętera quæ ad eandem hiſtoriã pertinent, ſequenti digreſsione differemus.

Vini & oculorum collatio.

DIGRESSIO MORALIS QVARTA.

De auarorum rapacitate, & aliquot malis, quæ illos ſequuntur.

1. SEdebat Matthæus in telonio, ibi enim ſecus mare domicilium ſuum extruxerat, nè quod nauigium etiam exiguum non perſoluto vectigali illum præteriret. Bellum ſanè atque optabile ſi Deo placet, miſeris nauigantibus ſolatiũ, qui poſt tot exantlatos labores, poſt innumera maris pericula, in periculoſius fortaſſe auaritiæ pelagus incurrebant. Eſt enim homo publicanus, & auarus Leoni ſimilis ob incredibilem opũ auiditatem, vt meritò hùc illud afferri poſsit, Pſalm. 9. *quaſi leo in ſpelunca ſua inſidiatur, vt rapiat, rapere pauperem, dum attrahit eum.* bis rapere per anaphoram repetit, dum ait: *vt rapiat pauperem*, deindè *rapere pauperem*, hoc eſt, vt rapiat inquam pauperem, *dum attrahit eum* in rete, videlicet ſuum, & laqueum.

Publicanus leoni ſimilis.

2. Propter hanc auarorum crudelitatem, ſapienter mihi ſentire videbor, ſi auaros homines tria illa incurrere mala, dicam, quæ Iſa. c. 51. v. 19. & 20. Iudęis olim euentura vaticinatus eſt. ſic ergò ait: *Duo ſunt qua occurrerunt tibi, quis contriſtabitur ſuper te? vaſtitas & contritio* (hoc eſt vnum malum) *& fames, & gladius quis conſolabitur te?* (ecce aliud malum) *filij tui proiecti ſunt, dormierunt in capite omnium viarum, ſicut Oryx illaqueatus: plenè indignatione Domini, increpatione Dei tui* (ecce tertium malum) pergit enim ibi Iſaias oſtendere, afflictationem populi Iudaici in Babylonicam captiuitatem relegati, quam prædixit vaſtitate, & contritione, deindè etiam fame & gladio conficiendum, vel potiùs, vt ego opinor, loquitur de Ieroſolymitana vaſtatione, qua afficiendi erãt Iudęi ob iniuſtã necem immerenti Chriſto illatam.

Auarorum crudelitas.

3. Porrò orycem boué ſylueſtrem dicunt eſſe Hebræi, quem vrum, alij turonem eſſe putant. Certè retibus capitur, vbi interdũ iacet irretitus, non ſolùm aeris, ſed eanum, & venatorum iniurijs expoſitus: tales fuerunt in illa vltima vaſtatione Iudæi. quidam animal de caprarum genere malunt eſſe. Sed illud ad rem noſtram facit, quod de animali oryce quodcumq; ſit illud, memini me legere; intra pectꝰ ferri quẽdam habere lapillũ, cuius vis in comprimenda ſiti cernatur, quare eos aiunt, qui per ſiticuloſa & arentia Africę loca iter faciunt ad ſedandam ſitim in os lapillum iſtũ inferre. Contra, crudelis hæc beſtia, quæ alienæ ſiti medetur, dum vinctis cornibus acrius agitatur, poſt curſum vrgente ſiti, emoritur, & cùm in promptu remediũ habeat, ſibi ipſa mederi neſcit. Verùm quidquid ſit de huius hiſtoriæ veritate, vtilis & vera eſt eius ad auaros applicatio, quam infra ponemus nu. 8. interim tria iſta mala, quæ Iſai. loc. cit. Iudæis prædicit, ad auaros ſic accommodabimus.

Oryx quale animal.

Digitized by Google

4. Erat enim vnum malum fames, & gladius. Alterum vastitas, & contritio. Tertium, quod sicut oryx illaqueatus illi futuri erant. hæc omnia rectè in auaros cadunt.

5. *Auarorum pœna.* Primùm igitur, auari homines dum diuitijs vel congregandis, vel etiam augendis incumbunt à latronibus, qui semper illis insidiantur, sæpè non modò bonis, sed & vita spoliantur, ita vt etiam in publicis camporum vijs, earumque capitibus plerumque enecti iaceant, nullum à diuitijs auxilium accipientes. Interdum quoque dum Deo vindice bonis amissis (id, quod varijs modis scimus pluribus euenisse) ad extremam deueniunt mendicitatem, fame depereunt, vel certè dum diuitijs parcunt, infelicem vitam traducunt; quod non modò Eccles. 6. docet, verùm etiam significat Plutarchus in moralibus, dum sic lepidè scribit, *vt Chius ille vina optima vendebat alijs, ipse vappam potabat: sic qui omnia sua deprauat, nec suis ipsorum bonis fruuntur. Huius seruus interrogatus quid ageret Dominus: cùm adsint,* inquit, *bona, quærit mala.* Ita verum est illos & gladio, & fame vexari.

6. Ad hoc accidit non rarò, vt extinctis ipsis auaris tanquam familiæ capitibus, non modò concidat totius familiæ decus, verùm etiam sæpè vastetur, & conteratur omnis olim domestica gloria ex diuitijs parta, atque adeò in alterum illud malum incidunt plerumque auari ist homines, & diuitijs potentes, id est, in vastitatem, & contritionem, quod num. 2. ex Isaia numerauimus, & n. 4.

7. Tertiò, quod caput est, ijdem irretiti diuitiarum, ac pecuniarum retibus, veluti bestiæ quædã illaqueatæ in tartara à dæmonibus pertrahũtur, quorum etiam iniurijs expositi sunt, & hoc est tertium ex his malis, quæ ex Isaia notauimus.

Diuitiæ retia. Quod verò diuitiæ retia quædam sunt, quibus irretiantur auari, tanquam syluestres boues, docet pulchrè Chrysost. ho. 4. in Matth. *Diuites,* inquit, *quantò copiosius suis opibus ambiuntur, tantò onerosius vinciuntur, sicut cùm aliquem videris vinctum & ceruice, manibus, pedibusq; ferratum, propterea illum maximè miseraris; sic etiam cùm videris diuitem infinitis rebus circumdatum, noli eum propter illa vocare locupletem, propter quæ debes infelicem vocare: propter illa siquidem vinculã habet custodem carceris sæuiorem, prauum illum scil. amorem pecuniarum, qui semel à se vinctum nequaquam de hoc carcere exire permittit, sed mille ille imponit catenas, & ostia, & seras, atque custodias,* &c. Hæc verisimè Chrysost.

8. His tribus malis ex Isaia narratis, quartum non inutiliter addere possumus ex historia Orycis num. 3. relata. Adeò namque miseri, & infelices sunt auari, vt habentes secum remedium ad extinguendam diuitiarum sitim, quæ miserè homines pecuniarum cupidos, & appetentes vexat, illo tamen non vtuntur Oryci in hoc similes. nam si diuitias, quas habent reconditas, in pauperes distribuerent ob liberalitatis, & eleemosynæ vim, atq; efficacitatem, ea siti liberarentur. Etenim diuitiæ rectè distributæ sitim ipsarum extingunt.

9. Aliter etiam eandem pecuniariam sitim sedare possunt, si mediocriter vsurpatæ, & quantum satis est auctæ, & ad tuendam vitam conseruatæ, remedij loco sint ad mendicitatem pellendam, & ad ea, quæ victui sunt necessaria subministrandum. qui enim habens alimenta, & quibus tegatur pro ratione status sui, his cõtentus est, facit sibi de diuitijs medicinam ad tollendum nimiam nummorum auiditatem; at hoc illi remedio, quod in promptu habent, non vtuntur, sed cupidissimi diuitiarum, aggerere, & accumulare opes studeant, & ita earũ sitim non modò non auferunt, verùm etiam incredibilem in modum augent: & quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

10. Agnoscit in hac siti morbum quendam Galenus lib. de dignosc. curand. anim. morb. cap. 9. de vitanda insatiabilitate, quæ omnis mœroris est caussa; sic ergò scribit: *Scito omnis tristitiæ, ac mœroris vnam esse caussam, eam, quam modò insatiabilitatem nostri, modò auiditatem inexplebilem vocant, ex eo, quod cupiditates habeant homines, quæ neque satiari, neque expleri possint. Semper enim concupiscunt, qui præsentium rerum inexplebiles sunt. proindè si duplum quidpiam habent, triplum illicò studeant acquirere: si triplum, quadruplum appetere incipiunt. quare numquam tu sanè omnibus ditior, sed propter immensas cupiditates, semper futurus es pauper. rectè igitur dictum, insatiabilitatem vitium esse animi pessimum. fundamentum enim est quoddam omnium cupiditatum, pecuniæ, gloriæ, honorum, principatus, contentionis.* Sic Galenus sapienter.

11. Hæc autem omnia mala, quæ ex Isaiæ vaticinio desumpta, ad auaros accõmodauimus, vnica sententia vniuersim confirmantur. Ea autem est Chrysost. hom. cum Sarton. & Aurel. acti essent in exilium tom. 5. *Vesana,* inquit, *diuitiarum cupiditas, est morbus insanabilis, fornax, quæ numquam extinguitur, tyrannus per orbem longè diffusa: diuitiæ ingratæ sunt, fugitiuæ, homicidæ, crudeles, & implacabiles, bestiæ incicurabiles, præcipitium vndequaque præruptum, scopulus assiduis plenus fluctibus, mare innumeris ventis agitatum, tyranni acerbè imperantes, nunc quouis barbaro sæuiores, inimicæ, irreconciliabiles quaque numquam erga vos, à quibus possidentur, remittunt simultatem.* Tantum Chrysost.

DIGRESSIO MORALIS QVARTA,

In aliquot verba vers. 2.

1. SEdentem in telonio] Sedebat vtique inquit Chrysologus sermon. 29. *quia stare non poterat pondere cupiditatis oppressus, & ipsa totus conscientia fraudis incuruus. aurum natura graue, grauius fit auaritia nimis. hinc est quod plus habentem deprimit, quàm ferentem, & vehementius aggrauat corda quàm corpora, nascitur in terra profunda, sectatur ipsa montiũ fundamenta; perq; ima venarum cœcis discurrit anfractibus, & dum suam semper repetit ad naturam cœlestes animos ad inferna deponit. Obscurat sensus semper, alta montium semper in terrena demergit.* Iterum sermon. 28. Matthæum ait, publicanum diuitiæ sic cupiditatis publicabant magistrum, fornace auaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautio-

num

num, sacculorum ponderibus sic premebant, vt leuari ad innocentiam, ad iustitiam surgere, ad virtutem progredi non valeret. Vnde & sedere eius erat, iam subsidere, non sedere.

2. *Sequere me*] Vidit Dominus Matthæum auro circumdatum. Vidit; & de auro eius voluit coronam, & quidem satis lemniscatam sibi contexere: quemadmodum enim olim Dauid post destructam, deuictamque Rabba 1. Paralipom. 20. *tulit coronam Melchom* (id est, Regis, vt 70. vertunt; vel certè Melchom idolũ erat) *de capite eius, & inuenit in ea auri pondo talentum* (id est, pondus talenti auri) *& pretiosissimas gemmas, fecitq; sibi inde diadema*; ita Christus post deuictum, subiectumque sibi Matthæum, aurum, quod eius circumdabat, grauabatque caput, id est, mentem, quodammodò accepit, & ex eo glorioſum sibi diadema formauit. Sicut enim spolia hostibus detracta decora sunt, atq; ornamenta Regũ, ita opes contemptæ ad melioré vitam conuersi peccatores, magnæ Christo gloriæ sunt.

3. Vidit Christus Matthæum vinculis irretitum, vidit quod auri furor ardentius humano feruet in pectore, quàm caminus totus igneſcit incendijs, & acrius hominem dissoluit in terra, quàm soluitur in calore flammarum; vidit quod auri cupiditas crudelitatis est Dominus, vt verba vsurpem Chrysologi sermon. 29. *Sæuus hostis, amando ledit, nudat ditando, ipsum etiam captiuat affectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, admit innocentiam, docet furtum, suadet fraudes, imperat latrocinium.* & quid plura? vidit vt Apostolus dixit, *quod radix omnium malorum est cupiditas*, 1. ad Timoth. 6. vidit his omnibus malis circumdatum esse Matthæum, & ad inferna auri pondere vrgente, properare. Vidit & misertus est, & talibus malis, atq; vinculis absoluere illum cupiens, dixit: *sequere me.*

4. Sciebat enim hanc esse vnicam his sese expediendi malis rationem, si dives aurum prudens ante mittat ad cœlum, quàm mittatur ab illo, vt stultus, in tartarum; mittat per manum pauperis, quia quidquid propter Deum pauperi dederit, ad cœlum sine dilatione transmittit. Itaque sequere, inquit me Christus, pauper pauperem, dà cuncta pauperibus, depone pondera, disrumpe vincula, solue laqueos, & veni, *sequere me.* Non dixit, affer ad me, quia Matthæum, non Matthei sacculos requirebat.

5. *Et surgens secutus est eum*, addit Lucas, *relictis omnibus*] nil mirum tantùm potuisse in Matthæo vocem illam Christi, nam Apocal. 1. dicitur, quod *ex ore eius*, id est, *Christi gladius vtraque parte acutus* exibat, nimirum, Christi verba instar gladij de ore eius prodeunt, aptissimis ad quæcunque vincula dissecanda, & cuiusuis corda ferienda.

6. Meritò igitur quod de tonitru cecinit Vates Psal. 28. voci Christi tribuemus; *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros, vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum, vox Domini præparantis ceruos. In virtute* inquit, hoc est, potens est vox Christi, *in magnificentia*, hoc est, magna gerens, *est vox confringens cedros*, hoc

A est, superbos homines in humiles, paruosque commutans, *vox Domini intercidens flammam ignis*, hoc est, dissipans, & disijciens, atque adeò in nihilum quodammodò redigens flammam ignis, vel luxuriæ, vel auaritiæ; est vox *concutiens desertum*, hoc est, eos, à quibus longè est salus, ad pœnitentiæ lamenta conuertes, & per contritionis metum, dolorem que concutiens, vox Domini est *præparans ceruos*, hoc est, peccatores instar ceruorum promptos, alacres, veloces ad æterna, & cœlestia dona capienda efficiens. Hæc si attendas, videbis cum his peccatoribus, de quibus in hoc Euangelio fit mentio, esse sigillatim hæc omnia perfecta, propterea rectè tonitrui proprietates, & nomen voci Christi tribuimus. Iam hæc ad Matth. accommodemus.

B Optabat fortasse Matthæus audito Christi nomine, miraculis, sapientia, commercium, teloniumque deserere, sed nummorum cupiditas obstabat, nè quod animo conceperat, in lucem tandem aliquando ederet. Similis ceruæ, quæ fœtum edere volens malè torquetur. at si accidat fortè vehementius tonare, præparatur ad partum, facilè enim tremore concussa parit, alioqui difficile. sic accidit Matthæo, nam repentè Christi voce, ceu tonitru concussus peperit aliquando, quam Dei munere, salutem conceperat. 7.

DIGRESSIO SEXTA.

De gratiæ efficacitate.

C ET *surgens secutus est eum*] Arguit hoc locò Porphyrius, & Iulianus Augustus, vel imperitiam historici mentientis, vt refert Hierony. lib. 1. com. in Matt. c. 9. vel stultitiam eorum, qui statim secuti sunt Saluatorem. Nesciunt miseri, nesciunt, quantas vires habeat Christi gratia. Vocat ille sæpè efficacissimè homines prout nouit, sponsè illos esse venturos, ac liberè; sic Matth. intelliges esse vocatum: & proindè nil mirum quod statim surgens secutus est eum. 1.

Est enim duplex Dei vocatio; communis vna, altera verò propria, quam Augustinus appellare solet *secundum propositum gratiæ Dei, & vocationem electorum*; quamque ait lib. de prædest. 55. cap. 16. insinuasse Apostolum 1. ad Corinth. 1. dum ait, *nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, vocatis autem Iudæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Vocat ait August. prædestinatos multos filios suos, vt eos faciat membra prædestinati vnici filij sui, non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias, illa quippè vocatione, & Iudæi vocati sunt & gentes, quibus Christus crucifixus scandalum est, vel stultitia, sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus dicens. ipsis vocatis Iudæis & græcis, &c. sciens esse quandam vocationem eorum, qui secundùm propositum vocati sunt. 2. *Duplex Dei vocatio.*

Et cùm pleraque alia dixisset, tandem concludit August. ad hanc vocationem qui pertinet, omnes sunt docibiles Dei; nec potest quis- 3.

quam eorum dicere : credidi, vt sic vocaret; præuenit eum quippè misericordia Dei, quia sic vocatus est, vt crederet. sic ille. qui ep. 107. hanc vocationem appellat altam, atque secretam. & lib. de bono perseuerantiæ c. 14. vocat congruam. itemque lib. 1. ad Simpl. q. 2.

4. Sed difficillimum valdè est, ac controuersum, in quo hæc efficacitas posita est. prætermissis verò quæ ad scholasticos pertinent, breuiter respondeo; secundùm Augustin. duo videri esse, in quibus hæc efficacitas posita sit: alterũ est, quod à Deo tribuatur homini ex proposito & intentione vt cõuertatur, & salutem ille assequatur. & propterea vocat hanc vocationem *secundùm propositũ gratiæ*. Loquitur aũt de absoluto & efficaci proposito conuertendi, vel sanctificandi hominem; nec rectè acciperetur id tanquam dictum de sola volũtate antecedente, qua vult Deus, quantũ in se est, omnes salutem consequi. Alterum verò est, vt Deus tali tempore & modo hominem vocet, qui aptus & idoneus sit ad eius conuersionẽ, & salutem, & ob id vocare videtur hanc vocationem *congruam*.

5. Horum autem duorum primum si propriè loqui velimus magis est radix, & origo efficacis vocationis, quàm formalis, vt aiũt, eius ratio. Enimuerò Deus, qui operatur omnia secũdùm consilium voluntatis suæ, ideò sic operatur in homine, vocando eum efficaciter, quia conuertere illum decreuit.

6. Cæterùm non constat in quo hoc secundũ, id est formalis isthæc ratio (vt cum scholasticis dicam) congruæ, & efficacis vocationis & gratiæ sita sit. Sed paucis respondeo illam esse efficacem gratiam, & congruam vocationem, quæ offertur in ijs rerum circumstantijs volũtati, in quib. nouit Deus, si ea moueatur infallibiliter, vt aiunt, operaturam. necesse autem non est, efficacem gratiam in ratione physica esse maiorem sufficiente, cùm possit æqualis esse, vel etiam minor, maior quidẽ semper est in ratione beneficij & gratiæ. quò fit vt nihil vetet ex æqualiter vocatis, æqualiterq; dispositis alterum assentiri, non item alterum.

7. Itaque non satis est ad efficacitatem gratiæ, & vocationis congruitatem, si dicamus indè petendam illam esse, quod accõmodata detur ad ingenium, & cõditionem eius, qui vocatur; nam hoc modo nõ esset omninò, vt ita dicam, infallibilis, posset enim voluntas etiam tunc non consentire.

8. Quare Anselm. Matth. 6. in illa: *Fiat voluntas tua*, ait, *licèt sit percussus Paulus, tamen volũtas eius erat libera, vt resisteret, si vellet*. necesse ergò est vt præcedat in Deo scientia, qua præsciat consensuram esse voluntatem, si eo tempore & modo trahatur. sic enim liberè quidem, & omninò infallibiliter consentiet.

9. Quod & Chrysost. etiã ho. 31. in Matt. cùm loquitur de vocatione Matth. & Pauli significat. nam ait; non prius Deum illos vocasse, sed tunc cùm vocauit: quod prænosset tunc vocationem fuisse penetraturam eorum animam. Sentit ergò non satis esse efficacitatem illam, quam poterat habere vocatio ex singulari cõgruitate ad ingenium, vel conditionem Pauli, aut Matthæi, sed necessarium fuisse, vt Deus

A etiam obseruaret tempus, quo præsciret vocationem illam effectum esse consecuturam, si eam tunc impertiretur.

Hac ergò efficacitate misericorditer vocare 10.
dignatus est Matthæum Dominus. Et quidèm de terreno ad cœlestis mercaturæ genus; neq; enim negotiationem ab illo sustulit, sed negotiandi formam commutauit, vt qui prius mercaturam terrestrem exercebat, iam in cœlestem ac diuinam aliam longè præstãtiorem incumberet: de qua sequenti digressione differemus.

DIGRESSIO MORALIS SEPTIMA.

De spirituali negotiatione & conuiuio Matthæi.

B DE negotiatoribus Euangelicis, qui tempore aduẽtus Christi in cœlesti hoc negotiandi genere versari debebant, multò antè vaticinari visus est Isaias cap. 23. 18. *& erunt negotiationes eius, & mercedes eius sanctificatæ Domino*. Loquitur enim de tempore Christi, videturq; significare ea, quæ in actis Apostol. initio nascentis Ecclesiæ legimus; nam quod inquit Isaias, *erunt eius negotiationes*, &c. vel vt 70. vertunt, *erit eius negotiatio, & merces sancta Domino*, dixisse visus est Lucas c. 4. de primis illis Christianis dum ver. 34. scribit: quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendẽtes, afferebant pretia eorum quę vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum, nimirum vt distribuerẽtur in vsus pauperum. hoc enim est, quod subdit Lucas, *diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat*. ergò hoc innuunt illa verba: *erũt negotiationes eius, & mercedes eius sanctificatæ Domino*, id est, positæ ad pedes Apostolorum, & sic Domino oblatæ. dum verò pergit Isaias dicere, *non cõdentur, neque reponentur, quia his qui habitauerint coram Domino, erit negotiatio eius*. vel vt vertunt 70. *non ipsis congregabitur* (negotiatio, & merces) *sed habitantibus coram Domino*, quid aliud rogo vult, nisi id, quod idem Lucas eodem loco ait: *nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*? idem enim est hoc, ac *non condentur, neque reponentur*, subintellige *negotiationes, & mercedes*, seu iuxta 70. *non ipsis congregabitur*, supple, *negotiatio, & merces*: quod verò subdit Isaias, *quia his, qui habitauerint coram Domino, erit negotiatio eius*; vel vt 70. habent: *sed habitantibus coram Domino, omnis negotiatio eius*; idé est cum eo, quod dixit Lucas: *erant illis*, id est, fidelibus *omnia communia*. quod idem plenius explicatur per sequentia apud Isaiam: *vt manducent in saturitatem, & vestiantur vsque ad vetustatem*; & Lucas, *diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat*.

Ad hoc igitur mercaturæ genus vocatus est 2.
& Matthæus, dum surgens secutus est vocantem Dominum relictis omnibus. magnum sanè beneficium, quo multò breuius, & beatius sine vllis curis, & sollicitudinibus in locupletem, & in Deum diuitem statim euasit, factus iam Deo gratus, & hominibus vtilis.

Sed quid est, quòd excipi conuiuio Domi- 3.
nus voluit à Matthæo, cùm ad pœnitentiam illum inuitaret? *& discumbente eo*, inquit Matthæus,

Digitized by Google

thæus, *in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Iesu & discipulis eius*: & Lucas addit: *& murmurabant Pharisæi & Scribæ eorum*. quod obseruans Chrysologus serm. 30. scribit: *Arguitur Deus, quare inclinat se homini, quare coniacet peccatori, quare esurit pœnitentiam, quare sitit reditum peccatorum, quare acceptat misericordiæ fercula, quare sumit poculum pietatis*. sic Chrysologus. Statimque obiectioni occurrens: *Fratres*, inquit, *venit ad prandium Christus, venit ad conuiuium vita, vt faceret secum conuiuere morituros: iacuit resurrectio, vt de sepulchris surgerent, qui iacebant; decubuit indulgentia, vt peccatores leuaret ad veniam; venit ad humanitatem diuinitas, vt ad diuinitatem veniret humanitas: venit iudex ad reorum prandium, vt humanitas præueniret reatus sententiam; venit ad languentes medicus, vt reficeret conuescendo defessos; inclinauit pastor bonus humeros suos, vt ouem perditam salutares reuocaret ad caulas: sed hoc Pharisæus detestatur, & arguit, qui prandium Dominicum putat, non virtutis esse, sed ventris, non spiritus, sed carnis, non diuinæ bonitatis, sed voluptatis humanæ, terreni luxus; non gratiæ cœlestis. sic sic se videt, qui Deum non videt. quis arguit medicum iacentibus cõiacentem; nisi humanæ salutis inimicus? quis pastorem subnixum lapso pecori reprehendit, nisi qui lucrosi gregis amorem nescit? quis iudicem de pietate iudicat, nisi ille, qui fuerit desperatus? quis communione in Dei, nisi sacrilegus sperauit? indulgentiam quis, nisi crudelis horrescit?* hic ille.

4. Sed vide quid seueri isti iudices, & sapientissimi, si Deo placet, Aristarchi dicant: *quare cum publicanis, & peccatoribus manducat*; & (vt addit Lucas) *bibit magister vester?* in quæ verba sic idem Chrysol. volens ostendere, ipsos esse peccatores, qui se iustos arbitrarentur: *& quis est*, inquit, *peccator; nisi qui se peccatorem negat? magis ipse peccator est, & vt verius dicam, ipse iam peccatum est, qui se iam non intelligit peccatorem. & quis iniustus, nisi qui se iudicat iustum? legisti Pharisæe, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, confitere peccatum; vt Christi venire possis ad mensam, vt sit tibi panis Christus, & panis ipse frangatur in tuorum veniam peccatorum, vt fiat tibi poculum Christus, qui in tuorum delictorum remissionem fundatur. Pharisæe prande cum peccatoribus, vt possis prandere cum Christo: agnosce te peccatorem, vt tecum prandeat Christus: intra cum peccatoribus cõuiuium Domini tui, vt possis non esse peccator; intra domum misericordiæ cum Christi venia, nè cum tua iustitia extra domum misericordiæ puniaris exclusus: Audi cœlestem medicum: non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Si vis curari, agnosce languorem. non veni vocare iustos, sed peccatores: si cupis misericordiam, confitere peccata. Fratres simus peccatores confessione nostra, vt Christi venia non simus peccatores.* Hæc Chrysologus.

5. Voluptas Christi ex conuersione peccatoris.

Sanè tantam ex peccatorum conuersione voluptatem capiebat Christus, vt non mirum sit, tunc conuiuari solitum fuisse eum, cùm aliquem de mala ad bonam mentem transferebat. sic inter epulas Magdalenam lucratus est, ingressus Iericho Zacchæum ad rerum despicientiam, & diuitiarum contemptum adducturus, inuitat se: *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere*; etiam solemni conuiuio exceptus à Matthæo cum discipulis, publicanis, & peccatoribus comedit. nihil moratus Scribarum, & Pharisæorum calumnias, & latratus. In cruce verò dum latronem conuertit, quia conuiuari non poterat, cœleste illi cõuiuium est pollicitus. proditum memoriæ est, moris fuisse apud quasdam nationes, vt parta victoria epulum instrueretur. quid ergò miramur, si deuictis debellatisque peccatoribus, sibiq; subiectis, victor Christus, ac triumphans epulatur?

6. Postremò ille ex hac historia præcipuus fructus esse debet, qui ex delictorum dolore colligitur, quo fructu ij carent, qui ad diuinas obsurduere voces, nec proinde quæ monẽtur, audiunt. quare magis, ac magis cauendum est, nè inueteratis consuetudine sceleribus, ita obdurescamus, & percalleamus, vt vocem Domini ad pœnitentiam, lacrymas, & peccatorum dolorem nos excitantis, minimè audiamus; ad quæ sic nos inuitat Spiritus sanctus: *hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*, &c. *Videte fratres*, inquit Paulus ad Hebr. 3. 12. *nè forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obdurẽtur quis ex vobis fallacia peccati.*

7. Hanc vocem si quis audiat, cõdonationem ille delictorum accipiet, & plenissimum iubilæum. quoties enim per seruos suos vocat nos Deus ad pœnitentiam, & scelerum detestationem; quoties annuntiantur populo Dei scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum, toties plenissimi nobis iubilæi buccinæ insonant, quas quia Ierichuntina ciuitas audire neglexit, cecidit, ac solo demùm æquata fuit. sic enim præceperat Dominus Iosue: *Circuite vrbem cuncti bellatores semel per diem. sic facietis sex diebus. Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas, quarum vsus est in Iubilæo, & præcedant arcam fœderis, septiesq; circuibitis ciuitatem, & sacerdotes clangent buccinis. Cumq; insonuerit vox tubæ longior, atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent ciuitatis.* non sine caussa iubilæi tubis clangere illos voluit; nam quia olim iubilæi tubam, id est, vocem Dei toties resonantem, & ad meliorem mentem inuitantem excipere noluerat perfida ciuitas, corruit, & illicò in manus hostiũ venit. idem nobis fratres accidet, si nunc prædicatorum voces tanquam tubas ad iubilæum inuitantes excluserimꝰ, si peccata nostra nõ agnouerimꝰ, & pristinæ vitæ maculas lacrymis non eluerimus. imitemur Matthæi exemplũ, qui ad primam Christi vocem tãquam ad plenissimi iubilæi tubam ad peccatorum pœnitentiam, & condonationem inuitantem illicò surrexit, & relictis omnibus secutus est Iesum, simul cum illo salutem, & bona omnia adeptus.

CAPVT XVIII.

SVSCITATVR FILIA ARCHISYNAGOGI, ET CVRATVR HEMORRHOISSA.

A. 9. 18. B. 5. 21. C. 8. 41.

B. quidam de Archisynagogis nomine Iairus. A. adorabat eum. B. procidit ad pedes.

1. B. *Et erat circa mare* C. *& ecce.* A. *hæc illo loquente* ↵ *ad eos* C. *venit vir, cui nomen Iairus. & ipse princeps Synagogæ erat: & cecidit ad pedes Iesu rogans eum* B. *multum,* C. *vt intraret in domum eius.*
2. B. *Dicens quoniam filia mea in extremis est (aut)* A. *modò defuncta est.* B. *veni impone manū super eam, vt salua sit, & viuat.*
3. C. *Quia vnica filia erat ei ferè annorū duodecim, & hæc moriebatur.* A. *& surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius.*
4. *Et sequebatur eum turba multa.* C. *& contigit dum iret, à turbis comprimebatur.*
5. *Et mulier quædā erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam.* B. *& fuerat multa perpessa à compluribus medicis,* C. *nec ab vllo potuit curari,* B. *sed magis deterius habebat.*
6. *Cùm audisset de Iesu.* C. *accessit* B. *in turba* C. *retrò, & tetigit fimbriā vestimēti eius. dicebat enim: quia si vel vestimentum eius* A. *tantum* B. *tetigero, salua ero.*

C. Stetit fluxus sanguinis eius

7. *Et cōfestim siccatus est fons sanguinis, & sensit in corpore, quia sanata est à plaga.*
8. *Et statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de illo, conuersus ad turbam, aiebat: quis tetigit vestimenta mea?*
9. C. *Negantibus autem omnibus dixit Petrus, & qui cū illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: quis me tetigit?*
10. *Et dixit Iesus, tetigit me aliquis: nam ego noui virtutem de me exisse.*
11. B. *Et circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat.*
12. C. *Videns autē mulier quia non latuit* B. *timēs, &* C. *tremens venit, & procidit ante pedes eius: & ob quam causam tetigerit eum, indicauit coram omni populo: & quemadmodum confestim sanata sit* B. *& dixit ei omnem veritatem.*
13. C. *At ipse* A. *videns eam* C. *dixit ei:* A. *Cōfide filia fides tua te saluam fecit* B. *vade in pace, & esto sana à plaga tua.*
14. A. *Et salua facta est mulier ex illa hora.*

C. Venit quidam ad principem synagogæ.

15. B. *Adhuc eo loquente veniunt ab Archisynagogo dicentes: quia filia tua mortua est: quid vltra vexas Magistrum?*
16. *Iesus autem audito verbo, quod dicebatur, ait Archisynagogo* C. *patri puellæ: Noli timere tantummodò crede.*
17. *Et non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi.*

A. Tibicines, & turbam tumultuantem.

18. *Et veniunt in domum Archisynagogi, & videt tumultum, & flentes & eiulantes multum.*
19. *Et ingressus ait illis: Quid turbamini, & ploratis?* B. C. *Nolite flere.* A. *discedite, non est enim mortua puella, sed dormit.*

A. Et cùm ejecta esset turba, intrauit.

20. *Et irridebant eū* C. *scientes quia mortua esset.* B. *ipse verò ejectis omnibus assumit patrem, & matrem puellæ, & qui secum erant, & ingreditur vbi puella erat iacens.*
21. *Et tenens manum puellæ* C. *clamauit (&)* B. *ait illi: Talitha cumi: quod est interpretatum: Puella tibi dico surge.*
22. *Et confestim* C. *reuersus est spiritus eius (&)* B. *surrexit, & ambulabat: erat autem annorum duodecim. & obstupuerunt stupore magno parentes eius.*
23. *Et præcepit illis vehementer, vt nemo id sciret: & dixit dari illi māducare.*
24. A. *Et exijt fama hac in vniuersam Terram illam.*

SCHOLIA.

L. ANTEQVAM textum aggrediamur tollēda est difficultas de tempore, & loco huius historiæ. ex Matthæo clarè mihi videor colligere disputāte Domino de ieiunio in domo Matthæi, venisse Iairum. ait enim Matthæus: *hæc illo loquente.* Vbi Græcis est participium præsentis temporis ἀυτῶ λαλοῦντ⊙. Porrò disputasse Dominum de ieiunio eodem loco, vbi conuiuio exceptus fuerat, intelligi potest ex eo, quod Euangelistæ non dicāt, egressum esse ex loco illo, vbi semel scripserunt ingressum in eum fuisse, tantùm narrant post auditas preces Iairi, illum esse secutum. quomodo ergò Marcus narrat c. 5. 21. & hic ver. 1. *Et erat circa* 2.
mare, & venit quidā de Archisynagogis nomine Iairus? quomodo enim inquiet aliquis, esse circa mare poterat, & in domo tamen Matthæi? neque verò verba illa: *& erat circa mare,* referri posse videtur ad diem illam, qua transfretauit à Gergesenis rediens in citeriorem partē maris Galilææ, nam tum fortassis etiam tenebris noctis obtectus saltem clam, subitò videtur ingressus domum intra Capharnaum: id & non obscurè significat Marcus c. 2. v. 2. dum ait: *& audtum est quod in domo esset.* Itaq; occultè ingressus fuerat ciuitatē & domum, & postea conuenerunt multi ad eum, & ob id verum est quod dicitur à Luca c. 8. 4. quod cùm rediisset Iesus, excepit illum turba. erant enim omnes expectantes eum: quod & alijs etiam consequentibus diebus factum est, quibus continenter turba plurima ad eum conuenire solebat.

Hunc nodū qui mihi solueret, inueni neminem,

dicam

dicam quod verosimilius puto. duæ mihi occurrunt solutiones. Prior, quod verba Marci, *& erat circa mare*, non actũ, sed consuetudinem denotẽt: ita vt significẽt, per eos dies, quibus eum adijt Iairus, videl. post reditum à Gadarenſibus, vel Geraſenis, conſueuiſſe Chriſtum diuerſari circa mare, ibiq; docere, quãuis non ſemper ibi eſſet, ſicut nec tum fuit, cùm aduenit Iairus; vt ſit ſenſus Marci: his diebus, quibus circa mare verſabatur, venit ad eũ, quam is in domo Matthæi manentem, Iairus.

4. Altera ſolutio eſt, vt dicamus, domum Matthæi non fuiſſe intra vrbem, ſed circa mare, vel adiunctam telonio, vel certè non multum inde remotã. Ita cùm eſſet Chriſtus in domo Matthæi, rectè dictum eſt à Marco, illum circa mare fuiſſe: quamuis enim Matthæus ſurgẽs ſecutus fuerit Chriſtum eo die, quo vocatus fuit, audiuerit q; illum ad mare docentem, poſtea tamen rediit vel eo, vel alio die in domum ſuam, in qua Chriſtum ſplẽdide excepit conuiuio. hæc de tempore, & loco huius hiſtoriæ.

1. *Iairus*] penultima producta. eſt enim ι. *Princeps autem ſynagogæ* vocabatur, qui ſynagogę præſidebat, quemadmodum in Scholis; qui *Decanus facultatis* appellatur, erant autem multæ in Iſraelitico populo Synagogæ, quæ ſuos habebant præfectos, hi *Archiſynagogi* dicebantur.

5. *Cecidit ad pedes Ieſu*] quod Matthæus dicit, *adorabat eum*, Marcus dixit; *procidit ad pedes eius*, & Lucas, *cecidit ad pedes Ieſu*. Itaq; hi duo Matthæũ explicant. Cæterum licet geſta corporis, & mente diuinam in Chriſtò virtutẽ agnoſceret Iairus, non tamen Deum eſſe credebat; petijt enim à Chriſto, vt veniret in domũ ſuam, inquit Lucas, cui addunt Matthæus, & Marcus, etiam rogaſſe; *vt imponeret manum ſuper filiam eius*, quæ duæ petitiones indicant non credidiſſe Iairum Chriſtum eſſe Deum; alioquin ſat fore putaſſet, volũtatem, vel imperiũ illius ad reſtituendam filiæ ſanitatem; vel ad demortuam reuocandam in vitam. quare Chryſoſt. hom. 32. in Matth. ſcribit: vide ruditatem Archiſynagogi, duo poſtulat, & vt Chriſtus veniat; & vt manũ ſuper puellam imponat. Porrò ad pedes etiam regum, & Prophetarum, & ſanctorum virorũ cadere, non nouum erat. Vide l. 1. c. 10. n. 17.

6. 2. *Filia*] θυγάτριον habet Marcus, id eſt, *filiola. in extremis eſt*] Matthæus habet: *Filia mea modò defuncta eſt*. Marcus: *filia mea in extremis eſt*. quomodo hæc conciliantur? Auguſtin. lib. de conſ. Euang. c. 28. ſic ait: alij duo Euangeliſtæ dicũt, morti proximam. Matthæus ergò breuitatis cauſa non verba patris retulit, ſed voluntatem, quia deſperauerat, viuam poſſe reperiri. itaque volebat (quod Dominus fecit) vt mortuam ſuſcitaret. non mentitur autem qui alijs verbis dicit quæ alius voluit, cuius verba non dicit. debent enim verba voluntati ſeruire. Chryſoſt. hom. 32. in Matt. inquit; dixit mortuam puellam, vt augeret calamitatem: ſic enim ſolent rogantes vt impetrẽt: ſed mihi videtur probabilior ſolutio eſſe quod ſub diſiunctione locutus fuerit Iairus: *Filia mea in extremis eſt, aut modò defuncta eſt*. ſic enim eam reliquerat, vt credere poſſet mortuam eſſe.

Surgens Ieſus] Sedendo enim in domo Matthæi videtur diſputaſſe.

4. *Comprimebatur*] Ideò compreſſionis mentio fit, vt appareat occaſio, quamobrem mulier accedere retrò auſa eſt, nimirum vt occultè Chriſtum tangeret.

7. 1. *Mulier*] Ambroſ. l. de Salom. c. 5. putat, fuiſſe Martham, vide n. 18. ſed aliter Euſeb. l. 7. c. 14. Notat Euangeliſta, primùm, ſexum; deinde grauitatem morbi: patiebatur enim fluxum ſanguinis. ſunt qui putant, feminis fuiſſe, ſed ſanguinis ſcaturiginem dictam ob honeſtatem. Tertiò, diuturnitatem

A morbi, *ab annis duodecim*. adhæc, difficultatem curationis: *in medicos erogauerat omnem ſubſtantiam, &c. nec ab vllo potuit curari, quin deterius haberet*. has peritiaſes attexuêre Euangeliſtæ, vt miraculi magnitudinem declararent.

6. *Cùm audiſſet*] percrebuerat miraculorũ Chriſti fama; & rumor admirandorũ operum ad eius aures peruenerat in morbis depellendis. *In turba*] hoc addidit Marcus, vt oſtenderet, voluiſſe ſe illã multitudine turbæ occultare, Chriſtum vt lateret. opinabatur enim, Chriſtum à multis compreſſum non diſcreturum eius tactum ab opprimentis populi compreſſione; quod vtique arguit imperfectã fidem. ſic Chryſoſt. hom. 32. in Matthæum. 8.

Retrò] conſtat ex Leuit. 15. immundã eam fuiſſe, ac propterea erubuit coram alijs comparere, timebatq; ne à Chriſto reijceretur, omnes enim tactum immundi abhorrebant. 9.

B *Fimbriam*] geſtabant Iudæi omnes fimbrias, id eſt, vittas quaſdam hiacynthini coloris in quatuor veſtis angulis inferioribus, vt à cæteris gentibus diſcernerentur, Num. 15. Deut. 22. Id ergò potiùs tetigit; quod eſſet veluti inſigne religionis Iudaicæ. qui enim his vittis vtebantur, Iudæos ſe profitebantur eſſe, & veri Dei cultum, religionemq; ſectari: & fortaſſis, quia imperfectæ fidei erat, per hanc partem quaſi ſacram, poſſe ſe conſequi quod volebat, opinabatur: præſertim quod olim forſitã moris erat, virorum ſanctitate cõſpicuorum fimbrias tangere vel exoſculari; quod Zacharias indicat cap. 8. *Apprehendent fimbriã viri Iudæi*. & Matt. 14. *multi rogabant, vt vel fimbriã veſtimenti eius tangerent*. Vel certè eam partem tetigit, vt magis latere poſſet, Chriſtum. *Tantùm tetigero*] q. d. non opus mẽ prodam, quia ſi tetigero tantùm, ad ſalutẽ conſequendam ſatis erit vbi declaratur eius in Chriſto fiducia. 10.

C *Fons ſanguinis*] ſcaturigo. *Confeſtim*] Theophy. vt qui oleum lucernæ lucenti adhibet, aut igni ſtipulam, ſtatim operationẽ experitur: ſic illa fidem afferens potenti curare, ſtatim conſequitur curationem. *Plaga*] μάστιξ, id eſt, flagellum. Sic Marci 5. ſæpè enim per ægritudines à Deo corripimur. 11.

8. *Virtutem quæ exierat*] effectu, vel efficacia. Vel virtus ponitur pro effectu. Vt autem oſtendatur, non niſi eo ſciente effectum hunc promanaſſe, dicitur Ieſus id in ſemetipſo cognouiſſe. Hãc expoſitionem confirmat Fulg. lib. 2. ad Traſi. c. 15. quid igitur, inquit, hæc virtus, quæ de Domino exiuit: nũquid exeundo diſceſſit? an ad ſanãdam ſic exiẽs potuit peruenire, vt à Saluatore localiter nõ poſſet exire? quod ſi localiter ab eo qui virtus dicitur, virtus exiuit, dicatur qualiter virtus à virtute diſceſſit? Si verò talis credulitas fidei Chriſtianæ videtur incongrua, nõ alium putemus illũ de Chriſto virutis exitum, niſi diuinę curationis effectum. 12.

D Tunc enim ad mulierem virtus Saluatoris exiuit, quando in ſe virtutem diuinæ curationis agnouit.

Quis tetigit veſtimenta mea?] Lucas ait *Quis me tetigit*] Dubitet hic aliquis: nam dum Chriſtus æterna Dei Sapientia, quis ipſum tetigerit, interrogat, videtur non ſenſiſſe mulieré profluuio ſanguinis obnoxiam, cùm fimbriam tangeret. Cæſarius Nazianzeni frater dialog. 1 bene reſpondet: *noliste committere, vt quæ ratione adminiſtrationis in carne ab ipſo dicta ſunt, vobis ratione blaſphemiæ præbeant. nihil enim ignorationis crimen impingit ei, qui propter nos ſimilis noſtri factus eſt Deus ſermo*. & poſtea id fuſius declarans ait; per *hanc quoque* (id eſt, per hanc Chriſti interrogationem) *docemur, æqualem Filium eſſe Deo & Patri, nec ob ignorationem. ſed ex diſpenſatione, certoq; conſilio Patrem imitando quærere. Inquit enim is ad primum homicidam Cainum, qui per inuidiam interemit fratrem, propterea quod* 13.

illius dona prælata essent, iam intus latēte inuidia, & gladium cædis exacuente: Vbi est Abelus frater tuus? non ignorans, sed cruento homicidæ occasionem pœnitentiæ suggerens ipse verò inamētiam versus; num custos ego, inquit, fratris mei sum? rursusq; ipsum diuina vox redarguens inquit: vox sanguinis fratris tui clamat ad me, ex quibus manifestum fit, non ignorantia, sed ex amore, & bonitate, quæ erga hominē praditus est, interrogationem à Deo, & Patre ad crudelem homicidam institutam fuisse. ad eumdem igitur modum & Filius non quod ignoraret, sed ideò interrogauit, ne si ipse per se miraculū indicasset, crassioribus videretur superbire: neve item ipso tacēte iactaram faceremus miraculi, certo consilio interrogatione vsus, vt ipsa progrediens prædicaret eius pœnæ, ac mali liberationē, quæ per fimbriæ attrectationē facta erat: inquit enim Euangelista: videns mulier, quod latere non posset, tremēs venit, & adorans congemulabat. quin etiam ante aduētum suum in carne, ignorantiam præseferēs inquit ad Abrahamum: vbi est Sara vxor tua? quod si ignorasset, nō sanè reprehēdisset eā, quæ in tabernaculo ridebat. nam & habetur intra semetipsā risisse Sarā, modicè ipsam risisse indicat, cōfestimq; Trinus hospes à Patriarcha susceptus nominatim ipsam cōpellabat; eā quę sterilis erat, fœcundā fore promittens. Finis autem promissionis erat, natus ex hac Isaacus. non enim figmentum, non creatura, non præterita, non præsentia, non futura, non quidquid nominari vel cogitari potest, Christum latet.

14. 9. *Turbæ te comprimunt*] aduerte tactum à compressione distingui; nō enim omne quod cōprimit, tangit, nisi vniuersim loquaris de tactu physicè, & naturaliter. quomodo etiā duo se lapides tangunt, & sic qui cōprimitur, tangitur. At tactus, qui sensu & cognitione constat, cuiusmodi ineſt animalib⁹, distinguitur à cōpressione, nisi accidat casu, & præter intentionē, vt qui cōprimit etiam tangat, puta manibus contingēdo vestimentū, vel partem corporis, per se autē tactus iste fit animo tangendi, de quo hic Christus intelligendus est, cùm ait: *quis me tetigit?* id est, accessit eo animo vt me tangeret, de quo tactu excusarunt se turbæ, quia comprimebāt quidē, sed non animo tangēdi, nisi fortè casu, idq; cōpulsi, & impulsi; sola mulier eo animo tetigit. vide Christi sapiētiam, quem id latere non potuit.

15. 10. *Tetigit me aliquis, nam ego*] sic argumentatur Christus: virtus exiuit de me, ergò aliquis me tetigit. Christus interdum miracula edebat nutu atq; imperio, quomodo dum operabatur, nō dicebatur virtus ab eo exire propriè. Interdū verò admirāda opera edebat per sanctissimæ carnis suæ contactū, siue mediatum, siue immediatū, vt cùm vestes eius tangebantur admodū quo herbę, vel lapides quidā tangēdo morbum expellunt, & hoc modo procedit ratio à Christo allata, vt ex Matth. 14. & Luc. 6. videre est: *quicunq; tetigerunt eum, salui facti sunt; omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat*, hoc est, quoad operationem exteriorem, & effectum. Nec mirum quod ea virtus viuificatrici Christi attribuatur, quam rebus etiam quibusdam naturalibus tributā animaduertimus: cæterùm nō semper, nec naturali modo is effectus sequebatur, sed non rarò tamen, & eo sciente videlicet, & volente. aliqui reijciunt huiusmodi qualitatē in carne Christi, sed nihil est absurdi si admittatur supernaturalis aliqua eiusmodi virtus, lege Mōta. in Scholijs Matth. 9. omninò Christi carnem instrumentum diuinitatis fuisse nullus negabit Catholicus, vnde viuificatrix dicatur.

12. *Timens ac tremens*] Timor animo inerat, vnde corpus inuasit tremor. timuit ne erroris sui, quo putabat potuisse se latere Christum; & tactus (erat enim immunda) aliquam pœnam referret. adorat

A verò cuius erat experta virtutem; vel etiam vt placet eum, quem sibi irasci arbitrabatur.

Indicauit, &c.] non gloriæ propriæ cupiditate, sed in salutē, vtilitatemq; populorū voluit Christus mulierem illam omnia fateri.

13. *Confide filia*] timorem seruilē mulieris repellit, & dum filiā appellat, & dum cōfidat, imperat.

Fides tua] quāuis initio imperfecta, tamen cōmendanda erat, & à Christo laudata, verē enim magna fuit.

Vade in pace, & esto sana &c.] primū quod in pace 16.
dimittat, salutationis est consuetæ ijs, qui aliquem dimittunt à se; illud verò quod addit Mar. *esto sana à plaga tua*, significat sanitatē sua voluntate & imperio esse illi collatā, permansuramq; esse cū illa, nec amplius in eam ægritudinē esse relapsurā; quæ etiam securitas cōtinetur illis verbis, quæ alij duo ponunt Matth. & Luc. *vade in pace*, q. d. esto in posterum trāquillo, ac securo animo, volo tibi salutē collatam à me ratam, stabilemq; esse, nec amplius inquieto eris ob ægritudinem animo, consule quæ diximus l. 1. c. 11. n. 17. quia verò Marcus dicit; *esto* 17.
sana à flagello tuo, seu plaga tua, sunt qui dicant, ob peccatum eam mulierem à Deo ea ægritudine punitam fuisse. Sed nihil hinc certi; quia satis est si dicamus, ideò morbos *flagella* dici, quia sæpè propter peccata immittuntur à Deo.

14. *Salua facta est*] hoc non est hic accipiendum, quasi ab eo tempore, quo Christus eam allocutus fuit, sanitatem receperit, sed salua facta est ex illa hora, qua scil. hæc gesta sunt.

Hanc mulierem ex Cæsarea Philippi oriundam, 18.
memoriā accepti beneficij ęneam statuā Christi, ac *Quæ hæc mulier fuerit, & de statua quā posuit.*
suam, habitu supplicātis ante domum suā Cæsareæ in basi collocasse, narrat Euseb. 2. Eccles. histor. 14. herbamq; inusitata specie adnascentē, cùm fimbriā statuæ Domini attigisset, vim morbi salutarē adeptam. hęc statua à Iuliano Apostata sublata scribitur à Socrate l. 6. tripart. histo. c. 41. vide locum, & apud Sozome. l. 5. c. 20. Ambr. de Salomo. c. 5. Marthā indicat mulierē hanc Hæmorrhoissam fuisse. dum ait: *largum in sanguine fluxū Christus siccat in Martha.* Quod non in oppido Capharnaū, sed extra illud tetigerit Christū hæc mulier, habet Hieron. Matth. 9. nam prohibitū ijs qui sanguinis fluxu laborabant, in oppidis habitare. Sed nō esse prohibitum docet hic Barrad. l. 5. c. 24. quare si domus Matth. fuit extra Capharnaum, extra vrbem potuit tetigisse Christi vestimenta: Alioqui in vrbe, dum pergeret Christus ad Iairum. *Ab Archisynagogo*] id est, domo Archisynagogi venit. Lucas venit quidem inquit. Et plures & vnum veniſſe dicere possumus, vnus præ cæteris locut⁹ est nomine omnium, cuius ore reliqui etiam quodāmodo loquebantur. Plures verò esse decebat, & ad fidem nuntij faciēdam, & ad Archisynagogi dignitatē & nobilitatē indicandam. *Quid vltra*] imperfectæ fidei erat, qui Christum ægrotam sanare posse, mortuam ad vitā reuocare non posse, credebat, q. d. nihil est quod labore hoc itineris Christum vexes.

16. *Noli timere*] non inquit, Aug. l. 2. de consen. c. 28. *dissidentem reprehendit, sed credentem robustius confirmauit*, præsertim quia timendum erat ne verbis nuntiorum de sua fide aliquid remitteret, cert⁹ iam factus de morte filiæ. *Noli timere*, aliqui etiam interprerātur de timore Archisynagogi, quo fortè timebat ne verbis nūtiorum reuocaretur Christus à priore voluntate accedendi domum, q. d. nō desistam hac nuntiorum incredulitate, quin domum tuam veniam, & suscitem filiam, si in fide tua perseueraueris, atque credideris.

17. *Et non admisit*] cùm multa esset turba intrā domum tibicinum & tumultuantium, & ne populare auram capere videretur, idcircò turbam quæ eum

comita-

Digitized by Google

comitabatur domum intrare non permisit. Ac ne ea inhibitio grauis alijs videretur, cæteros etiam discipulos cum turba simul extrà domum reliquit tribus tantùm assumptis.

20. 18. *Videt tumultum*] Matth. addit *tibicines*. Ambr. l. 8. in Luc. scribit: morem fuisse gentilium, vt ad omne funus lamentatrices, & tibicines lamentarẽtur, qui lacrymas audientibus cãtatis nenijs elicerent, eamq; consuetudinẽ ad Iudæos quoq; permanasse. Et de lamentatricibus quidem Hiere. c. 9. 17. meminit; de tibijs, Euangelij satis est testimoniũ.

19. *Puella non est mortua*] non negat verè mortuã, sed significat cirò illam ad vitam esse reuocãdam, ac si dormiret. porrò illi flebant eam, sicut cæteros mortuos, qui nõ sunt resurrecturi, nisi ad diem vltimum. voluit Christus omnes illos confiteri verè mortuam esse puellam, vt tanto illustrius esset miraculum. Modestè etiam significare voluit se ad vitam illam mox reuocaturum, perinde ac si dormiens è somno excitaretur.

20. *Et irridebant eum*] hæc derisio confirmabat verè puellam mortuam fuisse.

Eiecit] etiam eam turbam tumultuantem, quæ intra domum erat, & tibicines extra illam eiecit. Interl. Non enim digni erant videre quod nõ credebant. Matth. 9. Hieron. inquit, indigni qui viderent mysterium resurgentis, suscitantem. n. irriserant. Chryso. verò ait, eiecit ad vitandam ostentationem, voluit tamẽ aliquos adesse testes. Vel potiùs ex causa, quã affert Christus, *non est enim mortua*, &c. colligere possumus cur eiecerit tumultuãtes, & plorãtes, quia tumultus, & cantus mortuorum erant, non viuentium. Cùm autem mox reuocanda esset in vitam ac lucẽ puella, illos quasi rem inutilem ac superfluam agentes, domo eiecit, quo conuenerant lugendi causa, quod insinuat Matth. dum ait, post ea verba Marc. & Luc. *nolite flere*, &c. dixisse Dominũ; *discedite, non est enim mortua puella, sed dormit*, quare igitur eiecit; quia scil. nõ mortua vt cæteri, sed mox viuificãda erat. Quinq; verò illos interesse voluit, vt suo tempore certi essent, & fide digni patrati miraculi testes, ex parte quidẽ *sua* tres discipulos præcipuos, ex parte autẽ puellæ eos qui ad eam maximè attinerent, parentes scil.

21. *Et qui secum*] id est, Petrum, Iacobum, & Ioan. quorum istum diligebat, & quodã honoris priuilegio honestabat; primùm Ecclesiæ suæ præficere decreuerat; medium verò Iudæis notissimũ fuisse, credibile est ob patrem Zebedæum, vel ob fratrem Ioannem, qui dicitur fuisse notus vel ipsi Põtifici.

22. *Et ingrediuntur*] cum solis illis quinque.

21. *Tenens manum*] Nec manũ tenere, nec clamare opus fuerat, solo enim nutu poterat ad vitã reuocare; sed hæc facta sunt ab illo, vt intelligeretur sua virtute suscitari puellã. Porrò speciatim quod clamauit, significat etiam, non præsentem vocari animam, sed absentem; itemq; mortis potentiam, omnium quidem creaturarum viribus maiorẽ, sed verbo & iussu suo inferiorem esse. Præterea vt quis alium à somno excitaturus manũ eius apprehẽdit, vt erigat, & eidẽ, vt excitetur inclamat, ita declarare volens Dominus verè se dixisse quod dormit. sibi scil. moxq; veluti à somno excitãdam, ideò & manum puellæ apprehẽdit, & clamore veluti excitauit. *Puella tibi dico surge*] *talitha cumi*; prima vox Syriaca est, *cumi* verò Hebræa. Mixtè enim tũc loquebantur. porrò illa verba, *tibi dico*, addita sunt à Marco, quo sensum vocantis, & imperantis exprimeret, vt docet Hiero. in lib. de optimo genere interpretandi.

22. *Surrexit*] rectè subiecit Luc. *& reuersus est spiritus eius*, vt eandem intelligeres animã in corpus rediisse, quæ corpus dimiserat. Porrò in signũ veræ vitæ & perfectæ sanitatis, & ambulare puellã vo-

A luit, & cibum illi dari à parentibus. non solùm autem suscitata est, sed etiam quæ iacebat surrexit, ac stetit, proinde dixit Euangelista, *surrexit*: & hoc etiã Christus imperauerat cùm dixit, *puella surge*.

23. *Præcepit illis*] noluit scil. tunc saltem tẽporis vulgari miraculũ, donec ipse cum discipulis turbam multã foris expectantem, reiq; exitum videre cupientem declinaret, hominum plausum fugiẽs. Ianſen. sic habet; quod verò prohiberet parẽtibus & discipulis ne cui dicerent, quod factum erat, quãuis sciret factum nõ posse occultum esse, fecit, vt effugeret tum apud eos qui aderant; tum apud eos quibus illi narraturi erant, notam captatæ, & quæsitæ gloriæ humanę, doceretq; nihil nos debere facere ad ostẽtationem. Deinde vt & Pharisæorum inuidiam declinaret, & populi fauorem non nimis in se accẽderet, qui discretione nonnunquã & ordine carens, seditionum auctor est. 23.

B Caiet. non præcepti inquit, sed humilitatis sunt hæc verba ad instruendos sanctos, vt quantum in se est, studeant declinare humanam gloriam. Greg. 19. mor. c. 14. seruis suis (ait) exemplũ Christus dedit, vt ipsi quidem virtutes suas occultare desiderent; & tamen vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti, &c.

Quantumuis autem Dominus quantum in se erat, occultum hoc miraculum esse voluit, exijt tamen miraculi fama in vniuersam terrã illam: nam fugientes sequitur gloria. At si non expediebat vt miraculum tunc diuulgaretur, cùm tamen diuulgandum sciret, cur ergò fecit? quia nõ debuit Pharisæorum inuidia, credẽti principi fraudi esse, quo minus eius filia suscitaretur. Non debuêre populi tanto bono priuari, quãtum, saltem postea, ex hoc audito miraculo consequi poterant. 24.

Animaduertimus de solis mortuis suscitatis & curatis cæcis Christum, ne id sciretur vetuisse, vt C Matth. 9. 30. quia cæteri morbi curabiles videri poterant, nec tantam admirationem pariebat eorum curatio; vitam & visum nemo ignorabat non posse vlla arte semel amissa reuocari. Nam leprosũ quem mundauerat c. 8. 4. non absolutè dixit, ne cui id diceret, sed ne antequam se sacerdotibus ostendisset, quod expresè dictum est illi, hic verò non exprimitur, vt postea dicant miraculum post suum videl. discessum. Reliquũ est vt has historias tum Hæmorrhoissæ, tum filię Iairi secundùm allegoricum sensum exponamus, deinde ad mores etiam accommodemus. 25.

DIGRESSIO MORALIS PRIMA,

Sensum allegoricum, & moralem continens.

D IAirus idẽ est, quod *illuminaris*, vel *illuminãtus*, is Moysen repręsentat, qui videns Dominũ in carne venturum rogat pro filia, id est, synagoga, quæ lege & Prophetis educata, erroribus languens in peccatis moritur; sed non nisi in domo, id est, Dei cultu. At Hæmorrhoissa, i. gentilitas in itinere sanatur præripiens salutem Iudæis paratam. Erogauerat porrò substantiã oẽm in medicos; quanto enim magis gentilitas vires naturalis industrię in philosophorũ præceptis expendit, tanto minus potuit à sordibus liberari: duodecim annis laborauerat quot nata filia Archisynagogi: ex quo enim synagoga cœpit Deo seruire, cępit gentilitas idololatria pollui, hic est fluxus sanguinis; accessit, credidit, locuta est: fide enim, & verbo, & opere salus acquiritur: tetigit fimbriã, non vestem, non enim vidit in carne Dominum, sed fidem per 1. *Iairus legis Mosaicæ typum.*

Apostolos accepit, sic & glossa vt refert Emm. c.9. Matth. Rab. Synagoga, inquit, duodecimo anno id est, tempore pubertatis errorum languore consternata est; fluxus sanguinis, idololatriæ pollutio est, vel carnis & sanguinis delectatio; vestimentũ Christi, inarnationis mysterium; fimbriæ, verba de incarnatione. hæc de allegoria.

2. *Tres mortui à Christo suscitati quos designent.*

Quantũ ad sensum attinet moralẽ, hæc accipe: primũ ex Greg. 4. mor. c. 25. suscitatur puella in domo, id est, qui latet in peccato. Iuuenis extra portam, videl. qui publicè peccat; Lazarus in sepulchro, qui scil. peccati cõsuetudine grauatur. Beda etiam hæc, leuiora peccata leuiori pœnitentia curantur: nam puella facili voce suscitatur. At suscitaturus Christus quatriduanum fremit, turbat se, lacrymatur; grauius enim peccatum indiget pœnitentis feruore. item publica noxa publico eget remedio. vnde Lazarus & iuuenis publicè suscitati; at puella paucis arbitris. Vel ex Glossa, puella in domo, consensus in peccatum, iuuenis extra portam, consensus in actum productus; Lazarus fœtens, cõsuetudo peccati malè olens, & alios corrumpens. Vide item Aug. serm. 44. de verbis Domini.

3. Per mulierẽ verò fluxu sanguinis laborãtem, intelligi potest anima, quæ diu, multũq; luxu cupiditatibusq; defluxit. hęc si morbi curationem sui ab alijs, quam à Christo quæsierit, in mendicitatem & morbi augmentũ incidet potiùs; neq; enim leuis est paupertas ætatis; & ingenij iactura. hanc non Moyses, non Philosophorũ dogmata, non falsorũ Deorũ cultus, nõ rerum fluxarũ copia, non voluptas curare potest. At si fide Christi fimbriam, hoc est, Incarnationis mysterium contigerit, idque à tergo, nimirùm parata sequi vestigia Christi, sanitati mox restituetur; sistet enim sordidum illũ fluxum Christi virtus. Verùm quo sanitas illius certior, tutiorq; sit conscientia, est, quod post acceptã sanitatẽ deposito omni pudore morbus ac Dei beneficium palam agnoscatur: docemur enim, eos qui per fidem & cõtritionem apud se in arcano cordis sui peccatorum remissionem, & mentis salutem adepti sunt, debere tamen in conspectu Ecclesiæ sese manifestare coram Christo, & eius sacerdotibus, & humili cõfessione morborũ, & peccatorũ expectare adeptę salutis & remissionis ratificationem, & cõfirmationẽ. excutiẽdus pudor, ita. n. postea gaudebit anima, vbi experta fuerit ex confessione maiorẽ animi tranquillitatẽ. Hæc summatim & vniuersim in totam historiã dicta sint, iam sigillatim in sequẽtibus digressionibus, pluribus de his, quæ ad mores pertinẽt, disseremus, præcipua huius historiæ capita persequentes.

DIGRESSIO MORALIS SECVNDA.

De Archisynagogo.

1. *Magnates vix vnquam nisi calamitatibus humiliantur.*

PRincipiò non sunt oscitanter prætereunda verba illa ver. 1. ex Luca, *Venit vir, cui nomen Iairus, & ipse princeps Synagogæ erat, & cecidit ad pedes Iesu*] quid est fratres, quod princeps ad pedes accidit Christi (nimirũ vix vnquam principes viri, & qui alto sunt loco constituti ad infima se Christi officia demittunt, nisi calamitatum pondere oppressi.

2. *Manasses.* Veniat in memoriam Manasses ille 2. Par. 33. qui à Deo longè discesserat, dum regno clarus, potens diuitijs, honoribus præfulgens, facinorosam traduceret vitã. At vbi regno spoliatus, priuatus honoribus, & diuitijs in Babylonem adductus est, tunc cœpit in terram procidens, vehemẽti sensus dolore percitus, rogare Deũ, vt noxas tolleret, cõdonaret scelera, & veteres dissimularet insanias: sic enim sacrarum litterarum libris proditum est de eo: *qui postquã coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valdè coram Deo.*

3. *Achab.* Idem accidisse memorat tertius liber Reg. c. 21. cũ Achab, cui cùm Elias Dei nomine flagella prædixisset, non multò post affutura, vehementi terrore concussus, *scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnẽ suã, ieiunauitq; & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite.* quare Dominus dixit Eliæ: *nonne vidisti humiliatum Achab coram me. quia igitur humiliatus est mei causſa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius.*

4. *Peccans similis equo effræni.* Et verò peccator, qui posito Dei timore multa cõmittit scelera, vel contra Deũ, vel cõtra homines, similis est æquo effrænato, atque indomito, & propter crebras cõtentiones prę-liorũ ferocitate exultanti, qui dorso insidentẽ in terrã proijcit, vel præceps in cursũ rapitur; quod si hunc iniecto freno non ignarus aliquis domitor per vim cohibeat, & admotis calcaribus parere cõpellat, illicò in tractatilẽ, lenem, mollẽ, facilem, & flexibilẽ euadet. talis est vir, qui præceps in vitia fertur nulla timoris Dei habita ratione. nullũ est enim facinꝰ adeò turpẽ, adeò immane, atq; horrendũ, quod patrare nõ audeat. audi Iere. 8. *omnes cõuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.* at si fortè hunc interdũ videas iusto Dei iudicio per vim, & supplicia de cœlo immissa cohiberi, & ad rectum virtutis tramitem cõpelli, tũc plerumq; potenti Dei timore correptus audacibus cœptis abstinet, sesẽq; in officio cõtinet. hæc enim est natura, & vis calamitatum.

5. *Plagę signa amoris Dei.* Magno certè Dei beneficio tribuendũ est, & prono, grato, humili excipiẽdum id corde, dũ animaduertit quis se in vitia ruentẽ à Deo immissis flagellis velut iniecto frœno cohiberi. hoc ingenuè agnoscebat Dauid Ps. 118. *bonũ mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.* agnoscebat & Augustin. l. 2. Confess. c. 2. *uideras Domine misericorditer sæuiens, & amarissimis aspergens offensionib. omnes illicitas iucunditates meas, vt ita quærerem sine offensione iucundari.* quod ipsum ostendit Deus Ps. 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorũ: misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* qui igitur amatur, corripitur.

6. *Securitas & impunitas ira Dei signum.* Contra verò horrendum est valdè, sibi permitti hominem liberè agere, & impoteuter; & tum effrenatus proiectusq; feratur in vitia, nõ corripi tamen à Deo, nec flagellari.

Est enim id non obscurũ fermè dãnationis indiciũ. quod Oseæ c. 4. significatũ est, *non visitabo super filias vestras, si fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras cùm adulterauerint*, quod nõ latuit Hieronymũ, sic ibi scribentẽ: *grandis offensa est,*

postquam

postquam peccaueris, iram Dei non merori. iterumq; quando videris peccatorem diuitijs affluere, iactare se potentia, sanitate gaudere, delectari coniuge, corona circumdari liberorum, & impleri illud, quod scriptū est Psal.72. *in labore hominū non sunt, & cū hominib. non flagellabūtur, scito in illo cōminationem prophetæ esse cōpletam; non visitabo super filias vestras,* &c. sic Hieron. Chrysost. etiam hom.37. in Ioan. hoc ipsum esse magnū argumentū, & signū damnationis affirmat. & Greg. l.26. mor. c.14. tanquā reprobationis itidem signum ponit. de hoc argumento vide Orig. lib.3. Periarchon c.1. August. ser.37. de verb. Dom. Greg. hom.12. in Ezech. diximus etiam & nos quædam huc pertinentia cap.5. digress.1. à num.1.

9. Prælatorū officium orare pro peccatoribus.

Cecidit ad pedes Iesu] videre mihi videor in Synagogæ principe describi Prælatorum officium. Est enim eorum præcipuum munus supplicitер, & demissè ad Christi pedes se abijcere; & veniam suis filijs impetrare, hoc est, quibus illis enim Ecclesiarum, atque animarū sollicitudo commissa est. talem se exhibuit Moyses, cui cùm Exod.32. dixisset Deus: *peccauit populus tuus,* &c. & postea: *dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* quid Moses? orabat Dominum Deū suum dicēs: *Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuū,* &c. & deinde: *obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum, fecerunt q; sibi Deos aureos; aut dimitte eis hanc noxiam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.*

DIGRESSIO MORALIS TERTIA,

In ea verba: *Filia mea in extremis est, vel modò defuncta est.*

2. Præsens ſæpè cum occurrendum.

Filia mea in extremis est] sic Marcus. vel vt Matthæus ait: *modò defuncta est.* Chrysolo. ser.34. sic in hęc verba scribit: *Adhuc vita manet calor, adhuc anima vestigia videtur, adhuc est in via spiritus, adhuc domus habet filiam, adhuc mortuam tartarus nescit, ergò vt euntem posse animam retinere, festina. quibus significatur nobis occurrendum esse statim peccato, si quando in illud incidit quis: sic enim facilè concipit flammam lucerna, si statim ac extincta est, & adhuc calidum exhalat fumum, ignem adhibeas; eodem modo, dum adhuc bona vita manet calor, ad cœlestem flammam, hoc est, ad Christum accede.*

3. Alteram similitudinem ad id ostendendum affert Chrysost. hom.22. ad pop. Antioch. *peccatorum* inquit, *consuetudo lapsum in peius trahit. si purum habes vestimentum, caues, nè pessumdes omninò, nè quo modo sordidetur. si primam, secūdam, & tertiam contempseris maculam, iam velut sordidum habens vestimentum, non graue videtur, licet totum fiat lutum.*

4. Addit & hanc Greg. lib.4. moral. c.25. *Cum culpa,* inquit, *in vsum venerit, ei iam animus, etiam si appetat, difficilius resistit. quia quot vicibus prauæ frequentationis astringitur, quasi tot vinculis ad mētem ligatur.* Sapienter Greg. quia quo pluribus ictibus percutitur clauus, eò altius infigitur, & quò pluribus astringitur quis vinculorum nodis, quò pluribus compeditur catenis, eò difficilius soluitur.

Quibus accedit, quod quantò frequentius subijcit se quisq; victus hosti, tāto audacius hic in illum insurgit, & maiores spiritus, atq; animos aduersus illū assumit, si quando fortè sibi illum resistentem videt. quod magnum etiam Gregor. non latuit lib.13. moral. cap.6.

Vtitur & Chrysost. eleganter sequentibus similib. hom.11. in 1. ad Cor. & ho.80. ad pop. Antioch. *planta nuper insita facilius euellitur, diuturniore autē mora profundius actis radicibus, multò labore opus est, vt euellatur, & ædificium nuper cōpactum facilè, tempore autem consolidatum, difficile diruitur & fera, quæ diutius alicubi morā traxerit, ægrè capitur. sic & bona, & mala, quàm diutius in nobis immorantur, vehementiora fiunt. igitur qui nōdum vitijs se subdiderūt, his ego nè capiātur suadeo; facilius namq; casum cauere possumus, quàm post casum resurgere.* Et addit eadem hom.80. ad pop. Antioch. *Sicut febris ab initio aggressa non magna siti laborātes exurit, postquam autem inualuerit, & flāmam extulerit, iam sitim inducit immedicabilem: etiam si quis eis concesserit, vt potibus impleantur, nō extinguit, sed accēdit fornacem. sic & vitioso accidit affectui; si se circa primordia in animā nostrā inferētem non prohibuerimus, neque fores occluserimus, ingressus iam insanabilē morbum susceptoribus infert.*

5. Porrò simile illud à planta sumptū egregiè declarat Dorotheus doctr.11. *Otiosus erat quandoque senex magnus cum discipulis suis in hortis, in quibus cupressi varia, magna scil. ac paruæ creuerāt. Imperauit igitur vni ex fratribus senex cupressum euellere, quæ cùm parua esset, & tenera, vna manu extirpata est. postea iussit aliam maiusculam euelli, quæ non vna, sed ambabus manib. tandem euulsa est. Tertiam maiorem adhuc prioribus videns senex, illā imperauit velli, quæ non sine magno laboré extracta est. quartam quoq; cæteris altiorem extirpari iussit, quæ summo conatu, labore, & sudore vix extrahi potuit. quintam adiecit maximam, quam cùm ille conaretur euellere, nunquam potuit; sed incassum circa eam elaborauit; tunc ad omnes conuersus senex ait: huiuscemodi sunt passiones nostræ, fratres; cū teneræ sunt & paruæ si volumus, facilè eas possumus à nobis extirpare. quod si illas neglexerimus, obsurdescent illicò, quoque magis obduruerint, eo maiore vi & labore opus eri. quin immò irriti erunt conatus nostri omnes in illas, nisi alicuius viri sancti orationes ad auxilium nostrum accesserint.* sic Dorotheus.

6. Sed non sunt prętermittenda, quæ Chrysost. contra Gent. & hom.22. ad pop. Antioch. eodē pertinentia scribit. Anima, quæ peccati gustum semel fecerit, tū quæ nullis doloribus, aut pœnitētiæ stimulis tangitur, magnū certè auctariū morbo adijcere solet, ac quemadmodū vsu venit, vt scintilla ignis si fortè immensam materiā corripuerit, statim obuiā quamq; exurat, nec ante tamen subsistat, quā quod reliquū est, id omne depascatur: quātoq; plura cōprehenderit flāma, tātò maius robur ad alia consumēda cōcipiat: fitq; tum, vt cōprehensorum à flāma lignorū congeries lignis ijs, quę mox flāma cōprehensura est, quasi insidias struat, flamma eadē sese semper lignorū comprehensorū auxilio, contra ea, quæ intacta adhuc manent, armāte: sic & peccati natura vbi animi cogitationem aliquā adorta est, nec quisquā est, qui malum restinguat, procedēs vlterius, grauior certè, ac magis indomita efficitur: propterea sæpè fit, vt quæ posteriora sunt peccata, prioribus grauiora sint, anima semper posteriorū peccatorum

torum accessione sese promouente, & per hæc ipsa suam quidem vim eneruante, peccati autẽ robur alente, qua vtique ratione cõplures videas in omne peccatorum genus imprudentes prolapsos, quod flammam initio exorientem non restrinxerit.

7. *Remedium contra malã consuetudinem.*

Sed nullum potentius remediũ contra consuetudinem esse videtur, quam si quis se cum Christo medico coniungat, & eius ope nixus contra inueteratam consuetudinẽ vim sibi inferẽs acriter insurgat. quod ex Nouato Catholico hom. de humil. & obed. sic declarare poterimus: *Fiat*, inquit, *pax primùm animæ, & cordi cum præcepto Dei, vt aduersus consuetudinẽ corporis & fragilitatem duo sint victores, præceptum Dei, & consensus tuus.* (Sunt enim hi tres) *medicus, ægrot⁹ & ægritudo: si ægrotus se cum ægritudine dederit, efficiuntur duo aduersus vnum, atque superatur medicus: si verò ægrotus cũ medico se dederit, vincitur infirmitas. medicus, Christus est; ægroti nos sumus; ægritudinis morbus, cõsuetudo peccati est. si medico igitur non inhæserimus, laborat medicus. ideò in Euangelio dicit: esto consentiens aduersario tuo, dum es cum illo in via, non nos docet, vt simus cõsentientes nostro aduersario diabolo, sed vt cõsentiamus aduersario præcepto diuino; quod aduersatur malis nostris, & aduersatur consuetudini nostræ. Cùm consentimus aduersario nostro, id est, præcepto diuino, superatur morb⁹, & sumus concordes præcepto Dei, & accipimus quasi iugum Dei: propter quod ait Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. tollite iugum meum super vos.* &c. sic ille, vt habes in Bibliotheca Patrũ tom. 2. Sed videamus sequentia, pergit enim Archisynagogus.

8. *Impone manum tuam*] sic Chrysol. in hæc verba ser. 33. Aegrotus non quemadmodũ curetur imperat, sed tantùm vt curetur, implorat; sed cùm esset Archisynagogus, legis notitiam hic habebat, & verbo cætera, hominem manu Dei legerat esse figuratũ: credidit ergò eadẽ manu, qua creatam senserat filiam, recreari, & reduci posse ad vitã. cognouimus quid sit: *veni, & impone manum tuam super eam*, vt qui spontè posuit ad creandũ, ad reparandum iterũ exoratus imponat. hoc est quod Propheta fatetur. cùm decãtat in Ps. 138. *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam*, quia qui posuit, cùm formaret ex nihilo, imposuit iterum vt reformaret ex perdito. Denique idem Psalmista, vt manus huius salutare sensit; & adeptus est largitatem, repetitam prorupit in vocẽ. Ps. 117. *Dextera*, inquit, *Domini fecit virtutẽ, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem*, & vt meruisse se quod Archisynagogus poposcerat, demõstraret, adiecit: *non moriar, sed viuam.* ille cùm peteret, dixerat, *veni impone manum tuam, vt salua sit, & viuat*: hic iam consecutus exaltat, *non moriar, sed viuam.* Dextera Domini Christus est, & verè fecit virtutem, diabolũ dum debellat, dum alligato forti, vasa fortis diripit, dum infernũ destruit, dum ipsam mortificat mortem. & verè exaltauit nos, quos de profundo extulit, & eleuauit ad cœlum. Sed iam ad mulierem sermo transeat, quæ occulto vulneri, & verecundo languori, remedium sic quæsiuit, vt & suum pudorem tegeret, & curantis reuerentiam custodiret.

DIGRESSIO MORALIS QVARTA,

De Hæmorrhoissa, quod peccatum sanguine significetur.

1. *Sanguis in Scripturis peccatum designat.*

ET *mulier quædam erat*, inquit Lucas, *influxu sanguinis ab annis duodecim*] vel vt Matt. ait, *& ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis.* Sanguis in scripturis omne quidem peccatũ significat, præsertim verò graue, vt patet Ezech. 24. 6. *væ ciuitati sanguinum*, id est, sanguinariæ, ac peccatrici.

2. *Peccata publica maximè Deum offendunt.*

Porrò illud hic aduertendum non indiligenter, peccata, quæ insignia inprimis sunt; si publicè fiant cum prauo aliorum exemplo, & scandalo (quomodo in medio esse dicuntur) maximè Deum ad iram & suppliciũ prouocare. quam rem idem Ezech. eo cap. v. 7. ostẽdit contra Ierusalem, cuius sanguis, id est, peccata manifestus erat, & publicus; & homicidia, & idololatriæ omnibus nota; *sanguis enim eius*, inquit, *in medio eius est; super limpidissimam petrã effudit illum*, non effudit illum super terram, vt possit operiri puluere, quibus verbis licet notare videatur idololatrantẽ ciuitatem, quæ innocentium infantium sanguinem, non super herbidam, sed super limpidã, tersam, arentem rupem spargere consueuerat. melius tamen cẽsebimus, si dixerimus, significare voluisse Prophetam perfiguratam quandam locutionem, sanguinariam ciuitatem non dissimulasse, quæ cogitabat scelera, nec clanculum peccasse, sed audacter se, & contra Deum impiam, & aduersus ciues iniuriosam declarasse. hoc enim videtur esse, super limpidissimam petram effudisse sanguinem, & non effudisse illũ super terram, vt possit operiri puluere. quod placuit Hieronymo sic scribenti: *naturale est enim, vt si sanguis effundatur in terrã, combibat humus humorem sanguinis, vel paulatim terra operiatur, & puluere: cùm autem super limpidissimam petram, & nullam habẽtem foueam sanguis fuerit effusus, labitur & latam obtinet sedem. hoc autem indicat, quod non occulta, sed publica fecerit homicidia secundum illud: vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Genes. 4. 10.

3. Subdit autem Propheta, vt indicet quantò publicè peccatores odio prosequatur Deus, & quàm magno illos supplicio afficere soleat: *vt superinducerem indignationem meã, & vindicta vlciscerer, dedi sanguinem eius super petrã limpidissimã, nè operiretur*: q. d. propterea permisi (quod enim permittit Deus per phrasim scripturæ dicitur *facere*) vt sanguis, quem sparsit illa in rupẽ caderet, & non in terram, nè operiretur: atque adeò cernens illum vltionem aduersus illã inducerem, & indignationem. Itaque *dedi sanguinem eius super petram*, idem est, ac permisi, vt sanguis, quem illa impiè fundebat, super petram caderet, & omnibus manifestus esset, vt vlciscerer, quod eius enormia merebantur scelera, quæ verò occultè quis peccat, minus digna sunt ira, & indignatione Dei, facilius etiam illa condonat Deus. Quibus cõstat multò minus veniam mereri peccata, quæ publicè fiũt; & quidem meritò, tum ob maiorem contemtum Dei, & proximi, tum, quia pessimo committuntur aliorũ exemplo, vt proinde veluti

anima-

marũ homicidia sint, quorum ratione exa-
simè exiget Deus ab his animarũ interfe-
oribus, vt ex Ose. 1. discimus: *adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrael super domum Iehu*: am quoniã Iehu Dei populũ ad idololatriam allexit, & ipse vltor sanguinis iusti ingressus est per vias Ieroboã filij Nabat, qui fornicari fecit Israel, vt ait Hieron. & constituit vitulos aureos in Dan, & in Bethel, ideò regnũ quoq; eius dicitur subuertendũ; dicit autẽ, *visitabo sanguinem Iezrael*, id est, occisionem populi mei.

5. Imò & visitabit Dominus interfectionem animarũ super eos, qui cùm deberent, non admonuerunt tamẽ peccatores nè peccarẽt: quod Ezech. 3. testatur Dominus: *si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur a via sua impia, & viuat; ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem eius de manu tua requiram.*

6. Sed cur inquies peccatum dicitur *sanguis*? R. tum quia esum sanguinis vehementer horrebant Hebræi, & detestabantur. Vnde factum (quo possent gentiles cum Iudæis ad fidẽ conuersis coalescere) vt iussi fuerint gẽtiles ab Apostolis abstinere à suffocato, & sanguine, Act. 15. tum quia vita in sanguine posita est, & sanguinis effusio mortem infert, ergò cùm omne peccatũ lethale vitã animę tollat, rectè sanguis seu effusio sanguinis dici potest. tũ quia sanguis præsertim mẽstruus, immũdissimus cẽsebatur. hinc Zachar. 13. dicitur: *in die illa erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatorũ, & menstruatæ*; & Isaiæ 64. *facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersa iustitiæ nostræ.* his ergò de causis rectè peccatũ omne lethale, præsertim autem insignia quædam, & atrocia scelera, vt idololatria, homicidium, pauperum oppressiones, *sanguis* appellatum est.

7. Solet autem scriptura numero plurali loqui, ac peccatum vocare sanguines, vt *viri sanguinũ, & dolosi*, &, *libera me de sanguinibus*; &, vbi nos legimus, *sanguis sanguinẽ tetigit*, apud Oseã c. 4. in Hebræo, *sanguines sanguines tetigerũt*, habetur.

Huius rei triplicem caussam assignare possumus, vel quia solẽt Hebræi, vt maiorem copiã significent, numerum multitudinis vsurpare; numerũ igitur peccatorum interdũ ea phrasi significant; vel quia sic melius indicatur vnum peccatum alterum trahere, ita vt inde fiat catena quædam, quibus peccator alligatur, quod Oseas c. 4. indicat: *maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulteriũ inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit*; vel tertiò, quia vnus peccator alterum sæpè inficit, & contaminat, & ad eamdem peccati foueam inducit.

8. Cæterùm verissimum esse id, quod num. 6. diximus, peccatũ aptè sanguinem nominari ex ipsius sanguinis proprietatibus, plenius adhuc ostendi, & declarari potest; in primis, quia sordidus est sanguis, & stomachum mouet; marcescit enim statim, præsertim autem id in mẽstruum cõuenit, vt immundissimus habeatur, peccatum verò omne sordidissimã & immundissimam reddere animã satis docet Hierem. Thren. 4. *denigrata est facies eorũ super carbones.*

9. Et verò quemadmodum duobus modis homines olim immunditiẽ contrahebant secundùm legem; vel si immundo aliquo morbo laborabant, qui hominẽ immundũ redderet; vel contactu rei immundæ; ita & immundus fit peccator, vel internis cogitationibus cùm peccata sunt; vel malis externis operibus; præsertim verò si consuetudine peccãdo obdurescat & obcalleat anima, sic enim tanquã mẽstruata censebitur, cuius ea est consuetudo & proprietas, vt tempore certo ad eundem redeat sanguinem, iterumque sordescat.

10. De huiusmodi porrò anima exponere possumus illud Ezech. 16. 6. *transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi, cùm esses in sanguine tuo, viue.* quæ significare possunt statum animæ peccatricis, quæ in suis peccatis obcalluit, in quibus tanquam in sanguine mẽstruo ac sordido peruoluitur, & coinquinatur, quam Deus sua gratia pertrãsiens, ac videns illam, hortatur vt ad vitã redeat, vel excitat, animatq; vt ad cor & ad vitã redeat: hoc enim est, *& dixi tibi, cùm esses in sanguine tuo, viue.* Nisi exponas, *viue*, dictũ esse pro *viues*, meo beneficio, non tuo merito, & eodẽ reuoluitur, si dicas, *dixi viue*. i. viuere te faciã tui misertus, cùm tamẽ esses morti exposita, & omni auxilio destituta.

11. Tales sunt illi, de quibus Dauid Ps. 72. *operti sunt impietate. & iniquitate sua*, & de quib. Ose. 4. *maledictum, & mendacium, & homicidiũ, & furtum, & adulterium, & sanguis sanguinem tetigit.* quãto rogo horrori est, hominem cernere, ex quo vndiq; turpis & corruptus emanat sanguis ex oculis, auribus, naso, ore, deniq; ex quacunque corporis parte: talem esse peccatorem diu in peccatis hærentẽ cogita, cuius serpit in dies malum, & manat latius, nullum est enim in eo mẽbrum, quod non sanguinẽ mittat sordidissimũ, quia omnibus sui corporis mẽbris Deum offendit creatorem suum, quem cõtra amare, & reuereri infinitis rationibus deceat: de quo illud Isaiæ dicere possis: *omnes iustitiæ eius tanquam pannus menstruatæ factæ sunt*, nõ quod nullum in homine possit esse opus iustũ (vt vesano furore percitus Lutherus iactabat in vulgus) quod non sit peccato infectum, sed quod nouis peccatis accedentibus, antiqua etiam, si quæ erant iustitiæ opera, vt Theologi loquuntur, mortificentur, & præsentia sint omninò mortua. Et hæc de prima sanguinis proprietate cum peccatis communi.

Peccatores inueterati turpis effigies.

12. Est & altera proprietas sanguinis, quod indigestus esse soleat, præsertim verò is, qui mẽstruus dicitur; peccatũ verò, quod amoris calore, & charitatis feruore priuat, rectè illi simile dicetur tanquam quid crudum, ex se nauseam, ac stomachi fastidium inuehens.

13. Tertiò, simile est peccatũ sanguini, quia vtrumq; sterile est, reddit. n. sanguis plantas infœcundas, & arentes, quod in peccatum multò magis conuenit, quod cùm animã occupat, ita illam exilẽ, tenuem, aridã, concisam, & minutã efficit, vt vel nullum bonum opus pariat; aut si quid profert, abortiuum sit, vel mortuum.

14. Quartò sanguis lunæ sequitur cursum, eiusq; inconstantiam, ac mutabilitatem. at peccatum omne ex leuitate quadã, & inconstantia mẽtis nascitur, vt verissimum illud Ecclesiast. c. 27. sit; *stultus sicut luna mutatur.*

15. Postremò quemadmodũ menstruus potissimũ sanguinis, vel corruptus, nisi secernatur,

graues

graues multos, ac periculosos morbos affert, ita peccatū si corde & animo nō depellatur, suo quasi pōdere ad innumera alia hominē trahit.

DIGRESSIO MORALIS QVINTA,

Quod per ea, quæ de Hæmorrhoissa Euangelistæ narrant, duplex peccatoris repræsentetur status.

I. *Hæmorrhoissa peccatricis animæ effigies.*

CVm igitur rectè per sanguinem, præsertim verò mēstruum grauiora in primis peccata significentur, nō absurdè dixerimus, si fateamur, hac Hęmorrhoissa, quę sanguinis profluuio laborabat, peccatoris animā repræsentari. Quod si subtilius rimemur Euāgelistarum verba, duplicem mysticè describi peccatoris statum in hac historia non obscurè animaduertemus, alterū, qui peccati est, alterū qui ad pœnitentiam pertinet: de hac enim muliere hæc scribunt: primum, quod superfluo abundaret sanguine; sic enim ait Lucas: *& mulier quædam erat in fluxu sanguinis*; deinde quod duodecim annos eo morbo laborasset; adhæc, quod omnē substantiam suam erogasset in medicos. Quartò, quod multa perpessa esset à cōpluribus medicis. Quintò, quod à nullo posset curari, sed magis deteriꝰ haberet, & hæc quinque pessimum peccati statum aperiunt.

2. Hæc enim omnia multò verius est in peccatore cernere; abundat enim corrupto & immundo sanguine, hoc est, peccatis. Vnde quasi ex totius naturæ corruptione quadam, pessimi & innumeri prodeunt effectus.

Deinde non per duodecim modò, sed per multos annos graui, & mortifero morbo tunc potissimū laborat peccator, dum altis peccati iactis radicib. firmiùs in illo hæret, ita vt nulla hominum vi præterquam potenti Dei virtute, inde diuelli possit. Adhæc si Hæmorrhoissa omnia sua bona in medicos frustra erogauit, multò certè infelicius peccator non modò naturæ bona aliquo modo absumit, verùm etiam, quod longè horribilius est, cœlestia dissipat, atq; disperdit. Quartum verò illud, quo de Hæmorrhoissa narratur, aptè significat tyrannidem, laborem, & dolorem, & cætera mala, quibus peccatum peccantis animam deprimit, ac miserandū in modum vexat. Quintū deniq; manifestè indicat, quanta sit in euellendo peccato difficultas. nulla enim hominū vi diuelli, nulla arte sanari potest peccati morbus: diuinę tantùm virtuti id relictum est, imò verò ex se talis est naturę peccatum, vt dum in anima inhæret, præcipitem illam ruere faciat ex se in omne malum, & hæc quidem de primo peccati statu. iam de posteriore dicamꝰ, cùm iam peccator incipit ad cor redire. Hunc enim etiam statū veluti ob oculos in eadem Hæmorrhoissæ historia ponunt Euangelistæ.

3. Narrant primùm cœpisse illam secū loqui, *dicebat enim: si vel vestimentum eius tantùm tetigero, salua ero.* Deinde etiam verecundam accessisse ad medicum: sic enim ait Lucas: *accessit retrò*, vt occultè nimirum, & furtim fimbriā vestimenti Christi tangeret, quamuis ibi, hoc est retrò, vbi nihil erat, vt ait Chrysol. ser. 34. faciem, quam declinabat, inuenerit: *erat in Christo corpus multiplex, sed erat Deitas simplex, erat totus oculus, qui post se supplicem sic videbat.* Addunt tertiò extrema manu fimbriam vestimenti Christi tetigisse. Quartò circūspexisse etiam Iesum videre eā, quæ hoc fecerat. Adhæc ipsam mulierem audijsse à Christo dici, *quis tetigit vestimenta mea?* Sextò, cùm videret mulier, quia nō latuit, timentem, ac trementem venisse. Septimò procidisse ante pedes eius, & ob quā causā sam tetigerit eum, indicasse coram omni populo. Octauò, antequam Christus quidquam illi diceret, confestim siccatum esse fontē sanguinis, & sensisse in corpore, quia sanata esset à plaga. Audijsse nonò, *confide filia, fides tua te saluam fecit, vade in pace, & esto sana à plaga tua.* Postremò significant, in via illam, atq; eo itinere, quo ibat Christus ad Archisynagogum saluté, & incolumitatem recuperasse. hęc verò omnia aperiunt nobis gradus, quibus ad salutarem, & incorruptam vitam per pœnitentiam redit peccator.

Primùm omnium illustrante Deo, & cor hominis efficiente incipit secum loqui peccator, dum enim conscientiæ stimulis constringitur, & suorum scelerum fœditatem attēdit, incipit ad cor redire, & sensim sibi ipse displicere, dum miserā sui status conditionem meditatur. sic ille Luc. 15. *in se reuersus dixit; quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* Deinde peccator suffunditur pudore quodam ob eandem peccati turpitudinem, obscœnitatem, & maculam, quod est ad medicum veluti retrò venire, nec audere palam accedere tanquam indignum.

Ad hoc, fimbriam vestimenti Christi tangit, hoc est, rerum cœlestium cogitationes amplectitur, & in se excitare, ac fouere cōtendit, quod est fimbriā tangere. erat enim Hebræorum fimbria cęlestis coloris; vel certè si vestimenti Christi nomine humanitatem eius intelligamus, eius vulnera, & quæ sub finem vitæ ad mortem vsque perpessus est, rectè fimbriæ vestimenti Christi dici possunt. tangere ergò fimbriam vestimenti, erit in Christo fiduciam suā collocare, eiusq; passione, ac pretioso sanguine niti, ad obtinendam peccatorum remissionem; erit eius meditari labores, & dolores; ad quod nos inuitat sponsa Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, intellectum videl. & affectum! Inuitat nos Apostolus Heb. 12. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus contradictionem, vt nè fatigemini animis vestris deficientes: nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatū repugnantes.* & quia non satis est Christi iactare passionem tantùm, quasi verò opera non sint necessaria, oportebit extendere manum, quod faciemus, si ita in Christi passionibus, vulneribus, morte fidamus, vt simul eius mandata ex animo obseruare contendamus. Vel tertiò vestimentum erit venerabilis Eucharistiæ sacramentum, corpus videlicet, & sanguis Christi sub visibilibus speciebus, quod si tangas vt debes, magnum spiritualis sanitatis augmentum accipies. Verùm rectè hic dicere possumus, ꝙ Chrysol. ser. 33. scripsit: *tetigit vestimentū mulier & curata est, & ab antiquo est absoluta lāguore: miseri qui quotidiè corpus Domini tractamꝰ, & sumimꝰ,*

& à noſtris vulneribus non curamur. non Chriſtus infirmãtibus, ſed fides deeſt, nimirũ ſaltem viua, feruens & accenſa; & ſerm. 34. audiant Chriſtiani, qui quotidiè corpus Chriſti attingunt, quantã de ipſo corpore ſumere poſſunt medicinam; quãdo mulier totã rapuit de ſola Chriſti fimbria, ſanitatẽ. Sed quod nobis flendum eſt, mulier de vulnere medicinã tulit, nobis medicina ipſa retorquetur in vulnᵉ. hinc eſt quod Apoſtolus tangentes indignè corpus Chriſti taliter admonet, & deplorat: *qui enim tãgit indignè corpus Chriſti, iudicium ſibi ſumit*: & quod inde temeritas infirmitatẽ capiat, vnde fides accipere debebat ſanitatem, rurſus intulit: *propterea inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* item dormientes *mortuos* dicit, quos luget in viuo corpore iam ſepultos. Sic ille.

6. Quartò quod Chriſtus circumſpexerit videre eã, quæ tetigerat, ſignificare poteſt, benignum illum, & liberalem Dei aſpectũ, quo ſui efficacitate auxilij cum anima cooperatur; vel notat id etiã ipſam gratiæ habitualis infuſionẽ cum cæteris donis ac virtutibus, quæ cum ipſa gratia, Dei beneficio, animæ inſeruntur. Quod verò bis Chriſti aſpectus fiat mẽtio ſemel ver. 11. iterum 13. ſignificare poteſt duplicem gratiam Chriſti peccatori neceſſariã, præuenientem, vel excitantem, & concomitantem, vel adiuuantem.

4. Quintò quod Chriſtus interrogarit quis illum tetigiſſet, ſignificat Deum ab homine exigere, vt ſecum ille conſentiendo, & faciendo cooperetur, iuxta illud Zachar. 1. Ioel. 2. Malach. 3. *conuertimini ad me.* Iam verò ſextò, quod contremuerit mulier timore perterrita, ſignificat qua timorem illum, quo peccatores nos eſſe intelligentes, à diuinæ iuſtitiæ timore vtiliter cõcutimur; qua timorem illum, quo gratia Dei iuſtificati Deum veremur offendere tanquã filii; *timor* namq; *Domini expellit peccatũ.*

2. Septimum iam omnibus numeris abſolutam omnium peccatorum confeſsionem indicat; illud verò quod octauo loco poſitum eſt, ſanitati reſtitutam fuiſſe mulierẽ illam, antequam Chriſtus illi diceret, *eſto ſana*, ſignificat, ſæpè animam ante ſacramentalem peccatorum abſolutionem per præcedentem contritionem cum confitẽdi propoſito, ac deliberatione, ſalutem ac gratiam conſequi. Nono, verba illa Chriſti dicentis: *eſto ſana*, &c. quid aliud innuunt quàm ſimilia ſacerdotis verba, *ego te abſoluo*? Poſtremò quod in via ſalutẽ receperit, & incolumitatem, planè demonſtrat, hic curandam eſſe animæ ſanitatem. Præſentis enim vitæ locus ad lethales animæ culpas eluendas opportunus dũtaxat eſt: nam ſi ſemel eum peccatis hinc exceſſeris, ſaluus, integer, & incolumis eſſe non poteris. & hæc de poſteriori pœnitentis ſtatu.

3. Sed proh dolor, quotuſquiſq; eſt, qui animaduertens ſe ſordido peccatorũ ſanguine contaminatum, cum hac Aemorrhoyſſa properet ad medicum? eius tangere veſtimẽti fimbriam laboret? nimirum rectè nobis dici poteſt illud Ezech. quod ſanguis omnium noſtrum in medio noſtri ſit, in quo conculcemur, & tanquam immundæ ſues volutemur; ſimiles profectò ſumus illi ciuitati, de qua Pſ. 54. ſcriptum eſt; *præcipita Domine* (in mala) *diuide linguas eorũ* (fac

A vt diſsideant inter ſe) *quoniam vidi iniquitatem & contradictionem* (contẽtionem, ſeu ſeditionẽ) *in ciuitate* Ieruſalem; quaſi dicat, quia meretur propter ſua ſcelera, vt hoc ei præſtes, id eſt, vt ſic eam punias: nimirum publicè peccabat, & in medio eius ciuitatis peccati ſanguis apparebat. Audi enim quid ſubdat: die ac nocte circũdabit eam ſuper muros eius (id eſt, altius, ſeu fortius quàm muri; vel ſuper, id eſt, per muros eius) iniquitas & labor (quo vexat pios, ſeu dolor, quo eos afficit) in medio eius (nõ occultus, ſed publicᵘˢ eſt) & iniuſtitia (in cõmercijs fraus, & oppreſsio) & non defecit de plateis eius vſura & dolus, (quaſi dicat palam fit malum.)

Quare vehementer timendum eſt tibi peccator, nè illam incurras Ezechielis ſententiam cap. 21. *Sanguis tuus erit in medio terræ*, hoc eſt, ſine vlla commiſeratione trucidaberis, non colligent effuſum cruorẽ vicini, vel cognati, nullus te planget, nullus cadauer tuum efferet, ſed in ſanguine tuo volutaberis, ibiq; tabeſces. Vel certè idem eſt hoc atq; palam, audacter, inuerecundè cædem in te exercebunt hoſtes, neq; cruorem tuum operient, aut cadauer abſcondent, ſed obuolutum ſanguine proprio, ſanieque conſperſum, inhumatumque relinquent, quemadmodum tu ore perfricto, ac timore, pudoreque depoſito, peccare conſueuiſti. 10.

B

DIGRESSIO MORALIS SEXTA.

C

Quod hæc mulier repræſentet gentium Eccleſiam, & eos qui mundo renuntiarunt, primos Religioſorum patres ſecuti.

CHryſol. ſerm. 35. hanc mulierem Eccleſiam ſignificare dicit, quæ primi hominis vulnerata peccato, tota fluebat ſanguine, tota originaliter decurrebat in mortẽ. Equidem arbitror, aptè hanc mulierem dum Chriſtum conſecuta, eius veſtimẽti fimbriam attingit, referre gentium multitudinem & Eccleſiam, cum prædicantibus Apoſtolis, qui ex Iudæis erant, innumeri gentium populi Euangelium Chriſti amplectebantur, quod ſignificatum fuit Zachar. 8. *in diebus illis, in quibus apprehendent decem homines* (hoc eſt plurimi) *ex omnibus linguis gentium, & apprehendent* (quaſi dicat, apprehendent inquam) *fimbriam viri Iudæi, dicentes; ibimus vobiſcum: audiuimus enim, quoniam Deus vobiſcum eſt*; cùm enim Apoſtoli, & qui eos conſecuti ſunt, qui omnes Iudæi rectè appellantur, quia Chriſtum cõfeſsi ſunt, per orbem terrarũ Euangelij ſemen ſpargerent, & cęleſtis doctrinæ lumine, potentia miraculorũ, & ſuaui virtutum odore omnium nationum oculos in ſe conuerterent, agnouit mundus Dei gratia illuſtratus, in eorum verbis, & vita vim ineſſe quandam, & efficacitatẽ diuinam, eoſq; à Deo in mundi ſalutem eſſe tranſmiſſos. quare intellexit illicò Deum verum eſſe eum, quem illi prædicabant, Deus autem gentium dæmonia, eorumq; religionem auidè arripuerunt, quod eſt, apprehendere fimbriam viri Iudæi, nimirum, eorum monita, ac doctrinam amplecti, vitæ inſtitutum ſequi, & eandẽ colere religionem ſub iiſdem ducibus. 1. *Hæmorrhoiſſa, Eccleſiæ typus.*

Doctè enim Cyrill. obſeruat, quod cùm apprehen-

prehendere fimbriam, hoc est, extremâ vestimenti partem, puerorum sit sequentiũ patres suos, & eorum nè cadant, fimbrias apprehendentium, ideò vt ostenderet Zacharias gentes ita adhæsuras Apostolis, & Euangelicis prædicatoribus, vt ab eis duci se, ac regi sinerent, nè quid fortè contra Deum, Christianamq; religionem committerent, dixit, quod apprehendent fimbriam viri Iudæi.

3. Et verò per *virum Iudæum* nõ Christum accipere debemus, nisi fortè mystico sensu, vt ait Hieron. sed quẽlibet ex Christianis magistris, quod sequentia verba non obscurè declarant: *ibimus vobiscum.* & iterum, *quoniam Deus vobiscum est*, quod de pluribus dicitur, non de vno. hæc igitur mulier huius rei, quæ hoc vaticinio cõprehendebatur imaginem iam tum referebat, cùm Christi viri Iudæi fimbriam tam pio ac prolixo affectu, & tã magna fide apprehenderet. Vnde factum vt sanitatem consecuta sit.

4. Possumus & hoc vaticinium cum eo, quod Hęmorrhoissa fecit, dum Christi fimbriã tetigit, ad posteriora, & nostra etiam tẽpora applicare, nimirum ad sanctissimos illos sacrarũ religionũ conditores, & veluti religiosarũ domorum architectos, hoc est, ad primos patres, qui posteros spretis mũdi illecebris, & contẽtis opibus sub alicuius ducis arbitrio, & certis institutis, Deo seruire, & reluctantem sensum Euangelij fræno cohibere docuerunt. omnes enim illi, qui sanctitate præstantes, religionis alicuius iecêre fundamẽta, vt Basilius, Benedictus, Pachomius, Dominicus, vterq; Frãciscus, & Deo dilectus Ignatius, qui igne illo amoris Dei, quo vehementer ardebat, etiam Indos, remotissimã orbis partẽ, per suos incendit, rectè *viri Iudæi* appellantur, non secundùm litteram, sed secundùm spiritum, *quorum laus nõ ex hominibus, sed ex Deo est*, qui corde circũcisi sunt, hoc est, qui omnia superuacanea, & immunda, petra, quæ Christus est, resecuerunt. dum horum ergò exempla secuti multi viri nobiles, multi ætate florentes, multi locupletes, cõplures doctrina præstãtes, plurimi etiam antea vitijs dediti, mundo, rebusq; fluxis nuntiũ remiserunt, ac relictis omnibus valedixerunt parentibus, & amicis, & eorum fimbriam, hoc est, viuendi rationem, ad eorum se ductum applicantes, tenuerunt, quod tunc præsertim fecisse visi sunt, cùm se eorũ curæ, & disciplinæ consecrarunt, & eorum manibus in modũ cerę, in quamcunque illis placeret, figurã fingẽdos se tradidére. hoc enim quid aliud fuit, quàm viri Iudæi, id est, eorũ, qui Deũ confiteantur, vt solent pueri fimbriam apprehendere? cùm enim elucerent in illis præclara pietatis exempla, in primis verò emineret charitas, quę singulare Christianę militiæ vexillum est, & insigne discipulorum Christi, hoc est, nota quædam, qua agnoscũtur hi, qui sub Christo duce militant; non mirũ, si illis passim homines adhęrerent, quos odio sui & ardenti in Christũ dilectione, plenos esse nõ ignorabant, eisq; dicerent, *volumus vobiscũ esse*, certi semper, & vbiq; sequi: *audiuimus enim*, & verò etiam ipsi experti sumus, *quoniam Dominus vobiscum est.*

5. Vtinam excitet Dominus in Ecclesia sua spiritum, cui sanctissimi isti viri seruierunt. ita enim fiet, vt sublatis vitijs, homines talib⁹ prouocati exemplis ad meliorem vitam se transferant. Neq; enim alia est compendiosior via lucrandi animas, & ad Christum adducendi, quàm solidæ virtutis, præsertim verò eximiæ charitatis exemplum cum sui, & rerum mundanarum despicientia coniunctum.

DIGRESSIO MORALIS SEPTIMA.

Complectens ea, quæ ad Christi interrogationẽ pertinent, *quis me tetigit?*

CYrill. lib. 3. in Leuit. obseruans ea verba Christi: *quis me tetigit? vis tibi*, inquit, *ostẽdam, & quæ est anima, quæ tetigit immundũ, & immunda facta est, & rursum tetigit mũdum, & facta est munda? illa, quæ profluuium sanguinis passa est; per immunditiam peccati in hoc deuoluta est: tetigerat enim peccatum, & idcircò flagellũ carnis acceperat: sed postea quam fidè plena tetigit fimbriam Iesu, stetit fluxus sanguinis, & repentè facta est munda, quæ ante per tantũ temporis vixit immunda; & quemadmodum cùm tetigisset Dominum, & Saluatorem, dixit ipse, quis me tetigit? ego enim sensi virtutem exijsse de me, illam sine dubio virtutẽ, qua mulierem sanauerat, & fecerat mundam: sic intelligendum est, quod si quis contigerit peccatum, exeat ab ipso peccato virtus quædam maligna, quæ eum, qui se contingit, faciat immundum.* h

Turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis, quis me tetigit] Greg. lib. 20. mor. c. 18. *Ecce*, inquit, *turbæ premebant Dominum, sed sola tetigit, quæ ad illum humiliter venit, quia nimirum multi etiam in sancta Ecclesia reprobi, veritatem cognoscendo premunt, quam benè viuendo tangere negligunt. premunt, & longè sunt, quia diuinam notitiam professionibus sequuntur, moribus fugiunt. premunt, inquã, sed longè sunt, quia eidẽ fidei, quàm loquẽdo astruũt, agendo malè, contradicunt, sicut ergò hoc testimonio docemur, quia nonnulli Dominum tangendo nõ tangunt, ita nonnulli videntur à Domino, etiam cùm nõ videntur, quia occultis eius obtutibus, & ad damnationis supplicium apparent: & ad electionis meritum non apparent.* 2.

Ego noui virtutem de me exisse] Bernardus dẽ quattuor modis orandi ait: *nõ credo quod sit inter nos quispiam, sed fortè nonnulli, in sæculari habitu, vel conuersatione potuerunt aliquando experiri quod loquor, vt inuiti fluxum sanguinis paterentur, eius inquam sanguinis qui regnum Dei non possidebit. Etenim qui facit peccatum, seruus est peccati, nec sua se poterit continere virtute, etiam cùm volet. huic ergò minimè expedit per se ipsum accedere ad Christum. sed tangere, si quam inuenerit eius fimbriam, hoc est, eum cõsiderare hominem, quem humiliorem viderit, & extremum in Ecclesia, quæ est vestis Christi: eum, inquam, qui elegit abiectus esse in domo Dei, oportet considerare: quoniã is verè est fimbria posita in ora vestimenti, ad quam vtiq; spiritualis vnguenti descendens à capite, copia tota decurrit. hunc si beneficijs aliquibus, seu prece humili, aut confessione pura tetigerit, vt affectum eius erga se moueat ad compatiendum sibi, habeat fidem, & sine dubitatione sanabitur. illud tamen nouerit fimbria, non à se, sed à Christo exijsse virtutem, qui & tãgi se protestatur in fimbria,* & hæc de historia Hæmorrhoissæ, iam vnde digressi sumus, redeamus, nempè ad Archisynagogum, & eius filiam. 3.

DIGRESSIO MORALIS OCTAVA,

In qua postrema huius capitis pars accommodatur ad mores.

1. Mors somnus.

PVella non est mortua, sed dormit] Chrysol. serm.34. *Verè*, inquit, *apud Deum mors somnus est, quia velocius Deus mortuũ ad vitã suscitat, quã de somno dormiens ab homine suscitetur: & ante Deus frigentibus morte membris viuificantem refundit calorem, quàm homo sepultis somno corporib. vigorem posit infundere. Audi Apostolum* (1.Cor.15.) *in momento, in ictu ocũli mortui resurgent. B. Apostolus, quia velocitatem resurrectionis non potuit referre verbis, aptauit exemplis. aut quomodo ibi celeritatem sermonis perstringeret, vbi ipsam celeritatem praeuenit vis diuina? aut quomodo apparet ibi tempus, vbi aeterna sine tempore res donatur? sicut temporalitatem tempus attulit, sic excluſit aeternitas tempus.* Hæc Chrysologus.

2. Et quidem rectè mors dicitur somnus: nam si nunquã mortui excitandi forent, haud quaquam somnus diceretur, & quia euigilaturi sunt homines sub noctis huius mũdi finẽ, horrendũ sonante tuba: *Surgite mortui, & venite ad iudiciũ.* propterea aptè mors somni nomen accipit.

3. Et verò quemadmodum iturus cubitũ, vestem exuis, quam sub solis ortum iterũ sumis, ita mortis tempore accedente, depones corpus instar vestis, & sepulchrum veluti lectũ ingredieris, euigilaturus tandem; cùm rursum corpus indues, Christo sole iã orbi suæ præsentiæ splẽdore illucescente; sed hoc interierit malos inter & bonos, quod hi aureã vestem, micãtibus fulgentem gẽmis induent: *fulgebũt enim tũc iusti.* at illi corpus assumẽt crassum, horridũ, obscurũ, nullo decore ornatum, & tetro fœdum odore.

4. Assignari etiam & alia ratio potest, quamobrem mors somnus dici queat: nam quemadmodum qui se per diem labori tradidit, grato sub noctem sopore quiescit: ita sancti, qui diu dum vitam hanc viuerent, ad maiorẽ Dei gloriam, & proximorũ vtilitatem laborarũt, suaui sopore, accedente morte, quiescere dicũtur, Apoc.14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodò iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.*

5. Mali malè moriuntur.

Contra mali, qui ventri, immodicisq; potationib. indulgẽtes, benè poti moriũtur, minimè trãquillo ac quieto sopore in morte quiescent. Audi Ecclesiastem c.5. id ipsum affirmãtem: *Dulcis est somnus operanti siue parum comedat, siue multum: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.* Similes enim ij sunt homini, qui præ nimia saturitate, & immodico potu, vino languidus, cõfectus cibo per noctem vigilare inuitus cogitur. iam vlterius progrediamur.

6. *Ipse verò eiectis omnibus*] ait Marcus, vel (*cùm eiecta esset turba*) vt ait Matthæus, perpendit, & ad mores accommodat hãc sententiam Greg. lib.18.c.25. in noua editione, vel 28. in vet. sic enim scribit, *Aegyptus muscis percutitur; quia eorum corda, qui terrenã vitam diligunt, dum desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur, turbu cogitationum carnalium ad ima depressa sunt, vt ad quietis intimæ desiderium nõ leuentur. Vnde cũ mira ope pietatis ad cor veritas venit, prius ab eo cogitationum carnalium æstus eijcit, & sic in eo virtutũ dona disponit. quod benè nobis sacra Euangelij historia innuit, in qua dum ad resuscitandã filiam principis inuitatus Dominus duceretur, protinus additur, & cùm eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & surrexit puella. Foras ergò turba eijcitur, vt puella suscitetur: quia si non prius à secretioribus cordis expellitur importuna sæcularium multitudo curarum, anima quæ intrinsecus iacet mortua, non resurgit. nã dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad considerationem sui se nullatenus colligit.* sic Greg. ad quẽ sensum accõmodat illud Iob 28. & *mare loquitur, non est mecum*: nam in his inquietudinũ fluctibus habitare sapientiam non cognoscens (Iob) ait; & *mare loquitur, non est mecum. nullus quippè eam plenè recipit, nisi qui ab omni se abstrahere actionum carnaliũ fluctuatione contendit.* Similia habet eodẽ lib.18. c.25. in noua editione, vel 27. & 29. in veteri, & lib.20.c.17. & 18. sequentia consideremus.

B

Et tenens manum puellæ] vers.21. non est hic prætereunda erudita, ac solida D. Thomæ observatio.3.p.q.44.a.3.ad 2. vbi sic ait: *Christus venerat saluare mundum, non solùm virtute diuina, sed per mysteriũ incarnationis ipsius, & ideò frequenter in sanatione infirmorum non solã potestate diuina vtebatur curando per modum imperij, sed etiam aliquid ad humanitatẽ ipsius pertinens apponendo.* Vnde super illud Luc.4. *singulis manus imponens curabat omnes*, dicit Cyrill. quamuis vt Deus potuisset omnes verbo pellere morbos, tangit tamen omnes, ostendens propriam carnem efficacem ad præstanda remedia, &c. sed tempus est vt receptui canamus.

CAPVT XIX.

C

DVO CÆCI CVRANTVR, ET VNVS DAEMONIACVS.

A. 9. 27.

1. *Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes, & dicentes: miserere nostri Fili Dauid.*
2. *Cùm autem venisset domum, accesserũt ad eum cæci, & dicit eis Iesus: creditis quia hoc possum facere vobis? dicunt ei: Vtique Domine.*
3. *Tunc tetigit oculos eorum, dicens: secũdum fidem vestram fiat vobis.*
4. *Et aperti sunt oculi eorum, & comminatus est illis Iesus, dicens: videte ne quis sciat.*

D

5. *Illi autem exeuntes diffamauerũt eum in tota terra illa.*
6. *Egressis autem illis ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmoniũ habẽtem.*
7. *Et eiecto dæmonio, locutus est mutus, & mirata sunt turbæ, dicentes: Nunquam apparuit sic in Israel.*
8. *Pharisæi autem dicebant: In principe Dæmoniorum eijcit Dæmones.*

SCHOLIA.

MATTHÆVS satis significat ista cõtigisse Capharnaũ, cùm iter faceret Dominus ab Iairo, & in eam se conferret domum, in quam cõsueuerat se recipere. Itaq; nullũ hic videtur reliquum esse dubium de ordine. Declara-

tur

tur enim non obscurè his verbis, *& transeunte inde Iesu*, id est, de domo Iairi, secuti sunt, &c.

V. 1. Fili Dauid] Messiam significat, sic Matth. 15. & 20. Mar. 10. Luc. 8.

V. 2. Cùm venisset domum] non curauit in via, vt secretius domi curaret, doceretq; se gloriam non quærere, sic Chrysost. vel vt eorum fidem experiretur, eaq; magis tempore, & patiētia matureſceret; vel vt nos doceret, instanter orandum esse, nec mox desistendum ab oratione, vel desperandum, si non statim quæ volumus à Deo consequamur.

2. *Creditis quia hoc possum*] Inter. fidem confessio promat: quo sc. alijs notior fiat. Remigius, vt dum confitentur, digna fieret fides ampliore mercede: item ex interl. sicut fides illuminat mentem, ita oculis restituat lucem. Sunt etiam qui dicant, ideò rogasse Dominum, num crederent, vt ostenderet, fidem omnia perficere, nec se tam miseria eorum, quàm fide permoueri ad sanandum. Obserua non dixisse Christum (quod notat Ianſen.) *creditis, quia hoc possum impetrare?* aut *quod hoc fieri possit per me?* sed *quia hoc possum vobis facere?* vt declaret penes se esse auctoritatiuam sanandi potestatem, quod & credere se cęci professi sunt. Vide quàm magna fuerit eorum fides. Obseruandum etiam, non dixisse: *creditis quia hoc facia vobis?* sed *quia hoc possum facere?* vt primùm intelligas, fidei nomen, & verbum credere, significare in Euangelijs assensum intellectus, quo firmiter alicui tāquam vero assentimur, non autem simpliciter fiduciam. Patet etiam hinc fide iustificante non debere peccatorem credere se consecuturum peccatorum remissionem, aut consecutum esse, satis est credere posse se eam cōsequi à Deo, vnde hasciturfiducia & spes consequendæ, vel consecutæ remissionis. Credimus enim posse nos iustificari, speramus autem vel cōfidimus nos iustificandos, vel iustificatos. Hæc tamē duo, nempè credulitas & fiducia simul videntur hîc includi in nomine fidei, cùm subditur, *secundùm fidem vestram fiat vobis*, q.d. sicut creditis me posse vos sanare, & ob hoc confiditis me curaturū vos, ita fiat vobis. non enim efficax est fides sine fiducia.

3. *Aperti sunt*] hoc est, viderunt, nam & ante aperti erant, sed clausi esse dicebantur, si spectes effectum, quia non magis videbant, quàm si fuissent omninò clausi, sic Isai. 35. 5. & 24. 6. 7. & Matt. 20. 33. Luc. 24. 31. Ioā. 9. 10. 14. 21. 26. 30. 32. & 10. 21. sic enim Hebræi loquuntur. interdum aperiri oculi dicuntur, etiam si antea nec clausi, nec cæci quidē essent; tantùm propterea quod non videbāt, quod postea vident, vt dicitur de primis parentibus, Genes. 3. 7. quia scil. nuditatem suam cognoscere cœperunt, quam antea non cognoscebant, eodem sensu dicūtur aures etiam aperire Mar. 7. 35.

4. *Comminatus est*] non est ἐπετίμησεν, quod verti solet, *increpare*, vel comminari aliquādo à nostro interprete, sed est hîc ἐνεβριμήσατο, quod propriè significat acriter, & velut iracundè comminari, ac cum austeritate; dicitur enim à fremitu, ita vt Euthym. dicat, interminatus est austerè, videl. intuēs eos cōtractis supercilijs, commoto capite; sed hos ego gestus alienissimos à Christi morib. fuisse credo, ait Maldon. Nam licèt verbū interminationem cum fremitu, coniūctam cum increpatione, & vocis auctoritate significet, tamen Christo non est ex hoc verbo, nisi quantum decet tribuendū. Itaq; satis est si dicamus eum seriò & grauiter cæcis præcepisse in exemplum fugiendæ iactantiæ ex interl. Chrysost. at alteri dicit, *annuncia gloriā Dei*, nempe docet prohibendos, qui nos volūt laudare propter nos, nō autem si propter Dominigloriam. Superius etiam allatæ rationes huc etiam possunt facere, puta de declināda inuidia Pharisæorum, &c. in Schol. n. 23.

5. *Diffamauerunt*] id est, diuulgarunt, seu eius famam sparserunt. Hilar. videtur eos notasse de peccato: Dicit enim silentium imperat eis Dominus, quia Apostolorum erat proprium prædicare; nec desunt alij, qui dicunt eos, quibus Dominus silentium indixit peccasse, dum contra eius iussum euulgarunt eius miracula. At Hieron. Theoph. & alij negant peccasse: Tantùm ait Hieron. Dominus propter humilitatem fugiens iactantiæ gloriam, hoc præceperat, & illi propter memoriæ gratiam non possunt tacere beneficiū; & Theophy. illi non vt inobedientes, sed vt grati diuulgauerunt. est enim verosimile credidisse eos Christum nō seriò, vel omninò, sed modestiæ suæ causa, ne id diceret, vetuisse. vide hic Ianſen.

6. *Heminem mutum*] Hieron. in scriptura inquit, quod dicitur græcè κωφὸν, vel surdū vel mutum significat; imò magis surdum, quàm mutum significare solet, vt Mar. 7. 32. hic tamen mutum significat.

7. *Numquam apparuit sic*] Chrysost. præponebāt cæteris, quia velociter curabat, & infinitas, & incurabiles infirmitates; illud verò apparuit vel impersonaliter sumi potest, q.d. numquam visa sunt huiusmodi mirabilia in gente Israelitica, vel subintelligendum est, quis talia faciens.

Non exegit Christus ab hoc Dæmoniaco fidem, vt à cæcis, quia mutus erat, & quia muti surdi esse solent, vt nec audire, nec respondere possint. non autem erat iste natura mutus, sed dæmon ligauerat linguam eius.

8. *In principe dæmoniorum*] primò Pharisæi calūniati fuerant, quod peccata dimitteret. Secundò, quod cum peccatoribus ederet. Tertiò, quod ieiunia non indiceret discipulis suis. Nunc quartò in eod. 9. cap. Matth. calumniantur, quasi in principe dæmoniorū eijciat dæmonia. Interl. quia virtutem negare non possunt, opera calūniantur. Remigius, iuxta illud: *in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* Et vide quid dicant: *in principe*, &c. quid dementius? inquit Chrysost. dæmon enim dæmoni consentit. Adde, quod Christus non solùm dæmones eijciebat, sed sanabat, suscitabat, peccata soluebat, regnum Dei prædicabat, quæ Dæmon facere non potest.

Optimus alioqui interpres Maldonat. putauit huius dæmoniaci historiam eamdem esse cum illa, quæ à Luca narratur c. 11. 14. verùm hūc Dæmoniacum non esse eumdem cum illo, patet ex Matthæo c. 12. ibi enim agit id de eo, de quo Lucas.

Hæc de primo anno ferè prædicationis Christi, qui intercurrit inter Pascha primum & secundum iuxta Ioannis Euāgelium. Is annus dicitur, vt quidam volunt, *acceptabilis* ex Isaia. Rationem affert Epiph. in Panario. li. 1. tit. 1. prope fin. & hæresi 51. *à baptismo* inquit, *Ioānis Iesus prædicabat annū acceptabilē, ita vt nemo ipsi cōtradiceret: neq; Iudæi, neq; Græci, neq; Samaritæ, neq; quisquā alius* (intellige præter contentionē Pharisæorū ferè cum illo) *deinde verò contradictionem sustinēs, prædicauit annū secundū, & facti sunt anni nouendecim eiusdem Herodis, Saluatoris verò trigesimus secundus.* hæc ille. Quod ergò prædicatio tunc facta ab omnibus fermè acciperetur, dicitur is annus primus acceptabilis. Sed fortassis *annum acceptabilem*, seu *beneuolentiæ, beneplaciti*, &c. Hebr. ratſon, vocat Isaias tempus prædicationis Christi, vel tempus nouæ legis 2. Cor. 6. *ecce nunc tempus acceptabile*, &c.

Finis Tomi primi.

Digitized by Google

INDEX
IN PRIMAM PARTEM DILVCIDATIONVM LO-CORVM SACRAE SCRIPTVRAE.

C. V. Ex Libro Genesis.

1. 20. Producant aqua reptile, lib. 1. cap. 1. Theoria 18. num. 5.
22. Benedixitq; eis, &c. lib. 3. cap. 2. digress. 1. num. 3.
2. 9. Produxitq; Dominus Deus, &c. lignum etiam vitæ, &c. lib. 3. c. 2. digr. 5. num. 1.
17. In quocunque enim die comederis ex eo morte morieris, &c. lib. 3. c. 5. digr. 3. n. 3.
23. Caro de carne mea, lib. 1. cap. 1. theoria 19. numero 3.
3. 7. Aperti sunt oculi amborum, lib. 3. cap. 19. schol. num. 3.
4. 1. Possedi hominem per Deum, lib. 3. c. 5. digr. 2. num. 2.
5. 1. Hic est Liber, lib. 1. c. 2. theor. 3. nu. 3.
6. 8. Noe invenit gratiam coram Domino, lib. 1. c. 5. schol. n. 22.
12. Omnis quippe caro, lib. 1. cap. 1. theor. 19. numero 3.
9. 13. Arcum meum ponam, &c. l. 1. c. 6. theor. 9. n. 5. & lib. 1. c. 9. dig. 4. n. 1.
22. Quod cum vidisset Cham pater Chanaan, vereenda scilicet, &c. lib. 3. cap. 14. digr. 3. numero 5. 6.
10. 9. Nemrod robustus coram Domino, l. 1. c. 4. schol. num. 23.
11. 28. Martinus, est Aranante Thare, &c. lib. 3. c. 5. digr. 2. n. 5.
14. 18. At verò Melchisedech rex Salem, l. 3. c. 3. schol. num. 9. & deinceps.
15. 9. Sume mihi vaccã, &c. Præfat. c. 1. n. 4. (ibidem de divisione huius vaccæ.)
15. Tu ibis ad Patres tuos in pace, lib. 1. c. 11. schol. num. 17.
19. 26. Respiciensque uxor eius post se, conversa est in statuam salis, lib. 3. c. 4. digr. 1. n. 10.
25. 22. Sed collidebantur parvuli eius in vtero, lib. 3. c. 14. digr. 1. n. 18.
26. 22. Vocauit nomen eius, latitudo, lib. 3. c. 4. digr. 1. num. 16.
27. 21. Accede huc vt tangam te fili mi, &c. lib. 3. c. 10. dig. 2. n. 25.
30. 1. 2. Da mihi liberos, &c. num pro Deo ego sum? lib. 3. c. 5. digr. 2. nu. 2.
33. 13. Nosti Domine mi, quod parvulos habeã teneros, &c. l. 3. c. 17. digr. 1. n. 2.
18. Transiitq; in Salem vrbem Sichimorum, l. 3. c. 4. schol. nu. 18.
19. Emitque partem agri, &c. lib. 3. c. 4. schol. numero 19.
34. 2. Sichem filius Hemor, lib. 3. cap. 4. schol. numero 14.
35. 4. Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, &c. at ille infodit ea subter terebinthum, lib. 3. c. 2. digr. 5. num. 20.
39. 4. Invenit Ioseph gratiam coram Domino suo, l. 1. c. 5. digr. n. 22.
49. 11. Lavabit in vino stolam suam, &c. lib. 3. c. 2. digr. 5. nu. 5.
12. Pulchriores sunt oculi eius vino, lib. 3. c. 17. digr. 3. num. 15.

C. V. Ex Libro Exodi.

3. 14. Ego sum qui sum, lib. 1. cap. 1. theor. 6. n. 1.
4. 17. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa, lib. 3. cap. 2. digr. 6. numero 1.
12. 14. Cultu sempiterno, Præf. c. 2. n. 2.
15. 25. Ostendit ei lignũ, quod cum misisset in aquam, &c. lib. 3. c. 2. digr. 7. n. 1.
17. 9. Elige viros, & egressus pugna contra Amalech, cras ego, &c. lib 3. cap. 2. digress. 6. numero 6.
24. 7. 8. Assumensq; volumen fœderis. Præfat. cap. 1. num. 6. 11.
32. 11. Moses autem orabat Dominum Deum suum, dicens, &c. die ac nocte, &c.
38. 8. Fecit & labrum æneum cum base sua de speculis mulierum, lib. 3. c. 1. digr. 8. num. 12.

C. V. Ex Libro Levitici.

5. 1. (Lex illa de conscia criminis quamodo intelligenda) lib. 1. cap. 8. schol nu. 12.
10. 3. Hoc est, quod locutus est Dominus; sanctificabor in iis, &c. lib. 3. cap. digress. 2. numero 4.
18. 5. Custodite leges meas. Præfat. c. 1. nu. 16.

C. V. Ex Libro Numerorum.

11. 34. Vocatus est ille locus, sepulchra concupiscentiæ, lib. 3. cap. 10. digr. 2. nu. 26.
20. 13. Hæc est aqua contradictionis, lib. 3. c. 4. digr. 1. num. 15.
21. 6. 8. Misit Dominus in populum ignitos serpentes (&) fac serpentem æneum, &c. lib. 3. c. 1. schol. nu. 25.
9. Fecit ergo Moses Serpentem æneum, & posuit eum pro signo, ibidem num. 26. & lib. 3. ca. 2. digr. 4. tota.
36. 7. 8. Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua, &c. lib. 1. cap. 2. schol. num 30. & Theor. 12. num. 2.

C. V. Ex Libro Deuteronomii.

11. 10. Terra, ad quam ingrederis possidendam, &c. lib. 3. c. 14. digr. 1. nu. 15.
25. 5. Quando habitauerint fratres simul, &c. lib. 1. c. 3. theor. 2. nu. 3.
26. 7. Respexit Deus humilitatem nostram, lib. 1. c. 6. theor. 6. n. 2.
28. 16. Maledictus eris in ciuitate, lib. 1. cap. 1. digr. 4. num. 6.
32. 46. Ponite corda vestra in omnia verba, &c. lib. 1. c. 7. schol. nu. 12.

C. V. Ex Libro Iosve.

3. 16. *Aquæ intumescentes adinstar montis, lib.1.c.1. theor.18.nu.7.*
6. 4. *Septimo die Sacerdotes tollant septem buccinas &c. lib.3. cap.17.digr.7.n.7.*
8. 18. *Leuaclypeum, qui in manu tua est, &c. lib.3. c.2.digr. 5.n.7. 8.*
11. 6. *Equos eorum subnerubis, &c. lib.3.cap.5.digr. 1.num.12.*

C. V. Ex Libro Ivdicvm.

4. 18. *Egressa igitur Iahel in occursum Sisaræ, &c. lib.3.c.4. digr.1. n.12.*
15. 15. *Inuentamque maxillam asini, &c. lib.3.c.8. digr.2.nu.8.*

C. V. Ex Lib. 1. Regvm.

2. 8. *Domini enim sunt cardines terræ, &c. lib.3.c.8. digr.2. num.6.*
3. 11.12. *Ecce ego facio verbum in Israel, &c. lib.3.c. 5.digr.2.nu.4.*
7. 13. *Nec apposuerunt vltra vt venirent, lib.1.c.9. schol. num.8.*
8. 7. *Non te abiecerunt, sed me, lib.3. cap.17. schol. num.32.*
14. 27. *Porrò Ionathas non audierat, cum adiuraret pater eius populum, lib.3. cap.4. digress. 2. num.8.*
16. *(Hoc caput dilucidatur) lib.3. cap.8. digr.2. num.9.*
23. *Quandocunque spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat cytharam, lib.3.cap. 15.theor.1. nu 7 8.*
17. 16. *Procedebat Philistæus manè, & vespere, &c. lib.3. c.2.digr.2.nu.23.*
25. 25. *Ne ponat Dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum, lib.1. cap.7. schol. numero 12.*

C. V. Ex Lib. 2. Regvm.

1. 9. *Sta super me & interfice me, lib.3. c.10. schol. num.12.*
7. 16. *Fidelis erit domus tua, lib.1. cap. 3. theor.7. num.3.*
8. 13. *Fecit quoque sibi Dauid nomen, lib.3.c.2. digr. 3 num. 12.*
18. *Filij Dauid Sacerdotes erant, lib.1.c.3.theor.4. num.3.*
23. 8. *Sedens in cathedra sapientissimus Princeps, lib.3.c.2.digr.2. nu.1.2.*

C. V. Ex Lib. 3. Regvm.

1. 6. *Nec corripuit eum Pater suus aliquando, &c. lib.3.c.5. digr.2. nu.4.*
6. 2. *Vide 2. Paralipomenon. 3. 4.*
9. 13. *Hæccine sunt ciuitates, &c. Et appellauit eam terram Chabul. lib.3. c.7. schol.nu.10.*
10. 8. *Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper, lib.1.c.4. schol. nu.32.*
11. 13. *Dabo tribum vnam filio tuo, lib.1.ca.2.theor.5. num.3.*
12. 25. *AEdificauit autem Ieroboam Sichem, &c. lib. 3.cap.4 schol nu.14.*
18. 68. *Manus Domini facta est super Eliam, lib.1.c.7. schol. num.13.*

C. V. Ex Lib. 4. Regvm.

5. 19. *Vade in pace, lib.1.cap.11.schol.nu.17.*
23. 16. *Misitque, & tulit ossa de sepulchris, & combussit ea super altare, lib.3. cap.5. digr.3. numero 9.*
25. *Similis illi non fuit ante eum rex, lib.1. cap.2. theor.10. nu.7.8.*

C. V. Ex Libro Primo Paralipomenon.

20. 2. *Tulit autem Dauid coram Melchom de capite eius, lib 3.c.17.digr.5.nu.2.*
22. *(Ponderatur ratio, ob quam fuerit Dauid electus, ne ædificaret Templum, fuerit autem Salomon electus) lib.3.c.1.digr.7.nu.3.*
29. *Magnificauit ergo Dominus Salomonem, &c. lib.1. c.6.theor.5.nu.1.*

C. V. Ex Libro Secvndo Paralipomenon.

3. 4. *Altitudo 120. cubitorum erat, (Hic locus non contradicit 3. Regum 6.2. vbi altitudo ponitur 30.cubitorum) lib.3.c.1. digr.1.nu.16.*
6. 38. *Adorabunt te contra viam terræ suæ, lib.3.c.7. schol. nu.16.*
30. 12. *In Iuda facta est manus Domini, &c. lib.1. cap.7.schol.nu.13.*

C. V. Ex Lib. 1. Esdrae.

7. 22. *Sal vero absque mensura, lib.3. cap.3. schol. numero 24.*

C. V. Ex Libro Tobiae.

1. 1. *Post viam, quæ ducit ad occidentem, lib.3. ca.7. schol. nu.13.*
3. 6. *Præcipe in pace, recipi spiritum meum, lib.1. cap.11.schol. nu.17.*
6. 19. *Ipsa autem nocte incenso iecore piscis fugabitur Dæmonium, lib.3.cap 15.theor.1.nu.6.*
12. 13. *Et quia acceptus eras Deo, ideo necesse fuit, vt tentatio probaret te, lib.3. cap.5. digress.1. numero 7.*

C. V. Ex Libro Ivdith.

7. 11. *Ad mensuram dabatur populis aqua, lib.3. c.3. schol. num.24.*
8. 10. &c. *Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, vt tradat ciuitatē Assyrijs, si intra quinque dies, &c. lib.3.c.1. digr.4.num.2.*
16. 27. *Erat autem diebus festis procedens cum magna gloria, lib.1. c.11. digr 3.nu.2.*
28. *Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque, lib. 1. cap. 11. digr.5. nu.2.*

C. V. Ex Libro Iob.

7. 6. *Dies mei velocius transierunt, quam à texente tela succiditur, lib. 3. cap.5: digr. 3. num.4. & seq.*
9. 30. *Si lotus fuero quasi aquis niuis lib.3.c.1. digr.7. num.2.*
19. 23. *Quis mihi tribuat vt scribantur sermones mei? lib.1.c.2.theor.3.num.4.*
23. 10. *Ipse verò scit viam meā, & probauit me, &c. lib.3.cap.5. digr.1. nu. 5.*

Digitized by Google

Quæ prima hac parte dilucid. Euang. continentur.

Ps. V. Ex Lib. Psalmorvm.

2. 7. *Ego hodie genui te, lib. 1. c. 1. theor. 6. n. 1.*
4. 9. *In pace in idipsum dormiam, & requiescam, lib. 1. c. 11. schol. n. 17.*
9. 9. *Insidiatur in abscondito quasi leo, &c. libr. 3. c. 17. dig. 4. n. 1.*
10. 7. *Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur &c. lib. 1. c. 9. theor. 7. n. 5.*
24. 15. *Oculi mei semper ad Dominum, libr. 3. cap. 8. dig. 1. n. 14*
18. *Vide humilitatem meam, libr. 1. c. 6. theor. 6. num. 2.*
28. 4. *Vox Domini in virtute, libr. 3. cap. 17. digr. 5. num. 6.*
29. 6. *Vita in voluntate eius, lib. 1. cap. 1. theor. 10. num. 7.*
33. 4. *Magnificate Dominum mecum, lib. 1. c. 6. theo. 5. num. 1.*
39. 9. *In capite libri scriptum est de me, &c. lib. 2. c. 2. theor. 4. num. 5.*
44. 7. *Virga directionis virga regni tui, lib. 1. cap. 1. theor. 5. n. 3.*
17. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, lib. 1. c. 4. schol. num. 29.*
47. 14. *Ponite corda vestra in virtute eius, lib. 1. c. 7. schol. num. 12.*
64. 2. *Te decet hymnus Deus, libr. 3. cap. 1. digr. 7. num. 5.*
67. 11. *Animalia tua inhabitabunt in ea, lib. 1. cap. 9. theor. 4. n. 10.*
71. 9. *Coram illo procident AEthiopes &c. lib. 1. c. 10. theor. 1. n. 9.*
10. *Reges Tharsis & insulæ &c. ibid.*
72. 21. *Ego ad nihilum redactus sum, lib. 1. c. 1. digr. 4. num. 6.*
73. 5. *Posuerunt signa sua, signa &c. libr. 1. cap. 11. schol. n. 25.*
77. 49. *Immissiones per angelos malos, lib. 3. ca. 10. schol. num. 14.*
65. *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, &c. lib. 3. c. 1. dig. 4. n. 11. & seq.*
69. *Et ædificauit sicut vnicornium sanctificium suum, ibid. dig. 2. n. 14. 15.*
88. 33. *Visitabo in virga iniquitates eorum, &c. lib. 3. c. 18. dig. 2. n. 5.*
34. *Misericordiam autem meam &c. ibid.*
90. 4. *Scapulis suis obumbrabit tibi, lib. 1. c. 5. scho. num. 36.*
94. 9. *Viderunt opera mea. Præf. c. 1. n. 14.*
95. 10. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno, ligno lib. 3. c. 2. dig. 2. n. 10. 11.*
97. 1. *Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius, lib. 1. cap. 6. schol. num. 35. & theor. 9. num. 1.*
101. 5. *Percussus sum, vt fœnum, & aruit &c. lib. 3. c. 4. dig. 2. n. 4.*
103. 3. *Extendens cœlum sicut pellem, lib. 1. c. dig. 5. num. 1.*
4. *Qui facis Angelos tuos spiritus, &c. lib. 1. c. 1. theor. 5. num. 3.*
5. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam lib. 3. c. 8. dig. 2. num. 3. 4.*
23. *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperum, lib. 1. c. 13. digr. 2. num. 9.*
30. *Emittes spiritum tuum, & creabuntur, &c. lib. 1. cap. 5. Theor. 8. n 6.*
104. 16. *Et vocauit famem super terram, &c. lib. 3. c. 10. schol. n. 16.*
106. 18. *Omnem escam abominata est anima eorum lib. 3. cap. 10. dig. 2. n. 17.*
33. 34. *Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim, &c. libro tertio, cap. 1. digreß. 4. num. 16.*
117. 16. *Dextera Domini fecit virtutem &c. lib. 3. c. 18. dig. 3. num. 8.*
118. 71. *Bonum mihi quia humiliasti me, lib. 3. cap. 5. digr. 1. n. 11.*
83. *Factus sum sicut vter in pruina, lib. 3. cap. 17. digr. 1. n. 5 6. 7.*
126. 1. *Nisi Dominus ædificauerit domum &c. lib. 3. c. 5. digr. 2. n. 1.*
3. *Cùm dederit dilectis suis somnum ecce hæreditas Domini &c. ibid.*
131. 17. *Illuc producam cornu Dauid, &c. lib. 1. cap. 5. schol. num. 27. & lib. 1. cap. 7. schol. num. 15.*
138. 5. *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam, & catera. libr. 3. cap. 18. digreß. 3. num. 8.*
16. *Dies formabuntur, & nemo in eis, lib. 1 c. 1. the. 9. num.*
139. 8. *Obumbrasti super caput meum in die belli, lib. 1. c. 5. schol. n. 36.*
143. 7. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, lib. 1 c. 6. schol. n. 35. & theor. 9. num. 1.*
144. 14. *Erigit omnes elisos, libr. 1. cap. 1. theor. 15. num. 3.*

C. V. Ex Lib. Proverbiorvm.

4. 18. *Iustorum semita quasi lux splendens, procedit, & crescit & catera. libr. 1. cap. 10. digreß. 2 num. 2.*
8. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum &c. lib. 1. c. 1. theor. 7. n. 7. & lib. 2. c. 2. theor. 4. num. 3.*
10. 12. *Vniuersa delicta apperit charitas, lib. 2. cap. 1. theor. 7. n. 10.*
11. 22. *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua lib. 1. c. 2. dig. vnica, num. 20.*
12. 21. *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit, lib. 3. c. 14. dig. 2. n. 1.*
13. 25. *Iustus comedit, & replet animam suam &c. lib. 3. c. 4. dig. 2. n. 2.*
15. 27. *Per misericordiam, & fidem purgantur peccata, lib. 2. c. 1. theor. 7. n. 10.*
22. 15. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga &c. libr. tertio, cap. quinto, digreß. secunda, num. 11.*
23. 13. *Noli subtrahere à puero disciplinam & cæt. ibidem.*
31. *Ne intuearis vinum quando flauescit, lib. 3. c. 4. digr. 1. num. 13.*
29. 23. *Superbum sequitur humilitas, lib. 1. c. 6. the. 6. num. 2.*
30. 29. *Viam colubri super petram, lib. 2. ca. 3. schol. num. 59.*

C. V. Ex Lib. Canticorvm.

1. 11. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento, lib. 3. cap. 5. dig. 4. n. 12.*
13. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, &c. lib. 3. c. 2. dig. 5. n. 18.*
2. 4. *Ordinauit in me charitatem, ibid. digreß. 3. num. 10.*
3. 1. *In lectulo meo per noctes quæsiui &c. lib. 1. c. 10. dig. 2. n. 11.*
4. 1. *Quam pulchra es, libr. 1. cap. 2. digreß. vnica, num. 16.*
4. *Sicut turris Dauid collum tuum, libr. 1. cap. 5. theor. 3. n. 17.*
5. *Duo vbera tua sicut hinnuli gemelli capreæ, lib. 10. 6. dig. 1. n. 5.*

Digitized by Google

7. Tota pulchra es, lib. 1. cap. 2. digr. vnica, num. 11. & sequentibus.
6. 8. Vna est columba mea, perfecta mea, &c. lib. 3. c. 14. dig. 1. n. 9.
7. 1. Quam pulchri sunt gressus tui, &c. lib. 1. cap. 6. digr. 1. n. 5.
8. Venter tuus, sicut aceruus tritici, libr. 1. cap. 6. digr. 1. num. 4.
3. Duo vbera tua &c. vide c. 4. versu. 5.
4. Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon &c. lib. 1. c. 6. digr. 1. n. 6.
8. 1. Quis mihi det te fratrem meum &c. lib. 1. c. 5. digr. 6. num. 1.

C. V. Ex Lib. Sapientiæ.

5. 7. Lassati sumus in via iniquitatis, lib. 1. c. 1. digr. 4. num. 6.
8. Quid nobis profuit superbia &c. ibidem.
14. 7. Benedictum est lignum per quod fit iustitia, lib. 3. c. 2. dig. 3. n. 1.
11. Creaturæ Dei in odium factæ sunt, lib. 1. cap. 1. dig. n. 2.

C. V. Ex Libro Ecclesiastici.

2. 4. In humilitate tua patientiam habe, lib. 1. cap. 6. theor. 6. num. 2.
11. 12. Est homo marcidus egens recuperatione &c. lib. 3. c. 17. schol. n. 17.
24. 14. Ab initio, & ante secula creata sum, lib. 1. c. 1. theor. 3. n. 2.
29. Qui bibunt me, adhuc sitient, lib. 3. ca. 4. schol. num. 33.
27. 12. Stultus sicut luna mutatur, lib. 3. c. 18. digr. 4. num. 14.
43. 2. Vas admirabile opus excelsi, lib. 1. c. 5. digr. 1. num. 3.
49. 5. Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam omnes peccatum commisserunt, lib. 1. c. 2. theor. 10. num. 8. & sequentibus.

C. V. Ex Isaiæ.

2. 4. Nec exercebuntur vltra ad prælium, lib. 1. c. 9. schol. num. 8.
5. 2. (Explicatur cur ibi Templum dicatur turris) lib. 3. c. 1. dig. 1. n. 16.
12. Opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius considerastis, libr. 1. cap. 9. digreß. 5. num. 7.
26. Et eleuabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ, lib. 3. cap. 2. digr. 5. num. 9.
6. 1. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum &c. lib. 2. cap. 1. schol. num. 5. & planius ac plenius, lib. 3. cap. 1. digreß. 1. num. 18. & deinceps.
6. Et volauit ad me vnus de Seraphim, libr. 1. c. 5. theor. 1. n. 6. & sequent.
8. 1. Sume tibi librum grandem &c. lib. 3. cap. 2. digr. 2. num. 5.
4. Ante quam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, & cætera. lib. 1. cap. 10. theo. 1. num. 7.
9. 1. Primo tempore alleuiata est terra Zabalon (& cætera huius loci latè explicantur) lib. 3. c. 7. scho. n. 7. & deinceps vsque in finem.
6. Factus est principatus super humerum eius, lib. 3 c 2. digr. 2. num. 9
7. Zelus Domini exercituum faciet hoc, ibidem, num. 16.
11. 1. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, lib. 1. c. 12. theor. 1. tota.
19. 1. Ecce Dominus ascendet super nubem leuem & ingredietur AEgyptum, lib. 1. c. 12. digreß. 1. num. 4.
21. 12. Si quæritis, quærite, libr. 1. cap. 13. digreß. 1. num. 1.
22. 22. Dabo clauem domus Dauid super humerum eius, lib. 3. c. 2. dig. 5. n. 13.
23. 14. Vlulate naues maris, quia deuastata est &c. lib. 3. c. 14. dig. 1. n. 7.
18. Et erunt negotiationes eius, & mercedes eius sanctificatæ Domino, &c. lib. 3. cap. 17. digreß. 7. num. 1.
26. 12. Omnia opera nostra operatus es nobis, lib. 3. c. 17. dig. 2. n. 6.
17. A facie tua Domine concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum, lib. 1. c. 6. theor. 4. num. 5.
27. 1. Visitabit Dominus in gladio suo duro &c. lib. 3. c. 2. digr. 3. n. 6.
28. 16. Qui crediderit, non festinet, lib. 3. c. 5. digr. 4. num. 2.
29. 7. Et erit sicut somnium visionis nocturnæ, lib. 3. c. 4. digr. 1. n. 6.
8. Et sicut somniat esuriens, & comedit & cætera. ibidem.
36. 5. Quæ est ista fiducia, qua confidis &c. lib. 3. c. 5. digr. 3. n. 8.
6. Ecce confidis super baculum arundineum, &c. ibidem.
40. 1. Consolamini, consolamini, &c. lib. 1. c. 1. theo. 13. num. 10.
3. Vox clamantis in deserto, &c. ibidem, & lib. 2. cap. 1. schol. num. 7. 33. 34. 35. & theor. 2. num. 2. & sequentibus.
(His vltimis locis magna pars eiusdem capitis explicatur.)
41. 4. Ego Dominus primus, & nouissimus ego sum, li. 1. c. 1. theor. 3. n. 2.
27. Ierusalem Euangelistam dabo, Præfat. cap. 8. num. 1.
48. 22. Non est pax impijs, &c lib. 3. cap. 10. digre. 2. num. 18.
49. 2. In vmbra manus suæ protexit me, lib. 1. ca. 5. theor. 8. n. 4.
18. Viuo ego dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris lib. 3. cap. 2. digreß. 5. num. 5.
51. 1. Attendite ad petram vnde excisi estis, libr. 1. c. 2. theor. 4. n. 6.
19. Duo sunt quæ occurrerunt tibi, &c. vastitas & contritio &c. lib. 3. cap. 17. digr. 4. num. 2. & sequentibus.
20. Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, &c. ibid.
52. 10. Parauit Dominus brachium sanctum suum, &c. lib. 1. c 11. schol. n. 19.
55. 1. Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum &c. libr. 3 cap. 4. digreß. 2. num. 13.
2. Quare appenditis argentum non in panibus, &c. ibid digr. 1. num. 11.
13. Pro salitunca ascendet abies, &c. lib. 3. cap. 17. digr. 2. n. 2. 3.
62. 1. Propter Sion non tacebo, libr. 1. cap. 1. theor. 13. num. 10.
64. 6. Et facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ, &c. lib. 3. c. 18. digr. 4 num. 6.
65. 17. Ecce ego creo cœlos nouos & terram nouam, lib. 1. c. 2. theor. 2. n. 3.
66. 7. Antequam parturiret peperit, &c. lib. 1. ca. 5. theor. 7. n. 2.

Digitized by Google

Quæ prima hac parte dilucid. Euang. continentur.

C. V. EX IEREMIA.

1. 5. *Prius quam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua sanctificaui te, lib. 1. c. 4. schol. nu. 24.*
6. 17. *Constitui super vos speculatores, lib. 1. cap. 10. dig. 2. num. 4.*
8. 6. *Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus, lib. 3. c. 18. dig. 2. n. 4.*
22. *Numquid resina non est in Galaad, lib. 3. cap. 1. dig. 2. num. 13.*
10. 23. *Scio, Domine quia non est hominis via eius, lib. 3. c. 17. dig. 2. n. 6.*
11. 19. *Mittamus lignum in panem eius &c. lib. 3. c. 2. dig. 1. n. 12.*
15. 19. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris, lib. 3. c. 1. dig. 5. n. 10.*
17. 11. *Perdix fouit, quæ non peperit, lib. 3. c. 1. digr. 6. num. 9.*
23. 9. *Contritum est cor meum in medio mei &c. & factus sum sicut ebrius &c. lib. 3. c. 17. digr. 1. n. 9. in fine.*
31. 15. *Vox in excelso audita est lamentationis, luctus & fletus Rachel &c. lib. 1. cap. 12. schol. n. 12. & deinceps.*
27. *Ecce dies venient dicit Dominus, & seminabo domum Israel &c. Præf. c. 1. n. 6.*
33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Præfat. c. 3. n. 1. 8.*
32. 10. *Scripsi in libro, lib. 1. c. 2. theor. 3. n. 3. 4.*
34. 18. *Et dabo viros qui præuaricantur fœdus meum, &c. Præfat. c. 1. n. 3.*

C. V. EX THRENIS.

1. 5. *Facti sunt hostes eius in capite, lib. 3. c. 1. dig. 6. num. 1. 2.*
4. 1. *Quomodo obscuratum est aurum &c. lib. 3. c. 10. dig. 2. n. 16.*
5. *Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in vijs &c. ibid. num. 16.*
7. *Candidiores Nazarei eius nive, nitidiores lacte, &c. ibidem num. 15.*

C. V. EX EZECHIELE.

3. 18. *Si dicente ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, &c. lib. 3. c. 18. dig. 4. n. 5.*
4. 11. *Aquam in mensura bibes. libr. 3. cap. 3. schol. num. 24.*
8. 3. *Vbi erat statutum idolum zeli ad prouocandam emulationem, &c. libr. 3. cap. 1. digr. 4. num. 7.*
8. *Fili hominis fode parietem, &c. lib. 3. c. 1. digr. 8. num. 14.*
9. 4. *Signa thau super frontes virorum gementium &c. lib. 3. c. 2. digr. 5. n. 3.*
6. *Omnem super quem videritis thau, ne occidatis, ibidem.*
16. 6. *Transiens autem per te vidi te conculcari in sanguine tuo, &c. lib. 3. c. 18. dig. 4. nu. 10.*
20. 11. *Quæ faciens homo, viuet in eis. Præfat. cap. 1. num. 16.*
21. 32. *Sanguis tuus erit in medio terræ, lib. 3. c. 18. dig. 5. num. 10.*
24. 6. *Væ ciuitati sanguinum, lib. 3. cap. 18. digr. 4. num. 1. 2. 3.*
7. *Sanguis enim eius in medio eius est, super limpidissimam petram effudit illum ibid.*

C. V. EX DANIELE.

4. 11. *Succidite arborem, & præcidite ramos eius &c. lib. 3. cap. 5. digr. 1. num. 2.*
12. *Veruntamen germen radicum eius in terra sinite, ibidem.*
6. 5. *Non inueniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui, lib. 3. c. 1. digr. 3. num. 2.*
7. 10. *Millies millium ministrabant ei, &c. lib. 1. c. 5. theor. 1. n. 14. 15.*
8. 27. *Et ego Daniel langui & ægrotaui per dies, &c. lib. 3. c. 4. digr. 2. n. 9.*

C. V. EX OSEE.

1. 4. *Visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu, lib. 3. c. 18. dig. 4. n. 4.*
3. 1. *Vade, & dilige mulierem dilectam amico & adulteram, lib. 3. c. 2. dig. 3. n. 15.*
4. 2. *Maledictum, & mendacium &c. & sanguis sanguinem tetegit, lib. 3. c. 18. dig. 4. n. 7.*
14. *Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, lib. 3. c. 18. dig. 2. n. 7.*
6. 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium, lib. 3. c. 17. schol. n. 32. 33. 34.*
9. 11. *Ephraim quasi auis auolauit &c. libr. 3. cap. 5. dig. 2. num. 3.*
12. *Quod etsi enutrierint filios suos absque liberis faciam eos &c. ibid.*
11. 1. *Ex Ægypto vocaui filium meum, lib. 1. cap. 12. schol. n. 4. & deinceps.*
4. *In funiculis Adam trahum eos, libr. 3. cap. 2. digr. 3. 11.*
13. 7. *Et ego ero eis quasi leæna, lib. 3. c. 5. dig. 1. n. 3.*
8. *Occurram eis quasi vrsa raptis catulis &c. ibid.*

C. V. EX IOELE.

1. 10. *Depopulata est regio, luxit humus, quoniam deuastatum est triticum, &c. lib. 3. c. 1. digr. 4. n. 16.*

C. V. EX AMOS.

4. 6. *Ego dedi vobis stuporem dentium, &c. lib. 3. c. 5. dig. 1. n. 3.*
(*Multa eiusdem capitis declarantur, ibidem.*)
9. 1. *Vidi Dominum stantem super altare, & dixit, &c. auaritia enim in capite &c. lib. 3. ca. 1. digr. 6. num. 1. 2.*

EX IONA.

1. 5 *Timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deum suum, &c lib. 3. c. 14. dig 2. n. 6.*
6. *Et accessit ad eum gubernator & dixit ei &c. surge, inuoca Deum tuum &c. ibid.*

C. V. EX MICHEA.

1. 8. *Faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum, lib. 1. c. 13. digr. 1. n. 2.*
5. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es &c. lib. 1. c. 10. schol. n. 23. & deinceps.*

C. V. EX HABACVC.

2. 2. *Scribe visum, & explana eum super tabulas, &c. lib. 3. c. 2. dig. 2. n. 5.*

C. V. EX ZACHARIA.

3. 1. *Et ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum &c. lib. 2. c. 3. dig. 2. n. 1.*
9. *Super lapidem vnum septem oculi sunt, &c. lib. 2. c. 2. dig. 2. n. 2.*
6. 1. *Ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio*

duorum montium, & cætera. præfat. cap. 8. num.2.
8. 23. *In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines &c.lib.3.c.18.digr.6.tota.*
H. 7. *Assumpsi mihi duas virgas, &c.lib.3.c.1.dig.4. num.17.*
12. 10. *Et plangent eum planctu quasi super vnigenitum &c.lib. 3.c.2.dig.3.n.16.*
13. 1. *In die illa erit fons patens domui Dauid, &c. lib.3.c.18.dig.4.n.6.*
14. 8. *Exibunt aquæ viuæ de Ierusalem &c.lib.1.c. 1.theor.18.n.6.*

C. V. EX MALACHIA.

3. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum &c.lib.1.cap. 1.theor 13.num.3.& lib 2 cap.1.schol.n.4.*
4. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, lib.1. c.4.schol.num.27.28.*

C. V. EX LIBRO PRIMO MACHABÆORVM.

4. 38. *Et viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum &c.lib.3.cap.1.dig.8.n.15.*
10. 3. *Misit Demetrius epistolam ad Ionatham verbis pacificis, vt magnificaret eum lib.1.c.6. theor.5. num.1.*

C. V. EX MATTHÆO.

Ex Euangelistis ea solum hic notabuntur, quæ extra propria loca explicantur. nam cætera, in quæ commentarios suo ordine scripsimus, videnda sunt singula suis locis. Igitur ex Euangelio Matthæi hæc non in suis locis exposuimus.

17. 26. *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem & cætera. libr.3.cap.duodecimo, digress.2. num.2.6.*
20. 8. *Cùm sero factum esset dicit Dominus vineæ Procuratori suo, libro primo, cap. 13. digress.2. num.9.*

EX MARCO.

9. 49. *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. Præfat.cap.8.n.10.*

C. V. EX LVCA.

7. 50. *Vade in pace, lib.1.cap 11.schol.n.17.*
19. 13. *Negotiamini dum venio, lib.3. cap.1. digr.6. num.12.*
23. 42. *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum, lib 3.cap.5.dig.4.num.3.*

C. V. EX IOANNE.

1. 4. *In ipso vita erat, lib. 1. cap.1. theoria 10.numero 1.2.3.12.*
17. *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Præfat. cap. 3. num.9.*
5. 33. *Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati, lib.1.c.1.theor.14.num.4.*
36. *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne, lib.1.c.1 theor.14 num.3.*
6. 45. *Et erunt omnes docibiles Dei, libr.3. cap.17. digr.3.num.8.*
64. *Spiritus est qui viuificat, lib. 1. cap.5.theor. 8.num.6.*
9. 4. *Venit nox quando nemo potest operari, lib. 1. c.13.dig.2.num.9.*
12. 31. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras, lib 3.c.2.dig.3.n.1.*
15. 5. *Sine me nihil potestis facere, lib.1.c.1.theor.9. num.8.*

C. V. EX ACTIS APOSTOLORVM.

4. 12. *Et non est in aliquo alio salus, lib.1. c.1. theor. 10.num.15.*
5. 13. *Magnificabat eos populus, lib.1.cap.6.theor.5. num.1.*
13. 2. *Segregate mihi Salum &c.lib.1.cap.1.theo.13. num.5.*
4. *Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto, & cæt. ibidem.*
16. 10. *Satim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, lib.1.in proœmio theor.2.num.1.*
20. 25. *Oportet suscipere infirmos, lib.1.c.6. theor.9. num.1.*
21. 8. *Et intrantes domum Philippi Euangelistæ. præfat.cap.8.n.1.*
23. 26. *Claudius Lysias optimo præsidi, lib.1.in proœmio.theor.1.num.2.*
26. 25. *Non insanio, inquit, optime Feste, ibidem.*
27. 9. *Eo quod & ieiunium iam præterijsset, lib.3.c. 17.theor.vnica num.8.*

C. V. EX EPISTOLA AD ROMANOS.

1. 4. *Qui prædestinatus est Filius Dei, &c.lib.1.c.5. theor.9.num.2.*
2. 10. *Gloria & honor omni operanti bonum lib.1. c. 6.theor.4.num.6.*
13. *Non enim audstores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Præfat. cap.5. fusè.*
3. 20. *Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo, per legem enim cognitio peccati Præfat.c.6.n.4. & c.3 num 7.*
23. *Omnes enim peccauerunt. Præfat. cap. 6. num.2.*
25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, lib.2. cap.4. theor.1. numero sexto, & Præfat.c.6 n.2.*
31. *Legem ergò destruimus per fidem. Præfat.cap. 4.num.2.*
4. 2. *Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, &c. Præfat.c.6.n.2.*
14. *Si enim qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides &c. Præfat.c.4.n.1.*
15. *Lex iram operatur. Præfat.c 3 n.4.*
17. *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, lib.3.c.10. schol.num.16.*
21. *Plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere, lib.1. in proœmio, schol. num.3.4.*
6. 12. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore lib.1.cap.2.digr.vnica, n.23.*
7. 7. *Sed peccatum non cognoui nisi per legem. Præfat.cap.num.7.*
8. *Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me & cætera. Præfat. cap 3.num.4.*
11. *Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, ibidem.*
17. *Quod habitat in me peccatum &c.lib.1.cap.2. digr.vnica, num.23.*
24. *Quis me liberabit de corpore mortis huius. Præfat cap.3.num.8.*
25 *Gratia Dei per Iesum Christum & cætera. ibidem.*

Digitized by Google

8. 3. *Nam quod impossibile erat legi &c. Præfat. cap. 6. num. 4.*
29. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, lib. 2. cap. 2. theoria 4. numero 6. 7.*
9. 16. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. lib. 3. cap. 17. schol. num. 32.*
10. 3. *Ignorantes iustitiam Dei, Præfat. cap. sexto, num. 7.*
5. *Moses enim scripsit, quoniam iustitiam quæ ex lege est & cætera. Præfat. capite primo, numero 16.*
14. 5. *Vnusquisque in suo sensu abundet, libr. 1. in proœm. schol. num 5.*
16. 21. *Salutat vos &c. Lucius &c. li. 1. in proœmio, theor. 2. num 3.*

C. V. Ex Prima Ad Corinthios.

1. 9. *Fidelis Deus per quem vocati estis, &c. libr. 1. cap. 1. theor. 8. num. 7.*
13. *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? libr. 2. cap. 4. theoria 1. numero secundo, collato cum theoria 2. num. 7.*
22. *Iudæi signa petunt, libro tertio, cap. 2 digr. 2. num. 7.*
23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum &c. lib. 3. cap. 17. dig. 6. num. 2.*
24. *Ipsis autem vocatis Iudæis &c. ibidem.*
27. *Infirma mundi elegit Deus &c. libr. 3. cap. 8. digr. 2. num. 7.*
2. 8. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. lib. 3 cap. 2. dig. 2. num. 15.*
3. 16. *Nescitis quia templum Dei estis &c. lib. 3. c. 1. dig. 8. num. 1.*
22. *Omnia vestra sunt, lib. 2. cap. 2. theoria 4. num. 2.*
23. *Vos autem Christi, Christus autem Dei, ibid.*
4. 13. *Blasphemamur, & obsecramus tanquam purgamenta huius mundi facti sumus &c. lib. 3. ca. 16. schol. num. 20.*
7. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir &c. lib. 1. c. 5. digr. 4. num. 15.*
7. *Volo enim omnes esse sicut me ipsum, lib. 3. cap. 10. digr. 1. num. 11. 12.*
8. *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis, si sic permanserit sicut & ego, ibidem.*
11. 10. *Ideò debet mulier potestatem habere supra caput, lib. 3. cap. 1. dig. 5 num. 1. 2. 3.*
31. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur, lib. 2. cap. 1. theor. 8. num. 5.*
15. 10. *Non ego autem sed gratia Dei mecum, lib. 3. cap. 17. schol. num. 3.*

C. V. Ex Secvnda Ad Corinthios.

3. 2. *Epistola nostra vos estis & cæt. Præfat. cap. 3. num. 5.*
6. *Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, ibidem fusè.*
5. 14. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. lib. primo, cap. secundo, dig. vnica, num. 25.*
8. 18. *Cuius laus est in Euangelio. Præfat. capite septimo, numero secundo, & lib. 1. in proœmio, theor. 2. num. 3.*
12. 7. *Et ne magnitudo reuelationum extollat me & cætera. libro tertio, capite quinto, digress. 1. num. 9.*

C. V. Ex Epistola Ad Galatas.

3. 9. *Igitur qui ex fide sunt, benedicentur &c. Præfat. c. 4. num. 1.*
12. *Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea viuet in illis. Præfat. capite primo, numero 16.*
4. *(De hoc capite vide Præfat. c. 2 n. 10.)*
7. *Hæres per Deum, libro primo, cap. 1. theoria 8. num. 3.*

C. V. Ex Epistola Ad Ephesios.

1. 3. *Benedictus Deus &c. libr. 2. cap. 2. theoria 4. num. 7.*
4. *Sicut elegit nos in ipso &c. ibid.*
5. *Qui prædestinauit nos &c. ibid.*
3. 18. *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & cæt. libr. 3. cap. 2. digr. 8. num. 2. 3.*
4. 11. *Et ipse dedit quosdam &c. alios verò Euangelistas. Præfat. c. 8. num. 1.*
31. *Omnis amaritudo &c. & blasphemia &c. lib. 3. cap. 16. schol. num. 20.*
5. 8. *Eratis aliquando tenebræ, lib. 1. cap. 1. theor. 12. num. 5.*
16. *Redimentes tempus quoniam dies mali sunt, libro primo, capite decimotertio. digress. 2. numero 11.*

C. V. Ex Epistola Ad Philippenses.

2. 13. *Deus est qui operatur in vobis. lib. 3. cap. 17. dig. 3. num. 12.*
3. 21. *Reformabit corpus humilitatis nostræ lib. 1. c. 6. theor. 6. num 2.*
4. 3. *Etiam rogo & te Germane compar. &c. lib. 3. cap. 10. digr. 1. num. 15.*

C. V. Ex Epistola Ad Colossenses.

1. 15. *Qui est imago Dei inuisibilis &c. lib. 2. cap. 2. theor. 4 num. 1.*
16. *Quoniam in ipso condita sunt vniuersa, lib. 1. cap. 1. theor. 9 num. 8.*
2. 2. *In omnes diuitias plenitudinis intellectus lib. 1. in proœmio, schol num. 6.*
15. *Expolians Principatus & Potestates &c. lib. 3. c. 2. digr. 2 num. 7 & deinceps.*

C. V. Ex Epistola Ad Thessalonicenses.

1. 5. *Quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in in sermone tantum, sed & cæt. in plenitudine multa, lib. 1. in proœm. schol. num. 8.*

C. V. Ex Prima Ad Timotheum.

2. 8. *Volo ergo viros orare in omni loco & cætera. lib. 3. cap. 1. digr. 3 num. 11. vsque ad finem digressionis fusè.*
5. 6. *Quæ in deliciis est, viuens mortua est, libr. 1. cap. 11 digress. 3. numero decimoquarto, & digr. 4 num. 4.*

C.V. EX SECVNDA AD TIMOTHEVM.

4. 5. Opus fac Euangelistæ. Præfat. capite octauo, num.1.
17. Vt per me prædicatio impleatur, lib.1.in proœmio schol num.5.

C.V. EX EPISTOLA AD HEBRAEOS.

1. 6. Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ &c. cætera. libr. 1. cap.5. digress.1. num.11.
14. Nonne omnes sunt administratorij spiritus? &c.lib.1.cap.5.theor.1.num.6.& deinceps.
4. 6. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ij quibus &c. Præfat.cap.secundo,numero 4.
12. Viuus est enim sermo Dei, & efficax &c. lib.1.c.1.dig.1.n.3.
6. 11. Ad expletionem spei vsq; in fin. lib.1. in proœmio, schol.num.6.
7. 1. Melchisedech rex Salem, lib.3. cap.3. schol. num.9.
14. Quod ex Iuda ortus sit Dominus noster,lib.1. cap.3.theor.5.num.2.3.
19. Nihil enim ad perfectum adduxit lex &c. Præfat.c.2.n.9.
8. 6. Quod in melioribus repromissionibus sancitum est,ibidem.
8. Ecce dies venient,dicit Dominus &c.ibidem, num.6.
9. 16. Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Præfat. capite primo, num.6.
17. Testamentum enim in mortuis confirmatum est,&c.ibid.
18. Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est,ibidem.
19. Lecto enim omni mandato &c. cæt. accipiens sanguinem &c.ibid.n.11.
10. 5. Ideò ingrediens mundum dicit &c. lib.1.c.5. digr.1.n.14.
22. In plenitudine fidei &c.lib.1.in proœmio,sch. num.6.
11. 9. Demoratus est lib.3.c.3.schol.n.4.
12. 1. 2. Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum,lib.1.ca.12. digr.3. num.7.& deinceps.

C.V. EX EPISTOLA BEATI IACOBI.

3. 6. Lingua vniuersitas iniquitatis,lib.1.c.9.dig.5. num.8.
4. 15. Quæ est enim vita vestra? vapor est &c.lib.3. c.5.digr.3.n.2.
5. 11. Ante omnia nolite iurare.libr.1.cap.9.digr.5. num.9.

C.V. EX PRIMA BEATI PETRI.

4. 1. Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, libr.3. cap.2. digress.5. num.10.

C.V. EX SECVNDA BEATI PETRI.

2. 4. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit &c.lib.3.c.15.theor.2.n.1.

C.V. EX PRIMA BEATI IOANNIS.

1. 1. Quod fuit ab initio &c. lib.1. cap.1. theoria 3. num.2.
2. Annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, libr. primo, cap. primo, schol. num.4.
2. 16. Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est & cætera.libr.tertio, cap. secundo, digr.3. num.4.
5. 11. Et hæc vita in Filio eius est, lib.1.cap.1.theor. 10.num.11.
20. Et simus in vero Filio eius.lib.1. cap.1.theor.15. num.2.

C.V. EX APOCALYPSI.

1. 7. Videbit enim omnis oculus,& qui eum pupugerunt,&c lib.3.c.1.digr.3.n.16.
16. Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat,lib.3.cap.17.digr.5.n.5.
4. (Visio quatuor animalium declaratur Præfat. c.8.n.9.& deinceps.
10. 1. Et vidi alium Angelum fortem descendentem de cœlo &c.lib.3.cap.14.digr.1.num.2.& deinceps.
2. Et posuit pedem suum dexterum &c.ibid.
12. (Signum mulieris amictæ solis exponitur libr.primo,cap.secundo, digress.vnica, num.8. & deinceps.
13. 1. Et vidi de mari bestiam ascendentem &c. lib. 3.c.14.digr.1.n.13.
16. Faciet omnes pusillos, & magnos, diuites & pauperes habere characterem suum &c. lib. 3. cap.2.dig.7.num.15.
19. 7. Gaudeamus & exultemus, quia venerunt nuptiæ Agni & cætera. lib. 3. cap. 17. schol. num.39.
11. Et ecce equus albus, & qui sedebat super eum &c.lib.3.c.2.digr.2.n.14.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
IN PRIMAM PARTEM
RERVM PRÆCIPVA-
RVM.

Abagarus.

ABagari historiæ auctoritas lib.3. cap.11. sch. num.10.11.

Abimadab.

Abimadab dicitur primus ingressus mare rubrum in transitu filiorum Israel. lib.3. cap. 8. digress.1. n.5.

Abraham.

Abraham in quem montem ascenderit, vt immolaret filium. lib.3. cap.4. schol.num.39.

Absolutio.

Absolutio in Sacramento Pœnitentiæ his continetur essentialiter: Absoluo te. lib: 2: cap.1: theor.7.num.4.

Abyssus.

Abyssus quid. lib.4. cap.15. schol num.28.

Achaz.

Achaz Rex genuit Ezechiam ante annos pubertatis. lib. 1. cap. 2: theor. 9: numero 4. & deinceps.

Adam.

Adam formatus de limo terræ feria sexta ex Ruperto. lib.1. cap.5. theor.1. num.2.

Adam cur rebus alijs imposuerit nomina, non itè sibi. lib.1. cap.6. theor.4. num.6.

Quibus fuerit tentationibus oppugnatus, & expugnatus in paradiso, lib.2: cap.3. digression.2: num.3.4.

Sortitus est primam gratiam in statu innocentiæ propter Christum. lib. cap.2. theor.4. n.10:

Adiuro.

Adiurare quid sit. lib.3. cap 15 schol.nu.17:

Admiratio.

Admiratio in rebus diuinis non semper ex incredulitate ortum habet. lib.3. cap. 2. schol. nu.15:

Adoro, Adoratio.

Adorare Dominum, & seruire Domino, quid differant. lib.2. cap.3. schol.num.56.

Adorare cadendo (qui loquendi modus frequens est in scriptura) an semper in malam partem sumatur, vt vult Hieronymus ibid.nu.54:

Adoratio an arguat Deum esse eum, cui exhibetur. lib 1. cap.10. schol.num.17.

Adorationis species quædam saltus apud antiquos. lib.1.c.6. theor.2.n.2.

Aduentus, *seu* Incarnatio Christi: *vide* Incarnatio.

Adulterium adultera.

Adulterium alterius cõiugis, an & quomodò possit cohabitationem separare. lib.1.c.8. scho.n.15.

Adulteram accusare an verè præceperit lex Antiqua apud Hebræos, ibid.n.12.

AEgyptus.

AEgyptus Iudæorum confugium in aduersis, lib.1: c.12. schol.n.2:

Eius idololatria turpissima, ibid. digr.1.n.1.

Christi habitatio eo loci. Vide Fuga Christi in AEgyptum.

Qualis post Euangelium fuerit, ib.n.2.& deinceps.

Vnde tantam habuerit posteà probitatem, ibidem, num.3.

AEnnon AEnan.

AEnnon quod oppidum, lib.3.cap.3. schol. num.3. & deinceps.

AEnan an idem quod Aennon, ib.n.6. & deinceps.

Affectus.

Affectus animæ non sunt passiones omninò corporeæ, lib.1.c.5. theor.5.n.3.

Quare turbationes vocentur, ibid.

Sæpè non sunt in nostra potestate, ibid. & n.8.9.

Vnde id oriatur, ibid.n.9.

Sunt pedes animæ, lib.1.c.7. schol.n.25:

Alcyon.

Alcyone excludente pullos placatur mare, libr. 1. c.9. theor.1.n.9.

Allegoria.

Allegoria duplex, vocum, & rerum ex Augustino, lib.1.c.12. schol.n.5:

Quid vtraque sit, ibid.

Vtraque interdum in Scriptura miscetur, ibidem, & num.15:

Ambitio.

Ambitio Deum ipsum præire contendit, lib.1.c.13. schol.n.24.

Amen.

Amen quid significet, remissiuè, lib.3.c.2. sch.n.7.

Amphora.

Amphora Romana, lib.2.c.6. schol.num.11:

Amor.

Amor omnium affectuum radix & origo, lib.1.c.11. digr:1.n.5.

Andreas Apostolus.

Andreas bis vocatus, lib.3.c.8. dig.1.n.6.

Quod inter vtramque vocationem discrimen, ibi.

Quot nominibus sit cæteris Apostolis præferendus ibidem, num.2.

Primus omnium Christianus meritò dictus à quibusdam, ibid.

Comparatur columbæ cæteras attrahenti ad columbarium, ibid.n.3.

Iterum nubeculæ è mari sese in altum efferenti, ibid.n.4.

Eductus è mari, fuit in sal terræ versus, ibid.n.7.

Fuit valdè à Domino honestatus, ibid.n.5.

Videtur à Christo vocatus tempore, & loco non congruo. ibid.n.11.

Quam fuerint ipse suusque frater Petrus obedientes Christo, ibid. num:12.

Quam sapientes; ibid.n.13.& deinceps.

Angeli.

Angeli nullius formæ per se immediatè sunt auctores, lib.1.c.12. theor.2.n.3.

Quomodo tamen aliquid possint facere, ibid.

Magna vi pollent tum intelligendi, tum faciendi, ibid.num.4:

Angeli boni proprium, pellere timorem, lib. 1. c. 4. schol.n.18.& lib.1.c.5. schol. n.20. licèt, vt theor.5.n.7. dicitur timorem inuehat:

Angelicæ maiestatis aspectu turbari, naturale est, lib.1.c.4. schol.n.17. in fine: & lib.1. cap. 5: schol. num.20:

Angelos astare corã Deo quid sit, li.1.c.4. sch.n.32.

Digitized by Google

An omnibus eodem modo astare conueniat, ibid.
Angeli astantes sunt de numero Seraphinorum, lib.1.c.5.schol.n.3.& theor.1.n.5.
Angelis ipso quidem creationis initio absolutè reuelata Incarnatio Verbi, sed post legationem Gabrielis, quantum ad circumstantias mensis dsei,&c.lib.1.c.5.schol.n.3.
An mittantur omnes etiam supremi Seraphim, lib. cap.5.theor.1.num.6.& deinceps vsque ad num. 15.
Angelorum proprietates vndè noscantur, ibidem. num.13.
Vnde noscantur nomina, ibid.n.17.
An initio suæ creationis cum Christo etiam Mariâ adorauerint, lib.1.c.6.theor.8.n.15.
An item adorauerint eandem, cum Christum concepit, ibid.& dig.1.n.1.
Angelorum choros omnes omninò descendisse Christo nato, probabile, lib.1 c.9.scol.n.60.
Angeli nomen non naturæ est, sed officij, lib.2.c.1. schol.n.6.
Significat verò nuncium, ibid. non qualemcunque in scriptura, sed magnum, ibidem.
Angelis quæcunque gratia data est, per Christum Dominum data est, lib.2.c.2.theor.4.n.8.
Non fuere Christo ad custodiam necessarij, lib. c.3.schol.n.47.
Angelorum multitudo quanta remissiuè, lib.3.c. 15.schol.nu.25.
Angelorum apparitiones, *vide* Apparitio. Somnium.
Angeli salutatio ad Mariam, *vide* Gabriel.
Angelus malus, *vide* Diabolus.

Anna.

Annę Euangelicæ encomia ex sanctis Patribus, lib. 1.c.11.dig.3.n.10.& deinceps,& digr.5.num.1.& deinceps.
Annunciatio Mariæ, *vide* Gabriel.

Annus.

Annus acceptabilis apud Isaiam dicitur secundùm quosdam annus primus prædicationis Christi, lib.3.c.19.schol.num.9.

Antipas.

Antipas quis,& quomodo Rex dicatur, lib.3.ca.6. schol.num.1.
Antipas ne, an Arethas à Philippo Herodiadem abstulerit, ibid.n.3.
Adhuc viuente Philippo Herodiadem duxerat, contra Tertullianum,& alios, ibid.n.6.
Non tantum de adulterio, sed de alijs etiam malis reprehensus est à D.Ioanne, ibid.n.7.
Cur Ioannem in carcerem coniecerit ex Iosepho, ibid.n.10.

Apostoli.

Apostolorum numerus duodenarius quam rectè quadret ex Augustino, præfat.c.8.n.3.
Quid idem numerus indicet ex Sedulio, ibidem. num.21.
Post Christi ascensum magistram habuere Mariam lib.1.c.9.schol.n.71.72.
Apostolis duplici ex causa interpretes inseruiisse.lib.2.c.1.theor.1.n.7.
Cur ex Galilæa electi, lib.2.c.5.schol.n.11.
Fuerint ne baptizati? & an à Beatâ Virgine, an verò à Ioanne Baptista, lib.3.c.4.schol.n.9.10.
Qui primi fuerunt ad Apostolatum vocati, ij fuere fratres,& quare, lib.3.c.8.schol.n.5.8.
Apostolorum officium piscari, ibid.n.7.
Quomodo vocati reliquerint omnia ? ibidem. num.10.
Apostolorum aliquorum vocatio duplex, & quod inter vtramque discrimen, ibidem.n.14.
Quid & quantum vocati reliquerint ex Hieronymo, ibid.n.11.12.
Cur electi fuerint idiotæ, libr.3. cap.8.digress.2. fuse.
An solus Petrus inter Apostolos maritus fuerit. An item Philippus, an Paulus, fuse disputatur adductis quorundam Patrum auctorumque sententijs, lib.3.c.10.dig.1.
Apostolorum triplex genus, libr.1. cap.1. theor.13. num.5.
Vide Andreas, Petrus, Philippus.

Apparitio.

Apparitiones Angelorum variæ in scripturis, lib. 1.c.12.theor.2.n.1.
Apparitiones Angeli boni, maliue quomodo discernendæ, lib.1.c.5.theor.5.n.7.
Vide Somnium.

Appetitus sensitiuus.

Appetitus sensitiuus cur dicatur à sanctis fomes, lib.1.c.2.dig.vnica n.23.

Apud.

Apud præpositio æqualitatem Verbi cum Patre significat Nysseno, libr.1. cap.1. theor. quarta, num.3
Auctoritatem innuit eius, apud quem aliquis esse dicitur, ibid.n.4.

Aqua mundi, Aqua Christi.

Aquam mundi qui biberit, sitiet iterum, lib.3.c.4. schol.n.30.
Aqua Christi sitim extinguit, & quot modis ibid. num.32.33.
Quomodo item sitim aliam accendat, ibidem, numero 33.

Architriclinus.

Architriclinus quid, lib.2.c.6.schol.n.15.

Articulus.

Articulus non solet dari prædicato, sed subiecto, lib.1.c.1.theor.5.n.3.

Ascendo.

Ascendere Hebræis ire est, libr.1. cap.9. schol. num.16.

Ascetæ, Ascetriæ, Asceteria.

Ascetæ, ascetriæ, ascetria quid antiquitus fuerint. lib.1.c.11.digr.5.nu.1. & quod sic dicti sint religiosi, religiosæ, monasteria, ibid.

Astrologus.

Astrologos diuinantes semper Ecclesia detestata est, lib.1.c.10.theor.2.7.
Quid illi spectare soleant in erigenda figura, lib.1. c.6.theor.2.n.4.

Auaritia, Auarus.

De auaritia præsertim sacerdotum, lib.3.c.1.digr. 6.per totam.
Auari sunt valdè aduersarij Domini, ibidem, num.2.
Quomodo eos punire Deus soleat, lib.3.c.1.schol. num.12.
Vno sæpè momento amittunt, quæ longo tempore congregarunt, lib.3.c.1.dig.6.n.9.10.
Auari quasi leones in spelunca, lib.3.cap.17.digr.4. num.1.
Quot mala incurrant, ibid.n.2.& deinceps.
Similes oryci,& quid sit oryx, ibid.n.3.& 7.& deinceps.
Quomodo diuitiarum sitim extinguere possent si saperent, ibid.nu.8.9.
Eorum morbus grauis, insatiabilis ex Galeno, ibi. num.10.
Contra eorundem cupiditatem grauis sententia Chrysostomi, ibid.num.11.
Auari pondere cupiditatis opprimuntur, lib.3.c.17. dig.5.num.1.
Auaritia caminus est ignis, erudelitatis domina, radix malorum,&c.ibid.n.3.
Remedium contra auaritiam, ibid.n.4.

Digitized by Google

Augustinus.

Augustini regulæ contra Arianos, libr. 1. cap. 1. dig. 3. num. 6.

In quo ipse gratiæ efficacitatem posuerit, lib. 3. ca. 17. dig. 6. n. 4. & deinceps.

Quo sensu dicat, à Deo solo præstari, semper beare viuere, & posse bene agere, lib. 3. c. 17. dig. 3. n. 4. & deinceps.

Quomodo item dicat nostrum esse credere, & velle &c. ibid. num. 6.

Declarantur in eadem digressione aliæ Augustini sententiæ de gratia Dei.

B.

Baptismus.

BAptismus ante institutionem Christi non fuit cæremonia sacra in lege aliqua stabilis ad sanctificandum siue interius, siue exterius institutra, lib. 2. c. 1. theor. 5. n. 3.

Baptismus sanguinis quomodo præstet baptismũ fluminis ex Cypriano, lib. 1. c. 12. dig. 4. n. 8.

Baptismus Ioannis.

Baptismus Ioannis gratiam non conferebat, lib. 2. c. 1. schol. n. 28. & theor. 5. n. 2.

Cur dictus baptismus pœnitentiæ, lib. 2. c. 1. schol. n. 28. & 29.

Videtur fuisse tantum sub consilio, ibid. num. 42. & theor. 5. n. 1.

Videtur etiam sub consilio solum fuisse operum impositorum executio, lib. 2. c. 1. schol. n. 42.

Idem Ioannis baptismus non erat sacramentum nouæ aut veteris legis, lib. 2. c. 1. theor. 5. n. 1.

Nec iterũ aliquid erat veteris legis, ibid.

Non erat sufficiens ad salutem, ibid.

Eo ablutis necessarius erat Christi baptismus, ibid.

Quibus nominibus vocetur à Patribus, ibid. n. 2.

Non remittebat peccata, ibid. n. 3. 4.

Erat tamen signum, seu cæremonia sacra, ibid. n. 5.

Nullam habebat formam, ibid.

In externa tantum ablutione eius essentia posita, ibidem.

Quorsum spectauerit, ibid. n. 6.

A quo fuerit institutus, ibid. n. 7.

Quibus collatus, ibid.

Cur à Christo susceptus. lib. 2. c. 2. schol. num. 1. & deinceps.

An fuerit ab ipsomet Ioanne susceptus, ibidem, num. 7.

Quoto anno ætatis suæ, quotoque mense, ac die fuerit à Christo susceptus, lib. 2. c. 2. theor. 1. n. 7. & deinceps.

Baptismus Christi.

Aquam baptismi Christi multa figurarunt, lib. 3. c. 2. dig. 1. n. 5.

Eiusdem aquę præstantia supra cæteras omnes quæ nam sit, & qui eius effectus, lib. 2. c. 2. digr. 3. per totam.

Baptismalis aquæ occasione multa de aquarum dignitate ex scripturis, lib. 3. c. 2. digr. 1. & cur per aquam potius quam per aliud elementum gratia detur, ibid.

Baptismus sacramentũ nouæ legis non solum, sed & pœnæ totius peccatis debitæ remissionem facit, lib. 2. c. 1. theo. 8. n. 3.

Lumen est quoddam ex scripturis, & Sanctis Patribus, lib. 2. c. 2. schol. n. 15.

Baptismi tempore cur imponantur nomina libr. 1. c. 7. schol. n. 5.

Baptismum susciptentes cur vngantur, lib. 2. cap. 3. schol. n. 7.

Baptismus cur regeneratio nuncupetur, lib. 3. cap. 2. schol. num. 12. & cur ex aqua & Spiritu sancto, num. 11.

Aperit ianuam Paradisi, ibid.

In baptismo datur gratia adoptionis filiorum, lib. 1. c. 1. theor. 17. n. 5. 7. 10.

Baptizatos significatos esse per pisces in creatione mundi, & quod ijsdem sicut & piscibus benedictio conferatur, lib. 3. c. 2. digr. 1. n. 3.

Baptismus Christi quando fuerit institutus lib. 3. c. 4. schol. n. 5. 6.

Quando cœperit obligare, lib. 3. c. 2. schol. n. 13. & lib. 3. c. 4. schol. n. 7.

Baptismus quo Apostoli baptizabant ducente Christo vitam mortalem, an fuerit Christi, lib. 3. c. 4. schol. n. 3. & 4.

Baptismus prædictus sub qua forma fuerit datus, ibid. n. 8.

An Christus Dominus suis manibus aliquem baptizarit, lib. 3. c. 3. schol. n. 3. & lib. 3. cap. 4. scho. num. 12.

Baptismus quo Christus baptizatus est, *vide* Christi ætas.

Bathus *vide* metreta.

Beatitudo, Beati.

Beatitudo sita est in Dei visione clara lib. 1. c. 5. dig. 5. num. 2.

Beati quid præcipuè agant in cœlo ex Augustino, lib. 1. c. 6. dig. 3. n. 5.

Berith.

Berith vox Hebræa vnde deducatur, præfat. cap. 1. num. 2.

Accipitur sæpè generatim pro fœdere, ibid.

Vide testamentum.

Bethania.

Bethania duplex, lib. 2. c. 4. schol. n. 35.

Bethlehem.

Bethlehem opidi situs, lib. 1. c. 9. sch. n. 18.

Bethlehem duplex in Scriptura, lib. 1. cap. 10. schol. num. 2. 25.

Bethlehem oppidum dictum est, & Ephrata, ibid. num. 25.

Bethorah.

Bethorah vox Hebræa quid significet, præfat. ca. 7. num. 3.

Beza.

Beza hæreticus perperam taxat sanctum Paulum in voce, testamentum, præfat. c. 1. n. 13.

Booz.

Booz, vnus ne fuerit, an plures, lib. 1. ca. 2. theor. 7. num. 4.

C.

Cana.

CAna ciuitas quotuplex sit, libr. 2. cap. 6. schol. num. 3.

Cana Galilææ quæ sit, ibid.

Canones.

Canones Apostolorum quot, libr. 1. cap. 1. thor. 1. num. 10.

Canticum.

Cantica in veteri testamento præcipua quot tradantur, lib. 1. c. 6. theor. 3. n. 1.

Quot item tradantur in nouo, ibid.

Canticũ B. Virginis cur ad vesperas decãtetur, ibi.

Canticum Zachariæ cur ad laudes, ibid.

Canticum Simeonis cum ad completorium, ibid.

Canticum B. Virginis dici potest nouum, & decachordum, & quare, ibid. n. 2. 3.

Canticum B. Virginis continet omnia beneficiorum genera antiquis canticis celebrata, ibi. n. 3.

Capharnaum.

Capharnaum Galilææ emporium à Christo electũ in sedem sibi, lib. 3. c. 9. schol. num. 1.

Caro.

Carnis voluptates imitantur naturam salis nimi-

Digitized by Google

rum excitantes potiùs sitim quam satiantes, lib. 3.c.4.dig.1.n.10.
Carne blandiente perpendatur amarus finis voluptatis, ibid.n.13.
De carnis castigatione illustris sententia Abbatis Mosis lib.3.c.5.digr.1.n.13.
Vide concupiscentia, voluptas.
Caro Christi. *vide* Christus quid sit.
Caro Mariæ. *vide* Maria.

Castitas.

Castitas mentis, & corporis valde differunt, lib.2. c.1.dig.vnic.n.3.

Catechumeni.

Catechumeni qui fuerint olim, lib.1.in prœmio, schol.num.16.

Centurio.

Centurionis fides quam magna fuerit, lib.3. cap.5. schol.num.8.
Eius domum, & domum principis synagogæ cur petierit Christus, alias non profectus domum Reguli, ibid.n.8.& deinceps.

Cephas.

Cephas quale nomen sit, & quid significet, & quâdo fuerit Petro tributum, lib.2.c.5.schol.n.7.
Vide Petrus, Andreas Apostolus.

Certitudo.

Certitudo rei alicuius pendet ex tribus secundùm D.Thomam, lib.1.c.10.schol.n.20.

Chabulon.

Chabulon terra quæ sit, lib.3.c.7.schol.n.10.

Chasaph.

Chasaph Hebræa vox propriè quid significet, lib.1. c.11.schol.n.19.

Cherubim.

Cherubim mitti ad homines probatur ex scriptura lib.1.c.5.theor.1.num.6.
Soluuntur obiectiones ibidem, num.11. & deinceps.

CHRISTVS.

Christi prædestinatio, & promissio.

Quod Christi prædestinatio præcesserit decretum omnium operum Dei late probatur ex diuinis attributis libr.2. c.2. theor.2 ex dignitate ipsius prædestinationis, theor.3. ex Scripturis & Patribus, theor.4. satisfit obiectionibus, theor.5.
Christi promissio in omni sæculo facta, lib. 1. cap. 6. theo.10.n.1.2.

Christi nomen.

Nomen Christus quid differat à nomine Iesus, lib. 1.cap.9.theor.7.n.13.
Christus habet id nominis præ cæteris, qui dicuntur Christi, lib.1.c.2.theor.4.num.2.
Christus Iesus est verè Christus, seu vnctus, ibidem num.1.
Christus simpliciter dictus (de Christo Iesu intellige) dicit suppositum diuinum, lib.1. c.8.schol. num.19.
Christi ipsi sunt qui iusti sunt, libr.1.cap.9.theor.7. num.13.

Christi Genealogia seu Prosapia.

Christus ex Gentilibus fuit oriundus, lib.1. cap.2. theor.7.n.7.
Aliquo modo natus est ex Tribu Leui, lib.1.c.3.sch. n.9.& theor.5.num.4. & deinceps, & lib. 1. cap. 4.schol.n.8.
An sufficienter diceretur esse ex tribu Iuda, & filius Dauid ratione solius Ioseph patris putati ui, lib.1.c.3.theor.6.per totam.
Cur de peccatoribus nasci voluerit, lib.1.c.2.scho. n.6.& late theor.6.
Adhuc viuens fuit filius Dauid ab alijs vocatus, lib.1.c.2.theor.4.n.7.

Christi Genealogia descripta à Matthæo, & Luca.

Genealogia Christi secundùm Matthæum quid differat ab ea, quæ est secundùm Lucam, lib.1.c. 3.schol.n.7.& theor.1.late.
Cur diuerso modo à Matthæo, & Luca fuerit deducta, & ab illo statim ipso initio Euangelij, ab isto verò post baptismi historiam, lib.1.c.3. the. 1.n.2.& deinceps.
Cur deducatur ad Ioseph um Patrem Christi non naturalem, lib.1.c.2.schol. n. 28. & theor.12.n.1. & deinceps, & lib.1.c.3.schol.n.7.
Genealogia Christi secundùm Matthæum quorsum tres habeat tessaradecadas, & in singulis numerum quatuordenarium, lib.1.c.2.theor.11. integra.
Genealogia Christi secundùm Lucam quorsum contineat generationes 77. moraliter expenditur, lib.1.c.3.theo.1.num.6.
Genealogia Christi secundùm Lucam non est sacerdotalis, lib.1.c.3.schol.n.9.& theor.4.n.3.
Genealogia Christi secundùm Matthæum, & Luc. quomodo tandem conueniant, lib.1. c.3.theor. 3.num.3.
Generatio Christi humana bifariam deduci potest lib.1.c.2.initio.
Christi Aduentus, *seu* Incarnatio, *seu* Generatio, *seu* Conceptio.
Vide Incarnatio, Generatio Christi.

Christus quid sit.

In Christo vna persona, lib.1.c.1. theor.19.num.6. & lib.3.c.2.schol.n.23.
Christus est Deus. lib.1.c.1.theor.17.nu.9.& digr.3. n.10.vt talem signa declarabant, lib.3.c.2. scho. num.4.3.
Negantes Christi diuinitatem facillime redarguuntur ex Augustini regulis duabus, lib.1.c.1.dig. 3.num.6.
Quando fuerit apertè declaratus Filius Dei, lib.1. c.3.schol.num.5.
Christus qua homo absolutè neque Patris, neque Spiritus sancti Filius est perfectè, cum non sit ab illis secundùm similitudinem naturæ, lib.1. c.5. theor.8.num.5. poterit tamen dici Filius Patris imperfecto modo per attributionem, ibid. & theor.9.num.1.
Christo triplicem tribui posse filiationem. lib.1.c. 5.theor 9.num.4.
Christi caro, caro est Mariæ ex Augustino, lib.1.c. 2.dig.vnic. nu. 4. non tamen caro peccati, sicut caro Mariæ, sed similis carni peccati dici potest, ibid.n 35.
Christi humanitas Dei brachium, lib.1.c.6.schol. num.35.
Est fons gratiæ in Ecclesia ex Bernardo, lib.1.cap.1. theor.20.n.10.& lib.2.c.2.theor.3.n.3.& lib.2.c. 4.schol.num.6.7.& lib.3.c.2.dig 1.n.4.
Est omnis felicitatis, & beatitudinis fons, lib.1.c. 6.theor.2.n.4.
Est brachium, & manus Patris, lib.1.c.6.schol.n.35. & theor.9.n.1.
Christo nil gratius Patri offerri potest, ibidem num.5.
Est veluti cœlestis Iris coram Patre, ibid.& lib.1.c. 9.digr.4.n.1.& deinceps.
Christus propter innocentiam suam columbæ est similis, lib.1.c.9.digr.1. num.2. & deinceps, & propter protectionem nostram similis est nubeculæ, ibid.n.22.
Quibus sit nominibus insignitus in scripturis, & Patribus, ibid.n.10.
Est Rex maximus, lib.1.c.10.dig.1. n.6.7. quomodo cæteris omnibus præcellat, ibid.n.8.
De Christo perhibent testimonium lex, & Euan-

Digitized by Google

gelium, lib. 1. cap. 11. digr. 2. num. 1.
Duplex habuit operationum genus, commune, & proprium, lib. 1. c. 13. schol. n. 8.
Quando vnctus, & in Regem cum honore euectus lib. 1. c. 5. schol. n. 28.
Est exemplar, & quasi idea gratiæ ex Augustino, & eius, lib. 2. c. 2. theor. 3. num. 7.
Duplici ratione Sanctus Sanctorum dicitur, ibid. num 3.
Rerum omnium fructus, finis, & pulcritudo est, lib. 2, c. 2. theor. 4. n. 4.
Quam rectè sit dictus Agnus, libr. 2. cap. 4. schol. num. 37.
Magister est, & quomodo, libr. 3. cap. 2. schol. num. 6. 7.
Quomodo serpenti comparetur, ibidem num. 24. remissiuè.
Cur se Filium hominis vocet, ibidem n. 25. remissiuè.
Liber est, quem omnibus legendum offert Deus, li. 3. c. 2. digr. 2. num. 3. & deinceps.
Sponsus est, lib. 3. c. 3. schol. n. 18.
Parens est clementissimus, libr. 3. cap. 5. dig. 4. n. 5.
Gubernator est peritissimus omnium nostrum lib. 3. c. 14. dig. 2. n. 8.

Christi sanguis.

Sanguine proprio saluare non nisi Dei est in humana natura, lib. 1. cap. 8. schol. num. 21. & lib. 1. c. 9. theor. 7. n. 3. 13.
Sanguinis Christi guttula sufficiens ad omnium salutem obtinendam, ibidem n. 8.

Christi affectus

Christi affectus liberi erant, libr. 1. cap. 5. theor. 5. num. 8.
Eos dixit Hieronymus propassiones, & quare, ibi.
Christus turbatus interdum cum corporis motione ibidem.
Christi turbatio, quæ legitur in Euangelio quomodo à turbatione Mariæ Virginis & Zachariæ differat, ibid. n. 9.
Christi Gratia, virtutes, meritum, gloria, honor, Christi zelus.
Christus qua gratiæ plenitudine plenus fuerit, ex Bonauent. & D. Thoma, libr. 1. cap. 5. theor. 3. num. 9. & lib. 1. cap. 1. schol. num. 20. & theor. 20. num. 10.
Et accipiens, & fundens vitam cogitauit obedientiam, suique oblationem, lib. 1. cap. 5. digress. 1. num. 14.
An emiserit votum de redimendo mundo, ibid.
Christi gloria, lib. 1. cap. 1. theor. 20. num. 1. & deinceps
Statim ac conceptus est videtur se obtulisse Patri, lib. 1. c. 5. digr. 1. n. 14.
Christus quæ hominibus contulerit beneficia, lib. 1. c. 9. theor. 7. n. 4. & deinceps.
Christi humilitas tribus præcipuè mysterijs demonstrata est. Circumcisione, baptismo, morte, lib. 1. cap. 11. theor. vnica. num. 3. additur quartum, lib. 2. cap. 2. dig. 1. n. 6.
Christus etiam ea legis præcepta seruauit, quibus ex vi legis non astringebatur, lib. 1. c. 11. sch. n. 6. & dig. 1. n 1. 2.
Parentibus obediuit, lib. 1. cap. 13. schol. num. 23. 24. & sanè ab anno duodecimo ad trigesimum eum obedisse Scriptura testatur, ibidem nu. 26.
Quomodo ab Euangelista in sapientia & gratia creuisse dicatur, ibidem num. 28. 29. & theor. vnica. n. 8. & deinceps.
Ipso conceptionis momento tria gratiarum genera, eaque suo modo infinita abunde sortitus est, lib. 2. c. 2. theor. 3. num. 2. & deinceps, omnia item dona ad facienda miracula pertinentia, ibid. n. 5.
Iam tunc à Conceptione diuinam intuitus est naturam, omnibus scientijs insignitus, ibidem numero 6. & libro tertio, capite secundo, schol. num. 23.
Quam alacri animo humanæ Redemptionis negotium susceperit, ibid. n. 9. 10.
Christi amor erga hominum salutem ineffabilis, & immensus fuit, & vnde pensandus, ibidem numero 9. & deinceps, & libr. 1. capite nono, theor. 7. numero 16. & libr. 3. cap. 8. digress. 2. num. 10.
Per ipsum, & propter ipsum data est gratia quæcumque cuilibet hominum, Angelorumue collata est. libr. secundo, capite secundo, theo. 4. hum. 8.
Septem Spiritus sancti donis insignitus, & cumulatus est, libro secundo, capite 2. digress. 2. num. 3.
Sat benè nouit quid esset in homine, lib. 3. c. 1. scho. num. 28.
An eius gloria alicuius gloriæ officiat, eamque obscuret. lib. 3. cap. schol. num. 19.
Quomodo eius crescente gloria crescat & nostra ex Augustino, ibid. n. 20.
Christi zelus, libr. 3. cap. 1. digress. 4. numero 5. 6. 8.

Christi prædicatio, & miracula.

Christi doctrina qualis, lib. 3. cap. 9. schol. numero 24.
Christus ab ijsdem verbis prædicationem orditus est, à quibus Ioannes libr. 3. cap. 8. schol. num. 2.
Cur comminationibus, & imperio vteretur aduersus ratione sensuque carentia, lib. 3. cap. 10. schol. num. 14. 15.
Aliter præcipiebat ratione carentibus, aliter intelligentibus, ibid. num. 16.
Quomodo ab ipso virtus exierit, lib. 3. c. 18. schol. num. 12. 15.
De solis mortuis suscitatis, cæcisque illuminatis, ne id sciretur, legitur vetuisse, lib. 3. cap. 18. scho. num. 25.
Eius manus quam potens, & efficax, lib. 3. cap. 18. digr. 3. n. 8.
Quam efficax eius vox, libr. 3. cap. 17. digress. 5. num. 5. 6.
Quam efficax intuitus, lib. 3. cap. 17. schol. nu. 17. & dig. 3. n. 14. 15.

Christi viuendi ratio.

Domum propriam non habuit, libr. 2. cap. 5. schol. num. 4.
Cum vicinis & notis non raro versabatur, libr. 1. c. 13. schol. n. 9.
An se mechanicis occuparit, ibid. n. 22.
Parentibus obediuit, ibid. n. 23. 24.
Et quidem ab anno 12. ad 30. eum obedisse parentibus, scriptura testatur, ibid. n. 26.
Etiam ea legis præcepta seruauit, quibus ex vi legis non astringebatur, lib. 1. c. 11. schol. n. 6. & digress. 1. n. 1. 2.
Quædam dixit quasi ignarus rerum, quæ agebantur, cùm tamen omnia sciret, id acutè Cæsarius differit, lib. 1. cap. 18. schol. n. 12.

Christi ætas.

Quoto mense, quotoue mensis, atque hebdomadæ die fuerit conceptus, natus, mortuus, lib. 1. cap. 5. theor. 1. num. 1. 2. & lib. 2. cap. 2. theor. 1. num. 3. 11. 12.
Quoto verò anno, mense, & die ætatis suæ mortuus, lib. 2. c. 2. theor. 1. n. 11. 12.
Non minus 46. annis eum vixisse falso dixit quidam Sanctus Pater, libr. 3. cap. 1. schol. numero 24.

Digitized by Google

Quoto anno, mense, ac die ætatis suæ fuerit baptizatus, lib.1.c.3.schol.n.1.& deinceps. & lib.2. c. 2.theor.1.num.7.& deinceps.
Quando 32.annum ingressus, lib.3.c.7.schol.n.1.

Christum spiritualiter quærentes.

Christum recipientium vtilitates, & non recipientium pœnæ, lib.1.c.1.theor.17.n.3.
Christus vbi reperiatur, lib.1.c.9.schol.n.65.
Quomodo spiritualiter portetur ex Bernardo, lib. 1.c.11.dig.3.n.5.
Ad eum aut crucifixus, aut crucifigendus accede, lib.3.c.2.dig.5.n.17.
Eius aduentus in animam nostram multa affert bona, lib.3.c.10.dig.2.n.1.
Hæc nobis visa sunt ponenda sub verbo Christus, cætera, quæ ad ipsum spectant, pt animus inferenda alijs locis vt Incarnatio Verbi, Natiuitas. & reliqua mysteria habentur Verbo Incarnatio, Natiuitas, Circumcisio, Fuga, Ieiunium Christi, & sic de cæteris.

Christianus

Debet se Christo capiti conformare, lib.1.c.12.dig. 4.num.1.2.
In vita & in morte pro Christo decertet, ibid. n.8.
Martyrij spiritum in se concipiat, foueatque, ibid. num.9.
Martyriũ sibi ipse inferat mortificationis assiduę ibidem.
Martyr sit saltem voluntate, ac desiderio, ibidem.
Studeat innocentiæ, fiatque malitia paruulus, ibi. num.10.
Pueros suos instituat Euangelicè, ibid. & lib.1.c.13. schol.num.5.
Præ Christo etiam patrem, matremque suam contemnat, ibi.n.9.sic verò contemnens, piè agit admodum non crudeliter, ibid.
Totam eius vitam debere pœnitentiam redolere dixerunt veteres non improbabiliter, lib.2. c.1. theor.9.num.4.
Christiani omnes qua ratione ad exemplum Christi, desertum valeant habitare, lib.2.c.3. dig.1.n. 8.& deinceps.
Dicti sunt pisces, sicut & Christus piscis dictus est, lib.3.c.8.schol.num 7.

Circumcisio.

Circumcisionis tempore imponebantur antiquitus nomina, & cur, lib.1.c.7.schol.num.5.
An verò ante an post incisionis actum, ibidem. Vtrumque etiam habes, lib.1. cap.9.schol.n.75.& theor.6.n.1.2.
Circumcisionis præceptum an incluserit etiam præceptum de impositione nominis, lib.1. c.9. theor.6.num.1.
Vide præputium.

Circumcisio Christi.

Circumcisionis Christi causæ, lib.1. cap.9.theor.5. num.2.5.
Circumcisio Christum præfert veluti cœlestem Iridem, lib.1.c.9.digr.4.n.5.& deinceps.
Circumcisio Christi propter spiritalem circumcisionem nostram, lib.1.cap.9.dig.5.n.1.
Circumcisio Christi nobis non proderit, nisi & nos circumcidamur spiritaliter, ibid.

Circumcisio spiritualis.

Circumcisio spiritalis quænam sit, lib.1. c.9.theor. 5.num.3.4.
Animam facit Christi sponsam, ibid.n.4.
Maximè à Deo expetitur in nobis, lib.1. c.9. dig.5. num.1.
Facienda est præcipuè in concupiscentia carnis, ibid.n.2.& deinceps.
Facienda item in toto corpore, ibid.n.5.in oculis, n.6.in auribus, n.7.in lingua, n.8. & deinceps, latis vtiliter.
Quam sit verò necessaria, ibid.n.13.& deinceps.
Circumcisionis huius culter est timor Dei ibidem, num.15.
Vide mortificatio.

Clauus.

Clauus crucis Christi in honore est, & dæmones torquet, lib.3.c.2.dig.7.n.13.

Coclear.

Coclear *vide* ligula.

Cœlum.

Cœlorum Regnum quid sit, lib.2.cap.1.schol.n.31.
Cœlum nil recipit inquinatum, lib.1.c.11.digress.1. num.2.
Cœlos aperiri tribus modis possumus intelligere, lib.2.c.2.scho.n.16.

Cogitatio.

Cogitationes carnales, & curæ mundanæ cur expellendæ, ex Gregorio, libr. 3. cap. 18.digress.8. num.6.

Cognosco.

Cognoscere interdum agnitionem cum approbatione significat, lib.1.c.1.theor.16.n.3.

Conor.

Conari dupliciter sumitur, lib.1.in procemio, sch. num.2.

Concionatores.

Concionatores quibus præcipuè virtutibus esse debeant insigniti, ex Ioachimo præfat. cap.8. num.9.
Spiritu sancto pleni esse debent, lib.1.cap.4.schol. num.27.
Sunt veluti Dei speculatores, libr.1.cap.10. digr.2. num.4.
Cùm boni sunt ijs præbendæ attentæ aures, & assensus, ibid.
Concionatorum verba non recipientium pœna, ibid.num.6.
Concionatores aut quorum est animas conuertere, cauti esse debent, ne & ipsi trahantur ad vitia, lib.1.cap.12.digress.3.num.4. in fin.
Concionatores sunt veluti boues Dei, lib.1.cap.12. dig.1.n.1.
Instructio circa mores concionatorum ex sanctis Patribus, Christique exemplo lib.2.cap.3.digr.1. num.5.& deinceps.
Concionatoribus quæ plenitudo necessaria ex Gregor.lib.2.c.4.digr.vnica.n.1.
Concionator quid agat concione peracta lib.3.ca. 12.schol.n.6.
Doctrinæ admisceat opera, ibid.n.8.
Concionatores sunt piscatores, lib.3. ca.12. digr.2. num.7.
Concionator Euangelicus militi & cursori similis esse debet, lib.3.cap.13.schol.n.30.31.34.35.
Concionatorum fructus quis, libr.3. cap.17. schol. num.30.
Vide Euangelium & Piscatio.

Concupiscentia.

Concupiscentia crudelissimum febris genus libr. 3.c.10.dig.2.n.5.6.
Quæ sitis prædictam febrim comitetur, ibid. n.10. & deinceps.
Concupiscentia effectus praui, ibid.n.17.18.
Concupiscentiæ multiplex, est multiplex febris, ibidem, n.21 22.
Concupiscentia carnis. *Vide* tentatio. Carnis voluptates.

Congius.

Congius quid, lib 2.c.6.schol.n.11.

Coniux.

Coniux sui coniugis adulterij conscius an & quomodo ab eius habitatione diuertere possit, lib. 1.c.8.schol.n.15.

Digitized by Google

Conſcientia.

Conſcientiæ noſtræ ſordes quo ſpeculo aſpicere debeamus, lib. 3. c. 1. digr. 8. n. 12.

Securitas eius conſolatur hominem, lib. 3. cap. 14. digr. 2. num. 1.

Eius pax tribus nititur, eſtque iuſti ceruical, ibid. num. 2.

Malæ conſcientia eſt timida, ibidem, numero tertio, eſtque ſimilis vulturi tondenti iecur, ibid. num. 4.

Conſolatio.

Conſolationes ſpiritales non aſpernendæ cùm ſuppetunt, lib. 1. ca. 10. dig. 3. n. 3.

Neque à bonis operibus deſiſtendum, ſi ſubtrahantur, ibidem.

Conuerſio, *vide* Pœnitentia.

Cornu.

Cornu in ſcriptura quid ſignificet, lib. 1. c. 7. ſchol. num. 15.

Corpus.

Corporis humani formatio, lib. 3. cap. ſchol. n. 24.

Creatio.

Creatio rerum ex nihilo, libr. 1. cap. 1. theoria 8. num. 9.

Creatura.

Creaturæ hominibus ſint vt ſchalæ Iacob Angelis, lib. 1. c. 1. dig. 5. num. 2.

Creaturæ ceu Dei vmbræ, libr. 1. cap. 5. digreſſ. 5. num. 4.

Pendent à Deo, vt radius à ſole, & riuus à fonte, ibidem, num. 5.

Eſſe creaturarum diminutum nullum eſt, lib. 1. c. 1. digr. 1. num. 21.

Crux Chriſti.

Cruce declaratur Omnipotentia Dei, libr. 3. cap. 2. digreſſ. 2. numero 9. & deinceps, & num. 17. 22. 23.

Eſt veluti Chriſti cathedra, ibid. n. 1. 2.

Docet ex ea magnam ſapientiam, ibid. n. 6.

Magna Chriſto gloriam attulit, ibid. n. 12. & deinceps, vſque ad 16.

Eſt triumphus Chriſti, ibid. num. 19.

Etiam arma Chriſti ibid. n. 21.

Manifeſtat Dei iuſtitiam & bonitatem, lib. 3. ca. 2. digr. 3. per totam.

In cruce quadruplex iudicium factum, ibid. n. 1. & deinceps.

Crux attulit benedictionem ex Ambroſio, ibi. n. 2.

Eſſe arcus fœderis, ibid. n. 3.

Damnauit in ea Chriſtus concupiſcentiam carnis, & oculorum, & ſuperbiam vitæ, ibid. n. 4

Per eam victus eſt Diabolus, ibid. n. 5. & deinceps.

Abolitumque peccatum, ibid. n. 7.

In ea Chriſtus exaltatus omnia ad ſe traxit, ibid. num. 8.

Crux monſtrat Dei dilectionem, ibid. n 9. & deinceps, Fortem, Sapientem, Dulcem, n. 12.

Traxit martyres ad ſubeunda tormenta, ibidem, num. 13.

In cruce confecit ſibi Chriſtus nomen amoris, ibi. num. 12.

Redarguit ſancta crux ingratum hominum animum, pigritiamque ad redamandum, ibid. n. 14.

Crux per ſerpentem Moyſis figuratur, & quam multas explicet ea figura Chriſti mortui circumſtantias, lib. 3. c. 2. digr. 4.

Crucis figuræ in veteri teſtamento, ibid. nu. 1.

Crux eſt vexillum Chriſti, ibidem, n. 2.

Crucis ſignum olim efformatum in modum militaris vexilli, & tale fuit labarum Conſtantini, ibid. n. 3. & deinceps.

Crucis myſterium Moyſi reſeratum, ibid. n. 17.

Crux eſt lignum vitæ, lib. 3. c. 2. digr. 5.

Crucis ſignum apud Aegyptios erat ſymbolum venturæ vitæ, ibid. n. 2.

Tau referens crucis figuram liberationem à morte ſignificat, ibid. nu. 3.

Crucis effectus, ibid. n. 4. 5.

Crux comparatur clypeo, ibid. n. 7. 8.

Crux arma noſtra. ibid. n. 10.

Crucis potentia, ibid. nu. 6. 11. 12.

Crux ſignificata eſt manibus Moyſis, ibid. n. 6.

Affert vitam, & immortalitatem, ibid. n. 13. 14.

Duo eius brachia quid ſignificent, ibidem, num. 16.

Locanda eſt crux in medio corde, ibid. n. 18.

Crucis ſignum maximum, & lucidiſsimum, quod apparuit, ibid. num. 19.

Crucis fructus, lib. 3. c. 2. digr. 4. num. 15. 16. & digr. 5. num. 9.

Crux repreſentata in virga Moyſis, lib. 3. c. 2. dig. 6. per totam, & de virtute crucis præ illa Moſaica virga, ibid. agitur copioſè.

Inuentæ crucis hiſtoria, lib. 3. c. 2. digr. 7.

Inuentę crucis figura, ibidem, n. 1.

Crux naui ſimilis, malo, ſcalis, ib. n. 3. & deinceps.

Miracula in inuentione crucis, ibid. nu. 11. & quomodo fuerit crux Chriſti agnita, ibid. num. 12.

Signi crucis efficacia, ibid. n. 14. & ſeq.

Signum crucis character piorum ſequentium Chriſtum, ſequentes verò Antichriſtum impij huius characterem habebunt, ibidem, numero 15. 16.

Crucis figura quid ſignificet libr. 3. cap. 2. digreſſ. 8. eadem reperitur in multis rebus, ibidem, numero 7.

Crux ſcala eſt quatuor habens gradus ex Apoſtolo ibid. num. 2. 3.

Crucis partes ſignificant Chriſti paſsionis effectum, ibid. num. 4.

Crux quomodo ſit Chriſti triumphus, ibid. n. 5.

Cyathus.

Cyathus quid, lib. 2. c. 6. ſchol. n. 11.

D.

Dauid.

DAuid ſemen, ſeu domus ſignificare videtur Regiam illius proſapiam, lib. 1. cap. 3. theor. 7. num. 3. & lib. 1. c. 9. ſchol. n. 23.

Dauid ciuitas duplex in Scripturis Bethlehem, & Sion, lib. 1. c. 9. ſchol. n. 22.

Decapolis.

Decapolis quæ regio ſit, lib. 3. c. 11. ſchol. n. 12.

Demoror.

Demorari quid ſit propriè in Scriptura lib. 3. cap. 3. ſchol. n. 4.

Deus.

De Deo rectè dicitur, tam eſt, quàm erat, lib. 1. c. 1. theor. 6.

Deum eſſe vnum, lib. 1. c. 1. digr. 2. n. 1.

In Deo quo modo res contineantur eminenter. lib. 1. c. 1. theor. 10. n. 4. & ſeq.

Creatæ perfectiones longe perfectius ſunt eminenter in Deo, quam in ſuis cauſis æquiuocis creatis, ibid. n. 6.

In Deo res quomodo ſint obiectiuè, ibid. n. 7.

Quomodo item ratione idearum, ibid. n. 10.

Deus eſt omne bonum, lib. 1. c. 1. digr. 4. n. 2.

Nil habet boni qui non habet Deum, ibid. n. 5.

Deus in anima velut hæc in corpore, ibidem.

Deum inter & homines differentia in attributis Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, libr. 1. c. 1. digr. 5. num. 6.

Quomodo omnia propter ſe, omnia item propter ſuos creauerit, lib. 1. cap. 1. digr. 6. n. 3.

Digitized by Google

Concedit interdum quæ petere non audemus. lib. 1.cap.4.schol.num.20.
Cũ nobis adest, omnia possumus lib.1.c.5.th.4.n.2.
Si perfectè cognoscereturr, non posset non amari, lib.1.cap.5.digr.5.num.2.
Dei beatitudo est seipsum comprehendere, ibid.
Deo nulla vel leuissima iniuria facienda, etiamsi ex illa mundi salus penderet.ibid.num.3.
Deum nisi diligamus, nec nos ipsi quidem perfectè diligere possumus, ibid.num.5.
Quomodo magnificandus, lib.1.cap.6 schol.n.24.
Deum quinam soleant magis reuereri, ibid.
Deus est sphæra, cuius centrum est vbique, circũferentia nusquam, ibid.num.34.
Benè igni similis dicitur, ibid.
Deo non nisi metaphoricè membra tribuuntur, ibid.num.35.
In hominum salute quæ faciat sine nobis, lib.1.c.6. theor.4.num.4.
Dei instrumenta homines in sua ipsorum salute, ibid.num.3.
Quomodo obliuisci, & recordari dicatur in scriptura, lib.1 cap.6.theor.9.n.3.
Cur potius dicatur Deus humanatus, quàm homo Deificatus, lib.1.cap.8.schol.num.18.
Dei Venerabile nomen, quàm reuerenter nominandum ex Chrysost.lib.1.cap.9.digr.5.num.10. 11.qui temerè nominare consueuit, quomodo se vincere possit, ibid.addito num.12.
Dei nomen Iehouah, quàm venerabile Hebræis ibid.num.10.
Dei est futura prænosse, lib.1. cap. 10. theor.2.- num.10.
Impertit hominibus cognitionem sui tribus modis, lib.1.cap.11.dig.2.num.1.
Deum fugere non possumus, lib.1.cap.13. digress.2. num. 1.2.tentantes verò fugere, offendent tamẽ, & non impunè incident in illum, ibidem, numero.1.
Omnia implet, ibid.num.2.
Omnia omninò suo peruadit obtutu, ibidem, numero.4.5.
Deum conspicari præsentem maximè vtile, ibid. num.3.nõ conspicari verò maximè noxium, ibidem, num.6.
Quomodo abesse possit à nobis, ibidem, num.7.

Diabolus.

Diabolus quo sensu sine Verbo Dei factus dicitur, lib.1.cap.1.theor.9.n.6.
Mordere non potest nisi volentes, lib.1.c.7. schol. num.19.
Eius est horrore concutere & terrere, lib.1. cap.5. schol.num.20.& theor.5.num.7.
An nouerit Mariæ integritatem, lib.1.cap.8. theor. vnica, num.5.& seq.
Eius officium homines vexare, lib.1. c.9. theor.7. num.15.
Dei æmulus est.lib.1.cap.10.theor.2.num.10.
Acriter infectatur nos, lib.1.cap.12.dig.3.num.3.
Contra eius insidias maximè vigilandum, ibidem, & num.4.
Nullum cum eo fœdus ineundum, sed perpetuò pugnandum, ibidem, tempestiuè ab eo fugere iuuat, ibid.& num.5.
Non poterat interiores Christi sensus, affectusque mouere, lib.2.cap.3.schol. num. 26.30.31.33.34. nec eum tentare per somnum, ignauiam, aut tristiam, ibidem.num 26.
Tentandi occasionem à nobis arripit, ibid. n.8.
Vtrum, quomodo, & quando nouerit Christum esse Messiam, ibidem, numer.39.40. lib.3.cap.9. theor.vnica, num.3.& sequent. & lib.3. cap.10. schol.num.26.
Non sunt præbendæ aures Diabolo inter loquendum verà miscenti, lib.3 cap 9.schol.num.19.
Etiamsi homines videatur extollere, casum tamen eorum machinatur, lib.2.c.3.schol.num.46.
Quantum ex scriptura valeat intelligere, ibidem, num.49.
Aliter à Christo repulsus ipse, aliter S. Petrus ibi. num 57.
Quem seruet ordinem tentando spirituales homines lib.2.c.3.dig.2.num.4.
Dicitur spiritus immundus, dæmon, immundus, dæmonium immundum, lib.3.c.9.schol. num. 11.& seq.
Eos maximè persequitur, qui cùm prius terrena sapuerint, iam incipiunt amare cœlestia ibid. num.20.
Qualis fuerit illa confessio Diaboli apud Lucam, scio te quis sis &c. & an Christum nouerit esse Messiam, Deique filium, lib.3.c. 9. theor. vnica, num.1.& seq.
Cur vocarit Christum Filium Dei vel sanctum Dei lib.3.c.10.schol.num.28.vsque ad fin.
Diaboli cur in sepulcris versentur, & in quibus locis soleant habitare, lib.3.c.15.schol.n.6.7.30.
Quotuplex pœna dæmonum, & quæ augeri, vel non augeri potest, & quomodo crucientur à Christo, ibid.num.14.& seq.
An singuli dæmones habeant nomina, ibi. n.23.24.
Nihil possunt nisi Deo permittente, ibidem, n.26.
Praua eorum voluntas in homines, ibid.n.34.
Vis, & malitia, ibid.n.39.
Domonum casum mala secuta, ex Dionysio, ibid. num.40.
An habeant vim immittendi morbos, lib.3. cap.15. theor.1.num.1.& seq.& 14.
An contra dæmones sint aliqua naturalia remedia, ibidem, num.5.& seq.
Cur melancholicos libenter inuadant, ibid.nu.9.
An dęmones qui in hoc aëre sunt, ignis inferni pœnam patiantur, lib.3.cap.15.theor.2.tota.
An aliquod percipiant gaudium, dum succedit, quod volunt, lib.3.c.15.theor.3.
Dæmonum Princeps Lucifer, est Publicanus, & telonio non caret, lib.3.c.17.schol.n.15.

Dies.

Dies pro quolibet tempore sumi solet in scripturis, lib.1.c.10.schol.n.4.

Diospolis.

Diospolis idem quod Lydda, lib.3.c.3.sch.n.6.

Discordia.

De discordia & odio latè, lib.3.cap.1.digress.7. per totam.

Discipulus.

Discipulorum vocabulum quomodo vsurpetur interdum, lib.2.c.6.schol.num.5.

Diues.

Diues bonis ipse suis non fruitur, lib.1. c.6. digr.4. num.3.
Similis est vrnæ plenæ denariorum, ibid.
Eius finis, & exitus, ibid.
Vt saluus fiat, quid agere debeat, ibidem, num.4.& sequent.
Cauere sibi debet à sollicitudine vana, & à superbia, ibidem, & n.5.
Diteſcat in Domino, ibid.n.6.
Eius iactantia in diuitijs quam vana, ibidem, n.4.
Diues, & nobilis, & potens vir raro ad Deum trahitur aliter, quam per calamitates. lib.3.c.5.dig. 1.num.1.2.

Diuinatio, Diuinator.

Diuinatio inimica diuinæ prouidentiæ, lib.1. c.10. theor.2.num.8.
Diuinatores semper Ecclesia detestata est ibid.n.7.

Digitized by Google

Sanctus Dominicus.

Sanctus Dominicus an sanctificatus in vtero, libr. 2.c.6.schol.n.20.

Domus.

Domum ædificare alicui quid sit in Scriptura, libr. 3.c.3.digress.2.num.1.

Domus, in qua Christus paralyticum sanauit, & docuit, erat humilis, lib.3.c.16.schol.n.11.

E.

Ebrietas.

Ebrietas à feminis præcipuè fugienda est, lib. 1. cap.11.digr.4.num.6.

Vide Inebriare.

Ecclesia.

Ecclesia visibilis, præfat.cap.4.num.3.

Ecclesia in approbandis Scripturis habet se vt ministet tenens sigillum Regis, & vt margaritarius. præfat.cap.9.n.6.

Mysticè sedes est Dauid, & domus Iacob, lib.1.c.5. schol.n.28.& lib.1.c.9.digr.4.num.8.

Populus per vastam solitudinem incedens Ecclesiæ militantis figura fuit, præfat. capite octauo, num.22.23.

Ecclesia tum latinâ, tum græca Mariam reueretur, & admiratur, lib.1.c.5.theor.4.n.7.

Ecclesiam non satis est scire, libr.2.cap.5.schol.n.3.

Ecclesia declarat quæ sit vera Scriptura, & falli non potest, lib.3.c.5.theor.2.n.3.

Comparatur mari, lib.3.c.12.digr.2.n.5. & lib.3.ca. 14.digre.1.num.6.& seq.

Ecclesia docet verum Scripturarum sensum, lib.1. c.2.digr.3.num.5.

Similis est cornu Rhinocerotis, lib.3.cap.14.digr.1. num.11.12.

Vnitatem habet, & diuisionem non patitur ibid. num.9.10.

Similis est terræ illi, de qua Deut.11.10. dicit Dominus: terra ad quam ingrederis possidendam, ibi. num.15.

Ecclesia Romana.

Ecclesiæ Romanæ stabilitas in medio persecutionum, lib.3.c.5.theor.3.n.23.

Ecclesia Antiochena.

Ecclesiæ Antiochenæ Episcopi aliquot ab eius initio, lib.1.in procemio, theor.1.n.3.

Edictum.

Edictum quid sit propriè, lib.1.cap.9.schol.n.3.

Edicta, legesue principum cur exire dicantur in Scriptura, ibidem.

Eliæ.

Eliæ ieiunium cuiusmodi fuerit, lib.2.cap.3.theor. vnica, num.11.12.15.

Emmanuel.

Emmanuel, an sit proprium Christi nomẽ, & quomodo ei tributum fuerit, lib.1.c.8. schol. num. 21.& lib.1.c.9.theor.7.num.14.

Episcopus.

Episcopi sunt spirituales pastores, lib.1.c.9.theo.4. num.9.10.

Episcoporum munus. Vtrobique.

vide etiam Pastores spirituales.

Epistola.

Epistolæ Pauli. *vide* Paulus.

Erasmus.

Erasmus pluribus scripturæ locis calumniam infert, lib.1.c.1.digr.3.num.5.

Errat cum dicit Euangelistas aliquando memoria lapsos præfat.cap.8.num.12.& seq.

Eremus.

Eremi seu deserti, ac solitudinis laudes, lib.2.ca.3. digr.1.num.1.& seq.

Eua. *vide* Heua.

Euangelium.

Euangelium tria significat, præfat.cap.7.num.1.

Quid communiter significet per anaonomasiam, ibidem, & quam multa hoc modo sumptum comprehendat, ibid.num.2.4.

Dicitur analogice, ibid.num.5.

Quomodo ab Ecclesia sumat auctoritatem, ibid. num.6.

Euangelij dignitas ex varijs eius nominibus, ibid. num.7.

Euangelium est nucleus scripturarum, compendium, clauis, thesaurus, sol, panis, fons, pelagus, ibid.num.8.

Eius veritas, & efficacia, ibid.n.9.

Quomodo sit suscipiendum, lib.1. in procemio. theor.1.num.4.

Euangelij duo effectus, gratia, & veritas, lib.1.c.1. theor.20.n.10.

Euangelia nec plura, nec pauciora quam quatuor esse posse dixit Irenæus, præfat.c.8.n.2.

Euangelium comparatur mari, lib.3.cap.12.digr.2. num.3.

Euangelij rete tres habeat conditiones vt sit aptum piscibus capiendis, libro tertio, cap.8. digress.2. num.12.13.

Euangelium regni quid nam sit, lib.3. cap.8.schol. num.1.& lib.3.c.11.schol.num.8.

Euangelista.

Euangelistæ nomen vnde dicatur, præfat. cap. 8. num.1.

Euangelistæ nomen aliter vulgo, aliter in Scriptura vsurpatur, ibidem.

Euangelistæ quo tempore, suum quisque Euangelium scripserint, lib.1.cap.2.theor 1.n.1.

Qua lingua scripserint, lib.1.in procemio.theor.2. num.2.

Euangelistarum numerus quaternarius quam rectè quadret ex Augustino præfat.ca.8.num.3.

Quidnam indicet dictus numerus, ibid.n.21.

Comparantur quatuor Zachariæ sexto quadrigis, quatuor Paradisi fluminibus, quatuor annulis, quibus arca portabatur ex Hieronymo, præfat. cap.8.num.4.5.

Quomodo quatuor Euangelistis sit accommodanda Ezechielis visio quatuor animalium ex Hieronymo, Augustino, Irenæo, præfat.cap.8.num. 6.& seq.

Pulcrè ijsdem accommodatur visio quatuor animalium Apocalypsis quarto, ibid.num.12.

Euangelistæ nunquam memoria lapsi, ibid. num. 12.& seq.

Euangelistarum figuræ variæ ex veteri Testamento, ibid.num.16.& seq.& num.23.

An ordinem in scribendo mutent ex obliuione, ibidem.num.15.

Eucharistia.

Eucharistiæ bona, lib.1.cap.6.digr.4.n.

Maximè adoranda est, lib.1.cap.10.theor.4.n.4.

Ob eius præsentiam contremiscunt Angeli, libr. 3. c.1.digr.1.num.19.& seq.

Instar gladij est bonis, malisque sed aliter, & aliter, lib.3.cap.1.digr.5.n.7.& seq.

Ex.

Ex interdum materialem, interdum efficientem causam significat, lib.1.c.1.schol.n.16.

Excellentiæ potestas, *vide* Potestas excellentiæ.

Excelsa.

Excelsa, in quibus sacrificia offerebantur apud Hebræos, fuere duplicis generis, lib.1.c.2.theor.10. num.9.

Expositor.

Expositoris officium quodnam sit ex Hieronymo, præfat.cap.8.n.13.

Digitized by Google

F.

Fames.

Fames consistit in quinque, lib.2.cap.3.theor.vnica, num.3.
In quo præcipuè sita sit, ibid.n.5.
Quid proprie sit, ibid.
In quo subiecto insit, ibid.

Fatum.

Fato dirigi omnes actus hominum, error, lib.1.ca.10.theor.2.num.1.

Febris.

Febris animæ per analogiam ad febrim corporis agnoscitur, lib.3.c.10.dig.2.n.3.& seq.
Quot proprietates febris corporis suo modo insint febri animæ, ibid.
Remedia ad tollendam huiusmodi febrim ibidem num.23.24.
Liberatus à febri prædicta quæ præstet, ibid.n.27.

Fides.

Per fidem datur potestas filiationis adoptiuæ Dei, lib.1.c.1.schol.n.13.& theor.17.n.5.6.
Fidei quo sensu iustificatio, vel vita æterna tribuatur in scripturis, lib.1.c.1.schol.n.13.& theor.17. num.10.
Fides Catholica euidentem habet credibilitatem, quod latè ostenditur ex multis capitibus, lib.3. c.3.theor.2.3.4.
Fides, & doctrina Catholica quatuor has habet notas vt sit vna, sancta, Catholica, & Apostolica, lib.3.c.5.theor.3. & quid prædictis notis significetur, ibid. n.2.3.& seq. & an vlli alij doctrinæ conueniant, ibid.n.7.8.
Quot modis dicatur Catholica, lib.3.c.5. theor.4. num.1.& seq.
Fides quibus impediatur affectibus, lib.1. cap.5. theor.9.num.6.
Fides sola non sufficit ad salutē, li.1. c.1. th.17.n.10.
Parens est fiduciæ, lib.3.c.19.schol.n.2.
Quomodo augmentum, intensionemque suscipiat, lib3.c.5.dig.4.n.8.9.
Similis est grano sinapis, ibid.n.10.
Pro fidei augmento orandus Deus, ibid.nu.11.
Similis item est murænulis aureis vermiculatis argento, ibidem, num.12.
Fidei modicæ origo interdum est timor, lib.3.c.14. schol.num.19.
Fides alterius fidelis quomodo mihi imperret fidem, vel etiam sanitatem, vel animæ salutem, lib.3.c.16.num.17.18.& qualis prædicta fides esse debeat, ibid.num.19.
Vide Miracula.

Fiducia.

Fiduciæ parens est fides, lib.3.c.19.schol.n.2.

Figura.

Figura quid sit apud peritos scripturarum, libr.2. c.4.schol.nu.12.13.
Filius in diuinis, *Vide* Verbum, Processio, Trinitas, relatio.

Filius Dei adoptiuus.

Filiationis huius potestatem dat fides, filiationem verò ipsam Charitas, lib.1.c.1.schol. num.13. & theor.17.num.5.6.
Filiatio ista quando obtineatur, lib.1. cap.1. theor. 17.num.7.
Dignitas filiorum Dei, lib.1.c.1.schol.n.15.& theo. 18.n.1.9.& seq.& theor.19.num.1.
Eorundem generatio declaratur exemplo generationis piscium, lib.1.c.1.theor.18.n.4.differentia verò ibidem, num.5.& seq.
Iusti veteris legis fuerunt, sed non in statu filiorum Dei, lib.1.c. theor.17.num.6.
Filiorum Dei status non in veteri, sed in noua lege est, ibidem.
Filij Dei in Christianis præceptis, sicuti pisces in aquis viuunt, lib.1.c.1.theor.18.n.4.

Filius.

Filij dantur parentibus beneficio Dei, li.3.c.5.dig. 2.num.1.2.
Negantur interdum à Deo ob peccata parentum, ibidem, num.3.
Parentum incuria erga filios valdè displicet Deo, ibid.n.4.14.
Quis Filius olim obierit primus ante parentes, cum parentes ante filios vita cedere soliti fuerint, ibid.num.5.
Parentes cumulandis opibus intenti neglecta filiorum cura arguit Chrysost. Hiero. Philosophi, ibid.num.7.9.10.
Quid requiratur ad bonam filiorum educationem, ibid.n.13.
Filij castigandi sunt, ibid.n.11.12.

Femina.

Femina delicata quænam sit ex Cypriano lib.1.ca. 11.digr.4.n.4.
Feminæ omninò fugiant ebrietatem, ibid.n.6.
Feminarum cultus qualis esse debeat ex Tertulliano, ibid.n.10.

Fœdus.

Mos antiquus in fœderibus ineundis, præfat.ca.1. num.2.3.
Fomes peccati, *vide* Appetitus sensitiuus.

Fons.

Fontium quorundam vis, naturaque admirabilis, lib.2.cap.2.digr.3.n.9.& seq.

Frater.

Fratres Domini, qui, & quot in scriptura, lib.2.c.6. schol.n.23.24.

Fuga Christi.

Fuga Christi infantis cur in AEgyptum potiùs quàm alio, lib.1.c.12..schol.n.2.
Quo tempore confugerit, ibid.n.19.
Quot annos ibi latuerit, ibidem.
Quando inde regressus, ibidem.
Miracula Christo AEgyptum ingrediente peracta, ibid.num.3.
Qua in ciuitate habitauerit, ibid.
Fuga Christi in AEgyptum magnum regioni contulit beneficium, lib.1.c.12 digr.1. num.1. Quod nam hoc fuerit, ibid. num.2.3. maius sanè eo, quod à Iosepho eidem collatum est, ibidem, num.5.
Fugæ huius figura præcesserit in Mose ex Eucherio, ibid.num.7.
Quid ista fuga significet ex Beda, lib.1.cap.12.dig.2. num.1.
Quæ fuerint eius causæ ex SS. Patribus, ibid.num. 2.& seq.
Quam nos edoceat fugam, latissimè, lib. 1. cap.12. digr.3.integra.

Fuga à sæculo.

Fuga à sæculo suadetur latissime, lib.1. c.12. digr.3. integra.

G.

Gabriel Angelus.

GAbriel quid significet, lib.1. c.4. schol. num.31. & lib.1.c.5.schol.n.4.
Quo mense apparuerit, in Templo Zachariæ lib.1. c.4.schol.num.38.
Qua hora Virginem salutauerit, lib.1.cap.5.schol. num.2.7.
Custos erat B. Virginis ex Damiano, ibid. n.3.
Gabrieli soli inter Angelos reuelata est Incarnatio se-

tio secundùm circumstantias particulares prius quam reuelaretur B. Virgini, ibidem.
Corporali specie B. Virginem adijt, ibidem, num.7.
Quotæ Hierarchiæ, quotique ordinis sit, lib.1.cap.5 theor.1.n.3.& seq.& 15.
Ipse pastores vocauit ex Cypriano, libr.1.cap.9. schol.num.46.
Comparatur leoni ex Damiano, lib.1.cap.5.theor. 1.num.16.
An Gabriel missus B. Virgini sit idem ille qui missus est Danieli, & Zachariæ, ibid.n.17.
Gabrielem profectum à Virgine descendisse ad sanctos Patres, pium est credere lib.2.c.5.dig.1. num.15.

Galilæa.

Galilæa gentium describitur, libr.3.cap.11. schol. 2.num.7.
Cur sic dicta sit, lib.3.c.7 schol.n.26.29.

Gaudium.

Gaudij veri conditiones, lib.1. cap.6. schol.nu.27. & digr.3.n.2.& seq.
Eiusdem causæ.lib.1.ca.6.digr.3.n.1.
Gaudium verum non potest percipi ex rebus caducis, ibid.num.4.6.& seq.
Quid agendum, vt percipiamus gaudium in Domino, ibid.n.6.

Generatio Christi.

Generatio Christi humana nedum diuina exprimi omninò nequit, lib.1.c.2.theor.2. n.2.
Asserere Christi veram generationem secundùm carnem, permagni refert, ibid.n.3.& seq.
Generatio Christi Domini attulit reliquis generationibus salutem, lib.1.c.2.theor.3.n.5.

Gentes.

Gentes ante Christum & peccatorum, & ignorantiæ tenebris occupatæ, libr.1. capite 11. schol. n.20.
Gentium superstitionis vanitas declaratur, lib.3.c. 4.digr.2.num.5.& 6.

Gerasa.

Gerasa, & Gadara quæ, lib.3. cap.15. schol.num.2. 1.& seq.

Gloria, Gloriari.

Gloria est bonorum operum partus, lib.1.c.6.theo. 4.num.5.
Gloriari ne possit homò in bonis operibus declaratur, ibid.n.3.& seq.
Gloriari hominem de actu suo supernaturali an sit intrinsecè malum, ibid.num.7.
Gloriari etiam in Domino de bono opere, an moraliter, & in praxi conueniat, ibid.
Gloria à Deo veluti desponsata sibi in vxorem, ibi. num.6.
Esto gloriola aliqua homini cedere possit ex bono opere, non tamen ab ipso quærenda est, sed à Deo præstanda, ibid.
Gloria debetur Deo, lib.1.c.9.schol.num.64.
Gloria mundi despicienda, libr.1.cap.10.digress.3. num.4.

Gloria in excelsis.

Gloria in excelsis in Missa cur sequatur Dominus vobiscum, lib.1.c.9.schol.n.64.

Gratia.

Gratiæ diuinæ lumen quàm necessarium, lib.1.ca. 10.dig.1.num.1.3.
Gratiam inter & legem quæ differentia, lib.2.cap. 4.schol.num.10.11.
Gratia præueniens, & cooperans, lib.2.cap.5.scho. num.2.
Gratiæ præuenienti statim obediendum, ibidem num.3.
Gratia & dona Christi dilatant cor, satiant, & abundare faciunt, libro tertio, cap.4. digress.1. num.16.
Gratia cur aquæ comparetur, lib.3. cap.4.digr.2. num.5.6.7.
Gratia Christi mentis oculos illustrat, lib.3.cap. 4.digr.2 num.8.
Is cui gratiæ suæ gustum impertit Deus, Danieli similis est, languet enim, surgit, & stupet, lib.3. cap.4.digr.2.num.9.
Gratiam Dei gustanti bona mundi insipida sunt, lib.3.cap.4.digr.2.num.10.
Ad gratiam obtinendam flagrans eius desiderium plurimum iuuat, lib.3.cap.4.dig.2.num.11.
Gratiæ aqua sine pretio datur, & cum pretio, lib.3. cap.4.dig.2.num.13.
Gratiæ diuisiones variæ remissiuè, lib.3. cap.17. digr 3.num.13.
Gratiæ tantùm peccatori datur saltem quantùm satis est vt conuertatur, quod verò maiori auxilio non attrahatur ipse est in causa, lib.3.ca. 13.schol.num.22.
Gratiæ beneficia quædam ad salutem non necessaria, etiàm se offerentes, si reijci aliquando dicas non est absurdum, licet id vix vnquam eueniat, lib.3.cap.13.schol.num.23.
Gratiæ efficacia, & potentia quanta sit, lib.3. cap. 17.digr.3.num.2.3.
Gratia triplex nobis necessaria, ex Bernardo, lib.2. cap.4.digr.vnica num.2.
Vocasse Christum gratiæ suæ auxilio discipulos cùm sciebat illos obtemperaturos Chrysostomus ait, & quomodo id sit intelligendum, lib. 3.cap.17.schol.num.20.
Vocantis gratiæ efficacitas vel potentia, lib.3.c.17. schol.n.21.22.
Gratia Dei cùm adest lætitiæ tempus est, cùm abest luctus, lib.3.cap.17.schol.num.45.
Gratia speciali eget homo ad iustificationem, & ad iustè viuendum ex Scripturis, lib.3. cap.17. digr 2.num.5.& seq.
Gratia thesaurus, & margarita, lib.3. cap. 17.digr. 2.num.7.
Gratia vocationis duplex, libr.3. cap.17.digress.6. num.2.3.
Gratia efficax quæ item congrua, lib.3.cap.17.d.6. num.3.4.& seq.in finem vsque.
Gratiam efficacem præcedit in Deo scientia conditionata, lib.3.cap.17.digr.6.num.8. & seq.
Gratia operans quid sit Augustino, lib.3. cap.17. digr.3.num.9.
Posita gratia æquali non est absurdum alterum conuerti, alterum non, libr.3. cap.17. digress.6. num.6.
Gratia sua nos vocante Christo ne obsurdescamus lib.3.ca.17.dig.7.n.6.7.
Gratia duplex præueniens, & excitans, lib.3. cap. 18.dig.5.n 6.

Gratia capitis, & Vnionis.

Gratia quæ vocant capitis Christo tributa quid sit, lib.2.c.4.theor.1.n.4.
Gratia vnionis in Christo quale principium meriti fuerit, quale item Gratia habitualis, ibidem.
Gratia capitis an potuerit communicari puræ creaturæ, ibid.n.5.
Gratiam quomodo mereri possit de condigno pura creatura pro alijs, libr.2. cap.4. theoria 2. num.4.5.

H.

Hæresis, Hæreticus.

HÆresum cunctarum interemptio cur Mariæ Virgini ab Ecclesia tribuatur, lib.1. cap.9. schol.num.72.

Digitized by Google

Hæretici similes murænis cum serpentibus marinis coeuntibus, & monstrum parientibus, lib. 1. cap. 1. theor. 18. num. 4.
Hæreticorum mos in doctrina, lib. 2. cap. 3. schol. num. 49.
Eorundem stoliditas, lib. 3. cap. 16. schol. num. 14.

Hebræi.

Hebræi solent delectari ea figura qua finis præcedentis clausulæ initium est sequentis, lib. 1. c. 1. theor. 5. num. 2.
Hebræi à primis librorum verbis libros nominat, lib. 1. cap. 2. theor. 3. num. 1.
Hebræi qua soliti salutatione vti, lib. 1. cap. 5. sch. num. 8. 9.
Hebræis mos erat vt patres, non matres nomina filijs imponerent, lib. 1. cap. 5. schol. num. 23.
Hebræorum infantes cur occidi iussi à Pharaone, lib. 1. cap. 12. digress. 1. num. 7.
Hebræi tenebantur credere in Christum citra eius miracula, lib. 3. cap. 5. schol. num. 4. 5.
Hebræi quotannis quo ordine ad Templum itarent, lib. 1. cap. 13. schol. num. 6.
Hebræis qui mos in disputationibus seu legis expositionibus, ex Ambros. lib. 1. cap. 13. num. 14. quas partes detulerint in hac re Christo duodenni, ibid. num. 15.
Aduersus Hebræos quomodo argumentandum ad astruendam fidei nostræ credibilitatem, lib. 3. cap. 5. theor. 2. num. 4.
Hebræi confirmant fidem nostram contra se, ibid. num. 11.

Hemorrhoissa.

Hemorrhoissa significat Ecclesiam gentium, lib. 3. cap. 18. digr. 6. num. 1. & seq.
Mysticè notat duplicem peccatoris statum, peccati, & conuersionis, lib. 3. cap. 18. dig. 5. num. 1. 2.
Quæ mulier fuerit, & de statua quam Christo erexit, lib. 3. cap. 18. schol. num. 18. 19.

Herodes.

Herodis Magni filij omnes fuere nouem, at superstites ipso mortuo tresduntaxat, lib. 2. cap. 1. schol. num. 11.
Herodis infanticidæ mors pessima, lib. 1. cap. 12. schol. num. 18. Quo tempore raptus ad inferos, ibid. & num. 19.
Herodes Magnus qua ratione suis filijs regnum diuiserit, lib. 2. cap. 1. schol. num. 13. 14.
Vide Antipas.

Herodias.

Herodias an filia Arethæ Regis, vt vult Hieronymus, lib 3. c. 6. schol. n. 2.
Fuit vxor Philippi, & non alterius cuiusdam Herodis, vt vult Iosephus, ibid. n. 4.

Heua.

Heua tria mala incurrit, & præstitit feminis ex Augustino, lib. 1. c. 5. theor. 3. n. 1.

Homo.

Homo potest vitam traducere absque omni graui peccato, non tamen absque omni leuissimo, li. 1. c. 4. schol. n. 11.
In bonis actibus est instrumentum Dei, lib. 1. cap. 6. theor. 4. num. 3. & quale, ibid. n. 4.
Similis est putridæ nuci, libr. 1. cap. 6. theoria 6. num. 12.
Similis est curruli quatuor instructo rotis, lib. 1. ca. 6. dig. 1. n. 6.
Quomodo factus dicatur ad imaginem, & similitudinem Dei, libro primo, capite nono, digr. 1. num. 13. 14.
Non est dictus caro nisi post peccatum, libro primo, capite primo, theoria decimanona, numero tertio.
Quantum ad corpus est templum Dei spiritulae, cor verò est altare, libr. 3. cap. 1. digr. 8. num. 2. 3. quomodo hoc templum dedicandum sit, & emundandum, ibid. num. 4. quomodo item altare cordis, ibid. num. 6. & seq.
Quantum ad animam est etiam templum Dei, & quomodo hoc templum dedicetur. lib. 3. cap. 1. digr. 8. num. 9. & seq.
Vide Mortales.

Honor.

Honoris sæculi appetitio quam mala, lib. 2. cap. 3. schol. n. 57.

Humilitas, Humilis.

Humilitas sola inter virtutes se ipsam ignorat, lib. 1. c. 6. schol. num. 30.
Humilitas, & humilis quid significent in scriptura ibid. n. 29. 30. 38.
Humilitas qua consideratione possit acquiri, lib. 1. ca. 6. theor. 4. num. 2. & lib. 2. cap. 4. digr. vnica, num. 10. 11.
Humilibus solemne est nullam in se laudum causam agnoscere, lib. 1. cap 6. schol. num. 23. & theor. 4. num. 1.
Humilitas quam necessaria, lib. 1. cap. 6. theoria 6. num. 4.
Debet opera bona præcedere, comitari, & subsequi, ibid.
Quam sit efficax, ibid. n. 5.
Humilitas, candidaque simplicitas Christo carissima, lib. 1. c 12. digr. 4. n. 10.
Humilitatis effectus, libr. 2. cap. 4. digress. vnica, num. 9.
Sequitur eam gloria, lib. 3. ca. 18. schol. n. 24.

Hydria.

Hydriarum mensura, lib. 2. cap. 6. schol. num. 11.
Hydriæ sex in nuptijs quantum caperent vini, ibidem, num. 19.

I.

Iacob Patriarcha.

Iacob Patriarcha an sanctificatus in vtero lib. 1. c. 6. schol. num. 20.

Iacob Apostolus.

Iacob minor Apostolus Christi an sanctificatus in in vtero, ibidem.

Iairus.

Iairi, & Hemorrhoissæ historia allegoricè explicatur de Synagoga, & gentilitate, & moraliter etiam, lib. 3. cap. 18. digr. 1. num. 1. & seq.

Idea.

Idea quid sit in Deo, & quomodo cognoscatur ab ipso, & quod ratione idearum proprijssimè dicantur in Deo creaturæ esse, ibi viuere, ibi melius esse, & perfectius cognosci, l. 1. cap. 1. theor. 10. num. 3. 8. & seq.

Iebus.

Iebus an idem quod Salem, lib. 3. cap. 3. sch. nu. 10.

Iechonias.

Iechoniæ nomine non vnum tantùm, sed duos fuisse insignitos, lib. 1. cap. 2. schol. num. 15. & theo. 10. num. 5.
Iechonias, seu Ioachim quomodo sterilis in Scriptura vocetur, cùm filios octo habuerit, lib. 1. cap. 2. schol. num. 26.

Iehouah.

Iehouah nomen Dei quàm venerabile Hebræis, lib. 1. cap. 9. digr. 5. num. 10.
Figura fuit nominis Iesu, lib. 1. cap 9. digression. 4. num. 13. & seq.

Ieiunium antiquum, Ieiunium Christianum.

An tempore legis veteris fuerit obligatio ieiunandi, lib. 3. cap. 17. theor. vnica num. 8.

Digitized by Google

I eiunium Christianum tum abstinentiæ tum religionis est actus, lib.2.cap.3.schol.num.18.& seq.
Ieiunij quadragenarij Christiani antiquitas, cultus,& obseruatio,ibid.n.20.& seq.
Vide Quadragesima.

Ieiunium Christi.

Iesunium Christi quadragenarium miraculo factum est,ibidem,num.23. An tunc famem,an sitim passus,lib.2.c.3.theor.vnica.

Ieremias

An sanctificatus in vtero,lib.1.cap.4.schol.n.24.

Ierusalem.

Ierusalem vnde dicta,lib.3 c.3.schol.num.9.

Iesse.

Iesse centum & forte plures annos natus genuit Dauidem,lib.1.cap.2.schol.num.12.

Iesus.

Iesu nomen quid intimè consideratum significet, lib.cap.8.schol.num.21. & lib.1. cap.9.theor.7. num.13.14.
Iesu esse, seu Saluatorem prolato sanguinis pretio non nisi Rei est in natura, humana,lib.1.c.8.sch. n.21.& lib.1.c.9.theor.7.num.3.13.
Iesu nomen innatum Christo,lib.1.cap.9.theor.6. num.3.
Iesus à natura propria habet,vt Iesus sit atque Saluator,ibidem
Iesu nomen an alijs à Christo tributum,lib.1. ca.9. theor.7.num.2.
Iesu nomen quoad vim, & efficacitatem nonnisi Christo tribuendum,ibidem, num.3. & qua ratione eius sit proprium,ibid.
Iesu nomen quam multa & magna bona comprehendat,ibidem,num.4.& seq.
Iesu nomine audito cur caput inclinare soleamus, ibidem,num.10.
Iesu nomen est Christi gloria,ibid.n.11.
Iesu nomen quid differat à nomine Christi ibidem num.13.
Iesus Christus quam perfectè Saluatoris munus obierit,ibid.n.15.
Iesu Christi affectus erga salutem hominum ineffabilis,ibid.num.16.& lib.2.cap.2.theor.3.nu.9. & seq.
Iesus salutem vndique spirabat,ore,oculis,&c.lib. 1.cap.9.theor.7.num.18.
Iesus cur non ita saluos nos fecit vt numquam omninò peccaremus,lib.1.cap.9. digress.1.nu.21. ex Nysseno.
Iesu nominis inuocatio ex Bernardo, lib.1. cap.9. digr.4.num.20.
Iesus qua ratione dictus ab Apostolo auctor, & consummator fidei,lib.1.c.12.dig.3.nu.8.
Iesus est exemplar,in quod intueamur, ibidem,& num.9.10.

Ignorantia.

Ignorantiæ triplex genus,lib.1.cap.13.schol. num. 21.& theor. vnica,num.1.
Illustratio,*siue* Illuminatio diuina,*Vide* Gratia.

Incarnatio.

Incarnatio cur non statim post peccatum facta li. 1.cap.1.schol.num.9.
Duo eius effectus,ibidem,num.19.
Tres fines eiusdem,lib.1.cap.1. theo.17.n.4.
Quomodo Verbum sit incarnatum sine mutatione loci,ibidem,num.2.& sine quauis alia lib.1.c.1. theor.19.num.5.6.
Verbum non solum carnem,sed etiam animam rationalem assumpsit,ibid.n.8.
Cur Verbum dicatur factum caro, & cur non potiùs veniisse in carne,ibidem, numero septimo, nono.
Incarnatio quota hora peracta sit,lib.1. cap.5. schnum.2.
Quoto anni mense, quotque mensis atque hebdomadæ die perfecta sit, lib.1. cap.5. theoria numero 1.2.
Fuit omnium beneficiorum caput, & origo, lib.1. cap.5.theor.8.num.6.
Incarnationis mysterium efficere solius erat diuinæ virtutis,lib.1.c.5.theor.10.n.2.
Quare non nisi Virgine consentiente peractum sit, ibid.num.3.
Incarnatio fuit à B. Virgine etiam dum salutaretur expetita,ibid.num.4.5.
Incarnationis bona,lib.1.cap.5.digr.1.num.2.3. & digres.6.integra.
Incarnatio quo ordine perfecta,lib.1.c.5. digress.1. num.12.
Christus Dominus post sui conceptionem statim videtur se obtulisse Patri,ibid.num.14.
Christi generatio licet sit de Spiritu sancto, est tamen secundùm carnem, lib.3.cap.secundo,sch. num.14.
Christus à Patre missus propter hominum salutem tantum,non etiam perditionem, libr.1.cap.11. schol.num.24.
Incarnationis Christi ex Virgine quam multę causæ.lib.1.cap.8.schol.num.21.
In incarnatione quare dicamus Deum humanatum potiùs, quam hominem Deificatum libr.1. c.8.schol.num.18.
Incarnatio seu Christi Aduentus figuratus in columba Noëtica,lib.1.c.9.digr.1.num.1.& seq.& in nubecula Eliæ,ibid.num.22.
Cur in extrema tempora dilatus idem Aduentus, ibid.num.12.& seq.
Cur potiùs Filius,quam Pater,aut Spiritus sanctus incarnatus.ibid.n.9.10.
Aduentus Christi fines particulares,ex Chrysologo,lib.1.c.12.dig.2.n.5.
Incarnationem Christi futuram etiam non præexistente peccato latè probatur ex diuinis attributis,lib.2.cap.2. theor.2. & ex dignitate prædestinationis Christi, theor. 3. & ex Scripturis & Patribus, theor. 4. satis fit obiectionibus, theor.5.
Incarnatio quando reuelata Angelis,*vide* Angelus.

Inebriare.

Inebriare apud Scripturam quid sit, libr. 2. cap.6. schol.num.18.
Ebrietas quam mala præcipuè feminis, *vide* Ebrietas.Fœmina.

Infans.

Infantis vtero clausi facies quo sit conuersa ex Physicis,lib.1.c.6.theor.2.n.7.

Infernus.

Infernus rectè dici potest sepulchrũ concupiscentiæ,lib.3.c.10.dig.2.n.26.

Infidelis.

Infideles qui dicantur,lib.3.c.2.schol.n.29.
An infideles iudicandi sint,ibidem, numero 30. remissiuè.

Infirmus.

Infirmis spiritu ne impone grauia onera,lib.3.c.17. digr.1.num.1.2.

Innocentes, Infantes.

Innocentes quo tempore, quaue ratione occisi ab Herode,lib.1.c.12.schol.num.16.17.
Innocentium internecio mysticè quid significet, lib.1.c.12.digr.4.n.1.& seq.
Ijdem verè Martyres,ibidem,num.4.5.7.
Cur eos occidi permiserit Christus ibd.n.5.
Cur ipse Christus noluerit cum ipsis occidi ex Fulgentio,ibid.num.6.

Digitized by Google

Quibus Encomijs extollantur à Patribus Innocentes, ibid. n. 7.
Hôsce Innocentes quomodo nos oporteat imitari, ibid. n. 8. & seq.

Inspirationes.

Inspirationes sanctæ statim obeundæ, lib. 1. cap. 9. schol. n. 65.
Triplex earum genus, lib. 3. cap. 1. digress. 8. numero 10.
vide Gratia.

Interpretatio, interpres.

Interpres latinus noui testamenti quod vertit testamentum, interpres veteris testamenti vertit pactum, vel fedus, præfat. cap. 1. num. 1. ibidem multa habes de interprete noui testamenti, & interpretibus 70.
Quid significet id, quod in scriptura sæpius additur (*quod interpretatum est*) lib. 2. cap. 5. schol. num. 5.
Interpretatio alicuius vocis in Scriptura quando nam sit scriptoris ipsius canonici, quando verò interpretis, lib. 1. c. 2. theor. 1. n. 5. 6.
Interpretes Apostolorum, *vide* Apostolus.

Interdictum.

Interdictum quid sit propriè lib. 1. c. 9. schol. n. 3.
Ioachimus Pater Mariæ, *vide* Maria.
Ioacim, & Ioachin, *vide* Iechonias.

Ioannes Baptista.

Ioannes cur præmissus ante Christum lib. 1. cap. 1. theor. 13. num. 1.
Non fuit verus Angelus, ibid. n. 3.
Ioannis encomia, ibid. n. 5. & seq.
Nominis eius significatio ibid. num. 9. & seq.
Finis & officium Ioannis, lib. 1. c. 1. theor. 14.
Nunquam lethale peccatum commisit, lib. 1. ca. 4. schol. num 23.
Sanctificatus in vtero, ibidem num. 24. & Augustinus contrarium innuens exponitur, ibid. & lib. 1. c. 6. schol. n. 19. 20.
Non habuit gratiam antequam habuerit vitam, & Ambros. contrarium innuens declaratur, libr. 1. cap. 4. schol. num. 25.
In vtero matris confirmatus in gratia, ibid.
An peccauerit venialiter, & an sit contra fidem id negare, ibid.
Quoto mense, quotoue die mensis conceptus ac natus fuerit, lib. c. 5. theor. 1. n. 1.
An vtero clausus, & Christum nouerit, & Mariam lib. 1. c. 6. schol. n. 13. & theor. 2. n. 3.
An habuerit vsum rationis in vtero, lib. 1. c. 6. sch. num. 19. 20. & an durauerit in hoc statu, ibidem, theor. 2. num. 6.
Vixit in solitudine seu deserto proprijssimè dicto contra Sotum, lib. 1. cap. 7. schol. n. 27.
Quoto ætatis suæ anno cœperit prædicare, ibidem, & quoto desertum petierit, ibidem, numero 28. 29.
Cur dictus Angelus lib. 2. cap. 1. schol. num. 6.
Vbi fuerit desertum in quo habitauit, & concionatus est, lib. 2. cap. 1. theor. 4. num. 3. & seq.
Cohonestatus admodum à Christo, lib. 2. cap. 2. digres. 1. num. 1. & seq.
Non fuit Elias in persona, fuit autem in virtute, lib. 2. cap. 4. schol. num. 32.
Ioannis comprehensio, & cætera huc pertinentia, lib. 3. cap. 6. schol. passim.
Ioannis Baptismus, *vide* Baptismus Ioannis.

Ioannes Euangelista.

Ioannis Vita, Acta, Scripta, Mors, & alia huc spectantia, lib. 1. cap. 1. theor. 1. per totam, ibidem eius insignes prærogatiuæ.
Comparatur leoni ex Damiano, lib. 1. cap. 5. theo. 1. num. 16.
An vocatus à nuptijs, lib. 2. cap. 6. schol. num. 4.

Iordanis.

Iordanis fluuij ortus, longitudo, stagna, campi lib. 2. cap. 1. theor. 4. num. 12.

Ioseph vir Mariæ.

Ioseph vir Virginis virgo fuit, lib. 1. cap. 2. schol. num. 28.
Virginitatem vouit ante coniugium, & quale fuerit hoc votum, lib. 1. cap. digr. 4. n. 10. 11.
An ortus ex Iacob, an ex Heli, lib. 1. cap. 3. theor. 3. num. 2.
An sanctificatus in vtero, lib. 1. cap. 6. schol. num. 20.
An peccarit volens à Virgine recedere, lib. 1. cap. 8. schol. num. 15.
Contrahens cum Maria quotum ageret annum, li. 1. c. 8. theor. vnica, num. 3.
Eius sanctitas quanta ex Euangelio, lib. 1. c. 8. schol. num. 6. 7.
Non solum nomen habuit Patris Iesu, sed & rem, excepta carnali generatione, lib. 1. cap. 11. schol. num. 21. 22.
Qualia fuerint eius somnia, lib. 1. c. 12. theor. 2. integra.
An tempore nuptiarum Canæ viueret, lib. 2. cap. 6. schol. num. 5.

Iosias.

Iosias Rex qua ratione similem sibi Regem non habuerit ante se, libro primo, capite 2. theor. 10. num. 7.

Israelita.

Israelita & carnales, & spirituales filios Israel significat, libro primo, cap. 6. numero 41. & theor. 9. num. 2.

Iudith.

Iudith viduæ encomia ex sanctis Patribus, lib. 1. cap. 11. digress. 3. num. 12. & digress. 4. numero 6. & sequentibus, in quibus declarantur eiusdem sanctitas, temperantia, prudentia, humilitas.
Eius casta viduitas, tempus vitæ, oratio, precatorium, tabernaculum, secessus, spes & fiducia in Deum, continentiæ fortitudo, lib. 1. cap. 11. digr. 5. num. 1. & seq.
Iudæus, *vide* Hebræus.

Iudæa.

Iudæa dupliciter sumitur, libr. 1. cap. 10. schol. num. 3.
Iudææ Reges & Procuratores, *vide* Procuratores Iudææ.

Iuro.

Iurandi praua cõsuetudo quomodo superanda lib. 1. c. 9. digres. 5. n. 9. & seq.

Iustitia, Iustificari.

Iustitia seu sanctitas non sola est remissio peccatorum, præfat. cap. 4. num. 3. nec hæretica imputatio, lib. 1. c. 4. schol. n. 9.
Iustitia apud Paulum duplex, operum, & Dei, præfat. cap. 6. numer. 1. earum differentia, ibidem, num. 2. 3.
Iustificari quot modis sumitur in scripturis, præfat. cap. 5. num. 5.

L.

Lac.

LAc vndè mulieribus existat, lib. 1. cap. 9. theor. 3. num. 11. 12. 17.
An dari queat à muliere viro incognita, ibidem, num. 11. 12.

Lac Mariæ.

Lac Mariæ an naturale, lib. 1. ca. 9. theor. 3. num. 11. & sequent.

Digitized by Google

Quæ prima hac parte dilucidat. Euang. continentur.

Labarum.

Labarum quid esset, & quomodo efformatum, lib. 3. cap. 1. digr. 4. num. 3. 4.

Liberauit à periculis, & nece eum qui gestabat, ibidem nu. 5.

Lætitia. *Vide* Gaudium.

Legio.

Legio quot continebat milites, lib. 3. cap. 15. schol. nu. 21. 22.

Lex, Legum multiplicitas.

Lex quot modis sumatur præfat. cap. 1. nu. 15.

Lex carnis & spiritus apud Paulum quid, ibid.

Lex naturæ, diuina, Ecclesiastica, ciuilis, ibid.

Lex vetus ne impleta quidem poterat iustificare. præfat. cap. 6. nu. 4. & quidem ob duplicem impotentiam, ibid. nu. 5.

Legis factores quomodo iustificari dicantur, præfat. cap. 5. fusè.

Legis aut iustitiæ nouæ & veteris vocabula non reperiuntur in scriptura, esto testamenti noui & veteris. præfat. cap. 3. nu. 2.

Leges, seu Edicta Principum, cur exire dicantur in Scripturis, lib. 1. c. 9. schol. nu. 3.

Lex quam inferior gratia, lib. 2. cap. 4. schol. numero 10. 11.

Vide, Testamentum.

Liber, Libellus.

Liber interdum sumitur pro Catalogo, lib. 1. c. 2. schol. nu. 3. & theor. 3. nu. 3.

In Scriptura quidam Libri titulos habent à prima voce. præfat. cap. 8. nu. 8.

Libellus de sacerdotio Christi legali plenus est fabulis, & mendax, lib. 1. c. 3. theor. 5. nu. 7.

Liberum arbitrium.

Liberum arbitrium statuitur, lib. 3. c. 17. digr. 3. nu. 1. & seq. fusè.

Lignum vitæ.

Lignum vitæ figura Crucis, lib. 3. cap. 2. digr. 5. latè.

Tres eius proprietates, ibid. num. 1.

Ligula.

Ligula siue coclear quid sit, lib. 2. cap. 6. schol. numero 11.

Lingua.

Linguæ mala, lib. 1. cap. 9. digr. 5. num. 8. quomodo amputanda sint, ibid. & seq.

Cur dicta sit vniuersitas iniquitatis, ibidem, numer. 8.

Lucas Euangelista.

Lucas vir Apostolicus, non Apostolus, nec vnus ex discipulis Domini, lib. 1. procemio, schol. nu. 8. & theor. 2. num. 1.

Quomodo dicatur Euangelista Virginis, lib. 1. procemio, schol. num. 9.

Cur, & in quo differat à Matthæo in Christi Genealogia, lib. 1. c. 3. theor. 1. nu. 1. & seq.

Troade primum adhæsit Paulo, lib. 1. in procemio, theor. 2. num. 1.

Lucæ ætas, prædicatio, Martyrium, Scripta, Mors, & cætera huc spectantia, ibid. & seq.

Luxuria.

Luxuriæ vitium simile immani bestiæ, lib. 1. cap. 9. digr. 5. num. 15. omninò superandum, ib. numero 2. & seq.

M.

Magia, Magi.

Magia ab efficiente causa triplex, à fine autem duplex, lib. 1. c. 10. schol. nu. 9.

Magus, vox Persica, & Persis est sapiens, ibid.

Magorum triplex genus, ibid. num. 8.

Magi Euangelici quales fuerint secundũ peritiam, ibidem & num. 9. cuiates verò ibid. num. 10. & theor. 1. nu. 10. & seq.

Interno nedum externo lumine ducti, lib. 1. c. 10. schol. nu. 15. 16.

Vbi inuenerint Christum infantem, ibidem numero 39.

Fuere tres & quisque Rex, Dominus alicuius tantum loci, ibid. num. 40. 41.

Magorum nomina, ætas, & habitus, lib. 1. cap. 16. theor. 1. nu. 4. 5.

Fides atque deuotio, lib. 1. cap. 10. digr. 1. num. 1. & seq.

Quam recto ordine Christum quæsierint, lib. 1. c. 10. digr. 2. nu. 3. 10. 12.

Quo tempore peruenerint Bethlehem, lib. 1. cap. 10. schol. nu. 13. & theor. 1. nu. 14.

Fuerunt posteri filiorum Abrahæ ex Epiphanio, ibid. num. 6.

Eorum corpora quomodo inuenta, quò & quandò translata, ibid. num. 15. 16.

Magorum munera quomodo spiritu offerantur, lib. 1. c. 10. schol. num. 42.

Magis eorumque muneribus quid mysticè denotetur ex Sanctis Patribus, ibidem & numero 43.

Persis mos est regem non sine munere adorare, lib. 1. cap. 10. schol. numero 17. item regem creare neminem magiæ ignarum, ibid. numero 40.

Magnificare, Magnificari.

Magnificari aliquis bifariam potest, lib. 1. cap. 6. theor. 5. num. 1.

Magnificet qua ratione Deus hominem, homoque Deum, hominemque homo, ibid.

Magnificandus quibus affectibus Deus, ibidem, num. 2.

Magnificatur idem operibus bonis, ibid. nu. 3.

Sex modi magnificandi Deum, ibid. num. 4.

Maledictum.

Maledictum triplex illatum homini à Deo, lib. 1. c. 6. theor. 8. num. 7.

Maledicto subiacent etiam mali homines, velut olim steriles mulieres, lib. 1. cap. 11. digr. 1. numero 3.

Malum.

Malum culpæ non est à Deo, lib. 1. cap. 1. digr. 4. num. 2.

Malum esse non potest nisi in bono, ibid. num. 4.

Mali speciem habentia nedum mala ipsa fugienda, lib. 1. c. 11. digr. 1. num. 12.

Manichæi.

Manichæi perperam colligunt duplex principium ex Ioannis Euangelio, lib. 1. c. 1. theor. 9. num. 6.

Manus Domini.

Manus Domini in scriptura quid significet, & quid manum Domini fieri super aliquem, lib. 1. cap. 7. schol. num. 13.

Manus.

Leuare manum, & leuare manus non idem, lib. 3. c. 1. digr. 3. num. 12.

Marcus Euangelista.

Marcus Euangelista an ille idem qui in actis dicitur Ioannes, lib. 2. c. 1. theor. 1. num. 1.

An fuerit discipulorum vnus, ibidem numero 2.

Eius Euangelium, vita, acta, mors, ibid. per totam theoriam.

Mare Galilææ.

Mare Galilææ quot nominibus vocetur, & quæ oppida circa littus habuerit, lib. 3 c. 8. schol. num. 4.

Digitized by Google

MARIA Virgo.

Maria Virgo liber est diuinæ sapientiæ multaque eiusmodi libri encomia, lib.1.cap.2.digr.vnica per totam.

Mariæ aliquid esse Verbo vnitum, & latriæ veneratione coli, ibid. num.4. & lib.1. c.6.digr.1. num.2.

Mariæ caro nec minimo peccato vnquam subdita, lib.1.c.2.digr.vnic.n.5.

Mariæ debitam esse adorationem longè excellentiorem quam sanctis alijs, ibid.n.6.7.

Mariam habere dignitatem aliquo modo infinitam, ibid. n.6.

Mariæ maternitati an præferenda adoptio filiorum Dei, ibid. nu.7.

Mariæ gratiæ & dona antecedunt, dona omnium simul Sanctorum, ibid.& lib.1.c.5.theor.3.n.14. & seq.

Mariæ proprium esse hominum Aduocatam, lib.1. c.2. digr. vnic.n.10.

Mariæ pulchritudo secundùm animam & corpus quam singularis, ibid. à nu.11.ad 20.

Mariæ aspectus qualis & quam efficax ad conferendam integritatem, ibid.n.17. & seq.

Mariæ corpus nullo vnquam morbo laborauit, & suauem spirabat odorem, ibid nu.19.

Maria nullos sensit motus illicitos, ibid.nu.18.

Mariæ puritas perfecta, continua, impermixta, ib. num.21.

Mariæ sublatus nedum ligatus peccati fomes, & quidem antequam conciperet, ibid.num.23.ex Leone.

Maria templum diuinitatis, ibid.n.28.29.

Maria ante peccati prouisionem fuit prædestinata mater Dei, ibid.nu.33.

Quomodo prius electa in Matrem, & deinde ad tantum gratiæ cumulum, & ècontra, ibidem num.32.

Mariæ prædestinatio quam multas eius prærogatiuas clauserit, ibid.nu.31.

Mariæ cur accommodet Ecclesia ea, quæ de æterna sapientia in Scriptura dicuntur, ibid.n.33.

Maria an peccauerit in Adamo, & in eo meritum mortis incurrerit, ibid. n.34.

Mariæ caro an dici possit caro peccati, ibid. nu.35. per totum.

Maria quomodo à Christo fuerit redempta, ibid.

An solita Angelos corporeis oculis intueri, lib.1. c.5.schol.n.14.& theor.5.n.1.

Mariæ affectus cum salutaretur ab Angelo, lib.1. cap.5.schol.num.15.& seq. & theor.5. num.4. & seq.

Mariæ soli hæc salutatio seruata est (Aue gratia plena) lib.1.c.5.theor.3.nu.7.ex Origene.

Mariæ plus attribuit Angelus dicens (gratia plena) quam si dixisset Spiritu sancto repleta, ib. num. 8.

Maria habuit quidem omnes gratias sed non omnium vsum, lib.1.c.2.digr.vnic.nu.28.

Quam gratiæ plenitudinem habuerit initio vitæ, quam verò in conceptu filij, & quam in vitæ decursu, lib.1.c.5.theor.3.n.9.

Quam conuenienter de hac plenitudine gratiæ senserint S.Bonauentura, & S.Thomas, ibid.& quod aliter Christus, aliter B. Virgo plena gratia, ibid.n.9.10.

Mariæ hanc gratiæ plenitudinem mirificè tribuũt Sancti Patres vniuersi, & cur, ibid.nu.10. & deinceps.

Maria est aquæ ductus gratiæ in Ecclesia, num.10. & spiritualium influentiarum collum, ibidem num.17.

Minus a minus est quidquid (Deum excipe) magnum est, ibidem num. 14. ex Damiano.

Mariam inter & Sanctos infinitum discrimen, ib. ex Damascæno.

Maria tum à Latina, tum à Græca Ecclesia colitur, lib.1.c.5.theor.4.n.7.

Mariæ affectus contra eius mentem insurgere non poterant, lib.1.c.5.theor.5.n.8.9. immò omnes fuisse liberos, probabile, ibid.n.9.

Mariæ turbatio rationis eius vsum non ademit, lib.1.c.5.schol.nu.17.& theor.5.nu.2.10.& quomodo à turbatione filij, & Zachariæ differat, ibid.nu.8.9.

Mariæ fides in Incarnationis Mysterio singularis, lib.1.c.5.theor.7.nu.1.2. & admiranda tripliciter ex Bernardino, ibid. nu.2. soluuntur obiectiones, nu.4.&seq.fuit & maxima; poterat tamen in dies crescere, lib.1.c.5.theor.9.nu.5.6.& lib.1. c.6. schol.nu.16.& lib.1.c.11.schol. nu.23. Patres contrarium innuentes exponuntur, lib. 1.c.11.schol.nu.28.

Maria cum Angelo colloquens quas virtutes expresserit, lib.1.c.5.digr.1. n.3.& seq.

Ad quos euecta sit cognitionis gradus Angelo cũ ipsa colloquente, lib.1.c.5.digr.2.nu.4.& seq.& an Angeli essentiam conspicata sit, lib.1.cap.5. theor.9.nu.6.

Mariæ virginitas simili comprobatur, lib.1.c.5.digress.1. nu.8.

Eius votum virginitatis vnde colligatur in scriptura, lib.1.c.5. schol.n.29.31.& theor.7.n.10.

Mariæ virginitatem & fœcunditatem, vel exemplo tuentur vultures, lib.1.c. 5. schol.nu.36.37.

Mariæ virginitas omnium superauit puritatem, & quibus titulis, lib.1.c.5. digr.3.nu.1.

An fuerit prima omnium virgo, ibid. num.2.3.

An votum eius de perpetua Virginitate fuerit solemne, ibid.num.4. quandonam emiserit, ibid. num.5.

Absolutè vouit seruare virginitatem, lib.1.c.5.dig. 4.num.12.13.

Contrahens cum Ioseph consensit in obligationem reddendi debitum, non actualem, sed aptitudinalem, ibid.num.5.6.9. verum tamen iniuit matrimonium, & proprium, & ratum. & an sit de fide id credere, ibid.num. 7. alias etiam habuit matrimonij solemnitates, lib.1.c.6.theor. 1.nu.2.3.& lib.1.c.8. theor.vnic.nu.1.

Contraxit cum Ioseph implicita saltem adiecta conditione de seruanda perpetua virginitate, & non consensit in copulam neque implicitè, lib.1.c.5.digr. 4. num.9.12.

An cohabitauerit cum Ioseph ante incarnationem Verbi, lib.1.c.6.theor.1.nu.2. 3. & lib.1.c.8. theor.vnic.nu.1.

Matrimonium virginis cum Ioseph non caruit matrimonij bonis, lib.1.c.5.digr.4.n.14.

Mariæ parentes amplas habuere facultates, lib.1. c.6.theor.6.nu.3.

Mariæ Pater binomius Ioachim, & Heli, lib.1.c.3. schol.num.7 & theor.3. nu.2.3. fuit vir insignis probitate, lib.1.c.6.theor.6.nu.3.

Matrimonium Mariæ cum Ioseph, cur à Patribus sponsatio nominetur, lib.1.c.8.theor.vnic.nu.2. eius causæ, ibid. n.4. & seq.

Mariæ matrimonium an Diabolum fefellerit, ib. num.5.& seq.

Mariæ veteri laudes atque figuræ veteres, lib.1.c.5. schol.nu.38.& Mariæ laudes, ibid.theor.3.ingra.

Mariæ nominis interpretationes, & quam rectè quadrent B. Virgini, lib.1.c.5.theor.2.n.1.& seq.

Spirituum discretionem habuit, lib.1.c.5. theor.6. nu.3.& habuit spiritum prophetiæ, lib.1.cap.6. theor.8.nu.2.

Digitized by Google

Septies tantum locuta è diuite thesauro cordis sui legitur in scriptura, in quo similis filio de cruce pendenti, item quod hæc verba septem, significent septem flammas amoris, lib.1.c.5.dig. 2.numero 1.2.3.
An viderit diuinam essentiam, & quando, ibid.n.7.
Cùm concepit, accepit indubitatam cognitionem suæ prædestinationis, & exaltationis, ibid.
Mariam grauidus vterus haud grauabat, lib.1.ca.6. schol.n.5.& lib.1.c.9.schol.n.20.
Maria antequam pareret iure dicta mater Dei, & à quo primum, lib.1.c.6.schol.num.17.
Mariæ humilitas lib.1.c.5.digress.1. n.6.& sequent. Eius exempla in scripturis, lib.1. cap.6. theor.6. num.6.& seq.
Maria an & quomodo meruerit Dei maternitatē, lib.1.c.6.theor.7.per totam. Matris Dei dignitas ex quibus capitibus maxima comprobetur, ibi. dig.1.num 2.
Mariæ prærogatiuæ duodecim, lib.1. c.6. theor.6. num 14.
Maria statim ac Christum concepit effecta est mater omnium nostrum lib.1.cap.6.digr.1.num.4.
Antequam pareret insolitum habuit faciei fulgorem, lib.1.cap.8.schol.num.24.
Mariæ conceptus, partusue, partim supernaturale, partim naturale opus, ibid.num.16.
Maria cur ab Ecclesia dicatur: cunctas hæreses interemisse, lib.1,cap.9.schol.num.72.
Fuit Apostolorum magistra, ibid.num.71.72.& li. 1.cap.13.schol.num.27.
Mariæ parientis habitus situsue, lib.1.c.9. th.2.n.9.
Fuit in omnibus à Spiritu sancto directa. ib.n.13.
Mariæ partus mirificè purus, absque Virginis dolore, lib.1.cap.9.theor.3.nu9..& seq. Huius veritatis similitudines, ib.num.7.
Maria quomodo concurrerit in partum, seu emissionem Christi ex vtero, ib.num.9.10.
Maria concepit etiam absque proprij seminis emissione, lib.1.cap.9.theor.3.num.18.& seq.
Maria nullam habuit ignorantiam præter negatiuam rei, ad se minimè certo tempore pertinentis, lib.1.cap.13. schol.num.21. & the.vnica, n.1.
Maria obedientiam cœcam docet, lib.2.cap.6.sch. num.9.
Maria quoto ætatis suæ anno adducta in templum; quoto inde abducta viroque tradita; quoto salutata ab Angelo; quoto etiam Deum pepererit, lib.1.cap.8.theo.vnica, num.3. Tria hæc vltima habes etiam num.1.cap.6.theor.1.num.3.
Mariæ lac, *vide* lac Mariæ.
Mariæ Matrimonium, *vide paulò superius.*

Maria soror Mosis.

Maria soror Mosis an fuerit Virgo, lib.1.cap.5.dig. 3 num.2.
Mater Dei, *vide supra* Maria.

Matrimonium.

Matrimonij essentia in quo verè, ac propriè sita sit, lib.1.cap.5.digr.4.num.1.
Matrimonium duplex affert mutuum dominium inter coniuges, & an vnum separabile ab altero, ibidem.num.2.3.
In Matrimonio duplex considerari potest obligatio ad reddendum debitum, actualis & aptitudinalis, ibid. nu.4. vtra separabilis ab altera, & vtra repugnet castitatis voto absoluto, ibidem, num.3.4.5.
Matrimonium contractum sub expressa conditione ne teneantur coniuges actuali obligatione sibi debitum reddere, validum est, ibid.num.3.5. soluuntur argumenta, n.14.& seq.
Non requirit essentialiter actualem obligationem ad reddendum debitum, ibid.n.3.& seq.
Matrimonio habilis, & inhabilis, qui dicatur lib. 1.c.5.dig. 3.num.4.
Societatis Iesu vota simplicia de castitate seruanda inhabilem reddunt eius alumnum ad matrimonium, dirimuntque iam contractum, ibid.
Matrimonij bona quænam sint, li.1.c.5. dig.4.n.14.
Matrimonij mala, & Virginitatis bona lib.2. ca.6. dig.1.n.2. quid faciendum coniugatis, vt lætitiâ, & quietem inueniant, ibid.n.3.4.

Matthæus.

Matthæus Euangelista quo tempore, quaue occasione, & quo idiomate Euangelium scripserit, lib.1.c.2.theor.1.n.2.3.
Matthæi Euangelium Hebraicum quod nunc extat vel totum vel aliqua ex parte corruptum est lib. 1.c.10.schol.n.8.
Matthæi nomina, obedientia, abstinentia, libr.1.c. 17.schol.num.16.18.25.
Dicitur victima virginitatis, ibid.n.25.
Ad historiam vocationis Matth. quæ legitur die eius festo faciunt 2.3.4.5.6.7. dig. quæ sunt lib. 3.cap.17.

Mensura.

Dare aliquid ad mensuram, vel cum mensura, & dare aliquid non ad mensuram, vel sine mensura in Scriptura est dare, parcè, vel largè, lib.3. cap.3.schol.n.24.

Meto.

Quando meterent incolæ Palæstinæ, lib.3.c.4.sch. num.55.56.

Metreta.

Metreta quæ mensura, quæ item bathus, lib.2.c.6. schol.num.11.

Ministro.

Ministrare quid significet in Scriptura, lib.2.cap.3. schol.num.60.

Miracula.

Miracula fidem nostram confirmantia fuisse vera; & supernaturalia, & ea si neges fuisse, fidem nihilominus confirmare, lib.3.c.5.the.4.n.6.7.8.9.
Miracula non arguunt esse Deum illum, qui ea facit, lib.3,c.16.theor.vnica n.4.
Quod fidei doctrina sit vera; necessaria, supernaturalis, non est euidens, licèt sit euidenter credibile, & fide diuina credendum lib.3. c.5.theo. 4.n.15.16.ibi. n.17.18. multa habes euidentia credibilitatis fidei.

Misericordia.

Misericordiam Deus præfert sacrificio, lib.3.c.17. schol.n.32.& sequent.
Misericordiæ Domini tempus neutiquam præscribendum lib.1.c.11.dig.5. n.7. & lib.1. c.13.dig.1. num.1..
Quæ sint in Deo misericordiæ viscera lib. 1. schol. num.22.

Monachus, Monialis, *vide* Ascetæ.

Montanistæ hæretici.

Montanistæ ad astruendam suam hæresim de Monogamia abutuntur perperam Euangelij loco, lib.3.cap.6.schol.n.5.

Morbus.

Morbi origo non rarò est peccatū, li.3. c.16.schol. num. 16. In morbis prius quærendum regnum Dei, deinde sanitas, ibid.

Morior, Mors.

Mortis continua recordatio valdè vtilis lib.3. c. 5. digr.3.n.9.
Mors apud Deum somnus est, & quare somnus dicatur lib.3 c.18.dig.8.num.1.& seq.
Huc spectantia multa habes tota digr.3. lib.3. c.5.

Mortales.

Mortales similes sunt phreneticis, li.3.c.5.dig.3.n. 7 Contra eorum inanem fiduciam in diuitijs; &c. ibid.num.8.

Perpetuò moriuntur viuendo ibid.n.1.

Mortificatio.

Mortificatio quotidiana est martyrij quoddam genus ex Bernardo, libr.1.c.12. digr.4. n.9.quomodo excedat martyrium cruentum,ibid.

Mortificatio sensuum externorum quam necessaria,lib.1.c.11.dig.1.num.3.

Vide Circumcisio spiritalis.

Moyses.

Moyses an sanctificatus in vtero lib.1. cap.6. schol. num.26.

An Deum viderit clarè,lib.2. cap.4.schol. num.20. & sequent.

Quale fuerit eius ieiunium,lib.2.cap.3.theor.vnica,num.11.15.

Mulier.

Mulierum parientium dolor ex quibus causis, lib. 1.cap.9.theor.3.num.1.

Mulier vt mater sit, an & quale requirat semen, ibid.num.18.& seq.

Mulier significatur voce carnis,lib.1.c.1,sch.n.16.

Mulierum fucus,lib.3.c.1.dig.5.n.2.

Mulierum lac,*vide* Lac.

Vide iterum,Femina.

Mundus,Mundani,Mundi voluptates.

Mundus tribus modis sumitur,lib.1.c.1. schol.n.11.

Mundus liber expansus,mundi opera characteres, lib.1.c.1.digr.5.num.1. & lib.1.cap.2.digr. vnica, num.1.Quæ legenda contineat, lib.1. c.1.digr.5. num.3.4.

In mundo tria consideranda, lib.1. cap.1.digress.6 num.1.

Mundi bona septem,ibid.num.4.

Contra mundanos,& mundi voluptates latè lib.3 c.4.digressionibus 1.& 2.integris.

Mundi redemptio,*vide* Redemptio.

N.

Nascor.

Nasci oriente sole boni hominis loco olim habitum,lib.1.c.6.theor.2.n.3.

Natalis dies.

Tantum natalis dies impiorum in scripturis legitur celebrata lib.1.c.11.theor.vnica,num.1. Cur non item iustorum,ibidem.

Nathanael.

Nathanaelis modestia,lib.2.c.5.schol. num.12. An fuerit frater Philippi: An Bartholomæus, Et cur illum noluit Christus esse Apostolum ibid. num.13.

Vide Philippus.

Natiuitas Christi.

Natiuitas Christi contigit Romano imperio pacem obtinente, lib.1. cap.9. schol. num.7.8.& theor.1.num.6.& seq.

Quoto anno ab orbe condito, quoto anni mense, quoto mensis, atque hebdomadæ die, & hora contigerit,lib.1.c.9.schol.n.28.

Quoto etiam anno Augusti imperij, &c. ibid. & lib.2.c.1.schol.n.8.& lib.2.c.2.theor.1.n.3.

Natiuitatem Christi noctu peractam ex Scriptura colligitur lib.1.c.9.schol.n.48.52.

Quæ acciderint tunc prodigia lib.1.c.9. theor.1.n. 10.& sequent.

Natiuitas Christi quomodo peracta ex diua Brigitta lib.1.c.9.theor.2.n.9.

Fuit omninò purissima lib.1.cap.9.theor.3.num.3. & sequent.Et digress.1.n.23. & lib.1. c.11.schol. num.8.

Ostendit in Christo septem præcipuas virtutes lib.1.c.9.diress.2.per totam.

Fuit similis Passioni lib.1.c.9.dig.3.per totam.

Vide Christi ætas.

Nauis.

Duplex mystica navis ex Ambrosio,altera Moysis, altera Petri,lib.3.c.12.schol.n.5.

Nazareth,Nazareus.

Nazareus per *Zita*,& Natsareus per *tsade* quid significent. An Christus dictus sit *Nazareus*, an verò *Natsareus*,lib.1.c.12. schol.24.25.theor.1. num.6.7.

An Christus fuerit legalis Nazareus, ibid.n.7.quâ rectè sit *Natsareus*,seu flos,ibid.n.2.

Nazareth vicus Galilææ non per *Zita*,sed per *tsade* dicta *Natsareth*, ibidem numero 6.eius nulla mentio in veteri testamento,lib.1. ca.12.schol. num.25.

Quo sensu Christus Nazareus esset,ibidem,schol. 25.26.

Negotiatio.

De negotiatione,& mercatura spirituali, & vera lib.3.c.1.digr.6,num.11.12.& lib.3.cap.17.digr.7. num.1.

S. Nicolaus.

Sanctus Nicolaus an fuerit sanctificatus in vtero, lib.1 c.6.schol.n.20.

Nobilitas,Nobiles *vide* Diuites.

Nomen.

Nomen quinam acceperint antequam nati, in scripturis lib.1.c.1.theor.13.n.13.

Nomina à Deo data aliquid ijs significant, quibus dantur,lib.1.c.8.schol.n.21.

Numerus XLVI.

Numerus XLVI.quid significet lib.3.cap.1. schol. num.24.

Nummularius,*vide* Nundinæ.

Nundinæ.

Nundinas quomodo exercuerint Iudæi in templo, lib.3.c.1.schol.num.9.

De nummularijs,ibid.& n.10.11.

Nuptiæ,*vide* Matrimonium.

Nuptiæ Canæ.

Nuptias inter & Baptismū Christi an annus integer interceserit lib.2.c.6.schol num.1.

Defectus vini in nuptijs quid significet, lib.2. ca.6. digr.1.num.1.

O.

Occasio Peccati,*vide* Peccatum.

Opera bona.

Opera moraliter bona an fieri possint ab infideli, & peccatore,præfat.c.6.n.3.

Operum bonorū veluti mater homo, Pater Deus, lib.1.c.6.theor.4.n.5. Eorum vtilitas confertur in hominem,gloria in Deum, an etiam in hominem aliqua ratione,ibid.& n.6.

Opera bona sunt pœnitentiæ fructus lib. 2. cap. 1. theor.7.num.2.

Optimus.

Optimi titulus quibus tribueretur lib.1. in prooemio,theor.1.num.2.

Originale peccatum,*vide* Peccatum Originale.

Oratio.

Oratio gratissimum est Deo sacrificium, lib.1. c.6. theor.3.num.5.

Orationis aliquot conditiones & locus aptus,lib. 1.c.6.theor.3.n.4.Et lib.1. c.11. dig.5.n.3. & seq. ex Augustino.

Orationi vt probè demus operam, quid agendum, lib.1.cap.6.theor.3.num.4. & lib.3. cap.1. dig.7. num.1.

Orationis causa ex Augustino est desolatio ac peregrinatio à Domino lib.1.c.11.dig.5.n.3.

Orationis instantiam nō rumpere, sed protrahere debet ingruens tribulatio ibid.n.6.

Digitized by Google

Oratio iusti vel etiam totius Ecclesiæ an sit impetratoria de condigno, lib.2.c.1.theor.10.n.7.
Oratio à peccatore fusa proprio nomine, & fusa nomine Ecclesiæ quomodo differant, ibidem, & num.8.
Orationis nomen vniuersum Religionis, & pietatis cultum erga Deum continet libr.3.c.1.digr.3. n.1.2.de reuerentia in orando ibid.n.9.& seq.
Orationē iuuat beneficentia, lib 3. ca.1. digr.7.n.2. Sit illi addita spes, patientia, fides lib.3.c.5 dig. 4.num.2.& seq.
Oratio pro ægrotis est salutaris lib.3.cap.10.schol. num.9.10.
Oratio semper auditur ad salutem, licèt interdum non ad voluntatem orantis, lib.3.cap.15. schol. num.37.

P.

Pactum

QVid sit pactum, & quomodo à testamento differat, vel conueniat cum eo, *vide* testamentum.

Palæstina.

Palæstinæ regionum aliquot situs, atque positio, lib.2.c.1.n.13.& seq.
Panis cœlestis, *vide* Eucharistia.

Paralysis.

Paralysis spiritualis quæ lib.3. c. 16. schol. nu. 29. & quomodo curetur, ibid. ex Aug. lib.2. quæst. Euangel.cap.4.
Parentes, *vide* Filij.

Partus.

Partus mulierū cur cum dolore, lib.1.c.9. th.3.n.1.
Partus Mariæ, *vide* Maria.

Pastores.

Pastores accurrētes Christo nato fuere tres ex Beda, lib.1.c.9.schol.nu.40. Vocati ab Angelo Gabriele.ibid.n.46.ex Cypriano.
Cur vocati primi inter Iudæos lib.1.c.9.the.4.n.8.

Pastores spirituales,

Prælatorum in medio sedet Christus eos docens lib.1.c.13.schol.num.15. sæpe sunt inferiores suis subditis, ibid.num.25.
Prælatorum officium orare pro populo lib.3. cap. 18.digr.2.n.9.
Prælatorum vitia occultanda sunt lib.3. c.14. dig. 3.num.3.& seq.
Vide Episcopus.
Pater in diuinis, *vide* Trinitas, Processio, Relatio, Verbum.

Paulus Apostolus.

Pauli epistola ad Hebræos an sit eius opus, præfat. cap.1.num.13.
An fuerit Virgo, *vide* Apostolus.

Pax.

Pacis acceptiones variæ in Scriptura, lib.1. cap. 11. schol.num.17.
Pax animi haberi non potest, nisi in Deo, lib.1.c.6. digr.3.num.8. Ibi est, vbi peccatum non est, lib. 1.cap.9.theor.7.n.4. Quomodo obtineatur lib.1. c.9.theor.1.n.9.
Pax tempore natiuitatis Christi, *vide* Natiuitas.

Peccatum, Peccator, Peccare.

Peccatum inimicitia hominis cum Deo, lib.1. c.9. theor.7.num.4. homines facit Diaboli seruos, ibidem.
Peccati causa non est Deus, & cur, lib.1. c.1.theor. 9.num.11.& seq.
Peccatum non ita nihil est, vt prorsus negatio sit, lib.1.c.1.digr.4.num.2.
Quomodo peccatorem ducat ad nihilum, eius natura manente, ibid.& num.4. Comparatur fulmini, ibidem.
Peccatum incurrere est summum Dei supplicium, lib.1. c.5.dig.5.n.6. Peccato nihil horribilius, ib.
Peccati occasio fugienda, lib.1.c.12.dig.3.n.4.5.
Ex peccatis nostris facit flagellum Christus, lib. 3. c.1.dig.4. n.9.10.16. Eaque punire solet duplici virga, ibid.n.17. Si puniat in hoc mundo magnū beneficium, ibid.& num.18.
Peccata dimittere an difficilius sit quam miracula facere, lib.3.cap.16.theoria vnica, numero 5. & sequent.
Peccatum quatuor affert mala, libr.3. c.4.digress.2. num.1.& seq.
Peccata publica cùm vergunt in aliorum periculum publicè reprehendenda, licèt peccanti id non sit profuturum lib.3.c.6.schol.n.9.
Peccatis diuersis diuersæ pœnæ lib.3.cap.15.schol. num.29.
Peccatum significatur sanguine, & cur, lib.3. ca.18. digr.4.fermè per totam, vndè constat, turpitudo peccati.& de scandalo publici peccati, ibid. num.2.& seq.
Peccandi consuetudo magnum malum, & difficilè sanatur, lib.3. cap.18.digr.3.num.1.& seq.latè ex Patribus, quod tamen sit remedium, ibidem, num.7.
Peccatorum salutem quantum sitiat Christus lib. 3.c.17.schol.num.31. eorumque conuersio quam cara sit illi, ibid.dig.7.n.5.
Cum peccatoribus versandum, cùm vtilitas speratur, lib.3.c.17.schol.n.26.28.& lib.3.c.18. digr.4. num.18.
Vide Pœna, Pœnitentia.

Peccatum sumptum, pro concupiscentia.

Peccatum cùm pro concupiscentia sumitur apud Apostolum, quomodo Græcè ab ipso significetur, lib.1.c.12.digr.3.n 8.

Peccatum originale.

Peccatum originale quomodo proprium sit, & alienum lib.1.c.2.digr.vnica, num.34.

Pentateuchus.

Pentateuchus Moysis sumit librorum titulos à prima ipsorum voce, præfat.c.8.n.8.

Per.

Per, an significet causam duntaxat instrumentariam, an etiam principalem, lib.1.cap.1.theor.8. num.3.

Perfectio spiritualis.

Perfectionis initium ex concupiscentiæ mortificatione sumendum, lib.1.c.9.dig.5.n.3
Persona in diuinis, *vide* Relatio, Processio, Trinitas.
Persæ, *vide* Magus.

Petrus Apostolus.

Petrus quando cœperit vocari Petrus lib.2.c.5.sch. n.6. illi soli impositum nomen à Christo, ib.n.7. Cur sit dictus Petrus, ibid. quod sit honorificum nomen, ibid.n.8. Prima Petri vocatio qualis fuerit ibid.num.9.
Petrus an Capharnai domum habuerit, & quomodo dicatur habuisse domum cum Andrea, lib.3. c.10.schol.num.3.& seq.
Petri Socrus, q̄, & cuius filia, & an martyr, ibin.7.
Petrus & Andreas quoties vocati, lib.3.c.12.theor. 1.per totam.
Vide Apostolus, & Andreas.

Pharisæus.

Pharisæus nomen est sectæ; Sacerdos verò, & Leuita tribus est, & officij, lib.2.c.4.schol.n.31.

Philippus Apostolus.

Philippus & Nathanaël an periti Scripturarum, lib.2.c.5.schol.n.11.
Philippus vocatus primus ad Apostolatum, ib.n.9
Vide Nathanaël, & Apostolus.

Digitized by Google

Piscatio, & Pisces spirituales.
De piscatione & piscibus spiritualibus, lib.3.ca.12. digr.2.latè.
Pœna peccati.
Pœna peccati tota quidè in Baptismo remittitur, non item tota semper in sacramento Pœnitentiæ, & quare, lib.2.c.1.theor.8.n.3.4.
Pœna duplex damnatorum damni, & sensus constat ex Ioanne, lib.3.c.3.schol.n.27.
Vide peccatum, Pœnitentia, satisfactio.
Pœnitentia Virtus, & Sacramentum.
Pœnitentiç tempus quadragenario numero exprimitur in Scripturis, lib.1.c.11.dig.1.n.3.
Pœnitentia vnde dicta & quid sit, lib.2. c.1.theor. 6.num.7.
Quo sensu dicatur secunda tabula, ibid.nu.9. quomodo sit necessaria lapsis, ibid. n. 4.5.iuncta sit Sacramento, ibid.n.6.
Pœnitentiæ Sacramentum quid sit, ibid. n.11.eius forma, *vide* absolutio.
Pœnitentia virtus, & Pœnitentia Sacramentum quomodo conueniant, ibidem, n.7. & seq. quomodo differant, ibid.n.11.& seq.
Dolor de peccatis an esse debeat explicitus, ib n.5.
Pœnitentia Sacramentum quos actus necessariò requirat, lib.2.c.1.theor.7.n.4. quomodo ij materiæ, & formæ rationem subeant, ibid.n.6. impositio manuum an inter absoluendum necessaria, ibid.nu.7. qui sit effectus, nu.8. quomodo ad Sacramentum conferant fides, misericordia, charitas, num.9.10.
Pœnitentiæ fructus qui, & quot, ibid.n.1.& 2.
Pœnitentiæ Sacramentum nõ semper pertingit ad remissionem totius pœnæ, *vide* Pœna peccati.
Sacramentum dici posset absolutionis, aut reconciliationis, lib.2.c.1.theor.7.n.4.
Virtus pœnitentiæ an propriè partes habeat, ibid. num.3.1. *Vide* Satisfactio.
Portentum, *vide* Signum.
Potestas excellentiæ.
Potestas excellentiæ quid sit, & in quibus sita, lib. 2.c.4.theor.1.n.3.& seq.
An possit communicari puræ creaturæ, exagitatur, eadem theor.1.resoluitur autem, theor.2.n.1. & sequent.
Prælatus, *vide* Pastor spiritualis.
Præputium.
Præputium an sit de integritate corporis resurgẽtis, & quomodo assumpserit Christus resurgẽs, & tamen in terris reliquerit, lib.1 c.9.the.5.n.6.
Præsepe Christi Domini.
Præsepis locus & situs, lib.1.c.9.scho.n.35.36. quomodo à Græcis Patribus nominetur, n.33. an fuerit saxeum, an luteum, an ligneum, n.36.
Præsepe cur electum à Christo, lib.1. ca. 9. theor.2. n.7.8. quam piè coluerit sancta Paula, nu.3. laudatur ab Hieronymo, num.4.
Præsepe Domini, animalia, stabulum, pastores quid significent mysticè ex Eucherio, lib.1.c 9.theor. 4.num.10.
Præsentiæ Dei exercitium, *vide* Deus.
Primogenita.
Primogenita iumentorum, & hominum quomodo mysticè Domino offerantur, li.1.c.11.d.1.n.5.
Princeps.
Quis diceretur princeps apud Iudæos, lib.3.cap.2. schol.num.3.
Principium.
Principium quomodo prius eo, quod est ab ipso, lib.1.c.1.dig.3.n.11.
Processio in diuinis.
Processiones sunt duæ, & vnde existant, lib.1. ca 1. digr.2.n.11.& seq.
Vide Religio. Trinitas Verbum.
Processio Ecclesiastica.
Processionis Ecclesiasticæ ritus vnde extiterit, & quid insinuet, & quid fuerit apud veteres processio, lib.1.cap.11.digr.3.n.2.& seq.
Procuratores Iudææ.
Procuratores quando esse cœperint in Iudæa & quæ fuerint regum, & Procuratorum vices, lib. 2 c.1.theor.3.latè.
Prophetia, Propheta.
Prophetia aliqua quatuor modis dici potest impleri, lib.1.c.12.schol.n.8.
Prophetiæ gradus altior, lib.1.c.12.theor.2. n.12.
Prophetarum consensus in vaticinijs de Messia, lib 1.c.7.schol.n.17. Habitus cum populum prouocarent ad pœnitentiam, libr.1.cap.11.digr.4. num.8.
Prophetis loquitur interdum Deus sine visione imaginaria, lib.1.c.12.theor.2.n.12.
Prouidentia Dei.
Prouidentiæ Dei subsunt omnia, infertque bellum diuinatio, lib.1 c.10.theor.2.n.8.
Per apto Hieroglyphico ab Ægyptijs significata ibid.num.9.
Publicanus.
Publicani, quod genus hominum fuerint, & vndè dicti, lib.2.c.1.schol.n.56.
De publicanis multa, lib.3.c.17.sch.n.6.& seq.
Purificatio Beatæ Mariæ.
Purificatio Beatæ Mariæ à Græcis occursus dicitur lib.1 cap.11.dig.3.n.1.
Purificationis die festo cur candelas feramus, ibid. num.3.
Purificationis hostia mysticè quid insinuet, ibid. num.6.& seq.
Purificationis lege non astinguntur mulieres legis nouæ, lib.1.c.11.schol.n.8.

Q.

Quadragesima.
QVadragesimæ ieiunium congruenter Christi verbis ab Ecclesia institutũ, li.3.c.17.sc.n.44. *Vide* Ieiunium.
Quadragesimæ Montanæ post Pentecosten perperam ex Euangelio colligitur ab hæreticis, ibid. num.42.
Quadragenarius numerus.
Numerus iste in Scriptura celebris, lib.2.cap.3.sch. num.19.

R.

Rahab.
RAhab cauponaria fuit, & meretrix, lib.1.cap.2. schol.n 11.& theor.7.n 6. Et Ecclesiæ vmbra ibid.theor.7.n.7. Apta mysterij explicatio, ibid.
Redemptio.
Redemptionis humanæ negotium quam alacriter à Christo susceptum, lib.2.c.2.theo.3.n.9.& seq.
Redemptio mundi maius opus quam eiusdem creatio, lib.1.c.6.sch. num.35. Opus misericordiæ & fidelitatis, lib.1.c.6.theor.9.num.6.& seq. An item iustitiæ, num.8.
An fuerit sub voto à Christo susceptа lib.1.c.5.dig. 1.num.14.
Reges.
Cur ex gentibus primi vocati ad cognitionẽ Christi fuerint Reges, lib.1.c.9.theo.4.n.8.
Reges Iudææ, *vide* Procuratores.
Regnum Dei.
Regnum Dei quid, lib.3.c.2.schol.n.8.
Relatio.
Relationum modi sunt tantum tres, originis, vnitatis, mensuræ, lib.1.cap.1.digr.2.n.7.

Digitized by Google

Relatio in diuinis.
Relationum non nisi eæ quæ sunt originis, reales sunt in Deo, & quomodo, lib. 1. c. 1. dig. 2. n. 7.
Religiosus, *vide* Ascetæ.
Respondeo.
Respondere interdum dicitur in Scriptura quis nō interrogatus, lib. 1. c. 7. schol. n. 6. & lib. 3. cap. 1. schol. num. 18.
Respicio.
Respicere quot modis dicatur Deus, ex Aug. lib. 1. cap. 6. theor. 6. num. 1.
Resurrectio.
Quot mortuos Christus resuscitauerit, lib. 3. ca. 18. digr. 1. num. 2.

S.

Sabbatum.
Sabbatum quomodo accipiatur, lib. 3. c. 9. sch. n. 7.
Sacerdos.
Sacerdotum veterum sors, & ministerium quomodo distributum à Dauid, lib. 1. c. 4. sch. n. 5. & seq. Quæ propria fuerit deprecatio Zachariæ ad Deū n. 19. Quomodo vnus, quomodo multi principes sacerdotum fuerint, lib. 1. c. 10. sch. n. 21. Principes sacerdotum an plures esse cœperint ex quo tempore Pompeius Ierusalem expugnauit, ibi. Eorum erat de lege respondere, ibid.
Sacrdotis siue doctoris, aut Prophetæ officio fungi, nemini licitum apud Hebræos ante annum trigesimum, lib. 2. c. 1. schol. n. 28.
Sacerdotes auari merito latrones dicuntur. li. 3. o. 1. dig. 6. n. 3. & seq. Eorum supplicium, n. 7. 8.
Sacramenta nouæ legis
Vim continent mortis Christi, & ritè suscipientibus fructum conferunt salutarem, lib. 2. c. 1. the. 6. num. 6.
An, & quomodo sacramenta effectiua gratiæ possint institui à pura creatura, lib. 2. c. 4. th. 2. n. 5. 6.
Salim, vel Salem.
Salim, vel salem quod oppidum, & quotuplex Salem, lib. 3. c. 3. sch. n. 9. & seq. & lib. 3. c. 4. scho. num. 18.
Salomon.
Salomon quomodo puer tenellus regnare cœpisse dicatur in Scriptura, lib. 1. c. 2. the. 8. n. 3. 4. An genuerit Roboam ante annos pubertatis, ibi. n. 1. 2.
Saluator mundi, *vide* Iesus.
Salus.
Salus amissa cum dolore procuranda, omnique tempore, lib. 1. c. 13. dig. 1. n. 1. 2.
Salus à lapsis consequenda per pœnitentiam, lib. 2. c. 1. theor. 6. num. 1. & seq.
Salutis assequendæ tempus opportunum quodnam sit, lib. 1. c. 13. digr. 2 n. 8. & seq. Quis locus, lib. 1. 13. dig. 1. n. 4. 5.
Salutatio.
Salutatio Hebræis vsitata, lib. 1. c. 5. schol. n. 9.
Salutatio B. Virginis, *vide* Gabriel.
Samaria, Samaritanus.
Samaria ciuitas, & regio, lib. 3. c. 4. schol. n. 13.
An cum Samaritanis esset Iudæis prohibitum cōmercium, ibid. num. 24. 25.
Sanctificatus, Sanctus.
Qui fuerint in vtero sanctificati, l. 1. c. 6. sc. n. 19. 20.
Sanctis præter Christum & Mariam si quando gratia pleni dicuntur, quæ gratiæ plenitudo tribuenda, lib. 5. c. 1. theor. 3. n. 9. 10.
Satan.
Satan in veteri, Satanas in nouo dicitur testamento, & quid propriè significet, lib. 2. c. 3. sch. n. 14.
Satisfactio.
Ipsum satisfactionis vocabulum à Luthero odio habitum, lib. 2. cap. 1. theor. 8. num. 1. satisfactio pro peccatis est pœnitentia ad salutem stabilis apud S. Paulum, ibid. num. 4. satisfactionis operibus valdè incumbendum, ibidem. num. 5. & seq. & theor. 9. num. 5. &, seq.
Satisfactio sacramentalis vndenam habuerit ortum, lib. 2. cap. 1. theor. 9. num. 1. Eam acceptare tenetur pœnitens, & acceptatam exequi, n. 2.
Satisfactionum diuersitas tum in ratione seueritatis, tum in ratione temporis non immutauit vnquā Sacramenti Pœnitentiæ substantia, ib. n. 3.
Sacramentalis tum grauitati, tum qualitati criminum respondeat, ibid. num. 4.
Sacramentali impleta non desistendum ab operibus sanctis, ibid.
Satisfactio nostra non imminuit, nedum obscurat Passionis Christi meritum, ibid. num. 8. 9.
Satisfactio peccatoris an post acquisitam gratiam reuiuiscat, lib. 2. cap. 1. theor. 10. num. 3.
Satisfactio debitè facta, siue pro se, siue pro alijs soluit, vel minuit purgatorij pœnam de condigno, ibid. num. 10. & seq. Non item pœnas extraordinarias huius vitæ eodē modo tollit, ib. n. 12.
Satisfactio vt omninò sit valida quas habere debeat conditiones, lib. 2. cap. 1. theor. 10. per totam.
Scandalum, vide *Peccatum.*
Scriba.
Scribarum officium, lib. 1. c. 10. sch. num. 22.
Scriptura sacra.
Scriptura hebraicè conscripta, nunc non est omninò integra, & sine mendis, lib. 1. c. 3. schol. n. 10.
Scripturæ sacræ mos, loqui de vrbibus ac si essent homines, & de vna re in numero plurali, lib. 1. cap. 10. schol. num. 26. 27.
Scripturæ sensus litteralis, & mysticus, & quod litteralis sit duplex, & duo sint eius signa, lib. 1. cap. 12. schol. num. 5. & seq.
In nouo testamento modus ille loquēdi: (vt impleretur quod dictum est, &c.) sensum indicat litteralem, quamuis non infallibiliter, ibi. n. 9.
Intelligentia Scripturæ vt vinum suaue est, lib. 2. cap. 6. digr. 2.
Vide Pentateuchus, Interpretatio.
Scriptores canonici.
Nunquam memoria lapsi, præfat. c. 8. n. 12.
Sebaste.
Sebaste quæ, lib. 3. c. 4. schol. n. 13.
Sepultura.
Fideles in templis sepeliri perutile, li. 3. c. 1. d. 1. n. 7.
Seraphim.
Seraphim ex officio, & passim mitti non solent, lib. 1. c. 5. schol. nu. 3. Mittuntur tamen, lib. 1. c. 5. theor. 1. à num. 6. vsque ad 16.
Sermo.
Christus interdum dicitur sermo in scriptura, lib. 1. cap. 1. digr. 1. n. 3.
Serpens Moysis.
Serpens Moysis cur diceretur ignitus, & quomodo signum fuerit, lib. 3. c. 2. schol. n. 25. 26.
Sextarius.
Sextarius quid, lib. 2. c. schol. n. 11.
Sicera.
Siceræ nomen quid significet, & vnde ductum, lib. 1. c. 4. schol. num. 23.
Sichar.
Sichar quæ ciuitas, lib. 3. c. 4. sch. n. 14. & seq.
Sichem.
Sichem an duplex. lib 3. c. 4. schol. n. 15. 16.
Sicut.
Qui sit vsus particulæ *sicut* in Scriptura, lib. 1. c. 6. schol. num. 42.
Signum.
Signorum aliud distinctionis, aliud agnitionis, aliud probationis, lib. 1 c. 9 sch. nu. 58.

Digitized by Google

Signum quid sit, & cur sic dicatur: quid item portenta, & quid virtutes, lib.3.ca.1.schol.nu.19. & lib.1.c.11.schol.n.25.

Simeon Euangelicus

An fuerit sacerdos, li.1.c.11. sch.n.24. quædam ei ab aliquibus tribuuntur incerta ibid.n.9.11.12.

Illius Encomia præter Euangelica, lib.1. c.11.dig.2. num.3.

Sitis.

Sitis quomodo signatur, & quid sit, lib.2.c.3.theo. vnica, n.6. An Christus in deserto famem sit passus, & sitim, *vide* ieiunium Christi.

Socrus Simonis, *vide* Petrus.

Societas Iesu.

Societatis Iesu vota simplicia de castitate seruanda inhabilem reddunt eius alumnum ad matrimonium, dirimuntq; iam contractum, lib.1.c.5. digr.3.num.4.

Solitudo.

Solitudo apta ad percipiendas Dei inspirationes, lib.2.c.1.scho.n.26.27.

Ad solitudinem vocantur à Deo qui destinantur in magnos Ecclesiæ rectores, & operarios, lib.3.c. 8.digr.1.num.8.& seq.

Somnia.

Somnia aliqua à Deo immitti, certum lib.1.cap.12. theor.2.num.9.quomodo ea inducat ipse Deus, quomodo verò Angeli, n.8.

Somnia per Angelos quomodo fiant, ib.n.2. & seq.

An interdum vtantur Angeli in hac re leui aliquo susurro, ibid.num.5.6.

Somnium cum susurro aliquo valdè accomodatũ hominum naturæ, ibid.n.6.

Somniorum aptius tempus, nocturnum, ibid. n.10. An somnia aliqua reperiantur in quibus Deus intus loquatur, sine visione imaginaria, ibi.n.12.

Somniorum, quæ nobiliora, ibid.

Qualia fuerint somnia D. Iosephi viri B. Virginis, ibid.à num.1.ad 11.

Somnia internoscendi regulæ, ibid.num.7.

Spiritus.

Spiritus interdũ idem est in Scriptura ac vocatio, zelus, fortitudo, iungique solet cum virtute, lib. 1.c.4.schol.num.26.

Spiritus interdũ sumitur pro anima, l.1.c.6.sc.n.25.

Spiritus sanctus.

Spiritus S. quomodo procedat ex amore creaturarum, lib.1.c.1.dig.1.n.19.20.

Appellari videtur in Scriptura digitus, & virtus Dei, lib.1.c.5.theor.8.num.3.

Nõ est principiũ Verbi, nec q̃, nec quo l.1.d.1.n.18.

Non est Patris instrumentum, lib.1.c.5. schol.n.35. & theor.8.n.2.

Causa est efficiens principalis cum Patre Incarnationis Verbi, vtrobique.

Suppleuit efficientiã seminis in Incarnatione Verbi, lib.1.c.5.sch.n.35.39.& the.8.n.1.& 5.

Neque imperfecto modo est Pater Christi, lib.1.c. 5.theor.8.n.5.

Quare illi tribuatur Christi cõceptio, & quidquid est beneficij, & benignitatis, ibid.n.6.

Cur dicamus potius Christum conceptum de Spiritu sancto, quam ex Spiritu S. lib.1.c.8.sch.n.19.

Spiritu S repleri quid sit, lib.1.c.4.sch.n.23.& quod minus significare videatur, quam gratia plenum esse lib.1.c.5.theor.3.n.8.

Stagnum Genesareth.

Stagnum Genesareth, lib.3.ca.12.schol.n.3.

Stella Magis visa.

Stella Magis visa ea est, de qua Balaam, lib.1. cã.10. schol.n.10.33. Apparuit ex Chrysostomo specie pueri crucem gestantis, ibid.n 16.

Orta primũ in Iudæa, mox incedes visa est Magis in Oriente, ibid.n.35.ex quodam graui auctore.

Non duxit Magos Ierusalem vsque, ibid.n.33.

Quo tempore Magis apparuit, ibid.n.13.

Quæ fuerit eius substantia, qui motor, quæ differẽtia ab alijs, lib.1.c.10.th.3.n.1.& seq.vsq; ad 9.

Stella.

Ex stellis diuinatio, *vide* Diuinatio.

S. Stephanus.

Sanctus Stephanus qua in parte Ierusalem fuerit lapidatus, lib.1.c.9.schol.n.42.45.

Sterilitas, Sterilis.

Sterilitas olim probro dabatur, lib.1.c.4.sch.n.38.

Sterilitas coniugum vxori tribuitur in Scriptura ibid.num.12.

Sterilem vetualem concipere minus miraculum quam concipere virginem, lib.1.c.5.schol.n.41.

Suffragia.

Suffragia nomine Ecclesiæ facta à ministro in mortali peccato, qua ratione prosint alijs, qua non prosint, lib.2.c 1.theor.10.num.4.& seq.

Superbia, Superbus.

Superbia etiam in rectè factis timenda, lib.1. c.6. theor.6.num.4.

Superbia in tribus maximè procax, scientia, diuitijs, honore, lib.1.c.9.digr.2.n.8.

Superborum pœna quę, lib.1.c.6.sch.n.36.37.

Superstitio.

Superstitio duplex, lib.3.c.4.schol.n.44.

Suscipio.

Suscipere propriè quid sit in Scriptura, lib.1.cap.6. schol.n.40.& theor.9.n.1.

T.

Tabernaculum.

TAbernaculum repræsentauit mundum, lib.1.c. 1.digr.6.n.5.

Telonium.

Telonium quid, lib.3.c.17 schol.n.11.

Templum.

Templorum fines ob quos erigũtur, lib.3.c.1.dig.1. num.1.& seq.

Cæremoniæ in eorum dedicatione, ibid.n 8.9.

Templa res sanctas continent, habentque Angelorum præsentiam, ibid.n.10.

Deum in se continent per singularem quandam protectionem, ibid.n.11.& dig.3.n.7.

Templa horret dæmon, lib.3.c.1.dig.1.n.12.

Templa nostra cum Salomonico comparãtur, ibi. num.14.& seq.

In templo quam sanctè versandum, ibid.n.16.21.22.

Templorũ tituli, & nomẽclatura, l.3.c.1.d.2.n.6.& 7.

Non discedendum à templo ante absoluta mysteria, ibid.num.12.

Templum orationis domus, lib.3.c.1.di.3. per totã.

Templa Christianorum cur ad orientem versa, ibi. num.3.& seq. Templi violatores grauiter à Deo puniuntur lib.3.c.1.dig.4.n.1.& seq.

Peccata in templis facta contra eorum dignitatẽ, Idola quædam zeli sunt, ibid.n.7.

In templis triã inprimis idolorum genera detestatur Deus, lib.3.c.1.dig.5.n.1.

Quanta cum honestate versandum sit in templis, ibid. n.1.& seq.

Templum Hierosolymitanum.

Quot annis ædificatum, lib.3. c.1.sch.n.21.22.

An ab Herode exstructum, ibid.n.23.

Cur dicatur Ariel, lib.3.c.1.dig.1.n.13.

Cur Dauid excluſus à templo ædificando, lib.3.c.1. dig.7.n.3.

Quam magnum silentium in eo obseruarint ministri, ibid.n.5.

Templi Salomonis, eorumq; quæ ad ipsum spectabant, breuis, & dearticulata descriptio lib.1. ca. 4.theor. vnic a.

Digitized by Google

Templum Samaritanorum.

Templum Samaritanorum vbi, & quando extiterit, lib. 3. c. 4. schol. num. 39.

Templum animæ spiritale.

De templo animæ spirituali, lib. 3. c. 1. dig. 8. latè.
Violatur potissimum per tria peccata, ibid. n. 13.
Qua diligentia purgandum sit, ibid. n. 14. 15.

Vide Homo.

Templorum Ministri.

Templorum ministri antiqui quam sancti esse debebant, lib. 3. c. 1. dig. 1. n. 17. & dig. 2. n. 1. & seq.
Quanto maior sanctitas requiratur in ministris noui testamenti, lib. 3. c. 1. dig. 2. n. 5.

Tempus.

Tempus huius vitæ breue, li. 1. c. 13. dig. 2. n. 8. 9. Opportunum tamen ad Deum quærendum, ibid.
Temporis iactura valdè noxia, atque turpissima ex Seneca ibid. num. 10. 11.

Tentatio.

Tentatio vndique sectatur nos, lib. 1. c. 12. dig. 3. n. 4. Iuuat tempestiuè fugere, num. 5.
Tentatio carnis quo sensu apud S. Thomam dicatur non fieri sine peccato, lib. 2. c. 3. schol. n 35.
Tentationes diaboli, carnis, & mundi quibus vincantur armis, lib. 2. c. 3 dig. 2. n. 9. & seq.

Tepiditas, Tepidus.

Tepiditas in spiritu febris per spiritualis, & mali omnis origo, lib. 3. c. 10. dig. 2. nu. 19.
Tepidus in vita spirituali valdè Deo displicet, & incipit in hac vita à Deo relinqui, sub finem relinquendus, lib. 1. c. 13. dig. 2. n. 12. & seq.

Testamentum.

Testamentum, & pactum quomodo differant, præfat. c. 1. n 5 & sequent.
Testamenti, & pacti voces promiscuè vsurpantur, ibid. num. 8.
Testamentum verè, & propriè vocat Paulus, imò, & melius id q̃ Hebræis est *Berith*, ib. n 9. & seq.
In testameto includitur mors, vel sanguis, ib. n. 10.
Testamentum quid sit, ibid. n. 13. in fine.
Testamentum vetus vbi contineatur, vbi etiam & nouum, ibid n. 16.
Inter vetus, & nouum testamentum septem differentiæ, præfat. c. 2. per totum.
Testamentum vetus quomodo firmum erat ante Christi mortem, ibid. n. 4.
In testamento nouo apertè promittitur, itemque datur hæreditas, ibid. n. 4. & seq.
Differentia inter promissa propria veteris, & noui testamenti ibid. num. 9.
Hæreditas cœlestis ad nouum pertinet testamentum, sicut & gratia, ibid. n. 9. 10.
In testamento veteri erant quidē iusti filij Dei, sed non in statu, & conditione filiorum Dei, secus in nouo ibid. num. 11.
Quibus nominibus nouum, quibus vetus vocetur, præfat. c. 3. n. 2. Hoc littera occidēs, illud spiritus viuificans apud Paulum, n. 3. & seq vetus testamentum duobus modis dicitur occidere, n. 4.
Vet. testamenti ministris ministerium litteræ noui aūt ministerium gratiæ competit, ibi. n. 5. & seq
Testamentū nouum interius hominē iuuat, ibi. n. 7.
Finis vtriusque testamenti, ibid. n. 7. & sequent.
Testamentum nouum continet leges duplices duplici ratione, licèt ex se non poscat illas, secus vetus, præfat. c. 4. n. 2.
Testamenti diuisionem in nouum, & vetus reperire est in scriptura, non item legis in nouam, & veterem. præfat. c. 3. n. 2.

Tetrarchæ.

Tetrarchæ cur reges vocentur interdum in Euangelijs, lib. 1. c. 4. schol. n. 2.
Tetrarchia, & Tetrarcha quid, lib. 2. c. 1. schol. n. 16.

Theophilus.

Theophilus illæ Lucæ Euang. 1. & Act. 1. non est nomen fictū cui non subsit certa persona lib. 1. proę. theor. 1. n. 4. Quisnam is sit, ibid. n. 1.
Theophilus sextus Episcopus Antiochenę Ecclesię alius est ab isto Lucæ, ibid. num. 3.

Timor.

Timor Hebræis est reuerentia, & religio, lib. 1. c. 7. schol. num 11.
Timor duplex, lib. 3. c. 14. schol. n. 24.
Timor frœnum linguæ & culter circumcisionis spiritualis, lib. 1. c. 9. dig. 5. n. 12. 15.

Tribulatio.

Tribulationis vtilitas, lib 3. c. 5. digr. 1. nu. 5. & seq. Eius effectus, ibid. n. 4. 11. 12.
A tribulatione nec liber est iust⁹, l. 3. c. 14. d. 1. n. 16. 17
Tribulatione ingruente quid agendum, libr. 3. cap. dig 2. n. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 12.
Peccatorem à Deo non corripi, obscurum est dānationis indicium, lib. 3. c. 18. dig. 2. n. 6. & seq.

Tribus.

Tribus Israel quomodo duodecim, itemq; tredecim numerentur, lib. 1. c. 2. theor. 5. n. 2. & 3.

Trinitas.

Trinitatis mysterium an potuerit mundus cognoscere, lib. 1. c. 1. theor. 16. nu. 4. Rationes naturales illud concludentes soluuntur, dig. 2. n. 3.
Diuinæ personæ non nisi per relationes originis distinguuntur, ibid. n. 6. & seq.
Quid, & quomodo sit in Deo processio, ibi. n. 9. 10.
Quomodo ab intellectu, & voluntate quæ vnū sunt procedāt duæ personæ in re distinctæ, ib. n. 16. & f.
Pater de sua substantia Filium gignit, & quomodo id intelligatur, lib. 1. c. 1. dig. 3. n. 1. 2.
Quomodo Trinitas personarum habeat vnitatem naturæ indiuiduam, ibid. nu. 13. Cur in creaturis multiplicitas personarum sit cum multitudine naturarum, non item in diuinis, ibid. n 14.
Trinitatis opera communia modo vni personæ, modo alteri tribuuntur, lib. 2. c. 1. schol. num. 5.

Tropitè.

Qui fuerint hi hæretici, lib. 1 c. 1. theor. 19. n. 5.

Turbatio.

Turbatio in scriptura interdum sumitur pro ea quę fere exanimat, lib. 1. c. 4. schol. n. 17.

Turris Ader.

Turris Ader an eandem quæ turris gregis, lib. 1. c. 9. schol. n. 40.

V.

Verbum Dei.

VErbū Dei an notū fuerit Philos. l. 1. c. 1. th. 2. n. 3
Consubstantiale est Patri, lib. 1. c. 1. theo. 5. n. 1.
Coæternum est Patri, lib. 1. c. 1. theor. 7. n. 5.
Verbi tres veluti status, ibid. num. 7.
Per Verbum omnia fecisse Patrem trifariam intelligi potest, & an Verbum dici possit Panis instrumentum, lib. 1. c. 1. theor. 8. n. 4. & seq.
Cur dixerit Ioannes omnia facta per Verbū & non Patrem fecisse omnia per Verbum, vel cum verbo, vel à verbo omnia facta, ibid. n. 7. Verbi triplex effectus, esse, vita, lux, lib. 1. c. 1. theo. 11. n. 1.
Cur dicatur à Ioanne hominum & non Angelorū lux, lib. 1. c. 1. theor. 12. n. 1. 2.
Verbi diuini cum humano similitudines, lib. 1. c. 1. dig. 1. n. 10. 11. Differentiæ, n 12. & seq.
Procedit ex notitia diuinitatis, diuinarum personarum, & creaturarum omnium, ib. n. 13. & seq.
Verbum procedit à Patre ex scientia visionis Filij, & Spiritus S. quæ est intuitiua ibid. nu. 15. 16. Ex scientia verò simplicis intelligentiæ creaturarum sub esse possibili, ibid. n. 18.
Verbum propriè dicitur de Deo, ibid. nu. 23. & seq. Quomodo vocetur à D. Ignatio substantia genita, ibid. num. 26.

Digitized by Google

Verbum incarnatũ, *vide* Incarnatio pluribus locis.
Vide Spiritus sanctus.

Verecundia.

Verecundia quid sit, lib.1.c.5.theor.5.n.4.

Verum.

Verum tribus opponitur, lib.1.c.1.theor.15.n.2.

Vidua, Viduitas.

Viduitatis status non parui momenti in scripturis sanctis, lib.1.cap.11.digr.4.n.1.eius encomia eadem tota digressione fusè.
Viduis licet nubere contra Tertull.ibid.n.3.
Viduæ à quibus vitijs præcipuè debeant abstinere lib.1.c.11.dig.3.n.14.& dig.4.n.4.& seq.
Vidua vnde nomen trahat ibid.n.5.
Viduarum par eximium Anna,& Iudith, lib.1.c.11. digr.3.n.12.cæterarum omnium exemplaria, ibi. dig.4.n.6.& seq.& digr.5.n 1.& sequent.
Viduitatem seruare sine virtutum præsidio, difficillimum, ibid.n.2.
Viduis præcipuè oratio iniungitur in scriptura, ib. num.3.ex August.
Viduæ quibus virtutibus esse debeant insignitæ tota digressione 5.latissimè

Virgo.

Virgines non decet alienas domos adire, lib.1.c.6. schol.num.4.
Virginitas Mariæ, *vide* Mariæ virginitas.
Virginitatis votum, *vide* Votum virginitatis.
Virtutes, *Vide* Signum.

Visio.

Visio intellectualis apud theologos quæ nam sit, li 1.c.5.digr.2.n.6. Quæ item sit imaginaria, vel sensibilis, & quæ ex istis mereatur nomen Propheticæ visionis, ib.
Vide Apparitio.

Visito.

Visitare quid sit,& quamodo in Scriptura vsurpetur, lib.1.cap.7.schol.num.23.

Vita.

Vitę breuitas,& vanitas varijs rebus comparatur, lib.3.cap.1.dig.3.num.1.4.& seq.
Vita sicut, & salus, sumitur interdum pro caussa viæ & salutis, lib 1.cap.1.theor.10.num.19.

Vmbræ motris.

Vmbra mortis quid sit, lib.1. cap.7. schol.num.25.

Vnigenitus.

Vnigeniti, & primogeniti voces quid significent, lib.1. cap.1.theor.20.num.6.

Votum.

Voti solennitas quando inducta, lib.1. cap.5.dig. 3.num.4.
An necessaria per se ad perfectionem Virginitatis, ibidem.
Votum castitatis simplex non facit inhabilem ad matrimoniũ, excipiuntur tamen vota simplicia Societatis Iesu, ibid.
Votum virginitatis an prohibitum fuerit in lege veteri, ibid.num.3.
Votum de seruanda.v.g.castitate, non tollitur, nec suspenditur per hanc conditionem, nisi Deus aliter declarauerit, ibid.num.5.
Voto de perpetua castitate seruanda non repugnat aptitudinalis obligatio ad reddendum debitum, secus actualis, lib.1.c.5.dig.4.n.5.8.

Vultur.

Vulturis mos in cibo sumendo ex Epiphanio.lib.2. cap.3.theor.vnica,num.13.

Z.

Zabulon.

Zabulon, & Nepthalim terra quæ sit, lib.3, c.7. schol.num.9.

Zacharias.

Zachariam patrem Ioannis non fuisse Summum Sacerdotem, monstratur, lib.1.c.4.sch.n.4.13.14. 16.17.
Zacharias peccauit petendo signum, lib.1. c.4.sch. n.31.& lib.1.c.5.theor.7.n.1. An tantum veniali-ter,& cur alij item signa petentes non censeantur peccasse, lib.1.c.4.schol.num.31.
Zachariam non solum mutum, sed & surdum effectum esse, ibid.num.33.
Zachariæ an prædixerit Gabriel Ioannem mense Septembri in die expiationis, ibi.n.37.
Zachariæ turbatio quomodo differat à turbatione Christi, eiusque Matris, lib.1.c.5.theor.5.n.8.9.

Zelus.

Zelus rectus tria debet habere,& qui sint quos comedit zelus domus Dei, vel qui comedunt de zelo domus Dei, lib.3.c.1.sch.n.18.
Vide Christi gratia &c.

FINIS.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

Digitized by Google

DILVCIDATIONVM EVANGELICARVM

Pars altera;

CONTINENS EXPOSITIONEM
libri quarti Enchiridij Euangeliorum.

AVCTORE

VINCENTIO REGIO E SOCIETATE IESV THEOLOGO.

PERMISSV SVPERIORVM.



BIBLIOTHEQUE DE LYON

COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus Bernardi Gualtheri.
ANNO M. DC. XV.
Cum gratia & priuilegio S. Cæsareæ Maiestatis.

Digitized by Google

AVCTOR CHRISTIANO LECTORI.

EN tibi Christiane Lector nostrarum altera Dilucidationum pars, quæ ea, quæ Christus Dominus à secundo ad tertium gessit Pascha comprehēdit; ducit autem initium ab illius Paralytici historia, quē ad probaticam piscinam tot annos expectantem aquæ motum, Dominus sanitati restituit, ad eam vsque disputationem, quam apud Capharnaitas de Venerabili Sacramento habuit. Nemo verò miretur velim, si mole libri dissentiant. quippe cùm ea nobis maximè librorum arriserit distributio, qua singulis libris, singuli ferè vitæ Christi anni, vel singula Ioannis Paschata comprehenderentur. Cumque vnus annus multò magis de Christi rebus meminerit quàm alius, ideò vnum præ alio librū magis etiam excreuisse oportuit. Præter itaque primum librum, qui Christi habet infantiam, alter Christi gesta trigesimum agentis annum complectitur, hoc est, à Baptismo ad nuptias vsque, in quo quidem nullam inuenio Paschatis factam esse mentionem ab Euangelistis. Tertio deindè libro, quæ à Domino gesta primo Paschate, paulò post nuptias celebrato, habentur. (Eo enim incipit numerus per Paschata, quem Ioannes sequitur) ad secundum vsque Pascha.

A secundo itaque Paschate Ioannis huic libro quarto initium fecimus, quo secunda continetur harum Dilucidationum pars ad tertium vsque Paschatis tempus, vnde quintum librum Dei Opt. M. Matrisque eius integerrimæ auxilio auspicabimur. Si quid verò ex hoc nostro qualicunque labore Lectori vtilitatis redundabit, totum Deo, Deiparæque Sanctissimæ acceptum ferimus, quibus profectò tantus labor paratur, & dicatur, quorum vti freti ac tuti auxilio, præsidioque primam partem, ita & hanc secundam edimus, ijsdemque mox dantibus, & partes alias adijcere excogitamus, quod vt faustè, feliciterque fiat, te magnoperè quæso Lector Deum, Beatamque roges Virginem hoc suum sibi datum munus agnoscant, vt quidquid vel tibi, vel ceteris sacrarum rerum studiosis proderimus, eiusdem Dei Sanctissimæque Parentis gloriæ, & honori acceptum referatur.

(·)

Digitized by Google

TYPOGRAPHVS LECTORI SALVTEM.

SACRARVM Interpretem litterarum, præsertim quas Dominus Iesus suo sanguine consignauit Christiane ac proinde Amice, vnum illud oportet spectare, vt vnumquemq; iuuet; id verò quoniam omnibus præstare per se minimè valet; propterea quod nisi doctioribus, ijsq; pijs aditus ad huiusmodi opera patere non debet; satis sibi consultum putauit Auctor hic noster ijs præsertim, & verbi Dei concionatoribus prodesset in primis, deinde per hos vniuersis. Et verò hi quando vitam, actionesq; Seruatoris nostri habent ante oculos in his libris explicatas, atq; vt in tabula expressas, habent etiam quod oculis mentis proponant ad meditandum vtiliter, cogitandumq;. Quamquam vt meditatio commodior, ac fructuosior sit, Enchiridion dabitur, quatuor Euangelia vno continenti textu complectens, cum breui quadam explanatione.

Est & alius in his libris fructus, quem in alios deriuare Concionatorum est munus; etenim in ijs cum res quinque desiderentur; Primum vt nouerint operum Christi eiusq; vitæ seriem, Euangeliorumq; concordem nexum, & quo quidque anno, ordineq; contigerit. Deinde ne sensus litteræ, difficultatesq; ignorent, quæ non rarò incidunt in Sacris libris.

Posteà vt quæstiones etiam illas, quæ agitantur in scholis apprimè calleat, vt nodum ipsum ex sese aliquando intricatum, extricet ad captum vulgi & populi dilucidè, & breuiter, rem tamen totam ne ieiuna aut fastidij plena videatur, Patrum, scripturæq; auctoritate condiat, exemplis comparationibusq; concinnet. Ad hæc autem peragenda eruditione est opus, quæ erat quarta res concionatori pernecessaria. Postremò locuples vt sit oportet earum rerum, quæ moribus per virtutem confirmandis, ac vitiorum morbis ex animo profligandis faciunt, ex Sanctorum Patrum, sacræq; scripturæ hortis decerptæ.

Quæ cùm ita sint, sanè non mediocriter admirari debes, atq; amare Auctorem ipsum, qui nihil ex ijs præterit quæ recensuimus, quin verò omnia numero peragit. primum per octo libros Dilucidationum totidem Enchiridij libris respondentes historia Euangelica per ordinem temporum, annorumq; accuratè distribuitur, ratioq; dictorum innuitur, fusius in Enchiridio tractata. Secundo loco verborum, sententiæq; vis patefit scholijs iustis, & commentariorum instar comprehensa. Hic non pauca sæpè ad mores, nonnulla ad alias difficultates facientia tanguntur, quibus tamen posthabitis neque sententia haberi poterat.

A scholijs ad Theorias fit gradus, quæ illic apponuntur, vbi existimatur operæpretium. In his quædam interdum arduæ in scholis, atque occultæ in Theologia aperiuntur opportunè, & dilucidè, adhibita luce Patrum, face scripturæ, exemplorumq; splendore.

Theorias excipiunt Digressiones; harum duplex genus. Vnum rarum illud quidem, sed eruditione refertum, solida atque vbere, quæ tanquam Aegyptio, sed tamen aureo, argenteoq; ornatu par est exornetur scriptura, & has simplici nomenclatura Digressiones voca. Alteræ Digressiones morales appellantur, vnde haurire commodum est, quæ sancti, vetustiq; scriptores in vnumquodque genus moris, virtutisq; docuerint, ne cùm alios doces nihil familiariter attingendo, sed vniuersè omnia perstringendo, otiosè inutiliterq; doceas.

Hæc, vt præfatus sum, omnia Scriptor noster studiosissimè præstat; cuius quidem ego cùm ingenium, virtutemq; sum semper veneratus, tum maximè in hoc opere diligentiam atque doctrinam; adeò nihil sibi parcendum putauit, quo minus omnia moueret vnde aliquid Lectori proficeret, solidè, ac veræ sapientiæ Magister non leuis atq; umbratilis. Ita nō dedignatur, si quid boni alius scriptor etiam humilis aut recens dat, accipere, & de vnoquoque cum præfatione honoris loquitur, aut honorificè sentit. Quæ in scribente dotes sunt optimæ. Nihil dico de operis quasi quadam coronide, Digressionibus scilicet illis ad singula anni Euangelia, cum ad ea, quæ in diebus Dominicis, ac ieiunio maximo publicè recitantur in Ecclesia, tum ad illa quæ sanctorum celebritati singillatim applicantur, nihil de infinitis pænè alijs totius sacræ paginæ locis sparsim illustratis; quæ vniuersa copiosus index subsequitur, vno veluti aspectu proponens quidquid est in omni genere argumenti opportunum Concionatori, cuius vsui inprimis atque commodis hic liber prodit, vt prosit. Vale.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
CAPITVM QVARTI LIBRI
EVANGELICARVM DILVCIDATIONVM.

CAP. *Dilucid.* CAP. *Euang.*

1. Ascendit Ierosolymam circa Pascha Dominus, & sanato in Sabbato homine, qui laborauerat triginta & octo annos, disputat cum Iudæis D.5
2. Pharisæos ab confricatas à discipulis spicas in Sabbato offensos confutat Dominus *A.12.B.2*
3. Pharisæos ob sanatam in Sabbato manum aridam rursus confutat *A.12.B.3.C.6*
4. Christus in mõte nouam legem insinuat, Præcepta, consilia, & nouæ legis perfectiones veteribus præfert. *A.5*
5. De inani gloria loquitur, modum orandi docet, & ieiunandi, & sollicitudinem rerum temporalium prohibet *A.6*
6. Docet non esse temerè iudicãdum vel docendum, oratione opus esse, & operibus nõ falsis & mendacibus, sed iuxta sanctorum verba ambulandum & operandum *A.7*
7. Vt Christus legem latam in monte confirmaret, in descensu montis leprosum mundauit *A.8.B.1.C.5*
8. Eliguntur Apostoli, docentur Beatitudines, quibus subduntur plurima consilia & præcepta Euangelica per quasdam similitudines *B.3.C.6*
9. Centurionis puerum à paralysi curat *A.8.C.7*
10. Viduæ filium iuxta Naim suscitat, Ioannis discipulos, quos è carcere ad eum miserat, erudit, & Iudæos illius verbis insultantes cõfutat *A.11.C.7*
11. A peccatrice pedes vnctus, Simonem murmurantem ex proposita illi parabola confutat *C.7*
12. Dæmoniacum cæcum & mutum, mirantibus multis sanat, & murmurantes Pharisæos, & signum de cœlo petentes arguit, & qui filij Dei sint, mater & fratres, ostendit *A.12.B.3. C.11.& 8*
13. Parabola seminantis *A.13.B.4.C.8*
14. Parabolæ zizaniorum, seminis crescentis, grani sinapis & fermenti *A.13.B.4*
15. Explicatio parabolæ zizaniorum, thesaurus absconditus, negotiator, & sagena missa in mare *A 13*
16. Docet in Nazareth *A.13.B.6.C.4*
17. Mittuntur ad prædicandum Apostoli *A.9.& 10 B.6.C.8.& 9*
18. Audit Herodes de Iesu *A.14.B.6.C.9*
19. Quinque panibus pascuntur quinque millia hominum *A.14.B.6.C.9.D.6*
20. Nauis in medio mari *A.14.B.6.D.6*
21. Panis de cœlo *D.6*

INDEX COMPLECTENS CAPITA SINGVLORVM EVANGELISTARVM, QVAE IN HAC QVARTA PARTE seu libro exponuntur.

CAP. D. MATTH.

CAP. MATTH. Cap.lib.

5. *Christus in monte nouam legem insinuat, præcepta, consilia, & nouæ legis perfectiones veteribus præfert* 4
6. *De inani gloria loquitur, modum orandi & ieiunandi docet, sollicitudinem rerum temporalium prohibet* 5
7. *Docet non esse temerè iudicandum, oratione opus esse, & operibus non falsis &c.* 6
8. *Leprosum in descensu montis sanat* 7
Centurionis puerum à paralysi curat 9
9. & 10. *Mittuntur ad prædicandum Apostoli* 17
11. *Viduæ filium iuxta Naim suscitat, Ioannis discipulos erudit Iudæos, illius verbis insultantes confutat* 10
12. *Pharisæos, ob confricatas in Sabbato spicas à discipulis offensos confutat Dominus* 2
Pharisæos ob sanatam in Sabbato manum rursum confutat 3
Dæmoniacum cæcum, surdum & mutum sanat, Pharisæos murmurantes, & signum de cœlo petentes arguit. Qui filij Dei sint, mater & fratres docet 12
13. *Parabola seminantis* 13
Zizaniorum, seminis crescentis, grani sinapis, & fermenti 14
Explicatio parabolæ zizaniorũ, Thesaurus absconditus, negotiator, sagena missa in mare 15
Docet in Nazareth 16
14. *Audit Herodes de Iesu* 18
Quinque panibus pascuntur quinque millia hominum 19
Nauis in medio mari 20

CAP. D. MARCI.

CAP. MARC. Cap.lib.

1. *In descensu montis leprosum sanat* 7
2. *Ob confricatas spicas Pharisæos offensos cõfutat* 2
3. *Sanat manum aridam, & Pharisæos confutat* 3
Eliguntur Apostoli 8
Murmurantes Pharisæos arguit, Qui sint mater, fratres, & sorores docet 12
4. *Parabola seminantis* 13
Parabola sinapis 14
6. *Docet in Nazareth* 16
Mittuntur ad prædicandum Apostoli 17
Audit Herodes de Iesu 18
Quinque panibus pascuntur 5000. hominum 19
Nauis in medio mari 20

CAP. D. LVCAE.

CAP. LVC. Cap.lib.

4. *Docet in Nazareth* 16
5. *Sanat leprosum* 7
6. *Sanat manum aridam, & Pharisæos confutat* 3
Eliguntur Apostoli, docentur Beatitudines 8
7. *Centurionis seruum à paralysi curat* 9
Viduæ filium in Naim suscitat, Ioannis discipulos erudit, & Ioannem laudat 10
A peccatrice pedes vnctus, Simonem proposita parabola confutat 11
8. *Qui sint mater, fratres, & sorores ostendit* 12
Parabola seminantis 13
9. *Mittuntur ad prædicandum Apostoli* 17
Audit Herodes de Iesu 18
Quinque panibus pascuntur 5000. hominum 19

CAP. D. IOANNIS.

CAP. IOANN. Cap.lib.

5. *Ascendit Ierosolymam circa Pascha dominus, & sanato in Sabbato homine qui laborauerat triginta octo annos, disputat cum Iudæis* 1
6. *Quinque panibus pascuntur 5000. hominum* 19
Nauis in medio mari 20
Panem de cœlo promittit, & de Sacramento Eucharistiæ prolixè disputat. 21.

FINIS.

Digitized by Google

DILVCIDATIONVM EVANGELICARVM LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

ASCENDIT IEROSOLYMAM CIRCA PASCHA DOMINVS, ET SANATO in Sabbato homine, qui laborauerat triginta & octo annos, disputat cum ludæis.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON D. S. I.

V. 1. POST hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit IESVS Ilierosolymam.

2. Est autem Hierosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens.

3. In his iacebat multitudo magna languentium, cœcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.

4. Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in piscinam. Et mouebatur aqua, & qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.

5. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens, in infirmitate sua.

6. Hunc cùm vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri?

7. Respondit ei languidus: Domine hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego: alius ante me descendit.

A 8. Dicit ei Iesus: Surge tolle grabatum tuum & ambula.

9. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem Sabbatum in die illo.

10. Dicebant ergò Iudæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.

11. Respondit eis: qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.

12. Interrogauerunt ergò eum: quis est ille homo, qui dixit tibi, tolle grabatũ tuum, & ambula?

B 13. Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim declinauit à turba constituta in loco.

14. Posteà inuenit eum Iesus in templo. Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

15. Abijt ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.

16. Propterea persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in Sabbatho.

C 17. Iesus autem respondit eis: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.

18. Propterea ergò magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non solùm soluebat Sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondens itaque Iesus, & dixit eis:

19. Amen amen dico vobis: non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem. Quæcunque enim ille fecerit, hæc similiter & Filius facit.

20. Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, & maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini.

Digitized by Google

21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & Filius, quos vult viuificat.*
22. *Neq; enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.*
23. *Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit Filium.*
24. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum Dei audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, & in iudicium nō venit, sed transijt à morte ad vitam.*
25. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei; & qui audierint viuent.*
26. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.*
27. *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.*
28. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumētis sunt, audient vocem Filij Dei,*
29. *Et procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij.*
30. *Non possum ego à me ipso facere quicquam. sicut audio, iudico. Et iudiciū meum iustum est; quia non quæro voluntatem meam, sed volūtatem eius, qui misit me.*
31. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.*
32. *Alius est, qui testimonium perhibet de me: & scio, quia verum est testimonium, quod perhibet de me.*
33. *Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati.*
34. *Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hæc dico, vt vos salui sitis.*
35. *Ille erat lucerna ardens, & lucens: vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.*
36. *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne: opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea: ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.*
37. *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me. Neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis:*
38. *Et verbum eius non habetis in vobis manens, quia quem misit ille, huic vos non creditis.*
39. *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in his vitam aeternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.*
40. *Et non vultis venire ad me, vt vitam aeternam habeatis.*
41. *Claritatem ab hominibus non accipio.*
42. *Sed cognoui vos, quia dilectionē Dei non habetis in vobis.*
43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo illum accipietis.*
44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis? & gloriam, quæ à solo Deo est non quæritis?*
45. *Nolite putare, quod ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.*
46. *Si autem crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.*
47. *Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis?*

SCHOLIA.

1. STENDEMVS Theor. 1. caput hoc quintum Ioan. debere collocari statim post sanatos duos cœcos, & dæmoniacum, de quibus lib. 3. cap. 19. & Matth. 9 27. Posteà sequentur confricatio spicarum, mox manus arida sanitati restituta, sermo in Monte, electio duodecim Apostolorum, cum alijs quibusdam, parabolæ, & post illas ingressus in ciuitatem Nazareth, missio, &c. vide Theor. 1. 1.

Quare quæ hoc cap. scribit Ioan. non proximè 2.
consequuta sunt miraculum filij Reguli à Domino sanitati restituti, de quo sub finem 4. cap. egerat Ioan. Quod constat legenti ea quæ lib. 3. Enchiridij, seu de rebus Euang. à nobis commemorata sunt à cap. 6. post sanitatem filij Reguli vsque ad c. 1. l. 4.

Itaque hæc intercesserunt: carcer Ioan. Bap- 3.
tist. Matth. 14. 3. Marc. 6. 17. Luc. 3. 10. accessus ad Capharnaum Matth. 4. 12. prædicatio in Galilæa Matth. 4. 17. Marc. 1. 14. cum vocatione Petri, & Andreæ, & filiorum Zebedæi Matth. 4. 18. Marc. 1. 16. liberatio cuiusdam dæmoniaci Marci 1. 21. Lucæ 4. 31. curatio socrus Simonis Matt. 8. 14. Marc. 1. 29. Luc. 4. 38. circuitus Galilææ, cùm egressu in desertum Matth. 4. 23. Marc. 1. 35. Luc. 4. 42. captura piscium Luc. 5. 1. reprehensio trium volentium Christum ipsum sequi Matt. 8. 18. Luc. 9. 57. sedatio tempestatis discipulis in mari periclitantibus, Matth. 8. 23. Marc. 4. 35. Lucæ 8. 23. liberatio duorum dæmoniacorum in regione Gerasænorum Matth. 8. 28. Marc. 5. 1. Lucæ 8. 27. Curatio Paralytici per tegulas demissi, Matthæi 9. 1. Marc. 2. 1. Luc. 5. 17. & 8. 40. vocatio Matthæi ad Apostolatum, & disceptatio Christi cum Pharisæis & cum discipulis Ioannis de ieiunio Matth. 9. 9. Marc. 2. 13. Luc. 5. 27. resuscitatio filiæ Archisynagogi & obiter sanatio Emorrhoissæ Matt. 9. 18. Marc. 5. 21. Luc. 8. 41. illuminatio duorum cœcorum & dæmoniaci liberatio Matt. 9. 27.

Cùm

4. Cùm ergò hæc omnia silentio prætermiserit Ioannes tamquam ab alijs Euangelistis enarrata, quæ minimum interfuerunt inter historiam reguli; & languidi ad probaticam piscinam, sit, vt verba illa *Post hæc*] non significent id, quod hic narratur proximè contigisse post illud miraculum filij reguli narratum sub finem cap. 4. ab Euangelista, sed indicant id, quod posteriori loco narratur; hoc est, 5. cap. euenisse post narratum id, quod in superiori cap. fuerat scriptum.

5. Dies quæ & quibus diebus Hierosolymã adire tenebantur.

Erat dies festus Iudæorum] Ita hoc scribit Ioannes vt videatur reddere rationem, quamobrem Dominus Iesus Ierosolymam ascenderit. Solebant enim omnes mares Exod. 23. 14. 15. Deuteronomij 16. 16. ad templum venire ter præcepto legis in singulos annos; Paschatis; Pentecostes; & Scenopegiæ festo, quod ineunte hyeme celebrabatur. Cæterùm quod ex his festis fuerit Ioannis non expressit: nos Paschæ arbitramur, vide Theo. 2.

9. *Ascendit Iesus Hierosolymam*] Erat Iudæa ratione Galilææ eminentior; ideò ascendere dicebantur, qui de Galilæa eo se conferebant.

7. 2. *Est autem Hierosolymis Probatica Piscina*] In primis hic variam lectionem considerare oportet: Græcè enim Chryso. Cyrill. & alij videntur legisse προβατικῇ κολυμβήθρα. *Probatica piscina*; licèt in eorum contextu græco sit altera lectio.

προβατικὴ κολυμβήθρα.

Cæterum omnes codices græci, inquit Maldon. quos equidem viderim, vno excepto Romano Theophylacto legunt ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ, *est autem Hierosolymis in probatica*, vel *ad probaticam*; vel *iuxta probaticam piscinam*: omnia enim ista significare potest ἐπὶ. Sed licèt hi habeant in textu *in probatica*, vel *ad probaticam*; in commentario tamen sumunt vocem; *probatica*, vt epithetum *piscinæ*; quam ita dictam esse putat Theophyl. quod illuc oues ad sacrificium cogerentur.

8. ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ.

Reijcienda verò omninò lectio eorum, qui perperam legunt coniunctè sic, ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ, ita vt etiam *piscina* sit datiui casus: *erat Hierosolymis in probatica piscina*, sc. locus, qui hebraicè dicitur, &c. dura nimis, & violenta est hæc lectio; igitur si legamus *in probatica* aliquid necessariò subintelligendum: est enim nomen adiectiuum; cui substantiuum aliquod applicandum; quare aliqui subintelligunt; *platea*, q. d. est Hierosolymis in foro vel platea pecuaria; piscina quædam. quidam malunt subintelligi portam; erat enim porta dicta gregis, q. d. est in pecuaria, sc. porta, seu est iuxta portam gregis, piscina, &c.

9. Si verò legamus; vt potius legendum videtur cum Hierony. Chryso. Theophyl. Cyrill. Beda, & alijs; & cum lectione vulgata codicis Sixtiani: *est autem Hierosolymis probatica piscina*; nihil subintelligendum; tunc enim *probatica*, id est, pecuaria, seu οὐϊνα à voce πρόβατον, quæ ouem significat; epitheton erit piscinæ: quia erat iuxta illam portam, per quam solam greges introducebantur: & ideò *gregis*, vel *probatica* est dicta; licèt alijs placeat dictam *piscinam pecuariam* ab hostijs, & ouibus ibi ablui solitis. Denique vtrouis modo legamus, idem est sensus.

10. *Piscina*] Piscina Hebraicè dicitur *Berechach* à verbo *Barach*, quod genu, vel sermonem flectere ad aliquem significat, siue alloqui cum geniculatione, vt fit in salutationibus, gratulationibus, precationibus, ac similibus: sic in Psalmo nonagesimo quarto, *Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum qui fecit nos*: quem locum sic vertit Forsterus in Dictionar. *Venite prosternamus nos, & curuemus, geniculemur coram Deo factore nostro*. significat etiam hæc vox benedicere, Genes. 24. 34. & 35. Numer. 23. 11. Ex hoc verbo deducitur nomen *Berechah*, piscinam significans; quam sic dictam arbitrantur nonnulli ob aquas potius placidè stagnantes; quam quod in ea genuũ remigio natetur. Quam vocem propterea 70. interpretes κολυμβήθρα reddunt, hoc est *natatoria*. Forster. Piscina vnde dicta.

Decipiuntur autem qui apud Rabi Dauid, affirmant: piscinam pro fonte vsurpari. at veritas, inquit, est, quod est aqua congregata, aut collecta: Quare etiam verissimum arbitror, quod Forerius Isaiæ 7. scribit, piscinam sic dictam Hebræis ab aquarum multitudine & copia: copiam enim interdum *benedictionem* vocat Hebraismus. quam vocis vim vna cum supra explicata, innuere voluisse videtur Nahum Propheta 2. 8. *& Ninive quasi piscina aquarum aquæ eius*. Describit enim antequam Niniues felicitatem ciuium multitudine refertæ, vt aquis solet esse piscina; vbi omnes tranquillè degebant; sicut stagnantes aquæ: *at nunc*, inquit, *ipsi verò fugerunt: state, state, & non est qui reuertatur*; in quo effusam aquarum multitudinem imitatus est; quæ sua sponte fluentes nulla ratione; aut vi retrorsum conuerti, aut sisti possunt; vt obseruat Villalpandus tomo 3. p. 189. 11.

Quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida] Hanc lectionem vulgatæ amplexatus videtur Cyrill. Chryso. Euthym. eamque retinendam arbitramur; licèt Hieronymi cum Iansen. & Neotericis, Bethesda legat cum græcis, ἡ ἐπιλεγομένη ἑβραϊστὶ βηθεσδά. Toletus Bethesdam componi putat ab Hebræa voce, *Beth*, quæ *domum* significat; ac deinde cuiuscunque rei receptaculum; &, *Esed*, quæ *effusionem* denotat; quasi dicas, *domum effusionis*. vel propter effluentes in eam pluuiales aquas; vel propter effusas è templo; eoque deductas per canales: nam scribit Aristæas in historia de sua legatione in Iudæam; fuisse in templo Hierosolymitano magnum & perennem fontem: & sub terra circum ipsum templum per quinque stadia fuisse magna & ampla aquarum receptacula; in quæ omnis aqua templi & sanguis victimarum defluens; per subterraneos deinde meatus extra vrbem ejiceretur; tanta copia, & impetu, vt ingentis fonitum fluminis subterlabentis referret, quod confirmat id; quod Cornelius Tacitus de eodem templo scriptum reliquit lib. 5. histor. *perennis*, inquit, *in eo fons; cauatus, sub terra montibus, piscinæ, ac cisternæ colligendis, ac seruandis imbribus factæ*. Sic ergò dici potuit hæc piscina, *domus effusionis*. Nisi malis etiam addere aquas in eandem receptas; & effusas per aquæductum regis, quod notandum in digressione erit. 12. ἡ ἐπιλεγομένη ἑβραϊστὶ βηθεσδά. Fons in templo.

Porrò *Bethsaida* iuxta aliquorum sententiam deducitur à Chaldaica voce, *Chesda*, quæ misericordiam significat, quasi dicas, *Bethchesda*; *domus misericordiæ*; propter assiduam in sanandis ægrotis misericordiam. Vel iuxta Euthym. sententiam, qui domum piscationis vult significare; à voce forte Ssaid, quæ piscationem significat, ex qua componi putat vocem *Bethsaida*; quæ Sancti Petri patria erat; sed verosimilius est, si dicamus cum eodem Toleto, eandem omninò vocem esse, *Bethesda*, atque, *Bethsaida*, deductam à voce *Esed*, effusionem significante. Ita vt si scribatur per *tsade*, significet domum piscationis, vel venationis, estque patriæ Petri. Si verò scribatur per *samech*, idem significat quòd domus effusionis sicut *Bethesda*. Nec mirum non eodem modo, iisdemque caracteribus scribi *Bethesdam*, & *Bethsaidam*, 13.

licèt idem sint hîc; nam cum alieno idiomate propria alicuius linguæ nomina efferuntur, literas sæpè demi, alias assumi, aut mutari contingit, vt idiomati alieno accommodentur. Sed à pecoribus esse deductam, malim hanc vocem, & quod optimè mihi videtur obseruasse Villalpan. tom. 3. p. 101. non temerè Euangelistam græcum nomen, *probatica*, hebraico *Bethesda*, coniunxisse; sunt enim eiusdem significationis cum nominibus portæ gregis, fori pecuarij, & nouæ ciuitatis *Bethesda* olim dictæ, teste Egesippo lib. 2. de excidio: porta enim gregis dicebatur hebraicè *Sagar Hatson*, porta gregis, vel pecoris. Quod si *Beth Hatson* componas, & latinæ accommodes pronunciationi, facilè inuenies vocem *Bethhesdam*, vel *Bethesdam*, & si græcis accommodes, facilè etiam inuenies vocem *Bethezam*, aut *Bezetham*: simulque intelliges has omnes non diuersas esse voces, sed quasi eiusdem varias pro linguarum varietate, pronunciationes; nec ab his dissimilis est vox, *Bethsaida*, nam indiuisa diphthongo, *a* quam nescio quis diuiserit, fit *Bethsæda*. Quibus fit, vt credibile videri debeat, portam, forum, piscinam, immò verò totam illam ciuitatem à pecoribus denominatam, quoniam tota pecorum vsibus ferè, quæ immolabantur in templo, deseruiebat. Rectè ergò vocem, *probatica*, Euangelista iunxit cum hebræa ad eandem significationem alludens. Quod si Iosephus libro 2. de bello cap. 24. Bezetam, vel Bethezam in Cænopolim, hoc est, nouam ciuitatem conuertendam dixit, deduxit secundam vocis partem à radice *Iasad*, quam si fœminino more terminet, *Iasda*, leges, ex prima voce *Beth*, quæ licèt domum significet, ad vrbes transfertur, illarumque nominibus præponitur, vt Bethauen, Bethphogor, Bethsames; & ex altera voce compones, *Bethesda*, vel quiescente, vt aiunt peiod, *Bethzeda*, & affini sonò *Bezeta*.

14. *Fundare & incipere aliquando idem sunt.*

Porrò *iasad* fundare significat: fundamentum autem initium est ædificij, ideoq; interdum idem est fundare, ac incipere, vt 3. Regum 6. 1. dicitur: *in anno quarto ædificari cœpit domus Domino*, quod explicatur v. 27. rursus sic; *anno quarto fundata est domus Domini*. Quare cùm vox *Bethesda* in domû domum fundationis conuerti possit, vel domum denuò fundatam, sensum expressisse videtur Iosephus, cùm nouam ciuitatem eam appellauit. Et quidem si pari ratione piscinæ illius, quæ *Bethesda* dicebatur, nomen interpreteris à *Iasad* deducendo illud, fundamenti piscinam, merito eam vocabis; nam iuxta historiam, fundamentis templi adiacebat: vel fundatam piscinam dices, quod non minori apparatu, quàm sumptu à Salomone pro vsu templi fundata fuerit. Quod si mysterium exquiras, quam plurimi ex Patribus, ac doctoribus Ecclesiasticis testantur, ea piscina, ac sanitate, quę in ea reddebatur infirmis, Baptismi sacramentû, atque eius mirabilem virtutem expressam fuisse, quod Christianæ vitæ fundamentum meritò appelles. Sed de hac re satis.

15. *Sex mirabilia in illa piscina.*

Quinque porticus habens] In primis obseruat Perer. sex res in illa piscina fuisse admodum mirabiles, quod sanabat quoslibet morbos; quod subitò sanabat, quod non sanabat nisi vnum ex tot ægrotis; quod non sanabat nisi eum, qui ante alios omnes descenderat in aquam piscinæ; quod eam vim sanandi non semper habebat: sed eo dumtaxat tempore, quo aqua eius piscinæ agitata & turbata erat. Denique quod illa commotio, & turbatio fiebat ab Angelo secundùm tempus è cœlo in eam piscinam descendente.

16.

Iterum obserua, quod quinque porticus habuisse dicatur, credendum id factum esse propter miracula, quæ ibi fieri solebant, locumque proinde eum cinctum fuisse muro, ne pecora & iumenta possent accedere, & aut turbare, aut profanare aquam, quæ sancta habebatur, tantum abest, vt ibi aquarentur, aut vt victimarum intestina lauarentur, saltem ab eo tempore, quo miraculum patrari cœpit; sunt autem factæ quinque circum porticus, quibus homines ingredi possent, & vbi ægroti expectantes motum aquæ, considerent.

Piscina cincta muro.

17. *Eius historia contra Anabaptistas quosdam defensa.*

Sciendum tertiò, quod Anabaptistæ historiam hanc non recipiunt, tum quia huius piscinæ quinque porticus habentis, nulla in veteri testamento fiat mentio: tum quia Iosephus Hebraicarum antiquitatum diligens indagator, nihil de ea scribat. Sed non mirum, quod non fiat eius mentio in scriptura veteri, quia credibile est non habuisse statim ab initio memorabile aliquid. Hoc enim miraculum, de quo hic Ioan. probabile est circa Christi tempora & incarnationem incœpisse, ad Baptismi gratiam indicandam, desijsse verò post passionem eiusdem, quo scil. tempore omnium legalium virtus extincta est, simulque quinque illas porticus, verosimile est circa ea tempora exstructas. Quamuis piscina ipsa potuit in veteri testamento esse commemorata sub nomine earum piscinarum, quas plures legimus Salomonem exstruxisse, auctore etiam Iosepho. Sed illud nullo modo ferendum, quod Iosephum isti audeant Ioanni præferre, quid enim refert si apud Iosephum non legam, lego apud Ioan. tanto omnium consensu etiam hac in parte receptum: præsertim cùm Iosephus rerum Christianarum non fuerit amator, vt multa proinde consilio obticuisse videatur, quæ in Christi laudem cedere poterant. Quamquam satis esset dicere, multa alia omisisse Iosephum, præsertim quæ ante eius ortum desierant, cuiusmodi virtus illius piscinæ erat, quæ post passionem Christi cessauerat, aliquot scilicet annis, ante ortum Iosephi, qui natus est Caligula imperante Romæ.

Origo eius & finis.

18. 3. *In his iacebat multitudo magna languentium, &c.*]

Constat hinc verum esse, quod superius dixi propter ægrotos has porticus esse constructas. *Languentium*] languentes vocat, quos vulgò febricitantes dicimus: *Aridos* verò vocat, contractos, vel quod aliquam corporis partem haberent aridam, quomodo Matthæi duodecimo dicitur, homo quidam habuisse manum aridam, & quomodo arida fuit manus Ieroboam, 3. Reg. 13. quamquam Erasmus in paraphra. pro *aridorum*, ponat *mancorum*; græcè ξηρὸς, significare videtur etiam mancum, hoc est eum qui manum habet eneruatam, estque veluti manu carens: est enim *mancus*, quasi *manu carens*. Sed non dubium, nostrum interpretem multò verius vertisse. Hi enim verè hîc manci dicuntur, qui exaruêre membris, siue quod sint contracti, siue quod saltem aliquam corporis partem, siue manum, siue alium contractum, stupidam, vel aridam habeant, virtute scil. destitutam, licèt illis membrum illud non desit.

19. 4. *Angelus autem Domini*] *Domini* græcè non habetur, sicut nec *autem*: sed loco eius, *enim*, γὰρ, quasi dicat Ioan. ideò ibi iacebat multitudo languentium, quia Angelus descendebat, &c. quisque verò primus esse contendebat. Angelum hunc cõijciunt quidam Raphaelem fuisse: nam *Raphael* idem est quod *medicina Dei*, quasi hic Angelus faciendis miraculis, ad medicinam & sanitatem hominum spectantibus, sit dicatus.

Secun-

20. Piscina motus an certo tempore fiebat, & an semel in anno.

Secundum tempus] Idem est, ac *non semper*, sed certo & determinato tempore à Deo, verùm incognito tamè hominibus: non enim ea vis sanandi perpetua erat: rectè enim hom. 35. significat Chrysost. horam certam non fuisse huius motus aquæ, nec diem, nec tempus certum fuisse. nam si fuisset certum tempus, non mansissent ibi ægroti tanto tempore, sed prope illud tempus venissent. Quod si fuisset Pascha, vt quidam volunt Pere. etiam, & Barradius, siue Pentecostes, vt Cyril. l. 2. in Ioan. c. 125, nominasset profectò Ioan. itaque præstat cum Chrysost. homil. 35. in Ioan. cum Euthymio, cum Magistro historiæ Scholasticæ c. 81. credere tempus hoc hominibus incertum fuisse, & incognitum, quare, quod græcè est κατὰ καιρὸν, & noster interpres vertit *secundum tempus*; Euangelium Syriacum habet, *aliquando*.

21. Porrò an semel tantùm in anno solitus fuerit Angelus descendere in piscinam, & mouere aquam dubium est: credibilius aliquoties in anno id fieri solitum fuisse, præsertim in solemnioribus festis, & ideò cùm tempus hoc; de quo hic loquitur Io. fuerit dies festus paschatis; quod celebratur per octo dies, non mirum si magna erat multitudo ægrotorum in his porticibus. Quod verò non semel id fieret citatum etiam Syriacum Euangelium insinuat. Ita sentiunt Euthym. & quidam alij.

22. Angelus piscinam mouens figura Spiritus sancti sanantis animam per aquas baptismi.

Et mouebatur aqua] Motus aquæ, signum quoddam erat descensus Angeli & virtutis in aquis iam existentis ad sanandum, quod videtur Cyril. idem docuisse l. 2. c. 125. in Ioan. non quod motus ille sanitatem faceret, sed quod Angelus diuina virtute per aquas illas tanquam per quoddam diuinæ virtutis instrumentum sanaret: quare rectè Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 7. dicit Angelum hunc per aquas has sanantem figuram extitisse Spiritus S. per aquas Baptismi animæ sanitatem conferentis.

23. Piscinæ an ad sanandi virtus impressa.

Et sic intelligendus est D. Thom. & Theophyl. fortassis cum D. Chrysost. licet insinuent inditam fuisse piscinæ ab Angelo virtutem quandam sanadi, dum illam turbabat; cùm tamen Angeli nullum effectum naturalem præstare possint immediatè, imprimendo qualitatem aliquam, sed si quid faciant simile per causas naturales applicatas efficiunt; causæ autem naturali tribui non potest virtus hæc sanandi, si ergò vera sunt quæ dicunt isti doctores, modo dicto exponendi sunt.

Et qui prior] cur qui prior ingrediebatur sanaretur; cur etiam vnus dumtaxat, in Theoriam reijcimus, sicut & cur sanitas post commotam, & agitatam aquam tribueretur.

24. *Post motionem aquæ*] non significat inquit Perer. cessante iam, & finita motione aquæ, paulò enim supra dictum est, ægrotos expectasse motum aquę, vt descenderet in piscinam, & paulò post scriptū est, Paralyticum dixisse, *hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam*; illud igitur, *post motionem aquæ*, idem planè significat, atque si dictum fuisset, postquam cœpta erat fieri motio, & turbatio aquæ, hæc ille ad rem verè.

25. *5. Erat autem quidam homo*] terrenus, mortalis, qui nihil magnificum ex vili, ac terrena sua origine concipere potest, aut debet, vt proinde rectè dixerit Dauid Psalm. 9. *non apponat vltra magnificare se homo super terram*, id est, terreus, & mortalis: hoc enim innuit illud, *super terram*. hoc etiam exigit vox Hebraica (*enos*) à radice (*anas*) quod est desperatè, aut perditè dolere & infirmari; sic Ierem. 30. 12. *insanabilis fractura tua, & insanabilis dolor tuus*. Heb. *desperatus*. inde homo dicitur *enos*, semper dolens, semper ægrotans, desperatè dolens, insanabilis: qua de re vt se ad mortem compararet, monitus est, cùm audiuit: *morte morieris*, id est, certò stat tibi moriendum esse, & *militia est vita hominis*. Heb. *enos*, nempe cum morte, cum periculis, cum ærumnis, cum malis immedicabilibus militamus; iterum, quod de phthisi laborante dici solet, cum folijs cadet, & cum fœno siccabitur, ita de homine dictum est Psal. 102. 15. *homo sicut fœnum dies eius*.

Triginta & octo] Non dicit Ioan. ibi tot annos illum fuisse, sed ægrotasse tantum tempus. August. hic, inquit, numerus ad languorem pertinet: quadragenarius enim numerus nobis in quadam perfectione commendatur. Lex enim in decem præceptis data prædicanda erat per totum mundum, qui quatuor partibus commendatur; vnde denarius per quatuor multiplicatus ad quadragenariū venit; vel sic dicamus (& eodem redit) Euangelium per quod impletur lex, quatuor libris habetur; si ergò in quadragenario legis perfectio, & hæc non impletur nisi in gemino præcepto charitatis (charitas enim est plenitudo legis) mirum non est languere eum, qui quadraginta minus duo habebat. Christus itaque duo quædam iubendo, quod minus erat impleuit, in duobus enim Domini iussis, nempe: *Tolle grabatum tuum, & ambula*: duo præcepta charitatis significata sunt, Dei dilectio prior in ordine præcipiendi, proximi autem prior ordine faciendi. 26. *Languidus iste quos & quid designet.*

Dicit ergò ei, *tolle grabatum*, q.d. cùm esses languidus, portabat te proximus tuus, sanus factus, porta proximum tuum. Dicit etiam ambula scil. ad Dominum Deum tuū: porta eum cum quo ambulas, vt ad eum peruenias, cum quo manere desideras. sic collegit hæc ex Aug. tract. 17. in Io. Eman. in Euang. Io. c. 5. 27.

Pererius verò sic obseruat disp. 8. n. 33. duo illi numero triginta octo annorum decrant anni ad explendum quadragesimum annum, qui numerus completus est, & summam malorum, &, vt loqui solet scriptura, completam hominis malitiam, & perditionem insinuat: qui duo anni si æquè adfuissent, incurabilis fuisset eius morbus, & salus planè desperata. ista verò duo, quæ decrant, equidem interpretor, nolle sanari; & desperare sanitatem: vel morte corporis præueniri, & ad æternam Dei reprobationem pertinere. Hæc ille. 28.

In infirmitate sua] Quis fuerit morbus, quo ægrotus iste laborabat, incertum, Chrysost. & Euthym. cœcum videntur facere: nam propterea per tot annos in turbatam aquam se conijcere non potuisse. Cyprianus lib. 4. epist. 7. hunc languidum *clinicum* appellat à κλίνη, id est lecto, quia in lecto apud piscinam iacebat, sed neque illi, neque iste reuera aliud certo dicunt, quam quod paralyticus fuerit, quod sensit Iren. lib. 2. cap. 42. Ambros. lib. 4. de fide cap. 3. & Hilarius lib. 7. de Trin. quod inde facilè est colligere, quod in grabato dicatur per tot annos decubuisse membrorum impotens. 29.

Neque verò idem est noster hic cum illo paralytico, de quo Matt. 9. & l. 3. harum dilucidationū c. 16. quod tamen placuisse videtur Leontio, Chrysost. & Euthy. sed immeritò, vt ex ipso historiarum contextu intelligere est. 30.

6. Hunc cùm vidisset Iesus iacentem] Indicant hæc miseratione commotum Christum erga illū: hoc enim insinuat vox, *iacentem*, ideò in illum oculos conieciisse tamquam in eum, qui diuturno morbo laborabat, & auxilio destitutus iacebat. Non quod casu id factum sit; nihil enim, nisi diuino consilio faciebat Christus, quamuis in quibusdam interdum ita se gereret, ac si casu ea faceret, quo hominem se ostenderet. cùm verò subditur: 31. *Christi benignitas & misericordia.*

Et cognouisset quia iam multum tempus haberet] eodem modo accipiendum: ita enim se gessit, ac si tum primùm cognouisset. quamquam fortassis magis ad Io. mentem possemus aliter & hæc accipere, vt indicet Io. Christum sine indice per se ipsum morbi diuturnitatem cognouisse, & ideò flexum maiore erga illum; quàm alios, misericordia, præsertim quod homine careret.

Multum tempus] id est, diu fuisse morbo vexatum.

32. *Vis sanus fieri*] Glos. accendit ad amorem sanitatis, de qua iam desperabat: quo simul significatur vti Deum arbitrio hominis libero in conferenda salute; nemo enim nisi libens, & volens iustificatur, vnde Augustinus sermon. decimoquinto de verbis Apost. inquit; *qui fecit te sine te, non iustificat te sine te: ergo fecit nescientem, iustificat volentem: tamen ipse iustificat, ne sit iustitia tua, ne redeas ad damna, &c. inuenire in illo non habens iustitiam tuam*, &c.

Chrysost. *non statim*, inquit, *sanat, sed primùm familiarem sibi facit per interrogationem futuræ fidei faciens viam, & non expectat verò fidem, vt in alijs, qui eius virtutem agnouerant: hic enim nondum eum nouerat manifestè quis esset.* Interrogat etiam, quod idem Chrysost. insinuat, vt ostendat istius patientiam, qui nihil turbatus manifestè respondit. vnde intelligere licet, cur alijs dimissis adhuc venerit.

33. Non dixit autem Christus, *vis vt te sanem?* quia nondum de Christo tantam habebat opinionem & notitiam, simulque modestiæ caussa.

Habent quod hinc discant, qui hominum salutem curant, & quærunt, non expectandum illis esse, vt homines sese offerant, salutemq; quærant, sed excitandos esse, rogandosque, vt sani fieri velint.

34. *Interrogatio Christi vmbra catechismi Christiani.*

Obseruat Perer. disp. 8. n. 36. istam Christi interrogationem velut vmbram fuisse catechismi Christiani. nam velle sanum fieri, duo continet, odium nempe infirmitatis, & desiderium sanitatis: similiter in eo, qui ad Christum conuertitur, præteritorum peccatorum detestatio, atque odium, & bonæ vitæ semper in posterum agendæ desiderium, atque propositum necessaria sint. quamquam hoc ipsum, quod est velle fieri bonum, & iustum, non est à nobis, sine speciali auxilio Dei, vt docet Paul. Philip. 2. 13. *Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.*

35. 7. *Domine hominem non habeo*] Ille alius inquit Barrad. paralyticus Matth. 9. quatuor homines habuit; hic hominem non habebat, à quo in piscinam mitteretur. Sed Deum habuit & hominem, à quo absque piscinæ ope sanaretur. Videtur, inquit Chrysost. ita respondisse, quia fortè putabat Christum vtilem fore, ad mittendum eum in aquam; nec intellexisse ostendit, quod Christus significauerat, vellet ne ab ipso sanus fieri: arbitratus interrogasse Christum, an in piscina sicut alij sanus fieri vellet.

36. *Languidi huius mansuetudo & patientia.*

Siste hic mihi lector parumper, & huius paralytici mansuetudinem intuere, non quemquam accusat, non illis conuiciatur, qui ipsum præuenientes, sanitatis fructum ei præripiebant, tantùm miseriam suam candidè exponit. Simul etiam aduerte numquam satis laudandam patientiam: diu enim expectans, & toties expectatione sua frustratus, nihil per impatientiam loquitur. Considera longanimitatem & fiduciam: nam pluribus annis frustra expectata sanitate, non desperabat tamen ad eam aliquando venire, vt meritò de eo affirmare possis, quod Paul. Rom. 4. de Abraham scripsit: *contra spem, in spem credidit.* quibus fit vt cesset admiratio; quamobrem ad hunc potius Christus curandum deflexerit, quàm ad alios.

Sed textum adhuc magis expendamus: aduertit Tole. nouisse languidum hunc, quod non interrogârat Christus an sanari vellet, quod de eius voluntate dubitaret: ob id non dixit, *volo Domine*, sed ad Christi mentem respondet, intellexit enim ex Christi interrogatione duo, primũ, quod caussam postulasset, cur nondum sanus esset effectus, diu eo loci desectens, ibique perdurans, & respõdit caussam esse, quia hominem non haberet; alterum, quod intellexit, obseruauitque in Christi interrogatione, mira quædam fuit Christi commiseratio, qua suis malis cõdolere videbatur, & propterea *Dominum* appellat, & multis miseriam, atque solitudinem suam aperit, vt Christũ, quem tantùm hominem cogitabat, inducat ad ferendam sibi opem omni auxilio destituto, vt Cyril. notat lib. 2. cap. 125. concepisse nimirum languidum spem, Christum in ea re futurum vtilem, quod etiam superius ex Chryso. annotauimus.

37.

38. *Deus vnicus & certum refugium derelictorũ.*

Piè adnotat Pine. Iob. c. 12. v. 4. n. 2. in ea verba Iob *inuocabit Deum, & exaudiet eum*: pulcrum vnicum amicitiæ exemplum ac perfugium proponit in tanta humanæ amicitiæ perfidia: succedit enim Deus, qui verè amicus est, hominum infidelitati. Rectè ergò Dauid Psal. 24. 16. sic diuinam opem implorabat, *quia vnicus & pauper sum ego*: adest ille solitario, pauperi, & præsidio destituto, atque eius in primis cura tangitur, cuius neminem cura tangit. Quid? etiam ipsa ligna campique nullius curæ demandata sunt, & aliorum præsidio destituta, curæ Deo sunt, & quasi suo iure Deum inuocent, ita illis adest cultor Deus suoque etiam nomine solitarias arbores insignit, Psal. 103. 16. *Saturabuntur ligna Dei.* sic ex Hebræo fonte Hieron. neque id eiusmodi plantis malè cedit: has enim arbores Dei, & fortiores & proceriores, & ad aspectum lætiores, ad vmbras etiam commodiores; denique vsibus humanæ vitæ pluribus commodiores, quàm arbores hominum, id est, curæ hominum & præsidio relictas, inuenies. Quare eodem se modo sponsa Cant. 2. 1. gloriatur sola se Dei benignitate, non humana industria, vel cæli affluentia excoli, cùm se *florem campi, & lilium conuallium* nominat. quàm igitur sapienter Dauid sentiebat Psal. 72. 28. cùm expertus caneret: *mihi adhærere Deo bonum est.* Hinc duo discere possumus, & gaudendum nobis esse, dum hominum præsidio destituimur, quia Deo *derelictus est pauper, & orphano ille erit adiutor.* Alterum est cauendum esse, nisi iusti simplicitatem derideamus, & auxilio destitutis insultemus, nam *qui deridetur ab amico suo, inuocabit Deum*, Hebr. Eloah, id est, iudicem, q.d. ad illius tribunal pronocabit, *& exaudiet eum*, Iob. 12. ver. 4.

Ligna campi aliis arboribus meliora cur?

39. *Languidus hic liberi arbitrij imago.*

Dum venio enim ego] Hinc patet huic languido vires non omninò defuisse: dicit enim, dum ego venio, ergo sine homine poterat venire, licèt non posset alios præuenire. Tale quid est hominis arbitrium peccato infectum: neque enim omninò extinctum, aut ita imminutum est, vt nullum bonum & honestum opus facere sine gratia queat.

Potest enim etiam post peccatum, bonum aliquod mortale efficere, vt docet Orig. tract. 35. in Matth. verùm nequit tale aliquid efficere, quo possit ad salutem, spiritualemque sanitatem peruenire, nisi Dei auxilio adiutum, & Diuina gratia sanante; sicut nec languidus ille motu illo suo sanitatem consequi potuit.

Digitized by Google

40. Piscina vtrum gradum habuerit.

Alius ante me descendit] Gradus igitur, inquit Barrad. in piscina erant per omnes partes, si profunda erat, per quos ægroti in aquam descenderent, quamquam potest sumi *descendit*, vt idem sit, quod, *ingreditur*, si profunda non erat piscina.

8. *Surge tolle, &c.*] Augustin. notat tria dixisse: *surge*, quod fuit operatio sanitatis, *& tolle grabatum tuum, & ambula*, quæ duo sano imperauit.

41. Languidus cur grabatu tollere iussus.

Præterea aduertit Chryso. duo quædam hic: primùm hæc iussisse Christum, vt credibile fieret miraculum, nec putarent homines fictitium, minimeque solitum esse id, quod factum erat: nisi enim firmissimè, verissimeque compacta fuissent membra, lectum ferre non posset. Rectè quidem, nam propterea non, *abi domum*, sed *ambula*, dictum est, vt alij obseruant, vt vegeto esse corpore declararet, propterea, inquam, tollere, id est, gestare lectum mandat. Alterum Chryso. dictum est, non spreuisse languidum imperium Christi, nec desiisse, quod cùm Angelus descendens, & aquam turbans vnum solùm sanaret. Christus qui homo esset, solo verbo speraret, plus se posse Angelis: quin etiam audisse, nec fuisse incredulum.

42. Christum miracula sua patefieri voluit.

Solebat, inquit Maldo. post miracula sua Christus quippiam agere, vnde patefierent, vt constat Matth. 14. 20. & 15. 37. cùm fragmenta iussit colligi; item curatum leprosum ad sacerdotem misit Matth. 8. 4. Luc. 5. 14. puellæ etiam mortuæ, & ad vitam reuocatæ iussit cibum dari, Marc. 5. 43. & Io. 2. 8. iussit architriclino ferre aquam in vinum conuersam. Alteri item paralytico iussit gestare lectum, & domum abire. Matth. 9. 6.

43. Obseruat etiam Cyrill. ostendisse se hic Christum plusquam hominem esse, dum imperando, non orando sanauit.

44. Hæc verò, quæ sequuntur ad mores pertinent, primùm qui sanitatem recepit, audiuit, *tolle grabatum tuum, & ambula*, quo docemur, quod cùm ad Deum nos, & ad meliorem frugem recepimus, illicò sanos nos esse; sed reliquum esse, vt optimum alijs præbeamus exemplum; quo alijs constet, sanos nos esse effectos, quod tamen fiet, si lectum sustulerimus, hoc est, mandatorum Dei iugum libenter, & alacriter portauerimus. Iugum enim sunt mandata Dei, sicut & lectus; illud, quia cohibent, & onerant, hic, quia quietem afferunt, verumque dictum à Christo, Matth. 11. *Tollite iugum meum super vos, &c. & mox, & inuenietis requiem animabus vestris.* verè lectus mandata Dei sunt, in quo tranquillè quisque, ac periucundè mortis tempore conquiescet. Huc facit illud Bernard. in Psal. 90. sermon. 15. *Onerat*, inquit, *nos Deus cùm exonerat, onerat beneficio, cùm exonerat peccato.* Vnde fit pulso peccato, & iugum nobis imponi à Deo; & quietis lectum sterni, ac parari, conscientiæ scilicet tranquillitatem & pacem.

Mandata Dei lectus similis & quomodo.

45. Grabatum quid.

Grabatum] Grabatum lectuli genus erat, vel lecticæ, vbi languidi, & paralytici decumbebant, & licèt Græcè per duplex, b, scribatur κράββατος, Martialis tamen per simplex, b, scripsit:

46. Grabato peccatum designatur.

Sed fine cæsus est, mundi neo sponda grabati:

Notat D. Thom. Ioan. 5. grabato peccatum significari: vt enim iacet molliter ægrotus in eo, ita peccator in molli aliqua oblectatione peccati, ceu in lecto cubat. Porrò tunc lectus in humeros imponitur, cùm peccati onus, id est, satisfactio assumitur. Nam pro mensura peccati, erit & plagarum modus, Deut. 25.

47. 9. *Et statim*] Indicat magnitudinem miraculi,

A & quod statim sanitati sit restituturus, & quod grabatum sustulerit, & quod ambulauerit. Repetit verò ob id Ioan. eadem verba quibus Christus præceperat, vt nullum irritum fuisse indicet, q. d. dictum, factum.

Duo porrò verba illa Christi, *Surge, tolle, &c.* & efficacitatem innuunt quâdam ad sanandũ, quam ostendit vox, *statim sanus factus est*, & obedientiæ promptitudinem exposcunt. complectebantur enim verba Christi præceptum, quo iubebat languido surgere, grabatum tollere, & ambulare, ideò ostendit Io. illum prompte obedisse, ac surgentem illicò, grabatum sustulisse, & ambulasse. Nec veritus est languidus, vt obseruat Tolet. Iudæorum calumnias, nec se legem transgredi arbitratus est, sabbato dum portaretur onus: adfuisse diuinam virtutem sibi credidit, tam repentina, ac subita animaduersa in se mutatione, putauitque se Christo præcipiente, tanto sc. viro secum.

48.

B *Erat autem sabbatum*] hoc est, Iudæorum quies: non enim significat Io. diem illum sabbatum fuisse, & si reuera sabbatum erat, sed ea die fuisse sabbatum celebratum, quieuisseque Iudæos, ac sabbatizasse eo die, alioqui clarè dixisset, *erat autem dies ille sabbathi*, vel sabbatum, non autem, erat autem in die illo sabbathum. hoc autem dixit, vt gradum faceret ad narrandam Iudæorũ calumniam contra Christum.

49. 10. *Dicebant ergò*] Hæc vox sequelam quandam notat ex præcedente sententia deductam, q. d. Sabbatum erat, & propterea Iudæi dicebant accusantes languidum, sabbatum est, *non licet, &c.*

C Augustin. non calumniabantur, inquit, Christum, quia sanum fecerat sabbato: posset enim responderi, & iumentum in puteum cadens posse inde extrahi die sabbati: sed quod portaretur grabatum die sabbati. Dicunt autem, *non licet tibi tollere*, id est, gestare *grabatum*, non autem *non licet tibi ambulare*, licebat enim ad duo millia pedum conficere, vel circiter, vt in Actis Apostolorum docuimus cap. 1. vers. 12. ex Hieron. epist. 151. ad Alga. qu. 10. vbi etiam diximus tantumdem distasse montem Olueti ab Ierusalem; quod spatium breuius est quatuor stadijs, lege Riberam l. 5. de templo c. 1.

50. 11. *Quis me*] August. sic rationem conficit; *quare non acciperem iussionem, à quo acceperam sanitatem*, tractat. 17. in Ioan. q. d. à quo tantum accepi beneficium, debui eius seruare præceptum. Reiicit Tolet. hanc expositionem anno. 8. quia, inquit, propter beneficium, non est omittendum præceptum. Sed mihi videtur ratio August. optima, per beneficium enim sanitatis intelligit August. sanitatem diuina virtute collatam. Itaque ratio hæc est: quamuis onus portare non liceat in sabbato, si tamen diuina virtute id præcipiatur licebit, nec quidquam fiet contra legem: at ego q. d. languidus ex tanto miraculo tam repentè patrato sat benè intelligo diuina virtute mihi hoc beneficium esse collatum, atque adeò meritò, iureque optimo credere debeo, diuino etiam iussu mihi mandari, quicquid per eum, à quo hoc beneficij accepi, præcipitur; nihil igitur contra legem à me factum esse arbitror. Fateor tamen non putasse languidum Christum esse DEVM, quamuis crederet diuina virtute sanitatem restituisse.

Languidi const. mira.

51. Laudat Chryso. hominem hunc, quod admonitus noluerit sarcinam deponere, quasi sibi persuadens ad verbum faciendum esse, quicquid Christus præcepisset, nec deterreri ab ea mente

potuit à reprehensoribus, quibus tamen facere satis studuit.

52. 12. *Interrogauerunt ergo eum, quis est ille homo?*] Notanda iterum venit particula, *ergo*, quæ ex præcedentibus sequentia inferri notat. Dixerat languidus, *qui me sanum fecit, ille* &c. propterea ergò interrogarunt, *quis est ille homo* ?

Chryso. aduertit malignè ita interrogasse, ac proinde non dixisse, *quis est qui te fecit sanum*; sed hoc dicunt, quod videbatur transgressio, *qui dixit tibi, tolle grabatum tuum.*

Secundùm Maldon. minabundi videntur interrogasse sic: ac si dicerent, quisquis ille fuerit, si hoc præcepit, violatorem legis esse, ac propterea nominari oportere, vt quæsitus, & apprehensus pœnas det. Et vide etiam, rogo eorum inuidiam, per contemptum enim videntur dixisse, *ille homo*; nam paralyticus non ausus est dicere, *homo ille, qui me*, &c. sed honorificentius, *qui me sanum fecit*: at Iudæi tamquam vnum de plebe nō nisi *hominem* vocant. Denique odio in Christum non zelo legis motos, hæc dixisse satis indicant, dum non in languidum inuehuntur, qui tamen sabbato onus gestabat, non illum reprehendunt, quod obedierit, non sarcinam vt deponat monent, nec vt ab incœpto desistat, sed in eum qui curauerat toti feruntur.

Iudæorum inuidia, & contemptus in Christum.

53. 13. *Nesciebat quis esset*] Sunt qui putent Christum cùm miraculum istud fecit, corporis habitū, & figuram mutasse, sicut cum Magdalenæ hortulani specie visus est, Ioan. 20. 15. & euntibus in Emmaus forma peregrini, Luc. 24. 18. hoc autem colligere sibi videntur ex his verbis sequentibus.

Christus an figuram corporis mutarit coram hoc lāguido.

54. *Iesus enim declinauit à turba constituta in loco*] Redditur enim causa cur nesciret ille homo quis esset Iesus, vide v. 55.

ἐξένευσεν ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ.

Iansen. c. 36. sciendum, inquit, græca non habere præpositionem, a, *declinauit à turba*, sed ἐξένευσεν ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ, hoc est, *declinauit cum turba*, vel eo quod turbā esset in illo loco, quamquam genitiuus ὄχλου regi possit è verbo ratione præpositionis; sed tunc additus fuisset articulus; & est perfectior sensus, nimirum si absit præpositio, & sit genitiuus absolutus. Si enim declinauit è turba, ergò turba miraculum vidit, vt non esset opus à languido sciscitari, quis esset, qui eum sanum fecisset. Ergò vt nostra lectio habeat sensum græcę lectionis. præpositio, a, exponatur per, *propter*, vt sit sensus: Iesus declinauit ab ægro sanato propter turbam, in loco existentem vicino. sic Iansen. Sed planus sensus est, declinasse Iesum à turba, seu propter turbam, vel, quod idem est, turba existente in eodem loco. hæc enim est causa, cur nescierit turba Christū, quia ille facto miraculo statim à loco illo, in quo erat multitudo se subduxit, nec tempus concessit, vt agnosci posset, nec refert, quod græcè non habeatur præpositio, a, est enim idem sensus.

55. Verùm in eo quod subdit, nō est audiendus Iansen. dicit enim ἐξένευσεν, esse vocem ambiguam. Potest enim esse à verbo ἐκνέω, & significat *declinare*, aut à verbo ξενέω, & significat *peregrinū esse*; quomodo si hic accipiatur, sensus erit: ideò nesciebat languidus quis esset, quia Iesus fecerat se veluti alienum, & peregrinum, vt neque à languido, neq; à turba agnosceretur. Qui certè sensus ob id videri potest conuenientior, quod postea languidus iste, mox Iesum quis esset agnouerit, cum ei loquutus fuisset in templo: cur enim prius secum in porticu loquentem non agnouisset? signum est ergò peregrina apparuisse forma; sed hæc Iansen. & quorundam opinatio nullo modo quadrat, subiūctis verbis: nam quis sensus esset, fecisse se peregrinum turba manente eodem loco. Responderi potest, quia à turba cognosci noluit, quæ ibi erat. Sed hoc satis peregrinum est, & alienum à Christo, qui miraculis edendis cognosci volebat, ac teneri, & laudari nolebat; idque præsertim, vt nobis exemplum fugiendæ gloriolæ tribueret.

Et ob id etiam nunc diuertit; vel certè ne comprehenderetur, quod id sabbato fecisset. Primum docent Chrysost. & Theophyl. hoc Cyril. Addit & Chryso. vt eo absente, testimonium languidi sine suspicione esset, & ne plus accenderetur hostium furor si præsens esset. Solet enim eius, cui inuidetur præsentia, inuidentium animos accendere. 56.

Cùm ergò dixit interpres, *declinauit à turbà constituta in loco*, id est, existente in eodem loco; vbi miraculum patratum fuerat, duo significauit, & quòd à turba declinauit, & cur, quia scil. ibi erat, & teneri ab ea, & popularem auram videri captare noluit, & ob alias causas. Quare non mirum, si interrogarunt, *quis est ille homo qui dixit*, &c. verosimile namque est à Christo solo relictis alicubi discipulis interrogatum languidum intra piscinæ porticum, ac fine testibus cum paralytico priuatim eum esse loquutum, aliud agentibus ijs, qui præsentes aderant, vt aduertere vix potuerint. Itaque hi, qui interrogarunt, *quis est homo ille*, miraculo non interfuerant, vel certè non aduerterant, præsertim cùm facto miraculo confestim se subduxerit inde Christus. 57.

Languidus verò, etsi de facie nosce re poterat Christum non nouerat de nomine: neque enim erat tam notus vulgò Christus tunc in Iudæa, vt quocunque iret cognosceretur, & pauca illa miracula, quæ Christus fecerat Ierosolymis superiori die Paschæ. Io. c. 2. 23. non viderat languidus, qui in piscina iacebat.

58. 14. *Postea inuenit eum*] Non adhibuêre Iudæi studium, & diligentiam, vt quis auctor esset miraculi inuenirent, quia malebant miraculi auctorem, quem Christum opinabantur, ignotum esse, quàm transgressionis accusare, cuius eum non sperabant posse conuincere; vt notat Toler. adnot. 9. at Dominus non permisit se latere, qui per miraculum populorum fidem augere cupiebat; seque à falsis eorum criminationibus defendere, ne populus deceptus aliter sentiret de eo quàm par esset.

59. Iterum obserua more humano loquutum hic Ioan. dum de Christo ait, *inuenit eum*, &c. alioqui consilio, non casu inuenisse credendus est, & vt miraculum prædicaretur, & vt instrueretur languidus.

60. *Affectuum inordinatorum turba fugienda.* Scribit Chryso. curatum hunc hominem non ad nundinas fecessisse, nec se voluptati tradidisse, verùm in templo conuersatum, quod maximè religionis est signum. Et rectè monet Glos. quod qui vult ad visionem Dei peruenire, fugere habet turbam suorum affectuum, & malorum hominum, & templum adire internæ orationis, cæcus in turba positus Iesum non agnouit, agnouit in templo.

61. Cæterùm optimi medici partes obit Christus, neque enim solùm sanitati restituit ægrotantem, sed etiam ea præscribit, quibus in posterum in sanitate perduret. Perscribit autem quæ sequuntur.

Ecce sanus factus es] Monet primùm acceptæ gratiæ sit memor, eamque illi in memoriam reuocat, q. d. diuturno morbo admirandum in modum liberatus es, vide nè eius rei memoria deleatur, atque ita te sanitatem recuperasse memineris, vt nisi tibi ipsi attendas in ægritudinem relabi possis. Cautior igitur esto in posterum, & vide non

tuo

tuo labore, non tuis expensis, non tuo merito ad pristinam valetudinem redijsse: hæc namque omnia, verba ista significant; *ecce sanus factus es.* hoc ergò est primum quod præscribit.

Iam noli peccare] Deinde eumdem admonet, ne in peccata relabatur, ob quæ in morbum illum inciderat, quo multos annos implicitus iacuerat. Dum ergò morbi caussam aperit, vult illam cautiorem dinceps reddere, græcè μηκέτι, ponitur loco, *iam*, id est, nè posthac.

62. Non mihi fit credibile perseueraſse istũ in peccato per totum hoc languoris tempus, quod tamẽ video Toleto placuisse, nec sine probabilitate: potuit tamen ob præterita peccata tantùm longo morbo puniri, quamuis interim peccatis illis abstineret, saltem ad aliquot annos.

63. Hic interim ostendit Christus Deũ se esse, dum abditissimam morbi caussam aperit.

Ne deterius tibi aliquid cõtingat] Postremò præscribit, & hoc sanitati conseruandę perutile, dum aliquid timoris addens, vt à peccatis abstinere faciat; Monet benè videat, ne deteriora patiatur, si se in officio non contineat, & præteritas maculas non emendet, sed repetat.

64. *Morborum origo peccatũ* Ex his tria morbis vtilia deducere est. Primũ morbos ob peccata sæpè à Deo immitti, vide Tolet. anno. 10. Deinde post receptam sanitatem, etiam animæ, & post baptismum peccare posse hominem contra ac Iouinian. sensit: lege Cyprianũ lib. 3. aduersus Iudæos. Denique, & illud hinc conficitur clarissimè, grauius peccari post acceptam sanitatis gratiam, cùm corporis, tum animæ, si quis iterum peccet ob adiunctum ingratitudinis vitium. 2. Pet. 2. 21. *Melius erat non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerte*; hos comparat cani reuerso ad suum vomitum: & sui lotæ in volutabro luti: lege Bernard. sermon. 3. in Cant. & Basil. lib. moral. Reg. 11. c. 2. & Cyprian. lib. de discip. & habit. virginum.

65. Porrò quia non dictum est, *noli peccare, quia non sanaberis*, sed *ne deterius*, &c. Colligit Pacianus epist. 3. contra Nouatianos, non esse negandam pœnitentibus veniam.

66. *Tria Sapienti indigna visa.* Hæc verba altiùs imprimenda sunt cordi, vbi quis mentis sanitatem assequutus est per pœnitentiæ piscinam. Ecclesiast. 26. 25. scribitur: *In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi aduenit. vir bellator deficiens per inopiam: & vir sensatus contemptus.* (hæc duo sunt, quæ dolorem sapienti afferebant; viri bellatoris inopia, qui deberet necessarijs abundare; & viri sapientis contemptus, cui magnũ par est deferre honorem: subiecit tertium) *& qui transgreditur à iustitia ad peccatum* (hoc est enim, quod indignationem maximum excitat, de quo ait) *Deus parauit eum ad romphæam*, id est, supplicium æternum, & hoc est, *ne deterius tibi aliquid contingat*, vt & Lyranus exposuit.

67. *Languidi gratitudo.* *Abijt ille homo*] Abijt, inquit Cyrill. vt medicum ostenderet, si quis forte illorum sanitate indigniſſet. vel abijt, vt Chryso. ait, vt tamquam gratus auctorem beneficij profiteretur.

Quia Iesus esset qui fecit eum sanum] Idem Chryſost. hom. 37. animaduertit non dixisse languidum, quia Iesus esset, qui portare iusserat onus, quod quæsierant Iudæi, sed qui se sanum fecerat, vt vel hinc intelligas, non malo eum animo de Christo Iudæis renunciasse.

68. ὅτι ἐζήτει αὐτὸν ἀποκτεῖναι. 16. *Propterea persequebantur*] græcè additur ὅτι ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι, id est, *& quærebant eum interimere.* quibus declaratur, quo pacto eum persequerentur: neque enim dumtaxat verbis, sed rebus & factis. Dum verò dicitur propterea, indicari videtur color, & prætextus, quo Christum persequebantur, verè enim inuidia potius agebantur, sed eam zelo obseruationis sabbati operiebant; quãquam Cyril. dicet, significasse hîc Io. verè quidem Iudæos ob hanc caussam persequutos fuisse Christum, verùm interim indicare voluisse, quàm perperã, & stultè id facerent, dum ob sabbati violationẽ, quod reuera minimè violabat, immò spiritualiter obseruandũ docebat, eũ persequerẽtur.

Quia hæc faciebat] dum hæc dicit insinuat alia 69.
Christum itidem miracula in sabbato fecisse ante hæc, quæ ab alijs Euangelistis narrantur, & si fortè non omnia. An verò Christus transgressus fuerit edendis miraculis sabbatum. ad Theor. reijcimus.

17. *Iesus autem respondit*] vel respondisse dicitur pro loquutum fuisse, aut, loqui incœpisse: est 70.
enim hebraismus: vel Iudæi ea de re aliquid dixerant Christo, quod Io. tacuit; puta quod Deus requieuit die septimo, vel tertè eorum cogitationibus occurrit hoc responso.

Pater meus vsque modò operatur, & ego operor] 71.
Aduertit Chryso. quod cùm Christus discipulos excusat, ob violatum sabbatum à Iudæis accusatos, Dauid conseruum eorum in medium affert, Matth. 12. 3. 4. 5. Cùm autem de seipso erat accusatio ad patrem confugit, quia illi homines erant, ipse Deus. Notandum verò quandoque se excusare vt Deum sicut hic; quandoque vt hominem Lucæ 14. vtrumque enim credi volebat.

Vocat ergò patrem *suum* peculiari quadam ratione, seque eadem dicit cum illo agere, seu perinde ac illum operari. Vnde rectè confecerunt Iudæi se æqualem dixisse patri. *Ecce*, inquit Aug. *intelligunt Iudæi, quod non intelligunt Arriani*; cùm præsertim significet hic Christus ita se à patre esse, vt ab eo sicut substantiam, ita potentiam habeat, vt nihil alienum ab eo facere possit, deniq; vt nihil ille agat, quod non & ipse: sicut Io. v. 18. sequẽti significat: neq; enim ea sunt verba Iudæorum, sed Euangelistæ ex sua sentẽtia affirmantis, verè Christi mentem eam fuisse, quã nec Iudæi ignorarunt, nimirum dicere se æqualem patri filium esse. 72. *Arriani stupidiores Iudæis.*

Itaque Christi hoc loco responsum, primam continet rationem sic: *Quia pater meus semper operatur, ego etiã operor*, seu propterea operor. sequela ponitur n. 73. Et hæc intelligentia caussalem continet sensum, vel potius per similitudinem: quemadmodum pater meus semper operatur, ego etiam operor, nã nec ille sine me, nec ego sine illo quicquam possumus facere.

Est verò hebraismus; nam particula, *&*, comparationem interdum significat. Vel tertiò, quousq; pater meus operatur, & ego similiter operer necesse est. Vel denique quicquid pater meus operatur, & ego operor, atque adeò quod ego facio, pater facit; & hoc insinuatur v. 19. Hinc sequitur, ergò non est quod me accusetis, sicut nec patrem accusare potestis. Ita Christus calumnias Iudæorum depellit ipsum criminantium, quod in sabbato operaretur. 73.

Textus hic Io. non obscurè ostendit omnem, etiam voluntatis, tametsi liberam actionem, immediatè pendere à Deo. dum enim Christus ait: *pater meus vsque modò operatur*, exponunt Patres, quos plures hic recensẽt Card. Tolet. ab eo vsque die, quo Deus mundum creauit, numquam operari desijsse, tum res creatas conseruando, tum cum eis alias producendo. Et sanè est eadem ratio de dependentia in conseruatione, atque in operatione, quod ita esse qua ex parte effectus, qua ex parte caussæ docet Franc. Suar. lib. 1. de aux. cap. 4. initio. Vbi etiã ostendit Deum in quẽlibet effectũ immediatè immediatione virtutis, & suppositi influere; lege item Aug. 17. in Io. explicantem, quo- 47.

modo

Digitized by Google

modo Deus quieuerit die septimo, & vsque modò operetur, & latius lib. 4. Genes. ad lit. & lib. 5. cap. 14.

77. *Vsque modò*] ἕως ἄρτι, vel significat quoties, & & quandocumque operatur, vel idem est, quod *semper*, sine termino, etiam die Sabbati, quare non est omnino necesse exponere, *vsque modo*, id est, vsque ad hanc diem sabbati ex Cyrill. lib. 2. c. 133. quasi esset ea dies Sabbatum, qua hæc differebat Christus, id enim incertum est; vel etiam vim eam habere potest, adiuncta particula, *&*, vt significet quicquid perpetuò & quandocumque operatur, *& ego operor.*

18. *Propterea ergò magis*, &c.] significant hæc, quæsiuisse Iudæos eum interficere: verùm noua hac oblata causa, quod se Deo æquaret ad interficiendum magis accensos, inflammatosque fuisse. hoc enim innuunt illa, *propterea ergò magis quærebant eum Iudæi interficere*, quasi prius quæsissent. vox verò, *ergò*, infert ex præcedenti sententia illationem: præcessit enim hæc sententia; *pater meus operatur vsque modo*, &c. quam expressius posuit v. 18 dum ait: *quia patrem suum dicebat Deum*, & ne quis arbitraretur per adoptionem patrem suum vocasse Deũ, subiecit dixisse se habere Deũ patrem sibi æqualem. Hinc ergò infert: *Propterea ergò magis*, &c.

76. *Sed & patrem suum dicebat Deum*] Dices quomodo Iudæi ex proximè commemoratis Domini verbis intellexerunt ipsum facere Deum patrem suum, & se æqualem Deo? Respondet benè Perer. n. 49. quia vocauerat Deum patrem suum proprium; quia dixerat se similiter quolibet tempore operari, vt ipsum Deum, quia dixerat se operari simpliciter, id autem est, omnia, sicut pater operatur. Et sanè hoc Iudæi rectè intellexerunt: si enim in hoc errassent, aut Christus errorem correxisset, aut Euangelista indicasset, sicut cùm Ioan. 2. dixit Dominus Iudæis. *Soluite templum hoc*, &c. & cùm monuit discipulos, vt cauerent à fermento Pharisæorum, continuò Euangelistæ reiecerunt falsam eorum verborum intelligentiam. Sic hoc loco facere oportebat, ne putaretur Christus Diuinitatis honorem affectasse.

77. *Respondit itaque Iesus*] Fortè aliquid dixerant Iudæi, quo exprobrabant illi, æqualem se facere Deo, quòdque Sabbatum solueret. hoc enim significat illud, *itaque*, q. d. & Sabbati violationem, & cum Deo æqualitatem obijciebant; propter quæ duo interficere quærebant illum: quod si non verbis, saltem animo duò illa conceperant: vtrique ergò obiectioni respondet Christus v. sequenti. Fortè tamen verosimilius est ore nihil expressisse, de æqualitate saltem, sed animo tamen cogitasse, quod se æqualem Deo faceret, alioquin id non tacuisset Ioan.

78. *Trifariam de Christo loqui possumus.*

19. *Non potest filius*] quæ sequuntur spinosa valdè sunt, & sublimia, & ideò diligẽtius expendenda. Obserua in primis trifariam de Christo nos loqui posse: primùm qua Deus est, ratione dumtaxat diuinæ naturæ: deinde vt homo est, ratione tantùm humanitatis, puta, cùm loquitur de potestate quadam humana ad iudicandum, ad suscitandum, ad sciendum, & alijs donis humanis diuinitùs illi concessis. Denique, vt est hic homo, id est, quatenus, persona quædam est habens humanam naturam, cui naturæ iuncta Deitas est, ratione cuius vnionis accepit illa humanitas, quæ competunt Dei filio ratione diuinitatis, vt est potestas ad iudicandum diuina, infinita scientia, & id genus alia. Iam verò quæ hic scribuntur, exponenda ferè sunt de Christo hoc tertio modo sumpto in his Scholijs, quamuis in Theo. aliam expositionem prosequemur fortassis probabiliorem, quam hic non ponimus, ne plus æquo longiora fiant Scholia.

Est igitur hæc verborum sententia, vt ostendere velit hic Christus, primùm, & quidem potissimùm se Sabbatum non soluere, deinde sequentibus verbis, *quæcumque enim ille fecerit*, &c. clarius & expressius æqualitatem confirmat, quamuis & ista ex prioribus etiam verbis colligatur. Ait ergò, nihil ego facio, quod non faciat pater meus, à quo etiam accipio, quicquid ego filius facio: si ergò me violati Sabbati accusatis, etiam in patrem hæc redundabit calumnia, & vt violatorem Sabbati eum accusetis oportet. Dixi respondere hic ad obiectionem de Sabbato, & quidem potissimùm: nam ex eo quod dicit nihil se facere posse, nisi quod viderit patrem facientem, non ita clarè confici potest, quòd æqualis sit Deo: quando ad æqualitatem opus fuerat nõ hoc tantùm, sed etiam omnia quæ pater facit, videre, & facere, quod sequentibus verbis declarat.

Porrò cùm hic dicitur non posse filium à se facere quidquam non significat illud, *à se*, ipsum solum sine alio, hoc est, sine faciente patre, facere: nam neq; etiam hoc modo pater solus quidquam facit, sed præter hoc significat facere posse nihil, nisi illud, quod facit simul pater, ita vt simul etiam pater faciat, & à patre habeat illud ipsum, quod est facere: est enim vna eademque patris, filijque operatio, sed eam filius habet à patre. 79.

Quare meritò Hilar. 7. de Trin. scribit, his Christum confirmare, immò verò & augere, quæ dixerat vers. 17. quasi dic. non solùm quod facio, facit pater, sed non possum aliud facere, quàm quod pater facit, à quo & accipio quod facio.

Quid quod etiam hinc intelligimus Christum esse Deum; omnis enim creatura potest aliquid facere, quod non potest Deus. Est enim impossibile Deum mentiri, *si enim hoc posset*, inquit August. 22. de ciuit. c. 25. & 26. contra Faust. c. 3. *non esset omnipotens*, si ergò Christus de seipso affirmat nihil posse se facere, nisi quod pater facit, esse creatura non poterit. 80. *Christi diuinitas astruitur.*

Ad hucobseruanda est particula, *nisi quod*, neque enim habet vim exceptionis, sed *nisi*, loco, *sed tantum*, positum est. 81.

Sed cur, inquies, dictum est, *nisi quod viderit facientem*, an non satis fuerat dixisse, nisi quod pater facit? Respondet Maldon. voluisse ita se patri naturâ coniunctum ostendere, vt tamen distinctum esse significaret. Coniunctum ostendit cùm dicit, se facere non posse, nisi quod facit pater, distinctum, cùm dicit, *nisi*, id est, sed tantùm, quod viderit patrem facientem. alium enim esse qui videtur, alium, qui videt necesse est. deinde conuenienter filio loqui voluit, cuius est non præire, sed sequi patrem, & ob id numquam de patre dictum legimus, non posse eum quidquam facere, nisi quod viderit filium facientem, quamuis rè quidem vera dici potuerit, inquit idem auctor. *Christum natura patri coniunctum, & quomodo.*

Sed verior, & planior horum verborum sententia, vt mea fert opinio, est, vt multa asseramus his verbis significari, quibus dicitur, *nisi quod viderit patrem facientem*. Primum quidem excluditur solitudo, nam, neque sine patre facit filius, & hoc demonstrat vox, *facientem*, q. d. facit quod pater facit. 82.

Ad hæc, verbum, *viderit*, notat, quòd faciat id quod videt patrem faciẽtem, quia nimirum ab eo accipit vt faciendi virtutem, ita & operationem. Hic namque dicendi modus communicationem quandam significat operationis quæ tribuatur ab

eo, quem

eo, quem quis facientem videt. ſicut in humanis, is, quem alius operantem videns, imitatur, & refert, dici poteſt ſuo modo non eandem quidem numero operationem, ſeu operandi modum illi communicare, ſed eadem tamen hæc ſpecie per imitationem: ita filio Pater in diuinis dicitur eandem prorſus operationem, & virtutem communicare filio, qui illud ipſum facit, quod videt patrem facientem; non poteſt autem diuerſa eſſe numero operatio vtriuſque. quoniam igitur Filius, & cognoſcit, & facit idem illud, quod Patrem facientem videt, ita vt operationem, ſicut & virtutē cognoſcendi & faciendi illud idem, accipiat à patre, propterea dicitur facere, quod videt patrem facere: & hoc eſt à ſemetipſo non facere, quod patri non competit. Tertiò ne quis putaret diuerſam eſſe patris, filiique actionem, nō eſt dictum, quod videt patrem feciſſe, ſed facientem: & illud verbum, *quod*, innuit vnum, idemque opus ſimul fieri à Patre & Filio.

Ijs adde, tacitè ſignificari voce, *viderit*, Filium eſſe Verbum, & Sapientiam genitam Patris, & ideò cognoſcere omnia, quæcunque Patris ſunt, & ob id dixit, non tantum facit, quæ Pater, ſed *quæ viderit facientem*. Facit enim omnia, vt verbum Patris, omnia videns, & per quod Pater omnia facit. Poſtremò dicere *quod videt facientem* non obſcurè declarat, Filium Patris inſtrumentum non eſſe, cùm cognoſcat æquè ea, quæ facit.

83. *Arrianorum error.* Sed illud non eſt hic ſilentio prætereundum, in his verbis hæſiſſe Arrianos, quibus dicitur: *Filius non poteſt à ſe facere quicquam*, &c. Sic enim ea impij accipiebant quaſi ſignificare vellet Chriſtus ſe Diſcipulum eſſe Patris. At ridiculè decipiuntur, numquid mundum non fecit Filius, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil, quod factum eſt: atqui non viderat ante Patrem mundum alium conſtruentem, neque enim mundus alius eſt. Neceſſe eſt igitur affirmare ſenſum eſſe, Patrem, & Filium vnum & idem facere, neque poſſe res facere diuerſas cùm natura & voluntate idem ſint, accipiatque Filius à Patre eandem prorſus, & cognitionem & actionem.

84. *Faciendi Verbum quid ſignificet.* Cæterum & illud diligenter obſeruandum eſt ſecundùm Idacium, Auguſtinum, Ambroſium, quos citat Maldon. hic verſ. 19. vocem illam, *facere*, non poſſe veram & propriam actionem ſignificare: ſi quidem peregit filius multa, quæ numquam eadem Patrem facientem vidit quando. n. vidit naſcentem Patrem? quādo humanam ſumentem naturam? quando patientem? hæc tamen omnia Filius fecit. Non igitur Verbum *faciendi* externam ſignificat actionem; ſed conſenſum, ſed voluntatem, vt ſit hæc proindè ſententia, Filium non poſſe facere quidquam, niſi quod Patrem velle intellexerit, rectè enim Pater facere dicitur, quod ſiue per ſe fieri vult, ſiue per alium.

Ad hoc, ſunt qui dicant magis Scholaſticè; Patrem non ſolùm volendo, ſed verè etiam agendo feciſſe quidquid fecit Filius, feciſſe tamen vt efficientem cauſſam, non vt terminum. Filius natus eſt, Pater generauit, Filius naturam induit humanam, Pater dedit, Ille mortuus eſt, hic eum tradidit, reſurrexit ille, hic eum à mortuis excitauit. itaque in omnibus à Patre & Filio eadem actio edita eſt; ſed propterea Filius, non Pater genitus, vel natus, vel incarnatus, vel mortuus, vel ſuſcitatus eſſe dicitur, quia hæc nomina non actiones ſolùm, verùm actionum etiam terminos ſignificant, qui Filio propter perſonæ diſtinctionem, quæ terminus eſt, non Patri conueniunt.

85. Sed in primis quod ex Idacio, Auguſtino, Ambroſio allatum eſt, non omninò mihi probatur. quamuis enim Chriſtus vt homo nihil faceret, A niſi quòd ſciret velle Patrem (ſic enim Patres iſti hunc locum exponunt de Chriſto, vt homo eſt) is tamen ſenſus in hunc textum non quadrat. nam dicendum potiùs fuiſſet, Filius non facit, niſi quod viderit Patrem volentem, cùm tamen non ita ſcriptum ſit à Ioanne, ſed, *niſi quod viderit Patrem facientem*, vt non ſola indicetur operationis Chriſti, cum Dei Patris voluntate, conformitas; ſed in primis vnitas operationis: ita vt quod Filius facit, faciat etiam ſimul Pater, quod Filio conuenit ratione diuinitatis, ſiue ſimpliciter, ſiue vt vnita eſt humanitati in Chriſto.

Deinde venio ad id quod ex Scholaſticis deductū eſt, & aio nō ſatis id in hūc textū quadrare. Nā verè & propriè non orabat Pater, non ieiunabat, non ambulabat, licèt hæc omnia Chriſtus faceret. 86.

Quare planior ſenſus eſt, magiſque germanus, vt hunc locum interpretemur, non de omnibus planè operibus, quæ Dei Filius, poſtquam hominem induit, effecit: ſed de illis dumtaxat, quæ eidem Chriſto homini diſtribuuntur, ratione ſcilicet diuinitatis vnitę ſibi: id genus verò ſunt opera, quæ *miraculoſa* à Theologis vocantur; itē & opera Diuinæ virtutis: hæc ergo faciebat Filius, & verè ac propriè faciebat Pater, quia vna vtriuſque virtus, ſicut vna vtriuſque eſſentia. De his, aduerte lector, dictum eſt, *non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem:* Propterea non eſt dictum, nihil facit, ſed *nihil poteſt facere*, ad inſinuandam videlicet vnius, indiuiduæque operationis neceſſitatem ex vna, & indiuidua natura proficiſcentis. vt ergo difficillimi loci ſententiam paucis complectar: ſermo eſt hic, de operibus illis, quæ ſunt diuinitatis, & tribuuntur Chriſto homini ob vnionem diuinitatis cum eius humanitate. veniamus ad alia. 87.

Quæcumque enim, &c.] Vbi Iudæorum calumniam de violato Sabbato repulit; reſpondet nunc pro ęqualitate clariùs, quę licèt in proximis continetur verbis, non ita tamen clarè oſtendebatur, vt dictum eſt, quamuis & hinc confirmetur prima etiam ratio, confutans violatum Sabbatum. Dictum fuerat paulò antè, nihil poſſe Filium facere, niſi quod viderit Patrem facientem: iam verò addit, omnia vniuerſim, quæ facit Pater, facere ſimiliter & Filium, igitur æqualis eſt Filius Patri in operatione, ergo & in natura. Nam profectò, ſi Filius non modò nihil poteſt facere, niſi quod videt Patrem facientem, & præterea omnia quæ ille facit, facit & ipſe, nec tantum hoc, ſed ſimiliter facit, id eſt, eodem modo, pari nimirum, eademque potentia, ſcientia, voluntate, operatione, maieſtate, ergo æqualis eſt illi. 88.

Quatuor ergo ex hoc loco diſcimus; primùm ſignificari quæcumque facit Filius, ea quoque fieri à Patre: vnde liquet, nihil Filium facere diuerſum, nedum contrarium Patri, quod clariùs dicitur illis verbis: *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem.* Secundò illud etiam indicatur, quæcumque facit Pater, eadem omnia facere Filium; vt intelligatur, eadem eſſe in vtroque rerum effectrix potentia. Tertiò hinc etiam elicimus Patrem, & Filium ad facienda opera nō concurrere, vt cauſſas inuicem ſubordinatas, vt Sol & homo concurrunt dum hominem generant: neq; vt cauſſas partiales: neq; vt cauſſam principalē, & cauſſam inſtrumentalē: neq; vt cauſſas diuerſi generis, prout ad naturales effectus conueniunt, materia, forma, finis, efficiēs: ſed vt vnam, eandemque cauſſam, vnicumq; principium, vna, eademque potentia, & ſcientia, & voluntate, eademque actione omnia facientem, conſeruantem, gubernantem, quæ omnia voce illa, *ſimiliter*, ſignificantur: non enim idem eſt, 89.

quod

quod *quoque*, vel *etiam*, sed quod *eodem modo*

Sed sciendum est dici Patrem, & Filium eodem
90. modo operari, vt rectè notat Perer. nu. 14. non quidem ad se inuicè consideratos; Pater enim à se ipso potentiam habet operandi: Filius autem eam accepit à Patre; sed respectu ipsorum operum, quæ fiunt extra ab vtroque, dicuntur Pater, & Filius eodem modo operari: quia eadem ratione ad ea facienda concurrunt.

91. Addendum denique quartò ex hac propositione, nimirum omnia, quæ ille facit, facit similiter filius, inferri, siue seorsim sumantur illæ duæ voces, omnia, & similiter; siue simul, æqualitatem, & Deitatem: nam si omnia facit, quæ Pater, ergò non potuit esse factus à Patre, nec esse creatura: cùm enim seipsum facere nequeat, si Pater illum fecisset, non omnia, quæ Pater facit, ipse fecisset, neq; enim se Idem ex verbo *similiter*, deducitur. siue ergò seorsim sumatur alterum horum, siue simul, semper infertur æqualitas atque Deitas. Ex quibus etiam calumnia violati Sabbati retunditur, quomodo enim si & omnia, & similiter ac Pater operatur, ita vt nihil possit facere, nisi quod viderit Patrem facientem, violati Sabbati accusari poterit?

20. *Pater enim diligit Filium*] Quoniam obijcere quis poterat ipsum non omnia facere, quæ Pater, quasi non omnia, quæ Pater facit, videat; ostendit nunc id esse non posse, ita vt reddatur simul superioris sententiæ caussa: nam *Pater diligit Filium*, & ideò nihil ei occultat, sed ostendit omnia, sic ergò Filius omnia facit, quæ Pater facit.

August. intelligit Patrem demonstrare Filio,
92. nihil esse aliud, quàm Patrem gignere Filium, gignendo namque Filium, eandemque suam ipsius naturam communicando, simul cum natura, ac generatione notitiam, ac visionem tradidit omnium, tam præteritorum, ac præsentium, quàm futurorum. Cyril. etiam non est alienus ab hac expositione, dum sic ait: *Pater Filio demonstrat, quæ facit, totum seipsum in natura filij quasi depingens, vt quæcumque in se habet ipse, in Filio ea demonstret.* lege Augustin. tractat. 21. & Cyrill. lib. 2. cap. 327.

Pater gignendo filium omnium notitiam ei tradidit.

Sed illud hanc interpretationem destruere videtur, quod appareat hic velle Dominus assignare caussam, ob quam Pater Filio omnia demonstrat; atqui dilectio Filij, sicut non est caussa generationis filij; ita nec caussa est ob quam demonstrat omnia Pater Filio. Quomodo ergò demonstrare generare est? Ad hæc, si propter æternam generationem Filij ex Patre dicitur Pater Filio demonstrare omnia, quomodo stant, quæ sequuntur, *& maiora his demonstrabit ei opera?* quasi nondum illa ei demonstrauerit? Ad primum horum respondet D. Thom. Io. 5. non debere illa verba, *Pater diligit Filium*, accipi, vt caussam, ob quam Pater Filio omnia demonstrat, sed tantùm vt signum, ex quo à posteriori homines, quibuscum loquebatur, colligerent Patrem omnia filio demonstrare, q. d. D. Thom. quod omnia Pater filio demonstret, & ipsi suam naturam, & potestatem communicet, signum certissimum est eximia, ac singularis illa erga Filium dilectio. Ad secundum respondet August. quod hactenus quidem Dominus loquutus est secundùm Diuinitatem à principio versus vicesimi, vsque ad illa, *& maiora*, &c. vnde incipi loqui de se, quatenus homo est; quomodo in tempore quædam prius demonstrat Pater Filio quæ prius non demonstrauerat.

93. D. Thom. in hunc modum explicat: Patrem demonstrare filio omnia, quæ facit; significare hic, Deum manifestare alijs se omnia quæ fecit, facit, & facturus est, per filium fecisse, facere, & facturum esse: & licèt ostenderit multa se prius fecisse magna, & mira per filium: deinceps tamen demonstraturus erat maiora, quæ per filium facturus erat. Tunc enim demonstrare dicitur hoc modo, cùm innotescunt. Iansenius aliter declarat: Patrem demonstrare omnia filio, esse, Patrem omnia facere, cognoscente ea filio, per cognitionem eius, nempe à Patre acceptam, quomodo non rectè diceretur filius omnia, quæ facit, demonstrare Patri.

Sed illud in hac expositione mihi displicet, quod August. *maiora ei demonstrabit*, de Christo vt homo est, exponat: cùm enim hoc v. 20. rationem velit reddere Christus cur omnia demonstret Filio Pater, videtur ratio hæc (siue signum, siue caussa sit) vt rectè dicit August. de Christo Deo, de quo prius loquebatur, intelligi debere, ergo etiam ea, quæ sequuntur, *& maiora his*, &c. de eodem accipienda sunt, quod tamen August. negat. D. Thomæ & Iansenij responsio non displicet, quare poterit hæc interpretatio admitti.

Poterit tamen altera esse non minus probabilis, ex his, quæ superius diximus, affirmantes sermonem hic esse de Christo homine ratione Diuinitatis vnitæ, magis etiam conformis: nimirum adeò dilexisse Deum Patrem humanitatem illam, vt eam Deitati vniuerit: hinc factum, vt ratione Deitatis vnitæ, dicatur omnia illi homini aperire, nihilque illi occultum esse velle eorum quæ facit, & ita dilectio videtur sumi posse tamquam caussa, sicuti vnionis, ita, & demonstrationis omnium: nam ob vnionem, quæ Deitatis sunt, illi homini tribuuntur. Alteram expositionem de Christo vt homo est, in Theor. reijcimus, ne hìc longi simus.

Et maiora his demonstrabit] Franciscus Suar. 94
tom. 2. 3. par. in q. 59. & in ar. 1. explicans hunc locum de Christo, vt homo est, sic scribit; *ostendit omnia illi homini quæ facit Pater, non solùm speculatiuè (vt sic dicam) sed etiam practicè, dando ei virtutem ad facienda opera illis similia, quæ ipse facit, & hoc est, quod subdit, & maiora his demonstrabit ei opera. Demonstrabit, inquit, non quantum ad cognitionem (nam etiam vt homo omnia sciebat à principio conceptionis) sed quantum ad exequutionem eorum, quæ in singulis temporibus operaturus erat, iuxta Patris voluntatem.* Hæc ille.

Verùm non mihi videntur, in hunc textum cõuenire hæc, si prosequi velimus, quam cœpimus interpretationem. nam de Diuinitate id dici non potest, nec consequenter de Christo, vt est homo ratione Diuinitatis, quod similia faciat, sed quod eadem facit opera cum Patre. Quod si dicas esse hæc accipienda de Christo ratione humanitatis, iam recedemus ab ea expositione, quam cœpimus sequi, nimirum, esse hic sermonem de Christo homine ratione vnitæ diuinitatis, vnde nascitur communicatio idiomatum. Vtrum autem possint hæc conuenire Christo, vt homo est, in Theo. tractabimus.

Quare vocem illam, *demonstrare*, quatuor sen- 96.
sus facere posse arbitror, qui omnes rectè etiam conueniunt Christo homini ratione vnionis Diuinitatis. Duos priores sensus paulò antè retuli n. 93. alterum ex D. Thom. alterum ex Iansc. Tertium ponunt Maldon. in versum 20. & Perer. disp. 13. nu. 57. vt verbum, *demonstrare*, non accipiatur pro *docere*, aut ostendere, sed pro *facere*, dare, impartiri, sensumque hunc esse. Pater dat Filio potestatem omnia faciendi; aut Pater omnia opera sua cum Filio communicat, nec communicat modò, sed & communicabit, quia potentia faciendi, quæ est ni Filio semper est à Patre.

Demonstrãdi verbum quid hic significet.

Neque verò noua, vel insolens hæc significa- 97.

tio

tio verbi ostendendi, vel demonstrandi videri debet, pro dare, vel exhibere vt Exod. 33.19. *ego ostendam omne bonum tibi*, i. dabo ex Mal. hic, 1. Reg. 14.12. *ascendite ad nos & ostendemus vobis rem.* i. faciemus. Psal. 4.6. *quis ostendet vobis bona?* & Psal. 59. 5. *ostendisti populo tuo dura*; & Psal. 70,20. *quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas*, & Psal. 84. *ostende nobis Domine misericordiam tuam*, quod statim declarat, *& salutare tuum da nobis*, Act. 9.16. *ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* ostendam, inquit, non docendo, sed agendo. i. pericula illi obijciendo, & patientiæ gratiam largiendo, & 2. ad Timoth. 4. *Alexander Aerarius multa mala ostendit mihi.* Obseruat autem Rupert. paulò antè dixisse Christum *demonstrat*, non, *demonstrauit*, quia quotidiè cum illo sua opera communicat.

98. Quarta addi potest expositio, quam etiã Card. Tol. amplectitur an. 16. ad significãdam videlicet æternitatem loquutum esse Christum Dominum per verbum futuri tẽporis. cùm enim æternitas omne tempus sub se claudat, hinc fit, vt ęterna omnibus temporum differẽtijs explicari queant, prout ratio accommodatæ loquutionis postulat: quare dum prẽsentia exprimimus, æterna etiã tempore præsenti declaramus, dum de futuris agimus, vtimur futuro tempore in ęternis explicandis, sicut & in præteritis, præterito, licèt actus æternus sit supra omne tempus. sic consueuimus dicere Deus cognoscit nostras cogitationes, & de præteritis hominibus, quod cognouit eorum cogitationes, sicut de futuris, quod cognoscet. Hæc differẽtia non in Deo est, quia ab æterno semper & simul omnia cognoscit: sed cùm hæc ipsa cognitio semper maneat, & præterito, præsenti, futuro tempori coexistat, sitq; interim supra tempus; varijs temporum differẽtijs exprimitur, pro vt exposcit varia de rebus loquutio.

99. *Deum cognoscere quomodo intelligendum.* Verùm cùm dicimus Deum cognoscere quidpiam, non inficiamur cognouisse, vel cogniturum esse; sicut nec cùm affirmamus cogniturum, negamus nouisse, vel etiam nosse &c. Interdum etiam ad explicandã æterni actus permanentiam, stabilemque, & inuariabilem perdurationẽ vtimur tẽpore præsenti, vt cùm dicimus Pater generat, vel diligit Filium: quod ita dictum est superiùs: *Pater demonstrat Filio, quæ facit.* Cùm ergo Augustt. tract. 19. inquirit; *quando demonstrat? an quando facta sunt, an antequam fiant?* facilis est responsio, sicut Pater cognoscit, quæ facit, quando fiunt, & quando facta sunt, quin etiã antequam fiant, ita eodem modo Filio demonstrat.

Ad hanc porrò perpetuitatem significãdam rectè tempus præsens accõmodatur, proindè dicitur, *diligit filium*, potius, quàm *dilexit*, vel *diliget*, quia æterna, & continua dilectio perfectius præsenti tempore explicatur. Cùm verò dictum est *non potest filius facere, nisi quod viderit Patrem facientem*, vtitur verbo futuri temporis, viderit; accommodat namque verbum æternitatis etiam ad res, de quibus item agit, putà futuris, seu faciendis; eadem ratione declaratur id, quod hic dicimus, *demonstrabit opera.*

100. Quod si miretur quis quomodo dicatur, *demonstrabit*, cùm hoc futurum, præsentem ignorãtiam inditare videatur. Respond. quia, iuxtà hanc quartam expositionem, de futuris operibus sermo erat, ideò, actum æternum futuro expressit, vt Ioan. 16. dicitur dẽ Spiritu S. *quæcumq; audiet, loquetur, & de meo accipiet*; cùm tamen ab æterno audiuerit, & acceperit. Non ergò cogimur propter hæc verba cum Aug. tract. 21. hæc de Christo homine intelligere. Quid? nonnè etiam si de homine Christo intelligas adhuc vrgebit difficultas? neque enim

A demonstrabit Pater aliquid illi, quod non prius demonstratum fuerit; cùm initio assumptæ carnis omnia ei ostenderit Pater, quæ futura erant, quod benè animaduertit August. propterea ad mysticũ Christi corpus confugit, ratione cuius arbitratur hæc verba dicta fuisse. Sed id videtur minimè quadrare verbis Christi. quare rectè cum Cyril. lib. 2. c. 138. de Christo homine quidem hæc exponimus, sed quantum ad ea, quæ ratione Diuinitatis vnitæ, vel quod idem est vnionis hypostaticæ competũt, eodem planè sensu, quo superiora. *Vt vos miremini*] *vt* consecutionem, non finem significat.

101. 21. *Sicut enim Pater*] Aug. & Beda arbitrantur hîc exemplum eorum poni, quæ maiora sibi Patrẽ demonstraturum dixerat: nullum, inquiunt, dum mortuum suscitauerat: maiora ergò facturum indicat, quia tres posteà mortuos ad vitam erat excitaturus. Sed hoc non videtur stare posse, cum B his, quæ lib. 3. harum dilucidationum tom. 1. retulimus, & lib. item 3. enchiridij nostri c. 18. vnde filiam archisynagogi à Christo de morte ad vitam iam reuocatam fuisse, constat.

102. Quòd si de resurrectione vniuersali loquamur, atque adeò de potestate ad iudicandum; dicamusque quod hic incipiat ostendere, quæ sint illa *maiora*, quæ significauerat demonstraturum Patrem, vniuersalem scil. mortuorum resurrectionem, & iudiciariam potestatem, optima erit expositio; hæc enim sunt illa maiora; placetq; magis hæc expositio, quàm altera Maldon. qui vt superioribus verbis, *maiora his demonstrabit*, docuit, alluisse Christum ad eam potestatem, quam in iudicio ostensurus est, qua nullam vnquam maiorem demõstrauit, & de qua statim loqui cepit. Ita ait, & hic, ad eãdem potestatem alludens Christus, quia proprium est iudicis soluere, vel damnare (hoc enim C Mald. est hic viuificare, vel occidere) proponit suscitationis. i. v iuificationis exemplum. Itaque vult Mald. suscitare hic non ad sola modò corpora, sed ad animos etiã referri: idem ergò est dicere: *Filius quoscunque vult suscitat, & viuificat*, ac illud Apoc. c. 1. 18. habere claues mortis, & inferni, & quod de Deo dicitur viuificare, & mortificare Deut. 32. 39. 1. Reg. 2. 6. Tob. 13. 2. Sapi. 16. 13. Sic Mald.

103. Cæterùm arbitror potiùs de potestate suscitandi mortuos in vniuersum esse hoc loco sermonẽ: Mentem verò Christi esse ostendere, se habere potestatẽ ad suscitandos mortuos in fine mundi cum iudicãdi potestate coniunctam. Propterea vt hoc efficiat, hic assumit habere se potestatem suscitandi homines in vniuersum, vt videl. ex hac illam tacitè intelligamus, qua ad mundi finem omnes suscitabit, iudicaturus orbem; nam si quos vult D viuificat, ergò omnes viuificare potest, & ita declarat, quæ sint illa maiora, quæ Patrem dixerat demonstraturum; nec probo illud suscitare, hic, seu viuificare (quod idem est) ad animos extendi, sed in corporibus tantùm accipi debere puto.

104. *Viuificare quinq; modis sumitur in Scripturis.* Illud non omittendum quinque modis sumi in Scripturis *viuificare*. primò est vitam dare ijs, qui nunquã eam habuerunt. Iob. 33. 4. *spiraculum omnipotentis viuificauit me.* secundò est eos qui prius viuebant, & functi sunt vita, ad vitã excitare. Rõ. 4. *qui viuificat mortuos.* tertiò est de morte naturali ad vitã beatam suscitare. Rom. 8. *viuificabit mortalia corpora vestra.* quartò est de morte spirituali peccati ad vitam gratiæ transferre. ad Gal. 3 *si data esset lex, quæ posset viuificare.* quintò pro in vita cõseruare. sic Iob. 36. 6. *non saluat impios.* &, 70. *nõ viuificabit.* i. non subtrahet dignæ morti, & æterno supplicio. Gen. 16. 19 *ex cunctis animantibus bina induces in arcam, vt viuant tecũ.* Heb. *vt viuifices tecum*; LXX. vt nutrias, Exod. 1. 17. *obstetrices conseruabant mares*, Heb. & Gr. viuificabant masculos. i.

ſeruabant incolumes; Exod. 22. 18. *maleficos non patieris viuere*, Hebr. *non viuificabis*. LXX, non ſinetis incolumes; hic ſecundo, o ſumitur.

Eſt ergò hic ſenſus: quemadmodum Pater ſuſcitat. i. habet poteſtatem ſuſcitandi mortuos: ita Filius, quos vult viuificat, ac proinde cùm mundi finis aduenerit omnes ſuſcitabit, ita eâdem habet poteſtatē cum Patre: hanc porrò poteſtatem viuificandi quos vult, v. 22. probat ſe habere ex poteſtate iudicandi, vt mox dicemus.

Obſeruanda ſunt hic Chryſoſt. verba hom. 37. *atq; nihil poteſt à ſe facere*, inquit, *ſi facit, quod vult*, contradicit, nàm ſi quos vult viuificat, poteſt à ſe facere: velle enim poteſtatis eſt. quod ſi non poteſt à ſe ipſe, iam quos vult non viuificat. Illa ergo particula, *ſicut Pater ſuſcitat mortuos*, indiſcretam poteſtatem; illa autem, *quos vult*, propriam, æqualemque ſignificat: Vide num. 106.

105 22. *Neque enim Pater iudicat*] Franciſ. Suar. in q. 59. a. 1. ſub finem cōment. in hunc ſenſum hæc interpretatur: *ſignificat*, inquit, *poteſtatem ſuſcitandi homines coniunctā eſſe cum poteſtate iudicandi, nam oportet iudicem, habere poteſtatem vocandi, & trahendi reos ad iudiciū: vocandi autem ſunt per generalem reſurrectionem*, hæc Suares; cui addo particulam, *enim*, cum dicitur, *neque enim Pater*, idem ſubindicare, refertur enim ad præcedentia hoc modo, ſicut Pater habet poteſtatē ſuſcitandi mortuos: ſic & Filius. Probat deindè verſu ſequēti poteſtatem habere ſuſcitandi mortuos: *neque enim*, inquit, *Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio*, q. d. poteſtatem habet ſuſcitandi, quia habet poteſtatē iudicandi oēs homines: ad quem autem ſpectat poteſtas iudicandi, ſpectat & ſuſcitandi, ſeu vocandi ad vitam iudicandos. quare recta fuit interpretatio Suarij.

106. *Suſcitare & viuificare nihil differunt.* Neque illud hic in præteritis ponendū eſt; non eſſe ſtatuendū hoc loco inter *ſuſcitare*, & *viuificare* diſcrimen aliquod, quaſi quod ſuſcitādi ſint oēs viuificandi verò ſint, qui ad vitā ſunt deſtinati: & ideò non dictū eſſe. *quos vult ſuſcitat*, quia oēs ſuſcitare volet, ſed *quos vult viuificat*. Malo ſimpliciter *ſuſcitare*, & *viuificare* pro eodē ſumere, itemq; pro reſurrectione corporū. Addit aūt, *quos vult*, ne intelligeres viuificaſſe, ſeu ſuſcitaſſe mortuos, ſicut olim Prophetas: ſolius enim Dei eſt viuificare quos vult, ac proinde ſicut Pater, ita & ipſe viuificat. Quare ad hunc locū ſatis accōmodate Chryſo. hom. 37. quod ſuperiùs nu. 104. retuli, animaduertit illa, *quos vult*, ęqualem Filij cum Patre poteſtatem non obſcurè ſignificare, ac propterea etiā dixit *viuificat, ſuſcitat* in præſenti, omne tēpus reſpiciens. Addit Tolet. adnot. 18. inſinuari per hoc quod dicitur, *viuificat quos vult*, poteſtatem generalem omnes mortuos ſuſcitandi: nemo enim ſuſcitare poteſt mortuos, quos vult, niſi qui poteſtatem habet ſuſcitandi omnes.

Sed omne iudicium] omne, rectè videtur ad perſonas referri debere q. d. omniū iudicium, dixerat enim neminē iudicare, ergo de perſonis loquitur.

107. 23. *Vt omnes honorificent*] vt paulò pòſt verſu 27. reddet cauſam ſibi traditæ à Patre poteſtatis iudiciariæ, dum dicit: *quia filius hominis eſt*. Ita & hic alteram aſsignat ſcil. vt ęquali honore Filium cum Patre proſequantur oēs, ſanè vt eadem adoratione Filius adoretur cum Patre, & eadem coadoretur humanitas filio cōiuncta. Et quidem meritò hanc illi Pater poteſtatem tradidit: *quia factus eſt obediens vſque ad mortē, mortem autem crucis*, eoq; deſcendit vt non homo videretur, ſed *vermis, & opprobriū hominū*. Vt ergo viderēt homines *in quem tranſfixerunt*, & honorarent, & adorarent adoratione latriæ tanquam Deum, hanc illi humanitati poteſtatem dedit, quatenùs illi vniuit diuinitatem, quo factum eſt, vt datum ſit huic homini, vt ſit ſupremus iudex per cōmunicationem idiomatum, vt Cyrill. l. 2. c. 144. ſignificat, vide Suar. in q. 59. ar. 2. 3. p. neq; enim data eſt hæc poteſtas humanitati, vt per eam Chriſto conueniat, falſum enim id eſſet. Hinc Paul. Philip. 2. 9. 10. 11. *propter quod & Deus exaltauit illum*, &c.

Qui miſit illum] tacitam aſſignat cauſam quamobrēm qui non honorat Filium, non honorat Patrem, nempè quia ipſe miſit illum. Miſſio duo innuit, proceſſionem à Patre, & carnis aſſumptionē, & propterea nunquam leges ſcriptum à Filio miſſum Patrem. Huius aūt terminus exterior, eſt ipſa carnis aſſumptio, neque ſatis eſt æterna proceſſio ad miſſionem citra terminū. Perindè igitur eſt dicere: *qui miſit illum*, ac, ita homo factus eſt, vt à Patre procedat ipſi conſubſtantialis, & homouſios: idcircò in carne adorādus eſt, & adorandus ęquali cum Patre adoratione & honore cùm æqualis à Patre procedat; quem cultū & honorē qui illi detrahit, detrahit Patri, tum quia etiā inter homines honor Filij cenſetur Patris; tum quia, qui hominē illum Chriſtum tanquā Dei filiū non honorat, & accipit, hanc Patri irrogat iniuriam, quod ipſi dicenti. *hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi cōplacui, ipſum audite*; non credat. & hoc etiā, quia iniuria in legatum, in mittentem redundat. 108. *Miſſio duo innuit, & quæ.*

24. *Amen amen dico vobis quia qui verbum*] Fides in Chriſtū qualis eſſe debeat ad vitam duobus hic ferè verbis explicat, primùm illis; *qui audit verbū meum*; eſt enim fides ex auditu: verùm hoc cōmune eſt credentibus, & non credentibus. Iterùm illis; & *credit ei, qui miſit me*, non dixit verò *qui credit in me*: quia ſi ſic loquutus fuiſſet, vt Chryſ. hom. 38. & Euthy. obſeruant, gloriari viſus eſſet. Prętereà hic dicendi modus magis declarat fidē credentium in illū; qui enim credit ei, qui miſit Chriſtum credit in mittētem, & in miſſum, atq; adeò Trinitatis myſteriū profitetur. Ad hęc cùm credat Chriſtum eſſe miſſum, incarnationis myſteriū etiā admittit & recipit: quibus planè myſterijs maximè fides noſtra cōtinetur: credimus namq; Chriſtum eſſe verum Dei filiū, & hominem propter nos factum. Neque tamen hinc excluditur charitas, vel eius opera. Loquitur enim Dominus de fundamēto ipſo, atq; initio ſalutis, quod tunc nondum iactum fuerat: alioquin Ioan. 1. c. 3. 14. ſatis indicat dilectionem coniungendam fidei, dùm ait: *tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniā diligimus*, &c. 109. *Fides qualis eſſe debeat.*

Et in iudicium non venit, ſed tranſijt] Aug. tract. 22. *ideò*, inquit, *non venit in iudicium, qui credit in illum, quia ad extremū diem iudicij damnationē non ſubibit, ſed de morte corporis ad vitā trāſibit æternā.*

Sunt aūt diligenter obſeruandæ duæ illæ voces, *venit*, & *tranſijt*; eſt enim *venit* græcè præſentis tēporis οὐκ ἔρχεται, quod quia nunquā ponitur pro futuro; ita exponunt quidam hic, *venit*, pro *veniet*, pro *tranſijt* legunt quidam etiā *tranſibit*, vel *trāſit*, ſed procul dubiò *tranſijt* legendū eſt, vt nuper in correctis biblijs legimus: licèt quidam adhuc ad indicādam rei certitudinē morè prophetico præteritum pro futuro ſumant. Eſt aūt ſenſus, ſeruādo præteriti tēporis ſignificationē; non venit. i. non vēturus eſt in iudiciū. i. in condemnationē æternę mortis, vt ex Aug. diximus: ſed iam ante iudicij tēpus trāſiuit à morte animæ, & à reatu æternę mortis, tam animæ, quā corporis ad certā ſpem, iuſque poſſidendi æternam vitam. ſic Auguſt. exponens hūc locum de morte etiā peccati ad vitam gratiæ. 110.

Sed verior videtur expoſitio, vt ſit ſermo de morte corporis ad æternā vitā, q. d. homines deputatos iam eſſe, vt de morte corporis tranſeant ad æternā vitam, per certam quandā ſpem, iuſq; illam poſſidendi, licèt nondū obierint; quomodo intel- 111.

ligen-

Digitized by Google

ligendus est, Ioan. 1. epist. c. 3. *nos scimus, quia trāslati sumus de morte ad vitam: quoniā diligimus fratres.* Adde quod status credentium est, vt de morte ad vitam sint suscitandi. si verò, more prophetico, *transijt*, pro futuro, sicut & *venit*, positum est: sensus erit non veniet in condemnationē; sed hinc decedēs trāsibit de morte corporis ad eternā vitā. Cæterum prior expositio legitima magis videtur.

Status credentiū qualis.

§ 25. *Venit hora & nunc est*] Confirmat quod dixit, quod *qui audit verbū eius, & credit in eum, habet vitam æternam, quia venit hora, &c.* vbi simul ostenditur quando fiet, vt vitam habeant æternam mortui, qui crediderunt in eum; cùm videl. ipse illos in communi omnium resurrectione (de hac enim hic loquitur) oēs suscitabit. Iterùm, *venit*, præsenti tēpore ἔρχεται, pro vētura est, sicut prius, & sicut Mat. 17. 11. aut *venit*. i. aduēnat, appropinquat, vt Io. 4. 25.

112. Sed cur dicit, *& nunc est*, cum nondum generalis resurrectio aduenerit? Respondeo eodē modo loqui Christum hoc loco, quo Ioan. c. 2. 1. v. 18. dicit enim nouissimam horā esse, vel quod, vt D. Petrus ait 2. c. 3. 8. *vnus dies apud Dominum, sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus*; vel quod nouissimā horam vocet statum illum vltimū, post quem, in hac vita ante finē mundi alius expectandus nō sit: sicut illi expectabant, qui vel in lege naturæ, vel in lege Mosis erāt. vbi verò Christus venit nil restat aliud, quàm iudiciū. Id ergò est quod dicit Ioā. *nouissima hora est*, idemq; est hic, *venit hora, & nunc est*. Porrò horam Hebræorum more, tēpus quamuis longum, modo oportunū appellat, quod græci dicūt καιρὸν. Quare propter ista verba non cogimur admittere id, quod habet Pere. n. 67. non pertinere hęc ad generalem resurrectionem mortuorum, eò quòd dicatur, *venit hora, & nunc est*, sicut nec ob id quod indefinitè dicantur mortui audituri vocem filij Dei. Idem enim valet vox, *mortui*, quòd omnes, qui reperientur ad extremum iudicij diem.

113. *Vocem Filij Dei,*] Aut quia ipse per se mortuos ad iudiciū vocaturus est; aut quia per Archangelū, & tubam, vt ait Paul. 1. Thess. 4. 16. & 1. Corint. 15. 52. Mat. 24. 31. id facturus est, de qua re in Theoria.

Qui audierint] Sunt qui hinc probent, nō esse hic sermonē de generali resurrectione, cum significari videatur his verbis, non esse oēs resurrecturos. Verùm hi ex hoc eodē loco refutantur: nam etiāsi de priuata intelligas resurrectione, quomodo illud interpretaberis, non omnes, sed eos dumtaxat, qui Christi vocem audierunt suscitandos esse? num vocati sunt aliqui, qui non audierunt? Dices non omnes audisse, quia nō omnes vocauit. At is dicendi modus insolēs est, & durus. itaq; nihil aliud significare voluit per hæc verba Christus; quā vim, efficacitatemq; vocis suæ, quæ tanta sit, vt quicunque vocē eam audierit illicò pareat, & ad iudiciū suscitatus prēsto sit. Noluit igitur quemquā excipere, cum paulò pòst dicturus sit, oēs audituros esse eam vocē, vt habes ver. 28. D. Aug. hunc v. etiā de spirituali animarū resurrectione intelligit tract. 22. & lib. 10. Ciuit. c. 6. Sed melior est prior expositio.

114. 26. *Sicut enim Pater*] Reddit Christus causam, cur qui audierint vocem Filij Dei viuent; quia *sicut Pater habet vitam in semetipso, & ob id mortuos suscitat; ita etiā dedit Filio vitā habere in semeipso*, ideò poterit etiā mortuos suscitare. Euthy. quid sit habere vitam in seipso optimè declarat videl. ad modum fontis scaturire facere vitam. Est ergò sensus; quemadmodum Pater omnis vitæ fons est, & cui vult eam dat, cui vult aufert; ita filius omnis in se vitæ fontem cōtinet, & cui vult eam vel dat, vel aufert. Causa ergò prima vitæ, quæ alijs dat vitam, & ipsa aliunde vitam non habet tanquam ab exteriore principio, diuersæq; naturæ, estque proindè vita per essentiā & substantialiter, diciturq; habere

A vitam *in semetipso*. Sed quando, inquies, Pater, Filio, vt vitam haberet in semetipso, dedit? Aug. tract. 12. Chrys. hom. 33. & alij ad æternam generationē confugiunt, itaq; hæc conuenire Christo, vt Deo, aiunt. Nos cùm Cyril. lib. 2. c. 144. ratione humanitatis exponemus, & vitā hāc humanitati dedisse, affirmabimus, cùm vt homo ille in vnā cum Filio suo personā vniretur, effecit per incarnationem, seu cum dedit Filium suū vt humanitati vniretur; sicut enim tunc dedit illi homini, seu humanitati esse Dei: ita dedit ei habere vitā in semetipso ratione Diuini verbi habentis in semetipso vitā naturaliter, quod ei tunc personaliter vnitum est: quāmobrem ea donatio fuit illi homini gratuita, & per Dei gratiam ei facta, non naturalis. Nec ab re huius rei meminit, nam ad iudiciariam potestatem, mortuorumque suscitationem pertinet vitam in semetipso habere. Aduerte aliud esse habere

B vitam *à semetipso*, & aliud *in semetipso* in Diuinis. Illud namq; proprium est Dei patris à nullo procedentis: hoc ex æquo tribus personis conuenit.

Et potestatem dedit ei iudicium facere] Particula, &, Gr. ὁ χρίσιν ποιεῖν etiam iudiciū facere duplicem vim habere videtur: aut significat Patrem Filio nō solum curandi paralytici, aliaq; id genus miracula faciendi, vel suscitandi mortuos; sed etiā viuos, & mortuos iudicandi potestatē dedisse. Vel certè hanc habet vim, vt significet non solùm Patrem ipsum iudicandi potestatem habere, verùm eam etiam omnē in filium transtulisse, quia filius hominis est. i. quia personam gerebat ad obeundū iudicis officium accommodatū. Ex quibus patet totius versus sententia. Quamuis illud quoque, &, vim causalis non incōmodè habere possit, vt sit loco, *quia*. Dicere namq; possumus reddi rationem eius, quod præcesserat, cur scil. Pater dederit ei habere

C vitam in semetipso: quia videl. iudex est, & iudicis est viuificare, quos vult. Hoc si de vita ad quam oēs tam boni, quàm mali vocandi sunt, intelligatur, sic debet intelligi, velle oēs suscitare, ad quos necessaria est potestas ad suscitandum, viuificandumque quos vult, alioquin non posset omnes suscitare: si verò intelligātur de vitā æterna, tùc eos volet suscitare, quos elegit, & in quibus merita digna inuenerit. Sed ad hoc etiam necessarium fuit potestatem vt haberet suscitandi quos vellet; vel etiam vniuersim omnes.

Quia Filius hominis est] In primis rectè notant quidam: *Filium hominis* hoc loco non significare propriè Christū quod passim solet, sed generatim hominem quāuis pro solo ponatur Christo, quia ipse de se solo loquebatur. hinc est, quòd neque nomen hominis, neque Filij græcè articulum habet. Nota iterùm; Chrys. hom. 38. hæc verba iungit cum

D eo, quod proximè sequitur, *nolite mirari hoc*: vt sit sensus: ne videatur vobis incredibile, quod dixi de potestate iudicādi: quia videtis me hominem esse, pauperem, humilē, &c. nam nimirum ita sum Filius hominis, vt simul etiam filius Dei sim. Chrysost. sequuntur Theophy. & Euthym. Sed hoc modo nihil hic aliud diceret Christus, quàm quod suprà dixit, *Pater omnē iudicium dedit Filio*. quanquā Chrysost. propter Pauli Samosateni hæresim ita interpretatus est; qui hinc peruersè deducebat Christum fuisse purum hominē, quasi esset sensus, propterea nō potuisse à se habere Christum potestatē iudicandi: sed necesse fuisse à Deo dari, quia Christus erat tantū Filius hominis. Quod verò impius hæreticus colligebat, tantū esse purum hominem per insciti am, ita colligebat: nam vt tantum hinc inferatur hominē esse Christum, at esse simul Deum ex multis alijs capitibus colligitur: imò & ex hoc ipso loco: nam si homo hic, Deus non esset, potestatem iudicandi nō acciperet; potestas enim

115. *Pater quādo dederit Filio vitam habere.*

116.

117.

118.

119.

Digitized by Google

hæc Dei est, & accepisse dicitur, vt homo, quia per humanitatẽ exercẽda sensibiliter est. Cyrill. l. 2. c. 144. connectit hæc non tantum cum immediatis verbis, *& dedit potestatem iudicium facere*, sed etiã cum illis, *dedit vitam habere in semetipso*: nam vt homo per vnionem vtrunq; accepit, & vitam hãc, & potestatem. verùm Aug. tract. 25. tantum cum illis, *dedit potestatem iudicium facere*, vtrunque est probabile, hoc probabilius.

120. Est ergò sensus, quia iudex hominum, qui post resurrectionẽ erunt corporei, & visibiles, debet esse visibilis, & sensibilem proferre sententiam: Pater aũt, & Spiritus S. non habent naturam visibilẽ: Filius verò, & Deus est inuisibilis, simulque homo visibilis: propterea data est ei potestas iudicandi: quia filius hominis est. Adde, quod sicut Dei hinc cõmendatur misericordia in nos, quod per hominem hominibus salutẽ contulit: qua vel vna re deperditũ naturæ nostræ restituit honorẽ, vt Dæmonis victor homo ipse diceretur, à quo pri⁹ prostratus fuerat; eodẽ modo iustitia Dei multũ in eo cõmendãtur, in eo q̃ homo iudicat hominẽ, & ille idem, qui vitã exposuit pro homine. Quis n. neget iustè condemnari peccatores ab eo, qui suum pro illis sanguinem fudit? Postremò facit hoc ipsum ad iustitiam non modò Dei ostendendam, sed ad exaltationem quoque Christi vt videant reprobi in quem pupugerunt. i. cernant illum ipsum in ea hominis forma, in qua malè eum habuerunt.

121. 28. *Nolite mirari hoc*] Aug. refert hæc ad id quod dixerat v. 27. *& potestatem dedit ei*, &c. q.d. ne miremini dixisse me datam mihi esse potestatem exercendi iudicij: nam maius quid est solo verbo omnes de morte ad vitam reuocare; quod tamen præstiturus sum, vt hoc versu declarat. Francis. Suar. in q. 5. a. 2. ait; *sicut paulò superiùs ostendit Christus sibi esse datam potestatem viuificandi mortuos ex potestate iudicandi, quodammodo ex fine colligens medium: ita è contrariò hic suadet iudicandi potestatem ex potestate suscitandi mortuos, veluti colligens ex medio finem, aut ex vno opere supernaturali magis sensibili, valdeq; admirabili admirationem alterius excludens, & hoc est quod ait: nolite mirari hoc*, &c.

122. *Omnes homines resuscitandi, etiã ij qui non sunt sepulti.* *In monumentis*] Significatur à parte totum: omnes enim mortui, quamuis non sint in monumẽtis, suscitandi sunt; sed nimirum ex maiori parte totũ intelligitur. De ijs, qui in maternis veteris moriuntur, Catholicorum est sententia suscitandos quoq; esse, lege Aug. l. 22. de Ciuit. c. 13. & probatur, 1. Corint. 15. *sicut in Adam oẽs moriuntur, ita in Christo oẽs viuificabuntur*: Iustinus qq. cõtra gent. resp. 13. scribit, eosdem ratione præditos suscitandos fore, & secundùm Aug. eam corporis magnitudinẽ, quam, si vixissent, habituri erãt, fore accepturos. Nyssen. in orat. de infant. præmaturè abreptis, probabilius iudicat nõ esse iudicio Dei sistendos: neq; enim id omninò certum est: sed longè probabilior est Aug. sententia l. 5. hypognos. & epist. 107. ad Vitalem, & alibi, quod ad iudiciũ venturi sint, & propter peccatũ, quod ab Adam contraxerunt, dãnationis sententiã subituri. quãuis cõtra Aug. l. 5. cõt. Iulian. c. 8. sentientẽ eos torquẽdos, sicut & cæteros infantes sine baptismo excedẽtes: Greg. Nazian. in orat. in sancto Baptismate: & Nyssen. loc. cit. & cõmunis sententia sit non esse torquendos: nam hæc pœna ijs infligenda est, qui mala opera fecerunt. quod si in Euangelio non fit mentio nisi eorũ, qui vel ad vitam vocandi sunt, vel qui igne torquendi, id est, quia de ijs, qui crediturí erant in eum, aut fidem eius non recepturi loquebatur Christus. quos vel allicere ad fidem, vel terrere voluit pœnis. vel dic quod de bonis, & malis operibus agebat.

123. *Membra dispersa mortuorum ab angelis congreganda.* Richar. d. 43. a. 5. q. 3. in 4. affirmat singula corpora resurrectura eo loco vbi inuenta fuerint: quod si secũdùm diuersas partes per varia loca sint dispersa, vbi fuerit, vel præcipua pars, eò, Angelorum opera, adducentur reliquæ partes materiæ, atq; ibi fiet vniuscuiusq; resurrectio. Et idem est sensus eorum, qui censent quodlibet corpus ex suo sepulcro excitandum esse. Nomine namque *sepulcri* intelligant necesse est locum illum, in quo vnumquodq; corpus, vel materia eius tunc reperietur. Et hoc modo nomine *monumẽti* hic intelligere possumus eundem locum: sic, Ezech. 37. intelligi potest, *aperiam tumulos vestros & educã vos de sepulcris vestris*.

Itaque prius excitandi sunt per vniuersum mundum oẽs, posteà verò officio Angelorum cõgregabuntur in certũ iudicij locũ. Quod ita intelligendum existimat Suar. disp. 50. Sect. 7. post mediũ, vt reprobi quidẽ à Dæmonibus portãdi sint, iusti verò virtute sua ferantur, quo eos custodes Angeli duxerint sponte sequẽtes illos, tanquã duces suos: reprobi verò vltra vires suas à Dæmonibus inuiti, coactiq; trahentur. Orig. lib. 28 in Isai. in ea verba cap. 26. *resurgent hi, qui in sepulcris sunt*, vt est apud Pamphilum Apolo. pro Orig. dicit, per *sepulcrum* intelligendũ esse omnẽ locũ in quo vel integrum corpus humanũ, vel ex parte aliqua iacet, & ita de omnibus verũ esse potest, q̃ resurgent de sepulcris. Illud tantũ addendũ verosimilius esse ea corpora, q̃ omninò, vel maiori ex parte in aqua, vel in aere sũt, vel excitãda esse super terrã adductis cineribus eo loci, vbi iudicij loc⁹ erit; vel vbi Deo placuerit.

124. *Mortui resuscitati ab angelis ad locũ iudicij portandi.*

125. *Sepulcri nomine quid intelligatur.* 29. *Et procedent*] Gr. ἐκπορεύσονται, *prodibunt* scil. è monumentis. *In resurrectionem vitæ*] scilicet beatę. *In resurrectionem iudicij*] hoc est, damnationis. Aug. iudiciũ pro pœna posuit. Hæc verba duplicem nobis indicant resurrectionẽ; prima est vitæ, seu ad vitam: nec accipienda est vita naturalis: nam ita in omnẽ resurrectionẽ conuenit, esse reparationem vitæ, & ex istis verbis colligitur futurum esse cõmune omnibus bonis, & malis, vt ad vitam naturalẽ, seu corpoream excitentur: omnes. n. in monumentis erunt, & oẽs audiẽt vocem Filij Dei auribus nimirũ corporis illam percipiendo, vt in Theo. dicam, & procedent. i. egredientur de monumentis, seu locis, in quibus reperientur, ita vt pedibus gradiantur, vt notauit Hieron. epist. 61. ad Pammachium contra errores Io. Hierosol. dicens, audietur auribus, & procedent pedibus, vbi clarè significat vocem illã sensibilẽ esse futurã. Cùm ergò dicuntur aliqui resurrecturi *ad vitam*, vel *in resurrectionẽ vitæ*, de vita æterna sermo est, hoc est, de æterna beatitudine, in qua nihil est mortis, dicturq; etiã in scripturis resurrectio iustorũ eadem hæc resurrectio vitæ, de qua 2. Mach. 7. *tibi enim resurrectio ad vitam non erit*, nam resurrectio impiorum dicenda potiùs est resurrectio ad mortẽ, vt acutè scribit Aug. lib. 6. de Ciuit. c. 12. vita gehennæ, *mors potiùs æterna dicenda est, quã vita, nulla quippè maior, & peior est mors, quam vbi non moritur mors.* Altera verò est resurrectio iudicij. i. cõdemnationis. dixerat enim Christus, vt notat Chrys. hom. 38. *qui credit in me.* i. fide viua *non venit in iudiciũ*, non quia iudicandus nõ sit: sed quia nõ est iudicandus, & dãnandus. Eodẽ ergò modo dicũtur mali resurgere resurrectione iudicij sci. vt in iudicio condẽnẽtur. Porrò *iudicij* vocabulũ varios habet significatus, sed p̃cipui sunt quinque. Primò & maximè proprie significat definitionẽ eius, quod est ius, seu iustũ & æquũ inter aliquos, cõnotando simul quãdam potestatẽ compellẽdi partes ad exequutionẽ eius iuris, quod definitũ est, si sit opus: Est aũt hoc iudiciũ ipsa sententia iudicis. Deriuatur hæc vox à verbo, *iudico*, quod propriè significat ius dicere: sicut græcum δικάζω, vnde iudex nominatur δικαστὴς a δίκαιον, quod est ius ex Arist. 5. Eth. c. 4. sic sumitur Ecclesiast. 18. 19. *ante iudicium para iustitiam tibi.*

126. *Iudicij vocabuli multa significat.*

Digitized by Google

Secundò per metaphoram trãslatum est ad significandum id, quod per sententiã iudicis iudicatũ est, aut iudicandũ, & præsertim condẽnando, vt hoc loco Ioã. 5. *procedent*, &c. *qui mala egerunt in resurrectionẽ iudicij*, & 1. Cor. 12. *iudiciũ sibi mãducat, & bibit*, sumiturq; hoc modo, re iudicata, apud Cic. lib. 1. de Diuin. *Eheu, iudicauit iudicium inclytum Inter Deas treis aliquis.*

Tertiò significat etiam per metaphoram quędã, quę ad iudicis iudiciũ aliquo modo attinẽt, vt tribunal ipsum, contentionẽ, partium, & totã actionem iudicialem. Vnde dicitur aliquis in iudicium vocari, & cõparere iudicio, & aliud esse iudiciũ sęculare, aliud Ecclesiast. cap. quanto, extra de iudicijs. quarto significat quamcunq; intellectus definitionẽ, & sententiã priuati etiã hominis. Et ita dicimus benè iudicare pertinere ad Synesin, vt Isai. 59. *viam pacis nescierunt, & non est iudicium* (.i. rectũ & bonum) *in gressibus eorũ*. & ad Tit. 3. de hæretico homine, *cũ sit proprio iudicio condẽnatus*. Deniq; 5. significat speciatim eam intellectus sententiam, & definitionẽ, quę sit de probitate, vel prauitate alterius, sic dicimus iudicium fieri de dignitate alicuius, vel indignitate, seu peccato, iudicium temerarium. quod frequens est in Sacris litteris, vt Matt. 7. *nolite iudicare, vt non iudicemini*. Hic ergò sumitur secundo modo. Postremò, vt rectè hic obseruat Theo. quoniam dixerat superius, *qui credit, in iudicium non venit*, ne putemus, quòd Fides sola ad salutẽ sufficiat, dicit quod hi qui mala fecerũt in resurrectionẽ cõdemnationis procedẽt, qui aũt bona in resurrectionem vitę. Non igitur sola fides absq; operibus iustificat, sed oportet etiã opera adesse: tunc enim propriè fides est, quando eam comitantur opera. Propterea nõ dicit; qui crediderunt in resurrectionem procedent vitæ; quippè quibus defuerunt opera in resurrectionem iudicij procedent. Ideò vtrumque necessarium.

127. *Sola fides nõ iustificat.*

30. *Non possum ego*] Cùm affirmauerit iudicium sibi datum, poterat quis obijcere: quomodo posset homo de omniũ hominum operib. iudicare, & discernere, certumq; iudicium proferre: ostẽdit se secundùm Patrem iudicaturum, vt inquit Aug. & impossibile esse, se aliud velle, quã Pater velit, seque ita iudicaturũ, ac si Pater esset, qui iudicaret, vt inquit Chrysost. ait ergò, *ego à me ipso non possum facere quicquã*, q. d. non vt homo tantũ facio, quæ facio, sed vt Filius Dei, vnius cum Patre naturæ; nec humana scientia, ac potestate sola vtor, sed simul Diuina, *sicut audio iudico*, audit enim vt Deus, scientiã habet à Patre, & quidẽ eandẽ cum illo, audit vt homo, quia scientiã humanã habebat cõmunicatam à diuinitate: igitur iudicabas sicut audiebat, & non à seipso solo. non ergo ignorare poterat aliquid, quo iudiciũ minùs rectè ferretur. Aduerte hęc verba & secundùm diuinam, & secundùm humanam naturã in Christo vera esse: nam ipse vt Dei Filius nihil à semetipso facit, sed sicut audit iudicat, omnia namque, quæ facit, à Patre habet, sicut essentiam, & sapientiã. Porrò audire est à Patre scientiã accipere, non aliam, sed eandẽ ipsam prorsus, quæ Patris est: quod idem est cum eo, quòd superiùs dictũ fuit; *nõ potest filius facere à semetipso quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem*; sic Ambro. serm. 38. in Psal. 118. v. 4. Aug. tract. 22. Chryso. hom. 38. Cyrill. lib. . c. 146. Alij exponunt de Christo, vt homo est, sic Cyril. loc. cit. Hieron. lib. 2. aduer. Pelag. nam Christus nihil à se facere potest in hunc scil. modũ, quatenus quicquid facit nõ solus homo facit, sed simul Deus, & quæ scit, audit, quia scientia eius humana, à diuina procedit, & ipsi est conformis. vide Tolet. adnot. 28.

128. *Christum vt homo quomodo iudicaturum.*

129.

130. Placet mihi magis vtramque expositionem connectere: nam Christus potestate vtraque, sicut & scientia vtraque diuina scil. & humana iudicabat.

Et iudicium meum iustum] Poterat iterũ aliquis obijcere; si tu vt homo iudicaturus es oẽs, non poterit iudicium tuum iustum esse: nam humana voluntas, nõ potest ita æquitatem sectari inter hominum caussas, licèt homo is omnia cognosceret. differt hæc obiectio à priore, nam prima est cõtra scientiam, hęc contra æquitatem iudicis. Cui nunc respondet: iudicium suum iustum futurum; ratio est, quia *non quæro*, inquit, *voluntatem meã*, q. d. non fãcio secundùm solam voluntatem humanam, vt purus aliquis homo potest facere, sed secundùm Diuinam etiã, à qua longè abest omnis iniustitia. Cùm ergò ait, *non quæro voluntatem meã, sed eius qui misit me*; non negat se operari secundùm humanam voluntatem, sed ita operari per illam, vt diuinę sit cõformis. Videturq; loqui vt homo; quomodo voluntatis suæ actus, & opera diuino conformabat beneplacito, & sic volebat, & operabatur, vt homo, sicut cognoscebat se, vt Deum velle. Cæterùm ad Patrem refert hęc potiùs quàm ad se Deum, vt non solum se Dei filium, verùm vnam etiam cum Patre, & eandem habere, vt Deus est, voluntatem commonstret. Sic interpretatur hæc verba quoque Barra. l. 6. c. 6. vt sit sensus: non quæro voluntatem meam aliquam facere peculiarem, à Patris voluntate discrepantem, non modò quà Deus sum, sic enim eandem habeo voluntatẽ, verùm etiam, vt homo, quomodo semper Deo sum conformis. Sunt tamen, qui particulam, *&*, cùm dicitur: *& iudicium meũ*, pro, *itaque*, positam velint per hebraismum, ex eo enim quod non pro suo, i. humano iudicat arbitrio, sed pro vt audit à Patre, qui errare iudicando nequit, efficit se errare non posse, sed rectè semper, ac iustè iudicare.

Christi iudicium quomodo iustũ, etiam vt hominis.

Porrò superiùs v. 19. verbo *videndi* vsus est, hic *audiendi*; quia illic de faciẽdo agebat, hic de iudicando; & solent, qui ex alterius præscripto agunt, in eum, quasi in exemplar intueri, qui autem iudicat ex alterius voluntate, auscultare quid ille, & quomodo iudicandum esse dicat, & hoc rectè dicitur, si intelligatur loqui Christus de se, vt homo est: si verò accipiatur loqui de se ratione vnitæ Diuinitatis, tunc dicendum potiùs videtur, vsum esse verbo videndi, quia de faciendo, & de scientia erat sermo, hic verò de voũltate, & iudicio æquo, & ideò vsurpatur verbũ audiendi, quãuis reuerà vtrumq; idem sit. Sed non est dissimulandum quod Aug. tract. 22. ex hoc loco monet: *filius vnicus dicit non quæro voluntatem meam, & homines volunt facere voluntatẽ suam?* & certè vna res maximè omnium errãdi caussa est, quod suam quisque sequatur voluntatem, pessimum plerumque consiliarium. Certè Demost. Olynth. 3. dictum verissimum illud est ἔστιν ἀπάντων ἀνθρώπων ἐξαπατῆσαι, ὃ γὰρ βέλεται τοῦτ' ἔκαστος καὶ οἴεται facillimum omnium seipsum decipere, quod enim vult, hoc vnusquisque & iudicat.

131.

132. *Propria voluntas origo malorum.*

Greg. Nyss. Orat. 7. in Cant. ex primis verbis huius versus: *non possum ego à me ipso facere quicquam; sicut audio iudico: & iudicium meum iustum est*: Verã iudicij formulã elicit; debet enim iudex secundùm allegata, & probata iudicare; nequit, inquit Nyss. veritas iudicium peruertere; hæc verò iusti iudicij summa finitio est, vt quis non ex se ipso, ob quandam animi affectionem, quicquam altercantibus concedat, sed vt rei primùm audiantur, deindè sententia feratur. Vbi Nyss. licèt paulò aliter videatur verbum audiendi accipere quã nos, eodẽ tamen recidit res ipsa. nam Filius conformis est Patri, Pater verò, qui supremus est iudex, tum externa, tum verò internũ conscientiæ testimoniũ audit, & explorat, atq; adeò idem præstat Filius. Egregium sanè diuinæ æquitatis argumentũ; egregium bonæ conscientiæ, firmumque solatium. Nec prætermittendum,

133. *Vera iudicij forma quæ.*

134.

Digitized by Google

Tria in bono iudice requisita.

quod egregiè, atq; vtiliter obseruat Perer. n. 74. tria requiri in eo, qui rectè iudicaturus est alios. Primò legitimam potestatē iudicandi: deindè scientiā & hominum iudicandorū, & eorū, de quibus iudicandi sunt: tum sincerum, atq; incorruptū affectum in iudicando. Hæc tria in se fuisse Christus ipse hoc in loco indicauit. Potestatem quidem, cùm dixit; *Pater dedit Filio iudicium facere*: scientiam cùm subdit; *sicut audio, iudico; & iudicium meum iustum est*: sinceritatem demum, atque integritatem animi in iudicando, cùm addidit; *quia non quæro voluntatem meam: sed voluntatem eius, qui misit me.*

32. *Si ego*] Emmanuel sic exponit: ego si de me testimoniū perhibeā, scio, quod dicetis, testimonium tuū non est verum. Secundùm Tolet. cùm de sua diuinitate multa differuerit, iam testimonijs eadē cōfirmare, ac stabilire ob illorū incredulitatem; non grauatur. Respond. aūt tacitæ obiectioni. Dicebant intra se illi: tu de te testimoniū non affers vllū, tantum loqueris, & prædicas, quę dicis, nullo teste. Respond. *Si ego* solus de me testimoniū perhibeo, testimoniū meū nō est verum. Verum dicit, pro eo ac si diceret, non est fide dignū. Is enim solus de se testatur, qui ea, quæ dicit, nullo argumento, nullo teste, nulla ratione confirmat, alioqui argumēta ipsa simul testimoniū cum illo perhibent, vt proinde nō solus testetur de se; atqui nō ita res habet, quia non solus ego de me testor, sed diuinis argumentis, quæ dico, cōfirmo, hoc est, signis. & operib⁹ diuinitatis.

135. Scisciтabere, cùm Ioan. 8. dicatur *si ego testimoniū perhibeo de meipso, testimoniū meum verum est*, quomodo verū est, quod hic dicitur? Resp. loquebatur ibi vt Deus, qui nō humanis verbis, sed diuinis factis de se testabatur, quamuis obiectio secundū Emmanuelis sensum, & secundū expositionem eorum, qui exponunt: *si ego testimoniū perhibeo de meipso, testimonium meū non est verū*, vtiq; opinione vestra, locum non habeat. Et quidē Ioan. c. 8. non ex Iudæorū opinione loquitur Christus, sed vt se res habebat. Aliam expositionē habet Barrad. c. 7. forsitan inquit prouerbij loco erat, qui testimoniū perhibet de seipso; testimonium eius non est verum. Sicut vsurpare illud solemus, *suum cuiq; pulcrum*. Et Arist. lib. 2. Rhetor. *quoniam omnes sui sunt amantes, & sua cuiq; iucunda esse necesse est, vt facta, dictaq;, idcirco etiam plerumque assentatoribus gaudent*. Hanc fortè dicendi formulam vsurpauit hic Dominus.

136. 32. *Alius est*] Addit aliū etiā esse, qui testetur cum ipso de se. nempè Patrem. opera n. diuina, quæ edebat, & sua erant, & Patris, quare & sibi ea, & Patri tribuere cōsueuit. Hic ergò vt ostendat aliū testē se habere, ita vt duo sint, ipse & Pater. Patri tribuit illa opera, est. n. Pater alia persona. Alioqui Io. 8. sibi tribuit. secus est de operibus humanis, vt cū fatigabatur, sudabat, cōcionabatur. hæc. n. ipsius propria erant, cui, & non Patri erat illa humanitas vnita. sunt ergò duo testes ipse etiā vt Deus, & Pater. Probabilis est hęc expositio: sed placet magis, vt per, alium, Ioā. Bapt. intelligamus, vt sequētia ostēdunt.

Et scio] q. d. ego etiam probo eius testimoniū, vt non sit vnus testis, sed duo simul: ita vt ego non ex opinione, sed ex scientia tester, & approbem alius de me testimoniū. Licet aūt Athan. etiā l. 2. de Vnit. Trin. Deit. & Cyril. l. 2. c. 147. per *alium*, Patrem intelligant, cùm. n. sibi vt homini videatur præponere istum alium, sequitur de Patre Deo loqui, non de Ioan. testimonio. De Ioanne tamē volūt hæc accipi Chrys. hō. 73. & Euthy. quod & magis probo. Mald. in v. 32. nō credo, inquit, q⁹ malus quidā dicit interpres ἀμφικῶς, dictū esse, *alius est*, q. d. longè ali⁹ est, longè maior est, q̄ me vos esse putatis, qui testimoniū de me perhibet. At nō agebatur de qualitate, sed de numero testium sic Mald. Cæterùm si placet emphasim esse hic aliquā quod nō modo de pluralitate testiū, sed etiam de alio, præter propriū testimoniū, qui dignior saltē appareat, termo esse videatur; dicere possumus emphaticè loqui, sed ex Iudæorum opinione, & insciti, qui testimonio proprio Christi fidē non adhibendam censebant. Illud verò mihi valdè placet ex Maldo. quòd dicit illa: *& scio quia verum est testimonium eius*, eo pertinere, vt indicet, se ne aliorum quidem de se testimonio credi voluturum fuisse, nisi certò sciret verum esse.

33. *Vos misistis ad Ioā.*] Testem profert Io. Baptist. locupletissimū, & dignissimū fide; ad quē, quod dignū fide crederent Iudæi, legatos, miserunt, qui interrogarēt, esset ne ipse Messias, Ioa. 1. Adhibet aūt Christus in sequentib. quatuor genera testimoniorum, cauillationibus Iudæorū minimè obnoxia, videl. testimoniū Io. Bapt. alterum, q⁹ opera sua de ipso perhibent. 3. Dei Patris sui: Postremum, diuinarū Scripturarū. Ergò vos, inquit, iudicastis Ioannē fide dignissimū, dum misistis, q̄ interrogarēt, *tu quis es*, vos inquā, non ego misi vos ad illū, ipsimet sponte misistis. At ille de me testatus est, & negauit se Christum esse, dùm dixit, *non sum ego Christus*. Iterū, *medius aūt vestrū stetit*, &c. non solū igitur ipse de me testimoniū fero. Aug. de verb. Dom. ser. 43. *nouerat ipse de se testimoniū suū verū esse. sed propter infirmos, & incredulos, propter nō intelligentes, (quippè fulgorē solis ferre non poterat eorū lippitudo) quærebat sol lucernas: ideò quæsitus est Ioan. qui testimoniū perhiberet veritati*. Et paulò pòst: *sed si diligentius inspicimus, quando martyres perhibent Christo testimonium, ipse sibi perhibet testimoniū; habitat enim in martyribus, vt perhibeant testimonium veritati.*

137. *Quatuor genera testimoniorum.*

34. *Ego aūt non ab homine*] q. d. non mea causa ab homine testimoniū accipio: neque. n. egeo; habeo alia maiora. *Sed hæc dico*] Chrys. sic exponit, ego quidē humano testimonio non egebam: sed quia ei magis attenditis, vobis eius testimoniū commemoro, scil. vt in me credatis & salutem accipiatis. Aduerte nō fuisse necessariū testimoniū Ioannis, licèt à Deo missus fuerit ob Iudæorū imbecillitatem, & infirmitatem: satis nāmq; erant ad credendū Christi opera. Eodem redit, si ita interpreteris, vt dicat Christus q⁹ Ioan. testimoniū produxerim, nō eo feci, q⁹ indigeā hominū, aut Dei etiā per homines exhibito testimonio. Deus. n. cùm sim, & ipse per me edendis miraculis, qui sim declarare possim, nō indigeo cuiusquā testimonio: vsus sum aūt propter vos, vt quia caligatis ad lucem clarissimam meorum operum, vestro testimonio vos conuincam.

138. *Testimonium Ioannis Christo non necessarium.*

35. *Ille erat*, &c.] Secundùm Cyril. quia videbatur Christus quodāmodo contēpsisse testimoniū Ioan. cùm dixit: *ego aūt non ab homine testimoniū accipio*; ideò nunc eum cōmendat: interim Iudæos, à quibus contemptū, & reiectū fuerat Ioan. testimoniū perstringit, dū mirè laudat. Secundùm alios, quia dixerat se Ioan. testimonio vsum esse, non q⁹ egeret ipse, sed ipsorū salutis causa: addit nūc potuisse eos saluos fieri Ioan. testimonio, si fidē illi adhibuissēt, fuit. n. ille lucerna ardens, & lucens, quæ Christum ipsum, hoc est, salutis viam ostendit. At ipsi instabiles, leuesque fuerunt, quippè qui non nisi ad horam ea lucerna exultauerint.

139. *Ioannes quomodo lucerna.*

Porrò *lucernam* nominasse videtur, Ioannem, vt indicaret, quod quāuis homo esset, erat tamen tanquam lucerna, non qualiscunque. Sed lucens clara, & illustris viam rectam commonstrans; qua si vsi fuissent Iudæi, proculdubiò salutis viam cognoscere potuissent. Itaq; quod inquiunt quidā, ideò vocatum lucernā, quia non ex se, sed ex Christo lumen habebat, & quia apparente Christo quasi sole iustitiæ, est obscuratus, q⁹ vtrunq; in lucernā quadrat, similiter & q⁹ inquit Greg. arsisse per cęleste desiderium, illuxisse verò per verbū; & vt ait Rupert. arsisse intrinsecus testificādę veritatis amore, illuxisse extrinsecus verbo & opere: vt rectè dicta sint hæc ad cōformandos mores, nō tamen ad Christi mentē, vt

videtur,

videtur, multũ faciũt; iã. n. dixi quamobrẽ lucernã appellarit: porrò ardere, ac lucere idem mihi planè esse videntur, tantum repetitio auget, vt maximè clara videatur lucerna fuisse Ioannes.

140. *Lucernæ quatuor requisita.*

Illud adijci potest moribus non inutile ex Pere. n. 77. lucernæ quatuor necessaria esse, vt benè ac diu lucere queat. Primò vas ipsũ lucernæ benè cõformatum ad vsum lucendi: deindè oleum, vel cera, vel aliud simile, quo lumen nutriatur, & foueatur: tùm myxus, siue ellychnium: quod lumẽ ipsum sustineat: ac demum est ipsa lux. Similiter considerare licet corpus hominis esse tanquam vas, mentem eius quasi myxum: at fidem esse quasi lumen: deniq; charitatem, & bonorum operum effectionem, esse tanquam oleum: quo lumen fidei foueatur, & nutritur. Hæc ille.

Quomodo Ioannes dicatur *lucerna ardens, & lucens* ex Leuit. 14. docet Cyril. *Vos autem*] q.d. initio in honore, & pretio eum habuistis, sed posteà cùm de me testificatus est, ab eo recessistis. Perindè autem est, *ad horam*, ac ad modicum tempus. *In luce* autem dixit, quia lucernam eum lucentem appellarat. lucernam verò vocauit, quia id agebat, vt doceret satis, superque ab eo salutis viam fuisse commonstratam, quod conuenit lucernæ; *exultare* autem dixit, vt affectum exprimeret: solemus enim in tenebris positi, si lux aliqua affulgeat, exultare gaudio, id eos fecisse dixit initio; vnde fit, vt maiore reprehensione digni sint, q̃ tã breui defecerint.

36. Ego autem] explicat quod dixerat se sua causa non indigere Ioannis testimonio: quia inquit, *habeo testimonium maius Ioanne*, hoc est, maius testimonio Ioannis. vt vel Ianſ. notat. Porrò hæc verba coniunguntur cum illis: *vos misistis ad Ioannem* q.d. vos vti testimonio Ioannis voluistis, ego autem commemoro potiùs vobis, non produco testimonium hoc quasi mihi necessarium, neq; enim egeo cùm habeam maius. nam *opera, quæ ego facio, perhibent de me testimonium*, sc. maius, quàm sit Ioannis testimonium, & ne quis arbitraretur loqui se de ijs operibus, quæ vt homo faciebat, adiecit: *quæ dedit mihi Pater*, hoc est, quæ facio vt Deus, hæc enim sunt, quæ me esse à Patre missum testantur. 141.

Obserua duo dixisse: primum *opera, quæ dedit mihi Pater*, deinde, *ipsa opera, quæ ego facio testimonium perhibent* &c. non quodalia sint opera, quæ dedit Pater, alia; quæ ipse facit: sed quod hæc opera accepit à Patre, vt homo per vnionem, hoc est, per Diuinitatem vnitam illi humanitati, cum præcepto vt ea perficeret. Rursus eadem ipsemet facit, quia vt Deus eandem cum Patre diuinitatem habet, quod vt significaret, adiecit iterùm: *ipsa opera, quæ ego facio*, ne quis putaret se tantum in mandatis habere, seu, vt aiunt, ex cõmissione, vt ea faceret, & nõ faceret ipse quoq; vt Deus; continent tamen hæc eadem verba etiam emphasim vt mox ex Ianſ. dicã. Cùm verò subdit; esse sibi data, vt perficiat ea, loquitur vt homo, cui Pater iniunxit, vt ea opera faceret, cum simul potentiã dedit, per quã faceret, nempè per diuinitatẽ vnitã illi humanitati, dũ. n. Pater Diuinitatẽ cõmunicauit; atq; adeò potentiã, ac virtutem dedit ea opera faciendi, sim l iniunxit mihi, inquit, vt homini, vt ea per Diuinitatis potentiam facerem in humanitate, & per humanitatem; vt per instrumentum coniunctum.

Ianſ sic etiã interpretari videtur hunc locũ: ait .n. porrò Pater Filio dedisse dicitur opera secundũ Diuinitatẽ quidẽ, quia ei dedit cũ natura etiã potestatẽ operãdi: secundũ humanitatẽ verò, q̃a ei iniunxit, & facere dedit. Nõ otiosè aũt repetitur; *ipsa opera, quæ ego facio*; facit. n. ad maiorẽ asseueratiõẽ huiusmodi repetitio, & pronomẽ, *ipsa*, emphasim auget: est. n. sensus: etiã si nullus hominũ testetur, ipsa tñ opera per sese, & vltro testantur de me, sic ille & egregiè. *Quia Pater misit me*] i. q̃ Filius sim Dei. Dices, qua ratione opera hæc erant maius testimoniũ testimonio Ioãnis, cũ Ioan. à Deo esset missus, sicut & opera à Deo procedunt, & proindè æqualis auctoritatis, i. Diuinæ esse videantur. Resp. illud quod magis probat virtutẽ Diuinam, & clarius eã ostẽdit, maius, & efficacius testimoniũ est: licèt ergò Ioãnes à Deo missus esset, non tamen id tam certò constabat, hominibus; at opera Christi admiranda illa quidem, id clarius conuincebant: propterea efficacius hinc argumentum ad credendum trahebatur, maioremque fidem faciebant. A

Iterùm sciscitabere, quisnam ille sit, qui demũ hoc operum testimonium perhibet? & dẽ quo etiã, inquies, perhibet? opera .n. testimoniũ ipsum sunt. Respondet Car. Tol. Christus ipse, vt Deus est, perhibet de se, vt homo est testimoniũ, per opera quæ facit suprà hominem, nempè miracula, quæ sunt opera Dei. Testantur autẽ opera esse ipsum Filium Dei à Patre missum, hoc est, non hominem modo cuiusmodi apparebat, sed simul esse Filium Dei. B

Chryso. hõ. 39. *potuisset*, inquit, *dicere Christus, testimonium perhibẽt de me, quod æqualis sim Patri, at noluit: sed minus expressit, quia misit me Pater: hoc. n. prædictũ erat à Prophetis, & si semel esse admissũ, cõsequebatur etiã admittendum eum æqualẽ esse Patri.*

37 *Et qui misit me Pater*] affert iam testimonium Patris, vt simul ostendat sibi non deesse testimoniũ maius Ioanne. *Et*] Particula, *&*, accumulatiuè capitur, vt aiunt, q.d. etiã Pater testimoniũ perhibuit de me. Cæterũ hoc Patris testimoniũ nõ adiungitur ad Io. testimoniũ; sed ad testimoniũ operum, q̃ ipsemet Christus, vt Deus, de se, vt homo erat reddebat per opera Diuinitatis, vt sit hæc loci huius dilucidatio, & sententia: non ego tantũ per opera, q̃ ego facio, testimoniũ perhibeo, quod sim Filius Dei, à Patre missus, quamuis homo tantũ vobis videar. Verũ etiã Pater meus de me item testimoniũ perhibuit, sc. & per opera ipsa, deindè in baptismo, cùm dixit; hic est Filius meus dilectus &c. possumus etiam tertio intelligere testimonium Patrem præbuisse per Scripturas, de quibus paulò pòst subdet. Trifariam igitur Pater de Christo testimonium perhibuit, & per Scripturas, & per vocem de cœlo delapsam, & per opera, quæ eadem sunt & Filij. De quibus omnibus accipi potest hic locus. C

Neque vocem eius] Card. Tolet. refert hæc verba ad ea, quæ leguntur Deut. 18. Exo. 20. cùm dixit populus: *vocem eius non audiam, & ignem hunc non videbo*, & vt hoc obtinerent, obstrinxerunt se pacto, quo audituros se forè Propheram suscitandum eis de medio fratrum suorum, contestati sunt: verùm posteà à pacto recesserunt, dùm Christum non receperunt, qui Propheta ille mittendus erat. Hæc expositio licèt ingeniosa, nisi ego fallor, in hũc locum nõ satis cõuenit: Equidẽ arbitror sensum esse simpliciorem; *neque vocem eius vnquam audistis, neque speciẽ* &c. quia Dei nõ est propriè vox, vt nec os, aut labia, aut species externa. Quæ enim in veteri testamento vox aud ta fuit aliquando Patribus, Angelorum opera in aëre formabatur. D

Sed quorsum, inquies, hæc dicit? Resp. quia cùm solerent Iudæi gloriari, quod Deus loquutus esset cũ Patribus ipsorum & Mose, & iactarẽt eius illis visam esse speciem; poterant proinde Christo obijcere, nunquam se vocem Patris testantis ea, quæ ipse dicebat audisse, neque speciem asserentis vidisse, ac propterea testimonium hoc Patris, de quo ipse dicebat, veluti mortuum, & inane esse, vellẽ se proindè expressum Dei ore audire testimonium, testantem videre; idcircò veluti respondens tacitę obiectioni dicit: nõ esse expectandũ illis aliud testimoniũ; quod ipsis visus vel auditus Pater afferret; Patrem namq; neq; propriè audiri, neq; videri

142. 143. 144. 145. 146.

Digitized by Google

poſſe: eius certè opera, ſicut & Scripturas ſanctas eſſe voces, quib⁹ loquitur. At audierũt, inquies, vocẽ eius in baptiſmo; audierunt fateor; verũ ea non Patris erat, quaſi eius ore deprõpta; & eã cuius fuerit nõ oẽs audierãt, & qui audierãt, nõ crediderãt, vel Dei vocẽ eſſe, vel de Chriſto dictã, vel certè nõ audierterãt; proindè rectè dictum fuit videri hic Chriſtum tacitæ huic obiectioni occurrere.

Sed præſtat tamen ſimplicius exponere aliter in hunc modum: cùm dixiſſet Patrem de ſe teſtimonium perhibuiſſe: ſubdit nunc, ipſos non modo vocem non audiſſe, vel ſpeciem eius vidiſſe, licèt ea de re gloriarentur, quod cùm ipſis, vel eorum parentibus loquutus eſſet Deus, itemque ab ipſis viſus; ſed nec verbum admiſiſſe eiuſdem in Scripturis expreſſum, vt ex ſequentibus patet.

147. 38. *Et Verbum eius*] Vox, *&*, emphaſim continet, ac ſi dicat, nõ modo vocẽ nõ audiſtis, cũ nulla Dei ſit vox, nulla ſpecies, ſed quod vitio vobis vertendum eſt, nec verbum eius in Scripturis ſcriptũ mẽtis aure auditis, & recipitis, nec inſculptũ in vobis manet. Porrò aliud, *vox*, aliud *Verbũ*; vox, ore profertur proprio, Verbum Scripturæ ſunt ſacræ, illi ergò nõ modo vocẽ nõ audierant Dei, ſed nec verbum, i. ſcripturas quas ſæpè aure corporis audierant, legerant, viderant, in ſeipſis inſculptas habebant, alioqui Chriſtũ recepiſſent, illic. n. eſt illũ videre, illũ legere, illũ audire, omnia. n. Chriſtũ ſonãt, quæ à Moſe, cæteriſq; Dei vatibus ſcripta ſunt; *Quia*] non tam cauſam, quam effectum, & ſignum ſignificat q. d. quod ex hoc conſtat, *quia* &c.

148. 39. *Scrutamini*] oſtendit verum eſſe, quod dixerat, nõ habere eos Dei Verbũ; nam cũ illud de ipſo ſit quippè de quo Scripturæ loquantur, non tamen ipſi recipiunt. Quod verò de ipſo teſtẽtur Scripturæ patet nõ oſcitanter eas legenti, ſed rimãti illas, ac excutienti. *Scrutari*. n. nõ euoluere modo, legere, cõſiderare Scripturas ſignificat, ſed multò plus, nempè, magno ſtudio, ingenti auiditate, totaq; animi intentione legi debere, vt qui auri cupidiſſimi ſunt, quod intrà abſtruſiſſimos terræ receſſus recõditũ eſt, oẽs eius venas indagãt, & ſcrutantur: Sic Salomon monet faciendũ Prou. 2. 4. *ſi quæſieris eam* (ſapientiã) *quaſi pecuniã, & quaſi theſauros effoderis illam, inuenies ſcientiã Domini*: eſt. n. abſtruſa, & p obſcura, de qua Iob. c. 28. 18. *trahitur aũt ſapiẽtia de occultis* vbi 70. legũt, *attrahe ſapientiã ſuper intima*. i. ſi q s illã latẽtẽ eruat, trahatq; in lucẽ, hoc eſt, apprehẽdat, obtineatq;, profecto prę omnib⁹ theſauris, & reconditis margaritis æſtimabit illã. Sic Aquila: *Dulcè eſt ſapiẽtia vltra ea quæ ſunt ſpectabilia, & illuſtria*. Fortè. n. in verbo trahendi, vel attrahẽdi, neſcio quẽ habitũ exugẽdi rẽ dulcẽ ſubintellexiſſe videtur. Alij loco, *de occultis*; legũt *præ margaritis*: nã vox originalis, *peninim*, opes, vt Prou. 3. 15. vel *gemmæ* Pro. 20. 15. vertitur à noſtro interprete, q̃ ſignificatur diuinæ Sapiẽtiæ theſaurus multò magis abſtruſus, & reconditus eſſe, quàm metalla, aut pretioſi lapides, propterea multò magis nobis laborandum in illius inueſtigatione. Sic notat in hũc locũ Pineda ad rem noſtrã accõmodatè. Pergit Iob. v. 11. & 22. eandẽ nobis difficultatẽ explicare; *abſcõdita eſt*, inquiẽs, *ab oculis omniũ viuentiũ: volucres quoq; cœli latet. Perditio & mors dixerũt: auribus noſtris audiuimus famã eius*, hoc eſt, non eſt. n. illius origo ſub cælo, latet etenim cęli aues q. d. in regione ſublunari & ętherea, quã peruagãtur aues, nunquã inueniri; vt cuius origo ſublunaris non ſit, ſed ſupercęleſtis. nõ in terra, nã abſcõdita eſt ab oculis viuentiũ: nõ ſub terra, nã manes, & defunctorũ vmbræ de nomine tantũ, nõ de facie illã agnoſcũt q. d agnoſcũt nomẽ, famoſũ, & glorioſũ quãquã de facie illã mortaliũ nemo alicubi agnouerit, q̃ clarius explicat Nicetas: *metallorũ materies, quibuſdam in locis reperitur, at ſapientiæ gloria vſq; ad eos, qui terram oppoſitam noſtræ incolũt, peruenit*. nullus enim eſt locus, quem nominis ſapientiæ gloria non compleuit: et ſi de facie illam mortalium nemo alicubi agnouit.

Quã Scripturarũ difficultatẽ intelligens Dauid Pſ. 118. opem Dei implorat ad eas intelligendas. *Da mihi intellectũ, & ſcrutabor legem tuam. Reuela oculos meos, & conſiderabo*. & c. Rectè quidem; nam vt eodem c. Iob. v. 23. intulit: *Deus intelligit viam eius, & ipſe nouit locũ illius*, vbi viã nõ eã intelligit, quæ ad ſapientiæ domũ ducit: vt Prou. 8. 32. ſumitur, ſed quam tenet ipſa ſapientia. & idem eſt, quod ſequitur; *ipſe nouit locum illius*. & Salomon Sap. 8. 21. teſtatur apertè donũ Dei eſſe ſapiẽtiã, & vt inquit, *ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe cõtinens*, (ἐγκρατὴς. i. compos, & obtentor ipſius, ſic. n. hic ſequentia oſtendunt debere ſumi, licèt etiã ἐγκρατὴς temperatum ſignificet, nõ caſtũ tantũ, ſed à vitijs abſtinentem) *niſi Deus det*. eodẽ modo ſumitur ἐγκρατὴς Eccli 6. 30. *& cõtinens factus ne derelinquas eam*, vide Ianſ. tum in Sapientiã, tũ in Eccleſ. loc. cit. meritò igitur Deum adire & deprecari oportet vt ſapientiam hanc nobis aperiat, totiſque propterea exorandus eſt præcordijs cum Salo. loc. cit. Sapi.

149. *Scrutamini*] Tam Græcè, quàm Latinè eſt ambiguæ ſignificationis, vel. n. eſt indicatiui modi, vt Pere. n. 86. & Cyril accepit, & Iræn l. 4. c. 23. vel eſt imperatiui modi, vt Chryſ. ho. 4. Baſil. l. de Baptiſ. c. 4. Euth. fumunt, vt ſit ſenſus: quandoquidem tantum ſcripturis tribuitis, vt in illis vitam vos æternã habere, pro, habituros eſſe, putetis, ſcrutamini eas: illas. n. de me teſtari certò deprehendetis. *Scripturas* dicit generatim, non has, vel illas: vt ſignificet ſe omnes approbare Scripturas S. auctoritate ſynagogæ id temporis comprobatas; vel id potiùs dictũ eſt; quia oẽs Scripturę de Chriſto teſtimoniũ perhibẽt: fines. n. legis Chriſtus & Act. 3. 24. omnes Prophetæ, qui fuerunt à Samuel & deinceps annũciauerunt dies iſtos. Et Dominus duobus illis diſcipulis euntibus Emaus; *incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnib⁹ ſcripturis, quæ de ipſo erãt*. Et in c. 10. libri de Act. Apoſt. ſic eſt: *Huic omnes Scripturæ teſtimoniũ perhibẽt*. Quod verò dicit putare illos ſe in Scripturis habituros vitam æternam, vel ſignificat ſine Scripturis neminem ſaluum fieri ſc. ſine earum cognitione; præſertim, cum vix ſine Scripturis ea cognitio contingat: vel per modum reprehenſionis, ſignificat eos putare per ceremonias illas veteris Scripturæ, à quibus dimoueri nollẽt, ſperare ſe vitã ęternã habituros: & hoc videtur magis conſentaneũ verbis, cùm dicat: *vos putatis*, q. d. nõ ego, & qui benè ſentiunt; eſt enim in Scripturis aliquid abrogandum, per cuius obſeruationem nullo modo vitam æternam habebitis, quod tamen falſo iudicatis.

Scripturæ nomine quid Chriſtum intellexerit.

Scrutari quid ſit.

150. Notanda eſt etiam particula illa. *&*, cùm dicitur *& illæ ſunt*: videtur enim idem valere quod etenim illæ. ſi verò per indicatiuum exponas, idem erit quod *& tamen*, vel, *iam verò*.

40. *Et non vultis*] ſenſus eſt. cùm in ea parte Scripturarum ſit vita, in qua de me & ſpiritu agitur; vos interim illa in ceremonijs quæritis, & figuris. ego enim ſum illa vita, quam Scripturæ commonſtrant, & vos tamen recuſatis ad me venire, vt vita hac fruamini, illamque habeatis, ac proinde in æternam mortem præcipites ruitis.

151. 41. *Claritatem*] græcè δόξαν, id eſt, *gloriam*, quia meminerat Ioannis; & Dei teſtimonij; & operum ſuorum; ac ſcripturarũ de ſe teſtantiũ; multaq; dixerat de ſe glorioſè, probabile eſt, multos ſuſpicatos eſſe illũ per hæc humanã gloriam captare: hoc excludit his verbis, dũ ait, ſe ab hominibus gloriã nõ colligere, Cyri. verò l. 3. c. 5. nõ voce inquit vos

Digitized by Google

ad me (dixerat enim *nō vultis venire ad me*) vt à vobis, vel ab illis gloriā acquirā, qui gloria à me ipso plenus sum. Chryso. item ho. 40. secutus eundem sensum, subdit, exponēs quid sit accipere gloriā ab hominibus; *claritatem ab hominibus non accipio*, i. nō egeo mundana gloria, sol. n. à lucerna lumē nō accipit. Iansc. clariùs & vberiùs hoc explicās, quod est, nō accipio gloriā, ab hominibus; variè, inquit, intelligi: primò, vt sit sensus non indigeo accipere gloriā aliquā ab hominibus, quomodo intelligit Theophyl. secundò absolutè, vt intelligatur nullā gloriā ab hominibus vnquā accipere, quemadmodum nec Pater accipit, nec accipere potest. Sicut enim nox quidē accipit aliquam claritatem ab accēssis lucernis, dies verò nō accipit ab eis, quia clarus est claritate maiore. i. solis, ita Dominus cū esset clar⁹ Diuina gloria nō poterat accipere aliquā claritatē glorię à laudibus hominum, à quibus homines suam accipiunt claritatem, & gloriam (videtur sic superius Chryso. & Cyril. accepisse) tertiò sic, nō requiro gloriā ab hominibus, vel gloriā, quæ est ab hominibus nō accipio, hoc est non magni facio, atq; hoc tertio modo videtur potissimū debere accipi, quia posteà *accipere gloriā humanam*, opponitur ei, quod est *gloriam quærere à Deo*, sic Iansc. Rectè hæc omnia.

42. *Sed cognoui vos*] ideò, inquit, hæc dixi de me, vt arguam & conuincam vos quod propter Dei amorē me nō persequimini. Ipse. n. Deus Pater mihi attestatur & per opera, & per scripturas &c. quare si diligeretis eum, reciperetis me, quem ille misit. Aduerte, quod videri volebant Iudæi cum Christo repugnabant, Dei amore id facere, & tanquam eius gloriæ studiosi. ideò hæc subtexuit Christus.

Aliter etiam interpretari possumus, vt Dominus causam indicare velit nunc, quamobrem tot allatis testibus non credant: nimirum causa est quod Dei dilectione careant.

152. *Iudæi ob Christum non receptū, recipient Antichristū.*

43. *Ego veni*] Statuit veluti pœnā, quæ cōsequetur illos, eò quòd ipsum non receperint: nā quoniā noluerūt accipere Christū, pœna huius peccati cōgrua erit, vt recipiāt Antichristū; & qui nolūt credere veritati credant mendacio. Sunt qui generatim exponant, vt illud, *si quis*, vim habeat generaliter affirmandi, non dubitandi, q.d. quisquis alius nomine suo venerit eum recipietis, adeò peruersi estis iudicij; quomodo nō tantū de Antichristo. Sed de omnibus etiā falsis Prophetis, qui currebāt, dū nō mitterentur, rectè interpretari poterimus hunc locū; tale certè fuisse iudiciū Iudæorū patet Acto. 5. 36. 37. & 4. Histo. Eccl. apud Euseb. c. 6. quod insinuat Christus Matth. 24. 5. 23. vbi licēt dicat, illos venturos in nomine Christi, hic verò in proprio nomine, non sibi contradicit: nam mentiuntur se Christum esse, cùm reuera non sint. venire verò in nomine suo est, non venire à Deo missum, quamuis id ore mentiatur quis; quare rectè ac verè venisse in nomine Patris sui dicitur Christus, id est, à Patre missus, quod testimonia declarant allata. Itaque breuiter sensus est iuxta hæc: si quis ad vos Propheta falsus venerit, illum recipietis.

153. Passim tamen Patres significant his verbis, *si alius venerit* &c. vaticiniū de Antichristo cōtineri, ita vt illa particula, *si*, posita sit pro, *cùm*, vel *quando*, & eodem modo accipi posse videtur illud Mat. 24. 23. *Tunc si quis vobis dixerit* &c. sic exponunt Hiero. ad Alga. locum hunc de Christo q 11. Amb. l. 1. de Spiritu S. c. 14. Hilar. l. 9. de Trinit.

44. *Quomodo vos*] Principes, Sacerdotes, & Pharisæi videri volebant legis Mosaicæ & traditionū obseruatores si Deo placet, studiosissimi, & cùm apud principes, & populū per hæc sanctitatis opinionem aucuparētur, Christo per summum scelus, repugnabant; quasi cōtrarius esset legi Moysis, &

A traditionibus ipsorum: hinc illæ querelæ; *tu illius discipulus sis, nos Moysi discipuli sumus*. Ioann. 9.

Idcircò nunc Christus reddit causam incredulitatis eorū, & affirmat propterea eos impediri à credendo in eū, quia gloriā alij ab alijs aucupabātur & nō quærebāt à Deo verā, & solidam habere gloriā. Deus. n. præclarā habet de eo cognitionem, qui iustus verè est, & huiusmodi gloriam, hoc illustre nomen apud Deum quærere quisque debet. 154.

Hilar. l. 9. de Trinit. aliter legit, id est, *quomodo potestis credere, qui honorem ab hominibus accipitis, & honorem eius qui solus Deus est non quæritis?* & tunc sententia erit hæc: pluris facitis gloriam, & honorem proprium apud homines, quàm honorē Dei veri, id est, plus vos ipsi ab hominibus honorari vultis, quàm Deum verum honoretis.

Rupert. verè quidem, verùm non ita ad Christi 155.
B mentē inquit: quæ est illa, quæ à solo Deo est gloria nisi testimonium bonæ conscientiæ? hæc vtique vera gloria est, quia non potest fallere, quæ autem ab inuicem est gloria, semper fallit.

Sed quærat quis meritò, qua ratione ambitio, 156.
quę in voluntate residet, fidē intellectus impediat? Resp. cùm fides à voluntate pendeat, non dubium vitia & animi morbos, vt voluntatem auertunt à recto, ita intellectum auocare à veritate fidei, quæ nō omninò cōuincit mentē. Iudicabant porrò Iudæi, quod si Christū reciperēt, foret vt eo in pretio nō haberētur, nec eā doctrinæ & sanctitatis opinionē apud vulgus cōseruaturi essent. Igitur eorum ambitio obstabat, quo minus Christi fidē reciperēt intellectuq; ad Christi doctrinā flecterent hoc idē fecit auaritia vt ex parab. vineæ Matth. 21. constat.

Sed antequam ad aliū textū progrediamur, audi 157.
quæso lector, quid cōtra inanē gloriā scribat Aug. *Vana gloria puluis.*
in Ps. 7. in illa: *& gloriā meā in puluerē deducat: hic*
C *est*, inquit, *ille puluis, quē proiecit ventus à facie terræ, superborum scil. vana & inepta iactantia, & inflata, & non solida, tanquā vento elatus pulueris globus. rectè itaque hic posuit gloriam, quam non vult in puluerē deduci: vult enim eam solidam habere in cōscientia coram Deo, vbi nulla iactātia est: qui gloriatur*, inquit, *in Domino glorietur* 1. Cor. 1. *ista soliditas in puluerem deducitur. si per superbiam quisque contemnens secreta conscientiæ, vbi solus Deus hominem probat, velit apud infantes gloriari. hinc est quod alibi dicit, Deus conteret ossa placentium hominibus.* Hoc vitium inanis gloriæ, vel solùm, vel maximè cauēdum esse perfectis monet ibidem, *quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc vltimū vincit; initium autem omnis peccati est superbia & initium superbiæ hominis apostatare à Deo*, Eccl. 10. Chryso. hom. 17. in Epist ad Rom. *à dura*, inquit, *seruitute vanæ gloriæ liberabimur, si aliam gloriam adamauerimus,*
D *nempe eam, quæ vera gloria est. quemadmodum enim eos, qui corpora amant, alia splendidior facies visa, à priori separat: sic & eos, qui gloriam hanc depereunt, splendida illa cœlestis gloria conspecta si fuerit, ab ista abducere poterit.*

45. *Nolite putare*] Vos, inquit, quasi studio obseruandæ legis Mosis videri vultis mihi obluctari, cùm tamen, vt dixi gloriæ captandæ studio faciatis: Verùm id clarum futurum erit, ad extremum iudicij diem, vbi Moses ipse vos accusabit, q.d. nō erit opus, vt ego vos accusem (licèt non neget eos se accusaturū) nam quamuis ego vos nō accusarē, est Moses, ipsa scil. Mosis lex, in qua spem omnē, ac fiduciam collocatis, cuiusque vos studiosissimos iactatis plenis buccis, ac vano supercilio; ipsa inquā lex accusabit vos, ipsa vt trāsgressores traducet, vt q. ei de me prædicenti fidē nō adhibueritis. 158. *Lex Moysis quomodo Iudæos accusatura.*

Porrò quàm grauiter Iudæos accusatura sit lex Moysis tradit Chryso. hom. 5. in Epi. Paul. ad Rom. in illa c. 2. *qui in lege peccauerunt, per legem iudica-*

bun-

buntur: non solùm, inquit Chryso. *Paulus inter Iudæum, & Gentilem æqualitatem indicat, sed ostendit Iudæum magis, quàm Gentilẽ grauari, & premi propter legem acceptã, gentilis enim sine lege iudicatur, & perit: quod non seuerius, sed remissius iudicium, & supplicium denotat, quoniam non à lege scripta, vt Iudæus, sed tantùm à naturali iudicatur, & damnatur. Iudæus verò præter legem naturalem, habebit & legem scriptam, quæ ipsum accusabit, & damnabit: quantò enim magis Dei dignatus est cura, tantò maiores pœnas persoluet.* Sic Chryso. quibus patet quam acerbam, & infestam sibi experientur Iudæi legem coram vniuersorum iudice.

46. *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi.*] Accusat vos, inquit, Moyses, quod non credatis ipsius vaticinijs: nam si dicatis vos eius prædictionibus credere, & verbis, ostendam nullo id modo verum esse quod affirmatis: nam si Moysis vaticinijs fidem adhiberetis, mihi quoque credere-
B tis. illa enim vaticinia, de me scripta sunt; quare si vaticinia reciperetis, me quoque admitteretis; quem illa prædicant.

159. Moses enim de me scripsit, quæcumque scripsit. fuit enim omnium librorum Moysis scopus Christus, & vt ait Aug. l. 16. con. Faust. c. 2. *non ait* Christus; *Moses enim & de me scripsit; vt & alia, quæ ad Christum non pertinent scripsisse crederetur, sed ait, de me ille scripsit; vt omnem scripturæ illius intentionem, non nisi ad intelligendam Christi gratiam, perscrutando consuleremus.*

160. *Moyses dupliciter de Christo scripsit.* Dupliciter verò Moses de Domino scripsit. Primò, varijs eum modis prefigurando, & adumbrando, dum Hebræum populum seruitute Aegyptiaca liberauit: eundem per mare rubrum, demersis Aegyptijs, illesum traducendo per virgam suam multa, & magna efficiendo prodigia: in monte sublatis in cœlum manibus Amalechitas vincendo: amaras aquas iniecto ligno dulces reddendo: impetrando manna: aquam de petra educendo: legem promulgando in monte Sinay: Deniq; mortuus est & corpus eius inueniri non potuit, sicut & Christus mortuus est, sed quia surrexit non potuit corpus eius in sepulchro deprehendi. Præfigurauit etiam Christum per agnum Paschalem, per serpentem æneum, per hircum emissarium, per fugitiuos, & exules, qui antè mortem Summi Pontificis non poterant in patriam reuerti.

Secundo apertis etiam verbis, & vaticinijs de Christo, idem scripsit Gen. 3. *& ipsum cõteret caput suum*, de semine mulieris, & c. 22. *in semine tuo* (dictum est Abrahe) *benedicentur omnes gentes terræ.* c. 49. *non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium.* Exo. 3. *obsecro Domine mitte, quem missurus es.* Num 24. *orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, vastabitq; omnes filios Seth.* Deut. verò 18. cõtinetur clarissimũ illud de Christo testimonium: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorũ.* & quæ sequuntur, quæ D. Petrus, & Stephanus c. 3. & 7. Act. Apo. de Christo interpretantur, quo fit vt hũc præcipuè Deut. locum spectasse hic Christũ, cùm dixit Moses scripsisse de ipso quidã arbitrentur: nam in vaticinio illo Deut. fit mentio Prophetæ venientis, & loquẽtis in nomine Dei, & alterius pseudoprophetæ in nomine suo venientis & loquentis: sicut Dominus dixit hoc in loco; *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me; si alius venerit in nomine suo illum accipietis.* Sic egregiè Pere. disp. 23. His duobus addi potest tertius modus, quo ex August. diximus totius Mosis scopum Christum fuisse, siue illum figurando, siue expresse designando, siue denique eius gratiam commendando, & gloriam; sic
161. totus præcipuè ad Christum pertinet.

A Aduerte verba illa, *Crederetis forsitã & mihi*] græcè sic haberi; ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί, *crederetis vtiq; mihi*; non enim, *forsitan*, est hic dubitantis, sed asseuerantis potiùs particula, vt & Alcui. apud Tho. annotauit. Cæterum non erit abs re obseruare, quod hæc particula, *forsan*, vel *fortè* additur interdum alicuius mysterij significandi causa, nimirum, vel ad denominandam arbitrij libertatem vt Hiero. Ezec. 2. & Hierem. 26. & alij asserunt, vel ad significandã effectus alicuius difficultatem, vt ait Greg. hom. 18. in Ezec. interdum verò secundum Amb. l. 2. de pœnit. c. 5. est phrasis, & scripturæ loquendi modus, quæ humano more cum hominibus loquitur; quod insinuat Aug. tract. 37. in Ioa. & narrat in Psa. 2. circa illa: *nequando irascatur Dominus.* Postremò in græcis codicibus sæpè est particula, vt paulò antè diximus, quę certitudinem potiùs, quàm ambiguitatem denotat, & verti potest, *vtique sanè* ex Abul. 1. Reg. 23. q 13. Ianse. Charthusiano, & Titel. Matth. 11. & alijs. Non ergò hæc particula vnquam Diuinæ scientiæ incertitudinẽ ostendit, vt Franc. Suar. l. 2. de Scien. condit. c. 1. doctè declarat.

Vox forsitan quid hic designet.

162. 47. *Si autem* &c.] Duplex latet hic antithesis, prima inter Christum & Mosen, quorum hic maximam, ille minimam habebat apud illos auctoritatem, altera inter scripta, & verba; plus enim scriptis, quàm verbis credere solemus. si ergò, inquit, Mosis scriptis non creditis, quomodo meis verbis potestis credere; nam cùm toti ab illo pendeatis, vanum est putare, verbis meis vos fidem habituros, qui illius scriptis non habuistis.

Antithesis duplex.

Obserua Iudæos credidisse quidem generaliter verbis Mosis, ac scriptis, sed hoc non credebant, de Christo esse illum vaticinatum, quod tamen ex paulò antè adductis testimonijs à Christo constare poterat: itaque vt crederent verbis, non credebant sensui, in quo loquebatur Moses de Christo.

Iudæi quomodo Moysi crediderint.

C Significat etiam Dominus, dũ ait *si litteris Mosis non creditis, quomodò verbis meis* &c. Discrimen esse inter se, ac Mosen: quod ille multa litterarum monumentis consignauerit, ipse verò multa locutus sit, sed nihil à se scriptum reliquerit posteris: cur autem hoc ita fecerit, docet Aug. l. 1. de Consen. Euang. c. 7. & sequen. D. Tho. 3. par. q. 42. a. 4. & Suar. in eum art. Hactenùs Scholia.

THEORIA I.

De Ordine historiæ.

I. D IN primis constituendus est hic ordo historiæ, quem sic eliciemus: Statuendum est. n. historiam de ingressu Nazareth post parabolas accidisse ex Mat. 13. 54. Mar. 6. 1. & 51. Luc. narrat illam c. 4. 16. per anticipationem, vt alibi monuimus, idque ex occasione itineris Christi redeuntis in Galilæam. Deindè ponendum est; discipulorum missionẽ ad prædicandum collocandam esse post ingressum Nazareth, vt cõstare potest ex Mar. 6. 6. Luc. 9. 1. quãuis Matt. missionem ponat per anticipationem ante Nazareth ingressum, vt patet ex c. 10. 1. & c. 13. 54. hoc autem ita esse non obscurè perspicere licet ex alijs duobus Euang. qui missionẽ subijciunt, post ingressum Nazareth. Itaq; hinc tria habemus: missionẽ, Nazareth, & parabolas, quæ hoc ordine collocanda sunt, vt parabolę præcedant ingressum Nazareth, Nazareth verò missionẽ.

2. *Missio Apostolorum quando contigerit.*

Iam verò certum esse debet; missionem Apostolorum secutam esse, licèt non immediatè sermonem Domini in monte, quem habet Matth. c. 5. 6. & 7. quandoquidem paulò post illum sermonem Dominus in monte ex omni-

2.

bus

bus discipulis duodecim elegit, & constituit Apostolos, quod patet ex Luc. cap. 6. quos posteà factos Apostolos misit ad prædicandum. De hac etiam electione agit Marc. cap. 3. Igitur ante missionem Apostolorum præcesserit necesse est, sermo in monte, & institutio Apostolorum. Quia verò missio consequuta est immediatè ingressum Nazareth, & hic statim parabolas; ideò non modò missio, verùm ingressus, & parabolæ fuerunt post sermonem, & institutionem Apostolorum; habemus igitur hæc quinq;, sermonem Christi in monte, cum quibusdam alijs paucis; electionem Apostolorum, & quibusdam interpositis, parabolas; post quasi immediatè sequitur ingressus Nazareth, post quem statim mittuntur ad prædicandum Apostoli admonitionibus instructi à Christo.

3. Cæterum electio Apostolorum, ex Mar. & Luc. consequuta est post duas illas reprehensiones, & calumnias, quibus Pharisæi reprehendebant primùm discipulos quod conuellerent spicas in Sabbato, deinde verò & ipsum Christum, quod hominem manum aridam habentem curasset item Sabbato: electio porrò, seu ordinatio Apostolorũ sequuta est post sermonem non longè post, vt ex l. 4. enchiridij vel de rebus Euang. c. 8. intelligi potest. fuit enim coniuncta ferè electio cum sermone. Oportet igitur & euulsionem spicarum, & manum aridam præmittere etiam sermoni in monte; ita vt iam sint septem, si nimirũ reliquis quinque addamus manum aridam; & ante illius curationem, spicas euulsas: quæ duo Matth. c. 12. scribit post sermonem in monte habitum, nõ seruato ordine, quem tamen duo reliqui Euangelistæ seruarunt Luc. 6. Mar. 2. & c. 3.

4. Iam verò ante euulsas spicas die Sabbati inferendum est c. 5. Io. vbi de Paschate. nam quod discipuli Sabbato spicas vellerent, necesse est cõtigisse inter Pascha & Pentecosten: nam ante Pascha nõ licuit Iudæis vellere spicas, nec quicquam edere ex noua segete ante oblatum altera die Paschæ manipulum Leuit. 23. ac post Pẽtecosten non erat facilè inuenire in agris euellendas spicas, cùm iam esset messis perfecta, & panes primitiarũ Deo oblati festo Pẽtecostes.

5. Cæterum inferiùs ostendemus, cùm de Sabbato secundo primò agemus, non statim post Pascha verbi gratia, secundo die vel intra dies azimorum id contigisse, quod dicitur de euulsis spicis, tum quia triticea messis non videtur tunc potuisse esse perfecta, maturave, tum quia Sabbatum hoc non videtur, potuisse incidere in dies azimorum.

6. Cur autem Matt. anticipauerit missionem discipulorum, afferri potest hæc ratio: totus enim fermè posit⁹ est in doctrina Christi enarranda, & ideò vbi meminit primi generalis circuitus Galilææ sub finem c. 4. qui fuit post primum reditum in Galilæam ab ipso expositum, confestim subtexuit sermonem illum in monte insignem: eodẽ modo posteà mentione facta sub finem c. 4. secundi circuitus (duos enim describunt Euangelistæ) qui accidit post alterum reditum in Galilęam missionem Apostolorum anticipat, quod in ea plurima ad doctrinam pertinentia sint dicta. Occasione ergò inferendæ doctrinæ, quam in primis prosequitur & ad quam anhelat, & festinat, nactus similem ac commodum locum, missionem anticipauit.

Ex his hunc ordinem colligamus: primo loco statuendum erit caput 5. Ioann. quod hactenùs exposuimus; mox confricatio spicarum succedet; deinde man⁹ arida sanitati restituta; tum subsequetur sermo in monte, post hunc, quibusdam interpositis, electio Apostolorum, cum quibusdã alijs; subsequentur parabolæ, & post parabolas ingressus in Nazareth, postremum locum missio occupabit. 7.

Quod verò caput hoc 5. Ioa. quod primum est l. 4. harum dilucidationum, collo[illegible]beat statim post duos cæcos sanatos, & d[illegible]niacum, intelligi potest ex eo, quod nihil eorum, quæ sequuntur in hac historia & l. 4. de rebus Euang. aptiùs subijci posse videatur, omnia enim ista præcedit hoc caput, sicut & Pascha de quo hic, & iam facta enumeratio eorum, quæ sequuntur ordine dicto, idem non obscurè ostendit; hæc de ordine. 8.

THEORIA II.

Quis fuerit ille dies festus Iudęorum de quo versu primo.

CHRYSO. homil. 31. Cyril. 2. c. 123. Theophyl. Euthy. Auctor hist. Scholast. c. 81. D. Tho. Lyr. & Carthus. hic, Apollinaris apud Hiero. 9. quod etiam Maldo. noster sequitur, arbitrantur festum hoc Pentecosten fuisse, cõfirmari potest primùm, quia Ioann. vbi de Pascha agit, *Pascha* nominat, & non *diem festum*, vt c. 2. 13. & 6. 4. & 11. 55. & 12. 1. & 13. 1. & 18. 39. & 19. 14. Propterea cùm Ioa. dicat, *post hæc, erat dies festus*, significare videtur non multò post ea, quæ extremo c. 4. narrauerat, accidisse ea, quæ hoc capite scribit. Illa autem acciderant statim post primùm Pascha, vt videtur haberi posse a. c. 2. 13. vsque ad c. 1. Io. Tertio quia non fit verosimile Ioannem c. 5. mentionem intulisse vnius Paschatis, & confestim c. 6. transisse ad aliud integri vnius anni historia prætermissa. Addit quarto Cyril. hoc festum videri immediatè sequutum post Pascha, ergo nullũ aliud esse poterat, quàm Pentecostes. Probat assumptum Cyril. ex ordine historiæ, quia postquam c. 2. meminit Ioa. Paschatis, nullius alterius diei festi mentionem fecerat. 1.

Sed contrariam sententiam magis probo, quam etiam Irenæ. l. 2. c. 39. Ruper. l. 5. in Ioan. initio Ianse. Card. Tol. hic. Perer. l. 11. in Daniel. 9. 7. & in c. 5. Ioann. disp. prima. Suar. disput. 30. sect. 3. tom. 2. Igitur affirmo per diem festum non alium intellexisse Ioan. quàm Pascha. Probatur primum, quod cap. 4. 35. apud Ioann. significauerit Christus menses quatuor vsque ad messem superesse, id autem dixerat primo iam Paschate celebrato c. 2. 23. circa Decembrẽ. Hoc ergo fuit secundum Pascha, quo tẽpore initiũ erat messis. eadem Christi verba expendens Rup. constat, ait, quod vbi nõ plus, quam quatuor menses ad messem intersunt, 2.

Pascha-

Paschalis festiuitas non plus, quàm duobus mensibus longè abest, quo vtique spatio temporis nulla alia festiuitas occurrit, in qua secundùm præceptum legis omne masculinum deberet apparere ante conspectum Domini: Sic Ruper.

3. *Christus quando Samariam pertransierit.*

Ex ijsdem verbis Christi etiam D. Thom. Vgo Card. Caet. Ianse. & alij colligunt illud tempus, in quo Christus Samariam pertransijt fuisse hyemale inter Nouembrem & Ianuarium; cùm tempus messis in Iudæa esset ante festum Pentecostes, Exod. 34. Leuit. 23. mense Martio vel Aprili ex Iosue 4. vbi dicitur, populus transisse Iordanem decima die mensis primi, [illegible] Martij; cùm tamen c. 3. dictum fuisset, [illegible] fuisse tempus messis. Nec dici potest per *primum mensem* intelligi Septembrem: nam c. 5. dicitur transmisso Iordane fecisse populum phase 14. die mensis ad vesperã in campestribus Ierico, vt notat Theod. q. 2. in Iosue, & indicat Hiero. l. 1. contra Iouinianum. Nec refert quod 70. legãt, *sicut in tẽpore messis*, cùm in vulgata legamus, *tempore messis* simpliciter, adde quod c. 5. post narratam paschæ celebrationem nectitur, *& comederunt de frugibus terræ die altero* (id est, decimoquinto mensis primi) *azimos panes, & polentam eiusdem anni*, &c. ergo maturi erant vere tunc temporis fruges, & tempus messis vere instabat.

4. Quibus fit vt cùm Christus pertransijt Samariam, quod quidem contigit post illud festum Paschа, quod in 2. c. commemorauit Ioannes, cùm eiecit de templo vendentes, & ementes, non potuerit esse tempus aliquod paulò antè Pentecostẽ, quia nequeũt inter Paschа, & Pentecosten menses quatuor intercedere, præsertim cùm Christus non de fine, sed de initio messis loquatur: sic enim ait: *adhuc quatuor menses sunt, & messis venit.* Confirmantur hæc, quia c. 3. narrat Ioann. sermonem Christi cum Nicodemo, & mox subdit, venisse Iesum cum discipulis in Iudæam, & ibi moram traxisse, & baptizasse, qua dicendi formula, significat non paucos dies ibi mansisse: ac c. 4. tandem narrat in Galilæam, profectum in transitu per Samariam loquutũ cum Samaritana quatuor mensibus ante messem, vt ex citatis verbis apparet. Quæ omnia non videntur vlla ratione restringi posse ad paucos dies illos, qui inter Paschа, & Pentecosten interlabuntur, etiam si nihil adiecisset Ioann. de quatuor illis mensibus ante messem.

5. Interpretatio porrò Maldo. quod Christus cùm ea protulit verba, *vos dicitis adhuc quatuor menses sunt, & messis venit*, vsurpare voluerit modum loquendi tunc communem, vt qui prouerbij loco esset ad significandum non esse tempus alicuius rei gerendæ, nec de ea in præsenti cogitandum, nondum appetente tempore. noua est interpretatio, quod equidẽ sciam, quamuis acuta; præterquam quod ea verba, *vos dicitis*, innuunt, quod si discipuli loqui vellent de messe corporali, tũc cùm Christus loquebatur, dicere vere potuissent quatuor menses superesse ad messem. verùm non sic habet, inquit Christus de messe animarum &c.

6. *Festi nomine Paschа intelligitur.*

Sed nec desunt ad eandem conuellendam opinationem de festo Pentecostes aliæ rationes præter dictas: etenim in Euangelica historia non in vno tantùm loco legimus, festum Paschа nominari *festum* simpliciter, & præcisè, vt cernere licet Luc. c. 2. *secundùm consuetudinem diei festi*, quem paulò antè, Paschа vocauerat. apud Matt. c. 26. *non in die festo*, imò & apud Ioan. ipsum c. 4. *cùm venisset in Galilæam, excepterunt illum Galilæi, cùm omnia vidissent, quæ fecerat Hierosolymis in die festo, ipsi enim venerant ad diem festum.* Respicit enim illam historiam quam c. 2. narrauerat cùm in Paschate eiecit vendentes & ementes è templo. & videtur hic locus non parum fauere nostræ sententiæ, quia paucis interiectis mox c. 5. subtexuit: *post hæc erat dies festus Iudæorum*, ergo vtrbique eundem significatum habet dies festus. Et huic rationi efficacitatem maiorem adiungit, quod c. 7. agens de quadam alia solennitate, non illam diei festi nomine simpliciter vocauit, sed adiecto *Scenopœgia*. c. verò 11. 56. & c. 12. 20. & c. 12. 1. Paschа diem festum item vocat. Vnde etiam patet solutio primæ obiectionis.

Nec illa minoris momenti est ratio, Christus è Iudæa propter immanem pharisæorum furorem fecesit in Galilæam, nõ est ergo credibile tam breui temporis interuallo voluisse ibi esse, nimirum per solos 10. vel 12. dies, qui vix esse potuisset à secessu illo Christi à Paschate de Iudæa, in qua tamen moram traxisse scribit Ioannes, ad accessum in eandem Iudæam gratia celebrandi Pentecosten.

Postremò ea quæ non solùm Ioannes, sed reliqui etiam Euangelistę narrant gesta in Galilæa, post illam discessionem secundam à Iudæa (nam de prima solus agit Ioannes) Non videntur potuisse fieri tam breui tempore. Quæ duæ postremæ rationes satis essent per se solæ ad astruendam veram esse Irenæi opinionem.

7. Sit ergo tanquam certum, positum, hoc festum Paschа fuisse. Nec rationes initio positæ quicquam probant, nam ad primam nego præcisè Ioan. vbiq; festum illud *Paschа* nominare, immò non rarò etiam diei festi nomine simpliciter vocat. Ad secundam respondeo sæpè Ioann. extrema commemorare, intermedia prætermittere, vt quæ à cæteris Euangelistis abundè conscripta sint; quod verò ex Cyril. tertio loco allatum est, nihil efficit: sæpè enim Euangelistæ ab vno ad aliud remotum festum transeunt intermedijs omissis. hæc hactenus.

THEORIA III.

Rerum mirabilium, quas in piscinâ ostendebat Deus caussæ inuestigantur.

1. *Cur Deus in illa piscina tam mirande operatus fuerit.*

MVLTA hic quæri possunt de piscina: primũ quidem cur tam miranda Deus in hac piscina efficeret? Theophyl. quidem veluti aliorum opiniones commemorãs: *multi*, inquit, *opinantur, quod sola ablutione intestinorum animalium eorum, quæ Deo offerenda erant, virtutem quandam diuiniorem acciperet aqua; & propterea Angelus ad aquam, vt electam accederet, & miraculum operaretur.* &c. Sed hoc in Scholijs reiecimus, quia non est credibile in ea piscina, in qua se Deus mirabilem ostendebat, & præ-

sentiam

sentiam suam declarabat abluta fuisse animalium intestina. Adde quod etiam priùs debuisset fieri miraculum hoc, quia non circà tempus aduentus Christi ablui ibi intestina cœperunt, cùm cœpisse hoc miraculum sanitatis videtur, sed multò antè tempus credibile est ibi ablui solita, si verum est, quod isti dicunt, de ablutione intestinorum.

Apocrypha quædam historia de regina Saba reijcitur.

Multò minùs probabile illud est, quod apud Magistrum historiæ Scholasticæ in Euangel. c. 81. scriptum legimus: *traditur*, inquit, *à quibusdam, quod Regina Saba vidit in spiritu lignum crucis Dominicæ, & nuntiauit Salomoni, quod in eo quidam moreretur, propter quem Iudæi perirent. quod timens Salomon abscondit lignum sub terra in qua facta est piscina. Aduentante porrò tempore passionis enatauit lignum, (ex quo crux sancta est adificata) cœpitq; miraculum.* Sed hæc nulla nituntur auctoritate, vt vel ipse Comestor vidit. Simileque est illud, quod addunt, descendentem de cœlo Angelum lignum hoc de ex fundo piscinæ extollere solitum, eoque agitare & turbare aquam, quod & habet Pere. n. 21.

3. Neque verò plus fidei meretur, quod quidam tradiderũt, vt refert Adrichomius in descriptione Ierusalem n. 26. olim absconditum fuisse in loco piscinę sacrum ignem à Sacerdotibus: quem, vt legimus 2. Mach. 1. cùm quareret Nehemias eius loco aquam crassam reperit. quod non puto Doctioribus probari.

4. Chrysò. homilia 35. in Ioann. acu rem tetigisse mihi videtur, dum prodidit, hoc ideò factum esse, vt qui in aqua corporis morbos sanari posse didicissent, in eo aliquandiu exerciti, animæ morbos per aquam curari posse facilius crederent.

5. *Piscina hæc typus baptismi.* Obseruat Iansen. c. 36. concor. quam similis sit hæc figura baptismo: non in quauis, ait, aqua ægri curabantur, sed in ea in qua abluebantur legis sacrificia, quæque vt patet ex Hierony. à sanguine sacrificiorum rubea erat, quasi ab illis virtutem quandam diuiniorem accepisset. Nec in ea curabantur, nisi Angelo mouente aquam. sic & aqua baptismi omnem suam virtutem habet à sanguine veri sacrificij in cruce oblati, nec alioqui sanat, nisi accesserit gratia Spiritus S. aquam mouens, & efficacem reddens. Sed ibi corpora sanabantur, hic verò animi: illic Angelus, cuius etiam dispositione lex vetus data est, aquis virtutem donat, hic verò ipse Spiritus S. legis nouæ auctor: illic vnus tantum sanabatur, hic verò etiam si totus confluat orbis, non minuitur gratia, sic Iansen.

6. Ad quæ hæc adijcito: immutari oportere hominem, qui in hanc baptismatis aquam descendit, vt renouabantur aquis piscinæ ægroti depulso morbo, qua de re sic scribit Nyssenus, sub finem libri de baptismate, significans baptismum non immutare quidem corporis figuram, sed animi mores renouare, quod baptizati hominis signum clarissimum est; *nihil*, inquit ille, *ex ijs rebus, quæ sub oculos cadunt immutatur, corporis item figura integra manet, & naturæ. Sed opus est aliqua prorsus euidenti demonstratione per quam agnoscamus hominem recens natum, signis quibusdam manifestis nouum à vetere discernentes,* & quæ sequuntur. Certè hæc signa non aliud, quam noui mores sunt. Nam si per baptismum

A Filij Dei renascimur, & Christi; exactè conuenit inspicere, ait Nyssenus, Genitoris nostri proprietates, vt ad similitudinem Patris nosmet formantes, legitimi filij fiamus Dei, qui nos ad adoptionem, quæ per gratiam contingit, vocauit. Graue enim probrum est, adulterinus, spurius, & subdititius filius, qui factis suis Paternam nobilitatem fallat, atque ludificetur.

Iterùm quæri potest, cur illa virtus sanandi non inesset aquę nisi motę, & turbatę? Diximus paulò antè, motum eum Spiritus S. vim, efficacitatemque innuere in baptismatis fonte. Sed & aliæ afferuntur caussæ dignæ, quæ referantur, & quidem ex interliniari, motus aquæ mors est Christi, & inde Redemptio consequuta: nam ex August. venit Christus ad populum Iudæorum, & faciendo magna, docendo vtilia, turbauit aquam, id est, peccatores præsentia sua & excitauit ad passionem suam. Sed latens turbauit, *si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Iam verò descendere in aquam turbatam est humiliter credere in Domini passionem. Perer. quatuor affert caussas huius rei, quas breuissimè attingam. Prima est vt ea agitatione, quasi inditio quodam notesceret Iudæis quando Angelus descenderet in Piscinam. quæ mihi videtur litteralem sensum continere. Secunda est, vt constaret omnibus virtutem illam sanandi extrinsecus omninò, & diuinitus accedere, non natura, seu casu. Tertia est, vt mysticè ea turbatio piscinæ prænuntia esset eius turbationis, quæ in passione Christi accidit: cùm corpus eius factum est, quasi piscina sanguinis, quo perfusi ab omnibus animi morbis lauaremur. Quanta porrò fuerit hęc turbatio Psalm. 68. describit Dauid. Denique indicat hæc turbatio Sacramentum Pœnitentiæ piscinam esse quandam, turbatam continentem aquam. veros enim pœnitentes suorum scelerum recordatione ingenti pudore, doloreque affici, & metu diuinæ iustitiæ conturbari decet. Hinc Dauid Psal. 6. *Sana me Domine, quoniam cõturbata sunt ossa mea*; Est porrò verosimile breuissimi temporis fuisse motionem illam aquæ.

Hanc comparationem Piscinæ cum Sacramento Pœnitentiæ prosequitur Barra. lib. 6. c. 3. post medium §. ea verò est Pœnitentiæ Sacramentum, consule illum.

D Tertiò cur vnus tantùm, & quidem qui prior descendisset, sanabatur? Ad primam dubitationem Respondeo mysterium videtur innui, vel vnitatis Ecclesiæ extra quam nulla sanitas, vel vnius Christi, qui venit nostros morbos tollere, vel indicatur hoc vno homine, totum genus humanum, ad quod Christus, de peccati morbo liberandũ in terras descẽdit.

Ad secundam verò dubitationem respondeti potest; ea re doceri nos in percipiendis donis, quæ gratis omninò conferuntur nobis à Deo, multum nostram valere diligentiam: neque enim dantur, nisi volentibus, immò etiam & quærentibus, adde & sibi vim inferentibus: quemadmodum beneficium istud sanitatis non nisi diligentissimus quisque præripiebat; quanquam quod ita conemur, & velimus, Deus iste efficiat speciali suo auxilio.

7. *Cur aqua piscinæ non nisi mota sanabat.*

8.

9. *Cur vnus tantùm sanabatur.*

10.

Digitized by Google

II. *Diligentiæ commendatio.*

Docemur etiam nullam in arripienda ſalute A uitiarum, vel honorum, vel ſapientiæ haber rationem, ſed ſolius diligentiæ, ac celeritatis. Et ideò dicitur qui prius deſcendiſſet. Vtinam in curandis animi morbis alij alios celer tate ſuperare niteremur. Hoc monet ſpiritus ei Eccleſiaſtici 5. *non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Cui teſtimonio conſonat Chryſo. ſecundæ ad Corinth. 16. hom. 22. cùm ait: *neſcis quid paritura ſit ſuperuentura dies. Periculum, & metus eſt in differendo; ſalus verò ſecura ſi nulla ſit dilatio,* &c. Si aurum rapiendum proijciatur, raptorum quiſque primus eſſe conatur. rapiendum nobis proijcitur regnum cœlorum *violenti rapiunt illud* Matth. 11. quiſque igitur primus eſſe contendat. Cæterum quæ in his dubitationibus ſoluendis diximus, rectè quidem dicta ſunt, ſed in primis, tum hæc, tum alia ſimilia clarè ſimul quoque indicant, hanc aquæ virtutem Dei ſolius fuiſſe, non naturæ.

12. *Quinque porticus quid.*

Poſtremò dubitet aliquis quid illæ quinque porticus, quid multitudo languentium ſignificent. Auguſt. aquà, inquit, illa, id eſt, populus ille quinque libris Moyſis tanquam quinque porticibus claudebatur; ſed illi libri prodebant languidos non ſanabant: lex enim peccatores conuincebat, non abſoluebat. & vt Beda inquit, erant illic cœci, id eſt, ſcientiæ lumine carentes, claudi, id eſt, ad ea quæ iubebantur, implenda vires non habentes; aridi, id eſt, ſupernæ dilectionis pinguedine carentes. Sic Beda, & Auguſt. nec mirum, quia hominem non habebant vel non recipiebant: homo, illis ad ſanitatem neceſſariùs erat, ſed homo, qui & Deus eſſet. ab hoc omnis ſalus expectanda; nec potuit baptiſmus, vel quid aliud ſalutem afferre, niſi per aduentum Chriſti in carnem. omnes ergo languidi, qui toto orbe iacebant, quos hæc multitudo languentium figurat, non aliundè, quàm ab hoc homine vitam, & ſalutem expectare poterant, & debebant. Cætera, quæ de piſcina dici poſſent ex Scholijs pete.

THEORIA IV.

Num Chriſtus Sabbatum, edendis operibus violârit. *Circa verſ. 16.*

I. *Chriſtus ſanandis infirmis Sabbatũ non violabat, &c cur.*

RESPONDEO minimè: tum quia illa non erant ſeruilia opera, ſed Dei virtute patrata, qualia etiam Ioſue, Eliſeus, eodem die fecerant: tum quia Dominus erat Filius hominis etiam Sabbati, qui & legem dederat: tum quia, vt inquit Beda, contra verba legis id videbatur, contra ſenſum, & ſpiritum legis non erat; geſtare ſiquidem grabatum contra legem erat, at geſtare, vt publicè teſtaretur quis acceptum à Deo beneficium, non contra, ſed ſecundùm Sabbatum erat, in quo recolenda fuerant Dei beneficia: tum quia, vt Theophyl. inquit, volebat Chriſtus ſenſim docere veram Sabbati obſeruationem in eo præſertim eſſe poſitam, vt non à labore, ſed à peccatis multò magis abſtinerent homines: tum quia opera ſanitatis, vt medicinæ non vetabantur: tum quia hæc opera ad religionem, cultumque Dei maximè pertinebãt, cùm eſſent Diuinitatis, & veritatis fidei firmiſſima argumenta, & robuſtiſſima firmamenta, ad illuſtrandam verò Dei gloriam maximè conducerent & ad ſalutem animarum permultum referrent. Quod verò Iuſtinus ait qq. gen. Reſp. 28. ideò etiam Chriſtum non fuiſſe legem tranſgreſſum, quia lex illa Chriſti baptiſmo erat abrogata, falſum eſt, cùm poſt Chriſti Paſſionem & Reſurrectionem, deſierit lex ex communi Doctorum ſententia.

Quod ſi ſciſcitari pergas, quamobrem Chriſtus, qui alio poterat die, Sabbato tamen peragebat hæc? hanc accipe ex Ruperto cauſſam, quod illo potiſsimum die magna hominum multitudo coiret, ac proinde miracula coram tam multis teſtibus edita, ad finem Chriſti vtiliora forent: ſimulque adde, docere Chriſtum voluiſſe quomodo Sabbatum id genus edendis operibus non violaretur, eiuſque opera talia eſſe, vt Sabbato etiam fieri poſſent, abſque legis tranſgreſſione. 2.

Cur autem Deus Sabbatum præceperit obſeruari, & alia huc ſpectantia tractat Cardin. Tolet. adnotat. 11. item quæ opera Sabbato eſſent prohibita, docet idem annot. eadem §. Quartum hoc loco. 3.

THEORIA V.

Exponitur textus vigeſimus ſecundus: *neque enim Pater iudicat quemquam,* &c cæt.

TRIA hic in dubium reuocari poſſunt, primùm de qua poteſtate iudicandi ſit hic ſermo. deindè quomodo verum ſit, Patrem neminem iudicare; quandoquidem in Diuinis quod vna perſona facit extra ſeipſam, omnes ſimul faciunt. Poſtremò, quod caput eſt, quomodo conueniat Chriſto *iudicare*, præſertim cùm ipſe dicat Ioann. 8. *ego non iudico quenquam.* 1.

2. *Chriſtus vt homo quomodo iudex.*

Vt primæ ſatisfaciam aduerte: quod quemadmodum humanitas Chriſti præter diuinam ſcientiam, quam habuit ex Deitate ſibi vnita, accepit ſcientiam infuſam, qua, vt homo ſciebat: ita præter poteſtatem iudicandi communem cum Patre, & Diuinam; habuit propriam humanitati collatam, quam vtiq; nõ habuiſſet, niſi Deus eſſet, & hæc eſt ſubalternata primæ, licèt iudicium vnum ſit; quo per vtramque poteſtatem iudicare poteſt. Reſpondeo igitur cum Cyril. l. 2. c. 140. hoc quod hic dicitur, eſſe intelligendum de poteſtate præſertim Diuina, quam humanitas accepit per vnionem Diuinitatis. Humanitas ergo accipiens diuinitatem, accepit etiam poteſtatem iudicandi, & per eam iudicaturus eſt Chriſtus homo viuos, & mortuos. nec tamen propterea arbitror Cyril. excludere humanam iudicandi poteſtatem: nam & per illam exercetur iudicium, vt ſubalternatam Diuinæ.

Qua in re non ſequor D. Chryſo. ſententiam homil. 38. quem tanquam anteſignanum ſequuntur Theophyl. & Euthym. nec Hyla. l.

7. de

7. de Trinit. nec Athanas. sermone quarto contrà Arrianos, nec Ambrosius lib. secundo, de fide cap. 4. quam & Tertul. videtur significare ca. 16. contrà Praxeam, & Diuus Thomas 3. par. quæst. 59. art. 1. Augustino tribuere videtur lib. de vera Religion. cap. 31. licèt obscurè loquatur ibi Augustinus. Sed de horum sententia dicam iterum in solutione ad tertiam difficultatem.

3. Secundæ dubitationis responsio hæc est: non iudicare Patrem sumpta videlicet persona iudicis, quę ab hominibus, quos iudicat, videatur, & in qua cum illis loquatur, & sententiam verbis proferat, denique externo ritu, formaque iudiciali cùm illis agat; quæ rectè in Filium conueniunt, qui solus inter omnes personas Diuinas, ita Deus est, vt homo etiam sit: talem autem decebat esse eum, qui homines erat iudicaturus. hæc verò expositio vim & robur accipit à versu 27. vbi redditur ratio, cur omne iudicium Pater Filio dederit, *quia*, inquit Christus, *Filius hominis est*: per *Filium hominis*, nó Christum speciatim intelligimus, sed generatim hominem, vt in Scholijs adnotauimus versu vigesimoseptimo vt sit sensus: quia personam gerit ad fungendum officio iudicis accommodatam.

4. Sunt qui interpretentur Patrem non iudicare quenquam; non quod non iudicet: (neque enim id negari potest,) Sed quod non exerceat iudicium per se ipsum, sed per humanitatem, non sibi copulatam: Filius autem iudicet per seipsum scilicet, per humanitatem sibi vnitam, licèt eadem potestate Diuina:

5. Quod si obijcias, eodem etiam planè modo dici potuisse, Patrem neminem viuificare, cùm videatur per Christi carnem non sibi vnitam viuificare. Respóndeo iudicium illud vltimum & simul etiam suscitationem extremo die à Christo in carne, & per carnem esse reuera exercenda. Cæterum hoc interest inter suscitationem, & iudicium: quod hoc non nisi in carne, & per carnem erit; loquimur autem de vniuersali, & vltimo iudicio, de quo interpretati sumus verba Christi, at latius patet suscitatio: cùm & antè carnem sumptam, & póst carnẽ assumptam suscitati fuerint, viri aliquot vita functi, & quidem non per Christi carnem, saltem de his mortuis loquendo, qui ante assumptam à verbo carnem, ad vitam reuocati sunt; quamuis de ea suscitatione, quæ ad extremum mundi diem facienda est, secus sentiendum sit. Hæc est igitur causa, propter quam dictum est, Patrem non iudicare quenquam; non item, non suscitare quenquam.

6. Ad tertiam dubitationem facilè est ex dictis respõdere, non esse hic sermonem de Christo, vt Deus est. nam cùm Christus dicit Patrem non iudicare quenquam, vel loquitur de suprema potestate iudicandi, quam Filio per æternam generationem contulit, & ita quamuis verum sit eam potestatem datam esse à Patre Filio, non tamen cùm dedit, sibi illam Pater ademit; non igitur hoc sensu dici potuit, Pater non iudicat quenquam. quod enim hoc modo per appropriationem iudicium tribui dicatur Filio, non facit, quo minus Patri etiam tribuatur. sicut licèt omnipotentia approprietur Patri, nó propterea negatur Filio. propter quam causam recessit Augustinus à prædicta opinione l. 1. de Trinit. c. 13. Nec voluit exponere de Christo vt Deus est, quia hoc modo non vtique diceretur *Pater non iudicat quenquam*, secundùm hoc enim quod æqualem Pater genuit Filium, iudicat cum illo. vel est sermo de iudicio exercendo per se ipsum immediatè vt negetur Pater per se ipsum immediatè iudicaturus, & tunc vel potest esse sermo de iudicio ferendo, & exercendo per solam Diuinitatem immediatè; & ita quemadmodum non iudicat quenquam Pater, sic nec Filius. Vel sermo est de iudicio ferendo, & exercendo per humanitatem vnitam Diuinæ personæ: ita verum est, solum Filium iudicare, quod est cõsentaneum expositioni, quam nunc sequimur; & in Scholijs secuti sumus, atque ita recedimus ab altera expositione Chryso. & aliorum, qui hæc exponunt de Christo, vt Deus est, & incidimus in eam, quæ est Cyril. l. 2. in Ioann. c. 140. vbi docet, ratione humanitatis dici Filium accepisse à Patre potestatem illam iudicandi Diuinam; nam vt Deus, inquit, naturaliter illam habet, tamen per dispensationem, seu incarnationem accepit, vt homo existens, illam haberet; quatenùs per incarnationem factum est, vt hic homo habeat potestatem iudicandi, eandem cùm Filio, quia est ipsemet Filius Dei. Idem habet Cyril. in exegesi de Incarnat. ad Valerian. & l. 2. ad Reg. c. quod Christus sit verus Deus, etiam si *Filius hominis* appelletur. De qua expositione iterum redibit sermo seq. Theo. vbi alteram sequemur, vt probabiliorem. Itaque respondemus nunc breuiter ad obiectionem, intelligenda quidem esse hæc de potestate iudiciaria Diuina ac suprema, & de Christo, vt homo est, seu ratione humanitatis, vt per vnionem habet vnitam sibi Deitatem; non autem de Christo, vt Deus est simpliciter, per æternam generationem.

Ad id, quod dicitur ex Ioann. 8. triplex est 7.
solutio, vel vt dicatur Christus non iudicare quenquam in priori suo scilicet aduentu, venit enim Filius hominis in mundum, nõ vt iudicet mundum Ioann. 3. Vel vt neget Christus iudicare se quenquam, scilicet secundùm faciem, & carnem, vt Iudæi faciebant, quibus dicitur, *vos secundùm carnem iudicatis*. Vel ex verbis, quæ sequuntur, accipi potest solutio: subdit enim, *quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater: & in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est*; significat ergo se neminem iudicare, scilicet solùm; sed secum iudicare Patrem.

THEORIA VI.

Affertur altera expositio verborum Christi à decimoseptimo fermè versu vsque ad trigesimum.

1. QVAMVIS hactenùs, scilicet præcedenti Theo. & in Scholijs pluribus exposuerimus verba Christi vsque ad v. 30. de Christo vt homo est, ratione tamen Diuinitatis sibi vnitæ; quam expositionem satis probabilem, & accommodatam iudicamus, sicut & eam iudicarunt duo viri insignes Car. Tolet. adnot. 19. & 24. 2. & Franc. Suar. 3. p. in comm. q. 59. a. 2. verũ quia, vt idem Suar. acutè obseruat eodem loco eiusmodi dicendi formulæ, & loquutiones, scilicet, quod dedit Pater huic homini per incarnationem, & præstituto tempore iudicium facere, vel quod dedit ei habere vitam in semetipso, impropriæ videntur, si ad Scholasticum rigorem eas expendere velimus: quibus tamen loquendi modis vtitur expositio, quam hactenùs sequuti sumus ex Cyri. ideò quod in Scholijs promisimus, alteram hic, vt arbitror veriorem, & ad textum magis accommodatam, sicut & ad modum loquendi Scholasticorum, addemus.

2. Cur verò loquutiones illæ impropriæ à Scholasticis censeantur, ratio hęc est: quia licèt per respectum ad actus mẽtis, quod genus sunt prædestinare, præordinare, & similes, qui præscindere possunt, vt Scholastici loquuntur in suo obiecto à determinato supposito; verè, & propriè dici possit: hic homo est prædestinatus, vt sit Filius Dei naturalis, & vt sit supremus iudex cum Patre &c. per respectum tamẽ ad executionem, actumq; facultatis operatricis, quæ necessariò singulare suppositum requirit, & exposcit, non propriè dicitur, homo factus est Deus, & consequenter neque potuit propriè dici, huic humini datas esse per incarnationem, Dei proprietates naturales, quarum vna est primaria potestas iudicandi & c. Sed dicetur potiùs humanitati coniuncta est Diuina persona, vt hic homo sit Deus, & eam iudicandi potestatem habeat, nõ quod recens in illum collata sit, sed quod suppositum huius hominis ex se ac naturaliter illam habeat. Dicere verò sumi in his propositionibus, *hunc hominem* non pro determinato supposito, sed abstrahendo: is est quem dicimus, modum esse loquendi Scholasticis ìmproprium. Absurdum verò etiam esset affirmare, datam esse hanc potestatem ipsi humanitati, vt per illam Christo cõueniat, neque hoc vult Cyril. Sed datum, dicit, esse huic homini, vt sit supremus, v.g. Iudex cum Patre (quod loquendi genus Scholasticis ìmpropriũ videri diximus) & hoc per cõmunicationem idiomatũ factũ esse propter ipsam Incarnationem. Vt ergò probabilis sit hæc interpretatio, insolitus tamen est, & improprius dicendi modus, qui in ea vsurpari solet.

3. Propterea faciliùs, & magis ad text. Ioan. accommodatè faciemus, si quædam, quæ hic à Christo dicuntur exponamus de eo; vt Deus est: vt plurimum autem de Christo, vt homo

A est ratione humanitatis, quantum ad potestatem, quam habet, vt sic, quam quidem rem, quia breuiter, clarè, ac doctè prosequitur Fran. Suar. nõ vno quidem loco, eius hic expositionem complectar simul, sed non eodem prorsus ordine. vide illum q. 59. in a. 1. & 2.

Occasio totius huius doctrinæ Christi, quã habet Ioan. c. 5. calumniæ Iudæorum fuerant, propterea à Dominum criminantium, quod in Sabbato operaretur ob sanatum paralyticum. Porrò responsio Christi eò tendit, vt ex Diuinitate personæ suæ ostendat, rectissimè fecisse, quicquid per humanitatem operatus fuerat. Quare in progressu sermonis huius quædam dicit de dignitate personæ suæ secundùm se, vt inde tacitè, vel expresè quid de humanitate sua sit cogitandum, colligat. 4.

B Inquit ergò, *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor*: quibus profitetur se æqualem Patri iuxtà vnanimem sensum Patrum Athan. ser. de SS. Deipara. Nazian. orat. 4. Theol. Chrys. Cyril. Augustin. & cæterorum: quod vel ipsi Iudæi intellexerunt, acutiores in hoc ipsis hæreticis & hoc ipsum Euangelista clarè significat, vt & in Scholijs docuim⁹. Hinc ergò Christus tacitè voluit efficere non debere se reprehendi à Iudæis, quod in Sabbato miracula ederet, vel quia cùm Deus esset, suprà omnem legem erat, atque adeò Dominus Sabbati; vel certè, qui cùm illud opus esse immediatè à persona Filij, ab humanitate verò, non nisi, vt ab instrumento coniuncto Deitate, non poterat non esse rectum & Patri gratum. Et hoc est, quod subdit, *non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* 5. *Christus Patri æqualis.*

C Quæ verba licèt possint etiam de Diuinitate exponi; melius tamen ad Christi humanitatem referuntur, per quam Christus nihil operatur, nisi quod videt esse Diuinæ voluntati consentaneum: cuius illicò attexit rationem, quæcunque enim ille facit, hæc & Filius similiter facit, quæ licèt Diuinitati rectius aputentur; sententia tamẽ tota rationis in humanitatem desinit, & ad eam tendit, hoc modo: cùm persona Filij sit æqualis Patri, æquè cum illo omnia operãs, ac prouidens, inde fit Christum ipsum non posse quicquam per voluntatem etiam humanam facere, nisi quod cum voluntate Patris consentiat. 6.

D Porrò huius consequutionis probationem, sequentia verba continent: *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* Quorum verborum planissimus est sensus, si ad humanitatem referantur; difficillimus si ad Diuinitatem. Nam Filius, vt Deus non habet ex dilectione Patris, vt illi Pater omnia opera sua demonstret, sed per æternam, naturalemque generationem: Igitur cùm Christus causam assignet à dilectione Patris petitam, secundùm humanitatem loqui credendus est. Patet enim ita eam dilexit, vt Filio suo arctissimo vinculo per personæ vnitatem coniunxerit, propterea illi homini ostendit omnia, quæ facit, non speculatiuè modò, sed practicè etiam dando ei virtutem, & potestatem ad facienda opera suis similia: quod significat, cùm subijcit: *& maiora his demonstrabit ei opera.* Demonstrabit, inquit, non quantum ad cognitionem: nam etiam vt 7.

homo

homo omnia sciebat momento conceptionis: sed quantum ad exequutionem eorum, quæ quouis tempore gesturus erat iuxta sanctissimam Patris voluntatem.

8. De quibus mox operibus ait: *sicut Pater suscitat mortuos, sic & Filius,* quæ verba Augustin. tract.21. de generali resurrectione intelligit,& conuenire ait Christo non solùm vt Deus est, sed etiam,vt homo, quod colligit ex præcedẽtibus: & maiora horum demonstrabit ei opera;& ex sequentibus idem elicere est, cùm dicit: *neque enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio,* q.d. potestatem suscitandi homines coniunctam esse cum potestate iudicandi, vt in Scholijs etiam obseruauimus: nam opus est, vt iudex potestatem habeat vocandi, & trahendi reos ad iudicium: vocãdi verò sunt per generalem resurrectionem. Postremò ea ratio, quæ posteà annectitur, *vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem,* nihil obest huic interpretationi, quando Filius adoratur eadem adoratione,qua Pater,& eadem coadoratur humanitas Filio coniuncta.

9. Porrò 24.& 25.versus clarius, & facilius adaptari possunt Christo,vt homini, quàm vt opus sit illa explicare.nam versus 25. verba illa: *Amen, Amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei,& qui audierint viuent*:rectè cõstat accipi debere de Christo homine,quatenùs illi datum est,vt per humanitatis imperium, ac voces posit mortuos excitare; cuius rei mox causam subiungens ait: *sicut enim Pater habet vitam in semetipso*, id est, viuificandi virtutem, vt interpretatur Cyril. *sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Quod quidé fateor rectè intelligi de Filio,vt Deo,vt tamen sit hic sensus: quandoquidem persona Filij habet secundùm se viuificandi potestatem cum Patre æqualem, ideò data est humanitati eius virtus instrumentaria ad mortuos viuificandos. quamuis posit etiam hæc ratio accipi de Christo,vt homine, vt Cyril. etiam exposuit, sed tunc, sicut, non æqualitatem, verùm proportionem & similitudinem innuit.

10. Cæterum vers. 27. *& potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est,* longè credibilius est, sermonem esse de potestate excellentiæ, ad exercendum iudicium per humanitatem;sicut exposuit Aug. tract.19.& 22.in Ioan. quem sequuntur Beda,Ruper.item l.5.in Ioan. & Latini interpretes:& eandem habet August. l.20.de Ciuitat.c.6.& l.1.de Trinitat. c.13.eandem indicat Hieron. Isai. 50. nam de Christo homine explicat illa verba: *sicut audio iudico.* Tertul.item con. Praxeam c.21. vbi non,quia Filius hominis est, legit, sed qua, sic enim habet: *iudicium dedit illi facere in potestate, qua Filius hominis, per carnem scilicet, sicut & Filius Dei per Spiritum eius.* Idem Vigilius contrà Eutychen.

11. Si ergò ita exponamus; per illa verba, *quia Filius hominis est,* non assignatur causa adæquata, ex qua oriatur iudicandi potestas hæc humana, alioquin vt rectè ratiocinatur Chryso. omnes homines eam haberent: sed designatur in primis natura, quæ necessaria fuit in Christo,vt huius potestatis capax esset: si enim tantum fuisset Deus,nõ potuisset hanc potestatem

A de nouo accipere; verùm quia Filius hominis est, fuit capax eius. Deindè innuitur, congrua ratio, ob quam voluit Deus iudicium Christo committere, scilicet vt homines, qui sub sensum cadunt,ab homine,qui sub obtutum etiam oculorum venire, & cuius vox audiri posset, iudicarentur. Quamuis autem in omnibus hominibus sit huiusmodi capacitas quasi remota; non est tamen proxima in singulis, sicut nec æqualis ratio,ob quam debeant singuli hanc potestatem habere: consequeretur autem hoc si hæc esset adæquata ratio.

Ea verò quæ sequuntur v.28. & 29. constat fermè de Christo homine accipi debere: suadet enim hic iudicandi potestatem humanam ex potestate item humana suscitandi mortuos, B veluti colligens ex medio finem,aut ex vno opere supernaturali, quod magis sub oculos cadit, & valdè admirabile est, alterius admirationem excludens, quod & in Scholijs attigimus n.121. 12.

Et hoc est quod subdit: *nolite mirari hoc,* & quæ sequuntur vsque ad 30. versum, vbi tandem rem totam conficit, sic concludens, *sicut audio,iudico;& iudicium meum iustum est,quia non quæro voluntatem meam, sed eius, qui misit me.* Quæ non video quomodo aliter intelligi debeant, quàm de voluntate humana: igitur statuendum est, verba hic fieri de iudicio, quod ab ipsa procedit, & per humanitatem exercetur: eodem ergo modo, eodemque planè sensu accipienda veniunt, quæ præcedunt. Hæc ferè hinc inde ex Franc.Suar.qui mihi videtur legitimum, C ac germanum horum versuum sensum attigisse, remque difficillimam breuiter, ac clarè enucleasse. 13.

THEORIA VII.

Explicatur quæ vox sit illa, Filij Dei, cuius fit hic mentio versu vigesimooctauo.

1. PRINCIPIO sæpè in Scripturis occurrunt loca, quibus mentio fit,vel tubæ nouissimæ, vel iussus Domini,vocis Archangeli, & tubæ Dei, vel vocis magnæ,& tubę simpliciter; 1.Cor.15. 1.Thessalo.4.Matt.24.Ioan.5. Ioel.1. Sopho.1. Zach. 9. D cùm ergo tot vocum, tubarumque mentio fiat, quæstio non parua est, an hæc omnia vocabula vocem vnam significent,quam exaudituri sint homines ad extremum iudicij diem citandi, vt se sistant ante supremi iudicis tribunal.

2. *Quadruplices voces.* Vt autem aliquid certi definiamus, obseruandum est, quadruplices voces ex præcitatis locis haberi posse, vnam Christi, Ioann. 5. 28. *venit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei;* alteram tubæ Matth.24. 1.Corinth.15.& 1.Thessalo.4. tertiam vocem magnam, Matt. 24.*mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna.* Quartam Archangeli, 1.Thes.4. *Dominus in iussu, & voce Archangeli, & tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi: deindè nos, qui viuimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis, in nubibus, obuiã Chri-*

Digitized by Google

ſto in aera. Iam oſtendam omnia hæc, vnam eſſe vocem, vel tubam vltimam, nec diuerſa ſignificare.

3. *Chriſti & Archangeli vox eadem.*

Et quidem de voce Chriſti Filij Dei, vel Dei, credo nullam debere eſſe dubitationẽ, quod à voce Archangeli diſtinguenda non ſit; hinc fit eandem planè eſſe vocẽ, de qua Chriſtus Io.5.& Paul.1.Theſ.4.loquuntur. Ex vtroque enim loco inter ſe collato, liquet ad ſonum illius, præſentiam, efficacitatẽq; vocis, mortuos ad vitam eſſe reuocandos. Et qua idipſum indicat Pau. futurum eſſe primo Corinth. decimoquinto, dum nouiſsimæ tubæ mentionem facit. Sic enim ſcribit, *in momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba; canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Ideò etiam verosimile eſt nouiſsimã hanc tubam, horrendumque clangentem, eandem eſſe, cum prædicta Archangeli, Filijque Dei voce. Quis enim in animum inducat duas eſſe futuras ſimul voces, cùm vna ſatis, ſuperque ſit, ad mortuos excitandos, hoc ipſum ſentit Cyril.lib.12. c.145. Ruper.l.5.& Euthym.c.7. D.Thom. lec.5. & ſuper Paulum Ambroſ. Anſelm. & alij, nimirum de eadem voce loqui Chriſtũ ſaltem Io.5. & Paulum 1.Theſſal.4.

4. Reſtat locus Matt. 24.31. *mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius,* &c. vt enim, dicet aliquis, plures ſunt Angeli, ita & plures erunt tubæ. Sed non neceſſe eſt ita exponere, ſed quod miſſurus ſit Angelos ſuos perſtrepente tuba illa, quæ Archangeli, Filij item Dei, & vox quoque magna, ſeu vox Dei dicitur, quia in tubæ modum, horrendùm inſonabit, & maximum edet ſonum, & ob id *clamor* Matt.25. videtur appellari: *Media nocte clamor factus eſt.*

5. *Tuba nouiſſima an vera.*

Sed vera ne, an metaphorica ſit tuba, nec ſciri poteſt, nec neceſſe eſt. Anſel. in elucidario docet, Angelum in aſſumpto corpore aereo conſpiciendum, cum corporeo inſtrumẽto ad modum tubæ ex aere fabricato. Longè probabilius, fore metaphoricam, & ob id, quod magna, rauca, ſonora, terroriſque plena ſit futura vox illa, idcircò tubam appellari, quomodo fortaſsis Ioa. in Apocalyp. capite primo, decimo. & capite quarto, primo. & capite nono, ſexto, loquitur.

6. *Cur homines tuba ad iudicium conuocandi.*

Dicitur verò, *tuba,* non ſolùm quia tuba homines ad iudicium vocandi ſunt, ſed quia tuba regiæ maieſtatis indicium eſt. Canitur enim tubis ante reges, cùm aliquem locum adeunt. Sunt etiã tertiò, qui putent ex antiquis Iudæorum conuentibus ſumptam eſſe metaphoram, ad quos ſono tubæ homines conuocabantur. Num.10.2. Iſai. 27.23. Sed qui à bello traductã eſſe ſimilitudinem autumãt, veroſimilius quibuſdam loqui videntur; adhibetur enim tuba non ad conuocandum modò, verùm etiam ad terrendum, vt apud Iſai.c.18.3. Sof. c.1. 16.17. Zach.9.14.

7. Sed aliorum quoque nominum rationem reddamus: eſt enim obſeruandum, vocem eandem, Archangeli vocari, quia eius miniſterio fiet; & vocẽ Filij Dei, quoniam eius iuſſu fiet, ſicut Sacramentorum verba, Chriſti & miniſtri dici poſſunt, quibus ſcil. Sacramenta conficiuntur; & horum vtrumque confeſſus eſt

A Paulus, dum ait: *quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo.*

Vbi *tubam Dei* vocat, vel quia magna futura eſt, vt *montes Dei* dicimus, *cedros Dei*; vel quia Dei iuſſu fiet. Neque hic ſequor Ambroſium 1. Theſſalon. 4. opinantem hunc Archangelum ſignificare Chriſtum, potiùs conſentio Chryſoſt. & alijs Græcis, Angelum hunc proprium quemdam Angelum miniſtrum Chriſti futurum eſſe. Sed vtrũ Michael, an Gabriel, an alius, cæteris, vt nobis incognitum, conſiderandum relinquimus. 8.

An verò ſub ſenſum caſurus ſit clangor ille tubæ, ac vocis, auribuſque corporeis excipiendus, ſi quis roget, illicò reſpondeo, nulla mihi ratione illorum opinationem placuiſſe B vmquam, qui id negarunt, quorum meminit Diuus Thom. in 4.d.43. quæſt.1. a.2. Neque verò mouent me, quæ pro ſe afferunt, primum quidem, dum aiunt, quæ poteſt eſſe tanta vox, aut ſonus, vt ad omnes toto orbe diſperſos mortuos pertingat. Rurſus aiunt, Ioan.5. dicitur hæc eadem vox audienda à mortuis: *Omnes enim,* inquit Chriſtus, *qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei.* At ſenſibilis vocis mortui capaces non ſunt. Mente igitur, non ſenſu percipienda erit vox ea, ac proinde non quid ſenſibile, ſed mentale quid futura erit, ipſum videlicet Chriſti imperium, quo volet ad vitam redire mortuos. 9. *Tuba nouiſſima animabus corporeis audienda.*

Verùm hæc neque Hieronymum epiſtola ſexageſimaprima ad Pammachium, neque Chryſoſtomum homilia trigeſimaſexta in Io- C annem, neq; Gregorium libro decimoſeptimo moralium capite vigeſimoprimo, mouerunt, quo minùs ſenſibilem futuram eſſe vocem hanc affirmarent; & huc ſpectare poteſt illud Iob. vigeſimiſexti, decimoquarto: *quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* quid plura? Apoſtolus primæ Theſſalonicenſ. quarto CHRISTI imperium à voce, & tuba diſtinguit: *Dominus,* inquit, *deſcendet de cœlo in iuſſu,* ecce tibi imperium: *& in voce Archangeli, & tuba Dei,* ecce tubam, ecce vocem. ex hactenùs dictis conſtat vnum tantum hæc omnia ſignificare: ſcilicet vltimam vocem: *Surgite mortui, & venite ad iudicium.* 10.

Neque verò quidquam contra hæc, quæ attulimus, firmamenta, iſtorum ratiocinatio efficit. Nam (vt hic ſimul de officio huius D vocis, vel tubæ dicamus) obſeruare oportet de quorundam ſententia bis audiendum eſſe huius vocis clangorem. Primus enim clangor ad Angelos inquiunt, dirigetur, vt colligant cineres; hoc enim erit Angelorum munus aſſumptis corporibus cineres colligere. Rurſum collectis iam cineribus iterum inſonabit tuba, & ad mortuos pertinebit altera hæc vox, vel clangor, videl. *ſurgite mortui, & venite ad iudicium,* de qua voce dicit Eccleſia, *coget omnes ante thronum,* ſiſtentur enim omnes officio Angelorum, Dei conſpectui, certumque in locum cogentur ſuſcitati. 11.

Alij ſunt, quibus minùs probatur, & meritò ad Angelos dirigendam eſſe vocem aliquam, quia ſatis ſit imperium vel Chriſti vel Archangeli. Matth. ſiquidem 24. 31. inquit Dominus: 12.

mittet

Digitized by Google

mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & mox subdit, *& congregabunt electos,* &c. quibus indicat, tubam collectis cineribus, tum ad suscitandum mortuos, tum ad sistendos iam suscitatos, clangorem edituram, & ob id fortasis dicitur, *nouissima* ab Apost. quia non insonabit, nisi descendente Christo post cinerum collectionem. hoc probabilius.

13. Sed quod maximè in hac re probo, hoc est, vt dicamus: apparente ferè Christo, ac quasi in ianuis constituto edendam esse vocem, *surgite mortui, & venite ad iudicium,* statimque cum voce ipsa vno fermè momento, id est, breuissimo tempore à iussis Angelis colligendos esse cineres, & vita functos iterū ad vita reuocandos, simulq; ad iudicij locū adducendos; quod locum Matthæi expendenti apparebit verum esse: dicitur enim Matth. 24. Angelos, nempè Dei iussu, & imperio mittendos; ad quod opus? scil. ad colligendos cineres, & mox ad congregandos Christi virtute suscitatos ad iudicij locum: mittendos inquit, *cum tuba, & potestate magna,* quasi eodem tempore futura sit missio, & vox horrendùm sonans; hoc autem non vno quidem momento fiet, sed breuissimo temporis interuallo, vt exponit Apostolus: *in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba,* quamuis resurrectio momento complenda sit.

14. *Quomodo tuba ad omnes homines peruenire possit.* Ex his ergò patet ad homines vita functos, non verò ad Angelos omnem huiusmodi vocem esse referendam. Quomodo ergò dices (quæ ratio erat aduersariorū) ad tam multos, tam longo interuallo inter se diuisos permeare ea vox poterit? Sunt qui dicant multas futuras esse voces, non vnam rem, tubam, ac vocem facientes. sed nobis non probantur: vnam enim agnoscimus vocem, quæ & tuba.

15. Et sunt qui opinentur resurrectionem in vno aliquo loco esse futuram, ad quem oratio peruadere possit. quod non facilè credam, cùm Ioan. 5. dicit Christus, *omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei:* ibi ergò audient, ibi resurgent singuli in monumentis: vide Scholia in hunc locum. Facilius responderi potest: daturum Dominum voci, ac suæ tubę tubam, vocemque virtutis: vt scil. vna, & eadem vox vel totum mundum permeet, peruadat, penetret. vel vt vim suam, atque efficacitatem ad quoscumque vbique mortuos transmittat.

16. Ad alteram istorū ratiunculam antequam respondeā; illos sic interrogauero, si mortui nullo modo audire dicēdi sunt, quorsum sensibili, externaq; voce ab inferis ad hanc lucem mortuos euocat Dominus, Ioan. 11. Luc. 7. Marc. 5. Resp. ergò cum Barradio l. 6. c. 6. quia animis mortuorū reuelabitur illa vox, & Christi imperium, cui cōfestim obedient; ideò audire dicendi erunt mortui vocem illam. verùm tunc potiùs animę, non mortui ipsi dicēdi essent audire vocem. Putant aliqui per metaphoram id dici, ita vt audituri mortui dicantur vocem filij Dei, quatenùs instar audiētium voci Christi obtemperaturi sunt, q. d. ac si audirēt, perindè voci illius obedient: sed malo propriè Christi verba intelligere, cùm rectè possint: Affirmo audituros, etsi non totam, partem tamen vocis illius. Prior pars illa est, *surgite mortui,* & per hanc excitabūtur. Posterior; *venite ad iudicium,* & hanc percipient suscitati iam, eiq; confestim morem gerent. 17.

Sed tamen addo cum Fran. Suar. d. 50. sec. 4. quòd tam velociter fiet resurrectio, vt fortasse priorem etiam partem huius vocis, scil. *surgite mortui,* possint homines percipere: neq; n. vocis sonus momēto abit, ac soluitur, quin durat etiam tempus aliquot; cùm ergò momēto ipso resurrectionis intelligamus perseuerare adhuc vocis illius sonum, non dubiū quin eodem etiam momēto à resurgente percipi possit, quod satis est, vt vocē illam audire mortui dicantur, quamuis nec sonum aliquem precedentem, nec syllabas aliquas priùs prolatas aure percipiant. alteram verò partem, *& venite ad iudicium,* viuentes iam & excitatos constat audituros omnes mortuos. Ex his facilè intelligere est, 18. hanc vel tubam, vel vocem nomines, articulatam esse futuram.

Reliquum est diligenter animaduertere; aliquot Scripturæ locis tubam præferri voci, sed tum oratio exegetica existet, verbi gratia, dicitur, *mittet Angelos cum tuba, & voce magna,* perinde id est, ac si diceretur, *cum tuba,* id est, *voce magna,* vt coniunctio, &, exegetica sit: & quidem ad hoc persuadendum iuuat, vt inquit Maldo. in Matth. cap. 24. 31. quod græcè est in plerisque codicibus, *cum tuba vocis magnæ,* quemadmodum legit. Euthy. aut *cum tuba magna,* vt legit Chrysost. non enim duas res, sed vnam tantùm Christus voluit significare. sic Isai. dicitur cap. 58. 1. *clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* quæ obseruatio mirificè confirmat opinionem nostram de vnitate vocis, ac tubæ. Cùm verò *vox* præponitur *tubæ,* vt apud Paul *in voce Archangeli, & in tuba Dei.* Tunc etiam coniunctio, &, exponit vocis quandam conditionē, quod videl. in morem tubæ edenda sit. quòd etiam eandem nostram sententiam magis corroborat. 19.

Scio esse qui dicant, duplices futuras tubas, præter vocem, alteram, quæ præcedet vocem, quamuis, & hanc numerent pro numero Angelorum insonantium assumpto corpore; Alteram, quæ sequatur, & hanc volunt præcessuram iudicem ipsum iam apparentem, de qua sit sermo apud Paulum, cùm dicit: *in voce Archangeli, & tuba Dei:* sic enim tubam Dei intelligunt. Verùm hæc non ita consentanea sunt Scripturæ verbis, sicut quod prius diximus: Etenim sententiam hanc eandem nostram de vnitate vocis, ac tubæ, non parum corroborat Euangelicus sermo, dum singulariter de tuba, nusquam de tubis mentionem facit, quod & in Apostolo obseruabis.

THEORIA VIII.

In illa ver. 39. *Scrutamini Scripturas*, &cæt.

I. *Theodori Mapſueſtiæ error explòditur*

VERBA hæc, *ſcrutamini Scripturas*, &c. *quia illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me*. & illa: *de me enim ille* (Moyſes) *ſcripſit*, verſ. 46. errorem Theodori Mopſveſtiæ Antiocheni, (vt conſtat ex Leontio Monacho, & Concil. Conſtantinopolitano quinto) penitùs explodunt. Dicebat iſte, Prophetas de perſonis veteris teſtamenti, vel de rebus tunc temporis geſtis, aut gerendis, hiſtoricè loquutos eſſe; cæterùm ab Apoſtolis eiuſmodi teſtimonia relata eſſe ad Chriſtum ſecundùm euẽtum, & ſimilitudinem; quoniam multò meliùs in Chriſto, quàm in rebus ipſis, vel perſonis, de quibus dicebantur, impleta ſunt. Quare tribus exceptis (fortè 44. 109. & 71.) quos de Chriſto expoſuit, Pſalmos omnes referebat ad Dauidem, Salomonem, Ezechiam vel Zorobabelem; illud etiam Pſalm. 5. *non derelinques animam meam in inferno*, &c. referebat ad populum Iſrael ereptum de periculo, & multa aliò magis, quàm ad Chriſtum detorquebat, quæ proſequitur Pradus initio comment. in Ezechiel. ſect. 3.

2. Damnauit hunc errorem citatum Conſtantinopolitanum Concil. actione 5. & magis adhuc Concil. Romanum ſub Vigilio Pontifice, quod eſt in Bibliotheca Vaticana, vnde Antonius Auguſtinus inter Concilia, & Turrianus in Conſtitutiones Apoſtolicas, exempla in lucem ediderunt, idemque præſtitit loc. cit. Pradus. Porrò enumeratis aliquot huiuſmodi expoſitionibus locorũ ſcripturæ Theodori Mopſueſtiæ, ſubdit Vigilius: *quæ hac ita ſapit, docet, credit, prædicat, anathema ſit.*

3. Et quidem ſatis eſſet ad conuincendum hunc errorem locus iſte Ioan. cui addi poterit ille Lucæ 24. 44. *neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis & Pſalmis de me*; Et iterùm ver. 27. *incipiens à Moyſe & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant*. Et Actorum 10. *huic omnes ſcripturæ teſtimonium perhibent*, ſed præſtat in medium quædam afferre, quæ in ſolo Domino IESV perfectè, & clarè completa ſunt, prout prædicta omninò fuerant. Primò accipe illud Baruch 3. *in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*, ecce viſibilem in terris Chriſti habitationem: Iam tempus aduentus eiuſdem ſignificauit Iacob, Geneſ. 49. *non auferetur ſceptrum*, &c. Et Daniel. cap. 9. per Lxx. hebdomadas annorum. De Virgine naſcituram habes Iſaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet*, &c. & quidem in Bethleem. Miche. 5. *Et tu Bethleem terra Iuda*, &c. Eius paupertatẽ, humilitatem, manſuetudinem ſat Zach. 9. *ecce rex tuus veniet tibi*, &c. Et Iſa. 42. *non clamabit neq; accipiet perſonam*, &c. expreſſerunt. Eius prædicationem deſcribit idem Iſai. 61. *Spiritus Domini ſuper me, ad annunciandum manſuetis*, &c. Occidendum à ſuis Iudæis, & negandum multò antè prædixit Danie. 9. *& poſt hebdomadas 72. occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt*. Genus mortis, & acerbitatem Iſai. tanquam vnus ex Euangeliſtis enarrauit cap. 13. & alibi ſæpè. Quid clariùs Dauidis vaticinio? *dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto: foderunt manus meas, & pedes meos*, &c. quæ eleganter & pluribus habet Perer. in cap. 5. Ioan. num. 86.

Sed vrgeamus præſentem Ioan. locum: *vnde*, inquit Pradus, ſect. 4. loc. cit. *eiuſmodi inſtruitur argumentatio: in Lege, & Prophetis, atque adeò Moyſe multa de Chriſto ſcripta ſunt, ergo mens ſcriptorum dirigebatur ad Chriſtum, atque adeò verba illa ex vi ſua, atq; ex intentione loquentis continent & ſignificant Chriſtum, non igitur myſticè tantum, vel ex Analogia rerum, vel ſecundùm euentum referenda ſunt ad Chriſtum, alioqui referri poſſent ad Paulum, Martinum, Auguſt. qui etiam opera ediderunt, Patriarcharum operibus ſimilia: mitto reliqua.* 4.

Certè adeò hoc verum eſt, vt meritò, & eruditè illud nobilis ſtatuarij Phidiæ huc accommodauerit Pradus ſect. 2. loc. cit. Phidias enim ita Mineruam illam, quæ in ſumma Athenarum arce locata erat, compinxit, vt medio ipſius clypeo ſuum proprium vultum affixerit, ita vt ſi quis vellet abſtrahere, non poſſet, niſi ſtatuam diſſolueret, Ariſtoteles verò ad Alexandrum, eandem Deum in mundo ſortiri rationem, dixit, quam in clypeo auctoris faciem; rectè: nam, vt Dionyſius de diuinis nominibus ait: Deus centrum eſt ſpheræ vniuerſi, principium rerum, & finis. hoc ergò, quod de Deo in mundo, Ariſt. & Dionyſ. dixerunt, de Chriſto in Eccleſia; ac Prophetarum vaticinijs, & oraculis affirmare poſſumus; eſſe nimirum centrum Eccleſiæ, atq; eandem, quam Deus in mundo; & in clypeo auctoris faciem, rationem ſortiri in factis, & oraculis Patriarcharum, & Prophetarum; denique in totius Eccleſiæ ſtructura, quæ ſapientiæ ſimulacrum eſt, non vt vanæ illius Mineruæ, ſed veræ, ac ſolidæ: ita autem Chriſtus tanquam diuinus ſtatuarius, viuam ſui vultus imaginem Eccleſiæ impreſſit, vt qui opus intueatur, auctorem videat, & qui Chriſtum tollat, Eccleſiæ harmoniam confundat. vide Pradum fuſiùs hæc proſequentem. 5. *Phidiæ artificium Deo applicatum.*

Tempus eſt, vt receptui canamus, ſi vnum illud monuerimus Fauſtum Manichæum grauiter, ac turpiter hac in parte etiam erraſſe ex Auguſt. lib. 12. c. 37. & 38. & lib. 16. cont. illum, item lib. 1. de Fide contra Manichæos, c. 30. & lib. 1. contra Adimantum c. 15. negabat ille, hoc Chriſtum Iudæis obiecciſſe, negabat Ioannem ſcripſiſſe, falsò ab alijs adiectum, quod hîc nos apud Ioan. legimus, *ſcrutamini Scripturas, quoniam*, &c. itemque Moyſen de Chriſto ſcripſiſſe. & verò nihil aiebat in ſcriptura Moſis reperiri, quod expreſsè, ac propriè ad Chriſtum pertineret, niſi per applicationem, & analogiam: eius ſophiſmata, & ratiuncu-las habet Perer. diſput. 24. & ſoluit diſput. vigeſima-quinta. 6. *Fauſti Manichæi error.*

Digitized by Google

DIGRESSIO PRIMA.

De Piscinis, quarum in Scriptura fit mentio.

1. Piscinæ in Scriptura celebratæ.

DVAS potissimum in sacris, piscinas commemorari accepimus, præter hanc, de qua Ioan. alteram superiorem piscinam Isaiæ 7.3. & 36.2. & 4.Reg.18.17. *natatoriam Siloe.* alteram, de qua Ioan.9.7.& Esdræ 2. 3.15. Primam illam vocare videtur ipse Nehemias ver.16. piscinam, quæ grandi opere constructa est, quoniam ea maxima quidem & nobilissima fuisse perhibetur; de ea enim sic scribit Bened. Arias in apparatu, libro de Hierosolymis. *Fuit & tertia piscina, quam Nehemias factam appellat in ciuitate Dauid inter occasum, & Aquilonem, quam Historici altam pedibus quadraginta, latam verò ducentis, & quinquaginta describunt:* sic ille. Verosimile quippè est Salomonem, cùm primum aquæductum à monte Gihon Occidentali ciuitati Dauid, vsque ad ipsum montem Sion deduxit, aquas in hanc maximam piscinam congregasse, indeque per vtrumque montis latus eas bisariam partitum, & per vallem Tyropœon ad piscinam probaticam in ministerium templi deduxisse: reliquam verò per latus meridianum mõtis Sion, vsque in inferiorem piscinam, deriuasse, quæ Orientalis erat ipsi monti Sion dicta natatoria Siloë ab Euang.

2. Ostendit autem Villalpandus ex Isaiæ 7. 3. Salomonem fuisse huius aquæductus auctorem, potiùs, quã Ezechiam, vel Oziam. Adrichomius verò etiam de Vrb.num.62. aliorum testimonio tradit, eundem Salomonem probaticam piscinam extruxisse.

3. D.Hierony.de locis Hebrai. lit.B. testatur probaticæ piscinæ duplicem fuisse lacũ, quorum alterum hibernis pluuijs adimpleri solitam: alterum verò mirum in modum rubentem, quasi cruentis aquis, antiqui in se operis signa testari confirmat: nam hostias in eo lauari solitas ferunt, vnde & nomen accepit.

4. Quod si ad hostiarum templi purificationem necessaria fuit probatica piscina, dubitandum non est, inquit Villal. pag.188. eam à Salomone extructam fuisse, tãquam quid ad perfectionem, & ministeria templi necessarium. Perennes autem aquas in eam piscinam inductas, significare videtur Hieron. affirmans vnicum modò piscinæ lacum hibernis pluuijs adimpleri solitum. Estque probabile ex piscina illa superiore in hanc, sicut & in inferiorem piscinam deriuatas fuisse aquas, ipsa verò superior piscina ab ipso aquęductu per partem occidentalem, & portam fontis recipiebat aquas, vt videre est in descript. Hierosolym. Villalp. tom.3.

5. Probatica piscina vbi.

De hac itẽ piscina probatica sic scribit Brocar. I.par.cap.7.§.43. *ab area templi contra aquilonem spatio iactus lapidis, est porta vallis, quæ ducit ad vallem Iosaphat, quæ vocatur etiam porta gregis, quod per eam introducerentur greges, in templo immolandi. Hanc portam intrantibus ad sinistrã est piscina probatica, in qua Nathinæi lauabãt hostias, quas benè lotas Sacerdotibus tradebant, in templo offerendas:*

A *quæ piscina porticus habuisse ostenditur: Ad dexteram est alia piscina grandis, dicta inferior, facta ab Ezechia rege.* Hæc Brocar.

Porrò Villal. pag.182. falsum putat, portam vallis dictam fuisse gregis, aut fontis; Iterùm, vtramq; piscinam superiorem, & inferiorem à Salomone exstructam insinuat, non ab Ezechia, neque Ozia, de quo 2.Paral.26.10. dicitur in solitudine plures effodisse cisternas. De Salomone verò habes Eccles. 2.6. *exstruxi mihi piscinas aquarum.* Certè aquæductus ille regis dictus, significatur à Salomone exstructus, Esdræ 2.14. nam regis nomine quis alius, quàm sapientissimus, & potentissimus rex Salomon intelligebatur? 6.

DIGRESSIO II.

MORALIS,

Qua ea quæ ad piscinam pertinent ad mores accommodantur.

B SI hanc paralytici historiam diligenter perpendamus, animaduertemus sanè tria cõmemorari, quæ vt quis sanitatẽ reciperet, necessaria erant; vnũ vt descẽderet Angelus; alterum vt mouerẽtur aquæ; postremũ vt æger aquas ingrederetur, & si non præstitisset ægrotus, nihil prorsus sanitatis retulisset. hæc mihi tria, repræsentare videntur ea, quæ ad sanandũ hominũ genus in peccati morbum in parente initio collapsum, necessaria fuerunt; vt enim humanæ naturæ sanitas instauraretur, oportuit inprimis magni consilij Angelum per incarnationem ad nos descendere. deindè piscinæ aquas plurimis in corpore suo cruciatibus ad mortem vsque susceptis, commouere, prout multò antè à Dauide prædictum fuerat, Psal. 68. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* C

Tria ad sanitatem consequendam necessaria humano generi redimendo applicantur.

Quando nimirum turbulentissimis ipse dolorum vndis conflictatus est, cùm corpus eius, & ter sanctũ crucis altare, quasi piscina sanguinis effectum est, qua nos à peccati sordibus abllueremur. Quando magna & inusitata rerum turbatio apparuit in Eclypsi solis, contra communem naturæ ordinem, in tremore terræ, in ruptione lapidum, in discissione veli templi, in patefactione monumentorum, in clamore valido, & lachrymis, quibus altissimus ipse Dei filius, inclinato capite spiritum emisit; in confessione, & vehementi Centurionis stupore, quo Deo gloriam tribuens, fassus est eum, qui sic moriebatur, verè Dei filium esse. Denique in turbatione Iudæorum, qui reuertebantur percutientes pectora sua. Quæ omnia ad turbationem piscinæ pertinent. est ergò piscina Christus ipse de cruce pendens passis manibus, & toto corpore sanguinem fundens. Verùm nihil nos iuuabit tanta aquarum turbatio, hoc est, tanta sanguinis è Christi corpore de cruce pendentis effusio, tanta vniuersi commotio, si in hanc piscinam tot tribulationum vndis agitatam ingredi abnuerimus; quẽadmodum Hebræis nihil profectò profuisset pelagi vortices aperuisse Mosen, nisi constãter illud ingredi ausi fuissent, vt sic demum ad optatam promissionis terram adirent. D

2.

Christus piscina.

Sed

3. *Pœnitentia aditus piſcinæ myſtica.*

Sed rogabit fortaſsis aliquis per quem aditum in hanc piſcinam ingredi dabitur? in prõptu eſt reſponſio, prætermiſſo nunc baptiſmo, quo noſtrum ſingulos initiatos eſſe non dubito, pœnitentia nobis tutum parabit ingreſſum, nimirum ſi recordatione noſtrorum ſcelerum ingenti pudore, doloreque afficiamur, & metu diuinæ iuſtitiæ intimis animi ſenſibus penitùs cum Dauide conturbemur, ſic ad Deum lamentabilibus vocibus clamante Pſal. 4. *Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea, & anima mea turbata eſt valdè.*

4. Habet autem pœnitentia quinque ianuas; timorem videlicet, pudorem, breuitatis vitæ meditationem, aſsiduam æternorum ſupplicio-rum contemplationem, denique cęleſtis gloriæ cogitationem. in his ſanè ianuis ſi quis aſsiduè immoretur, & Dei gratiam inuocet, fiet profectò, vt amplius illi pateat aditus, per quẽ in piſcinam deſcendens, hoc eſt, ad Chriſtum de cruce pendentem accedens, & eius ſacrato ſanguine ablutus, ſanitatem conſequatur.

5. *Xenodochio comparatur.*

Et verò rectè pœnitẽtia Xenodochio quinque porticus habẽti quod iuxta piſcinam erat, comparatur; in quibus iacebat multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum. his enim tria peccatorum hominum genera ſignificantur. cæci enim ſunt, qui per ignorantiã peccant; claudi, qui per carnis infirmitatem labuntur; aridi, qui malitia. contra cæcos audi Paul. 1. Cor. 14. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* & quid rogo eſt *ignorabitur*? audire terribilem illam vocem ſibi à Chriſto dici; *neſcio vos.* quã audiet ſanè non ſine vehementi animi ſui terrore, & angore, quicumq; earum rerum ignarus fuerit, quas ſcire tenetur. Igitur altis iactis radicibus inhæreat nobis diuinæ legis ſcientia, quam Deuteron. 6. 6. ſummo ſtudio exigit à nobis Deus: *eruntq; verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo: & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atq; conſurgens, & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua; eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, ſcribesq; ea in limine, & oſtijs domus tuæ.*

Varia genera languentium diuerſa genera peccatorum deſignant.

6. *Claudi qui.*

Iam verò qui per carnis imbecillitatem labuntur, rectè per *claudos* ſignificantur; nam vt rectè Auguſt. docet, habet anima pedes quibus mouetur, & hi affectus ſunt, ſiue ad intelligentiam pertineant, ſiue ad ſenſum; vt ergo in corpore is claudicare dicitur, qui alterius pedis debilitate ita laborat, vt æquabiliter greſſum moderari non poſsit, ita in animo accidit, cùm quis ſenſus debilitate trahitur ad vitia, quaſi claudicare dicitur; hos claudos monet Paul. ad Hebr. c. 12. 12. 13. *propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret.*

7. *Aridi qui,*

At, qui impudenter, & malitiosè peccant, & errãt, rectè *Aridis* comparantur. nam quemadmodum qui aruit vix vitæ ſignũ præſefert; ita hi malitioſi ac ſubdoli homines omni vita, ac ſenſu ſpirituali carent, nullo ſcientiæ freno cohibentur, & in morem effrenatorum equorum præcipites, ac volentes, apertisque oculis in vitia ruunt; ſimiles in hoc Balaam de quo Numer. 24. 16. ſcriptum eſt; *qui cadens apertos habet oculos.* hi omnium grauiſsimè peccant, quia voluntariè magis, quàm qui ignorantia, & infirmitate cadunt; aliquid enim ignorantia, & infirmitas de voluntario detrahunt; ſicut autem grauius peccant, ita & grauiora experientur ſupplicia.

8. Poſſumus & aliter hæc tria peccantium hominum genera intelligere, ſi animaduertamus primùm cum Chryſoſt. homil. 9. ad Hebr. terrenas, & caducas mundi huius res cum cinere, & puluere rectè conferri, easque & fumum, vmbrã, & folium quod circũfertur, florem, & & ſomnium, & fabulam eſſe. hinc enim conſtat eos, qui huiuſmodi res ſitiunt cæcos eſſe. Sed claudi prætereà ſunt mundi amatores, quoniam in via præceptorum Dei claudicant, rectisque animi pedibus minimè incedunt. Aridi ſunt deuotionis, amorisque diuini carentes ſucco. hi verò omnes aquæ expectant motum (hoc eſt his caducis bonis inhiant) illi verò qui vident, qui rectè incedunt, qui amors diuini ſucco abundant, non piſcinæ huius terreſtres, ſed cœleſtes ſuſpirant latices.

9. Cæterùm hi omnes Ægroti circa piſcinam ſint oportet, ibique aquæ motum multò feliciorem alium expectent patienter, & ſummis votis implorent cœleſtem opem illius, quem *magni conſilij Angelum* ſuperiùs nominauimus, vt commoueat piſcinam, hoc eſt, ſuæ paſsionis, vulnerum, ſanguinis, dolorum, & cruciatuum, denique crucis recordationem in animo excitet, ſimulque dolore, & horrore peccatorum corda concutiens per pœnitentiæ ſalutaris aditum inducat eos in piſcinam ſuorum meritorum, ac paſsionis participes efficiat, & ſordibus iniquinatos, expiet; vt ita tandem ſanitate recepta, vera pace, & incolumitate fruantur. Sed illud in primis cordi altiùs inferẽdum eſt, quòd à ſapientiſsimo medico Chriſto, paralytico iam poſt recuperatam ſanitatem dictum eſt: *Eccè ſanus factus es, iam noli peccare, nè deterius tibi aliquid contingat.*

10. Quod diligenter obſeruans Chryſoſt. ſerm. de lapſu primi hominis, ſic monet eum, qui ſpiritu ſanus effectus eſt: *te iam inſtituit Dominus, tibi geſtorum exempla propoſuit. Eccè, inquit, ſanus factus es, noli iam amplius peccare, ne quid tibi deterius fiat. Noli, inquit, peccare poſt veniam, noli vulnerari poſt curam, noli ſordidari poſt gratiam. cogita, inquit, ô homo grauiorem eſſe culpam poſt veniam, renouatum vulnus peius dolere poſt curam, moleſtius hominem ſordidari poſt gratiam. Quare indulgentia ingratus eſt qui poſt veniam peccat; ſanitate indignus eſt, qui ſemetipſum poſtquã curatus eſt, vulnerat; nec mũdari meretur, qui ſemetipsũ poſt gratiã ſordidat. Porrò qui poſt abſolutionẽ non peccat, meretur & præmiũ; qui poſt curã cautus eſt, ſanitatis poſſidet donum; qui gratiam illæſam tenuerit, æternitatis accipiet regnum. graue eſt enim hominem inſtructum delinquere, grauius abſolutum peccare. ſeruo peior eſt, qui patronum poſt datam libertatem offendit: beneficijs ingratus eſt, qui datorem, tumoris arrogantia deſpicit. Quare aut ſalutem de exemplo acquire, aut de conſortio ſimilem ſententiam metire, ne ſeuerum ſentias Iudicem, qui benignum contempſeris perſuaſorem.* tanta Chryſoſt.

11. Quibus non abſimilia ſcribit Bern. ſerm. 3. in Canticis: *Si dixerit mihi IESVS: dimittuntur tibi peccata tua: niſi ego peccare deſiero, quid proderit?*

Eua quando creata, sexta die an septima.

Eaui tunicam meam, si reinduero eam, quantum profecs? si rursus pedes meos quos laueram, inquinauero, numquid aliquid lauisse valebit? Sordens omni genere vitiorum, iacui diu in luto facus; sed erit sine dubio recidenti, quàm iacenti deterius. Denique qui me saluum fecit, ipsum mihi dixisse recordor: Ecce sanus factus es, vade, iam amplius noli peccare, nè deterius aliquid tibi contingat. qui autem dedit voluntatem pœnitendi, opus est vt addat, & continendi virtutem: nè iterem pœnitenda, faciamq; noxiamma mea peiora prioribus. Væ enim mihi etiam pœnitenti, si statim subtraxerit manum sine quo nihil possum facere. nihil inquam, quia nec pœnitere, nec continere. Audio proindè quod consulat Sapiens: verbum, inquit, in oratione nè iteres. paueo & quod index intentat arbori non facienti fructum bonum: fateor pro huiusmodi non sum omnio contentus priori gratia, qua iam malorum sum pœnitens, nisi & secundam accepero: vt videlicet dignos faciam pœnitentiæ fructus, & deinceps non reuertar ad vomitum.

DIGRESSIO III.

Exponitur locus Genes. cap. 2 2. ***Compleuitq; Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat.***

CALVMNIAS Christus Iudæorum, quod in Sabbato operaretur, volens hic depellere, Dei se exẽplo defendit. v. 17. simul etiam occupans, quod Iudæi poterant ei obijcere, ipsum esse contrarium Deo: quippè qui die septimo ab omnibus suis operibus cessauit; atque ob eam causam diem septimum sanctificauit, & ab omni opere vacuum esse præcepit. hanc præuertens obiectionem dixit; Deum quidem septimo die cessasse omninò ab operando. propterea non ab re erit, etsi digredientes parumper, præsignata verba Geneseos declarare.

1. *Vtrũ Deus die sexta, an septima opus suum cõpleuerit.*

Et quidem in primis LXX. non die septimo, sed sexto habent Deum cõplesse opera sua. sic enim legimus apud illos: *perfecit Deus in die sexta opera sua quæ fecit, & requieuit Deus in die septima:* cùm nos legamus *compleuitq; Deus die septimo opus suum, quod fecerat,* &c. Et quidem videbitur melior alicui interpretatio LXX. dicat enim quis: vltimum opus quod Deus fecit, factum completumque est die sexta; non igitur septima die compleuit opera sua.

2. Respondebit quis, vltimum opus fuisse cõpletum die septimo. nam hoc die Eua condita fuit, vt sensit Catharinus. nam 2. cap. Gen. describitur productio Euæ ex costa Adami. sed perpendenti cap. 1. Gen. videbitur non obscurè colligi Euam productam esse non septima sed sexta die: narrans enim Moses c. 1. opus 6. diei, cùm dixisset Deum in illo creasse hominẽ, subdidit: *masculum, & faminam creauit eos,* v. 27. Ad hoc, loquutus dicitur tunc Deus ad vtrumque parentem, & benedixisse illis; *crescite, & multiplicamini,* &cæt. v. 28. accedit & his quod Exod. 20. scribitur; sex diebus feciisse Deum cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Quomodo igitur posteà facta est mulier? Sed occurrit ijs Catha. dicta hæc esse à Moyse per anticipationem. Sed responsio non satisfacit: narrantur enim hæc à Mose tanquam dicta ea ipsa die, qua creatus est Adam; sicut & quinta die creatis piscibus, & volatilibus, dictum est; crescite &c. Et quod magis vrget, remque quodammodo conficit, est, quod perfecto opere sextæ diei dicitur: *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona:* non fuissent verò valdè bona, si humana species non fuisset perfecta, quæ cæterorum finis est. Quare D. Aug. l. 6. in Genes. c. 5. & 6. confirmat sexta die productos Adam, & Euam: licèt discrepet ab alijs Patribus in modo, quo produxit Deus hominem, & alia animalia. Idem sentit Ambr. 6. Hexæmeron. c. 10. Theodoret. q. 21. & alij.

Non nego Chryso. Orig. Eucher. in hunc 3.
locum, & D. Tho. q. 73. a. 2. ad tertium tenuisse; videri Euam post sextũ diem fuisse conditam. Itemq; fateor, aliquid temporis interfuisse inter Adami, & Euæ creationem, quod ex c. 2. Genes. clarè ostenditur, vbi dicitur Deus adduxisse ad Adamum in Paradisum omnia animalia, & inter illa non fuisse inuentum adiutorium simile ipsi: ideoque fuisse mulierem conditã. Idem habetur Sapien. 10. hęc (sapientia) illum qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus &c. & 1. ad Timoth. 2. legitur, *Adam primus creatus est,* deindè Eua: hæc igitur non diffiteor, quæ nihil nostræ sententiæ repugnant.

Nec difficilè est dissoluere illud, quod affe- 4.
rebat pro se nu. 2. Cathar. ex Gen. 2. Affirmo enim commemorasse ibi Moysen per recapitulationem, productionem mulieris, vt explicaret modũ, quo ex costa viri facta est. Is enim modus multa mysteria continet; quod genus est, formatio Ecclesiæ de latere Christi, seu ex fluente sanguine, & aqua de Christi latere dormientis, hoc est morientis in cruce. sicut & illud, quòd dixit Adam: *hoc nunc os ex ossibus meis,* magnum fuit Sacramentum in Christo & Ecclesia Ephes. 5.

Respondeo igitur ad dubitationem initio 5.
motam ex Lxx. bifariam intelligi posse, compleisse Deum opera sua, vel intrinsecè, vel extrinsecè, vel inclusiuè, vel exclusiuè. 1. modo idem est, ac vltimum opus facere. 2. est omninò à faciendo opere cessare. Itaq; die sexto, vt inquiunt Lxx. compleuit Deus opera sua intrinsecè, & inclusiuè loquendo; at extrinsecè, & exclusiuè, die septimo, nam die sexto aliquid fecit, die septimo nihil. Et complere opus dicitur aliquis, vel cùm aliquid operis facit vltimo, imponens per illud supremam manum operi; vel cessando ab opere: illud intrinsecum, & inclusiuum, hoc est extrinsecum, & exclusiuum complementum.

Sed contra hoc videtur facere: tum quia 6.
Deus nõ potest dici cessasse, vel requieuisse ab opere, cùm hic Ioan. 5. dicatur: *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Tum quia cessatio quies est, quæ motui & labori opponitur, hæc autem in Deum non cadunt, quod si dicas respondendo primæ obiectioni, cessasse ab illis operibus, quæ fecit illis sex diebus: nihil valet, quia etiã nunc potest dici cessare, post quodlibet opus, q̃ fecit, putà, hodie ab opere q̃ heri factum est ab illo. Sed respondeo ad primam

Obiectio-

Obiectionem cessasse Deum die septimo ab omnibus operibus pertinentibus ad perfectionem, & integritatem vniuersi, non quidem in esse gloriæ, vel gratiæ, sed naturæ. Sed vrgebis adhuc Deus operatur aliquid pertinens ad vniuersi perfectionem: nam illud cõseruat, propagat, gubernat, nunquam enim Deus eiusmodi opera vel omisit, vel intermisit. Respondeo, ideò dicitur cessasse ab omni opere ad vniuersi perfectionem pertinente, quia nullam planè nouam speciem rerum postea creauit, & quia quidquid omninò de nouo producit (licèt esset species aliqua) fuit aliquo modo initio condita, vt docet D. Thõ. q. 73. ar. 2. ad tertium: nam vel materia eius præexiuit, vel causa, seu vis aliqua effectrix eius, putà, in astris vel indiuiduis aliquarum specierũ, vel aliqua similitudo in re eiusdem speciei, vt de anima humana: præcessit enim similitudo earum animarum, quæ nunc creantur, hinc Sapiens Eccles. primo, inquit, nihil sub sole nouum esse.

7. Sed potest breuiùs, & faciliùs responderi cùm dicitur Deus quieuisse die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat, intelligendum, id est, quieuisse ab opere creationis nouarum specierum, perfectarum, & ex se ipsis propagabilium: quod opus tunc facere instituit, ea quam voluit perfectione. Nam posset plures & perfectiores mundos condere, & ideò non dicitur simpliciter quieuisse, sed additur ab vniuerso opere, quod patrarat, id est, omninò perfecerat, prout destinarat: & sic hæc vox addita denotat, de quo loquatur opere.

8. Ad posteriorem obiectionem Respondeo cessationem, & requiem non solùm motui, & labori opponi, sed etiam actioni cuilibet, & desiderio efficiendi aliquid; vt docet D. Thomas q. 73. a. 2. hæc autem Dei actio, & desiderium effectuum, qui in fabrica, & molitione mundi ab ipso patrandi fuerunt, dupliciter considerari possunt, vt Scholastici loquuntur, vel absolutè ex parte entitatis suæ, quæ est ipse Deus, & sic nunquam Deus cessat ab eis: est enim eius entitas inuariabilis; vel ex parte obiecti, id est, effectuum; effectus autem vt aliquando futuri, obiectiuè terminabant illud desiderium, & vt actu de nouo fiebant primis illis sex diebus, erant quasi terminus diuinæ operationis: Et hoc modo dicimus cessasse septimo die; quia scil. non amplius huiusmodi aliqui effectus de nouo à Deo producti sunt, nec fuerunt producendi eo modo, quo tunc à Deo producti sunt. Itaque Respondeo, Deum cessasse non à motu aliquo, vel labore, sed ab operatione, & desiderio ex parte tantum effectus.

9. Sed adhuc ad hanc eandem obiectionem faciliùs, & breuiùs respondebimus (quamuis eodem res reuoluatur) requieuisse dicitur nulla defatigatione, vt nos solemus, sed sola omissione operationis: & vt obseruat Martinus del Rio in cap. 2. Genes. num. 8. id confirmat Hebraismus: Nam *Scabath* significat etiam desinere, & cessare, & requies cessationem nudam. Isaiæ 1. 16. *quiescite agere peruersè.* & c. 2. 22. *quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius est.* cap. 14. 4. *cessauit exactor, quieuit tributum,* delijt

A exigi, Apocaly. 4. 8. *requiem non habebant, die ac nocte dicentia,* id est, nunquam desinebant clamare; hinc quando de verbis mentio, transfertur ad silere, & silentium.

Sed antequam huic Digressioni finem imponam, non grauabor hic obseruare primum ex August. 4. Gen. 15. non dixisse Moysen requieuisse Deum in opere suo, sed ab opere suo: vt indicaret Deum non fecisse hæc ob suam vtilitatem, in qua proindè conquiesceret; verùm ob nostram: est enim se solo beatus. secundum est ex Caietan. eundem dixisse *ab omni opere, quod patrarat,* vt indicaret non simpliciter cessasse ab omni opere: multa enim potest alia facere de nouo, quæ non facit, sed ab eo, quod facere instituerat, & tunc omninò perfecerat. tertio obseruandum est, ideò dixisse cessasse Deum *ab omni opere quod patrarat;* B vt indicaret sex diebus omnia fecisse Deum quæcunque pertinebant ad perfectionem, integritatem, & necessarium ornatum mundi, atq; ita declararet mundi opus perfectũ prodijsse à Deo, nec Deum amouisse manum ab opere, nisi perfectum esset: quod & vox illa, patrarat, id est, omninò perfecerat, ostendit. 10.

De quiete hac Dei lege August. 4. Genes. c. 15. Aliqui dicunt esse figuram quietis Christi die Sabbati in sepulchro, post completum, die sexto opus redemptionis. Est etiam figura cœlestis quietis in cælis post exantlatos labentis huius vitæ labores Apocal. 14. 13. *amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Porrò de cœlesti sabbatismo multa Paulus ad Hebr. C cap. quarto. 11.

DIGRESSIO IV.

Expenduntur, & exponuntur verba illa cap. 2. vers. 3. *Et benedixit diei septimo & sanctificauit illum: quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quód creauit Deus vt faceret.*

NE longiores essemus, quæ restant de hac quiete septimi diei, in quartã hanc reiecimus Digressionem, quo magis præceptum hoc de sabbato, eiusque origo cognoscatur; quod toties, passimque occurrit in historia Euangelica. Cæterùm circa verba prænotata tres occurrunt difficultates dissoluendæ; D prima quid sit, Deum benedixisse diei septimo, & cur illi potius impensa benedictio? Altera, quid sit sanctificasse diem Sabbati? Ad extremum, quem sensum habeant verba illa: cessasse ab omni opere suo, quod creauit Deus, vt faceret. 1.

Ad primam respondeo, Deum benedixisse diei septimo, est multis prærogatiuis, & beneficijs, & factis præclaris hunc diem cohonestasse; benedicere enim Dei est large, & abundanter benefacere; Et verò Deus hunc diem exemit ab omni labore, vt esset dies vacationis, & ad huius septimi diei similitudinẽ, quilibet septimus annus erat quietis terræ: & trãsactis septem hebdomadibus annorum, vltimus septimæ hebdomadæ annus, initium dabat iubilæo. Ad hæc, dicatus erat hic dies diui- 2. *Deus diei septimo cur benedixerit.*

no cultui,

Digitized by Google

no cultui; Accedit quod & typus fuit æternæ quietis ad Hebræos cap. 4. itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. qui enim ingressus est in requiem eius, etiã ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus.

Denique hæc benedictio pertinet ad naturæ propagationem, & multiplicationem: sicut id quod factum est in primis sex diebus pertinet ad naturæ institutionẽ; Deus enim septimo die non produxit quidem de nouo aliquid, sed fouit, & cõseruauit res antea productas, vt multiplicari possent, & propagari, & ob id dicitur, benedixisse septimo speciatim diei: benedictio enim non tam rei productionẽ primam, & naturæ institutionem, significat, quàm largam multiplicationem, & propagationem, quod septimo diei tribuitur. His addere possumus: quoniam in hoc die nihil operis fecit Deus, poterat quis putare hunc diem otiosum, & inutilem: propterea igitur est illi speciatim benedictio impensa. melior est namque, ac potior operis perfectio, quàm inchoatio: perfecit verò Deus opera sua septimo die.

3. Ad alteram dubitationem numero primo propositam, sic respondendum est; sanctificasse diem septimum, est illum destinasse ad Dei cultum: vt scil. homines expediti à seruilibus, & ordinarijs operibus vacarent Diuinæ contemplationi, qua in Deo conquiescerent, vt ipse in seipso quieuit septimo die vacans ab opere suo. sic sapienter D. Thõ. q. 73. a. 3. & Theodoret. q. 21. in Genes.

4. Sabbati obseruatio an à initio mundi indicta. Sed hic sese grauis, & non inutilis offert dubitatio: an ab initio ipso mundi Deus astrinxerit homines ad diei Sabbati obseruationem? Cathar. affirmat, in hunc locum Genes. scribens: dicit enim Moyses ab initio mundi Deũ sanctificasse diem Sabbati, quod videtur esse idem, ac sanxisse, vt in eo vacaretur cultui Diuino. Ribera in c. 4. ad Hebr. in eandem prorsus sententiam discessit, motus verbis Pauli ad Hebræos cap. 4. nam Dauid exhortatur nos, vt ingrediamur requiem cælestem, dum ait: *quibus iurauí in ira meâ, si introibunt in requiem meam.* Quòd aũt Dauid non loquatur de quiete Sabbati Iudæorum, patet, inquit Paulus c. 4. 3. quia *operibus ab institutione mundi perfectis*; ingressi sunt in requiem istam Sabbati. in hanc autem Dauid nõ fuerunt infideles illi Iudæi ingressi: ergò ab initio mundi Sabbato fuit obseruatio. Verùm affirmo constanter non fuisse præceptum hoc ante legem promulgatam; solumq; pertinuisse ad populum Hebræorum: ita Tertull. lib. aduers. Iudæ. & Iustinus in dialogo cũ Triphone, & Abul. in hunc locum Genes. inquiunt enim satis fuisse hominibus ante legem scriptam, si seruassent legem naturalem; cum supernaturali fide Rom. 2.

5. Rationi igitur Cathar. nu. 4. sic occurro: Bedam, & Abul. quidem sanctificationem hãc referre ad tẽpus post legem: putant enim Genesim post legem esse conscriptã, quamuis probabilius videatur Eusebio Cæsariensi lib. 7. de præpar. Euangel. c. 2. Genesim litterarum monimentis traditam ante legem scriptã. Verùm quicquid sit hac de re, verior solutio esse videtur: hoc q; hic dicitur, de sanctificatione Sabbati, esse referendũ ad initiũ mundi, non quod

A tunc datũ sit vllum præceptum de obseruando Sabbato, sed quod destinatus sit is dies ad cultũ Dei, quodq; propterea suo tempore dandũ foret præceptũ, per quod actu iam dicaretur dies Sabbati diuino cultui, cui eo die vacaret Hebræorũ populus. Exod. 20. 10. quod præceptũ, si cultum Deo tribuendum aliquo simpliciter tempore spectes, inquit Martin. del Rio, nu. 11. in c. 2. Gen. manet, nec sublatũ: si verò ad illius præcisè diei cærimoniam attendas, tempore gratiæ sublatum. nam pro Sabbato illo, Dominicus dies colendus prisco Ecclesiæ ritu sancitus in memoriam nouæ, & melioris creationis parui mundi .i. hominis: vel etiam sensus esse potest totius sententiæ, benedixit. i. vt ait Philo in Cosmop. laudauit & approbauit, & sanctificauit. i. diuino cultui segregauit, seu dedicauit, vt ait Chryso. in eum locum, quasi dicere velit, ex eodem Martin. Deus, inditum à se nomen feriæ septimæ, nempè Sabbatum, approbauit; & exemplo quietis suæ venerabile reddidit, & inuiolabili præcepto seruari statuit, quod factũ est reipsa, Exod. 20. 10. ad suæ quietis memoriam, & de creationis beneficio gratiarum actionem, secundùm rem eadem est ista solutio cum priore.

B Ad secundam rationem pro Rib. nu. item 4. allatam Resp. significare ibi Paulum ante multos annos quàm Dauid ad illã nos hortaretur cœlestem requiẽ, Dei populũ .i. Israelitas Sabbatum illud suũ, dictum sabbatum Iudaicũ, coluisse, in memoriam diuinæ illius quietis, qua Deus in se conquieuit perfectis ab initio mũdi operib' suis, igitur, inquit Paul. alia est requies ad quam Dauid hortatur vt ingrediamur. 6.

C Postremò ad vltimam dubitationem initio nu. i. propositam, dicendum est illum dicendi modũ esse phrasim Hebraã, quæ idem valeat, ac faciendo creauit; qua de re sic scribit idem Mart. nu. 12. *quod creauit Deus vt faceret] Hebraismus*, inquit, *primus creauit, pro creauerat; secundus vt faceret, pro faciendo; tertiò creauerat faciẽdo habet vim repetitionis, creando fecit, seu faciendo creauit, vt alibi iurando iurauit, numerando numerauit.* 7.

Qua geminatione duo solent denotari; primò studium, diligentia, & affectus in faciẽdo, quasi diceret, quod studiose, libenterq; faciendo creauit, sicut Psal. 39. 9. vt facerem voluntatem tuam Deus volui .i. cupienter desideraui exequi, quicquid iuberes. secundò quod consectarium est ipsius operis perfectio, vt intelligamus per omnia hoc Hexameron opus perfectum extitisse. Denique lectio 70. confirmat primum illud, & D *etiam secundum, nam cùm ait: incepit facere, & rei molem, & affectum architecti indicat. Præterea in inceptione ipsa, operis consummatio denotatur: nam quod incipit Deus, vtique perficit: quia nihil est, quod eius resistere queat voluntati.* Hactenùs Martinus del Rio. 8.

DIGRESSIO V.

MORALIS,

In ver. 14. *Ecce sanus factus es: iam noli peccare; nè deterius tibi aliquid contingat.*

PINEDA in cap. 22. Iob. in v. 10. n. 3. in hunc locum Ioan. scribit; *cùm Christus Dominus, supplicium, si iterum ad peccata redeat, etiam morbo* 1. *Longa infirmitate quid deterius.*

morbo quo liberatus fuerat, deterius, comminatur infirmo illi, quem in piscina sanauit, ait; noli amplius peccare ne deterius tibi aliquid contingat. quid est autem deterius contingere, quàm subito, & inopinato supplicio affici, cùm minus exspectatur, non dato triginta annorum vel plurium spatio? Idem indicauit Tolet. Cardin. hoc eodem Ioan. loco; atq; eodem etiã vtitur Basil. in suis moralibus regul. 11. ca. 1. simulq; illo altero Luc. c. 14. 46. *veniet Dominus serui illius in die, in qua non sperat, & hora, qua nescit, & diuidet eum, partemq; eius cum infidelibus ponet.*

2. Sed subiti supplicij grauitatem, diuinæ iustitiæ improuisam celeritatem, & inexspectatam vltionem perspicere licet in illa Zachariæ visione, sub imagine volantis voluminis c. 5. 1. in quo maledictio. i. maledictionis, & supplicij impiorum sententia descripta conuolabat celerrimè petens capita impiorum: vt enim obseruauit Chrysost. hom. 27. ad populum Antiochenum volans volumen velocissimum vltionis incursum significat.

3. *Velox Dei vltio fulguri cõparatur.* Ideò gladium suum, atque prouidentiam vltricem comparat Deus cum fulgure, Deut. 32. 41. *si acuero vt fulgur gladium meum*, nam diuina vltio fulminea quadam celeritate coruscandi, & percutiendi quasi subito tonitru insignis est.

4. *Impij abutuntur Dei dilatione.* Sed improbi, cùm differtur supplicium, mala securitate consopiti illud videntur dicere Isai. 28. 15. *percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum* (in Hebræo est, fecimus visionem, vel speculatorem, vel speculationem; sic Regia) *flagellum inundans* (Lxx. tempestas irruens, quæ solet subitò cogi, & viatorem opprimere) *cùm pertransierit non veniet super nos*, q. d. antequam veniet vltio, videbimus à longè, nosque comparabimus.

5. Propterea meritò monet Apost. Ephes. 5. 6. *nemo vos seducat inanib⁹ verbis* (sunt enim hæc inania promissa, quibus seipsum decipit, ac lactat peccator) *propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* i. vt indicat Basil. loc. cit. in eos, qui de aduẽtu iudicis, & de supplicij celeritate diffidunt. videtur aũt Apostolus alludere ad eos, qui in diebus Noë inexspectato diluuio obruti sunt: de quo Matth. 24. 37. 38. 39. *sicut in diebus Noe, ita erit aduentus Filij hominis. sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes.* Tunc nimirum conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos subitus, & inopinatus.

6. Vehementer sanè his, qui veluti veterno quodam vitiorum correpti, securi, quietique miseram vitam transigunt, timendũ est nè fortè improuisa eos ira de cœlo aggrediatur, & ad supplicii derepentè rapiat, vndè se nunquam expedire queant; similes ego istos Iacob luctanti cum Angelo esse arbitror, de quo Gen. 32. 24. sic scriptum est: *Et ecce vir* (Angelus) *luctabatur cum eo* (Iacob) *vsque mane* (tota nocte) *qui cùm videret quod eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit.* Eccè tibi ob oculos positum peccatoris simulacrum, qui nullis Dei beneficijs flectitur, nullis minis terretur, vt à peccato recedat, is certè cum Deo congreditur, & quidem obfirmato

Et similes sunt Iacob luctanti cum Angelo & quomodo.

A animo per totam vitæ huius noctem, dum Deus illum à peccato blandè auocat, beneficijs ad officium trahit, intentato supplicio terret; hic verò grauissimo sopore correptus, nullam horum omnium rationem ducit; sed diuitijs, voluptatibus, honoribus deditus nihil de vitæ emendatione cogitat. an tu non dixeris hunc cum Deo ipso contendere, illique perpetuò obluctari? Accidit huic aliquandò dum sic viuere pergit, vt extensa manu percutiat illum Deus, & claudicare interim faciat, hoc est, morbum immittat, corpus affligat ęgritudine, & tũc incipit homo ille à peruerso animi proposito recedere, quod est benè claudicare, sensimque ad se redire.

7. *Morborum vsus ad conuertendos peccatores.* Magnas enim vires habet ad deprimendum, subijciendumque Deo animum peccatoris ægritudo, & carnis cruciatus; verum enim est illud Dauid, Psal. 15. 4. *multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt*, Et Psal. 77. 34. *cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum*; & verò neque aliud vult Deus dum hęc infligit vulnera, quàm peccantis salutem: quod præclarè testatur D. Gregor. explicans illud Iob. 5. 17. *increpationem Domini nè reprobes: ait enim, omnipotens aliquando vulnerat, quos reducere ad sanitatem curat: aliquando enim carnem percutit, & mentis duritiam pauore tabefacit. vulnerando ergo ad salutem reuocat, cùm electos suos affligit exterius, vt interius viuant:* vndè per Moysen loquitur dicens (Deut. 32. 39.) *ego occidam, & ego viuere faciam: percutiã, & ego sanabo; occidit. n. vt viuificet: percutit vt sanet; quia idcirco foris verbera adhibet, vt interius vulnera peccatorum sanet.* Tantùm ille. Quod si peccator superiorem vitam detestatus mores commutet, & in benè cœptis perseueret, præclarè sanè cum illo actum erit. si verò vel his malis admonitus nõ resipiscat, vel certè morbi periculo liberatus iterum ad pristina reuertatur, timendum nè tandem aliquando ad æterna supplicia subita, ac repentina Dei vltione rapiatur.

8. Meritò proindè Deus de tam nefario hominum genere conqueritur apud Isai. 1. 4. *væ Genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis* (quibus per congeriem quãdam Oratoriam, idem significat. hoc enim est Gens peccatrix, quod pop. grauis, id est, grauatus, & plenus iniquitate; & hoc popul. grauis iniquitate, quod semen nequam, vel filij scelerati; sed vt magnitudinem delictorum, & ingratum, atque obfirmatum animum in peccatis exprimat, toties idem repetit. *Væ* autem vel dolentis est, vel comminantis etiam) *derelinquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel*, contempserunt, & ad iracundiam prouocarunt) *abalienati sunt retrorsum, super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem? omne caput languidum* (morbo) *& omne cor mœrens, à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* quæ tribus modis exponi possunt. Vel enim sensus est; super quo? hoc est, ad quid? quasi dicat, frustra fecero. Vel super quo membro, qua parte percutiam vos, non inuenio; omnes enim partes corporis vestri, id est, ciuitatis membra iam vulnerata omnia sunt. *A planta pedis vsque ad verticem*, hoc est, à populo vsque ad principes, q. d. in summis, medijs, infimis

non

non est in hoc pop. sanitas, sed summa malitia, cùm tamen omnes percusserim, nec supersit, qui non sit à me percussus. Vel tertio super quo id est, omnia expertus sum, quib⁹ nũc vtar cruciatibus ad vos reuocandos à vitijs, ignorare videor. dicite quibus vos amplius pœnis, ac cruciatibus affligam, atque ita ad me redire faciam? perseueratis enim adhuc in peccatis post tot plagas, quibus populum vsq; ad Principes percussi; cæterùm quo maiores sunt cruciatus, quibus vos castigo, eò magis crescit malitia vestra. reliquum est vt vos deseram, atque adeò sinam ambulare iuxtà desideria cordis vestri, qua nulla maior est, & grauior vltio Dei: iuxtà illud Ezech. 16. *Zelus meus recedet à te, & non irascar tibi amplius.* Sic enim fiet tandẽ, vt sibi relictus peccator, in omne facinus ruat, & denique in tartarum præceps corruat, vbi sempiternas det scelerũ pœnas, repentina hinc, ac improuisa morte subtractus.

9. *Percussio Dei non tam pœna quam emendatio.*

Ex quo testimonio discimus ait Hierony. idcircò Dominum percutere delinquentes, nõ vt affligat, & torqueat, sed vt afflictos corrigat, atq; emendet, vtq; ipsa afflictio non tam pœna sit, quàm emendatio. nam quemadmodũ si equus à recta via declinare cõspicitur, is qui illi insidet freno, & calcaribus illum cohibet, & vrget, vt recto itinere gradiatur; ita Deus, qui in vniuscuiusque nostrum animo sedet, & singulorum curam accuratissimè gerit, cùm quemque nostrum à recto virtutis tramite aberrare conspicit, freno correctionis ad rectum iter reducere conatur, nè per auia voluptatum, & vitiorum abrupta in æternam damnationis foueam incidat.

10. *Et tanquam frenum.*

Sunt enim morbi, cruciatus, persecutiones, supplicia denique à Deo immissa tanquã frenum in os insolentium hominum iniectum. Quam rem confirmat terribilis valdè Dei sententia Ezechiel. 29. 3. 4. contra Pharaonem Aegypti Regem prolata qui in morem effrenis equi per idololatriam à recto itinere declinabat; *Ecce ego*, inquit, *ad te Pharao, Rex AEgypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis meus est fluuius, & ego feci memetipsum, & ponam frenum in maxillis tuis.* quid autem per frenum intelligat, statim declarat dum ait, ver. 8. *ecce ego adducam super te gladium*, en tibi ante oculos positum frenum, quo Deus peccatores compescere, & frenare solet, nempè tribulationis, & persecutionis gladius illud est. sic sic facinorosorum hominum indomitam ferocitatem, & insolentem audaciam coërcere solet; sic Sennacherib Syrorum Regem tanquam insolentem, & ferocem equum, dum magno impetu, ac furore percitus ad delendum penitus Israelitici populi nomen fertur, cohibuit & frenauit; audi quid Isai. cap. 37. 29. minatur illi Deus; *ponam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labijs tuis, & reducam te per viam, per quam venisti.* quod autem, vel quale frenum iniecerit, euentus ipse declarauit, cùm per Angelum innumerabilis eius exercitus gladio deletus est; vna enim nocte 185. millia hominum interfecta sunt; quo factum est; vt Sennacherib magna calamitate, & ignominia affectus reuerteretur ad suos, à quibus etiam peremptus est.

11. Idem accidit Sedeciæ Regi, ad quem misit Dominus seruum suum Ieremiam, vt resipiscerent tandem ipse, & Principes eius, & ad meliorem frugem sese reciperent; sic enim fore vt diuinam vltionem subterfugerent. cuius ipsi tamen salutaria monita despicientes, pristinam vitæ consuetudinem tenere maluerunt, quàm iustis Ieremiæ vocibus acquiescere. sed hoc magno suo ipsorum malo accidit, propterea enim Hierosolymitana ciuitas solo æquata fuit, eiusque principes in captiuitatem ducti, ipseque Rex in primis cùm fuga sibi consulere, & elabi vellet apprehensus, & ad Regem Babylonis in Reblatha ductus est: qui loquutus est cum eo iudicium. nam vt 4. Reg. 25. 7. legimus, *filios Sedeciæ occidit coram eo, & oculos eius effodit, vinxitq; eum catenis, & adduxit eum in Babylonem.* horrent aures tam horrendum audire crudelitatis genus.

Sedechiæ regis obstinatio.

12. Quamobrem id, inquies, à Deo permissum est? huius rei causam non ab alio accipias velim, quàm ab Isaia 22. 12. qui eam calamitatem longè prospiciens prædixit: *& vocabit Dominus exercituũ in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad caluitium, & ad Cingulum sacci; & ecce gaudium, & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* quasi dicat, imminente iam captiuitate, Dominus non planè obliitus vestri, mittet Ieremiam qui inuitabit vos ad pœnitentiam, & ad caluitium, id est, euulsionem capillorum, vel rasuram, qua vtebantur in mœstitia Iudæi, & ad cingulum sacci, Chald. *ad cingendum saccos*, id est, ad induendos, & cingendos. vndè obiter collige pœnitentiam complecti fletum, & planctum, & saccos, & non modò terrores, quos incutit cõscientia peccati, & fiduciam in misericordiam per Christum promissam, quæ secundùm Hæreticos absoluunt pœnitentiam. tantùm autem abierit, inquit Isaias, vt his Ieremiæ minis commouendi sitis, vt etiam per magnum scelus, irrisuri sitis tam salutaria monita, & tanta Dei clementia abusuri. hoc enim significant illa, *comedamus, & bibamus, cras enim moriemur*; sunt enim hæc verba contemnentiũ cõminationẽ; si. n. inquiunt, vt Ieremias iste nobis cõminatur, morituri sumus, comedamus, & bibamus, & nulli parcamus voluptati, si citò delendi sumus. Quantum autem id displicuerit Deo ostendit rei euentus, & verba illa Isaiæ eodem cap. ver. decimoquarto, declarant; *& reuelata est in auribus meis vox Domini exercituum: si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum*, quasi dicat, puniam donec moriamini, non corporis tantùm morte, sed morte etiam secunda.

13. *Peccator similis arbori Nabuchodonosoris.*

Quarè rectè mihi hi sentire videtur, qui peccatorẽ imagine illa Dan. 4. quã Nabuchodonosor in somnis vidit, repræsentari volunt. vidit Nabuchodonosor somno correptus arborem proceram adeò vt ad cælum ipsum pertingere videretur, in huius ramis aues cæli visebantur, & subter ea animalia, & bestiæ terræ, folia verò eius mira erant pulchritudine conspicua. & eccè tibi vigilis cuiusdam vox insonuit; *succidite arborem, & præcidite ramos eius*, &cæt. rectè peccatorem pulcherrimam arborem dixeris non quidem vera sapientum opi-

nione, sed tantùm vulgarium ac fatuorum hominum falso iudicio. sic Dauid Psalm. 36. 35. Cedris Libani principes præsertim sceleſtos comparat; *vidi*, ait, *impium superexaltatum, & eleuatum sicut Cedros Libani.* Et Ierem. 12. 2. *plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt, & faciunt fructum.* quę subter eam arborem animalia versantur, & bestiæ, appetitus ferini sunt, qui peccatoribus insunt, omniumque vitiorum genera.

Quòd verò in ramis eius volucres cæli sedeant, significat noxias, & obscœnas cogitationes, quæ in sceleſti hominis corde, mentisque potentijs veluti cubilia sibi, nidosq; construũt. huic porrò arbori vigil de cælo minatur, quod in eo mox futurum est portendens; *succidite arborem, & dissipate eam.* quod tum fieri rectè dixerimus, cùm per cõcionatores, vel interiores etiam à Deo immissos animi motus, intentatur illi, ac subindè repetitur supplicium, dicturque ei; *iam securis ad radicem arboris posita est.* itemque illud; *omnis arbor non faciens fructũ excidẽtur, & in ignem mittetur*; & illud; *Stulte hac nocte repetent animam tuam, & hæc, quæ parasti, cuius erunt?*

14. Quarè vt eò reuertatur vndè digressa est oratio, cogitemus oportet id, quod huic paralytico dictum à Domino est; *noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*; nobis quoq; sollicitè commendari. ne fortasse si socordes, atque securi in peccatis diu hæreamus nostro magno malo experiamur, subitò de medio subtracti, id quod Apostolus monet Hebræorum 10. *horrendum esse incidere in manus Dei viuentis*; nec abutamur diuina eius patientia, qua nos expectat. *diuina namque ira lento gradu ad vindictam procedit, sed tarditatem, supplicij grauitate compensat*; quantò enim altius securis attollitur, tantò fortius, ac profundius ceruici vulnus infligit.

CAPVT II.

PHARISAEOS OB CONFRICATAS A DISCIPVLIS SPICAS IN SABBATO offensos confutat Dominus.

A. 12. 1. B. 2. 23. c. 6. 1.

B. Cùm Dominus Sabbatis ambularet per sata. A. Sabbato.

1. B. *ET factum est iterum.* A. *in illo tempore abijt* IESVS *per sata, Sabbato secundo primo.* *Discipuli autem eius esurientes cœperunt* B. *progredi, &* A. *vellere spicas, & manducare.* C. *confricantes manibus.*

C quidam aũt Phariſæorum dicebant illis: quid facitis quod non licet in Sabbatis.

2. *Pharisæi autem videntes dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis.*

3. *At ille dixit eis non legistis, quid fecerit Dauid quando esurijt, & qui cum eo erant.*

4. *Quomodo intrauit in domum Dei* B. *sub Abiatar principe Sacerdotum,* A. *& panes propositionis* C. *sumpsit.* A. *comedit.* C. *& dedit his qui cum ipso erant.* A. *quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus.*

5. *Aut non legistis in lege, quia Sabbatis Sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt?*

6. *Dico autem vobis, quia templo maior est hic.*

7. *Si autem scirętis, quid est misericordiam volo, & non Sacrificium, nunquam condemnasse tis innocentes.*

8. B. *Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbatum.*

9. *Itaque Dominus est Filius hominis etiam Sabbati.*

A. Dominus. n. est Filius hominis etiam Sabbati.

C quia Dominus est Filius hominis, etiam Sabbati, I.

SCHOLIA.

Iterum] In primis hoc verbum, *iterum*, apud Marcum nos quidem legimus, sed non Græci: si ergò legamus, non eam vim habet, vt significet secunda vice Dominum per sata transisse; sed referendum potius est ad calumniam Phariſæorum. Præcesserant enim apud Marcum aliquod eorum calumniæ, & ideò per vocem, *iterum*, significare voluit Euangelista, iam alteram se scribere alia occasione obiectam Christo.

Idem Marcus, quod Lucas habet *in Sabbato secundo primo* habet *in Sabbatis.* Immò & Matthæus apud Græcos eodem modo habet transisse in Sabbatis per sata.

In illo tempore] intelligendum est præsertim de tẽpore inter Pascha, & Pentecosten, vel circa, seu inter curationẽ paralytici, & Pẽtecosten, vel propè, q.d. in illo tẽpore, quo ea facta fuerant, vel futura erant, quæ ferè c. 9. 10. 11. à Matth. narrantur, & non multò pòst, vel antè, id est, circa illos menses, quibus hæc fiebant.

2. Christus granum frumenti.

Abijt per sata] Athan. homil. de semente: *transibat*, inquit, *saluator per segetes, granum ipse inimirum frumenti per segetes, & spirituale illud granum, quod in certum locum aliquem cadens cum multiplicibus spicis per orbem terrarum exsurgit: ipse enim de seipso dixit: nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

Sed antequam declaremus sequentia, *in Sabbato secundo primo*, explicemus Marcum, qui habet *in Sabbatis.*]

3. Nomine Sabbatorum quid intelligendum.

Meritò scisciteur quis, quid nomine Sabbatorum intelligendum sit, cùm numero multitudinis dicitur, *vna Sabbatorum*, vel quid factum, dictum esse *in Sabbatis.* Theophyl. Euthy. in Matth. 28. Nicephor. lib. 1. hist. Eccles. iast. c. 33. opinantur significari omnes dies hebdomadæ, multitudinis enim numero designari videntur simul plures dies sese consequentes. ita vt sensus sit *in vna Sabbatorum*, id est, in prima dierũ hebdomadæ. Sunt quibus verosimilius videatur non dies omnes hebdomadæ; sed certos quosdam dies cæteris solemniores designari. Sensum autẽ esse, cùm dicitur, *vna Sabbatorum*, vel *prima*, vel *in Sabbatis*, &c. vnum aliquem ex tribus sequentibus, nempè aut significari omnes

dies

dies azimorum intermedios, qui duobus festis, siue Sabbatis claudebantur; die scil. Paschatis, & die septima à Paschate. Idem videtur dicendum de diebus alijs intermedijs inter diem Pentecostes & vltimum similiter & de alijs festis, quæ per plures dies continuos celebrabantur. Itaque dies illi intermedij inter duos extremos Sabbata dicebantur, non quod essent dies festi, sed quod essent solemnes, & celebres, & inciderent in tempus Paschale, vel simile, vel quod clauderentur duobus festis.

4. Vel *Sabbata* per Hebraismum dicuntur plurali numero pro singulari sumpto, vt cùm dicitur hic Christus in Sabbatis ambulasse per sata, intelligitur in vno ex Sabbatis, siue Sabbatum sumatur pro septimo die hebdomadæ, siue pro festis in communi: sicut cùm dicitur Iudicum 12. in latina editione: *& sepultus est in ciuitate sua Galaad*, Hebraicè habetur, *sepultus est in vrbibus Galaad*, id est, in vna ex vrbibus. sic Iacobi 5. *inducat presbyteros*, id est, vnum aliquem de presbyteris: vel tertio Sabbata dicuntur per alium Hebraismum, quo Hebræi vti solent numero multitudinis ad significandum abundantiam, & copiam. Cùm enim duo festi simul concurrebant dicebantur *Sabbata*, id est, magnum Sabbatum. Et ita fortè dies intermedij consequentes Pascha, vel Pentecosten, &cæt. & clausi duobus festis, dicebãtur *Sabbata* ob concursum vnius post alterum immediatè, erant enim solemnes licèt non festi.

5. Mihi eorum sententia maximè probatur, qui sentiunt idem esse *Sabbata*, quod *Sabbatum*, vt sit hebraismus pluralis numeri pro singulari, non quod singuli dies hebdomadæ Sabbata dicerentur, vt auctores primo loco citati dicebãt, quos sequitur Iansen. in concor. c. 37. non enim in Scripturà talis significatio reperitur. Vnde non mirum, si quod habet hic Matt. *Abijt Iesus per sata Sabbato*, græcè habeatur, *Sabbatis*, vt sit idem cum eo, quod hic apud Mar. est; *cùm Dominus Sabbatis ambularet*, id est, in vno ex Sabbatis, sicut enim ex Iudic. 12. & Iacobi quinto, paulò antè dictum est, ponitur interdum Hebraicè plurale ad significandum vnum ex pluribus, ita hic, *in Sabbatis*, id est, in vno Sabbatorum.

6. Fateor tamen interdum *Sabbatum* sumi pro tota hebdomada, vt Matth. 28. *quæ lucescit in prima Sabbati*, vbi Græcè est, *vna Sabbatorum*, id est, prima, & Lucæ 18. *ieiuno bis in Sabbato*, & cap. 24. *vna autem Sabbati*, & Numer. 25. *numerabis tibi septem hebdomadas annorum*: in Hebræo enim non *hebdomadas*, sed *Sabbata* legimus: nam à fine hebdomadæ, & termino; qui Sabbatum est, tota hebdomada Sabbatum nominatur. Vnde quia singuli dies ab hebdomada, quæ sabbatum dicitur denominabantur, scil. hoc modo dicendo *prima Sabbati*, *secunda Sabbati*, *tertia Sabbati*, &c. ideò etiam dici potest, vsurpari numerum multitudinis *Sabbatorum*, pro singulis diebus hebdomadæ, quæ sabbatum vocabatur, ergo dicebatur prima Sabbatorũ, id est, prima dierum septem, quarum singulæ à sabbato appellabantur, non quod singuli dies Sabbata dicerentur in recto, sed quod in obliquo, à Sabbato, siue à septimo die hebdomadæ sic vocarentur.

7. Quoniam verò Sabbatum dicitur à *Sabbath*, quod verbum significat quiescere, & ab operando cessare, hinc Sabbatum transfertur etiam ad dies festos, vt patet Leuit. 23. vbi prima dies azimorum vocatur *Sabbatum*, cùm dies sequens, in quo offerendus erat manipulus spicarũ, vocetur *alter dies Sabbati*, vel vt habent Hebræa, *crastinum Sabbati*, & loco eodem de die expiationis dicitur: *Sabbatum requietionis est*: Et iterum: *à vespera, vsque ad*

A *vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Et de festo tabernaculorum dicitur, *die primo, & die octauo erit sabbatum*, reliqui autem dies, qui sunt inter primũ, & vltimum diem alicuius festi constantis ex pluribus diebus, non dicuntur in scripturis, neque à Iudæis *sabbata*, quia in illis non cessabatur ab operibus, vt notat Iansen. c. 37. quod est contra eos, de quibus num. 3.

Erat autem discrimen inter sabbatum propriè dictum pro septimo die hebdomadæ, & alios festos dies, quod in 7. die adeò nihil operis licebat, vt ne quidẽ cibũ parare liceret, Exo. 33. *non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati.* in alijs id licebat, parare scil. quæ ad cibũ pertinebant, Exod. 12. 16. de festo azimorum: *dies prima erit sancta, atque solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis, nihil operis facietis in eis exceptis ijs, quæ ad vescendum pertinent.* Cæterùm B hoc loco *in sabbatis* non potest significare diem vnum ex festis alijs, sed tantum diem septimum, vt ostendam paulò pòst.

8. *Discrimen inter Sabbatum & alios festos dies.*

C. *Sabbato secundo primo*] quid sit sabbatum secũdo primum in Theoria seorsim declarabimus. breuiter nunc affirmo, hoc sabbatum non potuisse incidere in dies azimorum, fuisse verò propriè sabbatum, id est, septimam hebdomadæ diem. verosimilius verò videri in curriſse in aliquem ex diebus propè Pentecosten, siue antè, siue pòst ipsam, nisi malis in ipsam Pentecosten incidisse, & ob id appellari secundo primum, quia dupliciter foret solemnis; vel potius quia cùm esset apud Iudæos festum Paschatis, & azimorum festum celeberrimum præ alijs, sabbatum, quod incidebat in eos dies, dicebatur *magnum*, & *primum*, & alia sabbata, in quæ incidebat festum aliud dicebantur *secundo prima* vide Theoriam.

9. *Sabbatum secundo primum quid.*

C *Cæperunt progredi, & vellere spicas*] id est, inter eundum vellebant spicas.

10. *Magna fames apostolorum.*

Et manducare] Docet Ribera Ose. 6. nu. 18. magnam fuisse famam hanc Apostolorum, vnde Mat. rectè ait, *esurientes.* & Lucas non sine magno consilio historiam hanc subtexuit alteri, in qua narrauerat discipulos Christi non ieiunare; quare ne quis sibi falso persuaderet, illos ventri deditos, & escis, cibisque affluere, subiecit, id quod hic narratur de paupertate, & fame discipulorum. Porrò spicæ à messoribus pro pauperibus relinquebantur, & fortasis huiusmodi erant hæ.

11. C. *Confricantes manibus*] quasi triturantes, vt secreta palea granis vescerentur, ad quod vrgente inedia, adducti sunt, alioquin non id facturi propter sabbatum.

D Leuit. 19. 9. & 23. 22. sic habetur scriptum: *postquam messueritis segetem terræ, nõ secabitis eam vsque ad solum, nec remanentes spicas colligetis; sed pauperibus, & peregrinis omittetis eas. Ego sum Dominus Deus vester.* Hinc probabiliter colligere possumus eiusmodi derelictas spicas collegisse tũc Apostolos; vt non immeritò scripserit Irenæ. lib. 4. c. 20. nihil prohibitũ lege hic feciſse Apostolos: sed fortè probabilius est, cùm hic legamus, Dominum ambulasse per sata, nondum fuisse omninò demessas spicas, ac segetes; nec tamen quid prohibitum in hoc fecerunt Apostoli; rectè enim notat D. Thom. nõ accusasse Pharisæos, discipulos, quod ex alieno agro spicas colligerent, quia id lege permissum erat Deut. 23. 25. *si intraueris segetem amici tui franges spicas, & in manu conteres, falce autem non metes.*

12. D. Chrys. hom. 48. in Matth. *tu*, inquit, *discipulorum abstinentiam admirare mecum, admirare, inquam, quomodo nullã corporis curam, nullum studiũ habeant; sed sine præmeditatione aliqua, ac præparatione mensam sibi sic constituunt, vt continua ferè co-*

Digitized by Google

gantur inedia premi, neque tamẽ à Christo abscedant; nam nisi malo inediæ nimium vexarentur, nunquam certe illud in sabbatho fececissent. hæc ille, ad quæ adde, discipulos non rarò ciborũ penuria laborasse; erãt enim pauperes, & ex his, quę ministrabantur victitabant Ioan. 12. Diuus Hieronym. quoque Matth. 12. asserit, præ nimia hominum importunitate eos, nec vescendi locum interdum habuisse, ideoque quasi homines esurijsse.

13. *Omnes Christiani frumentum Christi.*

Illud ad allegoriam pertinet, quod adnotauit Barrad. lib. 6. cap. 10. sub finem tom. 2. constat nos omnes frumẽtum Christi esse. porrò frumenti spicæ nisi aristis, & paleis exuantur, cibus esse nequeunt; Ideoq; Apostoli spicas vellũt, manibusq; confricantes aristis, paleisq; spoliãt, hoc est, homines spicis similes à voluptatibus eximunt, vitijsque, ac sceleribus exuũt, vt idonei esse queant, qui à Christo comedantur. i. illi agglutinẽtur. Audi Aug. l. 1. qq. Euan. q. 2. *quod*, inquit, *discipuli cœperunt vellere spicas, & manducare, quod nisi confricantes eas, facere non possent, hoc est, mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*, ad Coll. 3. *id est, quia quisque nõ trãsit in corpus Christi nisi carnalib. expoliatus, hinc est* ad Colloss. 3. *exuite vos veterẽ hominem*, sic Aug.

2. A. Pharisæi autẽ] at Lucas scribit, discipulis, nõ Christo hęc verba obiecta esse à Phariseis. sunt qui dicant primùm discipulis, deindè Christo dicta. Mald. etiam inquit, potuisse Christo tantum dicta esse, qui respõdit; sed quia quod magistro dixerãt, non solũ de discipulis, sed etiam discipulis ipsis dixisse videbantur: ideò Lucam affirmasse, discipulis dixisse.

Ecce discipuli tui faciunt &c.] Mitius hic agunt Pharisæi; cum tamen de sabbati violatione agatur, cuius rei causſam expresit Chrys. hom. 40. cùm enim nihil, inquit, magnum, & sublime op⁹ fit, quietiores sunt; cum verò solo verbo sanitatem hominibus conferri conspiciũt, quasi feroces bestię perturbati vehementius in illum insiliunt; veneno enim inuidiæ, non religionis zelo agebantur.

14. *Pharisæorũ versutia.*

Non legistis quid fecerit Dauid] Dauidis exemplo discipulos excusat: qui panes propositionis, alioqui laicis vetitos fame vrgente cũ esuriret, comedit, & suis edendos proposuit. hęc autem Dauidis historia 1. Reg. 21. habetur, cũ Dauid fugiẽs Saulem venit in Nobe, ad Achimelech Sacerdotem, apud quem panes propositionis famelicus cũ socijs comedit. sanè quod Dauid sumẽs hos panes & comedens, nil peccarit; & ex hoc loco colligitur, & Pineda ostendit, lib. 1. c. 3. num. 14. plura in digressione quære. Obseruat Euthym. idcircò Christũ legis ignorantiam obiecisse Pharisæis, quia se legis scientiam habere, vulgò iactabant.

15. *Dauid an solus venerit ad Abimelech.*

Et qui cum eo erant] in lib. 1. Reg. cap. 21. scribitur solus Dauid venisse ad Achimilech: quid igitur est, quod hic dicitur, *& qui cum eo erant*? Nullo modo probandum est responsum eorũ, qui affirmant, solum omninò venisse Dauidẽ, cùm verò dixit, se pueris suis in illum, & illum locum conduxisse, officioso vsum fuisse mẽdacio, & Christum hic ex verbis Dauidis loquutũ esse, non ex veritate, & opinione sua. atqui Euangelistæ dicunt Christum dixisse Dauidem ex panibus propositionis comedisse, & dedisse socijs; quomodo ergò hoc benè cum hac sentẽtia cohæret? Affirmant aliqui, dici venisse solum, quia cum paucis venerat prętermorem suũ: stipatus enim multis comitantibus incedebat. Alij vero similius iudicant solum quidem accessisse ad Achimelech, comites tamen habuisse aliis locis illum opperientes, quibus potuit posteà ex panibus dedisse. Itaque solus est Sacerdotis domum ingressus, solus etiam panes accepit; & hæ duæ posteriores solutiones meliores sunt.

A

4. *Quomodo intrauit*] Obseruat hic Cardinal. Tolet. in com. Luc. 6. amplificasse Dominum, factũ Dauidis: intrasse enim dicitur domum, panes sumpsisse, comedisse, aliis dedisse; q. d. videte quã multa fecerit famis necessitate compulsus, & tamẽ culpa vacauit; quantulum igitur est hoc, quod discipuli mei peregerunt in Sabbato, cum eadem vrgente fame tantum spicas vellere, & manibus confricare ausi sint?

16.

In domum] Nec templum adhuc extabat, nec arca ibi erat, nam ex 1. Reg. 1. 24. & 3. 21. & 4. 3. in filo eo tẽpore residebat. Itaq; per *domum Dei*, intelligit atrium tabernaculi: ibi enim fuisse tabernaculum per id tempus non dubito, vbi panes propositionis ponebantur. nam Nobe ciuitas erat sacerdotum, 1. Reg. 22. 9. ibi erat Achimelech; Marcus, *Abiatar* nominat, vel quod Achimelech binomius esset, sicut & Abiatar filius eius, quod Toletan. ex primo Paralippom. 15. 11. colligit, si conferatur cum loco alio, primo Paralippom. 18. 16. & secundo Reg. octauo, 17. itaque tam filius, quàm Pater *Abiatar*, & *Achimelech* dicebatur. Vel sub Abiatar, idem est, ac tempore Abiatar, qui paulò pòst patri interfecto succesſit. Quare Beda ait: aderat iste. sc. Abiatar, cum Achimelech, succesſitque summo Sacerdotio; & quia excellentior patre, meruit sui memoriam fieri quasi summi Sacerdotis, etiam viuente patre.

B

17. *Panes propositionis sacri.*

Nisi solis Sacerdotibus] Hoc genus panis sacrum erat & tantum eum Sacerdotibus licebat contingere, & comedere: immò vt dicit Hieronymus Malachiæ primo ipsi Sacerdotes panes propositionis ferere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebant (de quo vide Digress. 2. num. 16.) & per singula Sabbata noui proponebantur, quasi propositi ad spectandum in conspectu Domini, & hominum: vt essent publicum memoriale, quo admonerentur (vt quidam velle videntur) Israelitæ sacrificij placationis, vt Leuit. vigesimoquarto, scribitur. vide tamen Digress. primam, num. sexto, sub finem, & Digress. secundam, num. secundo, & 16.

C

Lucas habet, *& dedit his qui cum ipso erant*] nam vt obseruat Chrysost. si quis dicat Dauidem fuisse Prophetã: at eius socij nõ erant: vt interim omittã nec Prophetis illud licuisse. Est ergo argumentum huius loci ex Hierony. tale: si illum fames excusauit, cur non hos?

5. *Aut non legistis*] Secundo; factum excusat alio sacerdotum facto, qui absque legis violatione impunè sabbatum violabant in templo. Sabbato enim hominem circumcidebant sacerdotes, vt Ioan. 7. Glossa sic habet: exempla duo attulit regis, & sacerdotum, rex, & sacerdos, & sabbati Dominus. Aug. 1. de concord. Euang. q. 2.

D

Violant] Dum scil. tauros cedunt, pueros circumcidunt, & dum vnam legem seruant, sabbatum destruunt; sic Interlinearis ex Hieronym. vel violant, id est, videntur violare, inquit Emmanuel in Matt. cap. duodecimum, in notis, seu reuera prophanant operibus seruilibus ad sacrificia necessarijs, quæ nisi Dei cultus excusaret, facere non licuisset. vide de his Leuit. vigesimumquartum, ver. octauo, & num. 28. 9. vel violant si verba spectes, non violant, si sensum.

Et sine crimine sunt] Interlinear. pro, *& tamen, sine crimine*, id est, sine culpa, seu peccato sunt.

Quia Sabbatis sacerdotes] id est, per singula sabbata. Aduerte singula hęc emphasim continere, legem præcipientem, personas Sacerdotum, quorum maximè intereat colere sabbatum, locum, nam inquit in templo, vbi par erat potissimum coli sabbatum: tempus item, in Sabbatis.

Digitized by Google

18. Non est in præteritis habendum, quod animaduertit Augustinus quæstionum in Matthæum, quæstione decima. *Notandum*, inquit, *de eo, quod illicitè factum videbatur Iudæis, quod discipuli Sabbato spicas euulsissent, vnum exemplum datum regiæ potestatis de Dauid, alterum sacerdotalis, de ijs, qui ministerio templi Sabbatũ violant, vt multò minus ad ipsum euulsarum Sabbato spicarum crimen pertineat, qui verus rex, & verus Sacerdos, & ideò Dominus Sabbati.*

6. *Dico autem vobis, quia templo maior est hic*] i. qui hic est, in hoc loco sc. est enim græcè ὧδε maior est templo. Ostẽdit autem hic Dominus exemplum Sacerdotum facere maximè ad excusandos discipulos, q. d. quemadmodum sacerdotes sine crimine sunt, dum in Sabbatis violant Sabbatum, eò quòd eorum opera templi excuset sanctitas, cui per huiusmodi opera seruiunt: ita & discipuli excusandi, & sine culpa erunt, quod Christo videnti, & permittenti, & ad obsequium eius facerent, quę faciebant, qui maior est templo, vtpotè templi Dominus. Si enim templi sanctitas non excusat modo, sed exigit opus à Sacerdotibus in Sabbato, magis debuit discipulos excusare comitatus, & obsequium eius, qui templo sanctior erat, ac proindè eius causa, plus meritò licebat, quàm causa templi.

19. *Ministrantes temporalia Sacerdotibus & concionatoribus quasi operè necessaria.*

Probè autem notandum inquit Iansen. Dominum hic comparare factum discipulorum cum facto Sacerdotum in templo: quo intelligeremus eos, qui cibum corpori parant, vt Christo & Euangelio seruiant, quod fecere Apostoli dum vrgente fame obuium cibum sumpserunt, quo commodius Christum sequerentur, facere rem non minus Deo gratam, quàm erant grata sacrificia legis. Addo & ego hinc sequi magnum esse sacrificiũ temporalium coadiutorum in Religionibus quod Deo offerunt, dum concionatoribus, doctoribus, confessarijs ministrant, eosque iuuant, quo ij Christo in salute animarum curanda commodius, & hilarius inseruiant, & spiritalibus muneribus vacent.

Possumus & hunc eumdem locum clarius interpretari: si templum sacerdotes excusat; *dico vobis, quia templo maior est hic*, quasi dicat, ego ipse discipulorum, quos vos reprehenditis magister, maior sum templo, si templum, & diuinus cultus facultatem facere potest operandi Sabbato: ego, qui Deus sum templo maior potestatem dare possum meis sectatoribus, vellendi Sabbato spicas, ac confricandi. Iterum, si templum facere potest, vt vacent culpa Sacerdotes, ego qui maior sum templo facere possum, vt crimine careant discipuli mei etiam Sabbato vellentes, & confricantes spicas. Hactenùs ergò duobus nominibus suos defendit discipulos Christus pius ac mitis magister, & ratione necessitatis, & ratione obsequij diuinioris, quàm illud erat Sacerdotum in templo.

Inhumanitas Phariseorum & insciria.

7. *Si autem sciretis*] Crudelis, & inhumani animi reprehendit Iudæos & est tertia etiam ratio propulsandi à se, & discipulis Iudæorum calumniam. si rectè, inquit, illud Oseæ sexto, perpenderetis, quid sit videlicet, misericordiam volo, & non sacrificium, id est, magis amo beneficentiam, & benignitatem erga proximos, quàm victimas. si sciretis inquam, Deum tanti misericordiam facere, vt sacrificijs eam præferat, non argueretis discipulos, quod spicas vellerent, sed commiseratione potiùs erga illos afficeremini, neque eos incusaretis, qui & innocentes, & misericordia digni sunt, non fucatis accusationibus, & calumnijs.

Vel potest instrui ratio hoc modo: hoc enim erat quod maximè Apostolos excusabat, quod

A in prædicando, edendisque miraculis adeò essent occupati, vt ne cibum quidem parare, vel capere possent. Cùm ergò hæc ad salutem animorum pertinerent, ac necessaria essent, multò minus violabatur Sabbatum per ea, quàm per illas actiones seruiles sacerdotum, quibus tamen non violabatur ob externum tantum templi cultum: & in hanc sententiam subiecit Dominus hoc esse, *misericordiam volo, & non sacrificium*, quasi dicat, præstat, vt salutem animorum Apostoli procurent, quàm vt litteram Sabbati seruent, non parando cibum, intermissa animorum cura, & ideò accusandi non sunt.

Iudæorum præposterа religio.

Hoc videtur dixisse Dominus, vt simul etiam taxaret præposteram Iudæorum religionem, qui anxia sacrificiorum sollicitudine, & superstitiosa nimis Sabbati obseruatione sanctitatem simulabant; ostenditque eos magis sacrificio, id est, externo templi cultu duci, quàm misericordia.

B

8. *Et dicebat eis, propter Sabbatũ hominẽ*] Videtur hæc esse non tam noua ratio, quàm redditio rationis eius, quod prius dixerat prima ratione, nempè quod ob necessitatem, non esset seruanda lex Sabbati; quia non homo propter Sabbatum factus sit, sed contra Sabbatum propter hominem, ob cuius proindè necessitatem, vel magnam vtilitatem lex Sabbati cessare deberet.

Beda sic: maior cura sanitati, & vitæ hominis adhibenda, quàm custodiæ Sabbati: Machabæi ob necessitatem Sabbato pugnarunt. & rectè quidem, nam Sabbati otium ob vtilitatem hominis institutum est, non ergò debet cedere in perniciem eiusmodi, vel damnum vitæ. Quod est argumento Apostolos graui fame vexatos tunc fuisse.

C

A. *Dominus enim est*] Matthæus habet, enim; Lucas, quia; Marcus, itaque; Tertullianus libro quarto, contra Marcionem affirmat, Christum Sabbati Dominum dici, non quod destruxerit, sed quod tueretur Sabbatum, declarando eius obseruandi rationem: & quia quamuis destruxisset, quod verè non fecit, non violasset Sabbatum. Hinc possumus intelligere, quam vim habeat vox, *itaque*, apud Marcum, & *quia*, vel *enim*, apud Lucam & Matthæum, est enim sensus Lucæ, quia Dominus sum Sabbati, ad me pertinet Sabbati præceptum declarare, & in eo dispensare, cùm quisque possit, de re sua quod velit, facere; non ergò debetis accusare meos discipulos, quasi transgressores legis Sabbati, cùm me vidente id faciant, quod reprehenditis. Itaque vox, *quia*, non est causalis, sed loco, *quod*, ponitur, vt rationem nouam, afferat Dominus in discipulorum defensionem. Apud Matthæum ponitur, *enim*, & est causalis vox connectens hæc cum præcedentibus, vt hæc sit redditio causæ cur dixerit se templo maiorem: nam cùm Sacerdotes non verè violent Sabbatum templo seruientes, & in templi cultu occupati, immò Sabbato templum seruiat (in eo enim celebratur Sabbatum) & ego Dominus sim Sabbati, maior ergo sum templo, & proindè declarare possum præceptum Sabbati, & dispensare cum discipulis.

20.

Christus maior templo & Sabbato.

D

Vel fortè redditur ratio, cur innocentes dixerit esse discipulos. nam ipso auctore qui Dominus est Sabbati, ad quem declarare spectabat & dispensare, citrà omnem planè culpam poterant Sabbatum non seruare, multò magis, quàm Dauid, & Sacerdotes sine crimine fuerunt. Mar. verò habet, *itaq;*, quæ videtur illatiua dictio: nam cùm dixisset Sabbatum propter hominẽ esse, subdidit, *itaq;*,

id est, ergo cùm ipse caput sim hominum, & Dominus Sabbati pertinet ad me declarare, & dispensare, prout ad hominum salutem facit. Omnium enim rerum potestatem; quæ ad hominum salutem referuntur; habeat necesse est is, qui curam gerit hominum; quorum & Dominus est: atqui Sabbatum propter homines est. Sed fortè satius erit; vt cum Matthæi & Lucæ sensu conueniat, Marcũ sumere, *itaque*, pro *denique*, vt completiuam vim habeat, non illatiuam. Græcè ὥστε, quasi dicat, postremò affirmo me Dominum esse Sabbati; ac proindè interpretari; & dispensare in Sabbati præcepto possum. In quo duo innuit tacitè, primum se posteà abrogaturum illud fore, alterum, cùm dicitur Filius hominis esse Dominus etiam Sabbati, significat, vox illa, etiam, non modò Dominum se esse nouæ legis, sed veteris quoque.

21. Porrò videtur Matthæus, cuius verba connexionem continent cum præcedentibus, vt dixi, rem scripsisse, prout à Christo prolata fuerat: *Dominus enim* &c. Marcus verò & Lucas rationem tantum nouam afferre, & indicare voluerunt, quam re vera Dominus attulit his verbis contentam; ita vt non differant Euangelistæ quoad rem, licèt non eodem modo ac ordine eam scribant.

22. Augustinus libro quæstionum in Matthæum, quæstione decima dicit his verbis: *Dominus est filius hominis etiam Sabbati*: ostendisse Christum se non esse subiectum legi (intellige etiam secundùm humanitatem) quia erat Filius Dei naturalis, & Dominus legis. quod si dicas Christum non venisse, vt solueret, sed vt impleret legem Matthæi quinto. Respondeo, licèt non fuerit obnoxius legi plenè tamẽ ac perfectè illam seruauit; quod docet Diuus Thomas tertia parte, quæstione quadragesima, articulo quarto. Deindè dicitur impleſſe legem, sicut veritas figuram, vel sicut donatio promissionem, vt vult Augustinus lib decimosexto, contra Faustum, capite sexto, & libro decimooctauo principio, & decimonono, capite vigesimoquarto. Ad hæc impleuit legem, quia quidquid perfectionis legi deerat, ipse addidit; idem Augustinus libro primo, de sermone Domini in monte, capite decimoquarto, quomodo Chrysostomus homilia decima sexta in Matthæum, ait Christum impleuisse legem dando gratiam, quam lex dare non poterat. Postremò impleuit legem, quatenus per passionem, & mortem suam illam consummauit. Sic Diuus Thomas quæstione quadragesimaseptima, artic. primo, ad primum tertiæ partis.

Paulus verò cùm ad Galatas quarto scribit Christum *factum sub lege*, non significat ius, sed factum, non obligationem, sed vsum. Vnde Diuus Thomas quæstione trigesimaseptima, articulo primo, tertiæ partis. *Factum*, inquit, *sub lege*, quia pondus legis in se sustinuit. & Anselmus subditus ait, est legi, non quia ipse legi quicquam deberet, sed vt nos redimeret. Porrò Athanasius, & Cyrillus, dum asserunt Christum & liberum à lege, & subditum legi fuisse, intelligunt liberum quoad obligationem, subditum quoad obseruationem, & factum.

Postremò aduerte bis Dominum dixisse id quod Marcus solus hic habet: *Sabbatum est propter hominem* & cætera. Et semel quidem nunc; iterùm in miraculo de manu arida, vt habes apud Matthæum.

A

THEORIA.

Quid nomine *Sabbati secundo primi* intelligendum sit.

HAEC dubitatio ita suspensum tenuit Hieronymum vt epist. 2. ad Nepotianum hæc literis tradiderit: *attrita frons interpretatur sæpè quod nescit, & cùm alijs persuaserit, sibi quoque vsurpat scientiam. Præceptor quondam meus Gregorius Nazianzenus rogatus à me, vt exponeret, quid sibi vellet in Luca, Sabbatum δευτεροπρωτον eleganter lusit, docebo te, inquiens super hac re in Ecclesia, in qua mihi omni populo acclamante cogeris inuitus scire, quod nescis: aut certè si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis.* Sic Hieronymus. 1.

B

Equidem hic paucis, quid sentiam aperiam: in primis censeo certum esse debere, diem illum, quem hoc nomine hic Lucas indicauit, verè Sabbatum fuisse, hoc est septimum hebdomadæ diem. Quod clarius videtur significare Matthæus, vt Latinè legimus, *in illo tempore abijt Iesus per sata Sabbato.* Nec est quod sibi quis persuadeat, Matthæum nomine Sabbati quemuis diem festum intelligere; nam & apud Lucam respondens Dominus calumniæ Pharisæorum semper de Sabbato propriè loquitur. sicut & est clarè colligere ex tribus his Euangelistis Matthæo, Marco, Luca: reprehenduntur enim Apostoli eo nomine quod vellerẽt, & fricarent manibus spicas, quasi parantes Sabbato cibum quem ederent. hoc autem tantum Sabbato propriè dicto vetitum erat, non alijs festis, quamuis ab alijs operibus cessarent, (excipit tamen Ribera libro quinto, de templo capite quinto, ex Leuitici vigesimotertio, festum expiationis) hinc est, quod Exod. 12. de diebus azimorum sic scribitur; *nihil operis facietis in eis, excepto ijs, quæ ad vescendum pertinent.* cùm ergò Pharisæi Apostolos accusent, quod spicas vellerent, & confricantes manibus manducarent, fit, vt omninò constare debeat, Sabbatum propriè dictum tunc fuisse, & propterea dixisse eos, *quid facitis, quod non licet in Sabbatis*, Lucæ sexto. 2.

C

Hinc non probo, quod ait Maldon. Matthæ. 12. 1. Pharisæos non accusasse Apostolos, quod cibos pararent, sed quod spicas colligerent, quasi meterent quodammodo, quod in nullo festo die licebat; sed præterquam quod Irenæus lib. 4. c. 20. scribit, non fuisse prohibitum in Sabbatis spicas vellere, nec festis, sed metere: Liquet ex ipso loquendi modo Euangelistarum reprehensos Apostolos, quod confricarent spicas ad comedendum, quasi pararent cibum, vt comederent, quod erat Sabbatis propriè dictis vetitum, excepto summum expiationis festo, mense septembri. vt numer. secundo dixi ex Rib. cùm non sunt maturæ segetes. 3.

D

Deindè apud me certum est, non potuisse hoc Sabbatum incidere in vnum aliquem ex septem diebus azimorum, quod tamen opinatur Euthymi. Luc. 6. & complures alij passim;

hæc

hæc namque historia accidisse videtur, post paralyticum sanitati restitutum. Probabilissimum porrò est illum sanatum esse vno aliquo dierum azimorum, & quidem vt ex Euangelistis constat, cùm esset dies Sabbati propriè dictus; nam inde videntur, sumpsisse ansam Iudæi calumniandi Christum; dixi, probabilissimum esse, tempus illud fuisse dies azimorum, quando patratum est miraculum paralytici; quia hoc mihi videtur non obscurè significasse Ioannes, cùm initio capitis quinti scripsit, *posthæc erat festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam,* statimque subdidit historiam paralytici; non tamen est verosimile ipsomet die festo id euenisse, quia Christus ascendit, cùm iam esset dies Festus: videtur enim significare Ioannes peruenisse illum Hierosolymam, cùm iam festum celebraretur; nisi velimus exponere verbum illud, *ascendit*, pro *ascenderat*: vt sit hęc sententia, celebrabatur festũ Iudęorum, & ob id ad illud celebrandum ascenderat Iesus. Sed certè significasset, arbitror Ioannes, vt credibile est, si in ipsummet diem Paschatis id contigisset miraculi. Itaque non die festo accidit, sed in die aliquo alio, vt opinor azimorum, in quem incidit eo anno Sabbatum propriè dictum.

5. Ex his conficitur tertiò fixum, ac stabile esse debere, hoc Sabbatum secundo primum non potuisse incidere in dies azimorum: nam euulsio, & confricatio spicarum fuit pòst paralytici miraculum, ergò pòst Sabbatum illud, quod incidit in dies azimorum; posuimus enim per illud Sabbatum sanatum paralyticum.

6. Postremò saltem, vt probabile statuendum est, Sabbatum secundo primum non incurrisse in diem aliquem prope Pascha; neque enim tunc omninò maturæ fuissent segetes, si verum est id, quod noster Ribera libr. quinto, de templo capite quinto habet, primitias quidem hordei secundo die azimorum solitas offerri, verùm tritici, die ipso Pentecostes. Itaque non multò antè Pentecosten triticea seges matura erat, & tamen hoc tempore vellebant, & confricabant Apostoli spicas, quasi iam omninò maturas. quare saltem hoc tempus propè Pentecosten fuit. Cæterum quia dicitur id accidisse, quod hic narratur à Luca in Sabbato secundo primo, fit, vt fermè certum sit, fuisse propè Pentecosten, maturis iam omninò frugibus, & quidem in aliquo die solemni, qui simul esset Sabbatum propriè dictum, siue antè, siue ipso die Pentecostes, siue paulò pòst.

7. Quo circa licet secunda die azimorum offerretur manipulus spicarum, & inde numerarentur septem hebdomadæ ad Pentecosten, vt Deuteronom. 16. & Leuitici vigesimotertio significatur. Illæ tamen spicæ, vt hordeaceæ erant solùm, vel summum ex loco aliquo peculiari assumebantur, vbi citius maturuerat pars aliqua tritici, at hic Euangelistæ satis declarant, sata iam fuisse passim matura, ergò indicant tempus illud, quod non longè à Pentecoste erat, transactis azimis. Omitto etiam superiùs ostendisse me hunc diem esse aliquem azimorum non potuisse. Aliud visum Barradio l. 6. c. 9.

Restat iam vt quid sit hoc *Sabbatum secundo primum* definiamus, quod facilè erit ex dictis deducere: arbitror ergò hoc Sabbatum incurrisse in aliquem ex diebus propè Pentecostem, vel in ipsam Pentecostem, fuisseq; verè, ac propriè Sabbatum, dictumque esse secundo primum, vel quia dupliciter esset solemnis, & quia Sabbatum, & quia in illud solemnitas aliqua, vel festum incidisset, verbi gratia Pentecostes, vel Neomeniæ, vel quodlibet aliud. Vel potiùs, vt opinor, quia cùm esset apud Iudæos festum Paschatis, & azimorum celeberrimum præ alijs; Sabbatum, quod incidebat in eos dies, dicebatur *primum*, id est, magnum. Sic Ioannes, *erat enim magnus dies ille Sabbati:* Alia verò Sabbata, in quæ incidebat festum aliud dicebantur *secundo prima*, secundo quidem quia minora erant Sabbato, quod occurrebat per dies azimorum: prima verò, quia in illa incidebat festum aliud. Et hæc est mea de hac difficili, & perardua quæstione sententia.

8. *Sabbato secundo primum quid.*

Aliqui non improbabiliter, dicunt fuisse Sabbatum, quod immediatè sequebatur pòst festum aliquod, putà, pòst primum, vel septimum diem azimorum, vel pòst pentecosten, & huiusmodi, adiciquę *secundo primum*, quasi *Sabbatum ex Sabbato*, vel quasi reuolutum festum, seu quasi iterùm rediret illud præcedens festum.

9.

Quandam aliam rationem attulit non aspernandam noster Azor parte secunda, institution. moral. libro primo, capite primo, quæstione nona. Sed mihi quod dixi, magis probatur.

DIGRESSIO I.

De mensa Panum Propositionis.

1. VT quæ de panibus propositionis dicenda sunt, quorum hoc capite facta est mentio versiculo tertio, & quarto, à Christo intelligantur: incipere oportet à mensa panum propositionis: de mensa igitur sic legimus, Exodi vigesimoquinto, vigesimotertio, *facies & mensam de lignis setim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum ac semissem.* Idem Exodi trigesimoseptimo, decimo.

Mensa propositionis cuius formæ.

2. Quæ verò postea à Salomone mensæ in templo factæ sunt, eiusdem formæ, ac magnitudinis fuisse, docet Villalpandus tomo secundo, parte secunda, libro quarto, capite quinquagesimoquarto. Et quidem meritò, quia cùm illa mensa referret mensam, & altare noui, & æterni testamenti, huius perpetua duratio, illius nunquam mutata forma, repræsentari debebat.

3. Hinc est, quod in Moysis mensa non panes modò DEO proponebantur, & offerebantur, verùm vnà incensum, vt dicam, quo vera nostri diuini Sacramenti oblatio DEO iugiter facienda indicaretur. quod respexisse videtur Ecclesia, dum canit in huius mysterij commemoratione: *Sacerdotes sancti incensum & panes offerunt Deo*, sic enim Leuitici vigesimoprimo, sexto legitur: *incensum enim*

Domini

Digitized by Google

Domini & panes Dei sui offerunt, & ideò Sancti erunt. Quamuis in Hebræo ignis fiat mentio, vt fortè igniti incensi in altari aureo fiat commemoratio, vna cum panum propositione.

4. Subditur porrò Exod. vigesimoquinto, vers. vigesimoquarto, & vigesimoquinto, de mensæ ornamento: *& inaurabis eam auro purissimo, faciesq; illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio, coronam interrasilem altam quatuor digitis: & super illam, alteram coronam aureolam.* Corona videtur idem esse, ac id quod Italicè dicimus, *cornicem*, quasi clausuram quandam, quod indicare videtur voluisse Rabbi Dauid, qui clausuras fuisse dicit, vt scalarum gradus.

Delphica mensa qualis. Iosephus tertio antiq. capite septimo, vel secundùm aliam versionem capite 9. ait, *in fano autem mensam collocauit* (Moyses) *delphicus non absimilem.* (Delphicam mensam ex Villalpan. tomo secundo, parte secunda, libro quarto, capite quinquagesimoquinto, eam vocat, in qua pocula exponerentur, & ferè semper paria) *longitudine duûm cubitorum, latitudine vnius, altitudine σπιθαμῆς*, id est, *palmorum trium* (id est, cubiti vnius, & dimidij) *erat autem lateribus sinuatis* (Alia versio habet: *sinum enim habebat, vbi anuli erant commissi, & his per viam portabatur.* vnde constat sinum sub ipsa mensæ tabula fuisse, id est, infernè) *& tabula in palmum ferè concaua limbo tum superiorem, tum inferiorem eius corporis partem.* Alia versio sic habet: *Habebatque per circuitum vniuscuiusque lateris labium exornatum, velut quatuor digitis, alto ligno circumeunte superiorem, & inferiorem eius corporis partem &c.*

Itaq; si tabulæ crassitudinem quatuor esse digitorum intelligamus, ex his bini medij ad interiora retrahebantur, & varijs cælaturis asperiores reddebantur. (Sic enim lubet Villalpan. vocem illã, *interrasilem*, exponere) reliqui verò duo digiti, vnus superior, alter inferior cymatiũ erat, ei simile quod Vitruuius vocat Lesbium, quod vndulis, & quadris distinctum, ipsi labio, vel limbo, vel tabulæ crassitudini, quasi corona erat ex vtraque parte. sanè quantum intelligo, duo illi digiti medij vnum efficiebant opus illud interrasile constans altitudine duorum digitorum, cùm extrema cymatia tantum singulis constarent digitis.

Cæterum præter limbum istum continentem digitos quatuor, erat illa duplex corona, de qua numer. quarto, seu clausura, cum coronula. Vox Hebræa, *misegedoth*, qua notatur hæc pars clausura, solet conuerti, à verbo, *sagar*, quod claudere significat, & ideò rectè diximus coronam exprimi posse per Italicam vocem, *cornicem*; Porrò quid sit *cymatium*, quid *quadra*, legere poteris apud Villalpandum tomo secundo ad finem post indices. Igitur tria sunt, quæ versiculo vigesimoquarto, & vigesimoquinto, in Exodi capite vigesimoquintum, præcipiuntur fieri: duplex corona, seu cornix, & labium, seu limbus. quod si rem benè teneo, sic breuiter rem hãc explicari posse opinor, labium aureum videtur secundùm sui crassitiem latum tantum fuisse, quanta erat clausura, seu cornix quatuor scilicet digitorum. Supra ipsum igitur limbum, seu labium, hoc est, supra eius crassitiem quatuor digitorum, erat corona æqualis, seu cornix interrasilis, & supra hanc coronula. illud autem cymatium inferius, sicut & superius, & labium ipsum pertinere videntur ad hanc coronam, seu cornicem, vt ornamentum eius.

Cæterum illa verba Iosephi superius relata: *& tabula in palmum ferè concaua limbo, tum* secundùm *superiorem, tum inferiorem, eius corporis partem*; sic ego interpretor; vt velit Iosephus significare tabulam ipsam mensæ ea clausura circumdatam fuisse quatuor digitis tam secundùm superiorem partem, quàm secundùm inferiorem, depressiorem, & humiliorem ipsa clausura, quæ alta erat quatuor digitis, seu palmo: nisi malis per tabulam intelligere clausuram adiectam seu appositam limbo.

Vnde alia versio Iosephi habet: *habebatq; labrum circumquaque quatuor digitis, tam inferne, quàm supernè prominens*: nam vtrimque labro erant appositæ tabulæ, seu clausuræ, nimirum, supernè, infernè. Sic ego in re alioquin obscura dicendum conijcio. Verùm ex præcitato loco Exodi numer. quarto. Sentio saltem tempore Moysis, clausuram distinctum quid fuisse à limbo, & impositam ipsi limbo, siue fuerit cum limbo connexa, ac continua, siue non, sed quid omninò separatum & discretum, ipsamque fuisse altam quatuor digitis. est quidem verosimile limbum primum (nam clausura potest dici veluti alter limbus) infernè saltem prominẽtem fuisse quatuor digitis, adiuncta nimirum alia simili clausura, vel tabula: vt sic ornatus infernè responderet ornatui supernè, id est, clausuræ superiori. quin etiam credibile est, fuisse, item additum extrinsecus crassitudini mensæ.

5. Porrò eodem loco Exod. vers. vigesimosexto, & vigesimoseptimo absoluta mensæ magnitudine, & ornamentis, de vectibus mensæ fit mentio hoc modo: *quatuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quatuor angulis eiusdem mensæ per singulos pedes. Subter coronam erunt circuli aurei, vt mittantur vectes per eos, & possit mensa portari, porrò mensa quatuor pedibus fulciebatur.* Ribera libro secundo, de templo capite decimo, ex Iosepho capite septimo, libri tertij. Sic *per singulos pedes*, inquit, *inerant anuli ferè circa summum pedem, adhibebanturq; vtrinque duo ceu manubria, è ligno firmissimo deaurata, quæ non per circulum vtrumque, vt vectes, trajiciebantur, sed fibulato morsu mensæ labrum supernè, infernè pedis anulum comprehendendo, facultatem quoque transferendi quocunque opus esset præbebant.* Hæc ille.

Abulensis putat anulos fuisse positos in lateribus latitudinis mensę, vt tanto facilius portari posset mensa à quatuor. nam si secundùm latera ipsa longitudinis essent positi anuli, tunc qui portabant, esse debuissent ad partem angustiorem, id est, latitudinis, quæ non tam ampla erat vt posset ita commodè duos baiulos habere ex vna parte, itemque duos ex alia. Ea sanè quæ ex Ribera allata sunt paulò superius,

videri-

videntur explicare aliquo modo ea, quæ Ioſephus, vt alij citant, habet tertio antiq. capite ſeptimo, eodem *ſingulis pedibus*, inquit, *adhærebat anulus ab operculo non ſeparatus, per quos anulos traiecti erant lignei vectes aurati inſernè exemptiles: nam qua parte cum menſa cohærebant anuli cauа erat. Neque enim perpetui erant, ſed priuſquam in orbem coirent, in περόνιδας* (fibulas, cuſpides) *quarum vna in prominentem menſæ partem inſerebatur, altera in pedem; atque his in via portabatur.* Hæc Ioſephus. Quamquam huius operis fibulati non video fieri vllam in ſcripturis mentionem, ſed tantùm anulorum ſimpliciter, quibus fit, vt illi anuli, qui in menſa Romæ in arcu, & triumpho Titi expreſſa cernuntur, & lignei videntur eſſe, & in medijs pedibus affixi ſunt, cũ contra in ſummis eſſent, nõ omninò reſpondeant ijs, quæ in Ioſepho legimus, & recepta ſunt; vt meritò dicat Ioſephus, candelabrum, & menſam in triumpho allata ab vſus Iudaici conſuetudine fuiſſe mutata: Vt autem cuiuſmodi fuerint pedes menſæ ex Ioſepho intelligas, ſcito ſic quoſdam interpretatos eſſe Ioſephum: *eam menſam ſuſtinebant pedes dimidia ſui parte inferiore per omnia pedibus ſimiles, quales lectis Dorienſes addere ſolent; ſed ſuperne quadrangulares erant:* inferne rotundi.

6. Omnium clariſſimè, neſcio an veriſſimè, hanc menſam ſic deſcribit Azor. p. 1. l. 6. c. 47. inſtit. moral. *legimus*, inquit, *in Exod. 25. Dominum præcepiſſe vt fieret menſa è lignis ſetim* &c. & poſtea: *circumdabatur ſuperne limbo aureo, & clauſura item aurea, quam latinus interpres reddit coronam interraſilem, cui deinde clauſuræ, ſiue coronæ coronula aurea imponebatur ad ornatum, & vt altior eſſet ipſa clauſura, ſiue corona, quo panes ibi propoſiti tutius & commodius continerentur, ne deciderent, è menſa: illa corona* τετράγωνος *formam referebat, & palmo vno, hoc eſt, quatuor digitis lata erat, craſſa verò quantum coronam, ſiue coronidem ſuperductam ferre poſſet* &c. quę confirmãt ea, quæ ſub finem n. 4. ſcripſimus ex noſtra opinione. Deinde verò ſic ait, *vectes*, (quibus ſcil. portabatur) *erant ex ligno ſetim, auro, eoq; ductili cooperti* &c. Denique ſubdit: *menſæ vſus erat ad panes perpetuò continendos. iugus conuiuij ſymbolum erat, quo typicè ſignificabat, & profitebatur Iſraeliticus populus ſe perpetuò Dei miniſtrus alimenta præbere ex ijs, quæ ſingulari ipſius Dei munere, & beneficio percipiebat, menſæ vſui ſeruiebant ſcutellæ, phialæ, cochlearia, & cyathi, vt expurgatoria quædam inſtrumenta, quibus menſa abſtergeretur, & emundaretur:* & paulò inferius ſubdit: *erant duodecim panes, quia duodecim tribus Iſraeliticas referebant.*

7. *In tabernaculo Moſis vna tantum menſa, in templo Salomon. autẽ decem.* Quamuis verò in tabernaculo Moſis vna tantum eſſet menſa; in templo Salomonis decem numerabantur, & totidem candelabra, & quidem non prima tantum erat aurea, ſed omnes, 1. Paralip. 28. nec in vna modò, ſed in ſingulis erant duodecim panes propoſitionis, 2. Paralip. 4. contra Abulen. Nec Ioſepho danda fides qui l. 8. antiq. c. 2. ſcribit, in templo Salomonis, quod ipſe non vidit vnam tantum propoſitionis menſam, vnicumque candelabrum fuiſſe.

8. Situs huius menſæ, & ordo talis erat: ad ſeptentrionalem parietem menſa erat, ad parietem auſtralem, candelabrum, Exod. 26. *pones contra menſam candelabrum in latere tabernaculi meridiano. Menſa enim ſtabit in parte aquilonari.* Medium locum altare thymiamatis, ſeu ſuffitus obtinebat: omnia verò hæc in exteriori domo collocabantur, & hoc quidem in tabernaculo Moſis.

De templo verò Salomonis ſecundo Paralip. quadrageſimo ſeptimo, idem fermè dicitur: *fecit Salomon candelabra aurea decem, ſecundùm ſpeciem, qua iuſſa erant fieri, & poſuit ea in templo: quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris, nec non & menſas decem & poſuit eas in templo, quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris:* medium verò locum altare Thymiamatis obtinebat. Fuerunt præterea & aliæ menſæ argenteæ in templo, tamquam vaſorum quidam abaci, vt patet Paralip. 1. 28. 9.

DIGRESSIO II.

De Panibus Propoſitionis.

IN hac menſa tabernaculi, ſiue in his templi collocabantur panes propoſitionis, de quibus Exod. vigeſimoquinto, trigeſimo. *& pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper.* 1.

Dicuntur Hebraicè, *Panim*, id eſt, *facierum*, nimirum, quia coram facie Domini ſemper erant, non quod vtraque eorum facies inferior, & ſuperior ſimilis eſſet, ſed vt dixi, quod coram facie, & conſpectu Dei ſemper eſſent. Hinc eſt, quod ſeptuaginta in libro Paralip. ἄρτους προθέσεως, id eſt, propoſitionis panes vocant, quos ſequutus eſt Beatus Paulus ad Hebræos, 9. ſecundo. Idem autem eſt Hebraica phraſi *panes propoſitionis*, quod noſtra, *propoſiti*, nempè *in conſpectu Domini ſemper.* ſed & menſam ipſam ſic vocat Deus Numerorum quarto, ſeptimo, quod ſcilicet dictos panes propoſitionis ſemper ſuſtineant; vel quod ipſa cum panibus ſemper ſit coram Domino. lege Abulenſem Leuit. vigeſimoquarto, & primo Reg. vigeſimoprimo. 2. *Panes propoſitionis quales, & cuius formæ.*

Panes hi azimi erant, nam Leuitici ſecundo dicitur; *Omnis oblatio, quæ offertur Domino abſque fermento fiet: nec quidquam fermenti, aut mellis adolebitur in ſacrificio Domini.* 3.

Porrò panes in duos ordines diſtributi hoc modo collocabantur, vt ſex in vno, ſex in altero eſſent latere menſæ, Leuitici vigeſimoquarto. *ſenos altrinſecus ſuper menſam puriſſimam coram Domino ſtatues.* 4.

Imponebantur verò alij ſuper alios, quare non mirum quod Hebraicè Leuitici vigeſimoquarto appellentur *chaloth*, id eſt, placentæ, non enim erant panes tumentes, ſed plani, ita vt ſupra ſe alter alterum poſſet ſuſtinere. Quare non eſt veroſimile in arcæ apertæ formam fuiſſe confectos, quod tamen Montanus ex Hebræorum ſententia ſcribit. 5.

Supra ſenos verò panes aurea phiala thure plena locabatur. Thus cum panibus, & auferebatur, & reponebatur. Ioſeph. tertio antiq. decimo & teſte Philone lib. tertio de vita Moſis 6.

Sal cum Thure reponi solitus erat iuxta illud Luitic. secundo. *quidquid obtuleris sacrificij sale condies.*

7. Septuaginta quoque interpretes salem Thuri adijciunt, mel quidem & fermentum in templo, vt notat Barrad. tom. secundo libro tertio capite vigesimo, locum nullum habebant, sali amplissimus concedebatur. Delicijs, & peccati fermento nullus in Christiano pectore debet esse locus, sali, id est, salutiferæ CHRISTI doctrinæ atque æternæ sapientiæ, maximus.

8. Iosephus libro tertio antiq. capit. nono breuiter complexus est, quæ ad hos panes pertinent *hæc* (mensa) inquit, *Solebat poni in fano versus septentrionem non longe ab adyto: & in ea disponebantur duodecim panes non fermentati, seni è regione sibi duobus ordinibus oppositi, mundissimi confecti è farina duorũ assaronum, quæ mensura Hebræorum septem Cotylas Atticas continet: super panes autem ponebantur duæ phialæ aureæ thure plenæ: post septem verò dies, alij panes inferebantur.* & iterum ibidem c. 10. *ex publico*, inquit, *præbetur panis non fermentatus ex farina assaronibus viginti quattuor; coquuntur autem bini assarones in singulis panibus pridiè sabbati, & sabbato manè proponuntur in sacra mensa, duobus ordinibus, seni ex aduerso sese respicientes: atque ita duobus lancibus thure plenis super impositis, permanẽt vsque in proximè sequens sabbatum; tunc alij pro illis recentes supponuntur, & hi priores sacerdotibus in cibum dantur. Thus item igne sacro adoletur, quo ad holocaustomata vti solent, & pro eo quoque aliud thus panibus imponitur.* Hæc Iosephus.

9. Vbi aduertendum est, Iosephum *cotylis* nomine intelligere eam Atticam cotylem, quæ Romano sextario par erat. Nec mirum si quintam insuper sextarij, aut dictæ cotylis partem non referat: More enim historicorum numerorum partes, quas minutias vocant, non curauit: alioquin *assaron*, seu Hebraicè, *gomor*, septem sextarios, seu cotylas, & quintam insuper vnius partem cõtinet. De cotyle vide Villalp. tomo tertio, apparatus p. secunda libro tertio cap. septimo.

10. Restare videtur, vt quantæ fuerint magnitudinis hi panes explicemus, quod dependet ex cognitione mensuræ *gomor*; quæ & *Assaron* dicitur. Erat Gomor mensura illa, qua præcipiebat Dominus colligi manna Exod. 16. 15. 16. 17. 18. *iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum* & cætera. *colligat vnusquisque ex eo quantùm sufficit ad vescendum, gomor per singula capita* & cæt. *fecerunt̃q; ita filij Israel, & collegerunt alius plus, alius minus, & mensi sunt ad mensuram gomor, nec qui plus collegerat habuit amplius; nec qui minus parauerat, reperit minus.*

11. Quo alludit D. Paulus 1. Chorinth. 8. 14. 15. cuius verba sic explicat S. Remigius vt refert loco citat. Villal. c. 10. *in præsenti tempore (in hac vitâ) vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia (quæ spiritualis est in ieiunijs; & orationibus) vestræ inopiæ sit supplementum (id est, vt quod minus habetis in spiritualibus rebus, in ipsis habeatis, & quod illi non habent in temporalibus, vos eis ministretis) vt fiat æqualitas (inter vos, & illos, dantes vos illis quod non habent, & ipsi vobis, quod non habetis, vos illis temporalia, & ipsi vobis æterna) sicut scriptum est: qui multùm* (subaudi collegit) *non abundauit, & qui modicum, non minorauit. hoc secundùm literam dictum est de manna: nam cùm præcepisset Dominus per singula capita plenum Gomor colligi, quidam collegerunt plus, quidam minus, sed cùm præparassent sibi cibos in mortario cũ pistillo; qui plus collegerat, & qui minus, vnam mensuram postmodum repererunt, plenum scilicet gomor.* hæc Remigius.

Erat porrò *Gomor* decima Ephi. Exo. 16. 34. 36. vnde vulgo decima dicebatur. *Iam Ephi*, seu quod idem est *batus minor*, seu *metreta*, Græcè continebat Romanos sextarios septuaginta duos; cuius numeri pars decima continet sextarios septem cum quinta insuper sextarij parte: totidem ergo assarone, vel gomoro continentur. 12.

Sic Epiphan. l. de mensuris, & ponderibus scribit, dum ait: *gomor erat decima pars magnæ mensuræ, hoc est, artabæ, quæ decima pars est sextariorum septem, & quintæ vnius partis.* Vnde patet *artabam* æqualem esse *Ephi*, cuius decima pars est *gomor*, atque adeò sextarijs constat septem cum quinta insuper sextarij parte. Vbi nota Epiphan. eisdem sextarijs græcam mensuram *artabam*, atque *metretam*, & Hebraicam *Ephi*, & *gomor* metiri, & comparare; vt hinc sit colligere eũdem sextarium Romanũ Hebræas, Græcasq; mensuras æquare pariter, ac Romanas: ac proindè non multiplicem sextarium, sed vnum, atque eundem apud antiquos scriptores fuisse. 13.

Cæterùm, vt constat ex tabula proportionum sexta Villalpandi, vnus *celemin* Hispanus continet semel assaronem seu gomorem, & ½. continebit ergò *gomor* medium celeminum & ½, duo verò gomores, seu assarones continebunt vnum celeminum; celeminus autem videtur paulò minor modio nostro Siculo, quo farinam metimur. 14.

Si ergò ad modios Siculos gomoris mensuram reducere velimus, sic faciemus: continet gomor aquæ libras 12. vel vncias 144. vt patet ex tabula 10. ponderum eiusdem Villalp. Si ergò accipiatur vas, quod adæquatè totam illam aquam contineat, tale vas gomoris mensuram continebit, seu assaronis: si autem duplum illius aquæ assumatur pendentis proinde 24. libras, & illa adæquatè impleat aliud vas, istud continebit duplicem assaronem vel gomorem. Hoc igitur si effusa aqua impleatur farina ad summum, hęc erit mensura farinæ, qua conficiebatur vnus panis; continens duos assarones farinæ, si verò multiplices per 12. hanc mẽsuram habebis quantitatem farinæ, quæ confi ciendis duodecim panibus insumebatur. Iam expertus sum vnum assaronem continere tres quadrantes vnius modij Siculi: duos verò sesquimodium fermè Siculum nõ æquata omninò mensura, sed prout Siculi modũ farinę metiuntur modio cumulatè pleno, ita vt duodecim panes, quorum singuli continent binos assarones, constent decem & octo modijs farinæ nostris, paulò plus minusue sumendo, vt dixi modios cumulatim refertos, qi nostri dicunt, vel col colmo. Breuius & dilucidius hæc mẽsura farinæ duodecim panum propositionis haberi poterit per *quartuccios* nostros Panhormitanos 15.

Digitized by Google

mitanos, & quidem magis adæquatè sic: vnus Assaron pendit duodecim libras Aquæ, & duo assarones vigintiquatuor. Quartuccius verò panhormitanus libras tres. Cùm ergò hic numerus in numero vigesimoquarto contineatur octies; proculdubio octo quartuccij æquabuntur duobus Assaronibus, & totidem quartuccij farinæ metientur farinam vnius panis. ex quo facilè habebitur farina duodecim panum, si videlicet duodecim ducantur in octo, producentur enim quartuccij nonagintasex. Si plura & magis exactè velis, consule Villalp. tomo secundo, parte secunda, libro quarto, capite quinquagesimosexto, & tomo tertio apparat. parte secunda, libro tertio, capite duodecimo.

16. *Panes pro oppositionis parabantur à Leuitis.*

Porrò hos panes præparare ad Leuitas filios Cahach pertinebat, primo Paralip. nono, licèt Hieronymus Malachiæ primo, Sacerdotum id fuisse indicet iuxta Hebræos. Erat quidem Sacerdotum illos in mensa collocare; proponebantur autem coram Domino; quod præter locum Scripturæ Paralipo. & locum Leuitici vigesimoquarto, vbi dicuntur hi panes susceptì à filijs Israel, refellit Iosephus libro tertio antiq. capite decimo, sic scribens: ex publico præbetur panis non fermentatus &c. & Oleaster Leuitici vigesimoquarto putat, à duodecim tribubus fuisse oblatos, ita vt singulæ singulos offerrent. Non ergò Sacerdotes ferebant triticum, nec metebant, sed populus similam, vel triticum dabat. Postremò vt Leuitici vigesimoquarto legimus, proponebantur hi panes in mensa, vt essent in monumentum oblationis Domini, id est, vt essent veluti memoriale quoddam. Emma. in notis Leuitici vigesimoquarto, septimo, illa verba: *vt sit panis in monimentum oblationis Domini*: inquit, *coniunge sic, panis oblationis Domini in monimentum, vt patet ex Chaldæo.*

DIGRESSIO III.
MORALIS.

Mensa aurea panes facierum continens, quid denotet.

1. *Mensa panis propositionis typus altaris Eucharistici.*

MENSA hæc aurea panes facierum continens, vel propositionis, Sacrosanctum augustissimæ Eucharistiæ altare repræsentat, in quo præcelsum, & Venerabile Sacramentum ante Dei Patris conspectum ponitur, tanquam manna absconditum, & panis supersubstantialis; quo alimur in vitam æternam, & tanquam cœlesti antidoto à peccatis præseruamur. proponitur autem quotidiè, & offertur, nec sine thure, & sale: nam in hoc sacrificio omnium sanctissimo orationi adhibentur verba Scripturæ diuina sapientia referta. Panes illi propositionis antiqui memoriale quoddam erant Domini; & monumentum oblationis eiusdem; hic autem panis cœlestis, sacratissimam passionis Domini commemorationem continet, & idem memoriale est præcipuum Diuini amoris, memoria item mirabilium Dei; incruentumque sacrificium

Panes propositionis figura Christi.

A cruentam Christi in cruce oblationem ob oculos ponens: Denique de hoc Christus hæc inquit: *quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.*

2. Vocabantur illi veteres panes, *Sancti* primo Reg. vigesimoprimo, reliqui verò laici nominabantur cum illis collati, & viuificum, ac tremendum hoc Sacramentum, non vt cæteri panes, sed panis Sanctus, Eucharisticus, cœlestis est, alijs absimilis, Angelorum esca, manna absconditum, dulcissimum conuiuium, ditinæ affluentia largitatis, refectio animarum sanctarum, spiritualis dulcedo, in proprio fonte degustata, denique viaticum in Domino morientium.

3. Facessant hinc hæretici, nisi malint Ecclesiam dicentem audire cœlesti lumine illustratam, firmamentum, & columnam veritatis: B *non habeo laicos panes*, scilicet in altaris sacrificio, *sed tantum panem Sanctum*, neque alium ibi crede.

4. Cæterum is panis duas habet decimas, hoc est, duas perfectas naturas: hunc antequam sumas diligenter vide, num mensa cordis tui sit aurea. Inquirat Sacerdos, ac videat si mundi sint pueri, id est, qui sumpturi sunt maximè à mulieribus, 1. Reg. 21. ne fortè det sanctum canibus.

5. Nec vacat mysterio *lucidissimum* vocatum fuisse thus illud, quod supra panes locabatur; quia nimirum post sumptam Eucharistiam orationi vacare debemus DEI amore ardentes, cœlestiumque rerum contemplationi inhærentes, hoc enim innuit *thus in excelso*, C id est, supra panes locatum. Adijciatur & sal, qui rectè sapientiam, id est, sapidam scientiam significat, qua fit vt terrena contemnentes, cœlestia semper appetamus.

6. Quod verò veteres illi panes iuxta candelabrum essent, non caret mysterio; significat siquidem fidei lumine fulgere eos debere, qui supersubstantiali, ac diuino hoc pane vescuntur. hæc carptim.

(·.·)

D

CAPVT III.

PHARISAEOS OB SANATAM IN SABBATO MANVM ARIDAM rursus confutat.

A. 12. 9. B. 3. 1. C. 6. 6.

1. C. FACTVM est autem & in alio Sabbato, vt intraret B. iterum in Synagogam A. eorum, C. & doceret, A. & ecce C. erat ibi homo, & manus eius dextra erat arida.

1. Cùm inde transisset venit in Synagogam.

2. Obseruabant autem Scribæ, & Pharisæi si in Sabbato curaret, vt inuenirent, vnde accusarent eum.

3. A. Et interrogabant eum dicentes: si licet Sabbatis curare, vt accusarent eum.

C. 4. Ipse verò sciebat cogitationes eorum, & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium, & surgens stetit.

5. Ait autem ad illos Iesus: interrogo vos, si licet Sabbatis benefacere, an malè: animam saluam facere, an perdere? B. at illi tacebant (ait autem)

A. 6. Quis erit ex vobis homo, qui habet ouem vnam, & si ceciderit hæc Sabbatis in foueam non tenebit & leuabit eam.

7. Quanto magis melior est homo oue? itaque licet Sabbatis benefacere.

B. 8. Et circumspiciens eos.

Cùm ira contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini: extende manum tuam. & extendit: & restituta est manus illi.

C. 9. Ipsi autem repleti sunt insipientia, & colloquebantur ad inuicem, quid nam facerent Iesu.

B. 10. Exeuntes autem Pharisæi statim cum Herodianis consilium faciebant aduersum, eum quomodo eum perderent.

11. Iesus autem A. sciens B. cum discipulis suis secessit ad mare, & multa turba à Galilæa, & Iudæa secuta est eum.

12. Et ab Ierosolymis, & ab Idumæa, & Transiordanem.

Et qui circa Tyrum, & Sidonem multitudo magna audientes, quæ faciebat venerunt ad eum.

A 13. Et dixit discipulis suis, vt nauicula sibi deseruiret propter turbam, ne comprimeret eum.

14. Multos enim sanabat, ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent quotquot habebant plagas, A. & curauit eos omnes.

15. Et præcepit eis, ne manifestum eum facerent.

16. Vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem.

17. Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus in quo benè complacuit anima mea.

Ponam Spiritum meum super eum & iudicium gentibus nunciabit.

B 18. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius.

19. Arundinem quassatam non confringet;

Et linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium.

20. Et in nomine eius gentes sperabunt.

21. Et spiritus immundi cùm illum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes:

22. Tu es Filius Dei.

Et vehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum.

C

SCHOLIA.

C. 1. FACTVM est autem] Hilarius can. 12. in Matth. *post reditum*, inquit, *de segete, ex qua iam Apostoli fructus sationis acceperant; ad Synagogam venit, etiam illinc messis suæ operarios paraturus, qui plures postmodum vna cum Apostolis exiterunt. Hi igitur curantur: in manu enim dandæ salutis substantiam non habebant, & manus officium cessabat, & ministerium corporis, quo aliquid agitur, atque impertitur aruerat. Dominus igitur manum eum iussit extendere, quæ restituta est ei sicut altera: curatio omnis in verbo est; & manus sicut altera redditur, id est, similis ministerio Apostolorum in officium dandæ salutis efficitur.* Docetq́, pharisæos ægrè ferrè non oportere curationes *in Sabbato: & operationem humanæ salutis in Apostolis, cùm ipsis ad officij eiusdem ministerium manus sit reformanda, si credant.*

1. Cùm inde transisset, venit in Synagogam.

Et in alio sabbato] Matt. habet: & cùm indè transisset, venit in synagogam: vndè colligimus die sabbati accidisse & hanc historiam: quia synagoga die sabbati cogebatur, & propterea interrogauerunt eum; an liceret in sabbato curare. Sunt qui putét sequéti sabbato, id est, post illud, quo accidit confricatio spicarum, accidisse id, quod hic narratur: eò quòd Lucas dicat, *in alio sabbato*, quod tamen non omninò certum est, cùm tamen dicat idem Lucas: *& in alio Sabbato*: vox, *&*, innuit aliam calumniam adiecisse pharisæos *alio Sabbato*, quasi punctos præcedentis Sabbati argumentis à Christo propositis. quare verosimile est in sequenti Sabbato accidisse hoc miraculum quod hic exponitur. expectasse namque videntur pharisæi

Sabba-

Digitized by Google

Sabbatum alterum, quod primo occurreret, vt iterum Christum aggrederentur, & de more calumniam ordirentur.

3. Porrò eligebat Sabbata Dominus ad docendum, & curandum ob maiorem hominum frequentiam. Quoniam verò dicit Matth. cùm inde transisset venisse in Synagogam, tacitè colligimus, præcedentem historiam. non in Synagoga contigisse; & patet, quia per sata euntibus illis accidit.

B. *Iterum in Synagogam* A. *eorum*] Meritò apposuit *iterum*, Marcus, quia priùs narrauerat in Synagoga Capharnaitarum docuisse capite primo, vigesimoprimo; & capite secundo, primo, subdidit statim, *& iterum intrauit Capharnaum*, ex solitudine scilicet, in quam se receperat; vt dixerat idem Euangelista capite primo, trigesimoquinto. Hoc ergo miraculum in Capharnaitarum Synagoga factum fuisse; ipsa narrationis Marci consequentia colligi videtur. quare quod dicit Matthæus, *in Synagoga eorum*, intelligere possumus, Capharnaitarum, seu quæ Capharnai erat.

4. C. *Erat ibi homo*] Hunc cæmentarium fuisse, Hieronymus scribit ex Euangelio Nazaræorum, quare manu victum quærebat.

1 *Vt inuenirent, vnde accusarent eum*] Hilarius arguendi occasionem ex responsione quærentes. Hieronymus si non curet, crudelitatis, aut imbecillitatis, si curet, transgressionis volunt accusare.

3. A. *Et interrogabant eum*] Marc. & Luc. habent Christum Pharisæos interrogasse. Respondere possumus ex Augustino libro secundo, de conse. Euangel. capite trigesimoquinto, primùm quidem Pharisæos Christum, deinde Christum Pharisæos interrogasse. Sed diligentius intuenti constat, non eandem esse quæstionem à Pharisæis Christo, & à Christo Pharisæis propositam. Pharisæorum fuit num liceret in Sabbato curare; quos Christus, vt coargueret, immutata paululum quæstione interrogauit, an liceret in Sabbato benefacere, an malè, vt vel ipsis verbis quæstionis eos notaret, & pudore afficeret. itaque de alia, & alia quæstione Matth. & alij Euangelistæ loquuntur.

4. *Ipse verò sciebat*] quod nimirum animo capiendi illum, & accusandi interrogarent. sub interrogatione peruersus latebat animus accusandi eum. Latebat quidem is animus homines, sed nunquid latebat Deum & hominem?

5. *Surge & sta in medium*] Hunc hominem per se Christum adijsse, & efflagitasse opem, est in eodem Euangelio Nazaræorum. Hilarius tamen hunc à Pharisæis oblatum vult, sed minus id probabile videtur. Alij probabilius iudicant, hunc hominem priùs ad audiendum verbum Christi sedisse, vt moris erat apud Iudæos, & ideò præcepisse Dominum illi; *Surge & sta in medium.*

6. Chrysostomus homilia quadragesimaprima, in Matthæum, asserit Christum iussisse homini, vt in medium staret, eo fine, vt Pharisæos, & Scribas illius aspectu ad misericordiam prouocaret, quos calumniari paratos videbat. Fortè id fecit, vt miraculum tantò manifestius esset, ex quo efficacius disputandi contra illos sumeret argumentum viso misericordiæ & Diuinæ virtutis tam claro opere, quod exercebatur; id quod erat, veluti factis, eorum interrogationi; respondere, & eis ruborem, confusionemque injcere. est autem in medium stare, inter illos omnes qui aderant esse, ita vt videri ab omnibus posset. Porrò hic homo, thorem gessit Christo & in medium steterit, verè sperans

A sanitatem ab eo se recepturum: non enim timebat Sabbato diuina virtute curari.

Illud ad mores pertinet, nimirum, si diues manus extendere in pauperes optat, in medio stet, id est, mediocritatem, iuxta status sui conditionem teneat. ita enim fiet, vt nec diuitias in superfluos, vanosque vsus expendat, & eroget; nec thesauris recondendis, ad altiora aspirans, det operam; Atque adeò supperet illi, quod pauperibus elargiatur. 7. *Eleemosyna quomodo eroganda.*

Benè facere an malè] id est prodesse, beneficio afficere, an lædere?

Animam] vitam, scilicet hominem; Vel hoc ita dixit, quia nimirum miracula faciebat ob animæ salutem: Augustinus libro secundo, quæstionum Euangelicarum 9. 7. sic scribit: *Quæritur, cùm corpus curauerit, quare interrogauerit, si liceat animam saluam facere, an perdere? Vel dixit hoc, quod illa miracula propter fidem faciebat, vbi salus est animæ; Vel quod ipsa sanatio manus dextræ, salutem animæ significabat, quæ à bonis operibus cessans, aridam quodammodo dexteram habere videbatur: vel animam pro homine posuit, sicut dici solet, tot animæ ibi fuerunt.* 8.

B

Perdere] Græcè ἀποκτεῖναι occidere. Beda, Dei non saluare, Scriptura perdere vocat: vnde Gloss. quod Deus non saluat, perdere dicitur. Est igitur perdere idem, ac à perditione saluam non facere.

6. *Tenebit*] Interlinearis habet scilicet non animali, sed suæ auaritiæ consulens ex Hieronymo.

7. *Magis melior*] διαφέρει præstat; est loquutio Græcorum, Latinis inusitata: sic Matth. 6. 26. *vos magis pluris estis illis.* Est igitur græcismo vsus interpres. 9.

C

Itaque] Interl. scilicet, quia illa die licet sibi vtile facere.

Benè facere] scilicet alij.

8. B. *Et circumspiciens*] an scilicet aliquis vellet respondere. vel vt ad respondendum excitaret. Euthymius dicit respexisse, vt eos erubescere faceret; & ruborem injceret: quamuis Chryso. putet, vt ad misericordiam erga illum hominem prouocaret eos suo aspectu. Verùm Marc. significat cum ira illos aspexisse, & tristitia.

Cum ira & contristatus] id est, condolens, seu condolescens: συλλυπούμενος; duos affectus significat Euangelista: iræ, & doloris, seu tristitiæ quia nimirum vitijs irascebatur, hominibus condolebat: irascebatur item quod malitiosè tacerent, non audentes respondere, ne veritatem fateri voce cogerentur: Ad hæc irascebatur ob eorum animi prauitatem, & inuidiam; tristabatur, quod adhuc in errore persisterent, putantes non licere Sabbatis curare: itemque dolebat vehementer tanta eorum cæcitate, & miseria. 10.

D

Super cæcitate] πωρώσει: significat etiam duritiam, disce hinc irascendum esse peccatis, sed peccantibus condolendum. 11.

Et extendit] hac re declaratum fuit miraculum, nimirum extensione: nequit enim manus arida extendi. Hieronymus moraliter: *auaris dicitur, vt manus extendant, extende manum tuam.* Gloss. *debilitas animæ eleemosynæ largitione curatur. Frustra in oratione manus ad Deum expandit, qui eas ad rogantem viduam non extendit.* Rabah. quæ sit manus arida moraliter sic exponit: *dicitur enim manus arida, manus hominis, quia ad pomum extensa, arefacta est: manus etiam in Synagoga arida, quia vbi maior scientia, ibi grauior transgressio.* Item Rabba. *erat languida* 12. *Manus arida, id est, auaræ extensio.*

dextera, quia ab eleemosynis torpebat, sinistra sana, quia suæ saluti intendebat, sed veniente Domino, quod congregauit cupiditas, distribuit charitas.

13. Alij sic ad mores transferunt: manum aridam habet, is qui auarus est, & bonis eleemosynarum operibus destitutus, huiusmodi erat dives ille Lucæ duodecimo, qui dicebat: *destruam horrea mea*, vt vberes scilicet agrorum fructus congregaret, non vt pauperibus erogaret; & ita horrea, quæ habuit destruxit, & in cœlis non ædificauit per eleemosynas. similis ei fuit dives ille epulo Lucæ decimosexto, qui vel micas è mensa decidentes pauperi denegauit. qui hos imitantur Dei erga se arescentes manus sentient. non dedit dives micam, verùm nec à Deo accepit guttam. Si Deus dum bona largitur diuiti, extendit in illum manum; nonne par erit, vt & ipse quoq; in inopes largus sit, manumque extendat. Ob eam enim causſam alios diuites, pauperes alios esse voluit Dominus; qua de re lege Basilium homilia in diteſcentes. Deuteronomij decimoquinto, sexto. Sic monemur: *si vnus de fratribus tuis ad paupertatem deuenerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperias eam pauperi.*

14. *Pharisæorũ insipientia.* C. 9. *Repleti sunt insipientia*] Græcè ἀνοίας, dementia, est mentis, & intellectus priuatio. Cùm enim tam manifestam veritatem nõ perciperent, nec haberent, quid responderent, hæserunt, vt stolidi, immò magis cæci effecti sunt: adiunxerunt enim errori peiorem iniquitatem, inter se quærentes, quidnam facerent Iesu: inuidia enim, malitia, & odio cæcati, quomodo perderent, consultabant.

15. Petrus Chrysologus sermone trigesimosecũdo, *Omnia quoque*, inquit, *signorum Christi opera, non humaniter, neque casu, sed diuina procuratione credenda sunt euenisse. Christus ergò synagogam ingreditur, sed iudæus non recipit intrantem, nec agnoscit præsentem, nec operantem cæcatus intelligit. cernite quàm nihil prosit præsentia corporalis, vbi fuerit mentis miseranda separatio. Sicut contra nihil officit absentia corporalis, vbi corda fuerint sociata per fidem. in hoc homine omnium hominum imago figuratur: aruerat enim manus hominis magis stupore fidei, quàm si citate neruorum: & plus culpa conscientiæ, quam debilitate carnali. antiqua animis isla erat; & quia mundi initio contigerat ægritudo, nec arte hominis poterat curari, quæ iusta Dei fuerat indignatione contracta; tetigerat vetita, inconcessa præsumpserat, cùm se ad arborem sciendi bonum, malumq; porrexerat: auctore indigebat, non qui malagma imponeret, sed qui posset allatam relaxare sententiam, & ignoscendo resoluere, quod ligauerat indignando. in hoc homine nostræ tantùm geritur vmbra sanitatis, perfecta autem salus nobis reseruatur in Christo, quia tunc ariditas nostræ manus miseranda dissoluitur, cùm cruore perfunditur Dominicæ Passionis, cùm in illo ligno vitali crucis extenditur, cùm carpit fructicosam de dolore virtutem, cùm totam arborem salutis amplectitur, cùm clauis Domini corpus affigitur, quo numquam ad arborem concupiscentiæ, & aridæ redeat voluntatis.* Hæc ille.

B. 10. *Exeuntes*] Interlinearis, à lumine recedentes. hoc morale est, quamuis verissimum; alioqui verè recesserant ex illo loco.

16. *Herodiani qui.* *Cum Herodianis*] Videntur Herodis milites. Beda, *Herodis ministri ob inimicitiam eius aduersus Ioannem, etiam Christum, quem Ioannes prædicabat, persequebantur. Theophylactus surrexerat*, inquit, *quædam hæresis, quæ Herodem dicebat Christum, quod defecissent Principes ex Iuda.* Isti A ergo cum Pharisæis Christum interficere conabantur. Erasmus, quod Græcè est ὅπως, maluit vertere per, *vt*, at mihi videtur cum Gagnæo in hunc locum Marci, potiùs inter se consultasse, quomodo perderent, quàm vt perderent eum, & sic vertit interpres Latinus, *quomodo*, nõ *vt*: & rectè cùm iã pridem deliberatum esset apud Pharisæos, & Herodianos, vt eum perderent: & sic intellige Lucam, cùm ait: vt est hic versiculo nono, *quid facerent Iesu*, id est, quomodo illum perderent, quo mortis genere, qua via, & arte &c. quamuis etiam confirmarent interim pessimum illud animi propositum perdendi eum.

11. *Sciens*] Nemine indicante eorum consilia.

Secessit] Nam vt dicit Beda, nondum venerat hora Passionis. Interl. odientibus, inquit, cedit, amantibus accedit. voluit dare locum iræ.

B. Hilarius Can. duodecimo in Matthæum, *Inuidia*, ait, *facti, pharisæos commouet, & aduersus eum ineunt consilium: quia contuentes hominẽ in corpore, Deum in operibus non intelligebant. scienſq; eorum consilia secessit, vt à cõsilijs malignantium procul abfuturus cognosceretur: pluresque turbæ eum sequutæ sunt: ab infidelibus videlicet recedenti, fidelium comitatus assistit.*

A. *Galilæa*] vbi erat. *& à Iudæa*] vnde eò venerat, inde eum sequuti fuerant discipuli aliquot in Galilæam vsque. vt contra, reuertentem de Galilæa posteà, sequutæ mulieres eum quædam sunt. Matthæi vigesimoseptimo, quinquagesimoquinto, Lucæ 23. 55.

12. *Et ab Ierosolymis*] Licèt in Iudæa sint: quia tamen magis mirum videri poterat, quod inde ad eum venerint homines, seorsim ponit Ierosolyma: & quia caput Iudææ, vbi tot Christi hostes, doctores, nobiles.

C. *Ab Idumæa*] erat Idumæa magis ad Austrum versus Aegyptum. Porrò Idumæi infensi erat Iudæis, & gentiles: trahebant tamen originem ab Esau, qui Edom à Rufo colore dictus est 17.

Et trans Iordanem] intelligitur, & à trans Iordanem, id est, ab ea regione, quæ Trans Iordanem dicebatur respectu eorum, qui veniebant ex Aegypto, licèt alioqui citra Iordanem esset respectu Ierosolymorum, & Iudææ, lege Maldo. Matth. 4. 15. 18.

Gagnæus in Marci caput tertium, Trans Iordanem Græci dicunt πρὸς πέραν τοῦ ἰορδάνου: & non est sensus, quod turba illa sequuta esset eum Trans Iordanem: sed cùm dixisset ἀπὸ τῆς ἰουδαίας, καὶ ἀπὸ ἱεροσολύμων &c. supplendum iterùm ἀπὸ scil. πέραν τοῦ ἰορδάνου.

Et qui circa Tyrum & Sidonem] id est, decapolitæ, qui & ipsi Galilæi erant, vicini Tyrijs, & Sidonijs, & ob id minus religiosi. Erat enim Decapolis in finibus Tyriorum, & Sidoniorum, vt ex c. 7. Matth. 31. intelligitur. 19.

D. Gagnæus intelligit ipsosmet Tyrios, & Sidonios venisse, licèt essent gentiles, quod magis mirum videri debet: græco enim loquendi modo per atticismum eleganter οἱ περὶ τύρον, id est, qui circa Tyrum, dicuntur ipsimet Tyrij. Nec addendum est, vt addit Erasmus, *hominum*, scilic. hominum multitudo magna, quod de suo adiecit.

13. *Et dixit*] præcepit more Hebræo.

Sibi] Soli, cum aliquot discipulis, ne multitudine opprimeretur; vox προσκαρτερῇ plus esse videtur, quàm deseruire, nempè proprium, ac indiuiduum esse, seu præsto semper esse. Itaque videtur significare, vt non tantùm tunc, sed quoties traijcere vellet stagnum, propriam haberet naviculam. quare πλοιάριον diminutiuum est, significans nauiculam: satis enim & magis apta ad traijciendum erat parua scapha, cùm solus fermè 20.

vellet

vellet traijcere. Clarius Gagnæus vix ab hoc sensu discedens, sic scribit: videns affluentem undecumque turbam, iussit præsto semper adesse naiculam, seu ne naicula abesset, quo se premente turba reciperet, id est, propter turbam ne eum premerent. προσκαρτερῆ autem est incumbere, assiduumque, & multum in re aliqua esse, vt curatores operum inde non abscedentes.

14. *Multos enim sanabat*] Ideò hæc adiecit Marcus, vt redderet causam cur Christus ne premeretur timuerit, ideoque propriam voluisse habere naiculam; quia nimirum cùm multos sanaret, magni ad eum concursus fiebant: sanabat enim eos, qui vel tantum eius vestimenta tetigissent, vt colligi potest c. 6. 56. apud Marcum.

21. *Plagas*] μάστιγας, flagella. vocat hoc nomine omne morbi genus, plerique enim morbi sunt Dei flagella Ioannis quinto, decimoquarto. Exodi decimoquinto, vigesimosexto, Leuitici vigesimosexto, decimosexto, vigesimoprimo. Deuteronomij 7. 15. & 28. 27. 60. 2. Reg. 24. 13. & 4. Reg. 5. 27. & 2. Paralip. 21. 18.

Morbi Dei flagella sunt.

A. *Omnes*] qui erant multi & ægroti, vt supra habet Matthæus 11. 15. Itaque tántum vox illa, *omnes*, exprimit sanatos fuisse multos, non tamen negat, aliquos non esse sanatos, neque enim omnes, qui sequebantur sanati sunt, sed omnes qui erant ægroti, & curari voluerunt. Marc. etiam capite tertio versiculo decimo, cùm dicit sanasse multos, non indicat aliquos ægrotos, qui se illi offerrent, aut non potuisse, aut noluisse sanare, sed tantum significat, eos, quos sanabat fuisse multos, & ita intelligitur id quod habet idem Marcus, capite primo trigesimoquarto.

22. 15. *Et præcepit eis*] græcè ἐπετίμησεν interminatus est: quoniam verò Marcus dicit, id dæmonibus præceptum, vt hic habes versiculo vigesimosecundo, Mald. putat hoc ijs, qui à dæmonibus vexabantur esse præceptum, nam dæmones erant in hominibus, sed vt Marcus de dæmonibus loquatur, non video cur non etiam alijs ægrotis id dictum sit, vt significat Matth. possunt etiam assignari aliæ rationes, cur alijs etiam hoc præceperit, ne videretur gloriam aucupari, & vt inimici minorem ansam contradicendi, & inuidiæ occasionem sumerent: quod facturos credibile est, si intellexissent ipsum inanem gloriam, & auram popularem captare. Cæterum cùm volebat Christus opera illa in publicum proferri, id ob Patris tantum gloriam, & animarum salutem volebat.

23. 16. *Vt adimpleretur*] Ideò affert hoc testimonium, quia & cedendo inuidiæ Pharisæorum, & prohibendo vulgari sua miracula, præsertim verò curando omnes benignum se, & mitem ostenderat. Iansenius etiam inquit, vt & Emanuel Sà in hunc locum Matth. posse etiam adductum esse hoc à Matthæo testimonium, ad ostendendum Euangelium Iudæis repellentibus deferendum ad gentes, per turbas multas sequentes Dominum significatas, vt satis insinuat Marcus. Citat autem partim secundùm Hebraicá veritatem, partim secundùm 70. editionem, quædam etiam omisit, quædam mutauit, quibusdam ad sensus explicationem additis.

In initio magis consentit cum Hebraica veritate. nam 70. habent: *ecce Iacob puer meus assumam eum, Israel electus meus, suscepit illum anima mea*, ac si hæc non ad Messiam, sed ad populum Israeliticum pertineant, sed apud Hebræos non habentur illa nomina *Iacob*, & *Israel*. Chaldæus paraphrastes, vt & omnes Iudæi, de Christo hunc locum intellexit, sic enim habet: *ecce seruus meus Messhia*. in vltima verò testimonij parte congruit magis cum 70. habent enim etiam illi: *in nomine eius gentes sperabunt*, Hebraicè verò legimus: *& legem eius Insulæ exspectabunt*, quomodo etiam vertit Hieronymus, vel, *& in lege eius Insulæ sperabunt.*

17. *Ecce*] veluti indicans digito, sic spiritu Prophetico demonstrat Christum, vt Ioannes, cùm præsentem signauit, *ecce*, inquiens, *Agnus Dei*; & Pater *hic est Filius meus dilectus*

Puer meus] 70. apud Isaiam vt dixi nomen Iacob præposuerunt, vel ne Christum Deus *seruum* vocare videretur, vt alios, vel quia alijs locis ita legebant vt Isa. c. 41. 8. 9. & 44 1. 2.

Obseruat Mald. solitos 70. cùm sententia aliquid videtur absurdi continere, addere aut detrahere, aut mutare aliquid vt absurditatem tollant.

24. *Pueri vox ambigua.*

Porrò cùm, *puer*, vox ambigua sit, & siue Filium, siue seruum significet, vt & græca dictio παῖς; Euasmo, & quibusdam alijs libuit *puerum*, hic accipi pro *filio*, quod nomen *filij* potius quadret in Christum Dominum, quàm nomen *serui*. Verùm apud Hebræos dictio hic posita, tantum seruum & ministrum significat, non Filium, quare Hieron. vertit, *ecce seruus meus*. Dicitur verò Christus *Patris seruus*, propter naturam assumptam, quomodo & Paulus loquitur ad Phili. 2. *exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens*. Vel etiam dicitur *seruus* propter obsequium illud, ad quod in assumpta humanitate nobis exhibendum, de cœlo missus fuit à Patre.

Quem elegi] vt hominem. elegit enim eum ex omnibus, & præ omnibus, cùm sit ipse inter electos supremum caput. Elegit etiam inter omnes homines, & Deum fecit, vt esset rex, & verbum eius prædicaret. Hebraicè, loco huius, est; *innitar in eo*; Hieron. verò vertit, *suscipiam eum.*

Dilectus meus] electus est, quia dilectus.

25. *In quo benè complacuit anima mea*] mihi. metaphoricè sibi animam tribuit, vt significet sibi ex corde, totoque affectu optimè complacitum in filio. Videtur autem declarare velle, quorsum sit missus Filius Dei, vt scilicet reconciliaret nos Patri, quasi dicat, qui summoperè animæ meæ placet, & propter quem mihi placet, quisquis hominum placet, & per quem reconciliatus sum mundo, id est, reconciliari, & placari decreui, in quem cùm intueor, omnem iram depono, in quo placata est anima mea. Non ergò significat hoc tantum, quem vnicè diligo, quo valdè delector, vel in quo conquiesco.

26. *Ponam spiritum meum*] ex dilectione dona Spiritus Sancti eximia profecta sunt, quibus cohonestata fuit humanitas Christi. & ideò additum est: *ponam spiritum meum super eum*. id in conceptione factum cùm Spiritu Sancto repletus, Isa. 11. 2. quare non de baptismo hic locus intelligitur, cũ in Christũ recens baptizatũ Spiritus S. descendit. Nec cùm ætate, & sapientia proficiebat Luc. 2. 52. Certè si de Ioanne scriptum est: & *Spiritu S. replebitur adhuc ex vtero matris suæ* Luc. 1. 15. quantò id magis in Christi conceptionem cõueniet. Quod habet hic, *ponam*, Matt. pro eo 70. & Hebræa habent, *posui*.

27. *Et iudicium gentibus nuntiabit*] id est, quod iustũ est. vel secundò leg m Euangelicam afferens, eam gentibus per suos prædicatores etiam nuntiabit, ac si dicat: non Iudæis solis, vt Moses, sed omnibus gentibus. Vel tertiò gentes omnes iudicabit: et n. Pater omne iudicium tradidit. Omnium verissima expositio est, quæ primo loco allata fuit: pro eo enim quod iustum est, sumitur hic iudicium. hoc autem faciet legem suam afferendo, & promulgando per Apostolos, licèt etiam Iudæis ipse promulgarit. Hebraicè habetur, *Iosi*, id est, exire faciet, proferet, & videtur idem quod, nunciabit, vt est apud Matth. hoc est, legislator erit, legem suam Euangelicam omnibus dabit.

Digitized by Google

28. *Christi mansuetudo in Euangelizando.*

18. *Non contendet*] quod dixerat legislatorem futurum, & doctorem omnium, præstiturus erat Christus summa cum mansuetudine, tranquillè, placatè, suauiter, & non per vim aut tumultum, vel per forenses rumores, sicut Zachar. 9. vaticinio nunciatum est: *ecce rex tuus veniet tibi mansuetus* &c. propterea subiecit: *non contendet, neque clamabit* &c. id est, non litigabit: significare enim Prophéta voluit; Christum sine contentione, sine clamoribus, quibus forum perstrepere consueuit, quod iustum est prolaturum, & docturum. Duo ergò habet Matth. *non contendet, & non clamabit*, primo, significatur quod non litigabit cõtentiosè; altero, quod nec clamoribus vretur. Subdit: *Neq; audiet aliquis in plateis vocem eius:*] scilic. vocem tumultuosam, vel iactabundam.

Nanc tamen partem sic ex Hebræo vertit Hieronymus *non clamabit: neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris*. quamuis Hebraicè non sit: *neque accipiet personam*, sed tantum verbum significans, vel *accipiet*, vt subintelligatur, *personã*; vel *tollet*, vt subintelligatur, *vocem suam*, quemadmodum in Commentarijs indicat etiam posse accipi Hieronym. & quomodo vt accipiatur locus iste postulat, vt notat Iansen. Et quod Hieronym. vertit *foris*, Hebraicè est dictio, quæ potiùs, vt hic habet Matth. significat *in platea*.

29. 19. *Arundinem quassatam*] Chyso. & Theophylac. sic accipiunt hûc locum, vt indicetur, Dominum noluisse hostes suos perdere, quos tamen tam facilè ei perdere fuisset, quàm est arundinem quassatam confringere, & conterere, aut linũ tantũ fumigans extinguere; ita vt infirmitas pharisæorum & hostium Christi præ ipsius potentia, instar sit arundinis etiam quassatæ, & lini quoque fumigantis. Sic autem habet Chryso. *Propheta vt Iudæorum, siue Pharisæorum imbecillitatem ostenderet, arundinem, ait, contritam non franget. sic certè omnes frangere facilè poterat, vt arundinem; nec vt arundinẽ simpliciter, sed vt arundinem iam cõtritam.*

Et linum fumigans non extinguet] hic accensam Iudæorum iram, ac furorem, præ oculis ponit &c. Certè omnis Iudæorum, omnis Tyrannorum furor fumanti lino similis fuit, quod iniecto pede facillimè extinguitur. De Iudæis quoque hunc locum exposuit Cyrillus Isaiæ 42. & Augu⁹. libr. 20. de Ciuit. c. 30. ait, *persequutores Christi perdita integritate, quassato calamo, & amisso lumine, lino fumanti comparantur; quibus pepercit, quia non venit iudicare.* At Hieronym. vult significari his verbis, Christum infirmos, & imbecilles, in quibus adhuc est aliquid bonæ spei reliquum, ac scintilla aliqua fidei, vel cognitionis, ac charitatis Diuinæ non oppressurum contentione, clamore, & indignatione; sed contrà potiùs mansuetudine sua, ac lenitate foturum eos, vt firmiores fiant, & in Dei cognitione, atque amore magis, ac magis proficiant. Itaque Hieronymus, Matthæi 12. de peccatoribus locum hunc exponens, sic ait: *calamum quassatum, siue confractum, non conteret; cunctis enim placabilis erit, & veniam dabit peccatoribus. Et linum fumigans, siue vt cæteri transtulerunt, obscurum, atque tenebrosum non extinguet, qui vicini erant extinctioni, Domini clementia seruabuntur.*

30. *Calamus cõfractus Iudæi, linum fumigans Gẽtiles sunt.*

Cæterum in epistola 151. ad Algasiam, calamum confractum Iudæis, linum fumigans gentibus tribuit. Sic enim scribit: *calamus fractus, qui fuit anteà vocalis, & in laudes Dei concinebat, apellandus est Israël. Linum fumigans non extinguet, populum de gentibus congregatum qui extincto legis naturalis ardore, fumi amarissimi, qui noxius est oculis, tenebrosæq; caliginis inuoluebatur erroribus. quem nõ solũ, nõ restinxit, & redegit in cinerem, sed è cõtrario de parua scintilla, & pænè morente in maxima suscitauit*

A *incendia, ita vt totus orbis arderet igne Domini, quem venit mittere super terrã, & in omnibus ardere desiderat.* Hæc Hieron. Tertull. item l. aduer. Iudæ. c. 9. de Iudæis, & gentibus etiam exponit: *arundinem*, inquit, *contusam, id est, quassatam Israelis fidem non comminuit: linum ardens, id est, momentaneum ardorem gentium non extinxit; sed lucernam magis fecit ortu luminis sui* &c.

Linum fumigans] Apud Matt. græcè est τυφόμενον, id est, *fumigans*, vel vt habet Tertul. *ardens*, incensum, à verbo τύφομαι, quod fumare significat, & ardere, atque incendi. Syri fumantis lini nomine lucernam intelligunt, propter lineum elychnium, sic enim legimus in Syriaco Euangelio, *seraga*, id est, lucernam propè extinguendam, nõ extinguet. vide hom. Euseb. Hemis. post hom. ad mona.

B Barrad. *plus*, inquit, *videtur dicere Propheta, quã verba primo aspectu indicãt. Sic ea intellego: arundinem fractam, non franget penitus, quin potiùs colligabit, & consolidabit: linum fumigans, id est, fumigantem lucernam non extinguet, sed inflammabit, hoc est neminem ladet, omnibus opem feret, ægrotos corpore, tũ præsertim animo curabit: sunt enim hi instar arũdinum fracti, & instar lini fumigantis pœnè extincti.* sic Barrad. Vnde cùm dixisset Matth. *& curauit eos omnes*, subiecit ad id confirmandum Isaiæ testimonium. Emmanuel Sà, *linum* interpretatur *elychniũ q. d.* inquit, *fouebit infirmos.* lege in hunc locum Euseb. etiam l. 9. de demonstratione c. 15.

Ex his maximè ad mores illud Hieron. facit, 31.
scire quod, *qui peccatori non porrigit manum, nec portat onus fratris, quassatum calamum confringit, qui scintillam fidei contemnit in paruulis, lignum extinguit fumigans.*

Nec silentio inuoluendum est, quod vtiliter in regulis breuioribus habet Basil. interrogatione 291. *Quid est*, inquit, *calamus quassatus, ac fumigans*
C *linum? quomodove alterum quis non conterit, alterum non extinguit?* Respondet *sanè per quassatum calamum illum intelligi arbitror, qui non ea qua oportet animi sinceritate, mandatum Dei exequitur, quem non conterere conuenit, neque abscindere, sed sanare potiùs; sicut doluit Dominus cùm dixit; attendite ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. & Apostolus etiam præcepit dicens: omnia facite sine murmurationibus, & disceptationibus. & in alio loco* (Philip. secund.) *nihil per contentionem, aut inanem gloriam; linum verò fumigans, quotiescunque quis mandatum quidem exequitur, sed non ardenti desiderio, aut pleno studio, sed segnius quodammodo, ac lentius: qui ideò non est deterrendus, sed excitandus potiùs admonitione assidua iudiciorum Dei, & promissorum ipsius.* Hæc ille piè satis, & eruditè.

D *Donec eiiciat ad victoriam iudicium*] Omisit hic Euangelista, quæ sequuntur in Isai. *in veritate educet iudicium, non erit tristis, neque turbulentus.* Licèt Diuus Hieronymus existimet illam partem: *donec eiiciat ad victoriam iudicium*; positam hic pro eo, quod est in Hebræo apud Isaiam, *in veritate educet iudicium*, vt in veritate educere iudicium sit, efficere, vt iudicium verum appareat omnibus, quod est facere, vt iudicium vincat: propterea opinatur tam in Com. super Isai. quàm in quæstion. ad Algas. Omnia hæc etiam: *non erit tristis, neque turbulentus donec ponat in terra iudicium* omissa vitio primi Scriptoris. Verùm (vt aduertit Iansenius) hæc pars, *donec eiiciat ad victoriam iudicium*, propter aduerbium, *donec*, videtur potiùs respondere illi parti apud Isai. *donec ponat in terra iudicium.* Ideò videntur illa omnia: *in veritate educet iudicium, nõ erit tristis, neque turbulentus*, ab Euangelista omissa, tanquam non necessaria, sicut & illud: *donec ponat in terra iudicium*; mutauit,

pro-

Digitized by Google

prout magis suo proposito conueniebat, non recedens à sensu Isai. Quid est enim aliud facere, vt iudicium in terra vincat, & vbiq; obtineat, quàm ponere in terra iudicium, licèt efficacitatem, & vim maiorem habeant verba Euangelistæ.

32. Cæterùm vt totum vaticinium Isai. intelligatur, etiam & hæc, quæ omissa sunt exponemus. lxx. igitur sic legunt: *in veritate reducet iudicium, splẽdebit, & nõ conteretur*, quæ posteriora verba, *splendebit, & non conteretur*, de Christi resurrectione exponunt Hierony. Cyrill. & alij, qui eam lectionem ibi interpretantur, & idem Hierony. tom. 3. epist. 151. ad Algasiam q. 2. & August. lib. 20. de Ciuit. cap. vlt. & lib. de vnitate Eccle. c. 7. eodem modo explicat: Christus enim licèt occisus fuerit, nõ tamen fuit contritus, & quasi in nihilum redactus, sed potius illicò per resurrectionem splenduit, & orbem suo lumine exhilarauit. In Hebræo loco *splendebit*, habetur, si ad literam vertas, *nõ fumigabit*. quo videtur significari, ita fore Christum hominẽ per mortem extinguendum, vt tamen fumigaturus non esset, sed illicò per resurrectionẽ accendẽdũ, & sui splẽdoris radijs mundũ illustraturus.

33. At si nostram lectionem sequamur, qua legimus in Isai. *non erit tristis, neq; turbulentus*, sensus erit; non, quod tristitiam nullam sentire haberet, (neque enim id ad iustitiam pertinet) sed quod tristitia non sit dominatura ei, nec pacẽ, tranquillitatemque animæ eius immutatura, quod Prou. 12. dicitur de iusto: *iustus quidquid ei acciderit, non contristabit eum*. In veritate verò educere iudicium est verè iudicare. sed iam reuertamur ad Matth.

34. *Donec eijciat ad victoriam iudicium*] Hæc verba à Chrysost. & Theophy. sic exponũtur: tamdiu tolerabit mansuetè, & patienter Iudæos hostes suos, donec produxerit iustum suum iudicium ad victoriam, hoc est, donec manifestũ fecerit iustè se abiecisse Iudæos, vt omnes intelligant, eos meritò esse repulsos. Tamdiu, inquam, tolerabit eos, quia postea de ijs sumet vltionem, conterendo arundinem, & extinguendo linum, sicut fecit in Iudæis per Romanos sub Vespasiano & Tito.

35. Verùm Hierony. iuxtà illam suã expositionem, quam etiam habet Hilar. de peccatoribus sic intelligit: tamdiu Dominũ infirmos, & imbecilles hoc tempore, quod pœnitentiæ tribuitur, foturum, excitando illos ad maius robur, ac lumen, donec sublata mortis potestate, redeat ad iudicandum orbem, quando eius iudicium deducetur ad victoriam, quod interea temporis videtur iam suppressum esse: id quod videtur esse idem cum eo, quòd ait Dauid Psal. 93. secundùm aliquorum probabilẽ expositionem; *Non repellet Dominus plebem suam, & hereditatem suam non derelinquet, quoadusque iustitia conuertatur in iudicium*: q. d. non deseret suos Dominus, quousq; iudiciũ suũ iustum exequatur, id est, malos puniat, & iudicet, hoc enim est conuerti iudicium in iustitiam, vel aliter conuerti iustitiam in iudicium, est conuerti, seu reduci iustitiam in opus, quousque scil. fit & videatur iustitia in iudicio, quo vsque iudicium fiet iustum, q. d. non deseret suos donec sit iudicium iustum, quod erit iudicante Christo. Aliqui tamen exponunt, quamdiu iustitia vigebit, & reducetur in opus, hoc enim volunt esse cõuerti in iudicium, id est, quousque erunt recti, & iusta, ac recta operantes. obiter.

Placet mihi in hunc locum interpretatio Iansi. sic enim scribit: verùm si & locus Isai. diligenter spectetur, & scopus item Euangelistæ; videtur rectiùs aduerbium, *donec*, hìc non esse accipiendum, vt significet certum temporis spatiũ post quod futurum sit, quod vsq; ad illud tempus dicebatur nõ factum esse: sed quomodo frequenter accipitur in

A scripturis, vt tantùm significet rei alicuius euentũ, & consequutionem, vt sit sensus: infirmos, & imbecilles, &c. sua mansuetudine fouebit, & tolerabit, ita vt hac ratione tandem futurum sit, vt iudicium eius, quod gentibus annunciare venerat, ad victoriam perducatur, veritate scil. vbique obtinente, & in toto orbe recepta. Eodem modo Emmanuel exponit: *donec eijciat, quasi dicat: atque ita fiet, vt veritas in orbe obtineat*: & addit: *vel donec faciat, vt iudicium vincat.*

20. *Et in nomine eius gentes sperabunt*] Ex Chrys. illud, *&*, significare videtur non solum puniet Iudæos (de quibus Chrys. expositum locum hũc, vt dictũ est n. 34.) sed & orbẽ terrarũ ad se trahet. Aug. 20. de Ciuit. c. 30. hoc iã, inquit, videmus impletũ.

Dicitur autem *in nomine eius* secundùm Interli. quia non est aliud nomen in cælo, in quo oporteat saluari. Hebraicè pro *in nomine* &c. quod habent
B lxx. & Matt. legitur apud Isai. *& legem eius insulæ exspectabunt*. sed eadem est sentẽtia, hoc est, desideranter susciplent. Qui enim legẽ eius suscipit, & in ea sperat saluari, procul dubio etiam sperat salutem consequi per nomen eius & contra.

Loco verò vocis *insulæ*, *gentes* sunt interpretati lxx. & Matt. vocauit enim Isai. Insulas remotissimas quasque gentes, solent enim esse à continente remotæ, vt meritò dixerit Poeta: *toto diuisos orbe Britannos*; adde quòd insulæ gentium erant, non Iudæorum. rectè autem hæc verba subiiciuntur illis, *donec eijciat ad victoriam iudicium*: tunc enim gentes in nomine eius sperabunt. 36.

Non prætermittam quæ in hunc locum habet Remigius: *hoc*, inquit, *testimonio* (Isaiæ) *multa cõfirmantur. illud enim, ecce puer, ad illud refertur, hic est filius meus; ponam spiritum, ad id, quod descendit Spiritus S. super baptizatum, iudicium gentibus &c. ad illud, cùm federit. Filius hominis &c. non contendet &c. ad illud, quod pauca respondit põtifici, Pilato, & Herodi; arundinem &c ad id, quod persequutores declinauit, ne fierent deteriores; & in nomine &c. ad id, euntes docete omnes &c.* sic Remig. quamuis id quod dicit, *ponam spiritum*. &c. referri ad spiritum super baptizatum, Malo ad spiritum in momento ipso conceptionis Christi intelligere. 37.

21. *Spiritus immundi*] Non placet, quod Beda scribit, hæc verba etiam ad eos, qui plagas habebant referri debere: magis verè intelligemus dicta esse de ijs, qui à Dæmonibus vexabantur, alioqui & illud, quod sequitur *clamabant dicentes*, ad eosdem referri posset.

Illud rectè adnotant Beda, & Theophy. non religione vlla, vel charitate procidisse Dæmonia ante Christum: neque enim verè adorare voluisse, sed timore, quasi supplicium suum, & oris confessione, & corporis submissione deprecatura, adorare videbantur. 38.

22. *Tu es Filius Dei*] Vide Marc. c. 1. 24. 25. & aduerte lector, quod quem ibi *Sanctum Dei*, hic *Filium Dei* nominant. Idem ergò sunt quod ex ijs, quæ de voce, *Sanctus*, notat Iansen in 4. c. concor. intelligi potest, sic. n. scribit: *pro latina voce, Sanctus, vox hebræa ei respondens, cados, significat propriè id, quod ob suam puritatem à rebus profanis, & immunditiã aliquam habentib. separatũ est: quoniã aũt soli Deo perfecta conuenit puritas, & ab omni vitio, & labe mũditia, idcircò solus ipse dicitur propriè, cados. Cumq; integritate potissimũ, & virtuti reuerentia, & honos debeatur, vox, cados, simul etiam includit significationem reuerentiæ, & honoris, indicãs, Deum, cui ea vox tribuitur, omni reuerentia, & honore, ac veneratione esse dignissimum.* 39.

Huic voci Hebrææ, Græca vox ἅγιος, congruè, apteq; respondet, qua voce significari putat Beda (extra terram, vel sine terra) vt ea vox composita sit ex

particula priuatiua, α, & ex nomine γῆ. quod significat latinè terram. sed quia priuatiua illa particula, α, cùm ponitur in compositione, non aspiratur, in voce autem ἀγιος aspirationem habet; idcirco probabilius est, quod græci arbitrantur, vocem ἅγιος, deriuari à verbo ἄζομαι, quod latinè est, colo, & veneror, vt sit ἅγιος, pro ἄζιος, & significet eum, qui ob integritatem, & perfectionem virtutum, sit ab omnibus honorandus, atque venerandus. Iam verò & Hebræa, & Græca voci respondet aptè Latina vox, Sanctus, quæ à verbo, sancire, deriuata est; sancire autem propriè loquendo, est confirmare aliquid sanguine hostiæ, quemadmodum in faciendis, firmandúq; pactis fieri solebat. Quoniam verò, quæ ita erant confirmata, violari nefas, & piaculum erat, sanctum vocari cœptum est, quod inuiolatum, & incorruptum. & integrum est; quæ significatio benè congruit cum significatione vocis Hebræa suprà expositæ. Sic doctè Iansen. rectè ergò diximus idem significasse Dæmones per vocem *Sanctus Dei*, quod hic per *Filium Dei*. vt. n. sanctus Pater, ita sanctus Filius, atque adeò vtrique ea vox competit, vt & Spiritui S.

Et vehementer comminabatur] id est, adiunctis minis præcipiebat: sic c. 1. 25. Marc.

40.

CAPVT IV.

CHRISTVS IN MONTE NOVAM LEGEM INSINVAT, PRAECEPTA, Consilia, & nouæ Legis perfectiones veteribus præfert.

A. 5. 1.

1. *Videns autem* IESVS *turbas, ascendit in montem, & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius.*
2. *Et aperiens os suum docebat eos, dicens:*
3. *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*
4. *Beati mites; quoniam ipsi possidebunt terram.*
5. *Beati qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur.*
6. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam; quoniam ipsi saturabuntur.*
7. *Beati misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur.*
8. *Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt.*
9. *Beati pacifici; quoniam filij Dei vocabuntur.*
10. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiã; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*
11. *Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me.*
12. *Gaudete, & exultate; quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Sic enim persequuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.*
13. *Vos estis Sal terræ. Quod si Sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.*
14. *Vos estis lux mundi: Non potest Ciuitas abscondi supra montem posita.*
15. *Neque accendunt lucernã, & ponunt eam sub modio: sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.*
16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona: & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.*
17. *Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut Prophetas; non veni soluere, sed adimplere.*
18. *Amen quippè dico vobis, donec transeat cælum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.*
19. *Qui ergò soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines minimus vocabitur in regno cælorum. Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*
20. *Dico enim vobis: quia nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*
21. *Audistis, quia dictum est antiquis: non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio.*
22. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo; reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.*
23. *Si ergò offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te.*
24. *Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens, offeres munus tuum.*
25. *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo, ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris.*

26. *Amen*

Digitized by Google

26. *Amen dico tibi, non exies indè, donec reddas nouissimum quadrantem.*
27. *Audistis, quia dictum est antiquis: non mœchaberis.*
28. *Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.*
29. *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proÿce abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum horum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.*
30. *Et si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proÿce abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.*
31. *Dictum est autem; quicunque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudÿ.*
32. *Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam ducit adulterat.*
33. *Iterùm audistis, quia dictum est antiquis: non peiurabis. reddes autem Domino iuramenta tua.*
34. *Ego autem dico vobis: non iurate omninò, Neq; per cœlum; quia thronus est.*
35. *Neq; per terram; quia scabellum est pedum eius. Neque per Ierosolymam, quia ciuitas est magni regis.*
36. *Neque per caput tuum iuraueris: quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum.*
37. *Sit autē sermo vester, est, est; non, non; quod autem his abundantius est, à malo est.*
38. *Audistis, quia dictum est: oculum pro oculo, & dentem pro dente.*
39. *Ego autem dico vobis: non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.*
40. *Et ei, qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuā tollere, dimitte ei & pallium.*
41. *Et quicunq; te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo.*
42. *Qui petit à te, da ei, & volenti mutuare à te, ne auertaris.*
43. *Audistis, quia dictum est: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.*
44. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.*
45. *Vt sitis filÿ Patris vestri, qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos, & iniustos.*
46. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?*
47. *Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?*
48. *Estote ergò perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.*

Scholia.

A

B

C

D

De sermone Domini in monte habet Aug. libros duos, tom. 4. Chryso. hom. 6. ex var. in Matth. præceptorum Euangelicorum dignitatem eleganter describit Cyprianus initio serm. 6. de oratione Dominica. summam item quandam huius sermonis habet D. Thom. 1. 2. qu. 108. art. 3. 1.

1. *Videns*] Chrysost. *omnis*, inquit, *artifex oportunitatem operis videns, gaudet, vt faber arborem bonam, Sacerdos Ecclesiam plenam; ita Dominus videns turbam excitatur ad docēdum*: lege hîc August. serm. 14. ex poster. Bernar. serm. 1. in festo omnium Sanctorum, & serm. ex paruis 27. Chroma. de beatitud.

Ascendit] Remigius, *discedere solebat è turba Dominus in nauim, vel montem, vel in desertum.* 2.

In montem] Hierony. c. 5. Matth. *erat*, inquit, *hic mons in Galilæa, vel Tabor, vel alius excelsus*; nō potuit autem esse mons Oliuetus: nam erat Christus in Galilæa, quare paulò pòst sermonem dicitur, introisse Capharnaum. D. Bonauent. Ludolphus de vita Christi, Gagnæus hic, & alij Thaborinum montem putant fuisse. Est igitur celebris mons iste transfiguratione, oratione, Christi prædicatione; terminus sortis Zabulon versus austrum, non longè à Nazareth. *Quis fuerit iste mons.*

Cæterùm Borchard. alium montem fuisse opinatur 1. p. c. 4. §. 5. in cuius basi iuxtà mare Galilææ ferè 30. passibus fons oritur, quem incolæ credūt venam Nili, Iosephus fontem Capharnaum vocat. Ascensum verò huius montis dicit esse iuxtà mare Galilææ, & esse ante extentum iactu duorum arcuū; latus autem iactu lapidis, & amplius. affirmatque adhuc permanere lapidem illum, super quem sedit Saluator prædicans. idem sentit Adricho. in tribu Nephthalim nu. 69. vbi montem hunc montem Christi nominat, eò quòd in illo Christus orare & prædicare solitus esset. ab vrbe Capharnaū tribus miliaribus distare ait, nec procul, à mari Galilææ. hoc mihi verosimili videtur.

Docet autem in monte, vt declaret beatitudines neminē attingere posse, nisi qui à rebus humanis abstractus ad sublimia fuerit elevatus. Chryso. in hom. *docet*, inquit, *à tumultibus discedere*. Iterum idem ait, *implebitur Prophetia Isai. super montē ascende tu, &c. docet verò in altitudine virtutū consistēdum iustitiæ doctori, & auditori, vel ad discendū mysteria veritatis, in Ecclesiæ monte, de quo, mons Dei, mons pinguis.* Hilar. *in paternæ maiestatis celsitudine positus, cœlestia vitæ præcepta constituit.* August. *in sermone Dom. ostendit maiora per filium, quàm per Prophetas à Deo præcepta dari. Gloss. nouum testamentum in monte scribit in cordibus filiorum, incipiens à beatitudine; qui in monte Synai vetus in lapidibus dedit seruis, incipiens à terrore;* Hæc ex Eman. in c. 5. Matth. 3. *Cur Christus docuerit in monte.*

4. Cur sederit.

Et *cùm sedisset*] Interl. dignitas magisterij notatur. Notat Aug. 2. de consen. Euang. c. 19. 9. Lucas ait, sermonem habitum in loco campestri stante Domino: hæc itaq; diuersitas facit: videri alium fuisse illum sermonem, alium istum. Quod quidē dictum Augusti verissimum arbitror; quamquam etiam idem Augustin. aliter videatur sentire sub finem illius capitis.

Sunt qui dicant, morem fuisse sedendo docendi. Matt. 26. 55. Luc. 4. 20. Ioan. 8. 2. Mihi non fit verosimile, Christum semper sedendo docuisse: nam cùm in medio campo concionatus est, non, vt opinor, sedebat, ait Maldon. Illud omninò allegoricum, quod habet Interl. sessionem incarnationem esse, in qua docet; Hinc glo. *vnde & mundus eū non cognouit* ante incarnationem. Hinc Hiero. *non poterant*, inquit, *eum intelligere in sua maiestate fulgentem.*

Accesserunt] Interl. scil. *vocati*, Aug. de ser. Domini in monte, *vt corpore viciniores essent audiendis præceptis, qui implendi animis appropinquabant. Accesserunt*, inquit Gl. *vt à monte suscipiant pacem populo.*

5. Os aperire quid.

2. *Et aperiens os suum*] os aperire est aliquando liberè, & clara voce loqui, Ezech. 29. 21. *tibi dabo apertū os in medio eorum.* Eccles. 15. *in medio Ecclesiæ aperiet os eius*, hoc est, *loquetur in conspectu* etiā *regum & non confundetur.* Psal. 118. 46. Interdū per Hebraismum idem est, quod exorsum esse loqui. Hebræis. n. *aperire os*, est loqui incipere. Itaq; sensus esse potest; post longum, diuturnumq; silentiū, quo hactenùs sublimem illam de Euangelica perfectione doctrinam suppresserat, tandē aliquando in admiranda, cœlestiaq; suæ legis dogmata prorupisse. Aug. l. 1. de ser. Dom. in monte, Greg. l. 3. in Iob. c. 1. insinuari opinantur hoc dicendi modo, quod qui priùs aperuit ora prophetarum, nunc os suum aperiat. i. per se loqui inceperit; ad Heb. 1. 1. Idem Aug. probat significari per hanc oris apertionem longum futurum sermonem.

Hilario & Stabo placuit indicare orationem de rebus grauissimis futurā, atq; adeò diuinis, quasi dicatur, omnis scientiæ, ac sapiētiæ abyssum aperuit, sic Psal. 77. 2. *aperiam in parabolis os meum.* i. loquar insignes quasdā, memorabilesq; sententias; de reconditis mysterijs, & ideò subdit. *loquar propositiones ab initio.* i. quasdam antiquas, & quas Logici vocant *maximas* propositiones. de rebus Diuinis, Græci hic legerunt *problemata.* Hieron. *ænigmata antiqua* iuxtà fontem Hebraicum. Genebr. tamen dicit, *ab initio.* i. de rebus ab initio gentis nostræ factis: haberi enim Hebraicè, *de initio*, sic Act. 8. 35. *aperiens aūt Philippus os suum, & incipiēs à scriptura ista*, &c. eodem modo potest & hic accipi: est namq; ille aperiendi oris gestus, vt notat Pineda in c. 3. Iob. v. 1. n. 4. & habitus, magistri, doctorisque sapientissimi; in cuius os, & verba singula conticentes omnes intenti sunt, obseruantque tum tacentem, tum os aperientem.

Sunt, qui indicari velint hac dicendi formula orationem consulto, & præmeditato factam, ac si dicas Italicè cepit de proposito loqui, tanquam is qui benè intelligebat, & præmeditatus fuerat, quæ diceret. cum quo iungendum est, etiam significari hac phrasi veritatem, atq; æquitatem eorum, quæ dicuntur; nam qui præmeditatus loquitur, studet, vt nō leuiter, sed ratione, & ex æquitate loquutus videatur, sic Prou. 8. 9. Sapientia dicit: *aperientur labia mea, vt recta prædicent.* & iterum c. 31. 9. *aperi os tuum, decerne quod iustum est.* Hæc omnia possunt in hunc locum conuenire, sed quod superiùs 2. loco dictum est de hebraismo, maximè placet.

Docebat eos] Non ergò ascendit in montem, vt esset solus, vel turbas fugeret, sed vt doceret populum. Hoc verbo infirmatur hæresis Caluinianorum, ac cæterorum, negantiū Christum legislatorem esse, qui vt in omnia vitia præcipites ruant, sintque omninò filij Belial, se omni lege solutos esse egregiè mentiuntur. Audi Caluinum super illis verbis Pauli ad Galat. 4. *misit Deus Filium suum factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret: ô, miserabilem*, inquit, *inscitiam, ô pernicioſum errorē prædicantium Christū tanquam nouum legislatorē*, &c. quæ citat Perer. & reijcit in c. 7. epist. ad Rom. disput. 6. satis erit Tridentinos Patres huc adferre Sess. 6. ca. 21. decret. de iustificatione: *si quis dixerit Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse, vt redemptorem, cui fidant, non etiam vt legislatorem, cui obediant: anathema sit*; qui Canon consonat scripturis, ac vaticinijs de Christo. Isai. c. 2. *erit in nouissimis diebus præparatus*, &c. *docebit nos vias suas*; &cæt. ver. 35. *Dominus legifer noster*, & Ierem. 31. *Dabo legem meam*, &c. & Ezech. 36. *dabo vobis cor nouum*, &c. *& faciam vt in præceptis meis ambuletis*, &c. Et certè si alia deessent testimonia, satis esset hic locus, quem præ manibus habemus, vbi se legem nouam tradere apertissimè declarat, vt cùm dicit: *aperiens os suum docebat eos*, nempè legem nouam, nam subdit, *ego autem dico vobis*, &c. nec id semel scribitur.

6. Caluinistæ refutantur, negantes Christum legislatorem.

Porrò cùm in epist. præsertim ad Gal. ostendat Apostol. quandam Christianorum libertatem, aduertere oportet reijcere ibi Apost. obseruationes legis Mosaicæ quantum ad præcepta cærimonialia, quæ Pseudoprophetæ simul cum Euangelio ad salutem necessaria prædicabant: & quantum ad moralia, non quod non sint seruanda Christianis; sed quod sola eorum obseruatio sine fide & gratia Christi facta non iustificet. Vult etiam excludere Apostolus legem Moysis, quia cùm fuerit pædagogus ducens ad Christum eo præsente cessauit. Denique docet Apostolus nos per Christum liberatos esse à maledicto legis, atque ipsum redemisse qui eramus sub lege. neque enim homines sine fide Christi implere poterant legem, & ideò incurrebant in maledictiones, & supplicia ijs decreta, qui transgrederentur legem; Ab hoc ergò miserabili statu liberauit nos Christus & cùm 2. ad Corinth. c. 3. dicitur; *vbi spiritus Domini; ibi libertas*, intelligitur de libertate hominis à seruitute peccati, diaboli, carnis, & mundi, & à seruili timore quo legi & Deo seruitur metu supplicij.

7. Christianæ libertatis quæ.

Illa porrò sententia primæ ad Timoth. 1. 9. *iusto non est lex posita*; intelligitur à D. Thom. quod non est imposita tanquam onus, sed tanquam iugum quoddam leue ac suaue, cùm libenti animo faciat, quæ lex iubet, & repressam habeat vim concupiscentiæ. Vel dic cum communi expositione; duplicem esse vim legis, alteram docendi, ac dirigendi hominem, alteram, quæ terrore, & comminatione supplicioꝝ detereret homines, ne mala perpetrent, & perpetrantes punit. Prior ergò virtus legis ad iustos pertinet, posterior nō eos attingit; Præsertim cùm adeò propensi sint ad benè agendum, & tam felici ingenio, vt agenda per se nouerint, & sponte agant.

8.

9. Qui pauperes Beati.

Beati pauperes spiritu] Voluntatis affectu, esto non effectu. vel certè voluntariè, quod placet etiam Bellarmin. Alij humiles intelligunt, & videtur esse maior pars auctorum. sed prior expositio præferenda, præsertim, si de vera paupertate intelligatur. nam & vox Hebræa, *Sæschim*, & Græca πτωχοί, propriè *mendicos* significant: & spiritus quoque affectum, seu voluntatem significat. Gloss. videtur vtramque expositionem amplecti; paupertas; cuius nutrix humilitas, duas habet partes, rerum abdicationem, & spiritus contritionem, sic Glossa.

Obseruat

10. *Pauper in Scripturis triplex.*

Obseruat Ianſen. vocem hanc, *pauper*, in Scripturis, tribus modis vſurpari, interdū enim apponitur diuiti, & eos ſignificat, qui rerū neceſſariarū penuria laborant. Interdū dicūtur pauperes quouis modo afflicti, & ope aliena deſtituti, vt ſæpiſſimè in Pſal. Interdum pauperem vocamus eū, qui de ſe ſubmiſsè ſentit, nec eſt inflatus, vt Iſai. c. vlt. *ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos*, & ſic ſumit Augu. nam, inquit, magnum ſpiritum ſuperbi habere dicuntur; rectè, nam ſpiritus ventus, illi verò inflati. ſed præſtat, vt dixi primo modo ſumere, ſi voluntarij pauperes ſint. Cæterùm aduertendum non omnē voluntariam paupertatem ſignificari hic, ſed eam quæ propter regnum cœlorum, aut ſponte ſuſcipitur, aut ſponte toleratur. Hinc Baſil q. 205. benè explicat, qui ſint pauperes ſpiritu, qui nō ob aliam causā pauperes facti ſunt, niſi propter doctrinam Domini, qui dixit: *vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. Si verò quis etiā quomodocunque accedentem paupertatem, ſuſceptam gubernet ad voluntatē Dei, velut Lazarus, nec hic à Beatitudine alienus eſt. Hieronym. item intelligit *ſpiritu*. i. propter Spiritum S. voluntariè pauperes. ait enim; qui propter Spiritum S. voluntate ſunt pauperes; quibus non ſignificat Spiritum hic accipi pro Spiritu S. ſed pro voluntate ſpiritali, quam inſpirauit Spiritus S.

11. Et illud à Bernardo ſapienter obſeruatum eſt: *Diligenter*, inquit, *attende, quod nō ſimpliciter pauperes nominat, propter plebeios pauperes neceſsitate mirabili, non laudabili voluntate; ſed de his loquitur, qui poſſunt dicere cum Propheta: voluntariè ſacrificabo tibi. Attamen nec voluntaria quidem paupertas omnis laudem habet apud Deum. Nam & Philoſophi omnia ſua reliquiſſe leguntur, vt ſtudio vanitatis poſſent vacare liberius, & nolebant cenſu abundare terreno, vt abundarent magis in ſenſu ſuo. Hos diſcernes, quod dictū eſt, ſpiritu. i. ſpirituali voluntate, ſpirituali, ſcil intentione, deſiderio ſpirituali, propter ſolum beneplacitum Dei, & ſalutem animarū*, ſic Bernard. Itaque ex Baſil. & Bernard. & Hieron. Spiritus hic accipitur pro ſpiritu noſtro (vt vult Bernard.) hoc eſt, mente noſtra à Spiritu S. inſpirata (vt comprehendamus Hieronymi ſenſum) & ſpiritalia intendente (quòd Baſil. dixit propter doctrinam Domini.)

12. *Triplices pauperes ſpiritu.*

Ex his triplices pauperes ſpiritu hic diſtinguere poſſumus. Primùm quidē eos, qui propter Chriſtum contemſere omnia, vt Apoſtoli, & nūc Religioſi, & alij, de quib. præcipuè loquutus eſt Dominus. Deindè qui incidentem paupertatē propter Deum patienti, & voluntario animo ſuſcipiunt, diuitijs eam præferētes ſpe regni cælorum. Deniq; qui parato ſunt animo abijciendi facultates, vbi pietatis ratio exigeret. vnde Eccleſ. 31. dicitur: *Beatus diues, qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecuniæ theſauris.* Poteſt & Aug. expoſitio ad hunc locū aliquo modo pertinere. Nam abiectio omnium facultatum propter Chriſtū connexa eſt cum voluntaria, ſpiritaliq; paupertate. Et neceſſariò prouenit ex animi humilitate. vt enim diuitiæ ferè appetuntur propter mundi honorem, & gloriā, ita qui oēs abijcit facultates, deſpicatui habere videtur omnem mundi gloriam, hominumque ſplendorem. quare non mirū ſi D. Hieron. voluntariæ paupertati humilitatē animi adiunxérit: ait. n. *Beati pauperes ſpiritu*, & c. hoc eſt, quod alibi legimus; *& humiles ſpiritu ſaluabit*. Ne quis aūt putaret paupertatem, quæ nonnunquā neceſsitate portatur, à Domino prædicari, adiūxit *ſpiritu*, vt humilitatē intelligeres, nō penuriā. *Beati pauperes ſpiritu*, qui propter Spiritum S. voluntate ſunt pauperes. Hæc ille.

A Non igitur mirum, ſi ab hac beatitudine ſumpſit exordium Chriſtus, vt aduertunt Auguſt. Chryſo. Theophyl. nam primùm modeſtiam, & humilitatem animi, ſeu fundamentum iecit; nam quoniam propter ſuperbiā Adam cecidit, per humilitatem erigit nos Chriſtus. Quanquā & dici poteſt, quod quemadmodum radix omniū malorum eſt cupiditas, ſicut initium omnis peccati eſt ſuperbia, ita Euangelicæ perfectionis origo eſt rerum mundanarum deſpicientia, ſicut virtutum omnium fundamentum & baſis eſt humilitas. 13.

Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum] Interl. pauperibus cōuenienter in præſenti promittuntur diuitiæ cœleſtes. Rectè aūt, cœleſtes, dictum eſt. nam ipſa paupertas per ſe non facit hominē beatum, licèt mediū ſit, quo ad æternam, cœleſtemq; beatitudinem peruenitur. ſubnectit Dominus quāobrem beatos dixerit pauperes ſpiritu: inquit enim, *quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*. *Paupertas res adiaphora.*

B Verùm obſeruandum cum Ianſen. c. 39. quamuis omnium beatitudinū vna ſit merces felicitatis æternæ, variè tamē hæc ſignificatur, in diuerſis beatitudinibus pro ratione ſingularum. Pauperibus ergò ſpiritu promittitur regnum cœlorum, quia benè id quadrat in eos, qui regna & imperia pro Chriſto cōtemſerunt, eligentes hic vilem, & abiectam vitam, vt regnarent poſteà in cælis cū Deo. ſic Ianſen. Dici tamen etiam poteſt has virtutes beatum facere hominem hic in ſpe, non in re, vt diſpoſitiones ad æternam beatitatem, non vt beatitatem æternam: ſed de his in Theorijs. 14.

Porrò dictum eſt in præſenti, *quoniam ipſorum eſt regnū cœlorum*, quoniam iam illud ſecuri poſſident in ſpe. vide de hac paupertate Bernar. ſer. 4. de Aduentu Domini. item Driedo.

4. *Beati mites*] Auguſt. de ſerm. Dom. *Mites ſunt*, inquit, *qui cedunt improbitatibus, & non reſiſtunt, ſed vincunt in bono malum*; Gloſſ. *mitis eſt, qui omnia æquanimiter ſuſtinet, nec nocere cogitat*: mites ergò hic manſueti, & humiles etiā intelligūtur. neque. n. quiſquā mitis eſſe poteſt ſine humilitate, adeò inter ſeſe connectuntur hæ duæ virtutes ſimilesq; ſunt, immò & paupertas rectè illis cohæret: nam qui omnia deſpicit, facilè & ſe deſpiciet. Hinc Dominus humilitatē, & manſuetudinē coniunxit; *diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde*. rectè ergò poſt paupertatem manſuetudo ſecundo locatur loco, quanquam apud Græcos poſt paupertatem ſequitur luctus, vt prima beatitudine excludatur appetitus honorum, & diuitiarum, ſecunda voluptatum, quibus rebus cōtinentur omnia, quæ mundi ſunt. 15. *Mitis quis.*

C Sed paulò fuſiùs quid nam ſignificet manſuetudo, explicemus. Facit hōc Ianſe. dum ſic ferè ſcribit: *Pertinet ad mitem, non quidem omninò nunquā iraſci; id enim inſipientium eſt: ſed ita irā, ac zelo dominari, vt nihil cōtra Deū indignetur, vel obmurmuret, ſeu ob iniquorū proſperitatem, ſeu ob aduerſitates, ab illo immiſſas: neq; contentioſè cum improbis agat, nec iniurias ab ipſis illatas vlciſci cupiat: verūm ita ſe gerat, & quidem erga Deum, vt benigno animo, Dei iudicia ſuſtineat; erga homines verò, vt vel ſilentio, vel placido reſponſo, vel malorum illatorum patienti tolerantia improbitatem hominum ſuperare contendat, grata quadam morum ſuauitate, quod eſt non ſolùm non vinci à malo, ſed vincere in bono malum.* 16.

D Porrò hæc duo manſuetudinis officia ſcriptura complectitur, erga Deum Pſ. 36. nam cùm dixiſſet dehortās ab æmulatione & zelo impiorū: *ſuſtinētes aūt Dominum ipſi hereditabunt terram*; ſubiecit poſteà q. qui nā ſint ſuſtinentes Dominū declarans; manſueti aūt hereditabūt terrā. Munus verò alterū manſuetudinis erga proximū docuit Paul. 2. ad

Digitized by Google

Timot.2.*seruum aũt Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientẽ eos, qui resistunt veritati.* Præclara sanè virtus mansuetudinis est, quæ hominem sui Dominum efficit, Deo subditum; improbis etiam vtilem, & commodum. Denique cæteris hominibus admirandum, gratum, & amabilem, de cuius laudibus lege eundem Ianſen. in hæc verba: *Beati mites*, cap.39.

Possidebunt terram] Desumptum id est ex Psal. 36. *mansueti autem hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*: inter mansuetos enim, & mites nihil differt, cùm vna sit apud Græcos, & Hebræos dictio, quàm Latinus interpres nunc mansuetum, nũc verò mitem interpretatur; est enim Gr. πραεῖς, Hebr. verò *anau*. verùm, loco, *possidebunt*, Gr. est κληρονομήσουσι *hereditabunt*. plus est autem hereditate accipere terram, quàm possidere, cùm multi possideant non hereditario iure.

17. *Quæ terra mitibus promittatur.*

Interl. *terram* intelligit *viuentiũ*: dicitur enim terra ob soliditatem, & stabilitatem, & vt ait Ambros. Lucæ 6. terram, à qua euelli non possunt.

Gagnæus in Matt. c.5. *indubiè*, inquit, *non de hac solum terra intelligendum est, cuius, bonorumq; eius possessio aut parum, aut nihil facit ad veram, solidamq; beatitudinem, sed præcipuè de terra viuentium;* (Chryso. & hanc etiam terram intelligit, nam quoniam vulgus censet eũ, qui mitis est, omnia sua perdere, etiam & hoc promittit Dominus: nam frequenter hi stabilius, & quietius sua possident, & homini mansueto totus mũdus patria est) *potest etiam corpus post resurrectionem glorificandum intelligi* (quod & D. Ambros. placuit, *post resurrectionem enim*, inquit, *terram tuã incipies possidere absolutus à morte; nam hic dicitur homini, terra es, & in terrã ibis.*) *Sed & consortiũ etiam intelligi potest, corporis Christi iam glorificati, vnde Hilar. possidebunt terram, id est, corpus Christi glorificatum, quia erunt conformes in corpore suo illi claritati.* Non videtur Hilar. ab Ambro. discrepare, per *corpus* enim *Dominicum* videtur intelligere corpus nostrũ configuratum corpori claritatis Christi. Propriè, ac præcipuè hîc per *terram*, cælum intelligitur, quod est *terra viuentium*, quod Hieronymo placuit iuxtà Psal. 26. *credo videre bona Domini in terra viuentium.*

18. Sed quamobrem, inquies, cælum *terra* vocatur? Resp. Nyssen. Christum cœlestem patriam, terram appellasse, ad hominum captum sese accommodando: ait enim; *quod si appellatione terræ, supernæ partes denominantur, nihil mireris; Ad humilitatem enim nostri auditus sermo quasi condescendendo se accommodat. Per verba, & nomina nota nobis, diuina mysteria tradit: his vocibus vtens, quas continet humanæ vitæ consuetudo*; quod verò D. Bernard. intelligat *corpus*, acceptãdum id est, tanquam moribus vtile, & allegoricum: possidet enim anima hominis mansueti corpus, ei motibus compressis dominans, & omnibus eius per mansuetudinem imperans appetitionibus.

19. Meritò mitibus, terræ solida possessio datur: nam, vt inquit D. Thom. 1.2.q. 69. a.4. *quærunt homines feroces, & immites per lites & bella securitatem sibi acquirere inimicos suos destruendo: vnde Dominus repromisit mitibus securam, & quietam possessionem terræ viuentium, per quam significatur soliditas æternorum bonorum*; Nec ferè differt ab hoc, quod habet Barra. hic lib.7. c.2. *arbitrantur*, inquit, *homines terram à viris bellatoribus, iracundis, potentibus, nullamq; iniuriam ferentibus possideri. at hi à terræ possessione tandem excludentur, mites verò post resurrectionẽ toti orbi terrarũ dominabuntur, cũ cælum nouũ erit, & terra noua*, Apoc.21.

A Rectè autem obseruat Ianſen. quoniam mites hic frequenter pelluntur suis possessionibus, promittitur eis voluntaria possessio totius terræ. cùm enim sint futuri heredes Dei, coheredes aũt Christi, simul cum ipsó hereditario quodã, & proprio iure possidebunt vniuersam hanc terram, cùm dominabuntur iusti omnibus impijs, & facta erit terra noua, subiicieturq; Christo orbis terrę vniuersus.

5. *Beati qui lugent*] D. Gregor. Nyssen. orat.3.de beatitudinibus; *cùm duo*, inquit, *sint sæcula, duplexque vita, atque item lætitia duplex, alia quidem in hac sæculo, alia verò in eo, quod per spem nobis propositum est, beatificum fuerit existimãdum, si quis portionem lætitiæ per vera bona in sempiternum sæculum recondat, tristitiæ verò munus in hac breui ac tẽporaria vita expleat, nõ in damno, ac detrimento ponens, si aliqua rerum earum priuetur, quæ in hac vita suaues, ac iucunda sunt, sed si dum illis fruitur, ac potitur, meliorum, ac potiorum bonorum iacturam faciat.* Hæc ille. 20.

B Interl. *Beati*, inquit, *qui lugent, scil. pro suis peccatis & aliorum, & desiderio cœlorum.* Ambros. in Luc.6. *cum sis*, ait, *pauper, & mitis, memento quia peccator es, & lugeto peccata tua*; Chryso. *beati*, inquit, *qui lugent peccata sua, sed beatiores, qui aliena.* Hierony. *sic fleuit*, inquit, *Samuel Saulem, & Paulus eos, qui post immunditiam pœnitentiam non egerunt*, 2. Corinth.12. *Qui lugentes beati.*

D. Augustin. de serm. Dom. lib.1. c.4. lugentes appellari putat illos, qui ob amissionem rerum, quas pro Christo reliquerunt tristitia adhuc afficiuntur: sic enim scribit; *Luctus est de amissione carorum, conuersi autem ad Deum, ea, quæ in hoc mundo cara amplectebantur, amittunt. non enim gaudent de his rebus, quibus ante gaudebant; & donec fiat in illis amor æternorum nonnulla mœstitia sauciantur.* Rectè, ex quibus licet intelligentiam huius beatitudinis desumere, nempè qui nam dicantur lugentes hic. Sunt enim, quibus perpetua est mœroris causa, nec habent vnde se in mundo consolentur, qui fluxas mundi voluptates contemnunt, & præsentis vitæ gaudia fugiunt, delicijs, risu, iocisque abstinent, propria, aliorumque peccata deplorant, præsentis vitæ exsilium, & miseriam deflent, & ad diuina, & æterna bona aspirantes dulces præ desiderio lacrymas effundunt. 21.

C Illud, quod quibusdam placuit, nullo mihi modo probatur; putant enim, beatos, qui lugent propter Deum oppressi, atque vexati, de quibus Dominus Ian.16. *plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* verùm cùm de his Dominus paulò inferiùs loquatur: *beati qui persequutionem patiuntur*, &c: non est verosimile de his nunc sermonem esse. 22.

D *Consolabuntur*] Interl. Spiritu paracleto, & æterna lætitia. Chryso. consolabuntur, indulgentiã consequuti. Augustin. lib.1. de serm. Domin. c.4. *consolabuntur*, inquit, *à Spiritu S. qui maximè propterea paracletus nominatur, id est, consolator, vt temporalia amittentes, æterna lætitiæ perfruantur.* Ianſen. *in præsenti etiam vita non aberit cœlestis ille cõsolator; Spiritus sanctus qui temporarium luctum inæstimabili mentis gaudio pensat, vt possint dicere cùm Paulo: quasi tristes, semper autem gaudentes. Et cum Dauide: secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Et paulò pòst: *De consolatione porro sempiterna, quæ manet sanctos in cœlis, lege Isai. vltimo, lætamini cum Ierusalem, & exultate in ea omnes, qui diligitis eam, gaudete cum ea, vniuersi qui lugetis super eam, vt sugatis, & repleamini ab vberibus consolationis eius, vt mulgeatis, & delicijs affluatis*, &c.

Hactenus

Hactenùs igitur tres beatitudines habuimus recto ordine inter se connexas, prima contemnit diuitias, sequens honores, tertia voluptates: quæ tria magnò sunt ad æternam, cœlestemque beatitudinem tendentibus impedimento, quæprius tollēda sunt, ne iactis in corde hominis radicibus, comparandis postea virtutibus obstent. De lacryma vide tom. 1. Biblio. Patrum, col. 38. B.

6. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam*] contemptis diuitijs, posthabitis honoribus, voluptatibus nuntio remisso restat, vt iustitiā ardenti studio inflammati quæramus, recto igitur ordine iam de iustitiæ desiderio agitur.

23. Hanc beatitudinem ita exponit D. Nyssen. orat. 4. de Beatitudinibus: *quoniam*, inquit, *vnus quidem genere appetitus est cibi, & potionis: diuersa vera ad vtrumq; horum affectio est, vt summum nobis boni desiderium præscriberet, beatos iudicat eos, qui duobus his affectibus (id est, vehementi desiderio, quod instar famis & sitis sit) ad iustitiam mouentur.* Et infrà: *omnis*, inquit, *virtus; iustitiæ nomine hic significatur, quam esurientes, & sitientes beatos iudicat Dominus, satietatem eorum, quæ expetuntur (vt scil. in summo bono omnia continentur) promittens.* D. August. l. 1. de ser. Dom. c. 5. *amatores*, inquit, *veri, & inconcussi boni, illo cibo saturabuntur, de quo ipse Dominus dicit: meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei quod est iustitia; & illa aqua, de qua quisquis biberit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Itaque hunc locum passim Patres exponunt de ardenti desiderio consequendæ iustitiæ, i. virtutis, ac sanctitatis. neque enim simpliciter *qui esuriunt & sitiunt*, dicitur, sed additur, *iustitiam.*

24. *Quinam esurire & sitire iustitiam dicantur.* Ruperti porrò expositio mihi non omninò displicet, vt *esurire, & sitire iustitiam* dicantur, quibus iustitia non administratur, quales sunt pauperes, viduæ, & pupilli, quorum iudicium à Deo, tam sæpè commendatur, Psal. 9. 18 Psal. 81. 3. Isai. 1. 23. Hierem. 5. 28. Ad quam expositionem addunt quidam de his intelligendum esse, Lucam cap. 6. qui propterea esuriunt; & sitiunt fame panis, & siti aquæ, quod ius illis suum non tribuatur, vel quod iniustè damnati sunt, aut quod ius suum recuperare non possunt, quia pauperes, aut quia iusti sunt, idque tolerant libenter propter regnum cælorum, primo Corinthior. 4. 11. secundo Corinth. 11. 27. Hebræorum. 11. ver. 37. 38. sed de Luca suo loco. His autem rectè saturitas tribuitur, qua vita æterna, & regnum cælorum significatur accommodatè ad hominum opinionem, qui cibum & potum magnam felicitatem putant. Gloss. *saturabuntur adepto, quod desiderant.* certè maiora sunt præmia Dei, vt ait Chryso. quàm Sanctorum desideria, vt proindè meritò dictum sit: *satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Cæterùm prima Patrū expositio verior est, ac germanior: nam hoc eodem ipso sermone *iustitia*, nec semel vniuersè sumitur, vt *attendite ne iustitiā vestram faciatis*, & cæt. & *nisi abundauerit iustitia vestra*; latius est ergo, vt eodem modo hic *iustitia* sumatur, cùm nihil appareat, quamobrem aliter debeamus accipere. Id verò quod additur expositioni Ruperti de fame panis, & siti aquæ, minimè cōsentit cum expositione Patrum, qua per famem, & sitim non corporalis panis, & aquæ penuriam, verùm spiritale desiderium, & ardens virtutis intelligunt. Mitto, quod secundùm hanc intelligentiam oportuit dixisse: *Beati, qui esuriunt, & sitiunt propter iustitiam*, at dictum est, *qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.*

25. Illud non dissimulandum, quod harum duarum posteriorum beatitudinum promissiones, simul cū oppositis saturorum, & ridentium comminationibus pulchrè sic continet Isai. 65. *ecce serui mei cō-*

A *medent, & vos esurietis. ecce serui mei bibent, & vos sitietis. ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini. ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis.*

7. *Beati misericordes*] Glossa habet: *misericordia iustitiæ lumen; iustitia misericordiæ virtus; misericordia sine iustitia, remissio & tepiditas; iustitia sine misericordia seueritas, & austeritas; initium, misereri sui; finis, pro alio mori, vt* CHRISTVS *pro peccatoribus.* rectè ergò misericordia iustitiæ nectitur, vt & Psalm. 24. 83. 88. Porrò sat rectè connecti hæc duo, misericordiam, & iustitiam, illud in primis ostendit, quod pro eodem soleat scriptura misericordiam vel eleemosynam, & iustitiam, vel sanctitatem ferè accipere. quare Iob. cap. trigesimo, ex operibus misericordiæ suam vitæ innocentiam, & sanctitatem B comprobat, vt versic. vigesimoquinto, & sanctus item pro misericorde, & benefico dicitur Psalm. 4. 4. Miche. 7. 2. iustitia pro eleemosyna, Psalm. 111. 6. 9. Prouerbior. 10. 2. Matth. 6. 1. 2. secundo Corinthior. 9. & quod nos habemus misericordia; vel eleemosyna, in Hebræo, aut in Græco est iustitia, Genes. 31. 10. Psalm. 23. 5. Daniel. 4. 25. Psalm. 102. 6. 18. elegans est in Hebræo transmutatio literarum cum similitudine, & sono *Hheset*, misericors, *Tsedehh*, iustus; & *Hheset*, pro sancto, & misericordi simul in sacro sermone, immò & apud Latinos; nam apud Ciceron. lib. 1. offic. leges: iustitia, in qua virtutis splēdor est maximus, ex qua boni viri nominantur, & huic coniuncta beneficentia, quam eandem, vel benignitatem, vel liberalitatem appellare licet, sic colludunt illa duo loca; Prouerbior. 21. 3. *facere misericordiam*, (Septuaginta *facere iusta*, Hebraice, *iustitiam*) *& iudicium magis placet Domino, quàm victimæ.* Et illud Miche. 6. 7. 8. *nunquid placari potest Dominus in millibus arietum? indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam,* & Hose. 6. *misericordiam volui, & non sacrificium.* sic obseruat Pined. cap. trigesimo in Iob. ver. 25. nu. 7. vbi n. 8. hæc subdit: *illa videtur esse ratio, quod iustitia, & sanctitas pro eleemosyna, aut pro misericordia accipiatur, quod videatur eleemosyna, & misericordia esse quasi primus iustitiæ fructus*, 2. Corin. 9. 10. *& quò solum iustitiæ pinguius fuerit, eò vberiores fruges eleemosynæ proferet.*

Cæterùm variè hic locus accipi potest, nam vel de eleemosynis potest hæc misericordia intelligi, quia hæc verè beatos homines facit. Matth. vigesimoquinto, ver. 34. 35. Luc. decimosexto, ver. 9. Psalm. 40. 1. Psalm. 111. 5. Prouerb. 14. 21. & 19. 17. Iob. 4. 7. Matth. 7. 2. Iacob. 2. 13. Vel accipi potest locus hic de omni misericordiæ genere, vnde Hieronym. misericordia, inquit, hic nō solum in eleemosynis intelligitur, sed in omni peccato fratris; si alter alterius onera portemus. sic Chrysost. Theophyl. & cæt. Gregor. Nyssen. libr. 5. de Beatitudinibus, ait, *in multis locis Scripturæ diuinæ, nōmine misericordis nominatur numen diuinum*, & cæt. *si ergo misericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud hic te sermo hortatur, nisi vt Deus fias, tanquam formatus, & insignitus propria nota Deitatis?* Et D. August. l. 1. de ser. Dom. c. 6. *Beatos*, ait, *dicit eos, qui subueniunt miseris, quod eis ita rependitur vt de miseria liberentur.* *Qui misericordes beati.*

Quoniam ipsi misericordiam consequentur] præmium adijcit misericordiæ humanæ, misericordiam Diuinam: *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, id est, à Deo. non aliter Deus misericordiam remunerat, quàm misericordia. verùm pro parua magnam rependit. Rectè 27.

ergò Iob.cap.31.20.ait, *si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est*: est enim latera benedicere Iobo, ipsos mendicos benedicere illi, ac benè precari, quòd sua ipsorum latera, & nuditatem protexerit, confouerit, & concalefecerit. Ad hæc, est eleemosynam etiam nemine loquente loqui, & egregiam viri beneficentiam prædicare, ita vt inane sit hypocritarum studium teste Christo Matth.6. 2. cùm facientes eleemosynam, tuba canunt ante se, cùm ipsa satis per seipsa eleemosyna vocalis sit. Neque verò vlla mẽdicorum ingratitudo, vel obliuio debet nos detrahere à benefaciendo, cùm ipsa eleemosyna, licèt inanimata Deo tamen loquatur, precetur quenobis à bonorum omnium largitore nõ modò parem, sed multo etiam copiosiorem gratiã, quod verbum *benedicendi* apud Iobum significat, & hoc est, quod Ecclesiast.29.15. legimus: *conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit* (licet tacente paupere ab omni malo) & Prou.19.17. *fœneratur Domino qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* immò verò quo obliuiosior, & impotentior mendicus fuerit, eo certior & copiosior erit gratiæ, & eleemosynæ retributio. Iam enim tunc videtur totum onus retribuendi in Deũ pauperis vadem refundi, Luc.14.13. *cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos*, &c. *ne fortè te, & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cũ facis conuiuium voca pauperes debiles, & claudos, & cæcos, & beatus eris; quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in retributione iustorum.* Denique & illud nota, adeò vocalem esse eleemosynam, vel misericordiam, vt aliorum etiam ora aperiat ad benedicendum nobis.

Mendicũ ingratitudo non debet nos à benefaciendo retrahere & cur.

28. *Quinam mundi corde.*

8. *Beati mundo corde*] Gr. est καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, id est, mundi corde, vel vt Aug. legit, *mundicordes*, vna voce. Porrò bifariam intelligi possunt mundicordes, vel casti, id est, procul ab omni labe venerea, quomodo videtur Theophyl. accepisse, quod maximè reddit mentem diuinæ cognitionis, ac visionis capacem: vt contra, nihil æquè mentis aciẽ hebetat ac venus; vel generatim, qui cor nullis inquinatũ vitijs, nullis infectũ malis cogitationibus nullis prauis desiderijs fœdatum possident; Denique simplex, minimeq; fucatum, ac duplex: sic Basil.q.280. nam explicans quisnam sit mũdus corde, Resp. *qui non reprehendit seipsum in reprobatione, aut defectu, aut negligentia mandati Dei.* idem sentit Ambros. nec longè abest Aug.l.1. de serm. Dom. in mont. c.7. *ergo*, inquiens, *stulti sunt, qui oculis istis exterioribus Deum videre quærunt, cum corde videatur; sicut* Sapien.1. *scriptum est: in simplicitate cordis quærite illum: hoc enim mundum cor, quod est simplex cor. Et quemadmodum lumen hoc videri non potest, nisi oculis mundis, ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud, quo videri potest.* Nec fortè aliud Gregor. Nyssen. orat.6. voluit; cùm dixit: *Deus spectaculo propositus est ijs, qui cor expurgatum habuerint.* D. etiam Hierony. eos mundo corde vocat, qui nulla peccati labe cor habent inquinatum. i. quos nõ arguit, vt ipse loquitur, conscientia vlla peccati. sic auctor imperfecti, sic D. Bern. vtraque Gloss. Denique passim ferè omnes; licèt D. Chryso. vtramque sententiam sequi videatur, & communem, & eam, quam dixi de castis: arbitratur enim appellari mundos corde, vel vniuersalem virtutem tenentes, & nullius sibi mali conscios; aut continentia conspicuos. nihil enim nobis est ita opus ad videndum Deum, vt istius puritate virtutis.

29. Propter quod Paulus ait, ad Hebr. 12. *pacem sectamini, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Nimirum Chryso. vt & Theophy. Theodoret. & OEcumen. putant sanctimoniam Græcè ἁγιασμὸν, id est, sanctificationem, significare castitatem. Et rectè ita exponi potest: sic enim interdum Paulus hanc vocem vsurpat; vt 1. Thessalon. 4. *hæc enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum.* Et Rom.6. *sicut.n. exhibuistis mẽbra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati & iniquitatẽ, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* vbi Riber. ad Hebræ.12.n.27. inquit, *iniquitatem appellasse videtur Apostolus, ad ulterium, immunditiam verò alias libidines, quæ fine proximi iniuria fiunt.* & 1. Timoth.2. *saluabitur autem per filiorum generationem si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione; cum sobrietate.* Potest tamen & sanctimonia ad Hebræos 12. accipi pro omni virtute, hominis mentem sanctificante, quæ animi puritas dici potest.

Nobis ea placet sententia, quæ communior est, vt eos mundos corde vocet hic Christus quos nullius peccati conscientia redarguit; nam si castos voluisset significare Dominus, proprio eos nomine vocasset. Videtur verò allusio quædam hic latere ad locum Psal.23. *quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? innocens manibus, & mundo corde*; vbi mundum cor, omne mentis vitium excludit; quare subdit: *hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob.* Hanc puritatem tribuit scriptura Iobo cap.1. *& erat vir ille simplex*: est enim ibi simplicitas innocentia animi impermista peccato, & incontaminata flagitio, in qua etiã puritate integritatem, & perfectionem Lyricus constituit, dum sic canit: *integer vitæ, scelerisque purus*, apud Græcos, *catharos*, est purus, mundus, impermistus, incontaminatus scelere aliquo; quod apud Ciceronem purum dicitur, integrum, candidum, omni admistione liberum, sic enim ait Dialog. de senect. animus omni admistione corporis liberatus, purus, & integer esse cœpit, sic Nyssen. lib. de anima, & resurrectione definit naturam simplicem; *simplicem*, inquit, *& vnius modi, voco eam, quæ in solo bono animaduertitur, & nullius mali communione permista est.* quare Iacobus capit. quarto, 8. dum animo duplices ad simplicitatem hortatur, hanc puritatem præcepit: *emundate manus peccatores, & purificate corda vestra duplices animo.* Paul. item 1. Corinth. 5.8. vult nos esse azimos *in sinceritate, & veritate*, id est, impermistos fermento malitiæ, & nequitiæ, quibus vitijs sinceritatem, & veritatem opponit. ergò sinceritas, quæ eadem est simplicitas, veritatem affert, rursus veritas malitiæ, & nequitiæ permistionem excludit.

30.

Ex his facile est, de ordine iudicare; Theophyl. ideò subiunctam docet hanc beatitudinem. i. castitatem post misericordiam, quod sint operibus misericordiæ dediti, qui tamen scortentur, ob id monere nunc Christum, vt cum alijs virtutibus etiam mundi sint non corpore modò, verùm corde etiam.

31.

Dicere item possumus idcircò post misericordiam succedere recto ordine cordis puritatem, id est, mentis integritatem, omne genus vitij excludentem; quia hæc effectus est luctus, & misericordiæ, purum enim hæ virtutes scelerum animum efficere solent.

Quoniam ipsi Deum videbunt] Benè quadrat præmium. *quis enim*, inquit Dauid, *ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? innocens manibus, & mundo corde.* quemadmodum enim speculum mundum & purum facilè recipit figuras, ita anima pura & munda Dei suscipit visionem: vt verò qui mundos habent oculos, melius, ac perspicacius colores vident, & imagines rerum, ita qui

puriores

puriores sunt corde, melius Deum videbunt. Nyssen. declarat. ora. 6, de beatitudinibus, præmij magnitudinem: *Promissio quidem certè tanta est, vt superet extremum terminum beatitudinis; quid enim aliquis post eiusmodi bonum, aliud desiderauerit, cùm omnia habeat in eo, quem viderit? nam videre in vsu scripturæ idem etiam significat, quod habere: quemadmodum illud* in Psal. 127. *vt videas bona Hierusalem*, idem quod inuenias, *significante verbo, &*: *tollatur impius, ne videat gloriam Domini*; *per non videre, non participem esse, Propheta significante. ergò qui vidit Deum, quidquid in bonis numeratur, per hoc, quod vidit adeptus est; vitam sine fine, æternam incorruptibilitatem, immortalem beatitudinem, regnum sine fine, letitiam continentem, verum lumen, spiritalem, & dulcem vocem, gloriam inaccessam, perpetuam exultationem, omne denique bonum.*

32. *Cor pro mente.* Postremò aduertendum est, *cor* accipi hic, vt frequenter in Scripturis metaphoricè pro mente, vt enim cor principium, & fons est omnium vitæ operationum, ita mens principium & fons est omnium cogitationũ, & affectuum. Interdum tamen cor metaphoricè sumitur tantum pro parte mentis intellectiua, vt cum cordi adduntur renes: *scrutans corda, & renes Deus*: nam per renes appetẽdi vis designatur. Cæterùm hic cùm *mundi corde* nominantur, pro tota mente sumitur cor.

33. *Origenis in signis sentẽtia de mundicia cordis.* Antequam ad sequẽtem beatitudinem gradum faciam, non prætermittam pulcram Origenis sententiam, ad mundandũ cor accommodatam; hom. namque 13. in Gen. explicans puteos Iaac quos terrà repleuerant Philistiim dicit: *si locum Dei requiris, cor mundum est locus eius*, &c. *Vide ergò quia fortè etiam in vnuscuiusq; anima, est puteus aquæ viuæ, Dei imago latens, & cælestis sensus*, &c. *hunc puteum Philistæi Dæmones, repleuerunt terra, quali terra? carnalibus sensibus, & terrenis cogitationibus*, &c *& ob id portauimus imaginem terreni. Nunc ergo fodiamus puteos nostros, & abijciamus ab eis terrã, ab omnibus sordibus purgemus eos, & inuenietis in eis aquam viuam, intra te enim est, & non extrinsecus venit, sicut & regnum Dei intra te est: & in domo sua mulier inuenit drachmam postquã accendit lucernam, & mundauit domum sordibus: & tu ergò si accendas lucernam, si adhibeas tibi illuminationem Spiritus Sancti, & in lumine eius videas lumen, inuenies intra te drachmam. intra te namque collocata est imago Regis cælestis.* Sed tali arte *vt obscurari per incuriam posset, deleri per malitiam non posset.* sed sordibus repleta est, obscurata est imago, *hãc in te videri non poterat, donec domus tua sordida erat immunditijs & ruderibus repleta. iste fons scientiæ intra te erat situs, sed non poterat fluere, quia Philistini repleuerant eum terra, & fecerant in te imaginem terreni. induxisti super hãc imaginem, aliam terreni, cùm te libido fuscarit induxisti vnum colorem terrenum; si verò & auaritiæ studeas, miscuisti & alium*; si superbiæ, alium; si ira corriperis, alium, &c. *& sic per singulas quasque malitias, veluti diuersis coloribus congregatis in te, terreni hanc depingis imaginem; orandus vt veniat ille, qui dicit per Prophetam Esai. 44. Ecce ego deleo sicut nubem iniquitates tuas, & sicut caliginem peccata tua, & cùm deleuerit omnes istos in te colores, qui ex fucis malitiæ sumpti sunt, tunc resplendebit in te imago illa, quæ à Deo creata est.*

34. 9. *Beati pacifici*] Gr. οἱ εἰρηνοποιοὶ, quod nomen propriè significat pacis conciliatores ab εἰρήνη, & ποιέω: hi verò à seipsis incipiunt: nam nisi ipsi pacifici sunt, quomodo alios in pacem, concordiamque reuocare poterunt? Hinc Hieronym. Matth. quinto: *Beati pacifici, qui primum in corde suo, deindè & inter fratres dissidentes pacem faciunt. Quid enim prodest alios per te pacari, cùm in tuo animo sint bella vitiorum?* itaque hic *pacifici* dici possunt, qui paci student. Quamuis verò Augustinus illos dicat pacificos, qui pacatos habent animi affectus, hi tamen vix à mitibus separantur. Quare hic præsertim pacifici accipiendi sunt, qui cum alijs pacem seruant, qui Gr. εἰρηνικοὶ, vt Psal. 36. *quoniam sunt reliquiæ homini pacifico*. & Psalm. 39. *cùm his qui oderunt pacem eram pacificus*; quibus locis habetur εἰρηνικὸς, præter hos autem eos etiam complecti debemus, qui alijs, vel Deo, vel proximis conciliandis studeant, & hos diximus esse eos, qui paci student, vel pacis conciliatores sunt, iuxtà Græcos οἱ εἰρηνοποιοὶ.

Quod verò pacificos intelligere debeamus etiam eos, qui ad Deum facinorosos homines adducunt, vt illi concilientur, cùm prius alieni essent; rectè declarat D. Basil. quæst. 215. quærit enim quisnam sit pacificus ille, qui à Domino beatus prædicatur? & respondet: *qui Domino cooperatur, iuxta Apostolum, qui dixit: pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo reconciliamini Deo*, 2. Corint. 5. *& rursus: iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum, nam pax, quæ aliter se habet, negata est à Domino, vbi ait; pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Gregor. item Nyssen. orat. 7. de beatitudinibus: *pacificus*, inquit, *est qui pacem alteri dat, at nemo præbere potest alteri, id quod ipse non habeat. vult igitur te priorem esse plenum pacis bonorum, deindè verò præbere eam indigentibus.* Gagnæ. breuiter, qui nam sint hic pacifici explicat: *non solum*, inquit, *qui pacem habent cum hominibus, sed & qui seditiosos pacificant, & ad veram pacem reducunt, sed etiam qui per doctrinam peccatores ad Deum pacis cõuertunt, pacifici dicuntur & propterea filij Dei appellantur.* 35.

36. *Ex his autem*, inquit Iansen. *iam intelligere licet, quare post superiores beatitudines septimo loco sequatur hæc, nimirum postquam quis mundus corde factus est, reliquum est, vt & alios Deo reconciliare studeat, ac dissidentes componere, quemadmodũ iam (per præcedentes beatitudines) suarum virium partes composuit.*

37. *Quoniam filij Dei vocabuntur*] quasi dicat, quia Dei similitudinem in se habebunt, eruntque illi similes Augustinus lib. 1. de serm. Dom. c. 8. *in pace*, inquit, *perfectio est, vbi nihil repugnat: & ideò filij Dei pacifici, quoniam nihil in his resistit Deo, & vtique filij similitudinem patris habere debent. pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subijcientes rationi, id est, menti, & spiritui, carnalesq; concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei: in quo ita sunt ordinata omnia, vt quod est in homine præcipuum, & excellens, hoc imperet ceteris non reluctantibus, quæ sunt nobis, bestijsq; communia.* vide item nu. 39.

38. Duplex porrò Hebraismus latet in his verbis; nam & *filij* vox apud Hebræos conformationem, similitudinemque significat, vt & in hoc ipso capite apud Matth. v. 5. *vt sitis filij patris vestri*, id est, similes. verbum etiam, *vocabuntur*, ponitur apud Hebræos non raro pro, *erunt*, Genes. 21. 12. *in Isaac vocabitur tibi semen.* Quamquam hic, *vocari*, significare videtur, ita esse aliquid, vt appareat, & omnium ore celebretur: & ita pacifici non solùm filij Dei erunt, sed ita erunt, vt mundus ipse, qui eos ante stultos reputabat, filios Dei confiteri, ac venerari cogatur, præsertim verò ad extremum iudicij diem Sapient. cap. 5. 3. 4. 5. *Hi sunt*, &cæt. *nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.*

39. Porrò pacifici similes Deo dicuntur, & quia Deus non est dissensionis Deus, sed pacis; & quia Dei filium Christũ imitantur, cuius est officiũ homines Deo reconciliare; quique pacem de cælo ad terras deduxit, & quia pacifici ob edomitas concupiscentias summa fruuntur quiete, & tranquillitate; vnde fit vt in eis nihil Deo resistat, sed quod excellẽs est deteriori dominetur: pacifici enim esse nequeunt qui mansuetudinem nõ sunt assequuti, & reliquorum affectuum compressionem; quomodo rectè August. dixit pacificos esse, qui pacatos habent animi affectus, quamuis reuera hi inter se distinguantur.

40. *Septem beatitudines, propriè octaua signum aliarum.*

10. *Beati qui persecutionem patiuntur*] Beatitudines propriè septem sunt, conficientes veluti gradus septem, per quos ad perfectionis culmen peruenitur, & ad beatitudinem ascenditur. Octaua porrò, quæ dicitur beatitudo est loco signi ad explorandum, num quis reuera per hos gradus ad perfectionem ascenderit nec ne; hoc enim signum est attigisse quempiam summum perfectionis gradum, si libenter persequutiones toleret iniustè illatas; sicut enim aurum in fornace, sic iustus tribulationibus probatur, vnde Augustinus, *octaua ad caput redit, quia perfectum ostendit, & probat.*

D. Thomas Augustinum sequutus 1.2. quæst. 69. art. 3. ad 5. sic scribit: *Dicendum, quod octaua beatitudo est quædam confirmatio, & manifestatio omnium præcedentium, ex hoc enim quod aliquis est confirmatus, in paupertate spiritus, & mititate, & alijs sequentibus, prouenit. quod ab his bonis propter nullam persequutionem recedit, vnde octaua beatitudo quodammodo ad septem præcedentes pertinet.* Sunt enim persequutiones veluti lapis quidam Lydius, ad quem Fides, Patientia, ac reliquæ virtutes probantur, quod disertè significasse videtur, Ioan. cap. decimotertio Apocal. ver. 10. *hic est Patientia, & Fides iustorum.* i. ad huiusmodi lapidem probatur, Fides & Patientia iustorum, quod præcipuè verum erit, alienissimis illis, sub Antichristi tyrannide, temporibus.

41. Rectè igitur Chrysostom. in ea, quæ citat Paulus in epistol. ad Hebræ. 12. ex Prouerb. 3. *quem enim diligit Dominus castigat*: ait; *non potest dicere, quia est iustus aliquis, qui expers tribulationis existat, etsi sic nobis videatur, sed nos ignoramus alienas tribulationes. proindè necesse est, omnem iustum per pressuras, tribulationesque transire,* &cæt. nimirum, vt perfectus euadat. meritò item dicitur à Salomone Prouer. 3. *Fili mi noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris, dum ab eo argueris, quem enim diligit Dominus castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit,* vt enim notat Ribera ad Hebr. 12. num. 15. *cùm filius omnis, & si bonus sit, quædam habeat corrigenda, veri patris est corrigere, & vt illa deleantur, & vt rebus huiusmodi non assuescat; Chrysost. non dixit, omnis qui flagellatur filius est, sed omnis filius flagellatur.* Sunt quidem plurimi, qui flagellantur, maligni, sicut homicidæ, latrones, sepulcrorum deprædatores; sed illi pro sua iniquitate supplicia patiuntur, nos autem sicut filij. &cæt. quod rectè conuenit in hunc locum Matthæi, vbi non dictum est: *beati, qui persequutionem patiuntur.* sed confestim additum est:

42. *Propter iustitiam*] id est, quia iusti sunt, & iustitiam sequuntur, vt quia Christiani sunt. Deniq; propter rectè & iustè factum, sic August. de hæreticorum persequutionibus loquẽs l. 1. de ser. Dom. in mont. c. 9. *multi*, inquit, *hæretici, nomine Christiano animas decipientes, multa talia patiuntur. sed ideò excluduntur ab ista mercede; quia non dictum est tantum, beati qui persecutionem patiuntur; sed additũ est, propter iustitiam; vbi aũt sana fides nõ est, non potest esse iustitia,* quia iustus ex fide viuit, & de schismaticorum quoq; persequutione subdit: *Neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittãt, quia similiter vbi charitas non est, non potest esse iustitia, dilectio enim proximi malum non operatur, quam si haberent nõ dilaniarent corpus Christi; quod est Ecclesia.* rectè, nam diaboli filios infidelitas facit, vt ostendit Augustin. 3. contra epistolas duas Pelagianorum cap. tertio, similiter & qui charitate carent, seque ab Ecclesiæ vnitate separant filij sunt tenebrarum: ergò beatos dixerimus eos, quos DEVS persequutionibus, & tribulationibus purgat, quia filiorum loco Deo sunt: hoc enim est, *flagellat autem filium, quem recipit,* id est, vt interpretatur Theophylactus, quem approbat, quem præ cæteris assumit, & familiarem amicum sibi conciliat. Audiamus ergo Apostolum eodem loco monentem nos, vt in disciplina perseueremus, quia si extra disciplinam fuerimus, adulteri, & non filij erimus, id est, adulterini, nõ filij simpliciter: in Græco est, νόθοι. neque aliter Deus hominem ad perfectionem adducit, perfectumque, sibique charissimum declarat.

Imò verò & reges facit Deus, quos per patientiã & tolerantiã perficit. Hinc Apoc. 5. 10. viginti quatuor illi Seniores ad regni gloriam, & coronam euecti per laborum perpessionem procidentes dicunt agno; *fecisti nos Deo nostro regnum, (reges* ex Græco) *& Sacerdotes, & regnabimus super terram;* quòd sic explicant Scholia græcanica; per tolerantiam afflictionũ, regni victoriæ corona insignitos, vt non mirum sit si hic legamus tolerantibus, & patientibus persequutiones regnum cælorum promitti.

Non est in præteritis habendum id quod eleganter expendit Gregor. Nyssen. libro de beatitu. vbi tractat hanc beatitudinem; ponderans enim nomen persequutionis, quæ currentium est, & alios cursu superare contendentium, sic scribit: *martyrum nobis stadium ostendit, & fidei cursum designat, nam persequutio currentis vehemens studium celeritatis significat; immò verò etiam in currendo victoriam indicat; non enim aliter currendo quis vincere potest, nisi post se reliquerit eum qui simul currit. quoniam igitur is, qui ad præmium supernæ vocationis currit, & is qui propter præmium ab inimico exagitatur, pariter a tergo habẽt, ille quidem de præmio simul certantem, hic verò persequentem (hi autem sunt, qui martyrij cursum, in certaminibus pro pietate susceptis, conficiunt, quos inimici quidem persequuntur, sed non assequuntur) videtur caput, & summam in spem propositæ beatitudinis, veluti coronam quandam in postremis proposuisse verbis; Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hæc ille. 43.

Itaque contemplatur Nyssen. iustum, & tribulationem simul currere, sed cùm ille tribulationi non cedit, quasi victorem antecedere, & tribulationem à tergo currere, & idcircò appellari persequutionem, non consequutionem, quia persequitur, & non assequitur. Itaque vult illud indicari, sanctos per patientiam velocissime currere ad brauium gloriæ, & in laboribus maximè elucere Sanctorum in currendo vigorem, & fortitudinem.

Quoniam ipsorum est regnum cælorum] patientibus enim tanquam pugnantibus rectè regnum cælorum promittitur, pro quo pugnant, & ideò cùm Deus augere, & amplificare vult præmia iustorum, & offert, & affert mille patiendi opportunitates, quia patientiæ in primis, & tole- 44. *Patientibus regnum promittitur, & quod.*

rantiæ

rantiæ præmia promitti ſolent in ſcripturis, ſecund. Timoth. 2. 12. Luc. 24. 20. Hebræ. 6. 12. & 10. 36. & 12. 2. ac ſi merita non tam aliarum virtutum actionibus, quàm ſolius patientiæ conſtent. pari namque analogia, ſicut glorificationis ſuæ, & noſtræ redemptionis meritum, non tam in prædicatione, ac operibus miſericordiæ, quàm in paſſione ſua Dei filius conſtituere potiſsimum voluit; *oportuit enim Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*: ſic ſanè noſtræ ſalutis, & efficacitatis ſuæ paſſionis, non tam in aliarum virtutum imitatione, quàm in paſſionis, patientisque tolerantiæ ratione collocauit. hinc Paulus: *ſi tolerabimus, & conregnabimus*; regnum ergo cælorum violenti rapiunt, & qui pugnant obtinent, tanquam coronam victoriæ & patientiæ præmium.

45. Ex his in promptu eſt rationem videre, quare hic poſt beatitudines, potiſsimum verò poſt pacem, laborum, & patientiæ, ac tolerantiæ mentio fiat; nimirum vt intelligamus Chriſti pacem coniunctam eſſe debere cum ſpiritali bello, ac tolerantia paſſionum: & hoc eſt illud Pauli Coloſſ. 3. 15. *pax Chriſti exultet in cordibus veſtris*. Gr. βραβευέτω, q.d. palmam, præmium, coronam referat, quæ tamen non niſi egregiè pugnantibus debentur, & quæ nam eſt pax Chriſti alia, niſi illa de qua Ioan. 14. dicit Chriſtus: *pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis*. videlicet, non temporalem, quæ excludit belli incommoda, perſequutiones, hoſtes, inſidias, ſed quæ ingentia damna ſuſtinet, & perfert; & ideò ſuam pacem cum mundi perſecutionibus, & pertinaci dimicatione cum immaniſsimis hoſtibus coniungit, Ioan. 16. *hæc loquutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis: in mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.*

46. D. Bernard. paupertati in prima beatitudine & martyrio in hac octaua promiſſum eſſe vult regnũ cælorum, quoniam paupertas quoddam martyrij genus eſt. Item propterea à pauperibus, pariter & martyribus regnũ cælorum promittitur, quia paupertate emitur, ſed in paſsione pro Chriſto abſque omni dilatione percipitur: putat enim D. Bernar. hãc beatitudinẽ ad martyres ſpectare, quare martyrum prærogatiuam vocat, quãuis reuera non ad martyres tantum, ſed præcipuè ſpectet, vt proinde rectè Theophyl. ſcripſerit: *non ſoli martyres, ſed & multi perſequutionem patiuntur, quia iuuant iniuria afflictos, & in ſumma omnẽ virtutem fouent; iuſtitia enim eſt omnis virtus.*

Auguſt. verò intelligit ideò primæ beatitudinis mercedem hic in octaua repeti; vt per hoc, quo reditur ad caput, oſtendatur perfectio eorum, qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiã, quodque eis tãquam omninò perfectis cõpetant omnia illa ſeptem, quæ poſita ſunt, quibus homo perficitur. Quare meritò D. Thom. 1. 2. q. 69. ar. 4 ad. 2. ijs, quæ dicit Auguſt. conſentanea ſcribens, ait: quod *ſicut octaua beatitudo eſt quædam confirmatio, ſeu firmitas omnium beatitudinum, ita debentur ſibi omnium beatitudinũ præmia; & ideò redit ad caput, vt intelligantur ſibi conſequenter omnia præmia attributa.* Ambroſ. verò intelligit, ideò iam repeti promiſsionem regni cælorum, quod regnum cælorũ bis iuſtus conſequatur; primùm ſecundũ animam in depoſitione corporis; deinde etiam ſecundùm corpus poſt reſurrectionem. Itaque vt ait D. Thomas ex Ambroſ. loco cit. art. 4. ad 2. *pauperibus ſpiritu repromittitur regnum cælorum quantum ad gloriam animæ, ſed paſſis perſequutionem in corpore, quantum ad gloriam corporis.*

47. 11. *Beati eſtis cùm maledixerint*] Quod generatim ver. præcedente propoſuerat, nunc ſpeciatim, & diſtributius explicat. Lucas vt notat Ianſe. ſuas beatitudines enarrans, quatuor malorum mẽbra poſuit; *cùm vos oderint homines, & ſeparauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen veſtrum tanquam malũ*. quorum primum pertinet ad interiorẽ affectum, ſecundum, & quartum ad externam operis perſequutionẽ, tertiũ ad linguæ iniurias. Matth. verò tantũ tria ponit mala: *cùm maledixerint vobis homines, & perſequuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos*. quorum primum idem eſt cum eo, quod habet Lucas, *& exprobrauerint*, hoc eſt probris affecerint. Eſt enim græcis eadem dictio ὀνειδίσωσιν, i. *probra in vos iecerint*, quod ſic à tertio Matthæi membro vult differre Aug. vt maledictio vel opprobriũ referatur ad eos qui præſenti contumeliam verbis inferunt; dicere autem omne malum aduerſus aliquos, referatur ad eos, qui abſentibus detrahunt, & omne (i. quodvis) criminum genus illis imputando.

Quatuor malorum membra.

B *Perſequuti vos fuerint*] pertinet hoc ad operis, & facti iniurias, nec accipitur tam generaliter, quàm vel in ſuperiori beatitudine, vel poſteà cum dicitur; ſic enim perſequuti ſunt Prophetas, & cæteros; ſuperiùs perſequutionẽ latius ſumpſit. nam vt inquit Gloſſ. fit perſequutio, odio, dictis, factis.

Mentientes propter me] nam vt inquit Auguſt. epiſt. 61. pœna non facit martyrẽ, ſed cauſa, nempè quia propter Chriſtũ toleratur. Dictum eſt autem, *mentientes*, quia vt inquit Hierony. Matth. 5. illud maledictum contemnendũ eſt, quod beatitudinẽ creat, quod falſo maledicẽtis ore profertur. vnde Dominus definit quæ ſit beata maledictio, dicens: omne maledictum aduerſum vos, mentientes propter me. 48.

12. *Gaudete & exultate*] Interl. *quia pro iuſtitia, gaudete mente, & exultate corpore*. vult ergo perſequutionẽ non patiente modò animo, ſed cum gaudio, & exultatione tolerari iuxta illud Rõ. 5. *gloriamur in tribulationibus*: quam exultationem, & gaudiũ parit cœleſtis gloriæ contemplatio, *quoniã*, inquit, *merces veſtra copioſa eſt in cælis*. Auctor imperfecti: qui concupiſcit inquit quæ in cælo ſunt, opprobria non timet in terris. nec cogitat, quid loquantur homines propter ipſum, ſed quid iudicet Deus de ipſo. 49.

C *Quoniam merces veſtra*] Luther. omittit, quoniam, ex Vega, contra cõmunem exẽplariũ fidem. Gagn. eleganter ſic ſcribit: *torquet hoc loco plurimũ quoſdã, verbũ mercedis, quod à merendo, ſicut & meritũ venit, non intelligentes, quid mercedis, ac meriti nomine catholici intelligãt; non n. ſic appellant, quaſi natura debitor cuiquã ſit Deus. ſicut. n. paterfamilias nõ erat obnoxius quemquã operariorũ in vineam ſuã mittere, & pro collocata opera denariũ conferre, vbi tamen conduxit, & illi laborauerũt, & illi denarium merentur, & ille debet; quamquã ex pacto tantum: ita tamen vt iniuriam quodammodo faciat ſi nõ reddiderit. vnde murmurati illi, qui totius diei in colenda vinea, pondus, & æſtus ſuſtinuerat, reſpondit: amice non facio tibi iniuriam, nónne ex denario conueniſti mecum? tolle quod tuum eſt & vade. Quod ſi ſuus eſt eius qui laborauit denarius, iure à paterfamilias repetere poſſit negante; ſimiliter ex conuento debitor nobis eſt Deus, cuius tanta eſt in ſuos filios liberalitas, vt ſua in nos dona, noſtra faciat merita. quanquam non ignoramus. ſic nulli debitorem Deum eſſe, vt vocare illum in ius poſſemus, qui quicquid boni perfecerimus, quod pro eo ſupplicia pertulerimus, ipſe dedit, vt poſſemus, & faceremus, quodq; dedit, gratis dedit. Neque tamen ſic gratis dedit, ideò non meremur. certum eſt enim, quidquid boni recenter agat homo. Dei gratia deſtitutus, mereri pro eo non poſſe: contra, Dei gratia adiutus, ſi vel tantillam, in faciendis mandatis operam nauauerit, tanta eſt eius liberalitas, tanta gratiæ ipſius vis, & efficacia, vt verè me-* 50. *Mercedis nomine quid Catholici intelligant.*

veri dicamur, non quod tale sit opus nostrum secluſa gratia, vt vita ei debeatur æterna; ſed tantum eſt diuinæ gratiæ pondus, vt minimum opus noſtrum bonum ſibi coniunctum dignum æterna vita faciat. Non ergo vitemus vocabula mercedis, & meriti, cùm non abhorruerit ſcriptura: nam Eccleſiaſt. 16. dicitur, omnis miſericordia faciet locum vnicuique, ſecundùm meritum operum ſuorum. Hæc Gagn. quibus adde claritatis cauſſa, quod licèt verum ſit, opera noſtra quatenus à gratia procedunt, vi, & natura ipſius gratiæ habere quandam proportionem condignitatis ad præmium, vt Scholaſticè loquar, nihilominùs verum etiam eſt eis non deberi ex propria iuſtitia præmium, niſi in promiſsione & pacto Dei fundetur, vt docet Bellarm. lib. 5. de Iuſtificatione, c. 14. Hoſius in confeſſ. polo. c. 73. vbi docet hanc eſſe Scholaſticorum ſententiam: neq; enim Deus abſq; pacto & promiſsione poteſt conſtitui ſimpliciter debitor, ita, vt ſit iniuſtus negando debitum. Hæc hactenùs.

51. *Copioſa*] Non hic definiuit, vt in beatitudinibus mercedẽ, ac præmium, ſed indeterminatè dixit: *merces veſtra copioſa eſt in cælis*, ad ſignificandã magnitudinem præmij, quod nulla menſura exprimi poteſt: eſt enim regnũ poſſeſsio terræ, conſolatio, ſatietas, miſericordia immenſa, viſio Dei, ſimilitudo, & hæc omnia adhuc non exprimunt immenſum gloriæ pondus.

52. *Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos*] Chryſ. in hom. *monſtra*, inquit, *eos Prophetas iam factos.* At Remigius ait, *mementote vos eius eſſe Apoſtolos, cuius illi prophetæ.* Gloſſ. *exemplo prophetarum temperat rigorem paſſionis*, & rectè. nam vt habet Interl. ſuper verbum, *ſic*, id eſt, maledictis, & perſequutione perſequti ſunt Prophetas, nec tamen à veritate defecerunt, quorum prophetarum exempla vos inuitant, quorum prophetias in me completas videtis, cur ergo non poteſtis, quod illi ſine exemplo?

53. *Apoſtoli cur ſal vocati.* 13. *Vos eſtis ſal*] vſurpauit Chriſtus hanc ſalis ſimilitudinem, ſed alia occaſione Marc. 9. 50. Luc. 14. 34. Chryſoſt. in hom. inquit, *quia excelſa præcepta dederat, eos laudibus mitigat.* Auguſt. lib. de ſerm. Dom. aſsignat cauſam, cur hoc dicat Dominus: excitauerat Chriſtus Apoſtolos paullò antè ad ſummam vitæ perfectionem, & ad tolerandas perſequutiones: reddit nunc cauſam, cur tales eos eſſe velit, quia ſal terræ futuri erant, quæ eſt vera ratio connexionis. vide ver. 14. nu. 65. paulò inferiùs, vbi ex Chryſoſt. ſententia confirmatur idem ſenſus, & declaratur §. ſed illud hic, rectè autem ſalem vocat, nam vt inquit Gloſſ. ſterilem reddit terram, vnde victores deſtructas vrbes ſale ſeminabant, ne quid oriretur. Apoſtoli verò peccati regno deſtructo, germen vitiorum cõpeſcere debebant; Deindè ſine ſale non ſapit cibus, & vix nutrit, quòd enim ſapit, nutrit, ſic inſulſus eſt omnis, & inutilis ſermo ſine doctrina Apoſtolica; & vt alij inquiunt, id quod eſt in cibis ſapor, idem eſt in hominibus ſapientia, dat enim rebus inſipidis ſaporem ſal; & vita, ſapientiaque Apoſtolica eſt loco ſalis in perſequutionibus, & tribulationibus. rebuſque ſenſui difficilibus, dum illæ animo verſantur.

Ad hæc, Philo. de offerentibus victimas ait: *ſal conſeruator eſt corporũ, ſecundo poſt animam ordine, quod ſcilicet diutiſsimè tuetur ea.* Doctrina verò Apoſtolica homines in bonis moribus confirmat, & conſeruat; & id eſt quod paſsim dicimus, ædificat; quare Hilar. in Matt. ait: Apoſtoli ſunt rerum cæleſtium prædicatores, & æternitatis veluti ſalitores (Alij legunt *ſatores*) meritò ſal terræ nuncupati, quia per virtutem doctrinæ quaſi ſalientes corpora, æternitati ſeruant. Aliter Gagnæ. *Salis*, inquit, *eſt condire, & quod condieris ſapidum reddere. Itaq; ſalem Apoſtolos Chriſtus appellat, vt qui antea infideles, & inſipidi erant, fidei prædicatione, & confeſsione ſapidos reddant.*

Sal vnde conficiatur.

His adde: Fieri ſalem ex aqua, ſcil. Spiritus S. & igne tribulationis, nimirũ ſic Apoſtoli in ſalẽ cõuerſi ſunt. quemadmodum verò vt aqua marina in ſalem vertatur, ex mari extrahatur oportet, ſoliſque radijs exponatur, & quaſi incẽdatur, ſic Apoſtoli de mari mũdi huius educti, ac veri ſolis, nempè Chriſti, radijs expoſiti, & inflãmati ſunt, vnde in ſalem optimũ euaſere, qui quidẽ vim habet detergendi, quod Gagn. hic affirmat; *ſalis enim*, ait, *eſt detergere, & à putredine ſeruare, nec ſine mordicatione; ſic Apoſtolos, & prædicatores auditorum vitia detergere oportet, quod non abſque mordicatione fieri ſolet: neque enim auditoribus blandiri debent, nihilque dicere quod eos perſtringat.*

54. Cæterùm temperanter, vt aduertit Pined. in c. 6. Iob. ad v. 5. n. 6. ex Iſidoro, in oratione ſal adhibendus, vt in audientiũ animos influat: nimius. n. ſal vrit, & amaritudinẽ efficit. correptiones, & exhortationes, neque frigidæ, & languidæ, neque nimiũ acres, aut mordaces ſunto, vt *puerbio* monemur, quod à Plutarcho inter cõuiuiales qq. refertur: ſale, & cymino tenus amici. Quare non eũ ſolũ, qui in cruna aliqua eſt, ſalẽ, & oleũ coemere oportet, vt Ariſt. in Rheto. dixit: quo ſalis acrimoniam, & fortunæ acerbitatẽ tẽperet, & leniat honeſtis actionibus; verùm multò maiori iure illum, qui medici officiũ obit, ſali oleum addere oportet, ne plus ſatis erodat, aut mordeat ægrotantis animum; neuè vt Horat. ait Saty. 10. *multo ſale defricet, vitia*, quod qui non ſeruant eijciũtur foras, & conculcantur ab hominibus. Quod de ſe quoq; Hecebolius ſophiſta publicè aliquando profeſſus eſt, nam vt refert Niceph. Callis. ſe humi proſtrauit, ante templi veſtibulum, atq; exclamauit: *proculcate me ſalem inſenſibilem.* ergò doctrina, atque ſapientia, ſine prudentia & ſalis moderatione inſulſa eſt, & plerumque inutilis.

55. *Salis & ſalis vilitas.* Cæterùm ſale, & ſole nihil vtilius, vt eſt in prouerbio, adducituráque à Plin. lib. 31. c. 9. quare ſuos illos perfectos Sapientes, atq; Doctores ſalem, & lucem Chriſtus appellat; Porrò ad hos vitæ magiſtros pertinet, vt ægrarũ mentium palatũ irritẽt, audientiam faciant, auiditatem excitent; ea eſt enim ſignificatio ſalis: quare macilentis, & qui cibum non ſentiunt, præſcribebat Apollonius ſalſamenta, atque ſubſalſa, vt Plutarchus refert in ea quæſt. quare pecori paſtores ſubiiciunt ſalem.

56. Cùm ergò tam multiplex, támq; vtilis ſit natura ſalis, & vſus, & Apoſtoli ſal terræ quidam, cæleſtis tamen, ac diuinus ſint, conſtat quàm neceſſarius ſit ſal iſte Apoſtolicus, quo quia carent hæreticorum libri, mores, dogmata, ideò inſulſa ſunt eorum dicta, & facta, & cõtra naturam ſalis, omnia, ad quæ accedunt, corruptioni, & interitui obnoxia reddunt. In omni ſacrificio iubebat Dominus ſal admiſceri Leuit. 2. *Quidquid obtuleris ſacrificij ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo, in omni oblatione offeres ſal*; hoc multò præſtantius in Apoſtolicum ſalẽ conuenit, nam nil Deo placet, quod ſine Apoſtolico ſale apponitur audientibus, vel Deo ipſi offertur.

57. Ex hoc ipſo præcepto fortè factum eſt, vt ſalis pactũ, vel fœdus ſalis, de quo nu. 18. 2. Paral. 13. Leuit. 2. dictum ſit perpetuum, vt nu. 18. videre eſt, nimirũ quia in omni oblatione ſal adhibendus erat; niſi malis dicere, ideò perpetuum dictũ, quia ſalis natura immortalitatẽ quãdam, ac perpetuitatem quodammodo impertit, à putredine præſeruans.

Digitized by Google

Oleaster n. 18. & Leu. secundo. in omni pacto salem olim testatur adhibitum, quo pacti incorruptio, ac firmitas significaretur; sed me diu detinuit salis pertractatio, & dum palatum oblectat, scribentem me pertraxit, vt præter morem Scholiorum longius progrederer.

58. *Cibus sine sale fatuus.* *Quod si sal euanuerit*] Græcè μωρανθῇ, hoc est, *infatuatus* fuerit, nempè redditus insipidus sapore, & acrimonia amissa: illud ergò, *euanuerit*, est, inefficax factum fuerit, sapore suo, & acrimonia vacuum. est autem translatio ab homine desumpta. Nam sicut insulsum à cibo transfertur ad hominem, ita fatuum ab homine transfertur ad cibum. Hinc Martia. betas, quod insipidæ sint *fatuas* vocat, eodemque modo ouum sine sale vocari posset *fatuum*, aceſcit enim sine sale, & mouet stomachum, adeò vt sine sale infausti, atque ominosum aliquid significet. fortè etiam dæmoniacum, atque mortalium vitæ, & incolumitati infestum, & inimicum, vt ait Pineda loc. cit. quam rem à maleficis strigibus desumptam esse Bernardinus Gomesius suo illo erudito de sale opere docuit: experientia quippè, & lamiarum confessione compertum est, dum dæmones opiparum conuiuium instruunt salem non apponere, non enim amicitiæ illa mensa est, atque adeò oua sine sale edenda proponunt. Sed hæc obiter.

59. Accidit autem hoc Doctoribus, vt infatuentur, si vel malè doceant, ac falsa, vel pessimo exemplo sint, id est, sapore fidei, prudentiæ, & religionis destituti fuerint. Oportet etiam prædicatorem non modò fidelem, ac religiosum esse, sed prudentem etiam, qui norit, quid, quibusve prædicandum pro hominũ statu, & conditione, vt pro tempore, causa, & loco, nunc asperum, nunc lenem, nunc moderatum se gerat. Ideò dicebat Dominus Marc. 9, *habete in vobis sal.*

In quo salietur?] impersonaliter, id est, per quid sal virtutem saliendi recuperabit? quasi dicat, per quid eius virtus restituetur? vt sit sensus: si doctor malè doceat, vel malè viuat, quo alio doctore emendabitur, vt inquit Hieronymus, vel vt inquit Gloss. per quos à vobis error auferetur? doctor enim non est doctorum, non quod doceri, & corrigi non possit, sed quod fieri non soleat, aut quod difficilè fiat.

60. Hinc patet non rectè eos interpretari hunc locum, qui non de ipsomet sale, sed de rebus alijs sale condiendis intelligunt, quasi sit sensus: per quid fiet salitio, & conditura? non erit, vnde reliqua insulsa saliantur, & condiantur sale iam corrupto, quomodo accepit Erasmus in paraph. vbi sic explicat, locum hunc; *quid tandem erit reliquum, quo multitudinis insulsæ vita condiatur?* verus quidem sensus est, sed non is quem Dominus significat, vt patet ex Marco capite nono, vbi eadem sententia ponitur alio licèt tempore, & occasione; sic enim habet: *si sal insulsum fuerit in quo* illud nempè sal *condietis*, vel vt habetur Græcè *in quo illud condietur?* est enim, ἀρτύσετε. & hoc idem indicant, quæ sequuntur verba apud Matth. immò & apud Luc. c. 14. post eandem de sale parabolam, sequitur enim, *ad nihil valet vltrà*, scilicet, quod & insulsum est, & non possit reparari, vt iam exponemus.

61. *Infatuati salis duo mala doctoribus applicata.* *Ad nihilum valet vltra*] id est, inutilis est, Duo mala enumerauit infatuati salis, primum quod est irreparabilis, dum dixit: *in quo salietur?* carent enim doctores, ac pastores ferè reparantibus eos pastoribus, ac doctoribus alijs. Alterum malum est inutilitas, quod hic ponitur. Porrò reliquæ res etiam consumptæ vel fractæ sæpè vsui sunt alijs rebus, vt corruptus cibus, est vtilis bestijs, sic trita vestis &c. at sal si infatuatus fuerit ne instar quidem sterquilinij aliquid valet: nam & terram ste-

A rilem reddit. dicit autem *in sterquilinium*, quia quædam corrupta vtilia sunt ad parandum sterquilinium vtile terræ; sic doctores præsertim hæretici infatuati ad nihilum valent vltra, nisi vt ignis pabulum sint, vnde rectè August. eos cimicibus comparat, nam viui mordent, mortui fœtent. Vide item n. 63.

62. *Nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*] id est, nisi vt in publicam viam eijciatur, & à prætereuntibus conculcetur. Propriè dicuntur cõculcari ab hominibus hi, qui pro nihilo ducuntur, Ecclesiast. 9. *omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur*, dicit autem, *ab hominibus*] hoc est, ab vnoquoque prætereunte, seu passim, seu vulgo. Aug. *non conculcatur, qui patitur persequutionem (est enim in cœlo corde fixus) sed qui eam timendo infatuatur.*

63. Itaque quicumque doctorum, vel prælatorum, vel amore laudis, vel cupiditate pecuniæ, vel studio voluptatum, vel metu infamiæ, damnorum denique mortis, vel errore aliquo debitum illum vigorem amiserint, infatuati in duo ista mala incidunt, & quod irreparabilis sit illorum fatuitas, & insipiditas; & quod inutiles prorsus euadant. De hoc loco vide Gregorium homilia decimaseptima in Euang.

64. 14. *Vos estis lux mundi*] nempè doctrina, & exemplo, quos priùs salem, nunc quodammodo solem, hoc est, lucem appellat, nam non modò delecti erant ad condiendum mores, & affectus hominum, verùm etiam ad expellendum verbis, & opere densissimas hominum tenebras. Dixi quodammodo, solem appellari, quia re vera esse solem Christo conuenit; potiùs Apostoli lux sunt, qualis est lucerna, ab alio lumen suum mutuans; quare mox Christus id explicans lucernæ accensæ eos comparat; *neque accendunt lucernam* & c. sic Iansenius c. 39. sic Caiet. quare dixit Remigius, *sicut Sol dirigit radios suos, ita & Dominus, qui est Sol iustitiæ direxit Apostolos suos ad effugandas humani generis tenebras.* rectè quidem: nam vt radij à sole mittuntur, sic Apostoli à Christo. Iterum sol cœlo præsidet, radij in terra sunt, sic Christus in cœlo erat, Apostoli per terras sparsi. radiorum lux, solis est, & Apostolorum doctrina Christi erat.

65. *Apostoli cur sal terræ, & lux mundi.* Sed illud hic animaduersione dignum est, cur Dominus Apostolos, & salem terræ, & lucem mũdi appellarit? Arbitrari omninò debemus hæc à Domino dicta, ad Apostolos non tam studio commendandi, atque laudandi eos, quàm monendi potiùs sui officij, quod tales esse deberent, quales necesse est esse eos, qui insulsos hominum mores condire deberent, & cæteras salis cõditiones possidere; quique ignorantiæ, ac scelerum tenebras depulsuri essent. Denique qui propter status, & officij altitudinem omnium in se oculos conuertere haberent. quam etiam rem sapienter Chryso. hom. 15 in Matth. insinuat, dum ait: *attendite quid dixerit; vos estis sal terræ, per quid ostendit, quod necessariò ista præcipiat*, (quæ scilicet paulò antè de beatitudinibus dixerat) *non enim pro vestra, inquit, tantummodo salute, sed pro vniuerso orbe vobis certamen erit. non ad duas quippè vrbes, aut decem, aut viginti, neque ad vnam gentem vos mitto sicut mittebam Prophetas, sed ad omnem terram prorsus, ac mare, totumq; mundũ & hunc varijs criminibus oppressum. Dicendo. n. vos estis sal terræ, ostendit, vniuersã hominũ infatuatã esse naturã, & peccatorũ vi corruptã & idcircò illas ab eis virtutes requirit, quæ maximè ad multorũ salutẽ procurandã necessariæ sunt, atque vtiles. Nã qui mãsuet' est, ac modestus & misericors, & iustus, nõ intra se tantũmodo hæc rectè facta cõcludit, verũ in aliorũ quoq; vtilitatem præclaros hos fructus effluere fontes. Igitur qui corde mundo est, atque*

pacificus, & persequutionem pro veritate patitur, nihilominus in commune commodum vitam instituit. Nè igitur putetis, inquit, ad leuia vos ducendos esse certamina, neque exiguarum rerum vobis ineundam esse rationem, vos estis sal terræ. Hæc Chryso. qui acu rem ipsam tetigisse videtur, & ipsissimam Christi Domini mentem aperuisse, quod autem de sale dicit ad lucem mundi etiam transfer.

Quibus constat cur salem terræ, & lucem mundi appellarit, quia nimirũ ad vniuersum, vt Chrys. inquit, mundum non ad vnam, vel alteram gentẽ, mittebantur.

66. *Nõ potest ciuitas abscondi*] tertia hæc est similitudo, qua hortatur eos, vt gnauiter, & strenuè laborent docendo, & exemplo alios ad meliorem frugem conuertendo, ita vt non in obscuro lateant segniter, sed vt luceant, ac omnibus conspicui sint, sicut lux in candelabro, & ciuitas in excelso monte posita. Hæc expositio patet ex eo quod sequitur: *neque accendunt lucernã & ponunt eam sub modio*, vbi quod dicit hoc est; idcircò ego vos vt lucernas quasdam accendi, & vt vrbem in monte collocaui, hoc est, Apostolos constitui, non vt segnes in abdito lateretis loco, sed vt in publicum prodeuntes, omnibus conspicui essetis. doctrina, & opere, strenuè in vniuersi mundi salutem incumbentes. Itaq; non tantum vult Christus Dominus hortari hic Apostolos, vt iustè, ac piè vitam instituant, & exemplo alijs præluceant, quod omnium oculis expositi sint: sed sensus est, quem dixi, præcipuus, ad strenuè in salutem hominum incumbendum hortari.

67. *Ecclesia eiusque Prælati visibiles.* Cæterum ex hoc loco collige, Ecclesiam, & eius prælatos visibiles esse: Est enim Ecclesia, cuius præcipua pars Apostoli, candelabrum; est ciuitas supra montem; sunt Ecclesiæ doctores, ac prælati lux mundi, & lucernæ non sub modio.

Obseruat Iansen. Dominum ciuitati in monte constructæ suos comparasse, sequutum Scripturæ morem, quæ Ecclesiam Dei, cuius præcipua pars, & velut architecti fuerunt Apostoli, frequenter hac similitudine exprimit, vt Psal. 45. 47. 86. Isa. 60. 65. Ezec. 40. 2. vbi Diuinus vates adductum se narrat in terram Israel, & super montem excelsum valdè, dimissum, vidisse verò ibi, velut ædificium ciuitatis ab austro. Quod reuera Ecclesiæ ædificium præsignabat, quod cùm Christo fundamento nitatur in editissimo monte situm est, & summa cum admiratione ab omnibus conspicitur, omnium ad se oculos alliciens. Quid igitur mirum si Apostoli supra Christum altissimum montem positi abscondi nequeunt?

15. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam*] id est, vt eam ponant. *Sub modio*] id est, mensura aliqua inuersa, modium autẽ ponit, quia est res apta, vt sub ea condatur lucerna. Itaque simpliciter videtur accipiendum quod hic dicitur, vt significetur sc. tantum occultatio lucernæ. nam Marc. 4. 21. & Luc. 8. 17. vbi hæc sententia etiam alio tempore dicta refertur, vel cum modio lectus ponitur, vt apud Marc. *Numquid venit lucerna, vt sub modio ponatur, aut sub lecto?* Vel loco modi lectus, & vas collocantur, vt apud Lucam; *nemo*, inquit, *lucernã accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit*; at capite vndecimo, trigesimotertio item Lucæ: *nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio.*

68. Cæterum Aug. tropologicè accipit, quod dicitur, *sub modio*, ad ostendendum doctrinæ bonæ lucem non esse obscurandam, & obtegendã propter temporalia commoda. Modius enim cùm sit mensura rerum temporalium, rectè significare potest terrenorum commodorum retributionem. Ambr. verò & Beda intelligunt significari lucem Euangelicam sub legis mensura non esse concludendam, nec intra terminos vnius gentis esse cohibendam. Idem Hilar.

Sed super candelabrum] candelabrum Ecclesiam significat, vt & Apocaly. 1. 20. septem candelabra aurea, septem intelliguntur Ecclesiæ, quibus Ioa. scripsit, quæ erant in Asia minore: quãuis earum nomine vniuersas orbis Ecclesias oporteat accipere, tum quod numerus septenarius vniuersitatem significat, tum ob septiformem Spiritus S. gratiam, ex qua vniuersæ Ecclesiæ pulchritudo efflorescit. quæ etiam per illud candelabrum aureum septem calamorum adumbrata est, de quo agitur Exod. 25. & 37. & per illud quod vidit Zach. quinto, quarto. 69. *Candelabrũ Ecclesiam significat.*

Non est silentio prætereundum ad morum informationem, lucernæ quatuor necessaria esse, vt benè, ac diu lucere queat. Primò vas ipsum lucernę benè conformatum ad vsum lucendi: deindè oleum, vel cera, vel aliud simile, quo lumen & nutriatur, & foueatur: tum myxus, siue ellychnium, quo lumen ipsum sustinet: ac demum est ipsa lux. Similiter considerare licet, corpus hominis esse tanquam vas, mentem eius quasi myxum; at fidem esse quasi lumẽ: denique charitatem, & bonorum operum effectionem esse tanquam oleum, quo lumẽ fidei, & foueatur, & nutritur. De hac sententia lege item Aug. 2. qq. Euang. c. 12. 70. *Lucernæ quatuor necessaria.*

16. *Sic luceat lux vestra*] lux, inquam, vitæ, & doctrinæ, q.d. nolo vos opera vestra bona inaniter ostentare; sed ita viuere moneo, vt qui opera viderint, Deum laudent, nec sit operum vestrorum finis, inanis gloria, sed Dei; *Vt videant*] id est, vt videntes opera &c.

Vt] non tam causam, quàm consequentiam significat; non enim iubet eos benè agere, vt videantur, quod Mat. c. 6. vetatur, sed vt ita viuere velint, vt qui eorum opera viderit, Deum glorificet, à quo omne bonũ. Sed quia licet benè agere, vt ab hominibus videamur, verùm non propter nos, sed propter Dei gloriam, & proximi vtilitatem: (sic enim qui agit, non se vult videri, sed Deum honorari) propterea hoc etiam sensu potest, vt, finem quoq; & causam significare. De hac sententia lege Aug. serm. 2. de Verb. Dom. & 54. de diuers. Grego. l. 19. mora. 18. item Aug. 5. ciuit. 14. 71.

Illud non omittam, antequam ad v. 17. veniam; Apostolorum, atque adeò Ecclesiæ gloriam non esse fucatam, neque famam commentitiam, sed veram, & ex illius virtutibus, & pulchritudine exortam: quam videlicet, Regina Saba à longè auditam iure admiretur, sed præsens obstupescat, & victam fateatur à decore famam, gloriam à virtute, à reipsa nomen. Vide c. 9. l. 2. Paralipp. pro decore, pulchritudine, & fama Ecclesiæ sub typo palatij Salomonis. *Odor filij mei*, dixit Isaac gene. 27. 27. *sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*; odorẽ vocare solent sacræ litteræ nomen bonum: *oleum effusum nomen tuum.* Cant. 1. 2. & iterum: *Christi bonus odor sumus* 2. Cor. 2. 15. odor autem ex salutaribus herbis, vel pretiosis aromatibus exhalatur. talis est Ecclesiæ gloria & decus ex virtutib⁹ ipsis ortũ, & meritis suis debitum: propterea in Canticis seipsam comparat areolis aromatum Cant. 6. in quibus videre est venustatem, amœnitatem, dispositionem artificiosam vernantium herbarum, & odoratorũ florum, ex quibus fragrantes spiritus exhalantur. Hãc igitur gloriam & bonã famam, suauemq; odorẽ Ecclesiæ appellat hic Christus splendorem ex bonorum luce operũ circumfusum; dum ait: *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum.* Iste autem splendor huius bonæ famæ ac nominis inter alios, glorificatio est Patris nostri. Vide Pradum In Ezechiel. c. 16. num. 14. sub finem. 72. *Apostolorũ & Ecclesiæ gloria vera.*

17. Noli-

17. *Nolite putare quoniam veni soluere legem*] Iansen: sic ista connectit; daturus, inquit, Christus nouæ legis præcepta quædam nobiliora ijs, quæ in veteri lege erant, tollit suspicionem falsam, quæ de se haberi poterat, quasi destructurus esset legem veterem, id est, Mosis: id enim intelligitur per legem.

73. Est igitur sententia, hæc, quæ traditurus sum, non aduersantur legi, aut Prophetis, nec legem destruunt, sed supplent potius, quod legi deerat, hoc est, interpretantur, vel declarant, implent, ac perficiunt.

Sunt qui putent, vt auctor imperfecti; velle Christum hortari exemplo suo Apostolos, vt legem interim seruarent: se namque non venisse, vt legem dissolueret, ac destrueret, sed vt impleret, nempè etiam seruando, vt ostendit, cùm circumcisus est, cùm quotannis ascédit ad Pascha, &c. quod verò sabbatum diceretur non seruare, & quod discipuli eius manus pransuri non lauarent, calumnia erat ex falsa legis intelligentia.

Sed & aliter Christus implesse legem dici posset, dando alijs virtutem ad eam seruandam: nam lex ante Christum iubebat quidem, sed non iuuabat; Christus vero, qui gratiam attulit adiumento fuit, vt seruarentur ea, quæ lex iubebat, implendi virtutem dãdo. Iterum impleuit legem perfectiora quædam præcepta addendo, implendo promissa, qua ratione cerimonialia perfecit potius, quàm destruxit, vt dum pro circumcisione carnis, baptismum exhibuit, & cordis circumcisionem docuit, Impleuit item interpretando, quæ perperam exponebant Pharisæi, præsertim moralia, vt cùm dixit: *Audistis, quia dictum est antiquis: non occides, ego autem dico vobis* &c. Deniq; impleuit pro temporalibus supplicijs, ac præmijs æterna comminando, vel promittendo, quo modo iudicialia perfecit. Nunquam tamen docuit vlla legis præcepta mala fuisse, & ob id seruanda non esse, vt quę à Deo profecta non essent.

74. Sed verba ipsa parumper spectemus: pro eo quod est soluere, græcis est καταλύσαι, id est, *dissoluere*, & *abrogare*, & euertere, ac destruere, non est autem simplex λύσαι, quod mox ponitur, dum subditur: *qui ergò soluerit vnum de mandatis istis* &c. vbi soluere idem est, quod transgredi, vt & Ioa. 7. cùm Dominus dicit non solui legem Mosaicam per circumcisionem in Sabbato factam, vbi *soluere*, transgredi est. Itaque duobus modis dicitur quis soluere legem, vno modo pro abrogare, vel euertere, alio modo pro transgredi. Hic potissimum καταλύσαι, primo modo sumitur pro abolere, destruere, abrogare, quamuis & alter modus hic etiam includi, & contineri possit, ita vt soluere legem sit, aut vita eam transgredi, aut doctrina ipsam abolere.

75. Vox autem *legis* aliquando pro Scriptura totius Veteris Testamenti sumitur, vt ibi: *sed vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis*; aliquando verò pro quinque libris Mosis, quos Hebræi vocant *torah*, hoc est legem, & ita hic sumi videtur.

76. 18. *Amen quippè dico vobis, donec transeat cœlum, & terram*] vox *amen*, est affirmantis, quæ dicturus erat q. d. *in veritate dico vobis* &c. quamuis non raro in nouo præsertim Testamento dicta cõfirmet. *Donec transeat*] id est innouetur, seu per renouationem pereat, & immutetur vniuersus orbis, qui firmissimis constat, validissimisque hæret fundamentis.

77. *Donec*, bis hic ponitur, & priore quidem loco positum hunc reddit sensum: cœlum, & terram altissimis nixa fundamentis aliquando transitura, & tamen adhuc non transibit aliquid legis. *Donec* verò posteriore loco, indicat euentũ, & perfectionem omnium, quę lex promisit; vt sit tota sententia hæc: res istæ firmissimæ transibunt aliquando, nihil tamen interim eorum, quę lege vel promittuntur, vel produntur, vel cõtinentur, transibit, peribitue. ita vt dici possit non esse impletum tempore præstituto.

Neque velim in eum sensum accipias hanc sententiam, quasi significetur, omnia quæ lex habet perficienda esse antequam cœlum, & terra immutentur. nam multa adhuc post cœli transitum implebuntur, & in ipsa sæculi consummatione; tantum ergo significatur hac dicendi formula, nullo vmquam tempore, nullo sæculo legem esse dissoluendam, futurumque vt designato tempore vel statu omnia impleantur, nec præterlapsurum esse tale tempus, vel statum, quin lege contenta perficiantur. 78.

Iota vnum, aut vnus apex] Syriacè *iod*: atque id credendum Christum dixisse, vt qui Hebræis loqueretur, apud quos, iod, minima est literarũ: verùm Græcus interpres pro eo posuit, quiddam simile, vt posset à Græcis intelligi. Apex verò punctum, seu literæ fastigium, & caput, vel accentum significare potest: nec refero speciatim ad *iod*, sed ad quamcunque literam, quæ habeat eiusmodi apices. Et ita nihil officit, quod, *iod*, vel *iota*, non habeant punctum supra se, vel quod puncta olim non essent apud Hebræos, & Syros. Est autem hic hyperbole, quasi dicat, nè minimum quidem ex lege, neque enim de literis sermo est Christo, quæ pereunt, sed de earum vi, & notione, hoc est derebus significatis. 79.

Porrò hoc iota licèt minimũ, maximam genuit hęresim. lege Irenæ. l. 1. c. 1. Vide in hunc v. etiam biblioth. Sanc. l. 2. iota & apex fol. 133.

19. *Qui ergò soluerit vnum de mandatis istis minimis*] loquitur, vt mea fert opinio, & de ijs præceptis, de quibus paulò superius dixerat, vt vult Aug. l. 1. de ser. Dom. se ea venisse implere, non soluere: sed & præsertim de ijs de quibus dicturus, & quibus legem perfecturus erat, de quibus etiam intellexisse videtur Chrys. ho. 16. & Auctor imper. ho. 10. Itaq; cõplectendo vtramque expositionem, & Aug. & Chrys. rectè, mea quidem sententia, affirmare possumus, mentem Christi Domini esse de omnibus præceptis loqui, de quibus loquutus fuerat, quamdiu abrogata non erant, & de omnibus, quæ mox adiecturus erat, quibusve perficere debebat, atque adeò implere vetera. Itaque dum de istis dicit, hæc omnia quæ dixi demonstrat.

Est ergò totius loci sensus iste, quoniam adimplendum, & perficiendum legem veni, quæ omninò dissolui, & euerti non potest; ideò quicumque soluerit vnum, quamuis minimum illud sit, ex his præsertim quæ ego addam, quibusque legem perficiam, immò etiam ex his, quæ lex præcipit, quamdiu abrogata non sunt, minimus vocabitur in regno cœlorum.

Istis minimis] minima mandata vocat, quæ hominum opinione minima censentur. verbi gratia, occidendi voluntas, vel adulterium committendi, non magni fiebat à Pharisæis; sed homicidium, adulterium. Vel etiam minima dicit, quæ collata cum alijs, & cum dilectione minima videntur; vel (vt quidam volunt) quæ Pharisæi sola obseruanda putant, quæque ad tantam perfectionem non cogunt, sed hoc non videtur secundùm Christi mentem, vt num. 84. infinuabitur. Vel denique minima appellat per modum concessionis, etiam si esse vnum de minimis concedamus. Non ergò minima vocat, quorum transgressio venialis noxa est. 80.

Et docuerit sic homines] dictio, *sic*, duob⁹ modis potest accipi, vel *sic*, i. vt ipsa sonat, & vt ego declaro

quasi

quasi dicat, malè vixerit, & benè docuerit; vel *sic*, id est, sicut ipse soluit, ita exemplo non solùm malo, verùm etiam falsa doctrina docuerit non seruare, quia minima putat; & videtur hoc posterius magis ad Christi mentem facere; præsertim quia Pharisæos notare videtur, de quo Hieronymus *sugillat*, inquit, *Pharisæos, qui contemptis mandatis Dei, statuebant proprias traditiones, quod non eis profit doctrina in populis, si vel paruum, quod in lege præceptum est, destruant.* quamuis Augustin. 20. ciui. c. 9. l. 2. contra literas Peti. c. 61. serm. 3. de verb. Domini, tract. 122. in Ioa. 17. contra Faustum, dicat loqui Christum de Pharisæis, qui docebant legem verbis, & soluebant factis; Idem tamen August. l. 1. de ser. Dom. c. 16. 17. vt ex Chryso. hom. 16. in Matth. Auctor imper. hom. 10. Greg. l. 19. in Iob. c. 5. posteriorem etiam nostrum sensum sequuntur. Vide in hunc locum præter citatos, etiam Chryso. homil. 7. ex verb. in Matth. Com. & Vegam l. 11. c. 2. 20.

81. *Minimus hic quid significet.*

Minimus vocabitur in regno cœlorum] duo hic sunt verba, quæ egent expositione, *minimus*, & *regnum cœlorum*: *minimus* ergò accipi potest, vt idem sit, quod indignus, vel pro eo, qui nullo pretio habeatur, id est, abiectissimus est, vel denique pro vltimo. *Regnum* item *cœlorum* tribus modis intelligi potest, vel pro gloria æterna, & ita sensus erit, minimus vocabitur, id est, indignus cœli regno erit, indignus, qui eò admittatur, vbi qui sunt, omnes magni sunt, vt mox subditur: *hic magnus vocabitur* &c. vel sensus erit, ab illis, qui in cœlesti gloria sunt, minimo, vel nullo pretio habebitur, & abiectissimus iudicabitur, quod verissimum est, præsertim de ijs doctoribus, qui prauè docent. vt Abul. Ians. & Gloss. Interl. exponunt; *apud illos*, inquit Abul. *qui sunt in regno cœlorum, minimus vocabitur, licèt ipse non sit ibi.* mihi in primis hic sensus placet, nam inferius v. 20. sic sumitur regnum cœlorum; *non intrabitis in regnum cœlorum.* Secundò regnum cœlorum significat Ecclesiam, vt hic sumit Aug. 20. de citit. l. 1. de ser. Dom. lo. cit. & Greg. 19. moral. c. 5. & ferè omnes, inquit Maldo. & sic erit sensus; minimus, id est, indignus, qui inter fideles numeretur, ob falsam præsertim doctrinam. Denique regnum cœlorum secundùm Chryso. & Thophyl. resurrectionis, & vltimi iudicij tempus accipitur, *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* & sic erit sententia hæc: minimus vocabitur, id est, sententia iudicis declarabitur, vltimo loco fore, seu vltimus, quia eijcietur in tenebras exteriores.

82. At, inquies, si ergo qui vnum ex mandatis istis minimis non seruauerit, minimis, id est, vltimo loco erit, qui non seruauerit maiora vbi erit? & ipse vltimo loco. Erunt igitur pares, & impares: pares quia vterque minimus, vterque vltimo loco, id est, in inferno: impares quia in illo vltimo loco sicut & in primo, quod est cœlum, mansiones multæ sunt; & alij maioribus, quàm alij supplicijs afficiuntur. sicut qui in cœlo omnes pares ob eundem denarium, Matth. 20. 10. Impares ob multas mansiones, Io. 14. 2.

83. Porrò voluit voce, *minimi*, vti, quia vocauerat mandata minima, & quia opponere illos voluit ijs, qui in cœlo omnes magni erunt, vel in Ecclesia vel in resurrectione, qui nimirum fecerint, & sic docuerint.

Sed quærunt nonnulli, cur de ijs, qui magna mandata nec faciunt, nec docent, & de ijs qui faciunt & non docent, & de ijs qui minima docent, & non faciunt, aut faciunt, & non docèt, nihil hic Christus loquatur? Respondeo, quia de solis Pharisæis quæstio erat, qui ista, quæ minima putabant, nec faciebant, & sic homines docebant, *vocabitur*

A autem dicit per Hebraismum, pro, *erit.*

Qui autem fecerit] nempè omnia, nam *qui in vno offendit, factus est omnium reus.* Iacobi 2. 1.

Et docuerit] Interl. sic.

20. *Dico enim vobis*] Interl. quomodo ergò faciendum? *Dico*] Gloss. magnam vim, & profundam intelligentiam habet, illud, *dico enim* &c. Reddit hic caussam, cur dixerit, *qui soluerit vnum de mandatis istis minimis*, quasi idem sit soluere, & non abundare eius iustitiam plusquà Scribarum & Pharisæorum. est autem legendum non, *dico autem*, sed, *dico enim*, vt Græcè, & Syriacè legitur. redditur enim causa, vt dixi. 84.

Abundauerit] id est, nisi maior fuerit, videlicet faciendo, & docendo; Pharisęi enim vel solùm docent, vel nec faciunt, nec docèt seruanda, sed pleraque ex istis minima putant, & prædicant esse.

Iustitia vestra] legis obseruatio. ad iustitiam etiam pertinet ieiunium, vt patet ex sequenti cap.
B est ergò iustitia Pharisaica dicere, & non facere; vel præsertim nec facere, nec facienda dicere: nostra autem est dicere, & facere. Vide Augustinũ de fide & oper. capit. vigesimosexto, Angelum Caninium de locis Noui Testam.

Plusquam Scribarum & Pharisæorum] qui docent & non faciunt, vel potius nec faciunt, & sic homines docent. & hoc secundum magis videtur cohærere literæ, licèt primùm non sit omninò reijciendum: Pharisæi enim cordis peccata, & concupiscentias nõ curabant, nec multum saltem curanda docebant; vt sequentia ostendunt. Meminit verò Scribarum, & Pharisæorum, quia & doctores erant, & cæteris multò sanctiores habebantur, vt habes Matth. tertio, septimo. vide in hunc locum Irenæ. l. 4. c. 26. 27. August. de vnitate Ecclesiæ 19.

C Illud animaduersionẽ dignum, *iustitiæ* nomen interdum sumi pro particulari quadam virtute in ordine ad alterum, cuius obiectum est iustum pressè, ac propriè sumptum, vt est idem quod æquum: cuius oppositum est iniquum, quod iniuriam alterius comparatione inuoluit, & ita iustitia inter virtutes Cardinales connumeratur. Interdum sumitur pro actu cuiuscumque virtutis, non qua talis est, sed quatenus refertur ad commune bonum multitudinis, cuius pars est ille, qui eum exercet, & ita Arist. Ethic. c. 1. & 2. iustitiã hoc modo sumpram appellat totam virtutem. Vt enim charitas, licèt in se sit peculiaris quædam virtus, eo tamen sensu potest in viro iusto, qui omnia sua actu, in Deum refert, appellari vniuersalis, & quodammodo tota virtus, & in omni virtutis actu eo modo in Deum relato, inuenitur ratio formalis charitatis: ita quoque vult Arist. esse quidem in se virtutem quandam particularem, quæ respicit
D commune Reip. bonum, quatenus tamen rectores opera virtutum, quæ præcipiunt, itemque subditi referre debent eadem opera in bonum commune, esse generalem, totamque quodammodo virtutem: quia simiiliter in quocunque virtutis actu, qui in commune bonum refertur, & exercetur ratio formalis iustitiæ reperitur. Interdum verò quicunque actus virtutis quatenus per eum is, à quo elicitur, ipsius regulę ac mensuræ sese adæquat, nempè rationi rectę, legique, ac voluntati Dei, iustitia nominatur. quo modo si vsurpetur iustitiæ nomen, conuenit essentialiter, non extrinsecè (vt paulò antè diximus accipi iustitiam ab Arist.) omni huiusmodi virtutis operationi. Ita frequenter vsurpatur in Scripturis, vt hic: *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, & nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam* &c. & capite sequenti, *attendite ne iustitiam vestram faciatis* &c. lege Chryso. hom. 16. in Matt. in illa: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* 85. *Iustitia in quem varie accipitur.*

Digitized by Google

Eodem modo sumpsit Tullius l. 1. de legibus dum eam definit, esse obtemperationem legibus. Quin in Scripturis sacris promiscuè legum obseruationes, legesque ipse *iustitiæ* appellantur quatenus iustos homines efficiunt, obseruationes quidem formaliter, leges verò tanquam normæ, & regulæ, quæ iustitiam docent, & mensurant. sic Deut. 4. *Scitis quod docuerim vos præcepta, atque iustitias*, secundo Paralipp. septimo. *si feceris iusta omnia & cætera. & iustitias meas, iudiciaq; seruaueris.* Psal. decimoseptimo, *iustitias eius non repuli à me.* Interdum gratia, & charitas *iustitia* dicuntur, qua coram Deo iusti formaliter sumus; tumque hominem iustificari intelligimus, quando illam recipit. sine gratia enim & charitate nullius est valoris, ac meriti obseruatio legis naturalis, per respectum ad finem supernaturalem, immò sine ipsis, quilibet peccato infectus est, vel originario, vel alio ipsiusmet hominis opere commisso, vt proindè iustus esse nequeat coram Deo, esto totam legem obseruare posset.

Denique interdum donum illud integrum, quod primi parentes sibi, & posteris acceperunt, iustitia originalis appellatur. Hinc patet, quomodo hic à Matth. *iustitia* sumatur.

21. *Audistis quia dictum est*] quia lex Moysis vetabat, & puniebat homicidium ipsum re ipsa commissum, Pharisæi, ac Scribæ homicidium ipsum repatratum cauendum putabant, & ideò eiusmodi homicidas reos, id est, obnoxios iudicio, id est, pœnæ, & condemnationi iudicabant: cordis autem iram homicidij habentem desiderium, vel grauis damni, parui pendebant. Propterea Dominus aggressus perficere, atque interpretari legem, conuellit falsas Pharisæorum interpretationes, & intelligentiam; est autem hoc præceptum traditum Exod. 20. & ex c. 21. constat, eum qui occiderit, reum esse iudicio.

86. Cæterum ostendit hic fusè Maldon. Christum non de Pharisæorum traditionibus, sed de lege ipsa loqui, quam vel additis præceptis, vel consilijs perficit, & quodammodo corrigit, & emendat. Mihi quidem dictum hoc Maldon. valdè probatur; tamen ita concedo de lege Christum Dominum hic agere, vt affirmem inuehi ipsum quoque, tacitè saltem, in falsas quosdã interpretationes, & corruptelas Pharisæorum, quas reuellit. Itaque quia lex quædam obscurius continebat, quædam verò tacebat, declarat Christus & exprimit quod obscurum, vel occultum erat, & si quid ob imbecillitatẽ illius populi permittebat, tollit, vt de libello repudij. falsas verò interpretationes Pharisæorum & Scribarum euertit prorsus. Illud verò, *dictum est antiquis*, significat traditum esse Patribus, vt constat ex loc. cit. Exodi.

87. *ex vetus interna tum & etiam terna prohuerit.* In dubium hic verti potest, an lex vetus internos animi motus, prauosque actus cordis vetaret. Ad quod respondeo internos animi motus cohiberi per legem veterem, cùm lege naturæ etiam prohibeantur, quam lex vetus complectebatur, non ita tamen perspicuis verbis id factum est in lege veteri, quamuis quoad concupiscentiam attinet alienæ vel vxoris, vel rei, apertè cauerit. Exodi vigesimo, vt meritò Apostolus ad Roman. septimo dixerit: *concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces.* Quod ad reliquos verò motus animi attinet, licèt non ita expressè, tacitè tamen illos prohibuit: nam cùm actum externum prohibet, & internum vetitum esse vult, vnde externus, tanquam à fonte diminat. Vide item n. 92. Quarè illud dictum: *Lex vetus manum prohibebat, non animum*, quod habet Gloss. interl. Philip. 3. explicatur à Magistro & Doctoribus extremo 3. lib. sentent. Iudæi tamen & Pharisæi malè hæc præ-

A cepta interpretabantur: propterea Christus non modò clarius aperit, verumque sensum declarat, verùm etiam falsum excludit. Quæ veteres leges abolitæ sint, & quæ non, habet Augustinus decimonono contra Faustum cap. 18. moralia verò ad Christianos pertinere lib. 3. contra 2. epist. Pelag. c. 4. & ser. 4. de verb. Dom. Chryso. 1. de compunc. Saluianus l. 3. de Prou. in biblioth. PP. fol. 13. Greg. 21. moral. c. 5.

22. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iracitur*] Per iram intelligo eam, quæ sine ratione est, & appetitum, vel homicidij, vel grauis alicuius vindictæ coniunctum habet: loquutus enim erat de homicidio. quare Diui Chrysostomi sententia homilia decimasexta in Matthæum, exponentis de ira veniali, & non lethali hunc locum, quantum ad duos priores iræ gradus non satis quadrare videtur, quod vel ex eo etiam constat, quia Dominus idem supplicium, quod in lege homicidæ propositum erat, ei proponit, qui fratri iracitur: ait enim: *Audistis, quia dictum est &c. qui autem occiderit, reus erit iudicio*, hoc est, mortis; sic enim Exod. 21. præcipitur; iudicium autem pro condemnatione, vel mortis pœna sumitur, statimque subdit: *Ego autem dico vobis, omnis, qui iracitur fratri suo reus erit iudicio.* 88. *Quæ ira peccatum.*

B *Reus erit iudicio*] Triplicem videtur Dominus huiusmodi iræ, pœnarumque eius gradum distinguere, quorum posterior, priorem superat grauitate. Primus est iræ non erumpentis in verba: alter contumeliosum verbum; ex ira proficiscens, quo frater leuis vocatur. Postremus magis contumeliosum, quo fatuus, aut stultus appellatur. 89. *Triplex ira eiusque pœnæ gradus.*

Ponuntur & tres gradus supplicij, vel condemnationis, qua in re obseruant nonnulli apud antiquos Hebræos: duplex fuisse tribunal, in quo C grauiores, capitalesque causæ cognoscebantur. Primum illud in quo vigintitres Iudices præerant. Alterum verò erat Synedrion vocatum magnum, ad quod grauissimæ causæ referebantur, atrocioresque pœnæ; de his etiam causis agebatur, quæ ad templum, & Religionem spectabant. Hoc igitur secundum vocari videtur hic concilium. 90.

Loquitur ergò Christus distinguens hos gradus Hebræorum more: omnesque istos dignos esse inferni pœna docet, quæ per iudicium, & concilium, & gehennam explicatur: iuxtà tamen minorem, maioremve gradum pœnæ inferni: nam minor pœna significatur per *iudicium*, maior per *concilium*, maxima per *gehennam*. Sicut etiam in omnibus his tribunalibus imponebatur homicidæ capitalis pœna, sed non eiusdem grauitatis.

D Clarius Cardin. Baronius to. 1. Annal. Ann. 32. habet fuisse duplex iudicium apud Hebræos, pecuniarium, & capitale, illud *mammonot*; hoc, *nephasot*, id est, animarum iudicium, seu vitæ vocabatur.

Horum iudicum tribunalia tria fuerunt, primum dicebatur domus iudicij trium virorum, qui minores iudicabant causas. Secundum domus iudicij vigintitriũ virorum συνέδριον paruum, in quo maiores causæ cognoscebantur. Tertium septuagintaduorum virorum συνέδριον magnum, in quo de grauissimis, quæ ad summam Reipub pertinebant, vt de tribu, lege, rege, Summo Sacerdote, & hoc erat Hierosolymis, cætera in singulis erant tribubus. Simile quid habetur 2. Paral. 19. De his Angelus Caninius, Paulus Burgen. in benedictione Iudæ Gen. 49. Galati. l. 4. Lucidius libr. de emendatione temporum, vbi de vita Christi agit. Maldon. hic Ioannes Annius, in Breuiario temporum saltem de iudicio septuagintaduorum meminêre, 91. *Tria iudicia tribunalia apud Hebræos.*

quam-

quamuis Pere. l. de bened. Patriarcharum rem hanc in dubium vertat. Ad hos ordines videtur hic Dominus respexisse, nam per iudicium intelligit paruum σμικρὸν, per consilium, magnum, post quæ pœna Gehennæ.

92. *Vtrum lex hos tres iræ gradus prohibeat.*

Dubitet fortè hic aliquis an vetus lex hos tres iræ motus prohiberet. cui dubitationi sic occurrendum est: cùm lex naturæ hos tres peccati, vel iræ gradus vetet, & cohibendos doceat, vt constat; non dubium, quin lex etiam vetus eosdem prohibuerit, quippè legem naturæ, id quod superiùs docui, complectebatur, licèt non ita perspicuis verbis; cùm enim homicidium vetuerit, etiam contumelias, etiam iram, quæ homicidio materiam, occasionemque subministrant, vetuerit, necesse est. Et verò cùm præscripserit proximum diligendum esse, non video, quomodo id præscribi potuerit, nisi intelligeretur esse quoque præceptum ne proximo irasceremur, côtumeliamve irrogaremus.

93. D. Chryso. (vt iam verba consideremus) hom. vndecima, in hunc locum Matth. sic legit: *qui irascitur fratri suo sine causa reus erit iudicio*, ex quo sic ille colligit: *ergò qui cum causa irascitur, non erit reus: nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, neque iudicata stant, neque crimina compescuntur: iusta ergò ira mater est disciplinæ: itaque non solùm non peccat, qui cum causa irascuntur, sed è contrà, nisi irati fuerint peccant.* Vide pulchrè ibi Chryso. differentem hac de re, & Augustinum libro primo, de sermone Domini capite decimonono, vbi docet, licere iusta de causa etiam fratrem vocare *fatuum*: nam & Christus discipulos euntes in Emaus, & Paulus Galat. c. 3. 3. *stultos* appellarunt. Idem Patientissimus, ac mitissimus magister noster Christus, qui cùm malediceretur, non maledicebat, qui tanquam agnus coram tondente se obmutuit, idem ipse vocauit aliquando quosdam *mendaces, filios diaboli, cæcos*, & alia dixit. Matth. 23. 13. Iob etiam in coniugem meritò commotus, *quasi vna*, inquit, *de stultis mulieribus locuta es*; vbi quasi, veritatem, non similitudinem innuit. ita sanè cùm de Dei honore agitur leonibus se valentiores præbent iusti aduersus impietatem, qui in priuatis malis sustinendis, agnis mitiores sunt, sic Malachiæ 3. 14. aduersus eos qui Diuinam prouidentiam criminabantur, dicentes: *vanus est qui seruit Domino*, dicitur: *inualuerunt super me verba vestra ait Dominus*; stultitiam vestram tolerare non possum, *tunc loquuti sunt timentes Deum*, id est, iusti qui Dei causam tuebatur, *compulsi sunt silentium abrumpere*. Neque verò minus se strenuos ostendunt viri iusti rebus, ac facto, cùm opus est, ad Dei partes tuendas. Moses etsi mitissimus erat hominum omnium, zelo tamen Diuini honoris incensus tria, & viginti millia Hebræorum ob crimen vituli occidi iussit, Exod. 32. Phinees Dei zelo inflammatus arrepto pugione surgens de medio populi & lupanar ingressus virum Israelitam cum muliere Madianitide perfodit. quem imitatus Mathathias, vnus ex eius posteris, cùm vidisset Iudæum idolis sacrificantem *doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius, secundùm iudicium legis, & insiliens trucidauit eum super aram, sed & virum qui cogebat immolare occidit in ipso tempore, & aram destruxit*, primo Machabæorum secundo

Clariora sunt ea, quæ de Dauidis zelo in Psalmis scribuntur, vt Psalm. 68. 100. 11. Quid ego hic attexam de ardentissimo Eliæ zelo, quo inflammatus non pauciores quadringentis, & quinquaginta Prophetis Baal spectante populo interemit tertio Regum decimonono? vt meritò Ecclesiastic. quadragesimooctauo scriptum sit; *Et surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.*

Cæterum tribus debet rebus ornari zelus iste aduersus peccatores, vna est, vt non propriæ vindictæ appetitus, sed amor iustitiæ, diuinus honor zèlum hunc excusciter; deindè vt sit aduersus peccata, non homines, vt illa oderimus, hos autem diligamus. Denique vt seueritas correptionis, & animaduersionis acerbitas, quam foris ostendimus, intus tranquillitatem mentis non perturbet, & dilectionis erga correptos dulcedinem non imminuat; hæc obiter. 94. *Zelus cùm peccatores tribus rebus ornari debet.*

Iam verò ad rem; licèt sic legat Chryso. germana tamen lectio huius loci non habet, *sine causa*; fateor in quibusdam codicibus græcis haberi εἰκῆ, id est, *temerè*, vel *sine causa*; sicut & Diuus Augustinus in expositione huius sermonis legit, & vult eam repeti, & subintelligi in sequentibus duobus membris. Diuus tamen Hieronymus illam partem vult eradi omninò è libris, nec in emendatioribus haberi, quin & Augustinus libro retractation. 1. capite decimonono in Græcorum libris non inueniri dicit, in quibus tamen solis nunc reperitur, si enim inquit Hieronymus, iubemur verberanti alteram maxillam præbere, & inimicos nostros amare, omnis iræ occasio tollitur; quo significare videtur Hieronymus etiam iustam iram, id est, quę iustam videtur habere causam, Dominum hic prohibere voluisse, & peccare etiam eum, qui etiam ab alio læsus irascitur. Sed hoc non opponitur intelligentiæ Chryso. & Augustini, nam, vt inquit Euthym. sequutus Chryso. *addens* (Christus) *temerè, non omnimodam abstulit iram, sed intempestiuã.* Dicitur autem opportuna ira, quæ sumitur aduersus eos, qui contrà Dei præcepta viuunt, quando non ad vindicandum nos, sed ad vtilitatem eorum qui malè viuunt, & ex amore fraterno irascimur, cùm congrua honestate. Denique illa est ira, cum iusta causa, quam probant Chrysostomus, & Augustinus, quæ habet tres illas conditiones, quas zelo inesse debere paulò superiùs numero nonagesimoquarto diximus. hoc ergo est irasci cum causa Chrysostomo, & Augustino, quamuis Hieronym. aliter, id est, pressius pro mala tantum acceperit, cùm significat à Christo hic omnem iram prohiberi etiam illam, quæ est cum causa, cuius lectio, & sensus videtur conformior menti Christi, in biblijs nostris correptis non legitur: sine causa. Cæterum cùm additur: *qui dixerit Racha*, itemque *qui dixerit fatue*, subintelligendum vtrobique, *qui iuratus dixerit* &c. sumendo iram, prout mox explicabo.

95.

Fratri suo] quasi dicat, non hominis vitio, sed homini, quem, quod frater sit, diligere deberet: homini enim irasci nec cum causa licet, cùm pugnet ea ira cum dilectione fraterna, quem sensum innuit Hieronymus supracitatis verbis. Docuit nos Abraham non irasci fratri, Genes. decimotertio. *non sit*, inquit, *iurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos*, sic allocutus est Loth: neque aliam adiecit rationem pacis, nisi quod fratres essent: *fratres enim sumus*. Potest tamen rectius hic fratris nomine more Hebraico, quicumque homo, vel proximus accipi. Semper autem hic à Christo secundùm Hieronymum, & quidem rectè, sumitur ira prout paulò antè significabamus, pro motu animi malevolentis alteri, & vltionem doloris cupientis. Cuiusmodi ira semper peccatum est, licèt sit in iudice iustè puniente nocentem, quare reipsa non pugnant Hieronymus, & Chrysostomus, vel Augustinus in definitione bonæ, vel malę iræ.

Raca] Diuus Chrysostomus ait, *raca*, significare lingua Syriaca, *tu*, quæ species quædã iniuriæ 96. *Raca quid.*

est,

est, vt notat Gagnæus, Hieronymus putat voce, *raca*, otiosum, & vacuum, ac quasi sine cerebro notari. Augustinus sermone Domini in monte. D. Gregorius libro vigesimoprimo moral. cap. quinto. D. Anselmus, & Ruper. Matth. quinto, putant interiectionem quādam esse, & significare tantum affectū iræ. Alij leuem, id est, parui pretij. sic Maldon. pro leui sumit. Guido Fabricius in Lexico Syrocaldaico, *raca*, ait, *Syriacè, Thalmudicè, dicitur, rica, scilicet inanis, & vacuus; est autem minus conuicium, quàm fatuus.* sic ille. certè Hebraicè, *rec*, vacuum, & inanem significat. Iansenus sumit pro vacuo opibus. Omnia hæc possunt adaptari; præsertim quod dicitur de leui, & inani, vel quod dicitur de interiectione affectum iræ significante. Sed si velis esse contumeliam, dicendum est omninò cum D. Basil. in regul. breuioribus respons. 51. vernaculum nomen esse cōtumeliæ leuioris, quod aduersus leuiusculos vsurpatur.

87. *Duplex Gehenna.*

Reus erit Gehenæ ignis] De Gehenna, quæ hic pro inferno ponitur, consule Theoriam sextam, hic tantum illud obseruabo, quod habet Hieronymus Matth. decimo, distinguit enim duas gehennas, vnam ignis, alteram frigoris: quam rem ex Iob. vigesimoquarto, decimonono elicit: *ad nimium calorem transiet ab aquis niuium, & vsque ad infernum peccatum illius*, in quem locum sic Hieronymus, *quasi duas*, inquit, *Gehennas sanctus Iob mihi dicere videtur, per quas Diabolus, hæreticus, & homo impius commutetur. fortè in ipsa gehenna talis sensus cruciatuum fiet illis, qui in ea torquebuntur, vt nunc quasi ignem ardentem sentiant, nunc nimium algoris incendium; & pœnalis commutatio, nunc frigus sentientibus, nunc calor sit; vt quasi de loco ad locum transire existimentur. Et fortasis inde Dominus ait in Euangelio: mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium, vt hic stridor dentium de rigore frigoris oriatur; vbi & similitudinem quandam in nostris corporibus possumus inuenire, in quibus ex fellis rufi abundantia, quod est calidissimum in typicis morbis intolerabilis rigor præcedit, ignem febrium ardentissimum sequuturum: dicuntur à medicis hæc duo, quæ sibi contraria dignoscuntur, ex vna fellis materia procreari.* sic ille. hæc verba etiam tribuit Philippo Pineda ad versum decimumnonum, capite vigesimoquarto. Iob. nu. secundo; vbi quærit, an damnati non solùm ardoris, sed frigoris etiam æternum cruciatum sentiant, vbi ex præallegatis Philippi presbyteri verbis, quem Commentarij Hieronymi, & Bedæ ferè describunt, aut imitantur, infert ex sententa eiusdem Philippi hos duos cruciatus frigoris, & ardoris ad eandem causam æterni ignis reuocari.

98. Porrò Diuus Augustin⁹ libro de triplici habitaculo capite secundo, ad hæc duo, frigus, & ardorem cæteras pœnas reuocat, quamuis Palud. in quarto distinctione quinquagesima, quæst. prima, & Duran. q. item. 1. asserant ab omnibus quatuor elementis prouenturum sensibilem damnatorum cruciatum. Neutra tamen huius quæstionis pars ad fidem pertinet. qua de re consule Pine. loc. citat. & quæ nos dicemus Deo volente in c. 9. huius libri Theor. 2.

23. *Si ergò offers*] Vide de hoc loco Gregorium quarto Dialog. capite sexagesimo. Vide item de iniurijs remittendis tomo primo, Biblioth. Patrum Colum. centesima decimaquinta, ex Chrys. In primis particula ergò sæpè non causam significat, aut illationem, sed solam sermonis continuationem, idem sentiendum de, *autem, enim, quoniam*, & similibus, & hoc modo potest hic accipi; sed malo illationem significet, quasi dicat, si ergò fratri tuo, iratus, dixisti Raca, fatue, vel quid simile, dixisti, vel fecisti, relinque ibi munus, & vade. & cætera.

A

Et ibi] particula, *ibi*, emphasim habet, q. d. in ipsa etiam ara.

Habet aliquid aduersum te] scilicet in quo de te meritò queri possit. vide similem phrasim Apocalyp. 2. *habeo aduersus te pauca*, quasi dicat, sunt quædam, de quibus te cum expostulem. 99.

Chryso. & Theophylactus intelligunt eum habere aliquid aduersus aliquem, qui cum alio non benè conuenit; sed inimicitias cum illo gerit, siue iustas, siue iniustas; & ideò dictum absolutè. *Si frater tuus habet aliquid*, nec additur *iustè*, vt intelligatur etiam ei, qui læsus est, præcipi, vt reconciliationem quærat, eius qui ab ipso dissidet, & se læsum putat, licèt non sit. Vnde non dictum est, inquit Chryso. *reconcilia tibi fratrem tuum*, sed *reconciliare*, quod tam offenso conuenit, quàm offendenti, sic etiam Theophylactus, & hic sensus perfectioni Euangelicæ magis quadrat. Verùm prior expositio Augustini est verior, quam verba magis significant; neque enim dicitur; *si tu habes aliquid* &c. sed *si frater habet* &c. quod innuere videtur hunc sensum, nempè si iustè de te conqueri potest. dummodò intelligamus semper requiri etiam in offenso affectum reconciliationis, quod est dicere, requiri quidem semper, vt dimittamus proximo; non tamen semper vt ex præcepto reconciliemur fratri ante oblationem, & fortè non aliud intelligit Chryso. per reconciliationem, quàm remissionem delicti, vt significat Euthym.

B

24. *Vade prius reconciliari*] hoc, inquit Augustinus, non ita intelligendum est, quasi semper ad fratrem ire debeamus. Sanctum id quidem consilium; & cùm charitas efflagitat præceptum, plerumque tamen affectibus potiùs, aut effectibus, quàm pedibus ire debemus; affectu iniuriam condonantes, si quam accepimus, aut effectu, quod magis facit ad sensum huius loci, iniuriæ, si quam ille à nobis accepit, satisfacientes saltem proposito, si non possumus aliter. Hoc quidem præceptum est, illud verò; pedibus ire, vt plurimum, consilium. Vade, inquit Iansen. & Emman. Si opportunitas est loci, temporis, & ratio prudentiæ velit, & charitas.

C

Reconciliari] Græcè, & Syriacè *reconciliare*, id est, redi in gratiam. Vide obsecro lector, quanti Deus faciat proximi gratiam, & amicitiam: *Te quærit* (ait Augustinus sermone decimosexto, de verbis Domini) *magis, quàm munus tuum; nam si malum animum gerens aduersus fratrem tuum veneris cum munere ad Deum tuum, Respondet tibi; Tu peristi, mihi quid attulisti? offers munus tuum, & tu non es munus Dei, plus quærit Christus, quem redemit sanguine suo, quàm quod tu inuenisti in horreo suo. ergò relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum*; sic pie, & sapienter August. 100. *Charitatem proximi quanti faciat Deus.*

D

Cæterum antequam hinc discedamus obseruandum est, quantum orationi prosit manuum mundities, nimirum, vt nullo fraternæ cædis cruore fœdatę, nulla rapina, nulla proximo illata iniuria temeratæ sint; has enim manus ad orandum extentas auersatur Deus, proindè Sapienter Dauid orabat: *libera mè de sanguinibus*: sanguinis autem nomine omne genus iniuriarum in proximum significatur. quin potiùs petiit idem Dauid, *Spiritu principali*, id est munifico, liberali, benefico, omnibus grato confirmari. Sciebat enim vir sanctus, mundam debere esse deprecationem, vt audiatur à Deo, quod & Paulus monet primæ, ad Timoth. secundo, octauo. *leuantes puras manus sine ira*: quod alij explicant absque iniuriarum memoria iuxta id Marci decimo, *cum stabitis ad orandum*, 101. *Orationi multum prodest manuū mundities.*

dimittite, si quid habetis aduersus aliquem: aliqui verò actiuè exponunt *sine ira*, id est, nemini irascentes, aut nocentes quacunque ex causa, subdit enim Paulus *& disceptatione*, quæ græcè dicitur, *dialogismus*, quasi dicat, nec re, nec verbo proximum læseritis. Quid? an non etiam apud Ethnicos munda in sacrificijs debere esse omnia monebant certa quadam loquendi formula sacrorum antistites, quarè inquit Liuius libro quadragesimoprimo. *Omnis præfatio sacrorum eos quibus non sunt puræ manus sacris arcet*; & Seneca libro tertio. nat. qq. iubet puras ad cœlum manus extollere.

Certè quàm magnam vim, & efficacitatem nostris addat precibus concordia atque in proximum beneuolentia & illum nunquam læsisse, habemus Matth. decimooctauo, decimonono. *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quam petierint fiet illis à Patre meo.* At preces irritas quantum efficiat illata proximo iniuria, satis hic locus Matth. quem versamus, indicat: *si offers munus tuum*, &c. cui si addas illud Isai. primo, decimooctauo, nihil est amplius quòd desideres: *discite*, ait, *benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus.* Vide Pinedam capite decimosexto, in Iob. ad versum decimumoctauum n. secundo, tertio.

102. 25. *Esto consentiens*] exemplo humano, & quadam veluti parabola concordiam commendat, & est sensus literæ: fac in rebus animæ, quod solet fieri in lite de re temporali; vt enim præstat reconciliari aduersario (id est ei, *qui habet aliquid aduersum te*) quàm ab eo iudici tradi, & condemnari: ita proximo læso præstat reconciliari, quàm à Deo puniri, sic Emman. & fusius Ianse. & videtur vera sententia loci huius.

consentiens] εὐνοῶν. beneuolus, id est, beneuolentiam habeto. sic Tertullianus libr. de patientia, Hilarius verò Canon. quarto, beneuolentia reconciliare. Augustinus libro primo, de sermone Domini vigesimosecundo, per aduersarium intelligit Dei legem, seu Verbum Dei, namque verbum aduersatur malè viuentibus, vt ipse ait Epistola octouagesimaoctaua, vel secundùm Athanasium, quæstione sexagesimasecunda, aduersarius noster conscientia nostra est. Hieronym. verò Matt. 5. aduersarium intelligit eum, qui habet aliquid aduersum nos, in quo cum nostra expositione posita initio huius nu. centesimisecundi cõsentit, Græcè habetur ἀντιδίκῳ, id est, litem intendenti, seu in ius trahenti. Per *viam*, hi omnes, sicut & nos intelligunt præsentem vitam. *Iudicem* verò Christum interpretantur; per *ministrum*, Angelum bonum, vel malum; per *carcerem* intelligunt quidam purgatorium, vt Cyprianus, Ambrosius, Origines, at alij melius infernum interpretantur. nos iuxta datam Iansenij, & Emman. expositionem intelligimus iudicem hunc temporalem sicut & per ministrum, & per carcerem, temporalem ministrum, & terrenum carcerem exponimus. licèt (vt fit in parabolis) sub his intendat Christus se, per iudicem; & per ministrum, Angelos; per carcerem, infernum. Moralis quidem, verùm elegans est sensus ille Tertulliani libro de anima cap. 35. *Si in diabolum*, inquit, *transfertur aduersarij mentio, ex obseruatione comitante, cum illo quoque moneris eam inire concordiam, quæ deputetur ex fideicõuentione: pactus enim es renunciare ipsi & pompæ, & Angelis eius. Conuenit inter vos de isto. Hæc erit amicitia, obseruatio sponsionis, ne quid eius posteà resumas, ex his, quæ ei eteraſti. quæ illi reddidisti, ne te, vt fraudatorem, vt pacti transgressorem iudici Deo obijciat.* sic Tertullianus.

Tradet te] loquitur Christus accommodatè ad hominum mores, & fori consuetudinem, vbi qui iniuriam accipit, aduersarium coram iudice sistit; significat autem Christus secundùm sensum intentum, & spiritalem parabolæ coram Dei tribunali, nisi reconciliemur fratri in hac vita accusandos nos esse, tradendosque Angelo sententiæ exequutori, & in carcerem, hoc est, in infernum trudendos; non quod nos, iniuria affectus frater, apud Christum sit accusaturus. tradet autem nos iudici, quia eius causa trademur, quamuis non tam ipse, qui etiam iudicandus est, quàm diabolus traditurus sit nos iudici, qui vel condonatam etiam nobis à fratre coram Dei tribunali refricabit iniuriam. quam rectè verò Diabolo *aduersarij* nomen conueniat, docet Pineda cap. 1. Iob ad ver. sextum, num. octauo.

26. *Non exies donec*] *non significat*, ait Augustinus, *exituros posteà, sed nunquam exituros*: nam cùm pro vno peccato mortali debeatur pœna infinita, quam nunquam poterunt persoluere, cùm gratiam non habeant, indè fit, vt nunquam sint indè egressuri.

Donec reddas nouissimum quadrantem] *nouissimũ* id est, extremum quasi dicat, quod restat soluendum. Hieronym. ad Demetria. minimum quodque delictum intelligit per nouissimum quadrantem. *Quadrantem* putant aliqui, quartam partem assis esse, quam à tribus vncijs, Plinius *triuncium* vocat; Cicero verò *teruncium*. atque eum nummum vulgo ceu minutum contemptui fuisse prouerbio quoque testatum est, quo dicitur: *ne teruncium quidem insumpsit.* Sunt qui dicant hanc pecuniam æquialere duobus minutis. D. Marci capite duodecimo, vbi dicitur, *cùm venisset vidua vna pauper, misit duo minuta*, quod est quadrans. Sed cùm ibi Græcè legamus λεπτὰ δύο significari videtur per minutum, nummus, qui amplius non diuidebatur, eratque *eteam* numisma, dicuntur autem à Mar. duo huiusmodi numismata, *quadrãs* ratione oboli, cuius minutum, seu lepton erat octaua pars, atque adeò duo minuta erant quarta pars oboli. Qua de re suo loco, Deo dante, dicemus: interim consules Villalp. in appara. tom. 3. p. 2. l. 2. disput. 2. c. 17. pag. 366.

103. *Quadrans quid.*

104. *Sola fides nõ iustificat.*

Eant nunc hæretici & plenis buccis iactent, fidem solam sufficere ad salutem, adeò vt ob solam infidelitatem trudantur homines in infernum: hic enim per quadrantem, minimum quodque debitũ, seu peccatum intelligitur, cùm tamen infidelitas nequaquam minimum dici queat. Illud interim aduerte etiam peccata venialia ibi perpetuò castigari in damnatis carentibus gratia, quæ principium est remissionis, & satisfactionis; in hunc & sequen. v. lege Ambros. in Luc. 12. Cyprian. l. 4. epi. 2. ad Anton. item Iansen.

105. 28. *Omnis qui viderit mulierem*] vbi exposuit quintum legis mandatũ, & perfecit, nunc idem cũ sexto facit: *Non mœchaberis*, Græcè pro *viderit*, habetur ὁ βλέπων *qui aspicit*, qui scilicet non casu, sed qui impudico animo in mulierem oculos injicit, id est, hoc animo aspicit, vt concupiscat, quo deliberatus consensus exprimitur, sic Augustinus, Hieronymus, Chryso. itaque de eo loquitur, qui ita videt, vt indè accendat in se eius concupiscentiam; quare, inquit Augustinus, considerandum esse, quod non dixit, *Omnis, qui concupierit mulierem, sed qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, id est, hoc fine &c. quod non est titillari delectatione carnis, sed plenè consentire libidini.

Potest esse & alter sensus, vt præpositio, *ad*, sumatur coniunctiuè tantum, & consequutiuè, qui viderit mulierem, ita vt etiam concupiscat eam, vel concupiscendo eam. & sic hæc Christi sententia sit de concupiscentia tantum deliberata, vel

cum

Digitized by Google

cum consensu, ita vt non sit propasio, sed passio; vterque sensus bonus est, sed prior magis huius loci videtur. Vide ad hunc locũ pertinẽtia multa, de cogitationum, & oculorum custodia apud Pinedam, capite trigesimoprimo in Iob. vers. primo, per multos numeros. Adde & Iulium nostrum Mazarinum in suo Dauide, vbi eruditè satis docet, quàm magna peccandi occasio sint oculi, nisi refrænentur, dum discur. 4. agit de altera peccati Dauidici occasione.

106. Verùm inquies, in quo perfecit Christus præceptum de non mœchando; nam concupiscentiam etiam refrenabat lex, dum iussit, *non concupisces vxorem* &c. Respondeo, & si putarint olim homines concupiscentiam esse prohibitam, non putarunt tamen fortè eam esse mœchiam, vel fornicationem, id est, mœchiæ, vel fornicationis crimen continere; hoc nunc Christus explicat, quod non dicebat lex ita expressè ac præcisè. Habebat quidem lex: *non concupisces vxorem proximi tui*, sed non dicebat, eum, qui impudicis oculis aspiceret, reum esse adulterij.

Mulierem] scilicet matrimonio iunctam: nam mœchari, non est simpliciter fornicari, sed adulterium committere.

107. Cæterum sub præcepto non mœcandi, prohibebatur etiam omnis illicitus veneris vsus, subgraviore scilicet peccato, & notiore, leuioribus comprehensis; sicut sub præcepto *non occides*, quælibet etiam mutilatio, læsio, præcussio hominis prohibetur. Quod autem dicitur de visu, vt de notiore sensu, intellige etiam de tactu, auditu, cogitatu. nam qui tetigerit, audierit, cogitarit de ea, vt concupiscat, *iam mœchatus est*, licèt minus peccarit, quàm is, qui reipsa adulterium commisit.

108. *Delectatio morosa peccatum mortale.* Porrò etiam delectationem morosam sine intentione operis patrandi esse peccatum mortale, de re venerea, ex Chrysostomo homilia decimaseptima. in hunc locum Matthæi elicit Vasquez. 1. 2. distinctione centesimanona, capite tertio. sic enim hunc locum exponens scribit Chrysost. *Audistis quia dictum est &c. qui enim studet elegantes facies inspicere, ipse præcipuè fornacem sibi istius passionis accendit; & captiuam facit animam, ad opus quoque celeriter abit, propterea non dixit; qui cõcupiuerit ad adulterandum, sed qui viderit ad concupiscendum*; distinguit ergò Chryso. concupiscere ad adulterandum, quod est voluntatis efficacis, ab eo quod est videre ad concupiscendum, quarè hac posteriori parte intelligit delectationem morosam; alioqui frustra duo illa quę diximus distingueret; quod videtur etiam significasse Hilar. Can. 4. in Matthæum, cùm inquit; *iam in Euangelio motus tantum oculi incidentis æquatur, & cum fornicationis opere ponitur, illecebrosa visus transcurrentis affectio*, affectio autem illecebrosa est morosa delectatio. Consule Vasquez qui plura affert.

109. Sed quidquid sit de mente horum Patrum, hoc loco tantum videtur Dominus de concupiscentia ad opus relata, si facultas adesset, loqui expressè, quamuis virtute ac tacitè etiam excludat morosam delectationem, quam fateor esse peccatum mortale in re graui.

110. *Cur, præter opus, etiam concupiscentia carnalis prohibita, plusquam in præcepto homicidij non faciendi.* Pererius epist. ad Rom. in c. 7. scribens disput. 10. num. 59. sic ait: *si quis porrò de me quærat, cur non etiam in lege Diuina de homicidio duplex datum sit præceptum, alterum de externo homicidij opere, alterum autem de interna concupiscentia faciendi homicidij, sicut datum est duplex præceptum de furto, & de externo actu furandi, & de interiori concupiscentia rei alienæ; & item datum est duplex præceptum de adulterio, de externo scilicet actu, & de interna concupiscentia; Equidem responderem, propterea id esse factum, quod multò maior est humani animi procliuitas ad carnalẽ libidinem, & voluptatem, & ad auaritiam, quàm sit ad cædes hominum faciendas. Quo fit, vt frequentior, & acrior, ardentiorq; sit in homine concupiscentia earum rerum, minusq; vitiosa, immò quasi naturalis vulgo putetur, tamquam pertinens ad conseruationem speciei humanæ per indiuidua. ea quoque sæpius foras prorumpit ingenti cum hominum iniuria & damno. Quo circa vt tãtum hoc malum radicitus ex animis hominum euelleretur, duplici fuit præcepto prohibendum. non autem ita sæpè in tantam, ira excedit acerbitatem animi, tantoq; inflammatur furore, vt præceps homo ruat in cædes hominum.* hæc ille.

Illud adde ex eodem; non tantùm qui de vulgò erant Iudæorum, sed grauiores etiam, & sapientiores censuisse præceptis illis Decalogi non interna peccata, sed externa fuisse prohibita, à quo non abhorruisse videtur libro duodecimo antiq. capite decimotertio Ioseph. eo nomine reprehendens Polybium historicũ, quod regem Antiochum ideò miserabili exitu perijsse scripserit, quia templum Dianę voluerit diripere; nam *voluisse*, inquit, *tantum & non etiam perfecisse sacrilegium, non videtur res digna supplicio.*

111. *Iudæi externa tanta curabant ne gleckis interni.*

Postremò contra hæreticos non omittendum; cùm lex dicit: *non concupisces*, non prohibere concupiscentiam per se, nempè eam; cui abest voluntatis assensus; licèt dici ea possit frigurate peccatum quinque modis: Primùm quia peccatum naturæ corruptæ: quemadmodum vitia, quæ sunt contraria integritati naturæ, vt sunt monstra, cæcitas &c. vocantur à Philosophis *peccata naturæ*. Iam verò cùm hoc integritas hominis exposcat, vt mens dominetur; sensus, & appetitus obediant, sit autem factum culpa hominis, vt hæc pars inferior rebellis sit, & repugnans rationi, hoc ipsum vocatur peccatum non morale, sed naturale. Deinde *peccatum* dicitur, quia effectus peccati, tum quia est pœna peccati. Ad hæc quia vehementer incitat ad peccatum. Postremò quia est instrumentum, quo per actum generationis peccatum originale propagatur, & transfunditur. & primo quidem modo sumpsit Augustinus libro quinto, contra Iul capite tertio, cùm dixit, concupiscentiam etiam per se peccatum esse, non solùm effectum, vel causam, vel pœnam peccati. in hunc ver. vide Augustin. de honest. mulier. capite quarto, & quinto. Vide item Anastasium tom. 1. biblioth. pag. 963.

112. *Hæretici taxantur.*

19. *Quod si oculus tuus*] Grauissimis verbis docet Dominus adulterij, fornicationis, cæterorumque criminum occasiones amputandas. Parabolica sunt ista verba, inquit Gagnæ. neque enim reuera aut oculum eruere, aut principale membrum iubemur abscindere. sensus autem est: nil tam carum, tam necessarium ducas etiam si tanti illud æstimas, quanti oculum, manumve dexteram, quod si te scandalizet, hoc est, in via Dei impingere te faciat non statim eruas, aut abijcias; melius est enim bonorum omnium, etiam carissimorum iacturam te facere, quam totum te mitti in Gehennam, id est, æterno igne relinqui cruciandum. Vel nullius sensus tam gratus sit vsus, quo non sis priuari paratus ob regnum cœlorum. nempè oculum prohibere ab aspectu, & manum à tactu, est ipsos quasi eruere, & proijcere; Aliqui sic: *si oculus tuus dexter scandalizat*; id est, si petulanter videas, *erue eum*, id est, cogitationem mali.

113.

Scandalizat] tibi est peccandi occasio.

Totum corpus tuum] videtur allũdere ad chyrurgos, qui vt corpus non periclitetur, abscindunt vnum membrum.

30. *Et si dextra manus tua*] Neque igitur de

corporis membris, quæ culpa carent, & ab animo, quo vult, ducuntur, hæc intelligi possunt. sed iubet Dominus, quæcumque carissima, vt est amicus vtilis, seruus fidelis, visus sensus alicuius, & similia, si absque peccato cum illis non potes conuersari, omninò amputes, & à te longius abijcias.

Eat] mittatur.

31. *Dictum est autem*] Vide de hoc vers. Augustinum decimonono, contra Faustum vigesimosexto, vigesimonono, Diuũ Thomam 4. distinctione trigesimatertia in additione quæstionis sexagesimęseptimæ, & prima, secundæ, centesimaoctaua, 3.1.2.

Quicumque dimiserit vxorem] ad sextum præceptum etiam hæc pertinet. pergit ergo perficere, & adimplere legem, permiserat olim lex repudium vxoris ob duritiam cordis Iudæorum, tollit nunc, verum num in veteri lege repudium tanquàm bonum concessum an tanquam minus malum, ad vitandum maius, permissum fuerit in cap. decimumnonum Matthæi, si Deo placuerit, dicemus.

114. *Libellum repudij*] exemplum libelli repudij Deuteronom. vigesimoquarto, primo, si quis scire velit, consulat Ianscnum hic, Abulensem capite decimonono, Matthæi nono, quinquagesimosecundo. Diuum Thomam, & Doctores in quarto distinctione trigesima tertia, quibus adde Maldonatum Matthæi decimonono, vers. octauo finali. Porrò quid interfit inter diuortium, & repudium &c. vide in Theorijs.

32. *Omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa*] hunc locum, qui matrimonium etiam quoad vinculum dissolui posse (licèt sit consummatum) propter fornicationem, impiè mentiuntur, falso vsurpant; sicut & alterum, & quidem magis Matth. decimonono, nonno. Vbi sic legimus: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur.* videtur enim vtrobique Dominus statuere, non esse vxorem dimittendam, neque ea dimissa, esse ducendam aliam nisi ob solam fornicationem.

115. Cæterùm habet hæc Domini sententia duas partes expressè, prima est: *Omnis qui dimiserit vxorem suam extra fornicationis causam, facit eam mœchari*, quamuis aliam non ducat, id est, præbet illi mœchandi occasionem. Altera pars est; *& qui dimissam duxerit adulterat.* Sub qua parte continetur tertia, nimirum qui priore dimissa alteram ducit, adulterat: nam ideò qui dimissam ducit adulterat, quia illa habet alterum virum, nempè eum qui dimisit illam, ergo & vir iste dimittens adulterat aliam ducendo, cùm superstitem suam habeat. Est autem differentia inter has partes, quod prima intelligitur extra causam fornicationis, & quamuis vir aliam non duceret, mœchatur enim etiam sic dimittens, hoc est, eam mœchari facit; quia cùm esset pudica cum viro, tamen dimissa cogitur per incontinentiam viuo priore alteri copulari, quod est mœchari. Augustinus 2. ad Tollen. de adulterio coniugum, capite decimoseptimo, quod si hoc ista non fecerit, tamen ille quantum in se est, facere compulit, & hoc ei Deus peccatum, etiam si illa casta permaneat, imputabit. Secunda verò, & tertia pars accipienda est, siue posita fornicatione vxoris, siue non posita, semper enim qui dimittit, aliam ducens, & qui dimissam ducit adulterant. itaque causa fornicationis licitam facit dimissionem, sed non secundùm coniugium dimissæ, vel dimittentis: Atque adeò cùm ait, *dimissam*, intellige etiam ob fornicationem. Et patet

A quia si illa exceptiua pars, *excepta fornicationis causa*, intelligeretur etiam in posteriori sententia, cùm dicitur, *& qui dimissam duxerit*, subintelligendo, *excepta fornicationis* causa, sequeretur meliorem esse conditionem dimissæ ob adulterium, quàm sibe illo, quod est absurdum. Igitur cùm dicitur: *& qui dimissam duxerit*, intelligitur quocumque modo sit dimissa.

Verùm quid hic nomine *fornicationis* oporteat 116.
intelligere non tantum hic, sed etiam in loco altero Matthæi decimonono, declarandũ est. Affirmo igitur Matthæi quinto, & decimonono, Christum dum declarat diuortium licere ratione fornicationis, nomine fornicationis omnem illum concubitum, per quem caro coniugis diuiditur in alium, intellexisse. quod non obscurè significauit D. Hieronymus in cap. 19. Matth. explicans quo modo liceat ratione fornicationis vxorem dimittere, & refertur c. dixit Dominus 32. q. 1. ibi; *cùm*
B *illa vnam carnem in aliam diuiserit, & se fornicatione à viro separauerit, non debet teneri.* Adde etiam legem diuortij non esse verè pœnalem, sed ex ipsamet contractus matrimonialis natura oriri, quod ostendit pluribus Sances lib. 10. de diuort. disp. 3. num. 4. & disput. 4. num. 3. proindè non mirum, si nomine *fornicationis* claudatur omnis ille concubitus, in quo inuenitur perfecta diuortij ratio, quamuis propriè adulterium non sit, siue naturalis, siue Sodomiticus fuerit. Vtrùm autem ratione adulterij spiritualis, quod est hæresis, vel apostasia à fide, in quod alter coniux dilabitur, liceat Catholico diuortium, ac vtrique transitus in alium statum vt ad professionem, & viro ad ordines disputat egregiè idem Sances eodem libro dis. decimaquinta.

Cæterum cùm plures sint causæ dissoluendi, 117.
C quo ad torum matrimonij, cur solius carnalis fornicationis meminerit Christus constabit Theo. 7. n. 9.

Reliquum est videre, quid Christus hoc loco addiderit legi, cui obiectioni respondeo per hæc: primum quod in lege propter adulterium vxor non dimittebatur, sed aut comburebatur; Genesis trigesimooctauo vigesimoquarto, aut lapidabatur, Leuitici vigesimo, decimo. Ioann. 8. 5. Denique tollebatur è medio Dan. 13. 41. hoc Christus sustulit, non mori adulteram iussit: sed dimitti permisit. Addidit præterea, quod noluit etiam adulterij causa dimissæ, libellum repudij dari, quo segniores in dimittendis vxoribus essent viri, si scirent, nec sibi, nec vxori licere alias tentare nuptias. Addidit tertiò, quod innumerabiles causas quibus in lege vxorem dimittere licebat, resecuit Deut. 24. 1. solam fornicationem excepit, vt proprium matrimonio. Ad hæc addidit, quod cùm in
D lege semel dimissam vir reuocare non posset, in Euangelio reuocari non quidem iussit, sed optauit, vt ostendit Paul. 1. Corint. 7. 11. Addidit postremò, quod cùm in lege vxorem viro, non virum vxori dimittere liceret: in Euangelio parem viri & vxoris causam esse voluit, quod expressit Paul. 1. Corinth. 7. 10. 11. qua de re vide Theor. 8. n. 4. 7. 9.

33. *Dictum est antiquis, non periurabis*] Gradum iam facit Dominus ad secundum Decalogi præceptum, de quo Exodi. 20. 7. Deuteronom. 5. 11. vbi dicitur: *non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, sic etiam Leuit. 19. 12. Hebraicè non habetur *non periurabis*, sed *non iurabis*, seu *non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Vanum autem & Latinè, & Hebraicè significat non modò, quod non necessarium, sed etiam quod falsum, quod est peierare.

Sensus autem huius præcepti, *non assumes no-* 118.
men Domini Dei tui in vanum, triplex esse potest,

pri-

primus est: *non assumes in vanum*, id est, pro re nullius momenti, pro re futili, & inani. Alter sensus est: *non assumes in vanum*, hoc est frustra, quasi dicat, ne iures in eius nomine, nisi necessitate compulsus. Tertius est: *non assumes in vanum*, hoc est, mendaciter; quasi dicat, ne iures per nomen Dei mendaciter: mendacium enim, & quidquid est falsum, & fictum, Hebraico more dicitur *vanum*, qui sensus mihi videtur valdè conformis huic loco, & verus, ac germanus eius præcepti, & perindè est, ac si diceretur: nihil falsi Deo teste aduocato iure iurando confirmabis; Confirmatur, quia Leuitici decimonono, vbi legitur, *non periurabis in nomine meo*, Hebraicè. ad verbum est: *non iurabitis in nomine meo mendaciter.*

119. Cùm verò iubemur debitum Diuino nomini honorem tribuere, non iubemur ipsius nominis literas & syllabas, aut omninò per se nudum verbum tantummodo attendere, sed in eam cognitionem mentem, & animum conijcere, quid nam valeat, quid contineat, quid significet illa vox, nempè immensam Dei maiestatem, quod non de vno aliquo nomine, sed de omnibus, quæ Deo tribui soleat, intelligendum est.

120. *Reddes autem* &c.] Triplex esse potest sensus: primus, solues Deo, quod iureiurando promisisti. Hoc continetur Numerorum trigesimo: *Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit implebit.* Secundus sensus est: *reddes Domino iuramenta*, hoc est, cùm iurabis non assumes nomina idolorum, sed nomen Dei tui, quod iubetur Deuteronom. sexto. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies.* sed non hoc videtur hic significare Dominus; nam cùm dicat, *reddes*, id est, persolues, præstabis, accipiendum id est de exhibitione eius, quod iure iurando promissum est. Tertius sensus videtur mihi germanus esse huius loci, qui hac vna sententia sic comprehendi posset: iuberi, vt præstemus (hoc enim est reddere) quod siue Deo, siue alij iure iurando promisimus: vnde cùm Christus dixisset, *non periurabis*, subdidit: *iuramenta tua reddes*, quasi dicat, quia non iurandum est falso, & mendaciter, ideò redde, quod iurando promisisti alioqui mendaciter iurasti. Porrò Dominus sensum retulit, non verba harum legum: & sub iuramento promissorio, etiam alia, si quæ sunt, iuramenta clausit. est enim duplex iuramentum, assertorium, & promissorium, sicut & periurium, alterum est assertorium, quo scilicet affirmatur iuramento esse verum aliquid, quod falsum est: alterum promissorium, quo scilicet iuramento promisit quis se facturum, quod non intendit implere, vel licèt intendat, posteà non adimplet, licèt iste non semper periurus dicatur si aliqua subsit ratio.

121. 34. *Non iurare omninò*] Duo comprehendit, *omninò*, primum, nulla forma, nullo modò iurandum; prohibet enim Christus non modo per Deum non iurare, sed nec per cœlum, terram & cætera. Deindè, *omninò*, idem est, ac nec verum iurabis, quod quomodo sit intelligendum fusius in Theoria decima declarabo. Breuiter nunc dico his verbis prohiberi iuramentum falsum, & verò etiam verum, sed citra necessitatem, saltem tacitè, & virtute; consuli desuefactionem, permitti iurationem necessariam & ob id adijcitur, *sit sermo vester, est, est, non, non, quod his abundantius est, à malo est*, non autem dixit malum est, sed à malo est, ab imperfectione, & incredulitate eius, ob quem fit iuratio. vel quod additur simplici affirmationi, vel negationi, videlicet iuramentum, à malo pœnæ est, quam homo per peccatum incurrit, quia enim peccauit, incidit in hanc pœnam, vt simplici eius dicto fides sæpè non adhibeatur, ob id prouidit illi Deus, vt hoc damnum, iuramento interposito, resarciret, in quo vnà cum homine inuocatur Deus in testem. sic Aug. interpretatur.

An liceat iurare.

Quod autem liceat aliquando iurare, probat 122. ex scripturis Driedo libro quarto, Ecclesiastic. dogm. capite quinto pa. tertia, post princip. Augustinus epistola octogesimahona, ad Hilarium q. 5. & sermone trigesimo, iuxta Parisienses, vel vigesimooctauo, de verbis Apost. pulcerrimè, & de mendac. capite decimoquinto. vide item pulcrè in Decretal. 11. de iure iurando capite & si Christus.

Itaque declarat hic Christus legem, quæ dice- 123. bat, non assumendum nomẽ Dei in vanum, hoc est, peierandum non esse, debere intelligi etiam non esse iurandum falsum, non modò sub nomine Dei, sed nec sub alia forma; nam fortè videbantur Iudæis, non cogere, vel obligare omnia illa iuramenta, quæ non erant per Deum vt potest haberi ex Matthæi vigesimotertio. Prætereà nec esse omninò iurandum, quamuis verum absque necessitate, hoc enim etiam est in vanum iurare, quod lex non explicitè continebat, quæ per, non iurare in vanum, explicitè tantum iubebat mendaciter, non iurare. Est igitur hæc legis declaratio, quam hic ponit Christus.

Maldon. sic in hunc locum scribit: nihil hoc loco aliud Christus legi addidit, nisi quod expressit, quæ in lege expressa non erant. in lege enim tantum dictum erat; *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, Deuteronom. quinto, vndecimo, Christus addit, non solum nomen Dei; sed neque nomen cœli, & terræ, aut alterius creaturæ in vanum assumes (quod non ita erat expressum in lege) Addidit etiam, quod cùm illis legis verbis: *non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, solum prohiberetur periurium, ipse verum etiam, non tamen necessarium prohibuit iuramentum.

Neque id solùm, vt quidam volunt, ne sæpè iu- 124. rando verum, aliquando falsum iuraremus, iuxta Eccleslast. 23. 9. 12. sed multò magis, quia sine necessitate verum iurare peccatum est, quod patet ex sequentibus, cur enim neque per cœlum, neque per terram iurare nos velit, rationem reddit, non, ne frequenter iurando, aliquando peieremus, sed quia illud, thronus Dei est, hæc scabellum pedum eius, nam cœlum excellentius est, terra infima, atque adeò magis Dei maiestas in cœlo cernitur; irreuerentiæ verò culpa est ponere in cœlum os nostrum, & linguam nostram transire per terram, vt illud Psalmi septuagesimisecundi, 9. alio sensu dictum, huc transferamus.

Neque per cœlum] Colligitur hinc, creaturis, 125. quatenus ad Deum referuntur aliquem religionis honorem deberi. nam iurare per aliquem, quando, & quomodo oportet, actus est religionis; ob id iussit Dominus numquam per falsos Deos iurare, sed per cœlum concesit modo dicto, vt oportet quatenus est aliquid Dei, & sic de cæteris, neque enim id verat.

Creaturis honor aliquis debetur.

Thronus] id est, velut thronus, sic de terra, quia scabellum, id est, velut scabellum; Vide Isai. vltimum, vers. 35.

35. *Quia ciuitas est magni regis*] vocat regem potiùs, quàm Dominum, aut Deum, quia alludit ad regem Iudæ, qui Ierosolymæ regiam habebat, quasi dicat, quia ciuitas sancta est, cùm sit Dei, qui est rex regum & Dominus Dominantium, 1. Timo. 6. 14. Apoc. 19. 16. erit ergò quoddà irreuerentiæ genus per hæc temerè iurare, sicut per Deum etiam sic iurare.

36. *Neque per caput*] excluserat cœlum, quia thronus Dei, terram quia scabellum, Ierosolymam, quia ciuitas sancta: & verò quia putare quis posset per caput, quia nostrum est, iurare se posse, & hoc noua vsus ratione excludit, significans caput rem esse Dei, à quo quasi vtendum ipsum accepimus, & in nostra non est omninò potestate, quare illud deuouere iurando non possumus, cùm res nostra non sit; cùm enim per caput iuramus, potiùs illud deuouemus, vt quid nostrum, quam propriè iuramus, secus cùm per cœlum, & terram, quas res vsurpamus, quasi sanctitatem habentes aliquo modo, videlicet vt quid Dei sunt.

Album aut nigrum] Probat non in nostra esse caput potestate: quia siue de albo loquamur, siue de nigro, (hoc enim est quod dicit album, aut nigrum) nullum capillum potest homo facere. Syr. *non potes facere in eo* (capite) *particulam vnius pili albi, vel nigri.*

126. 37. *Est, est,*] id est, de eo quod est, esse dicite, de eo quod non est, non esse, quasi dicat, vera dicite, vt exponit Augustinus in Enchirid. capite decimoseptimo, vigesimosecundo. Græ. *etiam, etiam*, seu, *certè, certè*, & fortè Christus dixit Hebraicè *amen, amen*, & potest sensus alter esse, contenti estote, rem affirmatione gemina, aut negatione confirmare; seu rem affirmare, seu negare simpliciter, absque iuramento, & videtur verior sensus, vide simile quid Corinth. primo, & Iacobi quinto, duodecimo, vbi sic habetur Græcè ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναὶ, ναὶ, καὶ, τὸ οὒ, οὔ, id est, vestrum etiam, sit etiam; & vestrum non, sit non, & potest esse duplex etiam sensus, vt huius nostri loci. Primus, de eo quod est, dicite, *est*. de eo quod non est, dicite *non est*, iuxta primum sensum huius loci, vel potiùs iuxta secundam expositionem loci huius veriorem, sensus est Diui Iacobi, cùm dicendum erit, *est*, id est, affirmandum, ne affirmetis iuramento, sed simplici affirmatione dicite: *ita est*; cùm aliquid negandum, ne iuretis, non ita esse, sed simpliciter dicite, *non*, id est, non ita esse. Sic Chrysostomus hic, & Hieronymus in Epistola ad Celan. de institutione matrisfamilias, & ratio, & mens Christi hanc insinuat expositionem. Vult enim potius non vtendum esse iuramento, docere; quàm verum esse iurandum, vel dicendum.

Quod autem his abundantius est] id est, iuramentum, quod insuper additur.

127. *A malo est*] scilicet vitio iurantis, vel eius, cui iuratur; vel, *à malo*, id est, diabolo, quia Græcè nō est ἐκ τοῦ κακοῦ, sed ἐκ τοῦ πονηροῦ, *à maligno*, quo nomine vocatur diabolus capite sexto Matthæi, decimosexto, & capite decimotertio, decimonono, & articulus additur, *à maligno illo*, vt sit sensus: iuramentum, quod ad simplicem affirmationem, vel negationem adiungitur, non ego doceo, diabolus est, qui docet, eius hoc inuentum, tam sæpè, tamque temerè iurandi. Sic Theophyl. sic Maldon. & quidem non malè. dummodò intelligas de iuramento non necessario, & timerè facto; vel si velis absolutè loqui, ratione peccati primi, ad quod primos parentes impulit Diabolus, verum id erit; si enim non peccassent homines, iuramento opus non fuisset, quod paulò antè v. 33. num. 121. notaui, vbi declaraui, quid sit, *à malo est*, quæ interpretatio planior, & verior est. lege exemplum Cliniæ Philosophi de non iurando apud Basil. hom. 24.

128. 38. *Oculum pro oculo*] sunt verba legis Exod. vigesimoprimo, vigesimo quarto. Leuitic. vigesimoquarto, vigesimo. Deuteronom. decimonono, vigesimo primo, recitat tamen Christus vt iuris periti faciunt legis initium; itaque sensus est; *Oculum pro oculo*, scilicet reddat, qui alterius oculum

A eruit. Lex hæc talionis fuit etiam apud Romanos, qua de re lege Aulum Gel. libro vigesimo, capite primo, vbi ponitur ea de re disputatio inter Sextum Cecilium, iureconsultum, & Phauorinum Philosophum. Neque verò hæc lex talionis priuatis hominibus, sed magistratibus, quasi regula data est; priuatis. n. hominibus dictū est Leuitici decimonono, decimooctauo; *nō quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Data tamen potest dici priuatis hominibus, vt pœna, qua ab homicidio, & cæde deterrerentur, vt rectè Chrysostomus, & Augustinus adnotarunt. ergò Leuitici 19. prohibitum erat, non ius, se vltionem quærere, scilicet ex odio, & amore vindictæ, non zelo iustitiæ.

Vt verò intelligas iustam fuisse hanc legem, obserua id quod Augustinus decimonono, contra faustum 25. scribit; *præceptum hoc fuisse ad reprimendas flammas in se inuicem sæuientium. quis enim facilè contentus est tantùm rependere vindictæ, quantùm accepit iniuriæ? immoderatæ ergò vltioni lex modum figens, pœnam talionis instituit.* Ianseníus item sic de æquitate huius legis scribit: *non est censenda lex ista iniqua, cùm multum habeat æquitatis, siue spectetur is, qui ladit, siue qui læditur. nam quo ad lædentem pertinet efficacissima est huiusmodi lex, ad comprimendum noxias manus, dum metuitur eiusdem mali passio, quod alijs infligitur. Et quo ad læsum pertinet, temperat in ipso cupiditatem vindictæ. Cùm enim læsus semper soleat grauiorem expetere vltionem, quàm sit accepta iniuria, Dominus hac lege, vt annotat Augustinus* (paulò antè relatus) *immoderatè vltioni iustum modum fixit.* de pœna talionis agit etiam Arist. 5. Eth. Porrò aduerte legem talionis locum habuisse inter pares, vel ferè pares, alioqui si quis percussisset principem, & magistratum non satis fuisset repercuti. lege in hunc v. Chrysol. serm. 38.

129.

B

C

130. 39. *Non resistere malo*] Gloss. *iustitia legis non plus reddere quàm illatum est; iustitia Euangelij non resistere malo*; Interl. *agitur hoc spiritu mansuetudinis.* Hieronym. *in lege culpa emendatur; hic peccatorum auferuntur exordia*, scilicet non resistendo, non expetendo vindictam. Augustin. de sermone Domini in monte. *Oculum pro oculo &c. significatur modus, vt iniuriam vindicta non transeat; & hæc pacis inchoatio, perfecta autem pax, talem penitus nolle vindictam.* &, vt idem paulò superius ait August. vult Dominus, *vt non solum non rependas irrogatum, sed etiam vt non resistas, quo minus aliud irrogetur.*

Malo] iniuriæ illatæ, ne resistas, inquit, quasi rependendo vindictæ causa, sed potiùs paratum te exhibeas excipiendæ iniuriæ, nisi aliud charitas, & Dei gloria postulent.

D 131. Aduerte docere hic Christum primùm generatim non resistendum malo. deindè explicare speciatim tria iniuriæ genera, sub quibus omnes comprehenduntur iniuriæ. Primæ inferuntur corpori, vt maxillæ percussio. Aliæ bonis externis, vt vestis ablatio. Tertiæ operibus, & laboribus nostris, qualis est coactio ad ambulandum mille passus. Igitur omne genus iniurijs illatis resistendum non esse vult. Exempla patientiæ gentilium huc spectantium lege apud Barrad. l. 7. c. 21.

132. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuā, præbe ei & alteram.*] Hunc locum de dextera, & sinistra acutè tractat Augustinus epistola quinta ad Marcell. maxilla quidē dextera securior est, quod non respondeat dexteræ manui, sed sinistræ aduersarij percutientis; tum etiam melior, & honoratior est: cùm ergò meliora bona tibi noluerit inimicus auferre, cùm interiorem tunicam, & animæ virtutes, expone terrena omnia bona, & sinistram

maxil-

Digitized by Google

maxillam, externumque pallium; quæ cùm ille abstulerit, nihil quod verè bonum sit amisisse te puta. Hæc est sententia, & summa verborum Augustin. lege item Orig. lib. 4. Periar. c. 2. Paulus verò eximius laborum exantlator, qui cùm vincula audit, non solum alligari, sed & mori paratum se præbet, vt nullum sustinentiæ finem faciat; sic nos instruit 1. Corint. 6. 7. *Delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos, quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?*

133. Card. Tolet. adnot. 49. Luc. 6. dicit, per dextræ percussionem, minorem iniuriam significari, per sinistram verò maiorem; nam sinistra maxilla maiori cum vi percutientis dextra verberatur, quàm dextra maxilla percussi. Vult ergo nos Dominus paratos esse ad maiorem etiam iniuriam suscipiendam; potest & pro vt sonant verba hic locus intelligi: ita tamen, vt consilij sit, siue mortificationis caussa, siue in vindictam nostrorum peccatorum, siue ad exemplum patientiæ præbendum, siue ad maiorem promptitudinem ostendendam in tolerandis iniurijs pro Dei amore, maxillam vertere alteram, nos ipsos ad excipiendum comparantes, & inuitantes, nō proximum irritantes ad inferendum damnum: vt D. Laurentius tyranno insultans dixit; *assatum est iam, versa, & manduca.* Itaque hoc modo non de sola animi præparatione intelligitur hic locus, sed etiā de corpore actu exhibendo, vel exponendo, ictui, cùm expedit, quomodo etiam dixisse Christum intelligemus, dum adiecit: *si quis te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo.* sed literalis sensus est, vt dexteram maxillam dixerit, & alteram, pro, vnam, & alteram, sic Luc. 6. 29. significat.

Secundùm Hierony. omninò mystico sensu, non sinistra, sed altera dextra præbenda: *iustus enim sinistram non habet*, inquit Hierony. *si nos hæreticus in disputatione percusserit, & dextrum dogma voluerit vulnerare: opponatur ei aliud de scripturis testimonium, & tamdiu verberanti; succedentes sibi dexteras præbeamus, donec inimici ira lassescat.* itaque oppugnanti vnum dogma, opponendum alterum. & vt ait Barrad. iustus non habet sinistram, id est, debilem maxillam, vel animum qui ad colaphos, si opus fuerit, Christi caussa recipiendos, non sit paratus, & ad maiora perferenda.

134. Verùm totius huius versus 39. immò & seq. 40. & 41. sensum germanum exposuit Augustin. epistol. 5. ad Marcelli. sic enim scribit: *ista præcepta magis ad præparationem cordis, quæ intus est pertinere, quàm ad opus, quod in aperto fit, vt teneatur in secreto animi patientia cum beneuolentia, in manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse posse, quibus benè, vel malè debemus, hinc ostenditur, quod ipse Dominus IESVS exemplum singulare patientiæ, cùm percuteretur in faciem, respondit: si malè dixi, exprobra de malo, si autem benè, quid me cædis? nequaquam igitur præceptum suum, si verba intueamur impleuit, neque enim præbuit percutienti, alteram partem, sed potius prohibuit, ne qui fecerat iniuriam, augeret, & tamen paratus venerat. non solum in faciem percuti, verùm etiam pro his quoque, à quibus hæc patiebatur, crucifixus occidi, pro quibus ait in cruce pendens: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. nec Paulus Apostol* (Actor. 12. *præceptum Domini, & Magistri sui videtur implesse, vbi etiam ipse percussus in faciem dixit principi Sacerdotum: percutiet te Deus, paries dealbate, &c. & cùm diceretur illi: iniuriam facis principi Sacerdotum, ait, nesciui fratres, quia princeps est, scriptum est enim principi populi tui non maledices*, quem locum Actorum declarat idem Augustin. lib. 1. de ser

A Domin. in mon. cap. 35 satis pulchrè, de quo etiam vide Pere. in c. 12. ad Roman. d. 2. nu. 9. subdit ergo Augustin. *Sunt ergo ista præcepta patientiæ semper in cordis præparatione retinenda, ipsaq; beneuolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda est, &c.*

Sed Gagnæus. *vult*, inquit, *his verbis Dominus præter legem, in qua retaliatio iniuriarū, aut damni accepti licita erat, omninò nos abesse à vindicta: immò sic affectos esse, vt accepta iniuria, rursus, si opus est, aliam accipere paratiores simus, quàm acceptam retaliare: non quod id præceptum sit: sed hyperbolica loquutio est, indicans nobis quantoperè commendat mutuam inter Christianos concordiam Christus, vt priusquam fraterna caritas scindatur, pallij iactura accipiatur, aut leuior iniuria feratur.* sic Gagnæus. *Christiani animi quāta debeat esse moderatio.*

B Quod ergò hic Christus dicit, vel non est præceptum, sed consilium, si re vera exequendum est, cùm aliud charitas, vel proximi vtilitas non poscit, quia tunc malum esset, tantum abest, vt consilium dici queat. vel si præceptum est, non vt verba sonat accipiendum, sed vt animo exequendum, vt paratus sis quamlibet iniuriam perferre potius, quàm contra fraternam charitatem quicquam facias, in odium, & vindictam. Itaque animi præparatio semper est necessaria, corporis, cùm expedit; interdum enim ad consilium pertinet, interdum ne ad consilium quidem, cùm aliud charitas, vel iustitia suadet; & vt ait Iansenius prohibere noluit per hęc Christus ne iustis de causis resistamus malo, vt cùm quis repellit à se, cum moderamine inculpatæ tutelæ malum, ex cuius tolerantia nullus fructus sequeretur, vel cùm quis iam inter Christianos iustitiæ solius intuitu, &

C correctionis mali vindictam requirit. Vide de hoc v. Diuum Thomam 2. 2. quæstio. 40. articul. 1. & 108. ar. 5.

40. *Et qui vult tecum iudicio contendere*] hoc vt & sequens ad animi item præparationem pertinet.

Iudicio] hoc est secundum genus iniuriarum; si quis in iudicium, inquit, te vocat, tunicamque tuam vult tollere, *dimitte ei & pallium.* Augustin. de serm. Domini, *omnia ergo*, inquit, *intelliguntur, de quibus iudicio nobiscum contendi potest.* apud Lucam prius ponitur pallium, quàm tunica. Sensus ergò est, qui vult tibi tollere vnam vestem, dimitte, ei & alteram, ἱμάτιον Græcis est, vestis exterior, pallium scilicet, vel vt vertit apud Lucam Interpres, *vestimentum*, & hoc prius detrahitur. χιτών est vestis interior, tunica hic dicitur à Matth. quare videtur esse ordo præposterus. ob id dixi poni pro veste, quæcumque sit illa. 135.

D Cæterùm non displicet Card. Tolet. sententia qui an. 50. in cap. 6. Luc. apud Matth. inquit, est sermo de ablatione, quæ fit per litem, & iudicium. dicitur enim *si quis voluerit tecum iudicio contendere*, &c. proinde non refert siue præponas tunicam, siue pallium, tam enim hoc, quàm illa potest iudicio tolli per sententiam iudicis. At Luc. de ablatione, quæ per vim fit loquitur, quomodo pallium prius detrahitur, & facilius hoc, quàm tunica; de hac Christi doctrina lege Augustin. epistol 5. cit. ad Marcelli. vbi soluit gentium obiectiones. in hunc v. lege Augustin. contra Adimantum c. 7. & 8. l. 19 contra Faust. c. 25.

41. *Et quicunque te angariauerit*] Inuitum duxerit; *Angari* erant apud Persas publici nuntij, vel cursores, ijs publica auctoritate concessum erat homines cogere ad ferenda onera, quosuis equos, naues &c. vsurpare, vnde factum, vt & Græci, & Latini vsi fuerint verbo, *angariare*, aliquē cogere, soluta quauis mercede, ad onera 136. *Hunc morē adhuc vsurpant Turcarum cursores.*

Digitized by Google

ferenda, vel viam demonstrandam. Ponit autem hic Dominus tertium iniuriarum genus.

Mille passus] Gr. vnum miliare. *Duo*] scilic. miliaria, Græcè legitur ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο, hoc est, *vade cum eo duo*; sic etiam legitur Syriacè, vt sit sensus, si quis te coëgerit vnũ miliare cõficere, confice tu cum eo non vnum modo, verùm etiam duo miliaria. Noster interpres videtur legisse ἀλλὰ δύο, id est, *alia duo*, quo indicantur tria conficienda miliaria, sensus idem est. His omnibus præceptis, vult etiam Dominus, nos tranquillitatem conseruare, eamque omnibus præferendam esse temporalibus bonis: vult vt in bono malum vincamus, quod fit partim patientiæ, partim contemptus rerum fluxarum exemplo, vt notat Chrysostom.

137. 42. *Qui petit à te*] Augustnus de serm. in mon. hæc cum superioribus sic coniungit: *quoniam parum est non nocere, nisi etiam beneficium præstes quantum potes; adiungit Dominus: omni petenti da, &c.*

Quomodo & cui dandũ. Cæterùm non personarum, sed paupertatis, sed caritatis habenda est ratio. Itaque in dando fugiendam esse monet personarum acceptionem, ait enim; *qui petit à te da ei*, id est, quisquis sit qui petit à te da ei, vt apparet ex Luc. 6. 30. Nec considerandum an is qui petit dines sit, atque adeò mihi rependere possit, est enim hæc qualitas personæ eleemosynæ contraria, neque attendenda qualitas aliqua non propria, vt quia Græcus, quia Latinus, neque enim nationi datur eleemosyna, sed paupertati. Neque negat hic Christus seruandum esse in dando ordinem caritatis. habet enim caritas ordinem suum, vt parentibus potius, quàm alienis, vt amicis potius, quàm ignotis subueniamus. Nec iubet Dominus nullum inter pauperes habere discrimen, præferendi qui magis egent; neque bona nostra in omnes effundere, quicunque petierint. Augustt. de serm. Dom. ait: *omni petenti inquit, non omnia petenti, vt id des, quod dare honestè, & iustè potes.* Idem Augustt. *cui iustè negaueris, quod petit, indicanda est iustitia, vt non eum inanẽ dimittas, ita omni petenti te dabis, quamuis non semper id quod petit, dabis, sed aliquando melius aliquid dabis, cùm iniustè petentem correxeris.* Idem epistola quadragesima octaua, *vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat.* Glosst. verò habet; *si deest facultas, da affectum verbo, vel obsequio, da ita, vt nec tibi noceat, nec alij.* Hinc reijcitur blasphemia Marcio. vt refert Tertullianus libro quarto, contra eundem Marcio. reprehendebat enim Christum insanus hæreticus, quod omni potenti dari iusserit, ipse verò Iudæis petentibus ab eo signum negauerit. neque enim dixit Christus omnia danda, sed quod iustè, & honestè dare potes; & quod nec tibi, nec alteri noceat, &c. quæ ex prædictis constant.

138. *Auertaris*] scilicet ab eo, quasi dicat, ne detrectes dare, vel mutuare. Græc. μὴ ἀποστραφῇς, quod Iansen. cum Caietan. deponentaliter accipiunt. Potest tamen melius passiuè accipi pro, *ne auertaris ab eo*, vt dixi, licèt Augustin. libro primo, de serm. Domini legat: *ne auersatus fueris*, & ad animum, ac voluntatem refert. Potest & ad corpus referri, non modo ad voluntatem, quasi dicat, ne in aliam partem te vertas, ne alio abeas. Hinc constat Dominum superioribus tribus præceptis, quibus docuit quo modo nos habere debemus erga vim inferentes, & iniurias, duo nunc addidisse præcepta vers. quadragesimo secundo, quibus monet, quomodo nos gerere debemus, erga supplices, qui vel donari sibi, vel mutuari postulant. & cap. 6. 30. Lucæ addit tertium, & quæ aufert qui tua sunt, ne repetas.

Iansenius notat, quod *maximè exigere his præceptis voluit Dominus animi promptitudinem ad subueniendum quibusuis quauis ratione; qua promptitudo, si adfuerit, non poterit Christianus externo opere proximis non subuenire, cùm consonum rectæ rationi fuerit, hoc est, cùm vel necessarium fuerit, vel expediens; proindè non est dandum procacibus scurris, aut decoctori non egenti, nec vt alijs sit remissio, nobis autem tribulatio, & egestas; nec, si quis nostra nulla necessitate abstulerit, non licebit ea amicè repetere; habent autem hæc omnia, vt præcedentia præcepti vim, quoties necessitas aliqua occurrerit illustrandæ gloriæ Dei, veliuuandi proximum, & salutis eius promouendæ. Consilij autem naturam quoties non necessitas aliqua talis, sed vtilitas tantum sic facere suaserit. vbi verò recta ratio hæc non probauerit, tanquam vel necessaria, vel expedientia, nec præcipiuntur, nec consuluntur.* hæc ille. 139.

Augustt. Psalm. 102. huic sententiæ opponit illud Ecclesiast. 12. *da bono, & noli recipere peccatorem*, & tamen hic dicitur vt petenti, nempè omni, vt expressit Luc. tribuamus. Respondet idé Augustinus, dandum esse quidem iniquis, non vt iniqui sunt, sed vt homines indigentes. iniquis verò dant, qui ad praua opera tribuunt, vt qui sua impendunt histrionibus, & meretricibus, & similib. in mala eorum opera, & hoc prohibet Ecclesiast. Greg. part. 3. pastor. admon. 21. sic respondet eidem dubitationi; *panem suum, & vinum peccatoribus præbet, qui iniquis subsidia, pro eo quod iniqui sunt impendit*, vt explicat de his, qui nutriunt histriones. Et subdit; *qui verò indigenti etiam peccatori panem suum, non quia peccator, sed quia homo est, nimirum, non peccatorem, sed iustum pauperem nutrit; quia in illo non culpam, sed naturam diligit.* 140.

Sed illud animaduersione dignissimum est, num hæc verba, tum apud Matth. tum apud Lucam de omnibus absolutè petentibus intelligenda sint, vt significat Tertullian. lib. 4. cont. Marcio. num. XVI. vbi ait: *omni petenti te dato, vtique indigenti, vel tanto magis indigenti, si etiam & abundanti*: an verò solùm de indigentibus intelligenda sint. Cui occurrendum est, de indigentibus, aut opus habentibus intelligenda esse. Sic Cyprian. lib. 3. ad Quirinum c. 1. hac sententia eleemosynæ generalitatem commendari dicit, vt nemini petenti eam negemus. Euthy. ad hæc Matth. 5. iuberi nos addit, non dijudicare dignum ab indigno, eo enim, quod petit indignus est, qualis, qualis sit: nam & Deus omnia ad vitæ sustentationem æqualiter contulit hominibus bonis, ac malis, fidelibus, ac infidelibus, quod idem docuerat Gregor. Nazian. Orat. 10. in laudem patris, verba Isai. exponens, vinculum, & electionem tollens, &c. 141.

Sed antequam vlterius progrediamur, siste hic lector, & mente diligenter aduerte, quàm, proh dolor? ea quæ hic à Domino dicuntur, aliena nunc sint à Christianorum moribus; non resistere malo, monet, neque hoc satis, alijs etiam te largiri bona vult; quàm differunt hæc, Deus bone, à lege talionis? præcipiebat lex, oculum pro oculo reddi, docet Christus accepta alapa, alteram, vt præbeas maxillã; dentem pro dente reddi mandabat lex; monet Christus auferenti tunicã redde & pallium: volebat lex, vt fractura pro fractura redderetur: at Christus ait: *quicunq; te angariauerit mille passus, vade cum illo alio duo.* O admirandã philosophiã! ô cælo delapsum dogma! sed tanta est Euangelij dignitas, q̃ Christus de cęlis ad 142.

terram

Digitized by Google

terram secum traxit, sic retaliandum monet; quo tam diuino, tam admirando talione, nullo negotio, magno animarum lucro, omnes vincuntur iniuriæ, & innumerabiles etiam dæmonũ phalanges propulsantur. nam quemadmodũ nautæ vehemẽti vento spiranti nõn resistunt, imò verò etiam submissis, contractisque velis, ne præcipites in mare ruant, prudenter cedunt: ita faciendum nobis cælestis magister esse docet, qui in cælum per hoc mare magnum, & spatiosum contendimus; hoc enim est non resistere malo, carbasa demittere; pugnandum est cum aduersario, sed vt eum expugnes, ne repugnes; sic in cordibus nostris pax Christi exultabit, nimirum victoriam, triumphumque de hostibus referet; sed iam alia prosequamur.

143. *In hos ver. vide hom. 40. Chrys. hom. 8. ex variis in Matt. Aug. serm. 59. de temp. & lib 50 hom. ho. 6. Barra. l. 7. c. 22. soli caritatem comparatẽ in parte morali.*

43. *Audistis quia dictum est*] Pergit Dominus iam ad perficiendum primum, & maximum præceptum de dilectione proximi, quod plenitudinem legis vocat D. Paulus, Leuit. 19. habetur quidem præceptum de diligendo fratre, & proximo, at nullũ inuenio de odiendo inimico, nisi fortasse additum fuerit, à Iudæis, Deutero. 15. scriptum est: *fœnerabis gentibus multis*, & 25. *delebis nomen Amalech sub cælo*, & Exod. 23. ait Dominus, *inimicus ero inimicis tuis*, & Leuit. 19. 19. *diliges amicum tuum sicut teipsum, ego Dominus*. vbi loco amici Hebr. est רע significans nunc amicum, nunc socium, nunc proximum, vel eum, qui aliqua ratione coniunctus est nobis. Iudæi propter hæc fortasse arbitrati sunt, inimicos sibi odisse licere; & hæc est communis huius loci intelligentia. propterea, vt quidam obseruant, Dominus non dixit: *dictum esse antiquis*, sed *quia dictum est*, nempè à Scribis & Pharisæis, non benè legem interpretantibus, & statim verum sensum aperuit, & quod obscurum erat declarauit dicens: *ego autem dico vobis*.

144. Cæterùm Maldon. id de quibusdam publicis inimicis, & ijs, qui Iudæi non erant, dictum, scriptumque affirmat in ipsamet lege. nam priuatos inimicos, quos habebant, si Iudæi essent, fratrum loco habendos iubebat lex: de quibus Exod. 23. 4. *si occurreris boui inimici tui, &c.* at de publicis & non Iudæis dicitur Deuter. 25. 19. *delebis nomen eius sub cælo, caue ne obliuiscaris*. voluit lex hos non odisse solum (id est, vt ego interpretor, amicitiæ signa nequaquam exhibendo, non autem vero corde odiendo) sed etiam abolere vt possent. Quod intelligendum esse factum propter peccata, quibus se gentes illæ Israelis inimicæ commacularant; ac de externo conuictu, constat non illũ cum quibusdam gentibus licuisse per legem Iudæis. August. lib. 1. serm. Dom. c. 41. ait, *nec quod in lege est dictum, oderis inimicum tuum, vox iubentis iusto accipienda est, sed permittentis infirmo*, itaque non id additum à Pharisæis hic affirmat Aug. sed in lege contentum.

145. Verùm idem August. lib. 19. cont. Faust. c. 24. docet, non esse contraria: *Diligite inimicos vestros, & odio habebis inimicum tuum*; sic enim scribit: *docetur non esse contrarium, quod in antiqua scriptura dictum est: oderis inimicum tuum: & in Euangelio: diligite inimicos vestros, quod vnusquisque iniquus homo, in quantum iniquus est, odio habendus est, in quantum autem homo est, diligendus est, &c.* iterum ait: *audito, & non intellecto quo anti quis dictum erat; oderis inimicum tuum, ferebantur homines in hominis odium, cùm deberent non odisse, nisi vitium. hos corrigit Dominus dicendo: diligite inimicos vestros, vt qui iam dixerat, non veni legem soluere, sed adimplere: ideoque de odio inimici, quod scriptum erat in lege, non soluerat, &c.*

A Porrò ferm. 59. de temp. aliter exponit, *in lege*, ait, *Dominus non inimicos, sed inimicum præcipit odiri, vt qui spiritales erant in lege, solum Diabolum odio haberent* hæc August. qui quatenus affirmat hæc verba: *odio habebis inimicum tuũ*, esse ex Scriptura deprompta, atq; adeò in lege contenta, confirmat Maldo. sententiam, quam magis tamen docere videtur Hilar in Matth. *amari*, inquit, *proximum lex eligebat, & in inimicum licentiam odij dabat*.

Ex his omnibus, quæ hactenùs notauimus intelligere licet, tribus modis sentire interpretes de hoc quod dicitur: dictum esse: *odio habebis inimicum tuum*, vel enim id putant additum à Pharisæis, malè legem intelligentibus, ita vt non de scriptura sumptum sit, quæ est multorum opinio; vel arbitrantur, id quidem non inuentum à Pharisæis fuisse, sed in lege contentum, quo iubebat, B vt quibusdam gentibus Israelitico generi infestis amicitiæ signa, non exhiberent, sed odij potius, eas persequendo vsque ad internecionem, quæ videtur Maldon. sententia, quam non intelligo de vero animi odio erga illas gentes, quatenus homines, quasi præceperit lex vero odio prosequendas illas gentes vt homines, sed tantum de externis quibusdam odij signis, præsertim vt nullo fœdere cum illis iungerentur, vel amicitiæ vinculo, sic earum peccatis poscentibus. Vel tertiò quidam id interpretari videntur, vt de scriptura quidem sumpta sint hæc verba, sed ita vt contineat, non tam præceptum, quàm permissionem, quod August. significare videtur lib. 1. de ser. Domin. cap. 41. cit. & Hilar. vt dixi, in Matth. sed siue de scriptura sint hæc desumpta, siue addita à Pharisæis.

C Certè Augustini expositiones, quod sermo sit de inimico non vt homo, sed vt iniquus est, vt retuli ex lib. 19. cont. Faustum cap. 24. vel de Diabolo non videntur mea sententia sensum continere literalem; quare, vel primã expositionem sequendo eorũ, qui dicunt, hoc additum esse à Pharisæis, affirmabim⁹ de vero odio inimicorũ intelligi; vel sequemur expositionem Maldon. eo modo quo exposita est de publicis quibusdam inimicis Iudæorũ, qui Iudæi non erãt & quoad signa odij potius, quàm quoad verum odiũ, vt ego exposui, nu. 144. 145. vel denique affirmabimus hoc quod de inimicis dicitur permissionẽ potius fuisse, quàm iussionem legis cum August. loco illo cit. & Hilar. hæc hactenùs. 147.

Sed iam verba illa consideremus: *Audistis, quia dictum est*] vtitur hoc dicendi modo in his recensendis legis præceptis, vt insinuant Chrysost. & Theophylact. ne si patrem à quo id dictum erat, nominaret, se illi aut opponere, aut etiam anteponere videretur. si sequi etiam veterem legem dederat, inuidiam auditorum in se concitaret. malunt alij sic loquutum, vt se tacitè Mosi opponeret, quamuis ipsum ad vitandam inuidiam non nominarit. Vel certè nihil hic mysterij latet, nam & scriptum est, & dictum est, dici potuit, nam siue dicas, *dictum est*, siue etiam *scriptum est* per Moysen, vel per Prophetas, vtroque modo rectè idem dixeris. Cùm verò addidit suprà, *dictum est antiquis*, significauit illos, quibus Moyses legem dedit: quasi Mosaicis, & legalibus hominibus, Christianos, & Euangelicos opponat, dum ait: *ego autem dico vobis*; ego non Moses, vobis, non antiquis, vnde colligere est, non loqui hic Dominum de traditionibus, vel falsis interpretationibus Pharisæorum, & Scribarum, alioqui non diceret, dictum est antiquis; neq; enim Pharisæi multò ante Christi tempora fuêre, sed loqui potius de lege Mosis, 148.

licèt

licèt interim reuellat falsas Scribarum, & Pharisæorum interpretationes.

Proximum] Vide hic quid sit proximus apud Iansen. c. 40. & Maldo. in hunc locum.

149. 44. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros*] perfecit dilectionis præceptum implens legem, siue addendo ea, quæ deerant, siue declarando ea, quæ nó erant expressa, siue tollendo quæ ob populi illius infirmitatem permissa erant. nam si dicamus cum Augustin. & Hilar. non iussionem fuisse, sed permissionem illud de odio inimicorum, tollitur id nunc, vt & libellus repudij. Similiter si dicamus hoc idem de odio inimicorum fuisse inuentum Pharisæorum ex falsa legis intelligentia etiam & conuellitur à Christo, & declaratur præceptum expresè. Quod si dicamus odium inimicorum traditum fuisse in lege, non permissum modò, contra Cananæos publicos Israelis hostes, capiendo odium pro signis odij externis, & effectis, priuationeque familiaritatis, tunc dicemus hæc nunc auferre Christum Dominum dum præcipit in Euangelio neminem omninò odisse, neminem priuata auctoritate persequi, vel dum docet, iuuare omnes ac vincere in bono malum. nam si interdum conuictu infideliũ abstinẽdum est, illud erit dumtaxat ratione scandali, vel ruinæ fratris. Itaque vult hic Dominus diligendos esse à nobis quantumuis externos & alienos: omnes enim proximi sunt & in Christo, neque Iudæus, neque Græcus est disrupta iam maceria, sed noua creatura.

150. *Tria inimicis exhibẽda dilectio, beneficium, benedictio.* *Diligite inimicos vestros*] Tria iubet inimicis exhiberi. Primum ad cor pertinet, nempè diligere: Alterum ad opus, scil. benefacere; postremum ad linguam, nimirum benedicere; nam in Græcis leguntur nunc ista ὐλογεῖτε τὸς κατᾶρωμένους ὑμᾶς, id est, *benedicite his, qui maledicunt vobis*, quæ noster interpres non legit, nec sunt omninò necessaria; quæ tamen habet Lucas, 6. 28. *benedicite maledicentibus vobis*, id quod perfectè Apostol. seruauit vt patet 1. Corinth. 4. *maledicimur, & benedicimus*, vt de Christo 1. Petr. 3. dicitur: *qui cùm malediceretur non maledicebat.* Quoniam igitur hoc tertium cum reliquis duobus cõnexum est; & si fortè à Matth. relictum, à Luc. tamen cap. 6. commemoratum est, in alio Christi simili sermone; ideò hic declarabitur, vt plenior, & vtilior, habeatur huius rei doctrina ad dilectionem inimicorum pertinens.

151. *Verbum benedicendi quatuor modis in scriptura vsurpatur.* Verbum *benedicendi* quatuor modis vsurpatur in diuina Scriptura, significat enim plerumque, quod laudare: *benedicite Dominum omnes angeli eius*: interdum est idem quod precari bona alicui, Deut. 33. 1. *hæc est benedictio, qua benedixit Moses homo Dei filiis Israel ante mortem suam.* tertiò, significat idem quod bona copiosè, & abundanter largiri, vt 2. Regum 6. vbi dicitur Deus benedixisse Obededom, & omnem domum eius; & sub finem libri Iob dicitur Dominus benedixisse nouissimis eius magis quàm primis. quid autem benedictio hoc modo sumpta afferat homini, colligere potes, Gen. 24. 35. *Dominus benedixit Domino meo valdè, magnificatusq; est; dedit ei oues, & boues, argentum & aurum, seruos, & ancillas, camelos, & asinos. Et peperit Sara vxor Domini mei filium.* hæc omnia exponunt, quid sit benedictio, cùm enim benedicit ille, *aperit manum suam, & implet omne animal benedictione*, quod alij vertunt; *saturas desiderium omnium animantium ad voluntatem*, vt aperta, & extensa manus Dei capiat totam voluntatem hominis; & ad ea omnia se extendat diuina liberalitas, & benedictio, ad quæ se effundit hominis voluntas. sic etiam manu ille extenta solet metiri cælestia beneficia conferenda in homines: at tribulationes, non nisi manu compressa & stricto pugno. Isai. 40. 12. *quis mensus est pugillo aquas* (tribulationum) *& cælos* (supernorum gaudiorũ) *palmo ponderauit?* Quarta significatio est per antiphrasim vt sumatur benedicere pro maledicere, & blasphemare. Porrò hic & apud Luc. loc. cit. idem est quod benè precari, laudare, & commendare.

152. *Maledicere quid sit.* *Maledicere* verò propriè est cùm mala alicui, verbo siue interiori, siue exteriori imprecamur, quod duobus modis fit, aut solo animi desiderio, & voluntate, aut petitione ipsa externa, de qua Gregor. libr. 22. moral. cap. 6. dum declarat illud Iob. 31. 30. non dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius: sic ait: *peccaret quippè, si hoc optaret à Deo fieri, quod ipse facere, vel omninò non posset, vel si posset, minimè deceret; nam qui maledictionibus inimicum impetunt, quid aliud facere in illo Deum volunt, nisi quod ipsi facere, aut nequeunt, aut erubescunt? mortem namque aduersario exoptant, quam & si possunt inferre, metuunt, ne aut perpetrati homicidij rei teneantur, aut iniqui appareant etiam cùm sint. Quid est ergo Deo dicere, occide quemodi, nisi apertis ei vocibus clamare, hoc fac meo aduersario, quod me in illum facere nec peccatorem decet.* Hæc Gregor. Secundò fit imprecatio non voluntate solum, sed etiam potestate, quando malum, quod verbo dicitur, opere infertur, sic Deus maledixit terræ & serpenti, Genes. 3. sic Noë Genes. 9. *maledictus Chanaam*, sic Elias 4. Reg. 1. *si homo Dei sum, ignis descendat*, &c. sic Balac petebat à Balaam; *veni & benedic Iacob*, Numer. 22.

Porrò videntur nomine maledictionis etiam conuicium, contumelia, cæteraque mala verbo illata significari, quando verò liceat maledicere alicui docet Card. Tole. c. 6. Luc. adnot. 44.

153. *Benefacere inimicis verum ex præcepto teneamur, an ex consilio.* *Benefacite his qui, &c.*] De toto hoc versu in dubium vocari potest, quænam ex his, quæ in eo dicuntur, præcepti; quænam verò consilij sint. paucis respondeo. Ad præceptum pertinet ne odio habeamus eos, qui nos odio prosequuntur, ne reddamus malum pro malo, ne temerè maledicamus, ne quid illis optemus mali; deindè impendere tenemur inimicis generalem dilectionis affectum, cuiusmodi est, non excludere eos à communi oratione, & suffragijs, quæ communiter fiunt pro fidelibus. Ad hoc, in articulo necessitatis subuenire inimico. hæc omnia præcepti sunt; Cæterùm præter hæc, singularem aliquem dilectionis affectũ exhibere inimico, vel applicare ei præcipuè aliqua orationis suffragia, vel etiam largiri subuentionis subsidia, & beneficia, eos nominatim salutare, familiariter alloqui consilij sunt, non præcepti. Disputat hac de re Aug. lib. de mendacio ad Consen. c. 15. & in epist. ad Marcelli. & Enchir. cap. 73. & de serm. Dom. in mont. Beatus item Thom. in epist. ad Rom. cap. 12. ver. 15. & 2. 2. q. 25. hinc facilè est intelligere, quid sibi velint Chrysost. lib. 1. de compunct. cor. & Augustin. serm. 61. de temp. dum aiunt, dilectionem inimicorum non esse cohortationem, sed iussionem; non consilium, sed præceptum; quæ tamen loca impudenter, & inscienter hæretici Scholasticis obijciunt.

154. In scripturis inimici, & odio habentes non rarò coniunguntur Psal. 105. 41. 42. *Dominati sunt eorum, qui oderunt eos & tribulauerunt eos inimici eorũ.* Psal. 54. 13. *si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissẽ vtique, & si is, qui oderat me maligna loquutus fuisset aduersũ me, abscondissẽ me, &c.* Luc. 1. 71. *salutẽ ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderũt nos.* hoc interest inter istos, q inimici pro-

priè

priè non tantum odio aliquem prosequuntur, verùm etiam id exterius profitentur; secus odio habens: celat enim odium, vel quia non audet profiteri, vel vt magis noceat, & hic peior est inimico. Quamuis autem diligere inimicos hic moneamur, ijs verò, qui oderunt nos benefacere, nõ sunt tamen hæc duo ita separanda, vt vtrumq; vtrique non debeatur. facilius tamen qui celant odium beneficia acceptant, quæ aspernantur sæpè inimici.

Calumniantibus vos] Gr. & Syriacè, *infestantibus*, seu *vexantibus*. Propriè calumniatores sunt, qui aliis falso crimina imponunt, quos expressit superiùs Matth. dicens; *cùm dixerint omne malum aduersum vos mentientes*, hoc enim est, calumniari; quibus aliquid etiam peculiare consulit Dominus exhiberi, sicut & persequentibus, nempè vt preces ad Deum pro illis fundamus, quo videl. omnem vindictæ affectum à corde remoueamus, nam calumnia maximè ad vindictam prouocat, vt & persequutio.

45. *Vt sitis filij*] Duas affert causas, quibus nos ad diligendos inimicos impellat, prima hic continetur, vt simus filij, id est, similes per hebraismum, patri cælesti, *qui solem suum*, &c. vox enim, *filiorum* hic similes esse significat, quasi dicat, vt vos esse patri æterno similes demonstretis, qui pater est per gratiam, & adoptionem præsertim, adde & per creationem, ac prouidentiam; quod autem filij vox similem significet hic, patet ex subiuncta ratione, *qui solem suum oriri facit*: hæc enim ratio non tam filiationem, quàm similitudinem ostendit, quamuis etiam extra hoc tautologia quædam committeretur, dicendo: *vt sitis filij patris vestri*, si hic vox *filij*, significaret filiationẽ: quæ tamen non committitur si similitudinem, & imitationem indicet.

46. *Si enim diligitis*] subintelligitur, tantum, & hæc secunda ratio, quia qui inimicos non diligit, sed tantum amicos nil præclari facit, nec mercedem aliquam meretur à Deo, cùm nihil faciat, quod non idem faciant Publicani, peccatores, & Ethnici quique.

Habebitis] Gr. *habetis*, sed loco *habebitis* ponitur; hoc autem non sic est accipiendum, quasi dilectio amicorum non possit esse meritoria, sed cum exclusione intelligendum est, vt sit sensus, si tantum diligitis eos, qui vos diligunt, quod nam præmium merebimini? nihil enim dignum præmio habent hi, qui diligunt amicos tantum, non autem inimicos: signum enim est clarum istos non propter Deum, ipsos etiam amicos diligere, sed quia amici sunt, vel vt loquitur Matthæus, quia vos diligunt, vel ob naturalem propensionẽ, vel quia vtiles sunt, sicut Ethnici faciũt. At qui propter Deum non diligunt amicos, mercede carent.

155. *Publicani qui.*

Publicani] pro perditis, & publicis peccatoribus accipiebantur, propriè tamen *Publicani* sunt quia fisco vectigalia conducunt, Romanis olim habiti in pretio, vt manifestum est ex Tullij orat. pro lege Manilia; Iudæis autem inuisum hominis genus, quod contra libertatem patriam Romanis eos pendere tributa cogerent. Lucas habet: *nam & peccatores diligentes se diligunt*, per quos Basil. reg. breui. respon. 103. intelligit gentiles. sed satius est intelligere peccatores generatim, (sicut hic apud Matth. de Publicanis exposuimus) siue gentiles, siue Iudæi essent. Per *Ethnicos* apud Matth. libenter dabo significari gentiles, vt & Augustin. videtur intellexisse serm. 59. cit.

47. *Si salutaueritis fratres vestros tantum*] ecce hic adiecit exclusionem illam, quam subticuit superiùs, cùm dixit; *si diligitis eos*, &c. quod Matthæus habet ver. 46. & 47. At Luc. sic. *& si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia*, & cæt. quo dicendi modo ter vtitur; vbi aduerte, gratiam significare retributionem, seu mercedem, vt sit sensus: si diligitis tantum amicos, quæ vobis est gratia? id est, quid retributionis, aut mercedis, aut præmij vobis à Deo propter eam dilectionem dabitur, seu, vt inquit Matth. hic, *quam mercedem habebitis*? sic sumitur gratia, 1. Petr. 2. 19. *hæc est gratia* (id est, hoc est apud Deum retributione, & mercede dignum) *si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè*; Et iterum ver. 20. *si benefacientes patienter sustinetis: hæc est gratia apud Deum*. Luc. etiam 17. habet: *nunquid gratiam habet seruo illi, quia facit, quæ ei imperauerat? nunquid gratias agit, aut aliquid ei retribuit.*

Aduerte, triplicem esse dilectionem; est naturalis vna, qua amamus parentes, consanguineos, quia nobis carne coniuncti sunt, similiter benefactores, quia ab illis bona accepimus, vel speramus, quo pertinet etiam amicitia delectabilis, & vtilis. Altera moralis, qua diligimus alios propter honestum bonum, quia prudentes, modesti, liberales, &c. & hæc pertinet ad virtutes morales. Postrema est dilectio charitatis & diuina, qua alios diligimus propter Deum, de qua hic non est sermo, sed prima dumtaxat, quæ ne virtus quidem moralis est, licèt mala non fit, nec mercedem habet, quia, vt dixi, nec virtus, aut iustitia est, nec propter Deum fit, sed propter dilectionem alterius, quare mercenaria est, propriam vtilitatem respiciens. 156. *Triplex dilectio.*

Amplius] Gr. περισσὸν, id est, eximium.

Nonne & Ethnici hoc faciunt] Luc. habet; *nam & peccatores diligentes se diligunt*, & paulò pòst: *siquidem & peccatores hoc faciunt.*

Sed dices, si propterea dilectio amicorum non habet gratiam apud Deum, quia etiam peccatores diligunt diligentes se, & benefaciunt his, qui illis benefaciunt, sequitur, nec eleemosynam habere meritum, quia etiam peccatores id faciunt, similiter, nec orationem. Resp. per peccatores eos intelligi, qui peccatis incumbunt, & nec Dei, nec honesti rationem habent, nec suorum operum mercedem expectant à Deo, qui vix vnquam opus faciunt, quod virtutis sit, sed omnia ob vtilitatem, delectationem ve propriam, vel summum ex quadam naturali commiseratione. Argumentatur ergò Christus nõ ab eo quod aliqui peccatores interdum faciunt (efficiunt enim aliquando quidam peccatores opera aliqua bona, quæ si in gratia essent, meritoria forent) sed ab eo quod vt plurimum faciunt peccatores hi, de quibus Christum dixi, hic loqui: Augustinus serm. quinquagesimo nono, de temp. initio hanc dilectionem amici, quam dixit Christus hic Matth 5. 46. & Luc. 6. 32. peccatores habere, interpretari videtur de ea, quæ est propter Deum, quam fatetur posse etiam esse in eo qui odio habet inimicum; atque adeò dicit esse paruum gradum iustitiæ, cùm in peccatoribus esse queat (non loquitur verò Augustin. de dilectione charitatis) Christum autem perfecisse, inquit, dilectionem, & extendisse etiam ad inimicos, vt sit perfectus iustitiæ gradus; sed iam diximus loqui Christum de dilectione naturali, & mercenaria, quanquam & dilectio propter Deum non modò amici potest esse in peccatore, sed etiam inimici: non illa tamen charitatis. 157.

48. *Estote ergo perfecti*] Consilium est, quamuis si intelligatur de perfectione ad salutem necessaria, præcepti vim habeat, vt loquitur, 1. Ioannis 2. 5. *qui seruat verbum eius, verè in hoc* 158. *Vide pulcherrimum opusc. D. Thom. de diuinis morib.*

charitas

charitas Dei perfecta est, nempè quantum ad salutem opus est.

Sicut] non æqualitatem, sed similitudinẽ quæ esse potest inter Deum, & hominem declarat. proposuit nobis Dominus signum ad collimandum, quò sciebat nos peruenire non posse, vt quò possumus perueniamus; ne otiemur vnquam.

Cælestis] Græc. *qui in cælis est*. De dilectione inimicorum, qua præcipimur non solum eos non lædere, sed etiam benefacere, nec solo affectu prosequi, sed etiam effectu: lege Card. Tolet. in ca. 6. Luc. a dnot. 37. vsque ad 41. inclusiuè. lege etiam Barrad. charitatem soli comparantem lib. 7. c. 12. in parte morali.

THEORIA I.

Qua breuiter summa sermonis Domini in monte explicatur.

1. SCRIBIT Augustinus lib. 1. de serm. Dom. in mont. cap. 1. omnibus præceptis, quibus vita hominis formari potest, sermonem hunc Domini in monte perfectum esse. Ponam autem hic summam eius ex Card. Bellarmin. tom. tertio de Iustificat. lib. quarto, capit. tertio.

Initio igitur sermonis sui Dominus quasi loco procemij simul explicat finem vltimum hominis; & virtutum, atque operum bonorum vtilitatem proponit, dum enarrat beatitudines, dicens: *Beati pauperes spiritu*, & quæ sequuntur. est enim vltimus finis principium, & fundamentum totius doctrinæ moralis, ideò rectè inde orsus est: quo autem discipuli attentiores redderentur, par fuit simul adiungere virtutis vtilitatem.

2. Deindè accedit Dominus ad præcepta; & primum instruit Doctores, deindè Auditores: de doctoribus docet eos, salem terræ, & lucem mundi esse debere, hoc est sapientia, & charitate conspicuos: ita vt his cæteris præstent, alioquin quomodo alios sapientes, & ardentes efficient? quod ferè idem est, cum eo quod alibi dicit, fideles, & prudentes esse debere.

3. *Quinque Phariſæorũ corruptelæ.* Instruit postea populos, tum quo ad substantiam diuinorum præceptorum, tum quo ad finem: in vtroque enim Scribæ, & Pharisæi corruptelas quasdam induxerant, & quidem quinque corruptelas, quoad substantiam præceptorum probat Dominus: nam primùm deprauabant præcepta grauissima de homicidio & adulterio, docentes, in huiusmodi præceptis actum externum solum esse prohibitum, non autem internum nisi signis exterioribus proderetur.

Hunc errorem etiam habuit Iosephus libr. 12. antiquit. cap. 13. vt notaui num. 111. & Dauid Kimhi in Comment. Psalm. 66. ver. 13. interpretatus: *iniquitatem si aspexi in corde meo non audiet Dominus*, quasi dicat, non imputabit Dominus, quæ est insignis corruptela. Ad destruendas ergo huiusmodi corruptelas (& ad declarandum quæ tacitè continebantur in lege) declarat DOMINVS legem, *non occides*, non solum manum, sed etiam linguam & animum cohibere: & legem *non mœchaberis* extendi, vsque ad concupiscentiam mente conceptam.

Deindè Pharisæi corrumpebant legem de repudio: quod enim ob infirmitatem eorum lex impunitum dimiserat; ipsi vt rem absolutè bonam docebant. Dominus autem docuit, non licere vxorem dimittere, nisi caussa fornicationis, & legem de libello repudij penitus abrogauit.

Tertiò Pharisæi docebant non esse peierandum, tamen frequentare iuramenta etiam leui de caussa nullum peccatum esse ducebant. Contra Dominus iubet, non esse iurandum omninò, nisi videlicet subsit iurandi necessitas.

Quartò corrumpebant Iudæi legem illam talionis, *oculum pro oculo, dentem pro dente*. nam cùm non animaduerterent eam legem constitutam fuisse ad iustitiam conseruandam, non ad appetitum vindictæ saturandum, docebant licitum esse vindictam appetere. Dominus igitur monet, non esse appetẽdam vindictam nec malum pro malo reddendum, sed potius paratum esse debere hominem probum, si opus sit, percutienti maxillam vnam, præbere etiam alteram, (sustulit verò etiam talionis legem.)

Quintò, peruertebant Pharisæi primarium dilectionis præceptum: quoniam enim lex iusserat, vt hostes suos occiderent, non odij caussa, sed zelo iustitiæ, qua iusta bella interdum etiam à pijs regibus indicuntur; illi generale præceptum tradebant, diligendos esse amicos, odio habendos inimicos; docet Dominus, benefaciendum his, qui nos oderunt, orandum pro persequentibus, &c.

4. His expositis transit Dominus ad finem, vel modum eorundem præceptorum, ac docet: cauendam esse inprimis inanem gloriam. Et quia nimis longum fuisset de singulis præceptis operum bonorum differere, reuocauit omnia ad tria capita, orationem, ieiunium, & eleemosynam: quorum primum erga Deum, alterum erga nosipsos, tertium erga proximos exhibemus: & vno mẽtem, altero corpus, tertio bona externa sacrificamus.

5. Addit postea Dominus, & docet quæ sint impedimenta cauenda, & quæ adiumenta quærenda his, qui cupiunt ad perfectionem iustitiæ peruenire. Impedimenta tria demonstrat, nimiam sollicitudinem in opibus congregandis, cap. sexto Matth. 19. *nolite thesaurare vobis thesauros in terra*. superuacaneam diligentiam rebus etiam necessarijs procurandis cap. eodem ver. 25. *Ideo dico vobis*, & ver. 34. *nolite solliciti esse in crastinum*. temerarium iudicium de vita, & factis alienis, capit. 7. 1. *nolite iudicare*.

6. Adiumenta etiam ostendit: orationem assiduam; *petite & dabitur vobis*. Conatum & contentionem proficiẽdi, & superandi omnes difficultates: *contendite intrare per angustam portam*. electionem bonorũ magistrorum: *attendite vobis à falsis Prophetis*.

7. Postremò concludit sermonem iterum commendans vtilitatem operum bonorum, vt in procemio fecerat, *omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, similis est viro sapienti, qui*

qui ædificauit domum suam supra petram. atq; hæc est summa sermonis Domini in monte. Vide etiã summam quandam huius sermonis apud D.Thom.1.2.q.108.n.3.

8. Perfecit autem Dominus legem moralem, non solùm explicando, & addendo, sed etiam adijciendo consilia quædam ad perfectionem charitatis, quæ finis est omnium præceptorum, adipiscendam aptissima, de quibus satis multa disputat Cardinal.Bellarm. lib.de Monachis.

THEORIA II.

An sermo iste Christi, Matth.cap.5.sit idem cum sermone, & beatitudinibus, Luc.6.

1. PRAETERMISSIS varijs hic sententijs omninò probo Magni Basil. sententiam lib. de Baptis. distinctum esse hunc Matth. sermonem tribus capitibus comprehensum,5. 6. 7. ab eo,quem scribit,Luc.cap.6. nam in primis ille Matth. in monte, hic verò Luc.in loco campestri habitus est ; neq; enim obscurè,Matt.asserit de Christo *ascendit in mõtem,& cùm sedisset,aperuit os suum & docebat eos.* Quibus enim,rogo, clarioribus verbis poterat declarare Matth. Christum in monte sedentem habuisse sermonem, si id voluisset exprimere? Vim ergo inferunt verbis Matth. qui verba illa, *aperuit os suum, & docebat eos,* referũt ad id temporis, postquam electis Apostolis descendit de monte; vnde August. duos inscripsit libros *de sermone Domini in monte*, & lib.2. de consens.Euangel.c.19.ita censet sermonem habitum in mõte fuisse, vt aut distinctos esse sermones, Matth.& Luc. aut locum campestrem partem montis fuisse putauerit.Et verò Hilar. can.4.in Matth.& Chryso.hom.15.18. in eundem Matth. addunt, non solum sermonem à Matt. scriptum ad discipulos esse habitum, sed etiam ad turbas, quæ cum Christo in montem ascenderant, & quæ completo sermone miratæ dicuntur. Quanquam alij per turbas apud Matth.commodè posse intelligi discipulorum multitudinem opinentur. vndè Luc. c. 6. turbam discipulorum vocat.

2. Itaque tanquam certum maneat, in monte habitum sermonem, qui apud Matth. At Luc. de sermone quem refert habitum scribit, cùm staret IESVS in loco campestri, vbi de monte descendisset.

Prætereà sententiæ ipsæ sermonum apud Matth.& Luc.complures, sunt longè diuersæ inter se. Itaque talem arbitror seriem,& ordinem historiæ fuisse.

3. In primis conscendit Christus montem,ibi sedens sermonem habuit,quem scribit Matth. tribus capitibus. Descendens deindè de monte leprosum,de quo Luc.ca.5.sanauit: & nec tunc continuò Capharnaum ingressus est post miraculum, verùm aliquot post diebus quibus gesta sunt,quę Lucas scribit de electione Apostolorum in monte, quem iterum ascenderat, & de sermone in loco campestri habito cùm rursus descendisset de monte. Mox verò Capharnaum inijt & Centurionis puerum A sanitati restituit; Cùm tamen Matth. hæc silentiõ inuoluens, doceat à mundato leproso Capharnaum intrasse. Propterea, vt ostenderet non statim ingressum illum consequutum esse leprosi curationem, descripto leprosi miraculo,non sine causa sic loquutus est : *cùm autem introijsset Capharnaum :* hæc enim dicendi formula non cogit nos fateri statim Christum post editum miraculũ intrasse Capharnaum.

Quod si dicas in vtroque sermone describi turbas admiratas esse: id minimè mirum videri debet, quod vtrique turbæ interfuerint. Et quidem de sermone Lucæ in controuersiam verti non debet. De Matth.verò sermone, licèt aliqui dubitent, immò & oppositum opinentur; vt mea tamen fert opinio, verosimilius arbitror etiam turbam in montem ascendisse quidem, verùm solos discipulos accessisse ad Dominum, ad quos cœperit sermonem habere.Postea verò propius accessisse turbam crediderim, atque adeò illam etiam excepisse sermonem. Apud Lucam porrò opinor cum solis discipulis ascendisse Christũ in montem, ex quibus duodecim Apostolos elegerit, quo facto descendenti de monte occurrerunt reliquæ hominum turbæ. B

4.

THEORIA III.

Explicatur discrimen inter beatitudines, & fructus ac dona Spiritus sancti.

C BEATITVDINES, & fructus in eo conueniunt, quod actus quidam sunt boni; quo à donis distinguuntur quæ habitus sunt.Cùm autem actus boni, à virtutibus, vel etiam interdum à donis proficiscantur ; illud est inter beatitudines , & fructus discriminis; quod fructus , qui Spiritus Sancti dicuntur, censentur esse quicunque actus virtutum, quatenus tamen sunt quidam effectus hominis, tum vltimi, tum per se delectabiles , & aliqua ratione etiam à Spiritus S.gratia, tanquã à quodam Diuino semine profecti; secũdùm illud 1. Ioan. 3. *omnis, qui natus est ex Deo , peccatum non facit,quoniam semen ipsius in eo manet* ; Beatitudines verò quidam actus præstantiores sunt ; qui non modò à virtutibus , sed etiam à Spiritus sancti donis proficiscuntur , & eatenus dicuntur beatitudines , quatenus peculiari quadam ratione conferunt ad adipiscendam illam beatitudinem,quæ continetur præmijs,his actibus respondentibus, vt est hic apud Matth. quemadmodum enim hi actus propria quadam, ac peculiari ratione afferunt spem eius beatitudinis consequendæ , censentur etiam quadamtenus, (scilicet in spe) reddere hominẽ beatum iuxtà modum illum loquẽdi Apostoli ad Roman.8.24. *Spe salui facti sumus :* quo etiam Philosop.1.Ethe.c.9. iuuenes dicit esse secundùm spem beatos. D

1.

Et procedit expositio hæc beatitudinum, siue præmia illa his correspondentia,quorum spem faciunt, dicantur esse aliqua bona , quæ in hac vita communicentur, vt D. August.placet lib.1.de ser.Dom.in monte, c. 9. cuius sententiam declarat D.Thom. quæst.69.a.2. ad 3.

2.

ſic ſcribens: *Omnia illa præmia perfectè quidem conſummabuntur in vita futura, ſed interim etiam in hac vita quodammodo inchoantur, nam regnum cælorum, vt Auguſtinus dicit, poteſt intelligi perfecta ſapientiæ initium, ſecundùm quod incipit in eis ſpiritus regnare. Poſſeſſio etiam terræ ſignificat affectum bonum animæ quieſcentis per deſiderium in ſtabilitate hereditatis perpetuæ per terram ſignificatæ. Conſolantur autem in hac vita per Spiritum ſanctum, qui paracletus, id eſt, conſolator dicitur, participando. Saturantur etiam in hac vita illo cibo, de quo Dominus dicit: meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei; In hac etiam vita conſequuntur homines miſericordiam Dei. In hac etiam vita purgato oculo per donum intellectus Deus quodammodo videri poteſt. Similiter & in hac vita, qui motus ſuos pacificant ad ſimilitudinem Dei accedentes, filij Dei nominantur, tamen hæc perfectius erunt in patria.* Hæc D. Thom.

Procedit inquam prædicta expoſitio beatitudinum, ſiue hoc modo præmia intelligantur; ſiue dicantur ſpectare ad vitam ipſam æternam, vt vult Diuus Ambroſ. lib. 5. in Lucam, circa cap. 6. iuxtà cuius ſententiam D. Thomas quæſt. cit. a. 4. explicat eiuſmodi præmia. Siue denique partim referantur ad bona huius vitæ, partim ad bona æterna, vt D. Chryſo. arbitratur hom. 6. ex var. loc. in Matth. tom. 2. cuius etiam meminit D. Thom. art. 2. nam qua parte huiuſmodi præmia referri poſſunt ad bona huius vitæ, continentur in primis quadam præſtantis mētis habitudine, hoc eſt pace, gaudio, &c. quia viri quidam perfecti etiam in hac vita valdè imitantur habitum, atque ſtatum mentium beatarum.

3. Itaque ob eam imitationem peculiari ratione quoque is ipſe mentis ſtatus, qui ineſt hominibus perfectis, cenſeri debet beatitudo huius vitæ, ac proinde actiones illæ præſtantes, quæ ad hanc etiam beatitudinem hominē diſponunt, meritò appellari poſſunt beatitudines ſecundùm quandam inchoationem, vt rectè ratiocinatur D. Thom. art. 2. qui & illud etiam pulcrè notat, quod & aliter eſt inchoatio fructus in foliis, & aliter quando incipiunt baccæ apparere, vel primordia fructus; ſic etiam aliter eſt inchoatio beatitudinis æternæ in actibus, qui in propoſito appellantur beatitudines tanquam merita, & ſunt quædam præparationes, vel diſpoſitiones ad beatitudinem non modò perfectam in cælis, ſed etiam inchoatam; & aliter in illa beatitudine ānimi virorum perfectorum, quam dicimus etiam poſſe dici huius vitæ beatitudinem tanquam præmium inchoatum. hæc enim propinquior eſt æternæ, ac veræ beatitudini. Vide D. Thom. loc. cit. in Corp.

4. Porrò Gabriel 3. diſt. 34. quæſt. vnica, aliter explicat rationem beatitudinum, & fructum: putat enim eſſe ipſos habitus virtutum, vt habent peculiarem quandam perfectionem; ſed præſtat D. Thom. ſequi, cui fauet ratio nominum: beatitudines enim, & fructus ſunt quiddā vltimum, quod proindè non habitibus, ſed actibus contineatur.

5. Ex his quædam conſequuntur. primùm beatitudines, & fructus à virtutibus & donis differre, ſicut actus ab habitibus. Deindè

A omnem beatitudinem eſſe fructum Spiritus ſancti, nō tamen è contrario. Idem enim actus præſtans, qui proficiſcitur à dono, & eſt beatitudo, ſpectatus vt quidam vltimus effectus hominis proficiſcens à gratia Spiritus ſancti, eſt etiam fructus: ſed non omnis actus virtutis procedens aliqua ratione à gratia (quomodo ſuperiùs numero primo diximus eſſe fructum) cenſeri poteſt beatitudo, vt hic loquimur, nempè quæ præſtanti quadam ratione conducat ad perfectam beatitudinem. ſic D. Thom. 1. 2. quæſt. 70. artic. ſecundo. Sequitur tertiò beatitudines propriè eſſe aſcribēdas donis, fructus virtutibus, tametſi etiam beatitudines proficiſcantur à virtutibus, & fructus interdum etiam dicūtur actus donorum. Verùm quoniam beatitudines paſsim, vtque plurimum intelliguntur eſſe actus quidā præſtantes; & fructus poſſunt eſſe etiam actus boni, qualeſcumque à virtutibus & gratia profecti, ideò dicimus beatitudines donis, fructus virtutibus propriè attribui. Ita Diuus Thomas quæſt. 69. art. 1. & 3. & quæſt. 70. ar. 2. Sequitur quartò beatitudines, & fructus in ſolis iuſtis reperiri, ſunt enim fructus actus virtutum, vt aliqua ratione procedunt etiam à gratia, vt à quodam ſemine Diuino; Beatitudines quoque ſecundùm D. Thomam ſunt actus donorum, & dona ſunt connexa cum gratia. quanquam extraordinariè aliqui actus præſtātiſsimi poſſent, auxilio diuino ſupplente vim donorum, elici ab eo, qui nondum eſſet in gratia: quos actus ſi quis contendat appellari beatitudines, non reluctabor, ne fiat vis in nomine.

Illud aduertendum, quod non eſt neceſsè hos 6.
eſſe actus elicitos, ſatis eſt eſſe imperatos, vel directos à donis, vel virtutibus.

Nec illud in præteritis relinquendum, recenſuiſſe quidem Apoſtol. ad Galat. 5. fructus duodecim: verùm D. Thom. q. 70. art. 3. ad 4. ait non fuiſſe Apoſtoli propoſitum eo loco omnes omninò actus perſequi, qui cenſeri poſſunt eſſe Spiritus S. fructus, ſed tantùm præcipuos, quæ eſt Auguſt. ſententia: ſimiliter & de beatitudinibus dici poteſt, non omnes actus præſtantiores, qui beatitudines nominari queunt, expreſsè contineri, vel illis quæ apud Lucam, vel etiam illis quę apud Matth. habentur. reuocari tamē poſſunt omnes ad illas, id quod oſtendit D. Thom. q. 69. ar. 3.

Poſtremò obſeruandum eſt inter beatitu- 7.
dines, & fructus numerari aliqua, quæ propriè non ſunt actus, ſed quiddam conſequens, vt munditia cordis apud Matth. & pax, quæ ab Apoſt. connumeratur fructibus. id quod etiam notat Gabr. 3. diſt. 34. quæſt. vni. & D. Thom. q. 69. ar. 3, & verò poterunt non incommodè nominari beatitudines, & fructus ratione actuum ex quibus conſequuntur.

THEO-

THEORIA IV.

Traditur beatitudinum numerus, quæ & donis aptantur ex Augustini doctrina.

1. *Beatitudines musico concentui similes.*

BEATITVDINES propriè septem censentur, vt meritò Rupert. Matt. 5. conferat Christum quidem cum cythara, sermonem verò eius cantico nouo, nimirum noui testamenti, quòd nunquam antea apud antiquos veteris testamẽti Patres insonuerit. Porrò diuinum illud os Christi æternã Dei resonans sapientiam cuiusuis cytharæ suauitatem longè superabat. Octo chordis inquit Rupert. olim cytharæ construebantur, & quæ per primam eadem vox resonabat per octauã, secundum musicę naturalem vim; septem. n. tantum sunt vocum discrimina, & octaua vox, eadem quæ prima est, quod musicis non incognitum est. & in ista beatitudinum harmonia, in hoc cælesti cõcentu, quæ prima, eadem octaua sententia est: *quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Accinit Ruperto Petrus Dam. ser. de om. San. similem vsurpans metaphoram, dum ait: *canta canticum graduum, & gradatim ascende, nec propero saltu aliquem prætermittas.*

2. *Sunt tantum septem.*

Sit igitur primo loco constitutum, beatitudines septenario numero contineri, quæ ipsissima videtur Aug. sentẽtia, cũ de octaua beatitudine dicat: octauam consummatum, perfectumq; hominem ostẽdere, & probare. itemque septem esse quæ perficiunt, octauam clarificare, & quod perfectum est demõstrare, qua de re lege D. Thom. q. 69. cit. a. 3. octaua igitur ad caput redit, vt August. ait, quia perfectum ostendit, & probat. Vide, quæ in Scholijs ad v. 10. adnotauimus, num. 40.

3. Sic verò sufficientem earum numerum colligemus. primis quidem tribus beatitudinibus tria tolluntur perfectionis impedimenta (oportet autem prius quæ obsunt destruere) videl. diuitiarum appetentia, honorum etiam & delitiarum. Itaque ad perfectionis culmen adspiranti necesse est in primis honores, & diuitias vt contemnat. Deindè dum despicitur, aut iniuriam in suis facultatibus & honoribus patitur, vincat in bono malum, per mansuetudinem. tum vt contemptis mundi voluptatibus lugeat potius in hoc exilio positus. Hæc autem præstantur paupertate spiritus, mansuetudine, & luctu.

Duobus verò sequentibus gradibus, ac beatitudinibus (quod sequebatur) docemur vitæ actiuæ perfectionem: est autem posita actiua vita, vt totum id impleamus, ad quod nos, vel iustitia, vel charitas impellit, quibus virtutibus benè erga proximum disponimur, iustitia autem & misericordia quarta, & quinta beatitudine continentur.

Postremis duobus gradibus (id quod reliquum erat) vita cõtemplatrice perficimur, atque adeò optimè ipsi in nobismetipsis disponimur, & perficimur, quòd sit cordis munditia, ac perfecta animi tranquillitate, & pace prauis affectibus edomitis: quo cùm peruenerit quis summum iam attigit perfectionis gradum; his verò eisdemque gradibus rectè se erga Deum habet homo, vt proindè nihil sit, quod vltra desideremus Deo inhærentes, & actiua, & contemplatrice vita.

Hinc satis intelligere licet in posterioribus beatitudinibus semper aliquid boni esse, quod sit perfectius priori, sicut autem secundùm Ambro. sunt in his beatitudinibus incrementa virtutũ, ita secundùm eundẽ sunt etiam incrementa præmiorum. Primùm. n. præmiũ est regnum Cælorum, quod dicitur esse pauperum spiritu. Sed cùm nostrum possit esse aliquid quod non possidemus, maius est quodammodo possidere terram. & quia multa possidemus cum tristitia, tertiò additur consolatio; quæ quoniam non semper ad saturitatem contingit, quarto loco statuitur saturitas; ne verò saturi defectum aliquem metueremus, sequitur misericordiæ promissio, qua securi, liberique omni miseria reddimur. Cęterùm quia parum est conregnare, nisi cum rege quis versetur, promittitur sexto visio Dei; verùm quia regem videre, etiam seruis, & satellitibus cõceditur, septimo filij dignitas adiungitur.

4. *Et numerorum instar sequens priori perfectior est.*

Sed est quod animaduertas, quod licèt hæ beatitudines singulæ per se numerentur, non satis est tamen vnam habere, vt quis beatus sit: sicut non est opinandũ has beatitudines tantùm perfectorum esse, sed ad omnes quoque pertinere, qui salutem consequi volent: ita tamen, vt beatior sit, cui beatitudines istæ perfectius competunt, minùs beatus, cui minùs competunt, miser verò, & infelix, qui his caret.

5. *Similes septem donis Spiritus S.*

Pulchrè Porrò D. August. his septem beatitudinibus adaptat septem Spiritus sancti dona, Isai. 11. vt legere est lib. 2. de doctr. Christiana cap. 7. & libr. 1. de serm. Dom. in mont. c. 9. *Vbi* ait: *timor congruit humilibus, de quibus hic dicitur; beati pauperes spiritu, id est, non inflati, non superbi, de quibus Apost. dicit; noli altum sapere, sed time, id est, nolis extolli. pietas competit mitibus, qui enim piè quærit, honorat Sanctam scripturam, & non reprehendit, quod nondum intelligit, & propterea non resistit, quod est mitem esse, vnde hic dicitur: beati mites: scientia cõuenit lugentibus, qui iam cognouerũt in Scripturis quibꝰ malis vincti teneãtur quæ, tanquã bona, & vtilia ignorantes appetierunt; de quibus hic dicitur: beati qui lugent nunc: fortitudo conuenit esurientibus, & sitientibus; laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, & amorem à terrenis, & corporalibus auertere cupientes: de quibus hic dicitur: beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. consilium congruit misericordibus: hoc enim vnum remedium est de tantis malis euadendi, vt dimittamus, sicut nobis dimitti volumus: & adiuuemus in quo possumus alios, sicut & nos, in quo non possumus, cupimus adiuuari, de quibus hic dicitur: beati misericordes. intellectus congruit mundis corde tanquam purgato oculo, quo cerni possit quod corporeus oculus non vidit, &c. de quibus: beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sapientia congruit pacificis, in quibus iam ordinata sunt omnia, nullusque motus aduersus rationem rebellis est, cùm & ipsa obtemperet Deo; de quibus: beati pacifici. Vnum autem præmium, quod est regnum cælorum pro his gradibus variè nominatum est.* De ordine beatitudi-

num dictum est in Scholijs, dum suis singulas locis exponebamus. De beatitudinibus verò sigillatim multa habet Barrad. lib. 7. c. 4. & sequentibus, quæ ad mores pertinent.

THEORIA V.

In ver. 17. An Christus legem sustulerit? Mirabitur aliquis ver. 17. legens, venisse Christum vt impleret, non vt solueret legem, atque ita dicet:

1. QVOMODO Christus legem adimpleuit, cùm potiùs abrogasse videatur, ex Epist. ad Ephes. 2. & ad Hebr. 7. Respond. implendo id fecit, non destruendo, hoc est, perficiendo, addendo, interpretando, exhibendo promissa, spiritum, & gratiam exhibendo qui sub illi cæremonijs latebat.

2. Quod exemplo pictoris Theophy. ostendit: nam sicut pictor inchoatæ, atque adumbratæ imagini extremam dum adhibet manum, & colores apponit, priorem imaginem abolet, nouam inducit; abolet autem non dissoluendo, sed absoluendo; non delendo, sed perficiendo; ita non aliter Christus legem abrogauit; abrogari autem cœpit lex inducto sensim Euangelio, ita vt à tempore Ioannis cœperit quodammodo ægrotare, & languere, quousque promulgato iam penitus Euangelio emortua fuerit, & hoc modo intelligendum est legem vsque ad Ioannem perduransse, quia scil. tunc cœpit languere, & abrogari.

3. Sed illud adhuc difficultatis reliquum est hic, quia cærimonialia, & iudicialia præcepta videntur à Christo omninò abrogata & Apostol. expresè ait Ephes. 2. ipsum medium parietem maceriæ soluisse, & legem mandatorum decretis euacuasse, & ad Hebræo. 7. 18. 19. *reprobatio quidem*, inquit, *fit prioris mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum.* Igitur minimum dicendus est Christus cæremonialia, & iudicialia funditus sustulisse. non ergò impleuit legem inquiet aliquis? Respondet Caietan. Christum dixisse non venisse se, vt legẽ solueret, quia nó per se soluturus erat, sed per Apostolos post reditum in cælum; quemadmodum dixit; se non venisse, *nisi ad oues, quæ perierant domus Israel*, Matth. 15. 24. non quod non propter alias etiam venisset; sed quod alias non per se, sed per Apostolos suos ad fidem adducturus esset: Verùm hoc difficultatem non adimit, nam cùm Dominus hæc de se dicat, vt & Apostolos habeat, hac in parte imitatores, propter quam causam mox infert, qui ergò soluerit, &cæt. non benè congruit, cum hoc id, quod Caietanus inquit, Christum per se quidem non soluisse legem, voluisse tamen vt per Apostolos abrogaretur; hoc enim non est hortari, vt suo exẽplo legem perfectè seruarent, eo modo quo ipse seruauit.

4. Insinuat Rupertus Bifariam scripturam de lege veteri verba facere: nam interdum respicit ea, quæ illi legi propria sunt, quæque A per solam illam legem sunt introducta: id genus sunt iudicialia, & cærimonialia, & hoc modo accepisse videtur D. Paul. loc. cit. hæc enim sunt veluti accessoria quædam præcepta, quæ pro ratione temporis & hominum iudicauit Deus ad tempus conuenire illi populo tanquam vtilia ad ea seruanda, quæ præcipuè requirebantur. Interdum verò scriptura respicit ea, quæ in lege præcipua sunt, & in primis à Deo intenta. Id genus sunt Decalogi præcepta, & alia, quæ ad mores pertinent, quomodo de lege loquitur Dauid: *lex Domini immaculata conuertens animas*: &, *fidelia omnia mandata eius*, & innumera alia. cùm ergo hoc loco affirmat Dominus se ad soluendũ legem non venisse, sed ad implendam, potissimum de lege hoc modo loquutus est.

B Sed faciliùs mea sententia fieri satis obiectioni potest, si dicamꝰ de vniuersa lege Christum hic esse loquutum. nam quamuis cærimonialia, & iudicialia reuera abrogauerit, vt vim obligandi amplius non habeant: non tamen ea penitus soluit, atque euertit (quod fecisset, si docuisset, ea mala, noxiaque fuisse, nec à Deo profecta) sed adimpleuit ea, tum quia in se hoc ipsum exhibuit, quod per illas cærimonias adumbrabatur, vt rectè docet Iansen. cap. 40. tum quia docuit qualiter ea præcepta secundùm spiritum intellecta perfectius custodiri à Christianis deberent. His accedit, hoc ipso quod soluit præceptorum cærimonialium obligationem iuxtà literalem ipsorum intelligentiam, non soluisse ipsam legem, sed adimplesse eam, quia hoc ipsum iam C à lege fuerat prædictum, multisque locis promissum. vt verò nullus sit dubitandi locus, Dominum; dum hic affirmat non venisse se, vt legem solueret, sed adimpleret; amplexatum esse totam legem, ac cærimoniala simul cum moralibus comprehendisse, Patet ex sequentibus, dum subdit; *amen quippè dico vobis*, &c. *iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege*, &cæt. neque aliter hunc locum accepêre Hierony. & August. quo etiam pertinet illud Luc. 24. *hæc sunt verba, quæ loquutus sum ad vos, cùm essem adhuc vobiscum, quoniam necesse est implere omnia, quæ scripta sunt in lege Mosi, & Prophetis, & Psalmis de me*. De hac quæstione lege D. Thom. 1. 2. q. 107. art. 2.

D

THEORIA VI.

In v. 30. De *Gehenna*, quid significet, vbi sita; quid item sit *Topheth*; cur infernus *Gehenna* dicatur.

1. DIVVS Hieronym. in trad. Hebr. in lib. 2. Paral. & in comm. Ierem. 7. & Matt. 10. multa dicit de Gehenna. Et quidem primo loco nomen hoc deductum censet à voce *Gehennon*, quæ significat, vallem filiorum Ennon, licèt Hebræum nomen tantum significet, vallem Ennon, cuius fit mentio Iosu. 15. 4. Reg. 23. Ierem. 7.

2. Describit autem hanc vallem Hieronym. Matth. 10. vt iam situm eius designemus, sic: non procul, inquit, ab Hieruſalem in radice montis Moriæ, vbi fons Siloe fluit, planitiem

quan-

Cærimonialia veteris legis Christum tollendo implenit.

Gehenna vt dicta.

Vallis Ennon vbi.

Digitized by Google

quandam fuisse irriguam, & nemorosam, plenamque delitijs, dicebaturque *Gehennon*: in hac valle lucus erat, in quo filij Israel deserto templo Dei vicino hostias immolarunt Baal, (vt vocat Iere. 19. & 32.) seu Molocho idolo Moabitarum (sic dicitur 4. Reg. 23.) in eoq; filios, filiasque suas concremarunt, in holocaustum huic idolo.

3. Idem quoque Hieronym. super Ierem. 19. testatur iussum fuisse Prophetam (ibi ver. 2.) egredi ad vallem filij Ennon, (quę eodem ver. 2. dicitur iuxtà introitum portæ fictilis) in qua erat delubrum Baal, & lucus Siloë fontibus irrigatus, ex qubus verbis Ierem. & Hieronym. portæ fictilis situm collige iuxtà vallem Ennon, & iuxtà fontem Siloe collocandum esse; item collige siluam illam, vel dictum lucum inferiorem fuisse fonte Siloe, irrigabatur enim eius aquis defluentibus.

Si ergò Ierem. 19. ver. 2. dicit, vallem filij Ennon fuisse iuxtà introitum portæ fictilis, igitur ex ipsomet contextu Ierem. liquet, hanc portam ciuitatis in extimo Ierosolymæ muro apertam fuisse, vtpotè, quæ in vallem Ennon viam aperiret.

4. Cumque tota vallis Ennon in longum muri Orientalis vrbis ducta, omnibus eius portis proxima fuerit, clarè intelligimus ad eam vallis partem Ierem. loc. cit. mitti à Domino, quæ huic portæ erat magis proxima, nempè vbi fons Siloe erat, & delubrum Baal, vt inquit Hieronymus, & nemus Siloe aquis irrigatum. quod si in valle filij Ennon, vt ex Hieronym. iam diximus, erat Siloe irrigans lucum inferiorem, patet hinc vallem Ennon, acliuem fuisse, atque adeò descendisse ab aquilone in Meridiem, vt colligit idem Villalp. ex Nehemia; quod & Beda confirmat, libro de loc. Sanct. cap. sexto, vbi ait: *iuxtà murum templi, vel Hierusalem Gehennon occurrit, quæ est vallis Iosaphat, à Septentrionali plaga in austrum porrecta. Per quam torrens Cedron, si quando pluuiarum aquas recipit, decurrit. Hæc vallis & parua campi planities irrigua & nemorosa, plenaq; delicijs, locum quondam Baali sacrum habuit.* hæc ille.

Quo confirmatur quòd dixit Hieronymus, aquis Siloe irrigari siluam *Topheth*. (sic enim dicebatur nemus) nam Torrens Cedron tantum hibernis, ac pluuialibus affluebat aquis. Ex his habemus, siluam hanc inferiorem multò fuisse ipso fonte, & natatoria Siloe, ita, vt fons Siloe versus aquilonem esset, in editiori nempè loco, silua quæ pars erat vallis Gehennon ad Meridiem magis; porta verò fictilis magis ad Septentrionem vergebat, quàm Siloë.

5. Verùm cùm omnes Orientalis vrbis portæ ad aquilonem fontis Siloe constitutæ longè ab eo fonte distent, vt ex vera imagine veteris Ierosolymæ, quam paulò pòst citabo apud Villalp. constat: multò magis eas distare necesse est à loco Topheth, seu Silua hac vallis Ennon, quam ad Meridiem fontis exstitisse diximus: atque adeò cùm eum locum proximum fuisse portæ fictili indicet Ierem. hinc fit hanc portam diuersam esse à ceteris, etiã ab aquarũ porta, quippè porta fictilis fonti Siloe

A proxima dicitur, cũ porta aquarũ, sicut & cęterę Orientalis partis vrbis ad Aquilonem Siloe constitutæ, distet ab ea. collocat autẽ portam istam Villalp. inter flexuram, & angulum, quem recessus natatoriæ Siloe constituit in muro: cuius rei expressam imaginem habes apud eundem in vera imagine veteris Ierosolymæ, quam apud ipsum inuenies post finem lib. 1. com. 3. apparatus p. 1. hęc de situ vallis huius, quę ad loca varia Scripturę sacræ intelligenda multum faciunt.

Iam verò, quid sit *Topheth*, & vnde dicatur his annectendum est; ergò super Ierem. 7. docet Hieronym. hunc eundem locum, in quo filij Israel sacrificabant idolo, dictum esse *Tophet*, quod Hierony. interpretatur *latitudinem*, videturque sic à Hierem. nominari. Cæterùm B alij à voce Hebr. *Toph*, deducunt, quæ tympanum significat, & hoc modo interpretantur illud Iob. 17. 6. *exemplum sum coram eis*, Hebraicè habetur *Topheth* loco exempli, vertuntque *tympanum*, vt sit sensus: vtebantur me quasi instrumẽto ad gaudendum, & exultandum. ideò aũt volunt illum locum dictum *Topheth*, quia cùm illi idolo solerẽt immolare pueros, ne eorum voces exaudirẽtur, & comiseratione cõmoti parentes reuocarẽtur à sacrificijs, impij Sacerdotes pulsabant tympana, adduntque huc respexisse Hierem. cùm refert Deum cõminantem dixisse: *non vocabitur Topheth*, quod est instrumentum lætitiæ, sed tumulus mortuorum. Barra. non improbabiliter à tympanis quidẽ deductum nomen putat, sed quæ ab C idololatris pulsabantur, dum ea in valle amęna, lætitiæ, ludisque vacabant, non à tympanis, quæ ardentibus infantibus pulsarentur; quamquam alij volunt, vt Forerius portentum, & prodigium significare vocem *Topheth*, quod portento similis esset illa filiorum immolatio, quasi *mopheth*. Sed quod attinet ad locum Iob, rectè Vulgatus noster vertit *exemplum*, vel vt significetur exemplare quoddam supplicium, grauissimumque, quod cæteris mortalibus documento, terrori, admirationi esse posset, vt sit sensus: me miserum, qui huiusmodi habeor nunc, quasi propter meam impietatem diuino supplicio affectus sim; vel secundo exemplum sumi potest pro irrisione, contumelia, contemptu, quæ cùm D miserando exemplo solent esse coniuncta, vt sit sensus: omnibus sum ludibrio propositus, & pro scopo, quem maledictis, & probris configant, & cum quo miserrimos quosque, & extremo supplicio affectos improbos componant, nullusque hominum conuentus sit, in quo Iobi supplicia cum detestatione, & maledictis non vsurpentur. Itaque exemplum hoc modo pro irrisionis exemplo sumitur; primo verò modo pro grauissimo, & exemplari, vt vocant, supplicio, vt doctè exponit Pineda eum locum. videturque hęc Vulgati interpretatio accedere ad eam, qua diximus *Topheth* prodigium, vel portentum significare.

Ex his deducere possumus cur infernus *Gehenna* dicatur; vel enim id sumptum est ab Esai. 30. 33. qui infernum vocat *Topheth*. Topheth autem erat vallis ipsa Ennon, qua parte idolum colebatur Moloch, quod paulò infe-

6. *Topheth quid sit.*

7. *Infernus cur Gehenna dicatur.*

riùs ex Hieronym. Prado referam, vel dictus est infernus Gehenna propter impiam illam, & portentosam vstionem, ac filiorum immolationem; vel denique ab atroci idolo, quod tanquam Rex, fano illi Prunario, tanquam Lucifer Tartaro, præsidebat, & ab eius immūdis sacrificijs, & peccatis, quæ ibi fiebant. Hieronym. Matth. 10. ait in veteribus libris non inueniri, sed primùm à Saluatore pro orco vsurpatum *Gehennæ* nomen, quāuis vt dixi apud Hierem. vox *Topheth*, non *Gehennæ*, pro inferno sumatur. Hoc tamen, quod Hierony. dicit de libris Sacræ scripturæ veteris intelligendum est, alioqui Rabinos quoque tartarum *Gehennam*, siue *Gehinnam* appellare testatur Elias in Lexico.

8. Non subterfugiam hîc adscribere, quę breuiter tradit de hoc loco Hierony. Pradus c. 5. explanationis in Ezech. num. 20. vbi comprehendit paucis ferè quæ diximus: *exemplum*, inquit, *sanguinariæ oblationis suppeditauit Acaz, de quo lib. Reg. 4. 16. 3. scriptum est: & filium suum consecrauit, transferens per ignem secundum idola gentium; atque Manasses, de quo eodem lib. 21. 6. dicitur: & traduxit filium suum per ignem. quid sit autem traducere per ignem interpretatur Ioseph, de Acaz loquens lib. 9. antiqui. cap. 12. quibus etiam ait, proprium filium holocaustoma obtulit ritu Chananæorum. offerebantur verò infantes per ignem traducti idolo Moloch, vt 4. Reg. 23. 10. de Iosia dicitur: contaminauit quoque Topheth, quod est in conualle filij Ennon, vt nemo consecraret filium suum, aut filiam per ignem Moloch. Idolum Moloch, & eius Sacrificium vocabatur Topheth, q. d. portentum, spectaculum, visu horrendum, quod combustis infantibus exhibebatur: tametsi alij malint. dictum Topheth, quasi tympanum, quod nefarij sacrificuli, dum adurebantur pueri in manibus statuæ ignitæ, tympano sonum excitabant, ne innocentū voces audirentur. erat autem hoc excelsum, seu fanum prunarium potius in valle Iosaphat, vel regis dicta, quæ adiacet vrbi Ierusalem ad orientē dicta Gehennom, quasi vallis Hennom, vel filiorum Hinnom, à qua tractum est nomen Gehenna, pro loco æterni incendij apud inferos: cui translationi occasionem dederat Isai. 30. 33 dicens: præparata est heri (iam pridem) Topheth à rege (regum, qui eam adinstar Iosiæ dicauit in prunarium damnatorum) præparata, profunda, & dilatata, (talis enim erat conuallis Hinnom) nutrimenta eius ignis, & ligna multa (vt olim solebant admoueri infantibus concremandis) flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam (quasi dicat, neque deerunt folles, qui ignem excitent; nam flatus nasi, seu indignationis diuinæ eam inflammabit pyram, non secus atque inecto sulphure ardere solet, & ali ignis.* Hæc doctè Pradus, qui licèt dicat idolum ipsum, vel etiam sacrificium vocatum *Topheth*, non negat tamen etiam locum ipsum *Topheth* appellari potuisse, quod plurimi sentiunt; vtrumque enim simul stare potest; vide etiam Genebr. in Psal. 105. in ea: *commixti sunt inter gentes*, &c.

A

THEORIA VII.

In ver. 32. De indissolubilitate Matrimonij, vbi explicatur locus Matthæi 19.

DVo sunt casus, in quibus certò matrimonium dissolui potest. primus est, quando matrimonium fuit cōtractum inter infideles, & postea altero coniugū conuerso ad fidem, alter non vult cohabitare cum illo, vel non sine iniuria creatoris; quia scil. illum non patitur Christianè viuere, vel à susceptа fide dimouere conatur, vel Deum, Christumque blasphemat: tunc affirmo posse coniugem fidelē ab infideli discedere, & alteri matrimonio Christiano, coniungi; licet cum priore matrimonium fuisset consummatum. 1. *Duo casus in quibus matrimonium solui potest, aliàs indissolubile.*

B

Alter casus, quo certò dissoluitur matrimonium est per solemnem professionem approbatæ religionis, antequam consummetur, siue per professionem vnius, siue vtriusque sponsi. Qua de re lege Sanc. l. 2. d. 21. nu. 3. cōcecideturq; proinde cap. ex publico de conuersione coniugatorum, vbi concedit Alexander, coniugi spatium duorum mēsium intra quod non teneatur matrimoniū consūmare, sed possit de ingressu religionis deliberare. In his duobus casibus non humana, sed diuina auctoritate dissoluitur matrimonium. 2.

Est tertius casus controuersus inter Doctores, an matrimoniū non cōsummatū per Pontificiam dispensationem soluatur. Et quidem hac in re verior sententia est posse dissolui, de quo vide Bellar. l. 2. de Monachis c. 38. Enriq. l. 11. de Matrim. c. 8. n. 11. Sanc. l. 2. de Matrim. d. 14. nu. 2. Rebel. lib. 2. de Matrim. q. 15. nu. 4. Porrò Valen. contrariam sequitur sententiam d. 10. q. 1. de Matrim. punct. 7. 3.

C

Præter hos casus nullus est alius, quo possit matrimonium dissolui, etiā per alterius cōiugis adulterium quod est de fide; est ergo matrimonium extra hos euentus indissolubile. 4. *Indissolubilitas matrimonij vnde manetur.*

D

Quæ indissolubilitas nascitur inde, quod matrimoniū consummatum Christianorum est Sacramentum significans indissolubilem vnionem Christi cum Ecclesia per carnem, cùm ratum matrimoniū habeat potius significare vnionem Christi cum Ecclesia, per charitatem, & gratiā, quę licèt quoad totam Ecclesiā in cōmune non sit separabilis, quoad singulos tamē amitti potest. Esse aūt causam huius omnimodæ indissolubilitatis matrimonij, eā potissimum, quod est sacramētum, hoc est, sacrū signum indissolubilis coniunctionis diuinitatis cum humanitate in Christo Domino, & ipsius Christi cū Ecclesia eius spōsa per carnem, constat ex Paulo c. 5. epist. ad Ephes. vbi cū cōmemorasset illa verba: *propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem suā, & adhærebit vxori suæ*, continuò illud adiunxit: *Sacramentum hoc magnum est, ego aūt dico in Christo & in Ecclesia*; igitur saltem matrimoniū consummatū inter Christianos debet esse omninò insolubile. alioqui nunquam benè Sacramentum matrimonij repræsentaret insolubilem omninò coniunctionem

Digitized by Google

nem Christi cum humanitate & Ecclesia, si esset aliquo modo solubile.

5. Cæterum quia hæc exactius tractare ad eos pertinet, qui de controuersijs contra hæreticos agunt, vel qui subtilius ista disputant, ideò his reiectis ad citatos authores num. tertio, & alios, præsertim Bellarmin. libro primo, de Matrimonio, cap. 15. 16. & 17. & Valen. l. vnico de indissolubilitate Matrimon. c. 3. 4. 5. & Sanc. libr. decimo, dist. secunda. Nos tantum hic exponemus duo Matt. loca nempè hunc qui hoc 32. ver. continetur, & eum qui Matth. 19. 9. habetur, vbi sic legimus. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit mœchatur*, quem locum hæretici, qui matrimonium etiam quoad vinculum dissolui posse propter fornicationem impiè mentiuntur, falsò vsurpant; videtur enim, cùm hic Matth. 5. 32. vbi dicitur: *Omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit adulterat*; tum maximè Matt. 19. 9. Dominus statuere, non esse vxorem dimittendam, neque ea dimissa, esse ducendam aliam, nisi ob solam fornicationem &c. Ex quo efficitur posita fornicatione id licere. quod si respondeas de dimissione quantũ ad torum, non autem quantum ad vinculum loquutum Christum Dominum, non tollitur difficultas: cum enim vt dicitur Matth. 19. 9. Christum interrogassent Iudæi, an liceret ob quascumque causas vxores dimittere, damnauit ille morem eorum dimittendi vxores per libellum repudij; igitur de tali dimissione vxoris loquitur, de quali à Iudæis interrogabatur & qualis per libellum repudij apud illos fieri consueuerat, quæ & quantũ ad torum, & quantum ad vinculum erat. Ad hæc, si de dimissione solum quantum ad torum Christo sermo esset, plures excepisset causas dimittendi, non vnam dumtaxat fornicationis; liquet enim separationem quantum ad torum ob complures alias fieri posse.

6. His obiectionibus, quia doctè, & clarè respondet Perer. in c. 7. ad Rom. disput. 3. eius hic ego ferè attexam verba, quæ erunt loco commentarij loci præsertim illius, qui habetur Matth. 19. 9. qui quoniam connexus est cum hoc loco Matth. & facit ad ea melius intelligenda, quæ de matrimonij indissolubilitate dicemus, ideò hic declarabitur, simul enim alter alterum declarat ita, vt ex perfecta vtriusque intelligentia habeatur dilucidatio sententiæ Domini. Respondens ergò Pere. dubitationi motæ paulò antè ait: huic obiectioni respondendum est, illa verba Domini Mat. 19. *nisi ob fornicationem*, non esse referenda ad vtramque partem sententiæ, ita vt significetur, licere ob fornicationem, & vxorem dimittere, & aliam ducere: sed tantum referri debent ad priorem illius sententiæ partem hunc in sensum: *quicumque dimiserit vxorem suam* (quod facere non licet, nisi ob solam fornicationem) *& aliam duxerit, mœchatur*. hunc germanũ esse sensum animaduertere licet ex commemoratione eiusdem sententiæ, quam faciunt Marc. c. 10. 11. & Luc. c. 16. 18. qui illam exceptionem fornicationis omiserunt. Apud Marc. sic est: *quicumq; dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Apud Luc. verò ita legitur: *Omnis qui dimittit vxorem suam, & aliã ducit mœchatur: & qui dimissam ab illo ducit, mœchatur.* Mat. Porrò in c. 19. 9. exceptionẽ illam addidit, q̃ eam anteà in c. 5. 32. cõmemorauerat. Cùm. n. narrasset, Pharisæos quæsijsse à Christo, an quacumq; ex causa licitum esset repudiare vxorẽ, adiungit Dominum respondisse, vnam tantum esse posse licitam causam dimittendi vxorem, crimen fornicationis; Ita interpretatur B. Hieron. locum hunc Matt. 5. & rectè, quod liquet ex eo, quod mox subiecit Dominus: *& qui dimissam duxerit, adulterat.* Vbi certum est ad illud verbum, *dimissam*, non posse referri exceptionem illam, *nisi ob fornicationem*, quasi verò significetur, eam, quæ dimissa fuerit ob fornicationem, duci posse sine adulterio: nam sic melioris conditionis esset dimissa vxor ob adulterium, quàm quę nulla sua culpa à viro esse repudiata. Igitur illis Domini verbis significatur eum adulterare, quæ dimissam à viro, etiam ob fornicationem duxerit.

7. Ad secundam obiectionem, vel primam instantiam contra responsum datum n. 5. respondendum, duplicem fuisse Iudæorum in dimittendo vxores consuetudinem, vtramque malam: alteram ob quascumque causas dimittendi vxores: alterã dimissis prioribus, alias ducendi vxores. vtramque damnauit Dominus, & corrigere voluit: priorem, per illa verba, *nisi ob fornicationem*, dum ait c. 19. *Dico vobis quod quicumque dimiserit vxorem nisi ob fornicationẽ*, q.d. quod non licet nisi ob fornicationem, id quod clarius exprimens c. 5. Matt. docet, cur minimè liceat dimittere nisi ob fornicationem, quia dimittens mœchari facit vxorem, q.d. nõ solùm fidem videlicet coniugalem, violat, sed sibi, & verò etiam vxori periculum affert mœchandi. Contrà posteriorem verò Iudæorum consuetudinẽ adiũxit illud; *& aliam duxerit*, quod pendet ex antecedentibus, *qui dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit insuper mœchatur; & qui dimissam duxerit mœchatur*. Non aliam certè ob causam, nisi quia quæ dimissa fuerat ob fornicationem non erat prioris matrimonij vinculo soluta.

8. Caiet. autem, & Eras. illud verbum *mœchatur*, non referunt disiunctè ad priorem, & posteriorem partem sententiæ Domini, sed coniunctè ad vtramque partem: quo significatur, si adsit causa fornicationis, vtrumque licere, & vxorem dimittere, & aliam ducere. At enim secundùm istiusmodi sensum colligi posset, non esse prohibitum à Christo, quauis alia de causa præter fornicationem dimittere vxorem, dummodo nec vir dimittens, nec vxor dimissa ad alias transeat nuptias quod falsum profectò esse constat. Vnde apertius idem Matth. hic vt dixi capite quinto, verbum illud, *mœchatur*, vel *adulterat*, distinctè coniunxit cum eo, quod est, *dimittere vxorem*, & cum eo quod est *aliam ducere*, dicens: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit vxorem suã excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit adulterat*, quo clarius declararet non licere nisi ob fornicationem dimittere, quod explicatur per illa, *facit eam mœchari.*

9. Ad Alteram instantiam, quæ postremò loco obijciebatur, n. 5. respondendum, quod licèt nonnullæ sint aliæ, præter fornicationem causæ soluendi cõiugium quantum ad thorum (de quibus lege Sanc. l. 10. de diuortio 15. & inferiùs Theoriã 8. illæ tamen generales sunt, & communes alijs. causa verò ducta ex fornicatione alterius coniugum propria est matrimonij, vt quæ per se, ac propriè aduersetur matrimonio, quod disputat Aristot. libro septimo polit. cumque per coniunctionem matrimonij duo quodammodo fiant, in vnam carnem, per adulterium vna caro dissecatur in duas: fitque alteri coniugum maxima iniuria. & vt adnotat Euthymius in decimonono cap. Matth. solam Dominus iusit eijci mulierem, quæ adulterium commisit propter fœtus confusionem, & propter dubitationem eius, quod pariendum esset, quasi alia quæuis causa curari possit, hæc verò sola nullam curationem admittat. sic ferè Perer.

10. Cæterùm est & altera expositio D. Martialis discipuli B. Petri epist. ad Tolosanos c. 9. verba illa Christi Matth. 19. sic distinguenda esse, vt has integras duas sententias contineant, hoc est, *quicumque dimiserit vxorem suam excepta causa fornicationis mœchatur*, id est, facit eam mœchari ob datam occasionem iuxta id, quod Matth. adiecit hic cap. quinto, quod est veluti interpretatio illius exceptiuæ, *nisi ob fornicationem*. Secunda sententia est, *& qui aliam duxerit, mœchatur*. potest his addi tertia sententia, quæ subditur; *& qui dimissam duxerit mœchatur*. Intelligitur autem in duabus posterioribus sententijs quacumque ex causa fuerit facta dimissio etiam ex fornicatione.

11. Tertiò D. Augustinus libr. 1. de adulterio coniug. c. 9. aliter etiam exponit, vt illa verba, *nisi ob fornicationem*, non accipiantur exceptiuè, sed negatiuè in hunc sensum: *quicumque dimiserit vxorem, nisi ob fornicationem*, id est, extra causam fornicationis, & aliam duxerit mœchatur. Ex quo affirmatur quidem adulterium eius, qui vxore dimissa extra causam fornicationis aliam duxerit: verùm nihil dicitur de ducente aliam priore dimissa ob fornicationem. Vide Aug. fusè id explicantem.

12. Sed melius, meo iudicio, sumitur exceptiuè pars illa, *nisi ob fornicationem*, quarè duæ priores expositiones magis placent. locum verò Matt. 5. 32. quem præ manibus habemus, exposuimus in Scholijs n. 115.

THEORIA VIII.

Referuntur auctores, qui per adulterium solui posse matrimonium putarunt, saltem à viro innocente; & vtrumque coniugem par ius habere in diuortio quoad thorum, & habitationem explicatur.

1. EX superiori Theoria constat, falsam esse eorum opinionem, qui præcipuè propter locum Matth. decimonono, censuerunt solubile esse matrimonij vinculum. Erasmus enim in capite septimo, prima ad Corinth. affirmat ex sola tantum prohibitione Ecclesiæ, eaque nimis dura, nefas esse viro innocenti aliam ducere, superstite alia adultera, quarè abrogandam eam esse censet; ab eo eundem errorem hausit Lutherus, & Caluinus, quamquam Erasmus, tãtum putat id licere viro, non mulieri, neque enim opinãtur in hoc parem esse rationem viri & feminæ, cùm vir sit caput mulieris. hos impugnat Turria. 5. lib. con. Centuriato. c. 10. & 11. præter citatos Theoria 7. n. 5. & Maldon. in ca. quintũ, & decimũnonũ Matth. Caietanus etiam Matth. decimonono; & decimo Marc. & primæ Corinth. septimo, opinatus est, solui posse matrimonij vinculum per alterius coniugi adulterium, declaratque Caietan. se id ex Euangelio accipere salua tamen Ecclesiæ definitione. Ad Caietanum inclinat Catharinus l. 5. contrà Caiet.

Erasmi error.

Quem sequuntur Lutherus, & Caluinus.

2. Quorum præcipuum fundamentum est locus ille Matth. decimonono, paulò antè expositus. Addunt & pro se interpretationem D. Ambrosij in cap. 7. 1. ad Corinth. vbi docet; mulieri quidam non licere secundùm doctrinam Euang. & Apostolicam viuente marito suo alteri nubere, sicut viro, qui est caput mulieris, concessum est iustè repudiata vxore aliam ducere, sed commentarios istos in Pauli epistolas, qui vulgo Ambrosij nomine feruntur, meritò multis, & bonis ductis coniecturis non ignobiles auctores putant non esse S. Ambros. alioqui Ambr. ipse c. 16. Luc. & l. 1. de Abraham c. 4. istum errorem reijcit.

3. Et certè non potest dici præceptum illud Domini iubentis mulierem non discedere à viro, si autem discesserit manere innuptam, aut ei reconciliari de quo Paul. c. 7. 1. Corinth. pertinere solùm ad mulieres, non autem ad viros, quasi mulier discedens à viro ob aliquam causam non possit alij viro nubere, vir autem possit ob aliquam causam aliam vxorem ducere. Si enim viro dimissa vxore id licet, hoc ideò est, quia priùs matrimonium esset dissolutum, nam si esset validum, id non liceret. Si autem iam nullum esset matrimonium, ergò non esset mulier ampliùs alligata viro, quarè & ipsa posset denuò aliud matrimonium inire. Tenuit & Tertul. lib. quarto, contra Marcion. idemque fuit error Græcorum, vt refert Gũido Carmelita Sum. de hære. & Sixtus Senen. libro sexto, bibliothecæ refert originem tractat. secundo in Matthæum asserentem quosdam sui temporis Episcopos permisisse alias nuptias vxoribus ob virorum adulteria ab ipsis diuertentibus.

De qua sententia damnata à Trid. sess. 24. anathematismo 7. dixi superiori 7. Theor explosam esse à citatis ibi n. 5. auctoribus, quos consule. Sequitur iam vt videamus hic, an ratione adulterij liceat diuortiũ quoad thorum & habitationem: sintque in hoc vtrique coniuges æquales.

4. Caiet. ergò Matth. 19. censet non esse pares coniuges in iure diuortij propter adulterium celebrandi: sed id sõlis viris permitti ob vxoris adulterium. In hanc sententiam venit, quod Christus Matth. quinto, & decimonono legem diuortij declarans, tantum virorum meminerit sicut & cap. *significasti*, cap. *ex literis* & cap.

Gaudemus,

gaudemus, de diuortio, & q̄ nō sit eadem ratio, vt vxor possit à viro adultero diuertere, nam vxoris adulterium multò grauiorem iniuriam inurit viro, & propter sobolis incertitudinem & propter viri infamiam. Et quod secundùm legem Mosaicam licitum fuerit viro repudiare vxorem, nō autem vxori repudiare virum, vt videtur significari Deuteronom. 24. potest & illud addi, quod saltem consuetudo non inualuerit, vt id diuortium concedatur vxoribus ob viri adulterium, vt testatur D. Basilius Cano. 9. & 21.

5. Quibus positis tria hac in re affirmo: primùm quidem satis causæ esse, vt vir ab vxore diuertere possit quoad thorum & habitationem, quod per adulterium illa fidem fregerit. Est de fide ex c. 5. & 19. Matth. & ex c. significasti c. *Gaudemus*, cap. ex literis de diuortijs.

6. Diuortium vnde oriatur.

Illud in controuersiam verti posset, num ex natura contractus matrimonij proficiscatur, atq; adeò iure naturæ sit, vt liceat diuortiū causa adulterij. negat id Castr. l. 2. de lege pœnali. c. 4. sub finem. sed Durand. in 4. d. 35. quæst. 1. a. 1. num. 5. Sotus d. 36. quæstione vni. art. 1. concl. vnic. Victoria sum. de Matrim. num. 289. Enriq. l. 11. de Matrimon. c. 17. num. 1. & 6. Pet. de Ledes. de Matrim. q. 62. a. 1. & alij oppositum tuentur, quod & verisimū mihi videtur, nam ex ipsamet contractus Matrimonij natura fit, vt coniuges mutuam sibi seruare fidem teneantur. At ipsummet naturæ ius docet frangenti fidem, fidē seruandam non esse, igitur, &c. Ad hæc contractus promissionem claudens non habet vim ad astringendum aliquem ex se, si res insigniter mutentur, vt accidit si interueniat alterius adulterium ex tex. cap. *quemadmodum* de iureiurando. Cùm ergò Matrimonij contractus sponsionem contineat ad reddendum debitum, altero coniunge in adulterium lapso, liberabitur innocens ex natura contractus, ab hac obligatione, & vinculo, vnde fit etiam apud infideles id verum esse.

7. Viri & vxoris æquale ius in diuortio faciendo.

Deinde affirmo coniuges hac in re pares esse, ac proindè nō virum tantum innocentem posse ab vxore adultera discedere, verùm etiam vxorem à viro adultero, contra Caietan. sentētiam, quam Sances falsam, ac temerariam prorsus vocat l. 10. disp. 3. n. 6. vbi etiam plurimos auctores pro hac sententia affert, & constat ex illo loco 1. ad Corinth. 7. 10. *his qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Vbi expendenda sunt illa verba: *quòd si discesserit* &c. quæ de iusta dimissione per fornicationē viri, sunt necessariò intelligenda; nam alioqui non daret D. Paulus optionem coniugi, vt post separationem innupta maneret, aut viro suo reconciliaretur; sed cogeret vtique iuxta commemoratum ab illo Domini præceptum, vt ad virum iniustè dimissum rediret (vnde etiam obiter intelligitur non solui matrimonij vinculum propter adulterium, alioqui nō diceret Paulus vxorem à viro adultero recedentem alterum horum necessario præstare debere, vt vel innupta maneat, aut viro reconcilietur) ergo licitum est hoc loco vxori innocenti diuertere à coniuge adulterij causa intercedente.

A

B

C

D

Affirmo postremò, quod quamuis accusandi ius de adulterio quo ad criminalem pœnam, & ciuilem præscriberetur quinquennio, vt refert Sanc. ex legibus l. 10. d. 3. n. 9. non desideratur tamen monitio, nempè vt vir priùs moneatur, vt abstineat ab adulterio, sed antè omnem monitionem, eo ipso, quod adulterij reus est, potest vxor, ad diuortium procedere: sunt enim in hoc pares ipso naturæ iure.

8.

Sed rem totam perpulchra Hieron. sententia confirmemus, & concludamus. Quod diximus de pari iure vxoris ac viri. Ad Occanum scribens epist. 30. de Epitaphio Fabiolæ sic ille confirmat: *Præcepit*, inquit, *Dominus vxorem non debere dimitti excepta fornicationis causa: & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris iubetur, hoc consequenter redundat in feminas: neque enim adultera vxor dimittenda est, & vir mœchus retinendus. si quis meritrici iungitur vnum corpus facit, ergo & qui Scortatori, impuroq; sociatur, vnum cum eo corpus efficitur. Aliæ sunt leges Cæsarum, & aliæ* CHRISTI, *aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit: Apud illos viris impudicitiæ frena laxantur; & solo stupro, atque adulterio condemnato passim per lupanaria & ancillulas libido permittitur; quasi culpam dignitas faciat, non voluntas: apud nos, quod non licet feminis, non licet viris: & eadem seruitus pari conditione censetur.* sic D. Hieronymus.

9. Hieronymi sententia insignis.

Restat obiectionibus initio propositis respondere, primæ quidem sic occurro: quoniam hoc est frequentissimum, vt viri petant diuortium, ideò id expresit Christus de viris, itemque & canones; in feminis rarissimum, ideò non exprimitur; sicut cap. 2. de Confes. in 6. dicitur, vt reus recusans positionibus respondere, habeatur tanquam confitens vbi Gloss. verbo, *reus*, dicit, idem dicendum esse de actore: eò quòd æqua sit vtriusque conditio, non tamen expressum esse, quia frequentius id reo contingit.

10. Viri sæpius diuortium quærunt quàm fœminæ.

Ad secundam respondeo, diuortium quoad thorum &c. non in omnibus successit loco repudij veteris legis, & hoc quidem solis viris concedebatur, diuortium vtrique coniugi reddit huiusmodi rei rationem D. Thom. 4. d. 35. q. vni. a. 4. ad primū. nā repudiū permittebatur ad vitandum homicidium coniungis adulteræ: & quoniam periculum hoc non inueniebatur, nisi in solis viris, ideò illis solis permissum erat; at diuortium conceditur ratione fidei coniugalis fractæ, quæ æquè inuenitur alterutro coniuge fornicante, atque ideò vtrique æquè conceditur diuortium.

11.

Ad id quod vltimo loco obijciebatur, nego obtinuisse consuetudinem, vt vxor nequeat virum adulterum dimittere, vt vsus ipse nunc ostendit, neque Doctores contrariæ consuetudinis meminēre. quarè D. Basil. tantum significat rarissimè vxorem hoc diuortium intentare debere; quod non officit nostrę sententiæ, præsertim, quia hoc ius est naturale, & diuinum, quod est immutabile, nullaque consuetudine vinci potest.

Hæc hactenùs.

12.

THEO-

Digitized by Google

THEORIA IX.

Quando licitum sit diuortium, quando etiam necessarium, qua auctoritate debeat fieri, & quibus item alijs de causis, præter causam fornicationis licitum sit.

1. QVAMQVAM hactenùs definiuerimus licitum esse diuortium, in sex tamen euentis, nec diuortium fieri, nec debitum negare licet. Primus est quando vxor nupsit alteri, credens priorem maritum mortuum Can. *cùm per bellicam* vigesimoquarto, quæstione quinta, nisi fortè fornicata fuerit, vbi de illius vita certior facta est, idem de viro sentiendum. Secundus si vir adulterandi causam vxori præbuit, vt si expressam, vel tacitam facultatem fecit, non autem si remotam, vt si debitum negasset, vel necessaria non ministrasset &c. Tertius si vxor per vim præcisam oppressa fuit, nam conditionata ob metum scilicet incussum vt non excusat à culpa, ita nec à pœnâ diuortij, quod significat Augustinus libr. primo, de Ciuitate Dei capite decimooctauo. Quartus, si aliter alienum cognouit per ignorantiam inuincibilem, vt Iacob Liam trigesimoquarto, quæstione secunda, Can. si virgo. Quintus si vterque adulterium commisit ex August. lib. 1. de serm. Domini in mon. cap. 28. *paria namque delicta mutua compensatione tolluntur.* quod procedit etsi vnus sæpè, alter semel peccasset, qui enim postremo adulterauit amittit ius negandi debitum etiam sæpè delinquenti. Immò si qui priùs peccauerat iam emendatus est, alteri resipiscere nolenti negare poterit debitum iuxta Palud. 35. a. 2. in 4. Sotum 36. q. vni. a. 1. quod & probabilius videtur. Sextus si alter alterum sibi iam reconciliauit, vel expresè noxam cõdonando, vel petendo, reddendove debitum spontè; quod si post diuortium innocens etiam adulteretur, non videtur teneri, dimissum recipere, nisi à iudice compellatur, quibus adde quod innocens reuocare poterit coniugem si emendatus iam sit, etiam per sententiam iudicis separatum, ac proindè velit, nolit, adulter tenebitur ad innocentem redire, quod si incorreptus sit sine peccato eũ reuocare poterit, nisi impediatur ratione scandali, cùm reuocando præsumeretur in adulteriũ consentire, vel nisi ob correctionem fraternam, non sit reuocandus.

2. *Quando vir adulteram repudiare debeat.*

Ex his enim capitibus tenetur maritus sub mortali diuortium ab adultera facere, quando adulterium est publicum, nec vlla spes alia emendationis apparet, tunc enim eam retinendo, ipsius adulterio præsumitur consentire, in quo euentu locum habet illud Prouerb. 18. *qui tenet adulteram stultus est*; si tamen vxoris adulterium sit occultum, vel licèt sit publicum; si spes emendationis subest, sine peccato potest eam retinere, iuxta Magistrum in 4. d. 36. cap. penultimo, & alios Doctores ibi, dante præsertim marito operam continendi eam in officio; nec tunc consentire vxori adulteranti præsumetur. immò etiamsi in publicum sit, nec spes emendationis, fas est eam retinere, si constet tamen virum dare operam, quantum

A in se est, pro correctione vxoris, ne fortè illius leno præsumatur, Vide Nauarrum, capite decimosexto, num. vigesimooctauo, quod præsertim verum est, si retineat vitandę propriæ fornicationis causa.

3. Secus autem est in vxore, nam non tenetur illa recedere à marito adultero, nec peccat, si ab eo debitum petat, reddatue, eò quòd vxori mariti sui, qui caput ipsius est, correctio ex officio non incumbat, nec ipsa præsumatur in adulterium mariti consentire. Sed illud nõ negarim, quod si spes esset emendationis viri si ipsa nec peteret, nec redderet, astringeretur lege correctionis fraternæ id facere, sine notabili tamen suo detrimento.

4. *Diuortium quoad thorum quando iustum.*

Illud hic animaduersione dignum est, diuortium, quo ad Thorum, & cohabitationem
B (hoc autem propriè diuortium dicitur) vt iure fiat, opus esse iudicis auctoritate, 33. quæst. 2. c. 2. 3. 4. nisi de adulterio publicè constaret: nam tunc priuata auctoritate fieri posset: immò etiam si esset secretum, modò scandalo occurreretur: quod fieret in remotas regiones migrando relicta adultera, sic Sotus in 4. d. 36. artic. 3. Sances libr. 10. d. 12. nu. 32. 33. & alij, sed hoc est intelligendũ quoad forũ cõscientiæ, in quo vir sublato scãdalo, sibi ius dicere potest, si probare potest, cùm defectus probationis non sit ex culpa sua. Verùm quoad forum externũ id non permittitur, sed restituitur vxor, nisi adulterium sit notorium, ita vt nulla tergiuersatione negari possit, vt Sanc. monet l. 10. d. 12. n. 25. iuxta cap. *significasti*, & cap. *porrò*. de diuortijs: addе etiam, vel nisi in continenti vir posset fornicationem probare, quod habet Diuus Thomas in quarto d. 35. artic. 3. Sed Couar. hoc secundum non admittit 4. decret. 2. p. capite septimo, §. 5. n. 12. Vide Sances l. 10. disp. 12. n. 21. 22. 23. 24.
C

5. Porrò quo ad thorum non dubium, priuata auctoritate fieri posse separationem comperto adulterio, alioqui si teneretur reddere obligaretur vir ad incurrendum bigamiam, vt docet Nauar. in sum. capite 27. nu. 175. verùm etiam priuaretur iure accusandi adulterium: vtrumque enim per accessum ad coniugem adulteram post cognitum adulterium consequi iudicatur. Ipsi verò adultero ab innocente coniuge, quamdiu occultum est adulterium, debitum amicè petere, non exigere licet, iuxta
D Caietan. tom. primo, tract. 29. & in sum. verbo, *vsus matrimonij*, cap. 10 & alios. Sotus tamen d. 36. articul. 3. Cathar. libr. quinto, contrà Caiet. de Sacramento matrimonij, tenent fas esse etiam exigere; putant enim non priuari ipso iure exigendi antequã auctoritate iudicis, vel cõiugis innocentis priuetur, nec teneri suum crimen prodere. Rebel. tamen Caiet. sequitur l. 2. de matrim. q. 17.

6. *Alia causæ diuortij.*

Postremò adnotandum est, quod in Scholij attigimus. 117. alias connumerari etiam causas minus præcipuas faciendi diuortium, non quidem perpetuum, sed quamdiu ipsæ durauerint. Prima est fœuitia viri, nisi is sufficientem cautionem præstet de non offendenda vxore ex cap. literas de restit. spoliat. Secunda furor alterius, quam Couar. 2. p. epito. cap. 7. §. 8. numero 3. rectè interpretatur de furore ita

vehe-

vehementi, vt periculosa reddatur cohabitatio. Tertia si alter alterum veneno perimere tentauit. Couar. loc. cit. Quarta si alter alterum sollicitet ad peccandum, & admonitus non resipiscat. Nauar. cap. & num. 22. Quinta quodcumque crimen vnius, quod in graue alterius periculum vel detrimentum vergit. Sexta fornicatio spiritualis per hæresim, vel apostasiam à fide. De hac tamen sexta causa grauis est difficultas, quam lege apud Rebel. libro secundo, de matrim. q. 18. satis enim est interpreti scripturę hęc breuiter attigisse, qui plura & meliora volet legat doctissimè, & copiosissimè de his disputantem Thomam Sances nostræ Societatis lib. 10.

Cæterum de libello repudij an licitus fuerit, nō hic disputamus, quia potiùs pertinet ad locum illum Matth. 19. tantum hic voluimus attingere, quæ ad indissolubilitatem matrimonij, & diuortium pertinebant, & propterea hic explicauimus Theor. 7. locum illum Matth. 19. de libello interim repudij lege eundem Sances, libro decimo, d. 1. & Perer. cap. 7. epist. ad Roma. d. 2.

THEORIA X.

In ver. 34. An Christus Dominus omne iuramentum damnauerit.

1. *Hæretici qui iuramentum damnarunt.*

HAERESIS est VValdensium, Ioannis VViclef, & nunc Anabaptistarum, generatim à Christo Domino prohibitum esse iusiurandum. Sed hanc hæresim manifestè falsitatis reprehēdunt Scripturæ. Paulus enim ad ad 1. iurasse legitur: *testis*, inquit, *mihi est Deus*, item 1. Corinth. 15. 31. *quotidiè morior per vestram gloriam fratres quam habeo in Christo.* Græcè καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, ἣν ἔχω ἐν χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν. & 2. Corin. 1. *testem Deum inuoco in animam meam.* ad Philipp. 1. *testis mihi est Deus, quomodo cupiam vos in visceribus Christi.* ad Heb. 6. *omnis controuersia hominum finis ad confirmationem, est iuramentum.* Idem & alijs locis Scripturę constat, Apocal. 10. iurat Angelus per *viuentem in sæcula sæculorum.* 3. Reg. 1. iurauit rex Dauid, & ait: *Viuit Dominus.* Item: *sicut iurauí per Deum Israel dicens, Salomon regnabit, sic faciam.* 4. Reg. 5. Elisæus, & Ioseph Gen. 42. iurasse leguntur. Quid? an non etiam ipse Deus iurasse legitur? Psal. 109. *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos* &c. Luc. 1. *iusiurandum quod iurauit ad Abraham.* Non igitur malum est iurare, dummodo necessarias adhibeas circumstantias. Præcepit olim Deus: *non occides*, neque aliud quippiam adiecit, neque propterea rectè dixerit quispiam iudici vetitū esse, cùm ius ipsum posit hominem interficere. Ita hoc loco simpliciter dictum, *nolite iurare omninò*, sed non proinde vetitum, cùm necessitas flagitat, iusiurandum, debitæ si adsint circumstantiæ.

2. *Cur Christus iuramentum prohibuerit.*

Constans hæc est Theologorum sententia, propterea Christum cauisse ne omninò iuraremus, quo frequentem iurandi vsum è medio tolleret. Ad hæc, peruersum Iudæorum iudicium eo loco Dominus coarguit, quo sibi in animum induxerant, nihil in iureiurando cauendum esse præter mendacium, quo fiebat, vt de rebus leuissimis & nullius momenti, & ipsi iurarent frequentissimè, & ab alijs iusiurandum exigerent. Hunc ergò morem, & cōsuetudinem deprauatam, quam lex non apertè vetabat, quæque apud eos inoleuerat, Dominus reprehendit, & docet, ac iubet omninò esse à iureiurando abstinendum, nisi ad id nos necessitas impellat, vide Scholia in hunc locum n. 123. & 124.

Spectauit prætereà Dominus hac sua prohibitione ea tantum de causa institui posse iusiurandum, vt sit tanquam remedium quoddam humanæ imbecillitatis, & ad fidem faciendam rei, quam dicimus, necessarium instrumentum. quemadmodum igitur corpori medicamenta adhibere non expedit, nisi necesse sit, eorundem verò frequens vsus, solet esse noxius, & pernitiosus: ita etiam nisi cùm grauis, & iusta causa, iureiurado vti, salutare non est; quod si frequens adhibeatur, tantum abest, vt prosit, vt magnum detrimentum & perniciem afferat. 3.

Innocentius III. cap. & si Christus de iureiurando. docet; quædam esse per se mala, vt furtum, adulterium, quæ proindè prohibentur: ita vt nunquam facienda sint: Alia verò prohibētur nō quia per se mala, sed quia si frequenter fiant, multa ex his consequentur mala; vt vinum per se malū nō est, & tamen perhibet Apost. dicens: *nolite inebriari vino in quo est luxuria*, quia ex frequenti & immodica vini potatione luxuria generatur. Sic & iuramentum per se quidem malum non est, cùm sit cōfirmatio veritatis, sed tamen prohibetur ea ex causa, quoniam ex frequenti, & incauta iuratione periurium sæpè contingit, quæ apud Innoc. loc. cit. leges.

Quod si dicas: iusiurandum actum esse virtutis latriæ, ergò frequenter vsurpandum; facilè cōcesserim propositionem, non item sequelam. Est quidem iusiurandum latrię actus, nam cùm per Deum iuramus, illi cultum, reuerentiamque exhibemus, fatemur enim Dei magnitudinem; nam, vt inquit Paulus, ad Hebr. 6. *homines per maiorem sui iurant*; fatemur item illum omnia cognoscere, illum veritatis fontem esse, illum violatæ religionis in iureiurando vltorem esse. Hinc Hieron. Matth. 5. ait: *qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum per quem iurat*, sed nego Deum passim in testem quarumcumque rerum vocandum esse absque necessitate, & delectu. iniuriam infert regi, si ad res parui momenti confirmandas, regis vitam adhibeat, vnde Aug. l. 1. de ser. Dom. *qui intelligit*, inquit, *non in bonis*, (.i. in his, quæ bona sunt absolutè) *sed in necessarijs iurationem habendā* (iuratio enim absq; necessitate, veritate, & iustitia, nòn modò non est bona, verùm etiam mala) *refrenet se, vt non ea vtatur, nisi necessitate.* Cæterum erit in bonis iuratio & religionis actus, si comites suos habeat, de quibus in seq. Theor. lege D. Thom. 2. 2. q. 89. a. 5. 4. *Iuramenti actus latriæ non tamen frequens vsus.*

Audiamus igitur Eccles. 23. 9. sic nos à iurādi consuetudine auertentem: *iurationi ne assuescat os tuum: multi enim sunt casus in illa.* Si igitur iter, in quo multi subsunt lapsus vitamus, cur non & frequentem iurandi consuetudinem, & facilitatem? subdit Ecclesiast. v. 11. *sicut seruus* 5.

inter-

interrogatus aſſiduè (id eſt, ſæpè à Domino in quæſtionem, & verba vocatus) *à liuore non munuitur* (id eſt, vibicibus, verberumque ſignis notatur, & deturpatur) *ſic omnis iurans, & nominans* (Deum teſtem) *in toto à peccato non purgabitur* (id eſt inquinabitur peccatis, quæ ſunt velut iuramentorum vibices) Eodemque cap. v. 12. ſic legitur: *vir multum iurans implebitur iniquitate & non diſcedet à domo ipſius plaga*; rectè quidem, nam cùm alijs Decalogi præceptis pœnam Deus non addiderit, addidit iuramento, ſi malè fiat, ex ho. 20. 7. *non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.* lege Chryſo. hom. 15. ad pop. & 19. & 27 qui etiam affert ad id confirmandum Zach. c. 5. in hæc verba: iurantis capiti minitantem falcē: *Dixit*, inquit, *ad me Dominus, quid tu vides? & dixi, video falcem volantem &c. & ingredietur domum iurantis nomine meo, & diſſoluet in medio, & ſuffodiet lapides, & ligna.* D. Baſil. Pſal. 14. *Turpe*, inquit, *eſt, & omninò ſtultum ſeſe vt fide indignum accuſare, & ad iuramenti ſecuritatem confugere.*

6. Olim Flamini diali iurare non licebat, rationem reddidit Plutarchus libr. problem. Rom. num. 43. quod ei parua in re fidem non habere abſurdum eſt, cui ſumma, & diuina credita ſunt, multò hęc magis in Chriſtianum hominem conueniunt, maximè verò in religioſos, & Chriſti Sacerdotes, quorum vita talis eſſe debet, vt in locum iuris iurandi ſuffici poſſit, tantum abeſt, vt ſit illis ad iuramenti ſecuritatem confugiendum.

7. Hanc ſententiam, quam hic confirmauimus, perſpicuè docet Auguſtinus, & affirmat iuſiurandum interponere aliquando licere. Quod & ipſo iure Canonico traditur, & docetur cap. omne c. *non eſt* c. *in nouo* c. *vt noueritis* 22. quæſt. 1. ex D. Auguſtino, quamuis D. Baſilius ſermone primo, in Pſalm. 14. itemque Matth. cap. 5. Theophylact. Euthym. & Oecumen. & Chryſo. in eundem Matth. cap. 5. homilia 19. ad populum. Antiochen. & 15. in Geneſ. & 9. in Acto. Apoſtol. & Auctor imperfecti in Matth. cap. 5. homilia decimaſeptima, & alij quidam Patres, docere videantur, iurare, eſſe per ſe malum, & in veteri lege Iudæis fuiſſe permiſſum, vt minus malum, ne videlicet, illi per Dæmones, aut ſimulacra iurarent: at in noua lege eſſe penitus interdictum. Sed hos ego Patres interpretor loquutos eſſe de iuramento frequenti & non debitis comitibus ornato. Cur verò dicatur à malo eſſe, in Scholijs expoſuimus num. ſecundo.

THEORIA XI.

Quibus conditionibus veſtiri debeat iuramentum.

1. Quomodo iurandum.

LICET communi Theologorum, & Canoniſtarum conſenſu, ad iuſiurandum ſatis ſit Deum teſtem arceſſere: vt religioſè tamen, & ſanctè iuremus, plura requiruntur, quæ Hieremias breuiter numerat capite quarto, ſecundo *iurabis: viuet Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia*, hoc eſt, primùm quidem ad veritatem confirmandam, deinde pro ſeria, & graui, & alicuius momenti re. Denique pro re iuſta, ac debita comprobanda. Hæc enim ſignificant, veritas, iudicium, & iuſtitia; veritate caret iuramentum mendax, iudicio, iuramentum incautum, iuſtitia, iuramentum iniquum; ſiue illicitum, Cornelius Pontifex 22. quæſt. 5. c. *honeſtum*, alium adiecit comitem iuramenti, hoc eſt, ieiunium: honeſtum, inquit, videtur, vt qui in Sanctis audet iurare, hoc ieiunus faciat cum omni honeſtate, & timore Dei. nam vt ait Ariſt. 1. metaph. capite tertio. ὅρκος ἀμοιρατόμ ἐϛι, hoc eſt, *iuramentum ſummo eſt dignum honore.*

Primum igitur in iureiurando locum habet veritas, nempè, vt quod aſſeritur ipſum verum ſit, & qui iurat ita eſſe arbitretur, non leui coniectura ductus, ſed certa, aut veroſimili, atque probabili, & qui iureiurando aliquid pollicetur eo debet eſſe animo, vt cùm tempus aduenerit præſtet, quod promiſit. Secundus comes iuriſiurandi eſt iudicium, quia non temerè, nec inconſideratè, ſed conſultò, & cogitatò iurandum eſt; accuratè enim expendere debet rem totam, qui iuraturus eſt, an eiuſmodi ſit, vt iureiurando indigeat ad ſui confirmationem. Videat, ne odio, amore, aliaúe animi perturbatione impellatur ad iurandum, ne præceps, & temerarium ſit iuramentum; vt in more poſitum eſt illis hominibus, qui in re viliſsima, & inani, nulla ratione, & conſilio, ſed praua quadam conſuetudine iurant, quod paſſim venditores, emptoreſque faciunt. Poſtremò neceſſaria eſt iuſtitia, quæ præſertim in promiſsis ſpectatur. Quare ſi quis iniuſtum aliquid, vel inhoneſtum promittit, & iurando peccat, & exhibendo promiſſa nouum crimen addit. ſic Herodes impiè, ac nefariè, & iurauit, & promiſſo ſtetit; neque aliud fuit Iudæorum iuramentum, qui ſeipſos ea conditione deuouerunt, vt nihil guſtarent, donec Paulum occiderent. Hos tres iuramenti comites, veritatem, iudicium, atque iuſtitiam numerat Hieronymus, eodem Hieremiæ capite, de quibus item vide Diuum Thomam 2. 2. quæſtio. 89. art. 3.

2.

THEORIA XII.

Diſputatur an prohibuerit Deus iurare per creaturas tantum v. 34.

1. DHieronym. in eam iuiſſe videtur ſententiam, vt putauerit in Euángelio prohibuiſſe Chriſtum Dominum iurare per creaturas, non autem per Deum, ſic enim Matth. 5. obſeruat, & habetur c. conſidera, 22. q. 1. *conſidera*, inquit, *quod Saluator non per Deum iurare prohibuit, ſed per cœlum, & terram, & per Hieroſolymam, & per caput tuum: & hoc quaſi paruulis fuerat lege conceſſum, vt quomodo victimas Deo immolabant, ne eas immolarent idolis, ſic etiam iurare permitterentur per Deum, non quod rectè hoc facerent, ſed quod melius eſt Deo id exhibere, quàm Dæmonijs.* Innocentius item III. c. Etſi Chriſtus, de iureiurando videtur Hieronymi ſententiam ſequutus, ſic ſcribens: *licèt iuramentum prohibuiſſe Dominus videatur: nunquam tamen per creatorem, ſed per creaturam iurare prohibuit; ne per*

huiuſ-

Digitized by Google

huiusmodi iuramentum, transferretur ad creaturam honorificentia creatoris, quod probat, quia *cùm in Euangelio præmisisset: Dico vobis nolite iurare omninò, statim subiunxit, neque per cœlum, neque per terram, neque per Hierosolymam, neque per caput tuum.* Hæc ille.

Sed hi Sancti nolunt significare illicitum omninò esse iuramentum omne per creaturas, sed loqui videntur de iuramento per certas quasdam creaturas, per quas non licet, quod verisimum est.

2. Cæterum communis est omnium Theologorum sententia, Christum Dominum Matth. 5. non solùm iusiurandum per creaturas, sed per DEVM etiam vetuisse, quod clarè ex ipsomet contextu intelligere est, ait enim Christus Dominus: *sit sermo vester, est, est, non, non, quod autem his abundantius est, à malo est*, cùm generatim priùs dixisset: *nolite iurare omninò.* si tamen adsint iuramenti comites vtrumque licet.

3. Cur ergò inquies proposuit exemplum in iureiurando per creaturas? Responderi potest, quod iusiurandum per creaturas minus est. Igitur si minus hoc fugiendum, multò magis fugiendum intelligemus iusiurandum per Deum, quod maius est. Aliter etiam respondet Augustinus libro de sermone Domini, *quæri potest*, inquit, *cùm diceretur, non iurare omninò, cur additum sit, neque per cœlum, neque per terram, &c. credo propterea, quia non putabant Iudæi se teneri iureiurando, si per ista iurassent. Et quoniam audierant, reddes autem Domino iusiurandum tuum, non se putabant Domino debere iusiurandum, si per cœlum & terram, aut per Hierosolymam, aut per caput suum iurarent.* Sic Augustin. Verùm quod Iudæi eius fuerint falsæ opinionis, vt crediderint in nullo iuramento per creaturas iureiurando astringi, non satis constat: immò quod aliqua huiusmodi iuramenta hominis fidem obligarent, quædam verò minimè. ex c. 23. 16. 18. Matth. non obsurè videtur colligi, dicebant enim Scribæ, & Pharisæi; *quicumque iurauerit per templum, nihil est; quicumque iurauerit in auro templi, debet, & quicumque iurauerit in altari, nihil est; quicumque autem iurauerit in dono, quod est super illud, debet.*

4. Dupliciter quis per creaturas iurare potest.

Postremò obseruandum est, bifariam posse quempiam iurare per creaturas: vno modo per eas tanquam in se numinis, & diuinitatis aliquid habentes; quomodo per idola gentes iurare solent. quod iusiurandum blasphemiam continet: quod enim est Dei proprium, creaturæ tribuit, nimirum esse omnis veritatis auctorem, testem, & iudicem, qui nec falli omninò, nec fallere potest: Et hoc est, quod canones prohibent c. clericum, &c. si quis 22. q. 1. Altero modo iurat quis per creaturas, non propter ipsas, sed propter Deum, qui est auctor omnis veritatis, & sanctitatis, quam habent creaturæ: & iusiurandum huiusmodi est religionis opus, & officium, si iuretur in veritate, iudicio, & iustitia. Hoc itaque iusiurandum non simpliciter prohibuit Christus sicut nec iusiurandum per Deum, sed frequentem vsum iurandi, & sine necessitate.

DIGRESSIO I.
MORALIS

In qua adaptantur septem beatitudinibus, septem dies quibus Deus initio mundum condidit.

1. HAc de re sic ferè scribit auctor glossæ magnæ mysticæ in primum caput Gen. *in principio creauit Deus cœlum & terram*: mysticè, inseruit in homine, qui microcosmus vocatur, intelligentem facultatem, & appetentem, illam vt cœlum astris micantibus scientia collustrandam; hanc, vt terram virtutibus quasi virore quodam exornandam. Verùm *terra erat inanis*] nam in præscribenda sibi beatitudine nutabat appetitus, cùm plures, eosque incertos sibi statuisset fines, vel in rerum mundanarum affluentia, vel in dignitatum culmine, vel in gloriæ splendore, vel in carnis illecebris: iterũ vacua erat terra hæc, cùm sibi præfixum felicitatis finem assequi non posset in istis terræ bonis. Porrò *tenebræ obruebant faciem abyssi*; quia ignoratio effundebatur tenebricosa super intellectum; etenim nulla diuina, seu reuelata scientia illustrabatur. *Spiritus autem Domini ferebatur super aquas*] id est, spiritus ex ore Christi prodiens, spiritus, inquam, nitidus & viuificator ferebatur super aquas, super turbas, cum mortalibus cœlestem beatitudinem referaret. *Dixit verò fiat lux*, cùm dixit *beati pauperes spiritu.* Paupertas namque spiritus, quasi prima quædã lux affulgens, tenebrosam eam caliginem dispulit, qua obruebatur homo, cupiditatem videlicet rerum terrenarum, & dignitatũ culmina, quibus se beari posse falsò opinabatur. Subiecit deinde, *fiat firmamentum*, cùm dixit; *beati mites.* Mansuetudo namque est quasi firmamentum inter aquas & aquas. reddit enim hominem firmum & immobilem inter illatas contumelias & ingruentes calamitates. *Dixit quoque; congregentur aquæ in locum vnũ, & appareat arida*, quando nimirũ dixit: *beati qui lugent*, luctu siquidem pœnitentiæ, & mundi despicientia congregantur aquæ, concupiscentiæ nimirum illecebræ, corporis voluptates, in locum vnum, id est, seorsum à nobis. Et tunc apparet arida terra, cor videlicet nudum, aptum vt herbas & arbores, Sanctos nimirum affectus, & probas actiones & virtutes proferre queat. Dixit verò etiam *fiant luminaria in firmamento cœli*, cùm dixit: *beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, qua tanquam clarissimo sole fulgemus in vita, & tanquam micantibus astris ornamur. Dixit, *producant aquæ pisces, & aues*, cùm adiecit: *beati misericordes, & beati mundo corde.* nam misericordia nos pisces efficit, cùm inter aquas beneficentiæ, & pietatis natare doceat; munditia verò cordis aues facit dum mentem ad cœlestium rerum contemplationem attollit. Postremò & illud adiecit: *fiat homo ad imaginem & similitudinem Dei*, cùm dixit: *beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur.* Assecuti namq; pacem internam, mitigatisq; affectibus in Christi Dei, & hominis imaginẽ transformamur, & in adoptionem Filiorum euehimur, qua parta quiescit Deus, id est, Christus ab omni opere, quod patrarat, quod videlicet

2. in no-

in nobis pro salute nostra peregerat sibique in animis nostris complacet. Diemq; septimum, hoc est, ornatâ virtutibus inde consequutâ vitâ adhuc sanctificat, & benedictionibus auget.

DIGRESSIO II.

De Augustissima Beatorum sede.

1. QVONIAM sæpè hoc cap. facta est mentio regni cælorum, & Euangelium quod eodem cap. exposuimus, recitatur in Ecclesia ipso Sanctorum omniũ Festo die, non erit ab re hoc loco digressiones morales aliquas inserere ad Beatos pertinentes. Tria igitur breuiter dicam, primùm de loco ipso Beatorũ, mox de tam augustissimi loci habitatoribus, id est, Beatis. Demum de modo, atque arte eum locũ adipiscendi. & quidem duæ priores digres. prima, & secunda, non tam morales erunt, quàm etiam Scholasticæ.

Quamuis igitur locum esse aliquem qui sit felicissima Beatorum omnium sedes, constans sit Scripturarum, & SS. Patrum sententia: hunc tamen esse cœlum Empyreum, vel locum aliquem corporeum pauci quidam Scripturę Interpretes nequaquam concessere. & quidem Caietani paulò audacior est sentẽtia, quam refert Catherinus in Gen. 5. cœlũ nullũ Empyreum extare, sed Deum vltra mundi machinã, beatis nullo corporeo in loco suam impertiri felicitatem. & idem habet 2. ad Cor. 12. & verò non erit inutile eius referre argumenta, quibus motus in eam sententiam abierit. Primum nullibi, inquit. Scripturæ Empyrei meminerunt, & sine causa, & ratione efficaci veteres Patres illud in Ecclesiam inuexisse videntur, neque enim visu cõprehenditur, nec cietur motu. Deinde Angeli corpore vacant, longeque magis Deus, est igitur superuacaneum locum eis assignare corporeum. Adhæc possunt & pro hac sententia hęc afferri: si Empyreũ Beatorũ sedes admitti deberet, sanè lucidissimum esse concedendum est. Hoc falsum est, igitur & primum. si .nu. lucidum esset sensu cõprehenderetur; & sic tim initio, abyssi faciẽ illustrasset. Prætereà si daretur non otiosum esset, sed in alios orbes ageret, & in corpora inferiora. Atqui eiusmodi operationem non experimur, nec esse potest; cœlum enim non agit nisi per motum, quo caret Empyreum.

Caietani sententia de loco Beatorũ.

2. Sed Caiet. interim prætermissa opinatione, hic perabsurda sese offert sentẽtia Lugubini in sua Cosmo. & in tract. de naturis incorporeis; sensit is cœlũ Empyreũ esse quid æternũ & increatum, hoc est, esse lucẽ, & qualitatẽ quandã manantẽ ex Dei essentia, in qua Deus est, & ad cuius participationẽ tam boni Angeli, quã iusti admittuntur, & hãc esse æternã illã lucẽ, & claritatẽ Dei, quæ iustis in scripturis promittitur, de qua intelligendum putat illud, quod de Deo Psal. 103. dicitur; *amictus lumine sicut vestimento*, huius lucis specimen datum, ait, in transfiguratione Dominj, & in rubo Moysis.

3. *Cœlum Empyreum asseritur.*

Communis sententia Scholasticorum est, dari cœlum Empyreũ SS. domiciliũ, & sedem Beatorũ; quin & Clemens Stromatũ l. 5. Orph. carmina citat, in quibus videtur cõprehendere illud Isa. 66. 1. *cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* sunt autem hæc carmina:

Ipse autẽ in magno constans, & firmus Olympo est,
Aureus huic thronus est pedibus, subiectaq; terra.

Quarè vt idem Clemens tradit vetustissimus hic antiquitatis poëta veluti de Empyreo scripsisse videtur paraphrasticam ferè Scripturarũ sententiam, nempè, illius loci Isa. ca. 66. 1. quem paulò antè retuli. Homerus item sic cecinit:

Semper vbi sedem firmam dixêre Deorum
Esse; neq; hæc ventis quatitur, nec spargitur imbre,
Non nix albescit. Et Virg.
Panditur interea domus Omnipotentis Olympi.

Iustinus in admonitorio, de supremo inspectabili cœlo, hoc ipsum sensisse Platonem testatur, & Euseb. de præpar. Euang. l. 11. c. 19. cœlestem terram cognouisse Platonem refert. lege Steuchũ de incorporeis, & inuisibilibus rebus, & videbis etiam gentiles subodoratos aliquam saltem esse Dei, ac Beatorum sedem.

4. Strabus primus videtur, ac Beda in Exhæmero Iunilio adscripto, Empyrei nomẽ excogitasse à splendore, nõ ab ardore, qui etiã mundi initio conditum fatentur, ac eius meminisse Mosen cùm dicit; *in principio creauit Deus cœlum, & terram* &c. De eo magister sentent. in 2. sent. dist. 2. cum Scholast. & D. Th. p. p. q. 66. a. 3.

5. Cæterum Basil. hom. 1. & 2. examer. Greg. Nazian. carm. 4. de mũdo; & oratione panegyrica, quæ est 38. in Christi natiuitate: & Nicetas ibidem, & oratione 2. in Pascha; Theodor. in Gen. 9. 6. & alij quidam, dum duplicem mundum distinguunt, supernum, & intelligibilem, & hunc sensibilem, astruunt illũ ante hunc esse conditum. Ac meo quidẽ iudicio per illũ mundum saltem eorum aliqui intellexisse videntur Empyreum cœlum, vbi se Angelis ostendat Deus, eosque suæ beatitatis participes efficiat, atque ita Basilium sensisse non dubito.

6. Huius cœli videtur B. Petrus meminisse apud Clementem in libris recognitionũ 1. circà medium, 2. sub finẽ Chrysost. oratione, *sufficit tibi gratia mea*; memorat hos duos mundos intelligibilem, & sensibilem, nec tamen de eorum origine aliquid prodit. Quarè nõ videtur Chrysost. ita posuisse vnum cœlum, vt Empyreum negarit, sed vnum vt partem mundi sensibilis. Hieronymus Isa. 14. ait, qui dicebat in corde suo *in cœlum ascendam*, vel antequam de cœlo corrueret ista dicebat, vel postquam de cœlo corruit. si adhuc in cœlo positus, quomodò dicebat, *ascendam in cœlum?* sed quia legimus cœlum cœli Domino, cùm esset in cœlo, .i. in firmamento, in cœlum vbi solium Domini est, cupiebat ascendere, non humilitate, sed superbia. si postquam de cęlo corruit arrogantiam debemus intelligere, quod nec præcipitatus quiescat.

7. Hilar. & Aug. in Ps. 122. in illa, *ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis*, videntur sic argumentari; cœlum hoc visibile præteribit, & non erit, sedes Domini manet in æternũ, igitur non poterit aliquod cęlorũ istorũ esse Dei domus. Vndè hinc efficiam esse aliud cœlum immutabile omninò, in quo dicatur esse sedes Dei, & hoc Empyreum vocamus.

8. Quod si obijcias Patres aliquos tanquã sedẽ Dei, & Beatorũ domiciliũ sidereos cęlos constituisse, vndè quis meritò arbitretur illos non

posuisse

posuisse cœlum aliquod immotum, totumque lucidum quod Empyreum nominamus. Respondeo hos non clarè loquutos esse, & posse exponi de his cęlis loquutos fuisse quasi de scabello pedũ Dei & Beatorũ, vel tanquã de solo & pauimento cœlestis illius regiæ. Vel certè quia per hos sidereos cęlos sub visum, & aspectũ nostrũ cadentes, & stellis tanquã luminibus accensis ornatos, volũt nos ad inuisibile illud, & vndiq; collucens Beatorũ domiciliũ, similitudine quadam attollere: præsertim cũ cęlũ ipsum Empyreũ visu, & oculis nõ cernamus, sed potiùs cũ ad illud oculos erigimus, hos cœlos sideribus cõspicuos primũ intueamur, & verò etiam per illos quodãmodo Empyreũ agnoscamus. Reliquũ est iam vt verisimã hãc Patrũ sententiã, nos etiã aliquot adductis rationibus, & scripturis cõfirmemus, q̃ sequẽti digress. fiet.

DIGRESSIO III.

Quid de cœlo Empyreo sentiendum.

DVABVS propositionibus Altera contra Caiet. Altera contrà Eugubinũ hanc Patrum de cęlo Empyreo sententiã confirmabo.

1. *Cœlum Empyreum probatur ex scripturis.*

Est ergò prima positio hæc: suprà oẽs orbes cęlestes, qui perenni motu cientur, collocandũ est cęlũ quoddã immobile, totũ collucẽs, sedes Dei, & Beatorũ domiciliũ. Primũ id persuadẽt Scripturæ, quæ locũ illũ modò cęlũ cœlorum, modò firmisimũ Dei habitaculũ, nunc regnũ, nunc domũ Domini, Iam verò Hierusalẽ, videlicet, cœlestẽ, ac sublimẽ, ciuitatẽ præclarã, ipsũ vocantes. Salomõ 2.6.Paral. *si cœlũ*, inquit, *& cœli cœlorũ capere eum nequeũt, quantus ego sum vt possim ædificare ei domũ?* & iterũ c.7.33. *tu exaudies de cœlo firmissimo habitaculo tuo*; & Ps. 102.19. *Dominus in cœlo parauit sedẽ suã, & regnũ ipsius omnibus dominabitur.* & Ps.113.16. *cœlũ cœli Domino, terrã aũt dedit Filijs hominũ.* Isa.66.1. *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Baru.3. *quã magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius.* Matt.6. *Pater noster qui es in cœlis.* Act.1. dicitur de Christo; *nubes suscepit eũ in cœlo.* Ad Gal. 4.26. *illa aũt quæ sursum & Hierusalẽ, libera est, quæ est mater nostra.* ad Heb.13.14, *non habemus hic manentẽ ciuitatẽ, sed futurã inquirimus.* quibus Apostoli dictis maximè consonat illud Psalm. 21. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus,* & quæ sequuntur.

2. *Ex Patribus*

Secundò Patres interpretes, & Scripturarũ inuestigatores figuris varijs adũbratũ ostẽdũt locũ illũ in Scripturis: hũc.n. esse significatum, aiũt, paradiso altero olim à Deo cõsito in terris. ibi .n. diuinitas Ambrosia ac nectare suauior, quasi vitæ lignũ perpetuò Beatis vitã renouat; vbi itẽ fons gloriæ ex anima scaturit, & emanat in corpora, quatuorq; dotib⁹ quasi amnibus beatorũ corpora irrigat; vbi arbor scientiæ boni, nusquã aũt mali perpetuũ viret; pulso .n. & ad inferos quodammodo detruso omni malo, summũ ibi bonũ erit ac perenne. Hic idẽ locus est Noë vinea, cuius vini hausta suauitate ebriæ animę cũ sponsa cęteros inuitant: *comedite amici, & inebriamini carissimi* Can. hic est Abrahæ illud tabernaculũ, in quo Deus cũ Angelis, & hominibus epulatur Genes.18. hic est Aegyptus illa fœcunda, in qua Beatus quisque ceu Ioseph veste byssina gloriæ, torque immortalitatis, curru secundo post Christũ triũphat Gen.41. hic arca est, virgã, ac manna, maiestatẽ, sc. Dei, ac iucunditatẽ cõplectens, Exo. 16. hic locus terra illa est fluens lac & mel, Beatos, videlicet, reficiens, ac recreans Christi humanitate, ac diuinitate, ceu nectare suauissimo Exod.3. hic illa Ierusalẽ cœlestis cuius seras cõfortat Deus, fines pace vnit, filios benedictione locupletat, cius ciues, frumenti adipe satiat. Ps. 147. hic tẽplum est illud gloria Dei quasi nube repletũ, in quo clamare nõ desinũt Angeli, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* hic tẽplum est illud Salomonis viuis ex lapidibus structũ. hic domus ea est, cuius mirifici apparatus splẽdore obstupescit Regina Saba 3.Reg.10. hic idẽ locus ciuitas est Cãpestris omniũ bonorũ vbertate ditissima, ad quã per ignem, & aquã proficiscimur 4.Esdræ 7. Hic Thabor mons est, in quo emicat Christi facies vt Sol, vestimenta verò in morẽ niuis cãdida sunt, vbi Petr⁹ ait, *bonũ est nos hic esse* Matt.17. Hic idẽ ciuitas est sancta illa, noua, descendẽs de cęlo à Deo, lapidibus ornata pretiosis, cuius muri structura ex lapide Iaspide; ipsa verò ciuitas aurum mundũ simile vitro mũdo; & platea ciuitatis aurũ mundũ, quã claritas Dei illuminat, cuius singulæ portæ ex singulis sunt margaritis, & fundamenta omni lapidi pretioso ornata Apoc. 21. deniq; hic est terra illa optatissima viuentiũ, vbi auferet De⁹ oẽm lacrymã ab omniũ Sanctorũ oculis; vbi nullius mortis, nullius mali timor est; vbi sempiternum, & incredibile gaudiũ, omniũ bonarum rerum affluentibus copijs ditatum, sedẽ fixit perpetuã.

3. *Ex ratione.*

Tertiò afferri possunt & rationes, quarũ hęc sit prima: omninò consentaneum valdè est, vt detur Beatorũ corporibus certa, cõueniens, & accommodata sedes, ac in primis Christi Domini, eiusq; sanctissimæ matris dignũ domicilium. Deindè ex D. Tho. p.p.q.66.a.3. duplex gloria, quã expectamus, spiritualis animæ, corporalis corporum; ergò sicut gloria spiritualis initio mundi inchoata est in SS. Angelorũ beatitudine, ita decuit, vt in aliquo corpore perfectissimo, & omnis permutationis experte inchoaretur corporũ gloria, quæ à resurrectione non modò ad corpora hominũ pertinebit, verùm etiã in totũ orbẽ quodãmodo redũdabit. Porrò tale corpus nullũ aliud esse videtur, quã cœlũ ipsum Empyreũ. Ad hoc, si damnatorum corpora iure in locum quendã corporeũ intra terræ viscera situ, & sempiterna caligine obrutum, densissimisq; excæcatũ tenebris detrudẽtur; cur nõ etiã Beati admittantur in locũ aliũ corporatũ quidem, verũ cœlestẽ, omniũ orbiũ supremũ, omnis motus & conuersionis expertẽ, totũ in se ipso lucidissimũ, immẽsa pulchritudine ornatũ, vbi sedes sit beatarũ mentiũ, vbi se Deus clarè conspiciendũ exhibeat. Hæc quidẽ sententia, tanto Patrũ cõsensu admissa, tanta tẽporis lõginquitate recepta, tanta cum Scripturis cõformitate stabilita, quãuis nõ sit omninò fide certa, nimirũ qua tale cęlũ esse affirmamus, quod Empyreum dicitur, negari tamen sine temeritate nõ potest; quod etiã obseruauit Valen. di.5.q.2. de creat. corp. pun.1. sed iam sit.

4. *Eugubini figmentum reijcitur.*

Propositio secunda; illud Eugubini figmẽtũ, de quo digr. n.2. dictũ est, omninò refellẽdũ est, ac sempiterna obliuione sepeliendum

tanquã à noſtra fide alienũ. hoc excuſat Eugubinũ, q̃ eã opinionẽ iudicio, ac cenſuræ Eccleſiæ ſubiecerit, quãuis, vt rectè ait Cater. in Gẽ. multò prudẽtiꝰ erat rẽ ipsã accuratiſimè priꝰ, vel perpẽdere, vel ſilẽtio ſupprimere, & nõ ita ineptè tam periculoſa typis mãdare; nã quotuſquiſq; eſt cuius nõ horreat animꝰ audire rẽ eſſe aliquã quæ Deus nõ ſit, & Deo tamẽ ipſi coæterna, & increata ſit? Clamat Ioa. omnia p̃ ipsũ facta ſunt: Clamat Paul. ad Colo. 1. Deũ rerũ omniũ viſibiliũ, & ipuiſibiliũ Creatorẽ eſſe, & audet tamẽ Eugubinus lumẽ illud, figmentum melius dixero, increatũ, & æternũ affirmare? Deindè Philoſophiã deſtruit hęc opinatio. rogo qualis eſt iſta lux? num accidens ſolitariũ, & per ſe cohærẽs? at repugnat hoc naturæ accidẽtis. dicet eſſe ſubſtantiã. iterũ ſciſcitabor, num corporea? fuit igitur corpus aliquod antè mũdi molitionẽ. num incorporea? erit igitur natura intelligẽs? his aũt omnibus quid abſurdius dici aut excogitari poterat? Denique, nè in re clara diutius immorer, ſi manat iſta lux ex Deitatis ipſa natura, procul dubio manabit ex neceſsitate naturæ, hoc eſt, tãta, quãta eſt vis diuinitatis, erit igitur infinita. Vide quibus implicauit, & irretijt ſe laqueis Eugubinus, quibus ſe nulla ratione extricare poterit, reliquum eſt vt quæ contrà veram ſententiam obijciuntur diſſoluamus, quod ſequenti fiet digreſsione.

DIGRESSIO IV.

In qua obiectiones contraria opinantium diſſoluuntur.

1. EX his, quę hactenùs diximus facilè eſt refutare, quæ cõtra obijciebamus p̃ Caiet. & verò quod primo loco obijciebatur, nullibi Scripturas Empyrei meminiſſe, quin potiùs ſine cauſa, & efficaci ratione, tale corpꝰ affirmari falſum eſt: Oſtẽdimus. n. ex Scripturis, & Patrũ cõſenſu niti eorũ ſententiã, qui Empyreũ aſtruxerũt; & neq; id ſine cauſa; decebat namq; Deũ hunc locũ cõdere accõmodatũ ad Beatorũ Societatẽ, & curiã ſupremi regis cõtinendã. Quẽ admodũ. n. par eſt Deũ coli in ornatis, & ſplẽdidis tẽplis quãuis nullis ipſe manufactis ædibus egeat, ita & de cęlo Empyreo ſentiẽdũ eſt.

2. *Angelus licet incorporeus debetur locus corporeus.*

Quid? nõne Angelos etiã decebat eſſe põtiùs in loco corporeo nobiliſimo, & eminẽtiſimo quã in vacuo aliquo vel inani? rationi. n. valdè cõſentaneũ eſt, eos, vt finitos, intra mundũ ſub certis terminis cõprehẽdi. neque. n. cõueniebat vt omnia implerẽt, & per vniuerſũ veluti vagarẽtur, ſicuti etiã damnatis ſpiritibus inferni clauſtra cõſtituta ſunt. Deniq; ibi eos eſſe æquũ erat, vbi cũ hominibus Beatis cõiungerentur, & cũ mũdo ſenſibili copularẽtur, vt ita vterq; mũdus, & qui oculis nũc nõ cernitur, ſed intelligẽtia cõprehẽditur; & qui ſub ſenſũ cadit nexũ quendã, atq; ordinẽ ſub vno Principe Deo referret. Et ex his clariſimè patet ad ſecũdam quoq; obiectionẽ reſpõſio. Tertia paulò obſcurioręm explicatũ, & enodationẽ habet, vnde videlicet fiat, vt nõ ad nos vſq; fulgorẽ ſuũ mittat Empyreũ. Baſ. Amb. Theod. à ſupremi cęli ambitu denſo, ſpiſſoq; ac valido præpeditã eſſe eã lucẽ ne ad nos deferatur, ſentiũt; ſed eã opinationẽ D. Th. q. 66. a. 3. ad 4. ſic reijcit, quod cęlũ illud quanquã ſolidũ, diaphanũ tñ ſit, vnde

3. *Lux cœli Empyrei cur à nobis non videatur.*

A lumẽ admittit. ipſe verò aliã aſsignat rationem cur ea lux nõ videatur à nobis, q̃ nõ condenſatã corpus illud Empyreũ lucẽ habeat, vt radios emittere queat inſtar ſolis, ſed magis tenuẽ, ac debilẽ, vt in partibꝰ cęli rarioribus, quæ, quãta ad id ſatis eſt, denſitatẽ nõ habẽt, videre eſt. vel quod habeat, inquit, claritatẽ gloriæ, quæ non cõgruit cũ lumine naturali: idẽ ferè reſpondẽt, qui eã lucẽ oculis cęleſtis gloriæ dote nõ inſignitis, minimè cõgruã eſſe cẽſent; inde. n. fieri vt videri nequeat à mortalibus. ſunt qui ad aquas, quæ ſuprà cęlos reſidẽt, cauſã referãt nè ad nos feratur lux illa. nec deſunt qui nimiam intercapedinẽ cauſã eius rei affirmẽt. Vide Ricardum de media villa 2. ſent. diſtinct. 2.

Mihi D. Th. ſentẽtia, etſi probabiliſsima ſit, nõ multũ arridet. veroſimilius. n. arbitror, eã lucẽ cõdenſatã eſſe, præſertim cũ à Patribꝰ Empyreũ fulgere, coruſcareq; dicatur. Deinde q̃ de claritate gloriæ affirmatur à D. Th. in 2. reſpõſione, vel de claritate alterius rationis à nõſtra, quod etiã alijs diximus placuiſſe, nihil obeſt quo minus videri poſsit illa lux. cuius rei clariſimũ nobis exemplũ præbet Chriſti trãſfiguratio. niſi quis cõtendat Chriſti virtute Apoſtolorũ oculos cõfirmatos tũc fuiſſe, & corroboratos vt eã poſſent claritatẽ percipere. Et ſunt qui quod lux illa cęleſtis nõ conſentiat, & cõgruat oculis noſtris lubẽter admittãt. Verũ nõ quod cõſpicabilis nõ ſit, quaſi non ſplẽdeat, ſed quod nimio ſuo fulgore oculorũ aciẽ perſtringat. Porrò affirmare quod aquę eã lucẽ nõ tranſmittãt ad nos, ineptũ videtur, cũ illæ ſiue glaciales, ſiue in vaporis ſpeciẽ redactæ, ſiue aliter ſe habeant clariores ſint ijs, quæ apud nos ſunt. opinari verò quod ob nimiũ interuallum fulgor ille nos nõ afficiat, eſt magnitudini eius lucis, q̃ lõge ſolis candorẽ exſuperat, derogare.

5. Quarè nulla nobis verior eius rei cauſa videtur, quã quæ à SS. PP. Baſil. Amb. &c. affertur; quod nimirũ primũ illud cęlũ quod mouetur, & inter orbes qui motione cientur, ſupremum eſt, ea parte qua Empyreum reſpicit, ſua valida dẽſitate ſimul & opacitate ſplẽdorẽ illũ repellat, neq; admittat; quod aliqui ſignificatum eſſe volũt Moſis tabernaculo, quod vniuerſum repræſentabat; cuius ea pars, quę *Sancta Sanctorum* vocabatur, velo quodã obnubebatur, ne omniũ pateret oculis. ita quoq; aiunt quidã, huius ſententię propugnatores, Deũ cœlũ Empyreũ obduxiſſe veluti quodã velo cuiuſdã corporis cęleſtis oppoſitu, & obiectu, ne mortaliũ oculis diuiniſimũ illud Beator. domiciliũ appareret.

6. Cęterũ ad extremũ mũdi diẽ reſerandũ eſſe, ijdẽ volunt, pellucida ac tranſparẽte reddita ea cęlorũ facie, quæ obſtat; ac deinceps ſpectabilẽ forè admirandã illã cęli Empyrei pulcritudinẽ, ac claritatẽ, etiã ijs, qui in terris eſſent. inſeruiet. n. tũc mũdus iſte Beatis, eorũq; oculis totus exponetur. Malũt tamẽ aliqui nõ ſummam ſupremi cœli mobilis partẽ, quod hactenùs diximus, denſam ſimul, & opacam eſſe, qua parte cęlũ Empyreũ reſpicit, ſed Empyrei cęli partẽ infimã, quæ terrã ſpectat, eſſe potiùs ita denſã, & opacã vt lumẽ nõ tranſmittat. ſed nõ placet; veroſimilius. n. eſt hoc cœlũ nõ eſſe ad diẽ etiã iudicij mutandũ in vlla ſui parte, potiùs vnius alicuius ex duobus ſuperioribus cœlis mobili-

bus

bus pars infima dici posset talis, putà cœli noni, vel decimi quà terram spectant.

7. Huic sententiæ Basil. & Ambr. videtur fauere D. Petrus apud Clem. l. 3. recognitionũ, vbi legimus quæsisse Simonẽ à D. Petro, si visibile istud cœlũ, vt ais, resoluetur, cur factũ est? Resp. D. Petrus propter hãc præsentẽ hominũ vitam factũ esse, vt esset interiectio quædã, & diuisio, nè quis fortè indignus habitationẽ cœlestiũ, & Dei ipsius sedẽ videret. Verũ obserua his non significasse D. Petrum cœlos istos oculis nostris aspectabiles in nihilũ esse redigendos ad extremũ mũdi diẽ: sed perspicuos, & claros esse futuros, neque impedituros lumen illud Empyrei, tunc .n. vt dixi mundus seruiet Beatis, totusq; proindè renouandus erit. quæ omnia sapiẽtissimorũ PP. Basilij, & Ambro. sententiæ sauent.

8. Quarta nũc restat obiectio soluenda D. Th. 2.d.2.q.2.a.3 ea ratione permot⁹ ꝙ cœlũ nõ nisi per motũ influat, asseruit cœlũ Empyreũ in alios cœlestes orbes nihil influere; & verò etiã neque in hæc inferiora. Verũ 1.p.q. 66.art.3.ad 2. mutata sententia opinatus est ꝙ sicut Angeli superiores quãuis nõ mittãtur, influũt in medios ac infimos qui mittuntur; ita & Empyreũ, quãuis immotũ, influere in primum mobile, atque adeò ꝑ illud in hęc inferiora; & hæc nobis magis etiam placet sententia, nec quidquã refert, ꝙ motu careat; nã intermedio lumine, aut per vires alias nobis ignotas aliquid stabile, ac firmũ, putà virtutẽ cõtinẽdi, vel efficiẽdi, vel quid simile influere poterit, quod ad hæc etiã inferiora pertingat. Sed quãuis nihil huiusmodi concederemus, nõ illicò, illud indè efficeretur, vt ociosum esset; nam hoc semper illud stabiliret, & cõfirmaret maximè, quod esset Dei, ac Beatorũ omniũ cõsentaneũ, ac nobile domiciliũ; de quo satis hactenùs dicta sufficiant. sequitur, vt de huius loci habitatoribus dicamus.

DIGRESSIO V. MORALIS

De gloria Sanctorum qui cum Christo cęleste domicilium habitabunt.

1. EI, qui cœlestium ciuium gloriam cognoscere cupit, satis esse possunt illa Christi verba, quę Mat. 13. scribũtur, *fulgebunt iusti sicut Sol in Regno Patris eorũ*; nec mihi plura adijciẽda hic essent ad eorum gloriã ostendendã, nisi intelligerẽ homines nos esse, ab illa gloria lõgissimè disitos; quib⁹ nisi ista explicatè, & distinctè enucleẽtur, vix assequi mente possunt quãta sint Beatorũ ciuiũ ornamenta, quot voluptates, quanta dignitas, quãtus gloriæ fulgor, quãta felicitas? Igitur paucis hac de re hic erit nobis disserendum.

Beatorum magna multitudo & varietas.

Principiò magna est supernorũ ciuium multitudo, magna in multitudine varietas, & in his vtrisq; rebus magna concordia, summa lætitia: de multitudine audi Ioa. Apoc. 7. 9. *Vidi turbam magnã, quã dinumerare nemo poterat.* de varietate *ex omnibus*, inquit, *gentibus, & populis, & tribubus, & linguis*: quæ duo priùs docuerat Dominꝰ Ioa. 24. 2. cũ dixit: *in domo Patris mei mãsiones multæ sunt.* per has .n. nõ solã multitudinẽ significari; nẽpè multas esse mãsiones, sed diuersitatẽ, & in æqualitatẽ gloriæ cœlestiũ ciuiũ cõtra Iouinianũ, cõmunis est interpretũ sententia: ꝙ & Apost. 1. Cor. 15. 41. sic confirmat; *Alia claritas Solis, alia* A *claritas lunæ, & alia claritas stellarum. stella .n. à stella differt in claritate; sic & resurrectio mortuorum.* cõcordiã explicat Dauid Ps. 147. *Lauda Hierusalẽ Dominũ, lauda Deũ tuũ Sion*; & subdit: *qui posuit fines tuos pacẽ*; immensã verò voluptatẽ, exposuit idẽ Regius vates Psa. 35. 9. cũ dixit: *inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrẽte voluptatis tuæ potabis eos.* Quoniã verò torrẽtis cõparatio qui statim effluit, & citò labitur, videbatur diuturnitatẽ, æternitatẽq; beatitatis euertere; subiecit illicò, *quoniã apud te est fons vitæ*; nimirũ significans torrentẽ hũc nõ vt cæteros torrẽtes defecturũ esse aliquando. oriri namq; ex fonte quodã perenni, qui nunquã possit deficere. meritò aũt torrẽtis similitudine vsus est Dauid, tũ propter impetũ & diuinarũ delitiarũ copiã; tũ quia sicut torrẽs aquarũ vi, & impetu quidquid impedire potest secũ trahit, ac deuoluit; ita cœlestes illæ delitiæ, quidquid delectationi cõtrarium est, in æternum auferunt, & destruunt.

B Hæc aũt quatuor .i. multitudinẽ, varietatẽ, 2.
cõcordiã, cũ summa voluptate cõiunctã, multũ ciuitatẽ illã exornãt, & supra quã dici possit, beatã, ac felicẽ reddũt; seq; mutuò suffulciunt, & illustrãt. multitudo .n. sine varietate, pulcritudine magna ex parte caret; varietas sine multitudine minus habet admirationis; quod si à varia multitudine cõcordiã auferas, omnia cõfusa, omnia turbata esse oportebit; si verò à tribus istis, gaudiũ, ac lætitiã semoueas, mœror omnia occupabit. Igitur multitudo varietati admirationẽ, varietas multitudini pulcritudinẽ, & excellentiã quandã addit; vt proindè initio
C Geneſis, cũ Moses de singulis Creaturis, ꝙ esset bonæ dixisset; simul oẽs posteà v. 31. cõmemorãs, ob earũm varietatẽ nõ modò *bonas*, sed *valdè bonas* appellauit; *vidit .n.* inquit, *Deus cuncta, quæ fecerat; & erant valdè bona.* Porrò concordia præter vnionẽ, & ordinẽ quendã, summã animorũ coniunctionẽ significat; gaudiũ verò virorẽ quendã, & quasi omniũ bonorũ cumulũ ibi adesse, nõ obscurè declarat; ac proindè multa cõplectitur multitudinis, ac loci illius ornãmẽta, quibus tanquã splẽdidissimis gẽmis cœlites ornãtur. est .n. in eis sanitas sine ægritudine, bonorũ vbertas sine defectu, saturitas sine satietate, ac fastidio, sciẽtia sine ignorantia, hilaritas sine mœrore, pax sine perturbatione, securitas sine timore, iugis splendor non iste qui nũc est, sed tãtò clarior, quãtò felicior, quia ciuitas illa
D *nõ ẽgebit lumine solis, sed Dominus Omnipotẽs illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus.* vbi sancti fulgebunt vt stellæ in perpetuas æternitates, & sicut splendor firmamenti, qui ad iustitiã erudiunt multos, vbi nulla nox; nullus solis occasus; nullæ tenebræ; cõcursus nubiũ nullus. Postremò aderit ibi expletio omniũ desideriorum, &, vt vno verbo dicã, bonorum omniũ aggregatio, & omnis molestiæ vacuitas.

Cæterũ ex tam varia multitudine, ex tam lęta, ac periucunda concordia bonorũ omniũ vbertate redundante, suauissimus quidã diuinarũ laudũ concentus perpetuò erumpit. quò refert Aug. eleganti ſimè Ps. 150. *quid ergò*, inquit, *proposuit* (Dauid) *Laudate Dominũ in Sanctis eius? Quibus hoc dixit, nisi eis ipsis? & in quibus Deum laudant nisi in seipsis? vos .n. sancti eius virtus eius estis, sed quã fecit in nobis, & potentatus eius, & multitu-* 3.

do magnitudinis eius quam fecit. & ostendit in vobis. Vos estis tuba, Psalterium, cithara, typanum, chor⁹, chorda, & organum, & cymbala iubilationis benesonantia, quia consonantia. Vos estis hæc omnia: nihil hic vile, nihil hic ludicrum vel lubricũ cogitetur, & quia sapere secũdũ carnẽ mors est, omnis spiritus laudet Dominum. sunt ergò sancti oẽs genus musicorum instrumentorum, multiplex quidẽ ac varium, & cõsonũ omninò; nã vt idẽ inquit Aug. paulò superiùs ibidẽ, *habebũt etiã tũc sancti Dei differentias suas cõsonãtes, nõ dissonantes, id est, cõsentientes, nõ dissentientes: sicut fit suauissimus cãtus, ex diuersis quidem, sed non inter se aduersis sonis. stella. n. à stella differt in claritate, sicut & resurrectio mortuorũ.*

4. Hãc ergò ciuitatẽ meritò admirabatur, & suspiciebat Dauid, eamq; intueri summis votis optabat Ps. 83. 33. dũ sic dicebat: *quã dilecta tabernacula tua Domine virtutũ; cõcupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Vtinã nobis ꝙ Ioa. cõtigit eueniret Apoca. 21. & 22. vt tolleret nos in spiritu Dominus in montẽ magnũ, & altũ contemplationis, & ostẽderet nobis *Ciuitatẽ sanctã Hierusalẽ descendentẽ de cœlo à Deo &c. & fluuium aquæ vitæ splendidũ tanquã crystallũ procedentẽ de sede Dei, & agni.* est. n. fluuius hic gaudiũ essentialis beatitudinis de sede Dei procedẽs, hoc est, de visione essentiæ Dei, nunquã deficiẽs, ac ꝙ indè aquæ vitæ dicitur, quo tanquã torrẽte potatur, & inebriatur cœlestis illa piorũ societas; cùm aũt dicatur, *in medio platea, & in vtraq; parte fluminis lignũ vitæ esse*, procul dubio lignũ hoc loco pro lignis positũ est, vt sit sententia, multa ligna, hoc est, multas arbores ex vtraque parte fluminis cõsitas fuisse, quas Beatos ipsos adumbrare, qui eius gaudij torrẽte irrigãtur, quis dubitet? quoniã verò eorum gaudiũ nullo vnquã tempore vel cessabit, vel interrũpetur, idcircò fructũ afferũt *per singulos menses*. Harũ sanè arborũ tã feliciũ folia esse dicuntur ad sanitatem gentiũ, quia gaudiũ accidentale Beatorũ, quod rectè ꝙ folia significatur, vt ꝙ fluuiũ essentiale alterũ lógè præstãtius, satis superq; est ad omnẽ mẽtis, corporisq; egritudinẽ, mœroreq; leuãdũ.

5. Possumus & per fluuiũ illũ Spiritũ S. Paracletũ, à quo omne gaudiũ in Sanctos redundat, intelligere; enimuerò huius fluminis impetus lętificat in primis ciuitatem illã Dei; egreditur verò de sede Dei, & agni, hoc est, à Deo Patre, & Filio per vnã, eandẽq; voluntatẽ procedit. rectè. n. voluntas sedes Dei appellari potest, ꝙ in ea solũ Deus tanquã in placida, & tranquilla sede conquiescat. fluuius hic *aquæ vitæ* dicitur, quia ita ad irrigandos cęlestes illos piorũ spiritus, & corpora egreditur, ita singulis voluptatẽ, ac immensũ gaudiũ, ita vitã atq; omne genꝰ bona impertit, vt à Patre tamẽ & Filio nunquã recedat. Quid ergò miramur perpetuas esse, & immẽsas cœlestis illius societatis delicias cùm ab eo, qui ipsissimũ est gaudiũ, & infinitũ proficiscantur? Cur non inebriẽtur diuini illi ciues superæ Hierusalẽ? cur non præ eximia dulcoris exsuperantia in ebriorũ morẽ quasi deficiant?

6. *Christus rex & corona Sanctorum omnium.* Sed quãuis in hac tam pręclara Beatorũ multitudine, ac societate nihil sit non eximiũ, nihil nõ admirabile, siue oẽs simul ciues spectes, siue singulos, nihil tamẽ in ea est præstantius, nihil dignius, nihil ꝙ admirêre magis, Rege ipso, ac Regina in tam pręclaræ societatis medio cõstitutis. Christũ dico Regẽ, & Reginã eius matrẽ eidẽ assidentẽ, quorũ aspectu & pulchritudine, & gloriæ splendore tota illa exultat ciuitas, & Deum subinde laudare non desinit. effugit. n. oẽm sermonẽ, atq; oẽm sensũ humanæ mentis excedit decus illud, illa pulcritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificẽtia, illa maiestas. *si. n.* inquit Beda ser 18. de Sanctis: *quotidiè oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennã paruo tempore tolerare, vt Christum videre digni essemus in gloria venientem, & sanctorũ eius numero sociari; nõne erat dignum pati omne quod triste est, vt tanti boni, tantæq; gloriæ participes haberemur?* De Salomone 3. Reg. 10. 23. sic legimus: *magnificatus est Rex Salomon super oẽs Reges terræ diuitijs, & sapientia; & vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis*. hæc multò magis in Christũ Regẽ, eiutq. Matrem cõuenire, dubitat nemo. Vltra. n. oẽm sanctorũ est gloriã ipsorũ inęstimabilẽ aspicere conspectũ, & splendore maiestatis eorũ irradiari. videns *Regina Saba omnẽ sapientiã Salomonis, & domum quam ædificauerat, & habitacula seruorum, & ordines ministrantiũ, vestesq; eorũ &c. non habebat vltra spiritũ.* 3. Reg. 10. 4. Quid, rogo, faciat anima, quid cogitet, dũ diuinũ illud sanctorũ domiciliũ primùm ingressa tantã intuebitur pulcritudinẽ? quãdò domũ, i. cœlestẽ ciuitatẽ, quã verus ædificauit Salomon, quãdò cibos mensæ eius; i. immensam eam voluptatẽ qua fruuntur cœlites; quando habitacula seruorum, hoc est, mansiones multas; quãdo ordines ministrantiũ Angelorũ, & vestes seruorũ, virtutes videlicet & dona cõspicabitur? nũ vltra spiritũ habebit? num præ gaudio se ipsam capiet? Quod si regina Saba dixit Regi: *Verus est sermo quem audiui in terra mea super sermonibus tuis. vidi oculis, & probaui, quod media pars mihi nunciata non fuerit. maior est sapientia, & opera tua, quàm rumor quẽ audiui*. neq; nos aliter tunc dicturi sumus, si liceat aliquando nobis tam immensum glorię splendorem cernere. Etenim verissimũ est illud Is. 64. 4. *à sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.* ô terq; quaterq; Beatos viros qui stant coram cœlesti Rege semper, & audiunt sapientiam eius; & Reginam à dextris assistentẽ cernunt in vestitu deaurato, & admirabili multiplicium donorũ, & virtutum varietate ornatam. neque enim aliter decebat Christum facere, quàm vt carissimam Matrem sibi in cœlis adsciscere velut cœli, terræque Reginam, cuius rei figura non obscura in veteri lege præcessit (3. Reg. 2.) cùm pacificus Rex ille Salomon in excelso throno sedens, matris suæ curã ingentẽ habuit, eamq; iuxta se collocatam, voluit ab omnibus præcipuè honorari.

Iam verò si à tam sublimi solio ad ipsam Beatorum societatem conuertamus oculos, & immensam eius dignitatem intueamur, non dubitabimus multitudinem illam triumphantium pugilum Concilium, summorum item Regum consessum, & sublimium Filiorum Dei conuentum appellare. quæ tria sunt hic à nobis breuiter indicanda. Quatuor, scire oportet nominibꝰ beatitudinẽ nobis promissam in nouo testamento appellari: nimirum, mercedem Matth. 5. *Merces vestra copiosa est in cœlis.* Brauium Philip. 3. *ad destinatum persequor, ad superna*

Maria Regina beatorũ.

7. *Gloria Salomonis Christi gloriæ typus.*

8. *Beatitudo cęlestis quatuor nominibus appellata.*

Digitized by Google

perna vocationis Brauium : Coronam 2.ad Timot.4.*reposita est mihi corona iustitiæ*;deniq; hæreditatem,1. Petri 1.*regenerauit nos in spem viuã, in hæreditatem incorruptibilem*; & quidem meritò totidem nominibus appellatur, est .n. in operibus iustorũ labor, & defatigatio quædã; nam *corpus quod corrumpitur aggrauat animam*: est cõtentio & æmulatio, dum iusti ad currendum alacriter in via mandatorum Dei, mutuò se acuunt,& excitant ad bona opera patranda, nec se sinunt, sancto Zelo, & contentione permoti, in his quæ ad maiorem Dei gloriam,ab alijs vinci.sic de se testatur Paulus Philip.3. 12. quæ retro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum ad destinatum persequor,*ad brauium supernæ vocationis Dei.* est tertio pugna,& certamen, quia *caro concupiscit aduersus spiritum,& spiritus aduersus carnem.* Denique iusti sunt filij Dei, eorumq; opera filiorum Dei opera sunt. propter primum igitur Beatitudo merces dicitur; propter secundum Brauium;propter tertium corona;propter vltimum hereditas. Quare cœlestes illos ciues, & pugiles,& Reges,& Dei filios iure nominauimus; illis enim velut pugilibus in cursu, in pugilatione,in luctatione, dum vitam hãc viuebant,exercitatissimis,beatitudo debetur simul vt merces,& vt Brauium; vt corona verò eisdé debetur & quia fortiter dimicarunt, & quia constituendi sunt Reges propter rem benè gestam in bello spiritali, & accepturi Regnum amplissimum, quod nullo vnquam tempore destruendũ sit. Deniq; tanquam Dei filij perennè beatitudinè in hereditatẽ accipient.

9. *Sancti pugiles & athletæ.*

Sunt igitur Sancti dum in his terris agunt cursores,sunt pugiles & athletæ; nam & currẽdum illis est,& sic currendũ vt cæleste brauiũ comprehendant longè præstantius eo , quod in olympijs olim pugiles summa cum laude assequebantur. Certandum est etiam illis acriter vt coronam, vt palmam,& quidé satis lemniscatam, in victoriæ mercedem accipiant,& Reges sint.sic enim monet Apost.ad Ephes. 6. *induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem,& sanguinem: sed aduersus Principes, & potestates , aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* quia verò dum currunt, dum decertant in hac vita cum teterrimo inferni hoste,sudant,laborant, propterea mercedem etiam laboris repositam habent in cælis,& quidem copiosam satis, & cumulatam.

10. *Reges.*

Quod verò Reges futuros diximus , multò est clariùs, quàm vt pluribus à me probari debeat. An non tibi Reges videntur,qui regnũ possident? atqui dicet Christus ijs; *venite benedicti possidete regnum;* secundò,neque illis deerit Regum amplitudo, ac maiestas, quam figura quadã indicarunt Moses, & Helias cum Christo in monte Thabor in maiestate visi Luc. 9. de qua & Apost. Philipp.33. scribit; *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* erit .n. illa claritas, illa lux in modũ purpuræ Beatos illos exornans, & maiestatis plurimũ concilians, vt meritò Lucas in Christi transfiguratione Lucem vocarit maiestatẽ, cùm ait:Moseñ ibi &Eliam in maiestate visos.

A Deniq; tertiò, vt Reges corona aurea, quod est insigne regni,fulgentibus gemmis admirabili cohonestabuntur.sic olim in huius rei signum Ioan. Apoc.4. ostensi sunt cælites tanquã Reges in illis 24.Senioribus,in quorum erant capitibus coronæ aureæ,de quibus ait: *procidebãt 24. Seniores ante sedentem in Throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum,& mittebant coronas suas ante thronũ.* norunt enim Sancti regnũ se, & Lucis purpuram, & coronam à Deo habere, ideò mittere describuntur coronas suas ante thronũ,& dicere, *dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam,& honorem,& virtutem* . Probè enim tenent, vnde immortale nomen, & sempiternã gloriã , & coronam satis lemniscatam adepti sint, nimirum à Regum omnium Rege Christo , atque ideò in eundem se, & omnia
B bona sua libentissimè referunt.

11. *Et Deus eorum corona & sceptrũ.*

Quidʔan non etiam Deus ipse & Agnus corona est pulcherrima,& sceptrum ornatissimũ beatorũ? ita sanè.nam creata omnia ipsos tanq̃ Reges, imò &quasi quosdã Deos(quippè Deo ipso tanq̃ corona insignitos) suspiciũt,& reuerentur. hoc significatum est multò antè verbis Isaiæ cap. 28.1.*in illa die erit Dominus exercituum corona gloriæ,& sceptrum exultationis reliduo populi sui* . Audisne lector,Deũ esse coronã Beatorum? sicut ergo nihil aliud facerent libentius alicuius regni proceres, si cernerent , Regem ipsum Regium suum diadema capiti alicuius imponere (quod cum Mardochæo Hester.6. factum legimus) nihil inquam aliud libentius facerent,quàm vt procidentes venerarentur , quem sic Regem honorasse viderent;
C ita multò æquius est, vt omnes quotquot sunt totius mundi Principes, populi, creata omnia, eos, quos sic Deus glorioſisimos effecit commendent,adorent,suspiciant.

12. *Sanctorum quanta gloria.*

Quanta verò DEVS gloria, & honore afficiat sanctos sursum in cælo regnantes , ij non ignorant, qui &, scripturas legerunt, & quid gloriæ nomen significet benè norunt. tria enim quod Græcis est δόξα, nostris *gloria*, significat. primùm celebrem opinionem , seu existimationem nominis alicuius , vndè Augustlib.83.quæstionum q.31. *gloria*, inquit, *est frequens de aliquo fama cum laude* , vel vt Ambr. ad Rom.1.ait:*est clara cum laude notitia*.Notitia igitur,& opinio , quam multi habent de excellentia,magnitudine,& virtute alicuius, est
D prima gloriæ notio.

Iterum id quod caussa est huius existimationis,ac celebris opinionis, continet alteram gloriæ significationem . Illud enim bonum, quod est in aliquo reddens illum dignum gloria , & honore, & glorioſum , clarum, celebrem apud alios efficit, dicitur gloria, cuiusmodi est virtus;ita Eccleſiast.23 38. dicitur; *gloria magna sequi Dominum*; hoc est, religio,& custodia præceptorum Dei hominem gloria dignum reddit. hinc beatitudo Sanctorum *gloria* nominatur, quia eximiũ quoddam bonum est,reddens hominem excellentis glorię, & magni nominis claritate dignum.Hinc Paulus Rom.5.2. *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Postrema notio eius nominis est vt significet signa , quibus hæc,quam diximus, gloria declaratur , & acquiritur . hinc Matthæi 16.27.

filius hominis venturus est in gloria, hoc est, apparatu multo, & eximo splendore, quod signum erit excellentiæ, & internæ gloriæ, qua ille olim glorioſus omnibus apparebit.

13. His ergò tribus modis celebres, & glorioſos Deus beatos efficit; facit enim eos dignos gloria, ea impertiẽdo dona, vnde glorioſi fiãt, iuxtà ſecundam huius vocis ſignificationẽ, deindè etiam ea edendo opera ac ſæpè prodigia, quibus tanquã ſignis celebres ſint, & noti fiant, & apud hominũ animos egregiam opinionẽ, & excellentem exiſtimationem acquirant, quę tertiam & primam ſignificationem cõtinent. omnibus ergò modis Deus beatos gloria, & honore condecorat.

14. Sed quid miramur Reges eſſe futuros, quos ſcimus filiorum, & heredum loco habendos eſſe. ſic innuit Apoſt. Rom. 8. 23. *& ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exſpectantes redemptionem corporis noſtri.* Atqui, inquies, etiam nunc filij ſumus dum hic in terris degimus. ſumus fateor, ſed non plenè, ac perfectè; neque enim dum corpus gerimus morbis, & interitui obnoxiũ, perfectam adipiſcimur filiorum Dei adoptionẽ, quouſq; tandem & animo & corpore gloria, & honore velut aureo indumento conueſtiamur. verùm obſeruanda ſunt quæ Apoſt. habet Rom. 8. 17. ſi in filiorum Dei numerum adoptari volumus: *ſi filij*, inquit, *& heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti. ſi autem compatimur, vt & conglorificemur.*

15. *Omnia aduerſa contẽnenda propter gloriam cæleſtem.* Et verò quis non æquo animo omnem acerbitatem, omnem dolorẽ, perſecutiones quaſlibet, dedecora omnia, quidquid demum malorũ mundus inferre poteſt, ferat vt tantũ gloriæ pondus, tantam in cælis mercedẽ, aſſequatur? Quam rem ſapientiſsimè Auguſt. in ſerm. quodam perpendens, ſic ſcribit: *ipſe Paulus qui patiebatur, & ſciebat pro cuius nomine patiebatur, & quo fructu patiebatur: dixit, non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. ſæuiat mundus, fremat mundus, increpet linguis, coruſcet armis, quidquid poteſt, faciat; quid faciet denique ad id quod accepturi ſumus? appendo quod patior, contra id, quod ſpero, hoc ſentio, illud credo, & tamen plus valet quod credo, quàm quod ſentio. quid eſt quod ſæuit, & quod quis patitur pro nomine Chriſti, ſi poteſt vinci tolerabile eſt, ſi non poteſt vinci, migrare hinc nos facit; nec extinguit, ſed accelerat. quid accelerat? ipſum quod expectamus præmium. ipſam dulcedinem, quæ cùm venerit ſine fine erit. opus cum ſine merces ſine fine.* ſic Auguſt.

16. Ex his quæ hactenùs diximus, neminem latere arbitror, quãta valeat Beati gratia apud Deum, quantumuè illi cari ſint. quam quidem rem Ioannes expreſsiſſe mihi videtur Apocal. 1. Chriſtum deſcribens præcinctum zona aurea ad mamillas. Etenim rectè per zonam auream Chriſti pectus circumdantem ad mamillas, auream Sanctorum coronam, hoc eſt ſocietatem eximia charitate connexam, intelligimus; qui ita intimi, gratiq; ſunt Chriſto vt in eius pectore, ac quaſi ſinu, meritò reſidere dicantur; & quidem iuxtà mamillas, vbi cordis eſt locus. vt inde cõſtet illos de lacte ſimul humanitatis potare, & melle diuinitatis mirificè oblectari, inde tanquam ex duobus vberibus beatitatis dulcedinem trahẽtes. Quoniam verò ſancti in corde ſuo abſconderunt eloquia Dei, ne quid contra illum peccarẽt; ideò Deus illos viciſsim in corde ſuo iuxta mamillas iucundiſsimè, familiariſsimeque fouebit. Hactenus de cælitibus, nunc ad oſtendẽdum modum, quo tantorum bonorum nos quoq; participes effici poterimus, accedamus.

DIGRESSIO VI.
MORALIS

Quibus mediis beatitudinem aſſequi valeamus, & inter cæleſtis Hieruſalem ciues connumerari.

1. *Tria ad beatitudinem conſequendã neceſſaria.* OMNINO tria mihi ad conſequendam beatitudinem neceſſaria videntur. primò vehemẽs illius deſiderium. Secundò opera. tertiò pati aliquid, & tolerare propter Deum patienter. de ſingulis pauca dicamus. multum ſanè facit vel ad benè, honeſtèque operandum, vel ad aduerſa æquo animo ferenda, attenta illius gloriæ conſideratio, quã nobis ob oculos poſuit Chriſtus, cùm dixit: *gaudete, & exaultate*, videlicet in medijs etiam perſecutionum fluctibus, *quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Equidem arbitror fortiſsimos illos Chriſtianę religionis proceres, quos Chriſti Martyres nominamus, dum corpora cruciatibus obiecerunt, & feris etiam intrepidi diſcerpenda dedêre, nulla magis re alacriores, promptioresq; ad toleranda tormenta factos fuiſſe, quàm firmiſsima cęleſtium bonorum expectatione, eorundemque attentiſsima cogitatione cum ardenti deſiderio coniuncta; ita Stephanus hac cogitatione animatus, & deſiderio accenſus duros lapides tanq̃ ſuauiſsimũ rorem excepit: illuc. n. anhelabat, maximisq; itineribus appropinquare contẽdebat, quò vocabatur à Chriſto, cùm cælos apertos intuitus præ deſiderio exclamãs diceret: *Eccè video cælos apertos, & IESVM ſtantem à dextris virtutis Dei.* eadem cogitatione ardentem craticulam Laurentius, Ignatius Leones, alij cruces, equuleos, gladios, & innumera alia cruciatuum inſtrumenta, quæ tyranni ſatanico furore perciti excogitarant, non animosè modò, verùm hilari etiam vultu, & auido animo, tulerunt.

2. Atque eadem meditatione freti ij, de quibus Paulus ad Hebr. 10. 34. *rapinam bonorum* ſuorũ *cum gaudio ſuſcepêre*; nimirum *cognoſcẽtes ſe habere meliorem, & manentem ſubſtantiam.* ſic Abraham vt idem Apoſtol. teſtatur ad Hebr. 11. 9. *fide demoratus eſt in terra repromiſſionis tanquam in aliena, in caſulis habitando cum Iſaac, & Iacob coheredibus repromiſſionis eiuſdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex, & conditor Deus*; ſic & alij, de quibus eodem loco Apoſtol. v. 13. *defuncti*, inquit, *ſunt omnes iſti, nõ acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram. qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere*; ſicut ver. 24. idẽ Paulus habet: *Moſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitas extimans theſauro Aegyptiorũ, improperium Chriſti; aſpiciebat enim in remunerationem.*

Propter

Propter hanc eandē ſpem, vt proſequitur Paulus eodē c. v.36. *alij ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres: lapidati ſunt*, vt Naboth, Iezrahelites, 3.Reg.21. Zacharias Sacerdos, 2. Paralipomen.24. & Prophetæ, de quibus Matth.vigeſimotertio, *Ieruſalem, Ieruſalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt. ſecti ſunt*, vt Iſaias quem Manaſſes Rex Iudæorum ſerra diſſecuit; ſic 7.fratres, 2.Machabæorum 7. quibus membra in ſupplicijs amputata ſunt. *tentati ſunt*, vt Abraham, vt Iob, *in occiſione gladij mortui ſunt*, vt ij, de quibus 2.Machabæor.5. 13. legimus: *fiebant ergo cades iuuenum, ac ſeniorum, & mulierum, & natorum exterminia, Virginumque, & paruulorum neces. Erant autem toto triduo 80. millia interfecti. circuierunt in melotis, in pellibus caprinis*, ſic Helias *vir piloſus, & zona pellicea amictus renibus*, quarto Reg. 1. 8. circuibat, iram Iezabelis declinans, 3.Reg.19.3. ſic Ioann. Matth.3. *habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos. egentes, angustiati, afflicti*, vt idem Helias qui à coruo, & poſtea à muliere paſtus eſt, tertio Reg. decimoſeptimo, & innumeri alij propter regnum cœlorum & Euangelium, multis doloribus, ſolitudinibus cruciati, fame, verberibus, inauditis denique cruciatibus afflicti, *quibus dignus non erat mundus*; quibus omnibus clariſsimè conſtat quantas vires habeat cœleſtium bonorum ardens deſiderium, & intenta conſideratio.

3. Terrena & fluxa deſpicienda, & ſuſpirandū ad ſuperna.

Sed ſi alia non eſſent, quæ hanc æternorum præmiorum appetitionem commendarent; ſatis, ſuperque illud foret, quod ad rerum fluxarum, & caducarum deſpicientiam mirificè iuuat. Itaque faciendum nobis eſt, quod exules faciunt, qui præ deſiderio patriæ cum in alienis terris commorantur, quaſi in valle lacrymarum ſibi eſſe videntur; ſic in primis docuit nos facere Chriſtus Magiſter optimus Marc. 7. 34. cùm *ſuſpiciens in cælum, ingemuit*; ſuo enim declarauit exemplo, quibus ſuſpirijs, quibus lacrymis in cælum ſuſpicere frequenter nos deceat, & contemptis terrenis rebus eò aſpirare tanquam exules in valle lacrymarum poſitos, vbi optatiſsimæ patriæ locus eſt. Neque verò ſe aliter indicat feciſſe Dauid Pſalm.109. dum in hæc verba prorumperet; *heu mihi quia inco latus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus cedar*. ſic illi, terreſtris Hieruſalem deſiderio, ac recordatione commoti, nullam ex alienis regionibus in quibus commorabantur oblectationem admittentes, cum lacrymis canebant: *ſuper flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus dum recordaremur Sion*, Pſalm.136. 1. exclamemus igitur frequenter cum Propheta, Pſalm. 84. addentes ſuſpiria, & obortis præ deſiderio lacrymis: *quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini*, &c. quę diuinus Vates intimo animi ſenſu proſequitur.

4. Deſiderium non operum carēs, meritis eſt plenum.

At enim deſiderium operibus vacuum nihil nos profectò iuuabit ad æterni præmij conſecutionem, quod Dominus apertè declarauit eleganti illa parabola de decem Virginibus. cùm enim omnes illæ Virgines intra cæleſtis regni ianuas admitti cuperent; excluſæ tamen indè fuerunt, quæ acceptis lampadibus oleum

A ſecum non ſumpſerant: contra, quæ in vaſis ſuis oleum habuere, ſtatim cæleſtium nuptiarum locum ingreſſæ ſunt. quid enim nomine lampadis oleo carentis aptiùs accipi poteſt, quàm fides ſine operibus? quæ extingui videtur, non quod ſine charitate non ſit, ſed quia nihil ad ſalutem proderit; vel certè quia niſi operibus foueatur, facilè amittetur; vel denique quia etſi luceat, non tamen ardet. & verò hoc oleum in vniuſcuiuſque conſcientia reconditum eſt tanquam in vaſis. ſi ergò conſcientia bonis operibus deſtituta fuerit, inſtar vaſis carentis oleo erit. itaque iuxtà veriſsimam Chriſti ſententiam nihil nos illud inculcare iuuabit: *Domine, Domine aperi nobis*, quia ſi bonis operibus deſtituamur noſtro magno malo inuiti verba illa audiemus; *amen dico vobis*
B *neſcio vos.*

Equidem arbitror huius rei, quam nunc confirmamus longè ante præceſsiſſe figuram, in portis per quas ad Sancta Sanctorum patebat ingreſſus. quam figuram D.Paul. inſinuat ad Hebr.9. 12. cùm cæleſtem domum cum ea templi parte comparat, quæ Sancta Sanctorum nominabatur; *Chriſtus*, inquit, *introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta*; & quidem aptè comparat hæc duo inter ſe, primùm quidem ob ſanctitatem, etenim nullus in cæleſti patria non ſanctus eſt; nullus qui virtute, & bonis operibus non fuerit hic præditus, ciuitatem illam ingredietur; quare meritò *Sancta Sanctorum* domus illa vocari poteſt. Deindè quemadmodum quadratus erat locus ille
C templi, ita & de cæleſti ciuitate Apocal. 21. 16. legimus: *ciuitas* (cæleſtis) *in quadro poſita eſt*. Sedebat DEVS ſuper Cherubim in adyto illo templi, at in cælis in longè ſublimiori ſolio conſidet innumeris Angelorum millibus ſtipatus. Quartò, quod magis, ac magis timendum eſt, erat domus illa interior, quæ Sancta Sanctorum dicebatur, paulò anguſtior, quàm exterior; vt ea re ſignificaretur multos eſſe vocatos, paucos verò electos, quamuis enim verè dixerit Baruch.3.24.25. *ô Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſsionis eius! magnus, & non habens finem; excelſus, & immenſus.* ſi tamen homines eos qui ſaluādi ſunt ſpectes, & cùm ijs, qui in tartarum detrudendi erunt, conferas, verè dixeris anguſtiorem hac ratione futuram eſſe ciuitatem illā. reſpectu enim
D damnatorum, paucos capiet homines, quamuis ſelectos eos & ampliſsimis virtutibus, & præclaris donis ornatos, quiq; cęleſtem in terris duxêre vitā. Iam verò quod ad rem noſtrā facit, erant veteris oraculi oſtia ex oliuarum lignis; vbi inſculpti, qua cherubim, qua palmę: id quod profundo non vacat myſterio. tria enim his non obſcurè ſignificantur, neceſſaria omninò, vt quis Sancta Sanctorum cęleſtia ingrediatur, quæ per oliuam, Cherubim, & palmam indicantur. refert enim oliua miſericordiæ, & caritatis opera; Cherubim verò vitā indicāt Angelorum debere eos in terris ducere, & ab omni labis cōcretione ſemotam, qui cupiunt loca illa poſsidere; neq; enim pecudum more viuendum eſt; denique palmæ ſui victoriam, & vitiorum conculcationem aptè indicant; vndè factū eſt vt ſancti palmas habere à

Ioanne

Ioanne describantur in manibus; quia sine assiduo operandi labore, & sudore maximo ea victoria non obtingat.

6. Quis iturus in remotissimas regiones vt ibi vitam degat, non omni curaret studio ibidem domũ sibi ædificare? cùm ergo nobis eò proficiscendum sit vbi non mortalem traducturi sumus vitam, sed in omnem planè æternitatem mansuri, cur non inducimus in animum, domum nobis ibi quàm maximè insignem parare? quod facilè fieri à nobis poterit, si pretiosis bonorum operum lapidibus illuc transferendis peculiarem operam impenderimus. longè aliter quàm ij faciunt; qui, cùm breui ex hac vita excedere debeant, magnis laboribus, summis impensis studiosissimè curant, hîc sibi palatia ædificare, parare hortos pulcherrimè consitos, atque ijs, alijsque rebus citò interituris, popularem auram, atque hominum plausum captare studeant.

Cedo, si quis in Persidem iturus vt eam modò videret, statimque regrederetur ad propria; iuberet ibi tamen ædificari sibi domum multò fulgentem auro, ac gemmis ornatam; an non tibi iste amens iure videatur? huic similes, & peiores etiam sunt, qui posthabita rerum cælestium cura, in id incumbunt, eoque toti feruntur, vt hic commodè, voluptuosèque viuant, quasi perpetuò in terris victuri. quantò sapientius ille cogitabat, de quo Diuus Gregorius libro quarto Dialog. cap. trigesimosexto, narrat; cuidam ostensam fuisse domum, quam laterculis quidam aureis, & pretiosis lapidibus, hoc est, eleemosynis & bonis operibus sibi ædificabat in amœnis & apricis locis per manus eorum, in quos contulerat beneficia.

7. *Gloria laboris filia.* Præclarè sanè mihi AEschylus hac de re sensisse videtur, dum teste Clemente Alexandrino Quarto stromatum gloriam *Laboris filiam* appellauit. quarè si fluxa hæc gloria, & terrestris, labore paranda est, vt sapientissimè ille testatus est, quantò quæso maiore labore contendendum nobis erit, vt cælestem illam assequamur, præ qua labor omnis, quamuis magnus, quãuis diuturnus, momentaneus, ac leuis est, cùm immẽsum gloriæ pondus operetur in nobis?

Postremò quod hactenùs multis ostendimus, vna Christi sententia, quæ instar omnium est quæ dici possent, sic confirmemus. Cùm enim vellet ille nos ad ardens bonorum operum studium accendere, atque inflammare, quasi ob oculos posuit, quid ad extremum iudicij diem euenturũ sit illis, qui bonis operibus destituti diem obiere supremum, & quantò item honore afficiendi sint, qui se in bonis operibus exercuerunt; ijs enim dicet: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*, Matth. vigesimoquinto, trigesimoquarto, quamobrem? *esurius enim, & dedistis mihi manducare.* & quæ sequuntur reliqua: illis verò horribili sanè aspectu dicet; *discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Cur ita? *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare; sitiui & non dedistis mihi potum*, &cæt. atque rem totam hanc absoluens subdit, *& ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* tertium restabat ex his quæ diximus ad Beatitudinis consecutionem esse necessaria; nimirum tolerantia, sed hoc nè longiores simus in sequentem Digressionem reiiciemus.

DIGRESSIO VII.
MORALIS

De tertia re, quæ necessaria est vt beatitatis participes simus, hoc est, de tolerantia persecutionum & tribulationum.

B CVM dixerit Apostolus futurum esse Deum beatis omnia in omnibus. quærit Augustin. sermone decimosexto, de verbis Apostoli: *quid est omnia? quidquid hic quærebas, quidquid hic pro magno habebas, ipse tibi erit: quidquid hic volebas, quidquid hic amabas, manducare, & bibere, ipse tibi erit cibus, ipse tibi erit & potus: quidquid hic volebas, sanitatem corporis fragilem, transeuntem, ipse tibi immortalitas erit. diuitias amabas? Auare, quid enim tibi sufficit si Deus ipse non sufficit? sed quid amabas? gloriam, honores? Deus tibi erit gloria, cui & modò dicitur, gloria mea, & exaltans caput meum. iam enim exaltauit caput meum. Caput nostrum Christus est. sed quid miraris quia caput, & cætera membra exaltabuntur, tunc erit Deus omnia in omnibus.* sic Augustinus. Liquet igitur ex his C quæ cum Apost. Augustinus testatur, Deum ipsum omnia bona cumulatissimè futurum esse in omnibus Beatis, si ergò satiari vis, Deum quære.

1. *Beatis Deus erit omnia, & quid hoc sit.*

Iam si sciscitaris quomodo hoc bonum assequi possis, in promptu est responsio, non aliter quàm malis nimirum tolerandis. sic enim decreuit Deus non alij seipsum hoc est omne bonum tradere, nisi ei, qui multis hic propter ipsum malis oppressus, cuncta æquo animo tolerarit. neque enim in sanctam illam Hierusalem quemquam ascisset, nisi hic prius multis probatus fuerit tribulationibus. propterea probat Deus suos, vel vt aurum in fornace, vel vt triticum in area, vel vt vuam in torculari. dum autem sic suos exercet vt illustriores, lucidioresque efficiat, vtitur sæpè D Deus opera malorum hominum, hoc est, permittit malos bonos persequi, quam rem Augustinus egregiè docet sermone ducentesimo quinquagesimoquarto de tempore, simul explicans primam illam similitudinem auri in fornace: *quid faciunt*, inquit, *in hoc mundo homines mali? Responde mihi, in fornace Aurificis palea quid facit? puto ibi non esse sine caussa paleam vbi aurum purgatur. Videamus quæ ibi sint omnia. fornax est, palea est, aurum est, ignis est, artifex est. sed illa tria, palea, aurum, ignis in fornace; artifex ad fornacem. attende etiam istum mundum. mundus fornax est: palea, homines mali: aurum, homines boni, ignis, tribulatio; artifex, Deus. attende & vide, aurum non purgatur si palea non vratur.* quibus Augustini verbis satis constare arbitror, malos quidã persequi bonos, verùm

2. *Patientia acquirit beatitudo.*

Mundus fornax est.

tanquam

tanquam paleas. sed dum iustos tanquam aurum vrunt, & ipsi vruntur, & iustos auro fulgentiores efficiunt; & vt idem ait Augustinus, *subimanu tanti artificis auri mica in magna palea perire non potest. noli timere, tantus est Artifex vt purgare possit, perdere non possit.* Subdit Augustinus. *nec mihi volo dicas, saltem si necesse esset propter exercitationem nostram vt essent mali, pauci essent mali, & boni multi essent. non attendis quia si pauci essent multis non nocerent? vtique si multi boni essent, & pauci mali, vtique pauci mali multis bonis nocere non auderent. si non auderent, non exercerent. nunc verò quia multi sunt mali, laboratur à paucis bonis inter multos malos. & cùm laboratur, sudatur, & cùm sudatur, aurum purgatur.*

3. *Perseuerantia in patiẽdo malos necessaria.*

Sed deficiendum non est in tribulatione. Etenim vt idem ait, *si defeceris, peris in palea, & si peris in palea, aurum non eris, sed aurum te esse fingebas.* hanc exercitationem per ignem, & palcam optabat Dauid vt aurum fieret, sic enim orat Psalmo vigesimo quinto, *proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum. Vide,* ait Augustinus, *aurum, vide vocem auri purgari cupit. non times, ô Dauid, ne in igne deficias? non, inquit, quarè? quia misericordia tua ante oculos meos est. Eccè quare securus dico, proba me Domine. qui mihi, inquit, donasti vt aurum probatum essem, in fornace perire permittis? prorsus mittis purgandum, ejcis purgatum.* verùm quod accidit illi, idem & alijs eueniet postquam probati fuerint: *probasti,* inquit Dauid Psalm. decimosexto, *cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas,* hoc ergò auro cælestis ciuitas ædificatur.

4. *Mundus area est in qua triturantur.*

Iterùm iste mundus non fornax modò, sed area est, in qua iusti vt triticum triturantur. *in tritura,* Augustinus ait, *positus es, area trituratur adhuc, geme in area, vt gaudeas in horreo,* cùm scilicet cælestis Agricola, Luc. 3. *purgabit aream suã, & congregabit triticum in horreum suum, paleam autem comburet igni inextinguibili.*

5. *Ecclesia torcular est.*

Postremò in Ecclesia es vt in torculari; *quid est vt in torculari?* ait Augustinus Psalmo quinquagesimoquinto, *in pressuris. sed in torculari fructuosa pressura est. Vua in vite pressuram non sentit, integra videtur, sed nihil inde manat: mittitur in torculari, calcatur, premitur, iniuria videtur fieri vuæ: Sed ista iniuria sterilis non est. imò si nulla iniuria accederet, sterilis remaneret.* clamat Dauid Psalmo quinquagesimoquinto, *miserere mei Deus quoniam conculcauit me homo.* clama contra Diabolum, & tu cum illo dum te premit homo. *sed noli timere si te conculcauit homo. vinum habeto, vua factus es, vt calceris,* sed tuo bono conculcabere si patiens eris. *Primus botrus in torcularipressus est Christus. Cùm ille botrus passione expressus est, manauit illud, vnde calix inebrians, quàm præclarus est. si putas te non habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus,* inquit paulò pòst Augustin. in eundem Psalmum, *& vbi est vox Apostoli; omnes qui piè volunt viuere in Christo IESV persecutiones patiuntur,* secundo ad Timoth. 3. 2. *si ergo non pateris pro Christo vllam tribulationem, vide ne nondum cœperis in Christo piè viuere. Ingressus es torcular, præpara te ad pressuras. sed noli esse aridus, ne de pressura nihil exeat.*

6.

Intelligis arbitror quicumque cęlestem co-

A gitas Hierusalẽ, non te posse eò peruenire nisi per tribulationes, & hanc esse viam, & angustam portam, quæ ducit ad vitam. ciuitas enim illa muros habet ex auro mundo, & lapidibus pretiosis exędificatos. nisi ergo euaseris aurum in fornace mundum, non eris lapis aptus, & idoneus ad superam illam extruendam ciuitatem. Iterùm est ciuitas illa amplissimum Dei omnipotentis horreum, sed illuc non congregaberis nisi triticum sis prius hîc in area purgatum; denique cella est vinaria quare nisi cõpressus vt vua optimum vinum efficiaris, dignus non eris, vt in cælestes apothecas recondaris.

Possumus & eandem tolerantiam, & patientiam quam hactenus ostendimus esse necessariam ad æternam gloriam adipiscendam, ex

B figura domus Dei quam Salomon ædificauit, indicare. sic enim 3. Reg. cap. 6. 7. scriptum est, *domus cùm ædificaretur de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata est; malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo Domini cùm ædificaretur.* cælestem illã Beatorum sedem domo illa Salomonis repræsentari, ea, quæ paullò superiùs Digress. 2. num. 2. diximus apertè declarant. 7.

Itaque quemadmodum templum Salomonis de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificatum est, ita multò magis credere debemus cæleste illud domicilium non alijs quàm politis lapidibus, atque perfectis ædificandum esse. sic Ecclesia Dei lumine illustrata verè canit: *tunsionibus, pressuris, expoliti lapides, suis coaptantur locis per manus artificis;* neque enim aliter poliri lapides possunt nisi pressurarum, & persecutionum tunsionibus. Non exaudiebatur malleus & securis cùm domus illa Salomonis extrueretur, & neque in cælesti illa, ac periucunda domo aliud audietur quàm lætitiæ cantus. Non ibi superbæ tyrannorum minæ, non ministrorum clamor, non persequentium strepitus percipientur, non pœnitentiæ sonitus, non gemitus resonabit, non erumpent lacrymæ, non verberum cruciatus, nó membrorum dilaniatio videbitur: omnia læta, iucunda omnia erunt. Vox iubilantium Beatorum, gratiarum actio, amœnissimus melódiæ concentus vndique resonabit. hîc enim prius dolandi, ac poliendi sunt lapides, malleis, & securibus, & omni ferramentorum genere, vt sic aptè inter se postea cohæreant.

Pij lapides dolati.

D Narrant Hebræi cuiusdam sanguine vermiculi, quem illi *thamir* vocant aspersos, vnctosve fuisse lapides templi Salomonici, & huius sanguinis virtute factum esse, vt nullo sonitu, nullo strepitu polirentur. figmentum hoc est, continet tamen verissimum aliquod, certissimumque arcanum. Christum *vermem* nominari scimus, *ego* enim, inquit, *sum vermis, & non homo,* huius ergo sanguine tincti martyres, huius meritò consignati, & aspersi omnes cæli ciues, æquo animo sine obmurmurationis strepitu, vel impatiẽte clamore dolati, ac perpoliti sunt, vt meritò in illos quadrent illa: *caduntur gladijs more bidentium, non murmur resonat, non querimonia, sed corde tacito mens benè conscia conseruat patientiam.* Itaque quod attinet ad ipsos martyres nullus

8. *Rabbinorum figmentum propositæ materiæ aptè accommodatum.*

audieba-

audiebatur querimoniæ sonitus; quamuis à tyrannis, ac persecutoribus magni fierent strepitus, & clamores audirentur cruciatuum, & suppliciorum, quibus tamen illi tundebantur, & poliebantur.

9. Omninò patientia, & tolerantia enitendum nobis est, vt viam ad sempiternam gloriæ coronam muniamus. celeberrima olim fuit illa Epicteti Philosophi Stoici sententia, ἀνέχου καὶ ἀπέχου sustine, & abstine. quod dictum tanquâ à Domino nobis commendatum Augustinus pluribus prosequitur serm. 245. de tempore, vbi sic scribit: *duo sunt quæ in hac vita veluti laboriosa præcipiuntur à Domino continere, & sustinere; iubemur enim continere ab his quæ in mundo dicuntur bona; & sustinere quæ in hoc mundo abundant mala. illa continentia, ista sustinentia vocatur. duæ virtutes quæ mundant animam, & capacem faciunt diuinitatis.* Et paulò pòst: *vt autem est continentiæ felicitati mundi non credere, ita sustinentiæ est iniquitati mundi non cedere. siue ergo in affluentia rerum simus, siue in angustia, expectandus est Dominus; qui & quod verè bonum, & suaue est det, & quod verè malum est, auertat à nobis.* sic August.

10. *Tria ad salutem necessaria, desiderium, opera, patientia.* Ex his ergò quæ tum hac, tum præcedenti Digressione diximus satis arbitror ostendisse nos, tria nobis iter ad cœlestem gloriam maximè aperire; desiderium, & quidem vehemens eius acquirendæ; mox honestas operationes; denique promptam omnium malorum tolerantiam, quæ tria accuratissimè simul, & sapientissimè cõplexus est August. de verbis Domini serm. 39. *quid est*, inquit, *lumbos accinctos esse? declina à malo. quid est lucernas ardentes habere? hoc est, & fac bonum. quid est quod adiunxit, & ait, & vos similes estote hominibus exspectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptijs, nisi quod in illo Psalm. sequitur; inquire pacem, & persequere eam? hæc tria, hoc est, abstinentia à malo; & operatio boni; & spes præmij æterni commemorata sunt in Actibus Apostolorum, vbi scriptum est cap. 24. quia docebat eos Paulus de continentia, de iustitia, & spe vitæ æternæ. Ad continentiam pertinet, sint lumbi vestri accincti; ad iustitiam pertinet, & lucernæ ardentes; ad expectationem Domini pertinet spes vitæ æternæ. ergò declina à malo, hæc est continentia, hi sunt lumbi accincti. & fac bonum, hæc est iustitia, hæ sunt lucernæ ardentes. quære pacem, & sequere eam: hæc est exspectatio futuri sæculi. ergo similes estote hominibus exspectantibus Dominum suum quãdo veniet à nuptijs.* sic August. Nomine autem continentiæ, vel recessus à malo, vel præcinctorum lumborũ, quorum meminit, patientia continetur, & tolerantia; omnia enim subeunda potius quàm vt quis in malum incidat, vel voluptatibus, vel bonis mundi huius cedat. facere verò bonum, lucernas habere in manibus, & iustitia, opera bona insinuant. Postremò expectatio gloriæ, quærere pacem, & Domini aduentum præstolari, desiderium declarant speratæ beatitudinis. omninò ergo tria sunt necessaria ad adoptionem gloriæ, eius potiundæ desiderium, bona opera, & patientia. Sed de his hactenùs.

DIGRESSIO VIII.
MORALIS.

De persecutionum vtilitate, & patientia, In ver. 10. *Beati qui persecutionem patiuntur.*

TERTVLLIANVS libro de patientia cap. 11. nullam esse testatur perfectam virtutem quæ non habeat comitem patientiam. itaque in omnibus beatitudinibus quas Christus hoc cap. enumerauit, patientiam quoque intelligendam esse. *Quos*, inquit, *felices Dominus, nisi patientes nuncupauit, dicendo: beati pauperes spiritu, illorum enim est regnum cœlorum: nullus profectò spiritu pauper nisi humilis; quis autem humilis nisi patiens, quia nemo subijcere sese potest, sine prima patientia subiectionis ipsius. beati, inquit, flentes, atque lugentes: quis talia sine patientia tolerat? beati mites: hoc quidem vocabulo impatientes non licet omninò censeri. Item cum pacificos eodem titulo felicitatis notat, & filios Dei nuncupat, nunquid impatientes, pacis affines? stultus hæc senserit. Cùm verò gaudete & exultate dicit, quoties vos maledicent, & persequentur, merces enim vestra plurima in cælo; id vtique exultationis non impatientiæ pollicetur; quia nemo in aduersis exultabit, nisi ante ea contempserit, nemo contemnet, nisi patientiam gesserit.* tanta Tertullianus. 1. *Nulla virtus sine patientia.*

Cap. item 12. idem auctor docet: thesaurum charitatis disciplina patientiæ contineri, & ipsam charitatem à patientia, tanquam à magistra quodammodo erudiri: expendens enim locum illum Pauli 1. ad Corinth. 23. 4. *Charitas patiens est*, &c. sic ait: *dilectio summum fidei Sacramentum, Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus Sancti spiritus commendat; cuius nisi patientiæ disciplinis eruditur?* Dilectio, inquit, magnanimis est, ita patientiam sumit; benefica est, malum patientia non facit; non æmulatur, id quidem patientiæ proprium est; nec proteruum sapit, modestiam de patientia traxit; non inflatur, non proteruit, non enim ad patientiam pertinet; nec sua requirit, suffert sua, dum alteri prosit, nec incitatur. 2.

Cæterùm quid impatientiæ reliquisset? ideò, inquit, dilectio omnia sustinet, omnia tolerat; vtique quia patiens: & quidem meritò; nam charitas si magna, instar ignis, tribulationis flatu magis inflammatur, ac perficitur. quo referri potest illud Psalmi 9. 23. *dum superbit impius* (persequendo) *incenditur pauper*, quasi per antiperistasim ipsa persequutione, ardentissimo charitatis igne in Deum succenditur, quæ est interpretatio Magistri Sentent. ad quod etiam accommodare possumus illud Isai. 54. 16. *ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas*, faber enim sufflãs prunas est persecutor, qui ipso persequutionis flatu virtutes Sanctorum sufflat, & ardere magis facit, quin & sufflando eis coronas gloriæ fabricatur. 3.

Itaque tribulatio, & persequutio operatur cum ceteras virtutes, tum patientiam in primis iuxtà illud Apost. ad Rom. *tribulatio patientiam operatur.* Nam vt notat ibi Vgo Card. patientia est veluti terra fructifera, quã tribulatio operatur, 4. *Patientia terra frugifera.*

ratur, id est, arat, colit exercet, vt fructum ferat meritorium: quo sensu dicitur Genes. 2. 15. positum fuisse Adam in paradiso terrestri, vt operaretur illum. libenter igitur excipienda est quæuis tribulatio, & persequutio tanquam diligens agricola ad exercendam & fœcundandam terram patientiæ nostræ.

5. *Persecutio lapis Lydius.* Cæterùm præter hæc commoda, quę secum affert persequutio, illud non minus illustre censendum est, quod lapis Lydius sit, ad quem fides, & patientia probantur, quod ostendit Ioan. Apocalyp. 13. 10. dum ait; *hic est patientia, & fides Sanctorum*, quasi dicat, ad huiusmodi lapidem probatur fides, & patientia Sanctorum, quod præcipuè verum erit alienissimis illis sub Antichristo temporibus.

6. *Apostoli vasa decocta.* Ecclesiast. 27. 6. sic legimus: *vasa figuli probat fornax: & homines iustos tentatio tribulationis.* Quod Apostol. exemplo illustrare possumus: constat enim planè decocta, ac persequutionis igne vasa quædam durata Apostolos fuisse, vel illis Diui Pauli verbis secundæ ad Corinthios 4. 7. *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. in omnibus persequutionem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persequutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non perimus*, quasi dicat, licèt vasa fictilia simus, & veluti ex altissimis turribus à persequutoribus deiiciamur, nulla ex parte frangimur, quia tribulationum, & diuinæ charitatis igne decocta, atque durata frangi, dissipariqúe non possunt, Deo nos conseruante, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.

DIGRESSIO IX.
MORALIS

In vers. 13. *Vos estis Sal terræ.*

1. *Sale & sale Apostolicæ doctrinæ nihil vtilius.* VEtus sententia est, teste Cœlio Rhodigino lib. 6. cap. 1. *à celeberrimis vtriusque linguæ auctoribus literis commendata, totis corporibus nihil esse vtilius sale, ac sole.* Sed multò certè verius est nihil esse magis salutare, magisque accommodatum animis nostris sale item, & sole Apostolico, Sapientia, nimirum, Euangelij, quo totum terrarum orbem impleuere Apostoli; condit enim multò felicius, astringit, siccat, alligat, & putrescentia animorum vulnera sanat, & omnem planè peccati putredinem longè depellit. deindè etiam eiusdem Apostolicæ sapientiæ fulgor crassissimas, teterrimasque mundi tenebras, illata veritatis luce, dispellit. meritò igitur Dominus discipulos suos salem terræ, & lucem mundi esse voluit; dum illos ad condiendos, illustrandosque homines in mundum misit; sciebat enim putridos esse, atque insulsos hominum mores, mundumque densissimis tenebris obrutum, sepultumque iacere. non erit igitur ab re si Prælatos Ecclesiæ sali primùm, mox soli, id est, luci similes esse oportere, breuiter declaremus, accersitis hûc præcipuis salis proprietatibus, quarum priore loco numerari poterit illa, quod sal cibis alioqui insipidis, iucundus, ac persuauis sapor addatur: quod spiritualiter efficere, Prælatorum & Doctorum Ecclesiæ munus est.

Enimuerò si rectè teneamus id, quod Genes. 3. 14. serpenti dictum est, *terram comedes*, non dubitabimus mysticè saltem insulsos peccatorum animos terræ nomine intelligere. sic enim Augustinus lib. de Agone Christiano cap. 2. affirmauit hæc Geneseos verba exponens: *Datus est*, inquit, *in cibum Diabolo peccator. non simus terra, si nolumus manducari à serpente, sicut enim quod manducamus nostrũ in corpus conuertimus, vt cibus ipse secundùm corpus, hoc efficiatur, quod nos sumus: sic malis moribus per nequitiam & superbiam, & impietatem hoc efficitur quisque quod diabolus est, id est, similis eius: & subijcitur ei, sicut subijcitur nobis corpus nostrum, & hoc est, quod dicitur, manducari à serpente.* Vt ergo de insipido Diaboli cibo euaderet peccator in cibum Dei sapidum, misit Deus Apostolos in mundum, qui sale Euangelicæ prædicationis insulsa hominum pectora condirent, & ideò iure salem illos terræ vocauit. 2.

Qua in re mihi declarasse videtur Christus id quod olim per Elisæum obscurè significauerat. ingressus aliquandò Elisæus fuerat ciuitatem Iericho, cuius aquæ, quoniam salsæ, amaræ, pessimæ erant, minimè potui aptæ habebantur, & verò etiam terræ ipsius fertilitati oberant. Quarè audito Prophetæ Elisæi aduentu, qui eam vrbem incolebant, aquarumque salubrium inopia laborabant, ipsum adiuere, & remedium huic incommodo, si quod posset afferri magnis precibus petiere: sic etenim 4. Regum 2. 19. legimus illos Elisæo dixisse: *Eccè habitatio ciuitatis huius optima est, &c. sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis.* tunc Elisæus; *afferte*, inquit, *mihi vas nouum, & mittite in illud sal. quod cùm attulissent, egressus ad fontem aquarum misit in illum sal*, quo actum est vt quæ prius aquæ amaræ erãt & pessimæ, confestim suaues, dulces, & ad potandum idoneę efficerentur. Erant tribulationum aquæ hominibus antequam Christus in terram veniret, amaræ, insulsæ; & quas cuiuisuis hominum gustatus non fugeret modò, sed abhorreret. Venit Christus, & Apostolos tanquam noua quędam, & affabre elaborata ab ipso vasa, iniecto in illos diuinæ sapientiæ sale, misit in mũdum amarissimis tribulationum aquis oppletum, qui suaui cælestis sapientiæ sale easdem amarissimas persecutionum, & cruciatuum vndas in suauissimas conuerterent. hinc non sine ingenti fidelium admiratione factum est, vt, quæ prius mala abhorrebãt homines, summo postea desiderio, obuijsq; vlnis pro Christi nomine exciperent, & amplecterentur. Hactenùs Christi sapientiam; hoc est, sapidam doctrinã sali cõparauimus, & quonam modo tum peccatores, tum tribulationes, cibos alioqui insulsos, sapidos reddat, paucis ostendimus. Iam conabor idem salis nomen charitati tribuere. 3. *Tribulatio ante Christi aduentum amara, postea dulcis.*

Scio salem hîc passim pro sapientia ab interpretibus accipi, & meritò sanè. sed neque ij negant, neque nos absurdè censebimus salem charitatem, & amorem Prælatorum erga sibi commissas 4. *Sal sapientiam & charitatem significat.*

commissas animas etiam significare posse, quam nemo dubitat insulsa omnia Deo grata reddere, ac periucunda. Constat sanè graui plurium auctorum testimonio, salem amoris esse Symbolum, qua de re Pier. libr. tertio titulo: Amicitia firma; præter alia, quæ de sale affirmat, hoc ponit; salem amicitiæ symbolum fuisse durationis gratia; tritumque est illud, prouerbij loco, *non oportere transgredi salem*, hoc est, amicitiæ iura, quæ sale conciliantur; & testatur Cicero, multos modios salis esse simul edendos, vt amicitiæ munus expletum sit. quare Deus, vt Petrus Cluniacensis libro quinto, epistol. decimasexta, doctè obseruauit, non sine caussa Leuit. secundo, 13. præcepit: *quidquid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. in omni oblatione tua offeres sal*; nam qui in lege sua nullum sacrificium sine sale suscipit, nullum munus sine charitate sibi placere ostendit, sine qua omnia insipida, insulsa, amara sint oportet.

Cùm igitur sal amoris symbolum sit, quid miramur si Christus Apostolos suos *salem* nominat; voluit enim significare, quod quemadmodum sibi Apostoli, eorumque successores in Ecclesiæ curam, ac regimen succedebãt, ita in amoris, ac charitatis hereditatẽ succedere deberent. propterea hic, *vos estis*, inquit, *sal terræ*. & Marc. 9. *habete in vobis sal*; sciebat, nimirum, quantoperè Ecclesiæ rectoribus, atque Prælatis charitas non modò vtilis, verùm etiam necessaria esset ad ouium curam, salutemque omni studio procurandam, & ad suaues, iucundasque reddendas omnes molestias, persecutiones, & lassitudines mentis, & corporis defatigationes, quæ in procuranda hominum salute contingunt; vt meritò proindè sal amoris symbolum sit, eiusdemque salis naturam, & conditionem referat in condiendis cibis.

5. *Salis, id est, charitatis necessitas.*

Cæterùm quàm necessarius sit diuinæ charitatis sal futuris Ecclesiæ Prælatis, etsi alia deessent indicia, vnum illud satis esset, quod in Petro ostensum fuit. cùm enim decreuisset illum CHRISTVS Dominus in totius Ecclesiæ præsulem eligere, rectoremque constituere; antequam hinc discederet ad Patrem, vt testatum omnibus relinqueret, idoneum ad Ecclesiæ gubernacula moderanda, fore neminem, qui amoris, & caritatis sale destitutus esset, coram cæteris discipulis, qui tunc aderant, ter Petrum compellat, & quasi illum examinare, & quasi ponderare volens sic interrogat, *Simon Ioannis diligis me plus his?* cumque ille non semel respondisset, *tu scis Domine quia amo te*: subiecit CHRISTVS, *pasce oues meas*, illumque sic examinatum, cæteris omnibus præfecit, ac totius Ecclesiæ caput constituit. vbi non indiligenter obseruandum est, non interrogasse Christum tantum, num se Petrus diligeret, sed initio statim adiecisse, num plus cæteris diligeret; quod Petrus proculdubiò de se fateri sine temeritate non poterat, neque enim quæ aliorum merita, quæ cordis secreta essent penetrabat; nimirum, sic volebat CHRISTVS ostendere, eum,

A qui alijs præficiendus esset, plus etiam cæteris amare debere.

Et quamuis id de se Petrus fateri verbis non sit ausus, ostendit tamen aliquando factis. est enim hæc non obscura amoris proprietas, vt tanquam pondus amantem ad amatum pertrahat, eique tandem iucundissimè copulet. hinc Augustinus, *amor*, inquit, *meus, pondus meum, illo feror, quocumque feror*. vndè fit vt quantò maius est amoris pondus, tantò maiore impetu, ad rem, quam amat, feratur. & hoc præ cæteris suo exemplo ostendit Petrus; cùm vidisset enim nocte illa, qua grauiter tempestate iactati medijs maris Galilææ fluctibus fuerant Apostoli, Christum super vndas ambulantem, amicam Christi vocem præsentiens, cæteris timore exanimatis, ipse moræ impatiens confestim rogat; *Domine si tu es, iube me ad te venire super aquas*, & facta sibi à Christo potestate, ilicò descendit in mare, & ambulabat super aquam vt veniret ad IESVM; &, ô incredibilem vim amoris! quamuis naturæ timore correptus mergi se videret, amoris tamen magnitudine, & desiderio accedendi ad Christum, quanta poterat charitatis vi contendens clamauit dicens: *Domine saluum me fac*; factumque est vt superato corporis pondere, vicerit Christi amor, quo tanquam nobiliore, ac superiore pondere delatus, tandem Christi, quem summoperè optabat, pedes lætus attigit, meliore amoris pondere, pondus corporis exsuperante; cùm extendens C manum IESVS apprehendit eum, & suo lateri adiũxit lege cap. decimumquartũ Matthæi, idemque iterum accidit Petro, cùm à Ioanne audisset, Dominum esse eum, qui visebatur ad littus capta iam magna piscium multitudine; proiecit enim se Petrus in mare, cæteris postea remorum auxilio venientibus, quæ omnia ostẽdunt quantus esset Petri amor in Christum, & quantum præ cæteris in illum charitatis impetu ferretur.

6. *Petri charitas.*

Vt verò clariùs adhuc amoris necessitatem summam in Prælatis agnoscas meminisse oportet: proditum esse memoriæ 3. Regum 7. 27. bases illas æneas, in quibus lutheres illi statuebantur in templo Salomonis inter coronulas, & plectras, tria hæc continuisse insculpta, leones, & boues, & Cherubim.

7.

D Equidem arbitror dubitare neminem instar basium esse in Ecclesia Prælatos, ac Doctores, cùm sustentare habeant populos suæ curæ commissos, ergò rectè censebimus si per illa tria, quæ insculpta erant prædictis basibus, intelligi dicamus, tres virtutes, quibus ad suffulciendum, sustentandumque Ecclesiæ pondus ij ornari debent, tanquam Ecclesiæ Bases quædam, qui alios docent, vel Ecclesiæ præsunt, nimirum, sapientiam, fortitudinem, & perseuerantem laborum tolerantiam, quarum prima per Cherubim, altera per leonem, tertia per bouem rectè significatur.

Prælatibus Ecclesiæ.

Quibus virtutibus ornari debeãt.

Has porrò virtutes etiam Cicer. pro lege Manilia Imperatori necessarias omninò censet: *Hæ sunt virtutes*, inquit, *Imperatoria, labor in negotijs*, en bouem, *fortitudo in periculis*,

en leo-

en leonem, *quid enim fortius leone*, Iud.decimoquarto, industria in agendo, en tibi sapientiam per Cherubim designatam. & hæc quidem sapientia in reliquis duabus virtutibus. patientia videlicet, & fortitudine elucere debet, non tamen sola, sed cum voluntate ad patiendum coniuncta, & fortiter prompta; quam sapientiam sola secum charitas, habere potest; nam illa sapientia, quæ neque fortis est, neque laboris patiens, parum ad rem nostram facit. De reliquis ergo duabus virtutibus dicamus; ac quomodo à charitate pendeant paucis declaremus, nam si has teneamus, cum charitate etiam sapientiam tenebimus.

8. *Iacob Patriarcha charitatis & patientiæ exemplar.*

Principiò amoris indefessus labor Iacob Patriarchæ exemplo apprimè declaratur. vehementer ille diligebat Rachel, & quidem adeò, vt præ amoris magnitudine, viderentur ei pauci fuisse dies illi, quibus per quatuordecim annos seruierat Laban. quo quidem tempore, quot, quantaque incommoda passus fuerit ipse de se testatur, Genes. 31. 40. *diu noctuq; æstu vrebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*. En tibi quantæ sint amoris vires ad patientiam, & diligentem laborum perpessionem, vt verissimum sit illud Gilberti Abbatis serm. 26. in Cantica; *charitati innatam esse sollicitudinem quandam, & quod Apostolus ait, nunquam esse charitatem ociosam*; sed nihil hac in parte clariùs afferri potest exemplo CHRISTI Domini, qui cùm tantoperè discipulos suos diligeret, ea nocte, qua cum ipsis erat in horto, quando ter Patrem non sine lacrymis, & sanguinis sudore orauit, non semel tantum, sed iterùm ac tertiò venit ad discipulos suos magnam illorum gerens curam, ne in laqueum, & tentationem Diaboli incidérent. quo vel vno exemplo non obscurè discimus quantas vires habeat charitas ad sollicitè præcauenda mala, ad solerter, sagiciterque procuranda ea, quæ ad salutem siue nostram, siue aliorum necessaria sunt. neque enim cessat vnquam amor, ni prius ad quæ magno impetu fertur, bona assequatur. est ergò verissimum charitatem necessariam esse Prælatis, quorum propria est sollicitudo Ecclesiarum, cùm hæc sine illa vel stare, vel perseuerare non possit.

Sed maximè Christum.

9. *Prælati boues.*

Et hæc quidem satis ostendunt Prælatos boues esse debere, ideſt industrios, & laboriosos. sed præterea pro virili contendendum est illis, vt leonis etiam fortitudinem, laborum tolerantiæ, ac sollicitudini addant, quod non alia ratione cõmodius assequentur, quàm si augendæ charitati magis ac magis studeant. illa enim est quæ fortes, & intrepidos ad adeunda pericula cùm opus est, atque infractos efficit.

Ad rem hanc confirmandam satis sunt ea, quæ de charitate scribit Apostol. 1. ad Corint. cap. 13. *charitas omnia suffert, omnia sperat*; præsertim verò quæ ad Roman. 8. scripta leguntur; *quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius*. Et iterum: *certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neq; futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESV Domino nostro.*

Quis non rogo, animo caderet, si sibi semper aspera, semper dura ferenda esse videret? si vrgeri se plerumque, persecutionibus conspiceret, si in medio periculorum, & cruciatuum se esse ferè quotidiè cerneret? atqui hęc omnia, vna charitas non forti modò animo, verùm etiam libentissimo tolerat, & amplectitur, quod satis mihi indicasse videtur sponsa Canticor. 1. 13. dum dixit, *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*; Etenim myrrha amara quædam res est, ac proinde dura, & aspera tribulationum significat; ista tamen sponsa tanquam læta, & periucunda amoris sinu complectebatur. Audi Bernardum sermon. 43. in cantica magno charitatis studio flagrantem: *& ego*, inquit, *fratres ab ineunte mea conuersione, pro aceruo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Domini mei*. Et vide qualiter sponsa fasciculum nominet contraria omnia, quantumuis ardua mala, ac difficilia, imò & impossibilia homini, nimirum, leuia sunt hæc omnia, amanti. 10.

Omninò magna opus est Prælatis fortitudine, atq; animi magnitudine, sustinere enim ipsi debent quasi humeris totum Ecclesiastici ædificij pondus. *quis enim*, inquit Apostol. 2. ad Corinth. 11. *infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror*? præter alia mala, quæ enumerauerat eodem cap. Hanc eandem mihi rem tacitè significasse videtur Samuel, iussu Dei Saulem in primum Israelis regem inuncturus: præcepit enim coquo, vt, inuitato ad prandium Sauli, armum ouillum apponeret, quia, videlicet, ei, qui Princeps, & caput est cæterorum futurus, opus est forti, ac valenti armo, hoc est, humero ad multa toleranda, quæ regibus, & prælatis contingere solent. hinc est etiam quod Ioiadas 4. Regum 11. diadema vertici Ioas impositurus, *posuit super eum*, vt Scriptura inquit, 4. Reg. 11. 12. *diadema, & testimonium*; nam Regum coronæ, & thiaræ Pontificum onus est impositum obseruationis legis; curare enim debet non modò vt ipse legem seruet, sed etiam vt & cæteri. 11. *Prælatis opus est magna fortitudine & animi magnitudine.*

DIGRESSIO X.
MORALIS.

Ex proprietatibus salis idem declaratur.

HACTENVS Apostolos, Prælatos, Doctores, tum ratione sapientiæ, tum ratione charitatis, quæ illis inesse debent sali comparauimus: nunc age idem ex proprietatibus salis quæ præcipuæ sunt efficiamus. Et quidem de prima illa, quod amara dulcia, insulsa sapida reddat, satis dictum Digress. 8. a. num. 2. sed præter hanc alia satis etiam propria salis est proprietas, tergit enim sanguinem, & exsiccat; hinc fit vt vulneribus 1.

Sal vulneribus medetur.

medeatur. Quare qui vulnera acceperunt, sale tanquam optimum remedium adhibet, & à putredine reseruantur. *non est*, inquit Osea capit. 4. *veritas, & non est scientia Dei in terra, maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit*, quasi dicat, madet sanguine tellus. sale igitur opus est, ne penitus putrescat. *Vos*, inquit CHRISTVS, *estis sal terræ*, quibus verbis tales vult esse Prælatos terrenis, ac scelestis hominibus, qualis vulneribus est sal; iubet enim illos doctrina, exemplo vitæ, candidis moribus, instar salis nunc mordicando, nunc exsiccando, nunc detergendo fluxum sanguinum, id est, peccatorum sistere, & spiritualibus plagis loco medicinæ esse.

2. Possumus ad hanc rem illustrandam, & confirmandam illud Isai. 54. 11. huc accersere: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris.* loquitur ibi Dei filius de Ecclesia, eique pollicetur, quod cùm carnem induerit sit illam proprijs manibus ædificaturus, eiusque lapides ordine collocaturus; fundamenta verò, de quibus Ioannes Apocalyp. 21. Apostoli sunt, de quibus hic ait: *& fundabo te in Sapphiris.* hi ergò tanquam Ecclesiæ futuri Antistites, & Doctores rectè Sapphiris comparantur. non modò quia regnum, & imperium Sapphiro designatur, vt est apud Pierium videre. Et propterea Deus fortasis in montis vertice Iudæis visus est in Sapphirino considere solio, quo se Regem Regum, & Dominum Dominantium declararet; idemque significat Ezech. capit. 1. 26. testatur enim quasi aspectum lapidis Sapphiri apparuisse similitudinem throni (DEI) quod rectè quadrat etiam in Prælatos Ecclesiarum Principes; illud ad rem nostram magis facit, Sapphiro proprietatem quandam inesse sistendi sanguinem, in quo cum sale lapis iste rectè consentit. vt ergò ostendantur Ecclesiæ præsules, & Doctores, propterea in sublimi loco constitutos esse in Ecclesia, vt Sapphiri, atque adeò salis virtutem exerceant sistendo sanguinem peccatorum, & plagis spiritualibus medicinam faciendo, Dei thronus Sapphirum repræsentabat.

Apostoli & alij Sancti Ecclesiæ antistites Sapphiris comparantur & cur.

3. Est & alia salis quædam natura, & conditio, quod in se vtrumque claudit elementum ignis, & aquæ. sic enim, inquit Hilarius; *sal est vnum in se continens ignis, & aquæ elementum.* Itaque si parentes, progenitoresque salis, quinam sint roges, breuiter Respondeo ex igne illum, & aqua nasci, gignitur ex aqua in certum locum collecta, & radijs solaribus tanquam igni exposita. itaque dum hæc duo elementa quandam in se æqualitatem seruant, rectè cum illis agitur, quod si vel ignis non seruata proportione naturæ salis conuenienti excedere velit, atque aquam opprimere, vel contra si aqua velit superare ignem, illum vi sua obruendo, tollitur tunc æqualitas ratione cuius sal iustitiæ symbolum est: vt propterea ad commendandam iustitiæ virtutem factus fuerit adagio locus: *salem apponito.* quo admonemur, iustitiam, & æquitatem omni adhibendam esse negotio.

Sal ex igne & aqua nasci tur.

A quia ergò Prælati æqualitatem tenentur seruare cum omnibus, & nec fauere magis ditioribus vel principibus, quàm pauperibus, vel obscuro loco natis hominibus, ita vt non iudicent iniquitatem, & faciem peccatoris quærant; ideò rectè sali comparantur, de quo experientia compertum est, quod si in ignem iniiciatur, resiliat ilicò, parentem etiam ipsum quodammodo fugiens, cùm tollere æqualitatem vult; alioquin prævaleret ignis, aquamque destrueret, atque adeò æqualitatem tolleret, ni se sal confestim indè, hoc est, ex igne proriperet. quo docentur Iudices, & Prælati, ne ipsis quidem parentibus cedendum esse, si tollere æqualitatem iustitiæ velint.

B Verùm & aliud admirandum est in sale, quod cùm in aquam proiicitur non indè resilit, sed liquescit tamen, & in aquam soluitur; quo discant Principes, si cedant fauori, vel voluptati, & propterea à recto iustitiæ calle deflectant, defecturos esse aliquando, & veluti in nihilum, vindice Deo, abituros; mollis enim quædam res est aqua, in qua liquescit sal, vt proindè meritò blanditijs fallacibusque muneribus similis esse queat, quibus sæpè iudicum oculi excæcantur.

4. Potest & hæc ipsa proprietas salis satis commodè hoc quoque significare; debere iudices etiam pauperes amplecti, & viles à se non excludere homines, dum iustitiæ ratio id exigit, sed amplecti, sed fouere potius eos,

C qui à potentioribus oppressi iudicis officium implorant.

Aqua enim cùm ad decliuia loca fluat, & ad terram quantum potest maximè adhærescat, cui se intimè applicat, semper dum fluit, accommodatè satis ad sui naturam repræsentare poterit humiles, & abiectos, ac infimæ conditionis homines, qui cùm externis opibus, & aliorum fauore destituti sint, malè à potentioribus accipiuntur: his ergò præsto esse, ijs auxilio, ope, omnique re adesse debet iudex, & vt ab eis omnem propulset iniuriam, accuratè cauere: siout sal colliquescit in aqua, se se in illius interiora insinuans.

5. Denique nè longum faciam, etiam illud inest sali, quod cùm nihil aliud sit, quàm aqua

D solis radijs exposita, concocta, & quantum satis est concreta, duobus his, aqua nimirum & sole docet primùm qua perueniendum sit via ad summas dignitates, præsertim verò ad Ecclesiæ cathedras; deindè verò cuius auxilio, quibusque artibus in eis perseuerandum sit, ac proficiendum. Salis namque natura ratione aquæ, quæ per humilia serpit, terræque inhærens, vt paulò antè dixi nu. 4. se se eidem quantum potest inter fluendum accommodat; humilitatem aptè satis designat, per quam patere aditus debet ad Ecclesiasticas præsertim dignitates. quod vel illo Christi testimonio cóprobatur, Matth. 20. *quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester Minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus*; quod suo etiam exemplo abundè docuit Philipp. 2. *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem,*

Quomodo perueniendū ad dignitates.

mortem

mortem autem crucis; statimque subditur: *propter quod & Deus exaltauit illũ*. hæc enim est regia ad dignitatis culmen via, & prçter eam alia nulla.

6. Porrò hoc quàm sit verisimum ex illa Isaiæ quoque sententia cap. 2. 2. non erit difficilè ostendere; *erit*, inquit, *præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super omnes colles*. En tibi Ecclesiã supra montem positam; hîc Dominus sedet; hîc Apostoli; hîc, qui eos sequuti sunt Ecclesiæ præsules populos docent, quibus dicitur: *vos estis ciuitas supra montem posita*. sed quomodo ad hunc verticem montium per Ecclesiæ præsules perueniendũ sit, docet illicò Isaias; dum subdit; *& fluent ad eum oẽs gentes*. Etenim verò nemo negabit fluere proprium esse aquæ; sic enim fluuius à *fluendo* dicitur; si ergo gentes alta montium, si summa iuga petere velint, in morem aquæ fluant, ima petant, dicam clarius, humilitati studeant. sic enim per ima, & humilia quasi aquæ fluentes, Ecclesiastici montis verticem tenebunt, & inter Apostolos, cæteros que Ecclesiæ Principes, ac proceres sanctissimos connumerari poterunt à Christo Domino vocati; vt Ecclesiæ suæ gubernacula moderentur. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ; neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus*, Isai. 55. 8. mundani enim homines, ambitiosi, superbi, elati per tumidas cogitationes, & obliquas superbiæ vias, & siue iure, siue iniuria ad summi honoris, atque imperij culmen aspirant. at qui Christum tãquam antesignanum, & ducem sequi volunt, non aliter ad magnas dignitates perueniunt, quàm per humilitatis, & modestiæ viam.

7. Verùm non aquæ tantùm natura in sale spectanda est, verùm & illud non indiligenter animaduertendum, non existere salem, nisi eadem digeratur prius, ac concoquatur aqua solaribus radiis percussa, atque illustrata. qua vna re docemur eos, qui iam per humilitatem ad summum Ecclesiæ verticem euasere, non aliter posse ibi diu consistere, ac perseuerare, nisi solis iustitiæ radijs subindè illustrentur, & veluti concoquantur, quod fiet si ardentis orationis studio cçleste lumen ad se attrahant, & diuini amoris in se flammis conceptis veluti digerantur, & concoquantur. sed de sale satis dictum, parcè enim sale vtendum, in quo maximè locum habet, ne quid nimis; restat vt de sole dicamus.

DIGRESSIO XI.
MORALIS

In ea verba: *Vos estis lux mundi.* vers. 14.

1. Permissio mali principis ira diuinæ signum.

OMNINÒ grauis Dei in populos animaduersio est, dum malos, & insipientes principes permittit præesse illis, quod Ecclesiastes grauiter docet cap. 10. 5. dum ait: *est malum quod vidi sub sole quasi per errorem egrediens à facie principis: positum stultum in dignitate sublimi*. quod malum adeò detestatur vt putare videatur in nullius hominis mentem cadere posse, vt talis eligatur Princeps; sed errore A tantum obuenire. Quod verò, ait, malum hoc quasi per errorem egredi à facie principis, sunt qui intelligant per *principem*, principes, & reges mundi, qui non rarò eos ad sublimes dignitates euehunt qui insipientes sunt. Gregorius verò Taumaturgus Episcop. Neocæsariensis in metaphrasi Ecclesiastæ, per principem dæmonem intelligit; quo nomine Ioannis 12. vocatur, iuxtà quam intelligẽtiam efficitur, tale ac tantum hoc esse malum, vt iure Diabolo ab Ecclesiaste, tribuatur.

In Biblioth. Pat. tom. 3.

Contra verò singulari Dei beneficio euenit, vt ij dominentur populis, qui maximè consilio, & sapientia valent, vndè est vt non sine magno Dei munere promissum olim fuerit à Deo Ecclesiæ per Ierem. cap. 3. 15. *dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos in scientia, & doctrina*. vbi in primis constat, principes bonos Dei beneficio obtingere. deindè scientiam, & doctrinam præcipuè spectari in principe debere; ita enim fiet, vt iuxta cor Dei pascant populos suæ curæ commissos; nihil enim magis repugnare videtur bonæ gubernationi, quàm temeritas, & cæca ignoratio rerum, cum prauis, & inordinatis animi morbis, & affectibus coniuncta. Quæ enim præcepta præscribat is, qui insipiens est? quæ remedia morbis adhibeat insipiens? quod leuamen malis? imò verò quis ferre possit eiusmodi hominem fatuum, & insipientem? Ecclesiastici sanè iudicio capit. 22. 18. arenam, & salem, & massam ferri, facilius est ferre, quàm hominem imprudentem, & impium. vndè apud Oseam insipienti Sacerdoti dicitur; *quia tu sapientiam repulisti, repellam & ego te, ne sacerdotio fungaris mihi*. Homini namque ignaro, ac rudi, & imprudenti, regi potius conuenit, non regere; tacere, non loqui; obedire magis, non imperare. Rectè sanè Apollo rogatus quod remedium adhibendum foret homini inscitia laboranti? respondit, silentium. meritò, nam *stultus si tacuerit sapiens reputabitur*. Princeps ergò si sapiens est tacere non poterit; si insipiens, & stultus, silentium illi præcipitur iuxta Apollinis oraculum. igitur si tacendum est illi, nihil eorum efficere poterit, quæ boni Principis sunt; nihil eorum quæ Paulus 2. ad Timoth. 4. Præsuli facienda præcipit: *prædica verbum, argue, obsecra, increpa*: neque enim tacendum est Prælato, alioquin non sine graui dolore dicturus est aliquando; *væ mihi quia tacui*. Repugnat ergò omninò, vt insipiens imperet. cui meritò præcipitur silentium tanquam oportunum suę ægritudinis, hoc est, inscitiæ, remedium.

2. Bonus princeps magnũ Dei beneficium.

Cùm igitur tanti momenti sit sapientia in eo, qui gubernaturus est. meritò CHRISTVS Dominus ædificaturus Ecclesiam à luce inchoare opus suum voluit, illi pastores præponens, qui ita illustres essent sapientia, vt meritò instar solis lux mundi forent. & sicut qui domum aliquam cõstruit, statim fenestras lucis aperit, ita Christus summus Architectus conditurus Ecclesiam à fenestris aggressus est, aperiens illi fenestras lucis, id est, Prælatos illi constituens, qui egregiè instructi alios suæ luce sapientiæ illustrarent.

3.

4. Ægyptijs olim hoc symbolo principes, videlicet reges signare mos erat. repræsentabant enim illos virga, seu sceptro oculato, quod oculatissimus esse debeat Princeps, *virgam vigilantem* Ieremias à Deo sibi aliquandò ostensam scripsit cap.1.11. quod mihi symbolum rectè cum prædicto Ægyptiorum symbolo conuenire videtur; nam quid rogo aliud est *virga vigilans*, quàm oculatum, & attentum semper sceptrum? talis ergo esse debet Princeps, attentus, industrius, oculatus, circumspectus, vigilans; quæ omnia summam in Principe sapientiam requirunt.

Ægyptij sceptro oculato principem designabant.

5. Eandem rem sapientissimè confirmat Diuus Gregorius lib.30.moralium cap.3.& 4. illud exponens Iob. *quis dedit gallo intelligentiam, galli nomine*, inquit cap.3. *designantur prædicatores Sancti, qui in tenebris vitæ præsentis student venturam lucem prædicando quasi cantando nunciare? dicunt enim: nox præcessit, dies autem appropinquauit. qui vocibus suis somnum nostri corporis excitant, clamantes: hora est iam nos de somno surgere. & rursum euigilate iusti, & nolite peccare. de hoc gallo rursum scriptum est: Gallus succinctus lumbos* (Prouerb.30.31.) *id est, prædicatores sancti inter huius noctis tenebras verum mane nunciantes. qui succincti lumbos sunt, qui à membris luxuriæ fluxa restringunt. in lumbis quippè luxuria est: vndè & eisdem à Domino dicitur* (Lucæ 12.) *sint lumbi vestri præcincti*: cap.verò quarto tria colligit, quę inesse debent Christiano Doctori ex galli intelligentia deprompta: Primùm his verbis notat ipse Greg. *intelligentia*, inquit, *doctorum, tantò esse subtilior debet, quantò se ad penetranda inuisibilia exercet, quantò nil materiale discutit, quantò & per vocem corporis loquens omne quod est corporis transit. quæ profectò nullatenus summis congrueret, nisi cantanti eam gallo, id est, prædicanti doctori ipse summorum conditor ministraret. intelligentiam quoq; gallus accepit, vt prius nocturni temporis horas discutiat, & tunc demum voces excitationis emittat: quia videlicet Sanctus quisque prædicator in auditoribus suis prius vitæ qualitatẽ considerat; & tunc demum ad erudiendum congruam vocem prædicationis format. quasi enim horas noctis discernere, est peccatorum merita discernere. quasi horas noctis discernere est actionum tenebras apta increpationis voce corripere. gallo itaque intelligentia desuper tribuitur: quia doctori veritatis, virtus discretionis vt nouerit quibus, quid, quandò, vel quomodo inferat, diuinitus ministratur. non enim vna eademq; cunctis exhortatio conuenit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. sæpè enim alijs officiunt, quæ alijs prosunt. nam & plerumque herbæ, quæ hæc animalia reficiunt, alia occidunt; & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat: & medicamentũ quod hunc morbũ imminuit, alteri vires iungit: & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat; pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum, vt & ad sua singulis congruat, & tamen à communis ædificationis arte nunquam recedat. quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi quasi quædam in cythara tensiones stratæ chordarum? quas tangendi artifex, vt nõ sibimetipsis dissimile canticum faciat, dissimiliter pulsat. & idcirco chordæ consonã modulationem reddunt; quia vno quidem plectro, sed non vno impulsu feriuntur. vndè & doctor quisq; vt in vna cuncta virtute charitatis ædificet ex vna doctrina, non vna, eademque exhortatione tangere corda audientium debet.* quod ipse Gregorius pluribus postea docet.

Prædicatores galli, & quomodo.

Subdit deindè alterum Prælatis necessariũ, quod ex intelligentia item galli colligitur: *habemus*, inquit, *aliud, quod de galli intelligentia cõsiderare debeamus, quia profundioribus horis noctis, valentiores, ac productiores edere cantus solet: cùm verò matutinum iam tempus appropinquat; leniores, & minutiores omninò voces format. in quib. galli huius intelligentia quid nobis innuat cõsiderata prædicatorũ discretio demõstrat: qui cùm iniquis adhuc mentib. prædicant, altus, & magnis vocibus æterni iudicij tenores intimant; quia videl. quasi in profunda noctis tenebris clamant. cùm verò iã auditorũ suorũ cordibus, veritatis lucẽ adesse cognoscunt, clamoris sui magnitudinem in lenitatẽ dulcedinis vertunt: & nõ tam illa, quæ sunt de pœnis terribilia, quàm quæ sunt blanda de præmijs proferunt. qui etiam minutis tunc vocib. cantant, qui appropinquante manè, subtilia quæq; de mysterijs prædicant, vt sequaces sui eò minutiora quæque de cælestibus audiant, quo luci veritatis appropinquant, & quos dormientes lõgus galli clamor excitauerat, subcisior vigilãtes delectet: quatenus correcto cuilibet de regno cognoscere subtiliter dulcia libeat, qui prius aduersa iudicij formidabat;* quod benè per Moysen exprimitur, *cùm ad producendum exercitũ tubæ clangere concisius iubentur. scriptũ namque est* (Num. 10.) *fac tibi duas tubas argenteas ductiles. & paulò pòst: cum concisus clangor increpuerit, mouebũtur castra. per duas.n. tubas exercitus ducitur, quia per duo præcepta charitatis ad procinctũ fidei* (hoc est, ad æterna bona, ad quæ speranda, & credenda fide præcingimur, & armamur, sic enim intelligo ad procinctũ fidei) *populus vocatur, quæ idcircò argenteæ fieri præcipiũtur, vt prædictorum verba lucis nitore pateãt, & auditorum mentẽ nulla sui obscuritate confundant. idcircò autem ductiles quia necesse est vt hi, qui vẽturam vitã prædicant, tribulationum præsentium tunsionibus crescant. benè aũt dicitur cùm cõcisus clangor increpuerit mouebuntur castra: quia nimirum prædicationis sermo cùm subtilius, ac minutius agitur, auditorum corda, contra tentationum certamina ardentius excitantur.*

6.

Tandem adiungit tertiũ Greg. ex his tribus, q̃ doctoribus & prælatis inesse debẽt, ex eadem Galli desumptũ quoq; intelligentia. ait ergò: *est adhuc aliud in Gallo solerter intuendũ, quia cùm iam edere cantus parat, prius alas excutit, & semetipsum feriens vigilantiorem reddit. quod patenter cernimus, si Sanctorum prædicatorum vitam vigilanter videmus. ipsi quippè cùm verbum prædicationis mouent, prius se in sanctis actionibus exercent, ne in semetipsis torpentes opere, alios excitent voce: sed ante se per sublimia facta excutiunt, & tunc ad benè agendum alios sollicitos reddunt. prius cogitationum alis semetipsos feriunt: quia quidquid in se inutiliter torpet, sollicita inuestigatione deprehendunt, districta animaduersione corrigunt. Prius sua punire fletibus curant; & tunc quæ aliorum sunt puniẽda denunciant. prius ergò alis insonant, quàm cantus emittant: quia antequam verba exhortationis proferant, omne quod locuturi sunt, operibus clamant, & cùm perfectè in semetipsis vigilant, tunc dormientes alios ad vigilias vocant, &c. quia ergo laus tanta intelligentiæ non prædicatoris virtus est, sed auctoris, rectè per eundem auctorem dicitur: quis*

7.

dedit

8. Doctorū non docentium grane peccatum.

delit gallo intelligentiam : ac si diceret, nisi ego, qui doctorum mentes, quas nurè ex nihilo condidi ad intelligenda quæ occulta sunt, mirabilius extruxi; tanta sapienter Gregor. quibus constat quàm necessaria sit sapientia, & intelligētia doctoribus, & Ecclesiæ principibus. Verùm idē Gregor. par. 3. pastoral. admonit. 26. pluribus declarat quàm magnum scelus committant prælati & doctores, qui prædicare, ac docere suos, eosque cùm oportet corrigere, negligunt. sic enim scribit : *si indigentibus proximis ipsi* (prælati ac doctores) *quas habent pecunias absconderent, adiutores procul dubio calamitatis extitissent. quo ergò reatu constringantur aspiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt; morientibus mentibus vitæ remedia absconunt. vndè & benè quidem Sapiens dicit* (Ecclesiast. vigesimo) *Sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in vtrisque? si populum fames attereret, & occulta frumenta ipsi seruarent; auctores procul dubio mortis existerent, qua itaque plectendi sunt pœna considerent, qui cùm fame verbi animæ pereant, ipsi panem percepta gratiæ non ministrant. Vndè & benè per Salomonem dicitur*, Prouerbior. vndecimo, *qui abscondit frumenta maledicitur in populis. frumenta quippè abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. in populis autem talis quisque maledicetur : quia in solius culpa silentij pro multorum, quos corrigere potuit pœna damnatur. si medicinalis artis minimè ignari secandum vulnus cernerent, & tamen secare recusarent; profectò peccatum fraterna mortis ex solo torpore committerent. quanta ergò culpa inuoluantur aspiciant, qui dum cognoscunt vulnera mentium curare negligunt ea sectione verborum. vndè & benè per Prophetam dicitur* (Ierem. 48.) *maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. gladium quippè à sanguine prohibere, est prædicationis verbum à carnalis vitæ interfectione retinere. de quo rursum gladio dicitur: & gladius meus manducabit carnes &c. Audiant* (isti) *quod talentum qui erogare noluit* (Matthæ. vigesimoquinto) *cum sententia damnationis amisit. Audiant quod Paul.* Actorum vigesimo, *eo se à proximorum sanguine mundum credidit, quo feriendo eorum vitijs non pepercit : dicens; conteſtor vos hodierna die; quia mundus sum à sanguine omnium vestrum, non enim subterfugi, quominus annunciarem omne consilium Dei vobis &c. audiant quod Moyses cùm irascentem Deum populo cerneret, & assumi ad vlciscendum gladios iuberet, illos à parte Dei denuntiauit existere, qui delinquentium scelera incunctanter ferirent; dicens* (Exod. 32.) *si quis Domini est iungatur mihi : ponat vir gladiū super femur suum. ite, & redite de porta vsq; ad portam per medium castrorum; & occidat vnusquisque fratrem suum; & amicum & proximum suum. gladium quippe super femur ponere, est prædicationis studium voluptatibus carnis anteferre; vt cùm sancta quis studet dicere; curet necesse est illicitas suggestiones edomare; de porta verò vsq; ad portā ire est à vitio vsque ad vitium, per quod ad mentem mors ingreditur, increpando discurrere. Per medium verò castrorum transire, est tanta æqualitate intra Ecclesiam viuere, vt qui delinquentium culpas redarguit, in nullius se debeat fauorē declinare. Vndè & rectè subiūgitur: Occidat vir fratrem, & amicū, & proximum suum, fratrem scilicet, & amicū, & proximū interficit, qui cùm punienda inuenit ab increpationis gladio, nec eis, quos per cognationem diligit, parcit. Si ergo ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia, zelo diuini amoris excitatur: profectò esse se Dei denegat, qui in quantum sufficit, increpare vitam carnalium recusat.*

9. Doctrinæ bonum ex emplum ad imitandum.

Cæterum doctrina sine exemplo parum prodest. qui enim ad virtutem excitant & exhortantur, sed in eam non incumbunt, similes illis sunt, qui pręmungunt lucernam, sed oleum nequaquam infundunt, & vt lucerna vna alteram incendere non potest si illa fuerit extincta : sic concionator alios non inflammabit amore diuino, si ipse fuerit lumine eiusdem amoris destitutus. non tamē me fugit fieri posse vt Deus per vnum flagitiosum concionatorem si velit, peccatores conuertat. nam vt herus per famulum iniquum bonā aliquādo porrigit eleemosynam; sic Deus ministerio scelerati hominis potest ad se impios allicere. nihilominus tamē det operam, vt careat omni vitio, & vitia vituperet. Forcipes, & emunctoria, quæ erant in tēplo Salomonis, quibus lampades emungebantur, ex auro erant purissimo, ad significandam eorū puritatē, qui aliorum immunditias purgare tenentur. *væ illis*, inquit, Hector Pinctus in c. Isa. 56. *qui dignitatem ad suam perniciem quæsierunt. vt enim vermiculus sericarius admirabili labore, & industria conficit sericum, & nesciens construit casulam, in qua constructa cōmoritur, & suum proprium sepulchrum condit : sic qui dominandi cupiditate inflammati falsos honores quærunt, sibimetipsis nesciētes infamem, æternamq; perniciem moliuntur.* res enim hæc magni periculi plena est, ad quā nemo accedat, nisi à Deo vocatus tanquā Aarō, & cum timore, atq; ingenti animi submissione: nè fortè dum quis in altum euectus est, præcipiti casu corruat. *Quarè quemadmodum signum in sublime, & in publicum expositum, nè ventorum impulsuū flatibus corruat, necesse est vt funibus, aut clauis, aut vectibus firmetur: ita de vnoquoque homine in cathedra Ecclesiasticæ dignitatis constituto, hoc idem censendum esse non ambigo*: inquit idem Hector Pinctus, in c. 20. eiusdem Prophetæ: *idq; eò accuratius quò signo insensibili pretiosior est homo, casus maior, pernicioſiorq; ruina; nam si deijciatur, vel labatur signū, aliud absq; alicuius detrimento, vel scandalo loco sui erigitur. Non autem sic de homine in regimine posito. si enim suam transgreditur professionē, aut delinquat publicè, notorium Ecclesiæ infert scandalum, derogat dignitati, authoritatem adimit regimini, præbetq; exemplum delinquendi ijs, quibus formam virtutis exhibere debuerat.*

Quarè cùm tot, ac tam multa necessaria sint Prælato, in quem totius populi coniecti sunt oculi, quandoquidem in excelso positus est loco, meritò ac iure optimo Christus Dominus voluit suos prelatos, & doctores alorū lucē esse ac veluti soles quosdā Ecclesię; vt, nimirū, intelligant, quemadmodum solis luci duo inter cætera insunt, lucere, & ardere, ita probi esse doctoris lucere, & ardere; *lucere enim tantum*, vt ait Bernardus serm. de natiuitate Baptistæ, *est vanum, ardere tantum est parum, lucere simul, & ardere perfectum.* Porrò lucet is tantùm qui solū docet: tantùm ardet, qui licèt alios non doceat, charitate tamen flagrat : lucet simul, & ardet qui doctrina, & charitate præest, & tales suos vult esse prælatos, & doctores Dominus, & propterea lucem illos mundi nominat.

DIGRESSIO XII.
MORALIS

De Remedijs iræ, in ea verba vers. 22. *Ego autem dico vobis, quia omnis qui iracscitur fratri suo &c.*

1. *Ira crudelis bestia.*

NVLLA est crudelior, & immanior belua impotentis hominis ira; nam vt rectè Chrysost. animaduertit, iracundum hominem alloquens, sic ait: *leonem quidem mitigas, reddisq; tractabilem, furorem verò animi tui efficis omni prorsus leone sæuiorem. & certè cùm in mitigando leonem sint duo impedimenta, vel maxima, quod fera ipsa, & ratione priuatur, & longè omnium alterius generis animalium excedit furorem, tamen de copia tibi donata à Deo sapientia ipsam superas atrè naturā. qui igitur naturam vincis in bestijs, cur in te ipso naturæ obfuscas bonum dum malum adamas voluptatis? Itaq; si te vt alium hominē mansuefaceres iuberem, nihil hic quidem impossibile videretur imponere: quamquam excusare posses, non te esse Dominū voluntatis alienæ. nunc verò tua hac propriè fera est. qui feras ad mansuetudinis prouehis dignitatem, temetipsum de throno deijciens, & honore regali ad irrationalium cogis furorem. Ponamus. n. iram bestiam quandā esse. Quantum igitur ab alijs erga mitigandum leonē studium cōmodatur, tantam tu erga iracundiam impende curam; & effice huiusmodi cogitationem mitem, atq; mansuetam, siquidem hæc fera, & vnguibus sauissimis armatur, & dentibus: & nisi illam sollicitè mansuefeceris, cuncta simul disperdet, atque lacerabit. nullus enim leo, nulla sic vipera viscera queūt humana laniare, vt hominis iracundia, ferreis quibusdā vnguibus vniuersa cōfodiens.* Igitur tantam volens à nobis Christus auertere iracūdiæ immanitatem, ait; *ego aūt dico vobis, quia omnis, qui iracscitur fratri suo, reus erit iudicio: qui dixerit Racha, cōcilio; si fatue, gehennæ ignis.* &, *si ergo offers munus tuū ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersū te* &c. *Vade priùs reconciliari fratri tuo,* &c. hinc Bernar. l. de præcep. & dispensati: *interrogatis,* inquit, *quidnā consulā homini, qui aduersus quēpiā cōmotus fuerit: sed non adeò vt eū ladere ipse velit: adeò tamē vt libenter accipiat, si quomodò aliunde ladi cōtingeret: sit ne videlicet tutū ita cōmotū accedere ad altare; an se subtrahere interim debeat, donec cōpescatur cōmotio. nunquā mihi contingat turbatū ad pacis accedere sacrificiū, cum ira, & disceptatione cōtingere sacramentum, in quo Deus indubitāter est mundū reconcilians sibi. certè nō recipitur munus quodcunq; meum, quod defero ad altare, nisi ante placato fratre, quem me fortè lasisse meminero; quantò minus si meipsum non placuero priùs?*

1. *Iracundiæ remedia.*

Propterea nō ab re erit aliqua hic remedia attexere curandæ iracundiæ, vel certè mitigandæ oportuna, sit igitur primū & quidē magnas vires habens. vis iram extinguere? iram perpende Dei, & solerti cogitatione vide quæ minetur Deus iracscentibus supplicia; ait enim: *erit reus iudicio, reus concilio, reus gehennæ ignis.* Quis non hæc audiens toto contremiscat corpore? vidit Ieremias c. 1. 13. ollā succensam; cùm paulò antè v. 11. virgā vigilantē sibi ostensā affirmasset; & quid quæso aliud est immodicè exsurgens, & ebulliens ira in irati hominis corde, quā olla, dæmonis præsertim flatu succensa? Quid verò aliud virga vigilans repræsentat, quàm iustum Dei vltionē, & terribile iudicium illis imminens, qui in modum feruentis ollæ fratribus iracscuntur, nullo freno, nullis repagulis truculentam iram cohibētes? & meritò iudex iracscitur, quia nihil esse indignius potest, quàm fratri, id est, eodē Patre Deo in baptismo genito nolle parce, sed implacabili odio iniuriam vellē facere, *non sit turgium,* cùm dixisset Abrahā Lot b nepoti suo Gen. 13. 9. *inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos;* eam rem confirmasse satis sibi visus est, dum hanc solam subiecit rationem: *fratres enim,* inquit, *sumus;* cur igitur inter Christianos non multò magis hoc valeat ad extinguendum omnem prauæ iræ motum, quod vno, eodemque Deo nati, & per baptismum regenerati vnius matris Ecclesię gremio contineantur?

3.

Alterum remedium est charitas in Deum; quò enim maiori amoris vinculo cum Deo iungimur: eò magis nobis vnimur. quam rem sapienter docet Dorotheus hoc exemplo doctrina sexta ne proximum iudicemus: *circuli ii,* inquit, *fingite mundum esse, centrum autem circuli Deum, lineas autem in medium deductas vias credite varias, negotiationesq; mortalium. quò magis penetrant Sancti viri ad interiora vt Deo appropient per rationem ingressus, eò magis appropiant Deo, & sibi ipsis, quantoq; sibi ipsis, tantò & Deo, & quantò vicissim iores fiunt Deo, tantò & sibi ipsis. considerate item recessum, & elongationem; cùm sc. recedunt à Deo, & ad exteriora se effundūt, quantò magis à Deo recedūt tantò & à se ipsis, & quantò à se ipsis absunt, tantò à Deo. hæc est enim charitatis vis & natura. quò enim magis à Dei dilectione recedimus, eò & à proximi amore distamus; quātò Dei amori adhærenus, tantò & proximi; quātoq; proximo, tantò & Deo.* sic Doreth.

4. *Ira initio obsistendū.*

Tertium remedium sit, vt initio statim occurrentes, pullulantem iram suffocemus, nec foras prodire sinamus; hoc autem est malè arboris radicē excindere; radix enim eius est ira intra præcordia latens, antequam vel in contumelias, vel in iniurias erumpat; vel quod peius est, ad atrox aliquod facinus patrandum prodeat. qua in re imitari debemus Dauidis robur, & animi magnitudinem, qui sic de seipso testatur 1. Reg. 17. 34. 35. *venieb at leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos* &c. *& apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamq; eos.* non est vrsæ vel leonis sæuitia, cùm hominis iracundiæ flammis incensi atrocitate conferenda, sed hac illa multò inferior, cùm non animas, sed sola corpora laniet, & discerpat: hæc verò vtrumque perdat. Itaque cùm tale quidpiam in se Christianus experitur, & commoueri se sentit ad iram, principijs obstet, & instar Dauidis aduersus exsurgentem indomitam hanc bestiam & foras iam suum venenum effundere parantē insurgat, eiusque mentum, id est, initia apprehendens, dum adhuc est in corde suffocet penitus, atque interficiat, ne fortè inualescens, dum foras exire permittitur, atrocius debacchetur; & cùm sanguinem, cædesque semper anhelet, talia cōmittat mala, quibus posteà vel fieri medicina nō possit; vel reparari, quæ sequūtur damna, non queant.

5.

Apud Sanctissimum Iob. c. 38. 10. 11. sic Deus loquitur de mari; *circumdedi illud terminis meis, & posui*

Ira immoderatum pelagus.

& posui vectem, & ostia. & dixi vsque huc venies, & non procedes amplius, hic confringes tumentes fluctus tuos. quasi inundans mare profundum, & immensum ira est, & diuersis, truculentisq; cogitationibus quasi magna ventorum vi agitare totum, atq; turbare hominẽ solet, & efferuescens quodam quasi æstu, quicquid aduersatur, conatur obruere. hoc ergò mare intumescere cùm incipit, terminis rationis obuallandum fortiter est, & ne illos transiliat, ac supergrediatur, diligenter cauendũ; quin audire etiam compellatur iubentẽ Deum, *huc vsque venies, & hic tumentes cõfringas fluctus,* hoc est, nè à me positos rationis terminos excedas. itaq; prudenti sapientũ cõsilio monentur irati antequã quidquã designent, dicant, faciant ratione adhibita expendere omnia, & nè quid contrà Dei iussa committant, diligenter aduertere. Vt enim Nautæ præsentientes tempestatem, anchoris firmant naues: ita priusquam ingruat tempestas iracundiæ, ratione firmandus animus, & in diuersum nitendum. vt Pluth. in moralibus ait.

6.

Quarto loco efficacissimum remedium est virtutis mansuetudinis bonum, præstantiam, & efficacitatem perpendere; præsertim verò, vt cętera omittam, quod faciat hominẽ quolibet vrbium expugnatore præstabiliorem; velut enim quodam plusquam regio diademate insignire solet eum, qui sui victoria illustris est; eumque regem, & totius terræ, non huius modò quam pedibus calcamus, sed cœlestis etiam cõstituit Dominum: quod non alio, quàm Christi testimonio corroboratur. *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.*

7. Lenitas Abrahæ.

Et verò idem clarissimis duobus exemplis è Scriptura petitis illustrare possumus; alterum est ex Genesi 13. cùm enim lis, & contentio inter pastores gregum Abraham & Loth coorta fuisset; allocutus est Abraham, Loth nepotem suum; *ne quæso sit iurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos, fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coram te est: recede à me obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* eleuatus itaque Loth oculis, *vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomam, & Gomorrham, sicut paradisus Domini, & sicut Aegyptus venientibus in Segor.* elegitq; sibi Loth regionem circa Iordanem. Diuortium porrò hoc inter Abraham à Loth ex animorũ coniunctione profectum est. Maluit enim vir mitissimus Abraham corpore à nepote separari, quàm occasionem præbere aliquam litis illius, quæ inciderat inter vtriusque gregum pastores. Itaque vt corporum hæc fuerit diuulsio, animorum certè summa coniunctio fuit. qua in re est quòd mirêre, Abrahã lenitatem, & mansuetudinem. permisit enim vt liberè Loth quamcumq; vellet terræ partẽ eligeret, sibique haberet: cessit potioribus, deterioribus ipse cõtentus ne pacis fœdera violaret, ne amicitiam rumperet, ne nepotis animũ exulceraret, omni prorsus ira immunis & vacuus; sciebat enim sapientissimus vir eos qui volunt diuites fieri, incidere in tentationẽ, & in laqueũ diaboli, & in cõtentiones, & rixas. sed vide, propter hãc incredibilẽ animi lenitatẽ, & mansuetudinem quantò plura & maiora lucratus fuerit præ illis quæ vltrò nepoti dimiserat; sic. n. legimus eodẽ c. Gen. v. 14 *dixitq; Dominus ad Abraham postquã diuisus est ab eo Loth: leua oculos tuos, & vide à loco in quo nunc es, ad Aquilonem, & Meridiem, ad Orientem, & Occidentem. omnem terram quam conspicis tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum.* O summam mansuetudinis vim & efficacitatem, quia propter bonum pacis nõ curauerat Abrã meliorẽ terræ portionẽ: factꝰ est amplissimæ terræ Dominus, quã se posteris eius daturũ fore firma fide promiserat Deus; Et ita loco vnius, nec satis amplæ, quam amiserat, terræ, triplicẽ lucratus est, corporis, videlicet, sui, nam homo mitis, & lenis oẽs corporis sui affectus facilè in officio retinet, cùm animo suo dominetur. Deindè etiam & huius, quã calcamus, terræ factus est in posteris Dominus; & post lucis huius tranquillam, & pacatam vitã, denique cœlestem assecutus est terram, nimirum, vt intelligeremus verissimam esse Christi sententiam qua beatos mites ideò prædicauit, *quoniam ipsi possidebunt terram.*

8. Mansu Dauid.

Sed alterum non minus illustre facilitatis, & lenitatis exemplum nobis Dauid suppeditat de quo legimus: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* is cùm in cauernam quãdam, in qua Saulis sæuitiem fugiens latitabat, Saul eius inimicus nescio qua de causa ingressus esset, & posset nullo negotio eum interimere, & de eius tandem manibus liberari, ad quod etiam sociorum suasione vrgebatur, noluit tamen, quamuis pullulantem iram præsentiret, qua ad eripiendã vitã aduersario stimulabatur. Quarè sensim, furtimque per tenebras irrepens ipsius Chlamydis oram præcidit. Dixit aũt vir mitissimus ad viros suos, vt habetur 1. Reg. 24. 7. *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, vt mittam manum meã in eum;* nec hoc solo cõtentus, confregit viros suos sermonibus, & non permisit eos vt insurgerent in Regem. Verùm egressus è spelunca Saulem intuitus clamauit post tergum eius, vt Scriptura loquitur, dicens; v. 9. *Domine mi Rex, & respexit Saul post se: & inclinans se Dauid pronus in terrã adorauit,* & protensa manu orã chlamydis cõ ã omnibus ostentãs, *Pater mi,* inquit v. 12. *vide, & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea; quoniam cùm præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te. anim. aduerte, & vide quoniam non est in manu mea malum.* hac tam insigni mansuetudine cõmotus Saul continere lacrymas nõ potuit; *& nunc scio,* inquit v. 21. *quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel.* quis non admiretur hanc verborũ Saulis consecutionẽ, & ratiocinandi formã? quomodò inquies, & vnde efficitur consecuturum esse Dauidem regnum Israelis, eoq; à Deo destinari ab id solùm, quod compressa ira, mãsuetudine vsus, inimici vitæ pepercerit. at ilicò cessabit admiratio si mentis oculos ad Christi sententiã conuertas; qua mites forè Reges, ac dominatores terræ, verisimè prædicauit; quia ergò Saul tantam expertus fuerat in Dauide lenitatem, meritò inde intulit, illum verè destinari ad Israelis Regnum, illi meritò deberi terræ gubernacula, qui suos affectus iræ, ac furoris nouerat moderari.

9.

Sed illa etiam non infima medendi iræ ratio

Ira furor breuis est.

tio connumerari hic potest inter alia remedia; est autem hæc ratio: animaduertere nimirum, quàm atrox, & truculenta bestia sit ira, quàm repentè, ac turpiter hominem de statu mentis deijciat; quãtas rationi tenebras offundat. testis locupletissimus huius rei est Ambrosius in precatione ad Missam, dum sic scribit; *ira inuidiam sequitur, quia inter cætera vitia nihil asperius, nihil inuenitur amarius: quæ dum extra modum efferbuerit, atrociter mentem exulcerat, sensum hebetat, linguã immutat, oculos obumbrat, totumq; corpus perturbat; hinc protinus rixæ, contumeliæ, clamor, indignatio, tumor mentis, & blasphemiæ suscitantur.* speciatim verò de tenebris, & cæcitate, quã inducit, Chrysost. præclarè differit ho. 3. de Dauide, & Saule; *quẽadmodum*, inquit, *quamdiu nox adest, sæpè ne præsentem quidẽ amicum agnoscimus. at mox vt exortus est dies etiam eminus conspectum agnoscimus, itidem & in iracundia solet euenire. donec inter nos maleuolum gerimus animum, & vox audita nobis aliter sonat, & ipsam faciem corrupta mente aspicimus. Cæterum vbi posuerimus iram, & vox quæ priùs erat inuisa atq; hostilis, placida nobis, ac iucundissima videtur, & aspectus ipse priùs inimicus, & inuicundus, tunc fit amabilis, & iucundus. idẽ accidit in tempestate; non patitur nubiũ concursus nobis conspicuam esse cœli pulchritudinem, sed quamuis millies habeamus oculos perspicaces, & acres, nequaquam pertingere possumus ad illam supernam iucunditatem. Cæterum vbi iam radiorum calor discussis nubibus solem ostendit, rursus & cæli decorem ostendit. idem accidit in nobis ira feruentibus dum simultas velut densa nubes ante oculos, & aures stat, facit vt voces, aspectusq; videantur aliter quàm sunt.* Verè, ac Sapienter Chrys. nam vt fumus mordicans oculos, non videre permittit, quæ pedibus adiacent: sic iracundia oboriens rationem obfuscat, & quod bonum habitura mens fuerat à ratione, eo non sinit ipsam iracundia sine labore poteri ac molestia. Sed nemo melius irati hominis habitum, nemo irati, atque impotentis animi virus plenius summa cum breuitate expressisse videtur Propheta Psal. 57. 5. 6. &c. *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus, ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrens, sicut cera, quæ fluit, auferentur.*

10. Ira morbus periculosissimus.

Neq; ista mira, aut noua videri debent, cùm ira periculosissimus morbus sit; nã sicut in moralibus animaduertit Plutarch. *vt iuxta sententiam Hippocratis morbus est periculosissimus, in quo ægrotus subindè mutat oris habitum, ac sui dissimillimus redditur; ita nullus est animi morbus ira periculosior, quæ vultum, vocem, incessum sic mutat, vt idem alius esse videatur.* quam rem Seneca lib. 1. de ira, cùm ostendere vellet, rectè iram breuem insaniam dici, sic scribit c. 1. *vt furentium certa indicia sunt, audax, & minax vultus, tristis frons, torua facies, citatus gradus, inquieta manus, color versus, crebra, & vehementius acta suspiria: ita irascentiũ eadem signa sunt. Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, æstuante ab imis præcordijs sanguine, labia quatiuntur, dentes cõprimuntur, horrẽt, ac subrigũtur capilli, spiritus coactus, ac stridẽs, articulorũ se ipsos torquentiũ sonus, gemitus mugitusq;, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & cõplosæ sæpiùs manus & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasq; iræ minas agens, fœda visu, & horrẽda facies, deprauantiũ se, atq; intumescẽtiũ.* q̃ q̃so mõstrũ truculẽtiꝰ, & immaniꝰ; q̃ cruẽta magis, magisq; horribilis visu describi bellua poterat, q̃ fuerit à Seneca Phil. nõ ignobili, ira depicta?

Sed ne rem hanc sine exemplo prætereamus, attulisse vnũ illud satis sit ad iracundiæ cæcitatẽ, & vesaniã ostendendã ex 1. Reg. 20. cùm .n. animaduerteret Saul Ionatam filium suum cuius regnũ quantum fieri poterat, stabilire cupiebat, cũ Dauide amicitiæ fœdus inijsse, eiusq; rebus summoperè fauere, censens eam animorum coniunctionem, multum obesse posse ne regnaret Ionathas, grauibus verbis filium increpauit. *Fili*, inquit v. 30. 31. *mulieris virum vltrò rapientis nunquid ignoro quia diligis filiũ Isai in confusionẽ tuã, & in confusionẽ ignominiosæ matris tuæ? omnibus .n. diebus quibus filiꝰ Isai vixerit super terrã, non stabilieris tu, neq; regnũ tuũ. Itaq; iam nunc mitte, & adduc eum ad me, quia filius mortis est.* videsne lector quo dirigeret persecutiones suas, & inuidiam, quibus Dauidem persequebatur, vt stabiliret, nimirum, regnum filij, illudq; stabile, ac firmum ei relinqueret? hæc illum vna cogitatio torquebat; hæc noctes, dies, vexabat. Sed audi quid Scriptura statim post prædicta subijciat: v. 33. cùm .n. audisset Ionatham pro Dauide rogantem, *quare morietur, quid fecit?* arripuit Saul lanceam vt percuteret eum. quis non hunc hominem cæcum planè, ac de potestate mentis deiectum arbitretur? Ecce qui tantoperè stabilire filio regnum optauerat, cõfestim quasi immemor, & sui oblitus arrepta lancea illum cõfodere tentat, quo de medio sublato omnis quoq; spes stabiliendi regni sublata fuisset, & in cassum omnis eius labor, & studium ruisset. sed hæc ab eius mente, & recordatione abstulit ira, quæ illum nullo consilio ad inferendam nato mortem infeliciter vrgebat.

II.

Saulis per iram impotentia.

12. Ira à Deo sæpissimè & grauissimè prohibita.

Postremò magnum antidotum contra iram est, animaduertere quàm grauiter, quàm frequenter, quàm seriò diuina Scriptura irã damnet, tãquam rem valdè nobis noxiam, & quę animis, corporibusq; nostris plurimũ obsit. Iob 5. 2. *verè stultũ interficit ira.* & 18. 4. *qui perdis animam tuam in furore tuo.* & 36. 18. *non te superet ira, vt aliquem opprimas.* Salomon Prou. 15. 18. *vir iracundus prouocat rixas, & qui patiens est mitigat suscitatas.* & 22. 24. *noli esse amicus homini iracundo, neq; ambules cum viro furioso* & Eccl. 7. 10. *ne sis velox ad irascẽdum, quia ira in sinu stulti requiescit.* & 11. 10. *auser iram à corde tuo.* Et Prou. 17. 4 *graue est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti vtroque grauior.* Eccl. 27. 33 *ira non habet misericordiam.* & 30. 26. *ira, & furor vtraq; execrabilia sunt; & zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectutẽ adducunt.* Græcè μέριμνα cogitatus, id est, cura, & sollicitudo; & Christus apud Matt. c. 5. 22. *omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Iaco. 1. 19. *sit omnis homo tardus ad iram.* Iaco. 1. 20. *ira viri iustitiam Dei non operatur.* & Paul. Rom. 12. 19. *nõ vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ.* & Eph. 4. 31. *omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cũ omni malitia.* &, *irascimini, & nolite peccare, sol non occidat super iracundiam vestram. nolite dare locum Diabolo.*

Digitized by Google

DIGRESSIO XIII. MORALIS

In qua duæ de ira quæstiones dissoluuntur.

1. *Cur non pudeat nos iræ, cùm pudeat luxuriæ.*

NON erit ab re post præcedentem de iræ remedijs digressionem duas in hac quæstiones de eadem proponere, vt melius natura, vis, & gradus irę cognoscantur. Quæstio igitur prima sit hæc: si ira tam turpis est, & ita vt hactenùs ostensum est, hominem immutat, cur quæso inquiet aliquis, iræ nos non pudeat passim, quæ hominem in breuem insaniam ferè conuertit, quæque illum de rationis arce deturbans quasi in belluam transmutat? cùm tamen propter obscœnos corporis motus vehementer erubescamus, & eorum aspectum auersentur omnes. Altera est quotuplex irarum genus sit, vt quod maximè fugiendum sit iræ genus intelligamus. Primæ quæstioni sic occurro. ideò obscœnos corporis nostri motus erubescimus, quia nimirum partes corporis in nobis inobedientes sunt rationi, ita vt minus, quàm cæteræ obsequantur illi, nec facilè eiusdem imperio, quasi freno regi, & coërceri valeant. hac autem partium inobedientia præcipuè punita est inobedientia primorum hominum erga Deum.

2. Quam rem sapienter docuit Augustinus libro decimoquarto, de Ciuitate Dei capite decimoquinto. *meritò*, ait, *huius libidinis nos maximè pudet: meritò & ipsa membra, quæ suo quodam, vt ita dixerim, iure non omnimodo ad arbitrium nostrũ mouet, aut non mouet, pudenda dicuntur, quod ante peccatum hominis non fuerunt. nam sicut scriptum est nudi erant, & non confundebantur, non quod eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat; quia nondum libido membra illa prater arbitrium commouebat; nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat*, & c. 20. inquit: *pudet igitur huius libidinis humanam sine vlla dubitatione naturam. & meritò pudet; in eius quippè inobedientia, qua genitalia corporis membra solis suis motibus subdidit, & potestati voluntatis se eripuit: satis ostenditur, quid sit hominis illi primæ inobedientiæ retributum, quod in ea parte maximè oportuit apparere, qua generatur ipsa natura; quæ illo primo, & magno in deterius est mutata peccato, à cuius nexu nullus eruitur: nisi id, quod cùm omnes in vno essent, in communem perniciem perpetratum est, & Dei iustitia vindicatum, Dei gratia in singulis expietur.* Hæc Augustinus.

3. Iam ad iram veniamus: quærimus enim cur istarum corporis partium pudeat nos potiùs, quàm aliarum etiam cùm illæ irrationabili, & vitioso motu incitantur? nam cùm ira excandescimus, igneo rubore inflammatur vultus, eminent oculi, distorquetur os, præpeditur lingua, & plures alij, quos superiùs memorauimus, motus excitantur planè homine indigni: nec tamen propterea ita erubescimus, vt propter aspectum, vel motum etiam minimè vitiosum illarum partiũ de quibus dixi. Respõdet Aug. ꝙ in ira, vel alijs perturbationib⁹ motus membrorum, tametsi vitiosi, ferè tamen pendẽt ex imperio voluntatis: cùm tamen istarum partiũ motus, tametsi vitio careant, volũtatis tamen imperio, nec reguntur, nec mouentur: quos, cùm primi homines verecundarentur, nec possent comprimere, cùm id maximè vellent, ficulneis subligaculis nuditatem, & turpitudinem suam quàm primùm operire studuerunt. hinc natum intestinum illud, & pudendum bellum inter carnem, & spiritum. Audi iam Aug. c. 10. ea de re sic differentẽ: *quod aũt iræ opera, aliarumq; affectionũ in quibusq; dictis, & factis non sic abscondit verecundia, vt opera libidinis, quid causæ est, nisi quia in cæteris membra corporis, non ipsæ affectiones, sed cùm eis consenserit, voluntas mouet, quæ in vsu eorum omninò dominatur? nam quisquis verbũ emittit iratus, vel etiã quemquã percutit, nõ posset hoc facere, nisi & lingua, & manus iubente quodãmodò voluntate mouerentur, quæ mẽbra, etiã cum ira nulla est, mouentur eadẽ voluntate. at verò rebelles illas corporis partes ita libido suo iuri quodammodò mancipauit, vt moueri non valeant, si ipsa defuerit, & nisi ipsa vel vltrò, vel excitata surrexerit, hoc est quod pudet, hoc intuentium oculos erubescendo deuitat:* Tantum Augustinus. Restat nunc vt secundæ quæstioni satisfaciamus.

4. *Duplex genus iratorũ.*

Aristot. l. 4. Ethic. duplex facit genus iratorum hominũ, alios enim dicit esse procliues ad susciplendã, & deponẽdam irã, quos ἀκροχόλους, id est, summę, & incensæ bilis vocat, alteros aũt appellat πικροχόλους, i. amarę bilis homines, implacabiles, & irę tenaces, eius verba huiusmodi sũt: *iracũdi sunt irritabiles, celeriterq; irascũtur: sed ijdẽ sunt placabiles, irascendiq; finẽ citò faciũt, quod quidem in illis optimum est; quod illis propterea contingit, quia iram nõ comprimunt, neque prhibent, sed statim iniuriam acceptam, si quidem possunt, referunt: idcircò vocant eos ἀκροχόλους, quasi dicas, summoperè bilioſos, & iracundia exardescentes, vnde nomen natum est. At qui sunt amari, quos πικροχόλους nominant: propemodum sunt implacabiles, diuq; in iracundia perseuerant. iram enim comprimunt, quæ tunc quiescit, cùm iniuriam vlti fuerint. vltio enim iram sedat, doloris loco voluptatem afferens. sed si nõ possint vlcisci, quasi graui quodam onere premuntur, intra se iram coquentes. ad iram verò in se ipso conquoquendam, longo tempore opus est.* sic Sapienter Aristot.

5. Talis fuit ira Esau aduersus Iacob, dum diceret in corde suo: *Venient dies luctus Patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* talis & ira Cain contrà iustum Abel, cui Deus dixit; *quare iratus es, & cur concidit facies tua; videlicet ira in odium versa*, vt Rupertus lib. 4. Commen. in Gen. c. 3. *trabali pondere declinauit in terram vultum, & oculos eius; terram namque aspiciunt, qui crudelia meditantur; vndè est illud in Psalm.* (16. 11.) *proijcientes me nunc circũdederunt me, oculos suos statuerunt declinare in terram. vtrumque ab illo requirit Deus: dixit enim quarè iratus es, addiditq;: & cur concidit facies tua? siquidem etiam si non occidere vellet, iam pro tali causa iratum fuisse, scelus est, peccatum diabolicum est, quia diabolum imitatur, qui alterius iustitiæ inuidet. Aliàs autem moueri, vel irasci, humanum est, dummodò ira priùs resideat, quàm peccati opus generet. qua propter in Psalm. 4. dictum est: irascimini, & nolite peccare; quæ dicitur in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compu-*

gimini,

gimini, ac si diceret, etsi ad horam vt homines, mouemini, nihil tamen per iram operemini; & de hoc ipso quod moti, vel irati fuistis, citò pœnitemini, sed hanc iram, qua iratus est Cain, nusquam scriptura concedit: nam ipsa est inuidia Diaboli. benè ergò Deus vtrumque requirit dicendo: Quarè iratus es, & cur concidit facies tua? quia videlicet iratus fuerat inuidendo, & conciderat facies eius parricidium meditando.

6. Ex quibus constat, omnem quidem inordinatam iram malam esse, & vitandam, cæterum irasci, ita vt non resideat in corde ira, sed abigatur illicò antequam vlterius progrediatur, humanum est, & veluti primus iracundiæ gradus. ita verò excandescere derepente, vt non statim comprimatur irati animus, sed ad vindictam rapiatur, quamuis non diu sic persistat, sed facilè conquiescat, & placetur, alter est deterior iam iracundiæ gradus, & ab hominis ratione magis alienus. At cùm ira in odium vertitur, cùm implacabilis est, cùm diu, multumque compressa secum cogitat fratrem perdere, iam omninò scelus est maximum, & diabolicum planè, præsertim si ex inuidia nascatur, hominem verò exuere hominem facit, & non modò belluam, sed diabolum etiam induere.

DIGRESSIO XIV.
MORALIS

De Dilectione inimicorum in vers. 44.

Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.

1. MERITÒ mater Ecclesia initio quadragenarij ieiunij nobis inimicorum dilectionem à Christo Domino tantoperè commendatam, & præceptam tanquam carissimis filijs proponit. nouit enim pia mater non vltimas partes habere odium, & inuidiam inter ea, quæ salutaris ieiunij fructum auferunt, & ob id ipsum Isaiæ voces filiorum auribus infert; quibus sic ille Hebræos increpabat capite quinquagesimooctauo, quart. *Ecce ad contentiones, & lites ieiunatis, & percutitis pugno impiè, & omnes debitores vestros repetitis.* Meritò sanè. Nam ad hoc potissimum tempus ea Apostoli pertinet exhortatio, qua nos admonet leuare puras manus sine ira, & disceptatione. omninò ieiunij, & orationem oportet minimè proximi charitate destitui. Vt ergò cœlestibus his muniti armis aduersus omnes inferni duces acriter, constanterque pugnemus, ijs diebus, antequam CHRISTI exemplo nos doceat certare cum hoste, ieiunio instruit, armat oratione, vnit charitate.

2. Et verò plurimæ sunt siue è media Philosophia petitæ rationes, siue ex Euangelio; Christi, & Apostolorum vocibus, Sanctorum exemplis, antiquorum Patrum Testimonio confirmatæ, quarum hic aliquas est animus breuiter insinuare magis, quàm persequi. Est enim locus hic sanè lubricus, in quem passim impingunt homines dum proni ad vindictam feruntur falsi honoris, ac vanæ gloriolæ decepti titulo, quasi ignominiosum sit homini iniuriam

A ab alio acceptam non vlcisci. Vt ergò tam peruersum dogma; tam pernicioſum errorem, tam pestilentem doctrinam, quæ altas iam pridem radices in quorundam hominum animis iecit, funditus deleamus, extirpemus, profligemus, conabimur pro virili aliquot rationes paucis afferre, quibus glorioſum esse homini, & planè necessarium inimico parcere, & iniurias condonare, ostendemus.

Principiò si quantum damnum accipiat homo, dum iniuriam vlciscitur diligenter attendas, facilè tibi persuaseris vt cùm inimico concilieris; præsertim si animo complectaris, quantæ ea res futura sit vtilitati. testem in primis affero huius damni assertorem egregium Chrysostomum homilia vigesimaseptima in Genes. *nihil,* inquit, *omnium Deus ita odit, & auersatur, vt hominem vltionis auidum, &*
B *in animo suo seruantem inimicitias. tantum enim eius peccati damnum est, vt misericordiam Dei reuocet, nec locum habere sinat.* quod mox eleganter ostendit Parabola ex Euangelio desumpta, vbi decem millium talentorum debitor, condonationem illorum omnium adeptus est: sed postea, quod conseruum centum denarios debentem expectare noluisset, his acriter reprehensus est à Domino: *serue nequam omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me, nonne ergò & te oportuit misereri conserui tui?* nec id satis. Verùm etiam in tetrum carcerem coniectus est. Post quam parabolam subiecit Christus; *sic & Pater vester faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Quarè verissimè
C Sapiens admonuit Ecclesiast. vigesimooctauo, primo, *qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. homo homini reseruat iram, & à Domino quærit medelam? in hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? ipse cùm caro sit reseruat iram, & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius?* tandem sic concludit Sapiens: *memento nouissimorum, & desine inimicari.*

Quæ maior, rogo, insania exogitari poterit, quàm ideò insanire velle, quod priùs alter insanijt. quæ ratio suadet vt tu malè agas propterea quòd alter fecerit malè? neque enim tu desinis esse iniurioſus, si alteri, qui tibi iniuriam fecit, parem tu, vel maiorem etiam,
D vicissim iniuriam feceris. nam sicut iniustitia nunquam in iustitiam euadere potest, ita neq; vnquam iniuria ius esse poterit, quamuis post alteram illata sit, neq; vnquam peccatum peccato repensum, peccati vim, rationem, & nomen exuet; stultum igitur est iniurioſum esse velle, & iniustè agere, & peccatum velle committere, quia alter tibi iniurius fuit, vel graue aliquid commisit in te. rogo si cùm per viam luto, ac sordibus inquinatam incedis, tibi fortè occurrat aliquis non satis animaduertens quid agat, & guttulis aliquot sordidæ illius aquæ aspergat pallium tuum; tu verò excandescens eius vlciscendę iniurię causa in medium lutum toto insilias corpore eo solùm animo vt vicissim illum respergas, quis risum tenere poterit? quis prudens æquè atque imprudens non contemnat te qui alterum leuiter vt attingas te to-

Inimicis reconciliandi ob damnum quod oritur ex odio.

3. *Non insaniendum ob alterius insaniam.*

tum

tum ita fœdaueris? tale quid igitur cogita te facere cùm vt iniuriam vlciſcaris, alium cõtra legem Dei offendis.

4. Nemo lædat ſeipſum grauiter, vt laedat alium leuiter.

Quid diceres ſi animaduerteres aliquem qui vt inimico vulnus infligat pugione prius cor ſuum tranſuerberaret, vt ita pectus ſuum transfodiens eodem leuiter pugione lædat inimicum, qui illi tum fortè à tergo eſt. An nõ tu hunc dementem omninò iudicares? idem & de te iudicium fer, dum vindictæ ſtudio inimico honorem detraxiſti, bonis ſpoliaſti, vel quod ſummum eſt, etiam vita, hæc enim omnia mala, quia temporalia ſunt, non multum æſtimanda ſunt præ illis, quæ tibi intuliſti, dũ tua te manu vltus es, prius animam occidiſti tuam, quàm corpus alterius vulnerares; nam *qui non diligit manet in morte.* 1. Ioan. 3. 14.

5. Vindictæ cupidi apibus ſimiles.

Et verò ij, qui vindictam de fratribus ſumunt, meritò api ſimiles eſſe dicuntur, quæ ira exardeſcens circuit, ſuſurrat, & tandem leuiter pungit hominem; ſed longè maiore ſuo malo, quàm eius, quem iniecto aculeo vulnerauit, is enim exiguo adhibito luto, non multò pòſt curatur, cùm tandem infelix illa apis moriatur, & dum vlciſcitur, animam perdat. Sic apibus ſuos hoſtes iurè comparat Dauid Pſal. 117. 12. circumdederunt me ſicut apes. Verè *irati hominis cogitationes* vt ex Philone Hieronymus ait, *partus ſunt viperæ viſcera matris corrodentes admirando naturæ ſecreto.*

6. Platonis inſignis ſententia de remittendis iniurijs.

Quæ cùm ita ſint, adeò nobile illud Platonis ingenium percuderunt, vt in dialogo, cui titulus *Crito*, ſic differentem induxerit Socratem: *Nullo modo iniuriandum eſt, neque ſi paſſus fueris iniuriam, vlciſcendum, vt vulgus putat, perpaucis autem ſic vel apparet, vel apparebit, neque igitur vlciſci decet, neque malefacere cuiquam hominum, quodcumque ipſe paſſus fueris.* Quibus cõſentit Plutarchus in eo egregio opuſculo, quod de capienda ab inimicis vtilitate conſcripſit. *Oblata*, inquit, *occaſione vlciſcendi inimicum, eum miſſum facere æquanimitatis: qui verò, & miſeratur inimicum afflictum, & opem fert indigenti, hunc omnes amant, & laudant, ob animi humanitatem, & bonitatem.* Hinc eſt quod interrogatus aliquando Diogenes: quomodo vlciſcar inimicum? paucis quidem, verùm ſcitè: reſpondit: *probus eſto.* Quid quod laudare etiam inimicum maiorem ſæpè conciliat laudanti laudẽ, quàm laudato? Tullium de Cæſare dixiſſe affirmant; *cùm ſtatuas Pompeij euerti vetuit, ſuas ſtabiliſſe.*

7. Ariſtotelem quoque, teſtis eſt Elianus, Alexandro magno natura alioqui iracundo, conſuluiſſe, vt omnibus ſe ſuperiorem æſtimans maledicta contemneret, quamuis Chriſtianus non ita maledicta contemnere debet quaſi cõuiciatore melior ſit, ſed quaſi maledicto fortior. *Omnis enim iniuria*, inquit Tertull. lib. de pœnit. *ſeu lingua, ſeu manu incuſſa, cùm patientiã offenderit, eodem exitu diſpungetur, quo telum aliquod in petra conſtantiſſimæ duritiæ libratum, & obtuſum, concidet enim ibidem irrita opera, & infemiſſu, reciproco impetu, ſauiet; nempè, idcircò quis te ladit, vt doleas, quia fructus ladentis in dolore laſi eſt. ergo cùm fructum eius euerteris non dolendo, ipſe doleat neceſſe eſt, amiſſione fructus ſui.*

A *Proprium eſt magnitudinis veræ*, ait Seneca lib. 3. de ira cap. 25. *non ſe ſentire percuſſum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta reſiexit; ſic illiſus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat: qui non iraſcitur, inconcuſſus in iniuria perſiſtit, qui iraſcitur, motus eſt. non ergo iniuriam pati, ſed iniuriam facere, vel neſcire pati malum eſt.* 8.

Quòd præclarè ſatis docuit Chryſ. hom. 76. *quemadmodum*, ait, *nullus nos ladere poterit, niſi à nobis ipſis ladamur. Sic niſi nos ipſos vituperemus, nemo alius nos vnquam dedecorabit. ponamus enim mirabilem quemdam, atque inſignem eſſe virũ, quem omnes, adulterum, furem, ſepulchrorum euerſorem, homicidam, latronemq; prædicent, ille verò nec irritetur, nec moleſtè ferat, nec alicuius huiuſmodi rei ſibi conſcius ſit, qua igitur inde vituperatione ladituri?* Nemo læditur niſi à ſeipſo.

B *nulla profectò. quid, inquies, ſi multi malam de ipſo habeant opinionem? nulla inquam omninò vituperatione læſus eſt, ſed illi ſe vituperarunt, qui aliũ quàm decet virum talem exiſtiment. dic quæſo. Si quis ſolẽ tenebrarum auctorem exiſtimet, ſoli ne an ſibi detraxit? ſibi videlicet, ipſi, cùm furioſi, & inſanientis opinionem conſequatur. eodem profectò modò, qui prauos bonos eſſe putant, & è contrario, ſeipſos vituperant.* Rectè Chryſ. muliebre enim eſt, conuiciũ conuicio mox repellere, nam vt Ambr. ait, primo officiorum c. 6. *qui citò mouetur iniuria, facit ſe dignũ videri contumelia, dum vult indignus videri.*

Damaſcenus in parallelis, quàm graue malum ſit homini vindictæ deſiderium, & fratris odium: comparatione facta cũ alijs vitijs præclarè oſtendit: *cùm omne*, inquit, *peccatum graue eſt, tum nil grauius iniuriarum recordatione atq; auaritia, non dixit* (Apoſt.) *fornicationem idolorum cultum eſſe, ſed auaritiam. Soror porrò auaritiæ, iniuriarum recordatio eſt; graue enim hoc peccatũ eſt,* 10. Iræ & auaritia grauitas.

C *& nefariũ. Etenim reliqua peccata, & ſi mala ſunt, tamen ad breue dumtaxat tempus durant, vt quæ vnius horæ momento peragantur. furtum admiſit quiſpiam? vna hora hoc ſcelere admiſſo, deindè pœnitentiam fortaſſe agit. cedis crimine ſeſe conſtrinxit aliquis? malum eſt id quoq;. Ceterum vna hora commiſſo facinore, reliquis horis eum pœnitere poteſt. At qui iniuriarum memor eſt, ſingulis horis peccat, ac vitium in pectore circumfert. Etiamſi in templum egrediatur, non tamen puras ad Deum preces mittere poteſt, cum prauo, & infecto, in proximum animo ſit, animus iniuriarum memor, nunquam à peccato purus: nunquam eleemoſynam impertit. Nam qui charitatis expers eſt, nec miſericordia commouetur, nec opitulatur.* Sic Damaſcenus.

Poſſumus & indè oſtendere quàm fatuum ſit velle vindicari, quia ſæpè iniuria eſt ex eorum malorum genere, quæ reſtitui nõ poſſunt, 11. Vindictæ cupiditas fatua.

D ſed patienter ſi tolerentur magnam paſſo gloriam, nomenq; conciliant. Quare S. Auguſt. de ſerm. Domini in monte lib. 1. cap. 36. & 17. tria iniuriarum exempla, quæ à Chriſto ponuntur expendens. quorum Primum illud eſt. *Si quis te percuſſerit in vnam maxillam.* Alterum: *Si quis tunicam tuam tollere voluerit.* Tertiũ: *Si quis te mille paſſus angariauerit: in his*, inquit, *ſanè generibus trium exemplorum, nullum genus iniuriæ prætermiſſum eſſe video, namque omnia, in quibus improbitatem aliquam patimur, in duo genera diuiduntur: quorum alterum eſt quod reſtitui non poteſt, alterum quod poteſt. Sed in illo quod reſtitui non poteſt vindictæ ſolatium quari ſolet. quid enim prodeſt*

quod percussum repercutis? numquid propterea aliquid quod in corpore læsum est, restituetur in integrum? sed tumidus animus talia fomenta desiderat. sanum autem, firmumq; ista non iuuant, quin potius misericorditer perferendam alterius infirmitatem iudicat, quàm alieno supplicio suam mitigandam, quæ nulla est. neque hîc ea vindicta prohibetur, quæ ad correptionem valet, etiam ipsa enim pertinet ad misericordiam. Gregor. etiam hom. 35. in Euangel. *sciendum est,* ait, *quod tribus modis virtus sapientiæ exerceri solet. alia namque sunt quæ à Deo; alia, quæ ab antiquo aduersario; alia, quæ à proximo sustinemus. à proximo namque persecutiones, damna, & contumelias: ab antiquo verò aduersario tentamenta: à Deo autem flagella toleramus. sed in his omnibus tribus modis, vigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere: ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamenta aduersarij seducatur ad delectationem, vel consensum delicti; ne contra flagella opificis ad excessum proruat murmurationis.* Ex his ergo quę tum Aug. tum Greg. affirmant constat inutile, stultum, & vitiosum esse iniuria iniuriam velle repellere, & hæc sit prima ratio, quæ nos ab vlciscenda iniuria auocare debet: quæ tota innititur damnis, quæ plurima inde exiſtunt.

Tribus modis sapientia exercetur.

Verùm non minus efficax est ratio ad parcendum inimicis inuitans, quæ posita est in ingenti, quæ inde proficiscitur, vtilitate. Isidor. Clarius orat. 53. in Matth. diligenter expendens ea Christi verba Matth. 6. *si non remiseritis hominibus peccata sua, nec Pater vester remittet peccata vestra.* sic scribit: *hæc res si attentius cogitaretur, optare quisque deberet, habere aliquos, quorum offensiones essent remittendæ. quod hac similitudine potest intelligi. fingamus liberalissimum quempiam Regem, aut Principem, qui multos habeat, qui sibi plurimum debeant, qui etiam cupiens æs alienum, quod alijs deberetur in tota ciuitate dissolui, legem promulgaret, vt quicumque suis debitoribus remitterent, grauius, vel exiguum esset, quod deberent, fore, vt Rex maxima quæque debita illis remitteret. quicumque verò neminem haberet, qui sibi deberet, oportere eum, quidquid deberet Regi ad teruntium persoluere. in hac lege quisquis debitorem nullius habuisset, & multa Regi deberet, multò deteriore, quàm ceteri, esset conditione, optaretq; aliquos habere, quid sibi quidpiam deberent. Ad hac ipsa est lex cælestis Patris, qui etiam cupiens habere occasionem ignoscendi, permittit offensiones inter homines accidere, vt omnes debitores aliquos habeamus, quibus remittendum sit, vt posit ipse maxima nobis remittere debita, quæ illi debemus.* Illustre sanè exemplum, & illud efficiens quod volumus ostendere, videlicet, ex condonatione iniuriarum, satis magnam consequi vtilitatem.

12. *Vtilitas ex iniuriarum remissione.*

Sed est præterea, quod ad eamdem cogitationem inducit, aliud medium. nam si tua te manu vindicare vis, contra te Deum habebis iudicem, qui non dimittet, nisi dimiseris. Quod si tacitus, ac patienter iniuriam perferas Dei amore, & ab iniuria manū abstinueris, tunc Deus ipse te vlciscitur, tuas tuetur partes, à te stat contra inimicum tuum; *mihi,* inquit, *vindictam, & ego retribuam.* quantò hoc æquius, & tibi etiam melius sit Dauid suo exemplo declaret, dum Deum sic obsecrat: *de vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem.*

13. *Dimitte vt dimittatur tibi.*

A doceat te idem ratio ipsa: quid enim magis à ratione alienum esse potest, quàm vt idem sit actor, & iudex? quare in nulla benè constituta Republica permissum est, vt sibi aliquis ius dicat. cùm ergo affectum te ab altero iniuria quereris, actorem te ipse constituis. quomodo ergo etiam iudicis partes assumis? quod quidem iudicium, quàm multa sequantur absurda deplorare magis libet, quàm ostendere. hinc enim natæ sunt illæ impiæ, & in Deum sceleſtæ leges, conuitium alapa vindicandum esse, alapam vulnere, vulnus nece, & sexcenta alia mala inde nascuntur, quibus prudens superfedeo. multò igitur æquius est Deo ius suū commendare, & pro inimicis, prout ipse præcipit, deposito odio exorare; sic enim contumelia in laudem, iniuria in honorem, & quod
B in speciem dedecori tribuebatur, in summam gloriam conuertetur, vt tantò illustrior sis futurus, quantò contra maiora mala fortior fueris.

Oranti Stephano pro inimicis cæli aperti sunt, quia nimirum patent cæleſtes ianuæ precibus hominis, cuius caritatis viscera aperta sunt aduersarijs; contra verò his obseratę sunt, qui inimicitijs studentes viscera caritatis claudunt, ne proximi ad ea penetret amor. quod vel illo Auilæ exemplo in epist. 6. confirmari potest: narrat ille Elizabetham Vngarię Regis filiam aliquando orasse Deum vt quoslibet qui eam contumelia, vel iniuria aliqua affecissent, afficeret ipse Deus peculiari aliquo beneficio, itave iniuriæ & contumeliæ beneficium
C respōderet. tunc ergo de cælo, ait; significatum esse illi non antea suis precibus Deo illam sic placuisse vmquam atque tunc, in eius verò tam propensæ in inimicos dilectionis compensationem, omnium sibi peccatorum condonationem fieri.

14.

Narrat quidam vir pius, & literatus didicisse se de viris fide dignis sempiterna memoria celebrandum cuiusdam mulieris facinus. vidua erat vnicum dumtaxat filium habēs, illustrem illum, & ampliſimi patrimonij hæredem, occidit hunc quidam eius inimicus, & continuò ne caperetur sese abdidit in certum quemdam locum. cumque diligenter à Iudice quęreretur ad necem, audiuit mater interfecti filij vnici ac prædilecti nescio à quo, locum in quo se ille occultauerat; quare ne filij interfector in manus iudicis veniret; expeditis nuncijs misit ad
D illū equū, & pecunias, monēs, vt sibi fuga consuleret, quia alioqui eò missurus erat iudex, qui illum raperet ad necem. tantum potuit in vnius matris vnico filio per summam iniuriam orbatę, Dei præceptum, & amor. sed quid postea acciderit aduerte. Res plane mira, cùm illa eo tam præclaro facinore perpetrato, genibus nixa pro dilecti filij anima Deum rogasset, oranti illicò apparuit filius cæleſti lumine circumfusus, amantissimam matrem sic alloquēs: Mater cùm inimico pepercisti, & preces pro me ad Deum fudisti, tunc verè mater mea effecta es, longè præstātius, quàm cùm me mūdo genueras. tā enim insigni caritate obtinuisti à Deo veniā mihi omnium meorū peccatorū, vnde factum, vt cùm adhuc purgatorijs pœnis multos annos deberem peccata expiare, tuo

15. *Oso. ser. 6. in Exemplum insigne.*

illo

illo quod pro me obtulisti sacrificio, id est, illa pro inimici salute, sollicitudine & cura, illa pro me fusa oratione, ecce lętus iam ad cæleste gaudium conuolo. tantum valet apud Deum inimicorum dilectio. Nec in præteritis relinquam, illustre illud, quamuis peruulgatum, B. Ioannis Gualberti ad eamdem rem pertinens exemplum; quod leges apud Surium 12. Iulij; Quodam die Ioanni cum armigero suo (sic enim id narrat Blasius Melanesius eius vitæ scriptor) Florentiam tendenti in ipso itinere capitalis eius hostis (is cognatum eius occiderat) ex insperato fit obuiam loco adeò angusto, vt neutri locus pateret à via deflectendi. tum verò hostis planè inermis, cùm haud dubiam necem sibi paratam cerneret, concepta subitò fiducia, ab equo desiliens, humi se prosternit, iunctisque cancellatim ad pectus manibus pro crucifixi amore, veniam, vitamque sibi deprecatur. compunctus Ioannes audito nomine crucifixi, pacem offert, metum ponere iubet, culpamque ei ex animo remittit. hoste dimisso Ioannes ad Ecclesiam quamdam deflexit, cumque ibi coram crucifixi imagine flexis genibus Christi vulnera contemplaretur, vidit, dictu mirabile, Christi caput ad se inclinari tamquam gratias agentis, quod pro eius reuerentia hosti capitali peperciisset. Ioannes autem illa Christi bonitate attractus protinus relicto sæculo Monasterium ingressus est, & tam sanctè vixit, vt in numero sanctorum sit. si aliud simile desideras exemplum, lege Thomam Canthipratensem in Apiario l. 2. cap. 18.

Aliud.

16.

Non omittam illud, quod animaduertit acutè Greg. Expendens enim illa Domini verba Ierem. 15. 1. *si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum, ideò tu noli orare pro eis*; quibus quantum orando potuerint apud Deum Moses, & Samuel ostenditur. more enim hominum loquitur Deus, quomodo dicimus, nec si Pater meus id à me poscaret, darem: quo dicendi modo quanti faciamus parentes, & quantum eorum apud nos preces valeant ostendimus. sciscitatur Gregor. cur posthabitis tot antiquis Patribus, soli numerentur Moses, & Samuel. Respondet lib. 8. moral. c. 9. non aliud quàm quod Moses, & Samuel orauerunt pro inimicis; Samuelem enim grauiter offenderant Israelitæ, dum eo quasi contempto Regem postularunt, quod factum cùm postea tantoperè displicuisse Deo animaduerterent, & ob id meritò iram Dei experiri timerent, rogarunt Samuelem vt pro illis Dominum, eiusque vindicem iram sedaret. Respondit illis prompto, atque hilari animo Samuel: absit à me hoc peccatum, vt cessem orare pro vobis. De Mose clarior res est, quàm vt probatione egeat, cùm toties pro ingrato, rebelli, & tantum non lapidibus petente se populo obnixius exorauerit. hæc ergo iniuriarum obliuio, hæc aduersus infensos, & aduersarios caritas, hæ pro inimicis fusæ preces, causa fuerunt cur Mosis, & Samuelis tantum valerent apud Deum preces; quod quàm magnum bonum sit non est qui ignoret. finis non esset, si singula bona dilectionis proximi persequi vellemus. & quia longius progressa est

Moses & Samuelis charitas erga inimicos.

A hæc digressio, reliquas rationes ad dilectionem inimicorum incitantes, in sequentem digressionem reijciemus.

DIGRESSIO XV.
MORALIS.

Reliquas rationes prosequitur auctor pro diligendis inimicis.

1. *Dilectio inimici Christi præceptum.*

VIRO Christiano satis ea ratio esse deberet quod dilectio inimici Christi Domini præceptum sit, ipse enim est qui loquitur illis verbis: *ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.* ego Pater, & Creator vester cui debetis quidquid estis. ego Dominus, cui non obedire summum piaculum est. ego Iudex vester, in quem tam multa peccastis. ego qui diligendo inimicos præiui exemplo. ego qui in vos tam multa contuli beneficia. ego qui toties in me peccantibus vobis errata dimisi, ego dico vobis: *diligite inimicos vestros*, propter me facite, non propter illos. Ex hac vita sublato Iacob vt Gen. cap. 50. memorię proditum est, timentes fratres Ioseph ne fortè memor ille iniurię, quam ab illis passus erat, redderet eis omne malum, quod fecerant illi: hanc inierunt ad eum placandum rationem tamquam omnium optimam, & efficacissimam; significarunt ei per nuncium dicentes: *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hac tibi suo nomine diceremus: obsecro vt obliuiscaris scelerum fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ quam exercuerunt in te, nos quoque oramus vt seruis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc*; quibus auditis fleuit Ioseph; qui & venientibus ad eum fratribus dixit: *nolite timere; ego pascam vos, & paruulos vestros, consolatusq; est eos, ac blandè ac leniter est locutus.* tantum valuit apud Iosephum dilecti parentis recordatio, & voluntas.

2. *Ioseph Patriarchæ mansuetudo.*

Quod clementiæ genus admiratus Rupertus sic scribit lib. 9. comm. in Genes. cap. 42. *ingenitæ clementiæ laus est Ioseph, quod auditis verbis fratrum suorum humiliter & dolenter veniam sceleri ab ipsis commisso implorantium, non solum eis ignouerit; verùm etiam dolorem, & fletum cum illis communicauerit. sanctissimum profectò remissionis genus, hoc est, ijs qui peccauerunt, non flentibus, sed tantum confitentibus, solum flere illum, qui peccatis offensus indulget; & orantibus pro indulgentia, pias quoque reddere lacrymas cum venia.*

3. *Veritas & misericordia obuiabunt sibi.*

Subdit postea Rupertus & hoc documentum; *attamen vbi mulcet pietas, illic pariter pungit veritas: ne sic de remissione eius, qui læsus est, fratres gaudeant vt à sollicitudine iudicij Dei mentis oculos claudant. nolite, inquit, metuere: num Dei possumus resistere voluntati? hoc planè pietatis est. sed quod subdit: vos cogitastis de me malum, & Deus vertit illud in bonum: hoc asperæ veritatis est. vtile omnibus qui præsunt, hinc exemplum sumendum est, vt citò quidem in se peccantibus remittant, & insuper bona pro malis retribuant; verùm de Iudicio Dei, peccatores nimium securos esse non sinant.* hactenus Rupertus. Potuit hoc efficere pietas in parentem mortalem, & peccatorem, & nó poterit Christi præpotentis Dei Patris filius, idemque Rex regum, & Dominus dominantium hoc à no-

bis obtinere, vt propter illum, & tot ac tanta in nos collata beneficia, fratribus dimittamus, qui multò plura in ipsum Dei filium peccauimus?

4. Quod si ille tibi diceret *propter ipsum inimicum*, qui tibi iniuriam fecit, dimitte illi. excusare posses, non mereri illum delicti condonationem, sed indignationem; non amorem, sed odium; non beneficium sed vltionem. nunc autem non id tibi dicit Christus propter illum fac, sed *propter me*, cui totum te, & omnia tua, semper debes, quem toties offendisti, cui decem millium talentorum debitor existis, & à quo si id præstiteris immensum gloriæ pondus consecuturus es.

5. Et verò qua fronte à Deo Patre vt tibi tua condonet peccata propter Christi merita, postulare audes, qui tuo aduersario propter eundem Christum ignoscere non vis? ego, inquit Christus, ego præcipio, vt inimico remittas iniuriam. Ego peto vt *propter me* id præstes, qui tam multa indigna, & acerba passus sum pro te; non meretur ille; at mereor ego.

6. Quin illud verisimè scito, te, nisi inimico ignoueris, prius offensurum fore Christum, quàm inimicum. finge quæso animo cùm inimicum adoreris, inter te, & illum Christum Dominum medium intercedere, nec posse te inimicum lædere, nisi sacrilego ausu prius lædas Christum. quantum rogo hoc esset crimen? nam si Pater esset qui intercederet medius, aut rex, abstineres procul dubio manum à vulnere, ne vno ictu Patrem transuerberares, vel regem simul cum hoste. atqui non Pater est terrenus, qui intercedit inter te, & inimicum tuum, sed Pater cælestis, sed creator, denique Deus est, & Dei præpotentis filius. Is est qui præcipit, is est qui tibi dicit, *propter me* ne fratrem læde. si enim id feceris, me prius iniuria, & vulnere afficies. neque verò ista figmenta sunt, sed ita verè accidit, in inimicum peccare non potes, nisi prius in Deum pecces, ait enim: *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

7. Sed dicet aliquis, impossibile est inimicos diligere, vel certè graue est iniuriam pati, & calumniam. atqui aliter grauissimi Patres sanctitate, prudentia, & totius literaturæ laude ornati sensêre. Audi Chrysostom. homil. 78. ad populum Antiochenum; *non est*, inquit, *graue, non est ô homo, quousque circa præsentia stupidus hares? nec enim id Deus instituisset si graue foret. animaduerte verò: qui fecit iniuriam, abijt habens quidem pecunias, sed & conscientiam percussam: læsus autem pecunijs quidem priuatus, habens autem apud Deum fiduciam, possessionem innumeris digniorem thesauris.* Sapienter Chrysostom. nam certè longè turpius, & grauius est facere, quàm pati iniuriam; imò verò omnium malorum maximum Socrates censebat facere iniuriam: Itaque se potius optare, pati iniuriam, quàm facere. igitur potius commiseratione dignus est, qui iniuriam intulit; quod hoc exemplo illustrari potest. si quispiam phrenesi laborans recta te monentem molestè ferret, tibique iratus præ rabie, ac vehementi furore, caput suum parieti illideret; an non tibi potius commiserationem excitaret, quàm

A iram? quid si arrepto pugione leuiter tantum te attingeret, se verò ipsum altè confoderet, rogo nonne tibi lacrymis & dolore magis, quàm vindicta dignus videretur? idem iudicato de eo, qui alium contra ius lædit. qui enim iniuriam infert graui phrenesi correptus est, & grauiori se vulnere confodit, quàm illum cui fecit iniuriam; imò verò hic maius inde bonum, & præmium consecutus est, si patienter tulit; graue ergo videri debet iniuriam facere, non perpeti.

Nec diuersa est Augustini sententia, neque à Chrysostomo aliena; sic enim serm. 61. de tempore ait; *in omnibus scripturis Deus tibi dicit, quia potes* (inimicos diligere) *tu è contrario respondes non posse: considera nunc, vtri, tibi, an Deo debeas credi. Et ideò quia veritas mentiri non potest, iam vanas excusationes suas relinquat humana fragilitas, quia nec impossibile aliquid potuit imperare, quia iustus est; nec damnaturus est hominem pro eo, quod non potuit vitare, quia pius est. Quid tergiuersamur in Cassum? nemo enim quantum possumus melius nouit, quàm qui nobis ipsum posse donauit. tot mulieres, clerici, pueri, tanta, & tam delicata puella, flammas & ignes & bestias æquanimiter pertulerunt, & nos stultorum hominum conuitia dicimus tolerare non posse, quæ nobis malorũ hominũ nequitia inferuntur, si possumus etiam vsque ad mortem illorum nostras iniurias vindicamus: vnde nescio qua fronte, vel qua conscientia cum omnibus sanctis in æterna beatitudine partem habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus.* Et serm. 5. de sanctis idem S. Augustin. respondens obiectionibus istorum hominum, sic ait: *sed dicit aliquis: grandis labor est inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare. nec nos negamus fratres, non parum quidem labor est in hoc sæculo, sed grande erit præmium in futuro, per amorem enim hominis inimici efficieris amicus Dei: imò non solum amicus, sed etiam filius, sicut ipse Dominus dixit: diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est. si te aliquis homo dives in hoc sæculo vellet adoptiuum filium facere, quomodo seruires, quas ei dignitates impenderes, & seruorum, eiusque seruitia durissima, & aliquoties etiam turpissima sustineres conuitia, vt ad caducam, & fragilem eius hereditatem peruenires. quod ergo ille sustinet propter substantiam terrenam, tu sustine propter vitam æternam: conuincimur enim certissima ratione. quia propter Deum possumus quidem, sed nolumus iniuriam sustinere. Denique si nobis aliqua potens persona iniuriam facit, si nos etiam in facieti maledicit, nõ respondere aliquid asperum, non dicam vicem reddere ausi sumus. quare hoc? ne ab illa persona potente adhuc maiora, quàm pertulimus patiamur. quod à nobis extorquet hominis timor, deberet à nobis exigere Christi amor.* hæc scitè August. quibus efficitur cessare debere omnem eiusmodi facilem excusationem, de grauitate, vel impossibilitate dilectionis inimicorum.

Verùm illud omninò leue, vanum, & indignum planè; non dicam Christiano homine, sed vel homine philosopho, qui tamen ipsum rationis lumen non deserat. Ais, honoris te facere iacturam si læsus taceas, & fore vt tamquam vilis, & ignobilis habeare si te non vlciscaris. quid si tibi ostendam honores

te lon-

9. Non læditur honor, si remittatur iniuria.

Digitized by Google

te longè maximos, si peperceris adepturum? quæ, rogo, maior nobilitas esse, aut excogitari potest, quæ maior gloria desiderari, quàm vt quis Dei filius sit, & habeatur? è contrario quod maius opprobrium, quæ magis infamis ignominia esse potest, quàm diaboli in se faciem, formamque exprimere, eiusque filium censeri? si ergo ostenderimus te in filium Dei euadere posse parcendo inimicis, diaboli verò si non peperceris, quod volumus efficiemus. iam audi nō me, sed Christum. quid ait Christus? quid te ille docuit? *diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus.* quid inde? *vt sitis filij patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* & tandem sic rem totam definit. *Estote ergo perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* ergo Deo dignum est hostibus ignoscere. ergo res est quæ generosos Dei filios nos esse declarat. Non enim puto tam planè amentes esse istos vt dicere audeant credendum esse magis mundo, quàm diabolo.

10. Iterum quid de diabolo dicat Christus Ioan. 8. 44. attende. *Vos* (cum Iudæis loquitur, qui eum interficere, odio, & inuidia pleni quærebant) *ex Patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere. ille homicida erat ab initio.* Ecce tibi ex cuius progenie sint, qui alios ira, atque odio inflammati cōtumelijs afficere, perdere, interficere studeant. Vide quem imitentur. certè non alterius, Christi sententia, filij sunt, quàm diaboli. non alium æmulantur, quàm eundem diabolum, cuius facta iniqua, cuius odia infesta præ se ferunt. eant nunc homines isti, si Deo placet sapientissimi, & rideant eos, qui alijs ignoscunt, ceu viles atque ignobiles homines, & vt aiunt, tanquam inermes pecudes: cùm planè ipsi non modò dementes, & tamquam efferatæ belluæ sint, sed depositā hominis, diaboli in se formam assumant, cuius ignominiosissimæ improbitatis, & omnis generis dedecoris, ceu furijs agitati imitatores, ac filij sunt.

Irati filij diaboli.

11. Meritò proindè D. Petrus 1. c. 2. 21. 23. vrget nos, vt tantam gloriam filiorum Dei non amittamus, idque non aliter efficit, quàm proposito Christi exemplo; *Christus*, inquit, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* quænam? *qui cùm malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur.* vt ergo tanto Patre digni simus filij, vt tantæ gloriæ amplitudinem consequamur, pro iniuria gratiam, pro malefactis beneficia reddamus oportet. hoc nobis glorioſum, hoc honorificum esse putemus, sic enim Dei filij, & imitatores efficiemur, qui non satis habuit veniam crucifigentibus se postulare, verùm culpæ etiam illorum quamdam excusationem aliquo modo ostendit, dum sic Patrem orauit, & quidem in medijs ipsis iniuriarum, dolorum ac persecutionum fluctibus: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* O vocem ad durissimi cordis odium dissoluendum potentissimam. O vocem melius loquentem, vt cum Paulo dicam, quàm Abel sanguinem, qui in terram fusus vindictam in fratrem clamabat, cùm contra Christi sanguinis aspersio, & vox veniam imploret, & gratiam. Ad hunc nos dignitatis gradum prouehit Apostolus Ephes. 5. 2. dum ait: *estote ergo imitatores Dei sicut filij carissimi, & ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos*, hac enim dilectione, præsertim, qua inimicos complectitur simul, & amicos, secernit Christus, qui sint eius veri filij, quod enim Isaac dixit Iacob, *accede huc vt tangam te fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esau an non*, Genes. 27. sic Christus non alios agnoscit filios benedictione, ac primogenitura dignos, quàm eos, qui perfectam etiam inimicorum dilectionem habuerint; propterea dixit Ioan. 13. *in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* & alibi. Matth. 5. 48. *estote perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* quam sententiam sic expendit Cyprianus de bono patientiæ: *si nobis Dominus, & Pater Deus est, sectemur patientiam Domini pariter, & Patris: quia & seruos oportet esse obsequentes, & filios non decet esse degeneres. qualis verò in Deo, & quanta patientia, quod in contumeliam suæ maiestatis & honoris instituta ab hominibus profana templa, & terrena figmenta, & sacra sacrilega patientissimè sustinens, super bonos, & malos æqualiter facit diem nasci, & lumen solis oboriri, & cùm imbribus terras rigat, nemo à beneficijs eius excluditur, quo minus iustis, similiter, & iniustis indiscretas pluuias largiatur. videmus inseparabili æqualitate patientiæ nocentibus, & innoxijs, religiosis, & impijs, gratias agentibus, & ingratis Dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere copias messium, fructus mitescere vinearum, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, prata florere; & cum crebris, imò continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat, & præstitutum semel retributionis diem patienter expectat.*

Est & alia ratio inimicorum dilectionem persuadens non minus vera, quàm efficax. si enim qui læsus est primum suæ iniuriæ, vel damni auctorem subtiliter animo repeteret, eumque Deum esse agnosceret, libenter haud dubito cuncta perferret, quæ inferuntur damna, & tanquam à Deo Patre optimo, ac de suis filijs benemerente omnia susciperet. Quamuis enim eorum malorum, quæ pœnæ dicuntur à Theologis, quà peccata sunt, creatura ipsa vera ac propria causa sit, neque vllo modo Deus quod nihil tam Deo repugnet quàm peccatum: eorumdem tamen, quà pœnæ, & medicinæ quædam ac supplicia pro peccatis debita sunt, & in vtilitatem, meritum, & dignitatem hominum referuntur, præcipua causa ac prima Deus est; qui mala aliorum voluntate vtitur in bonum, & emolumentum electorum, permittens malum propter bonum. neque ob aliud Isa. 10. 5. vocat Deus Assur *virgam furoris sui*, qua Israelitas velut filios castigabat: Hinc Attila *flagellum Dei* rectè vocatus est. hinc Amos trigesimo sexto dicitur: *si erit malum in Ciuitate quod Dominus non fecerit?* hinc Iob: *manus*, inquit, *Domini tetigit me.* & Christus Petro, *Calicem quem dedit mihi Pater non vis vt bibam illum?* ergo cùm te persequitur inimicus diligenter repete primam persecutionis causam, tibique persuade

12.

Deum esse, qui tamquam pius Pater te non aliter quàm vt dilectum filium corripit: ad quam rem confirmandam non alium adhibebo testem, quàm Paulum, qui ad Hebr. cap. 12. 6. sic scribit; *quem diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit*; & paulò post v. 8. subdit: *quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filij estis.* Sic Paulus monet. nam si Pater filium corripit, quando crimen aliquod admittit, quid mirum si te Deus Pater castigat, cùm delinquis: vnde Augustinus ait, serm. 4. de verbis Domini: *si iumenta verberas, & stimulas vt tibi seruiant; cur nos, cùm iumenta Dei simus, ab eo flagellari non debemus?* hæc cogitatio, tam altas radices iecerat in corde, & animo Dauidis: vt propterea vlcisci sibi à Semei illatam iniuriam nullo modo voluerit 2. Regum 16. 10. Dicebat enim: *dimitte eum vt maledicat, Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* ergo si cùm iniuriam pateris, Dei te castigantis manum attenderis, næ tu etiam dixeris; Dominus præcepit aduersario meo vt malediceret mihi, & quid ego sum qui audeam dicere, quare sic fecerit?

13. Sed si cunctas persequi rationes velim finis non erit. Quare quæ hac digressione hactenus scripsimus, sanctissimis Christi verbis tandem confirmemus. Animaduerte obsecro quàm seriò, quàm frequenter, quàm magno studio, & accurata diligentia hanc de dilectione inimicorum doctrinam nobis commendatam voluerit, & inculcauerit cap. 5. præsertim eo 6. Matt. primò enim Beatos prædicat eos, qui iniustè iniurijs, & contumelijs appetuntur. Atque ad eos conuersus, *gaudete*, inquit, *& exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Deindè iudicij, concilij, & gehennæ ignis comminatione deterret ab illatione iniuriæ, ira scilicet, & verbis probrosis; *ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo*, & quæ sequuntur cap. 5. v. 22. sequenti verò versu 23. vetat ad altare suum accedere, sacramentorumque beneficio frui eum, qui iniuriam fecerit, contumeliamve rependerit, nisi prius reconciliatus fuerit fratri suo. Quarto Matth. 6. 15. negat à se gratiam, vel remissionem peccatorum sperari debere, nisi prius fratri remittamus debita, idque ex animo, ac verè. quod etiam sub finem cap. 18. 35. eiusdem Matth. continetur. Adhæc iubet vt vna contumelia, vel iniuria accepta, prompti simus ad maiorem, Matth. 5. 39. *ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*, & quæ sequuntur v. 40. 41. Vult & inimicos diligi non verbis modò, verumetiam factis, preces Deo pro illis offerendo, atque alijs modis benefaciendo *vt sitis*, inquit, *filij Patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* præterea Matth. 6. 1. id nos facere monet non nostri commodi, vel gloriæ humanę captandę caussa, quod Ethnici solent: sed ad maiorem Dei gloriam, & animæ salutem, *alioquin*, inquit, *mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.* tandem Matt. 5. 48. totam hanc suam doctrinam tamquam maximè ad perfectionem Christianæ religionis

A pertinentem, præclara hac sententia absoluit: *estote ergo vos perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est*; quasi hoc dogma de non vindicanda iniuria, deque amplectenda inimicorum dilectione, summa sit perfectionis, filios nos Dei efficiens, & imitatores. Si ergo tam grauibus verbis, & efficacibus sententijs, hanc rem nobis & commendauit, & præcepit Christus, eamdemque toties inculcauit, & suo demum exemplo confirmauit: quis erit, modò sub suaui Christi iugo esse voluerit, & Christianus censeri, qui non libenti, ac prompto animo propter Christum omnes iniurias, & contumelias inimicis condonare velit?

Quod si tanto ardes inimicos prosequendi 14.
studio, ostendam ego tibi quis tuus verè inimicus sit, cum quo nunquam fœdus inire, nunB quam conciliari, quem summo odio semper odisse debeas; is dæmon est, capitalis Christianorum præsertim hostis, & perniciosus, qui pestifero odio à Christi seruis, & electis numquam non dissidet, sanguinem semper sitiens, semper in perniciem nostram intentus, vt incautos opportunè inuadat, & cælestem nobis à Deo promissam hæreditatem auferat, & tandem secum ad sempiternas pœnas infeliciter trahat. is est cum quo tibi acriter contendendum est; is qui hominem instigauit, & permouit vt tibi malum inferret. quemadmodum enim si quis cum equite pugnaret à quo tandem vulneraretur, stultus sanè esset si prætermisso equite, equum vlcisci vellet, qui tantum instiC gatus, & impulsus nocuit. idem tibi euenire cogita, quando in hominem inueheris, eumque vlcisci vis propter illatam iniuriam, cùm tamen præcipua iniuriæ caussa dæmon sit; qui verò te iniustè offendit, est tamquam equus, cui dæmon insidet, eumque impellit, atque instigat vt tibi noceat. excipe & aliud simile exemplum; an non insanire iudicaberis, si cum te adoritur stricto gladio inimicus, vt te percutiat, tu prętermisso aduersario contra gladium totus feraris, qui mouetur aduersarij manu, quo te, illo districto, punctim, cæsimque perdere contendit. Idem vsuenit cùm tu prætermisso dæmone, hominem, qui commiseratione potius dignus est, implacabili odio persequeris; qua vna re vero hosti dæmoni consentis, par es, & rem efficis gratissimam, qui tamen præcipua illati mali caussa fuit; fratre enim tamquam instrumento vsus ille est, licèt D voluntario, verùm decepto & falso tamen ab illo. Audi Apostolum potius qui docet nos, quem hostem odisse debeamus; Ephes. 6. 12. 13. *non est*, inquit, *nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus; propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo.* hunc ergo inimicum tuum cogita. Neque verò ideò instigat hominem dæmon contra te, quia vel solum, vel multum curet tuis te bonis terrenis spoliare, vel quod tuis vulneribus, & damnis corporalibus contentus sit, quæ ab instigato homine inflicta sunt; non enim magni hæc pendit. Sed Dei inimicum te constituere, animam tuam per odium, & impatientiam occidere, denique in infernum rapere cogitat, sic

petijt

petijt Iobum, bonis filijs, sanitate spoliare, non quia multum ista curabat, sed vt per hæc ad impatientiam induceret patientissimum Dei Athletam, & tandem animam raperet. Huc ille maximè spectat. Huc omnia consilia, vires, studia, cogitationes omnes, & malefacta refert. Et tu tamen insanus non modò non illum odisti, verũ illũ sequeris, illius praua iussa amplecteris, quibus te per iracundiam incendit, & inflammat odio, vt inimicum hominem contra Dei præceptum offendas. quãto iustior fores, si in alia omnia ires, & contrariam insisteres viam, vt dum dæmon, callidus veterator sollicitat te, inimico vt irascaris, vt iniuriam rependas, tu è contrario molli, ac leni responso irati hominis iram mitigares, illi libenter parceres, benevolentiam ostenderes, denique malefacta benefactis cumulares. Sic enim dæmon à te victus abscederet quasi graui accepto vulnere, & ingenti contumelia affectus. Fac rogo Clementissime Iesu vt hæc nostro pectori doctrina semper insideat, & vt inimicos fratres ex animo diligamus, propter te, qui cùm inimici essemus pro nobis sanguinem tuum sanctissimum fudisti, & vitam Patri liberaliter obtulisti.

DIGRESSIO. IV.
MORALIS

In vers. 25. *esto consentiens aduersario tuo.* De similitudine inter Canem & conscientiam, quæ rectè intelligitur per aduersarium cui consentiendum est.

1. *Duo comites nostri, angelus custos & conscientia.*

DVos nobis Deus socios attribuit, & quasi in hac peregrinatione comites, ne aberraremus, Angelum, & conscientiam, quæ significata sunt per Raphaelem iuuenem & canem, qui Tobiam peregrè profectum comitari sunt, vt Asmodæum fugaret, & connubij nexum firmaret; quæ duo nobis in hac vita præstanda sunt, vt Dæmonem enim propulsemus, & Deo animam copulemus, enitendum nobis est; & quidem Raphael rectè tutelarem Angelum repræsentat, cui plurimum debemus, sed de hoc alibi: conscientia verò cane significatur.

Conscientia canis.

2. *Canis natura.*

Canis nunquam Dominum deserit, conscientia à natura insita, semper animæ præsens est. Canis adoratu pollet, conscientia vtilia, noxia, bona, mala, dijudicat. Latrat canis cùm fures cernit, proclamat conscientia, cùm peccata subodoratur. Canis sæpè percussus iterum redit ad Dominum, sæpè repulsa conscientia, à suo munere non recedit. Gaudet canis cùm Domini vultum hilarem conspicatur, læta est conscientia cùm animam nullis conspurcatam vitijs contuetur.

3. Cæterùm duo præsertim commendant in cane: Basil. hex. hom. 9. & Ambros. hex. lib. 6. cap. 4. Vnum quod odoratus sagacitate, quasi syllogistica ratione vtatur, dum feram insequitur. Quam rem sic explicat Basil. *nam cùm eius fere vestigia, quam persequitur inuestigat, siquidem inuenerit ea pluribus sese findentia modis, diuortia viarum singulatim, digressionesq; quascunque in partes ferant, vbi suo illo sagaci odoratu perlustrauit; vocem propè syllogisticam per ea, quæ agit, elicit hoc pacto: fera quam persequor inquit aut hac, aut illa, aut ista diuertit parte, atqui non hac, non item illac, restat ergo illam istac abijsse via, atque ita falsa tollendo, verum inuenire solet. Quid plus faciunt, qui per lineas descriptionibus designandis tanta cũ grauitate sedent, literisq; pulueri inscriptis, è tribus vbi duas propositiones sustulerint vt falsas, in ea demum quæ trium reliqua est, verum comperiũt?* Hæc de cane Basil. conscientia verò naturali ratione, vel synderesi, Christum ceu ceruum matutinum sequens, vbi dubium aliquod, ancepsq; iter offendit, statim omnes viuendi, vel agendi vias, rationesq; perlustrat, & quæ nam sit verior ac probatior dijudicat, nec fallitur, quidquid enim non est ex fide peccatum est.

4. Alterum quod commendant in cane Patres est tenacem esse beneficij, & gratię memorem: quare & excubias exercet: & externos prohibet, & mori pro Domino est paratus. Audi eundẽ Basil. loco citato: *memoria verò beneficiorũ animantis huiusce, gratiaq; reddendæ, quem ingratum, beneficiorumq; immemorem non pudore, ac dedecore asperserit? Iam quidem & interfectis à latronibus in solitudine Dominis, complures è cadaueribus canes non receßisse, sed ibidem expiraße memoriæ traditur. Nonnullos etiam cade adhuc recente duces Hlis fuisse qui latrones inquisierunt, & ad pœnam maleficos rapi fecerunt. Quid hic isti dixerint, qui nullo suum opificem, altoremq; Deum prosequuntur amore, sed vt amicis etiam & necessarijs ijs vtuntur, qui loquuntur aduersus Deum iniquitatem, eiusdem participes mensæ facti, & ad alimoniam sumendam admißi, aduersus beneficum tuum altorem blasphemas voces tolerant efferri?* Hæc de Cane Basil. Porrò conscientia comes fidissima, neq; in prosperis, neque in aduersis animam deserit, perterret hostes, & animam peccati conscium carpit, arguit, mordet, excruciat, & cum ea viuere, cum ea mori semper affectat. Addit auctor glossæ magnæ mysticæ in cap. 1. Gen. his duabus proprietatibus canis, tertiam eiusdem, nimirum vigilantiam sanè admirandam: assidet semper in ianuis vigil, & vel paruo fragore audito oblatrat, externos mordet, & pandit. Verùm nihil conscientia vigilantius, consedet in ipsa cogitationum ianua, nunquam somno corripitur, quin cuncta quæ cogitat anima conspicit. Si quid verò animę pacem interturbare nouit, exclamat, & quasi oblatrat, mordetque morsu etiam amarissimo, nec minis terretur, nec demulcetur blanditijs.

5.

Iezabel è fenestra in viam proiecta à canibus dilaceratur, & anima è gratia decidens in viam publicam, nempè in vitæ infamis contumeliam proijcitur, & conscientiæ morsu perpetuo extimulatur, excruciatur, dilaceratur. Verùm sicut Lazaro canes lingebant vlcera, ita peccata, iusti conscientia linigit, vt sanet; fateor tamen tam multis interdum obrui vitijs conscientiam, tot onerari malis, vt præ nimietate vitiorum vix contra hisce reaudeat, & qui eò deuenêre miseriæ canibus mutis similes sunt non valentibus latrare.

6. *Anima peccans Iezabel similis.*

Digitized by Google

CAPVT V.

A. 6. I.

1 Ttendite ne iustitiam vestrã faciatis corã hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in Cælis est.

2. Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagois, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua.

4. Vt sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.

5. Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amãt in synagogis & in angulis platearũ stantes orare: vt videantur ab hominibus: Amen dico vobis receperunt mercedem suam.

6. Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum & clauso ostio ora Patrẽ tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt te in abscondito reddet tibi.

7. Orantes autem nolite multùm loqui, sicut Ethnici. Putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur.

8. Nolite ergo assimilari eis, scit enim Pater vester, quid opus sit vobis antequã petatis eum.

9. Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.

10. Adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.

11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.

12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

13. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Amen.

14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra.

15. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

16. Cùm autem ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes: Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

17. Tu autem cùm ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua,

18. Ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo qui est in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.

19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur.

20. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiũt, nec furantur.

21. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

22. Lucerna corporis tui est oculus tuus, si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.

23. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergò lumen, quòd in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?

24. Nemo potest duobus dominis seruire; aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vnum sustinebit, & alterum contemnet; non potestis Deo seruire, & Mammonæ.

25. Ideò dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini; nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum?

26. Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa. nonne vos magis pluris estis illis?

27. Quis autem vestrum cogitans potest adÿcere ad staturam suam cubitum vnum.

28. Et de vestimento quid soliciti estis? considerate lilia agri quomodò crescunt, non laborant, neque nent.

29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis.

30. Si autem fœnum agri, quod hodiè est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei?

31. Nolite ergò solliciti esse, dicentes: quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur?

32. Hæc enim omnia gentes inquirunt; scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.

33. Querite ergò primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adÿcientur vobis.

34. Nolite ergò soliciti esse in crastinum: crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. sufficit diei malitia sua.

Vide huius historiæ c. 20. v. 34. lib. 3.

SCHOLIA.

1. VBI Dominus præcepta quædam Decalogi declarauit, & corruptelas legis quasdam Phariſæorum ſuſtulit, tranſit nunc ad exponendum finem, vel modum eorundem præceptorum, ac docet: cauendam eſſe in primis inanem gloriam in omnibus operibus iuſtitiæ. Et quia nimis longum fuiſſet de ſingulis præceptis operum bonorum differere, reuocauit omnia ad tria capita. Orationem, ieiunium, & eleemoſynam, quorum primum erga Deum, alterum erga nos ipſos, tertium erga proximos exhibemus, & vno mentem, altero corpus, tertio bona externa ſacrificamus, vt Theor. 1. declarauimus, cap. 4. n. 4.

Vana gloria cauenda.

2. 1. *Attendite ne iuſtitiam*] vult nos cauere à vanæ gloriæ ſtudio, tanquam ab inſidioſiſſimo, & periculoſiſſimo Serpente, quem effugere vix poſſit, qui tota mente non attendat. Quare Auguſt. in regu. *quæcunque*, inquit, *iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant: ſuperbia verò etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant:* & Chryſoſt. 2. expoſ. in Matt. præ omnibus vitijs carnalibus periculoſius eſſe dicit in hominibus vanæ gloriæ vitium. Cùm enim omnia mala ſeruos Diaboli vexent, vana gloria magis vexat ſeruos Dei.

3. *Iuſtitiæ nomine bona opera intelliguntur.*

Nomine *Iuſtitiæ* ipſa bona, quæ facimus, intelligit, quæ vult vt benè etiam faciamus, finem illis præſtituentes, non laudationem hominum, ſed Dei honorificationem. Pro *Iuſtitia* Græci codices habent ἐλεημοσύνη, id eſt, *eleemoſyna*: quare quidam per iuſtitiam hic, beneficentiam, ſeu eleemoſynã intelligunt: nam & paulò pòſt ſubdit; *Cùm ergò facis eleemoſynam*. Sic Gen. 20. 13. vbi nos legimus *miſericordiam*, 70. δικαιοσύνην, id eſt, *iuſtitiam* legit, itemque cap. 21. 23. Deut. 24. 13. vnde Pſalm. 102. 18. *miſericordia autem Domini ab æterno* &c. dum ſubditur, *& iuſtitia illius in filios* &c. repetitio eſt eiuſdem ſententiæ. quod enim prius *miſericordia*, poſtea *iuſtitia* vocatur; item Pſal. 111. 9. *diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius* &c. vbi eleemoſynam vocat *iuſtitiam eius* per Hebraiſmum, 2. Corinth. 9. 10. fruges iuſtitiæ, vocat *eleemoſynas* Apoſt. vt enim fruges in arua, ſic eleemoſynæ in pauperem ſeminatæ, multiplicantur. Rectè autem miſericordia *iuſtitia* nominatur, quia magna pars eſt iuſtitiæ, vel quia iuſtum eſt, vt miſeros noſtro foueamus beneficio. Probabilis quidem expoſitio.

4. Sed puto *iuſtitiam* vniuerſim hic ſumi pro omni virtutum opere, præſertim quod proximis exhibetur: veroſimile enim eſt Hebraicè Matthæũ ſcripſiſſe *iuſtitiam*, credo etiam interpretem legiſſe ἐλεημοσύνην, hinc Augu. lib. 2. ſerm. Dem. in mon. cap. 5. generaliter, inquit, iuſticiam appellauit, deinde particulariter exequitur. Rectè Auguſtin. Nam ad iuſtitiam pertinet ieiunij, oratio, & eleemoſyna, vt patet ex ſequentibus. Vide D. Thom. 1. 2. q. 108. 3. 4.

Alioquin mercedem] quia æquum eſt, vt cui quiſque laborat, ab eo mercedem accipiat; & vt vnius laboris non duplex, ſed vna ſit merces. Rectè igitur dicit Dominus habituros iſtos mercedem apud homines, quorum reſpectu operantur, nimirum inanem gloriam, quam quærunt. apud Deum verò non habebunt, cuius cauſſa non faciunt.

5. Non aduerſantur hæc verba illi ſententiæ: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.* Nam ſtatim adiecit, quo fine id fieri debeat: *vt glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Sic ea videri non prohibet Dominus. Quare hic non dixit tantum, *attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus*, ſed illicò ſubiecit, *vt videamini ab eis*, hoc enim modo prohibet fieri coram hominibus opera bona. Vide item num. 7.

A

2. *Noli tuba canere*] vniuerſim docuit fugiendam oſtentationem, & inanem gloriam; nunc ſpeciatim in quibus præſertim operibus ſit vitanda demonſtrat. Itemque, quia prædixerat diſcipulis: *niſi iuſtitia veſtra abundauerit pluſquam Phariſæorum*, nunc qualis ſit Phariſæorum iuſtitia, & qualem eſſe ſuorum velit, declarat. Phariſæi enim, quos hypocritas vocat, daturi eleemoſynam proclamari tubis curant, quo tempore, vel hora ſit ab illis danda, vt laudem inde venentur hominum, verò, inquit, Chriſtiane, *noli tuba canere ante te.*

Vbi obſeruandum conuocari olim ſolitam plebem tuba num. 10. 2. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles quibus conuocare poſſis multitudinem.* vnde etiam vſus manaſſe videtur olim apud hypocritas conuocandi pauperes ad eleemoſynam tubæ ſono. Hæc reſpexiſſe videtur Chriſtus. 6.

B

Alij quidam quoniam nomen *hypocritæ* hiſtrionicum eſt, & ſignificat eum, qui alia perſona cùm ſit, aliam agit, & in vniuerſum ſimulatorem, vt teſtatur etiam Auguſt. de ſermon. Dom. putant eſſe hic alluſionem ad tragœdiæ & comœdiæ morem, quarum initio tubis canitur, vt populus inſtruatur, hiſtrionem exire, quod & verbum *ſpectandi* confirmat, quo ſuperius verſ. 1. vſus eſt, πρὸς τὸ θεαθῆναι, *vt ſpectemini*, quæ eſt vox theatralis, vnde theatrum. Significat igitur hypocritas ſimulatores eſſe, & laruatos quodammodo, ideoq; ſpectari velle. Verus ſenſus videtur, vt *tuba canere* ſit oſtentare eleemoſynam, vt figurata ſit locutio. Quare Auguſt. ſic interpretatur, noli tuba canere, *noli ſic velle innoteſcere, vt hypocritæ.* Et iuxta hunc ſenſum non eſt neceſsè dicere in more poſitum fuiſſe tubæ clangore conuocare pauperes ad eleemoſynam: quamuis figuratus hic loquendi modus deſumptus videatur à conſuetudine conuocandi multitudinem tubis argenteis num. 10. Per hypocritas verò potiſſimum Phariſæos intelligere videtur, vt dixi. Sane benè hypocrita dicitur, & ſimulator, qui eleemoſynas largitur, vt honorificetur ab hominibus: non enim, id eſt in corde, quod exterius ſimulat, hoc eſt, miſericors, ſed crudelis potius, & immiſericors, vt qui non motus miſericordiæ affectu, ſed laudis auiditate agit, quod agit, eoque magis eſt crudelis, quod ex aliena miſeria, & ignominia propriam laudem, & gloriam venatur; alibi in Scrip. hypocrita impium hominem ſignificat ex Hebr. idque non rarò in Iob.

C

In ſynagogis, & in vicis] id eſt, conuenticulis, non enim hic, & paulò inferius, vbi de oratione agitur propriè Synagoga ſumi videtur, tantum ſcilicet pro certis illis domibus in quas conueniebant Iudæi ad audiendam legem.

D

Suam] quam optabant. Seu operi illi conuenientem, humanam nempè laudem.

3 *Te autem faciente eleemoſynã neſciat ſiniſtra*] Hyperbole eſt, quaſi dicat, occultiſſima ſit, ita vt ne tu ipſe quidem ſcias, ſi fieri poteſt. Alij ſenſum putant eſſe hunc: adeò debere nos iuſtitiæ noſtræ teſtes effugere, vt ſi ſiniſtra manus noſtra oculos haberet, videre tamen non poſſet quid dextera boni faceret. Dextræ autem actionem tribuit, quia ea eleemoſyna porrigitur, cui ſiniſtra aſſiſtit, vt ſi oculos haberet, ignorare nó poſſet, quid dextera faceret. Simile quid habetur Eccleſiaſt. 29. 15. *conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* *In v. hunc 3. vide Augu. Ser. 54. de diuer. eccl. 59. & 60. de tempore. Baſil. 9. cãpen. 197.*

Obſerua tamen aliud eſſe velle ſe videri ad captandam popularem auram, aliud velle opera ſua videri de qua re dicitur: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus* &c. itaque quod opus recta intentione fit, debitisque circumſtantijs, occultum fit, etiam ſi in oculis hominum fiat. 7.

Digitized by Google

4. *In abſcondito*] id eſt, tibi ſoli, & Deo cognita.

Pater tuus, qui videt in abſcondito] id eſt, etiam occultiſſima quæque, quaſi dicat, conſcientiam tuam.

8 *Contra inanem gloriam lege Gregor. hom. 11. in euang. & ho. 12. de fatuis virgin. & li. 8. moral. c. 25. & lib. 12. cap. 24.*

Reddet tibi] mercedem, quaſi dicat, neque verearis, vt incognita eleemoſyna tua tibi pereat, nam & ſi homines latet, Deum Patrem tuum minimè latet. Apud Græcos legitur, hic ἐν τῷ φανερῷ *in aperto*, ac ſi dicat, reddet tibi, nempè mercedem etiam coram hominibus, id quod in die præſertim iudicij fiet. Ita olim tempore Aug. latini legebant, Græci non legebant. lege illum li. 2. de ſer. Dom. videtur quidem pulchra antitheſis reſpondens verbo, *in abſcondito*: verùm nunc ex correptis bibliis colligimus non eſſe hæc legenda.

5. *Et cùm oratis*] poſt eleemoſynas meminit orationis.

Qui amant] G. ὁ πφιλῶν, quia amant, non enim hic, *philuſin*, pro ſolent poſitum eſſe videtur, vt vult Eraſ. Sed ſenſus eſt potius, amant ſtantes orare, vt etiam poſtea dicitur à Matt. 23. *amant vocari ab hominibus rabbi, & amat primos recubitus.* Fortè interpres noſter legit φ. Vide Pammelium in Cyprianum lib. 3. ad Quirinum.

9 *Anguli platearum qui.*

In ſynagogis, & in angulis platearum] Anguli platearum non ſunt hic platearum receſſus, vt quidam volunt, ſed flexus platearum, & compita, vbi viæ diuerſæ concurrunt, adeoque multi homines. Auctor tamen imperfecti de ſecretis locis exponit, quaſi hi ſimulent nolle ſe videri orare, cùm nihil magis velint: ita enim captant auram popularem, dum ſe illam fugere ſignificant, abditum, & ſecretum locum eligentes in plateis. Cæterum prior ſenſus videtur vereor huius loci. Benè verò addit in angulis non vicorum, ſed platearum, hoc eſt latarum viarum, vbi maximus eſt diuerſorum hominum concurſus.

Stantes] non fit mihi veroſimile olim iudæos ſtantes orare ſolitos, quamuis quidam id ſibi colligere ex oratione Phariſæi apud Lucam videantur. Itaque *ſtantes* intelligo fixos, immobiles, veluti raptos ſecundùm Maldon. hit, vel potiùs, vt credo, *ſtantes* ſitum innuit: nam in plateis ſic ſtantes non complicatis genibus credibile eſt oraſſe.

10 *Lege Baſil. q. 277. compen. & Anaſtaſium q. 2 tom. 1. biblio. pat.*

6. *In cubiculum*] vult nos fugere hominum cõſpectum, dum orationi vacamus, niſi dum ratio loci, & laudabilis conſuetudo, & circumſtantiæ aliud ſuadẽt. Id quod re vera, & potiſſimum Chriſtus hic requirit in orante, non eſt, vt teneamur omninò ingredi verè cubiculum, & oſtium claudere, ſed inanem tantum hominum gloriolam fugere, & laudem. Hoc enim eſt in cubiculo orare, vt ſit intentio in occulto. Auguſt. lib. 2. de ſerm. Dom. in mon. cap. 6. *quæ*, inquit, *Sunt iſta cubicula, niſi ipſa corda? parum eſt intrare cubicula ſi porta pateat.*

In abſcondito] Interl. id eſt cordis intimo.

Reddet tibi] ſcilicet mercedem illius operis, vel quod petis oratione. G. reddet tibi in propatulo. Obſeruandum quod narrat Epiphanius in Phyſio. cap. 1. de Leone: *Cùm leo in monte oberrat, & venatorem odoratur, ſua ipſius veſtigia cauda obtegit, ne illis inſiſtentes venatores, luſtrum inueniant atque ipſum capiant. Sic Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſpiritualis leo, qui vicit ex tribu Iuda, radix Dauid, à patre miſſus fui ipſius ſpiritualia cooperuit veſtigia, id eſt diuinitatem ſuam; ſe enim exinaniuit, & in Mariæ ventrem deſcendit vt ſaluaret fraude deceptum hominum genus, & Verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis: quapropter illi qui ignorabant deſuper illum deſcendiſſe dicebant: quis eſt iſte Rex gloriæ? Sanctus verò ſpiritus; Dominus, inquit, virtutum ipſe eſt Rex gloriæ &c. Nec aliter tu ſpiritualis homo, cùm feceris eleemoſynam ſiniſtra tua dextera opus ignoret: ne te Diabolus ex bonis operibus inueſtiget, & ad peccandum alliciat.*

11 *Multiloquii quid ſit.*

7. *Nolite multum loqui*] Ne futili verborum profuſione vtamini, & inanibus repetitionibus. Caſſianus collat. 9. cap. 35. habet: frequenter, ſed breuiter orandum. Auguſt. epiſt. 121. cap. 10. non eſt multiloquium ſi diutius oretur, & Chriſtus prolixius orauit, vt nobis exemplum daret. Dicuntur in Aegypto monachi crebras habere orationes, ſed breuiſſimas ne per productiores moras habetur intentio, quæ, tamen ſi perduret non eſt rumpenda. Multum loqui eſt rem ſuperfluis agere verbis, multum autem precari, eſt diuturna cordis excitatione pulſare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, & fletu, quàm ſermonibus agitur.

12 G. βαττολογῆν & βαττολογίαν, pro quo nos *multum* loqui, & multiloquiũ. Significat autẽ non ſimpliciter multũ loqui, ſed loquacitatẽ, & futilẽ verborũ profuſionẽ, vt cùm idem frequẽter & ſine cauſſa repetitur. Deflectitur vox à Batto Poeta his repetitionibus abundante. Interdum in orando ad affectum accendendum, & declarandum idem repetimus: & tunc non eſt ſimplex repetitio & ſine cauſſa, ſed vtilis & crebra petitio.

Sicut ethnici] Deæ Syriæ cultores multa phanaticè effutire ſolitos ſcribit Apuleius lib. 8. & indicatur etiam 3. Reg. 18. 27. inuocari ſolitum Baal multo clamore, nam cùm eſſet meridies illudebat illis Elias dicens; *clamate voce maiore*, clamabant ergò voce magna, ſed non iuſtificabantur, neque erat vox, aut ſenſus audientis. non igitur prolixas orationes reprehendit, ſed tales, eoque modo, quo à gentilibus fiebãt; qui putabant, quod dum plura, & clariore voce ac ſtudio affectata vercorum copia orarent, exaudirentur magis.

In multiloquio] *in*, pro, *propter*, quaſi Deus potius exaudiat, vel melius intelligat, qui plura loquuntur, & copioſius. vide Gregor. Nyſſen. lib. de oratione.

13 *Etiãſi Deus ſcias neceſſitatem noſtram, nihil eorum orãdum eſt, & cur.*

8. *Scit enim Pater veſter*] quærit Auguſt. quid opus ſit oratione; ſi nouit Deus, quid opus ſit nobis, antequam petamus eum? Reſpondet, quia ipſa orationis intentio cor noſtrum ſerenat, & purgat, capaciusque efficit ad excipienda diuina munera, quæ ſpiritaliter nobis infunduntur, non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui ſemper paratus eſt dare ſuam lucem nobis vitalem, ſed nos non ſemper parati ſumus accipere, cùm inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur. Hieron. quoque eamdem hic controuerſiam mouet, *conſurgit*, inquit, *hoc loco quædam hæreſis, Philoſophorum quoque peruerſum dogma dicentium: ſi nouit Deus, quid oremus, & antequam petamus, ſcit quibus indigemus, fruſtra ſcienti loquimur. Breuiter reſpondendum eſt, nos non narratores eſſe, ſed rogatores, aliud eſt enim narrare ignoranti, aliud ſcientem petere &c.*

14 *Orationem Dominicam exponit Ambroſ. ſ. Sacra. c. 4. Chryſo. ſerm. 67. & Aug. ſerm. 12. ex 50. hom.*

Pluribus eandem quæſtionem declarat Chryſo. hom. 19. in Matt. *orandum eſt*, inquit, *non vt Deum doceas, ſed inflectas; vt familiaris efficiaris, interpellationis frequentia, vt humilieris orando, vtq; peccatorum tuorum ſæpè recorderis.* Hæc ille. Adde velle id Deum, vt merita per orationem accumulemus; vt hoc religionis, & humilitatis actu ipſum colamus, vt bona omnia ab eo emanare profiteamur; vt ad illum tamquam ad Patrem confugiamus, vt mentem à terrenis curis ad cœleſtia transferamus; denique, vt fidei, ſpei, & charitatis actus exerceamus.

9. *Sic ergo*] *Sic*, id eſt, in hãc ſententiam, etiãſi alijs verbis vti contingat. *Vos*] Emphaſim habet: diſtinguit enim à Iudæis, & Ethnicis.

Pater noſter qui es in cœlis] hæc præfationem

contu-

Vide item serm. 182 de temp. & ser. 28 de verb. Domini.

Sub patris nomine quæ consideranda.

continent, monent enim nos primùm adoptionis diuinæ, dum dicimus, *Pater noster*: & peregrinationis terrenæ, qui es in cœlis; vt simul nos intelligamus egere auxilio, quia peregrini; & fiduciam concipiamus petendi, quia filij. Sic Bernard. serm. de natali Beatæ Mariæ, qui dicitur *de aquæductu*.

Deinde hæc eadem sunt quasi procœmium captans beneuolentiam. ex Augustin. lib. 2. serm. Dom. in mon. cap. 18. nam cùm dicimus, *Pater noster*, laudamus Dei bonitatem, qui pater dignatur à vilissimis mancipijs appellari, cùm addimus, *qui es in cœlis*, laudamus eius potentiam, & excellentiã, quæ duo exprimuntur illis vocibus, *optimus*, *maximus*.

Tertiò excitant hæc in orante amorem, dum dicimus Pater noster; & timorem cùm subiungimus, *qui es in cœlis*, quasi altissimo solio sedens terrena simul, & cœlestia moderetur.

Quartò ratione insinuant, cur Deus possit, & debeat nos audire: nã si Pater, debet filijs quod iustè postulãt, non negare: si in cœlis, vt summus rector potest, quæcunque voluerit, facere.

Quintò, inquit Cyprianus, moneri nos his verbis patri terreno renuntiasse, & patrem cœpisse in cœlis habere, ac proindè non terrenam nobis, sed cœlestem ducendam vitam. Iam ad singula verba descendamus.

16. *Pater*] prima persona Trinitatis intelligitur; sic Tert. Amb. Cypri. Aug. &c. licèt in Patre sit intelligendus & Filius, & Spiritus sanctus; nam vna omnium natura, potestas, voluntas &c. sicut & Ecclesia dirigit ad Patrem orationes, & subdit *per Dominum nostrum &c. qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti*, dicitur autem hìc Deus, *Pater*, non tam creationis, quàm adoptionis ratione, quia est propria noui testamenti. Sic Augustin. qui etiam lib. 2. de serm. Dom. in mon. cap. 8. obseruat Iudæos in monte Syna audisse; *ego sum Dominus*, vt seruos: nos vt filij orare iubemur, *Pater noster*. Confirmatur hoc ratione, quia cùm etiam ethnici sint à Deo creati, non possunt tamen nobiscum orare, *Pater noster*, non enim sunt regenerati, & ob id additur, *noster*, scilicet renatorum. meritò Chrysost. serm. 71. hominem compellãs ait, *homo, quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi genus esse de cælo? ergo cælestem vitam monstra in habitatione terrena, quia si quid in te gesserit terrena cogitatio, cælo maculam, cælesti generi iniuriam intulisti.*

Noster] præter dictam rationem, ita loquimur, quia hæc est oratio publica ecclesiæ, & cùm Deum oramus, tamquam Ecclesiæ membra orare debemus. Adhęc monentur, nobiles, & diuites, ne se supra cæteros extollant: quia hic fatemur nos fratres esse? Monemur & vnitatis & pacis; denique *noster* dicimus, quia solus Christus dicere potest *Pater mi*: nam naturalis est filius, nos adoptione.

17. *Qui es in cælis*] est quidem Deus vbique, sed in cœlis se magis manifestat, hinc *cæli enarrant gloriam Dei*. Et hæc est vera sententia. Quidam per *cælos* sanctos intelligunt. Monemur & his sursum habere cor dum oramus. Quod si Deus in cælis est, ergo valido non oris, sed cordis clamore opus est, vt audiamur de profundis clamantes.

18. *Sanctificetur nomen tuum*] Sanctè colatur, & prædicetur, & id verò, & sequentia verba optantis sunt, inquit, Emmanuel, & hæc est prima petitio. In scripturis nomen Dei, pro Deo poni solet. Nomine enim cognoscitur, inuocatur, & celebratur. Non sic petitur, inquit Augustin. *sanctificetur nomen tuum*, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed vt sanctum habeatur ab hominibus, id est, ita illis innotescat Deus, vt non existiment aliquid sanctum, quod magis offendere timeant. Tertul. lib. de orat. suspensa enunciatione, non dicentes, sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus. Itaque ab omnibus sanctificari velle significamus, dum à quibus velimus sanctificari non dicimus.

10. *Adueniat regnum tuum*] secunda petitio, regnum scilicet cœleste, quasi dicat, fac vt tecum regnemus, aliqui de regno gratiæ exponunt, sed minus ad literæ sensum. 19.

Regnum Dei quadruplex est. Primùm pro dominio in omnes creaturas sumitur. Secundò pro eo, quo per gratiam regnat in iustis. Tertiò pro regno, quo cum beatis nunc regnat in cœlis. Quartò pro eo, quo regnaturus est in fine mundi subactis hostibus, & morte sublata, omnique principatu, perfectissimè cum suis Sanctis, nullis existentibus scandalis in regno suo, nullo deficiente, qui ad illud pertineat. De quo petiêre discipuli Act. 1. *6. Domine si in tempore hoc restitues regnum &c.* Hic primo modo constat non sumi, secundo modo accipiunt Ambrosius & Hieronymus, tertio modo Cyprianus, quarto verò Augustin, & Chryso. vt & Theophylactus. Nobis placet intelligendum hic esse regnum principaliter, quarto modo, licèt etiam comprehendamus sub illo tertium modum, & ita vtrumque complectentes regnum cæleste vocamus. Vult porrò Dominus nos precari (vt dicit Augustin. ad Probam) aduentum eius, quo desiderium nostrum ad illud excitaremus, vt nobis veniat, & in eo regnare mereamur; Deinde voluit Dominus nos tam bonæ conscientiæ esse, vt non formidemus eius aduentum petere, & expectare. Itaque nemo dicere rectè poterit hoc modo, *adueniat regnum tuum*, nisi qui despectis rebus his, vt bonus filius patri coniungi optat in regno suo, quod qui non audet precari, precetur saltem, vt regnum Dei veniat. tertio modo, vel etiam secundo, is enim modus bonus est, sed non ita ad literæ sensum facere videtur. Quamquam etiam dici potest, petere nos vt tale regnũ, siue tertio, siue quarto modo intelligas, nobis suo tempore adueniat, cùm mors, Deo volente, irrepet, quæ omnibus impendet.

Regnum Dei quadruplex.

Fiat voluntas tua] Tertia petitio est, & est sensus: Fac vt tibi obediatur; Duplex ponitur Dei voluntas, à Theologis, altera *signi*, nimirum præcepta, & prohibitiones, quibus Deus significat quid à nobis agi, vel non agi velit. Altera *beneplaciti*, qua Deus vult absolutè aliquid fieri, quæ semper impletur, quam nulla vis externa impedire potest. Hic accipitur primo modo, petimus enim vt gratia, & auxilium Dei nobis adsit, quo possimus ac velimus Diuina implere mandata. 20.

Duplex Dei voluntas.

Notat Auctor operis imper. non esse dictum: fac in nobis tuam voluntatem: nec faciamus tuam voluntatem, sed *fiat voluntas tua*, vt intelligeremus obedientiam legis esse opus non solius Dei, nec solius liberi arbitrij, sed vtriusque. 21.

Quamquam potest aliquo modo referri hæc petitio, ad voluntatem quoque beneplaciti: quatenus debemus numquam reprehendere voluntatem hanc Dei, & eius beneplacitum, nec obmurmurare, etiam si nos affligi, & premi velit, verùm ei libenter, & patienter acquiescere.

Ceterùm ex Augustin. enchyr. cap. 101. non semper nobis optandum est, vt fiat quod vult Deus fieri voluntate beneplaciti: numquam tamen displicere debet Dei consilium, sæpè enim aliud competit Deo, vt velit, aliud nobis: immò Iudæi mala voluntate voluerunt, quod Deus voluit Christum occidi.

Sicut in cælo & in terra] sicut in cælo scilicet ab Angelis, subintelligitur, ita & in terra, scilicet ab hominibus, optamus enim vt sicut in cælo Angeli sancti Deo promptè, perfectè, atq; in omnibus obediunt, ita & nos per Dei gratiam faciamus.

Digitized by Google

11. *Panem nostrum*] Petitio quarta intelligitur ab aliquibus hoc loco panis principaliter quidem spiritualis, putà V. Eucharistiæ, & Sacramentorũ, ac verbi Dei. Sic Rabba. lib. 1. de institutione Sacerdotum cap. 3. Chrysost. serm. 68. Chroma. in Matt. cap. 6. Sic Aug. lib. 2. de ser. cap. 12. D. Hiero. contra Pelagia. Ambr. lib. 5. Sacra. c. 4. vbi hæc habet de Vener. Eucharist. *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? Sic viue vt quotidiè mereari accipere.* Sic Cyprian. in expositione orat. Domin. & lib. 4. epist. epi. 6. Tertul. lib. de orat. Dominica. Hi omnes de Vener. Eucharist. præsertim exponunt locum hunc. Deindè etiã panis intelligitur corporalis: Breuiter intelligũtur omnia subsidia ad vitam tam animæ, quàm corporis conseruandam necessaria. Sic Tertul. Cyprian. Nyssen. Theophyl. Euthym. Beda &c. Cùm verò aliqui explicant de solo pane spirituali, intellige principaliter. Sic Patres, & in primis sic August. expone, ne secum pugnet li. 2. de ser. cap. 12. nam in Enchir. ca. 15. & epist. 121. cap. 11. etiam de corporali interpretatur. At magis ad Christi mentem Chrys. hom. 20. in Matt. & auctor imperf. ca. 6. de pane corporali exposuêre. Tolet. in cap. 11. Luc. an. 10. etiam ad id confirmandum citat Nyssen. tracta. de orat. Basil. reg. breu. R. 252. Tertul. tract. de orat. Cyprian. eodem tract. Hier. Matt. 6. Aug. epist. 121. cap. 12. adducens illud prou. 30. *paupertatem, & diuitias ne dederis mihi, sed tantum victui &c.*

Aduerte consueuisse scripturam nomine *panis*, omne genus cibos significare, quibus ad suffulciẽdam vitam quotidiè vtimur. Gen. 3. 9. *in sudore vultus tui vescêris pane tuo*, ex hom. 3. 20. *vocate eum vt comedat panem.* Mar. 3. *ita vt non possent manducare panem*, &c. ita & hic.

23. *Supersubstãtialem*] vox Græca ἐπιούσιος, quę est tam apud Matt. quàm Luc. videtur posse significare *supersubstantialem*, vel *eximium*: nam Hieron. inquit, idem sunt ἐπιούσιος & περιούσιος, id est, peculiaris, electus, eximius. Scribit autem sic Hier. in Matt. *in græco habetur* ἐπιούσιον, *quod verbum interpretes* περιούσιον *frequentissimè transferunt, considerauimus ergò in Hebræo, & vbicumq; Septuaginta piriusion expressêrũt, nos inuenimus segullah, quod Simmachus* ἐξαίρετον, *id est, præcipuum, seu eximiũ transtulit, licèt quidam in loco peculiare interpretatus sit.* Hæc ille. Et quidem periusion, sumi pro acceptabili, & peculiari, perspicuum est ex Paulo ad Titum 2. 14. *& mundaret sibi populum acceptabilem.* G. περιούσιον, id quod videtur desumpsisse Paulus ex Deut. 7. 6. *te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris*, vbi 70. transtulerunt periusion.

24. Ceterùm, *supersubstantialis* sumi debet pro *substantiali*, seu essentiali, vel valdè substantiali, vt non tam ad excellẽtiam, quàm ad necessitatem referatur, & idem est si dicatur peculiaris, vel eximius. Ita exponunt græci, *supersubstantialem*, id est substantialem, hoc est, substantiæ nostræ alendæ accommodatum. quare apud Lucam interpres huc respexit, dum *quotidianum* vertit, id est, quo pane quotidiè indigemus. Et hoc modo deducitur ab οὐσία, i. substantia, itaq; illa præpositio, *super*, vel necessitatem tantum significat, sicut dicere cõsueuimus, *supereminere, superabundare*, id est, valdè eminere, valdè abundare, ita supersubstantialem, id est, valdè substantialem, essentialemq; nobis; vel certè cum Græcis nulla habenda est ratio præpositionis, exponũt enim Græci pro substantiali. Non desunt tamen, qui sentiãt, idem esse ἐπιούσιον, quod succedentem, id est, quotidianum seu indigentiæ nostræ panem, vt Syriacè legitur. Et verò D. Amb. lib. 5. de Sacra. cap. 4. docet latinum interpretem apud Lucam transtulisse, quotidianum ex eo quod græci aduenientem diem appellent ἐπιούσιον, seu

A ἐπιούσιον ἡμέραν, iuxta quam nominis interpretationem dicendum est *epiusion* nõ deriuari à nomine *vsia*, nec à verbo εἰμὶ, id est, sum. Sed à verbo εἶμι, quòd significat *ire*, vnde ἐπεῖμι, i. *aduenio*, vt *panis epiusios* idem sit, quod *panis quotidianus*, quasi quotidiè adueniens, quæ deductio rectè conuenit interpretationi nostri interpretis apud Luc. 11. in quẽ sensũ D. Hier. loco cit. contra Pelagia. testatur, in euangelio, quod dicitur secundùm Hebræos se pro pane substantiali repperisse *mahar*. id est, crastinũ, & eamdem ob causam Seuerus Alexandrinus Patriarcha lib. de ritibus baptis. & Syntaxeos apud Syros receptis (vt testatur ibidem. D. Hieron.) *panem indigentiæ* nuncupauit. Vide Blasium in cap. 2. Apoc. comment. 3. sec. 4. num. 7. sub finem.

Nostrum] Si de Vener. Eucharistia, & Sacramẽtis intelligas, *nostrum*, expone fidelium, sic Cypr. vel vniuersim *nostrum*, id est, quia nobis donari solet. Greg. lib. 33. moral. cap. 1. vel *nostrum*, id est, hominum, non pecudum, vel *nostrum*, id est, nobis

B necessarium.

Da nobis hodie] id est, quamdiu dicitur *hodie*, hoc est, tempore huius peregrinationis, seu vitæ huius mortalis, sic Cyril. Catech. 5. mysta. & Aug. epist. 121. cap. 1. & lib. 2. de ser. Dom. cap. 2. Aliter sumitur præcisè pro *hoc die*. Sic Tertull. Cyprian. Chrysosto. quo modo si sumas, tunc cum nomine panis significentur omnia subsidia generatim vitæ necessaria, non solum omni die, sed etiam omni hora, & omni momento dici potest, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, quoniam nullus est dies, hora nulla, nullum momentum quo aliqua in re subsidio Dei non egeamus: etiamsi nõ omni die, vel hora sacramentis, vel pane corporali indigeamus. Emman. in notis in hoc verbum, hodiè; *quotidie*, inquit, *peti vult, & agnosci eius beneficium esse semper, quod viuimus.* Tol. Luc. 11. in hoc verbum, hodie, in com. addit, *vt saltem necessitas cibi vrgeat nos, vt frequenter Deum adeamus, & mentem ad*

C *cælestia erigamus.* Nyssen. tract. de orat. & Chrys. hom. 20. in Matth. volunt id dictum esse ad significandum vitæ huius incertitudinem, cuius nihil est certum, nisi præsens. Diaria enim est vita nostra, cũ de futuro nihil habeamus certi. Cypry. tract. de orat. notat nolusisse Christum vt in longum tempus postularemus cibum, sed in præsentem diem, optima ratione, nam cùm petamus regni cælestis aduẽtum, non decet huius temporis cibos in longum tempus optare ac velle. Iterum Chrys. in hom. non vult, inquit, nos conteri sollicitudine superueniẽtis diei quod explicat Gagnæ. Dum ait: vult nos in diem postulare, vt ne nimis solliciti de crastino, in multos dies nobis præparemus, sed certos nos esse curæ patri cælesti, qui etiã passeres fame perire non finit, contenti simus hodiernum panem postulare, cras crastinum petituri. Hæc rectè à Gag-

D næo dicuntur de pane corporali, quem hic iubemur petere, quomodo Cyprianus loquitur, dum ait: *qui in vno conuiuio tantum expendit, quantum potest multis diebus sufficere, non quotidianum cibum manducat, sed multorum dierum.*

12. *Et dimitte nobis debita nostra*] id est, peccata siue mortalia, siue venialia, pro quibus debetur satisfactio per pœnitentiam, & bona opera, quæ tamen sine Dei gratia, qua peccata dimittuntur, præstari non possunt.

Ex hac quinta petitione tria eliciuntur. Primùm omnes homines, quamuis iustos in hac vita non carere peccatis: cùm omnes dicant quotidiè: *Dimitte nobis debita nostra.* Hinc secundò sequitur esse quædam peccata venialia, quæ cum ipsa charitate consistunt. Tertiò colligimus post baptismum esse adhuc locum pœnitentiæ: est enim hæc oratio propria baptizatorum, & licèt instituta

esse

esse videatur ad peccata venialia delenda, valet tamen etiam ad impetrandam peccatorum mortalium indulgentiam. Chrysost. hom. 20. cap. 6. in Matth.

27. D. Ambr. li. 5. de sacra. c. 4. improbos etiam diaboli debitores esse, non modò Dei: *qui eras*, inquit, *liber in Christo, debitor factus es diaboli.* Peccata, veluti pecuniam diabolus homini fœneratur, pro fœnore miser homo æternas soluit pœnas: ab his vsuris liberos reddit Christus iuxta illud Psal. 71. 14. *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum*; in quem locum: *Quæ sunt istæ vsuræ*, inquit Aug. *nisi peccata, quæ etiam debita nominantur*, &c. ab his ergò debitis liberari petimus.

28. *Præter remissionem iniuriarum etiam pœnitentia necessaria ad salutem.*

Sicut & nos dimittimus] Remissionis obtinendæ à Deo adijcitur conditio, cæterùm sola non satis est, nisi adsit pœnitentia, sine ista tamen conditione nemo speret remissionem peccatorum; illud verissimè ait Cai. Deum, hûc qui proximo dimittit, ac relaxat acceptas iniurias, peculiari quadam ratione adiuturum, vt pœnitentiam assequatur & veniam. Metuenda vox Christianis, qui infensissimo sunt erga fratres animo, neq; vllam eis remittere volunt iniuriam. certi enim esse debêt, ex hac orandi formula, quam nobis Christus præscripsit, numquam remissum iri nobis à Deo delicta nostra, nisi viciſsim aliena remiserimus. Audi id quod Ecclesiast. 28. 1. 2. 3. 4. 5. scriptum est: *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam & peccata illius seruans seruabit, relinque proximo tuo nocenti te, & deprecanti tibi peccata soluentur: homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? in hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? ipse cùm caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius?* Itaque si nos debitoribus nostris, i. ijs, qui nos offenderunt, non remittimus, neque nobis remittet Deus. Vnde Luc. 11. 4. dixit: *Si quidem nos dimittimus omni debenti nobis.* Vide quid Nyssen. scribat orat. 5. de orat. Dom. *Ordo*, inquit, *quodammodo inuertitur, vt audeamus sperare futurum, vt Deus nostra facta imitetur. Vt dicas, quod ego feci, Domine fac, solui, solue, dimisi, dimitte.* id quod etiam habet Theophylact. cùm ait: *Habet me Deus vt exemplar, & quod facio alij, facit & mihi.*

29. Aug. hom. 42 *Induxit nobiscum*, inquit, *Deus pactum, & placitum, firmumq; chirographum, vt dicamus, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Qui vult dicere efficaciter, dimitte nobis debita nostra, oportet quod dicat veraciter: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: si hoc quod est posterius, aut non dicit, aut fallaciter dicit: illud quod prius est inaniter dixit.* Hinc Marc. 4. ait Dominus: *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*: & Matth. 18. Seruus, qui conseruo suo noluit dimittere, in carcerem religatur. vt notat Cyprian. & Chrysolog. ser. 71. *Rectè*, ait, *homo tu tibi misericordiæ factus es ipse mensura, quantum quæris misericordiæ, fac tantum.* Optimè Chrysost. *A nobis tota hæc res*, inquit, *sumit exordium, futurumq; de nobis, in nostra est potestate iudicium. Ipsum reum, Dominum Christus fecit esse sententiæ, quemadmodum, inquit, tu tibi iudicaueris, ita etiam tibi iudicabo. Si enim ài miseris conseruo tuo, à me quoq; eandem gratiam consequeris.* Hæc ille.

30. Et vide quantum tibi dignitatis accersat obseruatio conditionis huius: solius Dei opus est remittere peccata, & quidem nobilissimum, nam quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Luc. 5. O insignem Dei clementiam, hoc tibi opus communicat Deus, atque adeò in tua ponit potestate, vt eo ascendere valeas dignitatis, vt vel ipsi Deo per virtutem assimileris, vt inquit Nyssenus,

A ita vt quodammodo Deus esse videaris, dum facis ea, quæ solius Dei est facere. cætera in Theor.

13. *Et ne nos inducas in tentationem.*] Nempe deserendo, seu permittendo superari, q. d. da gratiam tantationes vincendi, sic Hieron. cap. 26. in Matth. Cyrill. Catech. 5. mysta. August. epist. 121. c. 11. & 2. de serm. Domini, ca. 14. Cassian. collat. 9. c. 23. vel aliter sensus est, ne nos permittas tentari, tentatione, quæ impellit ad malum culpæ, ne fortè cadamus. Itaquæ conscij nostræ fragilitatis, petimus non tentari. Videtur Tertulliani in lib. de orat. Dom. Nysseni orat. 5. de orat. Dominica. & Eutychij in c. 6. Matth. immò & Augustini de bono perseuerantiæ, cap. 6. vbi citat Cyprianum. & videtur hæc expositio probabilior, nam non induci in tentationem hoc videtur continere, ac significare vt Psal. 65. *Induxisti nos in laqueum*, i. induxisti nos in tentationem, vt vel Augustinus ibi fatetur, non enim significat Dauid, se victum à tentatione, & ita videtur accipiendum illud Christi: *Orate ne intretis in tentationem*, secundùm Basil. in regul. breu. Resp. 221. licèt autem D. Iacobus dicat: *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in varias tentationes incideritis*; his tamen tantum significat, quod licèt tentatio petenda non sit, nihilominus non solùm fortiter, sed & cum gaudio toleranda est. Quod autem toleratur non petitur, nec amatur. sancti vel certiores facti de victoria. petierunt aliquando tentari, vel certè huiusmodi exempla veneranda potius, quàm imitanda sunt. Est quidem vtilis tentatio, verùm periculosa.

B

C Fortè qui primam expositionem sequuntur vt D. Aug. D. Tho. Caiet. Abul. Lyran. D. Bonau. Luc. 11. Titelman. Hessel. Carthusian. Catechis. Concilij Tridentini, & alij, non verba ipsius orationis, sed intentionem, sed finem orantis, consideraue-runt, qui est euitatio peccati futuri. hoc enim intenditur, hic scopus est in hac sexta petitione, ideò enim petimus non tentari, ne in peccatum tanquam infirmi incidamus, quare si cognosceremus nos lapsuros, nequaquam fore in peccatum; libenter ad maius meritum, & Dei gloriam tentari vellemus. Itaque non reijcienda est prima illa expositio, quæ communior videtur: quam Tolet. sequitur Luc. 11. adnot. 15. & 16. vbi docet non esse rogandum Deum (generatim loquendo) vt omnem impediat tentationem, neutrumque communiter vult esse petendum; nec vt tentemur, neque ne tentemur: quia illud est temeritatis, hoc formidinis. non negat tamen licere aliquando petere, vt aliquâ à nobis tentatione auferat, aut ne nos certa aliqua tentatio adoriatur; cùm meritò veremur ne nobis noceat, aut à maiori bono quertat, quod fecit Paul. 1. Cor. 11. cùm sibi auferri stimulũ carnis petijt. Gagnæus in hæc verba sic habet: *Varia*, inquit, *sunt tentationum species: vna probationis, qua, afflictionibus, pro nostra salute tentat nos Deus, de qua Iacobi 1. Omne gaudium*, &c. *Alia est tentatio seductionis, quæ ad peccatum trahit, quæ est à mundo, carne, & diabolo. & in hanc tentationem dicitur inducere Deus, quomodo & indurare, cum nostris exigentibus commeritis (vt à peccato, peccatum attrahi solet) in diuersa nos flagitia labi sinit, & hanc Christianos deprecari iubet, hac orationis forma Christus.* Sed hanc interpretationem Gagnæ. arbitror non differre à prima illa Aug. quam non excluſimus omnino.

D

Sed libera nos] Est vltima, ac septima petitio. per malum, non diabolum, vt Nyssenus, Cyrillus, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus intelligas, item Ambrosius, Chrysologus, Cassianus, sed res omnes malas, ac potissimum præsentis vi-

31.

32.

33. *Per malum quid intelligendum.*

tæ calamitates, in quas incidimus ob Adæ peccatum: id quod confirmat Ecclesia subiungens: *Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis, præteritis*, &c. Sic August. Cyprian. Rupertus, Beda, &c. nec refert quòd dicatur ἀπὸ τοῦ πονηροῦ cum articulo; nam πονηρὸς cum articulo suo, non rarò accipitur pro re malâ, vt Roman. 12. odientes malum, &c. Aduerte in hac petitione petere nos liberari à malo, in præcedenti à tentatione; vel in hac petimus liberari à malo pœnæ, in altera à malo culpæ præsertim secundùm expositionem August. superius allatam primo loco; & etiam secundùm alteram expositionem aliquo modo: petimus enim liberari à tentatione ne incurramus in malum culpæ; vel denique in hac à præsenti malo eripi postulamus, in altera à futuro: quæ omnia simul iungendo, petimus hic liberationem ab omni malo præsertim pœnæ, quod nos premit in hac vita. Græcè & Syriacè additur: *quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in sæcula.* desumptum id videtur ex 1. Paralip. 29. 11. 12. vel inserta sunt ex consuetudine quam habent Græci eam recitandi post orationem Dominicam in Lythurgia, vel sacrificio Missæ, sicut nos subdimus, *Libera nos quæsumus Domine*, non sunt tamen de textu.

34. *Amen*] ita sit q. d. precamur vt quod petimus verum sit, id est, fiat nobis. est ergò optantis particula. Alibi habet vim confirmantis, quod dicitur; vt *Amen dico vobis*, i. verè dico, vel cùm dicta aliorum confirmantes, vel assentientes dicimus, *Amen*, i. ita est, verum est. ergò *Amen*, idem videtur esse, ac *verè*.

35. Sunt, qui sex tantum agnoscant petitiones orationis Dominicæ: nam in vnam iungunt sextam, & septimam; & probant: quia si essent separatæ, non diceretur; *Sed libera nos à malo*, verùm potiùs, *& libera nos*. Sed Resp. quòd non additur, *Sed*, quasi ad explicandum id, quod ante præcesserat: id enim superuacaneum, & breuitati repugnans esset. sed quasi per modum correctionis ponitur, & aliquid maius significat; ac si diceremus, *sed potius*: vt sit sententia hæc: non modò nos non inducas in tentationem, quin potius libera nos, &c.

36. Apud Lucam duæ omittuntur petitiones, *Fiat voluntas tua*, & *Libera nos à malo* Sed fortè incuria librariorum interciderunt, habentur enim Græcè & Syriacè. vel fortè Dominus non integrè tradidit orationem Dominicam apud Luc. instituebat enim alios auditores (neque enim eodem tempore id factum) putà discipulos minores, quibus omnia breuius & imperfectius tradere solebat, quibusque fortè (id quod notat Rupertus) non integram tradidit orationem. Quòd si non placet, dic cum August. in Enchirid. c. 116. propterea omissas illas duas petitiones apud D. Luc. quia continentur aliquo modo in præcedentibus: non quòd sint eædem cum illis, sed quòd sint valdè similes: nam quodammodo tertia est repetitio primæ & secundæ, & septima est tanquam vna cum sexta; idem fecisse videtur Luc. de beatitudinibus, cùm tantum quatuor numerat, cùm tamen octo; vel minimum septem sint.

Vide Aug. 30 ho. 6 & 40. & ser. 70 de tempore.

14. *Si enim dimiseritis*] declarat quare remissionem peccatorum petendam docuerit cum ea conditione, sicut & nos dimittimus, &c. Hinc notat Augustinus prætermissis omnibus alijs petitionibus hanc maximè docuisse, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos*, &c nam non multùm fuerunt illa commendanda, in quibus si peccator est, vnde curetur agnoscat: commendanda cætera, in quibus si peccaueris non est vnde saneris. Sic citat hic Iansen. Aug.

Exemplum retinendæ fraternæ charitatis insigne, vide apud compilatorem Baronij Anno Domini 160. sub Sixto Papa p. 150. c.

Dimittet] si rogaueritis ipsum. non quod nostra remissio remissionem mereatur peccatorum, sed quòd impetratura sit, si accedat saltem oratio: & ideò *Dimittet*, inquit, non *dimittit*. August. 21. de ciuit. vltimo, sic videtur exponere, *Dimittet vobis peccata vestra*, i. quotidiana, qualia vos tantum habetis.

15. *Si autem*] August. in Enchir. c. 74. hæc verba tonitruum vocat, ad quæ vtinam expergiscantur, qui iniquos odio habent. *Mentiri*, inquit, *veritas non potest, si non dimiseritis peccata hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Ad tam magnum tonitruum, qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est, & tamen potens est Deus etiam mortuos suscitare.* 37.

Hominibus] Est antithesis inter homines, & Deum, q d si vos conseruis, & æqualibus non remiseritis, sc. delicta vestra hominibus: *nec pater vester*, &c. Illa enim, delicta vestra non habentur in hoc v. 15. post ea verba; si autem non dimiseritis, immò nec in textu nostro emendato sunt.

Nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra] nempe multò maiora, quippe quæ in Deum sunt. Iubemur ergò facere quod minus est, vt obtineamus quod maius, nimirum vt centum, dimittamus conseruis, quo nobis vilissimis Dei mancipijs 10000. ab ipso summo Domino nostro dimittantur, similis sententia habetur Eccle. 28. 1. 2. 3. 4. 5.

16. *Cùm autem ieiunatis*] iam ab ostentatione ieiunij auocat, vt prius ab ostentatione eleemosynæ, & orationis. *Vide Chrys. hom. 9. & 10 ex var. in Matth. Orig. hom in diuer. Chrysol. ser 7.*

Tristes] σκυθρωποὶ, eos, qui tristi sunt vultu significat, id est, tetrici sunt, licèt non animo. Vetat Dominus vultu tristitiam ostentare diebus ieiunij, quod est fieri tristem; nam vix potest animo non sentiri tristitia, dum venter latrat: conari tamen nos potius vult hilari esse vultu. Verè autem hoc genus tristitiæ huiusmodi simulatoribus conuenit. 38.

Exterminant] Græcè ἀφανίζουσι, i. demoliuntur. Syriacè *Deturpant*. scilicet vultus statum, seu speciem naturalem mutant pallore affectato, & seueritate potius obscurant significat vox Græca, dum scilicet natiuum, vegetumque colorem, aut tristitiæ simulatione, aut alicuius medicamenti artificio in pallidum, tetricumque conuertunt, contra ac fucatæ mulieres faciunt.

Gloss. *Exterminant*, i. extra terminos humanæ conditionis abducunt.

Ad mores facit, ne exterminemus faciem, hoc est, ne conscientiam nostram veluti à nobis separemus, eius abijcientes curam, & veluti eam ablegantes à nobis, quasi conscientia careremus, vt qui 1. ad Timoth. 4. cauteriatam dicuntur habere conscientiam, ne similes illis simus, qui camelum deglutiunt. Matth. 23.

Receperunt mercedem suam] Interl. laudem, quam voluerunt, non adoptionem filiorum. 39.

17. *Vnge*] Metaphora est, quasi dicat ne ostentes, potius dissimula ieiunium, vultus lætitia more conuiuantium ad dissimulandum potius, quàm ostentandum ieiunium. Palæstini his vnguentis vti solebant in conuiuijs, & lætitiæ tempore; in mœstitia verò abstinere; immò & Orientales omnes Ruth 3. 3. 2. Reg. 12. 20. & 14. 2. & 4. Reg. 4. 2. Iudith 10. 3. & 16. 10. Esther 2. 12. Luc. 7.

Pradus in 16. cap. Ezechielis videtur significare, vnctionem hanc fieri solitam apud Hebr. vnguento ex oleo, & specieb. aromaticis cõdito, vt patet, inquit, in lib. Reg aromata, & oleum optimum, i. vnguentum 4. Reg. 20. 13. iuxta Hebræos. Sic sumitur Cant. 1. 3. *Curremus in odorem vnguentorum tuorum,*

rum, & Isai. 61.3. *Oleum gaudij pro luctu*, & Psalm. 44. 8. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo letitiæ*, quibus locis allusio fit ad vnguentum, quo tempore lætitiæ conuiuæ inungebantur vt videre est 2. Reg 14. 2. lugere te simula, & induere veste lugubri, & ne vngaris oleo. & ex verbis hic Christi, *vnge caput tuum, & faciem tuam laua*, atque in Ioan. 12. 3. & Marc 14. 3. legitur mulier pedes, & caput Christi vnxisse vnguento nardi pistici pretiosi. fuerunt tamen varia vnguentorum genera, de quibus idem Praduesetiam agit in Ezechiel. ca. 23. vers. 41. in illa *Thimiama meum, & vnguentum meum*, &c.

Itaque quod hic omnino vult Dominus, est, vt ostentationem fugiamus ieiunij, propterea consulit. vt hilaritatem potius vultu præferamus, & ad ieiunium dissimulandum symbola conuiuantium suadet adhibenda.

40. *Facies hominis conscientia.*

Moraliter, facies hominis interna est conscientia, vt vult Bernard. serm. 1. in c. ieiunij, hæc abluenda, hæc ornanda, nec poteris te excusare, si turpis, & immunda sit conscientia. Nam faciem quidem non vides corporis; & ideò habes quid respondeas, si dicatur tibi sordidam te habere faciem: at conscientiam tuam vides, alterius non vides, cùm contra faciem alterius videas, tuam non videas: vt vel hinc discas aliorum conscientiam, & facta non scrutari, te solum iudicare.

Vnctio porrò capitis vt Bernard. loc. cit. habet, sit deuotionis oleo: *Vnctum caput potest*, inquit, *mens deuota intelligi*. Cùm ergò ieiunas vnge caput hoc vnguento. Vel secundùm Aug. lib. 2. ser. Dom. c. 20. significat lætitiam spiritualem, quæ ad ieiunium, & opera pœnitentiæ promptè præstanda multum iuuat. Chrys. *Caput vngit, qui Christum potat, cibat.*

18. *Ne videaris hominibus*] Interl. *Hominibus ieiunat, qui fauorem eorum captat*; Gloss. *Deo ieiunat qui pro eius amore se macerat, & quod sibi subtrahit, alteri largitur.*

Patri tuo] Interl. cœlesti Remi. sufficit, vt qui est inspector conscientiæ, sit remunerator.

Qui est in abscondito] verè est Deus absconditus. Isai. 45. nunc latet, sed mercedem reddet in propatulo.

Videt in abscondito] i. in conscientia, vbi ipse est. sic Interlin.

41. *Vide Chrys. de compunct. 3.*

19. *Nolite thesaurizare*] auocat nunc à cupiditate & sollicitudine habendi res mundanas, nam vt inquit Chrysostom. in hom. expulsa vanæ gloriæ ægritudine docet contemnendas diuitias, quas illa maximè facit concupiscere.

Per thesauros terrenas opes intelligit. patet ex v. 24. *Non potestis Deo seruire, & Mammonæ.* Aliqui sic, & bene hæc connectunt cum præcedentibus: vt *Thesaurizate*, i. opera charitatis & beneficentiæ ieiunio iungere (vt & Isai. 58. insinuatur) nunc moneamur.

Efficacissima Christi ratio.

Est autem efficacissima hæc Christi ratio, v. 19. & 20. contenta, duplici nomine ex Chrysost. primùm quod terrenum thesaurum ostendat facilè patere noxæ, & propterea quod terrenus est non posse esse perpetuum. Cœlestem verò tutissimum esse, & propterea quod cœlestis sit, nobis fore cum cœli possessione perpetuum. quis autē nollet potius tutos, & perpetuos thesauros, quā periculis obnoxios, & minimè perpetuos? Deinde patet efficacia huius persuasionis, quia inde Dominus ad eleemosynam exhortatur, vnde homines sibi metuentes ab ea abstinēt. Timent ne deperdatur, & decoquatur pecunia; contra docet Christus tūc demum eā nos maximè recondere, ac tutā nobis seruare, cū in pauperes distraxerim⁹, imò perdimus, si nō erogauerimus. Similis exhortatio habetur 1. ad Tim. vlt. *diuitib. hui⁹ sæculi præcipe*, &c.

20. *Thesaurizate autem*] thesaurizare thesauros in terra est, quomodolibet terrenas facultates in mundo colligere, aut collectas apud se seruare. *Thesaurizare autem thesauros in cælo*, est apud Deum comparare; & colligere futurorum præmiorum merita; quod quidem speciatim fit per eleemosynarum elargitionem) generatim per quæuis opera bona. Hic præsertim de thesaurizatione, quæ per eleemosynam fit; de qua Luc. 12. & Tobiæ 4. & 12. *Thesaurizare in cælo quid.*

Vbi ærugo, & tinea] Aduerte, quod Dominus indicaturus incertitudinem terrenorum thesaurorum tria ponit secundùm tres diuersitates diuitiarum: metalla enim ærugines, vestes tinea demolitur; alia neque æruginem, neque tineam timent, vt lapides pretiosi. Et ideò ponit generale detrimentum, scil. fures. 42.

G. ὅπου σὴς καὶ βρῶσις ἀφανίζει. σὴς verò non *æruginem*, sed *tineam* videtur significare, vt patet Eccles. 41. Iacobi 5. vbi σὴς vertitur *tinea*. βρῶσις propriè comestura, vel comestionem significat vt legit Cyprian. lib. 3. ad Quirinum. Et Chrysost. in 2. expositione, inquit, omnia bona mundi triplex tollit interitus. Aut enim à semetipsis veteraſcūt, & tineant, sicut vestimenta; aut ab ipsis Dominis luxuriosè viuentib. comeduntur; aut ab extraneis, vel dolo, vel vi, vel calumnijs, vel quolibet alio iniquo modo diripiuntur, qui omnes fures dicuntur, quia per iniquitatem festinant aliena facere sua. Theophylactus dicit, quòd σὴς refertur ad vestes, βρῶσις ad cibos. *A Erugo*, inquit, *& tinea corrumpunt cibos & vestes, fures autem aurum, & argentum*: quare consentit cum Chrysost. Lucas 12. solùm tineæ meminit, vbi Græcè habetur. σὴς. *Allegoricè*, Euthym. in cap. 6. Matth. inquit, *tinea, & corruptio*, seu ærugo, *significat inductam in animo opinionem qua latenter corrodit bona, circa quæ ipsa versatur. Fures autem effodientes, laudes sunt, quæ extrinsecus subingrediuntur perfodientes leuia proposita, & compilantes reconditas virtutum diuitias.*

21. *Vbi enim*] q. d. sic enim cor in cœlestibus habebitis, & ad ea perpetuò aspirabitis: fortè enim erat id eo tempore prouerbium; nam vt quibusdam placet, solet Christus vsitatis vti prouerbijs. hic ergò altero argumento à thesaurizando in terra auocat. quid enim infelicius? quid iniquius? quàm terræ inhærere? quàm vera sit hæc Christi sententia lege apud Surium in vita Beati Antonij Patauini, vbi ostenditur cor cuiusdam diuitis mortui in medio nummorum sepultum adhuc recens inuentum fuisse, vt prædixerat B. Anton. lege & Aug. ser. 5. de tempo. G. habetur *thesaurus vester, cor vestrum*, & loco, *est*, habetur: *erit.* 43.

Vide Ber. de præcep. & dispen. post med.

22. *Lucerna corporis tui*] Gr. non est, *corporis tui*, & *oculus tuus*, sed absolutè *Lucerna corporis est oculus*. Totus locus est metaphoricus: à corpore ergò ad animum transferendus, in qua mens, velut in corpore oculus, qui dicitur lucerna, quia illuminat recepta solis, aut candelæ in se luce: & quod in domo est lucerna, hoc oculus est in corpore. 44.

Simplex] i. purus, sincerus, hoc est, sine humorum admistione.

Lucidum] illuminatum ad operandum quasi oculatum, vel oculus totum erit: omnia enim membra per oculum ad fungendas actiones suas vident.

Vide Aug. l. 2. qq. euang. 15.

23. *Si autem oculus tuus*] Dices quorsum hæc verba, quæ his duobus ver. 22. & 23. continentur, spectant? Chrysost. & auctor imperf. ita coniungunt: Dixerat paulò ante: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Cùm ergò cor sit in animo, quod oculus in corpore: declarat ex similitudine oculi

corporis, non posse se animum bene habere cùm cor est in thesaurum intentum, & auaritia obcæcatum. possunt etiam referri hæc ad omnia superiora, quibus dixit bona intentione eleemosynis, ieiunio, & orationi vacandum; & hanc bonam mentis intentionem oculum vocat animi: est enim intentio lucerna, hoc est, index nostrarum actionum.

45. Perer. in c. 14. ad Rom. disp. 6. respondens ad argumentū illorum, qui putarunt, omnia, quæ agūt infideles sine speciali aliquo Dei auxilio esse peccata, quæ videtur sententia Greg. Arim. 2. d. 26. 27. & 28. sic hunc locum interpretatur, *Si oculus tuus nequam fuerit*, &c. *Hic*, inquit, *per oculum figuratè intelligitur intentio hominis respectu finis, sed duplex est intentio, altera generalis, respectu totius vitæ, quæ pertinet ad vltimum finem, quem sibi quisq; designat, & constituit: altera est particularis, in hoc vel illo opere faciendo, quæ si prauа fuerit, necessè est opus ex ea prouenies, licèt per se malum non sit, malè tamen fieri. Si autem prior illa generalis intentio mala fuerit, erit quidem ea homo ipse malus, & vita eius magna in parte mala; & tamen non obstante poterit iste homo particulare aliquod opus bona intentione particulari facere vt dare eleemosynam pauperi ex commiseratione, & diligere, atque honorare parentes ex naturali quādā dilectione, & reuerentia.*

Oculus intētio hominis.

Nequam] πονηρὸς, i. malus; seu malè affectus, vitiatus, immūdus, hoc est sic, vt videre non possit.

Si ergo] *ergo*, non illatiuè est hic positum, sed inceptiuè, seu continuatiuè, videturque poni Græcè δὲ, pro καὶ, & *ergò*, pro *enim*. redditur enim caussa. Continuat igitur sermonem: vt sit sensus: Si namque lumen, nempe oculus, qui pro lumine est toti corpori, cui correspondet in anima mens; seu mentis intentio, seu potius mens intendens in bonum finem, recteque attendens, & inspiciens: vt n. 46. explicabo: si inquam oculus qui est loco lucernæ reliquis membris tenebrosus erit, hoc est, vitiatus, & corruptus: reliqua membra, quæ ex sese tenebræ sunt, quippe earum lumen est oculus, in quantis versabuntur tenebris, quàm multipliciter deficient à functione recta suorum munerū, i. quàm crassæ tenebræ te oppriment? hæc metaphoricè ad mentem ipsam applica, vt sit sententia hæc. Nam si mens, eiusq; intentio, quæ data est, vt animam totā illuminet, fuerit tenebrosā, reliquæ animæ vires, quæ ex sese sunt tenebrosæ, quæ homine etiam corporis per metaphorā significātur, quā tenebrosæ erūt totæ, hoc est, quàm multipliciter, & grauiter omnino versabuntur in tenebris peccatorum. Vide ergò quàm magnum malum sit cor habere defixum in terra; vel etiam deprauatum sinistra, & impura aliqua intentione, i. ambitione, vel cupiditate rerum terrenarum, & vniuersim errore aliquo, vel vitio laborare.

46. Obseruanda sunt hic tria, primùm Aug. l. 2. qq. euang. 15. & l. 2. de serm. Dom. in mon. c. 21. Greg. lib. 28. mor. ca. 6. oculum intentionem interpretari. Chrysost. hom. 21. in Matth. & Hieron. Matth. 6. mentem ipsam seu intellectum. Quare nos rectè vtrumque coniunximus n. 45. vt intelligeremus mentem quidem ipsam, verùm non sine recta intentione.

Alterum est, Tolet. Luc. 11. adnot. 8. per *corpus* intellexisse ipsum corpus oculi, verùm non probatur: nam additur: *totum corpus tuum*, vt proinde contraponi videatur soli oculo. dicitur autem illuminare etiā corpus seu lucidū esse prout habet accessum lumen oculi, & eo participat; sic enim rectè operatur totum, & eius potentiæ, ac membra.

Postremò aduertit ferè Ianse. c. 42. concor. hic: nō esse hæc verba: *Si oculus tuus simplex*, &c. ita intelligēda, quasi nihil erroris, aut peccati sit in eo, qui mētem habet puram: sed quod nihil horum sit dominaturum ei, sitq; absorbendum à prædominante luce cœlesti, & rectæ intentionis, quidquid adhuc est tenebrarū. vel potius cum Tol. in Luc. 11. adn. 79. dicendū: cùm mens omnino sana est, absq; vllo errore, & vitio, opera exteriora vtique bona sunt. neq; enim contingit malum opus externum, nisi præcedente aliquo vitio in intellectu, nempe errore, vel iudicio falso, saltem practico, aut aliqua inconsideratione; cùm etsi bona est intentio, possit esse malū opus ex errore intellectus. Rectè igitur per oculū præsertim mentem ipsam intelleximus cum tñ intentione coniunctā. Qui verò solā statuūt intentionē nō bene declarāt, quomodo sīa te recta intētione semper op⁹ bonū sequatur; videtur. n. Christus vniuersaliter loqui, hoc est semper.

47. *Vide Aug. 2 qq. euang. c. 36 & 2 de ser. Dom. c. 22. & seq.*

24. *Nemo potest duobus dominis seruire*] videtur & hoc quibusdam prouerbium fuisse. Tertio ergò alio argumento à coaceruandis diuitijs animi nostri curam auertit. Ne quis enim arbitretur posse se cor & in cœlis, & in terra habere, hic & ibi thesaurizare; quo modo vitare videretur damnū tenebrarū, quod secundà ratione inferebatur; ostendit nūc non posse animum in diuersa esse distractum, hæc enim est amoris natura, vt non nisi vnius esse possit; Chrys. hom. 22. & auctor imperf. 16. docetèò hæc spectare: nam quia dixerat v. 19. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, probat nunc non esse id faciendum, quia non possumus Deo seruire, & Mammonæ. Vnde etiam verum est, quod diximus nouam hic rationem contineri, qua à diuitiarum studio nos auocat.

Duobus dominus quomodo & quibus seruiri non possit.

Quòd verò dicitur, *nemo potest duobus*, &c. videtur intelligendum, de dominis non modò dissidētibus, seu contraria imperantibus, sed diuersa etiam mandantibus: quia natura (inquit Maldo) ipsa prohibet, vt amor serui in diuersos distrahatur dominos: vt neq; vna mulier duos maritos habere potest, etiam si contraria non præcipiant, ob naturam vid. amoris, qui in diuersa diuelli nō patitur. Vnus autē Dominus multos seruos habere potest, quia Domini est seruum regere; serui, Dominum amare; imperium diuidi potest, amor diuidi non potest; diuitiæ igitur licèt iniquè non parētur, nec iniustè dispēsentur, si tamen amantur à Dei amore auocant. Hinc impossibile est diuitem intrare in regnum cœlorum. Matth. 19. 26.

Dominis] dominum vocat eam rem, cui nimis dediti sumus, & quodammodo seruimus, vt Rom. 6. 16. & 2. Pet. 2. 19. sic Basil. in moral. regul. c. 1. quare non dixit; *nemo potest duos dominos habere*, sed, *duobus dominis seruire*. itaq; hac vulgata paroemia; quòd nemo possit duobus dominis seruire ex animo; aut quibus æquè affectus idem seruus sit (nequeunt enim esse duo domini ita similibus moribus, vt æquè vtriq; afficiatur seruus) hac, inquam, paroemia probat non posse nos seruire Deo, & mammonæ; i. vacare rebus cœlestibus, & coaceruandis diuitijs totos intēdere. non enim vetat diuitias simpliciter habere, sed ne Māmonæ seruiamus, tanquā domino, neq; diuitiarum serui simus. Sumus autem dum à Dei cultu atq; amore ab illa cura nos abduci sinimus. quare prouerbium illud multò magis veritatem habet in Deo & Mammona, qui contraria omnino iubēt, quàm in dominis temporalibus, vt vulgò vsurpabatur. Hęc, quę nos ratione amoris; cuius est natura, vt difficilè fit, vel fieri nequeat, vt ad diuersa rapiatur vero, eodemq; affectu exposuimus; plurimi explicant de duobus dominis saltem contraria præcipientibus, vel qui subordinati non sint, sed placet magis prior sensus, tanquam magis huic loco conueniens, ac mēti Christi licèt alter sensus veritatem contineat.

*Aut

48. *Aut enim vnum odio habebit, & alterum,* &c.] Sūt qui *vnum* sumant pro *primo, alterum,* pro *secundo,* per hebraismum. Sed nihil est, quod eò effugiamus. Facilis est enim sensus: aut enim ex duobus dominis, vnum, si duos habuerit, odio, non seruiendo illi; alterū verò amore, illi addictus, prosequetur. Aut vnum ex eisdem duobus, & si nō diligat, tolerabit, i. illius seruitutē, & alterū spernet, neq; illi curæ erit. vide n. eodem paulò inferiùs.

Sustinebit] G. ἀνθέξεται, suscipiet, vel adhærebit. Syriacè *honorabit.* Nos legimus, sustinebit, i. tolerabit, illi adhærendo.

Mammonæ] i. diuitijs. vox est Chaldaica: quanquam *mammon* Chaldaicè, *mammona* Syriacè, diuitiæ dicātur, vt Hier. hic docet, & lingua Punica lucrum *mammon* appellatur, vt habet Aug. li. 2. de ser. Dom. & serm. 35. de ver. Dom. secundùm Luc.

Secundùm quosdam geminatio ista: *aut vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit,* &c. significat duplex seruitutis genus. Nam quidā seruiunt liberaliter, & spontè; quidam seruiliter, & coactè; si ergò spontè seruiat, vnum dominum odio habebit, nec se illi addicet, & alterum diliget: si verò coactè, vnum sustinebit, & alterum cōtemnet. Aug. verò vnum & vnū ad mammona referens: alterum, & alterum verò ad Deum, sic explicat: *aut mammona odio habebit, & Deum diliget, aut mammona sustinebit & Deum contemnet.* Ideoque vult in secunda parte non esse dictum: aut vnū diliget, & alterum odio habebit; sed *sustinebit,* & *cōtemnet,* quod durum patiatur dñm, quisquis seruit mammonę; nec Deum quisquam odisse propriè potest. Verùm hic Domini sermo generalis est, nō applicatus certis duobus dominis, putà Deo, & mammonæ. A lijs videtur hic, vnus vni, alter alteri opponi, & cùm dicit in secunda parte, *aut vnum sustinebit, & alterum contemnet,* incipere à posteriori membro prioris partis, & vnum dicere, quē ante alterum dixerat. hoc enim videtur oratio, & consuetus loquendi modus requirere. sed tunc si sic exponas inanis ferè apparebit repetitio, vt si dicas, aut Petrum odio habebit, aut Paulum diliget, aut Paulum sustinebit, & Petrum contemnet. magis placet alijs *vnum* pro primo, & *alterum* pro secundo accipere per Hebraismum, sed diximus n. hoc eodem initio non esse opus eo Hebraismo. nobis videtur *vnum* hic, & *alterum* non certam significare personam, sed vnam ex duabus quęcumque sit, quam designare velis, alterum verò alteram ex eisdem, quæ reliqua est, & sic sumitur, siue in prima, siue in secunda parte; vt superius exposuimos hoc n. 48. initio addit vero secundam partem, quia potest non diligere aliquis eum, cui tamen seruit, vel adhæret, atq; adeò tolerabit illum; sicut potest aliquis non seruire vni vel ex odio, vel non curando illum; vel dic per has duas partes significari duplex seruitutis genus, liberū, & coactum, vt paulò antè dictum est hoc eo. n. secundùm ergò nostram interpretationem non videtur hic locus habere difficultatem vllam.

49. *Vide Chryso log. ser. 163. D Th. 1 2. q. 108 a 3. ad. 5 Aug. 2. 99. enang. 24. &c.*

25. *Ideo dico vobis*] Infert ex superioribus, vbi dixerat, non thesaurizādum in terra, nec mammonæ seruiendum, infert, inquam, omnem sollicitudinem rerum necessariarum ad vitam, vel vestimenta esse resecandam. Anima pro altera parte cōpositi sumitur, quia opponitur corpori; verùm quia ea viuimus, hebraicè hic ipsa pro vita collocatur, vel apperentia, vt paulò pòst fusius dicā. improbat igitur sollicitudinem, nimirum timidam, & anxiam rerum quamuis necessariarum, & eam, quæ ex diffidentia Dei nascitur, vt patet ex v. 26. 28. 30. & eam, quæ à Dei seruitute distrahit sup. v. 24. cuiusmodi est ea, quæ est superflua; & eam item quæ dicitur præoccupata, vt dum solliciti sumus de ijs, quæ futuro tempore sunt curanda; & eam, quæ est præpostera, cuiusmodi est ea, qua præpostero ordine sumus solliciti, vt si quis euangelizet propter cibum acquirendum; cæterùm hic Dominus contra anxiam sollicitudinē inprimis, & præoccupatam loquitur, quæ de Dei diffidentia nascitur, & nimis addicit nos rebus terrenis. Anxietas est, dum quis varijs distrahitur cogitationibus de futuro rerū, vel laborum suorum euentu, metuēs anxiè, ne non cōsequatur vitæ necessaria, vel quod expectat; quæ verò hic falsò hæretici quidam, vel quidam monachi inferebant, confutat bene Aug. integro volumine de opere monachorum.

Sollicitudo non diligentia probibetur.

Animæ vestræ] Pradus c. 7. in Ezechiel. n. 19. habet animam pro *ventre* in scripturis aliquādo poni, quod ostēdit per illud Ezech. 7. 19. *Animam suā non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur: quia scandalum iniquitatis eorū factum est.* Præclarè hic vates confundit animam cum ventre. nam anima hoc loco est appetitus cibi, vt notat Pradus, cōcupiscentia, vel vis appetitiua, vt Psal. 106. 9. *quia satiauit animam inanē, & animam esurientē satiauit bonis.* Vnde infert idem Auctor, intelligētiam huius loci Matt. *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis.* i. ventris indigentiæ. Idē Pradus c. 16. Ezech. 27. v. declarans illud: *Et dabo te in animas odientium te,* sic scribit: *anima, teste Rabi Dauid, hoc loco est vis animalis, appetitus, appetentia, desiderium, vota, ea scilicet facultas, qua appetimus corpori consentanea, & qua communicamus cum belluis vnde dicimur animales, à D. Paulo: animalis autem homo, non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* 1. Cor. 2. 14. sic vsurpari dicit in Psal. 26. 12. *Ne tradideris me in animas tribulantium me, i. in desideria, voluntatem: & in Exod. 15. 9. eodem modo vsurpatur, diuidam spolia, implebitur anima mea. & in Psal. 40. 3. & non tradat eum in animam inimicorū eius, i. desiderio. sic in loco cit. Ezec. 6. itēq; hic apud Matth. ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducabimus.* sic Pradus. Putat igitur sumi hic animā pro ventre, & pro appetentia, & indigentia cibi. Aug. per animam, vitam intelligit. Posset & tertiò sumi pro ipsamet anima, quæ non potest in corpore seruari sine cibo, quod videtur magis probandum hoc loco. nam inferius ita videtur sumi anima, cùm dicitur: *nōne anima plus est quàm esca,* & quia etiam videtur opponi corpori. quamuis simul hęc omnia coniungere possimus, vt sermo hic sit de anima, quatenus appetit, vt viuat in corpore. Cùm aūt dicitur *animæ vestræ,* exponas de anima vestra.

50. *Anima pro ventre.*

Aduertendum hic aliud esse μεριμνάω, quod propriè significat studere, & diligentem esse, aliud, μεριμνάω, quod propriè est corde anxium & distentum esse ob aliquam rem. & μέριμνα propriè significat internam illam cogitationem circa varia distractam, non externam diligētiam, quam μεριμνάω significat. hinc sæpè apud Paulum vbi nos legimus *sollicitudinem,* vel *sollicitum,* Gr. est μέριμνα, & μεριμνῶν, vt cùm dicitur, qui præest in solicitudine, & sollicitudine non pigri, Rom. 12. 7. Cor. 7. & 8. &c. Itaque patet eam solicitudinem reprehendi, quæ abducit nos à spiritualibus, quasi non curæ simus Patri cœlesti, ac non ille his quos condidit, quod se dignum est facientibus victum suppeditaturus sit. Alioqui non vult hoc loco pigros nos, & otiosos esse, neque non pro victu laborare.

51.

Nonne anima] Tollit anxietatem hoc primo argumento; nonne anima plus est, quàm esca, & corpus, plus quàm vestimentum? i. qui dedit nobis potiora, corpus sc. ac vitam, nunquid non & escā largiturus est, qua alantur, & vestimētum, quo tegantur, se petentibus? Idq; probat adhuc magis, & confirmat deinceps à v. 26. vsque ad 33. quinque alijs rationibus.

28. *Respicite volatilia*] est secunda ratio : si tantam habet auium curam Deus, quarum est creator, quantò maiorem de vobis habebit, quos amat vt pater, & qui præstantiores longè estis? Aues præcipuè nominat, quia longius à cibo absunt, & vt omnium se rerum prouidentiam habere ostendat, incipit à cœlo, & inde ad terram venit dum ait: *Considerate lilia agri*, &c. *Volatilia cœli*, dicit quia sunt apud nos aues etiã, quę pascũtur hominũ puidẽtia, sicut paulò post nõ simpliciter lilia, sed agri dixit; q̃a sunt hortẽsia lilia sub hominũ cura.

Magis pluris] multò præstantiores sitis, Deoque chariores.

Pater vester] q.d. bestiarũ, & auiũ Dñs est, vester verò ẽt Pater, multò igitur magis vestri curã geret.

52. 27. *Quis autem vestrum*] ponitur tertia ratio ex Luc. 12. 26. venari possumus loci huius intelligentiam, in primis nulla est hic argumentatio à minori ad maius, quasi minus sit adijcere cubitũ, quàm cibum quærere vel parare; neque enim vlla est hic comparatio, sed absolutè docet alia quadã ratione amputandam esse nimiam ac superfluam sollicitudinem rerum necessariarum, si enim quid minimum, putà cubitum adijcere tuæ staturæ non potes, etiamsi maximè sollicitus sis, sine Dei prouidentia (Deus enim id facit) noli sollicitus esse de cibo, & potu, & huiusmodi vitæ necessarijs. nihil enim tua hac similiter poteris efficere solicitudine, nisi Deus dederit, sicut enim pẽnè incogitantibus nobis ad iustam magnitudinem crescere nos facit pater cœlestis, ita & indubiè absque anxia nimis nostra de victu solicitudine, nos aliturus est. Ergò ostendit hoc loco Christus eiusmodi vanam nil posse solicitudinem; nisi Deus prouideat. Idque exemplo ex cubiti augmento desumpto. Iactemus igitur in Deum cogitatum nostrum, ipse nos enutriet; ipso non prouidente, nihil tua te iuuabit solicitudo.

53. *Cubiti exẽplum curà Christo allatum.* Secundùm aliquos, vt Euthy. cubiti exemplum attulit, quia hæc est mensura staturæ hominis: dicitur enim habere quisque quatuor cubitus suos longitudinis, & totidem latitudinis, scil. extensis brachijs. Sed videtur potius posuisse *cubitum*, vulgariter loquendo, prò minima parte corporis, cùm sit vna ex minimis mensuris. Hilar. hæc potius spiritualiter, quàm secundùm literam ad staturam corporis Christi applicat.

Cogitans] G. μεριμνῶν, i. cogitabundus, seu quamuis se cogitando discruciet.

54. 28. *Et de vestimẽto*] est quarta ratio. Crescũt vilissima agri lilia, & decorantur Dei prouidẽtia. Qui igitur fiat, vt Deus homines non vestiat? Lilijs duo insunt, summa pulchritudo, & ornatus omnẽ exuperans vestiarium Salomonis cultum, tanto hominum studio & artificio elaboratum. Inest & infima vilitas. vtramque & pulchritudinem, & vilitatem exaggerat Dominus. Illam quidem elegantiæ, & ornatui Salomonis regum summi præponit, & quidem tunc, cùm summa eius esset gloria, neque enim omni tempore fuit summa, quamuis & illud: *In omni gloria sua*, accipi possit toto tempore quo regnauit. Hanc verò, i. vilitatem indicat cum ea χόρτον, i. *fœnum* vocat, cùm tamen prius agens de pulchritudine *lilia* vocasset. Hinc colligere nos vult, nihil tam vile, tam abiectum esse, cuius Deus summam non habeat curam.

Lilijs duo insunt, & quæ.

Chrysost. gloriam, *regnum* interpretatur, & totam illam quam regnauit ætatem, sic scribens ho. 6. in Mat. Salomõ florũ decore superatus est, & nõ semel aut iterũ, sed tota prorsus illa qua regnauit ætate; hoc. n. significauit dicẽdo *in omni regno suo*. Verũ aptius ad hãc cõparationẽ cũ pulchritudine & ornatu liliorũ Hilarius interpretatur *gloriã* ipsam vestimẽtorum pulchritudinem & splendorẽ.

A *Quomodo crescũt*] sic. n. vestiuntur & ornãtur, crescentib. nimirũ & auctis foliis nouo ac nouo in matureſcẽdo colore, ac per incremẽta venustiore, vt mutare videatur indumẽta, dũ per spatia crescũt, quousq; totã suã pulchritudinẽ, plenè auctã iã aperiãt. Et sicut Anna faciebat Samueli tunicã paruulã quã afferebat statutis diebus 1. Reg. 2. 19. Cũ. n. puer creſceret per nouitatis incrementa, vt inquit Greg. oportebat semper maiorẽ illi tunicã à matre deferri, Ita eandẽ videtur Deus prouidentiã ostẽdere cũ florib. quos secundũ varia incremẽta, vario modo ac splẽdore vestit, quẽ per varia foliorũ integumẽta & inuolucra aperiẽti seſe, manifestat sensim, quousq; ad pfectã pducat mẽsurã & quantitatẽ, & perfectę pulchritudinis amictu exornet. vt meritò dixerit Christ' Dñs: *Cõsiderate lilia agri, quõ crescũt*: hic. n. diuina Dei puidẽtia maximè niter. Itaq; hæc à Christo nõ p hyperbolẽ dicta sunt, B sed re vera æstimata rerũ natura; vt colorũ, & similia, nõ humana ẽstimatione. verè. n. naturales colores &c. pstãtiores sunt ijs q̃ arte naturę æmula fiũt.

Laborant] vt viri. *Nent*] vt fœminæ.

29. *In omni gloria sua*] *In* pro *cum* videtur poni q.d. tũc cũ regalib. vestimẽtis præfulgebat, ac decorus & glorioſus erat. Hier. *quod sericum*, ait, *quæ regũ purpura, quæ pictura textricũ potest floribus cõparari? quid ita rubet vt rosa? quid ita cãdet vt liliũ? violaverò purpurã nullo superari murice, oculorũ magis quã sermonis iudiciũ est.* Quòd si colores florum naturales veri sunt, factitij verò & eorũ æmuli, q̃ in regũ vestimẽtis sunt; *Verè igitur*, ait Chrys. *quãtũ distat à veritate mendaciũ, tantũ illorũ Salomonis vestimentorũ amictus, & horũ quoq; florũ discrimen interiacet.* Habet & aliud decus florũ amict', q̃ ita nitidus ac mũdus est, vt eorũ mũdities oẽm vestimentorũ regaliũ splendorẽ superet. sordidãtur. n. cũ hęc fluxa pterrẽa trahũtur; vel certè sordescere ac teri ipso vsu necesse est. Quã rẽ sic Nyss. ho. 1. in Cãt. expressit: *magna ex parte cũ in rectũ à radice in stiar arũdinis excurrerit herba lilij, tũc florẽ edit exvertice, nõ modico intercedẽte interuallo à terra tãtũ distãs quãtũ vt opinor satis sit ad hoc vt maneat pura in sublimi pulchritudo nõ inquinata mixtione cũ terrã.* C

Cæterùm de cultu & lautitia Hebręorũ, in primis verò Salomonis vide Pine. l. 5. c. 5. de reb. Salo.

55. *Gloria in Scriptura quid.* Obseruandũ vocabulũ *gloria* non rarò in sacris literis significare id, vt notat Perer. c. 3. ad Ro. q̃ in vnaquaq; re maximè cõmendat, & magnificat, & clarificat eã rẽ, facitq; maximè spectabilẽ & venerabilẽ, & laudabilẽ. Vñ ignis ille, & claritas, tonitrua & fulgura &c. q̃ apparuerũt in mõte Sina, cũ Deus daret legẽ Mosi appellãtur gloria Dei, quòd maiestatẽ Dei, & præsentiã venerabilẽ, atq; formidabilẽ faceret. Sic dicitur Exo. 24. 16. *operuit nubes montẽ, & habitauit gloria Domini super Sinai. erat species gloriæ Domini quasi ignis ardẽs super vertice mõtis*; & Exo. 40. 32. perfecto tabernaculo dicitur: *gloria Domini impleuit illud, nec poterat Moyses ingredi tectũ fœderis, nube operiẽte omnia, & maiestate Dei coruscãte.* Simile q̃d habetur 3. Reg. c. 8. 11. Hinc ẽt est, q̃ arboris pceritas, & pulchritudo, & vbertas fructuũ, nõ solũ ipsius, sed ẽt agri, & cãpi, vocari soleat gloriã eius, arboris, vel agri, Isa. 35. 2. *Gloria Libani: decor Carmeli.* Adhæc quoniã remissio peccatorũ, & iustificatio hominis maximè clarificat Dei bonitatẽ, idcircò iustitia Dei, quæ id præstat, appellatur gloria Dei. Rom. 3. 23. *Oẽs. n. peccauerũt, & egẽt gloria Dei.* Tale est, q̃ ecclesia in quadã oratione dicit Deo: *Deus, qui omnipotentiã tuã parcẽdo maximè, & miserãdo manifestas*; Postremò ingentem diuitiarum copiã, & exuperantiam lautitiamq; regis Salomonis præsertim in vestitu, Dñs vocauit gloriã eius ob eandẽ rationem, dicẽs: *quoniã nec Salomõ in omni gloria sua coopertus est*, &c.

D

Sicut

Sicut vnũ ex istiũ] propterea dictũ videtur *sicut vnũ ex istiũ in omni regno suo*, inquit Chryso. *nã nec ab vno quidem flore victus est Salomon, alium verò inuenitur imitatus, sed omnibus pariter cessit.*

56. 30. *Si autem*] *autem* legendum vt habetur græcè, nõ *enim. Est*] scili. in agro, q. d. viget. *sic vestit*] tam appositè vt nihil in flore superfluũ esse videatur, nihil laxum aut fluens, aut inconcinnum, aut sinuosum, vel deforme, nihil angustum, & sine debita mensura, vt sæpè in hominum vestimẽtis cernere est. Deindè lilia suo splendore lucent, homines non sua sed aliena luce fulgent, lapillorum nimirum, pellium, margaritarum decore fulgido.

31. *Nolite ergò*] vide Aug. de opere monachorũ, 77. & de mendacio c. 15.

32. *Hæc enim omnia gentes inquirunt*] Anxiè, non fidentes Dei prouidentiæ. Duæ hoc v. latent rationes quinta & sexta, quibus auocat à solicitudine, & quia hæc est propria ethnicorum; & quia benignum Patrem habemus, qui nouit omnia, quibus egemus, nec dubium, quin velit filijs prouidere quæ scit necessaria.

Vide Greg. 15 moral. c. 20. Chryso. ho. 22. in Gene. Ambr. de orat. dom. cap. 8.

33. *Quærite ergò primùm regnum Dei*] Ne verò prætextu fiduciæ in Deũ totos dies stertamus, nihilque agamus otiosi, subdit: *quærite ergò primum regnum Dei*, & iustitiam eius, i. quærite ergò primum vt iustos vos reddat Deus ex impiis, ac demum regno suo dignetur. Id enim primum, præcipuumque est, quod spectare in suis petitionibus Christianum oportet. Cætera enim ad victum necessaria sunt nobis in hac vita, velut adminicula ad regnum illud consequendum: vt scilicet quod naturæ sufficit aliti, vestitique, studiosis, ac secundùm Deum actionibus, misericordiæque operibus intenti, tandem regnum illud consequi possimus: quod qui præcipuum daturus est, & reliqua quoq; concedit; Ideò addit: *& hæc omnia adijcientur vobis*: sic Gagnæ. hic.

57. *Iustitia à regno distinguitur.*

Potest iustitia distingui, à regnò, vt sit regnum, quo Deus in cælis cũ sanctis regnat, vel sit eius gratiã qua in nobis regnat in terris. Iustitia verò sit facere voluntatẽ eius, ac mãdata seruare, quod sc. nobis Deus præscripsit, propterea enim vocat iustitiam eius, i. Dei. Posset item iustitia idem quod regnũ significare, vt explicationis caussa ponatur: Rom. 14. 17. *non est regnum Dei esca, & potus. sed iustitia, gaudiũ, & pax in Spiritu S.* vbi D. Thom. ait: regnum Dei vocari à Paulo, id per quod principaliter Deus regnat in nobis, & per quod ad regnum ipsius peruenimus. Porrò regnat Deus præcipuè in spiritu hominis. Io. 4. 24. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu, & veritate adorare oportet.* In spiritu autem sunt intellectus, & voluntas. in his igitur Deus regnat per fidem, spem, & charitatem: esca verò & potus, & alia quælibet bona corporalia, vel externa per se nõ pertinent ad regnum Dei, sed ea dumtaxat ratione, vt ordinantur ad interiora bona hominis, in quibus consistit regnũ Dei secundũ illud Luc. 17. *regnũ Dei intra vos est.* Pertinet autem ad regnum Dei istiusmodi bonorum exteriorum vel inopiam æquo animo tolerare, vel eorũ abũdãtia modestè ac tẽperanter vti.

58. Verissimum est itaque illud Apost. 1. ad Cori. 8. *esca nos non cõmendat Deo: neq; enim si non mãducauerimus deficiemus: neq; si mãducauerimus abundabimus.* Sed illud nos commendat Deo, quod de se dixit Apost. *Scio & abundare, & penuriam pati.* Iustitiã verò vocat Apost. rectã voluntatẽ reddẽdi vnicuiq; quod suũ est, pax verò opus, & effectus est iustitiæ, sicut iniustitia caussa est perturbationũ, & discordiarũ. Gaudiũ verò refertur ad modũ, quo iustitiæ opera facere oportet, prõptè videlicet, & cũ voluptate, ac gaudio, vt rectè proindè Arist *scripserit.* 1. Eth. non esse iustũ, qui iustitię operatione nõ gaudet: & sicut vmbra sequitur corpus in luce positum: ita voluptas & gaudiũ cõsequitur actionẽ hominis cũ virtute, siue iustitia perfectã. Denique addit Apost. *in Spiritu sancto* i. à Spiritu S. qui est caussa effectiua veræ iustitiæ, pacis, & gaudij. Sic Pere. in locũ hunc ad Rom. Disp. 3. & verò iustitia etiã apud Apost. vt & hoc loco cõplectitur Dei voluntatem, & quod ille præscripsit nobis, vt seruemus, ita vt generatim sumatur nõ pro sola speciali virtute iustitiæ.

Primum] Ante omnia, præcipuè, maximè; ergò dicet aliquis, secundo loco quærenda sunt terrena, at prohibuit omnem solicitudinem? Resp. posse secũdo loco quæri citra malam s. solicitudinẽ auertentẽ nos à regno Dei, & cogentẽ seruire mãmonæ.

59. Sed excipies nullo modo quærenda, quod dictũ sit: *& hæc omnia adijcientur vobis*, nõ igitur vllo modo vult ea quæri, si adiecturus ipse est? Resp. qui nõ primo, sed secundo loco quærit hæc solicitudine bona, ac diligẽtiã nõ videtur quærere ista, saltẽ in se, sed *in* ipsis potius Deus quæritur, qui hoc vult. Adde quod hæc & à Deo dãtur dũ habẽtur, & sæpè nobis nõ quærẽtibus adijciuntur. Deniq; per hoc declarat fidẽtes Deo nos esse debere, quod nõ deerit omnino, & idcircò à nobis omnẽ malã solicitudinẽ deponendã. videtur autẽ hic latere metaphora à rebus vilibus, quę nõ cõputantur in pretiũ, dũ res pretiosæ emũtur sed corollarij loco dãtur, propterea nõ est dictũ *dantur*, sed *adijcientur*, præsertim cũ nihil in his magnũ respectu cęlestiũ. 60.

34 *Nolite ergò soliciti esse in crastinum*] Iam de præoccupata solicitudine verba facit. In oratione Dominica docuerat nos orare, panẽ nostrũ quotidianũ à Deo postulãtes, quantum scil. nobis in singulos dies sufficit. i. sufficit si hodie laboratis pro hodierno victu, sine præoccupata sequentis diei, & nimia solicitudine; ita nũc pene idẽ dicit. & vero: *Nolite ergò soliciti esse in crastinũ* dũ ait: de solicitudine semp mala loquitur, bonã verò, quã præsentis diei nominare possumus, i. necessariã, quæq; anxia non est, non prohibet, ideò docuit dicere, panẽ nostrũ quotidianũ lege Luc. 12. 29. Iac. & 4. 13.

In crastinum] i. in diem sequentem, vel etiam in crastinum (& melius) i. in futurũ, solicitudo propriè de futuro est, ideò dixit *in crastinum*, nimirũ, vt sic melius significaretur nimia solicitudo, quæ per curam præsentis diei non tam benè indicata fuisset. hæc enim potius necessariam, & vtilem solicitudinem significat hoc loco.

Sibi ipsi] continetur & hic alia noua ratio auocans à solicitudine, quod qui de crastino est solicitus, superfluo, & nimio curarum pondere se premat, cũ supra diei præsentis afflictionẽ, superaddat futuri diei, i. consequentis tẽporis afflictionẽ. Docet itaq; non oportere addere solicitudinem sequentis diei. Vel dicit: sufficiat diei crastinæ sua solicitudo, vt non oporteat eam hodie ãteuertere vel anticipare, dum verò ait: *sibi ipsi*, perinde est, ac si dicat, de se, hoc est, sufficiat crastina solicitudo de rebus necessarijs videtur autem per prosopopęiam loqui, dum dicit: *crastinus dies solicitus erit sibi ipsi, & sufficit diei malitia sua.*

Diei] .i. cuique, *Malitia*] .i. afflictio, quam affert, scriptura siquidem, aduersa, & molesta more vulgi, mala vocat. Scholastici mala pœnæ dicunt, distinguentes ea à peccatis, quæ vocant *mala culpæ*. lege Basil. in regu. breuior. interrog. 206. 207. 272. Canisium l. 1. de Ioanne. c. 10. fol. 273. 61.

Ex hoc. v. 34. oritur sequens hæc dubitatio, an patiatur Dominus, nos esse solicitos in præsentem diem, vetat enim dumtaxat, ne in crastinum soliciti simus? Licèt D. Hier. & Gloss. ord. videãtur id affirmare; videtur tamẽ Christus omni nos solicitudine liberare, quæ nimirũ mentẽ à diuinis rebus

Solicitudo prohibetur, non labor.

auocat, siue sit hodiernę rei, siue crastinæ solicitudo. Mens igitur Domini est omnem prorsus solicitudinem nimiam, anxiam, ac non necessariã amputare. hanc autem solicitudinem in crastinũ vocauit, quia solicitudo propriè de futuris est, nõ de his, quæ in promptu sunt. præsertim cùm solicitudo de crastino nõ tantam præ se ferat necessitatẽ, quantam solicitudo in hodiernum diem quod in dicasse videtur Dominus, dum subiecit, *crastinus dies solicitus erit sibi ipsi*, nec dixit: crastino die eritis soliciti, sed *dies ipse erit solicitus*, vt indicaret necessariam solicitudinem, quam quælibet dies secum affert, cui homo superfluam addit.

Rectè D. Hier. aduertit, anxiam solicitudinem prohiberi, non laborem, labor, inquit, exercendus est, solicitudo tollẽda. neque enim dictum est, *nolite laborare*, sed *nolite soliciti esse*. D. Chry. quoque hom. 22. non dixit Dominus, inquit, quia seminare non debeas, sed quia solicitus hinc, atque anxius esse nõ debes, neq; ait: nõ oportet operari, sed quia pusillanimem esse nõ oporteat, & curarum angore distẽdi. Et auctor imperfecti ait: soliciti esse vetamur, laborare iubemur, sic enim & Dominus loquens ad Adã non dixit: cũ solicitudine facies tibi pãẽ, sed cũ labore, & sudore faciei tuæ. lege item Aug. de opere Monachorũ to. 3. De hac solicitudine Dominus Mat. 13. loquitur, dũ ait: *Solicitudo seculi istius & fallacia diuitiarum suffocant verbum.* hæc enim solicitudo Mãmonæ seruit, & auaritiæ studet, nec mediocritatẽ, necessitatemue aspicit, sed superflua quærit, vnde patet cur Dominus, sic exorsus fuerit: *non potestis Deo seruire & Mammonæ*, statimq; subiecit: *ideò dico vobis ne solliciti sitis.* Vide & in hunc locum Basilium in regul. breu. interrogatione 106. 207.

Ex his patet, non oẽs eos solicitos esse in crastinum, qui ea in præsenti tempore curant, quæ in futurum erunt necessaria; sed qui in præsenti tempore occupantur ea cura, quæ secundùm rectam rationẽ non congruit, tempori præsenti, sed futuro. Itaq; cura incumbens præsenti tempori de futurorũ prouisione, & apparatu nop est crastina, sed hodierna cura, quam habuit Ioseph in Aegypto post septem annos fertilitatis, prospiciẽs septẽ sterilitatis futuros, & Dominus loculos habuisse dicitur. Aug. expositio qui per crastinũ temporalia intelligit, vel Chryso. accipientis crastinum, quicquid quotidianæ vitæ, quę per hoc hodie significatur, est superfluum, non est literalis.

THEORIA I.

De Diuinis oculis, in illud v. 4. *Et Pater tuus, qui videt in abscõdito reddet tibi.*

5. Princeps Reip. oculus.

PErtinẽt ad hũc locũ, quæ Pineda habet c. 10. in Iob. v. 4. nimirum: Proprium esse Principis, aut Iudicis vt sit reipublicæ oculus, quod eius sit cũcta dispicere, quod in suprema reip. parte, & loco resideat; quod illi se diuina lux largius cõmunicet, nisi ille sit rebellis lumini; quod alijs tãquam cœcis ducatũ præstet; quod mutuũ inter principes, & subditos auxiliũ præstari debeat, vt subditi illũ portẽt humeris, velut debilẽ, aut delicatũ, & ille vię dux sit, mutuat hic oculos, mutuant illi pedes, qua ratione antiqui oculato sceptro finxere regẽ, Isa. 29. 10. *claudet oculos vestros, prophetas, & principes vestros*, &c. quare cũ Deo ipse supremus omniũ sit princeps, iudex, absoluteq; Dominꝰ, maximè propriũ erit illi cũcta videre, dispicere, diiudicare, nihil vt illũ latere possit, quãuis in abscõdito positũ sit, vt meritò nõ semel apud Mat. legas de Deo, q̃ videt in abscõdito.

2. Alterũ est obseruandũ, latũ esse discrimẽ inter hominũ, ac Diuinos oculos, oculi hominũ carnei sunt, ac pindè illos pro minimo habet Paul. 1. Cor. 4. 3. *mihi autẽ pro minimo est, vt à vobis iudicer*, Sic 1. Reg. 16. 7. Dictũ est Samueli: *ne respicias vultũ eius, neq; altitudinẽ staturæ eius.* Sic Sap. 3. 2. *visi sunt oculis insipientium mori*, nec mirũ; cũ. n. humanus & carneus oculꝰ externã dũtaxat faciẽ contẽpletur, secũ frequẽter quoque apit mentis iudiciũ, ne ad interiora penetret; quare illud petebat Dauid obnixè: Ps. 118. 37. *auerte oculos meos ne videãt vanitatem*, i. ne externa modo rerũ specie oblecter, sed penetrẽ, per spiciãq́ue, quid intus subsit solidæ substãtiæ, an verò externus splẽdor inanis sit; nã *auertẽdi* verbũ eo loco pprie est trãsire, aut transgredi, est .n. eadẽ vox Ps. 103. *terminum posuisti, quem non trãsgredientur.* & Hier. 23. quasi ebrius, & quasi homo madidus à vino, pprie quẽ trãsit, transgreditur vinũ. Itaq; sensus est in tertia cõiugatione, trãsire, vel pertrãsire fac oculos meos ad internã sc. rerũ substãtiã, ne me decipiãt externa specie, ne de reb. secundũ faciẽ iudicẽ; vanũ autẽ est, quod oculos tm pellicit inani quodã splẽdore, cùm tamen intus nihil habeat solidi, vt quod verũ aurũ nõ est; quãuis videatur: sunt .n. res mũdi, & omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quasi flos agri. Isa. 40. 6. & c. 31. 3. *Aegyptus homo, & non Deus, & equi eorũ caro, & nõ spiritus*, i. externa species sine re, sine robore. Sic igitur sunt oculi carnei secundũ carnẽ iudicates. Hinc concupiscentia oculorum enascitur, quæ hominẽ præcipitẽ agit, vt vana consectetur.

3. Iterum cũ caro pingue aliquid, & crassum significet: neq; .n. caro & sanguis Dei mysteria reuelãt, Mat. 16. 17. neq; sapiunt ea quæ spiritus Dei, Mat. 16. 23. non mirum si externis dumtaxat trahatur, nec interiora penetret; vnde in insipientiam, & errorẽ decidat; quid enim nequius, quàm q̃uod excogitauit caro & sanguis?

Oculi Dei quàm perspicaces.

Nõ sic Diuini oculi, immò verò incredibili quadam perspicacitate insignes sunt: quod & ipsum Dei nomen græcum indicat Θεὸς à θεάομαι, quod est *spectare*, dispicere, contemplari, id quod notat Nyss. ora. 5. in can. 1. ideoq; ait, dici spõsum similẽ capreæ, quod animal dorcas dicitur à vi cernendi; Deus. n de cœlestibus mõtibus despicit terrena cuncta. Meritò igitur Deus oculos suos cõmendat ab ijs omnibus, q̃ ad sincerè videndũ, iudicãdumque, ac citra omnẽ errorẽ necessaria sunt. Et quidẽ primum à lumine: licèt. n. in abdito, occultoq; loco positæ, ac pluspquã cimmerijs tenebris demersę sint res, habet tamẽ Deus intimũ insitumq; lumen, vt quasi per extramissionẽ radiorum obiectũ luce perfundere videatur, & ad cernendum aptissimum reddat. Eccl. 23. 38. *oculi eius lucidiores sole.* Apo. 1. 14. & 2. 18. *oculi eius tamquã flãma ignis.* Dan. 2. 22. *nouit in tenebris cõstituta, & lux in eo est.* Ad hęc ita est cũ obiecto cõiunctus, vt nõ modò proximus illi sit, sed intimè etiã in illo sit, illudq; peruadat, ac permeet, vt sic dixerim, quę cõiunctio nõ solum diuinã visionẽ nõ impedit, verũ potiꝰ in caussa est, vt res intimè cognoscatur Prouer. 15. 3. *in omni loco oculi Domini.* Hier. 23. 24. *si occultabitur vir in absconditis, & ego nõ videbo eũ dicit Dominus? cœlũ & terrã ego impleo.* etenim q̃a intimè adest reb. omnibꝰ Deus, hinc fit, vt eius præsentia, atq; essẽtia omnia nõ solũ

Discrimẽ inter oculos Dei & hominum.

Auertendi verbũ quid.

contineantur, sed etiam impleantur. Quicquid enim solidi habent, ab eo habent, qui intimè illis adest.

4. Postremò Diuinus oculus eminenti quadã ratione cunctas videndi facultates, atque modos complectitur, vt proindè fateri omninò oporteat Diuino oculo infinitam videndi facultatem inesse, ps. 83.9. *qui finxit oculum, non considerat?* heb. non videt? quare meritò Iob sic cum Deo loquutus est, 10. 4. *nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis?* q. d. cum Deo mihi res est, qui in cognoscẽda, atque discernẽda veritate errare nequit, vel meã innocentiam ignorare. Secus ac hominibus accidit; vel fortè etiam Iob sensus est: vt respiciat ad carneos iudicum oculos, qui ex speciei, & carnis splendore iudicant, & personas, quas fulgere vident, in iudicio accipiunt: sordidos vero, ac pauperes contemnunt, & neque audiunt, neque aspiciunt. at Deus non despicit pauperem, non accipit cuiuspiam personam. Isa. 11.3. *non secundùm visionem oculorum iudicabit,* (70. *non secundùm gloriam iudicabit*) *sed iudicabit in iustitia pauperes.* hi enim non habent qui à se propulsent potentiorum, vel improborum calumniam & iniuriam contra omnem iustitiam.

5. Neque verò dissimulanda est hic alia Diuinorum oculorum proprietas, à qua longè sæpè absunt hominum oculi. Illud certè est humanum ingenium, cuius imaginem præbuit Saul. 1. Reg. 18.9. *non rectis oculis Saul aspiciebat Dauid,* chaldaicè, malo oculo aspiciebat. Sed in heb. simplex est vox, *ghaien*, à verbo *ghaian*, quod est oculare, aut obseruare oculis. q. d. erat Saul oculans Dauidem. at quàm procul id à Diuina bonitate sit is demũ planè intelliget, qui attendat eum, qui cum per summum scelus alapis appeteretur, velatam tamen faciem, & opertos oculos habuisse narratur Marc. 14.65. Luc. 22.64. quod præsignificauit Dauid 2. Reg. 15.30. cùm ascendebat cliuum oliuarum scandens, & flens nudis pedibus incedens, & operto capite, & oculis opertis, & quasi clausis luminibus rem totam Diuinæ prouidentiæ, atq; oculis permitteret, quod notatur Psal. 34.14. *quasi lugens, & contristatus* (i. operto capite more lugentium) *sic humiliabar.*

Itaque vide lector quantum inter hominẽ & Deum intersit, ille qui se aliquando læserit toruis, ac minacibus oculis aspicit semper iniuriarum memor: hic grauissimis contumelijs affectus quasi opertis oculis dissimulat; & peccantes non despicit verùm ad se trahit & venientes obuijs excipit vlnis. hæc obiter de Diuinis oculis ex Pineda.

THEORIA II.

In eundem Matth. locum: de cordis humani profunditate.

1. Deus intuetur ac penetrat corda hominum.

MOnet nos hic idem Matt. locus non semel positus: *Deus videt in abscõdito*, cordis nimirũ arcana penetrãs, ac secreta nulli penitia iudicãs: vt aliquid de humani cordis profunditate dicamus, ad hunc textum illustrandum ea quæ de hac re Pradus habet accersentes, Ezech. 8. 12.

A Rectè, ac verè Hier. c. 17.9. testatur, *prauum* (vafrum scil. & mendax, seu inaccessum, adituque impossibile) *esse cor hominis, & inscrutabile,* sicque rursum scisciratur; *quis cognoscet illud?* & vt quàm verum sit illud quod Matt. hic habet de Deo, quod in abscondito videat, hoc est, conscientiam penetret, & cordis penetralia peruadat, intelligeremus; interrogationi Deus ipse respondet: *ego Dominus.* Solus enim est, qui cordis latibula peruestiget. Contra ac impij arbitrantur. Ecclesia. 23.26. *quis me videt, tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus*; quare iure Theodoretus dixit: *causa quippè impietatis est Dei obliuio,* qui enim sibi persuaserant, nil eorũ, B quæ ipsi committerent, à Deo inspici, eò iniquitatis processerunt; sed docet nos Dauid aliter sentire, & loqui Ps. 25. 8. *prouidebam Dominum in conspectu meo semper.* est igitur adeò inscrutabile cor hominis, ac profundum, vt soli Deo scriptura tribuat, quod renes, ac corda hominum scrutetur: & quidem per renes, affectus, per cor mentem, & studium significare solet scriptura, rectè proindè Paul. dixit 1. Cor. 2.11. *quis hominum scit, quæ sunt hominis,* i. quæ qs in animo voluat, *nisi spiritus hominis qui in ipso est?* & iterum 1. Cor. 11.28. *probet autem seipsum homo*, quia nulla creatura alia scrutari potest, quæ in penetralibus humani cordis latitãt, nisi homo ipse sua prodat consilia, cogitationes, & studia.

C Quare sibi committitur sui ipsius examen, & testimonium, atque iudicium, nullus enim est alius, qui possit hominum corda penetrãdo iudicare. Proindè quo seipse homo iustè iudicaret, & veniam malè commissorum obtineret à Deo, in cordis humani basilica tribunal constituit ipse Deus, legesque in eius tabulis incidit; rationem namque creauit iudicem, conscientiam actorem, testes cogitationes, iuxta illud Pauli: *ipsi sibi sunt lex* (qui ostendũt opꝰ legis scriptum in cordibus suis) *testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se cogitationum* (turba) *accusantium, aut etiam defendentium in die, cùm iudicabit Deus occulta hominum* &c. Sic Dauid 2. Reg. 12.5. rogatus iudicium iustũ tulit inscius contra se: *viuit Dominus, quoniam filius mortis est.* Sic & ab Achab 3. Reg. 20.40. extorta aduersus seipsum est mortis iusta damnatio D *hoc est iudicium tuum, quod ipse decreuisti.* Sic enim illi dictum est.

2. Tribunal in corde hominis.

Vndè patet, quod homo liber ab affectu cõtra seipsum pro meritis supplicium decernat, quod tamẽ nequit perturbationibꝰ excœcatus. Atq; hoc est, quod sibi voluit Dauid cũ Ps. 50. 6. dixit: *tibi soli peccaui* &c. *vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris* (seuerior) sæpè tamẽ cor humanũ cõtendit delictũ occultare vt patet Hier. 2.23. *quomodo dicis, non sum polluta, post Baalim non ambulaui? vide vias tuas in conualle*; & iterum; *quid niteris bonam ostendere viam tuam? ego iudicio contendam tecum, eò quòd dixeris, non peccaui.* & Isai. 7.12. dixit dissimulans Achaz; *nõ petam, & non tentabo Dominum*; cũ reuera illi potius diffiderit: & Saul 1. Reg. 15.30. gloriatur, *immò audiui vocem Domini & ambulaui in via per quam misit me Dominus* &c. *tulit autem de*

3.

prada populus oues, & boues, vt immolet Domino. Sed infra, se prodit, *peccauit timens populum & obediens voci eorum:*

4. *Ipse homo, ipsi à Deo aditum cor sunum non penetrat.*

Sed quid mirum est à nemine iudicari, inuestigariue posse cordis humani consilia, cũ neque ab ipso homine exactè cognoscantur, nisi diuino lumine illustrato? *Lucerna Domini*, ait Sapiens, Prou. 20. 27. *Spiraculum hominis quæ inuestigat omnia secreta ventris*, i. vt Greg. habet 3. par. curæ Pastor. c. 3. *Diuini afflatus illuminatio, cùm in mentem hominis venerit, eam sibimetipsi illuminans, ostendit: quæ ante spiritus S. aduentum cogitationes prauæ, & portare poterat, & pensare nesciebat*, &c. *Spiraculum itaque, seu spiritus hominis, nisi diuina luce communicata lucerna Domini efficiatur, obire quidem potest consilia, & cogitationes suscipere, sed eas examinare non potest. Scrutabor*, inquit Deus, *Ierusalem in lucernis.* Soph. 1. 12. at vbi lucernæ admouentur tenebræ sunt.

5. *Cor duplex quid.*

Hinc est vt toties in sacris literis duplicis cordis, vel animi mentio fiat, damneturque in corde, & corde loqui, laudeturque facere veritatem. Itemq; ex toto corde sapientiæ studium amplecti. est enim adeò abstrusum cor ipsimet homini, vt cũ hoc reuera desideret, aliud sibi velle persuadeat, quod est mendacium loqui, facere, sibi ipsi imponere, & ceu duplex cor gestare in pectore, vel semicorde cogitare, & operari, propter quod Deus Isa. 31. 6. hortatur, vt profundo, & toto corde ad Deum reuertãtur Israelitæ, sicut toto corde, ac pleno affectu ab eo recesserant sectantes Baal; *conuertimini*, inquit, *sicut in profundum recesseratis filij Israel*; & quidem meritò, quia sibi ipsi imponit homo, sæpè cùm aliqua aduersitate stimulante ad Deum reuertitur, id quod reipsa contigit Iudę Hie. 3. 10. *non est reuersa ad me praeuaricatrix soror eius Iuda in toto corde suo, sed in mendacio.*

6. *Obsessorum à dæmone verba dubium à quo sint.*

Difficilè est energumeni verba iudicare, vnde nam sint ab ipso ne homine, an à dæmone, cùm eodem prodeant ore: nec facilius est cogitationes æstimare proprias, à spiritu ne hominis, an Dei proficiscantur. Discretio spirituum à Spiritu S. Ecclesiæ communicatur, qua perfoditur paries intimi recessus humani cordis, & abominationes in ipso absconditæ propalantur.

7. *Cordis humani profunditas.*

Denique quã sit profundum cor hominis, illud vel maximè ostendit, quod eã laudè sibi soli tribuit Deus vt arcana cordis humani rimetur, & intueatur. Hierem. 17. 10. *ego Dominus scrutans corda, & probans renes.* Psal. 63. 7. *accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* i. subeat hominem cogitatio quantumuis profunda, & abdita; profundius subit Deus, vt eam intueatur, & iudicet, & Psal. 32. 15. *qui finxit figillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorũ*, i. ideò intelligit opera, & cogitationes, quia animas creauit singulorum, alioqui ignoraturus. Postremò Psal. 38. 3. *intellexisti cogitationes meas de longè, semitam meam, & funiculum meum inuestigasti.* i. studia, & circumgyrationes, hoc est cõsilia, & subdit, reddens rationem, *tu formasti me*, &c. Hæc Pradus licèt non omninò his.

A

THEORIA III.

De Oratione Dominica, de eius præstantia, numero, & ordine Petitionum.

1. *Oratio Dominica vnà præstantior aliis.*

PRæstat diuinissima hæc orandi formula cæteris omnibus, quas humana ratio, vel vmquam excogitauit, vel excogitare potuit. Et primùm quidem præstat auctoritate; à Dei etenim filio condita est. præstat breuitate; vnde Tertull. l. de ora. *breuitas ista magnæ*, inquit, *ac beatæ interpretationis substantia fulta est, quantumque substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus.* Et Cyprian. l. de ora. dom. *qualia sunt*, inquit, *orationis dominicæ Sacramenta, quàm multa, quàm magna, breuiter in sermone collecta; sed in virtute spiritualiter copiosa vt nihil omnino prætermissum sit.* Præstat perfectione; ita Tertu. l. de ora. hanc Euangelij breuiarium vocat. Hic enim admonemur quid sperare, quid amare, quid colere, quid agere, quid fugere, quid appetere, quid contemnere debeamus. vt huc meritò referri possit, quod Celestinus Epistol. ad Gallos c. 11. scribit: legem credendi adde, & operandi, lex statuit supplicandi. Deinde omnia, hæc oratio comprehendit, quæ vel vt necessaria, vel vt vtilia à Deo petenda sunt. Præstat ordine; primùm enim, quæ ad Dei gloriam spectant, deindè temporalia ponuntur. Præstat efficacitate; quid enim magis Deum Patrem mouere potest, quàm eius Filij oratio, cuius est præceptis salutaribus præscripta, & diuina institutione formata? sciebat videl. Christus Dominus quisnam esset apud Patrem efficacior orandi modus, eumq; immenso, quo in genus humanum ferebatur amore, nobis tradidit. Denique præstat necessitate; in constitutionibus Apostolicis l. 7. c. 25. monentur Christiani ter in singulos dies diuinam hanc orationem recitare. In Conc. Rhemen. 1. c. 2. sub Leone III. Scriptum legimus, nõ licere homini Christiano, eam ignorare aut non tenere memoria, aut non intelligere, in conc. Tol. 4. tempore Honorij Pap. 1. nu. 9. sic legitur: *in tantum quotidie hæc oratio dicenda est, quãtum & ipso titulo vtitur, dũ vocatur oratio quotidiana. Sic eã sancti Patres nũcupauerunt.* & postea: *Sanctus Hilarius dicit: panem nostrũ quotidianum da nobis hodie: quid. n. tam vult Deus, quàm vt quotidie Christus habet in nobis, qui est panis vitæ, & panis de cœlo? & quia quotidiana oratio est, quotidie quoque vt detur, oratur.* Hæc de præstantia.

Est perfectissima.

Complectitur omnia.

Est efficacissima.

2.

Iam si de numero agatur Petitionum breuis est, sed verissima responsio, & omnium fermè doctorum, septem continere Petitiones.

Verùm quod attinet ad earumdem petitionum ordinem: S. Aug. in Ench. c. 11. & l. 12. de serm. Dom. in mo. c. 17. docet tribus Petitionibus prioribus peti res æternas, posterioribus temporales. Corn. Ianse. plenius rem totã explicat in cõcor. Euan. Scribit enim: primò peti bonorũ largitionẽ. Secũdò malorũ remotionẽ, & inter bona primò bonũ Dei; *Sanctificetur nomẽ tuum*, secundo bonũ nostrũ summũ, *adueniat regnũ tuũ.* Tertiò bonũ nostrũ mediũ, hoc est, gratiam implendi mandata; *fiat voluntas tua.* quartò bonum nostrum infimum, i. sub-

sidia

Digitized by Google

sidia temporalia; *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. inter mala primò petimus remotionem mali præteriti, *dimitte nobis debita nostra*, &c. Secundò mali futuri, *& ne nos inducas in tentationem*. Tertiò mali præsentis, *Sed libera nos à malo*.

3. Plenissimè S. Thom. 2.2.q.83. a. 9. ita petitionum ordinem digerit: quoniam oratio interpres est recti desiderij apud Deum, desiderium autem hoc actus est charitatis, qua diligimus Deum, in se, & nos in Deo. Ideò primò petimus gloriam Dei, vt sanctificetur nomen ipsius, quæ petitio nascitur ex amore, quo diligimus Deum in se. Secundo beatitudinẽ nostram, quam habebimus, cum aduenier regnũ Dei, & hæc petitio oritur ex amore, quo diligimus nos in Deo. Tertiò mediũ principale, & per se ad beatitudinẽ, id verò est obediẽtia legis: nam per obedientiam legis meremur beatitudinem. Quartò medium per se, sed instrumentarium. i. panem tum spiritalem verbi, & sacramentorum, tum etiam corporalẽ. Quinto medium per accidens .i. remotionem peccati prẽteriti, quod propriè excludit à regno & opponitur primo nostro bono. Sextò aliud medium per accidens i. remotionem peccati futuri, ne videl. superemur à tentatione, quæ impedit, ne Dei præcepta seruemus, quod erat bonum nostrum secũdum. Septimò aliud medium per accidens .i. remotionem mali præsentis, omnium videl. huius vitæ miseriarum, quatenus impediunt sufficientiam temporalium bonorum, quæ suo modo ad vitam æternam consequendam, vel necessaria, vel vtilia sunt. Quare mala ista, quæ in postrema petitione remoueri cupimus opponuntur tertiò nostro bono quod in quarta petitione à Domino postulamus. Vide Card. Bellar. to. 3. l. 1. de bon. oper. c. 5.

4. Albert. in Mat. videtur accommodasse septẽ spiritus Dona, de quibus Isai. 11. & septem præcipuas beatitudines septem istis petitionibus, nã prima inquit petitio regitur spiritu sapiẽtię, qui est sapor Diuinus ex esse Diuino in nobis, & perficitur pacificatione cordis, quãdo illi esse diuino nihil in nobis repugnat. Secũda autẽ regitur Spiritu intellectus, qui regnũ Dei mẽtis illustratione declarat, & perficitur mũditia cordis, & scãdala de regno Christi eliminat, & Tertia regitur spiritu consilij, qui agẽda secundũ Dei voluntatẽ persuadet, & perficitur in misericordia quæ incipit à seipsa, miseriã omnis inordinati actus propellente. Quarta autẽ regitur spiritu fortitudinis, qui velut cibo sumpto cor nostrũ confirmat ad ferẽda patiẽter aduersa, & perficitur esurie, & siti iustitiæ, quæ magis in esse Diuino sustentat, quã panis, quem quotidiè sumimus. Tres porrò reliquæ sunt de amouendis malis, & ideò quinta regitur Spiritu scientiæ qui docet cõuersari, & ostẽdit, quæ sunt debita quibus tenemur, & perficitur luctu, qui lauat delicta commissa. Sexta autẽ regitur pietate cultus Dei: auertit autẽ tẽtationes in quas induci possemus, & labi in cõtraria pietati cultus Dei, & perficitur Christi mansuetudine, qui non permittit nos tentari supra id quod possumus, & oues suas rapit de manu sua. Postrema regitur spiritu timoris,

A qui retrahit à malo, & perficitur paupertate Spiritus, quæ in omnibus temporalibus humiliter sapit, & agnoscit sufficientiam suam solum ex Deo esse. Ita efficitur, vt istis septẽ petitionibus, septem Dona spiritus impetrentur, quibus etiam virtutes, & perfectiones, quæ ad beatitudinem faciunt acquiruntur.

THEORIA IV.

Quomodo Deus Pater dicatur.

1. GErmanus Patriarcha Constantinopolitanus in expositione orat. dom. *reuera*, inquit, *Pater omnium nostrum est quasi πάντας τῶν*, hoc est, omnes conseruans; Petrus Chrysol. serm. 77. *qui iudicem*, ait, *mutauit in Patrem, amari voluit, non timeri*. D. Bernard. ser. 15. in cant. *vbi*, inquit, *illud, quod apud antiquos tam terribiliter, quàm frequenter intonare solebat: ego Dominus, mihi dictatur oratio, cuius principium nomine dulci paterno sequentium obtinendarum petitionum præbet fiduciam, &c.* Augu. l. 2. de ser. Domin. c. 8. *nusquam inuenitur*, inquit, *præceptum populo Israel, vt diceret Pater noster, vt oraret Patrem Deum, sed Dominus eis insinuatus est, tamquam seruientibus*, i. *secundum carnem viuentibus* & c. 9. *vtatur voce noui testamenti populus nouus ad æternam hæreditatem vocatus.*

2. *Multas ob causas Deus Pater dicitur.*

Multis autem de causis Pater dicitur. Pater est creatione omnium quidem, maximè verò hominum; *an non ipse pater tuus est, qui fecit, & creauit te*, iuxta illud Iob. 10. *manus tuæ Domine fecerunt me*, Deut. 32. *numquid non ipse Pater tuus*, &c. *Deum qui te genuit dereliquisti?* Pater est ratione educationis. Dat enim escam omni C carni, & oriri facit solem suum super bonos & malos, & Isai. 1. *filios enutriui & exaltaui*. Porrò educat nos, & enutrit liberaliter, & magna cum miseratione Psal. 102. *quomodo miseretur Pater filiorum* &c. hinc ab Apost. 1. ad Corinth. 1. vocatur Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Isa. 49. *si potest*, inquit, *obliuiscimater*, &c. Propterea comparat se Christus Gallinæ, quæ præ cæteris auibus pullis suis compatitur Matt. 23. Vocamus tertio & Deum *Patrem* ratione eruditionis. erudit enim per occultas reuelationes, quod cum Prophetis fecit. 1. Corinth. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*, vel per inspirationes. Psal. 84. *audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. vel per prædicatores quibus Matt. 10. D dicitur: *non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri*. Pater etiam noster est correctione, prouerb. 3. 12. *quem diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi*; est enim in eo qui corripitur à Domino, aliquid quod displicet, id scilicet propter quod eum castigat, & quod emendatum cupit. & tamen dicitur: Dominus complacere sibi in illo; quia illum suo beneplacito elegit ad vitam æternam ad quam sua eum castigatione promouet. heb. 12. *flagellat Deus omnem filiũ, quem recipit*. vbi Gl. qui excipitur à numero flagellatorum, excipitur à numero filiorũ, per quã correptionẽ non ad interitũ corripimur, sed ad emẽdationẽ, *vt nõ cũ hoc mũdo dãnemur*, 1. ad Co. 11. 32. alioq; *qui in laboribus hominum nõ sunt, & cum hominib. non*

flagellabuntur. Psalm.72.5. Sed cum Dæmonibus vt habet Glos. Postremò nobis hæreditatem in cœlis liberaliter largiętur tamquam filijs Pater: *Venite benedicti Patris mei percipite* & c. quam etiam hæreditatem indicauit, dum dixit: *Pater noster, qui es in cœlis*, ea enim nō est terrena, sed cœlestis, quam explicat D. Pet. 1. c. 1. 3. 4. *regenerauit nos in spem viuam & in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem conseruatam in cœlis*: Huius tu si filius Dei eris, ita vt nomini respondeat res, hæres instituēris. Rom. 8. 17. *quod si filij & hæredes*. Qui autem sint filij declarat Paul. ibid. vers. 15. *quicūque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*.

3. Huius Patris sanctitatem imitari debent omnes Patres familias. licèt enim cœlestis pater virtutum exemplar sit omnibus quod imitentur; se tamen illi similem bonus in primis pater familias exhibeat oportet. Meritò à quibusdam circuli centro comparantur patres, nō ob id tantum, quod sicut à centro multæ licèt lineæ ducantur diuisæ inter se, quælibet tamē linea vendicat sibi totum centrum, ita patrem totum sibi vendicant singuli filij; & quod in prouerbio est, vnus pater centum filijs sufficit. Verùm ob illud maximè instar cętri sunt patres familias, quod centrum ab omnibus lineis respiciatur, non aliter sanè parens familiæ, liberisque imitandus propositus est. Quod sapienter Plutarc. l. de liberis educan. docuit, dū sic scripsit: *ante omnia debent parentes nihil peccādo, omniaque pro officij rationibus agendo, euidens sese liberis exemplum præbere; vt in istorum ij vitam, tamquam in speculum intuentes à turpibus dictis, factisque auertantur. Etenim qui peccata filiorum increpantes, ipsi in eadem prolabuntur vitia, ij se non sentiunt sub illorum nomine semetipsos accusare. Quorum verò tota vita turpis est, ij ne seruos quidem obiurgandi libertatem sibi relinquunt, nedum filios*. Quare patris nomen in sacris literis idem est non rarò, ac magistri, & præceptoris, ita vt, & præceptor, qui sanctè, & diligenter munus suum obeat, *pater* meritò sui alumni appelletur. Sic videbis 4. Reg. 2. 11. & c. 6. 21. Iud. 18. & alibi.

4. *Patris appellatio magni momenti.* Porrò (vt iterum eò reuertamur, vnde digressi sumus) patris appellatio magni momenti est apud Deum. Ierusalem, Hie. 3. Fornicariam ciuitatem, & sub eius typo quamlibet peccatricem animam adhortatur Deus, vt ipsū Patrem appellet, si velit veniam facilè impetrare. Sic enim vers. 2. 3. 4. ait: *polluisti terram in fornicationibus tuis, & in malitijs tuis*, &c. *frōs mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere, ergò saltem amodo voca me: pater meus, dux virginitatis meæ tu es*; quasi tanto nomine audito statim ad misericordiam commoueatur, sicut pater amplecti, & exosculari solet filium infantulum, cùm ei repetitā identidem patris appellatione blanditur. Quare Dominus, cum discipulos orare docuit hinc inchoare orationem præcepit. indeque dumtaxat prodigus ille filius reconciliationis fiduciam concepit: *ibo*, inquit *ad patrem meum, & dicam ei: pater peccaui in cœlum, & coram te*. Hunc orandi modum vsurpauit Isai. 63. 15. *attende de cœlo, & vide de habitaculo sancto tuo. vbi est Zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum & miserationum tuarum? super me continuerunt se. tu enim pater noster, & Abraham nescisit nos, & Israel ignorauit nos. Tu Domine pater noster, redemptor noster, à sæculo nomen tuum*. Vbi aduerte primùm, significasse prophetam Deum adeò clementem esse, vt Abrahamus, & Iacob præ illo nomen patris minimè mereantur; id enim est: *Abraham nescisit nos, & Israel ignorauit nos*. Deindè aduerte appellasse fortitudinem Dei, misericordiam, *Vbi est fortitudo tua? multitudo viscerum tuorum*, &c. Deus enim misericordiæ operibus maximè omnipotentiam suam declarare solet. Tertiò obserua admirabundum prophetam dixisse dum nomine populi Deum exorare conatur, *super me continuerunt se*, quasi nouum quiddam, sit in Deo posse misericordiarum suarum viscera continere, quin ea liberaliter effundat. Postremò bis appellasse prophetam Deum Patrem: fuit enim semel Pater per creationem, & iterum per Redemptionem.

THEORIA V.

In quintam Petitionem.

PEccatum ait Euthym. obnoxium reddit hominem, sicut æs alienum, & Tertul. l. de ora. c. 7. *debitum* in scripturis, ait, *delicti figuram esse, quod perinde iudicio debeatur, & ab eo exigatur, nec euadat iustitiam exactionis, nisi donetur exactio sicut illi seruo* Matt. 18. *Dominus debitum dimisit*. D. Ambros. l. 5. de sacr. c. 4. improbos etiam Diaboli debitores esse, ait, *qui erat*, inquit, *liber in Christo, debitor factus es diaboli*. q. d. Ambros. peccata veluti pecuniam diabolus homini fęneratur. pro fęnore miser homo æternas soluit pœnas, ab his vsuris liberat nos Christus. Itaque secundùm Tertull. per metaphoram à debitoribus sumptam, vel vt inquit Euthym. ab his qui ære alieno constricti sunt; vel secundùm Amb. à fœneratoribus ducta translatione peccata, *debita* dicuntur. 1. *Peccata vocantur debita.*

Card. Tol. adn. 13. in c. 11. Luc. adnotat peccatū debitū dici ab effectu, quod debitum inducat, reddatque hominem debito obnoxium; nam qui in peccatum incidit Deum offendit, iniuriaque affecit, & indè est, vt debitor sit ad satisfaciendum pro commissa culpa: quam satisfactionem, nisi Christus pro nobis sua morte patri obtulisset, semper homo debitor permansisset, ac proindè reus semper æternæ pœnæ fuisset. Cùm ergo debita dimitti petimus, deleri peccata rogamus, & à nobis auferri gratis quidem & sine pretio si nos respiciamus, non item respectu Christi, qui pretium pro nobis soluit. Meritò peccata debita vocauit, vt significaret, quantum peccata noceant peccantibus, cùm per illa obnoxij sint debito satisfaciendi Deo, & pœnæ, cui numquam sit imponendus finis, nisi veniam assequantur ab eo, quem offenderunt. 2.

Sed de quibus, inquies, peccatis hic Sermo est? Resp. generatim omne peccatorū genus intelligi, quod præterquam quod ex parabola Matth. 18. colligitur, vbi habetur: *omne debitū dimisi tibi, quia rogasti me*, quod debitū constat fuisse decem millium talentorum, vt intelligas non leuia tantū peccata petere nos debere, 3.

vt no-

Digitized by Google

vt nobis dimittantur, sed etiam gratia; nam in tam magna summa decem millium talentorũ quadrans quoque comprehenditur, quo leue peccatum intelligitur, vt notat Tertul. de orat. Dom. Præter hoc inquam sequentia verba idẽ indicant, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: at nos condonare debemus proximis, & gratia, & leuia. Porrò ex hac petitione sic exposita tria colligemus, præter ea, quæ in Scholijs ver. 12. adnotauimus. Primùm quidẽ eam omnibus conuenire fidelibus adultis tam iustis, quàm peccatoribus. Nemo enim sine peccato viuit, vt docet August. lib. 3. de pecca. meri. & remis. cap. 13. ab istis tamen excipienda est V. M. vt lib. de nat. & grat. cap. 36. apertè testatur, se, cùm de peccatis agit nullam de V. M. propter reuerentiam filij se velle habere sermonem, quod tamquam dogma fidei habendum decreuêre Triden. Patres, dum declarãt Beatam Virginem nullum toto vitæ tempore actuale habuisse peccatum, non ex gratia ordinaria, sed ex singulari priuilegio. Nec propterea putes abstinuisse, B. Virg. à Dom. orat. etiam quoad hanc partem: vsurpauit enim eam, non pro se, cùm non indigeret, sed pro corpore fidelium. Omnibus enim fidelibus, non nobis tantum cùm indigemus, petimus relaxari peccata. Fateor Aug. lib. 2. contra epist. Parmeni. cap. 10. intellexisse hanc petitionem de leuibus peccatis, & alibi, sed id intelligendum est, non quod excludantur grauia, sed quod locum etiam habeat in iustis, vbi sunt tantum venialia, ita vt non sit necesse habere aliquem mortalia, vt de se dicere possit: *dimitte nobis* &c. Sufficit habere venialia. Alterum verò hinc colligere est ex Chrysosto. hom. 20. in Matth. hanc orationem esse fidelium, qui iam per baptismum Deum appellant Patrem. Vnde etiã patet, post baptismum nos veniam petere debere, vt Christo obediamus, orantes: *Dimitte nobis debita nostra.*

4. *Hæc petitio quibus conueniat.*

Ceterum vt huius petitionis sensum, clarius aperiamus, quatuor obseruabimus. Et primum quidem illud obseruandum venit, nobis hic præcipi, ea solum debita dimittere, quæ sunt cum offensione coniuncta, idque tantum quoad offensionem animi, scilicet vt non oderimus proximum, qui nos læsit, neque cum eo inimicitiam geramus, vnde etiam fiet, vt non cogamus eum resarcire damnum, si forte id facere sine maximo detrimento non possit.

5. *Obseruanda circa hanc petitionem.*

Alterum erit secundo loco animaduertendum, etiam non postulanti esse dimittendam iniuriam. quod autem S. Augustin. in Enchir. cap. 73. scribit, fortasse intelligendum est de remissione, quæ fit per signa externa, non de ea, quæ solo animo fieri potest. Nam lib. 2. de serm. Dom. cap. 13. affirmat necesse esse omnibus dimittere, etiam non petentibus.

6.

Sequitur tertium, quòd cum quis in aliquo est peccato voluntariè, & perseuerans in eo, licèt iniurias ex animo remittat, si conuersionis gratiam, nec cupit, nec à Deo ex animo petit, is non impetrat. Secus si ex animo petat, & conuersionis gratiam cupiat, quamuis concupiscentia victus in peccato hæreat. Nam Deus, qui illi bonum illum animum dedit perficiet sua miseratione, quod cœpit, si ille pergat petere ex animo. Postremò quarto loco obseruandum id quod Cassianus collat. 9. ca. 22. scribit: fuisse aliquos, qui cum iniurias condonare nollent, ne mentirentur, præteribant ea verba inter orandum in orat. Dom. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. At hi qui huiusmodi sunt frustra petunt, etiamsi taceant ea verba: cùm Dominus vers. 15. dixerit: *Si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Deindè ijdem quamuis non mentiantur, dum tacent ea verba, dum tamen non condonant iniurias, nec cupiunt gratiam, qua incipiant velle eas condonare, mentiuntur in reliquis huius orationis partibus, dum eas pronuntiant sicut & reliqui peccatores: qui conuerti nolunt, sed obfirmato animo peccato indormiunt, neque id ex animo, ac verè postulant à Deo, vt ad meliorem frugem se recipiant. Quomodo enim audebunt hi dicere, *Pater noster*, qui nolunt esse filij? quomodo, *sanctificetur nomen tuum:* per quos nomen Dei assiduè blasphematur? quomodo, *adueniat regnum tuum*, qui nihil magis, quàm aduentum Domini timent? quomodo, *fiat voluntas tua*, qui suam & non Dei voluntatẽ semper faciunt? Reuera tamen, qui orat, *dimitte nobis debita nostra sicut & nos* &c. atque adeò petit sibi remitti debita, nec alijs relaxat, D. Thom. in Matt. affirmat hunc neque reipsa mentiri, neq; aduersum se precari. Nec deest ratio ad id affirmandum: pronuntiatur enim ea oratio sub Ecclesiæ persona, ac nomine illius profertur, quam constat remittere omnem ex animo iniuriam, quicquid sit de orante. Rectè quidem hæc, quia non dictũ est, vt oraremus, *dimitte*, sicut ego dimitto, verùm *sicut & nos dimittimus*. Id quod vt verũ sit, satis esse debet, quod in Ecclesia multi sunt, qui dimittant. Lege præter Catechismum Roma. Abul. Matt. 6. 116.

8.

Oratio Dominica non conuenit peccatoribus.

9.

THEORIA. VI.

In eamdem Petitionem: *dimitte nobis* &c. *Sicut & nos* &c. An liceat aliquãdo quæ nostra sunt, iudicio repetere, & an id aliquando expediat.

DE iure litigandi variæ sunt Doctorum sententiæ. D. Aug. to. 4. l. 2. de ser. Dom. in mon. c. 13. explicans hanc eamdẽ, quam versamus, petitionem, non putat, sine peccato me quidquam à proximo corã Iudice petere posse; sic enim scribit; *Seruum Domini, vt ait Apost. nõ oportet litigare. Qui ergo vel sponte conuentus pecuniam debitam reddere noluerit, dimittenda illi est. duas enim ob res nollet reddere, vel quod non habeat, vel quod auarus sit, reiq; alienæ cupidus, vtrumque autem pertinet ad inopiam, nam illa inopia est rei familiaris, hæc animi.* & paulò pòst: *cùm in orat.* inquit, *dimitte nobis, dicimus, de omnibus, quæ in nos quisq; peccat, loquimur, ac per hoc etiam de pecunia: peccat autem in te, qui tibi pecuniam debitam, cùm habeat vnde reddat, recusat reddere, quod peccatũ si non dimiseris, non poteris dicere, dimitte nobis, sicut & nos dimittimus.* Eodem ipse Aug. tendere videtur explicans illa Psal. 118. verba: *iniquos odio habui.*

1. *An liceat via iuris sua repetere.*

Verùm non est iudicandum damnari his ab Aug. contentionem in iudicio, quasi ipsa per

se sit mala,& quasi semper peccatum sit sua iudicio repetere, & multò minus quasi ipsa iudicia & tribunalia iudicũ per se sint mala,cũ loco citando nu.2.Paulus suadeat vt instituantur inter ipsos fideles,quod ipsũ Aug.nõ latebat:sed damnat Aug.vt & Paul.contentionẽ scandalosam ex accidenti aliquo;qualis nimirũ erat illa fratrum corã iudicib.infidelibus, atq; adeò eã quæ fit facilè ac temerè cum cõtentione,& detrimẽto pacis nõ sine offensione fideliũ aliorũ, vel etiã inimico animo vindictam quẽrẽte &c.

2. Doctor Olauius in quibusdã manuscriptis: Sic habet de hac re scribens: *principiò dico licere nobis aliquãdo,quæ nostra sunt iudicio repetere. Hoc apertissimè colligitur ex illis* D.*Pau.1.ad Cor.c.6.12. verbis:omnia mihi licent,sed nõ omnia expediũt:omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. quib.verbis apertissimè significat,ei, cui ius suũ clarè constat,licere quæ sua sunt iudicio repetere, nam cũ duo proposuisset,alterũ v.7.quare non magis iniuriã accipitis;alterum v. 8. sed vos iniuriam facitis. Prius de illis disseruit,qui iniuriam faciunt, deindè loquens de illis,quos vult potius pati iniuriam,quàm litigare, subdit:omnia mihi licẽt,sed nõ omnia expediũt. Vbi contra multorũ sententiam arbitror,verbum, licere,* D.*Paulo nõ significare posse simpliciter,sed honestũ esse,aut non esse prohibitum.Sicut & Matt.14. dicitur:nõ licet tibi habere vxorẽ fratris tui.& c.8.huius eiusdem Epis.Prioris ad Cori.in eadem significatione*

3. *nomen licentia vsurpatur.Iam q̃ sequitur,numquã expedire,repetere q̃ suum est,iudicio, in* D.*Thomam aliqua ex parte dico,qui tantum hoc dictũ putat perfectis viris,quib. nihil est proprij. Ego omnibus dictum hoc puto & sanè,cùm sit certum ei, qui ius habet aliquid iudicio petendi,licere & iudicio contendere, & nõ contendere,sed debitum potius remittere, cumque dubium non sit, quin hoc sit præstabilius, & ad tranquillum & charitate plenum vitæ spiritualis statum magis faciat iure suo cedere, quã in iudicio litigare; consequens est,hoc numquam expedire.i.semper illud vt præstabilius esse recipiendum,id quòd apertè etiam illa verba significant: quare non magis iniuriam accipitis?quare non magis fraudem patimini?*

4. *Postremò assero* D.*Paulum verbis illis:iam quidem omninò delictum est in vobis; quod iudicia habetis inter vos,nec significasse*(vt quidã existimant)*vtrũque litigatorem semper peccare;nec*(*vt alij arbitrantur*)*nomine delicti,solã perfectionis priuationem intellexisse; sed contendo, demonstrare illum his verbis voluisse, litem adeò detestandam rem esse, vt vix fieri possit,aut prorsus sit impossibile oriri litem vllã, quin nascatur illa ex alterutrius litigãtis peccato,siue intendentis,siue defendentis. Nam si ius suum perspicuè probare nõ potest intendẽs, quis illũ omninò à peccato poterit excusare,q̃ intẽderit? Si probare potest;quẽadmodũ obsecro defendẽs sine peccato in lite perseverabit?ergò etsi nõ semper vterque litigans peccet, is tamen vel nõ nascitur, vel non viuit sine alterutrius peccato. Hoc volens significare* D. *Paulus statim post prædicta verba,& innocentium, & nocentium mentionem fecit,illorũ,cùm ait, quare non magis iniuriã accipitis?horum autem cùm subdit:Sed vos iniuriam facitis,*&c. Hactenùs Olauius in manuscriptis.

DIGRESSIO I.

De Sacra cærimonia, qua Ecclesia die Cineralium vtitur.

1. QVoniam Euangelium hoc cap.4.à nobis expositum, *cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes*.&c.vt habes v.16.& seq. incidit in primum diem Quadragesimæ, pauca quædam de cinerum cærimonia concionatoribus non omninò inutilia dicam breuissimè.

Cærimonia cineris suscipiendi ex duobus constat.

Omninò duobus videtur mihi ea cærimonia constare,& capitis demissione,dum illud reuerenter sacerdotũ manib. subditur: & cinerum supra caput impositione, vbi maximè vigent hominis sensus, atq; mẽs.Imprimis capitis demissio symbolũ esse videtur hominis pœnitẽtiã agẽtis, cùm.n.depresso capite,incederet Achab 3.Reg.21.27.29.Dixit Dominus ad Eliã: *nonne vides Achab humiliatum*?pro eo autẽ,quod habemus v. 27. *ambulauit demisso* capite, 70. habent & iuit,alij ex Heb.incessit, vel ambulauit sensim,aut pedetentim instar lugentium, & mœrentium.Illud ergò hac cærimonia indicamus, nos scilicet ob peccata lugere,ac mœrere,& ad hoc nos mater Ecclesia inuitat, vt præterita defleamus crimina, ac si dicat, age pœnitentiam in fauilla & cinere.

Capitis demissio quid designet.

Iterùm sicut capitis elatio ad superbiam, animiq; fastũ pertinet Ps.28.2.*qui oderunt, te extulerũt caput*,ita demisso esse capite humilitatẽ insinuat:& hãc Ecclesia mater à filijs postulat. nulla enim alia re magis nos Deum placare posse delictis offensum,quàm hac vna virtute; sicut autem capitis, id est, animi elatione Dei incurrimus indignationem, ita in eius nos insinuabimus amicitiam,per cõtrariam depressionem non tam capitis, quàm animi.

2.

3. Tertiò capitis extollentia vincentis est,audacterue loquentis Ps.26. 5. *nunc exaltabo caput meum super inimicos meos.* & Ps.109.7. *de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*, id est, licèt vulneratus,& sanguine fluens abscedat prælio, euadet tamen victor,ac triumphabit: Depressio igitur capitis contrarium omninò significabit:est enim is habitus hominis non sustinẽtis seueriss imi iudicis vultum,nec fidentis causa sua. Igitur significare nobis vult pia mater hac corporis submissione, vt peccata nostra non excusemus, sed tamquam coram iudice Deo positi, percutiamus pectus nostrum, & culpas fateamur,vt veniam commereamur.

Capitis extollentia quid designet.

3.

4. Quarto loco demissio capitis erubescentiã pudibundi,ac mœrentis hominis significat.Sic igitur vult nos Ecclesia cum publicano,vt erubescentes ob delicta nostra non audeamus oculos ad cælum leuare, quia hæc sapientia sit humiliati hominis iuxta Eccl.11.1.*exaltabit caput illius, & in medio magnatorum consedere illum faciet*,&,*tunc leuare poterit faciem.* Iob.11.15.

4.

5. Postremò capitis demissio referri potest ad ærumnarum pondus,quæ caput,& cèruices infœlicis hominis opprimunt, sicut vincula, & ferri pondus grauissimum,pertransiere animã Ioseph in carcere positi,vt vix respirare posset. Docet ergò nos mater nostra,vt vitę huius tot calamitatibus oppressi,& ærumnarum pondere grauati suspiremus ad Deum cum Dauide Psal. 3. 4. *susceptor meus es tu, & exaltans caput meum*, ne grauissimis scil. calamitatibus succumbam,sic enim fiet,vt audituri simus,*leuate capita vestra.* Sicut sponsa dum laboribus vrgebatur,leuabat tamen caput sponsi læua sustentatum;*læua eius sub capite meo*, Cant.2.6.ne concidam, sed erectos semper valeam ad sydera

5.

tollere

tollere vultus. Et hæc de capitis depressione. Iam ad cinerum ritum veniamus.

6. Susceptio cineris duo in memoriam reuocat.

Duo nos hęc tã salubris cerimonia in memoriã reuocat. Primũ vnde nã simus? quę origo nostra. Deinde quo miseri tẽdamus, quidue tandẽ expectemus? quorũ vtrumq; attigit Iob c. 10. v. 9. *memento quæso quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me.* Principiò monemur nos ex vilissimo luto cõditos esse, nec habere posse vnde in altũ efferamur, vt meritò dixerit Iob Deo: *memento quæso quod sicut lutum feceris me.* Hinc est quod in sempiternã memoriã Gẽ. 2. 3. scriptum est: formasse Deum hominẽ de limo terræ, quo loco in Hebræ. & apud 70. tantũ est, formasse Deum hominẽ puluerẽ de terra, vt etiam habet Aug. 6. & 7. de Gen. ad lite. c. 1. quamquã secũdo de Gẽ. contra Manich. legat, finxit Deus hominẽ de limo terræ. Sed idẽ est, siue de limo dicas, siue de puluere: nã subintelligendũ est, de puluere permisto aqua, vt sit lutũ, propterea cùm præmisisset Moses: *fons ascendebat irrigãs vniuersã superficiẽ terræ*; continuò subiecit, *formauit igitur Deus hominẽ de limo terræ*, hoc est, de terra madefacta. Quare noster interpres optimè vertit, *de limo terræ.* Vult igitur pia mater nostra, vt initia creationis nostrę mente repetamus, vt luti illius memores, vnde conditi sumus, abijciamus nos, neq; in præceps ruituri supra nos feramur. Hæc enim attenta meditatio vilitatis nostræ, mirũ est, quantoperè nos collustret, atq; illuminet, & in officio cõtineat. Huc respexisse videtur Dominus, nempè ad opus creationis nostrę, cùm cœco nato, visum, lumenque luto impositio restituit, vt August. Cyril. Chrysost. Ambr. sapienter adnotarunt. qua re insinuata nobis est tam salutaris luti diligens, & attenta meditatio, vt spiritaliter collustremur.

7. Mortis memoriam reficit.

Sed nõ hanc tantũ vtilitatẽ nobis hęc cærimonia adfert, sed illã etiã, vt nos morti obnoxios esse intelligamus, & in puluerẽ aliquando redigendos. reuocat enim nobis in mentẽ diẽ mortis, quæ recordatio, veluti viuentẽ mortẽ reddit, quã recordationẽ si abijcias, veluti mortua tibi mors est; at si ea in te vigeat, viuet tibi mors ita vt locovitę sit tibi futura, ac per illã sic viuẽtem ingentes poteris de hoste reuehere triumphos; nõ secus ac Samson Iud. 15. mortui animalis osse, hoc est, mandibula, mille Philistęos percussit. Mors viua mirũ est quanta diaboli regno damna inferat, quantum eius vires deprimat, quantis deniq; cladibus infernas hostium phalanges afficiat: sentiet, qui experietur.

8. Si sapis imitere Samsonẽ eumdẽ Iud. 14. declinauit is à via, vt videret cadauer leonis. Contẽplare, rogo, parumper regũ, ac sapientũ cadauera. Declina parumper, quæso te, à via, hoc est, deflecte à tuarũ cogitationũ, ac negotiorũ, sæcularium q; curarum semita, siste gradum, dum magnorum ducũ, ac principũ monumẽta vides, & cum Baruch c. 3. 16. dicas: *vbi sunt principes gẽtiũ, & qui dominantur super bestias &c. exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* Non pigeat lectorem Basilium de morte differentem legere.

9. In hoc cinere multo melius, quã in illo Dan 14. deprehendes astus, & Dæmonum dolos, eorum vestigia obseruabis prudens, vt mille nocendi artes intelligas, ne te decipiant.

10. Ad hanc per mortẽ reportandã de hostib. victoriã accẽdit, simulq; docet nos fortissimus ille Gedeon, dum milites suos talibus instruit armis Iud. 7. *dedit tubas in manibus eorũ, lagenasq; vacuas, ac lãpades in medio lagenarũ.* quib. illi muniti armis, clangentib. tubis, lagenis effractis, accensisq; lãpadibus, fregere hostium agmẽ, & de Madianitis gloriosum reuexere triumphum. At nõ minus potentia sunt arma, quibus nos Christus multò Gedeone præstantior armat, nimirũ fractæ lagenæ fictiles, hoc est, fracta, & in cinerem redacta fictilia nostra corpora, horrendùm itẽ personans extremi iudicij tuba, tartareoq; igne inflammatæ lampades. dicã clarius si quis Christianorum pectus muniat assidua mortis, iudicij atq; inferni consideratione, ille, nõ dicã Madianitarum, quod parum est, sed mũdi, sed Dæmonum innumeras, terribilesq; acies profligabit.

Huius rei meditatio Patrẽ illũ nostrum Franciscum Borgiam cõpulit, vt diuitijs, honoribus, dignitatib. nuntio remisso abiectissimã seruorum Dei in Societate nostra vitam arriperet. dum magnæ illius imperatricis Elisabethæ cadauer aspicit, dum eius mortuæ fœditatem & fœtorem aduertit, simulq; in memoriã reuocat, qualis illa olim fuerit, quã pulchra, quantis honorib. affecta, lege historiã apud Ribadanierã. 11.

Postremò coronidis loco, antequam huic digressioni finẽ imponam, hoc ex Plinio naturalis hist. l. 10. c. 33. nõ grauabor referre, perdicem in pauore resupinam in sulco, gleba terræ pedibus apprehenso se operire, nimirum vt aucupis truculentas manus effugiat. Tu quoq;, si sapis, si vipereum, ac tartareũ aucupẽ vis euadere, hoc te sacro puluere operias, & tutus eris. Hæc obiter. 12.

DIGRESSIO II.

In eandem Eccleſiæ cærimoniam.

HOrum, quæ ab Ecclesia vsurpantur verborum, *memento homo, quia puluis es, & in puluerẽ reuerteris*, iugis, ac diligẽs meditatio, primùm humilitate, quæ vt virtutum fundamentum est, ita & salutis initium, imbuet animum. 1. Verba illa: Memento homo &c. quid nos doceant.

Deindè vlterius progressa, rerũ omniũ, quas admirari mundus solet contemptum suadebit, qui nõ parũ ad progressum in virtute faciendũ pertinet. Tandẽ arctã, quæ ad vitã ducit viã indefesso pede perambulare faciet, in quo consũmatio quædã vitæ spiritalis attenditur; nam *qui perseuerauerit vsq; in finẽ, hic saluus erit.* Vt ergo à primo ordiamur, quis quæso nostrũ sensu carnis inflatus, adeò longè extra se abscessit vt non subitò se intra se recipiat, immò in se tabescat, si modò serio secũ cogitet, quod puluis sit, quodque in puluerem sit rediturus. Puluis iste supra caput positus, non ne singulorũ capita pulsat, ac tundẽs tacitè dicit: *quid superbis terra, & cinis? putrediñi dic: pater meus es, mater mea, & soror mea vermis.* Iob. 17. hæc certè caussa est, vt nõ humiliemus animas nostras, quod ceruices, cristasq; nõ deprimamus erectas, quia nimirũ in cineré, qui ex cinere sumus, nos redigẽdos nõ meminimus, non sic magnus ille Dei amicus Abrahã, & Patriarcha insignis, cui dictũ: *in semine tuo benedicẽtur omnes gentes*, Gen. 22. qui dũ ante conspectũ Domini venit, in terrã cadit, pronus adorat, tremẽs loquitur: & in Euangelio ille, quo inter natos mulierũ nõ surrexit maior, Ioannes Baptista, dũ videt secũ ad Iordanis aquas baptizan- 2.

Digitized by Google

dum accessisse, totus horret, sanctum refugiens verticem attingere.

3. Quid quęso tam excelsos viros Abrahã, & Ioãnẽ tantoper ẽdepressit? recordatio ꝓprię cõditionis. *Loquar*, inquit ille, *ad Dominũ, cũ sim puluis, & cinis? Qui est de terra est*, ait hic: *de terra est, & de terra loquitur; qui de cælo venit, super oẽs est.* Ecce tibi quãtas habeat vires puluis huius attenta cogitatio, præ quo nihil est argentũ, nihil aurũ; & verò nihil tã pretiosum est in reb. istis, vt cũ hoc puluere conferri queat, q dũ deprimit, erigit; dũ sordidare videtur purgat; dum tenebras afferre censetur, lumen ingerit immensum.

4. *Sacri pulueris vis & efficacia.* Quantã verò (quod secundũ erat ex tribus ꝓpositis) efficacitatẽ habeat hic idẽ puluis ad ingenerandũ animis nostris rerũ omnium, quas mũdus suspicit despicientiã, siue diuitiæ sint, siue voluptates, siue honores; ille demũ nouit, q in huius pulueris meditatione diu ac seriò versatus est. Diuitiæ nõ animũ percellẽt nostrũ, si te cras moriturũ, i. paulò pòst attẽdas. Quis nãque est, qui dicere valeat; crastinus dies illucescet mihi, nũquid arbitramur, q cùm morietur homo, sumet omnia, quo due descẽdet cũ eo gloria eius? Audi miser scripturã Luc. 12. hominis cuiusdam diuitis, vberes fructus, ager attulit, & cogitabat intra se dicẽs: *quid faciã, quia nõ habeo; quo congregẽ fructus meos*, & dixit, *hoc faciã, destruã horrea mea, & maiora faciã, & illuc cõgregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicã animæ meæ, anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare*; dixit autẽ illi Deus: *stulte hac nocte animã tuã repetã à te, quæ autẽ parasti cuius erũt?* rectè igitur Apost. monet: *nihil intulimus in hũc mundũ, haud dubiũ quin nec auferre quid possumus.* facilè igitur contẽnit omnia, qui semper cogitat in puluerẽ se rediturũ, facilè honores fugit, facilè voluptates fœdissimas despicit, quod carnẽ suã paulò pòst in putredinẽ vertendã esse attẽdit; quã horreat, & oculꝰ inspicere, & manus cõtingere. Tũc cubile tuũ nuda, ac frigida erit humus, & subter te sternetur tinea, & operimentũ tuũ, futuri sunt vermes, hic diuitiarum, hic voluptatum, hic gloriæ finis est. *Vanitas vanitatum dixit ecclesiastes, vanitas vanitatũ, & omnia vanitas.* Eccl. 1.1. si dixisset omnia vana sunt magnũ quid dixisset; Nunc non dixit, vana sunt, sed *vanitas*, quod quãto sit priori vehemẽtiꝰ, qui nõ percipit frustra ei explicet nostra oratio. neq; id solũ ait, sed *vanitas vanitatum*, qua phrasi apud heb. vanitatis magnitudo exprimitur. Neq; hoc cõtentus dixisse rursũ, eamdẽ geminationẽ posuit, vt indicaret, non solũ omnia insigniter esse vana, & plusquã vana, verũ plusquã etiã vanitatẽ. Quis igitur nisi vanus prorsus hæc appetat? quid autẽ, vel quantũ sit vanũ, vel vanitas ex notione harũ vocũ intelligere oportet, vt sapiẽtis sensũ, mentemq; cõplectaris: vanũ igitur tũ apud Latinos, tũ apud hebr. bifariã accipitur, primũ pro vacuo, & inani, iuxta illud Poetę: *expectata seges vanis elusit aristis.* Deinde ꝓ fallaci ponitur, vt est apud eundẽ Poetã: Ni frustra auguriũ vani docuere parẽtes. Apud heb. itẽ, vanũ, vel vanitas, seu vanitas vanitatũ hauel haualim iuxta Rabi Dauid significat, id q nõ est ꝙpiã, i. vacuũ, & inane, aut certè, q mox desinit, aut euanescit, vt est flatus qui ab ore ꝓcedit, sic Psal. *homo vanitati similis factus est*, sequitur enim: *dies eius sicut vmbra prætereunt*, quod prioris interpretatio est. Interdũ verò vanum, & vanitas, fraudulẽtum, & mendacẽ, & fraudẽ, vel mẽdaciũ significat, Prou. 13. 11. *Substãtia festinata minuetur*: heb. *substãtia, quæ est ex vanitate minuetur.* hoc est, diuitiæ fraude cõparatæ elabẽtur. Item Ps. 61. 10. *veruntamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiãt ipsi de vanitate in idipsum*: vbi vani, & mẽdaces nõ alia ratione cõponuntur, quã apud Virg. 2. Aen. *nec si miserum Fortuna Sinonẽ finxit, vanũ etiã, mendacemq; improba finget*. Est porrò sensus huius versiculi duplex (tacit. n. egregiè ad rẽ nostrã) primus filij hominũ vani & mendaces in stateris, ita vt si appendantur in stateris, vel ita vt appẽsi in stateris appareat eos decipere, & nõ tãti esse, quanti putãtur. atq; adeò vnã oẽs seipsos vanè, ac mendaciter decipere, dũ se putant plus esse, quã reuera sunt. Sed elegãtissimè per μετωνυμίαν sic secũdo expones referẽdo (vt in primo sensu) etiã illud, *in stateris*, ad sequentia potius, per anastrophẽ; si ascẽdant, inquit, in alterã libræ lancẽ inanitas, in alterã verò vniuersum humanũ genus, ignobiles, & nobiles, filij hominũ, & filij viri ex hebr. ꝓfectò inanitas ipsa prępõderabit. heb. ad verbũ, *in stateras vt ascendãt ipsi* (sunt) *præ vanitate pariter*, i. vanitate sunt ad vnũ cuncti leuiores; Est ergò anastroph. ibi, *in stateris* vt, pro, vt in stateris politi decipiãt, & fallãt, ipsi præ vanitate in idipsum. i. ad vnũ oẽs pariter leuiores vanitate, q. d. si ponerẽtur in libris credũtur aliquid esse, & põderare, cũ tamẽ vanitas, si in alterã lancem inferatur, ꝓpõderatura sit, ita fallunt, & decipiunt: nã videntur aliquid esse, & nihil sunt: videntur futuri multò põderosiores, & tamen ab inanitate eleuãtur. Elegantissima μετωνυμία ad dejiciendũ quorũlibet fastũ, & hic sensus videtur esse verior. Deut. 32. 21. per flexũ quẽdam vanitas Idolis tribuitur. *ipsi me prouocauerũt in eo, qui nõ erat Deus, & irritauerũt in vanitatibus suis.* hoc est, idolis. Vocat autẽ Moses: vt & Hier. 8 14. idolã haualim, i. vanitates, tũ quia nihil sunt, tũ quia specie mẽtiuntur hominem, aut aliud animal, cũ nec viuãt, nec sentiãt. Hinc Paul. Rõ. 1. alludẽs ad hebraic. vocẽ, idolum apertè mẽdacium vocat. Eccl. igitur (vt vnde discessimus eò regrediamur) hoc ibi agit dũ illud profert, *vanitas vanitatũ* &c. vt animos mortalium affixos vmbris rerum terrenarũ ab earum amore abducat, quod vt ꝓsuadeat ipsa rerum experientia se cõperisse affirmat omnia q sub sole sunt & inania esse, & fallacia, etenim vapor fumi, & aura tenuis sunt, quæ mox enanescũt. Deindè primo quidẽ aspectu cõceptæ animo spei applaudunt, sed posteà frustrantur, promittunt fęlicitatem, sed nõ præstãt, nec tãtum nõ præstant, sed in æternã miseriã præcipites agũt sectatores. Igitur *filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

11. *Ad partes iã iniuias.* Restat tertium eorũ quæ initio proposuimꝰ; quid quæso aliud præmiſſæ hæ inferũt, quàm vt illud gnauiter, diligenterq; obeamꝰ, quod monet Ioel. 2. *cõuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & nõ vestimenta vestra?* Fac igitur iuxta Apost. cõsilium Rõ. 6. sicut exhibuistis mẽbra vestra seruire immũditiæ & iniquitati ad iniquitatẽ, ita nũc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in

sanctificationē. Audi eum de quo cęlestis testatur Pater, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cōplacui*, iubet verò vt ipsum audiamus; quid igitur hic? cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, de deserto, vbi erat cum bestijs in Galilæā venit, sic euangelium exors⁹: *Pœnitentiā agite, appropinquauit.n. regnū cœlorum*, & vt cętera pœnitentiæ opera omittā: Audi de ieiunio ad quod nos quadragesimæ tępore inuitat ecclesia, quid idē Christus præcipiat: *Cū ieiunatis nolite* &c. tres statuit cōditiones, quibus uos ieiunare vult. Cū ieiunas nō tuā quæras gloriā, sed Dei, hoc age vt ille sanctificetur, nō vt tu lauderis. Vnge caput tuū. Vngitur caput, cū propter Deū, & Christū, qui secundū Apos. caput est nostrū, ieiuniū assumitur, hæc est prima cōditio, q̄ ieiuniū Deo acceptū reddit si in veritate fiat, si absit hypocrisis, fictio, & simulatio.

12. *Tres ieiunij conditiones.*

13. Secunda est, vt in animo non vigeat affectus peccandi, petierāt Iudæi à Deo, cur non respexisset eorū ieiunia. Respōdit ille Isa. 58. 8. *ecce in die ieiunij vestri inuenitur volūtas vestra.* vbi volūtas ex heb. vehementē affectū animi, & propēsionem in aliquid significat. Vt sit sensus: quia volūtati vestrę vehementer propensæ in auaritiam, voluptatem, superbiam studetis, vtinam hoc in ipsis quadragesimæ ieiunijs Christiani nō agerēt, & quidem tanto turpius, quanto sanctiores hebræis esse deberēt. *nolite ieiunare sicut vsq; in hāc diē, vt audiatur in excelso clamor vester*, inquit Dominus, *nō ne hoc est magis ieiunium, quod elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes* &c. hoc ergò docuit Dominus cùm dixit: *faciem tuam laua*. Facies conscientia est. hanc lauamus, quando deponimus affectū peccandi, & plangimus, quod peccatum est.

14. Tertia cōditio, vt prædictis opera admisceamus charitatis, qualia sunt esuriētē pascere, nudū operire, egenos, vagosq; in domū inducere, & quæ pterea loco ci. docet Isa. Hāc conditionē satis aptè nobis demōstrat Domin⁹, cū ait: *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra* &c. *thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo*, & quæ sequuntur.

DIGRESSIO III.

Quod oratio, ieiunium, & eleemosyna rectè vnà consocientur, vtilissimeque iungantur, quod & Christus hoc c. in finuauit hæc tria simul tradēs, & Orationi ieiuniū, & eleemosynā adiūgens.

1. *Angeli Raphaelis optima doctrina.* RAphael Tob. 12. 8. hanc, quā nunc tractamus doctrinā paucis quidē, sed cœlestib. planè verbis edocuit: *bona est*, inquit, *oratio cū ieiunio, & eleemosyna magis, quā thesauros auri recondere*: Non quod nunquā esse debeat oratio, quin simul quispiam ieiunet, stipem det, aut contra. Sed quod hæc vtilissimè iungantur, meritoque consociētur. Alioquin sententia potest esse, bona est oratio, & ieiunium; & eleemosyna, quia tria hæc Tob. & Sara crebrò admodum colere, vnaque consociare solebant. Prior tamē sensus textui conuenientior est, & Theologis, sanctisque Patribus. ideò .n. aiunt quidam duabus in cœlum alis surrigi, humoq; attolli orationem, ieiunio, & eleemosyna.

2. Verū cur oratio cum eleemosyna, & ieiunio, Raphaele teste, Deo gratissima est? an quia cùm oratio sit, vt Damasc. inquit, eleuatio mentis in Deum, tanto magis mens ipsa eleuatur, quanto orās à grauaminibus expeditior existit? duo.n. sunt grauamina, quæ mortales valdè deprimūt; oblectamentum carnis videl. & terrenorum affectus. Illud autem grauāti corpori animā subijcit: & hic fecibus terræ ipsam animā suffocat. Hinc ab vtroque expeditus homo, faciliùs ad Deum mente conscendit; an quia si oratio eleemosynæ associatur, operi charitatis, Deo gratissimo coniungitur. Et si ieiuniū addatur, quāto magis animalis homo, per ipsum debilitatur, tanto magis spiritualis roboratur? His igitur, tanquam duabus alis euolat oratio; Sic ille.

Duo hominū grauamina.

Ad eandem rē, nempè ad tria ista connectenda hortatur D. Cyp. l. de ora. Dom. *orantes* iait, *non infructuosis, nec nudis precibus ad Deum veniāt; inefficax petitio est, cùm precatur Deum sterilis oratio. Nam cū omnis arbor non faciens fructū excidatur, & in ignem mittatur, vtique & sermo nō habens fructū, promereri Deū nō potest; qui nulla est operatione fœcundus. Et ideò scriptura Diuina instruit dicens: bona est oratio cū ieiunio & eleemosyna. nā qui in die iudicij præmium pro operibus & elemosynis redditurus est, hodie quoque orationis cum operatione venientis benignus auditor est.* Et speciatim de misericordia in l. de opere, & de eleemosyna idem Cyprian. sic scribit: *qui obturat aures, ne audiat imbecillum, & ipse inuocabit Deum, & non erit qui exaudiat eū. neque enim promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit; aut impetrabit de Diuina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus. Quod item in Ps. Spiritus S. declarat, & probat dicens: Beatus qui intelligit super egenum & pauperē, in die mala liberabit eū Dominus.*

3. *Sterilis oratio inefficax.*

4.

Quorum præceptorum memor Dan. 4. 24. cùm Rex Nabuchodonosor aduerso somnio territus, æstuaret pro auertendis malis ad diuinam opem impetrandam remedium dedit, dicens: quamobrē rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, forsitan ignoscet (Deus) *debitis tuis. Cui rex non obtemperans aduersa, quæ viderat & infesta perpessus est: quæ euadere, & vitare potuisset, si peccata sua eleemosynis redemisset.* Hæc Cyprian.

5.

Theologi passim & D. Tho. in ad. q. 15. a. 3. opera omnia satisfactoria in vniuersum reuocare solent ad tria hæc, orationē, ieiuniū, & eleemosynā: quoniā his tribus generib. operū quasi priuamus, & abdicamus nos tribus etiā bonorū generibus, ad quæ referūtur omnia, nępè bonis corporis per ieiunium; bonis fortunę per eleemosynā; & quodāmodo etiā bonis animæ per orationem; non quia oratio nobis omnino illa detrahat, (nec enim possunt animi bona per aliquem virtutis actum verè auferri) sed quia illa per orationem certè Deo subijcimus & eatenus quidem quodāmodo nos illis abdicamus.

6. *Opera satisfactoria tria.*

Est & alia ratio, cùm omnia opera satisfactoria ad hęc tria genera possint reuocari: nempè si in satisfactione rationem etiā medicinæ, & cautelæ consideremus, ita .n. ad orationem referri possunt opera, quę valent ad euitanda ea peccata, quæ committuntur ex superbia vitæ; ad ieiunium, quæ valent ad cauēdum illa, quæ cōmittuntur ex concupiscentia carnis; ad eleemosynā illa, quæ valent ad cauendū ea quæ committuntur ex concupiscentia oculorum, ex quibus tri-

7.

bus quasi radicibus oriũtur omnia peccata quæ sunt in mundo vt ait D. Ioa. & explicat D. Tho. lo. ci. vide Valen. to. 4. d. 7. q. 14. de satisfact. p. 3.

8. His accedit, quod per omnem virtutem ordinamur, vel ad Deum, vel ad proximum, vel quoad nos ipsos. Per hæc ergò tria possumus Deo satisfacere. Ad hæc per tria ista membra significantur; nam per orationem ad Deum ordinamur, & sub illa continentur omnes actus religionis, charitatis, & similes, vt satisfactorij; per eleemosynam ordinamur ad proximum, ad quam reuocatur omnis actus honestus, qui ad alterum tendit, & qua parte pœnalis est, potest esse satisfactorius. Per ieiunium benè disponimur in nobis ipsis, sub quo comprehenduntur cunctæ corporis afflictationes, persequutiones, affectuum moderationes, & huiusmodi.

De his tribus operibus qui nam auctores tractent, docet Valen. to. 3. d. 3. q. 9. de eleemosyna, & d. 9. q. 2. de ieiu. & d. 6. q. 2. de oratione initio semper.

DIGRESSIO IV.

MORALIS

In ver. 24. *Nemo potest duobus Dominis seruire*: Quod Deus sit supremus omnium Dominus, & quod illi multis nominibus seruiendum sit.

1. VOlens Diuus Thomas 1. 2. q. 1. a. 5. ostendere vnius hominis non posse esse multos vltimos fines, ostendit id ex hoc loco Euangelij, quem præ manibus habemus; quod *nemo possit duobus Dominis seruire*. Id quod etiam hac ratione confirmat: vltimus finis est bonum vndequaque perfectum, & omnino absolutum. Quod autem tale est, oportet vt ita appetentis ipsum satiet appetitum, vt nihil præterea relinquatur extra ipsum appetendum. Adhæc, esse vltimum, ac supremum finem, idem est, ac esse aliquod primum omnium operationum principium propter quod omnia, & vt ipsum propter se sit. sed quod est huiusmodi non potest esse nisi vnum, hinc enim fit vt, sicut in omnibus motibus necesse est tandem deuenire ad vnum primum moues immotum; ita & in appetendo ad vnum finem deuenire necesse sit. Ergò vnus est Dominus supremus; idem enim qui finis imperans, & mouens, idem & supremus Dominus est. ex hac ergò subtili ratione D. Thomæ habemus, vnum dumtaxat posse esse omnium dominum, nec in plures id nominis competere. Verùm, cùm aliundè constet solum Deum esse posse hunc vltimum finem: ipse enim est *principium & finis, primus & nouissimus*, sequitur quod vt inuolucrum clypei caussa factum est, vt vagina gladij, vt domus inhabitandi gratia, sic homo propter Deum. ergò illi subiectum, ac veluti mancipatum esse oportet, seque ad eum tanquam ad regulam, à qua deflectere nefas sit, conuertere debeat. & hæc sit prima ratio, quæ nos seruituti Dei totos adigit.

Vnus homini vltimus finis.

2. Sed præter hanc primam rationem ex fine vltimo desumptam, aliæ sunt vt ad vulgi captum magis accommodatæ, ita non minus veræ, quæ necessariò efficiunt humanam naturam ex ipsa sua conditione verum, ac legitimum Dominum habere summum illud, & infinitum numen, à cuius nutu, & arbitrio tota dependere, & ad quod totam vitam, & actiones singulas referre debeat. Secunda igitur ratio duci potest ex diuinæ naturæ præstantia; verissimum enim est quod Aristot. 1. politicorum cap. 3. demonstrat; tantam esse posse inter res ipsas creatas distantiam, vt aliæ aliis naturali iure subdantur; nam in homine ratione procul dubio tanquam natura digniori principatus supra cæteras vires debetur, inter animalia homini; inter homines, qui maximè corporis forma, virtute, prudentia, ac iudicio pollet, eum dicimus esse dignum imperio; imò & inter res naturales inanimas, vt quid præstantius, ita dominari cæteris videtur, velut ignis cæteris elementis, sol reliquis astris. Igitur quanto id verius rogo erit, inter Deum, & hominem, inter quos immensum intercedit interuallum si naturæ, sapientiæ, bonitatis, potentiæ, & aliorum ejusmodi proprietatum conditionem spectes? est enim homo si cum infinito illo numine comparetur, non dicam vt punctum sicut terra est respectu totius cœli complexus, sed vt nihilum potius: Etenim *magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis*. Est ergò natura princeps, ac dominus omnium, à cuius iussu ne pedem quidem, aut latum digitum, vt dicitur, recedere vnquam decet.

3. Iam sit tertia ratio quæ tota à creatione petitur. Deo rerum omnium (licèt aliæ non essent rationes) ideò legitimus dominatus tribuitur; quia ab illo conditæ sunt. sic enim Dauid testatur, *Domini est terra, & plenitudo eius*. itemque *ipsius est mare*; cuius rei mox caussam postulans, subdens ait: *& ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius*. Proindè meritò Aggæi. 2. 9. *meum*, inquit Deus, *est argentum, & meum est aurum*. & in lib. Iob cap. 41. 2. *omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt*; nimirum, omnium est ipse conditor. quam rationem Paulus Actor. 17. 24. cùm apud Athenienses concionaretur, sapientissimè vsurpauit; *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cœli, & terræ cùm sit Dominus*. ergò quis non videat clarissimè ex his colligi, hominum dominatum Deo hac etiam ratione deberi? quod rectè vidit Bernardus de quadru. debito, dum sic scripsit: *Ecce*, inquit, *in ianua est qui fecit cœlum, & terram, & creator tuus est, tu creatura; tu seruus, ille Dominus; ille figulus, tu figmentum. totum ergò quod es, illi debes à quo totum habes, illi præcipuè Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi*, &c. huic re vera totis medullis, totis viribus seruiendum, ne fortè indignationis oculo te respiciat, & despiciat, & conteratin æternum.

4. Huic autem creationis vinculo, quo ad seruiendum Deo arctissimè astringimur, additur, vt tantò fortius sit, præceptum diuinũ, quo, incredibili caritatis significatione iubet Deus amari

mari seà nobis potius, quàm sibi seruiri; in quo tamen amoris præcepto, & seruitus, & timor, & obedientia sub suauissimo amoris nomine, continentur; amor enim, qui animã facit potius esse vbi amat, quàm vbi animat, ad obsequendum Deo quem amat, eumque timendum, maximam habet efficacitatem; & hæc quarta tanti debiti, quo Deo seruire tenemur, esse ratio potest, quæ tota ex præcepto diuinæ dilectionis sumitur.

5. Est & quinta causa eiusdem debiti tam magna, vt eam non modò verbis exprimere, verùm nec cogitatione complecti quis valeat, quam Paulus 1. ad Corinth. 6. 20. paucis aperuit, *non estis*, inquit, *vestri, empti enim estis pretio magno*; hoc autem est totus ipse Christus nobis datus, totus in nostros vsus expensus; nam & sanguinem suum fudit, & animam posuit, & cruciatus atroces sustulit, ne ego infelix peccator perpetuos sustinerem; sumus ergo illi obnoxij quasi serui emptitij; iam inquit Bernardus de diligendo Deo, *si totum me debeo pro me facto, quid addam iam pro refecto, & refecto hoc modo?* nec enim tam facilè refectus, quàm factus: denique paulò post subdit, *in primo opere me mihi dedit, in secundo se, & vbi se dedit, me mihi reddidit, datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?*

6. Accedit his & sexta causa ex præmij immensitate; impendendo enim ac dando nosmetipsos æternam illam gloriam, felicitatemque emere possumus. *Res enim ista* (id est illa gloria) inquit Augustinus, *tanti valet, quantum es tu; te da, & habebis illam.* Vide ergo quàm magnum præmium, quàm ingens merces tuo in Deum obsequio proposita sint: quod bonum si assequare, & Deus possidebit te, & Deum tu possidebis, & ita erit tibi Deus omnia in omnibus. incipe ergo nunc à Deo possideri, te totum illi impendendo, vt postea perfectissimè ab illo possideari s in gloria, eumque sine fine possideas, id est, habeas omne bonum.

7. Postremo & est vltima ratio meminisse oportet eius promissionis, qua in baptismo regenerati, vltrò ac sponte Dei nos seruituti subiecimus, ac veluti iureiurando strinximus. Quod si fidem datam frangere, & iusiurandum violare scelus est, quantum erit non stare dictis, atque conuentis in ijs, quæ Deo fide data promisisti? in mentem reuoca, quid interrogatus, an abrenunciares diabolo, & operibus eius, responderis; renunciare te pollicitus es: vide cui promiseris, & renuncia non verbis solum, sed etiam moribus. Quamquam & ipse baptismus pactum quoddam est cum Deo initum secundæ vitæ purioris, ac sanctioris instituti in eo positi, quod expressit Apostolus ad Coloss. 3. 3. *mortui estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Cùm ergò tam multis, tam efficacibus rationibus astringamur seruituti Dei, quis erit tam amens, tam à recta ratione alienus, qui Deo neglecto, vero, solo, ac naturali Domino, dæmoni se, carnisque voluptatibus, vel mundo, in seruum tradere velit; cuius seruitutis stipendium non aliud sit, quàm mors?

A Sed vide quanti Deus hominis seruitutem, & obsequium faciat: Tertullianus contra Hermogenem acutè obseruauit scripturam sacram numquam antea Deum Domini titulum honorasse, donec hominem condidisset. Cœlos condiderat, in illis angelos, volucres in aere, in mari pisces, animantia in terra, quorum omnium, quamuis reuera Dominus esset, numquam tamen se *Dominum* appellari voluit, sed tantum Deum dici se placuit; *In principio creauit Deus cœlum & terram* &c. At vbi ad hominem ventum est, vbi illum de terra produxit, tunc demum Domini nomen assumpsit. Sic enim legimus: *Formauit igitur Dominus hominem de limo terræ*, quia nimirum, voluit illum sibi peculiari quadam ratione obnoxium esse, supra cetera animantia declarare, simulq; B monere hominem, ne se, suæ dignitatis oblitus, rebus his fluxis, ac caducis, cum insigni ignominia subderet; sed cœlestibus potius inhærens supremum finem suum, ac Dominum, cui inseruire debeat, ante oculos semper haberet.

8. *Deus magnifacit hominis seruitutem.*

Quare meritò Christus Dominus dixit, neminem posse Deo, ac mammonæ simul seruire; nam qui diuitijs non seruit, sed illas sibi, ac Deo seruire compellit, potest Deo seruire. Neque enim dictum est, non potestis Deo seruire, & diuitias habere, habuere namque illas Patriarchæ, habuere Reges plures sancti, & Deo deuoti, & tamen C diligentissimè Deo seruierunt. At diuitijs seruire, ita vt simul Deo seruias, hoc ipsum est quod dicimus simul stare non posse, & omninò qui mancipium diuitiarum est, esse Dei seruus numquam poterit: quod si scire aues vnde cognoscere possis, num tu diuitijs, an illæ tibi dominentur; disce de Centurione, quid sit alijs dominari, & intelliges quod desideras: *Ego*, inquit ille, *homo sum, sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit, & seruo meo fac hoc, & facit.* Ergò si diuitijs vteris tanquam potestate & dominium in illas habens, & eas nunc ad Xenodochia, nunc ad pauperum domos, nunc ad pedes Apostolorum mittis Dominus illarum es; tu illis, non illæ tibi dominantur. E contrario si occurres inopi à te stipem Christi nomine mendicanti, & oculos aliò conuertas, obtures aures, & indè te proripias, non ausus diuitias contingere; mancipium es, & quidem vile Mammonæ. Et verò quis non eum diuitiarum seruum dixerit, qui in illis acquirendis, conseruandis, amplificandis nimium solicitus est, qui traijcit maria, altissimos montes superat, æstuat, riget, nullo parcit labori, vt tandem diues sit. An non isti diuitiæ imperant, & mittunt quò volunt? an non cogunt laborare, an non vtuntur vt mancipio?

9. *Habere diuitias quis potest, neque tamen illis seruire.*

De his enim Dauid Psal. 75. 6. verè dicit: *dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis*; somnio enim similis est vita eorum hominum, qui viri diuitiarũ sunt, hoc est, quibus diuitiæ dominantur, neq; enim dixit Propheta diuitias virorũ, sed viros diui-

10. *Diuitiarum mãcipia somniantibus similia.*

tiarum; ij enim quib. diuitiæ dominãtur, & qui illis nõ vtuntur vt instrumento ad bona opera, cũ tempus moriendi adest, nihil inueniũt boni in manibus suis, quod per diuitias assecuti fuerint; sed gemũt potius se simul & diuitijs orbari, & cælestib. bonis excludi; & tandẽ vident miseri omnia illa, in quibus confidebant, tanquam somnium abijsse, & velut fumum euanuisse.

Proindè meritò ab his abhorrẽs Iob 21.16. ait; *verùm tamẽ, quia nõ sunt in manu eorũ bona sua, consiliũ eorum longè sit à me.* Quod Hier. ex Hebr. sic vertit: *nõ inuenerunt, viri exercitus, manus suas*, nimirum, quamuis potentes ac fortes, tenacissimè diuitias suas amplexati fuerint; ipsas tamẽ cum diuitijs manus, videtur iustus Iudex Deus, illis præcidisse, vt neq; diuitias retinere possent, & cõseruare, nec manus extẽdere ad cælestis præmij consecutionem, quas ad furta, & rapinas, nõ ad pauperes extẽderũt. quo potest nostra lectio rectè accõmodari, qua significatur simul cũ vita vsũm, atq; potestatẽ fruẽdi suis diuitijs illis ademptam esse. D. Greg. allegoricè potius ait: *bona in manu habet, qui despiciẽdo temporalia sub dominio mentis premit.* Iusti aliquando diuitias possederunt, nõ tamẽ in corde eas repositas habuerũt, obediẽtes illi, quod dicitur in Ps. 61. *diuitiæ si affluant nolite cor apponere*, in manu eas collocauerũt, vt eas largirẽtur, & eis vterentur tanquã Domini. qui verò diuitijs seruit, nõ eas habitas manu tenet, sed ab eis, quas habet captiua mẽte tenetur; idcò consilium eorum longè sit à me. quodnam consilium? temporalibus frui, æterna negligere, salutẽ temporalẽ cum damno interiori appetere.

XI.

Nihil istis curæ est quod Dominus præcipit, *quærite primũ regnũ Dei*, &, *Nemo potest duob. Dominis seruire, Deo & Mammonæ.* Ceterum istheç tã vilis diuitiarũ seruitus adeò in Christiano præsertim homine magnũ scelus est, vt in scripturis cum idololatria cõparetur; sic .n. testis est eius rei locupletissimus Paul. Ephes. 5.5. sic scribens; *hoc .n. scitote intelligẽtes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorũ seruitus, nõ habet hereditatẽ in regno Christi, & Dei.* nam vt rectè ait Hier. ad Rusticũ Monacum, *ridiculũ videtur quod aliquis iudicetur idololatra, quia duo grana thuris offert creaturæ, quæ Deo debuit offerre, & ille nõ iudicetur idololatra, qui totũ seruitium vitæ, quod Deo debuit offerre, offert creaturæ.* Hæc Hier. nõ negans ex genere quidẽ suo, vt aiunt, grauius peccatum esse idololatriã, sed significans multis alijs circumstantijs spectatis, grauissimũ scelus esse auaritiã, & quandã idololatriæ formã, vel speciem, quæ sententiã sic stabiliri potest: primũ quidem quod dives se colat vt Deũ, & verè etiã coli ab omnibus velit, se superiorẽ omnibus, nullius egentẽ existimãt, & à se ceteros pendere gaudet; deniq; veluti quendã Deũ tantũ se non odorari vult. Quare Paul. 1. ad Tim. 6.17. verissimè dixit: *diuitib. huius sæculi præcipe nõ sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum:* facilè enim in superbiã erigitur dives, quod exẽplo Nabuchodonosor Arphaxat Iudith. 1. & Amã Esth. 6. ita clarũ est vt probatione nõ egeat. Deinde & hac ratione idem confirmari potest insanã diuitiarũ cupiditatẽ quoddã idololatrandi genus esse; etenim auarus diuitias quasi Deũ colit, cùm nõ solũ propter eas Deũ relinquat, sed in eis totam spem suã collocet, nec se vllo præterea indigere, putet cùm eas possidet; & nihili pẽdere videtur quod cælestib. rebus atq; adeò Deo ipso priuetur, & ita viuit, vt maximũ malum arbitretur si diuitijs careat, summũ verò bonũ si illis affluat; isti enim sunt, de quib. Dauid Ps. 48.7. *qui confidunt in virtute suã, & in multitudine diuitiarũ suarum gloriantur.* Experiẽtur miseri errorẽ suũ, cũ ad extremũ diem rideri se à contemptorib. diuitiarũ dolebũt, atq; omni ope destituti; de huiusmodi enim diuite ait Vates Ps. 51.8. *videbunt iusti & timebunt, & super eum ridebunt, & dicẽt: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum.* Igitur cùm hæc in diuitiarum amatoribus cernantur potissimum, neque ita clarè in alijs peccatis appareant, non mirum si idololatriæ nomen potius auaritiæ tribuatur, quàm alijs.

12. *Diuitiarum seruitus idololatria.*

DIGRESSIO V.

Septem singularia Dei beneficia, quæ olim populus Hebræus habuerat, aptãtur septem alijs prærogatiuis, quibus à Deo donantur qui ei seruiunt.

I.

Diuus Chrys. orat. 3. aduersus Iudæos, Nicolaus de Lyra super 6. ca. prioris li. Machabæorũ, & Petrus Galatinus li. 4. c. 17. referũt septẽ insignia Dei beneficia, quibus olim Deus peculiarem sibi populũ affecerat, quibus postea Iudæi Babylone reuersi caruere post captiuitatẽ Babylonicã; quæ ego ad Dei seruos conabor hic accõmodare. Vnũ fuit arca fœderis à Mose fabricata, qua postea caruisse Hebræos non obscurè ex Ierem. c. 3. 16. haberi potest. *In diebus illis*, inquit, *nõ dicent vltra; arca testamenti Domini, neq; ascendet super cor, neq; recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet vltra.* Erat arca ex lignis settim. Erat setta arbor nascens in deserto Arabiæ similitudine accedẽs ad spinã albam colore, & foliis, nõ magnitudine; erat enim multò maior. Eius lignum forte, imputribile, læue, atq; adeò pulcrum. tegebatur arca auro, coronam habens circumcirca; in ea tabulæ duæ lapideæ. Sic. 3. Reg. 8.9. *in arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb.* idem dicitur 2. Par. 5.10. Quare cùm Paulus ad Hebr. 9.4. dicit, *in qua vrna aurea habẽs mãna, & virga Aaron quæ fronduerat; & tabulæ testamenti*, vel sumit, in, pro, cum, hoc est, cum qua, more Hebræo; vt Oseæ 4.3. *propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cæli*; pro *cum volucre*, & *cum bestia*: vel, *in qua*, refertur ad tabernaculum. Est enim Græcè fœminini generis σκήνη. Erant ergò vrna cum manna coram arca, itemque virga Aaron, &c.

II.

Hoc ergo beneficium facilè erit ostendere in seruis Dei. Est enim iustus Dei seruus singulari Dei beneficio arca Dei, in qua Dei dona continentur; vestitur vndique auro, nimirum caritate. Nascitur in deserto mundi huius, & proindè de lignis settim conflata dicitur fuisse arca; quæ ligna tres insignes prærogatiuas seruorum Dei significant. Sunt enim fortes, corruptioni minimè obnoxij, & benè politi. fortes contra innumeras inferni phalangangas; corruptioni peccatorũ non obnoxij, quib. Dei munere liberantur; nã leuiora peccata licèt contrahant, non itè propter illa corruptioni, & interitui patent: poliuntur quoq; subinde, & pulcriores efficiũ-

2. *Iustus Dei seruus &c.*

tur,

tur, præclaris Dei donis & munerib. insigniti, gestant supra se, vt & arca, coronâ, quâ si gloriâ illâ cœlestẽ, quâ expectant, dixeris, næ tu haud erraueris, hæc enim à Deo illis parata velut supra caput iusti eminet. Quoniâ verò lex Dei in corde ipsius iusti est, proindè meritò dicemus legis tabulas esse in hac mystica arca, hoc est, in anima iusti: nec illud caret mysterio, quod corã arca essent mãna, & virga; fruitur. n. Dei seruus, & saginatur sanctissimo Christi corpore, omnẽ in se suauitatẽ & dulcorẽ claudente, & Christi summi sacerdotis crucem longè præstantiorem Aaronis virga, intentis oculis rationis, tanquam ante se positam contemplatur. Hoc ergo sit primum priuilegium, & prærogatiua seruorum Dei, respondens primo Hebrẽorum.

3. Alterum verò hebræi populi beneficiũ erat propitiatoriũ, quod vocabãt, aureũ illud omninò: quod nihil aliud erat, quã operculũ, quo arca tegebatur; vnde oracula, & responsa Dei frequenter Iudæis dabãtur. ante hoc operculũ erãt duo cherubim, quorũ vultus orientẽ versus spectabant, occidentẽ humeri, & duabus alis hinc meridiem, illinc Aquilonẽ indicabant. reliquis duabus propitiatoriũ obnubebãt. Quæ sic ad rẽ nostrã accõmodari possunt: propitiatoriũ Christus est, de quo 1. Ioan. 2. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, ante cuius conspectũ sunt omnes Angelorũ chori, eumq; perpetuò reuerentur, & adorãt; quib. Pater, *cum iterũ introduxit primogenitũ in orbẽ terræ, dixit, & adorent eum omnes Angeli Dei* ad Heb. 1. 6. aptè verò ad rem nostrã dicitur propitiatorĩũ supra arcã pẽdere, quia Christus Dominus singulari quadã ratione ac prouidentia, rectorẽ, pastorẽ, & protectorẽ exhibet se seruorũ suorũ, & eos protegit à quacũq; hostiũ impressione, & malorũ incursu, de seruis. n. suis dicere verè potest Deus quod olim dixit de peculiari sibi gente Hebræorũ Exod. 19. 4. 5. 6. *vos ipsi vidistis quæ fecerim Aegyptijs, quomodo portauerim vos super alãs Aquilarũ, & assumpserim mihi, si ergò audieritis vocẽ meã, & custodieritis pactũ meũ, eritis mihi in peculium de cunctis populis. mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnũ sacerdotale, & gens sancta.* hãc autẽ singularẽ in suos seruos curã, in Iobi historia manifestissimo argumento cernere possumus. De quo vel ipse dæmon c. 1. Iob. 10. testatur, *nonne tu vallasti eũ, ac domũ eius, vniuersamq; substantiã p circuitũ, operib. manuũ eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra*; & de Iusto Dauid, *gloria*, inquit, *& honore coronasti eum.* Etenim Christus est gloria, & diadema decoris, capitib. iustorũ imminens. Ex hoc verò propitiatorio deriuãtur ad Sanctos Dei seruos dona, & doctrinę lux. ipse. n. Christus est ipsorũ doctor, illustrator, ipse in eos cęlestes voluptates instillat; arcana diuina aperit; denique ipse est qui de anima dicit Oseæ 2. 14. *ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius.*

4. Tertia erat Iudæorũ prærogatiua fulgor ex duodecim lapidib. pretiosis, qui erãt in rationali pontificis, mirabiliter emicãs, atq; exsplẽdescens, & futuros euẽtus Iudæis præmõstrans, cuius rei testẽ habemus Ios. l. 3. antiq. Iud. c. 9. Porrò hi lapides Vrim & Tummim Heb. nomine etiã signabantur, quod illorũ fulgore futura etiã prædicerentur; vel certè quod ad eorũ præsentiã sacerdos verè futura aliquando prædiceret. qua de re Exod. 28. 30. *pones autẽ in rationali iudicij doctrinã, & veritatẽ, quæ erũt in pectore Aarõ.* Sed neq; hic fulgor, & longè etiã præstãtior seruis Dei deest. Etenim virtutes, quib. illorũ animus diuiuius fulget, tanquã clarissima sidera, nõ mentẽ illorũ tantũ illustrant, sed vniuersõ etiã mundo lucẽ afferunt incredibilẽ, quo sanè fulgore præmonstrantur multò nobiliores futuri euentus, victoria scil. de prostratis, triũphatisq; hostibus animæ, & cælestis gloriæ adeptio; neq; enim aliundè melius quàm ex virtutibus quæ animo insunt, augurari de hoste victoriam, & cælestis palmæ consecutionem possumus.

5. Quartũ beneficiũ fuit Spiritus S. gratia, spectabili aliquo signo interdũ immiscẽs se sacræ vnctioni, qua vngebãtur Reges, & Pontifices: hæc ergo vnctio rectè significat donum gratiæ, qua consortes, & participes sunt iusti naturę diuinę. Hoc ergò nõ sine interuentu Spiritus S. tanquã diuino oleo vngũtur; lucet enim oleũ, vulnerib. medetur; luctatoribus vtile est, atq; cursoribus; & gratia Dei lumẽ est quoddã cęleste; medicinã facit peccatis nostris; fortes etiã, & robustos ad luctandũ reddit, & ad currendũ viã mandatorũ Dei alacres, & prõptos facit. Spectabilis est etiã aliquo modo spiritualis hæc iustorũ vnctio, nã ex operationib. Sanctis, & ardore spiritus seruorum Dei, quasi oculis corporis cernitur. nec minus efficax hęc quã illa vnctio, nã & sacerdotes, & Reges facit, cùm pij ius per illã ad cæleste regnũ consequendũ acquirãt, & vt acceptabiles Deo hostias offerre possint, idoneos facit, dum vel seipsos Deo cõsecrãt, vel bona opera in Dei laudẽ, & proximorũ vtilitatẽ offerunt. de quib. sacrificijs Malachiã interpretari possumus c. 3. 3. *& purgabit filios Leui* (i. sacerdotes noui testamẽti; quorũ figura fuerũt filij Leui. vbi licèt de veris sacerdotibus sermo præcipuè esse videatur, possumus tamen mystico sensu intelligere oẽs iustos.) *& colabit eos quasi aurũ, & quasi argentum* (aurũ. n. purificatur igne, & colatur, vt penitus secernatur scoria, & immunditia omnis) *& erũt Domino offerentes sacrificia in iustitia* (castè, & sanctè ministrabunt, nõ vt sacerdotes illi de quib. locutus fuerat Mala. c. 2.) *& placebit Domino sacrificiũ Iuda & Hierusalẽ* (Ecclesiæ Christi) *sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui* (sicut sacrificia veterea quæ accepta habere Deus dignatus est; vbi sicut non æqualitatem, sed similitudinem quandam rei figuratæ ad figuram significat.

6. Quintũ erat ignis de cęlo lapsus, & cõsumẽs sacrificia, huius instar esse caritatẽ à Deo cælitus infusã animis seruorũ suorũ, est qui dubitet nemo, modò charitatis vim & dignitatẽ teneat. Et verò hunc ignẽ pollicitus est Dominus Mala. 3. 2. 3. vbi sic legimus, *ipse quasi ignis conflãs, & quasi herba fullonũ; & sedebit conflãs, & emundãs argentũ*, q. d. ipse Messias instar ignis conflantis, hoc est, purificãtis metalla, gratia, & spiritu caritatis suę purgabit homines, sicut ignis metalla. *& quasi herba fullonũ*, quã nos saponariã vocamus, candidissimas reddet animas seruorũ suorũ. Neq; id perfunctoriè faciet, sed sedẽs, hoc est, ex professo, *& emundabit argẽtũ*, hoc est, sicut argentũ populum suum Christianum emundabit, quẽ respectu cæterarũ gentium meritò *argentũ* vocat, sicut sacerdotes mox sequentib. verbis cõparat auro, quod respectu populi sanctiores, & luci-

diores

Propitiatoriũ Iudæorũ Christum figurabat.

Fulgor ex lapidibus pretiosis.

diores esse debeant. Est autē tantarū viriū, & efficacitatis hic ignis de cælo descendēs à Christo, vt vel vnus, modò præstanti in Deū caritate flagret, instar multorū esse possit ad conuertenda ad Deū hominū quorumcunq;, quamuis durissima corda, quod fecisse Apostolos accepto Spiritu S. & legimus, & videmus, de quibus Spiritus sancti igne accensis, & inflāmatis Zacharias 12.6. sic vaticinatus est; *in die illa ponam duces Iuda* (Apostolos, & cæteros Ecclesiæ principes, & antesignanos) *sicut caminum ignis in lignis, & sicut faciem ignis in fœno, & deuorabunt ad dexteram, & ad sinistram omnes populos in circuitu.*

7i Sexta Hebræorū prærogatiua donū fuit prophetiæ: nā prophetarū omniū qui ex officio eo munere fungerētur, quiq; quasi generalē, atque ordinariā haberēt prophetandi gratiā, nouissimi fuerūt Aggæus, & Zacharias, bisq; posterior Malachias, quē pleriq; Esdrā fuisse arbitrantur. Iā prophetiæ loco est in seruis Dei, virisq; iustis cælestis quędā illustratio ad cognoscenda diuina, & participatio quædā diuinorū arcanorum, præsertim verò scripturarū sensus, & intelligētia, de iusto. n. cecinit illa Dauid Psal. 1.2. *in lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte*, aperire .n. solet illi Dominus sensū, cùm expedit vt intelligat scripturas. Ob id illū meritò felicissimę arbori cōparat Dauid: subdit enim ibidē v.3. *& erit tanquā lignū q̄ plantatū est secus decursus aquarū, quod fructū suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet*, tria siquidē cōmendant arborē, aqua, fructus, & vt ita fortunata sit, vt ne foliū quidē malè cedat, ac disperdatur. Sic virū iustū tria fœcundū, ac felicem reddunt; meditatio legis diuinæ, fructus bonorum operū, ac virtutū: & quod omnia illi beneuertant, & prosperos euētus habeant; hæc enim tria faciunt, vt vir pius fœcundæ arbori rectè cōparetur, ratione enim iugis meditationis scripturarū, quæ velut aquæ cælestes sunt, quæ irrigāt, & fœcundant animæ nostrę terram, rectè iustus dicitur arbor, secus decursus aquarū sita. Hinc suo tēpore fructus, hinc itē est vt ne foliū quidē malè cedat, sed omnia benè: in quib. tria illa cōtinentur, quæ fortunatę arbori Dauid attribuit.

8. Septima est prærogatiua, & beneficiū 6. quoq; anno triplicatus terræ fructus in 3. annos, propter septimi anni quietē, cibatui hominum suffecturus. Sic promissum fuerat à Deo Leu. 25. sed neq; hoc beneficiū deest seruis Dei, immò multò magnificentius in illis cernitur. triplicata .n. velut annona alit suos Deus, & primū dum vitā hanc viuūt, reficit illos interiori quiete, gaudio Spiritus S. ac spe cælestiū præmiorū. Deinde in morte magna quadā animi, ac conscientiæ securitate recreat; Tertiò tandē suauissimo deitatis gloriæ nectare in æterna beatitudine pascit. Nisi malis dicere, quod verissimū etiā est, triplicatū hunc fructum esse vnum quidē quod iusti in æterna beatitudine videntes Deū, illū cōprehendent. i. citra oēm metū perdendi amplius illum, summa cum pace, ac securitate veluti manu tenebunt eū. Deindè quòd voluntate per caritatē accensa, veluti ore admoto, Deo intimè adhærescent, eique coniungentur, & tanquam suauissimum fructum intra se quodammodo admittent. Deniq; eius diuinitatē per fruitionem gustabūt suauissimè, quæ sunt tres animæ dotes, quibus à Deo iusti in æterna beatitudine donabuntur tanquā triplicatus eiusdē animę fructus.

Verū iterum, atq; iterū monendi sumus vehementer, vt timeamus, ne idē nobis accidat, quod peculiari Dei populo euenisse nō ignoramus. his enim, quæ hactenus exposuimus, præclarissimis septē Dei beneficijs, atq; ornamētis caruere Iudæi, postquā discussa babyloniorū seruitute in patriā regressi sunt, videlicet propter mētis inconstantiā, & ingrati animi notā, quare diligenter videamus etiā, atq; etiā nos, ne propter animi socordiā, & signitiē quamdam in Dei obsequio, & ingratū animū à Dei seruitute deficiamus, & priuemur meritò tā præstantib. seruorū Dei priuilegijs, quibus fortassis aliquando frui cœpimus, ac proinde ea qua monet Paul. ad Ro. 11.20.21. altius menti inseramus oportet, neque vnquā memoria labi, aut excidere sinamus. *Noli altū sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* Sic Paulus &c.

DIGRESSIO VI.

In vers. 25. *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis*, &c. quæ sollicitudo à Christo reprehendatur.

QVamuis in Scholijs ea videamur dixisse, quæ satis videbantur ad habendam germanā verborū Christi sententiā, dum de vitāda sollicitudine temporalium disserit: placet tamē nunc eadē paullò fusius ex D. Thom. cōfirmare: prius tamē quomodo sit hoc Domini præceptū ex D. Basilio intelligendū. i. quousq; progredi putandū sit, breuiter indicabo. Proponit eam quæstionē Basil. in Regul. breuior interro. 206. *cùm Dominus præcipiat*, inquit, *nō debere nos esse sollicitos, quid esurimus, aut quid bibituri, aut quibus nos vestibus induturi, quousque præceptū hoc progredi putandū est: quomodouè ei satisfiet?* Respōdet, *omninò mandatū hoc, sicut & reliqua omnia, vsq; ad mortē tenendum est: siquidē Dominus etiā ipse obediens fuit vsq; ad mortē. Comparatur autē per fiduciā in Deum. Etenim prohibita, Dominus, sollicitudine, confestim, permissionē adjecit cū ait: Scit enim Pater vester cælestis quibus opus sit vobis, antequā petatis eū. Talis erat Apostolus* (2. Cor. 1.9.) *cùm diceret, responsū mortu habuimus, vt non simus fidentes in nobismetipsis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, quippè qui q̄ ad animi ipsius propositū, ac paratā voluntatē pertinebat, quotidiè moreretur, benignitate autē Dei in vita retinetetur. Quæ quidē causa erat, cur fidenter diceret: Quasi morientes & ecce viuimus. Porrò huiusmodi animi inductionē adiuuat vehemens in sequendis Domini mandatis studium, & inexhausta, inexplebiliq; eorumdem cupiditas: in qua qui est, hic ne spatium quidem habet, in quo ad curandas corporis necessitates mentu cogitatione possit delabi.* Sic Basilius.

Ex cuius verbis tria valdè vtilia documēta desumere possumus. Primū ad mortē vsq; vitandā esse sollicitudinē, etiam si ad maximas angustias redacti, & in extrema rerū omniū penuria positi nobis ipsi videamur. Alterum est, modum ac rationem vitandæ sollicitudinis esse fiduciā in Deo, quā indicat se habuisse spōsa, quæ ascēdebat de deserto *delitijs affluens innixa super dilectū suum*, non sine ingenti supernarū mentiū admiratione Can. 8. S. Bern. in hæc verba, *qua est ista quæ ascendit* &c. *innixa super dilectū suum, frustra*, inquit, *sponsa nititur, si non imitatur: si autē imiti-*

2. *Vitanda sollicitudo vsque ad mortem.*

tur omnia possibilia sunt innitēti super eum, qui omnia potest. non igitur mirum, si cùm ex deserto vbi nihil est deliciarū, sed summa rerū omniū indigētia, nullum hominum solatium, vbi aspera montium iuga viā difficilē reddunt, ascēdat tamen sponsa tanta cum agilitate & facilitate delitijs etiā affluens, nec sine cælestiū admiratione. quia nimirum ijs, qui magna Deo fiducia innituntur, quæ aspera sunt, & amara, in facilia vertuntur ac suauia, & vbi deest humanum, ibi diuinum præsto est auxiliū. Tertium documentū est, vt si resecare omninò vanam, superfluam, & intempestiuam sollicitudinem volumus, & fiduciam in Deo collocare placet, magno, ac vehementi studio incumbamus in exactam, ac diligentem mandatorum Dei custodiam, vt ita nullus vanis, & inutilib. cogitationibus locus in nobis detur, & amor terrenarum rerum diuinorum præceptorum amore sopiatur. Sed iam D. Thom. loquentem audiamus, in quo non tam verborum ornatum ac phaleras spectare, quàm verborum vim admirari, & profundæ sapientiæ sensus haurire debemus. Tria sunt in D. Thom. præcipua loca in summa, in quibus hac de re acutè disserit.

3. Quadruplex inordinatio sollicitudinis circa temporalia.

Primus est 1.2.q.108.a.3.ad 5. *Dominus*, inquit, *sollicitudinem necessariam non prohibuit, sed sollicitudinem inordinatam. Est autem quadruplex inordinatio sollicitudinis vitanda, circa temporalia. Primò quidem vt in eis finem non constituamus, neque Deo seruiamus propter necessaria victus, & vestitus, vnde dicit nolite thesaurizare vobis &c. Secundò vt non sic sollicitemur de temporalibus cum desperatione diuini auxilij, vnde Dominus dicit: scit Pater vester quod his omnibus indigetis. Tertiò, ne sit sollicitudo præsumptuosa, vt scilicet homo confidat se necessaria vitæ per suam sollicitudinem posse procurare absque diuino auxilio, quod Dominus remouet per hoc quod homo non potest aliquid adijcere ad staturā suam. 4. per hoc quod homo sollicitudinis tempus præoccupat: quia scil. de hoc sollicitus est nunc, quod non pertinet ad curā præsentis temporis, sed ad curā futuri; vnde dicit: nolite solliciti esse in crastinum.*

4. Sollicitudo temporalium tripliciter illicita.

Alter locus D. Thom. est 2.2.q.55.a.6. ait enim *sollicitudo importat studium quoddam adhibitum ad aliquid consequendū. manifestum est autem quod maius studium adhibetur, vbi est timor deficiēdi, & ideò vbi est securitas consequendi, minor interuenit sollicitudo. Sic ergo sollicitudo temporalium rerū tripliciter potest esse illicita. Vno quidem modò ex parte eius de quo sollicitamur, si scilicet temporalia tanquam finem quæramus. Vnde & Aug. dicit in l. de opere Monachorum: cùm Dominus dicit nolite solliciti esse &c. hoc dicit vt non ista intueantur, & propter ista faciant quidquid in Euangelij prædicatione facere iubentur. Alio modo potest esse temporaliū sollicitudo illicita propter superfluum studium quod apponitur ad temporalia procuranda, propter quod homo à spiritualibus, quibus principalius inseruire debet retrahitur. Et ideò dicit Mat. 13. quod sollicitudo sæculi suffocat verbum. 3. modò ex parte timoris superfluè, quando scil. aliquis timet, ne faciēdo quod debet, necessaria sibi deficiāt. Quod Dominus dupliciter excludit. Primò propter maiora beneficia homini præstita diuinitus præter suam sollicitudinē, scil. corpus & animam. 2. propter subuentionē, qua Deus animalib. & plantis subuenit absque opere humano, secundùm proportionē suæ naturæ.. ex diuina prouidētia, propter cuius ignorantiā gentiles circa temporalia bona quærenda principalius sollicitantur. Et ideò concludit quod principaliter nostra sollicitudo debet esse de spiritualibus bonis, sperantes quod etiā temporalia nobis proueniant ad necessitatē, si fecerimus quod debemus.*

Verùm antequā ad tertium, eumq; postremum D. Thomæ locū veniamus, libet hic occasione harum rationū, quib. Christus tanquā doctor persuadere nobis conatur vt noxiā terrenarum rerum solicitudinē resecemus, exclamare cū Pet. Chrys. ser. 163. ô quantū se superna pietas hominis amore deponit! nā qui poterat præcepta sua sola auctoritate firmare, toto insinuat, & astruit labore doctoris: vt qui sufficiebat in sola fide promissionis suæ terminū collocare, auditores ad fidē promissi, suasoris perducit exēplo. sed iā ad D. Tho. reuertamur.

5.

6.

Is 2.2.q.eadē 55.a. 7. de intempestiua solicitudine sic doctè disserit: *nullū opus potest esse virtuosū, nisi debitis circumstantijs vestiatur, inter quas vna est debitū tempus secundū illud Eccles. 8. 6. omni negotio tempus est & opportunitas, quod non solū in exteriorib. operibus, sed etiā in interiori solicitudine locū habet. Vnicuiq; enim tēpori cōpetit propria solicitudo, sicut tempori æstatis cōpetit solicitudo metendi; ipsi autumno autem competit solicitudo vindemiæ. Si quis ergo tēpore æstatis de vindemia iā esset solicitus, superfluè præoccuparet futuri temp. solicitudinē. Vnde huiusmodi solicitudinē tanquā superfluā Dominus prohibet dicens: nolite esse soliciti in crastinū; vnde subdit; crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. i suā propriā solicitudinem habebit, quæ sufficiet ad animū affligendū. Et hoc est q̄ subdit: sufficit diei malitia sua. i. afflictio solicitudinis,* & respondēs ad 1. sic ait idē D. Th. *formica habet solicitudinem cōgruā tēpori, & hoc nobis imitandū proponitur Prou. 6. 6. Vade ad formicā ô piger, & cōsidera vias eius, & disce sapientiā; Quæ cùm nō habeat ducē, nec præceptorē, parat in æstate cibū sibi, & cōgregat in messe q̄ comedat. Sic licet in futurū prospicere: Et talis futurorū solicitudo laudabilis est;* deinde ad 2. respondens subit: *Ad prudentiā pertinet prouidentia debita futurorū, esset aut̄ inordinata futurorū prouidētia, vel solicitudo, si quis temporalia, in quib. dicitur præteritum & futurum tanquam fines quæreret, vel si superflua quæreret, vltra præsentis vitæ necessitatem, vel si tempus solicitudinis præoccuparet.* Denique ad 3. addit: *Sicut Augu. dicit in lib. de serm. Dom. in monte cùm viderimus aliquem seruum Dei prouidere ne ista necessaria sibi desint, non iudicemus eum de crastino solicitum esse &c. Non ergo Dominus improbat, si quis humano more ista procuret; sed si quis propter ista non militet Deo.*

7. His addere possumus id quod habet D. Th. q.188.a.7.ad 2. vbi paucis declarat ex sententia S. Patrū, quomodo nō sit de crastino cogitandū, sic enim scribit *quod ergò dicitur: nolite soliciti esse in crastinū, secundū Hier* (Glos. ord. circa finē ca. 6. Matt.) *sic exponitur: sufficit nobis præsentu tēporis cogitatio: futura, quæ incerta sunt, Deo relinquamus. Secundùm Chrys. sic* (hom. 16. in Matth. sub finem in opere imperf. tom. 2.) *Sufficit labor quem pateris propter necessaria, noli de superfluis laborare. Secundùm Aug. sic: cùm aliquid boni operamur, non temporalia, quæ significantur per crastinum, sed æterna cogitemus.* Hæc D. Thom.

8. Ex tota ergò hac doctrina D. Thom. intelligere est non obscurè, septem esse noxiæ sollici-

tudinis

tudinis gradus: primus est cùm temporalia quæruntur vt finis. Secundus, cùm superfluũ in ijs quærendis studium adhibetur. Tertius, si ea quis ita quærat quasi per suas vires citra Dei auxilium illis potiri possit, nec illa à Deo speret, vel petat. Quartus, si intempestiuè, vel importunè circa ea quærenda occupet se, atque adeò ante tempus anxius sit. Quintus, si nimio timore angatur ne in egestate desint. Sextus, si superfluis abundare velit, & propterea solicitè laboret. Postremus, si propter ista ita solicitus sit vt quæ sui muneris sunt, & ad diuinum obsequium pertinent, propterea omittat.

DIGRESSIO VII.

De vitanda rerum temporalium solicitudine.

1. SI dignitatem suam homo perpenderet, & vbi suas cogitationes & curas figere deberet, diligenter animaduertere, nullo arbitro r negotio res terrenas tanquam longè se inferiores contemneret, & indè totus dependeret, vbi terrena, ac cœlestia bona, propter quæ ille conditus est, posita esse videret, optimè eloquentissimus Philo in eo libro qui inscribitur de eo, quod deterius potiori insidiari solet, sic scribit: *solam in terris cœlestem plantam fecit hominem* (Deus) *ceterarũ in terra defixit capita, omnes enim humi caput habent, soli homini sublime dedit, vt alimenta cœlitus incorruptibilia quærat, nõ terrena ista corruptioni obnoxia. Quapropter corporis nostri partem insensatissimam longè à ratione secretam, pedes, ceu radices ad terram applicuit. Sensus autem mentis satellites, & hanc ipsam longissimè à terra iussit habitare, & ad ætheris, cæliq; numquam interituros alligauit ambitus.*

2. Quid ergo miramur si tanto nos studio Christus à superflua rerum mundanarum solicitudine auocare contendat, *nolite*, inquit, *soliciti esse anima vestra quid manducetis, neque corpori vestro quid vestiamini* &c. *degener nimis animus*, inquit Petrus Chrysologus loco cit. *mens tota seruilis est, quæ coquorum assatos squallores coquina, hesterno horrore fœtentia perquirat obsonia, cui iugiter regius deseruit atque adiacet apparatus. Noli ergo, homo, inania prouidendo gemere, noli laborare caduca præparando, quia prandij tui semper, & vbique Deus præparator assistit. quis rex deuotis militibus debitam non procurat annonam? quis Dominus fidelibus seruis iusta cibaria non ministrat? quis Pater non dat panem filijs? si ergo nobis Deus & Rex, & Dominus, & Pater est, quid negabit? stipendijs suis militans derogat miles Regi, suis sumptibus viuens Dominum seruus accusat, pro se solicitus filius culpat superstitẽ Patrem. Noli ergo homo exponere Deum pro te taliter cogitando, qui & iustitia regnantis, & dominantis studio, & generantis affectu in se totam tui recepit solicitudinem, refudit & curam dicendo, nolite soliciti esse anima vestra quid manducetis.*

3. Idem Auctor in illa verba Luc. 12 & 24. *considerate coruos, quia non seminant, neq; metũt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos, quantò magis vos pluris estis illis?* stultam ostẽdens esse solicitudinem rerum temporalium, sic scribit. *Dubium meritò infidelem, ad auem mittit amicam belli, furoris sociam, insatiatam sanguine, & in ipsos mortuos ferro grauius sæuientẽ. namque cessante gladio carnifex improbissimus exanime*

A *grassatur in corpus. Laniat, dissipat, spargit, ne quid funeris inuentum quieti misericors* sepulturæ cõmendet. Itaque Dominus exemplo tali exaggerat *dubitantis insaniam, qui putat Deum hoc pijs filijs denegaturum, quod impijs auibus subministrat: & existimat relinquentibus propter se patriam, domum, parentes, filios, coniuges, victus subsidia nõ daturum, qui nascenti indulsit crescere, terminauit corporis incrementum. O miserum, ô tota infelicitate dignissimum, cui cùm det regnum, suspirat panẽ: cùm perpetuitate donetur, deflet potum: cùm immortalitatis gloria induatur, plangit corporis vestimentum.* Hęc non minus eloquenter, quàm sapienter Chrysolog. quibus constat indignam planè homine, & stultam esse hanc cogitationem in quærendis temporalibus rebus nimis anxiam.

B Nec dissimulandum quòd Chryso. hom. 13. in Mat. respondens cogitationi eorum hominũ, qui solicitè nimis ista quærunt, *Huc accede* (inquit) *ô homo, vt quid omnem solicitudinem tuam, & diligentiam conuertis in cibum, & ea quæ corpus spectant? Respondebis, quia his opus habeo, esto: sed ideò magis confidas, & minus sis solicitus oportet, quia si superflua essent, non est cur à Deo expectes tibi de illis prouideri; sed cùm sint, vt sunt necessaria, non voces in dubium illius auxilium, & fauorem, si modicam operam tuam, quæ ex te requiritur, adhibueris, si adeò pascit volucres, vt numquam vna absque refectione præuia, se det quieti, si lilia & flores sic vestit* &c, *tur non confidet in Deo homo* &c.

Ceterùm hanc curam inprimis alit, ac vehementer fouet immodicus diuitiarũ amor: nihil 4.
C enim æq; anxium, & solicitũ reddit hominem, ac superfluũ vel in acquirendis, vel amplificãdis, vel conseruãdis diuitijs studiũ, & solicitudo; nihil æq; à cœlestiũ rerum contemplatione animũ auocat. tria enim insunt diuitijs, dũ dominantur homini, quę à Dei obsequio dissidẽt plurimũ, & hominem terrenis affigunt; diuitię siquidem conseruari, augeri, & magnifieri volunt; at Deus mandat vt fideliter administrentur, & in pauperes erogentur. Iterũ eædem amantiũ corda ad se trahunt, vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuũ, cùm contra præcipiat Deus, *fili præbe mihi cor tuũ*, & per Dauidẽ monet, *diuitiæ si affluant nolite cor apponere.* ipse eædem solicitudinẽ, laborẽ, timorẽ secum aduehunt. At Deus è contrario hæc à nobis procul abesse vult; *nolite*, inquit, *soliciti esse.* Igitur nemo Deo seruire & mammonæ iniquitatis simul potest, neque fiet vnquam vt dum diuitiarum cupiditas animũ occupat, sine solicitu-
D dine viuamus.

Enimuerò rectè Amb. de diuitib. differens l. de Nabuthe. c. 14. *desideriorũ*, inquit, *suorum æstu* 5.
voluũtur, & quodã salo fluctuãt, rectè Chrys. ho. 59. in Gẽ. *mare*, ait, *fluctibus non ita intumescit, vt talẽ animã à cogitationib. & afflictionib. infestari videmus.* Quod Aegyptiorũ exẽplo D. Greg. l. 18. 6.
mor. c. 25. illustrat; *Israeliticus*, inquit *populus custodiam sabbati accepit in munere; Aegyptus muscarũ multitudine percussa est; populus namq; qui Deũ sequitur, accepit sabbatũ, i. requiẽ mentis, vt nullo in hac vita desideriorũ carnalium appetitu fatigetur. Aegyptus verò qui huius mundi speciem tenet, muscis percutitior; musca. n. nimis insolens, & inquietum animal est, in qua quid aliud quàm insolentes cura desideriorum carnalium designantur?* Sic Greg. sub

nomine

nomine verò desideriorum carnalium, diuitiarum etiam & omnium mundanarum rerum superfluas curas, & solicitudines intellige.

7. Testis est Iustinianus Patriarcha qui in l. de disciplina monastica c. 4. diuitiarum affectum, & cupiditatem à cœlestium rerum contemplatione auertere, & imis affigere testatur. sic. n. scribit: *hic affectus* (diuitiarum) *præsentia amat, temporalia cumulat, spiritualia negligit, & cùm totus se spargit in imus, nihil potest amare de summis.* Verè; nam vt nubes solis nobis aspectum auferunt, ita nimiæ rerum terrenarum curæ, cœlestium, ac diuinarum rerum cogitationem impediunt. & sicut oculis nostris iectus puluis, lumen solis eripit; sic mentis oculos diuitiarum puluis ita obfuscat, vt veritatis lumen haurire nó sinat. neq; .n. vno oculo terram, altero simul cœlum spectare possumus.

8. *Diuitijs addicti Caino similes.* Quarè qui diuitijs addicti sunt, carumq; curis anguntur, similes mihi esse videntur Caino, cui dictũ est Gen. 4. 12. *vagus eris, & profugus super terram*; Porrò Cain possessionem significat, nam qui locuples est, & multa possidet, nullam habet fermè fixam in terra sedem. huc illuc cursitans miseram, & inquietam ducit vitam, curis vbicumque sit pungentibus semper obnoxius. Quantò rogo satius esset vt Christum sequentes in rebus his quæ ad corpus & vitam hanc pertinent, ab illo toti penderemus certi ipsi nos curæ esse, & neque vnquam deserendos fore, & vel in summa penuria copiam, in extremis angustijs latissimam annonam suppetere Deo, vt suos alat, quod verissimè de illo prædicat Dauid Psalm. 32. *Ecce oculi Domini super metuentes eum: & in eis qui sperant super misericordia eius, vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* quàm larga verò sit, & liberalis paterna Dei erga suos prouidentia, idem vates qui expertus sæpè fuerat sic canit Psalm. 33. 9. *gustate, & videte quoniam suauis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo:* & v. 10. *Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum:* & v. 11. *diuites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* vbi obseruandum est loco diuites Hebræa habere, leones: quo non obscurè significatur, iustos tanquam oues à Deo pasci, auaros verò diuites, qui more leonum prædæ inhiare solent, & in aliorum hereditates inuolare, non rarò spe sua, votisque frustrari.

9. Iam audi Augustinum sapienter Dauidis verba exponentem, & refutantem, quæ contrà ab aduersarijs parum in Deo fidentibus obijciuntur: *timete Dominum*, inquit, *omnes sancti eius, quia nihil deest timentibus eum. multi enim propterea nolunt timere Dominum ne famem patiantur. dicitur illis nolite fraudem facere: & dicunt, vnde me pasco? non potest ars sine impostura esse, non potest negotium esse sine fraude, sed fraudem punit Deus. time Deum. sed si timuero Deum non habeo vnde viuam, timete Dominum omnes sancti eius, quia nihil deest timentibus eum, &c. Pascebat te Dominus contemnentem se, & deseret te timentem se? Attende & noli dicere, ille diues est, & ego pauper sum: ego timeo Dominum, ille non timendo quantum acquisiuit? & ego timendo nudus sum: videte quid sequitur: diuites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem*

A *Dominum non minuentur omni bono. si ad literam accipias, videtur te fallere. respicis enim multos diuites iniquos mori in diuitijs suis, &c. & dicis in animo tuo si fortè nosti aliqua peccata, & scelera ipsius: ego noui quanta fecerit iste homo; Ecce senuit, mortuus est in lecto suo, deducunt illum sui, pompa tanti funeris celebratur, agnoui qua fecerit, decepit me Scriptura, & fefellit, vbi audio, & canto, diuites egerunt, & esurierunt. quando iste inops fuit? quando esuriuit? inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono: quotidiè ad Basilicam surgo, quotidiè genu flecto, quotidiè inquiro Dominum, & nihil boni habeo. iste non quæsiuit Dominum, & inter tanta bona defunctus est, sic cogitantem suffocat laqueus scandali. escam enim mortalem* (vt volucres) *quærit in terra, & veram mercedem non quærit in cœlo, & mittit*

B *caput in laqueum diaboli* (vt aues in laqueum venatoris) *constringuntur ei fauces, & tenet diabolus ad malefaciendum, &c. noli ergò sic intelligere* (Prophetæ verba) *& quomodo intelligam? in bonis spiritualibus* (timentes autem Dominum non deficient omni bono spirituali) *sed vbi sunt hæc bona? non videntur oculis, sed corde. non video ipsa bona. videt illa, qui amat &c. etsi non vides fidem* (oculo cordis) *quare amas seruum fidelem? &c.*

Illustrat hoc posteà August. exemplo quod 10. paucis tale est, nam si habeas seruum formosum, statura corporis insignem, hilarum, vegetum, colore viuidum, verùm furem, nequã, fraudulentum: alium verò habeas facie deformem, colore tetrum, vili corporis statura, verùm fidelem, parcum, sobriũ. Rogo te vtrum istorum diligas, vtro potiùs vti, vtro frui malis? Certè si oculos carnis interrogas, vincit

C apud te pulcer iniustus; si oculos cordis, vincit deformis fidelis. aliquid ergò melius est in hoc quod oculo cordis vides, quo careat ille, & propter quod istum illi præfers, istum amas, & illum odisti. Videsne quanto digniora, & amabiliora sunt bona spiritualia, quæ qui oculos corporis habet, & non mentis, non videt, & non magni facit, quia nescit illa.

Subdit posteà August. quasi totius quæstionis conclusionem inferens: 11. *cùm repletus fueris spiritualibus diuitijs pauper eris? & ille diues ideò fuit, quia habebat lectum eburneum? & tu pauper es, cuius cubiculum cordis plenum est tantis gemmis virtutum, iustitiæ, veritatis, caritatis, fidei, patientiæ, & tolerantiæ? Explica diuitias tuas, & compara diuitijs diuitum; si fidem inuenires venalem, quantum*

D *pro illa dares? quam te voluit Deus gratis habere, & ingratus es, egent ergò illi diuites, egent. Et quod est grauius, pane egent. ne forè putetis quia auro egent, & argento, quamquam & hoc egeant. quantum habuit quidam, & quis eum satiauit? sic mortuus est egens, quia plura volebat acquirere quàm tenebat; egent & pane. quare egent & pane? si intelligas panem; ille enim dixit: ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. & beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Hæc August. Neque propterea credere debemus solis bonis spiritualibus abundare iustos, qui in Deo spem suã omnẽ collocant, in ijs verò quę ad hanc vitam, & corpus pertinent negligi omninò, ac deseri à Deo. Cùm enim expedit iusto multa bona etiam terrena possidere ad eleemosynas erogandas, ad Dei seruos alendos, ad Dei cultum amplificandum, non deerit Deus hæc illis affa-

Digitized by Google

tim tribuere ad maius illorum meritum, sic fecit cum Patriarchis, & cum Dauide, qui Ierosolymis immensum diuitiarum thesaurū congregauit, vt Deo templum ædificaretur. quoniam verò vt plurimum vtilius est, vt homini iusto ea tantum subministrentur, quæ ad vitā honestè, vel etiam parcè sustentandā necessaria sunt, ideò se talē pasim cū illis exhibet Deus, vt habeant quidem vnde sustententur, sed etiā habeant vnde eorum patientia, & inopia coronetur magis in cœlis, & ditiores sint tanto maiore virtutum incremento. Verùm & in hac diuite iustorū paupertate quod à Deo illis datur sufficit illis, nec plura, aut maiora deserant, *melius est enim modicum iusto super diuitias peccatorum multas*; cùm tamen diuites auari semper esuriant ac sitiant, non secus quàm si insatiabili hydropisi laborarent. Deniq; si ad maiorē Dei gloriam, & iusti alicuius sublimiorē dignitatē in cęlis, & ad aliorum exemplum expediat interdum mendicè viuere, & præ rerum temporalium penuria etiam è viuis excedere, facit id Deus singulari suo beneficio, ac beneuolentia in iustos, verùm tunc auget bona spiritualia, addit interius non patientiam modò, sed propensam etiam ad patiendum voluntatem, cum summa animi voluptate cōiunctam, ita vt hoc tanquam maximum Dei donum excipiatur à iusto. sic verisimum est, nunquam minus iustū à Deo derelinqui, quàm cùm in summa mendicitate positus est.

12. Quarè audiamus Christi præceptum, audiamus & pareamus: *quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis*, & hac vna cogitatione posthabita rerū temporaliū cura, oculos mētis ad cœlestia conuertamus, & cōquirendis spiritualib⁹ diuitijs omni studio incūbamus; sic .n. omnia nobis prosperè euenient: cuius rei non pauca, neq; ignobilia habemus exēpla in Scripturis. *Abrahæ fidacia.* Abrahā insignis ille Patriarcha relicta patria, ac paterna domo Deo iubēte ad aliena, remota, & ignota loca profectus est; sic .n. de eo Paul⁹ ad Heb. 11.8. testatur; *obediuit in locū exire, quem accepturus erat in hæreditatē; & exijt nesciens quo iret.* exijt verò nulla laborans sollicitudine, & terrenarū rerum cura: exijt tamen dies insigni in Deum spe, quę nusquam illum fefellit, vbiq; .n. Deum, tanquam parentem optimum *Item Iacob.* expertus est, qui illum ex omnibus periculis eripuit, & cunctis bonis abundare fecit. Iacob item omnibus fermè rebus destitutus, ne dicā nudus, ex Syria in Mesopotamiam peregrinari cœpit, & in baculo suo, hoc est, omni alio præsidio vacuus, Iordanē transijt, & cum Deo quasi cōueniens petijt, vt cibum ille sibi, ac vestem suppeditaret, se verò ea cogitatione munitum, eius seruituti nō defuturum nouit. Gen. 28. nec hac sua spe excidisse vnquam, dum testamentū conderet, verbis illis significauit Gen. 48. 15. *Deus in cuius conspectu ambulauerunt Patres mei, Abraham, & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea, vsq; in præsentem diem.* & v. 16. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Quid dicam de Ioseph eius filio? de quo sic Dauid affirmat Psal. 104. *In seruum venundatus est Ioseph, donec veniret verbum eius, eloquium Domini inflammauit eum, misit rex, & soluit eum.* quid plura? *Cōstituit eum Dominum domus suæ, & principem omnis*

A *possessionis suæ.* De prēclaro verò illo duce Iosue res clarior est, quàm vt multis dici debeat; illum enim Deus postquam copiosissimi exercitus in peruasta solitudine curam suscepit; his allocutus est; *non dimittam te, neque derelinquam.* Ex quibus verbis non minus acutè quàm verè Paulus confirmat: mores esse debere sine auaritia, oportere enim contentos esse præsentibus; *ipse enim dixit*, inquit Paulus, Hebræor. 13.5. *non te deseram, neq; derelinquam.*

Non esset finis si singula persequi velim. satis fuerit quæ de Daniele, & Helia scribit Cypria. l. de orat. Dominica c. 8. subiecisse: *quærentibus*, inquit, *regnum, & iustitiā Dei omnia promittit apponi. Nam cùm Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse nō desit. sic Danieli in leonum lacu iussu Regis incluso, prandium diuinitus procura-* B *tur, & inter feras esurientes, & parcentes, homo Dei pascitur. sic alitur Helias in fuga, & in solicitudine coruis ministrātibus, & volucribus cibū sibi apportantibus, in persecutione nutritur. Atque ó humanæ malitiæ detestanda crudelitas: feræ parcūt, aues pascunt, & homines insidiantur, & sæuiunt!* 13.

Constat igitur verissimam esse Christi sententiā, si quæsiuerimus primum regnum Dei, & iustitiā eius, hæc omnia adijcienda forè nobis. Acutè sanè animaduertit Tertull. l. 3. cōtra Marcion. c. 4. in illis verbis quibus Isaac Gen. 27. 28. Iacob benedixit; *det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ*; priùs cœlestē rorem, deindè verò terræ pinguedinem peccatum esse, quia nimirum sciebat vir sanctissimus priora esse cœlestia terrenis, & priùs illa esse quærenda, posterius ista: *Animaduertenda est*, ait Tertul. C *structura benedictionis; nam circa Iacob, qui posterioris populi figura est, id est, nostri, prima promissio cœlestis est roris, secunda terrenæ opimitatis. nos enim primò ad cœlestia inuitamur, cùm à sæculo auellimur, & ita posteà inuenimur terrena etiam consecuti.* sic Tertull. quamquam in benedictione Esau non sine mysterio contrarius obseruatus fuerit ordo; præcessit. n. v. 39. *in pinguedine terræ*; & subsecutum est. v. 40. *& in rore cœli desuper erit benedictio tua*, quia nimirum mali, & diuites non secundùm Deum, præferunt terrena cœlestibus, & æternis caduca; ac proindè illis accidit, vt neq; hic ventrem, id est, infinitum habendi desiderium expleant, neque ibi, mentem cœlestibus bonis impleant. 14.

Quam rem clarissimè mihi indicasse Spiritus sanctus videtur Aggei. 1.5. *Ponite corda vestra* D *super vias vestras.* v. 6. *seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis saturati; bibistis, & non estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti.* &c. v. 9. *quā ob causam dicit Dominus exercituū? quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisq; in domū suā.* Ecce tibi vndè fiat sępè, vt rebus omnibus etiā terrenis destituti videamur; & merces operi nostro nō respōdeat, vt laboremus multū, & quod labore parere volumus, non obtineamus, fitq; plerumq;, vt nec Deum, nec terrena possideamus, quia nimirum nihil cœlestia illa curamus, nullam regni Dei, eiusq; iustitiæ rationem habemus. 15. 16.

Væ, igitur, vt apud Amos Prophetā legimus c. 6. 1. *qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ*; ij sunt, qui omni de rebus cœlestibus cura deposita, bonis tantum terrenis inhiant,

& in

& in ſuis laboribus, arte, ſtudio, induſtria, non in Deo fiduciam collocant. ij ſunt, de quibus Habacuc.1. 16. qui immolant *ſagenæ ſuæ, & ſacrificant reti ſuo, quia in ipſis incraſſata eſt pars eorum, & cibus electus eorum.* verè .n. dies in morē idololatrarū ſagenæ ſuæ immolat, & reti ſacrificat, cùm totam ſuā ſpem collocat in ſeipſo, atque adeò in ijs rebus, quibus honores, voluptates, diuitias, & ſupra cæteros poteſtatē adipiſci ſe poſſe ſperat; non ſecus, quā ſi piſcator ſagenæ ſuæ, & reti ſuo diuinos exhiberet honores, q̄ per illa capiendis de mari piſcibus ditatus ſit.

17. Nec mirum quod ad tam abſurda deueniāt qui in ſe ipſis, ac ſua induſtria, & ſolicitudine confidunt, & non in Deo; inebriant.n. hominē quodammodo curę, ac ſolicitudines rerū temporalium, quæ in his perquirendis ponuntur, & mentis aciem ita retundūt, vt videre Deum nequeat. quod Dominus ſignificaſſe mihi videtur, dum ſic nos admonens dixit: Luc.21.34. *Attendite ne grauentur corpora veſtra crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & ſuperueniat in vos repentina dies illa.* & v.35. *Tanquam laqueus enim ſuperueniet in omnes qui ſedent ſuper faciem vniuerſæ terræ.* Vbi illud in primis obſeruandum eſt nō indiligenter, inſtar vini, curas, & ſolicitudines, ac ſtudium diuitiarum inebriare hominem, & à ſe alienare rationem; nam vbi ſemel animum hominis occupāt, ita rationis arcem tenent, vt non ſuperſit in ea Deo locus, nec cęleſtiū contemplationi. Deindè & illud animaduerſione digniſsimum eſt in prædictis Chriſti verbis, diem illum ſupremum orbis tanquā laqueum ſuperuenturum, & inexpectatum, non quidem omnibus, ſed ijs duntaxat, *qui ſedent ſuper faciem vniuerſæ terræ:* hos autem maximè auaros homines eſſe, meritò exiſtimandum eſt. hi enim in mundanis iſtis, ac caducis rebus ſuauiter ſedent, quia nihil prætereà aliud amant, aut cogitāt, &, vt inquit Alberrus Magn⁹, deſiderio, & affectu totam terram ſibi vſurpare deſiderant, ac propterea ſedere non vno loco, ſed ſuper vniuerſam terram dicuntur à Domino. ſed de his ſatis.

DIGRESSIO VIII.

MORALIS

In verſ. 28. *Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt*, &c. De Lilijs agri, & de Lilijs cœli.

1. LABIA ſponſi lilia dicuntur Can.5.13. Iuſti enim viri, & Apoſtolici labia ſunt Chriſti, & lilia agri. Nam *in lilijs tria notanda ſunt*, vt docet Guilhelmus Cant. 5.13. *Aureus color intus, candor foris, atq; odor eximius: ſic viri Apoſtolicæ gratiæ intus fulgent, foris nitent, & redolent. Intus, vbi ſolus Deus videt, fulgent auro Sanctæ deuotionis: foris nitent candore bonæ actionis, & dum cauē ſe abſtinēt ab omni ſpecie mali, ſuaueolentiam bonæ opinionis latius diſpergunt.*

2. *Quomodo ſubſiſtunt lilia iſta, quæ neque laborant, neque nent, & tamen nec Salomon in omni gloria ſua coopertus fuit ſicut vnum ex ipſis?* Non laborant, neq; nent, quia didicerunt à Magiſtro ſuo nō ſolicitari de craſtino, didicerunt non Euangelizare, vt manducēt, ſed manducare, vt euangelizent. Nunquam cum anxia ſollicitudine dicūt: quid manducabimus, quid bibemus, aut quo operiemur, ſed cum alacritate prædicant verbū Dei, & hæc omnia adijciuntur eis; in tantum, vt nec delicatiſsimus Salomon coopertus fuerit ſicut vnum ex lilijs iſtis: quia ille in ſua affluētia nunquam dicebat ſufficit, ſed affer, affer. At lilia iſta eo quod ſciant abundare, ſciunt & penuriam patī, ſiue in abundantia, ſiue in penuria nihil norunt dicere, niſi ſufficit. Melius ergo paſcuntur, & operiuntur, quàm Salomon in omni gloria ſua: & hæc quidem extrinſeca eorum, cæterum internam eorum iucunditatem quis queat explicare? Quantis putas delitijs affluunt ruminando iugiter panem vitæ, in quo omnis ſapor eſt ſuauitatis? fidenter dixerim, quia nec ille ſtudioſiſsimus delitiarum venator Salomon, tantum iucundari potuit in omni gloria ſua, quātum iucundabatur vnū ex iſtis lilijs, qui dicebat: infœlix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? delirare fortè videor dicendo hæc, ſed ei qui nōdum didicit delectari in Domino, & ſancti amoris, quo in Dominum ſancti flagrant delicias in ſemetipſo expertus non eſt.

Itaque lilia iſta mirè affluunt delicijs, & tamen circumferunt corpus mortis: ſunt inclyta, decorem induta melius quàm Salomon, & tamen diſtillantia myrrham, ſed myrrham primam, nam myrrha ſecunda ad eos nō pertinet. Myrrha prima; eſt mors prima, de qua dicitur per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors Rom.5.12. & ita in omnes homines pertranſiit. Myrrha verò ſecunda, eſt mors ſecunda, de qua dicitur, qui vicerit non lædetur à morte ſecunda Apoc.2. 11. Item incredulis, & execratis fornicatoribus, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardente igne, & ſulphure: quod eſt mors ſecunda Apocalyp.21.8. 3.

Quod dicitur in omnes homines pertranſiſſe mors, id ſi dicam redundare ad lilia, parum eſt: quia redundat ad lilium liliorum ipſum redemptorem noſtrum, nam & ipſe non peccatum, ſed ſtipendium peccati Rom.6.23. *traxit ex Adam miſſus à Patre in merā ſimilitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne:* Rom.6.3. *vt per ſuſceptionem mortis primæ liberat nos à debito mortis ſecundæ. Piè ergò dignatus eſt amaritudinem myrrhæ primæ in ſe ipſo experiri, vt amaritudinem myrrhæ ſecundæ à nobis potenter, clementerq; auerteret. Denique & ipſe ſtillabat myrrham primam dicens: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Itaque in lilio liliorum myrrha prima fuit ſuſceptio piæ dignationis, ſed in alijs eſt tranſfuſio iuſtæ damnationis.* 4.

Eadem myrrha, ſed diſſimilis valdè in illo, & in iſtis. in illo ſtipendium peccati, ſine peccato, in iſtis ſtipendium peccati, cum peccato; in illo mors indebita, in iſtis mors debita, & quantum in ſe eſt pertrahens in mortem ſecundam. Quantum in ſe eſt, dico: quia quod hoc in prædeſtinatis ad vitam æternam non efficit ex indebita morte Redemptoris prouenit. 5.

Ex alio quoque myrrhata ſunt hæc lilia, ex alio lilia ſunt. Lilia ſunt in eo, qui de tenebris ea vocauit in admirabile lumen ſuū. Myrrhata verò ſunt ex eo propter cuius peccatū mors prima in mundum intrauit.

Porrò labia ſponſi non diſtillant, quod lilia ſunt, ſicut ſponſus, ſed quod myrrhata ſunt, ſicut & cæteri filij Adam. Non diſtillāt, quod lilia ſunt, quia ſuā excellentiā ſiue iuſtitiā minimè prædicāt: quippè humiliter de ſe ſentiūt, & quod in eis de dono Dei eximiū, atque ſublime eſt, humili, quantum in ipſis eſt, ſilentio contegunt, non ambulantes in magnis, & mirabilibus ſupra ſe, ſed iuxta ſe. Vnde Apoſt. cùm ingens ei materia ſe prædicandi ſuppeteret, parco, inquit, 2. Cor.12.6. ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in 6.

me, aut audit aliquid ex me. Sed ſancti viri myrrham primam diſtillant; quia diſſimulata humiliter excellentia ſua communem ſibi cum omnibus filijs Adam naturam mortalis conditionem deplorant. Siquidem vt ſcriptum eſt: graue iugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris ipſorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. Eccl. 40. 1. *Denique cùm Paulus eſſet adeò inſignis inter lilia, labia ſponſi, vt fiducialiter diceret in ſe loqui Chriſtum myrrham primam diſtillans cum gemitu diceb.at* Rom. 7. 24. *Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? huius inquam, cuius myrrham primam, quamdiu hic viuimus miſerè experimur.* Hæc Guilhelmus exponens illa: *labia eius diſtillantia myrrham primam* Cant. 5. 13. vbi per *labia ſponſi* intelligit viros excelſos in verbo gloriæ, vt ipſe loquitur. per quos vtique redemptrix veritas mundum dignata eſt pacificè alloqui & piè oſculari. Vndè Apoſt. *poſuit*, inquit, *in nobis verbum reconciliationis* 2. Cor. 5. 19. q. d. per nos, tanquam per labia propria loquitur Dominus pacem in plebem ſuã, & oſculum reconciliatorium porrigit eis.

7. Hactenus de liljs agri, nunc de liljs cœli. Cant. 2. 16. vbi dicitur de dilecto. quod *paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ*, dilectus paſcit inter lilia, & paſcitur in liljs, & paſcit ipſa lilia, & veſtit etiam lilia. Si namque lilia agri ſic veſtit, vt nec Salomõ in omni gloria ſua coopertus ſit, ſicut vnum ex iſtis: quanto magis lilia cœli; ſancti Angeli lilia cœli ſunt, iuſti dum hic degunt, lilia agri. vtriq; propter fragrantiam, & nitorem. vtrobiq; Maria fuit, & eſt lilium liliorum, hic iuſta iuſtorum, & caſta caſtorũ, illic regina, & Domina Angelorũ.

Lilia cœli Angeli ſunt.

8. Nunc agamus de cœli liljs. Planè illa non laborant, vt paſcantur, neque nent, vt veſtiantur, ſed qui condidit ea, cibus eſt eis vitalis, & veſtis nuptialis. Sed tamen & ipſe vt paſcit lilia, ſic paſcitur inter illa, lilia cum liljs: paſcit diuinitas eius, paſcitur humanitas. ſe Deo paſcit ſe hominem, & ſecum paſcit Angelos, & Matrẽ plenitudine Diuinitatis ſuæ paſcit humanitatẽ ſuam ſpiritaliter, eò quòd in ipſa humanitate habitet omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter Coloſſen. 2. 9.

9. Sed Angelos paſcit quaſi micis cadentibus de menſa ſua, tribuens ſc. eis participationem ſui pro captu eorum. Aliud eſt paſci ad menſam, aliud eſt paſci ſub menſa. Ad menſam diuinitatis paſcitur humanitas verbi, quia ſola habet plenitudinẽ. Sub menſa verò, & quaſi de micis paſcuntur Angeli, plenitudinem non habentes.

10. Sed quomodo Dominus promittit electis omnibus, quod ſint eſuri, & bibituri ſuper mẽſam eius in regno ſuo Luc. 22. 30. Reſpondeo cum eodem Guilhelmo; menſam ſuper quam paſcuntur Angeli & ſancti eſſe ſub menſa, ad quam paſcitur humanitas verbi. Illa eſt menſa participationis, hęc menſa plenitudinis: iſta eſt incarnati vnigeniti, illa filiorum adoptiuorũ.

Igitur ratione cibi eiuſdem, & ſi in diuerſis menſis appoſiti, dicitur illic inter lilia paſci, qui hic in mundo ſpinoſus quodammodo inter ſpinas dignatus fuit verſari. Similitudine carnis peccati tantum ſpinoſus erat, non tamen verè aculeata ſpina, vt cæteri: quia nõ erat peccator, vt cæteri. homo ſimilis nobis paſsibilis, ſed non ſimilis nobis peccator.

A Verſatur illic inter Angelos, & electos, lilia cœli, *donec aſpiret dies*, dies illa, de qua veritas diſcipulis ait Luc. 17. 22. *deſiderabitis videre vnum diem filij hominis*, & Proph. Pſalm. 83. 12. *melior eſt dies vna in atrijs tuis, ſuper millia*, ſuper millia dierum noſtrorum, qui apud nos fluunt, & in quibus, defluimus, & ſicut aquæ dilabimur. Dies ille nec veſperam, nec craſtinum habet, immò neque ſecundùm ſe mane habet, ſed quo ad nos mane habebit; quia nos eum deſideramus, & expectamus dũ exoriatur nobis, nobis, inquã, dies ille mane habebit, ſed veſperum omninò non habebit. incipiet nobis, ſed non finietur: illuceſcet, ſed poſteà non tenebreſcet, &c. & quia hoc die aſpirante, ſeu illuceſcente, tenebræ mox diſſipabantur, ideò ſubditur, *& inclinẽtur vmbræ*. certè tunc velum ab oculis multorũ auferetur, tũc apparebit, qui Deo grati ſint, qui iuſti, qui felices, qui miſeri. Mundi iudicia duntaxat vmbrã habẽt veritatis, ſed hanc vmbram Sol iuſtitiæ Chriſtus luce ſua coget euaneſcere, quando mundum iudicabit.

B De liljs, quæ ventrem vallare debent iuxta illud Cant. 7. *venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liljs*, lege Pinedam to. 1. pa. 103. vel c. 3. v. 7. n. 4. & 5. eundem etiam vide in hunc locum Matt. 6. 26. l. 6. de rebus Salomonis c. 5. & 6.

DIGRESSIO IX.
MORALIS

De Prouidentia Dei exemplo Herinacei in v. 26. & 28.

C HERINACEOS ſeu Echinos prouidentię Dei monimentum eſſe nemo dubitabit, qui Baſilium, & Ambroſium legerit, illum hó. 7. hexem. ſic ſcribentem: *audiui*, inquit, *quendam eorum, qui maritimis in regionibus verſantur, aquoreum Herinaceum commemorantem, exiguam illam, paruipendendamq; beſtiolam, tranquillitatis indicem, doctoremq; ſæpenumerò, tempeſtatisq; nauigantibus fieri: qui cùm ventorum perturbationem præſenſerit, calculum haud exiguum ſubit, ſub ipſo tanquam anchora ſe ipſum ſtabiliens; detinetur enim illius pondere, ne facile fluctibus trahatur; ac agitetur. id vbi nautici conſpiciunt, futurum hoc indicio ventorum agitationem, tempeſtatemq; præſagiunt; nemo homo ſtellarum ſcientia præditus, nemo Chaldæus procellas ex ortu ſiderum coniectans aeris turberam Herinaceum docuit. Sed marium dominator, atq; ventorum huic etiam animanti paruo, immenſæ ſuæ ſapientiæ veſtigium euidens, & apertiſſimi impreſſit. nihil eſt prorſus, quod ſub prouidentiam Dei non cadat: nihil eſt omninò, quod à Deo neglectum ſit: omnia explorat, omnia conſpicit oculus ille peruigil, omnibus adeſt. facultatemq; ſalutis cuiq; præſtat. Si Herinaceum Deus à ſua prouidentia nõ excludit, ea quæ ad te pertinent non explorat, non conſpicit?* Hæc eadem Ambroſius l. 5. hexem. c. 9. ornata & prolixa oratione proſequitur, quæ, ſi qui volet, apud eum legere poterit.

1. *Herinaceum prouidentiæ Dei monumentum.*

D Intuere, quæſo te lector, in tam paruo piſciculo inſigne ſapientiæ, prouidentiæque Dei monumentum, ſimulque agnoſce nullam eſſe prorſus rem ſublimem, vel exiguã in hoc mundi theatro, quæ ſapientiæ Dei radios, veluti quædam fulgetra nõ vibret vel emittat, vt meritò

2.

Digitized by Google

ritò veteres Aegyptiorum sapiẽtes Argum, per quem mundum ipsum intelligebant, & lucidissimum hoc vniuersi theatrum sic effinxerint, vt oculos non in capite modò, verùm vniuerso etiam in corpore, & in ipsis extremis cruribus, ac manibus gestaret. nam rogo, quid aliud sunt rutilãtes oculi in qualibet corporis parte, quàm illustria monumenta diuinæ prouidentiæ, & clarissima testimonia in omni re creata quamuis parua, quãuis obscura, veluti impressa, insita, & insculpta?

3. Et peccatoris prudentia typus.

Verũ idẽ perexiguus piscis peccatoris prudẽtis nó obscurus typus, & exemplar est. præsentit Echinus procellam futuram, & ne huc illuc facilè à fluctibus trahatur, & agitetur calculum mox arripit validum, cuius pondere detineatur, seque ea arte sistat, ne fluctuet. Iam verò si sapit peccator, haud immemor nouissimæ tẽpestatis, impendentisq; mundo calamitatis ac miseriæ hominum, qua lucidissima mundi sidera, sol, luna, cæteraq; castra pallescent, & obtenebrato, & veluti atra quadam caligine obtecto aere, horrendùm mugiet mare, contremiscet terra, collidentur saxa, lugebunt arua, corruent montes, & præ timore arescent homines, denique magno igne cuncta flagrabunt, si, inquam, sapit peccator horum præscius, calculum arripiat, eoq; ita se muniat, vt non procellis istis furentibus iactatus, & illisus pereat. Calculus iste Christus est, de quo Apostо. 1. ad Cor. 10. *petra autẽ*, inquit, *erat Christus*. huc sese conferat per pœnitentiã peccator futurorũ, & impendentium haud inscius malorum, dicatq; cum sponsa Cant. 3. *tenui eum, nec dimittam*, atq; hoc tam forti præsidio munitus, nulla timeat mala, nulla imminentia damna reformidet, verùm tutus cum Propheta clamet: Psal. 22. *non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

CAPVT VI.

DOCET NON ESSE TEMERE IVDICANDVM, VEL DOCENDVM: Orationem opus esse, & Operibus non falsis, & mendacibus, sed iuxta Sanctorum verba ambulandum, & operandum.

A. 7. I.

1. NOLITE iudicare, vt non iudicemini.
2. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & in qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.
3. Quid autẽ vides festucam in oculo fratris tui, & trabẽ in oculo tuo nõ vides?
4. Aut quomodo dicis fratri tuo: sine eiciã festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo.
5. Hypocrita eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui.
6. Nolite dare sanctum canibus; neq; mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.

A 7. Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.
8. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit inuenit: & pulsanti aperietur.
9. Aut quis est ex vobis homo, quẽ si petierit filius suus panẽ, nũquid lapidẽ porriget ei?
10. Aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei?
11. Si ergò vos cùm sitis mali, nostis bona dare filijs vestris: quantò magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se.
12. Omnia ergò quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc est enim Lex, & Prophetæ.
B 13. Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam.
14. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inueniunt eam.
15. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.
16. A fructibus eorum cognoscetis eos: Nunquid colligunt de spinis uuas, aut de tribulis ficus?
17. Sic oĩs arbor bona, bonos fructus facit, mala autem arbor, malos fructus facit.
C 18. Nõ potest arbor bona malos fructus facere; neq; arbor mala bonos fructus facere.
19. Omnis arbor, quæ non facit fructũ bonum, excidetur, & in ignem mittetur.
20. Igitur ex fructibus eorũ cognoscetis eos.
21. Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit volũtatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnũ cœlorũ.
22. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?
23. Et tunc confitebor illis: quia nunquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.
D 24. Omnis ergò qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suã supra petrã.
25. Et descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra petram.
26. Et omnis qui audit verba mea hæc, & nõ facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam.
27. Et descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.

28. Et factum est: cùm consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius.

29. Erat.n. docens eos, sicut & potestatē habēs, & nō, sicut Scribæ eorū & Pharisæi.

SCHOLIA.

1. NON oportet anxiū esse in inuestiganda sententiarum connexione in Euangelistis, neque.n. sibi proposuerunt eo ordine scribere res quas narrant, quo vel dictæ, vel factæ sunt à Domino: præsertim in his, quæ ad eius doctrinam pertinent, cuius contenti sunt præcipua capita ante oculos ponere.

Cæterum si velimus vtcumq; rimari connexionem horū cum superioribus, dico visum esse Aug. l.2. de ser. Do. quod cùm prohibuerit superius temporalium rerum solicitudinē, nunc vult eos Dominus, qui res istas nō quærunt, admonere, ne malè de quærentibus iudicent. Possunt namque benè, & malè quæri: atq; adeò existimandum eos, qui quærunt bono animo quærere, vt Paul. Rom. 14.3. *qui manducat*, inquit, *nō manducantem, non spernat, & qui non manducat*, &c. Paulo aliter auctor imperf. docuerat, inquit, c.6. Matt. v.12. dicere: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos* &c. & v.14. *si.n. dimiseritis hominibus* &c. propterea rectè subdit nunc: *Nolite ergò iudicare, & nō iudicabimini.* Alij rectius, meo iudicio, ista cum his iungunt, quæ dicta sunt sub finem c.5. Matt. idq;. ex Luc. c.6. cōfirmant, qui post illa verba: *estote ergo misericordes:* subiūxit hāc eandem sententiam; pertinent.n. hæc ad dilectionē proximo exhibendā; ita Mat. hæc subdit; tanquā cōnexa cum ijs, quę dixerat de dilectione proximi, quamuis inter illa, & hæc, quædam interposuerit.

2. Sed magis consentaneè ijs quæ c.4. Th.1.n.5. diximus, sic cōnecte: dictum est enim ibi à nobis: Dominum quædam impedimenta amouere, quæ obstant ijs, qui cupiunt ad perfectionem iustitiæ peruenire. Cùm igitur c.6.19. Matth. amouisset solicitudinem nimiam in accumulandis opibus, & v.25. superuacaneam diligentiam etiam in procurandis necessarijs rebus sustulisset, nunc c.7. Matth. tollit aliud impedimentum, quod est temerarium iudicium. de his hactenus.

3. *Vide Aug. l. 2. ser. Dom. in monte, c 28.29 & ser. 202. de temp. Chrys. l. 1. de compunc. Basil q.164. compen.*

1. *Nolite iudicare*] Pro faciliori huius doctrinæ intelligentia; obseruandum in primis, non agi hic de publico iudicio, eorum qui præsunt. Nam alioqui id genus iudicij Paulus exercuit 1. Cor. 5.3. ego quidem absens corpore, præsens autē spiritu, iam iudicaui, vt præsens eum, qui &c. Exercuit Petrus Act. 5.3. in Ananiam, eiusque vxorem. Exercent passim Ecclesiasticæ, mundanæq; potestates, quo sublato susque deque omnia ruere, perturbari, confundi, miscerī necesse est. Rectè ergò Euthy. Matt. 7. scripsit non loqui Christum hic de publico, sed de priuato iudicio.

Non egi hic de publico iudicio.

4. *Neque de omni priuato*

Denique obseruandum item est, neq; omne priuatum iudiciū hic vetari. Est.n. illud laude dignissimū, quod cōtrà seipsum exercet quispiā, ad quod hortatur nos Paul. 1.ad Cor. 11. si nos ipsos iudicaremus. non vtiq; iudicaremur. Tertio loco adhuc obseruandum, neq; hic prohiberi iudicium omne priuatum de alijs. Nam vt rectè Aug. docet l.2. de ser. Do. in mon. c.28. licet iudicare de rebus certis, & manifestis: quod patet ex Mat. 7. à fructibus eorum cognoscetis eos. Vbi Augu. *quod scriptum est*, inquit, *à fructibus eorū* &c. *de manifestis dictum est, quæ nō possunt bono animo fieri, sicut sunt stupra, blasphemiæ, furta, ebriositas, & si quæ sunt alia, de quibus iudicare permittitur.*

Ad hæc rectè Iren. l.4. c.49. censuit, hac sententia non prohiberi correctionem proximi, quæ non

A potest esse sine iudicio. & verò neq; hic prohibet Dominus de dubijs iudicare, modò non vlera, quam quo nos ducunt indicia, iudicemus.

Obseruandum præterea est, neque ea vetari iudicia, quæ prudenter fiunt de alijs, vt sibi quis caueat, & vt aliorum emolumento consulat, licèt nō sint signa, vel argumenta aperta, cùm quis non curiosè, vel temerè, vel cum inuidia, & odio, aut sine fructu iudicat de rebus dubijs. Quid igitur inquiet aliquis hic prohibetur? 5.

Respondeo prohiberi hic à Christo Domino iudicium priuatum, de his, quæ in nostra sunt potestate posita, possuntq; benè, vel malè fieri, si in malam partem interpreteris. Ita Basil. Reg. bre. resp. 164. & Aug. l.2. de ser. Do. c. 28. *sunt quædā*, inquit, *facta media, quæ ignoramus, quo animo fiant, quia & bono & malo fieri possunt, de quibus temerariū est iudiciū iudicare, maximè vt cōdemnemus.* Hinc Rom. 14.3. dicitur: *qui non manducat, manducantem non iudicet.* Videturq; hic iudicare etiā pro condemnare sumi, vt non rarò in Scrip. vt 1. Cor. 11.29. *qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Io. 3.17.18. *non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. qui credit in eum nō iudicatur, qui autē non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.* & c.16.11. *de iudicio autē, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.* Cæterùm nō tantum hoc modo sumitur, sed etiam pro eo quod est culpæ aliena facta dictauæ iudicando tribuere, cum benè, maleque fieri queant. Itaq; iudicare vtroq; modo accidit, & vtrumq; hic complectitur hæc vox, & à Christo vtrumq; reprehēditur, quę duo distinxit Luc. c.6.37. *nolite iudicare*, &c. *nolite condemnare.* Illud ad culpam pertinet, hoc ad pœnam; vt iudex priùs iudicat aliquem esse homicidam, deindè pœnam commeritam statuit; sic qui temerè iudicat priuato iudicio prius culpam alicuius notat, deindè hunc vt culpæ obnoxium dignum pœna censet. Matth. ergò vna voce vtramque notionem est complexus; licèt Euthy. Matth. 7. pro *damnare* sumpserit. B C

Prohibetur præterea iudicium in manifestis, quando ita iudicamus proximum, quasi eum amplius non debeat pœnitere errati, adeò vt inemendabilem eum reputemus: hoc enim temerè iudicatur. Hinc Aug. l.2. de ser Do. 28. *si manifestā*, inquit, *edacitatem, ebriositatemq; cognoueris, & ita reprehenderis, quasi illa nunquam possit mutari, temerè iudicabis.* Huc etiam pertinet, cùm iudicamus proximum in eodem animo permanere, & emendatum non esse quod aliquando aperta peccata commiserit; sic Simō ille Pharisæus mulierem peccatricem non iudicauit modò, sed & damnauit Luc. 7.39. quā Christus absoluit, sic Pharisæi Publicanos iudicabant, & damnabant æterna, aut temporali pœna dignos, & extra omnem spem salutis ponebant Matth. 9.11. Christus autem ex illis Apostolos fecit v.9. eodem cap. 7. D

Demum prohibetur iudicium in manifestis, quando licèt constet, mala esse opera, incertum tamen quis ea perpetrarit; quarè si persona certa iudicetur auctor mali, temerè iudicabitur, sic Basil. Id ergò quod dubium est, siue in actionibus, siue in verbis, siue in personis iudicandum non est, de quo 1. Cor. 4.5. *nolite ante tempus iudicare, quoadusque* &c. & Dominus hic: *nolite iudicare.* 8.

Quamquam etiam maximè vetet hic Christus ne cùm ipsi ijsdem, aut maioribus fortè peccatis obstricti simus, curiosè, & seuerè de aliorum minoribus iudicemus, vt patet ex v.3. *quid autem vides festucā* &c. & Ro. 2. 1. *propter quod ô homo* &c. multò verò magis prohibet ne de alijs detrahēdo iudicemus. Duplicem.n. illi, de quo detrahimus facimus 9.

Digitized by Google

iniuriam, & quod ipsi bonam de illo, vt charitas postulat, opinionem non habemus; & quod quam alij habent, denigramus. Irenęus lib. 4. c. 49. ad Dei dispositiones refert: *non vtique*, inquit, (dum dixit Christus nolite iudicare) *iubet, vt peccantes nõ corripiamus, nec vt hu, quæ malè fiunt consentiamus, sed vt Dei dispositiones non iudicemus iniustè*; vt constat ex dictis, non ea est Christi mens.

10. *Vt non iudicemini*] Gr. ἵνα μὴ κριθῆτε, vt non iudicemini, sic legendũ, vt ex correctis biblijs nunc patet Nec addenda illa verba, *nolite condemnare, & non condemnabimini*, non enim sunt apud Matt. sed apud Luc. dumtaxat, c. 6. 37. *nolite iudicare, & non iudicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini.* sunt qui de hominum iudicio intelligãt, q. d. si vultis, ne perperã, ac temerè de vobis mundus iudicet, nolite etiam de aliis temerè iudicare, *in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, i. prout proximos vestros tractaueritis, ita & ipsi tractabimini. si obloquutores, & iniqui censores eorum fueritis, & ipsi de vobis erunt.

11. At longè melius Aug. l. 2. de ser. Dom. c. 29. Chrysost. hõ. 14. & auctor imperf. 17. Beda & alij ad Deũ referunt, vt patet ex antithesi quæ hic latet: ac si dicat: nolite de hominibus iudicare, ne à Deo iudicemini. cohæret hæc sententia; vel similis est illi; *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam cõsequentur*, scil. à Deo. similiter & cum ea; *si aũt non dimiseritis hominibus, nec Pater vester*, &c. vbi Dei iudicium non hominũ proponitur. sic Mald. Præterea eiusmodi promissio intellecta de hominum iudicio parui momenti est ex Paul. 1. Cor. 4. *mihi aũt pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Gregor. item l. 8. ep. 45. ad Palla. docet idem: inquit enim, *inter verba laudantium, & vituperantium ad mentem recurrendum semper est, & si in ea non inuenitur bonum, quod de nobis dicitur, magna tristitia generari debet: & rursum, si in ea non inuenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam prosilire, quid enim si homines laudant, & conscientia accuset? aut quæ debet esse tristitia, si homines accusant, & sola conscientia nos liberos demonstret?* Ita Greg.

12. Cæterùm aduerte ita Aug. ad Deum referre hoc iudicium, vt interim existimet; ideò hoc dixisse Dominũ, vt insinuaret, eum, qui temerè iudicat, simul etiã iudicãdum esse de hoc ipso iudicio temerario: huic autem iudicio non est obnoxius, qui temerè non iudicat. At non videtur id satis esse: hoc enim commune cum omnibus peccatis. qui enim adulterium committit, de hoc iudicandus est, de quo nequaquam iudicabitur is, qui non commisit: cùm tamen hic aliquid peculiare videatur Dominus comminari ijs, qui alios temerè iudicant.

13. Quare Chrysost. hom. 24. in Matt. addit, iudicandum hunc quidem esse à Deo, sed acrius, ac seuerius, iuxtà modum quo ipse alios iudicauit. Intellige verò iudicandum esse acrius non tantũ de hoc peccato, verùm etiã de aliis. Et hõ. 13. ad pop. Antioch. sic scribit: *nolite iudicare, ne iudicemini. non enim quale fuit peccatum, tale illic in futurum apparebit, sed quandam magnam, & ineuitabilem additionem à iudicio in conseruum facto accipiet. sicut enim humanus & clemens, ac mitis maiorum peccatorum grauitatẽ succidit; ita acerbus, & crudelis, & implacabilis magnum pondus proprijs peccatis apponet.* sic ille. Quod potest confirmari, quia sicut, qui alios docet, si ipsemet perpetret, quæ docendo dissuadet, grauius in his delinquit, quàm is qui docetur, ita fit in eo, qui alios iudicat, & aliorum se censorẽ constituit; vndè grauius, ac seuerius de ijs peccatis saltem, de quibus iudicat, iudicabitur, ad quod Paul. illud adiũgit Rom. 2. 1. dum

A ait, *in quo alium iudicas, teipsum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas*, nimirum inexcusabilem se reddit is, qui alium iudicat, cùm contra seipsum sententiam ipsemet ferat, atque adeò à Deo suo proprio iudicio iudicabitur.

2. *In quo enim*, &c.] Hoc idem est, ac si diceret: secundùm iudicium, quo de aliis iudicaueritis, de vobis iudicabitur. vndè tacitè colligit Hilar. non esse prohibitum omninò iudicare, sed malè iudicare, ꝙ si fecerimus, malè quoque. i. seuerè, & citra excusationem de nobis iudicabitur. Neq; hic spectandæ sunt oẽs iudicij qualitates, vt quod sit temerariũ, quod iniustũ; neque. n. si nos temerè iudicauerimus, & iniustè, ideò Deus sic iudicabit. sola igitur curiositas, seueritasque iudicandi spectanda est; qua eadem Deus de nobis iudicabit; intellige eadem proportione: neque enim eodem modo Deus præmiat, vel punit vt nos, sed longè B magis. significatur ergò hic quod, quò nos erga alios seueriores fuerimus, hoc etiam erga nos seuerior ille erit.

Et in qua] sensus est: talem se exhibiturũ Deum in retribuendo malum, aut bonum, qualem homo homini se exhibuerit, & secundùm proportionem prædictam intellige, & similitudinem.

Et hinc soluitur obiectio, quę ex Luc. c. 6. 38. insurgit: *mensuram bonã & confertam*, &c. quomodo igitur eadem remetiendũ nobis? an nõ maiore potius. Respond. si proportionẽ spectes eadem: si rem datã, maiore: id quod Rõ. 8. 18. explicat Apost. cùm ait: *non enim sunt condignæ*, &c. & 2. Cor. 4. 17. *quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Olim gentiles hanc nobis sententiam obiiciebant: quasi oppositam alteri sententiæ Christi, qua C non credentibus supplicia æterna cõminatur pro culpa tẽporali; quærebant ergò, quomodo eadem mensura futura esset, cùm altera æterna, altera tẽporalis? In promptu est responsio: si spectes durationẽ æternam esse: verùm quantũ ad intentionem finitã esse, vnaq; est acrior, aut mitior altera; & hac ratione mensurari potest, & pro demeritorũ quãtitate maior, aut minor infligi. idem de præmio, seu gloria dicendum est, licèt enim omnis sit æterna, non tamen in gradu æqualis & infinita. lege Augustin. epist. 48. & 49. ad Deo gratias quæst. 9. & lib. 21. Ciuit. c. 11. Fortè breuius dicemus Christum in his prouerbiales quosdam modos loquendi vsurpasse qui tunc circumferebantur: quare non oportet hæc nimium emungere.

3. *Quid autem vides*] expostulatio quædam est, q. d. quare tu leuia vitia proximi perspicis, cùm tua grauissima non animaduertas; similis ei, qui trabem in oculo habet, nec eam considerans totus D fertur ad festucam in oculo fratris positam cernẽdam? quod certè nõ vacat reprehensione. Primùm abs te expelle odium, & cætera vitia; deindè poteris iam eum quem diligis emendare. August. 2. de serm. Dom. in mon. cap. 30. Idem August. ser. 202. de temp. sic ait: *quid festuca, quid trabs significet videamus. subita iracundia festuca est; ira verò quæ in longum tẽpus protrahitur, dum per odium falsis suspicionib⁹ nutritur, trabs efficitur* (i. odiũ) *ergo iracundia inueterata queritur ad trabem. & qua fronte ille, qui odium seruat in corde, illum iudicare præsumit, in cuius oculo non trabem, sed festucam esse cognoscit? nam cordis oculum festuca turbat, Psal. 6. turbatus est præ ira oculus meus; trabs excæcat, 1. Ioan. 2. qui odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo vadat, quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eos. secundũ hæc ergo per subitaneam iram cordis oculus turbatur, per odium lumen Charitatis extinguitur.* Vide eundẽ ser. 16. de verb. Dom. & hõ. 9.

14.

15.

16. *Gentilium obiectio.*

17.

Quid] idem significat quod *quare*, vel *quorsum* potest ergo bifariam sumi, primũ, vt sit reprehensio quædam, quasi digni sint maxima reprehensione, qui huiusmodi vitio laborant: quomodo sumũt Hilar.can.7. Hier Matt.7. Aug.ser.17.de verb. Domini Chrys.hom.24.in Matt.Greg.p.3.pastor.c.10. vt hactenùs exposuimus. potest sumi secundò, vt non solam reprehensionem contineat, quasi malè agant, qui hoc faciunt, quia nimirum sua maiora negligentes, censores sunt minorum culparum in alijs: verùm etiam, vt significet, sine fructu vllo id facere eos, & ob id redarguat ipsos, & tunc, *quid* idem est, ac, *quorsum*.

18. *Pharisæi corripiuntur.*

Porrò refertur ea sententia ad Scribas & Pharisæos, qui cùm grauiora committerent, seueri tamẽ erant Aristarchi, & obseruatores aliorum: Verùm nullam hac censura populo vtilitatem afferebant. Nam quod fortè verbo ædificabant, vitæ exemplo destruebant; atque adeò nullius erant fidei, & auctoritatis apud eos, quos à peccatis liberare debebant. Rectè enim Hilar.can.7. scribit ex natura rerum esse, non prius aliquem purgãdę de oculo fratris festucę idoneũ effici posse doctorẽ, quã de mẽtis suę lumine crimen grauantis perfidię eiecerit.

19. *Festuca quid sit.*

Aduerte festucam vt Aug. notat ser.16.de verb. Dom. esse initium arboris, seu trabis .i. arboris nouellę, & cuiuscũq; sati pullulus, vt ait Calep. trabs enim quãdo nascitur prius festuca est; si tamen vocem græcam spectemus, quæ hic ponitur, nempè κάρφος potiùs significat breuissimã seu minimam aliquam ligni particulã. Hinc dicitur græcis κ&γρφολογία collectio eiusmodi particularum, quã Gale. recẽset inter signa phrenesis. atq; hoc modo κάρφος pulchrè opponitur trabi; at festuca iuxta eam notionem, quam docuit August. magis coniungi debuisset cum arbore.

20. *Hypocritæ dupliciter peccant.*

Interim significat in his Dominus hypocritas, de quibus loquitur, dupliciter peccare. Primùm, q̃ aliorũ vitia ad quę, quod parua sint, conniuendum esset, curiosius obseruent, & seuerius notent; dedè quod sua vitia maiora negligãt. Quod dum fit, duplex iam cõmittitur malũ. nam qui peccantem in paruis admonet, cùm ad grauiora sua vitia conniueat; & sibi ex aliena correctione falsam sanctimoniæ opinionẽ parare studet, vndè v.5. meritò hunc hypocritam vocat; deindè veritatem ipsam reddit odiosam ei, qui admonetur, & inutilẽ. ideò subdit: *aut quomodo dicis fratri tuo, sine*, &cæt. Et pòst *hypocrita eijce primũ trabẽ de oculo tuo, & tũc videbis*, &c. Ponitur autẽ v.3. bis, *Vides*] & primo loco Gr. vt & apud Luc.c.6.41. est βλέπεις, i. intueris, q.d. lynceis oculis inspicis. secundo loco Latinè quidẽ apud Luc.eodẽ v.41. est, *non consideras*, & apud Matt. *vides* (vt hic v.3. habes) at Græc. est verbum κατανοεῖν, id est, *animaduerto*, quod minus est, quam intueri, q.d. non modò non intueris, sed nec animaduertis κατανοεῖς.

21. *Peccata trabes.*

Illud ad mores facit, quod peccata *trabes* dicuntur, caue ergò illa, ne æterno, & inextinguibili igni fomenta in te suggeras; si sunt festucæ in oculo ne tolera, vt enim paruam festucam in oculo ferre non potes, ita minimam in conscientia maculam ne sperne, sed aufer.

22. 4. *Aut quomodo*] Docuit non esse temerè iudicandũ, nunc docet modũ vtiliter corrigendi proximũ, atq; adeò iudicandi, neque enim correctio fit sine aliquo iudicio præcedẽte; videtur autẽ notare Scribas & Pharisæos, nõ modo temerè alios iudicantes, sed sine fructu alios corrigentes, & impudenter notantes. Luc. habet: *aut quomodo potes dicere.* Ostendit ergò sine fructu esse correctionẽ illam, & sensus est: tantum abest, vt eiiciatis vestra correctione festucam de oculo fratris, vt nec possitis dicere sine eijciam festucam; qui enim trabem

A suam nõ considerat, difficillimè curabit ex animo verè, & syncerè, & vt debet alterius festucam eiicere, non quod absolutè non posset fieri, sed quod ardui, atque difficillimi sit negotij, vt fiat, nempè rectè, vtiliter, & bona cum intentione. similis dicendi forma habetur Matt. 12. 34. *quomodo potestis loqui bona, cùm sitis mali?* non quod absolutè non possit id fieri, sed quod difficillimum sit.

5. *Hypocrita*] Admonet, vt qui aliorum vitia notare ac corrigere volet, prius saltem aperta sua vitia curet, & tunc, inquit, perspicies, seu videbis quando scil. cum fructu id poteris efficere & syncera intentione. est autẽ græcismus *videbis eijcere*, pro *dispicies vt eijcias*. Vocat hypocritas huiusmodi homines, nempè Scribas, & Pharisæos, eisque similes, quia iustos se simulabant, alios reprehendendo, ac notando, cùm reuera iusti non essent.

B Cæterùm obserua, non propterea vacare culpa Prælatum, si alios non corrigat, cùm ipse peiora, aut similia cõmittit, quia debet seipsum prius purgare, & corrigere, vt idoneus sit, qui subditos corrigat & emendet. De Hypocritis lege Basil. Isai.1. in illa verba: *erunt vt terebinthus* &c. vbi hypocritã quercui comparat. Nazian. Orat. de funere Patris, vbi cùm meretricibus confert, quæ deformes quidem sunt, sed fucis se colorant. Matth. item 23. sepulchris dealbatis adsimilantur. Vide itẽ Grego. l. 8. mor. 24. l. 5. c. 16. Aug. epist. 64. vbi hypocrisim ex superbia esse dicit. Porrò *Hypocrita* dicitur à verbo Gr. ὑποκρίνω .i. simulo, & aduerte eum propriè hypocritam esse, qui cũ malus sit, alium corrigit, aut opus bonũ facit, vt iust⁹ videatur, & appareat, quales erãt Scribæ, & Pharisęi, qui vt dicitur Mat. 23. *omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus*, qui etiã alios acriter de minimis reprehendebant, vt se iustos ostenderent; quare, qui cùm malus sit alios reprehẽdit, nisi eo opere ostẽdere velit se iustum cum nõ sit, non est hypocrita. Itemq; is, qui ob humanam laudem bonũ opus facit, ambitiosus est, non hypocrita, nisi id faciat, vt iustus appareat, & occultet, quod verè est. sic August. ser. 59. de temp. *quicumq;*, inquit, *vult se videri quod nõ est, hypocrita est.* Et posteà: *ex quibus omnibus intelligitur hypocritas esse, qui faciunt quodlibet, vt ab omnibus glorificentur. Mihi videtur & ille hypocrita esse, qui dicit fratri suo, dimitte, vt tollam festucã de oculo tuo, propter gloriam hoc faciens, vt ipse esse iustus videatur; vndè ei à Domino dicitur hypocrita, eijce prius trabẽ de oculo tuo; non itaq; viri⁹, sed causa virtutis mercedẽ apud Deũ habet.* Idẽ habet lib.2. de ser. Dom. c.30. An verò qui in peccato est, possit ac debeat peccantem corrigere, vide in Theor.1.

23. *Hypocrita vnde dictus.*

24. *Vide Aug. de adulterinis cõiu. l.2.c.27 & ser.74. de temp ser 41. de dim. & lib.2. de ser. Dom. c. 31. Chrys. 1. de compunct. Basil. q 250. cõpend. & Greg. 1. Reg 5 sub finem, in ea verba: ne interficiat nos cum populo nostro. & 34. Psalm. c.5. Quid per porcos & canes intelligendum.*

6. *Nolite dare*] quæ horũ cum superioribus connexio? quidam cũ Aug. l.1. de ser. Dom. sic nectunt, D quia Dominus Matt. 6. 23. simplicitatem docuerat illis: *si oculus tuus fuerit simplex*, &c. nunc prudentiam docet, *nolite sanctum*, &c. sicut alibi Matt. 10. 16. *estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Alij inter quos est Iansen. quoniam, inquiũt, de aliorum correctione meminerat, monet nunc, ne vbi nulla proficiendi spes affulget, correctionem adhibeant, sic etiam Strabus. Cæterùm arbitror potius, hæc ad ea pertinere, quibus superiùs Doctores instruebat. Neque enim, vt superiùs dixi solliciti sunt Euangelistæ ea, quę Christus docuit suo prorsus ordine referre, sed pro vt in mentem veniebant. Verùm in his non moror.

Neque mittatis margaritas vestras ante porcos] Quid per *sanctum* & *margaritas* intelligat, quæritur hic? D. Hieron. scribit; esse qui per porcos, infideles, per canes Christianos, qui post receptã fidem ad vomitũ reuertissent, intelligant. Contra Chryso. & Euthy. canes, infideles, porcos carnales Christianos intelligunt. nam & Christus infideles

canes vocat, cùm dicit, *non est bonũ sumere panem filiorum, & dare canibus*, Matt. 25. 26. Mihi Augustinus placet opinio, idem per *sanctum*, & *margaritas*, & per *canes*, & *porcos* significari, sicut apud D. Petrum ep. 2. c. 2. 22. idem duplici metaphorico prouerbio altero canis, altero porci significatur: *tanquam canis reuersus ad vomitum suum, & tanquam sus lota in volutabro luti.* Aut si quid est differentiæ, per *sanctum* omne mysterium; per *margaritas* quæ inter mysteria maxima & quasi pretiosissima sunt intelligi oportere. Per canes aũt, & porcos duo hominum, siue fidelium genera notari, quibus tradenda mysteria nõ sunt, eos qui tantũ contemnunt, vt canes nihil inter sanctũ, & prophanũ discernẽtes: & eos, qui non solũ conténunt, sed insuper irritantur, & magis nocent, vt porci. Vel potius eosdem vocat canes & porcos, primùm generatim ob immunditiã oẽs illos, qui immedicabili tenẽtur impietate: speciatim verò canes, quod veritati oblatrẽt. porcos, quod diuinis rebus fœdissimas carnis & mundi voluptates præponant. solet enim porcus lutum margaritis præferre. Hanc etiam pluribus explicationem doctè confirmat Maldo.

26. His certè quoque, qui vel ad sacra Dei mysteria accedunt immundi vt sues; vel rabidi vt canes; vel etiam aliis administrant Ecclesiastica sacerdotia & dignitates, vel etiam ipsa sacramenta quibuscumq; passim indignis, rectè conuenit illud quod Heli dictũ est à Deo 1. Reg. 2. 29. *quare calce abiecisti victimam meã, & munera mea quæ præcepi, vt offerentur in templo?* hoc nimirum est margaritas ante porcos proicere, & sancta canibus dare; sancta, id est, diuina, dicũtur fidei mysteria, & sacramenta; margaritæ etiam sunt ob pretiosa dogmata veritatis, quia sicut margaritæ inclusæ conchis, positæ sunt ac latent in maris abdito ac profundo; sic diuina fidei nostræ mysteria, in verbis, adde vel signis & allegoriis quibusdam posita sunt, in altitudine sensus sacrarum Scripturarum, vt auctor imper. ait: & vt Aug. l. 2. de ser. d. 31. dicit: vt margaritæ, quæcunque spiritalia, magni æstimanda sunt, & quia in abdito latent, tanquam de profundo eruuntur, & allegoriarum integumentis quasi apertis conchis inueniuntur; lege Gregor. in com. in 1. Reg. 5. sub finem, & 3. p. Pasto. c. 5.

27. *Ne forte, &c.*] quidam duas has partes sic accipiunt: vt prior, scil. *conculcent* ad porcos pertineat; posterior scil. *dirumpant* ad canes, vnde quidam Codices latini habẽt, *& canes conuersi diriũpant vos*, cùm tamen vox, *canes*, non sit aut in Græcis, aut in Latinis codicibus emendatioribus. & quidam vertit: *nequando hi conculcent eas pedibus suis, & illi versi in vos lacerent vos*, addentes de suo pronomina *hi*, & *illi*; Quare potest etiam totum hoc & ad porcos, & ad canes simul referri. nam & conculcatio & laceratio etiam porcis, non modò canibus competit; sæuiunt enim apri, & vniuersim porci in eum, qui cibum porrigit impetum solent facere, & nisi iaciat, disrumpere.

28. *Vide in hũc locum Chrysost. hom. 22. in epist. ad Heb. & hũ. 1. P. 9.*

7. *Petite*] adiumenta nunc etiam ostendit ad acquirendam perfectionem, & primùm orationem assiduam. Augustinus tria hæc, petere, quærere, pulsare opinatus est non idẽ significare l. 2. de ser. Dom. verùm l. 1. retr. cap. 19. hanc opinationem exuit: & meritò quia hac verborum accumulatione exaggeratio insinuatur, qua nos velit Deus instãtes esse in oratione, sicut Paul. ait 1. Thess. 5. *sine intermissione orate.* Est igitur ἀδιαλείπτως hebraica: commendat enim tribus istis vocibus fidentem, instantem, & ardẽtem precationem. Nam *petere* fiduciam, *quærere* diligentiam, pulsare *ardorem*, & perseuerantiam significat. Nam quis est qui petat, qui non cupiat id quod petit, & impetraturum se cõfidat; qui quærit cæteris omissis in id tantùm quod inquirit

A diligenter incumbit, vel intendit. At qui crebrò pulsu ostium ferit, ardens desiderium ostendit. Augustinus l. 12. conf. c. 1. ait: *Petite & accipietis &c. promissa tua sunt, & quis falli timeat, cùm promittit veritas.* Vide item l. 2. de ser. Dom. in mon. c. 33.

Vt ergò habet Chrysostomus per hæc quæ adiecit: *quærite & pulsate*, non obiter postulandũ esse docuit, sed sedulitate multa, & magna patientia, frequẽtique pulsu. & certè sic omnibus persuasum est, nihil ferè dari, nisi petentibus, nihil inueniri, nisi à quærentibus, nec aperiri ostium, nisi pulsantibus. sic enim vulgò dici solet. Quam consuetudinem respiciens Dominus dixit: cùm maxima sint quæ à Deo expetẽda sunt bona; par est vt illa ab eo petatis summo desiderio, sedulò quæratis, pulsetis ardenter, & pertinaciter. Irenæ. l. 2. c. 18. 26. 53. ostendit, quod hæretici hoc loco abuterentur.

8. *Omnis enim*] generales huiusmodi sententiæ, B ac affirmantes promissiones non sunt simpliciter, & sine exceptione intelligẽdæ. Itaq; qui ita petit, vt debet, accipit; quæ autem requirantur, vt omninò impetremus alibi, Christo auspice, trademus, interim lege D. Thom. 2. 2. qu. 83. a. 15. ad 2. Abul. Mat. 7. q. 15. D. Basil. constit. monast. c. 2. Augustinus in 1. Ioã. c. 3. in illa: si cor nostrum, &c. & tract. 73. in Ioan. in Psal. 59. Euthy. Matt. 7. vbi ait, qui petit, nec accipit, aut indignè petit, aut non perseuerat, aut tepidè petit. 29.

9. *Aut quis est ex vobis*] fiduciam nobis insinuat, & animat ad petendũ, quod, quæ orauerimus, exoraturi simus; idq; ex similitudine parentis terreni, qui cùm non nisi bona filiis suis terrenis dare nouerit, multò magis Pater cælestis petentibus se filiis dabit, non fortassè ad eorum semper voluntatem, quod aliquando non dare, sed perdere esset, verùm ad eorum vtilitatem. 30. *Vide Aug. 2 qq. euangel. 22.*

Panem lapidi ob similitudinem coloris, & formæ opponit; vndè Diabolus dixit: *dic vt lapides isti panes fiant*; pisci verò serpentem eadem ratione. Porrò iis ostendit non solum Deum petentibus opem esse laturum, sed bona etiã daturum, panem, non lapidem, piscem, non serpentem. sic Chrysost. hom. 24. Auctor imperf. 18. C

11. *Cùm sitis mali*] mali sumus, vel Dei comparatione, non natura iuxtà Chrysost. in hom. vel naturali procliuitate, vt Hiero interpretatur; vel etiam moribus, & voluntate. 31. *Vide in hunc locum Aug. ser. 5 de ver. Dom. & Vegam l. 11. c. 34.*

Nostis] Consueuistis, vt sol cognouit occasum suum, Psal. 103. 19.

Quanto magis Pater] Patrem patri, cælestẽ terreno, Deum homini, bonitatem nequitiæ comparat, vsus argumento à minori ad maius.

12. *Omnia ergò*] vel hæc pars dictorum epilogum continet. Dixerat, inimicos vt diligeremus, essemus misericordes erga alios, non iudicaremus temerè, libenter petentibus daremus; nunc hortatur, omnia illa faciamus, sicut nobis fieri vellemus. vel certè docet hic modum quæ petimus impetrandi: si alijs fecerimus id quod nobis ab illis fieri volumus, sic Aug. l. 2. de ser. Dom. quod mihi maximè probatur. D

Hæc est enim lex] q. d. hoc principio summa omnium, quę in Lege, & Prophetis sunt, continentur. Porrò legem quinque libros Moysis, Prophetas reliquos omnes appellauit Hebræorum more, hoc est totum vetus Testamentum. Obseruandum est de ea hic agi dilectione proximi, qua proximum nec propter nos, nec propter illum, sed propter Deum diligimus, quod qui facit, Deum magis diligit. Confirmantur hæc Rom. 13. 8. 10. ad Gal. 5. 14. & c. 6. 2. quibus locis ostenditur vnico præcepto de proximo diligendo totam legem contineri. 32. *Vide Aug. l. 14. in c. 8. & Hiero. ad Celantiam. Chrysost. hom. in Psal. 5. & hom. 13. ad pop. Antioc. Greg. lib. 6. moral. c. 16. & lib. 10 c. 4. & l. 19. c. 13 & hom. 38. in euang.*

13. *Intrate per angustã portam*] docet secundũ adminiculũ ad perfectionẽ sci. conatũ, & cõtentio-

nem

nem proficiendi,& ſuperādi omnes difficultates. Chryſo.opinatur idē per anguſtam portam,& arctam viam intelligi. Alij malunt per viā præcepta, per portam præceptorū finem .i. ingreſſum in regnum cęlorū intelligere. Cùm enim portam tenemus, finem vię tenemus. Gagnæ. melius, per anguſtam, inquit, portam, & arctam viā difficile ab initio virtutis iter intelligit, quæ rariſſimè vulgᵒ incedit. lata aūt porta, & ſpatioſa via, voluptatis via eſt, quo ſe penè oēs cōiiciunt. Vult ergo Chriſtus nō vulgi, ac plurimorū lata via voluptatis, quę ad interitū ducit ſuos incedere, ſed paucorū & ex virtute degentiū, anguſtam virtutis portam intrare, & arcta via incedere; vide Hieron. ad Colan. Baſil. q.40.& 41. compen. reliqua in Theor. 3.

33. *Lege Chryſ. hom.11. ex var. in Mat. Tertul. de præſcript. pa.5 Vincentiū Lyrinen. Prophetæ apud Iudæos qui.*

15. *Attendite à falſis*] Tertium nunc ſtatuit adiumentum perfectionis, electionē ſcil. bonorum magiſtrorum. Per falſos Prophetas non oēs hypocritas, ſed falſos tantum doctores, nempè hæreticos intelligit; Prophetarū .n. nomen apud Iudæos nō tantum ad eos, qui futura prædicebant, ſed etiā qui legē Dei, & virtutis viā docebant, ſignificabat. de hæreticis explicant hunc locum Theophyl. D. Thom. Lyran. Abul. Ianſen. Theodore. l.3. Hæreti. fab. in prol. author imper. Tertul. l. de præſcr. c.4. & alij. Confirmatur expoſitio hæc, q̄ iſti doctores Pſeudoprophetæ, ſeu falſi Prophetę dicūtur, quod verba falſam doctrinā docentes, videntur ſignificare. Falſi enim Prophetæ ſunt, qui vera prędicendo, falſa ſuadent, nec à Deo miſsi ſunt, de quibus inferiùs v. 22. *multi dicent in illa die Domine, Domine in nomine tuo prophetauimus. Attendite*] .i. cauete. *Veniunt*] non mittuntur, hoc proprium hæreticorū eſt, miſſionē à legitimis prælatis Eccleſiæ, non expectare, ipſi ſe ingerunt, ſuperbia, ambitione, cacodęmone ſtimulāte, hinc Hiere.23. *non mittebam Prophetas*, inquit Dominus, *& ipſi currebāt, non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.*

Proprium hæreticorū.

In veſtimentis] *in*, pro *cum*, ouium ſimulantes probitatē verbis, & operibus extrinſecus factis. His enim fingunt veras ſe eſſe oues. vel per veſtimenta ouiū, intellige eos, qui veniunt habitu paſtorū, vt populum docēdo decipiant. ſolent enim paſtores ouinis veſtiri pellibus; rectè aūt doctores paſtorum voce ſignificantur: quod rectè quadrat in hunc locum, vbi de falſis Prophetis ſermo eſt.

34. Chryſoſt. *Catholici*, inquit, *doctores etſi peccatores, non lupi rapaces; non enim propoſitū habent perdere Chriſtianos*; vnde colligitur maximè hic de hęreticis doctoribus agi. Paul. Acto. 20.28. monet, vt caueamus ab his lupis; *attēdite*, ait, *vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipſis exſurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe.*

35. *Copus diſt. 6.c.24. 25.*

16. *A fructibus eorum*] Quid per fructus intelligat ex v.18. colligetur. *Nunquid colligunt*, &c.] ſignificat verò à fructibus diſcerni poſſe falſos doctores, eosq; non eſſe tales, vt fructus boni, ab ipſis colligantur; ſicut homines nō colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus. Norunt .n. tales fructus non facere; rectè aūt ſpinis, & rubis comparat, quia falſorum doctorum, & hæreticorum cōuerſatio nocet ob peſsimum exemplum eorum, ſicut ſpinæ, & rubi contrectantes pungunt, ac dilacerant. & ideò Matth.23. monemur, *ſecundùm opera ne faciatis.*

Fructus hæreticorum.

His accedit, quod rubus & ſpina à maledicto obnoxia propter peccatū terra initiū habuere Gen.3. *maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi*, nimirum non vt antea paucas, & paucis locis, ſed copioſè, paſsimq; ſentes, & plantas noxiales progerminabit. nam ſpinę, & malæ plantæ etiā antè peccatum fuerunt, ſed pòſt multiplicatæ. Rectè igitur per hæc homines peccatis deditī ſignificātur: ſicut per ficū, & vuam egregia opera ſuauiſsimum intra ſe ſaporem continentia.

Nunquid colligunt] Aug. l.2. de ſer. Dom. c.37. refert vocem illā, *colligunt*, non ad ipſos malos homines, ſed ad eos, qui illos audiūt, & cū eis verſantur. Quod ſi quando fructū afferunt, quia ſcil. ſua prædicatione proſunt interdū, non illis tribuendum eſt, ſed diuinæ prouidentiæ, quæ ſic decreuit, vt à vite ſcil. per ſpinas vua colligeretur, ſicut qui mitteret manus per ſpinas, & à vite colligeret vuas; vitis verò nomine iuxtà hanc Auguſt. comparationem, veritas aliqua Dei eſt, quæ ab illis profertur; Breuiter, ſiquid fructus à falſis Prophetis colligitur, illud non illis tribuēdum eſt, ſicut nec ſpinæ de ſe proferunt vuas; Quanquam etiam ex malis illorum fructibus pij quidam homines nouerunt ſibi bonos colligere fructus. 36.

17. *Sic*] Interl. ſcil. vt de ſpinis non colliguntur vuæ.

18. *Non poteſt arbor*] Hæc ſententia repetitur Matt.12.33. & Luc.6.43. ſed non eſt omninò idē teſtimoniū in illis & hoc loco Matt.7. ſed diuerſum, & alia prolatū occaſione. nam apud Luc. ponitur doctrina generalis ad cognoſcēdos omnes hypocritas. Apud Matt.12. ſtatuitur cōtra illos, qui peccantes contra Spiritum S. Chriſti miracula dęmoni adſcribebant. Hic verò Matt.7. datur vt ſignum ad cognoſcēdos falſos dumtaxat Prophetas. Rurſus apud Luc. ſpinę opponūtur ficubᵘ, & rubi vuis. Apud Matt. contra ſpinæ vuis, & tribulæ ficubus. Iterum ea quæ ſcribit Luc.c.6. in hac ſententia referenda, ſcribit Matt. ferè c.12. neceſſe eſt igitur, vt quæ ſcribuntur Matt.7. diuerſa ſint ab his, quæ ſcribuntur Luc.6. vel etiā Matt.12. Quare rectè Euthy. colligit diſtinctos eſſe ſermones Matt. & Luc. diuerſis locis, temporibusq; habitos; alijs item, & aliis audientibus, quamuis multa ſint eadē in vtroque ſermone. Quod vel hinc maximè cōfirmatur, nam hanc ſententiā, quam præmanibus habemus connectit Lucas præcedenti, in qua contra hypocritas dictū eſt, vt eiecta primùm trabe, &c. feſtucam de oculo proximi educant; quod manifeſtum eſt ex particula cauſali enim; Apud Mat. verò longè diuerſæ ſententiæ, & propoſito connectitur, nempè vt falſos Prophetas ex fructibus diſcernamus. De cap. verò 12. Matt. alibi. 37.

38. *Per arbores bonas & malas quid intelligendum.*

His poſitis Matt.7. per arbores bonas, vel malas, non intelliguntur hic parabolicè voluntates hominū bonæ, vel malę, vt fortè c.6 Lucæ, & c.12. Matt. ſeu ipſi homines mali, vel boni; ſed parabolicè .i. ſub parabola, vel ſimilitudine arborū accipitur hic doctrina vera, vel falſa vel ipſi potius homines, quatenus videl. docent ſanā, aut corruptam, aut perniciosam doctrinā. Vult .n. nos Dominus hic inſtruere, vt caueamus à falſis Prophetis, qui veniunt ad nos in veſtimētis ouiū, intrinſecus aūt ſunt lupi rapaces. Docet aūt ex fructibus poſſe dignoſci, lupine ſint, an paſtores. i. hæretici miniſtri, an Catholici Epiſcopi. Conſtat aūt ex operibᵘ ipſorū hominū, qui nos docent, non poſſe cognoſci omninò doctrinam, cùm opera interna non videantur, externa autē ſint communia vtriſque; & propterea cōparentur veſtimentis ouium quibus lupi quoque ſe contegunt, quare Dominus, quia ſciebat non poſſe diſcerni doctrinam ex opere, cùm ſæpè mali bona, ac vera doceant; dixit id quod habet Matt.23.93. *quæ dicunt facite, ſecundū autem opera illorū nolite facere.* Propterea ergo non dixit etiā hic ex operibus Pſeudoprophetas internoſcēdos eſſe, ſed maluit dicere ex fructibus cognoſci debere: quamuis vt mox declarabo, etiam ex

operibus

operibus eorum intelligi queat, non loqui eos tãquam ſpiritu Dei plenos, vt ſe fingunt eſſe. ſed antequam hæc declarem, moneo prius dixiſſe me hoc nu.38. paulò ſuperiùs intelligi per arbores bonas vel malas, doctrinam veram, vel falſam, & addidiſſe, vel ipſos homines potius, quatenus ſanã, aut corruptam doctrinam docent. Nam veluti de hominibus loqui videtur Chriſtus potius, quã de doctrina ipſa. dicit enim ex fructibus eos ſcil. homines cognoſci, & poſtea dicit arborem malã excidi, & in ignem mitti, quod hominibus ipſis conuenit. Quanquam ſi doctrinam dixeris, eodẽ cadit res, dummodò doctrinam nõ ſumas per ſe, (ſic.n. aliquo modo fructus eſt, vt dicam, vndè doctor falſus deprehendatur) ſed cum doctore in quo inhæret, ſeu pro vt eſt in docente. Vult igitur Dominus hic Matt.7. vt ex fructibus Pſeudoprophetarum de ipſorum doctrina, atq; adeò de ipſis doctoribus cognoſcamus, vera ne ſit, an falſa, lupine ſint, an oues: & ideò videndum eſt, quinam ſint iſti fructus.

39. *Fructus malorum doctorum ſeu hereticorũ.*

Omnino fructus horum doctorum triplices eſſe poſſe videtur; ipſamet doctrina, ſecundũ ſe ſpectata, ſeu vt ad auditores peruenit, & in illis eſt; deindè sũt & alij fructus cõnexi cum doctrina, tanquã eius partus venenati, ac viperei. Poſtremò ipſa mala opera, quæ virtutibus opponuntur; Hæreticus namq; ex ipſamet doctrina cognoſcitur, dum habitu quidẽ externo ſanctimoniam præſeferens occultas hæreſes diſſeminat, vel in vulgus etiã iactat ſubdolè, ac latẽter; ſub Chriſti nomine videl. Hoc verò ſignũ erit hominis hæretici, cùm ea doctrina animaduertetur ei repugnare, quæ in Sacris Scripturis repperitur, & ab OEcumenicis Concilijs, ac Sanctis PP. traditur. *Nolite*, inquit Ioã. hoc iudicium aſsignans epiſt.1. c.4.1.2.3. *omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt. Quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundũ, in hoc cognoſcitur ſpiritus Dei. Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt, & omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum ex Deo nõ eſt, & hic eſt Antichriſtus.* Idem ſignũ aſsignat & Paul. ad Gal.1. 8. *ſed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit: ſicut prædiximus, & nunc iterũ dico: ſi quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.* Hinc Theodoret.l.3.hære. fab. in prolo. *impia*, inquit, *dogmata per ſe ſufficiant ad ſuũ patrem oſtẽdendum; ex fructu enim, ait Dominus, arbor agnoſcitur.* Vincentius item Lyrinen. ſic ſcribit: *ait Saluator, ex fructibus eorũ cognoſcetis eos. i. cùm cœperint diuinas voces exponere, & interpretari, tũc rabies intelligitur, tunc virus exhalabitur, tunc ſcindi ſectam videas, Catholicam fidem cædi, Eccleſiaſticum dogma lacerari, &c.* rectè hæc, quia proprius Prophetæ fructus, doctrina eſt.

40. Fructus verò, qui ſunt doctrinæ partus, hi ſunt, quos numerat Bern. ep. 240. ad Hildefonſum Comitẽ: *baſilicæ ſine plebibus, plebes ſine Sacerdotibus, Sacerdotes ſine debita reuerentia ſunt, & ſine Chriſto deindè Chriſtiani, Eccleſiæ Synagoga reputãtur, ſanctuarium Dei Sanctũ eſſe negatur, Sacramenta non Sacra cenſentur, dies feſti, feſtiuis fruſtrantur ſolemnijs; moriuntur homines in peccatis ſuis, rapiuntur animæ paſsim ad tribunal terrificum;* heu, nec pœnitentia reconciliatæ, nec ſacra cõmunione munitę; paruulis Chriſtianorũ Chriſti intercluditur vita, dum baptiſmi negatur gratia, &c. quæ, & multo plura partus ſunt peſtiferę horũ Pſeudoprophetarum doctrinæ, repugnantes ac omninò contrarij fructibus, quos vera Catholicaq; doctrina parit: doctrina.n. Catholica ex ſe obedientiam, pacem, concordiam animorũ, reuerentiam erga Patres, ac maiores gignit: cùm hęretica doctrina quaſi naturaliter diſſenſiones pariat, ſectas diſſeminet, gignat contumaciam, licentiæ viam aperiat, contemptum maiorum, & ſexcenta id genus alia mala in reſpublicas inuehat.

A

Denique & tertij generis eorundem malorum Doctorum fructus, ſunt mala opera virtutibus contraria; quæ ſi penitùs introſpexeris, cùm hæretici toti videri velint ſpirituales, & cęleſtes, neminem eorũ inuenies, qui à recta fide & Eccleſia, ad ſuum ipſorum, vt vocant, Euangelium trãsfugerit, quem non aut ambitio, gloriæq; cupiditas pertraxerit, aut auaritia impulerit, aut libido incenderit. Profectò inquit Gagnæ. (vt ex capite ceteros diſcas) *quæ Lutheri legislatoris noui Sanctimonia fuerit neſcio, niſi quod ſanctimonialem Virginẽ à ſe ſeductam conſtuprarit, ac in vxorem duxerit; quo non magis horrendum facturus eſt Antichriſtus cùm venerit: cæteriq; euangelij ſui promulgatoribus, vt idem facerẽt auctor fuit; nam qua fuerit modeſtia, virulenti eius libri docent, blaſphemijs ac ſtercoribus referti, vita ſpurciſſimè ducta prædicat, mors denique infamis abundè teſtatur.*

B

Igitur hi ſunt fructus triplices, quos hic intelligit Dominus; quod ſi dicas contra iſtos tertios fructus, multos eſſe doctores Catholicos nõ Pſeudoprophetas, in quibus tamẽ cernere ſit iſtos tertij generis, eoſdẽ fructus virtutibus cõtrarios, nõ igitur ex his cognoſci poterunt Pſeudoprophetæ? Ad hoc Reſ. oẽs Doctores quorũ fructus ſunt mali, ex hoc ipſo deprehẽduntur, eſſe mali; ſed falſi Doctores tũc eſſe deprehẽdentur, inquit Ianſ. cùm hi, q nouã doctrinam aliquã afferunt, iactant eã proficiſci à ſpiritu, aut ſe Sanctos fingũt, & afflatos Spiritu S. eam doctrinã proferre: cùm tamen doctrina eorũ & vita plenè cognita, inueniatur veritati, & virtuti eſſe cõtraria, ac proindè nõ profecta à Spiritu ſancto, nec à Sanctis viris ſpiritu Dei plenis. Itaque ex falſitate quę inuenitur in eorum doctrina cum Scripturis pugnante, & Eccleſia; deprehẽduntur falſi doctores, & rurſum ex mala vita cognoſcentur non eſſe afflati Spiritu S. nec ſolidam, aut veram habere ſanctitatem, quemadmodũ gloriantur; Neque enim hic Dominus voluit ſignum afferre, quo internoſci valeant veri omnes Doctores, ſi per *fructus* opera ipſa ſpeciatim accipiamus; ſed quo dumtaxat veri ne ſint illi, an falſi prophetæ qui ſe Spiritu Sancto afflatos ſimulant, prædicant, venditant, cùm Diaboli ſpiritu verè pleni ſint; ex quo noua quædam, & inaudita proferunt: hoc enim mala opera eorum teſtantur.

C

18. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere*] Iterùm circa eadem verba non parua occurrit dubitatio, inquiet enim aliquis nonnè & boni & Catholici doctores malum aliquod aliquando committunt? An non etiam improbi, ac falſi aliquid boni interdum faciunt? quomodo igitur quadrat bonæ ac malæ arboris ſimilitudo, cùm illa non poſsit malos, hæc nõ poſsit bonos fructũ gignere.

D

Equidem ad hanc obiectionẽ iuxta noſtram interpretationem de veris ac falſis Prophetis, quos per arbores bonas, vel malas parabolicè diximus intelligi, nõ admodũ difficilè reſpõderi poſſe arbitror: tum quia in parabolis non ſingula conuenire & aptari debent rei cui applicantur; tum quia cùm ſuperiùs triplices diſtinxerimus Pſeudoprophetarum fructus quibus oppoſiti etiam alij tres intelligendi ſunt, proborum, & Catholicorũ Doctorum, facilè erit intelligere quod attinet ad duo prima fructuum genera, Pſeudoprophetas nõ poſſe bonos afferre fructus, prioris, vel poſterioris generis. nec veros, ac Catholicos poſſe malos eorundem generum. ſemper enim doctrina Catholica ſcripturis cõſonat, & Eccleſiæ, ſicut ſemper hæretica repugnat qua hæretica. Iterumq;

ſemper

semper ex illo pax, obedientia & cætera huiusmodi nata sunt sequi. Contra verò ex hæretica, qua hæretica sectæ, dissensiones, strages, ordinis perturbatio consequuntur, tanquam fructus cum illa connexi. At si de tertio fructuum genere verba faciamus, malis scil. operibus aliis [illegible]biectio hæc difficilem videtur habere soluti[illegible]n. nam & Catholici doctores, & malos huiusmodi fructus, id est, mala opera habere possunt vel facere; itemque Pseudoprophetas non repugnat bona aliqua edere; quomodo ergo bona arbor non potest malos fructus facere, & mala bonos? & quomodo ex his fructibus Pseudoprophetæ cognosci queunt? sed quòd attinet ad hoc secundum paulò antè ex Lanse, responsum est n. 38. & 42.

44. Tribus autem modis responderi potest ad primum; sunt enim qui affirment Dominum noluisse significare arborem bonã non posse facere vllũ fructum malum, sed nõ posse facere oës, aut plurimos fructus malos; sic arborem malã non posse facere oës, aut plurimos fructus bonos, sed vt plurimum facere fructus malos, quod benè quadrat in arbores. experimur enim in veris arboribus id euenire, vt arbores bonæ semper aliquos bonos fructus ferant, quamuis interdum aliquos aut nõ perducant ad maturitatem, aut à vermibus corruptos, ac per hoc malos gerant; arbores item malæ. i. putridæ. i. nimis antiquę, & carioſæ (id enim significat vox Græca σαπρὸν ξύλον) non tantum producunt multos fructus malos, & corruptos, sed etiam aliquos integros, & bonos. Nec disputo an oës huiusmodi arbores sint eiusmodi, satis est reperiri arbores bonas, quæ malum interdum fructũ producant, & malas, quæ bonum, ne quis mihi hic obiiciat spinas & tribulos & id genus alias.

45. Respondent secundò alij cum Augu. l. 2. de actis cum Felice Manichæo cap. 4. per *arborem* intelligi actualem voluntatẽ bonam, quæ dicitur charitas, & malam, quę dicitur cupiditas, vel si mauis ipsos homines vt operantur vel ex charitate, vel ex cupiditate. Atq; ita fatemur arborem malam. i. siue cupiditatem, siue hominem potius, vt operatur ex cupiditate non posse facere nisi malos fructus; sed non sequitur propterea opera omnia hominis etiam peccatoris esse peccata, neque enim semper ex cupiditate operatur, sed ex bono naturæ interdum, & tunc certè facit opus bonum morale. Eodem modo vir iustus facit quandoq; opera mala, id est, peccata venialia, neq; tunc operatur ex charitate, sed ex corruptione dumtaxat naturæ.

46. Postremò dicere possumus: per *fructus bonos*, quos nõ potest facere arbor mala, intelligi opera meritoria vitæ æternæ: per *fructus malos*, meritoria mortis æternæ, per arborem bonam doctorem bonum, per malam Pseudoprophetam. Hos enim malo intelligere hoc loco, quàm hominem ipsũ, vel peccatorem. Hæc expositio est August. lib. 1. in Iulianum cap. 3. & lib. de gratia Christi c. 18. & 19. vide etiam eundem in Enchir. c. 15. & contra Adimantum c. 26. vbi hanc sentẽtiam etiam exponit. Hæc mihi solutio maximè omnium placet: nam secundùm Scripturæ morem fructus boni non dicuntur nisi opera salutifera, de quibus Ioan. 15. 5. *qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multũ, quia sine me nihil potestis facere*. Rom. 6. 22 *habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam*. ad Galat. 5. fructus spiritus sunt, &c. ad Ephesios quinto, *fructus lucis est in bonitate*, &c. cæt.

47. Docet hic Maldon. multos errores ex hac arbore bona, vel mala natos esse; vnum referam, quia facit ad intelligendum magis loci huius sensum. Dicebant Caluiniani non posse hominem operibus iustificari, sed iustum declarari, atque cognosci, neq; enim fit arbor bona quia facit fructus bonos, verùm quia bona est, bonos fructus facit. Ex fructu sanè bono tantum bona esse cognoscitur. Cæterùm si iustis operibus iusti non efficimur, sed declaramur tantum, vt nebulones isti aiunt; ergò iniustis operibus non efficiemur iniusti, quia arbor mala non fit mala ex fructu malo, sed mala esse cognoscitur. Quare fit Adamũ, qui bona à Deo arbor factus erat, peccare non potuisse, quia non potuit arbor bona malos fructus facere; quod si peccauit non fuisse tamen, iniustè agendo, factum iniustum: quia arbor ex malo fructu mala esse cognosci potest, mala fieri non potest. Vide in quæ absurda perfidi isti incidant. discant ergò quod ignorare videntur: hoc interesse inter naturales & morales causas: quæ illæ non ex bono, vel malo effectu bonæ vel malæ fiunt, sed quia bonę, vel malæ sunt, bonum & malum effectum habent; istæ, non quia bonæ vel malæ sunt, benè vel malè agũt; sed etiam quia benè vel malè agunt, bonæ vel malæ fiunt; nec enim tantum quia temperantes sumus, viuimus temperanter, sed etiam temperanter viuendo, temperantes efficimur. Arbor caussa naturalis est, homo moralis. neque verò requirendum est, vt omnibus in rebus Arboris parabolica similitudo homini cõueniat, vt infinuauimus numer. 43. satis est vtramq; ex fructibus cognosci. Postremò constat arborem malam dici respectu vsus hominis, non ratione naturæ.

Caluiniani errant circa

Discrimen inter naturales & morales causas.

48. 21. *Non omnis qui dicit mihi*, &c.] Hilar. & Hieronym. in com. Augustin. lib. 2. de serm. Dom. ad solos Prophetas referri dicunt, de quibus internoscendis hic agebatur, qui non ex verbis, quamuis nomen Domini semper ore verſent, ac terant: sed ex fructibus sunt iudicandi, & factis q. d. nolite credere omnibus, qui dicunt mihi *Domine, Domine*, multi enim id mihi dicunt, qui tamen non intrabunt in regnum cælorum, quoniam falsi Prophetæ sunt.

Calumniantur Aug. Hil. Hier. Ambr. &c.

Hic admonere lectorem obiter volumus cum Gagnæ. ne sibi fucum fieri sinat ab hypocritis hęreticis specioſa illa vocabula Christi, fidei, charitatis semper in ore gestantibus, & quibus ab aliis facilè discreueris eos. non omnis enim qui mihi dixerit Domine, Domine, &c. est tamen generalis sententia hæc in omnibus malis Christianis.

Domine Domine] significat consuetudinem hæc repetitio, ac frequentationem, vt fit sensus, non omnis qui dicere solet, non omnis qui dictitat mihi *Domine Domine*. Hæc quidam ad preces referunt, quibus orantes Christum Dominum vocare soleant. Alij ad fidem vt Hieron. Euthym. Theophyl. q. d. non omnes qui fidem habent saluos futuros: sed melius est ad verba, & consuetudinem loquendi referre, quod scil. de Christo ita loquantur, quasi in illum credant; & ob id *Dominum* appellent. Agitur enim præsertim de falsis Prophetis, qui veram non habent fidem, licèt eam dissimulent.

Sed qui faciunt voluntatem] Hinc Chryſost. & Theophyl. colligunt eandẽ esse Patris, & filij voluntatem; alioquin meam debuisset dicere voluntatem. Præmiserat enim *non omnis qui dicit mihi Domine Domine*. Patris autem potius dixit, quàm suam, quia id auditoribus gratius, & minus habẽs inuidiæ, & quia vbique se quasi vt legatum Patris gerit; patri verò vbique personam legislatoris tribuit.

22. *In illa die*] celebri scil. & expectata, nempè iudicij die.

In nomine tuo]. i. virtute, seu auctoritate tua. Chryſo. in nomine Christi, sed in spiritu Diaboli. *Prophetauimus*] diuina, mysteria explicauimus. *Virtutes*] miracula.

Obijciunt Hier. & Aug. neminem posse dicere Iesum nisi in Spiritu S. 1. Cor. 12. 3. qui ergo fit, vt possint non solùm dicere *Domine, Domine*. Sed etiam in nomine Christi miracula facere, qui Spiritum S. non habent? Respondent: *dicere Iesum*, ibi significat factis, non verbis tantùm dicere, id est, Christum non solùm fide confiteri, sed moribus etiam exprimere, quod nemo potest, qui Spiritu S. careat. Hinc August. illum, ait, propriè dicere, qui voluntatē & mentē suam voce enuntiat. hic autē Christus generaliter vsus est verbo *dicendi*. Et obserua cum Chrysost. hom. 25. fuisse quosdam, qui opinati sint, improbos non verè, sed mentientes istud dicturos, quod miracula ediderint, quod & significat auctor imperf. ho. 19. quod idem de Prophetia arbitratur; At procul dubio vera dicturos sentiendum est, vult enim Christus ostendere nec miracula, nec vaticinia absque operibus bonis ad æternam gloriam obtinendam valere.

49. 23. *Et tunc*] qui ante dissimulaueram. *Confitebor*] heb. aperte dicam. Auctor imper. ho. 19. pro ὁμολογήσω, confitebor, videtur legisse ὁμόσω, *iurabo*. Dicet enim *amen, amen dico vobis, nescio vos*, quod intelligendum est vt iuramentum quoddam: Alij interpretantur, confitebor, id est, publicè profitebor me eos nosse, vt Hieron. Videtur autem simulatæ eorum confessioni veram suam confessionem opponere, q. d. vt notat Maldo. illi me coram hominibus fictè confessi sunt, ego eos coram Patre meo verè confitebor, sed me eos minimè cognoscere; sicut è contrario de his qui verè eum confitentur, ac sincerè dicit: *qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.*

Numquam] nè tunc quidem cùm causam meā agere videbamini.

Notitia Dei triplex.

Noui vos] tribus modis Scriptura de Dei notitia loquitur: interdum de simplici Dei cognitione, quæ ad omnia tam bona, quàm mala se extendit. Interdum de singulari quadam Dei cognitione, qua scilicet ea dicitur cognoscere, quæ approbat, & homines, quos amat, interque suos agnoscit, vt vulgò dicimus nosse quem familiarem habemus, eum verò, qui nobis non est ita cōiunctus, sed extraneus, licèt aliquam notitiam eius habeamus, ignotum fatemur. Sicut autem de Dei dilectione bifariam loquitur Scriptura, ita & de hac singulari Dei notitia. Siquidem interdum dicitur omnes iustè viuentes diligere; licèt iustitiam sint amissuri, quatenus pro eo tempore eorum approbat vitam & mores. Interdum verò tantùm dicitur electos diligere, & prædestinatos. Quæ dilectio nihil aliud est, quàm prædestinatio, vel prædestinatione comprehensa, qua æternam vitam eis certò præparauit. Ita & singulari ista notitia dicitur interdum nosse omnes iustos 1 Corinth. 8. 3. *Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo.* Interdum dicitur nosse tantùm electos, & prædestinatos, quamuis adhuc iusti non sint: Hier. 1. 5. *priusquam te formarem in vtero noui te.* 2. ad Timoth. 2. 19. *Cognouit Dominus qui sunt eius.* hic ergo rectè intelligere possumus, loqui Dominum de hac prædestinationis notitia.

50. *Discedite à me qui operamini iniquitatem*] depromptum videtur id ex Ps. 6. 9. Similia sunt hæc cum illis Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Non dicit autem, *qui operati estis iniquitatem*: ne vt adnotauit Hieron. videretur tollere pœnitentiam: sed qui operamini iniquitatem, hoc est, operantes iniquitatem, non ob peccata, quæ tempore iudicij petagent, quorum facultas eis erit adempta, sed vel ob affectum peccandi, qui tum in eis reperietur, vt vult Hieron. vel potius, quia in hac vita toti addicti fuerūt peccatis. Nam qui dicuntur hic operantes iniquitatem, dici possunt operarij iniquitatis, quod competit iniquis etiam dum nihil iniquè agunt. quare Luc. 27. relegimus ἐργάται ἀδικίας, i. operarij iniquitatis.

Porrò operari iniquitatem quod ad omnia vitia pertinet, contrarium est operari iustitiam, dupliciter autem dicitur operari iustitiam: nam & qui se sanctis operibus exercet, inquit Riber. in c. 11. ad Heb. n. 90. dicitur operari iustitiam, & qui vnicuique reddit quod suum est; quia iustitia nunc omnes virtutes complectitur, & idem est quod sanctitas, nunc peculiaris virtus. est ei, quod primo loco dictum est significare, contrarium est operari iniquitatem. Ps. 1. 7. *odisti omnes qui operantur iniquitatem*, Ps. 6. 9. *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatē.* Iob. 31. 3. *nūquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus iniustitiā*, i. iniquitatē. 51.

B 24. *Omnis ergo*] concludit sermonem, iterum commendans vtilitatem bonorum operum, vt in procœmio fecerat. *Vide Aug. 2. 99. eu. c. 10. in hūc v. 24.*

Verba mea hæc] vel quæ tribus capitibus suprà dicta sunt, vel *hæc*, i. hæc & huiusmodi, seu his similia, vel *hæc*, id est, mea: multa enim quæ ante dixerat ipsius erant verba, & ex illis, tamquam ex vno indiuiduo reliqua significantur. sed quod primo loco est dictum, magis quadrat.

Qui ædificauit domum suam] obseruandum in primis est non oportere esse nimis scrupulosos in applicandis ijs quæ hic dicuntur, sicut nec ipsi Euangelistæ fuēre. nam Lucas fossionem addit, dum ait: *fodit in altum*, c. 6. 48. quod Matth. non scribit. Iterum Matth. habet pluuias, ventos, &c. horum Lucas non meminit. quare non oportet anxiè nimis quærere, quid sit domus, quid vēti, quid ædificare. Sed satis est si hæc quæ hic dicuntur accipiātur per comparationem, quod sicut domus, quæ ruinoso nititur fundamento labescit, ac corruit flante vento, ingruentibus vndis &c. ita homo ille qui nullo operum robore soli ac nudę innititur fidei, non poterit stare ante cōspectum iudicis, sed causa cadet, ruet in præceps, nec eum fides stabilē reddet; si tamen ipsa perseueret in homine, & non etiam dilabatur. Ex qua expositione satis est, si fundamenti tantùm rationem habeamus. Itaque ex hac parabola ostendit inane esse fidei ædificium, nisi adsint ædificio opera bona. 52.

C Deindè obseruandum hic sermonem esse de his qui audiunt doctrinam Christi, vel in eum credūt, vt res ipsa poscit, textus vel sermo Christi. Quare non bene interpretantur quidam, arenam apud Matth. vel terram apud Luc. amore voluptatum, & mundi: hoc enim conuenit in eos etiam qui nec audierunt Christi verba, nec credunt in ipsum; sc. in omnes impios: nam hoc modo omnes sic domum suam ædificant super arenam & terram. At hic Christus non de his omnibus loquitur, & aliud fundamentum intelligit.

D Tertiò aduerte significari hic eos, qui in Christum credunt persequutiones & tentationes esse passuros, hoc enim pluuiæ, hoc venti, hoc flumina indicant: neque verò sine causa tria hæc à Matt. numerantur, pluuiæ, venti, & flumina: quia videlicet ijs solent ædificia præsertim labefactari. Et quidem pluuia ab alto in domum irruit, tectumque subruit; venti latera cōcutiunt; flumina fundamenta subuertunt. Iam ad rem.

Aedificare, vt quidam volunt, est in Christum credere, quod ex 1. ad Corinth. 3. 10. colligunt. sed non multum curæ esse debet, quid per ædificare debeat intelligi: sed si quid est dicendum, malim esse credere, & operari benè, vel malè. 53.

Porrò ædificij duplex fundamentum à Christo hic commemoratur, arena, & petra, illi sola fides *Ædificij duplex fundamentum.*

operibus destituta respondet, vt ex ver. 26. Matth. constat; huic bona ipsa opera seu fides, & doctrina adiunctis bonis operibus vt ex v. 24. haberi potest.

54. *Caluinistarũ duo errores.*

Hinc duo contra Caluinianos habemus, & solam fidem ad salutem non sufficere; & bona opera non solum iustificare, sed stabile etiam esse nostræ salutis fundamentum, licèt semper Christus sit summus, & primus lapis, super quem tanquam super primum, & firmissimum fundamentũ fundata est Ecclesia; fundamentum enim aliud nemo potest ponere. At super hoc alia etiam fundamenta nituntur, Apostoli, Prophetæ, fides, opera; sola igitur fides arena quædam est, quæ facilè, vel per se ipsa dilabitur sine bonis operibus: vel certè homo ipse, qui sine bonis operibus huic fundamento innititur stare non poterit, iuxtà illud: *non resurgent impij in iudicio*, Hebr. *nõ stabunt*; hæc enim est ruina, quam scil. huic homini dies vltima afferet. Secus de bonorum operum fundamento dicendum est.

55. *Carnales homines arena dicuntur.*

Ex Chrysost. & Emman. in c. 7. Matt. sic mysticè hæc accommodari possunt. Christus ædificauit Ecclesiam, suprà fortitudinem fidei; Diabolus impios super inconstantiam infidelitatis. Carnales homines dicuntur arena ob sterilitatem, & quia innumerabiles, nec sibi cohærentes; Pluuia est doctrina, nubes bonæ Apostoli, & Prophetæ; malæ, hæretici; venti boni spiritus virtutum, & angeli; mali autem venti spiritus immundi; flumina bona Euangelistæ, & Doctores; mala Philosophi, & sæcularis scientiæ professores. Ecclesiam Christi nõ corrumpit mendax pluuia, nec Diabolicus flatus mouet: domum Diaboli vertit veræ doctrinę pluuia, ventique, id est, spirituales gratiæ, aut Angeli, & flumina, id est, Euangelistæ, & cæteri sapientes; factaque est ruina gentilitatis magna, solutis eroribus, & destructis idolis.

56. 28. *Admirabantur turbæ*] Gr. ἐξεπλήσσοντο, id est, obstupuerunt, attoniti facti sunt. *Turbæ*] vero simile igitur est, etiam coram turbis habitum esse hunc sermonem, quamuis Augustin. de consen. Euangel. l. 2. c. 19. dicat fortè intelligi turbam discipulorum, ex quibus duodecim elegit.

29 *Erat enim docens*] .i. solebat docere eos.

Sicut potestatem habens] Gr. ἐξουσίαν, auctoritatem, seu faciendi ius. vide quæ diximus l. 3. dilucidatio. cap. 9. nu. 8. 9. 10. Schol. & D. Thom. 3. p. qu. 42. ar. 1. ad secundum.

THEORIA I.

Super illa verba v. 5. *Eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.*

1. *Peccator peccatorem an possit corrigere.*

IN controuersiam verti iurè hic poterit, an qui in simili, vel maiori peccato est, debeat peccantem corrigere? Breuiter respondeo (exactius enim hanc dubitationem exagitare ad alium locum pertinet) etiam eum, qui grauioribus, vel occultis est implicitus peccatis, bono animo posse ac intentione alterum corrigere; sicut potest ieiunare, aut opus aliud ad quod tenetur facere. Quamuis Chryso. homil. 24. in Matt. sed præsertim Basil. reg. breu. respon. 164. & Augustin. l. 2. de ser. Dom. c. 30. aliter videantur sentire: sed est ratio cõtrarium suadens: nam qui in vno est peccato, potest nolle alterum hominẽ peccatum simile committere, idq; bono animo; (licèt id rarum, & difficilè sit) vt correctionis præceptum seruet.

2. Cæterùm, qui in noto aliquo, & manifesto est peccato, peccat quidẽ si alterum corrigat, etiam bono animo id faciens: non quidẽ propter actum corrigendi, bonus est enim ex se, sed ob peristasim, quod correctionem inutilẽ, & despicabilem faciat. Huiusmodi est correctio eius, qui eodem, aut etiam grauiori crimine vulgò noscitur derineri; Immò licèt & cum fructu & sine contemptu fieret huiusmodi correctio, adhuc non sine peccato esset, qui taliter corrigeret.

3. His adde, quod licèt peccatum corrigentis esset occultum, qui tamen corrigit alterum sui conscius delicti, adhuc peccat: non quidem in eo, quod alterum corrigit, sed in eo, quod omittit se emendare, quando debet: sicut, qui alicuius ægroti curam gerit, sui negligens, cùm tamen etiam grauiter ægrotet, grauius peccat, non quia infirmo medetur, sed quia magis tũc sui curam gerere debeat, quam tamen negligit. Secus verò esset si ab hoc homine correctio demisso animo fieret, ac modestè, ita vt se simul corrigens, & per pœnitentiam grauitatem errati agnoscens simulque congemiscens, accedat ad corrigendum; tunc enim nullum incurreret peccatum, trabe iam de oculo abiecta.

4. Et ad hunc sensum interpretari possumus Patres, Chrysost. Augustin. Basil. &c. Ex his habes, quid Dominus hic præcipiat, ac velit. reprehendit enim eos, qui cùm videant se eodẽ morbo, vel etiã grauius ægrotare, alios tamen corrigũt. Ad hæc illos quoq; accusat, qui licet mali sint, & tales se esse non agnoscant, quales putant esse illos, quos correctione egere iudicant, corrigunt tamen siue bono, siue malo id faciãt animo, nimirum ex odio, inuidia, vel vt iusti videãtur, quos hic hypocritas vocat. hos igitur omnes iubet se prius emẽdare, tunc verò ad correctionem vt veniant proximi.

5. Neque verò culpa vacant ij, quando necessitas corrigendi vrget, debent enim hypocrisim deponere, vel odium, & inuidiam, vel etiã grauiora delicta, hoc enim Dominus per *trabem* significat. item alia propria peccata, quibus potius medicinam facere debuerant. Hæc ferè ex Tolet. carptim an. 80. in c. 6. Lucæ. Vide de hac quæstione doctè differentem Diuum Thomam 2. 2. q. 33. a. 5.

THEORIA II.

Super illa verba ver. 6. *Nolite dare sanctum canibus*, &c.

1. OCCASIONE horum verborum dubitet aliquis, ac sic secum ratiocinetur; quomodo hæc stare possunt? an non Christus & Apostoli, Iudæis verè canibus, de sacris mysterijs frequẽter loquuti sunt? nonne accidit non rarò, vt illi ipsi Iudæi, ac Pharisæi quibuscum loquebatur, maiore perciti furore conuersi dilacerare ipsos conati sunt, vt in D. Stephano patuit? Quomodo, inquit Chryso. hom. 24. & Aug. l. 2. de ser. Dom. docuit Christus Matt. 10. 7. omnes sine discrimine doceri. & Marc. 16. 15. iussit prædicari Euangelium omni creaturæ?

Sed facilis est ad hæc responsio. & quidem

interdum

interdum ſpontè id facere Chriſtum eiusque ſeruos, vt coram canibus de myſterijs diſſererent multis præſentibus, partim ad conteſtandam impietatem reproborum, partim ad vocãdos electos, qui impijs illis permixti erant, aut ad eos iam vocatos corroborandos & monendos. conteſtationis cauſam attigit Chriſtus Io. 25. 22. *ſi non veniſſem & loquutus eis fuiſſem, peccatũ non haberent; nunc aũt excuſationẽ non habent de peccato ſuo.* interdũ verò interrogari veritatem ipſam propoſuerũt, cũ propter prædictas cauſas, tum vt veritati teſtimoniũ perhiberẽt, & gloriam Dei illuſtrarent, & vt iuſtam canes iſti anſam blaſphemandi euangelium non haberent, quaſi non eſſet qui ipſis os occludere poſſet, vel reſpondere.

2. Ceterum cùm propter electorum vtilitatem, maioremq; Dei gloriam, ſacra proferuntur coram canibus, & porcis, iam non canibus, & porcis ſancta dantur, ſed potius Deo, eiusq; electis.

3. Quòd ſi prædicatio veritatis nullũ momentum allatura eſt, vel ad ſalutem proximorum, vel ad gloriam Dei: ſed apparet canes tantum illam impugnaturos, aut porcos cõtempturos non eſt proferenda. ſic Chriſtum nunc Phariſæis, tanquàm canibus, nunc Herodi, ac Pilato tanquàm porcis myſteria ſua promere noluiſſe legimus.

4. Ad id verò quod ex Mat. & Mar. allatũ eſt. Reſpondeo, illic agi de euangelio ipſo per ſe, quod cùm omnibus ad ſalutẽ ſit neceſſarium, omnibus item eſt ſine perſonarum exceptione prædicandum: Hic autem de idoneis auditoribus, & prudentia euangelium cum illis cõmunicandi. Quòd ſi aut nulla ſpes vtilitatis; aut timor etiam certus damni ſit, prædicandum illis non eſt, ne non ſolùm operæpretium, ſed ipſa etiam opera perdatur. Porrò de Iuda, cui Dominus ſui corporis, ac ſanguinis myſteria tradidit, ſuo loco, ſi Deus vitam conceſſerit, dicemus.

THEORIA III.

Super verſum 13. & 14. *Intrate per angustam portam.*

1. Quomodo arcta via ad ſalutem.

NON caret ſcrupulo, quomodo hoc verũ ſit, quod arcta ſit via, & anguſta porta ſalutis, cùm idem Chriſtus Dominus Matt. 11. 29. doceat, iugũ ſuum ſuaue eſſe & onus leue. Reſpondent Chryſo. & Euthy: Chriſti iugum carnalibus quidem hominibus, & ijs qui terrenis rebus inhiant graue eſſe, atq; inſuaue, leue, & ſuaue ſpiritualibus, & in æternas promiſiones erectis, iuxtà Apoſt. Rom. 8. 18. & 2. ad Corint. 4. 17. quare ſi quis aſpiciat in remunerationem, quę per ſe alioqui grauia ſunt, ignes, gladij, mors leuia erunt, & facilia. Itaq; Chriſtus anguſtam portam, & arctam viã dicit, tum quia ſi naturam rerum ſpectes difficilior virtutis eſt, quàm vitij via, cùm illa ardua, hæc prona; illa vna, hæc multiplex; illa vix vllis, hæc multis trita veſtigijs altè etiã impreſſis. Tum etiam quia noſtra eam ſocordia aſperiorem, difficilioremque reddit.

2. Illud non eſt in præteritis ponendum, quod D. Hieron. ſapiẽter obſeruauit; dixiſſe Dominum: per latam viam multos ingredi, arctam verò paucos inuenire. nam latã viam nõ quærimus, nec inuẽtione opus eſt, ſponte ſe offert, & errantium via eſt; Anguſtam verò viam, nec oẽs inueniũt, nec qui inuenerint ſtatim ingrediuntur per eam. ſiquidem multi inuenta veritatis via, capti ſæculi voluptatibus de medio itinere reuertũtur, vt loquitur Hierony. quare meritò Dominus affirmat paucos eſſe, qui inueniunt eam, vbi ſignificat pauciores eſſe etiam qui per eam ingredaintur; proindè monet paucorum vitam vt reſpiciamus, per anguſta & arcta incedentium ad amplam cęli regionem, quòd potiſsimum v. 14. docetur.

3. Idem Hieron. vel certè Pauli. rectè de hac anguſta porta, & arcta via ſic diſſerit, epi. 14. ad Celant. aſperam nobis & inſuauem virtutũ viam nimia facit vitiorum conſuetudo, quæ ſi in partem alteram, id eſt, virtutem transferatur, inuenietur ſicut Scriptura dicit (Prouer. 4.) *ſemita iuſtitiæ leuis.* nam Deus virtutis ſemitas, arctoſque calles cæleſti voluptate dilatat: quod Dauid expertus erat, cùm Pſal. 4. dixit: In tribulatione dilataſti mihi. Babylonica illa fornax immenſa (Daniel. 3.) viam virtutis anguſtam repręſentat. In hanc tres illi adoleſcentes iniecti, flante aura ſuaui recreati ſunt: *fecit* enim *Deus medium fornacis quaſi ventum roris flantem*; quo illi lęti admodum effecti inambulantes Deum benedicebant. Hoc ipſum & multò præſtantius euenire ſolet ijs, qui Dei amore medijs quodammodo flammis ærumnarum, ac tentationum vri videntur. ſed quid mirum ſi hilares illi effecti ſunt, cùm ſecum haberent ſimilem filio hominis. dum enim ęrumnis exercemur, ipſum Dei Filium Chriſtum habemus ſocium, eius veſtigia tenemus, vt proindè rectè dictum ſit; cum ipſo ſum in tribulatione.

4. Poſtremò illud obſeruandum, quod portę, & viæ nomine nobis indicatur. non enim moram hæ, ſed breuem tranſitũ ſignificant. Quare Euthy. non minima, inquit; conſolatio eſt, vocare ipſam portam ac viam, ſiquidem neutra permanet, ſed tranſit. Intendere nihilominùs oculos ſemper oportet in finem illum, ad quem via hęc perducit: nam vt lata via ad perditionem; ſic arcta in æternam, ac perſeuerantem inducit gloriam, quæ reuelabitur in nobis, ad quam *non ſunt condignæ paſſiones huius temporis.*

5. Verùm contra, impius latam viam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimã, Prou. 7. per pinguiſsima paſcua, & amœna bos tendit ad victimam, ſed quo tẽdat neſcit. Ita impius quo ducatur per latã ac ſpatioſam viam minimè conſiderat. Quod in primis attendendum, ſic ſapienter monet Chryſ. hom. 24. in Matt. tu nequaquam iſtud aſpicias, quia hæc via, vel arcta, vel aſpera eſt: nec quia, lata, & ſpatioſa eſt illa contraria; ſed quo nam hæc vtraque perducat.

Digitized by Google

DIGRESSIO PRIMA MORALIS

In ver. 15. *Attendite à falsis Prophetis*, &c. Quod hæretici similes sint aspidibus, & doctrina eorum veneno aspidum.

1. *Hæretici diligenter cauendi, quia similes aspidibus.*

MERITÒ vitandos monet Christus, & cauendos hæreticos cane peius, & angue. Sunt enim in primis similes aspidibus, & lingua eorum, ac doctrina venenata est. Porrò tria nobis Scriptura de his serpentibus tradidit. primùm est quod dicitur, Deut. 32. 33. *venenum aspidum insanabile.* nam vt dicit Plin. lib. 8. c. 23. nullum ictui aspidis est remedium, præterquam si confestim partes contactæ amputentur: ita etiam hæreses difficillimè curatur. Hebr. dicitur, ros petanim, caput aspidũ. mordet enim cum dilectatione, sed interemit. Alterum est, de ipsa natura aspidis, Psal. 57. 5. *Furor illis secundùm similitudinem Serpentis:* vel Hebraicè, venenum est illis ad similitudinem veneni Serpentis. de quo autem serpente loquatur ostendunt sequentia verba: *sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas.* Est enim ipsa natura aspidis, vt docet D. Augustinus ibi, vt quando incantatur ab incantatore, qui Marsus dicitur, ita claudat aures suas, vt nullo modo audiat cantũ, ne possit extrahi è latebris suis: nam alteram aurem fortiter allidit terræ, & alteram cauda obturat; eodem modo faciunt hæretici, qui nõ solum non obtemperant veritati, sed etiã nolũt audire. Tertium quod proponit Scriptura, est de ouis aspidũ, Isai. 59. 5. vbi dicitur de impijs: *Oua aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt.* per oua aspidum optimè intelliguntur scripta hæreticorũ, quæ tanquã oua sua excludunt hæretici, vt posteà ex istis prodeant alij. Oua aspidum rumpunt, qui hæreticorum libros legunt: sicut enim qui ouum aspidis frãgit sibi ipsi infert malum: nam dum frangitur ouum prorumpit aspis, & ictu suo interficit frangentem: ita etiã qui libros horum legunt, ipsorũ veneno inficiuntur, subdit Scriptura; *Telas araneæ texuerunt*] sensus est, operam in re prorsus inutili collocant. Addit deindè, qui comedit de ouis eorum morietur, & quod cõfotum est erumpit in regulum. Quibus fit hæreticos tanquam aspides fugiendos esse.

2. *Et dæmonibus.*

Sed non minus quàm à Dæmonibus cauendum est ab hæreticis; Dæmones namq; in hæreticis, vt olim in idolis habent domicilium. Rectè enim Hieron. ait, Diabolum cum idola, in quibus habitabat ante disiecta vidisset, peiora idola in hęreticorum animis fabricasse. Cassianus grauis, & antiquus auctor Collat. 7. c. 32. affirmat, se dæmonem audiuisse confitentẽ, se per Arium & Eunomium impietatẽ sacrilegi dogmatis edidisse. quare necesse est, vt quẽadmodum finito bello milites per oẽs partes diffusi prædones fiunt, omnesq; vias obsident; ita Dæmones inclinatis aut abolitis idolis, quæ passim ante vigebant, quasi euersis templis in quibus colebantur, nouas in alijs hominibus. i. hæreticis sedes quærant. Solent enim Dæmones cùm ex homine, in quo erant, egredi cogũtur, facere, quod ij faciunt, qui obsidione fatigati, coguntur arcem tradere, quam tenebant. petunt enim conditionis loco, vt sibi liceat in alium se locum recipere. quod exemplo illius legionis intelligimus, quæ à Christo petiuit, vt porcos se occupare sineret.

3. *Hæreticum proprium.*

Illud etiam hæreticis proprium, ac solemne est, doctrinam suã ad imponẽdum alijs laudare tanquam profundam, & admirabilem, & ipsis dumtaxat à Deo patefactam; alijs verò ante ipsos ignotam. hæ sunt illæ profunditates satanæ; quam rem Beatus Gregor. libro 5. Moralium, cap. 18. explanans verba illa Iob, cap. 4. 12. *Porrò à me dictum est verbum absconditum*, graphicè depinxit: verbum, inquit, absconditum audire se simulant hæretici, vt auditorum mentibus quandam prædicationis suę reuerentiam obducant: vndè & latenter prædicant, quò eorũ prædicatio tanto sanctior, quãtò est occultior videantur. Communem autem scientiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æstimentur. Occulta vel noua semper exquirunt, quæ dum alij nesciunt apud imperitorum mentes ipsi de scientiæ claritate gloriantur, & occultam esse doctrinam suam insinuant, & quo mirabiliorem ostendant, latenter hanc se percepisse affirmant. vnde apud Salomonem (Prou. 9. 17.) mulier hæreticorum speciem tenens dicit: *aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior.* Vide cætera apud Gregorium.

4.

Verùm si reliqua omnia hæresi deessent, hoc solum illam detestabilem, ac execrabilem satis per se redderet, quod initio quidem violenta est prorsus, & vehemens; sed stare in eodem gradu non potest, quia præterquam quod id diuina prouidentia non patitur, natura quoque ipsa ita se habet, vt non possit error diu veritatem imitari. Quare omnem hæresim necesse est, nisi ad eam religionem, vnde egressa est maturè reuertatur, aut in magicas artes, vel in extremam atheismi impietatem degenerare. eò verùm secum trahit, quos miserè inuasit, vel infecit. Hic finis hæreticorum, nisi fortè prius vita destituantur.

Hæresum finis atheismus, vel magia.

Vidimus iam marcescentibus, & ipsa temporis diuturnitate fermè exspirantibus hæresibus quibusdam loco illarum parte alia, sic creuisse numerum atheorum, siue politicorum, vt præ illis pauci admodum videantur supereſſe feruentes, & veri Catholici. Vidimus bona ex parte tres illos immundos spiritus Caluinismum, Lutheranismum, & Anabaptismum erucarum instar cuncta depascentes de Draconis ore, & de ore bestiæ, & de ore Pseudoprophetæ exeuntes, Apocalyps. 16. 13. ad magiam, denique ad atheismum degenerasse.

Itaque videtur etiam in hoc tempus conuenire, quòd ait Ioel. cap. 1. 4. *residuum eruca comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus.* Nam quod hæretici reliquum fecerant, malefici, in quos ducunt hæretici, dæmonum arte populantur, & quod malefici relinquunt athei perdunt. Nec admiranda sunt hæc quasi rara, & impossibilia: solent enim dæmo-

nes

nes hæreticis vti ad fallendos homines, quasi formosis meretricibus.

5. Hæresis meretrix. Patet autem hæresim in Scripturis *meretricem* appellari: Isaiæ 1. 21. *quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis?* quare sicut lenones, quando scorti forma defloruit, ex scorto lenam faciunt: ita dæmones cùm prima hæresis species ita periit, vt minus homines in errorem pelliciantur, ex hæreticis, magos faciunt; ex magis, atheos conflant. Vide eleganter Martinum Delrium, in prologo diquis. Magicarum multa de his scribentem.

DIGRESSIO II.
MORALIS

In ver. 21. 22. & 23. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine,* &cæt. Et; *nonne in nomine tuo prophetauimus,* &c. Et; *nunquam noui vos,* &c.

1. Hæreticorum triplex fides. HIc locus conuellit Lutheranorum impium dogma, de fide sine operibus. Distinguunt nostri temporis hæretici Tripartito fidem, historicam, scilicet miraculorum, & tertiam diuinarum promissionum. Prima credimus, aiunt, vera esse omnia, quæ narrantur in Veteri, & Nouo testamento. Altera quæ dicitur miraculorum, est, per quam magna fiunt miracula. quemadmodum dixit Paulus Apostolus 1. ad Corinthios 13. *si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* Tertiam vocant eam, qua ea, quæ à Deo in ipsum credentibus promissa sunt, non solùm vera esse credimus, verùm etiam eorum nos participes fieri indubitanter credimus, atque confidimus: huiusmodi est illud; *qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit,* &cæt. *qui credit in eum non iudicatur.* Impij ergò isti opinantur iustificari hominem per fidem promissionum dumtaxat, qua quis omninò credens Dei promissionibus de iustificatione impij, & de remissione peccatorum confidit intrepidè, & indubitanter earum se promissionum participem factum.

2. Porrò hæc specialis fiducia operibus destituta, merum planè figmentum est hæreticorum. quod etsi innumera alia loca Scripturæ conuincunt; certè hic vnus, quem præ manibus habemus, ita euincit, vt vel solus esse queat: Eccè isti, qui Domino dicunt: *Domine, Domine,* fidem hanc habent. Neque enim hinc reprehenduntur, sed quod voluntatem Patris non faciant, & tamen illis regnum Cælorum negatur. Et illi, qui ad extremum iudicij diem dicturi sunt: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus,* &cæt. fidem habuere, non enim hinc reiiciuntur, sed quod operarij fuerint iniquitatis: Et audient tamen; *non noui vos, recedite à me.*

3. Cæterùm quia hæc tractare subtilius ad hunc locum nō pertinet; videat Lector de hoc argumento præter alios, Pererium disp. 9. in c. 1. ad Roman. nu. 48. & sequent. Et in caput tertium eiusdem epistolæ, vbi confutat figmentum hoc in parte hæreticorum. nos contractis

A velis more nostro breuius, ac planius, & ad mores magis appositè contra hæreticos agemus. Meritò sanè hæretici, qui se sola fide in Christum niti iactant, claudicare in via Domini censendi sunt, vt proindè illis illud obijci possit, 3. Reg. 18. *Vsquequo claudicatis in duas partes?* quem locum ita. LXX. reddunt: *vsquequo claudicatis in ambobus poplitibus vestris,* seu vtroque pede, fidei scil. & operum, vt notat D. August. in qq. super Euang. q. 19. & Rupert. in cap. Michææ 4. Hæretici planè vtroque pede claudicant; nam, & fidem non habent, & operibus bonis nuncium remiserunt; peiores in hoc Iudæis, qui altero tamen pede olim claudicabant: habebant enim fidem Dei, & in futurum Messiam credebant, quamuis bonis operibus destituerentur. vndè in huius rei figuram fertur Iudaicæ gentis Patriarcha Iacob altero pede claudicasse.

B Nec solùm hæretici Iudæorum vitia superarunt, verùm etiam gentilium. nam sicut proprium fuit Iudæorum claudicare; ita gentilium cæcutire; cæcitate sanè hæretici gentiles etiam vincunt. Nam & peior, & grauior est nunc hæreticorum cæcitas post Christi aduentum, quàm fuerit olim gentiliū. sed omissis interim hæreticis Christiani, qui solo fidei nomine gloriantur, nec via mandatorum incedunt, claudi sunt, & Iudæis non absimiles, de quibus D. Greg. l. 19. Moral. c. 21. super illa verba Iob, cap. 29. 15. *Oculus fui cæco, & pes claudo; rectè,* inquit, *potest cæco gentilis populus, claudo autem Iudaicus comparari. Gentilis quippè quasi oculos non habuit, quia non recepta lege non vidit, quò ire debuisset. At contra Iudaicus habens oculos claudus fuit, quia legem quidem tenuit, sed in ea gressum recti operis non tetendit: Alias enim voce Domini dictum non fuisset,* Psalm. 17. 46. *filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.*

4. Hæretici Iudæis & Gentilibus peiores.

C Hæc omnia rectè ac verè in eiusmodi Christianos, qui bonis operibus destituuntur, quadrāt. imò verò nō rarò accidit, vt fidei fundamētum subruatur, quod operibus careat. Etenim pes recti operis fidem fidei firmat, ac corroborat. nititur namque illa operibus ne corruat, quod acutè satis Turrianus l. 4. pro Epis. Pontificijs, cap. 4. acutè ex verbis Apostoli ad Hebræos 10. 38. colligit, vbi Paulus ait: *Iustus ex fide viuit, quod si se subtraxerit non placebit animæ meæ; non dixit,* inquit Turr. *si non crediderit, verùm si se subtraxerit, nimirum fidei. Ille autem fidei se subtrahit, qui fidei per opera non obedit, atque ita illam corruere facit. Quod Apostolus statim declarat adijciens:* v. 39. *nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed obedientiæ, in acquisitionem animæ. Cernis non dixisse, sed fidei: quia non fidem, sed obedientiam opposuit subtractioni fidei.* sic ille: quamuis Riber. infidelitatem intelligat per subtractionem secundùm Litteræ sensum; quod verum esse videtur si de immediata, & propria subtractione loquamur, non enim nos subtrahimus fidei propriè, nisi per infidelitatem; nam potest illa cum peccato esse. Cæterùm nemo ad infidelitatem venit, nisi mediis malis operibus: subtractis namque illis, quibus tanquam adminiculis fides roboratur, & ne corruat maximè nititur,

5.

D

solet non rarò fides nutare, ac labascere. & hoc modo vtraque expositio stare simul potest.

6. Hanc rem Ezechiel expressisse mihi videtur capite primo cùm sub pennis illorum quadriformium animalium manus hominis apparuisse scribit; quia nimirùm fides, & diuinarum rerum cognitio, qua velut alis in altum tollimur manu, id est, operatione, & mandatorum Dei obseruatione niti, fulciri, & substentari debet.

7. Quare dicentibus supremo iudicij die: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus*; respondebitur à iusto iudice, *nunquam noui vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem. Qui enim fecerit voluntatem patris mei ipse intrabit in regnum cœlorum.*

8. Sed ne quis clarissimæ Christi sententiæ, ac doctrinæ Apostolum, vel Prophetam opponat dicentem Hebr. 10. 38. *Iustus ex fide viuit.* animaduertendum bifariam *iustitiæ*, vel iustificationis vocem sumi, & vno modo primam, altero secundam iustificationem exprimit. illam, qua ex iniusto & inimico Dei fit homo iustus, Dei amicus, & filius: hanc qua in accepta iustitia proficit, crescitque per bona opera is, qui iam iustus est. de prima igitur iustificatione si loquamur, affirmamus Catholici fide iustificari hominem, quòd sit illa exordium, fundamentum, & quasi radix iustificationis, tanquàm ea, ex qua cætera proficiscuntur, quæ præparant hominem, & ad iustificationes gratiam tandem perducunt. Fides enim ex Augustino prima datur homini, vt per eam ille quærat, & petat, & impetret, & quodammodo promereatur gratiam iustificationis. Vide Augustinum epistol. 105. ad Sixtum, & Concil. Tridentin. c. 8. Sessionis sextæ, si verò sermo sit de secunda iustificatione, & iustitia, hoc est, de perfecta, & incremento iustitiæ iam acceptæ, fides id facit, alens, & promouens acceptam iustitiam, non informis illa quidem, & expers charitatis, sed viua, & quæ per charitatem operatur. de qua August. lib. de spiritu & littera cap. 32. *hæc est*, inquit, *fides, ex qua iustus viuit*, &cæt. sed ad alia veniamus.

DIGRESSIO III. MORALIS

In ver. 15. *Attendite à falsis Prophetis.*

1. QVAM magni referat hæreticos agnoscere, & multò magis in fide, ac morib. deuitare, ostendunt clarissimè SS. Patrum Epitheta, quibus hæreticos nuncupare solent. hinc S. Hilar. lib. contra Auxentium: *Mihi*, inquit, *nõ erit aliud quàm Diabolus, quia Arianus est.* Hinc D. Ignatius ad Trallianos epist. 5. & Cyprianus de vnitate Ecclesiæ initio, Diabolum faciũt hæresum Parentem & Auctorẽ. Et verè: ille enim ab initio fuit mendax, & Pater mendacij, Io. 8. 44. Mater verò, superbia est. Hinc August. lib. de Pastorib. c. 8. *vna Mater superbia omnes hæreses genuit.* Hinc Tertullian. de Præscript. Origenes hom. 12. in Hierem. Irenæus

Diabolus hæreticorũ Pater.

A Idololatris comparant: Hierony. Idololatris in Ezechiel. cap. 8. etiam peiores esse vult: & libro 3. de fide Ambros. etiam ipso Diabolo. Quid plura? Idem Hierony. in Isai. c. 18. *Hæretici*, inquit, *omnes vincunt impietatem.* Non ergò mirum si illos Ignatius ad Smyrnæos similes dicit, rabidis canibus, Serpentibus, Basiliscis, & squamosis Draconibus. Cyprianus epistola quinquagesimasecunda, lupis & canibus; scarabæis. Hieronym. in cap. secundum Abacuc. Augustin. cimicibus, qui vt habet lib. 4. in Iulian. cap. 9. dum viuunt mordent, mortui autem fœtent.

Multa habet egregiè Vincentius Lyrinensis in aureo illo libello aduersus profanas omnium hæreticorum nouitates, vbi inter alia citat, hæc à nobis proposita verba Saluatoris: 2.

B *attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus aũt sunt lupi rapaces. Quid est*, inquit, *vestitus ouiũ? nisi Prophetarum, & Apostolorum proloquia, quæ ijdem ouili quadam sinceritate agno illi immaculato, qui tollit peccata mundi, tanquã vellera quadã detexuerunt? qui sunt lupi rapaces? nisi sensus hæreticorũ feri & rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestant, & gregem Christi quaqua possunt dilacerãt. sed vt fallacius incautis ouibus obrepant, lupinã deponunt speciem & sese diuinæ legis sententijs velut quibusdam velleribus obuoluunt, vt cùm quisq; lanarum molliciem præsenserit, nequaquam aculeos dentium pertimescat.* Sic ille: qui prætereà docet, qua ratione discerni queant à Catholicis hæretici. hoc enim apud illos quasi solemne esse ait, atq; legitimum, vt suos C errores diuinæ Scripturæ verbis adumbrent, & excusent, ac profanis interim nouitatibus gaudeant, & antiquitatis scita fastidiant; cùm contra, Catholicorum sit deposita Sanctorum Patrum, & commissa seruare, à prophanis verò nouitatibus omninò abhorrere. *Vestimentis quid.*

Quare minimè mirum videri debet, si tot 3.
Scripturæ locis, tam multis Christi testimonijs, tam clarissimis Apostolorum vocibus monemur à Pseudoprophetis cauere, & illis ne, Aue, quidem dicere. sic Matth. 24. cautos nos fecit CHRISTVS, cùm sic prædixit: *multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos*; sic non semel Paulus 1. Timoth. 4. 1. *in nouissimis temporibus discedent à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.* Et Act. 20. 29. 30. *intrabunt post discessionem meam, lupi rapaces in vos non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Et iterum 1. ad Tim. 6. 20. *O Timothee depositum custodi, deuitans prophanas vocũ nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Et ad Titum 3. 10. *hæreticum hominem post vnam, & secundã correctionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit cùm sit proprio iudicio condemnatus. deuita*, inquit, *quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum*, vt Vincentius idem Apostol. interpretatur, nimirum ne te, nõ solum tactu, sed etiã visu, flatuq; percutiat. Nec D. Petrus, cui erat totius Ecclesiæ demandata cura, monere idẽ hoc ipsum desijt 2. Pet. 2. 1. *in vobis erũt Magistri mendaces, qui introducẽt sectas perditionis.* mitissimus sanè erat Ioannes Christi

dilectus,

dilectus, sed vide quàm acriter contra hæreticos insurgat epist.2.10. *si quis*, inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eũ in domum, nec, Aue, ei dixeritis, qui enim dicit illi, Aue, communicat operib. eius malignis.* nullus esset finis si singula vellem afferre, quæ contra hæreticos legere est in sanctis Scripturis.

4. Quare minimè mirari nos decet si Christus Dominus tam efficacibus verbis, & tam seriò ea de re nos hic admonens dicat: *attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos sub vestimentis ouiũ* solent enim ne deprehendantur per Hypocrisim, & simulatam sanctitatem transfigurare se in Angelos lucis, cùm tamen à satana sint missi: sunt hostes crudelissimi, & simulant tamen se fidos amicos esse: opponunt se fidei & Euangelio Christi, & se fideles esse, ac iustos proclamant; & cùm sint lupi ferocientes, & rapaces, vestimentis ouium incedunt amicti.

5. *Hæreticorũ perfectatio vsi deguſta.* Vt meritò Apocalyp. 6. per equum pallidum, ac debilem significetur eorum prosecutio, de qua sic ibi v.8. *& ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum, & data est illi potestas super quatuor partes terræ, gladio, fame, & morte, & bestijs terræ.* rectè namque per equum pallidum designatur hæresis propter Hypocrisim, & simulatam hæreticorum religionem, *per dulces enim sermones, & benedictiones*, vt ait Paulus ad Rom.16.18. *seducunt corda innocentium*; ac sicut seductores, vt idem scribit 2.Timoth.3.13. *in peius proficiunt, errantes, & in errorem mittentes.* sicut enim simia hominem, & fuci apes simulant, ita hæretici sub specie religionis, & purioris doctrinæ se Euangelij ministros falsos iactitant, quo alios in errorem abducant. *exterminant* enim *facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes*, vt meritò de illis interpretari possim ea verba Salomonis Can.2.15. *capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*; Præclarè enim Theodoretus cum alijs quibusdam per has pernitiosas, & noxias vineis vulpes docet intelligi posse hæreticos propter insignem eorum astutiam, & fraudulentã sagacitatẽ, quæ illis propria est: Vndè in eos verè illud quadrat: *animi sub vulpe latẽtes*, vulpes verò paruulę dicũtur, quia nihil magni secundùm rectã fidem intelligendo cõtinent.

6. *Hæretici ſimiles vulpibus.* Sunt præterea vulpi similes propter aliam huius animalis proprietatem, solet enim non recta, vel regia ingredi via, sed inquirit semper tortuosos, & obliquos, per quos incedat, calles, sic hæretici semper nouitatibus student, & antiquitatis scita fastidiunt, noua dogmata cudunt, scripturas pessimè dilacrant, Ecclesiæ auctoritatem respuunt, sanctissimas Patrum traditiones reijciunt, rident decreta, & summorum Pontificum constitutiones.

7. Sed adhuc tertia ineſt vulpibus proprietas, quæ communis cum hæreticis, quam sic Aug. in Psal.80. describit, & hæreticis applicat, *vulpes*, inquit, *solent habere tales foueas, vt ex vna parte intrent, & ex alia exeant.* mirificè id hæreticis competit, sic enim homines subdoli, ac versipelles miris nodis ne capiantur, id est, conuincantur, vt simulatores, illusores, & deceptores, elabi hac, illac quęrunt, quia tamen Dei sermo præcipit, vt capiantur: capite nobis vulpes. & quomodo sit faciendum docet Aug. exemplo

A Christi: *cõtradicentibus vulpeculis Domino*, inquit, *& dicentibus, in qua potestate ista facis? respondete mihi & vos, inquit, baptismus Ioannis vnde est de cœlo, an ex hominibus? ad vtrumq; foramen captor vulpium retia posuit, sentiunt illi eum ex vtraque parte tetendisse vndè caperet; & aiunt apud se, si dixerimus de cœlo, dicturus est nobis, quarè ergò non credidistis? ille enim testimonium Christo perhibuit: si dixerimus de terra, lapidabit nos populus, quia vt Prophetam eum habent. sentientes ergò hac atque hac esse vndè caperentur, responderunt, nescimus. & Dominus, nec ego dico vobis in qua potestate ista facio. vos dicitis, vos nescire quod scitis, ego vobis non dico, quod quæritis: quia ex nulla parte exire ausi estis, in vestris tenebris remansistis. & hoc est, capere vulpeculas latentes in cauernis tortuosis; capis enim, eum de falsitate conuincis.* quod cum subdolis Iudæis à
B Christo gestum est, iam applicat Augustinus. *Videamus*, inquit, *si & nos quasdam vulpeculas capere possumus. proponamus ad foramen vtrumq;, vt vndè vulpes exire voluerit capiatur. Vbi Manichæo facienti sibi Deum recentem, & in corde ponenti quod non est, dicamus, substantia Dei corruptibilis est, an incorruptibilis? elige quod vis: exi qua vis, sed non effugies. si dixeris corruptibilis, nõ à populo, sed à te ipso lapidaberis. si autem dixeris incorruptibilem Deum, incorruptibilis quo modo timuit gentem tenebrarum? quid factura erat incorruptibili, gens corruptionis? quid restat, nisi vt dicatur, nescimus.* Quod August. acutè applicat Manichæis possumus & nos ad Caluini hæresim accommodare, & ad vtrumque foramen retia ponere. Ait Caluinus, omnes qui fidem suam sectantur illam specialem, id est, idolum illud, ac figmentũ, quod sibi finC xit, vt alijs imponeret prædestinatos esse, & hoc sibi certo persuadere debere: Ecce tibi fouea, in qua vulpes obscura latet: affirmat proindè, & prædicat hanc suã peruersam fidẽ, quietos, ac securos reddere homines, ac tales, vt perpetua conscientiæ pace fruantur; Ecce quomodo se intra foueam tegit. sic interrogo Caluine: nonne fuerunt aliqui, qui cùm essent olim tuæ huius fidei sectatores, posteà, animaduertentes se deceptos tuis impostoris ad Ecclesiæ Catholicæ gremium reuersi sunt? quomodo ergò illi prædestinati erant, si defecerunt ab ea fide, quã de te didicerunt homines nõ nisi prędestinatos cõplecti? Non.n. verũ est eos, qui tuũ pestiferũ dogma sequuntur esse prędestinatos, cùm indè resilire possint; ecce vnum foueæ foramen occlusimus. neque.n. negare potest defecisse aliD quos ab illo. quærit ergò vulpes aliud foramẽ vndè elabatur. nam respondet, cor hominis tam multiplex esse, & tot habere sinus, vt non possit sibi satis prospectũ esse, ac peruiũ. ita illos, qui à sua secta defecerũt, falsos esse, putabãt n. se Caluinismũ tenere, cũ nihil minus. sed iã, & hãc vulpeculã capiamus ne egredi possit, sed in tenebris delitescere cogatur. dicam enim illi. ergò non est quod te iactes. peruersum tuum dogma, & specialis illud fidei idolum tuos reddere sectores, quietos ac sedatos animo; nam si talis est cordis humani natura, cùm & ipsi homines sint, timebunt meritò, & anxij erunt ne non sibi satis perspecta sit illorum fides, ob reconditos, & multiplices cordis sinus. sic ergò Catholici hæreticos tanquam vulpes pusillas, exterminantes vineas, & laten-

tes in cauernis tortuosis capiunt, cùm de falcitate conuincunt.

8. *Hæresum damna.* Quantum verò Christi vineæ, id est, Ecclesiæ damnum inferant vulpes istæ maleolentes, & putidæ, testis est Anglia, testis Germania, testis Flandria, vt deplorare potiùs tantam calamitatem satius sit, quàm probare, vel describere; etenim ab his velut immanibus feris vinea Domini miserandum in modum deuastatur, & sacra ferè omnia non sine ingenti populorum pernicie prophanantur, tantaque animarum strages, & religionis per istos immutatio inuehitur, quanta nunc non sine lacrymis ipsis oculis cernimus.

9. Porrò huic equo pallido, quem dixi hæresim repræsentare, mors insidet, & infernus illum sequitur: quia nimirum admirandas etiam corporum strages, & horrendam carnificinam exercuere hæretici, dum gladio patefacere viam falsis dogmatibus, ac pestilentibus erroribus cogitant, & CHRISTI Euangelio occludere, & Catholicos sinus euertere; non minus enim cruenta, nec minus perniciosa fuit hæreticorum persecutio, quàm Tyrannorum. sed in hoc longè superat, quod animas etiam miserandum in modum in primis prodere solet. Est enim hæreticorum damnata doctrina tanquam fermentum quod vel modicum, vt Paulus inquit ad Galatas 5. 9. totam massam corrumpit; est velut spina in oculo prorsus excæcans hominem, vt nec se, nec Deum, nec veritatem aspicere possit; Est animæ virus tam pestilens, vt non modo auctorem ipsum, sed & innumeros alios miserè perdat; est fœda, atque in plurimum incurabilis lepra, quæ sine sacerdotum iudicio neque cognosci, neque mundari queat, quæ à bonorum hominum, ab Angelorum, denique à Dei societate, in cœlis, & in terris excludit, tantum in tartarum miseros istos detrudens, dæmonibus addicit.

10. Quod verò infernus hæresim, id est, istos pallentes equos consequatur, & simulatores; vltio diuina, quæ Arrium, Lutherum, & similis fæcis homines, consecuta est testatissimum reddit; nam multi ex ipsis non sine clarissimis damnationis suæ signis infelicem exhalarunt animam. infernus ergò sequitur equum pallidum non deuoraturus, quos ipse occideret, vel insectaretur, sed ipsummet, id est, Ecclesiæ persequutores hæreticos, qui Imperatorum, vel Regum potentia aliquando ficti impunè se putabant sæuire in Catholicos, quasi nemo esset, qui eorum cædes curaret. sunt qui non malè, vt per equum hæresim, per mortem diabolum, ita per infernum sequentem intelligant damnatorum multitudinem. sequuntur enim, & diabolum imitantur, qui sunt ex patre diabolo, hæretici, & qui hæreticis consentiunt, &c. dãnatorũ cõgeries. sed prior expositio melior.

11. Verè enim Iustus in Canica Canticorum sic scribit: *Sampson qui interpretatur sol, captis trecentis vulpibus, eorum caudis ignem apposuit, & fructus inimicorum accendit. semper enim hæretici in primordijs velut ficta religione conspicui, in extremis suis ignem trahunt gehennæ incendio deputati.* Aug. serm. de Sampsone idem ferè habet: *caudæ vulpium*, inquit, *quid sunt, nisi posteriora hæreticorum, qui prima habent magna, blanda, & deceptoria opera, posteriora ligata, id est, damnata, & in ignem in fine trahentia, vt eorum fructus, & acta consumant, qui suis seditionibus acquieuerunt.*

A

Eandem Sampsonis historiam paulò aliter, sed non minus egregiè ad hæreticos etiam accommodat idem Augustinus in eundem Psal. 80. docet enim hæreticos aliud atq; aliud credere, ipsamque fidem falsitate variantes inter se dissentire, cùm tamen omnes à terrenis cogitationibus non recedant, & in terrenis cogitationibus consentiant sibi: *opinio*, inquit Augustinus, *diuersa est, vanitas vna est; de illis in alio Psal. dicitur: ipsi de vanitate in vnum colligantur. quamuis opinionum varietate discordent, simili tamen vanitate colligantur. Et nostis, quia vanitas retro est, posterior est: ideò illa quæ retro oblituus est* (Paulus) *id est, vanitatem oblitus, in ea, quæ ante sunt, id est, in veritatem extensus, sequitur ad palmã supernæ vocationis Dei in Christo Iesu* (Philp. 3.) *ideò Sampson caudas vulpium colligauit. vulpes insidiosos maximeq; hæreticos significant dolosos, fraudulentos, cauernosis amfractibus latentes, & decipientes, odore etiam tetro putentes, contrà quẽ odorem dicit Apost. Christi bonus odor sumus.* (ergò) *Sampson qui interpretatur sol, & figuram habebat Christi colligauit caudas vulpiũ, & ibi ignem alligauit* (intellige August. secundùm iustam Dei permissionem loqui) *ignem ad incendendum, sed messes alienigenarũ. proindè tales consentientes* (Hæreticorum vanitati, & falsitati) *in posterioribus tanquam caudis colligati, trahunt ignem corrumpentem, sed non incendũt nostrorum segetes. nouit. n. Dominus qui sunt eius, & recedit ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. in magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & alia quidem sunt in honorem, alia verò in contumeliam, si quis autem mundauerit se ab huiusmodi, erit vas in honorem, vtile Deo, ad omne opus bonum paratum, & ideò nec caudas vulpium, nec faces vulpium pertimescet.* Sic Aug. hic ergò ignis in alligatis caudis hæreticorum, & consentientium, tandem rapit istos simul vinctos, & ruere in infernum, præcipites facit, vt ibi horribili, ac sempiterno alio igni torreantur: quod in Apocalyp. per infernum sequentem equum significari diximus n. 10.

B

C

12.

13. Nec aliter Victorinus locum hũc Apoc. exponit, sic enim scribit: *Cùm enim dicit: & infernus sequitur eum, id est, exspectat deuorationem animarum multarum impiarum.* sic ille. rectè quidem, vt intelligas non deseri à Deo, neque contemni fideles, ac Catholicos, sed æterna supplicia manere, ac sequi eorum violatores, interfectores, & insidiatores hæreticos, siue Tyrannos, siue Imperatores, quę nullo modo effugere valeant, quamuis fortes, & potentes, quod ab Isa. c. 5. 14. prædictum videtur: *propterea dilatauit infernus animam suam; & aperuit os suum absque vllo termino; & descendent fortes eius, & populus eius & sublimes, gloriosiq; eius ad eum.*

D

14. Sequuntur post prædicta verba Apoca. hæc v. 8. *& data est illis potestas* (diuina permissione) *super quatuor partes terræ*; quia tam multos in omnibus totius Christiani orbis partibus, vel interfecerunt, seu persecuti sunt, vel deceperunt, vt quartam terræ Romanis subiectæ partem conficerent, si simul coirent Græcè namq;

habe-

Digitized by Google

habetur: ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς γῆς, *super quartam terræ partem*, licèt forte aliter noſter interpres legerit, & probabilius; Vel intelligere poſſumus ſuper quatuor partes terræ, id eſt, ſuper Chriſtianum vniuerſum orbem. quo enim non penetrauit tam dira lues, quam Indos etiam peruaſiſſe audiuimus? quod eſt cõformius noſtro interpreti. Subdit Ioann. *interficere gladio* perſecutionis, vel detractionis; *fame*, audiendi verbi Dei; *morte*, id eſt, alio quolibet nocendi, & perimendi genere. *& beſtijs terræ*, id eſt brutis, & ratione carentibus concupiſcentijs.

15. Cùm ergò tam peſtilens ſit hæreſis, & tanta, ac tam multa in Eccleſia Dei inuehat damna, nimirum infinitam malorum ſiluam, eſt quod libenter audiamus, & ſalutare hoc Chriſti præceptum diligenter ſeruemus, quo ſuis præcipit vt iterum, atque iterum attendant à falſis Prophetis; & ne decipiantur monet, veſtiri ſolere illos veſtimentis ouium, cùm re vera lupi ſint rapaces; ſubijcitque modum, quo agnoſcere illos poſsint, nequando eorum laruę ipſis imponant; *à fructibus*, inquit, *eorum cognoſcetis eos*. Quæ de re quia multa diximus in Scholijs, duas tantum hic notas, quæ ad internoſcendos hæreticos maximè faciunt, & conformandis moribus magis inſeruiunt, beuiter aperuiſſe contentus ero. Prima igitur nota ſit in primis incredibilis quædam ſuperbia ac faſtus, ſunt enim hi, vt Eugubinus ait in cap. 11. Deuter. ſimiles Dathan, & Abyron: vt enim hi ſub prętextu pietatis dominandi libidine, ac ambitionis æſtu agitati, ei principatum adimere conabantur, cui fuiſſet à Deo traditus; ita hi ſanctæ Eccleſiæ corpus diſiungere nituntur, dum caput eius à ſummo Deo conſtitutum, imminuere, lacerare, dedecorare impijs maledictis non ceſſant. neque aliud fit ab his in ſummum illud caput, quàm à Dathan, & Abyron in Moyſen tentatum eſt, genus hominum miſerabiliſsimum, ac pernitioſiſsimum &c. quorum adeò proceſsit audacitas, & gygantæa immanitas, vt eis nec cœlum iam ſufficiat, in quo ſuæ ſceleratiſsimæ linguæ virus euomant, ore impijſsimo blaſphement, dum eius incolas tantis probris, ac mendacijs dehoneſtant.

16. *Humilitas hæreſi oppoſita.* Et certè non mirum eſt ſi hęretici ſuperbiſsimo faſtu tumeant, cùm nihil æquè hæreſi opponatur, atq; humilitas; quod ex his duobus facilè erit cognoſcere. primùm quidem quia recta fides haberi non poteſt ſine humilitate, qua in captiuitatem, vt Paul. ait 2. ad Corin. 10. redigatur intellectus; per fidem enim ea credimus quæ non videmus: *quid enim eſt fides*, ait Auguſt. tract. 40. in Ioann. *niſi credere quod non vides*? At hæreſis cùm à recta fide declinet, humilitatem hanc tenere non poteſt; neque enim iugo fidei, ac diuinæ reuelationi intellectum ſubdere vult; deindè cùm hæreſis maximè Eccleſiam audire detrectet, eiuſque caput Pontificem Romanum, & veterum Patrum dogmata conuellat, & in explicandis Scripturis ſacris ſui capitis ſenſus, vel cõmenta potiùs, antiquis concilijs præferat, non poterit vnquam Eccleſiam habere matrem, ac proindè neque Deum Patrem; ſic enim ait Cyprianus de vnitate Eccleſiæ, *non poteſt Deum habere Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere matrem*; quarè Auguſtinus epiſtola quinquageſimaſexta, Dioſcoro conſulit, quod quia hæreſum mater eſt ſuperbia, eam euitet, humilitati ſtudeat: *non aliam tibi ad capeſſendam, & obtinendam veritatem viam munias, quàm quæ munita eſt ab illo, qui greſſuum noſtrorum tanquam Deus videt infirmitatem. Ea eſt autem prima humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas; & quoties interrogares, hoc dicerem.*

Hoc humilitatis ſignum ad agnoſcendos hæreticos homilia decimanona operis imperfecti ſic eleganter obſeruauit auctor: *ſi quis lupum comperiat pelle ouina, quomodo cognoſcet illum, niſi aut per vocem, aut per actum? ouis inclinata deorſum balat, lupus in aera conuertit caput ſuum contra cœlum, & ſic vlulat. qui ergò ſecundùm Deum vocem confeſsionis, & humilitatis emittit, ouis eſt; qui verò aduerſus veritatem blaſphemijs vlulat contrà Deum lupus eſt.* 17.

18. *Hæretici nouitatibus ſtudent.* Altera nota eſt quod hæretici nouitatibus ſtudent, vetera contemnunt, figunt, & refigunt prout illis in mentem venit, diruunt, ædificant, mutant quadrata rotundis, denique quæ à veteribus ſanctè, ac validè confirmata ſunt, reijciunt, & Eccleſiæ conſenſionem, antiquitatem, vniuerſitatem præ ſe ipſis reſpuunt, cùm ad tetinendam fidem contraria omninò remedia adhibenda ſint. Quam rem Vincentius Lyrinenſis in commonitorio capite tertio, accuratiſsimè docuit: *in ipſa*, inquit, *Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt, vt id teneamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. hoc eſt etenim verè, proprieq; Catholicum quod ipſa vis nominis ratioq; declarat, qui omnia verè vniuerſaliter comprehendit: ſed hoc ita demum fit, ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. ſequemur autem vniuerſitatem hoc modò, ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia. Antiquitatem verò ita, ſi ab his nullatenus recedamus ſenſibus, quos ſanctos maiores, ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt. conſenſionem quoq; itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certè penè omnium ſacerdotum, pariter & magiſtrorum definitiones, ſententiasq; ſectemur.* Sic ille.

19. Hanc doctrinam ſequutus Auguſtinus ſic contra epiſt. Manich. c. 4. ſcribit; *multa ſunt quæ in Eccleſiæ Catholicæ gremio me iuſtiſsimè teneant. tenet conſenſio populorum, atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, caritate aucta, vetuſtate formata: tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas, poſt reſurrectionem Dominus commendauit vſq; ad præſentem Epiſcopatum ſucceſsio ſacerdotum: tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, vt cùm omnes hæretici Catholicos ſe dici velint; quærenti tamen peregrino alicui vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum, vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.*

Digitized by Google

DIGRESSIO IV.

In eadem verba: *Attendite à falsis Prophetis*, &c.

1. *Triplex Pseudoprophetarum genus.*

TRIPLEX est, vt hæc verba magis ad mores accommodemus, Pseudoprophetarum genus; vnum mundus, alterum caro, tertium diabolus. mundus sanè mendax propheta est, plurima promittit, sed quantam in promissis fidem seruet, experiũtur miseri, qui in illo spem suam collocant. similis enim est quadringentis prophetis illis, quorum 3. Reg. 22. mentio fit, qui Achabo Regi victoriam pollicebantur de habitatoribus Ramoth Galaad, quã vt Regi persuaderet vnus ex ipsis Sedecias nomine, commentus est cornua quædam ferrea in similitudinem tauri, & is hùc illùc excurrens sic loquebatur: *Hæc dicit Dominus; his ventilabis Syriam donec deleas eam.* Sed quàm falsò ac mendaciter ea prædixerit, quãque impudenter mentitus fuerit, rei declarauit euentus. sic enim scriptura belli exitum narrat: *mortuus est autem Rex* (Achãb) *& perlatus est in Samariam: sepelierunt que Regem in Samaria, & lauerunt currum eius in piscina Samariæ, & linxerunt canes sanguinem eius, & habenas lauerunt, iuxta verbum Domini quod locutus fuerat.* non absimilis Sedeciæ huic mũdus est, maria, & montes pollicetur, sanitatem, honores, diuitias, dignitates, vitam, ac si omnia hæc, manibus concluderet, & in potestate sua esset, ista dilargiri: sed mentitur furcifer, & nebulo, captiosis nãque verbis suis imponit, & eorũ corda fascinat, obtrudés tandẽ laborẽ pro requie, solicitudinem pro tranquillitate, mœrorẽ pro gaudio, mortem pro vita, scoriam pro auro.

2. *Mundus hypocrita.*

Vt meritò in illum retorquere possis illud Iobi 20. 5. *gaudium hypocritæ ad instar puncti.* rectè enim in mundum *hypocritæ* vocabulum cadit, & pseudoprophetæ, cùm aliud verbis polliceatur, aliud rebus ipsis præstet, igitur ea quæ confert gaudia, speciem potius continent gaudij quàm gaudium ipsum; euanescunt statim, & momento temporis transeunt. Quod significatum esse Lucæ 4. loci eius interpretes docent, cùm diabolus è montis excelsi supercilio Christo Domino ostendit omnia regna orbis terræ in momento temporis, vt ab illo sui adorationem extorqueret; sic enim mendax dicebat: *tu ergo si adoraueris coram me, erunt tua hæc omnia.* non aliter mundus in quem diabolus suum transfudit mendacij spiritum, blandiens tibi, pollicetur fore te perpetuò felicem si ei morem geras, eiusque viuendi rationem & præcepta sequare. Verùm ea omnia in modum puncti, cuius nulla pars est, ac nihili fuisse tandem mundani homines post deceptionem aduertunt, sunt enim illa quæ vel tribuit mundus, vel pollicetur tanquam ea, quæ Magi dolente diabolo apparere faciunt, cùm reuera talia non sint qualia videntur.

3. *Mundani similes periclitantibus in aquis.*

Sic rectè comparabimus eos, qui in fallacibus mundi pollicitationibus spem suam collocant, ijs qui mersi in aquis periclitantur: videas enim eos, vt eleganter Bernardus describit Sermone 1. De aduentu Domini: *Tenentes tenere, nec vlla ratione deserere, quod primùm occurrerit manibus, quidquid sit illud, licèt tale sit, quod omnino prodesse non possit, vt sunt radices herbarum, cæteraque similia. nam etsi qui fortè ad eos veniant vt subueniant, nonnunquam solent apprehensos inuoluere secum, adeò vt nec sibi, nec alijs ferre auxilium præualeant; sic pereunt in hoc mari magno, & spatioso, sic pereunt miseri, dum peritura sectantes, omittunt solida; quibus apprehensis, enregere & saluare possent animas suas: ita, inquam, pereunt, qui omissis veris & salutaribus studijs, caduca & transitoria quærunt, à quibus nequeunt diuelli.* Sic Bernardus. Et quidem quàm verè, experiuntur miseri, qui ex hac vita subtracti amittunt æterna, quæ non curarunt, & priuantur terrenis, quibus infeliciter adhæserunt, quos sempiternis pœnis cruciandos deuorabit infernus: sic videlicet mundani homines decipiuntur.

4. *Mundus pix & viscus est.*

Enimuerò pix est mundus, & quamlibet leui attactu tãgentes inquinat. Viscus est mundus, qui tuos imitatores in modũ aucupis peccati, & mortis ęternæ carceri addicit. Laqueus est mundus, qui voluptatibus & opibus velut escis obiectis allicit, atque capit incautos, & secum trahit in foueam interitus. vnde mihi vix possibile videtur, vt qui mundi legibus viuit, purus ab inquinamentis mundi, & immaculatus hinc emigret.

5. Sapienter Hector Pintus in c. 3. Ezech. *Quẽadmodum*, inquit, *mare conchylia, & torpedines, & algas proijcit in litus extra aquam, sed non multò post iterum hæc omnia sorbet, & proijcit in profundum: sic mundus modò nos expellit, modò recipit, & quando in litore tranquillo arbitramur esse, tunc nos deceptos aspicimus, & rerum discriminibus, magnisque calamitatum angustijs agitatos.*

6. Quare, si sapimus, hirundines imitemur, quæ, vt ait Solinus, in domo minante ruinam non nidificãt, imò fugiunt à malè materiatis ædificijs: quantò magis homines debent à mũdo recedere, quem sciunt esse caducum, & ruinosum, & ipsis amicis pericula molientem?

7. Cauendum igitur est diligenter à tam perueršo & falso Propheta, dum venit blandis promissionibus, & fallacibus bonis obtectus, vt sic incautos ad damnationis interitum protrahat: *imitemurque illos*, vt Nilus aduertit in libro ascetico, *qui in mari nauigant, sauiente tempestate merces negligunt, & proprijs manibus onera in mare proijciunt, & fortunis vitam anteponunt, ac ne naus pondere oppressa demergatur, eam subleuãt, & pretiosissima quæq; vel in profundũ iaciũt: cur nõ etiã nos propter vitã præstantiorẽ ea despicimus, quæ animũ in profundum demergũt? cur idem non potest Dei timor, quod potest timor maris? illi caduca vitæ cupiditate aliarũ rerum iacturam leuem putant, nos qui ad vitam æternam aspiramus, propter illam nihil quãuis abiectũ contemnimus. sed malumus simul cum onere perire, quã illo proiecto seruari. Agite exuamus omnia, nudus enim consistit aduersarius, numquid induti luctantur pugiles? numquid certaminis lex iubet eos nudos stadium ingredi? nudum verò & vnctũ oportet certare. nuditas. n. facit vt ab aduersario luctator apprehẽdi non possit: vnctio autẽ vt si quãdo fuerit apprehẽsus elabatur: propterea luctatores puluerẽ aduersarijs conãtur aspergere, vt olei lenitatem puluere iniectione exasperẽt, atq; ita eos facilio apprehẽdere valeãt. Ita quod illic est puluis, id in nostro certamine est in terrenis rebus occupatio, & quod illic est oleũ, hic est quietis studiũ ab omni solicitudine vacuũ.*

hæc

Digitized by Google

hæc non minus piè, quàm acutè Nilus. Contemnendus est igitur mundus ne malis eius inuoluamur, & sempiternis baratri tenebris immergamur.

8. *Caro alter Pseudopropheta.*

Sed non minus fallax, & captiosa est caro, ita vt ab ea tanquam à pessimo Pseudopropheta, & subdolo cauendum sit; & tanto magis, quanto nobis coniunctior est, cuius similitudinē gessit Iahel, quæ Scriptura teste, cū occurrisset Sisaræ duci de prælio fugienti, quasi. n. expansis manibus applaudens illi blandis, ac dulcibus verbis persuasit, vt tabernaculū suū ingrederetur, & vehementer defatigatus, aliquantulū cōquiesceret, seq; sopori traderet. Ingressus ille fraudis nescius, & blandæ mulieri nimium credulus de manu eius lactis poculū hausit, qui cùm postea graui somno correptus esset, Iahel sensim accedēs, clauū profundè infixit capiti, dolo deceptū interficiens, quē tam blandè priùs inuitauerat. blanditur nobis caro, & obiectas delicias, & voluptates, veluti dulce lac nobis propinat, ita vt graui quasi veterno correpti, rerū cęlestiū, mortis, ac diuini iudicij obliuiscamur, atq; ita incautis irrepat animę, & corporis interitus. & verò quod nunc *lac* vocauimus, Salomon alibi *vinum* appellat, iuxta D. Th. de regimine Principum l. 1. c. 10. Prou. 23. 31. *ne intuearis*, inquit, *vinum quando flaueſcit, cùm splenduerit in vitro color eius, subitò. n. mordebit vt coluber.* Vt sit verborum sententia, ne vinū carnaliū voluptatū, & spurcissimarū deliciarū suo robore, & inani quadam specie per oculos te capiat; quin quoties te ad potandum illud caro alliciet, & velut in vitro. i. corā oculis tuis splendēs, quasi inuitabit, auerte oculos, & ingemiscens cęlum suspice, cœlestemque opem implora. Certissimum enim (quamuis initio benè sapere palato videatur, & gutturi esse suaue) mox sub finem virus suum spargens, afferet exitium, teque vt coluber, mordens, sempiternum inuehet in interitum.

9. Prudenter Aug. Psal. 139. *spinæ non pungunt in radicibus, erue spinas de terra, contrecta radices ipsarum, & vide si sentis dolorē tamen illud vndè dolorem sentis in superficie de radice processit: itaque non vobis placeant homines quasi lenes, & blandi, amatores tamen carnalium voluptatum, & inquinatarum cupiditatum sectatores non vobis placeant, etsi adhuc videntur lenes, radices spinarum sunt, &c. inuendatur radix, & nō est vndè spina procedat.* quo exemplo vult nos Augustinus à carnalium hominū consuetudine longè auertere, & vt ab his tanquam à falsis Prophetis caueamus, monere.

10. Igitur caro domanda est, atque iuxta Pauli Apostoli sententiam ad Galat. 5. cum vitijs, & concupiscentijs crucifigenda, *vt enim equo ferocienti*, inquit Pintus in Ezech. c. 31. *& sessori minime obtemperanti, pabulum subducitur, & pro hordeo tribuitur ei palea, sic carni nostræ spiritui aduersatrici, & ob dapes, & delitias, & epularum varietates, rationi rebellatrici, subducenda est escarum copia, & cibus sobrius suppedstandus, vt sedata, & castigata anima, sessori suo libenter obediat. Et vt inimici in obsidione se dedunt hostibus, si illis alimenta auferantur; ita caro, & sensus nostri hostes animæ ablatis epulis se tradunt animæ, & ieiunio inutilia desideria coercentur.*

11. Et meritò sic faciendum vt Hector Pintus monet, alioqui insolescet caro, & contra omnem rationem, & Dei iussum dominabitur in homine; quod quàm absurdum sit, quàm infame. Absalon serm. 3. de Annūciatione Mariæ, (quem citat Ioan. Dadræus in locis communibus similium & dissimilium v. Caro) eleganter docet: *quidam ait vir nobilis, & eius seruus tibi in custodiam dati sunt, ea lege, vt seruum pane, & aqua more serui; nobilem secundum dignitatem natalium suorum procurares splendidè. Tu verò è contrario, nobilem fame, & siti, & multis iniurijs confeciſti; seruum verò delicatè nutriſti, omni genere delitiarum insolentem feciſti, rebellem Domino suo, quem insurgens vulnerat inultus, occidit tandem. quid respondebis ei qui vtrumque tibi commisit? tu homo, crudelis homo fuisti, qui nobilem spiritum, & animam, nullis delitijs virtutum, nulla pinguedine deuotionis refeciſti; seruum contumacem nutriuisti delicatè, qui carnem gula, ebrietatibus, voluptatibus huius vitæ inescasti: caro insurgit in spiritum, eum vitijs seruire cogit, vulnerat occidit.* ergò diligēter cauendū & ab hac falsa Prophetide, quæ venit ad nos blandientis, & amantis speciem præ se ferens, cùm re vera hostis infensissimus rationis sit, & dulces obtendens corporis voluptates, virus nobis pestilentissimum instillat.

12. *Diabolus Pseudopropheta.*

Sequitur tertius Pseudopropheta multò pessimus, & callidissimus diabolus, de quo Christus Ioannis 8. 44. *ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo: cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & Pater eius.* nam statim vt creatus est homo, diabolus seduxit eum, & ad peccandum induxit, vndè factum, vt inuidia diaboli mors introiret in orbem terrarum, deindè nō modò mendax, sed & pater mendacij est; indè enim ortum mendaciū, primis namque parentibus mendaciter dixit: Gen 3. 4. 5. *nequaquam moriemini; scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperiētur oculi vestri, & eritis tanquam dij scientes bonum, & malum*: quibus verbis quatuor non falsa modò, verùm impia etiam sua oratione inuoluit. primum Deum esse mendacem, hoc enim significat nequaquam moriemini, contra ac dixerat Deus. alterum est Deum inuidisse eis felicitatem; ac summum quoddam bonum, hoc enim est quod subdit, *scit enim Deus quod si comederitis ex eo, aperientur oculi vestri* & cætera. Tertium fuit arborem illam efficacitatem quandam in se continuisse, qua efficere poterat illos rerum omnium scientes. Denique posse homines scientia fieri similes Deo, propter esum fructus illius arboris. ergò dum loquitur mendacium ex proprijs loquitur, nam quantum in ipso est, semper est mendax. & verò eo consilio interdum verum loquitur, vt fallaciter falsa persuadeat. etsi verum aliquod simpliciter dicit, id à Deo coactus facit: nec ex proprijs vnquam verum simpliciter loquitur: est autē in modum serpētis lubricus, callidus, ambiguus, vndè non mirum, quod tota ea serpētis oratio cum muliere ambigua est, & in diuersas flexibilis sententias; Sophisticè enim dæmon loquutus est, & tanquam princeps omnium Sophistarum, qui aūt *Sophisticè loquitur odibilis est Deo* Ecclesiast. 37. 23. quæ omnia Rupertus cap. 7. & 8. libro tertio, de Trinitate pluribus ostendit, ita verò

inso-

insolens, inuidus, & superbus est, vt etiam Deo mendacij notam inurere audeat, idque homini persuadere conatur ad eos decipiendos, vt Deo non credat, nec obsequatur. voluit ille quidem aliquando similis fieri Deo, cùm diceret, *conscendam in cœlum, super astra Dei ponam solium meum, ero similis altissimo.* Cæterum quia hoc ei non successit, voluit posteà facere Deũ sui similem, id est, mendacem, & inuidum, idque homini probare, ac persuadere tentauit.

13. Est ergò verè mendacissimus Propheta, neque id initio modò nascentis mundi fuit, verùm semper se talem ostendit, quod D. Greg. lib. 14. moral. cap. 7. & 8. docet: *quod*, inquit, *in paradiso egit, hoc quotidiè antiquus hostis agere non desistit. verba quippè Dei de cordibus hominum molitur euellere, atque in eis ficta promissionis suæ blandimenta radicare. quotidiè hoc quod Deus minatur leuigat, & ad hoc credendum quod falsum promittit, inuitat. falso enim pollicetur temporalia, vt mentibus hominum ea supplicia leuiget, quæ Deus minatur æterna. nam cùm præsentis vitæ gloriam spondet, quid aliud dicit quam gustate, eritis sicut dij; ac si apertè dicat: temporalem concupiscentiam tangite, & in hoc mundo sublimes apparete; & cùm timorem diuinæ sententiæ amouere conatur, quid aliud loquitur, quàm id, quod primis hominibus dixit: cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi?* quibus apertè declaratur ex verissima Gregorij sententia, quàm subdolus & impostor Propheta sit Dæmon, quare rectè tentaturus Adamum, non alio quàm callido serpente vt instrumento vsus est. & Bernardus sic ostendit in sermone quodã de quadruplici debito: *non timeo vobis fratres à viribus Sathanæ, cùm nouerim fortitudinem eius per Redemptoris nostri vulnera traductam, & deductam ad nihilum. Aversutijs, & astutijs illius formido mihi est pro vobis, in quibus partim subtilitate naturæ, partim experientia temporum sub tot annorum millibus eruditus fragilitatem humanæ naturæ quaqua versum se verterit non ignorat. sic ille insatiabilis homicida primis parentibus nostris non vrsos, non leones, non fortia terræ animalia delegauit, sed tortuosum, & callidum serpentem, qui per sinuosa volumina nunc caput cauda, nunc capite caudam tegere consueuit. denique & serpens non fortior erat, sed callidior cunctis animantibus terræ, ait Scriptura.* & paulò pòst, *timeo ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, sic & sensus vestri corrumpantur à castitate, quæ est in Christo Iesu.* hæc Bernardus.

14. Aperit & dæmonis astutiam, simulque & crudelitatem Athanas. lib. 1. vel orat. 1. contrà Arianos: *quemadmodum*, inquit, *plagiarius, cùm auertere cupit alienos libros, longè à parentibus suis peregrè agentes, assimulat speciem, vultumq; parentum, quos vbi desiderio sui captos, deceptosq; longius abduxerit, iugulat, & occidit. eadem quoque ratione sinuosus ille, & doli fraudisq; magister diabolus, nihil sibi fidens, vtpotè qui sciat humani generis ad veritatem amores, veritatis speciem, vultumq; prætendit, suum tamen interim virus comitibus suis, & assectis inspargit.*

15. Attendere igitur & ab hoc Pseudopropheta monet nos Christus ne capiamur; neque enim nudum hamum, sed esca tectum piscator piscibus obijcit; ita diabolus piscator pessimus animarum, ad deuorandum eas, non nudas nobis tentationes obijcit, sed esca voluptatis, vel necessitatis, vel aliquo colore sanctitatis circumuestitas hominibus proponit. sicut enim, vt ait Chrysost. hom. 15. ad pop. Antioch. *Pueri terra laqueos: sic diabolus vitæ voluptatibus peccata circumtexit; siue consulat quispiam, siue aduletur, siue obsequatur, siue honores polliceatur, siue quodcumque aliud, omnia cum diligentia exanimemus. si lucrum occurrat; scrutare ne fortè peccatum intrà lucrum sit absconditum. si voluptas; ne voluptatem solùm respicias, sed ne fortè iniquitas aliqua in voluptatis profundo sit, considera.* omnes ergò isti, siue mundus, siue caro, siue dæmon, falsorum Prophetarum nomine rectè intelliguntur, à quibus per deceptionem, & dolum, sed sub specie bonitatis alicuius, vel veritatis perdere nos volunt. cæterum à fructibus, id est, infelici rerum euentu, & eorum interitu, qui eos assectantur, deprehendi poterunt.

DIGRESSIO V. MORALIS

In vers. 19. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum* &c.

CVM homo vt veteres Philosophi etiam tradidêre arbori similis sit, & manu Dei in hoc mundo plantatus, meritò Christus Dominus fructũ ab eo quærit. nam quis, obsecro, vineam plantat, colit, irrigat, & de fructu eius non comedit? iustum ergò est, quod Christus hic docet, vt arbor non faciens fructum, euellatur, & igni tradatur, vt æternùm ardeat. quod si è contrario hic fructum ferat, quem Deus ab illa requirit, transferenda hinc erit in cœlum, vt inter ligna vitæ ibi collocetur.

1. *Homo arbori similis.*

Est autem fructus quem à nobis exigit Christus, vt Patris sui voluntatem impleamus, quem si ad extremum iudicij diem in nobis nó inuenerit, rescindi nos iubebit, & ab se ablegatos in ignem conijci. dicet enim hominibus, qui instar sterilium arborũ sunt, *discedite à me omnes operarij iniquitatis.* qua sententia nihil peius accidere homini potest. nam quid illi boni inesse potest, qui caret eo, sine quo nihil boni esse potest; quod sanè non obscurè indicatum fuit 1. Reg. 28. 16. per verba illa Samuelis, quæ Sauli dixit, à quo, quia eius voluntati non fuerat obsecutus recesserat Deus: *quid*, inquit Samuel; *interrogas me, cùm Dominus recesserit à te?* quis enim solari eum hominem potest, à quo Deus recessit? si ergò tantum bonum, id est, omne bonum amittere times, à Dei voluntate ne recesseris, sed tanquam fœcunda arbor, hũc ei fructum perpetuò redde.

2.

Canticorum 6. 10. inquit, cœlestis agricola: *descendi in hortum meum vt viderem poma conualium.* hortus Christi, vel vinea Ecclesia est. videtur ergò Christus qui est huius horti Dominus, velut quotannis ad plantas suas accedere, vt ex illis fructum recipiat aliquem; propterà enim in Ecclesia nos plantauit. cæterum timendum valdè est, ne si nos infructuosos vno, altero, vel etiam tertio anno inuenerit, dicat cultori vineæ suæ, vt est Luc. 13. 7. *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac,*

3. *Hortus Christi Ecclesia.*

Digitized by Google

hac, & non inuenie; succide ergò illam, vt quid etiam terram occupat? continet ficus hæc velut similitudinem quandam Christiani hominis, vt Augustino videtur in ser. de tempore barbarico. is terram occupat si sterilis est, tanquam inutile pondus Ecclesiæ; expectat tamen benignus, ac clemens Dominus fructum ficus, quam per vineæ pastores, & concionatores colit, neque interim ipse deserit, sed pluuia, & sole, id est, cœlestibus auxilijs, & inspirationibus iuuat. quod si fructum, neque diu exspectata profert, securim admouet, excindit illam, & vt æternùm ardeat, in ignem conijcit inferni; *Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.*

4. Talis arbor fuit Israelis populus, de quo Isa. quinto, quarto, *expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas.* talis & ille, de quo Iob vigesimoquarto, vigesimotertio. *dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam,* neque aliud significat Paulus ad Rom. 2. dum ait; *ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram;* & ad Galat. 6. monet nos dum tempus habemus operari bonum ad omnes.

5. Quod si datum tempus ad resipiscendum, & Dei voluntatem implendam, in vitijs & peccatis insumpserimus; iustus est Deus; ipse collatum beneficium in supplicium tanto grauius, & in maiorem sempiternum cruciatum conuertet. Quod rectè sic obseruauit Gregor. lib. 17. moral. cap. 4. *quisquis delinquit, & viuit, idcircò hunc diuina dispensatio in æquitate tolerat, vt ab iniquitate compescat. sed qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compescitur, munus quidem superna patientiæ percipit, sed reatus sui vinculis ex ipso se munere arctius astringit. nam quia accepta pœnitentia tempora diuertit ad culpam, districtius in vltimis Iudex, impensa argumenta misericordiæ conuertit ad pœnam.* Hæc Gregor. ô igitur nos infelices, quos tamdiu Dominus tolerauit roganti-bus sanctis viris & electis eius: sicut fecit cultor ille vineæ, qui dum diceret illi Dominus, vt sterilem, & infœcundam arborem succideret, respondit v. 8. & 9. *Domine dimitte illam, & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora; & siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.* hic ergò colonus, quilibet sanctorum est, qui pro nobis orat, pro arbore sterili orat. *& quid orat?* inquit Augustinus serm. 31. de verbis Domini, *Domine dimitte illam, & hoc anno, id est, tempore isto sub gratia;* (*triennium enim tria sunt tempora, vnum ante legem, alterum sub lege, tertium sub gratia*) *parce sterilibus, parce infructuosis. circumfodio eam, & adhibeo cophinum stercoris. si fecerit fructum, benè: sin autem minus, venies, & amputabis eam* &c. *quid est autem circumfodere, nisi humilitatem, pœnitentiam, & patientiam dosere? fossa enim humilis est terra. Cophinum stercoris in bono intellige, sordes sunt, sed fructum dant. sordes cultoris dolor est peccatoris. qui agunt pœnitentiam, in sordibus agunt, sic tamen intelligant, & veraciter agunt; huic ergò arbori dicitur: agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum.*

6. Similem arborem sterilẽ, & infœcundam descripsit nobis Daniel cap. 4. per quam significabatur Nabuchodonosor, arbor quidem sublimis, & robusta, cuius altitudo pertingebat ad cœlum, cuius potestas in terminos vniuersæ terræ sese porrigebat, quia verò fructus huius arboris pessimus erat, & Deo inuisus, ideò audita est vox vigilis, & sancti descendentis de cœlo, & præcipientis: *succidite arborem, & dissipate illam, reuidite ramos eius, excutite folia eius, & dispergite fructus eius.* neque verò solùm vt ait D. Hieronymus Nabuchodonosor; sed omnes impij in Scriptura comparantur arboribus, vnde Dauid ait Psalm. 36. 35. *vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros libani,* nec illi tamen virtutum magnitudine, sed sua eleuantur superbia: & ideò excinduntur, & corruunt, quia consilium illud Domini sectari noluerunt: B *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Proindè timẽdum valdè est, ne arbores huiusmodi simus, cuiusmodi sunt omnes superbi, quibus omnia ad nutum fluere videntur, ac prosperè succedere, & in tantam excrescere proceritatem, vt ad cœlum vsque peruenisse vulgo censeantur, qui ducunt in bonis dies suos, & cum ferino more viuentes tam multos malos fructus producant; steriles tamen sunt, & infœcundi Deo; istis certè eadem, quæ Nabuchodonosor, imminet vltio; ex terrenis enim bonis securi diuinæ sententiæ exciti, dissipabuntur, & omnia eorum consilia, diuitiæ, voluptates, honores, ceu fumus, & quasi nihilum illicò deficient, & euanescent, eorumque recordatio sempiterna obliuione sepelietur.

G Semper igitur sancti præcursoris verba Matth. 3. 10. habenda nobis ante oculos sunt; *iam securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.*

7. Quænam arbor sterilis. Verùm illud adhuc aduertendum est, etiam illas arbores steriles dici, quæ alijs, cùm possint, neminẽ prosunt, quod Gregorius pastoralis curæ parte tertia, capite vigesimosecundo, sic docet: *qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur; admonendi sunt quoque, vt solicitè attendant quod siculnea, quæ fructum non habuit, contra hanc districtus Agricola queritur, quod etiam terram occuparit terram quippe siculnea sine fructu occupat, quando mens tenacium hoc quod prodesse multis poterat, inutiliter seruat; terram siculnea sine fructu occupat; quando locum, quem exercere alius per solem boni operis valuit: stultus per desidiæ vmbram premit.*

8. Nec D. Leo serm. 7. de ieiunio decimi mensis cap. 2. aliter sentit sic scribens: *præter illam namque Apostolicam sententiam, qua homines fructu pietatis carentes, vacuis arboribus comparantur, etiam illa ficus nobis cauenda est, de sua infœcunditatis exemplo, quam Dominus Iesus sicut Euangelium refert (Matth. 21.) nihil habentem quod esuriens sumeret, perpetua sterilitate damnauit; vt intelligeremus, quoniam qui esurientem non refouet egenum, illi denegat cibum, qui, quod pauperi est datum, sibi dixit impensum. & huius maledictionis arbores erunt, quibus à iudicante dicetur; discedite à me maledicti in ignem æternum, quem præparauit Pater meus Diabolo, & Angelis eius. esuriui enim, & non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi bibere, &c. quæ ideò singula recoluntur, vt aduertamus, non futu-*

futurum extra misericordiam, qui vel partem horum operum fuerit exequutus. anima autem neminem iuuans, erit arbor non habens poma, cùm totius fructu pietatis inuenietur aliena. Sic Leo. Vndè licet intelligere ex sententia Patrum, etiam eas fore arbores infructuosas, & excidendas, quæ alijs non prosunt cùm debent: quanto ergò seuerius illi punientur, qui sine vllo fructu virtutum, imò verò multis sceleribus inquinati, vitam hanc more ferarum traducunt, & in Dei misericordiam, qua illos expectat, vt fructum ferant, ingrati sunt?

9. Nec tamen huiusmodi arbores diu steriles desperare debent; nam vt acutè obseruat Theophylactus in capite Matthæi septimo, rectè Christus arbori confert hominem, eò quòd potest à sterili peccato in virtutem inseri. sicut enim arbor nemoris inseri potest, vt fructum bonum afferat, ita peccator qui ex se non aliud producit quàm spinas, & carduos delictorum, si à Iesu Christo Domino insertus per fidem, & charitatem fuerit, æternæ gloriæ fructum proferet.

10. Curemus igitur quanta maxima possumus diligentia in primis vt arbores viuæ, non emortuæ, & aridæ simus, alioquin sine fructu erimus, etiam si fidem teneamus; etenim vt Bernardus ait, sermone secundo, de resurrectione Domini: *sicut corporis huius vitam ex motu suo dignoscimus: ita & fidei vitam ex operibus bonis. itaque vita quidem corporis est anima, per quam mouetur, & sentit, vita verò fidei charitas est, per quam illa operatur.* hæc Bernardus.

11. Deindè contendamus pro viribus copiosiores, & vberiores in dies fructus bonorum operum afferre, quibus Dei voluntatem maiore qua possumus diligẽtia impleamus. ad quod nos Laurentius Iustinianus de disciplina, & perfectione monastica cap. 20. adhortatur his verbis: *vsus docet, quod quantò quis vberiores vult colligere fructus, tantò diligentiore, & solicitiore cura terram excolit vomere, sentesq; de ea eradicare conatur, ne nascentes aristas præfocare possint. nam si inculta permaneat, vepribus vrticisq; repletur, & hominum vsibus omninò inutilis efficitur. neque verò minori diligentia humani corporis terrena substantia disciplinæ spiritualis vomere colenda est, si ex se bonos Deo valeat producere fructus.* Hæc Iustinianus.

12. Porrò pergit Dominus, quo nos ad maiores, & vberiores fructus proferendos inuitet, dicere; *non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.* neque enim sola fide contentus est Dominus, nec opera sine fide magni facit, sed qui vtrumque coniunxerit, is demum illi cordi erit. hinc sponsæ Canticorum octauo, sexto, iubet sponsus: *pone me vt signaculum super cor tuum*, en fidem, & *super brachium tuum*, en opera. quod etiam optimè Ezechielis primo, & decimo capite, in quatuor illis animalibus significatum videtur; *manus hominis sub pennis eorum*, inquit Vates, *in quatuor partibus. manus hominis sub pennis*, exponit Gregorius esse virtutem operis sub volatu contemplationis, quia nimirum sola fides, & contemplatio mysteriorum fidei non sufficit, nisi simul illa volet in altum cum bonis operibus coniuncta; alioqui qui tantum sola fide nituntur audient: *non omnes qui dicunt mihi, Domine, Domine, intrabunt in regnum cœlorum.* isti sunt arboribus similes, quæ solis folijs ornantur, & floribus, nec fructum ferunt.

13. *Tria mala arborum genera.* Aduertere enim oportet tria esse malarum arborum genera, quod ad rem nostram facit, quædam folijs tantum ornantur, seu etiam floribus, quædam spinas præferunt; demum quædam noxium dumtaxat fructum & amarum afferunt. primis sunt similes, qui se fidei, & sacrorum verborum folijs dumtaxat tegunt; vel ceremoniarum externarum floribus se ornant, hoc est, externo tantum religionis habitu contenti sunt, neque interim faciunt voluntatem Patris, qui in cœlis est.

Vel etiam simulatæ sanctitatis speciem quandam præ se ferunt. ij vulgo suauem initio odorem edere videntur, sed mox non rarò, quibus sint intus pleni fœtoribus tandem dissimulare non possunt. Secundas verò arbores repræsentant homines quidam feri, ac barbari in alios crudeles, ac immanes, qui tanquam spinæ cæteros pungunt, sauciant, cruentant, & occidunt. Postremò tertio arborum malarum generi aptè comparantur facinorosi quidam homines, noxios fructus proferentes, quorum opera amara sunt, & noxia; neque vllam alijs vtilitatem afferunt, sed bonis omnibus exosi, ingrati, inuisi sunt. his sanè dicetur olim à CHRISTO: *discedite à me omnes operarij iniquitatis*, & tanquam inutiles, steriles, noxiæ, & emortuæ arbores diuinæ sententiæ securi excindentur, & in barathri ignem inferentur.

14. Constat igitur ex his quæ in hac digressione diximus, cœlestem agricolam à nobis tempore suo, tanquam ab arboribus, exigere bonorum operum fructum, cuique nostrum conuenientem. Quod si roges vndè nam ergò cognosci potest arbor, viuat ne, an sit emortua, bona ne, an mala sit? in promptu est responsio: non aliunde melius, quàm ex fructibus. quemadmodum enim medici, vt sanitatis statum, & corporis habitudinem explorent, arteriæ pulsum tanquam certissimum sanitatis, vel ægritudinis signum obseruant; quia arte, & experientia didicerunt, inter arteriæ pulsum, & cor totius vitæ fontem, & originem, maximam intercedere affinitatem, & coniunctionem. Etenim peremnis arteriæ agitatio, & motus, fideliter refert quidquid in corde latet. quare qui artis medicæ experientes sunt, ante cætera omnia ab ægroto porrigi sibi brachium petunt, vt de sanitate, vel ægritudine decumbentis certum iudicium pronuncient, vndè etiam sæpè instare mortem, vel nihil esse timendum augurantur.

Hominis, quem arbori comparauimus, spiritualem vitam in caritate consistere, quæ in anima, velut in corde latet, nemo qui Christianæ religionis nomine censetur, ignorat. hanc ergò reconditam caritatem, hanc spiritualem vitam, nemo sine priuilegio,

nemo

nemo sine peculiari illustratione cognoscere potest; *nescit enim homo, odio ne, an amore dignus sit.*

Cæterum probabilissimum omnium, quæ afferri possunt, signum, & quo aliud euidentius nullum esse videtur, motio quædam est in brachio, vel manibus posita respondens arteriæ, pulsui, & agitationi, hoc est, bonorum operum perennis exercitatio, & continuatus fructus, vt ergò latentem intus caritatem deprehendamus, brachium, & manus consulamus, à quibus piæ operationes, tanquam arborum rationalium fructus suauissimi exeunt.

15. Et verò non satis est cœlestem hanc vitam per oculos explorare velle, alioqui decipi nos, & errare plerumque oportebit; vident enim oculi homines Hypocritas, qui cœlum versus oculos attollunt, & sæpè etiam fictis lacrymis ingemiscunt, & sub ouina pelle religionem simulant: quod si oculis credas, sæpè decipieris. neque aures ad charitatem ipsam deprehendendam admodum aptæ, & idoneæ sunt, cùm scriptum sit, *populus iste labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me*; neque beati pronunciantur à Christo qui audiunt Verbum Dei, sed *qui audiunt, & custodiunt illud*; neque ex molli lingua constare nobis poterit de vita animæ; cùm non desint quibusdam blanda, & suauia verba, quorum tamen cor vermibus scatet, grauemque in cœlum exhalat odorem. si ex brachio, & manibus, id est, ex bonorum operum continuato exercitio, quod cum caritate tanquam cum radice, & fide vera coniunctionem habet, probabilis coniecturæ iudicium feras de spirituali hominis vita vix errabis vnquam. ijs autem operibus gaudet DEVS, ad hos fructus decerpendos de rationalibus arboribus, quas in Ecclesia sua manu plantauit, rigauit, coluit, sæpè libenter accedet, & arborum fœcunditatem augebit.

16. Quarè cùm non ignoraret sponsa oblectari cœlestem sponsum non floribus, vel folijs, sed fructibus hortorum, inuitat illum non vt flores carpat, & serta componat, aut recreet se tantum sola arborum vmbra, & viridantium foliorum aspectu, sed vt de fructibus pomorum comedat, quibus bona opera significantur: *veniat*, inquit Canticorum quinto, primo, *Dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Tales nos arbores faciat in Ecclesia sua Dominus Iesus, qui est benedictus in sæcula.

A

CAPVT VII.

VT CHRISTVS LEGEM LATAM IN MONTE CONFIRMARET, in descensu montis leprosum mundauit, quod hic refertur.

A. 8. 1. B. 1. 40. C. 5. 12.

1. A. CVM autem descendisset de monte secutæ sunt eum turbæ multæ.

B

2. *Et factum est cùm esset in vna ciuitatum. Et ecce vir plenus lepra, & videns Iesum,* A. *veniens.* B. *genu flexo.* C. *procidens in faciem suam.* A. *adorabat eum, dicens: si vis, potes me mundare.*

3. B. *Iesus autem misertus eius extendit manum suam, & tangens eum, ait illi: volo mundare.*

4. *Et cùm dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est.*

5. *Et comminatus est ei, statim eiecit illum.*

C

6. *Et dicit ei: Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te principi Sacerdotum, & offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyses in testimonium illis.*

7. *At ille egressus cœpit prædicare, & diffamare sermonem, ita vt iam non posset manifestè introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis esset.*

8. C. *Perambulabat autem magis sermo de illo: & conueniebant* B. *vndique* C. *turbæ multæ, vt audirent & curarentur ab infirmitatibus suis.*

9. *Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.*

D

SCHOLIA.

ORDINIS ratio talis esse nobis videtur. Post consilium Pharisæorum cum Herodianis, Dominus secessit in desertum ad mare, vt patet ex capite tertio; libri huius quarti Euangel. dilucid. versiculo decimo, vndecimo. Posteà verò montem subijt, habuitque sermonem, quem scribit Matth. capite quinto, sexto, & septimo, huius verò libri quarti, Euangel. dilucidationum, capite quarto, quinto, & sexto. Porrò de monte descendens curauit leprosum: & interim circa desertũ versabatur cum turba, docebatque, ac sanabat, idq; antequã Capharnaum ingrederetur. Hoc eodẽ tempore secedere solitus erat in hoc ipsum desertum, orationis præsertim gratia, & hoc est, quod hoc septimo capite huius libri,

1.

versiculo nono, dicitur: *ipse autem sedebat.* Dum verò aliquando montem ascendissent post orationem mane facto Apostolos elegit, iterumque descendens docuit beatitudines, quas Lucas exaruit capite sexto. Tandem Capharnaum iniit.

Quibus constat non statim ingressum fuisse Capharnaum, sed post aliquos dies à sanato leproso, quibus hæc, quæ hactenus narraui, facta sunt; id quod Lucas insinuat dum ait: *in illis diebus exijt in montem orare.* lege etiam Cardinalem Toletum, Lucæ sexto, in Commentario post annotation. 15.

Origines hom. 3. in diuer.

2. *Et factum est*] Matthæus dicens: *& ecce leprosus*, non obscurè indicare videtur, hoc miraculum statim ac Christus de monte descendit patratum esse. Vox enim illa, *ecce*, hanc energiam, quantum arbitror innuit.

2. *Cùm esset in vna ciuitatum*] scisciteberis, quomodo dicatur Christus *in vna ciuitatum* fuisse cùm leprosum sanauit. Leprosi enim Leuitici decimotertio, & Numerorum quinto, ciuitatibus excludebantur. Respondeo non intra, sed propè ciuitatem sanitati restitutum fuisse leprosum.

Virũ leprosus intrà, vel extrà ciuitatem fuerit curatus.

Cùm enim descendisset de monte Iesus ciuitati proximus, occurrit leprosus: quod magis ex Marco constat; qui post curatum leprosum subdit; non potuisse Christum manifestè ingredi ciuitatem præ hominum concursu, hoc est, cùm percrebuisset tanti miraculi rumor, noluit Christus Ciuitatem ingredi manifestè, ac palam, ne magnus hominum ad illum cõcursus fieret. Igitur non intra ciuitatem curatus videtur leprosus. Dicere verò Christum semel quidem ingressum ciuitatem miraculum edidisse, & statim egressum diuulgato interim miraculo, noluisse iterum ingredi manifestè ad concursum hominum vitandum, non videtur ex Euangelistis haberi posse, licèt excogitari queat ad soluendam obiectionem. Satius igitur est affirmare editum hoc miraculum à Christo extrà ciuitatẽ. nec impropriè, vel inusitatè loquutus est Lucas cùm dixit: *cùm esset in vna ciuitatum*, factum à Christo leprosi miraculum; est enim phrasis alibi in Scripturis vsitata, vt dicatur aliquis esse in ciuitate, quamuis sit in suburbano agro, vt notat Abulens. complectitur enim ciuitas etiam suburbanos agros: sicut Iosue quinto, decimotertio, vbi nos habemus: *cùm esset Iosue in agro vrbis Iericho*; Hebraicè est: *cùm esset Iosue in Iericho*: quomodo verterunt Septuaginta Interpretes. *Cùm ergò Christus esset in agro ciuitatis*, seu propè ciuitatem hanc, rectè potuit Lucas dixisse; in vna ciuitatum fuisse.

3. Quamuis fortasis non sit necesse dicere, leprosos ita exclusos vrbibus, vt non possent eas ingredi, ac per illas transire, quod Caietano, & Iansenio placuit. Illud certum ibi habitare non potuisse, sed ad dissoluendam hanc difficultatem, non opus est, huc confugere.

Aliqui quibus non improbabiliter incertum videtur, quæ ciuitas fuerit ista de qua Lucas, opinantur miraculum non Capharnai, sed in alia ciuitate editum fuisse. Equidem opinor eandem fuisse ciuitatem cuius meminit Luc. cum ea, de qua Matth. hoc est, Capharnaum, atque adeò non eam Christum statim ingressum fuisse, vbi descendit de monte & leprosum curauit.

Et ecce vir plenus lepra] quod *plenus* dicatur *lepra* morbum auget, ac proinde Christi virtutem commendat. neque enim omnis lepra infectus, lepram habet toto corpore diffusam, sicut iste; dum verò vir vocatur, non obscuris virtutum ornamentis ornatus fuisse dicitur.

Porrò ex Toleto adnotatione decima in Lucam quinto, ita iste toto corpore erat, vt non omnes tantum partes corporis fuerint aspersæ, alioqui si totus non cupasset lepra non fuisset immundus, ex Leuitici decimotertio, & ratione conatur idem Cardinalis Toletus in primũ Lucæ annotatione centesima trigesima, verùm immundum fuisse inde constat, quod sacerdotes à Christo missus fuerit, iussus pro emundatione offerre. nec tamen qui omninò leprosus erat, iudicari debuit, nisi à Sacerdotibus, vt ita posset curari, & munus pro ea re debuisse offerri, iusmodi non erat iste: alioquin iam Sacerdotibus præsentatus, nec iterum missus esset, qua de re lege Cardinalem Toletum citato.

Cæterum Barradius libro octauo, capite secundo, affirmat hunc leprosum, licèt omnium lepra, nequaquam tamen fuisse mundum potius, nam Leuitici decimotertio *sermo non est de graui*, inquit, *& proprie de leuiore, ac veluti scabie: hac affectus.* Verùm istius lepra grauis erat ac proindè immundus erat. In cuius ego pronior sum: cùm dicatur *plenus lepra*, mundus esse significetur.

Veniens] hoc verbum, sicut & illud *eum*, innuit à longè illum venisse; non esset immundus, seorsim ab alijs habitasset, versabatur.

Adorabat eum] Græcè προσεκύνει αὐτὸν, *genua*: sic Matthæus, Marci primo, de Petro, γονυπετῶν αὐτῷ, prouoluebat se ad eum. Lucas verò quinto, duodecimo, πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, *cadens in faciem.*

Domine, si vis, potes me mundare] singulare orandi ratio, quæ nihil petit, sed necessitatem ostendit. magnaque fides dum non dubitat se eius voluntati submittit: simulque non obscurè indicat se credidisse Deum illum esse, quod enim alij, quàm Deo dicere potuit: *si vis, potes me mundare.* Neque verò dixit, si Deum omnipotentem, vel Patrem, sed, *si vis*, quasi dicat, in tua, sitque voluntate, significans interim æqualem in omnipotentia cum Patre habere potestatem, sic Chrysost. homilia 26.

His adde non obscuris indicijs ipsum indicasse per hæc verba, permanentem virtutem Christi ad miracula edenda, sicuti & ad Prophetarum. Christum habuisse constat, quando voluerat, quomodo; cùm ceteri sancti, & Prophetæ non semper, sed cùm Deus dabat, virtutem habebant vel ad miracula patranda, vel ad Prophetandum, & per hoc etiam Deum esse Christum significans. De hac Christi virtute lege Hieronymum, Ezechielis trigesimoquinto, Gregorium secundo Moralium, vigesimooctauo. Non ergò verum fuit hanc leprosi adorationem ad vrbanitatem quandam pertinere vt quibusdam visum: certè credidisse ipsum, quod Christus Deus esset testantur Theophylactus, Euthymius, & Auctor Imperfecti, idemque videtur Chrysostomus sensisse. Et D. quidem Athanasius, oratione quinta, contrà Arianos ad Adelphium *leprosus*, inquit, *adorabat Dominum, eumq; Deum esse præsentiebat, his verbis vtens: Domine, si vis, potes me mundare.* Sic Athanasius.

Sed obijciet quispiam: posse Deum, sicut ad imperium hominis, vt Iosue decimo, decimoquarto: sic & ad solam eius voluntatem miracula facere.

cere. Non ergo ex his verbis, *si vis, potes me mundare*, statim conficitur leprosum hunc Christum Deum esse, confessum fuisse. Fateor posse, sed non solet id Deus facere, alioqui non cognosceretur, is, per quem miracula fiunt; & ob id Christus, qui sola voluntate sanare poterat, vtebatur voce & signo externo, vt scirent homines se esse qui miraculum faceret iubendo, ac volendo. At certè leprosi verba, altius quid indicant sensisse ipsum de Christo: absoluta enim in Christi voluntate, ac manu, lepræ curationem positam esse absque alterius voluntate significant: Et ideò dixit, *si vis*, nec adiecit quod Martha Ioannis vndecimo. *quodcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Simulque fassus est, potestatem quoque edendi miracula absolutè Christo inhæsisse, dum subiecit, *potes*; quæ omnia non nisi in Deum cadunt.

8. *Vide aug. l. 99. ex Matt. c. 4.*

3. B. *Iesus autem misertus eius, extendit manum*] extendens manum curare voluit: sicut & mundum totum extensis in cruce manibus redaturus erat, quod ad se attinet. Sunt qui dicant, manum extendisse, vt indicaret, veteri se lege non teneri. tangere enim lepram lege prohibitum erat; quod colligi etiam potest ex Leuitici decimoquarto, quadragesimosexto. sic Chrysostomus homilia vigesimasexta in Matthæum, Ambrosius, & alij, vel, vt alijs placet, indicare voluit se esse, non alium, qui curauisset; vel vt ostenderet in se legis rationem locum non habere; neque enim contaminari poterat lepræ contactu, & curare tamen poterat, quomodo nunc vetitum est cum hæreticis agere. Timoth. 3. 5. & 2. Ioann. 10. alioquin qui Christus est nec peruerti potest, & conuertere potest, cum eis agere etiam potest: quia lex est ne peruertamur, non ne conuertamus. quamuis vel ipsi etiam Ecclesiæ doctores qui Christi personam gerunt, hæreticos tangant, caurè, ne & ipsi contaminentur: ceteri verò procul aufugiant. lege etiam Euangelica & Ecclesiastica prohibiti, ne contaminentur.

9. Abulensis Matthæi octauo, quæstione decimatertia, negat prohibitum tangere leprosum sub peccato; tantum contrahebatur immunditia quædam, quasi irregularitas, vt iudex latronem suspendens in irregularitatem incidit. Cæterum qui tangebat, ad sacra accedere non poterat. Christus tamen Dominus tangendo immunditiam non contraxit, sed depulit, tetigit, & sanauit. Quare Abulensis ipse putat Eliam & Elisæum, qui mortuum tetigerunt, immundos non fuisse, nam ad vitam vt reuocarent, id fecerunt, hæc mihi Abulensis opinatio verisima videtur, quam & Cardinalis Toletus annotatione vigesimaprima, in caput quintum Lucæ amplectitur.

16. *Cur Christus leprosum tetigerit.*

Verùm si causam inuestigari velimus, quamobrem Christus Dominus leprosum tangere voluerit, cæteris non reiectis, quos superius num. octauo, in medium attulimus: hanc inter illas, quæ vel maximam verisimilitudinem habere iudicandæ sunt, tanquam præcipuam assignare possumus: nempè voluisse Christum commendare nobis singulari quadam ratione misericordiæ opus erga huiusmodi leprosos, aliosque sordidis id genus morbis affectos. Horret enim natura nō tangete modò, non dico corpore, verùm vestimentis etiam, immò & amplius, procul duntaxat aspicere refugit istiusmodi miseros homines, ita vt stomachū moueat, totumque hominem concutiat propter immunditiam, aut etiam fœtorem, quem tales exhalare consueuerunt, vel solus oculorum intuitus. Et sunt qui licèt istos non spernant, sed pecunia illos & muneribus liberalissimis prosequantur; at vultum auertunt, oculos amouent, ne occurrentes aspiciant ob nauseam, & stomachum. Id nunc agit Christus Dominus, vt nos tanto exemplo lacessiti, miseros hos non modò non auersemur, sed etiam illis compatiamur, excipiamus domo, & cubili ipso etiam nostro foueamus; quod multos fecisse legimus, quorum etiam aliqui illos amplexati, & exosculati sunt, acciditque interdum, vt sub specie pauperis Christus apparuerit. D. Hieronymus distinxit ep. ad Oceanum in epitaphio fabiolæ hæc duo misericordiæ opera, & eos qui pecuhijs iuuāt clementes pecunia appellauit: eos vero, qui turpibus, ac sordidis morbis infectis medicas admouent manus, clementes manu vocauit, quod opus difficilius est, & à paucioribus fit, quàm pecuniarum elargitio. Hæc sanè duo significauit Dauid Psalmo vigesimoprimo, vigesimoquinto. dum dixit: *qui nō sprevit, nec despexit deprecationem pauperis*, vbi loco despexit Hebraicè est verbum, significans quasi ad nauseam & stomachum prouocare, quasi dicat, nec stomachatus est deprecationem pauperis ab eo præ nausea oculos & manus auertens, vt obseruat Cardinalis Toletus adnotatione vigesimaprima in caput quintum Lucæ. Hoc Christi misericordiæ opus indicat Diuus Marcus dum ait: *misertus est, & tetigit eum.* Quarè longè mitior, longè clemētior, magisque misericors, & miserator Dominus Iesus Eliszo, qui ne aspicere quidem voluit Naaman leprosum, sed ad aquas misit, quamquam & id non sine ratione bona fecisse iudicādus est sanctus vir.

11.

In controuersiam vocari hoc loco iure optimo etiam poterit, an solo sanitati restituerit verbo leprosum Christus; an solo tactu, an simul vtroque? paucis respondeo: non tactu, sed verbo, ac voluntate sanasse. Nam dixerat leprosus, *si vis*, &c. respondit, *volo, mundare*: quæ verba efficacem exprimunt voluntatem. Et quidem eiusmodi voluntas ad sanandum lepra infectum satis per se fuisset, verùm id, leprosi cognitionem fugisset, proindè additum est verbum, tanquam signum externum, quo ea voluntas manifestata est: ergò verbum adhibuit vt instrumentum sanandi expressiuum voluntatis efficacis. quamobrem verò tetigerit, paulò antè reddita causa est.

12. *Vtrum solo verbo, an etiam tactu sanauerit leprosum.*

Volo mundare] His verbis, magnam humilitatem præseferentibus, leprosi fidem confirmauit credentis potentiam curandi in sola voluntate cōsistere. Quia verò dixerat ille, *si vis*: subiecit statim; *volo*. dixerat; *potes me mundare*: adiecit: imperandi modo, *mundare*; imperatiuè enim accipiendum græca apertè ostendunt, quæ habent per imperatiuum passiuum καθαρίσθητι, id est, *mundus esto*. quibus verbis duo hæc declarauit Dominus, bonitatem scilicet & potentiam suam: illam dum dixit, *volo*; hanc, dum subdidit; *mundare*.

13.

Diuus Ambrosius obseruat, Lucæ quintò, *volo*, dixisse Christum propter Photinum: imperasse, propter Arium; tetigisse, propter Manichæum, ergò vnico oris sui flatu tres prostrauit, cum phalangibus suis, hæresiarchas.

4. *Et statim discessit*] Toletus rectè dictum ait, quod discesserit lepra, non autem, quod mundus sit factus, licèt Marcus vtrumque coniunxerit. dicebantur enim leprosi mundari interdum, non quod sublata esset ab eis lepra, sed quod legis immundities amota esset: quia videlicet totum corpus, vel certè totam partem infectam esset peruagata, ita vt nulla pars carnis toto corpore, vel tota illa parte infecta, viuida appareret, tota in candorem versa: Quotiam ergò perfectè Christus sanarat hunc hominem, omni penitus ac reipsa depulsa lepra, dictum est ab Euangelista discessisse lepram ab eo. sic Cardinalis Toletus in Comm. Luc. 5. Cæterum hæc obseruatio incerta mihi videtur, neque enim arbitror eos, qui verè leprosi erant, si totum corpus, vel totam aliquam partē occupasset lepra,

quæ vera lepra esset, non fuisse immundos; & hunc toto corpore consperſum lepra fuisse paulò superius dixi n. 4. cùm Lucas Euangelista nominarit illum, *plenum lepra*; & tamen illum immundum fuisse ne Tol. quidem negat.

5. *Statimq; eiecit illum*] pro ablegauit. Idcircò id fecit, quia si ibi permansisset multitudo ad videndum illum concurrisset. Hæc potuit esse alia causa, cur comminatus sit illi, vt hic habes v. 5. id est, minis additis præceperit, vt nemini diceret.

14. *Aug. 2. qq. Euc. c. 3.*

6. *Vide nemini dixeris*] non omninò videtur Christus vetuisse, ne quid vnquam diceret, sed ne diceret antequam se sacerdotibus ostenderet: ne si sacerdotes vulgata fama factum cognouissent calumniarentur, non esse verè mundatum, cuius munditiei, sicut lex Leui. 14. præcipiebat, non esset ipsorum iudicio comprobata, propterea dicit, statim *ostende te sacerdoti*, sic Maldo. Matth. 8. 4. sequutus sententiam auctoris operis imperfecti, qui sic scribit: *non iubet Christus leprosum tacere semper, sed quamdiu ostendat se sacerdotibus. Ne fortè si ante alicui nuntiaret de verbo in verbum audirent sacerdotes, & occasionem habentes lepræ, propter odiũ, & inimicitiam Christi expellerent de populo quasi leprosum, non recipientes mundatum.* Sic ille. Probabile quidem hoc est, quod & l. 3. c. 18. in Scho. ad v. 27. significauimus. Cæterum satius mihi videtur dicere Dominum præcepisse huic leproso absolutè, ne promulgaret miraculum, sicut præcepit duobus cæcis Matth. 9. quibus comminatus est, *videte ne quis sciat*, itemque cùm Archisynagogi filia suscitata Luc. 8. parentibus præcepit, ne cui dicerent, eodem modo dictum est hic à Christo, etiam additis minis absolutè, *vide nemini dixeris*.

Cur Christus miraculum celare voluerit.

Cur verò id fecerit si petas. Respondeo modestiæ, & humilitatis, nobis exempla præbere voluisse, vt illius vestigijs insistentes ipsum imitaremur, vt Chrysost. sentit hom. 26. & licèt nosceret vulgandum esse factum, tamẽ quod suum est fecit, & præcepit, sic etiam Tertullianus libro quarto, contra Marcionem capite nono, & Origenes homilia quinta, in diuersos. Euthy. D. quoque Ambros. Luc. 5. cur præcepit inquit, nemini dicere, nisi vt doceret non vulganda nostra beneficia, sed premenda? vt non solum à mercede abstineamus pecuniæ, sed etiam gratiæ. quod verò alibi iubeat Dominus vulgari præstita beneficia causa huius est, vt detur gloria Deo, nec simus illi ingrati.

15. *Cur leprosum ad Sacerdotes ablegarit.*

Ostende te Principi Sacerdotũ] cur ablegauit ad Sacerdotes? vel ne si se Sacerdoti non ostendisset, extra ciuitatem secundùm legem manere cogeretur: non enim fas erat in ciuitatem redire, antequã à Principe Sacerdotum, vel certè aliquo Sacerdote de lepræ esset curatione iudicatum: Leui. 13. vndè apparet, quomodo dictum sit, vt se Principi Sacerdotum ostenderet. Non enim hoc soli Summo Sacerdoti fuit reseruatum, solemnis scilicet ritus mundandi leprosum, sed vt tanto magis constaret miraculum, & vulgaretur. Hieronymus ait ad Sacerdotem misisse ob humilitatem, vt eis deferre videretur; deindè, vt illi vel credentes saluarentur, vel fierent inexcusabiles, si in ipsum non crederent, cuius miracula probassent. Denique ne legem infringere videretur. Origenes mittit, inquit, ad Sacerdotes, vt cognoscant non legis consuetudine, sed gratiæ operatione mundatum.

16. *Offer pro emundatione tua*] fiebat hæc per sacrificia Leuitici decimoquarto. Cæterum duobus modis intelligi hoc potest, quod dicitur à Marco, & Luca *pro emundatione tua*: vel offer in gratiarum actionem pro exhibita tibi per mè emundatione. vel pro emundatione tua legali, qua leprosi curati adhuc mundari debebant, & expiari quibusdam sacrificijs, antequam cum alijs habitarent, & versarentur; quibusdam enim prius signis & argumentis lege præscriptis iudicabat Sacerdos hominem liberum esse à lepra, mundatumque, & tunc adhibebat sacrificia, vt qui lepra priùs infectus fuerat, mundaretur à immunditia etiam legali, quo posset cum alijs versari, cæteraque facere, sicut qui mundi erant: Et de hac mundatione legali explicat Toletus hunc locum, vt sit sensus *pro mundatione tua*, id est, in tui purgationem legalem, offer ea, quæ Moyses Leuitici decimoquarto, fieri mandauit in leprosorum à sanitate recepta legalem purgationem. qua re Christus Dominus omnem prorsus sustulit calumniæ occasionem aduersarijs; nam & ostendit se Moysis rationem habere, quem illi venerabantur; & commoda, atque vtilitates, quæ Sacerdotibus ex oblationibus proueniebant non impediuit. Et hæc expositio mihi videtur germana huius loci. Vt scilicet intelligamus emundationem posteriori modo, nempè legalem.

De hac duplici emundatione altera à lepra, altera legali fit mentio Leuitici decimoquarto, secundo, tertio, his verbis: *hic est ritus leprosi quando mundãdus est* (en posteriorem legalem emundationem) *adducetur ad sacerdotem, qui egressus de castris cùm inuenerit lepram esse mundatam* (en priorem emundationem) *præcipiet ei*, &c.

In testimonium illis] id est, Potestatis meæ, sic Emmanuel. Vel *in testimonium*, quod non sim legis destructor. Vel potiùs, vt ipsi testes sint, vel apud ipsos testatum sit, & constet te verè liberatum esse morbo lepræ, atque adeò proprio ipsorum testimonio eorum incredulitas arguatur. Itaque hæc verba *in testimonium illis*; referri debent, & ad, *offer*, & ad, *ostende te sacerdoti*: vt per hæc reddatur ratio, cur antequam quidquam alicui dicat, offerre debeat munus, & repræsentare se sacerdoti, quasi dicat, ostende te sacerdoti, & offer munus, ne si non obtuleris, curationem calumnientur, itemque vt ipsa muneris acceptio perpetuum sit contra illos veræ curationis tuæ testimonium, & sanitatis perfectæ symbolum, & vt ipsimet videntes, & approbantes testes sint liberationis tuæ, quod fiet maximè, si te illis ostendas, munusque offeras quod præcepit Moyses Leuit. 14. 4.

17. *Leprosus nõ peccauit contra Christi præceptum miraculum diuulgando.*

7. *Cœpit prædicare, & diffamare sermonem*] *sermonem* pro re, more Hebræo dixit: seu pro eo, quod acciderat. aduerte nihil hunc leprosum contra Christi præceptum, vel cogitasse, vel egisse, dum sermonem diffamauit. Nam vel erat illi prohibitum à Christo, vt nemini aperiret miraculum, antequam se Sacerdoti sisteret, & hoc ipsum seruasse non est dubitandum. vel si absolutè datum fuit præceptum erat hoc potiùs præceptum insinuandæ humilitatis, & boni exempli quod imitaremur: non autem ad Dei gloriam, & grati animi significationem impediendam. qua de re consule quę diximus Tomo primo, libro tertio, capite decimooctauo, in Scholijs ad versiculum vigesimumtertium, & capite decimonono, ad versiculum quartum.

18.

Quod verò dicit Euangelista *prædicare*, Græcè habetur ἤρξατο κηρύσσειν πολλὰ cœpit prædicare multa, hoc est, in laudem Christi multa dicere. est enim *prædicare* laudes publicè dicere, quod & vox græca κηρύσσειν significat.

Porrò *diffamare* solet apud Latinos in malam partem vsurpari: hic tamen respondet græco διαφημίζειν, & sumitur in bonam partem.

Ita vt non posset manifestè introire in ciuitatem] poterat quidem occultè, & velut de improuiso, sed non publicè. quod verò dicitur non posse, intelligitur, quin plurimi sequerentur: vel propter

vim

vim populi concurrentis. nec intelligitur absolutè id non potuisse, qui multo maiora præstare poterat: sed noluisse potius quo posset hominũ frequentiam declinare. quamquam & hoc facere poterat ne sequeretur, si voluisset. Et verò in scripturis, non rarò posse pro velle; non posse, pro nolle ponitur, quod Nazianzen. oratione 4. docet.

Sed foris in desertis locis esset] Ianſen. quia legit, *esse*, ſubintelligi debere dicit, *cogeretur*; ſed græcè, vt ipſe obſeruat habetur, ἦν, id eſt, *erat*: nos autem in noſtris bibliis emendatis habemus *esset*, vt non opus ſit quidquam ſubintelligere.

8. C. *Perambulabat autem magis sermo*, &cæt.] *quoniam ex prædicatione huius leprosi* inquit Ianſe. *fama nominis Christi adeo inclaruit*, hæc videri poteſt ratio, quare duo Euangel. Mar. & Luc. in principio miraculorum Chriſti iſtud miraculum non ſuo loco deſcripſerunt.

19. 9. *Ipse autem secedebat in desertum, & orabat*] verbum, *secedebat*, conſuetudinem quandam ſubindicat: vt vel hinc intelligere liceat id quod ſuperiùs diximus Chriſtũ non ſtatim à ſanato leproſo vrbem eſſe ingreſſum, ſaltem manifeſtè, ſed diuerſatum fuiſſe in circumuicinis locis, ac deſerto quo orandi præſertim ſtudio ſecedebat à tumultibus liber; ſimulque vt ſuſpitionem humanæ laudis fugeret. Ad hęc, vt ſua abſentia deſiderium doctrinæ accenderet in populis: denique vt doceret Diuini verbi præcones poſt doctrinam ſeceſſu, & oratione opus eſſe, tum vt fructus prædicationis in auditoribus abtineatur à Deo, tum vt ad docendum & iuuandum populum cęleſtium rerum contemplatione, ſpiritus alacrior reddatur, & ſuſpicio omnis humanæ laudis tollatur, quæ ſuperflua cum hominibus conſuetudine gignitur.

DIGRESSIO PRIMA MORALIS.

Quid, quantumque ad mores conferat ad huius leproſi hiſtoria.

L. TRIA in hac hiſtoria obſeruanda mihi videntur, quæ ad noſtram vitam, moresque tranſlata plurimum nobis prodeſſe poterunt. virtutes nimirum leproſi, nomen, & morbi curatio. In primis inſignes quatuor huius viri virtutes vehementer admiror, & quantum poſſum ſuſpicio; quarũ princeps eſt diuina illa fides, qua Chriſtũ conſtanter verum Deum eſſe profeſſus eſt. Ait enim; *Domine, ſi vis potes me mundare*, prout in Scholijs obſeruauimus num. 5. 6. 7. neque enim mihi placet eorum opinatio, qui hoc ad vrbanum quendam loquendi modum referunt. Altera virtus eſt humilitas, & eius comes reuerentia, quam illa verba indicant clarè: *videns IESVM, veniens & genu flexo procidens in faciem ſuam adorabat eum*. Virtus tertia eſt cæleſtis quidam orandi modus: *Domine, ſi vis potes me mundare*, quibus verbis oſtendit ſe totum à Deo pendere, eiuſque voluntati ſe ſubdere, tantum neceſsitatem ſuam paucis repræſentare: Cætera Deo committere. Itaque oratio hæc humilitate, & reuerentia, ac fide nititur, & tota à Deo pendens ab eius voluntate non recedit. Poſtrema virtus eſt, egregia animi gratitudo & obedientia. Paruit ille Chriſto ad ſacerdotem illicò profectus munus delaturus, cœpitque prædicare & diffamare ſermonem, tantumque iniecit populis ardorem, vt præ concurſu non poſſet Chriſtus manifeſtè ciuitatem ingredi. Hinc factum vt perambularet magis ſermo de Chriſto.

Quatuor leproſi virtutes.

Iam ad ſecundum accedamus, meritò ab Euang. Luc. leproſus hic, *vir* vocatur. nam cùm tot virtutibus ſplendeat, iure optimo *vir* appellari debuit potius, quàm *homo*; quamuis ſi morbum corporis reſpicias certè hominem dixeris, & multò magis, ſi id quod ſibi præ ſui demiſsione, ac modeſtia erat, attendas. 2.

Hebræ. tribus nominibus homo vocatur: *Adam*, à terra ruffa. *Enos*, miſer, æger, quibus duobus nominibus videtur apud nos reſpondere *homo*, ab *humo*. denique *is*. Gr. quem nos hominem dicimus, vocatur, ἄνθρωπος; quod Hebr. dicitur *is*, Latinè dicetur *vir*, Gr. ἀνήρ. *Homo* ergo debilem, atque ægrum ſignificat ac miſerum. quod ex Script. conſtat Iacobi. 5. 17. *orate pro inuicem vt ſaluemini* (vt curemini, & ſanemini) *multum enim valet deprecatio iusti* (pro illo qui corporis aut animi ægritudine laborat) *aſsidua* (Gr. efficax, intenta, cùm autem eiuſmodi eſt, ſolet eſſe aſsidua) Elias homo erat ſimilis nobis paſsibilis (Gr. vna dictione dicitur ὁμοιοπαθὴς *ſimilis paſsibilis*, id eſt, ſimilium paſsionum, obnoxiusq; ijſdem ærũnis.) Hic ergò Iacobus vtitur voce *hominis*, quia rem miſeram, mortalem, ærumnis obnoxiam exprimere voluit, ſicut & Paul. Acto. 14. 14. & nos mortales ſumus ſimiles vobis homines. 3. *Tribus nominibus homo vocatur Hebraicè.*

At *vir* ſumitur interdum pro forti: vndè Herodotus in Polym. *homines permulti, viri perpauci*: vnum quærebat Diogenes virum ad exiguum laternæ lumen media luce, vt habet Laertius in Diogene, & Plutarch. de alio refert dixiſſe, *ſolas Lacænas viros parere*. in ſcripturis etiam eadem continetur ſignificatio, 3. Regum 2. 2. *confortare, & eſto vir fortis*. Hebr. non habetur *fortis, confortare & eſto vir*. ſicut dicitur primo Reg. 4. 9. *confortamini & eſtote viri Philiſtiim, ne ſeruiatis Hebræis*. Interdum verò *vir* idem eſt quod nobilis, princeps, dignitate, vel auctoritate fulgens, Gen. 26. 7. cùm interrogaretur Iſaac à *viris* Geraræ, id eſt, à conſtitutis in Magiſtratu, Gen. 43. 11. *deferte munera viro*. i. conſtituto in magiſtratu. Item Pſal. 4. 3. *filij hominum*. Hierony. filij viri, id eſt, virorum. Prou. 8. 4. *O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum*. i. tam nobiles, quàm ignobiles alloquor, Iſai. 2. 9. *incuruauit ſe homo, & humiliatus eſt vir*, id eſt, cum vulgo, & plebe, principes etiam & magiſtratus genu flectunt idolis, vel, vt *homo* & *vir* ad eumdem pertineant: homo qui pro ſua conditione, à creatore opem implorare deberet; & qui conditus eſt vt eſſet vir, id eſt, Dominus creaturarum corporearum, is turpiter abiecit ſe coram ligno, & lapide. item, 1. Reg. 26. 15. *numquid non vir tu es?* id eſt, præclarus, regi amiciſsimus, Actor. 17. 31. *iudicaturus eſt orbem in viro*, id eſt, iudice ſupremo. His duabus *viri* acceptionibus reſpondet vox Hebræa *is*, quæ dicitur à *ies*, id eſt, exiſtentia, vnde *is* quaſi *ens*, vel *primò exiſtens*, anteceſsit enim fœminam, hæc enim ab illo. 4. *Vir pro forti.*

5. Hæ tres significationes *viri* connexæ sunt. nemo enim dignus imperare, & regere, nisi fortis sit, virtute valens irrumpere iniquitates: nemo autem talis est qui suam imbecillitatem, & se hominem esse non agnoscat. Propterea enim euacuatur, vt impleatur ab eo virtute, qui *esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Hinc Paulus prædicationem Euangelij dixit non esse in sapientia verbi, id est, non niti aut eloquentiæ, aut humanæ rationi, aut Philosophiæ, seu naturali scientiæ: hæc enim omnia complectitur *verbi* notio Gr. λόγ☉, vt non euacuetur crux Christi, scilicet, suo splendore, & pondere thesaurorum sapientiæ, & scientiæ Dei. his enim careret, si constaret externo illo splendore, & humana vi. vide Pined. in cap. primum Iob. vers. 1. in ea, *vir erat*, &c.

6. Hæc autem omnia rectè quadrant in hunc leprosum, qui cum se hominem agnosceret inopem, infirmum, egétem Dei miserationibus, hinc factũ est, vt in facié genu flexo procideret venerabundus, opemq; à Christo implorarit. Proindè fortitudine, ac virtute animi, & corporis impletus est, quod efficacissima, robustissimaque eius oratio, qua quodammodo Deum expugnauit citra omnem ferè temporis moram declarat; itemque fides inuicta, profunda humilitas, immensa animi gratitudo nõ obscurè demonstrant; & tandẽ ad altissimum velut dignitatis gradum euectus, in insignem Christi prẽconem euasit, dum alios etiam pertrahere ad Christum conatus est; cœpit enim prædicare ac diffamare sermonem.

7. Restat tertium, quod ad eius curationem attinet. eam igitur sic ad mores accommodabimus. ergò qui peccatorum lepra infectus, si animæ sanitas cordi inest, prosternat sese demisse, & magna fide ad Christi pedes, auxiliũ, opemque implorans. neque hoc contentus se sacerdoti sistat, à quo absolutionis beneficium consequatur: sitque in liberalissimum benefactorem posteà gratus, atque alios etiam ad eundem trahat, quo tanti beneficij participes sint.

8. Quamuis verò quodlibet peccatum lepra significari possit, certis tamen de causis speciatim hæresis eo morbi genere significatur, vt videre est apud Augustin. lib. 2. qq. Euangel. & de verbis Apost. serm. 10. quod scilicet in erronea doctrina, vera falsis sint permixta, quẽadmodum leprosis inest quædam colorum varietas. Deindè quod hæretici vitium suum abscondere non possint, vndè fit vt pro peritia imperitiam proferant. Denique ob contagiosam, & corruptam doctrinam, itemque sepositam, & longè à Castris Domini exulantem, rectè etiam hæresis pestis nominatur.

9. Bar. tom. 3. lib. 1. c. 6. ad peccata ipsa nomen lepræ transferens, ostendit pulchrè triplicem esse lepram carnis, vestis, & domus, sic enim Leuit. c. 13. & cap. 14. dicitur; libido inprimis carnis est lepra: in vestibus verò, superfluitas; in domibus, praua institutio, sine disciplina, sine virtute, vnde fœtor pessimi exempli vrbes occupat.

lege illum.

DIGRESSIO II.
MORALIS

Quod Christus pro nobis leprosus effectus fuerit, vt nos à lepræ morbo liberos redderet.

HAs lepræ proprietates ex Scripturis præsertim colligimus. Primùm Leuit. decimotertio, aliquot numerantur, ver. 44. sic enim legimus: *quicumque maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium sacerdotis, habebit vestimenta dissuta* (id est, dilacerata in morem lugentium) *caput nudum*, (quod à Iudæis ignominiæ dabatur) *os veste contectũ* (ne halitu aërem contaminaret, & quo pertranseuntes admoneret, vt os, faciemque auerterent; quamuis & hoc etiam lugubre signum sit) *contaminatum ac sordidum se clamabit* (vt ab eo cæteri sibi cauerent.) 1.

Deindè: lepra non tam naturalis morbus habebatur, hoc est, non tam naturæ vitio contingere, quàm Deo puniente. sic Persæ olim existimabant leprosos aliquid in solem deliquisse, teste Cœlio libro 5. ex Herodot. hinc est, quod lepra vocetur in scripturis, *percussio, plaga*, aut *manus Dei.* & 2. Paralip. 26. 20. cùm orta est lepra in fronte Oziæ regis dicit Scriptura: *sed & ipse* (Ozias) *perterritus, accelerauit egredi, eò quòd sensisset illicò plagam Domini.* & Isai. 53. 4. *& nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.*

Tertiò: leprosi caro abiectissima habetur. sic Gregor. homil. 39. in Euangel. *quid*, inquit, *in humana carne abiectius, carne leprosi, quæ tumescentibus vulneribus scinditur, & exhalantibus fœtoribus impletur?* fœdissimus enim morbus est.

Quartò: his accedit quod Deus Opt. Maxi. viros elatos, ac tumidos etiam reges hoc morbi genere, vel elephantiási laborare facit, propter eorum superbiam, contumacesque ac rebelles spiritus. Scribit Plin. lib. 16. cap. 1. Ægyptijs peculiare hoc malum fuisse, & Reges quoq; eo laborare solitos, & licèt de elephantiasi loquatur, similes tamen valdè sunt lepræ, & elephantiasis morbus ac connexi. 2.

Quintò: Ad hæc, solet scriptura de nascente ac pullulante lepra loquens, *efflorescendi, ac germinandi* verbo vti, vt Leuit. 13. 11. *si floruerit lepra in vite.* Io. ex Hebr. *si floresces efflorueris.* Et ab eadem radice Exod. 9. 9. *erunt vlcera, & vesicæ turgentes*, propriè *efflorescentes*, vel germinantes, aut orientes. 3.

Sextò: Postremò, vt reliqua taceam, illud solemne erat leprosis, vt seorsim ab aliis versarentur, habebanturque tanquam portenta quædam horrenda, ac fugiebant homines ab illis, ita Iob. huiusmodi etiam morbo implicitus ciuitate egressus super sterquilinium sedebat. Leuit. quoque 13. 46. præcipitur his verbis de leproso: *omni tẽpore, quo leprosus est, & immundus, solus habitabit extra castra*, sic 4. Reg. 15. & 2. Paral. 26. Azarias qui & Ozias, lepra percussus à Deo, vrbe, regnoque cedere compulsus est, & in domo libera morari. Iam hæc Christo Domino nos applicemus. 4.

Christus cæli ac terræ Dominus, speculum sine macula, Dei patris ipsissima imago, cum

quo

Christus pro nobis quasi leprosus apparere voluit.

quo nó agri modò pulchritudo est, sed infinitus decor, omnis ornatus, & gloriæ ipsius species immensa, hic inquam vt fœdissimos peccatores lepra peccati turpissima immunes, purosque redderet, lepra ipse coopertus, quasi leprosus apparere voluit: Audi Isai. 53. secundo. *Non est species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum.* (quasi dicat, secundum Carthus. istum talem, qui prima facie non videtur desiderabilis, Prophetæ tamen desiderauerunt. *multi enim Prophetæ cupierunt videre, quæ vos videtis,* inquit Christus, *& non viderunt.* vel iterum repetendo negationem, *non,* & non desideraiuimus eum, id est, & non erat cur eum magnoperè expeteremus) *despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem* (est hæc alia periodus, quasi dicat, talem illũ vidimus, nempè despectum, & nouissimum virorum, id est, infrà reliquos homines abiectissimum; virum dolorum, id est, totum doloribus obnoxium: scientem infirmitatem, id est, qui experientia didicit infirmitates) *& quasi absconditus vultus eius* (id est, vt exponit Hieronym. quia in humano corpore diuina potentia celabatur. Pagni. autem ita transtulit: *abscondebamus faciem ab eo*, hoc est, pudebat nos illius; vel alludo est, ad morem leprosorum, qui os obnubebant) *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum* (id est, immundum, & à Deo percussum & humiliatum. talis habitus est Christus à vulgò Iudæorum. sunt enim verba hæc postrema incredulorum) *ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra* (non sua) *disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus* (id est, castigatio pro pace, siue ad obtinendam pacem à Deo pro nobis, fuit super eum, & propter nos ipse castigatus est. Eccè tibi quàm graphicè nobis Isai. Dei filium quasi leprosum repræsentet, quod si vellemus adhuc exponere magis, ac illustrare, eloquij prophetici obtundemus potius saporem.

5. Sed singula quæ de leprosis diximus expendamus: nam hæc vniuersim dicta sunt. Primum ex Leuit. decimotertio, diximus leprosos vestimenta habuisse dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatos ac sordidos se clamare olitos, Christi vestes in manus venere latronum, quibus illum despoliarunt, vt rectè proindè dictum sit de illis: *diuidentes vestimenta eius miserunt sortes,* vt inquit Lucas & Propheta; *diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem,* quam rem clariùs Ioannes explicat, capite decimonono, vigesimotertio, *milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius* (*& fecerunt quatuor partes: vnicuique militum partem*) *& tunicam.* vides igitur dissuta fuisse vestimenta eius, atque dissecta, immò quod commiseratione dignius est, & in cæteris leprosis non solitum fieri, per nefariam vim de eius corpore detracta.

Adde quod membra corporis eius etiam dissecta, ac dilacerata fuére, non vestimenta modo, quod quantò crudelius sis, quis non videt? quid ego de nudo capite dicam? Sacratissimum Christi caput, proh dolor, ipsis etiam capillis per summum scelus detractis, spoliatum fuit, indutum verò loco illorum horrido ac spinis intexto diademate, non sine ingenti dolore, ac ignominia.

De ore verò eius contecto nónne paullò antè Isaiam dicentem audiuimus: *quasi absconditus vultus eius*? An non crudele Iudæorum facinus apud Euangelistas legimus, quo faciem eius cœperunt spuere, & velare? Os illud aureum per quod cœlestium thesaurorum flumina ad nos deuoluebantur temerè, & per summam impietatem obturare conati sunt.

B Cùm talis fuerit cæli, ac terræ Dominus 6.
vt sputis illitus, sordidatus, atque immundus quasi portentum quoddam abominationi omnibus esset, dubitabimus asserere potuisse se meritò immundum, ac sordidum clamare? & hoc erat vltimum ex his, quæ de leprosis ex Leuitici decimotertio retulimus. satis mihi ad hanc rem ostendendam, superque erit referre, quæ Ioannes de ipso refert.

Cùm enim Pilatus ferrea illa Iudæorum pectora emollire vellet, sanctissimum hunc leprosum omnium oculis proposuit: *eccè,* inquiens, *adduco vobis eum foras, vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo causam. exiuit ergo IESVS portans coronam spineam, & purpureum vestimentum, & dixit eis: ecce homo.* an non
C tibi videtur tremendum illud caput spinis horridum, pectus illud hiulcum, dilacerati humeri, squallidus, atque immundis sputis conspurcatus vultus, colligatæ manus quæ cælum, terramque condiderant, altius intendere vocem, commiseratione plenissimam, & clamare toto se corpore immundum effectum, ac quasi serpente lepra consperſum nulla parte penitus incolumi? Omnia certè hæc lugubrem eius statum satis clarè indicant, vt non sine causa exclamarit aliquando ipse: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus.*

D Et hæc quidem quæ de leprosis, Leuitici decimotertio, quadragesimoquarto, scribuntur, ostendimus in Christo fuisse. Iam ostendamus percussum à Deo fuisse. sed non opus est multis, instar omnium testimoniorum est illud Isaiæ quinquagesimotertio, quarto. *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra,* &cæt. & posteà *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* quod ex hebræo sic transferri potest: Deus incurrere fecit in eum iniquitatem omnium nostrum, vt sit sensus, peccata nostra instar numerosi cuiusdã exercitus in Christũ irruisse, & quasi impressione facta occidisse: hanc enim vim habet interdum verbum hebræum *pagaa*, velut iudicum octauo, vigesimoprimo: *tu surge irrue in nos*: & capite decimoquin-

to, duo-

to, duodecimo: *spondeto mihi quòd non occidatis* me, id est, irruatis in me, maneat igitur tanquam certum, Christum à patre pro nobis seuerè fuisse percussum.

7. Sequitur tertium caro leprosi abiectissima inquit Gregorius, & Christus præsertim dum pateretur de se affirmat: *ego sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.* hinc ille voces impiæ iactantium caput, ac debacchantium in eum: *vah. qui destruis templum Dei. Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: Si filius Dei est, descendat de cruce, & credimus ei*, &cæt. Eius mihi personam repræsentare videtur Iob super sterquilinium sedens. quòd si eleuatis oculis suis amici Iobi, non cognouerunt eum, Iobi secundo, duodecimo, *& exclamantes plorauerunt, sciss(is)que vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cœlum*, certè multo id magis in Christum Dominum quadrare potuit, cuius ille figura fuit. vidimus eum, inquit Isaias, *& non erat aspectus, & desideravimus eum: despectum, & nouissimum virorum*, de cuius loci intelligentia, præter ea, quæ superius diximus numero quarto, consule Blasium Vegam, capite duodecimo Apocalyps. Commentario tertio, sectione trigesima num. octauo. ecce tibi, quò miseriæ pro nobis adductus est rex gloriæ, quamque nullius pretij loco corpus illud omni thesauro augustius, & caro illa sacratissima habita est, in quam omne genus opprobrij, contumeliæ, ærumnarum in exundantis aquæ moren vehementer irruit.

8. Quarto loco diximus, superbos solitos hoc morbi genere puniri à Deo. Et Christus Dominus quamuis omnium hominum & Angelorum, maximè conspicuus humilitate fuerit, ita vt eius meritò virtutis magister optimus semper habitus fuerit: repræsentare tamen voluit in seipso omnium nostrum superbiam, fastum, & elationem. Propterea à Patre quasi leprosus grauiter percussus est, & humiliatus. ita factum est, vt eius liuore, superbiæ nostræ plaga curata sit.

9. Quintò germinat, ac efflorescit lepra, quod erat quintum ex his, quæ de lepra notauimus. Cæterum hoc, rectè in Christum conuenisse, non obscuris signis, nec longè petito argumento colligere est. nam eius & lepra, & ærumnæ, & plagæ, & liuores in modum redolentium florum, suauissimum efflant odorem, & dulcissimam eius crucem reddunt amantibus; quos etiam tanquam rosæ pulcherrimæ mirificè vernantes, sacra oblectant eius vulnera. Quod maximè verum esse apparuit, cùm deuicta morte, immortalem adeptus est vitam, & victor rediuiuus cœlum ingressus est. hinc enim liquido constitit, omnes eius dolores, & ærumnas, in amœnissimos, odoratissimosque flosculos esse conuersos.

10. Leprosi vrbibus ex lu debantur.

Sed illud postremò accidebat leprosis maximè graue, quod extra vrbes pellerentur. nemo illos aditu, nemo congressione, nemo sermone dignos iudicabat, omnes illos aspernabantur, atque abhorrebant omnes, vt aliquam immanem & pernicioſam bestiam, pestemque fugiebant. Hanc ingentem calamitatem patienter, ac libenter pro nobis sustinuit Christus, qui, vt ait Apostolus ad Hebræos 13. 12. *quasi leprosus extra portam passus est*: vt meritò illud Psalm. 37. 12. vsurpare potuerit, tanquam despectus ab amicis & familiaribus: *amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt* (proprie ex Hebræ. ex aduerso plagæ meæ. Hieronym. quasi contra lepram meam steterunt) *& qui iuxta me erant de longè steterunt.*

Hanc eandem calamitatem deplorat, Iob. cap. 19. 13. sed eius verba multo magis & verius Christo conueniunt, vt meritò sic conqueri potuerit: *fratres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me; dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant obliti sunt mei; inquilini domus meæ, & ancillæ meæ, sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum.* Sola illa sacratissima Virgo ac Mater dulcissima cruci semper quantum potuit arctius inhæsit, neque vnquam reliquit. sic enim testatur Ioan. *stabat iuxta crucem IESV MARIA*, &cæt. His ergò omnibus constat, quantum Christo Domino nostro debeamus, qui vt à nobis sordidissimæ peccati pestem, lepramq; depelleret, ipse pro nobis factus est leprosus, à Deo percussus, & humiliatus.

CAPVT VIII.

CELIGVNTVR APOSTOLI, DOCENTVR BEATITVDINES, QVIBVS SVBduntur plurima, & consilia, & præcepta euangelica per quasdam similitudines.

B. 3. 13. C. 6. 12.

1. C. ACTVM *est autem in illis diebus exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.*

D 2. *Et cùm dies factus esset*, B. *vocauit ad se, quos voluit ipse.* C. *discipulos suos*, B *& venerunt ad eum*, C. *& elegit duodecim ex ipsis.*

3. B. *Et fecit vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare.*

4. *Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & ejciendi dæmonia.* C. *quos & Apostolos nominauit.*

5. *Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum* B. *Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina, Boanerges, quod est filij tonitrui.* C. *Philippum, & Bartholomæum, Matthæum, & Thomam, Iacobum Al-*

phæi,

phai, & Simonem. B. Cananaum, C. qui vocatur Zelotes.

6. Et B. Thadæum, C. Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem, qui fuit proditor.

7. Et descendens cum illis stetit in loco campestri, & turba discipulorũ eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri & Sidonis.

8. Et qui vexabantur à spiritibus immundis curabantur.

9. Qui venerant, vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis.

10. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

11. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos dicebat: Beati pauperes quia vestrum est regnum Dei.

12. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini: Beati qui hunc fletis: quia ridebitis.

13. Beati eritis cùm vos oderint homines, & cùm separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hominis.

14. Gaudete in illa die, & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cælo: secundùm hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.

15. Verumtamen væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram.

16. Væ vobis qui saturati estis quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.

17. Væ cùm benedixerint vobis homines: secundùm hæc enim faciebant Pseudoprophetis patres eorum.

18. Sed vobis dico, qui auditis: diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.

19. Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.

20. Et qui percutit in maxillam præbe & alteram: & ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.

21. Omni autem petenti te tribue: & qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas.

22. Et prout vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.

23. Et si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam & peccatores diligentes se diligunt.

24. Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt.

25. Et si mutuum dederitis his, à quibus

A speratis recipere, quæ est gratia vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia.

26. Veruntamen diligite inimicos vestros: benefacite & mutuum date, nihil indè sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi: quia ipse benignus est super ingratos & malos.

27. Estote ergò misericordes, sicut & Pater vester misericors est.

28. Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini: dimittite, & dimittemini.

B 29. Date & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippè mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

30. Dicebat autem illis & similitudinem: nunquid potest cæcus cæcum ducere? nónne ambo in foueam cadunt?

31. Non est discipulus supra magistrum; perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.

32. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est non consideras?

C 33. Aut quomodo potes dicere fratri tuo. frater sine eiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns? hypocrita eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc prospicies, vt educas festucam de oculo fratris tui.

34. Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum.

35. Vnaquæq; arbor de fructu suo cognoscitur, neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vuam.

D 36. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.

37. Quid autem vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico?

38. Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam vobis cui similis sit.

39. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere: fundata enim erat supra petram.

40. *Qui autem audit, & non facit, similis est homini ædificanti domum suam super petram sine fundamento, in quam illisus est fluuius, & continuò cecidit: & facta est ruina domus illius magna.*

SCHOLIA.

1. I.C. EXIIT *in montem orare*] hic nobis orandi formam præscribit Christus, vt magnum quid aggressuri, ipsum imitemur. volens enim Apostolos duodecim ex pluribus seligere, patrem orat, non pro se, qui non ignorabat, quid esset facturus, sed pro Apostolis suis, tanquã aduocatus iam à Deo nobis constitutus. & quantò sublimiora rogat, tantò petit sublimiorem ad orandum locum. Principes igitur orbis electurus, montem ascendit, pernoctat orans, & die facto quos nouit digniores elegit. sic Gagnæ.

2. *Pernoctans*] totam insumpsisse noctem significat; nam mane facta est post orationem, statim electio, Interlin. *forma describitur, quam debeas æmulari.* Chrysost. item notat; vt habet Emmanuel. *quia purior est anima tempore noctis, ipsaque tenebræ, & silentium, possunt ad compunctionem perducere:* ideò pernoctans orat Cyrill. ex eodem Emmanu. docet nos orare semotos nemine vidente.

3. Denique Ambros. *quid te*, inquit, *oportet facere pro salute tua, quando pro te, Christus in oratione pernoctat? quid te facere conuenit cum vis aliquod officium pietatis adoriri, quando Christus missurus Apostolos orauit?*

4. In monte porrò orat. Sic Moyses, inquit Gloss. solus legem spiritualiter intelligens, montis verticem, in quo Deus erat, ascendit. Et Beda, *mons, altitudo*, inquit, *est iustitiæ, qua instituendi erant Apostoli, & eã prædicaturi, sic & lex in monte data.*

Dei] id est, qua Deum precabatur, quasi dicat, totam noctem Deum precabatur, perindè ergò est Dei, ac diuina, sicut Hebr. *vir fortitudinis*, dicitur id est, fortis.

2. *Vocauit ad se*] Marcus habet, *vocauit ad se quos voluit ipse.* Videtur autem subduxisse se Christus, primùm ab discipulis orationis caussa, vbi in mõtem cùm illis ascendit. hoc enim significare videtur Marc. in verbis citatis, quasi enim non sibi tunc præsentes, vocasse dicit ad se.

5. Cùm verò addit: *quos voluit ipse* ambitionem, & meritum Apostolorum excludit, & Christi potestatem, atque auctoritatem affirmat: licèt non necesse sit dicere excluſam naturæ habilitatem, quamuis non rarò Deus, quos ad aliquod munus eligit, aptos ipse faciat, nullo modo naturæ talenta respiciens, lege Euthymium & Theophylactum.

6. Dicit etiam *quos voluit ipse* ex Chrysost. quia multi eum sequebantur, siue hi ascenderint cum illo, siue non longè mãserint ab eo loco, in quem ascenderat Christus. Erat hominum turba, erant item discipuli; ex turba ergo hominum prius discipulos seuocauit; deindè ex discipulis Apostolos elegit: sicut Ecclesia nunc ex innumera plebe Presbyteros, ex Presbyteris Episcopos assumit. Itaque positum sit Christum ex multitudine illa tantum discipulos vocasse, & ex illis vocatis duodecim Apostolos elegisse. Hæc patebunt attentiùs & accuratiùs Marci textum expendenti. Quare meritò dicere potuit Christus, *non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*

7. Notanda sunt hic Ambrosij verba; non sapientes aliquos, non diuites, non nobiles elegisse, inquit, ne diuitiis, aut potentiæ, nobilitatisq; auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur, sed Piscatores & Publicanos, vt veritatis ratio prævaleret.

A Non est dissimulandum per hoc, quod discipulos vocasse Dominus dicitur, significari neminem se intrudere, neminem ingerere debere, in Ecclesiasticas dignitates, vel officia, vt monet Paulus Hebr. 5. 4. nec quisquam sibi assumit honorem, nisi qui vocatur à Deo, & Bernard. lib. 4. de consi. non volentes, inquit, neque currentes assumito, sed cunctantes & renuentes: nos etiam coge, & compelle intrare. Canones etiam sacri, eos qui huiusmodi sunt, maximè reprehendunt, & eo ipso indignos iudicant, imò & ciuiles leges, vide distin. 61. cap. miratur, ex Leone epist. 85. & cap. per vestras, de iure patron. ex Innocentio. Præterea l. si quanquam Codice de Episc. & Cleri. vbi dicitur; *quæratur cogendus, qui rogatus recedat, inuitatus fugiat. Profectò indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus*; ad quod etiam habetur can. *sicut is.* qu. 6. Imò nec semper vocanti acquiescendum, quando vocatus, agnoscit se minimè idoneum esse ad munus ad quod vocatur. Sic Chrysost. lib. 4. de Sacerdotio & Gregor. 1. par. Pastor. c. 11. quorum verba refert. Cardin. Toletus adnot. 18. quamuis Deo vocanti acquiescendum sit. Nam Moses & Hiere. humilitatis studio Deo acquiescere non statim visi sunt, donec absolutam eius voluntatem agnoscerent, licèt Basil. serm. 2. de Baptis. cap. 11. nec Moysen, nec Ionam recusantes, culpa vacasse dicat.

B 3. B. *Et fecit vt essent duodecim cum illo*] sic habet Marc. & sensus est: fecit duodecim (subintellige, Apostolos) vt essent cum illo, sic enim Græcè legitur: καὶ ἐποίησε δώδεκα, ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ. Sed noster interpres idem significat, & vera est nostra lectio, vt patet ex correcta Romana editione, quæ sic habet: *& fecit, vt essent duodecim cum illo*: hoc

C est, fecit vt essent cùm illo, id est, comitarentur eũ, & eius essent lateri allecti, tanquam destinati nationibus magistri, vt ait Tertul. c. 20. de præscript. duodecim ex discipulis.

Et vt mitteret prædicare.] Insinuat D. Marcus duas causſas, cur fecerit Apostolos, primam vt essent cum illo, id est, vt ipsi tanquam familiares, & domestici, semper adessent. alteram, vt eos mitteret prædicare, magna cum potestate, vnde *Apostolorum* nomen.

Cæterùm non eos statim misisse arbitrere, nam aliud constat ex Marco cap. 6. 7. & Luc. c. 9. prius enim illos instruxit, quam mitteret. Ideò, quod subdit Marcus. 10.

D 4. *Et dedit illis potestatem*] intellige non statim collatam esse illis eam potestatem, sed cùm eos ad prædicandum posteà emisit. Matt. 10. 1. Marc. 6. 7. Luc. 9. 1. Itaque per anticipationem exponendus est Marcus, quia videlicet, de eorum missione meminerat, dum dixit, & vt mitteret prædicare; in qua missione data est Apostolis illa potestas. Et græca multo id clariùs explicant, sic enim habent: & *habere potestatem sanandi morbos, & eijciendi dæmonia*, quasi dicat, vt mitteret eos prædicare habentes potestatem hanc &c. referenda namque sunt hæc verba ad illa alia, *fecit duodecim*; hoc modo, fecit duodecim Apostolos vt essent cum illo, & vt mitteret eos prædicare habentes potestatem curandi &c. vt autem prædicatio posteà futura erat, ita & vt haberent potestatem hanc, futurum erat: ac si dicas breuiter, vt mitteret eos prædicare cum potestate, quam suo tempore collaturus erat, cùm tempus nimirum missionis aduenire. 11. Apostoli quid significet.

Quos & Apostolos nominauit] nomen *Apostoli* significat, si etymologiam spectes, vniuersè eum, qui ab alio missus est, & propriè tanquam legatus,

vt sci-

vt scilicet ore nunciet: quomodo accipitur, Ioan. 13. 16. *non est Apostolus maior eo, qui misit illum.* vnde D. Hierony. in primum cap. epist. ad Galat. quatuor missorum, seu Apostolorum genera distinxit; vide locum. sed præterea hoc nomen in scriptura non tantùm officij, seu legationis nomen est, sed iuxtà eiusdem scripturæ, & Ecclesiæ vsum; præter legationis ministerium, etiam singularem quandam & eximiam dignitatem; potestatem, vel primatum continet, vt indicat Paulus primo ad Corinth. 12. 28. scribens; Deum posuisse in Ecclesia; primò Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deindè virtutes, exindè gratias curationum, &c. & subdit ver. 29. *nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? &c.* idem ad Ephesios 4. 11. & ita LXXII. Discipuli, Apostoli non dicentur. Hoc ergò modo Christus duodecim Apostolos nominauit, quod nomen ad Paulum, & Barnabam, posteà translatum est, & per quandam extensionem à Paulo etiam Epaphrodito tributum est. Hinc fit toto aberrare cœlo huius temporis hæreticos, dum sumentes argumentum ex etymologia nominis *Apostoli* affirmant, nec ipsos duodecim, nec eorum successores aliam habuisse potestatem, quàm enunciandi, & exponendi hominibus, quod in mandatis acceperant à Deo, id est, prædicandi Euangelium; sed hoc ridiculum est argumentum, cùm nec etymologia nominis omnem comprehendat significationem, quæ est in vsu Ecclesiæ, id quod est etiam in nominibus Dictatoris, Consulis, Episcopi; Adde quod cùm legatorum potestas ad alia etiam quàm ad nuntiandum se extendat, ideò rectè dicuntur à nobis non soluni nunciandi Euangelij caussa à Christo missi esse Apostoli, sed etiam ad baptizandum, remittèdum peccata & alia huiusmodi, de quibus in Theor. de Apostolis. quod attinet ad nomen, & officium sat dictum est.

12. *Apostoli cur duodecim.*

Cur verò duodecim fuerit electi doctè Maldo. explicat Matth. c. 10. v. 1. dicam breuiter, vt duodecim Patriarcharum figuram implerent; vt quemadmodum ex duodecim Patriarchis totus Iudaicus populus carnaliter propagatus est, ita totus populus christianus spiritualiter, ex duodecim Apostolis propagaretur, venerat enim Christus, vt carnem in spiritum commutaret. Cætera in Theo.

13. *S. Simonem*] Cur primus nominetur, quære in Theoria.

Petrum] quando verè hoc illi nomen sic impositum, dictum est à nobis, l. 2. dilucid. Euang. ca. 5. in Scholiis ad v. 8. illud nunc addimus, Marc. per recapitulationem dixisse; *imposuit Simoni nomen Petro*; similiter & Lucam cùm dixit, *quem cognominauit Petrum*, non tunc, sed prius sic vocatum à Christo intellexisse: licèt Card. Tolet. sibi contrarius, dicat Petrum postea à Christo nominatum cũ venit in partes Cæsaræ Philippi, & interrogabat discipulos suos, sic habetur pòst an. 20. in com. antè an. 21. in Luc. c. 6. aliter verò videtur dixisse cum August. an. 76. in c. 1. 10. rectè autem dixit Luc. *cognominauit*, quia non amisit nomen *Simonis*, sed simul etiã Simon nominatus est, & quasi cognomẽ ei *Petrus* additum est, vel tanquam alterũ nomen simul cum illo *Simonis* nomine. Illa verò nomina apud Marc. quę habentur hîc ad marginem v. 5. *Iacobum Zebedæi & Ioannem* accusandi casu, regunt à verbo *fecit*, quod est hic versu 3. positum: hoc modo ergò verba Marci construe: *& imposuit Simoni nomen Petrus*, (deindè verò sequatur) *& Iacobum Zebedæi, & Ioannem*, &c. hoc est, *fecit Apostolos, vt essent cum illo*, &c. apud Lucam verò cuius verba posuimus in textu v. 5. accusatiui illi: *Simonem*, &cæt. reguntur à verbo, *elegit*, quod habetur ver. 2.

A *Iacobum*] Is *maior* est dictus, & ob sublimes, & terrificas conciones, vt quidã volunt, *filius tonitrui* cùm Ioã. vocatur. quare ob id sunt qui dicant, Herodẽ hunc primùm occidisse, quod terribilis esset Iudæis, quod etiã fit verosimile ex eo, quod Lucas narrat, c. 9. de filiis Zebedæi ver. 14. dixerant enim aduersus Samaritanos: *Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos.* 14.

Vt aũt olim Dominus Exo. 14. 24. 25. respiciens super castra AEgyptiorum subuertit rotas curruum; quod tonante cælo factũ esse significat Dauid Psa. 76. 17. 18. 19. *viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi, multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes, vox tonitrui tui in rota.* i. rotis curruum AEgyptiorum: nisi rotas malis poni, pro curribus; alij rotam, cælum figura rotundum interpretantur, vel potius aëris sphæram. ita cùm Hispani certamen ineunt: inuocant B primùm D. Iacobum (quæ vox est tanquam fulgur & tonitru) hostium cohortes non rarò dissipantur, & prosternuntur innumeræ aduersariorum caterue. 15.

Est autem hic mox inde exortus, nam inquiunt, se D. Iacobum contra Mauros communes populi Christiani hostes ostendisse instar tonitru, & exhibuisse se tanquam defensorem Hispanorũ, visum verò equo albo insidentem, gestantemq; vexillum album, cruce rubra insignitum tempore Ramiri, anno Domini 846. Obiit Ierosolymis an. 2. Claudij, circa 44. annum Christi, post reditum ex Hispaniis, vt volunt, eius corpus splendoris indicio, in sylua quadam inuentum fuit tempore Alfonsi casti. Vide historiam Mariani circa an. 800. 16. *S. Iacobus patronus & auxiliarius Christianorum contra hostes.*

Boanerges] Marcus cap. 3. 17. dicit etiam imposuisse nomina filiis Zebedæi *Boanerges*, quod nomen Hierony. in 1. cap. Danielis corruptum putat, ita vt pro *Beneraam*, factum sit *Boanerges*. nec dicit Hieronym. *Benereem*; nam non *reem*, sed *raam* C Hebr. dicitur tonitru. 17. *Boanerges cur dicti Iacobus & Ioannes.*

Sed cur *Boanerges* vocati sunt? quia insigniores Euangelistæ prædicatione futuri erant, ob mysteria illis reuelata, & ob miracula, quibus ea mysteria confirmaturi erant, & quia Christo, secundùm Petrum familiarissimi, ardentissimiq; Euangelij prȩcones additis minis cum oportebat peccatores deterrentes. quare etiam ad res altiores, secretioresque adhibiti sunt à Christo transfigurationem, suscitationem puellæ, orationem in horto, &cæt. sunt qui dicant *Boanerges* dictos quod audierint cum Petro tonitru illud cæleste: vocem Patris in monte. *hic est filius meus.* vide item n. 14. 15. 18.

Philippum] eius vocatio habetur Ioan. 1. Clem. Alexan. in Strom. scribit ad hunc dicta fuisse illa Domini verba. *Sequere me, & dimitte mortuos*, &c. D Is Natanaëlem monuit, venisse Messiam, & perduxit ad Iesum. Metaphrastes scribit anno 87. ætatis obiisse: ex Euseb. in Chron. colligitur, obiisse anno 14. Christi. Claudij 12. apud Hierapolim Asiæ cruci affixum. 19.

Bartholomæum] huius meminit Dionysi. Areopagyta lib. de myster. Theo. cap. 1. sic Bartholomæus ait, & magnam esse Theologiam, & minimam, atque Euangelium amplum, & magnum, rursusque compendiarium, quibus verbis illud mihi eximiè intellexisse videtur bonam omnem caussam, & multis verbis, & paucis simul, & nullis exprimi. quippè quæ nec rationem habeat, nec intelligentiam, ac notitiam, quod omnibus singulari modo præcellat. 20.

Et Thomam] iste *Didymus* etiam dictus est, de qua re scribit Cardin. Tolet. adnotat. 23. in cap. 20. Ioan. verùm mihi magis placet Theophylacti in Ioan. cap. 20. 24. & Maldo. opinatio eodem loco, & cap. 11. Ioan. 16. *Didymum* non fuisse Thomæ 21.

Digitized by Google

cognomentum, sed nominis interpretationem, ho. enim nomen *Didymi* græcè, quod Hebr. Thomæ significare, nempè geminum. cur ita vocatus fuerit nihil constat.

22. Obseruauit verò Leontius, Euangelistam Ioannem nullius nomen Apostoli interpretatum esse, nisi Thomæ, vt græci propter aliquam excellentiam factum intelligerent. Theophylact. ideò Euangelistam nomen eius interpretatum putat, vt eius declaret mores, quod incredulus futurus esset, minimeque simplex. Vide Maldonatum Ioan. 11. 16. & Ioan. 20. 24. certè moraliter saltem significare videtur voluisse Ioan. cap. 20. 24. nomen hoc interpretatus, quòd qui à cœtu Ecclesiæ diuisus est, non inuisitur à Christo; nam *gemini* vox significare videtur quandam separationem.

23. *Iacobum Alphæi*] scilicet filium. Erat is iunior, & ideò *minor* dictus Marc. 15. 4. Dictus est etiam *frater Domini* ad Galat. 1. 19. quòd filius esset Mariæ sororis Beatæ MARIAE Matris Domini, vt Hieronymus in eius vita sentit, vel ob similitudinem cum ipso Christo.

24. Dictus est & *iustus* ob singularem sanctitatem. Auctor fuit Epistolæ Catholicæ, & primus Ierosolymorum Episcopus.

25. *Iacobus Alphæi quàdo mortuus.* Obiit annos 96. natus, an. Dom. 63. sedit annos 24. nam anno Dom. 34. factus est Episcopus. an. 7. Neronis interrogatus de filio hominis, respõdit: *quid me interrogatis de Iesu, filio hominis, ipse sedet in cælo à dextris magnæ virtutis, & gloriæ Dei, & in nubibus cæli venturus est*; Sic Egesip. deiectus porrò non non statim obiit, sed in genua procumbens dixit: *Obsecro Domine pater da illis veniam, nesciũt enim quid faciunt.* Epiphan. sæpè virginem dicit. huic ingredi permissum semel in anno in Sancta Sãctorum, lineis vestibus vtebatur, vinũ & siceram non bibit, carne abstinuit.

26. Eius genua callum obduxerant. Addit Chrysost. id ipsum etiam de fronte homil. 5. in Matth. ob iugem in pauimento prostrationem. Ob eius venerationem seruata est Cathedra eius, ne perderetur in excidio Ierosolymitano, & maxima in veneratione habita, sic Euseb. lib. 7. c. 14. in capite gestabat laminam auream. i. mitram ob regale sacerdotium. Sic Policrates Ephesiorum Episcop. de Ioan. ex Euseb. lib. 5. & Hieron. de scriptorib. Ecclesiast. cis in Policrate: frater fuit Iudæ, vndè dictus est *Iudas Iacobi.*

27. Neque est distinguendus Iacobus frater Domini ab Apostolo, vt videtur distinguere Clemens 2. constitu. c. 59. & Græci in suo Menolog. & Hieronym. Isai. 17. significat, licèt aliter sentiat, & rectè aduersus Heluid. vbi eundem facit Iacobum Alphæi Apostolum, & fratrem Domini, quod & Ecclesia sequitur.

28. *Qui vocatur Zelotes*] is quia ex Chana Galilææ erat, vt Hieron. videtur, *Chaneus* dictus est; quamuis alij tunc potius, fuisse vocandum Chaneum dicant, non enim *Chanan*, sed *Chana* Galilææ, oppidum appellabatur; hinc verò *Chaneus* videtur deducendum. Porrò Chananæum non ab oppido, sed à Zelo, hoc est *Zelotem* dictum fuisse, sunt qui tradant; *Chana* enim Hebr. Zelum significat. Equidem arbitror ab oppido potius Chana, vel Chanan vnde erat, Canæum, siue Cananæum dictũ esse; Rursus quia Zelo feruebat, facta allusione ad significationem nominis oppidi *Zelotem* appellatum. Non iste est ille, qui centum & viginti annos natus cùm esset, cruci suffixus est; quòd tamen putauit Isidorus, lib. de Patri. noui Testament. & Beda, Acto. 1.

29. 6. B. *Thaddæum.* C. *Iudam Iacobi*] Hic trinomius fuit ex Hieronym. nam & *Tadeus*, & *Iudas*

A *Iacobi*, scilicet frater, & *Lebæus.* i. corculum, vel leunculus dictus est.

Et Iudam Iscariotem] Omnes trẽs Euangelistæ Iudam hunc in vltimum locum reiiciunt; sicut Petrum primum nominãt, quo huius primatum illius verò scelus enorme ac casum indicent. Hieron. Matth. 10. Iscariotis vocem interpretatus, sic scribit, *vel à vico, aut ab vrbe, in qua natus est, vel à tribu Issachar vocabulum sumpsit, vt quodam vaticinio in condemnationem sui sit natus. nam Issachar interpretatur merces, vt significetur pretiũ proditoris.* sic Hieron. dicitur à Ioan. c. 6. *Iudas Simonis Iscariotes*, quia Simonis filius. Opinantur nonnulli non esse dictum à tribu *Issachar*, nam non *Issachariotes*, sed *Iscariotes* vocatus est. quare sunt qui ex vrbe *Carioth* appellatum autument, quæ vrbs erat in tribu Iudæ, Ios. 15. 25. addito, verò *is*, fit *Iscariotes*, quasi *vir Carioth.* Vel ergo à vico, B seu oppido Carioth, vel ab oppido potius Iscarioth, quod est in tribu Ephraim, ex Hieron. Isai. 28. vel ab Issachar tribu litera, à prima sublata, *Iscariotes* dictus est.

Interrogant quidam an Iudas Iscariotes, quo tempore electus est, cum aliis Apostolis bonus & iustus fuerit, cui interrogationi satis facit Toletus in Ioannem capite sexto, adnotat. trigesimasexta, affirmans bonum fuisse; quod & docet Cyrillus libro quarto in Ioan. cap. 30. & Hieron. lib. 3. contra Pelagian. & Tertullian. de anima cap. 4. Augustinus verò tractat. 27. non sentit oppositum, tantum enim dicit fuisse electum, cùm cognitus esset malus futurus. Iterum si interroges, cur elegit eum, quem proditorem futurum certò nouerat: id in Theor. 4. dicemus.

7. *Turba discipulorum*] discipulos vocat, qui Christum sequebantur, & frequenter eius sermones audiebant. Hi multi erant, ideò *turba* C dicuntur; propterea verò turbæ discipulorum meminit, ne solos Apostolos intelligeremus.

Et maritima] id est, à regione maritima, seu ab ea parte eius regionis, quæ est versus Tyrum & Sidonem. Beda ait à mari magno cognominari maritimam, non à mari Galilææ.

Tyri & Sidonis] Cyrillus, & Tyrus inquit, & Sidon idolis seruiebant: Beda, tanta, ait, erat fama virtutis Christi, vt externæ etiam ciuitates concurrerent ad sanitatem, & doctrinam capessendam.

8. *Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur*] Græcè additur, *& curabantur*, vt fit sensus, multitudo ista discipulorum qui fuerant cum illo, in monte electis Apostolis, & descenderant cum illo, & ij qui venerant ex Iudæa, & maritima, & qui vexabantur à spiritibus immundis, erant cum Christo, & curabantur; nam ideò D multi ex istis venerant, vt sanarentur à languoribus suis; noster Interpretes, & Hieronymus, non habent eam particulam, nec necessaria videtur.

10. *Virtus de illo exibat*] non quod ipso nolente, sanaretur quispiam, vel quod aliquid ex Christi corpore egrederetur. quadam ergo metaphora vtitur Euangelista; ac si Christi caro modum quendam haberet alicuius herbæ, quæ vim, efficacitatemque ad sanandum posideret, & ad corpus ægrotantium applicata, morbos depelleret; idque sine vllo tangentium discrimine; significatur verò etiam multitudo tangentium & fides, & quod caput est, Christi clementia & virtus. Barradius exibat, inquit, ab illo actio diuinitatis, quæ miracula patrabat.

11. *Eleuatis oculis in Discipulos*] Epiphanius hæresi 42. in Scholiis ex Euangelio primo apud Marcio. confutat. 5. videtur legisse *in cælos*, sed vera lectio habet *in discipulos*, eleuauit in discipulos

30. *Petrum primum, Iudas Iscarioth vltimum Apostolorum ponitur, & cur.*

31.

32.

33.

Digitized by Google

pulos ſuos oculos, quod ad eos multa, peculiari quadam ratione pertinerent ex ijs quæ dicenda erant; vel quia diſcipulorum loco habendi qui dicenda ſeruaſſent.

34. Lucas quatuor tantũ ponit beatitudines, & cur.

Beati pauperes] voluntariè, & effectu intellige. Lucas quatuor tantũ poſuit beatitudines, quia quatuor non ſine cauſſa Chriſtus dixerat nunc, nimirum eas, quæ ſanè eſſent, & vulgò huius mundi ſapientibus paradoxæ. Omnes enim in paupertate, eſurie, luctu, ac vituperio hominum ſitam iudicant miſeriam. Inducit ergò Lucas, Chriſtum docentem in his potius hominis fœlicitatem locatam eſſe; propter illa vē, quæ his contraria ſunt, quæ ſcilicet mundus tantoperè ſectatur, hominem potius miſerum & infœlicem cenſendum eſſe. Reliquæ verò quatuor Beatitudines, à Matth. ſcriptæ, quibus commendantur mites, miſericordes, mundi & pacifici, non ſunt ita à vulgi ſenſu alienæ, quin communis hominum opinio virtutem approbans, ſit eas facilè acceptura. quare de illis quatuor tantum diſſeruit Chriſtus, à quibus mundus magis abhorret, reliquas tacuit. Itaque meritò quatuor illis à ſe poſitis beatitudinib. quatuor etiam *vel* Lucas opposuit.

35. Propterea eorum mihi opinatio placet, qui dicunt hic apud Lucam agere Chriſtum de his operibus, quæ maximè ſpectantur in corpore, cuiuſmodi eſt paupertas, eſuries, luctus, perſequutio; Manſuetudo verò, miſericordia, pax, mundities in animo maximè cernuntur. Ex quibus habes Lucam tantum quatuor voluiſſe beatitudines ſcribere. quas Chriſtus docuit tanquam eas, quæ maximè neceſſariæ ſunt his, qui perfectiorem vitam & Apoſtolicam, quæ in rerum fluxarum deſpicientia poſita eſt, ſequuntur. Vide item numer. 39.

36. Interim non nego (licèt non hæc ſit cauſſa) cur quatuor nominauerit, id quod habet Ambroſius, Lucæ ſeptimo, in his quatuor eſſe illas octo, vel ſeptem beatitudines Matthæi, & in illis has quatuor. qui enim iſtas habet, nempè qui Dei amore voluntate pauper eſt, qui luget, &cæt. & illas habeat neceſſe eſt, quæ reliquæ ſunt, & tacentur, erit enim mitis, miſericors, &cæt. qui verò ſeptem illas, vel octo habet non dubium, quin has etiam habeat, cùm inter illas aliquo modo connumerentur, & contineantur, vt conſtat de paupertate, & luctu, imò & de eſurie; nam licèt eſuries ibi & ſitis potiſsimum intelligatur, quæ eſt in animo, tamen etiam ſitis & fames corporis non excluditur, quàm ſemper tollerant pij, quod illis iuſtitia non adminiſtretur, vt vult Rupert. vel quod ſanctitatem & virtutem ament & ſequantur, vt ſuperiùs cap. 4. in Scholiis, ver. 6. diximus; Hoc loco verò Eſuries accipienda eſt, mea opinione, pro ea potiſsimum corporis fame, & ſiti, quæ voluntariè accipitur pro Dei amore ad affligendum & ſubiugandum rationi corpus. Dixi potiſsimum: nam præter hanc etiam eam corporis eſuriem, & ſitim continet hæc beatitudo apud Lucam, quæ ob id incurritur, quod ius negetur: vel ob id quod quis ſanctitatem & iuſtitiam amet, & cupiat, quæ apud Matth. ſub famis & ſitis iuſtitiæ nomine aliquo modo continetur, vt iam dixi. Hinc patet intereſſe aliquid inter illos Matth. & has Lucæ beatitudines. conſule, quæ ſcripſimus ſuperiùs cap. 4. huius l. b. in Scholijs ad v. 6.

Eſuries hoc loco quæ ſit intelligẽda.

37. D. Ambroſ. lib. 5. in Luc. vbi dixit, in illis octo beatitudinibus, quas D. Matt. recenſuit, contineri has quatuor Lucæ, & viciſsim illas 8. in his quatuor: Subdit: *hic enim* (Lucas) *quatuor velut virtutes amplexus eſt cardinales; ille* (Matth.) *in illis* 8. *myſticum numerum reſeruauit. pro octaua enim multi ſcribuntur Pſalmi.* q. d. voluit Matth. numerare octo beatitudines huius vitæ, vt myſtico octonarij numeri (qui ſolet reſurrectionem ſignificare Domini in Pſ. contigit enim octauo die, numerando hebdomadam à die ſolis) memoriam & ſpem nobis excitaret gloriæ conſummatæ, quam virtutum meritò aſſequemur, reſurgentes, vt Chriſtus reſurrexit caput noſtrum. Pergit Ambroſ. *& mandatum accipis octo illis partem dare, fortaſſe benedictionibus. Sicut enim ſpei noſtræ octaua perfectio eſt, ita octaua ſumma virtutum eſt.* quæ verba obſcuriora ſunt, ſed vt videatur ſenſus: Nota q̃ mandatum hoc habetur Eccleſ. 11. 2. da partem ſeptem, nec non & octo, id eſt, quam poteris multis beneficium impende ſine termino, vt Chriſtus dixit; *nõ dico tibi ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties*, i. ſine determinato numero. quod verò addit Ambr. *fortaſſe benedictionibus*: videtur ſignificare vt partem curarum noſtrarum etiam iſtis octo beatitudinibus, & virtutibus impendamus exercendis; ita vt myſticè eodem Eccleſiaſtæ præcepto id ſignificetur; & Matth. in illo numero octonario, hunc etiam inſinuaſſe ſenſum myſticum videatur. Per octauam verò, quam dicit eſſe ſummam virtutum, intelligit octauam beatitudinem, quæ in perſecutionum patientia eſt; patientia verò opus perfectum habet; pertinent autem hæc verba vltima ad ſententiam antecedentem, qua dixerat octo beatitudines à Matth. numerari, vt myſticum numerum, id eſt, vt myſterium octonarij ſignificaret, & ideò ait, ſicut enim &c. lege Valen. tom. 2. diſput. 5. q. 9. p. 2.

38. Aduertendum eſt præterea hîc, hæc tria paupertatem, eſuriem, & lacrymas, cum quibus lacrymis rectè connexa ſunt hominũ perſequutio, & odiũ (ad lacrymas namque quodammodo pertinent, quatenus illis ſimilia ſunt) opponi tribus illis, quæ in mundo ſunt, primæ Ioan. 2. 16. *omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia oculorum, aut concupiſcentia carnis, aut ſuperbia vitæ.* En ſummam peccatorum, quibus opponuntur hæ Lucæ beatitudines.

39. Et hæc poteſt eſſe alia ratio quamobrem præteritis reliquis harũ tantum beatitudinũ hic meminit. Cùm enim nunc Chriſtum plurimi loquentẽ exciperent, dum ipſe conuerſus ad ſuos, illos prædicat beatos, quod voluntariè pauperes effecti eſſent, & eſurient, & flerent, ac perſecutiones pateˊrentur, ob id quod ipſum ſequerentur: voluit indicare mundo ſe aduerſari, ſuamq; doctrinã contrariam eſſe mundo, qui maximè paupertatem, eſurie, lacrymas, ac cùm his perſequutiones fugit, vt ita auditores ad mundi contemptum hortaretur, & ne in fluxis iſtis rebus fiderent, admoneret.

12. *Beati qui nunc eſuritis*] Eſuries hic corporis intelligenda eſt, vt paulò antè dixi. vt illa Matthæi eſt iuſtitiæ. Rectè vtramq; nomen *eſuriei*, ſub qua etiam ſitis eſt, comprehendere poteſt, ſi vniuerſim ſumatur nomen hoc.

40. *Beati qui nunc fletis*] lacrymarum nomine, non lacrymas modo intelliges oculorum, ſed corporis etiam ægritudines, afflictiones, calamitates, cæteraque mala externa, quæ plurima etiam ſui diſcipuli cum illo tolerabant.

13. *Beati eritis, cùm vos oderint homines*] videtur loqui de perſequutionibus præſertim, quas à Iudæis toleraturi erant Apoſtoli.

Et cùm ſeparauerint vos] A *Synagogis. Exprobrauerint*] contumelijs, & conuicijs affecerint. *Eiecerint nomen veſtrum*] expungent nomen de numero populi Dei, & proſcribent. *Tanquam malum*]. i tanquam hominum pernicioſorum; vt fit cùm hæretici proſcribuntur, vt illos cuncti fugiãt,

ceu diabolum. Græcè ὡς πονηρὸν quod de Diabolo dicitur Matt. 6. sic enim quidam exponunt illud, *libera nos à malo.*

14. *In illa die*] Etiam eo tempore, quo fiunt hæc: tantùm autem vult esse gaudium, vt redundet etiam in corpus, & propterea addit, *& exultate.*

41. *Merces*] Beatitudo in sacris Scripturis merces corona, brauium, hæreditas nominatur. vide Cardin. Tol. adnot. 31. in Luc. 6.

Secundùm hæc] sensus, non mirum, quod ita vobiscum, vel agunt, vel acturi potius sint, quia filij sunt patrum eorum, qui Prophetas odio sunt prosecuti, & persecuti exprobrantes, & eiicientes, &c.

42. 15. *Veruntamen væ vobis*] Chrysost. hom. 44. ad pop. Antioch. positam hanc particulam insinuat, per modum dêplorantis, vndè Euthym. *postquam*, inquit, *beatificauit pauperes, esurientes, ac flentes, odio habitos; deplorat deinceps eos, qui contrario modo se habent, vt per beatificationem ad illa exhortetur, per deplorationem verò ab his auertat.* Titus autem Bostrenus interpretatur per modum prædicentis æternam damnationem. Tertullian. verò libro 4. contra Marci. per modum admonitionis, & comminationis: quæ omnia rectè conueniunt in hunc locum.

43. *Quia habetis consolationem vestram*] huic simile est illud Matth. 6. *amen dico vobis, receperunt mercedem suam*] q.d. non accipient in altero sæculo mercedem. Hunc sensum exprimunt hæc verba: *habetis consolationem vestram.* Est enim verbum præsentis temporis, Græcè ἀπέχετε *accipitis*, seu receptam habetis, ac si dicat, non alia vobis sperãda est, sicut dictum est Lucæ. 6. epuloni: *recepisti bona in vita tua.*

44. Docemur diuitias non quidem malas esse, sed periculosas: damnantur verò hi qui diuitiis affixi sunt, & eis parandis plus æquo incumbunt: contra quos est illud 1. ad Timoth. 6. *qui volunt diuites fieri*, &c. non census igitur, sed affectus in crimine est, vt inquit hic Ambros.

45. 16. *Væ vobis qui saturati estis*] Basil. *subiectio*, inquit, *corporis per nihil aliud sic obtinetur, vt per abstinentiam: est enim hæc amotio passionum, & vitæ spiritualis initium.* Non est autem possibile cunctis eundem modum, & mensuram præscribere; sit tamen communis intentio non expectare repletiorem.

Væ vobis qui ridetis nunc] nunc inquit, cùm scilicet flendi tempus est. *Lugebitis*] animo. *Flebitis*] corpore.

17. *Væ cùm benedixerint vobis homines*] scilicet mundani, qui laudare solent eos, qui falsa felicitatis spe clari sunt in hoc mundo, quique ea agunt, quæ ipsi sectantur, aut ea faciunt, & docent quæ ipsis sunt grata, saltẽ ita vt eorum laudes ambiatis, & propterea illis placere cupiatis.

46. *Patres eorum*] id est, præcessores eorum, nempè hominum, q.d. væ vobis cùm benedixerint vobis homines mũdani laudantes, & magnificantes vos: quia similes eritis Pseudoprophetis, quibus eorũ hominum mundanorum, siue Iudæorum Patres olim benedicebant, in eandemque damnationem vos incidetis, in quam & illi, cùm hominibus placere magis, quàm Deo volueritis: quod fecerunt illi, & ob id cũ deplorandi essent, quia falsa narrabant, captantes popularem auram, laudabantur à populis. Hinc Hiere. 5. 31. *Prophetæ prophetabunt mendacium, & Sacerdotes plaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia.*

18. *Sed vobis dico*] Hactenùs veluti ad absentes locutus fuerat, dum dixit, *væ vobis diuitib.* &c. nunc quæ sequuntur etiam præsentibus dicuntur, propterea dixit: *sed vobis dico qui auditis.* vox illa, *sed*, reddit hunc sensum: quæ deplorando dixi nõ tam propter vos præsentes (intelligit autem præsertim eos, qui discipuli eius erant, in quos oculos coniecerat) quàm propter illos qui ad me venire volunt, protuli. Cæterùm vobis præsertim ea quæ sequuntur dico.

19. *Benedicite*] hæc percurrimus quia ferè ex his, quæ apud Matth. diximus constant. Est autem *benedicite*, benè precamini.

Maledicentibus] Tunc maledicere prohibitũ est, cùm non iudicio iustitiæ, sed vindictæ liuore, aut odio fit; qua ratione nemini est maledicendum, neq; ijs etiã, qui nobis odio, & liuore maledicunt. Quod doctè, ac sapienter Greg. l. 4. Moral. c. 6. docet. quando aũt prohiberur maledictio, generaliter accipitur, siue propriè, siue impropriè, sicque maledicentibus est benedicendum. vndè hoc verbo non tantũ execratio, sed etiã contumelia, conuitium detractio, cæteraque similia comprehenduntur, in qua significatione dictum est Exod. 22. 28. *principi populi tui non maledices* 47. *Quando maledicendum.*

Calumniantibus] calumniantur hi, qui falsò crimina imponunt aliis: id quod clariùs Matth. illis verbis expressit: *cùm dixerint omne malum aduersum vos mentientes.* 48.

Aduerte, quo plus excreuit malum, eo magis charitas augenda est. meminerat aũt Christus triũ rerum, scil. inimicitiarũ, quę malæ sunt, odij quod peius est, calumnię, quę pessima. Contra verò, inimicis dilectionem docet impendendã, quæ bona est: beneficentiam cùm dilectione coniunctã, quæ melior est, ijs qui nos odio prosequuntur: optima est oratio, quæ ex dilectione, & animo benefico nascitur, & calumniantibus impenditur. 49.

Augustin. serm. 59. de temp. tria obiicit contra hanc sententiam, quæ afferuntur, & declarantur à Tolet. adnot. 47. in c. 6. Luc.

21. *Omni autem petenti te*] post dilectionem, & patientiam, misericordię documenta tradit. docet ergò, vt petẽtium & indigentiũ qualitates (de indigentibus enim hic est sermo) & conditiones nõ discernamus; sed quibus possumus, omnib. demus. Intelligit aũt quodcunq; officij genus, quo alter indiget, siue auxilium, siue consilium, siue pecuniam, &c. non vult ergò vt consideremus num ille sit amicus, vel inimicus, gratus, vel ingratus, &c sed cuicumque indigenti vult tribui; nec loquitur de alienis rebus, quare, quæ Deo dicata sunt, quoniam non sunt eorum, qui administrãdis illis præsunt, propterea non cuilibet ea dare possunt. consule Basilium ea de re differentem regul. breuiori. respon. 101. 50.

Et qui aufert] Triplex sensus, vel ne repetas vi auferendo, si vi etiam abstulit ille à te. neque. n. propria auctoritate licet, nisi cùm spes nulla superest ea recuperandi, nisi de manibus auferentis abstrahantur, si id citra damnum facere possumus, & cùm is qui abstulit, non indiget. Vel secundo, ne repetas in iudicio coram iudice; sic Augustin. in Enchirid. ad Laurent. c. 78. sed nihil hic speciatim de iudicio, sicuti nec præcedens sententia, cum qua hæc est coniuncta ad iudiciũ pertinet. Quanquam si non ex odio, & vindicta, vel auaritia, sed ex Zelo iustitiæ & desiderio honesto habendi sua fiat, iudicio non est prohibitum sua repetere. Tertius sensus est: ne repetas non solũ vi, aut iudicio, sed neq; verbo, aut alio modo. Et hoc non est absolutè prohibitum; possumus enim mutuò data, commodata, ablata honestè repetere. Locus ergò hic oẽs tres hos sensus admittit, & complectitur: sed non respectu cuiuscumq; personæ, sed indigentiũ, vel etiam eorũ, qui reddere non possunt. sic enim hæc pars connectitur cum præcedenti, vbi de indigen- 51.

tibus

tibus est sermo: quare Dominus Matt.18. damnauit seruum illum, qui tenebat & suffocabat debitorem non habentem vnde redderet. Hinc Isaiæ 58.3. *omnes*, inquit Deus, *debitores vestros repetitis*: neque enim fas est omnes repetere, vt sunt illi qui indigent, nec habent vnde restituant, quamuis aliquos qui eiusmodi non sunt, fas sit repetere.

22. *Pro vt vultis*] voluntate rationabili.

23. *Quæ vobis est gratia?*] scilicet habēda, aut quā gratiam facitis, quidam per gratiam meritum: alij melius, retributionem diuinam intelligunt, seu mercedem, vt prim. Petri 2.19. *hæc est enim gratia*, & cæt. loquitur verò Christus de dilectione amicorum qua eos diligimus tantum, quia nos diligunt.

32. *Nam & peccatores*] Basil. respon. 163. regul. bre. gentiles intelligit. verùm satiùs est generatim sumere, *Peccatores* igitur appellat, qui peccatis incumbunt, & operibus malis student, nec Dei, nec honesti rationem habentes, qui quidem rarò opus aliquod faciunt, virtutis bonum spectantes, sed omnia ad vtilitatem, ac delectationem referunt; summum, ex naturæ quadam cōmiseratione operantur aliqua. Alioquin constat esse peccatores aliquos, qui inimicos etiam diligant auxilio suffulti Diuino, & amicos propter Deum, licèt non ex charitatis dilectione; ac bona aliqua opera faciat, quæ essent meritoria, si in peccato non essent, & præmio digna, nec de his loquitur Christus.

25. *Recipere*] simile scilicet beneficium.

Fœnerantur] .i. mutuum dant. hæ omnes sententiæ intelligendæ videtur, si eo duntaxat animo hæc fiant, quia nos illi diligunt, vel nobis beneficiunt, vel quod ab illis speremus similia recipere.

AEqualia] nempè similem mutuandi actionem.

33. 26. *Veruntamen diligite inimicos*] non reperitur hæc sententia eodem prorsus sensu, quo priùs v.18 est tradita, vult enim monere nos, ne velimus eos ita diligere, vt respiciamus eorum in nos dilectionem, sperantes ab ijs diligi .i. sperātes fore vt diligamur ab illis.

34. *Nihil inde sperantes*] videlicèt similis beneficij, refertur hoc etiam ad inimicos. spes aliquid recipiendi in mutuo, non inducit vsuram, sicut nec in rebus spiritualibus conferendis simoniam; sed requiritur intentio accipiendi aliquid pro mutuò. Cæterùm Christus hic vtrumq; remouet, vt opus perfectū sit, & maiori dignū mercede. Nota ergò esse discrimen inter spem & intentionē, nam hæc non tantū significat velle rem, sed finem innuit operis, vt scil. quis ob illam rem operetur: sic quis sanitatem intendit, qui agit vt eam consequatur; Spes aūt, vel etiam desideriū non dicit huiusmodi finē operationis: quare si quis mutuet alicui, sperans, vel desiderans ob mutuū aliquid habere, non est vsuræ reus. Tol. in sum. lib. 5. c. 24. vult hoc loco cùm dicitur: *mutuum date nihil inde sperātes*, spem sumi pro intentione. Sed ex v.25. non videtur esse simpliciter verum; potius dicerem hoc loco, *nihil inde sperātes*, sumi cōmuniter, vt dicimus in Scholis abstrahendo à spe, & intentione, licèt v.25. sumi videatur potius qua parte spem significat; videtur enim ostendere ibi Christus licere illo modo quidem mutuare, licet consilij sit ne hoc quidē modo id facere; at cùm postea vetatur v.26. vtrūque vetatur, & mutuare sperando quod est consilij & intendendo, quod est præcepti. lege Valent. tomo tertio, disputat. quinta, quæstion. 21. de vsu. p.1.§.3.

35. *Et eritis filij altissimi*] ergò qui inimicos odit

A Dei filius non est. Hinc collige, esse in præcepto dilectionem inimicorū. fic quidam, quamuis non satis firmo meo iudicio argumento; cùm tamen, quod dilectio inimicorum in præcepto sit, longè firmioribus nitatur firmamentis & rationibus.

Super ingratos & malos] malos intelligit Dei inimicos. ingratos, eos qui sunt acceptorum beneficiorum immemores, nec quicquam creatori suo rependunt; Per *malos* ergò nos excitat ad diligendum inimicos: per *ingratos* ad sic diligendum, & benefaciendum, vt nihil ab eis speremus, sic Dei filij, id est, similes erimus.

27. *Estote ergo misericordes*] benefici. infert nos misericordes esse debere qui filij sumus, si pater noster misericors est. *misericordia* interdū pro beneficio sumitur, vt Gen. 20.13. & 21.23.

B 28. *Nolite iudicare*] indicat quibus operibus benefici in alios simus futuri, & similes patri cælesti; & ponit quatuor opera, scil. non iudicare, nō condemnare, dimittere, & dare. 36.

Et non iudicabimini] non quod non sit sistendus ante tribunal Christi & rationem redditurus, sed quod qui aliena iudicat, si similia faciat, etiā & sua iudicet, atq; ita à Deo suo proprio iudicio iudicabitur Rom.2. in quo enim aliū iudicat, se ipsum etiam iudicat, inexcusabilem ergò se reddit. quamuis etiam addatur propterea suis peccatis maioris grauitatis circūstantia, qua de re vide, quæ scripsimus superiùs cap. sexto, numer. vndecimo, duodecimo, 13. 14.

Et non condemnabimini] iudicare est culpæ adscribere, condemnare est pœna dignum censere; qui ergò alterius facta, vel dicta morte digna censet, sua profectò, vel similia, eadem damnat pœna, immò se grauioris pœnæ reum facit, præsertim si peiora ipse committat.

C *Dimittemini*] hoc est, dimittetur vobis. Et verò non significat peccatores, qui dimittunt proximis debita, ob eam solam causam, suorum scelerum veniam obtinere: sed si eos pœniteat peccatorum, facilè eorum veniam impetraturos: Vt verò ad hanc pœnitentiam conuertantur, & ad meliorem frugem se recipiant, fore ipsos auxilium à Deo promptius obtenturos. Doctè, & satis ad mores accommodatè Cardinal. Toletus adnotatione septuagesima affert, quæ nos ad dimittendum aliis offensas, & iniurias maximè impellunt. vide illum.

29. *Date*] Liberaliter etiam non petentibus de rebus vestris, & omne officij genus, id est, misericordiæ, dilectionis omnibus, quod ad vos attinet, exhibete. Sic enim latè sumendum est hic dare, iuxta illud Actor.20. *beatius est dare, quàm accipere*; Item dare absolutè hic positum liberaliter ac copiosè dandum significat. D

Mensuram bonam] id est, iustam. Barrad. intelligit magnam.

Confertam] Gr. πεπιεσμένον pressam. *Coagitatam*] benè concussam. *Supereffluentem*] effusissimam.

Dabunt] pro *dabitur*. *In sinum vestrum*] Hebraismus, pro *vobis ipsis*, non alijs pro vobis, idque in mercedem & præmium vestrorum operū. quomodo & illud Psalm. 79. intelligitur: *redde inimicis nostris septuplum* (vindictæ & pœnæ, quam nobis intulerunt) *in sinu eorum* (quam vix possit abijcere, & quidem ipsismet, qui nobis nocuerunt) est autem hic sinus, complexus ille pectoris inclusus inter brachia & crura, diciturque gremium: videturque hic propriè significare eam partem pectoris, quatenus officio manuum laxa vestimenta ante illam complicantur, & quandam quasi caueam efficiunt. quomodo videtur sumi,

Prou. 16. 33. *sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur,* quo significatur, nihil in humanis geri sine nutu, & dispensatione Dei, vt ne sortes quidem, quæ cæcæ fortunæ ab hominibus tribui solent, sine Dei moderatione sic eueniant. vndè indicatur, sortem cuique occulta sua æquitate Deum attribuere, & moderari; olim sortes videntur in sinu iactari solitæ, vt nunc in ollam, vel vas.

Porrò dùm ait: *mensuram bonam,* & cæt. ostendit ea quatuor, quæ promiserat, *non iudicabimini, non cõdemnabimini, dimittetur vobis, dabitur vobis,* stabilia ac perfecta futura, ne quis indubium reuocaret, aut non magnum aliquid continere putaret. Vtitur verò metaphora desumpta ab ijs, qui res aridas metiuntur; & pro accepto pretio perfectam reddunt mensuram; quæ perfectio quatuor his cõditionib. hoc loco explicatis continetur, vt sit iusta, conferta, coagitata, & supereffluens, &c.

57. *Duo opera misericordiæ quæ nos liberant.* Obserua, circa illa *dimittite,* & *date,* sic Augustinum sermone decimoquinto, de verb. Domini, scribere: duo sunt opera misericordiæ, quæ nos liberant, quæ breuiter posuit Dominus in Euangelio (hic ver. 28. 29.) *dimittite, & dimittemini; date, & dabitur vobis.* Dimittite ad ignoscendum pertinet, date ad præstandum beneficium. Gregor. etiam lib. 21. Moral. cap. 8. limitat hæc duo dare, & dimittere ad misericordiæ opus, notatque maius misericordiæ opus esse dimittere, quàm dare: *Dare namque,* inquit, *ad res pertinet quas exterius habemus. dimittere autem ad relaxandum dolorem, quẽ interius ex aliena culpa contrahimus. Sed sciendum, quia qui omninò dimittit, & non dat, & si non plenè operatus est, meliorem tamen partem misericordiæ tenuit. qui autem dat, & non dimittit omninò nullam misericordiam facit: quia ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato, in malitia profertur. mundari enim prius debet animus, qui eleemosynam præbet: quia omne quod datur Deo, ex dantis mente pensatur.*

Eadem quippè mensura] assignat rationem eorum, quæ præcesserunt, perindè ac si diceret, propterea mensura bona, & perfecta dabitur ijs, qui non iudicauerint, nec condemnauerint, sed dimiserint; Denique ex suis rebus dederint, omneq; officij genus, quod ad se attinet, exhibuerint etiam nõ petentibus: quia qua mensura vnusquisque erga alios vsus fuerit, eandem Deus in ipsum vsurpabit; ita vt si non iudicet, nec condemnet alios, nec ipse iudicabitur, modo declarato nu. 56. nec condemnabitur, qui dimittet, dimittetur; qui dabit, dabitur ei: talem enim se exhibebit Deus in retribuendo malum, aut bonum qualem homini, homo se exhibuerit. Vox illa *eadem,* similitudinem indicat, non quantitatem: maiora enim Deus homini, aut bona, aut mala confert; cùm punit, aut præmiat, quàm homo homini.

58. Nota hoc interesse inter præcedentem propositionem; *mensuram bonam,* & cæt. & hanc, quod illa non est accipienda in malam partem, vt quidam faciunt, qui referunt illam etiam ad demerita; nam pœna damnatorum non dicitur mensura bona; potius igitur promissionibus conuenit, quæ complebuntur optima & copiosa mercede: hæc aũt generatim refertur ad præcedentes sententias, tum in bonam, tum in malam partem. v. g. qui iu dicat, iudicabitur; non iudicans, non iudicabitur, sic de dimittentibus, &c. eo modo, quo nu. 56. declarauimus.

59. 30. *Numquid potest cæcus*] Euthymij, mihi placet hic interpretatio: intelligenda esse hæc de omnibus his, qui obscuratos habent animi oculos; & alios docere conantur: quamuis ex Matth. 15. 14. præsertim, ad Pharisæos & Scribas referantur; veluti enim tacitę obiectioni respondet Christus, ne quis nouæ & inauditæ suæ doctrinæ opponeret Pharisæos & Scribas aliter docentes, & hęc est connexio horum cum superioribus.

31. *Non est discipulus super magistrum*] Altera similitudine, seu prouerbio confirmat quod dixerat: ostenditq; eos qui huiusmodi præceptorũ, qui obscuratos habent oculos, cæciq́ue sunt, discipulos se præbent, non posse rectius sentire, atque iudicare, quàm suos illos ipsos præceptores. Propterea veram viuendi rationem non esse ab illis expectandam.

Noli intelligere discipulum non posse præceptoré doctrina præcedere, nempè studio proprio, & inuentione acquisita. De ea enim hic scientia sermo ẽst, quam à solo magistro recipit, in qua eo doctior esse non potest. Mat. c. 10. aliter hac eadem sententia vtitur. vide inferius hoc lib. 4. Dilucid. c. 17. Schol. ad v. 31. 60.

32. Sicut duabus similitudinibus ineptos ad docendum magistros, reiecerat ob eorum cæcitatem & ignorantiam: ita nunc tertia similitudine demonstrat eosdẽ Præceptores ineptos esse ad mores aliorum componendos ob prauitatẽ & vitia, cùm sint cæteris multo peiores. loquitur præsertim de ijsdem Scribis & Pharisæis. hæc ex Matth. constant.

34. *Non est enim*] vox *enim* indicat hac sententia causam prędcedentis exprimi, q. d. depone malitiã, & esto prius bonus, si vis bonũ opus facere, nẽpè proximũ emendare, & à peccato retrahere. Itaq; assumitur hic similitudo arboris, seu metaphora contra hypocritas, & grauibus onustos peccatis, qui alios emendare tentant: quod non efficiunt, cùm suos prauos mores prius non deserant. vndè arbores malæ cùm sint, non proferunt fructum bonum emendationis proximi.

35. *Vnaquæque enim*] similitudinem arboris bonæ producentis fructus, iuxtà suam naturam probat ex effectu: nam quælibet ex suo fructu cognoscitur, q̃ esse non potest, nisi bona bonos, mala malos produceret. Quibus significat, modũ discernẽdi malos doctores ex operibus. Nota particulam, *enim,* hic non indicare causam, cognosci namque arborem ex fructu suo, sequitur ex eo quod quælibet iuxtà suam naturam fructum edit: sed significat cognitionis causam, quæ est effectus rei: vt si diceres illic est ignis, fumus enim videtur. 61.

36. *Bonus homo de bono thesauro*] q. d. ex ijs, quæ in corde suo coaceruata habet velut thesaurum, profert bonũ, sicut malus malum quoque. quam attulerat arboris bonæ vel malæ similitudinem, ad rem suam nunc accommodat. Actor bona, bonus homo est, mala malus; Itaque sicut illa bonos fert fructus, sic homo bonus de cordis sui bonitate, opera bona gignit; contra malus de malitia, nam quisque iuxta cordis sui conditionem vel bona, vel mala profert opera, vel verba.

Ex abundantia enim cordis] probat priorem sententiam. sicut, inquit, verba proferuntur iuxtà id, quod dominatur in corde, ibiq; coaceruatum est; ita iuxtà thesaurum bonum, vel malum opera exteriora procedunt. Neq; verò mens Domini est his ostendere, bonum hominem interdũ non proferre aliquid mali, & malũ boni aliquid; sed rarò id fieri significat; nam prout est interior thesaurus, ita & solẽt esse vel opera, vel verba, quæ inde proferuntur, sic Matth. 12. dicitur: *quomodo potestis loqui bona, cùm sitis mali,* ac si dicat, rarissimum id, & difficillimum est. 62.

Thesaurus hic & latentem bonitatem seu malitiam cordis significat, & copiam, atque multitudinem eiusdem bonitatis, & malitiæ indicat. 63.

37. *Quid autem vocatis me*] vbi Scribas, & Phariſæos, illiſque ſimiles malos doctores excluſit tanquam ineptos ad docendum, minimeque aptos ad alios emendandum, quod per prædictas ſimilitudines effecit: Nunc doctrinam ſuam commendat. vel ipſorummet audientium teſtimonio, meritoq; eos reprehendit quaſi ſibi repugnantes, & contrarios, idque oſtendit eadem ſimilitudine, qua priùs vſus fuerat, vt ſit hæc ſententia: ſi arbor bona bonos fructus parit, nec poteſt malos; ſi bonus homo de bono cordis ſui theſauro bonum promit, quarè vos me Domine, Domine vocatis, hoc eſt, bonam arborem fatemini, & tamen fructus deguſtare meos non vultis, id quod eſt, non facere, quæ ipſe dicebat. Etenim cùm arbor bona ſim, etiam per vos me, doctrina bona erit: neque enim arbor bona malum facit fructum; nec bonus homo de bono theſauro profert malum. Ecquid igitur cauſæ eſt, quamobrem dictis meis audientes non eſtis, & præceptis non obtemperatis?

38. *Omnis* &c.] quæ ſequuntur ſatis expoſita ſunt ex his, quæ adnotauimus. in Matth. c. 6. huius libri in Scholijs circa ver. 24. & ſeq.

64. Tantum hæc pauca notanda. *Qui venit ad me*] intellige per fidem.

39. *Fodit in altum*] duo ſunt neceſſaria, quo firmum ſit ædificium; vt fundamentum profundum iaciatur; & vt ſupra petram collocetur.

Fundata enim erat ſupra petram] nempè ſupra petram alto & profundo loco poſitam: eſt enim hic petra Chriſti fides, quæ altius ac profundius locatur, hoc eſt, profundo innititur fundamento, quando coniunctam habet mandatorum Dei obedientiam, præſertim, quæ altas, firmaſque iecit radices.

40. *Super petram ſine fundamento*] id eſt, ſine mandatorum obſeruatione, ac virtutum operibus igitur tam bonus, quàm malus, ſupra petram, id eſt, Chriſtum ædificat; vterque audit, ac credit eius ſermones; ſed ille bono ac profundo nititur fundamento, hic illo careț.

THEORIA I.

De numero duodenario Apoſtolorum.

1. IN Scholijs n. 12. veram, ac litteralem attulimus rationem cur Apoſtoli duodenario numero à Chriſto electi fuerint. Nũc eiuſdem numeri figuras afferemus. Multæ namque hũc numerum in ſacris literis figurę adumbrarunt. Primum duodecim Patriarchę filij Iacob, iſtos deſignarunt duodecim nouæ legis Patriarchas, à quibus progeniti ſunt fideles. Deinde fuerũt Apoſtoli duodecim illis fontibus præmonſtrati, de quibus Exod. 15. 27. *venerunt autem filij Iſrael in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ: & caſtrametati ſunt iuxta aquas.* Origines hom. 7. in Exod. in duodecim fontibus duodecim Apoſtolos, & in ſeptuaginta palmis ſeptuaginta diſcipulos ſignificari exiſtimat.

Figuræ duodenarij numeri Apoſtolorum.

2. Duodecim item lapidibus quatuor ordinibus diſtinctis, & in rationali Summi Sacerdotis collocatis; de quibus Exod. 39. ſimiliterque repręſentantur duobus lapidibus Onichinis, quos in humeris geſtabat Pontifex, in quibus ſculpta erãt nomina 12. Patriarcharũ. Vtramq; figuram Apoſtolis accommodat D. Hierony. c. 28. Ezec. ſic ſcribens: *eos verus Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech.* (Apoſtolos Chriſtus) A *portat in pectore* (per amorem) *in humeris* (per auxilium quod illis impertit ſuſtinet) *vt in duodecim lapidibus, duodecim Apoſtolorum numerum, & in duobus Onichinis vtriuſque teſtamenti Sacramenta demonſtret.* ijdem Leuitici 24. duodecim illis propoſitionis panibus præſignantur, ſupra quos erat vas aureum thure plenum, nam ex Apoſtolis tanquam ex huiuſmodi panibus ſuauiſsima orationum thura ad Eccleſiam adiuuãdum efflantur. Eoſdem Apoſtolos adumbrarunt duodecim illi exploratores miſsi à Moyſe num. 13. 3. ad explorandum terram promiſsionis. lege Ruper. l. 1. numer. c. 37. Repræſentantur item duodecim lapidibus à Iordane ſublatis Ioſ. 4. 49. quibus factum eſt altare 3. Reg. 18. Duodecim bobus æneis, ſupra quos præcepit Salomon mare æneum collocari 3. B Reg. 7. 25. ſic Eucher. lib. ſuo 3. in l. Reg. c. 21. & Gregor. 2. p. curæ paſt. c. 5. Sunt quoque Apoſtoli duodecim illi leunculi thronũ Salomonis hinc indè ambientes 3. Reg. 10. 18. circumdant enim, ac tuentur Eccleſiam tanquam Leones quidam fortiſsimi, dæmonibus, & hoſtibus terribiles. Sunt & iudices illi duodecim, qui poſt Ioſue iudicarunt populum.

Nouo item teſtamento ſignificati ſunt duodecim ſtellis coronam ſponſæ circumueſtientibus ornatu maximo. Eſt enim ſponſa Eccleſia, cuius caput Chriſtus eſt. Quarè habere Eccleſiam in capite coronam duodecim Apoſtolorum, eſt Apoſtolos in Chriſto eſſe veluti pretioſiſsimam coronam, coruſcantem vitæ, & miraculorum fulgoribus. Rectè quidem Chriſtum Eccleſiæ caput exornare dicuntur, C cùm per eorum prædicationem Chriſtus, qui caput eſt Eccleſiæ, tanquam rex agnitus ſit, & quaſi radianti diademate inſignitus. Hæc verò corona ſignificata eſt Zachariæ 6. 11. per coronas ſuper caput Ioſedech Sacerdotis magni Chriſtum repræſentantis, imponendas. Vide Rupert. in locum Zachariæ. 3.

Item eadem corona deſignata eſt Zachariæ quoque 9. 16. nam vbi nos legimus; *lapides ſancti eleuabuntur ſuper terrã eius*, Heb. verti poteſt: *lapides diadematis eleuabuntur ſuper terram.* Vide Hiero. in c. 28. Ezec. & in Com. ſuper Epiſt. ad Epheſ. 2. 21. in illa *in quo omne ædificatio* &c. Blaſius Viega c. 12. Apoc. Comm. 1. ſec. 7. n. 8. ſic ex D Hebræo locum Zachariæ interpretatur, ait. n. *lapides diadematis. i. qui diadema Chriſti conficiunt, eleuandos eſſe ſuper terrã. i. in magno pretio habendos in Eccleſia: tũc aũt eleuantur lapides in Eccleſiæ ædificio, cùm ſuperponuntur Chriſto, qui eſt lapis fundamentalis.* Poſtremò in nouo quoq; teſtamento repræſentantur Apoſtoli duodecim fundamẽtis, duodecimque portis nouæ Ieruſalem, quæ Ioanni reuelata ſunt in Apocalyp.

De eiſdem figuris vide Cardinalem Tolet. 4. adnot. 19. in c. 6. Luc. Mald. in c. 10. Matt. Vegã lo. cit. Apocal. Barra. to. 2. l. 6. c. 13. vbi ait, inter alia: eſſe Apoſtolos tanquam 12. Zodiaci ſigna, per quæ ſol mundo lucem elargitur, ita enim per 12. Apoſt. iuſtitiæ ſol, mundo veritatis lumen, impertit. Eos appellauit D. Irenæus. l. 4. ca. 38. *duo decaſtylum* firmamentum. i. 12. columnarum: 12. enim Apoſt. tanquã firmiſsimis columnis fulcitur, & ſuſtinetur Eccleſia in Chriſto. Sedulius quatuor Euangeliſtas, cum qua-

Digitized by Google

tuor anni temporibus vere, æstate, autumno, hyeme; duodecim verò Apostol. cum 12. anni mensibus, duodecimque horis diei confert. Et Beda Io. 6. idem affirmat. D. Greg. illud Prou. 9. *Sapientia sibi ædificauit domum* &c. de Apostolis etiã interpretatur l. 17. mor. c. 17. D. Chrys. ser. de Pentecoste sic ait: *paragrarunt Apostoli orbem non scuta mouentes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecunias largientes, non eloquẽtia confidentes: erant nudi sæculo, sed induti Christo.* Vide reliqua, ibidemque Apostolos Ecclesiæ vinitores, appellat, piscatores, turres, colũnas, medicos, duces, doctores, gubernatores, alijsq; insignibus epithetis exornat.

THEORIA II.

De excellentia Apostolorum, & ordine quo ab Euangelistis numerantur.

1. *Duodecim excellentiæ duodecim Apostolorũ.*

PERERIVS duodecim Apostolorum excellentias numerat in c. 1. ad Ro. d. 2. n. 9. quas ego carptim, summatimque colligam, locum indicasse cõtentus. Est igitur prima, quod ab ipso Christo potestatem acceperunt prædicandi Euangelium per vniuersum orbem, regendi, fundandique Ecclesias, sic Matt. & Mar. vltim. & Ps. 18. *in omnem terram* &c. quod Paul. Rom. 10. 18. ad Apost. refert. Altera, quod cum Christo familiarissimè versati sunt, quod ne multis quidem regibus, ac Prophetis cõcessum fuit Matt. 13. Tertia, habuerunt claues regni cælorum. Matt. 18. Quarta, habuerunt potestatem discernẽdi canonicas Scripturas; quin & nouas condendi. Quinta, symbolum fidei composuerunt. Sexta, excellentem habuere potestatẽ faciendi miracula, adeò vt vel ipsa vmbra Petri ægrotos sanarit. Septima, fuit illis donum linguarũ 1. ad Cor. 14. & Act. 2. Octaua est, quod futuri sunt præcipua quadam ratione iudices hominum Matt. 19. Nona, habuere potestatem dãdi hominibus Spiritum S. visibili specie per impositionem manuum Act. 8. Decima in his, quæ Ecclesiæ tradebant, vel credenda, vel agẽda, nec ipsi falli poterant, nec fallere alios. Vndecima, post acceptum Spiritum S. die Pentecostes confirmati sunt in gratia: quod & elicitur ex illis Io. 14. 16. *ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum*, vt rectè huc illud Ps. 74. 4. accommodari possit: *ego confirmaui columnas eius.* Postrema est, quod in gratia Dei, & scientia rerum diuinarũ, & mysteriorum fidei, cæteris præstantiores fuere, quicumq; ante eos, vel post fuerũt. Hinc dicuntur primitias spiritus accepisse Roma. 8. Meritò igitur ob has excellentias Ecclesia, licèt sit super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum fundata: potiùs tamen *Apostolica*, quàm *Prophetica* dicitur. Verùm D. Petrus super alios Apostolos singularem obtinet dignitatis, & potestatis excellentiam, tanquam princeps Apostolorum, & Pastor non modò ouiũ Christi, sed simul etiã Pastorũ. De his Hactenꝰ.

2. Cæterum an præferendi sint Apostoli D. Iosepho, & Io. Bap. lege apud Suar. to. 2. disp. 8. sec. 1. & d. 24. sec. 3.

3. *Petrus cur primo loco positus.* Quod ad ordinem attinet Card. Bellar. l. 1. de Pontifice Romano cap. 18. docet Petrum ab

A Euangelistis esse primo loco nominatum ob dignitatem; in reliquis non tenuisse ordinem Euangelistas, vndè nec dicunt secundũ, tertiũ, &c. cum illos numerant, nec semper eodẽ ordine recensent Matt. 10. Mar. 3. Luc. 6. Act. 1. At Petrum siue cùm reliquos oẽs numerãt, siue cũ aliquos tantũ, solẽt præponere; & cùm interdũ nomine cõmuni reliquos cõplectuntur Apost. veluti Patrẽfamilias, ducẽ, & principẽ, vel seorsim, vel primo loco non rarò nominant Petrum vt Marci 1. *Simon, & qui cum eo erant*, & c. 16. *dicite discipulis eius, & Petro.* Luc. 8. & 9. Act. Item 2. *stans Petrus cum vndecim*, & c. 5. & 1. Cor. 9. idem patet, ex eo quod à D. Matt. *primus* vocatur; quod nomen non numerum, sed primatum significat, seu dignitatem, & auctoritatem,

B ac proindè nõ est ibi primus, numerale nomẽ.

Hinc patet nõ casu, non ob ætatem, nõ quia 4.
primus à Christo vocat', ideò primo loco poni Petrum: erat enim Andreas senior, & prior Christum sequutus. Nec quia cæteris sanctior. quis enim hoc credat, Euangelistas interiora voluisse propalare, quæ soli Deo nota?

De cæteris Apostolis affirmandum videtur, 5.
saltem Matthæum cap. 10. binos ita nominasse Apostolos interiecta coniunctione, &, vt bini missi tunc sunt à Christo, de quorum missione ibi agit, idemque fortè est obseruare in Luca, nisi quod Lucas duos Iudas simul voluit connectere ob similitudinem tantum nominis fortasis, alioquin Iudas Iacobi, socius videtur fuisse Iacobi Alphæi ex Matth. & Marc. & Simon socius proditoris. & licèt Lucas, & Marcus, Matthæum præponant Thomæ socio,

C Matthæus se Thomæ socio postposuit ob humilitatem. Philippus verò & Bartholomæus ab aliquo per errorem præpositi sunt Iacobo & Ioanni in eodem Matthæo. at reuera postponendi sunt, vt ex omnibus græcis codicibus, & emendatis Latinis constat. Porrò Marcus, vt coniungeret simul eos, quibus nomina imposuit Christus, Andream postposuit filijs Tonitrui, licèt potiùs videatur fuisse socius Petri in ea missione ex Matth.

Verùm contra id, quod de D. Petro diximus, facessere posset fortè alicui negotium, illud quod Paul. Gala. 2. 9. habet præponens Iacobum Petro, dum ait: *Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columna esse, dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis.* Respondeo non

D esse certum sic loquutum Paulum; nam Ambr. Augustinus, Hieronymus etiam in textu, & Chrysostomus in Comment. præponunt Petrum. Deindè vt ita scripserit Paulus, dici potest non curasse ordinem. Quod si non placet, dicam cum Ansel. & D. Thoma; ideò præposuisse Iacobum, quia erat Episcopus Hierosolymitanus, vbi tunc temporis agebant Apostoli, de quibus loquitur Paulus. Dicam etiam ætatis rationem habuisse Paulum, qua Iacobus Petrum præcedebat. Mitto (& caput est) quod Paulus agebat in ea epistola, vt se Apostolis æqualem probaret, nec erat oportunum, vt de cuiusque prærogatiua loqueretur: vndè etiam factum fortasse est, vt cùm potuisset dicere, qui columnæ erant, (Christus enim hos tres Apostolos cæteris proposuit) maluit dicere qui videbantur columnæ esse.

Omitto

7. *Cephas vtrũ Petrus Apostolus.*

Omitto etiam esse auctores aliquos, qui hunc Cepham, nõ Petrũ Apost. sed ex 72. discipulis vnum fuisse sentiunt, quẽ nominant Dorotheꝰ & Hippol. inter 72. discipulos; Oecum. item in Act. Apost. & Georg. Ederus in Oeconomia, Sixtus etiam Senens. l. 2. bibliot. scribũt vnũ ex 72. discipulis *Cepham* esse dictum; quod ergò is qui reprehensus est à Paulo non fuerit Petrus Apostol. sed is vnus ex 72. arbitrati sunt Clemens, quem refert Euse. l. 1. Lust. Eccl. c. 14 Oecum. in collect. epist. ad Gal. & refert Theophyl. in Com. in eandem epist. Barth. Camerarius in tract. de ieiun. c. 6. imò à quibus putatur etiam Ioan. cuius eadẽ epist. meminit Paul. fuisse non Apostolus, sed vnus, item ex 72. nam Paulus asserit se post Petrum nullum Apostolũ vidisse nisi Iacobum fratem Domini. quã sententiam quidam ex cõtextu eius epist. probare contendunt, nam *cùm vidissem*, inquit Pau. nempè, Iacobus, Cephas, & Ioan. *quod creditũ est mihi Euangeliũ, sicut & Petro* &c. *dextras dederunt* &c. oratio hæc videtur indicare diuersum esse hũc Cephã à Petro, vt diuersi erant Iacobus & Ioa. sed non huc confugiendum est, opinor. n. cum D. Hiero. Aug. & Greg. ho. 18. in Ezec. & communi sententia, hunc Cepham Petrum Apost. fuisse, nam in tota epist. sermo est de Petro Apost. vt cùm dicitur, *qui operatus est Petro in Apostolatum*; & Ascendi Ierosol. videre Petrũ; item quia *Cephas* dicitur columna, vt Iacobus & Ioannes; ad hoc idẽ significat Hebræis & Syris, & Latinis & Græcis Petrus, & licèt noster interpres sæpè vtatur nomine Cephæ in hac epist. tãmen in cod. græco, qua lingua D. Paul. scripsit semper habetur Πέτρος, præterquam ibi, & Cephas, & Ioan. columnæ videbantur, vbi habetur Κηφᾶς. igitur solutiones priori loco datas satis esse puto, neque huc diuertendum esse.

THEORIA III.

De Prouincijs quas sortiti sunt Apost.

1. QVIBVS in regionibus, & apud quas gentes Apostoli prædicauerint Euang. præter antiquos Patres Orig. Doro. Euseb. Hiero. Ilido. & alios, disputant etiã Baro. to. 1. Ann. an. 44. vbi etiã agit de singulis Apostolis, Viegas c. 12. in Apoc. Cõmen. 1. sec. 7. n. 7. Pere. in epi. ad Roma. c. 10. d. 4. n. 27.

2. *Petrus vbi prædicauerit. Paulus vbi prædicauerit.*

B. Petrus primùm prædicauit Euangeliũ in Iudæa, tum Antiochiæ; postea in Galatia, Cappadocia, Ponto, in Asia, & Bythinia, & Romæ. Paulus vt constat c. 15. ep. ad Rom. quo tempore eam epist. scripsit, iam prædicauerat ab Hierosolyma in circuitu vsq; ad illyricum: posteà Romæ per Italiam, & in Hispania, vt creditur, & rursus Romæ. Iacobus Zebedæi in Iudæa, & in Hispania iuxta Ecclesiæ illius traditionem: Ioannes in Iudæa, & in Asia minori. Andreas in Scythia, Europæa, in Epiro, in Thracia, & in Achaia. Iacobus frater Domini in vrbe Hierusalem; Philippus in Scythia & Phrygia; Barth. in India citeriori, & in maiori Armenia; Matthæus in Aethiopia. Thom. apud Parthos, Medos, Persas, Brachmanes, Hircanos, Bactros, & Indos. Simon in Mosopotania. Iudas in Aegypto, & ambo postea in Perside. Matthias in interiori Aethiopia. Barnabas simul cũ Paulo in Syria, & in multis Europæ, & Asiæ regionibus, ac deinceps in Cypro.

3. *Duodecim Apostoli similes 12. signis Zodiaci.*

Quidã eleganter cõparant duodecim Apostolos, duodecim signis Zodiaci, docentq; idcircò singulos in illis partibus prædicasse, quæ eiusmodi signis suppositæ sunt. Etenim fingunt Astronomi in cælo quatuor trigonos, quorum primus est Orietalis subiectus Geminis, Libræ & Aquario atque hunc aũt pertinere ad Simonẽ, Bartholomæũ, & Matthæũ, & regiones illæ, quæ his obtigerũt his tribus signis subiectæ sint. Alter trigonus meridionalis est attributꝰ Tauro, Virgini, & Capricorno, atq; hunc pertinere ad Andream, Iudam, Thadæum & Thomã quia sub hoc trigono, eiusq; signis sunt regiones, in quibus illi prædicarunt; etsi non de omnibus regionibus necesse sit id affirmari: satis. n. est, & aliqua regio ex his, in quibus prædicarunt, subiaceat alicui ex his tribus signis, & est intelligendũ in omnibꝰ alijs trigonis. Porrò in tertio trigono occidentali, cuius imagines sunt pisces, cancer, & scorpius, prædicarunt Iacobus minor, Ioan. & Philip. Deniq; in quarto trigono aquilonari, cuius sunt imagines Aries, Leo, & Sagittarius; Euangelium disseminarũt Matthias, Petrus, & Iacobus maior, quibus efficitur iure duodecim Apostolos cũ duodecim signis Zodiaci rectè conferri: cum ipsi quoq; fuerint in Ecclesiæ cœlo tanquam dũodecim lucentissima signa veluti in quatuor trigonos, per Euangelij prædicationem distributa.

THEORIA IV.

Cur Christus in numerum duodecim Apost. Iudam Iscariotem, quem proditorẽ futurũ rectè nouerat, allexerit.

1. DAmb. quatuor causas eius rei videtur assignare in c. 6. Lu. Prima est, vt Christus suæ veritatis firmitatem ostenderet, quæ tanta est, vt licèt vnus ex duodecim Apostolis defecerit, non ob id infirmari potuerit. Altera est, vt charitatis suæ magnitudinem indicaret: ita enim homines dilexit, vt vel illum, quem malum futurum nouerat in Apostolum cooptauerit, nihil omittẽs quo illum lucrari posset: maluitque periclitari apud nos iudicium suũ quàm affectum. Tertia est, vt qui infirmitatem nostram susceperat, ea etiam, quę maximè sunt infirmitatis non respueret, nimirum ab eo qui sibi cõiunctissimus esset prodi. Postrema causa est, vt tali nos exemplo ad patientiam animaret, etiam si à socijs proderemur, sic ergò ait eligitur & Iudas non per imprudentiam, sed prouidentiam. Quanta est veritas, quã nec aduersarius minister infirmat. Quanta moralitas Domini, qui periclitari apud nos iudiciũ suum quàm affectum maluit (id est, elegit potius ab hominibus stultis æstimari, se nescisse Iudam futurum malum, quàm se non dilexisse illum) susceperat enim hominis fragilitatem, & ideò nec has partes recusauit infirmitatis humanæ; voluit deseri, voluit prodi, voluit ab Apostolo suo tradi, vt tu, si à socio destitutus, si à socio proditus fueris moderatè feras tuum errasse iudicium, perisse beneficium. sic ille.

Digitized by Google

2. Augustl.18.de ciuit.c.49.duas alias assignat causas:habuit,inquit,inter eos,scilicet Apostolos, vnum, quo malo vtens benè & suæ Passionis dispositum impleret, & Ecclesiæ suæ tolerandorum malorum præberet exemplum. Vbi etiam assignat causam cur Christus Apostolos inhonoratos & illiteratos,& humiliter natos elegerit, nimirum, vt quicquid magnum esset, & facerent, ipse in eis esset,& faceret.

3. D.Hieronymus libro tertio contra Pelagianos capite secundo, addit & aliam causam: *interroga*, inquit, *Christum cur Iudam elegerit proditorem? cur ei loculos commiserit, quem furem esse non ignorabat? vis audire rationem? Deus præsentia iudicat, non futura; neq; condemnat ex præscientia, quem nouerit talem fore, qui sibi posteà displiceat. sed tantæ bonitatis est, & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & scit malum futurum, dans ei potestatem conuersionis, & pœnitentiæ.*

4. D.Thomas Matthæi decimo, alias addit rationes:quare,ait Christus Iudam posuit?Respondet, *vt daret documentum, quod dignitas status, non sanctificat hominem.* Item, est alia ratio,ad notandum,quod vix contingit, quin in magna congregatione sit aliquis malus,& ideò ita ponitur, vt ostendatur quod boni aliquando non sunt sine malis,Canticorum secundo,secundo, sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

5. Cardinalis Toletus adnotatione vigesima in caput decimũtertium. Ioann. ex illis verbis; *ego scio quos elegerim: sed vt adimpleatur Scriptura, qui manducat mecum panem, leuauit contra me calcaneum suum:* assignat hanc causam; Christum hominem Iudam elegisse, licèt sciret futurum malum, vt Scriptura impleatur, id est, vt impleret voluntatem Patris, quam prædixit,& significauit per Prophetas. Illud verò vt causalẽ reddit sensum. Porrò ea q̃ prædicta sunt si mala sunt, præuisa sunt, quia futura; si bona sunt, futura sunt, quia prouisa à Deo. Christus igitur, vt homo elegit Iudam,& ad Apostolatũ vocauit, quia ita patrem disposuisse,& voluisse sciebat. quod si petas, cur pater voluit proditorem & iniquum futurum, ad Apostolatum elegi? non debemus in hoc multum laborare, vt Cyrillus libro nono, in Ioann. capite decimo,& Hieronymus libro tertio, contrà Pelagianos respondet. Nam eadem ratione posses petere, cur fecit Angelos quos sciebat futuros Dæmones, cur Adam, quem sciebat peccaturum, cur homines, quos damnandos præsciuit. Illud certum, nullum à Deo creatum, vt peccet: & ob id nec Iudam electum, vt proderet. hominum est vitium, quod peccent; licèt Deus peccato illorum ad bonum vtatur. Atque ita Iudæ proditione, cuius ipse Iudas suo vitio fuit causa, vsus est Deus, vt instrumento ad filij mortem, qua mundum redimeret, sicut odio, & iniquitate vsus est Iudæorum. Sed de hac quæstione satis sit dictum.

A

DIGRESSIO I. MORALIS

In illa ver. 1. *Exijt in montem solus orare,* & cætera.

AMBROSIVS cùm animaduerteret à Luca c.6.narrari orasse Christum per totã noctem antequã nominaret eos ex discipulis, quos ad Apostolatus dignitatem euehere designabat;sic scribit: *quid,* inquit, *te pro salute tua facere oportet, quãdo pro te Christus in oratione pernoctat? quid te facere cõuenit, cùm vis aliquod pietatis officium adoriri, quando Christus missurus Apostolos, orauit prius, & solus orauit?* Idem habet Cæsarius Arelat.ho.29.*quid indigebat,* inquit, *Christo vt taliter supplicaret? non ille quidquã indigebat, sed nobis exemplo suo orationis remedia præparabat. orat misericordia, & non orat miseria; orat caritas, & nõ humiliatur humilitas; prostratus in terra orat medicus, & nõ inclinatur agrotus; orat Innocentia, & non orat nequitia; orat qui peccatum non facit, nec dolus inuentus est in ore eius, & non se prosternit multis peccatis obnoxius; orat iudex, & desiderat parcere, & nõ orat reus, vt indulgentiam mereatur accipere.* Sic ille. hoc, ad quod nos meritò hortantur Ambrosius,& Cęsarius, Iudithã nobilissimã simul, & sanctissimã feminã prætitisse sacris voluminibus proditum est, cùm præsertim præclarum illud,& admiratione plenũ facin⁹ esset aggressura, quo cogitabat de manu Holophernis ducis patriam, & Dei populum liberare. quod vt feliciter succederet, vnum hoc à ciuibus postulauit: *vsq; dum renunciẽ vobis nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominũ* ca. 8.33.ipsa verò tũ sæpè orauit, tũ maximè cũ dormienti Holopherni caput esset amputatura; sic.n.legim⁹ c.13. *fletit ante lectum orans cum lacrymis, & labiorum motu in silentio, dicens, confirma me Domine Deus Israel, respice in hac hora ad opera manuum mearum,* moxq; euaginato pugione, quem ex columna lecti ligatum exsoluerat, apprehensaque coma capitis Holophernis, iterum orauit ad Dominum, *confirma me Deus in hac hora,* vndè factum, vt de superbo hoste triumpharit.

B

C

Eodem planè spiritu Hester ducta cùm auertere cogitaret graue necis periculum, quod populo suo imminebat, sic Mardochæo mandauit, vt est cap. 4. 16. *Vadè & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me: non comedatis, & non bibatis tribus diebus & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo;* & Daniel, vt Chrys. ait lib.1.de orando Deo, *non sustinuit ab orando cessare; propterea quod nisi Deus propensus sit in nos, nihil bonorum in animas nostras venire possit.* Sic Sanctus ille Iosaphat, qui cæteris post se regibus præiuit sanctitatis exemplo 2. Paralipp. 20. cùm congregati fuissent filij Moab, & filij Ammon, & mons Seir, vt ejicerent eum de possessione, quam tradiderat ei Dominus, & vniuersum eius exercitum delerent, timore perculsus, cùm se tantæ multitudini viribus imparem videret. totum se conuertit (vt Scriptura habet) ad rogandum Dominum, cuius admirandam sanè religionem, cœlestemque fiduciam cernens Deus, aperuit Iahazielis Prophetæ os, qui sic

D

1. Quàm necessaria nobis sit oratio docemur exemplo Christi.

Et Iudithæ.

2. Item Hesteris.

Et Iosaphat.

spiritu

spiritu Dei affiatus prædixit v. decimoquinto *nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem, nõ est enim vestra pugna, sed Dei*; quo significare voluit Deus, quoniam Rex Iosaphat proprijs viribus diffisus, in Deo totã suã spẽ, ac fiduciã collocauit, & humilitatis indutus vestimẽtis, per orationẽ auxiliũ sibi de cœlo & petijt, & expectauit. suscepit Deus patrociniũ eius, ipse pro illo præliabor, inquit Deus, ipse dux ero exercitus. facessat ergò pauor, & concidat timor omnis. *non eritis vos qui dimicabitis, sed tantũmodo cõfidentes state, & videbitis auxiliũ Domini super vos, ô Iuda, & Hierusalẽ: nolite timere, nec paueatis: cras egredimini cõtrà eos, & Dominus erit vobiscũ.* Sic v.17. factumq; est Deo pro Iuda pugnante, vt cõtrà se hostes populi sui consurgerent, seq; mutuis conciderent vulneribus, & venit Iosaphat, & omnis populus cũ eo ad detrahẽda spolia mortuorũ; reuersusq; est. deindè onustus spolijs omnis vir Iuda, & habitatores Hierusalẽ, & Iosaphat ante eos in Hierusalẽ cũ lætitia magna quia nimirũ verisimũ est illud, quod pollicitus est Dominus per Dauid iusto ad se clamãti Ps.90. *Clamabit ad me, & ego exaudiã eũ, cum ipso sum in tribulatione, eripiã eũ, & glorificabo eum.* & iterũ, *quidquid orãtes petitis, credite, quia accipietis.* Est.n. oratio tanquam cœlestis quidã aquæ ductus, per quẽ cœlitus delabuntur in nos auxilia cœlestia, & dona, deniq; necessaria omnia, quẽ (in eũ modũ, quo Holophernes terrenũ illũ aquæ ductum Bethuliæ incidi iussit, vt præ siti Bethuli dederent se illi Iudith.c.7) aduersarius noster Diabolus incidere conatur, vt sic cœlestiũ donorũ, & auxilij diuini faciat vacuos, & expertes. Quod Chrysost. nos accuratè monuit loco paulò antè notato; *scelerati*, inquit. *spiritus, si nos conspexerint deprecatione munitos, ilicò resiliunt, non aliter quã prædones, ac facinorosi, vbi cõspiciunt, militis gladiũ in caput suũ vibrari. Quod si cõtingat aliquẽ esse nudũ precationis præsidio, hic auulsus deportatur à dæmonibus, & in calamitates, variaq; mala impellitur.* Sic Sapienter Chrysost.

Oratio cui similis.

3. Nouit.n. callidus serpens quanta sit vis, quãtaq; efficacitas orationis ad omne genus hostes subijciendos, & mala omnia auertenda. quod docuit Aug. eleganter ser.22. ad Fratres in Heremo. *O quàm grandis ipsius orationis causa: O quã grande mysterium. Ecce Moyses orabat in monte, & Iosue Amalech deuincebat: per orationem Ezechias sanatur, & salutem animæ, & corporis adipiscitur: per orationem Saulus efficitur Paulus, & doctor gentium; Hieremias confortatur in carcere: Daniel inter leones exultat; Iob in sterquilinio nudus triumphat; Susanna inter senes defenditur; paradisum de cruce latro inuenit; Stephanus de torrente in cœlum suscipitur, & inter lapidantes pro Saulo exauditur.* Et idem Augustinus in Psal.29. eandem orationis virtutem, qua vel ipsos cælos penetrat, sic scribit, *clamauit de profundo Ionas, de ventre ceti. erat non solum sub fluctibus verùm etiam in visceribus bellua, nec tamẽ illud corpus, & illi fluctus intercluserũt orationem, Ne peruenirent ad Deum; & venter bestiæ non potuit tenere vocem deprecantis, penetrauit omnia, dirupit omnia peruenit ad aures Dei, quando aures Dei in corde precantis erant.* Sic August. Etenim verissimum est illud Eccles. 35. *oratio humiliantis se, nubes penetrabit, & non discedet, donec altissimus aspiciat.*

A Itaq; in omni euentu quocumque tempore, quacumque occasione, quocumque statu orandum esse meritò docet Chrysost. hom. de profectu Euang. sic scribens: *in tranquillitate es, ora Deum, vt ipsa tibi tranquillitas maneat; tempestatẽ vides grauem, ora Deum, vt auertat ipsam, & ex ipsa tranquillitatem faciat. Exauditus es, gratias age quod exauditus es. non exauditus, es perseuera, vt exaudiaris. & si differt aliquando Dominus non id odio facit, neque te auersatur, sed differendo te secum diutiùs seruare vult. sicut & Patres filios indulgentius amantes, quo illos diutiùs apud se detineant, quos desides vident, dedita opera morantur aliquid daturi.* Hæc Chrysost.

4. *Semper orandum.*

Hoc quia aliquando non præstitit Iosue, & Israel, factum est, vt deciperentur à Gabaonitis, nimirum, quia *os Domini non interrogauerunt* Iosue 9.14. si ergò tibi vis cuncta rectè cedere, dic Deo quod olim Moyses: *si tu non præcedas nos, non educas nos de loco isto.* similia & tu loquere Deo, ora vt in omni negotio, in omni necessitate tua præcedat te, & sic prosperos rerum euentus experieris. Regnum enim Christi regnum sacerdotale est. si enim olim dixit Deus, vt Exod.19.5. legimus, filijs Israel; *si audieritis vocem meam, &c. eritis mihi in regnum sacerdotale*, multò magis Christiano populo id dicet longè præstãtiori modò. si ergò regnum sacerdotale est regnum Christi, cùm sacerdotum munus sit orare, constat non aliter quàm oratione stabiliendum, & firmandum esse.

B 5.

C Cæterùm etsi semper oratio necessaria est in omnibus rebus, potissimum tamen in pastorum electione, opportuna est: quod etiam sua oratione tam prolixa indicare voluisse videtur Dominus, pernoctauit enim, & post orationem duodecim Apostolos elegit; difficilis enim res, & perardua est inuenire, & eligere eos, qui benè præsint. hinc Diuus Gregorius 1.Reg. capite decimo sexto, diligenter quærendos & explorandos esse idoneos ad Ecclesiarum moderationem, quos nisi Deus demonstret, inuenire nemo possit. quare rectè præcepit Deus Samueli cùm eligendus esset, qui Regis nomine Israeli præesset: *vnges quemcumq; monstrauero tibi*: 1.Reg.16.3. vt ergò à Deo demonstrentur, iterum atque iterum rogandus est Deus. Audi nunc Gregor. *quid hortor*, inquit, *pastores quærere, cùm nisi Deus occultos proferat, nequeãt inueniri? quid.n. aliud est; vnges quem monstrauero tibi? tamẽ quærendi sunt, quia nisi quæsiti diu minimè monstrantur: nam & Dominus se monstraturum promittit, & tamen Propheta quærere nititur, vt inuenire mereatur. vndè & Dominus quærendi instantiam imperat dicens: quærite & inuenietis*, &c. Hinc Triden. Synodus sess. 24. decreto de refor. c.1. hac de re sic statuit; *vt cum primùm Ecclesia vocauerit, supplicationes, ac preces publicæ, priuatimq; habeantur, atque à capitulo per ciuitatem, & diœcesin indicantur, quibus clerus, populusq; bonum à Deo pastorem valeat impetrare.*

D 6. *Maximè autem orandũ in pastorum electione.*

Etenim boni pastores, vt D. Greg. loco citato, paulò superius significat veluti in latebris quibusdam delitescere malunt, quàm in luce ipsa honoris, laudis & gloriæ versari in ijs ergò latebris quærendi, & ex eis eruendi, vt in altum euehantur dignitatis gradum. Et verò viri

7. *Boni pastores latere malunt quã prodire.*

san-

sancti thesaurorũ instar à Deo absconduntur. sic enim, inquit, Greg. *magnæ electorum virtutes quasi thesauri Dei ferè semper in occulto sunt. more enim timoratorum diuitum Deus facit, quia ne virtutũ thesauros perdat, hos & in electis mentibus collocat, & ipsas mentes per secretum cœlat.* quærat ergò, qui ordinare, imò ornare Ecclesiæ caput cupit, ocultos thesauros. Christi sponsam ornare gestit, sed non potest, nisi ocultos sponsi thesauros, ad eius ornatum producat, & non desistat, donec latentes inueniat. hæc Gregor.

8. Et vide quos elegerit Dominus non diuites, non nobiles, non potentes, non sapientes, nec carnem, aut sanguinem aspexit, sed pauperes, infirmos, ignobiles, rudes, *vt non glorietur omnis caro*, & Euangelij progressus, ac triumphus tribuatur solius Dei potentiæ, ac sapientiæ. Et interim docere voluit nos hoc facto Christus in eligendis Ecclesiæ suę pastoribus non spectanda esse ea, quæ ad rem minus faciunt, genus, honores, diuitias, & similia, sed harum rerum potiùs contemptum, & despicientiam; sed virtutes, sed sanctitatem, sed inuictum animi robur, vt veritati, & iustitiæ resistentibus resistere quis possit, paratus etiam sanguinem, & vitam profundere.

9. Aptè proindè satis in hanc Apostolorum electionem quadrare possunt illa quę Debora, & Barac in li. Iudic. c. 5. 8. cecinerunt Deo: *noua bella elegit Dominus, & portas hostiũ ipse subuertit. Clypeus, & hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israel.* Ecce nouum genus pugnæ electũ nũc esse à Christo inusitatum, & admirandum, inermes recensuit milites sine hasta, & Clypeo, & hos misit tanquã oues in medio luporũ, per quos tamẽ cõfectũ est bellũ, & parta victoria. qua vna re clarissimo argumẽto ostendit Dominus, nõ hominũ potentia, sed sua virtute, ac prævalida manu inimicorũ portas subuertisse, subiugasse gentes, & populos innumeros, potẽtissimos quondã reges spoliasse, & sapientũ ora obstruxisse, deniq; tyrannorum vires fregisse.

10. *Tria in Apostolorum electione considerandà.* Sed non oscitanter expendenda sunt tria illa, quæ Dominus electis Apostolis contulit: quæ habet Mar. c. 3. 13. 14. 15. vnũ est, *vt essent duodecim cum illo*; deindè, *& vt mitteret eos prædicare*, q̃ est secundum. tertium verò est dedisse illis *potestatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmonia*; quibus addi potest quartum quod præmittit Marcus, vocasse *ad se quos voluit ipse*. quę significare possunt quatuor in electis prælatis obseruanda. debent enim primùm esse cum Christo per frequentem orationem, & feruentem in illum caritatem. deindè oportet eos illud diligẽter aduertere, propterea electos esse, vt mittantur non ad mundi gaudia, & delicias, non ad humanæ gloriæ ostentationem, non ad diuitias aggregandas, sed ad laborandum, & prædicandum cum magna significatione sanctitatis, & caritatis in proximos. Tertiò tales esse debent, & tã magna fide prædití, & tanta vitæ sanctitate illustres, vt si oporteat, etiam signa, & miracula edere possent, saltem curare debẽt, vt spirituales morbos, & ab animo dæmones pellãt. Illud verò quartum quod præmittitur à Marco docet eos, qui prælatos eligunt, debere attẽtius Dei voluntatẽ ea in re spectare, nimirum quid Deus ipse velit. ijs autem rebus si ornati

A esſent prælati, benè consultum esset Christianę Religioni. Sed de his satis.

DIGRESSIO II.
MORALIS
In idem Euang. De Martyrio Diui Bartholomæi.

1. QVONIAM hoc Euang. in Ecclesia recitari solet festo die D. Barthol. in vsum eorum qui cõcionantur, more nostro scribemus aliqua, quæ nobis Dominus inspirare dignabitur ad hanc rem pertinentia. Et primùm quidem admirari satis non possum tantam in hoc S. Apostolo constantiæ, & patientiæ virtutem; horret enim animus cogitare tam crudele martyrium in hominem fuisse exercitum, horrẽt omniũ oculi tã immane spectaclũ cernere, B horrent videre hominẽ nudatũ pelle, toto vndique corpore manantem sanguine, cuius totum corpus, cùm nullam habeat partem non affectam vulnere, verè dici potest vnum vulnus esse. sed desinet mirari, quicumque vim, & efficacitatem ardentis caritatis in Christum, quæ in Bartholomæi pectore latebat, attentius animaduertet, nihil enim est tam difficilè, nihil tam arduum, quod diuina caritas non superet; nihil tam periculosum, quod non libenter adeat, nihil tam laboriosum, quod non vltrò excipiat.

B. Bartholomæi Apostoli crudele martyrium.

2. Optat sanè omnis qui amat ad viuum in se exprimere amati effigiem, hoc enim erat quod Cant. 8. 6. sponsus à sponsa poscebat; *pone me vt signaculum super cor tuum* hoc ad quod Paulus 1. ad Corint. 15. 49. fideles hortabantur; *sicut portauimus imaginem terreni, portemus & cœlestis*: Vt ergò imago Christi in se altius imprimeretur, C & non in animum solum, sed etiam velut in carnem incideretur, passus est Bartholomæus libenter sibi pellem detrahi. Sic. n. faciunt, qui in lignum aliquod imaginem alicuius vel figuram inducere cogitant; vt enim caracteres, ac lineæ melius, ac profundius imprimantur, ac tenacius, detrahunt corticem ligni, & in denudato, & perpolito ligno efformant, quã volunt, imaginem seu figurã. hoc factum in Bartholomæo; sciebat Christus quantoperè hic ipse Apostolus cuperet in se suam ipsius perfectè imaginẽ repræsentare, quantumq; cuperet signaculum magistri, quem diligebat ardenter super cor suum imprimere, & imaginem cœ- D lestis portare, ideò permisit, vt cõsueuit ab arbore cortex detrahi ad imprimendam alicuius figuram, ita Bartholomæum pelle spoliari, quo melius, & ad viuum magis sua ipsius imago in eo efformaretur, sibique tanto similior redderetur.

3. *Bartholomæus imitatus serpentis prudentiam in quo.* Et quidem videtur etiam Bartholomæus prudentiam serpentis imitari voluisse, & illud Christi consiliũ amplecti: *estote prudentes, sicut serpentes*. est aũt serpenti proprium, & à natura ipsa insitum, vt cùm iam senescere se & pristino naturæ robore destitui sentit, quærat si quomodo possit pristinam iuuentutem renouare. quare spelunca ingressus vestigat, qua angustũ sit inter lapides foramẽ aliquod, moxq; per illud toto nixus corpore penetrare, ac pertransire cõtendit; atq; ita euenit, vt vetere deposita,

nouam

nouam induat pellem, & quodammodo iterũ iuueneſcere videatur. Optabat Diuinus hic Chriſti Apoſtolus ſi quid in ſe fortè ex antiquo Adamo vetuſtatis ineſſet à ſe depellere. Quarè libenter, ac prompto animo pellem ſibi detrahi paſſus eſt, atque ita velut per arctum foramen, id eſt, per tormentorum anguſtias tranſiens, ſi quid fortè antiquę vetuſtatis habebat in animo, quamuis paruum illud eſſet & leue, omninò depoſuit; & cœleſtem quandam iuuentutẽ aſſecutus eſt, iuxta Chriſti cõſilium ſerpentis prudentiam egregiè in hoc imitatus.

4. Ad hæc non ignorabat ſanctiſsimus Chriſti diſcipulus anguſtam, atque arctam eſſe viam, qua in cœlum tenditur; ſat nouerat monuiſſe Chriſtum; *contendite intrare per anguſtam portam* Luc. 13. Quamobrem ſancti quique viri cuncta contempſere, quæ ſenſui blanda, & carni amica paſsim hominibus videntur, honores, diuitias, voluptates, vt intrare poſſent cœleſte regnum. Sic fecere illi, qui dicebant: *Ecce nos reliquimus omnia.* At Bartholomæus non iſta ſolùm propter regnum Dei, & ardentem Chriſti caritatẽ depoſuit, ſed pellem etiam ipſam contempſit; cæteris in hoc glorioſior effectus, atq; ita multo expeditior anguſtam portam ingreſſus, cœleſte præmiũ aſſecutus eſt. Sic ſancti Dei homines maluerunt omnia deſpicere potiùs, quàm retinere, ſe ſibi eſſent impedimẽto, quo minus cœleſtem gloriam aſſequerentur. *Pellem enim pro pelle*, id eſt, omnem pellem *dabit homo pro anima ſua*, id eſt, temporalia omnia relinquenda propter Deum, Iob 2. 4. pellis verò, pro qua omnia dantur, eſt aliquibus patiẽtia, quæ corroboratur, & excreſcit in tribulationibus, & per hanc poſsidetur anima; hæc pellis eſt Sacerdotis offerentis Leu. 7. 8. quia noſtra patientia eſt Chriſti; quamquam ſecundùm literalẽ ſenſum ille loquendi modus, pellem pro pelle, ſignificet potiùs omnem pellem eadem etiam bona mundi huius, diuitiæ, honores, & ſimilia ſignificantur per pellem hoſtiæ, quæ detrahenda erat Leuit. 1. 6. etenim ſi quis vult Deo immolare tanquam hoſtiam, detrahat ſibi pellem hanc oportet, ſiue re ipſa abijcienda fluxa hæc, & caduca, ſiue non figendo in illis ſpem ſuam, & amorem, alioqui qui bonis iſtis ſe onerant, eaq; magnificiunt, & ſpem ſuam in illis cõſtituunt ſimiles ſunt Eſau, de quo Gen. 25. legim⁹, quod fuerit hiſpidus in modum pellis, & aptè ſignificat eum, quod deditus eſt terrenis. Vide in locũ Gen. Gloſſ. interl. Ioſeph ne peccato conſentiret palliũ dimiſit in manu Dominæ Gen. 39. adoleſcens alter quidã dimiſſa ſindone nudus profugit. At Bartholomæus non pallium ſolum reliquit, ne Deum offenderet, neque nudus tantum aufugit de manu inimicorum ſuorum, id eſt, non externa duntaxat bona contempſit, verùm etiam & ſua ſe exuit pelle, illa fide armatus, ea ſpe animatus, qua olim Iob 19. *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circũdabor pelle mea.* relinquo corruptioni obnoxiam, ſuſcipiã immortalem, relinquo obſcuram, recipiam glorioſam, *hæc ſpes mea in ſinu meo ſemper.*

Barth. pellẽ ipſam contẽſit.

5. Præterea animaduerterat Bartholom. olim parẽtes noſtros pellicea tunica à Deo fuiſſe indutos, eam verò tunicam Chriſtũ ſignificaſſe; A ſic enim veſtitus primus Adamus, velut figura quædam fuit ſecundi Adami Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cùm eſſet Sanctus, Innocens, Impollut⁹, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus, indui tamen voluit pellibus mortuorum animalium, i. veſtiri peccatis noſtris, habitu inuentus vt homo, & in ſimilitudinem carnis peccati factus. Itaq; tanquã Iacob pellibus Eſau veſtitus à Deo Patre benedictionem nobis obtinuit, & quod Adamo per Ironiam dixit Deus, vbi illi feciſſet tunicam pelliceã: *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malũ*, id veriſsimè in eum, qua homo erat, dici potuit. Ille. n. homo per vnionẽ perſonalem naturæ humanę cum Verbo factus eſt quaſi vnus ex diuinis perſonis. i. Filius Dei; vbi particulam, *quaſi* eodem modo ſumimus, quo ſumpſit illam Ioan. cùm dixit, *vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Itaq; cùm hæc rectè teneret vir hic ſanctiſsimus, & animaduerteret tunicam illam pelliceam repræſentaſſe Chriſtum, voluit ſua ſe tunica pellicea exuere, hoc eſt, pelle, vt illam Chriſto offerret, & gratus eſſet ei, qui ſe peccatis noſtris quodammodo circumtexerat, vt nos, deletis peccatis, reconciliaret Patri.

B

6. Solent pugiles ac luctatores, vt olim illi olympici, cùm in arenam deſcendebãt, cum aduerſarijs decertaturi, ſe veſtibus exuere, & quò leuiores certaminis locum ingrediebantur, eò feliciorem ſortiebantur euentum; idq; eo animo faciebant, ne ab aduerſario cõprehenſi victoria priuarentur. *Omnis.* n. inquit Apoſt. *qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet*; oẽs id præſtitere ſancti, quia omnibus ſuo modo, & gradu cõpetit illud, *ecce nos reliquimus omnia.* verũ neſcio quid maius in D. Bartholomæo hac in parte reperio: nam non omnibus modò externis bonis, ſed etiã ſe ipſo quodãmodo nudatus eſt, atque ita ad pugnam progreſſus ingentem ſtragem intulit hoſti, & magnam victoriam reportauit, & cœleſtis glorię, tanquam glorioſus pugil, palma donatus eſt.

C

Barth. inſtar omn. pugil.

7. Erant olim populi quidam vt Alexander ab Alexandro li. 5. c. 24. refert, qui hoſtiũ cutes in fortiũ factorũ inſigne documẽtum, ſuis relinquebãt. itaq; inter pretioſa relictæ hæreditatis bona, inimicorum pelles numerabantur; tale quid videtur mihi egiſſe D. Bartholomæus; nã cũ inimicus eſſet carni, & ſanguini, & odio animã ſuã haberet, iuxta Chriſti præceptũ, vt illã in vitam æternã cuſtodiret, valdè libenter, atq; æquo animo tulit detrahi ſibi pellẽ, vt nobis, qui eius filij eramus futuri, eam quaſi in hæreditatem relinqueret, vt diſceremus bellũ nobis contra carnẽ & ſanguinẽ ſumẽdum eſſe tanquã pernicioſiſsimos aduerſarios noſtros, & præceptum Chriſti teneremus; *qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.*

D

Et verò vtilis ſatis nobis hæc Bartholomæi pellis eſſe debet, & tanquam loco ditiſiſimi, ac pretioſiſsimi theſauri habenda eſt. nam vt animaliũ pelles tabernaculũ tegebãt, ne pluuiæ, & temporis iniurijs eſſet expoſitũ, ita hac nos circũueſtiti pelle ab inimicorũ inſidijs, & incurſibus, omniq; aduerſariorũ impetu protegere, ac munire poterimus; nã etſi bona amittas; ſi liberos; ſi vxorẽ; certè pellẽ nõdũ amiſiſti, quod

8. *Barth. pellis quàm vtilis.*

tamẽ Barthol. fecisse admiramur. tolera igitur paruã istã tuã iacturã tã nobili Bartho. exẽplo, sic.n. Apost. hortatur nos, vt exemplo Christi mala nostra libẽter toleremus; *recogitate*, inquit *eum, qui talẽ sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionẽ, vt ne fatigemini animis vestris deficientes*; ꝙ si tibi Christũ imitari arduũ nimis esse videtur, certè eius sancti, qui carne, & ossibus cõstabant, vsq; ad sanguinẽ restiterũt; cùm id tu non feceris; pudeat ergò te leuia ista tua, vel certè minora mala nõ patiẽter ferre. Vides ne igitur quã vtilis, & fructuosa nobis sit Bartholomæi pellis? Ergò magis contende instar ouium, quæ virgas detracto cortice intuebantur, quas Iacob illis ob oculos proposuerat: sic tu in Bartholomæum oculos fige, qui tibi ab Ecclesia detracta pelle ante oculos ponitur; ita .n. fiet, vt sicut oues virgas illas inspiciẽtes varios, ac maculosos cõcipiebãt fœtus Gen. 30. 37. ita tu si accuratè in Barthol. pelle nudatũ oculos intẽderis, varijs virtutũ coloribꝰ ornabere.

9. Memini legere me, fortè quendã, & strenuũ in bello virũ iussisse suis, vt post mortẽ detracta cadaueris sui pelle tympanũ cõficerẽt, cuiꝰ vel solo pulsu, cũ ad bellũ cõtra hostes progrederẽtur, terrerẽt hostes, multò id magis in sanctissimã hãc D. Barth. pellẽ cõuenire video, cuius vel solo aspectu, vel præsentia, vel etiã solo eius inuocato nomine, ingẽs dæminibꝰ metus & horror inijcitur. experiemur hoc nõ sine ingenti fructu, si huic sancto deuoti, addictique fuerimus, si eius opẽ magna cũ fide implorauerimus; præsertim verò si eius exẽplo animati, fortiter, libenterq; aduersa omnia toleremus, & fluxas, atq; caducas res, tanquã inutilẽ, & vetustam pellem à nobis detrahamus per rerum mundanarum despicientiam.

10. *Quæ à nobis pellis depellenda, quæ acquirenda.* Postremò antequã huic digressioni supremã manũ imponã, duo breuiter monuero, vnum, quas à nobis pelles depellere debeamus; alterũ, quas quærere, & conseruare oporteat. quæ duo ex Scripturis desumere conabimur. Et quidem primo Iob 40. 26. pellis Leuiatã fit mẽtio, quæ Greg. interprete 33. mor. 22. & Hieron. sup. Iob 40. stultos in corpore Diaboli significare potest. vel subditos illi ad extrema ministeria seruientes. demũ oẽs, qui consensione malitiæ, & imitatione illi adhęrẽt; nã intima cõnexione ei cõiuncti sunt, & separari ab eo nunquã, aut certè vix possunt. hæc pellis procul à nobis abijcienda est, neq; .n. vlla cum hoc hominũ genere cõiunctio, ac familiaritas habenda est, ne eorũ verbis, & exẽplis fortè cõtaminemur, curandũ in primis parentibus est, vt videant ne teneros adolescentiũ animos, istorũ hominũ cõsuetudo, & cõuictus inficiat, & à Christo duce ad castra transferat Leuiatan. Est & alia pellis Ierem. 13. 23. *si mutare potest Aethiops pellem suã*; hãc esse prauã cõsuetudinem, quæ difficulter mutatur Patres intelligunt. Quarè diligenter conari debemus, vt si qua in nobis subest antiqua cõsuetudo peccati alicuius, illam omninò Dei inuocato auxilio, & vim acriter nobis inferendo, depellamus à nobis, cõtrarijs virtutum studijs.

11. *Pellis Sion.* Est & tertiã inuenire pellẽ Sion, quã Scriptura *vetustã* nominat Thren. 3. 4. *vetustã fecit pellẽ meã & carnẽ*. hanc ex Glossa ordinaria super eundẽ locũ, esse exteriorẽ cultũ Iudæorũ, vel vt ad nos accõmodemus, exteriorẽ cõuictum, & conuersationẽ affirmabimus; quæ vetusta fit per peccata ad veterẽ hominẽ pertinentia, affirmabimus: quę renouãda erit per spiritus feruorẽ, & pœnitentiã. Verũ accidit interdũ, vt in cõuictu, rationeq; nostra viuendi externa deprehendatur, vt in cute solet lepra, cuius meminit Script. Leuit. 13. est aũt lepra in cute peccatũ in carne ex Isychio super Leuit. 13. vel etiã in ratione, & modo agendi cum proximis. propterea attenti esse debemus, ne qui huiusmodi cõtrahamus in carne nostra, vel externo cõuictu; & ne id fiat circumcingenda est cutis nostra, id est, caro Zona illa pellicea, quam circà lumbos Christi præcursor gestabat, hoc est, cogenda est per afflictationes, & pœnitentias seruire spiritui, ne quid fortè pessimi exẽpli propter illã deprehendatur in nobis, quin potius curanda est cutis pulchritudo, id est, splendor quidã virtutũ in cõuictu nostro, & cõuersatione cum hominibus. quanquã & cutis pulchritudo de qua Iob 18. 13. sic legimus, *deuorat pulchritudinẽ cutis eius*, notare potest corruptibilẽ hanc mundi gloriã, quã nos cõtemnere debemus, vt Greg. exponit 14. mor. 8. eadẽ etiã cutis significare potest cogitationes, quæ tunc est pulchra, cũ cogitationes sunt bonæ, deformis verò decolorata, & maculata, cùm cogitationes sunt prauæ. lege Bern. ser. de cute, carne, &c.

Ad hæc mentio fit pellis cum carnibus, Iob. 10. 11. *pelle & carnibus vestisti me*; pelle quippe & carnibꝰ interior homo vestitur secundũ Greg. 9. mor. 29. *quia in eo ad superna erigitur, carnalium motuũ obsidione vallatur*. hæc ergò pellis subiungenda est, ne nobis turpes eius motus noceãt. denique pellis quædã est quam tollunt Principes à subditis, dum temporalia bona per vim & tyrannidẽ iniuste auferunt, cõtra quos Michæ. 3. 2. sic grauiter inuehitur: *Audite Principes Iacob, & duces domus Israel* &c. *qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis*. hos iudicabit Dominus, & quæ iniustè in pauperes commiserunt, acerbissimis pœnis, & æterno supplicio luere eos faciet.

12. *Varie pelles in Scripturis.* Iam ad id quod secundo loco dicendũ proposuimus, veniamꝰ. magna fit in Scripturis mẽtio earũ pellium, quas nobis mysticè cõparare summo studio, quibusq; nos munire, & tegere debemus; sunt namq; pelles Arietũ hyacinthinæ in tabernaculo, & significare possunt fidem resurrectionis Christi, & etiã immortalitatẽ. sunt & pelles rubricatę. i. martyres, quorũ meritis teguntur peccata, Exod. 25. 4. 5. quãuis eædẽ pelles rubricatæ verecundiã etiã frõtis aptè significent, itemq; mortificationẽ, & pœnitentiã. Vide Aug. qq. in Exod. 108. ex his nobis vestem conficiamus, quibus nostram mortalitatem, vel ignominiam tegamus. Cutis item quã superinducit Dominus ossibus Ezech. 37. 6. designat ornatum gratiæ, qua tanquam veste nuptiali teguntur peccata. Ex Gloss. inter. super eundẽ locũ Ezech. hanc ergò vestẽ omni curà à Deo petere, eamq; cõseruare necesse est; nã sine hoc ornatu nemo ad cœlestes nuptias intrabit. Pellis verò adhærens ossibus Iob 19. 20. *Pelli meæ cõsumptis carnibus adhæsit os meũ*, repræsentat eos, qui pauperibus, indigẽtibus, nudis, afflictis præsto sunt, eorumq; necessitatibus cõsulunt;

hi enim

hi enim tanquam blanda pelle fouent ossa, per quæ pauperes, & egentes rectè significantur; *beatus* enim *qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* deniq; pelles tabernaculi tegentes vela Exodi 26. sunt prælati secundùm Greg. M. mor. 16. laborantes in temporalibus, vt subditi vacent spiritualibus. Neque ineptè vt arbitror significare possunt eos, qui caritate Dei impulsi proximorum salutem non sine corporis labore procurant. hi enim dum homines trahere ad meliorem vitã studeant, & in ea illos tueri, & retinere laborant hortando, orando, caritatis operibus vacando, nouas terras, & regiones quærendo, transmittendo maria. quibus omnibus veluti quadam pelle augent, conseruant, & ornant Dei tabernaculum, id est, Ecclesiam.

DIGRESSIO III.
MORALIS

In illa v. 7. *& descendens* (Iesus) *cum illis stetit in loco cãpestri* &c. De SS. Martyr.

1. CONSVEVIT Ecclesia in festo quorundã martyrum, & in peruigilio Omniũ Sanctorum hoc Euang. Luc. 6. legere tanquã quid maximè ad Martyrum inuictam patientiã, & constantem tolerantiam eorum explicandam satis aptum. fit autem hic mentio trium beatitudinum, paupertatis, esuriei, denique luctus; nam quod additur de persecutionibus iam dictum fuit non tam beatitudinem esse, quàm summam quandam earum, quę cõsummatum, perfectumq; hominẽ ostendit, & probat, vt in c. 4. diximus n. 40. in Schol. & ibid. Theor. 4. n. 2. nemo aũt est, qui ignoret quanta paupertatis incommoda talerarint sancti Dei homines; quoties rapinã bonorũ suorũ cum gaudio susceperint, quã multi fame, & siti enecti, vel certè per longam inediã fermè absumpti fuerint; quot lacrymas fuderint præ cęlestium gaudiorum desiderio, & pro sceleſtorum hominum, vel persequentium peccatis; qua tandem fortitudine cacodęmonem, tyrannos, mundum deniq; totũ gloriosissimè deuicerint, vt meritò de illis Chrysost. in Iuuentinum, & Maximum Martyres dixerit; *illos* (id est Martyres) *non indignum fuerit & columnas, & scopulos, & turres, & candelabra, & tauros simul appellare, nam Ecclesiam sicut columnæ sustinent, sicut turres muniunt, & sicut scopuli omnes vndarũ assultus repulerunt. multã interim ipsi seruantes tranquillitatẽ, sicut luminaria tenebras impietatis discusserunt, & sicut tauri animã, promptitudinẽq; eadem suauẽ Christi iugum traxere.* sic Chrysost.

Sanctorum quanta paupertas.

2. Quorum præsertim tam constans, tam valida fuit patientia, vt quò pluribus impeterentur malis, eò fortiores contra aduersarios apparerent. quod obseruauit Theodor. ser. 9. de græcarum affectionum curatione sic scribens; *Martyrum interfectores sunt similes his, qui flammã quidem extinguere petunt, oleum pro aqua instillantes, ardentiorem illam efficiunt, & sicut ignis rubum ardebat, & non consumebat. quin potiùs sicut lignatoribus siluam cædentibus, multò plures pullulãt propagines à radicibus, quàm sint rami qui inciduntur: ita tunc quoq; pijs compluribus interfectis, multò plures quotidiè ad doctrinam Euangelicam accedebant.* Tanta Theodoretus.

Sanctorum patientia.

A Hinc nõ mirũ q; tantæ sint, Martyres inuictissimi, auctoritatis apud Deum. plurimum n. valent, ita vt nihil sit q; orando obtinere nõ valeant. Etenim ait Chrysost. loc. cit. *sicut milites vulnera, quæ in prælijs sibi inflicta Regi monstrantes fidenter loquuntur: ita & illi manibus abscisa capita gestantes, & in medium afferentes, quæcumque voluerint apud Regem cœlorum impetrare possunt.*

3. *Authoritas apud Deum.*

Et meritò apud Deum tantam obtinent dignitatem, cùm constantissimi testes, & assertores inuicti, diuinæ simul maiestatis, gloriæ, & veritatis fuerint, vt ob id non dubitarint atrocissimos cruciatus perferre, & crudelissimam mortẽ oppetere. fuerũt. n. martyres testes Dei: est aũt testis Dei, qui vbiq; nõ in tenebris modo, verũ in luce ipsa, & corã omniũ oculis, id q; de Deo nouit, publicè testatur, cũ opus est etiã corporis sui oppositu, etiam si maxima adeunda sint pericula, licèt in discrimen adducenda sit vita: testis, inquam, Dei is est, qui verbis, & re ipsa, hoc est, operibus Dei bonitatem prædicat, & quod solus ille diuinitatis cultu dignus sit, præter ipsum autem prætereà nemo apertè testatur. Et verò cæteros ad eandem pietatem summo animi studio hortatur. tales esse Dei testes, quales descripsi, docuit Christus Act. 1. 8 Apostolos alloquens: *eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* idemq; significatur sic Actor. 22. 20. *cùm funderetur sanguis Stephani testis tui,* & Apoc. 11. 3. *& dabo duobus testibus meis, & prophetabunt.* Cæterum licèt hoc vocabulum possit pluribus conuenire, excellentiori tamẽ, ac maiori quadam ratione sanctis Martyribus meritò tribuitur; nam hoc ipsum testimonium etiam sanguinis sui effusione gloriosissimè, & magnificentissimè confirmarunt.

4.

Sanè ij tanquam summi duces mundi vires fregere, deque eò gloriosissimè triumpharunt. huius verò tam præclaræ victoriæ testis paupertas est quam tolerarunt; esuries, quam diu sustinuerunt, & lacrymæ illæ, quæ vbertim ex eorum oculis dum viuerent, emanarunt. hæc n. tria sunt, quæ mundi caput, & quasi iugulũ petunt. aduersantur. n. tribus illis, quæ mundo inesse scripsit Ioan. 1. epist. ca. 2 16 *omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ,* quibus peccatorum summa continetur. Et quidem paupertas vitæ superbiam tollit; esuries, quę ex penuria rerum est, concupiscentię oculorum obsistit; lacrymę concupiscentiæ carnis repugnant. Quarè cum Christus nõ obscuro argumento indicare vellet, se contra mundum stare, illiq; opponi, iuxta illud Ioa. 15. 18. *si mundus vos odit, scitote quoniam me priorem vobis odio habuit;* Proindè hæc tria, quæ mundus abhorret maximè, & auersatur, hic docuit, cæteris omissis beatitudinibus, vt viam ostenderet, qua ad sui perfectam imitationem per mundi contemptum peruenire possimus. hanc ergò viam à Christo ad debellandum mundum eiusque vires debilitandas ostensam, in primis tanquam belli Christiani duces præstantissimi alacriter, & constanter nostræ religionis Martyres iniere.

5. *Sancti mundi duces.*

Ijdem tanquam generosa, & fœcunda quædam grana sub terram abdita, innumerã Christianæ religioni, & Christo multitudinem pe-

6.

pererunt;in quos maximè quadrat id quod habet Hoseæ c.2. 23. de Ecclesiæ multiplicatione; *& sanabo*, inquit Deus, *eam mihi in terra*, q. d. nō se intra solius Iudeæ angustias continebit Ecclesia, quin per totum sese orbem diffundet, & quasi semen repentè multiplicabitur. existent .h. antistites sapientissimi, orietur inuicta, selectaque SS. Martyrum manus, quæ vbique Euangelij lucem afferet, & Dei nostri gloriam, & sanctissimum Christi nomen etiam Romanis arcibus inferet. & ad rem satis appositè: *seminabo eā*, inquit, vt Martyres præsertim intelligas. nam semen & dispergitur, & in terra conditur, vt multiplicatū germinet: ita Apostoli, & primi fidei magistri, qui Christianam religionem effuso sanguine cōfirmarunt, è Iudæa profecti prædicauerunt vbiq; *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*, quos secuta est posteà validissima, procedente tempore, reliquorum Martyrum purpurata cohors. hi omnes in vrbibus, atque prouincijs vbi Euangelium regni prędicabant, primùm quasi grana quædam terræ mandata ignobiles, abiectique versabātur; deindè & paupertate, esurie, siti, lacrymis, deniq; laborib. & persecutionibus quasi moriebantur eadē grana; sed copiosissimā indè fructus exortus est, & vberrima credētiū seges. Verùm hoc multò præstantius, & vberius fecere martyres, cū omninò terra obtegerētur; hoc est cū per Martyriū, & mortē tanquā grana quędam mortua caderent in terram: vt illud verissimum esse intelligamus, *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*; quod præclarè D. Leo. ser. 1. de Petro & Paulo docuit: *non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur*; *& semper dominicus ager segeteditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur*. & nos, Christiane lector, nisi tanquam grana moriamur, nunquam neq; alijs, neq; nobis vllū æternæ salutis fructū afferemus.

7. *Martyrum constantia.*

Cæterū fuere Martyres maximè Christiana cōstantia insignes, vt propterea in primis esse omnibus admirationi debeāt; nullis enim tentationum incursibus, nullis tyrannorum minis, nullis atrocium satellitum ictibus deijci, aut prosterni potuere: vt meritò ad eos illustrandos illud Pauli ad Eph. 3. vsurpare possimus: *in charitate radicati & fundati*, quos proindè præclara illa similitudine annosæ quercus repræsentare aptissimè possis: qua etiam Hieronymus ex Virgilio desumpta vsus est:

Ac veluti annosam valido cum robore quercum
Alpini boreæ, nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant. it stridor, & altè
Consternunt terram concusso stipite frondes:
Ipsa hæret scopulis; & quantum vertice ad auras
Aethereas, tantum radice in tartara tendit;

Mox vt intelligas talem esse debere boni strenuique viri mentem, subijcit:

Haud secus assiduis hinc, atq; hinc vocibus heros
Tunditur, & magno præsentit pectore curas.
Mens immota manet, lacrymæ voluuntur inanes.

Tales, Christiane, Martyres si tibi finxeris, næ tu verissimè senseris, & tunc aliquo modo poteris eorum videre, & cogitare constantiam.

8. *Victoria.*

Horum tanto illustrior fuit victoria, quāto atrociora fuere supplicia. nam vt sapiēs quidam quodā Emblemate significauit, qui depictis in tabella quadam varijs musicorum instrumentorum generibus, Cythara, fistula, lyra, Organo, & id genus alijs, adiecit & hoc dictum: *non percussa silēt*; vt indicaret quod sicut musices instrumenta muta sunt, & tacita, nec nisi percussa suauem concentum edunt; ita virtus non emicat ac splendet, nec veluti quadam suæ operationis harmonia oblectat animos, nisi persecutionibus quasi depressa, & cōculcata vires suas exerat, alioquin potiùs in tenebris latet; ita SS. Martyres varijs instrumentorū generibus percussi, mirum quātum in Dei Ecclesia lumen, & quam suauem concentum excitarunt, demum quantam sibi gloriam compararunt.

9. Alius non minus eleganti emblemate idem indicabat descripta face deorsum versus inuersa, & inclinata, quæ cùm sensim colliquescat, maiores tamen accipit ad illuminandum vires, quod inscriptus titulus docebat: *vires inclinata resumo*; non aliter sancti Dei homines cum depressi, & conculcati magna tormentorum atrocitate viderentur, suam constantiam, & insigne animi robur tāto illustrius ostendebant.

DIGRESSIO IV.
MORALIS
In v. 11. De tribus beatitudinibus Luc. *Beati pauperes.* &c.

1. QVARE trium tantum Lucas meminerit beatitudinum, dictum à nobis est præcedenti digressione num. 5. restat nūc vt de his tribus dicamus aliquid. Et primùm quidem de paupertate. Cùm vellet Dominus ad perfectionem suos hortari, & sciret quantum impedimenti præstarent diuitiæ contendentibus eò peruenire, persuadere conatus est paupertatē. Quarè Basil. Isa. 2. 7. in illa, *repleta est terra eorum argento, & auro*; sic scribit: *paupertas pædagogus est ad colendam pietatem; contrà diuitiæ ad contumeliā præbent ansam, & iniuriam irrogandā*. & Orat. 14. de diuitijs, & paupertate, præclarè docet quā multa, quamque grauia in hominum vitā proficiscantur occasione diuitiarum: sapienter hæc Basilius; nam etiam Paulus ad Timoth. 6. *cupiditatem vocauit radicem omnium malorum, quam quidam*, inquit, *appetentes, à fide naufragauerunt*.

Paupertatis laus & vtilitas.

2. Quod Euangelici illius iuuenis satis ostendit exemplum apud Matt. 19. qui accedens interrogauit Dominum; *magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* cui Dominus, *si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Tunc adolescens; *Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest?* ait illi Iesus: *si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me. cùm audisset autem adolescens verbum, abijt tristis, erat enim habens multas possessiones.* Iam rogo quis non vehementer admiretur iuuenē hunc tria illa expugnare potuisse, quæ iuuenes in primis inuadere, & in interitum solent submergere, nimirum, fœdas carnis voluptates, quæ vel Sampsones, vel Dauides, sibi subiecere aliquando; deindè etiam iracundiam, ad quam propensa est illa ætas ob nimium ebullientis sanguinis calorem; ad hæc liberè agendi licentiam, qua solent iuuenes ad pompas, ad fastus, ad conuiuia, ad inutiles amicitias,

citias, & noxias, demum ad innumera alia flagitia præcipites ferri. quis, inquam, non vehementer obstupescat, hæc omnia contempsisse illũ; sic. n. ait, *omnia hac custodiui à iuuentute mea.* & tamen eundem, cùm contemnendarum diuitiarum mentio facta esset à Christo: vultus colorem mutasse, hæsisse, & paulò pòst tristem & cogitabundum abijsse, vt nec facie mœrorẽ dissimulare potuerit? *abijt.* n. inquit, Matt. *tristis.* tantum potest in hominum animis Auri sacra fames. non iste vnquam homicidium, nõ adulterium, non furtum, non falsum testimonium commiserat, reliqua etiã seruauerat, quæ Deus olim præceperat, à iuuentute sua; nõ potuit tamen diuitiarum cupiditatem compresisse? vt meritò dixerit Christus, *quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum, & facilius esse Camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.*

3. Quod enim viris perfectis dulce est, qui omnia contempserunt, hoc diuitiarum amore implicitis, necdum ad perfectionem aspirantibus amarum est. Aug. in Ps. 43. in ea verba: *adhæsit in terra venter noster*; distinguit os Ecclesię, & ventrem Ecclesiæ; & sanctos quidem, ac perfectos viros os Ecclesiæ affirmat; eos verò qui carnales sunt, vel diuitias adhuc amãt ventrem Ecclesiæ vocat. si enim scribit: *quare dicti sunt venter, nisi quia carnales sunt, vt os Ecclesiæ in sanctis sit, in spiritualibus sit; venter Ecclesiæ in carnalibus sit? itaque os Ecclesiæ eminet, venter absconditus est tanquam mollior. hoc significat quodam loco Scriptura* (Ezech. 3. Apoc. 10.) *vbi quidam dicit se accepisse librum, & liber ipse dulcis erat, inquit, in ore meo, & amarus in ventre meo. quid est hoc? nisi quia præcepta summa, quæ accipiunt spirituales, non accipiunt carnales, & de quibus gaudent spirituales, contristantur carnales? liber iste fratres, quid habet? vende omnia quæ habes, & da pauperibus; quam dulcis est in ore Ecclesiæ, ab omnibus spiritualibus, factum est. at verò carnali cuicumque dixeris, fac hoc, facilius à te tristis recedit (sicut ille diues à Domino cui dictum est, vende omnia quæ habes, & da pauperibus) quàm facit quod dictum est. quare autem tristis recessit, nisi quia liber ille dulcis est in ore, & in ventre amarus?* &c.

4. Roget aliquis quomodò Christus occasione huius iuuenis diuitias damnarit, & quod difficilè sit diuitem intrare in regnum cœli, cùm potiùs videatur hinc fieri, posse quẽpiam seruare mandata Dei, & diuitias tamen amare, seu non cõtemnere; tale enim quid fecerat iste, qui præcepta seruauerat à iuuentute sua, cùm diues tamen esset. Respondeo suo loco, si Deus vitam præstiterit, locum hunc excutiemus. Interim fateor Dominũ potuisse exemplo adolescentis huius hortari diuites ad seruanda mãdata, sed placuit arrepta occasione tristitiæ diuitis ostendere difficillimum esse ijs, qui diuites sunt, perfectionis cõsilia complecti, simulque indè voluit declarare quãti periculi sit diuitem esse. hoc enim iudicauit magis ad rem suam facere, id est, tempori magis congruere, & auditoribus expedire.

5. Profectò D. Paulus scribens 1. ad Timoth. 6. 9. quanti impedimenti ad virtutem sit diuitiarum amor, & periculi, sic explicat: *qui volunt diuites fieri incidunt in tentationẽ, & in laqueũ Diaboli, & desideria multa, & nociua, quæ mergunt hominem in perditionẽ, & interitum; radix enim omniũ malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* quomodò verò radix & fons sit omnium malorum, indicat Chrys. ho. 17. contra auaritiam scribẽs, Enumerat. n. prolẽ, quã auaritia mater producit, vt ex fructu arborẽ cognoscas: *nonne,* inquit, *diuitiarum gratia rapimus? inimicitias subimus: cõtentiones teximus? ad mortuos vsq; impias quidã extendêre manus, ad parentes, ad fratres. Tolle pecuniarum studium, & omnia mala sublata sunt, conquieuit bellũ, cessauit pugna, hæreses, inimicitiæ. quẽadmodum furentes venti miscent maria, vel arena ipso è fundo excitata: ita cupidi omnia penitus miscẽt. neminem, qui huiusmodi est, amicum nouit. quid amicum dicimus? ne ipsum quidem scit Deum. non aspicitis ferro accinctos prodire titanas? sunt illa figmẽta vesaniæ: at, qui sunt huiusmodi, vera insania furunt. si nudam illorum animam videas non vno, sed mille inuenies præcinctam gladijs: nullum agnoscere, sed æquè furere in omnes,* &c.

Contrà verò Christi paupertas his, & innumeris penè alijs nos expedit malis. Rursum securum quodammodo reddit hominem ab inimicorum insidijs. quod idem D. Chryso. ho. 13. in Act. Apost. docet: *diues enim,* inquit, *nihil aliud esse videtur quàm ciuitas quædam absq; muris in agrò sita, & vndiq; insidiantibus exposita. paupertas verò è contrario securum præsidium est, & expugnatu difficilè.* idemq; habet ho. 6. in epist. ad Titum c. 3. *quemadmodum eos, qui nuds fugiunt aduersarium, nemo facilè tenere potest: qui verò vestimentum post se trahit, eum quis facilè apprehendit: eadem ratione & diues, & pauper se habent, nam etiam si pauper capiatur, fugere facillimè potest. Diues verò etiam si non capiatur, suis tamen compedibus irretitur, curis innumeris, & cogitationibus obstrictus.* 6. *Opulentia periculosa, paupertas secura.*

Ad hæc alio etiam nomine commendanda est paupertas, quia nos graui pondere exonerat, ꝙ nos ad ima deprimit, & à cęlestibus arcet. Crates Thebanus, vt scribit Hiero. cõtrà Iouin. proiecto in mare nõ paruo auri pondere: *abite:* dixit, *pessum malæ cupiditates, ego vos mergã, ne ipse mergar à vobis.* miratur Aug. Ps. 51. cũ nostrũ qui libet naufragium fugiat, sit tamen qui diuitiarum pondus complectatur; *naufragium,* inquit, *fugis, & plumbum amplecteris?* & D. Hiero. ad Exuperantium; *proijce,* inquit, *sarcinam sæculi, nec quæras diuitias, quæ camelorum prauitatibus comparantur. nudus, & leuis ad cœlum euola, ne alas virtutum tuarum, auri deprimat pondera.* 7.

Nec verò dubitandũ est diuitias onerare, nã si aliud non haberent, satis essent ad onerandũ curæ, labores, solicitudines, quas secum aduehunt. Prosperũ l. 1. de vita contemplatiua c. 13. audi: *qua propter,* inquit, *ei qui militat Deo fugienda sunt ex toto corde diuitiæ, quas qui habent sine labore non quærunt, sine difficultate non inueniunt, sine cura non seruant, sine noxia delectatione nõ possidẽt, sine dolore non perdunt.* Quarè pareamus Augustin. monenti l. de verb. Dom. ser. 25. *patrimonij tui, quo es ligatus, cõpedem in hac vita resolue, vt liber ad cœlum possis ascendere. abijce abs te diuitiarum onera: abijce vincula voluntaria.* 8. *Diuitiæ onerosæ.*

Rursum aliud etiam bonũ secum affert paupertas, præbet. n. vberẽ segetem, ac materiã ad bona multa præstanda; quod sic præclarè docet 9.

Theod. ser. 6. de prouidentia : *diuitias simul & paupertatem tãquam materiam quãdam, vel instrumenta à rerum opifice nobis proposita, & oblata esse dicimus; homines verò, ceu fabros quosdam per hæc, aut virtutis simulacrum effingere, aut malitiæ statuã sculpere. Ceterũ per diuitias vix aliquis paucula virtutis quædam membra eleganter exsculpet; multi verò paupertate adiuti omnia simul fabricare possent.* sic præclarè Theod. quibus & pluribus etiam alijs tanquã clarissimis argumentis docet, paupertatem diuitijs ad perfectionem consequendam esse longè aptius instrumentum, vt non sit verendum nobis cum Christo Domino pauperes *beatos* appellare.

10. *Paupertas rerum cælestium sitim accendit.*

His omnibus accedit ad paupertatis cõmendationẽ, quod cũ diuitiæ inexplebilẽ quandam caducarũ rerũ sitim excitẽt potiùs, quã expleãt, rerũ verò cęlestiũ tollãt vt plurimũ; paupertas suauẽ quandã cęlstiũ bonorũ sitim, hoc est, desideriũ accendit, & inflammat. rectè. n. ad pauperẽ illud Iobi c. 39. 6. applicare possumus: *tabernacula eius in terra salsuginis:* Etenim si SS. virorũ qui fluxa cõtemnunt, & ad cęlestia anhelant, habitationẽ in terra salsuginis esse dicam⁹, id est, in paupertate, nihil absurdi dixerimus. quod sapiẽtissimus Greg. simul & sanctissimus in eum locũ Iobi sic tradit, *salsugo accendere sitim solet, & quia sancti viri quãdiu in huius vitæ tabernaculis degunt, ad supernam patriam desiderij sui quotidianis æstibus accenduntur, in terra salsuginis tabernacula habere perhibentur.*

11. *Diues coruo similis.*

Coruo similem proindè dixerim diuitẽ, qui vt ille ait; *immoritur studijs, & amore senescit habendi;* de coruo. n. sic legimus Gen. 8. 7. coruus egrediebatur, & non reuertebatur; qui. n. diuitijs inhæret, à Deo quidẽ egressus est per creationem, sed non ad illum reuertitur, quia in rebus istis caducis, veluti in cadauerũ putoribus, & stercore conquiescit, neque vllo cœlestium bonorum sensu tangitur. è cõtrario verò pauperem cum columba rectè contulerim, quæ egressa de arca, *cùm non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcã,* &c. *extẽditq; manũ suã, & apprehensam intulit in arcã:* v. 9. etenim pauper nõ in his fallacibus, & fluxis bonis spes suas collocat, sed eò reuertitur vndè & est. i. ad Christũ Dominũ, in quo tanquam in arca sunt oẽs thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, qui ad se venientem obuijs vlnis, & expansis brachijs vltro excipit, & tandem in regnum cœlorum inducit, quod pauperũ sanè esse dicitur; *beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnũ cœlorũ,* diuitũ verò quorũ pedes requiescunt in cadaueribus, & ossibus mortuorũ, dum hinc migrãt, rebus omnibus quas amauerunt spoliati, nõ in arcam reuertuntur, sed ad inferna descendunt. ita accidit illi, vt est apud Luc. 12. 19. qui multis bonis terrenis auctus post lõgum laborem sic cogitabat animæ suæ dicens: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare.* sic ille cogitabat stultè, sed quia in incerto diuitiarum pedem. i. affectum fixerat mox quàm fallaces fuerint eius spes, rei declarauit euentus. audiuit enim sibi à Deo dici; *stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti cuius erunt?* v. 20.

12. *Paupertas Deo diuitem facit.*

Sed neq; decus illud de paupertatis laudibus detrahendũ est, quod dum hominẽ rebus istis inferioribus priuat, nudumque quodammodò efficit illum, interim verè diuitẽ in Deũ facit, loco. n. luti, quod plenis manibus tenebat, tradit aurũ, & gemmas pretiosas. hoc est, loco bonorum vilium, & abiectorum, implet pauperem mundi cõtemptorem cœlestibus diuitijs. quid. n. sunt ista bona si cum cęlestibus comparentur? si lutum dixeris respectu auri, parum dixeris, multo. n. præstantiora sunt, quàm vt vlla earum rerum, quæ hic sunt, comparatione, exprimi possint: candore lucentis margaritę attraheris? cogita maris esse aquam, & in eius finibus antè iacuisse deiectam. rapit animum auri fulgor, & nitor argenti? cogita terram, & cinerem fuisse priùs, & modò esse: placet pretiosa ac serica vestis? at vermium ille cõtextus est. denique si per singula curras, quæ apud nos sunt, nihil te aliud habere in manibus intellige cùm illa tenueris, quã vile lutũ. vt verissimũ sit illud cp paulò antè dicebã, nihil horũ cũ cœlestibus cõferri posse. Excedit. n. illa rerũ maiestas, illa amplitudo, illa gloria, regnũ illud cœlorũ, quod pauperi promittitur, omnem hanc vmbratilẽ potiùs, quã verã pulchritudinẽ; vtilissima est igitur iactura terrenarum rerum, & earũ despicientia pro paupertate, quæ facit, vt cũ ęternis opibus, has mox perituras, cõmutes.

13. *Pauper regno cælorũ rapiendo aptus.*

Verùm illud iterũ atq; iterũ animaduertendum est, regnum cœlorum rapiendum esse, rapientem verò expeditum esse oportet, & vacuas harum rerum manus afferre, quod eleganter Chrysost. vt solet, hom. 53 in Ioan. declarat. *bonum est rapere,* inquit, *non ea, quæ pereunt, sed regnum cœlorum,* &c. *Rapiamus ergò regnum cœlorum: quæ rapina non crimini, sed laudi datur,* &c. *dic quæso, plumbo tibi, & auro proposito, quid potiùs raperes, nonne aurum,* &c. *& quomodo poterit quis rapere? inquis. disperge quæ habes. quousque enim seruas illa, rapere nõ poteris. propone tibi hominem plenis argento manibus quoad id tenuerit, numquid aurum rapere poterit, nisi priùs id proijciat, & expeditus relinquat? rapientem benè expeditum esse oportet, ne quid eum impediat.* Sc præclarè Chrysost.

14. *Paupertas terra vbertima.*

Vberrima terra est paupertas, quæ cum fęnore reddit quod seminatum est; in qua si sementem feceris, certus esse debeas, quod centuplicato fructu messurus sis, quod seminasti, *centuplicato,* inquit, Hieronymus epist. 26. ad Pammachium, *fœnore Christi promissa redduntur: in tali Isaac quondam agro seuerat,* sic enim de Isaac legimus Gen. 26. 12. *seuit Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum.*

15. *Pauperum fructuosa negotiatio.*

Felix & fructuosa negotiatio est, quam pauperes exercent, qua vilia tua vendis, vt Christum emas. quod Nazianzenus vno carmine complexus est.

Felix qui Christum fortunis omnibus emit.

& Aug. serm. vlt de diuersis, *quid est,* ait, *gloriosius homini, quàm sua vendere, & Christum emere?*

16.

In baculo suo transiuit Iordanem Iacob, & cum duabus turmis regressus est, non sine magno rerum suarum prouentu; & pauper contemptis omnibus, solo crucis baculo innixus, instar peregrini, præsentis vitæ iter emensus, ad extremum diem iudicij cum duabus regredietur turmis, animi videlicet, & corporis beatitudine diues, & lætus. Verùm quia longius progressa est digressio hæc de paupertate, reli-

te, reliquas duas beatitudines Lucæ in sequentem reijciemus.

DIGRESSIO V. MORALIS

In ver. 12. *De esurie, & fletu: duabus reliquis Lucæ Beatitudinibus.*

1. ESVRIES, de qua hic Lucas, præsertim corporis intelligitur, sicut illa Matthæi est animi potius, qua de re dictum à nobis est superiùs cap. 4. Schol. num. 23. 24. & hoc cap. 8. num. 35. 36. & 39. de qua in primis notandum est illud, quod Augustin. habet sermone 77. de tempore, vbi agit de ieiunio, & esurie Christi: *arbitror*, inquit, *hanc causam esse ieiunij, vt quia primus Adam in paradiso constitutus per intemperantiam gulæ gloriam immortalitatis amiserat, eandem immortalitatem secundus Adam* CHRISTVS *per abstinentiam repararet. & quia contra mandatum Dei gustans de interdicta arbore, peccatum mortis incideret: nunc secundùm mandatum Domini ieiunans, vitam iustitiæ mereretur, hoc enim egit saluator, vt eisdem vestigijs, quibus admissa fuerant delicta purgentur, hoc est, quia homo manducando, deliquerat, corrigat abstinendo, vel quia epulando mulierem cognouerat, nunc eandem ieiunando despiciat. Adam enim non nisi intemperantia prouocante Euam cognouit, quamdiu enim in illo mansit temperata, parcitas, mansit & impolluta virginitas: & quamdiu ieiunarunt ab interdictis epulis, tamdiu & à pudendis ieiunarunt peccatis. fames enim amica virginitatis est, inimica lasciuiæ; saturitas verò castitatem prodit, nutrit illecebram.* quibus constat ad perfectionem referre plurimum esuriem.

Ieiunij causa.

2. Et quamuis sancti Dei homines fame hic conficiantur corporis propter Christum, saginantur tamen à Deo cælestibus illis, & melioribus delicijs: certissimum enim illud, ac stabilissimum semper erit, quòd Psalm. 22. 5. affirmat Dauid cum Deo loquens: *parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me*; certissimum etiam illud Psal. eodem ver. primo, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit* (quod Hieronymus vertit, Dominus pastor meus) *in loco pascuæ ibi me collocauit, super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit* (Hieronym. animam meam refecit) est autem tanta ac tam suauis Christi refectio, vt meritò exclamare possimus cum eodem Propheta; *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abscondisti timentibus te?* ad quam dulcedinem inuitat nos Dominus Matthæi 11. *venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*; & Matth. 22. *Eccè prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata; venite ad nuptias.*

2. Ieiuni ventre saginantur mente spiritualibus delicijs.

Et SS. Eucharistiæ sacramēto

Aliter etiam pascit suos esurientes Dominus, nimirum augustissimæ Eucharistiæ pane, qui propter ipsum esurientibus inprimis proponitur in altari, tanquam in coronata, ac regali mensa, cuius figura ac typus quidam erant coronatæ mensæ illæ templi Salomonis. regibus enim paratur hæc mensa, & panis, qui in ea proponitur: *pinguis est namque panis Christi, & præbebit delitias regibus*, & hic sanè panis, propositionis, seu facierum rectius dicitur, quàm ille olim templi. quotidiè enim ante faciem æterni Patris à Christi sacerdotibus non sine thure, & sale offertur; hoc est, nō sine thure orationis, & sale Euangelicæ doctrinæ; nam cùm his duobus constat Missæ sacrificium coniungi. panis hic Sanctus est, non laicus, 1. Reg. 21. 4. sic enim accedentes monet Christi sacerdos, aduersus omnem hæreticorum impietatem: *non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum.*

3. Nihil hic ego de cælestis gloriæ beatitudine loquar, qua tanquam suauissimo pane, & dulcissimo potu satiantur quicumq; hiç esurierunt propter Christum. *satiabor*, inquit ille, *cùm apparuerit gloria tua*, &, *torrente voluptatis tuæ potabis eos*. cùm ergò & cælesti consolatione in hac vita, & sanctissimo Christi corpore, & in altera æterna beatitate satientur, qui propter Christum, & iustitiam esuriunt, & sitiunt, quis vnquam explicare satis poterit, quanta sit hominum illorum insania, qui nihil aliud curant, quàm ventrem terrenis his sibi implere? cùm tamen Prouerbior. 23. 3. scriptum sit; *ne desideres de cibis eius* (id est, mundi) *in quo est panis mendacij*; porrò mendacij panem vocat scriptura, qui famem quidem pellere posse videtur: sed nequaquam id præstat quod in speciem pollicetur. sic ille prodigus tandem fassus est, *quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* qui etiam cupiebat de siliquis implere ventrem, nec poterat, cùm tamen de his, qui à Christo pascūtur, scriptum sit: *manducauerunt & saturati sunt.* & hæc de esurie, sequitur luctus.

3. Post hanc autem vitā æterna beatitudine.

4. Salomon Ecclesiast. 7. 5. *cor sapientium*, inquit, *vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia*; quo discrimine apertè docet, sanctos DEI homines cælesti sapientia illustratos luctui tanquam rei, valdè ad salutem necessariæ tradere se potius, & piis lacrymis: cùm contra mundani homines cælestis sapientiæ expertes gaudium & voluptatem amplectantur, tantùm quæ carni sunt, & corpori amica sectantes. Quare Sanctorum nullus est, qui illud Eccles. 2. 2. non vsurpet, & subindè tanquam rem Christiano valdè necessariam non inculcet; *risum reputaui errorem: & gaudio dixi, quid frustra deciperis*; errori enim, & insigni demētiæ tribuendum putant sancti; si quis lacrymis, ac luctui præsentis vitæ gaudia præferat. & hinc est, quod gaudio (per prosopopæiam) ad illud conuersi, dicunt *quid frustra deciperis?* quasi dicant, erras ó gaudium, & insigniter deciperis, dum nobis persuadere te posse confidis, vt à lacrymis abstinentes, nos tibi fidēm adhibeamus. quamuis non ignoremus serena te facie & læta fronte conari mortales ad te allicere. vel sensus est; *gaudio dixi; quid frustra deciperis?* erras sanè ó gaudium, & vehementer erras, dum polliceris posse te animum hominis pacatum, & contentum reddere, cùm id minimè valeas præstare. nisi malis cùm Lyrano dicere; *quid frustra deciperis?* hoc est, egregiè falleris, dum censes verā felicitatē in deliciis esse sitā. Cùm igitur sancti Dei

4. Sapientes luctum, stulti voluptatē quærunt.

Digitized by Google

homines longè anteponant gaudio fletum, satis indicãt rem planè necessariam esse fletum, eosque decipi, qui in aliam abiere sententiam, vano se gaudio tradentes, & in magno proindè salutis periculo versari.

5. *Lacrymarũ vis & utilitas.* Quare meritò Laurentius Iustinianus ligni Vitæ, cap. 9. eandem cùm Sanctis sententiam secutus exclamat: *ô lacryma humilis, tua est potentia, tuum Regnum; tribunal Iudicis non vereris; amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis; non est qui te ad Deum accedere vetet; si sola intres vacua non redibis. quid plura? vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis, aperis cælum, fugas Diabolum.*

6. *Earum duplex causa.* Est autem duplex Sanctis non insolens, sed amica lacrymarum, ac gemituũ ratio vel causa. nam quidam est cælestis lacrymarũ imber ab oculis decidens, & animæ nostræ terrã fœcundans, qui proficiscitur ex attenta miseriæ nostræ, & peccatorum consideratione. Est & alter secum aduehens animi serenitatẽ, & lætitiam, qui nascitur ex desiderio Dei, aut ex Christi recordatione manat, vel beatæ vitæ Contemplatione. hæc duo lacrymarum genera duplici illo irriguo, quod filia Caleb magno studio à patre postulauit, significata esse Greg. l. 3. dial. c. 34. & l. 6. regist. ri, ep. 23. obseruauit. sic .n. Iosu. 15. 18. legimus: *suspirauit Axa, cui Caleb quid habes? inquit: at illa respõdit, da mihi benedictionem. terram australem, & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam. dedit itaque ei Caleb irriguum superiùs, & irriguum inferiùs.* quo respiciens Gregor. *irriguum*, inquit, *superiùs accipit anima, cùm sese in lacrymis cælestis regni desiderio affligit; irriguum verò inferiùs accipit, cùm inferni supplicia flendo pertimescit.*

7. *Et duplex genus.* Idem duplex lacrymarum genus ex diluuio, quod terræ orbem perdidit tempore Noë colligere non absurdè possumus; illud enim ex aquis quidem ortum est, sed quæ, qua ex cælo deciderunt, qua ex fonte abyssi, magnæ supra terram emersere. sic enim Gen. 7. 11. memorię proditum est: *cataractæ cæli apertæ sunt*; Item paulò antè: *& rupti sunt fontes abyssi magnæ.* sanè rectè lacrymę diluuio similes sunt, quòd Gregor. alter Nazianzen. de Iustis verba faciens, cõfirmat, dum iustorum lacrymas; *peccati diluuium, & mundi piamentum* vocat. hoc non hominibus vitam aufert, sed donat. quamuis hostibus, id est, peccatis necem inferat, & ardentes inferni flãmas extinguat; animæ verò terram lætam, & vberem reddat: hoc igitur diluuium lacrymarum, quæ ex cælo est, id est, cælestium desiderio, qua ex abysso, hoc est, ex tartari horrore, & peccatorum meditatione oritur.

8. Quæ verò lacrymæ ad primum, quæue ad alterum genus spectent, non est difficilè cognoscere, si singulas consideremus lacrymandi causas. ad primùm ergò lacrymarũ genus, hoc est, ad irriguum inferiùs pertinent primum illæ, quæ ex dolore peccatorum, & vehementi cordis cõpunctione nascuntur; quod genus lacrymæ fuerunt Mariæ Magdalenæ, cùm tantã earũ vim effudit, vt satis fuerint ad irrigandos Christi Domini pedes. tales fuerũt & D. Petri cùm nimio mortis timore perterritus Christũ Dominum abnegauit: moxque egressus foras

A fleuit amarè. sic & Dauid ex vehementi sensu adulterij, & homicidij, quę commiserat, lacrymis suis stratum suum rigabat.

9. *Quædam oriuntur ex metu inferni.* De his sic Bern. ser. 16. in Cant. *vt paueo*, inquit, *Gehennam; contremisco à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad escam; horreo vermẽ rodentem, & ignẽ torrentẽ, fumũ, & vaporem, & sulphur, & spiritũ procellarũ. horreo tenebras exteriores. quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt præueniam fletibus fletum & stridorẽ dentiũ.* sic plorabat vir Sanctus vitæ peccata, quę cõmisisse se timebat, atque adeò pœnas, quæ iusto Dei iudicio peccatores manent. Bone Deus, toto iste corpore cohorret, qui fortè nihil vnquã commiserat, quod æternas pœnas mereretur: & ego infelix peccator, qui toties Deum meum grauiter offendi, tam multa peccaui, securus sterto, nec quæ me manent pœnas deploro.

B

Quædam vero ex peccatis. Eodem pertinet fletus ille qui assumitur ex offensis, & iniuriis quæ Deo irrogantur, ex eiusdem Dei, & proximi amore manantes; sic Paulus Corinthium illum incestuosum adeò defleuit, vt scribat; *ex multa tribulatione, & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas* 2. Corinth. 2. 4. & ad Philipp. 3. *nunc & flens dico, inimicos crucis Christi.* Huc referuntur gementes illi de quibus Ezech. 9. 4. scriptũ est, *signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius*, id est, Hierusalem.

10. *Alia ex cõmiseratione.* Eodem reuocantur, & illæ lacrymæ, quas Christus fudit ex cõmiseratione malorũ, quæ

C imminebant Ierosolymitanæ vrbi; cùm *videns ciuitatem fleuit super illam dicens: quia si cognouisses & tu.* itemq; ad viuos reuocaturus Lazarum, lacrymatus est Mariam flentẽ miseratus, & Iudæos vnà collacrymantes. sic fleuit & Iob, vt ipse c. 30. 25. testatur: *flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* sic Dauid 1. Reg. 30. 4. cùm viris suis, cùm veniisset ad ciuitatem Siceleg, & inuenisset eam succensam igni, & vxores, & filias ductas esse captiuas: *leuauerunt*, inquit scriptura, *Dauid & populus qui erat cum eo voces suas, & plauerunt donec deficerent in eis lacrymæ*; vel vt hebraicè habetur, *planxerunt donec nõ esset in eis robur ad flendum.* sic plangit omnis sanctus Dei, cùm mala aliorum grauia considerat, ex misericordiæ, &

D cõmiserationis visceribus dicens cum Ierem. Threno. 3. 48. *diuisiones aquarum dedixit oculus nostri in contritione filiæ populi mei.*

11. *Alia verò ex consideratione passionis Christi.* Est & aliud saluberrimum genus flendi, cùm ex Christi Domini nostri cruciatuum, & mortis cogitatione vbertim dulces, & pię lacrymę ex oculis cadunt. sicut Zach. 12. 10. prædictum est; *& effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ, & precum: & aspicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu, quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti*; qui locus, licèt à quibusdam exponatur de pœna infidelium Iudæorum, & sit sensus; cùm venero ad iudicium videbunt me, quem oderunt, cuius etiam latus per militem lancea confoderunt, hoc enim est, & aspicient in me, quem confixerunt ex Apocalyps. primo, & ex pluribus interpretibus; rectè tamen ab aliis

ad rem,

ad rem, de qua agimus, detorquetur, non exclusa priori interpretatione; & propterea quoniam id magnum Dei donum est, pollicetur Deus daturũ se copiosè Ecclesiæ suæ spiritum Sanctum, spiritum gratiæ & precum, id est, orationis, vt posit sponsi sui Christi sacratissimos cruciatus, opprobria, vulnera, atrocissimam mortem, vbertim manantibus lachrymis deflere.

12. Et nostra miseria.

Deniq; ad hoc idem irriguum inferius referendæ sunt lachrymæ illæ, quibus deploramus vitæ nostræ miserias, & calamitates, quas tanquàm in valle lacrymarum positi subindè patimur. hinc enim fit, vt initio natura ipsa quasi magistra non sine lachrymis, & eiulatu magno in hanc lucem edamur. hinc est vt in eiusdem etiã egressu plangamus. quòd si principium & vitæ finis plena sunt lachrymis, & eiulatu, erit in vitæ medio ridendum? hinc rectè Theodor. Psal. 83. *præsens*, inquit, *vita lacrymarum vallis est, in qua Adam in sudore vultus pane vescitur.*

13. Quædam etiam ex desiderio vitæ futuræ.

Sed præter has, quas numerauimus, lacrymas ad irriguum inferius spectantes; sunt aliæ secundi generis non minus piæ, quæ ad irriguum superius pertinent; quando nimirùm ex ardenti in Deum dilectione; quãdo ex futuræ beatitatis contemplatione, quando ex Christi Domini nostri amore, recordatione, & vehementer optatæ cum eo coniunctionis desiderio, suauissimus ex oculis imber defluit lacrymarum.

14. Hoc autem est cum hoc vtroq; lacrymarum genere coniunctũ, ꝙ maxima cõsequatur illas animi serenitas, & ingens cordis lætitia mox fletũ excipiat. Vt enim rectè obseruat Chrys. hõ. 6. in Matt. *sicut post vehementes imbres mũdus aer ac purus efficitur: ita etiam lachrymarum pluuias serenitas mentis sequitur, atq; tranquillitas*; quod indicat scriptura 1. Reg. 1. 18. dũ de Anna loquitur, effusa enim magna vi lacrymarum, cùm se Deo voto astrinxisset, *vultus illius non sunt amplius in diuersa mutati*, hoc est, consecuta post lacrymas tranquillitatem, stabile per illam gaudium adepta est, nullo amplius mœrore vultum mutante, ita vt tristem faciem in posterum non præ se ferret. Etenim *secundum multitudinem dolorum meorũ*, inquit vnus ex his, qui multas passim lacrymas effunderat propter Deum, *in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*, Psal. 93. vt verissimum sit illud breue dictum Euthymij, Matt. 5. habere luctum *repensum sibi gaudium*. sed præter hunc in præsenti vita diuinæ consolationis sensum, aliud multò præstantissimum sempiternæ vitæ gaudium lugentes sequitur. Etenim *qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.*

15. Vnde & quomodo obtinendi donum lacrymarum.

Cæterùm cùm tam multæ & variæ sint lacrymarum Sanctarum vtilitates, tam præclara enchomia, desiderabit fortè quispiam scire, atque intelligere, vndè nam, vel à quo obtinẽdum sit tam eximium beneficium? in prõptu est responsio, neq; enim difficilis est quæstionis huius inuestigatio. donum Dei lacrymæ sunt: ergò à Deo summis votis postulandæ sunt. Axa, ait Gregor. *suspirans à Patre terram irriguam petit: quia à Creatore nostro cum magno desiderio quærenda est lacrymarum gratia.* dic ergò

A suspirans ac gemens præstanti beneficij desiderio, contende quantum potes non tam voce, quàm mente, non tam clamoribus, quàm humili prece; vrge non incerta, sed fiducia stabili; dic Deo cum Propheta: *anima mea sicut terra sine aqua tibi*; dic vt effundat super te Dominus spiritum gratiæ, & precum, vt aspicias in quem confixerunt, & plangas peccata tua, pro quibus abolendis DOMINVS IESVS tam innumera tormentorum genera pati dignatus est; pete vt præter hoc inferiùs irriguum, alterum merearis accipere, hoc est, lacrymas præ desiderio cælestis patriæ, & diuini amoris suauitate manentes: nec dubium quin obtenturus sis.

16. B Hoc est donum illud quod tanto desiderio postulabat Augustin. cuius verba, quia orationem continent satis efficacem ad obtinendum donum lacrymarum, si ad Deum ex animo fundatur, non grauabor hic referre: ait ergò; *da mihi Domine irriguum superiùs, & irriguum inferius, vt sint mihi lacrymæ meæ panis die, ac nocte. præsta mihi hanc gratiam propter te, & propter nomen tuum, vt quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, de te lego, de te confero, toties obortis lacrymis in conspectu tuo copiosè, & dulciter fleam, ita vt efficiantur mihi lacrymæ meæ panis die, ac nocte. Rogo te bone IESV per omnes miserationes tuas, quibus nobis perditis mirabiliter subuenire dignatus es; da mihi gratiam lacrymarum, quam multum desiderat, & appetit anima mea, quæ sine dono non possum habere eam, sed per Spiritum S. tuum, qui dura corda peccatorum mollit, & ad fletum compungit.* hactenùs Augustin.

S. Augustini desiderium fundendi lacrymas.

17. C Quoniam igitur hucusque ostendimus primùm lacrymarũ necessitatẽ; deindè etiã duo earum genera esse, ad quæ multiplices flendi causæ reuocantur; posteà vero quæ illas serenitas consequatur; denique breuiter indicauimus à quo petendæ sint. Restat nunc, vt quales esse debeant, paucis ostendamus. debet. n. lacrymarũ imber fructuosus esse. nam nisi illum imitetur imbrẽ, quo cælum irrigat terrã, inutilis est. propterea. n. tantoperè vtilis est, & expetita pluuia de cælo, vt terra nostra ea irrigata proferat fructus suos; quod si non efficeret, res planè inutilis, ac tristis potiùs haberetur. eodẽ modo sentiendũ est de spirituali pluuia lacrymarũ. nam si fructũ non affert. i. nisi ita terrã cordis nostri irriget ac fœcundet, vt fructũ afferat tẽpore suo patientiæ, humilitatis, mansuetudinis, caritatis, prauos animi motus comprimat, & ad Christũ Dõm perfectius imitandũ iuuet; nequaq; in ea acquiescendũ est. nec putet quispiã officio suo satisfeciſſe, sibiq; proindè placeat, ꝙ inter meditandũ, legendũ, orandum, dulciter lacrymas fundat, hoc solo contentus, sed conetur potius, vt cælesti hac pluuia irrigatus, opera Deo grata producat.

Quales debeãt esse lacrymæ.

NOTA.

18. Quare non sine causa Dauid Psal. 125. 5. de lacrymis sic cecinit: *qui seminant in lacrymis in exultatione metent*: neq; n. dixit, *qui seminãt lacrymas in exultatione metent*; quia aliud sunt lacrymæ, aliud sementis, sicut aliud est pluuia de cælo; aliud semen, non ergo lacrymæ ipsæ semen sunt, sed salutaris quidam imber semen spargenti necessarius. vt si quis non iacto

Lacrymæ imber sunt.

semine

semine, nec satis arboribus vllis, pluuia sola contentus sit, non ille triticum, non terræ fruges, non vllos arborum fructus colligeret. Ita lacrymarum imber, nulla facta semente, prorsus inutilis, ac infructuosus est.

19. Seminemus ergò in lacrymis quæ bonorum operum sationi prosint. alioqui valdè verendum est, ne nobis plus illæ damni afferant, quàm vtilitatis; vt .n. ait Apost. ad Hebr. 6. 7. *terra sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur: accipit benedictionem à Deo. proferens autem spinas, ac tribulos reproba est, & maledicto proxima; cuius consummatio in combustionem*; vbi Apostolus ei terræ minatur, quæ affluente de cælo imbre fructuosa non est; & neque fruges, neq; vtilem herbam fert, sed spinas, sed tribulos, & cætera huiusmodi, quæ terram occupant. hanc verò vocat diuinus Apostolus reprobam, & combustioni proximam. hæc igitur prima sit lacrymarum proprietas.

20. Sed altera quoq; est non minus necessaria, vt qui plorat, piè, & sanctè ploret, hoc est, vt vno verbo dicam, propter Deum ploret. nam quæ maior stultitia excogitari potest, quàm si quis agricola, vel rusticus non vtile aliquod semen spargeret in terram, magno labore à se excultam, sed paleas, & huiusmodi alia noxia potiùs; optaretq; proindè pluuiam. huic similes sunt, qui lacrymis abutuntur ad turpes voluptates assequẽdas, ad falsam religionem dissimulandam, ad conseruandam, fouendamq; prauorum hominum consuetudinem, & ad inflectenda aliorum pectora ad peccatum; cuiusmodi sunt lachrymę falsò amantium meretricum, quibus turpes amicos multis lacrymis ita de mente, ac sanitate deturbant, vt discedere ab illis nequaquam posse videantur. hi porrò omnes, & ijs similes ad irrigandas paleas, vel noxias herbas lacrymis vtuntur. nam quid aliud rogo est caro, eiusq; amores, quàm palea, & fœnum? verè enim dixit Isai. 40. cap. *omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni.*

21. Has sanè si Crocodili lacrymas dixeris, nõ vtiq; errabis. solet Crocodilus vbi hominem interfecit, ac reliqua ferè corporis membra vorauit ad caput accedere, ac suprà illud vbertim flere, quasi pœnitens facti, vehementer indoleat neci datum esse à se hominem, & qui naturam huius animalis non benè tenent, ita planè arbitrantur. verùm nihil minus; nam qui de conditionibus, & naturis animalium philosophantur, affirmant vehementer appetere Crocodilum, quæ intra cranium, atque ossa capitis continentur, quibus cùm præ ossium duritie posse se nequaquam frui videat, naturæ quodam instinctu, copioso fletu irrigat. habeat enim vim quandam molliendi duritiam illam; qua superata fit, vt auidè cibatu illo vesci possit, quò tantoperè delectatur. his similes sentio meretricum earum lacrymas, quæ in peccatis suos amantes diutius detinere volunt. quid aliud enim efficit ille ploratus alicuius mulierculæ, quæ semel occidit hominem peccato consentientem, quam, quo diutiùs in peccato detineat, extinguere, & emollire virilis pectoris robur, vt tandem penitùs, tanquam vorax Carybdis, perdat, atque absumat hominem fictis lacrymis victum.

Sint igitur lacrymę propter Deum, & (quod idem est) propter solida virtutum opera, quæ sola Deo digna sunt, & grata. cor enim contritum, & humiliatum DEVS non despiciet. Legere me aliquando memini, visum esse Christum cuidam Religioso viro, qui clauso super se ostio intra cubiculum suum positus præteritæ vitæ scelera multis lacrymis abluebat; videbatur sibi iste cernere Dominum suum, manu aureum calicem gestantem, non alia re, quàm solis, vt postea audiuit, lacrymis plenum.

Tum poscenti causam, respondisse aiunt Christum, in eo calice, tanquam rem sibi gratissimam, conseruasse Mariæ lacrymas, vt intelligerent peccatores, quantoperè sibi placeant. Vt non mirum sit si Vates ille dicat Deo Psalm. 55. 9. *posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*, vtiq; tanquam præciosissimum thesaurum illas & asseruat, & tanquam rem gratissimam ob oculos semper habet, vt solemus quibus delectamur, vel quos diligimus in oculis habere.

Tali lacrymarum imbre abundabat Dauid, cùm vbertim lacrymans de se ipse testatur, Psal. 41. 4. 5. *fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidiè vbi est Deus tuus, hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque in domum Dei*. quasi dicat, pro panibus & cibis fuerunt mihi lacrymæ meæ, dum mihi obiicitur ab hostibus meis quotidiè, vbi est Deus tuus, de quo te iactabas; cùm diceres, *non timebo mala, quoniam tu mecum es*? Eccè qualiter tecum non est, nam alioqui te in exilio tandiu non desereret. quibus ego tantis in angoribus positus, non aliter respondebam, quàm vt animam per lacrymam quasi ab oculis effunderem, & de lacrymis quoddam flumen mihi pararem, quod pertingeret ad locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. quod si scifciteris quod quæso est hoc respondendi genus, obiicientibus *vbi est Deus tuus*? quomodo hoc ad rem facit? multum sanè diceret Dauid, nam per lacrymarum flumen tanquam prospera nauigatione vsus ad Deum meum peruenire, me posse confido, eò enim perducunt lacrymæ; etenim ad Deum ascendunt, ad quem si peruenero, omnis illicò cessabit mœror, & copiosa affluã lætitia, quam nullus à me amplius tollere poterit.

Postremò, vt finem huic Digressioni imponamus, tertiam aliam proprietatem tribui lacrymis animaduerto in Scripturis. nam Ecclesiast. 35. 17. sic legimus: *non despiciet Deus preces pupilli; nec viduam, si effundat loquelam gemitus. nonnè lacryma vidua ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? à maxilla enim ascendunt vsque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis*. vbi tribuit Spiritus Sanctus lacrymis eorum, qui à potentioribus opprimuntur, nempè pauperum, pupillorũ, viduarum, quorũ peculiarem curam sibi Dominus DEVS assumpsit, tacitam quandã loquelam, quam benè Deus agnoscat;

& verò

Quomodo plorandum.

Meretricum lacrymæ.

Crocodili lacrymæ.

22. *Lacrymæ propter Deũ.*

Visio Religiosi cuiusdam.

23. *Lacrymæ Dauidis.*

24. *Lacrymæ loquelam habentes.*

& verò licèt descendant per maxillas lachrymæ, ad Deum tamen velocissimè ascendunt: & iram à Deo, & vltionem in caput opprimẽtium prouocãt. in quo dissimilis est lachrymarum imber naturali pluuiæ. neq; enim pluuia dum fit, in sublime attollitur; at mistæ cũ gemitu lacrymæ, quamuis descendere videantur in flentis sinum, atque adeò in terram cadere, simul tamen leuissimè ascendunt, non in cælum modò, sed cuncta penetrantes cælorum arcana, Dei ipsius thronum adeunt & sicut solares radij terræ vapores, qui prius decideranr, post pluuiam in altum euehunt; ita oppressorum lacrymas caritatis suæ calore clementissimus Deus excitat, & attollit ad se. Sanè in hoc conuenit vterque imber lacrymarum, videlicet, & naturæ; quod quemadmodũ vapores in altum à terra sublati coguntur in nubes, & tandem soluuntur in pluuiam, rursumque in terram decidunt; ita lacrymæ, quæ prius in cælum ascenderunt, mox recidunt, nõ contra afflictos, & ipsos præ angustiis plorantes; sed contra deducentem eas, hoc est, contra eum qui sua crudelitate, & iniuria, & auaritia lacrymas illas excutit, ac defluere facit; & hoc est quòd ait Sapiens: *& exclamatio eius super deducentem eas*; lacrymæ etenim viduæ, & iniustè oppressorum, vehementes quidam clamores sunt, & veluti linguæ, per quas iusti in cælum exclamare dicuntur. Quare cauendum est ijs qui iustos contristant, & lædunt, ne in manus DEI viuentis incidant. qui dignas de illis pœnas exactissimè exposcet; experientur enim hi æternum, sine miseratione, iudicium.

Lacryme in quo imbri dissimiles.

In quo etiã similes.

CAPVT IX.

CENTVRIONIS PVERVM A PARALYSI CVRAT.

A. 8. 5. C. 7. 1.

C.1. CVM *autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intrauit Capharnaum.*

2. *Centurionis autem cuiuſdam ſeruus malè habens, erat moriturus, qui illi erat pretioſus.*

3. *Et cùm audiſſet de* IESV, *miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & ſaluaret ſeruum eius,* A. *dicens: Puer meus iacet in domo Paralyticus & malè torquetur.*

4. C. *At illi cùm veniſſent ad Ieſum, rogabant eum ſolicitè, dicentes ei: quia dignus eſt, vt hoc illi præſtes.*

5. *Diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ipſe ædificauit nobis.*

6. A. *Et ait Ieſus: ego veniam & curabo eum.* (*Et*) C. *ibat cum illis.*

7. *Et cùm iam non longè eſſet à domo, miſit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine noli vexari, non enim ſum dignus, vt ſub tectum meum intres*

8. *Propter quod & meipſum non ſum dignum arbitratus, vt venirem ad te, ſed dic verbo, & ſanabitur puer meus.*

9. *Nam & egò homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic vade, & vadit: & alij veni, & venit: & ſeruo meo fac hoc, & facit.*

10. *Quo audito Ieſus miratus eſt: & conuerſus ſequentibus ſe turbis, dixit: amen dico vobis, nec in Iſrael tantam fidem inueni.*

11. A. *Dico autem vobis quod multi, ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac & Iacob in regno cælorum.*

12. *Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium.*

13. *Et dixit Ieſus Centurioni: vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. & ſanatus eſt puer in illa hora.*

14. C. *Et reuerſi, qui miſſi fuerant domũ, inuenerunt ſeruum, qui languerat, ſanum.*

SCHOLIA.

C.1. CVM *autem impleſſet*] cùm plebi quidquid voluit liberè, inquit Lucas, dixisset, & ea omnia in aures plebis distillasset, quæ loqui voluit, & quidem stans in loco campestri, ingressus tandem Capharnaum, doctrinam miraculo confirmauit. 1.

2. *Centurionis*] ex Eusebio, erat iste militibus Romanis præfectus.

Cuiusdam] quoniam multi erant Centuriones, propterea *cuiusdam* dixit Chrysost. vt refert. Emman. in c. 8. Mat. n. 24. iste primus fructus ex gentib.

Seruus] Matt. *puerum* vocat, sed pueri in Scriptura etiam serui dicuntur: & Gr. παῖς vtrumque significat.

Erat moriturus] Ambros. scil. nisi fuisset sanatus à Christo, Interl. nisi fide precantis Deum, & miserentis Christi pietate fuisset vitæ redditus. Sed cùm græcè ἤμελλε τελευτᾶν habeatur, quod aliàs vertit, *incipiebat mori*, scil. agebat animam morti proximus, non videtur esse sensus literæ ille D. Ambros. & Gloss. Interl.

Pretioſus]. i. in pretio habitus; alij carus, græcè ἔντιμος, quòd rectius vertitur, in pretio habitus: plurimi namq; illum faciebat Centurio, non quidẽ ex auaritia, sed ex dilectione, & caritate. Itaq; vox græca, *æstimationem*, non dilectionem significat. Verùm cũ æstimatio hæc sequuta fuerit ex caritate, & dilectione, ideò consequenter dici potest etiã carus fuisse, & hoc etiã cõtineri voce pretiosi. 2.

3. *Et cùm audiſſet de Ieſu*]. i. audiens Christũ venisse Capharnaũ, seq; indignũ iudicans, & gentilis esset, vt ad eũ per se accederet, *miſit Seniores*, &c.

Hinc soluitur obiectio, cui locum fecit Matth. cùm scripsit Centurionem accessisse ad Iesum. cui occurrit August. lib. 2. de consen. Euang. c. 20. per alios accessisse, non per se. Gloſſa, *diuina*, inquit, 3.

proui-

prouidentia factum est, vt mitterentur Seniores, eisque præsentibus sanaretur seruus vt inexcusabiles sint, si credere noluerint. Verùm Chrysost. ait: homil. 27. in Matth. credibile esse, illum voluisse ire ad Christum, sed retractum à Iudæis, promittentibus se Christum ducturum. sed cùm inferius dicatur ver. 8. *propter quod & meipsum non sum arbitratus, vt venirem ad te,* liquet, quod ipsemet initio noluerit ire, ex humilitate, & fide. vide numerum 19.

Centurionis humilitas.

4. *Rogans eum vt veniret*] quomodo vt veniret, si cùm non longè esset à Domo, misit qui dicerent: *Domine, noli vexari, non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres,* quod ver. 7. habetur? Respondeo, ille quidem solum repræsentauerat serui necessitatem, vt ait Matt. *Domine puer meus iacet in domo paralyticus:* hæc enim erat ægritudo, quam Lucas non exprimit; At Iudæi qui missi fuerant addiderunt, *vt veniret,* quod ille non dixerat.

5. *Paralyticus peccatoris typus.*

Paralyticus hic peccatorem significat, propter sex istas conditiones, quæ illi inerant: erat puer, seruus, iacebat paralyticus, malè torquebatur, & secundùm Lucam, moriturus erat. Peccator, puer est, nam ob momentanea perdit æterna; vsquequo paruuli diligunt infantiam? Est seruus suarum cupiditatum, mundi, carnis, Dæmonis, peccatis, vt catena circumdatur. Tertiò iacet in terra in cœno voluptatum in peccatorum stercore, non respicit, vt iustus cælum, sic enim de impiis dicitur Daniel. 13. 9. *euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos vt non viderent cælum, nec recordarentur iudiciorum iustorum.* Quartò est paralyticus, nam, vt inquit Aristot. incontinens similis est paralytico, sentit enim peccator aliam legem in membris repugnantem legi mentis, ita vt non obediat illi, sicut paralyticus membra nequit mouere & & attollere. Est enim quasi immobilis, stupidus, insensibilis circa ea quæ Dei sunt, & animæ salutem. Quintò torquetur ob curas superfluas, superbia, impatientia, auaritia tanquam atrocissimis tyrannis vexatur, acrioribus conscientiæ stimulis agitur. Denique similis est viro nefario, qui in carcerem est coniectus, & ad vltimum supplicium damnatus, moxque ad mortem rapiendus est. sed non desperet peccator, nam pretiosus est Christo, respiscat, & sanabitur, & viuet.

4. *Solicitè*] Gr. σπουδαίως studiosè, sedulò. quia dignus est] vox, quia causalem sensuum continet. Reddunt enim causam, cur quod obtinere contendebant fieri deberet à Christo, vt scilicet veniret, & sanaret. hoc enim significat illud *hoc.*

5. *Diligit enim*] cur dignus sit cui beneficium hoc præstetur, causa prima est, quod diligeret Iudæos, atque adeo erga illos dilectionis signa ostenderat: hoc enim insinuat verbum, diligit nimirum dilectionem effectu externo declaratam. Hac ipsa ratione reddunt item causam, cur tam studiosè pro eo ipsi rogent Christum.

6. *Centurio Ethnicus.*

Gentem nostram] his indicant gentilem fuisse Centurionem, non Iudæum; quod tamen Hilar. sensit, dum ait: *non erat tribunus iste de gentibus, & quomodo in Israel fides talis non est reperta, cùm qui crederet esset Israelita?* nomine *tribuni* Centurionem intelligit. At Ethicum fuisse hæc verba ostendunt; *diligit gentem nostram,* quasi ipse alterius esset gentis; simulque eadem verba ostendunt Christum secundùm carnem Iudæum fuisse. Idem ostendunt alia illa verba, *multi* (gentiles huic similes) *ab Oriente & Occidente venient, & recumbent,* &c. *filij autem regni,* id est, Iudæi, *eijcientur,* &c. Item que illa *non inueni tantam fidem in Israel,* id est, inter Iudæos, quantam in hoc Ethnico.

A *Synagogam ipse ædificauit*] id est, suis sumptibus ædificari fecit; est autem hæc altera causa, cur dignus sit Centurio, cui conferatur beneficium eiusmodi. Ostendit enim se ædificando Synagogam, non modò in Iudæos benè affectum, sed religiosum etiam & pium erga Deum Israel. Chrysost. homil. 27. in Matth. de Senioribus istis sic scribit: *vides singularem Iudæorum dementiam; dicunt enim dignum esse cui gratiam tribuat. nam cùm magis ad humilitatem, facilitatem q; Iesu confugere deberent, dignitatem Centurionis proferunt; nec ipsa tamen vnde ostendenda esset scientes; dignum esse dicentes, nec quare dignus esset prospicientes.* hic Chrysost. nec mirum id, quia agebant cum Christo more humano, ac si purus esset homo, ideò ad hæc humana, & minora argumenta confugiunt.

Centurionis pietas & religio.

B 6. A. *Ego veniam & curabo eum*] Christus potius Centurionis fidem, quàm Seniorum argumenta respiciens, statim assensum præbuit postulationi. Petierant illi, vt veniret, & sanaret. Respondet, *ego veniam & curabo.* Quo dicto profectus est cum illis: sic enim ait Lucas: *Iesus autem ibat cum illis.*

Ambros. inquit, poterat absens curare, sed formam humilitatis dare voluit. Ad reguli filium noluit ire, *ne videretur magis* diuitiis deluisse, venit ad Centurionis famulum, *ne conditionem seruilem despexisse videretur.* Adde & quod accedendo voluerit Centurioni, exercendæ fidei materiam, offerre, atque adeò sic manifestare Iudæis hominis gentilis fidem, vt vel ita rubor, ac confusio illis iniiceretur, quod nondum crederent.

Quare rectè D. Chrysost. affirmat Dominum pollicitum fuisse se domum Centurionis profecturum, vt quanta sit fides illius perdisceremus. Nisi enim ita fecisset, sed illicò puerum sanasset, C sincera, feruensque Centurionis fides ignota nobis fuisset: Nam vt auctor imperfec. hom. 21. notat, nisi Christus dixisset, *veniam, & sanabo eum,* nunquam Centurio respondisset, *non sum dignus:* hoc enim consilio & Cananæa clamante: *filia mea malè à Dæmonio vexatur,* respondit, *non est bonũ tollere panem filiorum, & dare canibus,* vt illi præberet ansam respondendi, *etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.*

7. C. *Et cùm iam non longè esset*] Intelligere debemus nuntiasse aliquos Centurioni, aduentare Christum antequam eò accederet. Hoc ille accepto nuntio, cùm non longè esset Dominus misit illicò amicos, vel domesticos ex Iudæis, vt verosimile est, qui suo nomine sequentia verba diceret, D neque enim audebat ille per se ad eum accedere, tanquam gentilis.

Domine] Deum, ac Dominum omnium confitetur. Neque enim honoris tantum caussa sic nominauit. *Noli vexari*] Confitetur & hominem: vexari enim, id est, veniendo defatigari, ac laborare hominis est, magna planè fides. Et quæ viro etiam Christiano ruborem afferat.

Non enim sum dignus, vt sub tectum meum, &c.] caussa significat, cur domo Christum excipere recusaret. non enim dignus sum inquit; quo verbo humilitatem suam profitetur, & maiestatem in Christo latentem agnoscit, quasi dicat, cùm sis Dominus omnium, non sum ipse seruus tuus dignus, qui te domo excipiam, in qua peccatis obnoxius, & commaculatus habito.

8. *Propter quod & meipsum*] sensus est, secundùm Cardinal. Tolet. quasi dicat, qua ratione dignus non sum, vt intres sub tectum meum, nimirũ, quia Dominus omnium es, ac Deus verus, eadem arbitratus sum me indignum, vt per memetipsum

Fides.

Humilitas.

ad te

Digitized by Google

ad te accederem, tuam enim maiestatem reueritus sum, tua me præsentia indignum iudicaui. Itaque propter quod, Gr. διὸ non ad præcedentem sententiam, sed ad illam, qua dixerat: *Domine, noli vexari*, id est, qua Deum vocauerat, referendū est. *Et*, verò pro, *etiam* sumitur.

10. *Sed dic verbo*] q.d. satis est si solo verbo iubeas, potes namque etiam imperando sanare, quamuis absens: Non ergò est cur hunc laborem assumas, vt ad indignum venias. Dum verò, *dic*, ait, id est, impera, non autem deprecare Deum, significat iterū se Deum illū credere. Est autem dic deprecantis, oro, vt iubeas.

11. Obserua non requisiuisse verbum tanquam necessarium Christo ad sanandum; nouerat satis esse voluntatem; sed voluit declarare quàm posset Christus facilè sanitatem cōferre, dummodò vellet, quamuis domum non ingrederetur: simulque fassus est interim omnibus illum imperari posse pro arbitrio, ac nutu.

12. *rissimū bilitatis gumētum od.* Iterùm obseruandum non inde duntaxat, quòd quispiam verbo, vel iussu miraculum edit, effici vt sit Deus: potest enim id homo tradita à Deo potestate. verùm illud est certissimum diuinitatis argumentum, si quis verbo imperandi, tanquam Dominus & ex indita sibi, ac propria potestate miraculum facere queat. Atqui hoc est confessus de Christo centurio. nam & Dominum illum vocauit, & petijt, non quidem, vt Deum rogaret, sed, vt imperaret ipse, & iuberet fieri miraculū: Certus quod si id faceret, iuberetq́; statim fieret, quicquid vellet: quod est profiteri eū habere potestatem pro voluntate, in qua situm erat miraculum facere, cùm vellet. verùm hoc ita esse, vt dicimus, si alia deessent argumenta, certè sequentia verba clarissimè ostenderent.

13. *mmunis ens Christi scipit.* Origenes (antequam ad sequentem versum explanandum accedamus) inquit; *quando corpus Domini manducas, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Tu ergò dic: Domine non sum dignus:* Et quidem rectè hoc Origenes: nam quantum in nobis, & ex vobis est, tanto hospite dignos nos non esse protestamur; gratia ipsius esse agnoscimus, ac munere, quod velit nos accedere; qua in re, & fidei confessione, & humilitate similes nos Centurioni exhibemus. licèt non sit similitudo in causa: nam nos dicimus hæc, vt disponamus nos tanto melius ad illum recipiendū pro animę salute. At Centurio recusauit aduentū Christi, qui erat vt sanaret puerū corporis morbo grauiter ægrotantem. Iterum cùm nos non esse dignos fatemur, vt recipiamus Christi corpus, de dignitate rei loquimur, non de dignitate præparationis saltem necessariæ.

9. *Nam & ego*] pro, *etenim ego sub potestate constitutus*] habens alium Dominum. præclarum simplicis hominis argumentum à minori ait Gagnæ. ego, inquit, homo sum, vti alterius potestati obnoxius, ita subiectos habēs mihi milites, qui quidquid dixero, statim exequantur: tantò magis tu Deus, qui vniuersa solo verbo creasti, puerū meum nullius adminiculo, solo verbo tuo sanare potes.

14. *Admiratio ex ignorantia procedit.* 10. *Miratus est*] Admiratio ex ignorantia est causarum, quomodo ergò inquiet aliquis, Christus mirari potuit, qui nō solùm fidem Centurionis prius nouerat: sed etiam in eo effecerat? huic obiectioni respōdet Augustinus epist. 61. ad Euod. admirationē non semper ex ignoratione causæ proficisci, sed interdum cum res vsitata non est; sed rara, & singularis; hoc posteriore modo non priore Christo admirationem tribui, quod videlicet in populo Israëlis talis non esset fides visa. Ceterùm subdit Augustinus hanc admirationem esse laudem quandam fidei Centurionis. verùm l. contra

Christi admiratio qualis.

A aduersarium legis, c. 7. hāc admirationem distinguit à laude, & de Genesi contra Manich. cap. 8. ait, Christum admirationis notam habuisse, quamuis citra animi perturbationem; habere autem nunc voluit, vt doceret nos admirandam esse Centurionis fidem. Ex his autem, quæ ex Augustino retulimus, tria eliciuntur: primùm, aliud esse admirationem, aliud laudem, Christum verò admirando laudasse; alterum, Christi admirationem fuisse sine animi perturbatione, vt nos doceret, dignā esse Centurionis fidem, quam admiraremur maximè. Postremò ortam esse in Christo, non quod latuerit eum talis fides, &c. nec tantùm, quia rara in homine gentili, & insignis, sed etiam quia insolita, & noua, quam ne in Israele quidē expertus fuerit. licèt enim Christus scientia illa beata, & infusa proficere non posset, per experimentalem tāmen poterāt: quod enim prius sciebat, experiebatur per sensus nouo sciendi modo, quod significat Lucas, cùm c. 7. ait, quo audito Iesus miratus est: indicat enim experimētalem scientiam: Ex hac igitur parte: nimirum ex experimentali scientia admiratio profecta est. Sic videtur D. Thom. 3. p. q. 15. a. 8. interpretari, & Christi admirationē declarare; itaq; duo continebat hæc Christi admiratio, primùm in intellectu cognitionē rei magnę, insolitæ, etiam in Israëlitica gente. deindè in affectu complacentiam quandam & desiderium laudandi tantam in hoc homine fidem, hinc profecta est laus, sic Sua. 3. p. q. 15. in ar. 8. non fuit autem admiratio hęc coniuncta cum desiderio sciendi causam per experimentalem etiam ipsam scientiam. Nam fides, quæ erat causa horum affectuum in centurione non poterat sub sensuum experimentum cadere.

B

Nec in Israel] Emphasim habet, est enim græcè, ne in Israel quidem. *Fidem*] Nota, fidem non significare solam fiduciam; sic item apud Matth. c. 9. 28. *Inueni*] scilicet ex quo cœpi prædicare, & miracula facere, expertus non sum. 15.

C

11. A. *Dico autem vobis*] q.d. quare prædico vobis, quod multi ad exemplum istius, in quo gentiū fides præfiguratur, *venient*] ad fidem nimirum, sic interl. *Multi*] Augustinus de verb. Dom. *non dicit omnes.* Origenes, quem citat Emma. in Matt. 8. *electi*, inquit, *per singulas generationes pauci: simul verò congregati multi.*

Ab Oriente & Occidente venient] nimirum ex omni gente. sic Interlin. Augustinus de verb. Domini, *istis*, inquit, *duabus partibus, totus orbis designatur. Et recumbent*] scil. ad mensam. solet enim regnum cælorum per conuiuium significari. non solebant gentiles cum Iudæis discūbere, nec licebat. propterea docet Christus in regno cælorum etiā gentiles discubituros cum Patriarchis Abrahā, Isaac, Iacob, immò & Iudæis ipsos anteponendos. Hos tres nominat tanquam principes, fundatoresque gentis Iudęorum. Ait Gagn. siue hic regnum cælorum Euangelium intelligatur, quod reiicientibus Iudæis à gentibus est receptum: siue ipsa cælestis gloria, vtrumque verum. sed similitudo conuiuij, recubitus cum Abraham, &c. significat hic sumi regnum pro cælesti gloria, quæ tenebris etiam exterioribus opponitur.

D

12. *Filij autem regni*] quibus regnum peculiariter promissum; vel regno destinati, vel, vt ait Chrysost. in hom. quibus regnum erat præparatū. vide quod huc facit Luc. 13. à 25. ad 30. versum. *Ejicientur à facie Domini.* sic Interl.

In tenebras exteriores] De his consule Theoriam 1. Hieron. inquit, *ejicientur in tenebras exteriores, expulsi foras à Domino.* dicuntur autem *exteriores*, secundùm Emmanuel. in Matt. c. 8. quod extra regnum; vel à luce longè sunt; vel secundùm alios, 16.

Tenebræ exteriores vnde dicantur

ponitur comparatiuus pro superlatiuo q. extremæ vel extimæ, & quia ab ipso Deo longissimè absunt, & quia ab ipsa corporali luce semotissimæ sunt, quasi obscurissimæ & profundissimæ, priuantes, & spirituali & corporali luce. vnde autem desumpta sit hæc translatio, vt inferni carcer dicatur tenebræ exteriores, dicemus in citata Theor. 1.

17. *Fletus & stridor dentium quid.*

Ibi erit fletus, & stridor dentium] vel maxima scil. tormentorum vis, vt tam fletus, quam stridor eandem rem significent. vtrumque enim qui vehementissimè torquentur facere solent, flere nimirum, dentibus stridere: vel certè per fletum, dolorem, per *stridorem dentium*, horrorem summum significari dicas. Bernar. ser. 8. in Psal. qui habitat, significat, stridorem in damnatis prouenturum ob vermem qui non moritur. at Diuus Prosper lib. primo de vita contempl. cap. 11. ex dolore nasciturum scribit, dum ait, *fletus, & stridor dentium*, acerrimos dolores ostendunt. Chrysost. epist. 1. ad Theodorum Lapsum: profectò, inquit, frendemus dentibus propter labores, & cruciatus illos incredibiles. Raba. Matth. 8. intelligit, stridore dentium significari indignationem damnatorum tum contra Deum, tum contra se ipsos, serò iam sibi irascentium, quod tam pertinaci improbitate deliquerint. ex Galeno in prognosti. Hippocratis comment. 1. 21. si stridor dentium cum ardore febris coniungatur in ægro, insaniam significat, ac mortem. Quantum igitur furoris, quantumq; supplicium æternæ mortis indicat in mediis flammis stridere dentibus?

18. *Non gloriandum Christiano nomine.*

Perpende obsecro Lector, non esse gloriandum Christiano, dumtaxat nomine, nisi etiam gratus sis Deo, & virtutes ac mandata sequaris, & in eis perseueres, alioquin etiam filij regni in tenebras eijcientur exteriores; non est acceptio personarum apud Dominum. qui plura acceperunt, & maiora, grauius inde punientur, quod rectè Hierem. 22. 24. significauit Deus: *viuo ego dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioacim regis Iuda annulus in manu dextera mea, inde euellam eū.* cum timore igitur, & tremore salutem nostram operemur.

19.

13. A. *Et dixit Iesus Centurioni, vade*] Ex Luca discimus hæc non ipsimet Centurioni tanquam coram præsenti dicta esse, sed illi quidem, verùm per amicos: quemadmodum per eosdem dicta sunt illa: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, &, propter quod nō sum me ipsum dignum arbitratus*, &c. quamuis verò *vade*, significare videatur Centurionem domo egressum, quod verosimile est, non tamen hinc fit ad Christum accessisse, sed destinato, ac certo quodam loco substitisse, missis amicis ad Christum. Idcircò Dominus iussit illi, *vade*, id est, reuertere in domum, & sanum puerum offendes, sicut credidisti. Possumus etiā affirmare, quod valdè credibile videtur, Centurionem cùm iam Dominus ad certū locum propè eius domum veniisset, egressum domo, & prostrasse se ad eius pedes, ac dixisse, *Domine non sum dignus*, &c. quomodo etiam verum est, quòd dicit Matth. ipsum ad Dominum accessisse, licèt non initio: verum itē & quod Lucas ait, misisse alios. primùm enim misit Seniores dicentes: *Domine puer meus*, &c. deindè cùm non longè à domo esset Dominus, misit alios ex Luca. Tandem cùm iam forib. appropinquaret, accessit ipse, vt dicit Mat. & tacuit Lucas, sicut & illa verba omisit: *vade* &c. quia non meminerat aduentus eius. & cùm hac expositione benè quadrat, vox, *vade*, tanquā enim præsenti videtur dicta. sic etiā Barr. c. 4. l. 8. sensit, sed quicquid sit, Christus non distulit sanitatem. nam his verbis prolatis: *vade, & sicut credisti* &c. sanum effectum fuisse puerum Matth. non obscurè significat; subdit enim, *& sanatus est puer in illa hora*, & posteà, vt inquit Lucas, reuersi qui missi fuerant, simul cum Centurione, videlicet, inuenerunt domi seruum, qui languerat, sanum.

Augustin. lib. 1. qq. Euang. c. 18. sic scribit, *quod & puerum Centurionis, & filiam Cananææ mulieris non veniēs ad domos eorum, saluat; significat gentes, ad quas non venit, saluas fore per verbum suum quod ipsis regantibus filij sanantur, intelligenda est Ecclesiæ persona, quæ sibi est & mater & filij: nā simul omnes, quibus constat Ecclesia, mater dicuntur, singuli autem ipsi filij appellantur.* Sic August.

THEORIA PRIMA.

De tenebris exterioribus in ver. 12.

B HARVM tenebrarum solus Matth. meminit tribus locis c. 8. hic, & 22. & 25. Omnes ferè conueniunt per has tenebras, infernum esse intelligendum, licèt Orig. in Mat. quem Maldon. citat in cap. 8. Matth. ver. 12. purgatorium interpretetur, quod extra infernum sit. Cur autem nomine *tenebrarum* exteriorum significetur infernus, variæ afferuntur causſæ.

D. Hierony. in comment. & D. Aug. epist. ad Honora. 120. cap. 22. & Ambros. in Lucam li. 7. intelligūt priuationem veri luminis Dei, vt idem sit damnatos mitti in tenebras, quod à vero lumine separari.

C Et quidem Augustin. vult *tenebras exteriores* ipsos Dæmones, externas verò ipsos infideles, qui sunt in hac vita à vera luce Dei auersos, esse. Hos ergò qui hic inter tenebras externas numerati sunt, mittendos ait, in tenebras exteriores, quia coniungendi sunt in pœna, & supplicio Dæmonibus; Psalm. verò 6. cæcitatem mentis tenebras vocat, quæ tanta erit damnatis, vt sanari non possit: vndè & exteriores vel extremas tenebras vult dici ad differentiam tenebrarum exterarum hominum impiorum in hac vita, qui traditi sunt in reprobum sensum, vt *mitti in tenebras exteras*, sit tradi in reprobum sensum, atque adeo in cæcitatem mentis eiusmodi: mitti verò in tenebras exteriores, sit penitus fieri extra Deum sine spe correctionis, id quod est in damnatis.

D Cæterùm verisimum est mentis cæcitatem non defuturam damnatis, & carituros etiam illos diuino, spiritualique lumine; at non propterea negandum est, etiam hunc locum de tenebris corporalibus intelligi, non tantum de spiritualibus. quòd & Iudas in sua canonica affirmasse videtur, dum ait: *Angelos qui non seruauerunt suum principatum; sed reliquerunt suum domicilium, ad iudicium magnæ diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.*

Quomodo inferni tenebras exteriores volunt nonnulli dici pro extremis, vt more Græcorum comparatiuus ponatur pro superlatiuo; sic Petrus Thyræus de glorio. Christi appar. capite vigesimosexto, numero quinquagesimo sexto, quæ opinio probabilis est, dicuntur ergò extremæ, vel extimæ, non modò quia ab ipso Deo longissimè absunt, sine spe redeundi ad ipsum, verùm etiam quia ab

ipsa

ipsa corporali luce semotissimæ sunt, quasi dicas, obscurissimas & profundissimas tenebras: quod in tenebras inferni rectè conuenit: sunt enim extra mundum hunc, vbi nulla lux, vel stellarum, vel solis.

6. *Infernus carcer tenebrosissimus.*

Illud tamen magis est probabile, quod etiam cum hac opinione rectè stat, & quibusdã placuit; locum inferni dici tenebras exteriores, quasi carcerem quendam teterrimum valdè facinorosorum hominum, & summo supplicio addictorum, qui extra regnum cælorum, vel ciuitatem cælestem sit: quod carcer non rarò extra ciuitatem collocetur, atque adeò obscurissimus esse soleat, ita vt non quilibet locus extra ciuitatem cælestem intelligatur, sed qui carcer sit, vbi proindè sit fletus & stridor dentium. hoc magis placet, quàm id, quod Maldonato placuit, Matth. 8. 12. qui licèt affirmet dici tenebras exteriores ob id, quod extra locum conuiuij cælestis sint, conuiuia verò magno luminum apparatu, & quidem per noctem olim celebrabantur, vt propterea extra conuiuium illud cælorum, in quo recumbent Abraham, Isaac, eijci, sit extra lucem illam expelli, atque hoc rectè; sed subdit: ideò qui ex regno cælorum extruduntur, in tenebras exteriores eijci dicuntur, quia quidquid tunc extra regnum cælorum erit, si cum eo comparetur, tenebræ erit.

At cùm Dominus dicat, ibi illos eiiciendos in locum tenebrarum & quidem talem, vt indè sit secuturus fletus, & stridor dentium, significare videtur & locum illum clausum & profundissimum esse futurum, atque talem, totque malis & ærumnarum doloribus circumseptum, vt stridere dentibus, & perpetuas lacrymas emittere cogantur, qui ibi erunt; hoc verò non omni conueniet loco, etiam si extra cælestem lucem, & nuptialem illam cœnam sit.

7. *Infernalis ignis tenebrosus ex diuina virtute.*

Nec contra hoc quidquam facit, quòd in inferno sit futurus ignis; igni verò lux conuenit: nam illuminandi vis ab illo igne diuina virtute auferetur. audi Basil. prima expos. it. Psal. 28. *arbitror*, inquit, *quod ignis præparatus in supplicium diabolo, & angelis eius, dissecatur voce Domini, vt quoniam duæ sunt in igne facultates, vstoria & illuminatoria; Acris quidem & punitoria vis ignis permaneat apud eos, qui digni sunt, vt vrantur; illuminatoria verò, & splendida ipsius facultas ad exhilarandos beatos gaudio fruentes cedat.*

Erit tamen alicuius luminis, & cur.

Innocentius verò, hoc ipsum confirmat, dum ait: *ignis inferni semper ardebit, nunquam lucebit.* futurum tamen aliquid in inferno luminis ad maiorem pœnam docet Gregor. 9. Moral. super illud Iob. 9. vbi nullus ordo, &cæt. *flamma*, inquit, *comburit, sed nequaquam tenebras discutit: quamuis illic ignis & ad consolationem non lucet: & tamen vt magis torqueat ad aliquid lucet. nam sequaces quoque suos secum in tormento reprobi flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt: quatenus qui eorum vitam carnaliter, contra præcepta conditoris amauerunt; ipsorum quoque eos interitus in augmentum suæ damnationis affligat.*

8.

Cæterùm ex his non habemus certam aliquam huius locutionis rationem, quare tenebræ exteriores dictæ ad inferni supplicia significanda translatæ sint. Apud Villalp. inueni, tom. 3. prima part. appara. vrbis, ac templi. lib. 2. c. 8. quod fortasis satisfacere posit huic dubitationi. Primùm ergò animaduertit tenebrarum nomine carcerem compellari solitum in scripturis, vt Psalm. 106. 10. *sedentes*, seu habitantes (vtrumq; enim significat Hebræa vox, isbe,) *in tenebris & in vmbra mortis, vinctos in mendicitate, & ferro.* Item apud Isai. 49. 9. *vt diceres ijs qui vincti sunt, exite, & his, qui in tenebris, reuelamini.* Repetitio eiusdem facti est, quod de carcere educuntur vincti, & de tenebris eius ad libertatem, & lucem. & tanta est tenebrarum, & carceris similitudo, vt Sapientiæ 17. 2. de AEgyptiorum coercita arrogantia, sic dicatur: dum enim persuasum habent iniqui, posse dominari nationi sanctæ: vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt.

Tenebrarũ, nomine carcer in Scrip.

Et meritò (quod alij notant) vincula, & carcer nomine tenebrarum dicuntur. nam sicut qui est in vinculis vix se mouere potest, sic qui in tenebris. Deindè etiam carcer tenebricosus esse solet, quibus positis tenebras exteriores vocari putat Villalp. carcerem illũ, seu laqueum vt Scriptura loquitur, aut puteum tenebrosum, omni horrore, angustiaque refertum, qui in loco immundo erat olim extra ciuitatis Hierosolymitanæ pomœria, propè Caluariæ locum, & cadauerum vallem, & stercorum portam situm; in quem carcerem extremo, ac summo digni supplicio conijciebantur. quemque videre poteris apud ipsum in tertio tom. in vera Hierosolymæ veteris imagine, quod verò supplicij maximi loco carcer, & tenebræ habeantur, indicat psaltes Psal. 54. 5. 6. *formido mortis* (terrores mortiferi; en fletum) *cecidit super me. timor & tremor* (siue horror, & tremor; en stridorem dentium) *venerunt super me. contexerant me tenebræ*, ista est caussa, & quasi complementum horum & reliquorum malorum.

9. *Et vincula.*

Et quidem probabile est, vt adnotat idem Villalp. postremis temporibus morem secutos Romanorum Hebræos, summi supplicij genus excogitasse, quale refertur à Liuio Dec. 4. lib. 8. *vt in carcere*, inquit, *inter fures nocturnos vir clarissimus Scipio includatur, & in robore & tenebris exspiret.* Erat autem robur, vt tradit Festus *de verborum signi.* Locus in carcere, quo præcipitabatur quoddam malefactorum genus, quod antea arcis robustis includebatur. Talis apud Messenios, teste Liuio Decad. 4. li. 9. & Plutar. in Philopœmene: carcer fuit thesaurus nomine, locus sub terra quadrato saxo tam immanis, & sæuus, vt neque ventum, neque auram acciperet. & huic similis videtur fuisse custodia noxiorum Romana, quã barathrum vocabant, teste Plutar. in Mario, & Alexandro ab Alexandro lib. 3. gen. cap. 3.

10.

Robur qualis carcer.

Item thesaurus.

His simillima videtur fuisse Hierosolymitana custodia, quæ vocabatur Betiso, de qua agit idem Villalp. loc. cit. & in quam coniectũ putat ab Herode Diuum Petrum, vtpotè dignum extremo supplicio, cuius tenebras den-

11. *Betiso carcer Hierosolymitanus.*

sissimas significare videtur D.Lucas Act.12.7. *ecce Angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo carceris*, quasi nouum, & inauditum quidpiam, quod verò tenebræ illæ essent exteriores, id est, extra ciuitatem sitæ, ostendunt illa ver.10. *transeuntes primam, & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem*; & videtur ideò hic carcer præcipuè extra pomœria ciuitatis situs fuisse, ne scelera-torum afflatu fœdaretur ciuitas. In hunc ergò coniectum Petrum morti destinatum asserit idem auctor, & ex eo similitudinem ad inferni maximos, atque æternos cruciatus significandos apud Matth. duxisse Christum Dominum. In quem carcerem coniecti sontes tenebris, frigore, & nuditate, fame, siti, & perpetuo mortis timore torquebantur. & de his hactenùs.

12. *Inferni tenebræ insignes.*

Illud non prætermittam, inferno tribui tenebras non qualescunque, sed insignes sequentibus notis, ac caracteribus. Primùm tenebræ illæ primariæ dicendæ sunt, sicuti solis lux primaria est, & vt idem sol est primum illuminans, seu lucens, veluti mensura, & princeps causa luminis; sic & infernus est veluti primum tenebrosum; ibi enim regnat mors, ibi eius regia est; nam vt Sapient.1.14. dicitur, *nec est inferorum regnum in terra*, id est, supra terram, sed intra terræ viscera, ibi mors dominatur. Sicut verò Sol in mundo supra terram radios spargit, ita sub terra mors tenebris omnia replet, & operit. Hinc dæmonum potestas tenebrarum dicitur.

13. *Infernus miseriarum vniuersitas & mundus quidam.*

Deindè tenebræ illæ, (quæ est altera conditio) cum innumeris coniunctæ sunt miseriis, quę lucem per se auferre possent, quamuis clarissimam. hoc enim miseriarum esse propriù docet Psaltes, Psalm.37. 11. *cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum:* : futuram porrò in inferno miseriarum vniuersitatem, ac veluti mundum quendam ærumnarum explicat paucis, sed grauibus verbis Iob.20.22. *omnis*, inquit, *dolor irruet super eum.*

14. *Terra vmbrarum.*

Tertia, quia terra illa, infernus scilicet tenebrarum regio est tenebras gignens, vt dici solet terra auri, argenti, quia in ea, vt in proprijs locis aurum, vèl argentum nascitur, sic terra illa propriè tenebras producit, hæ in illa proueniunt. hinc Sapient.17.13. cùm loqueretur Spiritus S. de tenebris Aegypti, dicit illas ex inferno esse: *impotentem verè noctem, & ab infimis, & ab altissimis inferis superuenientem.* sicut cùm loca eructantia flammas, vel sulphur, dicimus vulcanos, vel ostia inferni; sic tenebras inde dicimus. Hinc Apocalyp.9.2. *aperuit puteũ abyssi, & ascẽdit fumus putei.* sicut enim quidquid est lucis in mundo, à Patre est luminum, ita quidquid est tenebrarum à rege & principe tenebrarum est.

15. *Infernitenebræ infames.*

Quartò, infames maximè sunt illæ tenebræ ob vmbras mortis, id est, ob horrifica mõstra, ac spectra oculis incurrentia, perpetuoq; obuersantia, incredibili atrocitate, & deformitate horrentia. Erit enim ibi tantum mœstissimæ lucis, quantum videri spectra illa queant. sic Sapient. 17. 4. *personæ tristes illis apparentes pauorem illis præstabant.* ita in inferno accidet.

A Audi Chrysost. *si cùm in carcerem quendam*, inquit, *ingressi sumus, atque alios squalore confectos, alios catenis vinctos, ac fame laborantes, alios tenebris clausos conspicimus, commouemur*, &c. *& nihil non facimus, ne in eum locum incidamus, ecquid facturi sumus cùm illuc trahemur?* id est, in infernum.

Adde & quintò illustres futuras tenebras illas confusione maxima, atque rerum omnium perturbatione: etenim *ibi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Erunt ibi collecta zizania & colligata in fasciculos ad comburendum, Ezech.24.9. sic dicitur, *væ ciuitati sanguinum, cuius ego grandem faciam pyram*, & Sapient.17.17. *vnâ catena tenebrarum omnes erant colligati:* vt cùm plures racemi diuersarum specierum in vnum coniiciuntur lacum, vel B torcular ad calcandum, est enim infernus iræ Dei torcular. Nihil etiam ibi à damnatis ordinatè fiet; inuersus erit ibi ordo naturæ, ignis non lucebit, frigus cum ardoribus, in ignium medio stridor dentium, & cæt. denique conglobata varij generis tormenta, mors, luctus, fames, sexcenta alia. vide Apocal.18.8.

16. *Et horrenda.*

17.

Denique celebres sunt illæ tenebræ ob insignem horrorem, & timorem, quem incutiũt ibi enim, vt Iob. ait ca.10. *sempiternus horror inhabitat*, in quæ sic Greg.lib.9. Moral.39. *in huius*, inquit, *vitæ tormentis, timor dolorem habet, dolor timorem nõ habet*, at ibi vtrumque. cùm enim illæ pœnæ æternæ, ideò semper quod tolerant pertimescunt. sed de æternitate earum alibi, si Deus dederit, dicendi locus. Nunc ad alia.

C

THEORIA II.

In ea verba: *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Vnde nam hæc in inferno nascantur?

L *In inferno caperit ignem etiam frigus.*

AN damnati non solum ardore, sed frigore etiam æterno crucientur, nõ æquè omnium vna est opinio. Et quidem aquam ibi vel niuem, seu gelu qui in inferno ponant vix aliquî sunt, verùm qui frigus non pauci: & verò eam esse communem sententiam affirmare videntur Dionys. in c.24. Iob. in v.19. & Soto D 4.dist.50. q.vnica.a.4. eam docent Hierony. & Bed. in præcitatum locum Iob, imò & Philippus Presbyter, vt c.4.l.huius dilucid. Euangel. in Scholiis ad ver.22. dictum est numero 87.

2.

Opinantur igitur Hieronym. & Philippus. hanc sententiam colligi ex Matt.8.12. & 22.13. & 24.51. & 25.30. & Luc. 13. 28. vbi mentio fit fletus & stridoris dentium; putant verò fletum ex igne & fumo, stridorem ex intolerabili frigore nasci. August. quoque lib. de triplici habitaculo, c.2. *duo*, inquit, *sunt principalia tormenta in inferno frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis*, quod confirmat ex loco Iobi. Et ad hæc duo frigus & ardorem ceteras pœnas reuocat. Quia verò non rarò legitur in Euangelio *Gehenna ignis*, Matth.5.22. & 18.9. Iacobi 3.6. duplicem proinde videntur Hieronym. & Philippus Gehennam distinguere,

ignis

ignis vnam, frigoris alteram, sicut retulimus lo.ci.in Scho.c.4.n.87. ita tamen id affirmant, vt ad vnam, eandemque causſam æterni scilicet ignis hos duos cruciatus, frigoris, & ardoris videantur reuocare. Nam Philippus sicut duas frigoris adustiones distinguit, sic & ignis: secundum quàm sententiam ignis inferni efficiet in damnatis cruciatum frigoris. Cæterùm Palud. in 4. dist. 50. q. 5. ab aqua & omnibus quatuor elementis sentit damnatos affligendos. idemque videtur Durandus opinari q. vnica.

3. Difficilè est velle alteram definire partem, dicam tamen breuiter quid sentiam; in primis ex loco illo Iob, nihil habere certi potest de hoc inferni frigore, de quo vix vllus alius scripturæ locus exstat, quæ semper ignis, & vix semel frigoris in torquendis impijs mentionem facit, & vt hinc incipiã hic locus Iob. (de quo multa Pineda) per modũ imprecandi legitur, *ad calorem nimium transeat.*

Impiorum inſtabilitas.

Deindè B. Greg. in Iob scribens, putat non designari hic pœnas inferni, sed impiorum in omnibus immoderationẽ, & inconstantiã, qui à frigore infidelitatis transeunt frequenter ad calorem hæresis, nec in infidelitate, nec in fide modum seruare scientes; quamuis hæc bona quidem, verùm allegorica expositio videatur. Denique esto de pœnis inferni intelligendus sit locus iste, non illicò sit, vt propterea opus sit, Gehennæ frigus admittere: sensus enim esset, quod sicut arida terra, nimiumque æstuans absorbet vehementer, atq; ebibit liquatas niues, sic infernus, eos qui peccauerũt. hunc sensum, lectio Hebræa continet; sic enim habet: *Æstus, id est, æstuans terra seu arida, & calor rapiũt aquas niuis: infernus, eos qui peccauerunt.* LXX. verò eundem sensum exprimere voluisse videntur sub alia translatione: sic enim vertunt: *sicut nebula roris factus est non apparens*, q. d. vt dissipatur à sole nimirum, nebula rorida momento temporis, & ros euanescit, sic impius Deo vindice absumitur.

4. *Infernus Hebraicè etiam sepulcbrum, vel mortem designat.*

Quartò, quamuis per *infernum* iuxtà interpretationem Hebræam, etiam sepulchrum, vel mors rectè intelligi possint; in quibus tamen, si æternum inferni suppliciũ, & Dei iram vindicem includi dixeris, næ tu benè senseris, & ad mentem LXX. magis; apud quos Gr. ἅδης vt quidam docti obseruant, nunquam pro sepulchro ponitur: imò & hoc poscit Germana loci huius sententia. & hunc in sensum exponẽda est, vulgatà lectio nostra, licèt nõ exprimatur nomen *inferni* in ea, nisi post sentẽtiam completam, sic enim habemus: *ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum illius.* est ergo sensus, absorbeantur & in nihilum redigantur impij, vt aqua à nimio calore, id est, ab ira Dei, & hîc, & ab inferno postea & morte vindice Deo absumpti, vt idẽ sit hoc, ac quod dixit Dauid, *vt fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei*; itaque cùm D. Iob, *ad nimium calorem transeat ab aquis niuium*, tale exitium imprecari videtur viro impio, quale niui afferre solet æstus: momento enim temporis liquescit, vt nihil pristini candoris, vel frigoris vestigium relinquat; significatur etiam & his, auidè exsorberi impium, exspectarique tanquam bolum suauissimum à sepulchro, seu morte, seu inferno; sicut leones illi Babylonici Daniel. 6. 24. qui impios cum filijs, & vxoribus vix in lacum missos arripuerunt illicò, auidissimeque absorbuerunt. sic profectò seol, sepulcrum, mors, infernus corripiunt impios.

5. Porrò noster Interpres vtitur verbo transeundi, sed hoc transitu non spontanea, & leuis aliqua significatur trãsitio; sed cum vi quadam, & quasi fraude, ac velut per insidias mortis, impios rapientis quod Pined. obseruat, vt hæc sit sententia: vt terra exæstuans, ac torrida, & calor, niuales absumunt aquas; ita infernus eos qui peccauerunt. Subditur: *& vsque ad inferos peccatum illius*, quod est veluti superioris imprecationis, aut correctio, aut amplificatio, quasi dicat, non solum temporali pœna, sed æterna quoque est afficiendus impius. Vel, vt sit clausula quædam, & finis præcedentis orationis hoc modo: Is tandem est peccatorum descensus ad inferos, & iter ad sepulchrum, extremumque supplicium: vel vt obstinata illorum mens significetur digna præcedentibus supplicijs, quasi dicat, his, inquam, digni sunt, qui ad mortem vsq; improbitati adhęrescunt, hæc secundùm nostrum Interpretem: nam secundùm Septuaginta, & Hebræam lectionem, hæc pars respondet sententiæ, ex qua conficitur altera similitudinis pars, scilicet æstus, & calor rapiunt aquas niuis, sic sepulchrum peccatores. nihil igitur locus iste probat. Alter verò locus qui afferri solet ad idem probandum ex fletu, & stridore dentium, quod nihil euincat, seu clarè ostendat, ex Scho. ad versiculũ duodecimũ, num. 17. Constat. Consule locum.

Sententia altera negãtium frigus.

6. Quare Abulen. Matt. 21. q. 558. Iansen. c. 45. concor. in hunc locum Matth. 8. Dominicus Sotus loc. cit. Maldon. Matth. 8. licèt non adeò præfractè, negare tamen videntur frigus hoc.

7. Quæ verò hactenùs dicta sunt, licèt ostendant vtramq; partem huius disputationis, vel quæ affirmat, vel quæ negat, tutam esse, pronior tamen sum, & procliuior ad affirmãtem partem, quam video præstantes Patres amplexatos fuisse. Scripturæ vero loca huic magis fauere videntur, quam negantium parti.

8. *In inferno innumera miseria.*

Postremò non ignoro, imò vt certissimum affirmo Patres innumeras miserias, & mala in vnum illum damnatorum locum coaceruasse. quare Cyrill. Alexandrinus orat. de exitu animæ; sic descriptionem inferni grauissimam claudit: *Acerbum in igne esse, & clamare, neque subueniri; insuperabiles fauces, immensus gurges; vbi incluſus quis, & detẽtus euadere, aut effugere nec queat*, custodiæ murus incuperabilis, vi nulla refringẽdæ catenæ, feri, & intractabiles flammæ ministri, graues illæ, quæ ad supplicium adhibentur, scuticæ; firmi vngues & infracti, prædura flagella, pix nebulosa, & strepitans, sulphur graue olens, atra cubilia, pyra semper ardens, fœdus & olens vermis, tetricum prætorium.

9. *Frigus & ardor infer*

Augustinus verò loco citato ad frigus, & ardorem ceteras pœnas sic reuocat: *de aquis*, inquit, *niuium transiliunt ad calorem nimium; de*

ui reliqua tormenta in se continent.

quibus duobus innumera pendent pœnarum genera, videlicet sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustiæ, pœna tenebrarum, sæueritas tortorum, præsentia Dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermium, vermis conscientiæ, ignitæ lacrymæ, suspiria miseriæ, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors æterna, pœna sine fine, absentia Christi quoad visionem eius, &c.

10. Verùm multa non reipsa, ibi sunt ex his quæ describunt Patres, sed ad summum cruciatum explicandum afferuntur. Cæterùm vt & reliqua consideremus, quæ de hac re in cõtrouersiam vocantur, & rem totam concludamus: de vermibus etiam dubitatum est, an re vera ibi sint, de quibus non vna est omnium sententia; qui melius sentire videntur; metaphoricè accipiunt. Contrà verò, qui sulphur in inferno locant (nam & sulphur etiam in cõtrouersiam venit) næ illi mihi multo melius sentire videntur, quàm qui inficiantur, de quibus lege Thyreum, cap. 26. nu. 19. & 65. sed de his hactenùs: nam quod dicatur Gehenna ignis; nihil facit pro priori sententia, in quam nos proniores esse diximus, nu. 7. neque enim significatur alia gehenna frigoris. Frequenter enim nomen *Gehennæ* absolutè ponitur; interdum per Hebraismum additur *ignis*, vt idem sit *gehenna ignis*, quod *gehenna ignita*.

Vermes an in inferno.

DIGRESSIO MORALIS.

De virtutibus Centurionis.

1. QVATVOR Centuriones commendat Scriptura noui Testamenti: Primus dictus est Cornelius Actor. 20. *religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua.* Secundus, Act. 27. qui D. Paulum à morte liberauit. De tertio scribit Matt. 27. in Christi passione exclamasse *verè filius Dei erat iste.* Quartus est, quem præ manibus habemus.

Quatuor Centuriones noui Testamenti.

2. De quo etiam Lucas cap. 7. qui nulli illorum videtur inferior, & verò etiam omnes superare. habet enim ea quæ Paulus ad Titum 2. requirit, *vt sobriè & iustè & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem.* Fuit enim pius in Deum, sobrius in se, iustus erga proximum, & hæc est miratus Iesus: vt hinc discas non admirari diuitias, non fastus suspicere, non dignitatibus, & honoribus trahi, sed humilitate, patientia, paupertate Christi ac sanctorum eius gloriari, & ita affici istis, vt imitari studeas.

Huius Centurionis optima vita.

Ergò sobriè vixit ob humilitatis, & prudentiæ virtutem, quibus se ornatum mirificè ostendit. De humilitate August. ser. 6. de verbis Domini: *dicendo*, inquit, *se indignum præstitit, dignum, non in cuius parietes, sed in cuius cor Christus intraret.*

3. Similis hac re Baptistæ videntur fuisse, qui dum indignum se iudicat, qui corrigiam calcamenti Christi soluat, dignus effectus est, qui Christum baptizaret; & manum Sacrosancto capiti imponeret. similis & Petro, qui dum Christo dixit: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*, Christi virtute in piscatorem hominum illicò euasit. similis Paulo, qui cum indignum se iudicet Apostoli nomine vocari; ab Ecclesia ita celebratur, vt si solùm Apostoli nomen audias, Paulum intelligas. Etenim verissimum illud est: *qui se humiliat, exaltabitur.*

Centurio similis Ioan. Baptistæ.

A

4. Et aduerte, quod alij quidem dicunt Christo de eo, Luc. 7. dignus est, cui hoc præstes; solus ipse de se testatur, ac prædicat, quod sit indignus, vt vel hinc discas de alijs benè sentire, de te presè, ac modestè, alios laudare cum res ipsa poscit, te ipsum subijcere.

4.

Sed merito quis hic quærat, cur Zacchæus gaudens susceperit Christum, Centurio verò recusauerit? quia nimirum ad Zacchæum Christus diuertit, vt hospes, quia ergò ministraturus erat illi Zacchæus, propterea gaudens excepit. Ad Centurionem porrò veniebat Christus, vt eius puerum sanitati restitueret, non vt sibi ministraretur, & exciperetur, vt hospes. idcircò indignum se iudicauit Centurio, qui in suas ædes tantam exciperet maiestatem: atque adeò absentem etiam illum sanare posse perindè atque præsentem declarare voluit, id caussæ fuit, vt ipsum domo excipere recusaret.

B

5. *Cur Zacheus gaudens Christum susceperit, Centurio recusauerit.*

De prudentia verò commendari maximè potest, quæ tanto in eo hic cernitur, vt quo mereretur quod petebat accipere, indignum se & professus, & arbitratus est. Deindè non minima ea laus prudentiæ eius fuit, quod cùm sciret sibi profuturum, non id quod in Christo ab incredulis videbatur, vt sapienter Hieronymus animaduertit. nimirum corporis tegmen, sed quòd latebat, diuinitatem scilicet illam, & vidit, & confessus est. Ad hæc prudenter maximè in eo se gessit, quòd vt misericordiam Dei in se experiretur, in alios se largum, benignum, ac beneficium ostendit: testantur enim Seniores de eo Synagogam illis ipsum exædificasse, testatur hic, seruum illi pretiosum fuisse. Quia ergò misericors fuit, misericordiam est consequutus, non sanitatem modò serui obtinens, sed sibi virtutum & cælestium donorum charismata. hæc de primo.

C

6. *Centurionis prudentia.*

Iustè quoque se gessit. Nam charitate illustris fuit, quod Synagogam ædificarit, quod Iudæorum gentem dilexerit, quod pro seruo rogarit. Hinc non mirum est, quod amaretur ab omnibus, vt missi ab eo Seniores declarant, non mirum, quod serui libenter illi obedirent, milites etiam vocati præsto adessent, moremq; gererent promptè, & alacriter. Testatur hoc ipse, dum ait; *dico huic vade, & vadit, & alij veni, & venit.*

D

7. *Iustitia.*

Discite hinc principes ciues vestros, ac proximos amare, vt ab illis vicissim amemini: Domini seruos vestros diligite, in pretio illos habetote, si vultis illos promptos, paratosque habere, ac dicto audientes.

8.

Discite hinc serui, Dominis obedire, vt illis tanto chariores sitis; duo à nobis exhibenda Domino, diligentia, & fidelitas, quæ si adsint, tunc fidelis, ac diligens seruus tanquam filius dominis esse debet.

Postremò se pium in Deum declarauit, id-

que

9. *Pietas.*

que maximè ob fidem, de qua veritas ipsa testatur, non inuenisse se tantam fidem in Israel. quàm magna porrò fuerit hinc intelliges.

10. *Fides magna quatuor modis.*

Etenim quatuor modis fides *magna* dici potest. Primùm quidem cum multa creduntur. nam qui plura credit maiorem dicitur fidem habere. Secundò magna dicitur ratione difficultatis, nam qui difficiliora credit, maiore ornatus sit fide necesse est. Hinc est q Apostoli *modicæ fidei* dicuntur, quia credebãt Christum quidem vigilantem posse mare pacare, non ita verò dormiẽtem, propterea *suscitauerunt eum.* Sic reguli fides, non magna fuit, dum dixit: *descende prius quàm moriatur filius meus*, quasi verò absens vitaque functum Christus non posset filium suscitare. Tertiò, magna est fides ratione signorum & argumentorum.

11. Etenim habet se fides cõtrario planè modo ac scientia: eo enim maior hæc est, quo plures habet, qui scit rationes & argumenta, quod secus est in fide.

12. Habent enim se signa, & argumenta in fide, vt in mutuo pignora, quo enim plura hæc poscuntur ab eo cui quidpiam mutuo datur, tanto minori fide dignus significatur. Quarè rectè Christus Dominus illud obiecit Regulo; *nisi signa & prodigia videritis, non creditis.*

13. Quartò, denique magna est fides, si firmitatem, & in credendo constantiam spectes; eo nomine Cananææ fides à Christo commendatur: *O mulier magna est fides tua.* Sic, qui tentatur, & impellitur quodam modo, vt à fide excidat, & persequutionibus agitatur, & nihilominus perstat, magnam se habere fidem non obscurè declarat, contra atque illi faciunt, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, quos meritò Paulus *infirmos in fide* nominat Roman. 14. 1. lege Tol. anno. 21. in hunc locum Luc.

14. His ergò omnibus modis magna fuit atque adeò illustris sancti Centurionis fides, multa enim credidit, quæ Iudæi de Christo nondum crediderant, credidit in primis Christum, suũ puerum paralysi laborantem, agentemque animam sanare posse, non, vt ille qui dixit Marci 9. de filio Dæmoniaco; *si quid potes, adiuua nos.* Credidit solo verbo hoc ipsum facere posse, non vt archisynagogus ille Matt. 9. *veni impone manum tuam super illam*, &c.

15. Credidit, quamuis absentem posse sanitatem reddere, non vt ille qui Ioann. 4. rogauit, *vt descenderet* Christus *priusquam moreretur filius eius*: neque vt ille Ioannis 11. *si fuisses hic, non fuisset mortuus frater meus.* Credidit, quod caput est, & omniũ superat admirationem, non quidem personarum Trinitatem, vt Hieron. sentit, sed Christi tamen diuinitatem. nam & Dominum vocat. hoc est, Deum hinc est, quod ait, vt iubeat modò, & certum omninò erit futurum, quod iusserit id, quod in sanctos non conuenit. Prætereà sub nullius ipsum esse potestate fatetur: sic enim ratiocinatur à minori ad maius: nam si ego, inquit, qui sub potestate sum alterius, iubeo, & illicò iussa fiunt; quanto tu magis, qui sub nullius es potestate? vides ne quam multa crediderit Centurio? Sed adhuc secundo, magna eius fides fuit ob difficillimarum rerum persuasionem. nam credere eum, qui extra homo apparebat, esse Deum, vel absentem, & solo verbo sanare posse id demum difficillimum est. Tertiò, quia minimè tunc signis nitebatur, neque illa ad credendum poscebat, & verò nondum Christus multa ediderat miracula; nec ipse studuerat vaticinijs de Christo, nec legi. erat enim gentilis, & miles, & Christũ percrebrescente fama nouerat, & credidit tamen Deum esse.

16. Postremò si rationem ducamus firmitatis, ac stabilitatis, etiã sic fides Centurionis magna procul dubio fiet. Tentauerat ipsum Christus, inquit Orig. ho. 5. in diuer. dum paratum se obtulit, domum eius adire, & cõfestim in viam se dedit per lata ad Centurionem aduentantis fama, quod suspicionem facere potuisset fortasis, non posse ipsum nisi coram præsens esset sanare. At non proindè cessit, vel titubauit Cẽturionis fides, *non sum*, inquit, *dignus vt intres sub tectum meum*, nec verò tibi necesse est, qui cœlũ & vniuersa, quæ cœli ambitu continentur verbo condidisti, Ergo dic verbo, *& sanabitur puer meus.* Eodem modò tentare voluit Deus Abraham, cùm filium mandauit occidi, in quo erat promissio, vt tantò illustrior eius esset fides, quantò firmior, & argumentis in speciem contrarijs minus succumbens. Sic Cananææ fidem probatio magnam declarauit: *O mulier magna est fides tua.*

17. *Quomodo eius fides separauit aliorum Iudæorum fidem.*

Cæterùm hæc Centurionis fides etiam virtutum vallata præsidio fuit, ardens charitate, humilitate sublimis, deuotione grata cæterisq; virtutibus tanquam fulgentibus, ac pretiosis lapidibus ornata. Sed illud est, quod dubitationem non paruam affert. quo modò tantam fidem in Israele non reperiri affirmet Christus, cum eo in populo plurimi fuerint viri, vt sanitate insignes, ita fide præstantes? sed facilè fortasis sopiri poterit hæc dubitatio si de Israeliticis illis, hæc Christi verba intelligas quos repererat, & quibus concionabatur, quippè miracula ab eo fieri petierant. ex hoc numero excluduntur Patriarchæ illi, ac Patres Israelitarũ excludũtur, qui post hoc tempus in Christum crediderunt; excluditur, & Ioan. Bapt. neq;. n. Christi prędicatione credidit. verisimum igitur est, non inueniisse ipsum in Israelitica gente connumeratis etiam discipulis tantam fidem. Centurio namque saltem aliquo ex dictis quatuor modis, fide excesit omnes, licèt non omnes omnibus simul quatuor illis modis. Discipulis enim de quibus maior esse potest dubitatio, hoc saltem vno superauit, quod minoribus, paucioribusque signis credidit. Denique, vt vno verbo dicam reliquos omnes (de quibus dixi hic esse sermonem) proportione longè post se reliquit. nam cùm gentilis esset, tam multa, tam incredibilia hominũ iudicio, tam difficillia, dicam vno verbo, diuinitatem Christi firmissimè tenuit, ac sibi diuina luce illustratus persuasit.

18. An verò leprosi fides maior fuerit, quamuis Chrisosto. hom. 27. affirmare videatur, negat Card. Tolet. adnot. 23. in c. 7. Luc. quod est mihi verius, & Christi verbis magis consentaneum videtur. Sequitur Caput decimum.

CAPVT X.

VIDVÆ FILIVM IVXTA NAIM SVSCITAT, IOANNIS DISCIPVLOS ERVDIT, quos è carcere ad eum miserat, & Iudæos illius verbis insultantes confutat.

A. 1. 2. C. 7. 11.

1. C. Et factum est: deinceps ibat in ciuitatem quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa.
2. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ, & hæc vidua erat; & turba ciuitatis multa cum illa.
3. Quam cùm vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.
4. Et accessit & tetigit loculum; hi autem qui portabant steterunt, & ait: Adolescens tibi dico, surge.
5. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ.
6. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum dicentes: quia Propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam.
7. Et exijt hic sermo in vniuersam Iudæā de eo in omnem circa regionem.
8. Et nunciauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his.
9. A. Ioannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi mittens duos de discipulis suis.

C. Et connouit duos de discipulis suis Ioannes & misit ad Iesum.

10. Ait illis: Tu es qui venturus es: an alium expectamus.
11. C. Cùm autem venissent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?
12. (In ipsa autem hora multos curauit à languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum.)
13. Et respondens dixit illis: euntes, renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis: quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.
14. Et beatus est quicunque non fuerit scandalizatus in me.
15. Et cùm discessissent nuntij Ioannis: cœpit de Ioanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre? A arundinem vento agitatam.
16. Sed quid existis videre? hominē mollibus vestimentis indutum? ecce qui in veste pretiosa sunt, & delicijs, in domibus regum sunt.

A. Qui mollibus vestiuntur.

17. Sed quid existis videre? Prophetam? vtique dico vobis, & plus quàm Prophetam.
18. Hic est de quo scriptum est: ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.
19. Dico enim vobis: maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista nemo est: qui autem minor est in regno Dei, maior est illo. B
20. A. A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

A. Amen dico vobis non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.

21. Omnes enim Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetarunt.
22. Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est.
23. Qui habet aures audiendi audiat.
24. C. Et omnis populus audiens, & Publicani iustificauerunt Deum baptizati baptismo Ioannis.
25. Pharisæi autem, & legisperiti consilium Dei spreuerunt in semetipsos non baptizati ab eo.
26. Ait autem Dominus: cui ergo dicam similes homines generationis huius, & cui similes sunt? C

A. Cui autem similem existimabo generationem istam.

27. Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem, & dicentibus: cantauimus vobis tibijs, & non saltastis: lamentauimus vobis & non plorastis.

A. Quidammodo generationi quibus dicant.

28. Venit enim Ioannes Baptista neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: dæmonium habet.

A. Neque manducans, neque bibens.

29. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: ecce homo deuorator, & bibens vinum amicus publicanorum & peccatorum. D
30. Et iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis.
31. Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius: quia non egissent pœnitentiam.
32. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.

Idem vel simile Luc. 10.

33. Verumtamen dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij quā vobis.
34. Et tu Capharnaum nunquid vsque in cœlum exaltaberis? vsque in infernum

Digitized by Google

num descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque in hunc diem.

35. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quàm tibi.

SCHOLIA.

1. ORDO poscit, vt non sanitatem pueri Centurionis, filij viduę suscitationem deinceps collocemus; quod indicat vox illa Lucæ, *deinceps*. In quibusdam græcis legitur ἐν τῇ ἑξῆς, id est, *in die deinceps*, articulus enim. τῇ, indicat ἡμέραν, id est, quę subintelligi debere, ἑξῆς verò significat idem, quod deinceps, quasi dicat, in die deinceps, i. post sequenti. Syriacè habetur, & factum est postero die. Vndè constat miraculum hoc esse factum consequenti die à miraculo sanati pueri Centurionis. Inter. videtur legisse ἐν τῷ ἑξῆς. i ἐν τῷ καιρῷ ἑξῆς, id est, in sequenti tempore posteà, seu deinceps. Solus Luc. huius miraculi meminit.

1. *Ibat Iesus*] diceret aliquis, (quod Gregor. Nysse. de hominis opificio cap. 25. vel 26. significat) de puero Centurionis quod moriturus non erat, vt igitur temerariam linguam compesceret, obuiam fit defuncto.

2. Naim ciuitas vbi sita. *In ciuitatem quæ vocatur Naim*] est ciuitas Galilææ, non longè à Capharnaum, duobus miliaribus à monte Thabor contra meridiem distans ad radicem montis Hermon. sic Hieronym. l. de locis Hebraicis. & in epithaphio Paulæ ad Eustochium. Borchar. 1. p. c. 6. §. 11. nominat vrbem, vel ciuitatem, licèt non ita magna fuerit, sic enim ait: *à Nazaret duabus leucis, à Thabor plus vna leuca, contra Austrum est mons Hermon minor, in cuius latere aquilonari est vrbs Naim*. significat vox hæc Heb. pulcram.

3. *Ibant cum eo discipuli eius*] Græcè additur *πανοὶ ἱκανοί sufficientes*, id est, multi. quod ideò dicitur, vt tanti miraculi multos fuisse testes intelligamus. Noli igitur discipulos, solos Apostolos interpretari

2. *Ecce defunctus*] non casu id factum, sed Christi consilio; tunc enim venit, cùm sciebat mortuum efferendum, vel certè id effecit ipse mouendo hominum animos, vt tunc eum afferrent, cùm ipse ad vrbem appropinquaret. Aduerte tres causas, cur fidelium corpora meritò, ac piè sepulturæ committantur. prima est August. 1. ciuit. c. 13. *non contemnenda sunt*, ait, *corpora defunctorum, maximeq; iustorum, ac fidelium quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona opera, Sanctus Spiritus vsus est*. *Secunda, vt mors reuocetur ad memoriam*, Eccl. 38. 23. *memor esto iudicij mei. sic enim erit & tuum, mihi heri, & tibi hodie*. sepulchra mortuorum monumenta sunt viuorum, monent enim nos morituros esse. Tertia est D. Thom. 4. d. 45. quæst. 2. a. 3. ad tertiam quæstionem. *Sepultura*, ait, *spiritualiter prodest viuis, in quantum per hoc astruitur fides resurrectionis*.

Tres causæ cur fidelium corpora honestè sepeliantur.

Efferebatur] scilicet extra ciuitatem sepeliendus iuxta morem Hebr.

Vnicus] Græcè μονογενὴς, vnigenitus. *Turba ciuitatis multa cum illa*] Indicant hæc, nobilem, ac diuitem fuisse.

4. Quinque circumstantiæ huius defuncti. Quinque minimum circumstantias defuncti Lucas describit, vt declaret non sine causa Christum commiseratione motum. Primum non filia, sed filius erat, qui solet charior esse; deindè quod vnigenitus. ad hæc quod mater erat, quæ eum amiserat & flens prosequebatur: tenerius verò amant matres, quàm patres. his accedit, & quod adolescens, seu iuuenis esset, non paruulus. Denique quod mater vidua, sine spe ex nouo saltem marito filios habendi. Hinc Greg. Nyssen. l. de hominis opificio c. 25. vel 26. *partus*, inquit, *extiterat viduæ singularis, solum hunc in lucem cùm ederet, in doloribus nouerat, solum suis lactauerat vberibus. Quidquid oculis matris dulce, pretiosumq; fuberat solus vnicus efferebat, stirps videbatur generis, ramusculus successionis, baculus senectutis*.

3. *Misericordia motus*] Misertus est Dominus corde primùm: *misericordia*, inquit Lucas, *motus*. deindè ore, ac verbis, ait enim viduæ: *noli flere*, deindè opere, *dedit filium matri redituum*. Porrò vt Centurionis fides sanitatem puero impetrauit, sic lacrymæ viduæ matris impetrarunt filio vitam, inquit Ambr.

Super eam] Hebr. scilicet propter eam. *Noli flere*] prohibetur ait idem Ambro. eum cui resurrectio debebatur flere. Neque verò hæc verba à Christo dicta sunt, vt à nobis dici solent, dum solamur alios. neq; enim causam doloris auferùt, vt à nobis dicta, sed hic à Christo prolata significant omninò causam fletus iam iam auferendam in vitam reuocato filio. Non prohibuit lacrymas super mortuum fundere, quasi malum id esset. nam licèt flere ob charorum mortem; moderatè tamen Ecclesiast. 22. *Super mortuum plora; defecit enim lux eius*, & 38. *in mortuum produc lacrymas*. sed duo docere voluit. primum ob resurrectionis spem mortem amicorum non immoderate deflendam. Idem Thessal. 4. monet D. Paulus: *nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent*. Deindè quod iam iam defunctus in vitam reuocandus esset, hoc præsertim significare voluit.

Vera misericordia in operibus cõsistit, non in verbis.

4. *Accessit & tetigit*] vera misericordia non verbo solo constat, sed & opere, tactu ipso, portatoribus, vt sisterent significauit. Et vide Christi clementiam non expectauit preces, sed mœrenti nec tamen poscenti ope & auxilio subuenit.

Hunc tantum mortuum excitasse legimus Christum sola misericordia commotum, nulliusque precibus compellatum: & is filius erat viduæ, id quod demonstrat viduarum Deum maximè consolatorem esse, earumque lacrymis maximè commoueri. Sic 3. Reg. 17. solius viduæ filium suscitauit Helias, & 4. Reg. 4. Elisæus viduæ inopiam olei miraculo multiplicati subleuauit. Sic Petrus Act. 9. viduarum precibus flexus Doreadem reuocauit ad vitam. vt hinc discamus viduis, ac omni penè ope destitutis adesse.

Loculum] *posteaquam*, inquit Ambros. *lignum Christus tetigit, proficere cœpit ad vitam*; nempè salus est per crucis patibulum refusa, & hæc est causa spiritualis, cur Christus tangere voluit loculum. Vera ac literalis est. ex D. Bonauen. vt sisterent portitores, nec vlterius pergerent in monumentum defunctum inferre; velle enim se ad vitam reuocare, ac detinere, ne terræ committatur. Aduertè Christum verbo, non tactu mortuum suscitasse, immò verò, mortuum, ne tetigit quidem; quamuis si tetigisset nequaquam immundus ipse fuisset redditus.

Discrimen inter Eliæũ & Christũ.

Adolescens tibi dico] præcipio. Non sic Elias, & Elisæus vitam mortuis restituerunt, expandit se ille, atque mensus est super puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum 3. Reg. 17. hic item orauit ad Dominũ, & incubuit super puerũ 4. Re. 4 at Christ⁹ iussu adolescentẽ, velut è somno excitat à morte, nec mirũ quia Deus illi homines. Mortuis porrò imperare & vt ad vitam redeant solũ imperãdo facere, solius Dei est: propterea nõ fuit cõtentus dixisse, *surge*; sed ꝑmisit imperij verba. Igitur tactu virtutem aliquo modo carnis suæ mysti-

cè decla-

cè declarauit; imperio diuinitatem cui caro vnita erat significauit. Vox verò diuinitatis latentis, & per illam operantis indicium erat.

Quæ ad allegoriam pertinent vide apud Ambr. hic Augustinum serm. 44. de Verbis Domini, & Theophylum Alex. lib. 3. de Allegorijs. Porrò quid tres mortui à Christo suscitati mysticè significent serm. eodem 44. de Verb. Domini, & lib. 1. de serm. Domini in monte. c. 23. tradit Augustinus, & Greg. in Psal. 5. pœnitentialem.

8. 6. *Timor*] videtur hic timor significare quandam cordis reuerentiam erga Deum; qua, dum cognoscimus præpotentem Dei virtutem, ac maiestatem supra nos, ei nos subdimus, ac submittimus. nascebatur porrò hic timor ex stupore tantæ potentiæ, & hoc est primum, quod natum est ex patrato miraculo. Alterum verò sequitur.

Et magnificabant Deum] ex reuerentia cordis profecta est laus oris, & quidem non vulgaris. Gr. ἐδόξαζον, glorificabant; nempè opera Dei magna, & præclara prædicabant, quod faciebant dicendo sequentia.

9. *Quia Propheta magnus*] profitebantur Deum misisse ad eos illum Propheram, qui prædicebatur Deut. 18. venturus (vt quidem illi Iudæi putabant, vt de illis testatur Orig. in Io. Euseb. lib. 9. demon. c. 11. Sic Chryso. Cyril. Theoph. Euthy. quos etiam Barradius citat. tom. 2. l. 2. cap. 13. in illa, *Propheta es tu?*) venturus inquam ante Messiam; *Prophetam suscitabit vobis Dominus.* quamuis is Propheta non alius esset, quam ipsemet Messias. Non igitur hic *Propheta* significat Messiam, quod tamen Eschius hom. de laud. B. V. sentire videtur: sed Prophetam illum magnum, quem opinabantur Iudæi præcessurum Messiæ aduentum: Collegerunt autem Iudæi ex tam admirando opere, præsertim, quia animaduertebant Messiæ tempus iam imminere, Christum esse illum Prophetam.

Et quia Deus visitauit] *quia*, tam hic, quàm supra, non causæ sed declarandi vim habet, pro, quod, Idem autem est hic, Deum visitasse plebem, quod tanto Propheta misso populum beneficio affecisse.

10. *Triplex peccatorum genus.* Notat hic Iansc. in tribus præcedentibus miraculis sc. leprosi, pueri Paralytici, & huius adolescentis mortui, Quorum primus per se accedens & rogans, Alter aliorum precibus sanitatem obtinuit. Tertius non nisi lacrymis multorum ad vitam reuocatus est; in his inquam triplex peccatorũ genus designari. nam sunt, qui vitam quidem habent malis operibus cõmaculatam, sed non omninò ita malam, vt non possint ipsi ad Christum accedere, & pijs precibus sanitatem impetrare. Sunt & alij, qui ita animæ viribus paralyticorũ more destituti sunt, vt vix valeant ipsi ad Christum accedere, sui tamen morbi magnitudinem, grauitatemq; sentientes, aliorum suffragia apud Dominum habere contendunt, vt sint, qui pro ipsis deprecentur, & sanitatem assequũtur Dei auxilio præuenti, illiq; cooperantes. Sunt deniq;, qui iam velut mortui nullũ peccati sui sensum habent, & hi vt ad vitam reuocentur iam non solum piorum precibus, sed & lacrymis egent.

7 *Et exijt hic sermo*] rumor, seu factũ. hoc aũt est tertiũ, quod cõsequutum fuit ex miraculo. Percrebuit porrò facti rumor, non per Galilæam modò, sed etiam Iudeã inuasit, & ad regiones circumpositas peruenit, in quibus gentes habitabant, puta Sydonij, & alij. Sunt tamen qui per Iudæam totam terrã promissionis intelligãt, vt sci. etiam Galilæã comprehendat in qua erat ciuitas Naim. Sic Iansc.

11. 9. A. *Ioannes autem*] Ex Luca constare videtur, legationem hanc Ioannis, missionemue discipulorum eius subiungendam actioni precedentis miraculi. Id. n. mihi significant verba illa Lucæ, quæ hic habentur. v. 8. *& nunciauerunt Ioanni* (erat autem is in carcerem mãcheruntem, vt volunt quidam, coniectus) *discipuli eius de omnibus his.* Statimque subditur, apud Lucam, *& conuocauit duos de discipulis suis Ioannes, & misit ad Iesum.*

Porrò missio discipulorum Io. sicut & eiusdem mors antegressa sunt Apostolorum missionem; id quod non modò hoc, sed capita sequentia clarius ostendent.

12. *Ioannes Baptist. an de Christo.* 10. *Tu es qui venturus es*] Non ait, an tu venturus es, sed an sit ille venturus, *an vero alium expectamus*, id est, expectare debemus. Quis nõ miretur hanc Ioan. legationem? Interrogat, an sit Iesus qui venturus est, an verò alius sit expectandus. Videri credat aliquis subdubitasse Ioa. Christi præcursorem, an ipse Messias esset, nec ne. Atqui temeritatis si ita est, crimini obnoxius est Io. si eum prædicat, quem nescit. Aut certè perfidiæ vitium, non aufugiet, si dubitat de eo, quem aliquando cognouit reuelante Deo. Multa hic olim Patres; vt plurimum, quę verior tunc videbatur opinio, erat Ambrosij in c. 7. Luc. quamuis sensum spiritualem prius alium huius loci sequendum censuerit. Bedæ, Hierony. Matth. 11. qui etiam epistol. 151. ad Alga. de eare agit, Greg. ho. 1. in Ezech. & ho. 6. in Euang. interrogasse Io. num Christus per se ipsum esset moriturus & ad inferos venturus, vt intelligeret, sciretne num illum etiam inferis venturum nunciare deberet, quem terris venisse nunciauerat. Cùm enim interroget an venturus, videtur de futuro aliquo eius aduentu Ioannes interrogasse: Alioquin quorsum quærit num venturus sit, quẽ iam venisse sciebat? hanc opinionem Chrysost. ho. 37. & Theophy. in Commen. confutant. Nam quomodo mortem Christi & ad inferos descensum ignorare Ioannes poterat, quæ nemo tum Propheta, nemo qui veterum Prophetarum libros volutasset, vel vaticinia audisset, ignorabat? an statim oblitus est eius quod dixerat, *ecce Agnus Dei?* Certè ideò Agn⁹, quia Deo Patri pro peccatis mundi sacrificandus. Non ergo moriturum dubitare potuit. D. certè Grego. saltem clarè non affirmat dubitasse num moriturus esset, sed an descensurus per se ad limbum, locaque Sanctorum Patrum.

Nec quicquam pro hac sententia facit, vel memorari nos debet vox illa, *venturus*, Gr. enim habetur ὁ ἐρχόμενος ille venturus, q. d. nam sit ille venturus, videlicet à Prophetis prædictus.

13. *Ioannis prudentia in mittendis discipulis.* Veram igitur opinionem esse hanc reor. cùm Io. morti esse se proximum videret, & percrebuisset recens miraculorum Christi fama, discipulos suos dubitantes de Christo, an ipse esset Messias, misit ad illum, vt qui sibi non crediderant, miris eius operibus, & efficacitate sermonis & præsentiæ maiestate crederent. Misit autem quasi dubitans, vt tanto promptius auderent Christum interrogare tanquam Ioannis nuncij & eius nomine missi. Medicus enim interdum ægrotum se fingit, vt ægrotũ sanet, quod præsertim in spirituali medico verum est: quod declarauit Paulus cùm dixit: *quis infirmatur, & ego non infirmor?* 2. Cor. 11. 29. Cæterum, quamuis Io. se Christo minorẽ profiteretur, illumque sibi coram omnibus præferret: putabant tamẽ eius discipuli illum modestia id non veritate dicere. Sic præceptorem suum amabant, vndè illa æmulatio Ioan. 3. 26. *Rabbi qui erat tecum trans Iordanem* &c. hic sanè sensus præter quam quod est Hilar. Chrysost. Authoris imper. Cyrilli Alex. l. 2. Thesauri. c. 4. & aliorum confirmatur etiam, & ex hoc versu 9. vbi assignatur ratio legationis, *cùm audisset Ioann. opera*, i. miracula *Christi mittes duos* &c. vel vt inquit Lu. cõuocauit duos de discipulis suis & misit ad Iesũ. Numquid Christi miracula ancipitẽ, dubiũq; reddere poterãt Ioann. qui sine

miracu-

miraculis non crediderat modo ipse, verùm etiam tot præclaris testimonijs Messiam publicè prædicarat? mittuntur ergò ab illo discipuli, vt visis miraculis desinant tandem de Christo dubitare.

Potest id autoritate Cyril. ac B. Hierony. corroborari. ille l. 2. Thesaur. ca. 4. sic scriptum reliquit quando Io. Prophetico spiritu, quo repletus erat ex vtero matris suæ, nudũ iam imminere sibi gladium vidit; voluit discipulos suos in fide Christi confirmare, apteque docere, vt scirent, qui ad salutem omnium expectabatur. Hieronym. verò epist. 151. ad Alga. q. 1. sic scribit: *Ioannes mittebat discipulos, vt sibi quærens, illis disceret,* & idem hic, hoc est, in Matth. 11. initio *quomodo,* inquit, *Saluator interrogat vbi sit positus Lazarus,* Io. 11. *vt qui locum sepulchri indicabant; saltem sic pararentur ad fidem, & viderent mortuum resurgentem. sic & Ioan. interficiendus ab Herode discipulos suos mittit Christum, vt per hanc occasionem videntes signa, ac virtutes, crederent in eum, & magistro interrogante sibi discerent.*

14. Illud obserua non ostendisse se verè dubium discipulis, sed voluisse ac mandasse, vt dubitationem, quàm illi habebant nomine suo eximendã à Christo proponerent, vt tantò id hilarius, ac promptius efficerent. & verò sciebat non solum nihil indè scandali, sed magnam quoque vtilitatem, agente, ac respondente Christo, consecuturam, ad discipulorum ànimos in Christi fide stabiliendos.

15. 12. *Plagis*] Plagas, cruciatus interpretatur Eman. in notis. Græc. flagellis. Toletus eprosorum, aliorumque apostematibus laborantium plagas intelligit. cæcos verò multos; varijs, ac multiplicibus modis visu priuatos, interpretatur: quos proindè intellige fuisse multos, quod Euangelista quoque significare voluit.

13. *Quæ audistis*] scilicet miracula, quæ à me facta esse de his, qui viderunt didicistis, & audistis, præsertim de suscitatione adolescentis.

16. *Christum facis & non verbis respondet, & c.* *Vidistis*] quę vos ipsi præsentes conspexistis. Sed cur factis, nõ verbis se Christũ esse, respondit? Primùm ne turbis præsentibus palam nuntiaret se Christum esse, atque ita occasionem præberet Iudæis, vt ante præstitutum tempus ipsum persequerẽtur. Itemque vt Ioan. ipse testimonium redderet de Christo relatis à discipulis & auditis miraculis Christi, quibus iã demonstrare facilè poterat ipsũ esse Messiam iuxta Prophetarũ vaticinia. Tertiò, vt inquit Chrys. & Rup. voluit Christus homines incredulos ad fidem trahere, fidemque illis persuadere non verbis, sed factis iuxta illud Io. 5. 36. & c. 10. 37. 38. & c. 15. 24. 40. simul etiam modestiæ exemplum præbere voluit, dum non verbo, sed re ipsa ostendit se Messiam: Samaritanæ verò mulieri se Christum esse aperuit, quia facilè illam crediturã nouerat verbis ipsius. Denique maximè ad Christi mentem Chrysost. addit. in ho. 37. in Matt. miraculis voluisse Christum; vt discerent discipuli Ioa. id quod interrogauerant, quia testimonium quod à rebus trahitur certius & credibilius est, & absque vlla suspicione, vt Interl. habet: *cessent,* inquit Christus, *verba, loquantur opera:* igitur quia prędictum erat his signis dignoscendum venturum Messiam, dum hæc se facere Christus demonstrat rebus ipsis loquẽtibus credibilius ac certius Ioannis interrogationi satis facit.

Cæci vident] Græcè ἀναβλέπουσι, id est, visum recipiunt. *Pauperes Euangelizantur*] Gr. εὐαγγελίζονται. id est, Euangelium audiũt, recipiunt, docentur, vt Isai. 61. prædictum fuerat q. d. pauperibus prædicatur Euang. iuxta vaticinia, & illis eisdem regnum cœlorum promittitur: quo quidem quod lętius, aut illustrius etiã audiri poterat? aduẽtasse nimirũ tẽpus, quo iã pauperes reges fieri inciperent.

A Per hæc ergò miracula, qua prædicta erant à Prophetis tanquam facienda à venturo Messia. Respõdit Ioanni, quia ista erant signa, & notæ indicantes se esse Messiam; lege Isai. 35. 5. 6.

17. *Miracula notæ sunt per quas Messias cognoscendus.*

Iustinus in dialo. cum Tryphone probat ex locõ Isai. Christi aduentum contra Iudæos, quasi ea fecerit, quæ eum effecturum Prophetæ prænunciauerant. usit ergò Christus discipulis, vt magistro suo referrent, vel quæ viderant, vel quę audierant, non propter ipsummet magistrum, sed propter discipulos, vt Ioannes nactus hanc occasionem adducto Prophetarum testimonio eos planè conuinceret, ac Christi fidem plenè doceret.

Dices Isaiam etiam meminisse mutorum. Respõdeo non omninò distinctè referre Euangelistas an aliquis omninò mutus inter istos sanatus fuerit: credibile tamen est aliquos etiam mutos sanitati fuisse restitutos, & fortè aliquibus ex ijs, qui spiritibus immundis eiectis curati fuerant auditus restitutus est. Nec incredibile mutos esse connumeratos inter illos, quos rumore, ac certa fama audierant curatos esse à Christo, quod verò dicitur *mortui resurgunt,* non est necesse, vt speciatim fuerit hoc prædictum ab aliquo Propheta, satis est Prophetas significasse, admiranda planè opera Christum editurum. Nam locus ille Isaiæ c. 26. 19. etiam ab Aug. l. 20. de ciuit. cap. 21. commemoratus multò melio generali resurrectione exponitur. Aliter sentire scio Card. Tol. ann. 37. sed Aug. magis hæreo. Licèt verò nullos discipulis Io. præsentibus ad vitam mortuos reuocarit Christus, audisse tamẽ suscitati adolescentis famam non est dubitandũ, cùm ea ad plures dimanarit populos.

18.

B

14. *Scandalizatus in me*] Erat Christus petra scandali, lapis offensionis Isa. 14. Ro. 9. 33. *positus in ruinam,* Luc. 2. 34. sed non credentibus; credentibus verò lapis erat summus & c. 1. Petri. 2. 6. 7.

C Scandalizari porrò intelligit eum qui humili conuersatione Christi, vel abiectione offendebatur; Quarè occultè notat discipulos Ioannis, vt Hieron. epist. 151. ad Alga. q. 1 & Beda obseruarunt, simul ostendens se illorum corda nosse, vt inquit Cyrill. ostendit quoque eos futuros beatos, qui mortis eius ignominia conspecta non fuerint in eo scandalizati; quare tacitè suæ mortis, etiam crucis hic meminit.

19. *Quinam in Christo scandalizentur.*

15. *Et cùm discessissent nuntij*] quare non ante. ex Chrysostomo, & Euthym. ne Ioannem coram eius discipulis per adulationem laudare videretur; & ne blandientis verba putarentur. Iterum adde illis abeuntibus cœpisse Christum.

20.

D *De Ioanne dicere*] ex Interl. ne turbæ Ioannem liuore motum suspicarentur, ad eam legationem instituendam; vt scirent etiam eum non sibi quæsisse, sed discipulis. Cyrillus quoque: *cognoscebat,* inquit, *aliquos dicturos; si Ioannes ignorat, quomodo eum ostendit dicens: ecce Agnus Dei?* quarè, vt rectè notat Chrysostomus in homilia, declarat se rectè nosse eorum cordis occulta; nec durè loquitur, quia ex ignorantia peccabant.

Ad turbas] Interl. scilicet, *quæ nesciebant mysterium interrogationis eius.*

Quid existis in desertum] Alludit ad id quod dictum erat Matth. 3. 5. *tunc exibat ad eum Hierosolyma.* sic Lucas 3. 7. *Dicebat ergò ad turbas, quæ exibant, vt baptizarentur.* Est ergò sensus: non est quod vos pœniteat, quod in desertum exieritis ad Ioannem, tanquam ad hominem sanctum quasi repentè nunc in alterum sit mutatus. Non est Ioannes homo leuis, & similis arundini, qui sententiam temerè mutauerit.

16. *Hominem mollibus vestimentis*] id est, splendidis & pretiosis vestibus indutum. *Hominem* inquit Interl. *qui vana gloria ductus lucra quærat pro*

21.

dapibus, vel vestibus, qui locustis viuit, & pilis Camelorum induitur.

Mollibus] per, *mollibus indutos*, significare videtur, in delitijs viuentes Chrysost. mollis inquit vestis dissoluit rigidam animam. Certè qui splendidis vestibus, & mollibus vtuntur, delitijs diffluunt, & huiusmodi facilè mutantur, vt laudes, vel honores, vel lucra, vel voluptates acquirant & consectentur. At qui rigidam sectantur vitam, veritatem omnibus præferunt.

In veste pretiosa] Græcè ἐν ἱματισμῷ ἐνδόξῳ, *est autem* ἱματισμός *non vestis*, inquit Gagnæ. *sed vestitus & cultus, quod Latini etiam vestiarium dicunt.* ἐνδόξῳ, id est, splendido, glorioso. Itaque hic vestis pro vestitu, seu cultu ponitur vestium. Gregor. in hom. *si in studio pretiosarum vestium culpa non esset, non laudasset Dominus Ioannem de vestimenti austeritate.* Augustinus 3. de doctrina Christiana capite 12. *in talibus non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est.* Itaque laudat Christus Ioannem à vitæ Sanctitate, à cõrinentia, ab austeritate, non tantum vt eum constantem ostendat, sed etiam ne suspicarentur turbæ ob malum aliquod in carcerem esse coniectum.

In domibus Regum sunt] interl. vbi aliquid venentur. Græcè pro *domibus* est, βασιλείοις, id est, *Palatijs Regum sunt*] versari solent.

22. *Tertulliani absurda sententia de Ioan. Bapt.*

17. *Prophetam*] Fugienda hic omninò tanquã scopulus Tertulliani sententia l. de Baptismo c. 10. & l. 4. contra Marcio. c. 18. spiritu Prophetiæ iam destitutum Ioannem dubitasse ipsum venisse, quẽ expectabant. Absit à cordibus nostris tam absurdus error, quem vel hæc Christi verba satis iugulant. Ioannes Propheta fuit, quia absentem Christum, id est, antequam docendo, & miracula edendo manifestum se faceret prænuntiauit. *Plusquam Propheta* vero, quia Christi Præcursor, regni cœlorum Prædicator, Baptismi institutor, Angelus Dei, præsertim vero, quia non tantum venturum prædixit Christum, sed etiam digito demonstrauit. Sic Grego. quod & habet Interl. Addit Hieron. ad priuilegiũ Prophetale accessisse baptismi præmium, vt suum Dominum baptizaret.

Cùm autem dicimus venturum prædixisse Christum, intellige, ad prædicandum. Vel quia testatus est de Christo esse illum quàm Prophetæ priores venturum prædixerant.

18. *Ecce ego mitto Angelum*] Probat Ioannem maiorem esse Propheta, quia proximè præcedere, atque anteire Christum, eique viam præparare, deberet. Et quia angelus esset, non quidem natura, vt multi eum Iudæi falso existimarunt, sicut habet Euseb. l. 9. de demon. Euan. c. 1. sed officio.

23. *Prophetæ & Sacerdotes Angeli.*

Dicuntur Prophetæ & Sacerdotes *Angeli* Malachiæ 1. 27. & Act. 7. 13. verùm aliter quàm Ioannes, illi quia missi ad homines, Ioannes quia ad Deum, id est, Christum, vt eius præcursor, & testis fidelissimus. Et quidem proprio quodam vaticinio prædictus fuit tanquam angelus mittendus, nec quomodocumque, sed ante faciem eius, id est, vt ipsum proximè præcederet, eum alij serui sequi soleant Dominum; quod obseruarunt Chrysost. & Auctor Imper.

Ante faciem tuam] Hebraismus, pro, *ante te*, Malachi. habet c. 3. 1. *ante faciem meam*, quia inducit Christum de se loquentem; hic verò loquitur Pater de Filio.

24. *Christus Deus.*

Ex hoc loco Christus Deus satis clarè probatur, cùm constet apud Prophetam Deum esse, qui loquebatur, loquebatur verò Christus. Porrò vtrumque dici potuit, & quod Filius sit loquutus, & quod Pater, quia idem Deus, vterque. Vide in hũc locum Malach. Riberam.

19. *Maior inter natos mulierum*] agit hic Do-

A minus non de officio, sed de m
dignitatem Ioannis, & mu
munere superiorum Prophet
tem, cum sanctitate comparat
præmiserat: *quid existis in des*
hominem? quem sanctum? &
bus. de sanctitate etiam agit cũ
nor est &c. quod si obijcias v
maior inter natos mulierum Pr
sta nemo est. Respondeo cum
phetæ tanquam sancti habeba
cti, *Prophetæ* nomen accipieba
non rarò *Propheta* etiam dic
cum Augustino l. 2. con. aduer
fiat cum solis Prophetis vete
tamen proindè in solo Prophe
tò magis in sanctitate. Ob id
B nium sanctissimi haberentur.
Christo etiam & B. Virgine
fuisse. Respondeo cum solis
menti collationem hic fieri. C
postoli ad nouum pertinent te
verò sanctior Moyse, lege aput
nos ad alia pergimus.

Natos mulierum] id est, homi
mum, qui etiam cernitur in verbo,
extitit, eminuit. significat enim ex
dam eminentia.

Qui autem minor est in regno Dei
Dei, connectuntur cum præcedenti
est, licèt dubitet August. *Regnum*
adoptionis filiorum, & Euangelij
sensus est: qui minimus est in Euangelio
adoptio filiorum, maior est illo scilicet
vt fiat comparatio inter personas quide
ui, quàm veteris Testamenti, etiam in
verùm sumpta prout ad nouum, vel ad
G stamẽtum spectabat, quo modo qui min
ctus erat in Euangelio, erat maior etiam
omni alio, qui erat sanctus in veteri lege
Ioannes sanctitatis gradu præcesit multo
sub Euangelio, vel tempore adoptionis fi
fuerunt, hoc habuit non ex lege, sed ex Eu
cuius futura virtus, ad eos quoque extend
qui sub lege viuebãt. Itaq; sanctitas eorum
vetus testamentum pertinebant, erat velu
na, & quasi mutuo accepta ab Euangelio per
At eorum qui ad Euangeliũ spectãt, veluti h
taria & propria: ac proindè quantũ ad hoc,
mus sanctitatis gradus in Euangelio excedit
mam cuiuslibet sancti veteris Testamenti sa
tem, & minimus iustus in Euangelio, maxi
sto veteris Testamenti præstantior, &c
est.

Quod si vlterius pergas obijcere, & conten
D Ioannem baptizatum à Christo fuisse, ac proi
ad statum filiorum, & non seruorum pertinui
ergò hereditariã illi fuisse sanctitatẽ, nó aliena
ergò in hoc Ioann. inferior vllo modò dici pot
Respondeo conferre hic Christum eos inter se,
crediturierant in eum, & post passionem eius,
mortem ad Ecclesiam venturi, quando iam bap
mus ipse & Euangelium integrum, & perfect
statum habere debebant cessante iam, & abo
lege. nondum enim Christi morte tempore Io
nis aperta erat ianua regni cęlestis, cùm baptis
adoptionem perfectam filiorum Dei daturus er
Itaque Ioannes nõ plenè ad Euangelij statum p
tinebat, cùm occisus fuerit ante Christi mortẽ
quamuis, vt scribit Greg. Nazian. ora. in sancta l
mina, inter vetus, nouumque Testamentum inter
iectus fuerit, & medius inter legem, & Euangeli
D. Thom. 2. 2. q. 164. a. 4. ad. 3. videtur facere Ioa
nem noui Testamenti, quod ad nostrum hunc se

sum

sum intelligi potest. Semper igitur si præcisè eum, qui ad Euangelium pertinet conferas cum eo, qui ad legem spectat, quamuis minimus; tamen qui inter Euangelij iustos est, maior quoque est.

Idem videtur sentire, sed ratione diuersi status Cardinal. Tol. ait enim, omnes qui sub lege erant spiritum seruitutis accepisse, renatos verò per baptismum spiritum adoptionis filiorum Dei. Semper autem filius, quolibet seruo maior est. Ideò qui iustus est tempore Euangelij hoc vno saltem, quia filius est ex statu quem habet, maior erit iusto quolibet veteris Testamenti, & illius sanctitas huius sanctitate quo ad hoc maior. Veteris namque Testamenti Patrum ex se status est seruorum. quibus verbis excitat Christus mirum in modum auditores ad Euangelij fidem arripiendam.

Alij quidam hunc locum exponunt de ipsomet Christo, qui minor est in regno cœlorum tempore, & hominum existimatione, quamuis maior sit dignitate, & ipsa re. Sic Aug. tract. 13. in Ioannem l. 2. cont. aduers. legis, & Proph. c. 1. cum multis alijs. Aliter etiam D. Tho. 1. p. q. 117. a. 2.

20. *A diebus autem Ioannis*] putant quidam reddi hic rationem, cur qui minor est in regno cœlorum, maior sit Ioanne; Ratio est, quia Ioannes ad legem spectat, vt sequēti versu dicitur, qui rectius præponi debere quibusdam videtur versui vigesimo, vt ex verbis Luc. colligi potest c. 16. lex & Prophetæ vsque ad Ioan. ex eo regnum Dei euangelizatur & omnis in illud vim facit. Sed hoc nō multum placet: malo dicere non esse transposita verba. Dico igitur nunc declarare Christum Dominum, vnde nam regnum Dei hoc, cuius meminerat, incipiat. *A diebus*, inquit, *Ioannis* &c. nam lex vsque ad Ioannem.

27. *Lex quomodo vsque ad Ioannem.*

Quomodo autem lex vsque ad Ioannem fuerit si roges Respōdeo breuiter, intelligi primùm posse, vsque ad Ioannem, id est, vsque ad Ioannis prædicationē, legem & Prophetas Prophetasse, id est, docuisse Dei voluntatē cum promissione de Messia, ac suo functos esse munere, & eo vsq; viguisse; per legem verò, & Prophetas intellige totum vetus Testamentum. Deindè non est intelligendū statim prædicante Ioan. mortuam legem fuisse, & extinctam; sed nascente Euangelio, senum mori cœpisse.

Vsque nunc] non quod post illud tempus non esset vim passurum, sed quod ab eo tempore semper perseuerauerit vis illa, nec per Christi prædicationem cessarit, immò semper perseuerabit quādiu Euangelij prædicatio duratura est.

28. *Regnum cœlorum quomodo vim patiatur.*

Regnum cœlorum] Euangelium, & Christi Ecclesia. *Vim patitur*] secundùm Hilar. Canon. 11. & Ambr. l. 6. in Luc. & ser. 15 de Nat. Domini, dicitur regnum cœlorū pati vim, & rapi à violentis, quia iam omnibus expositum apertumque est; ita tamen vt quicumque velit virtute cōtendere, & in illud irruere, rapere illud & capere possit. Neque enim certis quasi cancellis intra vnum populum Iudæorum conclusum est; nec iam veluti hæreditario iure, vt Iudæis olim Dei cognitio; sic nunc regnum Dei datur, sed virtute: iuxta illud; *multi ab Oriente & Occidente venient* &c. Rectè quoque dicitur rapi, quia eiectis filijs regni, quibus videbatur debitum, virtute ipsa; ac perseuerantia obtinetur iam, & rapitur, veluti illato bello, & armis de illorum manibus, qui in eius erant possessione: quicumque ergò velit cōtendere, illud obtinebit; cùm prius, soli in eo essent Iudæi. Qui verò aiunt, vim pati regnum cœlorum, quod mortificatione obtineatur, non satis aptè locutus, hoc enim est sibi vim inferre, non regno cœlorum. Obijcit Barra. l. 8. c. 9. to. 2. dixisse Christum à diebus Ioannis, vsq; nunc. i. à tempore, quod intercessit inter principiū prædicationis Io. Baptistæ, & hanc legationem eiusdem Ioannis ad Christum missam, regnum cœlorum vim pati. ergò nō de gentibus loquutus est. Respondeo velle dicere ab eo tempore expositum esse regnum cœlorum cuiuslibet vi, non tamen excluditur sequens tempus, vt dixi n. 27.

21. *Lex & Prophetæ*] est sententia horum: regno cœlorum infertur vis à diebus Ioannis. Prophetarunt enim de Messia Lex & Prophetæ vsque ad tempora Ioannis, quo prædicante Messias venit. Quoniam verò vsque ad hoc tempus regnum cœlorum non fuit prædicatum, saltem apertè, & vt omnibus expositum; Propterea illi vis illata nō erat. Ioannes primum regnum cœlorum apertè pradicauit, Messiam indicans, illique viam præparans: quamobrem à diebus eius regnum Messiæ, & regnum cœlorum Euangelizatur, & vim patitur; eo modo quo exposuimus versu 20. & n. 27.

22. *Et si vultis recipere*] si attentè aduertatis, recipere enim hic aduertere est; vel ita dicit, quia libera fides est. sic Chrysost. vel significat non esse verum Eliam ad literam in Malachia prædictum, sed tamen inquit *si vultis recipere*, vobis erit Elias, non quidem verus, sed officio, & effectu. vt enim ille præcedet secūdum aduentum Christi *conuertēs corda* &c. sic Ioan. præcessit Messiæ aduentum, vt vos ad Deum conuertat: quod si nolitis illum recipere, neque hoc modo erit vobis Elias. 29.

Obserua Ioannem, Eliam fuisse, id est, repræsentasse vestitu, vita, spiritu, præsertim verò Præcursoris officio. Hieron. Epist. 151. ad Alga. 30. *Ioannes quomodo Elias.*

Qui venturus est] verus Elias omninò veniet de quo ad litteram loquitur Malachi. 4. sed mysticus Elias Ioannes venit quidem: sed est prædictus fuisse venturus & exspectabatur. Itaque dum venturū dicit, confirmat etiā tacitè verum Eliam sub finem mundi venturum: & ait Ioannem esse mysticum Eliam, qui etiam prædictus fuit, vt venturus. Ergò completam, inquit, fuisse istam Scripturam Malac. c. 4. etiam in Ioanne, licèt mysticè. Nam etiam de ipso prædictum erat, quod esset venturus, & Messiæ aduertum præcessurus; qui vitæ etiam similitudine alter Elias, immò & maior illo esset futurus.

Emmanuel dicit; venturus *est*, pro, *erat*, positum; sed non est necesse iuxta nostram expositionem.

23. *Qui habet aures* &c.] Hoc esse mysticum & indigere intelligentia ostendit cùm subdit: qui habet &c. per aures autem secundùm Interl. & Remig. intellige cordis aures. *Audire* verò significat intelligere, & obedire, vt Luc. 16, *qui vos audit*, &c. & Matth. 14. 15. *si te audierit*, Marc. 8. 18. aures ergò audiendi habet ille qui docilis & obediens est. Sūt enim qui audientes nōn audiunt Matth. 13. 13. Vel ideò dicit, qui habet aures &c. quia de re magni momenti; quam intelligere multum; intererat, loquutus fuerat. 31.

24. C. *Iustificauerunt Deum*] quid sit iustificare sic explicat Ambros. qui peccat, & confitetur peccatum, iustificat Deum, id est, declarat eum iustum dum se iniquum agnoscens & credens Deo ab eo gratiam sperat. Sic fecerunt illi, qui confitentes peccata sua, baptizati sunt à Ioanne, misericordiā à Deo consequuti; ecōtra, qui noluerunt ab eo baptizari suam iniquitatem non agnoscentes. Eusebius verò exponit iustificauerunt, id est, apparuit eis iustus in omnibus quæ fecit. Iansen. verò exponit iustificauerunt, id est, bonum ac rectum prædicauerunt. 32. *Iustificare quid.*

Eusebij & Iansenij Expositio vera & legitima erit; si intelligas hæc verba, non Christi esse, vt priora, sed Euangelistæ referentis, populum, qui aderat; auditis quæ dixerat de Ioanne Christus, confirmasse

firmasse eius dicta, confitendo Ioannem esse verè missum à Deo, Deumque implesse, quod promiserat per Malach. misso Ioan. *ecce ego mitto angelum meum.* Sicque Deum iustificasse, vel tanquam fidelem in promissis, vel vt Iansen. explicat tanquam æquum & rectum prædicando, vt qui rectè fecerit mittendo eis talem virum, per quem saluti ipsorũ prouidit: vel vt ex Eusebio retulimus, iustificasse tanquam cum qui apparuit eis iustus in omnibus, quæ fecit per Ioan. missum, ij autem, qui sic iustificarunt, erant qui baptizati fuerant ab eo. At Pharisæi, & Scribæ non quidem omnes, sed qui non erant baptizati à Ioanne cum hanc commendationem Ioannes audissent ore Christi prolatam, non sunt commoti ad pœnitentiam, quod tali Prophetæ non paruerint spernentes Dei consilium, & decretum in mittendo Ioanne, vt per illum, & eius baptismum ad pœnitentiam, & ad præparandam Christo viam aptarentur homines.

Ambrosij porrò expositio quadraret magis in hunc locum, si verba hæc essent Christi, & non Euangelistæ, cui rectè accommodatur, quod sequitur, id est, quod Pharisæi, & legis periti dum nolunt agnoscere suam iniquitatem, spreuerunt Dei consilium, quo Deus per Ioannem cœpit ad pœnitentiam prouocare peccatores, & ostendere qua via remissio delictorum parari posset. Fauere videtur Ambrosio quod aliqua exemplaria, vt complurense, & Dyonisius Carthu. non legunt illa verba: *ait autem Dominus*; quæ sunt hic v. 26. propter quæ videri possunt præcedentia verba, quæ habentur v. 24. & 25. esse Euangelistæ. quarè si nõ legantur ista: *ait autẽ Dominus.* probabilis est opinio dicentium etiam præcedentia verba esse Christi, sed re vera ferè codices omnes græci, & latini habent illa, sicut & exẽplaria emendata nuperi. quãquam & illa verba, quæ hic habentur. v. 24. *omnis autem pop. audiens*, etiam significant verba illa sequentia eodem v. 24. & 25. esse Euangelistæ: q.d. *Omnis populus audiens*, id est, qui nunc Christum audiebat, & publicani *iustificauerunt Deum*; Durum est enim interpretari, *omnis populus*, audiens Ioannem prædicãtem, *& Publicani iustificarunt Deum.* illa verò verba: *baptizati & non baptizati.* v. 24. 25. non debent accipi, quasi significetur, quod isti fuerint baptizati post hanc commendationem Christi de Ioan. vel non baptizati; sed sensus est; eos qui iam olim fuerant baptizati, iustificasse Deum; at eos, qui noluerant baptizari olim à Ioanne, consilium Dei spreuisse.

33. 25. *Pharisæi autem, & legis periti*] id est, Scribæ, seu legisdoctores non consenserunt istis Christi verbis, non credentes Ioannem à Deo missum: immò ipsi Ioanni etiam nunc detraxerunt, & contra eum obmurmurarunt, ita consilium Dei contemnentes, quo Ioannem præmiserat, vt per eum Christum agnoscerent, & in eum crederent. Ergò non recipientes Ioannem sua infidelitate, consilium Dei abiecerunt. Sumitur enim hic consilium pro eo, quod ex consilio procedit; vt Act. 20. dixit Paul. *non subterfugi, quo minus annunciarem vobis omne cõsilium Dei*, id est, doctrinam Euangelicam, quæ Dei consilio manifestata est etiam gentibus, vt & ipsæ saluæ fierent eam recipiendo.

In semetipsos] id est, in suam ipsorum ruinam, & perniciem, quidam legunt, vt Euthy. in semetipsis, id est, intra seipsos spreuerunt Dei consilium. loquitur autem Ioannes de his Pharisæis, & Scribis, qui non fuerunt baptizati baptismo Ioannis: sicut & cùm v. 24. dixit, *omnis populus*, non sunt intelligendi singuli de populo, sed multi respectu Pharisæorum, & Scribarum.

26. *Cui ergò similes*] Matth. habet: *cui similem æstimabo generationem istam*, id est, assimilabo huius ætatis homines?

27. *Pueris sedentibus* &c.] sc. ludo repræsentantibus nunc læta, nunc tristia, verbi gratia, nunc per modum cantus læti, nunc per modum querimoniæ, & lamentationis. Mat. habet, qui clamantes coæqualibus, id est, coætaneis. Gr. socijs quibus significatur, quod dum illa, seu læta, seu tristia repræsentabant illi pueri, aderant alij pueri sodales, nunc cantantium, nunc plangentium, qui tamen nihil ostendebant se affici, siue lætis siue tristibus. Ad quos præcedentes pueri hæc canebant: *cantauimus vobis, & non saltastis*, &c. Hæc an ita sint non potest omninò constare, quia ignotum est, & obscurum hoc ludi puerilis genus, quod tamen diximus videtur litteræ consentaneum. 34.

Obseruant verò Hugo Cardinal. Iansen. Maldon. frustra eos laborare, qui nituntur singulas similitudinis partes adaptare, personas personis, membra membris &c. Totum sententiæ corpus potiùs spectandum est, & integrum ex integra similitudine trahendum argumentum, vt est in multis parabolis, vt cùm dicitur Matth. 13. 24. *simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminauit*, vel *homini negotiatori, quærenti bonas margaritas*, vel *homini regi, qui fecit nuptias*: Non est intelligendum dici regnum cœlorum simile homini patrifamilias, regi vel negotiatori; sed potiùs simile dicendum esse semini, aut agro, aut margaritæ, &c. id est, sensus ergò est in his, & similibus: in regno cœlorum tale quid contingere. Idem est hic sensus, quasi dicat, inquit Gagnæus, Matth. vndecimo, de hoc hominũ genere similiter dici potest illud, quod pueri sedentes in foro, morosis, ac se fastidientibus sodalibus, & æqualibus dicunt: *cecinimus*, &c. id est, neque lætis, neque seueris verbis conciliare nos vobis potuimus, & in nostram sententiam adducere. Alioquin illa Iudæorum generatio, non tam pueris, qui ea verba sodalibus exprobrabant, similis est, quod tamen verba sonare videntur, quam eis, quibus exprobrabantur. Itaque sensus est breuiter: in generatione, & hominibus huius ætatis tale quid accidisse patet, quale vsu venit, cùm pueri in foro dicunt sodalibus, *cantauimus, & lamentauimus*, &c. 35. *Similitudines quomodo adaptanda.*

28. *Venit enim Ioannes*] Applicat nunc hoc versiculo, & sequenti similitudinem, quasi dicat, Ioannes audientibus vobis lamentatus est, & non planxistis: filius hominis cecinit, & non saltastis, (sequutus enim fuit Ioann. austeriorem vitam, Christus communiorem) sed non modo ad meliorem frugem per hæc vos recepistis: verum quæ erant arripienda in occasionem vitæ & gratiarum actionis, conuertistis in occasionem mortis, & calumniæ; vocantes me quidem potatorem, & deuoratorem &c. Ioannem verò Dæmoniacum tanquam vitæ austerioris hominem, & non similem alijs, quod nec in ludo illo puerorum reperitur.

Neque manducans panem, neque bibens] Matth. simpliciter habet, *neque manducans, neque bibens*, vel quod nemo eum manducantem viderat; aut quia parcè admodum manducaret; aut quia cibis potiùs ferarum, quàm hominum vteretur. 36. *Ioannis victus.*

Denique non consuetis; neque verò baccis, seminibus, vel oleribus vsum esse Clemens Alexandri. tradidit Pædag. l. 3. c. 1. dum ait: Matthæus Apostolus seminibus, baccis, oleribusque absque carnibus vtebatur. Ioannes continentia locustas, & mel silueſtre comedebat. Et vt hoc obiter dicamus, temperasse quidé à carne, & vino Apostolos multa afferri possunt exempla. Nam de Petro, persuadet Gregor. Nazian. de amore pauper. scribens ipsũ lupinis minuto asse væneũtibus famẽ pellere cõsueuisse. De quo Iacobo fratre Domini neq; carnes vnquam in cibum, neque vinum in potum ad- 37.

hibere

hibere solitum esse Egesip. grauis auctor apud Eus. historiæ l.2.cap.22. affirmat de Matthæo diximus. Timotheum vino se temperasse, sed occasione stomachi flaccescentis, modicum ex eo sumendum illi Paulum imperasse tradit Chrysost. aurea hom. in ea verba Pauli *vtere modico vino*, &c. sed & ipsũ Paulum à vino abstinuisse docet Baro. anno Christi 57. & 58. At Ioannes, non modo his abstinuit, sed communibus etiam alijs cibis, vsus locustis, & melle syluestri, ob id *neque manducans, neque bibens* venisse dicitur à Saluatore. Contra Saluator ipse, quod communibus vteretur cibis, *& manducans, & bibens* venisse dicitur.

30. *Et iustificata est sapientia*] laudata, approbata, vel defensa, vt quæ nihil omiserit ad salutem necessarium.

38. *Ab omnibus filijs suis*] id est, sui participibus & amicis, nempè verè sapientibus. Per *sapientiam* porrò Dei prouidentiam, & consilium intellige in salute hominum curãda, misso præsertim Ioan. & Christo. Dicitur aũt iustificata à filijs suis, ijs scilicet, qui crediderunt, & receperunt Dei mysteria, non quod confessi sint ipsam sapientiam, aut approbauerint iustam, nec quod eam confutati sint: sed quod in ipsis credentibus ostensa sit eius iustitia: dum enim illi crediderunt, & susceperunt, aperta fuit culpa illorum, qui non crediderunt; cùm eorum incredulitas indè prouenerit, quod credere noluerint, non quod aliquid fuerit necessarium omissum, alioquin neque credidissent, qui susceperunt, & ad hunc sensum accommodari debet expositio prædicta, qua exposuimus *iustificata est sapientia*, id est, laudata, probata, defensa ver. 30.

Filij sapientiæ qui. Sunt tamen qui satis probabiliter per filios sapientiæ intelligant omnes Iudæos, & eos qui sapientiam receperunt, & eos qui reiecerunt; quod essent quasi pueri, & discipuli diuinæ prouidentiæ, quæ iudæos speciatim tanquam proprios filios gubernabat: & ita iustificatam intellige sapientiam, id est, iustam declaratam tam à bonis, quàm à malis, dum canente Christo, & lamentante Ioanne, bonorum alij saltauerunt, hoc est, Christum; alij planxerunt, hoc est, Ioannem sequuti sunt: Mali neutrum præstare voluerunt, & de bonis iam diximus hoc eo. num. 38. quo modo iustificauerunt; de malis iam dicimus. Nam dum nec Christi cantu, nec Ioannis lamentatione credere voluerunt, satis ostenderunt se nullo modo velle credere, quamuis alijs credentibus, ac proindè per se, non per diuinam steriſſe sapientiam quo minus conuerterentur. Hanc expositionem probabilem reddit etiam vox græca, καὶ ἐδικαιώθη, & iustificata. Si enim voluisset eos tantum intelligere, qui eam receperunt, non dixisset καὶ, sed ἀλλὰ; veruntamen *iustificata est sapientia, à filijs suis*. nam καὶ, hanc videtur quibusdam habere vim, vt significet, ipsosmet filios sapientiæ vt discipulos magistram, alios discendo, alios non discendo iustificasse, quasi omnes illa amplecti, & comprehendere voluerit quo ad se.

39. *Exprobratio cum deploratione.* 31. *Tum cœpit exprobrare*] hæc exprobratio intelligitur facta cum deploratione, & intimo cordis dolore, quære Hieronym. Matth. 11. Corozain ait; & Bethzaida à Saluatore planguntur, quod post tot signa ac virtutes non egerint pœnitentiam. Euthym. etiam inquit, cœpit exprobrare id est miserias dicere, & plorare. Hæc fere habentur Luc. 10. post decretos 70. discipulos, dum eos prædicandum mitteret. Sed cum Matth. dicat *tunc*, id est, eo tempore, quo videlicet superiora dixerat hæc esse pronunciata, dicendum bis à Domino hęc esse prolata. quamuis si quis contendat semel esse dicta, tunc dicendum esset, ordinem seruatum esse

A à Luca, Matthæum verò ob similitudinem horum cum illis quæ hic disseruit Dominus in hunc locũ retulisse, atque adeò vox illa *tunc*, id est, illo tempore, non est necesse, vt designet illud ipsum tempus, quo proximè præcedẽtia dicta sunt. Post enim designare tempus amplius, seu latius patens, quo multa dicebantur, & gerebantur à Christo. Solet enim Matth. vt quidam obseruant reuocare ad eandem Christi doctrinam alia etiam conformia, & similia, quæ Lucas scribit varijs esse temporibus dicta. Porrò, & confessio etiam illa, *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ* &c. narratur à Luca post reditum discipulorum, vt patet ex cap. 10. 21. Luc. quam tamen Matth. hic exposuit post exprobrationem. Verùm, quoniam probabilius est exprobrationem non semel dictam, præsertim verò propter vocem quam hic posuit Matth. *tunc*; propterea vtrobique, & apud Matthæum, & Lucam reliquimus: id quod non idem fecimus de confessione, quam Lucas visus est nobis suo loco narrasse. Rogat Hieronymus. Vbi nam scriptum sit in his ciuitatibus Corozain, & Bethzaida multa miracula facta. Respondet Christum circuisse omnes ciuitates, & vicos, Matth. 9. *circuibat Iesus omnes ciuitates, & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium Regni, etiam curans omnem languorem, & omnem infirmitatẽ*: & ideò etiam in his ciuitatibus edidisse miracula.

32. *Væ tibi* &c.] per virtutes intellige miracula. *In cilicio*] Græc. Sacco. *Cinere*] Gregor. hunc locum moraliter explicat 35. moral. c. 2. *vtrumque*, inquit, *adhiberi solet ad pœnitentiam, vt in punctione cilicij cognoscamus quid fecimus; in cinere, quid facturi simus mortui scilicet pungente peccato.* Rectè, nam cilicium pungit, & talis est pungentis peccati recordatio. Cinis verò aptè considerationem mortis cõtinet, per quam in puluerem redigimur. Lucas addit. c. 10. *sedentes*; sessio verò humilitatem conscientiæ significat. 40.

B Sensus literæ est: *in cilicio & cinere*, id est, maximam pœnitentiam egissent: ille enim grauissimæ pœnitentiæ habitus erat, Isai. 58. 5. Hierem. 6. 26. & 25. 34. Thren. 2. 10. Daniel. 9. 3. quem ritum gentiles quoque imitatos fuisse constat ex Ionæ capite trigesimosexto.

C *Olim*] iam pridem, iam diu non expectassent tamdiu quam vos, non tot exhortationes, non tot miracula desiderassent, hanc vim potest habere vox *olim*. Hæc dicuntur ad maiorem amplificationẽ obfirmati animi harũ ciuitatum in peccatis.

Sunt porrò hæc oppida, lacui Genesareth adiacentia, in qua parte Galilææ, Dominus frequentius egit. Vide inferius. n. 42.

D Piget hic refutare eorum opinionem, qui aiunt Christum hic loqui de auxilio externo externo tantum per prædicationem & miracula; non verò de interiori per illuminationem, & inspirationem internam, cùm scil. significat, cum eodem auxilio, vel æquali præueniente fuisse cõuertendos Tyrios, Sidonioſque, cum quo tamen non fuere conuersi cives Corozain, & Bethsaidæ. Alio qui si internum etiam connumeres, non idem vel æquale fuisset auxilium. Piget inquam hoc confutare. nam si Tirij, & Sidonij crediturí erant, si apud eos Christus prædicasset, & virtutes fecisset, quia ipse interius speciale lumen, & inspirationes dedisset: quo nomine rogo potuisset reprehendere Iudæos, quod cum illis signis, & prædicatione, non crederent, cum quibus alij erant crediturí? respondereẽ enim se non recepisse, vel illud tale lumen, & peculiares inspirationes, sine quibus credere non poterant; vel certè non recepisse æquale auxilium, sed minus; & ideò non mirum si Tyrij, & Sidonij crederent. Greg. verò ho. 30. in Eu. & Aug. de præde- 41.

ſtinatione Sanctorum c. 8. nihil contrarium docent, ſed tantum volunt præter externam prædicationem requiri internam, quâ tamen habet congruam, & efficacem is qui conuertitur, caret qui non conuertitur, licèt non careat interna vocatione. Hinc ſtabilitur eorum ſententia veriſsima, cum eodem auxilio, ſeu æquali, poſſe vnum credere, vel conuerti, non alium, quia nolit, licèt in genere beneficij, & gratiæ ſemper auxilium in crédente, & conuerſo fuerit maius, quia ſcilicet Deus voluit dare huic auxilium congruum, id eſt, cum quo videbat, vel ſciebat conſenſurum lege Suarez. l.3.de auxilio c.10.n.6. ſed de toto hoc loco in Theoria dicendum eſt.

33. *Veruntamen*] pro, *idcircò, Remiſsius erit*] mitius punientur. Sic Euth. in Matthæum dicit, vocem græcam πλὴν vim illatiuã habere quaſi dicat, propter quod. Secundùm alios quoſdam eſt aduerſatiua, vt ſit ſenſus, veruntamen, id eſt, quamuis plures virtutes factæ ſint in vobis, quàm in Tyro, & Sidone, qua in re illis eſtis prælati in hoc ſæculo, tamen in die iudicij grauius puniemini.

34. *Et tu Capharnaum*] ſeorſim Capharnaum meminit, quia in eo frequentius fuerat. *Nunquid vſque in cœlum exaltaberis?*] G. ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθήσῃ quæ vſq; ad cœlum exaltata es, vt Lucæ 10.15. legitur.

Sic legunt Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, & Hieronymus etiam monet in nonnullis codicibus ſe legiſſe. Noſter interpres videtur legiſſe pro, ſi, articulo, ῆ, pro ὑψωθῆσα ὑψωθήσῃ.

Vſq; ad infernum deſcendes] Gr. ἕως ἅδου, καταβιβασθήσῃ, vſq; ad infernum deprimeris, quaſi dicat, vi, non ſponte. loquitur de æterna ciuium damnatione in hanc ſententiam: num tibi putas iſtam gloriã diu duraturam? erras ſanè. Idemque eſt ſenſus, ſi legas prout græcè habetur, vel vt apud Lucam *quæ vſque ad cœlum es exaltata*, ſcilicet mea præſentia, doctrina, & miraculis.

42. *Capharnaũ & Corozain vbi ſitæ.* Obſerua ſecundùm latus Occidentale maris Galilææ ſitam fuiſſe Capharnaum, itemque Corozain, quæ Capharnao duobus duntaxat miliaribus longè aberat. Capharnao in Bethſaidam iter erat, quæ in ripa eiuſdem lacus, ſeu maris occidentali locata erat, patria trium Apoſtolorum Petri, Andreæ, Philippi. Erat autem vicus, quem illuſtrauit Philippus Tetrarcha, & Iuliadem appellauit, à Iulia Cæſaris filia ex Ioſeph. libro decimooctauo antiq. capite tertio, ſexto indè miliario occurrebat Magdalum, & poſteà Tiberias, vndè Tiberiadis nomen mare obtinuit Ioannis ſexto.

43. *Fortè manſiſſent*] *Fortè* non eſt Græcè, ſed ἄν quæ etiam particula habetur ſupra verſiculo trigeſimoſecundo, Græcè πάλαι ἄν, olim fortè in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent, particula eſt potentialis, quę hunc ſenſum facit. potuiſſent permanere certè, vel vtique. Erraret ſanè qui quoties in Scriptura legit forſan, pertinere id arbitraretur ad incertitudinem diuinæ ſcientiæ explicandam. Aliter Hieronymus ſentit Ezechiel. ſecundo, & Hierem. vigeſimoſexto. Aliter Ambroſius libro ſecundo de pœnitentia capite ſecundo. Aliter Euſebius libro ſexto, de præparatione, capite nono. Aliter Chryſoſtomus in illud Matthæi 21. *verebuntur fortè filium meum.* Aliter Theodoretus vigeſimoſexto. Hierem. & idem colligitur ex Ioanne quinto, *ſi crederetis Moyſi forſitan & mihi*, & Ioannis octauo, *ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.* Actorum octauo, *pœnitentiam age, ſi fortè remittantur tibi*, &c. vbi in rebus certiſsimis vſurpatur eadem particula.

Itaque vel apponitur ad denotandam arbitrij libertatem, euentumque rei ex parte hominum, vt Hieronym. cum alijs aſſerit. vel ad ſignificandam difficultatem talis effectus, vt Grego. ho. decimaoctaua, in Ezechiel. docet. vel eſt quidam loquendi modus Scripturæ, quo humano more hominibus res narrantur, vt Ambroſius loco citato obſeruat. Quamquã ſæpè ex græcis, *fortè* ponatur loco *vtique* ſanè, certè, ex Abulenſi, & Ianſen. hic, Carthuſiano, Titel. Matth. vndecimo. Toleto Ioann. 4.5. & 8.

35. *Remiſsius*] vel tolerabilius, vt dicitur Matt. 10.15. non quod non maiora forſaſſe Sodomæi, & Gomorræi habuerint peccata; nec quod iam incendio, partem aliquem pœnæ luiſſent, vt Anaſt. q.17. in Scriptur. inquit, quod de certo aliquo peccato puta inhoſpitalitatis agatur, vt Matth. 10. ſcribit Remig. & Lyran. apud D. Thom. quia Sodomitas inter alia vitia illud habuiſſe, quo nis manũ non porrigebant. conferri ergò vult eos qui Apoſtolos nõ recipiebant, cũ Sodomitis, quoad hoc vitium. grauius autem erat manum & hoſpitalitatem Apoſtolis non deferre, quàm egenis reliquis. Sed quia illis non fuerat Euangelium prædicatum, vt paſsim intelligunt Hieronym. Hilari. & alij, D. Thom. rem hanc Scholaſtico more clarius declarat: *dicendum*, inquit, *quod non comparat Dominus peccatum cum peccato, ſed cum circumſtantia, quia peccabant iſti, quibus fuerat prædicatum; illi peccarunt, verùm non fuerat eis prædicatum*: Adde quod iſti Euangelij legatos repulerunt, quod non fecere Sodomæi, & Gomorræi, qui nec miracula viderant, ſicut iſti innumera, neque ad terram illorum diſcipuli miſsi fuerant, vt & magiſter. igitur cæteris paribus grauius punientur iſti. idem dic de Chriſtianis reſpectu Ethnicorum cæteris paribus. Vide inferius cap. 17. in Scholijs ad v.21.

Colligere eſt, tũ ex loco, tum ex lo. ci. Matt. duo dogmata: alterum æquales non eſſe damnatorum omnium pœnas, vt Notat Hieronym. Alterum, quoſdam non in hac ſolum vita, ſed etiam in altera puniri, vt obſeruat Anaſt. & Euth. in cap. v. Luc. Sodomitæ enim iam vrbis incendio puniti erant, & tamen Chriſtus in die Iudicij adhuc puniendos tradit: non quod duplici pœna puniantur. ſed quod eorum pœna hic incipiat, & ibi continuetur, lege Diuum Gregorium libro decimooctauo moralium, capite decimotertio; & Franciſcum Toletum Lucæ decimo annotatione decimaſexta.

Damnati pœnæ in æquales. Etiam in altera vita quoſdam puniri.

THEORIA I.

In verſ. 32. *Væ tibi Corozain. væ tibi Bethſaida.* Statuitur Dei ſcientia conditionata.

SOLEMNIS eſt hic locus ad multa ſtabilienda, quæ ad gratiam pertinẽt, & liberum hominis arbitrium. Principio ex hoc loco, ſicut ex ſimilibus quibuſdam alijs eliciunt viri planè docti & eruditi ſcientiam quãdam quam conditionatam nuncupant, quod *reſpiciat* futura ſub aliqua conditione: vel etiam mediam, quod fortaſsis ordine rationis medium teneat locum inter eam, quæ ſimplicis intelligentiæ, & eam, quæ à Theologis viſionis dicitur. Eſt porrò hæc ſcientia, per quam Deus, antequam modo intelligendi noſtro quicquam in æternitate abſolutè ſtatuerat, cognouit quid vnaquæq; creata volũtas factura eſſet, ſi in hac, aut illa occaſione in his, aut illis loci, temporis, &

Scientia conditionata quæ.

aliarum rerum circumstantijs, talibus, vel tantis munita præsidijs constitueretur.

2. Hanc ex hoc loco sic deducunt. indicat enim non obscurè locus iste conditionalem hanc illationem consequutionemue, seu rem hac illatione, consequutioneue contentam verisimam, certissimamque esse: nimirum si id genus virtutes, & tot factæ fuissent apud Tyros, & Sidonios, quæ factæ sunt apud Corozain & Bethsaidam, acturos fuisse illos pœnitentiã, & ad meliorem frugem se recepturos: & Hanc porrò vitæ emendationem ac resipiscentiam, & si numquam futuram, ex hypothesi tamen potuisse ab ipso Christo præsciri, siue cognosci: & verò etiam fuisse illi cognitam, nobisq; promulgatam. Eandem scientiam efficere, stabilireue videtur locus ille Ioannis 6. 15 *Iesus ergò cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* eandem ostendit locus alius 1. Reg. l. 23. 11. 12. vbi quærenti Dauid num Saul esset venturus: & Ceilitæ eum Sauli tradituri. Summatim respondet Deus, Saul descendet, Ceilitæ tradent. Eandem quoque confirmat locus ille Ezechiel. 3. *non ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris: & si ad illos mittereris, audirent te;* sunt & alia; quæ certè de imperfecta aliqua, & tantum coniecturali notitia interpretari; vel secundum humanę vitę cursum, & Oeconomiam intelligenda esse dicere, atq; adeò humano more loquutum esse Deum, indignum planè Deo est. qua de re, quoniam copiosè satis, & doctè multa literarum monumentis tradita sunt à Franc. Sua. l. 2. de scient. condi. c. 1. vbi excludit quæ contrà ista loca à quibusdam afferuntur. Ideò illum adeat quicumque plura desiderat.

3. Augustinus satis hanc sententiam l. 2. de bono perseueran. c. 9. confirmat: vbi sic scribit: *nunquid dicere possumus Tyros & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent, cum eis Dominus attestetur, quod acturi essent, magna humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutum?* Quarè ibi, & c. 10. duo ex hoc, quem præ manibus habemus, loco colligit. primùm non iudicari homines ex his quæ acturi essent, si hoc, vel illud eis accideret, quamuis hoc Deus nouerit, sed ex his quæ faciũt. Alterum, præuenientem gratiam interdum negari eis, quos Deus nouit benè fuisse illa vsuros: dari autem eis, qui malè vsuri sunt; quod dicit esse vnum ex maximis diuinæ prædestinationis mysterijs. & in Ench. c. 95 *Tunc non latebit*, &c. *Cur apud quosdam non facta sint virtutes, quæ si facta fuissent, egissent illi homines pœnitentiam, & facta sint apud eos, qui non fuerant crediturι. Apertissimè namque Dominus dicit væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro* &c. Prosper in respon. ad excepta Genuens. resp. 8. hunc locum Matth. declarans, & verba Augustini libr. 2. de bo. perseue. cap. 14. inter cætera habet: *nos etiam si rationem facti, & profunditatem iudicij eius penetrare non possumus, manifestissimè tamen scimus, & verum esse quod dixit, & iustum esse quod fecit.*

Quare miror Paulum *Fenium*. c. 4. l. qui inscribitur, qua nam ratione dirimi posit controuersia, & cætera, vocasse hanc scientiam conditionatam, tortuosum, ac ruinosum præsidium, cùm tamen ea, quæ contra illam affert capite quinto, nullius sint planè difficultatis ad dissoluendum.

5. *Certitudo diuinarum prædictionum.* Denique stat pro hac scientia ratio, nam si hæc quæ prædicuntur incerto modo & humano more prædicuntur, vix sanè haberent hæc oracula maiorem certitudinem, quam Dęmonis responsa, possentque qui audiunt, puta Dauid, de illis adhuc subdubitare citrà peccatum. quod magnum absurdum est. Et hoc secundũ planum est consequi. primùm illud probatur; nam etiam Dæmoni nota est voluntatis propensio, & natura, vndè potest hon sine magna probabilitate conijcere, quid in hoc, vel illo euentu faceret liberum arbitrium, quod pergeret, quoue inflecteretur. & quamuis Dei cognitio ex parte cognoscentis sit perfectior, dęmon tamen quoad naturalia comprehendit hominis voluntatem, & quantum ad actus malos habet vim, & efficacitatem quandam, prauumque affectum ad instigandum, & impellendum ad illos, quantum pro virili contendere potest, si illi permittatur.

Et quidem cum Dauid Dominum consuluit, non hoc fecit, vt prudentis hominis iudicium, & coniecturam audiret, sed certissimum Dei iudicium, quod decipi nequit, exquisiuit. deindè cum Christus redarguit exemplo Sidoniorum & Tyriorum obfirmatum, durumque animum Bethsaidæ, & Corozaim, conuincere eos indè contendit, ex eo nimirum quod certissimè ipse nouerat; Nam secundũ humanam coniecturam non multum esset eos redarguere, & in die ipso iudicij, sic cordis duritiem non planè certam, & liquidò constantem ipsis exprobrare.

Quod verò vox illa, *fortè*, quæ solet addi, & hic habetur v. 34. non ostendat, vel peruincat eiusmodi cognitionem Dei incertam, satis patet ex ijs, quæ in Scholijs eo loco diximus num. 43.

6. *Deus dat gratiam ad salutem necessariam etiam non prædestinatis.* Iam verò qui ex hoc eodem loco colligunt, Deum ideò multis gratiam ad salutem necessariam non dare, quod prædestinati non sint, nulla ratione audiendi sunt, quod fusius prosequi, alterius est loci: Nam quantum ad præsentem sententiam, locumque attinet: affirmo, nõ esse hic sermonem de gratia necessaria, sed de superabundante, id est, de miraculorum magnitudine, multitudineue. Mitto hic, quod Scribæ, & Pharisæi, quorum Christus incredulitatem redarguit, bona ex parte reprobati erant, cùm tamen illis Euangelium prędicatum fuerit. Non igitur propterea Tyrijs, & Sidonijs non est prædicatum, quod prædestinati non essent. Potuit ergò esse causa, quamobrem non est illis promulgatum Euangelium, quia nondum aduenerat tempus prædicandi gentibus legem Christ. Interim poterant seruata naturæ lege salutem consequi.

Homines nõ iudicantur ex operibus quæ facturi fuerunt, sed quæ fecerũt. Præuenions gratia quibusdam datur quibusdam negatur, & cur.

Fenium.

THEORIA II.

Ex eodem loco distinctionem illam apud Theologos celeberrimam gratiæ in *sufficientem* & *efficacem* colligi, & quæ vtraque sit.

1. *Duplex gratia, sufficiès & efficax.*

CELEBRIS est apud Theolog. illa gratiæ distinctio in *sufficientem*, & *efficacem*, quâ ex hoc loco elici & quæ qualisue vtraque sit breuiter declarare volumus. Et verò eam colligere, atque hic deducere, parui omninò negotij est. Nam eadem gratia, quæ fuit sufficiens quamuis inefficax Iudæis, futura erat efficax posita prædicatione, & miraculis, Tyrijs, Sidonijsque. Cæterum illud est difficillimum inuestigare, quæ nam sit sufficientis gratiæ, vel etiam efficacis notio, vis, & natura.

2. *Efficax gratia dupliciter dicitur.*

Obseruandum igitur bifariam dici posse gratiam efficacem: vel quæ actu facit conuersionem, verbi gratia, fidem, vel amorem & cætera, vel quæ facit, vt faciamus, & velimus re ipsa, & cum effectu, ita vt non resistamus, non repugnemus, non obluctemur. Priori modo potiùs appellanda est efficiens, quàm efficax, nec intelligi, aut mente comprehendi potest citra cooperationem nostram: Et nec posita est in sola gratia excitante, seu vocante, sed simul necessaria est cooperans, & actu, req; ipsa nobiscum concurrens. Hoc igitur modo non intelligitur in hac distinctione, si spectemus eos, qui de ea disputant, vel etiam August. sed posteriori modo.

3. *Gratiæ efficacia.*

Facit autem hoc modo gratia, vt velimus, & faciamus per vocationem, videlicet per illuminationes, mentisque illustrationes, per inspirationes: quarè fit, vt in hac vocatione efficacia posita sit, quam nullo modo habet à libero arbitrio. Et quidem in vocatione efficacitas est, non quæ posita sit in physica, vt vocant, determinatione voluntatis: imò nec quæ in morali sita sit voluntatis determinatione, si per moralem etiam intelligas, quæ adeò vehemens est, vt ei certo, & infallibiliter, licèt liberè, consentiat voluntas, ita vt moraliter impossibile sit nõ cõsentire. Hæc enim determinatio non est necessaria, neq; in ea posita est gratiæ efficacitas. verum quæ in ea potiùs morali determinatione sita est, quæ & infallibilẽ habet effectum, & fit suadendo quidẽ, verum ita, vt moraliter possit voluntas pro arbitratu non consentire.

4. *Vtrum gratia collocata in commensuratione aliqua.*

Nec satis congruè hi loquuntur meo iudicio, qui affirmant collocatam esse in quadam commensuratione cum voluntate addito respectu, & relatione ad futurum actum voluntatis, qui est veluti, vt in Scholijs loquimur, connotatus.

5.

Cæterum aiunt cum Dei bonitas sit etiam huius commensurationis causa, simulque velit nobis tradere talem gratiam, quam habituram præuidet esse effectum, vel euentum, ideò ipse est causa, nempè efficiens, vt ego interpretor, efficaciæ gratiæ; & scientia conditionata est, qua cognoscit DEVS hanc gratiæ efficacitatem, ex eaq; A
infallibilitate effectus vo
luti causa quare DEVS p
uere voluntatem cum ab
quam verò inquiunt affi
lem ipsam gratiæ efficaci
stitutam esse: debet enim
in ipsa gratia aliquo mo
enim est quæ formaliter c
non negant, posse infalli
ciam aliquo modo vocati
in DEVM, vel prædicta
quæ non fallitur, & non f
dixi.

Meritò proindè Au
ptione & gratia capite se
natis dixisse: *horum si quis* B
DEVS; *sed nemo eorum*
litur Deus. At si ipsam spec
ficaciam, quæ in quada
contemperatione gratiæ e
vel sic affecta consistit cu
ram cooperationem, quam
tate est effectura, sic h
huius non necessariò eget
tia.

Nam quamuis à Deo nesc
haberet. Illud semper ver
dicas, præscientiam esse eam
tum reddit de infallibilitate.
regnam distinctione tertia pa
tum.

Cæterum vel hæc commensuratio C
tum est, res inanis, titulus sine re
aliquid positiuum est, ac re ipsa coh
gratia, non video quomodo ij suffi
gratiam recipiant, qua verè saluari p
qui gratiam sine hac commensuratione
piunt. neque enim esse efficax potest, qu
ret ea commensuratione, sine qua intellig
potest. non ergò per se intrinsecè grati
quid habet, sed talis est per respectum ac
scientiam, alioqui infallibilitatem non ob
de se spectata, quã rem quia mihi doctè, ac
uiter declarare videtur Suarius, eius verba
xam: Sic ergò libro tertio de prædestina
ne, capite decimo, numero nono scribit: n
modo habet gratia à libero arbitrio suam
ficacitatem, sed potius ipsa gratia eleuat l
rum arbitrium, & dat illi virtutem a D
di, quam virtutem ex se habet talis g
tia.

Verùm quantum vt efficax non solum cõ
tinet gratia virtutem agendi, sed ita agend
vt infallibiliter habeat coniunctam actionem
ideò asserendum, hoc non habere ex sola vi
tute physica, & sibi congenita, sed ex modo
quo datur à Deo ex tali proposito, & præ
scientia conditionata, qua iam præuideratil
lam gratiam habituram effectum, si cum
his circumstantijs daretur. & ideò quantum
ad hoc habet à DEO efficacitatem, licèt
non sine respectu ad liberum arbitrium, nec
quicquam obest libertati nostræ ea efficacitas, vel gratia efficax præueniens; neque enim repugnat physicè dissensui liberi arbitrij intrinsecè: sic enim libertatem

læderet;

læderet; sed repugnat ex hypothesi effectus futuri in Dei præscientia, quod constat libertati non repugnare: vide Suares lib.3.de auxi. cap.14.num.7.8.

7. *Efficax gratia.*

Ex his quædam deduco, ac statuo. Primùm, gratiam efficacem quoad actū primum, seu posteriori modo sumptam, nihil addere ad sufficientem in ratione rei, & ne commensurationem quidem non modo absolutè, sed nec prout infallibiliter operatura est consensum liberum voluntatis cum ipsa voluntate: seu pro vt futurum consensum connotat infallibiliter, suppositā tantum, ac præeunte Dei præscientia, & bona voluntate, quæ causa est, rerum, vt sentire videntur ij, quos commoraui nu.4.& 5. An verò in ratione beneficij, & gratiæ seu doni aliquid adiungat, dicam inferiùs nu.10.

8. *Efficacitas gratiæ quid operetur.*

Deindè statuo efficacitatem gratiæ non esse ipsam liberi arbitrij cooperationem, quia efficacitas intelligitur esse aliquid in auxilio, seu ex parte ipsius, quod antegrediatur, & anteuertat voluntatis consensum. Propterea enim vocat August. tale auxilium vocationem altam, secretam, secundum propositum, efficacissimam. neque enim hæc rectè dici possent ratione liberi arbitrij, alioquin illud auxiliū vocaretur efficacius, cui voluntas intensius cooperaretur, & illud minus efficax, cui minus intensè. Et confirmant id quod dicimus loca quædā Scripturæ, vt est ille Isai. 54.13. *erunt oēs docibiles Dei*, siue vt habent græca θεοδίδακτοι, seu διδακτοὶ θεοῦ docti à Deo. nos habemus apud Isai. *vniuersos filios tuos* (ponam) *doctos à Domino*. & Ioan.6. 45. *omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* quæ indicant ad excellentiam magistri, tanquam ad causam, non ad studium discipuli referendam esse omnem vocationis efficacitatem. Idem ostendit Paul.Rom.9. *non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* 1.Corint.4. *quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti?* Philippen.1. dicitur Deus incipere in nobis opus bonum, & perficere, dicitur donare, vt non solum possimus in Christum credere, sed vt credamus etiam, & cap. 2. 13. dicitur operari in nobis & velle, & perficere, siue proficere, vt quidam legunt. Idem stabiliunt & loca quædam Augustini præsertim cap. 8. de prædestinat. Sanctorum, vbi de gratia efficaci ait: à nullo duro corde recipi. & de spiritu & litera cap.34. quærens cur DEVS vni suadeat, vt persuadeat, alteri non ita, exclamat: ô altitudo diuitiarum. quæ sanè locum non haberent, si gratiæ efficacitas à libero penderet arbitrio.

9. *Ad pendet.*

Statuo tertio loco, quoad actum secundum priori modo, vt num.2. distinxi gratiæ efficacitatem potissimum, à Deo autore pendere. Atque id ipsum rationi est maximè consentaneum. etenim potissima dispositionis ad iustificationem requisitæ causa, Deus est: hæc autem dispositio per gratiam efficitur, de qua Augusti. epist.107. vocatio inquit, illa alta, atque secreta sic agit sensum, vt accommodet assensum. Hæc item gratia instrumentum est, quo Pater trahit ad filium eos qui illam recipiunt. Deo igitur potissimum tribuenda est gratiæ efficacia etiam in actu secundo.

10.

Ad quod etiam constabilendum facit quod auxilium efficax etiam aliquid addit ad sufficiens in genere doni, non rei: Nam maius beneficium confertur illi, cui datur exigua quædam motio, quæ præuidetur effectum habitura, quàm cui vehementior, sed quæ præuidetur sine fructu futura: hac enim ratione inquit Augustinus, carnem esse meliorem pane absolutè, sed famelico meliorem esse panem, quia rei necessariæ opportunitas eius pretium solet augere. Cùm ergo constet, efficax auxilium ante omnem voluntatis consensum eo differre à non efficaci, quod illud à Deo conferatur, quando præuidetur profuturum, hoc verò, quando videtur non profuturum, quamuis detur, vt prosit, & ex hominis tantū culpa sit quod nō prosit. sequitur efficaciam gratiæ, etiam in actu secundo à Deo potissimum dependere, nimirum à tali Dei voluntate, cùm dependeat in actu potissimum à gratia ipsa vocationis in actu primo, scilicet antè consensum voluntatis.

11.

Statuo postremò hanc eandem efficacitatem etiam in actu secundo, hoc est, priori modo sumptam vt superius, numer. secundo, minus principaliter à libero quoque pendere arbitrio, qua de re lege Mascaregnam pag. 247. 249. numer. 1. sed audi breuem, ac veram huius rei causam assignatam à Francisco Suario lib.3. de Prædestinat.cap.10. num.8. vnica inquit, est actio, quæ oritur per se ex libero arbitrio, & gratia, quomodo rectè dixeris liberum arbitrium elicere actionem gratiæ concomitanter, id est, coefficiendo vnam cum illa actionem. non tamen propterea verè inuleris illam vnam; eandemque actionem prout efficitur à gratia esse à liberi arbitrij quoque causalitate, licèt re ipsa actio illa non sit sine causalitate liberi arbitrij: hæc ille.

12.

Sunt qui aliam rationem ineunt declarandi hæc etiam sine scientia conditionata, & concordandi gratiam cum libero arbitrio. Aiunt enim Deum simul ac decreuit electos consequi talem, ac tantum gradum gloriæ, decreuisse auxiliari illis, vt eo peruenire valeant, ac proinde mouere, & excitare eosdem ad actos meritorios, & ad talem actum tali tempore, ad alium alio; & si tunc electus cooperatur acceptat illud, vt electionis, medium: si vero non cooperatur statuit iterum illum mouere tali tempore; &c. & isto modo decreuit preuenire illum, vsque ad finem vitæ, ita vt infallibiliter consequatur Deus id, quod decreuerat. seruata semper in singulis actibus particularibus libera electi cooperatione. vide D.Thom.q.6. art.6. sed de his satis.

Digitized by Google

DIGRESSIO PRIMA MORALIS

De duodecim doloribus mortis.

1. MONET nos defuncti adolescentis interitus, vt aliquid de morte dicamus. D. ergò Bernardinus tom. 1. ser. 14. duodecim numerat dolores, quibus impendente morte peccatoris animus affligitur & agitatur. & primùm quidem hos sequentes quatuor constituit. Primùm vocat afflictionis: omnia enim membra tunc dolent, caput, brachia, pectus; circumstat vxor mœsta, circumdant consanguinei, amiciuè lugubres, præsertim verò astant non sine magna vi lacrymarum chari, & dolentes filij; dolores innumeri tunc quoque morientem circumdant, affligunt, & vehementer angunt, dum videt omnia mærore, ac fletu, & dolore plena; secundus est dolor cogitationum.

Dolor afflictionis.

Dolor cogitationum.

Quatuor namque cogitationum genera tunc peccatorem quatiunt, distrahunt, discerpunt, nempè doloris, amoris, timoris, & spei, vt meritò conferri possint cum quatuor illis ventis, de quibus Daniel. 7. 2. *quatuor venti pugnabant in mari magno*, est enim tunc morientis peccatoris cor in modum maris felle absynthio, & amaritudinibus repletum. vis doloris ad se totam trahit cogitationem; rectè enim Greg. inquit: dirigitur tota intentio mentis, vbi sentitur vis doloris. Porrò amoris cogitatio erga vxorem, filios, diuitias, honores, voluptates, & id genus alia quantum discrepat, & affligat peccatoris mentem terris affixam, quis satis exprimere valeat? Timor item ad se se mentè, cogitationemq; rapit: timet enim tunc peccator mortem, inferni pauore consternatur, alterum adire sæculum horret, vt meritò tunc dicere possit: *timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ*. Spes etiam vana decipit miserum, ac detinet: neq; enim omninò moriturũ se credit. En tibi quales venti, quam furibundi cor peccatoris, tunc tẽporis turbent: est namq; extremo eo tempore *cor impij, quasi mare feruens*, Isai. 17. Est & tertius dolor, quem D. Bernard. priuationis vocat, animaduertit enim iam se priuandum mundana gloria, delicijs, diuitijs; etenim *omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri*, Isai. 40. 6. est gloria, vt flos quæ cadente fœno, hoc est tempore, ruit. Tunc *videbunt iusti & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua*. Accedit & quarto loco dolor separationis animę à corpore, cui infelix peccator, non naturali tantum amore, sed incredibili atque inordinato affectu inhærebat vehementer infixus. Tunc tota hominis temperies dissoluitur, dissipantur sensus, disturbantur organa, vires deficiunt. Denique totus homo destruitur.

2. *Quatuor genera cogitationum morientes infestant.*

Dolor priuationis.

3. *Dolor dubitationis.*

Sed præter hos, quatuor alij numerantur dolores: neque enim hic est finis. est igitur primus, dolor dubitationis: videt enim se tunc homo iter ingressurum non antea tentatum, in regionem longinquam, in terram o-

A pertam mortis caligine descensurum, nullo comitante, & in primis ante iudicem sistendum, quem nihil latet, ante iudicem potentissimum, cui nihil obsistere possit, & iustissimum qui nullius vultum respiciat, nullius personam accipiat. Ignorat infelix, quæ sibi mala immineant, quæ sit ferenda sententia, contra se, apud quos sit imposterum sibi degendum, quę loca visenda. Alter est dolor offensionis, *Dolor offensionis.* tunc enim inquit Bernardinus: anima non ita immersa carni, videt multo melius scelera sua, quæ tunc animo obuersantur maximè, & occurrunt, cernit multitudinem, turpitudinẽ intuetur, magnitudinem aduertit scelerum suorum. verum enim est illud, Ecclesiast. 11. *in fine hominis denudatio operum illius.*

B Tertius dolor dicitur à Diuo Bernardino *Dolor obligationis.* obligationis: videt enim se teneri deuictum, & obligatum gehennæ tormentis, tunc verè non semel assumet & repetet illud: dolores inferni circumdederunt me: teste enim conscientia prospicit se iam iam illis esse sine fine addicendum.

Quartus dicitur citationis: etenim Diabolus trahit te, ac citat ad iustum iudicem Deum coram illo acriter accusandum. horret anima sibi multorum conscia scelerum. At effugere non poterit. *Dolor citationis.*

Reliqui sunt quatuor alij dolores postremi: & primum quidem Bernardinus præsentationis appellat. sistendum se scit miser peccator iudici, quem multis nominibus nouit iustè sibi iratum, Apoc. 3. *videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerũt, & tunc se plangent super eum omnes tribus terræ*, 2. Cor. 5. *omnes nos*, inquit C Apostolus, *manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* 4. *Dolor præsentationis.*

Alterum dolorem vocat examinis. Accusatur enim tunc à multis, nempè à conscientia sua, Rom. 2. *testimonium reddente illis conscientia eorum.* Ab operibus malis, quæ gesserunt: *opera enim illorum sequuntur illos.* 5. *Dolor examinis.*

Qua in re rectè illi, ac sapienter sentire videntur, qui cum Ericio peccatorẽ componũt: furatur. n. ericius poma, & aufugiens ea secum aculeis infixa defert, quibus circumtectus est, verùm ipso cum furto deprehenditur, nemine quãuis accusante: & de viro facinoroso Psaltes, ait: *in operibus manuum suarum comprehensus* D *est peccator*, Psal. 9. accusantur à Dæmonibus: isti enim sunt accusatores fratrum. Tertium dolorem ponit cum proferenda erit sententia iudicis: quàm terribile erit túc audire; *ligatis manibus & pedib⁹ proijcite eum in tenebras exteriores.* 6. *Peccator similis ericio.*

Abbas ille Sanctus Elias dicere solitus fertur: tres res timeo, quando egressura est anima mea de corpore, quãdo occursura Deo, quando proferenda sententia. 7. *Abbatis Eliæ dictũ.*

Postremus dolor est damnationis. videt enim tunc anima in omnem æternitatem, omni lætitia, omni gaudio priuandam esse; incredibili verò tristitia afficiendam, vehementissimis doloribus conficiendam sine vlla solatij spe, grauissimis ærumnis & doloribus torquendam esse. *Dolor damnationis.*

Affert huc D. Bernardin. locum illũ Apoc. 10. 3. *& cùm clamasset* (Christus sententiam pro- 8.

ferens)

Digitized by Google

Septem tonitrua vniuersitatem tormentorū designant.

ferens.) *loquuta sunt septem tonitrua voces suas:* hæc, inquit Bernardinus, tormentorum vniuersitatem indicant, vt septenario capitalium culparum, septenarius respondeat pœnarum: nempè ait ipse; *damnum irreparabile, pœna interminabilis, dolor desperabilis, confusio intolerabilis, paupertas inexplebilis, consumptio miserabilis, rebellio interna, & externa implacabilis:* sic ille.

DIGRESSIO II.
MORALIS

De morte Spirituali.

1. Similitudo mortis corporalis & spiritualis.

SI quis rectè animaduertat, videbit, non paruam intercedere similitudinem inter corporis mortem, & animæ spiritualem interitū. quod his constare poterit: Septem. n. sunt gradus, quib⁹ corpus ad sepulturam effertur. Primùm, complexio & constitutio ipsa corporis dissoluitur; deindè simul in ægritudinem incidit homo. tertiò moritur. quartò omnia quæ habebat amittit. quintò effertur. sextò loco intra terræ viscera cadauer reconditur. Postremò iniecto puluere, impositoque lapide integitur: sic anima cogitatione praua languescit, ac dissoluitur; delectatione infirmatur; consensu moritur; vera omnia bona amittit; & fertur foras pessimo morum exemplo; consuetudine praua veluti intra terrā iacet recondita; obduratione denique sepelitur, prægraui desperationis lapide q. impositō.

2. Sepulcrum animæ quod.

Porrò sepulcrum animæ securitas est stultæ conscientiæ quæ veluti graui mole oppressum detinet, atque ita opprimit hominem, vt in quo salutis discrimine sit, non videat, nec cæli lucem haurire possit. Balthasar, cùm in summo versaretur amittendi imperij, ac vitæ discrimine cōuiuijs tutus, solutoq; animo vacabat. Ceteris quoque, qui erant in naui trepidantibus, solus Ionas ob quem immissa illa tēpestas fuerat, dormiebat. Filij Iob, dum conuiuijs, epulisq; incumbunt subdita domus ruina oppressi occubuēre. Isboseth 2. Reg. 4. in conclaui dormiens super lectum à latronibus occisus est. Quid plura? satis illud ad horrorē incutiendum, quod Luc. 12. narratur: *stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* Rectè apud Iob. scriptū est, c. 20. *Laus impiorum breuis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. si ascenderit vsque ad cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur; & qui eum viderant dicent: vbi est? velut somnium auolans non inuenietur; transiet, sicut visio nocturna.*

3. Tres notæ mortis.

Sed vt à morte animæ caueas, & num mortuus sis intelligas: scito & diligenter animaduertito, quod proportione quadam à tribus mortis naturalis, & corporis signis eam cognitionem haurire poteris: Sunt enim tres velut notæ mortis, priuatio videlicet motus, sensuum defectus, & rigor quidam. si igitur videas te cælestibus, diuinisq; motibus non moueri, & vix agitare, porrigereq; manus ad sanctorum operum effectionem, & nec pedes ad progressum in Dei via faciendum, insistendū-

A que in lege Dei mouere posse; si nullo itē spirituali sensu tangaris, nec quàm multa, quàm grauia, à sæuissimo inferni tyranno patiaris sentias, signa sunt hæc mortui, vel certè moribundi hominis, agentisq; animā, de quib⁹ duobus signis sic habes, Ose. 7. 8. 9. *Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reuersatur; comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit. sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit.* De rigore, qui solet maximè ex auaritia proficisci, vel ex animi atrocitate, 2. Reg. 13. in figuram hominis auari, & crudelis dicitur: *obrigueruntque manus Ieroboam super altare.*

Portatur porrò ad sepulturam infelix peccator ab his quatuor portitoribus, ab amore peccati, timore pœnitentiæ, spe falsa emendandæ post aliquod tempus vitę, præsumptione de
B Dei misericordia.

4. Quatuor portitores.

Verùm vnum restat remedium, si fortè quis de morte ad vitam reuocari velit: nempè si vocem Christi audiat: sic enim hic adolescens audito Christi clamore: *Adolescens tibi dico surge,* de morte translatus est ad vitam. vocat verò Christus peccatores quatuor modis, si fortassis de morte ad vitam venire velint, per litteras nimirum; per nutum; per vocem; per nuncios; literæ Domini per sacros libros, per prædicatores transferuntur ad nos; quas audit qui sacra volumina piè, attentè, deuotè legit, qui in concionem interest. vocat nutu manus, nempè signis creaturarum, collatisque beneficijs; vocat voce, hoc est inspirationibus: sic illum audiebat Dauid: *audiam,* inquit,
C *quid loquatur in me Dominus,* stat ille ad ostium & pulsat. Postremò vocat per nuncios, id est, per flagella, nam quem diligit Dominus, corripit. sed multi obsurduerunt iam pridem, cùm quibus grauiter expostulat Deus, Prouerb. 1. 24. 25. 26. *Vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. ego quoque in interitu vestro ridebo,* &cæt. Beati profectò serui illi, *quos cùm venerit Dominus inuenerit vigilantes,* & vocem eius læto, promptoque animo excipientes.

Peccatores quatuor modis vocat.

DIGRESSIO III.
MORALIS

D **In historiam filij Viduæ, in vitam reuocati.**

ISaiæ 26. 19. sic prædictum erat: *viuent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros tuus, & terram Gigantum detrahes in ruinam.* quòd dicit Isaias: *viuēt mortui,* apostrophe est apud Deum, vt sit hæc sententia: qui propter te, & in tua gratia moriuntur Domine, non semper mortui iacebunt; sed resurgent aliquando, cùm verò addit Propheta; *interfecti mei resurgent,* vox est Dei ad Isai. confirmantis dictum eius hoc sensu: imò omninò resurgent mortui mei. quod verò sequitur: *expergiscimini,* &c. apostrophe est ad defunctos ipsos: etenim Sanctorum mors somnus quidā est; quare & expergisci, & euigilare dicuntur. *laudate qui*

Is

Sanctorum mors somnus.

habi-

habitatis in puluere, periphrasis est mortuorum. quod posteà subijcit Isaias; *ros lucis*, talem continet sensum; ros vitæ semper duraturæ, ac nouæ immortalitatis germinare faciet, semiustam, emortuamque quodam modo herbam; caduca nimirum iustorum corpora erigens atque exornans luce illa cælesti, qua fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris. auxilium ergò & gratiam Dei, rorem hic Dei appellat. pulchra collatione; nam sicut ros ex aëre descendens, vitalem quendam alitum affert herbis, & plantis; sic & Dei auxilium, atque potentia, vitam defunctis afferet immortalem. dicitur & lucis ros, quasi vitæ, & immortalitatis, qua tanquam cælesti quodam fulgore vestientur omnes electi. *Et terram Gigantum detrahes in ruinam*, hoc est, mundum istum, improbos, & violentos homines in se amplectentem, penitus euertes; vel cùm Hieronymo: per terrā Gigantum intellige corpora impiorū, & violentorū hominum. nisi malis dæmones humani generis hostes acerrimos intelligere, vt sit sententia hæc: diuinæ huic potentiæ, ac voluntati qua volet iustos ad beatam immortalemque vitam transferre, non poterunt obsistere feri illi, tartareique Gigantes: quin potius ipsi ruinā opprimendi sunt sempiterna. hoc autem tam immēsum immortalitatis beneficiū, Christi merito, & effuso sanguini debent Beati. Etenim de cælo venit Verbum, quod factum est caro, & habitauit in nobis; cuius opus peccati, mortisq; destructio. de quo 1. Pet. 3. 22. dicitur: *qui est in dextera Dei deglutiens mortem.* idcircò enim venit in mundum, vt mortuos peccato homines, reuocaret ad vitam, & simul mortis, peccatiq; Tyrannidem euerteret, & aboleret. quā rem nobis apertissimè Viduæ huius cōfirmat historia. id quòd in sequentibus cōstabit.

2. *Christus non rogatus mortuos suscitat, & cur.*

Titus Bostrensis Lucæ 7. reddit rationem cur Dominus non rogatus hoc miraculum patrarit: sic enim ait: *cur is qui omnia nouit; vitæq; & mortis potestatem habet per sanatum Centurionis seruum à nemine accersitus, ad demortui adolescentis exsuscitationem se confert? ait enim Euangelista: & ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim.* respondet idem auctor: *factum est hoc non casu, sed summo iudicio, summaq; sapientia; ne videlicet nonnulli quandoque in medium prodirent, qui dicerent, Centurionis seruum omninò moriturum non fuisse. Et quamuis Euangelista oppositum scribat, dicere tamen poterant magis illum spectasse ad gratiam, quam ad veri narrationem. Christus itaque Dominus insrenem petulantemq; illorum linguā compescere instituens, defuncto qui iam offerebatur obuiam prodijt: accedensq; loculum tetigit, & verbo simul, & tactu, cum solo alioqui verbo tanquam omnipotens facere id potuisset, adolescentem excitauit.* hæc Titus: vide Schol. nu. 1.

3. *Occursus mortis, & vitæ.*

Ecce defunctus efferebatur. commodè satis, nec sine Dei consilio occursatio hæc accidit mortis, & vitæ; misericordiæ, & miseriæ; salutis, & perditionis; sapientiæ cum insciti a; gloriæ cum dedecore; libertatis cū seruitute. itaque quemadmodum cùm sibi inuicem occurrunt aqua, & ignis magna vi certant inter se se, verùm quod fortius est vincit: ita Christus Dominus qui vita est, & misericordia, salus, sapientia, gloria, libertas, contrarijs velut occurrens malis, dum morbo extinctum viuescentem saluum, & incolumem reddidit, mortem vicit, in iuuene miseriam sustulit, abiecit perditionem, ignorantiæ tenebras fidei luminē fugauit, abstulit ignominiam, denique à peccati seruitute sua potentia hominem liberauit. quamuis autem mors, & peccatum suam quandā habeant infinitatem, superior tamen ambobus erat Christus, cuius infinitas, vt in Scholis loquimur, positiua est, cùm peccati & mortis sit ad summū priuatiua, hoc est, ratione obiecti quo priuant; longè autem præstat priuationi habitus.

4. *Dominus ad liberatos accurrit principaliter, liberatis per quos quosdam.*

Memoriæ proditum est, in more positum fuisse apud quasdam nationes, vt cùm damnati ducuntur ad supplicia si fortè occurrant, regi liberētur à morte. quantò ergo æquius erat vt adolescens, hic mortuus Christo occurrens regi regum omnium potētissimo, qui fons est vitæ, reuocaretur ad vitam, & à peccato transferretur ad gratiā, si fortè ea caruisset; vel certè auctiorem reciperet. & hoc exēplo debet quilibet peccator per humilem orationem Christo Regi occurrere, eumq; precabundus adire cum lacrymis, vt sic peccati expers existat, dum vitæ obuiam it.

5. *Et hæc vidua erat*] de viduis pluribus egi l. 1. c. 11. Digress. 3. nu. 10. & seq. & tota Digress. 4. & turba ciuitatis multa cum illa; Eutym. Luc. 7. *condolebant*, inquit; *illi, vt quæ non modo virum perdiderat, sed nunc quoque filium, & hunc vnigenitum. placent ergò Deo*, inquit, in hæc Pater Salmeron, *qui conducunt funera ad sepulturam: cuius rei gratia magnam laudem Tobias in veteri testamento est consecutus: in nouo vero Nicodemus, & Ioseph ab Arimathia. AEgyptij etiā permulti comitati sunt Ioseph deducentem ossa Patris in terram Canaan. qui etiā sepeliebant Stephanum, & fecerūt planctum magnum super eum, viri timorati dicuntur Actor. 8. Commendanda est etiam pompa funeralis, moderata tamen & honesta, non ambitiosa, aut superflua.* Hierony. *in vita B. Malchi* summè commendat formicas, *quæ mortuos inter eos sepultura tradunt. quid, quod hoc opus caritatis, memoriam mortis renouat, ad pœnitentiam, & vitæ emendationem adducit, & ad resurrectionis fidem excitat.* hæc Salmeron tom. 6. tract. 24.

Christus ad salutē Dominus.

Quam cùm vidisset Dominus] absolutè *Dominus* dicitur, quia verus Deus, de quo Isa. 45. *ego Dominus, & non est alius.* & Dauid Psal. 67. *Dominus nomen illi. Misericordia motus super eam*] *inconsolabiliter flentem*, ait idem Euthym. si enim turba miserebatur, quanto magis qui fons erat misericordiæ? Gr. ἐσπλαγχνίσθη, id est, ex intimis visceribus misertus est illi.

6. Chrysolog. serm. 103. sic scribit, in hæc verba: *si ad vnius Viduæ lacrymas temporales, sic motus est Christus, vt occurreret in via, vt ex oculis stillantia dolorū fluenta restingueret, vt recuteret mortem, reduceret hominem, resuscitaret corpus, vitam reduceret, planctū verteret in gaudium, & exequias lugubres in festiuitatē natalitiā cōmutaret, & pheretro datū, matri viuū redderet ex morte; quid modo faciet quando inardescet viribus suis ad Ecclesiæ suæ, lacrymas diuturnas, ad Sponsæ suæ sanguineos sudores? nam per supplicantem Ecclesiam lacrymas fundit iuges, per Martyres sacrū sanguinem sudat, donec vnicum suum, hoc est, populum Christianum,*

quem

quem tot ad mortem ferunt tempora, occurrens Christus de mortali pheretro perpetuæ vitæ reddat, in supernæ matris gaudium sempiternum. sic ille.

7. *Noli flere*] de lacrymis, vide quæ diximus superiùs cap.8. Digress.vlt.

Cur tetigerit loculum.

Et accessit, & tetigit loculum] Titus Bostrensis Luc.7. *ob id autem loculum seu pheretrum tetigit, quia voluit, vt hinc disceremus corpus Christi Dei nostri corpus vitæ esse, eiusdemq; carnē vnigeniti Filij Dei, verbiq; cunctipotentis carnē. nam cùm caro eius illi effecta sit propria, qui viuificat omnia, fit vt ipsa quoque sit viuifica, mortemq; & corruptionem interimere idonea.* quod hac similitudine confirmat Euthy. Luc.cap.7. *quemadmodum ferrum, quod in igne aliquanto tempore permansit, habet ignis operationem; ita quoque sancta ipsius caro diuinitati vnita, quæ diuinitatis sunt operabatur.* Ideò manu quidem mortuum, *ac desertum corpus coniunxit, vox autem recedentem animam reuocauit.*

8. *Quia Propheta magnus surrexit in nobis*] Porrò inquit Theophy. Luc.7. *resedit mortuus, & cœpit loqui, vt ne apparenter tantum quibusdam suscitatus videatur. nam veræ resurrectionis signum fuit, residere, & loqui, inanimatum enim corpus, neq; residere, neque loqui potest.* quare etiá tradidit illũ matri suæ, vt obleruat Titus Bostren. tanquá verè viuum, vereq; exsuscitatum. quo facto, qui viderant magnificabant Deum sacro quodam timore correpti, dicentes: *quia Propheta magnus,* &c. & quidem meritò Prophetam magnum surrexisse dicunt. *olim siquidem Propheta Elias filium Sarephtanæ viduæ suscitauit.* vt obseruat Euthy. *sed deplorando erga Deum, ipsum deprecando. & Propheta Heliseus filium Sunanitidis, sed extensus super eum totus super totum. hic verò tangens solum, ac tubens statim excitauit. propter hoc itaq; dicebant Propheta magnus, sed ingrati postmodum ipsum occiderunt.*

9. Non omittam, quæ de hac suscitatione piè, & eloquenter Chrysol. ser.103. scribit: faciunt enim ad conseruandam memoriam futuri iudicij, & communis resurrectionis: sic ergò ait: *hodiè Beatus Euangelista, quia viduæ matris vnicum iam funeris vinculis illigatum, lamẽtabili impositum iam pheretro, prosequentibus turbis euntem iam carceris ad sepulcrum per Christum vitæ reditum nunciauit, omnium concussit corda, mouit mentes, stupefecit auditum. sed hoc gentes mirentur, stupeant Iudæi, mundus paueſcat: nos autem qui omnes à sæculis mortuos ad vnam vocem Christi sepulcris excitandos credimus, cur miramur? exsurgent, inquit Isai. (26.) mortui, & resurgent qui in monumẽtis sunt. & Dominus; venit hora quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Ad hæc Apost.* (1. Corint.15.) *in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent in iudicio. quæ est ista tuba, quæ inferis infert bellum, sepulcri resoluit moles, mortis intonat vitam, resurgentibus in lucem perpetem dat triumphum? quæ est? illa, quam superius Dominus dixit: mortui audient vocem filij Dei. Tuba non quæ arctato spiritu per concauum cornu ligni, vel aëris tristem bellantibus dat mugitum; sed quæ de corde Patris ore filij, vitalem simul & inferis, & superis dat clamorem. & in nouissima tuba: tuba quæ in principio mundum vocauit ex nihilo. ipsa in nouissimo mundum reuocabit ex perdito, & quæ initio hominem suscitauit ex limo, ipsa in fine hominem resuscitabit ex puluere.* tanta Chrysologus.

Euseb. Emyssen. & alij quidam per hunc mortuum, qui in pheretro portabatur, interpretantur peccatorem repræsentari, cuius anima per culpam mortua corpore continetur, vt cadauer loculo hic magna celeritate ad inferni sepulcrum deportatur. quare in hunc ad vitam reuocet Christus, prius manu sua tangit loculum, idque ait Emyssen. quando suæ visitationis tactu ad pœnitentiam hominem adducit. est porrò manu tangere per afflictiones, & molestias persecutionum peccatorem ad pœnitentiam adducere. quod verò manus Dei tactus, labores, & afflictiones significet, explicat Iob. 19.21. *miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Et cap.6. 9. *Vtinam mauum suam soluat, & succidat me, & qui me cœpit ipse conterat.* solet enim DEVS vt hominem exsuscitet, blandè illum & leni amoris, & beneficiorum tactu vocare; quod si pergat ille peccare, grauiore manus suæ tactu concutit illum, labores, & angustias immittens, vt vel sic saltem resipiscat, & ad spiritualem vitam de peccati morte reuocetur. quod ego significatum arbitror Cant.5.4. vbi sic ait Sponsa: *dilectus misit manum suam per foramen, & venter meus contremuit ad tactum eius*; Statimq; subiecit ver.5. *surrexi, vt aperirem dilecto meo.* Blandè vocauerat Sponsus Sponsam suam; *Aperi mihi soror mea, amica mea, colũba mea*; cumq; illa non statim responderet, sed velut in lectulo suo quietè, & suauiter recumbens non ilicò surgeret, tunc manum suam misit Spõsus per foramen, & extemplo illa cubiculi fores Sponso reserauit, quia nimirum per immissas tribulationes velociter surgit anima, & Sponso sanctissimo occlusam cordis ianuam aperit. igitur tangendo Christus loculum, in quo per culpam defuncta iacet anima, sistunt portitores, & vitæ, quæ mortua erat, tandem restituitur.

10. *Hic mortuus peccatoris typus.*

DIGRESSIO IV. MORALIS

De immatura morte, & vtili eius recordatione.

NON prætermittam hîc occasionem quæ se mihi offert in hoc adolescente mortuo, admonendi iuuenes, qui cùm se videant ætate florentes, nimis iuueniliter exultant, & posthabita vtili mortis Meditatione se vitijs omninò dant, quasi & ipsi mori non possint etiam adhuc immatura morte. Eccè adolescens erat iste ætate viridi, dilectus matri, & tamen immatura morte præuentus est. nam sicut in arborum baccis, & terræ frugibus videre est aliquid extremum, & maturitate tempestiua quasi vietũ, & caducũ; aliquid verò quod antè maturitatem acerbum in terram decidat, vel agitante vẽto, vel arboris ariditate, seu vitio aliquo, vel certè sola cæli intemperie; sic in hominum vita sunt, qui ad maturitatis culmen perueniant, quasi fructus arborum iam maturi, ac vieti; & sunt qui

1. *Admonitio ad iuuenes.*

prima

prima lanugine veluti flore aspersi, immaturi decidant, de medio vitæ cursu subtracti.

2. *Mali autem pestimaplerumq; morte moriuntur.*

Sed illud hac in re est animaduertendum, peccatores, sceleſtosque homines bona ex parte ad perfectam vitæ maturitatem non peruenire, sed de medio vitæ cursu abripi. quod mihi apud Iobum cap. 15. 32. multò antè prædictum esse videtur, sic enim ait ibi Eliphaz Themanites de impio: *antequam dies eius impleantur peribit, & manus eius arescent. ladetur quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi oliua proïciens florem suum.* itaque sæpè homines sceleſti dum in medio sunt delitiarum, dum sublimes quærunt honores adipisci, dum diuitias summo labore conquirunt, cùm amicitijs turpibus studeant, de medio cursu abstrahi se insperato vident euentu, & quam orsi erant telam non sine ingenti mœrore incidi sibi animaduertunt; antequam ergo dies eius impleantur, perit peccator.

3. *Mali comparantur tempestati.*

Quod rectè Sapiens docuit Prouerb. 10. 25. *quasi tempestas non erit impius*: comparat ipsum tempestati transeunti; nam licèt, tempestatis instar, ad tempus cælum terræ misceat, & omnia minis, contentionibus, terroribus, & clamoribus impleat, non diu tamen, nec multum subsistit, sed in procellæ prætereuntis morem, inuitus derepentè abripitur è vita; proindè nos monet alibi Ecclesiast. 7. 18. *ne impiè agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.*

4.

Quamuis verò quoad vitæ huius annos non semper peccator, & impius moriatur immatura ætate, nunquam tamen maturus moritur, si veram vitæ, ac mortis maturitatem spectes, quæ in eo posita est, vt quis maturis moribus, plenus virtutibus, & Dei amicus excedat è vita; atqui sceleſti homines quamuis inueterati dierum, & malorum, nunquam parati: sed acerbi semper, & austeris, crudisque moribus ad mortem accedunt. sic mortuus Saul 1. Reg. 31. tempore non suo in montibus Gelboë, gladio incumbens suo, quia Deo non paruerat. Sic suspendio interiit Achitophel 2. Reg. 17. quod consilium impiè aduersus Dauid Absaloni dederit. sic Absalon ipse de medio sublatus est 2. Reg. 18. cùm enim insidens mulo subter condensam quercum transiret, capillis capitis sui ad eam arborem adhærescentibus, corpore suspensus toto, in aëre pependit abeunte mulo, & tandem tribus lanceis cordi eius infixis interiit, sic debitas infidelitatis, & impietatis in patrem, ambitionisque pœnas persoluens ante tempus suum.

Achitophel cur suspendio interierit.

5. *Coma capitis Absalonis tropologicè quid designent.*

In quo illud est obseruandum eius mortis ansam comam fuisse capitis; qua multum gloriabatur, vt intelligant adolescentes voluptates ipsas, vel delicias, & eiusmodi alia, quę perditè amant, esse illis non rarò mortis materiam, & occasionem. Sic occisus est & Amnon tempore non suo, 2. Reg. 13. quòd sororem, quam perditè amauerat, violasset, nimirum qui carnis voluptates sequuntur gladio interfecti pereunt, vt frequens experientia nos docet: sic & Aman Hest. 7. in ligno quod Mardochæo erexerat suspensus est, nec dies suos

A sceleſtus impleuit, quod propter incredibilem animi elationem, & ambitionem nimiam iustè promeruit. hi omnes, & innumeri alij, quos longum esset recensere, impij & sceleſti homines antequam dies suos implerent, periere, & manus eorum aruere, vt loco citato apud Iobum Eliphaz dicebat; quod etiam exemplo Ieroboam 3. Reg. 13. satis constat verissimum esse; *cùm enim extendisset manum aduersus Dei Prophetam, iubens vt eum apprehenderent, exaruit manus eius, nec valuit retrahere eam ad se.* sic impio peccatori accidit, qui sacrilegas manus contra cæleste numen extendit, dum mille & inauditis modis grauiter peccat in cælum. Idem & de Nicanore narratur 2. Machab. 15 cuius manum, quam contra templum
B Dei extenderat minabundus, iussit Iudas cum capite eius præcidi post violentam eius mortem, eamque populo ostendit.

6. *Malorum generatio non diuturna.*

Quibus exemplis patet & Deum iisdemmet instrumẽtis, quibus ab impijs offenditur, solitum sumere de illis meritam, iustamque scelerum vltionem. Et verè Eliphaz dixisse peccatorum manus arescere. sunt tamen qui cum Ambrosio, & LXX. interpr. non manus, legant, *sed rami eius arscent*; eadem enim vox significat & manũ, & ramum à radice *Caphaph.* per *ramos* ergo intelligere possumus sceleſtorum hominum filios; vt sit sententia: interiturum esse impium, priusquam honestam saltem filiorum sobolem suscipiat; nam si quos habuerit filios, vel non diu subsistent, sed arescent ilicò, &
C extinguentur, vel certè vitijs vt parentes dediti, & vacui virtutis ad mortẽ non suo tempore, id est, imparati, immaturiq; venient; hi enim sunt infantes centum annorum. nam licèt aliquando ad extremam senectutem veniant sine sensuum canitie, & prudentia, quasi infantes, infelicem exhalant animam non sine ingenti horrore, & quidem id dictum videtur ab Alephaz ob repentinum filiorum Iobi obitum: id quod etiam verum esse testatur Sapiens, Sapient. 4. 3. *multigena* (id est multiplex, seu multiplicata) *impiorum multitudo non erit vtilis, & spuria vitulamina* (Aug. 2. de doctr. Christiana 12. monet legendum esse; *adulterinæ plantationes.* Etenim Græc. legimus μοσχεύματα, id est, propagines & stolones) *non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. etsi in ramis in tempore* (ad tempus) *germinauerint, infirmiter posita* (seu positæ si legas
D plantationes) *à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur. confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles,* & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. Ex iniquis enim somnis (id est illegitimo cõcubitu: simili modo loquitur Sapiens cap. 7. 2. vbi dicit se natum, *ex delectamento somni conueniente*, quod noto ne videatur absurdum dici homines è somnis generari, itaq; iniquos somnos, iniquos concubitus intelliget) *filij qui nascuntur testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua*, id est, inquisitione, seu examine, quasi dicat, si quis roget, seu inquirat vnde sint orti.

7.

Dum verò subdit Eliphaz: *ladetur quasi vinea in primo flore botrus eius*; etiam filios intelligere videtur per botros, & pueros per florem;

nam

nam vindice Dei manu, concutiente impios concident eorum botri,& flores, præsertim si & ipsi paternæ impietatis imitatores sint, & saltem imparati, incoctique & acerbi cadent, cùm minùs cogitabunt. itaque diuina vltio tanquam ventus irruit in impios, qui in morè virentis oliuæ, ceu onusti floribus sunt, vel sicut vitis cùm primùm florere incipit; eorumque magno impetu decutit florem, & botros, hoc est, disipat eorum filios, & per immaturam mortem hinc aufert immaturos.

8. *Boni nunquã immatura morte moriuntur.*

Secus autem accidit bonis, & Sanctis viris, qui diuinæ caritatis ardore, iam ab ineunte ætate sensu atque moribus matureſcere cœperũt omni duritie,& acerbitate decocta. nunquam hi, licèt in adolescentia, vel iuuentute de medio tollantur, immatura morte abripiuntur; senes enim sunt moribus, atque adeò ad mortem veniunt parati,& maturi. proindè de iusto scriptum est Sapient. 4.13. *consummatus in breui, expleuit tempora multa.* sicut enim qui insignis arboris alicuius fructu libenter vescitur, curat vt quàm primùm matureſcat etiam ante tempus, quo possit citius eo frui, quare præcipit Agricolæ, vt magnam eius curam habeat, adhibeat stercora, fodiat, irriget; vbi verò videt maturuisse, non expectato tempore auidè decerpit illius fructũ: ita Deus cùm iuuenem aliquem videt virtutibus ornatum, non expectare solet interdum, vt multos vitæ annos hîc agat, sed tanquam iam diuino palato gratum, maturumq; ad mortem, hinc illũ aufert etiam in iuuenili ætate; nec tamen proindè moritur is immaturus,& acerbus, quin potius senex. Audi quod dico à Salomone loc. cit. Sapient. 4.7.8.9.10.11. testatũ: *iustus autem si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est nõ diuturna, neque annorum numero computata: cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est. raptus est. ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.*

9. Hoc ipsum corroborat non parum Ecclesiæ facta promissio Isai. 65.20. *non erit amplius infans dierum, neq; senex qui non impleat dies suos, quoniam puer centum annorũ morietur, & peccator centum annorũ maledictus erit.* quia nimirũ iusto nunquã immatura mors cùm ea semper obtineat bonorum operũ, atque ætatis maturitatem,& vitæ perfectionẽ, quæ non dierũ,& annorum numero, sed virtutũ tempestiuitate,& morum integritate definitur; at impius quamuis senex, quamuis centũ, & eo amplius annorum, velit, nolit, infans semper censebitur, cũ nunquam expectatum veræ senectutis, & prudentiæ tẽpus impleuerit. is igitur maledictus erit tanquam fructus inutilis,& acerbus; iuxtà Hebræos, paruipendetur, eiicietur.

10. *Mali verò semper.*

Quare non mirum si iniqui, ac scelesti homines, quãuis senes sint, querantur semper nimis se citò è viuis excedere, etsi semper inuiti, tristesq; hinc abeant, quia nunquam parati; & neque cæli ciues arbitrantur se esse, & in hac vita habere se patriam putant. Audi quid de hac re sanctissimus vir Chrysostomus. 24. ad Hebr. censeat: *inter nos*, inquit, *& sanctos quanta differentia? illi siquidem cum peregrini erant, liberari postulabant de hac vita, & ad patriam suam remeare. nos autem contra facimus: si febris accedat, omnia relinquimus, sicut pueri planctuosi mortem timemus, & meritò hoc patimur. non enim quasi peregrini cõuersamur in hac vita, & non veluti qui festinant ad patriam, sed veluti ad pœnas ituri, propterea dolemus, & timemus, quoniam istis rebus non sumus vsi sicut oportet, sed peruertimus ordinem, propterea lamentamur, & pertimescimus veluti homicida quidã & duces latronum; cùm producẽdi sunt ad tribunal, cùm omnia mala considerant quæ gesserunt; & propterea gemunt, & tremunt.*

11. Et verò mali isti, ac scelesti homines, præsertim verò turpes adolescentes, qui in viridi confidunt ætate,& delitijs gloriantur, & opibus; si fixam, ac memoriæ semper hærentem mortis meditationem haberent, benè cum illis ageretur,& apertis mentis oculis viderent in quanto salutis discrimine versarentur, & salutaribus lacrymis conscientiæ maculas diligenter eluerent. hoc enim veluti freno iuuenilis ætas cohibetur, ne præceps in vitia ruat, & per vitia ad pœnas deuoluatur æternas.

12. *Iuuentutis hieroglyphicum.*

Proditum est à Richardo Brixiano in suis Symb. antiquos hac imagine iuuentutem figurare solitos: describebãt adolescentem nudum velo quodam obductos oculos habentem, cuius dextera post terga vincta erat, læua soluta. hunc insequebatur tempus multas occasiones subministrans, singulis verò diebus, filum vnũ de velo quo facies illius operiebatur, detrahebat. cuius picturæ hæc est breuis explicatio: nam quod nudũ repræsentabant adolescentẽ, ideò faciebant, quia ætas illa iudicio, & ratione caret,& de his sæpè malis quæ gesit gloriatur tantũ abest vt erubescat. quod ergò verecũdia careat,& erubescentia,& perperam de vitijs & virtutibus iudicet, nudus pingitur. velatos,& opertos habet oculos, quod tanquam cæcus,& in tenebris positus, per singula fermè momenta offendat,& in vitia præceps feratur; nullum ductorem habens alium, quàm prauos animi affectus. dexteram verò alligatam gestat,& sinistram liberam, quod ferè nunquam aliquid congruenter rationi efficiat; sed cuncta inconsideratè, perturbateque prout prauo appetitu trahitur. Postremò hunc persequitur tempus, filumque vnum de velo, quo eius claudũtur oculi quotidiè detrahit, quia nimirum sensim per singulos dies eius minuitur vita,& quo plura detrahuntur fila, eò clariùs animaduertit quàm praue incedat, quotq; prauis affectibus quasi tyrannis vinctus teneatur, & experientia discit, matureſcẽre sensim ætate, quo miser tendat. quanquam vt verùm fatear, plurimi sint, qui nec affecta iam ætate à prauis adolescentiæ moribus recedant.

13. Cæterùm ad hoc malum auertendum mortis recordatio plurimum iuuat. Peritus namq; Gubernator nauis, vt prudenter, & eleganter ait Hector Pintus, nó in principio, vel in medio ambulat, sed in fine, hoc est, in puppi sedet; ex quo loco totam nauẽ regit, eamq; paruo clauo moderatur, & ita ad optatũ tandem portum perducit incolumẽ. Placet totam vitã tuam ita gubernare, vt salutis portum consequaris? non quiescas in medijs solum considerandis, sed respice finẽ, sede cum cogitatione,

Digitized by Google

in exitu, & fine rerum humanarū, & ita transibis mare mundi, gubernans, atque moderans vitæ nauem clauo rationis, donec ad portum beatitudinis peruenias.

14. In Leuit. præcepit Deus, vt plumæ auium, quæ illi in holocaustum offerebantur, proijcerentur in locum, in quem cineres effundi solebant ad orientalem plagam.

Aues hæ sunt Christiani, qui in holocaustum se debent Deo immolare. plumæ hæ sunt diuitiæ, & mundi vanitates. has præcipit Deus vt in locū cineris proiiciamus, id est, vt mortem meditemur. sic ferè Pintus.

15. *Mortuus est Moyses seruus Domini*, legimus Deuter. 34. 5. *iubente Domino, & sepeliuit eum* Dominus *in valle terræ Moab contra phogor; quamobrem ibi?* inquit Procopius in hunc locum. respondet: *ibi sepultus est vt impostura idoli illius fœnaret.* sic ille. Fertur in ea valle, in qua mortuus, & sepulturæ mandatus est Moyses, fuisse mulieres quasdā Moabitidas; quæ populo peccādi occasionem præbebant; atque adeò in ea valle fœdissimū illud Phegor, seu Priapi idolū, quē turpitudinis, & libidinis Deum cæca illa gentilitas dicebat. vt ergò aptā huic vulneri medicinam faceret Deus, voluit ibi sepeliri Mosen, vt mortis memoria, & sepulturæ præsentia, à carnis illecebris, & voluptatibus auocarentur, & simul disceremus oēs quantum esset adiumentū ad pestem hāc depellendā attenta mortis meditatio, præsertim in labili iuuenū ætate, & nimiū quantū ad voluptates procliui.

16. Vipera exusta, in cineremq; conuersa, vinoq; potata, eiusdem bestiæ morsui medetur. ergò quemadmodū viperæ morsus per eandē combustam, & in cinerem versam curatur; venenū videlicet veneno altero pellente: ita optimū, ac saluberrimū remedium aduersus mortem eiusdem est mortis memoria, & meditatio assidua, quod Lactant. Firm. lib. de Ira c. 13. adnotasse videtur. Nos verò ad rem nostram magis accōmodatè dicemus: nullā videri medicinam efficaciorem contra venenatū carnis nostræ morsum, quàm eiusdem carnis mox perituræ assiduam recordationem cum vermium horrore, & fœdissimi cadaueris squalore coniunctam.

17. *Adolescentū obiectio dissoluitur.* Sed scio quid his respondeant iuuenes; se nondum ad extremam peruenisse ætatem, illo tempore vacaturos Deo, interim dum recens ætas blanditur indulgendū esse ætati, atq; aliquid mundanæ lætitiæ tribuendum. hæc sunt, quæ docente Diabolo didicēre. Verùm non est in his refutandis nunc immorandum, cùm fine iudicio, & ratione proferātur. tantùm rogabo, vndè nam scis adolescens ad senectutem te peruenturum? quis te docuit non plures in iuuentute media abripi, quàm in senectute? Eccè præstò est adolescentis huius immatura mors, quæ grandæua matre relicta filium adolescentem abstulit.

18. Quærit Theodor. q. 46. in Gen. quare Adam prior morte non sit expertus, quippè qui eam in mundum introduxerat, sed filius eius Abel, qui innocens erat, & adolescēs? & tale adhibet responsum; mortem hoc facto tyrānidem suā, & sæuitiam indicasse, & quod prudentiam, & æquitatem in iudicijs suis paruipendat (si hominum iudicio expendantur) non obscurè declarasse; nó ergò mors tantùm senes persequitur, sed illis sæpè posthabitis iuuenes adoritur, & neq; pueris, neque infantibus parcit. sed & hanc huius quæstionis solutionem non minus veram assignant alij: sic voluisse Deum, hoc facto quasi à prima mundi molitione admonere cunctos mortales, ne in adolescentiæ, vel iuuentutis flore sibi blandirentur, ac nimium fiderent; mortem enim etiā iuuenes prosternere, nec solos senes inuadere; tantùm hoc interest, inquit Tullius, quod *adolescentes mori sic videntur, vt cum aqua multitudine vis flammæ opprimitur, senes autem sic vt sua sponte nulla adhibita vi cōsumptus ignis extinguitur*: quantæ igitur stultitiæ, & insaniæ est fallis ratiocinationibus vitā & salutem in discrimen adducere? quantò satius adolescentes facerent, si Dei consilium sequerentur, quòd Apocal. 3. 2. 3. Ioan. scribit: *esto vigilans*, &c. (&) *si nō vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies quæ hora veniam ad te.*

Sed decipimur miseri mortales, qui cùm 19.
quotidiè videamus homines magnis itineribus ad interitum tendere, nos tamen ita amentes sumus, vt à rebus fluxis, & vanis, quibus tenaciter inhæremus auelli nequaquā posse videamur. Quare sapienter Iob. c. 6. vitam nostram nauī similem esse dixit; *dies mei sicut naues poma portantes.* Etenim nauis quæ expansis velis per maria fertur, si aliis occurrat nauibus putat illas celerrimo cursu pelagus pertrāsire, se verò immobilem vno fermè loco hærere, vel certè nonnisi lentè progredi; idem planè nobis accidit, videmus alios ad mortem velocissimè properare, ac demùm ad vitæ finem peruenire, cùm tamen ipsi velociore fortè cursu ad mortem tendamus. hæc occasione huius adolescentis defuncti breuiter dicta sufficiant.

DIGRESSIO V.
MORALIS

De legatione D. Ioannis ad Christum, in illa: *Ioannes autem cùm audisset opera Christi in vinculis*, versic. 9. & seqq.

QVAM illustris sit iste Ioannis titulus, quem initio horum verborum legimus, nimirum, Ioannes in vinculis; is demùm sciet, qui Paul. legerit, se eodē nomine magnoperè gloriantem; vt enim mundani homines nobilitatis insignia, & pulchros, & magnificos titulos iactant. ita diuinus Apostol. hoc vno gaudebat nomine, hoc se beatum fore putabat, quod vinctus esset in Domino: *ego*, inquit, *vinctus in Domino*. Qua de re sic præclarè Chryso. ad Ephes. 4. hom. 8. scribit: *nihil ita splendidum, vt vinctum esse propter Christū, vt catenæ sunt sanctis illis manibus circumdatæ; vinctum esse propter Christum illustrius est, quam siue Apostolum, siue Doctorem, siue Euangelistam esse: si quis Christum diligit, is nouit quid sit quod dico. non. n. caput ita splendidum reddit imposita corona margaritis conspicua, vt catena ferrea quæ propter Christum fertur. pudet diuitias, & auream munditiem cum huiusmodi conferre vinculis. quod si quis mihi vel vniuersi cæli, vel huius catenæ copiam, & optionem largitus esset, ca-*

1. *Ioānis Bapt. laus & gloria à perpetua vinculorum.*

Vinctum esse propter Christum, quanta gloria.

tenam

tenam hanc ego planè elegissem. deindè si aut mihi cum Angelis standum fuisset sursum, aut cum Paulo vincto, carcerem vtique praoptassem. ad hæc si quis me aut in numerum, & ordinem collocasset cælestium potentiarum, earum etiam quæ propè sunt thronum Dei, aut talem ligatum fecisset, talis vtique ligatus esse voluissem. non ita Beatum dico Paulum quod in Paradisum raptus, atque quod in carcerem est coniectus. non ita beatum æstimo, quod verba audiuit ineffabilia, atque quod vincula sustinuit. O beata vincula, ô beatas manus, quas illa ornauit catena. non erant ita præclaræ Pauli manus, quando claudum illum (Actor. 14.) in Lystris erigebat, ac restituebat; atque quando vinculis erant circumligatæ. quod si mihi temporibus illis esse licuisset, tum potissimum illas circumplexus fuissem, inque sinus meos collocassem: vtique non cessassem exosculari illas, quibus pro Domino meo ligari licuit. Admiraris Paulum tum potissimum quandò nihil illi, quæ manus adhæserat detrimenti afferebat vipera? (Actor. 28.) nihil mireris; catenam illam quippè reuerebatur. imò & vniuersum illam mare veneratum fuerat: nam tunc quoq; vinctus erat. si quis modò mortuos mihi largiretur excitandi facultatem, istud planè non præferrem huic catenæ. hæc ille. Si igitur verissimo Chryso. testimonio tantę est dignitatis in vinculis esse, planè cōstat quantum ad ceteras virtutes Ioannis, hac quoque prærogatiua vinculorum, splendoris accesserit.

2. Sanctorum tanta patientia vnde.

Verùm si roges, qui fiat vt tam inflammato studio in vincula, carceres, & tormenta ferantur sancti? quia nimirum Spiritu S. veluti per amoris manus eò suauiter trahuntur, nō modo non inuiti, non modo etiā libenter, sed incredibili quoq; & immēso patiendi desiderio flagrantes. ita vt eam fitim nunquam sibi explere satis posse videantur. quod intelligere nequaquam possunt qui non benè tenent, & nec satis experti sunt, quid sit diuinus amor. Quare quò magis aliquis huius diuini amoris igne succensus est, tantò maiori studio propter Christum pati desiderat, & nec sibi quidquam gratius accidere posse arbitratur. Itaque cùm Ioannes Spiritu S. adhuc ex vtero Matris suę repletus esset, & incredibili Dei arderet amore, non mirū si hoc vno titulo quod vinctus in Domino esset, sicut & Paulus tam magnificè gloriaretur. hic enim idem spiritus qui illi inerat excitabat amorem, & desideriū accendebat plura in dies, ac maiora, difficilioraque ferendi propter Christum. sic feciſſe cum Paulo (Act. 20. 22. 23.) eundem Spiritum legimus; ait enim ipse de se: *nunc ecce ego alligatus spiritu vado in Hierusalem, quæ mihi ventura sunt ignorans, nisi quod Spiritus S. per omnes ciuitates mihi protestatur dicens: quoniam vincula, & tribulationes Ierosolymis me manent:*

Quæso te Lector, quis nos obstupescat Paulum magnis itineribus Hierusalem cōtendentem, multis laboribus diu fatigatū, tanta Ecclesiarū solicitudine prægrauatum, tam multis modis afflictū, nullis mundi delicijs fruētem, nullius hominis auxilio fidentem; non aliud tamen à Spiritu illo Sancto, vndè omnis est *in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium,* non inquam aliud audire per omnes ciuitates, quàm quod illum vincula, illum tribulationes manerent Hierosolymis? cur non potius quiescere illum iubet Spiritus, cur non lacrymis abstinere, ac tantisper quiescere præcipit? sed non erit diu in hac quæstione hærendum, desines sanè mirari, si consideres facilè esse, & periucundum spiritu Dei impellente, vincula, & labores propter Christum ferre. Cùm enim Spiritus Sanctus amor sit, qui per spiritum ad patiendum impellitur, quasi per amoris manus libenter ac summo gaudio, & inflāmato studio ad vincula rapitur, & verò non aliam in labore requiem, non aliam in æstu temperiem, non aliud in fletu solatium exoptat, quàm grauiora semper pro Christo subire tormenta.

Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi] Hoc interest, inter bonos & malos, inter sanctos, & peccatores, quod illi carcerem vertunt in templum Dei. hi de templo faciunt prostibulum, & dæmonis carcerem. Eccè tibi coniectus cùm esset Ioannes in vincula, audiebat opera Christi, commendabat illa discipulis; non secus ac si in domo Dei esset, ita de Deo, & audiebat, & sermones miscebat; ita de se testatur Dauid: cùm enim persequeretur illum Saul, versari compellebatur inter siluas, rupes, & altissimos mōtes, nec licebat Dei templum adire, & tamen in inuijs illis, ac vastissimis locis, vbi vitam cum feris degebat, Dei sui non obliuiscebatur, cui, quasi in templo coram præsens adesset, vota offerebat, & preces, & loco sacrificiorum cor contritum, & humiliatum immolabat. *In terra,* inquit Psal. 52. 2. 3. *deserta, & inaquosa sic in sancto* (sicut in Sanctuario) *apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* Contra verò de malis audi quid scribat Ezech. 8. 14. *Et ecce,* inquit, *ibi* in introitu templi *mulieres sedebant plangentes Adonidem.* erat Adonis fœdissimus, & spurcissimus mortalium, ac proindè veneris amicus. Vtinam non essent inter Christianos adhuc qui inter Adonides, & Veneres, dum sunt in domo Dei, turpiter versarentur. an nō sunt, quis credat? qui dum illibatum illud Missæ Sacrificium Deo Patri offertur, dum sacris Concionibus intersunt; vel lasciuis aspectibus, vel signis impudicitiæ clarissimis, vel verbis inhonestis turpissimè vacent? An non istos rectè dixeris templum Dei in turpissimas vertere tabernas? vbi nunc qui Sanctissimo Dei zelo accensi, quasi facto de funiculis flagello, exemplo Christi de templo istos eijciat, & in eos acriter inflammatus liberè moneat, domū Dei domum esse orationis; quam tamen isti per summum scelus speluncam volunt esse latronum? sed ad alia pergamus.

3. Discrimen inter pios, & impios.

Mittens duos de discipulis suis] docet nos hic suo exemplo Ioannes, cui parentes filios suos nutrire debeant, Christo nimirum; ad quem præceptores discipulos mittere debeant; ad quem Domini famulos & ancillas, & amici amicos, & socios, nimirum ad Christum. ita Ioannes non sua quærebat, sed quæ Christi erant. nec se sequi discipulos suos, sed Christum volebat. Contra atque hæretici faciunt, de quibus Paulus (Actor. 20. 30.) *ex vobis ipsis,* inquit, *exsurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.*

4. Ioannes exemplar boni parentis.

Est & aliud quod hic ex Ioanne discamus:

5.

quanto nimirum amore Sancti ſpirituales filios perſequantur, quos Chriſto tantis laboribus pepererunt. nihil nō agebat Ioannes; nullum lapidem non mouebat, vt diſcipuli, id eſt, filij cariſsimi fidem Chriſti & doctrinam aſſequerentur. Illum Meſsiam, illum Dei filiū agnoſcendū, ſe verò nihil eſſe, niſi vocē affirmabat. ſic Paulus ad Galat. 4. 19. quanto amoris ſtudio diſcipulos quos Chriſto acquiſierat, amaret, eorumque ſalutem quæreret, oſtendit: *Filioli*, inquit, *quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis*. excedebat Pauli amor amorem Patris in filios. cùm enim matres plus ament filios, quā patres, quæ grauiſsimos expertæ sūt dolores in filiorum partu, ideò merito ſe cum matribus comparat, dum illos ſe parturire fatetur. imò verò ipſarummet matrum exſuperabat amorem Pauli amor. quæ eſt enim Mater quæ iterum ac tertiò, cum dolore pariat filios? at Paulus non ſemel; ſed iterum ac tertiò, & quartò illos parturiebat, dum nec laboribus, nec nauigationibus, nec itineribus parceret, vt in illis CHRISTVS formaretur. quot ille propterea adiuit pericula? quoties vitam in diſcrimen adduxit? quoties huc illucq; excurrebat, vt illos adhortaretur, animaret verò eos, qui anguſto erant corde, negligentes excitaret, corroboraret iam lapſos, conſolaretur afflictos, firmaret debiles confirmaret fortes? Narrat Ioan. Apoc. 12. 1. 2. vidiſſe ſe ſignum magnū in cælo mulierem amictam ſole, prementem pedibus lunam, quæ capite coronam 12. ſtellarū geſtaret, fuiſſe verò grauidam, *& in vtero*, inquit, *habens clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pariat*; hanc mulierem iuxta cōmunem interpretum expoſitionem non dubium Eccleſiam eſſe; quæ quoniam cæleſtis eſt, hoc eſt, cæleſtem vitam agit, & in terris quaſi peregrina verſatur, merito in cælo videtur. Sancti enim Dei homines qui ſunt in Eccleſia lingua, morbus, affectu ſe de cælo eſſe oſtendunt; his enim tribus cuias ſit quiſpiam dijudicari ſolet. etenim ſi de lingua loquamur, *qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur*: & ver. 34. *quem miſit Deus, verba Dei loquitur* Ioan. 3. ſi de moribus, *noſtra conuerſatio*, inquit Paul. *in cælis eſt*. ſi de affectu conſtat ſanctos amare cæleſtia, de cælo pendere totos, nihil verò iſta curare. *Amicta ſole*, dicitur Eccleſia, quia Chriſto circumdata, vt Spōſa Sponſo, Cant. 2. *læua eius ſub caput meo, & dextera illius amplexabitur me*. Iterum, eſt *amicta ſole*, id eſt, Chriſto tanquam veſtimento induta, *quicumque*, inquit Paulus Galat. 3. 27. *baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. eſt autem Chriſtum induere, eius virtutes imitari. Premit pedibus lunam, quæ inconſtantiæ ſymbolum eſt, vt Eccleſiæ ſtabilitas, & immobilitas appareat, & ſimul quod terrena omnia contemnat, oſtendatur. Duodecim verò ſtellarum corona, eſt duodenarius Apoſtolorum numerus, qui Eccleſiā in modum Coronæ circumdat. vt ergo indicetur quantis laboribus educentur Eccleſiæ filij, quanto ſtudio foueantur, quanta diligentia curentur, quantis vigilijs cuſtodiātur; Rectè dicitur Eccleſia parturiens cruciari. hanc ergò ſolicitudinem matrum in filios repræſentat hic nobis ad viuū Ioan. dum in medijs carceris laboribus, & vinculis filiorum, hoc eſt, diſcipulorum curam gerit, dum illos ad Chriſtum mittit, dum eorum tanto ſtudio ſalutem quærit.

Eccleſia cæleſtis quomodo.

Ex tribus cognoſcitur omnis homo cuias ſit.

A

Hinc intelligere eſt maximum eſſe peccatum illorum, qui homines à Deo auertunt. & verò vix explicari poteſt quantopere ſceleſtos iſtos homines deteſtetur Deus, iſti ſunt qui in *cathedra peſtilentiæ* ſedent, vel vt LXX. Pſal. 1. 1. legunt, in *cathedra λοιμῶν*, id eſt, *peſtium*, hominum videlicet peſtilentium, qui alios inficiunt, cuiuſmodi ſunt maximè hæretici, qui de cathedra docent impia dogmata; ceteriq; ijs ſimiles, qui malo exemplo & verbis docent alios, à Deo vero deficere, & ad diaboli caſtra transfugere, & de Dei filijs faciunt gehennæ filios. vt ergò eorum exaggeretur crimen, peſtes nominantur. alij habent *diriſorum*, qui deridēt eos, qui virtutem amplectuntur.

6. *Peccatum eorum qui homines à Deo auertunt.*

B

Sed neſcio quid grauius hac in parte dici queat, quā id, quod apud Oſeam c. 5. 1. 2. legimus: *audite hoc ſacerdotes, & attendite domus Iſrael, & domus Regis auſcultate* (omnes vocat ſacerdos, populū, regem denique ipſum, eiusque domeſticos, & cōſiliarios, vt ſimul audiāt quid fecerint, & cur tradendi ſint inimicis) *quia vobis iudiciū eſt* (veſtram damnationē, ſeu iudicis ſententiā vobis aperiam) *laqueus facti eſtis ſpeculationi* (officio veſtro ſpeculandi, hoc eſt regēdi, & docendi populū, non tales fuiſtis, quales vos decebat eſſe, ſed venatores potius facti eſtis & laqueus. ſic Hieron. niſi mauis per ſpeculationē, prophetiam intelligere, quaſi dicat,

7.

C

Prophetis, verum docentibus. laqueus facti eſtis) *& rectè expanſum ſuper Thabor* (irretiſtis populū, & vt in idololatriā, & peccata multa laberetur auctores ipſi fuiſtis) *& victimas declinaſtis in profundum, & ego eruditor eorū* (q. d. vehementer, & admirādum in modum auocaſtis homines, ab offerendis Deo ſacrificijs in Hieruſalem; cùm enim eò irent homines, vt Deo ſacrificarent in tēplo Dei, intercipiebant illos, eisque ſuadebant vt libarent idolis: cùm tamē ego, inquit Deus, nō ceſſarem eos per Prophetas, quos mittebam, à falsò idolorum cultu abducere. Vide igitur quantum deteſtetur Deus harum peſtium crimen.

8. *Supplicia malorum doctorum.*

D

Audi nunc breuiter minas, hoc eſt, ſupplicia, quæ paulò pòſt ver. 5. Deus minatur; *& reſpondebit*, inquit, *arrogantia* (ſuperbiæ pœna) *Iſrael in facie eius*; quaſi dicat, non abibit impunitus, ſed deprimetur, & humiliabitur eius ſuperbia ex Hierony. eo vidente. Etenim reſpōſio culpæ pœna eſt. cùm autem multa enumeraſſet ſupplicia, quibus illos ob maleficia, quibus homines inficiebant, afficere decreuerat, inter alia hæc tria horrenda ſatis grauiter intentat: quorum primum eſt, verſiculo decimo, *ſuper eos effundām quaſi aquam iram meam*; tanto impetu irruam ſuper ipſos velut torrens multis imbribus & niue exaſperatus: vel ſenſus eſt, effundam irā meam, ita vt ex ea nihil in me remaneat, ſed tota feratur in vltionē, ſic. n. vult vehemens ſupplicij oſtendere. eſt enim metaphora ſumpta ab aqua, quæ è vaſe effunditur; oleum. n. aut mel ſi effundas, quia tenax eſt, non omninò effundis, cū contra aqua penitùs effundatur, vt Pſa. 21. 15. *effuſus ſum*

ſicut

Digitized by Google

ſicut aqua, id eſt, totum meum ſanguinem ſparſerunt, & Gen. 49. 4. *effuſus es ſicut aqua*, id eſt, totus in libidinem effuſus.

9. Alterum verò ſupplicium illis verbis continetur, ver. 12. *& ego quaſi tinea ephraim, & quaſi putredo domui Iuda*: ſententia eſt, omnes diſperdam paulatim, verùm aliquos celerius vt tinea ſenſim. veſtes conſumit, licet aliquanto celerius, quàm caries, ſeu putredo ligna conſumat. ſic ſupplicium Iuda extractum eſt in aliquot annos poſt ſupplicium Iſraëlis. Paulatim autem afflicturum ſe dicit, vt det eis pœnitentiæ locum. Quod ſi non reſipuerint, conſumpturum omnino minatur. Eſt nonnullis Deus vt tinea, qui grauius peccant, & citius conterendi, conſumendique ſunt, inquit Ribera in hunc locum; alijs vt caries, quos leniter arrodit, modo honore, modo re familiari, interdum filijs ademptis & arctiſſima neceſſitudine coniunctis; modo perſecutionibus immiſſis, ad benefaciendum celer, ad puniendũ tardus, ita vt quos punire acerbius nollet, dum lenta quadam pœna, & acerba minus, hic punire videtur, magis prouocet ad pœnitentiam. peccantem Dauidem diu tolerauit (2. Reg. 12.) ſed poſt magna peccata cõfitentem celerrimè ſanauit. ſex diebus mũdum vniuerſum, & omnia quæ in eo ſunt condidit, & vrbem vnã Ierichuntem nonniſi poſt ſeptem dies diruit, idque poſt circuitum bellatorũ ſemel per diem, & poſt buccinarum clangorem, vt ſic quotidiè admonerentur ciues, & ad pœnitentiam vocarentur. qua de re quia pulchra quædam ſcribit Chryſoſt. homil. 5. de pœnitentia, plura non adijciam.

10. Tertium porrò ſupplicium, quod auertentibus à virtute homines minatur Deus, ver. 14. habetur, *quoniam ego quaſi leæna ephraim, & quaſi catulus leonis domui Iuda*. vbi atrocitatem, & celeritatem iudicij aduerſus eos oſtẽdit: qui moniti, & ſupplicijs correpti adhuc peruertere puſillos pergunt; ijs enim minatur ſe futurum in morte quaſi leænam, & ceu leonem. *ego, ego*, inquit, *capiam & vadam, tollam & nõ eſt qui eruat*; ego & non alius, quaſi leæna, & quaſi leo prædam rapiam, nec mihi eam quiſquam eripiet. Videant igitur peſtilentes iſti homines, & expendant diligenter quàm atroces pœnæ illos maneant, & paulatim illos Deum ad pœnitentiam adducentem ne contemnant.

11. Et verò ob oculos habeant quæ Chriſtus Dominus contra iſtos grauiter promulgauit, Matt. 18. 6. 7. *Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. væ mundo à ſcandalis neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala: veruntamen væ homini illi, per quem ſcandalum veniet.* Vbi obſeruandum quod acutè Chryſoſt. notat homil. 18. ex varijs in Matth. locis, ne inter ſcandala mundi pereamus; *ſcandalum*, inquit, *non venit niſi in terreno mundo: væ mundo, hoc eſt, terreno loco à ſcandalis. vis non tibi venire ſcandalum? noli eſſe terrenus. Propterea dico, mundus terrenus ſcandalum habet, terra iſta neceſſe eſt vt habeat ſcandalum. noli portare terrenum, ſed cæleſtem, & ſcandalum non habebis.*

12. *Mittens duos de Diſcipulis ſuis ait illi, tu es qui venturus es?* &c.] Vehementer optabat Ioannes, vt Chriſtus ſe mortuo, Meſsias vt erat, ita ab hominibus haberetur, & incredibili quodam dolore angebatur quod ſeipſum homines falsò Meſsiam arbitrarentur, & quantum poterat contendebat, vt hac falſa de ſe opinione depoſita ipſe minueretur, creſceret Chriſtus, hæc frequenter populo, hæc ſubindè diſcipulis reuocabat in mentem. Cùm autem nunquam antea (quod legamus) auſus fuiſſet petere à Chriſto, vt ſe mundo qualis eſſet, aperiret. nunc cùm ſe vinculis conſtrictum cernit propter Chriſtum, non dubitat miſsis diſcipulis apertè petere, nempè vt ſe ipſe declaret, oſtendatque hominibus quod Meſsias ſit, olim Patribus promiſſus & Dei filius in mundum, in omnium ſalutem miſſus. Etenim eum animum addebant, eam fiduciam gignebant illi vincula, & tribulationes ipſæ, quas pro Chriſto patiebatur: hæc enim eſt vis tribulationis, quam pro Deo ſuſtinent iuſti, vt faciat illos credere, facilè ſe omnia obtenturos, quæcumque petierint.

(eximis ſtudium erga Chriſtum.

Quam rem Oſeæ cap. 2. 15. ſignificatam eſſe 13.
his verbis non dubio: *& dabo ei vinitores ex eodem loco* (ex gente ſua dabo ei cuſtodes, & Magiſtros, & Apoſtolicos viros) *& vallem Achor ad aperiendum ſpem* (tribulationibus quandoque exercenda erit Eccleſia, quibus non parum eius ſpes corroborabitur. vbi aduerte *Achor* turbationem, & afflictionem ſignificare: Eſt verò vallis in qua lapidibus petitus, & obrutus eſt Achan Ioſu. 7. qui, quod contra Dei voluntatem furto quædam ſubtraxerat, vehementer populum turbauerat, & in maximam trepidationem, terroremque adduxerat; vt meritò illi Ioſue dixerit: *quia exturbaſti nos, exturbet te Deus in die hac, vocatumq; eſt nomen loci illius, vallis Achor.* hæc porrò turbatio, populique tanta trepidatio, illo extincto repentè in gaudium verſa eſt, victa, expugnataque Ahi. hinc factum eſt vt vallis Achor, hoc eſt, perſecutiones, & calamitates dicantur, à Deo dari, vel permitti ſanctis, vt ipſorum ſpes magis, ac magis ſtabiliatur, ac confirmetur; vt vel ſic conſtet, vallem Achor ſpei oſtium Sanctis aperire. ſic enim vertit Symmacus; *& dabo vallem Achor in oſtium ſpei.* quòd mihi Apoſtolus apertiſsimè declaraſſe videtur Rom. 5. ſcribens: *non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus; ſcientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem, probatio autem ſpem.*

Vallis Achor myſticè explicata.

Memoriæ prodidit D. Hieronym. in epiſtol. quam ad Euſtoch. ſcribit de vita Paulæ, identidem vſurpaſſe illam in tribulationibus, & anguſtijs; verba illa Iſai. cap. 28. *qui ablactati eſtis à lacte, auulſi ab vbre, tribulationem ſuper tribulationem expectate, ſpem ſuper ſpem, adhuc puſillum propter malitiam labiorum.* quem locum ſic illa explicabat: qui iam ſpiritu grandes facti ſunt, tribulationem ſuper tribulationem ſuſtinent, vt ſpem ſuper ſpem mereantur accipere. nos ſic legimus, c. 28. v. 9. apud Iſai. *quẽ docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus, quia manda remanda, &c.*

14.

In quæ verba ait Hieronym. vſurpatam

15. fuisse à Paula translationem LXX. vide illum. sanè hoc vaticinium in Ioanne nũc impletum esse videmus; vir enim erat verè ablactatus à lacte, auulsus ab vbere, quippè qui Angeli potius quàm hominis viuebat vitam. hic ergò in vincula coniectus, & positus in valle Achor canit ibi iuxtà dies iuuentutis suæ. tribulationem patitur, sed non angustiatur, gloriatur in vinculis, canit in tribulationibus, atque adeò spem concipiens eximiam fore, se quod tantoperè optabat obtenturum, legationem hanc ad Christum misit, vt se iam pro Messia exhibeat mundo. Gaudendum est igitur Christiano dum in valle Achor, hoc est, in medijs tribulationum vndis positus iactatur, & spes firma concipienda, quia quicquid piè petet obtinebit à Deo. Tunc maximè orandi tempus & petendi aduenisse cognoscat.

16. *Factis non verbis Christum respondet.* *Euntes renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis*] Non verbis, sed rebus respondet Christus. nam vt Iob. decimoquinto dicitur; nunquid Sapiens respondebit quasi inuentum loquens? Etenim verba facilè ventus secum auehit. sic dixit Dominus Pharisæis interrogantibus Ioannis octauo, si tu es CHRISTVS dic nobis palam. Quid Christus adhæc? opera quæ facio in nomine Patris mei hæc testimonia perhibent de me. Opera Christi miracula sunt, quæ prædixit Isai. facturum Messiam c. 35. *tunc aperientur oculi cæcorum*, &c. Iterùm opera Christi vniuersa mala nostra sunt, quæ non solum ille à nobis depulit, sed super se etiam tulit. ignominiosam subijt ille mortem, vt immortalem ego vitam acquirerem: velo obducti sunt sole pulchriores oculi eius, vt qui oculorum lumine destitutus eram viderem iam: factus est ille pro me surdus & mutus, & non aperiens os suum; vt mihi surdo, & muto ad hauriendam salutem aures aperiret, & ad Dei laudes proferendas tacentia prius ora resolueret: quid plura? reputatus est ipse leprosus, ita vt à planta pedis vsque ad verticem capitis non esset in eo sanitas. non aliam ob caussam, quàm vt me peccati lepra mundaret, & plenæ saluti restitueret.

17. Sed & alia præter hæc non minùs admiranda fuére opera Christi, neque enim ille solum corporibus medicinam adhibuit, sed multò optatiorem, copiosioremque salutem animis tribuit. etenim per eum *cæci vident. palpauimus*, inquit Isai. 59. *sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus: impegimus meridie quasi in tenebris.* aperuit ille oculos nostros, vt peccati fœditatem videremus, quam miseri amplectebamur, & vt cælestia suspiceremus potenter effecit. *claudi ambulant*: filij etenim alieni inueterati sunt, dixerat olim Vates Psalm. 17. *& claudicauerunt à semitis suis.* neque enim lex eam vim habebat vt faceret homines rectè incedere. At Christi ope subuecti, salientes videre est sicut ceruos, claudos. *Leprosi mundantur.* horribili quadam lepra eramus operti ob spurcissimas præsertim, quas sequebamur, carnis voluptates. At vbi cælestis iste medicus ad nos de cælo delapsus est, effudit super nos aquam mundam, & mundari cœpimus ab omnibus inquinamentis nostris Ezech. 36.

A *surdi audiunt*. Cor nostrum posueramus vt adamantem, ne audiremus legem Zachar. 7. At abstulit ille à nobis cor lapideum, & dedit cor carneum, & quia more aspidis surdæ obturatæ erant aures nostræ, spiritu impellente maligno, ideò spiritum suum posuit in medio nostri Ezech. 36. deniq; *mortui resurgunt*: mortui eramus, quia peccato vitam amiseramus; at per Christi gratiam nunc viuentes, immortalem quoque vitam speramus in cælis.

Ergo istis operibus tanquam fulgentissimis 18. anulis Christi manus ornatæ erant; quas eas-
dem Sponsa tanquam hyacinthis plenas, &
& admiratur, & prædicat Cantic. 5. 14. *Manus illius aureæ plenæ hyacinthis.* erant opera Christi tanquã lucidissimi quidam radij, qui à Christo
B tanquam à sole iustitiæ candidissima carnis nostræ nube obtecti, emicabant, quibus latentem sub nube deitatem prodebant. erant sigilla quædam aurea, quibus diuinitatis fulgor, & Messiæ dignitas obsignabatur, iuxtà illud Ioan. 6. *hunc Pater signauit Deus.* neque enim aliud ea opera præstare poterant tanta potestate, quanta ille nisi DEVS foret; neque ea omnia efficere admiranda, quæ apud Prophetas prædicta erant, nisi Messias esset.

Sanè docet nos Christus suo hoc respon- 19.
dendi genere, quo se operibus Christum esse declarauit, quomodo, nos Christianos esse, ostendere oporteat; neque enim Christiani nominis vis, & potestas in nudis, solisq; verbis posita est si Deo placere debet: sed Sanctis
C potius operibus continetur. sic D. Iacobus suæ epistol. cap. 2. 18. docet: *dicet quis; tu fidem habes, & ego opera habeo. ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*: vt sit hæc sententia; dicet quis alteri, qui bonis operibus destitutus est; ostende mihi fidem tuam sine operibus: certè nunquam mihi illam ostendere, & efficaciter probare poteris, interim dum operibus cares. è contrario, qui Christi bona opera exercet omnino se verè Christianum esse poterit declarare; non quod Christianus, id est, fidelis esse non
D possit sine caritate, sed quod Christiani nominis fructum habere sine caritate, & Christum imitari non possit. sed ne longiores simus, de ceteris in sequentibus Digressionibus disseremus.

DIGRESSIO VI.
MORALIS

In ver. 15. *Cœpit de Ioanne dicere ad turbas: Quid existis*, &c.

I. *Ioannes laudatorem habuit Christum.*

ALEXANDER Achillis conspicatus monumentũ, beatum illum fuisse censuit, quod virtutum suarum ac præclarè gestorum tantum meruerit habere scriptorem. Verùm quis non videat, quàm longè hac in parte superior fuerit Ioannes, qui virtutum suarum, qui sanctitatis suæ, & sublimium meritorum non hominem, sed Deum ipsum meruit habere præconem? & vide quam sublimibus laudibus Ioannem Christus cõmendet;

non

non enim contentus est, vel eximiam eius animi constantiam explicasse, quippè non quasi arundo erat, quæ vento agitante in omnem partem inflectitur; vel eius solum pœnitentiæ rigorem aperuisse, & asperum vestiendi genus, vel Prophetam, immò plusquam Prophetam, denique Angelum nominasse; non his inquam contentus est, sed, quod magnoperè admirere, quasi iureiurando, cæteris omnibus præposuit: *Amen dico vobis inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.*

2. *Gloria sequitur fugientem.* Verisimum sanè illud est gloriam eos sequi, qui illam fugiunt. quis verò magis ab hominum laudibus alienus fuit eo, qui sese in abditissimas Iudææ deserti partes abdiderat? qui per tot annos ab ipsa penè infantia hominem non modo allocutus est, sed ne vidit quidem vnquam? qui nihil ferme humanum quæsiuit, sed de cœlo pendens tantum cœlestia, contemplabatur? deniq; qui cùm clarissimos Messiæ titulos sortiri posset, ita prorsus fugiebat, ita prorsus illos auersabatur, vt nihil illi tristius, nihil funestius contingere posset, quàm vt talis haberetur? immò verò summoperè contenderet persuasis etiam discipulis, vt homines Christum cognoscerent, illum Dei filium crederent, non se. quid igitur miramur, si ipse Christus Ioannis laudator esse voluerit? solet enim eorum laudes libenter aperire, & manifestare virtutes, qui seriò præ animi modestia illas occludunt, vt vanas hominum laudes fugiant, soli Deo omnia bona accepta referentes. In mentē nunc venit, quod de Helia 4. Reg. 2. scriptum est. nam cùm illum Deus admirabili curru, atq; immenso honore transferre vellet in cœlum, & è contrario Elias pro eximia ingenij sui modestia, & ingenti animi submissione, vellet decus illud, & quicquid erat honoris, occultum, clausumque esse hominibus, idque omni studio quæreret; vt sequentem Helisæum falleret, nec videretur, cum rapiendus erat in cœlum, dixit Helisæo, *sede hic, quia Dominus misit me vsque in Bethel.* cui Helisæus: *viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te. cumq; descendissent Bethel, egressi sunt filij Prophetarū qui erant in Bethel ad Helisæū, & dixerunt Helisæo numquid nosti, quia hodiè Dominus tollet Dominum tuum à te? qui Respondit: & ego noui: silete.* cumque iterum Helias sequenti Helisæo dixisset: *sede hic quia Dominus misit me in Hiericho*, eadem ille repetijt, *non derelinquam te*, cumque iterum alij accessissent filij Prophetarum, qui erant in Hiericho, & dixissent, *numquid nosti, quia Dominus hodiè tollet Dominum tuum à te?* eadem respondit: *& ego noui: silete.* Denique tertio cum Elias ad Iordanem pergere velle se diceret, iubereréque expectare Elisæum, non acquieuit ille, mirabitur sanè aliquis, quomodo rem hanc occultam esse, & vellet, & iudicaret Helias, quam tamen non ignorabant passim tam multi filij Prophetarum? Verum ilicò conquiescet admiratio, si consideremus, Deum ipsum illis aperuisse rem eam, quam propter humilitatis studium abscondebat Elias tanquam cum sua laude coniunctam. sic cum Beatissima factū est Virgine, quæ cum maternitatis, ac fœcundæ virginitatis laudem occultaret, ac nemini prorsus aperire vellet;

Elia humilitas.

ne B. Mariæ Virg.

A audiuit tamen salutari se matrē Dei ab Helizabetha illis verbis, nec sine ingenti stupore: *vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?* quod cùm negare neq; illa posset, neq; deceret, totam eam laudem in Deum retulit, suauissimū illud canticum occinens; *Magnificat anima mea Dominum.* cōtendit nimirum Deus cum homine, vt quanto magis hic suas virtutes, quæq; ad laudē pertinent, abscondit; tanto ille magis euulget.

Sic igitur verū est quod diximus de Ioanne, q̄ cùm ille propter incredibilē animi submissionem eximium virtutum thesaurum, & donorum quæ à Deo amplissimè acceperat, secretum omninò esse vellet; Christus contra propterea magis aperiret, & verò neque paucis id verbis effecit, vt cùm quibusdam alijs legimus fecisse; laudauit Deus Noe Gen. 7. illis B verbis: *te vidi iustum coram me ex omnibus gentibus.* commendauit Mosen. Nu. 12. *non sicut seruus meus Moyses; ore enim ad os loquor ei.* dixit de Dauid 1. Reg. 13. *inueni hominem iuxta cor meum.* de Paulo: *vas electionis est mihi iste.* De Petro: *Beatus es Simon Bariona.* De Centurione; *non inueni tantam fidem in Israel.* breuiter de his omnibus locutus. Verùm de Ioannis laudibus dum coram multitudine differit, non obscurè insinuant Euangelistæ velut panegyricum quendam eius laudum confecisse, nec laudationem eam paucis concluisse. hoc enim mihi verba illa significant; *cœpit Iesus de Ioanne dicere.* Sed iam quænam fuerint eiusmodi laudes sensim explicemus.

3.

Sed quid existis videre? arundinem vento agitatam?] Enumerat Gregor. lib. 33. moral. cap. 4. C quàm multa in sacris Scripturis arundinis nomine significentur; *in Sacro*, inquit, *eloquio calami, vel arundinis appellatione aliquando verbum manens; aliquando Doctorum peritia; aliquando mobilitas mentis; aliquando nitor gloriæ temporalis accipitur. per calamum quippè Verbi æternitas designatur cùm voce Patris per Psalmistam dicitur: lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis. quia enim quod loquimur transit, quod scribimus permanet; lingua Patris, scribæ calamus dicitur: quia ab eo est Verbum illi coæternum; ac sine transitu generatum. rursum, per calamum scriptorum doctrina exprimitur, sicut de sancta Ecclesia Propheta pollicetur* (Isai. trigesimoquinto, septimo,) *dicens; in cubilibus. in quibus dracones habitabant, orietur viror calami & iunci, qua sententia per calamum exprimitur doctrina scribentium; per iuncum viriditas auditorum. Rursum per calamum seu certè arundinem, mentis mobilitas designatur: sicut Iudæorum turbis in Ioannis laude à Domino dicitur: quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? vt videlicet subintelligatur, non. Ioannes quippè arundo vento agitata non erat: quia eius mentem Spiritu sancto solidam per partes diuersas nullus linguarum flatus inclinabat. Rursum per calamum, vel arundinem, nitor gloriæ temporalis exprimitur, sicut de iustis per Sapientiam dicitur, fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent* (Sapient. tertio, septimo,) *arundinetum namque vitam sæcularium appellat, qui more arundinum per temporalem gloriam foris quasi ad alta proficiunt; sed intus à soliditate veritatis inanescūt. vndè & Iudæorū regnū calamo cōparatur, cùm per Prophetā* (Isai. 42. 3.) *apparente in carne veritatis Domino dicitur:*

4. *Per arundinem multa in Scripturis designata.*

cal. mum quaſſatum non conſtinget; & linum fumigans non extinguet. quid enim calami nomine, niſi Iudaici populi temporale regnum denunciat. virens quidem exterius, ſed interius vacuum. & quia in eodem populo genius iam regale defecerat, & regnum eius alienigena poſſidebat: aptè hoc idem regnum calamum quaſſatum vocat. Incarnatus autem Dominus calamum quaſſatum non confregit, quia Iudæa regnum quod penè deſtructum iam fuerat, eiusq; ſacerdotium, quod ignem fidei non tenebat, non poteſtate iudicij perculit; ſed cum patientiæ longanimitate tolerauit. ergò appellatione calami rectè mentes ſæcularium temporali gloriæ deditæ deſignantur: qui tantum apud ſemetipſos intus inaneſcunt, quatò alti, & nitidi exterius oſtenduntur: quia dum ad exteriorem gloriam per ſuperficiem defluunt, nulla intus firmitate ſolidantur, more quippè calami intus ſunt quidem per fatuitatem vacui; ſed foris per ſpeciem, & oſtentationem pulchri, ſed quantò ab eis exterior gloria ſtudioſius quæritur, tantò eorum corda grauioribus cogitationum ſtimulis agitantur. Sic Sap. Gregor. in quibus, & arundinis notiones moribus applicantur, & proprietates etiam quædam eiuſdem.

5. Sed non minus etiam ad mores accommodatè de arundine differit Ambroſius libro quinto in Lucam: *iure arundini comparantur, in quibus ſolidæ iuſtitiæ nullus eſt fructus, qui forenſibus criniti phaleris, nodis obſiti, vacuo oris ſtrepitu ſonori, nulla ſui vtilitate, frequenti etiam offenſione, intus inania, foris ſpecioſa ſectantur. arundines ſumus, nulla validioris naturæ radice fundati. & ſi leuis aſpirauerit proſperioris auræ ſucceſſus, vagò motu proximos verberamus; inopes ad ſuffragandum; faciles ad nocendum. arundines fluuios amant & nos labentia mundi, caducaq; delectant, tamen hanc arundinem, ſi quis de terræ cuellat plantarijs, & ſuperfluis exuat, & ſpolians veterem hominem cum actibus eius, & ſcribæ velocius ſcribentis manu temperet, incipit non arundo eſſe, ſed calamus, qui præcepta cœleſtium Scripturarum penetralibus mentis imprimat, tabulis cordis inſcribat; de quo calamo habes dictum* (Pſalmo quadrageſimoquarto) *lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis: quod da Chriſtum alij referre volunt. vno igitur loco & Verbum, & calamus legitur, & ſcriba, verbum, quia de genitali Patris proceſſit arcano; Eructauit cor meum verbum bonum. calamus, quia caro Chriſti paternæ ſeriem voluntatis expreſſit, & linguæ mandata diuinæ ſacri effuſione cruoris impleuit. Scriba, quia calamo ſuo diuidua quadam diſtinctione noui, & veteris Teſtamenti, vel diuinitatis, & carnis, paternæ nobis diſpoſitionis myſteria reuelauit. hunc calamum imitare tuæ carnis temperamento.* Sic Diuus Ambroſius.

6. *Arundinis quatuor proprietates, hominibus certis accõmodatæ.* Porrò ex his Patribus quatuor præcipuas arundinis proprietates colligere eſt, & ad mores accommodare. Sunt enim arundines talis naturæ vt ſi vel leuis aura attingat, inflectat in alteram partem: ſunt intus vacuæ, & inanes; ſunt infructuoſæ; & denique fluminibus, aquiſque fluentibus gaudent.

Eccè tibi in his depictam mundani hominis imaginem. In primis qui fluxa hæc, atque caduca diligit, terrenarum rerum amore facilè in quodlibet peccatum præceps ruit. quod ſi interdum horrore futurorum ſuppliciorum concuſſus bonam mentem recipit, & conſilia cõcipit meliora, mox rapiente rerum caducarum ſtatu ad priſtinam mentem reuertitur, & quod ſalubriter emendare decreterat, omittit; quos meritò cani ac ſuibus comparaueris, ſecutus Petrum epiſt. 2. c. 2. 22. vbi ait: *contingit eis illud veri prouerbij; canis reuerſus ad vomitum ſuum: & ſus lota in volutabro luti*, hoc eſt, in volutabrum luti reuerſa, quæ tamen prius aqua munda aſperſa eſſet. eſt enim Græcè *ad volutabrum luti vel ſus lota, in volutabro luti rurſum harens.* Sic meritò ſimiles canibus & ſuibus iſti ſunt, qui terrenis affixi hærent: quorum vel acquirendi ſtudio, vel amittendi timore, peccatum, quod inſtar vomitus antea euomuerat, iterum recipiunt, & ad lutum vitiorum, quod priùs per pœnitentiæ lacrymas eluerant, rurſum reuertuntur.

Sunt deindè (quæ altera erat arundinum proprietas) qui terrenis rebus ſtudent internæ contemplationis dulcore priuati, pinguedine deuotionis cœleſtium rerum affectu carentes, & vacui; vndè etiam leues exiſtunt in arundinis modum, quæ medulla caret, & pondere; cùm contra mundi contemptorum, & cœleſtium virorum mentes plenæ ſint ſanctarum cogitationum ſucco, & internæ conſolationis dulcedine refertæ, ſolidarumque virtutum pondere conſtabilitæ. Sic Philo ille diſertiſſimus in libro allegoriarum legis cùm de Moyſis manibus loqueretur, aſſeruit: eſſe *Moyſis manus graues; nam cùm hominis mali actiones ſubuentaneæ, leueſq; ſint, meritò ſapientis graues habentur, immobiles, inconcuſſaq;, ideoq; fulciuntur ab Aarone, ratione, & ab Or, lumine; quod nulla lux ſit clarior quàm veritas. vult igitur Scriptura figuratè docere te, ſapientis actiones fulciri veritate, rationeq;.* ſic ille allegoricè explanans locum illum Exodi decimoſeptimo, Aaron, & Vr ſuſtentabant manus eius (Moyſis) ex vtraque parte. Prudenter autem dixit, manus Moyſis, id eſt, ſapientis viri, hinc indè ratione, & veritate fulciri; nam rerum cœleſtium veritas attenta ratione comprehenſa hanc habet vim, vt actiones noſtras quaſi quodam maturitatis pondere graues, & conſtantes efficiat. 7.

Quam verò aptè tertia conditio arundinis mundi amatoribus congruat, is tantum ignorat, qui bona opera ſolos, & veros fructus eſſe negat. etenim qui fluxis ac labentibus rebus addicti ſunt, ſolidos virtutum fructus gignere paruipendunt, tantum vitijs, & peccatis vacant, vt non mirum ſit quod omni fructu deſtituantur. 8.

Amant quidem arundines, ſicut, & ſalices flumina, quæ quarta erat earum conditio, ſed non propterea fructum aliquem afferunt, quibus ſimiles ſunt homines, de quibus loquimur. 9.

Babylonis ij flumina diligunt, hoc eſt, illos labentia mundi, caducaque delectant, vt ex Ambroſio ſuperius notauimus numero quinto, ſed ſine fructu exiſtunt. Sunt autem teſte Auguſtino Pſalmo centeſimo trigeſimoſexto, Babylonis flumina omnia quæ hic amantur, & tranſeunt. graues ſanè, & conſtantes viri hæc flumina, vel fugiunt penitus, vel mæſti iuxta illa ſedent, & flent, dum cœleſtis Patriæ memores exules ſe in hac

lacry-

lacrymarum valle conſpicantur, vt ijs olim accidit, qui longè poſiti à patria ſedere ſuſpenſis organis iuxta flumina Babylonis cogebantur; & interim non ſine lacrymis canebãt: *ſuper flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur Sion.*

Rigantur, inquit Auguſtinus, de ſalicibus loquens, *hæc ligna de fluminibus Babyloniæ, & nullum fructum ferunt. Sicut ſunt homines cupidi, auari, ſteriles in omni opere bono; ita ciues Babyloniæ, vt etiam ligna ſint illius regionis, ex iſtis voluptatibus rerum tranſeuntium paſcuntur tanquam irrigata à fluminibus Babyloniæ, quæris fructum, & nunquam inuenies.* Sic Auguſt.

10. Ioannes igitur quia conſtans erat, quia Spiritu Sancto plenus, quia fructuoſus erat, quia à rebus hiſce caducis ita auulſus erat, vt Angelus potius quàm homo videretur; meritò arundo non erat. Sed iam gradum ad aliud eius præconium faciamus.

Mollia veſtimenta quantum noceant.

Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus, &c. Chryſoſtomus homilia vigeſima nona in epiſtola ad Hebræos: *aduerte*, inquit, *Chriſtum dicentem: qui mollibus veſtibus induuntur, in domibus Regum ſunt. qui verò non habent talia veſtimenta in cœlis ſunt. molle namque veſtimentum etiam ſeueram animam diſſoluit, diffundit, & frangit; etiam ſi aſperum habeat corpus & fortè, citius per delicatam conuerſationem molle perficitur. nam vndè putatis, aut ex quali ratione mulieres ſic eſſe debiles, & infirmas? num ex conditione ſexus tantum? nequaquam; ſed etiam ex conuerſatione, & educatione. quod.n. ſub vmbraculis degunt; quod oleo vnguntur; quod frequentibus lauacris vtuntur; quod aſſiduè vnguentis, & aromatibus perfunduntur, & iacẽt in ſtratis delicatis, hoc eſt, quod eas tales efficit.*

11. Sed accipe Diui Gregorij de veſtimentorum mollitudine veriſsimam, clariſsimamque ſententiam homilia ſexta in Euangelium. *Adhuc*, inquit, *de Ioannis ſanitate ſubiungitur, quid exiſtis in deſertum videre? hominem mollibus veſtitum? Camelorum etenim pilis contextis veſtitus Ioannes fuiſſe deſcribitur. & quid eſt dicere: Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt: niſi aperta ſententia demonſtrare, quia non cœlesti, ſed terreno Regi militant hi qui pro Deo perpeti aſpera fugiunt, & ſolis exterioribus dediti, præſentis vitæ mollitiem, & delectationem querunt. nemo ergo exiſtimet in fluxu atque ſtudio pretioſarum veſtium peccatum deeſſe. quia ſi hoc culpa non eſſet, nullo modo Ioannem Dominus de veſtimenti ſui aſperitate laudaſſet: ſi hoc culpa non eſſet, nequaquam Paulus Apoſtolus* (primæ, Timotheorum ſecundo,) *feminas à pretioſarum veſtium appetitu compeſceret, dicens, non in veſte pretioſa. penſate ergò quæ culpa ſit, hoc etiam viros appetere, à quo curauit Paſtor Eccleſiæ, & feminas prohibere.*

12. Pergit Gregorius, & alteram expoſitionem horum verborum aſsignat: *quamuis hoc Ioannes non eſſe veſtitus mollibus dicitur, per ſignificationem intelligi, & aliter poteſt. mollibus enim veſtitus non fuit, quia vitam peccantium non blandimentis fouit, ſed vigore aſperæ inuectionis increpauit dicens: genimina viperarum, quis vobis demonſtrauit fugere à ventura ira? Vndè & per Salomonem dicitur* (Prou. 22.) *verba ſapientium quaſi ſtimuli, & ſicut claui in altum defixi. clauis quippè atque ſtimulus, ſapientum verba comparantur, quia culpas delinquentium neſciunt palpare, ſed pungere.* Sic Gregorius.

13. Qui etiam epiſt. 39. lib. 9. affert & tertium ſenſum eorundem verborum, dicit enim per ſignificationem eos mollibus veſtitos eſſe, qui adulationibus, ac laudibus delectantur.

14. Cæterum & Iſidorus Peluſiota libr. 1. epiſt. 74. de veſtitus mollitia ſic ſcribit; *quod veſtitus mollities, & ſubtilitas, coloráq; elegans, religioſæ ac Deo gratæ exercitationis regulam minimè ſeruent, Theologum Ioannem interroga, Domini tunicã deſcribentem; ac tibi dicet; Erat autem tunica eius inconſutilis deſuper contexta per totum. Quis autem veſtis illius vilitatem ignorat? vt qua Galilæorum pauperes vtantur. apud quos etiam maximè huiuſmodi veſtis genus fieri ſolet, arte quadam, vt pectoralia, retractim conſutum. Audi etiam Matthæum, cùm de Ioanne Baptiſta verba facit, ac tibi dicet: ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum ex pilis camelorum. Vide item illum animi magnitudine præditum, ac diuino ſpiritu afflatum Lucam, Herodis faſtum narrantem* (Actor. 12.) *atque eam, qua indutus erat veſtem traducentem; eoſq; qui mollia indumenta gerunt, in regum domibus verſari dicentem* (cap. 7.) *at huiuſmodi veſtimenta ſpirituali illo talamo, fulguris in modum rutilante, minimè digna ſunt. quamobrem ſi huius deſiderio teneris, vilem Dei noſtri Ieſu veſtitum imitare. nam mollities, præſentis laſciuiæ eſt, non cœleſtis ſplendoris.* Hæc Iſidorus.

Chriſtiani hominis veſtitus qualis eſſe debeat.

15. Et verò qualis debeat eſſe Chriſtiani hominis veſtitus, & quantum diuerſus à cultu, & veſtitu mundanorũ hominum myſticè deſignat Ioannes in Apoc. nam cap. 12. 1. ſic Eccleſiam deſcribit; *Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* hic Eccleſiæ filiorũ ornatus eſt, nõ è terra petitus, ſed è cœlo deſumptus, caritatis, cæterarumq; virtutum in modum ſolis ſplendente amictu amiciant ſe Chriſtiani, matrem Eccleſiam imitantes; pedes rerum caducarum, ac mobilium contemptu muniant, quæ per lunam rectè ſignificantur; caput verò, hoc eſt, ſupremam animi portionem, tanquam fulgentiſsimis ſtellis, ſic fidei luce circumdent. At verò capite 17. 4. Babylonem meretricio ornatu ita depingit; *mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurato auro, & lapide pretioſo, & margaritis*, ſic de terra terreni homines emendicatis veſtibus ornari ſe putant, quæ tandem tineis corroſæ, & putredine conſumptæ deficiunt breui, & conſpurcantur. Babylonem ſequuntur mulieres, quæ meretricio potiùs habitu totos ſe dies expoliunt, & auro, atque argento onerant potiùs corpora, quàm ornant. neq; iſtæ Eccleſiæ filiæ, ſed potiùs Babylonis ciues ſunt dicendæ. non ſic docuit Tertullianus Chriſtianas feminas prodire ſub finem libri de cultu feminarũ: *prodite*, inquit, *medicamentis, & ornamentis extructæ Apoſtolorum, ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & ſpiritus taciturnitate, inſerentes in aures ſermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Chriſti, caput maritis ſubijcite; & ſatis ornatæ eritis. manus lanis occupate, pedes domi figite, & pluſquã in auro placebunt. veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpura pudicitia. taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.* Hęc Tertull. de interno Chriſtianarũ mulierum cultu; quem vtinã nunc Chriſtianæ matronæ, & Virgines imitarentur; ſic

enim

enim fieret, vt non deperditè amarent aurum, gemmas, lapillos, & cæterum muliebrem mundum, quo dum lasciuis hominibus placere student, probos offendunt, & quod caput est, Deo displicent: & cùm externa sectentur, omni prorsus interiore cultu destituuntur.

16. *Vestitus Ioannis Bapt.*

Talis erat exterior Ioannis vestitus, qui ad pœnitentiam homines prouocaret, & inuictum animi robur ostenderet, eximium, & incredibilem verò in interiori homine ornatum, vel illo tacente, prædicaret. *habebat*, inquit Matth. cap. 3. *vestem de pilis Camelorum*, & Marcus cap. 10. Ioannes. ait: *erat vestitus pilis Cameli*; quod vestimenti genus non flaccidum, non mollem, non delicatum, sed fortem, virilem, constantem hominem refert. induerat enim eum Dominus fortitudine, & præcinxerat eum virtute. Proditum est memoriæ gentiles quosdam Imperatores, vt in numerum Deorum ab hominibus referrentur, vestisse se aliquando ferocium leonum, ac similium bestiarum pellibus, quo vestitu diuinum quoddam robur, & plusquam humanam faciem ostenderent. sic cæca illa gentilitas Herculem suum depinxit leonis spolio indutum tanquam virtutis insigni, quo cum se induisse videret Diogenes Philosophus quemdam effeminatum iuuenem, & mollem, qui malebat videri Hercules, quàm esse, illum suggillans acutè dixit: virtutis spolium ne vituperes. Sed hæc quæ de Herculis virtute dicuntur, & de insano Imperatorum appetitu, quo inter Deos connumerari volebant, inania sunt, & vana. at Ioannes, non vt Deus haberetur, sed vt Deo placeret, quinque vel sex circiter annos natus, horribili cilicio purum, & parum illud corpusculum circumuestiuit; quo factum est, vt insuperabile animi robur, & fortitudinem fuerit adeptus, dignam, quæ ore Dei commendaretur. sic Elias in Scripturis fortissimus quidem describitur contra Achab, sed tamen *vir pilosus, & Zona pellicea accinctus renibus* 4. Reg. 1. dicitur, vt intelligas quantum ad virtutem animi conferat asperum vestiendi genus. Ioannem, & Prophetas imitati sunt, qui posteà circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, vt deploranda sit nostrorum temporum mollities, atque adeò animorum effeminata imbecillitas, & dissolutio. Sed ad alia transeamus.

Gentilium quorundam Impp. stulta ambitio.

Diogenis Apophthegma.

Ioannis austeritas à pueritia.

17. *Victus Ioannis.*

Sed præter vestium, admirandum etiam erat in Ioanne comedendi genus, vt non minus asperum, ita non minus ad eius laudes pertinens; quod Dominus tacitè comprehendit sub non molli vestitu; neque enim qui vestitus asperitate mollitiem tantoperè fugiebat, in comedendo eam sequebatur. qua de re Euangelistæ testantur, non alium illi fuisse cibum, quàm locustas, & mel syluestre; & Christus ipse alibi affirmauit, venisse Ioannem, neque manducantem, neque bibentem, vt meritò ille idem Isidorus Peluſiota, de quo superius, sic de Ioanne scripserit epist. 132. *quibus ex rebus singularem quamdam, ac penè incredibilem corporis afflictationē Ioannes præseferebat; vt qui non inedia duntaxat, verùm etiam victus asperitate omnem corporis appetitionem amaram redderet.*

18. Neque hic silentio præteribo, non austerum tantum fuisse Baptistæ cibatu[illegible]d & mysticum, ac symbolicum eti[illegible] etenim si eo victus genere significatum[illegible]e dixero, id quod de Ioanne Zacharias [illegible] vaticinatus fuerat: *& tu puer Proph[illegible]ssimi voca-beris; præibis enim ante faciem D[illegible]parare vias eius, ad dandam scientiam salut[illegible]eius, in remissionem peccatorum eorum*, &c. [illegible]certè omninò absurdi dixisse videbor. Quod vt explicem; rogo lector in memoriam reuoca, id, quod Act. decimo narratur: cum enim vidisset D. Petrus cœlum apertum, & submitti de cœlo in terram linteum quoddã magnũ, & peramplum in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli; dici etiam sibi audiuit, vers. 13. *surge Petre, occide, & manduca.*

Mystica Ioannis cibatus.

Quo sanè visu non aliud significabatur, quàm sceleſtos homines, & impios, etiam, qui inter gentes connumerabantur, & in morem serpentium, & belluarum viuebant, mox venturos esse ad Ecclesiam, & similes atque æmulatores Apostolicorum virorum esse futuros. Hoc enim est impios comedere, illos in sui similitudinem conuertere; quemadmodum, qui cibo aliquo vescitur quamuis vilissimus sit, in sui tandem illum naturam transfert: sic significabat Petro Spiritus sanctus, affore iam tempùs cum per ipsos Apostolos ad fidem Euangeli venirent gentes idololatræ, & in Apostolicos viros transferrentur. Idem hic ego locustas Ioannis aptè repræsentare affirmo. Etenim *locustarum* nomine rectè multitudo quædam impiorũ, ac sceleſtorum hominum in Christum, eiusque seruos irruentium designatur. quod negare non potest, qui Prophetas legerit, præsertim verò Amos Prophetam capite septimo, vbi iniquorum exercitum multitudini locustarum cuncta vastantium, comparat.

Impios comedere quid.

Locustarum nom. quid significet.

Rectè igitur dicemus mysticè significari per locustas, quas comedebat Ioan. peccatores ac sceleſtos homines, quos ad pœnitentiam sua prædicatione trahebat; sic. n. illos sibi similes efficiebat, dum eos præparabat; & hæc quidem de locustis aptè quadrant.

19. *Mel syluestre mysticè explicatur.*

Verùm quid de melle syluestri dicemus? quid hic mysticum, quid symbolicum continetur? certè multò dulciſsimum, & altiſsimum mysterium in hoc melle reconditum est. quod vt intelligas non indiligenter animaduerte, lector, mel hoc syluestre genus quoddam mellis fuisse, de quo suo loco à nobis dictum est. p. 1. libr. secundo, cap. 1. Schol. num. 39. non defuisse tamen aliquos vt notat Beda de locis sanctis capite decimoquarto, qui dicerent, fuisse illud cuiusdam arboris folia quædam, ampla illa quidem, & quæ lactis colorem referrent; quæque mellis saporem, quendam deguſtanti præberent. Vide eundem in caput quartum Matthæi, quomodo aptè & idoneè per mellis huius, & lactis societatem diuinæ Incarnationis mysterium intelligi poterit. de quo etiam illud à nonnullis saltem mysticè intelligitur de Beata Virgine: *Mel, & lac sub lingua eius*, Canticorum 4. 11. ipsa enim nulli vnquam hominũ tam excelsum mysterium, quod in se diuini spiritus operatione perfe-

Digitized by Google

perfectum fuerat, aperuit, antequam illud Deus per Elizabetham aperiret. quoniam verò quæ clausa esse volumus, ac signata, clauso ore,& quasi sub lingua cõtinere dicimur: Ideò Incarnationis mysterium quod melle, ac lacte suauius erat, sub sanctissimæ Virginis lingua clausum, & reconditum fuisse dicitur, quod illa interim Virgo suauissimè sola degustabat immenso gaudio,& suauissimis cœlestium cogitationum voluptatibus affluens. sed cur lactis, ac mellis nomine mysticè incarnationis diuinæ arcanum designatur? quia nimirum rectè Dei genitricis maternitas, ac fœcunditas lactis symbolo intelligitur. est enim apertissimum maternitatis, & fœcunditatis signum. at verò mel symbolum est virginitatis, cum ab apibus prodeat sine vlla corporum coniunctione.

Maternitas B. Virg. melliis & lactis nomine designata.

Rectè igitur maternitas, & fœcunditas his expressa symbolis, quæque ambo simul in hoc mysterium conuenerunt, diuinam Oeconomiam repræsentare possunt, & hinc est fortassis, quod olim in Ecclesia recens baptizati suscepti lactis, & mellis concordiam degustabant. Cuius rei testis locupletissimus est Tertullianus tertio, de corona militis, vbi ait: *inde suscepti lactis, & mellis concordiam præguſtamus*, & libro primo contra Marcionem, capite decimoquarto, *sed ille quidem*, inquit, *vsque nunc nec aquam reprobauit Creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suos vnguit, nec mellis & lactis societatem qua suos infantat.* Porrò vnctio symbolum erat Spiritus sancti, cuius dona baptizatis infundũtur. mellis verò,& lactis coniunctione significare fortè volebant diuinæ Oeconomiæ mysterium, quod admirabiliter in Virgine simul & fœcunda perfectum est. Vnde etiam omnis in baptizatos gratiæ manauit effectus. huius igitur mysterij suauitatem, quia primus omniũ Ioannes adueniente ad se matre & delibauit,& propalauit (de illo enim didicerat Elisabeth cùm diceret: *vndè hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?*) ideò *mel & lac sublingua eius*, fuisse verè fatebimur: quibus priùs ipse dulcissimè recreatus, matrem etiam posteà impleuit. quibus omnibus constat quanta fuerit Ioannis dignitas, cuius & vestitus,& cibatus non modò incredibilis pœnitentię rigorem, verùm etiam diuinissimum altissimarum rerum symbolum continebant.

Vnctio enim rei symbolum.

DIGRESSIO VII.
MORALIS

In illa: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam.*

1. *Christus & omnes alii dicti discrimen.*

ANgelus vocatus est Ioannes, sicut & Christus, de quo Isai. *vocabitur magni consilij Angelus.* Sed hoc interest quod Christus ita Angelus, id est, nuntius dictus est, vt etiam Deus esset, non ita Ioannes. deindè vt Tertul. lib de carne Christi, vocatus est Christus magni consilij Angelus, quia *magnum cogitatum Patris super hominis restitutione annunciaturus sæculo venit.* huic porrò consilio non interfuit Ioannes, interfuit CHRISTVS vt DEVS, cum ab æterno à Patre decretum fuit, vt homo liberaretur assumpta à filio carne. Magna tamen est hæc Ioannis dignitas, quod eiusdem cum Christo nominis particeps fuerit. Non est Ioannes natura Angelus, sicut nec Christus erat, sed gratia, sed officio, sed innocentia vitæ.

Omnes modo illius.

2. Deindè Angelus quoque fuit propter incredibilem animi constantiam. nam ita tenax propositi fuit, vt pro ea veritate, quam prædicaturus venerat, vitam reliquerit & sanguinem fuderit. Est autem Angelorum hæc proprietas, vt ab ea sententia cui semel adhæserint nunquam recedant amplius: ita Ioannes licèt liberum arbitrium haberet eiusmodi, quale homines habent, quod videlicet in alteram partem flecti possit, ab ea recedendo, quam semel elegit; tamen quod non natura, certè constanti animi proposito, & virtute consequutus est; vndè sæpius interrogatus, an esset Christus, *non sum ego Christus* respondit, neque vnquam aliter, huius verò rei etiam testes appellauit,& esse voluit eos quibuscumque versabatur, & quibus prædicabat Christum: immò eos ipsos etiam, qui illum Messiam arbitrabantur. Quarè iure Isaias cap. 49. 2. sagittæ comparatur, vt verè dicere queat: *posuit me* Dominus *sicut sagittam electam*, quæ semel ab arcu excussa, citatissimo motu scopum attingit, nec retrò vnquam redit: ita Ioannes quem semel à Deo missus, Christum prædicauit, semper confessus est: nec ab huius vnquã veritatis sententia resilijt.

3. *Angelus* est Ioannes, quia quemadmodum supremas illas mentes, quæ Deo proximè assistunt, Deus ipse per se nullis intermedijs doctoribus, docet,& illis arcana reuelat, quæ alijs aperiant: ita Ioannem tanquam Angelum Christus Dominus adhuc in vtero sanctissimæ Matris per se edocuit: non quidem per rationes & exempla, sed admirandum in modum eius mentem illustrando, vt maximum illud Oeconomiæ mysterium cognosceret, & præsentiam diuini Verbi, quod carnem induerat, ac matris eius cœli, terræque Reginæ agnosceret.

4. Equidem meritò & iurè Ioannem ego Angelo illi similem esse affirmauero, quem lumine amictum describit Ioann. Apocal. 10. cuius pedes tanquam columnas ignis fuisse, affirmat; vultũ verò instar solis lucidissimum, in cuius item capite iris appareret. refert porrò pedem dextrum super mare, sinistrum autem super terram posuisse; clamasse etiam voce magna, *quemadmodum*, inquit, *cùm Leo rugit*, manum quoq; sustulisse in cœlum, & iureiurando per viuentem in sæcula sæculorum affirmasse, *quia tempus non erit amplius.* erat Ioannes ob vitæ innocentiam,& puritatem, tanquam candidissima nube amictus, tantos autem sanctitatis radios è vultu emittebat, vt quasi sol ipse iustitiæ à plurimis haberetur, pedes habebat tanquam duas firmissimas columnas; neque enim similis erat arundini, quæ in omnem partem vento flante inflectitur, sed incredibili cõstantia stabilis, fixusque hærebat. quod autem altero terram, altero verò pede mare calcaret, significat inter veterem, nouamque legem medium interceſisse Ioannẽ, lex enim vetus rectè per *mare* designatur, quod non cõstans est, sed mobile ac varium, eodem planè modo lex vetus non

perpe-

perpetua & ſtabilis futura erat, ſed aliquando mutanda; verùm noua nullo vnquam tempore, nulla ætate mutanda, rectè per terram ſtabilem, ac firmam deſignatur.

5. Et quidem ille horribilis leonis mugitus, quo rugire Angelum illum Apocalypſis narrat Ioannes Euangeliſta, zelum illum, & inflãmatas, ardenteſque voces, quibus Phariſęorum hypocryſim, & incredulorum Iudæorum perfidiam inſectabatur, aptè repræſentat; ſic enim eos, vt per pœnitentiam ad Chriſtum attraheret, & voce, & acri impetu ſpiritus, in rugientis leonis modum ſalubriter terrebat: *genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? iam enim ſecuris ad radicẽ arborum poſita eſt.* Matt. 3. 10. quare etiam illud in Ioannem quadrat, quod de Angelo in Apoc. dicitur, iuraſſe *per viuentem in ſæcula ſæculorum, quia tempus non erit amplius.* comminabatur enim mortẽ, æternumque ſupplicium peccatoribus Ioannes, & terribilem, extremumque Iudicij diem, illis ſubindè inculcabat, cùm diceret: *quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt:* Matth. 3. 10.

6. Denique iris, vel arcus ille cœleſtis, capiti imminens, & in cœlum conuerſus ſatis confirmat id, quod Chriſtus dixit: *à diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. cap. 11. 12. docuit enim Ioannes aduenisſe tempus, quo cunctis mortalibus aditus pateret ad cœlum, & ſuę pœnitentię exemplo quomodo conquirendum eſſet, aperuit; nimirum, ſi arcu pœnitentiæ, vndè etiam ardentium precum, & bonorum operum ſagittæ egrediuntur, cœlum nobis acquirere ſtudeamus.

7. Tanta autem erat Ioannis ſanctitas, tam admirandum vitæ genus, tantus pœnitentiæ rigor, vt non illum tam hominem paſsim crederent amici, inimici, quàm vel Meſsiam vel Angelum illi bonum, hi verò malum. videbant enim hominem repentè neſcio vndè è latebris ſolitudinis prodeuntem, & poſt prædicationem rurſus in ſolitudinem & latebras recedentem ſine potu, ſine cibo, aborrentem à multitudine, & communi hominum conuictu, & qui, quod caput eſt, quæ Deum facilè doceat, faciem oſtenderet, vt Euſeb. lib. 9. de Demonſ. c. 5. innuit. quibus rebus capta multitudo, vndique ſedibus proprijs relictis in deſertum cõfluebat, eumque non hominem omninò, ſed aliquid ſupra hominẽ eſſe acclamabat, maligni verò homines tam aſperum vitę genus non capientes, neque Dei inſtitutum, & conſilium intelligentes, viuere illum non hominis vitam affirmabant, ſed quaſi ſub humana ſpecie Dæmonem latitare. quod ego non ex meo ſenſu depromo, ſed Chriſti verbis oſtendo: ſic enim teſtatus eſt Dominus Luc. 7. 31. *cui ergò ſimiles dicam homines generationis huius? & cui ſimiles ſunt? ſimiles ſunt pueris ſedentibus in foro: & loquẽtibus ad inuicem, & dicentibus: cantauimus vobis tibijs & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non ploraſtis: venit enim Ioannes Baptiſta, neque manducans panẽ, neque bibens vinum: & dicitis, Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum.*

A Vbi illud maximè
tam fuiſſe Ioannis pœ
excederet commune
viuendi rationem, &
fuerant, pœnitentiæ r
præ illo videretur qu
ſti viuendi genus eſſe
ſicę concentus, comm
rò triſte; planctui, ac
le. nam licèt ſanctiſsim
vitæ Chriſti ratio atqu
nes imitari poſſent (propte
vt eius mores ſanctiſsimos,
& propterea debebat ſic vi
perare, vt qui illud æmulari
eſſet) ſi tamen ea vitæ ratio cu
ritate, quæ potiùs admiranda e
B tanda, conferretur, quaſi inſtar
ac lætitiæ videbatur.

Qua in re feciſſe mihi videt
quemadmodum ij, qui alios ſcri
characteres elegantiſsimè effor
ſolent enim illi ad ſuam artem o
characteres quoſdam, auro, arge
ſpicuos proponere; non tam vt p
tentur, quàm vt ſuo modo quant
ad illos accedant, præſertim verò
in ea facultate valeant, oſtendan
characteres ad diſcentium captum
commodatos, quos paſsim pueri facil
tur, aſsignant. ita mihi videtur De
declarare mortalibus, miſſo Ioanne
uendi ratione, quantum gratiæ ſuæ
C valeat in perſuadendo hominibus qua
aſpero vitæ genere, non vt illum cu
rentur omninò, ſed potiùs, vt appar
virtus, & poteſtas; & conſtaret interim
fide dignum eſſe deberet Ioannis teſtim
de Chriſto, & quanta animi ſubmiſsion
piendum. At Chriſtus datus nobis eſt,
nibus eſſet exemplo, & propoſitus, vt
illum imitari poſsint, & debeant.

Quibus conſtat Angelum Ioannem p
admirabilem vitam, & pœnitentiam
dici potuiſſe. ſic enim eius vitam ang
Chryſoſt. vocat hom. 10. in Matth. &
Damian. Continuum Martyrium. Ieiu
perpetuum D. Baſilius concio. 1. de iei
immò verò non ego Angelum quemlibe
annem appellauerim, ſed Seraphinis m
D dixerim non abſimilem, ille enim venit i
ritu, & virtute Eliæ, de quo dicitur: quo
quaſi ignis ardens, & verba eius quaſi facula, at
ior Elia Ioannes, nam eo, teſtatur Chriſtus,
ſurrexiſſe maiorem, & alibi: *ille erat lucerna
dens, & lucens.* proindè aptè Baſil. de eo il
Pſalm. 96. 3. interpretatus eſt: *ignis ante ip
præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos*
ſolebant olim Imperatores cum ſolemni r
ac pompa in publicum prodibant, ignem a
ſe geſtare, quem etiam ſacrum vocabant,
quam quid diuinum: ita iure ante Chriſt
Imperatorem ſummum Ioannes ipſe, tanqu
ignis quidam Deo ſacer, præceſsit ad indic
dam Chriſti diuinitatem, vel etiam ad ab
mendum, deſtruendumue ſi quidquam adu
tanti Chriſto ſeſe oppoſuiſſet.

Abſoluat tandem totam hanc de Ioan

Digitized by Google

Angelo digreſsionem Chryſoſtom. homilia trigeſimaoctaua in Matthæum. ſic ſcribens: *neminem vidit vnquam conſeruorum, neque ab aliquo horum viſus fuit; non lacte nutritus, non lecto ſuſceptus, non tecto, non foro, non alia re humana vſus erat.* itemque: *Ioannes ita in terris quaſi in cœlo verſabatur. natura namque omni neceſſitate ſuperata, mirabile quoddam peregit iter. ſemper in hymnis, ſemper in orationibus fuit, nulli hominum antequam ad baptizandum accederet, Deo autem ſoli ſua ſemper offerebat colloquia.* & auctor imperfecti homilia vigeſimaſeptima, *Ioannes ſpecie homo*, inquit, *gratia Angelus, quia nihil carnis erat in eo, niſi viſio ſola.* Quid mirum quod talia de Ioanne legamus, cùm de eo ſic ſcribat Sanctus Sixtus homilia 4. de Ioanne non corpore contigerat terram, & iam mente in cœleſtibus verſabatur, vt cernere poſſet in vtero, quod Angelos latebat in cœlo.

DIGRESSIO VIII. MORALIS

In verſ. 19. *Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta.*

1. *Ioannis encomia.*

IOANNES in ſe cæterorum Sanctorum Sanctitatis titulos aliqua ratione clauſiſſe ſi dixerimus, nihil non cum hac ſententia Domini congruens affirmabimus, qua illum cunctis præfert, qui de mulieribus nati, progenitique ſunt. Fuit enim ille anachoretarum Princeps, Eremitarum exemplar, candore virginitatis angelico conſpicuus, doctor egregius, fortiſſimus Martyr, athleta CHRISTI inuictiſſimus, AEterni Patris Apoſtolus præcipuus, Propheta, & pluſquam etiam Propheta, Patriarcharum maximus, denique in humana carne officio ſimul, & innocentia Angelus.

2. *Ioannes ſimilis primæ fidium chordæ.*

Quæ cùm ita ſint, ſapienter mihi illi facere videntur, qui Ioannem (quoniam vox erat clamantis in deſerto, quæ ſuauiſſimo quodam concentu ad ſublimia hominum mentes attolleret) primæ fidium chordæ comparant. cùm enim reliquæ quæ conſequuntur geminatæ ſint, ſola prima chorda vnica eſt: ita ſolus eſt Ioannes, qui teſte CHRISTO parem non habet inter eos, qui de mulieribus nati ſunt; at cæteri Sancti ſibi ſimiles habuerunt: quare cœleſtis harmoniæ quaſi geminatæ chordæ, non vnicæ fuere. nam ſi iuſtus fuit Abel, etiam Noë iuſtus vocatur. ſi tranſlatus in Paradiſum Enoch, Elias quoque eodem raptus eſt. ſi Abraham admiramur, quod hoſpitalitate, eleemoſynarum largitionibus illuſtris fuerit, Loth etiam eiuſdem laudis participem facimus. laudamus Moyſen, quod dux præſtantiſsimus fuerit, verùm alium quoque illi non abſimilem fuiſſe legimus Ioſue. egregia caſtitatis laude ornatum Ioſeph, qui tantum valuit in AEgypto, non ignoramus, verùm Suſannam etiam ſummis ob caſtitatem laudibus in cœlum attollimus. nemo eſt, qui non admiretur tantum in Sampſone robur, ſed Scriptura etiam Dauidem commendat, quod leones, vrſos perſequeretur, & percuteret. Solus eſt Ioannes, cui ſupparem non inuenias, quia veriſsimum ſemper eſt illud de eo Chriſti teſtimonium: *inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.*

3. *Præcellit*, inquit Ambroſius ſermone quarto, *cunctis Ioannes, eminet vniuerſis, antecellit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas, & quiſquis ex muliere eſt*, id eſt, ex non Virgine, *inferior eſt Ioanne*, & Auguſtinus ſermone quarto de Baptiſta: *quiſquis*, inquit, *Ioanne plus eſt, non tantum homo, ſed & Deus eſt.* Petrus Damianus Cardin. *eleuentur omnes*, ait, *& meritorum prærogatiuis ante conſiſtorium Maieſtatis exultant; non erit tamen, qui ad Baptiſtæ Ioannis priuilegium audeat aſpirare. Vnus eſt, & ſecundum non habet, qui choris intertextus Angelicis ſublimioris coronæ titulis, vniuerſitatis humanæ tranſcendit aſcenſum. denique inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* nihil erat in Ioanne quod maximum non eſſet: ipſa etiam ſola vox (quod maximè admirere) mirabilis fuit, illa exhilarauit iuſtos, impios compeſcuit, terruit infernum, efficacitate denique incredibili prædita fuit.

4. *Orpheo comparatur.*

Poëtarum figmentum eſt, Orpheum cantu ſiluas, & ſaxa mouiſſe, fluuiorum curſum retardaſſe, feras quoque mitiores reddidiſſe. at non fabuloſum eſt, ſed diuina auctoritate ſtabilitum, Ioannem tantum valuiſſe ſuæ vocis concentu, vt conuerterit corda Patrum in filios, quod longè vtilius eſt, atque ſublimius, quàm poſſe ad ſe arbores trahere. Duriora etiam ſaxis Phariſæorum corda molliuit, cùm illis diceret: *potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Ad hæc crudeles etiam beſtias cicures reddidit, & manſuetas cum milites doceret, (audax ſæpè, & temerarium hominum genus) neminem vt concuterent contenti ſtipendijs ſuis. denique an non etiam currentium aquarum retardauit impetum, cùm inſanos Herodis & adulteræ illius amores conſtanter redargueret? *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.*

5. *Eius dictū: Ecce Agnus Dei, quam gratū toti mundo.*

Quantam porrò lętitiam vniuerſo attulerit vox illa, quæ deſideratum gentibus nunciauit adeſſe, quis mente ac verbis complecti queat? hæc enim eſt ea vox quam olim prædixit Iſa. vt populum ſuum mœſtitudine afflictum ob diu dilatum Meſsiæ aduentum, refocillaret: *conſolamini*, inquit, *conſolamini, populo meus: conſolamini dicit Deus veſter. Loquimini ad cor Ieruſalem, quia completa eſt malitia eius.* & vt intelligeres de qua ille conſolatione loqueretur: ſubiecit illicò: *Vox clamantis in deſerto parate viam Domini*, vbi & de aduentu Meſsiæ ſe loqui ſignificat Propheta. & ſimul ſignum aduentus eius aſsignat, quaſi dicat, cùm amicam hanc vocem in deſerto clamantis, & prorſus lætitiæ plenam audieritis, tunc aderit deſideratus cunctis gentibus, qui ſuo aduentu pandet iter ad cœlum, vndè exules iam diu & extorres fuimus. itaque talis vox eſt Ioannis, quæ triſtitiam pellit, & ſalutare gaudium aduehit, quo illud Canticorum ſecundo, applicare poſſumus: *imber abijt, & receſsit*, & cætera. *Vox turturis audita eſt.* Clamante enim Ioanne mœſtitiæ imber abijt, & receſsit, & velut ſuauis quædam vox turturis, quæ ſua cunctos dulce-

dine recreauit, audiri visa est, cùm palàm diceret: *appropinquauit Regnum cœlorum.*

6. Tantæ autem dignitatis fuit ea vox, vt nulli loquendum fore de incarnationis mysterio videretur, priusquàm vel illa resonaret, vel suo functa munere esset. hinc est intelligere, cur Ioanne adhuc prædicante Christus saltè publicè ac passim non prædicaret; quia nondum, videlicet, munus suum prædicando obierat Ioannes. Vndè & illa solui potest quæstio, cur in baptismo, cùm vox Patris audita est supra Christum, sit dictum tantum: *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* neque adiecta sint illa: *ipsum audite*, sicut dictum est in Thaborina posteà apparitione; quia nimirum nondum aduenerat tempus prædicationis Christi, loquente adhuc Ioanne; necesse enim erat vt prædicationi Christi viam sterneret, & & pararet Ioannis vox, atque adeò ille ante Christum audiendus erat. At cùm in Monte Thabor transfiguratus est Christus, tunc iam cessauerat Ioannis vox; functus enim erat ille officio suo, ad quod missus fuerat, tempusque aduenerat audiendi Christum: & ideò tunc primùm dictum à Patre est; *ipsum audite.* Mira sanè huius fuit vocis dignitas, cui quodammodo æterni Patris sponte cesserit verbum; nam licèt Ioannis voce per se non egeret, voluit tamen, suauiter cuncta disponens, tantisper silere, dum vox clamantis in deserto resonaret.

7. *B Maria parcè locuta.* Potest & hinc altera quæstio dissolui. Cur Beatissima Virgo, quæ parcè semper loquuta fuerat, cùm in domo tamen esset Zachariæ, tam multis & tam admirandis verbis Deo gratias egit suaue concinens canticum? legimus Dei Matrem non nisi sese offerret magni momenti occasio, loqui solitam fuisse. nam bis cum Angelo, iterum in domo Zachariæ, mox post inuentum puerum Iesum, denique deficiente vino in nuptijs loquutam scimus, semper quidem paucissimis verbis, præterquam in domo Zachariæ. Nec vnquam loquuta est, quin admirandum aliquid consequutum esset. nam post colloquium illud cum Angelo, Verbum caro factum est. iterum cùm inuento Filio dixisset: *Fili quid fecisti nobis sic? Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*, illud omni miracalo maius accidit, quod Euangelista scribit de Christo: *descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Porrò in nuptijs aqua in vinum conuersa est, in domo verò Zachariæ, quæ admiranda contigerint, vbi D. Maria salutauit Elizabeth, nemo est qui nesciat. quemadmodum enim Iobælei tempore cùm Romæ porta, quæ sancta dicitur, reseratur, quæ ferè semper clausa manet, ingens spiritualium gratiarum cumulus conceditur: ita nequaquam nimirum videri debet si aperto sacrato Virginis ore, quod ferè semper clausum esse consueuerat, & non nisi Dei voluntate patebat, ingens perpetuò indè manaret gratiarum fructus, vt meritò significatum fuerit os illud aureum Deiparæ Virginis, porta illa quæ ad sancta Sanctorum ducebat.

Iam ergò regressi eò, vndè discessimus, si roget quis cur in Zachariæ domo tam multis præter morem Beatissima Virgo loquuta fuerit, dum suaui illo cantico DEO gratias egit? eadem hîc, quæ superior responsio est: quia nimirum antequam Ioannes sacræ Oeconomiæ mysterium adaperiret, nulli vnquam homini illud euulgare concessum erat. At vbi per Matris os infans Ioannes in vtero exultans, illud aperuit, tunc illicò diuinissima Virgo, quæ hactenus tantum opus reticuerat tota in DEVM conuersa, & extra se quodammodo posita: cœpit immortali DEO gratias agere, grata de manifestato per Ioannem mysterio, quod in se completum videbat.

Vbi ergò vidit Beatissima Virgo præeunte, vt decebat, Ioannis voce, seratum esse mysterium, non potuit Dei in se bonitatem paucis celebrare laudibus, sed effudit in se animam suam copiosius DEI bonitatem commendans. Vide igitur, lector, & admirare tantam vocis Baptistæ præstantiam, quanta fuit, vt ea non resonante, & Christi vox taceret, & Mariæ.

8. *Ioannis dignitas.* Cùm igitur tanta fuerit Ioannis dignitas, & præstantia, vt cæterorum in se vno Sanctorum virtutes concluserit, mirabimur si in ea vrbe conceptus, & in lucem editus sit, quæ *Hebron*, seu *Chebron*, ab antiquis nominata est, in qua celeberrimi quatuor mundi Heroes sepulti fuerant. Adam, Abraham, Isaac, & Iacob: vnde auctore Hieronymo Chariacharbe ciuitati nomen inditum est, quasi ciuitas quatuor: iuxta quam etiam non ignoramus peruetustam illam, & diu celebratam quercum fuisse, quæ multos posteà annos permansit in monimentum religionis Abrahæ. nam sub ea fertur adorasse, sub typo trium Angelorum, Diuinam triadem, *tres enim vidit, & vnum adorauit.* Genesis decimooctauo. quarè hoc quod de loco Natiuitatis Ioannis diximus, non sine Dei prouidentia contigit. nam quoniam in Ioanne quatuor illustrium illorum virorum virtutes & præclarè gestorum gloria inerat, ideò ibi natus non sine Dei consilio fuit: vt clarissimè ostenderetur, quasi reuiuiscere ac refloreſcere illorum quatuor heroum, qui ibi sepulti erant, virtutem, & gloriam, nato Ioanne cœpisse.

9. *Vbi natus.* Cur ego eum & meritò, & iure ibi natum esse negabo, vbi Adam primus parens mortuus ac sepulturæ traditus dicitur, quæ non paucorum fuit opinio? & vide si non aptè id asseratur. post peccatum illud commissum diu primus omnium nostrum parens doluit, & longissimæ pœnitentiæ afflictatione corpus attriuit, animique maculas perpetuò manantibus lacrymis eluere conatus est. at Ioannes etsi innocens vitæ, sceleriſque purus, pœnitentiæ tamen mirandum exhibuit, & quasi mortuum excitauit exemplum. Abraham egressus Dei iussu est de domo sua, & de cognatione sua, quamuis annis maturus; & Ioannes vix tres aut quatuor, seu summum quinque annos natus in desertum relicta domo se abdidit, quo facto non parentum domum tantum, & cognationem reliquit, sed mundum etiam totum. idem Abraham tres vidisse dicitur, & vnum adorasse: Ioanni multò illustrius baptizato CHRISTO,

& aperto

& aperto cœlo sanctissimæ Trinitatis mysterium ostensum est. Isaac risum interpretamur, quod parentibus sterilibus risum simul & gaudium attulerit: & de Ioanne scriptum est: *& in natiuitate eius multi gaudebunt*. Iacob luctatus est cum Angelo: Ioannes de humilitate cum CHRISTO contendit in Baptismo. nec ignoramus magni consilij Angelum esse Christum appellatum, quibus constat in Ioanne quatuor illorum virorum laudes fuisse, vt non sine DEI consilio Hebrone natus videri debeat.

10. Magnus coram Domino quomodo.

Quamobrem non sine causa *magnus coram Domino* vocatus est, qua quidem laude quid sublimius, vel augustius de puri hominis magnitudine dici, immò vel cogitari possit, vix video. etenim cùm grauissimo Isaiæ testimonio capite quadragesimo, decimoquinto, omnes gentes, ac populi si cum Deo conferantur, ita in nihilum abeunt, atque euanescunt, vt videantur non esse potius quàm esse: sic enim ait Propheta: *ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum statera reputata sunt; ecce insula quasi puluis exiguus.* & posteà versiculo decimoseptimo. *omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputata sunt ei.* Cùm inquam hæc ita se habere sit manifestissimum, quibus verbis magnificentius, aut vberius Ioannis magnitudo, & præstantia, quæ in ipso singulari modo existebant explicari poterant, quàm quibus dictum est: esse magnum coram Domino? Omnes homines gentes, populi, vniuersum denique totum, vt situlæ stilla habentur, quasi momentum stateræ, quasi non sint, & tanquam nihilum, & inane; & de Ioanne tamen Spiritus sanctus testatur magnum esse coram Domino. Neque tamen hoc ita accipias velim, quasi Ioannes cum Deo conferri, & in comparationē venire aliquo modo possit.

Est enim verissimum illud, omnium Philosophorum & Theologorum consensu, axioma: finitum inter & infinitum nullam esse proportionem posse. Sed hoc asserimus; voluisse DEI spiritum mundo his verbis declarare, quanta futura esset sanctitas, quanta Ioannis gloria.

11.

Quod si singulares Ioannis prærogatiuas exponere vellem, non tam de copia, quàm de breuitate foret laborandum; etenim modus finisq; dicendi non esset. Collegit viginti octo eius prærogatiuas Barradius noster, tom. primo, lib. 8. capite 3. & 4.

12. Ioannis humilitas eximia.

Verùm id quod maximè Ioannis magnitudinem extollit, est eius eximia, & incredibilis animi submissio. nam cùm magnitudinis, & excellentis dignitatis regula, & mensura consistat in modestia, & humilitate; quò maior, & profundior est modestiæ virtus, & submissionis tantò maior est personæ dignitas, & magnitudo. Iam verò cùm Ioannes humillimus fuerit, si quis vnquam alius (Beatissimam Virginem semper excipio) cùm neminem hoc laudis genere superiorem habuerit, quis dubitabit affirmare neminem illo sanctitate, & illustris animi præstantia maiorem, præstantioremque fuisse? An non ea summa fuit modestia, animique moderatio, qua, cum sibi Messiæ

A nomen oblatum sumere potuisset, noluit tamen sibi illud vsurpare, quod suum non esse animaduertebat? parum dixisse videor, cùm noluisse dixi; immò verò, cùm hæc sibi ista offerentur, totis animi sensibus, velut obstupefactus, cohorruit, & vehementer indoluit, & interrogatus *confessus est, & non negauit*, confessus est, quod non esset Christus: qua repetitione, & dicendi formula insinuant Euangelistæ non obscurè, quanta asseueratione, quàm efficacissimis verbis, quanto animi studio à se conatus fuerit, talem suspicionem amoliri. Neque hoc solo contentus, verùm etiam se vsque eò abijciés, vt indignum se esset publicè asseuerauerit, qui vel corrigiam calceamenti Christi solueret, vel eius portaret calceamenta; iterumque: *Post me venit vir, qui ante me factus est, qui prior me erat*. & quò magis Christum mundo commendaret, & eam existimationem, quæ in populo excitata fuerat, in animis audientium altius fixiusque deplantaret, & qui percrebuerat, rumorem penitus extingueret, ac de animis hominum penitus euelleret, & extirparet discipulos imprimis suos ab se ablegabat ad Christum, vt eius crebris miraculis, & concione intelligerent tandem, non ipsum Ioannem esse Christum, sed eum cuius admiranda opera, & cœlestia verba summæ esse efficacitatis viderent, scirentque illum oportere crescere, se autem minui. Quid verò hac in parte clarius, vel efficacius dici potest ad ostendendam & propalandam Ioannis humilitatem, quàm quod cùm eius discipuli, nescio quo inordinato zelo, & inuidia non libenter aspicerent plures ad Christum confluere, quàm ad Ioannem, & huic, id est, magistro illum præferri pati non possent, venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei, vt ad indignationem prouocarent: *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat; & omnes veniunt ad eum.* quasi dicant, adeò ingratus est, sic beneficia maleficijs rependit.

B

C

Quid Ioannes? tantum abfuit, vt inuidiæ liuore extimulatus fuerit; adeò ab omni indignatione alienum se ostendit; vt summoperè gaudere se diceret, & gaudium sic suum impletum esse fateretur, nactusque occasionem, iterum multa de Christo gloriosè prædicauit; atque in hunc modum protestatus coram omnibus est, ipsosmet qui aderant testes appellans: *ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim, non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum.*

D

Itaque nihil Ioanni gratius contingere poterat, nihil quod illi magis esset in votis, quàm vt cerneret nihil esse se, neque vllo haberi numero, ipsum verò Christum in dies crescere, eius augeri laudes, & nomen, omnes ad illum accurrere, illum agnoscere Agnum Dei, qui tolleret peccata mundi, illum Magistrum, illum ducem, illum Messiam, illum Dei Filium esse intelligere. O ineffabilem sanè atque cœlestem virum, qui suis laudibus tristabatur, gaudebat alienis, qui nullo sensu inuidiæ, nullo elationis spiritu, nulloque auræ popularis desiderio tangi vnquam potuit. Mitto hic quod cùm ad Ioannem veniret Iesus, vt bapti-

zaretur ab eo, non ferebat ille, sed prohibebat eum dicens: *ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* hoc vno tantum cum Christo contendens vt humilis, subiectusque illi haberetur. Sed vide quàm subitò obedierit Christo, promptus quodcunque imperatum absque vlla tergiuersatione exequi. Cùm enim respondisset illi Iesus: *sine modò: sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* nihil moratus, nec verbum quidem adijciens summa animi submissione, obedientia, ac veneratione, dimisit eum, & batizauit. Sed finis non esset, immò patentior quasi dicendi campus se aperiret, si singula persequerer.

13. *Luciferi sedem occupas in cælo.*

Vnum, in præteritis minimè habendum, addo, non immeriò nos adhærere posse, illi quorundam insignium doctorum sententiæ, qui Ioannem ad eum beatitudinis & felicitatis gradum in beatarum mentium domo euectum esse censent, vt in eandem successerit sedem, quam Lucifer per detestandam atque execrandam animi elationé amiserat; nam quia tantum animi tumoré cócepit Lucifer, vt sibi eum honoré, qui Christo paratus erat, superbus appeteret; ac proindè illum de tanto dignitatis gradu, ac sede sua, deturbare cogitaret, eructans de superbissimo impijssimoque pectore plena arrogantiæ verba: *in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo* Isa. 14. 13. 14. Propterea iusto Dei iudicio, iustoque diuinæ vltionis supplicio in profundissimum inferni baratrum, innumeris in omnem æternitatem cruciandus tormentis, coniectus est. E contrario quia Ioannes oppositam omninò instituit viam, eamque studio laboreque indefesso cucurrit, felicissimeque consummauit, in omni videlicet humilitate, adeò vt omninò nihil se esse arbitraretur, & verò etiam haberi vellet; Christum verò Dominum, omni honore, veneratione, & laudibus exciperet, eumque vehementer ob omnibus celebrari cuperet, & vt erat, Messiam agnosci, & tanquam Dei Filium adorari; ideò par fuisse videtur, vt in eam sedé succederet, quam propter contrariam elationem, & superbæ mentis arrogantiam in Christum Dominum Lucifer amiserat.

14. Hanc esse communem opinionem sensit Echius homil. 6. de Ioanne Baptista: *locum suum,* inquit, *habet communis doctorum sententia, Ioannē Baptistam inter omnes sanctos post Christum & Mariam esse sanctissimum.* Addit Gersonem testari; *Dominum Matrem suam super omnes Angelorum choros collocasse, huicq; proximum fecisse Ioannem Baptistam, quem in locum Luciferi subrogarit. & quamuis ex ipso Euangelij nudo textu (non surrexit maior Ioanne) iuxta sententiam Hieron. & August. q. 26. l. qq. Veteris & Noui Testamenti, & l. 2. contr. 1 aduer. le. & Prophe. c. 7. aliud non colligatur, nisi Ioanne alios sanctos superiores non extitisse, tamen ex alijs circumstantijs, conijci potest eum sanctissimum ex omnibus fuisse.* Sic ille. Cui suffragatur Franciscus Maironius in eo, quod dictum est Luciferi sedem Ioanni esse tributam. qua de re Gerson tractatu quarto in canticum Beatæ Virginis, sic scribit: *Videtur Ioannes Baptista primus post Diuam Mariā positus in ordine Seraphinorum loco Luciferi.* Sic ille, & aptè sanè: decebat enim vt obscurato, & quasi extincto Lucifero illo primo, alius exurgeret clarissimus Lucifer Ioannes, qui mane ortus, hoc est, cum luce gratiæ, & sanctitatis de ventre matris egressus, nunquam caderet, & post solem Christum, & lunam Mariam tertius fulgeret in cœlis.

15. *Multis persecutionibus & aduersitatibus probatus.*

Cæterùm quia magnus erat Ioannes, & alto atque excelso loco in gloria collocandus, ideò magnis etiam persecutionum, & molestiarum vndis à Deo probatus est; nam vt Chrysostomus ait, homilia octaua, in cap. 2. Matth. ad tolerantiam Dei feruum prouocans; *viriliter cuncta sustineas, sciens tribulationes maximas inseparabiles quasdam comites esse virtutum.* Sic insignes maximè Ecclesiæ viri, & qui principem locum, & gradum in ea habituri erant, maximis etiam iactati sunt persecutionum fluctibus. Sic Petros, Paulos, Iacobos, & cæteros Christianæ militiæ duces, vidimus per hanc instituisse viam, vt ad cœlum pergerent: nam quemadmodum Imperatores, & potentissimi Reges, Duces suos præstantiores, valentioresque crucibus auro, sericoque confectis exornant, eisq; difficiliora bella committunt conficienda: ita Christus omnium Regum, & Imperatorum potentissimus, Principes suos, & præstantiores quos habet heroas, crucibus labore, cruciatuque multo constantibus, condecorat, & gloriosiores facit, eisque multo maxima, ac difficillima cum suis hostibus committit prælia. etenim iuxta virtū sanctitatisq; mēsurā suis prælia dispertiri, ac distribuere solet Deus, & elegantissimè, ac sapienter docet Origen. lib. 3. de principijs. c. 2. vide illum: sic in sublimi, & conspicuo ædificij loco constituendi lapides, vt magis ac magis subindè expoliantur, & exornentur, pluribus ictibus, ac percussionibus dolantur, vt tanto gratiores, industrioresque omnium oculis appareant. Sic Sancti quo maiores gloria, & sanctitate futuri sunt, eo pluribus exercentur ærumnis.

16. Legimus Cherubinos illos, qui in præcipua, & maximè nobili intra Sancta Sanctorum parte collocandi erant, præcipiente Deo, malleatoris opere diu extensos, ac frequentibus ictibus attenuatos fuisse. Sic vt intra cœlestia illa Sancta Sanctorum, potissima cœli parte collocētur Sancti, tunsionibus, pressuris, velut per malleatorum, id est, Tyrannorum, & persecutorum manus, corpore quidem vexantur, & extenuantur, verùm animo, & vehementi patiendi pro Christo desiderio extenduntur & dilatantur. & de his hactenùs.

CAPVT

CAPVT XI.

A PECCATRICE PEDES VNCTVS, SIMONEM MVRMVRANTEM EX propositâ illi prarabola confutat.

C. 7. 36.

1. ROGABAT autem illum quidam de Phariſæis, vt manducaret cum illo, & ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit.
2. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit Alabaſtrum vnguenti.
3. Et ſtans retrò ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.
4. Videns autem Phariſæus, qui vocauerat eum, ait intra ſe dicens: Hic ſi eſſet Propheta ſciret vtique, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix eſt.
5. Et reſpondens Ieſus dixit ad illum: Simon habeo tibi aliquid dicere, at ille ait: Magiſter dic.
6. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta.
7. Non habentibus illis vnde redderet, donauit vtriſq; quis ergò eũ plus diligit?
8. Reſpondens Simon dixit: æſtimo; quia is cui plus donauit. At ille dixit ei: rectè iudicaſti.
9. Et conuerſus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lacrymis riguit pedes meos, & capillis ſuis terſit.
10. Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intraui non ceſſauit oſculari pedes meos.
10. Oleo caput meum non vnxiſti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos.
12. Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multũ. cui autem minus dimittitur minus diligit.
13. Dixit autem ad illã: remittuntur tibi peccata.
14. Et cœperunt, qui ſimul accumbebant, dicere: quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?
15. Dixit autem ad mulierem: fides tua te ſaluam fecit: vade in pace.

A

B

C

D

SCHOLIA.

VTRVM hoc loco & tempore acciderit hæc hiſtoria non conſtat; Lucas enim ſolus huius facti meminit: quarè nec quis fuerit Phariſæus ſcitur. Cùm ergò non appareat, cur iſtud non ſit proximè ſubijciendum ſuperioribus, placuit hic apponere. Et quidem Beda: *factis*, inquit, *oſtendit Euangeliſta iuſtificatam ſapientiam à iuſtis, & pœnitentibus*, quod proximum præmiſerat Lucas. v. 35. 1.

Maldonatus verò in c. 7. Luc. 36. vero ſimile arbitratur eſſe, quoniam de Phariſæorum incredulitate agebatur, ſubiungere voluiſſe Lucam, quid Chriſto cum quodam ex Phariſæis accidiſſet: vt doceret etiam eos, qui aliquid erga Chriſtũ beneuolentiæ, & humanitatis oſtendebant, non ſatis in in eum credidiſſe confiſos propria iuſtitia.

Toletus. c. 7. Lu. probabile putat, illo tunc tempore, aut paulò pòſt, hæc facta eſſe.

1. *Rogabat*] Gr. ἐρώτα, nec ſignificat hic interrogare, ſed inuitare, & vocare, vt obſeruat Euthymius. Quoniam verò vtitur tempore imperfecto, innuit Lucas inſtanter, & perſeueranter rogaſſe. Neque enim ſe facilem exhibebat Chriſtus inuitantibus, quando ſe parum profuturum ſciebat. Annuit tamen votis Phariſæi, eique morem geſſit, tum vt occaſio mulieri ſuæ conuerſionis daretur, tum vt notat Euthymius, ne anſam præberet dicendi, quod cum Publicanis, & Peccatoribus cibum caperet, Phariſæos autem contemneret, vel ptius, vt eos mendacij conuinceret: dixerant enim quod eſſet homo deuorator, amicus Publicanorum, & Peccatorum. 2.

Chriſtus non niſi inſtabat inuitatus ad Phariſæos intrauit.

2. *Et ecce*] attentos nos reddit: ecce inquit, hora conuiuij mulier doloris lacrymas epulis miſcet; Ecce in domum Phariſæi, qui ſanctitatem profitebatur, peccatrix ingreditur, *quia enim*, inquit Gregorius homil. trigeſimatertia, *ſe metipſam grauiter erubeſcebat intus, nihil eſſe credidit, quod erubeſceret foris.*

In ciuitate] Græcè additur articulus ἐν τῇ πόλει, *in illa ciuitate*, nimirum, in qua Chriſtus inuitatus, exceptuſque conuiuio fuerat à Phariſæo. Verùm quæ fuerit hæc ciuitas incertum eſt. non diſplicet tamen eorum opinatio, qui cẽſent fuiſſe ipſam ciuitatem Naim, quàm iniens Dominus ſuſcitauerat filium viduæ prope ciuitatis portam: ad quam Ioann. Baptiſt. refertur quoque diſcipulos miſiſſe, & Chriſtus eſſe loquutus ad turbas. hæc enim omnia à Luca eodem, quo retulimus ordine, narrantur. ergò ibi inuitatus eſt à Phariſæo: nſi enim Euangeliſta hæc omnia eodem contextu recenſens, ſignificare voluiſſet eodem loco, eademque ciuitate geſta fuiſſe; vtique expreſsiſſet, quæ eſſet ciuitas, in qua tam mira geſta ſunt. voluit igitur nos antecedentis loci, ac ciuitatis memores eſſe. 3.

Quæ ciuitas fuerit in qua conuerſa hæc peccatrix.

Quidam ex recentioribus in eam iuit ſententiam, vt arb traretur hãc ciuitatem, eſſe Hieruſalẽ, quæ per excellentiam quandam, & emphaſim *ciuitas* appellari conſueuerat iuxta illud inquit Lucæ vigeſimoſecundo, *euntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo*. Verùm hæc opinio probanda non eſt, nam, vt ex verborum ſerie, ac contextu conſtat, Chriſtus agebat tunc in Galilæa, cùm tamen Hieruſalem eſſet in Iudæa. Nec eadem ratio eſt de loco citato Lucæ, ex periſtaſibus enim ibi poſitis liquidò conſtabat ciuitatem illam eſſe Hieruſalem. 4.

Non fuit Hieruſalẽ.

Hic verò articulus præſertim græcus, & contextus ipſe hiſtoriæ ſatis indicat ſermonem eſſe de ea

ciuitate, de qua prius Euangelista loquutus erat, nempè Naim.

5. *Peccatrix*] Græcè sic legitur hic locus: καὶ ἰδοὺ γυνὴ ἐν τῇ πόλει, ἥτις ἦν ἁμαρτωλός, hoc est, & ecce mulier in illa ciuitate, quæ erat peccatrix. Itaque vox, *peccatrix*, non cum voce *in ciuitate* coniungenda est, neque verbum, *erat*, cum voce *mulier*, vt sit hæc lectio ex græco: & ecce mulier in illa ciuitate, quæ erat peccatrix, vndè non habetur fuisse publicum, & vulgo expositum scortum. & ad hunc sensum accipienda est nostra versio.

6. *Peccatrix quæ dicatur.* Dicitur porrò *peccatrix*; peccato libidinis, hoc enim nomine solent impudicæ mulieres appellari. An verò fuerit meretrix vulgo prostituta, vt dixi, non constat. Illud affirmat communis opinio veterum Patrum, parum castè vixisse, alioquin nec miratus fuisset Simon pati se Christum ab ea tangi, si impudicitiæ labe non fuisset aspersa. Quare qui pudicam putant ne meretricem fateantur, vt quidam notat, non tam eius honorem augent, quàm Christi minuunt. Grauitas enim morbi, medico gloriam conciliat.

7. *An publica meretrix Maria Magdalena.* Sed inquies, vix credi posse Mariam sororem Lazari feminam alioquin nobilem, peccatricem vulgò notam fuisse. Deindè difficile etiam est credere Christum admisisse ad tantam familiaritatem mulierem hoc modo infamem.

Respondeo ad primum, non esse nouum interdum nobiles feminas malè audire ob impudicitiam: quamuis non sit certum fuisse publicum scortum, sicut neque omninò cogimur fateri Lazari familiam fuisse valdè nobilem, ac locupletem.

Cur & quomodò à Christo in familiaritatem admissa. Ad alterum respondeo Christum non illam admisisse, nisi post insignem, ac publicam pœnitentiam, vitæque emendationem. quare benè ex Roffensi scribit Ianseníus capite quinquagesimoquinto feminam istam paulatim fuisse à Christo & à malis immunem factam, & bonis additis cumulatam, & auctam. cùm enim esset à Dæmonibus obsessa, ea vexatione liberata est: cœpit deinde peccata sua agnoscere, & lacrymis delere, & tunc accessit ad Christum publica præbens pœnitentiæ, gratitudinis, & caritatis indicia, & impetrata criminum venia Christum sequuta est, opes suas in eius obsequium impendens, à quo post veteris vitæ emendationem, & insigne sanctitatis studium magnis est cumulata beneficijs, & præcipui cuiusdam amoris signis excepta. Quomodo verò in Galilæa habitauerit, licèt Bethaniæ orta fuerit dicam inferius, sicut & vnane, an plures fuerint Magdalenæ.

8. *Vt cognouit*] Apparet, vt Maldonatus obseruat cum alijs; eam mulierem excitatam fama Christi, &, vt ego addo accepto beneficio, id est, expulsis Dæmonibus graram effectam, simulque Christi prædicatione inflammatam; occasionem ante quæsiuisse trahente interius Christo, vt sua ad eius pedes peccata proijceret. Simul ergò vt cognouit, eum in domo esse Pharisæi, loco scilicet idoneo, vt officium illi, quod cupiebat suum, exhiberet; protinus aduolauit, vt vel ita optatam peccatorum remissionem impetraret.

9. *Alabastrum visibile & inuisibile.* *Attulit alabastrum*] Vide quæ hac de re habentur inferius dilucida. l. 6. c. 7. v. 4. alabastrum visibilis vnguenti, attulit visibile, sed aliud secum gestabat Alabastrum spiritalis vnguenti, quod oculis non cernebatur, quod Christo patebat & suauiter fragrabat, nimirum cor humilitate, contritione, Fide. Spe, & Charitate plenum. His preciosis vnguétis suis illa vulneribus medicinam faciebat, Christo inprimis medente, atq; inspirante. His cœlum ipsum odore perfundebat immenso.

A 3. *Stans retro*] qui antiquo more recumbebant in toro iacebant, ita vt caput versus mensam, pedes versus exteriorem partem haberent, qua ministri fercula ferentes, mensam obibant; propterea mulier hæc Christi pedes vnctura, retro accessit.

Cùm autem torus altus esset, stetisse dicitur: erat enim fortè triclinium in loco edito, vide Sueton. in Calig. vbi ad huius cænantis pedes refert stantes quosdam famulos linteo succinctos, & Virgilium. *Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto.* quamuis Maldonatus neget tam altum fuisse torum, vt proindè oportuerit rectam hanc mulierem in pedes stare, vt oscularetur pedes, & capillis tergeret: stetisse igitur, inquit, dicitur, id est, constitisse. placet tamen magis verè stetisse, licèt fortasis in faciem incurua aliquantulum pedibus decumbentis immineret. Meritò delictorum veniã petitura prę humilitate ad pedes accessit, vt supplicantis affectum exprimeret. Ad pedes inquam puluerulentos scilicet & de more nudos: sic enim solebant cùm recumberent, ne calceis torum inquinarent.

B *Magdal*, siue *Migdal*: ab Hebr. *turris* dicitur; vnde *Magdalenæ* nomen diriuatur, quod insinuat Diuus Hieronymus ad Principium in Psalmo quadragesimoquarto: *Magdalena*, inquit, *vere turris candoris & libani, quæ prospicit faciem Damasci, sanguinem videlicet Saluatoris, ad sacci pœnitentiam prouocantem* &c. Et in Epitaphio Paulæ ait: *Maria propriè Magdalena, quæ ob sedulitatem & ardorem fidei turritæ nomen accepit.* huic turri subiectus est charitatis vehemens ignis: *quia dilexit multum.* hic ergò ignis sua vi, atque efficacitate ad pedes Christi turrim prostrauit, & solo per humilitatem exæquauit, vt solet ignis suo impetu ac vi celsæ turri subiectus, sternere illam & solo æquare. C Igitur Magdalena ad Christi pedes prostrata, turris est æquata solo. Cerne alta veluti mœnia, flauos crines, hilares oculos, oris pulcritudinem, suaues odores: en omnia hæc ante victorem Christum disijciuntur, prosternuntur, solo æquantur. victoriæ signum longè aliud attollitur, ac veluti prostratæ turri infigitur, nempè charitatis, vt verè proindè dicere possit Maria illud Canticorum secundo, *vexillum eius super me amor*: Sic enim vertit Pagninus ex Hebraico illud, quod nos habemus, *ordinauit in me charitatem.*

Moraliter, duo sunt pedes Domini, quos maximè decet amplexãri, & osculari, eos, quos scelerum suorum pœnitat, de quibus sic De. Damian. sermone de Magdalena scribit: *pedes isti sunt misericordia, & iudicium, quorum alterum sine altero osculari, vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda.*

D *Quis enim Dei misericordiam indefinenter attendens non statim tepidioris vitæ quietem exoptet? fallitur, qui sic osculatur misericordiæ pedem, vt pedem iudicij non attendat, qui totum de misericordiæ pietate præsumit, hoc solum ad salutem sufficere credens, quod credit. Rursus cum iudicij pedem crebrioribus osculis intertangit subrutitur carnis animæq; substantia, & vtriusque hominis statum vehementior aura percellit. Quis iudicium diutius cogitans non statim contremiscat, & in desperationis rotetur abyssum? non est ergò huic pedi morosius incumbendum, ne pietatis intuitum iudicantis ferocia occludat. Vtrumque igitur iungat pedẽ animæ pœnitentis affectus, & nunc misericordiam amplectens, nunc iudicium osculans, contribulati spiritus offerat holocaustum.* hæc ille.

Lacrymis cœpit rigare] id est, sic humectare, vt ergi opus esset, rectè autem à lacrymis cœpit, quia plurimum

10. *Vetus accubendi mos.*

11. *Magdalena vnde dicta.*

12. *Duo pedes Christi.*

13. *Lacryme Magd. quales.*

plurimum ad flectendum Deum lacrymæ possunt, lege Chrysost. serm. de pœnit. tom. 5. Rigare etiam copiosè flere est, inquit Barrad. D. Chrysolo. ser. 93 mutatur inquit ordo rerum, pluuiam terræ cælum dat semper, eccè nunc rigat terra cælum. immò super cælos, & vsque ad ipsum Dominum imber humanarum profilit lacrymarum, adde quod rigabat Maria beatam illam terram, quæ remissionis fructum tulit. Lacrymis oculi Magdalenæ quasi gemmis & vnionibus erant ornati.

Capillis capitis sui] caput nominat, vt pedibus opponat, & ad maiorem emphasim. Ambros. capillos, honores; sunt enim gloria mulieris 1. Cor. 11. 15. Beda res omnes superfluas interpretatur, quę Christi pedibus & pauperibus seruire debent.

Humilitas & deuotio.

Osculabatur pedes eius] hoc humilitas, hoc deuotio faciebat, & pręcipuus erga Christum amor. habent inquit, Mald. quod imitentur fratres exemplũ, qui quos peregrinorũ lauerunt pedes, osculari solent. *Et vnguento vngebat,*] forsitan etiã ea vnctione Messiam illum esse. i. vnctum significare volebat. quanquam & vnguentis quiuæ vngerentur. Cur hic Iudas non obstrepit, & obmurmurat? nam adfuisse etiam nunc discipulos testis est Cypria. l. ad Nouati. hæreticum de lapsis. Respon. Euthy. nondũ laborauerat Iudas auaritiæ morbo. Addit Card. Tol. an. 67. hoc vnguentum licèt pretiosum fuerit, non tamen vt illud quod postea etiã Magdalena fracto alabastro, fudit super caput Christi. Ideò tunc Iudas ob tam copiosã, tam pretiosi vnguenti effusionem obmurmurauit.

14. *Cur pedes Christi & non caput vnxerit.*

Iterùm, cur inquies, caput non vnxit, vt mos erat? non quia non esset pretiosum vnguentũ, neque enim credibile est pretioso non vsam. quod tamen Titus Bostrenus asseuerat: verùm quia vt ait Ambros. maioris hoc fuit humilitatis; vel vt ait Chrysost. hom. 81. in Matt. & Euthy. apud Luc. vt eum plusquã humano more honoraret, qui plusquam homo erat; vel vt quæ prius delitiarum suarum erant instrumenta ad Domini pedes, quasi proterenda effunderet. Card. Pe. Dam. tria vnguentorum genera ponit, quibus quilibet, exemplo Magdalenæ, Domini pedes vngere valeat, ait enim: primum vnguentum contritionis est, de recordatione peccatorum, de spiritu contrito, & contribulato descendens. secundum deuotionis, de recordatione beneficiorum Dei. tertium est pietatis vnguentum, eius species sunt vniuersæ miserorum miseriæ, tam animarum, quàm corporum, oculo pietatis inspectæ. Cætera vide apud eundem in serm. de Magdalena. Pere. in c. 6. Ioan. quatuor quędam vnguentorum genera ponit, quibus ad Christum cum Sponsa trahimur. vide illum num. 61. 62. 63. 64.

Tria vnguẽtorum genera pœnitentium.

15. Gregor. hom 33. in Euangel. *liquet fratres,* inquit, *quod illicitis actibus prius mulier intenta sibi vnguentum pro odore suæ carnis adhibuit. Quod ergò turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, sed hoc iam per pœnitentiam conferens flebat; capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lacrymas tergebat: ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans hoc in redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergò in se habuit oblectamenta, tot in se inuenit holocausta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum, vt totum seruiret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa.* Sic rectè Gregor. nam vt Euthym. animaduertit, quæ primùm fuerant *instrumenta peccati, ea nunc fecit instrumenta virtutis.* Ab his enim vnde prius ipsa suam venabatur perditionem, ab eisdem nunc venata est salutem. Consule Ambros. qui nõ pauca habet quæ moribus accõmodentur.

16. Rursum Gregorium mores nostros informan-

A tem audiamus: *est vnguentum, bonus odor opinionis ex rectis operibus, quo Dei Ecclesia aspergitur: retrò secus pedes Christi stamus dum vestigia Christi sequimur, quem impugnabamus: lacrymis pedes Domini rigamus, si eius vltimis membris compassionis affectu inclinemur: capillis pedes tergimus, quando ex caritate compatimur, & ex his, quæ nobis superfluunt, miseremur: osculamur, si studiosè diligimus, vel cum incarnationis mysterium toto corde veneramur, & amplectimur amore: vngimus, cum humilitatis Christi potentiam, sacri eloquij bona opinione, prædicamus: vident Iudæi & inuident, suaq; apud se malitia tabescunt, qui nec osculum Deo dederunt, id est, ex caritate amare noluerunt, sed seruierunt timore; nec aquam pedibus dederunt, id est, ea quæ extra se erant pro Domino non tribuerunt, cum gentilitas pro Domino etiam sanguinem fuderit: nec vnxerunt oleo caput, quia nec diuinitatem digna laude prædicarunt, gentilitas autem etiam incarnationis mysterium prædicat.* Hæc secundùm sententiam ex Gregorio.

Vnguentum boni odoris.

B Cæterùm huic conuiuio suauis haudquaquam abfuit concentus; *ad delicias,* ait Chrysol. Deitatis, *totam pulsat cordis sui & corporis symphoniam; organi planctus dat clamorem; Cytharam per suspiria longa modulatur; gemitus aptat in fistulã & dum pectus sapè percutit, facit placitura Deo cymbala personare,* &c. Hic est qui Deũ cõcentus oblectat.

17.

4. *Hic si esset Propheta*] vnde nosti ò Pharisæe Christum non nouisse illam mulierem? num quia permisit se tangi ab ea? at potuit id varijs de causis permisisse, etiam si nosset. Ad tuos ergo pedes si talis mulier accessisset, dicturus eras quod Isaias de talibus dixit, c. 52. *recede à me, noli me tangere, quia mundus sum.*

18.

C Sed vide quam malè colligas eum Prophetam non esse: ignorat, inquit, *quæ, & qualis est mulier:* ergò Propheta non est: quasi verò omnia semper norint Prophetæ: & tamen in Helisæo secus euenisse legimus 4. Regum 4. 27. sed & stultum sanè ostendit se Pharisæus, dum medicum admittere ægrotos miratur, cui Christus respondere poterat illud, *non veni vocare iustos, sed peccatores: & non egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent.* Matth. 9. 13. & 5. 31. fuit ergò de falsa iustitia superbus, nulla naturæ compassione motus, suæ fragilitatis oblitus, & stultitiæ obnoxius. Cuius etiam stultitiæ illud fuit signum, nam immunditiam legis, quæ contrahebatur ex tactu alicuius immundi extendebat ad animi sordes ex falsa legis intelligentia, quasi non liceret tangere peccatores, ac fornicarios.

19. *Pharisei futile argumẽtum.*

Quare verè inquit Greg. Aderat medicus inter duos ægros, sed vnus in febre sensum tenebat, alter sensum perdiderat mentis.

20.

D Sed fastidioso omisso Pharisæo, Christi clementiam, benignitatemque contemplemur, qua non tangi modo à peccatrice passus est, & velut rerum ignarus æstimari voluit; verùm etiam ipsam eandem meretricem occulta quadam virtute, suauiterque ad se attraxit, vt meritò Gregor. in hom. 13. in Euang. scripserit: *quid miramur fratres Mariam venientem, an Dominum suscipientem? suscipientem dicam, an trahentem? sed melius dicam trahentem, & suscipientem, quia nimirum, ipse per misericordiam traxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris.*

Christi clementia.

Habemus & ex Pharisæo, quod in nostram vtilitatem conuertamus; si eius tumorem, superciliumque vitantes, audiamus id, quod idem Gregor. sapienter monet in hom. *oportet,* ait, *cùm peccatores cõspicimus, nos prius defleamus, quia in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus, destructionem debemus vtijs, compassione naturæ, si feriendus*

21.

Digitized by Google

est peccator, nutriendus est proximus; cùm verò ipse per pœnitentiam percutit, quod fecit; iam peccator non est.

5. *Et respondens*] non ad verba, sed ad cogitationes. non ergo verum est mulieris mores Christo perspectos non fuisse, cùm vel ipsius etiam Pharisæi interiores motus, animique cogitata perspecta haberet, vt ait August. l. 53. hom.

22. 6. *Duo*] subintelligitur, dixit Christus. *Cuidam Fœneratori*] Gr. δανειστῆ creditori. Aduerte ex Amb. allegoricè; in domo Pharisæi. i. legis & prophetarum, non Pharisæus, sed Ecclesia iustificatur. *Duo debitores*, populi duo fœneratori illi thesauri cælestis obnoxij, qui scilicet debent ei non materialem pecuniam, sed virtutes, quarum merita grauitatis pondere, iustitiæ specie, sono confessionis expenduntur; non mediocris autem est denarius, in quo regis imago formatur. ex Gloss. sic accipe; Pharisæus Dominum ad conuiuium inuitat; quem enim venientem non credidit Iudaicus populus, venturum sperare nō desiit; domus Pharisæi, Lex & Prophetæ, vbi se habitare gloriabatur; huc Dominus ingreditur, quia non venit soluere legem, sed adimplere; & discumbit, factus est enim visibilis per formam serui; cognouit mulier, id est, gentilitas misisse Deum filium suum, &c. Denarij quingenti peccata gentium, quinq; sensibus commissa, quinquaginta autem peccata Iudæorum; minus enim debet Iudæus, cui lex per seruum datur, quàm Christianus cui per filium gratia vitæ committitur, neuter tamen potest suis virib. reddere, quod debet.

Duo debitores qui.

7. *Quis ergò eum plus diligit?*] Gr. ἀγαπήσει, diliget. Lubricus, ac perdifficilis est locus iste, sicut & versus duodecimus.

23. Principiò mirare Christi in respondendo prudentiam. dixerat Pharisæus intra se, non esse Prophetam. Dominus vt certissimo signo declararet se Prophetam esse, tacitæ eius cogitationi respondit. Iudicauerat ille non admittendam ad contactum peccatricem, tacitè ostendit æquius à se illā admitti, quàm passus est se à Pharisæo ad conuiuium suscipi, cùm vterque illi esset debitor, vterque illius misericordiæ indigens quidem, verùm hæc plura, & maiora dilectionis signa exhibere. Denique iudicabat ille mulierem peccato adhuc obnoxiam esse; Contrà, Dominus significat illam iustam esse, & Pharisæo longè præferendam. itaque, & quod admiserit mulierem iustè se fecisse ostendit, & eam iniquo iudicio absoluit, atque calumnia liberat, quod peccatrix putaretur: & simul Pharisaico supercilio medetur, dum illū peccatorem esse, venia indigere, & in dilectione à muliere superari docet.

Christi prudentia.

Cæterùm quoniam longam hic locus disputationem poscit, eam ad Theoriam secundam reijcere placuit, ne Scholiorū mediocritatē, cursumque impediat. Ex Theoria igitur petas quę ad maiorem loci huius intelligentiam pertinent.

24. 9. *Conuersus ad Mulierem dixit Simoni: vides hanc mulierem*] Antè pœnitentiam auersus est à peccatore Deus, conuertitur verò ad eum post pœnitentiam: Zachar. 1. *conuertimini ad me, & conuertar ad vos*, cùm sol à nobis recedit, & auertitur, nox est; cùm accedit, dies: peccata tenebræ sunt, & noctem afferunt obscurissimam; hanc ad nos conuersus sol iustitiæ, Christus expellit. loci sensus est: tu vir, & quidem Pharisæus qui te Sanctum prædicas, vides ne mulierem, & quidem infamem olim, debebat inferre, vel sequebatur, vt diceret: sanctior est te: sed verbis expressis non dixit, dixit reipsa cùm mulieris dilectionem aperuit quanta esset.

25. Ex hoc versu, & sequentibus admirandæ planè antitheses sunt obseruandæ ex Maldo. tu vir, ista mulier; tu Pharisæus, ista peccatrix; tu in domo tua, ista in aliena; tu conuiuæ, & hospiti; ista ignoto ante; tu aqua pedes non lauisti; ista non aqua, sed lacrymis non lauit modo, sed perpetuò rigauit pedes meos: tu os meum osculatus non es; illa ex quo intraui non destitit osculari pedes meos; tu ne caput quidem meum vnxisti, illa & pedes vnxit.

Antitheses variæ.

Aquam pedibus] quidam putant, vt hoc obiter adnotemus, morem fuisse lauandi pedes conuiuis, sed non est certū. peregrinis quidem id fieri solebat quare meritò vel conqueritur Christus, quod sibi ignoto hospiti, & peregrino, pedes nō lauisset Simon; vel saltem significat Christus præferri debere mulierem Pharisæo, quæ sibi conuiuæ Simonis, pedes lauerit, quod ille nō fecit; quamuis fortasse non teneretur ex more aliquo, & consuetudine illius temporis id præstare. 26.

10. *Osculum mihi non dedisti*] aduerte fuisse apud Iudæos in more positum, vt venientes osculārentur os salutationis causſa, non modò ex veteri Testamento, sed etiam ex Nouo id constat, Matth. 26. 48. Rom. 16. 16. 1. Corint. 16. 29. 27.

Ex quo intrauit] sic Seriacè. si legamus intraui significatur statim ac accubuit, ipso initio ingressus in domum, aduolasse hanc Sanctam mulierem. 28.

11. *Oleo caput meum*] Gr. ἔλαίῳ, at posteriore loco vbi legimus: *hæc autem vnguento*, &c. græcè habetur, μύρῳ. non nego interdum oleum pro vnguento poni, vt Psalm. 44. vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, græcè ἐλαίῳ, tamen pauperes vsos fuisse simplici oleo in conuiuiis, vt, diuites pretiosis vnguentis, constat. Simon verò ne oleo quidem vsus fuerat ad vnguendum Christi caput, cùm tamē mulier hæc pretioso vnguento pedes vnxerit.

12. *Quoniam dilexit multum*] Hinc tantùm habes dilectionem esse dispositiuam causſam remissionis, sicut & habitualis iustitiæ; alioquin remissio, gratia est & noua. loquimur de dilectione supernaturali cum Dei auxilio, & de perfecta. de qua re lege Suar. tom. 1. dist. 4. sect. 8. concl. 1. vide item seq. nu. 30. 29.

Remittuntur ei] Gr. ἀφέωνται αὐτῇ *remissa sunt*. nos legimus, *remittuntur*, vtrumque verum, vtrumq; aliquid significat. si per præteritum legas, significatur quod iam illi eodem momento, quo perfectè dilexerat, remissa sunt peccata. si per præsens, ostenditur remissionem peccati esse gratiā aliam à dilectione & cōtritione distinctā. quod est contra illos qui opinantur ipsam contritionē & dilectionem perfectam, esse ipsam formalem peccati expulsionem, sicut si dicas: expulsæ sunt tenebræ, quia illuminatus est aër, vel expulsum est frigus ab homine, quia calore affectus est: Eodem modo exponunt hi: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, quod ipsa dilectio sit formalis expulsio peccati citra aliam gratiā. Aiunt namque hominem per actum cōtritionis, vel dilectionis Dei super omnia, ita se ipsum formaliter sanctificare, & peccatum expellere, vt nō solum non indigeat alia remissione culpæ: verùm potentia absoluta repugnat, quod existente tali actu adhuc homo in peccato mortali maneat: ita vt talis actus sit æqualis satisfactio quoad culpam, & condigna debiti solutio quoad auersionem, & iniuriam: alioquin culpa, vel auersio nō tolleretur per actum illum. Sic isti. 30.

Quare, vt contra istos ostenderet Spiritus S. remissionē peccati, cōsequi dilectionē supernaturalem, vt quid nouū & distinctum beneficium à gratia contritionis, voluit Interpretem vertere non 31.

per

per præteritum, sed per præsens, *remittuntur*, non sine magno consilio. significatur enim præsenti tempore potius quàm præterito, non dilectionem ipsam sua vi id præstitisse, sed Christum ipsum sua benignitate, tantum dilectione eius motum, plena potestate beneficium illud contulisse. licèt ergo re vera eodem temporis momento remissa fuerint Magdalenæ peccata, quo plenè, ac perfectè dilexit Christum, Christus tamen ita loquutus esse dicitur, vel etiam fortè ita re vera dixit ad indicandum se solum sua benignitate, liberalitate, potestate hoc, quidquid erat beneficij, præstare, quamuis ex parte peccatoris libera prærequiratur conuersio. Hinc Ambros. lib. 6. in hoc Euangelium ait: *& tu plurimum dilige, vt & tibi remittatur plurimum. multum peccauit Paulus, qui etiam persecutor fuit, sed multum dilexit, qui vsque ad martyrium perseuerauit. remissa sunt ei peccata multa quia & ipse multum dilexit*; vbi etiam veniam peccati gratiam vocat, quæ fit pœnitenti, sic loquitur August. lib. 50. hom. 23. & Grego. ho. 8. in Ezech. & est ratio in promptu, quia cõtritio & dilectio supernaturalis Dei perfecta, est dispositio ad ipsam remissionem peccati, & non potest esse dispositio ad seipsã. Accedunt ad id cõfirmandum loca illa scripturæ, vbi promittitur pœnitẽti, & diligenti condonatio peccatorum. Est ergo gratia alia. Cuiusmodi locus ille est, *dißimulans peccata hominum propter pœnitentiam.*

32. Quin & hoc ipsum corroborat non parum hæc Christi parabola, vbi condonatio debiti liberaliter facta dicitur à creditore, eiusque liberalitati, & non alicui debitorum merito attribuitur. Ergò quamuis diligeret Magdalena, non ob id tamen habebat, vnde redderet, gratis igitur ac liberaliter cõdonata illi peccata fuêre, quia fecerat, multùm diligendo, quod potuit.

Dilectio dispositiua ad remissionem peccatorum excipiendã.

Est quidem dilectio dispositio, ad delendum condonandumq; delictum, ipsam etiam peccati relaxationem natura præcedẽs, non tamen est causa qua de condigno, seu ad æqualitatem pro peccato, vt est auersio, satisfiat: sicut nec meretur de condigno peccati remissionem. Exigit namq; dilectio Dei acceptationem, ad quam tamen ex pacto, Deus se liberaliter obligauit, atque deuinxit atque adeò, ne cum illa quidem Dei acceptatione ad æqualitatem habet vt satisfaciat. De quibus omnibus subtiliter differentem lege Suarez, tom 1. d. 4. Sect. 8. & 9. in tertiam D. Thomæ.

33. Deus totum hominẽ sanat, sed diuersi atque diuersi.

Remittuntur] Iterùm est quod hic obseruemus cum D. Thoma 3. p. q. 86. a. 5. ad primum, Deum totum hominẽ perfectè quidem curare: verùm quãdoque subitò, vt socrum Petri Luc. 4. quandoque successiuè, vt de cœco habes, Marci 8. Id ipsum etiam spiritualiter facere. Interdum enim ita vehementer, efficaciterque cor hominis agitat, ac versat, vt confestim perfectè sanitatem spiritualẽ assequatur, non culpa modò depulsa, verùm sublatis etiam omnibus peccati reliquijs, vt patet, inquit D. Thomas de Magdalena Luc. 7. interdum verò prius remittit culpam per gratiam operãtem & posteà per cooperãtem sensim, paulatimve tollit peccati reliquias. Sic D. Thom.

34. Magdalenæ quomodo peccata remissa.

Verùm aduertendum ex verbis Luc. ferè certò colligi non solùm quoad culpam, sed etiam quoad pœnæ reatum peccata omnia dimissa fuisse Magdalenæ: quod ea verba non obscurè indicant: quoniam dilexit multum, & illa, vade in pace; idemq; haberi potest ex alijs peristasibus à Luca relatis. Quòd verò ablati fuerint omnes habitus praui, & dispositiones, & praua phantasmata, non ita clarè constat, inquit Suar. in comment. in illum locum D. Thomæ, piè tamen creditur, tum ex Christi liberalitate, tum ex efficacitate, & magno conuersionis ardore, tum ex modo viuendi, quem inde statim Magdalena instituit, & ex insignibus virtutum luminibus, quibus in reliqua vita semper effulsit, quæ illam promptam facilemque ad Christi obsequium, & ardentem eius amorem reddiderunt.

35. *Cui autem minus dimittitur*] q. d. diligenti, minus dimittitur. Obserua in primis propositionem illam: plus diligenti plura dimitti hypotheticam esse, nimirum, si plus habeat quod ei remittatur. Card. Tol. ait Christũ loqui de ea dilectione, quæ de beneficio remissionis accepto oritur, quasi ex quadam gratitudine: hac enim minus diligit, qui minorem accepit remissionem, quantum, inquã, est ex parte ipsius remissionis: alioquin sunt qui pro minimis beneficijs plura rependant, quàm ij, in quos maiora collata fuerunt.

36. Cæterùm mihi videtur serm. hic potius esse de dilectione præcedẽte peccati remissionẽ: quomodo non video qualiter locum habeat obiectio Augu. hom. 29. l. 50. hom. nimirum, si is cui minus condonatum est delictorum, minus diligit: & cui magis dimittitur, condonatumq; est, magis diligit: expedit multum peccare, vt plura condonentur: vnde fiat postea vt magis diligamus.

37. Aduerte igitur hac sententia nõ significari quid re ipsa magis, minusque diligenti remittatur: Sed quid natura sua mereatur maior, minorque dilectio, maiore nimirum vt plura, minore vt pauciora peccata remittantur. Quod si dicas, quo ad culpam peccata mortalia omnia simul deleri, siue magis, siue minus diligas. Respond. in primis satis esse quod non omnia semper deleantur quantũ ad pœnas, & peccati reliquias, atque adeò potest hic locus intelligi, non malè de remissione culpæ simul & pœnarum cũ cæteris etiam reliquijs peccatorum. Deindè Dei liberalitati tribuendum est, quod quælibet minima dilectio supernaturalis, peccata reuera omnia, quamuis multa, remittat.

14. *Dicere intra se*] in seipsis, aut intra seipsos, id est, tacitè in animo quisque suo. Quamuis quidam intelligant inter se colloquutos submurmurando sed minus probabiliter.

Quis est hic] Admirantium hominum volunt quidam hæc esse verba; ac si dicerẽt quàm magnus est iste vir, *qui etiam peccata dimittit*, sed planè puto hæc esse blasphemiæ verba accusantium Christum & obmurmurantium, hoc sensu, *quis est hic qui loquitur blasphemias*; Matth. 9. 3. est enim verosimile istos fuisse Pharisæos, qui accumbebant.

83. 15. *Fides tua*] Licèt hæretici citent pro fide iustificante varia loca; in alijs tamen potius sermo est de fide miraculorum, vt Matth. 9. 2. docet Maldonat. hic locus est citra controuersiam, de fide iustificãte. Venit enim hæc mulier, vt animo sanaretur, non vt corpore; credidit, sanitatem consequuta est, quod est iustificari. Sciteque à quibusdam, inquit, quidam auctor, obseruatum est multos legi, qui ad Christum vt sanitatem corporis obtinerent, magno studio concurrerint; qui verò peccatorum suorum remissionem petiturus venerit, præter hanc mulierem neminem legi. meruit singulare obtinere beneficium, quæ singulari ad Christum studio, atque animo venit. Ergò quamuis de fide hic iustificante agatur, non tamen propterea fauet hic locus hæreticis. Nam in primis fides, hæc mulieris non sola fuit, sed charitatis præsidio munita. Deindè docent hæretici, fidem iustificare nõ tanquam præcedentem iustificationis causam, sed tanquam os, aut manum ipsam apprehendentem ipsã iustificationem, quatenus fide credimus nos esse iustificatos. At vel hinc maximè refutantur

impij;

Digitized by Google

impij; neque enim Magdalena credebat, à Christo, remissa sibi esse peccata, sed posse remitti, quod tamen illi Pharisæi murmurabant, non credebant. Et confirmatur hoc idem, quia hæc mulier antequam Christus sibi diceret, *remittuntur*, &c. dubitabat, vel nesciebat, an sibi remissa essent peccata. hoc enim tot charitatis officijs à Christo efflagitabat. vnde etiam colligo non sola fide eam iustificatam fuisse. Nam cùm remissionem peccatorum peteret à Christo fidem certè habebat, sine qua salutem à Christo non petiisset. Tribuitur porrò, fidei iustificatio, quia fides salutis initium fuit, ipsa illam ad Christum adduxerat, propter quam etiam tot dilectionis signa ostenderat, charitas tamen opus perfecit.

39. *Vade in pace*] post lacrymarum imbrem ingens consequuta serenitas. Chrys. hom. 6. in Matt. *sicut post vehemẽtes imbres mundus aer ac purus efficitur: ita etiam lacrymarum pluuias serenitas mentis sequitur.* In pace. i. *prosperè, seu fœliciter; vel bono esto seu tranquillo animo.* sic Emman. Interl. verò: *ne à via veritatis in viam scandali vlterius labaris.* At Theophyl. in pace. i. *in iustitiam, quæ est pax hominum ad Deum, sicut peccatum est inimicitia inter Deum & hominem*, q.d. operare omnia quæ ad Pacem Dei te ducunt. vnde Beda & Theophyl. benè agè, benè viue, noli amplius peccare, fac ea, quæ te Deo conciliant.

Equidem arbitror idem esse vade in pace, ac si diceret esto tranquillo, ac bono animo sine timore pœnæ ob peccata commissa, & ne sis anceps, vel sollicita de remissione peccatorum. Gr. πορεύου εἰς εἰρήνην vade in pacem, & ideò fortè Theophy. & Beda exposuerunt præcipi hic operationem boni, & iustitiæ per *pacis* nomen.

40. Sed, εἰς, apud græcos interdum ponitur pro, ἐν, & noster vertit *in pace*; vt etiam Marci 2. dicitur, *& auditum est, quòd in domo esset.* Gr. εἰς οἶκον ita & suprà, *Pharisæi præuerunt consilium Dei in semetipsis.* Gr. εἰς ἑαυτούς.

41. Cùm Tyrannus aliquis potentioris se imperatoris vires, roburque sentit, vt sibi consulat, deposito belladi animo arma *abijcit*, & ad pedes imperatoris prostratus saltem per legatos, pacem rogat, & tandem à clemente imperatore libenter obtinet. en tibi Magdalenam, bellum illa olim cum Deo gerebat, at nunc quo in periculo res suæ versentur, aspiciens, timensq; in manus potentissimi imperatoris incidere, belli studio deposito ad pedes Christi imperatoris prostrata, pacé obnixè, profusis etiã lacrymis & rebus omnibus suis Christo cõsignatis, quibus carni meruerat, & mũdo; obsecrat, auditq; à vero Salomone *vade in pace*, atque ita factum est, vt nunquam exercitum reintegrare, bellumque repetere attentarit, pacemque semper coluerit, quam semel acceperat. Addit his Barra. en transacto peccatorũ diluuio, Gen. 8. columba oliuę ramum, pacis insigne reportat. oliuæ enim ramo similis est vox Christi hæc: *vade in pace*: porrò columbæ similem rectè Magdalenam dixeris Christi dictũ, seu oliuæ ramum præferentem. fuit enim Magdalena similis ei, de qua dicitur Cantic. 2. *columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ: sonet vox tua in auribus meis. vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* nam in vastissimam se se vastissimi montis speluncam, per triginta abdidit annos, quasi in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ latitans, cuius orantis vox in auribus Christi semper, suauiterq; sonabat, & facies quidem decora erat, quãuis ieiuniis longaque Eremi asperitate exesa, & squalida.

Quæ pertinent ad moralem sensum, & allegoriam, præter ea, quę superiùs dicta sunt, petere poteris ex Iansen. c. 48. concor. de triplici verò vnguento Magdalenæ: quo hic pedes vnxit, & quod postea fudit super caput recumbentis, & quod postremò præparauit toti corpori Christi iam sepulto, lege D. Bernar. in serm. in festo Mariæ Magdal. De lacrymis, vel planctu multa videre potes apud Barra. tom. 2. lib. 7. c. 7. & quę diximus superius c. 8. Digress. vlt. de falsa verò pœnitentia, vide serm. 7. Granatæ de pœnitentia. hanc histor. applicat Bar. cap. 14. sub finem ferè lib. 8. Romanæ vrbi, cuius Typum, vult esse Magdalenam.

THEORIA PRIMA.

Vnáne, an plures fuerint Magdalenæ.

I. MAGNA, & perantiqua est quæstio; vna ne, an plures fuerint Magdalenæ, cuius quęstionis enodatio primum mihi pendere videtur ab altera de vnctionibus, de quibus l. 6. c. 7. Dilucidationum affirmabimus, duas dumtaxat fuisse exhibitas viuenti Christo, alteram Luc. 7. de qua hic, alteram Matt. 26. 6. & Marc. 14. 3. quam arbitramur eandem esse cum ea, quam narrat Ioan. c. 12. 3. Porrò illa vnctio de qua Ioan. c. 11. 2. eadem est cum hac Luc. 7. vt suo loco, si Deo placuerit, dicemus, expendentes citatum locum Ioannis.

Peccatrix hæc Magdalena soror Lazari fuit.

Massilienses vetus traditio.

Iam ad rem: Cùm ergò hæc, quæ apud Ioan. cap. 11. 2. dicitur vnxisse Christum nominetur *Maria Soror Lazari*, hinc constat Mariam sororem Lazari & peccatricem eandem esse mulierem. Cui fauet antiqua historia recepta per traditionem apud Massilienses: in sepulcro enim Mariæ sororis Lazari, quæ apud illos cum fratribus suis, vixisse fertur vsque ad mortem; scriptum dicitur, fuisse mulierem illam peccatricem, quæ postea sedit plorans ad sepulcrum Domini, & creditur hoc fuisse scriptum iussu Maximini vnius ex 70. Discipulis, qui fuit comes Lazari, & sororum eius, vt refert Sigebertus in li. de vna Magdalena, quem ante quingentos annos scripsit.

2. *De mulieribus quæ Christum vnxisse leguntur, quæ & quæ, disquisitio.*

Cæterùm mulier illa, quæ vnxit Dominum apud Matt. & Marc. loc. cit. & Ioan. 12. eadem est cum ea, quæ *peccatrix* dicitur, & *Maria soror Lazari* nominatur, Ioan. 11. Nam præter quam quod ea est sententia Augustini lib. 2. de consen. Euangel. cap. 69. Greg. hom. 35. in Euang. Bedæ Matth. 26. & in c. 7. Luc. confirmat id tacitus Ecclesiæ sensus. Deindè non obscurè Ioan. c. 11. 2. insinuatur, cùm volens describere Mariam sororẽ Lazari, & Marthæ, dixit: *Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & exterfit capillis suis pedes eius*; qua descriptione, minimè vsus fuisset, si plures fuissent mulieres, quę pedes Domini vnxissent: neq; enim de qua ex multis loqueretur, intelligeremus. Idé habetur ex verbis Christi Matth. 26. & Marc. 14. *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit euangelium hoc in toto mundo, dicetur quod hæc fecit in memoriam eius.* vbi Dominus prædicit eam mulierem prædicandam in Ecclesia fore propter insigne illud opus. Atque illud Ecclesia peccatrici tribuit mulieri; ergò peccatrix est illa, quę vnxit Dominum apud Matthęũ & Marc. atque adeò apud Ioan. cap. duodecimo, sed peccatrix illa erat soror Lazari, ex

Ioan.

Ioan.11.2.vt diximus hoc eodem nu.2. Ergò Maria soror Lazari fuit illa, quę bis vnxit Dominum viuentem, semel apud Luc. cap.7. & iterùm apud Matth. & Marc. loc.cit. & Ioan. duodecimo.

3. Quasę decipitur Origen. tract. in Matt.36. dum putat esse probabile, quatuor diuersas apud quatuor Euangelistas fuisse mulieres, quæ Christum vnxerunt. Nam saltem Matt.& Marc. de eadem loquuntur: quare Origenes fassus est tres esse, eam, de qua Lucas; & eam de qua Matth. simul, & Marc. Denique de qua Ioan. scribit. Id sequitur Theophyl. in 7. Luc.& Euthym. Matt.26.

4. Et verò neque probabile admodum est, quòd Hierony. Matth.26. asserit; & Bernard. seu Petrus Damian. in serm. de Maria Magdalena affirmat saltem hæsitans, duas fuisse mulieres, vnam de qua Lucas; & alteram de qua reliqui Euangelistæ. dubitat & Augustin. tract.49. in Ioan. an soror Lazari sit quæ peccatrix Luc.7. Chryso. quoque, sed minus probabiliter hom.81. in Matth. & 61. in Ioan. sicut & Leontius, & Theophylact. Ioan. 11. 1. putat, mulierem de qua Lucas, Matth. & Marc. eandē esse: eam verò de qua Ioan. diuersam. fortè quia tres illi scribunt apud Simonem vnxisse: Ioannes verò indicare videatur in domo Lazari eam vnctionem, cuius meminit accidisse, cùm faciat Martham mensæ ministrantem.

Ex his igitur habemus omnes vnctiones Christo viuēti exhibitas ab vna, eademq; muliere profectas fuisse, ac proindè eandem esse mulierem peccatricem, & mulierem, quæ vnxit Dominum non semel, & quæ Maria *Soror Lazari* dicitur.

5. Reliquum est ostendere eandē etiam fuisse illam, quæ vngere voluit iacentem Dominū in monumento. quod sic efficio: Ioan. 12. dicitur: *sine illam* (id est, Mariam sororem Lazari) *vt in diem sepulturæ meæ, seruet illud,* quibus iudicauit Christus Mariam illam aliquando desideraturam vngere corpus suum sepultum, & tunc fecisse, quod postea futurum non erat in ipsius potestate. Sed ea, de qua hæc Christus dixit, fuit soror Lazari, ex eo Ioan. duodecimo. Ergò soror Lazari fuit, quæ venit ad monumentum vngere corpus Domini, atque adeò mulier illa peccatrix: quia vt ostendimus iam, soror Lazari fuit illa peccatrix. igitur illa peccatrix est, quæ voluit vngere, cui nimirum etiam apparuit primò Christus post resurrectionem Ioan.20.

inclusio. Constat itaque mulierem peccatricem, sororem Lazari, quæ apud Matt. Marc. loc.cit. & Ioan.12. viuentem Christum vnxit post vnctionem primam Luc.7.& quę mortuum Dominum vngere voluit, cuique primò apparuit Christus vnam, eandemq; mulierem *Mariam* nominatam fuisse.

6. *Maria Magdal. vnxit Christum, & lauit lacry*

An verò sit illa, quæ *Magdalena* vocatur, de qua exierant, vel eiecta fuerant septem Dæmonia, nondum planè constat. Ostenditur verò hoc modo. Nam Patres ex illis verbis, *de qua septem Dæmonia,* &c. per quæ omnia genera peccatorum intelligunt: colligunt non obscurè indicatum esse Magdalenam, cui primò

A Dominus apparuit, fuisse illam peccatricem, de qua Luc.7. & meritò: quia illa cui primò apparuit, fuit quæ vngere voluit corpus Christi exanimatum, atque adeo soror Lazari & peccatrix. Magdalena ergo est eadem cum peccatrice, ac sorore Lazari. sed de hoc loco vide quæ scribimus libr.8. Dilucidat.cap.7.& hæc planè est Ecclesiæ sententia, quæ satis est ad conuincendam contrariam sententiā Chlictouæi, & Fabri, de tribus Magdalenis. Lege Baronium anno Christi trigesimo secundo, vbi confutat scriptum quoddam nostri temporis, hominis distinguentis Mariam Magdalenam, ab ea, *quæ erat in ciuitate peccatrix,* quam sententiam etiam Hieronym. epistol. 150. ad Hedibiam quæst.4. confirmare videtur, vbi

In qq. ad Hedibiam q.4.

B ponit in Euangel. quatuor Marias tantum reperiri, scilicet matrem Domini, Mariam Iacobi, & Ioseph Mariam Cleophæ, & Mariā Magdal. oportuisset addere quintam, si Maria soror Lazari esset distincta à Magdalena, quanquam ego tres tantum agnosco Marias. nam Mariam Iacobi, & Ioseph eandem arbitror cum Maria Cleophe, sed de hoc alibi. in procœmio quoque super Oseam scribit idem Hierony. eandem esse mulierem peccatricem, quę vnxit pedes Domini, & pro qua Dominus respondit proditori.

7. Scio Turrianum nostrum in explanationibus libro tertio cōstitutionum Clementis capite sexto, vbi Clemens Romanus ait; *erant nobiscum Maria Mater Domini, & sorores eius, &*

C *Maria Magdal. ac Maria Iacobi; item Martha, & Maria sorores Lazari, & Salome*; tueri, quod soror Lazari non fuerit Maria Magdalena. & eandem opinionem tribuit Machario AEgyptio hom.12.

8. *Magdalenæ nomen vnde.* Quomodo vero habitauerit in Galilæa, dictaque sit Magdalena, à *Magdalo* oppido Galilææ, propè lacum Tyberiadis sito, non est ita manifestum: alioquin enim ex Bethania prodijsse videtur, vt Martha, & Lazarus. Responderi tamen potest, Bethaniam appellari *oppidum Mariæ & Marthæ,* quia in eo habitarūt. Magdalena tamen videtur etiam habitasse in oppido Magdalo, quod viro illius oppidi nupsisset, teste Ianſen. D. Antoninus in vita Magdalenæ, & alij etiam aiunt oppidum Magdalum hæreditate illi obuenisse. Illud constat, in

D Galilæam concesisse, indeq; Iudæam vsq; comitatam esse Christum Matt. 27. Mar.15. Paucis igitur sic sentiendū videtur: Mariam in Galilæa nupsisse, & viro vita functo impudicitiæ se tradidisse; verùm conuersam Christum, relicta Galilæa, sequutam esse, & Bethaniæ cum Sorore, & Fratre habitasse.

THEORIA II.

In versum 6. & sequentes, excutitur sententia huius loci.

1. HORVM versuum sententia perdifficilis est, & neque vnam continet difficultatem. Primùm quia sunt qui verbum, *diligit,* eò loci, *quis ergo eum plus diligit?* per futurū exponunt; alij etiam per præteritum ex græco,

vt Am-

vt Ambro. lib. de Tob. c. 22. & lib. 2. de Pœnitent. cap. 8. & Gregor. lib. 6. epist. 22. Alij per præsens vt noster Interpres, & Cyprian. lib. ad Nouat. quod lapsis non est neganda spes veniæ, & Hieronym. lib. 2. aduers. Iouinian. Greg. homil. 33. in Euangel. & Bernard. serm. 10. qui est de compunct. legunt enim etiam remittũtur. Multum autem refert vtro modo legas. Deindè non videtur ex hac parabola colligi id quod Christus intulit, nimirum multa peccata illi mulieri remitti, quod multum dilexisset; sed contra potius, propterea multum eam dilexisse, quod multa illi peccata remissa fuissent. hoc enim recta parabolæ applicatio poscere videtur, in qua dictum est, maiorem dilectionem consequi debere eo, cui maius debitum remissum est. Ad hæc difficilè est intelligere, quomodo dicantur remitti ei peccata, quia dilexit: cùm remissio peccatorum gratuita sit: & nec charitas in eo, qui peccatum habet peccatorum remissionem, neque remissio peccatorum charitatem præcedat. Arbitrari enim charitatem cum peccato mortali cohærere, & simul stare, omninò à veritate alienum arbitror. Postremò illa etiam verba, *cui autem minus dimittitur, minus diligit*, difficilem admodum habẽt intellectum, quia quomodo verum sensum contineant laboriosum est discernere. Hæc & alia id genus textus hos difficiles reddunt, & spinosos. Adsit Dominus vt verum sensum, mentemq; nostram clarè aperiamus.

Charitas & peccatum simul consistere nequeunt.

2. *Charitas bifariam considerãda.*

Intelligere igitur oportet bifariam posse nos de dilectione loqui, vel vt præcedat, vel vt sequatur peccatorum veniam. Hinc duplex oritur horum versuum intelligentia: altera de antecedente dilectione, quomodo cùm sciscitatur Christus ver. 7. *quis ergo eum plus diligit?* sensus erit, vter plus fœneratorem diligebat, antequam remissio collata esset. Altera verò de consequente dilectione, vt sit sensus; vter facta iam debiti condonatione magis diliget, vel certè magis diligere putandus est fœneratorem suum?

3. Hac igitur bipartita dilectione posita, illa mihi in primis obscurissimi loci expositio supra cæteras probabilis videtur: vt dicamus sermonem hic fieri de dilectione ea, quæ remissionem peccatorum antegreditur, saltem natura: Atque ita, affirmabimus hic positum esse præsens tempus *diligit*, seu futurum *diliget* loco præteriti; hanc enim vim habere potest interdum præsens, vel etiam futurum, verbi gratia, si ita dicas; hic pro Deo famam, ille diuitias in discrimen adduxit, vter ergo est vel erit sanctior? hoc est, vtrum eorum tu sanctiorem fuisse iudicabis? Itaque sensus est iste. *Quis ergo eum plus diligit?* hoc est, quem tu Simon ex effectu, scilicet ex remissione debiti maioris, vel minoris rem conijciens, arbitraris plus creditorem suum dilexisse, amicumve illi fuisse, cùm amicitiæ causa fenerator debitum vtrique remiserit? & eodem sensu accipiendum est Simonis responsum: *æstimo quia is, cui plus donauit.* Credendum enim est plus illi dimisisse, à quo magis se diligi sentiebat, nec alteri tantundem dimissurum fore, si æquali debito sibi illum obligatum sensisset; quod & ex inferiùs dicendis magis constabit, præsertim ex declaratione illorum verborum: *cui autem minus dimittitur, minus diligit.*

Nec verò nouum est in scriptura futurum, pro præterito poni, vt Genes. 1. vbi nos legimus *ascendebat fons de terra*, Hebr. futurum est. Psalm. item Psalm. 122. *propter proximos meos loquebar pacem de te*, 1. Regum 1. *sicque faciebat per singulos annos*, & quod nos habemus apud Amos cap. 5. 13. *ideò prudens in tempore illo tacebit*, quidam exponunt pro *tacebat*, aut tacere oportuit, positum esse. Quare Augustinus lib. 50. homil. 23. per præteritum legit, *quis eum plus dilexit?* sic etiam Euthym. interpretatur. Quomodo nulla videtur difficultas in applicatione parabolæ, rectèque ex maiori dilectione iuxtà responsum Simonis infertur plurium peccatorum remissio in peccatrice, cuius causa maior dilectio fuit: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, & cui minus dimittitur, minus diligit*, & cui plus dimittitur plus diligit, & vtrobique potest etiam sumi *diligit*, pro *diligebat*, si de imperfecta aliqua dilectione intelligas, quæ tempore etiam præcesserit, vt dispositio remota cùm aliquibus signis & officijs dilectionis remissionem peccatorum: si verò de perfecta loquaris, quæ sit vltima dispositio ad gratiam, & simul tempore sit cum remissione peccatorum tantum hanc ordine naturæ præcedens; hoc modo, inquam, si sumas dilectionem, non erit necesse, vt præsens hic, pro præterito sumatur, cùm satis sit naturæ prioritas cum simultate temporis. qui enim sic diligit, eodem temporis momento veniam assequitur.

4. *Futurum pro præterito frequẽter in Scriptura.*

Quod si cui fortasis non placet vllo modo positum esse præsens, vel etiam futurum pro præterito, dicere is poterit significari hic cùm dicitur: *quis ergo eum plus diligit?* præcedentem quidem tempore dilectionem, sed continuatam tamen & perseuerantem vsq; ad præsens illud tempus cùm iam euasit in perfectam dispositionem. quamuis non sit negandum spectari hic, semper dilectionem, præsertim qua præcedit, saltem natura.

5.

Verùm tribus à Card. Toleto rationibus adnot. 69. hæc expositio impetitur. Primùm quidem, quia debitores illi (si parabolam spectes) minimè sperabant sibi ob dilectionem in creditorem debita esse condonanda: quare non vt suorum debitorũ remissorem hic minus, plus alter eum diligebat. Deindè si Pharisæi iudicium inspicias, nequaquam poterat ille iudicare maiorem fuisse præcedentem dilectionem, ex maioris debiti relaxatione, cùm id fieri potuerit, non quia plus diligebat, cui plus dimissum, sed quia plus debebat; ei verò, qui minus diligere dicitur, ideò minus remissum, non quia minus diligeret, sed quia minus debebat: nam si dictum fuisset, vni totum, pars alteri debiti condonata est, tunc fortè locum inueniret dilectio præcedens: iam verò cùm vtrique totum dimissum esse dicatur, non rectè scilicet & prudenter iudicasset Simon, cuius tamen à Christo scimus laudatum esse iudicium. At de consequente dile-

6. *Toleti obiectio contra præcedentem sententiam.*

ctione

ctione benè, prudenterque æstimasset. Cui enim remissum est maius debitum, maioris etiam debitor esset dilectionis, facileq; esset cõiectare magis dilecturum, qui maiori erat ære alieno obstrictus creditori. Postremò illa præcedens dilectio peccatricis non videbatur à Pharisæo, vt conuinci posset à Christo remissa illi fuisse peccata quia dilexerat. Secus de consequenti, nam ex signis & operibus obsequijsque in Christum patere poterat. His, & similibus adductus Tolet. nostram conatur infringere sententiam, & suam statuere de cõsequente dilectione: de hac enim ille locum hunc interpretatur.

7. Verùm cùm mulier peccatrix ignoraret, num sibi dimissa essent peccata, cùm Christus ea verba protulit interrogans Pharisæũ, quomodo poterat ob id eum plus diligere? & hoc tamen parabola exigeret, si de dilectione remissionem consequente, intelligenda esset. Nec refert quod re vera ita esset, nempè quod dimissa iam essent illi peccata, si verè non ob acceptam condonationem peccati, pro qua rogabat adhuc, illa dilexisset, sed vt illam obtineret. Deindè vt aduertit Maldo. in ver. 42. id errandi occasionem præbet hæreticis negantibus huic mulieri propter præcedentia charitatis opera remissa peccata: atque adeò illa verba: *quoniam dilexit multum*, sic interpretantibus, vt vox, *quoniam*, effectum & consequentiam, non causam significet. Postremò vim certè inferũt verbis illi Christi, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, qui sic exponunt; cùm ex verbis planè intellectis pro vt præ se ferunt, dilectionem præcedere remissionem delicti, satis constet.

8. Ad primam ergò obiectionem Card. Tol. Respon. ex Euthym. qui sic interpretatur eum locum: cui plus dimissum est, plus diligit, videlicet qui plus debebat creditori plus eum diligebat, vt maioris ab eo debiti condonationem obtineret. Quæ videtur etiam Augu- intelligentia lib. 50. hom. hom. 23. quod in hac muliere, de qua loquimur, certũ videtur. Non enim tantam Christo dilectionẽ exhibuit ob aliud, nisi quia tam multis se commaculatam delictis videbat magno veluti ære alieno obstrictam, vt ad consequendam eorum veniam singulari sibi charitate opus esse intelligeret. Quãuis verò nõ sit in vniuersum omninò verum, plus eum diligere, qui plus debet: solet tamen, vt plurimum euenire, vt cùm speratur remissio, eaque præsertim à beneuolo creditore (cuiusmodi esse iste fingitur, qui vtrique debitori liberaliter narratur remisisse debitũ, totumque æs alienum dissoluisse, & qui pluris charitatem facere ostenditur, quàm debitum) is qui plus debet, maiora saltem dilectionis signa ostendat, per quæ probabiliter credatur plus diligere.

9. Potest & secundò dici, non esse necesse ad plus, minusve diligendum creditorem, sperare remissionem, satis est vt alijs de causis plus, minusve eum debitor dilexerit, ob quẽ amorem creditor plura debita dimittat plus diligenti, eò quòd magis dignus sit, pauciora verò minus diligenti; ita tamen quod si plura & maiora habuisset, non dimisisset illi creditor, id est, non dignus saltem fuisset cui dimitteret; & ita non fuisset ei dimissurus creditor plura, vel maiora spectata rei natura, hoc est, dilectione, quæ ponitur causa remissionis: loquitur ergo Christus de creditore qui condonet debita motus dilectione eorum, qui sibi ære alieno obstricti sunt.

Ad alteram verò obiectionem Respond. duo hæc primum Christi parabolam, & interrogationem, sicut & iudicium Pharisæi supponere ex dilectione, & amicitia, quæ præcesserat eorum, qui ære alieno obstricti erant; remissa esse debita à creditore, quare ex effectu maioris condonationis, & ex interrogatione Christi, qua rogabat vter plus creditori antea amicus fuisset, iudicabat Pharisæus magis illi amicum fuisse eum, cui tam multam condonasset pecuniam debitam, si ob amicitiam facta erat ea condonatio; neque verò id sine probabili admodum ratione dicimus: nam hoc Christi interrogatio; *quis eum plus diligit?* hoc tam diligenter enumerata Magdalenæ charitatis officia; hoc verbum illud, *quoniam dilexit multum*; hoc denique & illa: cui plus, minusve dimittitur, plus minusve diligit (quasi mensura remissionis secundum se spectata ex maiore, & minore pendeat dilectione) non obscurè declarant. 10.

Et hæc intelligentia benè quadrat proposito Christi volentis interim perstringere tacitè Simonis tepiditatem, illique præferre peccatricem in dilectione Dei & sanctitate. quasi dicat Christus: tu, ô Simon, qui tibi videris pauca debita contraxisse, parum diligis, & satis tepidè; hac scilicet persuasione, & cogitatione tumidus, & ideò dignus es, cui parum dimittatur, pro modulo dilectionis. At hæc, cui (quia plurimum dilexit ad obtinendam omnium, quæ multa erant peccatorum remissionem) remissa sunt tam multa, hoc est, omnia peccata; sanctior est, quàm ipse sis, licèt contrarium tibi persuadeas. En tibi qualiter ex præuia dilectione colligit illi remissa fuisse peccata; atq; adeo sanctam esse. Præcedentem porrò dilectionem satis ostendebant illa signa, & officia charitatis à Christo narrata: nam cũ illa mulier ignoraret an delictorum condonationem esset consequuta, propterea adhuc dilectionem conseruans, ac fouens, eius non obscura, nec pauca signa dilectionis exhibebat, ob quam tamen iam veniam meruerat. 11.

Deindè addendum secundò, huic responsioni: nihil referre quod ei, qui parum debebat, debitum etiam totum, & non sola pars esset remissa pecuniæ. Nam hæc moraliter, & non Metaphysicè sunt accipienda, nimirum; propterea à Christo positum esse paruum, licèt totum vnius debitum, maximum alterius; vt intelligamus non fuisse creditorem minus debenti remissurum maius debitum. affirmo igitur loquutum esse Dominũ formaliter, vt sic dicã de debito & remissione minore, scilicet, quatenus minor & remissio, & debitum minus. Ita vt minor per se & præcisè vni, & vt alteri maior facta sit condonatio, quamuis acciderit vtramque esse totius debiti: illud enim secum trahit maior, & minor dilectio, & amicitia, propter quã dicitur ea facta cõdonatio.

Iam ad id quod tertio loco obiiciebatur: Dixi de dilectione præcedente Christum interrogasse & petijsse, vt ille conijceret vter ante a magis fuerit amicus creditoris.

Illum verò ex debiti remisione maioris & minoris, quæ ex intuitu dilectionis significari videbatur esse facta à creditore, hoc est, ex maiori vel minori remisione, vt maior, vel minor est absolutè, id conieciſſe, & laudatum à Christo fuisse. Non igitur erat necesse, vt videret internam amicitiam vtriusque debitoris. Difficultates verò, quas initio diximus hunc locum difficilem reddere, ex his facilè est dissoluere. Et ex expositione textus in Scholijs.

12. Potest ergò sic tota Christi ratiocinatio confici Responso Simonis accepto: hæc mulier, Simon, longè maiorem dilectionem ostendit, quàm tu; Patet id ex officijs charitatis. Maiorem igitur quàm tu remisionem peccatorum accepit. Tibi enim tanquam nihil, vel minus diligenti, vel remissa non sunt peccata, vel certè non omnia, hoc est, indignus es cui remittantur peccata, vel certè dignus, cui pauca quædam tollantur, si dilectio ipsa minor ex se spectetur quamuis reuera ex liberalitate Dei, minima quælibet dilectio supernaturalis omnia tollat peccata. prout in Schol. nu. 37. declarauimus. ergò illa iustior te, ac sanctior est, quamuis tu Sanctus videri velis, & sanctum te esse putes. Cùm verò addit: *cui minus dimittitur*, &c. reuocat hypothesim ad thesim, hoc modo: Cui minus dimittitur, minus diligit, hoc est, diligebat, antequam illi dimitteretur. mox subintelligitur; & cui plus dimittitur, magis diligit, hoc est, diligebat.

13. Hæc expositio propterea mihi maximè placet, quod dilectionem semper eodem modo sumit, nempè pro antecedente dilectione, idque tota historia, contra ac alij faciunt. quamuis & eo nomine maximè sit commendanda, quòd rectè parabolæ Christi respondeat, eamque accommodatè explicet. vnum tantum incommodum videtur habere, alicuius momenti: quod verba Lucę de consequente amore suauius videantur accipi.

14. Propterea & alteram expositionem adducam, quàm partim noster Barradius attigit, quamuis aliter eam ipse deducam, & concludam. Possumus igitur affirmare parabolam hanc à Domino propositam, non fuisse ab illo explicatam, verùm ex his, quæ dixit non esse difficilem illam aperire, & aptè applicare. Mens Domini est horum debitorum exemplo ostendere peccata multa, quæ debitorum nomine intelliguntur, esse interdum occasionem magni amoris consequentis, atque sanctitatis; nam quoniam Pharisæus peccatricem illam spernere videbatur, quasi multis infectam sceleribus, seque illi superbè præferebat, quasi pauciora commisisset peccata; propterea allata in medium similitudine docuit Dominus, potuisse Pharisæum à fœmina charitatis ardore superari, ac proindè sanctitate, esto pluribus obnoxia fuerit & subiecta sceleribus.

Peccata interdum magni amoris & sanctitatis causſa.

Hæc autem est parabola: *Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta, vtrique condonatum debitum. vter ergo horum plus creditorem diligit?* Respondet Simon: *equidem arbitror is, cui plus donauit*, vbi sermo est de consequente dilectione. Hîc prætermisit Dominus parabolæ explicationem, applicationemque, quæ iuxtà mentem eius, talis est. Duo debitores Simon, tu, & peccatrix estis. Tu quidem is tibi esse videris, qui quinquaginta denarios debebat; peccatrix verò tuo quoque iudicio quingentos. vtrique condonatum. Igitur plus dilexit post acceptum beneficium ea, cui plura debita remissa sunt, quàm cui pauciora, hoc est, plus peccatrix, quàm tu, ac proindè multo te sanctior est. Dominus hac prætermissa applicatione ostendit mulierem plus dilexisse, quàm Pharisæum, idque non iam amplius ex sententia, & iudicio Pharisæi, sed ex signis dilectionis. hoc autem non est quid veluti consequens parabolæ applicationem, sed extra eam assumitur, vt tanto magis ostendat peccatricem charitate, ac sanctitate superare Pharisæum, non modo Pharisæi iudicio, & parabolæ similitudine, verùm etiam ex ipsis dilectionis officijs quę Pharisæus omiserat, præstiterat illa sedulò, & magna charitatis significatione.

Parabolæ applicatio.

Cùm ergò Dominus, inquit, *ideò dico tibi: remittuntur ei*, &cæt. ostendit tantam mulieris esse dilectionem, vt non modò pòst acceptum beneficium perseuerauerit cum illa; sed & præcesserit etiam remisionem peccati saltem, antequam intelligeret sibi esse remissa peccata. Igitur subdit Dominus de hac præcedente dilectione, causſam fuisse remissionis peccatorum. 15.

Non ergò hæc quæ dicuntur hic ad applicationem parabolæ faciunt, in qua de consequente tantum dilectione est sermo: sed assumuntur post illam, vt tanto magis declaretur dilectio & sanctitas peccatricis, quæ antè remissa peccata, seu saltem antequam intelligeret sibi esse remissa ardentissimè dilexit, propter quam ei remissa sunt peccata: & in qua semper posteà perseuerauit. vide superiùs numer. 7. Et hæc satis de perdifficili quæstione.

THEORIA III.

Vtrum maius beneficium sit Innocentia, an Pœnitentia, in illa: *Duo debitores erant*, &cæt. Sunt enim duo Christo debitores, innocens, & pœnitens.

HANC quæstionem exagitat D. Thomas secunda secundæ, quæst. 106. arti. 2. Abulens. Matth. 18. q. 142. Diuus Augustin. 2. Confess. cap. 7. etiam attigit Cardin. Tolet. hic adnotat. 75. Valen. tom. 3. dist. 7. qu. 4. p. 3. 1.

Tam innocens, quam pœnitens Deo agit gratias.

Illud omninò constat, vtrumque innocentem inquam & pœnitentem, summas Deo immortalesq; gratias & habere, & agere debere.

Sic

Sic Augustlib.50.hom. homil.23.docet, dum ait: *hic multa commisit, & multorum debitor est factus, ille Deo gubernante pauca commisit. Cui deputat ille quod dimisit, huic & iste deputat, quod non commisit. Agnosce gratiam eius, cui debes, & quod non admisisti. Mihi debet iste quod factum est, & dimissum vidisti; mihi debes & tu quod non admisisti. nullum est enim peccatum quod fecit homo, quod non posit facere alter homo, si desit rector à quo factus est homo.* Et lib.2. Confess.c.7. *gratiæ*, inquit, *tuæ deputo, & misericordiæ tuæ, quod peccata mea, tanquam glaciem soluisti: gratiæ tuæ deputo, & quæcunque non feci mala, & omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te duce non feci.*

2. Cæterùm licèt hæc verè dicta sint ab Augustino, & piè si donum ipsum per se, absolutèque spectemus, præstantius certè donum, & longè expetibilius innocentia, quàm pœnitentia peccatorumque remissio. qua ratione maiores gratias, & cumulatiorem amorem Deo debet innocens. quare Augustlib.2. Confess.cap. 7.ait: *qui vocatus à te, sequutus est vocem tuam, & vitauit ea, quæ recordantem, & me de meipso fatentem legit, non me derideat ab eo medico ægrum sanari, à quo sibi præstitum est, vt non ægrotaret, vel potius, vt minus ægrotaret. Et ideò te tantundem, imò verò amplius diligat, quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis peccatorum languoribus non implicari.* In eandem sententiam lege Simonem Cass.lib. 9.cap.30.

3. *Pœnitentia quomodo maius donũ innocentia.* At si eos qui eiusmodi beneficia accipiunt spectes, pœnitentia homini improbo, qui illa indignus est, cùm æterna supplicia mereatur, Dei munere concessa maius, & hoc respectu excellentius donum est, quàm innocentia: quo modo mille aureorum donum in inimicum superat trium etiam millium aureorum munus in amicum collatum. atq; ita maiores gratias, maioremque amorem debet pœnitens Deo, quàm innocens.

4. Quod verò innocens is sit absolutè melior, & magis Deo dilectus cæteris saltem paribus, qui diu perdurauit in gratia; non efficit, vt plus Deo debeat. nam vt concedamus (quod verum est) Deum absolutè quidem plus diligere innocentem eum, qui in gratia plus perdurauit, & ipsum maius bonum à Deo accepisse absolutè, quòd non negat Diuus Thomas loc. cit. & prima part.quæst.20. articul.4. ad quartum fatetur. Obligatio tamen gratitudinis non oritur ex maiori dilectione, aut affectu Dei absolutè, sed ex maiori dilectione, & affectu; vt est magis gratuita donatio; maiusque donum per respectum ad eum, qui recipit spectata eius conditione. Quo pacto maius donum, & magis gratuita donatio fit pœnitenti ob indignitatis conditionem: sicut contra Lucæ 21.ob conditionem etiam personæ donantis, dicitur absolutè à Christo vidua illa, quæ tantum duo æra minuta contulit, plus omnibus dedisse.

5. Quare rectè animaduertit Caietan.2.2.loc. cit. aliunde formaliter loquendo intelligi rationem boni, & aliundè rationem doni, ac proindè donum quidem innocentiæ, quatenus bonum est, maius quiddam, quàm donum pœnitentis est (quod intellige cum Valen. etiam respectu personæ cui datur, vel quæ illud recipit) quia est bonum secundum præstantiam suam totam absolutè, minus vero quiddam est, quatenus donum est: quam rem benè explicat Valen. quia donum non vtcumque solum significat rei præstantiam, sed vt receptam, & datam huic in tali, vel tali dispositione: quod dum consideratur in persona pœnitente, aliquid plus cernitur & æstimatur propter modum, quod datur magis indigno; qui modus significatur, siue connotatur nomine doni. Quia ergo obligatio gratitudinis oritur ex doni ratione, vt donum formaliter est, & maius donum formaliter est gratia pœnitentis, quàm innocentis; ideò pœnitens magis tenetur ad gratitudinem, tametsi materialiter donum innocentis vt quoddam bonum est, sit maius. Et simili modo potest intelligi illud Lucæ decimoquinto, *maius gaudium erat in cælo*, &cæt. vide Diuum Thom.prima part.quæstione vigesima, artic. quarto, ad quartum. Sic igitur intelligendus idem Diuus Thom. tum in prima parte, tum in secunda secundæ loc. cit.non sicut exponit eum Caietan.2.2. loc. cit. in fine solutionis 6.dubij, quem etiam refutat Valen. loc. citato.

DIGRESSIO PRIMA MORALIS

De more accumbendi antiquo, caputque vngendi conuiuis.

DE antiquo more recumbendi & vngendi, multa habet Pradus in Ezechiel. tomo 1. in cap.23.ver. 41. ex quo hæc delibauimus. & primum de recubitu à verbo; natah, quod est extendere, reclinare, vel inclinare nascitur nomen *mittah*, reclinatorium, stratus, lectus, super quo homo reclinat, incumbit & sese extendit. 1.

Sunt autem duo lectorum genera, alij cubiculares, alij triclinares, seu discubitorij; vnde triclinium, sicut cænaculum ipsum Hebræis dicitur *bethmitthot*, id est, domus lectorum: Latinis *lecti* dicti sunt, teste Varrone lib.4.à legendis herbis, & stramentis ex quibus fierent; & *tori*, à tortis herbis, quæ accumbentium humeris supponebantur, vt vult Isidor. libro secundo, Etymologiarum. Postea ex lignis, deindè ex materia arte fabrefacta compositi sunt; primùm ab Archia artifice, vnde & Archaicos dictos volũt iuniores quidam, quamuis alij quasi antiquos, hoc est, rudes, inelegantes sic appellatos malint, & punicanos, hoc est paruos, humiles. 2. *Duo lectorũ genera.*

Deindè, vt docet Plin.lib.33.cap.11. Luxuria auro, argento, ebore, & testudinum indicarum putaminibus in laminas sectis, exornauit. Neque minor luxus in lectorum apparatu, quàm in materia, vel artificio fuit: cùm olim cespitibus, seu herbis pelles hædinæ vix adderentur: hinc Ouid. *qui poterat pelles addere, dies erat.* Iudith duodecimo, sic 3. *Luxus lectorum.*

habet editio Septuaginta, *& acceſsit ancilla eius, & ſtrauit ei ante Olofernem humi pelles, quas acceperat à Bagao ad quotidianum vſum ſuum, vt manducaret accumbens ſuper eas, & ingreſſa recubuit Iudith.* Videntur autem huiuſmodi pelles, in quibus recubuit Iudith molles fuiſſe. Deindè verò creſcente luxu ſtragula conchiliata, aut purpurea Babylonica lectis inſternebãtur. Hinc Virgil. 1. AEneid. *conueniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro.*

4. Illud hic notandum eſt, morem quidem fuiſſe olim ad menſam accumbendi conuiuis, ſed non omnibus, neque ſemper, neque vbique gentium. Antiquior mos fuit ſedendi, quã diſcumbendi. ſic Geneſ. 43. 33. inuenies, cùm fratres Ioſephi ſediſſe ad menſam dicantur. Hinc Virg. 7. AEneid.

Hæ ſacris ſedes epulis: hic ariete cæſo
Perpetuis ſoliti Patres conſidere menſis.

Perpetuæ menſæ quæ. vbi Seruius; *perpetuis*, inquit, *hoc eſt, longis, ad ordinem exæquatis ſedentium. maiores enim noſtri ſedentes epulabantur, quem morem habuerunt à Laconibus & Cretenſibus: vt Varro docet in libris de gente populi Romani.* Ouid. item id ipſum docet Faſtor. 5. *Ante focos olim ſcamnis conſidere longis Mos erat, & menſæ credere adeſſe Deos.* Sedentes itaq; epulabantur veteres, vtpotè frugaliores, & temperantiores.

5. *Diſcubitus mollior accubitu.* Poſteà cùm mollitie, & luxu inuectus diſcubitus: quem habitum corporis compotationibus aptiorem exiſtimarunt, quàm seſſionem. Hinc Plutarch. Sympoſ. ſeptuageſimoprimo, Problem. vndecimo. *ſicut lectus,* inquit, *commodior eſt bibentibus, quàm cathedra, propterea quod ille corpus continet, omniq́ue motione vacuum præſtat: ita maximè conuenit animam, in quiete conſeruare.* Accubitus mentio fit, primo Reg. 16. 11. Canticor. 1. 12. &cæt. Fuiſſe verò apud Hebræos vſitatas accubationes, docet ibidem Pradus. Obſeruatumq́; eſſe ait in Talmudico tractatu, dicto *Suca*; veterum conuiuia fieri ſolita cum decubitu, decumbentibus ſcilicet conuiuis in lectis ſuper latus ſiniſtrum.

6. Atque hunc morem, vtpotè receptiſsimum apud gentiles ſuos, obſeruauit Chriſtus cùm inuitatus à Phariſæo diſcubuit: & in cœna, vbi Ioannes dilectus ſupra pectus magiſtri inter cænandum recubuit, vt qui in ſinu eius diſcumbebat ad menſam, quem habitum corporis, atque ſitum conuiuarum ipſe diſcubitus faciebat; nam neceſſe erat in ſingulis lectis anteriorem in prioris ſinum recumbere; cùm omnes pectora molliter erecta ad menſam haberent conuerſa, reliquum autem corpus & pedes extenſos retro. Vide item Iuſtum Lipſium libro tertio, antiquit. lectio.

7. Ex his facilè eſt intelligere, & quomodo Ioannes ſupra pectus Magiſtri recubuerit, & Magdalena ſtans retrò pedes Domini lacrymis rigauerit. Quod duabus appoſitis imaginibus cernere poteris, apud eundem Pradum loc. cit. ſic & illud Lucæ ſexto, verſic. vigeſimotertio, explicari poteſt, cùm dies dicitur vidiſſe à longè Lazarum in ſinu Abraham, nimirum in cæleſti conuiuio ad pectus Abrahæ, qui vt paterfamilias inducitur, diſcumbere; nam de epulis ſermo videbitur eſſe ſi illa conſideres: *mitte Lazarum, qui intingat digitum ſuum in aqua, & refrigeret linguam meam.* viderat enim calices Chryſtallinos aqua plenos in Abrahæ menſa.

Porrò Græcos & Romanos, non illos vetuſtiſsimos, ſed qui poſt monarchiam vixerunt, ad menſas & epulas ſuas accubuiſſe docet Petrus Ciaconius Toletanus: Erant autem menſarum tabulæ apud veteres ex cedro aliquando, vel ex alia quapiam precioſa materia factæ, varijs ſæpè Emblematis, vel imaginibus exornatæ, mappis etiam villoſis ſternebantur, vel mantilibus, diuerſiſque epularum generibus inſtructas apponebant diſcumbentibus. lege Plin. libro decimotertio, cap. decimotertio, à duobus enim portabantur ferius, & conuiuis accumbentibus apponebantur; mutabanturque toties, quoties noua addebantur obſonia, ex Plutarch. in vita Pelop. & Athen. libro nono, hinc arbitror primas, ſecundas, & deinceps menſas dici. De coronis quibus conuiuæ coronari ſolebant, lege eundem Pradum loc. cit. verſic. quadrageſimo ſecundo.

8. *Menſarum tabulæ quales.*

Illud poſtremò addendum; ſolemne fuiſſe viris poſterioribus ſęculis ad menſam diſcumbere, pueris autem atque fœminis ſedere, ex Ar. etiam 7. de Rep. & Valer. Maxi. lib. 2. c. 1. & hunc morem, vt decorum apud Hebræos obſeruatum ſignificat, Ezech. cap. 23. 41. *ſediſti in lecto pulcherrimo,* &c.

9.

10. *Vnguentorũ vſus in conuiuiis quando cœpit.* Iam de vnguentis inter cænandum, & conuiuandum agamus ex eodem Auto. Iliacis temporibus, ac Homericis auctore Plin. lib. 13. cap. 1. nondum erat vnguentorum vſus, ſicut nec thuris in ſacrificiis: ſed poſt expugnata Darij caſtra, in cuius apparatu Serinium vnguentorum inuenit Alex. ad Græcos primum deuenit, indè ad Romanos. horum fit mentio Amos 6. 6. bibentes vinum in Phialis, & optimo vnguento delibuti. Hebr. capite vnguentorum, qua hebraica voce quidã præcipuum aroma, id eſt, balſamum ſignificatum volunt, quod Plin. auctore cæteris odoribus præfertur, vniq́ue Iudææ conceſſum eſt; nam AEgyptium minoris animo laudis fuit.

11. Ad hunc morem alluſit Sapiens, Eccleſiaſt. 9. 8. *omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat:* Ironicè tamen loquitur. cùm enim duo eſſent ſigna maximè lętitiæ cõuiualis veſtes candidę atq; oleũ, ideò cùm egiſſet de conuiuijs ver. præcedenti: *vade ergo & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.* Subdit: *omni tempore ſint*, &c. q. d. cura cuticulam: voluptati & lætitiæ te trade, balneis indulge. Nouatianorum Epiſc. Siſinnius, in ſuarum deliciarum excuſationem, hunc locũ citabat perperam ex Socrate lib. 6. c. 22. ſolebant autem vti veſtibus albis & vnguentis etiam in balneis, quibus amicti & delibuti inde egredientes menſis accumbebant, quare illæ veſtes cænatoriæ dicebantur.

Siſinnij Nouatiani Epiſcopi laxus.

12. Huius moris meminit & Chriſtus Matt. 6. 17. *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput,* &c. vt in

hunc

hunc locum notauimus superius ca. 5. in Scholijs num. 39.

Et huc spectat huius sanctæ peccatricis præclarum facinus, CHRISTI non quidem nunc caput (hoc verosimilius, neque enim audebat caput attingere) verùm pedes vngentis: alibi & caput & pedes, cùm tamen non esset in more positum nisi caput vngere ex Athenæo lib. 13. & lib. 15. & Plin. lib. 13. cap. 3. lege quæ scribimus lib. 6. cap. 7. fin. & Prad. loco citato in fine vers. 41.

Sed sancto scilicet officio mulieris, pietati, deuotioni ac pœnitentiæ, ardentique in ipsum amori indulgebat Christus, non delicatas vnctiones curabat.

DIGRESSIO II.
MORALIS

De D. Mariæ Magdalenæ pœnitentia: *Rogabat quidam Pharisæus*, &c.

1. Peccatoris compunctio Deo grata.

NIHIL Christi palato dulciùs, nihil cariùs accidere potest peccatoris corde cõpunctionis, & charitatis igne decocto; quod ita esse huius peccatricis historia clarissimè docet. longè enim iucundiùs conuiuiũ exhibuit Magdalena Christo, quàm Pharisæus, dum stans retrò lachrymis cœpit rigare pedes eius, capillis capitis sui tergere, exoscularí, vngere vnguento. Cõfirmat id sic eleganter Chrysologus, Sermone 93. *Prariset domum Christus intrauit, non accepturus Iudaicos cibos, sed diuinam misericordiam largiturus: neque accubuit pocula saporata melle, floribus odorata sumpturus, sed pœnitentiæ lachrymas ex ipsis oculorum fontibus potaturus. Deus delinquentium gemitus esurit, sitit lachrymas peccatorum.* ita præclarè Chrysolog. Quod esse verisimum, sic Dauid cælesti lumine illustratus sua auctoritate firmauit; *cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*: & vt nulla esset amplius dubitandi occasio, ipsemet Deus cor nostrum à nobis efflagitat: *Prabe fili mi cor tuum mihi*, Prouerb. 23. 26.

2. Magdalena epula Christo gratiores quam Pharisæi.

Perpendamus igitur quale fuerit hoc conuiuij genus, & quàm suauissimũ epulum, quod obtulisse Mariam docet hîc Lucas, qui veluti penicillo quodam singulas huius meretricis actiones, tanquàm suauissimas epulas, depinxit. De Magdalena scribit D. Marcus, Christum septem dæmonia eiecisse: at nunc D. Lucas eleganter describit, loco septem dæmoniorum, honestis septem comitibus puellis comitatam pulsis dæmonijs ad Christum venisse, quarum erat forma eximia, & vestium ornatus incredibilis; nec tamen vana erat ista pulchritudo, sed quæ honestatem, maturitatem, & verecundiam redoleret, satisque idonea, quæ Christi oculos & oblectaret simul, & permoueret; quemuis totus iste splendor, & apparatus non aliundè, quàm ab eodem Christo in Magdalenam profectus esset. Prima igitur comes diligentia fuit; altera verecundia; humilitas tertia; quarta contritio; quinta liberalitas; sexta caritas; postrema taciturna patientia. à prima igitur ordiamur, quam Lucas

Septem Magdalenæ pœnitentiæ comites.

A nobis illis verbis expressit; *Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod accubuisset in domo Pharisæi*; nimirum, primum salutis initium, agnitio morbi est, & medici, quem agnoueris, ingens desiderium. Magdalena igitur, vt cognouit reserauit oculos, se ipsam inspexit, & innumeras sui animi sordes intuita, cœpit copiosissimè lacrymas fundere. neque tamen prius ipsa se ipsam aspexit, & despexit, quàm respiceretur à Christo. nam vt Ambros. ait Tomo in Lucam: *bonæ lacrymæ quæ lauant culpam, denique quos* IESVS *respicit, plorant delictum: negauit primò Petrus & non fleuit, quia non respexerat. negauit secundò. non fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus. negauit & tertiò. respexit* IESVS, *& ille amarissime fleuit. respice Domine Iesu, vt sciamus nostrum deflere peccatum, lauare delictum*; sic piè Ambros.

B Quibus fit magnam esse sæpè quorundam hominum socordiam, & ingrati animi notam, dum benignissimè, à summo Deo illos respiciente, attracti, obfirmato animo venire recusant, & tantùm diuinæ beneuolentiæ signum negligentes, se se mundanis gaudijs potius addicunt. Equidem similes istos opinor esse AEgyptijs illis, quorum erant tam densæ, & palpabiles tenebræ, vt nemo eorum posset se loco mouere; imò verò tanta erat aëris crassities, & intemperies, vt ne vllum quidem lumen excitari posset; ita facinorosi quidam homines, quia obstinato corde eisdem semper culpis inhærent, & prauis vitiorum vestigijs semper insistunt immobiles; nullam adhibent diligentiam, vt crassissimas, densissimasque tenebras mentis, hoc est, inueteratam iamdiu in peccatis obstinationem, quæ palpabiles tenebras inducit, procul à se expellant. vndè fit vt diuini luminis radium non admittant, & crassa quadam obstinatione inuitanti Deo resistant. sic fit vt quasi eodem semper loco immobiles consistant, nullos diuinæ lucis radios admittentes, nihil à prauis antè actæ vitæ moribus recedentes; nihil denique salutis admittentes.

3. Peccatorum quorundam obstinatio.

C Ita delirant miseri, & vanis, ludicrisque rebus tenentur, cùm cælesti radio locum dare, & remedia spiritualia quærere deberent. hos mihi ad viuum depinxisse videtur, Isaias cap. 5. 12. *cithara*, inquit, *& lyra & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino*. Videsné quo tandem ducat obliuio Dei, & considerationis inopia? non ita hæc peccatrix se gessit, sed admisso cælestis luminis radio cognouit maculas suas, & lacrymis illas eluere per diligentiam, & subitam pœnitentiam conata est.

4.

D Duæ porrò aliæ comites secunda, & tertia, quæ Magdalenam ad Christum adduxêre, humilitas & verecunda fuêre, indiuiduæ vbique sorores. nam post fidem & cognitionem bonitatis Domini sequitur, vt nos ipsos, & peccata nostra agnoscamus. Hinc Dionys. epist. 9.

5.

Digitized by Google

ad Titum ait; *primum donum quod ex aspectu diuini luminis homini datur, sui ipsius esse cognitionem*, vt constat exemplo prodigi filij, de quo Luc. decimoquinto narrat, quod in se reuersus dixerit: *quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo*; hinc humilitas, hinc verecundia nascitur, dum videt anima iam Christi lumine illustrata quantis sit sordibus immunda. Ita Magdalena stabat *retrò secus pedes Domini*, non ausa oculos in altum tollere præ pudore, & humilitate, vt olim publicanus Lucæ decimo octauo, nec ausa est in Christi faciem intendere: quem toties nouerat suis offendisse peccatis. sanè de his qui frontem perfricuerũt, ait Dominus per Ierem. *frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.*

6. Verecundia Magdal.

Quamuis etiam & alia ratione retrò staret. significabat enim in posterum, nõ dæmonem, vel carnẽ, vel mundũ, verùm pastorem Christum sequi se constanter decreuisse; nec præire velle, hoc est, nolle amplius suo sensu duci, velle potius pendere totam à Christi gratia, & sapientia. Stabat item à tergo, vt in humeros quodam modo IESV imponeret, & peccatorum suorum onus transferret, vt sic audiret; *transtulit Dominus peccatum tuum*, nimirum, pater in humeros filij, qui venit vt languores nostros ipse ferret, dolores nostros ipse portaret Isai. 53. 4. *stabat retrò secus pedes* IESV, cum ob humilitatem, tum ne tanquam inimica foret aliquando scabellum pedum eius. Stabat retrò, quia nouerat ouem se aliquando fuisse errantem, iam verò à Christo pastore quæsitam, & tandem magnis eius laboribus, & sudoribus inuentam; itaque eum quasi pastorem suum agnoscens, iuxtà pedes eius stabat. *stabat retrò secus pedes*, quia sat tenebat se diu per fallaces, & deuias vitiorum semitas ambulasse, & egere iam vt Christi pedibus inhæreret ad rectum virtutum iter aggrediendum & peragendum; sunt enim animæ pedes affectus ipsi nostri, qui in peccatore obliqui sunt, curui atque adeò inflexi, nec rectè incedere hominem sinunt, sed in morem colubri obliquè.

Amor.

Hinc est intelligere cur tantoperè semper amauerit Christi pedes Magdalena, vt cum daretur, statim ad illius pedes accideret, etenim inde suis ipsa pedibus rectitudinem accessisse nouerat. sic cùm in domo esset non huius, verùm alterius Pharisæi ad pedes iacuit Domini sui; & vnxit eos, & extersit capillis suis Ioan. 12. 3. sic Luc. 10. 39. cùm in Castellum à Martha exceptus veniisset Christus, ad eius pedes residens Maria, audiebat verbum Dei, sic Ioan. 11. 32. cùm audisset de aduentu Iesu Bethaniam, relictis omnibus venit ad eum, & cecidit ad pedes eius. sic in horto cùm illam Magister eius Christus vocasset nomine, *Maria*, summo gaudio affecta corruit statim, & eius voluit apprehendere & exosculari pedes. cùm verò Christus victor iam cælos penetrasset, & ad dexteram Patris sederet; Dei beneficio concessum est illi, vt ab Angelis in aëra ferretur vt vel sic ad pedes Domini sui proprius accederet, illosque in singulos adoraret, & exoscularetur dies.

A

B

C

D

Quemadmodum verò ceruus telis petitus, & saucius ad fontes aquę properat rapido cursu, ardua omnia præteruolans, per rupes & inuia, viam sibi faciens; ita hæc mulier ceu cerua quædam compunctionis, & amoris telo saucia, nihil sibi obsistere posse putauit, quo minus per difficilia omnia & aspera, cursum ad Christi pedes, qua posset summa celeritate, dirigeret: sic enim illa secum dicebat: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*, Psalm. 41. audi quid de eius ardenti ad Christum conuolandi studio eloquenter scribat Chrysolog. serm. nonagesimo tertio, *Pharisæus*, ait, *ad manducandum vocat Christum, quid ibi quærit mulier non vocata? claustra domus non prorumpit extraneus, conuiuij secretum non præsumit non inuitatus intrare, cibos paratos relaxandus mentibus post labores perturbare non audet arbiter luxuriosus; & quid est quod hæc mulier ignota, immò malè nota, onusta luctibus, plena lacrymis, clamosa planctu, nescio ianitore, nullo conscio, ipso ignorante pastore, domus aditus percurrit omnes, transit totas ministeriorũ cateruas, ipsum conuiuij peruolat ad secretum, & facit domum conuiuij domum lamentationis, & planctus?* sic Chryso. cuius admirationi sic respondere poterimus; nimirum vrgebat illam vna salutis cura, vrgebat ardens amor, quo Christi pedibus sese vincire, & illos amplecti, & exosculari vehementer optabat; ob id nihil illam humanus pudor, nihil existimationis iactura remorabantur, quare simulatque optatis Christi vestigijs potita est, dici non potest quot lacrymas ex oculis, quot gemitus, quot suspiria, è sitibũdo pectore emiserit, sic dicens: *inueni quem desiderauit anima mea, tenui eum, nec dimittam*; sciebat enim sanctissima fœmina, non posse se melius, quàm Christi vestigijs sua praua vestigia corrigere: sciebat hos pedes esse qui salutis nostræ viam conficere debebant; nec ignorabat eos esse, qui quærendis perditis ouibus per montes, per deserta, per aspera, & spinosa loca, defatigati, fessique essent; videbat hos esse pedes illos, quorum terra vniuersa scabellum est; exosculare Maria pedes istos sanctissimos, quos pro te clauis aliquando cruci suffixos tuis oculis ipsa videbis: exosculare pedes ex quibus plurimus olim sanguis abluendis scelerum nostrorum maculis in vndæ modum effundendus erit: amplectere, & fixis oculis arctius tene pedes istos, qui stabunt aliquando in monte Oliuarum ad iudicandum orbem terrarum, Zachar. decimoquarto, versi. quarto, hinc enim salutem petere, hinc expectare, non aliundè necesse est, hæc est via qua opportunè, vt Paulus ait ad Hebræos 5. ad thronum gratiæ accedamus, vt misericordiam inueniamus.

7.

De hac muliere discant ceteræ, & in primis Virgines cum humilitate verecundiam coniungere; stent retrò ad pedes Christi, sint verecundæ; decet enim maximè mulierem verecundia. Hinc est quòd Cantic. 7. 7. Sponsus Sponsam suam comparauit palmæ: *Statura*, inquit, *tua assimilata est palmæ*. qua similitudine significare voluisse videtur spon-

8. Verecundia mulierum laudabilis.

sus,

sus, quanam ratione conseruanda esset mulierum castitas; est enim in palma obseruare fructum eius in sublimi, atque excelso loco natura esse collocatum, vt nequeat manu attingi; neque facilè harpagone, vel vncino apprehendi queat. inest & aliud palmæ, quod eius rami si per aera spargantur, virides sunt, at simul vniti, vincti & cõnexi albicant. Horum primum indicat debere mulieres remotas esse à virum conuictu, vel aspectu; ita vt non modo non attingi possint manu, sed si fieri possit, ne oculorum quidem attactu, hoc est, intuitu. Alterum verò docet minimè vagas, & quietis impatientes esse illas debere, sed decere eas, vt domi sedeant, Deo vacent, Denique secum habitent. Sic enim intra se collectæ castitatis candore vibrabunt. at mulier vaga, & quietis impatiens, inhonesta, & viridis, id est, quæ meritricio ornata habitu huc illuc vagatur, contrarijs omninò notis depingitur Prouerbiorum 7.10. *occurrit illi* (iuueni) *mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas: Garrula, & vaga quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians.*

9. Illud enim non paruum verecundiæ mulierum signum est, verbosam non esse, sicut. n. inhonestæ, ac perfrictæ frõtis à Salomone loco citato tribuitur, quod garrula sit, ita casta ac verecunda mulier verborum habet admodum parum: Ecce tibi nunc ista peccatrix occurrit Domino, quem ardenti amoris studio quæsierat; & cùm verbum nullum proferat lacrymarum plurimum effundit; sed nõ ex hoc facto tantum hanc silentij laudem sibi vendicat, vbique parcus, vbiq; breuis eius est sermo. Cùm Lazarũ excitari peteret, & Christo item occurreret, *Domine*, inquit, *si fuisses hic, non esset mortuus frater meus*. Vide quàm paucis verbis tam magnam, & quàm prolixam petitionem concluserit. Et cùm ad pedes Christi sederet, & Martha follicita esset circa frequens ministerium, nihil lego locutam fuisse, immò nec sororis accusationi respondisse quidquã, tantum totã Christi ore, eiusq; verbi dependisse video. post verò Christi resurrectionem, quàm illa paucis, Angelis respondit? quin etiam Christo, quem hortulanum esse putabat per pauca dixit; flendi vero tantus ardor, tanta lacrymarũ vis, tanta effusio, vt proindè admirationi Angelis, magistro cara fuerit. magnum sanè muliebris sexus ornamentum silentiũ est, & verecundię indiuulsus comes. Potẽs etiã, & præclara est hæc orandi ars, fletibus loqui, nõ verbis, & ad quiduis impetrandum satis per se Idonea.

16. Sequitur iam quarta comes, contritio, quæ illis verbis satis exprimitur: *lacrymis cœpit rigare pedes eius*; cùm enim se mulier hæc ob carnis peccata vndique sordidatam animaduerteret, manantibus ex oculis lacrymis sordes abluere contendit, nihil enim est, quod ita inquinat hominem, sicut luxuria, quæ non modo animum ipsum deturpat, sed sordidissimã etiam carnem & inquinatissimam reddit; neque his finibus contenta, famam etiam obscurat & maculat, & vlterius progressa alios inficit; serpit enim, vt cancer, & quod maximè mirere, etiam ipsam pulcritudinem ita fœdat, ac si cœno quodam oblita sit; hinc Prouerbiorum vndecimo, vigesimosecundo dicitur: *circulus aureus in naribus suis mulier pulcra, & fatua.* Qua comparatione non video, quid aptius potuerit dici; nam quemadmodum si quis porco aureum anulum naribus innectit, illicò cæno, ac luto conspurcatum videat necesse est; sic mulier luxuriæ addicta, totam illam auream pulcritudinem, & præfulgidam egregiæ formæ speciem à Deo donatam, vitæ impuritate contaminat; quarè tanquam quid admirandum de Magdalena canit Ecclesia: *in Thesauro reposita Regis est drachma perdita: Gemmaq; luce inclyta, de luto fuci est reddita*, quando nimirum de illa libidinosè & intemperanter viuendi licentia, qua animam, corpus, famam, pulcritudinem, denique omnia fœdauerat, ad saniorem mentem redijt. Hinc ergò factũ est, vt tam copiosum lacrymarum imbrem effuderit.

Lubricus sanè locus est iste, & res plena periculi, carnis videlicet nostræ in omne hominum genus petulantia, & continua etiam in Dei seruos concertatio & pugna, à qua tanquam à domestico & callido hoste magna sæpè imminet boni iactura, & innumera, eaque grauia consecuntur mala, nisi diligenter caueat homo, & in omnem partem mentis oculos intendat. Actorum decimoquinto, in primo illo Ierosolymitano cõcilio, communi Apostolorum consensu decretum est, scribendum esse ad eos, qui ex gentibus conuersi erant ad Deum, vt abstinerent se à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine: quare literas ad illos Iudæ, & Silæ dederunt sic scribentes: *visum est Spiritui sancto, & nobis nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione*. mirantur nonnulli, cur quasi aliud non esset peccatum à quo cauere deberent gentes, quę recens nomina dederant Christo solius ferè fornicationis meminerint Apostoli, & idololatriæ. An non erat fugienda illis Superbia Ambitio, Ira, & cæteræ hominum pestes? cur ergò non semel, vt patet Act. 15.20.29 tantoperè caueri fornicationem præcipiunt? at id non sine magno Dei consilio factum est. nouerant Sancti illi Apostoli, quantam vim haberet fornicatio ad infame Idololatriæ vitium incurrendum; quantam vim ad auocandam hominis mentem à semel Christi susceptа fide & religione. non igitur mirari debemus, quod homines Deo pleni, confirmare ac constabilire in fide, & vera religione volẽtes eos, qui ad veri Dei cultũ de idolorũ superstitione cõuersi erãt, & simulacris, toties de cauenda fornicatione, meminerint, ipsamque ferè solam cum idololatria fugiendam præceperint.

Hoc autem verissimum esse apertissimo testimonio scripturæ Num. 25.1.2.3. habetur, vbi sic legimus: *morabatur eo tempore Israel in Settim, & fornicatus est populus cũ filiabus Moab, quæ vocauerũt eos ad sacrificia sua. at illi comederũt eos & adorauerunt Deos earum. initiatusq; est Israel Beelphegor*, propter quod peccatum vltore Deo occisa sunt vigintiquatuor millia hominum: quos. n. armis viri Moabitę vincere non potuerant, or-

11. *Carnis petulantia.*

12. *Pulchrarum mulierum vis ad superandos viros.*

natarum mulierũ pulcritudo, & venustas prostrauit, & ad simulacrorũ cultum repentè pertraxit. Itaq; quos gladius non potuit, occidit libido. Hoc autem consilio & arte Balaam confectũ esse D. Petrus epist. 2. c. 2. 15. & Io. Apoc. 2. 14. significare videntur. testis verò est minimè obscurus inter alios Theodoretus q. 45. in Numeros: vbi testatur persuasisse Balaam Madianitis, vt non viri, sed mulieres cum Hebræis decertarent, quæ corporis venustate & verborum illecebris essent præditæ, vt illarum pulcritudine capti, illorũ idolis inseruirent, quod si fecissent, sicut verè fecerunt, Hebræi, non ignorabat Balaã Deo postea vindice fore delendos, tantas habet vires libido ad demergendos homines in profundum peccatorum pelagus. nullum est enim vitium, quod non attentare audeat, qui laxatis habenis, carnis est addictus illecebris.

13. *Contra eas remedium.*

Contra quam nullum arbitror efficacius remedium, quã si omnis illi obstruatur aditus, omnis præcidatur occasio oculorum, aurium, verborum, omniq; præsertim cum mulierib⁹ familiaritas, qua de re lege c. 5. Prou. & intelliges quanto in periculo versetur, qui vel paruæ, minimæque carnis voluptatis prudens periculo se exponit: trahit enim sæpè vel leuis, & incautus aspectus, vel sermones parum casti, vel consuetudo cum parum honestis hominibus hominem ad luxuriam, & de luxuria ad mortem, quod eleganter & sapienter expressit Sapiens Prouerb. 7. 21. sic. n. de meretrice scribit: *irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum. statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam.*

14. *Peccatores pisci cuidam similes.*

Quã rem mihi videor illustrare posse aptè satis exemplo naturali quidem, sed ad rem hãc valdè accommodato: piscem quendam narrant à piscatoribus, dum in mari versatur, perdifficile capi. Cæterum beneficio cuiusdam paruuli pisciculi, quem sturiolum vocant, trahitur sensim, ac blandè de mari ad Istrum fluuium, vbi maris amaritudine relicta, & fluuij dulcore delinitus, dum ibi moras nectit, facilè à piscatoribus decipitur, & interficitur. huic ergò pisci similes sunt, qui modicam quãdam initio voluptatem quasi pisciculum sequuntur, eaq; paulatim corrupti ac deliniti, relicto tandem pœnitentiæ amarore, ad malè dulces libidinis aquas transeunt; vndè fit, vt dæmonũ piscatu, & æstu capti, infelicem tandem animam exhalent, & pro leui, & modica voluptate in sempiternos incidant cruciatus. tantum hac in parte affert detrimenti principijs non obstitisse: sic miseri sicut boues, vt Salomon ait, dicuntur ad victimã. His cõstat quanto Dei beneficio, quantoue miraculo Magdalena ex his emerserit luxuriæ aquis, quibus erat alti⁹ immersa: nam quanto quis difficilius ex aliquo emergit peccati genere quãto est acrius & potentius illud vitiũ q⁹ reliquit, tanto admirabilior est conuersio pœnitẽtis; tantoq; se potentiorem ostendit diuina virtus, & potestas, tanto etiam est maior bonitas, & eius erga peccatores amor. & quidẽ hoc peculiare fuit, & quasi proprium huius peccatricis pœnitentiæ, vt non omnibus modò ornata fuerit notis diligentiæ, verecundiæ, humilitatis, contritionis, caritatis & patientiæ, sed vt maxima fuerit. Quod vel ipsæ lacrymæ vbertim sparsæ, & tot veræ caritatis signa non obscurè indicant. Sed de caritate paulò pòst, nunc persequamur reliqua de contritione.

Vsurpare meritò Magdalena poterat illud Dauidis Psa. 76. 6. præ magnitudine contritionis suæ: *scopebam spiritum meum*; quod aliqui sic legunt; ventilabam spiritum meum, Psalteriũ Ro. sic legit, vt etiã notat Titelm. in hunc Psal. sumpta metaphora ab agricolis, qui vt triticũ mundum ac purum congregent in horrea, terunt prius manipulos spicarum, vt grana à paleis separentur; deindè vbi pulsibus vngularũ, tribularumque purgata sunt, ea post trituram sursum eiaculantur, vt ventorũ flatu tanto melius à paleis repurgentur, & alio grana suo pondere, alio paleæ ventorum vi ferantur; demum sic excreta & benè purgata in horrea recondũt. Sic, inquit Propheta, cum animo suo, & eius viribus feciſſe se; contriuisse videlicet spiritum, & facultates suas, & quodam modo in minutissimas partes confregisse, hoc enim ipsum *contritionis* vocabulum indicat; deinde etiam Spiritus S. flamini expositã à paleis excreuisse, ac depurgasse omninò. significant enim paleæ opera, quæ ad inferni ignem pertinent, vt comburantur; Igitur quod Dauid dixit de se, hoc idem feciſſe Magdalenam, lacrymæ & cætera pœnitentiæ signa, clarissimo indicio sunt. Etenim quasi soluitur homo per lacrymas in minutissimas, subtilissimasque partes. hinc rectè contritio pugioni comparatur, quo sauciatur cor, confoditur, & comminuitur, vndè postea ab oculis lacrymæ egrediuntur, tanquam sanguis ex cõminuti cordis vulneribus erumpẽs. Cùm ergò Lucas ait, de peccatrice; quod *lacrymis cœpit rigare pedes Christi*, hoc significat; vulneratum ac confossum, distractumque in multiplices partes fuisse huius mulieris cor doloris cultro; Cuius rei non obscurum argumentum erant lacrymæ illæ, quæ ex eius oculis copiosè manabant. Deinde verò vt sic contritum cor, & humiliatum tanquam granum secerneretur à paleis peccatorum, coram Christo stitisse se, & omia sua ad pedes eius abiecisse, vt ventilabro, quod in Christi manu est cor illius purgaretur, & quasi quædã spiritualis animæ area (nã & grano simile est cor ratione cogitationum suarum, & areæ in se illas amplectenti) emundaretur: quod & factum est. sunt enim ei peccata omnia ita remissa, vt rectè de eius lacrymis & contritione dicere possimus, quod D. Leo dixit ser. 9. de passione Petrum alloquens, parũ sic immutatis verbis: *felices lacrymæ*, sancta mulier, *quæ ad diluendas culpas multorum criminum, virtutem sacri habuere baptismi; felices lacrymæ quæ misericordiæ linteo à Deo extersæ sunt; felices quæ plenissimam peccatorum indulgentiam sunt consecutæ; felices, inquam, lacrymæ quibus rigati pedes Christi vitæ fructum attulerunt, felices lacrymæ quibus audire meruit, remittuntur tibi peccata tua, quibus verbis ipso Christi ore prolatis auditui eius dedit idem Dominus gaudium & lætitiam. quo factum est, vt exultarint ossa eius ad Christi pedes humiliata.*

15.

Cætera in sequentem reijcimus digressionem, ne longiores hic simus.

DIGRESSIO III. MORALIS

In qua duæ postremæ Magdalenæ comites explicantur: nimirum liberalitas, & ardens in Christum Amor.

1. TANTA fuit huius mulieris pœnitentia, tã ardens Deo in posterum placendi studium, tam inflammatum odium pristinæ vitæ, vt omnia nihil morata, liberaliter reliquerit, & cum peccatis cuncta quoque eorum instrumenta à se procul abiecerit, vel CHRISTO ipsi consecrauerit, qua sanè re indicasse videtur se reb. omnibus, quæ sibi olim carissimæ erant, Christum, eiusque intensum amorem antepositisse; etenim sua omnia, & quod omnium maximum & caput est, famam, existimationemque suam denique sese liberaliter propter Deum abiecit, atque contempsit, omne decus, omnem gloriam, omnem dignitatem ad illius pedes deposuit, neque quidquã curauit, quod superbi Pharisæi ludibrio exponenda foret.

2. Et vide si non semper omnia Christo prætulit. cùm enim referente Ioanne capite vndecimo, silentia à Martha sorore de aduentu Domini & magistri sui certior facta esset, nulla habita ratione eorum qui frequentes aderant vt eam consolarentur, & ne salutatis quidem illis, audito magistri aduentu confestim ad CHRISTI pedes conuolauit, quos non hominibus modo omnibus, sed cœlestium etiam mentium choris semper antepositi.

Hinc enim factum est, vt cùm extinctum
3. Dominum monumẽto assidens lugeret, & tota in Christum intenta esset, Angelos amicè salutantes vix aduertisse videatur.

Verùm tantum Iesum suspirans, Iesum inculcans nihil dicere aliud, nihil cogitare poterat. ac ne commemorato quidem Iesu nomine, sic interrogabat: *Si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum,* & ego eum tollam. neque enim putabat alium intelligi posse de quo loquerctur, nisi suum Iesum, quem omnibus anteferebat.

4. Euenit Magdalenæ id quod accidere solet in ea domo, quæ serpente igne absumitur. Solẽt enim per fenestras, ac tecta proijcere antequam ignis eò pertingat, vestes, vasa aurea & argentea, pretiosa peristromata; & vniuersa denique quæcunque possunt, antequam ab igne corripiantur, remouent. ita factum cum Magdalena videtur; excitatus est in ea, & vehementer incensus cœlestis ille ignis & diuinus, de quo Ieremias Trenorum primo, decimotertio: *de excelso misit ignem in ossibus meis, & eruditit me.* Cùm ergò arderet vniuersa domus. minimè mirum videri debet, quod in medium proijci videamus vestes pretiosas, margaritas, monilia, vnguenta, opera Corinthiaca affabrè facta, denique quidquid in domo erat supellectilis magni precij, quod vel oculos in admirationem rapere, vel animum pulchritudine illectum recreare posset.

5. Quod multò antè prædixisse videtur Isa. c. trigesimo, vigesimo, illis verbis: *& erunt oculi*

A *tui videntes præceptorem tuum: & aures tuæ audient verbum post tergum monentis: hæc est via, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram: & contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea sicut immunditiam menstruatæ, egredere dices ei.* En viderunt oculi huius Sanctæ mulieris præceptorem ac magistrũ suũ Iesum; audierunt aures vocem eius, mox ignis succensus est in ea, proijcit preciosas vestes, vnguẽta, laminas auri, & argenti, & nullæ erãt huiusmodi res, quas prius diligeret, quantumuis pretiosæ, quantumuis caræ, quibus non dixerit Magdalena; egredimini à me, pessum ite. sic cuncta pro Christo reliquit, vel propter illum obijciens ea, & à se procul depellens, vel certè pedibus Christi subijciens.

B Nam in more positum est, & per hoc vastissimum vniuersi theatrum receptissimum, 6.
vt victi supplices ad Victorum pedes sese prosternant, & arma quibus contra illos militauerant; eisdem offerant, seque hac ratione victos fateantur. quia ergo vnguentis, capillis, oris pulcritudine, osculis meruerat mundo & carni, ac toto etiam corpore seruierat, hæc omnia, se seque totam victori Christo in signum tantæ victoriæ, offert, vt ita se eius imperio, ac potestati subiectam esse testetur.

Et quo declaret nunquam se velle amplius 7.
ab eius potestate recedere, capillis tanquam funibus quodam modo illigat se, atque innectit pedibus Christi. solent milites ad expugnandam sublimem aliquam arcem, cùm aliunde non patet aditus ad eam, hac vti arte: nam si quispiam fortasis tunc è superiori loco scalas demittat, quas rupi alicui, vel petræ alliget, per eas ascendunt, qui inter milites animosiores, ac viribus valentiores sunt, & tandem arcem fortiter capiunt. Sanè altissima est cœli arx, infimo verò, ac humili loco Magdalena iacebat: quare capillis suis scalas prævalidè rupi, hoc est, Christo Domino alligat, & innectit; & hoc modo tandem cœli arcem inuadit, & per vim animosa capit. miranda certè mulier, quæ, vt Gregorius loquitur, *quot in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta, conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum, vt totũ Deo seruiret in pœnitentia, quidquid ex se Deum contemperat in culpa.*

D Restat vt de eius amore dicamus, quæ 8.
eius præcipua comes, & indiuidua semper *Amor ardẽs Magd. in Christum.*
fuit, quæ ita illam deduxit ad Christum, eique commendauit, ac tam intimè coniunxit, vt nunquam sine illo esse in posterum potuerit, nec mirum videri debet, quod Christus feminam amori hominum diu, ac vehementer addictam, ad ardentissimum Dei amorem traduxerit, effeceritque, vt quæ turpiter amando insigniter peccauerat, diuino mox amore inflammata altissimum perfectæ sanctitatis fastigium, culmenque teneret. Solet enim Deus ipsas etiam nostras propensiones natura insitas Duiuinis institutis suæque vocationi accommodare, & attemperare. neque enim naturæ gratia contraria est, nec eam euertit, cum vtraque ab eodem DEO

auctore

auctore, sit; quin etiam gratia naturam vt exornat, ita & perficit; sic Paulum, qui ingenio, ac doctrina accuratius excultus erat; ad munus Euangelicæ prædicationis, nobiliore sapientiæ munere donatum, euexit; & Moyses, qui omni doctrina ac scientia AEgyptiorũ imbutus erat, factus est populo Dei diuinarum legũ quasi interpres & legislator; & Hebræorum reipublicæ datus Princeps, & Dux: *Paulus Apostolus*, inquit Gregorius, l. 5. in cap. 13. 1. Re. *Ideò fortasse per doctrinam alijs Apostolis excellit, quia futurus in cœlestibus, terrena prius studiosius didicit. Itẽ Moyses, vt capere vel exprimere diuina posset, in omni Aegyptiorum scientia rudem animum informauit.* Sic ille. cùm Petrum & Andream piscatores ad se traxit Christus, non nomen, non piscandi artem neglexit, sed eos mutato genere piscium meliori piscatui præfecit; sicut olim Dauid de ouium pastore, pastorem hominum fecit; sic enim ipse de se Dauid ait Psal. 77. *de post fœtantes accepit eum pascere Iacob populum suum.*

9. Ex qua Dei consuetudine illud ad nostros mores conuertere possumus; debere eos qui alijs præsunt, ne cuiquam vim afferant, naturæ propensionem, & aptitudinem inspicere, & optimis consilijs iuuare, atq; ita talibus applicare institutis, talibusque negotijs præficere, ad quæ magis propensi esse videtur. qua in re grauiter peccant, qui filias contra naturæ ductum & earum ingenium religionis statum apprehendere cogunt. Itemque illi, qui publicis muneribus, & officijs eos applicant, qui minimè apti, & idonei sunt, vel quod inexperti, & rudes, vel quod ingenio peruersi, vel auari, vel nimium iracundi, seu natura bilioſi, vel similibus denique vitijs dediti sint. quod significatũ fuisse arbitror Deut. 22. 5. lege Dei: *non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste feminea*, sensu enim mystico saltem & occultiore ad hanc rem, de qua agimus, aptissimè accommodatur.

10. Nec parua, aut vulgaris fuit hæc Magdalenę caritas, sed maxima, fortissima, & mirabiliter constans; de eius enim magnitudine canit Ecclesia; prima meretur gaudia, quæ plus ardebat cæteris. nam huic, ante omnes Apostolos & præ cæteris sanctis mulieribus, primò magister eius Christus (vnicam semper excipio Virginem matrem) vbi à mortuis surrexit, sese videndum obtulit, hanc ante omnes dulcissimè salutauit proprio compellans nomine, *Maria*; quo tempore quis explicet quantum illi gaudij fuerit, quid senserit cognito quem sic amabat, Iesu? An non illam dixisse, tunc putamus, *anima mea liquefacta est, vt sponsus loquutus est?* cumque illa cohibere se non posset, quo minus in amplexus & oscula sacrorum pedum rueret, constituta est à CHRISTO Apostolorum etiam ipsorum Apostola, & hoc muneris illi mandatum: *vade ad fratres meos, & dic eis, ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum.* quo illa munere egregiè functa est, vt in sempiternam eius laudem Marc. 16. testatur: *Venit Maria Magdalena annuntians discipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.*

11. Sed nihil est magis apertum, nihil æquè efficax ad ostendendam vim caritatis eius, quàm Christi testimonium, quod hic habes versiculo nono, cùm conuersus ad mulierem dixit Simoni; *vides hanc mulierem? intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti*, & cùm multa prædicasset de officijs eius caritatis, sic sermonem concluſit: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; & alibi etiam Luc. 10. *Maria*, ait, *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

12. Porrò huius ardentissimæ caritatis nobilissimum præmium fuit, altissimus quidam dulcissimæ contemplationis fructus, propter quem maximè dicere poterat, sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo, cuius suauitate attracta post Christi ad Patrem ascensum, in remotissimam, atque editissimam rupem Massilienſis regionis concesit, vbi totos triginta annos Angelicam potiùs, quàm humanam vitam degit, in cœlos septies quotidiè sublata, & dulcissimo Iesu amore suspensa; quod ei priuilegium propter amoris magnitudinem speciatim concessum fuisse non dubito.

13. Sed quid ego de fortitudine huius amoris dicam? etenim cùm Cant. 8. 6. dicatur: *fortis est vt mors dilectio*, eam sententiam in sanctam hàc mulierem, ita quadrare video, vt eius propria esse quodam modo videatur. Etenim duo sunt quæ morti imprimis insunt, ob quæ *fortis* appellari videtur: quæ eadem præstat amor si fortis est. vnum quod cadentem sepelit hominem, ac terræ mandat. alterum quod qui vitæ huius amore vacuus est, & alienus, mortem verò diligit potiùs, quàm horret, nihil pericula timet, sed vitam cuicunque discrimini exponit intrepidè.

14. Hæc duo effecit ardens Magdalenæ amor; is enim illam peccato mortuam, & amore sauciam sepeliuit, dum post Christi ad Patrem accessum, intra paruam speluncam, quasi intra sepulturam totos triginta annos inclusit. Deindè ita illam fortem, ita constantem effecit amoris magnitudo, vt mortem non timeret; nam si mortem timuisset, quomodo summo mane ad Christi sepulchrum accedens armatos ibi milites non timeret? quomodo ad crucem Christi non muliebri, sed plusquam virili animo staret intra hostium, & militum arma, inter lanceas, & gladios? hæc cùm Apostoli relicto Christo omnes fugissent, non fugit; hæc iuxta crucem cum Virgine & Euangelista Ioanne animosa permansit.

15. Quod si certissimum est veræ caritatis signum patientia & constantia in arduis & aduersis rebus; quis erit ita mentis inops, qui non videat magnam hinc laudem Magdalenæ caritati deberi? quas enim persecutiones non est illa passa? Pharisæus obmurmurat, queritur Martha, discipuli fremunt, nec tamen propterea à dulcissimo magistro suo recedit Magdalena; nihil his commouetur, non contra superbi Simonis fastum, & supercilium inuehitur, non retardatur querimonia sororis, nihil propter Apostolorum, id est, Iudæ iram, & sermones de obsequio Christi remittit; etenim caritas patiens est, *fortis est, vt mors dilectio.*

16. Magdalenæ Christum defendit. Et quia nihil ipsa pro se respondit, caritas enim non irritatur, voluit Christus eius susci-

pere

pere patrocinium, ita Phariſæum ſuperbum atque alto ſupercilio peccatricem auerſantem confutauit, ignis clariſsimis oſtendens longè eam peccatricem illi eſſe præferendam, quam tantoperè deſpiciebat. Ita Marthæ querelas repreſsit, ſimul indicans non deſidioſam, & torpentem eſſe ſororem, ſed meliora ſequutam, & quæ ſibi magis gratiora eſſent. Ita frementi Iudæ, ac grauatè præ auaritia ferenti vnguenti pretioſiſsimi iacturam, reſpondit, non hoc eſſe illi vitio vertendum, immò tanta dignum laude, vt toto orbe prædicandum aliquando foret. quarè non ſe tantum defenſorem, ac patronum huius mulieris declarauit CHRISTVS, qui etiam eiuſdem locupletiſsimum laudatorem exhibuit. conſtat igitur fortem conſtantem, ac patientem fuiſſe tantæ mulieris caritatem.

17. Quid igitur miramur quod Chriſtus Dominus tam immenſam caritatem, qua huius peccatricis pectus flagrabat, perpendens continere ſe non potuerit, quin conuerſus ad mulierem præſente Simone dixerit; *vides hanc mulierem?* & cætera quæ ſequuntur in eius laudem; & tandem ſubiecerit, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quod autem Simoni dictum eſt, nobis etiam dici exiſtimemus. *vides hanc mulierem?* ô peccator quicumque ille es? cernisne lacrymas vbertim ex oculis manantes? ſparſos capillos, quibus illa ſacratiſsimos CHRISTI pedes tergit? intueris amoris oſcula eiſdem ſanctiſsimis impreſſa pedibus, & pretioſum illud vnguentum CHRISTI Domini obſequio exhibitum? hæc ſi tu penitius, attentiuſque perſpexeris, vix fieri poterit, vt quamuis duriſsimum pectus non emollias. Equidem arbitror non ſine ſingulari Dei beneficio factum eſſe, vt hęc peccatrix nobis in exemplum daretur; quo videlicet eius ſequentes veſtigia promptè, ac libenter ad pœnitentiam confugeremus.

CAPVT XII.

DÆMONIACVM CAECVM ET MVTVM MIRANTIBVS MVLTIS SANAT, & murmurantes Phariſæos, & ſignum de cœlo petentes arguit, & qui Filij Dei ſunt, mater, & fratres oſtendit.

A. 12. 22. B. 3. 20. C. 11. 14. Et 8. 20.

1. B. ET veniunt ad domum, & conuenit iterum turba, ita vt non poſſent neque panem manducare.

2. *Et cum audiſſent ſui, exierunt tenere*

A *eum: dicebant enim quoniam in furorem verſus eſt.*

3. A. *Tunc oblatus eſt ei Dæmonium habens cæcus, & mutus.* C. *Et erat eiiciens Dæmonium.* A. *& curauit eum, ita vt loqueretur, & videret.* — C. Et illud erat mutum.

4. *Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant: numquid hic eſt Filius Dauid? Phariſæi autem audientes dixerunt: hic non eiicit Dæmones, niſi in Beelzebub, Principe Dæmoniorum.*

5. B. *Et Scribæ, qui ab Ieroſolymis deſcenderant, dicebant: quoniam Beelzebub habet, & quia in Principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia.* — C. Et admiratæ ſunt turbæ. quidã autem ex eis dixerunt: in Beelzebub, principe &c.

B

6. C. *Et alij tentantes ſignum de cœlo quærebant ab eo.*

7. *Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum,* B. *conuocatis eis, in parabolis dicebat illis.* — A. Ieſus autem ſciens cogitationes eorum &c.

8. C. *Omne regnum in ſe ipſum diuiſum delabitur; & domus ſupra domum cadet:* A. *Et ſi Satanas Satanam eiicit, aduerſus ſe diuiſus eſt.*

9. C. *Si autem in ſeipſum diuiſus eſt; quomodo ſtabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eiicere Dæmonia.*

C

10. *Si autem ego in Beelzebub eiicio Dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? Ideò ipſi iudices veſtri erunt.*

11. *Porrò ſi in digito Dei (&) A. in ſpiritu Dei* C. *eiicio Dæmonia,* A. *igitur* C. *profectò peruenit in vos regnum Dei.*

12. A. *Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere, niſi priùs alligauerit fortem? & tunc domum illius diripiet.*

13. C. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſsidet.* — A. B Domũ vocant.

D

14. *Si autem fortior eo ſuperueniens, vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.*

15. *Qui non eſt mecum contra me eſt: & qui non colligit mecum diſpergit.*

16. A. *Ideò dico vobis: omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus; ſpiritus autem blaſphemia non remittetur.*

17. *Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc ſæculo,*

culo, neque in futuro. B. (hoc est) non non habebit remissionē in æternum, sed reus erit æterni delicti.

18. Quoniam dicebant spiritum immundum habet.

19. A. Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & eius fructum malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur.

20. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.

21. Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.

22. Dico autem vobis: quoniam omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij.

23. Ex turbis enim tuis iudicaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

C. Turbæ autem concurrentibus.

24. Tunc responderunt ei quidam de Scribis, & Phariseis dicentes: Magister volumus à te signum videre.

C. Turbæ autem concurrentibus cœpit dicere: generatio hæc, generatio nequam est, signum quærit, &c.

25. Qui respondens ait illis: Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.

26. C. Nam sicut fuit Ionas signū Niniuitis; ita erit & Filius hominis generationi isti.

27. A. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

28. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ; & ecce plus quàm Ionas hic.

29. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plus quàm Salomon hic.

30. C. Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.

31. Lucerna corporis tui est oculus tuus; si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum; si autem nequam fuerit etiam corpus tuum tenebrosum erit.

32. Vide ergò ne lumen quod in te est, tenebræ sint.

33. Si ergò corpus tuū totū lucidū fuerit, & non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

34. A. Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca C. inaquosa, (&) A. arida, quærens requiem, & non inuenit.

35. Tunc dicit: reuertar in domum meam vndè exiui, & veniens, inuenit eam vacantem scopis mundatam & ornatam.

36. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se: & intrantes habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. sic erit generationi huic pessimæ.

37. C. Factum est autem cùm hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.

38. At ille dixit: quin imò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

39. A. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei, C. & non poterant adire eum præ turba.

40. B. Et foris stantes miserunt ad eum, vocantes eum, & sedebat circa eum turba.

B. Et dixerunt ei. C. Et nunciatum est illi.

41. A. Dixit autem ei quidam: ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te, (&) C. volentes te videre.

42. At ipse respondens dicenti sibi ait: quæ est mater mea, qui sunt fratres mei?

43. B. Et circumspiciens eos, qui circuitu eius sedebant; A. Et extendens manus in discipulos suos, dixit: ecce mater mea, & fratres mei.

44. C. Mater (enim) mea, & fratres mei, hi sunt, qui verbum audiunt, & faciunt. Quicunque enim fecerit voluntatē Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.

Scholia.

1. B. ET veniunt ad domum] obseruandum circa ordinem ex Ianse. Buisonio, Barrad. & alijs non licere præcedentibus c. 10. & 11. huius libri dilucidationum subiungere, quæ vel apud Matth. c. 12. vel apud Lucam c. 8. post superiora sequuntur. Nam apud Matth. quidem initio c. 12. scribitur reprehensio Phariseorum ob discipulos in Sabbato vellentes spicas, & altera item reprehensio, quod in Sabbato Dominus curasset manum aridam. At hæc duo contigisse ante habitum sermonem illum qui dici solet in monte, satis ostendimus cap. 1. Theo. 1. huius libri. apud Luc. verò sequenti c. 8. sequitur circuitus Christi per ciuitates, & castella, & parabola seminantis. Verùm hanc parabolam ex Marc. & clarius ex Matth. videtur proposuisse Dominus. Post cura-

1. De tempore huius spiritualis.

tum

tum Dæmoniacum cap.12.Matt.& disputationem, quæ eius miraculi occasione habita est contra Pharisæos: quod & confirm.nam post hæc omnia, quæ habentur in Matth. vsque ad finem capitis 12. sequitur initio cap. 13. *in illa die exiens Iesus de domo sedebat secus mare*, & subnectitur seminantis parabola, cum alijs parabolis, quo ordine etiam Marcus vsus est cap.3.& 4.cùm enim cap. 3.electos à Christo Apostolos narrasset, & versiculo 20.dixisset Christum domum ingressum iterum esse,annectit hist. dæmoniaci eandem cum illa Matt.c.12. &disputationē attingit cum Phariſçis ea de causa: & posteà cap.4. significat egressum domo ad mare docuisse, & scribit parabolas, ex quo satis liquet oportere inserere hoc loco totam illam narrationem Matth.quæ est à v.22.c. 12. vbi incipit agere de miraculo curati dæmoniaci vsq; ad finem c.13. vbi narrantur parabolæ à Domino egresso domo iam ad mare, vt tunc deinceps subiungatur missio duodecim Apostolorum,quam scribit Matt. c.10.sed aduerte, quòd cum Marco post descriptam capite tertio, electionem duodecim Apostolorum in monte factam, subdit; Christum subijsse iterum domum cum suis, & conuiciſſe Pharisæos calumniantes ipsum, quasi pelleret Dæmones virtute Beelzebub,non est ita accipiendum hoc, quasi statim ab electione sit ingressus domum.nam post ea, quæ narrantur libro quarto dilucidati. Euangelicarum à versiculo septimo, capitis octaui vsque ad hoc caput duodecimum, quæ Marcus prætermisit,id factum est. Illud ergò, &, apud Marc. quod hoc capite vides versiculo primo positum, significat illo tempore quidem, non tamen statim domum venisse: hoc est, non denotat id, quod proximè consequutum est, sed quod post electionem accidit.Sicut etiam τότε, *tunc*, quo vtitur Matth.c.12. v.22.& ponitur hic v.3. non significat, quod omninò proximè consequutum est ea, quæ ipse c.12.ante v.22.narrauerat.Sed quod accidit post ingressum in domum, quem expressè ponit Marc.c.3.v.20.& significat Matth. cùm ait cap. 13. v. 1. exijsse Iesum domo,& sedisse secus mare.Quare eundem narrationis ordinem cum Matthæo Marcus sequitur, quousque eo perueniat, vt dicat c.6 post ingressum in Nazareth,& cùm iam circuisset castella,Dominū misisse Apostolos binos,& binos quā missionē non seruato ordine ponit Matthæus capite decimo.Interponit tamen Marcus non seruato & ipse ordine inter parabolas & historiam Nazareth, curationem Dæmoniaci in regione Gerasænorum, & mulieris Hæmorrhoyssæ, & resuscitationem filiæ archisynagogi, quæ omnia ante sermonem in monte, & ante electionem duodecim Apostolorum contigisse prius à nobis ostensum est. ex Marco ergò, qui rectum videtur tenuisse in hac parte ordinem, constat missionem Apostolorum esse subiungendam parabolis, ac ingressui in Nazareth. & alioquin etiam aliunde certum est totam illam narrationem Matthæi à medio capitis duodecimi, vsque ad finem decimitertij, in quo continentur parabolæ,præponendam esse missioni Apostolorum. Nam post reditum Apostolorum statim ea contigisse quæ Matthæus narrat capite decimoquarto clarissimum est ex Marco, & Luca, vt non possit caput decimumquartum Matthæi sic coniungi cum capi e decimotertio, vt nihil in medio sit inferen lum ex alibi narratis à Matthęo, inferenda enim est missio ab ipso capite decimo relata.

2. Hoc autem miraculum curationis Dæmoniaci,& disputatio hinc nata, scripta sunt à Luca capite vndecimo, etiam post missionem septuaginta discipulorum, sed sic vt nullum significet ordinem,vel tempus.dicit enim: *& erat eijciens Dæmonium, & illud erat mutum.* non dicit autem, *& post hæc erat eijciens* &c. quarè Lucæ narratio nihil obstat huic nostro contextui,ac sententiæ.

Et verò etiam putandum non est, aliud esse miraculum de quo Lucas, & de quo Matth, quamuis aliud sit omninò illud,de Matth.c.9.

Ad domum] hæc videtur fuisse domus Petri, & quidem Capernai, quo solebat Christus se recipere,ac secedere Marc.1.29. & 2.1. in eadem enim videtur vrbe adhuc, Marc. Dominum constituere, dum hæc narrat, de qua fuerat capite præcedenti, hoc est,capite secundo,versiculo primo loquutus, cùm ingressum eam fuisse scripserit, egressum ea nondum scripserit. Quod si verum est, falsum erit,quod dicit Euthym.Matth. 13. vel iuxta ipsius capitum diuisionem Matth.23. sub finem,aliam fidelis alicuius domum fuisse hanc, de qua hic Marcus,& Matth.c.13.v.1. 3.

B *Et conuenit iterum turba*] Beda Marc. 3. *O quam fœlix*, inquit, *occupatio Saluatoris, quam beata frequentia turbæ confluentis cui tantum studium ad audiendum verbum Dei, tantum fuit curæ ad obtinendam salutem, vt auctori salutis cum eis, qui secum erant, ne vescendi quidem hora à solatio vitæ miseris impendendo, libera maneret.* Vtinam Domine Iesu, & in nostri æui temporibus tantum gratiæ tuis fidelibus largiaris, quod doctores suos assiduitate discendi, non solum ab appetitu carnalium voluptatum, verùm etiam non nunquam ab ipsa quoque panis quotidiani perceptione præpediant. 4.

Neque panem manducare] Apud Hebr. *panis* pro omni cibo ponitur. Hæc verba referenda esse ad Christū tātum & ad Apostolos verba græca indicant, ὥστε μὴ δύνασθαι αὐτοὺς μήτε ἄρτον φαγεῖν. vbi relatiuum αὐτοὺς, videtur respicere eos, de quibus ipse Marc.dixerat eodem capite tertio, versiculo vigesimo, *& conueniunt domum*, qui fuerunt Christus & Apostoli, nam de turba postea dicitur: *& conuenit statim turba.* *Panis pro omni cibo.*

C 2. *Sui*] Græcè οἱ παρ' αὐτοῦ, qui ab ipso erant. græcismus est, quasi dicat, qui ad eum pertinebant. Videntur autem hi fuisse cognati, de quibus dicitur, quod ad fores domus starent, vt habet Marc. vers.31.c.3.& Matth.12.cap.46.& hoc c.habes ver. 35.& 36. 5.

At inquies etiam Beatissima Angelorum Regina ibi erat,& fratres. Respondeo posse esse syllepsim vsitatam in Scriptura, quia quod vnus è multis fecit,dicuntur fecisse multi Matthæi 26. 8. & 27. 44.itaque satis est, si vel vnus cognatus Christi dixerit eum in furorem esse versum. Syriacum Euangelium habet,*patrueles eius*,id est cognati,vel consanguinei. *Syllepsis.*

D *Tenere eum*] sunt qui affirment legem fuisse apud Romanos, vt si quis in insaniam incideret, vinciretur à cognatis: ac videri posse simile quid fuisse apud Iudæos. Itaque exiere cognati tenere eum, id est,vt vincerent,& domi in custodia tenerent,quem insanire dicebant; sed cur priùs non fecerunt? quia non ita fortè tunc cognitus erat, nec tantum in eum odium Iudęorum aduerterant; nec tanto feruore viderant, vel audierant in salutem proximorum incubuisse illum,sicut nunc, & propterea iam euidentius, vel præsentius periculum aduertebant.Sic Iansenius,ac Maldon.probabile id quidem,sed non necessarium. 6. *Lex de furiosis vinciendis.*

Probabilior mihi videtur Barradij responsio libri octaui, capite decimoquinto,credit ille Euangelistam Marcum huius rei causam attigisse cùm dixit: *& conuenit multitudo, ita vt non possent neque panem manducare.* Fuit igitur causa ardor Christi in docenda turba, & cibus neglectus, non lex aliqua;Tanto enim animi studio & ardore do- 7.

Digitized by Google

cendæ turbæ, & curandis ægris se impendebat, vt cibi videretur oblitus. Quoniã verò dicitur exisse cognatos tenere eum, interpretatur Barrad. *tenere*, id est, compescere à labore, ne diem totum ieiunus trãsigeret laborãdo, vel vt ego arbitror tenere eum apud Marcum, est comprehendere eum, sicut distinguit idem Marcus capite sexto, decimo septimo tenere, à vincire, ait enim ibi: *Herodes misit, ac tenuit Ioannem*, (id est, comprehendit) *& vinxit eum in carcere*. dicebantque illum in furore esse versum, quod sui ipsius & discipulorũ curam negligere videretur, & tanto animi ardore doceret pop. & sanaret ægros.

Dicebant enim] Non animo tantum, sed quod probabilius est etiam verbis, vt rationem ijs qui præsentes aderant, redderent, quamobrem Christum tenere vellent.

8. *Quoniam in furorem versus est*] Cùm per syllepsim hæc intelligenda dixerimus, nihil absurdi sequitur, si dicamus id significare hæc verba, quod præseferunt, quare nec rectè vertunt, qui interpretantur, ἐξέστι, vel ἐξέστατο, excesit, abijt, euasit, vt sit sensus, quod concionetur Christus, quod Dæmones eijciat, & cætera se inuitis facere, ac se inscijs domo exijsse. Sunt qui vertunt *mente alienatus est*, vt Gagnæus, quod mitius quid significat, quam in furorem esse versum: tantum enim innuit, mentis motionem quandam, & abalienationem. Alij non ad cognatos Christi, sed ad turbam referunt, quasi ipsa diceret, non cognati, quod in furorem versus esset. Sed certè id, quod dicitur de istis, quod exierunt tenere eum, præsertim si *tenere* vincire est, innuit verè furorem Christo attribuere voluisse, propter quem vinciendus esset, vel certè cohibendus. At inquies, verè ne iudicarunt Christi cognati eum furere, an verò per simulationem id dixerunt, vt eum de manibus inimicorum eriperent, ne quid siniſtri pateretur ab inuidis, & calumniantibus. Inprimis cùm Euangelista dicat: *dicebant* & non *putabant*, non est absurdum dicere simulationem fuisse, quomodo minus peccassent, quàm si credidissent.

Cognati Christi verè an simulatè eum furere dixerint.

9. Cæterùm probabilius est id verè putasse. Sic enim Hieronymus, Beda, Theophylactus, Euthym. & passim accipiunt hoc dictũ. Quod si simulabant nec credebãt ipsũ verè insanire, idcircò tenere, id est, vincire, vel certè comprehendere eum volebant, ne malum aliquod, vel sibi, vel Christo crearetur à Pharisæis, vel à turba. Quod si credebant verè insanire, vt est verosimilius, aut lege, aut potiùs consuetudine vinciendus, claudendusue erat, vt vel ita illi consuleretur. Sed quid in Christo viderant, quamobrem illum in furorem versum sibi persuaderent? attigi hoc superius numero septimo ex Mar. quia videbãt eum quasi sui oblitũ diu cibo abstinere, & relictis omnibus ad prædicandũ exisse, & magno animi feruore in proximorum, tam animi, quàm corporis salutem incumbentem.

10. *Mundanorũ iudicium de spiritualibus hominibus.*

Pineda capite vndecimo Iob. verſiculo secundo, numero tertio, hunc locum sic interpretatur: *aliquando*, inquit, *sancti pleni ardente, & concitato spiritu, ardenter, & concitatè de diuinis loquuntur, varijs etiam linguis: quem loquendi ardorem animalis homo, qui non percipit, quæ sunt spiritus Dei, non spiritui qui loquitur, sed ebrietati, stultitiæ, garrulitati tribuit*: sic Marci tertio, vigesimoprimo, *cùm audissent sui Christum Iesum loquentem, exierunt tenere eum. dicebant enim quoniam in furorem versus est*: *& Ioannis decimo, decimonono dissensio facta est inter Iudæos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis. Dæmonium habet, quid eum auditis? alij dicebant, hæc verba non sunt Dæmonium habentis*. Paulo Actor. vigesimosexto, vigesimoquarto, *disputante de diuinis, Festus magna voce quasi mirabundus dixit, insanis Paule, multæ te litteræ ad insaniam conuertunt: inuitus & nolens magnam sapientiæ vim fatetur inesse Paulo, quod verò ipse non intelligit, furori, & insaniæ tribuit: sicus illi, qui Apostolos diuino spiritu plenos audiebant* Actor. secundo, decimotertio, *musto madere putabant: Sic Sophar sapientissimũ Iob multiloquij accusat*, Iob. vndecimo, secundo. Sic Pineda, quibus videtur significare, idcircò furore agi Christum existimasse suos, quod audierant illum ardenter, ac magna contentione de rebus diuinis per longum tempus agere, quæ quidem ratio alijs etiam coniuncta de cibi neglectu, & studio ardenti quærendæ proximorum salutis, non modo non displicet, sed satis etiam probatur, & congruit cum nostra numero 7. posita.

A

3. A. *Tunc oblatus est*] Non videtur illud, *tunc*, apud Matthæum, certum & designatum tempus significare, vt etiã opinatur Euthymius. Cæterum ex Marci capite tertio, vigesimo, videtur id accidisse, cùm egressus Capernai è synagogã domum esset ingressus.

B

Cæcus & mutus] Chrysostomus etiam surdum fuisse intelligit homilia duodecima. Sic Theophylactus, Euthymius, Luc. 11. immò & Tertullianus lib. 4. con. Marcio. nam dictio, κωφὸς, græcis, & surdum significat & mutum. Sed probabilius est hic pro muto accipi, nam subditur; *& cùm eiecisset Dæmonium loquutus est mutus*. Quibus etiam verbis significari quidam volunt, quod cæcitas, & sermonis impedimentum in hoc homine ex præsentia Dæmonis fuerit, qui illi, & oculorum vsum, & linguæ sustulit, ac proindè Dæmonium ipsum mutum vocatur ab affectu. Tria ergò simul in hoc homine, inquit Hieronym. & Beda patrata sunt miracula, possessus à Dæmone liberatur, cæcus videt, & mutus loquitur. 11.

C

Sed ex his Hieronymi verbis colligunt aliqui, fuisse hunc hominem mutum, non ex præsentia Dæmonis, sed aliunde. quod si dicas, cùm Lucas vocet ipsum Dæmonium *mutum*, videri potiùs ex Dæmonis præsentia fuisse hunc hominem mutum. In promptu est solutio; non ab effectu dici mutum Dæmonium, cum alioqui homines potiùs loquaces esse velit: scit enim in multiloquio non deesse peccatum; sed quia cum ille homo esset mutus, non poterat Dæmon per illum loqui: quo modo rectè ac verè Hieronymus ait, in hoc homine tria miracula esse patrata, alioqui re vera neq; mutus, neque cæcus sanatus fuisset, sed Dæmone eiecto, sublatoque eo impedimento loquutus fuisset homo ille citra aliud miraculum, quæ quidem sententia mihi etiam probatur, præsertim si Hieronymi verba spectemus. 11.

12. *Causa & quia homines à dæmone obsidentur.*

D

Ob tria permittit Deus homines à Dæmone arripi ac vexari. Primò ad fidem confirmandam. Cùm enim quædam referunt, quæ ab ipsis, quos inuadunt sciri nequeunt, scimus illa esse ab spiritu aliquo, ac proindè vera esse, quæ de spiritibus dicuntur. Item cùm in Iesu Christi nomine pellantur, huius sancti nominis stabilitur fides: sic Cyprianus aduersus Demetria, & Lacta. con. gen. Deindè, vt quibus ille modis vexet damnatos in inferno, cognoscamus, vbi nimirum in illos exercere poterit totum odium suum, totumque venenum expromere.

Postremò, vt ex ijs quæ in corporibus hominum facit, discamus ea intelligere, quæ in animis spiritualiter exercet. Nam si verum est hunc effectum esse cæcum, & mutum, vel etiam surdum à Dæmomone, patet per hæc, quid ille in hominis anima spiritualiter operetur. breuiter omnem aufert rerum spiritualium sensum, omnemque motum ad cœlestia, & diuina retardat.

Digitized by Google

4. *Pharisæi autem audientes dicebant*] Hanc blasphemiam Matthæus dicit Pharisæos protulisse. Marcus autem Scribas. Itaque vtrosque protulisse intelligas. Porrò Lucas generatim dicit, quosdam sic dixisse. Matthæus quoque occasionem explicat, cur sic dicerent, ait enim: audientes autem Pharisæi dixerunt, id est, cùm audissent turbas dicentes: *nunquid hic est Filius Dauid?* Pharisæi odio atque inuidia excæcati, vt ab hac persuasione turbas auerterent, dixerunt: *in Beelzebub eijcit Dæmonia*, quo dicto confirmant verũ esse id quod dixit Dominus de illis Mat. 23. 13. *claudit is regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare.*

5, B. *Quoniam Beelzebub habet; & quia in Principe Dæmoniorum &c.*] Matthæus habet: *hic non eijcit Dæmonia, nisi in Beelzebub Principe Dæmoniorum*, est autem idem sensus Matth. cum verbis Lucæ *in Beelzebub Principe* &c. quod autem Marcus dicit, *Beelzebub habet*, idem est ac Beelzebub familiarem & amicum habet, & non cum eo pepigit, & hinc est, quod in eius virtute Dæmonia eijcit. Illud ergò *in Principe Dæmoniorum*. proindè est, ac vnius Dæmoniorum missus à Beelzebub, vel tanquã Diaboli minister, vel nixus eius ope miracula edit, tanquam illi familiaris & intimus. Quare id quod dicit Marcus *Beelzebub habet*, includitur in eo, quod alij etiam dicunt *in Principe Dæmoniorum* &c. Eandem calumniam obiecerũt Christo Mat. 9.

14. Sed cur Principi Dæmoniorum hoc potiùs adscripserunt? Respondeo quia cùm Christus multa Dæmonia eijceret: dicũt enim eijcit Dæmonia, idcirco omnium Principi id maluerunt tribuere. Præterea, quia licet interdum ex pacto aliquo conueniant Dæmones, vt ad vnius imperium alius recedat, nihilominus etiam qui maioribus Dæmonibus præditus est, inferiorem se alterum potest eijcere, proindè hoc modo putabat multa Christum Dæmonia virtute principis Dæmonum dispellere, quod alijs sit potentior ipse Princeps ac proindè Christus.

15. *Tres effectus huius miraculi.* Aduerte hic tres effectus, factum hoc miraculum, esse consequutos; admirantur turbæ; Scribæ, & Pharisæi blasphemant; & quidam etiam alij ex Pharisæis, & Scribis, vt ex Matthæo cap. 12. versic. 38. & hic 24. habetur, Christum tentant miraculum de cœlo petentes, sicut Elias fecit qui ignem de cœlo descendere iussit, & Iosue, qui Solem stare præcepit.

6. C. *Et alij tentantes*] Tentasse hi dicuntur, quia non vt crederent, sed vt ruborem inijcerent potiùs hæc petebant; neque enim illum talia posse arbitrabantur. Vel certè tentasse dicuntur, quia experiri virtutem eius volebant per eiusmodi signa, priusquam crederent.

Obserua hanc eandem quæstionem etiam propositam fuisse Christo à Pharisæis, & Saduceis, vt

16. docet Matth. c. 16.

Illud verò *de cœlo*, vel significat de ipsis cœlestibus orbibus, quasi peterent signa circa Solem, lunam, stellas, vt Euthymius exponit. Vel per cœlum intelligi potest aër ex Hieronymo, & Beda: petebant, inquit Hieronymus, de cœlo signa, siue quia in morem Eliæ ignem de sublimi venire cupiebant, vel in similitudinem Samuelis, tempore æstiuo contra naturam loci mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere & cætera. vtraque expositio est vera, nam vtrumque in script. significat cœlum. Pineda capite decimooctauo in Iob. versiculo 4. numero sexto, qui perturbatè, inquit, de rebus iudicant, perturbari etiam omnia cupiunt, & secum rerum ordinem inuerti, & commutari, vt illi qui dicebãt: *volumus à te signum videre*; signum, inquam, de cælo; sic enim perturbationibus animi agitabantur, vt vellent propter se non solum terræ, sed etiam rerum cœlestium ordinem perturbari. Sic etiam Tyrannidem cum ingenti mentis perturbatione Seneca Trag. descripsit: quod fieri non potest, vult posse, qui nimium potest. At vanè ista petebant: calumniari enim ea poterant dicentes, etiam magos signa de cœlo dedisse.

Videtur tamen dum hæc refert Luc. anticipatione vsus. nam hæc petitio, videtur accidisse post multa dicta à Domino, quæ refert Matt. tunc enim inquit Euangelista, *responderunt ei quidam de scribis, & Pharisæis, dicentes: magister volumus* &c. vide inferius versum 24.

17. 7. *Ipse autem vt vidit*] rectè, inquit Euangelista, visas fuisse cogitationes, quia forte non verbo, sed mente eam dixerant calumniam intra se: id quod de omnibus non credo, nam etiam Lu. dicit: *quidam dixerunt* &c. ergò dicendum quod quidam verbo, quidam verò mente calumniati fuerant, & vt inquit Hieronymus Matthæi duodecimo, Dominus non ad dicta, sed ad cogitata respondit, vt vel sic compellerentur credere potentiæ eius, qui cordis videbat occulta. Chrysostomus verò homilia 42. in Matthæum hoc ideò peregisse Christum censet, vt hoc signo mentitos eos esse aduersus ipsum confirmaret, quoniam non sit Dæmoniaci arcana hominum nosse. Itaque licèt quidam verbo calumniam protulerint, Dominus tamen voluit omnibus respondere, vt interim ostenderet se cordis arcana videre, etiam quantum ad eos qui sola mente calumniati fuerant. Vel dicere possumus cum Chrysost. hom. cit. hos calumniatores submisse protulisse calumniam, ita vt putarent Christum audire non posse, propterea Euangelistam dixisse: *ipse autem, vt vidit cogitationes eorum*, cum verborum species naturaliter ad aures peruenire non possent. Arcana, inquit Chrysostomus cordium ipsorum, quæque inter eos secretè agitabant, profert. Denique dicere possumus eos, qui verbo loquuti fuerant, non omnia quæ mente conceperant protulisse, & hæc etiam à Christo fuisse nota, & confutata, quod est argumentum Diuinæ virtutis &c. nam nec Dæmon id potest, qui cogitationes non penetrat. Sed cur inquies, non fuerunt ausi hæc palam dicere? timuere ne à Christo cùm dedecore reijcerentur conuicti: timuere ne Christus eam occasionem arripiens dedoceret turbas, quibus illi persuadere conati fuerant, in Principe eum Dæmoniorum expellere Dæmonia. Sic Chrysostom. Emmanuel. Matthæi duodecimo, in addit. exponit, *Iesus autem sciens cogitationes eorum*, vt habet Matthæus, scilicet, animum, quo dicerent, nempè calumniandi, & populum auertendi.

In parabolis] Parabolas vocat exempla & similitudines, quæ subsequuntur.

18. 8. C. *Omne regnum in se ipsum* &c.] Est primum argumentum, quo probat Dominus se virtute Beelzebub Dæmonia non abigere. Nullum inquit imperium, nulla ciuitas, nulla familia secum inter se dissidens diu stare potest, sed regnum Satanæ stat adhuc, vireſque suas seruat in mundo mundi Princeps: non igitur in se diuisum est regnum Satanæ: neque Satanas Satanam eijcit, neque ego in Principe Dæmoniorum Dæmonia eijcio. si enim alter alterum de possessione sua deijcit, & deturbat; pugnent inter se necesse est: atque ita cum discordia magna imperia dilabi soleant, collabetur statim eorum regnum. Summa autem eis cura est, vt in communem hominum perniciem stabiliant illud, & confirment: non igitur diuisi inter se sunt Dæmones, neque ego alterius opera Dæmonis, Dæmonem eijcio. Nota dici *regnum in se*, id est, aduersum se *diuisum* per dis-

Argumentũ primũ Christi quo probat se eijcere dæmones virtute Beelzebub.

cordiam mutuam. Domus item supra domum, id est, contra se ipsam diuisa cadet. Marcus ait, si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare. Quæ verba indicant, Lucam, dum ait: *domus supra domum cadet*, non esse sic accipiendum, quasi de pluribus loquatur domibus, quarum vna sit contra alteram, sed de vna, eademq; domo loqui contra se diuisa. Per hebraismum enim loco relatiui posuit idem antecedens, *domus supra domum*.

19. Est porrò regnum satanæ potestas eius permissa à Deo in homines, qua nos tentat, ad peccatum impellit, sæpè vexat, &c. quæ potestas maximè perspicitur in illis quos sibi subdunt dæmones.

Sed age iam vires huius Christi argumentationis expēdamus. Dicat enim aliquis; nonne potest vnū Dæmoniorum alterum abigere? quomodo ergò stat ratio Christi? Respondeo inprimis non nego posse per vnum Dæmonem potentiorem, debiliorem alterum expelli; sed hoc aïo, id fieri non posse citra aliquam regni illorum diuisionem, & demolitionem, sicut potest vnum aliquod regnum interdum aliquo modo esse in se diuisum, sed id nō erit sine aliqua per id tempus destructione. Deindè, & melius affirmo, non esse hic sermonem de vno, & altero Dæmone expulso, neque enim regnum hominum omninò dirueretur, si pauci illius homines essent in se diuisi; sed cum magna multitudo passim & diu ac sæpè aduersus alteram armatur, ita vt fiant factiones & veluti capita diuersa inter se pugnantia. Iam verò Christus non vnum, aut alterum, sed innumeram multitudinem, legionesue Dæmonum assiduè expellebat, & quidem (quod ad rem facit maximè) repugnantium, ac reclamantium, vt passim apud Euangelistas legimus. nec illos loco consistere permittebat; sed in eos pro occasione diu, multumque inuehebatur hominum salutis cupidus.

At hoc fieri non poterat etiam per cacodæmonum Principem sine diuisione, atque adeò sine deiectione, ac ruina regni ipsorum. Præsertim quia si potestate nocendi hominibus priuarentur Dæmones, vt docet Abulensis Matthæi duodecimo, quæstione sexagesima concordiam, & obedientiam minimè tenerent, & sic staret regnum eorum, quod totum in Deum, & homines armatur.

20. Quæ egregiè Athanasius obseruauit, libro de Christi Incarnatione, cùm ait: non igitur, vt magus ex pacto expellebat Christus Dæmonia, sed vt Dominus vi quadam, & illato eis dolore, ac tormento. Id quod per se satis patebat Iudæis: neque enim virtute Principis illorum poterat id ita fieri, vt adhibito tormento & vi, tam frequenter, tanta contentione, tanta dæmonum repugnantia, tanto terrore, ne hominibus nocerent, innumera passim dæmonia pellerentur, Quibus constare potest obiectionis dissolutio.

21. Iterum vrgebis: simulare dæmones cogi se à Magis, vt corporibus hominum egrediantur: alioquin sua id potius voluntate facere: nam quò facilius decipiant homines vim, & auctoritatem Magorum admirantes, & ob id illis certam fidem adhibeant, fingunt se à Magis cogi, & expelli. Non ergò ob id quod multi dæmones repugnantes & reclamantes, & timorem, metumque ostentantes iussu Christi eijcerentur, quidquam clarè conficitur, quo colligamus Christum Dei virtute excludere dæmones, eò quòd Satanas Satanam expellere non possit, nisi destruatur eorum regnum, & vnio.

Respōdeo satis constare cuicumque potuisse ex Christi sanctitate, cælestique dæmones eijciendi modo, idque passim, & ex studio salutis hominum, quo eorum causa dæmones pellebat, & miracula edebat: non posse id per Dæmonum simulationem fieri.

Est tamen alter Pereiræ dicendi modus capite octauo Exodi, disputatione quinta, vbi ait: *cum Dominus apud Matthæum capite duodecimo, & Lucam vndecimo argumentatur se non eijcere Dæmones potestate Principis Dæmonum, quod non posset Satanas Satanam eijcere; alioqui regnum eius diuisum esset, nec diu stare posset. Hæc inquam Domini argumentatio intelligenda videtur* (sic certè interpretatur eam Diuus Thomas tertia parte, quæstione quadragesimatertia, articulo secundo, ad tertium) *de perfecta eiectione Dæmonis ex homine, id est, tam ex corpore, quam ex eius animo. Vel, de eiectione profecta ex odio Dæmonis, & desiderio euertendi imperium, quod habet in homines: nam eijcere Dæmonem ex humano corpore, quo facilius ea re deceptos animos hominum varijs inficiat erroribus: non est eijcere Dæmonem ex homine, sed magis intrudere in hominem.* Hæc Pereira. 22.

Quod verò Christus perfectè, & ex odio dæmonis, euertendique eius imperij causa expelleret, deturbaret, denique in fugam conijceret dæmones, satis constare poterat Pharisæis, cùm viderent eius vitę sanctimoniam, quæ suo veluti splendore oculos hminum perstringeret; Adde doctrinam dæmoni contrariam, fructum quoque saluberrimum, quem ex eius operibus, & concionibus passim referebant homines, quæ omnia lōgissimè à cacodęmone absunt. Amor quoque ille, & zelus diuinæ gloriæ, admiranda etiam opera, quibus cœlestem, diuinamque doctrinam confirmabat, quid aliud quæso loquebantur, quam nihil æquè ac Christum dæmoni repugnare, & obsistere? Denique hoc vnum, quod eos quos sanos esse iubebat, animo ferè, & corpore curaret, cùm ab eis siue dæmonem deturbabat, siue morbos expeliebat, id ipsum luce clarius indicabat. His ergò omnibus non obscurè intelligi poterat, ipsum in omnibus cacodæmoni, infernisque potestatibus conraire. 23.

Tertiò si quis se facilè ab hac tota difficultate & ab ea præsertim quæ est numero vigesimoprimo posita, expedire velit, dicat Pharisæos de violenta eiectione loquutos fuisse, ac dixisse à principe potentiore eijci alios dæmones minoris roboris, ob pactum Beelzebub initum cum Christo; & ea vi vti ipsum Christum passim, dum innumeras etiam dæmonum cateruas expelleret, ac terrefaceret; hoc hoc autem esse, *in Principe Dæmoniorum eijcit dæmonia.* Quo posito non paruas habet vires Christi ratio. hæc verò solutio differt à prima quæ numero decimonono habetur. prima namque procedit siue dicatur, quod vi superiori, pellantur dęmones inferiores ex pacto superiorum potestatum cum Magis; siue quis obijciat quod simulent dæmones cogi se à magis egredi; hæc autem solutio tantum primum accipit, ad hominem procedens, hoc enim Pharisæi dabant, dæmones à Christo tantum violente abigi in Principe dæmoniorum quasi pactum cum illo inijsset, quare contra hanc non potest obijci simulatio dæmonum, vt poterat contra primam. Vndè non est difficile vim rationis Christi intelligere. Iuxta hunc tertium modum soluendi; quomodo enim stat regnum diaboli, si tam multos, tam frequenter, tanta vi, tam inuitos pellit per Christum Dæmones vis illa superior ab hominibus, quibus nocere tantoperè studet. 24.

10. *Filij vestri*] Est secunda ratio, quam sic declarare possumus ex Martino Delrio tom. primo disquisit. magica. libri secundi, quæst. 30. sect. 2. videtur, inquit, nostris exorcismis olim quidam similes à Salomone instituti viguisse apud Heb. pro- 25. Arg. secundum.

batur

batur id non ex Iosepho tantum libr. 8. antiquit. c. 2. & Origine homilia 35. Matth. & D. Epiph. in hæres. ebionita. sed & ex Saluatoris nostri verbis, Iudæos refellentis, qui dicerent eum dæmones in Beelzebub eijcere, *filij*, inquit, *vestri, in quo dæmonia eijciunt?* quod quam ad Apostolos, rectius referri ad ordinarios Iudæorum exorcistas, meritò viri docti censuerunt. Nondum enim cum hæc dicebantur Apostoli ad prædicandum missi fuerant, & hæc potestas illis postmodum concessa Matth. 10. Et discipuli eandem quam magister calumniam sunt passi, vt eis Iesus prædixit, apud Matth. 10. 25. Quare non satis efficaciter Apostolorum, vel discipulorum suorum exemplo Dominus fuisset vsus, quia statim Iudæi respondissent, in eodem ipsos, in quo magister nomine, hæc efficere. Crediderim Salomonem hos exorcistas instituisse quo tempore adhuc Deo adhærebat: ideoque in illis virtutem diuinam fuisse operatam; & fortasis vim aliquam ex ipsa Dei institutione habebant, non tantam opinor, quantam hodiè Catholicæ Ecclesiæ exorcismi: Quòd si contendas compositos à Salomone, cùm esset idololatra: tunc necessariò illos annumerare cogeris cum D. Thom. & Victoria Magorum incantamentis. Sed tunc confirmasset potiùs Christus calumniam Pharisæorum, *in Beelzebub eijcit dæmonia*, si filij eorum in magica, hoc est, in Beelzebub eijciebant. quarè tenenda est prior sententia.

26: Est ergò secundùm argumentum; *si ego*, inquit Christus, *in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijcient*; quasi dicat cur potiùs me, quam filios vestros dicitis in Beelzebub eijcere dæmonia, cum vtrique eijciamus? cur de me malè cum idem faciamus, de illis benè iudicatis? si Dæmonum eiectionem in filijs vestris non dæmoni, sed Deo tribuitis; cur in me idem non facitis? Hanc interpretationem etiam cum alia de Apostolis inuenies apud Hieronymum Matthæi duodecimo, rectè quoque obseruat Tertullianus quarto con. Marcion. significare hic Christum istos Dei etiam virtute eijcere dæmonia.

Ideò ipsi iudices vestri erunt] quasi dicat, id quod agunt illi, vos condemnabit, nam approbatis in eis id quod in me calumniantes reprehenditis. Nec significat hic Dominus ipsos exorcistas futuros iudices, quasi prolaturi sint contra illos sententiam, sed innuit quod erunt quasi causa & ratio, ex qua sumetur argumentum iusti iudicij, & damnationis calumniatorum. Illud verò in quo, significat cuius ope.

27: Si de Apostolis interpretere, id dicitur inquit Hieronymus, quia sedebunt *super duodecim sedes iudicãtes duodecim tribus Israel.* Itaq; ipsi eos condemnabunt, qui dicunt se mea virtute ac Dei dæmones pellere; vt proindè multò magis me qui Dominus, & magister sum fateri oporteat Dei virtute id facere.

De concordia, ac pace lege Osium capite 25. 26. confes. & adde exemplum Datan, & Abiron Exo. c. 13. l. 6. eiusdem.

11: *Si in digito* (&) A. *in spiritu Dei*] ex dictis tacitè concludit se Dei virtute expellere dæmonia; neque enim in Beelzebub vt ostendit. Infert præterea quod eiectio hæc tot dæmonum tam multiplex, tam frequens, tam inusitata antea, signum est regni Messiæ, id est, eius aduentus, ac proindè destructionis mox futuræ regni diaboli. Præsertim verò, quia talia facturum Messiam ex Prophetis, non ignorabant. dicitur autem aduentus Christi *regnum Dei*, quia eius tempore gratia, Iustitia, Sanctitas in Ecclesia futuræ erant, per quas regnat Deus in homine, & ad cœleste regnum volentibus per Christi sanguinem aditus patet. ergò per

A *regnum Dei* Christi aduentum cum iustitia, & statu Ecclesiæ ab eo instituendæ intellige; quasi dicat, expulso dæmone iam incipit regnare Deus in hominibus. Augustinus libro primo, quæst. Euang. capite quinto, sic interpretatur hunc locum; & *si ego in Beelzebub eijcio dæmonia*, secundùm vestram sententiam, *igitur peruenit in vos regnum Dei*: quia regnum diaboli stare non potest; quod aduersum se diuisum esse fatemini. acutè satis Augustinus, sed supplendum videtur aliud membrum, *si autem in spiritu Dei eijcio*, multò id fortius verũ erit: Videtur igitur dilemma esse ex Augustino D. Hieronymus explicans, quid per *regnum Dei* hic accipiendum sit, tres affert interpretationes, vide illum.

Spiritu Dei] Augustinus secundo de consen: 28:
Euangelist. notat Matthæum dicere, *in spiritu*, & secundo quæst. Euang. *Spiritus*, inquit, *sanctus digitus Dei, ob partitionem donorum, quæ in eo cuique dantur, dicitur: In nullis enim membris magis appareret partitio, quam in digitis.* Cyrillus scribit, Spiritum sanctum dici *digitum*; Filium *manum* & *brachium*: per eum enim Pater cuncta operatur, & Filius per Spiritũ S. sibi consubstantialem. Si igitur, inquit Hieronymus Matthæi duodecimo, manus & brachium Dei Filius est, & digitus eius Spiritus sanctus, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vna substantia est. Nec te scandalizet membrorum inæqualitas, sed ædificet corporis vnitas. Est porrò, inquit Pererius, capite octauo Exodi d. 4. pulcra analogia inter digitum, & Spiritum sanctum, nam sicut ex corpore procedit brachium & manus, & indè digiti, ita ex Patre Filius, & ex vtroque Spiritus sanctus, & sicut multi sunt digiti vnius corporis, ita multa sunt dona Spiritus sancti, primæ, Corinthiorum secundo, diuisiones gratiarum & cæt: totidem autem sunt digiti in sinistra manu: atque B
in dextera; non enim minore gratia & virtute Spiritus sancti, opus est ad modestè tractandum res secundas, quam ad res aduersas fortiter perferendas.

Glossa ex Hieronymo in caput duodecimum Matthæi addit, hoc digito scriptam legem in tabulis, hunc quoque digitum Magos confessos esse in AEgypto. Athanasius etiam notat, quod gratia humanitatis Christus se ostendat hic minorem esse Spiritu sancto, & in eius virtute Dæmonia eijcere: Itaque secundùm hos Patres digitus Dei, idem est, quod Spiritus sanctus, quod & præsignificasse videtur Matth. hic, *in spiritu Dei* dicens.

At Cardinalis Toletus adnotatione 44. idem sig- 29:
nificare putat hic Spiritum & digitum Dei, quod virtutem Dei, non dæmonis, vt idem sit facere Spiritu & digitu Dei, quod in virtute Dei facere. Quarè per Spiritum non persona Spiritus sancti significatur; in quo sequutus est Euthymius Matth. D
duodecimo, & ante ipsum idem sensit Tertullianus de digito Dei libro quarto contra Marcio. qui subdit causam, cur virtus Dei *digitus* appellatur: ad significandum, inquit, quod vel modicum virtutis Dei fortissimum est.

Pererius Exodi octauo, distinctione quarta, pu- 30:
tat in illis verbis Exodi: *digitus Dei est hic*, significari Dei potentiam, & fortitudinem, sicut & per brachium & manum. Et addit: significari etiam posse reor spiritum Dei, prout spiritus in scriptura significat singularem quendam impulsum, & impetum, ac rigorem diuinæ virtutis, quæ diuinitus alicui datur. Quomodo etiam accipitur, inquit illud Domini, *si in spiritu Dei eijcio Dæmonia*. Illud etiam dici posset, per *digitum* significari potentiam, & per illud Dei, denotari ingentem & eximiam potentiam, vt montes Dei. Hæc Pererius. Hæc expositio, sicut & Toleti mihi magis placet.

Obseruandum virtutem hanc Dei effectricem

rerum, etiam mirabilium, interdum significari nomine *digiti*, vt idem Perer. notat, sicut hic & Exod. 8. nonnunquam numero plurali nomine digitorũ, sicut Psalm. 8 4. *videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum*, nimirum virtus Dei operatiua, per se, & & respectu Dei, simplex, & vnica est. At verò in operibus Dei multiplex, ac multiformis relucet, multæque rationes perfectionum Dei resplendent in eius creaturis. Nec alienũ est ab hoc loco quod Isai. c. 40. 12. de Deo dixit: *tribus digitis terram appendere*; quia nimirum in hac rerum vniuersitate tria maximè eminent Dei attributa, Potentia, qua creatus est mundus; Bonitas, qua conseruatur; Sapientia, qua ordinatus est prudentissimè & gubernatur prouidentissimè.

32. *Peruenit in vos regnum Dei*] Dicat aliquis, si regnum Dei peruenit, si virtus Dei est contra dæmonia, quomodo stat regnum Satanæ? nam si Satanas contra Satanam diuisus id potest efficere, vt concidat regnum diaboli, quanto magis virtus Dei? Respondeo regnum Dei præsenti tempore non omninò tollit regnum dæmonis, sed diminuit eius vires collata hominibus virtute vincendi, & gratia resistendi. Nobis enim vtilis est talis exercitatio, & conflictus: at sub finem temporum omninò destruetur, ac ruet.

33. Iterum quis obijciat, quomodo Christus indè efficiat venisse iam inter Iudæos regnum Dei, quod dæmones expellerentur; cum & ante Christum exorcistæ Iudæorum eijcerent dæmonia in spiritu, & digito Dei? Ad hoc Respondeo, nõ id efficere Dominum simpliciter ex dæmonum expulsione, sed ex eo, quod passim, frequenterque, tam multos dæmones corporibus deturbaret cum ingenti ipsorũ timore & tormento, quod satis nouum & insolitum erat.

Argu. tertiũ. 12. A. *Aut quomodo potest*] Est tertium argumentum ab exemplo, & similitudine ductum, quo non in Beelzebub, sed in virtute Dei dæmonia se expellere confirmat: nemo, inquit, potest cuiuspiã fortis domum intrare, vasaq; eius, id est, omnẽ supellectilem asportare (nam eo nomine tota supellex iureconsultis dicitur, vndè conuasandi verbũ, spoliare est) nisi prius expugnatum fortem illum in vinculis tenuerit. Neq; enim vnquã volens spoliare se sinet. Quomodo igitur permittet dæmon obsesso homine per me spoliari, nisi nolens & inuitus, aliaque potestate coactus, ego igitur non in dæmonis potestate, sed Dei virtute dæmonia eijcio, fortiorque illo sum.

34. Aduerte particulam, *aut*, apud Matth. poni loco *alioqui*; vt vel hinc constet ex Matth. hoc esse nouũ argumentum, ad confirmandum nõ eijci à Christo dæmonia, nisi in digito Dei, non in Beelzebub. Alioqui, quomodo inquit possem Beelzebub ligare, eius vasa diripere &c. quid sit ligare fortem, vide Schol. ad v. 14. n. 37. Iterum aduerte quod insinuat hic Dominus, esse fortem dæmonum Principem, vt explicat Iren. l. 3. cap. 8. respectu nostri, est enim nobis fortior iuxta illud Hier. 31. *redemit Dominus Iacob & eripuit eum de manu fortioris eius.* Christus solus Deus & homo est absolutè fortis, qui dicitur hic fortior illo. Fortitudo porrò dæmonis erat, quia tenebat homines ob peccata sibi subiectos, à quibus non poterant se liberare, nisi Dei gratia. sic Aug. l. 1 qq. Eu. c. 5.. quanquam etiam dæmon dici posset fortis absolutè, quia re vera magnæ est fortitudinis. At respectu Christi minimè. Potest enim aliquid dici magnum, vel paruum absolutè, & comparatiuè.

35. *Dæmon cur armatus dicatur.* 13. *Cùm fortis armatus*] Dicitur *armatus* dæmon, quia habet arma, & quibus nobis noceat, & quibus se tueatur, ne vinciatur à nobis. Sunt autẽ hæc arma, species bonorum huius sæculi, vel etiam malorum apparentium, creaturæ ipsæ, de quibus c. 14. creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationẽ animabus hominũ, & in muscipulam pedibus insipientium. Prauæ item affectiones nostræ, membra corporis nostri ex Rom. 6. denique vitia, ac peccata: ijs enim peccatis & affectibus malis nos eo plus debilitamur, quo plus multiplicantur.

Atrium suum] Domus meminerũt Mat. & Mar. Luc. *atrium* posuit, q̃ idem cum domo esse putant aliqui, alij & melius distinguunt. Nam solent esse atria ante primã domus ianuam: sunt enim locus apertus & vacuus ante ædes ipsas vulgo cortile, vbi statui consueuerunt custodiæ, ne aditus pateat in domum, & ita per atrium intelligi possunt ignorantiæ & technæ, quibus totus erat inuolutus mundus. Domus verò huius fortis ex Hieron. mũdus ipse est. vel ex Irenæ. l. 3. ca. 8. homines idololatræ, in quibus habitabat dæmon per peccatum, & apostasiam à vero Deo. vtrumque verum.

14. *Vniuersa arma*] Per vasa igitur versiculo duodecimo, non arma, sed spolia, & supellectilem intelligit, id est, miseras animas sub dæmonis tyrannide, & iugo detentas, nam Lucas hic arma à spolijs separauit.

Scisitabere, quomodo fortior eo Christus superueniens inuasit, & ligauit eum? superuenit dum carne indutus venit in mundum. Inuasit & lacessiuit præsertim in deserto, dum aperto marte cum illo confligens vicit eum, quam victoriam auxit, & perfecit tandem morte, cruce, reliquisque sanctissimæ vitæ suæ actionibus, ac mysterijs in nostram omnium vtilitatem editis, triumphans nobis de tam diro, ac truculento hoste. 36.

Significatum verò est superius versiculo duodecimo, alligatum etiam fuisse à Christo dæmonem. 37.

C sanè constat Christum eum ligasse dum eius vires diminuit, vt & cæterorum dæmonum, non quod vires verè dæmoni imminutæ fuerint, sed quòd fidelibus gratia ac dona concessa sint ea, quibus validiùs illis non obluctari modo, verum etiam easdem lacessere, sternere, ac profligare possent. Speciatim est prætereà Princeps dæmonum ligatus à Christo post partam in deserto de illo victoriam, quod quomodo sit intelligendum, vide in Theoria tertia. Porrò per Christi mortem perfectè illigatus est hic idem inferni rex, vt iam non valeat per se nocere hominibus. qua de re Toletum consule adnotatione quinquagesimaquarta in vndecimum Lucę caput, & Theoriam tertiam, iam citatam. Exuit sanè hunc armis Christus dum peccata remisit, eorumque radices vellere, occasiones fugere, & vitæ huius illecebris nuntium remittere docuit, viam verò virtutis aperuit. Spolia ac vasa diripuit, dum animas vi summa ab dæmonis D eripuit potestate, & rapuit quodammodo, dum infernum sublatis indè Sanctorum Patrum animis expoliauit, quod etiam fuit domum diripuisse tyranni. Tunc verò spolia distribuit non ad varias mundi partes erutos de potestate tenebrarum homines cum potestate transmisit ad alios sibi acquirendos populos. Distribuit item dum varijs illos muneribus applicuit, alios Apostolos, alios Euangelistas &c. secundùm diuinam suam prouidentiam, constituens. Quæ omnia, non initio statim peracta sunt, sed cœpta ferè ipso nascentis Christi tempore, concionibus verò, ac miraculis aucta, cruce, morte confirmata; denique resurrectione ipsa, & Spiritus sancti aduentu perfecta sunt. Sed potissimum in fœlicissimo beatorum cœtu plenius consummanda erunt.

Arg. quarũ. 15. *Qui non est mecum*] Quarta est hæc ratio; qui dissimilia, inquit, meis opera facit, mihi contrarius est, eiusmodi Beelzebub est. 38.

Nam

Nam ego congrego, ille dispergit. Diabolicum enim est congregata dispergere. Colligo enim ego ad vnitatem fidei, ad charitatem, ad Dei cultum: hinc ille amouet, & dispergit in varios idolorum cultus, & impietates, vtà Deo, eiusque cultu auertat. Non ergò conuenire possunt Christus, & Beelzebub. Audi Hieronym. Matth. 12. *non putet quisquam hic de hæreticis dictum, & schismaticis* (videtur Ambrosium significare lib. secundo de Pœnitentia, cap. quarto. & Cyprian. lib. septimo ad Quirinum, num. 86. Hi enim de scismaticis, & verò Ambros. etiam de hæreticis hoc exponunt) *quamquam & ita ex superfluo posset intelligi, sed ex consequentibus, textuq; sermonis ad diabolum refertur; eo quod non possint opera saluatoris Beelzebub operibus comparari, ille cupit animas hominum tenere captiuas, Dominus liberare: ille prædicat idola, hic vnius Dei notitiam; ille trahit ad vitia, hic ad virtutes reuocat. quomodo ergo possunt inter se habere cõcordiam, quorum opera diuersa sunt?* Hæc ille.

39. Verùm quonam inquies modo constat hæc sententia Christi, cum ea quæ est apud Lucam, cap. 9. 50. *qui non est aduersum vos, pro vobis est.* Respondeo, sermonem esse apud Luc. de eo qui licet non sequeretur Christum, in eo tamen quod præstabat cum Christo erat, quatenus boni aliquid faciebat; immò in eo opere faciebat quæ Apostoli; eorumque doctrinam, saltem re ipsa confirmabat: viderant enim eijcientem Dæmonia in nomine Christi, qui non sequebatur cum illis Christum, & prohibuerant illum. Respondit Dominus, *nolite prohibere, qui enim non est contra vos*, id est, qui eadem ac vos docet, vel facit, etiam si vestrum institutum non sequatur *pro vobis est*; cum doctrinam, factaque vestra confirmet, ac consolidet. At hic dicit Dominus, eos qui cum ipso non sunt, id est, eius doctrinam & facta non recipiunt, præsertim si dissimilia docent, & faciunt, contra ipsum stare. tales sunt dæmones in primis, & vniuersim homines, qui Christo parere tenenter, eumque colere, si cùm illo non docent fac faciunt, quamuis non persequantur & maledicant, aduersarij eius sunt.

40. *Infantes nascuntur in peccato originali.* Augustinus ex hoc loco colligit infantes nasci peccato originali infectos, sic enim ait libro primo, de pec. mer. cap. vigesimooctauo, tomo septimo, nec est vllus vlli medius locus, vt possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo. Hinc etiam ipse Dominus volens auferre de cordibus malè credentium istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam paruulis non baptizatis tribuere, vt quasi merito innocentiæ sint in vita æterna, sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno eius, definitiuam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam, vbi ait; *qui mecum non est, aduersum me est.* Constitue igitur quem libet paruulum, si iam cum Christo est, vt quid baptizatur? si autem, quod habet veritas, ideò baptizatur, vt sit cum Christo, profectò non baptizatus non est cum Christo, & quia non est cum Christo, aduersus Christum est: neque enim eius tam manifestam debemus, aut possumus infirmare, vel immutare sententiam. vnde igitur aduersus Christum nisi ex peccato? neque enim ex corpore, & anima, quæ vtraque Dei creatura est.

Porrò si ex peccato: quod in illa ætate, nisi originale & antiquum, &c.

41. *Neutrali-* Est hæc eadem sententia contra Neutralistas, qui neque per omnia doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, quæ domus Dei est, columna & firmamentum veritatis, & Christi sponsa assentiuntur; nec per

A omnia eius aduersarijs. Sed doctrinam quandam mediam excogitarunt, quæ se habet veluti participium partem capiens ab Ecclesia Christi, partem ab hæreticis, partem ab vtrisque. Putant enim satis esse si non discrepent à Catholica Ecclesia in præcipuis quibusdam, & tamen qui in vno defecit factus est omnium reus, ita cùm velint esse omnium, neutrius sunt partis. Contra hos lege Ioannem Hesselium in libello de officio pij viri, & Iudocum Raueſtein, Tiletanum in oratione de officio pij viri tempore hæreseos.

16. A *Ideò dico vobis*] vox illa *ideò* caussalis est, & respicit ea quæ vers. 5. habentur, scilicet, *quoniam Beelzebub habet, & quia in principe*, &c. idque indicat Marc. 3. 30. & hic vers. 18. *quoniam*, inquit, *dicebant, spiritum immundum habet.* Rectè ergò, inquit Chrysostom. quod cum hactenus excusando respondisset, id est, argumentando: nunc B terret, & vt inquit Hilar. seueriſsima definitione condemnat illorum peruersitatem.

Omne peccatum, & blasphemia] Ex Interlineari videtur comprehendi his verbis peccatum omne facti & dicti. estque ea sententia contra Nouatianos, qui ex Augustino qq. vtri. testam. quæst. centesima secunda dicebant, qui Christum negasset non esset ad pœnitentiam recipiendos: ijdemque affirmabant non esse pœnitentiæ remedium lapsis post baptismum, maleque isti peccatum in Spiritum sanctum interpretabantur, esse Christum negare.

Affirmabat porrò Nouatius, non posse in Spiritum sanctum peccare, nisi eum qui Christianus sit, & posteà negarit. Sic Hieronym. epist. 149. ad Marcell. immò ipsis Nouatianis etiam tribuendum videtur; quòd omne graue peccatum, vt homicidium, adulterium post Baptismum commis- C sum, sit peccatum in Spiritum sanctum; lege Augustinum serm. 11. de verb. Domini, quod & Origen. & Theognostum ante docuisse habet Athana. homil. ad hunc locum. Basil. in epist. ad Serapi. per peccatum intelligit cum quispiam legem transgreditur. blasphemia est cum legislatori Deo detrahit, aut negando, quod in eo est, aut imponendo falso in eo. quod non est, impiè contra diuinitatem se gerens: & aliquando fit cum quodã contemptu ac iniuria expressa Dei. hoc enim est blasphemare. igitur peccatum distingui potest à blasphemia, hoc loco dum dicitur, *omne peccatum & blasphemia.*

Spiritus autem blasphemia non remittetur] Breuis expositio huius difficillimi loci, hæc est: peccatum in Spiritum S. tunc propriè esse, quando ex malitia, & duritia cordis spiritui malo tribuuntur diuina, & supernaturalia opera, quæ Spiritus D sanctus ad confirmãdam fidem, vel ad conuertendos peccatores speciali prouidẽtia operatur, hoc enim est propriè Spiritui S. resistere, hoc autem potest probari ex Marc. hic ver. 18. ex illa nempè causali, *quoniam dicebant, spiritum immundum habet*: itemq; ex occasione, qua motus Christus hoc dixit. Adde ex Chrysost. hoc peccatum tunc esse propriè cum sine ignorantia committitur. Quare, inquit, sic? quia cum Spiritus iam notus vobis esse debeat, rem claram, & manifestam oppugnatis; & idem adnotauit Athanas. orat. peculiari, de hac re. de qua etiam loquitur idem Athanas. orat. 2. cont. Arianos, sub finem. Deniq; aduerte hoc peccatũ in verbis contumeliosis positum esse: de hoc enim loquitur hic Christus, quãuis alia numerẽtur peccata in Spiritum S. quod confirmat vox illa *blasphemia*, & illud: *quicunque dixerit*, &c. versic. sequenti. Non tamen propterea negandum est, si quis facto, aut animi cogitatione Spiritus sancti opera Dæmoni tribuat, hoc etiam peccati

Vide in hunc locum Aug. serm. 11. de verb. Dom. vbi ex professo hanc quæstionem tractat, & loci infrà citãdis. Athan. de communi essentia Patris, & Filij, Spiritus S pag. 625. orat. 2. cont. Arian. p. 155. scil. in hoc dictũ, quicũque dixerit verbum. D. Thom. 22. q. 14. a. 3. & 3. p. q. 8. 6. a. 1. Vegam l. 13. c. 9. hinc Bern. ser. 66 Cantic. colligit Purga. Greg. 4 dial. c. 39. eadem habet. Beda in Marc. Aug. 21. ciui. c. 13. 24. & lib. 6. contra Iulian. 5.

43. *Peccatum in Spiritum S. quod.*

Est positum in verbis cõtumeliosis.

genere peccare. peccant item hæretici qui scienter manifesta miracula, quæ in Ecclesia fiunt, quibus per exorcismos & eucharistiam Dæmones pelluntur, Magiæ tribuunt, & si non Christum, Christi tamen corpus, quod est Ecclesia, persequuntur.

44. *Quomodo irremissibile.* Dicitur verò hoc peccatum *irremißibile*, & in hoc, & in futuro sæculo, quia punitur, & hic & ibi; quod etiam Diuus Thomas quæst. octogesimasexta, articulo primo, ad tertium, indicat. Quod vel ex eo constat, quia verba Domini absolutè negare videntur, quod non remittatur hoc peccatum; nam si quem cum eo moriturum videt, non tantum in futuro sæculo, sed & hic quoq; antè mortem punire decreuit Deus. sed de hoc toto argumẽto pluribus disputandum erit in Theoria.

17. *Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis*] non inquit quicumque dixerit verbum in Patrem, vel etiam in filium, *sed quicumque dixerit verbum in filium hominis*: vt intelligeremus illum de se, non tanquam de Deo, sed tanquam de homine loqui.

45. *Peccata in Filium.* Porrò in *filium hominis* verbum dicere, est eius, qui humana deceptus specie, aut offensus infirmitate de illo infrà illius dignitatem sentit, ac loquitur: ideoque veniam meretur, quia peccati excusationem aliquam habet, nec tanta laborat mentis cæcitate, & duritie cordis, nec sibi adeò viam veniæ præcludit. qui verò manifesta Spiritus sancti opera Dæmoni tribuit, & viam sibi præcludit veniæ, & magna cæcitate laborat, atque adeò nullam ex se peccato excusationem obtendere valet: quam cæcitatem & duritiem cæcus ille Ioannis cap. nono, exprobrauit Pharisæis; *in hoc enim mirabile est inquiens, quod vos nescitis vnde sit, & aperuit oculos meos. scimus autem quia DEVS peccatores non exaudit.* vbi redarguit illos mendacij, quod dicerent, *nescimus vnde sit*, cùm tamen opera & miracula, quibus eius veritas confirmabatur, nec virtute humana fieri possent, nec dæmoni tribui, sed opera diuinitatis essent.

46. *Verbum*, blasphemiam intellige. Neque tamen omnis in Christum hominem blasphemia est verbum in filium hominis, de quo hic: sicut non omnis blasphemia in Spiritum sanctum est ea, de qua hoc loco.

Requiritur ergò vt sit prolata ab eo, qui in Christum non credit. Quod etiam necessarium est ad blasphemiam Spiritus. quare qui ex infirmitate, aut passione, & verò etiam ex malitia inter Christianos, fidem conseruantes, proh scelus! in Christum conuitia iactant, non dicunt verbum in filium hominis, prout hic loquimur; licèt excepta infidelitate grauius peccent in filium hominis in quem credunt. Vide Tolet. in Lucam duodecimo, adnot. decimanona, Assert. 4.

47. Cæterùm ex contextu Matth. constat, non omne aliud peccatum, etiam quod non est blasphemia in Spiritum sanctum (hanc enim clarè separat Christus à verbo in filium hominis, illa enim non remittitur, hoc remittitur) dici verbum in filium hominis. sic enim habet Matthæus; *omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus. Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, &c.* vbi distinguit reliqua peccata, & blasphemias à verbo, seu peccato in Filium hominis tanquam à peculiari quodam peccato, similiter & à blasphemia Spiritus. Non igitur omne aliud peccatum, sola excepta blasphemia in Spiritum sanctum, est verbum in Filium hominis: Alioquin superuacaneum fuisset affirmare *omne peccatum & blasphemia*, &cæt. & posteà, seorsim subnectere; *qui dixerit verbum in Filium hominis, &c.* si omne aliud peccatum quod non est blasphemia in Spiritum sanctũ, est verbum in filium hominis. Quamuis verò verbum in filium hominis, contineatur sub nomine omnis peccati, & blasphemiæ: *omne peccatũ & blasphemia remittetur hominibus, &c.* vt tamen intelligeremus non quamlibet blasphemiam esse verbum in filium hominis, itemque ob quandam eius eminentiam & peculiarem rationem exprimenda fuit. sicut Marc. decimosexto dicitur: *dicite Discipulis eius & Petro*, quamuis Petrus discipulus esset, fit tamen eius, ob peculiarem caussam, propria mentio.

Sed dubitabit hic forsan aliquis, cur hoc peccatum dicatur in Spiritum sanctum, cum Christus virtute diuinitatis, quæ communis est toti Trinitati, miracula fecerit; vnde factum est, vt Ioannis decimoquarto, tribuantur Patri: *Pater in me manens, ipse facit opera.* Filio verò Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Ioan. octauo, *ego testimonium perhibeo de meipso.* Matth. duodecimo, tribuuntur Spiritui sancto, prout quidam exponunt: *in spiritu Dei ejcio Dæmonia.* quomodo interpretantur nonnulli illud Luc. cap. 4. *reuersus est in Galilæam in virtute spiritus*, id est, ad miracula facienda virtute Spiritus sancti. Respond. & si hoc ita est, peculiari tamen ratione ea opera Spiritui sancto tribuuntur, cùm facta fuerint ad sanctificandos homines. his accedit quod cùm Deus sit omninò sanctus, & planè mundus; isti, immane scelus! opera Christi quæ diuinitatis erant, ex malitia in spiritum referebant immundum. Quoniam ergò contra Dei sanctitatem peccabant; propterea spiritus blasphemia peccasse dicuntur.

Quòd significasse visus est Marcus illis verbis hic ver. decimooctauo, *quoniam dicebant, spiritum immundum habet.* Non igitur rectè Iansen. Caietan. Abulens. & Euthym. intelligunt hic per Spiritum sanctum diuinitatem, longè melius August. tertiam personam accipit.

49. *Purgatorij probatio.* *Neque in hoc sæculo, neque in futuro*] Augustin. lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 24. & libro sexto contra Iulian. cap. quinto. Gregor. lib. 4. dial. cap. 39. Beda in Matth. cap. duodecimo. Bernard. serm. 6. in Cant. ex hoc loco Purgatorium probauerunt, colligentes aliqua in futuro sæculo peccata remitti, qua de re lege Bellarm. lib. primo de Purgat. cap. quarto. At rident isti. quid tum? etiam Pharisæi dicta, factaque Christi ridebant. aiunt phrasim esse, modumque loquendi, quo nihil aliud significetur quam peccatum in Spiritum sanctum nunquam remitti: id verò à Marco declarari. cap. 3. 29. qui pro *hoc sæculo*, & *futuro* vno verbo, inquit, *in æternũ*. Non ignoramus phrasim esse, quæ idẽ valet. ac *in æternũ*. sed affirmamus tamẽ æternũ illud quod significatur duo continere sæcula, præsens & futurum: Et quod Marc. vniuersè dixit, id Matth. per partes distributè dixisse, quod nunquam eum facturum fuisse contendimus, nisi ad vtramque partem, & præsens sæculum, & futurum peccatorum remissio pertineret. Ineptè enim quis ita loqueretur: non ducam vxorem neque in hac, neque in futura vita, cum in futura duci vxores non possint. vbi verò Interpres habet; reus erit æterni delicti: Græ. est κρίσεως, id est, iudicij, fortè vt significetur, reum futurum æternæ damnationis, id est, nunquam remittendæ pœnæ ob hoc delictum debitæ.

19. *Aut facite arborem bonam*] hæc verba licèt aliqui ad Diabolum, vt Hieronymus, aliqui, vt

Beda ad Christum & Diabolum referant, videntur ex Lyrano, Chrysost. Euthym. ad Christum referenda. puto autem continere nouum argumentum contra prædictos calumniatores. quasi dicat, aut me cum pluribus laudate, aut condemnate; sed cùm opera non posſitis meritò condemnare, fateamini neceſſe eſt me ſpiritu bono agi. Confirmat; quia, quomodo poſſum ego, ſi ſpiritum immundum habeo, benè operari. v.g. Dæmones expellere, cæcos, ſurdos, mutos curare? Aut ergo facite me mal..m, & opera mea mala, aut me bonum & opera mea bona.

Opera Chriſti bona eſſe etiam ipſi Iudæi agnoſcebant.

Obſerua quod non poterant Iudæi negare Chriſti opera bona eſſe, licet illum dicerent ſatannico ſpiritu agi. Ex Gloſſ. arbor bona, Chriſtus; fructus, prædicatio; curatio, redemptio. & ex Interlin. vtrum bonus ſit auctor, nec ne ex fructu dignoſcitur. Quare vix differt expoſitio Hieronym. ſi Diabolus malus eſt, bona opera facere non poteſt: ſi autem bona ſunt, quæ facta cernitis, ſequitur non eſſe diabolum qui illa fecit, ſed bonum eſſe eorum auctorem; neque enim fieri poteſt vt ex malo bonum, aut ex bono malum oriatur. Conſtringit itaque Phariſæos, vt adnotauit Hieronym. ſyllogiſmo quem Græci vocant ἄφυκτον, id eſt, ineuitabilem. vide item in hunc locum Matth. Turrian. de inſtificat. obiect. 12.

20. *Progenies viperarum*] Subiicit iam vnde tam improba & ſatannica calumnia profecta ſit, quia nimirum cum arboribus malis ſimiles eſſent, non poſſent non malos fructus proferre, & mala loqui, eo quod mali eſſent.

51. *Phariſæi cum vipera comparati.*

Vocat autem *progeniem viperarum*, vt ait Ianſen. quod in parentibus gloriarentur; ſignificans eos nihil minùs eſſe, quam progeniem Patriarcharum, & Prophetarum; itaque per hæc ſeparare eos videtur à cognatione Abraham, de quo gloriabantur. vel ex Interlin. idem eſt progenies viperarum, ac filij diaboli, eius veneno corrupti. vnde Auguſtinus cap. ſexto, libri primi, quæſt. Euangel. *progeniem*, inquit, eos *viperarum* dicit, quia & diaboli filios eos appellat. in tantum enim quiſquam filius eſt diaboli, in quantum eum peccando imitatur. Reuera videtur per hebraiſmum idem eſſe, filij viperarum quod viperæ; quod filij parentibus plerumque ſimiles eſſe ſolent. volens ergò ſignificare viperas eſſe, filios viperarum nominat; *Et vos*, inquit Chriſtus; *implete menſuram Patrum veſtrorum*, Matt. 23. 32.

52. Rectè verò viperis nocentiſſimis animalibus & venenoſiſſimis ſummam Phariſæorum malitiam comparat; præſertim autem eam, quæ in calumniandis, & quaſi mordendis pijs viris poſita eſt.

Quomodo poteſtis bona loqui] ſimile hoc eſt illi ſententiæ quæ Hierem. 13. 23. continetur: *ſi muta re poteſt æthiops pellem ſuam, & pardus varietates ſuas, & vos poteritis benè facere, cum didiceritis malum*. quibus ſententijs ſignificatur potius difficultas, quàm impoſsibilitas benè faciendi vel loquendi.

Ex abundantia enim cordis] Congruit cum hac ſententia illud Eliu Iob 32. 18. 19. *plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei. En venter meus, quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas nouas diſrumpit*

53. 21. *Bonus homo de bono theſauro*] nomine *Theſauri* duo tacitè ſignificantur abſcõdita, nimirum cordis virtus, vel vitium. Theſaurus enim diuitiæ ſunt, quæ latent, multo verò magis virtus, vel vitium in corde abſconduntur. Deindè ſignificatur copia quædam ſeu virtutis ſeu vitij, hoc enim ipſum theſauri vox indicat. Quare hæc

A ſententia in eos potiſsimùm conuenit qui inſigniter boni, vel mali ſunt. Cùm ergo dixit ſuperiùs *ex abundantia cordis*, & cæt. inſinuare voluit hunc bonitatis, vel malitiæ theſaurum, atque adeò verba proferri iuxtà id quod dominatur, & præſtò eſt in corde, idemque de operibus externis dicendum erit. ſignificatur ergò hic rariſsimum, ac difficillimum eſſe eum bona loqui, cuius cor plenum eſt malitia.

54. *Verbum otioſum quod.*

22. *Omne verbum otioſum quod loquuti*] Bifariam, vt ex Chryſoſt. haberi videtur, intelligi poteſt verbum otioſum vel calumnioſum & mendax quaſi vacuum veritate, & hunc ſenſum amplectitur Theophyl. & Euthym. non multum repugnante Chryſoſt. vel intelligitur id quod vanum eſt, & fruſtra dictum, licèt improbum planè, ac ſceleſtum non ſit. Intereſſe enim ait Hieronym. inter otioſum, & criminoſum verbum definiens illud

Diſcrimen inter otioſi verbum & criminoſum.

B cap. 12. in Matth. eſſe quod ſine vtilitate loquentis dicitur & audiẽtis: ſi omiſsis ſerijs de rebus friuolis loquamur, & fabulas narremus antiquas. Cæterùm qui ſcurrilia replicat, & cachinnis ora diſſoluit, & aliquid profert turpitudinis, hic non otioſi verbi, ſed criminoſi tenebitur reus. Idem Hieronym. Fabiolæ de veſte ſacerdo. *omne*, inquit, quod non audientes ædificat in periculum vertitur loquentium. Diuus Gregorius 4. Moralium cap. ſecundo, & ſeptimo Moral. ca. 21. & libro de cura paſto. admo. 15. *otioſum*, inquit, *verbum eſt, quod aut ratione iuſtæ neceſsitatis*, aut intentione piæ vtilitatis caret. Certè hunc poſteriorem ſenſum in hunc textum quadrare non dubito. Latet enim hic argumentum à minori ad maius quaſi dicat Chriſtus, ſi de minimo verbo otioſo reddenda eſt in die iudicij ratio, quantò magis de blaſphemo, quale illud erat: *in Beelzebub eijcit Dæmonia*,

C cùm ergò exaggeratione vtatur hic Chriſtus, certè noui aliquid vel admirandi dicere voluit, cuiuſmodi non eſt de verbis calumniatorijs, ſi dicat reddendam eſſe rationem.

55. *Quomodo verba otioſa iudicanda & quo iudicio.*

Roget aliquis quomodo de verbo otioſo, id eſt, vano exigenda eſt ratio in die iudicij, quando mortalia tantum crimina pœnis æternis puniẽda ſunt? Reſpond. id in primis intelligi poſſe de particulari iudicio cuiuſque in morte; vel ſi referas ad vniuerſale iudicium in fine mundi, dicendum erit malos quidem & damnatos etiam æternum puniendos pro leuibus peccatis, quæ commiſerunt: nam boni cum iam ſatisfecerint Deo ſiue per pœnitentiam hic, ſiue in purgatorio, non video quomodo reddituri ſint rationem extremo illo die.

D 23. *Ex verbis enim tuis iuſtificaberis*] videtur quibuſdam hoc fuiſſe prouerbium, ſicut fortè & illud ſuperiùs: *ex abundantia cordis*, & cæt. Scripturæ teſtimonium putat Theophylact. Iob. decimoquinto, verſic. ſexto, *condemnabit te os tuum* &c. videtur enim de verbo otioſo ibi loqui ſcriptura. Nam præceſsit, ver. 6. *arguis verbis eum, qui non eſt æqualis tibi: & loqueris quod tibi non expedit*: quod Hebr. & iuxtà L X X. ſic legitur: arguis verbo quod non proderit, & ſermonibus in quibus nulla eſt vtilitas.

56. Probare autem vult præcedentem ſententiam hoc prouerbio Chriſtus, quaſi dicat, adeò accuratè in iudicio omnium rerum reddendam eſſe rationem, vt vel in minimo verbo ſatis Deus argumenti, vt homines, vel iuſtificet, vel commendet, ſit deprehenſurus.

Itaque non eſt ſenſus, ex ſolis verbis iuſtificandum, & condemnandum eſſe aliquem; verùm ſententia eſt; nõ tantum ex operibus id euenturum, vt condemnetur quis, ſed etiam ſola verba ſatis per ſe ad hoc idem fore.

Signi-

Significat autem hoc loco iustificari, pronunciari & declarari iustum, vt patet ex opposito verbo, condemnari.

24. *Magister volumus*] Habet Lucas: turbis autem concurrentibus, Gr. ἐπαθροιζομένων, condensantibus se; quod dum scilicet loqueretur Christus contra calumniatores, maior hominum multitudo aceruatim confluxit, tumque cœpit dicere, quæ sequentur. Turbæ ergò quas concurrere cœpisse narrat Lucas, non interfuerunt falsæ Iudæorum criminationi & calumniæ, licèt interfuerint petitioni signi.

Qui igitur signum quæsisse dicuntur, tentantes petiuerunt: quia periculum facere voluerunt potentiæ Christi, vt si tale signum edere non posset, iam haberent iustam occasionem calumniandi ipsum. volebant porrò per hoc aliud signum confirmaret vt Christus præterita signa quæ tamen sufficiebant ad euidenter ostendendum de Christo quis esset, & qua virtute operaretur. videntur autem petiisse non simpliciter signum, quia iam multa viderant, sed aliquod nouum & inusitatum, puta de cælo, vt versiculo sexto habes, idque in confirmationem præcedentium, quæ in terra ediderat. Quare Hieronymus, *volebant*, inquit, *vel in morem Eliæ ignem de sublimi venire, vel in similitudinem Samuelis tempore æstiuo contra naturam loci mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere.*

Respondendi verbum, etiam si nulla interrogatio præcesserit, vsurpari solet ab Euangelistis pro dicere inquit Gagnæus, & verba habere ad aliquem, secundùm quod respondere significat, & ordiri sermonem ad aliquem. quod autem volunt signum à Christo videre nihil nouum; nam vt ait Paulus 1. Corinthior. 1. *Iudæi signa petunt.*

57. 25. *Generatio mala & adultera*] generatio idem est Hebraicè, quod genus hominum. Mala Græcè πονηρὸς, est idem mala quod apud Lucam nequam. Chrysostomus homilia quadragesima quarta in Matth. dixit, dici malam generationem, quod beneficijs acceptis ad malignitatem excitaretur, quod extremæ vitiositatis est. Euthym. habet dictam esse malam, quod animo tentandi accesserint, aliud verbis, aliud corde gerentes, quasi praui, & distorti.

Arbitror significare homines malignos, quos vocamus; vnde Diabolus etiam πονηρὸς dicitur in scriptura; sunt autem hi qui vel consuetudine, vel prauo affectu non ad vitia modo, sed ad alijs quoque nocendum proclines sunt, quod fortè voluit Chrysostomus. Quamquam cum πονηρὸς & prauum, & malignum, & sceleſtum, & improbum, & noxium significet; hæc omnia rectè in illos quadrant. Matthæus addit *adultera*, & vt inquit Chrysostomus, ob infidelitatem, qua à Dei fide recesserunt non recipientes Christum à Deo missum, & promissum, & reiecto Deo, cui desponsi erant, adhærebant Dæmoni. Alij *adulteram*, id est, degenerem vocari malunt, quod à maioribus degenerauerit. Et aduerte Lector horum imprudentiam, quasi imperantes, vt notat Chrysost. *volumus*, inquiunt, *à te signum videre.*

58. *Signum quærit*] miracula signa appellat. subintelligitur verò de cælo ex Luca, vt versiculo sexto habes. quod etiam subintelligitur superiùs, *volumus à te signum*, &cæt. tale signum Ioannis secundo petiere, *quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* ideò verò cæleste signum petiere, quasi omnia signa, quæ in terris fiunt præstigijs, & Diaboli virtute fieri possint. Eo quod mundi huius inferioris princeps, & rector sit

A Diabolus: signa verò cæleſtia nequaquam fieri possint, nisi à Deo, qui cæli est Dominus. Aut quasi signa quæ Christus fecit non essent similia, aut æqualia multis signis, quæ è cælo fecisse leguntur in Veteri testamento Prophetæ Exod. decimosexto, Iosuæ decimo, primo Regum duodecimo, tertio Regum primo, Isaiæ vigesimo octauo, & tamen etiam ista calumniari poterant, scilicet istis etiam maiora fecerat Christus.

Chrysostomus homil. vigesimaquarta in Matthæum, dubitat quare Christus tam acriter in istos sit inuectus; calumniatoribus autem superioribus non ita responderit. rationem affert, vt se ostenderet superiorem affectionibus animi, ideò ad conuicia mansuetè respondit. Quoniam verò verba istorum adulatione, & ironia plena erant, ideò vehementer eos redarguit significans se vtraque affectione superiorem, qui nec conuicijs irascatur, nec adulatione moueatur. 59.

B At re vera licèt initio quietè Christus responderit calumniatoribus ob rationem Chrysostom. & vt illos prius conuinceret: posteà tamen acriter in illos est inuectus: *progenies*, inquit, *viperarum quomodo potestis, &c.* & grauia illis est comminatus.

Iterùm roges cur hos reprehendat qui signa peterent cum Ezechias, Isaiæ trigesimo octauo, versic. vigesimo secundo, & Gedeon Iudicum sexto, 17. 36. & petierint, & obtinuerint? Respondeo, quia illi bono, hi malo animo petierunt.

Et signum non dabitur ei nisi signum] de cælo petiuere signum, sed nec de terra dandum C esse vllum monet, iusta eos pœna condemnans.

Totus hic locus quatuor modis exponi potest, 60.
primum, non dabitur ad petitionem generationis huius signum aliquod de cælo, quale petunt, & tunc dictio excluſiua, *nisi*, loco, *sed*, accipienda est, vt & Paulus accepit ad Galat. 8. *scientes quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi*, id est, *sed, per fidem IESV CHRISTI*, quasi Christus hîc dicat; non dabitur eis petentibus signum quale petunt, sed aliquando dabitur eis signum omninò diuersum ab eo, quod petunt, nimirum non signum è cælo, sed è terræ viscoribus. hæc expositio probabilis est vtcumque; sed propterea non multum in ea acquiesco, quia licèt hoc Ionæ seu resurrectionis signum dici possit è terra; multo tamen melius est affirmare dandum esse tanquà signum, quod Iudæi volebant, de cælo. Resurrectio namque cæleſtem Christo gloriam attulit, D eamque palam declarauit. Fuit autem illis ostensum resurrectionis signum per nuntios qui retulere resurrexisse Christum, per sepulcrum vacuum, per testes, & Apostolos, idem etiam per miracula confirmantes.

Secundo, si dictionem exceptiuam propriè accipere velis, erit alter sensus: quasi Dominus respexerit ad illud, quod olim Iudæis petentibus signum respondit Ioan. 2. *soluite templum hoc, & in tribus diebus ædificabo illud*: vt sit sententia loci huius: genus istud hominum rursus quærit signum; at ego affero non aliud illis signum à me assignandum, aut constituendum esse, præter illud, quod olim eis constitui: hoc autem est signum mortis, & resurrectionis, quod vocat signum Ionæ, quia in Iona præfiguratum est, quod solum Dominus petentibus Iudæis perpetuò assignauit. 61.

Ter enim petiere Iudæi signum à Christo, pri- 62.

mum

Iudæi quo sies signum petierint à Christo.

mum Ioannis secundo, electi de templo dixere; *quod signum ostendis nobis quia hæc facis?* Iterùm hic post liberatum hominem à Dæmone, Matth. duodecimo, Lucę vndecimo: denique Matthæi decimosexto, cùm Pharisæi, & Saducæi tentantes *rogauerunt eum, vt signum de cælo ostenderet eis*: semper autem hoc signum Ionæ, id est, resurrectionis, & mortis, quæ in Iona euidentius significatæ sunt, ostensurum se fore pollicitus est.

63. Quamobrem inquiet aliquis? ex Chrysost. homil. 44. in Matth. colligi potest ratio, vt insinuaret cladem, subuersionemque Iudæorum consequuturam propter eorum perfidiam. sic enim prædicauerat Ionas: *adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*. Quibus aptè indicabatur post quadraginta annos à Christi nece, per Romanorum exercitum delendam esse Hierosolymam, & perdendos, subuertendosque Iudæos. vt enim Deus Niniuitis quadraginta dies concessit, quo resipiscerent, ita Iudæis impijs quadraginta annos, & illi quidem pœnitentiam egerunt, isti neutiquam.

Signum Ionæ cur à Christo propositum.

Propterea isti puniti sunt, illi incolumes euaserunt. ergò hoc signum Ionæ ideo à Saluatore propositum & commemoratum fuit, quia comminationem futuræ punitionis aliquo modo continebat, vel etiam insinuabat. Iterùm hoc signo significabatur gentium conuersio, vt enim Nazianzen. apolog. 1. scribit, & Hieronym. in cap. secundū Ionæ mutuatus id, vt videtur, à Nazianzeno: Ionas iussus à Deo prædicare Niniuitis propterea fugit, quia gentiles erant, eique reuelatum fuerat reprobandos Iudæos, simulque interim vocandas, & in eorum locum successuras esse gentes. Fugit ergò non quidem inuidens saluti gentium, sed quia nolebat populum suum perire, nec libenter videbat tantam populi sui cladem in se significari. Dominus ergò hoc illato exemplo Ionæ quod in se implendum significat; post mortem, & resurrectionem suam confestim consequuturā esse eorum desertionem, & gentium vocationem indicat iuxtà illud, *auferetur à vobis regnum Dei*, &c.

Præterea tertiò resurrectionis tanquam Ionæ signo significatæ vti voluit, vt scandalum futuræ mortis suæ minueret, & vt spes paullò pòst consequuturæ resurrectionis conciperetur ab ijs, qui eum mortuum conspecturi erant, atque ita facilius resurrexisse credere possent. Dicturi enim erant Pilato, *seductor ille cum adhuc viuus esset, dixit: post tres dies resurgam*; quod ex verbis Ioannis secundo, *soluite templum hoc*, &c. Et ex istis, quæ nunc per signum Ionæ expressit Christus collegerant. Hæ igitur sunt causæ cur potius Ionæ signum vsurpauit, quod nimirum expressius, & euidentius tum eius mortem, & resurrectionem; tum verò gentium vocationem, & iustam Iudæorum euersionem significaret; & resurrectionis fidem validius confirmaret. vide item num. 66.

64. Iuxtà hanc interpretationem nil obiectiones illæ momenti habent, quod Dominus multa signa ediderit post hanc petitionem Iudæorum, etiam de cælo, cuiusmodi fuit vox de cælo audita, &cæt. nam illis petentibus, tantum signum Ionæ datum. Reliqua illis non petentibus data. Hæc duæ expositiones bonæ sunt præsertim secunda. Sed omninò totum sensum Christi comprehendunt. videtur enim hic dici signum Ionæ non hoc modo tantum, sed alio item. Neque hæ sunt solæ vel præcipuæ causæ, cur hoc signum illis se daturum Dominus perpetuò dixerit, sicut paullò pòst ostendam. Est igitur tertia expo-

A sitio quam Maldon. sequitur vers. trigesimonono Matth. quod loquatur Christus non de signo ad persuadendum, sed ad condemnandum. sumitur autem hic ambiguè nomen signi. negat enim in posterum dandum illis signum, id est, miraculum quale petebant scilicet ad persuadendum. affirmat verò signum alterius generis, id est, argumentum condemnationis datum iri. hoc autem est signum Ionæ, quod ipse sit Iudæis quod Ionas Niniuitis, & tamen Niniuitæ gentem idololatram & barbaram ad Deum Ionas conuertit homo cùm esset, at vos inquit Iudæi tot visis, tot etiam auditis à me, etiam Deo, deteriores estis effecti. Et hoc est quod subdit, viri Niniuitæ, &cæt. Sed etiam hæc expositio, licèt acuta, non mihi videtur rectè in hunc locum quadrare, præsertim consideranti vers. vigesimumsextum, & 27.

B Quare, vt meam aperiam sententiam illud 65.
in primis affirmo, ex Luca hic vers. vigesimosexto, haberi posse: rationem huius signi, quod hic promittitur, in eo positam esse, quod sicut Ionas fuit signum Niniuitis (ipsum enim Ionam signum dicit) quod esset à Deo missus, ita erit & filius hominis signum huic generationi quod fuerit à Deo missus. Declarat autem Matthæus hic vers. vigesimoseptimo, quomodo Ionas fuerit signum Niniuitis, nempè quod fuerit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, & deinde viuus redditus. quod factum fuit, vt Niniuitæ hoc miraculo, ceu signo quodam clarè cognoscerent Ionam à Deo missum ad pœnitentiam prædicandam: Et quia hoc eodem miraculo Christi resurrectio adumbrata fuit; fit vt bifariam Ionas significauerit Christi resurrectionem, & suo facto, per hoc quod tribus diebus & tribus
C noctibus fuit in ventre ceti; & quatenus per hoc idem factum admirandum planè, Ionas ipse fuit signum datum Niniuitis ad persuadendum quod esset à Deo missus; immò hoc secundo modo dicitur hic Ionas signū propriè, licèt dum hoc modo est signum Niniuitis datum, fuerit interim consequenter figura resurrectionis Christi, nimirum suo illo mirabili facto repræsentante Christi resurrectionem, & mortem.

Vt verò declarem quomodo hic accipiatur signum, seu quid significet; affirmo secundò *signum* hic significare miraculum factum, vel datum à Deo ad persuadendum, quod est contra tertiam expositionem, vide num. 68. licet non negem id quod rectè illa eadem expositio continet, condemnationem & euersionem Iudæorum, fuisse etiam rationem vnam inter alias cur Christus hoc potius exemplum vsurparit, vt superiùs dictum
D est in secunda expositione numero 63. Huc enim etiam, tacitè saltem, spectasse Christum non inficior, vt vel sequens vers. 18. non obscurè significat: *viri Niniuite*, &c. Dicitur vero hoc signum Ionæ, id est, patefactum in Ionæ facto cum tribus diebus & tribus noctibus fuit in ventre ceti. vel tale signum, quale fuit illud Ionæ: similitudo autem consistit in duobus; & in facto ipso seu miraculo, nam etiam Christus tribus diebus & tribus noctib⁹ fuit in corde terræ; & secundo quia hoc ipsum erat euidens signum Iudæis ipsum à Patre missum.

Affirmo tertiò hunc esse sensum Christi; Non aliud miraculum illis petentibus se esse daturum, nisi miraculum simile Ionæ miraculo, quod signum fuit Niniuitis, seu per quod Ionas fuit signum Niniuitis: Nam sicut per hoc quod in profundis aquarum & ventre Ceti latuit Ionas, & iterum restitutus fuit signum Niniuitis ipsum à DEO missum, quod quidem illi crediderunt;

ita

ita filij hominis per triduum sepultura intra cor terræ, & inde facta resurrectio, seu (quod idem est) ipsemet filius hominis per sepulturam & resurrectionem erit tale signum Iudæis, quod fuerit à Deo missus; id quod ostendo ex verbis Lucæ: dicit enim: *nam sicut Ionas fuit signum Niniuitis*, cùm scil. tribus diebus, vt v. 27. habes, intra Oceani concaua & ceti viscera latuit; *ita erit* signum *filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus* existens, & inde per resurrectionem exurgens, sic enim ostendet se non obscuris indicijs à Deo missum esse. vnde simul constat futurum signum persuasionis.

66. Suprà dictis porrò rationibus quibus superiùs numero 63. ostensum est, cur Christus hoc signum semper illis inculcarit, hæc etiam alia addi potest, quod tacitè Christus hoc signo commemorato indicare voluit, quod sicut Niniuitæ post egressum Ionæ in Deum crediderunt & meliora cogitarunt, ita futurum, vt postquam ipse rediuiuus ad nos redierit, aliqui ex Iudæis crediturí essent, quasi dicat, qui modo tot factis signis me non recepistis, post resurrectionis signum plures credetis, quod significatum est Ioan. 8. *cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.*

Potest item hoc resurrectionis signum dici de cælo, vt etiam numero sexagesimo significaui, quia per illud cælestis gloria Christi apparuit, atque adeò, quale petebant habuerunt. vnde constat iterum signum hoc ad persuadendum dici, & esse, licèt per illud condemnatio Iudæorum quoque insinuetur. Porrò quomodo Ionas Christo similis fuerit, lege apud August. epist. quadragesimanona, quæst. 6.

67. 27. *In corde terræ*] id est, in medio, seu intra. Scriptura sepulturam nominat inferiora terræ, Psalm. sexagesimo secundo, vers. decimo, *introibunt in inferiora terræ tradentur manus gladij, partes vulpium erunt*, id est, occidentur, vel gladijs confossi, vel bestiarum dentibus dilacerati, & tandem sepulturæ tradentur. Paulus item ad Ephes. 4. 9. idem nomen vsurpauit: *descendit*, ait, *primum in inferiores partes terræ*; quod alij de descensu ad inferos, alij de sepulcro accipiunt. aliqui etiam de vtero intemeratæ virginis. idemque nomen tribuit scriptura vtero materno, Psalm. 138. 15. *non est occultatum os meum à te quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ*, id est, in matris aluo, en qualiter eodem cum sepulcro nomine vterus maternus donatur. vbi obseruabis verbum *faciendi*, nam ex Hebr. significat opificium elegans & subtile. quasi dicat, remotis arbitris me fecisti, & quasi acu pinxisti.

Ob eandem similitudinem ventris & sepulcri Ionas secundo, ver. tertio, ventrem ceti inferno vel sepulcro comparauit: *de ventre*, inquit, *inferi clamaui*, id est, de ventre, qui est velut inferni locus, & sepulchrum; quem loquendi modum hic vsurpauit Dominus, dum dixit: *sicut fuit Ionas in ventre ceti, sic erit filius hominis in corde terræ*, quasi dicat, in inferioribus terræ, in visceribus, denique in sepulcro; quamuis aliqui, etiam limbum intelligant per cor terræ, sed satius est vtrumque connectere: nam quoad animam fuit in limbo, quoad corpus fuit in sepulcro. Ob eandem connexionem ventris & sepulchri, seu inferni, Prouerb. trigesimo, vers. decimo, sepulcro æquè ac vuluæ, seu matrici tribuitur insaturabilitas: *tria sunt insaturabilia infernus, & os vuluæ, & terra quæ non saturatur aqua.* Quibus constat sepulcrum, atque maternum vterum re, & nomine similia esse in Scripturis. Hinc Iob. ca-

A pite primo, vers. duodecimo [illegible] *udus*, inquit, *egressus sum de vtero matris meæ* [illegible] *nudus reuertar illuc.* vt & Eccles. quadrage[illegible] ver. primo dictum est; *iugum graue super fi*[illegible] *dam à die exitus de ventre matris eorum, vsq*[illegible] *diem sepulturæ in matrem omnium:* quasi dica[illegible] ventre matris, quæ vnumquemque genuit, [illegible] entrem matris communis omnium: est enim [illegible] tura quasi terræ vterus, & viscera; vnde [illegible] a ad mulierem alteram vitam enascitur hom[illegible] terra enim quasi parens cadaner excipit velu[illegible] ortuum semen intra viscera, vt viuum redda[illegible] resurrectione, & quasi nouum fœtum in gen[illegible] ione excludat, vt eleganter Gregor. Nyssen. o[illegible] de dormientibus ludit. Hæc raptim ex Pine[illegible] o. primo, in Iobum, ver. 21. nu. 4. & quinto, re[illegible] gitur Christus Dominus ventrem ceti, id est, eius viscera tanquã alterum sepulcrum connexuit cum corde, id est,

B viscеribus terræ.

Ex his constat illud verbum, *Signum*, dum dicitur à Luca vt hic legis vers. 26. *sicut fuit Ionas* (liberatus nempè de ventre Ceti) *signum Niniuitis*, &c. vocari *signum*, id est, miraculum quidem, sed ad significandum, & persuadendum datum Niniuitis, quod à Deo, scilicet, missus esset Ionas. vide num. 65. liberatus enim post tres dies è ventre ceti, id Niniuitis aperuit. quomodo verò tribus diebus, & tribus noctibus fuerit Christus in sepulchro in postremum huius operis librum reijcimus auspice Christo ac eius Matre. Interim ne locus hic sine interpretatione maneat, verissimam Augustin. sententiam hic adscribam ex lib. 1., qq. Euang. cap. septimo. *Sexta*, inquit, *feria diei partem, qua sepultus est cum præterita nocte, pro nocte, & die accipias, hoc est, pro toto die; sabbati nocte m diem; & noctem dominicam cum eodem die illucescente: ac per hoc accipiendo partem pro toto, habes triduum, & tres noctes. quod enim dicuntur decem menses prægnantis, nouem sunt pleni: sed initium decimi pro toto accipitur. & quod se Dominus ostendit in monte, post sex dies factum dicit vnus Euangelista, alter verò post octo dies dicit: partem posteriorem primi diei, in quo futurum hoc Dominus promisit, & partem priorem nouissimi diei, in quo completum est quod promisit pro totis, atque integris diebus annumerans: vt intelligas eum qui dixit, post sex dies, solos medios commemorasse, qui verè toti, atq; integri completi sunt. in Genesi enim à lumine incipit dies, & finit ad tenebras, ad significandum lapsum hominis. Nunc autem à tenebris ad lucem, sicut dictum est, de tenebris lucem clarescere; quia à peccatis homo liberatus peruenit ad lumen iustitiæ.*

68.

Matt. 17 Marc. 9. Luc. 9.

Cur verò Christus, se *filium hominis* vocet consule Card. Tolet. tom. 1. in Ioan. cap. 3. annot. 19. &

D Maldo. Matt. 8. v 20.

69. 28. A. *Viri Niniuitæ*] vbi se Ionæ, & Iudæos cum Niniuitis comparasset; ostendit non eundem sequuturum fructum in Iudæis ex sua prædicatione, qualis sequutus fuit in Niniuitis per Ionæ prædicationẽ. vbi obseruanda est differentia inter Iudæos, & Niniuitas, Ionam & Christum, vt vel hinc appareat quanta sit Iudæorum obstinatio, & incredulitas. latet enim hic antithesis. Niniuitæ siquidem erant barbari, & gentiles, Iudæi diuinis enutriti Scripturis, illi à Iona ferè illud audierunt; *adhuc quadraginta dies* &c. statimque crediderunt, isti variam à Christo ac profundam accepere doctrinam, nec credidere tamen; Iam verò Ionas seruus tantũ erat, Christus, Dominus; ille è cete egressus, iste ab inferis; inuitus ille prædicauit, hic sponte; erat ille peregrinus, iste cognatus secundùm carnem; euersionem ille prædixit, hic regni cælorum prædicauit aduentum;

Differentia inter Niniuitas & Iudæos.

fecit ille signum nullum, innumera hic, & admiranda; de illo vaticinatus est nullus, de isto Prophetæ. Rectè ergò dicitur esse *plus quam Ionas hic*, id est, hoc loco; & vero iure etiam, ac meritò dicuntur Niniuitæ generationem illorum condemnaturi. *viri Niniuitæ surgent in Iudicio cum generatione ista & cõdemnabunt eam.* quod intelligendum est de iudicio comparationis, nimirum, quia suis factis & exemplo declarabunt iustam esse Iudæorum condemnationem, nisi malis id intelligere, quia accusaturi dicũtur, vt mox dicam.

70. *Surgent in iudicio*] id est, in die iudicij. Non quidem, inquit Maldonatus, Matth. 12. 41. ad iudicandum; neque enim est iudicis consurgere, sed sedere: hinc illud, *sedebitis super sedes duodecim*, & cæt. surgent potius ad accusandum. Accusatoris enim est surgere, eodemque modo, vt paullò antè insinuaui intelligi potest illud, *& condemnabunt eam*, quæ omnia non verbis, sed exemplo facient, quia cum Ionæ ipsi crediderint, Iudæi Christo non crediderunt. Itaque non verè surgent, sed vt cæteri stabunt in iudicio; loquitur tamen Christus accommodatè ad consuetudinem fori. Hæc quidem benè ac verè dicuntur, & acutè etiam, sed parum mihi differre videntur illi, qui exponunt, surgent ad iudicandum, comparationis scilicet iudicio, vt paullò etiam superiùs interpretati fuimus numero 69. posset & hoc intelligi vt illum locum intelleximus, *ideò ipsi iudices vestri erunt*, id est, id, quod ipsi agunt, iudicabit vos: ita hic, quod isti egerunt, iudicabit & condemnabit vos. vide superiùs numero 16. in ver. 10. & inferiùs numero 71. vix tamen differunt hæ expositiones. loco surgent Græcè, est apud Matth. & Lucam, ἀναστήσονται, *resurgent*, quasi dicat, excitabuntur in iudicio, quomodo non multum ad rem facere videtur (si de vltima resurrectione, seu excitatione mortuorum exponas tò surgent) mortuorum exponas quòd ex Mald. nunc adnotauimus.

Cum generatione ista] contra hoc hominum genus.

71. 29. *Regina Austri*] Matth. cap. 12. horum duorum exemplorum meminit, vt & Lucas, sed non eodem ordine, prius enim meminit Niniuitarum. Et quidem is videtur fuisse ordo Christi, nam rectius quadrat cum præcedentibus. Lucas rem ipsam respexit: Ait ergo Christus, Regina Austri in die iudicij condemnabit istos, hoc est, facto suo reos homines hos ostendet, vt superiùs numero vigesimosexto: Notat Gagnæ. Gr. haberi κατακρινῶ, & non est intelligendum, quod sententiam ipsa iudicij, & condemnationis ferat, *condemnare* enim & *obiurgare*, sicut & Græca κατακρίνω, & Ἐλέγχειν apud probatos auctores non modo iudicij sententiam ferre significat, sed & re ipsa condemnationis, & obiurgationis reos ostendere. Sic Plin. in epist. nam mala emptio semper ingrata, eo quod exprobare stultitiam Domino videtur. Sic Cicero ad Quintum Fratrem, de sumptuosis ædificijs; quanquam ea villa, quæ nunc est, tanquam philosophia videtur esse, quæ obiurget cæterarum villarum insaniam. sic condemnare Cicero in Pisonem vsurpat, dicens: *quid enim refert, an conscientia tuorum scelerum oppressus, nihil ad senatum ausus sis scribere, an amici tui tabulas abdiderint, ijdemque silentio suo temeritatem, atque audaciam tuam condemnarint*, id est, hoc facto reum te ostenderint temeritatis. sic paullò antè Matth. de Niniuitis καὶ κατακρινοῦσιν ἀυτὸν, id est, condemnabunt eam. & paullò superiùs, ideò inquit, *ipsi vestri iudices erunt*, id est, per ea quæ sapienter, ac modestè egerunt condemnationis vos reos arguent. sic sapienter, & eruditè Gagnæ. quæ non differunt ab ijs quæ notauimus versi. præcedenti num. septuagesimo.

Iterùm, vt intelligas, quæ nam fuerit hæc austri Regina, aduerte, duos esse celebriores in scriptura Saba, præter eum Seba qui fuit Abrahæ nepos ex Cethura, Genes. 25. 3. quorum primus fuit filius Chus, & is Hebr. scribitur per *Sameth*, quod est, S. exile, & dicitur *Ceba*, vel *Zeba*. Alter scribitur per *Scin*, seu *Sin Seba*, seu *Scheba* & fuit filius Regma, qui & ipse fuit filius eiusdem Chus; Gen. 10. 7. vterque originem dedit & nomen Sabæis felicem Arabiam incolentibus, quæ inter Arabicum, & Persicum Sinum iacet. vnde fit, vt fuerint Sabæi duplices, licèt contigui, vt patet ex Psalm. 71. *Reges Arabum, & Saba.* Hebræ. *reges Seba* per *Sin*, & *Ceba* per *Samech*, vt denotetur vtraque gens Sabæorum, tam ex Chus, quàm ex Regma originem ducens. Genebrar. Psal. 71. vult significari Aribes Sabæos per duo nomina, ita vt *Saba* explicet generalius nomen Arabum, quasi dicat, Arabum Sabæorum. illud namque discrimen non est perpetuum: ea enim nomina seu nominum litterę permutabiles sunt, & *Ceba* etiam vocatur Arabia omnis: & secundùm alios *Ceba* Africanam AEthiopiam significat; nunquam tamen *Sebá*, vel *Sebaim*, seu *Saba* per *Sin*, alij quàm Arabiæ tribuitur. Docet hæc Pine. lib. 5. de reb. Salom. cap. decimoquarto, numer. decimoseptimo, & vigesimosexto. & posteri quidem Regma ad sinum Persicum, posteri autem Chus ad sinum Arabicum magis vergebant.

72. *Duo Saba in script.*

Porrò Cehæi, & Sabæi per *Samech*, & *Sin*, id est, qui ex Regma seu posteriori Saba, & qui ex primo fuêre, propter thura apud omnes gentes celeberrimi sub vno Arabum nomine. de his Iob. cap. primo, loquitur: porrò Sabæorum thuriferam fuisse regionem perspicere etiam licet ex cap. sexto Hierem. & Isaiæ sexagesimo, quod & Plin. significat libro sexto, cap. vigesimo octauo. *Sabæi*, inquit, *Arabum populi propter thura clarissimi ad vtraque maria porrectis gentibus habitant.* Intelligitur id de mari Persico & Arabico seu rubro, confundunt sanè profani scriptores geminos, quos dixi, Sabæos, ignoratione linguæ Hebr. itaque non mirum, si Plinius de vtrisque loquatur tanquam de vno gente, quamuis thurifera regio, propriè & maximè, sit ea pars quæ ad Arabicum sinum vergit, de quibus Poëta: *molles sua thura Sabæi.* Præter hos fuêre tertij Sabæi item Asiatici, de quibus Perer. tom. 3. in Gen. disp. 3. num. 25. qui vocari possunt *Indi*, qui vel ex illo Abrahæ nepote originem sumpserunt, vel colonia fuerunt istorum Arabicorum Sabæorum, vt placet Stukio, de quibus fortè Hierony. est intelligendus dum ait Isai. 60. in illa, *Madian & Epha*; Sabæos esse trans Arabiam. & Ioelis 3. super id; *Sabæis genti longinquæ*, inquit; Sabæos esse trans Indiam; additque licèt quidam Sabæos Arabes suspicentur. de quo tamen loco Hieronym. vide Pined lib. 5. de rebus Salomonis cap. 14. nu. 13. Præter hos triplices Asiaticos Sabæos, sunt alij Africani ex AEthiopia Africana, vnde quidam putant venisse reginam hanc Sabam, sed non esse id verosimile pluribus Pineda noster ostendit loc. cit. sec. 6. dixi ex AEthiopia Africana quia duplex est AEthiopia, altera Orientalis, altera Occidentalis, de qua distinctione Pere in c. 2. Exod. disp. 13. nu. 73. & tom. 2. in Gen. lib. 15. disp. 1. nu. 33. Prima propinqua est AEgypto; & rubrum Mare versus porrecta, quæ posterioribus temporibus dicta est *Arabia*, hebraicè, *Chus*, quod nomen LXX. & noster interpres ferè *AEthiopiam*, & Chusym AEthiopes

interpretati sunt, pro quo alij vsitatiore vocabulo *Arabiam*, & *Arabes* verterunt; eamq; coluere olim Ismahelitæ, Madianitæ, Amalachitæ &c. hinc Sephora Madianitis, appellata est *AEthiopissa*, seu *Arabissa*. Secunda verò AEthiopia occidentalis longè remota est ab AEgypto, & Palæstina ad Torridam zonam pertinens, de qua fortè loquitur Scriptura Ierem. 13. 23. & 46. ver. 9. & 2. Paral. 12. 13. & Psalm. 73. 14. alioqui de Orientali, vt plurimum est sermo in Scripturis cùm AEthiopes nominant. sunt autem inter AEgyptum & sinum Arabicum; & hos nomine Arabum intelligere possumus Psalm. 71. ita vt comprehendantur sub felice Arabia. Per *Saba* verò eos Arabas qui vergunt ad sinum Persicum. Isai. 18. v. 1. Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina chus, latinus etiam & 70. AEthiopiæ loquitur de Alexandria, vel AEgypto, quæ est trans ostia Nili, quæ vocat flumina.

73. *Regina Saba vndè venerit ad Salomonem.*

Huius ergò Sabææ gentis, quæ ad Arabicum præsertim Sinum vergit, & non AEthiopiæ Africanæ reginam fuisse, quæ ad Salomonem magna pompa venit. 3. Reg. 10. 2. Paralip. 9. non est dubitandum, cùm in Scriptura appelletur *Regina Seba*, per *Sin*, & inditium huius faciat copia aromatum, & auri quæ ad Salomonem detulit, & quoniam hæc Sabæa regio respectu Iudææ Australis est, & ad Meridiem spectans ex Herodoto l. 8. (Strabo ad Orientem & meridiem porrectã scribit) & ab ipsa Iudæa longo terrarum spatio distans, propterea vocatur *Regina Austri*, & venisse *à finibus terræ* dicitur, id est, à longinquis regionibus; namque Iohel c. 3. 8. etiam huiusmodi Sabæos, vocat *gentem longinquam*.

74. Demiror igitur, qui venerit in mentem Iosepho lib. 8. antiquitat. cap. 6. eam reginam facere AEgypti & AEthiopiæ, quam etiam sententiam sequuti videntur complures alij, inter quos est Cardinal. Toletus adnotat. 74. in Luc. 11. Maldon. Matth. 12. vers. 42. & Iansen. cap. 49. concor. sed mihi placet magis sententia Vgubini, & Martini Delrio in Genes. c. 10. vers. 7. & Benedic. Perer. li. 15. in Genes. Num. 52. Pineda loc. cit. à quo citatur, & Hieron. Ioel. 3. Emmanuel in hunc locum Matth. 12. in addit. n. 134. sub lit. bb. sic scribit: *ex AEthiopia erat, vbi imperabat, & in AEgypto, dicitur & Saba Regina. Erat aũt regio in Meroe insula intra Nilũ, præerant fœminæ, quæ candaces dicebantur, vt Reges AEgypti aliquando Pharaones, aliquando Ptolemæi. ita quidam hunc locum edisserunt; sed nos aliter sentimus, scilicet Arabiæ fuisse Reginam. Iosephus quidem libro octauo antiquarum lectionum, capite sexto, eam Reginam dicit AEthiopiæ & AEgypti, sed ego magis Scripturæ credo, quæ tertio Regum decimo Arabiæ Reginam dicit, scilicet felicis, quæ est inter Persicum sinum & Arabicum ad Oceanum, eoq; ad Austrum dicitur respectu Iudææ.*

75. Idem tamen tertio Regum capite decimo, versiculo primo, sic scribit. *Saba per Scin, ea est, quæ in Arabia, nam quæ in AEthiopia per Sin, vide Psalmum septuagesimum primum, vbi pro Arabum, & Saba Sceba, & Seba est Hebraicè.* Sic Emmanuel. Itaque vult hanc Reginam de Sheba in Arabiam venisse, de qua interpretatur locum tertij Regum decimo, primo. cùm verò ait, Seba esse AEthiopiam, non probatur. Nam Benedictus Pererius, & Martinus Delrio locis citatis, & Sceba, & Seba, vtramque scilicet regionem indicãt credibilius in eo loco Psalmi, esse in Arabia fœlice, quam ἰνδικὸν μόνον græci nominant. Nisi malis dicere vocem AEthiopiæ vel Arabiæ extendi, vel coarctari magis ab auctoribus, vt nunc etiam AEthiopas vocent Arrabas, Persicos, nunc verò Arrabas nominent: dummodo intelligas vtrosque Sabæos fœlicem Arabiam incolere.

A Ex Herodoto libro primo, colligit Moncœius in sua quinta lucubratione in Cantica; *Nitocrin* appellatam fuisse hanc Reginam proprio nomine. At Iosephus libro octauo antiquitatum, capite sexto. Nicaulem dictam vult. Abissini autem ex Ioanne Bario. decadis tertiæ, libri quarti capite secundo, Maquedam vel Makedam vocatam affirmant. sed omnia incerta. 76.

Quia venit à finibus terræ] latet in his inter Christum, & Salomonem, inter Iudæos, & Reginam Antithesis. Regina fœmina Barbara, potentissima, à finibus terræ venit, vt audiret Sapientiã Salomonis hominis, mortalis sapientiã humanã vtique, non item miracula. Iudæi, Pharisæi, viri, doctores legis venientem ad se Dominum diuina referentem arcana, & mira edentem opera contemnunt. in textu Hebraico Matthæi, loco *Austri* habetur *Regina Theman*. significat autem idem, *Theman*, quod *dextrum*, idemque ipsum meridionale, seu mare, vt Psalmo octogesimooctauo habetur: *Aquilonem & mare tu creasti*, & Hieronymus propriè ex Hebr. *Aquilonem, & dextrum*, quare rectè ille: *Antithesis inter Christum & Salomonem, Iudæos & Reginam Saba.*

B *Ignotum vobis Arabes vexistis in orbem*
Vmbras mirati Nemorum non ire sinistras.

quia ad meridiem constituti sunt, & ideò vmbræ quæ nobis dextræ sunt, vt ait Soli. capite quadragesimosexto. Arabibus sinistræ. in æstiuo enim solstitio in Arabia felice vmbræ in sinistro cadunt, vt docet Martinus Delrio in Senecæ Thyesten, actu quarto.

Dum verò Reginam Austri vocat, hoc est, quæ in meridionali plaga dominabatur respectu Iudææ, significatur eius Reginæ maiestas, & diuitiæ, & amplitudo nominis, dũ nimirũ absolutè Regina Austri vocatur, tanquã diues, & potens, & celebris, quod tamen non ita intelligas, quasi esset totius, vel maioris partis Australis Domina; sed quod in certa parte Austri, puta Arabia felice dominaretur. diuitem tamen, & celebrem regionem possidebat, quod & visum est Pinedæ libro quinto, de re. Sal. capite decimoquarto, Sectione tertia. C

Attulit duo hæc exempla Niniuitarum, & Reginæ Austri, tanquam maximè nota Iudæis, & quæ ad rem quàm maximè facerent. Clemens Romanus epistola tertia istis ipsis duobus exemplis significata esse scribit duo Hebræorum genera, qui Christum non receperunt: quidam enim fuerunt, qui noctiam eius habentes non curarunt doctrinam audire, & hi significantur, condemnanturque exemplo Reginæ, quæ *venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis*. Sic explicat hoc exemplum Basilius homil. in Psalmum septimum. Quidam alij ipsum audierunt quidem; at non crediderunt, nec audita fecerunt, & hi per Niniuitas rectè indicantur, per quos, & condemnabuntur. 77. D

Et ecce plus quàm Salomon hic] tam hic, quàm versiculo vigesimooctauo, vbi dicitur: *plus quàm Ionas hic*; loco *hic*, habetur Græcè ὧδε, id est, *hoc loco*, quasi dicat, ecce hoc loco inter vos est præstantior Salomone; de comparatione Christi cum Salomone in nomine, Sapientia, Potentia, templi exstructione, cultu atque splendore domus, & maiestatis regię. Pineda libro sexto, de rebus Salomonis capite decimosexto, plures citat autores, qui scribant.

Surget] Græcè ἐγερθήσεται, id est, excitabitur in iudicio, *& condemnabit*, &c. 78.

Mysticè Ambros. in caput vndecimum Luc. de Reginæ huius aduentu loquens: in hoc quoque Iudæorũ plebe damnata exprimitur, inquit, *Ecclesiæ mysterium, quæ de Niniuitis per pœnitentiam, & in*

Regina Austri per studium percipiendæ sapientiæ de orbis finibus congregatur, vt pacifici Salomonis verba cognoscat; Regina planè cuius regnum est indiuisum de diuersis, & distantibus populis in vnum corpus assurgens. Gregor. item Nyssen. homil. 17. in Cantica, ait; vt illa Regina AEthiopum, & longè distãs: sic Ecclesia nigra in principio, & distans à Dei notitia; sed Christo offert postea pietatis aromata, aurum diuinæ notitiæ, & gemmas, id est, obedientiam præceptorum.

30. *Nemo lucernam accendat*] vbi prædicta, dixit Dominus, subiecit Lucas parabolam lucernæ, vt patet apud illum, cap. 11. versi. 33. vsque ad 37. exclusiuè, quæ verè huc pertinent, quare & hic exponemus.

79. Connexio igitur horum cum superioribus hæc videtur. cõfutauerat Pharisæos & Scribas calumniantes, ac eos qui signum de cælo quærebant, reprehendit; nunc verò significat à quo fonte hæc tam nefaria vitia deriuarentur, nempè quod eorum esset mens infidelitatis tenebris obducta, & prauis animi ægritudinibus affecta. si enim obtinerent eam veritatis luce fulgentem, non vtique tam nefaria perpetrarent; id quod parabola domesticæ lucernæ explicat. *Nemo*, inquit, *accendit lucernam, & ponit in abscondito*, sed manifesto loco, vt omnibus ingredientibus lumen spargat, omnesque ingredientes, & egredientes, & opera quælibet exercẽtes illustratione sua dirigat: alioqui sine ea omnia peruersè ac malè fient. & hæc est veluti propositio argumentationis, qua insinuat quod si haberent lucernam accensam, mentem dico sanam, veritate ac virtute ornatam, vtique omnia eorum externa opera, & sermones lucidi, & recti essent, essentque lucernæ instar accensæ, vt omnibus luceant. At non ita est, neque enim tales erant.

31. *Lucerna corporis tui*] applicat, quod de domestica lucerna dixerat oculo, atque adeò tacitè ipsi menti nomine oculi aptè repræsentatæ. Hoc verò etiam ait, in corporis lucerna, quæ est oculus, cernere est, atque adeò in mente hominis (nam sicut oculus qui est corporis lucerna, est directio corporis, ita intellectus qui est animæ lucerna, est animæ directio.) Nam si oculus corporeus fuerit ægrotus, & vitiosis humoribus permixtus, malè dirigit corpus: si sanus, optimè: hoc .n. est quod ait, *si nequam fuerit, totum corpus tenebrosum erit, & si simplex, totum corpus tuum lucidum erit*, nam omnia eius membra rectè operabuntur; subdit posteà conclusionem, v. 32.

Vide ergò] quasi dicat, vide ne lumen quod in te est, id est, mens ad illuminandũ data tenebræ sint, scilicet, ne in ea sint erroris, ignorantiæ, & infidelitatis tenebræ. Versu porrò 33. prosequitur eandem conclusionem: quod si ait, animæ oculus sanus per fidem fuerit, quæ lux est animæ, ipsam optimè dirigit: sicuti si ægrotus sit per infidelitatem, & hæresim, tota anima tenebrosa erit, iuxtà illud Iacobi 2. *quicunque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Not. si autem, perinde valere, ac, quod si, vt Emman. notauit.

Ex his fit non esse primam sententiam separãdam, à secunda, quasi sint duæ parabolæ diuersæ, sed dicendum cum Theophylacto & quod de lucerna domestica dicitur, & quod de oculo, id est, de lucerna corporis, intelligi de Pharisæis; vt enim lucerna in domo, & lucerna corporis si accensa sit & simplex sine vitiosorum humorum permixtione, omnia illuminat, quæ in domo, & quæ in corpore, nullamque tenebrarum partem omittit; sic qui mentem omninò lucidam habent. & hinc est vt Pharisæorum omnia tenebris oppleta sint, quòd fulgida mente careant ob infidelitatem excæcati.

Porrò quoniam apud nos conclusio illa, *si ergò corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te*; videtur esse absurda, eo quòd idem inferatur ex se ipso: sciendum est, græca habere aliter vltimam illam partem scilicet ὡς ὅτ' ἂν ἀστραπῇ φωτίζῃ, id est, vt cùm lucerna fulgore te illuminat, vt sit sensus, si corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, non aliter lucidum erit, quam cùm lucerna fulgore te illuminat; ita vt inferatur modus, quo corpus erit lucidum: Proinde, inquit Iansen. videri potest interpretem pro, & sicut, vertisse; vt si cum, id est, non aliter lucidum erit, quam, &c. verùm cum nostra lectio retineatur adhuc in correctis bibliis, non ausim quidquam mouere, etiam si concedendum esset Tautologiæ quippiam.

Emman. sic habet, versic. trigesimosexto in Lucam, cap. vndecimo in notis: *erit lucidum totum*, pro, vt quod lucidum totum sit, quanquam cum Græ. in sequentibus ita habeatur. vt cùm lucerna fulgore illuminat te; potest sensus esse: sic erit lucidum totum, vt est lucida domus accensa lucerna. dicitur *fulgoris*, id est, fulgens lucerna. *Corpus* autem *tuum* dicit, id est, actiones tuæ.

Cæterùm scire debes ter Dominum hanc sententiam, de lucerna siue domestica, siue corporis protulisse. Primùm cùm discipulis in monte loqueretur, & est apud Matth. capit. sexto, & habes superiùs cap. 5. versic. 22. Deinde eadem repetita fuit discipulis post parabolæ illius expositionem, de semente in diuersas terræ partes iacta, quo intelligeremus Christum esse lucernam accensam, quæ omnibus in commune lucet, doctrinamque ipsius tradendam esse bonis, & malis; sic Marc. cap. 4. 21. & Lucas cap. 8. 17. vide cap. sequens. versicu. vigesimotertiò. Denique hoc loco affertur à Christo contra calumniatores, & signa petentes, quòd solus Lucas hic cap. vndecimo refert, quo significaretur pessima illa radix, vnde tam scelesta Pharisæorum dicta, & facta manabant, ex vitiato siquidem mẽtis oculo illa prodibant.

Vide Aug. lib. 1. qq. ca. c. 8.

34. *Cùm autem immundus spiritus*] Parabolam hanc de immundo spiritu Lucas recenset ante responsum Domini ad eos, qui petierunt signum; sicut & exclamationem mulieris quæ subiungitur. sed magis quadrare videtur, vt vtrumque sequatur reprehensionem, & confutationem aduersariorum: ideò Matthæi ordinem sequuti sumus. Rectè enim conuenit in vtrosque Christi calumniatores vtrumque horum. Quòd & confirmari potest; nam refert Dominus hæc non ad quosuis homines. sed ad populum Iudæorum; vt patet ex eo quod Matth. subiecit: *sic erit, & generationi pessimæ.* vnde etiam constat hunc sermonem parabolam esse, vel exemplum.

Videtur sanè Dominus vsus hoc exemplo, quia ex facto miraculo liberati Dæmoniaci Pharisæi ansam arripuerant Christum calumniandi, vicissim ergò Christus ex eodẽ facto occasionem sumpsit, & arguendi Pharisæos, & ostendendi ipsos potius spiritu immundo agi, qui dixerant eum habere spiritum immundum.

81. *Iudæorum insignis malitia.*

Verùm Christi mens præcipuè ea est, vt per hoc doceat peiores esse Iudæos, quàm si nunquam Dei legem, & cognitionem accepissent. Cùm enim per legem Diabolus quodammodo ab illis eiectus esset, quia edocti per legem sunt Deo vni ac vero, non idolis, non Diabolo seruire, contempta

Dei gratia digni facti sunt, vt septem, id est, plurimi in eos pro vno immundo Spiritu spiritus ingrederentur. sic Maldon. sequutus Hilarium Hieronym. & Be. hinc videtur Christus tacitè reddere rationem cur Pharisæi non crederent, sed blasphemarent, quod septem scilicet Dæmonibus, id est, in reprobum sensum ob contemptam Dei gratiam traditi essent.

Obseruandum loqui hic Christum ad literam quasi de homine, qui propter peccatum aliquod traditus erat Dæmonio corporaliter vexandus, vt Saul, 1. Reg. 16. & ille fornicarius, 1. Corinth. sic autem loquitur, quasi iste homo eiecto semel Dæmonio Dei virtute, iterùm propter ingratitudinem, & negligentiam illi traditus esset. De hoc ergo spiritu hæc dicit: *cum immundus spiritus* (dicitur autem *immundus* ob peccatum quo infectus est, & ad quod homines trahere conatur.) *exierit*] id est, eiectus & expulsus Dei virtute fuerit, vt notat Euthy. non quod sponte sua exierit, (sicut etiam Matth. 17. Luc. 8. dicuntur Dæmonia exisse) *exierit*, inquam, de homine aliquo, quem ob peccatum Deo permittente prius inuaserat, &c.

Ambulat per loca inaquosa] Matth. etiam addit *arida*; sed græcè est eadem vox apud Lucam, & Matth. 1. loca aquis carentia. Sunt sanè hæc loca solitaria & deserta ab hominum commercio separata; nam vbi aqua non est, ibi homines non habitant. Hierony. solitudines interpretatur. Itaque vbi homines non sunt, qui semper hominibus incredibili nocendi studio ardet quiescere nequit, & ideò cum opportunius sibi domicilium non reperiat (nam peruersissimum quemque lubens inhabitat) assumptis secum alijs multis dæmonijs domum priorem repetit, vt postea subiicit Dominus.

82. *Loca solitaria dæmonibus cõgrua.*

Interim obserua quod in hæc loca solitaria solent hi, qui virtute diuina dæmones expellunt, eos abigere, vt nec hominibus, nec eorum rebus nocere valeant: sic legimus Tob. 8. Angelum ligasse Dæmonium in deserto superioris AEgypti, qui locus etsi tropicòs posit videri positus pro loco alio incultissimo, & remotissimo, sicut dici solet *super Garamantas & Indos*, vel *vltra Gades*: proprie tamen sumenda sunt hæc Scripturæ verba: superior enim AEgyptus, est Australior AEgypti pars, quod ex ea delabatur Nilus, & montib⁹ magis abundet. Dictam volunt olim *Thebaidem*, nunc *Sahid*, vel *Sahit*, vt mauult Aithonus cap. 54. & in Turcico Pandecte Leunclauius cap. 212. Erat autem hæc pars vasta, horrida, squalida, omninò inuia, & plena serpentium, venenatorumque animantium. Huiusmodi loca indicauit etiam Dominus hic, hoc est similis qualitatis. solent enim exorcistæ, vel in imum inferorum barathrum, vel in tesqua, & horridas solitudines, Dæmonia, quibus egressum imperant, ablegare, vt Leones, Pardos, tygrides, procul à nobis in saltus, & speluncas amandauit Deus; sic & dæmonum multitudinem maximam, salutis nostræ caussa in arenas, & damnata quædam sola eiecit. quo factum, vt de S. Antonio, Macario, alijsque veteribus heremorum sanctissimis incolis grauissimè quererentur Dæmones, quod in sua homines isti loca inuaderent, in eaque Christi Iesu crucem & cultum inferrent. Lege Athanasium in vita Antonij. Pallad. cap. 20. Cassianum coll. 7. c. 23. Quo detestabilior Bezæ in Matth. cap. 12. 43. calumnia est scribentis: quantum in incultis, & squalidis locis valeant satannicæ præstigiæ, docent mala per heremitas, & monachos iam pridem in Ecclesiam inuecta, hæreticis scilicet mala, non Christum amantibus. hæc ferè carptim ex quæstiuncula 9. Serarij in cap. 8. Tob.

Superior AEgyptus quæ & vbi.

A *Quærens requiem & non inuenit*] In desertis dicitur non inuenire requiem, quia studium eius est ardens, & inflammatum desiderium hominibus nocere: vbi igitur non inuenit cui noceat, requiem non habet; non quod requiem vsquam Dæmon verè habeat qui pœnis æternis cruciatur, sed quod requies eorum sit maioris cuiusdam cruciatus, & tormenti priuatio: sicut inuidus requiem dicitur habere in malo proximi, quando non torquetur bono illius: sic Dæmones bonis hominum affliguntur, eorumque prosperis euentibus; cùm autem damnum inferunt eo tormento carent, atque ita requiem dicuntur habere. Cùm ergo dæmon caret requie, desiderio ardet nocendi, reuertendique ad hominem, quem prius vexabat, & hoc est quod dicit, *reuertar in domum meam vnde exiui*: non quod sit in manu eius eò redire, sed quod tentet & conetur, & Deo sæpè B permittente efficiat. Potius autem ad eundem reuerti optat hominem. quia expertus est iam se præualuisse in eum, & sperat denuò posse quod prius poterat.

83. *Cur diabolus in deserto non inueniat requiem.*

Notat idem Maldon. v. 43. in Matth. 12. Diabolum in his qui boni aliquando fuerunt, & mali fiunt, libentius, & quodammodo commodius habitare, quia domus ornamẽta, id est, mysteriorum cognitio, excultum scientia diuinarum rerum ingenium, & si qua sunt eiusmodi, quæ Deo parata fuerant, illi seruiunt.

84.

Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam] significant hæc prauam in eo dispositionem, à quo dæmonium expulsum prius fuerat: propter quam permittente Deo iterum reuertitur cum alijs multo pluribus dæmonibus, ita vt in peiorem euadat homo ille otio, & negligentiæ deditus. sic *fiunt posteriora hominum illius peiora prioribus*. Experimur hoc quotidie. Nulli peiores sunt hæretici, quàm qui Monachi apostatæ; nulli peiores Catholici, quàm qui cum aliquando religiosissimi fuissent non benè temuerunt, quod habebant. Hinc verè August. epistol. 137. non vidisse se, inquit, meliores, quàm qui in monasteriis profecerunt, neq; peiores quàm qui à monasterijs defecerunt. Accommodat huc Maldo. illud Psalm. 77. 57. *conuersi sunt in arcum prauum*, id est, in modũ arcus duri, & manu non obedientis, qui si fortè retendatur, aut vi, & impetu suo rumpitur, aut in peiorem formam, quàm in qua antequam tenderetur erat, certè reuertitur. Dicitur domus vacare, quando non est qui habitat in ea. sic homo cùm Deo priuatur. Dicitur *scopis mundata*, quando caret sordibus, quæ solent homines auertere, vel auocare, ne in eam ingrediantur. munda enim domus ad habitandum quodammodo inuitat. Sic per tropum dicitur homo scopis mundatus in malam partem, quando D caret virtutibus: nam harum priuatio dæmones ad habitandum inuitat. Dicitur *ornata* domus, cum aulæis instruitur; ita homo dicitur ornatus ratione dæmonum, cùm prauis habitibus, & consuetudinibus vitiorum plenus est, ipsisque inhæret, ob hanc causam permittit Deus, vt in hominem sic prauè affectum iterum reuertatur Dæmon, & quidem non solus: vnde accidit, vt peior ille fiat. Possumus etiam per ornamenta domus intelligere, mysteriorum cognitionem, excultum item scientia diuinarum rerum ingenij, & si qua sunt eiusmodi, quæ Deo parata fuerant & dæmoni postea seruiunt: vt paulò ante innuere visus sum.

Prauæ dispositio bonum præparat locum diabolo.

36. *Sic erit generationi huic pessimæ*] applicatur hoc exemplum toti populo, & nationi incredulæ Iudæorum, non vni, aut alteri Iudæo, vt notat Hieronym. & liquet ex his verbis: *sic erit gene-*

rationi

rationi pessima. Pessimam vocat ob multa peccata, perfidiam, & obstinationem.

85. Notatur status Iudæorum.

Vt ergò accommodemus exemplum ad Iudæorum gentem, distinguere oportet quatuor status Iudæorum. Primus est quando spiritualiter à Dæmone possidebantur ante vocationem & legem, ac fidem susceptam, nondum separati ab idololatrijs, sed cum eis viuentes. Sic Chrysostomus homilia quadragesimaquarta in Matthæum, hunc statum explicat. Secundus post vocationem ad fidem veram Dei & legem postea susceptam, in quo à Dæmone liberatus est populus per fidem, cultum, & legem Dei, de quo statu Hilar. can. 12. in Matthæum. Tertius, quando legis obseruantia neglecta non audiuit voces Prophetarum, & Christum venientem spreuit, & occidit, eiusque insuper prædicatores persequutus est, in quo statu, vt exponit Gregor. homilia nona in Ezechielem, factus est populus iste domus vacans, quia desijt esse populus Dei, iuxta illud Daniel. 9. *non erit populus eius, qui eum negaturus est*, & iuxta illud Oseæ primo: *vos non populus meus.* Templum etiam vacabat, vt dixit Hieronymus, quia iam Christum hospitem non habebat, & quia Angelorum custodia antiqua populus erat destitutus, ideò etiam velut domus vacua factus est.

Ad hæc eodem tempore Iudæi domus scopis mundata dici poterant: quia sine Fide, Spe, & Charitate, & sine cæteris remansere virtutibus, vt Gregorius loco citato interpretatur. Dicuntur denique ijdem domus ornata ex Hieronym. Propter superfluas legis obseruationes, & Pharisæorum traditiones, quæ iam non superfluæ modò, sed etiam pernicioſæ sunt, per quas etiam nunc Iudæi Dæmoni seruiunt.

Huic statui succesit vltimus, nimirum post promulgatam Christi legem, cùm iam rursus perfidi Iudæi à primo illo Dæmone accitis præterea septem alijs Dæmonijs, id est, plenitudine vitiorum, vt ait Hieronymus, inhabitantur. Vt verissimè de hoc statu dicatur: *erunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Videlicet huc hominem pertrahit, socordia, & in Deum ingratitudo. quomodo verò Iudæi peiores in hoc vltimo statu fuerint, quàm in primo, disputat Toletus an. 61. in Luc. c. 11.

86. Verùm antequam hinc discedamus illud ad informandos mores hominum accommodatum, ex Gagnæo annotare non grauabor; *de quouis homine*, inquit, *intelligi* (& hoc) *potest, à quo Dei virtute, & superueniente gratia eiectus Dæmon, ac per deserta loca vagabundus, & requiem quærens, nec inueniens, proponit in priorem domum reuerti: quam cùm vacantem & ornatam inuenerit, rursus ingreditur. Benè autem dicitur, quod in desertis pœnitentiæ locis, id est, pornitudine tactus animus, vbi molliciei nihil est, sed aspera prorsus vita requiem Dæmon non inuenit. quandiu enim solitaria, vt passer, peccata sua plangit anima, nulla illic ei mora esse potest. si autem eam inuenerit vacantem, bonisq; destitutam operibus, ornatamq;, ac scopis mundatam, id est, delicijs deditam; & eò cum deterioribus se septem ingressus fuerit, peius illa multò habebit, quàm antea.* Sic Gagnæ.

87. 37. C. *Extollens vocem, quædam mulier de turba*] Interl. magna fiducia inter blasphemos confiteri Dei Filium. mulier hæc de media turba vocem extulit, magnum declarans affectum, & fidem: altè enim vt obseruauit Euthym. in eius animum Christi sermo descenderat.

Quæritur hæc mulier.

Dum autem quandam mulierem dicit præterito nomine, ignotam, atque obscuram fuisse insinuat. Cùm verò de media turba clamasse scribit, plebeiam etiam significat, quippè quæ in media fuerit turba. *Magna*, inquit Beda, *deuotionis, & fidei hæc mulier ostenditur, quæ Scribis & Pharisæis Dominum tentantibus, simul, & blasphemantibus tanta eius incarnationem præ omnibus sinceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur, vt & præsentium procerum calumniam, & futurorum confundat hæreticorum perfidiam.*

88. Lyranus ait fuisse Marcellam D. Marthæ famulam. Borcar. prima parte capite secundo, quinquagesimoquinto, quinto: *Ante Tyri*, ait, *ianuam ad ortum sitam iactu duarum sagittarum inter spacioſas arenas ostenditur Christi prædicationis locus, vbi mulier exclamauit, Beatus venter*, &c. lege Adrichomium in Thea. terræ sanctæ in tribu Aser. num. octogesimoquinto. Hinc infert Barrad. libro octauo, capite vigesimo, Dæmoniacum hunc propè Tyrum à Dæmone liberatum fuisse, ibique Pharisæos à Christo Domino reprehensos esse. Sed non mihi videtur id consentaneum Diuo Marco: nam ex eo colligimus totam hanc historiam accidisse, cùm esset domi Christus, & quidem Capharnai. inde enim nondum egressum dixit Marcus. Deindè domus absolutè prolata, innuit consuetam esse domum. Vide superius numerum primum, & tertium.

89. *Beatus venter*] Augustinus tract. decimo in Ioannem non vnius mulieris, sed multorum vocem hanc esse affirmat, dicit enim cùm Dominus in turba admirabilis videretur faciens signa, & prodigia, & ostendens quid lateret in carne, admiratæ quædam animæ dixerunt, fœlix venter qui te portauit. Quod intelligendum putat Cardinalis Toletus adnotatione sexagesimatertia, non quod plures exclamarint, sed quod voci mulieris consenserint. Est autem hic Synechdoche, qua pars pro toto ponitur. Cùm enim matrem Christi beatam dicere vellet præsertim per *ventrem*, & *vbera* descripsit, quæ generando, alendoque Christo maximè seruierant.

90. *Maria mater Christi beata.*

Quo ostendit, beatam se appellare non per se ipsam, sed quod Christū genuisset, aluisset que, non quod maius aliquid de Christi matre, vel cognouisset, vel iudicasset, sed omnem eius fœlicitatem ideò ad ventrem, vberaque retulit, quasi tam fœlix, tam sancta etiam futura non fuisset, nisi peperisset Christum, hoc est, Deus non tantum illi impertijsset gratiæ, nisi Christi dignam matrem efficere voluisset. Absolutè ergò Christi mater, vt sic, beata dicenda est, quia matris Dei nomen præclaras eas virtutes inuoluit, quę ad matris dignitatem faciunt, quas non habuisset, nisi ad eam fuisset dignitatem euecta.

Quid? quod & hæc mulier hac commendatione matris ob Filium beatæ, aliquid etiam homine maius in Christo confessa est, ob quod dicendam matrem eius & nutricem beatam censuit. Neque illud prætermittendum Spiritum sanctum, his huius mulieris verbis, & veram Christi humanitatem, & vnius parentis singularitatem astruere voluisse: neque enim virum laudat, sed matrem, cuius sunt *venter* qui portauit, & *vbera*.

91. Postremo refutantur hinc hæretici, qui vel tantum hominem Christum asserturi erant, vel negaturi ipsum verum fuisse hominem, aut ex carne Virginis non sibi ipsum sumpsisse carnem suam. si enim, inquit Beda, caro Verbi Dei à carne Virginis matris pronuntiatur extranea, sine causa venter, qui eum portasset, & vbera quæ lactassent, beatificantur. Qua verò consequentia eius lacte credatur nutritus esse, cuius semine negatur conceptus, cùm ex vnius & eiusdem fontis origine, secundùm Physicos vterque liquor manare perhibeatur.

92. De vberibus & ventre Beatissimæ semper Virginis lege Blasium Vegam in caput duodecimum.

Apocalyp. sect. 12. Barrad. tom. 2. lib. 8. cap. 10. Ex quo hæc paucis: Insanit planè qui vterum non commendarit, in quo verbum caro factum. Est hic Dei thalamus Psal. 18. *ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*; est hortus semper conclusus, Caniticor. 4. Fons bonorum omnium Dei sigillo signatus Canticor quarto: Mons terram, cælumque altitudine superans, ex quo sine manibus lapis ille abscissus est qui contriuit statuam, Daniel. secundo; templum est Salomonis virginitatis auro irradians, tertio Reg. sexto; eburneus Dei thronus integerrimę puritatis ebore admirandus, 3. Reg. 10. paradisus voluptatis Gen. 2. hortus amęnissimus, qui vitæ lignum protulit secundo Adamo præparatus; vrna est cęlesti, ac suaui manna repleta ad Hebr. 9. liber est candidissimus in quo descripta est æterni Patris sapientia; propositionis mensa, in qua cælestis ille panis est propositus; est nostræ redemptionis thesaurus; veri Salomonis ferculum; Aureum reclinatorium Cantic. 3. Vellus Gedeonis cælesti perfusum rore, Iudic. 6. hic est ille vterus de quo Cant. 7. 2. scriptum legimus, *venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis*. lilia puritatem indicant, aceruus tritici conceptum innuit, in quo nos omnes quodammodo concipimur, vt filij eiusdem matris merito quoque dicamur tanquam in Christo contenti. hinc fit, vt horreũ sicut tritici, ita & gratiæ appellari possit, Mariæ venter. De quo multò ante etiam Hierem. 31. prædixerat: *nouum creauit Dominus super terram, mulier circumdabit virum*. sed receptui canamus, neque enim esset finis si tam vasto nos oceano committere vellemus.

39. *Caluinus refutatur.*

38. *Quin immò beati*] Gr. μᾶλλον γε certè, immò, potius. Non igitur negat Christus matrem suam beatam propterea fuisse, vt nefariè pessimus Caluinus in absona illa harmonia sentit: nec omninò verum, quod Erasmus adnot. in Lucam scribit; vocem græcam neq; affirmare, neque negare quod dictum sit. Dicimus enim affirmare potius quod dictum sit; qui enim dicit immò, affirmat bonum esse quod dictum est, licèt maius sit quod est dicendum, vt si quis dicat: bona sunt verba pia, si subdam, immò potius opera. Non nego bona esse verba pia, immò tacitè affirmo. Quod & Chrysost. confirmat, dum ait, non est responsum repudiantis matrem, sed ostendentis, quod nihil ei partus profuisset, nisi fidelis extitisset. Clarius Beda in Luc. Dei genitrix, inquit, inde quidem beata, quia verbi incarnandi ministra temporalis, sed inde multo beatior, quia eiusdem semper amandi custos æterna. August. item lib. de S. Virginitate c. 3. *beatior*, ait, *fuit Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi.* & ibidem: *materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fœlicius Christum corde, quam carne gestasset.* & cap. 5. *faciens voluntatẽ Christi Maria corporaliter Christi tantum mater est, spiritualiter autem Soror & Mater*; & tract. 10. in Ioã. sic exponit hæc verba Christi, *Mater mea, quam appellatis fœlicem, inde fœlix quia verbũ Dei custodiuit, non quia in illa verbũ caro factum est & habitauit in nobis*; *sed quia custodit ipsum verbum Dei per quod facta est, & quod in illa caro factum est.* Absolutè tamen, vt superiùs dixi, B. Virgo, quia Mater, beata dicenda est. *ecce enim*, inquit, *ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Matris enim nomen immensas bonitatis, & sapientiæ Dei diuitias claudit, vt meritò Damascenus oratione prima, de dormitione Deiparæ, vocet Virginis conceptum omnium Virginis bonorum initium, & fontem. Illud tamen cum Patribus concedendum est, quod neque ipsa beata fuisset, quamuis corpore Christum genuisset, nisi verbũ Dei audisset, & custodisset, vt apud

A D. Thom. Chrysost. docet, ad quod tamen eo ipso quod in matrem electa est, prædestinata fuit.

94. *Et custodiunt illud*] audire & non custodire maiorem potius condemnationẽ, quàm gloriã affert, indicat autem, dum ait, *audiunt, & custodiunt*, perseuerantiam necessariam esse; & interim Iudæos percellit, vt notat Beda qui verbum Dei non audire & custodire, sed negare & blasphemare quærebant.

Sanè idcircò commendat Dominus verbi auditores, & custodes, ne matris affectu humano moueri crederetur; itemque prædicationis, verbique Dei fructum commendare, ministeriumque suum, cui instabat, voluit. Postremò quod ad mysticum sensum pertinet, obserua ex Interl. mulierẽ hanc figuram esse Ecclesiæ, quæ in medio gentium confitetur creatorem.

39. *Adhuc eo loquente*] Lucas hanc historiam
B longè antè præmisit, c. 8. verè tamen post narrata à Matt. immediatè ponendam esse liquet ex Marc. & Matth. qui ambo eam superioribus subnectunt. Idemque indicant verba Matth. *adhuc eo loquente ad turbas*, quare rectè notauit August. lib. 2. de consens. cap. 40. non tenuisse Lucam rei gestæ ordinẽ, sed præoccupatione vsum, atque ante recordatum narrasse, quam nec satis aptè hic scripsisset, quod similem sententiam Domini commemorasset, qua beatificauit eos qui audiunt, & custodiunt verbum Dei, sicut Matt. & Marc. subticuerunt historiam mulieris de turba exclamantis, quod similem contineret sententiam Domini cum ea quam hic referunt.

95. *Fratres Christi qui.*

Fratres] id est, consobrini, propinqui, cognati eius ratione Ioseph, qui putabatur pater Christi, atque adeò hi potius putabantur consanguinei eius, quales erat Iacobus minor, Iose vel Ioseph,
C Iudas, & Simon Matth. 13. 55. filij fuêre sororis B. Mariæ Virg. dicebatur hæc Maria Cleophæ, non quidem filia, sed vxor. Cleophas dictus quoque est Alphæus, frater fuit Ioseph sponsi B. Virg. hęc Maria à Ioanne, soror Matris Domini vocatur, c. 19. 25. Eandem verò Matt. c. 27. 16. & Marc. 11. 40. Mariam Iacobi, & Iose Matrem vocant. lege quæ inferiùs annotamus cap. 16. ver. 9. & superiùs lib. 2. c. 6. ver. 12.

96. *Stabant foris*] non præ arrogantia, quod non dignarentur domum ingredi, & verbum Dei cum alijs audire; sed ex Luc. quia nõ poterant adire eum præ turba. Hilar. can. 12. in Matth. dicit, significari aliquid mysticè per hoc quod mater & fratres foris stant. *est autem*, inquit, *in eo typica ratio seruata, vt mater eius & frater foris starent, cum vtiq; ingrediendi ad eum haberẽt, vt cateri, potestatem. sed quia in sua venit, & sui eum nõ receperunt: in matre eius, & fratribus Synagoga, & Israelita præfiguratur,*
D *ingressu eius, atque aditu abstinentes.*

97. Sed hic quæri solet, cur eò venerint, & quidem non opportuno tempore, Christo adhuc loquente vt inquit Matt. cur nõ dubitarunt eum concionãtem euocare etiã misso nuntio ex Mar. c. 3. 31. videtur idem Mar. assignare causam, v. 21. *dicebant enim quoniam in furorem versus est*, qua de re dictum superiùs v. 2. n. 8. 9. verosimile esse, eos nõ ex animo id dixisse, sed vt eo prætextu de manibus aduersariorum liberarent: odorati enim fuerant, vt videtur, quod quidam perdere cogitarent Christum ex Matt. c. 12. 14. Ideò ergò venerant, ideò eius matrem, quò plus eum mouerent, adduxerant, ideò quodam modo interpellant, ne periculum sit in mora. vel si, quòd probabiliùs esse diximus, verè ipsum insanire putarunt quidam ex suis, quamuis id de Beatissima virgine Maria nullo modo dici queat, tunc cum alijs respondendum est, non eo tamen animo fratres eius venisse eò, Chri-

Cognati Christi excusantur.

stumque

stumque per internuntium euocasse foras, quia concionem impedire vellent, quasi Christo, aut turbæ inuiderent; sed quod nouerant iam diu protraxisse sermonem, ita vt satis intelligere potuerint eum esse valdè defessum, nec dimitti à turbis, vt cũ discipulis comederet: id enim sæpè euenisse ex Marc. c. 6. conijcere licet: nec ipsum per se esse rediturum, præsertim eo furore correptum, vt arbitrabantur.

98. *Et mater, quæ etiam laudatur.*

Mater etiam libenter venit, ne quid filio mali crearetur, & vt ad capiendũ cibum euocaret. Quod verò nõ sit ingressa modestiæ tribuendum. Noluit enim per se interturbare sermonem, nec matrem se ostentare, & pro auctoritate euocare filium, sed expectabat foris. At cæteri cognati conscia fortasse matre miserunt, qui diceret illi data occasione, vel inter concionandum, vel statim à concione à matre vocari: id enim Marcus significat. Ostendit item Lucas, quod præ turba mater non posset adire filium, vt v. 39. Marc. etiam ait, vt hic v. 40. *& sedebat circa eum turba.* Hoc igitur animo euocasse credendum est, nec vitio dandum id, sed magnæ potius charitati.

99. *Errant quærendo circa hoc factum.*

Quarè excesserit sanè, Chrys. to. 2. ho 45. in Matt. & 46. dum factum hoc matris, & cognatorum ambitioni tribuit, & tom. 3. super Matth. capite vigesimoprimo, vide Diuum Thomam 3. part. quæst. 27. 2. 4. ad. 3. Grauius etiam errauit auctor Imperf. dum scribit Christi matrem & cognatos à Dæmone impulsos, vt hoc tempore Christum adirent. Tertul. quoq; l. 4. con. Marcio. & l. de carne Christi quædam habet non satis consideratè dicta cognatos hos Domini, quæ quatenus contra matrem Domini sunt, essent nunc contra fidem ex Tridentin. sess. 6. can. 23.

Beda hom. feria 4. post initia. Gregor. ho. 3. in Euang.

41. *Dixit autem ei quidam*] sic Matt. Luc. vero nunciatum est illi. Mar. rem magis explicãs dixit, Matrem & fratres misisse ad eum quosdam vocantes, dixisseq; *ecce mater tua, & fratres tui foris quærunt te.* Itaque Matth. vtitur numero singulari, pro plurali. Nisi velis dicere plures missos, sed vnum loquutum, & quia plurium nomine loquutus est dixit Mar. quosdam dixisse. Quod autem Matt. dixit superius. v. 39. *quærentes loqui ei*; dicit Luc. hic *volentes te videre*, quia vtrumq; cognati Christi dixerunt. Falsò ergò scribit Auctor Imperf. hunc nũcium motum à Diabolo fuisse, qui Christum à prædicatione impedire voluit. Hieron. Matt. 12. etiam infidiosè putat, non simplici animo hoc Christo dixisse, vt videret, an præferret carnem spirituali operi. Non est verosimile, arbitror simplici animo nunciasse.

100.

Sed cur aliquis eorum non est ingressus, qui nũciaret? Respondeo ne mater sola, aut fere sola relinqueretur, præsertim si duo tantum cùm illa venerant, & quia nõ tam facilè erat illis ingredi per se, quàm per alios id significare, qui viciniores Christo erant, saltem, vt hi alijs significarent, & iterum alij alijs vicinioribus adhuc Christo.

101.

42. *Quæ est mater mea*] non dicit *non est mater mea, non sunt fratres mei*: sed *quæ est mater mea* &c. cùm tamen Euangelista dixerit, *venerunt ad eum mater eius, & fratres*, neq; etiam hæc sunt verba reprehendentis, vt putauit Tertul. l. de carne Christi & Chrys. ho. 45 in Matth. Dicta ergò sunt vt ostenderet Christus se in opere quod faciebat, nimirum in habendis concionibus non pendere à carne, & sanguine, vt Lu. 2. dixerat; *in his quæ Patris mei sunt oportet me esse.* Præsertim quia putabant, qui hæc nuntiauerant, ipsum non aliam habere generationem, quàm carnis, sic Aug. ep. 28. Deindè significare voluit ex Ambr. quæ sunt spiritus præferenda corpori: Et exemplo docere voluit, id quod doctus erat, qui reliquerit patrem, & matrem &c. Deniq; ex Hil. Ambr. Hiero. Chrys. significat præferri debere spiritus cognationẽ, per fidem, & charitatem, cognationi carnis. Et præstantius esse cõiungi Christo fide, & Charitate, quàm sola carne.

Quare Sapienter Iustinus qq. gent. resp. 136. scripsit his verbis: Christum non negasse, aut contempsisse matrẽ; sed docuisse, non tam illã beatã fuisse, quia mater fuit secundùm carnem, quã quod fide, & gratia fuerit illi cõiuncta. Quod & illis expressit: quin imò beati qui audiunt &c. Bifariam ergò mater Christi fuisse ostenditur.

102.

44. *Quicumque enim fecerit voluntatem*] Vide admirandam obedientiæ dignitatem: ipsa sororẽ, ipsa fratrem, denique ipsa matrem Christi facit.

103.

Fideles dicti isti fratres.

Ipse meus frater] Greg. ho. 3. in Euang. scribit, fideles dici Christi fratres credendo, & obsequendo, quia filij adoptionis Patris æterni sunt, cuius ipse est natura filius. sic Io. 20. *Vade ad fratres meos, & dic eis. ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum. Sorores* autem dicuntur, propter sexuum distinctionem: vt enim viri fratres, sic feminæ sorores ob eandem causam dicuntur: qui verò Christi soror, & frater est credendo, efficitur mater prædicando, quasi enim parit Dominum, qui eum cordi audientis infundit. Vel aliter; omnes iusti licèt alios non conuertant dici possunt matres Christi, quia quando quispiam viua fide in se recipit Christum, dicitur Christus in eo spiritaliter nasci. Sic Augustl. de S. Virginitate c. 5. hoc loco consolatur Virgines, quia & ipsæ matres Christi dici possunt. Iuxta verò Greg. doctrinam, nemo dicitur Pater Christi quia virtus effectiua, per quam in corde fidelium nascitur Christus non est ab ipsis, sed à Deo ipso. Alij magis inhærentes literæ aiũt, Patris non factam mentionem, quia Patrem Christus non habebat. reliquorum item cognatorũ non meminisse Christum, quia magis à nobis remoti sunt: Porrò matris, fratrum, sororum, propinquissima est cognatio.

Virginis matres Christi.

THEORIA I.

De *Beelzebub* vocabulo.

1. *Beelzebub vnde dictus.*

TRADVNT Aliqui vocabulũ hoc, quod attinet ad primam partẽ, deductum esse à *Belo*, patre Nini regis Assyriorum, à cuius imagine facta à filio, ortum creditur habuisse idololatria: ac proindè arbitrantur quidam omnia idola ab illo Belo nomen sortita esse, licèt pro regionum varietate nomen illud quadantenus immutatum sit. Babylonij enim *Bel* dicebant, alij *Beel*, alij *Baal*. Hanc sententiam sequutus esse videtur Pere. l. 16. in Dan. in c. 14. in ea verba: *erat quoque idolum apud Babylonios*, &cæt.

2.

Cæterùm non videtur *Beelzebub*, ab hoc Belo dictum: Nomen vnum est & purè Hebræũ, quod pro punctorum diuersitate, vt ait Ianse. nunc *Beel*, nunc *Baal*, quæ vera est lectio, scribitur; & propriè significat maritum, vel dominũ, ideoque Dij gentium hoc nomine sunt appellati, quod Domini haberentur, adiunguntur huic nomini varia pro diuersitate idolorum; quæ colebantur à varijs gentibus; Baalphegor, vel Beelphegor Deus Moabitarum, qui etiam in Num. dicitur *Baal* absolutè; sic Baalberith Iudicum nono, quadragesimosexto, Beelzebub Deus Accaronitarum quarto Reg. primo, secundo, licèt hoc nomẽ rectè tribuatur principi Dæmoniorum. Vndè Hierony. ait: Iudæi

principem Dæmoniorum ex ſpurciſſimi animalis appellabant vocabulo, quod muſca dicitur propter immunditiam, quæ exterminat ſuauitatem olei (idem enim ſignificat *Beelzebub*, quod Deus muſcæ, aut Deus muſcarum) & ſimul in odium Accaronitarum.

3. *Accaronitarum Deus.*

(Fuit Accaron vna de præcipuis prouincijs Philiſtinorum, quarum Domini vocantur *Reguli*, Ioſue decimotertio,) hi Beelzebub maximè colebant, vt principem, ſummumque Deorum omnium. vnde in deteſtationem gentis, Hebræi principem Dæmonum vocabant *Beelzebub* nomine idoli Accaronitarum. Neque enim à Iudæis tale nomen illi idolo Accaronitarum contemptus cauſſa tribuebatur, ſed ab ipſiſmet Ethnicis ſic vocabatur, vt haberi poteſt ex quarto Regum primo, ver. ſecundo, vbi dicit Ochozias nuntijs: *ite consulite Beelzebub Deum Accaron.* Non ergo contemptus cauſſa ſic eſt vocatum à Iudæis.

4.

Sunt qui dicant multi, ſic dictum hoc idolum ab Ethnicis, quia propter victimarum ſanguinem quo erat aſperſum perpetuò muſcis plenum erat; vel quia, vt alij malunt, aduerſus muſcarum peſtem potiſsimum inuocabatur, ſicut de Myagro etiam refert Plin. lib. 10. cap. 28. vbi inquit; *inuocant & AEgyptij Ibes ſuas contra Serpentium aduentum, & Elei Myiagron Deum, muſcarum multitudine peſtilentiam afferente, quæ protinus intereunt; ea qualitatum eſt, die.*

Hinc igitur factum, vt horroris & abominationis cauſſa, & in odium item Accaronitarum Diabolus à Iudæis *Beelzebub*, appellaretur, ſicut infernum *Gehennam* dicebant, à loco vbi infantes idolis immolabantur.

5. *Eius vox conuenit Diabolo, & cur.*

Et quidem rectè ea vox Dæmoni competit immundo & importuno. ſicut enim muſca ſordida & importuna beſtiola, quod viribus non poteſt, pertinacia tamen, & importuna, atque infeſta impudentia euincere conatur, & omnibus locis nobis incommoda eſt, ſæpè repulſa, redit ſæpè, & ab vno loco fugata, incerto itinere in eundem locum incidit; non aliter infeſtiſsimus, & ſordidiſsimus Dæmon inſtat, & iterat tentationes, vt importunitate, & infeſtatione obtineat, quod viribus non poteſt; ſcit namque aſsiduitatem tentationum multum valere ad labefactandâ viri fortiſsimi conſtantiam, victus Adam importunitate Euæ ſæpiùs ingerentis pomi dulcedinem, victus Sampſon Dalidæ importunitate Iudic. 14. vide de hac re Grego. explicantem id cap. 14. Iob. 19. *mons cadens defluit, & alluuione paulatim terra conſumitur, & homines ergo ſimiliter perdes?* de duarum etiam tentationum generibus diſſerit lib. 12. cap. 13.

6.

Obſeruandum quoque *Baal* abſolutè poſitum in Scripturis interdum Deum Tyriorum & Sidoniorum ſignificare, vt cùm in 3. & 4. li. Reg. fit mentio de Baal, quem colebat Acab, in gratiam vxoris Iezabel, filiæ regis Sidoniorum.

A

THEORIA II.

De *Satanæ* & *Diaboli* voce: In verſum octauum: *Si Satanas Satanam eijcit.*

VT de *Beelzebub* nomine à nobis dictum eſt, ita nunc breuiter de *Satana* dicendum; quod ex Pineda cap. primo Iob. verſic. ſexto, numer. octauo, quædam afferentes paucis efficiemus. Porrò dicitur *Satanas*, à verbo *Satan*, quod idem eſt ac declinare, ſeu diuertere, vt vult Oleaſter in id Geneſ. 26. appellauit eum inimicitias. 1. *Satanæ nomen deducitur.*

Sed alijs ea deductio non placet, potius enim *Satha* eſt diuertere, aut declinare, quàm Satan; licèt Irenæ. lib. 5. aduer. hære. cap. 21. dicat, Satan hebr. Apoſtatam ſignificare; idemque habet Iuſt. in Dial. cõtra Tryphonem, Satan, inquit, Iudæorum, Syrorumque lingua deſertorem ſignificat. Additque; hæc vox *Nas*, quòd interpretatur *Serpens*, hebræis idem, quod *Satan* valet: ita ex vtroque vnum vocabulum componitur, *Satanas*: ſed conſtat Satanas ſecundùm terminationem & inflexionem græcam vel latinam dici, hebr. enim Satan nominatur, quo etiam indeclinabiliter vtitur Tertull. lib. 3. aduer. Mar. c. 20. 2.

B

Igitur verius cum cæteris dicendum *Satan* verbum idem ſignificare quod odio habere, inimicum eſſe, aduerſari, detrahere alicui malitiosè propter odium, & inimicitiam, & vt ſimul hæc omnia complectamur ſignificat obſiſtere alicui hoſtili animo: hæc enim eſt propria, & germana huius verbi ſignificatio. & aduerſari & repugnare idé eſt, rectè Hieron. dixit germanam ſignificationé huius verbi eſſe, aduerſandi, & D. Baſil. quod Deus non eſt auctor malorum: Satanas, inquit, quod bono aduerſetur appellatur: id enim ſignificat vox hebr. ſic Cyrill. Hieroſol. catech. 2. 3.

C

Ex hac deductione rectè intelligentur loca quædam Scripturæ, vt Zachariæ 3. 1. *Satan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei:* alludit enim ad verbum *Satan*, quod eſt aduerſari, vel certè per coniugata loquitur, quaſi dicat aduerſarius, vt aduerſaretur, Matth. item 16. Petro mortem diſſuadenti dictum, *vade poſt me Satana*, id eſt, ne obſiſtas, ne impedias, veluti meæ crucis inimicus. Hinc Geneſ. 26. 21. cùm paſtores Geraræ exhauriendis puteis repugnarent hoſtili animo paſtoribus Iſaac, *rixati ſunt, appellauitq́ (Iſaac) eum* (puteum) inquit Scriptura, *inimicitias*, id eſt, reſiſtétiam, & oppugnationem inimicam, tertio item Regum quinto, verſic. quarto, *non eſt Satan, neque occurſus malus*, id eſt, non eſt qui rebellet, repugnet, obſiſtat, non eſt qui ſe mihi opponat, aut malum obijciat: ſe enim Salomoni ſpontè ſubijciebant vicini omnes amicè, Numeror. vigeſimoſecundo, verſicul. 32. *ego veni, vt aduerſarer tibi*, id eſt, vt impedirem iter tuum; dumverò ſubditur, *niſi aſina receſſiſſet de via dans locum reſiſtenti, me occidiſſem*, explicatur idem eſſe aduerſari, quod hoſtiliter reſiſtere. ſecundo Regum decimonono, vigeſimoſecundo, dixit Dauid filijs Saruiæ repugnantibus, & aduerſantibus voluntati, & animo mitiſsimo 4.

D

Dauid

Dauid erga Semei: *quid mihi & vobis filij Saruiæ? cur efficimini mihi hodie in Satan?* primo Esdræ quarto, quarto. *Factum est vt populus terræ impediret manus populi Iudæ*, id est, vt aduersaretur, vt patet ex consequentibus: *In regno Assueri in principio regni eius scripserunt accusationem aduersus habitatores Iudæ.* Hebraicè sitnah, id est, aduersationem animo inimico, & calumniatorio.

Itaque impedire manus idem videtur cum illo, Zachariæ tertio, primo, *Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei*, idem enim est, ac rerum optimarum conatibus obsistere. Cùm verò primæ Pe. quinto, octauo, & primæ ad Timothæum primo vigesimo, Dæmon appellatur aduersarius alludi videtur ad nomen Satanæ. Ergò quod hic dicitur, *Si Satanas Satanam eiicit, aduersus se diuisus est, quomodo ergo* & cætera, idem erit, ac; Si Satanas sibi ipsi aduersatur, & repugnat suismet conatibus, seque ipsum oppugnat, vt fit cùm regnum in se ipsum diuisum est: quomodo regnum eius stabit?

5. Postremò aduertendum est verti Satanam à Septuaginta Diabolum (quod etiam notat Iansenius capite decimoquinto concord. & quinquagesimonono,) Zachar. tertio, primo, Psalmo nonagesimonono, & Iobi capite primo, sexto, quæ duo nomina sibi respondere Apocalyps. duodecimo, nono, indicatur: *proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas.* Sanè diaboli nomen græcum est, à διαβάλλω, licèt Isidorus Hebræum putarit. significat ergò diabolus criminatorem, mendacem, calumniatorem, sic Apocal. duodecimo, decimo, *Proiectus est accusator fratrum suorum, qui accusat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Tertullianus libr. secundo aduersus Marcionem capite decimo, & libro quinto, capite decimooctauo, delatorem interpretatur, quod idem est. Licèt autem aduersarius, & calumniator, vel criminator diuersæ sint significationis, ad eandem tamen reuocari possunt; nam apud Latinos dicitur aduersarius non tantum is, qui quoquo modo aduersatur & repugnat; verùm etiam qui in iudicio aduersus nos contendit, vel litem intendit, & nostræ causæ contradicit iuxta illud Matth. 5. 26. *esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduersarius iudici*, & cætera. Lucæ duodecimo, quinquagesimooctauo. Est autem eadem significatio, & vis calumniatoris, diaboli, & malitiosi criminatoris cum voce aduersarij hoc modo sumpta. quarè illud quod est aduersarij Septuaginta dixerunt detrahere alicui quasi apud iudicem Psal. 108. 4. *pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi.* Hieronymus, aduersabantur mihi, & iterùm: *hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum.* Hieronymus, *qui aduersantur mihi à Domino*, id est, qui calumnijs, & mendacijs in iudicio prolatis meam innocentiam obscurare conantur.

Diabolus quid significet.

6. Propterea & Iudas *Diabolus* dicitur, Ioann. 6. 70. qui & pijs operibus repugnabat, id est, aduersabatur, & calumniabatur, atque accusabat Christi Domini facta & Apostolorum, & qui illos delaturus erat apud Principes Iudæorum. vel potiùs verosimilius est Dominum, qui Heb. hoc dixit, pro diabolo Satan dixisse, ac pro eo nomine Ioanne vertisse diaboli nomen imitatum 70. qui semper pro Satana *Diabolus* vertunt, eò quòd nō absimilis sint significationis. estque credibile Dominum non vocasse Iudam *Diabolum*, seu *Satanam*, eo modo, quo Petrum Satan postea nominauit, sed eo modo, quo hæc nomina Diabolo tribuuntur, quasi diaboli ministrum, vt Cyril. dicit, vel nomine cap. membrum appellando, vt Greg. 13. mor. 17. ac si dicas hominem Satannicum, & diabolicum, sic Iansen. cap. cit. 59. concord. sub finem. Vide inferius c. 21. in Schol. n. 63.

Actiones mali tribuuntur Diabolo.

Ex his liquet, Dæmonem non tam viribus ad nocendum, quàm malitia, & mendacio ac calliditate valere, nobisque non tam aduersari viribus, quàm calumnijs, & criminationibus falsis, præsertim in eo, vt notat Basil. hom. *quod Deus non est auctor malorum*, quoniam idem & in peccato nobis cooperatur, & accusator noster est: & veri quidem peccati, falsus tamen criminator, & malitiosus accusator est: in quem illud quadrat, quod quidam sapienter in Ioab suadentem necem Absalon intulit: *nequaquam mitterem manum meam in filium regis: sed & si feciſſem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuisset, & tu stares ex aduerso.* 2. Reg. 11. 12. 13. Hactenùs de nomine *Beelzebub, Satana, & Diaboli.*

THEORIA III.

In vers. 12. de modo quo alligatur Dæmon, & Victoria Christi contra Luciferum.

1. TOBIAE 8. Matth. 12. Mar. 3. Apocal. 20. ligatos esse Dæmones cernimus, vel etiam apprehensos, & quomodo fiat hic inuestigare volumus, quam rem eleganter declarat noster Serarius c. 7. Tob. quæstiuncula 6. 7. & 8. Inprimis apud Tob. apprehensus Asmodæus à Raphaele dicitur, non quidem manibus, neque enim nisi in ascititio corpore id fieri potuisset, igitur virtute, & imperio suo eum apprehendit; quemadmodum & Angelus habens clauem abysi apprehendit draconem serpentem antiquum Apocal. 20. quamuis apud Tob. è Chaldæo latinus textus apprehensionem istam memorat, pro qua in Græco, & Heb. est; Asmodæum, postquam fumos illos odoratus est, fugisse in Aegypti finem & loca editissima.

Dæmones quomodo ligati.

2. Cæterùm bifariam ligari possunt Dæmones; primò corporaliter, si quæ ipsi corpora sibi adiunxissent. quandiu enim illa retinent, tandiu per ea vincti esse possunt. Deindè & spiritualiter, idque primò quando non sinuntur illi agere, quod vellent teste Augustino lib. vigesimo, ciuit. septimo, & octauo. Gregorio secundo, moral. capite vndecimo, & sequent. lib. 4. c. 11. Andrea epist. in Apocalyp. 20. Cassia. colla. 7. c. 23. Sera. Tob. 8. quæst. 7. (quæ pertinere videntur hi duo modi alij, sci. v. do imminuitur eorum virtus, non quod verè imminuatur, sed & hominib⁹ à Deo ... maiora tribuantur, quibus validius resistant. Vel quando victi non audent, nec interdum permit-

permittuntur redire ad eum à quo victi, depulsíque sunt) secundò quando certo cuipiam loco affiguntur, vt illinc sese commouere non possint; quam alligationem ita dæmonibus ingratam, ita acerbam censuere Theologorum aliqui 4. sent. d. 44. & 50. vt Dæmonum in ea gehennam, ignem, infernumque collocent. Immò, & in ipsa tantummodo alligationis huius prænotione. Vide Diuum Thomam prima parte, quæstione 64. art. 4. ad tertium. libro quarto, contra Gentes cap. 90. Abul. 25. Matth. q. 506. Caiet. in opus orat. 5. de qua opinione vide Suar. tom. 4. de pœnitent. d. 46. section. 2. Vasquez 1. p. in q. 64. D. Thom. a. 4. disp. 1143. vtroque modo spiritualiter alligatus fuit Asmodæus à S. Raphaele, nam neque vllas amplius molestias creare sinebatur Saræ & eius sponso, ac parentibus. & certa ei solitudinum pars, quam non egrederetur designata.

3. Quod si sciscitari pergas quomodo vtraque hæc spiritualis colligatio fiat. Respondeo bifariam: primùm quidem, si diuinus ille concursus, quo ad motionem res omnes indigent, subtrahatur Dei voluntate. Sic Gregorius significat libro secundo moral. capite decimotertio, *à facie Domini*, inquit, *exijt* (Satan) *quia diu vinculis disciplinæ religatæ quandoq; voluntas noxia ad opus processit. Cùm enim id quod voluit, implere non valuit, quasi ante faciem Domini stetit: quia illum ab effectu malitiæ superna dispensatio coarctauit.* Deindè per imperium id accidit fieri si Dæmoni ab eo, qui in eum ius & potestatem habet, imperatur ne hoc vel illud agat, vt hoc vel illo loco sese contineat, vt huic, vel illi operi inserviat. Sunt autem, qui ius & potestatem huiusmodi habent, vel Deus, vel creatura, & hæc, vel spiritus est, vel homo, spiritus vel bonus, vt Apocal. 20. 2. vel malus, qui huius, cui imperare vult, Princeps est.

4. *Vnde homo accipiat vim ligandi dæmones.* Porrò homo, vel à Deo, vel à bono spiritu imperandi, cogendique vim eam accepit, vel ab Dæmonum principum aliquo. Prius illud fit, vel gratia edendorum miraculorum, aut ordinario quodam officio, cuiusmodi in exorcistis nostris cernitur. Posterius verò, vt à Dæmonum principum aliquo hæc ligandi Dæmones potestas habeatur, fit nefaria quadam cum illo conuentione, & societate, quam mortalium infœlicissimi magi coire solent, sicque Dæmones in annulo includere, certisque operibus & locis addicere (quamquam diximus etiam nos in Scholijs numero vigesimoprimo, id etiam facere Dæmones, vt inuiti à magis eijci videantur per simulationem quandam, quo illis auctoritatem concilient) lege de his Franciscum Victoriam relectione de magia.

5. Diuus Hieronymus scribit, puellam quandam dæmoniacam perductam à parentibus ad Hilarionis monasterium fuisse & seni traditam, vlulante statim, & confitente Dæmone: vim sustinui, inuitus adductus sum. quàm benè Memphi somnijs homines deludebam? ô cruces, ô tormenta, quæ patior. exire me cogis, & ligatus subter limen teneor. non exeo nisi me adolescens, qui tenet, dimiserit. Tunc senex: grandis ait, fortitudo tua, qui licio, & lamina strictus teneris. Lege item D. Augustinum de Diuinatione Dæmonum capite septimo, Epiphanium hær. 30. Palladium c. 20.

Andreas Apocaly. vigesimo, secundo, vbi Angelus, & serpentem antiquum in abyssо ligaret, habebat catenam magnam in manu sua; *catenam*, inquit, ad nostram intelligentiam vocauit operationem, quæ satanæ malitiam coercet.

Adijcit Sera. loco citato, quæstiuncula octaua inijci hæc vincula, vel solo spirituali illo modo, de quo numero tertio; vel præterea symbolis quibusdam quæ sub sensum cadant, adhibitis, cuiusmodi sunt res, aut verba sacra, cuius rei egregium exemplum est apud Cæsarium libro quinto, cap. decimotertio; retulit, ait, mihi Gerard. Pleisensis, mulierē obsessam, multis benè notam, Sygeberg venisse gratia curationis: quæ cùm in oratorio Sancti Michaelis Archangeli de diuersis interrogaretur, & incideret mentio de Lucifero apud inferos ligato, respondit per os eius Diabolus; stulti quibus catenis putatis ligatum magistrum meum in inferno? ferreis? nequaquam. tria verba posita sunt in silentio Missæ, quibus ligatus est. requirentibus quibusdam ex fratribus quæ sunt illa verba? dicere voluit, vel potius ausa non fuit, sed ait: afferte mihi librum, & ego vobis ostendam illa: allatus est ei liber missalis, & clausus porrectus, quem illa aperiens, primo ictu canonem inuenit, & digitum ponens super illum locum: Per [illegible]m, & cum Ipso, & in Ipso. in quibus mysterijs sit summæ Trinitatis, ait: ecce ista sunt illa verba, quibus ligatus est magister meus: per Patrem enim, & cum Filio, & in Spiritu sancto, quorum opera indiuisa sunt: fortis ille ligatus est, & vasa eius direpta.

Ex his duo inferuntur, vnum dæmonum ipsorum vilissimam sortem, & imbecillitatem, talis enim est, vt ab hominibus detineantur, qua de re multa habes in vita D. Antonij, in quodam eius sermone de ea re. Verùm obijcit Diuus Augustinus sermone centesimo nonagesimoseptimo de tempore: *Si alligatus Diabolus est, quare tantum adhuc præualet?* Respondet, *verum est fratres carissimi, quia multum præualet: sed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. alligatus est enim tanquam innexus catenis canis: & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit. Iam videte fratres quàm stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates, & cupiditates sæculi noli coniungere, & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest; sollicitare potest; mordere omninò non potest, nisi volentem: non enim cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet à nobis consensum, sed petit.* Idem ferè Cæsarius libro quinto, capite quinquagesimosecundo. Alterum verò, quod ex dictis intelligitur est quid sit illa excommunicatio qua Dæmones interdum proscribuntur.

Respondeo quod Ecclesia per excommunicationem nihil illis aliud inferre videtur, quàm summā huius religationis pœnam. Lege libri secundi, vitæ Diui Bernardi caput sextum.

Cæterùm

9. *Alij alijs subijcuntur.*

Cæterùm quàm verum sit illud, quod dictum est paullò superiùs numer. 3. in Dæmonibus, alios esse superiores, alios inferiores, alios principes, alios subditos ostendit Paulus ad Ephes. sexto, *non est*, inquit, *nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*. Ostendit id locus iste Matth. duodecimo, *hic non eijcit Dæmones nisi in Beelzebub principe Dæmoniorum, & si Satanas Satanam eijcit, quomodo stabit regnum eius?* ergò regnum habet ex pessimis scilicet Dæmonibus ad nutum sibi obtemperantibus conflatum. habet legiones, vt patet ex Marc. cap. 5. & Luc. 8. est quoque iniquorum omnium caput & princeps inter omnes filios superbiæ, sicut CHRISTVS caput est omnium iustorum. Idem ostenditur Matth. vigesimo quinto, *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius*, & Apocalyp. 12. *draco pugnabat, & angeli eius, & non valuerunt*. Habet ergo lucifer angelos sibi subditos, qui cum eo Ecclesiam militantem infestent & oppugnent.

10. *Mali autem bonis cedere & subesse cogantur.*

Subduntur tamen angeli mali potestati etiam bonorum angelorum, à quibus vel coercentur, vel permittuntur insidias hominibus struere, & Ecclesiam infestare prout expedit, & prout intelligunt esse DEI voluntatem. Iis etiam interdum aperiunt aliqua, vt tanquam ministri diuinæ iustitiæ illa aduersus homines exequantur, cuius rei testis locupletissimus est Diuus Thomas prima parte, quæst. centesima nona, articulo quarto. Absoluto tandem militantis Ecclesiæ cursu desinet hic principatus, & ordo inter Dæmones, sicut & finis ob quem permittitur, cessabit. Et de hoc quidem dæmonum principatu rectè etiam exponi potest illud, primæ ad Corinth. 15. 24. *deindè finis cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare*, & quæ sequuntur. Quem locum copiosè tractat Petrus Thyræus de glorioſa Christi apparit. cap. 24.

11. Ex his igitur satis liquet quid sit in genere ligari dæmonem. Restat videre quidnam speciatim intelligatur hoc loco per colligationem fortis, quomodo scilicet hæc, quæ hactenus diximus de modis alligandi applicentur ad hunc locum. Censeo igitur Christum loqui de ea allegatione, qua primum dæmonem, seu luciferum alligauit ante mortem, quatenus huius principis dæmoniorum, vbi semel in deserto prostratus est à Christo potestas, vt Diuus Hilarius can. 12. in Matth. & Irenæus lib. quinto, cap. vigesimoprimo contusa, ac contrita fuit; quod sic intelligendum cum Card. Tole. annot. 54. cap. vndecimo in Luc. Princeps enim inferni, postquam à Christo repulsus fuit, ac victus ingenti clade illata, ita debilitatus fuit timore & horrore iniecto per Christi virtutem, & per efficacitatē eorum verborum, *vade Satana* (cuiusmodi fuit etiam ea verborum efficacitas, qua, dum dixit, *ego sum*, abierunt

A retrorsum & ceciderunt, qui illum armato milite capere volebant) vt non illum ausus vnquam fuerit per se ipsum tentare, nec per se eius se opponere operibus; itaque repressæ eius vires fuerunt, vt plurima exequi non posset, vel contra Christum, vel contra eos qui illum sequebantur. Postremò aliter etiam tum eius, tum cæterorum Dæmonum vires sunt imminutæ, non quod verè imminutæ fuerint, id est virtus eorum diminuta, sed quod per Christum dæmonis triumphatorem, eiusque aduentum copiosiora sint charismata, & dona concessa nobis, quibus in Dæmones fortiores, & robustiores sumus ad resistendum facti. Illud verò non est hic concedendum, quod tamen videtur aliquādo Augustin. sensisse lib. 20. Ciui. cap. septimo, & octauo: & Gregor. lib. 32. moral. cap. 12.
B nimirum, dici ligatum Dæmonem vel hic, vel in Apocalyp. cap. vigesimo, quia non permittitur exercere vires suas totas, vel exercere totum suum robur contra homines præsertim electos, non est, inquam, hoc concedendum,* nam hoc commune est omnibus dæmonibus. & antè etiam Christi fuit aduentum, cùm tamen hic & in Apocalyp. agatur de principis dæmonis alligatione. Iterùm differt hæc alligatio de qua hic, ab ea, quæ in Apoca. cap. 20. quia ista Apocalypsis perfecta fuit, & quidem post Christi mortem, cùm detrusus fuit diabolus in infernum; vnde ad nos tentandos per se non potest accedere, vsque ad diem iudicij; illa verò, viuente Chri-
C sto, non ita perfecta fuit, adhuc enim princeps ille dæmonum poterat per se homines tentare, vt patet Ioan. duodecimo, *nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras*, non ergo erat eiectus viuente Christo, licèt secus videatur Hieronym. sentire Matth. 12. fuisse scilicet in barathrum etiam detrusum, cùm illi dictum, *vade Satana*. illud certum soluendum ad finem mundi, vt dicitur in Apocalyp.

* hoc modo dici ligatum hoc loco.

Mors Christi ruina & victoria diaboli.

Itaque post mortem CHRISTVS perfectè dæmonem prostrauit, de eoque subacto regalem reuexit triumphum, & *expolians principatus, & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso*. Colos. 2. 15. Nec tum ligauit solum, sed duplici etiam, spoliauit in homines, iure.
D

12. *Duplex ius eius in homines ante Christi aduentum.*

Notandum enim id est, quod Ioachimus Abbas in Apocalyp. capite primo habet, Diabolum ante Christi aduentum duplex habuisse ius in homines. Alterum quidem mortis, quam nemo poterat hominum effugere: alterum verò inferni, quia omnes homines post mortem eò descendebant. sed quia Diabolus CHRISTVM omninò innocentem, & in quem nihil ipse iuris habebat, per summum scelus, vt occideretur effecit, vtroque iure per Christum priuatus est, & ideò Apocal. 1. 16. dicitur CHRISTVS habere *claues mortis & inferni*, per quas claues intelligitur potestas filij Dei, qua, quos vult, à damnatione mortis æternæ misericorditer liberat, & quos vult in æternæ damnationis reatu iusto iudicio remanere sinit, vt ait Ambrosius. Has sanè claues primum ostendit

Chri-

Digitized by Google

Christus in se ipso deuicta morte resurgens ad immortalem, beatamque vitam, & exiens non solum ipse ex inferno liber, sed etiam inde multa sanctorum millia educens, vt verè secundùm Oseam 13. fuerit & mortis mors, & inferni morsus. Hoc ipsum palam declarabit ad extremum diem, malos enim æterna morte damnatos in perpetuum inferni carcerem detrudet; pijs verò aditum pate faciet ad æternam fœlicitatem.

Christus quomodo claues mortis & inferni habere dicatur.

Dicitur autem *claues mortis & inferni* habere, & non potiùs vitæ & cœli, tum quia illud priùs fit, & hoc sequitur ex illo; tum quia sic magis apparet victoria Christi, quam de morte, & de Diabolo inferni possessore reportauit.

13.

Deindè Obseruandum cum victorino. cap. 4. Apocalyp. per illud quod fecerunt 24. Seniores dum coronas suas capitibus detractas ante summi regis thronum misêre, significatum esse victorias Omnium Sanctorum subijci victoriæ Christi, &, vt maximæ, & vt causæ omnium victoriarum. Notat autem Perer. eodem c. Apocal. n. 108. victoriam Christi, tres ob causas maximam fuisse: primum enim maximos hostes qui genus humanum dominatione sua oppressum, & captiuum tenebant superauit; vicit enim malignitatem mundi & Diaboli potentiam euertit, mortisque destruxit imperium. Deindè victoriam Christi quatuor maxima bona consequuta sunt: quorum vnum fuit nominis Dei per vniuersum mundum manifestatio, & glorificatio; alterum generis humani à seruitute peccati, & potestate Diaboli, reatuque mortis æternæ redemptio & liberatio. Tertium intercluſi mortalibus aditus ad cœlum referatio; quartum ruinæ angelorum reparatio. fuit etiam victoria Christi aliarum omnium victoriarum quas fecerunt sancti, causa non solum exemplaris, verùm etiam efficiens; per hanc quippè datur sanctis virtus, & cum hominibus fortiter, & perseueranter pugnandi, & vincendi eos, & de victoria eorum in cœlis triumphandi, cœlestesque, atque æternas coronas consequendi.

Victoria Christi maximè ob tres causas.

14.

Postremò in dubitationem verti potest an expulsus, vel ligatus, atque ab aliquo victus Dæmon ad eundem iterum reuerti possit. tractat hanc quæstionem Magister 2. d. 6. D. Tho. 1. p. q. 114. ad 5. respondet, vt eum interpretatur Gabriel Vasquez 1. p. d. 245. c. 2. n. 10. Dæmonem, qui ab vno homine, quem oppugnabat superatur, recedere aliquantulũ ab eo. Colligit hoc ex illo Lu. 4. 13. & consummata omni tentatione, Diabolus recessit ab eo (id est Christo) *vsque ad tempus*, quod ideò additum est ne arbitraremur Dæmones nunquam iterum redire ad oppugnandum eum à quo semel superati sunt. Quomodo autem vsque ad tempus à Christo recesserit, explicat Theophyl. vsque ad tempus passionis, quo iterum Diabolus Christum aggressus est. Caietanus verò in eum locum Pauli ad Ephes. 6. *non est nobis colluctatio* &c. inquit nusquam legi quomodo Diabolus iterum per semetipsum Christum fuerit aggressus: tametsi per arreptitios sæpius ipsum tentauerit. Cæterum Diabolum recedere à nobis cùm superatur planè docet Iacob. c. 4. cùm ait: *fratres resistite Diabolo, & fugiet à vobis*; docet conflictus ille singularis Satanæ cum seruatore omnium Christo, quo viuente recessisse dicitur Diabolus ab eo; docet D. Thom. dum ait, posse stratos Dæmones in arma rursus consurgere; sed tamen non nisi Deo permittente, qui pro sua immensa bonitate id cauet, ne hominum infirmitas nimio illorum impetu obruatur, perpetuamque dimicationem sustinere cogatur; Docet Dæmonis superbia, qua inuitissimus ab eodem crebrius refutari vult; Docet denique Dei in nos clementia, quæ si generosè Dæmoniorum alicuius impetum fregerimus, illum quasi victum sub pedibus iacere, terram mordere, iramque, & ignominiam suam deuorare iubeat. Et ista olim etiam docuerunt D. Ambros. l. 4. in Luc. D. Antonius apud S. Athanas. D. Greg. l. 2. moral. c. 11. 20. & 21. Cass. colla. 7. c. 21. colla. 8. c. 13. 17. Verùm, vt recedat Diabolus, non ita recedere, vt iterum non redeat, constat ex hoc loco Matth. 12. *reuertar in domum meam vndè exiui.*

Expulso dæmone nihilominus certandum.

Cùm ergò, vt piè satis noster Sera. cap. 8. Tob. q. 18. monet, felici pugna hostem istum nostrum fugauerimus, non illicò è manibus arma deponenda, excubiæ omittendæ, pax & tranquillitas omnimoda credenda est: neque rursus ita pauendum quasi bello nullum vnquam finem, qui sese modo hostis fugæ dedit, facturus sit: sed in statione quidem semper, quoad viuimus, manendum bona cum spe. non est igitur verum, quod docet Orig. homil. 5. super Iesu naue, dæmonem, semel ab aliquo sancto superatum, nec eundem, nec alium hominem aggredi, vel audere iterum tentare, veluti si id ageretur lege singularis certaminis & duelli, in quo qui semel victus, non permittitur victorem iterum lacessere. de his hactenùs.

THEORIA IV.

De peccato in Spiritum sanctum. In versum 16. & 17.

1.

MAGNA certè & quidem meritò visa est difficultas huius loci Augustino de verbis Domini serm. 11. hinc n. videtur Paganis, Iudæis, & hæreticis qui blasphemant Spiritum S. nulla esse spes veniæ. fortè in tota scriptura, inquit Augustinus, nulla quæstio difficilior. Duo igitur hic quærenda sunt, quid scilicet sit *spiritus blasphemiæ*, seu *blasphemia in Spiritum sanctum*, vt Theologi vocant. Alterum quomodo hoc peccatum irremissibile dicatur. Agit hac de re Athanasius in opusculo de hoc Euangelij dicto. D. Tho. 2. 2. q. 14. & Theologi in 2. d. 42. 43. Richar. de S. Victor. scripsit opusculum *de Spiritus blasphemia*. Augustinus varijs locis, vt serm. cit. 11. de verbis Dom. & alibi, vt citabimus, & alij Patres.

2.

Principio obserua bis hanc sententiam à Domino prolatam; semel cùm Pharisæi calumniantes dixerunt: *in Beelzebub* &c. quibus respondit; *omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus* &c. Item *& qui dixerit verbum in filium hominis remittetur ei, qui verò dixerit verbum in*

Spiritum

Spiritum sanctum nō remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro, idque & Matth. 12. & Mar. 3. referunt. Iterum cùm dixissent discipulis, *qui me negauerit coram hominibus*, &c. subdit eandem sententiam, quod solus Luc. 12. refert.

3. *Peccatum in Spiritum S. quod.*

Breuiter sic rem definio: censeo hoc peccatum propriè esse, quando ex malitia, & cordis duritia diuina opera, & quæ super naturam sunt, quæ scilicet Spiritus S. ad corroborandam fidem, & ad vocandos peccatores ad pœnitentiam, peculiari consilio operatur; spiritui malo tribuuntur, quod etiam est propriè *Spiritui S. resistere*. Id probo non aliter, quàm ex contextu huius loci. Occasio enim ob quam Christus id dixit, ea fuit, quia dixerant Iudæi, *in Principe Dæmoniorum* &c. idemq; constat clarius ex causa, quam subdit Marcus, vt hic habes v. 18. *quoniam dicebant spiritum immundum habet*. Sic exposuere Athanas. ora. de hac re, & ora. 2. contra Arianos sub finem. Basil. in qq. bre. q. 273. Hieron. epist. 149. & imprimis Chrysost. hom. 42. in Matth. qui notat tunc propriè hoc peccatum esse, quando sine ignorantia committitur. Sic enim ait: quare sic? quia cùm Spiritus iam notus vobis esse debeat, rem claram, & manifestam oppugnatis. Quarè turbæ quæ Ioan. 7. dixerunt Christo *dæmonium habes*, non blasphemarunt in Spiritum sanctum, sed in Filium hominis: tum, quia non tribuerunt tunc Christi miracula Dæmoni, tum quia non nouerant diuinitatis opera, nec malitiosè, sed ignoranter id dixerunt.

4. *Non est contra Spiritus S. personam.*

Ex his primùm infero, ac deduco peccatum in Spiritum sanctum non dici quod cōtra Spiritus sancti personam est, alioquin Eunomiani, qui eius diuinitatem negabant id genus peccati commisissent. & isti, qui hic ab Euangelistis significantur blasphemiam spiritus incurrisse, expresè contra Christi personam loquebantur, cùm dicerent eum Beelzebub habere, & *in Principe Dæmoniorum* &c. non tamen propterea colligas Spiritum sanctum, hic diuinitatem significare, vt volunt Euthym. Abulens. Iansen. Caietan. significat enim tertiam potiùs Trinitatis personam, præsertim si ea innuitur illis verbis paulò superius positis: porrò *si in digito Dei* &c. Igitur licèt peccatum in Spiritum sanctum non sit peccatum, quod est contra eius personam peculiariter, sed id quod declarauimus paulò superius; cùm scilicet Deitatis opera maligno spiritui adscribuntur, ab eo tamen denominatur ob rationem paulò inferius afferendam.

5. Deindè deduco ex Augustino non de omni peccati genere in Spiritum sanctum hic agi, sed de eo tantum, quod in contumeliosis consistit verbis. Hoc enim significat blasphemia: hoc & illud, *quicunque dixerit verbum* &c.

6. Verùm licèt hoc rectè dicat Augustinus varia tamē de hoc peccato sensit, vt patet ex libro de fide ad Pe. cap. 3. & l. de vera, & falsa pœnitentia cap. 4. & serm. 11. de verbis Domin. vbi vocat peccatum in Spiritum sanctum, *finalem impœnitentiam*. Idem habet epistola 50. ad Bonifacium & libro de correptione, & gratia capite duodecimo, hæc autem omninò irremissibilis est, quia cum ea hæc vita finitur. At in Enchyridio capite octogesimotertio, censet eum peccare in Spiritum sanctum, qui in Ecclesia non credens remitti peccata, contemnit tātum munus, & in hac obstinatione moritur. lib. verò primo de serm. Domini in monte capite 44. inuidiam & malitiam, qua fraterna oppugnatur caritas post acceptam Spiritus sancti gratiam, scribit esse peccatum in Spiritum sanctum alibi desperationem indulgentiæ Dei, vt in Comment. inchoatis in epistol. ad Rom. Quæ omnia verè facta sunt, non verba. in quæstionibus porrò vtriusque testamenti quæstione centesimasecunda, scienter opera Spiritus sancti tribuere Dæmoni propius ad veritatem accedens vult esse peccatum in Spiritum sanctum.

7. *Sex genera peccati in Spiritum S.*

Hinc inter Theologos sex genera peccati in Spiritum sanctum circumferuntur, finalis impœnitentia, desperatio, obstinatio in malo, fraternę charitatis inuidia, præsumptio, impugnatio veritatis agnitæ. iidem peccatum in Spiritum sanctum sæpissimè explicant nomine peccati ex malitia, & obstinatione cordis; speciatim verò Sco. d. 43. q. 1. censet esse obstinationem peccati cum desperatione veniæ, & proposito non pœnitendi; vndè iuxta hanc sententiam variæ species huius peccati enumerantur à D. Thoma.

8. Neque verò hoc Theolgorum dictum ita accipias, quasi quodlibet peccatum ex malitia sit peccatum in Spiritum sanctum, sed illud duntaxat, quod peculiari quodam modo opponitur remissioni peccatorum, & sanctificationi hominis, quod opus Spiritui sancto appropriatur.

9. Quibus patet aliter ab illis sumi peccatum in Spiritum sanctum, atque hic accipitur à Christo: ita quamquam de illis sex peccatis Dominus non sit propriè loquutus, rectè tamē eo nomine appellantur, quod ratio irremissibilitatis, & malitiæ sit suo modo saltem eis cōmunis, cum eo peccati genere de quo hic Dominus loquitur, quia & peculiari ratione sunt contra bonitatem diuinam, gratiamque Spiritus sancti, & non facilè eorum remissio obtinetur. Speciatim verò hæc appellatio, & irremissibilitas conuenit ipsi impœnitentiæ, ideoque mirum non est illi hunc locum D. Augustinum sæpè tribuisse, quod eo magis fecit, quia de peccato ad mortem, eoque solo Ioannes 1. epist. 5. significat ipsum non remitti, de quo peccato lege Card. Tolet. in Luc. c. 12. adnotat. 21. vbi etiam adnotat. 22. explicat quod nam sit peccatum in Deum, de quo 1. Reg. 2. dicitur: *si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo.*

10. Liquet tertiò ex dictis peccatū in Spiritum sanctum, prout hic à nobis sumitur, non semper omnium peccatorum esse grauissimum; neque ob id dici irremissibile: Athei enim non minus grauiter peccant licèt blasphemia Spiritus laborent. Hæc de primo, reliquum est, vt de secundo agamus, quod fiet in sequenti Theoria.

THEORIA V.

Quomodo dicatur hoc peccatum irremissibile.

1. PRIMVM quod attinet ad secundam difficultatem de irremisibilitate huius peccati, constat non ideò dici irremisibile, quod omninò tolli non posit, quamuis difficile tollatur, non quidem ex parte Dei, cui nil difficile, sed ex parte hominis; ideò quòd homini sic disposito difficile sit verũ dolorem, ac pœnitentiam concipere. Tum quia hoc genus peccati viam sibi claudit, per quam peruenitur ad veniam, via enim hæc est Christum agnoscere, qui per huiusmodi diuinitatis opera sese nobis patefacit. Tum consequenter ob cordis obdurationem, & mentis obcæcationem. Ita Chrysost. hom. 42. in Matth. Cyprian. epistol. 32. & l. de lapsis. non igitur ob solã peccati grauitatem sic dicitur.

Deo nihil difficile.

2. Addunt his Beda & Vega lib. 13. in Trident. cap. 9. hoc peccatum licèt remitti posit, numquam tamen remitti, quod non videtur semper verum. nam vt ait Chrysosto. fortè Iudæorum nõnulli, hoc peccato infecti, veniam sunt posteà consequuti, vt plurimum tamen verum est id, quod illi dicunt.

2. Peccatum in Spiritum S. an vnquam remissum.

3. Ex hac obseruatione colligitur prima ratio interpretandi irremisibilitatem huius delicti nimirum, dici irremisibile, quod difficile remittatur.

4. Iam verò est altera interpretatio, ideò irremisibile dici, quia natura sua veniam non mereatur. In alijs siquidem plerisque peccatis, aut ignorantia, aut infirmitas, aut aliquid aliud simile, quamuis non omninò, quodamtenus tamen culpam excusat: cùm in peccato in Spiritum sanctum nihil huiusmodi sit, quod culpam eleuare posit, in quo plurimum differt à peccato in Filium hominis, pro vt in Scholijs declaratum est num. 45.

4. Peccatum in Spiritum S. inexcusabile.

5. Quod si obijcias nullum item lethale peccatum ex se veniam mereri. Fateor ita esse, at alia si cum hoc conferantur, excusationis aliquid præ se ferunt, vt digna videri venia possint, sicut multi sunt præter diuites, alij, qui suis viribus in regnum cœlorum intrare non possunt, sed ideò de solis hoc diuitibus dictum est, quia plus habent, diuitijs onusti, impedimenti.

Ita eodem modo per respectum ad alia peccata, hoc solùm esse videtur, quod nunquam natura sua remitti posit. D. Thom. 2. 2. quæst. 14. a. 3. videtur esse huius sententiæ. ait enim; dici hoc peccatum irremisibile, non quod nullo modo remittatur, sed quia quantum est de se habet meritum, vt non remittatur, non modo quantum ad pœnam: sed quantum ad culpam etiam, quatenus eius culpa videtur irremisibilis secundùm suam naturam, in quantum excludit ea, per quæ fit remisio peccatorum, vt morbus aliquis ex sua natura incurabilis dicitur.

6. Est & tertia expositio non remitti in hoc sæculo neque in futuro, quia & hic & ibi punitur, quod etiam Diuus Thomas 3. part. qu. 86. a. 1. ad tertium innuit: Deus enim quædam peccata dissimulat in hac vita, vt puniat in futura; hoc verò punit, & in hoc sæculo, & in futuro, nisi resipiscat homo; sicut accidit obstinatis Iudæis, quos excisis Hierosolymis mulctauit in hac vita, & in altera puniet æternis pœnis. Itaque propter hanc causam, quod & hic, & ibi certo DEI decreto puniatur dicitur non remitti.

6. Quod hic & alibi punitur.

Quarè obseruandum est discrimen inter Spiritus blasphemiam, & cetera peccata: hoc enim interest, quod illam decreuit Deus, & in hoc, & in futuro sæculo: alia verò non item statuit vtrobique punire, quamuis peccantem non pœniteret illorum, sæpè enim reseruantur punienda ibi, non quod interdum Deus alia etiam hic non puniat, sed quod non statuerit ea castigare peccata etiam in hoc sæculo in quocumque peccante. Sic Chrysostomus homilia quadragesimasecunda in Matthæum, & hæc expositio mihi maximè probatur, licèt simul alias non excluserim: verba enim Saluatoris eam habent vim, & efficacitatem, vt per ea absolutè negare videatur id genus peccati remitti posse: dicit enim Christus non remitti, neque in hoc sæculo, neque in futuro, quod Mar. habet in æternum.

Discrimen inter peccatũ in Spiritũ S. & alia peccata.

Illud est in hac expositione aduertendum, loqui hic Christum de remisione quoad pœnam peccati secundùm se, id est, cuius culpa semper est mansura. Cùm ergò ait, omne peccatum remitti hominibus, &c. intelligere oportet, in hoc sæculo non esse decreto Dei puniendum, etiam si peccantem illius non pœniteat, nam procul dubio in altero sæculo, si quis cum illo moriatur, non remittitur, cùm tamen blasphemia Spiritus non modo ibi non remittatur, sed neque hic.

7.

Quarè cùm Christus de alijs peccatis, sicut de peccato etiam in Filium hominis loquitur, absolutè affirmat, quòd remittentur, & non meminit huius sæculi & futuri; non enim dixit, remittentur & in hoc sæculo, & in futuro; at de blasphemia Spiritus dixit, neque in hoc sæculo, neque in futuro remittetur; quia videlicet intelligendus erat loqui de remisione peccatorum in hoc sæculo quo ad pœnam à Deo decretam peccato secundùm se, id est, vt consideratur non esse illa culpa sublata ab eo qui peccauit: propter quam puniendus in altera vita sit.

Confirmatur id ex Marc. sic referente verba Christi, *qui blasphemauerit in Spiritum sanctum non habet remissionem in æternum*, sed reus erit æterni delicti. Ergò loquitur de remisione ipsius peccati secundùm se spectati, vel quod idé est, cuius non sit culpa remissa. Alioquin quomodo quis reus erit æterni supplicij propter illud?

8. *Quinam cõmittant peccatum in Spiritum S.*

Iterum aduertendum, quod licèt quis non verbo sed facto, aut animi cogitatione Spiritus sancti opera Dæmoni tribuat, etiam hoc peccati genere peccat. Potest enim in eiusmodi blasphemiam quis ferri, vel facto, vel cordis cogitatione.

9. *Hæretici.*

Hoc eodem item peccato illi quoque peccant hæretici, qui scienter manifesta miracula, quæ in Ecclesia fiunt, & quibus per ex orcismos,

mos, & Venerabilem Eucharistiam Dæmones pelluntur, magiæ tribuunt, & si non Christum, Christi tamen corpus quod est Ecclesia, persequentes.

10. Si quis verò opera Dei cognoscens in Christo nolit credere, immò & doctrinam refellat, licèt mendacem faciat Deum teste Ioanne primæ, capite quinto, *qui non accipit testimonium eius, mendacem facit Deum*, non est blasphemus in Spiritum sanctum, dummodo non tribuat Dæmoni opera virtutis Dei. De hac enim blasphemia tantum sermo est in hoc loco. Denique in hanc Pharisæorum blasphemiam inciderunt multi pagani, qui miracula Christi & discipulorum eius magicis artibus, & incantationibus tribuebant. Cæterum hoc non, vt generatim verum accipiendum est, nam Pharisæi opera diuinitatis adscripserunt Dæmoni ex malitia & odio contra Christum scienter, neque enim ignorabant verè esse opera Dei, licèt ex odio, & inuidia nollent credere in Christum, quod non omnes pagani fecerunt. Quomodo autem ad hanc blasphemiam requiratur, vt quis non credat in Christum, & cur hoc peccatum dicatur in Spiritum sanctum dictum est in Scholijs, v. 17. Hęc igitur mea est, de hoc peccato, sententia.

Pagani.

DIGRESSIO I.

MORALIS.

Quid Dæmon faciat in animis hominum dum illos obsidet, & de modis pellendi Dæmonem, & de confessione peccatorum.

1. FACIT Dæmon more ducis, dum arcem inuadit, vel obsidet: claudit enim omnia loca, vndè quis opem afferre possit. captam verò arcem diligenter obstruit, ac munit, ne indè pellatur. En tibi hominem hunc, & mutum, & cæcum (vt multi opinantur) & fortè etiam surdum reddidit. Clausit omnia loca, omnemque aditum obstruxit per quem auxilia intrare ad eum poterant; seque ita ibi munijt hac eadem arte, & calliditate, vt indè non facilè pelleretur; sic animum priuat Dæmon luce spirituali, obturat aures ne Dei verba audiant, obstruit os, ne peccata confiteatur, atque adeò sibi similes vult homines reddere. De Diabolo namque dicit Iob. quadragesimoprimo, decimoquinto, *cor eius indurabitur quasi lapis, & stringetur quasi malleatorij incus.*

Dæmon duci bellico similis.

Dæmon inmendabilis.

Dæmon, inquit Gregorius, semper percutitur, & in vas vtile nunquam mutatur: pertinax enim est, & obfirmato omninò animo in malo perseuerat, tales conatur nos efficere cæcos, surdos, mutos, denique, vt nullo tangamur diuinarum rerum sensu in modum incudis, quæ quo magis percutitur, eo obdurescit magis.

2. Cæterùm pulso Dæmone loquutus est mutus, ita de hominum animis pulso Dæmone isthæc omnia impedimenta auferuntur. Nam qui os aperit, vt peccata sua confiteatur veluti ostium Dæmoni reserat per quod eijciatur. Aperuit Noë Arcæ fenestram, & columbam dimisit, quæ ad eum viridantis oliuæ ramum ore præferens redijt. Idipsum accidit ei, qui peccatorum confessionem sinceram, ac candidam ceu columbam quandam aperto emittit ore, hæc illi confessio oliuam, id est, conscientiæ pacem affert, atque adeò Dei restituet amicitiam. Peccatum enim, si tu taces contra te ad Deum clamat, si loqueris desinet clamare.

Confessio Dæmonem pellit.

Sed aduerte doceri nos à S. Iob. ea quæ præstare debemus, vt integrè, & fructuosè confiteamur peccata, atque adeò, vt Dæmon pellatur à nobis: sic enim Iob aliud agens dixit capite dicimo, primo. *tædet animam meam vitæ meæ, dimittam aduersum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo, noli me condemnare.* Primum enim cuilibet nostrum præcipitur, quod est apud Ezechielem capite octauo, octauo, nono. *fode parietem, & ingrédere*, domum nempè conscientiæ tuæ: *ibi videbis similitudinem reptilium animalium, abominationes, & vniuersa idola.* Tum tædebit animam tuam vitæ tuæ. Deindè dimitte aduersum te eloquium tuum, hoc est, accusa te noli te excusare, nec palpes te, sed damnes potiùs verè culpam tuam agnoscens. Tertiò loquere in amaritudine animę tuæ, compungere, lacrymas funde, pectus tunde. Tandem ad Deum, qui solus te sanare potest, accede, dic Deo: noli me condemnare. Et his modis exibit à te Dæmonium.

3. Quomodo fructuosè faciendo.

4. Sed prætereà non prætermittendi sunt hic tres modi dæmonem expellendi ex animo: est enim officium Christiani hominis Dęmonem expellere semper quamuis præsertim hæ superiorum partes sint, vt à subditis Dæmonia eijciant.

4. Dæmonis ex anima expellendi tres modi.

Primus modus est, quem docet Dauid, qui dum Cytharam pulsaret Dæmoni vires auferebat, ne Saulem vexaret. Cythara crucis est meditatio. Quid enim tam est acerbum, vt contemplatione crucis, in qua in modum chordarum, ac fidium sanctissima Christi membra extensa sunt, libenter non toleretur: adhibe & ad Cytharam cantum, id est, lætitiam spiritualem, hæc enim multum iuuat hominem ad fugandum Dęmonem. Adhibe si placet & septem Christi verba, quæ in modum suauissimę cantilenę recreabunt animam, affectusque tuos sedabunt.

Alter modus est, dissoluas opera Diaboli, quem Spiritus sanctus docet Ioann. 1. 3. 8. *in hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli.* Itaque cùm primùm videris Diabolum malè aliquam ordiri telam, vel occasione sociorum, vel alia de causa, dissolue illam, occasionem tolle.

Postremus modus est, si submerseris in aquis Dæmonem, Psalm. 73. 13. *contribulasti capita draconum in aquam.* lacrymę enim magnam habent vim ad submergendum Dæmonem.

Finem imponam si illud adijciam, non eos tantum esse per dæmonem mutos effectos, qui peccata sua confiteri non audent: Verùm etiam ij quoque muti sunt, qui in mutorum morem signis ac motu manus & articulorum, ac gestuum significatione loquuntur. tales dixeris

5. Muti qui.

eos esse, similes mutis, qui externis signis Christiani hominis, ac Religioso habitu vtuntur quidem, eoq; gloriantur verè, sed opera Christiani viri non habent, nec religiosorum viuendi modum & virtutes imitantur, hi sunt, qui vt muti gestibus ac signis quibusdam externis loquuntur, non solidis nituntur virtutibus.

DIGRESSIO II. MORALIS

In vers. 24. *Magister volumus à te signum videre*, & quæ sequuntur.

1. *Duo genera persecutorũ.*

DAugustinus in Psalmũ sexagesimũnonum, *duo*, inquit, *sunt genera persecutorum, vituperantium, & adulantium; plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris. nam & ipsam caminum dixit Scriptura.* Sapien. 3. *6. certè cùm de persecutione loqueretur, dixit: tanquam aurum in fornace probauit illos, de Martyribus interfectis. de lingua adulantium*, Prouerbiorum vigesimoseptimo, vigesimoprimo, *probatio argenti, & auri ignis, vir ãutem probatur per os laudantium eum. argenti, inquit, & auri ignis ille, ignis & iste, de vtroque te saluum oportet exire.* Sic Augustinus.

2. *Adulatores locustis similes.*

Porrò adulatores rectè componi videntur cum locustis illis, de quibus Ioann. in Apocalyp. capite nono, quę facie muliebri, & cauda Scorpij effinguntur: exijsse verò dicuntur de fumo putei abysi, & datam esse illis potestatem sicut habent Scorpiones terræ: quarum etiam sint dentes sicut leonum. Ijs certè similes sunt adulatores, quorum origo ex inferni fumo est; nam Lucifero auctore in terram mittuntur adulatores; & cùm mendacijs, & fucatis verbis vtantur, quibus veritatis lumen obscuratur, rectè de fumo gigni dicuntur. facie verò sunt muliebri; nam sub specie veritatis, & amoris, ac religionis venenum tegentes pios quosuis infectantur, & à diuino cultu seuocare moliuntur; ac proindè rectè cauda Scorpij effinguntur: incautos enim Scorpius cauda ferit. Horum persecutio omnium est ferè crudelissima & hæreticorum propria, qui ex puteo abysi, eiusque fumo prodeunt, & veritatis luci fumum, tenebras, ceu noctem quandam offundunt specie quidem meretricia, & blanda, reuera autem venenatæ sunt locustæ mille Scropijs ad feriendum armatæ.

3. Hoc duplex aduersariorum genus Christum Dominum nunc adoritur. Cùm enim malum spiritum expulisset ab homine, quidam insigni malitia impudenter obiecerunt, quod in Beelzebub principe Dæmoniorum eijceret Dæmonia: ecce primum persecutorum genus. Alij porrò tectis, & fallacibus verbis oblandiuntur: & re vera aduersando assentantur: *Magister*, inquiunt, *volumus à te signum videre.* quod aduersantium genus hoc nomine alterum superat, quod cùm tectum sit & obscurum, multò magis timendum est: clam enim & inopinato, non palam & aperto Marte, quem odit, aggreditur.

4. Plutarchus in Apophthegmatibus refert, ci-

A uem quendam liberè admodum Damaratum increpuisse, in quem cùm nescio quis alius vehementius commotus fuisset, quod ita liberè loqueretur. Respondit Damaratus: *nihil in me peccauit: qui enim ad gratiam loquuntur, nocent, non autem, qui cum odio.* Quare Sapienter Pythagoras, quem refert Stobæus, dicebat: *gaudendum potiùs de redarguentibus, quàm de assentantibus, quos etiam hostes deteriores existimare & effugere oportet.* *Increpantes meliores adulantibus.*

Quid igitur miramur quod Sapiens Prouerbiorum decimosexto, vigesimonono, adulatorem iniquum vocet? sic enim ait: *vir iniquus lactat amicum suum.* Ostendit sanè Christus quomodo horum astutias effugiamus. Accesit Iudas ad Iesum, & cùm prodere illum reuera cogitaret, osculo tamen excepit. cui Christus, quem nihil latere occultum poterat: *Amice ad quid venisti.* iterùm cùm ei adulando dicerent Pharisæi: *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces*, Matth. vigesimosecundo: sic illos repulit: *quid me tentatis hypocritæ*, & nunc rogatus ab adulatoribus, vt de cęlo miraculum ostenderet, indicãs se minimè pulcris eorum verbis oblectari, respondet: *generatio prava & adultera signum quærit.* Rectè Quinctus Curtius: *Regum opes*, dixit, *sæpius assentatio, quàm hostis euertit.* Sapienter item Glossa Interl. habet in illa Exodi 10. 13. *ventus vrens, leuauit locustas*, habet: Locustas esse linguas adulantium, quas ventus vrens, id est, suggestio diabolica leuat, & excitat. Vide item Gloss. ordina. in hunc locum ex Gregor. l. 31. mor. c. 12. to. 1.

C *Generatio prava.*] Meritò à Christo generatio *prava* nominantur hi, quod peccata parentum imitentur: sic Deus Ezechiel. 16. 3. cùm populo suo expostulat, quod parentes imitentur, & vitia moribus & vita exprimant: *radix tua & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa: & quando nata es, non est præcisus vmbilicus tuus.* quasi dicat, progeniem tuam ducis ab idololatris, & eiusmodi impietatis succo nutritus es, & in dies pariter nutriris prava quadam idolis seruiendi consuetudine, non secus ac infans sanguine matris corrupto alitur quandiu illius vtero fouetur. Docent enim qui naturæ arcana scrutantur, infantem quandiu intra matris vterũ continetur, corrupto matris sanguine nutriri, quem menstruum vocant: idque per certum quendam canalem, & intestinum ventri affixum, qua vmbilicus cernitur: porrò hic neruus vmbilicaris, vbi puer ille in lucem editur, resecatur. quod aliter accidisse huic populo significat Deus, cùm inquiunt eius vmbilicum non fuisse præcisum, hoc est, adhuc trahere à progenitoribus succum impietatis, & idololatriæ. Paulò aliter Maldonatus in hunc locum; vult enim agi hic de prima Iudaicæ gentis barbarie, deque Dei in illa excolenda beneficijs. nam antequam eam Deus eligeret, & ornaret adeò barbara, ita inculta erat, vt ex Chananæis potiùs, & Amorrhæis genita fuisse videretur, quàm ex Abrahamo; sed ad rem nostram magis nunc prior sensus accomodatus est, quam etiam expositionem quidam non indocti sequuntur. 6.

Cæterùm

7. Cæterùm hæc patrum in filios transformatio multò magis in moribus quàm alijs in rebus apparet, quam rem non ineptè eliciunt quidam ex libri 4. Reg. historia capite secundo, vigesimoquarto, cùm enim pueri Samariæ Elisæum conuicijs consectarentur, ac subindè aduersus illum per contumeliam ea verba vsurparent: *Ascende Calue*: Iussit Deus è sylua vrsos egredi, qui eos in frusta discerperent, & dilaniarent. quod factum à Deo est non tam propter petulantiam puerorum, quibus parum fortasis inerat mentis ad mala discernenda, quàm propter eorum parentes, quos pueri aliquando audierant fortasis, cùm de Prophetarum fama, ac gloria detraherent. Itaque vt hoc Deus significaret, illud puerorũ exitium maluit per vrsos, quàm per leones, aut tigres perficere. fertur enim Vrsa suos catulos sine vlla oculorum, oris, aut cuiusdam alterius partis lineamentis, ac figura in lucem edere, mox verò ita editos, lambere, expolire, & membris ita effingere, vt nullam speciem præter eam, quam eis mater imprimit, habere videantur. quoniam ergò hi pueri ita erant à parentibus edocti, ita illorũ moribus conformati, vt Prophetas irriderent, & parentum vitia quasi effigiem quandam referrent; propterea per illud animalium genus punire eos voluit, quod maximè in à se genitos se ipsum quodammodo transfundit. Et verò cùm tanta sit inter parentes, ac natos necessitudo, & amor, miraculo dandum videtur si quando liberi corruptos parentum mores non sequantur, atque adeò infelicem eorundem exitum non sortiantur, insinuari visum fuit aliquo modo in filijs Core, de quibus ait Scriptura Num. 26. v. 10. & 11. *& factum est grande miraculum, vt Core pereunte, filij eius non perirent*. Quare non est quod miremur, quamobrem Christus, qui videbat in his Scribis & Pharisæis signum de cœlo petentibus, obstinatam parentum suorum incredulitatem, his verbis illos excipiat: *generatio prauа, & adultera*, non obscurè exprobrans illis transfusum in illos à parentibus duræ ceruicis, & incredulitatis vitium.

Israelitarũ pueri irridentes Helisæum eum ab vrsis discerpti.

Vrsa lambendo catulos suos perficit.

DIGRESSIO III. MORALIS

In vers. 25. & seq. de Iona, & Niniuitis.

I. HAEc Niniuitarum ac Ionæ historia non pauca continet hominum moribus vtilia; proindè ea, quæ hic de ea dicemus claritatis causa, ad quinq; capita reuocabimus. Vnum pertinebit ad personam Ionæ, alterum ad tempestatem, tertium ad nautarum trepidationem ex tempestatis magnitudine coortam. quartum ad Ionæ proditionem. Postremum verò Niniuitarum pœnitentiam cõplectetur. Principio quod ad Ionam attinet, refert hic, & non obscurè repræsentat Ionas prædicatores tum externos Euangelicæ veritatis, tum internos. Ionas filius Amathi ad prædicandum mittitur; est autem *filius Amathi* idem quod *filius veritatis meæ*; quia nimirum Euangelij prædicator veritatem Dei, hoc est, quam à Deo accepit prædicare debet; non quæ suo ipse marte ad captandam auram popularem, vel ad vulgi voluntatem excogitauit.

Ionas prædicatorum typus.

Deindè Ionas columba est, si nomen interpreteris, quæ innocens, & cicur est auis, quia debent prædicatores Christi mansuetudinem imitari, & innoxiam vitam inter homines degere. verùm quamuis Iona columba sit, acribus tamen verbis iubetur exitium, clademque Niniue minari: *adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur*; nam Euangelij præcones, ita modesti, & mites esse debent, ita commiserationis viscera declarare, vt interim impendentem sceleſtis hominibus Dei iram efficaciter denuntient; & cùm res postulauerit etiam verborum amaritudini, & acerbitati minimè parcant, defleant sanè, & vt columbæ gemant ob hominum miseriam, & quæ ab illis malè commissa sunt, proprijs redimant lacrymis, vt peccantibus à Deo magnis gemitibus veniam petant, & obtineant, & magno tamen honoris Dei zelo scelera hominum detestentur, palam & acriter reprehendant, & quæ illis, ni errata corrigant, supplicia immineant, non dissimulent. non arma timeant, non Niniues pulchritudine capiantur, non magnitudinem metuant, non Principum potentiæ cedant, non impudentiæ parcant, cùm id Euangelij veritas exposcit; alioquin illud de ipsis dici poterit, quod est apud Isaiam cap. tertio: *populeus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt*, & hęc de externis prædicatoribus.

2. *Inspirationes diuinæ prædicatorũ instar.*

Verùm præter hos ipsæ à Deo immissæ cogitationes sanctæ, & impulsus ille spiritus boni, quem Deus vidente nemine, tanquam nuncios cœlestis salutis, & Euangelicę veritatis ad animam transmittit, prædicatores etiam quidam sunt, qui quoniam sub oculorum obtutum non cadunt, & sine verborum strepitu loquuntur rectè prædicatores interni nuncupantur. qua in re illud obseruare oportet ne decipiamur: habere malum Dæmonem etiam suos istos interiores prædicatores; & ideò circumspectos nos esse oportere ad discernendum eas cogitationes, & impulsus, quæ à Diabolo, & quæ à Deo immittuntur.

Diabolus enim per suas cogitationes, quas nobis inserit, vel peccantibus blanditur, vt suum peccatum non videant, ac proindè neque illud à se procul abijciant: tenebras etiam rebus clarissimis interdum offundit; etenim docet, vt cùm facinorosus aliquis sit, multas tamen se habere virtutes sibi persuadeat, multa, quæ prudentibus, ac primarijs viris valdè probentur: quod si quid peccatur condonandum id esse ætati, hominum naturæ, occasioni, tempori, amicitiæ; superesse adhuc plurimum vitæ, ad pœnitentiam; nosse Deum debiles mortalium vires; patientem, & misericordem esse, & tempus libenter peccatoribus ad pœnitendum concedere. contrà verò, præsertim cùm suprema imminet vitæ hora, in desperationem dejicere miserum hominem contrarijs omninò cogitationibus conatur. quod non rarò etiam efficit cum quibusdam, quibus actum

esse de salute persuasit, vt propter cõscientiam scelerum desperata salute, præcipites in vitia omnia ruant, atque ita omnibus se vitæ oblectamentis, & sceleribus mancipent. Sic Dæmõ contrarijs vijs incedit, vt peccatoribus imponat, ac secũ in æternas, tartareasq; pœnas ruere faciat. At Deus sic allicit, vt terreat, sic terret vt alliciat. allicit spe misericordiæ, terret iustitia. Etenim in memoriam reuocat extremum iudicij diem, & quæ sint peccantibus parata supplicia, vt quanto sint in periculo videant, & tandem ad meliorem frugem redeant. Ac ne peccatorum conscientia quasi fluctibus obruti desperent salutem, excitat illos, atque animat passionis suæ recordatione, & bonitatis suæ indicijs iacentes erigit, veniam pollicetur, blandè inuitat, medicamenta spiritualibus morbis apta demonstrat, ita vt nunquam à misericordia seueritatem, nunquam à seueritate misericordiã seiungat. ℣ apud Isa. c. 1. 19. legimus: *si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis gladius deuorabit vos.* & his similia apud Prophetas legere est, inprimis apud Ezechi. c. 18. & 33. & hoc tandẽ est, Ionã .i. columbã mittere, ore tamẽ diuini iudicij districtã sententiã ferẽtem: *adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.*

3. Ionas peccatoris imago.

Ad hęc considerandum est in Iona, quod fugerit à facie Domini. qua in re repræsentat nobis Ionas peccatoris personam, cuius tanta est insania, & stultitia, vt quodam modo fugere se posse putet à facie Domini, eumque fallere; ℣ effecit Adam; fugit enim à facie Dei, vt videre est Gen. 3. 8. cùm enim primi illi homines audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem, absconderunt se. fugerunt sanè; sed non ideò effugerunt faciem Domini. Cain quoque stultè arbitratus est posse se latere Deum. stultè & illi Psal. 93. 7. qui dixerunt vbi multa patrassent scelera: *non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob:* quos meritò confutat Dauid: *intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite: qui plantauit aurem non audiet? Aut qui finxit oculum non considerat?* quod alibi idem propheta immensam Dei sapientiam admiratus sic testatus est Psal. 138. 6. *mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, & non potero ad eam. Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam:* & Ierem. 23. 23. inquit Deus: *putas ne Deus è vicino ego sum, & non Deus de longe?* q.d. an non ego vbique, vt possim vos punire, neque quisquam possit manus meas effugere? quem sensum eo loco videntur septuaginta reddidisse, licèt Hieron. Aquila, & Symmachus in hũc sensum interpretẽtur verba Dei: *num ego cognosco quæ prope sunt, & nõ etiã quæ longe, vt ignorem quid vobis olim euenturũ sit.* quibus fauent sequentia verba v. 24. *si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum dicit Dominus?* ℣ Dauid dixit Psal. 138. 5. *ecce tu cognouisti omnia nouissima & antiqua.* & Paulus ad Hebr. 4. 13. *omnia nuda & aperta sunt oculis eius.*

4. Est & aliud quod in hac Ionæ fuga contemplemur, confirmari videlicet hoc facto fugientis prophetæ, id quod vtiliter animaduertit Gregor. lib. 6. mor. c. 13. in illa Iob. cap. 5. *qui comprehendit sapientes in astutia eorum*; sic enim de Iona scribit: *sed quia nonnunquam astu-*

A *tè se aliquid sapere etiam electi mo[ntur], libet ad medium alium sapientem deducere [quomodo] in internis consilijs sapientia mortalium [com]prehendatur, demonstrare. prudenter quippe [sibi] sapere, voluit cum ad prædicandam Niniuitarum [sa]pientiam missus, qui electis gentibus Iudæam de[si]mulit, prædicationis officium implere recusauit [Tha]rsim petijt, fugere Tharsis elegit: sed protinus [tem]pestas exoritur, sors mittitur, vt videlicet co[rri]piatur cuius culpa mare turbetur. Ionas in culpa [com]prehenditur, in profundum mergitur, ceto sorben[di] repentè deuoratur; atque illuc gestante bellua p[er]ducit, quo ire sponte contempsit. Ecce fugitiuum [Dei] tempestas inuenit, sors ligat, mare suscipit, bel[lua] includit; & quia auctori suo obedire renititur, [in] locum, quo missus fuerat, suo reus carcere portat[ur]. Iubente Deo ministrare homo prophetiam voluit, [mi]nistrante Deo bellua prophetam vomuit. Compre[hen]dit ergo Dominus sapientes in astutia eorum, quo[ni]am & hoc in vsum suæ voluntatis redigit, per quæ [sibi] voluntas humana contradicit. sic Gregor.*

B Nec dissimulanda duo alia [sunt] in hac eadem fuga, nimirum, quod dum à facie Domine fugit Ionas, in Tharsis nauigat, & dato naulo fugit. nam profectò quia à Domini facie fugit in Tharsis, in mare fugit, quo nihil instabilius, nihil periculosius, & cùm liceret in tuto consistere, fluctus, & procellas experiri libet peccatori, & exiguo, fragilique ligno animam suam credere non veretur. nam quid rogo boni potest esse ei, qui fugit bonum? quę lux, quale gaudium ei qui lucem propter tenebras, sinceram animi voluptatem propter mœrores, &

C angores deserit? An quæso stultius aliquid excogitari peccatore possit, qui tranquilla, ac suaui vita contempta in tantos se perturbationum fluctus vltrò conijcit?

Sed neque minor est altera peccatoris stultitia, qua magno pretio ac labore sibi emit ea, quæ diximus mala, sicut Ionas mare ingressus est dato naulo, quo non aliud quàm luctus, & tempestates, & pericula coemit, sed multo graciore naulo, & pretio assequitur peccator ea quæ cupit; quæ re ipsa ærumnæ, angores, pericula, perturbationes, terrores, labores, denique omne malorũ genus vel sunt, vel secũ cõuehũt.

Ingreditur mare peccator relicto Deo, vt quærat quod cupit, sed immisso vento magno videt sæpe miser nihil se aliud fecisse cũ à Deo fugit, q℣ ℣ à Deo ꝓpitio fugerit ad iratũ Deũ, neq; in. Deum fugere potuit, tũc verò in mare

D prævalido irruente vento tẽpestas magna fit, cũ variæ, aduersęq; sibi mutuo perturbationes in anima peccatoris exsurgũt, quæ omnem illi lætitiã, animiq; tranquillitatẽ adimunt, & hæc de persona Ionæ, eiusq; fuga dicta sint. Venio ad alterum tempestatis Caput.

In fugientẽ Ionã tẽpestatẽ immisit Dominus, ℣ q℣ aptè factum sit hac similitudine docet Chrys. ho. de Iona to. 1. sunt tibi duo serui, vnus fur, alter fidelis. fur scyphum furatur, & fugit; mittis post eũ fidelẽ, q eũ insequatur, & capiat. ita fugit impius peccator nolẽs Deo parere: sed mittitur post eũ tanquã fidelis Dei Minister, spiritus procellarũ, quæ faciũt verbũ eius, qui etiam mari præceptũ posuit, & nõ præteribit. Spiritus iste procellarũ vexationes sunt, & ærumnæ, persecutio, pericula, morbi, filiorũ in-

teritus

5. Peccatorũ stultitia in Iona expressa.

6. Peccator pretio emit mala.

7. Peccator fugiens à Deo propitio tendit ad iratũ.

8. Et varijs malis ab eo tanquam tẽpestatibus vexatur.

Peccatores vltrò [sibi] mala inferunt quæ Deus vult.

teritus, diuitiarũ amissio, & cætera innumera mala, q̃ solet Deus immittere, & quib⁹ tanquã arctissimis vinculis, & teterrimo carcere cõpellit aliquo modo peccatores vt resipiscant. Verùm sicut nõ quieuit tẽpestas aduers⁹ Ionã immissa, quãuis impedimẽtis, sarcinis ac mercib⁹ in mare proiectis, quia nõ hęc quærebat spirit⁹ illę procellę excitatus à Deo, verũ Ionã, quem cũ deuoraſſet turgidũ mare, quieuit illicò. eodẽ planè modo cũ à Deo vexaris peccator, te insequitur ille, nihil mundi solatia proderũt, nihil amicorũ cõsuetudo, nihil cõsilia vanorũ hominũ iuuare poterũt, frustrà medicũ accersis, in Aegyptũ auxilij petẽdi gratia frustrà descẽdis: hęc externa fũt: redi ad Deũ tuũ: peccata tua proijce in profundum maris; sic cessabit tempestas: quòd si permaneat adhuc, tuo bono permanebit si conuertaris.

9. *Quæ nõ quieſcent donec ipſum comprehenderint.*

10. *Quod ipſum beneficij loco habendũ eſt.*

Sed vide ne ea cogitatio animũ tuũ occupet cũ te ijs, quę numerauim⁹, malis, castigat Deus, vt putes beneficiũ maleficiũ esse, amorẽ odiũ, misericordiã sęuitiã. ecce tibi, si permiss⁹ fuisset Ionas more suo agere, ad Dei obsequiũ non redijsset: quod in maximum ei⁹ exitium cessisset. at nũc tẽpestate agitat⁹, in mare proiectus, validissimis perturbationũ vndis exercit⁹, redijt ad Deũ à cui⁹ facie fugerat; idq; nõ aliter, quã ipsa illũ ducẽte tẽpestate, & ad Dei seruitutẽ reuocãte. Nescio an mai⁹ aliud sit irati Dei signũ in peccatores, quã si illos impunitos hic relinquat, si permittat illis omnia ad nutũ succedere, si sinat eãdem vitiorũ viã insistere, nec immisso procellarũ vẽto illos insequatur. Audi quid de his scribat Dauid Ps. 80. 13. *dimisi eos secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis.* quibus etiam & Deus dicit: *egredere, & abi post vestigia gregum tuorum,* Cant. 1. 8.

11. *Pœne autem loco ducendũ ſi permittatur ire viam ſuam.*

Væ quibus dicitur Oseæ 4. 14. *non visitabo super filias vestras cũ fuerint fornicatæ, & super Sponsas vestras cũ adulauerint,* in quẽ locum sic scribit Hierõ. *grandis offensa est postquã peccaueris irã Dei non mereri.* & paulò inferiùs: *quando,* inquit, *videris peccatorẽ diuitijs affluere, iactare se potentia, sanitate gaudere, delectari cõiuge, corona circundari liberorũ, & impleri illud quod scriptum est,* Psal. 72. *in labore hominũ non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, scito in illo cõminationem Prophetæ esse cõpletam: non visitabo super filias vestras, &c.* Docet etiã in eundẽ locum idẽ Hieron. Deum visitare. i. punire peccatores, vt veluti cauterio & amarissimis potionibus: recipiant sanitatem, & morbis careant, q̃ Psal. 88. 33. significatur: *visitabo in virga iniquitates eorũ, & in verberibus peccata eorũ, misericordiam aũt meam non dispergam ab eo.* ergò qui amatur corripitur; qui negligitur, suis peccatis dimittitur. & eadem habet in traditionibus Hebraicis in illud Genes. cap. 6. *non permanebit spiritus meus,* &c.

12.

Sed nihil hac in parte acerbi⁹ dici potest eo q̃ habet ad Rõ. 1. 24. *propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis,* & v. 28. *tradidit illos Deus in reprobũ sensum, vt faciant ea quæ non cõueniunt.* quod est nõ modo nõ punire illos vt resipiscãt, verũ in grauia etiã & turpia, sinere illos labi peccata. hoc sanè maximè horrendum esse Dei suppliciũ, testis est Orig. lib. 3. Periarc. c. 1. testis Chryſ. hom. 37. in Ioan. testis Augu. serm. 37. de verbis Domini. testis Greg. hõ. 12. in Ezech. qui etiã l. 62. mor. c. 14. cũ Chryſ. lo. ci. hoc ipsũ esse magnũ argumentum, & futuræ damnationis signum affirmat.

A

Est ergo magnum Dei beneficium non sinere Deum hominẽ more suo viuere, & post scelera sua abire, sed flagellis inflictis ad cor illum reuocare, q̃ Oseæ 2. indicat Dominus se cũ anima facere, quã diligit: licèt. n. illa per summam animi ingratitudinẽ à Deo desciuerit, & in transfugæ morem ad mundi, carnis, & dæmonis transierit castra, dixeritq̃ aliquando quod est apud eundẽ, Oseam loc. ci. v. 5. *vadam post amatores meos qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum.* Benignus tamen Deus non sinit illam sic ire; quare subdit ver. 6. *ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas*

B

suas non inueniet; & sequetur amatores suos & non apprehendet eos, & quaret eos & non inueniet. Quamobrem id? vt tandem ad se reuersa dicat id quod ibi ver. 7. habetur: *vadam & reuertar ad virum meum priorem: quia benè mihi erat tunc magis, quàm nunc.* Videsne quòd per ærumnas, & flagella didicit ad Deum redire, dum non sinitur à benigno Deo ad nutum suũ agere, & votis suis potiri. sic Iacob cũ delicijs frueretur in domo Laban, domũ patris sui ferè obliuioni tradiderat. at vbi vidit soceri sui Laban immutatã esse faciẽ aduersis rebus eruditus: *vadã,* inquit, *ad terrã Patrum meorũ.* ita interdũ vsuenire solet, vt quis delicijs affluens Dei sui obliuiscatur, at exorta tẽpestate repetit eam, quam depoſuerat Dei, ac cælestium bonorum memoriam. illudq̃ Ierem. 2. 19. non sine dolore

C

meditatur & lacrymis: *scito & vide quia malum & amarum est reliquisse Dominum Deum tuum.* sic egestate compulsus, & ęrumnis confectus rẽdijt tandem prodigus filius ad amplexum, osculaq̃ Patris sui, à quo ingratus discesserat. hæc ergò omnia docet nos coorta aduersus Ionam tẽpestas. Sed tempus est vt ad tertium caput veniamus quo ingens nautarum trepidatio in ea exorta tempestate continetur, quod sequenti Digressione fiet.

DIGRESSIO MORAL. IV.

Prosequitur auctor cæteras Historiæ prædicationis Ionæ circumstantias.

13. *Conclusio.*

QVANTA fuerit ea, quæ à Deo immissa fuit tẽpestas, sat docet scriptura, dum ait Ion. c. 1. 4. *facta est tẽpestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri* satis indicat trepidatio illa & tumultus nautarum, v. 5. *& timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deũ suũ, & miserunt vasa quæ erãt in naui in mare, vt alleuiaretur ab eis. arbitrãtur,* inquit Hierõ. *nauem solito onere prægrauari, & nõ intelligunt totũ pondus esse fugitiui Prophetæ.* quid namq; grauius est peccato, q̃ solum homines in profundã demergit voraginẽ? non potuit cælum quãuis solidissimũ, quasi æreum sit, Angelorum peccatum sustinere; quin & ipsi Angeli licèt omnis ponderis expertes sint, statim ac lapsi in peccatum sunt eius pondere oppressi in inferna detracti sunt. neq; verò aliud animas illas, quæ purgatorio igne lustrantur in imo, & tenebroso detinet loco, & nec sinit in cælum euolare, quã peccati pondus, hoc est, vel leues culpæ eluendæ, vel peccatorũ pœnæ

D

1. *Peccati quã tum pondus.*

nondum persolutæ. hoc onere prægrauati Aegyptij summersi sunt in mari rubro, *abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis*, Exo. 15. 4. 5. hoc onere premebatur Dauid cùm Psalm. 37. 5. sic querebatur: *quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me*. hoc ergo erat onus, quod Ionæ nauem prægrauabat, eo exonerandа erat. Næ tu etiam cùm persecutionum tempestate vrgeris; cùm te persequitur Deus vt vitam & mores corrigas; cùm te procliuem sentis ad fluxa hæc bona, nec facilè posse in cælum leuare animum; cùm agente Dæmone varijs tentationibus agitaris, mitte de naui cõscientię tuæ onera tua, hoc est, peccata proijce; sic enim nauim alleuaueris, & rectum, ac prosperum in cælum nauigationis iter confeceris. hic ergo est primus, quem ex hac tempestate desumere possumus, fructus.

2. *Cauendum malorum consortium.*

Et verò alter est non minus vtilis, cauendum esse à peccantium hominum consuetudine, & conuictu, quos præsertim Deus ob patrata scelera persequitur. nam quoniam in eadem naui erant nautæ, in qua & Ionas, qui à facie Dei fugiebat, delicti conscius, ob id simul cum illo cæteri omnes in eodem versabantur periculo propter illum, erant enim in eadem naui. Refert Irenæus lib. 3. aduersus hæreses c. 3. cùm Ioannes Apostolus Ephesi balneum esset ingressus, vbi Cherintus hæreticus lauaretur, exilijt inde statim ac eum vidit, his verbis præsentes allocutus; timere se ne balneum concideret, in quo esset Cherintus veritatis inimicus. quantũ Deus bone, tumultum, & querelas excitauit in populo Dei tempore Iosue vnius Achani peccatũ, quod aliquid ex ijs furatus esset, quæ Dominus contingi prohibuerat? lege Iosue c. 7. propterea enim tria hominum millia ex populo Dei ab hostibus in fugam coniecta sunt, & plures etiam interfecti. itaque punit interdum Deus, magnisque incommodis afficit aliquos propter malorum hominum cõiunctionem, eandemq; cum illis habitationem, quibus sæpè malis non corriperentur si seperati ab illis essent.

3. *Pijs trepidãtibus impij securi sunt.*

His accedit tertia vtilitas quæ se se nobis offert ex eadé tempestate. quis enim nõ miretur in tanta nautarũ trepidatione, rerumq; omniũ discrimine; solum Ionam, propter quem tamẽ coorta erat ventorum illa concertatio, & tanta maris turbatio somno correptum iacere? ita in Ecclesia nonnunquam accidit, in medijs periculis pios vehementer esse sollicitos, & ad solitum orationis præsidium confugere, conscientiæ maculas, si quæ insunt, diligenter abstergere, & flagris, cæterisq; pœnarum generibus, suppliciter à Deo sibi, alijsq; veniam petere. dicunt enim cum Iob. c. 9. 28. *verebar omnia opera mea sciens quod non parceres delinquenti.* At impij quibus maximè timendum esset, nihil sæpè timent aduersi, quia nec aliorum pericula ad se pertinere putant. quare nec verè peccata relinquere, nec ad Deum redire, nec mala facta inflictis sibi pœnis castigare cogitant, quibus iratum numen placent; nimirum altissimo veterno occupati dormiũt, vel stertunt potius: præsertim verò ij, de quibus Prouerb. 18. 3. legimus: *impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit, va... nominia, & opprobrium.*

Quare rectè, apteque id qu... ditum est memoriæ, 1. Reg. 26... cadit. Cùm enim Dauidem in... dia, & odio stimulatus non iu... stitiæ zelo: de sua salute m... nec quod in manus eius, que... incidere posset, cogitans sopo... quando, tum cùm eum ita do... nit Dauid, vt nullo negotio... vita spoliare posset: quamuis... ctum sit, vt ab eius cæde abst... planè modo scelesti homines ... furijs agitati, dum mundi vo... vitia sequuntur, altè dormiun... lute, nihil de animæ, corporis... hil de infesti dæmonis crud... Sed vide interim, lector, & a... istos misericordiam & patie... enim illos sic malè tutos, & n... lis quasi sopitos Dæmon inuad... ctos secum ad inferna traheret... monis in illos potestatẽ cohiberet? q... tur, quantasq; gratias agere debeas D... tor diligenter aduerte, propterea quo... libidinẽ & potestatem diaboli iam ... hinc annis traditus, & pœnis tartareis... fueris, & resipisce miser Dei saltem i... miseratione commotus, neque eius... pergas abuti patientia. horrendum s... manus eius incidere vbi te toties ad ... tiam & inuitauit, & expectauit.

Sequitur quartum caput eorum, q... storia Niniuitarum & Ionæ cõsidera... posuimus Digress. superiore, n. 1. pe... tem hoc caput ad prædicationem Io... sic describit Scriptura: *adhuc quadrag... Niniue subuertetur*; quæ eadem est p... cum illa, quam iubet Deus peccatori ... *est interitus tuus*. sanè multis verbis... Deus de Prophetis insipientibus, qu... toribus blandiantur, nec parata supp... nuncient, vt resipiscant. sic enim ait E... 19. 3. *& erit manus mea*, Chald. plaga me... *Prophetas, qui vident vana & diuinant me... in consilio populi mei non erunt*, non cen... tur in populo meo, & non erunt par... secreti boni, quod ego populo meo re... *& in Scriptura domus Israel non scribentur*, ... in Catalogo Israel, q.d. non reuertentur ... ptiuitate in Israel. nam qui reuersi sunt ex... ptiuitate recensiti sunt, & in catalogum p... relati Esdræ 1. cap. 2. *nec in terram Israel ingr... entur*. quæ verba sunt explicatio præcede... partis, & possunt hęc accipi spiritualiter de i... gressu in cælestem Israel, & absolutione à ca... ptiuitate peccati, *& scietis quia ego Dominꝰ Deus... eo quod deceperint populum meum, dicentes, pax,... & non est pax*, inanem securitatem populo pro... mittentes; *& ipse ædificabat parietem, illi au... tem liniebant eum luto absque paleis*, hoc est, po... pulus promittebat sibi securitatem, hæc enim... per parietem rectè significatur: at prophet... confirmabant populi securitatem, falsis, & de... bilibus rationibus, hoc enim est linire pari... tem luto absque paleis, facilè enim ruit... *dic ad eos qui liniunt absque temperatura*, absqu...

paleis,

Digitized by Google

paleis, *quod casurus sit*, id est, securitas quâ pollicentur, concidet: *erat enim imber inundans*, sic nominat Chaldæorũ exercitũ, sicut & Ierem. 47.2. & Isai. 8.7. & 17.13. *& dabo lapides prægrandes desuper irruentes*, id est, duces exercitus, *& ventum procellæ dissipantem*, omnia deijcientem. videtur autem intelligere Regem Babylonis, de quo Propheta c. 1. 4. *siquidem ecce cecidit paries: numquid non dicetur vobis, vbi est litura quam linistis?* hoc est, exprobrabunt vobis malè firmam fiduciam & securitatẽ vestram, interrogantes vos vbi nam sit. similem fermè commminationem habet, Ierem. c. 4. 10. & 6. 14. & 8. 11.

6. *Achab ab ijs decepit.*

Similes istis erant quadringenti illi Prophetæ, qui falsò prædicebant Acabo Regi in bello victoriã, cõtra quem tamen Deus mortis sententiam tulerat, 3. Reg. 22. non aliud ergò tibi peccator dicere possumus, quàm quod Niniuitis dictum est: *& Niniue subuertetur*, vel quod Tob. 14. 6. legitur: *propè erit interitus Niniue*. i. tuus. age igitur pœnitentiam, cum tibi Dei nomine minas intentari audieris, & quia Deũ offendẽdo multa quæ tibi facere nõ licebat, impiè perpetrasti, nũc etiam debitas de te pœnas reposcens, à licitis etiam abstine. hoc. n. luctus, & pœnitentiæ tẽpore faciendum est ad auertendam iustã irati Iudicis iram. Chrysost. in illa Gen. 7. 13. *ingressus est Noe, & Sem, & Cham & Iapeth filij eius, vxor illius, & tres vxores filiorum eius cum eis in arcam*: obseruat separasse Scripturam hoc loco viros à fœminis. nam quãuis ij de quib⁹ est sermo hic, viri & vxores essent inter se, & liceat viro cũ vxore sua habitare; quia tamen pœnitentiæ vel diuinæ vltionis tempus aderat, seorsum hi ab illis, sicut erant corpore separati, numerantur. vnde constat si verè pœnitet scelerum à licitis abstinendum nobis esse, quando illicita perpetrauimus.

7. *Vera pœnitentia virtutum opera habet adiuncta.*

Sequitur postremum caput de pœnitentia Niniuitarum. Ante omnia non indiligenter animaduertendum est, veram pœnitentiam virtutum sibi opera habere semper adiuncta. sic enim elegãter Chryso. hom. de conu. Pauli tom. 3. non obscurè significat exẽplo Pauli, & Iudæorum collatione facta inter vtrosque. hi enim in horto interrogante Christo: *quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum*, quibus Christus *Ego sum*. qua voce percussi in terram illicò conciderunt, retrorsum abeuntes. ille verò, id est, Paul. interrogatus à Christo: *Saule Saule quid me persequeris?* Respondit: *quis es Domine?* & cùm respõsum illud accepisset: *ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris*, etiam & ipse in terram statim corruit non secus ac Iudæi, diuerso tamen effectu. Iudæi quippè velociter vt Christum apprehenderent, & contumelijs afficerent surrexerunt, nihilo meliores effecti, &, vt inquit Chrysost. lapidibus insensatiores. quid enim stupidius illis, qui retrorsum cùm corruissent, iterum surgunt, vt inuadant? at nõ ita Paulus, sed cælesti vi cedens, suauiter, ac blandè Seruatori respondit: *Domine quid me vis facere?* priorem planè viam detestatus, & omninò meliora cogitans. quare egregiè Chryso. concludit: *simile vtrobiq; virtutis Christi indicium, similiaq; remedia, at non similis correctio.* nam *illi in cæcitate sua manserunt*, at *Paulus anima sincera, bonaq; voluntate ad fidem accessit*. quibus omnibus satis constat, non satis esse extrinsecus concionatoris verba auribus insonare, nec sufficere ad salutem quod Deus inspiret id quod faciendum est, si nobis ipsi desimus, nec Dei auxilio per luctus, & bona pœnitentiæ opera cooperemur, prompta volũtate suscipientes cælestem spiritus impulsũm; quod effecere Niniuitæ postquam Prophetæ minas perceperunt.

Niniuitarũ pœnitentia.

Etenim omnes à se corporis abiecere voluptates, cilicijs, & flagris indomitam, & effrenatam carnem edomantes, illamq; sic rationi parere cogentes; nec ipsi modò cibo abstinuere, sed & iumentis etiam ieiunium indixere, cæteraque multa pœnitentiæ signa, superioris vitæ maculas eluere cupientes, ostenderunt, & hac demum arte illi tunc veniam à Deo obtinere meruerunt. neque ab his aliena Paulus, de quo paullò antè, se fecisse commemorat ad Galat. 1. 15. *cùm autem*, inquit, *placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt Euangelizarem illum in gentibus, continuò non acquieui carni, & sanguini.* sic de sola tantum Dei voluntate; & gloria sollicitus priora contempsit.

8.

Vehementer vereor ne nobis obijci possit quod olim Iudæis dictum est: *viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquam Ionas hic.* illi ad vnius serui, eiusque ignoti vocem tam insignem pœnitentiam egerunt; nos cùm quotidie Deum ipsum Dominum in Scripturis, & in Ecclesijs loquentem audiamus, vix quidquam mouemur. vnus illis dies satis fuit vt ad Deum rediret, nobis tot mensium interualla, tot annorũ curricula non sufficiunt, vt pristinum viuendi modum corrigamus; illis, solis verbis subuersionem comminabatur Propheta, & toto tamen & corpore, & animo cohorruerũt, nos toties æternis supplicijs intentatis nihil afficimur; illis quadraginta dierum spatium concedebatur, vt ad meliorem frugẽ redirent priore vita derelicta, nobis ne hora quidẽ vna certa, securaq; ad vitam promittitur. illi vniuersi summi, medij, infimi, meliora concepere, nos in dies peiores euadimus, & vix vnquam vllũ emaculatioris vitæ signum damus. Postremò ne longum faciam, tot illi se afflixere supplicijs, vt diuinum numen placarent, quamuis idola colerent, nec veram planè Dei cognitionem haberent; nos Christiani, Deique veri religionem multos iam annos professi, ita affixi voluptatibus hæremus, ita terrestre hoc corpus amamus, ita vitijs insistimus, & inordinatis animi affectibus inhæremus, vt quiduis quamuis paruum, quamuis leue pati minimè possimus, vel de nostris delicijs quidquam detrahere audeamus, & non ignoramus tamen paullò pòst, vel nobis inuitis ista esse omnia relinquenda, ac longè præstantiora bona esse reposita in cælis fluxarum rerum contemptoribus, earum verò sectatores sempiterna manere supplicia non dubitamus.

Christiani peiores & duriores Niniuitis.

9.

Quare meritò in nos conuenire dixerim illa Ierem. verba c. 2. 10. quibus Deus rebellem populum accusabat, quod se contempto seruiret

ret idolis: *trãsite*, inquit, *ad insulas Cethim*, in Cyprum, vbi ciuitas Cethin, hinc Ieron Citthei: nisi malis Italiam seu Græciam intelligere: *& videte, in Cedar mittite & considerate vehementer: & videte si factum est huiusmodi.* i. in Arabiam atq; adeo ad barbaras & remotissimas quasq; nationes mittite, qui explorent diligenter, ecquid tale apud eas fiat, quale fit apud vos: *si mutauit gens Deos suos, & certè ipsi non sunt Dij; populus verò meus mutauit gloriam suam*, Deum videlicet suũ, quo gloriatur, *in idolum*. i. in id quod nihil prodest, vt sunt idola, vel etiam peccata, voluptates, res vanæ, vnde summa miseria, sempiternus interitus, vtilitas nulla consequitur. *Obstupescite cæli super hoc.* i. cùm id quod dicturus sum, audieritis, *& porta cæli desolamini vehementer*, lugete, vel more abiectorũ mæstitiam indicate, seu inhorrescite cum Septuaginta. *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ*, perpetuò manantis, vel vitam dantis, q. d. qui perpetuò illos iuuare possum, & sempiternam vitam largiri: *& foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas*, non sine labore magno elegerunt, & conquisierunt ìdola, seu fluxa bona, infirma & inania; *quæ continere non valent aquas*, quæ nulla in re eos iuuare poterunt. Propterea minimè admirari debemus, si tot interdum vrgemur malis, si tot fæpè à Deo flagellis cædimur, si toties res Christianorum malè succedunt, si prædæ, si direptioni hostibus sumus, cùm adeo duri ad pœnitentiam simus, vt nullis Dei querelis, nullis prædicantium vocibus, nullis exemplis indoleamus. sic loco iam cit. v. 15. subdit Deus: *quare ergo populus meus factus est in prædam? super eum rugierunt leones, & dederunt vocem suam*, Reges, & Principes exercituum infidelium contra Israelitas vel populum Christianum inhiarunt tanquam leones rugientes in eius prædam; *posuerunt terram eius in solitudinem; Ciuitates eius exustæ sunt, & non est qui habitet in eis.* quod si scire cupis, quæ sit horum malorum causa, audi: *nunquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum?* & pergis tamen peccator cùm hæc audias, vel legas, Deum ad iracundiam prouocare. propterea sic iure conqueritur Deus eodem loc. v. 18. *& nunc quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquã turbidã? & quid tibi cum via Assyriorũ vt bibas aquã fluminis?* hoc est, quid quæris adhuc mundi voluptates, quid consectaris ea quæ tibi mortem afferent sempiternam? *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te*, id est, castigabit te, & faciet vt res aduersas, & contrarias experiare, ex quibus disces quàm malum, & amarum sit dereliquisse te Deum tuum. propterea subdit: *scito & vide quia malum, & amarum est dereliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus exercituum.*

10. Restat iam videre quænam speciatim fuerint ea pœnitentiæ opera, quæ sibi Niniuitæ indixerunt, vt peccatorum pœnas darent, quibus iratum numen placarent, eaque ad nostros mores accommodemus. & primùm quidem crediderunt illi seruo Dei Ionæ, & præterita peccata lugentes, ieiunarunt; deindè se saccis operuerunt; mox cùm prædicationis Ionæ fama percrebuisset, peruenit rumor ad Regis Niniue aures, & optimates eius. & quidem Rex regio honore posthabito, & regali vestimento abiecto, indutus est sacco, & sedit in cinere, iussitque per præconem edici per Niniuẽ ex Regis, & Principum eius decreto: *homines, & iumenta, & boues, & pecora ne gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant: & operiantur sacco homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus?* &c. Ionæ 3. 7. nec viri solum, verùm etiam pueri, & iumenta, quod mirere maximè, saccis operiri iussa sunt. quæ omnia sic ad rem nostram, vtilitatemque conuertemus.

Primùm enim credere oportet vera esse ea, quæ à Deo, diuinique verbi præconibus, & quæ Spiritus S. in scripturis contra peccatores, supplicia minatur. indè ex attenta peccatorum nostrorum cogitatione lugendum erit, vt hac saltem ratione peccati sordes abluamus, dolori etiam, ac luctui solemne ieiunium adiungamus, quo tanquã primo induméto animas nostras operiamus, & tanquam armis impenetrabilibus pectus muniamus: *operui*, inquit Dauid Psal. 68. 11. *in ieiunio animam meam.* vnde infert Ambros. in l. de Elia, & ieiunio cap. 4. *gula ergò nudos facit, ieiunia operiunt, & exutos: bonum operimentum quod animam tegit, ne à tentatore deprehendatur, ne à tentatore nudetur.* quare præclarè nos Episcopi Africani epist. ad Siricium Pontificem, quæ 1. to. Concil. habetur, ita monent; *audiant Prophetam dicentem: cooperui in ieiunio animam meã. ergo qui non ieiunat intectus & nudus est, patet vulneri. denique si Adam se texisset in ieiunio non fuisset nudus effectus.* Rectè: sunt enim animæ nostræ venenatis aduersarij nostri sagittis expositæ; patent vindicis iustitiæ Dei telis, quas si non operuerimus tegumento ieiunij, nequibunt profectò multis cõfossæ vulneribus non interire. sic ergo Niniue se à morte ieiunio liberauit.

II. Sacco opertis mystice quid sit.

Sed neque nobis satis erit primum hoc vestimenti genus nisi adijciamus & alterũ, & saccis etiam operiamur. quod est pristinę vitę vilitatem, & veteris vitæ turpitudinem exterius aperire, quòd tum profectò fit, cùm per integram, humilemq; confessionẽ, quæ intus peccata latebant magno Dei beneficio homini Dei locum tenenti, detegimus. etenim si intus quæ exæstuat febris, & viscera nostra depascitur, non prodit foras, longus sanè & periculosus erit morbus, & mortẽ sæpè inuehens: ita & peccatũ, si foras per confessionẽ erumpat, aufertur, si lateat, interimit. Proindè Dauid quãdiu peccatum texit, nunquam illi esse quieto licuit; at cùm primùm aperuit, *peccaui Domine*, audijt à Propheta, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris*, 2. Reg. 12. 13.

13. Principes & Antistites pœnitentiæ agere debere.

Verùm tum ad Regem & Principes sermo pœnitentiæ peruenit, cùm Christiani populi capita, Antistites, sapientes, quiq; alijs præsunt, peccata inspiciẽtes, quibus Deum ad irã, indignationemq; prouocatum vident, primi mollẽ, ac delicatã vitã abijciũt, & se pœnitẽtiæ saccis accingũt, si fortè suo antea exemplo cæteris nocuerãt; hoc. n. cùm faciunt, veluti firmiter, stabiliterq; decernunt, & edicũt, vt similia oẽs

agant

agant; vnde fiet vt ad eorum exemplum totus componatur populus, & Deum frequentibus lacrymis, solemni ieiunio, cilicio, alijsque bonis virtutum operibus ad misericordiã inflectant, eius iram auertant, & commissorum tandem veniam obtineant. aliter si fecerint, frustra clamabũt, & leges condent, si à clamore, & à legibus eorum vita discordet. hinc sanè consequetur, vt & homines, & pueri, & iumenta saccis operiantur, hoc est, vt ait Hierõ. rationabiles, & irrationabiles, prudentes, ac simplices pœnitẽtiæ se dedant, & illud impleatur, Psalm. 35.7. *homines, & iumenta saluabis Domine.* tunc videbit Deus opera nostra, quia cõuersi sumus de via nostra mala, & miserebitur Deus super malitiam, quam loquutus fuerat, vt faceret nobis & non faciet; vt c. 3. Ionæ fecisse Deum legimus cum Niniuitis.

14. Comparatio Synagogæ cum Iona.

Sed antequam finem huic historiæ imponam, facere non possum, quin pulcram quandam comparationẽ Synagogę cum Iona Propheta, & Veteris testamenti cum hedera inumbrante Ionam, non adscribam huc translatam ex epist. 49. August. in respon. ad 6. quæst. *Vmbraculum,* inquit, *hederæ super caput Ionæ, promissiones erant in Veteri testamento bonorum temporalium, & erant tanquam vmbra futurorum bonorum, quasi ab æstu temporalium malorum vmbraculum quoddam præbentes. hiu enim promissionibus, ac bonis populus ille carnalis, ab illius temporis aduersitatibus quodammodo protegebatur. vermis autem matutinus percutiens, & siccans hederam Christus Dominus noster fuit: vermis quidem appellatus propter humilitatem carnis: quippè sub persona Dauidis ipse de se dixerat; ego sum vermis, & non homo: & quia sicut vermis sine commistione vtriusque sexus, & sine virili semine natus est. Matutinus autem vermis propterea dictus est, quia mane & in diluculo surrexit à mortuis. per vermem autem illum percussa, & siccata est hedera; quoniam per Christum, & eius Euangelium, cuncta illa, quæ apud Iudæos vmbratili quadam significatione ad tempus viguerant vacuata & exinanita penitus emarcuerunt. & cunctus ille populus amisso Ierosolymitano Regno, & Sacerdotio, & Sacrificio (quod tamen totum fuerat vmbra futuri) in captiua dispersione magno tribulationis æstu aduritur, sicut Ionas à solis ardore; & dolet quidem ille grauiter, & tamen dolori eius, atq; vmbræ, quam diligebat, salus gentium, & pœnitentium hominum præponitur.* hæc Aug. quibus posstremis verbis significat, carnalem illam Synagogam dolentem de gentium conuersione, & salute similem fuisse Ionæ irascenti, atque indignanti, quod Deus pepercisset Niniuitis.

A

CAPVT XIII.

PARABOLA SEMINANTIS.

A. 13. 1. B. 4. 1. C. 8. 4.

1. A. IN *illo die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare.* B. *& iterum cœpit docere ad mare.*

2. A. *Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ: ita vt in nauiculam ascendens, sederet & omnis turba stabat in litore.* B. *circa mare super terrã.*

B

3. A. *Et loquutus est eis multa in parabolis, dicens.* B. *illis in doctrina sua.*

4. *Audite: ecce* C. *exiit, qui seminat seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus viam: & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud.*

5. *Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit: quia non habebat humorem.*

6. *Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud.* B. *& fructum non dedit.*

7. C. *Et aliud cecidit in terram bonam.* B. *& dabat fructum ascendentem,*

C

& crescentem, & afferebat vnum triginta, vnum 60. & vnum 100.

8. C. *Hæc dicens clamabat: qui habet aures audiendi audiat.*

9. *Interrogabant autem eum* B. *cum esset singularis.* C. *discipuli eius.* B. *hi qui cum eo erant, duodecim parabolam.* C. *quæ esset hæc parabola.* (&) A. *quare in parabolis loqueris eis?*

10. C. *Quibus ipse dixit: vobis datum est nosse mysteriũ regni Dei, cæteris autem* B. *qui foris sunt* C. *in parabolis.*

11. C. *Vt videntes nõ videant, & audientes non intelligant,* B. *nequando conuertãtur, & dimittãtur eis peccata.*

D

12. A. *Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Ideò in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, & intelligunt.*

13. A. *Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis.*

14. *Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant & conuertantur, & sanem eos.*

B. *Super petrosa, vbi nõ habuit terrã multam; & statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ. Et quando exortus est sol exæstuauit: & eo quod non haberet radicẽ, exaruit.*

C. *& ortum fecit fructũ centuplum*

15. *Vestri*

A. venit Malus. B. Satanas.
A. omnis, qui audit verbū Regni, & nō intelligit, venit, malus, & rapit quod seminatum est in corde eius. hic est qui secus viam seminatus est.
B. Hi autem sunt qui circa viā, vbi seminatur verbum, & cùm audierint, confestim venit Satanas & aufert verbum, quod seminatū est in cordibus eorum.
A. Rapit.
B. aufert.
A. qui aūt super petrosa, seminatus est, hic est, &c.
B. qui super petrosa seminantur.
A. continuò cum gaudio accipit.
C. Ad tēpus credunt & in tempore tribulationis recedunt.
A. qui autē seminatus est in spinis.
B. & alij sunt, qui in spinis seminantur.
A. Fallacia diuitiarum.
A. qui vero in terrā bonā seminatus est, hic est, qui audit verbum & intelligit.
B. Num quid venit lucerna, vt sub modio ponatur, aut sub lecto: nonne vt super candelabrum ponatur.
B. non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur: nec factū est occultū sed vt in palam veniat.

15. *Vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestræ quia audiunt.*
16. *Amen quippè dico vobis: quia multi Prophetæ, & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.*
17. B. *Et ait illis: nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoscetis?*
18. A. *Vos ergo audite parabolam seminantis.* C. *Semen est verbum Dei.* B. *qui seminat, verbum seminat.*
19. C. *Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt: deindè venit Diabolus* B. *confestim.* C. *& tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant.*
20. *Nam qui supra petram: qui cùm audierint.* B. *statim.* C. *cum gaudio suscipiunt verbum.*
21. B. *Et non habent radicem in se, sed temporales sunt: deindè orta tribulatione, & persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.*
22. C. *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, & non referunt fructum.*
23. B. *(Nam) ærumnæ seculi, & deceptio diuitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructū efficitur.*
24. C. *Quod autem in bonam terram: hi sunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferūt in patientia.* A. *Aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò tricesimum.*
25. C. *Nemo autem lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit; sed supra candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen.*
26. *Non est enim occultum quod non manifestetur; nec absconditum quod non cognoscatur, & in palam veniat.*
27. B. *Si qui habet aures audiendi audiat.*
28. C. *Videte ergo* B. *quid (&)* C. *quomodo audiatis.* B. *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adijcietur vobis.*
29. C. *Qui enim habet dabitur illi, & quicumque non habet, etiam quod putat se habere auferetur ab illo.*

A

Scholia.

1. A. *In illo die*] Matthæus & Marcus parabolas proximè subiiciunt superioribus, & prima quidem pulcherrimè cohæret cum eo quod præcesit de audiendo verbo Dei. Quare etiam Lucas hæc coniunxit, quamuis diuerso ordine à Marco & Matth. cùm verò Matt. dicat: *in illo die exiens Iesus*, indicare videtur eodem ipso die quo superiora pronuntiauerat Dominus, cùm domi esset, exisse, & has parabolas disseruisse. Quamquam & illud verbum *in illo die*, non id omninò conficiat, cùm possit dies accipi more scripturarum pro tempore, sed simplicius pro eodem die accipiendum hic, quemadmodum & Beda accepit, qui Marci 4. arbitratur eodem illo die à Christo hunc sermonem esse habitum, quo in ea ipsa domo fuerat ad quam fratres eius conuenerant.

B

Videtur sanè huius parabolæ occasio, ea fuisse, nimirum frequens hominum concursus, ac multitudo, quæ vndique confluxerat: vt proindè indicare voluerit Christus non satis esse verbum Dei audire, neque omnes qui illud audiunt vitam suam emendare. non eodem modo excipitur ab omnibus: immò verò in paucis suos facit fructus, vitio eorum qui audiunt. Addit & alias similes parabolas, quibus natura, vis, & efficacitas, fructus, denique verbi Dei pretium melius declaretur. Itaque in hac prima parabola ostendit quales esse debeant verbi Dei auditores.

B. *Iterùm cœpit docere ad mare*] obseruandum est ex Marc. initio docuisse Christum in littore, postea ob nimiam hominum frequentiam conscensa naui, ne opprimeretur, & audiri clariùs posset, vel vt Chrysost. & Theophyl. existimant, vt omnes auditores ante conspectum suum intentos in se haberet in mari cœpisse docere. Ait enim Marc. *iterùm cœpit docere ad mare* nimirum, vt Matth. inquit, *sedens secus mare*; subdit verò posteà idem Marc. *& congregata est ad eum turba multa, ita vt in nauim ascendens sederet in mari*, nempè in cymba. vide nu. 4.

C

Mare verò istud procul dubio lacus est Genesareth; & verò idcircò videtur domo egressus, quia paucos capere poterat & quamplurimi confluxerant, quibus Dei verbum impertiri volebat.

Porrò egressus cœpit secus litus concionari, sed aucta adhuc multitudine nauim inscendit.

Mysticè, quod Dominus è domo exiens vbi paucos docere potuit, circa mare cōscensa naui multas turbas docere cœperit, significare videtur eiecta Iudæorum Synagoga exiturum aliquando ad docendum gentes conscensa Petri naui.

D

3. *In parabolis*] *in* loco, *per*, hebr. more ponitur. Est, *parabola* vox, græca à παραβάλλω, quod verbum significat comparare; Latinis similitudo dicitur, hebr. masal. & est sermo qui aliud sonat, aliud significat, obscuris rerum similitudinibus inuolutus. Quia verò sermo noster ferè parabolicus est, vel translatitius, hinc est, vt omne verbum *parabola* sit appellatum ab antiquis Ecclesiasticis, hinc Hispanis, *palabra*, Italis, & Gallis *parola*. Sunt autem aptè ad explicandas res spirituales, cùm enim sub sensum non cadant per parabolas, & similitudines sensibus veluti subiiciuntur, & memoriæ tenacius inhærent. Hinc Dionys. Areopag. de cælesti Hierarch. cap. 1. scriptum reliquit: impossibile esse aliter lucere nobis diuinum radium nisi varietate sacrorum velaminum, anagogicè circumuelatum. Sacræ namque parabolæ diuina quædam sunt velamina, quæ dum non explicantur

Digitized by Google

cantur, velant quidem, at explicata referant res spirituales, ac diuinas.

6. *Cur parabolis Christus vsus.*

Hinc Christus vsus est parabolis non ob hęc solum, sed vt iucundior quoque esset narratio. Accedit & mos Syrorum ad quos etiam Iudæa pertinet. mos ijs erat, inquit Hieronym. Matth. 18. & maximè palæstinis ad omnem sermonem suum parabolas iungere, vt quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem, exemplaque teneatur. Lege Chrysolo. sermone 96. hoc ipsum sapientibus antiquis in vsu fuisse testis locupletissimus est Clemens Alexandrinus libr. 5. stromatum.

Porrò de interpretatione, & vtilitate parabolorum, vide Driedonem to. 1. de Ecclesiasticis Scripturis l. 3. c. 4. tract. 2.

In doctrina sua] id est, iuxta suum docendi genus.

7. 4. *Audite. Ecce.* C. *exijt qui seminat*] Seminator Christus est, secundùm Athanas. hom. de semente. & dicitur à Matth. & Luc. qui seminat, est autem periphrasis agricolæ; græcè σπείρων *seminans*, vt apud Marcum legimus, hoc est, seminator, seu qui seminare solet. Porrò sic dicitur, quia nunquam dicitur, quia nunquam definit seminare; vt Deus enim ab initio cõditi orbis seminauit verbũ in cordibus hominum, dum lumen illis naturale indidit, quo cognoscerent, quę scire, quæ facere oporteret; Lumen item supernaturale concessit fidei, reuelando saluti necessaria; seminauit & per Moysen legem dando. Sed exisse ad seminandum tunc propriè dictus est, dum hominem induit: nam quasi agricola vilem, ac rusticanam vestem indutus seminare tunc venit, id est, quę ad salutem facerent nos docere, quibus vitam adipiscereмur æternam.

Christum nunquam seminare definit.

8. Quod cùm antea non feciſſe, meritò dicunt Matth. & Marc. *ecce exijt*, quasi rem miram, ac nouam indicantes. In more positum est, vt princeps, atque magnates per seruos, vel administros suos seminent. At iste per se exijt ad Euangelium disseminandum.

Quomodo exire dicatur.

Porrò exisse scribitur absolutè etiam, sicut Pontifex & Rex. Siquidem hi, cùm intra aulam sunt, à suis tantum amicis videntur, cùm verò foras prodeunt, exire dicuntur, quod se alijs manifestos, ac spectabiles præbeant: Ita Christus ab angelis modo in cœlis cognoscebatur; verùm sumpta carne etiam hominibus sese viuendum obtulit, & quasi accepta veste foras prodijt. Denique exisse dicitur, hoc est, nostrę salutis studio, & amore quasi extra se veniſſe.

Semen suum] semen *suum* iure spargere dicitur: nam Prophetæ & reliqui concionatores non suum, sed Christi verbum prędicarunt, atque adeò etiam nunc promulgant; cæteroqui Christus suum Euangelium.

9 Discat hic concionator quoties concionandum est, exeundum esse illi de sinu Patris, à vulneribus filij, ab ardore Spiritus sancti, ab vberibus matris; exeat à cœlestium rerum contemplatione, sic Paul. de tertio cœlo prodijt, sic Ioann. verbum bonum eructauit, & recumbens in Christi sinu suauiter epotauit. sic in apertum Apostoli de cœnaculo illo Spiritus sancti igne concepto venere, ac tria statim hominum millia Christo aggregarunt. igitur veniant cum lacrymis concionatores, vt dici de eis possit: *euntes ibant & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cùm exultatione portantes manipulos suos.* Prodeant de deserto cum Io. missi à Spiritu sancto.

Et dum seminat] vide quàm bonus sit iste seminator, non respuit quemquam; omnibus vbique locis seminat, vbi terram inuenit; & dum seminat, inquit Euang. id est, inter seminandum *aliud cecidit*, & cætera, non ait seminasse in via, spinis, petris, sed inter seminandum accidisse, vt pars seminis in viam caderet, pars inter spinas & cætera, vt indicaretur optare seminatorem hunc, vt omnes terræ partes quantum est ex se fructum optatum ferat. Quod ergò non omnis fructum faciant iacto verbi semine, terræ vitium est, id est, hominum, non Christi.

10. *Cur semines inter spinas.*

Quod si obijcias: seminator qui videret spinas, viam, lapides, & in his tamen seminare pergeret, videretur certè nolle ex iacto semine fructum referre. Cur ergò Christus, qui rectè nouit, qui nam sint spinæ, qui nam via, qui nam lapides, semen illis committit? Respondet Chrysostomus hom. 47. in Matthæum, hoc interesse inter materialem terram, & homines; quod illa non habet potestatem à se spinas euellendi, eijciẽdi lapides, seiungendiq; se à via, propterea, qui de industria atq; animaduertens seminaret in istis, velle se semen perdere non obscurè declararet. At homines qui liberi sunt, possunt à se eiusmodi impedimenta auferre, Dei scilicet auxilio nixi, quod paratum est omnibus.

11. *Bonitas Dei.*

Vrgebis fortè, prænouisse Christum sat benè aliquos non recepturos semen, vel certè optatum fructum non reddituros, quamobrem ergò in illis seminat? similem quæstionem habet Ambrosius libro de Paradiso capite octauo, cur Deus illis præcepta tradidit, quos non seruaturos esse sciebat? Adhibet verò hoc responsum, vt suam clementiam, bonitatemque indicaret, quod quantum ad se attinet omnium velit salutem, excludat verò neminem. Quod si secus faceret, excusarent se homines si ea non præstarent, quæ præceptò seruanda mandantur. Non aliter erit & hic respondendum; quod ipsum hoc apposito exemplo illustrari poterit. Si quis publicum appararet epulum & consanguineos omnes inuitaret, næ ille, quamuis sciret aliquos non fore venturos, prudenter faceret, vt in omnes amorem, charitatemque ostenderet; excludendo neminem.

12. Porrò hunc Dei in omne hominum genus amorem indicat Scriptura Apocalyp. tertio, vigesimo. *ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum.* Sto, inquit, *ad ostium, & pulso*, en gratiam excitantem, prævenientem, operantem, ac proindè vide, quod in omnem terram semen iactet. Tum verò subdit: *si quis audierit vocem, & aperuerit ianuam* &c. exprimit cõsensum hominis cũ gratia cooperãte, adiuuãte, vel subsequente. *Intrabo* &c. nempè per gratiã iustificantem; ex hoc autem in gressu magnum subsequitur animæ gaudium, & immensa vtilitas, *cænabo*, inquit, *cum illo*; quod si quis in his perseueret cænabit, & ipse in gloria cum Christo.

13. Quare fere omnia pulcrè Iob ostẽdit dum dixit capite duodecimo: *vocabis me, & ego respondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram.* Quibus tria significata sunt. Primo gratia Dei præueniens, & vocatio dum dicitur: *vocabis me.* Deindè assensus hominis liberè obsequentis vocationi Diuinæ, dum illud adiungitur: *& ego respondebo tibi*, licèt non sine gratia cooperante. Tum gratia Dei adiuuans, & promouens.

Ad peccatoris emendationem quid requiratur.

Etenim bona cogitatio, & voluntas, & propositum hominis adiuuatur, & promouetur, vt ad iustificationis gratiæ consequutionem perueniat. Vide in hunc Apocalyp. locum Pere. capite tertio, disput. vigesimaoctaua. Ex his est intelligere, vt se peccator ad meliorẽ frugem recipiat, requiri præter vocationem, ne vocanti Deo obluctetur; quare fit vt allucinentur impij Pelagiani, qui plus

æquo arbitrio nostro tribuunt: toto item aberrent cælo Lutherani, & Manichæi, qui vt gratiam stabiliant liberum euertunt arbitrium. Sunt porrò Pelagiani similes Satanæ superbè præeunti, quibus ait Dominus: *vade post me Satana*, Matt. 16.23. præcedunt. n. quodámodo Christum vocantem; Lutherani porrò nolunt per ignauiam sequi, iuxta eandē Christi sententiam, qua iubet nos ipsum sequi, vt & Petro dictum est, *tu me sequere*. est enim Christus tanquam dux, qui saltantibus moderatur in choreis: hunc decet nos præeuntem in saltatione sequi, & de his hactenus.

5. *Natum aruit*] Marc. habet, *exæstuauit*, Gr. ἐκαυματίσθη, καυματίζω autem, inquit Gagnæus, licèt æstuare significat, tamen hic sumi puto pro nimio calore arescere; æstuare enim dicuntur, quæ halitum sudum, & calidum emittunt: quomodo non seges æstuat, quæ calidum non sudat præ æstu, sed aresc. it planè.

14. 8. C. *Hæc dicens clamabat*] clamore vocis excitat ad inquirendam intelligentiam, & insinuat aurium illorum aggrauationem. Id ipsum & verbis indicat, dum ait: *qui habet aures*, &c. Gregor. homil. 15. in Euang. omnes, inquit, qui illic aderant, aures corporis habebant, sed qui cunctis aures habentibus dicit: *si quis habet aures audiendi audiat*; aures procul dubio cordis requirit. Theophyl. item in Matth. *multi*, inquit, *aures habent, sed non ad audiendum, id est, intelligendum.*

Aures perficere quid.

Propterea ait Christus, *qui habet aures audiendi audiat*. Ecclesiast. 3. 31. dicitur: *auris bona audiet cum omni concupiscentia, sapientiam.* Dauid Psalmo 39. 7. *aures*, ait, *perfecisti mihi*; aures perficere nihil videtur aliud, quam concinnare, & aptare ad Dei verbum excipiendum. vertit hic Hieronym. ex Hebr. *aures fodisti mihi*, hoc est, in seruum me tibi perpetuò subiecisti, ac consecrasti. Etenim, vt constat Exod. 21. auris perforatio perpetuæ seruitutis signum erat, quia nimirum stabilis, perpetui, ac perseuerantis serui Dei signum clarissimum est, auris ad Dei verba prompte excipienda, expedita, & aperta; ad ea vero quæ Dæmon influit, & mundus obtrudit audienda, occlusa. Et verò tales minimè fuisse Iudæorum aures Hiere. c. 6. dum illas *incircumcisas* vocat, ostendit. Incircumcisæ autem aures illæ sunt: quæ ad verba noxia audienda circumcisæ non sunt: *Cui loquar*, inquit Dominus, loc. cit. apud Ieremiam, *& quem contestabor vt audiat? ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt.* Sic ferè Barrad. cap. 2. lib. 9. in hæc verba. Iure igitur Christus hic aures scilicet, intelligibiles ad Dei verbum audiendum, hoc est, intelligendum procliues, ac promptas desiderat.

15. Cæterùm hi dicuntur huiusmodi aures intelligibiles ad intelligendum promptas habere, qui intelligentes, scil. voluntatem morigeram, & obedientem habent, iuxtà illud Psal. 17. 45. *in auditu auris obediuit mihi*; & Prouerb. 20. 12. *oculum videntem, & aurem audientem Dominus fecit vtrũque*, id est, doctorem eruditum, & auditorem verbi docilem esse; opus Dei est æquè mirabile. Meminit autem sapiens horum sensuum, quia vt notat Polychronius, visus, & auditus tantum recipiunt admonitionem: aut enim cernentes aliorum calamitatem ad sanitatem reuertimur; aut audientes diuinas leges diligentiores in studio virtutis efficimur: neque est præterea alius sensus, qui ad pietatem inducat. itaque mihi videtur oculus magis ad intellectum, auris ad voluntatem magis spectare, tamen præeunte intellectu. Tol. annot. 18. in Luc. cap. 8. putat, hic aures intelligi corporis, alioqui inquit, nō cum omnibus, et-

A iam incredulis, loqueretur Christus, carent enim hi intelligibilibus auribus; præterea sic sæpè in Scripturis auris sumitur pro corporea, vt cùm dicitur, *aure audietis, & non intelligetis*: dicit ergò, qui habet aures corporis ad hæc mysteria audienda, id est, qui dignus est factus hæc audire, curet vtiliter & vt debet audire ea. bona quidem hæc est interpretatio; sed non reijcienda prior Patribus conformior. nam non inde fit non etiam cum incredulis esse hic locutum Dominũ: vt argumentatur Tol. dum enim ait Christus, qui habet aures intelligibiles, scilicet, ad intelligendum, &c. significat etiam incredulis, si velint audire, eas parãdas aures, quibus dum destituti sunt non audient & licèt alibi auris pro aure interdum corpori sumatur, pro intelligibili tamen hic sumi locu ipse libenter admittit. cui etiam fauet Hieronym cùm ait, hanc admonitionem tum in Euang. tur

B in Apocaly. significare mysterium esse quod dici tur. & Interl. ait, significasse per hæc Christum alta dixisse. Gagn. inquit, idem esse ac si dicere qui habet intellectum ad intelligẽdum intelliga cuius sit vocationis an saluandorum, an pereun tium quod etiã in Patrum expositione continetu

9. *Interrogabant autem eum*] duo interrogan quæ esset, id est, quid significaret parabola, & qui obrem in parabolis loqueretur eis; Marcus addi *cùm esset singularis*, id est, solus, seu solitarius G κατὰ μόνας, ex quibus verbis intelligere possumu cum Beda, Luc. 8. non statim finita parabola disc pulos hæc interrogasse, sed vt ait Marc. *cùm ess singularis*, propterea non cogimur affirmare cu D. Hierony. discipulos cùm Christo in cymba ascendisse, ibique Dominum scisciatos esse.

10. C. *Vobis datum est*] Ostendit donum D esse cælestium mysteriorum intelligentiam co

C ferre, sicut & auferre opus Dei est. Illud est grati ac misericordiæ, hoc iustitiæ. datum est illis, qu Dei gratia digni; negatum istis, quia indigni pr prio vitio facti sunt: quamuis & illi Dei inprim gratia facti sint digni.

Mysterium] arcanum scripturarum seu secr tum non communicandum prophanis. Marc habet, *in parabolis omnia fiunt*, hoc est, proponu tur, contingunt, vel vt ait Beda, quia nec dis Christi, nec facta intelligebant. Itaque incredul (hoc enim est, *ijs qui foris sunt*) omnia parabol sunt. Rectè verò hi qui foris sunt incredulos sign ficant, quia sunt extra fidem, ac proinde animæ s lutem. sic Euthy. exponit. vel foris dicuntur hi q Christi non erant discipuli, quod extra eius esse disciplinam.

11. *Vt videntes non videant*] Respondet post riori interrogationi discipulorum. Lucas & Ma

D cus loquuntur de Iudæorum cæcitate & obstin tione, quæ sit pœna, Matth. verò in verbis quę ve 12. hic posuimus de ea quæ culpæ rationem habe Isai. sanè qui ab Euangelistis citatur de ea cæcit te & obstinatione loquitur, quæ in culpa posi erat, ad quam tamen Marcus & Luc. alludunt. q ex Theoria 4. clariora fient.

Vox verò illa, *vt*, non euentum rerum, & co sequutionem significat, vt vult Bonauent. sed ca sam finalem. Hanc enim scire auebant Apostoli interrogarunt, cur in parabolis turbis loquereta vide item num. 10. Itaque sensus est, ideò loqu eis in parabolis, vt quæ audiunt aure corporis i sto Dei iudicio, mente non intelligant, & quæ v dent exterius in me nō videant oculis mentis, n percipiant quid illa significent. Neque enim ve ba quæ Christus proferebat, neque admiranda i la opera quæ patrabat, animo vnquam percep runt, cùm tamen hæc verum esse Messiam, ac D filium non obscurè significarent. Interdum eni

Digitized by Google

euenire solet, vt res quæ geruntur, oculis cernamus, & eorum quæ dicuntur sententiam percipiamus, sed quo tendãt, quid significetur per illa planè ignoremus, vt accidit Petro cui Ioan. 13. dictum est (vt obseruat Orig. hom. 6. in Exod.) *quod ego facio tu nescis modò, scies autem posteà*; nam licèt D. Petrus cerneret oculis Christum lauantem pedes, quo tamen tenderet ea lotio ignorabat, nec id mentis oculo perspiciebat. vt & nunc discipuli, verborum quidem quibus parabola proponebatur, notiones percipiebant, at quid per ea significaretur, non assequebantur, donec tandem Christus illis aperuit, quod cum turbis non fecit. Marcus ait, vt videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant; sed idem significat quod Lucas vt videntes non videant, & audientes non intelligant, vt sit sensus vtriusq; Euangelistæ; vt videntes videant oculis corporis, quę Christus gerebat opera, & non videant mente, quo tendant, vel quid significent. Similiter, vt audientes audiant auribus corporis, quæ à Christo pronunciabantur, & verborum notiones percipiant, sed quo tenderent, animo non intelligant. Addit Mar. ne quãdo conuertantur, & dimittantur eis peccata, quorum verborum hæc est sententia: loquor in parabolis, vt non intelligant, & vt non conuertantur intelligentes, ac sanentur, quasi dicat, nolo ob pessima ipsorum scelera, & obfirmatam ipsorum in non credendo mentem aperire parabolas, nec maius lumen eijs impertiri, quo conuertantur. non quod sufficiens vnquam negarit, quo potuissent conuerti si voluissent. Græc. vbi nos habemus *ne quando*, est μήποτε, sed de hoc in Theoria 4. n. 4.

18. 12. A. *Qui enim habet*] qui habet id quod debet habere, dabitur ei amplius, vt & abundet etiam, & qui non habet, quod debet habere, etiam quod habet, aut habere videtur, auferetur ab eo. Sic explicata hęc sententia, & deseruit huic loco, & alijs omnibus vbi à Domino profertur. inuenitur enim & apud Lucam hic, & posteà apud Marcum 4. 25. & rursum apud Matt. c. 13. & rursum apud Matth. c. 25. & eundem Lucam c. 19. 26.

Est ergò hic sensus: vobis quoniam habetis fidem, & ediscendi studium, perfectior mysteriorum cognitio dabitur: Illis verò, qui foris sunt, quoniam suo ipsi vitio non habent illam in me fidem, quam iure optimo habere deberent, nec simplex illud cognoscendi veritatem, studium, & desiderium obtinent, ob id auferetur etiam id quod habent, aut habere videntur diuinæ cognitionis, quo magis, magisque cæci fiant, traditi in reprobum sensum. Atque ita expositа hæc sententia, includit etiam omnes aliorum explicationes. Dicitur verò non habere aliquis, cùm non habet, vel lucrum, vel quod debet habere, licèt aliquid aliud habeat; Dicitur, vt v. 29. habes hic, videtur habere potiùs, quàm habere, vel quia perindè se habeat, ac si non haberet gratiam aliquam; detinet enim illam inutilem; vel quia videtur sibi habere illud quod habet: Sunt enim qui ignorant se habere aliquid quod alioqui habent: de eo ergò loquitur, qui quod habet Talẽtum, vel quam habet gratiam, nouit se habere.

Vide libr. 6. dilucida. cap. 5. in Schol. vers. 16. & inferius n. 29.

19. A. *Quia videntes non vident*] Hæc verba Matt. continent veluti causam motiuam & meritoriam irrogatę pœnæ; est enim redditio causæ, nam quod excæcati, & obstinati remanserint Dei iusto iudicio, non alia causa est, quàm ipsimet, qui obfirmato animo noluerunt credere, & suo vitio cæcati noluerunt videre. Itaque Matthæus in his verbis de merito hominum illorum loquitur, reliqui

A Euangelistæ de iusta Dei voluntate infligentis pœnam, locuti sunt: & ideò verba Matthæi, verbis illorum subnectuntur, vt ostendatur causa meritoria illius diuinæ voluntatis, seu illius pœnæ, scilicet excæcationis, & obstinationis (de qua Marcus & Lucas) ob quam iustè à Deo puniti sunt. vtrumque autem horum integram causam continet, cur in parabolis loqueretur eis, seu cur non illuminarentur. partim enim hoc meritò hominum, partim iustæ diuinæ voluntati est tribuendum.

Nec displicet quod obseruat Ianssenius, vtrãque etiam hanc causam, videlicet & finem propter quem in parabolis Dominus loquebatur, qui erat iusta pœna, & causam, ob quam illi hoc meruerunt Matthæum complexũ esse illa sententia; *qui enim habet dabitur illi, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo*, nam, vt intelligeremus, cognitionem mysteriorum non contingere sine libero nostro arbitrio, licèt donum Dei sit, propter quod dictum est: *vobis datum est*, & cætera. Propterea aptè sententiam hanc apud Matthæum subtexuit Christus, qua indicat, quàm cõgruum sit hoc diuinæ voluntatis decretum, quo hanc cognitionem placuit quibusdam dare, quibusdam negare, si homines ipsos spectemus; quodammodo enim eos, qui mysteriorum cognitione donantur, eam cum Dei gratia promeruerunt; illos verò qui ea non donantur, eam demeruisse. Igitur cùm ait, *qui non habet, & quod habet auferetur*: per hoc quod inquit; *qui non habet*, causam demeritoriam significat: per illud verò quod subdit; *auferetur*, indicat se propterea turbis loqui in parabolis, vt non donarentur ea mentis illustratione, idque in pœnam, quod sua culpa eam illustrationem demeruerant, & hoc est, *vt videntes non videant*. Vtrumque ergò Matthæus attigit, & pœnam, & causam demeritoriam, in his verbis? 20.

13. A. *Et adimpletur in eis*] vaticinium est Isai. capite sexto, iuxta septuaginta, *auditu audietis* (Messiam) *& non intelligetis. Et videntes* (illum oculis corporis) *videbitis; & non videbitis*, oculis animi, ac fidei.

14. *Incrassatum est*] nempè abundantia malitiæ, Rab. videtur autẽ crassities significare obfirmationem cordis, & carnales, ac crassas cogitationes, vndè non mirum si Iudæi fingebant sibi Messiam crassiore modo opulentum, Bellatorem, terreno imperio clarum. Crassum enim cor tenues cogitationes non parit. 21.

Auribus grauiter audierunt] ac si dicat: aures habent pessimo quasi humore oppletas, & occlusas, vel *grauiter audierunt*; quia ingratè susceperunt Verba Dei. Rab.

D *Et oculos suos clauserunt*] id est, animi oculos:

Nequando videant] significat propterea nolle eos videre, & intelligere, ne conuertantur, & quasi de industria ita se gerant, vt non conuertantur, vt Dauid dixit de impio Psalm. 35. 4. *noluit intelligere, vt benè ageret*; id est, ne benè ageret, quod autem Isai. de vetere populo Iudæorum fortassis dixit; hoc Christus in ipsis adimpletum ostendit, qui suo tempore increduli erant numquam crediturі, sed de hoc loco pluribus in Theor. 4.

15. *Vestri autem beati oculi*] hic Apostolos non modo à Iudæis separat; quo fecerat, versiculo decimo. Sed vel etiam Prophetis ipsis beatiores prædicat, iustis ac regibus: quia cùm vtrique crediderint, quæ credebant, & videre optabant, illi viderunt, hi non viderunt. Cùm autem dictum est Ioann. vigesimo, vigesimonono. *Beati qui non viderunt*, &c. illos qui non videntes credunt, illis *Apostoli Prophetis & regibus beatiores; & cur.*

præfert, qui oculis fidem metientes non credunt, nisi cùm vident, quare voluit hic Christus Apostolos, Prophetis anteferre, quod quæ prophetæ longè, illi propè, quæ illi obscurè, hi perspicuè, quæ spiritu prophetæ, etiam oculis Apostoli vidissent, manibusque tenuissent. sic Theophyl. & Euthymius. Itaque non solum comparasse suos discipulos cum reprobis Iudæis contentus fuit, verùm etiam nunc cum sanctis Prophetis, iustis hominibus confert, quibus Lucas cap. decimo, ver. 24. reges adiungit (quamuis hæc sententia Matth. alio sit tempore prolata, quàm illa Lucæ, bis enim est pronunciata.)

Ex his ergò quæ hic, & superiùs dixit, *vobis datum est*, &c. apparet plenum, ac perfectum discrimen inter suos discipulos, atque alios.

22. Illud observa hic, *videre*, non esse tantum videre oculis externis, sicut nec audire, istis solis auribus percipere; nam etiam Iudæis id concessum est. Ergo cùm ait, *vestri beati oculi, quia vident*, &cæt. intellige non corpore tantum, sed & mente, quod est credendo videre, & audire, & ea quæ visa sunt, & audita fouere.

16. *Multi Prophetæ*] intellige omnes. dixit autem sic, vt Apostolis, qui pauci erant, opponeret. Porrò Abraham non ita Christum vidit, quemadmodum & Apostoli. vide Gregor. quarto, cap. trigesimo septimo.

17. B. *Nescitis parabolam hanc?*] id est, non intelligitis parabolam hanc? Respondere iam incipit satisfacere priori interrogationi Apostolorum.

Et quomodo omnes parabolas, &c.] quasi dicat, cùm hæc parabola facilis sit, & vulgaris, si eam non capitis, quomodo cæteras, & ea quæ sum dicturus, & quæ dici possent capietis? Nonne verbum facilè semini comparatur, quod sit eiusdem, vel proximæ rationis, non igitur immeritò seminare dicitur qui prædicat, quia qui seminat, verbum seminat. sic Gagnæus in Marcum. videtur autem dum ait: *nescitis parabolam hanc?* excitare attentionem. Itaque in his ostendit Marcus reprehendisse Dominum leuiter Apostolos, quòd parabolam non intellexissent: vt & reprehensi sunt, Matth. 15. 16. *adhuc & vos sine intellectu estis?* At inquies, nonnè difficilè erat sine interprete statim parabolæ sensum percipere? fateor. sed reprehendendi tamen Apostoli, qui cùm tamdiu cum ipso versati essent, debuerant iam magistri esse, vt Ioan. decimoquarto, ver. nono, *tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?*

18. A *Vos ergo audite*, id est, intelligite parabolæ significationem, alioqui parabolam iam audierant. quasi dicat, vos qui vidistis, quæ multi Prophetæ & iusti non viderunt, quamuis optarint. vos, quibus datum est nosse mysterium regni, &cæt. hanc enim vim habent hæc verb', *vos ergo &c.*

19. C. *Qui autem secus viam*] quasi dicat, qui similes sunt terræ secus viam positæ, seu qui significatur per terram positam secus viam, in quam iactum semen conculcatum est; *hi sunt qui*, &c. Matth. habet: *omnis qui audit verbum regni* (id est, Euangelium, quo ad regnum Dei peruenitur) *& non intelligit* (id est, non recondit in animo, fouet, custodit illud penetrando, meditando, bene animaduertendo) *venit malus*, &cæt. Est autem hebraismus, *omnis qui audit*; nam *omnis* redundat. Gr. omnis est genitiui casus: πάντος ἀκούοντος. id est, quouis audiente verbum, & non intelligente; vel cum quiuis audit verbum, & non intelligit, tunc venit malus; Marcus, Satanas; Lucas, Diabolus; & rapit quod seminatum est in corde eius

A

illud, *omnis qui audit, & n*

dum est vt absolutè positum

uis audit, &c.

Ne credentes] non quod

per solam fidem; sed quod

qui potest, nisi credat: vt

magister scholam adiret,

euaderent, non id faceret

aduetum satis esse putaret,

sed quod sciat sine doctoris

ctos esse posse. est certè fides

radix prima bonorum operum,

B

Obserua loquendi formulam

hi sunt, id est, qui similes sunt

seminatæ, hi sunt qui, &cæt.

thæus, hic est qui secus viam

est, qui talis est, similis est ter

positæ. At inquies is qui audit,

git, non ipse, sed granum sem

de quo dictum est, aliud cec

aliud, &cæt. verùm scire opor

re non semen modo, sed agru

ri? hic verò homines audientes

mini, sed agro, seu terræ co

dem modo intelligitur sequens

& Mathæus, & Marcus qui ad

vbi similis loquendi formula inuenitur, est enim idem sensus, hoc est, qui similes sunt terræ super petras & spinas quas habet, seu loca petrosa, & spinosa quibus constat, seminatæ, hi sunt, &cæt.

C

Cæterùm difficilè hic exponendi modus congruit versui vigesimo secundo, & vigesimoquarto; nam videtur Luc. loqui de semine, dum ait; *quod autem in spinas cecidit*, & *quod autem in terram bonam*. scilic. cecidit. igitur satius mihi videtur esse vt exponamus Lucam loqui de solo semine cum seminari dicit, non de terra. & non illud tantum, vel hanc solam comparet auditoribus, sed totum compositum ex terra cum semine, comparat cum auditoribus, vt sit sensus: hoc quod dixi, semen seminatum secus viam, vel cecidisse secus viam, vel super petrosam terram, vel in spinas significat, vel repræsentat hos, vel illos auditores qui, &cæt. & ita non est quod exponamus Euangelistam Lucam de auditoribus, vel de ipsa terra, dum ait; *qui autem secus viam*, vel *qui supra petram*; vel, *quod cecidit in spinas*, &c. Sed de semine, vel verbo licet inde non inferatur rectè, terram, vel auditores dici etiam non posse seminari, id est, recipere semen. semper tamen dicendum cum comparatio fit, seu accommodatur, non solum semini comparari auditores verbi, sed toti composito ex semine & terra, vel exposita viatoribus, vel petrosa, vel spinosa, vel bona. totum enim hoc, vt dici solet, materialiter sumendum est, & toti similes auditores dicentur, qui sunt veluti terra, quæ semen recipit, & in qua semen seminari dicitur. hic mihi sensus videtur facilior, & Lucæ textui congruens. Reliqui verò Euangelistæ de auditoribus clarè mihi videntur loqui, & eos dicunt seminatos esse, nam dum ait Matth. *hic est qui seminatus est secus viam*, &c. videtur de auditoribus, non de semine, vel verbo intelligere: idem in reliquis locis obseruabis, sensus tamen omnium vnus, & idem est.

D

De corde] non quod Dæmon immediatè agat in hominis mentem seu intellectum, & voluntatem attingat: auctoris enim hominum id est; sed mouet Dæmon phantasiam, memoriam sensitiuam, & sensus exteriores, & per hæc intellectum, ac voluntatem. sic Ioan. 13. dicitur Diabolus misisse in cor Iudæ, &c.

Digitized by Google

20. *Nam qui supra petram*] Matth. habet, *qui autem super petrosa seminatus est*. Græcè enim est autem, siue verò.

Cum gaudio suscipiunt verbum] Matth. habet, *continuo cum gaudio accipit*. Sed idem est, hoc est, intelligit, recondit. nam priores tantummodo audiunt, sed non intelligunt, quibus hos opponit.

21. *Temporales sunt*] Græcè πρόσκαιροί εἰσιν, ad tempus tantum durant. *Propter verbum*] significat non quamcumque tentationem, aut persequutionem, sed eam quæ illata est, vt à fide recedatur, & verbo audito.

Scandalizantur] cadunt, fidem deserunt, quia scilicet cum arido ac saxeo, id est, minimè pio & deuoto sit corde, radicem, id est, constantiam, cæteraſque virtutes non habent, quibus veluti in magna, & profunda terra voluntatis verbum Dei altè impressum sit, denique in charitate radicati non sunt. Lucas habet, *ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*: quod eundem sensum continet.

Audire, intelligere.

22. C. *Hi sunt qui audierunt*] hic audire, significat etiam intelligere, & cum gaudio accipere verbum, ita vt radices etiam emiserit semen, tanquam in terra bona: nam sicut secundos primis, ita tertios secundis præponit tanquam qui propius ad eos, qui fructum multiplicem ferunt accedant. In his ergò nascitur Verbum, sed ob impedimenta sollicitudinum & cætera, non reddunt fructum.

25. *A sollicitudinibus*] Gregorius homilia decimaquinta, & Chrysostomus quadragesimaquinta in Matthæum, sollicitudines, & voluptates referunt ad diuitias. Sunt enim hæ diuitijs annexæ, licèt re & ratione differant. Aduerte sollicitudines apud Matthæum & Lucam, idem esse, quod ærumnas apud Marcum. est enim Græcè apud Matthæum, μέριμνα sollicitudo, ὑπὸ μεριμνῶν, apud Lucam à sollicitudinibus; μέριμναν, vero apud Marcum, id est, sollicitudines: ærumna verò significat, quid grauius, quàm sollicitudo, putà grauiores cogitationes, magis anxias, spes intensiores acquirendi, timorem perdendi, qui magis cor vrat, & cætera. Item quod Lucas diuitias, Matth. fallaciam diuitiarum, Marc. deceptionem diuitiarum vocant; nam vt dicit Gregorius homilia decimaquinta, Chrysostomus quadragesimaquinta in Matthæum homil. apparent diuitiæ potiùs quàm sint, sicque animos hominum ipsis inhiantes, & affixos decipiunt, quasi vero essent diuitiæ cùm non sint.

Sollicitudo & ærumna alibi idem.

Euntes] scilicet, post sollicitudines, diuitias, & voluptates. Vel euntes cum illis, & recedentes à verbo audito, & fide, horumque memoriam deponentes; vel idem est, quod conuersantes in mundo; vel Hebraismus est; pro, temporis progressu. Græc. πορευόμενοι, significat in vita progredientes, vitæ tenentes cursum in diuitijs, inquit Barr. & huiusmodi curis &c.

Suffocantur] quia dum bonum desiderium ad cor trahere non sinunt, quasi aditum vitalis flatus claudunt. sic Interl.

23. *Sæculi*] nam sollicitudines spiritus, & rerum ad Deum pertinentium fœcundat, non suffocat sementem, 1. Corint. 7. 32. 33. *qui sine vxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt*: hæc est Dei sollicitudo. qui cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi: en sæculi sollicitudinem.

Deceptio diuitiarum] Matthæus etiam, vt dixi, fallaciam diuitiarum, id est, fallaces diuitias vocat, quod à via deducant, hoc enim significat ἀπάτη. Alij fallaces dicunt vocari, quod fugaces, & instabiles sint, vel vt dixi, quod appareant potiùs, quàm sint diuitiæ. Est ergò Hebraismus, fallacia & deceptio diuitiarum pro fallacibus, & deceptricibus diuitijs, vt Roma. 7. 24. legimus: *corpus mortis huius*, pro corpore hoc mortali.

Concupiscentiæ] Interl. scilicet acquirendi.

Introeuntes] vigilare igitur oportet, & custodire cor ne illis aditus pateat.

Suffocant verbum] Interl. id est, strangulant guttur mentis, nec bonum desiderium ad cor transire sinunt.

¶ *Et sine fructu efficitur*] Græcè ἄκαρπος γίνεται, quod Erasmus vertit, infructifer (scilicet sermo) redditur. qui, inquit Gagnæus, si Latinè loqui voluisset infructuosus dixisset, non infructifer.

24. *Quod autem in bonam terram*] obseruat Hieronymus statui hic tria eorum genera, qui fructum ferunt; sicut tria distinxerat hominum genera nõ ferentium fructum. alij enim centesimum, alij &c. is autem in terram bonam seminatus dicitur, qui similis terræ bonæ, vel fœcundæ, vt terra bona, & fœcunda semine verbi seminatur. iste verò iuxta Matthæum est, *qui audit verbum & intelligit*; secundùm Lucam, *qui in corde bono & optimo*, & cætera. 26.

In corde bono & optimo] græcè ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ, hoc est, in corde pulcro & bono; vel potiùs bono, & bono, seu honesto & bono, quod idem est, ac optimum per Hebraismum. D. Bonauentur. exponit bonum quoad partem intellectiuam, optimum quoad effectiuam, vt sit in intellectu veritas, in affectu rectitudo. Propter memoriam verò significandam additum est *retinẽt*. Denique propter vim exequutiuam, subditur *fructum afferunt*. Itaque secundùm Bonauent. ad eandem hæc pertinent personam significatam per bonam terram. Alijs verius videtur, vt ad diuersas hæc referantur personas: constituuntur enim hic gradus afferentium fructum, tricesimum, sexagesimum, centesimum, ita vt hi afferant centesimum, qui optimo sunt corde, id est perfecti; sed cum Græc. habeatur bono & bono corde, quod per Hebraismum diximus significare optimum cor, non videtur hæc expositio omninò ex hoc textu colligi, vbi dicitur *in corde bono, & optimo*: nisi ponatur *bonum & bonum*, vt significentur varij bonitatis gradus. colligitur tamẽ hæc diuersitas ex triplici fructuum genere.

In patientia] id est, per patientiam, seu patientem mercedis expectationem. Græcè ὑπομονή, permanentia, perseuerantia, expectatio cum tolerantia, qualis agricolarum est, 1. Corint. 9. debet in Spe, qui arat, arare, & qui triturat in spe fructus.

Centesimum] indicat Christus Dominus varium, & inæqualem fructuum prouentum in auditoribus verbi. Euthym. per centuplum inquit, significat Dominus perfectam virtutis significationem; per sexagecuplum, mediam; per trigecuplum, minorem. Diuus Augustinus libr. 1. qq. Euang. cap. 9. centesimum fructum ait, esse Martyrum; sexagesimum Virginum; trigesimum coniugatorum. Hieronymus libro primo, aduers. Iouinian. centesimũ Virginibus assignat; sexagesimum Viduis; trigesimum coniugatis. Theophyl. centesimum anachoretis tribuit; sexagesimum cœnobitis assignat; trigesimum dat coniugatis, & laicis. mihi omnium optimè sentire videtur Athana. qui hæc non ad status, sed ad personas refert. Per fructum verò intellige & operum, seu virtutis fructum, & gloriæ ac beatitudinis præmium; nam vtrumque horum fructus est. Præsertim verò hic virtutes, & opera intellige. 27.

Fructus seminis diuersi quos status designet.

25. C. *Nemo autem lucernam*] Beda ostendit, inquit, per eos aliquando etiam cæteris idem myste- 28.

rium reuelandum. Auguſt. de qq. Euangel. ait, doceri his verbis fiduciam prædicandi, ne quis timore carnali incommodorum ſcientiæ lucem abſcondat. vas enim & lectus caro, lucerna verbum, cuius manifeſtationi nõ eſt caro præponenda, ſed ſubijciendum corpus, vt ſuperior ſit prædicatio veritatis. hoc enim eſt ponere lucernam ſuper candelabrum. Maximus verò inquit: Dominus lucerna eſt; domus mundus: candelabrum Eccleſia; vas, aut lectus corporalis; cultus legis.

Vera ſententia huius loci eſt; vt per parabolam lucernæ ſignificare velit Dominus, quamobrem myſteria regni parabolicè tradita, diſcipulis ſuis aperuerit, nimirum, quo ſuo tempore eadem diſcipuli ipſi alijs reuelarent. Propterea inquit, diuinæ ſapientiæ lumine vos accendo, vt ſuo tempore, veluti ſupra candelabrum poſiti luce veſtra alios illuminetis. nam neque quiſpiam eſt qui lucernam incendat, & vaſe operiat, &c. Eſt autem ſumpta ſimilitudo hæc à conſuetudine pauperum, qui conſueuerunt ſub vaſis, ſeu ſub lectis recondere vel conſeruare res; vſus etiam hac ſimilitudine Dominus, Matth. 5. & Luc. 11. Marc. etiam hic cap. 4. genus vaſis expreſsit, nempè ſub modio, qui menſuræ aridorum ſpecies quædam eſt. vide quod ad mores pertineat Gregorium lib. trigeſimo Moralium, cap. decimoſeptimo, dicit autem Marcus, *nunquid venit lucerna*, id eſt accenditur, ſeu accenſa profertur.

26. *Non eſt enim occultum*] quaſi dicat, hæc dixi, quia volo ea quę vos docui ne occulta, & otioſa retineatis, ſed vt prædicetis ea palam: omnia enim olim in lucem, & apertum venient, quæ dixi vobis ſeorſim, & in occultis locis. Fortaſsis autem quod hic ait, prouerbium erat illo tempore. nam ſolet euenire, vt quæ occultamus peccata in lucem veniant, nec diu premantur, at ſaltem in die Iudicij propalanda ſunt omnia. propterea voluit Chriſtus eo vti ad explicandum, quod dictum eſt. Marcus habet: *nec factum eſt occultum, ſed vt in palam veniat* (ſic enim etiam Gr. habetur) id eſt, in apertum, vel publicum, & eſt ſenſus: non eſt aliquid factum occultum, ſcilicet vt occultum maneat, ſed vt manifeſtetur tandem. loquitur autem de ſe, ac ſua doctrina, & de parabolis, vel ijs etiam, quæ de ſe ipſo à Prophetis obſcurè ſcripta erant.

27. *Si quis habet aures*] quoniam Dominus rurſum hic parabolicè loquutus fuerat, & quidem ea, quę animi ſ eorum voluit eſſe infixa, adiecit, *ſi quis habet aures*, &c.

29. 28. C. *Videte ergo*] diſcipuli futuri erant lucernæ accenſæ, vt palam alijs manifeſtarent ſeorſim audita, idcircò infert Chriſtus inuitans eos, ad magis & magis diligẽter audiendum, & memoriæ commendandum quę declarabat, *videte ergo quid & quomodo audiatis.*

In qua menſura, &c.] ſi diligenter, inquit audieritis, næ ego liberaliter agam vobiſcum maiora patefaciendo, iuxta menſuram attentionis, & ſtudij.

29. *Qui enim habet*] Monet vt diligentiſsimè excipiant ſenſus expoſitos myſteriorum Dei, vt maiorem recipiant cognitionem, & gratiam; ne fortè ſi tales non ſe exhibuerint, etiam data, intelligendi facultate & gratia priuentur. Hanc ergo ſententiam dixit Dominus, vt referunt Marcus & Lucas, poſt parabolę totius explicationem, & quidem alio ſenſu quam antè explicationem parabolæ eandem ſuperiùs dixerat, vt Matthæus refert. vide ſuperiùs numerum decimumoctauum.

Paullò aliter Ianſen cùm enim dixiſſet Dominus, *videte quid*, ſeu *quomodo audiatis*, hoc eſt, A curate vt quæ auditis memoriæ mandetis, ſubdit, in qua enim menſura vos menſi fueritis alijs, remetietur vobis à Deo, immò & adijcietur vobis. nam ſi fueritis ignaui, aut parci diſpenſatores doctrinæ quam vobis impertio, parcam etiam ſentietis in vos Dei benignitatem in cognitione diuinorum, alijſque Di donis. Contrà verò, ſi larga menſura alijs diſpenſaueritis, largam item experiemini in vos Dei mercedem; & qui dedit ſortem, larga item menſura adijciet incrementum, copioſiore vos donans cognitionis lumine, quo pluribus prodeſſe poſsitis.

In regno namque cælorum quadamtenus etiam impletur, quod vulgò & iactari & fieri ſolet, vt multum habenti multum detur: parum habenti non ſolum nihil detur, ſed etiam ab eo tollatur quod habet; nam qui dona diuina, quæ ei offeruntur verè habet (habet autem, qui quæ accepit B ſe habere declarat eis vtens) ei amplius à Deo dabitur: qui verò quæ debet habere, & quæ offeruntur ei diuinitus dona non habet (non habet autem qui defoſſum theſaurum apud ſe ſeruat) tolletur ab eo etiam quod videbatur habere. Hanc eandem comparationem de menſura habet Matth. capite ſeptimo, verſic ſecundo: alteram verò de occulto, cap. decimo, verſiculo vigeſimoſexto, & vigeſimoſeptimo.

THEORIA PRIMA MORALIS.

De ſeminatore, ac ſemine.

C QVATVOR hic ad expreſsiorem huius Parabolæ intelligentiam expendenda videntur. Sator, Semen, Terra, Fructus. 1.

Seminator Chriſtus & quicunque verbi Dei concionator.

Quamuis conſtet præcipuum ſeminatorem Chriſtum eſſe, & hunc inprimis hic intelligi: (de quo quomodo exierit ad ſeminandum dictum eſt in Scholijs, numero ſeptimo, octauo, & nono,) Quicunque tamen concionator Diuini verbi, etiam hic Seminator dicitur; hinc Marcus qui ſeminat, inquit, Verbum ſeminat. Seminatoris munus eſt ſemen ſpargere, & pro fructu ſupplices Deo preces offerre; Dei verò eſt incrementum, fructumque præbere; ita concionatoris quoque partes ſunt, vt Dei verbum populo miniſtret, & Deo pro profectu enixius ſupplicet, cuius eſt D optatos fructus elargiri; nam rectè Apoſtolus primæ Corinth. tertio, verſi. ſeptimo, *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*, & verſic. ſexto: *Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit.* Rectè Auguſtinus libro quarto, de doctrina Chriſtiana, cap. decimoſexto, ait: *adiumenta doctrinæ tunc proſunt animæ adhibita per hominem, cùm Deus operatur vt proſit*: Dominus enim dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Rectè proinde Gregor. libro vndecimo Moralium, cap. quinto, ſic affirmat, *mutum eſſe os omne, quod loquitur, ſi ille interius in corde non clamet, qui aſpirat verba, quæ audiuntur.*

Seminatorem ſanè manu ferere oportet, hoc eſt, opere, quod eleganter Aug. ſcriptum reliquit 4. de doctrina Chriſtiana capite vige- 2.

Concionator operibus præ ducere debet.

ſimo-

simonono. *præbeat* (concionator nempè) *alijs exemplum & sit eius quasi copia dicendi, forma viuendi.* Præcepit Leuitici decimonono, decimonono Deus; *agrum tuum non seres diuerso semine*; hanc rem Dei præceptum is facit, qui aliud semen ore, aliud exemplo serit. Quarè iure optimo Basilius Psalmo quadragesimoquarto: *Puto*, inquit, *spiritualem prætexi tum vestem, cùm operatio comes attexitur verbo doctrinæ. Quemadmodum enim pallium corpori tegendo tunc texitur, cùm sub tegmen innectitur stamini; sic vbi verbum primas in ordiendo obtinuerit, si mox actiones verbo cõsentaneæ attexentur, tunc exornanda animæ decentissimus, & plurimum habens honestatis amictus confici possit, animæ inquam, secundùm virtutem, & verbo, & opere suam absoluenti vitam.* Ibidem quoque testatur; sermonem fimbriam esse operibus annexam: *sermo*, ait, *veritatis, quasi fimbria quædam est, à textura ad actionem ex abundanti annexa.* hæ sunt illæ aureæ fimbriæ, quæ ex præclara Ecclesiæ veste pendent Psal. 44.14. *in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.* His se cœlestis verbi concionator indumentis induat, his se fimbris exornet, si optatum fructum ex concione demetere cupit. De his fusius noster Barrad. l. 9. c. 2.

3. *Verbum Dei semen aptè vocatur.*

Sequitur, vt de semine agamus. Inprimis ergò seruandum, inquit Iansenius, quam verbum Dei appositè semen vocetur, omnis quidem sermo præsertim verò, qui diuulgatur, & spargitur, vel ab ipsis etiam prophanis scriptoribus semen dicitur. Hinc disseminare sermonem. hinc ab Athenienſibus Paulus σπερμόλογον, hoc est, *seminiuerbius*, aut potiùs verbi Sator dictus est, quod nouos in vulgus rumores spargeret Act. 17.18. Sed his omissis magis propriè verbo Dei competit semen dici ob alias rationes; nam primum, id quod semen est terræ, hoc verbum Dei est cordi, quod in medio hominis velut terra in medio mundi constitutum omnium spiritualium fructuum, siue bonorum, siue malorum principium est, & veluti mater. Sicut ergò semen nusquam fructificat, nisi in terram proiectum, sic nec verbum Dei, nisi corde susceptum, & sicut terra, nisi in eam semen iaciatur, spontè non profert ferè, nisi steriles, & inutiles herbas: ita hominis cor nisi semine diuino fatum fuerit noxia tantum, vel certè inutilia profert.

4. *Terra qualis esse debeat, in quã semen verbi Dei proijciatur.*

Deindè quemadmodum, vt fructum reddat semen, necesse est intra terram recipi bonam, non lapidibus asperam, non spinis ac vepribus obsitam, non malis herbis noxiam, sed mollem ac repurgatam: ita, vt optatum fructum Dei verbum in corde susceptum producat, debet intra illud recondi altius, non leuiter animaduerti tantum; à vitijs etiam necesse est ipsum priùs repurgari cor, rebusque vanis ac sollicitudinibus exhauriri.

5.

Ad hæc, vt semen intra terram recipiatur necesse quoque est eam aratro proscindere, & multo sudore excolere, idem & de corde hominis affirmandum: eget enim aratione, stercoratione, agitatione, reliquoque terræ cultu. Hinc Hierem. 4.3 dicitur: *nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas* & Oseæ 10.12. *innouate vobis nouale*, pro quo Hebræa significantius habent, *arate vobis arationem.*

A

Prætereà moriatur necesse est intra terram semen & corrumpatur, vt fructum afferat: eodem modo mori debet quodam modo verbũ Dei in homine, hoc est diu hærere, expendi mente, denique meditatione confingi.

6.

His accedit, quod sicut seminis virtus & efficacia non satis est ad obtinendum fructum, sed requiritur prætereà terræ fœcunditas, & quidam cœlestis aspectus & influxus: ita ad verbi fructum decerpendum non satis ipsum verbum, sed necessarius est prætereà liberi arbitrij cõcursus, & præter hunc, necessarium est in primis ipsum diuini numinis auxilium, cœlestisque quidam fauor aspirans, quo excitetur liberum arbitrium, & ad cooperandum verbo Dei iuuetur: hinc Paulus 2. ad Corint. 6.1. ait: *exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, id est, cooperimini oportet.

B

7.

Postremò, vt semen radices suas mittat opus est, quo infructuosum non sit, & inutile: ita & verbum Dei suis radicibus destitui non debet. Dicuntur autem radices, quæ faciunt, vt fides, vel auditum verbum Dei sit fixum, & stabile, & per bona opera fructum reddat. Hæ autem sunt, vel intellectu dona Spiritus sancti sapientia, intellectus, &c. Ephesio. 1. *Deus det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitionem eius illuminatos oculos cordis vestri.* Penetrare namque his donis, res fidei eandem firmat, stabilemque reddit: Vel radices item sunt in affectu charitas, & reliquæ virtutes, Ephes. 3 *Christum habitare per fidem in cordibus vestris radicati in charitate, & fundati.* Sic verbum Dei, sic Fides fortis,

C

ac robusta euadit, sicut dictum est: *resistite fortes in fide.* Sic persequutionibus immanium quamuis tyrannorum, totius etiam inferni viribus, ac potentiæ minimè cedit, sic fœcunda efficitur, nam hæc est illa fides, quæ per dilectionem operatur.

8.

Sed illud restat diligenter animaduertere; tam doctrinam, quàm bona opera rectè semen dici, illam quidem respectu operum, hæc respectu vitæ æternæ. Inest namque semini vis productrix quædã, & fœcunditas, vndè fit, vt bona opera sint fructus & semẽ; fructus doctrinæ, semen gloriæ; docereque, ac operari, seminare est. idq; etiã in malis cernitur; nã mala opera sunt semen mortis æternæ ad Gal. 6.8. *quæ seminauerit homo, hæc & metet; quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam*, & speciatim de eleemosyna, quæ tamen bonum quoddam opus est, legimus. 2. Corint. 9.6. *qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus*, id est, abundè, *de benedictionibus & metet.* Hæc hactenùs.

D

sequitur vt de terra, & fructu agamus.

(·)

THEORIA II.

De terra & fructu, &c.

1. STATVIT hic CHRISTVS præter terram, quam bonam vocat, tres reliquas terræ partes: nam quædam vt via est, in qua proteritur à viatoribus semen, & conculcantur: nec proindè radices iactare finitur vllas. Quædam sine humore petris vel lapidibus aspera, vbi semen natum arescit. quædam, quæ iactam suffocat sementem. Totidem quoque auditorum genera sunt: quidam porterunt, atque proculcant verbum DEI, vt qui nolunt illud proponenti, fidem adhibere, quales sunt qui naturalibus ratiunculis, quas audito verbo præferunt, nituntur. quales item sunt qui terrenis affectibus præpediuntur ne credant. poscit enim verbum DEI auditorem qui submisso atque humili sit animo, nec sibi multum tribuat, & qui affectibus prauis, & inordinatis careat, quos descripsit Iacobus, 1. ver. 21. *abijcientes omnem immunditiam*, &cæt. *in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.*

2. *Mundus via est.* Hi ergo qui vel intellectu mundum, vel affectu non excedunt, secus viam sunt: quod mundus hic, rectè quasi quædam via dicatur. sunt deindè quidam auditores, qui necessario humore carent, vnde fit, vt arescat illicò verbum: tales sunt qui credunt quamdiu nihil eis contrarium occurrit. Ast vbi tempus est persecutionum, vbi animum tentatio pulsat, confestim insalutato hospite recedunt; scilicet, plus isti bona temporalia, quàm CHRISTVM diligunt. Quid igitur mirum cùm vera, stabilique caritate destituantur, si humore quoque destituti sint? Dixit enim CHRISTVS Lucæ decimoquarto: *si quis venit ad me, & non odit patrem suum, ac matrem, & vxorem, & filios*, &cæt. *adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Rectè igitur isti petrosæ terræ, atque minimè profundæ, quæ sub modica altitudine continet petras, comparantur.

3. *Suffocantes verbū Dei.* Tertio loco, sunt etiam quidam suffocantes verbum sollicitudine rerum sæculi, & fallacia diuitiarum, hi perseuerant in fide, sed non proficiunt, nec exspectatum fructum seminatori reddunt, vt euenire videmus cùm cadit granum super spinas, Iacobi primo: *estote factores verbi, & non auditores tantum, quia si quis est auditor verbi & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit.* Tunc fit suffocatio cum constrictis faucibus, impeditur respiratio. sic nimiæ curæ rerum mundanarum, & superfluæ sollicitudines, totum ad se attrahunt hominem, & obstant quominus aduertere, & meditari diligentius possimus, quæ audiuimus: adeò vt ne locus quidem detur in nobis Spiritus sancti inspirationi. Quare Gregor. homil. decimaquinta, rectè ait: *suffocant, quia importunis*

A *cogitationibus suis guttur mentis strangulant, & dum bonum desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum vitalis fluxus necant.* Meritò igitur CHRISTVS & aptè suffocationis metaphoram hic vsurpauit. Rectè item diuitiæ, sollicitudines mundi, voluptates noxiæ, spinæ nominantur, quia, vt inquit Gregor. de diuitijs, cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, & cùm vsque ad peccata pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant.

Verùm vnde, inquies, est vt expectatum fructum non referat terra? Respond. non ex seminatore, quia bonus: non ex semine quia sanctum est; non ex terra, neque enim hominis natura ex se mala est; meritò ergo dicat quis, B *Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo, vnde ergo habet zizania?* ea sanè ratio est, quòd non tollantur ab auditoribus ea, quæ terram impediunt, quò minus fructum afferat, spinæ videlicet, petræ, volucres.

Hæc enim tria sunt, quæ & terræ, & semini aduersantur volucres, petræ, spinæ. volucris nomine rectè Diabolus intelligitur, idque quinque nimirum ob causas. Primùm quidem ob locum: morantur enim sicut aues, Dæmonum cateruæ in aëre caliginoso, quare à Paulo Ephes. 6. 12. dicuntur *potestates tenebrarum*; hîc verò *volucres cæli*; deindè propter alas, quibus nituntur *volucres*, sunt enim dæmones vt alati quidam dracones.

Quare si similes illos dixeris serpentibus illis ignitis Numer. 21. 6. næ tu benè dixeris: C illos enim serpentes pennatos fuisse, & populi capitibus inuolitasse de quorundam sententia refert Pined. cap. quinto in Iob, versic. septimo, num. decimo: Nec mirum cùm dicantur ab AEliano lib. 16. cap. 42. in AEgypto scorpiones alati esse: cuiusmodi etiam sunt viperæ quædam, quæ se iaculorum more rapidissimè vibrant, auctore Plinio lib. 2. c. 25. & AEtio dum de Cenchrite serpente loquitur, quem dum se ad lædendum parat, aiunt, extendere seipsum, ac veluti iaculum vibratū corporibus inuolare: rursusq; idem Plin. l. 8. c. 23. auctor est, hunc eundem serpentem iaculū (sic enim vocant) ex arborū ramis vibrari. Deindè in India plura serpentum genera alata reperiri vetus fama est: nam de Africa abundè id testatur Lucanus libro nono, cùm de Natrice serpente, qui in aqua quoque venenum spargit, atque de iaculatricibus illis volucribus sic canit. D

Et natrix violator aquæ, iaculiq; volucres.

Adde quod Isaiæ quoque c. 30. 6. reguli volantis fit mentio.

Tertia causa est, quia velocissimè in nostrā perniciem volant, & sunt expediti ad damna quælibet inferenda homini. quod mihi significasse videtur apud Iob. cap. 1. vers. 12. Spiritus Sanctus, cùm ait; *egressusque est Satan à facie Domini*: illud enim egrediendi verbum alacritatem, strenuitatem, solicitudinē in re gerenda significare videtur, vt ibi Pineda. Nihil enim aliud exspectabat, quam facultatem nocendi Iobo, ea obtēta nihil moratus abijt rem perfecturus. Idem significatum est Habac. 3. quinto, *egredietur Diabolus ante pedes eius*: Heb.

egredie-

egredietur (*Reseph*) id est, volatile, vt Hieronymus eo loco exponit, atque ex Hebr. sententia ob nimiam velocitatem Principi Dæmonum id nomen conuenire scribit, qui Christo post baptismum statim occurrerit, nec solum post pedes eius, vt insidiaretur calcaneo ex lectione 70. sed ante pedes eius egressus fuerit in campum, locumque certaminis, tempus, & locum præoccupans.

8. *Dæmones cur volucres dicantur.*

Quarta porrò causa, cur volucres dicantur dæmones, est, quod voraces, & insatiabiles sint 1. Pe. 5. 8. *circuit quærens quem deuoret*. Quod mihi significasse videtur Dominus cùm ad Satan dixit Iob. capite primo, versiculo duodecimo: *tantum in eum ne extendas manum tuam.* Vnde colligit Apollinaris voluisse Satanam, vt totus ipse Iobus illius arbitratui, & potestati permitteretur, negasse verò Deum; vt vel hinc discas quanta insit Satanæ nocendi fames, quãta sitis humani sanguinis. *Væ*, inquit Angelus Apocalyp. duodecimo, duodecimo, *terræ, & mari*; non quod aliquid timendum sit mari. vel terræ, sed hominibus terra, mariq́ue de gentibus, ideò subdit, *quia descendit Diabolus ad vos, qui habet iram magnam.*

9. Meritò igitur nomen illi *Leuiathan* conuenit Isa. vigesimoseptimo, primo, *visitabit Dominus super Leuiathan serpentẽ vectẽ*. Dicitur Leuiathan additamentum, vel augmentum, nam nullo nostro malo contentus est. Vocatur & *serpẽs vectis*, vbi Pagninus legit *serpens transiens*, alij *sepens fugiens*, aut *velox*, aut discurrens de extremo ad extremum, videlicet omnem locum occupans, omnem exitum obstruens, velut inductus vectis omnibus dominari cupiẽs. Sed Christo fidendum est, qui venit, vt dissoluat opera diaboli. Hanc eandem sitim, rapacitatemq́ue Dæmonis repræsentare mihi videntur duæ voces hic positæ, *venit Diabolus*, apud Lucam; vel, *venit malus*, apud Matthæum: Itemque, *& rapit quod seminatum est.*

10. Postremò volucres integrum semen diu seruant in stomacho: ita Dæmon conserant aduersum nos mala sibi altius impressa, ad quæ induxit, vt ad extremum diem mortis, & iudicij proferat, & habeat in quibus nos acriter accuset. Eius sanè in nos odium, & ardens nocendi studium ex tribus nominibus, quibus ab Euangelistis nominatur satis quiuis colligere potest: dicitur enim à Matthæo *malus*, à Marco *Satan*, à Luca *Diabolus*. malus, quia malum hominibus inferre conatur; Satan, quia aduersarius, & inimicus; Diabolus, quia calumniator, & accusator est omnium. Proficiscitur planè odium, & inuidia Diaboli in nos, vt Basilius homilia in aliquot Script. locos aduertit ex incredibili in Deum odio. Quarè cùm homo quædam Dei sit imago, & Deo quidquam nocere non possit, totum in hominem conuertit odium; vt si aliquis regi nocere non possit, & eius tamen simulacrum cederet, maleq́ue acciperet. Quod de Pardali bestia inimicissima homini fertur, quod præ ira in faciem, oculosq́ue hominis inuadat, atque inuolet; quod si qui volunt furorem eius auertere, imaginem hominis ostendunt, vel obijciunt, quam illa statim veluti furijs agitata discerpit, ac dilaniat, declarans quanta sit accensa in hominem ira. Non aliter diabolus in hominem tanquam in Dei imaginem, inuolat, ac rapitur.

11. Neq; verò illud hic dissimulandum est; quid nam sibi velit illa loquẽdi formula, quam omnes hic tres Euangelistæ vsurpant, venit & tollit, seu rapit, seu aufert verbum. Dixi superiùs numero nono, quid hæc significarent id, quod cum re, quam tractabam, congruere videbatur; nũc duas præterea assignabo causas. Prima hæc est, vt ostendatur Diabolus extra nos esse, nec semper adesse tentando. Solus Deus intra nos est, semper adiuuans infirmitatem nostram, in quo viuimus, mouemur, & sumus. Accipe & alteram, homo enim sæpè aduocat quodammodo & inuitat Dæmonem, dum negligenter agit, & Christiani hominis partes ocitanter obit. Idcircò aduolat statim Dæmon, & rapit verbũ, ne fortè si immoretur in homine & expendatur, aliquid efficiat, ac radices iaciat

Obserua denique optimo ordine tres partes malæ, atque infructuosæ terræ designari à Christo; nam prima significat eos, qui verbi doctoribus non credunt. Altera eos, qui credũt quidem, sed in fide semel accepta non perseuerant. Postrema eos, qui perseuerant quidem, sed sine fructu operum sunt. Sequitur vt de bona terra dicamus.

12. *Fructuosa terra tribus indiget.*

Ergò fructuosa terra, quam quarto loco adijcit Christus tribus opus habet, nam, & vt suscipiat semen necesse est, & vt susceptum retineat, ac conseruet. Demum eo retento, & conseruato fructum proferat expectatum: quorum aliquo singulę infructuosę terræ partes priuantur, nam prima non admittit semen, secunda non retinet, tertia fructu destituitur. Cùm verò bonum ex integra causa sit, ideò hæc tria simul coniuncta bonæ terræ necessaria sunt.

13. Affert porrò terra bona fructum in patientia, quæ duobus constat, labore nimirum, laboribus namque insistendum est agricolæ in excolendo agro ad fructum suo tempore decerpendum Iacob. 1. *Patientia opus perfectum habet*. Deindè constat expectatione temporis Iacob. 5. *ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ patienter ferens*. De triplici sanè fructu trigesimo, saxagesimo, centesimo, consule Scholia n. 27.

14. Cur autem vnus maiorem, alius minorem fructum referat, Card. Tolet. explicat ad nota. 31. Lu. 8. nam vt rebꝰ corporeis tria ad ferendũ fructũ concurrunt, terra, semen, influxus cœli: interdum enim terra quædam fœcundior est, interdum etiam semen maiorem habet vim, interdum quoque ager vnus in hac vel illa mundi plaga situs, melius, ac fœlicius cœlestem recipit influxum: sic sentiendum est in spiritualibus. Cætera vide apud eundem Tole.

(·.·)

Digitized by Google

THEORIA III.

In ver. 11. 12. 13. & 14. De cæcitate mentis, duritia cordis, &cæt. Quid nam sint, quæ eorum causſæ & effectus.

1. QVATVOR hæc sunt nomina in Scripturis vsurpata, duritia cordis, aggrauatio auriũ, reprobus sensus, cæcitas mentis. Primum ad voluntatem, reliqua tria ad intellectum pertinent, & ferè idem sunt, nisi quod cæcitas per respectum ad visum dicitur, aggrauatio aurium, ab auditu sumitur. vterque autem & visus, & auditus ad cognitionem pertinet, vt inferiùs ex D. Thoma declarabo, & ex his omnibus reprobus sensus existit; significat enim reprobam mentẽ, talem, quam nemo probare meritò possit, & quæ iure omnibus displiceat, mentem contemptibilẽ, qualis est mens, quæ deprauati prorsus est iudicij, & peruersi.

Cæcitas mẽtis quid.

Cæcitas ergo mentis est, praua animi affectio, qua quis impeditus veritatem Dei euidenter sibi ostensam, & quasi coram, & ante oculos positam, non cernit, nec intelligit. imò per aurium aggrauationem, nec audire sustinet, & per reprobum sensum auditam cõtemnit, peruersè de rebus & deprauatè iudicans.

Duritia cordis quid.

Duritia cordis est praua item animi affectio, qua quis in suo proposito malo obfirmatus diuinis monitis, & præcepto, correptioni, beneficijs nullo modo cedit; sed sibi vtilia; & Deo placentia reijcit, de quibus Psalm. 4. 3. *filij hominum vsquequo graui corde*, quam ex verbis D. Stephani Act. c. 7. 51. constat peccatum esse, & ex Psal. 94. *hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra*: & posteà; *& dixi semper hi errant corde, ipsi vero non cognouerunt vias meas, quibus iurauì in ira mea, si introibunt in requiem meam*: & Prouer. 28. *qui mentis est duræ corruet in malum*: Eccles. 3. *cor durum habebit malè in nouissimo*. Rom. 2. *secundùm duritiam tuã, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram*. Hebr. 3. *videte fratres ne fortè sit in aliquo vestrum cor malum*, &c. August. 5. contra Iul. scribit; cæcitatẽ mentis & esse peccatum, & pœnam peccati, & causſam peccati. Idem de obduratione dicere possumus.

2. *Quatuor excæcant.*

Est autem legere in Scripturis quatuor esse quæ excæcant. primò, munera Eccles. 20. *munera excæcant oculos iudicum*. secundò, Diabolum, 2. Corint. 4. 4. *Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium*, tertiò, hominis malitiam, Sapient. 2. *excæcauit eos malitia eorum*. quartò, Deũ Isai. 6. & munera quidem per quandam occasionem excæcare dicuntur, quibus adde prosperitatem & huiusmodi. Diabolus verò incitando ad malum id facit. hominis malitia sollicitudine rerum terrenarum: exprimit enim hæc succum, vt cum à carnibus exprimitur humor densantur. Idem facit malitia per indeuotionem, & negligentiæ frigus: hoc enim aquam vertit in crystallum. Idem facit eadem hominis malitia, quatenus causſa est, vt non commoueamur minis & flagellis Dei, ita vt instar incudis in duriores euadamus, quæ

A quò magis pulsatur, & percutitur malleis, eò magis obdurescit. Idem malitia efficit per assuefactionem prauam, vnde & habitus enasci solet. Idem præstat per impudentiam: dum tollit pudorem, qui frenum est nos auertens, atque abducens à peccato. Denique Deus est causſa cæcitatis, quia permittit; quia subtrahit gratiam: quia multa facit, quamuis noscat peiores nos inde futuros esse.

3. *Effectus cordis indurati.*

Effectus indurati hominis è scripturis hi sunt. Primò, sunt indurati corde quasi cæci, & titubant more ebriorum Iob. 12. 25. *palpabunt quasi in tenebris, & non in luce*, (id est, in tenebris obscurissimis, vt eiusdem repetitio significationem augeat) *Et errare eos faciet quasi ebrios* (vertigine circumrotatos sicut ebrios, vt de rebus iudicent aliter quam sint. Ebriis B enim quæ fixa sunt, moueri videntur, quæ verò singula sunt duplicata) hoc est, quod ait Isai. 19. 14. *Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis*, quasi dicat, vertiginem miscuit loco vini. Porrò pergit Isai. *& errare fecerunt AEgyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius, & vomens*. sicut enim ebrius fœdè turpi vomitu se commaculat, sic hi quidquid dicant, cogitent, faciant, instar fœdissimi vomitus est. secundò, nolunt intelligere, vt benè agant: sic indicat Iob. 21. *recede à nobis scientiam viarum tuarum nolumus*. sic Exod. 5. Pharao dixit: *quis est Dominus vt audiam vocem eius*? nescio Dominum. tertiò, *lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis*, Prou. 2. quartò, nil pudet istos, defricta fronte sunt, Hierem. 3. *frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*. quintò, à Deo per- C cussi non modò non sentiunt, sed in incudis morem indurantur potius, quod exemplo Pharaonis illustrari posset: sed satis sit, Hierem. testimonium, cap. 5. *Domine percussisti eos, & non doluerunt*, &c. *indurauerunt facies suas supra petram*. sextò, fit istis velut impossibile benè agere, & peccare velut naturale, vt verè in istos congruat illud Hierem. 13. *si mutare potest AEthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum*. septimò, derelicti à Deo dicuntur, quo vno malo quid grauius dici, aut excogitari potest? in quod ne incidat solicitè orat Dauid: *Ne proijcias me à facie tua, & ne declines in ira à seruo tuo*. octauò, in pius semper hi proficiunt, quousque veniant ad locum tormentorum, quem D Deus ipsis præparauit, vt artifex contra duritiam ferri præparat malleos, ignem &c. 2. ad Timot. 3. 13. *mali homines, & seductores proficient in peius*. Sed iam gradum hinc faciamus ad enodandam difficultatem, quæ initio sequentis Theoriæ, continetur, propter quam de his differuimus.

(*)

THEORIA IV.

Affertur difficillimi textus, qui verſ. 11. 12. habetur, expoſitio, & ſimul vaticinij Iſai. cap. 6. quod verſ. 13. continetur.

1. SATIS laboratum eſt à plurimis in horum verſiculorum & Iſaiæ intelligentia. Nos etiam tentabimus ſi quid fortè lucis huic loco afferre poſsimus. Et quidem imprimis illud ſtatuendum, quod cùm hic legimus, verſ. 11. *vt videntes non videant, & audientes non intelligant,* non eſt quod eò confugiamus ad fugiendam difficultatem loci, vt affirmemus particulam, vt, euentum rerum, & conſecutionem ſignificare; Apoſtoli namque Chriſtum interrogauerunt. vt verſ. 9. habes ex Matth. *quarè in parabolis loqueris eis?* quibus verbis quis dubitet cauſam ſciſcitatos eſſe? igitur cùm Chriſtus reſpondet, *vt videntes non videant* &c. cauſam ſaltem finalem declarare voluiſſe, credendus eſt: Atque hoc ipſum concedit Auguſtinus libro qq. in Matthæum, capite decimoquarto, & Hieronym. Iſai. ſexto. Vide Schol. num. decimoſeptimo. Affirmo igitur cauſam finalem hæc verba innuere, ne ſcilicet intelligant & cætera. quam etiam inſinuauit non obſcurè, & Matthæus hic verſiculo duodecimo: *qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo,* vt mox dicam & dixi priùs numero 20. Hoc igitur principio poſitum hic ſit tanquam certum.

2. Affirmo deindè non de eadem cæcitate Matth. loqui dum ait: *quia videntes* &c. verſ. 11. de qua Marc. & Luc. ille enim de cæcitate, vel obduratione, quæ peccatum eſt, loquitur; iſti de ea, quæ in pœnam inflicta eſt à Deo, ante quam præceſsit in Iudæis culpa: vitio enim ſuo facti ſunt cæci & obdurati; vndè factum vt noluerint, credere ijs, quæ Chriſtus priùs edixerat, & fecerat Ioann. 10. 25. *loquor vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Quarè ob hanc inexcuſabilem & ſpontaneam culpam, in pœnam loquebatur illis in parabolis. ſi tamen voluiſſent interrogare, ſicut Apoſtoli fecerunt, expoſuiſſet eis, quæ opus erat, ſcire. Vtramque igitur cæcitatem & obdurationem ſi obſerues, explicant Euangeliſtæ, ſed Marcus & Lucas tantum eam quæ pœnæ locum habet, ac proindè per illa verba, *vt videntes nõ videant,* vt loquitur Lucas, vel vt ait Marcus, *vt videntes videant, & non videant* &c. cauſam finalem expoſuerunt cur in parabolis loqueretur Chriſtus ſcilicet in pœnã. Matthæus verò per illa verba, *quia videntes non vident* &c. vt hic habes verſ. 12. cæcitatem & obdurationem, quam Iudæi vitio proprio contraxerant, aperuit, propter quam in eam quam dixi pœnam incurrere meruerũt. Quarè dum ait, *quia videntes non vident,* &c. aſsignat cauſam meritoriam, cur in parabolis loqueretur eis, quibus iuſto iudicio cæcarentur, & obdurarentur, nimirum id merebatur voluntaria eorum cæcitas mentis, & cordis duritia, & ex vtraque conflatur integra cauſa, cur ſic loqueretur illis, vt expoſui in Schol. num. 19. Cæterùm etiam Matth. non tacuit cauſam finalem, meminit enim cæcitatis & obdurationis, quæ pœna eſt, licèt obſcurius, dum ait hic verſ. 12. *qui enim habet dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Nam cùm ait, *quod habet auferetur,* indicat Chriſtus ſe propterea loqui turbis in parabolis, ne donentur mentis illuſtratione, ſed vt videntes non videant, & hæc pœna eſt; cuius cauſam meritoriam docuit, dum dixit; qui autem non habet, nempè id quod deberet habere, propter hoc ipſum, quia vitio ſuo eo caret, iuſtè auferetur ab eo etiam quod habet, vt in Scholijs ad verſiculũ duodecimum diximus ſub finem, numero vigeſimo, ex Ianſeno, quam cauſam meritoriam expreſsius ſignificauit Matthæus illis verbis, *quia videntes,* &c. Itaque ita ſunt poſita, verſiculo vndecimo, verba reliquorum Euangeliſtarum, vt illis ſtatim ſubijciantur. verſiculo duodecimo, verba Matthæi ad oſtendendam videlicet cauſam meritoriam inflictæ pœnæ cæcitatis, & obſtinationis, vt ſuperius etiam numero decimonono monuimus. habemus ergò ex his de qua cæcitate loquantur Euangeliſtæ, nam de ea tantum, quæ pœna eſt, poſuimus loquutos eſſe Marc. & Luc. at Matth. etiam de ea, & quidem præſertim & clarius, quæ culpa eſt. iam videamus, de qua loquatur Iſai.

3. Sanè eadem hæc ipſa duo ex loco Iſai. capite ſexto, qui hic citatur videmur colligere poſſe. Nam prædixiſſe videtur duplicem Iudæorum cæcitatem, & allatam à Matthæo, quæ cauſa fuit meritoria alterius in pœnã datæ, & hanc ipſam, quæ eſt in pœnam, quam recenſet Luc. & Marc. Primam declarat Iſai. capite ſexto, verſiculo nono, dum ait: *audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere.* quæ verba, non exhortationem continent, ſed vaticinium habent eius, quod futurum erat: Et hæc citauit Matthæus iuxta ſenſum: *auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis:* hic verſiculo decimotertio, de cæcitate autem altera, quæ pœna fuit præcedentis culpæ, ſubiecit Iſai. verſiculo decimo, *excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude.* Sed de mente Iſai. reuertetur iterum ſermo numero octauo.

4. Ijs poſitis difficultatem etiam non paruam ingerunt verba, quæ Marcus addit, *ne quando conuertantur & dimittantur eis peccata.* Græcè eſt, μήποτε, quod interpres vertit, *ne quando.* Et quoniam apud Græcos μὴ, non ſemper eſt negantis, aut prohibentis coniunctio, ſed aliquando dubitantis, idem valens, quod num, vel ſi: quomodo accipitur ſecundæ, ad Timotheum ſecundo, vigeſimoquinto, *cùm modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam,* pro, *ſi quando,* vel *ſi forte.* Propterea placuit aliquibus ſenſum Marci hunc eſſe: ideò in parabolis quibuſdam loquor, eiſque non explico illas, vt vobiſcum facio, quò non intelligant myſteria regni cælorum, & non intelligentes, nõ credant ad tẽpus, ſi quando vel hac ratione conuertantur, & ſanentur; cùm ſcilicet, ſuæ incredulitatis, ac obſtinatio-

stinationis morbum agnoscent. De quo sensu disputat August. lib. qq. ex Matth. c. 14. Hic tamen sensus non videtur esse germanus, quia de obstinatione, & impœnitentia reproborum, in quos non congruit iste sensus, sermo videtur hic esse. Quare Hieronym. Isai. 6. opinatur cæcitatem hanc, de qua Isai. & Dominus loquuntur, futuram illis incredulis perpetuam, ita vt nunquam resipiscere debuerint. Quod videtur Rom. 11. significare Paulus illis verbis; *diminutio eorum diuitiæ sunt gentium, & amissio eorum reconciliatio est mundi, &, cæcitas ex parte contigit in Israel.*

His accedit quod licet μώρωσις græcum vox affirmatiua posit esse: vox tamen Hebr. apud Isaiã videtur semper esse negatiua; & propterea Græca per Hebr. declaranda sunt.

5. Quare dicendum sentio loqui Dominum de illis, qui in incredulitate permanserunt, ac deinceps permanebunt, donec extremo tempore reliquiæ conuertantur: sic Basil. Isaiæ sexto.

Itaque sensus Marci in his verbis videtur iste esse: loquor in parabolis, vt non intelligant, & vt non conuertantur intelligentes, ac sanentur. quod perindè est, ac si diceret: nolo ob pessima scilicet, illorum scelera, & obfirmatam in non credendo mentem aperire parabolas: & maius illis lumen impertiri, quo conuertantur, tot enim auditis ac visis fidem habere deberent; & tamen suo vitio non habent. Non quod sufficiens lumen & auxilium negarit vnquam, quo potuissent conuerti si voluissent, sed quod noluerit ob ipsorum culpam, efficax auxilium tribuere: quo conuertendos fore præuidebat: negat enim Deus quædam auxilia, sine quibus videt aliquem nõ conuertendum, idque in pœnam priorum peccatorum, atque adeò dicitur indurare hominem, non dando ei gratiam, sine qua de facto ille non mollietur, nec inflectetur ad bonum: similiter dicitur excæcare: quia negat maius auxilium.

6. Qua de re luculentè disputat D. Thom. 1. 2. q. 79. art. 3. qui locus quoniam etiam facit ad intelligentiam Isai. idcircò totum hic adscribam: *excæcatio*, inquit, *& obduratio duo important, quorum vnum est motus animi humani inhærentis malo, & auersi à diuino lumine, & quantum ad hoc Deus non est causa excæcationis, & indurationis: sicut nec est causa peccati. Alterum est subtractio diuinæ gratiæ, ex quâ consequitur, quod mens non illuminetur diuinitus ad rectè videndum, & cor non emolliatur ad rectè viuendum; & quantum ad hoc Deus est causa excæcationis & obdurationis. sed considerandum est quod Deus est causa vniuersalis illuminationis animarum secundùm illud Ioan. erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sicut sol est vniuersalis causa illuminationis corporum, aliter tamen & aliter. Nam sol illuminat per necessitatem naturæ, Deus autem voluntariè per ordinem suæ sapientiæ. Sol itaque licet quãtum est de se omnia corpora illuminet, si quod tamen impedimentum inuenerit in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum, vt patet de domo cuius fenestræ sunt clausæ; veruntamen istius obscurationis nullo modo est sol causa nõ. n. suo iudicio & voluntate agit vt lumen interius nõ immittat: sed causa eius est* A *solũ ille, qui clausit fenestras. Deus aũt proprio iudicio, & voluntate sua lumen gratiæ nõ immittit illis, in quibꝰ obstaculũ inuenit. vnde causa subtractionis gratiæ est, non solũ ille qui ponit obstaculũ gratiæ, sed etiã Deus qui suo iudicio gratiã non apponit, & per hunc modum Deus est causa excæcationis mentis & aggrauationis aurium, & obdurationis cordis. Hæc autem tria distinguuntur secundùm effectus gratiæ, quæ & perficit intellectum dono sapientiæ, & affectum emollit igne caritatis. Et quia ad cognotionem intellectus maximè deseruiunt duo sensus visus, & auditus: visus enim deseruit inuentioni, auditus verò disciplinæ: ideò quantum ad visum ponitur excæcatio, quantum ad auditum, aurium aggrauatio, quantum ad effectum, obduratio*; ita D. Thomas. videat eundem lector, primo sentent. dist. 40. q. 4. Pere. in cap. 11. Exod. vbi decem exagitat B quæstiones de induratione, & in epistolam ad Rom. c. 1. dist. 20. & 21.

Iuxtà igitur hunc modum exponendi Marcum, dum ait; *nequando conuertantur, & dimittantur eis peccata*, qui modus videtur verus, & genuinus, rectè cõcordat Marc. cum Isai. si sequamur prædictam Isaiæ intelligentiam, numer. 3. alludere enim videtur Euangelista dum ait: *nequando*, &c. ad illa Isai. *ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.* videntur enim hæc pœnam continere. & hæc quidem sentiat quis probabiliter. 7.

Cæterùm licèt quod attinet ad Euangelistas rectè procedat hæc expositio; Marcus enim & Lucas de pœna loquuntur, quam Matt. etiam tetigit licèt obscurius, vt dixi num. 2. & C in Schol. nu. 20. quantum tamen ad Isai. spectat videtur mihi potius loqui de vetere populo, ac de cæcitate illa, quæ est peccatum, & non de ea quæ est pœna ex subtractione auxilij diuini consequens. 8.

Scito igitur hoc Isai. vaticinium sic referri à Matth. *auditu audietis & non intelligetis*: cùm tamen Hebr. non per futura tempora, sed per imperatiuum modum loquatur Isai. *audiendo audite, & ne intelligatis, & videndo videte, & ne videatis.* Quare Matth. siue potius Matth. græcus, latinusque interpres LXX. sequutus videtur esse, qui per futura conuerterunt. sed vtrouis modo loquaris, rectè & conuenienter ad locum Isai. loqueris. Nam si per futurum legamus non quid eos Deus facere velit, sed quid D ipsi facturi sint, significatur. si per imperandi modum etiam non imperat Dominus, neque quid ipse velit, sed quid illi sint facturi declarat; vt si viro perdito dicas: vide ne quid Deo placitum facias: non imperando, neque volendo id dices: sed significando te scire, eum Deo nunquam placiturum, sic Matth. 23. 32. *& vos implete mensuram Patrum vestrorum*: neque enim est concessio, vt plerique putant: sed loquendi formula ab Hebr. vsurpata maiorem habens vim.

Iam verò quæ sequuntur apud Matth. ver. 9. 14. hic ex eodem Isai. *incrassatum est enim*, &c. clarè adhuc ostendunt loqui Isai. de cæcitate Iudæorum, quæ erat ipsorum peccatum. vocula namque enim reddit rationem, cur intellecturi non essent: quod scilicet cæci forent quæ ipsorum culpa est: & ita per eam voculam in-

dicat,

Digitized by Google

dicat Matt. reddi eo testimonio, vel illis verbis rationem talem ab Isaia. vbi obiter etiam Nota quod vbi nos habemus apud Esai. *excæca* Heb. est verbum quod incrassare, impinguare significat, & ideò LXX. reddunt *incrassare*. Porrò illa alia verba Isaiæ: *nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant* &c. hunc continent sensum: propterea nolle eos videre, & intelligere, ne conuertantur, & peccata illis dimittantur, vt psal. 35. 4. dicitur de impio *noluit intelligere, vt benè ageret*, id est, ne benè ageret. erit ergò sententia hæc: isti videntur veluti de industria ita se gerere, vt non conuertantur, & peccata illis dimittantur. & hoc modo rectè citatur à Matth. locus hic Isai. ad ostendendum quòd propter culpam ipsorum incredulorum his insinuatam, fiat vt non aperiat eis mysteria regni. Et licèt videatur Isaias de vetere populo loqui, Christus tamen Dominus hoc in illis adimpletum item affirmat, qui suo tempore increduli erant, non credituri vmquam. Ex his patet à solo Matt. citari hoc vaticinium iuxtà germanum eius sensum, deindè etiam constat intelligentia omnium Euangelistarum, & Isaiæ vaticinij.

10. Verùm obijcies non consentire hanc secundam expositionem Isaiæ cum Marco, vel etiam cum Luca, quos tamen diximus huc alludere. Resp. Marcum quidem & Lucam loqui de cœcitate, quæ est pœna. Quòd ergò Isaias dixit de cœcitate, quæ est culpa incredulorum rectè Marcus, & Lucas applicarunt propter quandam similitudinem ad eam cœcitatem, de qua agebant, quæ est pœna, potiùs alludentes ad illum locum Isaiæ, quàm illum ipsum referentes. & quidē rectè: nam sicut illi ex sua culpa ita erāt cœci, & obdurati, vt conuerti nollent, ita Deus in pœnam, delicto conuenientem, ac simillimam, subtraxit auxilium efficax, ne conuerterentur, id est, quamuis videret illos non conuertendos talibus subtractis auxilijs. simpliciter enim vult omnes saluos fieri etiam istos, & ideò auxilium sufficiens non amouet, ideò parabolas non negat, quas si interrogarent, exponere non grauaretur.

Adde secundo Marcum præsertim dum sic loquitur: *nequādo conuertantur, & dimittantur*, similiter loqui ac Isaiam, & ideò ad illius verba alludisse dicendus est. denique in cæcitate quæ est pœna, Marcus & Lucas includi intelligunt eam, quæ est culpa; neque enim Deus cæcitatis, vel obdurationis pœna quemquam afficit, nisi in pœnam voluntariæ cæcitatis, & obdurationis; Ita meritò potuerunt alludere ad locum illum Isaiæ, in quo de cęcitate & obduratione, quæ est culpa, fit sermo. sicut & in hac includitur pœna; permittit enim illos Deus in culpa permanere, nec in pœnam, vult efficax auxilium dare. itaque qui de vna loquitur expressè, de altera tacitè loquatur oportet.

11. Postremò illud non omittendum per præteritum Matthæum loqui; *incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt*; quæ tamen apud Isaiæ impetrandi modo leguntur, sed Græcus, vt dixi, & Latinus Matthæi Interpres Septuaginta est sequutus, cuius veram rationem assignat Maldonat. capite decimotertio Matth. versicul. decimoquinto, quia verba Hebræa alijs punctis legerunt Septuaginta, quàm nunc legantur, ab Hebræis. legimus enim nunc *inpingua, incrassa, aggraua, caligare fac*, at Septuaginta vertunt impinguatum est, incrassatum, aggrauatum, seu auribus grauiter audierunt, oculis suis caligauerunt, quàm interpretationem qui linguam Hebr. callent, magis probant, tanquam magis cohærentem litteræ. nam Deus ipse loquitur, non Propheta, vt Lyranus, & alij volunt, licèt aliter Diuus Hieronymus sentiat, quem vtraque glossa ordina. & Interl. secuntur. DEVS autem non dixisset: impingua, aggraua? scio sensum esse posse impingua, vel excæca, aggraua, &c. prædic impinguandum, &cæt. quod tamen duriusculum apparet. nec videtur Propheta orare posse, vt excæcentur, cùm iam illos paulò antè cæcos dixerit. Nos apud Isaiam capite sexto, versiculo decimo legimus: *excæca cor populi huius, & aures, &cæt.* Hæc videntur dicenda in tam perardua difficultate huius loci.

THEORIA V.

In qua ex occasione prædictorum, Respond. obiectioni cuidam.

CAETERVM non est dissimulanda obiectio, quæ ex his oriri potest. videmur enim affirmasse peccatum, posse esse peccati pœnam; nam, vt inquit Augustinus cap. tertio, libro quinto contra Iulianum: *cæcitas mentis quam solus remouet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati est, qua cor superbum digna animaduersione punitur: & causa peccati est, cùm mali aliquid cæci cordis errore committitur.* Idem docet Augustinus & pluribus, libro de Natura & Gratia contra Pelagianos, capite vigesimo secundo: Iam inquiet aliquis: peccatum, vt peccatum voluntarium est: at pœna, vt pœna inuoluntaria; non igitur peccatum, vt peccatum pœna esse potest. Adde quod peccatum iniustum est, neque à Deo esse potest. Hanc difficultatem, si quis perpendat ea quæ ex Diuo Thoma superiùs diximus, facilè explicabit. 1. *Peccatum an pœna peccati.*

Quo tamen clariùs res hæc intelligatur, animaduertenda est diligenter responsio Diui Thomæ in prima secundæ, quæstio. octogesima, articul. secundo, vbi ait: *peccatum, si consideretur secundùm formam, & naturam suam, non habet rationem pœnæ: peccatum enim vt peccatum est, est voluntarium, & ab hominis electione profectum; at verò si peccatum consideretur secundùm suam causam, ex qua oritur, putà subtractionem diuini auxilij, quo seruabatur, & tenebatur homo, ne rueret in maxima scelera; sic vnum peccatum est pœna peccati, hac enim ratione occulto, & se vero Dei iudicio; sicut ait Augustinus vindicatur peccatum; dum offensus Deus præcedentibus peccatis, subtrahit auxilium gratiæ suæ: quo amoto, partim impulsu Dæmonum, partim procliuitate carnis, atque infirmitate humani* 2.

animi præcipitatur homo in omne peccati genus. Propter hanc igitur subtractionem gratuitæ præseruationis hominum à peccando, quam & efficit Deus, quæ est pœna quædam & supplicium peccatorum, peccatum quod ob talem subtractionem deinde committitur, dicitur peccatum esse & pœna peccati: tot & tanta D. Thom. eo loci.

3. Quæ confirmat August. epistol. centesima quinta, dum inquit; *Deus non indurat impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam.* hanc verò excæcationem meruisse Iudæos, idem tract. quinquagesimotertio in Ioannem docet. de qua item Iudæorum cæcitate, lege etiam Barrad. Tomo primo, libri secundi, cap. primo, satis sit Pauli testimonium, secundæ Corinth. 3. 14. *obtusi sunt sensus eorum vsque in hodiernam diem: cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum,* &cæt. itaque velamen illud quo Moyses obtegebat vultum, oculosque, adumbrabat hanc Iudæorum cæcitatem, ex qua obduratio nata est cordis.

4. Sed redeamus ad Diuum Thom. ipse idem in comment. capitis primi, epistol. ad Romanos, in vers. vigesimumsextũ, propterea tradidit illos, &c.

Peccatum quomodo pœna cum sit voluntariũ.

Addit ad præcedentia declarans presius, quomodo peccatum possit esse pœna, cùm sit voluntarium: *Notandum est,* inquit, *quod peccatum, vt peccatum non potest esse pœna: siquidem pœnam patimur contra voluntatem nostram: peccatum autem est voluntarium, vt dicit Augustinus, sed quia peccatum habet quædam adiuncta, quæ sunt contra voluntatem peccantis, ratione eorum, peccatum dicitur pœna præcedentis peccati: & hoc dupliciter: vel quia est aliquid præcedens peccatum, cuiusmodi est subtractio gratiæ, ex qua sequitur vt homo peccet, vel est aliquid adiunctum ipsi peccato, aut interius, sicut est inordinatio animi, dicente Augustino in primo libro Confess. iussisti Domine, & sic est, vt pœna sibi sit omnis inordinatus animus; aut est aliquid adiunctum peccato, quantum ad exteriores actus, quibus labores, & difficultates adiunguntur secundùm illud quod dicunt impij: ambulauimus vias difficiles* (Sapi. 5.) *vel denique quantum ad id, quod sequitur peccatum, sicut est remorsus conscientiæ, & infamia, & similia.* sic sapienter Diuus Thomas quæ etiam faciunt ad intelligenda ea, quæ D. Paul. habet cap. 1. ad Rom. 26. &c.

5. *Deus an & quomodo trahat peccatores in praua desideria.*

Sed vrgebit aliquis: D. Augustin. in ea etiam esse sententia; vt affirmet iusto iudicio Deum trahere peccatores in praua desideria, & in reprobum sensum, non modo per nudam permissionem, vel per patientiam, vel per subtractionem auxilij, vt hactenus ex Diuo Thoma visi sumus affirmasse, sed per quandam potentiam, & actionem inclinando voluntates eorum, vt ex lib. 5. contra Iulian. cap. 3. & libro de gratia, & libero arbitrio ad Valentinum cap. 21. constat. videtur igitur Deo auctore verè peccatum esse pœna peccati. Fateor hæc & similia August. loca aliam exposcere solutionem, maioremque declarationem. sed Respondet Pere. in cap. 1. ad Roman. distinct. 21. num. 119. non intellexisse Augustinum, Deum inclinare voluntates ad malum propriè, & efficienter, & vt aiunt Physicè mouendo eas, & determinando ad malum: sed

A quia multa circa peccatores, qui indurantur, & excæcantur in peccatis, operatur, per se quidem non mala, sed è quibus tamen occasionem illi capiunt grauius peccandi, magisque animum suum in peccatis obfirmandi; non igitur Deus malitiam infundit voluntati, nec eam efficienter mouet ad malum, verum iusto iudicio vindicans peccatorem, diu, multumque in magnis peccatis versatum, non modo non infundit gratiam, qua prohibeantur praui motus, & appetitiones humanæ voluntatis: sed etiam permittit eis occasiones, & offendicula, ad quæ grauius illi impingant, suo tamen vitio; vertentes videlicet occasiones, quibus resipiscere, atque emendari debebant, in maiorem occasionem peccandi.

B & vt Scholasticè, breuiterque rem concludamus, non inclinat DEVS voluntatem hominis ad malum efficienter mouendo, vel occasionatiuè, & obiectiuè; quod multa faciat, & obijciat homini vitijs corrupto, quæ illius prauam voluntatem inclinatura sint ad malum. Quæ autem sint ista, & qualia leges apud eundem Pere. distinct. octaua, super caput vndecimum Exod. quam autem hæc quæ diximus conformia sint Augustino colligere poteris ex libro quæstionum in Exodum, quæst. decima octaua.

DIGRESSIO MORALIS

C **In versiculum 18. *Semen est verbum Dei.***

1. QVAM multis rebus simile sit verbum Dei è Scripturis ostenditur.

Verbi Dei variæ appellationes & nomina.

Monet nos hic locus, vbi semini comparatur verbum Dei, vt quam multis alijs rebus in Scripturis simile dicatur idem verbum paucis aperiamus. Dicitur ergo verbum Dei *lucerna,* Psalm. 118. *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis,* quia nimirum diuino verbo ceu lumine quodã per peccatorum tenebras, & rerum cælestium ignorationem, pedes nostros in viam pacis facilè dirigimus. Hinc est quod cùm Christus è sinu Patris hoc lumen ad nos detulerit lux mundi, Ioan. 8. vocetur: *ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ,* vt meritò idem Christus Ioan. 3. cum hominibus expostulet: *hoc est iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* loquitur verò de sua prædicatione volens innuere, iustam esse mundi condemnationem, quod Euangelica prædicatione contempta, quam Pater per Filium induxerat, adhuc tamen, proh dolor, altissimis peccatorum tenebris hærebant; quod verò per tenebras diuini verbi ignorantia intelligatur, non obscurè docet Matth. quarto, *Cùm audisset* IESVS *quod Ioannes esset traditus in Galilæa, relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, & Nephthalim, vt adimpleretur quod dictũ est per Isaiam Prophetam: terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem, Galilæa Gentium:*

populus

Digitized by Google

populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, & sedentibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Et vt ostenderet quas tenebras, & quam lucem diceret, subdit Matthæus, *exindè cœpit Iesus prædicare, & dicere, pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum:* procul dubio per lucem prædicationem Christi, quam tum inchoauit, per tenebras verò, & vmbram mortis, verbi diuini priuationem, & quæ cum ea coniuncta sunt peccata, & rerum cœlestium ignorationem intelligit: Quarè non immeritò Ioannes Baptista nominatur, Ioannis capite quinto *lucerna*, Apostoli verò *lux mundi*, Matthæi quinto, hi quidem quod Euangelicam prædicationem intulerint mundo, ille quod Euangelico lumini veluti viam parauerit.

Verbum Dei lux est.

2. *Item aqua.*

Dicitur & verbum Dei *aqua*, quod nos vrgente persequutionum æstu, siue à mundo, siue à carne, siue à Dæmone, suauiter recreet. Deindè quod peccatorũ sordes pellat, & virtutes fœcundas reddat. Hinc Isai. omnes inuitat: *Omnes*, inquit, *sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite absque commutatione vinum & lac.* quarè meritò quidam per aquam, quam Dominus Samaritanæ Mulieri est pollicitus Ioannis quarto, Verbum Dei interpretantur, vel certè gratiam Spiritus sancti, quæ à fontibus, id est, sanctis viris deriuatur per diuinam prædicationem in animas tanquam in plantas, faciens illas ad perfectionis fastigium, denique in æternam vitam ascendere & proficere. Talem aquam ille irriguus fons Paulus ab Hierosolymis vsque Illyricum spargebat Roman. decimoquinto: *ita vt Hierosolymis*, inquit, *per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim Euangelium Christi.*

Talem Apostoli duodecim effuderunt significati per duodecim illos fontes, quos Israeliticus populus sitiens in deserto reperit. Numerorum trigesimotertio, nono. Talem aquam biberat. Ioan. in sinu Christi quam dum incipit in omnes velle effundere summo Dei beneficio altissimè intonat: *In principio erat Verbum*, &c.

3. Vis ne lector scire aquam, quæ sitim non extinguat? *Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum.* Vis ne rursum habere, quæ sitim prorsus pellat? fœcundare aqua diuini verbi, nam *qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei*, inquit Christus, *non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, quam si popposceris à Christo cum muliere: *Domine da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire*, dabit tibi.

4. *Vinum.* Dicitur deindè & verbum Dei *vinum*. confortat namque genua ad viam mandatorum currendam, & cœlestium bonorum spe inebriat, eorundemque memoria lętificat, tristesque hominum animos recreat, atque confirmat. Hoc ad nos vinum attulit æterna Dei sapientia, dum humanos artus induta spectabilem se omnium oculis præbuit Prouerbiorum nono, primo. *Sapientia ædificauit sibi domum* (Ecclesiam) *excidit columnas septem* (septem Sacramenta quibus tota innititur, & recumbit, Christiana religio) *immolauit victimas suas*, (animam & corpus in ara crucis) *miscuit vinum* (cœlestem doctrinam) *proposuit mensam* (altare vbi corpus, & sanguis eius nobis datur) *misit postea suos concionatores, vt paruulos vocarent, & insipientibus loquuta est: venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* &c.

Cauendum tamen est diligentissime, à venenato hæreticorum vino, de quo Moyses Deuteronom. trigesimosecundo, trigesimotertio. *fel Draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Sanè quod Isai. capite primo, vigesimosecundo, exprobrat Hierusalem, dum ait: *vinum tuum mixtum est aqua*: id nos possumus verissime de hæreticis affirmare, quod cœlestem æternæ sapientiæ doctrinam falsis peruersisque dogmatibus permiscere contendant.

5. *Vinum hæreticorum venenatum.*

Dicitur quoque Dei verbum *panis*, vt meritò proindè diuina sapientia nos non ad vinum modo, sed ad panem etiam inuitarit: *venite comedite panem meum.* Vbi Hieronymus *in pane*, inquit, *diuina eloquia exprimuntur.* hunc panem docuit nos petere Christus in Oratione Dominica: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè*: non malè siquidem etiam doctrinam cœlestem nomine panis intelligere possumus. certè locus ille Matthæi decimoquinto, vigesimosexto, *non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus:* de doctrina, & miraculis quibus ad eam homines alliciuntur, intelligitur. sed verendum ne aliquando auferatur à nobis hic panis nostram ob incuriam, & ingratitudinem, & dicatur de nobis illud Trenorum quarto: *paruuli petierunt panem & non erat, qui frangeret eis.* Itemque; *auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.*

6. *Panis.*

Dicitur & *lac*, quod crescere faciat, & nutriat paruulos. Est verò doctrina cœlestis, dulcis & candida in lactis modum amoris igne decocta in sanctorum & Ecclesiæ pectore, qua aluntur hi quos ipsa Ecclesia genuit per baptismum Christi cùm alerentur priùs fœculentis peccatarum menstruis. Igitur iuxta illud primæ Pe. secundo, primo. *deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes rationabiles, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem.*

7. *Lac.*

Dicitur *sagitta*, quod corda mortalium quasi telo perfodiat. Hinc Psalm. quadragesimoquarto, sexto: *Sagittæ tuæ acutæ* (*populi sub te cadent*) *in corda inimicorum regis.* Hunc iactum ac vulnus sequitur mors; Hinc Paul. hoc telo confossus dicebat ad Galatas secundo Christo *confixus sum cruci, viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* Hoc iaculo confossi sunt loquente Petro Actorum capite secundo, trigesimoseptimo, hi, de quibus dicitur: *his auditis compuncti sunt*; Primum namque punctum est eorum cor doloris stimulo ob peccatum crucifixionis Christi. Deindè etiam ob alia; qua punctione Spiritus sancti aperuit cor eorum, vt pus indè fœtidum prodiret. Apertum est & eadem punctione cor Dei, iuxta illud: *vulnerasti cor meum, soror mea sponsa*, qua fit vt apertis thesauris diuinis transmittat ad nos Deus auxilium gratiæ, & dona cœlestia. Deni-

8. *Sagitta.*

que eadem hæc punctio in modum lanceæ cor Diaboli peruasit, & perforauit. Nec tantum *compunctos* dixit Lucas fuisse illos, sed adiecit *corde*, & quidem meritò, quia ibi sedes horrenda peccati, alioquin fictam oportet esse punctionem, nisi cor pungatur.

9. Nec dubium maximum hoc fuisse vulnus quod compuncti acceperunt isti, maximam punctionem. Cùm enim aduerterent delicti grauitatem, & se in crucem egisse per summum scelus, eum qui Dei erat filius, quamuis id ignorarent, cùm tam immane scelus patrarent, toto cohorruerunt & animo & corpore: vt si quis putans interfeciſſe se hostem, clara luce cognosceret, illum non hostem, sed regis sui dilectissimũ fuisse filium, quam magno, quam incredibili dolore afficeretur? & quo in se odio conuerteretur?

10. Huius porrò salutiferæ compunctionis signum certissimum est, remedia ac præcepta salutis quærere, quibus errata tollantur: *Et dixerunt*, inquit Lucas, *ad Petrum & ad reliquos Apostolos, quid faciemus viri fratres?* vbi obserua, *fratres* iam vocasse eos, quos prius loco hostium habitos vix aspicere ferebant. vide igitur quam salubris, ac vitalis sit hæc diuini verbi sagitta & conuulneratio, qua fit, vt peccato morientes æternùm Christo viuamus.

11. Gladius. Dicitur & verbum *gladius*, vel quod hostes spirituales conficiat, vel quod prauos affectus, & appetitus amputet carnales, teste Paulo ad Hebræos quarto, *viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum cordis.* Hic est gladius ille, quem Ioannes Apocalyp. primo, & decimo nono, vidit de Christi ore prodeuntem vtrinque acutum. Hoc eodem armantur Christi prædicatores Psal. 149. *Et gladij ancipites in manibus eorum: ad faciendam vindictam in nationibus*, & ne longum faciam, non alijs armis instructi, neque maiori alio gladio freti totum Christo mundum subiecere Apostoli.

Cùm igitur ingruerit bellum spiritale, cum diuini verbi tuba, tympanum, clamor, Christianorum ducum cohortatio insonuerit, bellum acriter inuadas: ita enim fiet vt hoc gladio tanquam cælestibus armis armatus, hoc robore fretus ingentem hostium cateruam, non in fugam modo conijcias, sed penitùs etiam deleas; sic armatos nos hortatur Apostol. Ephesios sexto, vt bellum ordiamur; *confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, & induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela inimici ignea extinguere, & galeam salutis assumite & gladium spiritus, quod est verbum Dei.*

12. Mensa. Dicitur Dei verbum quoque *mensa: parasti in conspectu meo mensam.* dicitur *pluuia; pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.* Dicitur *lex Domini immaculata, conuertens animas.* Dicitur à Paulo primæ Corinth. primo virtus Dei, & potentia, & stultitia, verbum crucis stultitia est, his autem qui salui fiunt, id est, nobis, Dei virtus. Neque verò suauis melodia, & concentus huic mensæ deest. est enim cœlestis doctrina similis cytharæ Dauid, quo pulsante refocillabatur Saul, sic Diabolo premente vexati, suaui huius melodię concentu recreati quiescunt, denique salutem, & incredibilem pacem inueniunt.

Infelices igitur qui in his densissimæ noctis tenebris hoc lumine non vtuntur, infœlices qui inter medios mundi æstus, non huius aquæ potu reficiuntur. Infœlices qui hoc cælesti vino non inebriantur, qui huius panis suauitate non fruuntur, huius lactis dulcedine spiritualem suam infantiam non nutriunt; huic mensæ non accumbunt. Denique infœlices qui hac sagitta, vt æternam possint, ac beatam vitam traducere, corde non compunguntur, & salutari hoc gladio non confodiuntur.

13. Verbi Dei, varia vtilitas. Quam latè pateat huius diuini verbi vtilitas, ostendit Origen. homilia septima in Exodum, similitudine mannæ: *festinemus*, inquit, *cælestem manna suscipere, quod prout vult quisque saporem reddit in ore. Audi enim & Dominum dicentem ijs qui accedunt ad se; fiat tibi secundùm fidem tuam. & tu ergo si verbum Dei, quod in Ecclesia prædicatur tota fide, & deuotione suscipias: fiet tibi quodcumque desideras. si tribularis consolatur te, dicens: cor contritum & humiliatum Deus non spernit, si lætàris pro spe futura, cumulat tibi gaudia dicens: lætamini in Domino & exultate iusti. Si iracundus es, dicit; desine ab ira & derelinque furorem. si in doloribus sis, sanat te dicens: Dominus sanat omnes languores tuos. si paupertate consumeris, consolando dicit: Dominus alleuat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. sic ergo manna verbi Dei, reddit in ore tuo saporem, quemcunque volueris. hoc tamen si quis infideliter suscipiat, & non comedat, sed abscondat, vermes ex eo ebulliunt.* Et paullò pòst: *sicut enim ipse* CHRISTVS *est qui sit alijs in ruinam, alijs in Resurrectionem, ita & ipse est qui nunc in manna, fidelibus quidem dulcedo mellis, infidelibus autem vermis efficitur. ipse est enim sermo Dei, qui iniquorum mentes arguit, & correptionum spiculis peccatorum conscientias terebrat*, &c.

14. Sed obseruandum non indiligenter, est quod si furtim, & vltra mensuram collegeris, putrescet hoc manna; atque ita hæreticis accidit, qui furtim, vt latrones & fures onerant se Sacræ Scripturæ sententijs vltra mensuram, hoc est, sensum Patrum, atque adeò apud illos putrescat oportet, verbum; neque enim apud illos purum est verbum Dei.

15. Quod si tu Lector mannæ huius suauitatem non sentis, scito delicatam esse Diuinam consolationem, nec in vasis sordidis recipi posse. Non AEgyptiacas cæpas, simul & manna gustare poteris, si illas deposueris, & contempseris dices profectò, & quidem magno tuo bono: *quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.*

16. Varij item fructus. Cùm verò plurimi sint verbi Dei fructus aptè ligno vitæ, de quo Apocalyp. 22. 1. comparari poterit: *ostendit mihi*, inquit Ioan. *fluuium aquæ viuæ splendidum tanquam crystallũ procedentem de sede Dei, & agni. In medio platea eius,*

Digitized by Google

& ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium. Fluuius Spiritum sanctum significat, qui de sede, id est, diuina voluntate Dei, id est, Patris, & Agni, id est, Filij, procedit, in qua sola quiescit Deus. Porrò quod ex vtraque parte fluminis lignum sit vitæ, indicat Diuinum Verbum, quod nouo, & vetere Testamento continetur, eundem Spiritum sanctum auctorem habere, qui docet omnem veritatem. Sanè huius tam augusti ligni duodecim præstantissimos fructus sic enumerat Apostolus 1. ad Galat. 5. *Fructus autem Spiritus est Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas.* Quid? vel ipsa etiam folia ligni huius ingentem afferunt gentibus salutem, & proindè dicuntur ad salutem esse gentium: nam quæ in Scriptura & sacris concionibus videntur esse simplicia, maximè prosunt.

17. Possumus & eandem verbi diuini vtilitatem, ex loco illo Genes. 24. 63 colligere, vbi de Isaac scribitur, quod *egressus fuerat ad meditandum in agro inclinata iam die. quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem Scripturarum, spem habeamus.* Prorsus nihil tam triste potest emergere, quod non statim diuini Verbi, vel sacræ Scripturæ meditatione, vel euanescat, vel patienter toleretur. hoc igitur Verbum, hæc Scriptura ager est, ad quem Isaac inclinata iam die pergit ad meditandum: vbi ei occurrens Rebecca eum, qui acciderat, lenit dolorem. Quoties mihi, bone Iesu, dies vergit in vesperam; quoties paruæ alicui consolationi quasi diurnæ luci intolerabilis dolor, velut nocturna caligo succedit. Vertuntur in fastidium omnia, oneri sunt, quæ video. si quis loquitur vix audio, vix sentio, in modum silicis cor obduratur, hæret lingua, oculorum vena siccatur. Quid tum? ex eo certè ad meditandum in agro, reuoluo codicem, &c. cùm subitò mihi occurrens Rebecca, gratia tua ô Iesu, disijcit tristitiam &c. & lacrymæ oboriuntur cum gaudio. Miseri, quos cum tristia perturbant, non in hunc ingrediuntur agrum.

18. Verùm ille ex diuino Verbo omnium maximus existit fructus, qui charitate, & Diuini amoris igne continetur, quem venit Iesus mittere in terras, quo illi accensi dicebant: *nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* hoc ipso inflammatus Apostolus sic clamabat: *quis nos separabit à charitate Christi: tribulatio, an angustia, an persequutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius.* & posteà, *certus sum enim, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

19. Fructus qui verbum Dei in veritate audiunt.

Postremò huic digressioni finem imponam si priùs in eos breuiter inuectus fuero, qui frequenter Dei verbum audiunt, & admirantur, sine vllo tamen pœnitentiæ fructu, vel vtilitatis emolumento, & cũ maximis cooperti sint vitijs, ardorem quidem concionantis in vitijs, insectandis laudant, & suspiciunt doctrinam, ne tantillum tamen ipsi commouentur, nihilòque meliores, quam venerant, è concione discedunt. equidem hos opinor simillimos esse Regi Balthasari, cuius tanta fuit stoliditas, vt audita Dei contra se sententia, non ingemuerit, non misericordiam Dei supplex imploraverit contentus admirari Danielis sapientiam, eumque honorare: tales mihi isti videntur, vt meritò in eos quadrera dicas, quod apud Ezechielem Dominus dixit Prophetæ capite trigesimotertio, trigesimo, trigesimoprimo, trigesimosecundo. *Filij populi tui, & cætera. dicunt, vnus ad alterum, & cætera. venite, & audiamus, quis sit sermo egrediens à Domino. & veniunt ad te, & cætera. & sedent coram te, & audiunt sermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos, & auaritiam suam sequitur cor eorum. & es eis, quasi carmen musicum, quod suaui, dulciq; sono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea.*

CAPVT XIV.

PARABOLÆ ZIZANIORVM, SEMINIS CRESCENTIS, GRANI sinapis & fermenti.

A. 13. 24. 31. B. 4. 26.

1. A. ALIAM *parabolam proposuit illis, dicens: simile factum est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo.*

2. *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt.*

3. *Cùm autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.*

4. *Accedentes autem serui patrisfamilias dixerunt ei: Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergò habet zizania.*

5. *Et ait illis: inimicus homo hoc fecit: serui autem dixerunt ei: vis imus, & colligamus ea?*

6. *Et ait non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.*

7. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem: & in tempore messis dicam messoribus: colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. Triticum autem congregate in horreum meum.*

8. B. *Et dicebat: sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terra.*

9. *Et dormiat & exsurgat nocte, & die: & semen germinet & increscat, dum nescit ille.*

10. *Vltrò enim terra fructificat. Primùm herbam, deindè spicam, deindè plenum frumentum in spica.*

11. *Et cùm produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.*

12. *Et dicebat cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud?*

13. A. *Simile est regnum Cælorum grano sinapis, quod accipiens seminauit in agro suo.*

14. *Quod minimum quidem est omnibus seminibus: cùm autem creuerit maius est omnibus oleribus.* B. *& facit ramos magnos.* A. *& fit arbor.* B. *ita vt possint sub vmbra eius aues cæli habitare.* A *& habitent in ramis eius.*

15. *Aliam parabolam loquutus est eis: simile est regnum Cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.*

16. *Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas.* B. *Prout poterant audire.*

17. *Sine parabola autem non loquebatur eis. seorsum autem discipulis suis disserebat omnia.*

18. A. *Vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita, à constitutione mundi.*

SCHOLIA.

1. Vide anton hist tit 5 c.2 §.1.

1. A. ALiam parabolam] quemadmodum superiore parabola, ostensum est semen, hoc est, Dei verbum, non in omnibus fructum facere, nec eundem reddere in quibus facit: ita declarat hic; in Ecclesia non solum bonũ semen, id est, homines bonos (hoc enim per semen intelligit) verum etiam malum, id est, homines malos esse. Deindè se non esse mali seminis auctorem, sed boni significat: malum enim à Diabolo seminari. Denique toleraturum se patienter ad messem vsque malum semen. Semper enim in Ecclesia sua permittit Deus malos in bonum electorum.

Iam verò aptè, appositéque hæc parabola superiori subnectitur, tum quod etiam à semine sit desumpta, sicut & ea, quæ ex Marco sequetur: tum ne semen illud quod in terram bonam cecidit, putaretur, nullam mali seminis, vnde simul spinæ nascerentur, aut malæ herbæ, habiturum admixtionem.

2. Regnum cælorum Ecclesia.

Simile factum est regnum Cælorum homini] per regnum cælorum Euangelium intelligitur, seu potius Ecclesia ipsa, vt sit sensus: idem accidit in regno cælorum, ac si quis seminasset bonum semen in agro suo, vel quod idem est: perindè se habet Euangelium, vel Dei potius Ecclesia, atque si A quis in agro suo bonum semen seminauerit, & aliquis eius inimicus superseminet malum. Neque verò regnum cælorum homini propriè dicitur simile.

2. *Cùm autem dormirent homines*] est hebraismus. dicunt enim hebrei virum aut hominẽ, id est, quemlibet; vnde interdum vertunt Septuaginta ἕκαστος vnusquisque, vt Iudicum 21. 25. Latinè dicimus, vulgo vel passim. Ergo *homines*, idem est, ac *omnes*.

3. Vide Aug. serm 39 de Sanctis & 99 ex Matt. 11. 12. & ser. 18. de verb Dom. in fin. & 18 de diuer. Chrysol. ser. 96. 97. Hæretici superseminãt.

Superseminauit zizania] Chrysolo serm. 96. *nullum*, inquit, *malum ab originis processit auctore, ab inimico superseminatum est malum*, Genes. 1. vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Hæretici omnes nõ seminant, sed superseminant, nimirũ super veritatem euangelij à Christo seminatam, seminant ipsi nouas hæreses, & falsa dogmata, vide Tertull. lib. de Præscriptio: aduersus B hæret. c. 31. & Pammelium in eundem locum Tertull. Chrysos. hom. 47. in Matt.

In medio tritici] in medio proborum hominum, corrumpunt enim bonos mores colloquia praua, & Psalm. 105. *commixti sunt intergentes* (cum zizanijs commixtum est frumentum sequitur corruptio) *& didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum.*

4. Diabolum latere satagit & non vult agnosci.

Et abijt] Bernard. serm. 85. in Cantic. *impellit, sed non euertit, si quidem tuum illi negaueru assensum*. Significari item videtur clanculum, ne agnosceretur se occultasse; sicut cùm dictum est: *cùm dormirent*: notatur noctu venisse. oportuno, scilicet tempore. Quibus indicatur tum maximè superseminare zizania Diabolum, cùm videt dormientes Ecclesiæ Prælatos, cum inertia torpent, & præpositi Ecclesiæ negligentius agunt. Hinc habes Diabolum quam potest maximè stu- C dere vt lateat; nisi velimus dicere illis verbis: cùm autem dormirent homines, significari, Diabolum occultè, & nemine aduertente zizania seminasse, & hic ipsissimus videtur huius loci sensus, quamuis id faciat Dæmon, & id accidat, cum Episcopi negligentiores sunt.

3. *Cùm autem creuisset herba*] Gr. ἐβλάστησε, id est, germinasset, & pullulasset, seu spicam, granáque genuisset: nam ante fructum dignosci non poterat bonane, an mala herba esset; ex fructu autem agnoscitur. significatur ad tempus quidem plerũque malos bonis permixtos ob sacramentorum, & nominis Christiani communionem non posse statim discerni, cognosci tandem ex eo quod non eosdem fructus proferant cum bonis.

5. *Accedentes autem serui*] Porrò serui qui dubitant, num eradicanda sint zizania significãt homines Deum timentes, præsertim Ecclesiæ ministros, qui & hæreticos, & malos catholicos bono D religionis studio optant de medio tolli. Quare ne præcipiti zelo peccent, docentur tolerare ad tempus malos bonis permixtos.

Duo notat Diuus Thomas, in his seruis laude, & imitatione digna; primò, zelum ad destruẽdum malum, primæ Corinth. 15. *auferte malum ex vobis ipsis*. Alterum, quod facere nolint ex se, sed Domini iussu.

Zizania] id est, noxias segeti herbas.

5. *Inimicus homo*] vide Diuum Thomam secunda secundæ quæst. 10. art. 8. & quæst. 11. art. 3. & q. 64. art. 2. & contra gent. lib. 3. c. 146. Pamme. in epistol. 52. Cypriani.

Vis imus, & colligimus] pro *eam°, & colligamus*.

6. Hæretici an occidendi.

6. *Et ait, non,*] Diuus Chrysost. docet significatum esse hic, hæreticos, quos per zizania intelligit sic & August. & Hierony. non esse occidendos: idque hodie pleriq; colligunt. At quam malè id colligant primum intelligere est vel hoc, quod non

de solis

de solis hic agitur hæreticis: sed omnibus filijs Diaboli, qui filijs regni opponuntur, quamuis præcipuè hæretici sint Diaboli filij. Si ergo quidquam isti probarent; etiam probare possemus, nec fures, nec homicidas trucidando esse. Deindè his verbis non prohibetur extirpatio huius, vel illius mali, sed omnium in commune malorum. Neque enim danda opera est, vt omnes simul mali de medio hominum tollantur. Denique si propter conseruationem tritici, vt hic dicitur, non sunt eradicanda zizania; rursum eradicanda erunt vbi conseruando tritico ita necessarium erit. Tunc ergò ex sententia Christi euellenda non sunt zizania, cum periculum est, ne & triticum eradicetur, vt rectè docet D. Augustinus l. 3. contra Epist. Parme. c. 2. & D. Tho. 2. 2. q. 10. a. 8. ad primum & q. 11. a. 3. ad tertiũ. Cùm igitur periculum non est, ne simul triticum eradicetur, sed potius ne, si non euellantur, triticum lædant, non opus est messis tempus expectare; euellantur, comburantur. Et cur quęso iubet Paterfam. messem expectare, nisi quia ante messem dignosci, & seiparari à tritico non possunt? Ergò si dignoscantur, & tritico periculum nullum creetur, quis dubitet num euelli, & comburi possint?

7. Quamuis itaque Chryst. Hierõ. Aug. de hæreticis interpretentur zizania, id dixerie, quia præsertim hæretici ipsi zizania sunt; & quia Chrysost. & Hieron. per bonum semen ex prima parabola intellexerunt sinceram Euangelicam doctrinam, cui opponitur doctrina hæreticorum à Diabolo superseminata in mundo post Euangelij prędicationem. Quin & Aug. propterea hæretios speciatim hic significatos vult; Quod in semente tria sunt, semen bonum, palea, & zizania, & per bonum semen, rectè bonos Catholicos intelligimus; per paleam, malè viuentes Catholicos item rectè accipiamus: nam palea etiam fundamẽtum habet cum frumento radicemque communem: zizanijs ergo similes sunt hæretici. Hoc inquam dixit August. vt ostenderet hac peculiari quadam ratione esse hic significatos hæreticos: Alioquin Christus inquit zizania filios esse nequam, lege August. lib. 1. qq. euangel. secundum Matth. cap. 1.

8. Et aduerte quod Augustin. initio quidem, vt de se ipse testatur in epist. ad Vinc. 48. & epist. ad Bonif. tom. 5. in ea fuit sententia quod hæretici non modo non essent occidendi, sed nec quauis ratione puniendi, vel cogendi: cum iam tum à Constantino primum, & deinde à sequentibus Catholicis imperatoribus statutum esset, vt mulcta pecuniaria, aut etiam exilio plecterentur. Neque tamen mouebat Augustinum multum hic locus, sed potissimum eo inclinabat, ne Ecclesia fictos Catholicos haberet, quos apertos nouerat hæreticos. At postea lib. 2. retractationum cap. 5. & epist. 48. & 50. retractat quod aliquando senserat, probans vtilissimum esse vi cogere hæreticos ad fidem: semper tamen excipit supplicium mortis, nõ quod illos hoc non mereri putaret; sed tum quod hoc decere Ecclesiæ mansuetudinem existimaret, tum quod non dum vlla lex Imperatorum extaret, qua hæretici iuberentur occidi. Illa enim lex: *quicumque* C. de hæret. paullo post mortem Augustini lata est, sane quod August. existimarit iustum esse si hæretici occiderentur, patet ex lib. 1. contra epist. Parm. c. 7 tract. 11 in Ioan. & epist. 50. ad Bonif. & Ians. hic c. 22. conc.

8. *A gallicani sententia de pœnis de morte hæreticorum.*

7. *Sinite*] August. 1. qq. euangel. c. 10. Gregor. 4. dial. c. 38. in fine, & l. 9. moral. c. 47.

9. *Dicam messoribus*] Chrysostom. homil. 48. in Matth. *considera*, inquit, *ineffabilem Christi misericordiam, & quod ad benefaciendum promptus est. à desiderio autem puniendi alienus. Nam quando semmat per se ipsum id peragit · supplicia vero per alios infert: nam dicam, ait, messoribus, alligate ea,* &c quam rem eleganter obseruauit Philo. lib. de Abrahamo circa med. pag. 513. *cum Abrahamo oblata sit*, inquit, *trium virorum species, duos tantum eloquentia diuina ad excindendam regionem, Sodomam veniisse dicunt, vt delerent eius incolas, cum tertius indignum punire aduentu suo duceret. Is, quantum intelligo, erat ille qui verè est, id est Deus æquum iudicans, vt bona per se ipsum largiretur, contraria exequenda suis potentijs relinqueret. id quod mihi videntur Reges facere ad imitationem naturæ diuinæ, dum per se ipsos gratias porrigunt, pœnas per alios sanciunt.*

Colligite] Interl. separate à bonis. *Alligate*] Interl. hic vagos. *In fasciculos*] Interl. non vnum fascem, quia pro modo peruersitatis suæ, vnusquisque punietur.

Congregate] Interl. vt qui vnitatem amauerunt.

In horreum meum] id est in cœlestes mansiones.

Habes hic insigne patientiæ, ac tolerantiæ signum, vt obseruat Beda Matth. 13. vt sicut paterfamilias in dolo inimici patiens fuit: sic in aliqua nos læsione, non statim ad vindictam, sed magis ad tolerantiam recurramus. 10.

Greg. Nysse. l. de anima, & resurrect. ante medium; bonum semen animi appetitus rationi consentientes esse scribit. Zizania verò errorem circa iudicium boni, atque honesti. Deum verò noluisse animi impetus omninò, penitusq; extirpari. vide illum.

Quæ restant declaranda in hac parabola in sequenti capite vide.

8. B. *Et dicebant, sic est regnum Dei*] Tertia est hęc parabola à solo Mar. conscripta, adhuc à semine desumpta, & proindè probabilius est hoc eodem loco, & tempore, quo præcedentem iacti in terrã seminis, propositam fuisse. Nam vtraque affinis est, vtraque de semente agit. Scimus autem Christum eandem diuersis sæpè parabolis eodem tempore inuoluere solere, vt ex Matth. c. 13. constare potest. Videri autè potest ob similitudinem huius parabolæ cum præcedenti, nec Lucam, nec Matth. vtramque posuisse. Porrò sicut in prima semen, verbum erat Dei, ita & hic, in quo differt à secunda parabola, in qua sementis pro filijs regni accipitur, & vt secunda assumpta est ad significandum præsertim permixtionem malorum cum bonis, ita hæc ad significandum modum quo Euangelicum semen multiplicatur.

Et igitur sensus: sic est regnum Dei, id est, ita in regno Dei vsu venit, quemadmodum cum semen ab homine iactum in terram, vltrò, citra eius, qui seminauit, operam, immò sępè eo ignorante è terra enascitur; præterea sensim crescit: nam primum velut herba est, deindè in spicam euadit, tandem perficitur: sic Dei Verbum in homine paulatim perducitur ad perfectam virtutem Regnum igitur Dei Ecclesia vocatur ex Hierony. Beda, & Chrysostomo.

Si homo iaciat] quisquis Christi nomine prædicat Euangelium est iste homo, qui sementem facere dicitur. quamquam potest & Christus comprehendi.

In terra] terra auditores sunt, qui in prima parabola, terra *bona*, vel *mala*, nuncupati sunt.

9. *Et dormiat, & exurgat nocte & die*] non dubito hæc verba ad hominem facientem sementem referri, quidquid aliqui velint vt Hieronym. Beda, Strabus. *nocte*, iunge cùm *dormiat*; *die*, iunge cùm *exurgat*; quasi dicat, dum prætereunt, noctes, & dies. Vel dum ille aliud agit dies & noctes. scilic. etiam discedente prædicatore fructificat verbum. Illa particula, *&*, præposita voci, *semen*, ostendit, non posse *exurgat* referri ad *semen*. Sunt qui 11.

dicant loquutum Dominum ex hypothesi, quasi dicat, etiam si qui seminauit nihil agat, semen tamen crescet. Sed ferè eodem recidit. quare non habet locum obiectio, si dicamus etiam Christum seminatorem esse, quomodo eo dormiente, & ignorãte crescere potest semen? nam nõ est necesse id in omni seminatore verum esse: sed in eo dumtaxat qui homo purus est, non item Deus. Et ob id dicitur etiam discedente prædicatore, etiam dum nil cogitat, vel etiam si nil cogitaret, crescere tamen semen: quæ in Christum Deum non cõpetunt: sic malo respondere, quam cum alijs qui dicũt id etiã in Christo posse esse verum, si spectetur præcisè, vt homo. Non nego id, sed tamẽ non sic arbitror metaphysicè loquutũ esse Christum. Ex his fit non esse negandum quod nisi interdum assiduã cõcionatoris opera rigẽtur, & excolãtur auditorum animi, minimè crescere Dei verbum. Neque hic voluit Christus significare, non opus esse vnquã, vt iacto verbi Dei semine, aliquid agat cõcionator. exhortandi enim sæpè, animandi, confirmandi auditores verbi. Porrò quando dicitur verbum Dei vi sua atque natura per se crescere, non excluditur diuina gratia: sed docemur tantam vim esse verbi Dei, vt per se pullulet ac germinet, nisi impediat auditor; & simul omnis gloriãdi occasio præciditur diuini Verbi præconibus: & quicquid hinc boni est in Deum refertur, qui incrementum dat. Quod magis explicatur sequenti versu.

12. 10 *Vltrò enim terra fructificat*] id est, per se; Gr. αὐτομάτη ἡ γῆ καρποφορεῖ, id est, spontanea terra fructum adfert, vt indicetur in arbitrio hominis esse fructificare. Intellige verò terram vltrò fructum profe re vbi semen susceperit, si cœlum faueat. Est autem catachresis: neque enim herba, neque spica fructus propriè est, quare verbum καρποφορεῖ, aliter accipitur à Mar. in hac parabola, & aliter in prima. Hic enim dicitur semen fructificare, cùm tantùm in herbam, & nec dum in spicam enatum est. In prima verò parabola, solùm illud semen dicitur fructificare, quod in terram bonam cecidit, nam quæ in spinosa, aut petrosa loca ceciderunt, etiam si in herbam germinarint, non ob id fructificare dicta sunt. Similiter & hic produxisse fructus aliter accipitur inquit Iansen. quam apud Matt. facere fructum in secunda parabola. hic enim produxisse fructus dicitur cùm iam plenum frumentum est in spica, & messis tempus adest, vbi verò diu antè messis tempus dicitur feciſſe fructum, videlicẽt cùm iam ex spicis distingui posset à zizanijs. Itaque non idem est dicere, *cùm fructum feciſſet*, vt habes suprà ex Matt. v. 3. ac cùm est *plenum frumentũ in spica*, vt v. 10. ex Marc. Ad plenitudinem enim frumenti, non satis est, vt sit formatum, & productum, vtcumque, sed requiritur maturitas tanta, vt ferè meti iam debeat, & possit frumẽtum. aliquid tamen maturitatis addit productio fructus v. seq. 11.

13. *Plenum*] quasi perfectum, & tale quale est illud, quod seminatum est, nec ab eo deficiens, ac degenerans. Hæc videntur parerga quædam esse non omninò necessaria intentioni Christi, possunt tamen accõmodari. Herbam ex Hierony. intellige timorem, initium namq; sapiẽtiæ timor Domini; spicam, pœnitentiã lacrymosam; plenum frumentum, caritatẽ, quę plenitudo legis est, vel ex Chrysost. herbam in lege naturæ; spicam in lege Mosis; frumentum in Euang. vel ex Theophyl. herbã cum principia boni demonstramus; spicam, cùm resistimus tentationibus; fructum verò intellige, cùm est perfecta operatio. Eodem ferè modo Greg. l. 22. Moral. c. 14. hõ. in Ezec. 15. Ex his etiã discere licet, parabolas duplici posse modo explicari: primum quidẽ generatim res applicãdo ad rem, propter ã

A assumuntur, quantũ exposcit Saluatoris intentio. Secundò verò modo singulas partes diligẽtius excutiendo. vbi tamen extremũ vitandũ, ne scil. nimium curiosi, nimiumque emungentes in ineptias aliquas incidamus. Posset & tertius modus esse explicandi parabolas, quo explicantur non secundũ illam primam & præcipuam intentionem, secundùm quam à Domino sunt dictæ, sed secundùm eũ modum quo accommodantur à S. Doctoribus ad morum informationem, & Ecclesiæ vtilitatem pro exigentia locorum & temporum.

11. *Et cùm produxerit*] *ex se* legunt aliqui, sed Gr. non est *ex*. Alij legunt, *cùm se produxerit*: & tũc aptus sensus videtur esse: cum fructus (est enim nominatiui casus) id est semen iactum, nam & hoc est fructus alterius seminis. Cùm, inquam, se, id est, alium sibi similem fructũ produxerit. similem dico, id est, iam omninò ita maturum & perfectum, vt aptum sit, vt metatur, & molatur, sicut B erat semen ipsum iactum. Hoc enim significat *se*, quasi *alterum se*, si verò non legamus, *se*, sed Gr. ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπός, id est, cùm produxerit, vel redierit fructus. est enim fructus nominatiuus adhuc, sensus erit: *produxerit*, nimirũ, *alterum fructũ sibi similem*. vel *fructus* ponitur pro tempore messis, & παραδῷ pro redierit. sic Theophy. vel produxerit idem est, quod maturuerit, hoc est, ad tempus messis peruenerit fructus, hoc est, frumentum iam productum antea, ita vt passiuè sumatur. vel produxerit, id est, cùm prouenerit, seu prodierit perfectus omninò fructus aptus ad messem. Syriacè, *pinguis erit*. Itaque plus aliquid videtur semper esse hoc, quàm quod antè dixit: *plenum frumentum*.

Mittit falcem] metit scilicèt Dominus agri, id est, Deus ipse. Falx ex Theophyl. Dei verbum, seu præceptum, quo præcepit hunc, vel illum demeti, C id est, mori, siue generalis sit mors omnium ad extremum diem morientium, siue cuiusque priuata. Messis enim est vel generalis eiusmodi mors, vel priuata.

Hæc parabola quid significet, non omnes eo- 14.
dem modo exponunt. Iansen. putat declarari per eam: Euangelicam doctrinam præter hominum opinionem, ac ne sentientibus quidem illis sensim passimq; exorituram, & fructum redditurum, donec tandem ad perfectum fructum perueniat, non aliter quam semen ipsum non sentientibus hominibus nascitur; sensimque, ac quodam ordine primum quidem ad herbam; deindè ad spicam, mox ad frumentum in spica adolescit & peruenit. Maldon. mentem Christi esse contendit; eam esse, ac tantam vim verbi Dei, vt si in bonam incidat terram, licet is qui iecit nihil agat aliud, germinet, D crescat, & fructum afferat. Opinatur etiam voluisse per hæc Christum Apostolis gloriãdi occasionem præcidere, ac significare neque qui plantat esse aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deum.

Caietan. in ea est sententia, vt indicari velit id 15.
quod secundo loco diximus ex Maldonato. Deindè excrescere Dei verbum sensim, paulatimque: neminem enim repentè fieri summũ, sed primum exercetur operibus incipientium, deindè proficientium, denique perfectorum. Primum herba est, mox spica, tandem plenum in spica frumẽtum. D. Hieronym. seu potius auctor in Marcum, quod & in Glossa ordina. legitur: semen ait, est verbum vitæ; terra, corda humana; dormitatio hominis, mors Saluatoris. exsurgit semen nocte & die; post somnum. n. Christi numerus credentiũ per aduersa, & prospera magis, magisq; germinabat in fide, & in opere crescebat, dum nescit ille, id est, nescire nos fecit quis fructum in finem afferat, dum ait:

qui

qui perseuerauerit vsque in finẽ, hic saluus erit. Theophylactus *Homo*, inquit, *est ipse Deus, semen misit in terram*, id est, *Euangelij prædicationem. Semine proiecto dormit, id est, in cœlum ascendit; attamen surgit nocte, & die. Nam quamuis Deus dormire videatur, surgit tamen: Et nocte quidem, cùm per varias tentationes in sui nos excitat cognitionem tanquam sopitos: die verò cùm per suauia, lata, ac persucunda vitam hanc nostram sub fulsit, & moderatur. Crescit sanè semen ignorante illo, quia liberi arbitrij sumus, & in nostra electione est, semen crescat, nec ne: sponte enim fructum afferimus. primum quidem herbam, ac principium boni demonstrantes* &c. prout ex ipso paulò superius exposuimus numero decimotertio, per messem verò consummationem sæculi intelligit. Idem ferè Euthym. habet. mihi quidem Maldo. vel Ianſen. vel Caietani videtur quadrare expositio. Quod si Christo etiam velis applicare, nam diximus etiam & Christum nomine seminatoris comprehẽdi posse, ita locum habebit illius auctoris in Marcum, vel Theoph. & Euthym. interpretatio, licèt non satis mihi ad Christi mentem esse videatur. Potius responderem prout v. 9. dixi circa principium; satis esse si ea, quæ hic dicũtur de ignoratione seminatoris, eiusq; recessu, non de omni seminatore intelligantur; neq; n. necessè est ad Christi intentionem; sed satis erit, si de reliquis seminatoribus ea vera sint, puta, hominibus.

12. *Et dicebat*] *&*, loco *præterea. Cui*] id est, parabolæ. *Assimilabimus*] quasi dicat, qua declarabimus similitudine. sic loquitur quasi hęsitando, quo attentiores reddat auditores.

16. Hanc parabolam quartam habent Marcus, & Matth. hic, & eandem habet Luc. c. 13. alio rursum tempore dictam, sicut & illam de fermento, quam etiam Matth. hic habet: verùm à Luca recensetur tanquam alio tempore iterum à Christo prolata.

Significat igitur hac & consequenti parabola Dominus vim & efficacitatem regni cœlorum, hoc est, verbi Dei, & Euangelicæ doctrinæ, seu Ecclesiæ in crescẽdo, quod scilicet ex paruis initijs mox processura sit ad maxima.

13. *Regnum cœlorum*] Chrysostomus Ecclesiam primitiuam interpretatur. Alij ipsum regnum Dei, quo in credentibus cœperat tum regnare per Euangelium Deus. sed satius est regnum Dei interpretari Euangelium, id est, Dei verbum in Ecclesia: vel Ecclesiam ipsam, quæ Dei verbum continet, vel vt Hieronymus etiam intelligit prædicationem Euangelij scilicet in Ecclesia, & notitiam Scripturarũ, quæ ducit ad vitam. Breuiter, vtrumque iungendo verbum cum Ecclesia, docemur hic Ecclesiæ incrementum per Euangelicam prędicationem: quam Dauid longè ante præuidit Psalmo septuagesimonono, vndecimo, dum dicit: *Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei, expandit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad fluuium propagines eius.* & Psal. octogesimosexto, quarto. *ecce alienigenæ, & tyrus, & populus Æthiopum hi fuerunt illic.*

17. Ecclesia cur similis grano sinapis. *Grano sinapis*] Hic cum regno cœlorum simile dicitur grano, possumus simpliciter verba sumere, vt dicamus verè ipsam Ecclesiam & Euangelium, simile esse grano sinapis, licèt superius hunc loquendi modum aliter exposuerimus, quia absurdum videbatur ipsa verba simpliciter accipere. Interl. regnum cœlorũ *granũ sinapis* dicitur, quod quanto plus teritur, vel persequutionibus, vel meditatione frequenti, tanto plus redolet. Augustinus in quæstionibus Euangelicis *granum*, inquit, *sinapis ob feruorem fidei*; & rectè nam sinapi vis quędem ignea inest: sic verbo Dei cœlestis ardor: hinc illi: *nonne cor nostrum ardens* & cætera. ob latentem hanc vim sinapis venena dicitur expellere, & Euangelium omnia dogmata prauitatis. Meritò igitur Ambrosius dixit granum sinapis rem vilem & simplicem, si teri cœperit, vim suam fundere; sic fidem si atteratur aduersis, gratiam suæ virtutis effundere. Martyres habebant ardorem fidei, sed latebat; contriti, gratiam sparsere martyrij. Et Christus granum sinapis qui captus & sepultus resurrexit, & factus est arbor mundum obumbrans, cuius rami Petrus & Paulus, in quorum sinus, & disputationum recessus, qui eramus longè, assumptis virtutis remigijs, aduolamus. Sic Dan. secundo, trigesimoquinto, Christus per lapidem sine manibus abscissum significatus est, qui tamen posteà subiecit orbem in magnum excrescens montem.

Sed ad mentem Christi hi mihi maximè loqui videntur, qui interpretantur grano sinapis simile dici regnum cœlorum; primũ quia initio paruũ in ingentem posteà magnitudinem crescere solet. Ad hæc sicut si conferatur cum reliquis seminibus paruum est hoc granum, ita minima quidem videtur verbi Dei prædicatio & Ecclesia, in qua illa est; Præterea minima, & incredibilis videtur & ingrata; tum ob rerum despicientiam quam docet; tum propter ardua, ad quæ hortatur toleranda libenter; tum ob fidem rerum planè captum nostrum excedentium; tum quod in his exarandis vtitur simplici verborum stylo, sine phaleris, sine vllo mundanæ eloquentiæ ornamento. His accedit quod sicut, licèt alia semina in herbas tantum ferè, aut olera exsurgant, semen sinapis in arborem potiùs exsurgit, ita Philosophorum dogmata, vt inquit Hieronymus, cum creuerint, tantum in olera & herbas quæ citò arescunt, & corruunt, ebulliunt; eò quòd nihil sic in eis firmum & solidum, sed totum flaccidum, & macidum. At Euangelij prædicatio in arborem excrescit magnam, atque adeò Ecclesia, vt vides, longè lateque diffusa, & firmiter stabilita est.

18.

14. *Minimum quidem est omnibus*] scilicet proportione minimum, si spectes id quod ex eo nascitur, & quod ex alijs seminibus. vel significat paruum esse valdè, inter omnia olerum semina. Nec necessè est omnium omninò seminum, minimum esse, satis quod ex omnium minimis vnum sit: alioqui minus est papaueris semen. loquitur enim iuxta communem loquendi modum, vt alibi nouissimum quadrantem dixit, non quod minima, sed quod ex minimis monetis esset.

Cæterùm quod Marc. ait, de grano sinapis, quod cum seminatum fuerit, minus est omnibus seminibus; non sic accipiendum est, quasi ante quàm seminetur, non sit minus alijs. sed videtur Marcus respexisse ad id quod per parabolam significatur. tunc enim doctrina Euangelica videbatur minor alijs, cum seminari & prædicari cœpta est, cùm priùs non agnoscereturr.

Obserua græcismo vsum esse hic interpretem: quod enim G. μικρότερον πάντων τῶν σπερμάτων, apud Matthæũ, & Marc. per comparatiuum dictum est, *minus omnibus seminibus*, vertit, *minimum omnibus seminibus*: nam Gr. comparatiuum illud, superlatiui vim obtinebat, vt cùm de Apostolis dicitur, *quis eorum esset maior*, id est, quis maximus. Ergò vt interpres sensum verum exprimeret, per superlatiuum conuertit, & vt indicaret græcè comparatiuum esse, auferendi casu dixit, *omnibus seminibus*.

Ramos] amant vehementer aues eius granum. Itaque cum feruente æstate maturuit in eius ramis, vt semen edant, insidere solent, quas etiam si multæ sint, possunt infracti sustinere.

Fit arbor] in calidioribus locis longè suprà

huma-

humanam staturam assurgit. Id autem videre erat in Palæstina.

Habitent] id est, sedent; nam vox hebraica vtrumque significat habitare, & sedere. Nec benè vertunt, qui pro *habitare, nidulari* interpretantur. Nam nec vox ipsa græca, nec hebræa *nidulari* significat: & vix credo aues in eiusmodi arbusculanidulari.

19. *Per volucres hoc loco quid intelligendum.*

Quòd de volucribus hic dicitur, mysterio minimè caret. significat enim eos modò conquiescere in vmbra euangelij, qui terrenis contemptis ad cœlestia possunt subuolare. Hieronymus etiam, Angelos vult posse intelligi. Alij homines sublimes scientia, ac sensu intelligunt, qui in Euangelio, & Ecclesia sustentantur. sic Daniel. quarto, nono, volucres quæ in ramis magnæ illius arboris erant, principes, & reges significabant quasi sub vmbra Nabuchodonosoris viuentes.

Sed Bedam audiamus, qui totam hanc arborem veluti ob oculos cum ramis, & volucribus nobis ponit: *non herbarum*, inquit, *quæ velociter arescunt, sed arborum instar euangelica prædicatio præsurgit: rami, dogmatum diuersitates; aues, animæ castæ*. Porrò dicitur hæc arbor magna, quia secundùm Cyrillum Christi doctrina principiò penes paucos erat, sed posteà recepit augmentum. huius arboris ramos, non modo dogmata diuersa, vt iam dixi ex Beda, sed etiam cum Theophylacto super Marcum, dicemus significare Apostolos, & cæteros Euangelij prædicatores per orbem veluti expansos, id est, dispersos.

Hieronymus accommodat hanc parabolam ad singulos homines: vt quisque intelligatur seminare granum sinapis, hoc est, euangelij doctrinam in corde suo, cum illam ibi suscipit, & fidei humore fouet, in quo deindè ita pullulabit ac crescet, vt in ramis bonorum operum, Angeli sint habitaturi, vel ramis doctrinæ suæ possit alios ob umbrare, ac habitandi locum præbere.

Barradius, *is Christianus*, inquit, *granum est sinapis, qui minimus est humilitate, magnus ardore, & charitate: qui cùm teritur tribulationibus inflammatur & ardet: adde, & suauissimum spirat odorem, Vide etiam Diuum Ambrosium sermone* 1. 2. *Chrysol. ser.* 98. *Aug.* 1. *qq: Eu. cap.* 11.

15. *Aliam parabolam*] eodem spectat & hæc, regnum cælorum ex paruo initio maximum incrementum esse sumpturum. Chrysost. fermento significari vult Apostolos, hoc est, nascentem Ecclesiã. Hierõ. Euangel. prædicationem, nos Regni cælorũ nomine intelligemus, vt superiùs Euangel. doctrinam, & Ecclesiam, per quam prædicatur, & per quam ipsamet Ecclesia crescit. hæ ergò fermento similes esse dicuntur; Doctrina namque Euangelica & Ecclesia illam inuehens, mundo permixta totum immutauit orbem, & ad se traxit, quòd etiam rectè Apostolis numero paucis, conuenit vt vult Chryso. qui totum mundum ad suos mores, habitum, fidemque transmutare cœperunt. Nec mirum, quod fermento simile dicit Euangel. quod in malam aliquando partem sumitur, vt Matth. 16. 6. primæ ad Corinth. 5. 6. 7. nam qua parte corruptio quædam est massæ nimis calefactæ, sic in malam partem accipitur. verùm quatenus ob conceptum in se calorem vim continet ea quibus immisc etur augendi, sic in bonam partem capitur, vt hoc loco.

Fermentum quid, & qui ei similes.

Abscondit] misc uit, ita confudit, vt non appareret.

In farinæ satis tribus] de sato vide Digress. 1.

20. *Mulier hæc parabolica quid signif.*

Verùm hic videre restat quid nam per hanc mulierem intelligendum sit, quæ acceptum fermentum abscondit in farinæ satis tribus. Respon. siue intelligas Ecclesiam primitiuam, siue potius vniA uersalem quæ se ipsam per prædicatores commiscet: siue cum Augustin. Dei sapientiam, quę Euangelium fermentum ipsamque Ecclesiam orbi prudenter, & veluti clanculum admiscuit, rectè semper intellexeris. Per *tria* verò *sata* commodè tres, mundi partes accipiuntur, nam vt Hilarius significare videtur, quidã tres istas mensuras, ad trium gentium vocationẽ ex Sem, Cham, & Iaphet, retulere. sanè posteri Sem, Asiã; posteri Cham, Aphricam; & posteri Iaphet bona ex parte Europam incoluerunt. Ad mysterium autem aliquod significãndum, videtur potius dixisse Dominus: *abscondit in tribus satis*, quàm *in ephi*. Suidas his tribus satis encryphiorum, in cap. 18. v. 6. Gen. vult significari triduanam Domini sepulturam, qui panis est vitæ, licèt iuxtà communius receptam expositionem D. Ambr. & Augustin. tres S. Trinitatis personę tribus satis adumbrentur eo loco.

B Allegoricè etiam potius, quam ad Christi mentem, D. Hilar. hic per fermentum intelligit significari Christum, quod accepta à nobis natura virtutem diuinitatis suæ, humanæ naturæ communicauerit. fermentum enim de farina est, virtutemque acceptam aceruo sui generis reddit; hoc ergò fermentum mulier Synagoga per iudicium mortis abscondit arguens Legem, & Prophetas Euangelio dissolutos. hoc autem in farinæ mensuris tribus, id est, Legis, Prophetarum, & Euangeliorum æqualitate coopertum vnum omnia fecit, vt quod lex constituit, & Prophetæ nunciauerunt, id ipsum Euangeliorum profectibus expleatur. Hæc ille. 21.

Non longè ab Hilarij sententia abijt Ambros. ser. 5. & quidem rectè, Christus in Eucharistia fermento cõparatur, quod in corpore nostro absc ondi tur, dum dignè ore sumitur, fermentat verò totam massam, cum corpori ipsi castitatem, & modestiam, animo cunctas virtutes affert. Quare Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 17. sicut inquit, parum fermẽti, vt Paulus ait, 1. Corin. 5. totam massam fermentat: sic paruula benedictio totum hominem in se ipsum attrahit, & sua gratia replet: atq; ita fit, vt nos in Christo, & Christus in nobis sit. 22.

C Cæterùm secundùm moralem intelligentiam, per mulierem hanc rectè intelligitur anima hominis, quę prædicationem Euangelicam occultat, & commiscet tribus suis partibus, ita vt ex his vna fiat spiritualis; & rationalis pars, non erret in dogmatibus; nec irascibilis, vel concupiscibilis absque ratione ferantur; sed fermententur omnia & similia reddantur verba Dei, ita vt in ratione sit prudentia; odium in irascibili contra vitia; in concupiscibili desideriũ virtutum. vide Diuum Hieronym. in Marth. & D. Thomam in Lucam. 23.

D Possumus & per *tria sata* intelligere spiritũ, animam, & corpus, in quæ Paulus hominem diuidit. In his ergo communione verbi Dei, vna fit contemperatio, vt in vnum redacta, non discrepent inter se.

D. Bernardus lib. de confideratione. S. accommodat hæc Diui Virgini: vt ipsa sit mulier, quæ fermento suæ fidei in vtero suo commiscuit tria sata, hoc est, coniunxit in vnitate personæ, tres Christi naturas. vide item de hac parabola Ambr. serm. quinto, Chrysolo. serm. 99. Augustin. 1. qq. Euang. 12. Munsterum super hunc locum Euangelij Hebraici. 24.

16. *Prout poterant intelligere*] Exponunt nonnulli hoc quasi significare velit Euangelista, quod accõmodaret se Christus ad auditorium captum, sed ex versic. decimo cap decimotertio, videtur hoc explodi. significat ergò Marcus Christum obscurè locutũ, vt qui posset capere, caperet, vt etiã, c. 19. 12. Matt. indicat. quare Euthym. interpretatur

prout

prout poterant, id est, prout digni erant. Non enim erant digni, vt aperte illis Christus loqueretur; si tamen velis primam expositionem sequi, quam graues etiam interpretes sequuntur, intellige illud dictum, versiculo decimo cit. de incredulis, tantum, & reprobis, qui non erant interrogaturi: at plebs licèt non intelligeret, tamen facilius interrogando erudiri poterant per huiusmodi similitudines vulgares, & ideo dum illas dicebat Christus ad ipsius plebis captum se attemperabat.

17. *Sine parabola non loquebatur*] tunc scilicet; vel fermè non loquebatur. *Disserebat*] ἐπέλυε, dissoluebat, exponebat, explicabat.

Omnia] quæ tunc fuerat loquutus. omnia enim parabolæ erant. Quarè cùm prius dictum est in Matth. superius c. 13. v. 3. *loquutus est eis in parabolis multa*: non est intelligendum, ideò dici multa, quia non omnia, sed quia omnia multa erant. Verùm si subintelligas fermè non erit opus hac adnotatione, vt sit sensus: ferè omnia.

Maldon. sic ait: non omnia omninò differebat, sed quæ non intelligebant, aut quæ interrogabant, vt Theophylactus etiam adnotauit, sicut ex. c. 13. Matth. 36. colligitur. *Seorsum autem*] seorsum, ne alij qui digni non erant intelligerent, & non habentibus, etiam quod habebant, tolleretur. Vide August. qq. ex Matth. 15.

25. 18. A. *Vt impleretur*] Interl. pro, *& sic impletum est*. vt verò hic non causam significat. videtur namque Euangelista quod à Dauide Psal. 77. 1. alio sensu dictum erat, ad similem accommodasse. Neque enim erat hæc Prophetia propriè, sed rerum præteritarū historia, de qua Dauid agebat. Et per parabolas ibi Dauid nō intelligit obscuras, & similitudinibus adumbratas loquutiones; sed breues, & acutas sententias, quas apophthegmata græci nominant. Sic ferè Maldon. vel vt vult Genebrardus, intelligit stylum paraboticum tropicum, & figuratum, non simplicem & vulgarem, sed artificiosum, & elegantem.

Nullo tamen modo arbitror reijciendam expositionem eorum, qui dicunt hanc Scripturam, ex Psalm. 77. 2. tribui Christo, sed per illam regulam cuius meminere veteres, vt Tertull. con. Praxeam: omnes penè Psalmos Christi personam sustinere, atque ob hanc causam Asaphtypum Christi gerens nonnulla dicit, quæ Christo magis congruunt, quàm sibi. Hoc enim ferebat illorum temporum ratio, vt mysteria Domini vmbris huiusmodi, & imaginibus velarentur, in quæ possent introspicere hi, quorum mens à Deo esset illuminata: Cæteri præter ipsas vmbras, penitus cernerent nihil.

Aperiam] scilicet qui prius aperuit ora Prophetarum. Videtur autem in Psalm. non Deus, vel Dauid ad literam, sed Asaph loqui.

26. *Eructabo*] proferam, vel cum Interl. de profundo eijciam. *Ructum*, inquit Pradus in cap. 3. Ezech. ver. 3. solet vocare Scripturam doctrinam Prophetarum: quia vt ructus excocto cibo exhalatur; sic Dei verbum ex corde pleno alimonia cœlesti depromi debet. Sic Dauid Psalm. 144. 7. *memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt*, id est, pronuntiabunt ore suauissima verba laudis redolentia dulcedinem bonitatis tuæ, qua pastus est eorum animus.

Abscondita] ea scilicet quæ ab exordio mundi fuerunt hominibus abscondita. Quarè patet, non eodem prorsus modo debere accipi verbum illud ab initio cum testimonium hoc, Aseph, & cum Christo tribuitur. Nam in Psalmo sumitur *ab initio*, seu, vt Hebraicè legitur *de initio*, id est, de rebus ab initio gentis nostræ factis. Euangelium verò parum mutato testimonio, sic illud citauit, quomodo proposito suo maximè quadrabat, & Christo peculiariter competebat, scilicet, à constitutione mundi.

Loco absconditorum in Psalm. habetur *loquar propositiones ab initio*, Hebraicè *ænigmata*. Sic & Psalm. 48. 5. *Aperiam in Psalterio propositionem meam*. Hebræi namque sententiam elegantem, eruditam, & grauem *misle* appellant, siue illa sit figurata, siue propria, & simplex Quarè & hoc vocabulo suum sententiarum, vt inquit Genebrardus siue Prouerbiorum librum inscripsit Salomon. Porrò problema Septuaginta vocant, quod noster *propositionem* vertit, & est sententia obscurior, quæ egeat explicatione, vel studio quasi ænigma. Itaque doctrina illa Psalmi est parabola, quoniam constat sententijs præclaris, partim propriè, partim figurate enuntiatis: est ænigma, & problema, quoniam multa habet obscura, & inuoluta; quamuis propriè parabolæ dicantur similitudines, vel simila, cùm scilicet vnum alteri expresse comparatur, vel cum vnum sub altero propter similitudinem insinuatur, quemadmodum obseruare est in parabolis Euangelicis. Ait Parœmia, vel Prouerbium propriè est, quod *Adagium* dicimus, commune scilicet & antiquum aliquod dictum & sententia, quæ in ore omnium versatur, vt & Diuus Basilius notat initio prouerbiorum. Verùm sæpè hæc in Scripturis confunduntur, & parabolæ pro parœmijs, & parœmiæ pro parabolis sæpè accipiuntur, & vtrumque etiam extra propriam suam significationem, vt Ioannis decimo dicitur: *hoc prouerbium dixit eis Iesus*: Vbi Prouerbium, &, vt est græcis; proœmia, accipitur, pro parabolico sermone, quo priùs vsus erat Dominus. At Ioannis decimosexto, cùm dicitur: *hæc in prouerbijs locutus sum vobis, venit hora cùm iam non loquar vobis in prouerbijs*; non accipitur in propria significatione, nec pro parabolis propriè dictis, sed pro sermone vtili, obscuro tamen, vt obseruauit Basilius. Sic loco citato scribens: prouerbiorum vox apud græcos παροιμία, extra scripturæ vsum, de sermonibus vulgatioribus vsurpatur, & de his, quæ in vijs plerumque dicuntur; ὁδὸς enim apud externos via nominatur, vndè etiam parœmiam definiunt; verbum ad viam vulgi vsu tritum, & quod à paucis ad similia plurima transumi potest. Apud nos autem *parœmia* est sermo vtilis, cum moderata obscuritate editus, multam quidem per se vtilitatem complectens, multam etiam in profundo intelligentiam occultans. hæc ille, Itaq; in Psal. 48. & 77. & alibi sic sumitur parabola prout explicauit Basilius, quæ continere solet problemata & propositiones graues & dubias, ac sæpè perplexum sermonem, atque adeò ænigmata, sæpè etiam parœmias propriè dictas. Quoniam verò similitudines Christi, & comparationes supra expositæ continent etiam vtilem sermonem cum moderata obscuritate sententiam occultante, ideò rectè etiam secundùm sensum Psalmi vocari possunt *parabolæ*, quamuis etiam propriè sint parabolæ.

27.

28. *Parabola pro exemplo.*

Illud non prætermittam, apud Diuum Paulum ad Heb. 11. 20. dum de Abraham loquens dixit: *vndè eum (Isaac) in parabolam accepit*; sumi parabolam pro exemplo, vt sit sensus: credidit Abraham filium suum etiam si immolaretur, posse à Deo ad vitam reuocari, vt prædixerat Apost. v. 19. & huius tantæ fidei meritò incolumem illum recepit in parabolam, id est, exemplum aliorum, vt cùm Deus aliquid præceperit, licèt difficultatibus circumseptum videatur, non dubitent homines illud aggredi, firmiter apud se statuentes, Deum omnes illas difficultates expediturum, & quidquid mali, atque aduersi timebant, in melius esse conuersurum. In parabolam namque siue in

pro-

prouerbium accipi dicitur more Scripturæ, quod cum simile aliquid incidit, vulgo in similitudinem, atque in exemplum eius rei afferri soler, siue in bonam, siue in malam partem afferatur, vt Ezec. 16.44. *ecce omnis qui dicit vulgo prouerbium in te assumet illud dicens: sicut mater, ita & filia eius.* 2. Paralipo. 7. 20. *& domum hanc quam sanctificaui nomini meo, proijciam à facie mea, & tradam eam in parabolam, & in exemplum cunctis populis*: Vndè fit vt cum ciuitates, aut homines Deum dereliquerint, dicant illis: mementote excidij Ierosolymitani, & templi eius sicut declaratur ibi, cùm subditur, *& domus ista erit in prouerbium omnibus transeuntibus, & dicent stupentes: quarè fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic respondebuntq;, quia reliquerunt Dominum*, &c. Sic Ierem. 24. *& dabo eos in vexationem* & cætera. *& in parabolam, & in Prouerb.* id est, cùm loquentur homines de populo incredulo, & impio, continuo in exemplum, & similitudinem hic populus adducetur, & eius supplicia, hoc ergò est, tradi in prouerbium, & parabolam, in exemplum omnium & sermonem vulgi tradi. Sic doctè Ribe. in eundem Apostoli locum. numero 53. & 54.

DIGRESSIO I.
MORALIS
De Sato.

1. DE SATO Martinus Delrio in c. 18. Gen. vers. 6. & Ioannes Marianus l. de ponderibus & mensuris c. 10. & Villalp. tom. 3. pluribus agunt, nos breuiter, quæ verosimiliora videntur, dicemus hac digressione. inprimis 70. *tria sata* loco cit. Genes. vertunt *tres mensuras*, & alibi etiam pro sato, mensurarum voce vtuntur. Heb. tria seim, seu Saim, Chaldaicè sain, vt & Syriacè apud Matth. & Luc. c. 13. in singulari est saah. Deindè aduertere oportet, non idem prorsus esse satum, quod modium. nam vt Isidorus l. 16. c. penultimo definit: *satum genus est mensuræ iuxta morem palæstinæ, vnum, & dimidium modium capiens.* desumpsisse autem hoc videtur Isidor. ex Epiphanio, & ex Hieronymo cap. 13. Matth. qui à Iosepho id mutuatus videtur. l. 9. antiqui. cap. 2. vbi ait; τὸ σᾶτον μόδιον καὶ ἥμισυ Ιταλικόν.

Satum quæ mensura.

2. Est autem mensura aridorum, quod vel ex hoc ipso Euangelij loco confirmatur, quo Christus cœlorum regnum fermento confert, quod mulier abscondit in farinæ satis tribus, quo satorum, & nomine, & numero respexisse videtur ad Abrahamum vxori præcipientem, vt pro tribus hospitibus tria similæ sata pararet Gene. 18. 6.

3. Hic autem trium satorum numerus, integram mensuram ephi complet. continet enim *ephi* tria sata Ioann. namque vt tria seaim vertunt tria metra, ita epha etiam interpretantur *tria metra*. vt patet ex loco Gene. iuxta 70. nam vbi Heb. est *tria seaim*, vertunt τρία μέτρα; item vecem Epha etiam vertunt tria metra, vt patet Isa. 5. 10. Exod. 16. 36. vbi Heb. est vnum Epha, & ipsi vertunt tria metra. ergò illis idem est *tria metra*; quod *Ephi*. Corus autem qui denos continet ephi (est enim ephi decima pars cori) triginta pariter sata continebit: id quod non modo plurium rabinorum, quos retulit Benedictus Arias l. de sato, auctoritate compro batur.

A

Verùm etiam quod caput est, sacræ Scripturæ. nam Ruth. 2. 17. quas in agro Booz collegerat, spicas, virga cædens, & excitiens inuenit hordei, Hebr. cœpha, hoc est, quasi ephi, quam lectionem sequuntur 70. ὡς οἶφι, quasi ephi scribẽtes. Chaldaicè vero habetur *tria sein sata*, vtramque lectionem coniunxit vulgata nostra: nam inuenit hordei, inquit, quasi *ephi mensuram*, id est, tres modios vbi notat Villalp. loco cit. p. 2. l. 3. c. 10. Sanctum Hieronymum vulgatæ interpretem, modios pro satis ferè semper substituere, non quod Hebræorum sato æqualis sit Romanorum modius, sed quod nulla sit latina frugum mensura sato capacitate propinquior.

4.

B

Verùm quid Hieronymus intelligat *modij* nomine quoties illud pro *sato* scribit, ipse sic explicat c. 13. Matth. l. 2. Comment. satum autem genus est mensuræ iuxta morem prouinciæ Palæstinæ vnum, & dimidium modium capiens. Porrò modius Romanis sexdecim cõtinet sextarios, atq; adeò satum quatuor & viginti sextarijs Romanis complebitur, quod nimirum sunt in vrna Romana: quare satum, & vrna æquales mensuræ erunt: atque adeò ephi tria sata continens tres etiam continebit vrnas, sexarios duos, & septuaginta, quod nimirum in græca sunt metreta.

5.

Vndè verum est, aridorum mensuram ephi, minori bato, qui est mensura liquidorum, vel metretæ exequari; nam minor batus Metretæ græcæ æqualis est. & ita ex hac sati ad modium proportione, omnium Hebræarum mensurarum ad Romanas proportio, liquidò constare videtur, vt obseruat Villalp. loc. ci. Itaque cum Hieronym. videtur æquare satum modio, non Romano modo loquitur, sed Hebraico, ita vt possimus duplicem modium distinguere & Romanum, & Hebraicum licèt *modius* non Hebraica, sed Latina vox sit, & Romana mensura; Scriptores tamen, & Scripturæ interpretes volentes exprimere capacitatem sati, vtuntur voce modij, modium paulò maiorem, id est, dimidio facientes modio Romano, quam Hebraicum dixeris.

6.

C

Aliqui censent vt Maldon. in cap. 13. Matth. mensuram sati auctam post reditũ ex transmigratione, quod ex misnaioth colligi dicit Martinus Drelrius, vt proindè duplex fuisse dici posit satum, antiquum fortè modio Romano æquale, & nouum continens quatuor modios cum dimidio: siue ergò duplex sit satum, antiquum & recens, siue duplex modius, Roman. & Hebraicus conciliari possent interdum, qui contraria his sentiunt, quæ superius diximus. illud tamen erit semper verum, sumendo propriè satum, & modium, qui tantum videtur fuisse Romana mensura, satum sesquimodium Rom. continuisse.

7.

D

Cùm verò idem D. Hieronym. apud Zachar. 5. 6. vertit *Amphora*, quod Heb. est *ephs*, intelligendus est voluisse, non quod ephi sit æqualis Romanæ amphoræ (licèt amphora cõtinere dicatur tres modios sicut & ephi) Sed quod, vt notat ibi Riber. nu. 13. sumat ibi amphoram non pro certa mensura, sed pro quauis

8.

Digitized by Google

uis in vniuersum. alioqui ephi non continet tres modios Romanos vt amphora, sed tria sata, seu tres modios, quos dixi vocari posse Hebraicos, quorum singuli continent sesquimodium Romanum.

9. Colligamus igitur breuiter, Corum vnum continere 10. Ephi; vnum verò Ephi 3. Sata; vnũ Satũ Gomor 3⅓. Gomor, vnũ Chœnicem Græcorum & ⅔. vnus Chœnix 4. Sextarios Romanos antiquos. Porrò 16. Sextarij continent vnum Modium Romanum; & vnus Modius 414⅔. Cochlaria. Tab. proportio. sextã vide apud Villalpand. pag. 548. & tom. 3. p. 2. sub finem lib. 3.

Videntur autem Satum vel etiam Vrna 40. libras pendere, Modius autẽ 26⅔. Sextarius 1⅔. si aqua vel vino impleantur. vide Tabulam ponderum 10. apud eundem loco citato.

10. Pro nostratibus potest addi etiam sic alter calculus, in quo aliquot ex mensuris enumeratis reducuntur ad Quartuccios Panhormitanos, quorum quilibet pendit tres libras aquæ.

1.	Corus, Ephi, Satum, Gomor, Chœnix, Modius, Vrna, Sextarius	facit	400. 40. 13⅓. 4. 2⅔. 8⅔. 13⅓. ⅔.	Quartuccios.

& de his hactenùs.

DIGRESSIO II.
MORALIS

De Zizanijs.

1. *Satoris nomen Deo antiquum.*

Similè factum est regnum cælorum homini qui seminauit &c. Satoris nomen perantiquum est Deo. nam ab initio nascentis mundi semper illi solemne ac proprium fuit, sementẽ facere. Quare quasi vna manu in cælo primùm cælestes illas mentes ab omni materiæ concretione seiunctas, altera verò in terra hominem seminauit. Cæterum licèt hoc ita sit, speciatim tamen hoc ipsum *Seminatoris* vocabulum illi tribui cœptum est quadam videlicet magis peculiari ratione, ab eo tempore, quo nostros miseratus errores, hominem induit, atq; in mundum tanquam in sterilem agrum se se dimittere decreuit; vt illum sudoribus ac laboribus diligenter excoleret, & ad reddendum Deo Patri fructum aptaret, fœcundumque redderet. Ita veluti rustico quodam sago inuolutus, cœlestis doctrinæ cœpit manibus suis semina iacere, & sparso demùm sanguine ac lacrymis iactam sementem fœcundare, aridam terræ faciem irrigans, vt quæ prius spinas & tribulos germinare solita erat, copiosam in posterum messem redderet. *factus est quasi colonus in terra, & quasi vir viator*, iuxta Ierem. 14. 8. qui ligone in humeros assumpto, aut falce in agrum ad opus proficiscitur. Scitè prædixit eum Ier. 14. futurum esse colonum in terra, namque alius

Sed maximè conueniens post incarnationem.

A erat in cælo: ibi rex erat, hîc colonus pro nobis factus; ibi diues, hîc inops; ibi lucidissimo Gloriæ splẽdore circumamictus, hîc vili sago indutus; ibi regali diademate redimitus erat, hîc neglecta cæsarie coopertus; ibi sceptrũ manu tenebat, ligonem hic; denique ibi immenso gaudio & pace fruebatur summa, hic nunquam non labores & ærumnas sustinuit.

Chrysologus sermone nonagesimosexto ostendit Deum semper bona seuisse, diabolum contra mala superseminasse; sic enim scribit: *audistis quemadmodum sator mundi rerum principiâ bona seuit: nec vllum malum ab originis processit auctore: ab inimico superseminatum est malum. malum non est à rerum parente procreatum. Et vidit Deus, inquit, omnia quæcunque fecit, & ecce bona valdè. bona & valdè bona: nam quem Deus faciens vocauit mundum, inficiens reddidit inimicus immundum: & hominem quem Deus in paradiso delitiarum collocauit ad vitam, inimicus in hac laboris vita detraxit ad mortem: & affectum quem carni Deus inseruit per naturam, inimicus in parricidium per inuidiam commutauit. Cain probat hoc qui primus germano sanguine terram tinxit, & in exitium fraternum, mortis dignus extitit dedicator.* 2. *Deus, bona, diabolus mala semi. nat.*

B

Sic ex discordia nata mors, semper humanam scindit & separat caritatem. Et quia longum est ire per singula, vel paucis aperire compellimur, inimicus qualiter bonis mala, virtutibus vitia, vitalibus mortalia, nostram semper superseueris ad ruinam. Non ne ex vno homine Deus omnem repleuit terram, & semine ex vno pius sator, totum genus hominum tantam multiplicauit ad messem? sed inimicus mox homines in vnum redegit omnes: & superseminando mala quod benè satum fuerat diluuio, non rigauit.

C

Sic legem diuinis, & veracibus satam præceptis, humanis & mendacibus fucauit inuentis: vt de Sacerdote fieret persecutor, de doctore, depr.uator existeret, de defensore legis redderetur inimicus. Sic creaturas ad agnitionem conditas creatoris, vt nesciretur Deus, Deos esse mentitus est. hinc sapientes sæculi fecit stultos, speculatores mundi docuit nihil videre, professores scientiæ fecit scientiam non habere, inquisitores rerum omnium dimisit ignaros. Sic Euangelicam segetem satam, cœlestis semine hæretica zizania superseminando confudit inimicus: vt manipulos fidei, gehenna fasciculos faceret, ne triticum fieret cœlestium horreorum. Et quid plura? postea quam est ipse in Dæmonem conuersus ex Angelo, ne qua creatura in suo statu consisteret, arte, dolis, machinis, fraude contendit. Hæc præclarè Chrysologus.

D

Obseruat autem idem Chrysologus tria hæc sapienter à Domino coniuncta esse. Superseminauit zizania, hoc est primum; in medio tritici; & hoc secundum; & abijt, hoc tertium: sic enim scribit: *Superseminauit, non seminauit. præcedunt Creatoris bona, mala Diaboli post sequuntur; vt malum quod est ex Diabolo, sit accidens, non natura. in medio tritici; quia Diabolus hæreses inter fideles; inter sanctos peccatum; inter pacificos, lites; inter simplices, dolos; inter innocentes, nequitiam gratis serere, consueuit; non vt acquirat zizania, sed vt triticum perdat. nec vt reos capiat, sed vt adimat innocentes. hostis plus ducem quam militem petit; nec obsidet mor-* 3.

tuos, ſed impugnat viuentes: Sic Diabolus, non peccatores quærit capere quos poſſidet ſubiugatos, ſed vt iuſtos capiat ſic laborat. Superſeminauit zizania in medio tritici & abijt. Quia Diabolus impellit quidem viribus ad ruinam, ſed poſteà quam proſtrauerit, derelinquit. Diabolus non quærit hominem, ſed hominis interitum quærit. fratres, ille malis noſtris gaudet, ſurgit ruinis noſtris, noſtris vulneribus conualeſcit, noſtrum ſanguinem ſitit, noſtra ſaturatur ex carne, noſtris viuit ex mortibus. Diabolus hominem non vult habere, ſed perdere. quare? quia ad cœlum vndè ille cecidit, non vult, non fert, non patitur hominem peruenire. Sic ille. Sermone verò nonogeſimoſeptimo, inuidia ſola Diabolum, & odio in Deum ſuperſeminare zizania ſic docet: *ſuperſeminauit zizania. vt quid? vt periret dominica meſis, & hoc ad lucrum quid pertinebat inimici? niſi quod inuidiæ ſpiritus, hominum damnum, ſuum computat lucrum: & quod perierit hominibus, hoc ſe æſtimat acquiſiſſe.* Chryſoſtomus quoque obſeruans verbum illud ſuperſeminauit, ait: *demonſtrat* (Chriſtus) hic *quod error poſt veritatem exiſtit, quod rerum exitus teſtatur. Etenim poſt Prophetas fuerunt Pſeudoprophetæ, poſt Apoſtolos Pſeudoapoſtoli, poſt Chriſtum Antichriſtus.* in hoc ergò agro boni permiſti ſunt reprobis. Quid miramur in terra has eſſe factiones, cùm in cœlo etiam olim fuiſſe non ignoremus?

4. *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania*] Auguſtinus ſermone quadrageſimoſexto, de diuerſis, interpretatur zizania malos Chriſtianos eſſe: ô Chriſtiani, inquit, mali. ô qui implendo premitis Eccleſiam malè viuendo: corrigite vos antequam meſsis adueniat. non dicatis, *peccaui, & quid accidit mihi?* non perdidit Deus potentiam; ſed à te exigit pœnitentiam: hoc dico zizanijs. in agro enim ſunt; & fieri poteſt, vt qui hodiè ſunt zizania, cras ſint frumentum. ideò & triticum alloquor.

5. Sed minimè oſcitanter conſideranda ſunt illa Domini verba: *Cùm autem dormirent homines,* & cætera. nimirum tunc ſuperſeminata eſſe zizania cum torpore ij correpti eſſent, quibus vigilare incumbebat. id quod inprimis argumento eſt, omnia fermè damna, præſertim verò quæ inſignia ſunt, Diabolum nocturno inferre tempore; hoc eſt, cautè, verſutè, doloſè, diſſimulanter nobiſcum agere, dum hæc inuehere contra commune bonum molitur. quo fit, vt non generoſum agat militem, neque fortiter prælium aggrediatur, ſed omnia ipſius facta dolis ſint, verſutijſque plena. Ita primis parentibus in paradiſo dum bellum intulit, ſerpentis ignaui quidem, verum callidi animalis ſpeciem ſumpſit. Ad hæc, Iobum tenturus aliam finxit perſonam; nam nuncios illos, qui venerunt ad Iob, dæmones fuiſſe aſſumpta hominis forma D. Gregorius, & alij quidam affirmant, qui tam ſubitos, & infauſtos caſus eo modo deſcripſerint, & ſic narrarint, vt ad impatientiã, deſperationemque ſanctum Dei ſeruum inducere ſola ipſa tam repentina & conglobata malorum narratio valeret. hanc obſcuram & nocturnam agendi rationem ſignificare voluit forſitan Iob quadrageſimoprimo, quarto, cùm diceret, *quis reuelabit faciem indumenti eius?* Odit lucem fur, lucernam extinctam optat, vt furetur & lateat, non aliter Dæmon: *omnis enim qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Ioannis tertio, vigeſimo. quoniam ergò nihil ſe poſſe videt contra eos, qui fide armati, & Dei auxilio protecti acriter illi reſiſtere decreuerunt: propterea ad verſutias, fraudes, dolos, ſe conuertit; ſi fortè dum oſcitanter quis & negligenter agit occultè in animum hominis irrepat. Hinc eſt vt in Angelum ſæpè lucis ſeſe transformet. Hanc ergò tam vilem & Indecoram, hoc eſt, fraudulentam Dæmonis bellandi rationem nobis indicans Diuus Iacobus quarto, ſeptimo, ſic monuit: *reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis.* De eadem hac Dæmonis tanquam inſidiatoris infirmitate & turpi ignauia, ſic Chryſologus ſermone nonogeſimoſeptimo in hæc verba: *cùm autem dormirent homines, inſidiator,* inquit, *in noctibus latitat: in diebus vigilantes fugit, appetit dormientes: fortis inflictum petit, prouocat palam ſpectantibus omnibus, & coram populis vult habere victoriam. maximæ confirmitatis indicium eſt dormientibus irruiſſe,* ſic ille. *Inſidiatur* Dæmon *in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua.* Pſalmo nono. Et facit vt venator qui retia tegit vt incautum animal captet. Dauid Pſalmo centeſimo quadrageſimoprimo, *in via hac,* inquit, *qua ambulabã abſconderunt* (Dæmones) *laqueum mihi,* ſed *fruſtrà iacitur rete ante oculos pennatorum.* Prouerbiorum primo, decimoſeptimo. Eſtenim tam ignauus, tamque debilis Diabolus aduerſus eos, qui ſeriò agunt, vt ſi vel ſolum Clypeum fidei, & gladium diuini verbi, & humilitatis, cæterarumq; virtutum arma prenſare, quempiam animaduertat, ſtatim aufugiat, & vel ſolo ipſo obiecto ſanctæ Crucis ſigno, in fugam ſeſe turpiter conijciat; Teſtis eſt Athanaſius ſanctum Antonium dicere ſolitum adeò ignauos eſſe Diabolos, vt ad primum ſignum crucis territi, abſcedant & euaneſcant: Quarè ridendos potiùs eſſe, quam timendos.

6. Quod ſi percontetur quis hæc audiens; ergò tam imbecillis, tamque ignauus eſt Diabolus; ſi aufugit protinus, cùm videt fortiter aliquem ſibi reſiſtentem, cur tam multa hominum millia ſibi ſubdit? Cur tam frequenter de nobis triumphat? cur tam multos ad ſuum adiungit Imperium? huic dubio facilè ſimul & verè reſpondebat Antonius Teſte Athanaſio in eius vita: *fortia hæc, vt videntur, Dæmonis facinora, non tam diabolicæ virtuti, poteſtatiq;, quam malitiæ noſtræ; non tam diligentiæ eius, quam noſtræ negligentiæ, & ſocordiæ attribui.* Adde quod niſi quis per frequentem orationem ad Deum accedat, & cœleſti lumine illuſtretur, Dæmonis verſutijs, doliſque nocturnis facilè decipitur. Et verò cur miramur ſi tam multos ſibi ſubijciat Dæmon, cum ipſi ſe homines in eius poteſtatem tradant, ac veluti ſponte ditioni ſubijciant? quod ijs accidit qui nulla ſpiritualis armaturæ cogitatione, curaque tanguntur, verum ſeſe totos in omne genus, occaſionemque peccati vltrò, ſponteque obijciunt.

7. Sed iam quid dormire ſit explicemus, cum noctem, ſoporemque hominum captet libenter Dæmon. D. Gregorius l. 5. mor. c. 22.

Diabolus noctu graſſatur.

6. Cur Diabolus tam multos ſeducat.

Digitized by Google

in itinere, inquit, *dormire est in hoc præsentis vitæ transitu à rerum temporalium amore quiescere in itinere. dormire est in dierum labentium cursu ab appetitu visibilium mentis oculos claudere, quos primis hominibus seductor aperuit.* Genes. tertio, quinto. Verùm hoc modo dormire in bonam partem sumitur; neque hic est somnus, quem callidus obseruat Diabolus, vt homines capiat: nec de eo hic agitur. Quarè idem Gregorius libro octauo moral. capite sexto, ad rem nostram accommodatè; *dormire*, ait, *est in peccatis iacere. si enim somni appellatione culpa designata non esset, nequaquam Paulus discipulis diceret: Euigilate iusti, & nolite peccare. vndè & auditorem suum admonet dicens: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Et rursum: hora est iam de somno surgere; vndè & Salomon peccantem increpat dicens; vsque quo piger dormies?* Epiphanius verò hæresi 66. contra Manichæos: *omninò*, inquit, *non est Diabolus causa & auctor Seminatorum zizaniorum. statim enim declarat dicens: dum dormirent homines: Et non dixit, dum dormiret paterfamilias, cùm enim nos obdormierimus à bonis operibus, cùm neglexerimus iustitiam; cùm mentem nostram non vigilantem habuerimus ad mandatum Dei, tunc seminamus peccata*: Origines verò ad decimumtertium caput Matthæi, quid sit dormire tacitè, sic exponit: *dormientibus hu qui non agunt iuxta Christi præceptum dicentis: vigilate, & orate, ne intretis in tentationem; Diabolus obseruans superseminat, quæ vocantur zizania*, id est, *praua dogmata*, prauos sermones, malos filios. Beda Matth. 13. sic habet: *hæc quidem sententia cautos nos esse admonet, ne dum torpemus inertia, Diabolus fœditatem vitiorum super semen bona voluntatis spargat.*

8. *Dormire in malam partem sumptum quid sit.*

Ex his ergò Patribus intelligimus, dormire in malam partem sumptum, vel esse in peccatis iacere ex Gregorio, vel cessare à bonis operibus ex Epiphanio, vel non vigilare, & orare, ne intremus in tentationem ex Origine, vel torpere inertia ex Beda. vndè fit rogo in Sanctorum conuentu, Ecclesijs, & Religionibus tanta in peius sæpè mutatio, quantam non sine lacrymis videmus: An non ex somno? possumus applicare ad hanc rem declarandam illa Zachariæ vndecimo, secundo. *Vlula abies*, id est, qui fortes vos viribus, & erectos putatis timete & ipsi ruinam, *quia cecidit Cedrus, quoniam magnifici vastati sunt: vlulate quercus Basan* annosæ, quæ diu in pinguissimo solo, in cornu filio olei, plantatæ, id est, in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri, tantum ambitione foliorum, id est, externa religionis & pietatis specie, & humore creuerunt. *quoniam succisus est saltus munitus.* in quo videlicet, multæ insignes & excelsæ arbores consitæ cernebantur, quem etiam Deus sua præsentia decorabat, sua ope firmum, stabilemque reddebat. Porrò succisus est multis cadentibus, & à pristino viuendi feruore, animique submissione per tumorem, & elationem deficientibus. verùm tanta in Sanctorum congregatione, communitateque mutatio repentè non fit; à paruis initijs sensim glisscente malo ad exitium peruenitur. nimirum dormientibus pastoribus, & ignaue agentibus, & sæpè subditorum peccata dissimulantibus ad ruinam tenditur, siquidem

A cùm dormirent homines, bono semini, quod cœlestis agricola seminauerat in agro suo, inimicus homo zizania superseminauit. Hoc autem fit, inquit Ribera in locum Zachariæ citatum numero trigesimooctauo, cum vocatio in admittendis non diligentissimè inspicitur, sed ille aptissimus & dignissimus existimatur, qui generis nobilitate, aut eruditione, aut diuitijs præstat: aut admissi, cooptatique in cæterorum numerum, hominum, sæculique respectu tolerantur, qui ad religiosam disciplinam apti non sunt; aut certè illi segniter instituuntur, & remissè exercentur, qui idonei, si instituerentur, & exercerentur, futuri videbantur. quocirca pastores grauiori supplicio afficiendos, & potentes potenter tormenta

B passuros esse significat idem Zacharias loco citato, versiculo tertio. *Vox vlulatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum.*

Et verò Prælatorum, & Antistitum Ecclesiæ sopor plurimorum malorum & hæreseon causa sæpè numero esse solet, quod efficaciter docet Castro. libro tertio, de iusta hæreticorum punit. capite quarto, vbi adducit ad id confirmandum ex tertio Regum capite tertio, Mulierem illam, quæ filium, quem vigilando lacte nutrierat, oppressit dormiendo. id quod Ecclesiæ pastoribus vsu venit: nam filios, quos si vigilent, lacte doctrinæ aluntur: si dormiant, pessimo exemplo, & negligentia suffocat; quarè Sapienter D. Hieron. Nahum 3. *Scit*, inquit, *Rex Assyrius*, id est, Diabolus, *non posse se oues decipere, nisi pastores ante consopierit.*

9. *Prælatorum Ecclesiæ sopor noxius.*

C Cæterùm vix explicari potest quanta inuehat mala & incommoda in Christianam rempublicam, & in singulorum animos oscitantiæ somnus, & inertiæ torpor; tunc enim cum dominus aduersus nos vires assumit, atque animum concipit Dæmon. Ita cum Dalida vincere Sampsonem vellet, & ab eo robur, fortitudinemque auferre; dormire eum fecit Iudicum 16. an non sopore correptum Holophernem aggressa est sanctissima Iudith, & interfecit? an non Sisaram Iael, & Isboseth inimici eius dormientes interemerunt? etiam debilis mulierum manus in strenuos, validosque Duces præualuit, quod sopore illi correpti essent; hinc meritò Isaias cap. 51. 20. queritur & deplorat tantam suo tempore Hierosolymitanæ vrbis inertiam, vndè factum sit vt hostium prædæ

D patuerit: *filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum*, similes sunt peccatores ijs, qui in capite omnium viarum, ac media quasi via somno, soporique se tradunt, quos sæpè currus transeuntes, miserè dilaniant, ac disperdunt. *vsquequo piger dormies*, inquit Sapiens Prouerbiorum 6. 9. 10. 11. *quando consurges à somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres* (complicabis) *manus vt dormias: & veniet tibi quasi viator* (properanter, seu de improuiso) *egestas, & pauperies, quasi vir armatus* (cui non possis resistere) *si verò impiger fueris veniet, vt fons* (abundans) *messis tua, & egestas longè fugiet à te.*

10. *Defidiæ somnus quam noxius.*

Habes interim peccator, cur tuam sortem multum deplores, ac veteris torporis & diuturnæ negligentiæ, tandem aliquando pertæsus, mœstus ac dolens cum Dauide dicas; *dor-*

11. *Peccatori euigilandum.*

Digitized by Google

mitauit anima mea: confirma me in verbis tuis, viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miserere mei. dole quod vigilet sanè ille qui nunquam dormit inimicus tuus Satan, & tanquam leo rugiens ad te deuorandum circumeat, & dies & noctes insidias struat, vt decipiat; illius enim propria vox est: *circuiui terram, & perambulaui eam* Iob. primo, septimo, & secundo, secundo, & tu tamen interim dormis ac stertis, nec Domini præceptum audis: *vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Pergit Diabolus sua in te superseminare zizania, vt salutare triticum in corde tuo iam ante seminatum à Deo, impediat, & expectatum agri tui fructum obruat, nec tamen aduigilas. Noli locum dare Diabolo; noli contristare Spiritum sanctum, audi patronum, & tutelarem Angelum custodem tuum, qui te subindè de somno excitat, vt Angelus olim ille Eliam 3. Reg. 19. exsuscitauit; sic enim si Angeli excitantis vocem audias, Dei gratia, quasi efficaci cibo confortatus, tuum iter longum quidem vsque ad montem Dei Oreb facilè perficies. Quod & Eliæ accidit, vbi Angelo morem gessit, nam è somno euigilans 40. diebus, & 40. noctibus ambulauit in fortitudine cibi illius. immò si sapis non tuam modo, verùm & communem præsentis Ecclesiæ miserare calamitatem; & Danielem imitare, qui vt à populo suo, vel auerteret, vel mitigaret exitium, multum in orando vigilauit, nec sua tantum, sed & populi peccata coram Deo humiliter confiteri voluit; proindè expergefactus clama cum illo: tibi Domine Iustitia, nobis autem confusio faciei, sicut est hodie viro Iuda, & habitatoribus Hierusalem, & omni Israel.

12. *Iurgiorum seminatores filij Diaboli.* Sed antequam ad alia veniamus, altius menti infigere oportet, quod Gregorius Past. curæ parte 3. adm. 24. monet: *admonendi sunt, qui iurgia seminant, vt cuius sint sequaces agnoscant. de Apostata quippè Angelo scriptum est: cum bonæ messi inserta fuissent zizania: inimicus homo hoc fecit.*

13. Illud præterea animaduertendum est ex responso Patrisfamilias, nam rogatus vndè ager haberet zizania, in quem bonum semen iactum esset, respondit, inimicum hominem zizaniorū fuisse auctorem. Ex hoc inquam responso constat potuisse nocturnum insidiatorem latere homines, at nō potuisse patrem familias. *Quid,* inquit Chrysologus sermone nonogesimoseptimo, *hic agit inimicus. esto mihi dormierint serui, numquid & Dominus dormiebat? esto quod oculos seruorum sopor clauserit post laborem, numquid & dominantis oculos vlla vicerat lassitudo? inimice lucis refuga, vigilasti, laborasti, sed non latuisti: nam dormientibus seruis Dominus ipse te videt: desertor cœli præueniisti, fecisti, sed non profecisti, Deo perire non potest quod ipse custodit:* hæc Chrysologus.

Hinc discis fures, adulteros, dolosos, insidiatores, & similes hominum pestes, quamuis obscuris, & dolosis artibus homines lateant, quos vel decipiunt, vel iniurijs afficiunt, vel bonis spoliant, Deum tamen nullo modo posse latere. ille videt qui totius & fraudis testis est, & iniuriæ. manent nequitiæ suæ pœnæ fraudantem; & qui auctor est discordiæ, zizaniorum suorum portabit fasciculos ad gehennam.

DIGRESSIO III.
MORALIS.

Prosequitur Author cætera, quæ de zizanijs dicenda restant.

1. *Quinam serui patrisfamilias.* VIS imus & colligimus ea? Hos seruos putat Hieron. Angelos esse; cuius opinionē duo confirmant, vnum est, quòd hi qui hîc serui dicuntur, ita loquantur, quasi cum Deo versentur in cælo, non verò in agro sint, & terra, & ideò, inquiunt, *vis imus,* quasi extra agrum sint. Alterum est, quod dicant, *& colligimus ea:* nam abducere malos omnes quotquot sunt è vita, valet quidem Angelus, non valet homo. Verùm ista facilè refelluntur, nam etiam serui Dei, fideles & prælati postulant ire, vt potestatem quam acceperunt, exerceant. Quod colligere verò zizania petant, indicat zelum, conatum, & studium, quo quantum in ipsis est, euelli cuperent omnia mala, si Deo placeat. Accedunt autem quando veritatis doctrinam, & Dei voluntatem consulunt; vt ei per omnia se conforment.

2. Itaque videtur alijs melius nomine seruorum accipere prælatos & bonos fideles, qui dubitant, & vndè mala proueniant, & quid Dominus de his fieri velit, immò tot esse mala mirantur, dolent, queruntur, & indignantur; quæ nec angelis tam propriè, neque alijs beatis competunt, præsertim cùm videantur hic serui à messoribus in parabola distingui, & propterea non dixit CHRISTVS: in tempore messis dicam vobis; sed *dicam messoribus.* nec refert si ijdem sint serui, & bonum semen cum Dominus, & ostium sit, & ostiarius.

3. *Iusti quanti apud Deum.* *Sinite vtraque crescere.* hîc licet inprimis mirari, quanti Deus faciat, & æstimet iustos. Etenim ne vnus euellatur, improborum hominum vniuersitati parcit interdum ad tempus. Sustinet in agro suo magnos sæpè loliorum fasciculos, ne vel vnam contingat euelli tritici spicam. quam multa erant bone Deus, Sodomæ zizania, lolium? quam multa noxiarum genera herbarum? quot cardui, quot spinæ? & tamen si vel decem iusti in ea reperti fuissent, infandæ vrbi pepercisset Dominus, qui propter solum Moysen vniuersæ Israelitarum multitudini, veniam condonauit, cum se illius furori seu murum quendam in deserto opposuisset; cùm enim diceret Deus: *dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos;* orabat Moyses: *cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum?* tantum autem valuit apud Deum iusti vnius oratio, vt placatus fuisse dicatur Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum: vide Exodi vigesimumsecundum. Sic Ieremias capite quinto, primo, legimus, iussisse Deum: *circuite vias Hierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium,*

& quærentem fidem, & propitius ero ei. quo loco ostendit se adeò esse misericordem, vt si vel vnus iustus in tota ciuitate inuentus fuisset toti ciuitati pepercisset.

4. Ezechielis item vigesimo secundo, trigesimo, non obscurè significat Dominus quantum sibi iusti placeant: *quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem* (qui sese tanquam sepem opponeret inter me, & populum, ne eum perderem, sicut se olim Aaron opposuit, Numerorum decimo sexto, quadragesimo octauo, cùm stans inter mortuos, & viuentes, pro populo deprecatus est, & plaga cessauit; sic & Ieremiæ capite septimo, decimoquinto, dixit Deus: *tu ergo noli orare pro populo hoc, & nec assumas pro eis laudem & orationem & non obsistas mihi*) subdidit Ezechiel: *& staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni.* vbi verò staret oppositus nos legimus, Hebr. habetur, vt obseruat Maldon. *& staret in ruptura.* per pulchram quandam metaphoram, sumptâ ab strenuis militibus, qui cum vrbs, quam defendunt, oppugnatur, in murorũ rupturis sese hostibus, ne ingrediantur, opponunt. Huiusmodi Deus ait, inuenisse se neminem. vbi simul mirare Dei misericordiam, & quam promptus sit ad veniam dandam, vt quærat etiam deprecatores pro peccatoribus.

5. Sed nihil illustrius hac in parte afferri posse videtur ad indicandum quo loco sint apud DEVM iusti, quam quod de Dominicano, & de Franciscano Ordine commemoratur insigni quadam visione Diuo Dominico indicatum esse. nam quo tempore de iaciendis ordinis sui fundamentis cogitabat, accidit, vt Romæ in Apostoli Petri templo fundens Deo preces pernoctaret, visumque ei esset totum referari cœlum, Christumque Dei filium exsurgere, irato, atque inflammato vultu ternas manu lanceas vibrantem ad hominum genus abolendum; vnam in superbos, in auaros alteram, tertiam contra lasciuos; cuius iræ cum nemo se opponere auderet; vna mater misericordiæ inuenta est, quæ ad eius pedes accidens rogare cœpit, vt ijs parceret, quos sanguine redemisset. cumque tale à CHRISTO responsum retulisset, non esse iam responsum iustitiæ suæ, vt tanta orbis terrarum peccata impunita relinqueret; adiecit illa; habere se famulos duos fideles, ac probos, qui in mortalibus ad pœnitentiam reuocandis strenuam operam impigrè posituri essent: quibus verbis placatus Dominus, cum illos videre voluisset, productus est Franciscus, & Dominicus ipse, qui hæc videbat. quo quidem vno exemplo non video quid efficacius adduci possit ad id confirmandum, quod ostendere volebamus. Væ igitur iterum atque iterum mundo, si omninò iustis spoliaretur; heu quanta impenderent orbi terrarum mala, quantis vrgeremur incommodis, nisi essent apud nos iusti, quorum DEVS sanctissimis precibus placaretur.

D. Dominici visio.

Iusti iram Dei auertũt & mundum conseruant.

Quod si scirent homines mali atque peruersi, quanto cum ipsorum met bono sint inter ipsos iusti; numquam sanè in animum inducerent, vel illos persequi, vel de eorum fama detrahere, vel contumelijs afficere, quin potiùs pro viribus contenderent omni officiorum genere illos prosequi, summis in cœlum laudibus attollere, maximis honoribus afficere, à quibus scirent suam sæpè vitam, & salutem pendere.

6. Sed vt vlterius progrediamur ex his eisdem verbis: *sinite vtraque crescere:* habemus vndè sumamus patientiæ, discretionis, & tolerantiæ exempla; sic enim Beda scribit Matthæi decimotertio. *hic nobis patientiæ exemplum præbetur, vt sicut paterfamilias in dolo inimici patiens fuit; sic in aliqua nos læsione non statim ad vindictam, sed magis ad tolerantiam recurramus. Hic denique discretionis & tolerandi malos habemus exemplum, ne si magis vlciscendo talionem malis reddamus, bonis præbeamus scandalum imitationis.* Et sanè tanta Dei potentia in tolerandis malis, vt vel ob eam solam causam in vehementem admirationem etiam iusti rapti fuerint.

6. Patientiæ exemplar ipse Deus.

Cur Deus peccatores tam diu toleret, vt eum sancti mirentur.

Hinc Dauid Psalmo nonagesimotertio, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, *vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores gloriabuntur, affabuntur, & loquentur iniquitatem, loquentur omnes, qui operantur iniustitiam? Populum tuum Domine humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt. Viduam & aduenam interfecerunt: & pupillos occiderunt. Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.*

7. Eandem quæstionem proponit Abacuc primo, decimotertio, *mundi sunt oculi tui ne videas malum. & respicere ad iniquitatem non poteris: quare non respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se? & facies hominis quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem.* Quibus postremis verbis, vel sensus est, quod quemadmodum in piscibus, qui maiores sunt, minores deuorant, ita pati videatur Deus inter homines non ius valere, sed vires; & quasi nulla esset prouidentia, infirmiores à potentioribus spoliari, atque vexari, vel potiùs his verbis indicare vult Propheta: Ita quodammodo contemni à Deo homines, ac si essent pisces, ac reptilia; ita vt quicunque eos vexare velit, vel spoliare, vel interficere, impunè facit, ac si pisces vel reptilia caperet. Quomodo Psalm. 43. exclamant iusti; *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, sicut oues occisionis,* id est, qui nos interimunt, non magis in occidendo morantur, quam si oues occiderent, quæ laniandæ ad macellum ducuntur.

7.

Adeò sanè admiranda visa est hæc Dei in tolerandis malis patientia, vt multi propterea impiè negasse videãtur circa humana Dei prouidentiam, & opus fuerit in scripturis aliquando eius rei rationem reddi, vt 2. Pet. 3. 9 *nõ tardat Dominus promissionẽ suã, sicut quidã existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Hanc ergo tantam Domini patientiam, & veneremur & imitemur; & ne abutamur, sollicitè caueamus; Nam quos diutius tolerat, eos & grauius punit misericors simul, & iustus Iudex.

8. Docet & nos hic locus Euangelij, triticum non esse sine zizanijs; atque adeò nullum bo-

8. Mali bonis semper permixti.

num esse solum. quam rem eleganter Chrysostomus docet operis imperfecti decimitertio. *in omni*, inquit, *opere bono, scandalum Diaboli positum sicut scriptum est de dæmonibus: iuxta semitam scandalum posuerunt mihi, vt ipsum bonum non sit securum si solum: sed iuxta malum positum semper tentatum sit & probatum. Sicut enim vbicunq; fuerit triticum, necesse est, vt inueniantur illic & zizania: sic vbicunque fuerit bonum Dei, illic erit, & scandalum inimici. quid ergò? Ecce proposuisti facere eleemosynam, sed ascendit super cor tuum velle hominibus apparere; numquid debes subtrahere manum tuam, vt ne des locum vanæ cogitationi? absit: perfice opus tuum, ne dum vis cogitationi vanæ resistere, perdas opus bonum: veniat tibi in mentem quod Dominus ait de tritico & zizanijs: sinite vtraque crescere vsque ad messem, ne eradicantes zizania, simul eradicetis, & triticum triticum est enim voluntas bona, quam seminat Deus in homine. Zizanium autem est cogitatio mala, quam Diabolus seminauit super carnem. Cùm ergò omni voluntati bonæ adhæreat, & desiderium malum, si voluerit malam cogitationem tuam ad plenum tollere, simul tollis & opus bonum. Nam & ipse Diabolus eo consilio seminauit zizanium suum in tritico Dei, vt attrita zizania eius suffocent triticum Dei, aut si quis voluerit Diaboli zizanium tollere, simul eradicet, & triticum Dei. numquid & continens, aut virgo, mox vt concupierit, iam cecidit? tantum plena voluntate non concupiscat, vt velit implere concupiscentiam suam: si autem ex necessitate carnis concupiuit, & contradixit concupiscentiæ suæ, non peccauit: sed magis glorioſior est effectus, quia vicit tanquam si non fuisset pulsatus. Quid ergò dicit Scriptura? sine vt matureſcant vtraque, id est, adimple opus tuum, & duc ad perfectum: & sic illa vana cogitatio, quasi zizanium, exsiccatur, bonum autem opus quasi triticum manet. nam sic intelliges si ex voluntate tua fuerit illa vana concupiscentia, aut ex necessitate carnis. si ex voluntate tua fuit, doles si te facientem eleemosynam tuam nullus aspexit: si autem gaudes postea, quia eleemosyna tua in silentio facta est, scito quia concupiscentia tua non fuit ex animo tuo, sed ex necessitate carnis; Et ideò quasi zizanium aruit. sic & continens concupiscentiam suam probare potest, si ex animo eius est, quod concupiuit, si etiam post quam transierit, concupiscentia, voluntatem habet peccandi, tunc ex voluntate eius est concupiscentia: si autem gaudet, quia non præualuit aduersus eum concupiscentia, sed confusa recessit, intelligat quia zizaniũ fuit ex necessitate carnis natum, & non fuit animæ eius voluntas.* Hæc Chrysostomus. ex qua Chrysostomi sententia inter alia intelligimus, quando carnis illecebris tentatus quis peccet, & quod nam indicium sit consensus in tentationem, denique & quidem præcipuè, Dæmonem omni bono operi insidiari cùm potest.

9. *Ecclesia visibilis.*

Iterùm ex hac sententia *sinite vtraque crescere*, habemus verisimam esse Catholicorum omnium fidem, quæ certò semper docuit Ecclesiam visibilem esse, nec ex bonis, modo & electis, verùm ex prauis etiam & reprobis constare fidelibus. Est enim illa quamdiu est in terris tanquam ager, qui Christum, & Dæmonem habet Seminatores, vt non mirum sit, si in eo agro, triticũ simul proueniat, & lolium. A Est similis arcæ Noë, in qua & munda, & immunda seruabantur animantia; Est domus illa magna Teste Paulo secundo, ad Timotheum secundo, vasa aurea & argentea simul, & lignea, & fictilia complectens; Est Dei templum, in quo sæpè docent, & præsunt improbi, quos præcipit Christus in Cathedra sedentes audiri, & iubet fratres peccantes non modo corripi, sed & Ecclesiæ denunciari; Est area continens triticum & paleas Matthæi decimotertio, est sagena bonos, malosque pisces concludens Matthæi vigesimoquinto; Est locus nuptiarum, quo veniunt prudentes, & fatuæ simul virgines, Matthæi vigesimoquinto; est cœna in qua est etiam non vestitus veste nuptiali Matth. vigesimosecundo.

B Porrò, hoc bonorum, malorumque discrimen, vt significaret Deus, dixit Gene. decimotertio, ad Abraham: *faciam semen tuum sicut puluerem terræ*, & capite decimoquinto, *suspice cœlum, numera stellas si potes, sic erit semen tuum.* In quem locum habet Glossa, populum Christianum cuius Pater fidei est Abraham, comparari, nunc arena maris propter terrenos homines, & improbos; nunc verò cæli stellis conferri propter bonos, qui ceu sidera quædam in Ecclesiæ firmamento fulgent: moneris proindè Christiane bonus esse, licèt inter malos versaris. esto triticum inter zizania, esto pudicus inter lasciuos, esto Ioseph in domo Putipharis, esto Loth in medio Sodomorum, Iob in terra Vs, Daniel inter Babylonios, Iudith casta in tabernaculo Holophernis. tanto enim illustrior & admirabilior apparebis, quanto peiores sunt ij, inter quos viuis, quando eorum mores non imitaris. Nec verò ideò sancta dici non debet Ecclesia, quod admixtos habeat malos, cum à nobiliori, potiorique parte, quæ bonorum est, nominari debeat sancta.

C Neque propterea ab hoc Christi corpore quamuis suas habeat rugas, & maculas, se vnquam quisque diuelli patiatur etenim, vt sapienter docet Cyprianus lib. 3. Epist. 3. Ad Maximum: *etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet, aut fides, aut caritas nostra; vt quoniam zizania in Ecclesia esse cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. nobis inimò laborandum, frumentum esse possimus, vt cùm cœperit frumentum Dominicus horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus.* hæc Cyprianus. quibus adde quacunque potiùs ratione nitendum esse, vt ijs succurramus, qui improbi, vel mali sunt. nam *qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

10. *Non recedendum ab Ecclesia ob eius vitia.*

D Reuera enim deplorare debemus, ac lugere vehementer propter eam Ecclesiæ partem, quæ peccatorum est; sicut lugebat olim Sophonias capite tertio, primo. Hierusalem, quam, non sine ingenti animi dolore, reprehendebat, quod ingrata semper benefactori Deo fuisset: *Væ*, inquit, *prouocatrix, & redempta ciuitas, & columba. non audiuit vocem, & non suscepit disciplinam.* quæ verba rectè ad hæc nostra tempora aduersus malos Christianos vsurpare possumus. mali enim Christiani maximè Deum ad iram, indignationemque prouocant,

11.

dum

Digitized by Google

m nomen Christi habentes, plurimum ab moribus dissident, & crucem fronte gestã, inimici tamen sunt Crucis; confitentur se esse Deum, sed factis negant. Quare iure opimo Ecclesiæ, quo ad hanc malorum hominum partem, dicere possumus: væ prouocatrix & redempta ciuitas. nam licet infideles iram Deum prouocent, multo tamen magis Christiani, cum quibus proindè sic expostulat Deus: *quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, & si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus.* Porrò quantum illis succenseat, satis indicat id quod in eodem Psalmo sequitur: *veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes: quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorũ.* redempta verò ciuitas dicitur Ecclesia longè meliùs, & verius quam Hierusalẽ, quidem nõ corruptibilibus auro vel argento redempta est de vana sua conuersatione, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati; eadem etiam columba rectè appellatur, quæ cum arma præsto habeat, quibus omnes Diaboli impetus effringere, & incursus depellere queat, ita se tamen à diabolo capi sinit quasi imbellis esset columba; nescit irasci sibi, vel vitijs, vel ad malũ suasori diabolo, sed iterum ad ea redit, ac si nihil incommodi accepisset. in quibus stultas, & insipientes columbas imitatur. Cæteræ enim aues pugnant, & pullos defendunt, sola autem columba, ablatos pullos non dolet, non requirit, imò non desinit ad eosdem Dominos, & ad easdẽ ædes stultè redire vbi pullis viduata fuit. eadem nec magnoperè aucupem retia tendentem videre, aut vitare curat, quin quodammodo sponte sua irruere in retia velle videtur. vnde Oseæ 7. 11. *factus est Ephraim quasi columba seducta, non habẽs cor.* subdit mox Sophonias: *non audiuit vocem, & nõ suscepit disciplinam,* quod rectè etiam quadrat: quia etsi toties auribus corporis insonuisse sibi audierint Euangelium mali Christiani, nunquam tamen illas applicuere aures, de quibus Luc. 18. *qui habet aures audiendi audiat.*

12. Messis tempus iudicij est.

Sed iam pergamus ad alia. *in tempore messis dicam messoribus.* ex tribus insignibus locis apertè colligimus messem, postremum diuinæ vltionis tempus esse, hoc est, finem mundi. primus locus est, quem præ manibus habemus: *sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, colligite primum zizania:* & posteà; *messis verò consummatio seculi est, messores verò Angeli sunt,* vt habet Matth. 13. 39. Alter vero locus est Apocal. 14. 15. *mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit messis terræ. & misit qui sedebat super nubem falcem suam in terram, & demessa est terra,* hoc est, in vnum locum omnes homines ad iudicium congregati sunt, quasi manipuli in vnum aceruum. Tertius locus est Ioëlis 3. 13. *mittite falces, quoniam maturauit messis.* ex quo loco videtur desumptus locus ille Apocalyp. quòd autem ait Ioel; *quia maturauit messis,* id est, matura facta est, dixit Ioannes *quoniam aruit messis terræ,* id est, iam apta est vt metatur, iam venit metendi tempus, quo dicendi modo sæculi finis significatur, sed non est prætermittendus quod subditur apud Ioelem: *venite & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia: quia multiplicata est malitia eorum.*

Notat autem Hieronymus apud Isaiã 63. & Thren. 1. torcular iuxtà Scripturæ consuetudinem non solum congregationem nouorum fructuum significare, sed etiam vltionem, atque supplicia peccatorum, si adiungatur verbum calco, vel quid simile, ergo quemadmodum cum iam vuæ omnes congregatæ sunt, calcatoribus dicitur vt premant, & conculcent eas, ita cum ad extremũ iudicij diem mali omnes collecti fuerint, dicet iudex: *plenum est torcular, exuberant torcularia, venite & calcate; Exibunt enim Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminũ ignis.*

Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Augustin. lib. 1. qq. Euang. 11. *omnis,* inquit, *immunditia in segete zizania dicitur. quod primo separatur zizania dicitur: quia tribulatione precedente separabuntur impij à pijs, quod per bonos Angelos intelligitur fieri: quia officia vindictæ possunt implere boni bono animo, quomodo lex, quomodo iudex: officia verò misericordiæ mali implere non possunt.* 13.

Hortatur nos Propheta Nahum cap. 1. 9. 10. vt armati huius futuræ messis cogitatione cum separabuntur tandem mali de medio iustorum, vt toleremus impios nobiscum nunc viuentes, eorumque persecutiones constanter, patienterque feramus. *Quid cogitatis,* inquit, *contra Dominum? consummationem ipse faciet: non consurget duplex tribulatio. quia sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium eorum pariter potantium, consumentur quasi stipula ariditate plena;* quasi dicat, quid desperatis, & malorũ terrore superamini? parumper expectate. en ipse Dominus consummationem faciet tribulationis, quæ vos nunc torquet; modo concessum est improbis in vos sæuire, at post hanc vitam, vel post mundi huius interitum, non consurget iterum vel duplex tribulatio, tantũ præsentem æquo animo tolerate. id q; Christus Dominus Matth. 20. monet: *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere;* & Luc. 12. *dico autem vobis amicis meis ne terreamini ab ijs qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant.* Sic dixit Luc. 22. *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Etenim hi qui nunc bonos persequuntur, vexant, spoliant, interimunt, conuiuijs & voluptatibus se tradunt, veniet nõ multò post dies Domini, cum quasi spinæ in fasces componentur, & sempiternis flãmis cruciãdi trudẽtur in tartara: *sicut autem in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis: sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis,* Matth. 24. 14.

Vel dum ait Nahum, *sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium eorum, &c.* per spinas intellige non homines modo malos bonis admixtos, sed eorum etiam solicitudines, & 15.

diuitias,& voluptates vitæ, quæ suffocant sementem Patrisfamilias. nihil horum erit in altero seculo, comburentur spinæ, hoc est, finem accipient hęc omnia; auferetur conuiuium pariter potantium, hoc est, delitiæ, & omnia demum præsentis vitæ gaudia, nec erit qui bonos exterreat; vel quidquam mali inferat, cum non nisi boni cum bonis seorsim in cælis, mali cum Diabolo, & Angelis eius in inferno perpetuò, ac sine vlla spe absolutionis coniungendi sint. & verò inter eos, bonos, inquam, & malos stabile, ac sempiternum chaos constituendum erit. Porrò de hac combustione spinarum de qua dixi legimus hic apud Matt. 13. *& in tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum.*

16. *An ordo alicuius in inferno.*

Diuus Gregor. lib. 9. Moral. c. 37. hanc quæstionem proponit, quomodo in inferno nullus sit ordo, cùm tamen ex Scripturis constet etiam inferni pœnas suo ordine non carere, quem diuina præscripsit sapientia, quod quatuor rationib. è scriptura petitis, & præsertim hoc loco, colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos, &c. confirmat. Sic ergò scribit: *mirum est valdè quod dicitur, vbi nullus ordo &c. neq; omnipotens Deus, qui mala benè punit, inordinata esse vllo modo vel tormenta permittit, quia quoque ipsa supplicia, quæ ex lance iustitiæ prodeunt, inferri sine ordine nequaquam possũt. quomodo namque in supplicijs ordo non erit, dum damnatũ quemque iuxtà modum criminis, retributio sequitur vltionis? hinc quippè scriptum est* (Sapient. 6.) *potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat criminatio; hinc in Babylonis damnatione dicitur Apoc. 18. quantum exaltauit se & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. si igitur iuxtà modum culpæ pœna distinguitur, constat nimirum, quod in supplicijs ordo seruatur* (hæc videtur prima ratio Gregorij) *& nisi tormentorum summam meritorum acta dirimerent, nequaquam iudex veniens dicturum se messoribus esse perhiberet: colligite primum zizania, & ligate ea in fasciculos ad comburendum, si enim nullus in supplicijs ordo seruabitur, cur comburenda zizania in fasciculos ligantur? sed nimirum fasciculos ad comburendũ ligare, est hos qui aterno igni tradendi sunt, pares paribus sociari, vt quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat; & qui nequaquã dispari iniquitate polluti sunt, nequaquã dispari tormento crucientur, quatenus simul damnatio cõteret, quos simul elatio subleuat; quosque non dissimiliter dilatauit ambitio, non dissimilis angustiet afflictio, & par cruciet flamma supplicij, quos igne luxuriæ par succendit flamma peccati.* (& hęc sit secunda ratio) *sicut enim in domo Patris mansiones multæ sunt pro diuersitate virtutis; sic damnatos diuerso supplicio gehennæ ignibus subijcit disparilitas criminis.* (en tertiam rationem. sequitur postrema) *quæ videlicet gehenna quamuis cunctis vna sit, non tamen cunctos vna, eademq; qualitate succendit. nam sicut vno sole omnes tanguntur, non tamen sub eo vno ordine omnes æstuamus: quia iuxtà qualitatem corporis, sentitur etiam pondus caloris. sic damnatis, & vna est gehenna quæ afficit, & tamen non vna omnes qualitate comburit; quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar caussa meritorum. quomodo ergò nullus ineſſe ordo supplicijs dicitur, in quibus profectò quisque iuxta modum culpæ cruciatur?*

A

Ad hanc quæstionem sic respondet idem Gregor. eodem libro Moral. cap. 38. *sed sanctus vir, post quam vmbram mortis intulit, quanta sit cõfusio in damnatorum mente subiungit: quia ipsa quoque supplicia, quæ ordinata per iustitiam veniunt, ordinata procul dubio in corde morientium non sunt. dum enim damnatus quisque foris flamma succenditur, intus cæcitatis igne deuoratur, atque in dolore positus, exterius, interiusq; confunditur, vt sua deterius confusione crucietur. reprobis ergo ordo in supplicijs non erit, quia in eorum morte atrocius ipsa confusio mentis sæuit, quam tamen mira potentia iudicantis æquitas ordinat, vt pœna animam quasi inordinata confundat.* (& hæc est prima responsio qua referre videtur Gregorius

B

hunc ordinis defectum ad perturbatas & confusas damnatorũ conscientias, & cogitationes nunquam sibi constantes, ita vt nihil ab illis ordinatè fiat, sed incredibilis confusio in ipsismet damnatorum perturbatis mentibus potissimum cernatur) *vel certè abesse ordo supplicijs dicitur, quia quibuslibet rebus in pœnam surgentibus propria qualitas non seruatur. vnde subinfertur; & sempiternus horror inhabitat. In huius vitæ tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet, quia nequaquam mentem metus cruciat, cum pati iam cœperit, quod metuebat: infernum verò & vmbram mortis obscurat, & sempiternus horror inhabitat; quia eius ignibus traditi, & in supplicijs dolorem sentiunt, & in doloris angustia pulsante se semper pauore feriuntur, vt & quod timent, tolerent: &*

C

rursum quod tolerant sine cessatione pertimescant, &c. quia igitur, & mors perimit, & non extinguit: dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat: flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit; quãtum per notitiam præsentis vitæ colligitur, supplicia ordinem non habent, quæ non suam per omnia qualitatem tenent; quamuis, & hic ignis ad consolationem non lucet, & tamen vt magis torqueat ad aliquid lucet. Ex quibus Gregor. verbis colligitur secunda responsio: in inferno non esse ordinẽ, quod naturalis ibi rerum ordo inuersus esse videatur, ita vt ignis qui natura sua lucidus est, quasi perturbata natura obscuritatem potius, quam splendorem eo in loco afferat; aquæ etiam niuium cum calore nimio, & cum sempiternis ardoribus, stridor quoque dentium ibi non desunt; & cum tenebris crassissimis per

D

obscurissimam, sic dixerim, lucem, & quasi per medias tenebras, sequaces quoque suos, vt ait Gregor. c. 49. secum in tormento reprobi visuri sunt, quorum amore deliquerunt; spectra quoque horrifica, lethales manium vmbræ, & mestissima vbiq; mortis imago apparebunt. & hæc de hac Digressione.

Digitized by Google

DIGRESSIO IV.
MORALIS.

Quod adulterina semina symbolum sunt hæreticorum.

1. AMBROSIVS hex. lib. 3. cap. 10. causam aperit cur inter triticum conspecto lolio minimè turbari animus debeat; sic enim scribit: *Sed fortè quis dicat: quomodo secundùm genus terra profert semina, cum plerunque semina iacta degenerent, & cum bonum triticum fuerit seminatum, decolor eius species, & inferior forma reddatur? sed hoc si quando accidit, non ad translationem generis, sed ad agritudinem quandam, & inaqualitatem seminis videtur esse referendum. Non enim definit esse triticũ, si aut frigore aduratur, aut imbre madidetur, sed specie magis quam genere, colore quoque & corruptione mutatur: denique frequenter madidata frumenta in sui generis speciem reuertuntur, si aut sole, aut ignibus torreantur, aut diligentibus commissa culturis, aëris temperie, terrarumque feracium vbertate foueantur. Itaque reparatur in sobole, quod degenerauerat in parente. vnde non perscrutamur, ne præceptum illud Dei, cuius vsus naturæ inoleuit, in reliquum successionis vitio destitutum sit, cum hodieq; in seminibus generis sui sinceritas refertur.*

2. *Nam lolium & reliqua adulterina semina, quæ frugibus sæpè miscentur, zizania nuncupari Euangelij lectione cognouimus: sed ea proprium quoddã genus habent, non ex tritici semine in aliud genus seminis decolori mutatione translata degenerem traxere naturam. Denique hoc docet Dominus dicens: simile est regnum Cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo: cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania inter triticum. Aduertimus vtique quod zizania & triticum, vt nominibus, ita & genere videantur esse discreta. Denique & serui dixerunt ad Patremfamilias: Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? & ait illis: inimicus homo hoc fecit. Aliud enim est semen Diaboli, aliud semen est Christi, quod seritur ad iustitiam. Denique aliud filius hominis, aliud Diabolus seminauit. Adeò diuersa natura vtriusque seminis vt contrarius seminator sit. Quod seminat Christus regnum esse Dei: quod seminat Diabolus peccatum est.* Marc. 4. *quomodo igitur potest vnius generis esse Regnum ata, peccatum? sic est, inquit, regnum Dei, quemadmodũ si homo iaciat semen super terram. Est & homo qui seminat verbum, de quo Scriptum est: qui seminat verbum seminat.* sic Ambros. prorsus similia habet Basil.

3. Quibus constat non esse mirandum si Ecclesia gignat, & fideles qui à semel concepta fide nunquã recedunt; & fideles qui pertinaci malitia, & corrupta voluntate susceptam fidem deserentes in hæreticos euadunt: quandoquidem prima etiam viuentium mater ex eodem viro Adam & iustum Abel, & iniustum peperit Cain.

4. Porrò si ea obseruemus quæ Ambros. scripsit de prauis, corruptis & adulterinis seminibus, & causas cur ex terra gignantur, animaduertemus aptè hæreticos adulterinis seminib⁹, lolioq; comparari. Etenim agricola bonũ iacit in terrã semen, terra eodé ipsum excipit vtero, natura eadem gignit virtute, eodem rore quasi lacte pascit, eodem solis radio elicit, ijsdem aquis irrigat; quod autem ex hoc semine pars vna triticũ, alia lolium, vel certè malum semen fiat duplicem cum Ambros. assignare possumus causam: alteram nimiã caloris exustioné, alteram frigoris: simile quid accidere in Ecclesia intelligere possumus. Deus omnes homines vult saluos fieri, Ecclesia Mater omnes in vtero susçipit Catechumenos, eadé eruditione concipit, eodem fidei splendore illuminat, & Baptismatis fonte parit, eadé doctrinæ Christianæ esca nutrit, eodem gratiæ lumine fouet, ijsdé Scripturarum sensibus irrigat: verùm ipsi duabus illis causis præcipites in Hæresim ruunt; primùm nimia caloris adustione, hoc est, philautiæ, vel amoris proprij, B ac nimia carnis libertate obcęcati. carnis enim illecebræ, non modo voluntatem rapiunt ad praua, sed mentis etiam aciem perstringũt, ita vt ea dogmata tanquam vera hæretici sibi fingant, quæ carnis libertati fauent.

5. Quòd certissimum esse tribus exemplis illustrari potest, quæ auctor glossæ magnæ mysticè in Gen. c. 1. satis ad rem hanc aptè excogitauit. primum inquit, terra madida exhalationes, atq; vapores ingentes gignit, qui in aërem attracti, & in nubes atras condensati, solis splẽdorem contegunt: ita carnis libertas, & in voluptates proiecti homines, delectationes adeò vehementes exhalant, vt sæpè in nubes atras, id est, in opiniones erroneas obdensentur, & fidei lumen à se auertant.

6. C Adiicit & alterum non minùs illustre exemplũ. Terra si inter solem interponitur & lunam eclypsim efficit lunæ, quæ luce solis carẽs atra redditur; ita caro si inter animã, & Deum interiacet eclypsim efficit animæ, quæ lumine fidei orbata in tenebras & in regionem vmbræ mortis corruit.

7. Affert tertium exemplum. lucerna si oleo abundat, lumen clarum atq; nitidum præbet: deficiente oleo, flamma primum extinguitur; deindè ellychnium accensum fœtida quadam exhalatione attenuatur; eodem modo, animus caritate præditus, fidem puram, splendidam, ac viuam emittit: verùm obtinentibus omnia vitijs, sublata verò caritate, fides viua extinguitur. deindè & fides mortua sumet peccatorum sordida labe tandé obruitur, sicut mo- D rituro Christo tenebræ factæ sunt super vniuersam terrã; ita Christo in impijs mysticè obituro, eorũ mentes profundissimis primũ tenebris obruuntur, quibus mox hæretici euadunt. Constat igitur nimio calore bonum semen in prauum conuerti, quæ erat prima causa eius rei.

8. Altera causa peruersi seminis est vehemens frigoris exustio; sic hæretici pinguedinis spiritus, caritatisq; expertes, & proprio dumtaxat ingenio innitentes credere illud tantũ volunt, q̃ ingenij procacitas ipsis suggerit. Hinc Ecclesiæ auctoritatẽ paruipendunt, neq; ab ea desciscere curant. quare AEgyptijs similes palbabilibus tenebris obducuntur. ita enim sæpè hæreticorum placita erronea sunt, adeò Patrum doctrinæ & scripturis repugnantia, vt errores eorum manifestissima quadam ratione à

quo-

quodlibet ferè palpari queant. Hæ igitur sunt causſę cur bonum semen lolium fiat, vel in adulterina semina transeat.

9. Sed verum est id quòd Ambros. dicebat, malum ac corruptum semen rursus si in benè cultam terrā iactum fuerit, & cælum clemens nactum, in pristinū colorem, atq; saporem redire; id quod experientia didicimus. ita hæretici si iterū ad Ecclesiæ matris gremiū confugiant, & pernicioſum dogma abiurēt, Dei clementis cōmiseratione, & Ecclesiæ matris pietate ad pristinū redire poterunt statum salutis. Etenim in Ecclesia non tantum palmites mortui reuiuiscunt, hoc est, peccatores, qui numero sunt, non merito in Ecclesia, si tamen vitis virtutem, gratiā videlicet hauriant: verùm etiam recisa sarmenta repullulant, quibus hæretici significantur.

DIGRESSIO V.
MORALIS

In ver. 13. De grano Sinapis.

1. QVONIAM ex sinapi natura, naturæque proprietatibus, multa ad mores transferunt doctores, dum hanc Christi similitudinē interpretantur, non erit ab re, quæ ad insitam eius naturæ vim pertinent, carptim, breuiterq; attingere. Plin. lib. 22. c. item 22. sinapim accuratè descripsit ex quo & alijs hæc colliguntur: esse quidem minimum semen quantitate, maximum verò qualitate & virtute; maximum etiam inter omnia olera, vt Dominus ait, verum specie viliſimum, nec colore, neq; odore blandiens; calidę & subtilis naturæ, ita vt principatum habeat teste Pythagora inter ea quorū in sublime vis feratur; neque enim aliud magis in nares, & cerebrum penetrat. vim habet vaporem exspirandi; contritū verò maximè suā virtutem indicat; purgat pituitā, & cerebri superfluitates: condit cibos, tollitq; eorū superfluas humiditates, & tenacitatem: excreationes faciles facit: ad dentiū dolorem manditur: tritum cum aceto ad serpentiū ictus, & scorpionum illinitur: fungorum venena discutit: vmbram & nidum auibus cæli prę stat: fit enim arbor, inquit Christus Dominus, ita vt volucres cæli veniant, & habitēt in ramis eius, nō modo nidulentur ibi, vt quidam interpretatur.

Sinapis natura.

2. Quòd granum hoc sinapis sit fides & verbū Dei, dictum à nobis fuit in Scholijs huius cap. num. 18. Hic ostendemus primùm quidem sat benè in Christum conuenire hanc grani sinapis similitudinem; deindè quod & in Apostolos, & in Martyres, deniq; in vniuersam Ecclesiam idem quadret: Christus ergò qui granum hic sinapis quod minimū est, dicitur, & excrescens in arborem ramos suos longè, lateq; diffundit, idem & Daniel. 2. ob eandem rationem *lapis paruus* vocatur: qui locus mirificè ostendit huius sinapis primum paruitatem; deindè etiā in arborem incrementū; postremò ramorum expansionē cum auium complexu, & habitatione. simul ergò has duas similitudines lapidis, & sinapis eadē continentes simul & coniūgemus & exponemus, & quidem quòd Christus lapis sit & sanè fundamentalis Isai. c. 28. 16.

Christo & apostolis aliisque Sanctis applicata.

Christus lapis paruus.

A ostendit. de quo item lapide sic Zachar. c. 3. 9. vaticinatur; *super lapidem vnum septē oculi sunt: Ecce ego cælabo sculpturam eius, ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna.* oculus scientiam significat; septenarius numerus vniuersitatē, & perfectionē; in Christo verò absconditi sunt thesauri omnes scientiæ, & sapientiæ Dei. huius lapidis sculpturam dicitur Deus cælasse, quia solus ipse formauit Christi corpus in vtero virginis, qui etiam definito à Patre tempore in vna illa die veneris, qua in crucis ara seipsum pro mundo obtulit holocaustum, omnem terræ iniquitatē abstulit. hic lapis est illo significatus super quo dormiuit Iacob Genes. 28. lapis est ex quo virga percusso largissima ad potandū aquarum copia manauit Nu. 20. lapis quo Dauid Goliath percusit 1. Regum 17. lapis est cum ob soliditatem & firmitatem, tum ob humilitatem; etenim lapis ad infima loca descendit, vbi & conquiescit. lapis est, & refugij petra bonis, verum lapis offensionis, & petra scandali perfidis. lapis est super quem ædificata est Ecclesia. huius porro lapidis excisio sine manibus significat admirandam Christi generationem ex Matre Virgine sine vllo virilis seminis concursu. Rectè ergo vt sinapis, ita & lapidis nomen, & similitudo conuenit Christo.

B

Sed cur ille lapis à Daniele primùm paruus, mox paulatim crescere, tandem terram replere vniuersam dicitur? Respondeo sic dici ob eandem rationem, qua initio minimo sinapis grano comparatur; deindè eidem in arborem excrescenti, tandem ramos suos longè, lateq; extendenti: Paruus ergò primùm dicitur lapis Christus propter assumptam humanitatem, quæ præ diuinitate minimū quid, ac propè nihil est. Etenim verbum abbreuiatum fecit Dominus, cùm enim esset infinitæ magnitudinis, in arcto se humanæ naturæ occlusit verbum caro factum.

C

Hinc Anacletus Epistol. secunda, decret. vt habetur tom. 1. Concil. docet: his verbis non diminutionem Deitatis in filio significari, sed susceptæ carnis dispensationem. quāuis sint etiam qui Christum verbum dicāt abbreuiatum, quia summatim comprehendit, & in compendium redegit vniuersam Mosis legem sub vno caritatis præcepto: *hāc mando vobis*, &c. Ioan. 15. sic Tertull. contra Marcionem lib. 4. Euseb. l. 2. de Demonstratione cap. 40. paruus item dicitur ob statum viatoris, in quo tres integros & triginta annos versari voluit, quamuis simul comprehensor etiam esset secundùm superiorem animæ partem. tertiò paruus fuit, quod ex tenui, hoc est, paupere parente paruulus & inops natus est, & quidem intra stabulū in præsepio mox collocatus, & vilibus pannis obuolutus. quartò paruus, propter corpus quod induit laboribus, angoribus, & interitui subiectum. paruus præterea quintò, propter pauperem vitam, & abiectam, modestamq; in omnibus se gerendi rationē. ad hæc, quia paruus fuit in oculis superborū Iudæorū, qui eum despiciebant. septimò etiā paruus, quia intra paruam Iudæorum regionē suam præsentiam, miracula & prædicationē concludere voluit, sibiq; exiguum discipulorum numerum tan-

D

quam

quam pusillum gregem dumtaxat aggregare voluit. Denique paruus propter ignominiosam, & acerbam passionem, & mortem. Porrò ob easdem causas, & minimi grani sinapis instar esse dicitur. si enim externam speciem inspicias Christus paruus est, & velut minimũ granum sinapis. pendet enim externa hominis species ex diuitijs, nataliũ splendore, eloquentiæ vi, & præstantium virorum comitatu. atqui Christus generatione habebatur Fabri filius, diuitias nullas habuit, nec vbi caput reclinarit. imò & inter rudes discipulos, & piscatores etiã minimus esse voluit, hinc ille dicebat: *Ecce ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* hinc se *filium hominis* identidẽ appellat, cùm sit filius Dei. sed nihil est quod potentius & efficacius rem hanc illustrat, vt crux Christi, in qua ipse de se ait: *ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis:* hinc Propheta admirabundus: *vidimus*, inquit, *eum & non erat aspectus, & desideravimus eum despectum, & nouissimum virorum*, Isai. 13. quid quod ipsa etiam Christi Crucifixi prædicatio vilis, & abiecta visa est? prædicamus, inquit, Paul. 1. Cor. 1. Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. rectè ergo paruo lapidi, rectè item & grano sinapis minimo comparatur.

4. Ceterùm creuisse dicitur lapis, id est, Christus non coram Deo, in cuius semper oculis æquè magnus fuit, sicut neque auctus est vnquam, quantum ad gratiæ, & animæ gloriam pertinet, quam mox ab initio conceptus semper eandem habuit: verùm creuit coram Deo, & hominibus tam secũdùm corporis gloriam post resurrectionem, quam secundùm famam, atque claritatem sui nominis, quod toto terrarum orbe celebratum est, dataq; est illi omnis potestas in cælo, & in terra, & vt in nomine IESV omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS CHRISTVS in gloria est Dei Patris. Postremò creuit in corpore suo mystico, quod est Ecclesia, quam per vniuersum diffusam, & dilatatam cernimus; ita, vt non mirum sit, si dicat Daniel, lapidem paruum percussa statua, qua regna terræ continebantur, in montem euasisse magnum. destructa sunt enim Regna à Christo, non euersa temporali eorum dominatione, sed sublata idololatria, quæ passim omnia occupabat, exciso; Dæmonis imperio, cui illa erant subiecta; hoc autem non simul, atque vno vbique tempore factum est, sed paulatim, per varia temporum interualla vsque ad Constantini dominationem, & inde fiet vsque ad finem mundi, cùm demum consummatè & absolutè secundùm omnes numeros perficietur, atque ita perfectissimè implebitur illud, Isai. c. 49. 23. *erunt Reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & lingent puluerem pedum tuorũ.* & cap. 60. 12. *gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit.* Cæterùm idem est, lapidem paruum creuisse in montem magnum, ac minimum sinapis granũ in arborem proceram euasisse. fuit enim Christus vt granum sinapis, quasi calidæ ac subtilis naturæ propter diuinitatem; hoc

A aũt granum in cruce contritũ indicauit quantæ virtutis esset. etenim Christus in crucem actus vniuersum commouit orbem, & exaltatus à terra omnia traxit ad seipsum. venena errorum, & falsum dæmonum cultũ postea per orbem prædicatus sustulit. condiuit etiam tribulationum cibos, vt iam post eius passionem, & mortem electis non amari, sed dulces appareant. hoc quidem granum seminatum est in horto; nam in horto, captus est, & post mortem in horto sepultus. at mox vt surrexit à mortuis, maximus factus est & creuit in arborem magnam, quæ per ascensionem etiam cælum ipsum penetrauit, & excesit. quo tempore impletum est illud Isaiæ vaticinium cap. 4. *erit germen Domini in magnificentia & fructus terræ sublimis.*

B Quod verò vniuersam terram repleuisse dicatur à Daniele lapis, qui creuit in montem, significat Christi nomẽ, & doctrinam toto terrarum orbe longè, lateque diffundenda esse. 5.
id, quod constat primò ex prædicatione Euangelij, quod per Apostolos, eiusque discipulos per totum orbem disseminatum est; quam rem spiritu Dei illustratus Dauid olim vaticinatus est: *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Psal. 18. deindè etiam ex scientia Dei, quã accepit mundus per cælestem Christi doctrinam; nam cùm inania olim simulacra, & gentiũ idola, & fallaces dæmones ferè cũcta obtinerent, factũ est per Euangelij lucem, vt illis reiectis, verum Deum homines colerent, vt vel ex vaticinio Isa. c. 11.
C patet: *repleta est terra scientia Dei.* Patet item per Christum repletam esse terram odore virtutum ac sanctitatis eius. Cœpere enim homines hausta Euangelij luce, incredibili iam ardore inflammari ad colendas virtutes, ad voluntariam paupertatem, obedientiam, virginitatem, martyrij desiderium, ad contemptum & despicientiam rerum mundanarum, denique ad cælestium amorem. Tandem repleta est atque commota vniuersa terra innumerabilium prodigiorum ac miraculorum multitudine & admiratione; expectatione quoque futuri iudicij, & certa resurrectionis spe, & stabili cælestium præmiorum promissione.

Neque verò hoc ipsum quod vaticinatus est 6.
Daniel de paruo illo lapide, nimirũ quod vniD uersam repleuerit terram, minus aptè in hanc similitudinem sinapis conuenit. Hoc enim quod de lapide dixit Daniel, idem est cum eo quod dicitur sub similitudine sinapis, quod in arborem excrescens extendat ramos suos; CHRISTVS enim tum protulit & quasi expandit ramos suos, cum discipulos misit in orbem terrarum, illis præcipiens, vt euntes in mundum vniuersum prædicarent Euangelium omni creaturæ. Etenim Apostolis, cæterisque Christi discipuli rectè conuenit, vt palmitum, ita & ramorum similitudo respectu Christi, cui tanquam yiti, vel arbori insiti sunt; vndè vim, efficacitatemque ad benè operandum habent. & licèt numerus sit in ramis, est tamen vnitas in trunco, & radice sinapis. varia sunt quę credimus, diuersi ministri, vna tamen est omnium Christianorum,

& dogma-

& dogmatum Ecclesiæ fides, vnus Christus, dicuntur verò rami in eam excrescere magnitudinem, vt volucres cæli veniant, & ibi nidum sibi construant, & sub vmbra eius habitent: propterea quod Angeli, qui per volucres cæli commodè intelligi possunt, in affectu Apostolorum quieuerunt, tanquam in nido, quemadmodum Dæmones in mentibus superborum tanquam in proprio domicilio conquiescunt. nisi malis volucres cæli accipere homines cælestium desideriorum, & excelsarum mentium, qui ad fidem conuersi, sub vmbra Euangelicæ doctrinæ quietem mentis, & solatium inuenere, & auellentes à seipsis, & à terrenis rebus spem omnem, in vno Christo, eiusque fide tanquam in nido posuerunt. Constant ergo tum ex hoc Danielis loco, tum ex similitudine sinapis hæc tria, paruitas Christi, eius incrementum, & per vniuersum orbem extensio ac propagatio.

7. *Apostoli grana sinapis.*

Iam non erit difficilè eandem sinapis similitudinem Apostolis, eorumque assectatoribus & martyribus accommodare. Etenim Apostoli veluti parua quædam grana initio fuerunt, quibus dictum est, *nolite timere pusillus grex*; parua item numero, quia principio duodecim ferme tantum Apostolis constabat Ecclesia; conditione quoque seu qualitate parua erant. Etenim pauperes, & obscuris natalibus orti sunt; & nec eloquentia, nec multiiuga rerum cognitione conspicui; nam *quæ stulta sunt mundi elegit Deus*, teste Paulo 1. ad Corint. 1. *vt confundat sapientes: Et infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Iterùm parua erant grana Apostoli coram oculis suis. rectè enim tenebant illud Christi præceptum: Matth. 20. *quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister*, quare Apostolus eandem insistens viam dicebat Ephes. 3. *mihi omnium Sanctorum minimo.* & 1. Corinth. 15. *ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* Erant parua coram aliorum oculis: Hinc Paulus 1. Corint. 4. *puto quod nos Deus Apostolos nouissimos ostendit tanquam morti destinatos; quia spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus.* & iterùm ibidem, *tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsque adhuc.*

8. Sed hæc minima grana sinapis à Christo in terram iacta, ac seminata maximum sanè fructum attulerunt: etenim in arborem magnam excrescentes ad Christum innumeros populos traxerunt Apostoli captiuantes omnem intellectum in obsequium fidei. venena quoque errorum iuxtà naturam sinapis, de qua num. 1. diximus, extinxerunt, idolorum cultum, ac superstitionem & cæteras huiusmodi noxias superfluitates sustulerunt, & in morem sinapis contriti vim suam, & efficacitatem expresserunt. Etenim persecutionibus, corporis afflictationibus, crudelissimis pœnarum generibus, denique acerba morte attriti Apostoli vim intra se quandam inesse diuinam veluti delitescentem, ostenderunt. verè enim dixit Tertullianus in Apologetico: *sanguis martyrum semen est Christianorum*; nam ipsis cadentibus quasi semine in terram iacto multa sæpè surgebant Christianorum millia ad fidem conuersa, siue illorum constantem fortitudinem, siue miracula & prodigia, siue Dei præsentiam, quę illis præsto erat, cernentes: ita fiebat, vt crescceret fides, & copiosiùs propagaretur Ecclesia.

9. *Sicut & Doctores Ecclesiæ.*

Verùm sicut Apostoli rami erant respectu Christi, ita primi illi Patres, ac Doctores, qui Apostolorum opera & labore Christi fidē amplexati sunt: rami Apostolorum & Martyrum illorum rectè nominari possunt; in quos ramos aduolarunt alij postea magni etiam ipsi & excellentes viri, qui tanquam volucres in sublime volantes, terrenis rebus contemptis in illis quieuerunt, hoc est, in eorum imitatione, & fidei dogmatibus, tanquam ibi nidum sibi construentes, perseuerarunt; & vniuersim loquendo in ramis Apostolorum, & Apostolicorum virorum, tota cōquiescit Ecclesia, eorum meritis fulcitur, eorum precibus adiuuatur, eruditur doctrina, regitur præceptis, sanctitatis exemplis promouetur, & tandem eorum etiā gloriæ particeps fit. Constat igitur etiam ijs tria illa inesse quæ grano sinapis conuenire ex Euangelio didicimus; quod sit minimum; quod in arboré proceram crescat; quod in eius protensis ramis volucres cæli inhabitent.

10. Vt verò melius intelligamus creuisse Ecclesiā, & expandisse ramos non potentiæ mundanę armis, sed patientiæ præsidio, ad eam, potissimum verò ad primam illam Apostolorum Ecclesiam referre possumus, quod Cant. 4. 4. dictum est de sponsa: *sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea.* quis non vehementer admiretur in munitissima hac turri, quæ Ecclesiam repræsentat, nullum expresè saltem aliud commemorari armorum genus, quod ad eius munitionem faciat, quam clypeorum multitudinem? Etenim clypei, & varij, atque innumeri scutorum ordines, multis stemmatibus, tesseris, symbolis, cæteroque picturarum ornatu conspicui, ad pulchritudinem & ornamentum facere quidem multum possunt, ad munitionē verò, & fortitudinem parum pertinere videntur. non hic spiculorum, non securium, non arcuum, non gladiorum speciatim vlla fit mentio. atqui hæc est maxima Ecclesię fortitudo, hoc eius summum decus, quod cùm non alijs armis instructa sit, quibus alijs oppugnando noceat, sed ijs dumtaxat quibus se tueatur, victrix tamen semper, & debellatrix inimicorum est. nouum hoc bellandi genus Christus ad nos de cælo aduexit, in quo tota certantium virtus & fortitudo, nō in offensione, sed in defensione; non in inflictione vulnerum, sed in patienti potius eorum receptione; non in inferendis iniurijs, sed in eisdem constanter, solo patientiæ clypeo, tolerandis, posita est. Rectè ergo per *clypeum* Ecclesiæ fortitudo declaratur; clypeo enim vtimur non ad offendendum, sed ad nos potius defendendum, eodem etiam aduersariorum ictus excipimus, vt hac loquendi formula, quam Spiritus sanctus hoc loco Cantic. vsurpat, intelligere possimus, proprium esse

Ecclesiæ

Digitized by Google

Ecclesiæ, ac fuisse tum maximè cum vigebant inuicti illi Ecclesiæ Principes & Apostolici viri, vt eius milites confractos clypeos, contritas cassides, hoc est, varia vulnera, & cõminutos corporum suorũ thoraces è prælio reportarent. Sic enim Ecclesiæ vires eminent, neque vnquam melius generosorum Ecclesiæ ducum fortitudo apparet, quam patienter excipiendis ictibus aduersariorum, quamuis multis confossi vulneribus mortẽ ipsam pro Christi fide, atque animæ salute, fortiter subeant. sic crescit Ecclesia, quæ minimo grano sinapis comparatur, sic per totum terrarum orbem ramos effudit. sic tyrannos subdidit, barbaras gentes edomuit, sic sapientes, diuites, potentes, ad Christum traduxit; sic denique rebelles, ac feros hominum sibi aduersantium animos, suaui, humilique Christi iugo subiecit.

II. *Bellum Gedeonis Christianorũ certamini applicatum.*

Proindè simile est Christianorum bellandi genus, illi certandi rationi, qua in bello contra Madianitas Gedeon vsus est, Iudic. 7. in quo non lanceis ab Israelitis, neque gladijs, aut spiculis pugnatum est, sed clangentibus tubis dumtaxat & fictilibus lagenis, intra quas ardentes lampades continebantur: nam inter tubarum sonitum confractis & collisis inter se lagenis, factum est, vt subitò quod latebat lumen affulserit, & præ metu exanimato hoste, tandem victoriam reportarunt Israelitæ. hanc sanè Gedeonis bellandi rationem, & insignẽ victoriam applicat præter alios August. tom. 4. in qq. supra Iudic. 7. num. 37. ad eam victoriam, quam Christus Dominus obtinuit per Sanctos Apostolos, & Martyres suos, & Euangelij prædicationem de gentibus, earumque principibus & inferni tyranno. nam per illos trecentos viros, qui manu in os proijcientes aquam more canum lambuerunt, intelligit Augustinus gentes in crucifixum credituras esse figuratas. sic enim scribit: *quorum numerus, quia trecenti erant, signum insinuat crucis propter literam, T, græcam, qua iste numerus significatur: per quos etiam gentes magis in crucifixum credituras præfiguratum est, quod littera Græca est. vnde græcorum nomine Apostolus omnes gentes significat cùm dicit, Iudæo primum & Græco.* Et paulò pòst addit: *nam quod ita isti probati sunt, per quos vinceret Gedeon, vt similes in bibendo canibus dicerentur, significat quod contemptibilia, & ignobilia elegit Dominus. pro contemptu enim habetur canis: vndè dicit; non est bonum tollere panem filiorum & mittere canibus.* stat ergò etiam ex Augustini sententia hanc Gedeonis bellandi rationem præsignasse illam, qua Ecclesia gentes debellauit. de qua Isaiam vaticinatum non dubito, cap. 9. *lætabuntur coram te, &c. sicut in die Madian*, vt sit hæc sententia: lætabuntur Domine strenui milites tui tempore Euangelij ob nouam partam victoriam de inimicis tuis, sicut olim Israelitæ gauisi sunt, cùm in fugam coniectis & prostratis Madianitis triumphantes redirent; quando iugum ferreum quo eorum premebantur humeri confregisti, & sceptrum exactoris, quod opprimebat eos contriuisti sine exercitu, & armis, & in abscondita manu. quo loco Isaias innuit, huic obtentæ à Madianitis victoriæ, similem futuram esse alteram, quam Christus de gentibus sublata idololatria & dæmonum cultu, per suos prædicatores obtenturus erat non sine gaudio incredibili: tunc enim absque armis, & exercitu (hoc enim est, *sicut in die Madian*) iugum oneris diaboli, qui exultabat in mundo, & grauissimo seruitutis iugo omnium colla premebat; & virgam humeri eius, qua percutiebat vniuersos; & sceptrũ exactoris, quo peccata sibi quasi quoddam tributum reddere homines compellebat, detraxit CHRISTVS de humeris egentium; quibus diabolus per tyrannidem dominabatur, idque per Apostolos, & Euangelij lucem. & aptè congruit vterque vincendi modus. nam sicut victi sunt Madianitæ clangentibus tubis, & mox fractis lagenis emicante lampadum splendore, sic per Apostolos, cæterosque Ecclesiæ Martyres, prostrati sunt hostes euangelicæ tubæ clangore, confractis etiam per mortem & supplicia illorum corporibus, quæ tanquam lutea, ac fictilia vasa sunt, & ita apparente iam fidei splendore, & caritatis flamma, quæ in eorum pectoribus latebat, magis accensa. Relinquitur vt quomodo nostrum quilibet esse debeat similis sinapi, paucis exponamus.

12. *Christianus quilibet grano sinapis similis esse debet.*

Ergò etiam, atque etiam intelligat quilibet Christianus, si sui Domini, ac Apostolorum imitator esse cupit, si crescere per virtutum progressum desiderat, si varios proferre virtutum ramos exoptat, sit etiam ipse instar minimi grani sinapis per humilitatem, seque ipsum, & prauos animi motus diligenter per mortificationẽ conterat, & per persecutiones patienter se atteri sinat: ita enim fiet, vt pœnitentia, laboribus, & varijs afflictionum generibus carnem suam edomando, & atterendo experiatur in se in gentem spiritus efficacitatem, & ardentiorem amoris Dei ignem cum cælestium voluptatum affluentia, hinc vero tam bonos fructus etiam ad illos dimanare faciet. omninò sapienter monuit Hilar. in Matthæum sinapis virtutem ac potestatem tribulationibus, & pressuris accendi. Christiani enim hominis virtus tunc inflammatur, tunc ardet maximè, cum teritur, cum calcatur, cum rebellis caro spiritui parere compellitur.

Et *sicut vnguenta*, vt inquit Diuus Gregorius in præfatione in librum Iob. capite secundo, *nisi commota redolere latius nescium, & sicut aromata fragrantiam suam, non nisi cum incenduntur, inexpandunt; ita sancti vim omne, quod virtutibus redolent, in tribulationibus innotescunt; vnde rectè in Euangelio dicitur; si habueritis fidem tanquam granum sinapis, dicetis huic monti: transi hinc, & transibit. granum quippe sinapis nisi conteratur, nequaquam vis virtutis eius agnoscitur; nam non contritum lene est, si vero conteratur, ardescit: & quod in se acerrimum latebat, ostendit; sic vnusquisque vir sanctus cum non pulsatur, despicabilis, ac lenis aspicitur: si qua verò illum tritura persecutionis opprimat: mox omne quod calidum sapit, ostendit: atque in feruorem virtutis vertitur, quidquid in illo ante despicabile, infirmumque videbantur, quodque in se per tranquillitatis tempora, libens operuerat, exagitatus, tribulationibus coactus innotescit. vnde bene per Prophetam dici-*

tur: in die mandabit Dominus misericordiam suam, & in nocte declarabit, Psalm. quadragesimo primo, ex Septuaginta interpretibus; *misericordia enim Domini in die mandatur, quia in tranquillo tempore cognoscendo percipitur: in nocte vero declaratur, quia donum quod in tranquillitate sumitur, in tribulationibus manifestatur*. hæc Gregorius.

Porrò in ramis eorum, qui de sinapi in proceram arborem euasêre, volucres requiescunt, quia sanctæ animæ etiam secundùm Diui Gregorij sententiam, *quæ quibusdam virtutum pennis à terrena cogitatione se subleuant, in eorum dictis atque consolationibus, ab huiusmodi fatigatione vitæ respirant*.

13. *Animæ sanctæ volucres.*

Rectè autem sanctæ animæ, quæ se se ad cælestia per contemplationem attollunt, volucribus comparantur, sicuti terrenis affixi rebus per pisces repræsentantur. vtrumque enim & piscium, & auium genus, idem habuere principium, aquam. sic enim Genes. 1. legimus: *producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile sub firmamento cæli*; & quamuis idem referant principium, varias tamen habent naturæ propensiones, & differentias; nam pisces, cùm nec veras plumas, nec veras alas habeant, quibus se se in aëra vibrent, intra maris profunditatem demersi remanserunt. at cæli volucres agilibus pennis instructæ, continuò relictis inferioribus aquis, sursum versum in cælum ferri cæperunt. idem in hominum genere accidit: nam licet omnes ex eodem sint principio, hoc est, ex eodem terræ elemento formati iuxtà illud Iob. 33. 6. *Ecce & me, sicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque formatus sum*. æqua est conditio, vnum principium regum & vilium hominum; proborum, & malorum, sed multiplex animorum studium, magna inclinationum varietas; quidam sunt quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem, & tanquam monstra maritima intra terrenarum rerũ profunditatem immersa, nunquam in altum caput attollentes, cum virtutũ pennis destituantur; contra alij de quibus dixi tanquam pennigera animalia semper lætum illud occinunt: *nostra autem conuersatio in cælis est*. hi ergo sunt qui in Sanctorum hominum ramis libenter conquiescunt, & amœna eorum vmbra fruuntur.

14. *Diaboli vultures.*

Verùm monendæ sunt hæ sanctæ volucres, ne à vulturibus tartareis inuadantur, ac miserè discerpantur. solent enim, vt author non omninò ignobilis refert, vultures columbis inprimis infesti bifariam illas adoriri. nam qui generosi sunt, & à parentum natura minimè deficiunt, ij in sublimè feruntur, insequunturque columbam si quando à terra sursum assurgat. sunt & adulterini, & à primorum nobilitate plurimum degenerantes, qui non alta petunt, sed columbam deorsum impellentes infectantur, mox vt à terra paullulùm assurrexerit. harum omnium insidiarum non ignara columba, cum à prioribus strui sibi insidias videt, mox demittit se, & pennis terram versus fertur. Quod si à posterioribus parari sibi insidias conspicit, quantum potest in sublime contendit. Sic Animæ sanctæ faciendum, quæ instar columbæ felle caret: nam ne teterrimis inferni vulturibus prædæ sit, duabus alis volet oportet, altera humilitatis, qua se deprimat in terram contra superbiæ tumorem, & arrogantiam, in mentem reuocans se ex terra constare; altera verò contemplationis, qua feratur sursum, contra vilissimos abiectissimosque carnis petulantis insultus: & nobilitatis suæ non ignara cogitet quod ad cælestia creatam indignum sit terrenis rebus inhærere. sic externis hostibus resistendum est.

Verùm nihil est potentius ad expugnandum eosdem externos animæ nostræ hostes, quàm si caro, quæ domesticus est aduersarius, seuerè comprimatur. nam frustra quis laborat dæmonum viribus & insidijs occurrere, si carni suæ laxet habenas; neque illam seruire faciat, sed dominari permittat: tunc enim contra nos dæmoni se adiungit, & tanquam trãsfuga ad aduersariorum partes transit, quibus coniuncta, admirandum in modum externis hostibus vires sufficit, animumque addit; quo cum ventum est, actum de nobis. Quod hac similitudine intelligi poterit. qui rei nauticæ præsunt, si quando inter nauigandum pyratarum nauigia, aut hostium conspicantur naues contra se velis, remisque ferri, si de fuga capessenda cogitant, quod illis se viribus impares agnoscant; tum si fortè aliquibus indicijs percipiat is, qui remigio præest, velle remigẽs à remigando cessare, quod sperent libertate donandos, si ea triremis in qua sunt, in manus, ditionemq; hostium venerit, arripit illicò flagellum, & per medium triremis incedens, acriter eos qui remigare recusant, verberat. quod si quandoque, neque hac arte succedat res, arrepto gladio, vni brachium, alteri humerum, vel membrum aliud abscindit, vt similis pœnæ timore ceteros strenuè remigare compellat. quod si fortè nautæ cernant ita se ab hoste premi, ita vrgeri, vt necessariò cum aduersarijs committenda pugna sit, ante omnia vinculis & compedibus arctissimis vinciunt Mauros, Turcas, ceteraq; mancipia, quæ cum hoste amicitia & fœdere iuncta sunt, alioqui non minus sibi timendum foret ab his qui intra triremẽ sunt, quàm qui extra. quod ergò in corporali nauigatione diximus facere rei nauticæ experientes cum remigibus suis, idẽ facere oportet & in nauigatione spirituali, qua cælum versus nauigamus per procellosum huius mundi mare plurimis agitatum procellis, & innumeris refertũ periculis, varijs etiam expositum pyratis, qui nobis iter in cælum præcludere, spoliare armis, triremẽ nostrã demergere, & vita deniq; ac bonis omnibus spoliare contendunt. quibus vt fortiter resistamus, caro nostra in officio continenda est, ne perfidè cum hoste nostro coniungat se se, & auctis inimicorũ viribus contra nos certet. Est enim caro, quæ hostis est domesticus, cõtumax, perfida, cui nulla ratione credendũ, vt quæ semper suspecta haberi debeat. quare eam semper quasi remo affigere & alligare, laboribus atterere necesse est, & ęrumnis, flagellis, lorisve compellere ad remigandum, parerit, vbi se præsertim dederit occasio, sic non

15. *Caro domãda.*

Pugna Christianorum similis pugnæ nauticæ.

vacabit

vacabit illi ad aduersarios transfugere, illorumq; partes fœdere inito adiuuare.

DIGRESSIO VI.
MORALIS

De fermenti parabola.

1. Cur mulieres quam viri regni cœlestis capaces.

PETRVS CHRYSOLOG. Serm. 99. obseruat in superiori parabola de grano sinapis dictum esse quod ab homine, hoc est, viro seminatum esse in horto suo: at in hac mulieris mentionem fieri, ipsa enim dicitur abscondisse fermentum in farinæ satis tribus, vt intelligeremus vtrumque sexum mysteriorum Regni Dei participem esse factum; sic enim scribit: *ante sinapis granum memorat accepisse virum; mulierem nunc asserit accepisse fermentum. dicit autem, exiguum semen virum seuisse in magnæ arboris incrementum, mulierem modo fermentum breue ad profectum totius massæ abscondisse manifestat; verè sicut dixit Apost. Paulus* 1. Cor. 11. *neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. ad vnum Regnum diuersum sexum varia similitudo perducit; neque virum separat à muliere vocatio Christiana: quos Deus coniungit natura sociat, & mira similitudine similes reddit habitus, forma componit. intra subdit,* Ephes. 5. *mysterium hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* hæc Chrysologus.

2. Fermenti proprietates ad mores accommodatæ.

Deindè obseruandum est quænam sint fermenti proprietates vt eas ad mores accommodemus; Ambros. serm. 21. tom. 5. sic scribit: *fermenti vim atque virtutem omnibus notam esse non dubium est: nam cùm sit magnitudine paruum, specie simplex, natura commune, tantam fortitudinem intrinsecus gerit, vt cùm reconditum fuerit in farina, succus hoc totam massam faciat esse, quod ipse est: & ita semper vniuersum cumulum aspersionis suæ vigore diffundit, vt omnem ipsam magnitudinem pollinis faciat fermentum: ac sic res ipsa fortitudine sua molem sibi proprij vigoris acquirit. hoc autem faciunt mulieres, vt viris suis salubriorem panem & cibum vtilem diligenter exhibeant.* Sic Ambrosius.

Albertus Magnus docet calorem fermenti, humidum panis maturare, & spirituale efficere, acore etiam suo eleuare, sapidum reddere, digestumque præparare. dicitur sanè *fermentum* à *feruendo* calidum enim est, & feruidum.

3. Vox fermenti diuersimodè vsurpata in scripturis.

Vsurpatur autem vox *fermenti*, interdum quidem propriè, interdum metaphoricè in sacris litteris, propriè, vt Exod. 12. 34. *tulit populus conspersam farinam antequam fermentaretur, & ligans in pallijs posuit super humeros suos,* & ex Leu. 23. habemus, quod offerebantur duo panes cum similà fermentata in die Pentecostes. Cùm verò metaphoricè vsurpatur, aliquando in malam partem, aliquando in bonam sumitur Teste Augustino libro tertio, de doctrina Christiana capite vigesimoquinto, tom. tertio. Etenim Matth. 18. *attendite à fermento Pharisæorum, & Saducæorum.* vbi fermentum pravam doctrinam significat. Et ad Galatas 5. dicitur: *modicum fermentum totam massam corrumpit.* quo loco per fermentum intelligit Apostolus prauam doctrinam, seu praua docentem hæreticum. Et idem 1. Corinth. 5. ait, *non est bona gloriatio vestra. nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit. expurgate igitur vetus fermentum, vt sitis noua conspersio.* Vbi de incestuoso loquitur, & nomine fermenti peccatum, vel peccatorem ipsum designat. Sicut etiam cùm exhortatur ad celebrandum Pascha, citra peccati labem, ait: *itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ: sed in azimis sinceritatis & veritatis.* hæc enim omnia, hæresis, peccata, homines mali, vim habent fermenti ad labefactandum, & corrumpendum doctrinam fidei, & mores hominum. in malam partem sumit fermentum. Amos quoque 4. 5. vbi irridet eos, qui panem fermentatum in laudem scilicet Dei, offerebant, Leuitici namque 7. prohibebantur iuxta legem hostiæ pacificæ offerre panem cum fermento. quod mysticè exponens Greg. hom. 22. in Euang. ait: *panes quippè sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercet; qui mandata misericordiæ sine admixtione peccati exhibet; ne peruersè diripiat, quod quasi rectè dispensat. hoc quoque peccati fermentum bonæ suæ actioni miscuerant, quibus Propheta voce per increpationem dominus dicebat: venite ad Bethel & impiè agite.* Amos 4. 4. *atque post pauca; & sacrificate de fermentato laudem.* ibidem versiculo quinto, *de fermentato namque laudem immolat, qui Deo sacrificium de rapina parat.* In bonam verò partem accipitur fermentum hoc loco, quem præ manibus habemus; vt enim fermentum communicat multas bonas proprietates, & vtilitates toti consperſioni, quæ ex farina conficitur, ita Euangelium cordibus hominum.

4. Christus fermentum est.

Iam restat vt Christo Domino primùm, deindè & Apostolis applicemus hanc parabolam, vt fecimus de grano sinapis. Ambrosius ergò sermone quinto, sic habet: *legimus in sancto Euangelio dicente Domino Christo de se ipso: nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit multum fructum affert. Ergò si triticum Dominus, & Dominus est fermentum, quia fermentum non nisi de tritico fieri solet. Rectè ergo fermento Dominus comparatur, qui cùm esset specie homo, humilitate paruus, imbecillitate deiectus, tanta intrinsecus sapientiæ virtute pollebat, vt doctrinam ipsius mundus ipse vix caperet; qui cum se cœpit per totum orbem diuinitatis vigore diffundere, statim omne hominum genus in substantiam suam sui potestate protraxit, vt & iugum Spiritus sui sancti infunderet omnibus, hoc est, Christianos cunctos faceret esse quod Christus est. Nam quod homo Dominus Iesus vnus & solus esset in mundo tanquam fermentum in massa reconditum, vniuersos homines præstitit esse quod ipse est. Quisquis igitur illi fermento Christi adhæserit, efficitur, & ipse fermentum, tam sibi vtilis, quàm idoneus vniuersis, & de sua certus salute, & de aliorum acquisitione securus. sicut igitur fermentum cum in cumulum conspergendum est farinarum, cõfringitur, comminuitur, dispergitur, & ipsum omne dissoluitur, vt dispersam illam farinæ multitudinem in vnum vigorem constringat, atque in solidum corpus redigat, quod in pulueris modum ipsa diminutione languebat, faciatque coniunctione sui vtilem massam, quod propria dissolutione videbatur inutile. Sic ergò & Dominus Iesus Christus, cùm esset totius mundi fermentum diuersis passionibus confractus, laceratus & dissolutus est, &*

est, & succus eius pro salute nostra, qui est pretiosus sanguis, effusus est, vt admistione sui, genus humanũ solidaret, quod per diuersa antra resolutum iacebat. Sic enim velut fermentum quoddam nos qui farina ex gentibus videbamur esse, adhæsimus. nos, inquam, qui per totum orbem dispersi, & diminuti penitùs iacebamus, vigore passionis Christi, in ipsius corpus redacti sumus: sicut Beatus Apostolus ait: quoniam sumus corpus Christi & membra. nos igitur, qui ex nationibus in pulueris modum è terræ facie iactabamur, aspersione sanguinis Domini in massam soliditatis eius aggreganur. Hæc ille præclarè.

5. Ergò secundùm Ambros. aptè Christus fermento comparatur in eo quod fermẽtum mole quidem paruum sit, virtute magnum; quod confringatur, comminuatur, dissipetur; quod faciat totam massam esse, quod ipse est; quod vniat, conglutinet, & sibi adhærescere faciat eandem massam, quæ alioqui instar antea pulueris erat, &c. quas proprietates fermenti, vt vidimus, Ambros. eleganter ad Christum accommodauit. sed & aliæ etiam fermenti virtutes & vtilitates Christo applicari poterunt in hunc modum: fermentum pars est farinæ separata ad totam massam fermentandam: & Christus selectus ac separatus fuit à Deo tanquam nobilissima pars humanæ naturę ad eam fermentandam. fermentum acore, & amarore quodam præditum est: CHRISTVS Dominus cruci suffixus asperam mortem obijt, & aceto felle mixto in cruce potatus est. Ad hæc, fermentum calidæ vis est, & feruentis naturæ; & Christus ignis consumens est, & ignem venit mittere in terram, virtutemque habet rapiendi ad se hominum corda caritate plenus cum sit. quare dicebat: *venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis & ego reficiam vos.* Deindè fermentum totam peruadit massam, & implet; CHRISTVS etiam totam naturæ humanæ massam impleuit, & quodammodo peruasit, quando in omnem terram exiuit sonus eius, & in finem orbis terræ verba eius penetrarunt; eleuat fermentum & attollit massam: extulit, & CHRISTVS naturam nostram ad diuinam, & corda hominum de fluxis, & terrenis, ad sempiterna, & cælestia prouexit, ac proinde instar fermenti sapidos nos reddidit, ac Deo Patri gratos effecit, qui prius eramus tanquam terra maledictis obnoxia, & tanquam cibus venenosi serpentis, qui terra vescitur: sic enim Gene. 3. 14. dictum illi est; *terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* at vbi per Christum fermentati sumus cibus Deo carus effecti fuimus.

6. Ecclesia mulieri similis.

Sed quænam est mulier illa quæ fermentum accepit, & abscondit in farinæ satis tribus? Diuus Ambrosius loco citato, Ecclesiam putat esse, sic enim post illa verba, quæ recitauimus, subdit; *mulier autem quæ dicitur abscondere in farina fermentum, quæ est nisi sancta Ecclesia, quæ quotidie doctrinam Christi in cordibus nostris conatur abscondere; ipsa, inquam, est mulier, quæ in alio loco etiam molere dicitur, sicut ait Dominus: erunt duæ molentes, vna assumetur, & vna relinquetur. molit enim sancta Ecclesia per legem, per Apostolos, per Prophetas, cùm catechumenos facit & asperitatem gentilitatis dissipat atque comminuit, vt emolitos illos in farinæ modum aptos faciat fermento*

A *Dominici sanguinis adhærere. fermentum enim dixerim totam Domini passionem. fermentum enim salutis nostræ est Symbolum, sine quo fermento vel symbolo nemo potest vitæ æternæ substantiam promereri: Et quia duas Euangelium describit molentes, atque vnam Ecclesiam diximus salubriter molere, alteram, quam nisi Synagogam accipere debemus; molit enim & ipsa per Moysen, & Prophetas, sed inutiliter molit, sicut dicit Apostolus de Iudæis: æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam, inutiliter, inquam, molit Synagoga, quia massam suam Christi doctrina non temperat, atque ideò euitandum præcipit Synagogæ Dominus esse fermentum: dicens, cauete vos à fermento Pharisæorum. Temperatum est enim sanguinibus, & crudelitatibus Iudæorum, diceptium de Domino: sanguis eius super nos & super filios nostros. vnde ait Euangelium: Erunt duæ molentes, vna assumetur, & altera relinquetur. assumetur enim in requiem æternam sancta Ecclesia, quæ Domino cibum sanctitatis emoluit. relinquetur ad molas cruenta Synagoga, gyrum semper passura suæ perfidiæ.* sic eleganter Ambros.

B

Cæterùm non minùs eleganter alij, nec minus verè Sanctissimam virginem MARIAM dixerunt hanc esse mulierem, Saræ typo significatam, cui dicitur Gen. 18. 6. *accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes.* Ipsa enim virgo Deipara primùm quidem in corde suo, deindè etiam intra pudicissimum ventris arcanum sacratissimum hoc fermentum accepit, & in se abscondit, ac commiscuit farinæ satis tribus, dum verbum, anima, & caro, id est, æternum nouum, & antiquum intra eius vterum in vnam conuenêre Christi personam. Quando illa Deum simul & hominem admiranda Spiritus sancti virtute concepit: quo modo Christus ipse his tribus constans naturis fermentũ est, idem verò ratione earundem naturarum, quæ in vnam Christi conuenêre personam, tribus satis comparatur non ineptè.

C

7. B Maria virgo huic mulieri separata.

D. Bernard. Tum in sermone de tribus misturis; tùm lib. 5. ad Eugenium, fatetur quidem Beatam Virginem esse istam mulierem, verum fermenti locum, eius fidem tenere dicit: sic verò primo loco scribit. *Verbum, quod erat in principio apud Deum, & Deus erat: Anima, quæ de nihilo creata est, & antè non erat: caro de massa corruptionis sine corruptione aliqua diuino segregata artificio, qualis nulla iam caro erat, vinculo indissolubili in personæ coeunt vnitatem. Habes in his triplex genus potentiæ: quod non erat, creatum: quod perierat, reparatum; quod super omnia erat, paullò minùs ab Angelis minoratum: hæc sunt Euangelica illa sata farinæ, quæ pariter fermentantur, vt sit panis Angelorum, quem manducet homo, panis cor hominis confirmans. felix mulier, benedicta in mulieribus, in cuius casto visceribus superueniente igne Sancti Spiritus coctus est panis iste. felix, inquam, mulier, quæ in hac tria sata immisit fidei suæ fermentum: siquidem fide concepit, fide peperit; & vt ait Elisabeth: Beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea quæ dicta sunt à Domino.* Hæc Bernard.

D

8.

9.

Hoc igitur accepto fermento siue illud Christus sit in vtero Virginis conceptus; siue eiusdem Virginis fides, ipsa Deipara virgo in primis fermentata est, & confestim ascendit in montem, vt Ioannem Baptistam fermentaret,

eiusque

Digitized by Google

eiusque parentes Zachariam & Elisabetham, quos suo aduentu Spiritus sancti fermento repleuit, & Prophetas reddidit. Rursus Ioannes huius fermenti gratia repletus, & ipse cœpit colligere discipulos, & prædicatione ac Baptismo præparare populum ad Christi fermentum recipiendum.

10. *Apostoli fermentum.*

Restat videre quomodo Apostoli etiam fermentum Christi fuerint. Apostoli namque numero pauci quidé fuerunt, & natalių splendore, diuitijs, opibus, cæterisque fortunæ bonis destituti; verū igne caritatis ac diuini spiritus incensi totum fermentarunt Orbem, & vbique homines, quibus immisti erant, ad sui, Christique Domini imitationem attrahebāt, illos de terrenis ad cælestia attollentes. neque verò hoc effecerunt nisi instar fermenti persecutionibus, laboribus, contumelijs, sanguinis ac vitæ profusione subacti. qua fermentatione totus fermè cœpit inardescere mūdus, & relicto Dæmonum cultu, ad verum Deum conuerti. quod prædixisse videtur Zacharias, quāuis sub ignis similitudine cap. 12. 6. *in die illa ponam duces Iuda* Apostolos *sicut caminum ignis in lignis, & sicut faciem ignis in fœno & deuorabunt ad dextrum, & ad sinistram omnes populos in circuitu.* vbi prædicit Propheta Ecclesiæ Christi incrementum, quæ cùm multis persecutionibus non esset minuenda, quin etiam crescere potius mirandum in modum deberet, iccircò futurum esse ait, vt comburant cælestis caritatis ac diuini verbi igne Apostoli, &, qui ijs succedent, prædicatores omnes in circuitu populos, id est, perdent omnem idololatriam, & commisti populis audientium corda succendent. quod autem ait: *ad dexteram, & ad sinistram*, fortitudinem, & successum prædicantium indicat, quibus nemo resistere, nemo impedimento esse poterit. Ex quo Zachariæ vaticinio facilè est intelligere, quantum inesset diuini caloris in Apostolis, tanquam in fermēto ad fermentandum longè, lateque populos vbique, vt ita mundus panis, mundus, & sapidus efficeretur Deo. Vt verò fermētum nō in massam, sed potius massa in fermentum conuertitur, ita id quod est apud Ierem. 15. 19. in Apostolos rectè quadrat: *conuertentur ipsi ad te, & tu non conuerteris ad eos.*

11. Præclarè sanè Chrysost. hom. 47. in Matth. tantam Apostolici fermenti virtutem admiratur, qua breui totum orbem fermentarunt, sic scribens: *quemadmodum fauilla cum in arida ligna inciderit, in flammam ipsa conuertit, quæ vi sua deinde vel viridia ligna facilè incendit: eodem quoque modo prædicatio. cur nam non dixit ignis sed fermentū? quoniā non ignis virtute totū sit, sed lignorū quoque ariditate: fermentum verò per se ipsum omnia conficit. si autem duodecim homines totā penè farinam fermentarunt, diligēter animo versa, quanta sit nostra malitia, atque ignauia, qui cum tam innumeri simus, has gentium reliquias conuertere nō possumus, qui vel mille mundis satisfacere deberemus. Sed Apostolos illos fuisse inquies. Quid ad rem? nonnè tecum eiusdem naturæ fuerunt? nonnè cum hominibus etiam ipsi conuersabantur, artes professi, eisdem rebus nutriti? viuendi ergo disciplina est quæ vbique fulget, quæ spiritus etiam gratiam attrahit. Quod enim signum Ioannes fecit, qui tot, tantasq; ciuitates erudiuit? nam nihil miraculosè ipsum egisse testatur Euangelista*, Ioan. 10. 41. *dicens: Ioannes quidem nullum signum fecit. vnde autem Elias mirabilis factus? nonnè quia regem liberè alloquebatur? nonnè quia nihil possidebat, clariùs quam per signa quoque perfecit? Iob autem illum quibus signis Diabolus admiratus est? certè signo quidem nullo, vitæ autem mirabili disciplina, & robore animi excelso atque inuicto: qua signa Dauid adhuc adolescens effecit, vt Deus diceret inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum? Abraham porrò Isaac & Iacob, quos mortuos suscitarunt? quō leprosum mundarunt?* sic sapienter & copiosè loquens Chrys.

12. Quibus ergo non omittam illud āttexere, (vt cæteras Apostolis parabolæ partes applicem) Hoc nimirum Apostolicum fermentum mulierem, diuinam videlicet sapientiam accepisse & immiscuisse tribus farinę satis. nam per Apostolos viles passim, in quibus tamen delitescebat huius fermenti vis, breui temporis spatio Asiam, Europam, Africam tanquā tria sata occupauit; vel certè, vt sapienter dixit Hilarius vniuersos homines ex Sem, Cham, & Iaphet progenitos.

13. *Bonorum quanta vtilitas in Rep.*

Ex his quæ de bono fermento diximus magnum & incredibile sanè Dei beneficium esse intelligimus, si viri probi ciuitatibus, populis, & regnis à Deo concedantur. sunt enim instar fermenti cæteros omnes ad vitæ honestatem attrahentes, & vel vitæ exemplo, vel orationis efficacitate, vel caritatis ardore, vel diuini verbi prædicatione cæteros fermentant; contra verò mali, tot mala rebus publicis inferunt, adeò cunctos inficiunt, ita mores hominum corrumpunt, vt omninò passim eijciēdi, & extirpandi sint; Nam si farinæ subactæ paulùm fermenti admisceas, tametsi parum id est, paulatim totam farinam & massam, penetrat, & inficit. quod Apostol. Galat. 5. testatur: *modicum fermentum totam massam corrumpit.* ita impius Ieroboam rex populum suum tāquam pessimum fermentum, sensim, paulatimque ad idololatriam attraxit. de quo Ose. cap. 7. 4. *omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente, quieuit paululùm ciuitas à commistione fermenti; donec fermentaretur totum.* Sumit ab adulteris similitudinem, qui libidine ardēt quāsi clibanus à coquente succensus, & ait: omnes de adulterio cogitabant. i. à me ad idola transferre se moliebantur; tantoq; idola colendi studio ardebant; vt instar clibani succensi à coquente essent. succēderat enim eos Ieroboam, vt Hieron. & Cyrill. exponunt. Quieuisse verò paullulum ciuitas dicitur; nam Ieroboam cæperat populum fermentare, & corrumpere per intimos etiā suos; deindè quieuit paululū, ne cogere aut decipere velle videretur, aut nimium instare; verùm illud fermentum paulatim totum corrupit pōpulum, & omnes tandem prōptissimis animis regi paruerunt. commistionem autem vocat fermentationem, id est, mistionem fermenti cum farina.

14. Eadem est veteratoris, ac versipellis draconis ars & malitia. aggreditur namque sinceram animam fermento malitiæ suæ corrumpere, clàm, sensimq; primum. hoc est, tēptatione, quæ nō magni facienda initio videtur; deindè quiescit paullulum ne nimis vrgēdo, cogat animā

medicamentum, quasi graui morbo quærere, & se se peccati occasionib⁹ subtrahere. Verum quamdiu ita agit? donec fermentetur totum, id est, omnes animæ vires, & cogitationes corrumpantur, donec lues illa neglecta, & illa fermenti particula se se diffundat, totamque occupans animam, & inficiens, cogat eam victas Dæmoni manus tradere, & se vitijs omnibus mancipare, vt sempiternam tandem mortem supremumque supplicum incurrat.

DIGRESSIO VII. MORALIS.

Eædem parabolæ Sinapis & fermenti ad gratiam accommodantur.

1. ANTEQVAM gradum ad aliam parabolam faciamus non erit ab re parabolam *sinapis* & *fermenti*, iterùm ad gratiam accómodare, quod hic præstabimus, vt intelligant Lectores, quantũ gratię diuinæ tribuendũ, quove loco habẽda sit. Primo, sicut granũ sinapis minimũ quidem est omnibus seminibus, cùm aũt creuerit maius est omnibus oleribus: item vt fermentũ modicum est, quod acceptũ mulier miscet farinæ satis tribus, & totam fermentat masã, ita gratia modica videbitur, rem nõ ita solidè æstimantibus: verùm instar sinapis & fermenti magnã in se virtutem & efficacitatẽ continet; paruulum donum est gratia, hoc est, studio humilitatis perexiguũ, sed multo præstantissimũ; & cùm crescit & se se in virtutes, ac bonas actiones aperit, & extendit, cum se cordi hominis, & tribus animæ potentijs Dei sapientia miscet illam, omnibus naturæ bonis apparet esse nobilius & vtilius.

Gratiæ diuinæ præstantia.

2. Ob id eadem gratia ab alijs, quia paruula, & magna cõtinet, rectè Rationali Summi Pontificis significatur. nam teste Greg. in past. 2. p. c. 2. rationale munditiam cogitationum designat: igitur rectè per illud gratia ipsa indicatur, vnde omnis munditia, ac totius animæ nostræ puritas existit. Rationale licet paruũ, cæteris tamen (vt Hierony. ait) sacratius vestimentũ, duplex erat, & in mensuram palmi patebat, ex auro quoq; & quatuor coloribus, hyacintho, & purpura, coccoq; bis tincto, & byssо retorta contexum erat, atque à super humerali dependens, pectus sacerdotis exornabat; habebat item, vt August. qq. in Exod. 9. & Hugo Victorin. annot. in Exod. volunt, in ipsa texura nomina doctrinę & veritatis descripta & duodecim fulgentissimis gemmis, per quatuor ordines dispositis decorabatur, quibus duodecim Patriarcharum nomina includebantur.

Rationali Pontif. significata.

3. Quæ omnia pręclaram quandam gratiæ imaginem repræsentant. nam quoniam iusti eo modo, quo Petrus loquitur epist. 1. cap. 2. 9. *genus* sunt *electum, regale, sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*, rectè gratia sacerdotale vestimentum appellari potest, quo qui iusti sunt inter Christianos, & amici Dei, mirificè ornantur. hi genus electum sunt, quia ad æternã hæreditatẽ vocati; reges, quia proprijs affectibus imperant; sacerdotes, quia totos se Deo in odorem suauitatis offerunt; sancti, quia mũdi, & per Spiritus S. gratiam immaculati. denique quia pretioso Christi sanguine redempti, populus sunt acquisitionis. pãruum est vestimentum, seu potius exigua quædam vestimenti pars, ob eandem rationem, qua paruo sinapis grano comparari diximus, & modico fermento; duplex verò; vel quia gratia ipsa fit, vt rationem nostri examinis, & inuisibilis intus, vt Beda ait, arbiter probet, & nunquam humana foris existimatio merito condemnet; vel quia beneficio virtutum quę ab ipsa dimanant, tum internas animæ vires eadẽ gratia moderatur, tum corporis sensus, actionesque disponit. quod autem mẽsuram palmi haberet per quadrum, conatum indefatigabilem, ac perpetuũ piæ intentionis ostendit. qui enim palmo aliquid metitur, summo vtique conamine dispansis digitis manum extendit. vnde meritò sicut per manum operatio, ita per palmum exprimitur ipsa inflexibilis contentio bonæ operationis: dum suam quisque dexteram, in vniuersa quæ valet insignia virtutum, dilatare satagit; vt idem docet Beda. Ex auro & quatuor, coloribus texitur, quia caritatis, quæ rectè auro ostenditur, & quatuor virtutum infusarum, quæ *morales* nominantur, Prudentiæ, Iustitiæ, Fortitudinis, & Temperantiæ radix & principium est gratia. Pendet à superhumerali, vt bonorum operum labor designetur, quibus conseruatur, & citra quæ iacturæ periculo exponitur. pectus, quod sedes est cordis; operit, & exornat, quia gratia, tanquam vita quædam spiritualis, vitam ipsam naturalem, hoc est, animam nostrã informat, & perficit. Vrim & Ihummim, id est, doctrina, & veritate depingitur, quia gratia diuini luminis claritatem, & omnium virtutum perfectionem secum affert.

4. Cæterùm etsi parua est gratia, vt proinde nunc minimo sinapis grano, nunc paruo rationali, nunc modico fermento cõparetur, maximam tamen habet efficacitatem, & effectus quosdam parit, cum vel instar sinapis in arborem crescit, qui tanquam rami, longè se, lateq; diffundunt, sub quibus volucres cæli .i. animę sanctæ habitant: vel cum instar fermenti, quod acceptum diuina sapientia tribus animæ facultatibus fermentandis commiscet, multas humano cordi affert vtilitates. huiusmodi ergò effectus, qui de fonte gratiæ proficiscuntur, siue illos ramos arboris, quæ de sinapi excreuit; siue vtilitates nomines quas cordi humanò fermentum hoc affert, aptè, idoneeque per duodecim illas gemmas, quæ in rationali visebãtur, optimè explicantur; ex quarum enumeratione, gratiæ præstantia, & efficacitas, non obscuris signis constabit.

5. Est igitur primus effectus instar gemmæ, contritio vera, & efficax detestatio delictorũ, quæ quis commisit, cum videlicet cor nostrũ tanquam terra copioso lacrymarum imbre irrigatur. quo etiam, vt Chrysost. ait homil. 5. de pœnitentia, rogus extinguitur peccatorum; hic porrò imber primus esse videtur gratiæ effectus; prima vtilitas, ac primus velut ramus grani sinapis. Alter effectus est stabilis ac firma voluntas, vt nullo euentu, nullo discrimine, nullo cõmodo, nulla quauis re mundi, cõmit-

Effectus gratiæ duodecim.

tere

tere quis velit graue aliquod peccatũ. hoc .n. proprium gratiæ est 1.Io.3.6.effrcere, vt omnis qui in Christo manet, non peccet.

6. Tertius effectus est, vt multo quis tempore crimen non commiserit, neque graue aliquod peccatum perpetrarit. Hoc enim non nisi gratiæ tribuendum est, alioquin si quis sine gratia sit, animaduertere debet, quod Greg. ait; peccatũ quod citò pœnitentia non tergitur, iusto Dei iudicio ad aliud trahere. Hinc est q̃ iubẽti Domino tollere lapidem, quo corpus Lazari defuncti tegebatur, respondit Martha: *Domine iam fœtet, quatriduanus est. n.* Ioa.11. 39. Quo responso significatur non posse animã Deo mortuam, per absentiam gratiæ, quam Lazari cadauer vita priuatum, insinuabat, iustorum pulchritudinem, & virorem habere, & tetrum, grauemque odorem noui criminis non exhalare. quo fœtore priuantur, qui accepta gratia, audierunt à Christo: *Lazare veni foras*: ij enim, vt habes Oseæ c.14. *germinabunt sicut lilium.* lilij & odor & color gratissimus est, & pulcerrimus, vt verè dictum sit Cantic. 2. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* & Matt. 6.28. 29. *considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Amen dico vobis, quia nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis.* eiusmodi aliquid est anima, quæ à peccatorum sordibus expiata, gratia Dei germinat, & floret, & suauissimè flagrat, cuius iucundissimos flosculos odoratur Dominus. Huius porrò animę pulcritudini nulla ex his rebus, quę apud nos sunt, comparari potest, qua omnis gloria, & ornatus, omnes diuitiæ Salomonis minores sunt. hæc anima Christum imitatur, qui Cant. 5. de se testatur: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Quartus ramus arboris gratiæ vel effectus instar pretiosissimæ gemmæ, custodia est diuinæ legis. Lex enim Dei in corde iusti est, in quo est gratiæ radix, & in lege Domini voluntas eius. *si quis* enim *diligit me*, inquit Dominus, *sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum.* Io.14.23. vt enim ignem ex fumo, hominem ex loquela, solem ex splendore deprehendimus, vt ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus, sic ex legis obseruatione nõ euidẽter quidem, at verosimiliter gratiam nobis inesse cognoscimus; neque enim repugnat speciali aliquo Dei auxilio impleri mandata.

7. Quinctus effectus vel vtilitas gratiæ, radius quidam est cęlestis iustorum mentibus immissus, quo terrena omnia vana esse cognoscunt, & cœlestia contemplantur, & facili negotio, quid in singulis rebus sit faciendum, quidue omittendum, vident. est namque, vt Iustinianus serm. de Epiphania ait, gratia gratum faciens, quædam matutina stella præfulgida, quæ electorum quemque præcedens, corde ducit ad Christum. Est sextus effectus caritas, qua Deũ amamus, eique per omnia placere cupimus, & proximos diligimus, quamuis nobis aduersarios & infestos esse experiamur. Septimus effectus, & vtilitas gratiæ est gaudium quoddam, & iugis quædam lætitia, non inanis illa quæ de fluxis rebus concipitur, sed solida, ac de cœlestibus rebus, quam qui habet, gratiæ acceptam referre debet. tumque illi dici potest illud Isa. 58.14. *delectaberis super Domino, & substollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui.*

A

Octaua gemma vel effectus est pax illa quæ *exsuperat omnem sensum.* hæc conscientiæ angores sedat, inordinatos animi motus cõprimit, carnis petulantiam subiugat, debilitat dæmonis vires, effringit impetus inimicorũ, denique admirandã quandã & propè diuinã animi trãquillitatẽ secũ aduehit. Quibus fit, vt anima ab externis his impedimentis soluta, & vincendis tentationibus ac mitigandis conscientię stimulis non multum intenta, cùm iam ferè omnes sopiti sint, maiores in dies in virtutibus progressus faciat. Nonus effectus est rerum mundanarum despicientia, honorum, diuitiarum, ac voluptatum contemptus, cœlestium verò ardens desiderium. Decimus mortẽ non modo non timere, sed & optare etiam, & venientem obuijs vlnis excipere; nam qui Dei gratia ornatus est, & hoc habet diuinum fermentum, ac granum sinapis, non potest non amicus Dei esse, atque adeò non dicere, cupio dissolui & esse cum Christo.

B

8.

Est & vndecimus, conscientiæ propriæ testimonium, non increpantis nos, quasi graue aliquod peccatum commiserimus, sed quæ bona potiùs approbet, & ad meliora semper instiget. Quo testimonio gloriatur Paulus dum ait 2.Cor.1. 12. *gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* & 1.Ioa.3.21. *carissimi si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.*

9.

C

Postremus effectus gratiæ est, testimonium Spiritus sancti, qui interdum tacitè iustorum mentibus inspirat verba quædã testantia, ipsos iam fuisse Dei gratiam, & amicitiam consecutos. Qua de re Paulus Ro.8.16. *ipse*, inquit, *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus Filij Dei.* Porrò quia hoc sancti Spiritus testimonium quorundã interdum cordibus iustorum datum, non constat fide certa, sed probabili tantum coniectura, ideò & ipsos iustos eãdem coniectura gratiæ participes ac Dei filios esse constabit. Hi ergò sunt duodecim effectus gratiæ, & duodecim huius diuini fermenti vtilitates, quibus humanum cor tribus potentijs præditum, fermentatur, vt panis mundus efficiatur Christo; vel etiam sunt duodecim rami, in quos sese extendit arbor illa, quę de minimo sinapis grano in magnam altitudinem excreuit, vel denique sunt duodecim lucidissimæ gemmæ exigui illius & spiritualis rationalis, quod iusti quasi regis & sacerdotis, pectus exornat.

10.

D

Possunt item esse duodecim quædam iudicia, quibus ineesse nobis Dei gratiam probabili quadam ratione cõijcere possumus. Vnum superest declarandum, cur duodecim istis gemmis rationalis, duodecim item insculpta essent patrum nomina, singula in singulis. huius rei hanc interpretes rationẽ assignant: vt sanctorũ vitam sacerdos & iustus inspiciens, qui quibus maximè virtutum operibus floruerunt, sedula inquisitione scrutetur, & hæc cuncta in abditis sui pectoris meditando colligere, atque operando proferre satagat.

11. *Cur gemmis rationalis inscripta nomina Patrum.*

Digitized by Google

CAPVT XV.

EXPLICATIO PARABOLAE ZIZANIORVM, THESAVRVS ABSCONditus, negotiator, & sagena missa in mare.

A. 13. 36.

1. TVNC, dimissis turbis, venit in domum: & accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: edissere nobis parabolam Zizaniorum agri.
2. Qui respondens ait illis: qui seminat bonum semen est Filius hominis.
3. Ager autem est mundus. bonum verò semen, hi sunt filij regni. Zizania autem filij sunt nequam.
4. Inimicus autē, qui seminauit ea, est diabolus. messis verò consummatio sæculi. messores autem angeli sunt.
5. Sicut ergò colligūtur Zizania, & igni cōburūtur: sic erit in cōsummatione sæculi.
6. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem.
7. Et mittent eos in caminū ignis. ibi erit fletus, & stridor dentium.
8. Tunc iusti fulgebūt sicut sol in regno Patris eorū. qui habet aures audiēdi audiat.
9. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quē qui inuenit homo abscōdit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum.
10. Iterum simile est regnū cœlorū homini negotiatori quærēti bonas margaritas.
11. Inuēta aūt vna pretiosa margarita, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.
12. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.
13. Quam cum implet a esset, educentes, & secus littus sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.
14. Sic erit in cōsummatione sæculi. exibūt angeli, & separabunt malos de medio iustorum.
15. Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium.
16. Intellexistis hæc omnia: dicūt ei: etiam.
17. Ait illis: ideò omnis Scriba doctus in regno cælorū, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.
18. Et factū est cùm consummasset Iesus parabolas istas, transiit inde.

A

B

C

D

SCHOLIA.

3. *FILII regni*] id est, homines ad cœleste regnum præparati, seu idonei, est Hebraismus, sicut & filij nequam, id est, Diaboli, est enim nequam genitiui casus τὸ πονηρὸν. hoc est, homines illius imitatores, & sectatores. aliter *filij Regni* sumuntur Matth. 8. 12. *filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores*. hi dicuntur filij Regni secundùm hominum opinionem, at hoc loco vocat filios Regni secundùm Dei prædestinationem. 1.

6. *Omnia scandala*] id est, id per quos scandala venerunt quos declarās subdit: *& eos* &c. vbi *&* ponitur pro, *id est*, rectè autem dicuntur *scandala*, qui alijs cadendi occasionem dederunt malis moribus, & doctrina, quibus veritati, vel pietati impedimentum præbent. vel dicuntur *scandala*, quia ex eorum cum bonis intermixtione, ac prosperitate multi scandalizantur humani aliquid patientes, vt serui de quibus in parabola, offendebantur quod viderent zizania permixta bono semini.

7. *In caminum*] id est, in fornacem, in gehennam ignis.

8. *Tunc*] Maldon. cum scandala sublata erunt, cum zizania separata, quæ impediunt quo minus triticum appareat, cum paleæ euentilatæ fuerint, quæ triticum tegebant, quo minus effulgeret Matth. 3. 12. Luc. 3. 17. Iansen. *tunc*, inquit, *fulgebunt, quia tunc liberati erunt à malorum permixtione, à miserijs huius vitæ, ab omni errore, & peccato, per quæ omnia eorum fulgor, & gloria hic obscuratur.* Videtur sanè alludere cùm ait, fulgebunt sicut Sol, aliquo modo ad illud Dan. 12. 3. *qui autem docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* de differentia tamen inter fulgentes iustos loquitur Apostolus 1. Cor. 15. 41. 42. *alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum: stella enim ab stella differt in claritate; sic erit resurrectio mortuorum.* 4.

In regno patris eorum] vers. c. 6. regnum sibi tribuit. Hic verò regnum patri tribuit; quare significat æqualem suam cum Patre potestatem, cum quo habet regni consortium. Rectè verò regnum sibi tribuit, quod in terris est vsque ad finem iudicij; Patri verò quod tandem erit post diem iudicij. Regnum namque Ecclesiæ speciatim à Patre accepit Filius, quandiu in eo humanitatis suæ meritis agit interpellando pro nobis, spiritum suum impertiendo, mortem superando. cùm autem inimica mors destructa erit, & cuncta ei subiecta, tunc ait Paulus primæ Corinth. decimoquinto, vigesimo octauo: *& ipse filius subiectus erit illi, qui sibi subiecit omnia*, diceturque deinceps Dei & Patris regnum. Hinc Gagnæ. *Benè*, inquit, *regnum Dei, quod futurū est post consummationem sæculi, regnum Patris appellat: quia quod ipse interim dum hic viuimus, administrat, Patri in finem traditurus est*; dicente Paulo de Christo, 1. Cor. 15. 24. *deindè finis: cùm tradiderit regnum Deo, & Patri, cùm euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem.* 2. Christi æqualis cum Patre potestas.

Qui habet aures] significat id quod dixerat, auditorum maximè interesse.

Verissimum est (antequam ad aliam parabolam progrediamur) id quod in hac potissimum significatur, bonis malos esse permixtos, sicut de Iobo Origines homilia 1. & D. Gregorius lib. 20. c. 1. declarāt eius sanctitatem mundo extitisse velut fulgentissimum lumen in medio tenebrarum, quippè iusti *in medio nationis prauæ, atque peruersæ*, vt ait Apostolus Philippens. 2. 15. lucent *sicut luminaria* 3. Boni malis permixti.

Digitized by Google

in mundo. Sed sunt nunc lumina circundata tenebris; tenebræ respersæ luminib⁹; impijs intermixti sancti; pijs circumfusi peccatores; confusa omnia, & perturbata, &, vt dixit Augustinus 1. de ciuita. c. 35. perplexæ nunc sunt duæ illæ ciuitates, inuicēque permixtæ, donec vltimo iudicio dirimantur; nunc triticum & zizania in eodem agro crescunt vsque ad messem; in eadem area grana frumenti, nondum à paleis expurgata sunt vsque ad ventilabrum, Matth. tertio, duodecimo, Lucæ tertio, decimoseptimo. In eadem sagena mali, bonique pariter pisces concluſi vsque ad electionem bonorū in vasa sua, Matth. decimotertio, quadragesimo. In eadem AEgypto commorantes aduenæ Israelitæ, cum indigenis, vsque ad exitum de populo barbaro: Babylone inter Chaldæos detenti Hierosolymitani, vsque ad conuersionem captiuitatis; in ijsdem pascuis hœdi, agnique pariter versantes vsque ad separationem, Matthæi vigesimoquinto, trigesimosecūdo. In eadem domo magni patrisfamilias vasa in honorem, & vasa in contumeliam, aurea, & argentea, lignea atque fictilia Romanorum nono, vigesimoprimo, vsque ad virgam ferream; que vasa figuli confringat, psalmo secundo, nono. Sic Pineda capite primo in Iob. verſiculo primo, numero sexagesimoquarto.

Vide Greg. ho 11. in eu. Bern. ſer. 26 in parui ſer. Aug 1. qq. eu. 13.

9. *Simile est regnum cælorum*] Parabolæ huius capitis videntur dicti à Christo dictæ coram præsentibus dumtaxat Apostolis, vel discipulis, quod intelligi ex ver. 16. potest: his enim absolutis interrogauit discipulos: *intellexistis hæc omnia? dicunt ei: etiam*. quasi cum illis tantum loquutus fuisset. Et verò ad discipulos magis hæ spectant, quā ad vniuersos. Sic Orig. Matt. 13. Chrysost. hom. 48. Euth. Ianſ. Barra. repugnante Maldon.

4. Vt autem Christi mentem habeas, obserua per parabolas seminantis, grani sinapis, boni, & mali seminis, itemque crescentis, & fermenti duas ferè euangelii proprietates expositas esse, nimirū quo modo diuersum habeat in diuersis hominibus effectum: deinde quomodo ex paruo initio magnū sumat incrementum: qua vna re quanta sit eius vis, & efficacitas aperitur. Iam verò pretium exponit, vt doceat quanti illud homines facere debeant, & quanta quærere diligentia, & moribus exprimere.

Duæ Euangelij proprietates.

5. *Regnum cœlorum*] regnum cœlorum est fides, vel Euangelium, sic Ambrosius ſerm. 2. in Psal. 118. Euthym. & Theophyl. non est autem sensus huius loci: simile quid in regno Dei accidere, quale est cum quispiam inuento thesauro absconditо in agro alieno, vt illo potiatur vadit & vendit, &c. sed potius sententia hæc est: Euangelij doctrina similis est thesauro absconditо in agro, quem qui inuenit, ne perdat, & vt illo potiatur primùm diligenter eum abscondit, ne præripiatur, deindè omnibus distractis emit, &c. sic in Dei Ecclesia veluti thesaurus quidam est in agro absconditus, cælestis sapientia hominibus incognita, nec cuiuis facilè obuia licet æstimari non possit. Hanc qui inuenit abscondit (est autem præteritum inquit Emmanuel, sicut & absconditus) inuenire autem est eam agnoscere. absconditus autem, non nec alius inueniat, quod in thesaurū terræ rectè quadrat, quē si alius inuenerit ipse perdet. ergò abscondere dicitur ne ipse perdat, ac proindè idem est ac fouere, seruare ne effluat, deniq; diligentiam omnem adhibere ad illam obtinendam.

Hæ enim actiones diligentiam significant in conseruando inuento thesauro. quod si velimus exponere, ne ab alio præripiatur, id est, à Dæmonibus, etiam possumus sic exponere. Et tunc eodem quoque reuoluemur. Nam & sic significabitur sollicitudo curantis, ne per negligentiam, iactantiam, ac ostentationē à Diabolo thesaurus disipetur. Quare Gregorius absconditum esse ait, ab humanis laudibus, & malignis spiritibus.

Thesauro] ex Paulo iuris consulto, lege nunquam 5. de acquirendo rerum Dominio, *thesaurus est quædam vetus depositio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam Dominum non habeat: sic enim fit eius, qui inuenerit, quod non alterius sit. Alioquin si quis aliquid vel lucri causa, vel metus, vel custodiæ condiderit sub terram* (intellige; & adhuc Dominum habet) *non est thesaurus*. Hactenus iuris consultus. Et lege vnica c. de thesauris l. 10. docetur, nomine thesauri intelligi nō solam pecuniam, sed etiam quæcumque alia mobilia. sic enim in ea lege scriptum legimus: Thesaurum, id est, *condita ab ignotis dominis tempore vetustiori mobilia*, ex quibus constat ad rationem thesauri duo necessaria esse, vnus vt fuerit quodam repositus. alterum verò, vt tantum interceſſerit temporis, quod domino careat.

6. *Thesaurus quia sit.*

Homo] quisquis inuenit. hominem, prò quolibet homine, & pro nota vniuersali Hebræi sæpè ponunt.

Vadit & vendit] videtur Dominus significare voluisse, decere, vt propter Euangelicum thesaurum assequendum quis omnes facultates suas vendat, & distrahat, idque cum gaudio cantans illud: *bonum mihi lex oris tui super millia auri, & argenti*. Ita hæc, vt & sequens parabola rectè in discipulos Christi conueniet. Possumus (quamuis non sit necesse omnia in parabolis curiosius explicare) intelligere per hæc proprias voluntates, & paruos appetitus abijciendos, falsisque dogmatibus, ac voluptatibus renuntiandum esse ei; qui volet Christum eiusque doctrinam lucrifacere: ac paratum quoque esse debere, facultates omnes abijcere, & à se alienare, cum occasio incidit, vel euentus, vt non possit simul eas cum Christo possidere. Vel significat tanti æstimandum Euangelium, vt qui inuenerit, nihil non, vt illud obtineat, facere debeat; quamuis omnia vendenda, resecanda omnia, perdenda etiam vita sit.

7.

Verùm oportunè, & obiter roget quis: an qui emit agrum sciens in eo latere thesaurum, integrum illum sibi comparet. Diuus Thomas secūda, secundæ, quæstione sexagesimasexta, artic. quinto ad secundum, partem innuere videtur affirmantem, eademque est nobis amplectenda cum Soto 5. de iusti. quæst. tertia art 3. ad secundum. Nauar. c. 17. n. 172. & alijs, aduersus Angelum probari autē potest primum, quoniam eam innuit hic Christus, deindè quoniam Dominus agri, non est dominus thesauri, qui in eo latet: quandoquidem neque est pars agri, neque fructus illius: immò constat thesaurum, antequam inueniatur, vacare Domino eaque ratione stando in solo naturali, ac gentium iure est primo occupantis, non secus ac feræ propter eamdem rationem, sunt primo occupantis. Ius verò Romanorum fuit, quod ex quadam æquitate, atque ad pacem conseruandam statuit, vt vel totus, vel dimidium illius esset domini agri. Cùm ergò qui scit eum in illo agro latere, non teneatur illum detegere domino agri, sed possit vti ea scientia in suum proprium vsum & commodum posthabita vtilitate aliena, sequitur profectò, vt nihil ea scientia impediente possit licitè agrum illum emere eo pretio, quo iustè emeretur, si in eo non lateret thesaurus, vt comparato dominio agri, suum efficiat thesaurum illum integrum. hinc patet quam falsa sit quorumdam sententia, quas Sylu. verſiculo inuentum refert, qui asseruerunt, eum qui ignoranter emit agrum a liquem, in quo thesaurus latebat, & postea illum inuenit, suum eum non efficere. Hæc est

8. *An emens agrum emat etiam thesaurum in eo latentem.*

doctrina,

doctrina, ac opinio Molin. tom. 1. quæst. de iust. quæst. 56.

9.

10. *Iterum simile est*] Hæc parabola de pretiosa margarita omnium bonorum dispendio comparata ad idem significandum assumitur, ad quod præcedens: Hoc interest, quòd in illa proponitur thesaurus casu inuentus, in hac margarita studio inuenta. Quare, vt illa Christus significauit cœlestem sapientiam non inueniri, nisi ab eo, cui veluti casu oblata fuerit, hoc est, diuinitùs monstrata: ita hac significatum est attentos, & sollicitos esse nos debere ad eandem inueniendam sapientiam. Rectè autem thesauro pretiosi lapides coniuncti sunt, ad ostendendum precium, valoremque euangelicæ sapientiæ. Nam pecuniarum thesaurus & lapides pretiosi maximo habentur apud homines in honore, & pretio. Quare & in scripturis non rarò coniunguntur, vt Psalm. decimo octauo, vndecimo: *desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum*. & Psalmo centesimo decimo octauo, centesimo vigesimoseptimo: *dilexi mãdata tua, super aurum & topazion*; sic Prouerbior. 8. & alibi.

10. *Euangelium margaritæ similе.*

Aptè sanè margaritis euangelium simile dicitur; nam vt Plinius scribit l. 9. naturalis historiæ; *origo atque genitura concha, est haud multum ostrearum conchæ differens. Has vbi genitalis anni stimulauerit hora, pandentes sese oscitatione impleri roscido conceptu tradunt, grauidas posteà eniti: partúque concharum esse margaritas pro qualitate roris accepti*. Hoc quis non videt rectè in cœlestẽ quadrare sapientiam? nisi enim delapsa cœlo fuerit, nulli contingit. Donum Dei est descendens à patre luminum: quod nemo accipiat nisi sese veluti pandat, ac diuinæ gratiæ cedens, capacem se, diuino Dei præuentus, & adiutus auxilio, effecerit: ac pro qualitate adhibiti conatus cum Dei gratia vberius, & maiori cum fructu, & emolumento cœlestem in se rorem admittet, & conseruabit.

Obseruandum verò est, quòd quemadmodum euangelium thesauro inuento, & non inuentori dicebamus esse simile: ita hic intelligere oportet margaritæ conferri: At non ita dictum est, sed simile esse homini negotiatori. Obscurior ergò hic loquendi modus exponendus est, eodem modo quo in primis parabolis eum declarauimus, vt sit sensus; idem accidere in inueniendo, acquirendoque regno cælorum, atque si quis mercator (cui quidem nos similes esse oportet) bonas quærens margaritas vna pretiosa inuenta habeat vendatque, vt illam emat, vniuersa. Ita cum regnum Cælorum inuenerimus nullis laboribus parcere, nullis debemus sumptibus abstinere, vt tandem illo potiamur.

11. *Quæ margaritæ bonæ.*

Bonas] καλὰς, pulchras, in his enim quæ pulcræ, bonæ sunt. Ex Plinio præstantiores sunt in margaritis quæ sequentes habent proprietates; nam vt ille ait: *dos omnis in candore, magnitudine, orbe, læuore, pondere, haud promptis rebus, in tantum, vt nulli duo reperiantur indiscreti: vnde nomen vnionum Romanæ scilicet imposuere deliciæ*. Et posteà: *hos digitis suspendere, & binos ac ternos auribus, fœminarum gloria est*. sic ille. in cœlestem sapientiam, & euangelium aptè, sciteque transferuntur. Est enim euangelium candidum puritate, ac veritate doctrinæ; maximum mysteriorum amplitudine, & vbertate; quasi rotundum in orbis modum ob eximiam perfectionem, quam in se claudit; fulget læuore, quia incredibili lenitate, ac cælesti suauitate animum hominis replet. Nec leue est, & fugax; seu fallax & inane; sed infallibili veritate, pollicitationum, & vbertate, ac magnitudine prę miorum immensum continet gloriæ & æternitatis pondus. Quod verò margaritæ vniones dicantur

A rectè etiam cadit. Nam euangelica sapientia, & veteris testamenti vaticiniis consonat, & sibi ipsi mirificè constat, & possidentibus vnitatem, vnionemque largitur; semper eadem, & à se ipsa nunquam recedens. Hanc digitis suspendere, hoc est, operè exercere, ac declarare; auribus item appendere, hoc est, eam audire, eiq; morem gerere summa Christianorum gloria est. Et hæc de margarito attigisse satis. vide de hac parabola Bernar. fol. 113. in additis; Augustin. qq. ex Matt. c. 13. Cyprian. serm. 1. de Eleemosyna.

11. *Vna*] Chrysost. vna est veritas. *Margarita*] Hierony. *scientia Saluatoris, pro qua Paulus omnia contemnit, cuiusq; comparatione omnis alia gemma vilior est*. Chrysost: qui margaritam habet scit se diuitem, alij nesciunt. sic infideles euangelij thesaurum nescientes, diuitias nostras ignorant. 12.

Vendidit] omnibus suis renuntiat, & sibi ipsi. B Augustinus de quæst. Euangelicis non habemus maius pretium, quam nos ipsos, non quia tantum valet, sed plus dare non possumus.

Emit] Interl. alias comparauit. Pere. cap. 3. in Apocal. dist. 25. nu. 101. &c. obseruat nonnunquam S. Scripturã *vendendi* verbũ vsurpare, in ijs rebus, in quibus nullũ repperitur condignum pretiũ, respõdens vẽditioni vt apud Isai. 52. 13. *gratis venumdati estis*. Quomodo *gratis* si venumdati? sed *venumdati* dictum non est propriè, sed pro eo quod est, simpliciter traditi. sic Psalm. 43. 13. *vendidisti populum tuum sine pretio*, & lib. Iudic. cap. 2. iuxtà Ioan. ver. 14. *vendidit eos in manu inimicorum suorum*. In quæ verba August. qq. in lib. Iudi. q. 17. scribit: *quæri solet cur dixerit: vendidit eos in manu inimicorum suorum tanquam intelligatur pretium aliquod ab inimicis datum esse Deo, vt traderet illis populum Hebræum. similiter Psalm. 43. 13. legitur; vendidisti populum tuum sine pretio. quare ergo venditi, & non potius donati sigratis? an fortè Scripturarum loquutio est, vt venditus etiam qui donatur dici posit? hic autem sensus optimus est in eo quod dictum est, gratis venumdati estis: & in illo etiã: vendidisti populum tuum sine pretio, quia illi quibus populum hebr. Deus tradiderat, impij erant, nec Deum piè colendo, Hebræos sibi tradi à Deo meruerant, vt ipsorum cultus Dei tanquam pretium illius venditionis, & traditionis esse videretur. Quod verò additum est, & sine argento redimemini, & non dixit, sine pretio, non vacat mysterio: significatur enim pretium redemptionis humani generis, de quo B. Pe. dixit: non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretio sanguinis agni immaculati*. sic August. 13. *Venumdari quid.*

C Idem de verbo *emendi* dicere possimus nõ propriè interdum vsurpari, vt Isai. 55. 1. *venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione*, hoc D est, accipite. Gratia enim euangelica datur homini sine pretio proprio, quamuis pretio, & merito sanguinis Christi. idem Perer. loc. cit. num. 103. obseruat: *emendi* verbum etiam cum non propriè sumitur habere latentem significationem alicuius pretij, vel alicuius rei quæ similitudinem habeat pretij, per quam rem comparatur id, quòd emi dicitur. sic Prouer. 23. 23. *veritatem eme, & noli vendere sapientiam*. vbi Septuaginta vertunt: *veritatem posside*, siue acquire, *& sapientiam ne repudies*, siue abijcias. sed plus energiæ habet verbum emendi. significare enim voluit Salomon, nihil esse nobis debere sapiẽtia optabilius, & pretiosius, omniaq; esse nobis facienda, & perferenda, etiam cum iactura bonorũ temporalium, dummodo sapientiam comparare possimus. hoc ergo lõcõ item non propriè sumuntur verba *vendendi*, & *emendi*, iubetur siquidem studiosus, cupidusq; percipiendi sapientiã euangelicã illam quidem, & cœlestem, similis vt sit negotiatori, qui inuenti vna 14. *Emendi verbum aliquando impropriè vsurpatur.*

pretiosa

pretiosa margarita, vendidit omnia bona sua, & cõparauit eam: vendere est, se, & omnia sua tradere & relinquere, emere est eam accipere se, & rebus omnibus temporalibus contemptis, vt tanto vberius, & accuratius obtineatur, & conseruetur. Quare verosimilius apparet esse illud, quod superius cẽsuimus, has parabolas Apostolis seorsim esse traditas, & dissertas. videtur enim his Euangelicæ paupertatis status describi Apostolorum proprius, & eorum, qui eorum vitam, & institutum imitari cupiunt.

15. 12. *Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ*] hæc est tertia parabola huius capitis, similis parabolæ zizaniorum. licèt hoc interfit: quod per *zizania* tritico permixta significãtur mali homines, toto orbe malis intermixti, quamuis numquam fidem, numquam Euangelium susceperint. Iam verò de eis tantum malis sermo est, qui intra Ecclesiam sunt, vel fuerunt aliquando, quos sagena (Euangelicam dico prædicationem) simul cum bonis collegit. Quamuis sint qui per sagenam, Ecclesiam intelligant.

Rectè sanè hæc parabola duabus superioribus subnectitur. Nam ne putaretur Euangelij prædicatio, ac cœlestis sapientia (quippè quæ thesauro, & margaritis inuentis similis esse dicta est) omnibus, qui eam inuenerint talis esse futura, aut omnes suos inuentores diuites, saluosque factura. Monet nunc eam ceu sagenam quosdam etiam malos collecturam, concluſuramve, quibus nihil proderit bonis coniunctos fuisse. Optimè verò seorsum discipulis tradita est, quibus olim dictum fuit: *faciam vos fieri piscatores hominum*, scilicet, per sagenam Euangelicam, id est, prædicationem. quoniam enim ipsi experturi erant malos quosdam colligendos cum bonis Euangelij prædicatione, voluit hoc eos præmonere Christus, ne propterea desponderent animum.

16. *Discrimen inter sagenã & Euangelij prædicationem.* Obseruandum porrò hic non in omnibus procedere hanc similitudinem inter sagenam, & Euangelij prædicationem. Nam sagena pisces capit inuoluntarios, non item Euangelij prædicatio. Intentio hic Christi est spectanda inprimis, quæ est, declarare bonos simul cum malis Euangelij sagena concludi, licèt extremo die separandos: atq; adeò in Ecclesia militanti, quandiu mortali conditione viuitur, futuros esse bonos & malos: donec in iudicio cùm separabuntur ab impróbis iusti, tota munda, ac sine macula remansura sit Ecclesia. Hinc tamen non etiam benè tu colliges, si sic dicas; pisces siue boni, siue mali sint, tales fuisse antequam sagena congregarentur, ergò eodem modo non fide, aut Euangelij prædicatione bonos, iustosque euadere homines, sed tales antea fuisse, quam cõprehenderentur. Similiter & malos, qui nunc sunt in Ecclesia, fuisse prius malos. Respondeo per malos hic non esse intelligendos eos tantum, qui fictè aut coactè ingrediuntur Ecclesiam, vel fidem suscipiunt: verùm etiam qui bono animo, & spontè susciplentes, à cœpta virtutis semita diuertunt ad vitia, & ad paruos conuertuntur mores, ita vt aliquãdo etiam benè vixerint sub Euangelio. per bonos verò eos, qui benè sancteque viuunt, licèt mali fuerint antè susceptam fidem, possintq; post mali fieri propria voluntate nõ ergò similitudo cum piscatione in omnibus posita est, sed tantum in eo quod vt in sagena continentur & boni, & mali pisces inepti ad comedendum; sic intra Ecclesiæ, & Euangelij sagenam & boni, & mali continentur, ad finem separandi. Quod si per malos eos, qui non sunt electi, per bonos verò, electos intelligas; sic mali semper dici possunt mali: & boni semper boni, quamuis non quantum ad præsentem iustitiam.

17. Ex hoc loco duo argumenta habere possumus contra hæreticos; nam si regnum cœlorum hic Euangelium, vel Ecclesiam significat: habemus non omnes qui Euangelium, id est, fidem receperunt, salutem adepturos, sed eos duntaxat, qui boni fuerint pisces, id est, bona opera fidei adiunxerint. Ad hoc, si regnum cœlorum est Ecclesia; in qua est fides vera, non erunt tantum boni in Ecclesia, quod D. Aug. Donatistis etiã obijcit. Dicitur. n. Ecclesia, vel ꝙ eodẽ redit, Euangeliũ, sagena missa in mare, quę ex omni genere piscium congregat.

13. *Educentes*] sc. piscatores. *Et secus litus sedentes*] non est quod hæc nimium emungas, cum ad parabolæ verisimilitudinem & ornatum apponatur: licèt per litus, locus iudicij intelligi possit: Nam G. legimus *educentes secus litus & sedentes.*

In vasa] per hæc rectè æterna tabernacula intelligi possunt. sunt autem *vasa* hic repositoria piscium.

18. 17. *Ideò*] quasi dicat, quandoquidem intelligitis, scitote quod omnis legis doctor peritus ad regnum cœlorum (sic enim G. legitur) prædicandum similis est homini patrifam. *qui profert de thesauro suo*] id est, de diuite penu, vel penario *noua, & vetera*] pro abundanter & varia, quo satisfaciat cuiusque gustui: sic Cant. 7. *Poma noua & vetera seruaui tibi*, id est, abundanter, & copiosè, & omne genus poma ad satisfaciendum cuiusq; appetitui. Irenæi sententia l. 4. 21. Scribas vocat suos discipulos noua, & vetera, id est, duo testamenta: Item & August. qq. Euangelicis, ex Matt. c. 6. indicat ergò oportere concionatorem esse debere benè instructum omni scientiæ diuinæ, & exemplorũ ac similitudinum genere. apud Mart. Delrio Cant. c. 7. sess. 8 sic habes; noua quidem, id est, illa Euangelica mandata perfecta & absoluta, quibus nihil in terris potest esse diuinius, nihil illustrius, nihil denique vtilius; vetera verò quæcumque in lege Mosaica & Prophetis continentur ad salutem æternam conductura. hæc sunt quæ bonsa fidelissimo spõso patri & fratri suo, accuratissimè seruasse, & seruaturam esse promittit & spondet. Aduer. tamẽ non dictũ esse, qui potest proferre, sed qui profert: neq; n. satis est habere pectus omni rerũ eruditione, & scientia refertũ, ita vt possis proferre; vt proferat necessariũ & Euãgelico doctori legis perito.

Noua & vetera quæ

19. *Similitudo inter patrem fam. & Euangelicum doctorem.* Continetur autem in his verbis similitudo hæc: quod sicut paterfamilias diues simul & liberalis ex abundantia diuitiarum suarum profert, cùm opus est, noua simul in vetera, hoc est, omne ciborũ genus, vel rerum vitæ necessariarũ res varias, omnigenamque substantiam; ita peritus, & bonus Euangelij Doctor è corde spiritualium opum diuite, debet suo tempore proferre sermonem varium, fœcundum, ad diuersa hominum ingenia accommodatum, varijs exemplis, similitudinibus, parabolis ornatum, & refertum. Videtur verò adhortari suos voluisse Dominus, vt se imitarentur, vt quemadmodum ipse instar patrisfamilias vario modo doceret, ita & ipsi. Dices; non ergò tam propriè, & ad mentem Christi accommodatè faciunt, qui per *noua & vetera*, vetus, & nouum testamentum intelligunt. nam Christus condebat nouum Testamentum, non quid ex illo proferebat, cùm nondum exaret. Respondetur, aptè id quod Christus generatim de omni vtilis scientiæ genere dixit, & copia, plerique sanctorum ad nouum & vetus Testamentum speciatim accommodarunt. nec mihi tamen placeret, si quis patrisfamilias nomine, Christum ipsum intelligeret. licèt enim verè diceret, non tamen iuxta germanum huius loci sensum, & proprium loqueretur: quasi velit Christus dicere, discipulos debere esse sibi ipsi similes, qui cùm paterfamilias sit, proferat noua & vetera. quemcunque potiùs Concionatorem Verbi Dei,

exemplo

exemplo patrisfamilias in rebus domesticis, & familijs, docet debere, & noua, & vetera proferre modo expositio. Et quidem vox *patrisfamilias* vniuersalior alioqui videtur esse, quam vt de Christo intelligatur.

DIGRESSIO I.
MORALIS

In versum 9. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. quem qui inuenit.* &c. Quod Christus, & eius imitatio, thesaurus sit absconditus. & cætera.

1. *Quis verus thesaurus?*

MAGNO studio quærunt mundani homines thesauros; sed quinam sint veri thesauri, planè ignorant. Putant enim diuitias si inuenerint, & accumulauerint plurimas, argentum, item aurum, lapides pretiosos, veros thesauros, iam se assequutos esse. Sed longè falluntur miseri. Audi quid de his Baruch Propheta scribat cap. 3. 16. 17. 18. 19. *Vbi sunt Principes gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? in auibus cœli ludunt, qui argentum thesaurizant, & auru in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum? qui argentum fabricant, & solliciti sunt, nec est inuentio operum illorum? exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum surrexerunt.* quasi dicat; quid prodest principibus, quod non solùm hominibus, sed etiam bestijs dominentur? quod auibus cœli ludant, &c. si sapientia careant, nec eam consequi possint, cùm ibi eam quærant vbi non est? Est enim in Deo quasi in eius fonte quærenda, & ab eo postulanda. Ideò exterminati sunt, & ad inferos descenderunt. Est autem ludere quasi ludendo aliquid facere, id est, sine difficultate, Prouerb. 8. 30. 31. *Cùm eo eram cuncta componens.* &c. *ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Ergò ludere in auibus cœli est adeò potentem esse, vt videatur quis non modo in bestias, sed, quod difficilius, in aues cœli pro suo arbitratu dominari. Argentum verò fabricare, est, non modo argentum conflare, sed etiam quibusuis modis, & artibus corradere, & varias rationes excogitare inueniendæ pecuniæ, ita vt eam excudere quodammodo videantur. Illa verò: *nec est inuentio,* &c. significat; nihil lucri percipiunt ex operibus suis, εὑρεμα, enim aut εὕρεσις, aut ἐξεύρεσις, id est, inuentio; lucrum, & emolumentum significat, vt Maldonatus notat; quia quod inuenimus, in lucro ponimus, vt Eccles. 20. 9. *est inuentio in detrimentum,* id est, lucrum damnosum, & c. 29. 4. *multi quasi inuentionem;* id est lucrum æstimauerunt fœnus, & v. 7. *computabit illud quasi inuentionem,* id est, in lucris ponet.

Ludere in auibus cœli quid sit.

2. *Thesaurorũ vilitas respectu sapientiæ.*

Vide quid sentiat de his thesauris sapientissimus Salomon Sapient. 9. 8. *Diuitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Et v. 9. *omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Vbi tribus comparationibus, quam viles terræ thesauri sint indicat: nam primùm diuitias nihil esse dicit: quod paradoxum arbitrabitur is, qui non secundùm Deum diues est: sed non item arbitrabitur Dauid, qui de diuitibus testatur, nihil inuenisse viros diuitiarum in manibus suis. Iterum Salomon, omne aurum arenæ exiguæ comparat: quod reuera soleant diuitiæ diuitum corda, quæ ipsis immersa sunt in lapidem conuertere. auaris enim conuenit verè quod de Dæmone affirmauit Iob. *cor eius stringetur quasi lapis:* talia sunt corda diuitum, & auarorum mundi. Nam sicut lapidescit arena calore solis, si pluuiæ misceatur, ita diuitiæ, & aurum in modum arenæ, quanto copiosiore pluuia, id est, largiore manu à Deo conceduntur, tanto magis in lapidem stringuntur, hoc est, tanto magis corda auarorum hominum in duros lapides vertunt: non ipsarum natura; vel Dei voluntate, sed tenacium, & auarorum hominum vitio.

3. Comparat tertiò argentum, & vniuersas mundi diuitias luto, cùm reuera luto constent, & hominem quasi luteum efficiant. Theodor. in ea verba Gen. 2. Et plantauit Deus paradisum in Eden ad Orientem, sic scribit. q. 25. *quidam paradisum ipsum dici putant Eden, alij verò locum vniuersum in quo paradisus erat; vnde & Adam formatus est: & denominatus est Adam ex eo quod ortus sit à terra illa, quæ est in Eden. Eden enim Rufum significat. Quemadmodum & Esau, qui pro Lenticula rufa vendidit primogenita sua, appellationem, quod verius est.* Hæc ille. Ex quibus Theo. verbis constat de eius sententia, tria hęc, paradisus voluptatis, Adam pulcherrimus, & fortissimus, optatissimum edulium, quibus omnia mundi bona comprehenduntur, quæue thesauri nomine vulgo censentur, ex luto originem trahere, vel ad illud aliquo modo pertinere, ac proindè rectè luto comparari à Salomone. Itaque horti homines amœnissimi humanę voluptati seruientes; pulchritudo corporis humani, & robur ipsum tanto in honore, & prętio habitum; denique omne genus epulæ, in quibus bonam suæ felicitatis partem mundani homines collocant, vel in luto infixa hærent, vt paradisus in Eden, quod terra rubra est ex Theo. vel luto constant, vt Adam ex luto formatus, cuius erat mira venustas in vegeto, ac robusto corpore; denique luti similitudinem colore, & proprietatibus referunt, vt erat esca lentis tantopere ab Esau expetita, propter quam & primogenita vendidit: nam sæpè non curant homines propter escam, & potum in cœlis promissa bona negligere. Maneat ergò probatum vt verissimum, exiguam arenam, & lutum & nihil etiã esse ea quæ thesauri ab imperitis falso nominantur. vt verè cœlestis Doctor nos admonuerit: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur.* Matth. 6.

4. Quoniam verò ibidem hortatur nos: *thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo.* & Luc. 12. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis:* Ideò videndum quis nam sit cœlestis iste thesaurus: quod vt melius intelligere possimus sciendum est, sic definiri thesaurum à Paulo iure consulto de acquirendo rerum dominio lege nunquam: *thesaurus est tam vetus depositio pecuniæ, vt eius non extet memoria, & iam dominum non habeat. sic enim fit eius qui inuenerit, quod non alterius sit, alioquin si quis lucri*

causa

cauſa, vel metus, vel cuſtodiæ cõdiderit ſub terra, non eſt theſaurus: vtpotè cuius etiam furtum ſit.

5. Quis verus theſaurus. Iam verò ſecundùm D. Hilarium & Hieronymum, hoc loco, *theſaurus abſconditus*, cui regnum cælorum ſimile dicitur, eſt diuinitas verbi, quæ ſub humanitate latet. Quam interpretandi rationem ſequutus eſt Beatus Vigilius Papa l. 3. in Euthyc. vbi addit: ob id qui theſaurum inueniſſe dicitur, non ſtatim illum abſtuliſſe narratur de agro, ſed voluiſſe ſimul cum eo aſſequi etiam agri poſſeſſionem quòd non profit agnouiſſe diuinitatem in carne latentem, niſi ſimul cum ea agnoſcamus, & confiteamur humanitatem. Quare ſubtiliter Paſchaſius l. de corpore Chriſti cap. 17. ait: *non rectè caro ſine diuinitate ſumitur; nec diuinitas ſine carne præſtatur. Vnde in Euangelio Regnum cælorum ſimile dicitur theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo, vadit, & vendit omnia quæ habet, & emit agrum illũ: quia nec ager, corpus videlicet Chriſti ſine theſauro, id eſt, diuinitate, nec theſaurus diuinitatis ſine agro carnis iure comparatur.*

6. Diuus Hieron. in Matt. cap. 13. tom. 9. Aug. l. 1. qq. Euang. l. 13. tom. 4. & ante omnes Origenes in idem cap. Matth. 13. tom. 2. interpretantur hunc theſaurum eſſe ſacræ ſcripturæ intelligentiam, vel Dei ſapientiam. Hæc enim in ſacra Scriptura tanquam in agro recondita eſt. Hos duos ſenſus nos non ineptè coniungemus, intelligentes idem per theſaurum quod prius per granum ſinapis, & exiguum fermentum, denique per margaritam, quam ſpiritualis negotiator quærit, eiuſque limitatio quæ eſt ſapientia illa quæ in Scripturis latet. Chriſtum enim, eiuſque virtutes, & ad imitandum exempla nobis ſacræ Scripturæ libri proponunt. Vndè Hieronymus *theſaurus iſte*, inquit, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, aut Deus verbum eſt, qui in carne Chriſti videtur abſconditus, aut ſanctæ Scripturæ, in quibus repoſita eſt notitia Saluatoris: quem cum quis in eis inuenerit debet omnia iſtius mundi emolumenta contemnere, vt illum poſſit habere quem reperit.* quam verò Hieron. & alij notitiam, & ſapientiam Saluatoris vocant, nos idem dicentes imitationem Chriſti vocamus, ſeu ipſummet Chriſtum quem imitandum nobis Scripturæ promunt.

7. Qui meritò theſaurus dicitur, *infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt participes facti ſunt amicitiæ Dei propter diſciplinæ dona commendata* Sapien. 7. Theſaurus eſt Chriſtus. quid enim non boni continet? *mecum ſunt*, inquit, Prouer. 8. 18. *diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia; melior eſt enim fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo:* etenim *melior eſt ſapientia cunctis pretioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari.* Ibidem v. 11. reuera theſaurus eſt Chriſtus; quia vt ſuperius n. 4. theſaurum definiuimus, tam vetus depoſitio omnium bonorum eſt, vt eius nulla apud homines exſtet memoria, quem Deus Pater ab æterno Deum genuit, & ad imitationem, perfectionemque ſanctorum ſub carne recondidit, & oculis iniquorum occultauit, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſcõditi, verè theſaurus, qui vt eodem n. 4. definiuimus nullum præter Deum Dominum habet qua homo eſt, & illum qui diligẽter eum quæ-

A ſierit, & tandẽ pijs laboribus, & multa lacrymarum vi adinuenerit, dominatorem habet. Eorum quæ in imitatione Chriſti poſita ſunt bonorum verè theſaurus indeficiens; nam imitationis Chriſti fructus ſuper augetur, & nouis meritis adiectis creſcit, nec eius diuitiæ immẽſæ deficient, vel conſumentur vnquam, ſi volet quis ſemper magis ac magis Chriſti diuitijs ditari, id eſt, virtutes aſſequi; clara enim eſt, & quæ numquam marceſcit ſapientia, & imitatio Chriſti. Proindè monet Dominus: *facite vobis ſacculos, qui non veterascunt, theſaurum non deficientem in cælis.* Lu. 12. verè theſaurus infinitus eſt Chriſtus, eiuſq; imitatio, quia omnium opum, quæ homini contingere poſſunt, ſumma eſt, atque compendium. Etenim ſi Bernardo credimus lib. ſententiarum; tres ſunt theſauri, quos B nobis theſaurizare debemus: deſideriũ pietatis in corde, doctrina veritatis in ore, & aſſiduitas perſeuerans in homine; quorũ omnium inſtar eſt vnus imitationis Chriſti theſaurus; imitatio namq; Chriſti pietatis deſiderium gignit. Eſt autem pietas cultus Dei. At qui Chriſtum imitatur, in eo omnẽ collocat curã, vt Deũ adoret, & in ſpiritu, & veritate colat, & quæcunq; huic puriſsimo cultui aduerſantur, remoueat. ſecũ item annexam habet vetitatis doctrinam; neq; .n. verè poteſt Chriſtum imitari, qui non eius amplectatur doctrinã, & nõ modo ore doceat, verùm etiam in corde abſcondat, & ſanctis operibus exprimat. Deniq; quod ad ſe attinet procreat imitatio Chriſti perſeuerantiæ aſſiduitatem, quia cum ipſa perfectam contineat virtutem, iuſtorum mentibus altius eſt infixa, & C amore boni, & in omni iuſto opere voluptatem affert: Quæ duo, amor, & voluptas, magnã vim ad perſeuerandum continent. Verè theſaurus eſt imitatio Chriſti, nam & theſaurum in cælis omni redundantem bonorum genere cõtinet: *ſi vis*, inquit Chriſtus, *perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & dà pauperibus, & veni ſequere me, & habebis theſaurum in cælo.*

Verè theſaurus magnus nõ animæ modo ſa- 8. lutem, & vitam cõtinens, verũ nihil cæterorũ bonorum excludens: cibum habet, & quidem ſuauiſsimũ, de quo Dominus Io. 6. 27. *operamini non cibũ, qui perit, ſed qui permanet in vitã æternã.* Cibus iſte quod dictũ eſt Augu. cibus eſt grandium, quem qui manducaturus eſt, oportet vt creſcat, & ad virilem ætatem, id eſt, perfectam virtutem, venire feſtinet; cuius tanta eſt dulcedo, D tanta ſuauitas, vt nunquam comedentem exſatiet, vel tædio afficiat. Etenim, *qui edunt me adhuc eſurient*, Eccleſiſt. 24. 29. Eſt cibus ſimul, & potus: *comedite amici, & bibite, & inebriamini cariſsimi.* Can. 5. 1. ad quẽ potũ inuitat Dominus: *ſi quis ſitit veniat ad me, & bibat.* Hanc ergò aquã refrigerantem, & vinum inebrians ſecum affert Chriſtus, & eius imitatio, quæ ſitim rerum terrenarum extinguãt. Habet hic Chriſti theſaurus de quo loquimur veſtimẽta, quibus mens de ſe nuda amiciri, & cõdecorari pulchra varietate poteſt; quod fiet ſi monẽti Paulo Rom. 13. 14. aſſentiamur cùm ait; *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* hoc enim eſt Chriſtũ induere, ipſum imitari, vt ibidem exponit Anſelmus. Hic theſaurus habet diuitias, honoribꝰ fulget, dignitatibus, & diuitijs abundat, ita vt

nihil desit illi ad vitam beatã transigendã. De delicijs audi Isa. 51.3. *Consolabitur Dominus Sion & cõsolabitur omnes ruinas eius* De honoribus testis est Sapiens cap. 8.10. nam *habebo*, inquit, *propter hanc*, videlicet Dei sapientiã, quæ in Christo, & eius imitatione posita est, *claritatem ad turbas, & honorem apud seniores iuuenis.* De dignitatibus habes 2. Pet. 1. 4. *per quẽ maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hec efficiamini diuinæ consortes naturæ:* De diuitijs non est dubitandum, an non diues qui possidebit paratum sibi regnum à constitutione mundi?

9. Hic thesaurus absconditus est teste Isaia 45. 15. *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator.* Verè Deus est absconditus inter homines, quẽ *nemo principum huius seculi cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* 1. Cor. 2. 8. Ignotus angelis, si eorum naturã spectes; solo enim reuelante Deo Christi misterium cognouerunt. Dæmonibus verò tantùm innotuit, quantùm ipse voluit; soli Patri notus, qui dixit: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* soli sibi cognitus, qui de se ipso dixit: *Ego sum via, veritas, & vita: ego lux mũdi: ego principium: ego & Pater vnum sumus.* Verè Deus absconditus in cruce, tanquam in agro: *Cornua*, inquit Abacuc, *in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* Etenim *mors mortua tunc est in ligno, quando mortua vita fuit.* Quis credat tã ingentem thesaurum fortitudinis, & perennis victoriæ, per quam regnum cælorũ adepti sumus, in morte tam ignominiosa latuisse? & tamẽ verissimũ est illud: *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius*, cùm ergò in Christo crucifixo cumulatissimus hic omniũ bonorũ thesaurus fuerit, dubitabimus in eiusdem crucifixi imitatione huius tanti thesauri absconditam esse consecutionem? Absconditus thesaurus est Christi imitatio, quis enim credat sub iugo, sub laboribus imitationis, ac legis Christi immensum pacis, & quietis, & gaudij thesaurũ reperiri? *Tollite*, inquit idem Christus Matt. 11. *iugum meũ super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris:* nam quomodo ergò non apparens potius, & quasi fictus labor, vbi non labor, sed requies inuenitur? est enim imitatio Christi sub ficto potius iugo, requies; sub apparẽte mortis horrore, vita; sub specie mœroris, gaudiũ; sub quadam quasi persecutione, & iniuriarũ acerbitate, corona gloriæ.

10. *Ager cælestis thesauri mundus.* Porrò ager in quo Christus absconditus est, vel mundus est; *in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit*, Ioa. 1. vnde Paulus 1. Corin. 1. ait: *quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credẽtes.* Vel ager est Synagoga, & Prophetarũ scripturæ, in quibus thesaurus hic occultus recondebatur, nimirum, *in propria venit, & sui eum nõ receperunt.* Vel ager est Beatissima Virgo, ager omni odorum, & florũ suauitate fragrans, qui vel mortuos reuocet ad vitam. Ipsa enim non corde tãtùm, sed castissima etiam vtero tã immensum thesaurum gestauit occlusum, quem sanè agrum, sicut & thesaurum, perfidi contẽpsere Iudei, cùm dicerent Matt. 13. *Nonne hic est filius fabri? nonne mater eius dicitur Maria; & fratres*

A *eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas, & sorores eius nonne oẽs apud nos sunt?* vel ager est sanctissimũ Christi corpus, & humanitas in qua inhabitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter; vel ager est quęuis anima concipiens Christũ, & seruãs in præcordijs, vt illo ditari queat.

II. Vel deniq; ager est vita spiritualis, speciatim verò religiosa in qua perfecta Christi imitatio reperitur. Etenim si ager, teste Greg. disciplina est studij cœlestis, certè viri spiritualis & religiosi vita nihil est aliud, quã huius cęlestis studij disciplina. Cui * est propriũ Angelos imitari, seipsum cõtemnere, cœlestibus inhęrere, & nulli parcere labori, quo quis assequi possit perfectam Christi imitationẽ. Hic ager est, de quo Isa. 41. 18. *Aperiam in supinis collibus flumina,* B *& in medio camporũ fontes, ponã desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. Dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & Myrthum, & lignum Oliuæ: Ponam in deserto Abietem, & Vlmum, & Buxũ simul: vt videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc.* Colles, & campi, & deserta piorum, & religiosorũ cœtus significant propter pulchritudinẽ, & altitudinẽ, & latitudinẽ multipliciũ spiritualiũ exercitationũ, & actuũ variarũ virtutũ, quos illi exercent, qui sese etiã ad proximos, & seculares homines extendunt; propter orationis itẽ & cõtemplationis eorũ studium, deniq; ob pœnitentiã, propter quã maximè religiosa, & spiritualis vita desertũ dicitur: Verũ in ijs omnibus aperta sunt flumina, & fontes, & stagna, & aquarũ riui, & nascuntur arbores formosæ, atque proceræ, id est, religiosi homines, vel pij, qui, & diuina gratia irrigantur, & C cum perfectè Christum imitentur, Ecclesiam Dei puritate vitæ cõsolantur, suauissimo odore recreãt, virtutũ exemplis cõfirmant, & robore, ac virtute suffulciũt. Ponit aũt in hac sententia Isaias triplex plantarũ genus odorẽ suauẽ ex se efflans, Cedrum, Myrthũ, Buxũ, nam inter viros religiosos, & pios triplex odorum suauiũ genus reperitur, vnũ ex varietate, & cõiunctione virtutum egreditur, quasi odor agri pleni, & Cedro significatur, quæ arbor est Myrthũ, & Buxũ longè exsuperans. Alterum oritur ex spirituali conuictu cum proximis, & bonis exemplis, quasi odor vitæ .i. salutẽ afferens. Et significatur Myrtho, quæ pulchritudine, ac virore intuentiũ oculos oblectat. Tertiũ D est, quod speciatim ex castitatis virtute spargitur, & dicitur odor suauitatis ex sacrificio proprij corporis exsurgens, quẽ libenter odoratur Dominus, sicut detestatur iumenta, quæ cõputruerunt in stercore suo; Buxo verò exprimitur, quæ pulchra est & viret, cuius lignum odoriferũ, & benè cõpactũ, minimè verò hiulcũ, & nodosum est.

12. Quoniã verò nec proximũ ædificat, nec castitatem conseruare potest, qui superbus est, & elatus, ideò ij qui tale odorũ genus spirãt, rectè humili & parua Myrtho, & Buxo significãtur. sicut ij, qui, perfecti cum sint, omnẽ in se virtutũ varietatẽ cõplectuntur, vndè ad alios earum odor emanat, cedro arbore alta, & perpulchra designantur, & quæ stabili radice nititur. Iterũ obseruare est in hac arborũ enumeratione ab Isaia loco citato posita, mentionem fieri etiam

spinæ

spinæ & abietis. Est verò spina quæ Settim dicitur arbor grādis, pulchra, cuius lignum læue. nascitur verò in heremo, & imputribilis est, & apta vt tanquā columna suffulciat tabulata. significare verò potest viros solicitudini, & cōtemplationi deditos, & qui cōtra inordinatos animi motus egregiè certant, & omnē à se vitij asperitatem auferre, & putredinem studeant; suis verò orationibus, & sanctitate vitę tanquā colūnę Ecclesiam Christi sustentant. Abies verò procera, & fortis in primis, nascitur in mōtibus, & vallibus: & potest significare viros itē perfectos, Christi imitatione sublimes, & fortes, qui Ecclesiā doctrina, & exemplis iuuant, qui fundati sunt in mōtibus; dicere enim possunt, *nostra cōuersatio in cælis est*: & interim valles humilitatis etiam amant. Meminit deniq; Isaias Vlmi, & Oliuę, & quidem oliua eos, qui operibus misericordiæ vacant aptè repræsentat. Vlmus propter raritatem foliorum, apta est maritandis vitibus, & cùm ipsa sit infrugifera, potest simplices, & ignobiles in Ecclesia significare; cuiusmodi sunt, qui in religionibus conuersi, vel coadiutores nominātur, qui cùm apti nō sint ad opera spiritualia exercenda; suis tamen corporis laboribus alios in auxiliū animarum, & earū salutem incūbentes sustentant alacriter. Vitem etiam .i. Christum in seipsis portant, cui se vnire, ac coniungere studeant: & hæc de loco Isaiæ in gratiam Religiosorum dixisse nō erit arbitror inutile: In hoc ergò agro disciplinæ præsertim religiosæ inuenitur imitationis Christi thesaurus, latet quidem sæculi sapientes, & potētes, verùm humilibus magno Dei munere reuelatur: sic enim Dominus Matt. 11. ait, *Confiteor tibi pater Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.*

13. Sed quibus modis, inquies, inuenitur tantum bonum? Respondeo multis. Nam primò, forte hoc est, nullo nostro merito præcedente, sed sola Dei gratia, & bona voluntate. sic inuentus est à Samaritana, à Matthæo, à Latrone in cruce, à Paulo. Deindè inuenitur interdum Deo Patre reuelante, vt factum est cum Petro, cui Dominus dixit Matt. 16. *caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus in cælestis*: vt plurimū verò per prędicationem cognoscitur, & interna mentis illustratione. Quartò deprehensus fuit veluti indicio radiorum suorū aliquando, cùm inter nos versaretur, & verborū, atq; operum suorū splendore, & miraculorum admirabili luce fulgeret. Quintò, passim inuenitur ab his, qui eius inueniendi desiderio flagrantes fodiunt, hoc est, mortificatione cum Dei auxilio student, & magnis laboribus carnem cogūt spiritui parere: rectè enim à Salomone est dictum Prou. 2. *si sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ: si quæsieris eam quasi pecūniam, & sicut thesaurum effoderis illā: tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inueneris.* Sudandum est igitur, & diu fodiendus est ager vt in illo inueniri possit tam copiosus bonorum omnium thesaurus.

14. Cæterùm absondendus est illicò thesaurus inuentus: dicendumq; cum Propheta, *secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Isai. 24. Et nec aperiēdus amicis, & domesticis, sæpè enim *inimici hominis domestici eius.* Abscondendus à canibus, & porcis, ne pedibus conculcent margaritas, aut morsibus lacerent, quòd sanctum est, Matt. 7. ad hæc diligenter abscondendus est, ne p[illegible]stentationem, & ambitionem euanescat. Ob id enim Deus Ezechiæ meritò succensuit, quòd alienigenis thesauros ostentasset, 4. Reg. 20. quare Greg. hom. 11. sic nos sapienter monet: *in præsenti vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident: deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publicè in via portat. hoc autem dico, non vt proximi opera nostra non videant: cùm scriptum sit, videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrū qui in cælis est; sed vt per hoc quod agimus laudes exterius nō quæramus; sic autem sit opus in publico quatenus intētio maneat in occulto, vt de bono opere proximis prabeamus exemplum, & tamen per intentionem, qua Deo soli placere quærimus, semper optemus secretum.* hæc Pater Sanctissimus, cui concinit illud Christi: *nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.*

Itaque *thesaurum inuentum abscondere*, secundùm Grego. est desiderja nostra, quibus Christum, eiusq; imitationem sitimus, & labores, quibus hāc operamur ab humanis laudibus occultare: & in eādem sententiam ait Ambros. in Psalm. 18. tom. 2. in Octona. 2. in ea ver. *in corde meo abscondi eloquia tua. Hunc thesaurum sapientiæ, & cognitionis absconditum in agro, in quo plantata sunt verba Scripturarum cælestium, cùm inuenerit homo abscondit illum in corde suo, nec diuulgat eum, sciens quia si diuulgauerit Babylonijs thesaurum Dei, magnam offensam contrahet, vt dicatur ei sermone prophetico: de semine tuo accipient, & facient spadones in domo regis.* Isai. 39. *per quæ significatur quia is qui prodiderit diuina mysteria, posteritatē animæ suæ, seminariumq; meritorū habere non possit. Caue ergo ne diuitias tuas persidis prodas; & si amicitiam simulent, non illis aperias interiora domus tuæ, non illis reseres thesauros regios, quos Babylonij scire nō debent, ne veniant, & capiant posteros tuos, & seminariū virtutis abscindant. hoc est q̄ in Euangelio dicit Dominus.* Matt. 7. *Nolite mittere margaritas vestras porcis. ideò benè facit, qui abscondit eloquia Domini in corde suo, sicut abscondebat Propheta Dauid,* Psal. 118. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi; sicut* MARIA *quæ conseruabat omnia verba Domini* IESV *in corde suo. Etenim si bonum est viro sermones suos abscōdere, quantò magis sermonem Dei cordis nostri gremio debemus abscondere?*

15.

Verùm non satis est inuenisse thesaurum nisi possideas; sicuti aliud est videre in foro panē, & fame vrgente appetere; aliud dato pretio illum emere; ac necessitati prospicere, ita aliud est mentis intelligentia cognoscere thesaurum hunc; & Christi imitationē appetere, nisi pro viribus contendas eam in tuos mores, vitamq; transfundere, & omnium rerum despicientia coëmere. Itaque si vis hunc thesaurum à te cognitum, & simplici, ac puro desiderio absconditum, in tuum vsum transferre, vende omnia quæ habes, & eme vitæ Religiosæ, vel Sanctæ agrum, qui thesaurum perfectè Christi imitationis occultat. & verò scito non sufficere opes, voluptates, & honores reliquisse, nisi teipsum & tuas voluntates deseras; nisi hoc adie-

16.

ceris nondũ omnia vendidisti. Neq; enim condignum pretium huius agri omnia sunt, quæ extra te habebas, nisi quæ intra te sunt, teque ipsum in eius pretium libẽter impendas, quod dignetur nobis Dominus concedere.

DIGRESSIO II.
MORALIS

In v. 10. ***Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærẽti bonas margaritas.***

QVATVOR hic cõsideranda. Primò, quæ nã sint negotiatorũ conditiones. Deinde quę bonæ margaritæ, quas bonꝰ mercator quęrit, & quæ vna pretiosa margarita. Tertiò: quę eius margaritæ proprietates. Postremò quod pretium. A primo ergò ordiamur.

1. *Negotiatorũ proprietates applicatæ spiritalibus negotiatoribus.*

Laurentius Iustinianus lib. de humilitate c. 6. explicans negotiatorum mundi proprietates sic scribit: *prudentium negotiatorum temporalium rerum hoc est proprium; infatigabili cura secum in cordis secreto, priusquam ad exteriorem deueniant actum sua tractare negotia. Impellente quippè cupiditate aggregandi diuitias, sæpè cogitant, quanta qualiaue sint quæ possident, quomodo aut quibus argumentis valeant quæ habent, vendere, emere quæ nõ habent, & semper lucri causa circa hoc multiplicant cogitationes, accenduntur desideriis, partẽ noctis insomnem ducunt, in die huc illuc discurrunt, supputãt tempora, mente peragrant prouincias, obuiant periculis obiectis, atque sedula intentione inutilia secum gerunt certamina. ordinant quæ agenda sunt, & quæ facta sunt, vt indelibiliter recondant memoriæ, & reuisere valeant, calamo scribunt. Nemo prorsus explicare sufficit eorum cogitatus, inordinatos affectus, anxietates plurimas, occupationesq; innumeras. Obliuiscuntur sui, & penè salutis propriæ efficiuntur immemores, præ nimio amore terrenarum facultatũ, quas, velint, nolint, relicturi sunt posteris.* Sic Iustinianus diligentiam, & terreni negotiatoris describit ingenium; & ea quæ dicit, modo subtrahas inordinatos affectus, & superfluum, ac inutile studium, si diligenter expendas, facilè, quæ sint partes spiritualis negotiatoris, intelliges.

2. Est prima negotiatorum mundi proprietas ex Iustiniano, antequam ad exteriorem deueniat actum sua secum tractare negotia; & spiritualis negotiator antequã aliquid vel dicat, vel faciat, suum opus tanquam magni momenti negotium, hoc est, animæ salutem, & profectum, mente reuoluẽs, an Deo placeat, an displiceat potiùs, sedulò dispicit. Deindè terrenorum negotiatorum est propriũ impelli ardenti aggregãdi diuitias cupiditate: & spiritualis negotiator vehementi studio vrgetur ea opere exequendi, quę Deo offerat; atq; adeò acquirendi virtutes desiderio fatigatur incredibili. Et hinc est vt præ desiderio maiora semper acquirendi, nihil se vnquam ferè acquisisse putet, sed semper magis, ac magis infatigabili cura studeat ea magnis laboribus emere, hoc est, assequi quæ non habet, & quę habet terrena bona, vendere. i. alijs propter Deum tradere, vt merita sua, ac spirituales diuitias nouis in dies accessionibus augmentet. Tertiò lucri causa multiplicant, inquit Iustinianus, mercatores cogitationes, & noctes insomnes ducũt, huc illuc discurrũt &c. nec minus est quod spiritualis mercator præstat; dies enim & noctes laborat, sæpè sine cibo, sine potu, sine somno diem transigit, & nunc huius, nunc illius virtutis actui, vel bono operi insistit. Nunc conscendit in cęlum, & Angelorum choros inuisit, & ad eorum, Sanctorumque omnium pedes accidit, vt opem ab illis ad negotiandum, lucrandumúe imploret. quin etiam longos terrarum tractus, & inaccessas sæpes, ac remotas regiones lustrat ad maiorem Dei gloriam, & proximi vtilitatem, vnde posteà in cœlum, tanquam in patriam redire possit, diuitiarum lucris, vt diligens mercator, onustus. Tempora etiam supputat, dum sollicitus de vitæ incertitudine, ac breuitate, nullam pretiosi temporis iacturam pati pro viribus contendit; veritus ne mors illum pauperem inueniat, ac sine mercibus, quibus cęleste Regnũ assequatur. Ad hæc quartò: ordinant negotiatores, quæ agenda sunt, & facta etiam in papyraceos codices referunt; cęlestis quoque mercator præterita non obliuiscitur, vt ea si mala sunt, deleat, si bona, perficiat, eaque veluti in memoriæ libello describit; vt semper ob oculos, quando opus est, habeat, vt quibus artibus ea pepererit, quãtis laboribꝰ, & quanto Dei auxilio, non obliuiscatur. præsentia etiã diligenter obseruat, vt emendet: futura verò discreto mentis oculo prospicit. Quintò addit Iustinianus multa ferre lucri causa mercatores, tot angoribus cõfici, tot laboribus frãgi, vt quasi salutis suæ immemores esse videantur: atqui Euangelicus noster negotiator, nulli non se labori subdit vt cęlestes thesauros accumulet; corporis salutis, & rerum terrenarum exiguam curam ducit, nimirum, tantum necessaria curat; nulla verò magis cogitatione tangitur, quam vt semper duraturas diuitias, vel inueniat, vel augeat.

Cæterùm ijs cõditionibus quas Iustinianus posuit, addere possumus sextò, industrios negotiatores scientia rerũ acquirendarũ pollere: nec ignorare, vel temporis, vel loci ad negotiandum opportunitatẽ. Septimò scire merciũ, quæ sese offerũt, aut vilitatem, vt reijciant; aut valorem, vt admittant. His accedit octauò: ꝙ rationẽ habeant quonã pacto acquisitas merces conseruent. Nonò etiã eorũ quibuscũ negotiãtur conditiones expendunt. Postremò animo grãdi, atq; magnifico prædĭti sũt, nec ob irruẽtia pericula, & multiplices labores ab expensis faciendis, vel emẽdis pretiosissimis mercibus, deniq; à mercaturæ munere absterrentur, quæ omnia à spiritualibus negotiatoribus aliena non sunt; neque enim ignorãt quænam, & qualia bona sint, quæ assequi, vel comparare debẽt; locorũ opportunitatẽ præterea captant, ad ea inuenienda, & cóquirenda, nec sibi illa è manibus labi propter ignauiã, prætermittunt. Tum rectè tenẽt, quę bona vt falsa, & vilia aspernari, quę vt vera, solida, præclara cõsequi, & amplecti ipsos oportet. quare quæ terrena, fluxa, caduca contemnunt, quæ cęlestia, stabilia, sempiterna sunt toto animi desiderio persequũtur. Post diligentissimè cauẽt, ne ea, quæ magno labore acquisierũt, per incuriã amittãt, sed ea cõseruare, & perficere assiduis precibus, solerti studio bonorum operum, & diligenti animad-

uer-

uersione contendunt. Deindè non paruam adhibent diligẽtiam, vt cum ijs duntaxat versentur, à quibus auxiliũ ad spirituale lucrũ augendũ, accipere valẽt; fugiũt verò prauos hominũ cõuentus, nec praua solum colloquia eorũ, sed inutilia etiã & otiosa deuitãt, ne quid fortè de eorũ moribus sibi adhæresçat incautè. Postremò Deo innixi, nullis laboribus, nullis persecutionibus, nullis periculis ab ea lucrandi intentione, & consilio, vel ab appetitu cælestium thesaurorum absterrẽtur. sciunt enim dictum esse à Domino Luc. 19. *negotiamini dum venio:* quibus verbis, & spe præmiorũ accensi, nihil esse ducunt quod patiuntur, dum venturi Domini aduentum læti expectant.

4 Felices sanè negotiatores, & prudentes, quos ad lucrãdum caritas incitat: quorũ substantia, gratia, quorũ omnis intentio ac finis Paradisus est, in quos aptè cadit illud Iob. 40. 25. *cõcident eum amici, diuident illũ negotiatores.* vocat amicos seu socios viros Apostolicos; Apostolos enim Christus amicos dixit, quos etiã indicauit esse socios dum binos misit ad prædicandũ. Iidem sunt negotiatores, seu mercatores spirituales siue margaritarũ, siue piscium quorum negotiũ, & mercatura in piscatu est; & ipsi quidẽ Apostoli ex piscatoribꝰ piscium, facti sunt piscatores hominũ. Ii ergò, Behemoth, hoc est, Diabolũ abscindunt, & cõcidunt, cum verbo, & exemplo peccatores .i. Diaboli membra, ab eo separant, & ad vitæ rectitudinẽ, ac sanctitatem traducunt. Scio hunc locũ etiam cum interrogatione legi, & aliũ habere literalẽ sensum, sed nos allegorico sensu cõtenti sumus. Aliqui exponũt etiã allegoricè; cõcidere Leuiathan, seu Behemoth, idẽ esse ac illũ comedere. Quæ allegoria non est ab Aug. aliena, dum super Psal. 73. 14. in illa; *dedisti eum escã populis Aethiopũ.* i. ijs qui cum prius tenebræ fuissẽt, facti sunt postea lux in Domino, sic scribit: *quomodo acceperũt isti in escã Draconem istũ? puto quia magis Christum acceperunt in escã: sed Christũ quo se consummarent, Diabolum quem consumerent.* Hi sunt negotiatores principes & institores inclyti, non terræ, de quibus Isai. 23. 8. sed cœli: nam *negotiatores terræ,* vt est Apocal. 18. 11. *flebunt & lugebunt.* Verùm cœli mercatores gaudebunt, & exultabunt: etenim merces eorũ nunquã discedent ab eis. quod si interim in hoc sæculo tristantur aliquantulum, tristitia tamen ipsorum tandem conuertetur in gaudium.

5. Iam verò quoniam hi, de quibus hactenus dixi, mercatores sunt spirituales quærẽtes bonas margaritas: inuenta aũt vna pretiosa margarita dant omnia sua vt emant illã. videre oportet hic oportunè, quænam sint bonæ istæ margaritæ, & quæ vna ista pretiosa margarita. Hieron. in Psal. 95. si eius sunt illa cõmentaria; *video,* inquit, *plura atria, video vnum atrium, tollite hostias, & introite in atria eius. Rursum: adorate Dominum in atrio sancto eius: Ecce vnum atriũ. videte ergo quoniam non potest de vno atrio veniri ad plura atria, sed de pluribus atrijs venitur ad vnum atrium. vultis scire hoc ipsum mysteriũ? Ecce in alio loco negotiator ille, qui habebat plurimas margaritas, vendidit plures, vt emeret vnã. & in Michæa dicitur: state inquit in vijs Domini; & inquirite, inquit viam Domini. nisi steterimus in vijs plurimis, vnam*

A *viam inuenire non possumus. quæ sunt istæ margaritæ plures? quæ sunt viæ plures? qua sunt ista atria plura, vt inueniamus vnã margaritam, & vnã viam, & vnum atriũ? Abraham, Isaac, & Iacob, Moyses, Iesus naue, Isaias, Ieremias, Ezechiel, 12. Prophetæ, Dauid, Salomon fuerunt atria, hoc est, atria nostra sunt. Primum in illa intramus, & de illis atrijs postea venimus ad atrium Euangelij, vbi inuenitur Christus.* sic Hieron. Itaq; Patres veteris testamenti, eorumq; libri secundũ Hieron. sunt plures margaritæ, & Christus est vnum illud pretiosum margaritum, propter quod cæteras margaritas spernere oportet, vt vnum illud margaritum comparemus.

Quam rem idem Hieron. Matt. 13. clariùs explicat: *bonæ margaritæ, quas quærit institor, sunt* B *lex, & Prophetæ. Audi Marcion, audi Manichæe: bonæ margaritæ sunt Lex, & Prophetæ, & notitia veteris instrumenti. Vnum aũt est pretiosissimum margaritum scientia Saluatoris, & Sacramentũ Passionis illius, & Resurrectionis arcanum. quod cùm inuenerit homo negotiator, similis Pauli Apostoli, omnia legis Prophetarumq; mysteria, & obseruationes pristinas, in quibus inculpatè vixerat, quasi purgamenta contemnit, & quisquilias, vt Christum lucrifaciat: non quod inuentio nouæ margaritæ condemnatio sit veterum margaritarum; sed quod comparatione eius omnis alia gemma vilior sit.*

6. *Bonæ margaritæ lex & Prophetæ.*

Augustinus quoque lib. qq. ex Matt. c. 13. eidem quæstioni de margaritis, & vna margarita, sic respondet: *quæstio est, cur à numero plurali ad singularem transierit, vt cum quærat homo bonas margaritas, vnam inueniat pretiosam, quam vẽditis* C *omnibus quæ habet, emat. aut ergo negotiator iste bonos homines quærens, cùm quibus vtiliter viuat, inuenit vnũ præ omnibꝰ sine peccato, mediatorem Dei, & hominũ, hominem Iesum Christũ. aut præcepta iustitiæ quærens, quibus seruatis cum hominibus rectè conuersetur, inuenit dilectionem proximi, in quo vno dicit Apostol. omnia contineri,* Rom. 13. *vt non occideris, non mœchaberis, nõ falsum testimonium dices, & si quod est aliud mandatũ. singulæ enim margaritæ sunt, quæ in hoc sermone recapitulantur: diliges proximum tuũ tanquam te ipsum. Aut bonos intellectus homo quærit, & inuenit vnũ illum, quo cũcti continentur: in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Est. n. verbum Domini lucidum candore veritatis, est solidum firmitate æternitatis, & vndiq; sui simile pulcritudine diuinitatis, qui Deus penetrata carnis testudine intelligendus est. Ille enim ad* D *margaritam ipsam iam peruenerat, quæ in tegumentũ mortalitatis, quasi concharum obstaculo inter profunda huius sæculi, atq; inter duritias saxeas Iudæorũ aliquando latuerat. Ille ergo ad ipsam margaritam iam peruenerat, qui ait: etsi noueramus Christum secundùm carnem, sed nunc iam non nouimus,* 1. Cor. 5. *nec vllus omninò intellectus margaritæ nomine dignatus est, nisi ad quem, discussis omnibus carnalibus tegminib. peruentur, quibus siue per verba humana, siue per similitudines circumpositas operitur, vt purus, & solidus, & nusquam à se dissonus certa ratione cernatur. quos tamen oẽs veros, & firmos, & perfectos intellectus vnus ille cõtinet, per quẽ facta sunt omnia, quod est verbum Dei. Quodlibet aũt horum triũ sit, vel si aliquid aliud occurrere potuerit, quod margaritæ vnius, & pretiosæ nomine benè significetur, pretium eius est nos ipsi, &c.* Hæc Augustinus.

7.

8. Ex quibus constat triplex intelligentia, seu

interpretatio pluriũ margaritarũ, & vni⁹ pretiosæ margaritę. Nos verò hic per *margaritam*, Christum, eiusq; etiã imitationẽ intelligemus cũ Hieron. & eodẽ Aug. in primo, & secundo sensu. Quarè sequitur, vt tertio loco ostendamus, quã benè Christo cõpetat margaritæ nomen. Sunt verò plures margaritarũ proprietates, & oẽs Christo, eiusq; imitationi aptè congruunt, quod ad tertiũ caput eorũ, quæ dicẽda initio propositum⁹, ptinet. Plin. l. 9. his. nat. c. 35. & Orig. in Matt. c. 13. de Conchylijs admirandũ quid docẽt: esse inter illa vnũ magnitudine præstantissimũ, & pulchritudine gemmę intra se recõditę venustissimũ, ꝙ turmatim alia Cõchylia velut ducẽ sequãtur, & ipsum tanquam Regem & Imperatorẽ comitentur. Hoc igitur Conchyle Vrinatores præ omnibus apprehẽdere cupiũt, siquidẽ eo capto ferè nullo negotio vniuersum agmen Concharum cõprehenditur, suum ducem sequens, & apprehendens omnium margaritarum possessor efficitur.

Plures margaritarum proprietates Christo conuenientes. Conchyliorũ dux.

9. Quæ Cõchylis proprietas in Christum, quã benè congruat, nemo est qui nõ videat. Ipse. n. est Cõchyle intra quod pretiosissima omnium margaritarũ, vel anima cũ diuinitate, vel ipsa diuinitas cõtinetur. Nam si Cõchyle corp⁹ est, rectè anima Deitate vnita margarita dicetur; si verò Cõchyle humanitatem esse intelligas, sic diuinitas, humanitate tecta, margaritum erit infiniti valoris.

10. Quia verò Christũ oẽs imitãtur sancti, à quo & habent, vt sint sancti, quemq; velut Ducẽ, & Imperatorẽ sequũtur: ideò etiã rectè conuenit Christo esse instar vnius illius Conchylij præstantissimi, quod reliqua turmatim sequuntur.

11. Quare rectè illud Prou. 17. 8. Christo applicare poterimus: *Gemma gratißima expectatio præstolãtis*, hoc est, cũ aduenit ꝙ vehementer quis exspectat, & cupit instar gẽmæ optatissimę aduenit: *quocunq; se vertit, prudenter intelligit*, q. d. ita se gerit, vt possit cõsequi. Et quidẽ præstolans nõ alius intelligẽdus est, quã iustus, qui cũ nihil in terris desideret, totus à cęlo pendet, & cũ eò peruenit, vt Christum assequatur, gratissimã iam, & pretiosissimã gemmã inuenisse se vehementer gaudet: pro cuius etiam desiderio quacũq; in re prudẽter, & circũspectè se gerere curat, ne rei à se cõcupitæ possessione priuetur.

12. Est & altera margaritarũ proprietas, quod in Cõchis generentur. & Christus Dominus tanquã pulcerrima margarita in candida, luceteq; Cõcha, quæ Deipara est Virgo, atq; adeò in eius sacratissimo vtero genita est. Nisi malis intelligere margaritam Christum in nobis, vel Christi esse imitationẽ; quæ imitatio priusquã anulo, quẽ speramus, æternæ felicitatis cingatur, in corde iustorũ tanquã in Cõcha mortalitatis inclusa cõtinetur, vt meritò Paul. dicat. 2. Cor. 4. 7. *Habemus thesarũ istũ*. i. Christi imitationẽ, *in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis*. Et Greg. in Can. 6. 10. *Descendi in hortũ nucũ*, asserit perfectos Christi imitatores assimiles nucibus, quia *dũ diuinã Sapientiã*, quæ Christi imitatione continetur, *intra corpora sua retinent, quasi nucleum in fragili testa portant*.

13. Est & tertia proprietas margaritæ, seu vnionis, ꝙ à cęli lumine ex humore roscido tanquã ex materia fit: & Christus Dominus ex purissimo rore sanguinũ B. Virginis, & supercęlestis obumbrantis Spiritus S. lumine conceptus est. Porrò in nobis Christus, eiusq; imitatio ex cęlesti luce, ac spirituali rore mirandũ in modum gignitur. Cũ. n. Deus sit, *qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*. Philip. 2. atq; adeò ipse sit q semina virtutis, & imitationis Christi inserat, hominibusq; instillet, satis patet hãc in nobis margaritã nõ enasci nisi lumine virtutis Dei. Ex rore quoq; cęlesti eadẽ in iustorũ cordibus efformatur, quando diuina inspiratio tãquã ros in piorũ animos descendit, & ea in desideria protracta, atq; in opus, & actionẽ prouecta, Christi imitatorẽ perfectũ facit. De quo diuinę inspirationis rore Isai. 26. 19. ait: *expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere; quia ros lucis ros tuus, & terrã gigantũ detrahes in ruinã*. Illi quippè habitãt in puluere, qui terrena amãt, quos Dominus pro bona volũtate lucis suæ rore. i. inspiratione sua excitat à somno vitiorũ, cũ peccatis, & vitijs extinctis, de mũdanis cęlestes facit, & de mortuis viuẽtes, hoc est, Christi imitatores, & qui eius spiritũ viuẽdo referant.

14. Quarta vnionis proprietas refertur à Plinio solertissimo secretorũ naturę indagatore l. 9. c. 35. nã ꝓ ratione, & qualitate roris, qua Concha cõcipitur, margaritũ mutari docet, & aut candidius puro, aut obscuri⁹ turbido rore producì: Ita Christus Dominus, eiusq; in nobis amor & imitatio, pro modulo, & qualitate gratiæ iustis cõcessæ, & ꝓ vocationũ discrimine, magis, minusue perfecta in Sãctis cõspicitur. Hinc varia iustorũ studia, distinctæ actiones, varijque spiritus impulsus, oẽs tñ boni, oẽs à Deo; quare alij silentij, & quietis studiosi sunt; alij sollicitudinis & Sãcti laboris amatores; hũc vitæ actiuæ capit amor, illũ cõtemplatricis desiderium tenet; alios media via oblectat incedere; quosdã Dei zel⁹ adurit; alij caritatis, & maiora mãsuetudinis signa exhibere studẽt: propterea Ecclesia non vno colore vestita, verùm *circumdata varietate* dicitur.

15. Quincta proprietas est, quod vniones solis radios fugiunt, vt auctor idem est Plinius, vsu atteruntur, & incuria atq; indiligentia colore mutantur; sic sancti, qui verè Christũ imitãtur, solis huius radios fugiunt, hoc est, hominũ laudẽ, & ostẽtationẽ. neq;. n. similes illis sunt, qui vt Iob. 30. 4. habet: *Mandũt herbas, & arborũ cortices*, hoc est, externa solũ laude delectantur. Imitatio itẽ Christi, tũc vsu atteritur, cũ imprudẽti, ac superflua negotiorũ occupationę fuscatur. Sicut. n. vestis pretiosa inter carbones, & ollas inficitur; ita mẽtis puritas inter mũdi occupationes fędatur. Deniq; incuria, & otiositate idẽ Christus in nobis, vel eius imitatio, quasi colorem mutat, vt qui antea erat pręfulgidus, ac splendidus, præ negligentia, & torpore in fuscum & deformem sensim abeat, quousq; tãdem, nisi aduertat homo Dei lumine adiutus, in nigredinem, & fœtorem conuertatur.

16. Sequitur vt pretiũ quo negotiator spiritualis tam pretiosam margaritã emit, ostẽdamus. D. Aug. huius pretij mentionẽ facit loco superius n. 7. citato: *pretiũ*, inquit, *eius*, id est, pretiosę margaritæ, *est nos ipsi, qui ad eã possidendã non sumus liberi, nisi omnibus pro nostra liberatione contemptis, quæ tempor aliter possidentur. Venditis enim re-*

bus

bus noſtris, nullum earum maius accipimus pretium, quã nos ipſos, quia talibus implicati noſtri nõ eram⁹, vt rurſus nos ipſos pro illa margarita demus: nõ quia tãti valeam⁹, ſed quia plus dare nõ poſſumus. Breuiter nos dicere poſſumus ex Euãg. pretiũ eſſe omnia noſtra vendere, nosq; rerũ omniũ mũdanarũ cupiditate priuari. Nomine verò *omnium* quæ noſtra ſunt, nõ externa tantũ bona intelligas, ſed propriã etiã voluntatem, inueteratam conſuetudinem, antiquos mores, quin & te ipſum etiã. niſi ergò quis omnia deſpiciat, niſi ſe ipsũ plenè contemnat, & deſiderio vehementi flagret huius cæleſtis ac diuinæ margaritæ, quę Chriſtus eſt, eiusq; imitatio, nunquã ſanè eam aſſequetur. & hæc de hac Digreſſione ſatis.

CAPVT XVI.

DOCET IN NAZARETH.

A. 13. 54. B. 6. 1. C. 4. 16.

C Venit Nazareth vbi erat nutritus.

1. B. ET egreſſus inde, abijt in patriam ſuã, & ſequebantur eum diſcipuli eius.

2. C. *Et intrauit ſecundũ conſuetudinem ſuam die ſabbathi in Synagoga, & ſurrexit legere.*

3. *Et traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ, & vt reuoluit librum, inuenit locum vbi ſcriptum erat.*

4. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me. euangelizare pauperibus miſit me ſanare contritos corde.*

5. *Prædicare captiuis remiſſionẽ, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.*

6. *Et cùm plicuiſſet librum, reddidit miniſtro & ſedit, & omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum.*

7. *Cœpit aũt dicere ad illos, quia hodie impleta eſt hæc Script. in auribus veſtris.*

8. *Et omnes teſtimoniũ illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius: & dicebant: nonne hic eſt filius Ioſeph.*

9. B. *Nonne hic eſt faber?* A. *Fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas.*

A. ita vt mirarentur, & dicerent: vnde huic ſapientia hæc, & virtutes.

10. *Et ſorores eius, nonne omnes apud nos ſunt? vnde ergo huic iſta?* B. *& quæ hæc ſapientia quæ data eſt illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur?*

11. A. *Et ſcandalizabantur in eo; Ieſus autem dixit eis.*

12. *Vtiq; dicitis mihi hãc ſimilitudinẽ: medice cura te ipſum. quanta audiuimus facta in Capharnaũ, fac & hic in patria tua.*

13. *Ait autem: amen dico vobis; quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.* A. B. *(&) Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua.* B *& in cognatione ſua.*

14. C. *In veritate dico vobis: multæ viduæ erant in dieb. Eliæ in Iſrael, quãdo clauſum eſt regnũ cælorũ annis 3. & menſib. ſex, cùm facta eſſet fames magna in omni terra. 15. Et ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sareptã Sidoniæ ad mulierem viduam. 16. Et multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſæo Propheta: & nemo eorum mundatus eſt niſi Naaman Syrus. 17. Et repleti ſunt oẽs in Synagoga ira, hæc audientes. 18. Et ſurrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatẽ, & duxerunt illum vſq; ad ſupercilium montis, ſuper quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eũ. 19. Ipſe aũt tranſiens per medium illorum ibat.*

A. Et non fecit ibi virtutes multas.

20. B. *Et non poterat ibi virtutem vllam facere propter incredulitatem eorum.* B. *niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit. 21. Et mirabatur propter incredulitatem eorum.*

SCHOLIA.

1. Patrum antiquorum deſiderium videndi Chriſtum.

DBernard. ſerm. 2. in Cant. *ardorem*, ait, *deſiderij Patrum ſuſpirantium Chriſti in carne præſentiam frequẽtiſſimè cogitans compungor, & confundor in memetipſo, & nunc vix contineo lacrymas, ita pudet teporis, torporisq; miſerabilium temporũ horum. cui nam noſtrum tantum ingerat gaudium gratiæ huius exhibitio, quantum veteribus ſanctis accenderat deſiderium promiſsio? Illorum ergo deſideriũ flagrans, & piæ expectationis affectũ ſpirat mihi vox iſta: oſculetur me oſculo oris ſui. ſenſerat nimirum in ſpiritu quiſquis tunc ſpiritualis eſſe poterat, quanta foret gratia diffuſa in labijs illis: propterea loquẽs in deſiderio animæ aiebat: oſculetur me oſculo oris ſui: nimirũ omnimodis cupiens tantæ ſuauitatis participio nõ fraudari. dicebat enim perfectus quiſque: quo mihi ora hæc ſeminiverbia prophetarũ? ipſe potius ſpecioſus forma præ filijs hominũ, ipſe me oſculetur oſculo oris ſui. Non audio iam Moyſen impeditioris ſiquidẽ linguæ factus eſt mihi.* Exo. 4. *Iſaiæ labia immunda ſunt,* Iſai. 6. *Ieremias neſcit loqui, quia puer eſt,* Ierẽ. 1. *& Propheta vẽs elinguis ſunt. ipſe quẽ loquuntur, ipſe loquatur. non in cis iam, aut per eos loquatur mihi, quonã tenebroſa aqua in nubibus aëris:* Pſal. 17. *ſed ipſe me oſculetur oſculo oris ſui, cuius gratioſa præſentia, & admirandæ fluenta doctrinæ fiant in me fons aquæ ſalientis in vitam æternã,* Ioã. 4. *cuius vtiq; ſermo viuus & efficax oſculũ mihi eſt.* hæc Bern. verè ac ſapienter de Chriſto, de cuius gratia verborũ ſic Dauid vaticinatus eſt, Pſal. 44. 3. *ſpecioſus forma præ filijs hominũ, diffuſa eſt gratia in labijs tuis.* quibus verbis ſignificat ingentẽ copiã & abũdantiã gratiæ, quæ veluti torrens, & quaſi flumen appelletur, vt ſit ſenſus: circumfuſum eſt gratia os tuũ; ſicut fons ſeſe largiter effundit, ſic effudit ſeſe vbertim gratia in ore tuo. Id docet hoc capite Lucas, dum ait: mirabãtur de verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius. Docet Ioan. 7. *nunquam ſic loquutus eſt homo.* expertus eſt Matth. vim verborũ eius, & energiã in ſermone eiº latentẽ. experti reliqui, qui ad ſimplicẽ vocationẽ ſubitò efficaciſsimè tracti, & perſuaſi, relictis omnibus ſequuti ſunt eum: faſſus eſt Petrus, *verba vitæ æternæ habes.* Huic voci venti & mare, & ipſæ febres, ac deniq; mortui obediebant. meritò obſeruat Titelmanus Pſalm. 44. 3. in labiis Chriſti potius, quam

Vis verborũ Chriſti.

in facie, fronte, aut oculis diffusam fuisse gratiam dici, quia venerat Christus, vt legationem maximè difficilé perageret, fęduſq; inter homines, Deumque grauiter offensum percuteret, & oportebat, vt in labijs multam haberet diffusam gratiam, & essent fauus distillans labia eius, vt & hominibus facilè persuaderet, & Patrem sermonis suauitate mitigaret. hanc ergò gratiam hoc cap. declarant Euangelistæ, hanc testantur Nazarętani, dum mirantur in verbis gratiæ, quæ procedunt de ore ipsius. sed iam ad verborum expositionę accedamus.

2. *Quod post parabolas sequatur ingressus Nazaretham.*

1. B. *Et egressus*] Accidit hoc, post dissertas parabolas capitis præcedętis, vt ex Matt. liquet, licèt Marc. interponat transfretationem Domini in regionem Gerasænorum, quam eodem die accidisse videtur significare, quo dissertæ sunt parabolæ: postquam subnectit curationem dæmoniaci, hæmorrhoyssæ, & suscitationem filiæ Iairi Archisynagogi, quæ habet Luc. c. 8. etiam post parabolam seminantis. Verum hæc euenisse ante sermonem Domini in monte, dictum à nobis superius est c. 1. huius l. 4. dilucida. in Scholijs initio. Cùm ergò Marc. c. 6. post illa interposita subdat: *& egressus indè, abijt in patriam suam*, per particulam; *indè*, significás Capharnaum, vbi verisimillimum est postremas parabolas dictas à Domino, & ad vitam reuocatam Iairi filiam, de qua ante hæc verba: & egressus indè abijt &c. meminerat proindè recto ordine Matt. accessum Domini ad Nazarenos sermoni parabolarum subiunxit.

3. *In patriam suam*] Nazareth. huius enim historiæ, quæ accidit Nazareth, meminit Lucas c. 4. per anticipationem, vt scripsimus l. 3. Dilucidationum c. 5. in Theor. & in Scholijs ad v. 12. memoria lapsi videntur Ambros. Lu. 4. v. 16. & Iren. l. 4. c. 40. dum affirmant hanc historiam contigisse Capharnaũ.

2. C. *Secundùm consuetudinem suam*] consueuerat Dominus, idque die Sabbati, quo solo Iudæi conuentus suos paragebant synagogas ingredi sc. tempus, locumque accommodatum obseruans, & meritò ad publicos conuentus accedebat, vt doctrina illius à multis audiretur. Quo etiam fiebat, vt multos suæ prædicationis testes haberet, vndè meritò Matth. 18. dixit: *ego palam loquutus sum mũdo, ego semper docui in synagogis, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt.*

4. *Surrexit legere*] is videtur mos fuisse, vt in synagoga non vnus tantum faceret verba ad populum, sed liberum esset diuersis successiuè concionari. Hinc Paulus ad Corin. scribens c. 14. in prima statuit, vt in Ecclesia Prophetæ vicissim dicant, & audiant; & sicui fuerit reuelatum aliquid dignum cognitu, cedat qui prior dixerat. Solebant ergò Iudæi diebus Sabbati in Synagogis cõuentus suos celebrare. Conueniebant enim, tum ad orandum, tum ad publicam Prophetarum, & legis lectionẽ; postquã sequebatur interpretatio, vel etiã exhortatio, vt ex Act. 13. colligi potest, vbi habetur: post lectionem legis, & Prophetarum misisse principes Iudæorum ad Paulum, eiusque socios dicentes: *viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem*, &c. *dicite*. itaque solebant maiores Iudęorum inuitare quosdam etiam alios addicendum, quamuis interdum nemine inuitante liceret etiam dicere. hoc nunc fecit Christus, nam & ex sumpto libro legit aliquid, & posteà explicauit. quòd verò surrexisse dicatur, & stando legisse, ob auctoritatem scripturæ, eique debitam reuerentiam actũ est, non tamen videtur mos fuisse, vt stantes concionarentur, quod opinatur Iansen. nam licèt de Paulo Act. 13. dicatur quod surgens, & manu silentium indicens, dixerit: viri Israelitæ, &c. non sequitur quod posteà non sederit. deindè potuit esse liberum, si quis stans maluisset loqui, licèt communis vsus esset, vt sederent, quod indicatur Matth. 23. *super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæcunque dixerint vobis seruate, & facite.*

Mos Iudęorum in lectionibus Scholasticis

Notat Ambros. ne lectoris quidem aspernatum fuisse officium Christum Dominum, & vt inquit Gloss. vt quos signorum operatione non conuerterat, Propheticæ attestationis lectione corrigeret.

3. *Et vt reuoluit librum*] olim singulę partes, seu libri Scripturæ diuersis membranis circumuoluti conscripti erant, circumuoluebantur verò ipsæ membranæ lignis oblongis: vt proindè tunc non vno volumine sacra biblia comprehenderentur. Itaque cùm legendum erat reuoluebatur membrana, id est, explicabatur, & expandebatur. quã rem exactè declarat Pradus in c. 2. Ezec. v. 9. quod, quia hunc locum mirificè illustrat, referre non grauabor, cum mei sit instituti, ea, quæ valdè faciunt ad illustranda Euangeliorum loca, & ab alijs autoribus alijs locis dicuntur, saltem breuiter huc accersere: sic ergò scribit: *Antqui in corticibus arborũ cõtortis, vt sunt, scribere soliti sunt, deindè in membranis hœdinis chartis, quas pergamenas vocant, credentes Pergami vrbe Troadis primum inuentas ab Attalo rege, qui cum Eumene sibi successore celebrem illam bibliothecam exemplaribus vndique conquisitis hœdinis chartis construxisse dicitur. Verùm charta hœdinæ antiquiores sunt Troade & Pergamo: nam illis vsus est Moses, quare & volumina vocauit, quod membranæ proprium est in spiras sponte conuolui. Mos autem erat, vt seruarentur illæsæ, eas conuoluere circa virgã cedrinam. vel alterius pretiosæ materiæ, cui extremũ membranæ colligatum erat. Meminit Ouidius eius consuetudinis.*

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur,
Candida nec nigra cornua fronte geras.

Eum autem morem conuoluendi librum existimo obseruatum in instrumẽtis magni momenti: alioqui literas familiares Lacedæmoniorũ ad Iudæos quadrãgula forma complicatas testatur Ioseph. l. 12. antiqui. c. 5. vndè cognoscimus alios atque alios complicandarũ chartarum modos apud hos, vel illos extitisse. meminit voluminis D. Lu. (4. 17.) dicens: vt reuoluit librum. est eadem phrasis etiam in Psal. (39. 8.) in capite libri scriptũ est de me. Ita verterunt 70. Hebr. etiam legimus: in volumine libri, hoc est, in pentateuco, qui antonomasticõs appellatur volumen à Dauide, quod quinque libri legis exarati essent oblonga, & contiũti charta ex multis membranis consuta, quæ duabus columellis, hinc indè astantibus alligata conuoluebatur, & reuoluebatur, quem ritum hodie obseruant Iudæi in synagogis, legis volumen, eo quo diximus apparatu, custodientes. Et cæteri quidẽ libri sacri, vt Psalmi, vel Prophetæ membranis scripti erant, quæ conuolutæ claudebantur, reuolutæ, explicabãtur, vt vidimus ex Luna. Verum lex siue explicanda esset, siue complicanda, semper voluebatur in spiras circa vnum, vel alterum cylindrum. hæc doctè Pradus. hoc fecit Christus, nam oblato sibi Isai. reuoluens membranam peruenit ad c. 61. Isai. neque casu factum est, vt Isa. offerretur illi, vel talis sententia occurreret, sed diuino consilio tribuendum. Licèt sint qui dicant ob difficultatem Isai. & obscuritatem traditum fuisse illi huiusmodi potius librum, vt noui magistri eruditionem experirentur. Probabile id quidem est, sed tũc Nazarænorum malitia diuinæ seruiuit prouidentiæ.

5. *Forma librorum qualis olim.*

6.

4. *Spiritus Domini super me*] verba sunt Isa. 61. 1. quibus prædixit legationẽ, functionemq; Christi ad redimendum & saluandũ captiuos, oppressosq; homines, & loquitur in persona Christi, ratione humanitatis assumptæ: hũc textum nũc expendere oportet. Principio sunt qui inter Hebraicã, & græcam Isai. lectionem discrimen statuant, quod Heb.

non

Digitized by Google

non habeatur, *propterea*, seu, *propter quod*, vt habent 70. & Lucas & noster interpres apud Lucam hic, denique græci: *sed quia*, seu, *eò quòd*, vt Hieronym. vertit apud Isaiam & vulgatus interpres. sed nullum quibusdam videtur discrimẽ esse. nam etiam vox hebræa, inquiunt, significat, *propterea*, vt docent Magistri hebraici, aut quapropter, vt li. 3. cap. 10. & lib. 4. cap. 40. Irenæi interpres vertit: & Hilarius lib. 8. de Trinit. habet, *propterea*, & Maldon. idem sentire videtur hic, licet mendum arbitrer irrepsisse in eius commentar. cùm legatur apud eum, pro, *propterea*, propterea quod, vt Erasmus vertit. Dicit enim *iaan*, significare, *propterea quòd*, vt magistri hebræorum docent: corrigerem reponendo, *propterea*. nam posteà semper, *propterea* vsurpat, & alioqui idem sunt *propterea quòd*, & *quia*, vel, *eò quòd*: cùm tamen ipse sequatur lectionem, quæ habet, *propter quòd*. multum verò differunt, *propterea quòd*, & *propterea*, vel, *quapropter*. Hieronymus porrò Isai. 61. in cõmentario citans locum Lucæ, legit: propter quòd; licèt ipse vertat apud Isaiam cò quòd vnxerit me. Iansenius censet vocem hebræam, iaan significare propterea quòd, vt etiam Erasmus interpretatur, licèt huius hominis authoritas parua sit apud me, at Alken significare hebræis propterea, quapropter. sed quicquid sit an etiam vox iaan significat, propterea, nec ne; equidem hoc loco arbitror sumendam esse pro, propterea quòd, vel vt est apud Isaiam 61. 1. eò quòd, vt sic loca hæc magis consonent, & verbis & sententia. itaque hic propter quòd, est iungendum cùm præcedentibus, & sic æquialet propterea quòd: quasi dicat, propterea quod est semper in me, vel propter hoc quod est super me, destinauit, vel vnxit me ad euangelizandum, vt dicam in expositione, & idem est, si dicas eoque est in me, vnxit me, dummodò iungatur præcedentibus, sic, eò quòd est in me, vnxit me; immò aliqui dum vertunt propterea, possunt etiam sic exponi, vt subintelligatur, quod hoc modo: propterea vnxit me, quod est in me semper; similiter quapropter, idem erit, ac propter quòd, seu propterea quòd, est in me, & fuit semper vt in Messia, vnxit me &cæt. vnum est discrimen inter Lucam & Isaiam: quòd, eò quòd Isaiæ est iungendum cum sequentibus, at Lucæ cùm præcedentibus: vt in ipsa expositione paulò post dicam.

7. Iam ad Isaiam redeamus: loquebatur Isai. vt c. 60. ita & 61. de tempore Euangelij, eiusq; conditione sub figura Israelis à Babylonica captiuitate liberati, & ideò inducit hoc eodem cap 61. redemptorem eum loquentem, quem se Iudæis missurum promiserat his verbis Deus c. 59 19. 20. *cùm venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit, & venerit Sion redemptor, & eis qui reuertuntur ab iniquitate in Iacob*: Hunc inquam promissum redemptorem facit sic loquentem Isai. c. 61. & ostendentẽ se esse eum, quem Deus promiserat, spiritus, inquit, Domini super me. Hebr. spiritus Domini Dei super me: licèt LXX. quos sequitur Lucas simpliciter Domini, habeant.

Significat sanè hic spiritus Domini, Spiritum sanctum, quo plenus erat Christus, vt Luc. ait c. 4. v. 1. & quo agebatur, impellebaturque, vt idẽ Luc. habet ver. 14. & qui super eum requieuerat, Isai. 11. 2. Non ignoro Cyprianum lib. 2. aduer. Iudæos & Euthym. in Luc. hic per spiritum Domini ipsam Christi diuinitatem minus probabiliter intelligere, vt 1. Cor. 15. 45.

8. Sed id, est contra communem interpretationem. quare Ambros. apud Luc. & Irenæ. lib. 3. cap. 10. & 20. & Phœbadius contra Arrianos, tom. 5. Bibliothec. Patrum, eliciunt hinc Trinitatis mysterium: nam Dominus pater est, Christus, & Spiritus sancti reliquæ personæ. Deindè diligenter obseruanda est hic textus distinctio tum Isaiæ, tum Luc. quam indicari inquit Iansen. accentus hebraici punctis. Est ergo hæc: vt verbum vnxit cum sequẽti iungatur hoc modo: spiritus Domini super me (eo quod) vel propter quod vnxit me (vel vnxerit me) euangelizare pauperibus (vel ad annunciandum mansuetis) misit me sanare contritos corde (vel vt mederer contritis corde, &c.) quam interpunctionem grammaticæ, tum Latinæ tum Græcæ ratio exigit, vt habeant apud Lucam, infinitiui sanare, prædicare, &c. verbum cum quo hæreant, scil. vnxit, misit Hieronym. hanc eandem distinctionem text. in comment. indicat dicens enim ait; *vnctus est igitur Spiritui sancto vt annuntiaret pauperibus, siue mansuetis; & missus est ad sanandos eos, qui corde contriti sunt, &c.* item Theophyl. in Lucam sic habet: *spiritus Domini vnxit me, hoc est, consecrauit me, constituit me, vt euangelizarem pauperibus, id est, gentibus.* sic etiam Tertull. lib. 4. con. Marcio. & Hilar. in comment. Psalm. 52. Theophy. & Beda hic. Aliter Orig. hom. 31. & Cyprian. lib. 2. ad Quirinum, & Epiphan. in Ancora. & Ruffi. in expos. Symb. cum Euthym. in commen. hoc ipsum confirmat Maldon. sic scribens; *Hebr. verbum vnxit me ad sequentia refertur: vnxit me ad euangelizandum pauperibus. sicut & verbum misit: misit me sanare contritos corde.* Card. Tolet. id non placuit.

9. Cæterùm, quia in nostris nunc biblijs aliter etiam legimus, nec eam nos lectionem reijcimus; sed ex dictis quem sensum facere debeat, facilè est intelligere, vtrouis enim modo legas semper eundem conficies sensum, quem paullò pòst subiiciã. si postremo vnum hoc adnotauero. Equidem arbitror vngere hoc loco, hanc habere notionem, vt nimirum significet ad officium aliquod sacrũ destinari, sicut vngi solebant qui ad gubernandũ populum & ministrandum Deo destinabantur: ac propterea visibilis ille spiritus aduentus in Christum quo die baptizatus est, proclamante patre, vt ipsum audiremus, merito vnctio vocatur: quia oleum quo vnctiones fiebant, visibile esse oportebat: Spiritus sancti aduentus in Christum ante baptismum inuisibilis erat, sicut & eiusdem in ipso inhabitatio; inde meritò, cum in baptismo per visibilem spiritum declaratus est Redemptor à Deo missus ad euangelizandum, vnctus fuisse dicitur.

10. Erit igitur hæc sententia: *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, &c.* Propterea vnctus fui, hoc est, ad Euangelizandum destinatus per Spiritum S. visibiliter descendentem in me in baptismo, quod ante baptismũ idem Spiritus S. in me erat, non visibilis quidem, sed vt in Messia singulari quadã ratione iã ab ipsa mea natiuitate, & conceptu ad hunc ipsum euangelizandi finem. neque enim debuit primũ ab alio prædicari Euangeliũ, quam ab eo qui præuentus esset diuinis benedictionibus, & spiritu Dei omninò plenus à quo ageretur, ne vnquã errare posset; q.d. ne quis existimet quod meo, priuatoq; consilio ad prædicandũ veniõ; ipse spiritus qui semper in me fuit ad hũc ipsũ finẽ euangelizandi mihi datus à Patre, quo auctore semper impellerer, & quo ductore ducerer quocumque ducerer, ad euangelizandum iam publicè & apertè destinauit me tanquam Messiam apud Isai. promissũ, & misit sanare contritos corde &c. destinauit verò ac misit cum super me descẽdit in Iordane conspicuus, & spectabilis hominũ oculis. videtur autem cum dicitur: *propter quod*, apud Lucam, vel *eo quod*, apud Isai. significari finis, cur spiritus Domini super eum esset; missio enim & destinatio ad euangelizãdum, seu redemptionis opus finis fuit, saltem vnus, inhabitantis,

& existentis semper Spiritus sancti in Christo, vt in Messia, quasi dicat, propter hoc quod, seu propterea quod spiritus Domini super me semper fuit & quidem ad finem redemptionis humanæ, vt eo mouerer semper in eo opere ad quod me vt Messiam elegerat, ideò destinauit me suo tempore visibiliter. quare rectè quidam exponunt, *propter quod*, id est, *propterea* quod, vel quia in me erat, ad eum redemptionis humanæ finem, ideò *vnxit me*, &c. Ad hunc eundem sensum accipere possumus verba Isa. *Spiritus Domini super me; eò quod* &c. Est enim idem sensus: Nimirum, ex eò quòd vnxerit ab æterno vt Messiam, id est, destinauerit me, & de facto & visibiliter post Baptismum ad Euangelizandum, ideò hinc constat fuisse in me semper ad hunc finem; vel ideò fuit in me, vt in omnibus ageret & ducerer ab eo, prout opus est ad officium redemptionis & Euangelizationis, ad quã me destinauit; & ita sententia est eadem semper in Isa. & Luca, & *eò quòd*, vel, *propter quod* sumitur eodem modo, seu in eadem significatione, & innuitur finis, propter quem erat Spiritus sanctus in Christo: tantum est discrimen, quod eò quòd, vel propter quod, seu propterea quod, secundùm contextum Lucæ, & Ioan. iunguntur cum præcedentibus, propterea quod spiritus Domini super me, ideò vnxit me ac destinauit; at secundùm Hebraicum text. & Isai. c. 61. 1. cum sequentibus; hoc modo, *eò quòd vnxit* &c. *ideò fuit*, ad hunc scilicet finem rité obeundum, *semper in me*. Vnde etiam liquet non suo, priuatoque consilio ad concionandum, & Euangelij lucem spargendam venisse, sed vt Messiam à Deo promissum apud Isa. lo. ci. quod Christus maximè intelligi voluit.

Dicit autem *super me*, vt notat Athan. vt ostendat loqui de se, vt homine; nam secundùm diuinitatem non erat super eum. Per *Dominum* verò intellige Patrem.

11. Tantùm restat, vt interpunctionem nostrã, tum apud Luc. tum apud Isai. conciliemus cum ea, quã superius approbauimus, cùm diximus verbum *vnxit*, vel, *vnxerit*, iungendum cum *Euangelizare*, vel *ad nunciandum*. Nostra verò interpunctio, coniungit; *ad annunciandũ*, apud Isa. vel *euangelizare*, apud Lucam; cùm *misit me*, &c. Verùm idem sensus est: dum enim ait, *propter quod vnxit me*, subintelligitur *ad euangelizandum*, quod intelligitur, explicari, & declarari sequentibus verbis: *ad annuntiandum in mansuetis misit me*, vt Isa. vel *euangelizare pauperibus misit me*, vt Lucas habet.

Pauperibus] Heb. *mansuetis*, sed per pauperes hic afflictos, & humiles intellige, non modo inopes: agebat enim Isa. de captiuis apud Caldæos, Iudæis, & sub eorum persona de omnibus hominibus, qui captiui Diaboli tyrannide tenebãtur. Hinc Matth. 11. *pauperes euangelizantur*: neque enim diuites Christus, aut potentes quæsiuit. Sunt qui per *mansuetos*, apud Isa. intelligant eos, qui ad prædicationem euangelij credunt, & obediunt verbo Dei, qualescunque ante fuerint.

12. *Contritos corde*] hic sumere possumus eos, qui anxium habent nimijs afflictionibus animum; Simmachus & Theodotion verterunt, *ad alliganda vulnera peccatorum*, quod idem est cum illo; *venit filius hominis quærere quod perierat*. est autem metaphora sumpta à chyrurgis, qui fascijs suis fracta, & contusa membra alligant sanitatis causa: quarè apud Isa. Heb. est; *vt alligem confractos animo*, id est, vt illis medear, vt consoler, & cofirmem tristes, id est, eos qui peccatorum onere grauati sunt, ac propterea tristes, & infirmo, ac fracto animo sunt perturbatique incursionibus, nec valentes, vt inquit Cyrill. illis resistere. De his Dauid Psal. 146. *qui sanat cõtritos corde, & alligat cõtritiones eorũ*. Hæc expositio magis placet, quam eorum, qui contritos corde, accipiunt eos, qui ob admissa peccata dolẽt iuxta illud Dauid: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*, nam cum contritio huiusmodi bonus status sit, & Propheta miserabilem statum eorum significet, quibus & ipse liberationẽ à Caldæorum captiuitate nuntiabat, & Christi redemptionẽ à tyrannide Diaboli; ideò melior est prior expositio, vt vel intelligamus per cõtritos contribulatos, vel eos, quorum conscientia tota contrita est, & multitudine, ac turpitudine peccatorum vulnerata: qui scelerum pondere grauati sunt, & ideò anxio animo, ac tristi.

5. *Captiuis remissionem*] id est, dimissionem, liberationem, facultatem in patriam redeundi, quo significatur, inquit Ianſ. l. 3. c. 10. eos, qui peccatis captiui, obstrictiq; tenebãtur, à Christo liberãdos.

Cæcis visum] Gr. ἀνάβλεψιν, Sic 70. quasi reuidẽtiã. Apud Isa. legimus; *clausis apertionem*. i. vinctis apertionem carceris. Sed 70. cum cæcos interpretati sunt; sentẽtiam potiùs quam verba exprimere voluerunt; nisi forte exprimere voluerint eos vinctos, vel clausos vocari hoc loco, qui non in quouis, sed in tam tetro, ac profundo carcere vincti essent, vt cæci viderentur: cuiusmodi illi sunt, qui de obscuro peccatorum carcere educti sunt qualis est ille populus de quo Isai. c. 42. 3. 8. *educ foras populum cæcum, & oculos habentem surdum & aures eis sunt*. Vel certè voluerunt 70. potiùs cæcos interpretari, vt significarent hanc Prophetiã Christo magis cõuenire, quam Isaiæ, vel alij. Non enim legitur visus corporis restitutus ijs, qui de Babylonica captiuitate liberati sunt. At scimus Christum multis cæcis etiam corporis visum restituisse, atque ita accipimus cæcos, oculis captos. 13.

Dimittere confractos in remissionem] hæc verba, nec Heb. nec apud 70. leguntur. *Confractos* hic, vinculis peccatorum obligatos intellige, vel etiã infirmos, ægritudinibus, quasi nexibus, impeditos; vel etiam dæmonibus obsessos Luc. 13. *quam alligauerat Satan ex decẽ & octo annis*. Est metaphora desumpta à fractis corporibus, seu vasis vsui, ad quæ instituta sunt, non aptis seruire: sic qui ligati, vel peccato, vel ægritudine, vel Dæmone oppressi sunt opera sua liberè exercere non valẽt. Cur hoc adiecerit Euangelista causam arbitror hanc esse, quoniam enim 70. pro clausis, cæcos posuerant, voluit Lucas etiam alterum sensum exprimere, quo per clausos intelligũtur, secundùm vim Heb. vocis etiam ligati vinculis, aut carcere detenti, quod rectè vt dixi, in infirmos, & obsessos à dæmone quadrat, & per metaphoram in peccatores. 14.

Est autem obseruanda præpositio, *in*, significat enim, *per*, hoc est, per remissionem, seu libertatem, sc. remittendo, seu soluendo. Leo Isa. 61. vult duplicem sensum posse habere Hebræa, & illum Hieronymi, *clausis*, seu *vinctis apertionem*; & eum quẽ habent 70. *& cæcis visum*, vtrumque voluisse Euangelistam complecti, & ideò non tantum contentus fuit dicere cæcis visum, sed subdidit, *dimittere cõfractos*, id est, dimittere ex carcere laboribus eius confractos *in remissionem*, id est, libertatem. 15.

Vel certè his verbis voluit explicare ea, quæ Isai. habet. v. 3. *vt consolarer omnes lugentes, vt ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronã pro cinere. Oleum gaudij pro luctu* &c. hoc. n. est dimittere lugẽtes, ac tristes in libertatẽ, atq; adeò hilaritatem. 16.

Annum Domini acceptum, & diem retributionis] hoc est ergò sextum opus ad quẽ missus dicitur Christus; primum enim fuit euangelizare pauperibus; alterum sanare contritos corde; tertium prædicare captiuis remissionem; quartum & cæcis visum; quintum dimittere confractos; sextum hic habetur. Accipitur verò hic annus pro tempore,

quod

quod in Christo incepit, & ad finem vsque sæculi perdurabit: & alludit Isai. ad annum Iubilæi Iudaici, Leuit. 25. Is enim figura erat temporis Euangelici.

Acceptum] Græc. Δεκτόν, hebr. est *Ratson*, annum scilicet quo homines Deus in gratiam recipit, tempus inquam misericordiæ, pacis, remissionis, salutis, in quo post longam tandem iram, & iustam in nos indignationem, restituimur in gratiam, acceptationem, ac beneuolentiam eius Isaiæ quadragesimo nono, vers. octauo, tempus placidum vocatur, Latinè vertitur *beneplacitum*, Psalm. sexagesimo octauo, *tempus beneplaciti*: à Septuaginta dicitur bona voluntas, qua gratis, & sponte ex amore, & misericordia sua decreuit Deus hominibus subuenire, in gratiam recipere, & adoptare: quod quia exequutioni mandatum est per Christum, dicitur beneplacitum in Christo posuisse Ephes. primo, ver. nono, secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eo: hoc ergò prædicauit Christus. apud Isai. legimus placabilem, sed actiuè intelligendum est, hoc est, annum reconciliationis, seu beneplaciti, seu voluntatis bonæ; quòd scilicet, DEVS beneplacito suo vti velit erga homines, id est, quod decreuerit misericordiam suam exhibere humano generi: non quia id merebatur, sed quia libuit illi esse misecordi.

Diem retributionis] vltionis hostium spiritualium, & apud Isai. vltionis, Ioan. duodecimo, *nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi ejicietur foras*: Hieronym. in Isai. comment. & Euseb. lib. 9. demonstrationum cap. 13. intelligunt vltionem illam, qua populus Iudaicus per Romanos deuastatus, & perpetuæ seruituti mancipatus est Luc. 19. Cyrill. in commentar. exponit etiam hunc diem esse iudicij tempus: sed retributionem intelligit eam, quam reddet Christus tunc credentibus in eum, sed satius est intelligere præsertim vltionem in suos inimicos: tunc enim pœnas sumet de his qui illi non crediderunt. Dies enim ille, dies erit iustitiæ quo vnicuique tribuendum erit iuxta opera sua. prædicauit sanè Christus non semel iudicij diem. Ambæ hæ interpretationes bonæ sunt.

17. *Iudei scripturæ dictum sum habent.*

6. *Et cùm plicuisset librum*] non vacat mysterio quod Domino à ministro Synagogæ porrigitur liber clausus, quodque eundem Dominus aperuerit, & explicarit (Græc. ἀναπτύξας τὸ βιβλίον, & vt explicauit librum, quod nos habemus *vt reuoluit librum*) quod item hunc clausum Dominus rursum reddiderit ministro. Scripturam enim sanctam ante Christum Iudæi quidem habuerunt, sed obsignatam, & clausam, nec dum intellectam, quam Dominus ab illis accipiens solus aperire potuit, & explicare, vt qui solus haberet scientiæ, & intelligentiæ clauem: sed eandem nihilominùs clausam à Christo bona Iudæorum pars suo vitio accepit, qui pertinaci incredulitate Christum legis Spiritum, & finem in ea non agnoscunt, etsi eam quotidie manu terunt, & legunt. aliter Beda mysterium totius facti, quod hic memoratur, explicat.

Sedit] vt maiestas doctrinæ, & dicentis auctoritas indicaretur.

Intendentes in eum] nimirum expectabant aliquid noui. multa enim de eo admiranda audierant, & experiri volebant.

7. *Hodie impleta est prophetia in auribus vestris*] id est, vobis audientibus eam, quasi dicat, ego sum de quo loquitur. Est ergo sensus: hodie vestris ipsi auribus huius prophetiæ implerionem audistis, cùm me concionantem auditis, de cuius illa prædicatione loquitur. Dixit autem auribus vestris potius quam in oculis, quia impletio prophetiæ sita erat in Euangel. prædicatione, saltem ea pars, quam tum propriè completam esse significabat. Dicitur autem primum eo die impletum illud vaticinium, nempè illis Nazarenis: quia eo primum die cœperat illis spiritu Dei plenus, atque impulsus Euangelium prædicare.

8. *Et omnes*] more Scripturæ loco plerique ponitur.

Testimonium illi dabant] Missis cæteris interpretationibus, equidem arbitror hoc testimonii referendum ad Christi miracula, quæ præsertim Christus patrarat coram aliquod Nazaræis, antequam concionem hanc haberet, quam commemorat Lucas, vt hic habes v. 26. ex Marco, infirmos enim curasse narrat. Et quidem ad explicandam propheriam Isai. oportebat miraculorum meminisse, vt vel si ostenderet impletam esse prophetiam quantum ad hoc. Matt. etiam 13. 64. & Marc. 6. 2. & hoc cap. ver. 10. non tantum verborum Christi, sed etiam virtutum mentionem facere, dum habet admiratos esse Nazaræos non Christi modo sapientiam, sed & virtutes. Lucas ergo propterea addidit, illos testimonium Christo dedisse, quasi testes se exhibentes & confirmantes miracula illius. Porrò ea miracula præcessisse explicationem prophetiæ, illud planè suadet; quia post eam explicarionem, quæ subinde consequuta fuit, voluere Nazaræi illum præcipitem agere, & ob id etiam extrà ciuitatem eiecere. Quare reuersus est Christus Capharnaum. iam ergò præcesserant illa miracula.

In verbis gratiæ] id est, gratiosis, vel gratia plenis: significat autem hic gratia non quæ hominem Deo charum, sed quæ hominibus gratum acceptumq; facit: gignebant verò hanc in Christi verbis gratiã, simulque admirationẽ pariebant, sapientia, & suauitas quædam ac venustas dicendi, vt ex Marc. constat, qui ait: *admirabantur in doctrina eius*: & ex Luc. dum ait, *in verbis gratiæ quæ procedebant de ore eius*, iuxtà Psalm. 44. *diffusa est gratia in labijs tuis*. quamuis hæc duo vno verbo comprehenderit Lucas, dum ea verba gratiæ appellauit, id est, accepta, & grata audientibus. quidquid enim sermonem gratum, & acceptum efficit, gratia dicitur, iuxtà illud Coloss. 4. *sit sermo vester semper in gratia sale conditus*. 18.

Et dicebant] Interlin. *&*, pro, *& tamen*.

Nonnè hic est filius Ioseph?] Erat hæc admiratio eum incredulitate coniuncta. Nam cùm virtutem & sapientiam eius agnoscerent, carnis tamen humilitate, ac parentum inopia ne in illũ crederent. factum est; & hoc est, quod dicunt Matt. & Mar. & scandalizabantur in eo, hic v. 11. Itaque dicebant, nouimus hunc minquam litteras didicisse, parentes eius scimus, pauperem, humilemq; vitam degere. vnde igitur huic sapientia tanta, virtutes tales? & idcircò admirabantur: nascitur enim admiratio ex ignoratione causarum. certum igitur esse debet, admirationem illam, & testimonium non fuisse fidei, sed scientiæ. Neque enim testimonium illi dabant, quod esset Christus promissus à Deo: sed quod benè, & eloquẽter in Synagoga doceret, & miracula, quæ negare non poterant, fatebantur: quæ eo magis admirabantur quod putarent eum filium fabri, nec litteras didicisse. 19. *Iudæorum scandalum ex carnis humilitate ortum.*

Verùm hic non parua se se offert difficultas, qui videlicet scandalizari in eo potuerint, cum dictum sit, admiratos Nazaræos fuisse eius & sapiẽtiam, & virtutes? Resp. dixisse Euangelistas, quod Nazaræi scandalizabantur in eo tantum ob hoc, quod non crediderunt in ipsum, impingentes in eius carnis abiectionem, & humilitatẽ. Plus enim 20.

potuit

potuit apud illos ad non credendum nota Christi educatio, ac paternæ domus inopia, propter quã Ioseph fabri filium, ac Mariæ vocabant, & fabrũ; quam ad credendum valuerit eius & sapientia & virtutes.

Porrò huic infidelitati, & scandalo non repugnat admiratio, & testimonium virtutum Christi. Est enim admiratio quædam, quæ ex fide, & cum fide est, & est admiratio infidelitati cõiuncta, cuiusmodi est Ioan. 7. illa Iudæorum dicẽtium: quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Admirabantur sapientiam Christi & non credebant tamen. Hinc Hilar. cano. 14. in Matt. ait: *inhonoratur Dominus à suis, quanquam & docendi prudentia, & operandi virtus admirationem commoueret, fidelitas tamen eorum veritatem iudicij non recipit: non enim credunt hæc Deum in homine agere.* Quare non mihi omninò placet, quòd Ianse. excogitauit, & quidam neoterici, non eosdem fuisse admiratos, ac scandalizatos in Christo initio; quamuis postea censeant, priores illos à posterioribus in prauum sensum inductos esse, ac deprauatos.

21. 9. B. *Nonne hic est faber*] Aug. lib. 2. de consen. Euang. c. 42. inquirit quomodo Matt. dicat Christum appellatum fabri filium, Marcus verò fabrum? Respondet vtrumque dici potuisse, eò enim illi credebant fabrum Christum, quò fabri filium, vel dic, Christum antequàm se proderet artem fabri exercuisse sicut Ioseph: quare, & faber, & fabri filius appellari potuit.

Idem August. se. 36. de tempore ait: *Ioseph faber in terris, pater putabatur esse Domini saluatoris. nec ab hoc opere Deus, qui verè est Pater Domini nostri Iesu Christi excluditur. nam est & ipse faber, ipse enim est artifex, qui huius mundi machinam non solum mirabili, sed etiam ineffabili sapientia fabricauit tanquam sapiens architectus, cælum sublimitate suspendit: terram mole fundauit, mare calculis alligauit. ipse artifex qui in nostris moribus præcidit superflua opera, vtilia quæque conseruat. ipse est artifex cuius securim ad radicem nostram positam Ioannes Baptista comminatur, vt omnis arbor quæ normam iustæ discretionis excesserit, excisa radicitus tradatur incendio: quæ autem mensuram veritatis habuerit, cœlesti fabricæ deputetur.*

Hieronym. item ad finem Zachariæ sic scribit: *qui vitia destruunt, virtutes ædificant, omnesq; sancti, qui hæc remedia posidẽtes instaurant semper Ecclesiam, fabri appellandi sunt. vnde & Apostolus loquebatur, quasi sapiens architectus fundamentũ populi sui*, 1. Cor. 3. *& iratus Dominus, de Hierusalẽ ablaturum esse se dicit architectum, & virum sapientem. & ipse Dominus Dei omnipotẽtis filius, & creatoris omnium fabri filius appellatur.* & Matt. 6. *Filius fabri Iesus vocatur, & hoc mystice, sed fabri, qui fabricatus est auroram & solem.* sic Hierony. & verò voluit Dominus faber esse, aut fabri filius haberi. primò, vt consolaretur eos qui manuum labore victum quærirant, & ostenderet vesci se pane suo, vt cæteros Adami filios, in sudore vultus sui. Deindè, quia rectè in illum hoc artificium congruebat, qui fabricaturus erat nobis arcam ex cruce à diluuio peccati seruantem, tanquam alter Noë: & scalas constructurus quibus ad cælum cõscenderemus. postremò, vt ex August. & Hieron. retulimus, vt indicaret se illius fabri esse filium, qui fabricatus est auroram, & solem, mundumque totum, & plenitudinem eius.

Qualis faber Christus.

Cæterùm cum faber sit commune nomen artificum, qui ex quauis materia aliquid faciunt exceptis plastis. vt inquit Ianse. sicut Græcis est τέκτων non constat cuius artis fuerit. Hilar. cap. 14. in Matth. Fabrum ferrarium fuisse opinatur. Et Ambros. libr. 3. in Luc. & Bed. in cap. 3. Marc. sunt qui A aurificem putent, vt Hugo. sunt qui murarium, quod etiam Hugo videtur approbare. passim cum Chrysost. apud D. Thom. in cap. 1. Matth. & 13. & cum D. Thom. in comment. lignarium arbitrantur. vnde Sozom. lib. 6. cap. 2. histor. narrat Christianum quendam à gentili per derisum interrogatum quid faceret filius fabri, respondisse, feretrum Iuliano Imperatori fabricare.

Fratres eius] De his in Theoria: vbi & de sororibus.

10. *Quæ hæc sapientia*] Hierony. Matt. 13. *mira*, inquit, *stultitia Nazarenorum: mirantur vnde habeat sapientiam sapientia; & virtutes virtus. sed error in promptu est, quod fabri filium suspicantur. Error Iudæorum salus nostra est, & hæreticorum condemnatio. in tantum enim cernebant homines Iesum Christum, vt fabri putarent filium. Miraris, si errent in fratribus cum errent in Patre?*

B 11. *Et scandalizabantur*] vide superiùs numer. 19. 20.

12. *Vtique*] Gr. πάντως, id est, omninò vel certè. *Similitudinem*] Gr. παροιμίαν: quasi dicat, prouerbium. vnde Cyrill. *commune*, inquit, *prouerbium apud Hebræos ad improperium excogitatum.* Quorsum hoc prouerbium vsurpauerit exponit ver. eodem 12. dicens, quanta audiuimus facta in Capharnaũ, &c significabat enim illud prouerb. medice cura teipsum, vt quod quisque beneficij se præstare alijs posse profiteretur, sibi ipsi præstaret doceretque à seipso posse alijs prodesse. Est autem sumptum à medicis, qui alios curant, se verò ipsos curare nesciunt: quamuis ad alios etiam accommodaretur, qui cum alijs prodesse se posse dicerent, sibi prodesse non possent. Nazareni postulabant verbis, vel tacitis saltẽ cogitationibus, vt quæ miracula in alijs fecisset ciuitatibus, in sua etiam faceret patria; Nazareth cum Christo C confundentes, & pro eodem habentes patriæ, & sibi prodesse.

Postulabant sanè, vt ex responso Christi haberi potest ambitione potius, & incredulitate, quam fide vt crederent. Ambitione dum ciuitatem suam alijs præferunt, quasi magis miraculis digna esset, quæ Christum aluisset: incredulitate, quia sic id apud se dicebant, quasi dicerent, non posse Christum, vt iactabat, facere miracula: Nec verè esse, quæ de miraculis alibi factis dicerentur. si enim alibi fecisset, multò magis in patria facturũ fuisse, cùm autem in patria sua non faciat, nec alibi profectò fecisset. Quod alibi Iudæi Christo obiecerunt crucifixo: *alios saluos fecit, seipsum saluum faciat*, quasi dicerent, si vera fuissent miracula, quibus alios saluos fecisse fertur, se vtique ipsum multò magis saluum faceret; quod cùm facere nõ posset, ne illa quidem miracula facere potuit quæ narrantur. D

Quanta audiuimus facta] exponit Dominus, in quo sensu dicturi essent prouerbium illud, medice cura teipsum, vt paullò superiùs declarauimus, numero vigesimo, qua illorum calumnia proposita adhibet responsum, dicens verficul. sequenti.

13. *Amen dico vobis, quia nemo Propheta*] hac sententia respondet simul, non solum propositæ calumniæ à Luca: sed etiam scandalo ob humilitatem generis, quod habent Matth. & Marc. qua occasione etiam inquiunt, eandem sententiam obiecisse Dominum, *non est Propheta sine honore*, &cæt. vtrique ergò respondet hac vna sententia. Quoniam enim in progenie eius scandalizabantur ex Matth. & Marc. & calumniabantur paucitatem miraculorum ex Luc. Dominus hac sententia significat nihil noui se ab eis pati, sed commune hoc sibi esse cum omnibus Prophetis, quod

non

nó honoretur in patria à ciuibus ſuis. Significat etiã ob id non facere ſe ibi multa, aut magna miracula, quod non eſſet ibi acceptus, & honoratus, & proindè ipſi indigni eſſent, & incapaces miraculorum, vt poſtea dicitur: non quod propriam ipſe gloriam quæreret, ſed quod honor vel contemptus prædicatoris in prædicationem ipſam redundet, ac fructum impediat.

24. *Cur quilibet Propheta contemptus in patria ſua.*

Hanc ſanè ſententiam vehementius afferunt Matth. & Mar. dicentes: *non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua* &c. id eſt, non eſt Propheta vſquam contemptior, & magis inhonoratus, quam in patria ſua, & inter notos. Ratio autem, quarè Propheta, vt plurimum (ſic enim oportet intelligere) non eſt acceptus in patria ſua duplex eſt, prima propter familiaritatem, quæ contemptum parit, tum quod per eam familiaritatem obſeruãtur, & cognoſcuntur hominum vitia, & defectus: tum quod eo ſumus ingenio, vt externa ſemper præ domeſticis admiremur, adeò vt pleraque ob id ſolùm ſint in pretio, quod ex remotiſsimis locis veniunt ad nos, vndè illud in Eunucho apud comicũ de Fidicina, ex AEthiopia eſt vſque hæc. Altera ratio eſt, propter ingenitam quandam inuidiam inter conciues, qua fit vt æqualis, æqualem non ferat prę ſe honorari, & multo minus ſenior iunioré, à quo aliquando prius honoratus fuit. Eſt inuidia dolor de aliena proſperitate, quando ea de cauſa homo, de alterius bono dolet, quia per id bonum ſibi videtur ipſe minor fieri, & alter præferri, aut coæquari, qui inferior erat. Hæc ratio dolendi inuidiã conſtituit. Vnde Auguſtinus l. 11. ſuper Gen. ad literam. c. 14. *inuidet*, inquit, *par pari, qui ei coæquatur, inuidet inferior maiori, quia ei non coæquatur, inuidet ſuperior inferiori, ne ei coæquetur.* Habet autem inuidia tres effectus ingredulitatem, detractionem, iniuſtitiam. Hinc Auguſt. ſer. 18. ad fratres de here. *inuidia*, inquit, *fidem tollit, linguam multiplicat, iuſtitiam diſperdit.* Sanè qui eiuſdem patriæ ſunt quandam videntur habere paritatem, vel æqualitatem. quando ergò eorum aliquis proſpera vtitur fortuna ſæpè alij ciues inuident illi, quia eo ipſo illi minui videntur: quod non eſt in eis, qui non ſunt eiuſdem patriæ.

Familiaritas parit cõtemptum.

Inuidia vi.

Inuidia quid ſit.

25.

Ex hac autem inuidia Nazarænorũ cõtra Dominum, quem audiebant pro Meſsia haberi, orti ſunt tres illi effectus inuidiæ: Nam nec crediderũt eum eſſe Chriſtum, vel miracula vera feciſſe, detraxerunt etiam verbis, eius dignitati, dicentes, eum fabrum, fabri filiũ &c. & ſorores eius apud nos ſunt, quaſi dicant, ſunt ſicut cæteræ fœminæ; nec hoc contenti tentarunt eum præcipitem agere. hoc ergò Prouerbio notauit & tacitè reprehẽdit, Dominus, ſuos ciues inuidiæ, infidelitatis, detractionis, & iniuſtitiæ.

26.

Obſeruandum quod eam ſententiam: *non eſt Propheta ſine honore* &c. referunt Matth. & Marc. quaſi pronuntiatam à Domino contra ſcandalum generis, & humilitatem parentum eandem: *nemo*, ſcilicet, *Propheta acceptus* &c. ponit Luc. quaſi cõtra calumniam de nõ patratis miraculis in patria. Quarè videri poſſet bis dicta à Domino, ſemel quidem ad excludendam obiectionem humilitatis generis, iterumque repetitam contra calumniam ex miraculis natam. Verùm multò mihi verosimilius fit, ſemel tantum à Domino hic eſſe prolatam: nam, vt dixi n. 11. ver. 13. vtraque obiectio per hanc eandem ſententiam ſemel dictam excluditur: & idcircò contenti fuerunt Euangeliſtæ alteram afferre obiectionem, quamuis omnes ſimul vtramque complectantur; quia vna excluſa excluditur altera, vt patet intuenti ſuperiorem expoſitionẽ.

27.

14. *In diebus Eliæ*] Ambroſius, id eſt, quibus Elias operatus eſt.

A *Multæ viduæ erant*] probat Prophetam non eſſe in pretio, atque adeò acceptum in patria ſua duobus exemplis: ſimulque cauſam ſignificat, cur ibi miracula non faceret, propter ſcilicet incredulitatem; neque Elias ad vllam Iudæam viduam miſſus fuit, nec Eliſæus vllos Iudæorum leproſos curauit. Exemplum Eliæ habes tertio Regum decimoſeptimo, nono. Eliſæi verò quarto Regum quinto, decimoquarto. Eliam autem conſtat non ad Iudęam aliquam tempore famis, ſed ad gentilem in Sarepta Sydoniorum miſſum fuiſſe, quod ſciret Deus gratiorem apud alienigenas, quã apud ſuos hoſpitem fore, liquet etiam ad Eliſæum nullum inter Iudæos leproſum acceſsiſſe, petendæ curationis cauſa, nec illi tantum honoris detuliſſe: cùm tamẽ Naaman alienigena tantum illi honoris detulerit, vt à Syria vſque venerit, vt ab eo curaretur. Quibus duobus exemplis probat Dominus, non ſolum Prophetas apud ſuos in pretio

B non habitos; ſed eos quoque miracula apud extraneos ſuis derelictis feciſſe, ob ſuorum incredulitatem, & quod ab illis non honorarentur.

Annis tribus, & menſibus ſex] non poteſt, inquit Ianſenius, id haberi è Scriptura veteris Teſtamenti, tempus illud fuiſſe annorum trium, & menſium ſex. Quarè dicendum quod Dominus tempus cognouerit æterna illa ſua cognitione, qua nullum præteritum ei fuit incognitum, vel quod id ex antiqua traditione haberetur vulgatum apud Iudæos. Idem tempus aſsignat Iacobus in ſua epiſtola, ſiue Dominum ſequutus, ſiue traditionem: dum ait tempore Eliæ non pluiſſe menſes ſex, & annos tres. Quod verò tertio Regum decimooctauo, dicatur: in anno tertio miſſus eſſe à Sarepta Elias, vt daretur pluuia in terra Iſrael, quæ & mox poſteà data ſcribitur: ſecundùm Lyranum intelligendum anno tertio, non à prohibitione pluuiæ, ſed à tempore quo fuit Elias in Sarepta: fuerat enim aliquando in torrente Carith. vel annus tertius intelligendus eſt completus.

28.

C *Fames magna*] Baſilius per famem illis ieiunium attulit, quo culpa cohiberetur. facti autem ſunt iuſto corui miniſtri cibi, qui aliorum pabula vſurpare conſueuerunt.

In vniuerſa terra] ſcilicet cum per totam regionem illam Syriæ magna graſſaretur fames.

16. *Niſi Naamã Syrus*] inſignis ſanè fuit fides Naamã Syri primũ quod puellæ vni dicẽti: *Vtinam fuiſſet Dominus meus ad Prophetam, qui eſt in Samaria, profectò curaſſet eum à lepra*, ſtatim fidem adhibuit. deindè quod hac fide motus ſtabili, Regem Syriæ adijt, rem hanc auditam vt certam illi relaturus. Tertiò quod ea fide impulſus profectus eſt in terram Iſrael ad Eliſæum non ſine muneribus.

D Ad hoc iuſſus Lauari ſepties in Iordane, licèt monitus à ſeruis ſtatim obediuit.

Quintò conſecutus ſanitatẽ illicò verum Deum agnouit, ſpreto idolorum cultu: ac dixit: *Verè ſcio, quia non ſit alius Deus in vniuerſa terra, niſi tantum in Iſrael.* Poſtremò de terra Iſraël ſecum tulit, vt vero Deo ſacrificia offerret; nec amplius falſis Dijs litaret. egregia ſanè fides, vt nõ mirũ, ſi ſpretis incredulis Iudæis, qui licèt apud ſe Prophetam haberent, non credebant tamen poſſe ab eo ſanari, Eliſæus hunc à lepræ morbo liberarit.

29.

17. *Et repleti ſunt*] quoniam indicauerat Nazarænis, atque adeò obiecerat infidelitatẽ; & adductis exemplis indignos eos eſſe miraculis: peiores reprehenſione effecti ira, ac vindictæ appetentia contra illum exarſerunt; nec mirum, cum Prouerbiorum decimoquinto ſcriptum ſit: *non amat peſtilens eum, qui ſe corrigit.* Hugo de S. Vict. de duodecim abuſioni.

Digitized by Google

Tres gradus obfirmatorũ in malo.

Tres gradus constituit hominum in malo obfirmatorum. primum eorum, qui admoniti ac correcti nihilò meliores fiunt, nec indè iuuantur. Alterum illorum hominum, qui ita peccato inhæserunt, vt admonitione ipsa & correctione etiam peiores reddantur: ij ex lima rubiginem contrahunt, ijs simillimos esse rectè dixeris Nazaræos. In tertio gradu collocat eos, qui cùm emendationem admoniti promittant, moliuntur tamen semper, nec stant promissis, de quibus exponi potest illud Psalmi octuagesimi: *inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in sæcula.* vel vt alij legunt *in sæculo.*

30. 18. *Eiecerunt illum extrà ciuitatem*] is erat olim locus plectendi reos morte, quare & Christus extrà portam passus est, sicut & Stephanus.

Vsque ad supercilium montis] Ciuitas posita erat suprà montem quidem quamuis non suprà verticem illius, seu quod idem est, supercilium; quare egressi ciuitate eò pertraxerunt Christum vt præcipitem indè agerent. vi autem trahi & eijci videbatur illis Christus, spontè se tamen trahi, & & eijci sinebat. Beda, peiores hos Diabolo facit: nam ille suadere tantùm conatus est Christo, vt se ex templi fastigio præcipitem daret, ipse non est ausus: isti suis eum manibus, præcipitem agere voluerunt.

Nazaræi peiores diabolo.

31. Obseruandum Diuum Bonauenturam hic affirmare Nazaræos Christum extrà ciuitatem eiecisse, quasi blasphemum: nam Leuitici vigesimo quarto, decimoquarto, præceptum erat: *educ blasphemum extrà castra, & lapidet eum omnis populus*, quod impiè in Diuo Stephano Actorum septimo fecerunt. Ceterùm non videtur hoc verum: nam blasphemum lapidare consueuerant, non præcipitem agere. Responderi posset actum præcipitem lapidaturos fuisse. sed hoc quis nouerit? Prætereà verbum illud: *hæc audientes*, referri videtur ad exempla duo Prophetarum, in quibus nihil est quod blasphemiæ adscribere possis. Quare Euangelista iræ, & indignationi tribuit. Quòd illis testimonijs allatis se notari, se reprehendi animaduertebant. Nisi dicas, illos ita appetitu vindictæ, atque inuidentia commotos fuisse, vt hæc fecerent, persensisse tamen quòd se Christum & Messiam prædicaret, & ita verum habere potest expositio Diui Bonauenturæ. Et confirmatur, quia alioquin non viderentur fuisse ausi occidere quenquam, Herodis potestatem timentes.

32. 19. *Ipse autem transiens*] Illa, *per medium illorum*, coniungenda sunt cum verbo, *transiens*, non cum *ibat*: sic enim Græcè legimus αὐτὸς δὲ διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν ἐπορεύετο: *ipse autem cùm transiuisset per medium ipsorum, ibat*, vel *ibat* quo scilicet voluit. quibus significatur, quanta cum libertate, & omnipotentia elapsus sit è manibus illorum, intrepidè scilicet pertransiendo per ipsos medios, nõ fugiendo, aut currendo. Potest autem hic transitus bifariam intelligi, aut per hoc quod mentem illorum aut mutauit, aut obstupefecit, vt vult Beda, adimendo, illis vires; quemadmodum cum antè captiuitatem suam prostrauit eos, qui cum Iuda venerant. Aut per hoc, quod se illis inuisibilem reddidit. qua ratione videtur se bis liberasse apud Ioan. cap. octauo, versic. 59. cùm lapides vellent Iudæi in eum iactare; & cap. 10. 39. cùm eum volebant apprehendere. in hunc locum mihi videtur quadrare prima intelligendi ratio.

Quomodo Christus abierit à Nazaræis.

33. *Quomodo nõ potuerit ibi signa facere.*

20. *Et non poterat*] non posse hic, exponunt nonnulli pro *nolle*: nam ex Gregor. Nazianzen. orat. 4. de Theolog. in sacris litteris dicimur interdum facere non posse, quod facere nolumus,

A ex Genes. 37. 4. dicuntur fratres Ioseph non potuisse, id est, noluisse vllum verbum illi pacificè loqui; & Ioan. 7. 7. *non potest mundus odisse vos*, id est, non vult, cum mundani sitis. Maluit autem Euangelista dicere non potuisse facere, quam noluisse: vt subindicaret Christum quodammodo impeditum horum incredulitate fuisse, quo minus faceret miracula. nec per illum, sed per auditores stetisse, quo minus ea faceret, quamuis simpliciter potuisset facere, si voluisset. vel non significatur hic Christi imbecillitas, sed illorum incapacitas, non potuit enim, non quod deesset Deo potentia, & virtus, sed quod illi non essent capaces. cùm enim ad curationem, duo concurrere debeant, non quidem necessaria, sed conuenienter tamen, eius qui curatur fides, & curantis potestas: cùm alterum deesset; nõ potuit fieri, quod quantum in ipso erat Domino facilè erat. vel &
B eodem ferè redit, dicitur fieri non posse quod fieri non expedit ex eodem Gregor. & patet Matth. 9. 15. *numquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* id est, non conuenit. Ita hic dicitur Christus, non posse facere miracula, quia non expediebat, vt faceret: vt si quis à probo principe iniustum aliquid peteret, posset respondere; non possum tibi hoc præstare. Ita nunc æquum non erat, vt ingratis, & indignis hominibus ea faceret Christus miracula. Docuerat enim: *nolite sanctum dare canibus*: &c. hinc est quod facturus miracula, fidem exigebat priùs Matthæi nono, 28. Marc. 5. 36. & 9. 23. Luc. 8. 50. & rectè, nam minus habet meriti fides, quæ miracula sequitur, quam quæ præcedit: & indignus est qui miracula videat, quisquis non aliter, quàm visis miraculis credit. Interdum tamen coram incredulis miracula edidit ob eos, qui aderant, quos credituros nouerat.
C Quòd si aliquando fecit aliqua apud eos quos sciebat non crediturõs, potuit id fecisse, vt tantò iustior, & euidentior esset eorum condemnatio si posteà non crederent: quamuis eius primarius finis esset ea facere, vt crederent. vel ne necessarijs, immò & vtilibus auxilijs eos destituisse videretur: vt proindè excusare possent incredulitatem.

Existimant verò Beda & Theoph. ideò Christum 34.
apud incredulos non plura, sed pauca miracula patrare voluisse, vt illis parceret, ne si plura fecisset non credentes inexcusabiles omninò essent. Itaque hoc miserationis fuit. Videtur alijs probabiliùs, iustitia id potiùs quàm misericordia fecisse Christum, vt miraculis indignos, miraculorum puniret priuatione. Hinc Iuuencus li. 3. hist. euangel. cecinit: *talibus indignans præsit sua munera Christus*. vtraque ratio respectu diuersorum verum habere potest. Præsertim verò illis miraculo negauit, qui vel ex incredulitate postulauerant, vel ob curiositatem, vel ob ambitionem: ita Herodes, vt Greg. lib. 10. moral. cap. 17. voluit Christi miraculum videre, sed videre non potuit. Et Pharisæis responsum: *Generatio prauа, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei.* Similiter & Nazaræi dixerant: *quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic*, &c. ideò indigni qui viderent miracula. Adde non plura interdum facere voluisse apud eos, qui pauca non curassent, neque moti fuissent vt crederent; quemadmodũ interdum negat maiora ijs auxilia, qui minoribus abusi sunt. Certè Nazaræi paucis illis non crediderant prout par erat.

Nisi paucos infirmos] ponitur hic *nisi* pro *tantum*. Ita superiùs vers. 15. & 16. in exemplo Eliæ, & Elisæi ponitur *nisi* pro *sed tantum*. Non enim exceptiuè potest accipi, cùm id quod excipitur nõ contineatur sub eo vnde fit exceptio. idem signifi-

cat Matt.

cat Matth. cùm ait: *non fecit ibi virtutes multas.* Notat Orig. Matth. 13. propterea id dixisse Matth. & Marcum &cæt. vt intelligeremus, qui pauca ibi fecit miracula, plura facere potuisse si meruissent.

Impositis manibus] dum ait non solo verbo, sed *impositis manibus* curasse paucos, indicari vult Maldonat. quasi vi curatos fuisse, vt miracula ibi facta extenuaret Euangelista: sed non est verosimile illis verbis; *impositis manibus*, voluisse extenuare Euangelistam, miracula Christi.

21. *Et mirabatur*] Alibi dictum est, quomodo in Christum cadat admiratio dilucid. c. 9. huius libri. vide etiam Maldon. Matt. 8. 10.

Propter incredulitatem eorum] putant aliqui illa verba, *& mirabatur*, per parenthesim esse legenda, ita vt hæc verba, *propter incredulitatem eorum*, referãtur ad præcedentia: sic enim loquitur Matt. *& non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum.*

THEORIA.

De fratribus Domini in ver. 9.

1. QVAEDAM diximus huc pertinentia de fratribus Domini lib. 2. dilucida. cap. 6. in ver. 12. & lib. 4. cap. 12. in versic. 39. Adijciemus nunc aliquanto copiosiùs quędam alia. in primis licet aliquando quidam Patres dixerint. Beatam Virginem esse illam mulierem, quæ dicitur apud Euangelistas mater Iacobi & Ioseph: non tamen intellexerunt genitos esse ab ea, sed quia putarunt Beatum Ioseph fuisse patrem illorum, sed ex alia omninò coniuge; vnde factum vt B. Virgo quoniam sponsa fuit Ioseph, dicta sit mater illorum. verùm iam satis constat falsos illos fuisse; fuit enim D. Ioseph virgo, quod Hugo de S. Vict. q. 5. in epist. ad Galat. docet cùm Bernardo & alijs; inter quos Petrus Rauennas epist. 11. c. 4. affirmat hanc Ecclesiæ fidem esse, id est, vniuersalem, & piam credulitatem. Idem sequuntur Scholastici in 4. d. 30. & suadet id ratio: tũ quia B. Ioseph fuerat Domini Pater dicendus, tum quia custos virgines futurus, quod confirmat D. Thom. lect. 5. in epist. ad Gal. si Dominus noluit Matrem virginem, nisi Virgini commẽdare, quomodo sustinuisset eius sponsum non fuisse virginem?

2. Anna ex plures mariti habuit.

Est igitur obseruandum: hos, quos fratres Domini vocant Euangelistę, non fuisse consobrinos Domini: filios scilicet sororum Beatæ Virg. eo modo, quo quidam exponunt: censent enim Beatissimam Annam post mortem S. Ioachin nupsisse Cleophæ, & ex illo habuisse Mariam Cleophæ, matrem Iacobi, & aliorum fratrum Domini. Rursum sublato ex hac vita Cleopha nupsisse Salomę, & ex eo tulisse Mariam Salomę, quæ ex Zebedæo habuerit Iacobum, & Ioannem. Sed omninò incredibilia, & falsa sunt hæc; nam Beatissima Anna cum Ioachino, sterilis permãsit ad ætatem vsque senilem, & tunc accepit S. Virginem Dei Matrem, nec aliam vnquam, vel nouit, vel habuit filiam, neque alij nupsit. Allucinantur etiam hi dum arbitrantur matrem Iacobi, & Ioannis dictam esse *Mariam Salomę*; cùm alioqui vocaretur proprio nomine *Salome*. Duæ enim in Euangelijs tantum nominantur *Maria* excepta B. Virgine, scilicet *Maria Iacobi*, quæ dicitur etiam *Cleophæ*, & vocatur etiam *altera Maria* à Matt. hoc est vltra Mariam Magdalenam, & *Maria Magdalenæ*. mater verò filiorum Zebedæi tantum *Salome* dicta est. Immò nusquam inuenio filios Zebedæi, *fratres Domini* appellatos fuisse.

3. Cleophas quis.

Quare dicendum Cleopham binomium fuisse, dictumque etiam *Alphæum*; atque ita hæc Maria dicta est Cleophæ scil. vxor, qui idem est cum Alphæo. Hinc *Iacobus Alphæi* vocatus est. quod si non placet dic, eius nomen fuisse *Alphæum*, sed *Cleopham* fuisse cognomen à gentilitate, vel familia, vt videtur Hieronym. dicere. Nec desunt qui distinguant Alphæum à Cleopha; ita vt Maria hæc vtriusque successiuè coniux fuerit: sed prius nupserit Alphæo, vnde habuerit Iacobũ, & Ioseph, quo mortuo nupsisse aiunt Cleophæ fratri D. Ioseph, & sustulisse inde Simonem & Iudam. vnde factum vt omnes hi quattuor dicerentur filij Cleophæ, licet Iacobus, & Ioseph fuerint naturales Alphæi, ac proindè omnes dicti *fratres Domini*.

4. Verùm probabilius iudico eundem esse Alphæum cum Cleopha, fuisseque fratrem B. Ioseph sponsi B. Virg. & genuisse ex prædicta Maria Cleophæ Iacobũ Alphæi dictum, Apostolũ, à quo dicta est hæc mulier *Maria Iacobi*, & Ioseph, & Iudam, & Simonem illum, qui successit Iacobo in Episcopatu Hierosolymitano, & peruenit ad decimum Traiani annum, ac vixit centum viginti annos, cùm Iacobus Apostolus nonaginta sex annos vixerit, martyrq; factus sit septimo Neronis anno ex Epiphan. hæres. 78. Porrò iste Iudas fuit Apostolus scriptor vnius canonicæ, vbi vocat se *fratrem Iacobi*, & Act. 1. 13. *Iudas Iacobi* vocatur.

5. Cæterùm quoniam B. Virg. & Maria Cleophæ duorum fratrum coniuges erant, Iosephi scilicet & Cleophæ, ideò dicuntur sorores inter se more scripturę, & Iacobus, Iudas, Ioseph, & Simon fratres Domini; quia filij sororis Beatæ Virginis: coniuges enim duorum fratrum rectè sorores appellari possunt. Hæc est mea hac de re opinio, quàm etiam Suar. d. 5. Sec. 4. sequitur.

6. Quæ sententia sumit *Iacobum Alphæi*, & *Iacobum fratrẽ Domini*, seu *Iacobum Apost.* eundẽ esse. nec obstat quod dicatur Episcopus Hierosolymorum factus ab Apostolis, quod in virum Apostolum non videtur conuenire. Intelligendum enim est non creatum fuisse Episcopum ab Apostolis, sed fuisse illi assignatã speciatim Ecclesiam illam. Quod si D. Clemens in constitut. lib. 2. cap. 29 & clariùs lib. 6. cap. 12. 14. aliter sentire videtur: Dicendum locum illum corruptum esse. Et Nicolaus primus qui citatur in contrarium à Turriano in Scholijs ad Clementem lib. 6. cap. 12. pag. 81. fauet potius: nam concedit Hierosolymitanam Ecclesiam esse Patriarchalẽ; licet Antiocheam propter D. Petrum illi præferat.

Hieronym. ad Galat. 1. excludit à numero 12. Apostolorum Iacobum fratrem Domini, quam sententiã videtur tueri August. tract. 28. in Ioan. & Chrysost. hom. 40. quare Tole Ioannis 7. adnot. 3. censet fratres Domini non

fuisse de numero 12. Apostolorum : quamuis fortè fuerint quidã alij, qui præter duodecim, dicerentur Apostoli, vt significat Hieronym. loc.cit.& hæc sententia confirmatur : nam Ioannis 7. dicitur non credidisse in Iesum fratres eius,cùm tamen de Apostolis 12. dictum fuisset superiùs : *nos credidimus, & cognouimus, quia tu es filius Dei.* Matt.etiam 12. dicitur:*ecce mater tua,& fratres tui foris stant quærentes te,*& extendens manus in discipulos suos ait : *ecce mater mea, & fratres mei.* Erant ergò fratres hi extrà numerum Apostolorum, qui sequebãtur Dominum, quod non videtur fecisse fratres eius. Actorum 1.inter Apostolos numerantur Iacobus Alphæi, Simon, & Iudas, & posteà subditur : *hi erant omnes vnanimiter perseuerantes,* &c *cùm mulieribus,& Maria matre IESV, & fratribus eius.* Erant ergò hi fratres alijab Apostolis. Sed respondeo his rationibus tantum confici non omnes fratres Christi fuisse Apostolos,cuiusmodi fuerunt Simon & Ioseph.

7. Et verò neque arbitror absurdum concedere præter hos fuisse alios fratres Domini dictos, quamuis hi essent magis intimi & noti. Quid quod & sub nomine *fratrum* cõprehendi etiam sorores possunt, per quandã conceptionem. Nominantur enim Marci 6. & hic vers. 10. sorores Domini, quamuis non exprimantur, quænam sint. Niceph.lib. 2. hist. cap. 3.ex Hippolyto Portuensi Apostolis vicino, duas scribit fuisse sorores Domini, vnam nomine Esther, alteram Thamar,illorum quatuor sorores, de quibus, quia tanquam mulieres non recedebant à patria, dicũtur Nazarætani;& lorores eius apud nos sunt. Epiphan. in Anchorato duarum etiam meminit, sed Mariam, & Salomen vocat. omnia incerta.

DIGRESSIO PRIMA MORALIS

De vnctionis Christi Præstantia, in ver. 4. *Spiritus Domini,* &c.

1. MESSIAE nomen hebræis idem significat, quod Græcis *Christus,* & Latinis *Vnctus.* & in Scriptura quidem accipitur etiam vt nomen appellatiuum : qui enim sacro vnguento vngebantur Christi, & Messiæ nomen sortiebantur.Erat autem apud hebr. solẽne,ac legitimum & Sacerdotes vnctione consecrari,regesque inaugurari ; vt constat Exod. 29. 1.Reg.10. 16. itemq; de aliquibus Prophetis insignioribus legimus,vt lib.3.Reg. 19. iussit Deus Eliç,vt Prophetam vngeret Elisçum. porrò vnctio hæc regibus,aut sacerdotibus in caput effundebatur. patet id 1.Reg.10.1. Psal. 132.idem arbitror in prophetis factum.

Sacerdotes vngebantur apud Iudæos.

2. Singulari igitur modo vngi debebat etiam Messias Christus Dominus. futurus enim erat eximius,& singularis Propheta sicut Moyses, Deut.18.15.prædixerat : *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis,sicut me suscitabit tibi Dominus.* quæ verba Petrus in Actis Apostol. cap.3. 22. de Christo dicta interpretatur. Futurum eum præterea regem, immò & regum potentissimum plenissimè Dauid prędocuit in Psalm.2. 44. & 71. De singulari Sacerdotio etiam eius

2. Christi singularis vnctio.

A minimè dubitandum est : etenim Dauid in Psalm.109. qui est de Messia, sic cecinit: *iurauit Dominus, & non pœnitebit eum,tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Omninò igitur dicebat Christum spirituali, ac cælesti vnctione excellentissimè vngi.

Propterea non singulari tantum modo, sed plus etiam & excellentius cæteris omnibus vnctus est, idque pluribus rationibus : nam primum non modo abundanter, sed etiam redundanter, nec sibi tantum, sed nobis etiam vnctus est : de plenitudine enim eius nos oés accipere debebamus; quod Psal.132. præsignificatum videtur à Dauid: *sicut vnguẽtum in capite*, inquit, *quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.* Meritò igitur Psalm. quadragesimoquarto sic vaticinatur idem Dauid : *propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* quare nomen Messiæ per quandam antonomasiam Christo tribuitur, vt Psalm.2. *aduersus Dominum, & aduersum Christum eius.* Daniel.9. *post septuaginta duo hebdomadas occidetur Christus.* Ad hæc præ cæteris vnctus est, quia in se vno ipse complectitur, & concludit omne vnctionis genus: est enim simul rex,sacerdos,& Propheta ,vt ostensum est, quod nemini alteri congruit: neque enim vllus vnquam simul rex, propheta, sacerdos, præter vnum Christum Iesum.

B

Tertiò,eius vnctio cæteras omnes antecellit quia olim reges, sacerdotes, vel Prophetæ corporali oleo vngebantur, at Christus spirituali. Fateor Patriarchas ante legem, de quibus Psalm.104. *nolite tangere Christos meos* gratia, ac spirituali vnguento vnctos esse. Hoc enim loco Psalmi vtuntur D.Basil.& Hieronym.contra Iudæos, vt ostendant dici etiam *Christos* aliquos ab vnguento spirituali. Fateor id,sed eorum gratia certis quibusdam cancellis,& limitibus continebatur cum Christi gratia infinita suo modo fuerit.

C

His accedit quarto loco Christum longè aliter vnctum fuisse,nam cæteri summum creata gratia,at Christus etiam increata, nempè diuinitate. tribus .n. modis dicitur Christus vnctus,vel diuinitate,vel donis Spiritus S.affluẽter & sine mensura, vel denique vnctus dicitur,id est,siue ad euangelizandum, siue ad redemptionis opus à Deo destinatus. Quantum igitur diuinitas rem creatam excedit, tantum vnctio Christi,cæteras omnes vnctiones antecedit : de qua per diuinitatem vnctione, lege Orig.lib.2.de Principiis c.6.

D

4. Dices quid oleo cum diuinitate? Respondeo , rectè posse non modo gratiam ipsam creatam, ac Spiritus sancti charisma, sed etiam diuinitatem ipsam sanctissimæ Christi humanitati communicatam, aptè vnctionem appellari;quam rem Euseb.4.demonst.euang. cap. 15. sapientissimè explicat;ait enim : *diuina natura virtutem illam rectè oleum in Scripturis nominari: auget enim oleum lumen,fessos subleuat,labores aufert, eos, qui ipso vnguntur,hilares facit,instar luminis de seipso vibrat splendores, nitidamque, ac micantem vultum reddit,vt in Psalm. centesimotertio dicitur, vt exhilaret faciem in oleo. vt autem olei natura vna est,vnguentum vero multarum*

4. Diuinitas vnctio dici potest.

in idem

in idem concursum significat: sic diuinitas quatenus simplex oleum rectè vocatur. quatenus autem considerantur in ea attributa innumera, ac perfectiones rectè vnguentum dicitur. sic Euseb. Licet non ijsdem planè verbis, quoniam verò huiusmodi dona, quibus Christus Dominus vnctus dicitur Spiritui sancto tribuuntur, sicut & incarnatio; ita rectè in Scripturis non raro legimus illum Spiritu sancto vnctum esse, vt Actorum 10. *quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute.* Huic Eusebij rationi accedit, quod Spiritus sancti virtus omnia valentis, omnia bona præstantis, præsertim autem omnia penetrantis, quæ maximè virtus olei est, intrauit non modò sicut aqua in interiora Christi Domini, sed sicut oleum etiã *in* ossibus eius, Psalmo centesimooctauo, ideò oleo meritò comparatur; & verò iure optimo id ita per Deum factum est, vt tam copiosè Spiritus sancti virtute, tam intimè repleretur, quia scilicet ea virtute maximè omnium indigebat, cum ad euangelizandum, & ad redimendum homines vngi deberent, & cum ab eo nostra omnium salus dependeret; itemq; ipse esset in cuius manus pater omnia dare decreuisset.

5. Sed cur inquies; Dauid hanc virtutem exultationis oleum vocat, quos etiam participes intelligit, dum illum vnctum præ participibus suis dicit? paucis Respondeo hæc quam diximus virtus mirum in modum animam lætificat, quare aptè, sciteque dicta est oleum exultationis, siue lætitiæ. Cùm verò etiam Christo non ad mensuram datus sit spiritus, vt reliquis hominibus rectè vaticinatur Dauid: Psal. quadragesimoquarto, ver. octauo, *vnxit te Deus, Deus tuus oleo Latitiæ præ participibus tuis.* vocat autem participes Apostolos; & credentes, vt Hierony. ad Principiam interpretatur, quibus vnctionis suæ vocabulum tribuit, vt ab vncto, vocentur vncti, id est, à Christo Christiani. vnde etiam fit vt dona ea, quibus Christiani efficimur virtutis Christi participes vocentur vnctio, quia illis efficimur membra viua Christi & similes ei, ita vt etiam Christi & reges quodammodo dicamur, primæ Ioan. 2. 20. *sed vos vnctionem habetis à Spiritu S. & nostis omnia;* Et posteà ver. 27. *vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis.*

6. His igitur constat præstantia vnctionis Christi quia igitur hæc vnctio, vt hactenus ostendere conati sumus reliquis omnibus veterum vnctionibus anteferenda est; ideò merito lenticula, quæ parua mensura est, interdum legimus illos antiquos Reges fuisse vnctos, est enim lenticula paruum vas, vnde videtur per guttas quodammodo oleum effluere, saltem tale vas est, quod parum continet olei, vt proinde rectè dici possit Latinè *guttus olei.* dictus est enim guttus teste Varrone de lingua Latina, à *gutta*, quod propter colli angustiam humor inde guttatim effluueret, eademque ratione à Festo gutturnium nominatur. meritò igitur lenticula Dei vncti fuêre, qui si cum Christo conferantur parum, vel nihil ferè gratiæ accepisse videbuntur.

Lenticula quale vas.

7. Hinc Diuus Gregorius libro quarto, cap. quinto, in primum Reg. cap. decimo, ideò ait, Saulem lenticula olei vnctum dici, *quia velut Lenticula, olei parum habuit, qui spiritalem gratiam proijciendus accepit*, quod dictum non Sauli modo, sed toti etiam Synagogæ, & Hebræorum gentis regno rectè quadrat, de quo dictum: *auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius.* quod idem de sacerdotio dici posse, testatur Apostolus ad Hebræos septimo, ver. vndecimo, cùm tamen de Christo Domino verissimè legamus sine mensura ei spiritum esse datum.

8. Vt meritò proindè dicat Sponsa Canticor. 1. ver. 3. *oleum effusum nomen tuum*, ac si clarè dicat, tanta perfusus es olei pinguedine, odoriferque suauitate, vt te non oleo inunctum, sed ipsum potius oleum effusum nominem, in cuius odorem suauissimè currant omnes electi Dei. quæ quidem Sponsæ proposito, quàm vera sit declarari potest ex his quæ Martinus del Rio habet in Canticor. capit. primo, Sect. prima ex Patribus: *ait*, inquit, *Synagoga* (potius Christi Ecclesia) *nomen Christi, quod tot saculis in sinu Patris latuerat, reipsa tandem exhibitum, & per incarnationem effusum in vterum Virginis: sed ibi rursus inclusum principio in alabastro humani corpusculi, & intra limites Synagogæ aliquem mox sparsisse odorem, sed exiguum & gentibus ignotum: Posteà quam verò ad crucis stipitem contritum vitrum, & sarcus ille pretiosi numismatis conscissus fuit; per Apostolicam prædicationem toto terrarum orbe diffluxit, & de gratiarum eius plenitudine vniuersus mundus repletus fuit. Quid dico terrarum orbem? odor eius cælum, terram, inferos peruasit. Lætare mater Ecclesia, inquit Philo Carpathius, tanti nominis, tamque salutari suauitate inferta (nam à Christo dicitur Ecclesia Christiana) exulta sponsa diuinissimo hoc vnguento perfusa. Erumpe in gratiarum actiones, age iam dilues, & clama vnguentum effusum nomen tuum dilecte mi. Quid igitur mirandum si tanta inusitata largitate, si tam ardenti amoris face tacta & succensa Ecclesia omnes gentium flagrantes mutuo amore, ad Christi prædicationem toto vndique orbe rapido cursu ferantur? hoc itaq; prædicit futurum: nam addit, ideò adolescentulæ dilexerunt te, hoc est, diligent.* Hęc del Rius.

9. Clariùs Guilhelmus, *Solemne est*, ait, *in Sacra Scriptura per oleum gratiam signari. Quid ergo est oleum effusum, nisi gratia diffusa? diffusa est gratia in labijs tuis, ad personam eiusdem incarnatæ sapientiæ dicitur. Labia eius Apostoli, in quibus posuit saluberrimum verbum prædicationis, & per quos suauissimum osculum reconciliationis mundo porrexit. Per ipsos facta est diffusio gratiæ, id est, diffusio olei, quo vngerentur omnes præordinati ad vitam æternam, & dicerentur à Christo Christiani. A facie huius olei computrescet iugum, de quo scriptum est Isai. 10. graue iugum super filios Adam. Hoc iugum non statim aufertur, sed leuius fertur, & computrescit, id est, paulatim languescit, atque decrescit, donec suo tempore penitus auferatur, & plenitudo libertatis filijs vnctionis tribuatur.*

10. Porrò prima quæ huius olei suauitate, & odore repleta est B. Virg. fuit, quæ in suo eburneo vtero candore virginitatis, & auro caritatis insigni fragrantissimum hoc oleum cõclusit. Quare & fama, & gloria nominis eius rectè oleo effuso comparatur, vt & ipsa filio simil-

lima sit. Hinc Alanus; *Oleum*, inquit, *esurientem reficit, ægrotantem sanat, membra defatigata mitigat, odorem parit, flammam nutrit. sic & in laude virginis reficimur, exemplo eius ad virtutum medicamina inuitamur, aduersitatibus fessi eius patientia recreamur, vita eius forma illustramur, & sicut oleū effusum magis redolet, sic quanto magis nomen virginis dilatatur, tantò magis gloria augetur.* hęc ille. Et quid miramur fratres sic suauiter Mariam redolentem, cùm ab illa tanquam ex vna eburnea æde, quæ instar omnium dignissimarum ædium est, vestimenta illa Christi prodierint, ideſt, anima eius, & corpus eius, quę etiã nomine velaminis explicantur ad Hebr. 10. 20. & ad Philip. 2. 7. voce habitus nominantur quasi indumentum, vt docet August. lib. 83. qq. q. 73. vestimenta inquam illa, quæ spirant myrrham, spargunt guttam, siue stacten, & casiam redolent: quibus (sic enim Hierony. intelligit illud, quod nos habemus, ex quibus) *delectauerunt te* ij, qui tibi ea dederunt, id est, Spiritus S. ac B. Virgo, qui tibi corpus, & animam circũdederunt, & ideò filię Regum, tanquam pedissequæ Reginæ, Genitricis tuæ, aderunt tibi inter tuas honorandas, vel in tua aula (quæ est Ecclesia) honorifica, vel in tuo comitatu honoris, gloriæ & maiestatis pleno. sed de his hactenus.

DIGRESSIO II.
MORALIS

De Inuidiæ natura.

1. OFFERT sese hic occasio, vt de Inuidiæ vitio breuiter aliqua perstringamus, præter ea, quæ in Schol. diximus nu. 22. 23. hac maximè peste laborabãt Nazarethani adeo, vt propterea Christum ciuem suum de supercilio montis præcipitẽ agere cogitarint. Et quidem de inuidia multa sunt præclarè scripta à SS. Patribus, ac nominatim à S. Cypriano in serm. de Zelo, & liuore, & à Basilo hom. 11. & 21. inter hom. de varijs argument. & à Chrysost. hom. 44. & 45. ad pop. Antioch. & à Ioan. Casiano collat. 18. cap. vlt. & à Prosp. lib. 3. de vitæ contemp. cap. 9. & ab Isidor. lib. 3. senten. de sum. bon. cap. 25. De eodem argumento inter Philosophos optimè Aristot. scribit lib. 2. Rhet. cap. 9. & 10. & Plutarch. lib. de Differen. inter odium, & inuidiam. vt omittam D. Thomã, qui pulcrè hac de re disputat. 2. 2. q. 36. vbi multa Caiet. nos carptim quædam tantum vtiliora attingemus.

2 *Inuidia vnde oriatur, & quid sit.* Principiò quod ad Inuidiæ naturam attinet; est inuidia tristitia quædam de bono alieno proximi æstimato ab inuidente, vt malo proprio, quatenus per cõparationem quãdam offuscat, & imminuit proprij boni excellentiã, & dignitatem. vt cùm Saul inuidit laudi Dauidis, quatenus hic nominis sui splendore obscurabat illus nomen: vnde illæ lacrymæ: *dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt*, 1. Reg. 18. 8. Et quidem in prædicta definitione tristitia est loco generis: quæ verò cõsequuntur particulæ declarant, quid interſit inter inuidiam, & tres præsertim alios consimiles tristitiæ affectus: quorũ primus est tristitia quædam ob auctam potentiam, & vires inimici, quem propterea timeat plus nociturum aut sibi, aut alijs bonis. Hic affectus non inuidia est, sed effectus quidam potius timoris, per inuidiam enim tristatur quis de bono alieno, non vt potest id esse causſa mali, & damni proprij, sed vt suaptè ratione putatur iam bonum proprium minuere per solam comparationem sui ad illud; vide Aristot. l. 2. Rhet. ca. 9. & Diuum Thom. a. 1. ad 2.

Eius effectus.

Est & alter affectus tristitiæ inuidiæ similis, cum quis tristatur non verè de ipso bono alterius, sed potius quod ipse bono illo careat: hic enim affectus non inuidia, sed zelus, & æmulatio est teste Philos. cap. 11. & D. Thom. art. 2. inuidus enim tristatur non de ipso suo defectu alicuius boni, sed de ipso bono alieno, quatenus de excellentia propria detrahere aliquid videtur. & ob id D. Ioan. epist. 1. c. 3. ait: propterea Caim occidisse fratrem ex inuidia, quia fratris opera erant iusta. & Gregor. Nyssen. lib. de vita Moysis scribit: *inuidus felicitate aliorum dolet, calamitatibus gaudet*: vnde eos comparat Miluis, quos cadaueribus pasci, & pretiosis vnguẽtis emori aiunt. Hinc est quod quia non nisi virtutem inuidia insectatur, præclarum virtutis testimonium eam esse Philosophi existimarunt: exiguæ verò aut nullius virtutis indicium habere inuidum neminem. hinc Martialis:

Omnibus inuideas liuide, nemo tibi.

Est tertius affectus non absimilis inuidię, vt cum quis tristatur de alieno bono, quatenus obtingit ei, qui eo est indignus, & dicitur ab Aristot. cap. 9. Nemesis, siue indignatio, quod longè est aliud ab inuidia, quæ non est tristitia de bono indigni, sed de bono alieno vt minuente per sui comparationem bonum proprium. sic ergo ab his tribus affectibus, qui etiam tristitiæ quædam sunt, differt inuidia, quę & ipsa tristitia est.

Differt ab odio. Ab odio verò etiam differt inuidia per suum genus quatenus tristitia est. Nam tristitia est de malo, vt proprio. Odium circa mãlum absolutè. & hinc nascuntur deinde complures aliæ differentiæ, quas Plutarchus doctè persequitur, quarum illa videtur præcipua, quod quem quis odit, etiam odit ad extremam calamitatem redactum, neque enim calamitas facit, vt quis videatur minus malus; nemo autem misero inuidet: nam miseria imminuens alienam excellentiam, facit vt ea nostram minuere non videatur, atque adeo vt non appareat esse nostrum proprium malum.

Apud quos non habeat locum. Ex sic declarata inuidiæ natura fit primò, non habere illam locum inter eos, qui multum conditione inter se distant, quemadmodum enim sol, quorum per verticem transit in eos diffuso lumine aut nullam, aut exiguam vmbram facit; ita qui prosperitate elati, supra caput æmulorũ eminent, splendore suo eorum offuscant, & obruunt inuidentiam. vnde solet vulgò dici, aliquem superasse iam inuidiam. Odium verò exsuperantia potentiæ, ac felicitatis inimicorum minimè minuitur: vt illum ipsum Alexandrum, cui nemo iam inuidebat, multi oderant, quorum denique petitus insidijs, occidit. Similiter nec locum habet

Digitized by Google

inuidia inter eos, qui ſtatu, aut loco, aut tempore multũ diſtant. Vnde neque mortuis inuidemus; neq; ijs qui loco remotiſsimi ſunt: inter eos verò eſt inuidia, qui proximi ſunt tempore, loco, ætate, gloria: Vnde illud dictum eſt: propinquitas inuidere ſolet; & figulus figulo inuidet, faberque fabro. Inter proximos enim, & riuales, vt ait Ariſt. c.10. & inter eos, qui eadem cupiunt, & intendunt, intercedit inuidia, eoſque, qui de honore contendunt.

7. *Apud quos verò regnet.*

Fit ſecundò eos ad inuidendũ eſſe proniores, cęteris paribus, qui in aliqua re valdè honorantur, ac maximè in ſapientia, & felicitate, quod ij putent ſua ab omnibus auferri. Cùm enim ſoli ferè, & ſingulariter velint haberi excellentes, ideò quantum aliorum præſtantiæ accedit, tantum putant decedere de ſua.

8.

Tertiò ſequitur eos, qui puſillo animo ſunt facilè inuidia corripi, quia *eis*, inquit Philoſophus, *magna omnia videntur*: & Iob. 5. 2. *paruulum occidit inuidia*. quam rem Gregorius lib. 5. mor. in hæc Iobi verba c. 5. ſic declarat: *inuidere*, inquit, *non poſſumus niſi eis, quos, nobis in aliquo meliores putamus*, nõ quod inter pares, vel qui propè ad idem bonum accędunt, non poſsit eſſe inuidia; ſed quod æquales etiam, vel qui parum recedunt à noſtro bono meliores videantur, vt imminuunt excellentiam noſtram, ac proindè faciunt nos minores, & reſpectiuè paruulos. Quanquam non eſt negandum, quin tunc maximè, & clariſsimè in bono alieno eluceat ratio commouens inuidiam, id eſt, diminutio propriæ excellentiæ, quando id per exceſſum imminuit propriam excellentiam. His ergò modis intelligendus eſt Gregorius lib. 5. moral. c. 31. dum ait inuidere non poſſe nos niſi melioribus: *paruulus ergo*, inquit, *eſt qui liuore occiditur; quia ipſe ſibi reſtimonium perhibet, quod eò minor ſit cuius inuidia torquetur. Hinc eſt quod hoſtis callidus primo hominẽ inuidendo ſurrepſit, quia amiſſa beatitudine, minorem ſe immortalitate illius agnouit. Hinc eſt quod Cain ad perpetrandum fratricidium corruit, quia deſpecto ſuo ſacrificio prælatum ſibi infremuit, cuius Deus hoſtiam accepit, & quem meliorem ſe eſſe exhorruit, ne vtrumque eſſet, amputauit. Hinc Eſau ad perſequutionem fratris exarſit: quia primogenitorum benedictione perdita (quam tamen pro eſu lenticulæ ipſe vendiderat) minorem ſe eo quem naſcendo præibat ingemuit. Hic Ioſeph fratres ſui tranſeuntibus Iſmaelitis ipſum vendiderunt: quia cognito reuelationis myſterio, ne ſe fieret melior, eius profectibus obuiare conati ſunt. Hinc Saul Dauid ſubditum lanceam intorquendo perſequitur; quia quem magnis augeri quotidiè virtutum ſucceſsibus ſenſit, vltra ſe excreſcere expauit. Paruulus itaque eſt qui inuidia occiditur; quia niſi ipſe inferior exiſteret, de bono alterius non doleret.* Et hæc de deſcriptione, & natura inuidiæ.

DIGRESSIO III.
MORALIS
De remedijs inuidiæ.

1: *Inuidia morbus incurabilis.*

IOANNES Caſsianus collat. 18. c. vlt. ſignificare videtur inuidiæ morbum curabilem non eſſe niſi à ſolo Deo, ſic enim ſcribit: *eum quem inuidia ſemel veneni ſui peſte corruperit, penè dixerim carere remedio. Ipſa namque eſt lues, de qua figuraliter dicitur per Prophetam Ieremiam, Ierem. 8. Ecce ego mittam ad vos ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio, & mordebunt vos. &c. ſicut enim Diabolus qui primus eiuſdem mali peſte corruptus eſt, nec medelam pœnitentiæ, nec fomentum vllius curationis admiſit: ita & ij qui ijſdem ſe percutiendos morſibus tradiderunt, opem omnem ſancti incantatoris excludunt: quia cum vtique noh culpis aliorum quibuslibet, ſed proſperitate crucientur, erubeſcentes ipſam prodere veritatem extrinſecus ſibi quaſdam ſuperfluas, & ineptas cauſas offenſionis inquirunt: quarum, quia omnimodis falſæ ſunt, vana curatio eſt, cũ illud mortiferum virus, quod nolunt prodere lateat in medullis.* & infra: *Quaproter ne totum quidquid in nobis viuidum eſt, & quaſi vitali ſancti Spiritus vegetatione animatur, vno tanto huius mali morſu baſiliſcus interimat; diuinum, cui nihil impoſsibile eſt, iugiter imploremus auxilium:* itaque non inficiatur Caſsian. ope diuina fieri poſſe medicinam huic morbo, tantum ſignificat ope ſpiritualis Patris difficillimè curari poſſe, quod morbus hic præ verecundia tegi ſoleat. Id quod etiam D. Baſilius obſeruauit hom. vario. argum. 21. vbi de inuidia ſic ait: *malum hoc eſt, quod ſatis exprimi nequit, quod medicinam ſpernit. Qui caput, aut membrum aliquod dolent, medico morbum aperiunt: at qui ægrotat inuidia, quid dicet? Angunt me proximi bona? Veritas hæc eſt: attamen hæc quiſque verba fateri erubeſcit.* Et S. Cyprianus ſerm. de zelo & liuore: *calamitas*, inquit, *ſine remedio eſt odiſſe felicem.*

2. *Inuidus ſimulator & duplex animo.*

Hinc fieri ſolet vt inuidus magnus ſit ſimulator, & vir duplex animo, aliud in orè prõptum habens, aliud mente gerens. Quam rem ſapienter ſic Baſilius expreſsit in eo ſermone, quem de inuidia ſcripſit: *nonne vides*, ait, *quantum malum ſit ſimulatio? & hæc inuidiæ fructus eſt, nam morum & ingenij duplicitas ex inuidia plerumque hominibus euenit. Quando in cordis receſſu odium retinentes, caritatis ſpeciem ore præ ſe ferunt, non aliter quam petræ ac ſcopuli marini, qui modica operti aqua, magnum, & cæcum non obſeruantibus inferunt malum. Cùm itaque nobis indè, vt ex fonte quodam fluat ipſa mors, amiſsio bonorum, à Deo alienatio, legis confuſio, & demum omnium in vita bonorum euerſio. Credamus Apoſtolo dicenti* ad Galat. 6. *ne ſimus inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes; ſed magis boni, & miſericordes, donantes inuicem, & honore inuicem præuenientes.*

3. *Remedia.*

Poteſt verò is ipſe, qui hoc laborat, morbo variorum remediorum vſu ſibi ipſi, cum Dei auxilio, medicinam facere. Ac primùm quidẽ huic morbo depellendo, multum proderit attẽta cogitatio eorũ, quæ de inuidia in S. litteris ſcribuntur, quæ ad tria hæc capita commodè reuocari poſſunt. Nam primò prohibent illã, & in numerum grauium peccatorum referunt.

Sic Apoſt. 1. Cor. 3. 3. *Cùm ſit, inquit, inter vos zelus, & contentio, nonne carnales eſtis?* Et ad Galat. 5. inter opera carnis numerantur etiam inuidiæ, de quibus operibus mox ſubijcit Apoſto. *Qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* & infra. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Et Rom. 13. 13. *non in contentione, & æmulatione, ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* Et Iacobi 3. 16. dicitur: *vbi zelus, & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum.* Denique Chriſtus Matt. 20. 15. oculum inuidi nequam appellauit: *an oculus tuus nequã eſt, quia ego bonus ſum?* Deinde docẽt ſacræ litteræ: inuidiã nõ modò alijs, ſed vel ipſi etiã inuido non parcere, & verò etiam maximè noxiã eſſe Iob. 5. 2. *paruulũ occidit inuidia.* Prou. 14. 30. *vita carnium, ſanitas cordis; putredo oſſium, inuidia.* Eccl. 14. 6. *qui ſibi inuidet, nihil eo nequius, & hæc reddita eſt malitiæ illi.* Sap. 2. 24. *inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* 1. Io. 3. 12. *propter quid Cain occidit Abel? quia opera eius erant maligna, fratris aũt eius iuſta.* Poſtremò monemur ſcriptura, nõ relinquere Deum inuidiã ſine pœna. Prou. 17. 5. *qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* & cap. 24. 17. *cũ ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina eius non exultet cor tuum; ne fortè videat Dominus, & diſpliceat ei, & auferat ab eo iræ ſuam.* Et cap. 28. 22. *vir qui feſtinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quòd egeſtas ſuperueniet ei.* Et Sap. 6. 25. *neque cum inuidia tabeſcente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps ſapientiæ.*

4. *Inuidia quibus rebus ſimilis.*

Iuuabit etiam non parum animaduertere, quibus rebus Patres inuidiam ſimilem faciant, Diuus Baſilius homilia vndecima de inuidia, inuidiam cõparat vulturibus, & muſcis. *Sicut .n.* inquit, *vultures pratis amœnis, & odoratis deſertis, ad tabida, & fœculenta loca feruntur. Muſca quoq; præteritis ſalubribus membris, ad vlcera properant: ſic inuidi neglecto vitæ ſplẽdore, & rebus magnificè geſtis, errata tantum obſeruant, & diuulgant.* idem Baſ. eo Io. paulò tamen ſuperius: *quam beſtiam,* ait, *morum immanitate non ſuperant? canes namque educatione manſueſcũt, leones obſequio tractabiles fiunt, inuidi tantum officio aggreſtiores euadunt.* Idem quoque Baſilius ſimiles inuidos dicit viperis hoc modo. *Sicut enim viperas dicunt abrupto ventre matris naſci, ſic inuidia concipientẽ ſe animam corrodit, & tabefacit.* eadem comparatione vtitur Aug. ſer. 83. de temp. D. Chryſ. ho. 41. in Matt. confert illam cum Scarabæis, & canibus rabidis, & ſuibus, ait enim: *quemadmodum ſues lutoſa immunditia, & dæmones noſtris damnis lætantur: ſic inuidi calamitate proximorum exultãt, alienas iacturas ſuos queſtus exiſtimant. Nonne igitur tales homines lapidibus petendi? nonne omni cruciatu torquendi? Non aliter profectò quam rabidi canes dæmoniaq; atroces furiæ; Nam velut Scarabæi alieno ſtercore, ſic inuidi aduerſa aliorum fortuna nutriuntur; Inuidia peſtiferum malum, hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immaniſſimum conuertit.* Homilia verò 44. ad Pop. Antioch. non modò inuidos æquat feris & dæmonibus, verũ etiam deteriores iſtis facit. ſicut & Baſ. loc. cit.

5. Eſt & tertium remedium ad expugnandam inuidiam attenta cogitatio eorum, qui per illã vel interierunt, vel propter illam malè audierunt, ad quod oſtendendum ſatis eſſe videntur Cypriani verba. ſer. de zelo & liuore, vbi ſic

A ſcribit: *quale malum eſt, quo Angelus cecidit, quo circumueniri, & ſubuerti alta illa & præclara ſublimitas potuit, quo deceptus eſt, qui decipit? exinde inuidia graſſatur in terris ſicut ſcriptum eſt. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur ergò illum, qui ſunt ex parte eius. Hinc noua fraternitatis odia, dum Abel iuſtum Cain zelat iniuſtus, dum bonum malus, inuidia, & liuore perſequitur. Iniuſtè oppreſſus eſt, qui iuſtitiam primus oſtenderat: occiſus eſt impiè, qui moriens nõ repugnabat. Et quod Eſau fratri ſuo Iacob inimicus extitit zelus fuit. Nam quia ille benedictionem patris acceperat, hic in odium perſecutionis facibus liuoris exarſit. Et quod Ioſeph fratres ſui vendiderunt, cauſa vendendi de æmulatione deſcendit, poſt quàm id quod ſibi in viſionibus proſperum fuerat oſtenſum, ſimpliciter vt frater fratribus expoſuit, in inuidiã maleuolus animus erupit,*

B *Saul quoque Rex, vt Dauid audiſſet, vt perſecutionibus ſæpè repetitis, innocentem, miſericordem, mitem, lenitate patientem necare cuperet, quid aliud, quam zeli ſtimulus prouocauit. Quæ Goliath interfecto, & opere ac dignatione diuina tanto hoſte deleto populus admirans in laudes Dauid prædicationis ſuffragio proſilijt; Saul ſimultatis atque infectationis furias de liuore concepit. Et ne longum faciam, pereuntis ſimul populi attendamus interitum. Iudei nonne indè perierunt, dum Chriſto malunt inuidere, quam credere? obtrectantes magnalibus, quæ ille faciebat, zelo excæcante decepti ſunt, nec ad diuina noſcenda cordis oculos aperire potuerunt. Quæ nos conſiderantes fratres cariſſimi, cõtra tantam mali perniciem vigiliter, & fortiter dicata Deo & vegetata pectora noſtra muniamus. Aliorum mors proficiat ad noſtram ſalutem, imprudentium pœna prouidentibus conferat ſanitatem.* Hæc Cyprianus.

C Quarto & illud proderit, vt inuidiam deteſtemur tanquam execrandum malum, & quo nulla magis deteſtabilis peſtis eſt, ſi diligenter videamus quantũ ipſi inuido tormentũ afferat & detrimentũ; inuidus. n. ſibi plurimũ, cui autẽ inuidet nihil planè nocet. Quid igitur mortaliũ animis inuidiæ affectu pernicioſius contingit, quæ ante omnia ipſi nocet autori, alijs verò quã minimũ? Sicut. n. rubigo eſt ferri, quaſi venenũ: ſic inuidia quos poſſidet eos cõficit, atq; cõſumit; quã ſimilitudinẽ Baſ. lo. ci. & Aug. ſer. illo. 83. de temp. vſurpãt. Omnia proximi bona quæ per ſe gaudij, ac lætitiæ materiã præbẽt, inuidũ triſtitia, & dolore opprimũt. Ex quo apparet inuidũ eſſe ſimilẽ hominis nudi, qui omnium iaculis, atque ictibus petitur. Hoc igitur

D ſolũ, quod etiã Baſ. aduertit, in hoc malo quiſpiã fortaſſe laudauerit, quod inuidus, quanto in proximũ vehementius incitatur, tanto ſibimet maius aſciſcit incõmodum. Quẽadmodũ. n. ſagittæ magna vi emiſſæ, ſi forte iu durũ quodpiã, & repellẽs corpus incurrerint, in emittentẽ reflectũtur: Sic inuidia triſtitiã alijs nequaquã affert, ſoliq; officit inuidenti. quã ſimilitudinẽ ſcitè Baſ. idẽ vſurpat: vt nõ mirum ſit, ſi dixerit ille: *inuidia ſiculi nõ inuenere Tyrãni tormẽtũ maius.*

Ne igitur nos tam noxia inuidentię tinea abſumat, magna opus eſt ſapientia; ſcitè enim Hector Pintus in cap. 19. Ezechiel. *Quemadmodum,* inquit, *tinea non naſcitur in cedro arbore odorifera, cuius ligna cariem non ſentiunt: ſic inuidia non gignitur in corde hominis ſapientis, ſed ſcelerati, qui aliorum bonis mœrore afficitur.*

Per inuidiã qui perierunt.

6. Inuidus ſibijpſi tormẽtum.

7.

Quin-

Inuidiæ deformitas.

Quinctũ etiã remediũ ad inuidiã profligandã satis vtile erit, eius malitiam & deformitatem diligenter animaduertere; Sapienter enim D. Gregorius de ea sic scribit lib. 5. moral. cap. 31. *quamuis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur: in hac tamen nequitia, tota sua viscera serpens concutit, & imprimendæ malitiæ pestem vomit. De quo nimirum scriptum est: inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Sapient. 2. *Nam cum deiectum cor liuoris putredo corruperit, ipsa quoq; exteriora indicãt, quam grauiter animũ vesania instigat. Color quippè pallore afficitur; oculi deprimuntur; mens accenditur, & membra frigescũt; fit in cogitatione rabies; in dentibus stridor; cumq; in latebris cordis crescẽs absconditur odiũ, dolore cæco tenebrat conscientiã vulnus inclusũ. Nihil latũ de propriis libet, quia tabescentẽ mẽtem sua pœna sauciat, quam felicitas torquet aliena. Quanto q; extranei operis in altum fabrica ducitur, tanto fundamentum mentis liuidæ profundius suffoditur: vt quo alij ad meliora properant, eo ipso deterius ruant; qua ruina videlicet etiam illud destruitur, quod in alijs actibus, perfecto opere surrexisse putabatur. Nam inuidia, cum mentẽ tabefecerit, cuncta quæ inuenerit benè gesta consumit. Vndè benè per Salomonem dicitur.* Prouerbiorum decimoquarto. *vita carnium, sanitas cordis; putredo ossium, inuidia. Quid enim per vitam carnis, nisi infirma quædam ac tenera: Et quid per ossa, nisi fortia acta signantur? Et plerumque contingit, vt quidam cum vera cordis innocẽtia in nonnullis suis actibus infirmi videantur, quidam verò iam quædam ante humanos oculos robusta exerceant, sed tamen erga aliorum bona, intus inuidiæ pestilentia latenter tabescant: Benè ergò dicitur, vita carnium, sanitas cordis; quia si mẽtis innocentia custoditur, etiam si qua foris infirma sunt, quandoque roborantur. Et rectè subditur: putredo ossium inuidia, quia per liuoris vitium, ante Dei oculos pereunt, etiam fortia acta virtutum. Ossa quippè per inuidiam putrescere, est quadã etiam robusta deperire.* Sic Gregorius ex cuius verbis apertè patet, quam turpe, & fœdum monstrum ac venenatum sit inuidia.

8. Iurè igitur sic Ouidius lib. 2. Metamorphoseos suis quasi lineamentis & coloribus inuidiam expressit.

Descriptio.

Pallor in ore sedet, maciesq; in corpore tõto,
Nusquam recta acies; liuent rubigine dentes;
Pectora felle virent; lingua est suffusa veneno;
Risus abest, nisi quem visu fecere dolores:
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis.
Sed videt ingratos, intabescitq; videndo
Successus hominum, carpit q; & carpitur vna,
Supplicium q; suum est.

Conuenit cum his omninò, quod ille ait:

Liuor tabificum malus venenum,
Intactus vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Quod quisque furit, inuidet q; sorti,
Vt debet sibi pœna semper ipse est.
Testatur gemitu graues dolores.
Suspirat, gemit, intutitq; dentes,
Sudat frigidus, intuens quod odit.
Effundit mala lingua virus atrum,
Pallor terribilis genas colorat:
Infelix macies renudat ossa,
Non lux, non cibus est suauis illi. &c.

9. Inuidia cæca.

Sextum remedium numerare possumus; obseruare quam cæca sit inuidia, quæ dum aliorũ inuidet bonis, sua non videt mala: Et dummodo ijs obsit, sua ipsius detrimenta non curat. Similis Ophthalmiæ, quæ est vitiosa oculorum affectio. Sicut enim hæc omnibus rebus splendidis & lucentibus offenditur ac læditur, sic inuidia omnibus aliorum bonis, secundisque rebus acerbatur, & tabescit.

Rectè ergò Salomõ Prou. 23. 6. dum monet fugiendam esse amicitiam, & societatem inuidorum; *ne comedas*, inquit, *cum homine inuido, & ne desideres cibos eius:* Vbi pro homine inuido Hebraicè habetur malus oculo, vel malus oculus; q; secundùm phrasim linguę Hebreę significat malignum oculum, & inuidum, qui aliena bona æquis oculis videre non potest: qualis ille erat, cui dixit Dominus: *an oculus tuus nequã est*, hoc est, inuidus, seq; crucians alterius felicitate, *quia ego bonus sum.* Talis erat & Saul, de quo scriptum est lib. 1. Reg. 18. *non rectis oculis Saul aspiciebat Dauid*, nimirũ propter inuidiã. Neque enim rectos habet oculos inuidia, sed omninò distortos, & obliquos. Sic diuina opera, quæ Christus edebat, distortis oculis cernebãt Pharisæi, dum illa dæmoni per inuidiã, & insaniã ascribebant. Et vniuersim inter animi perturbationes amor, & odium, siue inuidia, ita iudicium perturbãt, vt pessimè de rebus iudicent. Hinc D. Hieronym. epist. 61. Ad Pammachiũ ait: *non æquè inimici audiunt & amici. Qui inimicus est, etiam in scirpo nodum quærit: amicus praua quoque recta iudicat.* Is certè rectè iudicat & æqualiter, qui rectè, & æqualiter propter Deũ amat. Nam odium vel inæqualis amor iudicij lancem deprimit. quo propendet amor, eo propendet libra: Idemq; testatur Aug. tract. 30. in Io. cùm ait: *quis est qui nõ iudicat personaliter? qui diligit æqualiter. dilectio æqualis facit non acceptari personas.* Sic ille.

10.

Et vide quam cæca & insipiens sit inuidia; cùm enim possit ex terra aurum, & gemmas eruere, venenum eruit, quo hausto pereat; nam cùm possit inuidus ex felicitate, præclarisq; aliorum factis caritatis aurum colligere quo ditescat, tristitię venenum mauult extrahere quo malè pereat, vt sapienter Chrys. ho. 52. in Gen. scripserit: inuidã nihil cum ratione operari.

11.

Septimum remedium adhibet Basilius, vt conuictũ hominũ inuidorũ fugiamus; *Sapiens*, inquit, *profectò fuerit quicunq; cum inuido minimè congreditur & conuersatur: nec etiam in eadem esse cum eo mensa studet, quod ex conuictu reliquæ vitæ cõmertia vitari nõ facilè queant. Quemadmodũ enim arentem syluam, aut materiã quampiam, nobis curæ est procul abigne submouere: sic opus est (quoad fieri possit, & liceat) inuidorum conuersationes à nostra amicitia repellere, vt extra venenatas eorum sagittas securius agamus. Neque enim possibile est vt hoc malo non implicemur, si illi familiariter coniuncti fuerimus: quoniam ex sententia Salomonis: zelus hominis ex socio ipsius. Et profectò sic res habet. Non enim AEgyptio inuidet Scytha, sed suæ genti quilibet, & in eadem gente non ignotis, sed familiaribus, sed vicinis, & eiusdem artis hominibus, aut alia de causa coniunctis, & his denique coæuis, cognatis, amicis, & fratribus. Et omninò vt ærugo frumenti est vastatio: sic inuidia amicitiæ pestis est;* hæc Basilius.

12. Inuidorum conuictus fugiendus.

13. *Contemptus rerum mundanarum optimum aduersus inuidiam remedium.*

Postremum, & efficacissimum remedium est rerum mundanarum despicientia, vt Basilius inprimis, & Gregorius animaduerterunt, quorum ille sic scribit: *quid ergò nobis faciendum vt hanc pestem animi ab initio euitemus: aut si ea fortasse capti sumus, à nobis longè repellamus? Primum quidem si nihil rerum humanarum magnum, aut vehementer expetendum putemus: non potentiam, non gloriam, non diuitias, non corporis sanitatem, nec robur, nec pulchritudinem: non enim in rebus fluxis verum bonum constituendum est, sed æternorum bonorum participatio toto studio appetenda, omniq; conatu consectanda est. Itaque nec diues inuidendus est propter diuitias, nec potens ob dignitatis, atque honoris culmen, nec fortis ob corporis robur, nec eloquens ob dicendi facultatem. Instrumenta sunt hæc virtutum rectè vtentibus, non autem veri boni, ne dum felicitatis vim habentia. Qui verò ita fuerit animatus, vt nihil vnquam humanum ac temporale admiretur, nihil vehementer concupiscat: huic dominari non poterit inuidia. Si quis verò ita gloriæ flagret cupiditate, vt omnibus excellere cupiat, nec vlli se patiatur credere, maximam profectò inuidiæ occasionem, causamq; præbebit.* Basilio consentit Greg. loco citato hoc modo scribẽs. *Difficile est, vt hoc alteri nõ inuideat, quod adipisci alter exoptat: quidquid enim temporaliter percipitur, tanto fit minus singulis, quanto diuiditur pluribus; Et idcirco desiderantis mentem liuor excruciat, quia hoc quod appetit, aut funditus alter accipiens adimit, aut à quantitate restringit. Qui ergò liuoris pestẽ omninò carere desiderat, illam hæreditatẽ diligat, quæ tm coheredum numeru non angustat. quæ & omnibus vna est, & singulis tota; quæ tanto largior esse ostenditur, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur. imminutio ergò liuoris est affectus surgens internæ dulcedinis, & plena mors eius, est perfectus amor æternitatis; nam cum mens ab eius rei appetitu retrahitur, quæ accipientium numero partitur, tantò magis proximum diligit, quanto minus ex profectu illius sua damna pertimescit. Quæ si perfectè in amore cœlestis patriæ rapitur, plene quoque in proximi dilectione sine vlla inuidia solidatur: quia cum nulla terrena desideret, nihil est, quod eius erga proximum caritati contradicat. Quæ nimirum caritas, quid est aliud, quam mentis oculus, qui si terreni amoris puluere tangitur, ab internæ lucis mox intuitu læsus reuerberatur. Quoniam autem paruulus est, qui terrena diligit, magnus verò qui æterna cõcupiscit, potest etiam illud quod dicit Iob. paruulum occidit inuidia, sic non inconuenienter intelligi, quod huius pestẽ languore non moritur, nisi qui adhuc in desiderijs infirmatur.* Hæc Gregorius. Et hæc de remedijs inuidiæ.

14. *Discrimen inuidiosi ab inuido.*

Diuus Hieronymus *inuidiosum* ab *inuido* distinguit libro tertio in Epist. ad Galat. quod ille is sit, qui ab alio patitur inuidiam, & inuidiosi nomen est virtutis; nam semper virtutes sequitur inuidia, eodem teste Hieronymo Epistola vigesimaseptima. Idem in Ephitaphio Paulæ docet inuidiosum, quo se antidoto contra inuidiam munire debet: *ego*, inquit, *aiebam liuori esse cedendum, & dandum insaniæ locum quod fecisset Iacob in fratre suo Esau, & Dauid in pertinacissimo inimicorum Saul.* 1. Regum vigesimoseptimo, secundo: *quorũ alter in Mesopotamiã fugerit, alter se Allophylis tradiderit, malens hostibus, quàm inuidis subiacere. At illa* (Diua Paula) *respondebat iustè hæc diceres, si Diabolus contra seruos Dei, & ancillas non vbique pugnaret, & ad omnia loca fugientes non præcederet, si non sanctorum locorum amore retinerer, & Bethlehem meam in alia reperire posse parte terræ, cur enim non patientia liuorem superem; cur non humilitate frangam superbiam, & percutienti maxillam offeram alteram, dicente Apostolo Paulo* Romanorum duodecimo, vigesimosecundo: *Vincite in bono malum? Nonne Apostoli gloriabantur, quando pro Domino sunt passi contumeliam?* Actorum quinto, quadragesimoprimo. *Nonne ipse Saluator humiliauit se formam serui accipiens, & factus est obediens Patri vsque ad mortem, & mortem crucis, vt nos sua passione saluaret? Iob nisi certasset, & vicisset in prælio, non accepisset coronam iustitiæ.* Sic Hieronymus. in cuius verbis duplex suppeditatur antidotum inuidioso, alterum ipsius Hieronymi; alterum Diuæ Paulæ; vtrumque vtile, vtrumque sequendum, pro temporis, rei, personarum, cæterarumque ratione circumstantiarum. Atque hæc de inuidia.

DIGRESSIO VI.
MORALIS

In quasdam huius capitis sententias.

1. *Infidelitas impedit Dei beneficia.*

NEMO, inquit Christus exiguam ciuium suorum fidem miratus, *Propheta acceptus est in patria sua.* Diuus etiam Marcus *non poterat*, ait, *ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit, & mirabatur propter incredulitatem eorum.* quibus vtique sententijs damnatur hominum incredulitas, quæ in causa est, vt multa sæpè Deus in nobis non operetur; cum contra is, qui fide armatus est, nihil sit, quod efficere non valeat. Sic Iosue præstantia, ac magnitudine fidei, soli præcepit, vt cursum sisteret, & obtinuit, Iosue capite decimo, & ipse populi Hebræi ductor Moyses sublatis manibus, quibus crucis mysterium, vt Iustinus ait in colloquio cum Tripho. declarabatur, victores vt existerent, Hebræi mirandum in modum potentia fidei efficiebat, eas cùm remitteret superiores euadebant hostes. Idem verò quod dubitasset de petra exituras aquas, frustra semel percussit silicem, Numerorum vigesimo, ita fit, vt fidei opera respondeat; & enim si parua sit, parua operatur, si verò magna & ardens incredibilia ferme opera exercet; Quare quod tam pauca sæpè experiamur DEI beneficia, paruitati, vel exiguitati fidei nostræ tribuamus.

2. *Viduæ Sareptanæ liberalitas.*

Multæ viduæ erant in tempore Eliæ in Israel tertio Regum decimoseptimo, nono.] meritò ad nullam aliam missus est Elias, quam ad pauperem & viduam, cuius in maxima paupertate insignis liberalitas fuit.

Nam cum parum farinæ, & olei tantum haberet ad victum, totum id libenter Dei seruo impertijt; itaque meritò eam dignam arbitratus est DEVS, quæ seruum suum Eliam pasceret. Vt vel hinc dis-

cas

cas pro viribus & cuiusque facultate largiendum esse, & sæpè plus hac in parte tribuit, qui pauca, & tenuia libenter impertit, quam qui magna largitur; plus enim laudata est vidua illa Euangelica Marc. 12. quæ cum pauper esset misit duo minuta in Gazophylaciũ, hoc est, vt expositum Christus Dominus de penuria sua omnia quę habuit misit totum victum suũ; & meritò prælata est multis diuitibus, qui multa contulerant ex ijs, qui abundabant. Neque enim hoc magnum est, sed ex eo quod deficit dare, hoc proprium Christianæ liberalitatis est. Præsertim quia tanto gratior Deo est operatio, & laudabilior, quanto per illam plures, ac maiores propter Deũ difficultates superantur. Vt meritò qui hanc exercẽt sacrificare Deo dicantur. Id q; & fecisse Dauid legimus 2. Reg. 23. Cùm enim acri siti cruciaretur vas aquæ per magnum vitæ discrimen quæsitum, in terram effudit, eaque actione libasse eam Domino dicit Scriptura; ita cum te ferè necessariò cibo priuas, vt fame deficienti partem communices, cùm propter Deum de tua tenuitate, & mendicitate quidquam detrahis, rem difficilem præstas, verùm Deo gratum sacrificiũ offers; idemque accidit cum te propter eundem Deum vincis, in ijs, quæ repugnante sensu eiusdẽ Dei, vel proximi amore operaris. Ita Martinus ille pauper, & modicus de vnica, quam gestabat veste, partem mediam ense detraxit, qua nudum pauperem contegeret; at ea re Deo illũ sacrificasse dubitabit nemo, qui à Christo propter eam causã mirificè laudatum legerit.

3. Eruditum impios pietas.

Sed ad nostram viduam Sareptanam redeamus, quam sic immodicè laudat Ambrosius li. de Vid. *quam verò sancta vidua, quæ cum fame vrgeretur extrema, venerationem Deo debitam reseruabat. Nec solum sibi vsurpabat alimenta, sed cum filio diuidebat, ne caro pignori superuiueret. Magnum pietatis officium, sed Religionis vberius. Nam sicut neminem filio oportuit anteferri; ita Propheta Dei & filio præferri debuit & saluti. cui non exiguum victũ, sed vitæ suæ omne subsidium existimanda est detulisse, quæ nihil reliquit sibi; tam hospitalis vt totum daret, tam fidelis vt citò crederet.* Hæc meritò Ambros. de hac vidua, cuius benefacta in seruum suum amplè rependit Deus, vt indicaret quantum sibi ea contributio placuisset. Lecythus namque olei non defecit, & hydria farinæ non est exhausta, sicut illi diuino spiritu prædixerat Elias; Etenim illud verissimum est quod Prou. 3. dixit Salomõ, dum nos ad Eleemosynam hortaretur: *honora Dominum de tua substantia & implebuntur frumento horrea tua, & vino torcularia redundabunt.* Exemplo igitur huius viduæ seruemus illud diligẽtur, quod senior Tobias iuniori olim præcepit ca. 4. *Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum impertiri stude.*

4. Qua de re multa & præclara scribit Chrysost. quibus hortatur cunctos vt liberaliter & libẽter Christo tribuãt: sic enim ho. 53. ad Pop. Antio. ait: *quo plura Deo dederis, plus te diligit, quibus maiora debet, plus tribuit amoris, & gratiæ. libẽter intuetur eum, cui dedit aliquid, sed libentius eum respicit, à quo accepit. Nec ita tu delectaris, cum multos habes, & vides debitores; ac Deus cum multos videt creditores; & cum aliquem videt cui nihil debet, eum fugit, & auersatur; cùm verò intuetur eum cui*

A *aliquid debet continuò ad eum accurrit. Omnia ergò tibi facienda sunt, vt Deum habeas debitorem.* Quod si roges à Chrysost. quando mihi Deum debitorem faciam? respondet.

Nunc huiusce rei tempus est. nunc enim esurit, 5.
nunc sitit, nunc nudus est in pauperibus. Cùm verò hæc elapsa vita fuerit, tui non indigebit; & nunc indigere vult propter te. Cibari à te vult, vt te cibet; indui vt te induat; & non habens opus, petijt à te, quia tuam quærit vtilitatem, propterea in vili habitu petens, si obolum tribuas, non auersatur; neque si despexeris recedit, sed ad te rursum accedit, quia vehementer tuã desiderat salutem. Pecuniam ergò contemne, ne contemnaris; vt dines sis tua largiter da; vt colligas, disperge; quod si hoc tibi nouum apparet, seminantem animaduerte, qui non posset plura colligere, si quæ habet pauca non dispergeret. Semina ergò in benedictionibus, vt de benedictionibus & metas.

B Quod si dicas: filij mihi sunt, infantum me 6.
cœtus circumstat, & illos diuites relinquere cupio. Occurrit huic obiectioni Chrysost. tum eadem homilia 53. tum 68. ad Populum Antiochenum. *si filijs,* inquit, *omnia dimittas, periculosæ custodiæ tua cuncta commendasti. Si verò Deum eis relinquas heredẽ & tutorem, innumeros reliquisti thesauros. Sicut cum nos ipsos vlciscimur, Deus nos non defendit: cùm autem ipsi concedimus, plusquam expectamus efficitur: sic & in pecunijs, si nos earum curam gerimus, ab earum ille prouidentia recedet: si verò totũ in eum proijciamus, & eas & filios in omni securitate cõstituet. Si vis itaq; multas filijs diuitias relinquere, Deo relinque tutelã.* Et hic est primus respondendi modus; subdit & alium. *Hoc itaq; ne consideremus, quomodo filios diuites relinquamus,*
C *sed quomodo virtute præditos; nam si diuitijs confidant, nil aliud curabunt; habentes vndè morum malitiam obumbrent pecuniarum abundantia. Si verò se viderint illarum esse consolatione destitutos, omnia facient, vt aliquam paupertatis releuationẽ per virtutem inueniant. Ne diuitias itaque relinquas, vt relinquas virtutem.* Addit & tertiam respondendi rationem in hunc modum: *si vis filios diuites in tuto relinquere, Deum ipsis relinque debitorem, & hoc eis chirographum trade. Nam si pecunias quidem ipsi ceperint, neque cui dent, norunt: sed in multos incident calumniatores, & ingratos. Si verò præueniens eas Deo fœnerauerit, indireptus iam manebit thesaurus, & erit cum multa copia retributio.* Et hęc quidem Chrysost. hom. 53. Quartò etiam respondet eidem obiectioni hom. 68. prætextum
D enim ait, & verba esse quod de filijs obijcitur: *Non est,* inquit, *filiorum cura, quæ pecuniarum faciat, sed animæ morbus. propter hunc, & multi non habentes filios, circa pecunias insaniunt: alij verò liberis affluentes, & diuitias contemnunt, illi te redarguent in illa die. Quid Abraham? Nonne cum Isaac, & alios plures habebat filios. Quid ergò? Nonne sua hospitibus parabat?* Non est ergò quod filios accuses tuos. Non ipsi in causa sunt, vt alijs non benefacias, sed auaritia?

Quod si dicas, non ego filijs opes accumulo, 7.
sed mihi thesaurizo. Atqui hoc ipsum erat quod tibi ipse persuadere volebam, thesauriza tibi ipsi, non alteri. verùm cùm dico da pauperi, tibi vt thesaurizes dico. Dum pecunias habes si rectè perpendas, non eas tibi habes, quia securæ tibi non sunt. Si pauperi dedisti, iam dicere potes te eas securè pos-

sidere

si dere; quia nec fur, nec mors poterit eas à te auf rre; nam vt idem ait Chrysost. hom. illa 53. *tanquam canis ita Diabolus diuitibus insilit, tanquam buccellam, vel placentã tenenti puerulo volens auellere*: accidit interdum vt panis sit in manu pueri, cricumdant eum canes, vt panem rapiant: vt ergò sibi tuto seruetur, puer Patri dat, & recedunt canes, statimque puero redditur à Patre exactis canibus. Sic Dæmones diuitibus insiliunt; nec Dæmones modo, sed homines etiam & innumeræ, quæ expleri nequeunt, appetitiones, gula, luxuria, ludus, hæc omnia tãquàm rabidi canes diuitias, ac bona nostra tollere, diripere, ac suffurari festinant, & in canum morem latrantes, laniantes, trahentes diuites circumstant.

8. Quo illud Habac. secundo, sexto, 7. aptè accommodare possumus: *væ ei, qui multiplicat non sua. vsquequo & aggrauat contra se densum lutum?* id est in damnum suum diuitias, quæ nihil aliud sunt, quam lutum multo labore condensatum. *Nunquid non repentè consurgent, qui mordeant te: & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?* Ecce, quòd sicut canes circumdant hæ feræ bestiæ diuitem, vt lacerent eum. Da igitur Deo diuitias tuas, & securæ tibi erunt, & recedent à te canes.

9. Audi eundem Chrysostomum: eadẽ hom. sic contrà istos agentem. *Si fœnerare quidem suppetat multum dantes conquirimus; hîc autem contrarium facimus. Grate suscipientem Deum, & non centesimam partem, sed centuplum reddentem dimittimus; & ne sortem quidem nobis reddituros quærimus. Quid enim nobis venter reddit, qui plurima consumit? stercus, & corruptionem. Quid autem inanis gloria? liuorem, & inuidiam. Quid verò auaritia? curam, & sollicitudinem. Quid intemperantia? Gehennam, & veneniferum vermem. Hi namque sunt diuitum debitores, has sorti iungentes vsuras, præsentia mala, pœnasque futuras. His igitur quæso ad tantam mutuabimus vltionem, & nostra Christo non credemus, Cœlum prætendenti, æternam vitam, & arcana bona?*

10. Postremò aliam diuitum excusationem ne sua Christo dent, adijcit: *cur*, inquit, *non das Christo, qui plura daturus est, fortasse ne, quia post multum dat temporis? Atqui hic præbet. Non mentitur enim qui dicit: quærite primùm Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. vidisti liberalitatis magnitudinem? illa tibi seruata sunt*, inquit, *& non diminuntur: præsentia verò adiectionis, & superabundantia loco tibi largior. Prætereà post longũ recipere tempus, tibi talentum multiplicat: fœnus enim efficitur maius. nam in mutuantibus hoc facientes videmus fœneratores, qui post multum temporis redimentibus libentius fœnerantur. qui namque statim totum reddit, vsuræ cursum interrumpit: qui verò diu retinet, maiorem facit & operationem. itaque in hominibus quidem dilationem non ægrè ferimus, verũ & studemus, vt maior efficiatur: apud Deum verò tam pusillanimiter nos gerimus, vt propter hoc torpeamus & retrocedamus.*

11. Respondet & aliter huic obiectioni: *eorum*, inquit, *quæ dantur magnitudo, & illius donationis decor præsentis vitæ transgreditur vtilitatem. nec enim incorruptibili corpore illas immarcescibiles fas est accipere coronas, nec in præsenti plena turbationis conuersatione immotam illam, & imperturbatam*

A *sortem acquirere: Et si quis aurum quidem tibi debens in aliena moranti regione, nec habenti seruos, neque domum reportare præualenti, mutuum se daro promitteret; etiam ac etiam rogares ne tibi peregrè, sed domi potius id erogaret. illa verò spiritualia & ineffabilia vis hic accipere? & quanta sunt ista dementia? nam si hic quidem cœperis, omninò corruptibilia recipies: si verò tempus illud expectes, incorrupta tibi reddet & immortalia. si recipis hic, plumbum recepisti; si verò illic, probatum aurum.*

Veruntamen neque præsentibus te priuauit. Centuplum, inquit, *accipiet in hoc sæculo, & vitam æternam possidebit. quid enim magnum, quæso, Petrus erogauit; nonne rete fractũ, & calamum & hamum dumtaxat? verumtamen ei Deus orbis terrarum domos reseruauit, & terram explicuit, & mare: & omnes eum ad sua vocabant; quin potius & sua vendentes ad Apostolorum pedes pretia deferebant.* Actor. 4. 34. 35. *tantum eis & cum largitate tribuebant honorem. sed ille Petrus erat inquies: & quid hoc homo? non enim hæc soli Petro promisit, neque dixit, tu verò Petre centuplum accipies solus: sed quicumque, reliquerit domos, vel fratres: centuplum accipiet. Non enim personarum dixit differentiam, sed rerum merita.* Hæc præclarè Chrysost. 12.

B Verùm, antequam ab hac vidua recedamus, habemus, & quod ex ea ad mores nostros trãsferamus. Etenim Elias, quod nomen idem est, ac Dominus Deus, Christum designat, qui nõ mittitur nisi ad animam viduam, solatio & delitijs destitutam, & ad illum ardentibus desiderijs & votis suspirantem. Hæc porrò in Sarephta Sidonis reperitur. Sarephta incendium 13. Elias Christi figura.

C significat, sidon venationem, & ob id meritò animam notat, quæ per desiderij incendium venatur Deum. Venit ergo Christus ad talem animam ab ea quidem pascendus, sed magis vt eam pascat, ita vt non desit vnquam in domo conscientiæ eius farina cognitionis Dei, & oleum amoris. sed transeamus ab hac vidua ad Naaman Syrum, & ab Elia ad Elisæum.

Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo Propheta: & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus, 4. Reg. 5. 14. Merito sanè solus Naaman Syrus mundatus præ omnibus est, quia cùm diues, & præpotens esset, vltro se tamen Prophetæ subiecit, quamuis externo & pauperi. Quam rem eximiè commendat Ambros. lib. 4. in cap. 4. Luc. *cur igitur non curabat fratres, non curabat ciues, non sanabat Elisæus Prophetæ consortes, cum sanaret alienos, cum sanaret eos, qui obseruantiam legis, & legis consortium non habebant, nisi quia voluntatis est medicina, non gentis, & diuinum munus votis eligitur, non naturæ iure defertur? Disce Christiane, rogare, quod cupias impetrare, fastidiosos viros cælestium profectus munerum non sequuntur.* sic ille. Quoniam igitur Naaman supplex Prophetam adiuit ad fores consistens, illius præcepta expectauit; Ideò per humilitatem à lepra mundatus est, dum tantoperè serui Dei personam reueretur. & vide quo se deiecerit princeps alioqui diuitijs, fauore, & potentia insignis, cùm enim sanitatem adeptus ab Elisæo recederet, ait: *obsecro concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet seruus tuus holocaustum, aut victimam dijs alienis, nisi Domino*, 4. Reg. 5. 17. colligunt aliqui petijsse Naaman, vt asportare 14. Naaman cur mundatus.

sibi

sibi liceret duas terræ illius sportas, quam domi suæ pedibus calcabat Propheta, quasi sanctum quid & veneratione dignum esset; quod indicare videtur textus, dum ait, obsecrasse Naaman, vt sibi à Propheta facultas fieret auferendi terram illam, quasi esset aliquid Prophetæ proprium. Itaque tanti Elisæum fecit, vt quod ille calcabat; id supra caput suum constituendum putaret. Addit Glossa decreuisse ex eadem terra altare Deo erigere, in quo Deum verum coleret, eique preces, & hostias offerret. Non ergò mirum quod tantum humilitate promeruit, vt quod Hebræis non concesserat Elisæus, id libenter homini ignoto & gentili conferret, videlicet Deus libentissimè videt à Regibus, & Principibus viris ministros suos honorificè & cum summa animi submissione accipi, eosque in magno honore haberi præcipit.

15. *Cur Heliseus non sit egressus ad Naaman.*

Sed quamobrem, inquiet aliquis, Elisæus congredi cum homine Principe, & locuplete recusauit, & ne ad illum quidem foras prodire, vel se videndum præbere passus est, sed per internuncium, quid facto opus esset, tantum præcepit. Non id tumori procul dubio adscribendum est. Etenim certissimum est ex quarto Regum quarto, eundem Dei Prophetam videri se & teneri passum esse à Sunamitide muliere, immò & ex montis Carmeli vertice in eius veniisse domum, vt defunctum filium ad vitam reuocaret. Sic & Elias, qui superbum Regem Achab acriter increpauit tertio Regum decimooctauo, decimooctauo, idem tamen in pauperis viduæ domum ingressus est. & Christus Dominus, quod obseruat Gregorius quamuis rogatus in domum Reguli non venerit, ad humilem tamen Centurionem etiam non rogatus accesit. Aliunde igitur petenda est causa. Et quidem duæ occurrunt dignæ, quæ in primis referantur. Elisæus ministrorum Dei dignitatem cogitans (Dei namque personam gerunt) in quorum se esse numero non ignorabat. indicare voluit mundanarum rerum gloriam, splendorem diuitiarum, nullius esse momenti apud Deum, eiusque ministros, qui tanquam Dei legati eius sustinent personam; licèt rebus istis mirificè trahatur huius sæculi Principes, easq; maximè suspiciant & venerentur. deindè tumorem ac superbiam Principum, & huius sæculi diuitum non minus curare voluit Propheta, quam lepram; quam curationem quoniam non despexit, nec recusauit Naaman, se se illi subijciens, Ideò quod voluit obtinuit; videlicet placet Deo vehementer animi submissio in Principe, propterea per humilitatem lepra mundatus est Naaman Syrus; cum contra per superbiam, animique elationem Ozias Rex Iuda lepra infectus sit, quod ille debitum Dei ministris honorem detulerit, hic sacerdotis auctoritatem contempserit 2. Paralip. 26.19.

16. *Principum discrimen.*

Magnum sanè salutis discrimen Principibus imminet, cui cum peccando cæteris sint hominibus similes, nolunt tamen in curatione pares esse, nec se, more reliquorum, Christi ministris subijcere, & lacrymis, cinere, & cilicio Christi opem implorare, & hinc est, A vt miseri semper lepram suam secum gestent. Etenim Deus, teste D. Iacobo. capite quarto, *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*; neque ob aliud magis Saul Israelis Regno præpositus fuit, nisi quod de se submisè, modesteque sentiret; sic enim illi dictum primo Regum decimoquinto, decimoseptimo: *nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?* At posteà propter mentis elationem Regno depulsus est: Audiuitq; sibi Dei verbis dici: *Quare non audisti vocem Domini*, & cætera? *Propterea ergo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex.* At contra Dauid humilitate, & animi submissione sibi ad imperandum viam muniuit, nec sibi solùm, sed & posteris Regnum stabiliuit, cuius illæ fuerunt voces vero Principe dignæ: B *Ante Dominum qui elegit me*, & cætera. *Iudam, & vilior fiam plusquam factus sum; & ero humilis in oculis meis*, secundo Regum sexto, vigesimoprimo, vigesimosecundo.

Insignis sanè ludus est humilitas, qua Deus cum suis amicis paruulis, hoc est, humilibus ludere libenter consueuit. contendunt illi se magis ac magis deprimere, contendit DEVS tanto magis illos glorioſos efficere. Sed vincit tandem Deus; nam qui se humiliat, exaltabitur. Est item lusus quidam humilitas; ham quemadmodum olim Ioseph cum Beniamin fratrum minimo lusit, quem initiò quasi furem premere, ac vincire velle se simulauit; posteà verò totum id ioco factum fuisse ostendit; dum tandem eum, vt fratrem amplexatus est, & cæteris etiam fratribus prætulit; ita Deus agere cum humilibus consueuit; contemni enim illos patitur, & afflictationibus sæpè, ac persecutionibus exerceri quasi inimicus esset. At vbi se humiliasse illos, neque ab incepto humilitatis & patientiæ itinere defloxisse videt, tunc eos fouet, tunc blanditur, tunc se amicum declarat, tunc demum ad excelsum gloriæ thronum transfert, & cœlestibus donis auctos supra cæteros collocat, vt tanto glorioſiores sint, quanto humiliores & abiectiores fuere. Sic pater cum paruulo filio, ac prædilecto ludit, dum fingit se illi iratum, poma, quibus ille delectatur, auferre, eoque relicto recedere, quem vbi plorantem aspicit, in illius repentè amplexus ruit, demulcet, osculatur, & D multa plura ac meliora largitur, quam abstulerat.

17. *Dei qualis ludus cum humilibus.*

Sic se gerit Deus, sic ludit cum paruulis suis, id est, humilibus, dum illos in varias submittendi se, & despiciendi occasiones incidere permittit, quos posteà amplexatus glorioſiores in cœlis efficit. Aliter verò se cum superbis habet, & elatis Principibus, quod exemplo Nabuchodonosor manifestissimum est: Cùm enim iactaret ille diuitias, gloriam, & potentiæ suæ vires, ac secum gloriosè diceret: *nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cumq; sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit: tibi dicitur Nabuchodonosor Rex: Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus ejcient te, & cum bestijs & feris erit habitatio tua: fœnum*

quasi bos comedes. Daniel. quarto, vigesimoseptimo, vigesimooctauo, vigesimonono. Nam, *quia*, vt Gregorius quinto moralium, capite sexto docet: *elatione cogitationis se super homines extulerat, ipsum, quem cum hominibus communem habuit, sensum, amisit.* Imitentur igitur sæculi Principes Naamani humilitatem si Deo placere, & pluribus donis præclarè augeri cupiunt.

18. Postremò restat vt illa verba: *Iesus autem transiens per medium illorum ibat*, non omninò prætermittamus. Duo enim præcipuè docuit nos hoc facto Christus: primùm solere Deum ita peccato offēdi, vt propterea ab homine tāquam inimico recedat. Quo supplicio nihil grauius excogitari potest; Hinc Oseæ nono, duodecimo: *væ*, inquit, *eis, cùm recessero ab eis.* Has ille nobis minas intentat cùm ait Matthæi vigesimotertio, trigesimooctauo: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Deindè docet nos, vt ab homine ira cōtra nos incenso, & inflammato tamquam à Tigride, & Leone declinemus, ne ignem igni admouentes, iræ incendium in immensum excrescere faciamus. Neque verò dedecori id tribuendum est, sed honori potius; verè enim Sapiens Prouerbiorum vigesimo, tertio, dixit: *Honor est homini, qui separat se à contentionibus.* quod si animaduerterent diligenter homines, minimè tam multa nascerentur odia, neque inde homicidia, & innumera alia mala orirentur.

Recessus Dei hominis exitiosus.

Irato cedē dum.

CAPVT XVII.

MITTVNTVR AD PRAEDICANDVM APOSTOLI.

A. 9. 35. & 10. 1. & 11. 1. B. 6. 6. C. 8. 1. & 9. 1.

A, Et circuibat Iesus omnes ciuitates & castella, docens in synagogis eorum. B. Et circuibat castella in circuitu docens.

1. C. ET FACTVM est deinceps, & ipse inter faciebat per A. *omnes* C. *ciuitates, & castella*, B. *in circuitu docens.* A. *in synagogis eorum* A. C. *prædicans*, A. *Euangelium Regni.* C. *& Euangelizans regnum Dei*, A. *& curans omnem languorem & omnem infirmitatem, & duodecim cum illo.*

2. *Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant.*

3. *Et Ioanna vxor Chuzæ Procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.*

4. *Videns autem turbas miseratus est eis:*

A *quia erant vexati, & iacentes sicut oues non habentes pastorem.*

5. *Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa operarij autem pauci.*

6. *Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.*

7. *Et conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem (&) B. cæpit eos mittere binos.*

8. A. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater*

B *eius.*

9. *Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus Publicanus, Iacobus Alphæi, & Thadæus.*

10. *Simon Cananæus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum.*

11. *Hos duodecim misit Iesus* C. *prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.* A. *præcipiens eis dicens: in viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.*

12. *Sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel.*

C 13. *Euntes autem prædicate, dicentes: quia appropinquauit regnum Dei.*

14. *Infirmos curate, mortuos resuscitate, leprosos mundate, Dæmones eijcite: Gratis accepistis, gratis date.*

15. C. *Et ait ad illos: nihil tuleritis in via: neq; virgā, neq; perā, neq; pane, neq; pecuniam, neq; duas tunicas habeatis.* A. *Neque calceamenta.*

16. A. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: dignus enim est operarius cibo suo.*

17. *In quamcumque autem ciuitatem, aut castellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete,*

D *donec exeatis.*

18. *Intrantes autem in domum salutate eam, dicentes: Pax huic domui.*

19. *Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos.*

20. *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris.* C *in testimonium supra illos.*

21. A. *Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum, quam illi ciuitati.*

22. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio*

luporum,

Apud Lucā iis verbis idem in viam B. Nihil inleritis in via nisi virgam tantum. B Neque in zona æs, sed calceatos sandalijs. & ne induamini duabus tunicis. C. Et indè ne exeas.

Digitized by Google

luporum. Estote ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.

23. Cauete autem ab hominibus: tradent enim vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos.

24. Et ad præsides, & ad reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus.

25. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.

26. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.

27. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient.

28. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

29. Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite ad aliam. Amen dico vobis, ne consummabitis ciuitates Israel, donec veniat filius hominis.

30. Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum. Sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius.

31. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius?

32. Ne ergò timueritis eos: nihil enim est opertum, quod non reuelabitur, & occultum, quod non scietur.

33. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.

34. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.

35. Nonne duo passeres asse venerunt, & vnus ex illis non cadet super terrā sine Patre vestro.

36. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.

37. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.

Simile B.I. 38. c. 9. 26. & 12. 8. 9.

38. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.

39. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.

40. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem

A mittere, sed gladium.

41. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suum.

42. Et inimici hominis domestici eius.

43. Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me, nō est me dignus.

44. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.

45. Qui inuenit animam suam, perdet illam; & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.

B 46. Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me misit.

47. Qui recipit Prophetā in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; & qui recipit iustum, in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.

48. Et quicunque potum dederit vni ex minimis istis, calicē aquæ frigidæ tātum in nomine discipuli: amen dico vobis non perdet mercedem suam.

49. Et factum est, cùm consummasset Iesus præcipiens duodecim discipulis suis transiit inde, vt doceret, & prædicaret in ciuitatibus eorum.

C 50. Egressi autem circuibant per castella euangelizantes, & curantes vbiq; B. & prædicabant, vt pœnitentiam agerent.

51. Et Dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabant.

SCHOLIA.

D INTER caput 13. & 14. Matt. vt obseruat Iansen. c. 55. concor. inserenda est missio 12. Apostolorum, quam habet Matt. c. 10. per anticipationē. Non ob id tantū, quod Mar. inter aduentum Christi Nazareth, & mentionem necis Ioannis Narratā à Matt. c. 14. initio, inserat missionem illam: sed multo propterea magis, quod Mar. c. 6. & Luc. c. 9. antequam commemorent admirationem Herodis, de fama Iesu narrāt missionem, & post descriptam admirationem Herodis, quam Matth. ponit initio c. 14. subijciunt Apostolos redijsse, & cum eis Dominum cessisse in desertum locum, quem secessum Matth. scribit propterea factum quòd audisset Dominus cædem Baptistæ: Ergò quo tempore erant iam Apostoli in ipsamet missione: verosimile est occisum esse Ioannē, vel certè paulò antè; post verò cædem fuit admiratio, & post hanc reditus discipulorum. Cęterum antè missionem Apostolorū, de qua Matth. c. 10. anteire debet quod habetur in fine capitis noni apud eundē Mart. quomodo Dominꝰ circumierit ciuitates, & castella, & quomodo videns turbas, misertus sit earum. Nam ea quæ ibi narrantur causa fuerunt, & occasio missionis duodecim Apostolorum, quod ex Marco etiam haberi potest. Nam ante missionem Apostolorū, præmittit: *& circuibat castella in circuitu docens.* cap. 6. 6. mox v. 7. subdit; *& vocauit duodecim, & cœpit eos*

I. Ioannes quando occisus.

mittere binos &c. hic autem circuitus Domini cuius mentionem fecerunt Matthæus, & Marcus, idē videtur cum illo quem describit Luc. 1.8. qui interiectis quibusdam, quæ prius contigisse diximus, in principio capitis noni missionem Apostolorum subtexuit. est ergò rectus ordo sic colligendus: circumit Iesus ciuitates &c. & videns turbas miseratus est earum; deindè missi sunt discipuli, occiditur interim Ioannes. Admiratus est Herodes illustrissimum Christi nomen. redeunt Apostoli. Sequitur secessus Christi cum Apostolis trans mare Galilææ in desertum locum &c.

2. 1. *Deinceps*] Post coniectum Ioannem in vincula, post suscitatum mortuum, cùm iret in ciuitatē Naim. hoc. n. videtur significare *deinceps* apud Lucam, id est, post ea quę narrantur apud eundem Lucam c. 7. v. 11. 19. quamquam non immediate post illa hæc consequuta sunt, quæ de missione narrantur, vt patet ex serie, quam sequitur in l. 4. de rebus Euang. vel dilucidationum harum eodem lib.

Et castella] Notat Theoph. præbuisse hic Christum concionatoribus exemplum vbique animas quærendi, nec in magnis duntaxat ciuitatibus, sed vilibus etiam pagis concionandum esse.

Prædicans & euangelizans regnum Dei] Prædicare ad doctrinam morum, euangelizare ad aduentum Christi refertur, quod dicitur *regnum Dei*. Sic enim accipitur regnum Dei etiam Matt. 3.2. *appropinquauit regnum cælorum*: & Luc. 11.20. *peruenit in vos regnum Dei*: & Lu. 14.15. *Beatus qui manducabit panē in regno Dei*, regnant. n. supra Dæmonē & omnem mundi potestatē, qui in Christum spiritualiter credunt, ad cœleste regnum eius ope, & gratia transferendi: & dum hic viuunt regnat etiam Deus in eis, vt proindè reges sint orbis.

Duò porrò hæc maximè Christus sc. morum honestatem, & suum aduentum in concionando, vt auditorum animis insereret, curabat, quæ his verbis comprehenduntur prædicans, & euangelizans regnum Dei.

3. *Benignitas & potestas Christi.* Antequam hinc discedamus non prætereunda est hic benignitas simul, & potestas Domini. Quarum prima prodesse omnibus voluit, & propterea circumiens, nō omnes modo ciuitates, verum & castella nullum quamuis vilissimum locum aspernat⁹ est. Altera verò in eo maximè elucet quod curasse scribitur omnem languorem, & infirmitatem, hoc est, quoduis morborum genus, & ægritudinem: animis simul, & corporibus medicinam faciēs. Qua in re etiā benignitas apparuit. Dicitur quidem docuisse simul, & curasse; prius tamen docuisse, nam illud præsertim spectabat, quod præcipuum erat: miracula verò potissimū ad cōfirmandam doctrinam adhibebat, quod vt Apostolos doceret, se vt illi sequerentur voluit. Nec modo id verbis docuit, sed suo ipse exemplo.

Et duodecim cum illo] Theoph. & Euth. subintelligunt, erāt, Alij subticori volunt: *cum illo prædicabant, & euangelizabant regnum Dei*. Sed magis credo primum subintelligi. Vocat autem Lucas nunc absolutè duodecim sc. Apostolos, quia c. 6.13. scripserat elegisse Christum ex discipulis suis duodecim, quos & Apostolos nominauit.

4. 2. *Et mulieres aliquæ*] Erant hæ à Christo curationis beneficio affectæ: ideò gratæ, vt essent sequi eum voluerunt, eius præsertim benignitate, ac suauissimis moribus attractæ.

Christus vt pauperi sibi non seruari voluit. Cur autem Christus passus sit sequi, rationē collige ex sequenti versu: quia sc. *ministrabant ei de facultatibus suis*, vltro se ad hoc offerentes. Non recusauit verò hoc ministeriū clementissimus Dominus, vt indicaret pauperem se esse, & exemplo doceret, operarios euang. dignos esse mercede sua, & eis qui in animarum salutem serio incumbunt, non defuturos, quī liberaliter, ac spōte necessaria subministrent. Prætereà id fecit, ne videretur ipse qui pauper erat cibi gratia, & non ob Euang. regni tātum, salutisque hominum causa circuire ciuitates, & loca. Denique mitis, ac dulcis Dominus quemquam omninò grauare nolebat, cùm tamen verè eò ministerio, ac facultatibus indigeret.

Cæterùm tollebat consuetudo offensionem; ℣ Hieron. in c. 27. Matt. annot. *consuetudinis*, inquit, *Iudaicæ fuit (nec ducebatur in culpā more gentis antiquo) vt mulieres de substantia sua victum atque vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus abiecisse se memorat: dicit enim ipse* (1. Cor. 9.5.) *numquid non habemus potestatem sorores mulieres circumducendi, sicut & cæteri Apostoli faciunt?* hoc Tertul. l. con. Marcio. 4. ad vaticium Isai. refert, quod hic impletum dicit: habet enim Isai. c. 32. 9. *mulieres opulentæ surgite, & audite vocem meam, filiæ confidentes percipite auribus eloquium meum.* Ex Hieron. in epist. ad Ctesiphō. disce quas mulierculas circūduxerint infames illi hæretici Simon Magus, Nicolaʼ, Marcion, Apelles, & similes pestes, quod sanctè ab Apostolis factitatum fuit in abusum peruertentes.

5. *Consuetudo Iudæorum.*

Quæ erant curatæ] incertum, an omnes quæ sequebantur curationis essent beneficio affectæ, verosimilius omnes.

De qua septem dæmonia] consulat lector quæ scripsimus l. 8. Dilucid. c. 7. Schol. ad v. 1. §. de qua septem Dæmonia eiecerat.

6. *Ioanna vxor Chusæ diues & pia.* 3. *Et Ioanna vxor Chusæ*] credibile est hanc mulierem & diuitem, & piam valdè fuisse; cum procuratoris Herodis vxor esset, Christumque relicto viro sequeretur. Hic autem loquendi modus: *vxor Chusæ procuratoris Herodis*, innuit virum adhuc superstitem fuisse; alioquin potius dicturus fuisset Euangelista, quæ fuerat vxor. Creditur autem consensu viri id feciisse, vt sequeretur Christum, à quo beneficio esset affecta. Colligit hinc Maldon. licere mulieri, infidelem relinquere virum, vt sequatur Christum 1. Cor. 7.15. sed quomodo locus Pauli congruat non video: cum verosimilius sit virum hunc benè affectum erga Christum fuisse, cùm permiserit vxorem sequi Christum, eique suis facultatibus ministrare.

Susanna] hæc videtur fuisse nota, & idcò contentus fuit Euangelista solo eius nomine.

De facultatibus suis] non est necesse dicere, omnes has mulieres, quæ multæ erant, ministrasse de facultatibus suis, quia nec necesse est dicere omnes fuisse diuites, vt id facere possent.

Ei] videntur aliqui *eis*, legere, id est, Christo & Apostolis, sed idem est, si, *ei*, legamus.

4. *Quia erāt vexati*] Græca ferè habent ὅτι ἦσαν ἐσκυλμένοι, quod est dissoluti, ac dissipati à λύω, vt legit Theophyl. & videtur maximè quadrare in id quod sequitur, *sicut oues non habentes pastorem*. Quædam tamen Græca habent ἐσκυλμένοι, hoc est, conuulsi, & vexati, prout Chrys. Hieron. Hilar. legunt; & benè etiam conuenit sequentibus: *sicut oues non habentes pastorem*: tales enim oues varijs sæpè morbis vexantur, & malis.

Et iacentes] Gr. est ἐῤῥιμμένοι, quod est sparsi, siue dissecti: est enim participium, inquit, Iansen. à ῥίπτω, quod est proijcio. Dicuntur igitur vexati hi quibus Christus misertus est, quia varijs malis affecti primum à Scribis, & Pharisæis, qui pro pastoribus, lupos potiùs agebant, & innumeris eos traditionibus humanis, & opinionibus onerabant. Deindè à dæmone per peccata, & ignorantia sibi eos subiugante, & corpora etiam affligente. Dissoluti verò, aut dissipati dicuntur, quia varia sectabantur in morem destitutarum ouium per diuersa vagantiū. Iacentes deniq; quia ob omnibus neglecti.

7. 5. *Messis quidem multa*] redditur hic causa missionis Apostolorum, de qua mox agitur: propterea enim missi sunt: quia messis erat multa, operarij autem pauci. Messis vocatur auditorum multitudo, Dei verbum auidè expetentium. Et quia iam Christus ipse exierat seminare semen suum, & creuerat fœliciter semen, & seges matura iam erat ad messem: Propterea non segetem, non semen, sed messem vocat etiam Lu. 10. 2. Io. 4. 31. 38.

Dominum] Christum intelligit Chrysost. quod etsi verum est tamen probabilius est hic patrem suum vocasse *dominum messis*, quem & Io. 11. 1. agricolam vocat, & Matth. 21. 33. 38. Mar. 12. 1. Luc. 20. 9. vineæ dominum, se vocat filium familias, qui pro patre & sementem facit, & metit. operarij tum præsertim pauci erant Christus & Ioan. vel secundùm Remig. paruus numerus operariorum erat, si conferretur cum tot, tantisque segetibus.

6. *Rogate*] Chrysost. ostendit magnum donum esse decenter prædicare, dum dicit hoc esse orandum. vel docet donum Dei esse quod hominibus etiam veritatis auidis boni dentur pastores, idque vult precibus à Deo contendendum esse.

8 *Mittat*] ex antiquis exemplaribus scriptis legendum esset, *vt eijciat operarios*, quod conuenit cum græca editione ἐκβαλῇ. significatur ergò orandum, vt citò mittat, ac vel inuitos, & coactos extrudat in opus Dei. Significatur etiam vis imperij, & gratiæ Dei, quæ cunctantes etiam ad hoc impellit. Nèc alios demum vtiles esse colligendæ huic messi, quam qui ad hoc à Deo protruduntur, & nec se ingerunt non vocati. Interdum tamen ἐκβαλλεῖν significat emittere, aut depromere Io. 10. *cum propria oues emiserit*: Matt. 12. *bonus homo de bono thesauro profert bona*. Vbi idem vocabulum est.

9. 7. *Conuocatis*] seiunctis à turba, vt priuatim eos institueret. *Potestatem*] hanc potestatē exercet Ecclesia dū cōsecrat aquā, palmas &c. Lu. habet, virtutē, & postatē: δύναμιν καὶ ἐξουσίαν. potestas ad quādam præsidentiā, & dignitatem petinet. Qui .n. alijs præsunt potestatē habere dicuntur. Virtus aūt ad efficaciā. Potestas sine virtute inermis, & inutilis est: virtus sine potestate aliquādo temeraria est. Instituit igitur Christ⁹ quasi præsides veluti ex officio Apostolos super dæmones, & morbos, & vt efficaciter vtrumq; præstarent adhibuit virtutē, ac potentiā. Matt. & Mar. nomine potestatis vtrumq; significarunt. Hęc aūt duo, potestas, & virtus, diuinitatis erant argumentū, & apta ad cōciliandā hominū beneuolentiā: ideò illis Christus gratis concesit, & sine inuidia cōmunicauit: cùm ad fidem verbis conciliandam, multum facerent.

Spirituum] eijciendorum. *Immundorum*] nam rebus oblectantur immundis, & homines eo pelliciunt, non quod ex se natura immundi sint.

Binos] in commēdationem fraternæ charitatis, in mutuam consolationem, mutuamq; custodiam operum & doctrinæ, & in maiorem veritatis prædicandæ cōtestationem: in ore enim duorum vel trium testium stat omne verbum. Quomodo autem dicat Mar. c. 3. 15. dedisse prius potestatem illam; declarauimus c. 8. huius libr. 4. Dilucida. Schol. ad vers. 3.

10. 8. *Duodecim autem*] de his vsque ad v. 11. vide quæ scripsimus c. eodem in Scholijs, & Theorijs. Cur autem idiotas, & pauperes elegit, vide Ambr. in c. 6. Luc. Hieron. in 4. c. Matth.

Hos duodecim misit Iesus] Pradus Ezech. v. 14. ad finē sic notat. in hęc: Græcè, amandauit, ablegauit, extrusit, abegit, quasi nolentes ad prædicandum Verbum Dei &c. cuius rei duplicē assigno causam Prima est, quod tam difficile, & arduum prædicationis munus eligerentur: quod illa Ezechielis verba c. 3. 14. significāt: *Spiritus quoq; leuauit me, &*

A *assumpsit me*. & postea, *& abij amarus in indignatione mea*. non soluin quia meditabātur Dei in populum iram; sed quia sollicitabat etiam eum iniunctum à tam præpotenti maiestate munus. sc. coctus cibus libri cœperat iam fumare nebulam tristitię in cor: & ideò manus Domini confortabat eum. Secunda est, quod à Christo separari per tantillum quidem temporis spatium ægrè ferebant.

11. *Regnum Dei*] aduentum Messiæ, & tempus gratiæ, quæque ad illud faciunt, æternamque salutem acquirendam.

Sanare infirmos] sub hoc continentur rēliquā, quæ habentur infra v. 14.

In viam gentium] *ad gentes*, Hebræa phrasi, vt Hiere. 2. 18. *quid tibi vis in vijs AEgypti?* id est, quorsum tam frequenter in AEgyptum is? Ponitur verò hic primum Christi præceptum instruentis Apostolos. Vide in hunc V. Greg. ho. 4. in Euange. ia.

B Solet hoc loco moueri quæstio, cur Christus ad gentes Apostolos ire prohibuerit, c. 20. Matt. v. 19. & Mar. 16. 15. ire iusserit. Passim respondent, quia Iudæi filij erant regni. Matt. 8. 12. & illis facta fuerat regni promissio Gen. 17. 1. & Rom. 15. 8. & non venerat Christus nisi ad oues, quæ perierant domus Israel, id est, ad eas in primis Matt. 15. 24. illis enim oportebat primū prædicare Verbum Dei Actor. 13. 46. vt sic profecta euangelica lex à Iudęis, à quibus est omnis salus, deriuaretur ad gentes, & admiranda quadam iustitia diuina videretur facta à Iudæis ad gentes Euangelij translatio. Vt ità non priùs passim, & palā gentibus Euangelium prædicaretur, quam se Iudæi illo omnibus modis indignos reddidissent. Et hæc est propria huius rei causa: Alij quæ afferuntur potiùs accessoriæ, & accōmodatæ sunt, vt illa: ne vllam Iudæi haberent excusationem, si Christum non recepissent, dicentes: eum ad gentes, & Samaritanos, atque adeò ad hostes suos misisse Apostolos. 11. *Cur apostoli ad gentes ire prohibiti.*

C *Et in ciuitates Samaritanorum*] Gr. καὶ εἰς πόλιν, in ciuitatem, hoc est, in nullam ciuitatem Samaritanorum. sic legit Clemens Alexandrinus 3. strom. Noster interpres sensum est sequutus, & ideò, *in ciuitates*, dixit. vel fortè legit melius εἰς πόλεις. Samaritanorum, seorsim mentionem facit: nam nec Iudæi, nec gentiles erant omninò, sed cùm Deum colerent, idola etiam sua venerabantur, & tamen Israelitæ videri volebant, Io. 4. 9. propterea seorsim vetat Christus Apostolos eos adire, erant verò hæretici, nam tantùm quinque libros Moysis recipiunt, alios reijciunt. Huc spectat pulchra similitudo Chrysost. quam habet de Priscilla, & Aquila, de auibus fouentibus pullos, disce hinc hæreticorum commercia fugere. *Samaritani quales.*

12. 12. *Ite ad oues quæ perierunt*] Barrad. c. 11. lib. 9. putat non fuisse hanc primam Apostolorum missionem. missos enim antea, ex Io. 4. *ego misi vos metere*. Nam missi fuerant ad baptizandum, & aliquo modo ad docendum, sed hæc præstantior est missio: & qua missi sunt omnes Apostoli, postquam Apostoli electi, & nominati sunt, & Christi præceptis benè instructi. proindè non mirum si ab Euangelistis hæc sola missio sit commemorata.

Vocat verò hic *oues*, quia erat populus ei peculiaris, & eius velut grex, quem ipse per se, & per patriarchas, per duces, & Prophetas, per Sacerdotes, & reges pascebat, Psalm. 73. 1. & 76. 21. & 77. 52. 70. 71. & 78. 13. & 79. 1.

Quæ perierunt] quia *omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt*, Psal. 3. 3. & 12. 4. & Isa. 53. 6. *omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suā declinauit*. Sic Ezech. 34. 5. *dispersæ sunt oues meæ eò quòd non erat pastor, & factæ sunt* &c.

13. 13. *Octo præcepta Apostolis data quædam fuisse*

13. *Euntes autem prædicate*] obseruandum à Matt. esse posita octo potissimum præcepta specia-

tim pertinentia ad hanc missionem. horum tria videntur Lucas, & Marcus ponere. quamuis Lucas quædam scribat præcepta etiã in missione 70. discipulorum. Est ergò hoc secundum præceptum à solo Matt. scriptum, sicut & primum; licèt Lucas c.9.2. illud insinuet, cùm dicit, illos esse missos, vt prædicarent regnum Dei, & septuaginta alijs discipulis idem mandatum apertè narrãt esse datũ, cùm ait c.10.9. & dicite illis: *appropinquauit in vos regnum Dei.*

Appropinquauit regnum Dei] nõ tamen sine pœnitentia, vt Marc. 6. patet quid sit appropinquare regnum Dei. vide l.2. Diluci. c.1. ad. v.7. sicut autem Christus Iudæis primum prædicare voluit, ita & Apostolis idem iussit, vt primum facerent: & sicut ipse sic auspicatus est, vt & 10a. *pœnitentiam agite, appropinquauit enim* &c. sic voluit suos inchoare. Nam de pœnitentia dicitur inferius: *& euntes prædicabant, vt pœnitentiã agerent*, quæ includitur etiã in his verbis: *appropinquauit regnũ cælorũ*: Cõtinetur. n. his cõtemptus regni terrarũ, explosio eorum quæ gratiã Dei impediũt, præparatio regni cælorũ &c. Nec putãdũ est, voluisse Dominũ, vt his conceptis verbis prædicarẽt: *pœnitentiam agite, appropinquauit enim* &c. verum his summam & caput prædicationis insinuauit.

14. *Infirmos curate*] tertiũ hoc est præceptũ apud solum Matt. à Luca in 70. missione cõmemoratum. Rectè subnectitur priori, nã cum alioqui illiterati, & rudes essent Apostoli, & noua quędã & admirãda tamẽ prædicaturi essent, quo fidẽ verbis facerẽt necesse erat potestate miraculorũ vti. Non præcepit autẽ signa facere, quæ ad curiositatẽ, aut terrorẽ hominũ, stuporẽq; tantũ inanẽ facerẽt, sed quæ saluti corporibus præberẽt, simulq; gratã, & acceptã, & credibilẽ, non admirabilẽ modo euangelicã doctrinã redderẽt. Quarè meritò Theoph Matt. 10. miracula arma vocat, quibus Deus Apostol. instruxit, quibus gentium, ac Iudęorum perfidiam fortiter exscinderent.

14. *Gratis accepistis, gratis date*] Hoc quoq; quartum præceptũ, solus Matt. scribit ad superbiæ, & auaritiæ affectũ cohibendũ. Nam vt rectè monet Chrys. superbiã reprimit, cùm ait: *gratis accepistis*, auaritiã præcidit cũ subdit, *gratis date*. D. Hiero. Mat. 10. *quia*, inquit, *semper dona spiritalia, si merces media sit, viliora fiũt: adiungitur auaritiæ cõdemnatio: gratis accepistis, gratis date*. hęc vera est huius loci sententia magis, quã ea, quã Maldo, c.10. in Matth. v.8. probat: velle Christũ monere Apost. q̃ deberẽt miraculorũ dono largiter vti. *Solemus .n.* inquit, *quæ gratis accipimus, quaq; gratis damus, largiter, & copiosè dare*. Neq; tũ voluit per hæc, vt Aposto. potestatẽ miraculorum acceptã gratis, alijs etiã gratis cõferrẽt, sed vt potestate illa gratis accepta, gratis etiã vterentur. Generatim autẽ loquitur, vt intelligeremus vniuersim omnia spiritalia gratis danda esse, sicut gratis accipiuntur. Sic Elisæus 4. Reg. 4. munus à Naamã accipere noluit, q̃ quia Giezi ambiuit & accepit, incidit in leprã. Sic Petrus Simoni meritò iratus dixit: *pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniã donũ Dei existimasti pecunia possideri* Act. 8. sic debet Christi cõcionator omni auaritiæ suspicione liber cùm Isa. c.55. auditores suos inuitare ad dona spiritualia: *venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione.*

Spiritualia cur vendere non liceat.

Iam verò sciendum his verbis indicari causas, propter quas non licèt spiritualia vendere, vt proindè hinc cõstet nõ simplicé esse auaritiã hæc pretio impertiri, sed irreuerentiã, sed iniuriã quoque Dei. ob tria. n. spiritualia vendi nequeunt. Primum quia pretio aliquo terreno cõpensari non possunt, vt locus citatus Act. 8. indicat: *pecunia tua tecum sit in perditionẽ, quoniã donum Dei existimasti pecunia possideri sunt: enim pretiosiora cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur hiis non valent cõparari.* Deindè ea possunt esse debita vẽditionis materia, quorum venditor est Dominus, ad spiritualiũ gratiarũ homo tantũ dispensator est 1. Cor. 4. deniq; venditio repugnat origini spiritualiũ, quæ proficiscuntur. ex liberali Dei voluntate. Quarè irreuerentiã Deo, rebusq; diuinis exhibet qui vendit: cùm id, q̃ Deus per ipsum gratis vult hominibus cõferre, facit ne sit gratuitũ. Has posteriores duas rationes significat Dominus his verbis, secundã quidẽ dũ ait: *gratis accepistis*: per quæ satis docet non esse nos illorũ dominos, quæ acceperũt, sicut eorũ quæ pretio, & labore cõparauimus. Tertiã verò indicat, dum ait, *gratis date*. Sunt ergò dona gratuita, & proindè nõ subijcienda venditioni. Addit Iapſ. c.51. concor, etiam per hæc prohibere voluisse Dominũ, ne ab ijs, quos curassent, munera acciperẽt, etiam quæ grato tantũ animo offeruntur, q̃ seruasse Elisæum locus 4. Reg. c.4. supèrius citatus ostẽdit. Et rectè id prohibetur, ne pietas vertatur in quęstũ, & q̃ institutũ erat ad gloriã Dei occasio fiat auaritiæ, & vilescat Dei gratia, dum cõpensatio fit munerum acceptorũ per aliqua dona collata ab his qui ea acceperũt.

15. *Nihil tuleritis in via*] Lucas *in viã* dixit ἐις ὁδὸν, q. d. nolite esse soliciti de necessarijs ad iter. lege in hunc v. Chry. to. 3. in dictum Pauli, salutate Priscã & Aquilã, & Driedo. *Neque virgã*] est quinctũ præceptũ, quo statuitur quomodo gerere se debeãt in via. Quinq; aũt prohibet, primũ virgam, q̃ ad se defendendũ facit. Itaq; virga vltionis aut defensionis causa vetatur: nã quæ ad innitendũ, conceditur Mar. 6. *nihil tuleritis in via, nisi virgã tantũ.*

15.

Neq; peram] prohibet circumferri cibos, & repositaria ciborum, ac potus. Et vt ait Interl. ne cellariũ secũ vehant. Ex Hiero. arguuntur Philosophi cellarium secum vehentes, dicti *Bactroperatæ*, cum tamen cõtemptores se esse sæculi iactarent. Est aũt pera sacculus in quo cibus reponitur, & asseruatur ab iter agentibus 4. Reg. 4. maximè aũt pastoribus est familiaris 1. Reg. 17. citarchiũ, aut cistariũ vocat Hiero. 1. Reg. 9. 7. sportulã vocabãt Romani, de qua Tertul. per *peram* intelligunt aliqui res, quæ pera portantur, per cõtinens cõtentum accipiendo. ſatius est & sacculũ, & res simul cõtentas intelligere apud Matt. præsertim. Nã Mar. & Lu. seorsim paũe addiderũt, per quẽ cib⁹ omnis significatur, vt Mar. etiã 3. Lu. 14. sub nomine etiã *peræ* comprehendi etiam vasa debemus accipere, in quibus potus conseruatur; cum præsertim hæc peris vehantur.

16.

Neque pecuniam] Prohibet tertiò pretium pro viatico, & inferius: *nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam* &c. vbi obseruandum, non simpliciter prohiberi hæc illis, scil. pro omni tempore, & loco, sed eo modo, quo in Theor. dicemus.

Additur *in zonis vestris*, hoc est, in crumenis vestris, quia loquitur iuxta veterem morem, quo pecunia ab his, qui se dant in viam, & iter conficiunt, præsertim verò à militibus, solet deferri in zonis, hoc est, in cingulis. Hinc Spartianus in vita Pescẽnij nigri ad finem: iussit ait, ne in zonis milites ad bellũ aureos, vel argenteos nummos portarent, & Graccus apud Gel. l.15. c.12. *Zonas*, inquit, *quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes retuli*, & Suetonius in Vitellio c.16. ait: *Zonã se aureorũ plenã circumdedit*. Horat. item l.2. epi.2. de eo qui pecuniam amisit inquit: *ibit eo quo vis qui zonam perdidit*. Et Iuuen. Saty. 14. *Zonã læua, morsuq; tenebit.* à naufrago enim zona, vbi recondita est pecunia non modo manu, sed & dentibus tenetur.

Apud Matt. pro pecunia græcè est, χαλκὸν, id est, *æs*, tres enim pecuniæ species posuit Mat. iuxta tres species rerũ, ex quibus cudi solet moneta, quæ Budæo teste primũ fuit ærea, deinde argentea, postrẽ aurea.

Digitized by Google

mò aurea. Prohibet ergò vel aurũ, vel argentũ, vel æs posſidere, id eſt, habere, & ſecum ferre. Maluit interpres pecuniam vertere, quam æs, quia fortè nomine pecuniæ vulgò ærea intelligi ſolet. vel quia argento, & auro etiam vtimur ad ornamentum; tacitè etiam talem vſum ſignificare voluit interpres eſſe prohibitum hic à Chriſto vt & Druthmarus in Matth. cap. vigeſimo ſeptimo exponit. In Marco interpres vertit *æs*, & potuiſſet vertere *pecuniam*: quandoquidem ſpeciem pro genere videtur Marcus poſuiſſe; apud Lucam, vbi interpres vertit *pecuniam*, legimus ἀργύριον, videturque poni argentum pro genere.

17. *Tunica quæ veſtis, & cur Apoſtolis prohibita.*

Neque duas tunicas] Quartò prohibet duas tunicas. eſt autem tunica indumentum interius, ſicut palliũ exterius. Ne intelligas prohibitũ eſſe ne duobus veſtimentis induerentur in via, cùm cõſtet & ipſum dominum pluribus veſtibus indutum. ſecundùm ergo Hierony. accipere oportet per duas tunicas duplex veſtimentum; vel quod idẽ eſt, veſtes mutatorias, & ita *tunica* ponitur generatim pro veſte, & *duas*, pro, *duplices*. vt ſit ſenſus: ne præter veſtes, quibus irent induti alias ſecũ deferrent, quas induerent, alijs ſordidatis: vt videtur 10. intelligendus cùm ait: *qui habet duas tunicas det vnam non habenti*. ſed Marcus ait, *ne induerentur duabus tunicis*. ergò videtur ſignificare vetitum eſſe illis, ne ſimul duabus induerentur veſtibus. ſed ſenſus eſt Marci, ne viciſſim nunc hac, nunc illa induerẽtur tunica. Quare non dixit duabus veſtibus, ſed *duabus tunicis*; vſus nomine ſpeciei, & per illud ſignificans non duplicandas, cuiuſuis alterius etiam ſpeciei veſtes, ita vt vna induatur, altera in futurum tempus reſeruata.

18. Sunt qui dicant, tunicarum multitudinem abſolutè ſingulis Apoſtolis prohibitam, quãuis Hierony. Matt. 10. noret nõ fuiſſe prohibitum Apoſtolis duas tunicas ſimul induere. ſed ne mulras haberent, vnam, qua induti incederẽt, altera futuro tẽpori reſeruata. Ratio horum, quia inquiunt tunc tẽporis morẽ fuiſſe vna tantũ indui tunicã nõ pluribus ſimul. Non ergo inquiunt iſti, licebat pluribus indui ſimul, nec plures habere, vnã, qua induerentur, alteram reſeruatã. Hoc verò expreſsè Chriſtum exhibuiſſe, illud tacitè, quia ex conſuetudine facilè intelligi poterat. Probabile eſt hoc præſertim ſi intelligamus hoc Chriſtũ præcepiſſe pro eo tẽpore, quo erant peregrinaturi per terrã promiſſionis. Nam poſteà Apoſtoli etiã reſeruata habuere veſtimenta in vſus neceſſarios, vt Chryſ. probat ex illo Pauli 2. ad Tim. 4. *penulam*, inquit, *quã reliqui Troadæ apud Carpum veniens affer tecum* Penulam ergò reſeruatam habuit Paulus, qua hyemali tempore vtebatur. Porrò nomine tunicæ non intelligas ſubuculam, imò neq; pallium, alioqui Chriſtus etiam tria induiſſe veſtimenta dicitur. nam vltra hanc tunicam de qua loquimur, pallio vſus eſt, & aliquid aliud habuit loco ſubuculæ.

19. *Calceamẽta quæ & qualia Apoſtolis prohibita.*

Neq; calceamenta] Quintò prohibet calceamenta. ſunt qui dicãt prohibuiſſe hic Dominũ calceos tantũ, qui totum tegerent pedem, quique propriè ὑποδήματα dicuntur. nam Marcus 6. 9. dicit: *ſed calceatos ſandalijs*. Sandalia .n. dicunt fuiſſe ſoleas, ſolamq; texiſſe plantã. hæc ergò conceſſit, calceos prohibuit. ſic videtur Hierony. hic & Aug. li. 2. de conſen. Euangel. c. 20. interpretati. Alij, quæ Mar. vocat, σανδάλια ſandalia, inquiunt Matth. vocaſſe ὑποδήματα, & ex Actis ca. 12. 8. apparet ὑποδήματα, & σανδάλια, idem eſſe, quod confirmat id quod habet Serarius Iudit. 10. quæſtiunc. 2. ſandalia etiã interdũ accipi pro cõmunibus calceis, qui & ὑποδήματα dicuntur. ita .n. & ſandalia à Chaldaico *Thargum* appellãtur Gen. 14. Iſai. 11. Cant. 7. 1. & alibi prout ſuo Thisbi monet Elias, vbi etiã exinde ait, vocatũ Rabbinum, quẽdam Haſſandelat .i. calceolarium. iam ad rem. Concordant ergo iſti Matt. cum Marc. quia intelligunt Matt. ſicut duas tunicas nominauit, ita cùm dixit; *neque calceamenta*, intelligat etiã bina, vel duplicia, ſeu duo paria. ſic Iuuencus lib. 2. hiſt. euang. *nec plantis tegmina bina*. Marc. verò ſignificat iuſſiſſe Chriſtum vt illa ipſa ſandalia, quibus tunc calceati erant ferrent tantũ ſecum, non plura. eligat Lector vtram velit ſententiam.

Sed inquies Luc. 22. dictum eſſe Apoſtolis à Domino: *quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis*, &c. videntur igitur prohibita fuiſſe calceamenta omninò Apoſtolis, quæ ſcilicet totum contegerent pedem, cùm tamen ſandalia Marcus hic expreſsè permiſſa dicat. Reſpondeo hoc facere aliquanto probabiliorem primam interpretationem: licet reſpõderi poſsit, de duplicibus calceamentis loqui Lucam.

20. *Chriſtus an nudis pedib. inceſſerit.*

An verò Dominus nudis inceſſerit pedibus dubium eſt. quod verè non vſus fuerit calceamentis, quæ tõtum obtegerent pedem, inde conſtare videtur, quod peccatrix mulier, quæ lacrymis rigabat eius pedes, repperit ſuperiorem ſaltem pedũ Domini partem nudam. vide Hierõ. ad Euſtoch. certè Tertull. l. de Pallio, ſignificat calceos totum tegere pedem, ac ſuo tẽpore Chriſtianos ferè ſine calceis inceſſiſſe nudis pedibus; aſſerens parum virile eſſe calceos geſtare, ac ſutrinas venereas proſpexiſſe magnum inceſſui mũnimentũ perones effœminatos. Hierony. in Matt. ſcribens, videtur intellexiſſe calceamenta in totum prohibita Apoſtolis, cum Platonis præcepta, veluti cõformia præceptõ Chriſti tradat: & Plato, inquit, etiã præcepit duas corporis ſummitates, non eſſe velandas, nec aſſuefieri mollitei capitis, & pedum. cùm enim hæc habuerint firmitatem, cætera robuſtiora ſunt.

21. Erant quoque, eodem ſerario referente loc. citat. nu. 19. ſandalia, calceamenta, non qualiacumque, ſed pulcra, & elaborata, diuitumq; mulierum propria, vti probat. l. 14. var. lec. c. 15. Victorius teſtimonio Cephiſodori comici, qui in Trophonio ſua, induxit mulierem olim diuitem, iam pauperem cõquerentem, q̃ quæ antea ſumptuoſo genere calceamenti, id eſt, ſandalijs vſa fuerat, poſtea, ſe tanquam ancillam, peribat idibus vti. vnde manarunt fœminarum illi ex D. Hieronym. ad Saluinam, Aurati Socci. quod Clemens confirmat. l. 2. Pædagogi. c. 11. dum hæc ſcribit: *in calceamentis quoque ſuperbæ, arrogantesq; fœminæ magnã oſtendunt mollitiem*. verè ergo turpia ſunt illa Sandalia, in quibus ſunt aurea veluti donaria, & hoc modo ſumũtur Sandalia Iudith 10. 3. Hieron. item cap. 20. Iſai. ſcribit; Sandalia, quæ ibi verterunt 70. pro calceamentis, ſignificare caligas: quæ ſunt tibiarum tegumẽta. Cur verò etiam ſi græca id genus nomina in interprete noſtro legantur, carpendus non ſit, docet idem Serar. ex c. 14. libri 2. Machab. pag. 705. quia, inquit, græca interdum nomina pro latinis vſurpantur, vt apud Plin. lib. 2 Oeci populorũ, lib. 7. probata, id eſt, oues, apud Ciceronem, & Virgil. acta, id eſt, lictus; apud Terentium aſtu, id eſt, vrbs, de quibus c. 3. lib. 1. variarum lectionum Muretus.

16. A. *Dignus enim eſt*] ſignificat his Dominus, non tantum ſe diuina prouidentia omnia illis neceſſaria ſubminiſtraturum, ſed etiam illos, quibus annuntiandum erat Euangel. teneri eis ſubuenire. & neceſſaria ſuggerere, & ipſos Apoſtolos iure poſſe ab ijs talia exigere, & recipere. paullò aliter Auguſt. lib. 2. de conſen. c. 30.

22. *Cibo ſuo*] alibi dicit mercedem, quod non videtur ſtare cum ijs quæ dicta ſunt: *gratis accepiſtis, gratis date*. ſed mercedem vocat, & ſuum cibum, id eſt, debitum quoddã à ſimilitudine operariorũ.

Digitized by Google

Similitudo inter operarios mercenarios, & Euangelicos doctores.

Paulus 1.Corin.9.vocat stipendium à similitudine militum, quibus datur non vt merces; *quis militat stipendijs suis?* sed vt sustentatio debita. Itaque similitudo inter operarios mercenarios, & euangelicos constat ea parte, qua vtrisque omnibus debetur: non autem ex parte ea, qua illis debetur vt merces. His enim nō debetur, vt merces, licet vocetur *merces* impropriè. Omne enim quod operāti debetur, quia operatur, merces est, nō tamen propriè. i. pro eo cuius gratia operatur. Hinc Gregor. hom.17.in hoc verbum Lucæ, in missione Septuaginta, *considerandū est*, inquit, *quod vno tantū operario duæ mercedes debentur; vna in via, altera in patria; vna, quæ nos in labore sustentat; alia quæ nos in resurrectione remunerat. Merces itaque quæ in præsenti accipitur; hoc in nobis debet agere, vt ad sequētem mercedem robustius tendatur. Verus ergò quisque prædicator, non ideò prædicare debet, vt in hoc tempore mercedem accipiat: sed ideò mercedem recipere, vt prædicare subsistat. Quisquis namque ideò prædicat, vt hic laudis, vel muneris mercedem recipiat, æterna procul dubio mercede se privat.* Hæc ille.

Obseruandum, operarium hic vocari à Domino *dignum*: vt intelligas eos esse indignos stipendijs Ecclesiasticis, qui non operantur pro fidelium vtilitate. Præterea dum addit *cibo suo*, significat non esse operario euangelico requirenda præterquam necessaria. Neque enim studendum, vt ex Euangelio diteſcat, hinc Paulus 1.ad Timoth.6. *habentes victum, & vestitum, his contenti simus.* Denique non dicit Dominus, debere operarium accipere cibum suum ab his quibus operatur, sed dignum esse: vt significet, licere id quidem, immò verò ius esse ei, vt accipiat, non autem necessario accipere debere: hinc Paulus primæ ad Corint. 9. 14. *Dominus*, inquit, *ordinauit ijs, qui euangelium annunciant, de euangelio viuere.* Ordinauit vtique cùm hæc Apostolis diceret, cùm tamen etiam Paulus doceat non fuisse hoc præceptum, sed permissionem, sed potestatis traditionem, qua ipse Paul. ferè vti noluerit; non fuit inquam præceptum, si videlicet ad alia tempora, & personas referatur. Fuit ergò & ad certum tempus restrictum, & personale, vt Apostoli addiscerent suo experimento, nihil illis defuturum, esse illos Deo curæ, ab illo pendere totos debere, sine sollicitudine, sine spe mercedis terrenæ.

23. Qui indigni sint stipendijs Ecclesiasticis.

24.

17. *In quamcumque domum*] Sextò hoc præcepto statuitur de eligendo, & retinendo hospitio. Nam quia, inquit Chrysost. hom.33.in Matth. præcipiens Dominus Apostolis ne ferrent peram, panem, &c. dixerat: *dignus est enim operarius mercede sua.* Ne hoc verbo Apostoli omnium domos sibi patere existimarent, sed magnam in hoc etiam moderationem habendam sibi esse scirent, subiecit: *in quamcunque domum intraueritis, &c.* vide Ambros. serm.23.

Interrogate] Gr. Ἐτάσατε, exquirite. Hierony. hospes, inquit, fama eligendus est populi & iudicio vicinorum, ne prædicatoris dignitas suscipientis infamia deturpetur, nondum autem eis dat, vt sciant quis sit dignus, sed iubet scrutari. Et Ambros. in Luc. ait: *ideò domus eligenda præcipitur, vt mutandi hospitis causſa non suppetat, non tamen hæc cautio, receptori mandatur, ne dum hospes eligitur, hospitalitas minuatur.*

Quis in ea dignus sit] id est, probatæ vitæ, &, vt inquit Euthy. honestus Dei cultor. Atqui Christus inquies ad publicanum diuertit? respondet Chrysost. in homil. dignum fuisse factū ex conuersione. vel dignus vocatur hic, pace euangelica dignus. vnde Luc.10.dicitur: *filius pacis*, vel dignus vestro hospitio: vnde Hierony. hospes magis se nouerit gratiam accipere, quam dare.

25.

A *Ibi manete, donec exeatis*] quamdiu in ea fueritis ciuitate, nolite transire de domo in domū, vt Luc. 10.7. hoc est, ne mutetis hospitium. quamobrem id præceperit, tres assignantur causſæ à Chrys. hom. 3. prima ne inconstantes videantur; altera ne delicati, quasi non contenti ijs, quæ apponerentur in primo hospitio, meliora quærerent. Idem Euthy. & Theophy. Postremò ne priorem hospitem contristent, quasi parum dignum. duas extremas rationes primam & tertiam Hierony. sic complectitur: ne alioquin suscipiens contristetur, & ipsi opinionem accipiant lenitatis.

Cur Apostoli hospitium mutare non deberent.

18. *Salutate eam*] Septimum præceptum, quo decernitur quid in inuentum hospitium ingredientibus sit faciendum. Interl. pacem hospitio precamini, vt sopiatur omnis repugnantia contra veritatem. Chrysost. in hom. ait quod docet anteuertere alios salutādo, & honorando: hæc autem salutatio, est significatio aduentus ipsorum pacifici, & amici, vt Gen. 43. 23. Iudi. 6. 23. Item est precatio quædam optantiū à Deo pacem domui illi. Est autē pax hæc recōciliatio cum Deo, per gratiam à Christo factā, qua & peccata remittuntur, & amicitia cùm Deo restituitur; quam angeli annuntiarunt, dicentes: *in terra pax hominibus.* hanc ergo propriè pacem precari, & annuntiare iussi sunt Apostoli præsertim. Est autem hæc salutatio more Hebræorum, qui dicunt pax tibi precantes omnia prospera & læta; Gr. χαῖρε: Lat. *aue*, vel *salue*, vel *gaude.*

26.

B *Dicentes: pax huic domui*] non leguntur Græcè hęc verba, leguntur tamen ab Hilar. Chrysost. Hierony. Theophyl. in com. non in textu; licet Euthy. non legat; sed legenda videntur ex ver. 13. & Lucas appositi cap. 10. 5. Porrò per *domum*, habitatores intelligit.

C 19. *Domus illa digna*] vt pacem vestram recipiat, Luc. c. 10. 6. inquit: *& si ibi fuerit filius pacis*, id est, hospes pacis amator, aut pace dignus, vt dicimus filius mortis, id est, dignus morte. vel quod idem est, pacis sectator, & ad veram pacem à Deo electus.

27.

Pax vestra reuertetur ad vos] Hac phrasi significatur, ea, quæ precati fuerant, non quidem ipsis Apostolis euentura, sed potius non euentura illis, quibus precati fuerant. Itaque reuerti, est effectum non habere, sic dicitur Isai. quinquagesimo quinto, vers. vndecimo, *verbum meum non reuertetur ad me vacuum*, id est, irritum, sine effectu, loquitur de verbo promissionis.

Dixit autem Christus, vt significaret Apostolos fecisse quod debuerant. alij exponunt sensum esse: vestrum erit meritum; feciſtis enim quod debuiſtis, vel nihil inde detrimenti accipietis, quin inde potius meritum accrescat. Gr. habetur ἐπιστρέψει

D reuertatur, imperatiuus pro futuro more Hebræorum.

28. Cur puluerem deberent excutere Apostoli.

20. *Excutite puluerem*] Octauum præceptum, quo instituuntur, quid faciendum sit eis cum non admittuntur in domum aliquam, vel ciuitatem, excutiendum, inquit, puluerem. Hoc seruarunt Actorum 13. ver. 51. Paul. & Barna. sed quamobrem id iussit Christus? Primum quidem vt ostenderent laborē itineris se pro illis quidē suscepisse, & prædicationem Euangelij etiam ad eos quidem peruenisse, sed sine fructu, ita vt hæc excussio puluēris adhærescentis ad pedes, itineris laborem significet. Deinde in protestationem & signū, quod non causſa terreni alicuius commodi accesserunt ad eos: vnde Luc. in missione 70. cap. 10. addidit; *dicite: etiam puluerem qui adhæsit nobis de ciuitate vestra extergimus in vos*, vt ostendatis, scilicet nihil vos desideraſſe terreni commodi ab eis, ita vt nec puluerem velitis vobis imputari hæ duæ

inter-

interpretationes sunt etiam August. q. 7. in Matth. denique præsertim sensus est huius excussionis, vt sic significarent Apostoli; nolle se cum illis in aliquo communicare, propter pœnam. quæ illis immineret. vnde subdit Matth. vt habes v. 21. *tolerabilius erit*, &c. id est mitius punientur Sodomitæ, Gomorræi in die iudicij, quâ ciuitas illa, sub qua quilibet locus intelligitur, & per locum homines, vide digressionem.

Dixit autem *exeuntes*] &c. quia scil. domo egressi, in platea id facere debebant, vt Luc. cap. 10. insinuat: vbi à Domino dicitur discipulis: *exeuntes in plateas dicite, etiam puluerem extergimus in vos.* Matth. autem habet *exeuntes de domo, vel ciuitate excutite puluerem, &c.* quare verosimilius est, præceptum id à Domino vt fieret siue in plateis, siue extra ciuitatem, quam quod Abul. Matth. 10. q. 83. censet bis illos extersisse pedes, vel excussisse puluerem semel in plateis, iterum extra vrbem.

29. Quomodo autem id fieret declarat idem Abul. loc. cit. Apostolos Sandalia excalceasse, eaque manibus collisisse. Barrad. etiam lib. 9. c. 11. putat satis esse dicere, quod pedes exterserint, vel excusserint, vt ipse loquitur in aliquo lapide, vel ligno.

In testimonium supra illos] id est, contra illos. porrò *in testimonium* dicitur, & laboris suscepti, quamuis inutiliter; & quod nihil ab illis acceperint; & quod nec cum illis in aliquo communicare velint. Maldon. ex Hilar. & Orig. hom. in Gen. 18. habet, per hanc excusionem ostendi illum ipsum pulverem, quem in itinere collegissent in die iudicij testem contra eos futurum, qui se recipere noluissent. vide illum ver. 18. Matth. 10. Ambros. in Lucam 9. & Euthy. putant, hic declarari etiam eorum pulverem esse impium, ideoque nolle se eum habere: sed quæ primo loco dicta sunt verisimiliora videntur.

30. 21. *Tolerabilius erit*] Non quod non maiora fortasse Sodomæi, & Gomorræi habuerint peccata: aut quod de peccato solum in hospitalitatis hic agatur, vt Lyran. & Remig. apud D. Thom. opinantur: nec quod conferatur hic peccatum carnis cum peccato idololatriæ: sed quod illis non fuerat Euangelium prædicatum, vt Hilar. Hieron. Matth. 10. & alij interpretantur. vnde Lucas 10. addit: *væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt vobis, olim in cilicio, & cinere sedētes pœniterēt*, &c. vnde dici possunt grauius absolutè peccasse, qui non receperunt Apostolos, quam Sodomitę, & ob id etiam grauius puniendi ob impœnitentiam, scilicet cæteris paribus: vel si cætera non sint paria, quantum est ex parte hac impœnitentiæ, istorum impœnitentia, grauius punietur, ob id quod istis sit Euangelium prædicatum; licet ex parte peccatorum, grauius illi punientur quibus non est prædicatum, cum peccata paria non sunt. Et hanc singularem impœnitentiam in Corozain, & Bethsaida, videtur significasse Dominus cum Lucæ 10. 13. dixit: *quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent.* quare non comparatur hic peccatum cum peccato sed cum circumstantia.

22. *Ecce ego mitto vos*] ego, inquit, qui elegi, qui docui, qui scio ita expedire, & possum subuenire. Addunt hæc vim verbis & discipulis animum, vt cùm Absalon seruis dicebat: *nolite timere, ego enim sum qui præcipio vobis, percutite eum, & interficite*, 2. Reg. 13. 28. videntur hæc autem, & multa quæ sequuntur ferè non tam ad istam, quam ad alias, quæ sequuturæ erant missiones post Christi ascensionem, referenda esse.

31. *Mitto*] Chrysostom. in homil. 31. *quæ igitur in omnibus his erat consolatio? Sola mittentis virtus* Idem in hom. eadem 34. prædicit, ait, futura mala, *primum vt discant eius præscientiam. deindè, vt ne putarentur ex infirmitate magistri contingere. tertiò, vt ne inopinantes opprimant, nec turbent tempore crucis.* Gloss. *congruit*, inquit, *illi apud Ioan. sicut misit me Pater, id est, ad passionem & ego mitto vos, non ad gaudia, sed ad passiones: vbi seruate innocentiam; quia qui locum prædicationis suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare.* videtur Christus ad prophetarum missionem alludere, quasi dicat, ego qui veteres Prophetas misi, mitto & vos, & qui illos, cum oportuit liberaui, & vos liberabo.

Sicut oues] ideò sitis mansueti, & humiles, & innocentes. Hinc Greg. in hom. *sensum innocentiæ seruate, morsum malitiæ, ne habeatis.* vocat etiam oues, quia inermes mittit, id est, sine virga & pera.

In medio luporum] Chrysost. in homil. *in eo*, inquit, *apparet magis eius virtus, quod oues in medio luporum existentes, eos superant, & conuertunt in ōues*; per lupos autem Hieronym. intelligit Scribas, & Pharisæos, melius Chrysost. hom. 34. *lupos*, ait, vocari omnes homines, qui euangelio repugnaturi erant, vt mox dicet, cauete ab hominibus, mundanis scil. nō modo à Iudæis, sed etiam à gentibus. Hos omnes sciebat Christus more luporum in discipulos vesano furore sæuituros esse, Græ. ὡς μέσους, in medio, pro in medium luporum ὡς πρὸς, is. sic Luc. 10. 16. id est, inter lupos, qua phrasi significat lupos esse multos, oues paucas.

Estote ergo prudentes] scil. ad cauendum, vt vitetis insidias eorum, vt habetur hic v. 29. & sicut fecit Paul. Act. 20. 3. & 22. 25. & 23. 6. & 17. Item *estote prudentes* vt fidem seruetis.

Sicut serpentes] Prudentiam Serp. explicant sic Patres; nam, vt ait Hierony. serpens expositio toto corpore, occultat caput de quo inferiùs. de serpētibus multa hic Iansen. c. 55. & Barrad. l. 4. c. 13. 32.

Simplices sicut columbæ] ad mansuetè conuersandum, scil. ne iniurias vlciscamini. Chryso. hō. 34. vel sitis innocentes, finceri (hoc enim græcè significat ἀκέραιοι) idque ne vllam vobis nocendi occasionē præbeatis. Rectè autem, vt columbas, vult esse simplices, & mansuetos, quia vt ait Chrysost. in hom. ira nō per iram extinguitur, sed per mansuetudinem: non sufficit pati mala, sed nec turbari conceditur, quod est columbæ. sed paullò exactius serpentis prudentiam explicemus.

Obserua igitur verba Ambros. tō. 2. Psal. 37. quibus sic explicat serpentis prudentiā: *serua*, inquit, *caput tuum sicut serpens, & si laceratus toto corpore fueris, reuiuisces. Caput tuum Christus est, quia caput ipse est viri, si seruaueris fidem, etsi mortuus fueris sicut serpens, & tu resurges. Imitare serpentem, qui exteriorem suum exuit, vt renouetur interior* (sic enim Arist. lib. 8. histor. c. 17. ait: *exuit serpens senectutem tum vere. tum autūno*) *imitare serpentem*, qui venenum suum euomit. Beatus & tu si cogitationes tuas malas euomas, & malitiæ tuæ venena deponas (quod explicat Epiphan. hæres. 37. *quando enim siti pressus à latibulo procedit ad aquam, vt bibat, non simul accipit secum venenū, sed in latibulo relinquit, & sic progressus potum aquarū sumit. Proinde & ipsi hoc imitemur, vt quando ad Ecclesiam, aut preces, aut ad mysteria venerimus; malitiam, aut voluptatem, aut inimicitiam, aut aliud quid, in cogitationibus nostris nobiscum ne feramus.* Dauid Psal. 57. 5. 6. aliam serpentis explicat prudentiam. *sicut aspidis*, inquit, *surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocē incantātium.* Occludendæ igitur sunt aures dæmoni cauda, & terra, id est, recordatione finis, & humanę vilitatis ac fragilitatis. vide August. in hunc locum Psa. & Bedam. Matt. 10.

Coniun-

33. Coniunxit autem Christus hæc duo, serpentis prudentiam cum simplicitate columbæ, vt & simplicitatem columbæ, astutia serpentis instrueret; & rursum serpentis astutiam, colûbæ simplicitas temperaret. Remig. *simplicitas sine prudentia facilè decipi potest; prudentia periculosa est, nisi simplicitate temperetur. Hinc est*, inquit, Greg. pastor. l. 3. c. 12. *quod Spiritus S. non in columba solummodo præsentiam suã, sed etiam in igne patefecit. per colũbam quippe simplicitas, per ignem verò zelus indicatur.* lege eundem Greg. hom. 30. in euang. & Hierõ. Osee. 7. vbi ait; *præcepit Dominus, vt essemus simplices, quasi columbæ, & astuti, quasi serpentes, nimirũ, vt nec alijs nocere velimus, nec ab alijs patiamur insidias.* D. Basil. in regul. breuioribus interrogatione 245. *prudens*, ait, *vt serpens est qui in doctrina tradenda ita se moderatur, vt adhibita circumspectione, consideratione q; qua ratione id & fieri, & facilè fieri possit, omnia faciat, vt audientium animos ad auscultandum, habeat paratos. Simplex autem, vt columba, qui ne simpliciter quidem de vlciscendo eo, qui sibi aduersarius sit, cogitat; potiusq; in instituto suo bene de illo merendi perseuerat.*

23. *Cauete autem*] οὖν videtur poni pro ἄρα ergò. Gr. est προσέχετε, id est, *attendite*, id est, cauti estote, & circumspecti, ne omnibus fidatis. Euthy. exponit: obseruate homines, siue pericula ab illis expectate. Homines autem dixit, quos superiùs lupos vocauit ex Raba.

34. *In consilijs & Synagogis*] vtrumque ad Iudæos pertinet, qui & Synagogam, id est, publicam totius populi concionem habebant, vbi qui flagris digni erant, flagellabantur. In concilijs verò, quæ hic græcè dicuntur συνέδρια, grauiores causæ decernebantur. sic Euthym. nam de gentibus postea. Lege Act. 4. 7. & 5. 27. & 6. 12. & secundæ Corinth. 11. 24. Emman. exponit: *In concilijs*] confessu senatorum, seu iudicum, *Synagogis*] congregationibus.

24. *Et ad præsides*] Hæc de gentilium tribunalibus.

Ducemini] scilicet examinandi, & iudicandi, sicut suprà dixit, *tradent enim vos.* scil. examinandos & iudicandos.

Propter me] Chrysost. in hom. 34. *vnicuiq; afflictioni consolationem adiunxit: non est profectò hæc parua consolatio, vt propter Christum patiaris.*

In testimonium illis] scil. Iudæis, & gentibus, & sic vtrisque vestra patientia testimonium erit. Testimonium verò ait, de me ferendum à vobis: nam corã illis, & gentibus publicè meã doctrinam confitebimini: & ipsamet mors pro me obita, vel flagella, & vincula constanter tolerata testimonium erunt nõ esse vanam fidem meã, pro qua tam multa patimini; vnde martyres. i. testes dicuntur. vel sensus èst: erunt hæc in testimonum contra illos, qui conuerti voluerint tam multis ad id prouocati. Greg. in hom. 35 *mors sanctorum bonis in adiutorium est, malis in testimonium, vt inde peruersi sine excusatione pereant, vnde electi exemplum capiunt, vt viuant.* sic videtur intelligendũ illud Luc. 21. 13. *continget autem vobis in testimonium.* Gloss. *persecutio enim testimonium malitiæ Iudæorum & Gentium, & innocentiæ Apostolorum.*

35. 25. *Nolite cogitare*] μὴ μεριμνήσητε, ne soliciti, & anxij sitis, quod vertit interpres Luc. 12. nolite solliciti esse. Nec enim prohibet cogitare. vide Matt. 6. 25. 28. 31. 34. Marc. 13. 11. Luc. 21. 14. prohibet igitur potius ex diffidentia diuinæ prouidentiæ profectam nimiam, anxiamque sollicitudinem. *Quomodo*] Interl. scil. *de modo proferendi ornatè, an inornatè. Quid*] Interl. scilicet de modo inueniẽdi, vel etiam materiam dicendi: Christus enim subministrabit verba, & sapientiam.

A *Dabitur*] Luc. 21. 15. dabitur, inquam, à Spiritu S. Is enim in vobis, & per vos loquetur, quod in D. Stephano Act. 6. satis patet, cuius sapientiæ, & spiritui qui loquebatur non poterãt resistere. Consule Aug. lib. 13. Confess. c. 31. & l. 14. de doctrina Christiana c. 15. & ser. 2. de Apostolis.

26. *Non enim vos*] nulla vult eos præmuniri aduersum reges, & principes humana prouidentia, sed spiritui Dei vult illos fidere; quem pro illis responsurum pollicetur. Hierony. Offerte voluntatem pro Christo, ipse pro se loquetur. Hilar. can. 10. *sic Abraham non defuit aries ad victimam.* sensus est, non tam vos estis qui loquimini, &c. quia non ex ingenio, vel arte vestra verba procedunt, sed ex Spiritus S. gratia. Non enim vestra causa est quæ agitur, sed mea, & Patris. quare spiritus ipse paracletus, id est, vtriusq; aduocatus respondebit, vel vobis tacentibus: suggeret enim vobis omnia. Remig. *vos accediti ad certamen, ego prælior.* Porrò ad prophetarum illos dignitatem adducit, qui Dei spiritu sunt loquuti: vt ait Chrysost.

In vobis] .i. per vos, seu in vobis scil. velut organis, hinc Paulus. *an experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus.*

27. *Tradet autem*] Interl. *adeo crescet persecutorum rabies, vt nullus sit inter eos affectus, quorum diuersa est fides.* sic Hierony.

Frater] Gregor. in hom. 35. *minorem dolorem ingerunt mala, quæ ab extraneis inferuntur.* Beda, prædixit futuram perturbationem, vt quasi ante cognitam, leuius portarent.

28. *Eritis odio*] tanquam communes orbis terrarum hostes omnibus hominibus, non tantum amicis. vel potius omni hominum generi, vel omnes, vt ait Euthym. dicit pro pluribus.

Propter nomen meum] propter me. ex Chrysost.

C rursus consolatio opponitur.

Qui autem] ex Chrysost. hom. 34. alia consolatio. *Perseuerauerit*] ὁ ὑπομείνας qui sustinuerit, scilicet patienter tolerans. Marc. 13. 13. *qui autem sustinuerit in finem, hic saluus erit.* Hierony. *non cœpisse, sed perfecisse virtutis est.* Notat ea hom. Chrysost. indicari hic, nunquam defutura mala, quare rectè sequitur vsque in finem. vbi Glossa inquit, *hostiæ cauda iubetur offerri.*

29. *Cùm autem persequuntur vos in ciuitate ista, fugite*] fuga hæc bifariam capi potest, vel quatenus per eam persecutiones declinantur. Iterum quatenus per eandem Dei verbum indignis subtractum, dignis profertur, & latius disseminatur. Primò modo non tam præceptum, quàm facultas, & permissio est ad omnes Christianos pertinens: Altero verò modo magis præceptum est, quam solum permissio ad Apostolos, eorumq; successores, qui Dei

D verbum prædicant, pertinens. videtur autem Dominus hoc secundo modo præsertim intellexisse, vt scil. per fugam, & migrationem latè Dei verbũ disseminaretur, ob id subdidit, semper locum aliquem reperiri posse in quo pandatur euangelium. Et propterea nõ dictum est absolutè *fugite*, sed additum, *in aliam ciuitatem*, vt scil. alibi prædicetis. Tacitè tamen, primum sensum complectitur. permittere enim videtur fugã ad declinandas persequutiones: quomodo Patres passim hanc sententiam accepere, cum de fuga persecutionis tẽpore agunt: quam licere, exemplum Christi & Apostolorum, maximè confirmat. Cætera in Theor. vide Athan. de fuga in Apolog. habetur in breuia. 2. die Maij, & Aug. epist. 130. ad Honoratum, & D. Tho. 2. 2. q. 185. 25. 36.

36. *Fuga partim permissa, partim præcepta Apostolis.*

Non consummabitis ciuitates Israel donec veniat] 37.
significare vult, nõ esse defuturas ciuitates ad fugiendũ. Obscurus est locus hic: triplex tamẽ mihi videtur digna expositio. Prima Chrys. hõ. 35. cõsum-

mare

Digitized by Google

mare ciuitates, est illas prædicando perambulare, per aduentum verò filij hominis intelligitur eius auxilium, præsentia, & consolatio, vt sit sensus: ego vobis adero, & opem feram, antequam Euangelium in omnibus Iudææ ciuitatibus prædicetis. Id consonat ijs qui apud Luc.10.1. scribuntur: *misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus.* itaque donec hic sumitur pro, priusquam, antequam.

Altera Hilar. sumit enim *non consummabitis*, pro non perficietis οὐ πληρώσητε (πλήω aut perficere est) hoc est, non reddetis perfectas vestra doctrina, & prædicatione oës ciuitates Israël. i. non conuertetis illas oës ad fidem, donec &c. sumit verò *Donec*, pro vt idem significat, ac, antequam, priusquã, vt sit sensus Apostolos consummaturos quidẽ ciuitates Israel, sed non ante aduẽtum filij hominis, & sumit aduentum vltimum, q. d. populum Israeliticum nõ perficiendum fide, nisi postquam plenitudo gentium intrauerit, iamq; adsit secundi aduentus Domini tempus.

Denique Ruper. per ciuitates Israel, intelligit non tantum carnalis Israel ciuitates, sed omnes etiam fidelium ciuitates, quæ sunt Israel spiritualis. quoniam ergo Dominus dixerat in solis ciuitatibus Israel prædicandum esse: rursum, præceperat fugere de vna ciuitate in aliam; obijcere poterant Apostoli, in quam fugiemus, si ex omnibus pulsi fuerimus.

Propterea secundùm Rupert. veluti obiectioni occurrit Dominus: vsque in diem iudicij, semper fore aliquas ciuitates Israel ad quas cõfugere possint, nec prius eos omnes ciuitates Israel perambulaturos, quam iam aduenerit, vel immineat dies iudicij: oportet enim euangel. prædicari in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio.

In omnibus his expositionibus, *donec*, nunquam sumitur, vt idem sit quod *postquam*, sed pro *antequam*, ita tamen vt Chrysost. velit non consummandas, id est, non percurrendas ciuitates omnes Israelitarum priusquam occurrat Dominus: sed prius occursurũ Dominum, seu affuturum, & sua eos præsentia consolaturum: cùm alij velint Apostolos consummaturos esse ciuitates, verùm non antequam veniat filius hominis, sed cum impenderit eius aduentus, sub mundi finem, ergò Chrys. negatiuè, seu vt sic dicam, exclusiuè sumit; positiuè Hilar. & Ruper. vel inclusiuè.

38. 30. *Non est discipulus*] prædictis malis confirmat iam suos ad eorundem tolerantiam. Et primùm quidem exemplo sui. vtitur autẽ, vt solet, receptis vulgò sententijs, & ad suum propositum accommodat. vndè non oportet nimis anxium esse, quomodo sit vera semper hęc sententia; rectè. n. ait, Chrysost. *quousq; discipulus, aut seruus est, magistro & domino excellentior, nunquam erit honore, ac dignitate. Noli enim ea, quæ verissima sunt, in medium producere, sed ab his, quæ solent sæpè fieri, orationem considera.* Sic ille; & Euthym. *neque discipulus*, inquit, *præstantior magistro est, neque seruus suo Domino: ille dum discipulus fuerit, & iste seruus*; vide etiam hoc lib. 4. Dilucid. cap. 8. in Schol. ad ver. 31.

Et verò hæc sententia, *non est discipulus*, &c. vsus fuerat Luc. 6. ad indicandum nõ maiorem virtutis perfectionem requirendã à discipulis, quam sit in magistro. Et illa, *non est seruus*, &c. vtitur Ioan. 13. ad ostendendum seruum, non debere detrectare illud munus, quod videt Dominum exercere: de lotione enim pedum agebat. Iam verò eadem sententias vsurpat, vt videtur Hilar. significare, ad declarandum quomodo se discipuli, & serui gerere debeant erga Dominum & magistrũ in perferẽdis scilicet persequutionibus, nimirum,

A vt non existiment se melioris conditionis esse debere in his tolerandis, quam dominũ, ac magistrũ. quo etiam modo Ioan. 15. vsurpasse videtur sententiam de seruo, & Domino: vbi ad hũc locum alludere videtur, cùm ait: *mementote sermonis mei*, &c. hunc sensum sequentia v. 31. ostendunt.

31. *Si Patremfamilias*] explicat, quod dixit; Patremfamil. se vocat: quia Ecclesiam gubernat, cuius est Dominus & Magister, & cui cælestia, & terrestria famulantur.

Beelzebub] Satannicum; vel cui Satanas fauerit.

32. *Ne ergo*] quia multa terribilia prædixerat, adiungit & aliam consolationem futuram in hac vita ex Chrysost. homil. 35. ait igitur: licet omnes vos persequuturi sint, & satannicos vocaturi: initio id quidem fiet; at procedente tempore vestra virtus cognoscetur, & honorabunt vos, qui
B contumelijs appetebant, simulque cum Euangelio diffundetur, & prædicabitur virtus vestra per vniuersum orbem; quod iam videmus factum, Apostolos enim & Christi prædicatores cum Euangelio amplectimur, & veneramur. D. Hierony. ad diem iudicij refert, cùm inimicorum nequitia, & virtus discipulorum Christi & euangelij gloria declarabitur. Hoc ergò est quod ait: *nihil opertum*, &c. *nolite ergo timere eorum persequutiones*, & iniurias. Illud, ergò, potest significare illationem quandam: ergò quia satis esse debet discipulo, vt sit sicut magister, &c. ne metuatis eorum conuitia & persecutiones.

Aduerte ter Christum hanc sententiam vsurpasse Matth. 10. hic & iterum Luc. 8. 18. & ex Marc. c. 4. 22. vide hunc lib. 4. Dilucida. c. 13. v. 26. vbi etiam ex Luca in marg. habetur. *non est aliquid absconditũ, quod non manifestetur, nec factum est occultum, quod non veniat in palã.* Vide in locũ hunc Schol. Deniq; 3. apud Lucam c. 12. vbi à Luca affertur ad ostendendum per prædicationẽ Apostolorum hypocrysin, dolum, technas, & vitia Pharisæorum, & Scribarum, & Christi hostium manifestanda esse toti orbi, & quæ illi occulta, & abscondita putarunt, per prædicatores, & scripturas iam esse reuelanda: & Christus quem illi occultare voluerunt, à populis, & gentibus agnoscetur, & ideò ob hanc etiã causam, non sunt timendi huiusmodi hostes. 39.

C

33. *Quod dico vobis in tenebris*] volens illos παῤῥησιάσασθαι, ac palam magna fiducia Euangelium prædicare; quod dico vobis, inquit, in tenebris, id est, quod nunc vobis seorsim, ac non palam prædico, volo vos in lumine dicere ac palam, &c. Ergò hortatur illos vt liberè, vt fortiter Euangelium prædicent. *In tenebris*] .i. priuatim. *In aure*]. i. secreto. *In lumine*] palàm ac publicè, in oculis, & luce hominum.

D *Prædicate super tecta*] Omnibus. sunt tecta in Palæstina plana, non cacuminata, & quæ ibi dicebantur clara voce facilè ab ijs audiebantur quicumque essent. 40.

34. *Nolite timere*] Quia grauis penè omnibus erat euangelij prædicatio conspirantibus in prædicatores magnatibus omnibus, & regibus, iubet discipulos nihil illos formidare: quod nulla illis sit in animum potestas, vt cumque sæuire in corpus valeant: sed Deum potius vereri, qui potest animum & corpus æternùm perdere, quamuis neque aliquid in corpus possint illi, nisi volente, ac permittente Domino, quod & in consequentibus ostendit. omnibus reddit superiores, mortem etiam contemnendam docens. Excluserat superiùs timorem infamiæ, nunc etiam mortis tollit metum. vide Chrysol. serm. centesimo primo.

Animã non possũt occidere] nõ modo quia immor

talis,

Digitized by Google

talis, sed quia non possunt gratiam auferre, quæ est mors spiritualis animæ, nec illam in gehennam mittere, æternumque supplicium, quod est mors secunda. Non prohibet autem omnem timorem: est enim timor reuerentiæ qui eis debetur, est & naturalis, vt mortis tantum ergò inordinatum illum mûdi timorem illis aufert, quo cedimus malis, & à veritate, & virtute deficimus. Pulcrè autem animam corpori opponit, q. d. possunt quidem occidere corpus, vilissimam hominis portionem, breui alioqui morituram, quæque ab eis semel occisa amplius ab eis occidi nõ potest. quid, quod per resurrectionem reparanda erit? aut animam, digniorem hominis partem, nihil lædere possunt.

41. *Timor mundi timore gehennæ pellendus.*

Sed potius timete] timorem timore pelli præcipit, timorem mundi, timore Dei. Et quo magis timorem Dei in nobis excitet, nõ ait, timete eum qui potest animam simul & corpus occidere: quo modo vt diceret oratio ipsa poscere videbatur. Nam mundani homines reb. istis caducis inhiantes optarẽt sibi mortem morti bestiarum similem. Dicit ergò quod his est grauius: *qui potest animam & corpus perdere in Gehennam*, id est, totum hominem sempiternis ignibus cruciandum tradere. neque verò absolutè timorem Dei, quatenus is damnationem æternam infligere potest, præcipit: propterea, inquit: *Sed potius timete*, significans illum, si quis timendus sit, magis esse timendum, & illius timorem quemuis alium debere superare. Non ergò præcipit suos seruili timore qui non est in charitate, obtẽperare patri cælesti, sed vult inordinatum illum mundi timorem, Dei timore inferiorem esse, & reprimi attenta eorum malorum meditatione, quæ Deus inferre potest, qualis timor etiam esse potest in eo, qui Dei charitatem habet, si modo non præcipuè ob illorum malorum timorem à malo sibi temperet, & bonum operetur: absolutè tamen melius & perfectius est Dei amore à malis abstinere, & bonis studere operibus. Lucæ c. 12. antequam dicat: *timete eum*, &c. præmittit, *ostendam autem vobis, quem timeatis*, vt significet supra humanam cognitionem esse malũ, quod Deus infert desertoribus iustitiæ, vnde consequitur quantum debeat præponi timor Dei, timori hominum, cùm possit totum hominem æterno supplicio mancipare.

42. *Gehennam*] Hierony. Matth 10. scribit in veteri Scriptura non inueniri *Gehennæ* nomen, sed à Christo Domino primum fuisse positum, quod saltem verum est, quatenus in Scriptura non inuenitur nisi à Christo primum prolatum, licet fortè non ipse Christus primus hanc vocem vsurparit: vnde Orig. lib. 6. cont. Celsum, notat in lib. Hebr. antiquorum reperiri vocem *Gehennæ* pro tartaro, vel inferno. sed de his alibi dictum, nam de Gehenna copiosè dictum à nobis est superiùs cap. 4. dilucida. Theor. 6.

Dei prouidentia.

31. *Nonne duo passeres*] tribus his sequentibus versibus, vsque ad 38. v. aliam assignat rationem, cur non sit illis timendum, quam v. 37. explicabimus, vt eius vim aperiamus.

Passeres] Græc. στρουθία passerculi, vt tanto magis diuina prouidentia ostendatur; quæ vel ad minima se extendat, Lucas cap. 12. habet: *nonne quinque passeres væneunt dipondio*, seu græcè, *duobus assarijs*, sicut apud Matt. pro asse Gr. est assarion, dum ait: *nonne duo passeres assa væneunt?* Nec est mirũ, quod aliter Matt. aliter Luc. referant Christi verba, quia nõ eodem tempore; ac proinde nec eodem modo à Christo fuere prolata, semel enim vt à Matt. iterum vt à Luca relatum est, Christum loquutum esse verosimile est. sed roget quis fortassis, cur Matt. duos passeres vẽdi assario; Lucas verò, quinq; passeres duobus assarijs vænire, Dominum dixisse referant. Facilis responsio, cum hæc non eodẽ tempore à Christo dicta sint, & pretium horum, præsertim cum plures simul venduntur, non indiuiduum sit, sed nunc maius, nunc minus pro vt vendi possunt, nõ mirum quod Dominus dixerit apud Matth. duo passeres vendi assario, & apud Lucam quinque duobus assarijs vænire.

43. *Asse*] asses decem faciunt denarium argenteum nummum; videbitur fortè alicui assis duplum, dupondiũ dici à Luca c. 12. quia verò hic apud Matt. Gr. legimus ἀσσάριον, videtur significari numus, minor asse, ideò non videtur debere hic accipi assis, qualis primum cudebatur pondere vnius libræ; sed de asse sextario, aut vnciali, vel semiunciali, & ob id tam Matt. quàm Lucas Græcè voce vtuntur diminutiua; quam Erasmus vertit, *minutum assem*. docet autem Budæus lib. 5. de asse, aliquando apud Romanos ob penuriam, asses factos sextantarios, ac deindè etiam vnciarios, & vt alij etiam dicunt semiunciales; vnde Euthy. dicit: assarion fuisse genus oboli ab asse nuncupatum per diminutionem, licet non fuerit assis. Aliqui vocant teruntiolum, vel minimum obolum. Couar. l. de colla. vet. numis. cap. 1. Dupondius, inquit, olim æreus numus fuit, qui duos asses continebat, hodie esset æstimationis octo quadrantum, seu Marauedinorũ. Græci autem, vt ex Cleopa. refert Georg. Agri. l. 2. de externis ponderibus. Assem semiunciale appellauêre *dupondium*, quia is duo Assaria penderet.

Cæterùm numus erat æreus, quorum duo assem efficiebant semiuncialem, ita vt præsentis Hispanæ monetæ quatuor Marauedinorum esset is dupondius. Assarium duorum tantum. sed & Suida teste, assarium obolus est. Polyb. l. 2. asseuerat Assarium dimidio obolo æstimari. mihi assem significat. sic Couar. nu. 4. idem loc. ci. nu. 2. ait, post varias assium mutationes eos fuisse semiunciales, lege Papyriana. sic ille. Ego vt nunc occurrit, nomine Assarij vel assem semiuncialem intelligerem, quatuor Marauedinorum; nam interpres assem vertit, pro assario hic; vel certè dimidum assis huius, ità vt duo Assaria assem efficiant, & hoc modo assarium duorũ esset Marauedinorum. Et dupondius eodem modo, vel potest significare duos asses semiunciales; vel assem semiuncialem duo habentem assaria, sed de his certum quid affirmare difficilè est. Cæterum quantum fuerint diminuti ærei asses; non facilè deprehendi posse ostẽdit Villalp. tom. 3. p. 2. appara. cap. 12. p. 353. col. 1. vide etiam de assario lib. 6. c. 16. dilucid. in Schol. ad ver. 2. & Couar. de collat. vet. numis cap. 1.

Non cadet super terram] Perinde est ac si diceret: licèt vilius væneant, tanquam res parui momenti, non tamen capitur vnus eorum à venatore sine Dei voluntate, ac prouidentia; & hoc idem est, quòd Lucas dicit: *non est in obliuione coram Deo*, id est, non ignoratur, sed curam illius habet, nec venditur nisi Deo sic prouidente.

44. *Duplex Dei prouidentia.*

Contra hanc Domini sententiam, videtur esse illud Pauli 1. ad Corint. 9. 9. *nunquid Deo cura est de bobus?* Sed facilè respondeo duplicem esse prouidentiam Dei, generalem vnam, qua scilicet Deus omnibus suis creaturis prouidet, iuxtà ordinem, progressumque causarum naturalium, à se institutarum, quibus continenter cooperatur. Alteram peculiarem, quam Deus hominibus impendit. iam Paul. de hac speciali cura loquutus est, significans nõ esse eam curã Deo de bobus, vt propter eos legem aliquam statuerit, nisi quatenus illa ad homines pertinet. Itaque si Deus præcepit *non alligabis os boui trituranti*, non ideò præcepit, vt curam boum gereret, sed propter nos, vt spiritale aliquid, vel debitum significaret. Nec obest

illud

illud Sapien. 6. 8. *æqualiter cura est illi de omnibus.* primum enim de hominibus tantum est ibi sermo, deindè significatur æqualiter, vel potius similiter (est enim græcè ὁμοίως) id est, sine acceptione personarum, singulorum habere curam. Item quia magnorũ, & paruorum, & omninò omniũ curã gerit.

45. Ex his obscurus Hieronym. locus Abacuch primò illustrari poterit: ait enim: absurdum est ad hoc deducere diuinam maiestatem, vt sciat per momenta singula, quod nascantur culices, quoue moriantur. Sunt qui dicant Hieronymum errasse, & alijs locis errorem emendasse, sed non est id de tanto viro sentiendum, neque est id necesse dicere, nam in primis non loquitur ibi Hieronym. de scientia Dei speculatiua, sed de prouidentia, de qua erat Abacuch sermo: Et hoc indicant sequentia Hieronym. verba, subdit enim: non simus tam fati adulatores Dei, vt dum potentiam eius etiam ad ima distrahimus, in nosmetipsos iniurioſi simus eandem rationabilium, & irrationabilium prouidentiam esse dicentes. Audisne illum de prouidentia loqui? tantum ergò vult, non eadem ratione Deum, neque ita curare parua hæc, & vilia animalia, si secundùm se spectentur, quemadmodum curat humana, ita vt sit sensus: non prænosse Deum numerum culicum, vel quot per momenta singula nascantur, vel oriantur; vtique per modum cuiusdam peculiaris prouidentiæ, vel prædestinationis, sed tantum quasi per modum cuiusdam permissionis, sinendo causas secundas cursus suos peragere. Quomodo paulò superius idem Hierony. inquit: *sicut igitur in hominibus etiam per singulos currit Dei prouidentia, sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem, & ordinem, cursumq; rerum intelligere possumus: verbigratia, quomodo nascatur piscium multitudo, & viuat in aquis, quomodo reptilia, & quadrupedia oriantur in terra, & quibus alantur cibis.* Vbi non negat Deum hæc omnia singillatim, ac proprie cognoscere, imò verò id affirmat dum fatetur prouidentiam illum habere de piscibus, & reptilibus, & de eorum cibis, ac multitudine, quæ omnia sine proprijs, ac peculiari, & distincta cognitione intelligi non possunt. Quibus omnibus fit, quod cùm subdit: *Cæterum absurdum est* &c. hoc solum velle, non esse prouidentiam cum æqualitate intelligendam respectu hominum, & huiusmodi animalium, quod & Paul. dixit: *nunquid de bobus* &c. Sic interpretantur Hieronymum, Hugo de S. Victore in sum. sent. tract. 1. c. 1. Magister in prima d. 36. a. 4. D. Thom. 1. p. q. 22. a. 2. ad quintum, & eodem modo loquitur quæst. 23. a. 7. cùm declarat quomodo numerus prædestinatorum sit certus.

46. Illud ad mores referendum est, quod notat D. Hilar. duos passeres, animam, & corpus esse, quos homines mali asse, id est, vili voluptate diabolo vendunt. Magnum sanè scelus, cùm tamen facti simus, vt ad cœlestia connolemus, & pennis spiritualibus in altum tollamur.

Tertullianus contra Gnosticos c. 9. duos passeres, animam, & corpus etiam intelligit, *non passerum*, inquit, *alter in terram cadit, id est, nec caro, nec anima* &c.

47. 36. *Vestri autem capilli*] Immensum Dei erga nos affectum declarat, cui curæ sunt etiam minima nostra omnia. Hoc ergò quod dicit, capillos omnes numeratos esse à Deo, non solam scientiam significat: sic enim etiam arenæ maris notus est illi numerus: sed præterea coniunctam indicat specialem quandam æstimationem, & affectum supra omnia creata, quem Deus habet erga suos, quos non propter alios diligit. Vnde rectè Emmanuel inquit, numerati sunt, id est, Deo curæ sunt, vt quæ sub numero commendantur, nam, quæ pluris faci-

A mus, si plura sunt numeramus, distinctiusque memoria retinemus, ac diligimus.

37. *Nolite ergo timere*] vis argumenti in his tribus versibus a. 35. quo excludit timorem, non innititur sola Dei prouidentia, quam habet etiam Deus erga passeres: sed in eo affectu, & æstimatione, peculiariq́ue prouidentia, quam erga suos habet, & quam illis verbis significauit: vestri capilli &c. sola enim prouidentia nõ præbet causam non timendi. Nam eadẽ prouidẽtia Deus pœnã æternã infert impijs, & si passeres scire possent se non esse in obliuione coram Deo, non prohiberetur illis timor, ne laqueo caperentur. Igitur hæc ratio tota nititur vtraque re, nimirum ipsa scientia, seu prouidentia Dei, quem nihil lateat, cuius etiam nutu omnia fiant, & ad hoc allatum est exemplum passerum, vt intelligamus, nihil omninò hominibus euenire, quod Deo non sit notum, & à quo non sit aliquo modo dispositum; verum hinc non colligitur omninò timenda non esse mala, sed nihil contingere, nisi Deo saltem permittente. Proindè secundò nititur ratio, Dei amicitia, affectu, peculiariq́ue prouidentia; quibus Deus suos prosequitur, non sicut passeres, quos magis propter homines creauit. Hinc sequitur non esse timendum ijs, qui sunt Christi. Nam si Christus Deus est, omnia nouit, etiam ea quæ erga suos agantur: si pater est, & amicus, plurimi suos facit, ergò quæ illis vtilia sunt curabit, & quæ verè nocent auertet, nec permittet. Non igitur est quamobrem timeant hostiũ persequutiones, vel mala, quæ ab ipsis proficiscuntur, certi omnia benè cessura. His ergò firmamẽtis hoc argumentũ vires suas accipit. Cùm autẽ dicit, nolite ergo timere, significat non vetare se timorem naturalem, sed eum, qui est ex electione, & voluntate.

Meliores] Emmanuel, *pretiosiores apud Deum.* Interl. *quia rationales, quia æterni.* Lu. habet, *plurũ estis*, quasi dicat, singulos pluris facit, quam multos passeres.

38. *Omnis ergò qui confitebitur me*] ergò, prò, autem videtur positum. Nunc alio vtitur argumẽto, vt retrahat discipulos ab hominum metu, & sumitur à magnitudine præmij, quod consequuntur hi, qui post habito hominum timore constanter, fidenterq́ue ipsum confitentur; & à magnitudine damni quod incurrunt, qui timori eiusmodi succumbentes Christum eiusque fidem abnegant, vel deliquunt: lege verba.

Coram Patre meo] Lucas c. 12. 9. habet: *coram angelis suis*, id est, Dei, hoc est, in iudicio, quando venerit cum angelis iudicare mundum. Et quoniam multum refert altè insitam esse animis nostris, hanc sententiam: propterea præmittit Christus apud Luc. *dico vobis*, quasi dicat, firmiter, constanter, asseueranterque prænuncio. Matth. verò habet; *coram Patre meo*: vtroq; n. modò loquutus est Christus, diuerso licèt tẽpore, & vtrũq; verum est: quãdo. n. venerit Christ⁹ iudicare, veniet cũ angelis, & in maiestate diuinitatis, quæ dicitur gloriã Patris, idcircò dicit, coram Patre, & coram angelis Dei. Vel quando venerit iudicare angelorum multitudine stipatus, tunc confitebitur coram angelis: At quando introducet suos in gloriã Patris; seu beatitudinem, vel etiam cum dicet illis; *venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum* &c. tunc confitebitur suos coram Patre. Rab. *confitebitur apud Patrem, habebit enim is, per filium accessum ad Patrem.* Orig. tract. 12. in Matth. *confessio filij coram Patre, gloriantis est in conspectu paterno super eo, quem confitetur, quasi digno confessione ad Patrem.* Emma. verò confitebor. s. ex meis esse, sic negabo ex meis esse. Maldo. ait: ver. 32. apud Matt. c. 10. *Propterea dicit coram Patre meo, quia Patris est*

48.

49.

præmia sua cuique & honoris locum dare. Non est inquit, meum dare vobis, sed quibus paratū est à Patre meo. Se, & si iudex futurus est, quasi testem facit, quia non nisi ex Patris voluntate, & prædestinatione sententiam laturus est. G. vt idem notat, habetur ἐν ἐμοὶ in me, ponitúrque ἐν, pro, בְּ Hebraico articulo accusatiui ex 70. imitatione, vt. 3. Reg. 8. 16. & 4. Reg. 17. 15. & 2. Paralip. 21. 17. & 27. 24. & 29. 1. & 2. Paralip. 6. 25. & 7. 12. & 9. 8. & 29. 11. Ad hæc Ps. 19. 8. legimus, *in nomine Dei nostri inuocabimus*, pro, *nomen Dei nostri*. & Ps. 43. 9. in nomine tuo confitebimur, pro, nomen tuum, *sic potuit hic dici, in me confitebitur, pro me, per Hebr. Nisi forte alius est Hebraismus, & verbum ὁμολογήσει positum est pro Hebraico hitphael, quod propriè significat, non solum confiteri, sed etiam palam, & quasi gloriando confiteri, quasi dicat, quisquis in me gloriabitur coram hominibus, gloriabor & ego in eo, coram Patre meo; se verò hominibus aquat, homines Deo opponit.* Sic Maldon. prior tamen expositio, magis litteræ inhæret, & communior est, vt ponatur in me, pro me.

Qui in cœlis est] id est, in consortio sanctorum.

50. Ex his verbis colligit Orig. tract. 12. in Mat. martyrium esse baptismum quendam, & remissionē inducere peccatorum. Nam si quis confitebitur Christum, ipse eum confessurus est, ergò etiam si peccatum habuerit, dummodo confiteatur, etiam Christus confitebitur illum; quod non nisi remissis peccatis fit.

51. *Helchesaitarū error.*

39. *Qui autem negauerit*] Helchesaitæ affirmabāt licere in tormētis ore Christum negare, dummodo retineatur corde. lege Euseb. 6. hist. c. 33. sed hinc confutantur, quia negatio hæc oris est, cum coram hominibus sit, & opponatur confessioni, quæ ore fit, & coram hominibus. Quomodo verò dicatur negaturus coram Patre ex vers. præcedenti petendum est, suo modo negabit enim coram Patre ob maiestatem diuinitatis, qua iudicaturus est, vel quia reijciet à beatitudine, itemq; dicet, ite maledicti scilicet à Patre meo, vel quia, vt præmia dare, est Patris, ita & supplicia &c.

52. Ianſen notat has duas sententias v. 38. & 39. cōtentas, esse quidem dictas de testimonio oris, quo testamur ipsum esse Christum & Deum, præsertim apud infideles, & impios; vndè Marc. 8. 38. additur: *in generatione ista adultera, & peccatrice*, idque satis est secundum literæ sensum. Cęterum ait, intelligendas etiam generatim tum de testimonio cuiusuis veritatis, quod ore fit, tum de testimonio operis, quo videlicet ipso opere testamur, nos Christum agnoscere pro Domino nostro, cui præ alijs in omnibus sit obediendum. quicumq; enim veritatē quamuis negat, Christum qui veritas est quodammodo negat: & qui præceptis Christi non obtemperat, factis illū suis negat: Ob id Machabæos, qui mortē elegerūt, nec cōtra Dei præceptū porcinas carnes ederent inter martyres cōnumeramus, quia sc. opere Christum confessi sunt, cuius venturi fide muniti erant. Porrò an tantum per fidem negemus Christum habet Chrys. hom. de Anna & Samuelis educatione, in fine habetur tom. 1.

Postremò aduerte, particulam illam, *Omnis*. v. 38. etiam referendā ad v. 39. & repetendam, quamuis Ambros. l. de pœnit. c. 2. id videatur negare.

53. *Vide Chrys. ora. 2. cōtra Iudæos.*

40. *Nolite arbitrari*] quia antea nihil, nisi conuitia, minas, & persequutiones Euangelij prædicatoribus Christus pollicebatur; docet nunc ideò se quodammodo veniſſe, vt ea euenirent, id est, nō sine sua prouidentia euentura: quarē non debere eos cum ea viderint, deterreri. Non ergò significat Christus ideò se veniſſe, vt bellum inter parentes, & liberos, cæterosque necessarios excitaret, sed ita hæc ex eius aduentu consequutura, tanquam ea de causa veniſſet, quomodo etiam à Simeone in multorum ruinam positus dicitur Luc. 2. 34.

Pacem] loquitur ex hominū opinione, qui concordiam in rebus malis pacem ducunt. Intellige igitur nō veniſſe, vt terrenam, & carnalem pacem mitteret inter homines. *Gladium*] sunt qui verbum Dei intelligant. Sic Aug. q. 3. in Matth. Hilar. Theophyl. &c. Alij amorem Dei, cuius causa filij à parentibus separantur, vt Euthy. videtur significare, Euangelium cæterum, vt separationem indicaret, *gladiū* maluit dicere, quam *bellum*: Et Lucas *separationem* habet c. 12. 51. & *ignem* eodem c. v. 49.

41. *Veni enim separare hominem aduersus* &c.] Chrysost. ait, illorum malitia hoc facit, sed dicit se facere scripturæ more: sic illud, *dedit oculos, vt non videat*. Porrò persona, quæ dicitur separanda contra aliā, videtur semper esse intelligenda persona infidelis (de discordia enim infidelium, & fidelū hic propriè agit Dominus:) Veni separare filiū infidelem aduersus patrem fidelem, & sic in reliquis: sicut & illud inimici hominis, id est, fideles, sunt domestici eius infideles. Atque ita hæc sunt intelligenda eo loquendi modo, quo vt vers. superiore monui, positus dicitur in ruinam multorum, vel etiam tradere aliquos in reprobum sensum & cæt. Quia nimirum ex eius in hunc mundum aduentu, & concionibus sequuta esset ipso sciente, & volēte, aut permittente, huiusmodi separatio, nam alioquin quantum in se erat omnium concordiam in fide optasset. nominat autem personas coniunctissimas, vt significet, nullum esse tam arctum vinculum, quod Euangelium non disrumpat. 54.

42. *Et inimici hominis*] repete veni, scilicet, efficere, vt inimici hominis sint domestici eius, id est, implere vaticinium Michææ c. 7. 6. licēt alio sensu scriptum ab illo.

Hominis] id est, vniuscuiusq; Hebr. videtur intelligere Christus domesticos, qui non crēdunt, & auertere à Christo volunt; hominem verò, eum qui Christum sequitur, vel in eum credit.

43. *Qui amat Patrem*] Hieron. amandi parentes, & filij post Deum. Quod si vterque amor, seruari non possit, odium in suos, pietas in Deum est. Chrysost. & in Deut. dicitur: *qui dixerint patri, & matri, nescio vos, hi custodierunt eloquium tuum: Nō est me dignus*] indignus, qui sit meus discipulus. Vide Luc cap. 14.

44. *Et qui non accipit crucem*] ponitur λαμβάνει, *accipit*, pro, ἄρει, *tollit in humeros*. Videtur alludere ad crucem, quam erat humeris suis, vt crucifigeretur, portaturus: *suam* autem dicit q. d. vt ego meam Emma. inquit, eum qui non æquo animo fert molesta, significari illis verbis, *qui non accipit crucem suam* &c. At Interl. intelligit eum, qui non accipit crucem suam, vel carnem domando, vel proximo compatiendo, & hoc intuitu æternorum. Verus sensus videtur esse, vt tollere crucē suam idem sit, quod paratum esse pro Christo non quoquo modo mori, sed etiam si oportuerit crucifigi ad imitationem Christi. Sic Chrysost. hom. 36. auctor imperfecti 16. Theoph. &c. nam qui hic mortificationem intelligunt, vt Hilar. Euthym. potius moralem afferunt interpretationem.

Sequitur me] imitatione.

45. *Qui inuenit animam suam*] inuenit ἐυρὼν, præteriti temporis est. nomine animæ priori loco vitam intelligit more Hebr. posteriori verò, animam ipsam, quæ aut in vitam æternam recipienda, aut in ignem æternum mittenda est, vt notat Maldon. Cæterum non video, cur non semper eodem modo sumi possit anima, p vita. Vult enim Dominus retinendæ huius vitæ desiderium à nobis tollere, vt tanto lubentius accipiamus crucem suam, & sequamur ipsum, non parcentes huic vitæ. perdere igitur animam, & inuenire, contraria sunt: vt

hoc sit vitam suam ab omni periculo tueri, & conseruare, illud autem, mortis periculo offerre. Est autem sensus, qui in periculo vitæ constitutus vitam suã inuenit, vel lucratus est per abnegationem nominis mei, is eam perdet. & contra qui perdiderit vitam suam ob nominis mei confessionem, inueniet eam in sæculo futuro. Et quidem in priori sententia, est quod subintelligas, qui inuenit animã suam per negationem mei nominis, aut me posthabito, vel simile quid. hoc enim subintelligendũ indicant illa, propter me in posteriore sententia. quod idem dicendũ de similibus sententijs, Matt. 16. 25. Marc. 8. 35. Luc. 9. 24. cùm aũt dicit: *qui inuenit*, &c. nõ loquitur ex veritate, sed ex vulgari hominũ opinione, qui se animã suã inuenisse putant, cũ ex certo eam, & præsenti mortis periculo eripuerunt, quasi iam perditam recuperauerint.

46. *Qui recipit vos*] significare videtur Christus quantam Apostolorũ curam habiturus sit, cum ipsius personã sustinere debeant, sic Mald. vel secundùm Ianse. post præcepta, & pericula ad legationem, & prædicationẽ pertinentia; ad extremũ de præmio recipientium Apostolos loquitur. dixerat enim illos viuere debere apud hospites suos: & indicauerat pœnã non recipientiũ eos, subiecit et iam grauissima ipsos à pleriſq; passuros. Commoda ergo iam de præmio recipientium differit. Primum, quo alacriores Apostoli ad prædicandũ fierent, videntes se Christi personam sustinere, & quantæ curæ sint apud Deum, denique quo loco, licet tot mala, ab alijs patiantur: deindè, vt reliqui promptiores fiant, ad eos recipiendos, intelligentes, quod illis Christi nomine impensum fuerit, Christo & Patri impensum esse putari debere, nihilq; vel minimum discipulis suis impensum irremuneratum iri. & hæc expositio, magis mihi placet, cum etiam alteram Maldonati inuoluat, prout nos illam exposuimus.

56. Aduerte ex Ianse. qui Apostolos recipit, Christum recipit, & qui hunc, etiã Deum patrem; non solũ quia Christus in Apostolis, & Deus in Christo verùm multo magis, quia Apostoli Christi negotiũ agebant, & legatione pro eo fungebãtur; sicut negotium Christus Patris sui egit. Porrò qui legatum regis, nomine regis suscipit, quodammodo regem suscipere dicitur. Atque ob id, non dictum est, *qui me recipit, recipit Patrem meum*, sed *eum, qui misit me*: quo significaretur, eũ qui se recipit, ideò Deũ recipere, q̃ ab illo missus sit, q̃ proinde beneficiũ filio impensum, veluti sibi præstitum acceptat.

47. *Qui recipit Prophetam*] aperit hic præmium recipientium Christum, & mercedem, quam consequentur.

In nomine Prophetæ] id est, quia Propheta est. significat in his recipiendis Dei, & sui respectum habẽdum. vnde Marc. cap. 9. 40. ait: *quisquis potum dederit vobis calicẽ aquæ in nomine meo, quia Christi estis: amen dico vobis non perdet mercedem suam.*

Mercedem Prophetæ accipiet]. i. particeps erit mercedis Prophetæ. i. quam ipse Propheta accepturus est. Non ergò intelligas, quod tantam accepturus sit mercedẽ, quãtam & Propheta: sed quod particeps futur⁹ est mercedis, quę Prophetæ debetur; quia in nomine Prophetæ ipsum recipit, vt à Deo missum, cooperans, quantum in se fuit; Prophetę officio. Eodẽ modo intellige de iusto in nomine iusti, id est, qui iustus est: nam qui iustum sic recipit cooperatur iusto, vt iustitiam sequi possit. Clemens lib. 4. Stroma. colligit ex hoc loco non ęqualem beatorum omnium esse mercedem. rectè, nam neque eandem eum qui prophetam; & eum, qui quemlibet iustum susceperit mercedem est recepturus, sicut nec ipse Propheta, vel iustus eandem recipit, maiori ergo maior, minori vero minor respondet. Est etiam hinc colligere vitã æternam mercedem esse cõtra hæreticos negantes hæreditatem cæleſtem esse verè mercedem, nisi impropriè, quatenus post opera datur. At hinc constat non solum post opera dari, sed etiam propter opera, ac illis respondere. Denique obserua primum fieri mentionem prophetæ, tanquam dignioris; deindè iusti cuiusque, qui non sit Propheta; postremò obiectissimi etiam discipuli, seu fidelis. itaque gradatim procedit.

48. *Et quicunque potum*] ne quis se ab hospitalitate, per paupertatem excusaret, hoc leui præcepto diruit. Hieronym. docet ergo iam tertio loco magnum præmium manere eos, qui suo tempore etiam infimos, & abiectissimos fidelių, vel minimo aliquo afficiunt beneficio. Dixi tertio loco, quia cùm superiori v. 47. ostenderit quantum sit præmium; primùm quidem recipientium prophetas, deinde generalius recipientium quoſuis iustos, iam v. 48. magis prouehens sermonem, de his loquitur qui infimos fidelium suo nomine, vel minimo afficiunt beneficio. 57.

Aquæ frigidæ] nam, vt inquit Hierony. in calida sumptum lignorum caussari quis posset. *Calicem*] ποτήριον. *Tantum*] potest cõiungi cum præcedentibus, & sequentibus, vt sit sensus, si quis vel frigidam duntaxat̃ aquam exhibeat, sufficere: vel referendo ad sequentia, vt intelligatur, satis esse quidquis, modo id fiat tanquam discipulo.

49. *Cùm consummasset Iesus præcipiens*] est græcismus, id est, fecisset præcipiẽdi finem. quare non est subiungendum, cùm consummasset omnia verba hæc.

Transit inde] à loco, scil. in quo hæc præcepta dederat separans se ab Apostolis, vt semoti à præceptore, sui periculum facerent.

Vt doceret & prædicaret] Theophyl. docet nullam miraculorum factam esse mentionẽ, quia miraculis faciendis verosimile est abstinuisse, quamdiu Apostoli, qui missi erant prædicabãt, & miracula edebant, quo maiorẽ illis conciliaret auctoritatẽ. quod si non placet, dic doctrinæ meminisse tanquã pręcipui operis, ad quod Dominus venerit.

Eorum] non videtur subintelligendum Apostolorum, quasi significet Euãgelista Christum subsequutum Apostolos, in illis eisdem ciuitatibus prędicasse, in quibus prædicauerant Apostoli prius. Sed ad Iudæos videtur referendum, vt significetur Christus in eis ciuitatibus prædicasse, in quibus Apostolos prædicare præceperat, nempè Iudaicis.

Et verò etiam obserua Christum emissis vicarijs, non otio se dedisse, sed ad opus ad quod alios misit se accinxisse.

50. *Vt pœnitentiam agerent*] Prima vox Euangelij hæc est, vt homines pœnitentiam agant, regnum enim cælorum appropinquare: hanc enim vbique siue Ioannes primum, siue Christus post, siue postremo Apostoli, initio prędicationis vsurparunt. voluit autem Christus se & Apostolos eodem exordiri modo, quo Ioannes: vt confirmaret se esse eum, cuius præcursor ille fuisset. quare Luc. 10. 9. eandem septuaginta duobus formam prescripsit, *dicite appropinquauit in vos regnum Dei*. 58.

51. *Vngebant oleo multos agros, & sanabant*] Non *sanabantur* legendum est, sed *sanabant*. Græ. ἐθεράπευον. Quod verò *multos* dicit, non intelligas, non omnes curatos, quos vnxerant, sed significare voluit, multos fuisse eos, quos vnxerant, & curauerant Apostoli. An verò hæc vnctio fuerit Sacramentum extremæ Vnctionis in Theoria dicetur.

THEORIA PRIMA.

Quomodo fit intelligendum præceptum Domini: *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, & sed potius ite ad oues*, &c.

1. CVM Dominus Matth. & Marc. vltimo, iusserit Apostolis docere omnes gentes, mirari quis posset, quomodo hoc præceptum stet cum eo, quod hoc loco Apostolis traditur. In primis illud tanquam certum accipiendum est, Petrum & Apostolos cæteros sciuisse prædicandum esse gentibus etiam ante reuelationem illam, quam habuit ille Actor. decimo, in quo, non pauci decepti sunt. Marci enim & Matt. vltim. iubentur Apostoli docere omnes gentes, & ne quis diceret Apostolos non id intellexisse, Lucas ait cap. vlt. ver. 45. *aperuit illis sensum; vt intelligerent Scripturas*, & mox subiungit explicans quas Scripturas: *quoniam*, inquit, *oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Et Petrus Actor. 1. 2. & 3. passim ostendit, se intellexisse Scripturas citans Psal. Ioelem, Deut. & speciatim illud Gen. 22. *in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.*

An Apostoli iuerint Gentibus ipsi prædicandum.

2. Quamobrem ergò, inquies, ostensa est Petro illa visio Act. 10. Et quare illa protulit Petrus eodem loco vers. 34. *in veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus?* videntur enim hæc significare, ignorasse Petrum gentibus debere prædicari Euangelium. Respondeo vidisse Petrum illam visionem, partim propter se, partim propter alios; propter se quidem, non vt disceret, sibi licere, gentibus prædicare, sed vt intelligeret tunc esse tempus eis prædicandi. Nam quia Dominus dixerat Actorum primo: *eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Quibus verbis illum ordinem Apostolis præscripserat, vt primùm prædicarent in Hierusalem, deindè in reliqua Iudæa. tum in Samaria, vltimo in regionibus gentium: Ideò Petrus subdubitabat, quando nam tempus esset prædicandi gentibus, & an liceret eis oblata occasione prædicare, etiam agendo cum illis familiariter antequàm per totam Iudæam, & Samariam prædicatum esset. Hoc dubium sustulit Spiritus sanctus, ostensa illa visione.

Protulit verò illa verba Petrus: *in veritate comperi* &c. quia experientia ipsa id quod alioqui sciuerat, agnoscebat, idque voluit alios etiam docere, vt Deum laudarent & gratias agerent.

3. Hoc ergò posito affirmo, nullam vnquàm Dei legem, nullam traditionem vetuisse, salutis viam scire, & inire volentibus indicari, & doceri. Itaque, si cum Iudæis prædicabant Apostoli, & discipuli Christi, etiam antequàm Petro facta esset illa visio, aliquis gentilium voluisset Christianus fieri, vel Dei verbum audire, non abiecissent illum, quin instruxissent potiùs, & fidem docuissent in CHRISTVM IESVM.

Nunquam prohibitum alios docere viam salutis.

A

Quod si obijcias caput 11. Act. 2. quod cùm ascendisset Petrus Hierosolymam post baptizatum Cornelium, disceptabat aduersus illum qui erant ex Circumcisione. Respondeo inprimis quod increpabant eum Christiani quidam ex Iudæis facti: hoc enim est disceptabat, increpabant; & hoc innuit vox quare, cùm aiunt: *quare introijsti ad viros præputium habentes*, notat autem Ephiphan. hær. 28. eum qui commouit circumcisos contrà Petrum, fuisse Cerynthum hæresiarchã post Simonem. deindè, dico quod hi nõ increpabant Petrũ, quod verbum Dei annũciasset gentilibus: sed quod cum illis fuisset conuersatus, familiariterq; conuixisset per dies aliquot: nam cũ proselytis, hoc non licebat, ex traditione antequã in religionis, & Sacrorum cõmunionem essent admissi. 4.

Cerynthus commouet Iudæos conuersos in Petrum.

B

Verùm vrgebis vetitũ fuisse à Christo Apostolis, ne in viam gentiũ irent. ego non erat integrũ Apostolis verbũ Dei gentilibus annunciare. Respondeo illo quidem initio antè factã visionem, Petro nõ licebat publicè saltem vel familiariter versando cum illis verbum Dei gentilibus annuntiare, antequã repellerentur à Iudæis, quorum præsertim gratia adibãt varia loca ad Euangelium disseminandum. Cæterùm dum vel Iudæis concionabantur Apostoli, nõ prohibebãt gentiles audire, vel ad illos concionari non subterfugiebãt ex data occasione; quod si voluissent inter fideles connumerari, nec eos expulissent. Sed potissimùm (vt dixi) erat illis prohibitum per id tempus ad illos concionari, agendo cum illis familiariter, habitando & commedendo, quæ post illam Petro factã visionem licuere. Adde quod illud Christi præceptum, vbi etiam de Samaritanorum vrbibus dicitur, ne eas ingrederentur, erat seruandum tempore illius missionis de qua ibi Dominus: licèt non negem etiam posteà esse à Christo dictũ Apostolis, vt prius Hierosolymis, & in omni Iudæa, ac Samaria prædicarent, nec ad gentes velut principaliter accederent præsertim agendo cum illis, vt cum Iudæis. 5.

C

Affirmo deindè quod merito Petro facta est ea visio, qui caput erat Ecclesiæ, illique proindè dictum fuit, *occide, & manduca.* perbellè. nam capitis est manducare, & per manducationem atque esum traijcere cibum in stomachum, & illum sibi incorporare: significatur enim hac metaphora Petro conuenire, vt ipse tanquam caput Ecclesiæ infideles conuertat, & efficiat membra Ecclesiæ. Quare etiam factum fuit, vt primus qui gentilem hominem cõuertit, Petrus fuerit: saltem quod sciamus, & scriptum sit. vnde Actor. 15. Petrus non mentitur, dum indicat se primum prædicasse gentibus. 6.

D

Primus omnium Petrus Gentiles conuertit.

Et Lucas Actor. 11. scribit, eos qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulasse varias regiones euangelizando nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæi. vt enim aduertit Caiet. in Acta, Lucas voluit narrare principia conuersionis gentium vndequaque. Nam primo à Philippo conuersum Eunuchum scripsit. Deindè à Petro Cen- 7.

Digitized by Google

tro Centurionem cum suis, & capite vndecimo à dispersis narrat conuersos gentiles in Antiochia. Quoniam verò hi qui nati erant in Iudæa, iam dispersi, ignorabant quid Petro accidisset, propterea non modo à conuictu gentium, sed ab omni colloquio (scrupulosius fortasis) abstinebant, vt vers. 19. scribit Lucas. At Cyprij, & Cyrenæi, quia inter Græcos nati, & versati fuerant non dubitabãt Græcos adire, & Dominum Iesum illis annuntiare, quamuis cum ipsis non conuescerentur; fortasis, quia videbant iam satis prædicatum in Iudæa, ac Samaria, atque etiam esse adhuc qui ibi prædicarent.

8. Et quamuis Gagnæus dicat per Græcos intelligi non gentiles, sed Iudæos ordine, ac religione, licet natos in Græcia: Haberi enim G. Ἑλληνιστὰς non Ἕλληνας, verosimilius tamen puto gentiles illos fuisse. Et hoc quod hic dicit Lucas confirmat id quod diximus superiùs, non fuisse vnquam prohibitum gentilibus verbum Dei nunciare, velut ex occasione, & minùs principaliter, vel volentibus audire, interim non relictis Iudæis, tanquam ijs, quibus priùs & principaliter euangelizandum erat, interim cum gentilibus familiariter non agendo.

9. Sed illud est contrà id quod diximus, omnium gentilium primum conuersũ fuisse Cornelium: nam Philippus conuerterat iam priùs Eunuchum illum Reginæ Candacis. Respondeo, illum pertinuisse potiùs ad Iudæos, quia proselytus erat: & iam. prædicatio suo ordine transibat ad Samaritanos. Paulum verò, qui gentibus dicitur esse loquutus, Actor. 9. 29. disputasse cum gentilibus non negamus, sed fidem potius defendendo ab eorum calumnijs, quam eos conuertendo ad fidem. Itaque subiungit Lucas, non quidem aliquos esse conuersos, sed odium adeò graue esse excitatũ in Paulum, vt quæsierint eum interficere. quare hic locus nõ obstat quo minus dicamus D. Petrum non modo Iudæorum, sed etiam gentilium primum Patrem fuisse.

Eunuchum Candacis Reginæ erat proselytum.

Cornelius Centurio quis fuerit.

Fuit verò Cornelius, vt videtur, Romanus, vt nomen, & cohors, cuius erat vnus ex centurionib. indicat; is dicitur fuisse postea Episcopus Cęsarienis, sed post Zacchæum. eius porrò domus facta est Ecclesia; videtur eius conuersio incidisse in annum Dom. 41. Caij 3. diuisio verò Apostolorum videtur accidisse ann. Do. 44. Clau. 2. cùm etiam Petrus primùm Romam adijt, & sedem constituit. hinc patet falsum esse testimonium Apollonij apud Euseb. lib. 5. c. 17. iussos Apostolos à Christo, duodecim annos manere Ierosolymis. Nec est verũ, quod in Apocrypho scripto, quod Melitonis Sardicen. Episcopi nomine circũfertur apud Bedam in retractatione in Acta Apost. cap. 8. dicitur, Anno 2. post Ascensionem, diuisos esse Apostolos. De symbolo, quod constituerunt diuidendi in orbem RVFFIN. in præfat. expositionis Symboli apostolici. Sed hæc obiter, vt pertinentia ad primam gentium conuersionem. Et nota, quod præsertim Apostolis dictum est: *eritis mihi testes primum Hierosolymis, deinde in omni Iudæa,* &c. vnde non mirum si dispersis reliquis Christianis post Stephani necẽ, soli ferè Apostoli remãserunt Ierosolymis.

Rufin.

A Tertiò affirmo: cur voluerit Christus Dominus, vt ordinatè prius Hierosolymis; ac Iudæa; deindè in Samaria prędicarent Apostoli, antequam ad nationes gentium proficiscerentur: (*eritis* enim, inquit, *mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*, Actor. 1. 8.) quatuor rationes afferri posse eius præcepti. Prima est, vt suus esset Christo honor: decebat enim vt vbi crucì suffixus, vbi tot modis illusus fuerat, ibi vel ipsis inimicis spectantibus commendaretur Apostolorum prædicatione, edendis miraculis Spiritus S. aduentu. Altera ratio est, ad confundendos magis Iudæos, maioremque illis ruborem inijciẽdum, & simul ad eosdem magis iuuandos, si quo pacto resipiscerent, & ad

B maiorem Christianæ religionis auctoritatem: Erat enim Hierosolymitana ciuitas totius Palæstinæ caput, & metropolis. Ibi splendidissimum templũ, ibi sacerdotiũ, ibi regnũ elucebat. Rectè ergò decreuit Deus suauiter omnia disponens, vt ibi maior erat terrena, & caduca potestas, esset quoque spiritualis illustrior; & inde tanquam à capite deriuaretur ad alios. quod Isa. 2. 3. significatum est: *de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Ierusalem.*

10. *Cur Christus post Iudæos statim ad Samaritanos vult diffundi Euangelij prædicationem.*

Quin etiam aduertere licet præcipuas ac Cathedrales Ecclesias, non nisi in præcipuis vrbibus, & quæ aliarum essent veluti capita; fundatas esse, vt de Hierosolymitana, Alexandrina, Constantinopolitana constat; & Antiochena, & quod caput est, Romanam amplissimam vrbem videmus, en locum successisse

C Imperij Romani, & terrenos imperatores, Christo etiam cælesti Imperatori cessisse. Tertia ratio, vt refelleretur id, quod contra gentes obijcere potuissent. nam si Apostoli relictis suis, id est, Iudæis, & Galilæis statim ad gentes se conuertissent, næ illæ dicerent, eos, cùm apud natos, & suos non possent Euangelium prædicare, trãsfugisse ad exteros, qui minus benè callerent eorum dolos, & impostu-

D ras: secus verò, si post persuasum suis, & confirmatum Euangelium ad alios deuenissent. lege Chrysost. in illa Act. 1. apparens illis, §. sed postquam cõplures. Est & quarta ratio, quod hoc modo Iudæi nullam excusationem obtendere possint Euangelij non recepti, nec dicere illis non esse prædicatum, vel posthabitos, vel postpositos gentibus esse, ac proindè Euangelium non suscepisse: iam ipsi repulerunt, atque adeò iure ad gentes transijt prædicatio Euangelij. quod illis obiecit. Paul. Act. 13. 46. *vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vitæ, ecce conuertimur ad gentes.* vide quæ diximus in Schol. v. 11. Et ex his constat quomodo hoc Christi præceptum intelligendum sit, & quod nullo modo contrarium sit his quæ Christus de conuersione gentium docuit.

11. *Ecclesiæ Cathedrales in præcipuis vrbib. fundatæ.*

Digitized by Google

THEORIA II.

In versic. 15. & 16. An munus euangelizandi melius pera & sacculo, quam sine illis geratur.

1. HVIC ego controuersiæ rectè arbitror responderi illud posse, quod eidem doctè respondit aliquando Doctor Olauius Societatis nostræ (vir & in scripturis, & in fidei dogmatibus tractandis exercitatissimus) eo meliùs euangelizandi munus cum pera, & sacculo, quam sine illis geri, quo perfectius à Diuo Paulo, quàm ab alijs Apostolis id obitum est. quod sic ille ostendit: D. Paulum perfectius egisse munus euangelizandi, quam alios Apostolos, nemo credo est, qui dubitat, si modo diligenter ad illa noni capitis v. 5. verba 1. ad Corinth. attendat: *numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli?* Rursum ver. 12. *si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos?* & tandem, vt explicet, quantum perfectionis in hoc sit positum, ver. 18. inquit: *quæ est ergo merces mea? vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium, vt non abutar potestate mea in Euangelio.* legunt hæc omnes, nec vllus tam ignarus est, qui non intelligat fructuosius, & melius euangelizandi munus obisse D. Paulum, quam alios Apostolos.

2. Quare si hoc commendamus in Paulo, & Barnaba, supra reliquos Apostolos, quod sine sumptu Euangeliũ ponerent, & hæc ratio est, cur illi potestate sua non abutebantur (id est, quantum possent non vtebantur) vt loquitur Diuus Paulus: eadem profecto ratio euincet, fructuosiùs, & perfectiùs munus hoc nunc obire eos, qui instructi rebus necessarijs nihil ab ijs, quos docent, postulant, quam qui ab illis victum, & vestitum (cosdem onerando) mendicant. sic Olauius.

3. Quod si obiicias hæc verba Matth. 10. *nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in viã.* Respond. censeo, id iussisse Dominum quod & licitum esset, & virtutem Euangelij declararet hoc argumento, quòd præconibus eius, omnibus alijs rebus destitutis, nihil vnquam defuturũ esset; simulque vt suam spem addiscerent in Deo collocare; hoc quam verum sit doctissimè D. Thom. 2.2.q.185. art. 6. ad 2. declarat his verbis: *verba Domini Matt. 10. nolite possidere aurum, &c. possunt tripliciter intelligi. vno modo mysticè, vt non possideamus neque aurum, neque argentum, id est, vt prædicatores non innitantur principaliter sapientiæ, & & eloquentiæ temporali, vt Hierony. exponit* (Matt. 10. tom. 9.) *alio modo, sicut August. exponit lib. de consens. Euang.* (2. cap. 30. tom. 4.) *vt intelligatur hoc Dominum non præcipiendo, sed magis permittendo dixisse. Permisit enim eis, vt absque auro, & argento, & alijs sumptibus ad prædicandum irent, accepturi sumptus vitæ ab his, quibus prædicabant. vnde subdit: dignus est enim operarius cibo suo. Ita tamen, quod si aliquis proprijs sumptibus vteretur in prædicatione Euangelij ad supererogationem pertineret. sicut Paulus de se ipso dicit, 1. ad Corint. 9. 3. modò secundùm quod Chrysost. exponit* (in hom.

A super illud Paul. salutate Priscam, & Aquilam to. 4. post expositionem epist. ad Rom. immediatè) *vt intelligamus illa Dominum præcepisse discipulis, quantum ad illam missionem, qua mittebantur ad prædicandum Iudæis, vt per hoc excitarentur ad confidendum de virtute ipsius, qui eis, absque sumptibus prouideret.*

Ex quo tamen non obligabantur ipsi, vel successores eorum, vt absque proprijs sumptibus Euangelium prædicarent. Nam de Paulo legitur 2. ad Cor. 11. 8. quod ab alijs Ecclesijs stipendium accipiebat ad prædicandum Corinthijs, & sic patet, quod aliquid possidebat ab alijs sibi missum. stultum autem videtur dicere, quod tot sancti Pontifices sicut Athanas. Ambr. & August. illa præcepta transgressi fuissent, si ad ea seruanda se crederent obligari. 4.

B Hæc D. Thom. eandem rem D. Chrysost. hom. à D. Thom. cit. in locum Pauli: *salutate Priscam, & Aquilam,* eruditè admodum docet similitudinibus allatis: *quemadmodũ,* inquit, *qui artem natandi docent, principio multa diligẽtia discipulos gestant: post vnum autem, & alterum, & tertium diem subtracta dextera illu præcipiunt, vt seipsos iuuent, & nonnunquam illos parumper mergi sinunt, ita vt & multum salsuginis sorbeant: ita sanè & cum discipulis suis Christus faciebat. Nam initio nihil eos pati sinebat, sed vbique aderat muniens eos, faciensque, vt omnia vbertim eis affluerent: cùm vero tempus esset, vt virilitatẽ suam ipsi declararent subtraxit aliquandiu beneficium, præcipiens eis, vt etiã per se ipsos multa perficerent.* Et paullò inferiùs ait idem Chrysost. *& quemadmodum aues, pullos suos fouentes, tamdiu in nido sedent, donec illorum plumæ increscant: quas dum increuisse viderint, eos* C *primum circa nidum volitare docent, deindè adminiculo suo, totos destituunt: ita faciebat & Christus in Palæstina enim quasi in nido nutricabat discipulos, & exinde eos volare docuit in totum orbem, dato eis mandato, ne sibi ipsis deesſent, &c.* ex sententia ergo Chrysost. solis hæc Apostolis præcepta sũt; & neque illis in omne, sed ad præscriptum, & determinatũ tẽpus. vide plura apud illũ similia, & apud Driedonem de dogmatibus lib. 3. c. 1. tract. 2. circa medium, vbi exponit locum Luc. 22. *quando misi vos sine sacculo, & pera.* Ex his satis soluta videtur illa obiectio ex verbis Matt. 10. *nolite possidere aurum,* &c. 5.

Sed iterùm obiici potest exemplum Christi qui Euangel. prædicans ex facultatibus nutriebatur eorũ, apud quos cõcionabatur. Dicendũ D melius esse ita Euangelium prædicare, vt non grauentur populi, vndecunq; concionator viuat. quod tamen Dominus ex alieno (si tamen quicq̃ei alienũ dici queat) hoc est, ab illis mendicando, quibus euãgelizabat, viuere dignatus est; non imperfectionem eius, sed perfectionem potius arguit: Nam, vt inquit August. lib. 2. de serm. Domini in mont. c. 26. *cùm ei ministrarent Angeli, propter exemplum tamen ne quis postea scandalum pateretur, cum aliquem seruorũ eius animaduertisset ista necessaria procurare, loculos dignatus est habere cum pecunia, vnde vsibus necessarijs quidquid opus fuisset præberetur.* ne quisquam igitur scandalizaretur videns prædicatores ex Euanglio viuere, & ipse ex eo viuere dignatus est: quamquam verò vita Ioan. Bapt. cæteris paribus perfectior sit vita illa communi: fuit tamen perfectionis, quod Dominus pro- 6.

pter

pter nos communem illam rationem viuendi suscipere dignatus sit. Quanquam longè perfectius Dominus in vita propter nos minus perfecta vixit, quam Io. in vita perfectiore.

7. Cæterum licèt hęc ita se habeant, vt dixi, intelligenda tamen sunt cæteris paribus, vt Iansſ. ait c.55.concor.in ea verba: *dignus est enim operarius* &c. scilicet spectando hæc duo præcisè, euangelizare sine sumptu aliorum & euangelizare ex alieno sumptu. Illud præcisè perfectius, hoc minus esse perfectum. Semper enim præcisè purior est, & perfectior, & magis propter Deum, & salutem animarum videtur prædicatio, & liberior, quãto minus quis ex alieno viuit: quare si quis abdicatis omnibus propter Christum, ex laboribus manuũ viueret, & non inde impediretur à rebus diuinis, vel certè ex sponte datis sustentaretur, perfectius sic euangelizaret, quamuis fortasis id nunc tenere difficile sit cõmunitatibus Religiosorũ, & ideò ex hac parte est, vt mendicando euangelizent. licèt aliunde perfectior sit eorum vita quam aliquorum, qui sine sumptu ponunt euangeliũ. Minus autem videtur ex alieno viuere, qui aliquorũ ministerio vtitur sponte impenso, quã qui mendicat, si absit scandalum. Iansſe. item lo. ci. addit: *quod sicut ob circumstantias quasdã prædicator potiùs eligere debet viuere ex proprio, quam ex alieno*, sine sumptu, quã cũ illo, *ad vitanda quedã scandala, & impedimenta euãgelici profectus, ob quæ Paulus significat ex proprijs voluisse laboribus viuere: ita contra, quibusdam concurrentibus circumstantijs præstat ex alieno viuere, cùm scilicet nullius scandali est periculum, sed discipuli etiam sponte offerunt prædicatori nudo, quique omnibus suis bonis renunciauit, ea, quæ ad victum, & vestitum sunt necessaria, illeq; ea accipit; tum vt illorum promptum obsequium apud Deum suam habeat mercedem, tum vt ipse ab omni solicitudine, & labore liber, magis vacare possit actibus spiritualibus. Ita certè circa Christum contigisse nõ est difficile intelligere, quem, quo se declararet planè esse cœlestem, non decebat ab incepto euangelico negocio, labore manuũ parare victui necessaria. Hac ratione non tantum alij Apostoli ex Euangelio vixerunt, sed & ipse Paulus à Philippensibus suscepit in carcere constitutus, & ante, quæ essent egestati subleuandæ necessaria, vt patet cap. vltimo ad Philip.* Sic Iansen. & benè.

THEORIA III.

Quando fugere liceat, vel etiam non liceat in persequutione in v 29.

1. *Fuga in persecutione quando licita aut illicita.*

HAc de re satis doctè August. disserit ep. 180. ad Honoratum; ex quo hęc eliciuntur; primùm fugam persequutionum propter fidem, vel iustitiã interdũ quidẽ non licere, interdum verò, non modo licere, & laudi tribui, sed necessariam etiã ac præceptam esse. Deniq; interdum licere tantum, licet non vsque adeò laudi tribuatur, ac necessaria sit. Quando enim ex fuga alicuius alij grauiter scandalizarentur, iustitia opprimeretur, prædicatio & Sacramẽtorũ administratio omitteretur, ac oues Christi periclitarentur, non licet fugere ei per cuius fugã hæc sequerentur. Cùm verò maior gloria Dei & Ecclesię vtilitas, & Euãgeliũ ipsum postulat, vt fugiamus, fugiendũ est, & nó fugere

A peccatũ; v. g. quia non expedit Ecclesię priuari tali doctore, addit Chryso. fugere licere, & nescio inquit Mald. an oporteret etiã, cum eius si manserit fides periclitabitur. *Christum*, inquit Chrys. *fugiendo non negat, qui ideò fugit ne neget.* Fugere verò licet, quamuis non necessariò, cũ sacerdos ipse priuatim ab aduersarijs quęritur, & sunt alij, qui possunt pro illo sacramenta populo ministrare. Denique quandocunque plus fugiendo, quam manendo iuuare potest.

Cùm aũt omniũ cõmune est periculum, aut oẽs ad loca munita transeant, aut hi quibus alij indigent, maneant: etenim vt rectè D. Th. docet 2.2.q.185.a.5. bonus pastor animã suã ponere tenetur pro ouibus suis. Audi Aug. epi. cit. *fugiant*, inquit, *de ciuitate in ciuitatẽ serui Christi quãdo eorũ quisquã specialiter à persequutoribus quæritur, vt ab alijs, qui non ita requiruntur, nõ deseratur Ecclesia. Cùm autẽ omniũ est cõmune periculũ, hi qui alijs indigent, non deserãtur ab his, quibus indigent.*

B *Si enim pernicioſum est proretam in tranquillitate nauim deserere, quanto magis in fluctibus?* vt dicit Nicolaus Papa & habetur 7.q.1.c. Iciscitaris: quarè merito, sapienterq;, Greg. ho. 14. in Euang. ait: *stare in periculo ouium non potest, qui in eo, quod ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum quærit: Et ideò opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit, amittat.*

Ille autem qui ad euitandum periculum recedit absque detrimento gregis, non tanquam mercenarius fugit. Imò sic fugere non deserere, sed instaurare prælium est. Et verò aliquando fugere, etiam vincere est. Sic Iosue, vt habes c.8. fugit quidem, sed fugiẽdo triumphum reuexit: & qui instar omniũ ducum est Christus Herodem dum fugit, eluſit, & nobili stratagemate prostrauit. Fugiebant Apostoli pręcepto Christi ex vna ciuitate, quæ Euangelio fores obstruebat, in aliam, vt Euangeliũ alijs promulgando disseminarent. Illustris sanè fuga, quę Euangelij seminarium est. proh! quam speciosi sunt pedes eorum, qui per illustrem huiusmodi fugam viam sibi aperiunt, & muniunt ad innumeras hostium cateruas Christi Euangelio subijciendas. Rectè igitur Beda *fugite*, inquit, *in aliam ciuitatem, non timendo pasionem, sed declinando, vt tribulationis occasio seminarium fiat Euangelij.*

C Quarè Tertul. sentẽtia, qui nunquam fugere licere vlli Christiano existimauit, damnata est, ita vt Hieron. in eius vita, eius librum de fuga in persequutione aduersum Ecclesiam scriptũ esse sentiat. Vult autem Tertul. imò & Hiero. & Chrysost. & alij, præceptum hoc, tantum ad discipulos pertinuisse, seruandum in prima ista legatione duntaxat. Nam propterea dictum volunt: *non consummabitis ciuitates Israel*, quo significaretur intra terminos Iudææ præceptũ fugæ contineri, vndè etiam superius dictum fuit, *in viam gentium ne abieritis.* Sed Athanas. in ep. ad Orthodoxos, & ad Marcum Pontificem Rom. Et Nazianzen. ora. 1. contra Iulianum, multo melius sentiunt, saltem aliquo modo ad omnes reliquas missiones hoc præceptum, vel promissionem pertinere, vel extendi. Nam in prima missione nihil eiusmodi Apostoli sunt experti, quod faceret illos fugere, cùm omnia ex voto successerint. De hoc argu-

D

mento, præter Augustinum Epistola cētesima octogesima ad Honoratum, disserit Athanasius in Apolo. de fuga. Diuus Thomas secunda secundæ, quæstione centesima octogesima quinta, articulo quinto, & Abulensis copiosè in hunc Matthæi locum c. 10.

THEORIA IV.

In v. 51. An ea Apostolorum vnctio, qua oleo ægrotos inungebant Sacramentum fuerit Extremæ Vnctionis?

1. ETsi non desint, qui his verbis vtantur ad Extremæ Vnctionis Sacramentum cōprobandum, vt VValdensis tomo secundo de Sacrament. cap. 163. & Castro con. hære. v. Extrema Vnctio, & Petrus Soto lect. 1. de hoc Sacramento; putant enim hanc vnctionem fuisse verum Sacramentum, quod sequitur Maldon. Marc. 6. vers. decimotertio. verosimilius tamen est, vnctionem, de qua hic est sermo, non fuisse verum Sacramentum Extremæ Vnctionis, licèt fuerit veluti quoddam præuium signum, seu adumbratio eius. Videtur sententiam hanc amplexatus Hugo, Magister, Bonauentur. Alensis; alioquin non negassent hoc Sacramentum à Christo immediatè institutum. Et quidem D. Thom. in 4. distinct. 23. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula tertia ad primum, rationem reddit, cur Euangelistæ huius Sacramenti mentionem non fecerint, & subiungit posteà: tamen etiam de olei vnctione mentio fit Marc. sexto insinuans, licèt ibi non sit sermo de Sacramento, illius nihilominus vnctionis mentionem esse factam, non sine mysterio, nimirum ad hoc Sacramentum adumbrandum.

Expressè tamen eam sententiam sequuntur Iansenius Concor. cap. 55. sub fin. Sotus 4. d. 23. q. 1. a. 1. Bellarm. de Extrema Vnctione cap. 2. Suar. To. 4. p. 3. d. 39. sect. 1.

2. Mihi sanè eadem opinio valdè probatur. Primùm quidem, quòd ea vnctio non videatur cærimonia fuisse immediatè ad animæ salutem præsertim pertinens, quamuis res fuerit visibilis, & externa. Fuit enim medicamentum ad curandos ægrotos corpore: sic enim refert Matth. c. 10. dixisse Christum Apostolis quos mittebat: *infirmos curate:* cuius curationis modum scripsit Marcus oleo vngendo. neque enim est credibile, nisi Christo præcipiente, vsuros fuisse oleo. Dixi immediatè, quia illa corporum sanitas etiam ad animæ salutem referebatur, atque adeò illa externa vnctio mediatè ad eandem tendebat salutem, nimirum, ad fidem persuadendam. At Sacramentum nouæ legis ad spiritalem effectum immediatè referri debet.

3. Ad hoc, non dum Apostoli tunc Sacerdotes erant, & non poterat Sacramentum Extremæ Vnctionis ab alijs conferri, quàm à Sacerdotibus. Præterea, illi ipsi non baptizatos tantum, nec solum moribundos ægrotos, sed omne ægrotorum genus, cæcos, mutos, debiles, & claudos vngebant, quibus dari non potest hoc Sacramentum. Dicere verò eum qui legem tulit, potuisse pro suo arbitrio lege vti, Apo-

A stolos quoque antequam Sacerdotes essent, baptizasse, vt ex l. 3. Dilucidat. cap. 4. in Scholijs vers. 2. liquet: vt fatear potuisse id ita esse, non fit tamen verosimile ob rationes dictas; non est autem eadem ratio de baptismo, nam in eo non est Sacerdos necessarius minister, sicut est in hoc Sacramento. His accedit quod vnctio illa apud Marcum ad tempus debuit durare, sicut ipsum etiam donum sanitatis ad tempus durauit in Ecclesia, saltem ita frequens; neque enim penitus cessauit, sed subindè in aliquibus eminet. At Vnctionis Sacramentum, & remissio ipsa peccatorum per illā debuit esse perpetuò, & ordinariè in Ecclesia, vt Iacobum intellexerunt Patres.

Itaque Marci 6. vbi legitur quòd Apostoli missi à Christo multos infirmos oleo vngebant, & sanabantur, non commemoratur vsus Sacramenti Extremæ Vnctionis, sed quoddam quasi procœmium, & typus ipsius propter vnctionis similitudinem: & ideò videtur Christus tale medicamentum, vt symbolum quoddam externum, vel adminiculum curationis miraculosæ, quæ fiebat per donum sanitatis media intercedente vnctione, instituere voluisse ad adumbrandam Extremam Vnctionem, & ad præparandum, aptandumúe homines ad illam; & vt declararetur hac oratione Apostolos legatos esse Messiæ, qui ab vnctione sic dictus est; & vt indicaretur similiter per vnctionem olei inuisibilis, qui est Spiritus sancti reparari animæ sanitatem. ex hoc fortasis Apostolico exemplo factum est, vt olim Christiani sæpè vterentur olei vnctione ad abigendos morbos Deo miraculosè cooperante non per modum operis Sacramenti, sed per modum effectus gratiæ gratis datæ, vt loquitur Suarius disputatione trigesimanona sub finem, quod ex Tertulliano libr. ad Scapulam capite quarto confirmari potest, vbi narrat: Proclum Christianum oleo curasse Antonium imperator. qui non erat Christianus, vbi Pammelius similia notat ex Hieronymo in vita Hilar. & ex Ruffino l. 2. Hist. c. 4. de discipulis sancti Antonij, & alijs.

B

C

4.

Cæterum ad dissoluenda quædam quæ ex Patribus quibusdam obijciuntur diligenter obseruandum est: eam Apostolorum vnctionem bifariam considerari posse, vt notat Valent. d. 8. de Sacramento Extremæ Vnctionis, q. 1. p. 1. Vno modo absolutè, secūdùm rē ipsam illius vnctionis, vt vnctio fuit. Altero modo, secundùm modum etiam, & efficaciam, ac significationem ipsius. Priori modo eadē esse dici potest vnctio, de qua Marcus, & de qua Iacobus; & ita Beda, & Theophylactus, & alij intelligunt, quando exponentes locum Marci, adducunt locum Iacobi, vt etiam ex Marco vsum eius vnctionis, quæ in Ecclesia iuxta descriptionem Iacobi vsurpatur, probent. Non quasi eodem modo, & ratione prorsus ab Apostolis apud Mar. fuerit vsurpata: sed quia ab illis quoque fuit vsurpata eadē actio, quod attinet absolutè ad rem vnctionis; & eo ipso vnctio hæc nostra descripta à Iacobo, insinuationem, & originem habet Apostolicam, id quod etiam non nihil valet ad eius commendationem. Posteriori modo, scilicet quoad modum

D

5.

& effi-

& efficaciam, & significationem, non eadem, sed longè diuersa est vnctio, de qua loquitur D. Iacobus. sic doctè Valen. quibus soluitur obiectio eorum qui auctoritate Bedæ, Theophyl. & aliorum vtuntur, ad nostram explodendam sententiam.

6. Postremò (& loco coronidis adijciatur) satis esse deberet (si non aliud suppeteret argumentum) ad stabilienda quæ hactenùs diximus, eandē hanc nostram sententiam Patribus Trident. Concil. placuisse, nam sess. 14. in doctrina de Extrema Vnctione; non institutum, sed insinuatum tantummodo esse dicunt Sacramentum Extremæ Vnctionis, cum Marci 6. mittens Christus Apostolos suos, voluit, vt in vsu doni curationis aliquando vterentur olei vnctione.

7. Aduertit Iansen. c. 55. concor. quod oleum hoc, non naturaliter sanabat ægrotos, nec adhibebatur ab Apostolis veluti naturale pharmacum; nam quomodo eodem pharmaco quis mederi possit omnibus morbis? sed ex Domini institutione vnctionem hanc sequebatur sanitas; quibus addo quod curandi virtutem aliquam supernaturalem habuisse oleum hoc vt ab Apostolis applicatum credibile est, nec symbolum tantum fuisse externum curationis miraculosæ, quæ fiebat per donum sanitatis. ostendimus autem paulò superius numero quarto, cur voluerit Dominus per tale signum Vnctionis externum conferri ab Apostolis sanitatem. ex his facilè est diluere eas obiectiones quas scribit Suares lo. ci. initio, quę videntur præsertim ex Maldon. ingeniosè collectæ Marc. 6.

DIGRESSIO PRIMA MORALIS

In versiculū vigesimū. *Excutite puluerem* &c. De arcana calceamenti significatione, in scripturis.

1. HIERONYMVS Pra. Ezech. 16 versic. 9. p. 184. C. docet in scripturis hæc colligi ad cognoscendam arcanam calceamēti significationem vtilia. Principiò discalceatum esse, vel nudis pedibus incedere, in Sacris litteris symbolum esse captiuitatis. quod sic incederent mancipia, vt videre est in Isaiæ capite vigesimo, v. tertio, & quadragesimoseptimo, primo. vnde Exodi duodecimo, vndecimo dicitur Hebr. *calceamenta habebitis in pedibus vestris*, id est, non iam nudis pedibus incedite, quemadmodum huc vsque, more mancipiorum, sed calceati, instar ingenuorum. quanquam angeli Dionysio cælestis Hierarchiæ capite decimoquinto discalceati dicuntur, quòd sint liberi, puri sine affectu, labe, commixtione.

2. Nudare pedes signum subiectionis

Deindè quoniam mancipia subiecta sunt dominis, & eos timent, ac reuerentur, hinc fit, vt nudare pedes signum sit reuerentiæ, & subiectionis, Exodi tertio, quinto: *Solue calceamentum de pedibus tuis*, &c. Iosue quinto, decimosexto huius oppositum, id est, dominatum significat calceamentum. Ps. 59. 10. *in Idumæam extendam calceamentum meum*, &c. Hinc est quòd A Ioannes Baptista vt Christum Dominum, se verò seruum declararet, illum calceamentum induit, & se nudis pedibus incedentem, vix audere corrigium eius calceamenti soluere.

3. Tertiò quia dominium acquiritur capiendo possessionem, calceus signum est vsucapionis; discalceatio verò cessionis iuris sibi debiti, vt patet ex Deut. 25. v. 7. & clarius Ruth 4. v. 7. nam, vt spuere in facie est notare seruilis conditionis; ita & calceamenti solutio, quasi significaretur, aliquem esse indignū qui calceos gestaret inter ingenuos. Et hinc declaratur iste locus Matthæi decimo, vers. decimoquarto; & Lucæ nono, v. quinto: *excutite puluerem de pedibus vestris*, id est, cedite omni iuri eorum, quod ad duos quoquomodo pertinere poterat, quod scilicet Moses Num. decimosexto, vigesimosexto significauit: B *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* sequitur quoque tunc aptissimè: *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gemorrhæorum, quàm illi ciuitati*. Sed hanc excussionem pulueris de pedibus, vel calceamentis Apostolorum, alia significare posse diximus in scholijs versiculo vigesimo, licèt fortassis hoc quod hic explicauimus sit magis litterale.

4. Signum luctus.

Quartò soluere calceamenta, est signum luctus, sicut & coronam de capite tollere, radere cæsariem, & cætera ingenui hominis ornamenta deponere: quod, qui graui aliquo mœrore tenebantur, illū significabant habitum, exuentes festiuū, in quo numerabantur calcei, vt Ezechielis vigesimoquarto, decimoseptimo: C *corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis*, id est, ne luctuosis cærimonijs prosequaris vxorem defunctam.

5. Quintò Prædicatoribus apud Marcum sexto, nono, dantur sandalia, spiritualiter, ac mysticè, quò audenter suscipiant munus sibi iniunctum, & omni humano timore depositò illud exerceant, euangelium Christi, tamquam vexillum, gentibus, ac populis inferendo. Hos calceos iubet Apostolus habere Ephes. 6. 15. *calceati pedes in præparationem*, id est, confirmationem, & defensionem *euangelij pacis*, in quo pax, id est, omnia bona cum Dei beneuolentia promittuntur. Quomodo calceus constantiam, atque intrepidum animi robur mysticè significat: nam qui nudis ingreditur pedibus, pedetentim, & timidè incedit, calceatus animosè. D Hi calcei hyacinthini esse debent, tales enim sponsæ dati sunt, lege Origenem homilia sexta in Ezechielem. Est autem calceari hyacintho præparari, vt ad cœlestia festinare valeamus; & Gregorio trigesimo moralium, capite decimo, hyacinthus significat cœlestem conuersationem, contemplationem, & spem cęlestium. Hæc carptim

ex Prado.

DIGRESSIO II.
MORALIS

De Sacramento Extremæ vnctionis, occasione vers. 51. *& vngebant oleo multos.*

1. ETSI aduersarius noster Diabolus tanquã leo rugiens occasiones per omnem vitam quærat, & captet vt deuorare nostras animas possit, & à Dei obedientia & gratia depellere, nullum tamen tempus est, cùm vehementius ille omnes suæ versutiæ neruos contendit, ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam, si possit, diuinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit. Duo enim tunc illum maximè accendunt, & inflammant, occasio nempè temporis, in quo videt nouissimam & irreuocabilem de sempiterna vita & morte hominis sententiã esse pronunciandam; & ingens expectatio victoriæ; nullo enim tempore æquè imbecillo, ac fracto corpore, & animo homines esse solent, ac cum in extremo agone cum morte luctantur. Verùm, vt Tridentini Patres sessione decimaquarta, in procemio de Extrema Vnctione affirmant, *Clementissimus Redemptor noster, qui seruis suis quouis tempore voluit de salutaribus remedijs aduersus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis alijs præparauit, quibus Christiani conseruare se integros dum viuerent, ab omni grauiore spiritus incommodo possint: ita Extremæ Vnctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio, muniuit.*

Diabolus instante morte homines quã maximè infestat.

2. Quoniam autem non desunt his temporibus qui diuinum hoc beneficiũ ingratè, & impiè repudiantes, Extremam hanc vnctionẽ Sacramentum esse negant, sancta Synodus tam pernitioso huic errori obuiam ire volens, anathematizat eos, qui Extremam vnctionem negant Sacramentum esse verè à Domino institutum. Declarat etiam id per Apostolum Iacobum his verbis fuisse promulgatum Iacobi 5. 14. 15. *Infirmatur quis in vobis inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Quibus verbis nullam huius Sacramenti partem omisit, quam non explicaret. Docet. n. primum materiam oleum esse, quod solemni benedictione ab Episcopo consecratum esse debere, magno semper cõsensu in Ecclesia Catholica fuit obseruatũ; oleo verò ita res huius Sacramẽti; id est, Spiritus S. gratia, qua animus ægrotantis inungitur, expressa est, vt nullum eligi elementum aliud potuisset, cuius natura ad significandos omnes huius Sacramenti effectus, magis esset accommodata.

3. Formam deindè Apostolus ostendit in oratione Sacerdotis deprecatoria positam esse. Nam peculiare est huic Sacramẽto, vt eius forma cum precatione proferatur, nec hoc incõmodum est, cum ea oratio præponatur, cui nominatim Dei promissio apertissimè facta est, illis nimirum verbis: *& oratio fidei saluabit infirmum.*

A

Res porrò & effectus huius Sacramẽti præcipuè illius verbis explicatur: *& alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittetur ei.* Res etenim hæc gratia est Spiritus S. cuius vnctio reliquias peccati abstergit, & ægroti animum alleuiat, & confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus erectus, & morbi incõmoda leuius fert, & Dæmonis tentationibus fortius resistit. Nam corporalis sanitas tametsi nonnunquã per Dei misericordiã suscipienti hoc Sacramentũ cõferatur, propriè tamẽ effectus Sacramenti dici non debet, quoniam spiritualis, & inuisibilis est Sacramentorũ omnium operatio. Hæc ex Trid. Conc. constat. sess. cit. c. 2. vbi de effectu huius Sacram. *Res*, inquit, *& effectus huius Sacramenti gratia est Spiritus S. cuius vnctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit; & ægroti animam alleuiat & cõfirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus subleuatus, & morbi incommoda, ac labores leuius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis,* Gen. 3. 15. *facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequitur.* Ita Concilium.

4.

B

5. Vt autem hæc distinctius intelligantur, obseruandum est hoc Sacramentum per se primo institutum fuisse ad confirmandum, corroborandum, iuuandumque animũ ægrotantis aduersus difficultates, quę tempore obitus occurrunt. quod non obscurè indicant verba illa Iacobi: *& alleuiabit eum Dominus.* Gr. ἐγερεῖ αὐτὸν, excitabit, expergefaciet, suscitabit, incendet, eriget, vrgebit, quod idem est, ac confirmabit, confortabit &c. hæc autem præstat hoc Sacramentum, non tantum habitualem gratiam largiendo communem omnibus Sacramentis, sed per Sacramentalem præsertim sibi propriam, quæ includit auxilia accommodata è effectui ad quem institutum est, qui triplex esse videtur. Primus corroboratio spei, quæ in primis in mortis articulo necessaria est. Tunc enim vt Tridentini Patres dicũt: *Dæmon omnes suæ versutiæ neruos intendit ad hominem à fiducia diuinæ misericordia deturbandum*, & c. 2. aiunt, quod hoc idem Sacramentum *ægroti animam alleuiat & cõfirmat, magnam in eo misericordiæ fiduciã excitando.* Et sicut baptismus dicitur Sacramentum fidei, Eucharistia amoris, Confessio pœnitentiæ: ita hoc Sacramentum rectè vocari potest Sacramentum spei: sicut etiam in Tridentino eodem dicitur, *Sacramentum exeuntium.*

C

D

6. Secundus effectus est animi hilaritas qua concepta ægrotus morbi incommoda, & labores leuius fert, vt ex eodẽ Concilio patet. Tertius effectus est quod homo promptior & robustior redditur ad Dæmonis tentationes, quę tunc maximè vrgent, superandas. & ita accipiendum est, quod Concil. Florent. habet: effectum huius Sacramenti esse *mentis sanitatem, seu sanationem*; alludit enim ad verba illa Iacobi, *& oratio fidei sanabit infirmum*, quæ mentis sanitas non est hic primæ gratiæ infusio, sed robur illud, quod homini ægrotanti tribuitur, vt vigor mentis ad mortem transigendam. Vide Prosperum libro secundo, de Præd.

Dei

Dei capite vigesimo nono. Igitur auxilia, quæ per hoc Sacramentum dantur ad hos effectus obeundos accommodata sunt. potest tamen enumerari quarti effectus, quo à Theologis dici solet, hoc Extremæ vnctionis Sacramẽtum institutum esse contrà reliquias peccatorum, de quo num. 8. dicendum erit.

7. Hæc quæ diximus ad effectus per se primos Extremæ vnctionis pertinent, ceterũ per se secundo institutum est hoc idem Sacramentum ad præparandam animam, & quantum in ipso est proximè disponendam, ad gloriæ cœlestis ingressum. Hinc Tridentini Patres illud totius humanæ vitæ consummatiuum dixêre.

8. Hinc verò habet, vt iuuet ad perseuerandum in bono vsque ad mortem. hinc etiam satis aptè intelligitur quomodo sit institutum ad tollendas peccatorum quoque culpas, quod & in verbis formæ eius continetur: *quidquid peccasti*, &c. & Iacobus clarè significat, dum ait: *si in peccatis est*, &c. & Concilij verba illa exprimunt: *delicta si quæ sunt adhuc expianda*, &c. neque id solùm de venialibus peccatis, verùm de lethalibus etiam intelligendum est, quæ peccatorum, seu delictorum nomine absolutè nominari consueuerunt. & quia absoluta & vniuersalis peccatorum condonatio pœnas etiam complectitur; ideò per hoc Sacramentum etiam reatum pœnæ temporalis relaxari ex opere operato meritò dicemus, relictũ ex remissis priùs peccatis quantum ad culpam, licèt nõ omnis eiusmodi reatus auferatur vt in baptismo, sed iuxta dispositionem, & deuotionem suscipientis. Sic Suar. disp. 41. num. 17. sect. 1. Contrà reliquias etiam peccatorum, quomodo loquitur D. Thomas iustitutum est, non ita vt tollat fomitẽ, prauos habitus, vel phantasmata: neque ita, vt corporis habitudinem mutet, propterea enim non est dictum tollere reliquias peccatorum, sed institutum esse contrà reliquias peccatorum: sed quia nimirùm dat robur, & vigorem contrà hæc omnia per auxilia num. 5. & 6. commemorata. Verùm hic effectus non secundarius est, sed sub primario potiùs comprehensus, cùm per se necessarius sit ad confortandum, corroborandumque ægrotantis animum contrà ea quæ mortis tempore occurrunt, vt ex numero 5. colligere est, & ex fine numeri 6. reliqui verò effectus, quos numero 7. & 8. complexi sumus, pertinent ad secundariam intentionem institutionis propriè huius Sacramenti, quod docet Suarez eadem disp. 41. sect. 1. num. 3. & 16.

9. Obseruandum verò diligenter est remissionem peccatorum esse aliquo modo peculiarem huius Sacramenti, & in eius institutione aliquo modo intentam, & propterea à D. Iacobo speciatim dicitur de ægroto quem presbyteri vngunt: *si in peccatis est dimittentur ei.* & Tridentinum ait: *delicta, si quæ sunt adhuc expianda, abstergit.* Apponendo siquidem conditionalem indicant hunc non esse effectum per se primò intentum. Is enim non aliam exigit cõditionem, quam vt obex auferatur. itemque dum exprimunt eundem effectum sub conditione, non obscurè significant non esse per accidens, quomodo omnia Sacramenta probabile est habere eundem effectum, sed suo modo peculiarem huius Sacramenti, & in eius institutione, vt dixi aliquo modo comprehensum, non per se primò, vt remissio peccatorum ad pœnitentiam, & baptismum pertinet: declarat id Suarez nu. 16. quomodo autem hoc Sacramentum de attrito contritum faciat, & peccata deleat, quia ad Scholasticos Doctores spectat, consulat qui vult eundem Francis. Suarium lo. ci. à nu. 19. qui etiam à num. 22. docet, quæ dispositio requiratur ad effectum spiritualem huius Sacramenti. Et hæc de re & effectu extremæ Vnctionis. Redeamus ad verba Iacobi.

10. Iam verò quod attinet ad præscriptionẽ eorum, qui est suscipere, & ministrare hoc Sacramentũ debent, haud obscurè fuit etiã in verbis citatis D. Iacobi traditum. Nam & ostenditur illis, ministros huius Sacramenti solos esse Sacerdotes, qui Presbyterorum nomine non solum in hoc Apostoli loco, verum etiam in omnibus fermè alijs Noui testamenti locis significantur.

11. Declaratur item non esse hanc vnctionem adhibendam nisi infirmis: nec illis quidẽ omnibus (vt Ecclesiæ traditio nos docet) verùm illis modo, qui tam periculosè decumbant, vt in exitu vitæ constituti videantur; qui si conualescant, iterum erunt huius Sacramenti subsidio iuuandi, cum in simile vitę discrimen inciderint. Infirmorum autem nomine nõ solos Sacerdotes ægrotos, sed cuiusuis conditionis homines intelligi oportere, nõ inutiliter olim Innocentius I. ad Decentium scribens admonuit, ne quis videlicet vnctionem hanc instar aliarum à solis sacerdotibus suscipiendam esse existimaret.

12. Docet igitur ille omnibus eam posse adhiberi, exceptis excommunicatis, cum quibus excipiendi etiam sunt pueruli, qui adhuc innocentiam in baptismo acceptam retinẽt. Sed Sanctissimus ille Pontifex de Ministris huius Sacramẽti loquens, apertè docuit eos esse Episcopos, & Sacerdotes, quemadmodum Catholica Ecclesia semper tradidit, & Tridentina Synodus confirmauit, quæ illud etiam aduersus multorum calumnias declarat, Ecclesiam Catholicam in ritu administrandi huius Sacramenti nunquam à præscriptione, & regula D. Iacobi recessisse; quare can. 3. sic ait: *si quis dixerit extremæ Vnctionis ritum, & vsum quem obseruat Sancta Romana Ecclesia repugnare sententiæ B. Iacobi Apostoli*, &c. *Anathema sit.* Quod verò Presbyteros inducendos esse pluraliter scripsit D. Iacobus, id non ad necessitatem Sacramenti (vt Ecclesiã verè est semper interpretata) sed ad decorem, & ornatum, & ad maiorem quandam commoditatem pertinet.

CAPVT

CAPVT XVIII.

AVDIT HERODES DE IESV.

A. 14. 1. B. 6. 14. C. 9. 7.

1. A. IN illo tempore audiuit Herodes Tetrarcha famam Iesu (B. manifestum enim factum est nomen eius) C. & omnia quæ fiebant ab eo.

B. Et audiuit rex Herodes.

2. Et hæsitabat, eò quòd diceretur à quibusdam: quia Ioannes surrexit à mortuis: à quibusdam verò quia Elias apparuit: ab alijs autem: quia Propheta vnus de antiquis surrexit.

3. B. Quo audito C. ait Herodes: Ioannem ego decollaui: quis est autem iste, de quo ego talia audio?

Vide lib. 5. cap. 6.

4. Et ait pueris suis: B. quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis resurrexit.

5. Hic est Ioannes Baptista ipse surrexit à mortuis.

6. Et ideò virtutes operantur in eo.

7. C. Et quærebant videre eum (occideret enim Ioannem Herodes.)

8. (Nam) B. cùm dies opportunus accidisset, A. die natalis Herodis, B. Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ.

9. Cumq; introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, A. in medio, B. & placuisset Herodi, simulq; recumbentibus.

10. Rex ait puellæ: pete à me quod vis, & dabo tibi.

11. Et iurauit illi: quia quidquid petieris dabo tibi, licèt dimidium regni mei.

12. Quæ cùm exisset, dixit matri suæ, quid petam? at illa dixit: caput Ioannis Baptistæ.

13. Cumq; A: præmonita B. introisset statim cum festinatione ad regem, petiuit dicens: volo vt protinus des mihi A. hic, B. in disco caput Ioannis Baptistæ.

14. Et contristatus est rex: propter iusiurandum, & propter simul discumbentes noluit eam contristare.

15. Sed misso Spiculatore, præcepit afferri caput eius in disco, & decollauit eum in carcere.

16. Et attulit caput eius in disco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ.

17. Quo audito discipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius: & posuerunt illud in monumento. A. & venientes nunciauerunt Iesu.

18. Quod cùm audisset Iesus, secessit inde in nauicula in locum desertum seorsum (assumptis discipulis suis) C. Reuersi (namque) B. & conuenientes Apostoli ad Iesum, renunciauerunt ei omnia, quæ egerant & docuerant.

19. Et ait illis: venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. erant enim qui veniebant, & redibant multi: & nec spatium manducandi habebant.

SCHOLIA.

I. IN illo tempore] Obseruant Astrologi Hesperum nocti nuncium, Luciferum diei. vnus, idemque Ioannes & Lucifer fuit mundum hunc ingressus: & idem cùm egrederetur, Hesperi instar, se habuit. Lucifer, solis ortum prænũciat; Ioannes, Christi veri solis iustitiæ prænuncius, eiusdem aduentum nunciauit, antequam esset. Hesperus solis occasum, Ioannes Christi mortem præcessit, & infidelibus sua morte, tenebras horribiles imminere præsignauit, quod non dubito agnouisse Ioan. cùm dixit: *illum oportet crescere, me autem minui*, quibus Christi nominis & famæ, prædicationisq; incrementum, & suam interim mortem, imminentem prædixit.

I. Ioannes Bapt. & Lucifer & Hesperus.

Iam ad textus interpretationem accedamus: primùm quidem sciẽdum subnectendam esse meritò hoc loco hanc historiam de nece Ioan. non ob id solum, quod Marc. & Luc. superioribus annectunt, verùm multo etiam magis, quia secessus ille Domini, de quo c. sequenti, traditur à Matth. factus post auditam Ioan. necem à Domino. Hunc autem secessum, alij duo Euangelistæ post reditum Apostolorum, factum recensent.

2.

Audiuit] cur non prius audierit, mirum est, nam constat multo postquam Christus cœpit prædicare, neci datum esse Ioannem: est enim interfectus 32. anno Christi iam absoluto & aliquot mensibus. nam paullò antè, quartũ Pascha à baptismo Christi id accidit, seu tertium à prædicatione Christi secundùm Ioan. Euangelium. Prædicauerat ergò Christus per totum trigesimum secundum annum & eo amplius; Ioannes enim sub finem 31. anni Christi coniectus est in carcerem; occisum verò censeo verosimilius, propè festum Pascha, & annos natum duos, & triginta, insuper & nouem circiter menses; vno anno ante mortem Christi, quidquid dicat Ianse. itaque non malè existimat Caietanus. Io. Baptistam proximè ante quinque panum miraculum fuisse necatum ab Herode; sic Beda, & auctor histor. Schol. cum alijs. Quare meritò Chrysost. hom. 39 in Matth. scripsit Herodem, non percepisse famam Christi ab ipsis statim miraculorum exordijs, sed post multum tempus. Baron. anno Domini 31. hanc huius ignorationis causam affert, quod Herodes absens fuerit bello Arabico implicitus contra Aretam regem, quod diu duraruit. Imò, & antequam Ioannem in carcerem cõijceret, Romam venisse dicitur. vide Ioseph. 8. antiquit. cap. 7. sed quidquid de hoc sit: huiusmodi

3.

certè

certè sunt qui in principatibus viuunt, & in aulis, & domibus regum sunt. Nam quoniam fastu rerum plurimum sibi arrogant, parui facientes, cætera, rarò ea perdiscunt. Vide Chrysost. ho. ead.

4. *Herodes*] Antipas magni Herodis filius, frater Philippi, non quidem germanus, id est, eodem patre, eademque matre natus. Philippus siquidem natus est ex matre Cleopatra dicta ex Ioseph. libr. decimoseptimo antiqui. capite primo, Herodes verò antipas, sicut & Archelaus ex matre erant alia Samaritide.

5. *Tetrarcha*] Tetrarcha est quidem qui quartæ regni parte dominatur, sed sæpè pro principe sumitur. Marcus regem vocat: at Luc. tetrarcham cum Matth. fuit igitur hic Hero. Tetrarcha Galilææ, & regionis trans Iordanem. sic docet Iosephus decimoseptimo, cap. 3.

6. *Hesitabat*] in primis aliquid hic interest inter Lucam, & Matth. & marc. Lucas enim ait: *Hesitabat Herodes eo quod diceretur à quibusdam: quia Ioannes surrexit à mortuis.* Matt. verò habet ipsum dixisse suis pueris: *hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis*. Vbi nulla videtur hæsitatio. & Marc. ait idem quod Matth. Deindè interest quod Luc. indicet, Herodem non credidisse Ioannem esse, qui surrexerat à mortuis, cum eum ipse decollasset. At Matth. ait, affirmasse, Ioannem esse. Respondeo in primis Herodem quidē prius hæsitasse cum pueris suis. Deinde verò confirmatum affirmasse ipsum esse Ioannem: vnde vtraque difficultas tollitur. Potest & aliter ad secundum respōderi: Herodem negasse cum vulgo loqueretur, eum esse Ioannem, ne fortè pro Ioanne populus in illū insurgeret, & ita Lucas potest intelligi. Interim ipsum timuisse verè, ne Io. à mortuis excitat⁹ potētior esset effectus, ipsumque acriùs reprehenderet, vel pœnas sumeret: ac cum huiusmodi metu seorsim clam pueris suis hanc suam opinionem aperuisse, vt narrat Mat. licèt aliqui affirment verba Herodis apud Matth. & Mar. esse pronuncianda more hæsitantis, & interrogantis, vt sit sensus: num hic est Ioannes Baptista? num ipse surrexit à mortuis? & quem ego decollaui Ioannem? num hic surrexit à mortuis? sic videtur Augustinus libro secundo de consensu Euangelistarum capite quadragesimotertio sentire. Sunt etiam qui apud Marcum legant, *dicebant*, vt Augustinus eodem loco legit. Sed editio emendata, & textus græcus: ἔλεγεν habent, id est, *dicebat*. Diuus Hieronymus in Matthæum intelligit ea verba Herodis apud Matthæum, & Marcum dicta esse per Ironiam. Prima responsio, vera est. Potest, & alia adijci: Herodem quidem semper dubitasse, vt Lucas ostendit: sed interdum, non tamen sine dubio aliquo affirmasse Ioannem esse, id est, videri Ioannem surrexisse, quod affirmant Matthæus, & Marcus, licèt subiiceant dubitationem expressam à Luca. Deindè quid prohibet dicere, nunc hæsitando loquutum, nunc affirmando?

7. 3. *Ioannem ego decollaui*] quasi dicat, sat scio me Ioannem decollasse, an verò iste sit Ioannes dubito, Euthymius Matthæi decimo, & Chrysostomus hom. quadragesimanona innuunt his Herodem negare voluisse eum, de quo talia audierat esse Ioannem; nam dicebat, Ioannem ego interfeci; quod licèt vulgus sciat, & opinetur surrexisse, hoc tamen creditu difficile est, vt interfectus surgerit. quæ expositio sic intellecta, non videtur reprehendenda, quamuis Cardinalis Toletus eam reijciat annotatione decimanona, in caput nonū Lucæ, non excluditur tamen his verbis omnimoda dubitatio Herodis num iustè esset Ioannes à mortuis reuocatus: nam de alijs audierat Herodes in vitam reductos Dei potentia.

A 4. *Pueris suis*] cum Antipam non legamus habuisse filios. hic per *pueros*, famulos intellige, qui illi assistebant. 8.

Resurrexit] falsum est non de vera resurrectione in idem corpus intellexisse, sed μετεμψύχωσιν, Pythagoræorum, nam neque etiam Pharisæi ita resurrectionem intelligebant, si Iosephum sequamur libro secundo de bello Iudaico, capite septimo. Videtur enim tantum id Pharisæis adscribere, non omnium, sed bonorum duntaxat animas in sua quidem, sed meliora, & ita quodam modo alia corpora, in resurrectione redituras; quod omnes fermè Iudæi credebant. Facilè ergò Iudæi credere poterant surrexisse Ioan. & quia vir erat sanctus, & verò etiam iniustè occisus, idque ad scelus Herodis indicandum. 9.

Obseruat Chrysostomus homil. quadragesimanona operis in Matt. plus territum Herodem post mortē iusti, quam dum ille viueret. Vexabat enim B eum, & flagellabat rea conscientia, ne fortè Deus vindices de tanto scelere pœnas expostularet, huiusmodi sunt hi, de quibus ille: *quos diri conscia facti mens facit attonitos, & cæco verbere cædit*; ita Cain omnia suspecta erant, vt diceret Gene. 4. *ero vagus, & profugus in terra: Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Raba. in Matthæum, *quanta est*, inquit, *inuidia Iudæorum hinc docemur: Ioannem à mortuis potuisse resurgere, nullo teste Herodes alienigena pronuntiauit Iudæi Christum quem Prophetæ prædixerant, non resurrexisse, sed furtim ablatum esse credere maluerunt. Vide quam promptior sit animus gentium ad credendum, quam Iudæorum.* 10. *Mors Ioannis terret Herodem.*

6. *Virtutes operantur*] Gr. δυνάμεις ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ, id est, potestates operantur (vim enim actiuam continet) *in illo*, id est, per illum, licèt Maldo. *operantur*, nec actiuè, nec passiuè, sed loco verbi neutri sumat, vt sit sensus virtutes, id est, miracula C vigent, & apparent in illo. Hinc collige non ante necem Io. Herodem audiuisse de Christo, nam alioqui non existimasset Christum esse Ioannem, si sciuisset vtrumque simul vixisse. 11.

7. *Videre eum*] tum vt agnosceret & aspectu inuestigare posset, essetne Io. sic Victor Antioch. Mar. 6. tum curiositatis studio: nam de eo Luc. 23. scribit: separasse, signum aliquod ab eo fieri.

8. *Die natalis*] Orig. 14. ho. in Mat. notat nullius iusti, sed duorum tātum Herodis & Pharaonis iniquorum hominū diē natalē in scripturis celebrari, quod Hier. & Be. obseruarunt. Et tamen Caluinus hunc morem (vt se Christianū ostendat sc.) laudat. Non sic Iob. c. 3. *pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictū est, cōceptus est homo.* sic. Iere c. 10. *maledicta dies in qua natus sum.* hinc fit, vt & infantes statim atq; nascuntur, fletu præsentiant se in mala multa natos esse. Hinc Salomon: *vocem similem omnibus emisi plorans.* Cæterùm, mos hic celebrandi natalis ab Ethnicis, seu idololatris defluxerat: vt qui nullū post hanc vitā bonum expectarent, sum- mam in hoc fœlicitatem ducerent, cùm tamen hic plena sint miseriarum omnia. 12. *Natalis Pharaonis & Herodis.*

Cùm dies opportunus] vel cōuiuio exhibēdo, vel saltatrici, hoc est, Herodiadi potior ad petendum. 13.

9. *Filia ipsius Herodiadis*] Salome ex Philippo priore marito genita, propterea, nō vocat Herodis filiam, sed Herodiadis. Notat Maldo. 14. v. 7. videri Herodiadem hanc occasionem natalis diei obseruasse: eaque de causa filiam ad saltādum induxisse. De diuina vltione in hanc saltatricem, vide Nicephorum hist. l. 1. c. 19. & 20. & Metaphras. in ser. de S. Io. quem recitat Sur. to. 4.

Et saltasset] sic post ebrietatem choreæ; sic Israelitæ eleuatis aureis vitulis accubuerunt manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Rectè huc pertinet illud Oseę 7. *dies regis nostri, cœperunt princi-* 14.

pes furere à vino, extendit manum suam cum illusoribus.

15. A. *In medio*]& si forsan aliquis, choreæ inseri non omninò damnauerit; hæc tamen instar ignobilis scorti saltauit in medio mimarum instar, & impudentium mulierum.

16. *Placuisset Herodi*] Cùm tamen scriptura dicat Ecclesiastici.9. *cum saltatrice, ne sis assiduus, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.*

17. *Choreæ & saltationes à dæmonib.* Basil. in illud Isai.18. 21. *pilosi saltabunt ibi*, tradit saltationes didicisse homines à Dæmonibus ipsis, & quia lætitia dæmonum, est hominum interitus; vt Angelorum gaudium peccatoris cõuersio & vita; tripudiantibus, & choeras exercentibus hominibus, solent dæmones agere choreas, & tripudia.

18. Obseruandum, non modo apud omnes ferè gentes, sed apud Hebr. quoq; eam consuetudinem viguisse, vt in cõiuijs splendidioribus; vtpotè sacris, natalitijs, nuptialibus funebribus vt musico vterentur modulatu, vt ex scripturis haberi potest Ecclesiast.32.4. & 40.20. & 46.1. & 2. Psalm.68.13. Isai.5.11.12. & Isai.24.8.9. Amos.6.5.6. Luc.15.25. quin auctor est Tertull. in apol.c.39. & Cyprian. ad Donatum in cœnis Christianorum initio Ecclesiæ cantus esse adhibitos.

Porrò Homerus in Odis vtriusque musicæ i. eius quæ voce, & quæ instrumentis fit; atq; saltationis, quæ musicæ comes est, crebram mentionem facit in epularum descriptionibus. Nam cantum, & saltationem, vocat conuiuarum anathemata. i. sacra donaria, vel vt interpretatur Eustathius ornamẽta conuiuiorum, & Lucianus exercitium diuinum, & sacrum, vtpotè sine quo nulla sacra, festiuitates nullæ fieri consueuerunt: vt notat Pradus in Ezec. 23. ver. 42. vbi etiam meminit carminis inter symposia quod σκολιὸν appellabant.

19. 11. *Et iurauit illi*] ab ebrietate libido, à libidine, stultæ promissiones emergunt. Alb. in Matth. hinc patet ait, quantũ libido Herodem occuparit, cuius aris talia thura obtulerit, vt & dimidiam regni sui partem polliceatur. Turpis fuit si iurandi causſam spectes. Stultus in iurando. impius in reddendo. sic Esther 7. Rex Assuerus, *quæ est*, inquit, *petitio tua Esther, vt detur tibi, & quid vis fieri? etiamsi dimidiam partem regni mei petieris impetrabis*: sed Esther petitio, vitam attulit: Huius infamis meretriculæ, mortem inuexit; Forsitan mos erat regum sic respondere. vel Herodes responsum Assueri regis voluit imitari. vel dum cæco carpitur igni; quam loquatur stulte, & impudenter non aduertit, & hoc verius.

20. 13. A. *Præmonita*] Gr. προβεβασθεῖσα inducta, instigata impulsa. Non enim nudè admonitionem, sed vim quandam insuper significat. Strabus putat rem hanc ab Herode cõpositam, ne sponte sua, sed iuramenti coactus religione Ioannem videretur occidisse. Et Hier. in Matt. collusionẽ hanc esse existimat, vt Herodes, cum Herodiade primum conuenerit, de occidendo Ioan. in die natalis sui, iurisiurandi religione interiecta. At non credo; nam vt rectè docet Maldon. multo meliores prætextus quærere, inuenireq; potuisset. Deinde quia verè videtur contristatus, vt Euangelista significat. valdè etiam illi probrosum erat, saltãtis puellæ precibus, ac ne precibus quidem, occidere: neq; enim virum alioquin astutũ latebat, facilè eam rẽ euulgari potuisse: sanè cùm populum timeret rationem potius minuendi sceleris excogitasset aliam, non hanc tragœdiam composuisset, qua scelus magis augebatur.

Herodes an verè contristatus.

In disco] discum puella attulit, vt mora nulla intercederet, regique obtulit, quod Matth. significat, dum addit: *hic in disco*, q.d. in hoc disco quem

A præferò, ne moras necte, promissa reposco.

Caput Ioan. Bapt.] vide quam pretiosum ferculum ex regio conuiuio rapere velit impia, ac crudelis lupa. Cernebat regem vino, & libidine ardentem; ideò tum maximè vrgebat. volo; vt protinus des mihi hic in disco caput Ioan. Bapt. volo; inquit, videsne puellam turpem, & obscœnam, Imperare, Regem vero libidini seruientem indignissima iussa capessere?

14. *Contristatus est*] iuxtà Hierony. sententiam Herodes tristitiam in facie, lætitiam in mente gerebat, vt merito à Christo *vulpes* appellatus fuerit Luc.13. sic & Caiet. At melius August. docet serm.1. & 2. de Decollatione Baptistæ, quẽ sequuntur Iansen. & plures, scil. non fuisse hæc simulata, sed verè contristatum Herodem. videtur existimasse stultus rex iureiurando se astringi ad nefandum facinus. Quin & procerum etiam conspectu erubuit, 21.

B non stare promissis. Gr. περίλυπος γενόμενος. Erasm. vertit, *dolore affectus*, sed multò melius interpres noster, *contristatus est*. vide Canũm lib.11.c.3.ar.7. Gratianum 22.q.4. per multa capita.

Rex] reuera, rex non erat, sed Tetrarchia par regno habebatur.

Propter simul discumbentes] D. Thom. Matth.14. scribit, rogasse accumbentes Principes pro puella, vt caput illi Ioan. concederetur. & si erubuisse hic significatur Herodes non stare promissis ob tot Principum, ac procerum conspectum.

Contristare] Interpres legit, vt videtur λυπῆσαι, quemadmodũ habet Matt. Græca tamen quæ nunc extant, vt inquit Gagn. habent apud Marc. ἀθετῆσαι, quod *aspernari* significat, quasi dicat, noluit eam aspernari, ac cõtemptibilem reddere: quod facturus videbatur si promissa non præstitisset. *Mihi*, inquit idem Gagn. *magis proprium videtur aspernari, quam reijcere, nisi dicas reijcere postulata.*

C 15. *Misso spiculatore*] Gretzer. l.1.de Cru.c.14. sic 22. *Spiculatores qui.*
scribit: *notauimus supra ex Tertull. Romanos milites tormenta, & supplicia administrasse, ex quibus illi, qui gladio in reos animaduertebant, proprio nomine spiculatores, seu, vt alij rectius legunt, speculatores vocabuntur, ad hoc primum instituti, vt quidam volunt, vt hostilia silentio perspicerent.* Gr. σπεκουλάτορας ποιεῖ & κομποις appellantur à speculando, *non à spiculis; vt rectè obseruat Læuinus Torrentius in cap. 25. Sueto. in Calig. spiculum enim à recentioribus dictum, quod olim pilum vocabant, si credimus Vegetio. Atqui pilum commune legionariorum telum erat, non his peculiare, qui satellitij causſa principibus aderant, quibus Sueto. in Claudio cap. 35. lanceas tribuit, spicula daturus potius, si à spiculis nominabãtur. Huc accedit Suid. auctoritas in Lexico, cùm* σπεκουλάτορα δορυφορον *exponit. Hi ergo non solum explorandi, &*

D *custodiæ causſa Principibus aderant, sed & in damnatos lege agebant. Speculatores faciet, inquit, Iulius Firmicus lib. 8. 26. qui nudato gladio hominum amputent ceruices. Herodes quoque misit* σπεκουλάτορα, *vt habet S. Marc.6. qui decollaret Io. Bapt.* hæc Gretz.

16. *Attulit caput eius in disco*] Hic exclamare li- 23.
bet cum Mantuano l.8. de Festis diebus:

O scelus, ô immane nefas, ô cognita nunquam
Ante hac impietas! hominum sanctissimus isti
Traditur incestæ, pellex olidissima calcat
Fas & iura, decus mundi ludibrio habetur
A meretrice, iocus de maiestate triumphat,
De virtute scelus, de iure iniuria: sicq;
Naturæ simul, ac morum subuertitur ordo.

Et Chrysost. hom.2. in Decollat. Ioan. *mensa migrat in caueam, in arenam vertitur domus, fiunt de prænsoribus spectatores, mutatur furore conuiuium, sit cibus cædes, vinum transit in sanguinem, finis apponitur in natali, in ortu exhibetur occasus, conuiuium mutatur in homicidium, organa vertuntur in funus,*

tragœ-

tragœdia personant seculorũ, intrat bestia, nõ puella, quærit caput amputare, non saltare, discurrit fera, nõ fœmina, aspergit iubas per ceruices, non capillos, anfractibus dilatat membra, sœuitia crescit augmentis, fit grandis crudelitate, non corpore, & singularis fera vsq; dum capiat prædam fremit ore, dentibus frendet ferrum non suscipit, sed producit. De hac atrocitate Sybilla Heritræa præcinuerat l. 1. oraculorum sic:

Barbarus & tandem saltatibus illaqueatus
Mercedi vocem hanc cæsam concedet iniquã.

vocem autem Ioannem intelligit.

24. *Herodiadis impietas.* Nec mirum tam acerba, tam nefaria molitam esse feminam vnam Herodiadem, quæ tot insaturabiles, tot inames animi affectus gestabat in pectore, quibus tanquam crudelissimis tyrannis subdebatur; & in omne scelus agebatur. Equidem arbitror in eius animum quatuor illa vitia insatiabilia influxisse, quæ illam tanquam œstro quodam percitam insanire faciebant. De quibus, sic Prouer. 30. 15. legimus: *sanguisugæ* (hyrudini) *duæ sunt filiæ* (duo ora) *dicentes: affer affer. tria sunt insaturabilia, & quartum nunquam dicit sufficit, infernus, & os vulua, & terra, quæ nõ satiatur aqua: ignis verò nunquã dicit: sufficit.* His quadruplex cupiditas, inquit Pradus Ezech. 16. verficulo 28. indicatur. Prima sanguinis & vindictæ appetitus, qui per hyrudinẽ sitibundam duplici ore sugentem sanguinem apprimè significatur: quod iste carnifex (appetitum dico vindictæ) ore famam proximi, semper corrodat, & ore gladii corpus dilaceret: vel quod duplici capite ira sc. & inuidia sanguinem sugat. Secunda est libido, & concupiscentia carnis per os vuluę designata, quod in eo maximè vigeat: etenim mulieris concupiscentiam insatiabilem esse satis nos docet Herodiadis exemplum, & Herodis istius. Tertia est auaritia, & diuitiarum appetentia, terræ similis, quæ nunquam aquis satiatur: ideò *Pluto* nominatur, qui Deus est subterraneus; & hydropisis, de qua ille: *Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* Quarta est gloriæ auiditas, ecce ignis summa petens, quique omnia in se conuertere nititur, sibiq; subijcere. Hęc certè quatuor infamia scelera Herodiadem perurgebant ad necem sanctissimi viri Baptistę omni studio curandam, his illa agitata furijs omnia sua consilia, cogitationesque dirigebat, vt virum illum de medio tolleret, quem sanè suæ libidini, auiditati gloriæ, diuitiarumque splendori obesse putabat. Hinc insatiabilis ille sanguinis & vindictæ appetitus.

25. Sed in primis insignis hic fuit huius feminæ & impotentis Herodis adeò sæua libido, vt meritò non tantum sugentis, ac sitibundæ hyrudinis exemplo in prouerbijs; sed onagri etiam similitudine præscripta videatur apud Hierem. 2. 24. vbi ait: *onager assuetus in solitudine*, &c. *attraxit ventum amoris sui, nullus auertet eam, omnes qui quærunt eam non deficient* (defatigabuntur) *in menstruis eius inuenient eam* dicitur enim onagra cùm semel naribus hausit masculi odorem, ita perditè insequi illum, vt nullis viribus detineri queat, ac retardari à cursu: & qui eam insequuntur, frustra laborant: Quod si lassari nolunt, inuestigẽt caueam, qua cum masculo quiescit: nam nisi prægnans capi non potest. Sic Hier. Israëlitici scorti appetentiam insatiabilem eleganter significauit; sic talem etiã meritò dixeris Herodiadem, quæ tanquam onagra, vbi semel superbissimi regis, ac spurcissimi hausit odorẽ nulla vi sanctissimi venatoris Baptistæ auerti potuit. Quin ita illum dilassauit, vt vitã illi priùs abruperit, quam à via semel cœpta destiterit. Hæc obiter.

26. *Puella dedit matri suæ*] Herodias accepto capite illi illusit, linguam acu transfodiens. sic Hieron. contra Ruffinum innuit: nec magnoperè, inquit, A glorieris si facias quod scorpiones possunt facere, & cantharides. Fecerunt hęc Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Io. quia veritatem non poterãt audire, & linguam veriloquam discriminali acu cõfoderunt. De malitia mulieris, vel etiam de Herodiade, vide Chrys. ho. 1. de decol. 10. Bap. seu ex varijs locis in Matt. hom. 15. lege Chrysol. ser. 127. 173. 174. & Aug. 2. de cons. 43. & Canum. l. 11. c. 3. & 5. ar. 3. apud quos, plura de Herodiade inuenies. Quæ vt hoc obiter in memoriam reuocem, non erat filia Arethæ, sed Aristoboli. vide canum & Ianse. & nouum Euseb. Et nota quod ob similem causam Chrysost. 1. contra vituperatores vitæ monasticæ, dicit; Paulum à Nerone occisum.

17. *Discipuli eius venerunt*] verosimile est, petijsse ipsos corpus ab Herode, quod fecit Ioseph ab Arimathæa, dum petijt à Pilato corpus Iesu. Acceptũ verò in Sebasten, seu Samariam adduxerunt, sic Ado in Martyrologio. Certè sepultum in B vrbe Samaria Ioannem, docet Nicephorus li. 10. c. 13. Isido. l. de Patribus. Hieron. in epitaphio Paulæ epi. 27. & in prologo Abdiæ. Noster Barra. putat postea sepultum fuisse corpus eius in Samaria, alioquin eo tempore quo occisus est Ioa. non coutebantur Iudæi Samaritanis. de cap. dicam mox. *Corpus*] interpres, inquit Gagn. legit σῶμα, id est, *corpus*: constanter tamen omnes græci codices habent πτῶμα, id est *cadauer*.

Cæterum quo loco conuiuium hoc sit exhibitum, non constat. Beda in Martyrologio significat Hierosolymis instructum die 24. Febr. in Romano Martyrologio legimus caput Io. Baptist. primò inuentum Hierosolymis, & vt vult Baro. 29. die Augusti apud Herodis olim regiam. videtur igitur regia, in qua celebratum est hoc epulum Hierosolymis fuisse. In ea enim domo videtur sepultum ca- C put, in qua conuiuium est celebratum, quare & ibidem postea primò inuentum à monachis quibusdam docet Nicepho. l. 12. c. 49. Quamuis etiam fuerit secundò inuentum tempore Valentis. cuius inuentionis fit mentio 29. Aug. in Rom. Martyr. vide Baro. in notis Martij 29. Aug. Metaphrastes in vrbe Samaria, vbi erat Herodis regia cõuiuium exhibitũ putat, in enchomio de exportatione manus dextęræ Io. ex Antiochia, quod non est credibile. nam nõ erat Samaria sub hoc Herode ex Ioseph. l. 17. antiqui.

Probabilior mihi videtur eorum sententia, qui affirmant conuiuium hoc in arce Machæruntina exhibitum fuisse, nam Iosephus l. 18. c. 10. secundũ aliam editio. c. 14. in ea arce vinctum fuisse Ioannẽ clarè significat, & cùm subitò sanctum caput allatum sit in disco ad conuiuium, & puella dixerit: *volo, vt protinus des mihi* &c. nõ est dubitandũ eodẽ loco paratum esse conuiuium, in quo erat Io. vinctus. Potuit tamen caput adduci Hierosolymam, D ibique sepeliri in regia Herodis. vide quæ notauimus l. 3. c. 6. in Schol. ad vers. 3. Erat autem Machæruntina arx in Transamnana regione, id est, in regione trans Iordanem, non longè à mari mortuo, non autem in Galilæa. Porrò Transamnana regio cũ Galilęa, & ducẽta talẽta annua cessere Antipæ.

18. *Quod cùm audisset Iesus, secessit*] Possunt hæc referri ad ea quæ præcesserant scil. ad ea, quæ dixerat Matt. de existimatione Herodis de Christo, & desiderio videndi illum. Hæc enim historia de nece Io. adiecta videtur esse veluti obiter, & per occasionem. Sic Chrysost. ho. 50. & Euthy. (licet is etiam dicat ea verba: *quod cùm audisset*, referri posse ad necem) si ergò hunc modum Chryso. sequamur, rectè consentiet causa secessus Christi, noluit enim curiositati Herodis cõsentire. quarè ne videretur, secesit; & fortè etiã vt homicidij patrandi occasionem tolleret. Alijs magis videtur textus Matth. exposcere, vt ad necẽ illa verba; *quod cùm audisset*,

27.

28. *Vbi conuiuium hoc celebratum.*

29.

30.

efferantur. Et hoc modo causa secessus secundùm Matth. est audita cædes Io. ad subleuandum enim dolorem ex nece illius, & fortè ad subtrahendam materiam homicidij, secessit.

31. Porrò Dominum necem Io. à discipulis audisse, certum videtur; illud verò de fama Herodis, & existimatione de Christo videtur audisse à discipulis suis redeuntibus. Neque enim Euangelistæ ponunt alios, à quibus audierit, cùm tamen innuât statim id in reditu discipulorum audisse.

Et conuenientes Apostoli] dicit conuenisse, quia ante diuisi, ac Bini missi fuerant.

32. 19. *Et ait illis, venite seorsim*] ponitur hic alia causa secessus, quam Mar. & Lu. assignant quod nimirum redierant discipuli è missione fessi, ac de fatigati, vt paululum quiescerent. Cùm enim tanta turba ad Christum affluerent, vt ne sumendi quidem cibi spatium ipse & discipuli haberent, iussit seorsim in desertum secedere, vt paululum ibi requiescerent, quo, ingressi nauim, abierunt. Itaque aliam causam scribit Matth. secessus, aliam reliqui duo Euangelistæ; Matt. vel existimationem Herodis, & videndi desiderium, vel necem Io. reliqui Euang. reditum discipulorum quiete aliqua egentium.

CAPVT XIX.

QVINQVE PANIBVS PASCVNTVR QVINQVE HOMINVM MILLIA.

A. 14. 13. B. 6. 32. C. 9. 10. 11. D. 6. 1.

1. B. *ET ascendentes in nauim abierunt in desertum locum seorsum.* C. *qui est Bethsaidæ.* D. *trans mare Galilææ quod est Tiberiadis.*

A. *Et cùm audissent turbæ sequutæ sunt eum pedestres de ciuitatibus.*

2. B. *Et viderunt eos abeuntes, & cognouerunt multi, & pedestres de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc, & præcesserunt eos.*

3. D. *Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur.*

B. *Et cœpit illos docere multa.*

4. B. *Et exiens vidit herbam multam Iesus, & misertus est super eos, qui erant sicut oues non habentes pastorem,* C. *& excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei; & eos, qui cura indigebant, sanabat.*

5. D. *Subijt ergò in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis.*

6. *Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudæorum.*

B. *Cùm hora multa fieret.* A. *Accesserunt ad eum discipuli eius.*

7. C. *Dies autem cœperat declinare,* A. *vespere facto,* C. *& accedentes duodecim, dixerunt illi: dimitte turbas, vt euntes in castella, villas &c. quæ circa sunt diuertant, & inueniant escas: quia hic in loco deserto sumus.*

8. A. *Iesus autem dixit eis: non habent necesse ire: date illis vos mãducare.* B. *& dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denarijs panes, & dabimus eis manducare.*

9. D. *Cùm subleuasset ergò oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: vnde ememus panes, vt mãducẽt hi?*

10. *Hoc autem dicebat tentans eum, ipse enim sciebat quid esset facturus.*

11. *Respondit ei Philippus: ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis vt vnusquisque modicum quid accipiat.*

12. *Et dicit eis: quot panes habetis? ite & videte. & cùm cognouissent:*

13. D. *Dicit ei vnus ex discipulis eius Andreas, frater Simonis Petri: est puer vnus hic, qui habet quinq; panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos?* (*similiter & alij*) C. *dixerũt: non sunt nobis plus quàm quinque panes, & duo pisces; nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas.*

14. *Dixit ergò Iesus: facite homines discumbere,* B. *omnes secundùm cõtubernia,* (*vel*) C. *conuiuia quinquagenos.* B. *super viride fœnum.* C. *& ita fecerunt.* D. *erat autem fœnum multum in loco.*

Discubuerunt ergò viri, B. *in partes per centenos, & quinquagenos,* D. *numero quasi quinquemillia,* A. *virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.*

A. & B. *quinque millia.*

15. B. *Et acceptis quinq; panibus, & duobus piscibus, intuens in cælum,* D. *cùm gratias egisset,* B. *benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis, vt ponerent ante eos: & duos pisces diuisit omnibus,* D. *quantum volebat.*

D. *Accepit ergò Iesus panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter ex piscibus quãtum volebant.*

16. B. *Et manducauerunt omnes, & satiati sunt.*

17. *Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: colligite, quæ superauerunt, fragmenta, ne pereant.*

18. *Collegerunt ergò, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinq; panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducauerãt.*

19. *Illi ergò homines, cùm vidissent, quod Iesus fecerat signum, dicebant: quia hic est verè prophetа qui venturus est in mundum.*

SCHOLIA.

1. D. TRANS *mare*] Lacus est, & more Heb. mare dicitur omnis aquarum congregatio, siue dulciũ, siue salsarum: à Luca dicitur stagnum Genesareth ex Ios. l. 3. debel. Iud. c. 18. patet in latum 40. stadia, in longum 100. licèt Aegesip. l. 3. c. 26. longum dicat 140. stadijs. Continet autem miliare Italicum 8. stadia. Dicitur mare Galilææ, à

regione

regione ad quã eſt ſitũ. Erat enim in finibus vtriuſque Galilææ. *Tyberiadis* verò; à Tyberiade ciuitate, poſita ad eius caput.

2. Hæc ex Hiero. Ezech. 47. ſub finem dicta eſt *Chinereth*, ſiue *Chineroth*, quæ Ioſuẽ 19. 35. *Cenereth* dicitur. Hinc Ioſue 12. 3. legimus *mare Ceneroth*. Dicta eſt autem *Tyberias*, ab Herode. erat. n. in eius Tetrarchia, & cum diruta fuiſſet ab eo refecta fuit, & de Tiberij Cæſaris nomine Tiberias vocata Trachee olim dicebatur ex Plin. l. 5. c. 15.

3. Dicitur etiam hoc ſtagnum *Geneſaret*, ſeu *Geneſar*, à terra adiacente eius litori. Nam vt dicit Aegeſip. tota regio Geneſaris vocabatur.

4. Aqua huius lacus dulcis & potabilis. Vndè proindè non meminere fortè Euangeliſtæ in hoc conuiuio potus, nimirum aderat ibi aqua dulcis. Hunc lacum deſcribunt, vltra Ioſephum. Plin. l. 5. cap. 15. Strabo lib. 16. Aegeſip. l. 3. c. 26. Vide etiam ſuperius c. 8. l. 3. Dilucida.

5. Bethſaida locata erat inter Tiberiadem, & Capharnaum, illam in principio lacus, hanc in vltima parte eiuſdem. Porrò erat in ripa citra lacum venientibus à Iudæa, & Galilæa. Deſertum autem hoc pertinebat ad hanc vrbem, & ſitum erat inter Bethſaidã, & Tiberiadẽ, huc ergò Chriſtus appulit.

6. Obijcies Ioannem affirmare Chriſtum trans mare abijſſe. Reſpõdeo vel *trans* dixit reſpectu venientiũ ex Aegypto, vt Itali etiã dum ſunt in Germania illos populos tranſmontanos vocant, ſic Iudæi cùm venirent ex Aegypto ea loca trans Iordanem, vel *trans mare Galilææ* dicebant; & ſic etiam vſus obtinuerat, vt ita ſæpè loquerẽtur etiam traiecto amne. Vel dic vocẽ Heb. tam *citra*, quã *vltra*, ſignificare, vt vult Mald. in c. 4. Matt. v. 15. Vel id dicitur quia nauicula traiecerat Chriſtº partẽ lacus, veniens in locum appoſitum ei, vbi prius erat. Erat enim ſinus quidam, vel promontoriũ inter vtrumque locum. Vide item c. 21. huius lib in Schol. n. 2.

Sed iterum vrgebis locum miraculi ex Niceph. l. 8. c. 30. propè Tiberiadem fuiſſe, ait enim Helenã Tiberiadem veniſſe, vbi δωδεκάθρονον, id eſt duodecim thronorum templũ ſtatuit, quo loco Chriſtus quinque hominum millia pauit. Fateor ita ſcribere Nicephorum. At mihi Lucas inſtar mille Nicephororum eſt, & eò ampliùs, qui eum locum, deſertum Bethſaidæ vocat. Potuit talis eſſe fama, in eo loco miraculum eſſe patratum, hãc falsò ſequutum Nicephorũ, falſitati verò locum dediſſe verba illa Ioa. *trans mare Tiberiadis*. Durior verò eſt illa reſponſio ad Lu. locum illum vltra mare, ad Bethſaidam pertinuiſſe, ideò dici deſertum Bethſaidæ: grãtis hæc dici, & ſine fundamento videntur.

7. Cur autem abierit ſeorſum, quatuor cauſas reddere poſſumus ex ſuperiori capite, tum vt fœuitiæ Herodis cederet, ſeque interim hominem declararet Chriſtus, & materiam ſubtraheret patrãdi homicidiũ, vt Hiero. Mat. 24. & Beda ſentiũt. Tum vt dolorẽ ſolaretur ex nece Io. Tũ 3. ex Lu. 9. & Mar. 6. 31. 9 diſcipuli eius, legatione functi, ac benè defatigati redierant, & ob id quiete egerent. Tum 4. & quidem maximè, quia Herodes quærebat eum videre, quæ ex ſuperioribus cõſtant. Barr. putat, nõ eſſe veroſimile feceſſiſſe ne occaſionem præberet Herodi: nam, inquit: optabat eũ videre, quarè potiùs ob dolorem Ioannis necis ſe recepiſſe, quo ſe, & ſuos ſolaretur. Verùm arbitror veram eſſe Hieron. ſententiã. Nam Herodes erat crudelis, & æmuli poterant contra Chriſtum multa ſuggerere. Imò Lu. 13. 31. dictum eſt illi à Phariſæis, *exi & vade hinc: quia Herodes vult te occidere*. Quarè vt vera ſit etiã cauſa illa leuandi doloris, non propterea hæc reijcienda eſt.

8. Docemur & hinc interdum nos recipere, & ad orationis quietem, & feceſſum cõfugere de medijs turbis, vt reſumpto ſpiritu, ac refocillato, melius etiam illæ iuuentur. Quemadmodum terra maiorem vim habet ad producendas fruges, ſi quieſcat interdum, nec ſemper iacta ſemente exerceatur.

9. Et illud hic obſeruandum, quod ad mores pertinet; nimirum legimus Chriſtum ad mare interdũ veniſſe tantum, nec eſſe tamen illud ingreſſum, Matt. 4. *ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ*. Aliquãdo ingreſſum etiã fuiſſe, ſed ſtatim indè reuerſum, vt cum Lu. 5. nauem Petri ingreſſus, egreſſuſq; dicitur. Aliquando legimus illum ad mare veniſſe ingreſſum quoque eſſe, ſed prætereà trans illud abiiſſe. Quibus Dominus videtur ſignificaſſe tria hominum genera. Quoddam eorum, qui audiunt cõciones, templum adeunt, verum pœnitentiæ mare ingredi nolunt, quia nolunt reſtituere, peccandi occaſiones præcidere, &c. quoddam verò eorum, qui ingrediuntur quidem pœnitentiæ mare, dum dolent, commiſſa deflent, occaſiones peccandi auferre ſtatuũt &c. ſed illicò ad priſtina reuertuntur. Similes hi ſunt ijs, qui ædificare aggrediuntur palatium, & parietes vtcumque erigunt, ſed poſteà morte hinc ſubtrahuntur, & fit ſæpè ſtabulum id, quod imperfectum relictum eſt. Ita hi veluti palatium quoddam molliuntur, dum ſe pœnitentiæ tradere ſtatuunt, & aliquo modo manum operi admouent, ſed ſtatim opere imperfecto relicto in peccatum, tanquã in mortẽ incidunt, & ad priſtina ſcelera reuertuntur, atq; ita in dæmonũ ſtabulum euadunt. Poſtremò tertium eſt illud illuſtre hominum genus, qui in benè cœptis ad mortem vſque perſeuerant. Hi cum Chriſto mare traijciunt pœnitentiæ, & cũ illo ſatiantur in amœniſſimo gloriæ deſerto cum ſanctis, ac beatis ſpiritibus.

Tria hominum genera notanda.

10. 2. *Et pedeſtres de omnibus ciuitatibus*] præueniſſe hi dicuntur, quia minus itineris terra fortaſsis conficiendum erat, quam naui, ob promõtorium aliquod, vel quia vento lenitèr flante, vel quia fortaſsis ita Domino placuerat ad diſcipulorũ quietẽ nauis lentè progrediebatur. Et ex hoc etiam loco conſtat deſertum hoc citra lacum fuiſſe, quomodo. n. eo pedibus peruenire potuiſſent, niſi pertrãſito ponte Tiberiadis. At huic intelligentiæ repugnat Matt. vt habẽs v. 2. hic ad marginem, & Marc. hic v. 2. & 4. ſignificantes turbã bona ex parte præueniſſe Chriſtum, quod non potuiſſet facere, ſi tam magnum iter fuiſſet conficiendum etiam pertranſito ponte; ſed magis repugnat Lucæ, qui dixit hoc deſertum fuiſſe Bethſaidæ: at qui conſtat Bethſaidam, eiuſq; deſertum citra lacum fuiſſe, antequã peruueniretur Tiberiadem.

11. 3. D. *Sequebatur eum*] Vt olim Deus populum ſuũ de Aegypto educens præceſsit illũ in columna nubis, & ignis, & in deſerto pauit pane de cœlo miſſo: ita nunc Chriſtus in columna nubis propter puriſsimã humanitatẽ, & ignis propter diuinitatẽ (*eſt*. n. *Deus noſter ignis conſumens*, Deut. 4.) deducit populum ſuum in deſertũ procedens, vt à dæmonũ ſeruitute, & inferni tenebris liberum reddat, ibiq; fame laborantem reficiat.

12. *Quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his* &c.] Aduertit hic Card. Tol. ob tria potiſsimũ Chriſtũ Dominũ omnia ſua miracula curandis hominum corporibus, & miſerijs depellendis contuliſſe. Primũ, vt fidẽ perſuaderet: nam cum ea, nõ ex intellectu modo, ſed voluntate etiã benè affecta pendeat; plurimũ ad eam perſuadendã iuuat beneuolos hominũ animos ſibi reddere. Hinc eſt quod viri ſæpè religioſi, vt animas lucrentur, corpora etã curant, & humanis beneficijs afficiũt eos quibuſcũ verſantur. Alterũ eſt, vt indicaret finẽ, propter quẽ venit ad nos. Adijt. n. nos tanquam medicus morbos depulſurus animarũ, & noſtris medicinã vulneribus facturus. Deniq; vt ſe de cœlo deſcẽdiſſe oſtẽderet,

Ob tres cauſas Chriſtus fecit miracula.

non ex iuſtitia, vel vllis noſtris id repoſcentibus meritis, ſed ſola miſeriarum noſtrarum commiſeratione commotum, quam idcirco paſsim tot miſericordiæ operibus edendis declarabat.

13. 4. B. *Et exiens vidit*] exiſſe de naui arbitror, nõ vt Hiero. & Euth. & multi ex recentioribus interpretantur de deſerto exiſſe. Nam Marc. docet turbas præueniſſe eum: quomodo ergò ad eas exiuit de deſerto? quomodo eis obuiã venit? quod ergò Lu. dicit excepiſſe eos, vt habes hoc eodem v. idem eſt cum eo quod habet Marc. *& exiens vidit turbam multam, & miſertus eſt ſuper eos, quia erant ſicut oues non habentes paſtorem, & cœpit illos docere multa.* Quod & Lu. ſubiecit: *& loquebatur illis de regno Dei* Neq; verò aliud videtur indicare poſſe ille dicendi modus: *& exiens*; cùm præceſsiſſet ingreſſus in nauim. Itaque vbi hæc fecit cum turbis ſubijt in montem, & ibi cum diſcipulis aliquantulum quieuit: poſteà acceſſerunt diſcipuli petentes, vt turbas dimitteret: & interrogatus eſt à Chriſto Philippus, & tandẽ factum eſt miraculum, pro vt in textu huius capitis habes & l. 4. de rebus Euangelicis c. 19. ſi attentè conſideres.

14. 5. *Subijt ergo* &c. ergò, innuit cauſam cur montem inſcenderit, nempe quia multa cõuenerat turba, quæ triduo ſuſtinuerat eũ, & cibatu egebat, vt interim quieſcerent à tumultu diſcipuli, & ex aptiore loco ad cõuiuiũ ſe accingeret, ideò *ſubijt* &c.

Chriſtus mons in ſcripturis.

Chriſtus *mons* dicitur in ſcripturis, tum ob eminentẽ ſuppoſiti dignitatẽ, in quo humanitas ſubſiſtebat, tũ ob vitæ, & virtutũ doctrinæq; præſtantiã, de quo monte vaticinatus eſt Iſa. 2. *& erit in nouiſſimis diebus præparatus mõs domus Domini in vertice mõtium, & eleuabitur ſuper colles.* Per *nouiſſimos dies* Hiero. ait, tẽpus Meſsiæ ſignificari; per domũ Domini Eccleſiã. ergò Chriſtus mõs eſt, in quo Eccleſia cõſtructa eſt, & ſtabilita: de qua illud item Mat. 5. dicitur: *nõ poteſt ciuitas abſcondi ſupra montẽ poſita.* Hic mõs in vertice montiũ eſt, & ſuper colles. i. excelſos oẽs Prophetas, Patriarchas, Apoſtolos, deniq; ſanctos, qui inſtar montiũ cæteros ſanctitate excellũt, itẽq; cũctos alios minores, qui inſtar colliũ ſunt. Mons iſte de paruo illo lapide excreuit, de quo Dan. 2. *abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus.* Vbi tamẽ mõs SS. Virg. rectè apteq; accipi poteſt Dei Mater gloriosiſsima, de qua ſine viri opera eductus eſt lapis iſte Chriſtus Dominus, qui factus eſt mons magnus, & impleuit vniuersã terrã. Et vide quã benè conueniat quod hic dicitur de Chriſto *& ſequebatur eũ multitudo magna*, cũ eo q Iſa. 2. & Mich. 4. habetur: *& fluẽt ad eũ oẽs gentes, & ibũt populi multi* Pluuiæ de mõte ad valles deſcendũt: quin & lumẽ quoq; ita ſi gratiarũ imbrẽ, ſi quo toties colluſtreris lumẽ de hoc monte demitti tibi deſideras, vallis eſto per humilitatis, modeſtiæ, & ſubmiſsionis virtutẽ.

15. 16. 17.

6. *Erat aũt proximũ Paſcha*] Hinc patet Io. annũ fere integrũ ſilẽtio præterijſſe. q n. de languido narrarat c. 5. in Paſchate geſtũ fuit, vel certè Penteoſte. At nunc alterũ Paſcha poſt illud ſcribit impendiſſe cũ hoc miraculũ factũ eſt. Hoc verò tẽpore intermedio multa geſta ſunt, quæ alij Euã. 3. literis tradiderũt, & l. 4. de rebus Euang. poſt miraculũ reſtitutæ ſanitatis languido à nobis collocata ſunt. Quarè cũ Io. hic ait: poſt hæc abijt &c. nõ ſignificat poſt narrata præcedenti c. ſui Euangel. ſtatim editũ fuiſſe hoc miraculũ, ſed longo poſt tempore. Ex libris verò de rebus Euang. & ordine ibi à nobis poſito, liquet hoc Paſcha fuiſſe 4. à baptiſmate Chriſti, quãuis ſit 3. Paſcha numerando illud ab eo Paſchate q cõſequutũ eſt ſtatim nuptias in Cana Galilææ. Quare vix probabile eſt q Augſer. 1. de Epiph. refert, itemq; Beda; miraculũ iſtudnanũ eodẽ die, quo nuptiæ, ſed nõ eodẽ anno patratũ; vix inquã probabile eſt, cũ nuptiæ celebratæ ſint 6. Ianu. hoc verò miraculũ inſtãte Paſchate. Hinc etiã excluditur q Cyr. l. 3. c. 11. affirmat: fuiſſe hoc feſtũ tabernaculorũ, cũ Io. dicat proximũ fuiſſe Paſcha. Verùm Cyril. nõ legit Paſcha, q tamẽ oẽs tum græci, tum latini codices cõſtanter habẽt.

A

8. *Euntes emamus*] licèt ſint qui velint Apoſtol. habuiſſe eã ſummã pecuniæ, eãq; totã libenter obtuliſſe ſatiandæ turbæ: veroſimilius tñ eſt hæc ironicè dicta eſſe. Sat. n. benè nouerãt Apoſtoli, nõ eſſe penes ſe eam pecuniæ ſummã. Eſt autẽ credibile hoc nõ oẽs diſcipulos dixiſſe, ſed quoſdã dũtaxat.

9. *Cùm ſubleuaſſet oculos*] Iis auditis Dominus, vt oſtenderet nõ eſſe deſperandũ de Dei ope, licèt maxima adeſſet ſatianda multitudo, ſed iactandã in eum ſpẽ, oculos ſubleuaſſe dicitur in omnẽ illã multitudinẽ, & Philippũ interrogaſſe. Quãuis etiã quia largiri multitudini cibum decreuerat, in morẽ boni patrisfamilias in illã oculos cõiecerit;

B

quas cauſas particula ergò ſignificat, cur ſc. oculos ſubleuarit auditis diſcipulis, cauſæ. n. ſunt proximè dictæ. 10. *Tentans eum*] Quid ſit tentare, dum Deo tribuitur ex c. 22. Gen. intelligere eſt, vbi ſic ſcribitur: *tẽtauit Deus Abrahã, & dixit ad eum: tolle filiũ tuũ* &c. & poſteà: *nũc cognoui, quod timeas Dominũ.* Tentare ergò Dei, eſt arduũ aliquod opus ponere, ſiue etiã graue aliquid, infligere, atque id eius rei gratia, vt probet hominẽ, num verè Deum colat, amet, obediat. Sic Abrahã obedientiã probauit, & quanti Deum faceret in corde ſuo: ſic cæcitate immiſſa Tobiam num in aduerſis immobilis permaneret, ita nunc Philippi animũ probare voluit, num crederet, poſſe ipſum paucis panibus ingentẽ hominum cateruã ſatiare; ſimulq; vt Philippus aduerteret humanũ hic ſubſidiũ deeſſe, diſceretq; miraculo poſteà facto, & experientia, ſe totũ Deo in his cõmittere, & nimium nõ eſſe ſollicitũ.

18. *Deus quomodo tentet.*

19.

C

Sed quid opus Deo eſt exprimẽto, cui omnia cordis latibula patẽt? experimentũ hoc facit Deus, nõ quo ipſe diſcat, ſed vt nobis, vel etiã alijs hæc nota fiãt ad noſtrã & aliorum ſalutẽ. Cùm ergò dicitur: *tentauit Deus Abrahã*, intellige vt exemplũ bonum præberet & oſtenderet, quanta virtus in athleta ſuo lateret, eumq; coronaret. Sic ad bonum Deus, diabolus autẽ ad peccatum, & ſubuerſionẽ tantat, quorũ malorũ intentator eſt Deus. Lege D. Amb. l. 1. de Abrahã c. 8. & D. Aug. ſer. 72. de tem. & tra. 43. in Io. & ep. 146. & l. 2. de ſer. Dom. in mont. c. 14. & D. Greg. 28. mor. c. 5. ſimiliter cùm dicitur, *nunc cognoui quod timeas Deũ*, vel more hominum loquitur Deus, vt notat Marr. Del. qui cui rei periculum fecerũt, id ſe perfectè putãt nouiſſe: vel vt exponit Diodo. omnibus notum feciſti; vel cum Aug. q. 58. & Greg. l. 18. in Iob. c. 7. noſſe te feci. S. Hil. in Pſa. 1. interpretatur, noſſe dignatus ſim. non fuiſſet vnquã tam clara obedientia Abrahã, latuiſſet patientia Iob, Tobiæ quoque fortitudo ſepulta iacuiſſet niſi tentati fuiſſent. Hoc eſt quod facit nos gloriari in ijs malis, quæ patimur: nã perſuaſum habemus, illa nobis euenire ad probationẽ noſtrã, vt per mala probati nobis ipſi cogniti ſimus, & ex cognitione, vel in ſpẽ aſſurgamus, vel ad humilitatẽ eruditamur: ſpes. n. gignitur in nobis adipiſcendi regni cælorum, dum perſpectum habemus ferre nos aliquid poſſe durum, & aſperum pro Chriſti nomine. quod ſi impatiẽtes fuerimꝰ, diſcimus quã longè ſimus à pfectorũ ſtatu, deq; nobis ſubmiſſe ſentimꝰ.

D

Cur autẽ Philippum potiùs interrogarit Dominus ſi roget quis: Reſpõdeo in primis, nõ eã eſſe cauſã, quod imbecillioris ille eſſet fidei, vt Chryſ. ſignificat ho. 41. Deindè aſſero eam videri cauſam, quod ſimplicioris ille, & cõdidioris eſſet ingenij, quo hominum genere plũrimum Chriſtus delectari ſolebat: aſtutos verò, & ſubdolos odiſſe. Vel quod magis ſollicitus videretur de tantæ multi-

20. *Cur Philippum Chriſtus interrogarit.*

tudi-

tudinis inopia. vel ꝙ harū rerū experientior esset, vnde fortè profecta est illa responsio: *ducentorum denariorum*, &c. vel quod de Bethsaida esset, atque adeo illorum locorum experiens.

21. 11. *Ducentorum denariorum*] Ducenti denarij auctore Budæo, vt Gagnæ. ait c. 6. in Io. valent viginti aureos Gallicos, hoc est, triginta quinque libras turon. Porrò videtur his verbis Philippus (licet non ex affectu ipse auaritiæ ea protulerit, sed ad indicandam rei difficultatem) diuitem repræsentare plus æquo pecuniæ parcentem, dum interdum multos à se stipem Dei amore emendicantes cernit: solet enim dicere, non satis istis totus mūdus esset, vel cuncti orbis thesauri his explēdis nō sufficerent. Nescis, heu miser, nescis, quod tentare Deus, vt caritatem erga pauperes tuam, & affectum erga se videat. libenter impende quæ habes, & thesaurum magnum in cælo lucrabere.

22. Panes isti bordeacei erant facti. 13. *Est puer vnus hic*] Dubium esse potest an panes isti, quos puer hic habebat, essent Apostolorū, an vero potius vt vēderet puer attulisset? Chrysost. hō. 50. Leontius, Cyrill. Theophyl. Apostolorum fuisse creddrunt: nec malè, nam cum Iosue qui fuerat dux belli aduersus Amalechitas c. 17. Exod. c. 33. posteà ibidem *puer* appelletur; etiā puer dici hic potuit aliquis Apostolorū, vel potius vnus ex pluribus Christi discipulis: nam & Christus Ioā. 21 Apostolos pueros vocat. Euthym. venales arbitratur. Euthy. opinio non displicet. verum probabilius videbitur si dicamus hūc puerū siue ætate puer fuerit, siue non, aliquo modo ad Apostolos pertinuisse, quod fortè fuerit comes ipsorū, vel cōsanguineus alicui' Apostoli, quod adhuc probabilius est, vel minister cuius cui' esset, ferens panes à mulieribus Christus sequentibus missos per eum. Nam cùm Christus dixisset Apostolis, vt viderent quot panes haberēt, respondērunt: *quinque, & duos pisces*: & Andreas pueri etiā portantis mentionē fecit, igitur nō venales erāt, sed ad Apostolos aliquo modo pertinebant. licèt pro Euthy. respōderi possit, ꝙ quia venales erāt illi panes, erantq; in promptu, ideò dixisse Apostolos, quinque se habere panes, & duos pisces sed siue venales fuerint siue Apostolorum, siue eorum, ad quos puer pertinebat; liberaliter dati fuerunt petente Domino, vt afferrentur. Erant hordeacei, atque adeò vilioris pretij, quam tritacei: quamus in Palæstina nascerentur satis copiosum, & laudatum hordeum inquit Pere. hic nu. 20. sed inquies, cur Dominus voluit, vt viderent, rogauitque quot panes haberent. Resp. vt tanto exploratius esset miraculum post exactam diligentiā. qua cōstabat nō fuisse plures in tota illa turba panes, quā quinque, & duos pisces. vide spiritualem intelligentiam horū panum, & piscium apud Aug. l. 83. qq. q. 61. Porrò de tribus miris quæ de panibus hordeaceis narrantur in scriptura lege eundem Perè. in c. 6. Ioan. nu. 21. & de parcitate victus Apostolorum nu. 10.

14. *Secundùm contubernia*] Gr. συμπόσια συμπόσια, geminatio multitudinem indicat. est aūt contubernium vocabulum castrense significans decem milites sub vno degentes papilione, quibus decurio præerat. Hinc ad conuictū, seu sodalitatē trāsfertur. *In partes*] Gr. est πρασιὰ πρασιὰ areolæ areolæ quasi areolatim inquit Barrad. est translatio ab hortis. Nota Christum vtrumque dixisse, vt per centenos, & quinquagenos discumberēt, Luc. vnū tantum posuit, quinquagenos, Marcus vtrumque. potius autem quinquagenos posuit Lucas, quia vt plurimum in quinquagenos erant distributi, quare facilè numerus iniri poterat. *Et ita fecerunt*] Vide Apostolorum exactam obedientiam, licet prius imbecilles se de fide ostenderent, & rem difficilem viderent, ad iussum tamen Domini parent, &

A benè sperant: facturum enim miraculum credēbant. *Numero quasi quinq; millia*] Matth. & Marc. more scripturæ minutias non curarunt, si codices Latinos cōsulas, absolutè enim quinq; millia scribunt. licet Gr. sit etiam apud illos ὡσεὶ Latinè significans *fermè*, vel *circiter*.

15 *Et acceptis quinq; panib.*] Sex Dominus præstitit. Primò, in manus accepit panes vt se authorem miraculi ostēderet per suā virtutem: alioquin facilè potuisset credere turbæ oratione id à Deo impetrasse, quod alij sancti fecerant puta Elisæus, quin 25. panibus hordeaceis satiauit centum homines. at Christus vt Deus, sua id effecit virtute. Chrysost. 24. item hom. 50. scribit quod hac vna re, se rerū omnium molitorem initio fuisse declarauit. insinuauit quoque, se suis olim manibus conuersurum panem in corpus suum, & traditurū discipulis. Secūdò, intuitus est in cælum, vt se de cælo esse, & à Patre cælesti, vt filium eius potestatem eam habere B omnibus declararet. Tertiò, gratias egit in quantū homo pro miraculo, quod in hominum salutē iuxta Dei beneplacitū facere decreuerat. nam Christus nostrum bonum, vt suum reputabat, ideò pro in nos collatis beneficijs gratias agebat. Quartò, benedixit etiam verbo (quod verosimilius est) panibus, & piscibus virtutem multiplicationis precando, & aliquo modo impartiēdo, vt n. 2. Quintò fregit, & frangēdo multiplicauit. Alioqui si noui apparuissent panes, non fractis prioribus, ficti, & non veri potuissent iudicari, & nisi etiam fracti alere nō potuissent. quomodo, se esse qui multiplicauit, ostendit. Sextò, dedit discipulis distribuendos, per quos posteà populi, pane doctrinæ, & sacramentis salutis alendi erant. per quos etiam, tanquam suos ministros par erat, vt beneficia populis ipse conferret. Voluit aūt Dominus hæc singillatim ab Euangelistis scribi, vt præsignarentur C ea, q̄ paullò pòst in Venerab. Euchar. facturus erat.

Obseruanda sunt hic duo, antequam alterum ver. aggrediamur. Primum bifariam potuisse multiplicari hos panes, & pisces, siue ad fractionem panis creatis denuò nouis substantiæ partibus Dei potentia; siue conuersa materia adiacēte aēris, & vaporum in substantiam panis, & piscium, vt vult Euthy. Facta est autem multiplicatio in manibus Christi ex August. tract. 24. erant enim illi panes in manibus Christi tanquam semina: *potestas enim erat*, inquit August. *in manibus Christi panes autem illi quinque, quasi semina erāt. non quide terræ mandata, sed ab eo qui terram fecerat, multiplicata.* Nec necesse est dicere virtutem illis aliquam propriè Christi manibus impressam, qua se multiplicarēt, ac crescerent. sed Dei omnipotentia creabātur, vel conuertebantur aēr, & vapores in panem; quanquā non est absurdum dicere, panes adhibitos, vt D instrumentum conuersionis. Et hoc modo dici posset aliquo modo impressa illis virtus ad multiplicationem. quantū autem detrahebatur de corbibus, & manibus discipulorum, panum, tantum, vel eo etiā amplius addebatur. similiter & quantum frāgendo demebatur, tantum augebatur, vel eo etiam amplius, vt olim in Lecytho olei. secūdùm Chrysost. hom 54. etiam in discipulorum manibus crescebant. secundùm Hilar. l. 3. de Trinit. in manibus quoq; discumbentium. Ambr. in Luc. vtrumq; iunxit, in manibus Apostolorum, & discumbentium. Cæterùm virtute vna & eadem Christi fiebat multiplicatio. Id autem factum est, vt omnes magis in promptu haberent, quod manducarent, & miraculum esset euidentius, ne putarentur panes aliunde allati: & ob id etiam Dominus voluit vti panibus illius pueri in turba: ne si alij adhibiti fuissent, putarentur virtutem aliquam, vel occul. è, vel arte Dæmonis, habere.

23. *Multiplicatio panum quomodo facta.*

26. Pererius dist.6.in cap.6.Ioan.n.19.declarat eodem etiam modo eam multiplicationem panum. *Christus*, inquit, *sumpsit quinq; panes in manus suas: & singulos diuisit in plurimas, & perexiguas partes, quarum vnaqualibet cõfestim secundum molem aucta, & multo amplior facta est. deindè vnicuique discipulorum vnam aliquam, vel plures illarum partiũ similiter diuisas, & cõtinuò secundùm molem auctas porrigebat. Illi postea eas similiter diuidentes, & ex diuisione multiplicatas, & auctas tradebant in manus comedentium; quæ tum in manibus, tum in ore eorum magis, magisq; multiplicabantur, & augescebant. Nec fortasse temerè putari posset, panem illum per Christi benedictionem multiplicatum, longè maiorem habuisse vim nutriendi, & satiandi comedentes ipsum, quam habeat panis vulgaris, & vsitatus.*

Christus bis panes multiplicauit. Obseruandum iterum bis Dominum multiplicasse panes. Primùm hoc loco, quâ historiam oẽs Euangel. narrant. Iterûm cum turbas refecit ex 7. panibus. & paucis piscibus, quod posteà cõtigit: & hoc alterum miraculum soli Matt. 15. & Marc. 8. narrant. Lactan. lib. 4. c. 15. scribit Sibyllæ testimonio prædictam hanc multiplicationem, quam omnes simul narrant Euangelistæ.

27. 16. B. *Et manducauerunt omnes*] Tria ad miraculi ostensionẽ pertinentia narrantur; oẽs comedisse; dindè etiam saturatos esse q.d. probasse illos facto veritatem miraculi, cum prius esurirẽt, & postea famem expulerint. postremò collectos duodecim cophinos, non quidem piscium, sed panum. Quamuis de piscibus quid superfuerit: quod videtur omninò dicendum cum Marc. dicat vt hic habes ad marginem v. 18. *& sustulerunt reliquas fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus.* quare miror D. Chrysost, dicere nil superfuisse, & Maldo. vt rem incertam putare.

28. 18. *Duodecim cophinos fragmentorũ*] Genitiuus *fragmentorum* referẽdus est ad *impleuerunt*, nõ ad *cophinos*. Duodecim autem cophini impleti sunt, quia quilibet Apostolorum suum habuit cophinum plenum à Christo quem distribueret & eandẽ mensuram reddidisse par fuit. *Cophinus* græcũ est nomen, genus quoddã cistæ; seu vas paruæ magnitudinis, & capacitatis significans: & videtur fuisse in vsu apud Iudæos, & Toletus notat Martialem Iudæum cistiferum vocasse: idq; etiam ait ex Iuuenali 3. & 6. Satyra constare. Latinè corbis dicitur, ex viminibus contextus, & ita videtur sumi hic, quamuis etiam sit mensuræ Boëticæ genus secundùm Iulium Pollucem, & Hesychium tam liquidorum, quam aridorum, capiens tres congios, seu 18. sextarios. ergò duodecim cophini, capiebãt triginta sex congios, seu 216. sextarios. quoniam autem modius capiebat sextarios 16. erat maior modio duobus sextarijs. Duodecim ergo cophini tantum capiebant, quantum 13. modij, & insuper dimidius modus. Et hæc si de cophinis vt sunt mensuræ loquamur: quamuis hic non ita, sed pro corbe sumi videatur. Porrò in tanta multitudine non dubitãdum eos corbes esse potuisse. nisi mauis dicere eo significari satiatis omnibus illis hominibus tantum superfuisse fragmẽtorum panis, vt sufficeret duodecim cophinis implendis. sed hoc nõ arbitror benè dici: ait enim Euangel. verè implesse illos duodecim cophinos: sicut in miraculo 7. panũ, 7. sportæ numerantur. Sporta autẽ videtur fuisse maius quid & capacius cophino, vt videtur colligi Act. 9. & 2. Cor. 11. dicitur enim Paulus in sporta demissus per murum. quare septem sportæ non minus fortè continebant, quam 12. cophini.

Cophinus quid.

29. Quod verò non iusserit Dominus piscium reliquias colligi, significat nõ ita multas superfuisse, vt de panibus. quod moribus vtile est. vult Deus panes, id est, res necessarias abundè nobis suppetere, pisces vero, id est, delicias minimè redundare, vel certè etiã iussit colligi, quòd innuit Marc. licet non clarè, sicut clarè dicit aliquid de piscibus superfuisse. Voluit fragmenta superesse, vt appareret turbam verè de panibus comedisse. fragmenta verò, non integros panes placuit illi redũdare facere, atque adeò colligi secundùm Chrysost. vt constaret esse veros panes, quos verè comederant turbæ.

Piscium reliquias colligi, cur non iusserit Chri

Obserua per duodecim cophinos fragmentorum, vt dicit Albinus, omnis doctorum spiritualiũ chorus exprimitur, qui obscura scripturarũ quæ turbæ nequeunt capere, meditando colligere, & mãdare litteris suo pariter, ac turbarũ vsui iubentur. Quod pòst Prophetas fecerũt Euãgelistæ, post quos sequaces eorum Ecclesiæ toto orbe diffusæ magistri. quod igitur turbis superat, discipuli tollere iubentur, quia vt dictum est mysteria, quæ à rudibus non capiuntur, tanq; secretiora quædã intelligentiæ, à perfectis, & studiosis, graui inquiruntur labore, & ad satiãdos populos referantur.

30. *Duodecim cophini quid designent.*

19 *Hic est verè Propheta*] Gr. ὁ προφήτης .i. *ille propheta*, nempè Messias tamdiu expectatus. *Venturus est*] .i. promissus, seu prædictus venturus. Cùm deberet Deum fateri, tantum eum Prophetam acclamat turba, nec mirum, quia talem sibi fingebant carnales homines Prophetam illum & Messiam, qui nimirum eos pasceret, & diuitiis abundare faceret. Et hæc videtur ratio potissima, quod nunc primum regem sibi voluissent illum creare, & quod maximè Prophetam clamarent.

DIGRESSIO I. MORAL.

De oculis Christi, & quam diligenter, & cautè custodiendi sint oculi, in illa v. 9. *Cùm subleuasset ergo oculos Iesus.*

1. *Oculi diligenter custodiendi.*

OBSERVAT Petrus de Palude in serm. Dominicæ Lætare; quater, vel quinquies præsertim Dominum oculos subleuasse, quantum ex Euangelistis colligitur. Primùm apud Ioan. hic, *Cùm subleuasset ergò oculos Iesus.* nimirùm vt doceret nos diligenter inspicere pauperum inopiam ad ferendam illis opem, & quo eorum commiseratione tangeremur. Iterùm hic: cùm enim esset populum refecturus, vt ex Marc. constat, suspexit *intuens in cælum*, egitq; gratias. Quò disceremus cũ aliquid pauperibus erogamus, Deũ aspicere, & in eius gloriam omnia referre. Thren. 3. 41. *Leuemus corda nostra cũ manibus ad Dominum in cælos*, & gratias ob id ipsũ Deo agere; nam maius beneficiũ accipis, cum benefacis, quam præstas pauperi. Ad hæc Ioan. 17. leuauit oculos in cœlum Patrem deprecaturus: *Subleuatis oculis in cœlum dixit: Pater venit hora*, &c. vt doceret nos, cũ oramus mente in cælum ascẽdere, & à terra longè fieri. Quartò leuauit oculos discipulos docturus. Luc. 6. *& ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes*, vt moneret nos, cũ sumus alios docturi illum vt intueremur, illum adiremus, & cum illo priùs verfaremur. Postremò sustulit oculos Lazarũ excitaturus, quod difficillimum erat opus. Ioan. 11. vt nos instrueret in difficilibus, & arduis negocijs ad Deũ accedere 2. Paralip. 20. *cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum residui habemus, vt oculos nostros dirigamus ad te*. sic Iosaphath fecisse legimus, cũ hostium timore premeretur.

2. Neque verò prætereundum est, doceri nos in Sacris literis aliquot oculorum Dei

proprietates. Et prima quidem est, quod sint maximè perspicaces ad subtiliter omnia videndum, Prouerb.15. *in omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos*, Hebr.4. *omnia nuda, & aperta sunt oculis eius*. Altera est, quod sint maxime terribiles in exquirendis, discutiendisve hominum delictis, Deuter.32. *vidit Dominus & ad iracundiam concitatus est*. Tertia, quod sint maximè amabiles & efficaces, vt ad se attrahant, Matt.9. *vidit hominem sedentem in telonio, & ait illi: sequere me, & surgens secutus est eum*. Quarta, quod maximè sint benigni, & misericordes, Psal.33. *oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum*. Hinc est quod Deus sic Mosen est alloquutus: *vidi afflictionem populi mei, & descendi, vt liberem eum*; & propterea rogabat obnixius Dauid Deum: *respice in me, & miserere mei, quia vnicus, & pauper sum ego*. Et verò quam benigni sint oculi Domini, vel hoc vnum Christi exemplum abundè nos doceat: coniecit enim sanctissimos suos illos oculos in turbam, vt eius necessitatibus prospiceret. Discamus & nos aliorum paupertatem, inopiam, solitudinem intueri, vt aliquod quantum possumus afferamus emolumentum, nec auertamus ab vllo paupere oculos nostros. Ita enim fiet vt non mors intret per fenestras oculorũ nostrorum, sed potius vita, quam nulla poterit excludere mors.

3. Cæterùm non prætermittam hic elabi mihi è manibus occasionem, quę iam se offert agendi paucis de vtili oculorum nostrorum custodia: & in primis sciendum duo oculorum genera ex Sacris elici literis. Bonos enim, & malos in Scripturis legimus oculos, de illis Cant.1. *Eccè tu pulcra es amica, ecce tu pulcra es, oculi tui colũbarum*. Porrò columbæ oculos habet, qui peccatis suis subinde dolet, errata deflet, & Christi vulnera, cruciatus, mortem ardentibus prosequitur lacrymis, suum quoq; exilium, & ærumnas deplorat assiduè; atque in hoc limpidissimo lacrymarũ fonte, ceu simplex columba dæmonis insultus, & dolos anteuertit & cauet. Verùm de his, id est, malis oculis Matt.18. habes: *si oculus tuus scãdalizat te, erue eum, & proĳce abs te*. Tunc sanè oculus tuus scandalizat te, cum mulieres incautè, curiosè, lasciuè aspicis; hunc tu, si sapis, erue. Quod si te non Christi exemplum, admonitiones, præcepta mouent, si nec terrent minæ: moueant te saltem infidelium facta. Magus ille Alexan. à pulcherrimarum virginum, quæ erant Darij filiæ, conspectu omninò abstinere voluit, illud acutè simul, & prudenter vsurpans: *non committendum sibi, vt cum viros vicisset, vinceretur à fœminis*, vt meritò de eo Plutarch. orat.2. de Alexan. virtute in sempiternam viri memoriam scriptum reliquerit: *reliquis Persidibus tantũ superior fuit pudicitia, quantum fortitudine Persis; nullam enim inuitam vidit; & quas vidit magis præterijt, quam non visas, vt cum alias fuerit humanissimus, aduersus pulcritudinem formæ duntaxat superbè se gesserit*. vide quid de Naphta scribat ad hanc rem maximè faciens Pineda cap.31.v.1 in Iob.n.12. est & oculus tuus scãdalizans te, amicus, vxor, filius, pater te à Deo malis cõsilijs abstrahens: hunc tu oculũ, si sapis erue. *& proĳce abs te: bonũ tibi est vnum oculum habentẽ ad vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in Gehennam ignis.*

4. *Mala ex negligenti oculorum custodia.*

Iam verò, quam innumera exierint mala, ex non custoditis oculis, quis dicendo assequi poterit? Et quæ nam rogo te malorum omniũ prima origo fuit? an non, vidisse? an non, frenum oculis non iniecisse? lege 2. Genes. caput, sic ibi inuenies: *vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulcrũ oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit*. In memoriam reuoca vxorem Loth, quamobrem illa in statuã versa? nimirum quod retro aspexerit, nec oculos curiosa frenarit. Gen.34. memoriæ traditum est Dinam Liæ filiam, dum curiosè egressa mulieres regionis inspicere vult, & malè cœtus publicos virgo petit, ideò virginem non rediisse; neque hoc solum malum hinc prodijt; stuprum enim ex curiositate quidẽ natum est, verum ex stupro, quot cędes, Deus bone, quot prætereà mala cõsequuta sũt?

5. Et tamen non illa vagabatur, vt pulchritudinem adolescentiũ lasciua videret, nec vt illos ad malũ lacesseret, quod 70. mihi significare videntur. Gr. enim legimus καταμαθεῖν, hoc est, egressam esse, vt condisceret, vt legit Aug. q.104. in Gen. nimirum voluit illa condiscere ingenia, mores, studia, instituta, victum, habitum; deniq; cultum illarum mulierum, & quẽadmodum se in consuetudinem & amicitiã earum insinuare, & penetrare posset. Quod facilè præstare poterat, si verum est quod dicit Ioseph.l.11.antiq. diem illum maximè celebrem, atque illustrem fuisse quod Sichimitas. quid igitur sentiendum de his, qui lasciuis, non curiosis modo oculis laxant habenas?

6. Ac ne tu solas mulieres putes oculorum curiositate deceptas, audi, quid c.6.1. Gen. literarum monimentis traditum sit: *cùm cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent, videntes filĳ Dei, filias hominũ, quod essent pulcræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerãt. dixitq; Deus, non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*, & induxit aquas diluuij sanè hic posteri Seth ob eximiam religionem *filĳ Dei* dicuntur, & tamen, quantam sanctitatis iacturam fecerint propter oculos malè custoditos, sat norunt qui hæc legerunt. Sed mitto cætera, instar omniũ exemplũ Dauidis, eiusq; casus cum Bethsabee incautus aspexit, satis esse debet ad cohibendos oculos. Ecce tibi sanctissimus Rex, cùm aspicit, accipit vulnus, & ex vulnere incidit in adulterium, ex adulterio transijt ad homicidium. quanta, prô dolor, mala ex vno aspectu? quare posteà cautior factus sic rogat: *auerte oculos meos, ne videãt vanitatem*. Hinc ille Dei vates sub Iudææ voce, inquit Greg. dixit: oculus meus deprędatus est animam meã, Thren.3. concupiscendo. n. visibilia, inuisibiles virtutes amisit, vt meritò Hier. dixerit, quod ascendere soleat mors per oculorum fenestras. hinc sapienter quoq; Iob pepigerat fœdus cum oculis suis, ne cogitaret quidẽ de virgine. sciebat vir Sanctus prauas, fœdasq; cogitationes, ex incauto aspectu nasci solere. Verissimum est igitur, quod scripsit Chrysost. hom.3. de verbis Domini, vt ignis, vbi fœnum aliquod, aut culmum arripuerit, nihil moratur, sed simul lucidam accendit flãmam. itidem & ignis concupiscentiæ, qui est

in nobis

in nobis simulatque per oculorum intuitum elegantem ac venustam attigerit formam, protinus exurit animum. Lege quæ contra lasciuos oculos citauimus superiùs hoc libro ca. 4. Schol. versiculo 27.

7. Quotidiana nos experientia terreat. Quot, quæsò, iuuenes decepit incautus aspectus? Quid respicis, cùm de carbonibus scintillæ resiliant, & aspides sibilent moribos, aculeus peccati est forma fœminea, & iure virgines, oculorum ægritudines, conspicientiumque dolores dicuntur. *Audistis*, inquit Christus, *quia dictum est antiquis: non mœchaberis*. Quid expectas dicturum? *ego autem dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo*. Quòd si confidis, quòd fortis es, nec concupisces; numquid priuari quiete non times? cùm enim oraueris, cùm te receperis, atque collegeris, cùm Deo vacare studueris, solicitus semper inde eris. Sunt enim oculi portæ animæ, per quas ea ingrediuntur, quæ illius tranquillitatem perturbant.

8. Verùm Coronidis loco, totam hanc rem claudat Diui Basilij sententia, qua declarat, quàm maxima sit oculorum cum manibus, & tactu cognatio, sic igitur libro de Virginitate scribit: *Est sanè indignum & iniquum, præter quam quod ad vitium per oculos vehitur, virginem quæ manu contrectare non audet, ea iactu oculorum indifferenter attingere. Quæ igitur non euitauit luminum tactum quantum in se est, ne manus quidem tactum vitauit. sicut enim cùm ignem tangimus ignis inditia per impressas nobis adustiones excipimus, ita possibile non est eum quem ignis amoris attigerit, eiusmodi tactum innocuum, inuiolatumque præferre.* sic ille acutè, piè, sapienter. Sed ad alia veniamus.

DIGRESSIO II.
MORALIS

De Eleemosyna.

1. SVO nos CHRISTVS exemplo docuit subuenire pauperibus, docuêre discipuli dum Dominum rogant pro turba, soliciti, ne fame pereant, dum cibos tanta cum amoris significatione distribuunt. Denique docet nos puer iste quisquis ille fuerit, dum libenter patitur se priuari panibus in aliorum salutem. Hæc omnia nobis beneficentiam in pauperes, atque adeò eleemosynam suadent. de qua pauca hæc attingam.

Deus dupliciter suam bonitatem cõmunicat.

Principio scire par est, quo nos vinculo ad eleemosynam erogandam astringamur. aduerte igitur, quod sicut Deus bifariam suam bonitatem cõmunicat. Primò quidem infinitè, & naturaliter Filio, & Spiritui sancto, licèt Filius nascatur à Patre, quomodo natus, seu per modum naturæ, & intellectus; Spiritus sanctus quomodo datus, & per modum voluntatis. Secundo modo finitè & liberè creaturis. Ita ad sui imitationem, vult nos bonitatem suã, quam nobis impertijt, alijs tribuere dupliciter, vel necessariò, id est, ex præcepto, vel ex consilio. Hinc est, quod iusserit Dominus Luc. 11. *quod superest date eleemosynam:* A *τὰ ἐνόντα*, id est, quæ adsunt facultates, q. d. date de his quæ habetis. Interpres latinus optimè vertit, sensum rimatus Christi, quæ supersunt. Est enim præceptum dare superflua naturæ in grauibus necessitatibus, & præsertim extremæ necessitatis tempore. Alijs verò temporibus præcipimur dare superflua status, vel personæ, & hanc opinionem asserit D. Thomas esse communem Theologorum 4. sent. distin. 14. Probatur autem id ex cap. 12. Lucæ: *stulte hac nocte repetunt à te animam tuam, & quæ parasti cuius erunt?*

Etenim August. lib. 50. homil. hom. 7. affirmat diuitem illum, non ob aliud peccatum ad inferni pœnas damnatum esse, nisi quod superflua retineret, nec ea indigentibus largiretur, B quam quidem planè rem, vel ipsa ratio confirmat: licèt enim diuites Domini sint suorum bonorum, quæ iustè adepti sunt respectu aliorum hominum: respectu tamen Dei, non tam Domini, quam dispensatores dicendi sunt, vt patet ex parabola de villico Luc. 16. nam Deus est qui cuncta produxit, & eius prouidentia homines ditescunt, vel pauperes sunt, cui rationem reddere habent de diuitijs suis; ergò, secundùm Dei imperium, & voluntatem debent diuitias erogare. 2.

Iam verò displicet Deo, qui in omnium vtilitatem cuncta creauit, vt Pater omnium, istos ita esse diuites, vt abundent etiam superfluis; illos ita pauperes, vt vel necessariis careant: licèt velit illos quidẽ diuitias habere, hos inopes esse, vt illi per misericordiã, & per beneficentiã; isti per patientiã, & tolerantiam C salutem consequantur sempiternam. Peccant igitur cõtra Dei voluntatem diuites superflua retinentes. Aliæ eleemosynæ præter has de consilio sunt. Vide de his Bellarm. tom. 3. sub fin. Benedictum in Dan. lib. 5. in illa: *quamobrem consilium meum*, &c.

Verùm si sapis, si meam sequare sententiam, si à me petis, si filium non habes, Deus sit tibi loco filij, & quod filiis eras relicturus, pauperibus. i. Deo largire: & sic eris in Deum diues. Audio quid dicas, filij mihi sũt. adde igitur filiis tuis alterũ filium, & quod alteri filio daturus eras Deo da. Nec te filius iste pauperẽ faciet, sed mentẽ tuã innumeris repletbit bonis. 3.

Sed prô dolor sunt qui omnia animæ suæ 4. *Contra inmisericordes.*
reseruant similes Nabal Carmelo, 1. Reg. 25. D qui dixit: *quis est Dauid, aut quis filius Isai? tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris quos nescio vnde sint?* sic non rarò loquitur qui in hoc mundo diues est: Christũ nescio, quis est pauper, vt dem ei cibos meos? cui ergò seruas illos? tonsoribus inquis meis. quis tonsor tuus? ludus, mulierecula, vanitas. hi tonsores tui, hi tondent te, his seruas substantiam tuã, non Deo. Non ita ille princeps de quo Raphael Volater. l. 3. suæ Geogra. quem interrogarunt legati aliorum principum, an ei essent venatorij canes. ait: esse sibi plurimos, & ostẽdit eis pauperes, quos domi alebat non paucos. subiecit verò: hi mei canes, quibus gloriam venaturum me spero.

Sed quibus, si perconteris, facienda est eleemosyna? Lucæ 16. proditum memoriæ est il- 5.

lud Chri-

Quibus danda eleemosyna.

lud Christi dictum: *facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Videbitur igitur alicui, non malis esse per eleemosynam benefaciendum, sed iustis dumtaxat. Nam mali (sic enim ratiocinetur quis) non sunt habituri æterna tabernacula, in quæ suos benefactores recipiant. Vult igitur Dominus stipem solis iustis erogari? Respondeo: Ambrosius hic amicorum nomine intelligit Angelos, quos amicos facimus, cùm Christi nomine illis benefacimus. At Hieronymus aduersus Vigilantium, & Augustinus sermone trigesimoquinto de verbis Domini, intelligunt pauperes; præcipere verò Dominum, vt præcipuè sanctis, & voluntarijs pauperibus eleemosynam faciamus, qui possunt orare, & impetrare, & futuri sunt olim iudices. Cæterùm licèt hæc ita sint, peccatoribus tamen etiam ob Deum cùm egent bonum est largiri. Neq; tunc eleemosyna illa erit inanis, iuxta illud Ecclesiast. 29. 15. *conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te orabit.*

6. Quomodo vtiliter danda.

Iam verò modum inuestigemus, quo eleemosyna vtiliter facienda præscribitur. Omninò tria potissimum spectare debet is, qui eleemosynam erogando alijs benefacit. Alterum est, non tam pauperi, vel egenti, quam Deo eleemosynam dari. Quod enim menti primũ occurrere debet ipse Deus est, propter quẽ fit eleemosyna indigenti. Verissimum est .n. illud Matt. 10. *qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit. qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; & qui recipit iustũ in nomine iusti: mercedem iusti accipiet; & quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli; amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Igitur Christi nomen in eleemosyna contribuenda spectandum in primis est, quod tibi pauper loco pignoris dat, cùm tu illi stipem emendicanti largiris. Quarè cum tempus aduenerit mortis, vel iudicij, tunc & aduenict Christus veluti repetiturus à te ac redempturus nomen suum, quod tibi in vita hac mortali oppignoratum fuerat. Cùm verò melius sit nomen bonum, quæ diuitiæ multæ Prouerbior. 22. quantis te tunc ditabit bonis pro tanti, id est, sui redemptione nominis? Hoc primum si in dandis eleemosynis seruaueris, haud dubium, quin præceptum illud Christi sis quoque seruaturus Mat. 6. 2. *cùm facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ.* Et iterum v. 3. *Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua, quid faciat dextera.* Augustt. tract. 6. in ep. Io. per sinistram intelligit intentionẽ operandi ob honorẽ tẽporalẽ, p dexterã, intẽtionẽ vitæ ẽternę q. d. Christus, cũ facis eleemosynam, caue ne intentio fauoris, honorisúe humani se misceat intentioni vitæ æternæ. Qui igitur nomen Domini spectat in eleemosynis erogandis, non hominibus placere curabit: nec auram popularem captabit, sed Deum sibi ponet sapienter ob oculos.

7. Quid cogitãdum ei qui dat eleemosynam.

Alterum verò quod spectare debet eleemosynæ largitor, est, debere maiora se petere à Deo, qui in paupere stipem impertitur. Sit igitur memor eorum verborum, quæ Sapiens Prouerb. 21. scripsit: *qui obturat aurem suam ad clamorẽ pauperis, & ipse clamabit, & nõ exaudietur.*

A Verissima est illa omnium sapientium vox: quo se quisque modo cum paupere gerit, eodẽ se Deum cum illo exhibiturum fore, si largè, ac munificè te exhibueris, largum, & planè munificum inuenies Deum; si asperè te gesseris si misere, si crudeliter, si contumeliosè, talem erga te Deum deprehendes. Denique *qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Videbis certissimum hoc esse, si quod responsum est fatuis virginibus attenderis: *nescio vos.* Quamobrem? non ab aliud nisi quod misericordiæ oleo destitutæ essent. si quoque perspexeris quod diuiti illi epuloni dictum est, nàe tu idem affirmaueris: cùm enim se minus quam par erat, benignè, cum Lazaro gereret, imò & crudeliter etiam, cùm vel micas poscenti negarit, dictum
B est illi: *recepisti bona in vita tua*; & nec vel guttam aquæ, quamuis summis contenderit precibus, obtinere valuit. sub extremum iudicij diem multi dicent Christo iudici: *Domine nonne in nomine tuo Prophetauimus, signa multa fecimus,* &c. sed æquissimus iudex aures suas his clamoribus obturabit. Quamobrem? quia *infirmus*, inquit, *eram, & non visitastis me*, & quæ sequuntur cætera. Vides ne pluris eleemosynam fieri, quã signa & miracula? Beati igitur misericordes, quoniam misericordiam consequentur.

Tertium quoque illud spectandum est à munifico eleemosynæ largitore, vt largus sit, non parcus. Sed dices: quæ dicitur magna seu parua, quæ larga seu parca eleemosyna. Breuiter Respondeo tribus modis magnam vocant scripturæ interpretes; vel ob piæ voluntatis
C promptitudinem, quanto enim hæc amplior est, eo amplior erit misericordia. Hoc videre èst in vidua Luc. 21. quia cùm illa dederit totum victum suum, procul dubio magna oportuit promptitudine & hilaritate dedisse, paratam multo plura dare si habuisset. Vel secundo habita personæ ratione, cùm scilicet cæteris paribus eleemosyna illa, quæ à iustiore tribuitur charior multo & gratior sit Deo, ac suo modo maior.

8 Eleemosynarum sit largus.

Hinc est quod Genes. quarto legimus respexisse Deum, primùm quidem ad Abel, deindè verò ad munera, quarè igne de cœlis demisso, oblationem Abelis absumpsit, Caini intactam reliquit. Et licèt Lutherus, & Caluinus hæreticorum vertices, pro sua impudentia hoc vocent fabulas Iudaicas, est tamen orthodoxorum Patrum communis sententia. Porrò hac
D prærogatiua, inquit Mart. Delrio c. 4. Gene. n. 22. Deus vsus erga Abelem fuit, quia maiore fide quam Cain obtulit; sic D. Amb. l. 2. de Cain, & Abel. cap. 7. quia cum cordis simplicitate, & metu Dei obtulit; sic Tertul. l. 2. con. Marcio. c. 22. quia cum sincera in Deum, & proximum charitate item obtulit, cum contra Cain zelum & malitiam contra fratrem foueret; sic Irenæ. libro quarto, cap. trigesimoquarto. Quia præstantiora liberaliore animo protulit; sic Iosephus l. 1. antiquit. c. 3. & Chrysost. in hunc loc. Gen. hom. 8.

9. Abelis munus Deus respexit Caini verò non, & cur.

Postremò magna dicetur eleemosyna, vel larga, si rem datam respexerimus, cùm videlicet id quod in pauperem confertur per se spectatum, magnum quid, multumúe est.

cùm

10. Cùm ergò hæc tria quædam sint, quibus eleemosyna, maior, & liberalior dici queat; inter hæc tamen promptitudo primum locum habet. secundò vero spectatur persona. tertiò loco habetur res. Etenim *hilarem datorem diligit Deus* in primis. Et hæc de modo eleemosynam vtiliter conferendi. reliquum est, vt strictim, summatimve eius vtilitates, ac emolumenta aliquot notemus. quod sequenti Digressione fiet.

DIGRESSIO III.
MORALIS.

Quam fructuosa sit Eleëmosyna?

1. *Eleemosynæ vtilitas.* PRIMA quæ sese offert vtilitas, maxima illa quidem, est, quod peccata aufert, quod quomodo fiat, non ita facilè est explicare. Dicam tamen paucis. vel enim qui largitur eleemosynam est iustus, vel non est. si primum dixerimus, tunc eleemosyna culpam mortalem non tollit, quippè abest: valebit tamen ad reliquias priorum peccatorum radicitus euellendas, vel ad expianda peccata venialia; vel ad pœnam persoluendam peccatis debitam, quæ pœna etiam peccatum interdum dicitur in Scripturis. Confert item eadem eleemosyna ad præcauenda imminentia peccata: hunc enim munificum, ac liberalem eleemosynæ largitorem, singulariter tuetur Deus, & peccandi occasiones aufert, vel certè animum munit aduersus eas. hæc de iusto. Si verò iniustus est is, qui eleemosynam tribuit, si quidem illum vitæ præteritæ pœnitet, eamque emendare desiderat, & crebris propterea eleemosynis placatum sibi Deum facere quærit, eleemosyna conducet plurimum ad remissionem peccati: non quod eam ipsa efficiat: solus enim Deus eam efficit momento temporis, quo gratiam infundit pœnitēti; sed quod ad eam remissionem accipiendam, & gratiam animum hominis præparet eumque reddat idoneum, & quodammodo dignum, cui Deus illud beneficium præstet. Idque facit, & impetrando, & disponendo ad iustitiam, sed disponit eum iustitia. Non ergò sibi blandiatur quis de eleemosyna, volens in peccato esse. lege August. in Enchirid. ad Laurent. c. 75. 76. 77. quod & Paul. docuit, dum sic dixit: *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.*

2. Quid igitur sibi vult Dominus Luc. 11. 41. *date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Augustin. explicat etiam comprehendendo eleemosynam, quam sibi quispiam facit: vult enim vt incipiamus à nobis, & in primis misereamur nostri. vel secundùm Theophyl. & Max. ser. 1. de eleemosyna; id dicit Christus Pharisæis auaris, vt medicus videns repletionem esse morbi radicem, iubet ægroto, vt inediam adhibeat & sanus erit, quia hac radice sublata cæteri morbi cadent. Sic Christus Dominꝰ hic loquitur: dicitur verò eleemosyna esse vt baptismus à Cypriano serm. de eleemosyna, & Ambros. serm. 31. quia cum pœnitentia coniuncta tollit culpam, & pœnam, idque non semel tantum; quod secundum non habet baptismus, qui semel tantum conferri potest.

Altera est vtilitas huic affinis: etenim illud est eleemosynæ maximè proprium, vt iustè iratum Deum propitium, ac beneuolum reddat, Prouer. 21. 14. *munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam*, quibus maximè ea commendatur eleemosyna, quæ ingenuis quidem, & verecundis, sed pauperibus fit. Hi enim etsi non corpore mendicent, neque ore poscant ob verecundiā; poscunt tamen silentio, poscunt necessitate. In horum igitur corde, ac sinu, veluti clàm, abscondendam monet eleemosynam sapiens. nisi malis dicere commendari hic à sapiente eam eleemosynam, quæ fit nullo quæsito hominū fauore, nulla honoris ambitione; Denique citra omnem ostentationē, vt hoc sit idem quod illud: *nesciat sinistra tua, quid faciat dextera.* Imitare, quæso te, Iacob, qui, vt est Gen. 32. vt Esau placatum sibi redderet, munera præmisit antequam ipse per se illum adiret: & hac arte ita illum sibi alioqui infestum, & iratum placauit, ac deuinxit, vt odiū in amorem verteret: *Placabo*, inquit Iacob, *illum muneribus, quæ præcedunt, & postea videbo illum. forsitan propitiabitur mihi.* dum igitur viuis, tu quoque, si sapis, tuas effunde opes, præmitte in cælum munera benefaciendo pauperibus, quibus Deum tibi propitium reddas, antequam illum videas vita excedens. Deponet ille odium, iustamq; indignationem contra te conceptam, statim ac munera à te pio placandi studio præmissa, viderit.

3. *Eleemosyna proprium Deum placare.*

4. *Bona etiam temporalia augere.* Est tertius fructus, & ille minimè contemnendus, multiplicatio, videlicet, non spiritualium tantum bonorum, sed etiam temporalium augmentum: vt proinde rectè conferatur semini. vt enim qui semen in terram proijcit, non statim iactæ sementis fructum percipit, sed tempore messis: ita quoque eleemosyna in morem seminis iacta in sinum, manusque pauperum, non statim, sed verno, hoc est, gloriæ, ac beatitudinis tempore fructum reddit optatissimum. Proindè Chrysost. homil. 13. ad populum, eleemosynam artem vocat omniū artium quæstuosissimam. Et Chrysost. ser. 8. id ipsum singillatim magis explicans, sic scribit: thesaurus cæli est manus pauperis, est gazophylaciū Christi: da pauperi terram, vt accipias cælum; da nummum, vt accipias regnū; da micam, vt accipias totum; da pauperi, vt des tibi. quia quidquid pauperi dederis, tu habebis; quod pauperi non dederis habebit alter, &c. lege Chrysost. hom. 50. in Matth. & Basil. hom. in diuites auaros.

5. Iob. 28. testatur de Deo quod aquas appendat in mensura. rectè Basil. in oration. ad diuites comparat diuitias aquis puteorū quæ haustæ frequenter, meliores sunt, secus putrescūt. Diuina etiam scriptura eleemosynam cum eadem aqua comparat Eccles. 3. *ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Si ergò eleemosyna aqua est, siue diuitiæ ipsæ, quæ pauperibus dantur: rectè dictum est à Iobo, Deum aquas (has scilicet) appendere in mensura. Nihil igitur erit, ex his quæ in pau-

peres

peres conferuntur quòd sua mercede priuetur: exactè enim pendet Deus, ac mensura omnia, quæ pauperibus tribuuntur.

6. *Et mortuum non relinquere.*

Postremus fructus est ille, quem explicat Ambrosius, dum ait: sola misericordia comes est defunctorum. Omnes morimur, & soli ac nudi, siue Monarcha, siue Reges, siue alij simus, Dei conspectui repræsentandi, iudicandiq; sumus. serui quidem, cùm moriendi tempus aduenerit, item amici, affines, cognati deducent fœtidum tuum illud cadauer ad sepulturam, ibi eo relicto, abibunt, solùm ingredietur sepulchrum, solùm terræ mandabitur, nec de te fortè ampliùs erit vlla cogitatio. solus Deo rationem redditurus es pro te. Hoc insinuat præclarè Iob cap. 38. cùm Deum mari præcepisse testatur, his verbis: *huc vsque venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Ita Deus præcepisse meritò dici potest omnibus diuitijs, voluptatibus, dignitatibus, honoribus, amicorum cateruis, & pŏpis; huc vsq; venietis, nimirùm ad sepulcrũ vsq; possessores vestros atq; amatores deducite, vlteriùs ne progrediamini, solus ipse accedat ratione redditurus, quicumq; ille est, qui hinc abit. Quid igitur facturus es miser? vnum tibi reliquum est solatium, vnum perfugium relinquitur; Misericordia, fac tibi amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceris, recipiant te in æterna tabernacula.

Sententiam quandam Augustini de ciuitate Dei lib. 21. c. 27. de eleemosynæ effectu, intellectu difficilem explicat Perer. lib. 5. in illa Daniel. verba: *Quamobrem consilium meum placeat tibi Rex, &c.* sub finem pag. 177. illum consule.

CAPVT XX.

NAVIS IN MEDIO MARI.

A. 14. 22. B. 6. 45. D. 6. 15.

1. D. IESVS *ergò cùm cognouisset quia venturi essent, vt raperent eũ, & facerent eum regem.*

2 A. *Statim compulit discipulos suos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum* B. *ad Bethsaida.* A. *donec dimitteret turbas.*

A. *Et dimissa turba ascẽdit in mõtem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi.* B. *Et cùm serò esset erat nauis in medio mari, & ipse solus in terra. Idem tempus videtur sequentibus*

3. *Et dimissa turba,* D. *fugit iterum in montem ipse solus.* A. *orare.*

4. D. *Vt autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare.*

5. *Et cùm ascendissent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum, & tenebræ iam factæ erant, & non venerat ad eos Iesus.*

6. A. *(ergò) vespere facto.* B. *Et cùm serò esset, erat nauis in medio mari, & ipse solus.* A. *ibi.* B *in terra.*

A 7. D. *Mare autem vento magno flante exsurgebat.* A. *nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.*

8. B. *Et videns eos (Iesus) laborantes in remigando, & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos, ambulans supra mare.*

9. D. *Cùm remigassent ergò quasi stadia vigintiquinque, aut triginta, vidēt Iesum ambulantem supra mare, & proximum naui fieri.* B. *& volebat præterire eos.* D. *& timuerunt.* A. *dicentes.*

B 10. *Quia phantasma est, & præ timore clamauerunt.* B. *omnes enim viderunt eum, & conturbati sunt.*

11. D. *Ille autem.* B. *statim,* D. *dicit eis:* A. *habete fiduciam.* D. *ego sum, nolite timere.*

12. A. *Respondens autem Petrus dixit: Domine si tu es, iube me ad te venire super aquas.*

13. *At ipse ait: veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum.*

14. *Videns verò ventum validum, timuit; & cùm cœpisset mergi, clamauit, dicens: Domine saluum me fac.*

C 15. *Et continuò Iesus extendens manum apprehendit eum, & ait illi: modicæ fidei, quare dubitasti?*

16. D. *Voluerunt ergò accipere eum in naui.* A. *& cùm ascendisset in nauiculam cessauit ventus.*

17. B. *Et plus magis intra se stupebant: non enim intellexerant de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.* D. *Et statim nauis fuit ad terrā, in quam ibant.*

18. A. *Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum, dicentes: verè filius Dei es.*

Verbũ significari ab his tribus Euangelistis: A. Vespere aũ facto. D. & cùm serò esset; B. Et tenebræ iam factæ erant.

SCHOLIA.

D 1. D. CVM *cognouisset*] quamuis dicere possimus signo aliquo, vel ex eorum verbis id eum cognouisse; longè tamen credibilius est præueniisse etiam ipsum cogitationes eorum; ita vt antequam id decernerent, præcognouerit eorum decreta, & cogitationes, quæ futuræ erant, antequam essent. ergò non modò præcognouit eos redituros, vt facerent regẽ. quod ideò affirmo, quia alioquin. i. si tale quid iam conceperant, non abiissent nisi post acclamatum Regem. Itaque *cùm cognouisset, quia venturi essent*, id est, fore, vt decernerẽt inter se, & venirent, *vt regẽ facerent*, si expectaret, & si eos blandè præsertim acciperet redeuntes. aufugit. i. secessit. vide Euthy. *Vt raperent*] etiam inuitum cogerent, & acclamarent, ac declararent regem. Vide cap. 21. nu. . . v. 4. 1.

2. A. *Compulit*] Theophyl. in Marc. c. 6. *nolebant*, inquit, *discipuli à Christo diuelli, sed vi separabantur, partim ob amorem erga illum; partim quod* 2.

dubitarent quonam modo ad ipsos rediret, cùm abesset nauis. Hinc non videtur credibile discipulos non statim inscendisse nauim, sed exspectasse in littore, antequã oluerent cùm Christus coegisset, vel cõpulisse dicatur illos, vt irent trãs fretum. vide item in hunc locum Ansel. in Euang. quædam.

3. *Fugit*] Secesit dimissa prius turba, etiam velocioris gressu, tanquam fugiens inquit Tolet. vt doceret nos honores velociter fugere, & ad montem diuinæ contẽplationis contendere; sed ne tumultus etiã aliquis, vel secessio contra Romanos fieret, & verbi prædicatio impediretur. *Iterum*] Nam subierat, antequã satiaret turbam, in montem, vt habet Ioan. vbi ergò descẽdit, & pauit turbas ac dimisit, iterum ascendit; hoc aũt fecisse videtur duas ob caussas, & orandi studio; & vt secedens statim dimissa turba, omnem à se affectati regni depelleret suspicionem, & calumniam.

Solus] non discipulos voluit secum habere, ne aliquam regni specie discipulis cinctus præseferret, atq; adeò omnẽ affectationem eius rei à se remoueret, & nullus calumniæ locus relinqueretur. His accedit, quod id ad se occultandum magis faciebat. Denique propterea etiam puto dimisisse discipulos, vt animaduerterent turbæ, atque intelligerent non ibi fore mansurum, atque adeò nec redirẽt. illud ad mores facit, quod Theophy. Marc. 6. notat: *Dimissis turbis ascendit in montem vt oraret seorsum. quiete, & tranquillitate opus habent preces.*

4. Putat Mald. Ioan. 6. 15. etiam se inuisibilem reddidisse, atque ita ab eorum, qui aderant oculis euanuisse, vt nescirent prorsus, qua, quoue se contulisset, & ita sequi desinerent. quæ adnotatio quomodo stet cum eo, quòd dicunt Matt. & Marc. dimissa turba abijsse in montem solum, non video. si enim dimissa turba erat, quorsum attinebat se inuisibilem facere? fugit ergò solus, dum se repentè turba dimissa liberauit ex eo loco; & de illorum manibus, solus abiens in montem.

5. *Christus quomodo rex.* Obserua quod Christus erat quidem rex & Dominus, non modo omnium hominum, sed & rerũ quatenus Deus. At isti voluissent facere sibi eum proprium regem, non quidem vt Deum, sed vt hominem: deindè quamuis vt homo rex adhuc esset, nimirum spiritualis, vt illa significant: *regnum meum, non est de hoc mundo*: ijdem tamen isti temporalem regem creassent, si permisisset Christus. Denique regnum spirituale Christi nondum omninò aduenerat; aduenit porrò cum positi fuerint inimici eius, scabellum pedum ipsius. ergò illi præuenissent regnandi tempus, si regem nominassent, & ob hæc omnia etiã meritò fugit Christus.

6. 4. *Vt autem serò factum est descenderunt*] videtur hoc dictum à Ioã. per recapitulationem: prius enim descenderant discipuli, quàm Christus montẽm ascenderet. Augustin. 2. de consen. Euangel. c. 47. Tacet autẽ Ioan. quod alij dixerunt Euangel. compulisse illos Dominum nauim ascendere, quod arbitror factum cum inciperet iam esse serò, id est; noctis crepusculum, tunc enim à Domino nondum conscenso monte dimissi fuerant, (quod Ioan. etiam hic ver. 4. significat, licèt sit recapitulatione vsus) & sunt ingressi nauim. quòd autem (vt hic habes v. 5. 6.) Marc. dicit *serò*, & Matth. *vespere autem facto*, videtur significare tempus nocturnũ post solis occasum per duas treue circiter horas, cùm essent tenebræ vt ait Ioan. saltem aliquanto tardius; quam esset tempus illud, quod Ioan. *serò* prius vocauerat hic v. 4. & adhuc longè tardius quam vespera illa Matth. cap. præcedenti, v. 7. quam explicarat Marc. his verbis: *& hora multa fieret*, vt nos ibi ad marginẽ eiusdem v. 7. posuimus cum textu; erat enim hoc tempus antè occasum, & post meridiem, sed cum sol vergeret ad occasum, vel præcipitaret.

Cæterùm ex Matth. colligere possumus duplicitem vesperæ significationem; significat enim extremã diei partem per tres circiter horas ante solis occasum, & tempus post solis occasum præsertim crepusculum noctis per vnam, duas, treue circiter horas noctis. sic enim habet Matt. c. 14. v. 15. & 23. *vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli eius dicentes*: desertus locus est, & hora iam præterijt, dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi escas. Et mox narrato miraculo multiplicationis quinque panum, & duorum piscium, quibus quinque millia hominum satiata sunt, subdit Euangel. *& dimissa turba ascendit Iesus in montem solus orare; vespere autem facto solus erat ibi.* Ecce tibi eodem in die bis Matt. nominat *vespere*, vnũ prius, alterum posterius. Priori quidem significans tempus ante solis occasum, quo facta est manducatio, & dimissio quinq; milliũ hominum; de quo Lucas c. 9. ait, quod dies tunc cœperat declinare, & Marc. cap. 6. quod iam hora multa fieret. Posteriori vespere denotauit tempus post occasum solis nocturnum; de quo Marc. dixit; *& cùm serò esset*. & Ioan. *& tenebræ iam factæ erant*. Quæ omnia habentur hic, tum cap. superiori ver. 7. & hoc cap. 10. ver. 5. 6. Et hæc obseruatio notanda est diligenter, quia multum facit ad definiendam controuersiam de Pascha te, seu de immolatione, atque esu agni.

7. *Duplex vesperæ significatio.*

8. 5. *In Capharnaum*] Marcus habet *ad Bethsaidã*, vt habes hic vers. 2. nam verè Capharnaum cogitabant, quo quidem venerunt, sed postea cum Christo Dominus autem iusserat, vt cum Bethsaidã esset in via, illic expectarent eum: quod tamen postea facta tempestate, ex Christo circa noctem viso secus factum fuit, statim enim Capharnaum appulerunt, quo verè cogitabant, tanquam ad vltimum, & destinatum terminum. Quod si non placet, dic, quòd cum Ioan. hic dicit: *venerunt in Capharnaum*, nõ significat, quod eo appulerint, sed q eo versus nauigarent, ac proindè versus Bethsaida: erat enim in eadem via: & sic vtrumq; verissimum est: licèt postea Capharnaum appulerint ingresso in nauim Christo.

9. 6. *Solus in terra*] Videtur aliquibus Dominus descendisse de monte ad littus, & vidisse eos laborantes in mari, sed ad tempus voluisse illos iactari, vt deindè eius ope liberati, discerẽt in eo sperare. Sed non videtur id esse verum: nam Matt. quem solet sequi Marc. tantum dicit: quod solus erat ibi, id est, in monte, in quem ascendisse dixerat, vt habes hic ver. 3. ad marg. hoc ergò est esse in terra, quod non in cymba, vel mari.

10. *Deus fidelis noster custos.* Non relinquit Dominus suos in medijs tentationibus, sed aspicit, iuuat, quamuis relinquere videatur. Permittit quidem ille, vel etiã vult nos iactari, ad virtutũ, & gloriæ augmentũ, verum semper præstò adest. Custodit ille nos, neque dormitans, neq; dormiens: est enim protectio nostra super manum dexteram nostram, hoc est, quasi ad latus nobis est, vt protegat Psal. 120. Hoc certè quod iactari permisi sint sine Christo discipuli benè cessit illis, magis enim dilexerũt illum vbi experti sunt quã malè illis cesserit, quod sine Christo aliquando fuerint.

7. *Iactabatur*] Rectè ait Hieron. quasi inuiti, & & retractantes Apostoli à Domino recesserant, ne illo absente naufragia sustinerent.

8. *Et videns*] de monte. *Circa quartam vigiliam noctis*] Nox in quatuor partes militari vsu distributa est. hæ partes vigiliæ quatuor appellantur, quod quater vigiles, vel excubiæ mutarentur alijque alijs succederent. sanè tres horas vigilia quęq; continebat. hinc Hieron. hic, *Stationes*, inquit, &

Digitized by Google

vigilia militares in terna horarum ſpatia diuiduntur, quando ergo dicit: quarta vigilia noctis veniſſe ad eum dominum: oſtendit tota nocte periclitatos, & extremo noctis, atq; in conſummatione mundi eis auxilium præbiturum. ergò quarta, id eſt, extrema noctis vigilia propè matutinum tempus venit ad diſcipulos Chriſtus ſupra mare ingrediens. *& tandiu,* ait idem Hierony. *imminens naufragium perſeuerat, quamdiu Ieſus veniat.*

9. *Stadia*] Eſt octaua miliarij pars. Itaq; emenſi fuerant pluſquam dimidiam lacus partem, ſi latitudinem ſpectes. Erat enim latus ſecundùm Ioſe. ſtadijs 40. longus 100. vide quæ ſuperiùs diximus in Schol. nu. 1.

B *Et volebat præterire eos*] Auguſt. lib. 2. conſen. c. 47. ait: *hoc quomodo intelligere potuerunt, niſi quia in diuerſum ibat, eos volens tanquam alienos præterire, à quibus ita non agnoſcebatur, vt phantaſma putaretur.* Itaq; & iactatione tempeſtatis, & ſpectri ſimulatione, vel exiſtimatione permiſit Chriſtus Apoſtolos in metum incidere, vt tanto magis eorum fidem tentaret, & fiduciam doceret, & clamorem eliceret, cui ſubueniret.

II. A. *Habete fiduciam*] noluit Dominus ſtatim tempeſtatem coërcere, vt illi in eo ſperarent, nec quicquam timerent præſente illo, qui poterat liberare, ideò, vt fidant in eo, petit. Porrò hęc verba: *nolite timere,* videntur effectiua fuiſſe, id eſt, diſpuliſſe timorem.

Ambulatio ſuper mare quatuor modis fieri poteſt.

Benedictus Pere. obſeruat Chriſti ambulationem ſupra mare, quatuor potuiſſe fieri modis. *Primò, vt ipſe corpori ſuo & Petri impertiret vim quandàm ſimilem eius, quam habebunt poſt reſurrectionẽ glorificata hominum corpora propter dotem agilitatis. Deindè vt ſumma illius maris aquæ per diuinam virtutem ita ſolidarentur, & durarentur, vt humana veſtigia ſuſtinere poſſent: ad eum nempè modũ, quo per aquas gelu conſtrictas, & concretas, non ſolum homines: ſed etiam equi, & currus tranſire poſſunt. Verùm ſi ita illud factum eſſet, non vtique Petrus cœpiſſet mergi, timens ventum validum. Ad hæc vt Chriſtus ſuſpenderet actum grauitatis in ſuo, & Petri corpore; id autem eſt ne corpus ſua grauitate vrgeret, & premeret aquas deorſum, quemadmodum vrendi actũ in illo Babylonico igne ſuſpendit, ne tres illos iuuenes in ardentem fornacem coniectos læderet. Poſtremò, vt corpus portaretur ſuper aquas; ſicut Dæmon tulit Chriſtum per aërem ſupra pinnaculũ templi, & montem excelſum: & Angelus tulit Habacuc ex Iudæa vſque Babylonem.* ſic Perer.

12. *Petri fides.*

12. *Situes*] Non dubitabat Petrus de fide, ſed de facto. Credebat quidem Chriſtum efficere potuiſſe, vt ipſe ſuper aquas ambularet: verùm an Chriſtus eſſet qui loqueretur, hoc plenius auebat agnoſcere: volebat ergò probare an ſpiritus à Deo eſſet. Cùm verò poſteà ſubdit Matth. vt hic habes, ver. 13. *& deſcendens Petrus de nauicula,* &c. ſatis conſtat Petrum iam omninò credidiſſe illum eſſe Chriſtum qui præcipiebat, ſcil. illuminauerat ille eius mentem, & intellectum. Neque verò vlla vſus eſt arrogantia. Alioqui ſi in aliquo aberraſſet à Chriſto reprehenſus fuiſſet. hæc contra impios Caluinianos pro ſua in ſanctos, ſi Deo placet, obſeruantia Petrum criminantes.

Iube me] volebat ſtatim Chriſto coniungi. Hierony. in omnibus, inquit, locis ardentiſſimæ fidei inuenitur Petrus: eodem fidei ardore quo ſemper, nunc quoque cæteris tacentibus, credit ſe poſſe facere per voluntatem magiſtri, quod ille poterat per naturam.

13. *Veni*] lege 1. de conſideratione Bernardum.

13.

14. *Timuit*] Permiſit id Chriſtus ex maximo ſer. 1. de Apoſt. vt fragilitas humana cognoſceretur. ex Theophyl. ne ſuperbiret. ex Hierony. vt augeretur fides, & intelligeret interea Petrus, ſe Dei virtute conſeruatum, non facilitate poſtulationis.

Cæterùm non dubitauit Petrus de Chriſti potentia, ſed num eſſet liberandus illo periculo, Chriſto videlicet permittente. 14.

Vide, quod cum in Chriſtum intendit Petrus oculos, eumq; reſpexit, non dubitauit tumentibus vndis committere ſe: verum cùm à Chriſto auertit oculos, & in validũ, furibundumq; ventum illos coniecit, cõfeſtim timuit. Diſce Lector in medijs tentationum fluctibus Chriſtum intueri, ab eò nuſquã oculos deflectere, in eo ſpem figere, opemque implorare. Auguſt. item de ver. Dom. ſub finẽ ſerm. 14. ſic ait: *in Petro communis omnium noſtrum conditio eſt, vt ſi nos in aliquo tentationum ventis conatur ſubuertere, vel vnda ſubmergere, clamemus ad Chriſtum. quid eſt clamemus? oremus. Porriget ille manum, & eruet de profundo. etenim manus eius deducet nos, & continebit nos dextera eius, donec nos ad ſempiterna ſua promiſſa perducat.* Sic ille. 15.

Intentatiõnibus Chriſtum intuendũ.

15. *Modicæ fidei*] qua de re dubitarit Petrus dixi num. 14.

16. D. *Voluerunt ergo accipere eum*] id eſt, cupidè eum acceperunt, cum iam cognouiſſent Ieſum eſſe, quem prius tanquam phantaſma auerſabantur, neſcientes ipſum eſſe.

17. B. *Et plus magis intra ſe ſtupebant*] Gr. λίαν ἐκ περισσοῦ valdè ex abundanti, vel valdè ſupra modũ.

Non enim intellexerant de panibus] ratio cur ita mirarentur, & cur non aduerterint ipſum potuiſſe eſſe, qui ſupra mare ingrederetur, erat, quia non intellexerant, id eſt, meminerant, aut potius non aduerterant de panibus, id eſt, Chriſti potentiam in panum multiplicatione oſtẽſam. ſi enim meminiſſent, ac aduertiſſẽt, ſeu cogitaſſent eius ibi oſtẽſam potentiam non perfunctoriè; tantoperè non admirati fuiſſent, quod ambularet ſuper aquas, & quod caderet vẽtus eo præſente. Redditq; Marc. rationem cur ex miraculo quinque panum nõ cogitauerint Chriſtum ſupra mare potuiſſe ingredi; quia, inquit, *cor eorum, erat excœcatum, ad conſiderandam,* ſcil. Chriſti potentiam ex miraculò multiplicationis panum. Gr. quod nos habemus, *erat enim cor eorum excœcatum,* eſt ἦν γὰρ ἡ καρδία αὐτῶν πεπωρωμένη, id eſt, erat cor veluti callo obduratũ. i. tempeſtatis metu, & ſtupore erat obcœcatũ ad perpendendam à Chriſto oſtenſam potentiam, & quæ ex alijs ſignis ſe ſatis oſtenderat, diuinitatem. Cæterùm hæc Marci verba in bonam partem oportet interpretari, non enim ſignificat Apoſtolos non intellexiſſe miraculum paulò antè factum, quod vel ipſæ rudes turbæ intellexerant, ſed adeò fuiſſe attonitos, & ſtupefactos, vt nõ potuerint cogitare eum, qui paullò antè panes multiplicauerat incedere ſupra mare potuiſſe, vt ſolet ſubitus horror, aut erigere, aut impedire rationem.

18. *Qui autem in nauicula erant*] Intelligo hæc de nautis, & vectoribus dici cum Hierony. ſed extendi etiam ad Apoſtolos nõ dubito. Veroſimile quidem turbã vocaſſe Dei filium. i. Meſsiam. Sed credibile quoque eſt Apoſtolos vt natura etiam Dei filium adoraſſe, & compellaſſe, hanc nouam nacti occaſionem: neq; enim ipſi minus præſtare, quam nautæ, debebant.

Obſerua quatuor à Chriſto miracula facta eſſe hic. Primum quod ambulauerit Chriſtus ſupra mare. Alterum quod Petrus iuſſu Chriſti, & ipſe ſupra mare ingredi cœperit, ſimulque vt clarè conſtaret Chriſti id virtute factitatum eſſe, dum mergi inciperet Chriſti manu ſuffultus, & liberatus eſt. Tertium quod nauigio Chriſto excepto ceſſarit illicò ventus, reſederint vndæ, & tranquillitas magna conſequuta fuerit. Poſtremum, quod temporis momento longo cõfecto itineris ſpatio ad terram

16. *Quatuor Chriſti miracula hoc loco.*

nauis appulerit, & qui erant in naui accesserunt, & Christum adorauerunt, & hoc eodem ordine hæc gesta fuêre.

17. Chrysost. existimat aliud esse miraculum Ioan. ab eo quod narrant reliqui duo, sic habet hom. 42. Ioan. 6. Ratio præcipua est; nam Ioannes ait: *voluerunt ergo eum accipere in nauim, & statim nauis fuit ad terram, ad quam ibant*; quibus significare videtur, non esse Christum intra nauim receptũ, quod repugnat Matthæo & Marco. verùm certior est esse Augu. sententia 2. de consen. c. 47. eandè prorsus historiam. Ad rationem Chrysost. Respon. Iansen. Ioan. non negare Christum in nauim ascendisse. sed tantum scripsisse: *voluerunt eum accipere in nauim* (sicut & verè acceperunt) vt significaret Apostolos cum adhuc longè essent à terra voluisse illum admittere intra nauim, & admisisse, vt consueto more cum illis nauigaret, vsq; quo perueniret ad terram, verum non fuisse opus, vt more solito ad terram nauigando peruenirẽt; sed nouo quodam miraculo nauis ad terram statim appulit, ad quam ibant. in hoc Euang. habet August. duos sermones de ver. Dom. ser. 13. & 14.

18. Illud ergò hic dicere non omittam, quod tribulationum tempestatem libẽter vt feramus, magno emolumẽto esse potest, & animum laborantis in remigando mirificè recreat, atq; confirmat. adesse nimirum Deum præsentem tribulato, neq; vnquam deserere Psal. 60. 16. *cum ipso sum in tribulatione*, inquit Deus, per Dauid. & Sap. 10. 13. de eodem ipso Deo dicitur: *descenditq; cum illo in foueã, & in vinculis non dereliquit eum.* quibus significatur, quod in eadem quodammodo vincula etiam manus, etiã pedes immittat Deus, quibus constringuntur eius amore pij. Daniel. quoq; 3. 92. hoc ipsum facto ipso, atque opere ostenditur. Tribus namq; pueris socium in fornace se adiunxit Deus. in ardentis item rubi medio se constituit, qui rubus populi Israelitici laborem in Aegypto repræsentabat. 2. Reg. 7. 23. enumerans Dauid Dei beneficia in populum collata, dicit: *quem redemisti tibi ex AEgypto gentem, & Deum eius*, id est, non solum vulgus, sed & primores, & iudices. Sed vt habet Vatablus, sic exponunt quidam hunc locum: *gentem & Deum eius*, id est, teipsum, quod scilicet videaris affligi, cum tui affliguntur. Itaque videtur ipsemet Deus redemptus de AEgypto quodammodo, dum populus est redemptus. Clariùs hoc dicitur Isaiæ quadragesimotertio, ver. vigesimoquarto, *seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Itaque loquitur, ac si ipse seruiret populo seruiente, & laboraret eodem laborante. Hoc est, quod nunc sua quoque præsentia, qua laborantibus discipulis præstò adfuit, significat Christus eos mirificè post mœrorem, & tristitiam sua præsentia solatus, & post tempestatem tranquillum faciens. verùm hæc obiter.

(·.·)

A

CAPVT XXI.

PANIS DE CAELO.

A. 14. 34. B. 6. 53. D. 6. 22.

1. D. ALtera die turba, quæ stabat trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi, nisi vna, & quia non introisset Iesus cum discipulis suis in mare, sed soli discipuli eius abyssent.

B

2. Aliæ verò superuenerunt naues à Tiberiade iuxta locũ vbi manducauerant panẽ, gratias agente Domino.

G. εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου.

3. Cùm ergò vidisset turba, quia Iesus non esset ibi, neq; discipuli eius, ascenderunt in nauiculas, & venerunt in Capharnaum quærentes Iesum.

4. Et cùm inuenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi quando huc veniſti?

5. Respondit eis Iesus, & dixit: Amen amen dico vobis: quæritis me, non quia videtis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.

C

6. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.

7. Hunc enim Pater signauit Deus.

8. Dixerunt ergò ad eum: quid faciemus, vt operemur opera Dei?

9. Respondit Iesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei, vt credatis eum quem misit ille.

10. Dixerunt ergò ei: Quod ergò tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi? quid operaris?

11. Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cælo dedit eis manducare.

D

12. Dixit ergò eis Iesus: Amen amen dico vobis: non Moyses dedit vobis panem de cælo; sed Pater meus dat vobis Panem de cælo verum.

13. Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.

14. Dixerunt ergò ad eum: Domine semper da nobis panem hunc.

15. Dixit autem eis Iesus: Ego sum Panis vitæ. qui venit ad me non esuriet; & qui credit in me non sitiet vnquam.

16. Sed dixi vobis: quia & vidistis me, & non creditis.

17. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet; & eum, qui venit ad me, non eiiciam foras.

18. Quia descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.
19. Hæc est aũt voluntas eius qui misit me Patris: vt omne quod dedit mihi nõ perdam, ex eo, sed resuscitem illum in nouissimo die.
20. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, vt omnes qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternã, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.
21. Murmurabant ergò Iudæi de illo, quia dixisset: ego sum Panis viuus, qui de cælo descendi.
22. Et dicebant: nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem: quomodo ergò dicit hic, quia de cælo descendi?
23. Respondit ergò Iesus, & dixit eis: nolite murmurare in inuicem.
24. Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. & ego resuscitabo eum in nouissimo die.
25. Est scriptum in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.
26. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem.
27. Amen amen dico vobis: qui credit in me habet vitam æternam.
28. Ego sum Panis vitæ.
29. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt.
30. Hic est Panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur.
31. Ego sum Panis viuus qui de cælo descendi.
32. Si quis manducauerit ex hoc Pane, viuet in æternum, & Panis quem ego dabo, Caro mea est, pro mundi vita.
33. Litigabant ergò Iudæi ad inuicem dicentes: quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum?
34. Dixit ergò eis Iesus: Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.
35. Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.
36. Caro enim mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.
37. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in mè manet, & ego in illo.
38. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.
39. Hic est panis, qui de cælo descendit, non sicut manducauerunt Patres vestri manna, & mortui sunt: qui manducat hunc Panem, viuet in æternum.
40. Hæc dixit in Synagoga docens in Capharnaum.
41. Multi ergò audientes ex discipulis eius, dixerunt: durus est hic sermo, & quis potest eum audire?
42. Sciens autem Iesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: hoc vos scandalizat?
43. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem vbi erat prius?
44. Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt.
45. Sed sunt quidam ex vobis, qui non crẽdunt, sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.
46. Et dicebat: Propterea dixi vobis: quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.
47. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retrò: & iam non cum illo ambulabant.
48. Dixit ergò Iesus ad duodecim: numquid & vos vultis abire?
49. Respondit ergò ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus?
50. Et nos credidimus & cognouimus quia tu es Christus Filius Dei.
51. Respondit eius Iesus: nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus Diabolus est.
52. Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotẽ. hic enim erat traditurus eum, cùm esset vnus ex duodecim.
53. B. Et cùm transfretassent, venerunt in terram Genesareth & applicuerunt.
54. Cumq; egressi essent de naui, continuò cognouerunt eum.
55. A. Et cùm cognouissent eum viri loci illius, miserunt in vniuersam regionem illam.
56. Б. Et percurrentes vniuersam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui se male habebant, circumferre, vbi audiebant eum esse; A. & obtulerunt ei.
57. Et quocunque introibat, in vicos, vel in villas, aut ciuitates, in plateis põnebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent; & quotquot tangebant eum salui fiebant.

SCHOLIA.

1.D. *Altera die*].i. sequenti, Gr. ἐπαύριον, hoc est, postridiè. Compendio sensus horũ trium versuũ est, quod cũ (vt credibile est) nocte illa ibi propè desertum turbæ mãsissent, statim mane.i. die sequẽti rediere, arbitrateq; Christum esse adhuc ibi. quia præcedenti die vna tantũ fuerat ibi nauicula, in quam ingressi sine Christo fuerant discipuli sub noctem. existimabant ergò quod esset ibi, & ideò rediere, sed illum non inuenientes venerunt Capharnaum.

Turba, quæ stabat] Gr. ὁ ὄχλος, quæ steterat pridiè eius diei trans mare.i. in loco, vbi Christus panes multiplicauerat, vnde se subduxerat, & vnde soluerant discipuli. vt notat benè Maldo. licet malè neget, non esse hic sensum imperfectum, sed tantũ significari, quod turba, quæ interfuerat miraculo panũ, aduerterat nullam aliam nauiculam fuisse in deserto illo Bethsaidæ, præter illam, in quam inscenderant discipuli sine Christo. Atque adeò intellexerat Christum nõ potuisse inde naui discedere. in quo mihi videtur melius sentire Euthym. sensum esse in hoc initio imperfectũ: quod sic explico cum Iansenio. qui sic scribit: sciendum in principio huius capitis mancum esse sermonem. Nam cum illũ nondum quiescere fecerit Euangel. vt hic vides v.1. rursus aliundè incœpit, dicens hic ver.3. *cùm ergò vidisset turba*, &c. Est autem forma hæc abbreuiationis. quod verò interseritur vers.2. *Aliæ autem superuenerunt naues à Tiberiade*: interloquutio est, quæ fecit vt sententia præcedente non absoluta, aliundè cogeretur sermonem incipere Euangelista, sic Iansenius.

2. *Aliæ verò superuenernnt naues*] dum superuenisse naues.i. postea venisse à Tiberiade dicuntur, significatur locus ille desertus, fuisse inter Tiberiadem, & Bethsaidam, nõ inter hanc, & Capharnaum: vnde videtur fieri eum locum nõ fuisse verè trans mare. Apparet enim istas nauiculas venisse eo à Tiberiade, vt irent Capharnaum, atque adeò trãsisse per locum miraculi, & præterita Bethsaida appulisse Capharnaum. Et ideò eas ingressi fuisse videtur isti, qui eo venerũt, vt Christũ quærerent: nõ fuisset verò via recta eundi Capharnaũ, si à Tiberiade per vlteriorem ripam eo venissent. Sensus est ergò quod cum esset ibi turba in deserto, quærens Christum, superuenere aliquæ nauiculæ, in quas ascendit turba traiiciens Capharnaum. Quod ideò Ioan. narrat, ne sibi contradicere videatur. Dixerat enim non fuisse ibi nisi nauiculam illam vnam, in quam intraueranr discipuli, & abierant. Hoc enim verum est de præcedenti nocte, vel die intellectum. Non ergò mirum si tãta multitudo potuerit traijcere Capharnaum. Narrantur porrò hæc tam accuratè à Ioan. vt simul ostendat etiã turbam aduertisse Christum sine naui eo appulisse, licet quomodo. i. num terrestri itinere, & quando apulisset, ignorarit.

Gratias agente Domino] Hoc additur vt distinguatur illud prandium, seu cœna à communibus alijs, quasi dicat, postquam gratias egisset Dominus, & sic distribuisset panes, vt Euthym. exponit. Vel potius panes benedicente, vt multiplicarentur: hoc enim videtur omninò significare hic; iuxta locum vbi manducauerant panem gratias agente Domino, quasi dicat, venerunt aliæ naues à Tiberiadæ versus locum illum, vbi miraculum quinque panum ad Christi benedictionem factum fuerat; vt proindè idem sit, *gratias agente Domino*, ac panes benedicente vt multiplicarentur. quod doctè notauit Maldon.

4. *Cùm inuenissent eum trans mare*] traiecto mari.i. traiecto maris sinu, qui erat inter locũ miraculi, & Capharnaum. Porrò inuenerunt eum Capharnai, vt colligere est ex ver. 40. vel saltem in citeriore maris, vel lacus parte, vbi erat Capharnaum. Obserua hic *trans mare*, significare cis mare respectu Iudæorum. Itaque non est negandum interdum sumi *trans*, loco *cis*, & locã ista vocata esse vulgo etiam *trans mare*. *Quando huc venisti*] Chrysost. *non interrogant*, ait, *qualiter pertransierit, nec curãt miraculum addiscere*. Barra. *nõ interrogant*, inquit, *quomodo, sed quando venerit: quia quando discipuli venerant, ille non venerat*, hæc benè dicuntur; nisi *quando*, pro *qualiter*, & *quando* simul positum sit. Considerandæ verò instabilis istorum mens. Qui enim dicebant: *hic est Propheta*, & verò etiam rapere, regemq; facere inter se decreuerant, postquam à Christo fuere dimissi, & acclamassent regem vel inuitũ, si in eo Christus loco perdurasset, præsertim si illos blandè excepisset; iam inuenientes eum, nihil tale moliuntur.

5. *Quæritis me non quia vidistis signa*] Interl. non ad quæstionem, sed ad intentionem respondet. Augustin. verò ait: *quorum satiauit panibus vẽtrem, satiat sermonibus mentem*. Denique Chrys. aduertit redarguendò respondisse: Blandientibus mansuetudo & lenitas non semper vtilis, sed stimulo aliquando opus est ad defides. Sensus est: quæritis me, nõ quod signa videritis, & ex his vobis persuaseritis diuinam in me esse virtutem; & à Deo vobis missum doctorem. significat ergò Dominus quod non requirant illum propter illũ, sed propter seipsos; non propter spiritũ, sed propter carnem; non semper propter mentẽ, sed propter ventrem. Est tamen credibile aliquos inter illos bona mente sequutos esse Christum.

Sed quia manducastis] Augustin. multi non quærũt Iesum, nisi vt illis benefaciat secundum tempus, vix quæritur Iesus propter Iesum.

Gregor. Iob. cap. 30. per horum, inquit, personam Dominus illos intra Sanctã Ecclesiam detestatur, qui per sacros Ordines ad Dominum propinquantes, non eisdem ordinibus virtutũ merita, sed subsidia vitæ præsentis exquirunt, nec cogitant quid viuendo imitari debeant, sed quæ compendia percipiendo, satientur. Satiatos quippè de panibus Dominum sequi, est de Sancta Ecclesia temporalia alimenta sumpsisse.

3. *Tenentur qui ex sacris ordinibus sollicitantes suam vitam quærunt.*

6. *Operamini non cibum*].i. operando quærite, seu date operam, vt quæratis, & paretis. Sic Paul. *vestram salutem operamini*. *Non cibum*] pro, *non solum cibum*: vel non præcipuo studio.

Sed qui permanet] Dubitari hic potest, quis nam sit iste cibus, de quo hic. Card. Tol. adnot. 13. distinguit cibum ab operibus. Distincta nam q. sunt hæc duo illis verbis: *operamini cibum*, est opera, est cibum. Et illa quidẽ ad Iudæos pertinebant, hic verò ad Christum datorem. Porrò opus quod impendendum in conquirendo, & parando cibo hoc qui permanet, &c. est fides; cibus verò est humanitas diuinitate sigillata. Neque enim illa cibus vitæ esse posset, nisi diuinitati coniuncta. Chrysost. autẽ & alij quidam per *cibum* hic intelligunt generatim omne bonum animæ, atque ita non videntur distinguere opera à cibo. mihi valdè probatur Augustini sententia hoc loco tract. 25. intelligit enim hæc verba de Christo, & de esu eius per fidem, nõ de V. Euchar. quare subdit illa; *quid paras dentem, & vẽtrem? crede, & manducasti*. Quæ rectè potuit eo loci scribere Augustin. in quo nondum de V. Sacramento loquebatur Christus, nõ tamen propterea à sententia Toleti abhorreo, quatenus distinguit inter opera & cibum. Fateor enim Christum esse cibum, eundemque datorem cibi; opus verò ipsã præsertim fidẽ, qua comeditur, & qua nos illi vnimus. Fidem verò intelligo, quæ per dilectionem operatur. Cæterùm hic non arbitror de

4. *Christus cibus & dator cibi.*

Vene-

Venerab. Eucharistia, quam daturus erat, esse tamen opem, quod tamen videtur velle Tole. Dices, cur ergo *dabit*, inquit, *vobis* in futuro? quia eum cibum *Iudæi*, quibus ista loquebatur Christus, nec tum petebant, nec antè petierant. si ergò ab eo peterent, dabit inquit qui referunt ad futuram Ven. Eucharistiam facile respondent. Nondum enim erat instituta. Illud verò quod dixerat; *operamini cibum*, significat cibum hunc nostra opera, & labore comparari. Quem filius hominis dabit, significat gratuito cum donari nobis à Christo, vtrumque enim necessarium: nam per actiones nostras præparamur, licet non sine Dei gratia, vt sic nobis præparatis Christus det nobis eum cibum, & fructuose quidem.

5. *Hunc enim Pater signauit*] Secundùm Hilarium libr. 8. de Trinit. Locus hic sic exponitur: cùm sigillum in cera tanquam in materia diuersa imprimitur, cera retinet totam figuram sigilli, sic filius hominis totam naturam Patris accepit cùm humanitas eius diuinitate sigillata est. Verùm aduerte duplicem receptionem posse intelligi, qua filius recipere à Patre naturam dicitur: vnam æternam, de qua loquitur Paulus ad Heb. 1. 3. *& figura substantiæ eius*, græca habent, χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. vbi nota obiter, quod character impressionem significat id est signum ex alia re impressum, per quod res illa manifesta cognitione percipitur, cuiusmodi est sigilli figura in cera impressa, & ita significatur quod Filius sit perfectissima, & expressissima imago Patris dum dicitur *figura*, id est character *substantiæ eius*. Hypostasis verò, licèt rectè sumatur pro substantia, hic tamen accipitur pro persona, prout etiam communi vsu Conciliorum, & Patrum iam sumitur. Dicitur ergò à Paulo Filius character, id est, forma, & imago impressa, & subsistens similis personæ Patris. Neque enim talis forma impressa est is qui impressit, sed similis illi: & Filius non est Pater, sed similis Patri; & quia essentia non gignit essentiam, sed Pater generat Filium, ideò Filius est character Patris cui similis est, non autem essentiæ eius. Vna enim atque eadem essentia est in Filio, & in Patre. Pater autè generando Filium suum, figuram (vt sic dicam) in eo expressit, sicut sigillum in cera. Talis ergò figura expressa subsistens Filius est, ac proindè character Patris. Hic ergò locus hoc modo exponi potest de hac æterna receptione. Nam ne incredibile videretur cibum permanentem in vitam æternã posse ab eo dari, qui se Filium hominis vocaret, ostendit eundem esse Deum, & veram atque expressam imaginem Patris, quomodo solet sigillo exprimi in cera; atque ideò verbo vsus est apto *signauit*, id est, sigillo expressit, quod in Græco est apertius σφραγίσατο, & cum articulo dixit ὁ θεὸς, quasi dicat Pater, inquam, ille qui verus Deus est, vt increatam in se Dei Patris imaginem agnoscerent, id est, omnino Patri æqualem. Altera receptio est, quæ spectatur in mysterio incarnationis; quia in natura humana Deus Pater impressit verbum, quod est splendor, & figura substantiæ eius, vt paulò ante exposuimus, & ita melius accipitur hic sigillatio, vel receptio hoc secundo modo, cum de filio hominis sit sermo; & sigillum, vt inquit Hilarius, in materia reuera diuersa imprimi solet, quæ sigillata dicitur, & melius humanitati diuinitate sigillatæ, vt sic dicam, competit. licet Cyril. lib. 3. ca. 29. vtramque sequatur interpretationem. ergo homo factus est Dei filius, & carnem seu humanitatem assumpsit, vt ipsam sua diuinitate viuificaret, & ita nos illam manducantes, viuificaremur à cibo permanente in vitam æternam. Hæc igitur expositio placet, dummodo intelligatur locus iste, non de sacramento Venerabilis Eucharistiæ, sed de

A Christi humanitate diuinitate sigillata, seu de Christo homine ratione vnitæ diuinitatis, vt tamen fide comedi tur. Nec sine causa ita distraxit illa verba Christus *quem Pater signauit Deus*, vt in postremum locum reciperetur Deus, mirum vt expressiùs, & distinctiùs exprimeret sigillum hoc, esse Patris diuinitatem: Quod non ita expressum fuisset, si diceretur tantùm *quem Pater signauit*; aut Pater Deus, quasi dicat, Pater signauit deitate sua, ac proinde docet minimè mirum videri debere, si hic homo cibus esse, vitamq; æternam dare possit.

6. 2. Ab alijs quibusdam etiam hic sensus assignatur: vt idem sit *signauit*, quod confirmauit, & declarauit filium suum voce de cœlo delapsa, & editis miraculis, tanquam sigillo quodam appositio. Cùm ergo talis sit, vtique æternæ vitæ cibum præstare potest. prior expositio magis quadrat.

7. B 8. *Vt operemur opera Dei*] Sunt qui exponunt; opera Dei, quæ sunt Deo accepta. Alij quæ Deo autore fiunt. Cardin. Tol. rem actigit. exponit enim quod illa opera Dei quæ fierint, hi rogantes à Christo quid faciemus, vt operemur opera Dei? de quibus Christus loquutus fuerat. Nam quia cibum vitæ æternæ per ea se acquisituros sperabant (dixerat enim Christus operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam) intellexerant illi, se per opera debere acquirere hunc panem; simulque intellexerant, hoc opus ad Deum pertinere, ex illis præsertim verbis; *quem filius hominis dabit vobis: Hunc enim Pater signauit Deus*: & ex illis: *qui permanet in vitam æternam*. Ideo non mirũ, si quæsierint, qua ratione possent facere opus Dei, per quod scilicet assequerentur eum cibum. Et est vera dilucidatio huius loci.

9. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.*] quasi diceret: fide oportet vos quærere C hunc cibum credendo in eum, quem Deus misit in mundum, vt det eum cibum hominibus.

Docet Perer. d. 14. num. 44 fidem septem modis dici opus Dei. primo & secundo modo effectiuè, tum quia fides à solo Deo producitur: tum quia fides eleuat mentem hominis ad supernaturalem, & diuinum ascensum eius, quod ei credendum proponitur à Deo. Tertio, imperatiuè, quia Deus imperat nobis, & exigit fidem. Quarto, formaliter quia fides est ex ordine donorũ supernaturaliũ & diuinorum. Quinto, obiectiuè, quia fidei obiectum est ipse Deus. Sexto, fundamentaliter. est enim fundamentum omnium donorum Dei. Septimo, inductiuè, quia sequens fidei ductum inducitur, & perducitur ad alia omnia Dei opera, & dona expetenda, quærenda, & impetranda. Sic ille; vnde non mirum si Christus Dominus hoc loco solam fidem nominauit opus Dei. 8. *Fides septẽ modis opus Dei dicitur.*

Ex his fit, non Ironicè hæc à Christo quæsisse istos, quod tamen putauit Gagnæus. D

G. est *quid facimus?* τί ποιῶμεν; pro quid facere debemus, aut faciemus? illa verò verba superius v. 4. posita; *Rabbi quando huc venisti?* cõtinere aliquid adulationis verosimile est. Quare Christus non ita illis blandè respondit, etiã fortassis ob hanc causam, non tantũ quia propter cibũ eum quærebant.

10. *Quod ergò tu facis signum*] Cum Christus respondisset opus Dei esse, vt in se Christum Dei Filium crederent, nuperrimo facto miraculo nouũ signum quærunt, vt indè credant. Neque aliud signum occurrit illis, quàm antiquum manna, vel illi simile, dignum gastrimargis illis signum, vt inquit Gagnæus. Notat Cardinalis Toletus particulam, *ergò*, innuere ob id sequentia verba dicta fuisse ab istis, quia dixerat Christus in eum vt crederent, quem misit ille. ergò inquit Ioannes, responderunt, si tibi credere debemus, signum fac quod videamus, & credamus. Cùm verò per inter-

rogationem

rogationem respondeat: *quod ergò tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi?* nolunt negare aliquod à Christo signum editum fuisse, sed tantum negant tanta fide dignum, vt propterea credere debeant. *Quid operaris?*] Verba sunt paruifacientium Christi signa præ signo Mosis, quod fuit manna; & tamen, licèt inquiunt, maius exhibuerit signum Moses, non crediderunt in eum Patres nostri esse à Deo missum eo modo, quo tu poscis; imò, nec ille id popposcerat. Et hoc est quod significant, Vers. 11.

9. 12. *Non Moyses dedit vobis panem*] Respondet Christus vetus illud manna Patribus esse datum: at longè maius vobis præstitum est nunc beneficium. Nam & si ad Moysis preces manna vobis de cœlo pluit, non tamen Moses dedit vobis panem de cœlo, vbi græcè est, τὸν ἄρτον, id est, *panem illum*, scilicet *verum*; sed veri illius panis figuram, videlicet manna. *At Pater meus dat vobis*, τὸν ἄρτον, id est, *panem illũ de cœlo verũ*. Verus.n. ille panis est, qui de cœlo descendit, vt dicitur v. 13. quod manna non erat, quod ab aëre tantum descendit. Cùm ergò inquit Moysen non dedisse illis panem de cœlo, intellige cum Theophyl. Gagnæ. & alijs non dedisse verum de cœlo panem, sicut in altero orationis membro habetur: sed *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum*. Adde ex eodem Gagnæo & Maldonato in v. 22. Ioan. negare hic Christum non modo Mosen verum dedisse panem, sed etiam de cœlo. In his enim duabus rebus suum panem præfert pani Moysis, & de cœlo sit, & quod verus, cùm ille nec sit de cœlo, nec item verus. Ex eo autem quod panis de cœlo non est, verus non est: ideò fortasis in primo membro subticuit, verum, contentus negare, nõ est de cœlo, licèt etiã in articulo inuoluatur. Et verò non esse de cœlo panem illum Mosis, constat: quia de aëre descendebat. Non esse item verum patet; quia Typicus erat. Verus enim hic Typico opponitur, & figurato ex Chrysost. Leontio, Theophyl. Euth. Cyril. August. Beda, Ruperto. Quamuis etiam verus dicatur quantum ad efficacitatem; nam cum ille Mosis ad breue tempus vitã sustentaret; Christi hic sempiternum suppeditat. Sic Victorinus l. 1. aduers. Arium, Responsio ergò Christi in eo versatur, vt ostendat, panem, quem ille daret esse longè diuersum, multoque præstantiorem, atque optabiliorem quàm fuerat manna per Moysen datum patribus ipsorum.

10. 13. *Panis enim Dei est*] Redditur caussa, cur suum panem dixerit esse *verum* panem, quia est panis cælestis, & diuinus, & dat vitam mundo, non Iudæis tantùm, vt manna illud, quod etiam nemini verè dabat vitam, cùm esset cibus tantùm viuentium. Vitam æternam hic intellige. Porrò manna dicebatur *Panis Dei* tantùm, quia iussu Dei, & per miraculum eius potentiæ factus, & datus Iudæis erat: erat tamen panis materialis, & terrenus. Panis verò Christi, qui est ipsemet Christus verè panis est Dei: quia Christus ipse verus est Deꝰ: & eò pane vescitur Deus per æternam, & beatificam suæ essentiæ visionem. Hinc est quod iste panis sit verè cœlestis, & diuinus, & quod descenderit de cœlo per assumptionem humanæ carnis; semper tamen in cœlo manens secundùm diuinitatis suæ maiestatem. Cum manna non tam descenderet ipsum, quàm mitteretur de aëre, cùm esset quid inanime. Hinc est etiam quod det vitam mundo, cùm tamen manna non aleret, nec viuificaret, nisi hominem viuum. Christus autem etiam vitam non habenti, dat vitam: Ioannis 10. *ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant*. Denique quod sit panis datus toti mundo. hæ omnes differentiæ hic insinuantur inter manna, & Christi panem. Nam quia panis est verus, seu Dei, ideò panis est diuinus

Manna panis Dei quomodo.

A descendẽs de cœlo viuificãs, & d

14 *Domine semper da nobis pa*
maritana vbi audiuit à Christo, *q*
quam ego dabo ei, non sitiet in ete
tijt: *Domine da mihi hanc aquam,*
isti cùm didicissent de Christo
esse Dei, rogarunt: *Domine sẽper d*
existimant enim de pane corpo
loquutum, cupiuntque fine labor
poscunt non tantum, vt illis pa
aut iterum, sed semper. Cyrillus
ctum id putat, sed exanimi sente
rali sc. eorum ingenio, qui vent
haberent. Licèt quidam Ironiam

15. *Ego sum panis vitæ*] Gag
nales, inquit, Iudęi, de carnali pa
docet eos, non de materiali pane
spirituali, qui quidem panis ipse
B *sum panis vitæ*, id est, viuificans.
præstans. est enim Hebraismus.

Qui venit ad me] vbi ostendi
panis de quo loquebatur, tradit
bendi illum, nimirum si ad eum v
rat quid sit ad eum venire, subdẽ
in me & cætera. hoc enim est ad
in eum credere: in quem qui p
spiritualiter eum manducat, & b
esurit, quod verum est, & spiritu
ter, nam esurire, & sitire pro ext
poralium penuria etiam literalit
non finit pios, & in se verè cred
nus, iuxta illud Dauidis: *non*
ctum, nec semen eius quærens pane
liter intellige, quod qui finaliter
rit, nunquam esuriet, neque sitiet
nium bonorum satiate in Christo o
C quod Dauid olim dicebat: *Satiabor c*
gloria tua. De hac satietate sic Isai.
nono: *non esurient, neque sitient,*
eos æstus, & sol, quia miserator eorum
fontes aquarum potabit eos.

Non sitiet vnquam] Vox hæc
renda etiam est ad *non esuriet*, quod
Domino ad eximendum errorem illo
mabant enim futurum hunc panem
milem, quem qui semel comedit eg
suo tempore comedat, & ideò dixerunt
per da nobis hunc panem. At Dominus rei
falsam opinionem, docens eum, qui hu
semel comedit, nec esurire, nec sitire am
de aqua Samaritanæ dictum est: *Qui bib*
qua quam ego dabo ei, non sitiet in æternu
propriè in altera & beata vita impletur p

16. *Quia & vidistis me*] *quia* pro *quod*
stis me, & non creditis. vidistis scilicet, me
D lum de quinque panibus, & duobus piscib
tem, quod erat diuinitatis meæ amplum
cies testimonium, & tamen non creditis.
etiam intelligunt de alijs quoque miraculis p
bus, quæ viderant & nec per illa crediderant.

Sed dixi vobis] quando, inquiet aliquis
xit CHRISTVS turbæ, vidistis m
non creditis? Respondeo, tunc cùm dixit; *qu*
me, non quia vidistis signa, sed quia manduca
panibus, & saturati estis: quorum verborũ ser
cia est, vt superiùs exposuimus: quæritis me
quia vidistis signa, vt videri illa debent ac
dendum; quæritis inquam me non quia per si
quæ vidistis, credidistis, sed quia saturati
Dixit ergò Dominus turbæ, *vidistis me & non*
ditis; licèt non clarè, quoniam enim videri
terant, quærere Christum, quia in eum crede
testatur Christus illos non credere, sed p
quærere. ostendit ergò quod sicut priùs non c

der

Digitized by Google

derat prout illis dixerat, ita nec nunc credant, licèt petierint hunc panem dicentes: *da nobis semper panem hunc.* sunt qui interpretentur dicta illa verba fuisse à Christo superiùs, quâuis silentio fuerint præterita à Ioanne.

13. 17. *Omne quod*] Neutro genere loquitur quâuis de hominibus ex scripto, vt maiorem significet vniuersitatem, quasi dicat, quicquid mihi Pater dat admitto, siue mundum, siue immundum sit animal; quodcunque sit hominum genus siue Iudæorum, siue Gentilium. Notat & Gagnæ. quia non veritatis discendæ, sed pascendi ventris studio, eum sequebantur; ideoque quanquam miracula vidissent, non credebant, subdit; *omne quod dat mihi Pater*, quasi dicat, nihil mirum, quod in me non creditis, quod non venitis, quia non mittit vos Pater. *Omnes autem quos mihi dat Pater, & mittit, ad me veniunt:* & sicut postea ait: *nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* vos autem Pater non trahit, gula trahit, gastrimargia trahit; *Et eum, qui venit ad me, non eiiciam foras*] id est, non aspernabor eum qui venit ad me recta fide. Reddit autem rationem cur non aspernetur v. 18. & 19. & 20. sequentibus. Patris enim cui veni, vt pararem, voluntas est, vt electos suos, quos mihi dedit, quique oculis corporis, & mentis Dei Filium vident, & eius miracula, atque adeò in eum credunt, excipiam, & ad vitam æternam in nouissimo die resuscitem. Vide in 20. v. quæ dicuntur nu. 18. sub finem. tantum hic Nota in verbis illis, *habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum* &c. Coniunctio, *&*, potest poni pro, *nam* Heb. vel pro, *id est*, vel *resuscitabo*, pro *resuscitem*, ponitur, sic Emma.

14. *Grauis dubitatio.* Sed grauis sese hic offert dubitatio ex v. 17. quomodo enim, inquit Chrysost. hom. 44. & Euthym. si omnis, quem dat Pater venit ad Christũ, & nemo alius; in culpa erit qui non venit, si ei non Pater dat vt veniat? Nec faciet satis, si quis dicat cum Chrys. eis dari, vt credant, seu, vt veniant, qui aliquo modo se dignos faciunt, vt hoc eis detur à Patre; indignis verò, qui se tales non exhibent, id non datur, sed ipsorum culpa. sic Chrys. significat & expressius Euthym. & Cyril. l. 3. c. 39. & l. 4. c. 6. & Græci passim, qui libero arbitrio plus fortassis æquo tribuebant: Chrys. certè temporibus Pelagiana hæresis non ita grassabatur, vt proindè scrupulosius esset illi loquendum. Qua de re lege August. l. 1. de prædestinatione Sanctorum c. 5. & 6. & Theor. 5. nunc paucissimis respondeo: hæ duæ propositiones: *nemo potest venire ad me, nisi datus est à Patre*, seu *nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eũ*; & hæc tertia: *Omne quod dat Pater, veniet*; mutuo se iuuant, & perfectum Christi sensum continent: scilicet neminem venire posse nisi tractus, vel datus à Patre sit: & omnem, qui tractus, datusque sit omninò venire. nam alioqui ex primis illis duabus non liceret hanc colligere: vt neque ex hac, illas, sed simul iunctæ integram sententiam Christi continent: nempè omnem, qui venit trahi, dari à pare, & omnem, qui trahitur, datur ve omninò venire, quod pluribus declarat Card. Tol. ann. 20. Hinc autem non fit, quod qui venit suis veniat viribus; & quod qui non datur, vel non trahitur, atque adeò non venit, sine vitio & culpa sit. Indignũ enim se fecit, quo minus traheretur, vel à Patre daretur. Hinc nulla ratione libero arbitrio periculum aliquod creatur. qui enim venit libero arbitrio venit, non quidem solo, sed præueniente, ac iuuante auxilio à Patre dato, qui autem non venit solo arbitrio venire recusat.

15. *Fides donũ Dei.* Sanè per hũc dicendi modum insinuat Christus fidem, qua ad ipsum venitur donũ esse Dei: simulq; ostendit multos in ipsum fore credituros, ac si diceret: quamuis vos cum credatis innumeri olim fidem meam libenter atque auidè arripient. Quare rectè Cyril. l. 4. c. 39 animaduertit gentium conuersionem esse hic significatam, & Iudæorum infidelitatem.

23. *Nolite murmurare*] sensus est: nolite murmurare quasi rem aliquam falsam, & incredibiliter pronuntiarim cum me de cœlo venisse dixi. Quod. n. nõ capiatis, quæ dixi, non est causa, quod vera non sint, sed quod lumine illo careatis diuino, quo opus est, vt ad me veniatis, & mihi credatis. Nemo enim venit ad me nisi tractus à Patre, & illustratus: Proindè cum vos tales non sitis verissima mea verba nõ capitis. subindicat verò Christus debere eos potiùs lumen à Deo petere ad credendum quam murmurare.

16. 24. *Nemo potest venire ad me*] poterat sic dixisse: non venitis ad me, nec me capitis; quia duri, rebelles, & proterui estis. Maluit tamen paternę tractionis meminisse, quod Cardinal. Tolet. obseruat, tum vt suam doctrinam cœlestem, diuinamque commendaret; tum ne fidem in eum humanis viribus assequi se posse putarent; tum quo eis metum, terroremque incuteret quasi diuino lumine destitutis; Denique vt sua dogmata non modo falsa non esse, sed iuxta etiam Dei voluntatem significaret. Cur autem verbo trahendi vsus sit Christus, quod hominis libertati videtur obesse: Et cur potiùs patri hoc tribuat, quod trahat, cùm etiam in Filium, & Spiritum sanctum conueniat, consule Theor. 4.

25. *Est scriptum in Prophetis*] probat auctoritate Prophetarum, neminem ad se venire, nisi Pater traxerit eum, simulque declarat, quis sit tractus Patris, interna scilicet doctrina, & persuasio: vaticinati enim sunt Prophetę fore, vt suos Deus doceret, vel traheret. *In Prophetis*] vel Heb. more pluralem numerum, pro singulari positum esse dic. Apud enim Isai. id reperitur c. 54. 13. *ponam vniuersos filios tuos doctos à Deo*: quamuis Christus vel Io. non verba, sed sensum citarit. Itaque idem erit *in Prophetis*, ac *in vno Prophetarum*. Vel refer ad plures Prophetas; qui licèt non ijsdem verbis, sensu tamẽ eodem scripserunt; fore vt homines à Deo docerentur. Hiere. 31. 33. 34. Ezec. 11. 19. & 18. 31. & 36. 26. 36. Ioelis 2. 28. *Scriptum est*] plus est quàm si simpliciter dixisset, *dictum est*; plus enim auctoritatis scriptis, quam verbis adhibemus.

17. *Erunt omnes docibiles Dei*] καὶ ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ θεοῦ, erunt omnes docti Dei. Opinantur quidam hoc plus esse, quam dicere discipulum esse Dei; verius sentire videtur Maldon. qui Hebr. aut Chaldaicam phrasim esse arbitratur, Doctus Dei, id est, discipulus Dei, quod plus est, quam docilem esse Deo, paulò minus verò, quam doctum esse. Quod intelligens fortassè noster interpres, neque dociles, neque doctos, sed docibiles vertit, non eos significans, qui docere possunt, sed eos qui doceri tanquam discipuli à Deo debeant. declaratur enim hoc verbo, quid Deus tempore Euangelij quantum in ipso erat facturus esset, & quid inter legẽ nouã, & veterem interesset, in veteri homines per Prophetas, Sacerdotes, Scripturas. In noua per Spiritum sanctum potissimum docentur, & hic est sensus Isai. Omnes enim docentur à Deo in noua lege quantum in ipso est, sicut dicitur illuminare omnẽ hominem venientem in hunc mundum, declaratque legis Euangelicæ conditio quædam, quæ eius sit naturæ, vt in corde potiùs, quam in Charta consistat, & à Spiritu Sancto magis, quam ab alio magistro imprimatur animis. Itaque his verbis nõ declaratur, quid aut fiat re ipsa, aut fieri ab hominibus possit, hoc est, aut ipsos re ipsa à Deo doceri, aut doceri posse; sed quid tempore Euangelij futurum esset, quidve inter legem vtramq; discriminis

inter-

intereſſet. Præferenda eſt hæc interpretatio illi Auguſtini doceri omnes à Deo, non quia omnes doceantur, ſed quia ex omni hominum genere doceantur aliqui; aut quod nemo, ex ijs, qui docentur, non ab eo doceatur, illud certum loqui Prophetam de ijs tantum, qui in Eccleſia ſunt.

18. Aduerte docibiles, hic quidem paſsiuè ſumi, quaſi à Deo doctos, & eruditos, vt expoſitum eſt. Verum ſecundæ ad Timotheum ſecundo. In illis verbis: *ſeruum Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem*, ſumitur *docibilis* actiuè pro docente alios. Quod primæ ad Timotheum tertio, verterat interpres: oportet Epiſcopum eſſe hoſpitalem doctorem, vtrobique enim eſt eadem vox græca διδακτικὸν, At hic apud Io. eſt vox διδακτοὶ.

Omnis qui audiuit] ſuperius verſiculo vigeſimo de ſe loquens dixit: *Omnis, qui videt Filium, & credit in eum* &c. at de Patre non dicit omnis qui videt, ſed *omnis, qui audit à Patre*, tum quia illic de miraculis agebat, ex quibus Chriſtus cognoſcebatur, hic agit de doctrina. Miracula autem videntur, doctrina auditur. Tum quia loquebatur cum ijs, qui tunc ipſum Chriſtum præſentem coram oculis cernebant, & eius doctrinam audiebant, quibus ſi credant vita æterna ibi promittebatur; ita vt eſſet ſenſus illius loci; omnis, qui licèt videat me hominem, credit tamen in me conſitendo meam diuinitatem, vitam obtinebit æternam, & quo ea fruatur, *ego eum ſuſcitabo in nouiſſimo die.*

19. Audire, & diſcere à Patre, eſt ab eo doceri, eſt ergo ſenſus, nemo venit ad me, niſi à Patre doctus: quoniam autem non omnes, qui audiunt diſcunt; ideò vtrumque coniunxit: diſcit enim qui credit.

26. *Non quia Patrem vidit quiſquam*] hoc dicitur, ne exiſtimarent loqui ipſum de auribus corporis, aut voce Dei corporea. Deus enim cum corporeus non ſit ſub viſum, atque adeò ſenſum cadere non poteſt. Notat Cyrillus, & Leontius alluſiſſe hic Chriſtum ad Moyſen, quem Iudæi exiſtimabant vidiſſe, & audiſſe Deum. Tacitè ergò opponit ſe Moyſi, innuens non Moyſen, ſed ſe Deum vidiſſe, licèt Moyſis nomine ſuperſederit, ne Iudæos offenderet.

20. *Niſi is, qui eſt à Deo*] ſcilicet, Ego, qui per æternam generationem à Deo ſum. Acutè Auguſtinus tractu vigeſimoſexto ait; *ſi ego cum homo ſim inquit, illum doceo, qui audit verbum meum, illum docet Pater, qui audit verbum eius: ſi illum docet Pater, qui audit verbum eius; quære quid ſit Chriſtus & inuenies verbum eius: In principio erat Verbum*, & cætera. *diſce trahi ad Filium à Patre, doceat te Pater, audi verbum eius. Quomodo homines in carne conſtituti audient tale verbum? quia Verbum caro factum eſt. Exponit hoc & ipſe, & oſtendit nobis quid dixerit, qui audiuit à Patre, & didicit venit ad me: non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo: quid eſt quod ait: ego vidi Patrem, vos non vidiſtis, & tamen non venitis ad me, niſi trahamini à Patre? Quid eſt autem nobis trahi à Patre, niſi diſcere à Patre? Quid eſt diſcere à Patre niſi audire à Patre? Quid eſt audire à Patre, niſi audire Verbum Patris in me? Ne fortè ergò cùm dico vobis omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, dicatis apud vos: ſed nunquam vidimus Patrem, quomodo ergò diſcere potuimus à Patre? A me ipſo audite, non quia Patrem vidit quiſquam, ſed qui eſt à Deo, hic vidit Patrem, ego noui Patrem, ab illo ſum, ſed quomodo verbum ab illo cuius eſt verbum, non quod ſonat, & tranſit, ſed quod manet cum dicente, & trahit audientem.* Hæc carptim ex Auguſtino doctè quidem, & eleganter, ſed litteralis expoſitio eſt, quam ſecuti ſumus, &

A & præmiſimus; nam verè Chriſtus videtur diſtinguere audire, ac diſcere, & audire à Patre, & Chriſtum, quaſi Patris vocem audire.

27. *Qui credit in me*] verſ. 10. hic dixerat Ioan. 21.
eum, qui videt Filium, & credit in eum habere vitam æternam; modo verò veluti abſoluta parentheſi redit ad eandem propoſitionem, eamq; confirmat magis. Sic Maldon. fortè melius dicemus, oſtendere hic fructum, quē capient hi, qui in ipſum credunt, vel ad ipſum veniunt, qui eſt vita æterna. Aduerte dixiſſe Chriſtum, *habet vitam æternam*, quia qui in ipſum credit, aliquod quaſi initium ad vitam æternam habet, licèt iam illā non habeat; Et quicunque credit ſaluus eſſe poteſt: cùm contra qui nondum credit longè à vita æterna abſit, & ſi maximè velit, niſi priùs fidem habeat, ſaluus eſſe non poterit.

B 28. Reddit rationem eius, quod dixerat habere vitam æternam eos, qui in ſe crederent. Eſſe enim ſe panem viuificum. *Panis vitæ* dicitur, non ſolum quia viuit in ſe, quod nullus alius cibus habet: ſed quia cauſa eſt vitæ, & panis eſt viuificans. Ob primum dicitur, *panis viuus*, ob ſecundum *panis vitæ.*

29. *Patres veſtri manducauerunt*] confert ſe 22.
cum manna, de quo ſupra Iudæi loquuti fuerant, ac ex effectu vtriuſque panis probat quod ſuperius dixerat: Non manna datum à Moſe, ſed ſe de cœlo à Patre miſſum verum cœleſtemque, & viuificum eſſe panem. Nam manna edentibus vitam largiri non potuit: quotquot enim illud comederunt mortui ſunt in deſerto, ſe qui comederit moriturum eſſe nunquam. Illud in deſerto extenuat etiam beneficium à Moyſe accceptum, quaſi dicat, ad modicum tempus, tantiſper dum in deſerto vagarentur.

C De morte hic, ac vita corporis loquitur Chriſtus. 23.
manna, quia erat ad reparandum corpus hoc corruptioni obnoxium non æternam vitam comedentibus impartiebatur. At panis Chriſti perpetuam, perennemque vitam edentibus confert, non animæ modo (quamuis & ad eam etiam præſtandam collatus ſit) verùm etiam corporis. Virtute enim, atque efficacitate huius cibi corpus, licèt ſemel mortuum in vitam tranſibit æternam, quod nullo modo præſtitit manna ſua vi: erat enim tantum ad hanc corruptibilem vitam ſuſtentandam datum, ac proindè ex ſe nullo modo perennē tribuebat, & hoc eſt, quod hic inſinuat Chriſtus Dominus, dum ait: *& mortui ſunt.* Breuiter ſenſus eſt: Manna inſtitutum eſſe ad corruptibilem vitam; Chriſti panē ad incorruptam, & æternam ex ſe. Et hinc eſt, vt manna, nec vitam perpetuam corpori potuerit dare; cum hic panis & corpori det, & animæ. *Collatio manne in Eucharistia.*

Præſtabit autem hic Chriſti cibus, vt nunquam
D vltra morituri ſimus per glorioſam corporis reſurrectionem. Vndè dictum eſt: *Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Nunc verò manducans panem Chriſti ex ipſo habet iam ſemen, pignus & ius vitæ æternæ ſuo tempore poſsidendæ per corporalem reſurrectionem.

Diuus Auguſtinus tractatu vigeſimoſexto inter- 24.
pretatur hæc de morte ſpirituali, & de Sacramēto Venerabilis Euchariſtiæ. Quod ſi dicas falſum eſſe omnes Iudæos, qui manna in deſerto manducauerunt eſſe mortuos ſpiritualiter, vt patet in Moyſe, Aaron, Phinees, Ioſue, & alijs. qui manducauerunt illud manna, & Deo placuerunt. Et contra multi manducantes panem Chriſti moriuntur ſpiritualiter, *Iudicium ſibi manducantes, & bibentes.* Reſpondet tacitè Auguſtinus intelligendum eſſe id de Iudæis duntaxat incredulis, atque impijs, quorum ſimiles erant, quantū ad incredulitatē iſti Iudæi, cū quibus Chriſtus hūc ſermonē habuit &

pro-

Digitized by Google

propterea illos vocauit Patres istorum, sicut & Matth. 23. dixit de ipsis: *& vos implete mensuram Patrum vestrorum.* Christiani verò, qui bene accedunt ad hoc Sacramentum vitam spiritualem acquirunt. At melius est interpretari de corporali morte, & de pane Christi qui est ipsemet Christus, vt fide comeditur, licèt etiam de se loquatur tacitè, vt est in Sacramento, dixi tacitè, quia paulò pòst expressè de Venerabili Eucharistia, & de manducatione reali, & spirituali, simul panis Christi in Venerabili Sacramento Euch. loquetur.

30. *Vt si quis*] subintelligendum aliquid videtur, puta: hic est panis de cœlo descendens huiusmodi nimirum, seu talis vt si quis ex ipso &c.

31. *Ego sum panis viuus*] probat quod dixerat panem hunc datum esse, vt qui manducat non moriatur. est ergò causa, quia ego, inquit, sum panis viuus. non est igitur mirum si edentes viuere facio, nam qui panis est viuus, etiam vitę panis est, nempè dans vitam. dum verò subdit, *qui descendit de cœlo*, significat se vitam cœlestem, & diuinam, quę æterna est, viuere, atque adeò vitam eandem æternam præbere alijs, quod initio sequentis versus infert.

25. 31. *Et panis quem ego dabo*] iungendum cum, *pro mundi vita*, Gr. & Syriacè, adijcitur, *caro mea est*: & subditur, *quam ego dabo.* sed nostri codices non legunt, nec necesse est. si tamen legamus, ita vt bis ponatur, *dabo*, in hoc versu, tunc priori loco intelligendum est, dabo in Venerabili Sacramento, panis enim ad comedendum datur, non vt crucei suffigatur. posteriori loco potest vtrouis modo accipi, nimirum caro, quam ego in Sacramento dabo, vel quam crucifigendam spontè offeram, rectè enim in carnem conuenit vtrumque, & crucifigi, & in Sacramento exhiberi comedendam; quod secus est de pane; Obijcies aliquis: appellauit hic Christus carnem suam panem, non ergo Christi dictis videtur consentaneum, quod Catholici sentiunt transsubstantiari panem in carnem Christi. Respondeo dicitur panis esse caro Christi, quia ante consecrationem immediatè fuit panis, cui per consecrationem successit caro Christi, quando iam non est amplius panis secundùm substantiam. Eadem loquendi formula habetur, Exod. 7. vbi dicitur virga Moysis deuorasse virgas Magorum, id est, serpens, qui immediatè fuerat virga à Moyse factus, deuorauit serpentes à Magis factos. Deindè dicitur panis caro Christi, quia post consecrationem remanent species, & similitudo panis in accidentibus, quæ etiam retinent naturales virtutes, & effectus panis substantialis. sic Gen. 41. *septem spicæ plenæ septem vbertatis anni*, vocantur. Dan. 2. dictum est Nabuchodonosor, *tu es c aureum.* Matth. 13. *semen est Verbum Dei*, quia inter similitudines rerum nominibus ipsarum rerum appellari in scripturis. Cæterum hic cautè legendus Rupertus: ait enim, *panis est caro Christi, quia Christus eum panem assumpsit in vnitatem suæ personæ, & in corpus suum transtulit*; quæ verba si per se vt sonant, accipiantur falsissima sunt: nam in incarnatione carnis permansit natura; in Venerabili Eucharistia panis desinit substantia, & in Incarnationis mysterio facta est vnio hypostatica carnis cum Deitate: hic autem tantum fit transsubstantiatio.

26. Sensim prouehit auditores Christus ad Eucharistiæ Sacramentum cùm hactenùs ferè videatur loquutus de spirituali manducatione; licèt non ignorem Chrysostomum Theophylactum, Cyrillum, & nonnullos alios etiam de Sacramento superiora interpretari. Hic autem expressè iam aggreditur de Sacramento Venerabilis Eucharistiæ ágere, & vide diuinum Christi artificium: docuit priùs auditores, quid facere deberent, vt panem verum, cœlestemque mererentur; *operamini non cibum, qui perit*: Item *hoc est opus Dei, vt credatis.* Deindè exposuit, quis nam ille panis esset, quem Pater de cœlo misisset: Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. *ego sum panis vitæ*, &c. Denique ostendit quomodo panis viuus esset, & quòmodo panem illum, de quo loquutus fuerat illis ad manducandum non fide tantum, ac spiritualiter quod expresserat priùs, sed verè in Sacramento videlicet daturus esset spiritualiter, & corporaliter ad manducandum. Hoc autem est, quod ait, *panis, quem ego dabo caro mea est*, cum his quæ consequentur. & hoc quidem tacitè insinuauerat ab ipso statim huius disputationis initio Christus Dominus, dum vsurpauit cibi, & susque, & potus metaphoram, licèt expressius de fide tantum loqueretur, & sui manducatione spirituali, sensim præparans animos auditorum ad Venerabilis Eucharistiæ Sacramentum. Quod verò sit sermo deinceps de Venerabili Eucharistia pluribus in Theor. 1. ostendemus.

33. *Litigabant*] scilicet alijs accusantibus, alijs defendentibus Gr. ἐμάχοντο, id est, pugnabant, & disceptabant inter se de verbis Christi. *Carnem meam*] intellexerunt Iudæi eum dicere, id, quod hæretici nolunt intelligere, loqui Christum de reali carnis suæ manducatione, neque Christus illam intelligentiam reprobauit, sed confirmauit, sed auxit, toties verò, & adeò apertè, vt mirum sit esse adhuc, qui litigent. Cæterum horum aliqui pro Christo, aliqui contra Christum disceptabant; cùm verò superius audissent, *ego sum panis vitæ*, nò litigarunt, quod metaphorica esse verba existimarent, tantum murmurauerunt, quia dixerat, se de cœlo descendisse: & ideò dicebant, *nonne hic est Iesus Filius Ioseph*, &c. quomodo ergò dicit hic, quia de cœlo descendi.

27. *Quomodo verbum Iudaicum.*

Quomodo] Cyrillus verbum *quomodo* Iudaicum appellat, in rebus fidei omninò fugiendum; firmam, inquit, fidem mysterijs adhibentes nunquam in tam sublimibus rebus illud quomodo, aut cogitemus, aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum est, & extremi supplicij causa. Cùm Deus operatur, non quæramus quomodo? sed operis sui viam ac scientiam illi soli concedamus. legè Chrysostomum homilia quadragesimaquinta in Ioannem, & Augustinum tertia epistola ad Volusianum, vbi ait; *si ratio quæritur, non erit mirabile, si exemplum posc itur, non erit singulare. Deum posse Deum aliquid facere, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus enim rebus tota ratio facti potentia facientis.* sic Augustinus. extremæ sanè dementiæ est quærere rationem in his, quæ omnem rationem exsuperant; & modum exigere in his, vbi res super omnem est modum.

28. 34. *Amen, Amen dico vobis*] Aduertit Gagnæus quod respondet Iudæorum quæstioni interrogantium quomodo, sed generali sententia dicit, *nisi manducaueritis carnem*, &c. quasi dicat, ad humanam non spectat infirmitatem de creatoris potentia quonam modo operetur interrogare, sed simpliciter verbo eius credere oportet. Quia non modo possibile est eam manducare, sed etiam necessarium si vitam habere velimus. Quibus addendum est Christum his verbis etiam multo magis confirmare, paulò antè à se dicta, de reali suæ carnis manducatione intelligenda esse. *Non habebitis vitam in vobis*] Græcè οὐκ ἔχετε non habetis. Habent hæc verba emphasim; ac si diceret, illos esse mortuos, ac tanquam cadauera quædam amissa vita, quam nisi manducauerint, tenere, id est, conseruare non potuerunt primo acquisitam, nec posse in vita, nisi saltem voto seu virtute manducent, &

bibant

bibant instituto semel Sacramento, perseuerare. Vide Theor. octauam, numero quarto. Quod si quis obijciat, multos carnem Christi mãducare, nec vitam habere, quomodo ergò dicitur, *qui manducat meam carnem*, &c. *habet vitam æternam*, &c. Respondeo, similes propositiones vniuersales, quæ promissionem sonant, significant, non tam effectum, quàm vim & naturam rei cui annexa promissio est, vt *qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*, & *quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit*, id est, natura fidei, & baptismi, & inuocationis Dei saluum faciet; nisi quis impediat; vel subintelligenda est aliqua conditio, vt qui manducat meam carnem &c. scilicet, vt debet, habet vitã &c. vel si nõ vitã perdiderit suo nouo peccato. An verò Eucharistia sit necessaria necessitate medij saltem in voto propter gratiam finalem, vel perseuerantiam vide Theor. 9.

29.

31. *Qui manducat meam carnem*] dicitur habere vitam æternam, quia ius ad illam habet. Est autem Christi corpus & sanguis vita æterna, non animæ tantum, sed corporis etiam. ideò adijcit: *& ego resuscitabo eum in nouissimo die*. Aduerte huiusmodi propositionem: *qui manducat meam carnem*, licèt verbum præsentis temporis contineat, non tamen significare existentiam præsentis temporis: sed tantum denotare naturalem quãdem & necessariam connexionem prædicati cum subiecto, vt cùm dicimus, q̃ volat habet alas, non significatur esse aliquid nũc q̃ volat: sed hoc, q̃ est volare, habere necessariam cõnexionẽ cũ eo quod est habere alas, similiter hydropicus semper sitit &c. ita nunc Christus non significat, tunc cum ista verba proferebat fuisse manducandam suam carnem, sed ostendit tantum, quem in manducante præstet effectum digna carnis eius manducatio, quod ipse in Christo & Christus in eo maneat, non ergo quidquam valet ratio Iaperi si quis ita dicat, quando Christus hæc dicebat manducari poterat caro eius, quia in præsenti dicitur, *qui manducat*, & tamen non nisi spiritualiter & metaphoricè, cùm nondum esset Sacramentum Eucharistiæ: ergò loquitur Christus de manducatione tãtum spirituali. nil valet, vt patet ex dictis. Sic Pererius numero centesimo decimotertio, & centesimo decimoquarto, sicut nec illa ratio Caietani, qui ob illa verba *nisi manducaueritis* &c. Baptismũ, ait, sufficere ad salutem, ergò non est hic sermo de esu Eucharistiæ, alioqui is etiam esset necessarius ad salutem. Respondeo distinguendum esse, id, quod assumit Caietanus, baptismum sufficere ad salutem, si enim hoc intelligat citra casum necessitatis adimplendi alia diuina præcepta, verum est: dicitur enim Marc. vltimo. *qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit*. si verò intelligat simpliciter, & absolutè, quasi nec aliquando, nec aliquibus aliquid aliud præterea sit necessarium ad vitam, siue salutem spiritualem, falsum est; alioquin obseruare mandata non esset necessarium ad spiritualem vitam, scilicet pro circumstantijs personæ, rei, & temporis: sic de Eucharistiæ necessitate. Franciscus Suarez in tertiam partem tomi tertij, disputatione sexagesimaquarto sectione secunda, docet, quomodo rectio, vel gloria corporis sit specialis effectus Venerabilis Sacramenti Eucharistiæ. Primùm, quia licèt dare ius ad vitam æternam animæ, & corporis sit commune omnibus Sacramentis præsertim verò Baptismi, & Pœnitentiæ, quæ per se conferunt primam gratiam, & primum ius ad gloriam, quod cetera augent, & corroborant, tamen quia hoc Sacramẽtum speciatim datum est ad perseuerandum in gratia, & vt eius virtute corroborati, pertingere possimus ad montem Dei 3. Reg. 19. hoc modo, adeptio gloriæ, atque adeò vitæ æternæ potest speciatim attribui huic Sacramento sicut in statu innocentiæ vitæ immortalitas ligno vitæ tribuebatur. Hãc autem vitam, quam post resurrectionem speramus nullo modo præstabat manna, & ideò fortasis etiam hoc voluit Christus cùm dixit; *Patres vestri manducauerunt manna in deserto & mortui sunt*.

A

Deindè additur, & alius modus quod immortalitas & resurrectio corporis licèt conferatur corpori, ac debeatur ratione gratiæ & gloriæ animæ, dabitur tamen proprio, & speciali titulo propter hoc V. Sacra. ac specialẽ coniunctionem cum Christo, quæ per illud fit: Eadem enim res, vel donum non repugnat dari pluribus titulis. hoc tamen effectus sub hac ratione est propriè Sacramentalis, qui non solet conferri per solum votum, ac desiderium huius Sacramenti, sed per ipsum re ipsa exhibitum, & acceptum. 30.

B

Ex his verbis *nisi mãducaueritis* &c.] quia indefinite posita sunt, colligunt aliqui noluisse Christum definire tempus suo decreto, & præcepto, quando & quoties sumendum sit hoc Sacramentũ, sed id Ecclesiæ reliquisse, licèt respectu Sacerdotum rectè dicatur quotidianum, ac iuge sacrificium, præfiguratum iugi illo Iudæorum sacrificio, quo mane vnus agnus, alter vesperi sacrificabatur. 31.

36. *Caro enim mea verè est cibus*] reddit causam cur qui manducat, & bibit carnem, & sanguinem eius habet vitã ęternã: *caro*. n. inquit, *mea verè est cibus*, cibi enim, & potus est dare vitam, sed is cibus æternam dat. licèt caro Christi, nõdum esset cibus Sacramentaliter manducandus cùm ista diceret Christus; erat tamen ordinata eò, vt esset suo tempore edenda Sacramentaliter vt cibus. Adde quod cùm hæc dicebat Christus eius corpus appellari poterat verè cibus, cum haberet omnia pertinentia ad cibum Eucharisticum, carnem, sanguinem, animam, diuinitatem; vnum deerat, quod non pertinet ad rationem cibi, scilicet modus comedendi ipsum inuisibiliter in Saram. qui modus institutus posteà fuit in cœna. Pere. n. 119. in 1. Io 6.

C

Verè est cibus] si conferatur cum varijs ciborum generibus illicò apparebit quamobrem dictus sit is cibus, verus cibus: nam inprimis respectu cibi corporalis, qui non tam hominem pascit, quam tantum corpus verè dicetur cibus hominis: nam & mentem hominis pascit atque animam, & virtutẽ habet immortalitatem corporis conferendi homini. Deindè respectu cibi spiritualis cuiusmodi est verbum Dei, contemplatio, obedientia dicitur verus cibus, quia verè manducatur & in stomachũ traijcitur. At cibus spiritualis non ita, sed per metaphoram tantum cibus dicitur. Respectu item mannæ dicitur verus cibus hominis, quia manna tantum corpus nutriebat, idque præstitit per quadraginta duntaxat annos. Ad hæc figura erat huius cœlestis panis. Fructus etiam arboris vitæ, atque adeò scientiæ boni, & mali non erant cibi verè absolutè, & simpliciter hominis, nam arbor vitæ tantum corpus nutriebat, nec vt verior ferit opinio omninò immortalitatem conferebat ex D. Thom. 1. p. q. 97. a. 4. fructus verò arboris scientiæ boni & mali: tantum abest, vt fuerit verè cibus hominis, vt potiùs fallax, & mortem afferens dici debeat. Denique cibus beatorum non verè dicitur cibus, quia nec modo corporali sumitur, nec ore manducatur, nec intra corpus recipitur, mitto cibum mundanum, diuitias, honores, quibus mundani homines fallaciter pascuntur. constat enim mortiferos hos esse cibos. His accedunt aliæ rationes quamobrem dicatur iste verè cibus esse, vel, quia, sine vllo dubio est cibus, & potus, cui in- 32.

D

telli-

telligentiæ fauet mirum in modum Hilar. lib. 8 de de Trinit. *de veritate*, inquit, *carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est.* Vel dicitur verè cibus, quia cùm diuinitatem in se habeat eius comparatione res omnes, cibi omnes, picturæ quædam sunt, & vmbræ. Vel dicitur *verè cibus* ab effectu: habet enim proprietates veri cibi corporalis; nam re vera & corporaliter manducatur, ore sumitur, intra corpus manducantis recipitur, delectat, ac recreat manducantem, quod in eo consumptum, & perditum fuerat, suo modo restaurat, & reficit, famem adimit, & molestiam indè prouenientem abstergit, manducantis corpus auget, ac roborat, ac demum vitam longo tempore conseruat & mortem arcet. Hæc autem omnia facit conferendo saltem spirituales effectus similes corporalib⁹ effectibus cibi, & quia hi effectus præstantiores sunt, quàm corporales, ideò etiam respectu illorum dicitur verus cibus. Vel denique dicitur *verè cibus*, id est, non parabolicè ne putarent fortè Iudæi vocatam esse carnem suam à Christo cibum parabolicè tantum, non propriè cibum.

37. *In me manet & ego in illo*] quia hæc est proprietas cibi, vt cum homine coniungatur, & homo cum illo, ideò hunc effectum etiam carni suæ tribuit: *qui edit*, inquit, *carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo*, hoc est, indiuulsè, atque intimè mihi coniungitur, & ego illi, quare ex huiusmodi manducatione & potatione vitam permanentem consequetur ex natura huius cibi.

Patres vt est Hilarius octauo de Trinit. Cyril. lib. 10. in Ioannem cap. decimotertio, hanc vnionem naturalem appellant, vel naturalem Christi participationem. Quarè Cyril. *considerandum*, inquit, *est nõ habitudine solum, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam participatione naturali; nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alij ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtrisq; factum videatur: sic cõmunicatione corporis, & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso.* Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem, & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur. Vide eundē l. 4. in Io. c. 17. vbi item ait: *sicut parum fermenti totam massam fermẽtat, sic paruula benedictio totum hominem in se ipsam attrahit, & sua gratia replet: & hoc modo in nobis Christus manet, & nos in Christo.* Chryſoſ. ho. 60. ad populum Antioche. vnicuique, inquit, fidelium Christus semetipsum per mysterium commiscet, & quos genuit per semetipsum enutrit, nec alteri tradit, hoc tibi rursum persuadens, quod carnem tuam assumpsit. Cyril. quoque Hierosolymitanus catecheſi mystagogica 4. concorporeos, & cõsanguineos Christi per hoc Sacramentum fieri nos docet. Hæc porrò non ita sunt intelligenda, vt velint Patres ex Christo, & nobis vnum fieri ens naturale, sed significant præter vnionem, quæ ratione charitatis, & fidei fit, adesse verè, ac re ipsa Christum in nobis, vt cibum, & potum, qui causa est fidei, & charitatis, & gratiæ, & hic est modus proprius quo Christus per suum Sacramentum est in nobis, & nos in illo.

Sed præterea est Christus in nobis, & non in illo vt amans in amato, & amatus in amante; est autem Venerabilis Eucharist. amoris summi Sacramentum. item, vt inquit Augustinus tract. vigesimoseptimo in Ioannem: *Manemus in Christo cùm sumus membra eius, manet ipse in nobis, cùm sumus templũ eius*, manemus quoque in Christo, vt Sacramenta, siue palmites in vite, vt explicatur Io. 15. vbi Christus Dominus *manete*, inquit, *in me, & ego in vobis: sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sũ vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. si quis in me non manserit mittetur foras sicut palmes, & arescet* &c. Est Christus in nobis ceu caput influens motum, ac vitam, & nos sub illo vt membra sub capite, indè influxum haurientes spiritualis vitæ. Postremò est Christus in nobis, vt anima in corpore. Vt enim hæc vitam tribuit corpori, ita Christus in nobis manens vitam confert spiritualem, & corporis immortalitatem post resurrectionem quidem re ipsa, nunc verò tantum ius nobis impertiens æternæ vitæ.

38. *Sicut misit me viuens Pater*] locus sui subobscurus est, quem Chryſoſt. homilia 46. Theophilactus, Cyrillus libro quarto, capite decimooctauo, Hilarius libro octauo de Trinitate exponunt de Christo, vt Filius Dei est, vt sit sensus; vt Pater vitæ fons, qui misit me, in me manens vitam æternam, atque essentialem mihi communicat per sublimem illam generationem: ita ego fons etiam vitæ, quam à Patre accepi, vt ab ingenito & non aliunde viuente principio manens in eo qui me manducat homine perpetuam illi impertiam vitam. At Augustinus tract. 26. D. Basilius libro quarto, contra Euno. & in Apolo. ad Cæsarianos epistola centesima quadragesimaprima, Ambrosius libro quarto, de fide, capite quinto, & Cyrillus hoc loco interpretantur hunc locum de Christo, vt homo est: Referuntque hæc ad eius humanitatem personaliter diuinæ naturæ vnitam: Vt sit sententia hæc: sicut ego, qua homo sum viuo propter Patrem, id est, propter diuinam vitam Patris (qui fons est vitæ non aliunde illam accipiens) in me personaliter habitantem; ita manducans me viuet propter me, realiter, & corporaliter in ipso habitantem.

Sunt verò hæc ad pleniorem huius expositionis posterioris, quam probo intelligentiam diligenter obseruanda. Primum Græci hunc locum interpretantur τῶ δι᾽ ἐμὲ ἀνὰ τῶ δι᾽ ἐμῦ, id est, per me cùm nos habeam⁹ propter me, quasi dicat, sicut ego per habitantem in me Patrem, à quo per vnionem vitam habeo æternam, ita qui manducat me, viuet per me, quia me vitam, per quam viuit, in se manentem habet: sicut paulò antè dixit, qui manducat me, ipse viuet propter me.

Secundo obseruandum aliquibus tres sententias hic contineri placuisse, & duas comparationes. Prima est, *sicut misit me viuens Pater*. Secunda, *& ego viuo propter Patrem*. Postrema, *& qui manducat me, & ipse viuet propter me*. Comparationes verò has esse volunt. Primam, *sicut misit me viuens Pater, ita & ego viuo propter Patrem*. Alteram, qui manducat me Filium hominis, viuet etiam propter Filium hominis. Cæterum longè mihi magis probatur expositio eorum, qui vnam hic tantum comparationem admittunt, ita vt sit omissa particula, *ita*, more Hebræo, in tertia propositione, sicut cùm dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*. id est, ita & in terra. Hæc autem erit comparatio clare expedita: *sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem*, ita vt hæ propositiones sint connexæ; deindè subnectatur; ita, *& qui manducat me, & ipse viuet propter me*.

Obseruandum tertio, quod doctè obseruat Pererius quadragesima disputatione, in hac comparatione perpendendum esse, & id, in quo fit comparatio, quod est diuinum viuere, & rationem; seu fundamentum, quo nititur comparatio, & hoc est vnio. Viuere porrò diuinum aliter est in Patre, aliter in Filio, aliter in Spiritu sancto, aliter in Christo, vt est homo, aliter in anima

Christi, aliter in nobis. Pater habet ipsum diuinum viuere substantialiter, & infinite non ab alio, nec propter aliud, sed à semetipso; Christus vt Deus istud ipsum Patris viuere habet à Patre, vel propter Patrem per communicationem sc. æternam eiusdem substantiæ; Spiritus sanctus istud idem habet à Patre & Filio per æternam spirationem: Christus iterum, vt homo idem habet etiam viuere, non quidem per essentiam, sed propter hypostaticam vnionem qua fit, vt, quæ sunt Dei propria Christo homini tribuantur. Porrò anima Christi, non hoc ipsum viuere habet substantialiter, & essentialiter, sicut nec creaturæ reliquæ, sed participatum, & per gratiam communicatum, quamuis in hac parte participatum habeat super omnes electos, cùm sit principium, & caput illos viuificans. Idem viuere diuinum, & participatum cæteræ habent creaturæ, quæ Dei gratia fruuntur secundùm suam mensuram; Quod & communicatur per manducationem corporis Christi, & per vnionem, ac visionem beatificam. Denique etiam in resurrectione glorioſa per redundantiam gloriæ animæ in corpus. Hoc ergò est id, in quo posita est comparatio ista, nempè diuinum viuere.

39. *Christus quo modo viuat propter Patrem.*

Restat vt de fundamento comparationis videamus, quod est vnio. Etenim quamobrem Christus viuat propter Patrem vnio facit Patris cum illo: eodem modo vnio Christi, qui manducatur in Sacramento cum ipso manducante, causa est, & ratio cur manducans viuat propter Christum. interest autem plurimum inter has vniones, nam vnio Patris cum Christo, vt Deus est, est vnio eiusdem naturæ, & substantialis per quam eandem omninò vitam Filius habet cum Patre. Vnio Patris cum Christo, vt homo est, & secundùm vitam diuinam quam habet pater, est propter vnionem hypostaticam, quam habet humanitas Christi cum persona diuina: Ita vt personalis vnio sit ratio cur Christo, vt homini tribuatur vita diuina eadem quæ Patris. At vnio Christi cum eo, qui manducat ipsum realis est quidem, ac corporalis, sed non substantialis, vt inter diuinas personas; nec personalis, vt in Christo homine; sed quia realiter ac verè manducatur in Sacramento, & intra corpus recipitur &c. ex his intelligere est vim rationis Christi; loquitur enim de se qua homo est vnitam habens sibi diuinitatem, prout superius declarauimus.

40. Obseruandum est & quartò, non sine causa posita esse illa verba: *sicut misit me* &c. nam cum per missionem, id est, Incarnationem vitam Paternam acceperit, indè fit, vt qui illum manducat, eandem habeat vitam in se manentem. Atque adeò possit ab illo vitam gratiæ obtinere, & ius ad corporis etiam gloriam, & immortalitatem. Et ex istis verbis facilè est intelligere loqui Christum de se, vt homo est ratione diuinitatis sibi vnitæ per Incarnationem.

41. *Conclusio disputationis.*

39. *Hic est panis qui de cœlo descendit*] concludit disputationem, vt rectè notat inter alios Maldonatus reuocans eam ad initium. Dixerant Iudæi, *quod ergò tu facis signum; vt videamus & credamus? Patres nostri manducauerunt manna in deserto* &c. Hinc omnis orta est controuersia. Respondit enim Christus non illum, quem dedisset Moyses, sed quem ipse daturus erat verum esse panem atque cœlestem, in qua re confirmanda, & declaranda hactenùs versatus est. Hoc nunc concludit comparatione huius, & illius panis. Duplex autem differentia assignatur inter vtrumq; panem, ille terrenus fuit, hic cœlestis. Hoc verò dicit cùm ait, hic est panis (de quo loquor) qui de cœlo descendit, non autem ille quem Patres vestri manducauerunt. hoc enim significat ille Hebraismus: A non sicut, id est, non qualem manducauerunt Patres vestri. Altera differentia: quod hic panis vitam manducantibus præbeat cum manna minimè id præstare potuerit. Itaque sic accipe verba: *hic est panis, qui de cœlo descendit*, non similis illi, quem Patres vestri comederunt, qui quoniam cœlestis non erat, seu de cœlo descendens, non mirum quod qui comederint eum, mortui sunt. Quærit Ambros. libr. de Sacr. c. 1. quomodo panis hic de cœlo descenderit. Nam, inquit, caro non descendit de cœlo, quia carnem in terris assumpsit ex Virgine, quomodo ergo descendit panis è cœlo, & panis viuus? Respondet, quia idem Dominus noster consors est diuinitatis, & corporis: quasi dicat ratione suppositi diuini panis de cœlo descendisse dicitur.

Viuet in æternum] vbique vitæ meminit, quia testamenti noui propria: mors enim ablata est, quæ regnabat. quare non mirum, quod olim V. Euchar. vitam vocauerint Christiani in Aphrica, vt docet Augustinus libr. 1. de peccatorum meritis, & remiss. c. 24.

B

42. *Quinque in hoc sermone cõsideranda.*

40. *Hæc dixit, in synagoga docens*] not. quinque posse considerari in hoc Christi sermone, occasionem, locum, auditores, partes, & exitum. Aduerte igitur occasionem sermonis huius de V. Eucharistia sumptam fuisse ex miraculo multiplicationis panum propter quam multi auidè sequuti fuerant Christum corporalis cibi cupiditate attracti; quia ergò & multi erant auditores, & proportio magna inter cibum corporalem, & spiritualem, voluit Christus à desiderio corporalis cibi, ad desiderium cibi cœlestis allicere auditores, sensimque præparare homines ad fidem tanti sacramenti, quod instituere decreuerat, & ne statim exordiretur à reali manducatione carnis suæ, incepit à manducatione spirituali sui ipsius per fidem, & hic fuit ingressus; deindè progressus vlterius adhuc de manducatione sui ipsius spirituali, sed sub nomine tantum *panis* meminit. Tandem delapsus est ad id, quod potissimum volebat, nempè ad tractationē, sermonemque V. Euchar. Sacramenti vbi realiter non spiritualiter tantum manducatur sub nomine cibi, & potus à v. 32.

C

43. Meritò autem priùs egit de spirituali manducatione, quia ista facilior erat ad credendum, & præparabat animos hominum ad intelligendam, credendamque realem manducationem suæ carnis, non ergò mirum si Ioan. miraculum multiplicationis panum reperijt scriptum à tribus iam Euangelistis, quia cum omissum ab alijs sermonem de V. Eucharist. scribere meditaretur, voluit incipere ab occasione, quam sumpserat Christus ad eum sermonem habendum. Locus verò in quo habitus est hic sermo fuit Capharnaum insigne Galilææ emporium, non quidem in eius angulo, sed in synagoga; de auditoribus verò constat non coram turbis modo, sed coram viris sacræ Scripturæ peritis de ea re à Christo disputatum fuisse. aderant 12. Apost. plures etiam Christi sectatores, & discipuli, vt tanto magis hæc doctrina illustrior redderetur, & non esse contra legem Mosis appareret. Partes verò duas continet: prima est velut præludium & parasceue. primùm enim docet Christus se esse cibum fide edendum, & panem; deindè tria prædocet, atque permonstrat de futuro, & hic promisso sacramento, scilicet, quod in eo daturus sit, carnem nimirum & sanguinem suum; necessitatem eius, vtpote sine quo constare non potest vita hominis spiritualis; effectum, manere in Christo, & viuere propter Christum, & vitam æternam habere. successus verò & exitus huius sermonis non vnus fuit. Quidam enim scandalizati retrò abierunt; quidam ei magis adhæserunt, quorum Cori-

D

phæus,

Digitized by Google

phæus, & antesignanus Diuus Petrus fuit, qui dixit: *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes & nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei.*

44. 41. *Durus est hic sermo*] insinuat Euangelista discipulos quoidam Christi, id dixisse eam doctrinam creditu difficilem, quòd scilicet nemo vitam habere posset, nisi Christi carnem manducaret, & sanguinem biberet. Addidisse verò; *& quis potest eum audire*, id est, credere, quâuis maiorem vim habeat *audire*, quàm si *credere* dixisset. Perindè enim est, ac si dicerent, ne cuiusquam quidem aures eum sermonem ferre posse. Hi discipuli non fuerunt ex duodecim Apostolorum numero, vt notant Theophyl. & Euthym. quod ex 47. vers. colligi potest. Immò verò, nec ex 72. nondum enim istos elegerat Christus: licèt id August. aliquàdò & alij videantur affirmare. Videntur ergò fuisse ex multitudine eorum, qui Christum sequebantur, & eum audiebãt, magisque quàm cætera multitudo cum eo versabatur.

Hoc ipsum meritò Caluinistis accidit, quod iis discipulis Christi, ideò enim non credunt realem, ac sacramentalem Christi præsentiam in Eucharist. quia reuera durus illis videtur hic sermo, licèt alias ostendant in speciem caussas; at reuerà Dei omnipotentiam negant, ac proindè durus ipsis hic sermo videtur; sed durities non in Christi sermone, sed in ipsismet, atque eorum mentibus inest; vt vel ipse eorum princeps Caluinus de Capharnaitis hac in re dixit, & ante ipsum, Augustinus.

45. Dum, cur durus visus sit illis sermo, docet: acceperunt, inquit, illud stultè, carnaliter illud cogitauerunt; & putauerunt quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis, & dixerunt: *durus est hic sermo*. Ipsi erant duri; non sermo: etenim si duri non essent, sed mites dicerent sibi: non sine caussa dicit hoc, nisi quia est ibi aliquod sacramentum latens: manerent cum eo, & discerent ab illo.

46. 42. *Sciens autem Iesus apud semetipsum*] id est, nemine indicante; ita enim discipuli inter se tacitè murmurauerant, vt audire Christus non posset. sed Deum nihil est quod lateat. quare peiores sunt Caluinistæ, quàm hi discipuli, illi palam non sunt ausi contradicere: Caluinistæ etiam cunctis audientibus Christum negant, & eius Venera. Eucharistiam tollere conantur.

47. 43. *Si ergo videritis filium hominis*] vtuntur sacramentarij hoc loco, contra ver. in Eucharistia Christi præsentiam: videtur enim Christus hic ex articulo, de futura sua in cælum ascensione, probare voluisse Capharnaitis non fuisse futurum, vt ipsamet eius carò vllo modo hic præsens comederetur. Nam cum illi id esse futurum intellexissent, subiunxit Christus ad remouendum scandalum illius opinionis: *hoc vos scandalizat? si ergò videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius?* quasi diceret, tunc apparebit non ita futurum, vt carnem meam præsentem comedatis: si quidem sublata in cælum non erit hic præsens, vt comedi possit.

Ridiculam sanè, ac planè insulsam loci Euangel. interpretationem, seu peruersionem potius afferunt. Non ita Augustin. tract. 27. in Ioan. qui eo dicendi modo interpretatur, Christum voluisse eam opinionem Capharnaitarũ auferre de modo manducationis, vt sit sensus: cùm videritis me integrum ascendentem in cælum, tunc sanè animaduertetis minimè futurum esse, vt corpore vescamini meo tanquam alijs carnibus in macello concisis.

Non ita Chrysost. hom. 46. in Ioan. vult enim

A significasse his verbis Christum multo maius illorum scandalum fuisse futurum, quando etiam post ipsius assumptionem in cælum oporteret eos credere, in terris quoque eandem Christi carnem præsentem comedi oportere: vt sit sensus: si cum adhuc in terra tantum sum, & non etiam in cælo, hoc vos scãdalizat, quanto magis tunc scandalizabimini, quando ascendero in cælum, & nihilominus credendum erit me in terra præsentem simul esse, vt mea carne vescamini in Sacramento? quod videtur Propheticè dictum etiam à Christo de sacramentarijs. Inficiantur enim illi præsentiam Christi realem in Venerabili Sacramento, quod non amplius in terra nobiscum versetur Christus, sed in cælis sit, remotus à nobis, quod vel ex istò loco colligunt.

Ex quo tamen homines doctissimi, si Deo placet, colligere deberent, posse Christũ in Sacramento
B esse: si enim in cælum ascendit sua virtute Christus, Deus ergo est. igitur & seipsum sub speciebus Sacramentalibus relinquere potuit; reliquisse verò se quomodo potuit clariùs testari, quam dicendo; *caro meo verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, nam si ita non intellexit, quare ergò non exemit ex animis Capharnaitarum hanc opinionem, sed confirmauit potius, sed auxit. cur item in institutione huius Sacramenti illa verba vsurpauit: *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.*

Cæterùm licèt hæ interpretationes August. & 48.
Chrysost. bonæ sint, magis tamen mihi probatur altera Chrysost. eodem loco, quàm sic eleganter, & breuiter explicat Gagnæ. prædixit Christus hoc vos scandalizat, quòd dixerim: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis*, &c. quia natura vobis impossibile videtur, vt hominis caro viuificet, ac durum, vt quis hominis carnem manducet, quod
C præter naturam ista fiant. Quid ergò dicturi estis quando contra omnem naturę vim, ac potestatem me filium hominis, quem modò nihili facitis, in cælũ, vbi prius in natura diuina eram, ascendere, Illucq; humanam naturam inferre videbitis? Est enim particula hęc: *si enim videritis*, eclyptica, supplendumq; est, *quid dicturi estis?* aut quid simile. Non equidem tunc vos offendent verba ista, cùm intellexeritis maiestatem filij hominis super astra ferri. Quid dicetis? qui neque quidquam corporeum cogitare potestis, attolli posse ad cęlum? Itaque proposito futuro miraculo ascensionis voluit fidem eius miraculi, de quo tunc agebat, comprobare. Neque verò necesse est affirmare discipulos istos ascendentem Christum vidisse posteà, quamuis de aliquibus nõ sit absurdum credere; sed satis in die Iudicij id intelligent, ac videbunt cum cernent illum de cælo redeuntem.

D 44. *Spiritus est qui viuificat*] Quadruplex præ- 49.
sertim horum interpretatio afferri solet. Prima est *Varia huius loci expositio.*
vt carnem, secũdùm vsitatum aliàs scripturæ morem, accipiamus pro cogitatione carnali cum Tertull. lib. de resurrectione Carnis; Chrysost. hõ. 46. in Ioan. Cypria. ser. de Cœna Domini; Cyril. Hierosol. Catech. 4. Mystago. &c. & sit sensus: cogitationem illam carnalem, & stultam Capharnaitarum nihil ad rem pertinere, nec prodesse quidquam, cùm scil. falsò putarent, vt August. aduertit tract. 27. in 10ã. & in Psal. 98. Christi carnẽ perinde comedendam esse, atque comeduntur carnes animalium in macello concisæ. Itaque idem est *caro nõ prodest quidquam*, ac dicere: doctrina, quã dedi de carne mea edenda, intellecta carnaliter non confert quidquam: si autem spiritualiter intelligatur tunc viuificat; Eandem expositionem sequuntur cum Chrysost. Theophylact. & Euthy. videtur aũt congruere hæc interpretatio, cum ea sentẽtia, quam Christus opposuit illi insipienti &

carnali cogitationi; *verba, quæ ego loquutus sum vobis spiritus, & vita sunt*, q.d. cogitatio vestra nil cõfert, nil facit ad rem, cum spiritualis omninò, longeque alius fuerit verborum meorum sensus; nam verba, quæ ego dixi de manducanda carne mea, spiritualiter intelligenda sunt, & sic intellecta, vitam afferunt. Quibus Christus noluit significare eo modo sua verba esse spiritualia, quasi figuratè essent accipienda, sed significauit latere ibi mysterium, quod est maximè spirituale, & diuinum, & vitam conferens propter modum, quo Christi caro comeditur in hoc sacramento, vel aliena specie, neque aliud volunt sancti cùm dicũt verba Christi spiritualiter accipienda esse, id est, non carnaliter, nempè quod caro Christi esset edenda, vt carnes animalium, sed inuisibili, & impassibili modo, in mysterio, & Sacramento.

50. Altera expositio est Augustini tract. 27. in Ioan. vt caro accipiatur pro ipsa carne Christi, non simpliciter quidem, sed si modo illo, quem Caphernaitæ cogitarunt sumatur: ait enim Augustinus: *caro non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur.* & hæc expositio ferè in primâ incidit.

51. Tertia est eiusdem Augustini eodem loco, non prodesse quicquam solam carnem sine spiritu, id est, fide, & dilectione, sed cum illis coniunctam vitam dare. Quarta expositio est eiusdem Augustini serm. 2. de ver. Apo. Gaudent. tract. 2. in Exo. Paschasij in l. de corp. & sang. Christi, de carne per se, quæ non prosit: eadem coniuncta cum diuinitate, quæ plurimum prosit, id est, quod, neque etiam fide accedente prodest ipsa per se Christi caro, sed vt instrumentum coniunctæ Christo diuinitatis. Sic enim ait Augustinus, *non prodest quomodo in Macello venditur, sed quomodo spiritu vegetatur.* Et addit: *sic dictum est: caro non prodest quidquam, quomodo dictum est* (1. Corint. 8.) *scientia inflat, & quid est scientia inflat? sola sine charitate. Ideò enim adiungit Apostolus: Charitas verò ædificat. Adde ergò scientiæ Charitatem & vtilis erit scientia. sic etiam nunc caro non prodest quidquam, sed sola caro; Accedit spiritus ad carnem, sicut charitas ad scientiã, & prodest plurimum; nam si caro nõ prodest, verbum caro non fieret, vt habitaret in nobis.* Tantum August.

52. Ex quatuor autem omnibus his interpretationibus quarta maximè mihi probatur, quare sic breuiter simul oẽs connectemus, quælibet .n. ꝓbabilis est, sed secũda ꝓbabilior prima; tertia adhuc magis ꝓbabilis; quarta omniũ ꝓbabilissima; sic ergò accipe, nõ prodesse Christi carnẽ secundùm illam Caphernaitarum cogitationem (quæ est prima Chryſ. & 2. Auguſt. interpretatio) neque etiam prodest spirituali modo sumpta sub aliena scilicet Sacramenti specie, nisi accedat etiã fides, & Spiritus, quæ est tertia expositio; ac ne ita quidem per se prodest, sed vt viuifica est facta per coniunctam diuinitatem cuius est instrumentum, lege epiſ. ad Nestorium, & Anath. 11. in Concil Ephesino.

53. *Verba, quæ ego loquutus sum vobis spiritus, & vita sunt*] horum intelligentia constat ex dictis. Breuiter tamen dico, verba esse spiritum, significare in expositione prima Chryſ. atque altera Augustini non carnaliter esse accipienda de carne manducanda visibiliter, & passibiliter; sed spiritualiter, id est, sub aliena specie inuisibiliter, & impassibiliter in mysterio, & Sacramẽto. quo modo sumpta vitam afferunt si accedat quis ad Sacramenta, vt debet. Vel secundò sunt *spiritus, & vita*, id est, cum spiritu, seu fide coniuncta viuifica sunt, quæ expositio quadrat in tertiam expositionem Aug. Vel tertiò *verba* &c. *spiritus & vita sunt*. i. non sunt de sola, & nuda carne, sed de carne diuino plena spiritu, seu de spiritu viuificante sunt intelligenda.

A *Spiritum* autem, *& vitam*, dixit Hebr. more, pro, de spiritu diuino viuificante, seu Deitate; vt constat ex verbis præcedentibus, quibus ista respondent; *spiritus est, qui viuificat*. nec aliter hæc sunt accipienda, quam si clariius dixisset, verba, quæ loquutus sum, spiritualia sunt, viuifica, salutaria. tunc enim facilè intelligeremus positum esse adiectiuum pro substantiuo, hoc modo, de spiritu & vita, seu de spiritu viuificante sunt accipienda, lege Maldonatum hic Ioannis sexto, versiculo 63. sub finem. itaque positum est substantiuum, *spiritus*, & *vita*, pro adiectiuo *spiritualia, viuifica*, sed in hunc tamen sensum, id est, de spiritu viuificante sunt. quæ loquendi formulæ sunt Hebræis familiares, qui adiectiuum pro substantiuo, & hoc pro illo ponunt non raro, vt Gen. 6. 3. 1. Cor. 15. 50. & supra apud Io. c. 3 6. *quod natum est ex carne, caro est*, id est, carnale est, *& quod natum est ex spiritu, spiritus est*. & hæc intelligentia maximè probatur, B sicut maximè probatur, quarta interpretatio præcedentium verborum ex Augustino vt habes n. 52. cui adaptatur hæc tertia intelligentia horum verborum posita n. 54.

Quoniam enim dixerãt discipuli Christi, *durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* durum autẽ dicebant sermonem, quia dixerat, neminem vitam habere posse nisi carnem suam manducaret, ideò docuit hoc v. Christus qua ratione caro sua vitam tribuat, neque id impossibile fit, scilicet, non quia caro, sed quia cum spiritu, id est, diuinitate coniuncta est. Noluit autem Christus neque mens eius erat hic respondere propriè ei murmurationi, quæ iam longè præcesserat: *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* quasi velit hic docere modum comedendi carnem suam sub aliena specie, quod tamen maximè spectant auctores primæ & secundæ expositionis, Chryſost. & Aug. & alij: sicut nec mens Christi erat hic ostẽdere, qua animi præparatione, id est, fide sumenda esset caro sua, vt prodesset, quod tamen tertia Aug. interpretatio sequitur; ob id quartam interpretationem magis approbauimus.

55.

56. Durũ Christi sermonem cur Iudæi putarint.

45. *Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt*] Auguſt. sic: *causam dicit quare non intelligant, sed scandalizentur: ait enim Propheta: nisi credideritis non intelligetis, aduersarius est, qui non credit, radio lucis, quo penetrandus est; non aduertit autem, sed claudit mentem; credat, & aperiat, & illuminabitur.* sed, aduersatiua particula est q. d. murmurationis, & retrocessionis istorum non ego, sed eorum incredulitas causa est. illa verò, *non credunt*, non præsentem fidem solum negant, sed permanentem infidelitatem indicant q. d. nõ sunt de numero eorũ, qui crediturí sunt, sed suo vitio perseueraturi in infidelitate; nec dixit Christus, sunt quidam in vobis, qui non intelligunt, nec capiunt hæc, sed *qui non credunt*, quia vult aperire causam, cur non intelligant non esse ex natura rei, & impossibilitate, vel duritie sermonis, sed ex illorum incredulitate; credant, & intelligent. D

Ab initio] scilicet conuersationis cum discipulis; vel ab initio Incarnationis suæ, vt homo; vel ab illo initio, de quo *In principio erat Verbum*, si de Christo loquamur, vt Deus est. *Qui essent non credentes*] qui crediturí non erant in eum, sed perseueraturi in infidelitate: vndè patet superiꝰ hoc eodem versu, *non credunt*, idem esse, ac qui non essent crediturí, id est, esset perseueraturi in infidelitate. Hæc verò posteriora verba, per parenthesim dicta sunt, redditur .n. ratio ab Euangelista cur dixerit Christus, *sunt quidam ex vobis qui nõ credunt.* Redditur etiam & per hęc causa sequentium, in quibus prædicitur vnus ex duodecim diabolus esse: ita vt illud, *non credentes*, referatur præsertim ad discipulos

Digitized by Google

pulos non credentes, & qui retrò abierant. Illud verò; *& quis traditurus esset eum*, referatur ad vnũ ex duodecim q.d. Ioa. nil mirum, quod omnia hæc diceret Christus, quia ab initio sciuit ea.

46. *Propterea dixi vobis*] perinde est, ac si dicat non sine causa, id vobis dixi, noueram enim vos à Patre non trahi, sed vestro sensu duci, ob id ad me venire non posse. hoc licet Christus totidem verbis, & expressè dixerit, voluit tamen significare, cùm dixit, *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. idem autem est trahi, vel dari à Patri.

47. *Abierunt retrò*] Illud *ex hoc* intelligendum est ex hoc tempore. Non autem significat quod ex occasione verborum proximè dictorum à Christo retrò abierint, quia scilicet dixerit Christus illis, *sunt quidam ex vobis qui non credunt*: sed causa cur retrò abierint fuit, quia dixerat: *nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis, &c. non habebitis vitam in vobis*. Porrò quid sit retrò abijsse explicat Euangelista, cùm ait, *& iam cum illo non ambulabant*, quia suspectam & falsam iudicabant eius doctrinam, ita vt & animo & corpore à Christo desciuerint. sunt qui illud *abierunt retrò* referunt ad animum, sicut nõ ambulare cum illo ad corpus, sed eodẽ res reuoluitur siue hoc, siue illud dicas.

57. 48. *Dixit ergo, &c. nunquid & vos*] quædam allusio est in voce *ergò*, ad reliquorum discipulorũ retrocessionẽ videbat Christus à se illos recedentes, rogauit duodecim, num & ipsi abire vellẽt, & hanc vim habent illa: *nunquid & vos*. sed cur inquies interrogat? nunquid eorum voluntatẽ ignorabat? Resp. cum August. vt eorum fides appareret, eamq; nos imitaremur; cum Chrysost. & Euthy. ne vi eos retinere videretur, cum eisdem, ac Theodoro Heracleensẽ, Leontio & Theophy. vt ostenderet se eorũ opera, & ministerio non indigere; cùm Cypriano lib. 1. ep. 3. sic dixit Christus seruans, scil. legem, qua homo suæ libertati relictus, & in arbitrio proprio constitutus sibimetipse, vel mortem appetit, vel salutem; cùm Cyril. & Rup. vt eos magis in fide confirmaret; ideò abeundi facultatem facit; cum eodem Cyrillo, ne putarentur Apostoli non tam certo consilio, quam ignorantia, vel verecundia non abijsse. lege D. Prosp. p. 2. de promiss. cap. 28.

58. Quamobrem ergò dices Ecclesia cogit baptizatos per vim ne recedant à fide? Resp. Christus his verbis, & hac interrogatione, id agebat, vt maximè horrere se indicarent Apostoli ab illo recedere, & eos magis sic cõfirmaret in fide. sciebat enim quantam in illum fidem haberẽt, quantumq; amarent ipsum, & proindè discedere ab eo formidarent. quod & responsio D. Petri indicat. Deindè Christus Dominꝰ erat etiã Sabbati, qui hac in parte dispensare poterat, nobis non licet. Postremò vti debuit hoc dicẽdi modo hoc tempore, his circumstantijs propter superiùs allatas rationes à Patribus num. 57.

59. 49. *Domine ad quem ibimus*] in primis obserua illud *ergò*, quod hæc præcedit poni pro *autem*. Deindè obserua Petrum nomine omniũ respõdisse secundùm Cyrill. quod Apostolorum esset princeps. secundùm Chrysost. & Theophy. propter charitatem, qua fratres amabat. hinc non dixit, quo ibo? neq; credidi, cognoui? sed *ibimus, credimus, cognouimus*. secundùm alios, quod plus cæteris haberet fidei. Obserua tertiò, duas causas attulisse D. Petrũ, cur nollent à Christo separari. prima est, quod non sit ad quem fugiant, alius in quo vitam inuenire possent. altera, quòd Christus verba vitę æternæ habeat. i. talia verba, quibus quisquis crediderit vitam sit habiturus æternam si velit; esse enim in eo fontem bonorum omnium, quæ in æterna vita

A nobis promittũtur q.d. quod postea dicturus erat, *Domine, bonum est nos hic esse*, & tunc nescions quid dicat, loquetur, nunc verò sapientissimè, & sentit, & dicit. Videtur autẽ cum inquit, *verba vitæ æternæ habes*, vt inquit Chrys. alludere, ad id quòd dixerat Christus, *verba, quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt*.

Piè satis August. 4. confess. c. 10. inquit, ostẽdens quam miserũ sit à Deo recedere: *quaqua versum se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi, præterquam in te*. & 6. confess. c. 16. *væ animæ audaci, quæ speranit, si à te recessisset, se melius aliquid habituram. versa, & reuersa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies*. lege Cyprian. lib. 1. ep. 4. & l. 4. ep. 9. 60.

Roget quis cur tantam Petri fidem non laudarit hic Christus, sicut illam laudauit: *tu es Christus Filius Dei viui*. quærunt hoc Chrysost. Theophyl. & Euthy. & respondet Theophy. ne illi propterea quod alijs deserẽtibus in fide perstiterat, assentari videretur. Respõdet Euthy. quem sequitur Maldo. quia illic Matthæi nimirum 16. 16. suo; hic nomine omnium respondit. verùm id non placet, nam vt Hierony. eo loco Matt. notat, etiam illam Petrus confessionem nomine omnium Apostolorum fecit, vt interrogatio Christi indicat. si enim interrogauerat: *vos autem quem me esse dicitis*, & statim respondens Simon Petrus dixit, quasi suo, & aliorum nomine: *tu es Christus filiꝰ Dei viui*. Mihi igitur Theophy. respõsio probatur, quamquam dici etiam potest, speciali quadam Dei reuelatione factam esse illam confessionem, & Christo ipso interrogante. præterea non sine intimo Petri animi sensu, & singulari quadam pietate. 61.

50. *Et nos credidimus & cognouimus*] non dictũ est cognouimus, & credidimus, quia vt inquit August. Cyrill. Beda, Ruper. nemo potest diuina mysteria intelligere, nisi prius credat Isai. 7. 9. secundum 70. vide Iansen. Maldo. dicit adieciſſe, *& cognouimus*; quod cognoscere euidentiorem, quam credere significet cognitionem, & certiorem persuasionem q. d. reipsa experti sumus. propterea quoque prius dixit *credidimus*, postea *cognouimus*. Plus est enim cognoscere, quam credere, & debuit oratio crescere. Loquitur autem per tẽpus præteritum, vt ostẽdat ipsos non id modo ex Christi sermone, sed iam diu longa experientia didicisse. 62.

Tu es Christus filius Dei] Gr. ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, *Christus ille Filius, ille Dei*, vt significare voluerit Petrus secundùm Cyrill. & Leontium singulari, & propria quadam ratione appellari ipsum Christũ, & Filium Dei, non vt Sacerdotes, vel Reges, vel Prophetas, neque vt alios Sanctos.

51. *Nonne ego vos duodecim elegi*] Ne reliquis discipulis abeuntibus, & solis duodecim remanẽtibus, ipsi tanquã de sua firmitate cõfisi insolescerent, cautiores illos reddens, ait: *nonne ego vos duodecim elegi*, q.d. reliquos, qui abierant non elegeram, quapropter mirũ non est si verbo meo offensi retrorsum abierunt, cum ex vobis, quos elegi vnus sit Diabolus. Nolite ergò gloriari, & præferre vos alijs, nec vobis ipsis fidatis, cum sit, & inter vos qui sit futurus diabolus, hunc autẽ tudam intellexit, quanquã nominare noluit, vt tacito nomine cautiores à malo, minusq; ad se fidentes singulos redderet. Aduerte quòd licet Christus præsenti tẽpore loquatur: *ex vobis vnus diabolus est*; probabilius videtur ad futurũ respexisse, vt Euang. significat, cùm ait *erat traditurus eum*, & hæc videtur esse vera expositio huius loci, quæ est Cyrilli, cum qua simul stare potest id, quòd dicit Chrys. cum Theophy. & Euthym. vt simul voluerit Christus corrigere sententiã Petri cũ omnium nomine affirmauit *nos credidimus & cognouimus*, &c. quasi omnes duodecim

discipuli essent in fide firmi, & stabiles futuri. Respondet Christus non ita esse, vnum reperiri inter alios diabolum &c. Potest & cum eadem expositione stare quod Maldonatus ait; voluisse Christum ostendere, alios se Apostolos elegisse, quam quidam illorum esset futurus. Elegisse se omnes bonos, etiam Iudam: at mutandum esse, & proditorem futurum.

63. *Iudas quomodo diabolus.*

Sed quomodo, inquies, *diabolum* vocat Iudam? Cyrillus, & plures alij tradunt Iudam appellatum esse *diabolum* μφατικῶς, scilicet ad exaggerandam eius malignitatem, atque malitiam, quod ea diabolica magis censenda sit, quam humana. sic nos perditissimos homines vulgò *diabolos* vocamus; nam quemadmodum, vt inquit Cyrillus, *qui adhæret Deo, vnus spiritus fit cum eo:* ita & qui penitus adhæret diabolo, & ipse fit diabolus. sic item accipiũt diabolum Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, quos sequitur Petrus. Vocat ergò *diabolũ*, non quod natura, sed per imitationem diabolus sit. Itaque secundùm hanc expositionem diaboli nomen vt proprium sumitur. Alij quidam arbitrantur hic, diaboli nomen esse commune, significans calumniatorem, quia, vt inquit Hieronym. in Comment. in Matt. Iudas calumniabatur miracula Christi, existimans ea magicè fieri. vide de hac re superius c. 12. The. 2. n. 6.

64. *Cur sit à Christo appellatus.*

Sed cur, inquies, sic nominauit? Respondeo primùm quòd videatur allusisse ad casum diaboli de cœlo. quasi Apostoli oēs electi boni fuerint, vt angeli boni conditi; & tamen vnus diabolus scilicet, *in veritate non stetit*, sicut & nec Iudas. Deindè voluit, arbitror, diabolum Apostolis opponere: quasi dicat, vnus diabolus erit de Apostolo futurus. Quid autem est Apostolorum muneri eam cõtrarium, quàm officium diaboli; & tamen in hunc ille de Apostolo mutabitur. Denique addi potest, quòd sicut diabolus ab initio homicida fuit, quòd decreuerat Christum interficere, & in membris persequi: ita Iudas à Deo deficiens ad impiorum partes, futurum erat, vt Christum quæreret interficere, & tandem neci dare.

65. *Iudas quomodo electus.*

Postremò si roges quomodo dicatur Iudas electus esse à Christo, cùm ex ijs quos elegit nullus perierit: dixit enim: *ego scio quos elegerim* Io. 13. 18. Respondeo, electum esse Iudam ad Apostolatum quidem, non autem ad gloriam, de qua tamen electione ad gloriam loquutus est Christus Io. 13. sicut & alibi. Quanquam D Augustinus respondet, Christum cùm hic dixit; *nonne ego vos duodecim elegi*, non esse loquutum de illis duodecim personis, sed de numero duodenario, qui etiam deficiente Iuda deficere non debebat, nec deperire; ita enim factum est, vt in locũ Iudæ D. Matthias suffectus fuerit. Sed illa particula *vos*, cùm Christus ait, *nonne ego vos duodecim elegi*, satis declarat de personis esse sermonem.

53. B. *Et cùm transfretassent, venerunt in terram Genesareth*] Huc pertinent ea verba, quamuis à reliquis Euangelistis præmissa fuerint; quia non scripserunt Christi sermonem de Venerabili Eucharistia apud Capharnaitas habitum, quem Ioānes addidit. Post hunc ergò sermonem Capharnao in terram Genesareth, vt vocat Marcus, vel Genesar vt Matt. transfretarunt.

66. *Terra Genesareth quæ.*

Quæ iam fuerit terra *Genesar*, seu *Genesareth* in controuersiam vertitur. Lyranus, Matt. 14. & Mar. 6. *Genesar* arbitratur esse Gerasænorum regionem, ad quam Christus transiecto mari Galilææ transnauigauit Matt. 8. Bedam sequitur Mald. Mat. 14. verùm Barradius contendit, terram *Genesar* fuisse eis mare Galilææ. Quod testimonio Iosephi confirmat, qui l. 3 bel. c. 18. scribit: ad locum Genesar eiusdem nominis terra prætenditur, natura simul, & pulchritudine admirabilis. Præter aeris lenitatem fonte irrigatur vberrimo, qui Capharnaum ab indigenis appellatur. longitudo autem regionis secundùm littora cognominis lacus triginta stadijs extenditur, & latitudo viginti: sic Iosephus, in hac autem plaga erat Bethsaida, & alia oppida. Hæc sententia mihi videtur longè verior esse; itaque non ad Gerasænos transfretatum est nunc ab Apostolis, sed in regionem hanc.

67. Ceterum aliquid addit præterea Barradius cõtra ea, quæ superi' à nobis stabilita sunt c. 19. n. 5. 6. in Schol. cùm exponentes verba Io. c. 6. *abijt trans mare Tiberiadis*, affirmauimus non abiisse Christũ in partem maris Galilææ oppositam Bethsaidæ, quod erat cis mare Galilææ, quod confirmauimus etiam c. 21. n. 1. & 2. sed vrget nos Barradius Apostolos dici nunc transnauigasse ex vlteriore scilicet ripa, vbi erant, & quo abierant cum miraculum multiplicationis panum factum est, in terram Genesar, quæ erat in citiore parte maris, vt ex Iosepho liquet. sic. n. expresse docet Matt. c. 14. 34. & Marc. 6. 53. vt hic habes v. 53. transfretasse Apostolos. & hinc inquit Barradius intelliges, illud Marci 6. 45. *& statim coegit discipulos suos ascendere nauim, vt præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam.* Cùm enim Bethsaida in regione Genesar esset qui versus Bethsaidam facto miraculo multiplicationis panum nauigabant, in terram Genesar nauigabant. Ioannes verò capite sexto, decimoseptimo dicit, venisse Apostolos Capharnaum; nam ea ciuitas. In eadem erat ripa; & ita omnia cõstant. sed hæc meo Iudicio non est difficile dissoluere, si diligenter aduertamus; primum ea quæ diximus capite decimo num. quadragesimo secundo, in latere occidentali maris Galilææ fuisse Corozain, Capharnaum Bethsaidam. Magdalum, Tiberiadim; ita vt Corozain esset versus orientem magis, quam reliquæ, sicut & Bethsaida erat magis ad septemtrionem, quam Tiberias: Deinde si in memoriam reuocemus illud quod diximus capite decimonono, num. quinto, nimirum desertum Bethsaidæ, vbi miraculum panum factum est, esse locatũ inter Tiberiadem, & Bethsaidam; trans mare autem dici, quia traijciendus erat sinus aliquis, vel dorsum maris Galilææ, seu lacus, vti loco citato, numero sexto diximus, vt quis traijceret de Tiberiade, vel locis finitimis ad desertum. Iam ergò respondeo Christum sermonem habuisse Capharnai, indè quia sinuosus erat locus dicitur transfretasse in terram Genesar, vbi quoque erat Bethsaida.

68. Quod autem superius capite vigesimo, huius libri versiculo secundo dicitur compulisse Dominum discipulos suos ascendere in nauiculam & præcedere eum trans fretum ad Bethsaidam; & quod versiculo quinto ex Ioanne refertur venisse trans mare in Capharnaum; rectè consentit cum nostra hac opinione, nam à deserto illo soluentibus post panum multiplicationẽ, seu à mari adiacente oportebat, quo Capharnaum venirent, versus Betsaida nauigare recta via; prius enim occurrebat Bethsaida, quæ erat magis occidentalis, quam Capharnaum, quo tandem statim appulsa fuit nauicula ingresso in eam Christo, vbi habuit sermonem; quo denique absoluto transfretauit cum discipulis versus Bethsaida in terram Genesar; nihil igitur remorari nos debet Iosephus cum neque ab illo recedamus, quamuis nec sequamur illorum opinionem, qui transfretasse sentiunt nũc Christum absoluto sermone verè in vlteriorem lacus ripam ad Gerasænos.

55. *Et cùm cognouissent*] Indigenæ regionis Genesaris in omnes regiones nuntios misérũt, qui ad cœlestem summumque medicum ęgrotos accer-

Digitized by Google

ſerent, vt Matth. indicat hoc ver. vt verò Marc. ait hic ver. ſeq. quidam alij regionem illã vniuerſam percurrentes, *cœperunt in Grabatis eos, qui ſe malè habebant, circumferre.*

69. Meritò igitur Hieronymus ait: *vide quanta ſit fides hominum Geneſareth; vt non præſentium tantum ſalute cõtenti ſint: ſed mittant ad alias per circuitum ciuitates quo omnes currãt ad medicum.* Notent hoc, qui ſaluti proximorum ſtudent, & altius menti infigant, vt omni ſtudio quotquot poſſunt ægrotos, id eſt, animi morbis laborantes, ad Chriſtum adducant curandos.

57. *Et quocunque introibat*] Cùm Chriſtus Dominus per tranſiret vicos, & ciuitates, & varia loca obiret in plateis, per quas præteribat, ponebantur ægri, vt illos conſpicatus Chriſtus ſanitati reſtitueret. & illum mirũ in primis, oraſſe illos homines, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent, & quotquot tangebãt incolumitati reſtituebãtur.

70. *Non præmittam hic attexere quæ ſapienter, & ad rem ſatis accommodatè ſcribit Mald. cap. 14. Matt. ver. 36. verendum*, inquit, *eſt, ne Chriſtum etiã Caluinus reprehendat, quod Geneſarænorum ſuperſtitionem in fimbriæ Chriſti tactu factis miraculis cõfirmaſſe videatur, & nos in ſimilem errorem, Sanctorum reliquias venerandi, induxiſſe. ſed cùm hoc non poſſit dicere, dixit tamen non eſſe imitandum, quod non ordinarium, ſed extraordinarium ſit exemplum; ſed cum ordinarium ſit, quod quotieſcumq; fit, miraculum ſequitur: patet & hoc factum miraculum ordinarium fuiſſe. Nam hic quicumq; tetigerũt ſalui facti ſunt, & Hamorrhoiſſa tetigit, & curata eſt. quid ergo eſt ordinarium ſi hoc non eſt? Adijciam quod valdè Caluino doleat, Chryſoſt. ſcribit hoc loco, nos non ſolum fimbriam, ſed totum Chriſti corpus in Euchariſtia apud nos habere; ſi illi qui fimbriã tangebant ſanabantur, quanto magis nos ſi Chriſti corpus tangamus? Narrat Gregor. Nazianz. orat. Funeb. pro ſorore Gorgonia eam tactu Euchariſtiæ à grauiſſimo morbo fuiſſe curatam.* ſic ferè Mald.

71. Adiiciam quod & Gagnæus eodem Matt. capite ſub finem annotat. *Geheſar*, inquit, *ſecurus interpretatur vt intelligamus, Eccleſiam poſt varias, & Tyrannorum, & Hæreticorum perſequutiones duce Chriſto ad ſecuritatem peruenturam, quam Chriſtus de perſequutione, & naufragio liberatam traducat ad littus, & in trãquillo portu quieſcere faciat. vel vt ait Hilar. finitis legis temporibus, & ex Iſrael quinque millibus virorum intra Eccleſiam collocatis: Iam credentium populus occurrit: iam ipſe ex lege per fidem ſaluus, reliquos ex ſuis infirmos, ægrotosq; offerens Domino, oblatiq; fimbriam veſtimentorum contingere optabant, ſani per fidem futuri;* Et hic finis eſto Scholiorum libri 4. Dilucidationum. Reſtant Theoriæ.

THEORIA PRIMA.

Quod in hoc ſermone agatur non modo de manducatione Chriſti ſpirituali per fidem; ſed etiam à ver. ſaltem 32. de reali, & ſpirituali ſimul carnis Chriſti manducatione, & ſanguinis potatione.

1. VIDENDVM eſt hic, an de Sacramento Altaris ſit hic ſermo, & de reali eius manducatione, non modò ſpirituali. Hanc n. controuerſiã ſuperiùs huc reiecimus. & verò ſi Patrum vnanimẽ conſenſum intueamur, ſi Concilia, ſi Eccleſiæ vſum, ſi horum textuũ, quos verſamus, circumſtantias perpendamus; nullus meo iudicio relinquetur dubitandi locus, quin in poſteriori huius ſermonis parte, quæ incipit ab illis verbis: *Et panis quem ego dabo caro mea eſt, pro mundi vita*, vt habes hic ver. 32. & apud Ioa. v. 52. de Venerabili Euchariſtia, & de ſpirituali, ſimulq; reali manducatione corporis Chriſti, quæ fit in Eccleſia agatur. Et quidẽ Concilia, & Patres cum Eccleſiæ vſu, quæ feſto die Corporis Chriſti hoc Euangelium legit; vide apud Franc. Suar. d. 46. ſec. 2. tom. 3. & apud Maldo. hic Ioan. 6. v. 53. noſtrũ erit, vt veluti proprijs argumentorum machinis contrariam ſententiam oppugnemus, quod fiet conſideratis circumſtantijs huius litteræ.

2. Porrò in contrariam partem abierunt Caietan. & ſuper hoc loco Io. & in 3. p. D. Thom. q. 80. art. 12. & Ricardus Iaper. 2. tom. articulorum Louanienſiũ art. 15. & Turrecrem. tract. de Eccleſia. In quam etiam ſententiam propenſus videtur Thom. Valden. 2. tom. de Sacramentis, cap. 92. & Nicol. de Cuſa ep. 7. ad Boẽmos. Gab. l. 84. in Cano. Ioan. item à Louanio l. de Communione ſub vtraque ſpecie, & Ianſen. c. 59. concor. idem ſequuntur.

3. Principiò conſtat ex Auguſt. lib. 3. de doct. Chriſtiana, cap. 10. Epipha. contra hæreſim 61. Baſil. orat. 9. in Exame. Tertull. libro de carne Chriſti, verba Scripturæ propriè accipienda eſſe, ſi cõmodè poſſint. i. niſi cum manifeſta falſitas, vel abſurditas ſequeretur, ſi ſecundùm ſenſum literalem ſumerentur. At nihil eſt in his verbis, vel in tota Scriptura, quod obſtet, quo minus ea ſaltem, quæ hic à verſu 32. dicuntur de Venerabili Euchariſtia, vt propriè dicta accipiantur. Et certè cùm in illo textu *niſi manducaueritis* &cæt. præceptum contineatur, vnde magna in omne hominum genus vtilitas ſit profectura, licèt contra ingens detrimentum, quis ſanæ mẽtis dicat in re tanti momenti, figuratam, & Metaphoricam, & non potiùs propriam eſſe vſurpatam à Chriſto loquutionem? Deindè cur quæſo in futuro hic loquitur Chriſtus dum ait: *panis quem ego dabo*, &c. cùm prius præſens vſurpans tempus dixiſſet: *ego ſum panis viuus*, &c. niſi quia priùs Metaphoricè loquutus fuerat de ſeipſo comedendo per fidem; iam verò ſenſim veluti gradu facto de carne ſua in Sacramento, loquatur? propterea non inquit; panis, quẽ ego do, ſed *quem dabo*. etenim daturus erat in vltima cœna; quando ſumptum panem, actis gratijs *fregit, deditq; Diſcipulis*, & ait, *accipite, comedite, hoc eſt corpus meum*. Quod ergò in cœna exhibetur, hic promittitur, & ideò per futurum loquitur. Nec dici poteſt loqui Chriſtum hic de ſe, vt obiectum fidei eſt, & amoris. Iam enim hoc modo datus erat ad manducandum, ſcil. metaphoricè; præterquã quod etiã ſic loquutus fuerat ſuperiùs. Nec valet ſi interpreteris: *quem ego dabo*, ſcil. ad mortem. nam ex verbo panis, qui dari ſolet ad comedendum, & ex verbo comedendi, & potus toties repetito, liquet non poſſe ſic accipi.

4. Eſt & altera ratio addens etiam præcedenti vires: conſueuerat CHRISTVS ſumma myſteria ſua, & præcipua, quæ poſtea inſtituturus, vel obiturus erat, prædicere, vel etiam polliceri, vt vel hinc conſtaret, non caſu ea contigiſſe, ſed ſuo conſilio, & vt ad ea facilius intelligenda præpararentur homines. Ita ſæpiùs Paſſionis, & Mortis, Aſcenſionis,

& resurrectionis mysteria prædocuit, & aduentum Spiritus sancti. Similiter & Petro claues prius promisit quam exhibuit. Credibile est igitur idem facere voluisse in hoc tam admirando, tam excelso, tam suprà hominum captum mysterio, & Sacramento.

5. His accedit, quod tam plana sunt Christi verba vt cæcutire oporteat eos, qui negent, & Iudæis tardiores esse ad intelligendum. Intellexerunt illi de corporali manducatione loquutum; ac proindè dixere mente quidem incredula; quomodo potest hic carnem suam &c. tantum autem abest vt Christus sustulerit eam intelligentiam, vt confirmarit potiùs, tum addendo præceptum: *nisi manducaueritis* &c. tum aperiendo fructum tanti Sacramenti: *qui manducat meam carnẽ*, &c. tum præcipuè paucis verbis mentem suam sub finem sic aperiendo: *caro mea verè est cibus*; quibus verbis non video, quid clarius desiderari debeat. Illud verò & hanc nostram sententiam maximè corroborat, quod si de fide in se ipsum ageret, Christus nunquam certè tam obscuris, & trãsumptis verbis vteretur. Cur. n. id faceret? nunquid vt auditores in errorem labi cogeret? Neque toties manducãdi, & bibendi, cibi & potus voces vsurparet, præsertim animaduertẽs iudæos in alium sensum ea verba rapere.

6. Sed vrgeamus presius hãc rem ex sensu litterali: is sanè censeri debet literalis sensus scripturæ, iuxta quem quod ibi traditur & clarius, & plenius adimpleri cernitur. Cùm itaq; Christus in hac alterâ sui sermonis parte agat de manducatione carnis suę, & potione sanguinis, & promittat se daturũ illam in cibum, & hunc in potum; hoc autẽ longè clarius, & perfectius impleatur per sacramentalẽ, & realẽ, simulque spiritualem mãducationem, & potionem, quã per solam spiritualem: consequitur Christum de illa hìc egisse. Meritò, inquit Maldonatus capite sexto Ioannis vers. quinquagesimotertio *nõ satis recti esse iudicij, cum Christus Sacramentum instituerit, in quo sub vero cibo, & potu verâ carnem, & sanguinem suum nobis dederit de morte interpretari, vbi mataphoricè manducatur, & bibitur, de Sacramento autem, vbi verè manducatur, & bibitur non interpretari.* hoc apud Catholicos valet plurimum, sed & hæreticos rèfellit, licèt negent in Sacramento corpus Christi edi, & sanguinem bibi: nam fingamus ita esse, quod tamen falsissimum est, certè hoc negare non possunt, per verum cibum, id est, panem, ac verum potum, id est, vinum, sumi corpus, & sanguinem Christi, quomodocunq; id sit. *Hoc igitur ipsum peruersi ingenij est, cùm sit Sacramentum, vbi verè manducando sumamus carnem Christi, & verè bibendo sumamus sanguinem, quomodocunque id sit: non de hoc Sacramento, sed de morte Christi, vbi nihil propriè, ac verè manducamus, aut bibimus, intelligere.* sic ferè Maldo.

7. Postremò illud non paruum habet momentum ad eandem rem constabiliendũ, quod mouit Aug. l. 3. de conse. Euang. c. 1. si enim hic nõ agit Christus de V. Euch. nusquam Io. docuit, in tota Euang. historia quidquam de V. Sacr. At quia hic de promissione eius scripserat, quã reliqui prętermiserant Euangelistæ ea sola cõtentus exhibitę Eucharistiæ enarrationem, cę-

A teris Euangelistis reliquit. Quomodo rectè omnia quadrant. nam quod hic promissum scribitur à Io. vt iam exhibitum declaratur à reliquis Euangelistis. Et confirmatur hæc ratio; nam si hoc loco de Eucharistia non agitur nusquam igitur quidquam præcipitur de hoc Sacramento, eiusque perceptione, nusquam mentio fit gratiæ, quæ per hoc Sacramentum confertur, nusquam memoratur quidquam de innumeris fructibus, ac cœlestibus donis, quibus fruuntur, qui sanctè hoc V. Sacramentum adeunt; quæ quidem omnia in prętéritis esse relicta à cunctis Euangelistis ille demum sibi persuadeat, qui vel parum in hoc Sacramentum est affectus, vel Satannico, & Hæretico spiritu illud non credit.

B At non omnes auctores ita sensére, non Augustinus, non Innocentius, non reliqui posteriores, de quibus supra n. 2. dictum est. fateor; verùm respõdeo, hos posteriores auctores excusari, quia bona fide in tam absurdam opinionem deuenerunt, quo facilius satis facerent ijs, qui ex hoc loco communionem sub vtraque specie astruere conabantur, qua de re paulò pòst. Concilium certe Tridentinum, sessione duodecima, capite primo indicat, integrum esse hunc locum non vno modo interpretari iuxta diuersas Sanctorum Patrum expositiones. Sed hoc ita intelligendum esse videtur, vt vnus sensus, alium non excludat: vel certè, vt iuxta omnes verum sit, non esse eo loco prę-

C ceptam communionem sub vtraque specie singulis fidelibus. Hoc enim est quod ibi agit Cõcil. sic enim ibi habetur: sed neque ex sermone illo apud Ioannem sexto, rectè colligitur vtriusq; speciei communionem à Domino præceptam esse, vtcumque iuxta varias Sanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes intelligatur.

At vrgent Augustinum, & Innocentium aliter sentire: ille libro tertio, de doctrina Christiana capite vigesimosexto, *si*, inquit, *præceptiua loquutio est, aut flagitium, aut facinus vetans: aut vtilitatem, siue beneficentiam iubens non est figurata loquutio. si autem flagitium, aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem, & beneficentiam vetare, figurata est loquutio: qualis est in illis verbis Domini, nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. Facinus enim, vel flagitium videntur iubere:*

D *figurata igitur est oratio præcipiens Passioni Domini esse communicandum, & suauiter, atque vtiliter recolendum memoria, quia pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata est.* Ianse. 59. concor. vadè hoc vrget. Sed certè non video quid roboris habeat contra nostram sententiam, nam si propterea hæc Domini dicta non sunt propriè, sed figuratè accipienda; quia videtur iubere aliquod flagitium, vel absonum, ergò etiã loquutio Christi in vltima cœna cùm dixit: *accipite, & manducate, hoc est corpus meum*, figurata erit, cum similiter quid absurdum, immò, & flagitium eodem modo præcipi videatur. Quod tamen Ianse. nulla admittet ratione. Deindè cum multis alijs locis Augustinus ex hoc Ioannis testimonio probet, Eucharistiam etiam infantibus esse necessariã, constat ipsum nõ id velle, quod illi ipsi tribuunt, quasi putarit non agi

hic

hic de vero Sacramento Eucharistiæ. Mens ergò Augustini est, non ita esse edẽdum Christum vt prius eum occiderimus; deindè eius carnem in frusta concisam ederimus: hoc enim flagitium est. Quòd ergò dicit Christus *nisi manducaueritis*, &c. vult esse Augustinus figuram mortis, non veram mortem, quasi debeamus Christum occidere, vt edamus, sed debere nos, sumendo videlicèt Eucharistiæ Sacramentum, occisionem Christi figura quadam repræsentare. Figuram item mortis Christi esse vult: id est, debere nos mortificare, quod est genus mortis quo Christum occidimus, vt benè eius carne vescamur in Sacramenti sumptione, adimplentes quæ desunt passionum Christi in carne nostra pro corpore eius, quod est Ecclesia. Quod ferè idem habet Bernardus sermone tertio, in Psalmum Qui habitat. Tantum enim videtur significare cum Augustino, quòd cùm realiter, & Sacramentaliter sumimus in Sacramento Christi corpus, debemus etiam spiritualiter sumere. Ita vt excludere velint illam sumptionem corporis, vel sanguinis, prout Capharnaitæ intelligebant, simulque illam, qua tantùm Sacramentaliter, & realiter sumitur, & non spiritualiter.

10. Innocentius porrò pro se ab istis citatur, qui in aliam à nostra abiere sententiam, epist. ad Patres Mileuitani Concilij, quæ inter epistolas Augustini est quæstio. 3. vbi sic scribit: prædicare paruulos æternæ vitæ præmijs etiam iure Baptismi gratia posse donari, perfatuum est; nisi enim manducauerint carnem filij hominis, & biberint sanguinem eius, non habebunt vitam in semetipsis; qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum Baptismum velle cassare, cùm prædicant hos habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum. His quidam verbis falsi sunt, putantes intellexisse Innocentium hunc locum Ioannis de Baptismi Sacramento; minimè verò id opinatus est Innocẽtius, sed potiùs ita ratiocinatur: Infantes sine Eucharistia salui esse non possunt. (putasse enim fortasis videtur cum Augustin. esse paruulis necessarium hoc Sacramentum) At hæc sine præcedenti baptismo dari nequit: Igitur infantes sine baptismo salui esse non possunt. Quamquam exponi etiam potest de sumptione Eucharistiæ in virtute, vel votò quod esse nequit in infantibus nisi ratione Baptismi, de quo in vltima Theoria.

11. Cæterùm corrigendus est textus Innocentij. vbi enim habet, *defendunt*, legendum est, *deferunt*, & fortè etiam vbi habet: *non nisi Baptismate*, emendandus est, *non sine Baptismate*: quod vtrumque Maldonatus acutè aduertit. Sed præter Augustinum, & Innocentium adducitur à quibusdam Origenes homilia septima in Leuiticum, Clemens libro primo pædagog. & alij quidam, qui hunc cibum, de quo hic loquitur Christus, eius verbum atque doctrinam interpretari videntur. Neque etiam Hieronymo parcitur Psalm. centesimo quadragesimo sexto; nec Basil. ep. centesima quadragesima prima.

Quòd si figuratè, & per mataphoram hæc

A CHRISTI verba interpretentur cum Augustino qui etiam ait, *quid paras dentem, & ventrem, crede, & manducasti.* Ad hæc & similia respondendum est, vel ista dicta non esse ab illis propriè, quasi existimantibus eum litteralem esse sensum, sed concionatoriè, seu populariter & allegoricè, vt solent, esse loquutos, & sensus metaphoricus literalem non excludit. Quòd si velimus admittere quosdam ex Patribus arbitratos esse, sensum eum literalem esse, hinc tamen nõ conficiemus excludendum esse alium sensum etiam literalem. Propter allegoriam enim, rerumque connexionem, potuit Christus in vtrumque sensum ea verba vsurpare. Quare Matth. vigesimoquarto sunt, qui affirment Christum eisdem verbis de Hierosolymitano, & orbis excidio loqui: B & Ioannis quarto, *aquam, quam ego dabo.* Cyprian. lib. 3. epist. 3. intelligit de Baptismo, alij de gratia.

Postremò interdum Patres mysterium hæc verba continere dicunt, & spiritualium manducationem, vt excludant merè carnalem, eo modo, quo vitulinas comedimus: id certè significant sine spirituali manducatione non prodesse Sacramentalem; & hoc modo posset exponi Augustinus, cùm ait, *quid paras dentem*, &cæt. licèt ea protulerit Augustinus eo loci, vbi Christus nondum expressè de Sacramento loquebatur.

Eodem modo intelligendus est cum tract. vigesimosexto, versus finem, cum interpretatur, manducare carnem Christi esse adhærere mystico Christi corpori, quæ est societas San- C ctorum in Ecclesia: *Cùm enim*, inquit, *cibo, & potu id appetant homines, vt neque esuriant, neque sitiant; hoc veraciter non præstat nisi iste cibus, & potus, qui eos, à quibus sumitur, immortales, & incorruptibiles facit, id est, societas ipsa Sanctorum.* voluit enim Augustinus docere, realem manducationem carnis Christi, cuius etiam ibi paullò superiùs expressè meminerat, nisi coniuncta fuerit cum spirituali manducatione, quam facit pictas mentis, integritas vitæ, & munditia cordis, non modò non prodesse, verùm etiam non parum obesse. atque adeò de re, vel effectu Sacramenti loquitur, qui est vnio cum Christo & Ecclesia, quam non assequitur, qui tantũ carnaliter, & visibiliter premit dentibus Sacramentum Corporis, & San- D guinis Christi. vide de hoc argumento differentem Suarez tomo tertio, dis. quadragesima sexta, Sect. secunda. Argumenta Caietan. & Iapperi, quæ etiam affert Valen. tom. quarto, disputatione sexta, quæstio. octaua, parte quinta, §. quarto, ex ijs quæ in Scholijs diximus, numer. vigesimonono, & trigesimoprimo, non erit difficilè. dissoluere.

(*)

THEORIA II.

An Chriſtus fuerit cauſa meritoria electionis hominum, & prædeſtinationis.

1. NON paruam ingerunt aliquot huius capitis textus difficultatem, num Chriſtus meruerit hominum electionem, & prędeſtinationem: dicitur n. v. 17. hic; *omne, quod dat mihi Pater ad me veniet*, & v. 19. *omnè, quod dedit mihi non perdam ex eo*, & 24. *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, & 25. *omnis, qui audiuit à Patre, & didicit venit ad me*, & alibi: *omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus eradicabitur*. Matth. 15. 13. Iis ſententijs nonnulli Theologorum moti, negarunt ſeu primam vocationem hominis ad Chriſtum, ſeu æternam hominum electionem, atque prædeſtinationem ad vitam æternam, contingere propter meritum Chriſti. Sed propter ſolum Dei beneplacitum, æternumque propoſitum voluntatis eius. At quod credenti in Chriſtum propter eiuſdem meritum donetur remiſsio peccatorum, & gratia iuſtificans, & poteſtas faciendi bona opera, quæ ſint merita vitæ æternæ, perſeuerantia vſque in finem, non negant.

Quorum quidem opinatio, ex alijs ſcripturæ locis videtur fidem accipere, Ioann. 17. *Pater*, inquit Chriſtus, *manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi*, id eſt, quos tu Deus electione tua æterna mihi filio dediſti, vt exponit Adrianus primus epiſtola prima ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Illud etiam Matthæi vigeſimo, *ſedere autem ad dexteram* & cætera. *non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo*, eandem ſententiã videtur ſtabilire Paulus item ad Hebr. 2. de prædeſtinatis accipit illud Iſaiæ octauo, *ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus*, ſi enim Chriſtus per ſua merita obtinuiſſet, vt hic potius, quam alius per Dei electionem, & prædeſtinationem in puerum ſibi, vel fratrem donaretur; profectò non diceret: *quos dedit mihi Dominus*, quin potiùs ſuis meritis comparatos à ſe illos affirmaret. Idem etiam Paulus ad Epheſios, id eſt, non obſcurè ſignificans ex ſolo Dei beneplacito, & non ex Chriſti meritis noſtram pendere electionem, cùm ſcripſiſſet: *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, ſubdidit, *ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ*. Neque verò minoris eſt difficultatis locus ille ad Epheſios 1. vbi ait Apoſtolus: *in quo* (Chriſto) *etiam & nos ſorte vocati ſumus*. ſors autem merita omnia videtur excludere. Nec deeſt ratio pro hac ſententia. Notant enim & benè ex D. quoque Thom. 1. p. q. 23. art. 4. hoc intereſſe inter dilectionem, & electionem, quod dilectio eſt amor ſolum, quo Deus alicui vult bonum; electio verò addit comparationem, & reſpectum; cùm enim ſit dilectio vnius præ alio ad alios quoque referri debet.

Vt ergò, inquiunt, fateamur Chriſtum dilectionis, qua Pater nos dilexit, fuiſſe cauſam meritoriam, non tamen videtur concedendum, cauſam fuiſſe, vt hunc potius, quam alium diligeret Deus. Sic enim dici deberet cauſa, cur vnus de maſſa perditionis educeretur, & alius relinqueretur. Abſurdum autem eſt affirmare Chriſtum eſſe huius deſertionis cauſam; præter quam quod nec videtur fuiſſe cauſa, vt hic potiùs, quam alter extraheretur, cùm æquè omnibus videatur ſua merita applicaſſe; præſertim quia abſonum videtur dicere, hac in re diuinam Dei voluntatem accommodaſſe ſe ad humanam Chriſti voluntatem; decebat enim potiùs, vt humana Chriſti voluntas diuinæ conformis eſſet. Hæc ferè ſunt præcipua aduerſariorum firmamenta, quibus quaſi machinis quibuſdam contrariam ſententiam conantur impetere.

Sed ſi ſpectemus attentius, quæ in ſacris Scripturis 2. ꝓdita ſunt de Chriſti meritis in alia omnia ibimus, & diſceſsione facta ab ea ſententia pedibus, manibuſque in oppoſitam veniemus. Et inprimis pro hac parte ſtat locus ad Epheſios primo, vbi Paulus de Deo loquens ait, *qui benedixit nos omni benedictione in cœleſtibus, in Chriſto*. vbi explicat Paulus, omnem ſpiritualem benedictionem, & ad cœleſtia bona ſpectantem Dei ſuper homines factam eſſe in Chriſto, id eſt, per Chriſtum, eam enim ibi vim habet præpoſitio, *in*, notat enim cauſſam, & loco, *per*, ponitur. Audi Photium apud OEchumenium ſic iſta verba explicantem: *benedixit, inquit, per Filium, elegit per Filium, charos effecit per Filium*; & ſubdit, *quomodo per Filium?* Reſpondet: *ô rem admirandam! per ſanguinem ipſius*. Nam licèt teneamus, quod magis probo, prædeſtinationem, & electionem hominum eſſe factam ante præuiſum peccatum Adæ, atq; adeò ante præparatã actu, ſeu formaliter more noſtro, Chriſti paſsionem: & ſanguinem; implicitè tamen & virtute ſemper Chriſti paſsio, & ſanguis in hominum prædeſtinatione continebatur. i. ſub meritis Chriſti & ideò non mirum ſi dicat Photius, nos elegiſſe Patrem per Chriſti ſanguinem. Igitur loquitur Paulus de Chriſti meritis, atque de eo ſecundùm humanitatem, Photio interprete. Cùm autem conſtet tam hominum vocationem ad Chriſtum, quam æternam eorum electionem ad cœleſtem gloriam eſſe ſpirituales benedictiones Dei ſuper homines, contingent profectò iſta homini propter meritum Chriſti.

Quam intelligentiam ſatis euincunt verba paulò pòſt conſequentia; *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*; En tibi Apoſtolum dicentem electionem noſtrã per Chriſtum eſſe. ſed Adamo aliter viſum fuit præpoſitione, *in*, hoc loco accipere. Conſtanter enim negat ſignificare ibi cauſſam meritoriam, quare duos alios attulit ſenſus.

Alter eſt, dici nos electos in Chriſto, ſicut 3. & in Chriſto conditi, creatiuè dicimur & tunc præpoſitio, *in*, veram cauſam effectricem denotat, verum ad Chriſti diuinitatem pertinet. Alter ſenſus eſt: *elegit nos in ipſo*, id eſt, ad habendam fidem in CHRISTO. Sed abhorret ſanè à Patrum ſenſu, affirmare eo loco, *in*, cauſam meritoriam non ſignificare,

cùm

cùm tamen græci omnes cum Chryſoſt. affirment, in Gr. ἐκ, cauſſam notare, poni verò pro διὰ, id eſt, per. Idem inter Latinos habet Ambroſ. idem Diuus Thom. & alij. neque hoc loco tantum, *in*, pro, *per*, vſurpatur in ſcripturis, vt paſsim accipiunt illud ad Epheſeos 1. *gratificauit nos in dilecto filio ſuo*, & iterùm; *in quo habemus redemptionem*; &, *in quo & ſorte vocati eſtis*; & cap. 2. *creati in operibus bonis in Chriſto*. & 2. ad Timoth. 1. *ſecundùm gratiam quæ data eſt nobis in CHRISTO IESV*. Eandem ſententiam confirmat & illud, quod ſequitur eodem cap. 1. ad Ephes. *qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum Dei per IESVM Chriſtum in ipſum*. Quid quæſo clariùs dici potuit? & audet tamen Adamus alio verba Apoſtoli deflectere, atque quaſi inuita pertrahere: huc enim innuit facere ſenſum, *Prædeſtinauit nos in adoptionem*, quam per Chriſtum eramus adepturi.

4. Sed nihil, hoc eſt; plurimum enim intereſt ſicut inter gratiam, & prædeſtinationem ex Auguſtin. lib. 1. de prædeſtinat. Sanct. cap. decimo, ita inter adoptionem, & prædeſtinationem in adoptionem. eſt enim prædeſtinatio, præparatio, aut præfinitio gratiæ in præſcientia, gratia verò eſt ipſa donatio in tempore. Cùm ergo Paulus dicat, Deum prædeſtinaſſe nos in adoptionem: loquitur potius prædeſtinatione ipſa, id eſt, de præfinitione, ſeu præparatione adoptionis in præſcientia. quanquam ſi adoptio, id eſt, iuſtificatio ipſa, quæ donatur in tempore, per Chriſtum datur etiam in tempore, vt omnes Catholici fatemur; ipſa etiam adoptio per Chriſtum, hoc eſt, ex meritis ipſius præfinita fuerit neceſſe eſt: id enim quod Deus in tempore ex aliquibus meritis tribuit, ex eiſdem etiam prædeſtinauit: eodem enim modo prædeſtinauit, quo in tempore donaturus erat, quòd prima parte oſtendit Vaſquez diſp. 89. cap. 9. licèt id verum ſit ſumendo prædeſtinationem, vt non amplectitur electionem: ſed ſolam mediorum præparationem (quid ſit de mente Vaſquez) vnde tantum fit, vt ſaltem prædeſtinatio ſic ſumpta ex meritis fuerit Chriſti.

5. Quomodo autem huic doctrinæ, atque intelligentiæ Pauli non refragentur Hierony. in comment. magnis epiſt. ad Epheſ. OEcumenius in hunc eundem locum, & Chryſoſt. vide apud eundem prima part. d. 94. c. 2. num. 12. & 14. huc etiam ſpectat illud 2. ad Timo. 1. *vocauit nos vocatione ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto IESV ante tempora ſæcularia*; & loquitur de Chriſto ſecundùm humanitatem. quare non video quomodo Chryſoſ. & Theodor. colligant filij æternitatem.

6. Ioannes etiam hanc eandem noſtram, non ambiguis verbis, ſententiam affirmare videtur. Primùm cum in 3. & 13. cap. Euang. Deum Patrem omnia dediſſe in manu Chriſti teſtatur. quod ſi omnia, ergo etiam æternam hominis electionem ad gloriam, & prædeſtinationem, & primam vocationem ad Chriſtum. Capite item decimoquinto affert Ioan. Chriſtum dicentem ſe vitem eſſe, Sanctos verò huius vitis palmites. Atqui quidquid eſt boni in palmitibus ex virtute ipſius vitis prouenit, & ad ipſos palmites dimanat. ergò, & electio prædeſtinatio, &c. Et cap. 1. inquit, idem Ioan. *de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*; non dixit accepiſſe nos hanc, vel illam gratiam, ſed omnem gratiam. hoc etiam ſignificat Hebræa phraſis, *gratiam pro gratia*. Et hoc inſinuat cùm ſubdit: *quia lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per IESVM Chriſtum facta eſt*. Videſne præcisè, ac ſimpliciter gratiam per Chriſtum eſſe factam? Alia afferri poſſent è ſcriptura ad idem confirmandum. cæterùm hæc ſatis ſint.

Rationes multas afferre prætermittimus, 7.
conſulat qui velit Scholaſticos, & inter alios Franc. Suar. tom. 1. d. 41. ſect. 4. & 1. part. lib. 2. de cauſſa prædeſtinationis cap. 21. vbi etiam declarat, an purus homo poſsit aliquo modo mereri alteri prædeſtinationem, & primum eius effectum; & quid diſcriminis ſit in hac parte inter Chriſtum, & purum hominem. vide etiam Vaſqu. de eadem re 1. part. d. 94. Nobis ſatis ſit hęc ferè vna. equidem arbitror eleuari, reſtringique dignitatem meriti Chriſti eiuſque virtutem minui, niſi dicamus eſſe ipſum cauſſam duorum maximorum bonorum, quæ à Deo accipiunt homines, nimirum electionis, & prædeſtinationis: nam cùm nulla fingi poſsit repugnantia, cur illa bona, ſicut & vocatio ad Chriſtum, non poſsint ſub meritum cadere: fit hinc, vt à Chriſti merito excludi nó debeant, cum diuinum illud ſit, & infinitum; ita vt ad omnia eius vis, & efficacitas extendi queat. hęc ratio communis eſt electioni, & prædeſtinationi.

Verùm de prædeſtinatione multò id faciliùs probabitur dupliciter. Primùm enim ſi ſemel concedamus prædeſtinatorum efficacem dilectionem (quidquid ſit de electione) habuiſſe cauſſam meritoriam in Chriſto; ſequitur & prædeſtinationem eſſe factam meritis eiuſdem Chriſti. probatur ſequela, nam tota prædeſtinatio eorum ex hac dilectione cooritur, ſi ergo Chriſtus eam dilectionem meruit, etiam meruiſſe dicendus eſt prædeſtinationem. quod ſi etiam Chriſtum electionem meruiſſe dixerimus, vt oſtendiſſe hactenùs videmur, & clariùs patebit in ſequenti Theoria, longè probabilius idem, & faciliùs probatum erit ob eandem rationem. Secundò idem oſtendo: quia Chriſtus meruit omnes effectus gratiæ, qui ex peculiari Dei conſilio, ac prouidentia fiunt circa prædeſtinatum, qui etiam initio ſequentis Theoriæ numerabuntur, ergo meruit totam prædeſtinationem. Reſiquum eſſet nunc obiectis initio reſpondere: ſed ne longior ſit hæc Theor. in ſequenti id efficiemus. 8.

(·.·)

Digitized by Google

THEORIA III.

Ponuntur ſolutiones ad obiecta initio præcedentis Theoriæ.

1. EX ijs, quæ proximè in ſuperiori Theoria poſuimus facilè eſt intelligere, non modo Chriſtum omnibus hominibus ſufficienter meruiſſe cuiuſcumque remiſsionem peccati, & primam gratiam & gloriam, atque adeò æternam vitam, diſpoſitiones quoque ad gratiam, & ſuorum meritorum applicationem, atque adeò omne auxilium gratiæ adiuuantis, & excitantis, quod datur homini vt ſe ad gratiam præparet. Idque à prima vocatione vſque ad poſtremam diſpoſitionem. Denique omnia dona gratiæ, quæ poſt primam iuſtificationem conferuntur, vt ſunt omnia auxilia gratiæ iuſtificantis hominibus collata, donum perſeuerantiæ, augmentum gratiæ, & gloriæ, & omnes actus, quibus illam meremur, remiſsionem pœnæ temporalis etiam quæ datur nobis per ſatisfactiones noſtras; non modo inquam iſta omnia, quæ ſingillatim declarantur à Franciſco Suarez diſputat. quadrageſima prima, ſection. prima, ſecunda, & tertia: verumetiam ipſam noſtram electionem, & prædeſtinationé. quæ magis ſpeciatim, & ſingillatim oſtendere non eſt huius loci, nec ita propriè interpretis ſcripturæ.

2. Ad primum igitur argumentum: Reſpondeo duobus modis, dici poſſe electos datos eſſe à Deo; primùm, quia quod hi potiùs quam illi electi ſint, id in Deum referri debet, quamuis quod ſimpliciter, & præcisè fuerint electi, propter merita Chriſti fuerit. Verùm hæc ſolutio pendet ab ea dubitatione, an quod hi, vel illi electi ſint potiùs quam alij ſolius Dei voluntatis fuerit, & non etiam ad meritum Chriſti cauſſa referenda ſit. Quidá affirmant, negát alij, qua de re inferiùs nu. 10. Eſt ergo ſecunda vniuerſaliter ſolutio, iuſtificatos dici quidem Chriſto datos à Deo, verùm id non obeſt, quo minùs meritis ſuis illos obtinuerit, quemadmodum enim dicuntur à Deo iuſtificari, quamuis merito Chriſti ſanctificati fuerint; ita rectè dicuntur à Deo dati, quamuis meritis Chriſti à Deo fuerint electi; neque hoc ita intelligendum eſt, vt illorum iuſtificatio fuerit Chriſto gratia: dicimus enim Chriſtum iure redemptionis, & merito de condigno, ita illos ſibi comparaſſe, vt eorum iuſtificatio fuerit merces condignè reddita, non ex miſericordia donata CHRISTO licet ipſis iuſtificatis & redemptis fuerit gratia, & mera miſericordia.

Eſt ergò paucis ſolutio, ideò dici datos à Patre ipſi Chriſto, quia per Deum electio facta eſt, non ſine Chriſti meritis, quæ ſolutio videtur eſſe ſecundùm Adrianum epiſt. prima ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Nec alienus videtur Auguſt. tract. centeſimoſexto in Ioan. & Chryſoſt. homil. octogeſima, in eundem Ioannem, quæ ſunt conſentanea verbis Iſaiæ 8. *Eccè, ego & pueri, quos dediſti mihi*, quòd in perſona Chriſti dictum eſſe, oſtendit Paulus ad Hebr. 2. eodem modo intelligetrahi homines à Deo, ſed non ſine meritis Chriſti eodem modo fieri plantationem dicimus à Deo &c. Et ad illud Ioan. 17. *Pater manifeſtaui, &c.* eodem modo occurrendum eſt.

Illud verò Matth. vigeſimo, *ſedere autem ad dexteram, &c.* non ſignificat non eſſe Chriſti dare ſuum cælorum regnum electis, & prædeſtinatis à Deo propter merita eiuſdé Chriſti, ait enim ipſe Luc. 22. *& ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*; vbi de ſe loquitur vt homo eſt; hoc enim oſtendunt illa, *ſicut diſpoſuit mihi Pater*. Non hoc inquam ſignificant verba Chriſti apud Matthæum, ſed *non eſt meum dare vobis*, qui iure cognationis dexteram, & ſiniſtram petitis, ſed non propterea negauit ſuum eſſe dare ijs, quibus propter ſua merita paratum erat à Patre æterno. Hoc enim eſt, quod dicit: *ſed quibus paratum eſt à Patre meo*; præſertim ſi particula ἀλλὰ ponatur pro εἰμὴ, id eſt, niſi, ſicut noſter interpres vertit, Marc. 9. *neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum*; & interdum, ſed Latinè eandem vim habet, quam *niſi*. ad locum Pauli ad Hebræos, patet ex ſolutione ad primum, vbi declarauimus quomodo electi dati ſint Chriſto à Deo.

Ad locum verò ad Epheſeos 1. Reſpondeo non dici electos à Deo, ſecundùm propoſitum voluntatis Dei, quaſi ex ſolo Deo electio præceſſerit, ſed propoſitum dicitur voluntas, quam habuit Deus iuſtificandi electos; quam ſic vocari ab Auguſtino, non rarò notat Vaſq. d. 88. c. vlt. 1. p. & ideò vocationem electorum ſæpè dicit Auguſt. eſſe ſecundùm propoſitum; quia cógrua eſt, vt Deus propoſitum iuſtificandi exequatur.

Ad alterum locum Epheſ. 1. Reſpondent quidam, hoc loco potius noſtram confirmari ſententiam: dicit enim Apoſtol. *in quo*, ſcilic. Chriſto, id eſt, per quem Chriſtum, *& nos ſorte vocati ſumus*. vnde duo colliguntur: alterum nulla merita ex nobis præceſſiſſe vt vocaremur: alterum vocationem noſtram fuiſſe ex electione, qua quibuſdam alijs in maſſa perditionis relictis, nos ſorte vocauit: hoc enim nomen ſortis innuit, quæ non omnibus, ſed quibuſdam contingit, & in ea quidam alijs præferuntur. ſi ergò in tempore electi ſumus per meritum Chriſti: ab æterno etiá eodem modo fuimus, ſed quidquid ſit de hac cóſequentia, & reſponſione, Reſpondeo breuius, & forte verius, quòd cum dicimur *ſorte vocati*, non id dicimur, quia ſolo nutu Dei, non intuitu meritorum Chriſti ſimus, ſed quia ſine vllis noſtris meritis vocamur.

Ad rationem, quæ affertur, affirmo primò, vt quiſpiam ſit cauſa eligendi aliquem ex multis pœnæ alicui, vel morti deſtinatis, non eſſe neceſſe, vt ipſe ſit cauſa, propter quam relinquantur reliqui pœnæ, vel interitui obnoxij, quamuis ſit cauſſa eorum, qui liberantur; ſed hoc ipſo quòd aliqui liberantur relictis alijs in ea damnationis, & mortis pœna, cui addicti erát, dicuntur illi eligi, atque adeò eripi de pœna mortis, meritis, & ope illius merentis, vel

precan-

precantis; quia videlicet alioqui non fuissent liberi à morte neque electi, sed cum alijs derelicti.

6. Deinde affirmo vt aliquis sit caussa seligendi vnam ex multis non esse opus, vt sit caussa, quamobrem vnus potiùs quàm alius liberetur: satis enim est si ipse pro omnibus etiam oret, vel mereatur & Iudex precibus ac operibus inclinatus vnum, aut alterum concedat, quem alioqui à morte non liberasset, tunc enim verè diceretur ille precibus secerni à communi pena, vel morte quam cum alijs merebatur, & verè passus fuisset. Potest & id exemplo illustrari; si enim dux aliquis benè meritus apud regem offerat sua merita, quo rex in aliquem ex filiis eius præmium aliquod, vel dignitatem conferat, licèt ipse non nominet hunc filium potius, quàm illum, sed ex voluntate regis electio fiat; verè, ac propriè tamen dicere possemus, regem eam dignitatem in illum contulisse propter merita Patris. Potest & hoc declarari ex illa August. sententia, quæ censet voluisse Deum excludere à regno quosdam propter solùm originale peccatum. est enim hæc sufficiens ratio; quamquam non possit esse ratio propter quam iste reprobetur potiùs quam alius, qui simili originali peccato infestus est. itaque Christus pro omnibus quidé passus est, & merito suæ mortis, ac passionis liberauit, quotquot ex massa perditionis aliis in ea relictis, salui facti sunt, qui alioqui non essent salutem consequuti, nisi Christus pro omnibus esset mortuus.

7. Tertiò affirmo, rectè dici posse Christum non modo fuisse causam efficacis dilectionis, qua à Deo dilecti sumus; verum etiam esse causam nostræ electionis. hoc est, vt ex communi massa eligeremur, atque alijs adeò præferremur, quibus idem bonum nó conceditur: nam cùm omnes simul essemus eodem modo in eadem hærentes perditionis, atq; interitus massa eandem damnationis sententiam subituri non omnes, sed quidam dumtaxat Christi meritis secreti sunt, ergò & præ alijs electi, non ergo tantum dilecti, sed etiam electi propter Christum fuerunt, si comparentur cum ijs, qui in massa derelicti sunt. quamquam video aliquos alienos videri ab hoc loquendi modo. Vasq. tamen 94. dis. c. 5. hunc dicendi modum probat. sed fortassis quæstio est de nomine; nó enim potest meo iudicio negari, cùm aliquis diligitur efficaciter illum etiá secerni ab illis, qui derelinquuntur in massa saltem cósequenter ac secundariò, quòd non negarent, vt arbitror, alij dummodò nó admittamus; elegi potiùs hoc quá illos propter Christi merita, quod an verum sit mox dicam.

8. Affirmo quartò, Christum non fuisse causam vt nonnulli, qui post eius incarnationem vixerunt, potiùs eligerétur quàm alij, quamuis peculiari ratione merita tua quibusdá applicauerit, & pro eis efficaciter orauerit. Probatur primùm hoc posterius ex Ioan. 17. *ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro ijs, quos dedisti mihi*; Et iterùm: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos*; Et posteà: *non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo*, qua oratione illorum perseuerantiam à Deo postulasse videtur. Itemque: *Pater, quos dedisti mihi volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum*; in hac sanè oratione patet Christum, aliter rogasse pro Apostolis, & electis, quá pro vniuerso mundo; nam pro illis orat vt efficaciter applicetur eis suum meritum. vnde ait, *pro eis rogo, non pro mundo*; item, *volo, &c.* quomodo nunquam legimus orasse eum pro vniuerso mundo; vt meritò proinde Iustin. Martyr quæst. 23. ad Orthodoxo. censuerit illam Christi orationem: *sanctifica eos in veritate*, non esse fusam pro Iuda; fuit enim efficax, sed pro cæteris Apostolis. Iterùm idem constat ex Luc. 22. vbi dixit Iesus Petro: *ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, &c. quæ oratio procul dubio fuit efficax, atque adeò per illam meruit Christus Petro conuersionem, & infallibilem perseuerantiam in fide. Idem de illis, pro quibus rogauit vt perseuerarent. Denique ad Hebr. 5. non obscurè indicat Paulus preces Christi efficaces esse, & omninò audiri, si ex voluntate absoluta proficiscantur: ait enim, *qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posset illum saluum facere à morte cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia*; Et paullò pòst: *& consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.*

Cùm ergò pro quibusdam potiùs, quam alijs orauerit non dubiũ illis potiùs, quam istis gratiam congruam, & efficacem, qua vsque in finem perseuerarent obtinuisse. Iam verò hinc non efficitur, quòd si in tempore propter merita Christi, speciatim ab ipso applicata, ea gratia Apostolis, vel quibusdam etiam alijs concessa fuit, etiam & illud, id est, quod hi potius sint electi, quàm illi Christi meritis factum esse; immò verò, quia hi potiùs quam illi Dei solius arbitrio electi erant, prædestinati tamen, vt per merita Christi eam electionem in tempore assequerentur; ideò Christus pro electis à Patre efficaciter suorum meritorum applicationem obtinuit, conformis in hoc Patri.

9. Quare affirmo quintò, congruum non videri hunc ordinem, vt Deus humanæ Christi voluntati suam conformet: quin decere potiùs, vt hæc illi se conformet, atque adeò quod hi potiùs, quam illi sint electi Deo tribuendum, sic sentit Suarius disp. ea. 41. sect. 4. conclusione 3. At respondet Vasquez non esse in Deo imperfectioni tribuendum, si dicamus diuinam voluntatem humanæ acquiescere; nam non dubium diuinam alicuius merita spectare, vt eorum intuitu præmium tribuat, vel præparet, & tunc diuina voluntas operatur iuxtà id, quod humana voluntas postulat, & ei se quodammodo conformat; idemque constat de precibus Sanctorum, quibus illi gratiam, & perseuerantiam alijs obtinuerunt. Nihil igitur absurdi dicemus, si concesserimus Deum humanæ Christi voluntati acquieuisse, cùm Christus pro quibusdam orauit potiùs, quàm pro alijs. sed quod vel eo loco ipse Vasquez insinuat, dicendum, in hoc ipso, quod postremo loco affirmat de humana Christi voluntate, eá cum diuina congruisse, & ei conformem fuisse potiùs; nam

in eo ſequuta fuit eius impulſum, ac motum, quod concedit. Vaſquez ſatenim benè nouerat Chriſtus eam eſſe Dei voluntatem, vt pro illis oraret, cùm ſciret Deum ex ſe iam illos elegiſſe, ita tamen vt per merita ipſius Chriſti eam aſſequerentur electionem, quomodo & prædeſtinati erant; Sanctorũ porrò merita, & preces prædeſtinantem Dei voluntatem, eiuſque ad eius executionem, impulſum efficacem liberè ſequuntur. quamquam longè diſtat, & alia prorſus ratio eſt, loqui de meritis præcisè, & precibus Sanctorum, & de maximo Dei ſecreto, & altiſſimo electionis myſterio, de hoc enim diximus abſonum videri, vt in eo conſtituendo humanam ſpectet voluntatem. Addit deinde Vaſquez quod in hoc admiranda fuit profunditas diuini cõſilij, quam admiratur Paulus, quod nulla exiſtente cauſſa mittere voluerit filium ſuum, *in ſimilitudinem carnis peccati*, eiuſque humanam voluntatem ad hoc mouerit, vt potiùs pro his, quam pro illis oraret, atque eius oratione motus his potiùs, quàm illis opem ferre decreuerit; ſed in primis aliud longè mirabilius videtur Paulus ſignificare illis verbis: *ô altitudo Sapientiæ*, &cæt. in nullam, ſcilicet Deum reſpexiſſe cauſſam, ſed ſolo ſuo conſilio, & arbitrio electionem horum decreuiſſe. Deindè quod caput eſt, ſi DEVS mouit Chriſtum, vt pro his potiùs orarit quam pro illis, ergò hos iam elegerat potiùs; alioqui qui prudenter agit, non mouet cauſſam ad aliquid potiùs agendum, niſi illud ipſum intenderit, ac elegerit fieri.

Ex his patet ſolutio ad omnia, quæ initio præcedentis Theor. obiecta ſunt, ſimulque conſtat falſum eſſe Chriſtum, æquè pro omnibus obtuliſſe ſua merita; nam efficaciter tantum pro electis à Patre obtulit, licèt ſufficienter non negem pro omnibus obtuliſſe. Ratio verò illa vltimo loco allata non eſt contra nos, ita enim dicimus electionem eſſe factam meritis Chriſti, vt tamen negemus hos præ illis eſſe electos eiuſdem meritis, ſed Dei ſolius arbitrio. vide num. 6.

10. Reſtant duæ aliæ dubitationes: Prima dilectio, & electio actus ſunt diuinæ voluntatis, ſed huius non poteſt dari cauſſa, vel ratio; ergò non rectè dictum videtur Chriſti merita fuiſſe cauſſam electionis hominum. Reſpondeo non poſſe quidem dari cauſſam propriam actus diuinæ voluntatis in ſe, vt docet Diuus Thomas prima parte, quæſtio. decimanona, poſſe tamen dari ex parte obiecti rationem propter quam diuina voluntas, liberè ad hoc obiectum terminetur, vt Diuus Thomas habet lib. 1. contra Gen. cap. octogeſimoſexto, & hoc modo potuit meritum Chriſti præuiſum, eſſe ratio diligendi, eligendique prædeſtinatos, ſicut etiam fuit ratio propter quam voluit Deus dare gratiam antiquis Patribus.

11. Poſtremò ſic aliquis obijciet: merita Chriſti nullo modo fuerunt præuiſa antè electionem prædeſtinatorum: nam in primo ſigno quo voluit Deus communicare ſe ad extra, elegit Chriſtum, non tamen ſolum, ſed ſimul cum omnibus prędeſtinatis, igitur nulla meritorum præſcientia anteceſſit electionem prædeſtinatorum. Reſpondeo, intelligendum eſſe, electionem Chriſti & aliorum prædeſtinatorum non ita coniunctas fuiſſe, atque connexas, vt aliqua ratione electio Chriſti nõ anteceſſerit. Cùm enim ipſe in caput electus fuerit, & in fontem omnis gratiæ, vnde omnis benedictio ſpiritualis in cæteros quoſcumque homines dimanaret; propterea cenſendum eſt Chriſtum ipſum prius ſecundùm rationem electum; deindè verò propter eius merita cæteros, qui illius eſſent cohæredes.

Habemus igitur ex his omnem gratiam, etiam primam, omnem dilectionem, electionem prædeſtinationem contigiſſe hominibus propter Chriſti merita. Quod verò generalis illa voluntas, qua Deus decreuit ordinare omnes homines per ſufficientia media ad ſupernaturalem beatitudinem: & illa item voluntas generalis, qua voluit Deus reparare hominem lapſum, non nitantur Chriſti meritis, oſtendit egregiè Suarius diſput. ea. 41. ſect. 4. concluſ. 1. & 2.

THEORIA IV.

In verſ. 24. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*. Quod *trahendi* verbum libertatem non tollat, & cur hic vſurpetur à Chriſto.

1. MIRARI quiſpiam fortè poſſet, cur CHRISTVS trahendi verbum vſurpauerit hoc loco, quòd liberũ hominis arbitrium tollere videtur? ſic olim viſum fuit impijs Manichæis ex Chryſoſt. hom. 45. vt ergò rem hanc altius repetito principio intelligas.

2. *Homo aliter à natura, aliter à Deo trahitur.*

Obſeruandum in primis aliter hominem à creaturis, aliter à Deo trahi; ab illis obiectiuè dumtaxat, ſiue ipſamet creatura ſit obiectum habens ſpeciem boni conuenientis voluntati, & ab ea amati, ſiue ipſa tale aliquod obiectum voluntati repræſentet. quomodo inquit, ille *trahit ſua quemque voluptas*. A Deo verò nõ obiectiuè modò, verùm etiã effectiuè mouetur homo, eſt enim Deus cauſſa prima efficiens cæteras omnes cauſſas mouens; quæ cunctæ neceſſariò in agendo ab ipſa pendent; ita verò obiectiuè poteſt Deus voluntatem trahere, vt infallibilem eius tractio habere queat effectum. Quibus autem modis trahat Deus voluntatem in hac vita oſtendit Oſeæ c. 11. *In funiculis*, inquit, *Adam traham te, in vinculis Charitatis*. funiculi autem caritatis ſunt quibus trahuntur homines, & non beſtiæ, beneficia ſunt, promiſſa ſunt, amor eſt, bonitas, denique reuelata veritas. cur autem homines trahat, Hierem. tradit cap. 31. *in charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miſeràns tui.*

3. *Trahendi verbum diuinæ vocationis efficacitatem denotat.*

Iterùm obſeruandum eſt, vocem tractionis indicare inprimis hic diuinæ vocationis efficacitatem, immò & neceſsitatem, non naturæ quidem, vel coactionis, ſed infallibilitatis, quippè quæ homines rebus caducis, atque terrenis inhiantes, terræque affixos, momento temporis ad ſe relictis omnibus conuolare facit.

facit. Hoc autem non necessitate solet Deus facere, sed efficacitate. si enim necessitate iniecta id obiret, minus efficacem, minusque admirandam esse eam Dei motionem oporteret. Iam verò cùm libenter, ac volens homo abstrahatur ab ijs, quæ tantoperè diligebat efficaciorem esse agnoscimus Dei gratiam, potentioremque virtutem. Non ergò hic trahendi voce necessitatem iniectam hominibus accipere oportet, cùm ea homines libenter etiam trahantur à Deo quamuis efficaciter. Propter igitur hanc causam rectè vsurpauit Dominus tractionis vocabulum, ad efficacitatem indicandam.

4. Est & alia secunda huius vsurpationis ratio, vt indicaretur eo verbo vis magna illata, non quidem hominis arbitrio, vt Manichæi allucinabantur, sed vitijs, sed prauis consuetudinibus, sed impuris animi morbis, sed tyrannis etiam, & dæmonibus, denique omnibus humanæ salutis infestissimis hostibus. His enim omnibus Dei virtute superatis, neglectis etiam periculis, pressuris, persequutionibus, posthabitis rebus omnibus, sponte, libenterve homines ad Christum tracti aduolant, eumque sequuntur, de qua vi etiam rebus istis iniecta accipiunt plurimi illud Matth. vndecimo, *regnum cælorum vim patitur:* & illud Ioann. decimo, *& ego si exaltatus fuero à terra omnia trahàm ad me ipsum.*

5. Quam rem piè, acutè, & luculentè explicat Honorius, quem habes apud DelRium cap. 1. Cant. sect. 1. ver. 4. In illa: *trahe me post te*, &c. cùm enim Sponsa vtatur ibi trahendi vocabulo, vt significet se suis viribus non posse sequi sponsum, nisi Deus attraxerit gratia præueniendo, & ad liberi arbitrij concursum sufficientem gratiam largiendo. Itemque vt se significet paratam non tantum per blanditias duci, sed etiam per aspera sequi; ideò de hoc duplici vocationis, seu attractionis genere sic ait Honorius, ostendens quanta vi opus sit, vt trahendi Deo obtemperemus, & quod id opus Dei sit trahentem sequi; *Da vires, bone IESV, posse tua vestigia per hanc viam sequi, per quam ad gloriam præcessisti: via Domini est prospera mundi non appetere, & aspera patienter pro eo pati. per hanc viam ipse ingressus est ad gloriam.*

Cùm enim Iudæi vellent eum regem constituere, fugit; cùm vellent eum crucifigere, vltrò se obtulit, per hanc se sequentibus ire præcepit: dicens, si quis vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, id est, imitetur me. per hanc viam nemo graditur, nisi trahatur vt scriptum est: nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Deus nos ad se duobus modis trahit, duobusque impellit: trahit nos promissionibus dulcedinis supernæ patriæ: impellit nos minis gehennæ. Trahit nos quoque diuersis donis; impellit varijs flagellis: sic Moyses traxit populum promittendo regum diuitias: Pharao impulit verberibus. Quosdam Deus trahit nolentes, (hoc est, antequam velint trahi) cùm eos gratia sua præuenit, inspirando vt bonum velint, volentes subsequitur iuuando, vt possint bonum. ergò gratia est cum præuenimur vt velimus; donum est, cum iuuamur vt possimus; arbitrium, vtrum velimus sequi; libertas, si sponte sequimur; captiuitas, si sequi abnuimus: fragilitas si sequentes relabitur; meritum, si sequendo non deficimus, & hoc non nobis, sed gratiæ adscribimus præmium, æternum gaudium, &c. sic Honorius.

In Actis Apostolorum cap. 2. vers. 41. vbi nos legimus: *qui ergo receperunt sermonem eius baptizati sunt*, Gr. vt notat Hieronymus habetur: *qui ergò libenter receperunt sermonem eius*; quibus verbis indicatur modus, quo vtitur Christus Dominus in expiscandis, attrahendis, capiendisque hominibus. vt enim piscis relicto proprio loco ad piscatoris arundinem accedat, instruitur & obtegitur hamus gratis, & periucundis escis; ita Christus, vt animas vitijs inhærentes, & cupiditatibus affixas ad se trahat, etiam per difficiles, & asperas vias; exhibet illis cælestium cõsolationum escas, ac blanda efficacitate extrahit à rebus, quas perditè amabant. 6.

Et quidem meritò, sapienterque id facit Deus. dupliciter namq; mœrore afficitur homo dum res mundi fluxas, & peccata deserit. Alter naturalis est ortus ex earum delectationum contemptu, & abdicatione, quibus iam videt nuncium remitti debere. quæ quidem abdicatio grauior est, & intolerabilior homini quam dentis auulsio, licèt altius mandibulæ affixi: sapienter enim loquuntur hi, qui similem faciunt peccatorem filijs Israel, qui cum per desertum oberrarent, Dei iussu Moysem sequentes, AEgypti carnes vehementer optabant. Ita quoque peccator, qui se vxorem, liberos, diuitias, voluptates, plusquam Deum diligit; mœrore afficitur, dum Christo vocante animaduertit à se omnia illa alienanda esse, aut saltem ita posthabenda, vt Christus super omnia ametur. Hæc igitur est causa cur tractioni huic sensui amare, ac repugnati admiscere, soleat Christus suauem quandam, ac cælestem Spiritus Sancti voluptatem, ac propè diuinum sensum quo facilius, quæ prius amabat homo iam attractus deserere valeat. 7. *Duplex mœror hominis ob amissum bonorum.*

Qua in re equidem opinor conferri posse Christum cum prouida Matre, quæ cùm non posit persuadere filio, ne inutilia comedat, & noxia, ostendit illi pomum, vt alliciat libenterque noxia omittat, quæ damnum sanitati præuidet allatura. vel certè conferri potest Christus cum insigni, & nobili venatore, qui cernens canem corrodentem os, objicit illi carnes, quo retrahat ab osse: ita suo modo Christus blando quodam sensu delinire solet peccatorem, quo à noxijs abstrahat, & de præcipiti, & ruinoso loco in tutum transferat, & de tenebris in admirabile lumen educat. & is quidem mœror est, ac naturalis tristitia. 8.

Alter verò mœror voluntarius est, vltrò assumptus, qui peccatorem stimulat, ac perurget ex præteritorum criminum recordatione profectus. Ob hunc quoque eget, qui eum soletur, excitet, & in spem erigat, ac bono, quietoque animo esse iubeat. vt igitur hi mœrores qui vocatum à Deo hominem aggredi, vel comitari solent; & simul tanta de-

prauatæ naturæ repugnantia indicentur, meritò Dei vocatio *tractionis* nomine significatur, quam proinde ille cælesti voluptate aspergere, & condire solet, qua facit, vt tractus aliquis non veniat modo, sed libenter etiam: facit enim Deus, vt inquit August. trahendo ex nolente volentem, ex repugnante amantem, ex renitente secum consentientem, atque cooperantem.

9. His accedit & tertia ratio, quam assignare possumus ex hominis infirmitate. Ita enim animi viribus propter peccatum destitutus est, vt, nisi à Deo præuentus, similiter ac qui flaccescétibus viribus ingredi nequit, tractus, accedere ad Christum non possit. Paralytici id exemplo declarare possumus, qui etiam si maximè velit ad aliquem adire, præ virium debilitate nequit eo accedere, nisi ab alio quodammodo tractus. vbi interim vides quodo aliquis trahatur, & lubens trahatur. vt igitur ostenderet Christus Dei gratia opus esse, atque auxilio, vt quis ad eum accedat, commodè *tractionis* verbum vsurpauit; nam, vt ait Augustinus, qui trahitur, is ante non veniebat: si enim vltrò, & spontè veniisset, non esset tractus. Trahitur igitur, quia licet ipse voluntariè veniat: præuentus tamen Dei gratia est, vt venire vellet ac posset; præuenit enim Deus omnem humanæ voluntatis præparationem. Nascitur autem hoc inde, quod homo propter peccata adeò infirmus est vt se ad Deum mouere nequeat. Non igitur trahi quempiam est inuoluntariè venire, nisi tempus ipsam Dei attractionem præcedens spectemus: sic enim aliquod inuoluntarium, & repugnans inueniemus in homine: trahit enim Deus hominem plerunque antea nolentem venire ad ipsum, & sæpius vocationi repugnantem.

10. Sed his enucleatis restat quærere, quamobrem Patri hic à Christo tribuatur isthæc tractio, cum & Filius trahat, vt ex superiùs dictis liquet, & Spiritus sanctus. In promptu est responsio, nam vt rectè ait Cyrill. lib. tertio, cap. 39. *vt diuinæ opus esse naturæ ostendatur credere, & venire ad Christum; ideò tractio ad Patrem refertur, qui fons est Deitatis.* Et cùm Christus non modo Deus, sed etiam verus homo sit; si illi tractio tribueretur, non ita clarè constaret, an ei hoc conueniret vt Deo, an vt homini. August. lib. primo de prædestinat. Sanctorum cap. quarto, assignat causam, quia Filius à Patre est, & ab vtroque Spiritus sanctus.

11. Ex hac porrò sententia multa stabiliuntur dogmata pro necessitate, & efficacitate gratiæ. sed illud in primis quod initium fidei, & conuersionis hominis ad Deum libero hominis arbitrio attribui non possit aduersus Pelagianos, ac Semipelagianos. Deindè hinc intelligimus omnibus esse necessariam gratiam, & ideò dictum est: nemo. Et quia potentia etiam omnis homo propinqua saltem ad credendum caret, non modo actu; dictum est, *nemo potest*, &c. vt scias non modo esse gratiæ Dei facere, vt credas, sed vt & possis. vt verò libertas humanæ voluntatis demonstraretur, simulque & necessitas, atque efficacitas gra-

A tiæ: duo verba addi
rit, nemo potest venire a
traxerit eum, venire e
est, ac tractio diuinæ
infallibilem in homi
tat. Quare malè ne
trahendi hominis lib
pter id, quod superiù
nes etiam libenter, se
veniendi satis. homi
mat.

THEO

Num quod homo
culpa fiat.

B EX his Domini verb
num. 14. significauim
ad me, &cæt. obscu
oritur dubitatio, quæ h
brieque attingenda est,
scripturæ decet. sic enim
quispiam: si quicumque
nit ad Christum, & nem
nisi tractus à Deo; ergò
minis potestate trahi à D
luntate situm, qui ad C
non suo vitio fit vt non v
ctus non sit à Deo.

Respondebit fortè aliqui
non trahitur obicem ponere
obsistere, quo minus traha
C sponsio minimè videtur diff
re; cùm enim omnes hi, qu
gent, & iustificatione, in pecc
indè obicem ponant, quæritu
trahat, illos non trahat. Resp
Augustinus tract. vigesimose
cōmendatio. nemo venit nisi tract
quem non trahat; quare illum tra
hat, noli velle iudicare, & si non
cipe, & intellige, non traheris, or
adhuc nihil hinc haberi videt
uatur nodus iste, sed tantum
rioſiùs inuestigandum: nisi
non trahi, qui non orant, vt
etiam quod hic oret gratiæ D
quam quod aliqui sunt, qui e
tes etiam infixi vitijs, etiam re
D sanctí Deo, trahantur.

Græci Chrysost. Theophyl
videntur aliquid ex parte homi
de fit vt iste trahatur, & alius in
est, minimè trahatur; sicut inqu
non quodlibet corpus indiffere
se, sed tantummodo ferrum, qu
turalem cum eo conuenientiam
quemuis hominum trahit, sed
quos præparatione bonæ volun
doneos & dignos vt ab ipso traha
hic facilè erit ad dubitationē re
qui non trahuntur, suo vitio non
carent ea præparatione, quam D
quirit.

Verùm hæc sententia Semip
& Massilienſium, quorum caput
discipulus Chrysostomi, videtu

tinere; dicebant enim hi; *Labori humano, aut voluntati humanæ, aut etiamerationi humanæ subiungendam esse gratiam in tempore*, hoc est, eam nobis donari, propter aliquid horum, quod sit ex nostro libero arbitrio. Nomine verò gratiæ non habitualem intelligebant, sed auxilia omnia gratiæ, quibus ad iustitiam promouemur. sicut etiam affirmabant primam gratiam, & primam vocationem gratuitam nobis à Deo prædestinari, quia præsciuit aliquod bonæ nostræ voluntatis initium ex nobis; quare inter illos illud solemne erat: *nisi Deus adiuuet conatus nostros* (id est, promoueat à nobis inceptos) *irriti sunt*. Inter istos tamen quidam rigidius loquebantur; quidam verò mollius, omnes tamen aliquod initium ex nobis præcedere gratiam Dei affirmabant, saltem aliquod initium fidei, & bonæ voluntatis; nam licèt concederent initium boni operis esse Deo tribuendum; vt docet Vasquez disp.89.cap.5.& 91. cap.9. inter bona opera tamen quorũ initium in Deum referebant, non numerabant fidem & bonam voluntatem.

4. Et verò hanc notam D.Chrysostomo, & pluribus ex illis antiquis Patribus græcis velle inurere, minùs saltem pium mihi videtur. Defendit Chrysost. Sixtus Senens. lib.5. Bibliothec. Sanctæ, defendit Franciscus Suarez omnia fermè afferens loca, quæ dubium possent reddere lectorem, de sententia Chrysost. defendit, Perer. 21. dis. in cap.6. Ioan. licet Card. Tolet. adnotati.20. in idem cap. Ioan. & Vasq. dis.91.c.8. & 9. aliter sentire videantur. Aio igitur græcos Patres præsertim verò Chrysost. dum quosdam dubios hac in parte loquendi modos vsurpant, more scripturę loqui voluisse, in qua interdum gratiæ tribuuntur omnia, interdum doceri initium boni operis ab homine esse expectandum, Isai.30. *expectat Dominus vt misereatur vestri*, 1. Reg.3. *præparate corda vestra Domino*, Psalm.118. *præueni in maturitate, & clamaui*, hæc autem & similia in Trident. Concil. Sess.6. ita explicantur, vt velit Spiritus S. per hæc admonere nos libertatis nostræ: vel vt ijs excitemur, vt benè vna Dei gratia vtendo aliam impetremus, vel ad eam disponamur, non verò significant ea verba exordium salutis, & prædestinationis esse ex nobis.

5. Quod si quis vrgeat Chrysost. plus aliquid sentire, dixit enim aliquando hom.17. in Ioan. & 12. ad Hebr. *Deum non præuenire voluntates, ne nostram temeret libertatem*. Igitur videtur velle dicere Deum expectare, vt nos incipiamus, deindè gratiam largiri. Respondeo, nihil aliud velle, nisi quod Deus non præueniat voluntates nostras eas ad vnum aliquid determinando; & idem est quod respondet D.Thom. declarans Damascenum lib.2. de fide, cap.29. & 30. & lib.4.c.22. loquutum esse illũ, de prædefinitione necessitate. Cùm verò significat Deum expectare, vt nos incipiamus vt ipse perfectionem adiungat, loquitur vt Hieronymus, Dialog.3. contra Pelagianos, vbi ait; *nostrum sit rogare, illius tribuere; nostrũ incipere, illius perficere*. Quo etiam modo loquitur Optatus Mileuitanus libro secundo contra Parmenian. sub finem *nostrum*, ait, *est velle, nostrum est currere, Dei autem perficere*. Resp. horum, & aliorum

A quorundam Patrum mentem esse, quod doctè aduertit Franciſ. Suar. lib. 2. de Prædest. cap. 8. num.13. vt significare velint, gratiam, nec sanctificare, nec præparare, vel disponere hominem adultum iam sine libera cooperatione eius, & hanc liberam cooperationem, quæ inchoat in homine primam moralem dispositionem bonam, appellãs initium ex parte hominis; quem loquendi modum vsurpauit Concil. Arausicanum, can. 5. dum voluntatem credendi vocat initium fidei, vel salutis. Non tamen propterea negant illi Patres ante hanc hominis cooperationem antegredi diuinam quandam exsuscitationem, excitationem, id est, vocationem. idem dicunt, qui interpretantur; hos Patres loqui non de initio totius iustitiæ, sed vnius, vel alterius beneficij diuini, atque ita affirmant orationem; verbi gratia, esse initium illius doni, quod per illam impetratur; & ita exhortantur populum in concionibus, vt ipsi incipiant, vt Deus prosequatur, id est, vt incipiant consentiendo gratiæ Dei, non sine adiutorio tamen gratiæ eiusdem.

B Nec multum deberent nos hæ sententiæ remorari in his Patribus, cum & Augustinus simili aliquando loquendi formula vsus fuerit. lib. namque 83.qq.q.68. ait, *ex occultissimis meritis prouenire illud, quod Apostolus habet, cuius vult miseretur, & quem vult indurat: nam in eo, qui obdurat præcedunt mala merita, & in eo etiam cuius Deus miseretur, præcedunt occultissima merita*; quæ vt ibidem ait, præcedunt iustificationem. Neque verò primo retracta. c.23. hanc sententiam retractauit, vt patet ex c.26 vbi eam exponit, non retractat. i. ante illa bona merita, quantumuis occulta antecedere vocationem sine merito. Cætera vide loco cit. apud Suarez. 6.

C Hanc rem aptissimo exemplo illustrare videtur Nanzian. nam aptitudinem naturalem ad virtutem, qua vnus interdum magis, quam alius pollet, comparat silici; quę vt ignem producat, opus est ferro percuti. Excitari autem inquit, nostram aptitudinem, & facultatem ad virtutem cogitatione veluti silicem ferro. In qua cogitatione, & excitatione Augustinus gratiam agnoscit, quam Deus in nobis, sine nobis operatur. lege illum orat.31. quæ est in caput Matth.19. num.8. simili comparatione vtitur Prosper libr. cont. Collatorem cap.12. D vbi nostram naturam, & bonam indolem comparat torri ignito, quia flammam boni desiderij aut initij non elicit, nisi spiritu gratiæ Dei excitetur. 7.

Igitur Chrys. & similium Patrum sententia non ea est, vt velint, quod citra Dei auxilium afferat homo ex suo libero arbitrio initium aliquod, quo pertrahatur ad Christum, quod qui non afferunt sua culpa non trahantur. sed significant eum qui consentit primo motui, qui est à Deo, promoueri, & idoneum fieri ad vlteriorem motum, atque adeò eo perduci vt ad Christum veniat. Quod si quis oblu&tetur primis motibus, atque Dei impulsui sua culpa sit vt ad vlteriorẽ non promoueatur motum, atq; adeò ad Christum non veniat, vt verissimum sit neminem fieri idoneum à se, vt trahatur non præeunte Dei auxi- 8.

lio, & hæc est huius perdifficilis dubitationis solutio, eadem. cum illa, quam in scholijs num. decimoquarto attulimus.

9. Superest vt clariùs respondeamus obiectioni propositæ numer. primo, omnes qui egent prima gratia, ac iustificatione esse peccato commaculatos; igitur omnes ponunt obicem: Nihil ergò est discriminis. Respondetur. fateor omnes esse peccato infectos, cæterùm cùm DEVS velit omnes homines saluos fieri teste Paulo, valdè pium est credere, non esse aliquem hominem adultum, cui non det aliquod salutis principium, atque adeò vocationem aliquam, licèt peccatis infectus sit, & quantum est ex hac parte, obicem ponat gratiæ Dei. neque necesse est, ad hoc, vt Deus illuminet eum, qui in peccatis est, vt aliquod bonum opus edat, quo aliquo modo, quantum in se est, remoueat obicem. Deus enim generali illa voluntate, ac beneuolentia in omne hominum genus propter Christum, quãuis maximè peccaret, neque aliquod bonum opus faceret is, qui peccato commaculatus est, præueniret tamen ipsum, & auxilio suo eius illustraret mentem. Et quamuis eiusmodi opus bonum vtcumque efficeret homo facinorosus, & postea vocaretur à Deo, non indè fieret, quod vocaretur propter illud opus, sed ex illa, quam dixi, Dei beneuolentia in homines, & propter Christum.

10. *Obex quid sit in hac materia.* Illa tamen duo sunt hic aduertenda, illum vocare nos in hac quæstione obicem propriæ diuinæ motioni oppositum, quo Dei vocationi resistitur, eiusque motio negligitur. Propter quem obicem fit, vt non sit idoneus, vt promoueatur iste homo ad altiorem motum. At qui mouenti Deo, verbi gratia, primùm illustranti mentem, ad considerandum id, quod homini bonum est, & conducens ad æternam eius salutem, non resistit: is, inquam, non dicitur hic ponere obicem, & ita promouebitur à Deo ad vlteriorem aliquem motum voluntatis, afficiendo, & molliter inclinando eam ad cupiendum, & desiderandum illud bonum intellectui propositum: quòd si neque huic motui renitatur peccator, sequetur tractio hominis ad Deum, continens efficacem persuasionem intellectus, quod bonum ei propositum sit homini conueniens, atque conducens: & item efficacem inclinationem voluntatis ad illud bonum volendum, & amplectendum. Alterum aduertendum est tempus dandi primam illustrationem, ac vocationem non esse vnũ, & idem præfixum pro omnibus hominibus: verùm Deus dum tribuit, cùm tempus videt opportunum, vel suo consilio definitum; propterea, siue benè, siue malè homo antea operetur, non citiùs maturatur, nec differtur, vel extrahitur tempus illud à Deo præfixum: nec in eo definiendo, ac præfigendo rationem habuit Deus operis alicuius hominis, sed sapientiæ suæ ordinem, ac consilium suæ voluntatis sequitur. Hæc hactenùs.

A

THEORIA VI.

In vers. 34. *Nisi manducaueritis carnem*, &cæt. An hęc verba ad infantes quoque pertineãt, vt sacramentalẽ manducationem continent.

SAPIENTER D. Thom. Lect. 7. in Ioan. & B. Iustinia. lib. de obedient. cap. 54. cum communi fermè Catholicorum sententia censent, adultos tantùm hæc verba respicere, & non ad infantes etiam pertinere. licet Augustinus interdũ saltem sensu extenderit hanc Christi sententiam ad paruulos, ex Iansen. capite quinquagesimonono. Id autem non est difficilè pluribus, & validis rationibus corroborare. 1.

B

Principiò quia soli adulti sunt præceptorum capaces: verba autem illa præceptũ continent. nec quemquam esse arbitror, qui affirmare audeat adultos ipsos per hæc teneri Venerabil. Eucharistiã infantibus præbere; nusquam enim huiusmodi præceptum exstat expressum. Deindè vix vlli in mentem venire potest hanc manducationem ad paruulos pertinere. loquitur enim Christus de sacramentali quidem manducatione, sed ita vt adiunctam habeat spiritualem, vt fructuosa sit, & vitam afferat æternam. Atqui hæc esse nequit sine deuotione, cuius quis ita rudis est, vt capaces esse infantes affirmet? Certè id ipsum confirmat Paulus primæ ad Corinth. vndecimo: *probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.* stat ergò edendum non esse panem hunc cælestem, nisi se quisque prius probet, quod adultorum proprium est. 2. *Infantes non teneri ad cõmunionem Sacramentalem.*

C

Proindè Ecclesia paruulis non præcepit vnquam Venerab. Eucharist. porrigi quod vetustissimus huius rei vsus ostendit; sciebat enim non aliter par esse hoc Sacramentum comedere, quàm cum actuali deuotione, ac probatione. Ad hęc accedit ipsa verborum Christi formula: nàm in Baptismo dictum est: *nisi quis renatus fuerit*, &c. quod vim passiuam retinet, & verò etiam aliquid est renasci, quod maximè infantibus conueniat: at ista, *nisi manducaueritis*, &c. sicut & illa, *nisi pœnitentiam egeritis*, &c. actiuam vim continent. Et verò etiam ea actio, id est, manducatio paruulis conuenire non potest. Mandere enim vel comedere cibum, adultorum est, sicut & pœnitentiam agere. 3.

D

Hoc igitur interest inter Baptismum, & Eucharistiam quod ille ad regenerationem est sine qua habere spiritualem vitam nemo potest. Quis enim vitam acquirit nisi prius genitus? hæc verò est propriè ad spiritualem nutritionem, atque adeò ad restaurationem spiritualis virtutis deperditæ, per quotidiana peccata actualia: proindè Baptismus etiam infantibus necessarius est. Eucharistia tãtum his, qui quotidiano peccatorum vsu, subindè aliquid de spiritualibus viribus deperdunt. Quare meritò CHRISTVS passiuè loquutus est de Baptismo, nõ dirigens sermonem ad baptizãdos, quorum aliquos nouerat intelligere 4. *Discrimen inter Baptismum & Eucharistiam.*

non

non posse, neque præcepti esse capaces, nec pœnæ, vel comminationis si secus facerent. At de Eucharist. ita actiuè loquutus est, vt sermonẽ etiam conuerterit ad eos, qui audiebant, & percipere poterant vim præcepti, & comminationis pœnæ.

5. *Non obstare veteri morem Ecclesiæ in hoc.*

Nec obstat quod olim in more positum fuit, vt etiam paruulis administrarent Euch. ex Dionys. c. 6. de Ecclesiastica Hierarchia, & ex Cypriano ser. 5. de lapsis, & Aug. ep. 107. ad Vitalem. rectè enim in Concil. Trident. sess. 21. c. 4. declaratum est, veteres illos, qui hoc faciebant nulla præcepti diuini necessitate id fecisse, sed ob alias causas pro ratione illorum temporum probabiles. Nec constat morem illum vniuersalem fuisse; tantum Armeni, vt VValdensis to. 2. de Sacram. c. 91. & Boemi, vt refert Tole. ad not. 28. & si verum est, quod refert Caiet. 3. p. q. 80. a. 12. Nestorius & Pelagius hæc verba etiam ad infantes extendisse dicuntur, vt ea, quæ de Baptismo sunt.

6. Quod verò Augustinus l. 1. de peccatorum meritis c. 20. & alibi scribit, ad paruulos etiam pertinere hanc sententiam Ioan. 6. intelligendum est non propriè de manducatione Sacramentali, sed de re, siue effectu huius Sacramenti; nam Augustinus l. 3. de pecc. mor. c. 4. tradit. impleri in paruulis quidquid in illa sententia Domini Io. 6. præcipitur, hoc ipso quod p Baptismum fiunt participes corporis, & sanguinis Christi, quæ participatio est res Sacramenti, scilicet vnio hominis cum Christo per gratiã. Quarè dicere possumus aliquo modo hãc sententiam extendi, & pertinere ad paruulos, si de re, & effectu loquamur Eucharistiæ, qui sine Baptismo in re nequit haberi à paruulis, non de manducatione ipsa Sacramentali, quæ propriè ibi præcipitur, & ita intelligi etiam potest Innocentius in ep. ad Conci. Mileuita. quæ est 93. inter epist. August. vt citauimus Theor. 1. num. 10.

7. Nec quidquam facit, quod aliqui obijciunt; nec paruulorum vitam corporis, sustentari posse, sine corporali alimento. Analogia enim hæc, cibi corporalis non est intelligenda, nisi quo ad effectum. Ad sustentandam enim vitam corporalem, non suppetunt secundùm legem ordinariam aliqua alia media, quæ æquiualeant corporali cibo, sicut ad sustentandam vitam gratiæ suppetunt alia, vt quæ conciliant Dei gratiam, eiusque auxilia, & cætera Sacramenta. An verò his verbis implicitè saltem contineatur, vel insinuetur necessitas medij, Vide Theor. 9. n. 5.

THEORIA VII.

In eundem versum trigesimumquartum: Num ex his verbis rectè, ac necessariò statuatur, communio sub vtraque specie?

1. *Hussitæ & huius temporis hæretici vrgent cõmunionem sub vtraque specie.*

HVSSITARVM error fuit apud Bohemos, vbi primùm hic error ortus dicitur, vt habet AEneas Syluius in historia Bohemorum capite trigesimoquinto euinci ex his verbis, communionem sub vtraque specie. Quod etiam sequuti sunt Ioannes VVicleff, & Ioannes Hus; deindè Lutherus Apostata, ac nouatores omnes. Nituntur huius loci auctoritate, quod Dominus apertè dicat: *nisi manducaueritis carnem Filij hominis*, quod sit sub specie panis: *& biberitis eius sanguinem*, quod sit sub specie vini, *non habebitis vitam in vobis*: quæ sententia Christi ita difficilis aliquibus Catholicis visa est, & adeò efficax ad confirmandum dogma hæreticorum de communione sub vtraque specie, vt maluerint negare hîc sermonẽ esse de reali mãducatione corporis Christi. sic Turrecremata in tractatione de Ecclesia, & Ricardus Iaper. in secundo tomo articulorum Louanienſium, in tractatu articuli decimiquinti. Respondent huic argumento hæreticorum; nimirum, agi hic non de reali, ac Sacramentali, sed de spirituali dumtaxat manducatione carnis Christi quod Theoria 1. reiecimus.

2. *Vsus vtriusque speciei aliquando præceptus.*

Olim propter Manichæorũ hæresim, qui verũ corpus Christũ habuisse negabãt & ideò non sumebant Euch. sub vini specie, ne viderentur verum sanguinem fateri, præceptum fuit, vt Catholici Christi corpore & sanguine communicarent sub vtraque specie, vt patet ex D. Leo. sermone quarto in Quadragesimam, quod & confirmauit Gelasius in epistola ad Maioricum, & Ioannem, quæ clarè indicant fuisse priùs in Ecclesia morem communicandi sub vna specie, quod ita esse ostendit Cardinalis Toletus hîc adnotatione vigesimaseptima, assertione secunda, & Diuus Cyprianus in sermone de lapsis docet, trifariam Venerabilẽ Eucharistiam sumi solitam: sub vtraque, & sub sola panis, & sub sola vini specie, quod & exemplis historiarum memoria illustra.

3. *Sed non ex iure diuino.*

Quarè licèt olim vtraque viguerit consuetudo, neutra tamen iuris diuini vim habebat, vndè non mirum si non semper idem seruatum fuit in Ecclesia. Hoc decretum est in Concilio Tridentino, sessione vigesimaprima, capite primo, & priùs in Concilio Constantiensi, sess. decimatertia, & in epist. Martini V. quod idem traditum fuerat in Concilio Basilienſi sessione trigesima, & probari potest ex hoc loco, de quo tantum nobis est hic agendum, vt bene intelligatur, nam exactè hanc quæstionem excutere, non est nobis animus, consulat, qui velit Bellarminum libro quarto de Eucharistia, capite vigesimo, & sequenti. Suarez disputatione septuagesimaprima, & Valentiam disputatione sexta, nona, octaua, puncto quinto; & Cardinalẽ Toletum loco citato; Pereriũ disputatione trigesimasecunda in hoc caput sextum Ioannis. Affirmo ergò quod Christus non agit in his verbis de institutione Sacramenti Eucharistiæ, & ideò propriè non traditur hic, sub vnáne specie, an sub duplici dandum sit: sed demonstratur quid sit illud, quod Christus daturus erat hominibus in hoc Sacramento, nimirum caro, & sanguis eius. Est igitur mens Christi, de hac re hic agere, ac promittere id, quod postea instituturus erat. Quocirca non fuit illi curæ vtrlusque semper speciei hic meminisse, sed nunc vnam, nunc vtramque speciem significat, quam docet potiùs; nam ad integritatem huius Sacramenti, & efficaciam virtutis eius nil refert sub

vnáne, an sub duplici specie detur. Itaq; licèt in illis verbis: *nisi mãducaueritis*, &c. vtramq; speciẽ significet, sicut & in illis: *caro mea verè est cib⁹, & sanguis meus verè est potus, qui mãducat meã carnem, & bibit meum sanguinẽ, in me manet, & ego in illo*; in illis tamẽ: *panis, quem ego dabo, caro mea est.* & in illis, quibus rem concludit: *qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; vnam dumtaxat speciem significat. Interdum verò simpliciter loquitur, neutram speciatim designans: *qui manducat me, & ipse viuet propter me*. sicut ergò hæretici pro necessitate vtriusq; speciei afferunt illa priora verba: ita nos etiam posteriora aduersus illos vrgere possumus. Non igitur ex hoc loco colligitur vtriusque, vel alterius speciei necessitas, cùm nullam verè, ac propriè faciat hic Christus mentionem alicuius speciei Eucharisticæ; sed tantum sit loquutus de rebus ipsis, nempè de carne, & sanguine, & vera vtriusque perceptione, quam impossibilẽ arbitrabantur Capharnaitæ, quibus tunc in mentem nó veniebat de specie disputare; hæc aũt scilicèt caro, & sanguis, & eorum vera perceptio, non solùm in vtraque specie, sed etiam in qualibet continentur propter inseparabilem iam Christi carnis & sanguinis concomitantiam.

4. Quam Christi Mentem rectè declarat Gregorius Valen. tomo quarto loco citato. Considerat enim in actu sacramentali comedendi Christi carnem, & item in actu bibendi illius sanguinem duo esse; perceptionem realem & veram corporis, & sanguinis Christi in Sacramento: & modum percipiendi in speciè manducabili, vel potabili: Christum verò non egisse de modo, sed de reipsa, ac veritate perceptionis corporis & sanguinis sui; quæ duo non solùm sub vtraque, sed etiam sub alterutra specie benè & realiter percipiuntur. Hoc enim propriè ist illud, quod Christus ad retundendam incredulitatem Capharnaitarum, assueuare voluit, non modo non fore impossibile, sicut illi omninò putabant, sed etiam necessarium ad vitam spiritualem sumendam. Quod si quærat aliquis, cur Christus ad significandam necessitatem realis perceptionis carnis & sanguinis quo ad rem & veritatẽ, verbo comedendi, & bibendi, quod modum etiam percipiendi connotat, vsus sit. Respon. cũ Valent. loco citato, voluisse Christum necessitatem realis perceptionis carnis, & sanguinis ita significare, vt simul etiam significaret illius vim, atque valitatem ad vitam spiritualem sumẽdam. Hoc vt commodè faceret, verbum vsurpauit comedendi simul & bibendi, vt perceptionis huius fructus ex Analogia simul esus, & potus, in quibus est perfecta virtus reficiendi aptissimè intelligeretur. Adde propterea non mirũ esse si interdum simul iungat potionem, & mãducationem ad declarandam videlicet integrã refectionem spiritualem, ac plenam, quam dat animæ nostræ hoc Sacramentum. Nam quia plena refectio corporalis constat cibo, & potu; idcircò plenam quoque refectionem spiritualem animæ nostræ significauit Christus per verba manducandi, & bibendi. Ex his patet solutio ad obiectionem politam numero primo, & declaratio sententiæ Christi; dicimus enim his verbis: *nisi manducaueritis* præci-

A pi sacramentalem sumptionem corporis, & sanguinis Domini, non tamen præcipi modum sumptionis, id est, quod manducando, & bibendo sumatur, agi de re, non de modo, id est, speciebus, satis enim est verè percipere totum Christum, qui totus in qualibet specie sumitur. Imò quãuis sub specie panis non bibatur propriè sanguis, vt dixit Innocentius libro quarto de hoc mysterio capite vigesimo primo, quia tamen re vera sacramentaliter sumitur, ideò eminenter bibitur.

Hæc est communis responsio. Sed sunt præterea aliæ non contemnendæ quas operæpretium erit hic referre: vt enim sapienter monet Augustinus libro de Trinitate capite vltimo, sub finem, *non vno tantum scripturarum sensu, sed quotquot reperiri possunt vti debemus: tantò enim fortius conuincuntur hæretici, quantò plures exitus patent ad eorum laqueos euitandos*: Tantum Augustinus. si quis igitur malit concedere Christum in his verbis necessitatem etiam perceptionis suæ carnis, & sanguinis quoad percipiendi modum voluisse significare, tribus modis adhuc illa verba explicari possunt. Et quidé primo, vt nó ad singulos omnia illa verba referantur, sed generatim ad Ecclesiã, ita vt hunc contineant sensum: *nisi manducaueritis, & biberitis*, vtentes nimirum altera saltem specie, omnes & singuli, & etiam vtraque ij, quos pro ratione officij, aut dispositionis Ecclesiæ oportebit, *non habebitis vitam in vobis*. & hanc expositionem confirmare videtur forma verborum, qua hic vsus est alia ab ea quam vsurpauit cum baptismi necessitatem doceret Ioannis tertio, vbi vocabulo numeri singularis vsus dixit: *nisi quis renatus* &c. hoc dicendi modo indicans incumbere baptismi necessitatem etiam singulis. Hic autem ad omnes generatim loquitur: *nisi manducaueritis*, quæ forma orationis patitur, vt non omni ex parte accommodetur illa sententia etiam ad singulos.

Verùm hic Sotus in quarto sententiarum, distinctione duodecima, quæstione prima, articulo duodecimo, se nobis opponit: Christum enim ait, eo ipso, quod dixit: *non habebitis vitam in vobis*, indicasse non obscurè se cum singulis loqui. Respondeo non inficiari nos cum singulis loquutum esse, non tamen ita, vt omnia omnibus, & singulis præcipiantur, sed quod aliquid præcipiatur, quod omnibus quidem conuenit, ac singulis aliquid quod pertinet ad communitatem fidelium & Ecclesiæ, in qua sunt sacerdotes, qui conficiunt hoc sacramentum, & offerunt hoc sacrificium sub vtraque specie; sine quorum ministerio, neque constaret hoc Sacramentum, neque fideles eo frui possent: & idcircò vitam spiritualẽ ex eo prouenientem habere non possent. ergò satis est, quod aliqua saltem ex parte singulos attingat hæc sententia, vt verè dici possit singulos alloquutus Christus.

Iterùm possumus affirmare particulam, *&*, in ea sententia non copulatiuè, sed disiunctiuè accipi, vt tantum valeat, quantum, vel, quod nec nouum, nec insolitum videri debet viro scripturarum experienti, sic Exod. 21. dicitur: *qui percusserit patrem suum, & matrem morte moriatur*. vbi q; Hebr. ponitur, *&*, valet

tantum,

tantum, quantum, vel, sic Apost. 1. Cor. 11. *qui manducat, & bibit indignè, Iudicium sibi manducat, & bibit*, quod per disiunctionem antea protulerat: *quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit* &c. lege Car. Tolet. adnot. 26. id pluribus corroborantem: Idem igitur si dicamus scripturę more sequuti, in hac Io. sententia, *&*, pro, *vel*, sumi, nihil absurdi affirmabimus.

8 Sed Franciscus Suarez tertiam quandam acutam expositionem tradit; per superiores enim interpretationes, non fertur saltem, quantum ad omnes, notio verbi bibendi simul cum propria significatione coniunctionis, &, vt ergò hæc duo simul coniungat, ait, esse considerandã, non modo particulæ, *&*, propriam vim, & significationem, verùm etiã negationem inclusam in particula, nisi; idem enim est dicere, *nisi manducaueritis*, ac, si nõ manducaueritis, vt Græcè habetur. Porrò hæc negatio, non initio huius propositionis copulatiuæ posita supra vtramq; partẽ cadit, & vtramque negat per Hebr. vt Psal. 1. vbi nos legimus; *non resurgent impij in iudicio*, *neque peccatores in concilio iustorum*, Heb. legitur, *non resurgunt impij in Iudicio, & peccatores in consilio iustorum*: nõ discrepant hæ duæ lectiones, quia per Hebr. intelligitur repeti negatio non, vt habet latina versio. sic Psa. 128. *de quo non implebit manum suã, qui metit, & sinum suum, qui manipulos colligit*, i. *neque sinum suum* &c. Eodem modo hic Io. hũc Hebr. vsurpauit, qui gaudet Hebraismis. Erit ergò sensus, si non manducaueritis carnem Filij hominis, & si non biberitis eius sanguinem, id est, si neutrũ præstiteritis, non habebitis vitam in vobis: Iuxta quem sensum ille duntaxat solus vitam non est habiturus, qui neque Domini carnem manducauerit, neque sanguinem biberit, vbi seruatur vera significatio particulæ, *&*, & notio formalis, ac vis verbi *bibendi*. Et ex hoc sensu copulatiuo propositionum sequitur propositio affirmatiua de disiunctiuo extremo, nimirum eum, qui comederit carnẽ, vel biberit sanguinem habiturum vitam: quia prior comminatio in eum duntaxat cadit, qui vtramque omittit. sed de hoc loco Io. tot, ac tanta dicta sint: nam quod attinet ad institutionem Sacramenti sub vtraq; specie qualiter indè non sequatur necessitas sumendi V. Euch. sub vtraq; specie, si Deus ac B. V. cœptis fauerit suo loco dicendum erit.

THEORIA VIII.

In eandem Ioann. sententiam. An hinc rectè colligatur necessarium esse hoc Sacramentum necessitate etiam medij.

I. PROPOSITAE controuersiæ dissolutio multum pendet ex plena intelligentia differentiæ inter necessitatem medij, & necessitatem præcepti; vt igitur eam inuestigemus. Obserua quod bifariam aliquid continere potest necessitatem medij, vel, vt ipsum medium finis immediatum sicut gratia simpliciter, respectu salutis, vt includit remissionem peccati, & perseuerantiam; vel vt aliquid, quod gignit huiusmodi medium, sicut pœnitentia, baptismus producens gratiam, quæ est medium ipsum intimum necessarium ad salutem; iam de ratione istius medij, prout hic accipimus medium, hæc sunt: primum vt conferat ad finem assequendum, puta vt causa. Deindè debet, vt quid necessarium directè, & per se ad finem illum assequendum conferre. Postremò debet esse tale, vt effectus seu assecutio finis non possit aliundè haberi. Hinc discuntur tres conditiones; nam debet esse causa finis, alioquin non conferret ad illum. Ad hoc necesse est, vt sit directè & per se causa finis alioquin re vera si ex accidenti tantum & indirectè adhiberetur, neque diceretur propriè conferre ad illum finem; denique debet esse B adæquatè causa finis, nam si aliundè haberi posset finis, non esset necessarius effectus huius medij. Illa verò actio, vel res dicitur necessaria etiam necessitate medij, quamuis tantum vt gignens medium, quæ est causa, per se directè, & adæquata eiusmodi medij iam descripti; in vniuersum ergò illud appellabitur necessariũ necessitate medij ad salutem consequendam v. trouis modo sumas, siue sit mediũ ipsum, siue gignens medium tale vt descriptum est, quod est causa necessaria per se directa, & adæquata, vel medij talis, sicut se habet Baptismus in re, vel voto, vel finis, vt est gratia simpliciter ratione salutis æternæ. Necessitas verò præcepti est alicuius rei, quæ non directè pertinet ad salutem consequendam, sed indirectè tantum.

C Nam directè habet tollere potiùs impedimentum salutis, quamuis eo sublato indirectè sequatur salus, & posito impediatur. Ex quibus patet, necessitatem medij salutis conuenire procul dubio fidei, cõtritioni, vel dilectioni, baptismo, ac pœnitẽtiæ, sine quibus nemo salutẽ assequi potest. Horũ .n. quatuor singula p se, & directè, & adæquatè gignunt simpliciter mediũ necessariũ, id est, gratiam primam, quę omninò necessaria est ad salutem, vt effectus directè, & per se pertinens ad salutem, seu vitam æternam, & sine quo salus hæc nequit aliunde haberi. Cæterum obseruatio, & custodia legis, vel præcepti pertinet, atq; adeò vtilis est ad salutis consequutionem: quamuis non vno planè modo, nec eodem, ac necessarium necessitate medij. Iuuat enim primo custodia legum, vt est actio quædam meritoria, D gratiæ augmentum inducens; quę quidem gratia est ius ad vitam æternam. Et ex hac parte habet obseruatio præcepti, medij rationem, cum gratia ad salutem per se, & directè conferat, verùm quia licèt sit causa per se gratię, non est tamen adæquata cum alijs modis gratiam quis assequi possit, ideò licèt rationem medij habeat non tamen habet rationẽ medij necessariam. Augmentum item gratiæ non est necessarium omninò absolutè: nam si quis moriatur cùm prima gratia salutem comparabit. Licèt ergò gratia simpliciter sit necessaria, non tñ augmentũ. Secũdò iuuat obseruatio præcepti ad vitam æternam, quatenus tollit eius impedimentum, scilicet peccatum mortale, quod ex voluntaria eius præcepti transgressione com-

mittere-

Digitized by Google

mitteretur,& hinc non habet obſeruatio mandati rationem medij, quia nihil facit directè conferens ad ſalutem, licèt directè ſubtrahat impedimentum ſalutis id eſt peccatum. vnde contrahit neceſsitatem quandam,præcepti obſeruatio, nam ſine ea obſtruitur via ſalutis,ſed ea neceſsitas non eſt medij directè facientis aliquid ad ſalutem conſequendam.

2. Eſt ergò nobis hic ſermo non de præcepti neceſsitate; nam hanc clarè oſtendunt verba Chriſti, ſed de neceſsitate medij; quamquam omne neceſſarium neceſsitate medij contineat præcepti neceſsitatem: voluit enim Deus vrgere nos ad amplectendum id, quod neceſſarium medium eſt ad ſalutem;& ideo præceptum imposuit quo magis nos impelleret. Porrò omnes effectus neceſſarij ad ſalutem poſſunt ad duo reuocari capita, nimirum, ad primam gratiam,& remiſsionem peccati mortalis & originalis, & ad perſeuerantiam in gratia vſque ad mortem, quæ duo nomine gratiæ abſolutè rectè comprehendi poſſunt. Ideò ſi Venerabilis Euchariſtia neceſſaria eſt neceſsitate medii, neceſsè eſt,ſit medium neceſſarium ad aliquod horum obtinendum;hoc igitur erit diſcutiendum hic & ſequenti Theoria.

3. Et quidem quo ad primam gratiam, & remiſsionem peccati mortalis, vel originalis attinet, non eſt magna difficultas, quam hac Theoria octaua expediemus. conſtanter enim affirmamus non eſſe hac ex parte neceſſarium hoc Venerabile Sacramentum neceſsitate medij;probatur ex Trident.ſeſſ.13. can.5.vbi anathemate ferit eos, qui dicunt præcipuum fructum huius Sacramenti eſſe remiſsionem peccatorum: atque ſi per ſe eſſet inſtitutum ad remittendum originarium, & mortale peccatum, atque adeò ad primam gratiam conferendam, ſanè hic eſſet, vel præcipuus,vel vnus ex præcipuis effectibus eius. Deindè capite ſecundo, clarè docet Concilium hoc Sacramentum eſſe inſtitutum tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius, qui dixit, *qui manducat me,& ipſe viuet propter me*, & tanquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur. quo loco de venialibus affirmant Patres Tridentini tolli per hoc ſacramentũ:de mortalibus non item; quamuis præbeatur per illud auxilium, vt non committantur.Idem ex Conc.Florentino conſtat vbi habentur hæc; *huius ſacramenti effectus, quem in anima efficit dignè ſumentis,eſt adunatio hominis ad Chriſtum,& quia per gratiam homo Chriſto incorporatur,& membris eius vnitur, conſequens eſt, quod per hoc ſacramentum in ſumentibus dignè gratia augeatur.* Quibus verbis non primam gratiam,ſed gratiæ augmentum aſsignat Eugenius eſſe effectum huius Sacramenti. Per adunationem autem ad Chriſtum intelligit perfectam vnionem cum Chriſto non inchoatam, & primam. Vndè Innocent.III.cap. cum Marthæ de celebrat.Miſſ. dixit rem huius Sacramenti eſſe vnitatem .i. perfectionem vnitatis, & caritatis,& clarius Concil. Lateranen. cap. firmiter, docet hoc Sacramentum inſtitutũ eſſe ad perficiendum myſteriũ vnitatis.hoc ipſum oſtendi poteſt ex eo, q hoc Sacramentũ dicatur eſſe

A Sacramẽtũ viuorũ,quia nimirũ inſtitutũ eſt ad cõſeruandã vitam ſpiritualẽ, & augendã, ſicuti cibus,qui ſupponit vitam.Quod & indè corroboratur adhuc, quia ad gratiam primam inſtituta ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia. Igitur ſuperuacaneum eſt aliud excogitare. Hinc eſt quod accedentibus ad hoc Sacramentum præcipitur, vt ſi in peccato ſint per contritionem, & confeſsionem deleant peccata; ergo ſignum eſt, hoc Sacramentum non eſſe inſtitutum ad primam gratiam,ſed ſupponere illam.

Quod ſi obijcias dixiſſe hic Chriſtum non habituros vitam homines niſi comedant & bibant carnem & ſanguinem eius, ergò videtur ipſa V. Euchariſtia ſaltem ceu vniuerſalis quædam cauſa,& veluti fons continens virtute efficacitatem omnium Sacramentorum, cum B alijs Sacramentis concurrere ad effecta ſingulorum ; & in primis ad effecta Baptiſmi , & Pœnitentiæ, id eſt, ad primam gratiam. Reſpondeo ſenſum verborum Chriſti cùm ait; *nõ habebitis vitam in vobis,* non eſſe vt velit ea quaſi de inchoatione vitæ ſpiritualis accipi, ſed de continentia,& conſeruatione vitæ loquitur,vt idem ſit *non habebitis*, quod non continebitis,& conſeruabitis. Atque adeò nec vitam æternam, & immortalem aſſequemini,ſicut dicitur 1.Io. 3.*omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem*, quaſi dicat,amittet eam,vel ea priuabitur. Vide Schol.huius cap.n.28 Quod verò nõ ſit hoc Sacramentum veluti fons,& cauſa vniuerſalis concurrens ad effectum omnium Sacramentorum pluribus oſtendit Franciſ. Suar. C diſ.40.ſect.1.concl.1. arg.3. Cùm ergò dicitur quod Euchariſtia eſt veluti præcipuus fons efficaciam omnium Sacramentorum virtute cõtinens,non eſt id ita accipiendum, quaſi contineat cauſalitatem vniuerſalem pro vt fingitur in argumento. ſed potiùs præeminentem quãdam excellentiam,qua per proprium ſuum effectum perficit quodammodo effectus aliorũ Sacramentorum, verbi gratia, Baptiſmus nos Chriſto parturit;hoc verò nutrit;ille nos ei ſimiles facit, hoc perficit, ac cõſummat illam vnionem, quatenus peculiari quodã modo nos Chriſto adiungit, vt capiti. Pœnitentia delet peccata,hoc Sacramẽtũ,hũc ipsũ effectũ pficit tollendo venialia,imminuendo fomitem,prẽſeruando à mortalibus. Et ſic de alijs Sacramẽtis; quod ſi D.Thom. aliquando dicit votum D Euchariſt.neceſſarium eſſe ad gratiam obtinẽdam, voluit dicere; omnem gratiam,quia vnitiua eſt cum Chriſto capite, per quandam accommodationẽ dici effectũ Euchariſtiæ, proindè dari ab ea,vel in re,vel in voto ſuſcepta.

Poſſet aliquis,ex eo quod dictum eſt ſuperius numero tertio, ex concilio Florentino obijcere, adunationem ad Chriſtum per gratiam,eſſe effectum omninò neceſſarium ad ſalutem,tam paruulis, quam adultis; videri ergo ex hac parte contrahere Euchariſtiam medij neceſsitatem. Quare putarunt aliqui Euchariſtiã hac ratione in re,vel in voto neceſſariã eſſe neceſsitate medij.quibus videtur fauere D.Th. q.80.art.3.vbi ait: *quoniam res huius Sacramenti, quæ eſt vnitas corporis myſtici, omninò eſt neceſſaria ad ſalutem, & ea,vt res etiam aliorum Sacramentorum,haberi poteſt,ſolo voto Sacramenti;ideo hoc Sa-*

cramentum

cramentum minimum in voto esse omninò necessarium ad salutem. Respondeo adunationem quidē ad Christum, siue vnionem cum Christo esse quidem medium necessarium ad salutem, non tamen V. Eucharistia est caussa adæquata eius; cùm enim hæc vnio per gratiam fiat, res est Sacramentorum omnium, & meritorum. At tribuitur Eucharistiæ secundùm quandam accōmodationem, vel attributionem: quia ipsa est quæ consummat, & perficit, & conseruat eam incorporationem, quam reliqua Sacramenta veluti inchoant. Et verò sic presè spectatur incorporatio nempè, vt perfecta, consummata, perseuerans, est quidem proprius effectus Venerabilis huius Sacramēti, cuius propria est ea perfectio, cōseruatio, & cōsummatio vnionis; sed hoc modo, non est necessaria ad salūtem, nec eius causa adæquata. Propter hunc igitur effectum, tantum huic Sacramēto competit vnio cum Christo vniuersim sumpta, nempè vt res est omnium Sacramentorum, per quandam accommodationem, vt dixi, & attributionem, velutī per quandam analogiā.

6. Ad quod ostendendum hoc Sacramentum constat ex rebus, quæ conficiuntur ex pluribus ad vnum constituendum vnitis, nam panis ex pluribus granis, vinum ex pluribus racemis consurgit. Deindè repræsentatur per modum conuiuij: sic enim à Christo institutum est; cōuiuium verò est adunatio plurium ad vnam mensam, quod significauit Paulus 1. Corint. 10. *Vnum corpus sumus omnes, qui de vno calice, & de vno pane communicamus.* Et dum conficitur hoc sacrificium, aqua vino miscetur, ad significandam populorum vnionem ad Christum. Ad hæc si spectetur res ista in hoc Sacramento contenta, quæ est Christus, in quo vnitæ sunt duæ naturæ, & per quem in Ecclesia multi fideles vnum sunt, eadem vnio insinuatur. Transubstantiatio denique ista demonstrat vnionem, per quam, per gratiam transformātur in Christum, non igitur mirum videri debet si vnionem vniuersim sumptam dixerimus per quandā accommodationem, & analogiam tribui huic Sacramento.

7. Duæ ergò sunt causæ huius accommodatonis & analogiæ, & quia vnio perficiens, conseruās, & cōsummans est proprius eius effectus; & quia vndiq; ipsum spirat vnionis tanquam suauissimi balsami odorem, cuius est peculiari quadam ratione vt symbolum cōstitutum. D. Thom. verò, sicut & Augustinus, & reliqui Patres, qui eodem modo loquuntur significant adeptionem rei huius Sacramenti, quæ est vnitas, & incorporatio cum Christo per gratiam, & eius membris, esse necessariam necessitate medij: at huius effectus non dicunt hoc Sacramentum esse adæquatam causam.

8 Sed vrgent, Patres vt Innocentium sic ratiocinati necessarius est baptismus, quia necessaria Eucharistia. Respondeo bifariam id intelligi posse. Primùm significant necessariam esse vnionem cum Christo, quæ modo iam dicto tribuitur Euch. hanc autem nō potest quis habere nisi sit renatus per baptismum vide nu. 6. Theo. 6. Secundò intelligi potest in voto, ac virtute necessariam esse Euch. quod seq. Theo. declarabitur.

A Postremò huic Theoriæ supremam manum imponat vltima hæc, sed efficacissima ratio, si enim numeremus omnes effectus, qui solent attribui, ab aliquibus saltem, huic Sacramento excepta finali gratia, seu perseuerantia, inueniemus profectò nullum esse, propter quem in illud competere debeat necessitas medij. Sunt enim effectus secundùm quosdam prima gratia, secūdùm omnes etiam venialia delere peccata, augere gratiam, & per eam perficere vnionem cum Christo & Ecclesiā, præseruare à mortalibus, adunare ad corpus Christi. Sed isthæc effecta, vel non sunt Eucha. per se, & directè, vt primam gratiam conferre &c. vel non sunt media necessaria ad salutem, vt sunt reliqua omnia, nam adunatio ad Christi corpus, vt peculiaris est effectus Eucharistiæ, & vnio cōsummata non sunt necessarij effectus ad salutē, vt superius dictum est nu. 5. vel denique non sunt ab Eucharistia tanquam ab adæquata causa. Igitur propter nihil horum affirmandum est V. Eucharistiam necessariam esse necessitatem medij. Quam ratiocinatio innititur conditionibus necessitatis medij, de quibus n. 1. restat videre num saltem V. Euch. necessitatem afferat medij, ratione perseuerantiæ, vel finalis gratiæ, quod sequenti Theor. faciemus.

9.

THEORIA IX.

Num Ven. Sacr. Euchar. ratione saltem perseuerantiæ, vel finalis gratiæ necessitatem afferat medij.

C ET si vtraque huius controuersiæ pars probabilis est; nobis tamen in præsenti partem affirmatiuam tueri placet. Itaque affirmamus, non modò necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij V. Eucharistiam necessariam esse tam adultis, quàm paruulis ad finalem gratiam, seu perseuerantiam, non quidem in re, sed in voto, vel virtute. Hanc propositionem vt statuamus, & quomodo sint soluenda simul, quæ contra illam afferuntur, doceamus, duo sunt initio declaranda, antequam eam rationibus confirmemus. Primùm quid hic nomine finalis gratiæ, seu perseuerātiæ intelligimus; deindè quodnam sit votum, seu virtus hæc Eucharistiæ.

1.

Perseuerantia duobus modis accipitur.

D Igitur perseuerantia duobus modis accipi potest, Suar. 3. p. to. 3. distinguit d. 40. sectio. 2. concl. 3. primò vt posita est in auxilijs quibusdam excitantis gratiæ, vel adiuuantis extraordinarijs, quæ Deus sua liberalitate pijs hominibus tribuit, ad superandas graues, difficilesque tentationes, quibus fit vt præseruentur à mortalibus, & in accepta gratia ad finem vsque perdurent. secundò prout est beneficium quoddā speciale diuinæ prouidentiæ, atque electionis, quod liberaliter largitur Deus homini, vt in gratia diem obeat, siue concessa ei fuerint prædicta auxilia, siue non. per gratiam autem finalem hic eandem perseuerantiam intelligimus, quare in ea etiā locum habet eadē distinctio; iam non primo, sed secundo modo perseuerantiam, seu finalem gratiam accipimus, & ita negandum est concedi perseuerantiā aliter,

quam

Digitized by Google

quam per Eucharistiam, siue in re sumptam, siue in virtute per aliquid quod agere dicatur, vt virtus est Eucharistiæ, sicut contritio, vt votum est Baptismi, & Pœnitentiæ confert primam gratiam.

2. Neque concedendum est aduersarijs id, quod sumunt, vt nostram sententiam conuellant; finalem gratiam nil addere ad gratiã primò acceptam, verbi gratia, in Baptismo ab infantibus, præter conseruationem eius, & perdurationem in subiecto vsque ad obitum; nam quamuis verum sit nihil in re addi, ex eo tamen quod ad obitum vsque permaneat rationem contrahit noui beneficij, seu nouæ gratiæ, dicturque finalis, quæ ante mortem prima dicebatur, & aucta; neque omnibus conceditur, sed ijs duntaxat, quos Deus elegit, & prædestinauit, vt Sap. 4. indicatur: *placês Deo factus, dilectus, & viuens inter peccatores translatus est, raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, & ne fictio deciperet animam illius*, quam sententiam subtiliter, vt solet Augustinus, versat de prædest. Sanctorum c. 14.

3. Deindè obseruandum est longè aliter dici contritionem, seu dilectionem esse votum baptismi & pœnitentiæ ad primam gratiam assequendam, ac dicit baptismus, vel alia etiam sacramenta votum Eucharistię ad finalem gratiam. Nam inprimis cum contritio, vel dilectio sint actus voluntatis, quo amplectitur omne quod à Deo præceptũ est, & abhorret, ꝙ vetitum: hinc fit vt natura sua, & intrinsecè sit votum, ac propositum saltem implicitum baptismi, vel pœnitentiæ, quæ sunt Sacramenta à Deo præcepta: ita vt is, qui eiusmodi contritionis, vel dilectionis actus exercet, sic sit intus affectus, vt reuera saltem implicitè, & in virtute habeat votum seu propositum talium Sacramentorum, accepturus si tunc posit, sin minus cùm se offeret facultas.

At Sacramenta ipsa cùm non sint actus voluntatis non possunt esse hoc modo vota, seu propositum, atque adeò possunt sine vllo actu voluntatis suscepta, vt in infantibus, & insanis accipi, & vt Euchar. virtus vltimam finalem gratiam conferre. Itaq; cum verbi gratia dicimus votum Euchar. contineri in Baptismo etiam suscepto ab infantibus, perindè est, ac si diceremus, baptismum virtutem esse quandam Eucharistiæ, & quamuis vetitum sit in quibusdam casibus vti Eucharistia, vt ne bis eodem die sumatur &c. non est prohitum tamen in virtute Eucharistiæ alia Sacramenta conferre quocumque tempore vltimam gratiam: neque enim talis virtus est propriè votum, id est, Actus voluntatis, quo vult quis Eucharistiã sumere, id quod vetitum est, bis eodem die. Possunt ergò alia Sacramenta, vt virtutes Eucharistiæ etiam eodem die conferre finalem gratiam, si post sumptam Eucharistiam peccet mortaliter, & eodem die moriatur.

4. Est & alia differentia inter votum dilectionis, & contritionis, & aliorũ Sacramentorum; nam dilectio, & cõtritio ex se sunt voluntates, seu vota saltem implicitè eorum Sacramentorum quorum effecta supplent. At alia Sacramenta respectu Eucharistiæ id non habent, vt sint eius votum, seu virtus ex natura sua, sed A tantum ex institutione Christi. Cui placuit, vt quando sumi non potest Eucharistia, vel quia non adest facultas, vel quia certis casibus prohibitum est ab Ecclesia, tunc conferrent illa eum finalis gratiæ effectum, quem alioqui ipsa exhiberet Eucharistia.

His iam positis tribus rationibus nostram 5.
sententiam confirmabimus, quæ licèt à Francisco Suar. afferantur etiam, & doctè iuxta sua principia ab illo dissoluantur, nobis tamẽ quia aliam inimus rationem, & alia sequimur firmamenta, non paruam videntur habere probabilitatem. sit igitur prima ratio ab auctoritate desumpta; nam verba Ioann. necessitatem quandam etiam medij significare videntur, ait enim: *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die: & qui manducat hunc panem, viuet in æternũ.* Porrò in vita æterna finalis gratia includitur, & quidem videtur hic effectus tribui huic Venerabili Sacramento, tanquam propriæ, & adæquatæ causæ illius; quod & ex illis verbis confici etiam videtur: *sicuti misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me*; vbi insinuatur, quod quemadmodum Pater est vnicum, illudque naturale, ac necessarium principium filij; ita vnicum principium seu medium, vel spiritualem, æternamq; vitam esse Venerabile hoc Sacramentum. Adde quod illa verba, *nisi manducaueritis carnem Filij hominis* &c. significant, secundùm mentem Christi locis hic n. 5. citatis insinuatam, per Eucharistiam aliquo modo, siue re, siue virtute & nõ sine illa vitam conseruari posse. Vtramque necessitatem ergò, & præcepti, & medij continere possunt hæc verba citra omne absurdum; quamuis explicitè, cùm sint dicta ad adultos dubitantibus de possibilitate realis manducationis, de reali manducatione intelligantur, & contineant præcepti necessitatem: secundùm mentem verò Domini, quę colligitur ex alijs loc. cit. n. 5. etiam implicitè extenduntur ad paruulos, denique singulos amplectuntur, & continent necessitatem medij, ita vt nisi quis, siue in re, siue in virtute manducet carnem, & bibat sanguinem Christi, non sit ad vitam æternam tandem peruenturus. Quarè meritò Cyrillus l. 10. in Ioannem cap. 13. testatur; non potuisse aliter corruptibilem hanc naturam corporis ad incorruptibilem vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur. Item Basil. in moral. Reg. 21. Augustinus ep. 121. ad Probam. c. 11. & alij fauere videntur, qui docent Venerabilẽ Eucharistiam necessariam esse minimum in voto, nec videntur loqui de voto præcepti: lege Claudium rep. 6. c. 7. Pet. de Soto, Roffensem in procemio l. 5. contra OEcolampadium: Indicat aliquo modo D. Thom. q. 79. a. ad primum, & q. 80. art. 11.

Est & ratio secunda; nam sicut remissio pec- 6.
cati, & prima gratia est res necessaria ad salutem: ita etiam perseuerantia in gratia, seu gratia finalis; ergo quemadmodum ad dandam, vel etiam resartiendam primam gratiam instituta sunt Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ: ita ad gratiam finalem, seu perseuerantiam instituti debuit aliud Sacramentum, quod non vi-

detur

detur aliud esse posse, præter Eucharistiam cuius dignitas tanta est, vt Christum ipsum in se substantialiter contineat, & consummatio sit cæterorum sacramentorum. quare videtur requirere nobilissimum effectum excedentem effecta omnia reliquorum sacramentorum, & cùm sit consummatio, & ea maximè fiat per finalem gratiam, videtur ex illa institutione qua decretũ est, vt sit perfectio, & consummatio reliquorum Sacramentorum, esse etiam institutum ad finalem maximè gratiam conferendam, ita vt reliqua Sacramenta illam non conferant, nisi vt virtutes sunt huius, quod si tantum augeret gratiam, quid, quæso, aliud præstantius efficeret, quàm cætera Sacramenta, immò à Baptismo, & Pœnitentia in necessitate excederetur.

7. Postremò ex his quæ habet Concilium Florentinum, sic tertiam rationem conficio. Hoc Sacramentum quia institutum est per modum cibi secundùm proprotionem, ea omnia conferre debet animæ, quæ cibus corpori, ergò cùm corporis cibus necessarius sit ad corporis conseruationem, & ad repellendos morbos: ita & hoc Venerabile Sacramentum absolutè necessarium erit ad perdurandam, & obtinendam finalem gratiam.

8 Ex his fit non esse verum quod aduersarij sumunt, sic enim argumentantur, conseruationem gratiæ in infantibus deberi ex vi Baptismi, vsque ad effulgentem rationis vsum, atque adeò si moriatur infãs, gratiæ ex vi Baptismatis collatæ deberi finalem gratiam, & perseuerantiam: cùm enim non possit infans peccare, non poterit amittere gratiam semel per Baptismum acceptam: talis enim est gratia, quæ vi Baptismi confertur. Quibus ego nego conseruationem gratiæ in infantibus deberi ex vi Baptismatis intercedente morte; nam hac cõditione data, nouum beneficium fit, quod non habet Baptismus sua vi conferre, neque aliud Sacramentum in adultis: decreuit enim Deus electis non conferre gratiam finalem, & perseuerantiam, nisi per Eucharistiam, vel eius virtute; & cum gratia perseuerantiæ non cadat sub meritum, fit, vt ex opere operato conferatur virtute Eucharistiæ; vnde potest dici effectus Sacramentalis: non sicut prima gratia quæ per dilectionem, & contritionem, ex opere operantis confertur cum voto Baptismi, vel Pœnitentiæ, ac proinde non potest dici propriè gratia Sacramentalis, nisi ea ratione quia nõ cõfertur, nisi cũ dependentia à talibus Sacramentis. Habet etiam & aliud vnde dicatur gratia finalis, sacramentalis effectus Eucharistiæ; quia non est à reliquis Sacramentis vt à cõtinentibus votum, seu propositum Eucharistiæ; sed vt vicem gerunt eius, vel virtutes sunt eiusdem. quamuis aliud videatur dicendum quando aliquis moritur cum contritione sine vllo Sacramento: tunc enim gratia finalis, licèt collata sit virtute Eucharistiæ, quatenus ea virtus continebatur in voto sacramenti Baptismi, vel Pœnitentiæ; non videtur tamen propriè esse sacramentalis, scilicet ex opere operato.

9. Vrgent iterùm aduersarij: si perseuerantia esset effectus Eucharistiæ, conferri deberet omnibus, qui obicem non opponunt, atqui id falsum est, ergo non est effectus Venerabilis Sacramenti: sequela maioris sic ostenditur, quia effectus sacramentales ijs omnibus qui dignè sacramenta suscipiunt infallibiliter tribuuntur, nimirum ex opere operato. Quod verò non omnibus dignè suscipientibus Eucharistiam is effectus tribuatur, magis constat, quàm vt probari debeat. Respondeo duplices esse effectus Sacramentorum ordinarios, & extraordinarios. Primi infallibiliter conferuntur ijs omnibus, qui obicem non obijciunt. Posteriores nego omnibus concedi infallibiliter, quamuis obicem non opponant, sicut extremæ Vnctioni pro extraordinario effectu tribuitur conferre sanitatem corporis, & confirmationi auxilia efficacia ad profitendam fidem. Iam finalis gratia extraordinarius est Eucharistiæ effectus. Non igitur mirum si nõ omnibus infallibiliter tribuatur dignè eam suscipientibus. Cùm verò confertur ex opere operato, & ex diuina promissione cõfertur citra vllum alium respectũ ad operãtem. Ratio horũ est, quia decreuit Deus tales effectus extraordinarios cùm libet illi eos cõcedere, non aliter tribuere quam talium Sacramentorum intuitu. Cùm igitur Deus electis tantum decreuerit finalem gratiam, ac perseuerantiæ donum elargiri, id non facere decreuit nisi intuitu V. huius Sacramenti.

Sed inquiunt; Melchiadem Pontificem in ep. ad Episcop. Hispaniæ c. 2. vt habetur Can. 1. spiritus sanctus, de consecratione d. 5. sic dicere: quamuis continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se saluat mox in pace baptismi, vel sæculi recipiendos; confirmatio armat & cætera. qui autem post baptismum cùm acquisita innocentia immaculati peruenerint ad mortem, confirmantur morte &c. Tridentin. quoque sess. 7. capite 4. & 14. 16. tantum Baptismo, & pœnitentiæ tribuit necessitatem medij, & Eucharistiæ præcepti. D. item Tho. q. 65. docet ad salutem necessitate finis singulis hominibus baptismum, & pœnitentiam necessaria esse, ordinem toti Ecclesiæ. sed ad hæc non difficile est respondere: nam his auctoritatibus tantum fit ad inchoationem vitæ spiritualis non esse necessariam Eucharistiam; si verò de confirmatione loquamur, & finali gratia, licèt non sit necessaria Eucharistia in re, non tamen negandum est esse necessariã in voto, id est, in virtute, quæ alijs sacramentis continetur. Possumus etiam dicere loquutos esse istos Patres præsertim D. Thom. & Trident. de his Sacramentis, quæ citra omnem controuersiam constat esse necessaria, ac proindè Tritendini Patres non curarunt alterius necessitatis meminisse in Eucharistiæ tractatione, quam præcepti. Hanc sententiam eo libentius defendo, quod videam illi fauere verba Christi c. 6. Io. & dignitati immensæ tanti Sacramenti cõsentaneam esse.

16.

Digitized by Google

DIGRESSIO I.
MORALIS
De causis institutionis Venerabilis Eucharistiæ.

1. AD tria capita reuocabimus ea, quæ in sequentibus digressionibus moralibus dicturi sumus de V. Eucharistia. Primum continebit causas institutionis. Alterum multiplices huius Sacramẽti effectus. Postremum, modum se vtiliter præparandi ad illud suscipiendum. Ergò à primo exordinamur.

Euch. Sacr. ob tres causas institu. iuxta D. Thom.

D. Thomas Opusc. 58. cap. 1. tres assignat causas: Memoriam Saluatoris: sacrificium Altaris: cibũ hominis: contra tria mala, quę ex primo peccato illo contraximus, quæ sunt: Obliuio Dei: Furtum, cui obnoxij eramus; & virus, quo infecti, ob esum pomi, fueramus. Et primum quidem malum indicat Ecclesiast. 10. 14. 15. *Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius,* nimirum per obliuionem. Dæmonem enim primi Parẽtes dum audiunt, diuinum posthabuere præceptum, quasi illud obliuioni tradẽtes. Alterum malum significatur Gen. 3. 6. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendũ, & pulcrum oculis, aspectuq; delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditq; viro suo, qui comedit.* Ecce fructũ, cui se obstrinxerunt. Tertium malum declaratur Gen. 2. 16. 17. *Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Vides ne qualiter pomum illud vnenatum, & mortiferum illis fuerit?

2. Contra primum igitur malum institutum est hoc Venerabile Sacramentum, videlicet ad tollendam Dei obliuionem. *Hoc facite,* inquit Christus, *in meam commemorationem.* Hinc Eusebius Emis. præclarè scripsit: *quia corpus assumptũ Dominus ablaturus erat ex oculis nostris, & sideribus illaturus, necessarium erat, vt nobis Sacramentum corporis, & sanguinis sui consecraret, vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium: vt quia quotidiana, & indefessa currebat pro hominum salute Redemptio, perpetua esset etiam Redemptionis oblatio; & perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia.*

3. Et verò quid efficacius ad Christi memoriam retinendam, quam eiusdẽ corpus passum, eiusdemq; sanguinem semper ante oculos habere? Præclarè D. Thomas obseruauit: sic nos sponsum hortari Can. 5. 2. *Vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea; amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium;* quod perindè est ac si diceret: susci pe me intra memoriam & dilectionem tuam; quia caput meum, id est, diuinitas plena est rore misericordiæ ad dimittenda peccata; & cincinni, hoc est, humanitas mea; guttis, videlicet, sudoris, sanguinis, lacrymarũ, guttis, inquam, noctium, videlicet, cruciatuũ, & dolorum. Ita ibi loquentem Dominum fingas oportet, quoties hoc augustissimum Sacramentum adis.

4. Cùm verò hoc Sacramentum commemoratio quædã sit mortis, & suppliciorum Christi, dubitari non potest quin suauem habeat, & promptam earum rerum recordationem. *Super omnia,* inquit Bernardus, *te mihi reddit amabilem Iesu Bone, calix, quem bibisti, opus Redemptionis meæ.* Et iterum: *Quanto pro me Dominus factus est vilior, tanto mihi factus est carior.* Itaque verè Dauid quasi hoc Sacramentum respiciens, cecinit Psal. 110. *memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus,* & subdit; *escam dedit timentibus se.*

A

Cùm mercator institorem suum ad celebre aliquod emporium mittit, libellum illi tradit mandata quædam continentem, quæ institor ille in peragendis negotijs sequatur: ne fortè officij sui oblitus, multa committat contra Domini vtilitatem; etenim vt Eccles. 26. 28. dicitur: *duæ species,* id est, duo hominũ, & actionũ genera, *difficiles, & periculosa mihi apparuerũt; difficilè exuitur negotians à negligentia.* Gr. παλαμμεύειας quod significat delictum, cũ videlicet, prætermittitur, quod prætermittendũ non erat, *& non iustificabitur,* hoc est, non erit immunis, & innocens, *caupo à peccatis labiorum.* Gr. ἁμαρτίας, quod peccatum significat, cùm fit id, quod fieri non debebat: nec est græcè labiorum. hoc autem loco tribuitur negligẽtia mercatoribus, quod multa sæpè omittant, quæ dicere, & facere debent; vt cùm vitia mercium suarum vel tacent, vel tegunt; dies festos non seruant. quamuis negligentia, vel delictum pro peccato etiam sumi possit: quod tamen cauponibus speciatim tribuitur, quòd multa mentiantur, multa iniustè extorqueant, falsa pro veris supponant; vetera pro recentibus; licèt etiam ipsi per negligentiã & omissionẽ peccent, dum lucris tantũ intẽti, quæ ad animæ salutem pertinẽt, vel quærere, vel curare nihil pensi habẽt. quare meritò hæc mercatorũ, & cauponũ officia Ecclesiasticis sunt interdicta. bonus igitur institor quotidiè inspiciens libellum, videt quidnam fecerit, quidue agendum restet. Cùm ergò vita hæc emporium quoddam sit Luc. 19. 13. *negotiamini dum venio,* vt benè nos geramus in negotiatione ista libellus veluti memoriæ datus est nobis; hoc videlicet, augustissimum Sacramentum, memoriam continens mirabilium Dei; vt in singulos dies illud inspicientes (quod facimus dum missæ Sacrificio adsumus, dum sacratissimo illo corpore communicamus, & sanguine, dum illud supplices veneramur) memoriam refricemus tanti beneficij, & quid hactenùs pro tanto in nos collato munere fecerimus, quidve facere debeamus, attentius consideremus, atque ita fiet, vt maiores indies pregressus in virtute faciamus.

B

C

D

5.

6. Huc mihi maximè spectare videtur illud Iob. 16. 19. *terra ne operias sanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus.* Quem locũ Philippus Presbyter, de Christo accipit, in hanc sententiam: nunquam rerum terrenarũ amor, ita hominum mentes obruat, vt huius tanti beneficij memoriã curarum suarum mole sepeliat, sed super omnia in corde nostro emineat, quod summum est.

7. Iam ad posteriorẽ causam veniamus, quã ex D. Thom. esse diximus, sacrificium Altaris cõtra furtum. Tam magnũ erat id quod Deo debebãt primi parentes, totumq; hominũ genus ex furti magnitudine, ex raptoris ingratitudine, ex læsi Maiestate, vt nulla antiquæ legis sa-

crificia

crificia sufficerent ad tantum scelus expiandũ. Prætermisis igitur illis Christus ingrediens mundum dicit: *hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi.* Hebræ. 10. 5. Corpus nimirum suum pro nobis obtulit in sacrificium, atque ita quæ non rapuit, exsoluit. Hoc autem sacrificium quod ipse instituit in Cœna incruentè, vt cruentum illud in Cruce repræsentaret, & contineret, acceptum fuit Deo Patri pro omnium peccatis, & pro quibuscunque rapinis, & excessibus, qui quotidiè passim fiunt. Malach. 3. 4. *& placebit Domino sacrificium Iuda, & Hierusalem.* & Alexãder Pontifex Summus, *nihil*, inquit, *in sacrificio Ecclesiæ maius esse potest quàm corpus, & sangis Christi, nec vlla oblatio hæc potior est.*

8

Postremò tertia causa institutionis ex ijs tribus, quas ex D. Thom. retulimus, hæc fuit, vt esset hoc Sacramentum edulium, & medicina hominis, expellens pomi pestiferi, & pernitiosi venenum. Triplex namque mortiferum illud pomum nobis venenum instillauit; menti tenebras, morbidum corpori languorem (quem concupiscentiam nominamus) & mortem vtique. Hoc ergò Sacramentum institutum est, vt tria hæc tolleret, & aboleret. Quare meritò illud conferre possumus cum melle Ionatæ 1. Regum 14. 29. quod cùm ille comedisset, miram illius virtutem admiratus dixit: *vidistis quia illuminati sunt oculi mei, eò quòd gustauerim paululum de melle isto*, ad hoc sanè mel gustandum hortatur nos Spiritus Dei Prou. 24. 13. *Comede, fili mi, mel, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo.* Iurè igitur quis affirmet hoc Venerabile sacramentum offusas menti tenebras detergere, & cæleste lumen accendere.

9.

Mitigat præterea prauum concupiscentiæ morbum, vt aptè massæ ficorum quam Isaias iussit afferri 4. Reg. 20. 7. multo simillimum esse affirmare possimus. Nam cùm massam, quam diximus, admouisset Propheta Regis vlceri, continuò illum sanitati restituit. Porrò vlcus carnis nostræ, id est, cõcupiscentiæ morbum, aptè repræsentat: itemque massa ficorum non minus appositè V. Eucharistiã significat, quæ multorum bonorum admirandam dulcedinem continet, ac saporis suauitatem. Neque id solùm, verùm etiam vniuersis ægritudinibus perpetuam medicinam affert. Postremò procul depulsa morte cælestem vitam tribuit, vt cap Io. 6. per comparationem mannæ Dominus ostendit. Sed quoniam præter has tres institutionis causas, quas D. Thomas assignat alia quædam præcipua est, de ea sequenti Digressione differendum erit.

DIGRESSIO II.

MORALIS

Quod V. Sacram. eximiũ amorẽ spiret.

1.

PRAECIPVAM instituendæ V. Eucharistiæ rationem hanc fuisse reor, vt esset insignis Christi erga nos amoris pignus. Ex duplici namque capite spirat ingentem charitatis ignem, ex significatiõe, & ex Christi præsentia. De singulis pauca dicenda; reliquæ enim causæ superius enumeratæ, licèt etiam hunc complectantur amorẽ, non tam ex parte Chri-

A

sti, quã ex parte nostra, hoc est, nostræ necessitatis, sumptæ sunt. Itaque ex duobus his capit. variæ ac piæ cooriuntur cogitationes, quibus ingens Christi in nos amor apparebit, & magnum etiam in nobis erga illum amoris incendium excitabitur. Ad primum ergò caput accedamus, quod est significatio.

2.

Quatuor V. Sacramentum significat, Christi Vitam; Passionem; Ecclesiam militantẽ; & triumphantem. De Vita & Passione, est illud Apostoli: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* & quod orat Ecclesia: *Vnde & memores, Domine, nos serui tui, sed & plebs tua sancta eiusdẽ Christi Filij tui Domini nostri tam B. Passionis, nec non & ab inferis Resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ Ascensionis*, &c. Omnia verò hæc quatuor simul comprehẽdit solemnis illa Antiphona: *O sacrum conuiuium in quo Christus sumitur*; sub Christi verò nomine rectè eius Vita continetur. sequitur Passio: *recolitur memoria Passionis eius.* Dum verò Gratiæ mẽtio fit, qua nimirum totum Ecclesiæ corpus Christo capiti vnitur, & sanctificatur; tertium quod significari diximus, exprimitur. Quę sequuntur verò indicant pignus esse, & æternę Glorię signum: ita per hæc quatuor, Vita, Passio Christi, Ecclesiæ, quæ in terris agit, & quæ in cælis est significantur.

B

3. *Christianorũ bonum in quo situm.*

Quod ergò attinet ad vitã & passionẽ Christi aduerte: totum Christianorũ bonum positũ esse in cõmunicatione, participationeq; meritorum Christi, quę per triginta quatuor annos nobis acquisiuit. Horum particeps sumus per V. Euch. ad consummationẽ vsq; sæculi. Tẽpus porrò illud, quo nobis meruit Christus, diesq; illos multo optatissimas vidit olim Abraham, de quo Christus: *exultauit vt videret diem meum: vidit & gauisus est*; idemq; aureum tempus ipso mũdi nascentis initio indicatũ est Adamo illis verbis Gen. 3. 15. *inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum.* Et quidẽ Paulus isthuc tẽpus, *tempus temporis plenitudinem* nominat. Etenim reliqua tẽpora præ vno isto veluti inania erant, & vacua; & ob id eorum, quibus datum est, vt viderent dies Christi, beati fuisse dicuntur oculi.

C

4.

Quarè tam sanctum, tam felix sæculum non solum illis, qui tunc erant, cum natus est Christus, & in terris nobiscũ egit, debuit prodesse, vel voluptatem afferre, sed eo modo quo fieri poterat, eo frui par erat, & qui Christum præcesserunt, & qui sequuti sunt: Vndè factũ est vt per fidem futuri Mesię illi ipsi dies Christi, & merita, etiã ad antiquos pertinerẽt. Quomodo dicitur Christus *Agnus occisus ab origine mundi.* Nobis verò qui consequuti sumus multo præstantius hæc eadẽ Christi merita, & temporis illius actiones applicantur per V. Euch. Sacramentũ; in quo Christus ipse cum omnibus suis donis inter nos habitat; vt meritò Christianorum terra lacte, & melle redundet.

D

5.

Sed age dicamus quomodo sigillatim per hoc Sacramẽtũ Christi vita significetur. Principio Dei verbũ pronũciatis illis ab Augustissima Virgine: *Ecce ancilla Domini*, pro nobis induere hominem nõ horruit: hîc verò, hoc est, in sacra Euch. post sacra Verba consecrationis admiranda Dei virtute adest ver⁹ ipse Christus

Digitized by Google

Deus & homo. iterùm cùm in lucem editus esset Christus, venerati sunt illum in cunabilis Pastores, adorauerunt Magi; & hic à consecratione statim à Sacerdote, deinde à reliquo populo adoratur. Quòd si natus Christus octauo die circumciditur, etiam hic aliquo modo dissecatur, & in partes diuiditur, ratione videlicet specierum, quamuis semper integer ipse perseueret. Si templum quadragesimo à natiuitate die adit, etiam per hoc Sacramentũ sumptus Christus suscipientium cor tanquam animatum templum ingreditur. Fugit Herodẽ in AEgyptum, & hic se ab indignis oculis, immò ab ijs etiam, qui sine peccato sunt, subtrahit se interdum per ariditatem quandam, quo se diligentius apparent in posterum. idem aquã in vinum vertit in nuptijs, & hic panis substantiam in carnem Sacerdos conuertit, & vinum in sanguinem. Dinique, ne longum faciam, docet Christus, miracula multa edit, morbos pellit, dæmones fugat, sed hæc omnia, & his similia non est difficilè in hoc Sacramento cernere, si quis diligẽter obseruet innumerabiles fructus, quos V. Eucharistia in eorũ animis parit, qui piè ac deuotè ad eã accedunt. Quæ singula per se quantam caritatem spirent, nemo potest nõ modò verbis exprimere, sed ne cogitatione cõplecti. Patet ergò qua parte hoc Sacra. Christi vitã, significat, magnũ Christi amorẽ indicare magnã itẽ in nobis amoris flammã exsuscitare.

6. Ceterũ nõ minorẽ etiã excitat ex significatione Passionis, nã hoc mysterio in Missæ præsertim sacrificio nobis repræsentatur nox illa, quæ diẽ mortis eius proximè præcesit, in cuius noctis memoriam Sacerdos panẽ consecraturus, & vinum, dicit: *qui pridiè quàm pateretur* &c. Quando videlicet, cùm ad necem quæreretur, & crux illi à nobis, & tormenta tanquã amarissimi dolorum, & cruciatuum cibi præpararẽtur, tantæ ipse ingratitudinis immemor, vitæ nobis cibum præparabat; quando nostræ salutis cupidus, nõ sine sanguine & lacrymis Patrẽ rogabat; & quod maximè admireris, eadẽ ipsa nocte luctuosissima porrectũ ab illo nobis est hoc salutis eduliũ, hoc vitæ poculũ, qua à scelestissimis hominibus innumeris opprobrijs & iniurijs in domo Caiphę malè ipse acceptus est.

7. Deindè si vestimẽta ipsa Sacerdotis, si verba, si tam multas cærimonias consideremus, totum hoc ipsum mysterium, Christi dolores, cruciatus, mortem, clarissimè significare, facilè animaduertemus. His accedit, quod sicut Christus in Passione ab impijs, & summis sacerdotibus malè acceptus, & illusus fuit: ita & hic à malis sacerdotibus, ceterisq; Christianis non se ipsos ante probantibus, quodãmodo irridetur, & quasi iterũ cruci suffigitur. Ad hęc si mortis Christi tẽpore petræ scissæ sunt, & velum tẽpli diuisum in duas partes, hoc sanè Sacram. multo melius corda scinduntur & ignorantiæ velũ tollitur. Quod si de cruce pendens Christus salus nostra, totũ, prô dolor, effudit sanguinẽ, caputq; in mortẽ inclinauit; certè in Missę etiã sacrificio nobis obijcitur, vt mortuus, & exsanguis: nam propterea sub duplici specie exhibetur, quarũ altera seorsim repræsentatur caro, altera verò sanguis; Quoties ergò sacrificio interes, toties tibi ipsum tanquã mortuum

A ante oculos statuẽ; imò & quoties illũ sumis. id q; Paulus docet: *quotiescunq; n. manducabitis panẽ hunc, & calicẽ bibetis, mortẽ Domini annunciabitis:* hac ergò ex parte quantum in nos V. Euch. Christi declaret amorem, quis satis explicet.

Sequitur vt quomodo militantẽ Ecclesiam nobis eadẽ significet ostẽdamus, nam & ex hac significatione nõ paruus Christi erga nos ostẽdetur amor. fieri solet eius materia ex granis multis frumenti, detracto cortice, & benè molitis; Itemq; ex multis vuis cõtusis & expressis; ita & Ecclesia ipsa cõstare debet hominib⁹, qui vitijs subactis Christũ induerũt per amorẽ. Fit hostia ex optima farina. i. triticea; ita Christiani, si legem seruent, optimi fiunt. eadẽ fermento caret, & Christiani, cum Christum sequuntur ducem, vitijs vacui sunt. Rotunda est Hostia; & Christianorum est omnia in Deum referre, à quo sunt; præterea vt Christi corpus in Euch. membrorum habet varietatem; ita sunt in Ecclesia varij gradus, Pontificum, Sacerdotum, & ceterorũ graduũ, imò tota Hierarchia ecclesiastica, ad hoc ferme V. Sacram. refertur, & propter ipsum potissimũ institutа est, quo tanquã ad finẽ reliqua spectãt Sacram. ceteraq; officia ecclesiastica, cantus, cærimoniæ, deniq; omnia ferme, quibus populus Christianus coalescit, & continetur; vnico dicã verbo: Euchar. si à Christianis auferas, Christiani esse desijm⁹, id q; Antichristi tempore futurum prędicitur, cum iuge sacrificiũ auferendũ est; Et nũc idem magno suo malo experitur Germania, & Anglia bona ex parte, à quibus ablato vero sacrificio, & Sacram. homines perfidi, ac Pseudoprophetæ cœnas, & calices induxere profanos.

C Et verò est V. Euch. instar fluminis in Ecclesia, cuius Impetus lætificat ciuitatẽ Dei, quę ipsa est Ecclesia, vt meritò Sacerdos sacrificaturus initio illud Dauidis vsurpet: *introibo ad Altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.* Solẽt flumina sordes eluere, & V. Euch. animæ delet maculas. Fęcundãt illa terrã, & hæc vberẽ reddit Ecclesiã: illa pecunijs augẽt, quas alluunt ciuitates; per flumina .n. vehuntur, & auehuntur merces; & hæc transmittit preces nostras in cęlũ, & à Deo Patre ad nos descendere facit dona cœlestia; vniuersa verò hæc præstat Ecclesiæ hoc Sacram. propter eã, quã continet, gratiã, & qua mens impletur dũ sumitur. Quæ omnia incredibilem Dei amorem in nobis si piè cogitentur, excitant. 9.

D Postremò idẽ Augustissimũ Sacram. triumphantẽ etiã Ecclesiã significat, ex qua significatione idẽ Christi erga nos amor nõ parũ accẽditur; significat aũt triumphantẽ Ecclesiam nõ modo, quia æternæ est gloriæ pignus; verũ etiã quia in eo Christi humanitas, & diuinitas continetur, & suo modo Trinitas quoq; tota, quãuis velata, in quibus rebus Beatitas nostra sita est. Prætereà vnimur hic admirandũ in modũ Christo, quæ vnio Beatã illã multò feliciorem explicat. Est mensa hęc cõuiuium cęlestẽ mensam referens, super quam edunt, & bibunt ad Regnum vocati. Damasc. l. 4. c. 14. V. hoc. Sacram. exemplaria futurorũ propterea vocat, q; Ecclesiã repræsentet triumphantẽ, & æternę Beatitatis pignus sit. quare nõ absurdè *Regnum cælorũ* vocari poterit; præsertim cũ p hoc ipsũ 10.

Sacram.

Digitized by Google

II. Sacram. futuræ gloriæ ſpes excitetur in nobis.

His ergò ſanctis cogitationibus, quæ ex quadruplici ſignificatione quatuor prædictarũ rerum piè, vtiliterq; ſumuntur, armemur, vt Sãpſon olim Nazaræus, aduerſus omnes dæmonũ incurſus Ita.n.fiet, vt ſicut ille capillis ornatus fortis erat in hoſtes; infirmus, ac debilis detractis illis: ita nos iſtis amoris cogitationibus inſtructi, hoſtibus terribiles futuri ſimus; contra verò ſine illis, ceteriſq; ſimilib⁹ animi ſenſib⁹, & motibus ad hoc Sacram. accedẽtes paruum, vel nullum reportaturi ſimus de hoſte triumphum. contendent quidẽ pro viribus cacodæmones, vt Philiſtæi quidam lõgè alijs peiores, hoc nos priuare capillorũ robore, hoc eſt, his piarum cogitationum armis; ſed occurrendum erit illis, & fortiter reſiſtendum. Iam de Chriſti præſentia in Sacramento agamus.

DIGRESSIO III.

Chriſti præſentiam in Sacramento immenſi amoris indicium eſſe.

I. PRAECEDENTI Digreſsione diximus ex duobus capitibus, amoris ignem hoc Sacramentũ ſpirare ex ſignificatione, & ex Chriſti præſentia; declarauimus primum, ſequitur vt ſecundum perpendamus. Si quis ergò attentiùs animaduertat cauſſas, quibus impulſus eſt Chriſtus, vt ſe hic præſentẽ ſub his ſpeciebus relinqueret, næ ille immenſo rapietur amore erga tam bonum Dominum; & verò quinque poſſumus huius præſentiæ rationes aſsignare. Conſtituit primùm ſe hic præſentẽ, quo nos anguſtijs preſsi ad illũ confugeremus. Etenim præbet hic ille faciles aures ad audiẽdum eos qui adeunt. Et quidem ſicut Dauid 1. Reg. 22. 2. Principio regni factus eſt dux illorũ qui amaro erant animo, & ære alieno oppreſsi: ita etiam hic Dominus exſpectat eos præſens, qui neceſsitate aliqua premuntur, vt eorũ hic ſoletur querelas, preces audiat, ac veluti ſupplices libellos excipiat. igitur ſi quis eſt multo ære alieno grauatus, ſi quis amaro animo ob peccata quæ contraxit, huc magno animo properet, ſupplex preces porrigat: etenim *Deus noſter refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos.*

Cauſæ præſentiæ Chriſti in Sacra. Euch.

2. Altera cauſſa huius præſentiæ eſt, vt per illã excitetur homo ad Chriſtum ipſum cognoſcẽdum, adorandum, amandum, denique ad familiariter cum illo agendum. Aderat ab orbe cõdito Deus ſemper, ſicut adeſt vbiq;, nec tamen peccatorũ tenebris excęcati mortales illũ cognoſcebamus, quamuis ante cuiuſq; noſtrũ oculos, & quaſi in manibus eſſet. Propterea voluit ſe admirabiliori, ac nobis magis accõmodato modo hic collocare, vt cogerentur quodã modo homines illũ cognoſcere, venerari, & pro acceptis beneficijs gratias agere, familiariter etiã cum illo colloqui. Quod ſi magni beneficij loco æſtimabatur Arca fœderis in medio populi Iſraelitici reſidens, quanto maius beneficium eſſe iudicabimus, veram ac viuam arcam inter nos verſari?

3. Eſt & tertia cauſa eiuſdem præſentiæ; q̃ ſic voluerit ille nos incredibili benignitate familiares ſuos facere & quaſi domus ſuę aulicos, vt ita peculiaris cẽſeretur eſſe noſter Chriſtianorũ Deus. Magnũ ſanè & eximium donũ: *Etenim beata agẽs, cuius eſt Dominus Deus eius.* Hinc eſt vt verè dici queat, nõ aliã eſſe nationem ſub cęlo, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deꝰ noſter adeſt nobis. Quod ſi felices ſe & glorioſos arbitrãtur aulici, q̃ inter eos videãt ſe cõnumerari, qui de familia & domo magni alicuius Principis ſunt: quanto magis gloriari & gaudere debet Chriſtianus; q̃ nactus ſit tã bonũ Dominũ, & q̃ inter eius numerari domeſticos, & familiares ſe eſſe cernat? Eſt ſanè hic Dominus nõſimilis cæteris, ſed benignus eſt, & facilè delinquẽtib⁹ ignoſcit, cõdonat debita, dulcis eſt in conuictu, largus in benefaciendo.

Benedixit Deus olim domui Obededõ, q̃ intra domũ ſuã arcã Dei recepiſſet; ita ſe nobis & multo etiam liberaliorẽ exhibebit Chriſtus Dominus, ſi illũ intra pectoris noſtri tectũ admittamus, diligenterq; cõſeruemus, & familiariter ſummoq; cũ honore cum illo verſemur.

Quarta ratio præſentię hæc fuit, vt regali eius menſæ aſsiſteremus, vt ſolẽt Principes Regũ menſis adeſſe, q̃ tunc facimus, cũ Miſſæ ſacrificio interſumus. Eſt.n. ibi cernere mentis oculis præſentẽ Chriſtũ altari cœleſti tanquam menſæ accumbentẽ; & quidẽ beati oculi quibus iſta non modò cernere, ſed Regali etiam tanti Regis præſentia frui datur. 4.

Poſtremò fecit nos hac ſua præſentia Chriſtus ſuos cõuiuas, idq; quoties menſam illã adeuntes eius corpore participamus. Hæc ſi piè quis rimetur, experietur profectò magnã dilectionis vim erga hoc Sacramentum, & quantum fuerit à Chriſto dilectus aliquo modo intelliget. ſequitur tertium caput. 5.

DIGRESSIO IV.

De effectis huius Sacramenti.

EX Tribus capitibus à nobis propoſitis Digr. 1. n. 1. hoc eſt, tertiũ. Age igitur, cõtemplemur ipſum hoc Sacram. tanquã lignum vitæ, & duodecim eius fructus explicemus. De eo namq; rectè vſurpaueris illud Dauidis Pſal. 12. *& erit tanquã lignũ quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarũ, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Iure *lignum vitæ* dicitur, nam & vitam hic gratiæ, & in cœlis Gloriæ confert. Porrò ſecus decurſus aquarũ plantatũ dicitur: quia cũ aquæ multæ populi multi ſint, & decurſus aquarum aptè labilem, præcipitemq; præſentis vitæ curſum referat, rectè ſecundùm has aquas poſitũ eſſe dici poteſt, ceu vitæ lignum, hoc Sacram. quod in vſum vtilitatemque, & totius populi Chriſtiani Gloriam in hac vita relictum ſit. 1.

Gen. c. 2. legimus, ſtatuiſſe Deum in medio Paradiſi lignum vitę, vt ex eo quicunq; ederẽt, æternũ viuerent; Et hinc factũ eſt, vt quidquid vitã cõfert immortalẽ, lignũ vitæ dici à Salomone cõſueuerit, vt Prou. 3. 18. de ſapientia inquit: *lignũ vitæ eſt iis qui apprehenderint eam,* & c. 11. 30. *fructus iuſti lignũ vitæ*; nam iuſtus & verbis & vitæ exemplo alios ad virtutẽ, ac proindè ad vitã excitat; vndè & lignũ vitæ meritò dicitur. Et Apocal. 22. 14. ſcriptum eſt: *Beati qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine Agni, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ,* hoc eſt, Beati, qui peccata per pœnitentiam abluunt, vt Dei viſione frui poſsint. Reddere verò dicitur lignum vitæ. i. clara Dei 2.

viſio per ſingulos menſes fructum ſuum, vt eſt cap.22. Apoc. v. 2.quia nunquam cæleſtes illos Spiritus,& Beatorum mentes capit tędium viſionis Dei, neque vllo vnquam tempore illa defecit; ſed ſemper ita illis iucunda eſt, ac ſi tunc primùm ea frui inciperent, non ſecus ac ſi recens fructus guſtaretur. Quod autem dico de viſione Dei, idem omninò præſtat & hoc Sacramentum ritè adeuntibus.

3. *Chriſtus præſens in Euch ſimilis arbori.*

Aptiſsimè verò Chriſtũ in Sacramẽto præſertim conferre poſſumus cum arbore, primũ quidem cum vt Deus eſt,deinde vt homo. vt Deus arbor eſt,cuius radix Diuinitas;truncus, Verbum;rami,attributa;folia,ideæ ratione carentium;flores, rationalium item ideæ; fructus,regulæ agendi,dona &c.& vt flores ex arbore decidere ſolent:ita mali homines, & Angeli à Deo diſciſcentes, decidunt. Vide ſiluam allegoriarum v.Arbor.

4. Vt verò homo eſt Chriſtus, ita radix eius eſt in terra viuentium, vndè primum traxit originẽ.Eſt.n. Chriſtus ſic homo,vt ſit & Deus. Diuinitatis tamen organũ,hoc eſt,humanitatẽ traxit à populo iam ſicco, & arido Eſa.53.2. *Aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.* Habet hæc arbor ramos, quoſdam maiores,quamuis potiores;quoſdam minores, verum plures. Porrò hi rami iuſti ſunt, quorũ alij inſigniores,alij minus inſignes. Et primi quidem paucíores ſunt, & radici propinquiores. Haurit arbor perpetuò à terra nutrimenta palmitibus,ramuſculis &c. Et Chriſtus de terra Diuinitatis per humanitatis organũ, & nutrimenta, & incrementa donorum ſuis elargitur.Sic.n.teſtatur ipſe: *ſicut miſit me viuẽs Pater; & ego viuo propter Patrẽ, & qui mãducat me, & ipſe viuet propter me.* Et quoniam areſcunt interdũ palmites, exciduntur ramuſculi, vt videre eſt in arboribus;ita & ſuo modo idem in hac præclara arbore accidit,iuxta illud: *ſi quis in me non manſerit,mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum,& in ignem mittent,& ardet* Io 15.6. Flores horum palmitum,&ramuſculorũ bonę ſunt cogitationes à radice arboris immiſſę,ſine qua exſiccantur,& cadunt. Neque.n. valemus cogitare aliquid à nobis quaſi à nobis; nam ſine illo quidquam facere non poſſumus.

5. Hæc arbor ita robuſta eſt, ita altis hæret radicibus vt tutò poſsis illi inniti cum tentatione pulſaris. Qua in re imitari debes elephantẽ qui defatigatus,palmæ,vt aiunt,innititur;accidit tamen interdum vt ea arbor ſecetur à venatoribus,& elephas ſopore correptus in terram decidat & capiatur: ita dæmon hanc nobis arborẽ magno ſtudio conatur auferre ne illi fortè tutò innixi omnes eius minas & inſidias eludamus; & fixi, ac ſtabiles in Dei perſeueremus obſequio.itaque cauendum ne per ſoporem & ignauiam tantum ſubſidium amittamus.

6. *Fructus arboris huius Euchariſticæ.*

Sed iam huius arboris vitæ fructus enumeremus. Eſt igitur primus vita, quæ tribus hic ſeſe modis manifeſtat, vt docet D. Bernardin. tom.1.ſerm. 54. Primùm quidem ratione eius qui in hoc Sacramẽto cõtinetur,hoc eſt, Chriſti,de quo Ioan.cap 1.17.teſtatur, *gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* conſtat autẽ gratiam veram vitam animæ eſſe, & Io. 6. 58. inquit Chriſtus, *qui manducat me, & ipſe viuet propter me,* & v.33. *Panis Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo.* lege Tol.in illa: *ſine ipſo factum eſt nihil.* deinde vitam etiam hinc hauriri, illud ipſum quod hic repræſentatur, non obſcurè indicat. Chriſti enim paſſio ob oculos in hoc Sacramento ponitur, qua vitam adepti ſumus. quare cùm punctum eſt Chriſti latus, cõtinuò exiuit ſanguis,& aqua,quibus Sacramenta ſignificata fuerunt, in quibus vita continetur. Eſt ergo Chriſti paſſio noſtra ſalus & vita. Poſtremò ſi modum ſumendi Chriſtum in Sacramento inſpicias, fateri non dubitabis vitam per illud conferri immortalem. Sumitur enim per modũ cibi,& potus: *caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus* Io.6. 56.igitur ſuſtẽtat, auget,reparat,delectat quæ ſunt cibo ꝓpria. 7.

Sed aduerte diſcrimen eſſe inter hunc, & alios cibos. Nam alij non proſunt mortuo, cum tamen hic proſit;neque enim in alijs cibis eſt vita,at hic cæleſtis panis, & potus continet eũ, qui eſt vitæ fons; quare non mirum ſi mortuum ad vitam reuocet. Quamuis enim fortaſsis de fide non ſit; communis tamen Doctorum ſenſus eſt conferri per hoc ſacramentum licet non primariò, primam interdum gratiam.verùm vt hanc primam conferat gratiam,qua incipit peccator viuere, neceſſaria eſt primùm attritio vera,ac ſupernaturalis peccati cõmiſſi: nec ſatis eſt obliuio etiam ſine culpa; nam ſi is qui ad illud accedit,peccato non caret,omnino debet verè illud deteſtari, idque non humano, ſed ſupernaturali etiam actu, ſi vitam accipere primam velit. 8.

Pœnitẽtia.n. eſt remediũ neceſſariũ ad tollendũ peccatũ mortale.deinde præter hoc exigitur bona fides,vt videlicet, quis ignoret ſtatũ ſuum, & exiſtimet ſe in gratia accedere; nec habeat conſcientiam peccati letiferi, cuius non arbitretur ſe,quantũ ſatis eſt,pœnituiſſe. Verũ hoc intelligendum eſt per ſe loquendo;quia fieri poſſet,vt quis citra culpam laboret ignorãtia iuris, ſeu præcepti de præmittenda confeſſione,vel cõtritione,cũ non adeſt,in certis quibuſdam euentibus,copia confeſſarij; vel ſi confiteri non poſsit, & putet non eſſe neceſſariam niſi attritionem; iã is in hoc enentu bona fide non careret, licèt cõſcius ſit peccati mortiferi. Satis enim hoc eſſet ad conſequendam primam gratiam, ſi vera adſit, & ſupernaturalis attritio,ſed hoc per accidens eſt ratione ignorantię citra culpam. Propriè tamen & vniuerſim hoc Sacramentum vitam cõfert eo modo quo corpori cibus,conſeruando ac nutriendo illã. verùm ne longior ſit hæc Digreſsio reliquos fructus in ſequẽtes alias reijciemus Digreſsiones.

DIGRESSIO V.

Tres alij fructus V. Eucha. numerantur. 1.

POst fructum vitæ,ſequitur alter,quod V. Sacramentum fomentum eſt charitatis Dei & proximi. & hic eſt verus ac germanus eius effectus. nam reliqua Sacramenta non referuntur per ſe primò & directè ad nutriendam caritatem, vel ad ſolam, maioremque eius acceſsionem perfectioremque cum CHRISTO vnionem, ſed ad peculiares quoſdam diriguntur effectus, propter quos ſpecialia quædam auxilia, & aliquod aug-

mentum

mentum gratiæ conferunt. Cæterùm hoc Sacramẽtum per se primo pertinet ad perficiendam cum Christo vnionem, & cum eius corpore 1.Cor.10.17. *quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes, qui de vno pane participamus.* Hic verò effectus ipsis etiam speciebus panis & vini significatur; quare meritò testantur Theologi, cæteros cibos in alitũ conuerti, cui similes redduntur: hunc verò transmutare in se alitum, sanctiorem illum, suique similiorem magis ac magis reddendo.

2. Quantum porrò boni hoc sit, ex ipsa caritate colligi potest; primùm enim illa remittit peccata, *operit* namque *multitudinem peccatorum.* Hinc de illa muliere peccatrice dictum est, *dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum.* 3. Deindè confert caritas vitam. nam cum bifariam dicatur vita, nimirum & forma ipsa, vnde existunt operationes; & præterea operatio inde dimanans; vtroque modo caritas est vita, & quia principium est super cælestis, ac diuini motus, quo in Deum tanquam in quoddam bonum suprà naturam tendimus: & quia ipsa etiam caritatis motio, actio quædam vitæ spiritualis est. Nam is qui secundùm caritatem operatur, vitam viuit diuinam ex Paulo ad Gal.2.20. *viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* 4. Tertiò confert caritas iustitiam vt reliqua dona: facit & filium adoptiuum Dei, hæredemque cęlestium bonorum; 5. Verùm obiiciat quis: hoc gratiæ & caritatis augmentum nonne habere possumus ex bonis operibus? quorsum ergò accedere oportet ad hoc Sacramentum? Respondeo: nouæ legis sacramenta nequaquam egena, & vacua elementa sunt, sed, vt Theologi loquũtur, ex opere operato gratiam cõferunt. Nam gratia duobus modis obtineri potest, vt ijdem docent; vel ex opere operantis, vel ex opere operato; primo modo obtinetur ex merito, vel ratione propriæ dispositionis spectatæ dumtaxat, vt ab operante proficiscitur, cui fortasis semper aliquod meritum, saltem de congruo inest: altero modo habetur ratione operis externi vel Sacramenti, quod nobis applicatur, tunc enim vltra omne meritum operantis tam de condigno, quam de congruo, confertur aliquid gratiæ: qua de re doctè Suarez, Tom.3.disp.7.Sect.1.

6. Hæc autem sunt duo priuilegia Sacramentorum, vnum est, quod cum attritus quis accedit ad illa, fit contritus. Supplet enim Sacramentũ defectum dispositionis. ire vtile est sæpè Sacramenta pœnitentiæ, ...en. Eucharistiæ suscipere: Alterum priuileginm est; quod vltra valorem, & gratiã, seu meritũ, quod habet quis dum sacramentum suscipit ex parte operis operãtis, vt per alia, quælibet opera pia; accipit etiam gratiam ob ipsum sacramentũ; Exempli causſa: preces fundis, cibo abstines, &c. recipis condignam gratiam, si Dei amicus es; sed si eodem modo dispositus suscipis Sacramentum, præter eam gratiam quam recipis ratione eiusmodi præparationis, accipis adhuc gratiæ mensuram aliam, & quantitatem ratione operis operati, sicut si fortè accideret, vt edicto Regis, afferenti in Hispaniam triticum ex Sardinia, & Apulia daretur certum aliquod dignũ præmiũ: ex Sicilia verò aduchenti duplo maior merces tribueretur: ita Deus pater quoniam aspicit hæc Sacramenta, vt à Christo instituta, & vt illius figuram, & vasa sanguinis eius, ideò maiori voluit esse digna pretio.

Sequitur tertius fructus, qui est dulcedo quędam, & suauitas spiritualis animæ; quam vt intelligas obserua: duplicem gratiam in hoc Sacramento conferri: habitualem vnam, alteram actualem. i. deuotionis quandã suauitatẽ; vnde dicitur panis cælestis, & habere omne delectamentũ, omnẽ saporis suauitatem, dicitur inebriare, quod habet Ambros. ser. 15. in Psal. 118. quare meritò Ecclesia canit: *pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus:* & Tertull. elegãter ait: Animam hic saginari de Deo; huc etiam illud Dauid pertinet: *parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* 7.

Sed præsertim manna ob hoc ipsum dicitur, cuius inter alias vna hæc erat proprietas, quod cum boni & pij homines illo vescerentur, eum illis præbebat gustatũ, quem maluissent; & sunt qui dicant, modo quodam inuisibili conuerti solitũ fuisse manna in illud edulij genus, cuius saporem referebat: inde propterea aiunt scriptum esse de eo; *& deseruiens vniuscuiusque voluntati ad quod quisque volebat conuertebatur.* Sapient.16.21. Itaq; si quis perdicis carnes optasset, in eas conuertebatur. scio passim cõuersionem eam, ratione variorum saporum, quos nunc in isto, nunc in illo referebat, probabilius accipi solere; mali verò homines nõ aliũ experiebãtur, quam naturalem eius saporem. quod cap. eodem Sapi. subindicatur; sic enim ibi habetur; *substantia enim tua dulcedinẽ tuam, quam in filios habes, ostẽdebat;* substantiã verò videtur Sapiens appellare Manna illud. Hoc sacramentum rectè *Manna* dixeris, hoc est *Manhu? quid est hoc?* nam qui piè accedens cælestem eius experitur dulcorẽ, & inde diuinam quandam ei inhærentem voluptatem capit, admirabundus intra se quærit; quid est hoc bone Deus? quid est hoc melle dulcius, niue candidius? audi quomodo ob eã suauitatẽ exclamet Ecclesia: *ô, quam suauis est Domine spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuã in filios demõstrares, pane suauissimo de cælo præstito esurientes reples bonis, fastidiosos diuites dimittens inanes.* Et D.Cyprianus de cæna Domini: *Panis iste*, ait, *Angelorum, omne delectamentũ habens, virtute mirifica, omnib⁹, qui dignè & deuotè sumunt, secundùm suũ desideriũ sapit, & amplius quã manna illud heremi implet, & satiat edentiũ apetitus; & omnium carnaliũ saporum irritamẽta, & omniũ exsuperat dulcedinũ voluptates, vide quomodo hu⁹ Christi cõmemorãt passionẽ intra sacra officia, quasi per quosdã canales, de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & super oẽs delicias lacrymis nectareis anima delectetur; quantã suauitatem animæ inquirenti vbi sit Deus suus, suspiria contemplationis eliciant. Non illos imbres procellosæ tẽpestatis deponunt; nos matutinus est de cælestib⁹ stillans, & quasi vnctio spiritus mentẽ deliniẽs. gemitus illos pietas excitat.* Et paulò pòst subdit: *hanc Dei gratiã recolẽs, qui de sacro calice bibit amplius sitit, & ad Deũ viuum erigens desideriũ, ita singulari fame illo vno apetitu tenetur, vt deinceps fellea peccatorũ horreat pocula, & omnis sapor delectamentorũ carnalium sit ei quasi rancidum, radensq; palatum acutæ mordacitatis acetum.* Sic sapienter ille. 8. *Mannæ proprietas.*

9. Idem Cyprianus eodem loco eandem Ven. Eucharistiam prę hac suauitatis dulcedine animam ebriam reddere, sic piè & doctè testatur: *quàm præclarus est calix iste, quàm religiosa est huius potus ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retrò sunt obliti ad anteriora extendimur, non habentes sensum huius mundi, sed diuitis purpurati delicias contemnentes, Cruci hæremus, sanguinem sugimus, & intrà ipsa redemptoris nostri vulnera figimus linguam, quò interiùs, exteriusque rubricati à sapientibus huius seculi iudicamur amentes, qui Religionis huius abhorrentes mandatum, vsque hodie retrò abeunt, & à secretis diuinis omnium intra se mysteriorum continentibus summam diffugiunt & recedunt. Qui manducat ex hoc pane vltrà non esurit; qui bibit, vltrà non sitit; quoniam mysterij huius sic sufficit gratia, sic reficit intelligentia, vt cuicumq; tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis consummationis fine inuento Christi baiulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mẽte, & omni tempore habitatori suo dicta, & facta iubilatione consona laudes resonent, & gratiarum actiones decantent. Hæc ebrietas non accendit, sed extinguit peccatum; in hoc vino non est luxuria, nec mouetur ad ludum post hunc potum lasciuia. Cùm sopiuit obliuio cũcta carnis ludibria; mira sunt, quæ sentit; magna, quæ videt; inaudita, quæ loquitur. quẽ agnus iste Paschalis inhabitat; cuius animã meri huius fortitudo hilaritate inexplicabili latificat, & delectat.* Hæc sanè præclarè Cyprianus.

10. *Mali delicias spiritus nõ sentiunt.* Verùm has delicias, hanc ebrietatem, qui mali sunt, licet accedant ad hanc mensam, licet terant dentibus Sacramenta Corporis & Sanguinis Christi, non sentiunt, non experiuntur, similes illis, qui alliorum, & cæparum Aegypti & carnium memores de cœlesti manna dicebant: *Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo.* Narrat Berchorius lib. 12. reductorij moralis cap. 27. de Coriandro, quod à canibus sumptũ venenosum illis sit, & vt ipse ait, mortis etiam inductiuũ, quamuis maximè hominibus cõferat. Erat porrò manna in similitudiné Coriandri, quę naturalis Coriandri vis, & natura optimè quadrat in S. Eucharistiam; quæ cùm incredibilem afferat bonis voluptatẽ, malis tamen tanquã canibus, venenum est, quibus ipsorum vitio mortem affert sempiternam. ob id meritò monemur, ne demus sanctum canibus.

11. *Causse cur etiam boni non sentiant aliquando istam dulcedinem.* Quod autem accedentes ad hoc Sacramentum sæpè non experiamur, hunc, quem dixi, dulcorem, tres esse possunt causæ; vel primùm, quod consuetudine tantùm attracti eò accedamus, vel secundò, quod in multa venialia peccata incidamus, quorũ emendationem paruipendimus. Sciendum n. est duplices esse veniales culpas, quasdã, quæ fiunt à nobis non benè aduertẽtibus. quasdã quæ deliberato animo, & ex industria fiunt, ac quasi studio. Primę nõ tantùm inferunt damnũ, vt hunc nobis Sacramenti fructum abripiant, & suauitatẽ; quod tamen secundæ faciunt: cuiusmodi esse solent, animi relaxationes nimiæ, superfluus risus, otiosa verba, internus quidam tumor, & his similia. & hæ sunt duæ primæ causæ.

12. Tertia denique causa est, defectus quidam deuotionis. Nam ex D. Thoma 3. p. q. 80. a. 10. ad suscipiendum vberem fructum huius Sacramenti, cum quadam animi suauitate, ac feruore caritatis; sicuti dum cibo corporis benè sani vescimur, actu gustatum quemdam suauem, dulcemque saporem sentimus; ad hoc, inquam, necessaria est magna quædam deuotio, vel certè vt diligenter agat quis id, quod potest, ad eam assequendam. continet autem hæc deuotio desiderium efficax, & viuum, promptamque voluntatem placendi Deo, illiique inseruiendi. Continet item esuriẽ quandam hunc cibum edendi, quæ nascitur ex rerum diuinarum contemplatione ex D. Thom. 2. 2. q. 82. art. 3. & ex puritate conscientiæ. quia igitur sine hac contemplatione, & puritate accedimus, idcircò inde sæpè frigidi discedimus sicut q ægrotat suauẽ cibi gustũ non percipit.

13. Gulielmus Parisiensis tract. de Eucharistia ad hãc rem aptè duas assignat rationes, propter quas priuatur quis hac Sacramẽti suauitate. Altera ducitur ex infectione palati. Altera ex eo quòd is non subigit, vel mandit cibum. Nam vt in cibo corporali cùm palatum flaua bili infectum est, nõ percipitur sapor, & idem accidit cùm nõ præmansum, sed integrum absorbetur eduliũ: Ita euenit in hoc diuino edulio. Interdũ abundat anima malis, prauisq; humoribus, & affectibus, qui hunc nobis auferunt gustatum: interdum quia sanctis caremus meditationibus, nec satis ruminamus, & attendimus, quo nobis accedendum est; etiam hoc ipsum nobis accidit. Quamuis non sit negandũ, Deum non nunquam efficere, vt ea suauitate careamus, cùm iudicat id expedire, daturus illam alio tempore, nostro maiori bono.

14. Est autem credibile, vt quibusdam videtur, hũc tertium effectũ ex vi institutionis à Christo esse promissum huic Sacramento, non alio quàm eo modo, quo iam expositũ est. Id enim est magis rationi cõforme, magisque congruens sensui Patrum, qui de hoc fructu præclarè multa scripserunt.

15. Quarta vtilitas seu fructus numerari possũt actualia quædã auxilia, & fauor ad peccata vitanda, & tentationes superandas. Hæc. n. confert hoc Sacramẽtum ex opere operato Psal. 21. *Parasti in cõspectu meo mẽsam aduersus eos qui tribulant me.* Quare Trid. Patres hoc diuinissimum Sacramẽtum vocant, *Antidotum cõtrà pecc. mortal. vt ab illis præseruemur, & cõtrà peccata venialia vt liberemur ab eis.* Cæterùm hoc auxiliũ datur tempore suo, si homo non resistat, & se indignum reddat. sic. n. omninò, &, vt aiunt, infallibiliter cõfertur, lege Suar. disp. 63. in q. D. Tho. 79. sec. 9. ass. 2. vbi affert illud Ioan. 6 54. *nisi mãducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nõ habebitis vitam in vobis:* & illud Cyprian. in expos. orat. Dom. *vt manifestum est eos viuere, quicorpis eius attingũt, & Eucharistiã iure cõmunicationis accipiũt; ita cõtrà timẽdum est, & orãdum, ne dum quis abstẽtus separatur à Christi Corpore procul remaneat à salute, cõminante ipso & dicẽte; nisi ederitis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinẽ non habebitis vitã in vobis.* & epist. 54. inquit, *mẽs deficit, quã recepta Eucharistia nõ erigit & accõdit.* Quare præclarè D. Bernard. sermone de Baptismo in cœna Domini habito ait; *duo illud Sacramentum operatur in nobis, vt videlicèt & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omninò consensum, si quis vestrum non tam sæpè, modo non tam acerbos sentit iracundiæ motus,*

inuidiæ,

inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, & gaudeat quod pessimum vlcus accedat ad sanitatem.

16. Hinc est, vt qui per longum tempus ab hoc augustissimo Sacramẽto abstinẽt, facilè in grauiora, ac lethalia peccata labantur, quod prudenter Cyrill. Alex. l. 3. in Io. c. 37. obseruauit sic scribens: *sciant baptizati homines, & diuinæ gratiæ participes facti, si rarius in Ecclesiam proficiscantur, & longo temporum spatio propter simulatam Religionem, mystice communicare Christo recusent, ab externa se vita procul depellere, &c. sed variæ sunt Diaboli, multiplicesque ad decipiendum insidiæ. Nam primum ad viuendum turpiter inducit, deindè cum malis onerati fuerint, tunc abhorrere à Christi gloria persuadet, qua possent à turpitudine voluptatis, quasi ab ebrietate reuocari.* Chrys. verò hom. 24. in priorem ad Corint. breuiter quidem, sed scitè ait: *vt frigida ad Eucharistiam accessio periculosa est; ità nulla mystica illius cœnæ participatio pestis est, & interitus. ipsa namque mensa animæ nostræ vs est, nerui mentis, fiducia, vinculum, spes, salus, lux, vita nostra.*

DIGRESSIO VI. MORALIS.

Declarantur quatuor alij effectus Venerabilis Eucharistiæ.

1. QVINTVS effectus nũmerari potest ipsa mentis nostræ illustratio. quod & melle vt felle in Scripturis significatum est perbellè. Mellis gustatu Ionathæ oculi aperti sunt 1. Reg. 14. 29. Felle Tobias, vt eius lib. cap. 2. legitur, lucem aspexit cœcitate sublata. Et verò hoc diuinissimũ Sacramentum propter summam eius, quam dixi, suauitatẽ melle, & propter Christi passionem, quæ in eo ob oculos ponitur, aptè piscis felle significatur.

2. Cæterùm piscis ille Tobiæ, in quo fel illud latuit, Christum idoneè repræsentat, qui in mari hoc magno & spatioso dolorũ, diu, multumque iactatus à sui conceptus initio vsq; ad littora paterni sinus per acerbissimam mortem tandem appulit.

3. *Eucharistia similis collyrio.* D. Bernardin. ser. 54. de duodecim fructibus ligni vitæ Tomo 1. comparat Venerabilem Eucharistiam collyrio citans illud Apoc. 3. 18. *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas*: dicit enim; collyrium esse vnguenti genus ex puluere quodam, & aqua confectum, vt suæ acrimoniæ vi albuginem oculorum abstergat. Albugo vtique oculorum mentis, est vita sensibus obsequens, quæ humanæ mentis aciem ad contuenda cęlestia non omninò tollit, sed obnubilat tamen, & obtundit. Hoc ergò collyriũ aptè Venerab. Eucharistiæ Sacramentum repræsentat, quod aqua diuinitatis, & puluere humanitatis nõ sine adiuncta dolorũ & mortis Christi acrimonia confectum est, ad collustrandas oẽs vbique gentes. Hoc semel in Deiparæ Virg. vtero confectum fuit: & verò etiam quotidie, dum consecramus, conficitur; vt oculi sumentium repręsentatæ Christi Passionis acrimonia, illustrentur. Et rectè lutum illud fortasis cœci nati id ipsum insinuat. Accedamus igitur vt illuminentur, & facies nostræ non confundantur. Hæc de 5. vtilitate.

Sexta verò vtilitas, seu fructus est fortitudo, & robur animi. hic sanè Sacramẽti effectus insinuatur 1. Reg. 21. olim dęmon gloriabatur, vt aliquando Goliath, de subiecto sibi ob peccatũ mundo. vicerat enim eum gladio carnis: *omnis quippè caro corruperat viam suam super terram*, Gen. 6. 12. Sed ecce tibi affuit Christus tãquam Dauid; inijt cum dæmone certamẽ; neque alio eum gladio confodit, quam illo ipso dæmonis. assumpsit enim carnẽ, in qua ipsum superauit. vt verò olim in memoriam prostrati Goliath, gladius ille quo amputatum fuerat illi caput à Dauide, seruatus est in sanctuario inuolutus pallio post Ephod: ita in monumẽtum deuicti dæmonis gladius. i. Christi caro, qua dæmon prostratus est, in Ecclesia seruatur accidentibus panis inuoluta. Si ergò, Christianè, bellum cum dæmone ineundũ tibi est, ne inermis accedas; neque enim tibi tantæ sunt vires, vt cum tam robusto hoste congrediaris, en tibi gladiũ Goliath, hoc est, en Christi carnem, qua, nullo fermè negotio, dæmoni caput amputes. non est gladius huic alter similis ad omnem vincendam hostis tentationem & debellandas aëreas potestates.

Cur ergò, inquies, sub panis specie carò Christi proponitur? quid pani cum gladio? 5. Audi quid in figuram huius panis, Iudic. 7. 13. scriptum sit: narrabat aliquis somnium proximo suo: & in hũc modum referebat, quod viderat: *vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere; cumq; peruenisset ad tabernaculum percussit illud, atque subuertit, & terræ funditus coæquauit.* Deus bone, tantane strages edidit panis? define mirari. audi, quid tũc dixerit alter v. 14. *non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis.* quod prius pane figuratũ fuerat, gladio mox comparatur; quia Eucharistiæ *panis fortium* dicitur, Psal. 67. 25. nam vbi nos legimus: *panem Angelorum manducauit homo*, legit Hieron. *panem fortium*, vt non sit mirum si idẽ Sacramentum & pane, & gladio significetur. verissimũ enim est quod Psal. 22. prædictum fuit: *parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Cùm ergò hic panis, hic veri Gedeonis gladius Castra hostiũ inuadit; tunc vniuersæ inferni Regis phalanges ingemunt, & perhorrescentes inclamant, dicentes: *venit Deus in castra*, hoc est, Ecclesiæ; *væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri & nudius tertius*, hoc est, antequam hoc V. Sacramentum esset institutum, & Ecclesiæ datum: *væ nobis. quis nos seruabit de manu deorum sublimium istorum?* 1. Reg. 4. 7. 8.

Sequitur septimus fructus: compescit enim vitiorum fomitem, sic passim Patres affirmãt, 6. ardorẽ concupiscentiæ extinguere, fomitẽ minuere. Cuius hæc afferri potest ratio: est enim institutũ. Ven. Sacramentum tanquam Antidotum, vt à malis nos custodiat, fomes autem est velut primus fons, & origo peccatorum: non ergo potest suauius, efficaciusque hoc V. Sacramentum à malis cõseruare homines, quã minuendo fomitem, eumq; sensim ad bonum inflectendo; & verò caro est quæ in spirituali vitiorum conflictu multùm nos sæpè retar-

dat, &

dat, & debilitat, & plurimùm paſim faceſsit negotij. Caro igitur altera medeatur carni, vt ita immenſa vnius virtus, & ingens fortitudo, alterius debilitatem, fragilitatemque corroboret. Eſt enim Chriſti caro omnium caſtiſsimarum deliciarum, & voluptatum ditiſsimum promptuarium, quibus deguſtatis, cadunt animo, & langueſcunt prorſus fœdiſsimæ carnis noſtræ delectamenta.

7. Quare næ illi iterùm atque iterùm reprehenſione, ac ſupplicio digni ſunt, qui hoc ſe remedio priuant, cùm tamen miſerè fœdiſsimis carnis hulceribus pleni ſint. quibus illud Hieremiæ 8. obijci poteſt: *Nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Quare ergò non eſt obducta cicatrix populi mei.* vis videre quo modo te à carnis, & concupiſcentiæ, atque irarum peſte eripere valeas: Audi Chryſoſtomum homil. 4. in Matth. *Quonam*, inquit, *modo ab hac tam noxia peſte liberabimur?* (loquitur autem de ira) *ſi illam vtique potionem bibamus, quæ omnes intra nos vermes ſerpenteſque mortificat. Et quodnam, inquies, iſtud eſt poculum, quod eam vim habet? Preciоſiſsimus Chriſti ſanguis, ſi cum fiducia ſumatur.*

8. Cæterùm hæc tanta vtilitas, & emolumentum bifariam in nobis fit. Vel enim indirectè, dum augetur caritas; tunc enim ſenſim minuitur concupiſcentiæ ardor. Sic D. Thomas, vel directè, per operationem videlicèt aliquam circa corpus; cuius explicandæ ratio non eadé eſt apud omnes authores. Duo mihi hac in re dicendi modi aptiores videntur. Primus, per quamdam redundantiam ex affectibus voluntatis, ita tamen vt hæc reſultantia intenta ſit ex propria Sacramenti inſtitutione, cuius efficacitate tales affectus excitantur in voluntate, vt ex eis in appetitum redundet moderatio paſsionum, & terrenæ cupiditatis. Eſt alter modus certior mihi, & probabilior, conferri propter hoc Sacramentum hanc fomitis moderationem per actualia auxilia ſpecialia Dei, & externam prouidentiam, quibus efficitur, vt in homine excitentur cogitationes, & affectus ad hunc fmem accommodata. Deinde vt tollantur occaſiones externæ ad peccatum inuitantes, & bonæ offerantur. Denique vt Dæmonum vis retundatur, & arceatur, ne fomitem incendãt, & augeant prauis animi motibus, & perturbationibus. id quod ait Chryſoſt. hom. 45. in Ioan. poſſuntque omnes iſtæ rationes ſimul concurrere, vnamque efficere.

9. Sed hunc ſeptimum Euchariſtiæ fructum confirmet, & tandem claudat aurea quædam ſententia Cyrilli lib. 4. in Io. c. 17. *pias queſo cogitationes ſuſcipias ſtudioſè, ſanctequè viuas, & benedictione particeps, quæ, mihi crede, non mortem ſolùm, verùm etiam morbos omnes depellit. Sedat enim quũ in nobis maneat Chriſtus, ſauientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus ſumus peccatis conſiderat, ſed ægrotos curat, colliſos redintegrat, & ſicut paſtor bonus, qui animam ſuam pro ouibus poſuit, ab omni nos erigit caſu.* His ſubſcribit Caſsianus collat. 22. c. 6. Affirmans dominici corporis virtutem magnoperè valere ad cauendas corporis corruptiones, aliasque Dæmonum illuſiones.

A Octauus fructus eſt delere peccata venialia, & quotidianas animi ſordes eluere, qua de re Ambr. lib. 5. de Sacram. c. 4. *qui vulnus habet medicinam requirit, vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus; Medicina eſt cæleſte & Vener. Sacramentum,* & Chryſ. hom. 46. in Io. *ſi quis*, inquit, *eſtuat, ad hunc fontem V. Euchariſtiæ ſe conferat & recreabitur. Mundat ſqualorem, & ſordes, æſtus mitigat non ſolares, ſed quod ignita ſagittæ imprimunt: Et enim ortum ſuum ſupernè habet, inde radicem vnde irrigatur.* Cyprianus deniq; de cœna Domini; panem hunc ſuperſubſtantialem, & calicem. *ſimul medicamentum, & holocauſtum ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates eſſe aſſerit.* 10.

Cæterùm bifariam intelligunt Theologi deleri peccata venialia per hoc Sacramentũ. Primùm quidem immediatè delendo eiuſmodi B culpas ex opere operato núlla alia immutatione præcedente, quę id efficiat, idq; tantũ vt ipſa caritas expedita ſit adoperandũ. Eſt namq; inſtitutũ hoc Sacramentum tanquã cibus, cuius eſt inſtaurare deperditum: ideò hoc Sacramentum ad reparandum id quod deperditum eſt inſtitutum fuit; ſeu ad reſtaurandũ id, quod de Caritate detractũ, vel imminutum eſt per peccata venialia, quę accumulant impedimenta, ne expeditè, & promptè Caritas in actum ſuũ exeat. ſic enim tantum aliquid detrahi, atque imminui de Caritate dicitur per peccata venialia. Alioqui nihil poſſunt pec. venialia de ipſa in ſe caritate detrahere. Secundò id intelligitur effici intercedente media diſpoſitione actuali aliqua. Habet enim hoc Sacramentum vim quandam ad exſuſcitandum caritatis feruorem, qui cum repugnet pec. veniali eo peruenire poteſt, vt omninò illud deleat. Quamuis nõ ſit negandum poſſe tolli peccata aliqua dumtaxat non deletis omnibus, propter obicem ab homine poſitum. lege D. Thom. 3. p. q. 79. ar. 4. & obſerua nunquam affirmare Diuum Thom. per ſolum actum caritatis, repugnantem peccato veniali ea deleri. vide Suarium in hunc locum D. Theol. 11.

Nonus fructus eſt deleri pœnas D. Bernardin. tom. 1. ſer. 54. ar. 2. cap. 7. docet, hoc Sacramentũ conſiderari poſſe, vt Sacramentum, & vt Sacrificium: hoc eſt, vt ſumitur, & vt offertur. Poſteriore modo ſatisfactoriũ eſt, priore non item, ſi ſecundùm ſe ſpectetur, & ex opere operato. eſt enim inſtitutũ tantum vt cibus ad D nutriendũ, augendum, vniendũ, delectãdum. Quare non eſt par ratio de pœna, & de culpa, quam vt dixi delet. culpa namq; etiam venialis aliquo modo repugnat perfectioni amicitiæ & vnionis caritatis: propterea Vener. Sacramentum, quod ad hanc vnionem perficiẽdam eſt inſtitutum, quamlibet culpam, propria vi delere poteſt. At pœnæ reatus non item opponitur huic perfectioni caritatis: propterea ſatis eſt, ſi per concomitantiam quandam tollatur; medio, ſcilicet, actu caritatis, quam in ſumente excitat; atque ita prout, vel magis, vel minùs durat, & pro ratione magnitudinis delet, vel totam, vel certè partem pœnæ. Hinc fit vt Vener. Euchariſtia vt Sacramentum eſt in ſolis ſumentibus efficiat effectum ſuum ex opere operato, cum detur vt ſumentem ipſum purum, ſanctumque reddat. 12.

Quam-

Digitized by Google

13. Quamobrem igitur, inquies, communicamus pro alijs, & ijs etiam, qui purgatorias pœnas patiuntur? Respondeo, propterea dixi ex opere operato non prodesse; alijs enim modis fieri potest vt prosit. Est enim actus Religionis, ac proinde pro alijs offerri poterit, & ad tollendas pœnas, ex opere operantis, prodesse. Est præterea actus meritorius; quare per modum impetrationis, & suffragij, & meriti de congruo nihil prohibet prodesse, quomodo malorem quandam vim, efficacitatemque habet Venerabilis Eucharistiæ sumptio: nam cùm caritatis feruorem excitet, malorem habet congruitatem cum merito iste actus. Idem etiam sequitur ratione præsentiæ Christi, ob quam feruentior, ardentiorque funditur ad Christum oratio, cum quo etiam tunc familiarius agitur.

14. Sequitur decimus fructus, & vtilitas Sacræ communionis, quòd per illam intimè coniungamur Christo, non animâ modo, sed & corpore, constituunt enim Patres corpoream quandam vnionem inter nos & cum Christo propter Venerab. Eucharistiam, quam indicat Christus ipse Ioan. 6. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo:* propter quam Cyrillus Hierosolymitanus catechesi mystagogica 4. vocat eos, qui Christi carne communicant, *Christophoros*, hoc est, Christum ferentes, cùm eius corpus, & sanguinem in sua membra recipiant, atque ita, vt B. Petrus dicit, diuinæ naturæ consortes efficiantur. Cyprianus etiam de Natiuit. Christi, affirmat, *per Sacramentorum communicationem Christi corporis sinceritati nos vniri, & vinificis mysterijs inhærentes, vnam carnem, & vnum spiritum esse.*

15. Porrò Hilarius libro 8. de Trinitate, & Cyrillus lib. 10. in Ioan. cap. 13. naturalem nominant hanc vnionem, eamque explicant, vel liquefactæ ceræ, vel connubialis matrimonij coniunctionis exemplo, in quo fit vna caro. neque ita sunt accipiendi, quasi velint dicere, ex Christo, & nobis vnum fieri corpus; sed quod præter spiritus vnionem, quam charitas efficit, fiat etiam corporum quædam coniunctio vera, ac re ipsa, non per signa: hæc autem vnio in qua vnimur Christiani inter nos, & cum Christo, est vera Christi caro, reipsa in Sacramento nobis in cibum data 1. Cor. 10. 17. *quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes, qui de vno pane participamus.*

16. Eandem vnionem eliciunt quidam ex cap. 17. Ioã. 22. *Et ego claritatem, quam dedisti mihi dedi eis; vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* claritas autem hæc diuinitas est, quam se Christus accepisse à Patre, vt homo est, affirmat per vnionem hypostaticam. Hanc igitur Deitatem purissimæ carni vnitam tradidit nobis Christus in Venerab. Sacramẽto, qua maximè vnimur, & inter nos & cum Deo per realem quãdam, corporeamque vnionem. lege Cyrill. lib 11. cap. 16. in Ioan. & Hilarium lib. 8. de Trinitat. Itaque hanc vnionem sortimur, cum reipsa dignè hoc Sacramẽtum susc ipimus: sicut qui Matrimonio iunguntur ij demùm habent veram re ipsa connubij vnionem: alioqui antequam carne iungantur morali potius vinculo colligantur, & iure: quod ius nos etiam habemus per Baptismum. Cæterùm si quis indignè Christi corpore communicet, næ hic ille vnione priuabitur; quamuis materialiter, vt aiunt illã habeat, & ratio est, quia vnio hæc corpoream receptionem quidẽ dicit, sed cum eius affectu, & amoris complexu. Postremò obseruanda sunt verba Chrys. in Ioan. hom. 45 vt intelligamus quantũ amoris debeamus Deo ob tam singularem Eucharistiæ fructum; ait ergò: *vt non solum per dilectionem, sed re ipsa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quẽ nobis largitus est. Cùm enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobiscum commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur, hoc enim amantium maximè est, hoc Iob significabat de seruis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorem exprimẽtes dicebant: quis daret nobis vt eius carnibus impleremur,* Iob. trigesimo primo, ver. 31.

Iam est quod vndecimum prosequamur fructum: est is corporis gloria, id est, immortalitas, & resurrectio; quod bonũ promissum esse videtur à Christo Ioan. 6. 52. *si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*, & 55. *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die*: & 59. *qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Quasi ergo ex opere operato sumptioni huius Sacramenti tribuitur hic effectus. quare meritò Sancti Patres Venerabilem Eucharistiam vocant resurrectionis symbolum, & *Pharmacum immortalitatis*. 17.

Verùm non indiligenter obseruandum est hunc etiam effectum conferri ratione gratiæ, & gloriæ animæ. Gloria enim corporis, gloriæ animæ respondet: sicut gloria animæ, caritati & gratiæ. Verùm hoc non impedit quò minùs tribuatur huic quoque sacramento idem effectus. Alio namque titulo, & nouo Sacramenti quoque confertur, quemadmodum gloria corporis Christi, & resurrectio debebatur Christo ratione gratiæ, & vnionis & gloriæ: alio tamen titulo data etiam est propter eius merita. eodem ergo hic modo intelligendum est euenire. 18.

Hunc fructum respexisse visus est Isaias cap. vigesimo sexto, vers. 19. cùm sic est vaticinatus: *viuent mortui tui, interfecti mei resurgent, expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere: quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam*. Nil absurdi dixeris si cum quibusdam per rorem, Manna intellexeris, sumendo continens, pro re contenta. Etenim antequam Manna decideret, cadebat ros, mox sequebatur Manna; iterumque super illud ros, ita vt ex vtraque parte esset Manna rore circumtectum, quare non immeritò *ros* appellari potest: eo dicendi modo, quo interdum continens pro contento sumitur. 19.

Cæterùm non loquitur Isai. de Manna illo Hebræorũ, verum potiùs de Euangelico Manna, quòd est Venerab. Eucharistiæ Sacramentum. De hoc ergò sic vaticinatur Ecclesia; *ros tuus ros lucis*, quasi dicat, *ros*, id est, Manna Moysis tempore, datum, ros noctis, ac tenebrarum fuit, verùm iste Christi ros lucis est.

Etenim

dat, & debilitat, & plurimùm paſsim faceſsit negotij. Caro igitur altera medeatur carni, vt ita immenſa vnius virtus, & ingens fortitudo, alterius debilitatem, fragilitatemque corroboret. Eſt enim Chriſti caro omnium caſtiſsimarum deliciarum, & voluptatum ditiſsimum promptuarium, quibus deguſtatis, cadunt animo, & langueſcunt prorſus fœdiſsimæ carnis noſtræ delectamenta.

7. Quare næ illi iterùm atque iterùm reprehenſione, ac ſupplicio digni ſunt, qui hoc ſe remedio priuant, cùm tamen miſerè fœdiſsimis carnis hulceribus pleni ſint. quibus illud Hieremiæ 8. obijci poteſt: *Nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Quare ergò non eſt obducta cicatrix populi mei.* vis videre quo modo te à carnis, & concupiſcentiæ, atque irarum peſte eripere valeas: Audi Chryſoſtomum homil. 4. in Matth. *Quonam*, inquit, *modo ab hac tam noxia peſte liberabimur?* (loquitur autem de ira) *ſi illam vtique potionem bibamus, quæ omnes intra nos vermes ſerpenteſque mortificat. Et quodnam, inquies, iſtud eſt poculum, quod eam vim habet? Precioſiſsimus Chriſti ſanguis, ſi cum fiducia ſumatur.*

8. Cæterùm hæc tanta vtilitas, & emolumentum bifariam in nobis fit. Vel enim indirectè, dum augetur caritas; tunc enim ſenſim minuitur concupiſcentiæ ardor. Sic D. Thomas, vel directè, per operationem videlicèt aliquam circa corpus; cuius explicandæ ratio non eadé eſt apud omnes authores. Duo mihi hac in re dicendi modi aptiores videntur. Primus, per quamdam redundantiam ex affectibus voluntatis, ita tamen vt hæc reſultantia intenta ſit ex propria Sacramenti inſtitutione, cuius efficacitate tales affectus excitantur in voluntate, vt ex eis in appetitum redundet moderatio paſsionum, & terrenæ cupiditatis. Eſt alter modus certior mihi, & probabilior, conferri propter hoc Sacramentum hanc fomitis moderationem per actualia auxilia ſpecialia Dei, & externam prouidentiam, quibus efficitur, vt in homine excitentur cogitationes, & affectus ad hunc fmem accommodata. Deinde vt tollantur occaſiones externæ ad peccatum inuitantes, & bonæ offerantur. Denique vt Dæmonum vis retundatur, & arceatur, ne fomitem incendãt, & augeant prauis animi motibus, & perturbationibus. id quod ait Chryſoſt. hom. 45. in Ioan. poſſuntque omnes iſtæ rationes ſimul concurrere, vnamque efficere.

9. Sed hunc ſeptimum Euchariſtiæ fructum confirmet, & tandem claudat aurea quædam ſententia Cyrilli lib. 4. in Io. c. 17. *pias quaſo cogitationes ſuſcipias ſtudioſè, ſanctequè viuas, & benedictione participes, quæ, mihi crede, non mortem ſolùm, verùm etiam morbos omnes depellit. Sedat enim quòd in nobis maneat Chriſtus, ſauientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus ſumus peccatis conſiderat, ſed ægrotos curat, colliſos redintegrat, & ſicut paſtor bonus, qui animam ſuam pro ouibus poſuit, ab omni nos erigit caſu.* His ſubſcribit Caſsianus collat. 22. c. 6. Affirmans dominici corporis virtutem magnoperè valere ad cauendas corporis corruptiones, aliasque Dæmonum illuſiones.

A Octauus fructus eſt delere peccata venialia, & quotidianas animi ſordes eluere, qua de re Ambr. lib. 5. de Sacram. c. 4. *qui vulnus habet medicinam requirit, vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus; Medæcina eſt cæleſte & Vener. Sacramentum,* & Chryſ. hom. 46. in Io. *ſi quis*, inquit, *æſtuat, ad hunc fontem V. Euchariſtiæ ſe conferat & recreabitur. Mundat ſqualorem, & ſordes, æſtus mitigat non ſolares, ſed quod ignitæ ſagittæ imprimunt: Et enim ortum ſuum ſupernè habet, inde radicem vnde irrigatur.* Cyprianus deniq; de cœna Domini; panem hunc ſuperſubſtantialem, & calicem, *ſimul medicamentum, & holocauſtum ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates eſſe aſſerit.* 10.

Cæterùm bifariam intelligunt Theologi deleri peccata venialia per hoc Sacramentũ. Primùm quidem immediatè delendo eiuſmodi B culpas ex opere operato núlla alia immutatione præcedente, quę id efficiat, idq; tantũ vt ipſa caritas expedita ſit ad operandũ. Eſt namq; inſtitutũ hoc Sacramentum tanquã cibus, cuius eſt inſtaurare deperditum: ideò hoc Sacramentum ad reparandum id quod deperditum eſt inſtitutum fuit; ſeu ad reſtaurandũ id, quod de Caritate detractũ, vel imminutum eſt per peccata venialia, quę accumulant impedimenta, ne expeditè, & promptè Caritas in actum ſuũ exeat. ſic enim tantum aliquid detrahi, atque immimui de Caritate dicitur per peccata venialia. Alioqui nihil poſſunt pec. venialia de ipſa in ſe caritate detrahere. Secundò id intelligitur effici intercedente media diſpoſitione actuali aliqua. Habet enim hoc Sacramentum vim quandam ad exſuſcitandum caritatis feruorem, qui cum repugnet pec. veniali eo peruenire poteſt, vt omninò illud deleat. Quamuis nõ ſit negandum poſſe tolli peccata aliqua dumtaxat non deletis omnibus, propter obicem ab homine poſitum. lege D. Thom. 3. p. q. 79. ar. 4. & obſerua nunquam affirmare Diuum Thom. per ſolum actum caritatis, repugnantem peccato veniali ea deleri. vide Suarium in hunc locum D. Theol. 11.

Nonus fructus eſt deleri pœnas D. Bernardin. tom. 1. ſer. 54. ar. 2. cap. 7. docet, hoc Sacramentũ conſiderari poſſe, vt Sacramentum, & vt Sacrificium: hoc eſt, vt ſumitur, & vt offertur. Poſteriore modo ſatisfactoriũ eſt, priore non item, ſi ſecundùm ſe ſpectetur, & ex opere operato. eſt enim inſtitutũ tantum vt cibus ad D nutriendũ, augendum, vniendũ, delectãdum. Quare non eſt par ratio de pœna, & de culpa, quam vt dixi delet. culpa namq; etiam venialis aliquo modo repugnat perfectioni amicitiæ & vnionis caritatis: propterea Vener. Sacramentum, quod ad hanc vnionem perficiẽdam eſt inſtitutum, quamlibet culpam, propria vi delere poteſt. At pœnæ reatus non item opponitur huic perfectioni caritatis: propterea ſatis eſt, ſi per concomitantiam quandam tollatur; medio, ſcilicet, actu caritatis, quam in ſumente excitat; atque ita prout, vel magis, vel minùs durat, & pro ratione magnitudinis delet, vel totam, vel certè partem pœnæ. Hinc fit vt Vener. Euchariſtia vt Sacramentum eſt in ſolis ſumentibus efficiat effectum ſuum ex opere operato, cum detur vt ſumentem ipſum purum, ſanctumque reddat.

Quam-

Digitized by Google

13. Quamobrem igitur, inquies, communicamus pro alijs, & ijs etiam, qui purgatorias pœnas patiuntur? Respondeo, propterea dixi ex opere operato non prodesse; alijs enim modis fieri potest vt prosit. Est enim actus Religionis, ac proinde pro alijs offerri poterit, & ad tollendas pœnas, ex opere operantis, prodesse. Est præterea actus meritorius, quare per modum impetrationis, & suffragij, & meriti de congruo nihil prohibet prodesse, quomodo malorem quandam vim, efficacitatemque habet Venerabilis Eucharistiæ sumptio: nam cùm caritatis feruorem excitet, malorem habet congruitatem cum merito iste actus. Idem etiam sequitur ratione præsentiæ Christi, ob quam feruentior, ardentiorque funditur ad Christum oratio, cum quo etiam tunc familiarius agitur.

14. Sequitur decimus fructus, & vtilitas Sacræ communionis, quòd per illam intimè coniungamur Christo, non animâ modo, sed & corpore, constituunt enim Patres corpoream quandam vnionem inter nos & cum Christo propter Venerab. Eucharistiam, quam indicat Christus ipse Ioan. 6. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo:* propter quam Cyrillus Hierosolymitanus catechesi mystagogica 4. vocat eos, qui Christi carne communicant, *Christophoros*, hoc est, Christum ferentes, cùm eius corpus, & sanguinem in sua membra recipiant, atque ita, vt B. Petrus dicit, diuinæ naturæ consortes efficiantur. Cyprianus etiam de Natiuit. Christi, affirmat, *per Sacramentorum communicationem Christi corporis sinceritati nos vniri, & vnificis mysterijs inhærentes, vnam carnem, & vnum spiritum esse.*

15. Porrò Hilarius libro 8. de Trinitate, & Cyrillus lib. 10. in Ioan. cap. 13. naturalem nominant hanc vnionem, eamque explicant, vel liquefactæ ceræ, vel connubialis matrimonij coniunctionis exemplo, in quo fit vna caro. neque ita sunt accipiendi, quasi velint dicere, ex Christo, & nobis vnum fieri corpus; sed quod præter spiritus vnionem, quam charitas efficit, fiat etiam corporum quædam coniunctio vera, ac re ipsa, non per signa: hæc autem vnio in qua vnimur Christiani inter nos, & cum Christo, est vera Christi caro, reipsa in Sacramento nobis in cibum data 1. Cor. 10. 17. *quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes, qui de vno pane participamus.*

16. Eandem vnionem eliciunt quidam ex cap. 17. Ioã. 22. *Et ego claritatem, quam dedisti mihi dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* claritas autem hæc diuinitas est, quam se Christus accepisse à Patre, vt homo est, affirmat per vnionem hypostaticam. Hanc igitur Deitatem purissimæ carni vnitam tradidit nobis Christus in Venerab. Sacramẽto, qua maximè vnimur, & inter nos & cum Deo per realem quãdam, corporeamque vnionem. lege Cyrill. lib 11. cap. 16. in Ioan. & Hilarium lib. 8. de Trinitat. Itaque hanc vnionem sortimur, cum reipsa dignè hoc Sacramẽtum suscipimus: sicut qui Matrimonio iunguntur ij demùm habent veram re ipsa connubij vnionem: alioqui antequam carne iungantur morali potius vinculo colligantur, & iure: quod ius nos etiam habemus per Baptismum. Cæterùm si quis indignè Christi corpore communicet, næ hic ille vnione priuabitur; quamuis materialiter, vt aiunt illã habeat; & ratio est, quia vnio hæc corpoream receptionem quidẽ dicit, sed cum eius affectu, & amoris complexu. Postremò obseruanda sunt verba Chrys. in Ioan. hom. 45 vt intelligamus quantũ amoris debeamus Deo ob tam singularem Eucharistiæ fructum; ait ergò: *vt non solum per dilectionem, sed re ipsa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quẽ nobis largitus est. Cùm enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobiscum commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur, hoc enim amantium maximè est, hoc Iob significabat de seruis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorem exprimẽtes dicebant: quis daret nobis vt eius carnibus impleremur,* Iob. trigesimoprimo, ver. 31.

17. Iam est quod vndecimum prosequamur fructum: est is corporis gloria, id est, immortalitas, & resurrectio; quod bonũ promissum esse videtur à Christo Ioan. 6. 52. *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*, & 55. *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die*: & 59. *qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Quasi ergo ex opere operato sumptioni huius Sacramenti tribuitur hic effectus. quare meritò Sancti Patres Venerabilem Eucharistiam vocant resurrectionis symbolum, & *Pharmacum immortalitatis.*

18. Verùm non indiligenter obseruandum est hunc etiam effectum conferri ratione gratiæ, & gloriæ animæ. Gloria enim corporis, gloriæ animæ respondet: sicut gloria animæ, caritati & gratiæ. Verùm hoc non impedit quò minùs tribuatur huic quoque sacramento idem effectus. Alio namque titulo, & nouo Sacramenti quoque confertur, quemadmodum gloria corporis Christi, & resurrectio debebatur Christo ratione gratiæ, & vnionis & gloriæ: alio tamen titulo data etiam est propter eius merita. eodem ergo hic modo intelligendum est euenire.

19. Hunc fructum respexisse visus est Isaias cap. vigesimosexto, vers. 19. cùm sic est vaticinatus: *viuent mortui tui, interfecti mei resurgent, expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere: quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam*. Nil absurdi dixeris si cum quibusdam per rorem, Manna intellexeris, sumendo continens, pro re contenta. Etenim antequam Manna decideret, cadebat ros, mox sequebatur Manna; iterumque super illud ros, ita vt ex vtraque parte esset Manna rore circumtectum, quare non immeritò *ros* appellari potest: eo dicendi modo, quo interdum continens pro contento sumitur.

Cæterùm non loquitur Isai. de Manna illo Hebræorũ, verum potiùs de Euangelico Manna, quòd est Venerab. Eucharistiæ Sacramentum. De hoc ergò sic vaticinatur Ecclesia; *ros tuus ros lucis*, quasi dicat, *ros*, id est, Manna Moysis tempore, datum, ros noctis, ac tenebrarum fuit, verùm iste Christi ros lucis est.

Etenim

Etenim rectè Paulus de tempore veteris legis dixit; *nox præcessit*; at de tempore gratiæ, & Euangelij, quo nobis de cœlo pluit hoc Manna, hic ros lucis, mox subdit: *dies autem appropinquauit*. idem aliquo modo significatum est Sapient. decimosexto, ver. 27. vbi de manna sic legitur: *quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat*. Manna enim illud quoniam ros lucis ac diei non erat, solis radio dissipabatur, licèt non igne exterminaretur: per ignem verò nocturnum tempus rectè exprimitur. Et aptè hebræorum Manna noctis dicitur. neque enim clarè, sed obscurè Euangelicum Manna tanquam in figura continebat, at Christianorum Manna lucis est, quia veritas ipsa, quę obscurè olim figurabatur, est.

20. *Sacrament. Eucharist. ros vocatur.*

Iam verò affirmo rectè ab Isaia, Venerab. Sacramentum ros & Manna lucis vocari, nimirum, propter gloriam Resurrectionis, & immortalitatis claritatē, quæ per illud datur. Assignans namque Propheta rationem, cur mortui & interfecti resurrecturi sint, ait: *quia ros lucis ros tuus*, quibus verbis insinuat; vnde tam maximum donum agnoscendum sit, & vnde etiam futurum sit olim, vt dæmonum Regnum, ac mortis imperium destruendum sit.

21. Hic idem Resurrectionis, & immortalitatis fructus insinuatur Apocal. 6. 9. *vidi subtus altare animas interfectorum*, &c. *Et clamabant, vsque quo Domine (sanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum*, &c. *& datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis vt requiescerent adhuc tempus modicum*, &c. Quod voce magna dicantur sancti postulare à Deo aduentum extremi Iudicij, indicat propensionem quandam Beatarum animarum, vt resumptis corporibus vtraque immortalitatis stola in resurrectione fruantur. Etenim propterea aiunt quidam Patres, beatitudinem animarum illarum interim, dum sine corpore sunt quodammodo retardari. verùm mirabitur quis; quamobrem Sancti de subaltari potiùs tam magnos clamores edere dicantur? sed illicò omnis conquiescet admiratio, si intelligamus supra altare admirabile Sacramentum, tanquā immortalitatis symbolum, positum esse; atque hinc fieri, vt spes immortalitatis & resurrectionis plurimum confirmetur, & augeatur: proindè non mirum si sanctis illis sub altare iacentibus robur additur, ac fiducia incredibilis ad magnis vocibus postulandum immortalitatis & resurrectionis donum.

22. Quare meritò Ecclesia, cum Deo sacrificat pro animis illis, qui purgatorijs pœnis lustrantur, meminit panis cœlestis, & diuini; recitat enim illa verba Christi, Ioan. 6. 51. *ego sum panis viuus qui de cælo descendi. si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*. Facit enim hoc Ecclesia vt resurrectionis, & immortalitatis spē confirmet: & simul ostendat, vnde nam tam magnum beneficium ad nos sit profectum, nimirum intelligit Venerab. Eucharistiæ hunc esse fructum: & resurrectionis, atque immortalitatis gloriam illi meritò acceptam esse ferendam.

23. Vndè cognoscere licet multum sanè, ac vehementer Christianorum spem, de resurrectione corporum, & immortalitate futura per hoc Sacramentum stabiliri & corroborari, vt proindè meritò pane illo Eliæ subcinericio 3. Reg. 19. 6. describatur, in cuius *fortitudine ambulauit Eliæ quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb*. instar subcinericij panis est hoc diuinissimum Sacramentum ob tria. primùm, quia vt solent matres filios subcinericio pane interim sustentare, ac detinere dum calefacto clibano panem solidiorem, ac perfectiorem coquant, atque ea spe illi patienter expectant: sic Christus dedit nobis tanquam pueris interim: dum hic viuimus panem hunc cælestem sub speciebus contentum, quousque panis idem detracto specierum inuolucro, in cælesti mensa nobis exhibeatur pleniore iam perfectioreque diuinæ caritatis igne excoctus; ad quem ignem accommodare possumus, id quòd Isai. habet cap. 31. 9. *Dixit Dominus cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Hierusalem*. Deindè subcinericio pani asimilis est panis iste cœlestis & diuinus, quia cinis symbolum est mortis. Quoniam ergò panis iste Christi mortem repræsentat; verè enim Apostol. dixit: *quotiescunque manducabitis panem hunc, mortem Domini annunciabitis*. Denique pani subcinericio comparatur, quia comedi debet panis Christi non sine cinere, hoc est, non sine mortis recordatione. Etenim sic se parare debet, qui ad hanc mensam accedere cogitat, quasi iam iam moriturus esset. sicut ergò panis ille subcinericius ita fortem, robustumq; reddidit Eliam, vt quamuis antea defatigatus, magnis tamen postea itineribus quadraginta dierum, & noctium spatio ad montem Dei feliciter peruaserit: ita multò maiores vires aucta spe cœlestis gloriæ panis iste, qui de cælo descendit, cuius alter Eliæ figura fuit, edentibus præbet, vt promptè, hilariterque ad cœlestem gloriæ montem, vbi Deus ipse visitur, peruenire possint. Quid igitur, hæres Christiane? surge, comede, grandis tibi restat via; ita enim fiet vt in fortitudine cibi huius securus tandem ad montem Dei peruenias.

Etenim propterea Deus per Dauid Psalm. 49. 23. hortatur nos vt sacrificium hoc laudis illi offeramus; ait enim: *Sacrificium laudis honorificabit me*; Et mox subdit: *& illic iter quo ostendam illi salutare Dei*, hoc est in hoc sacrificio laudis ostendet nobis Deus, & indicabit salutem suam per certam spem cœlestis gloriæ conceptam. 24.

Restat postremus fructus: Est enim viaticum nostræ peregrinationis, cuius antea in Veteri testamento agni Paschalis figura præcesit; qui vt Exod. 12. 11. constat, manducabatur ab Hebræis habitū peregrinorum præferentibus. Et quid quæso aliud est Venerabil. Eucharistiæ Sacramētum, quàm viaticum peregrè proficiscentium ad cœlestem supernorum ciuium patriam? Hoc suo exemplo declarauit nobis Ambros. in cuius vita scribit Paulinus eum iam moriturum ab Honorato Vercellensi Episcopo, diuinitus monito Eucharistiam tanquam viaticum accepisse. 25. *Eucharist. Sacrament. viaticum.*

Audi quid Chrysost. in libr. de Sacerd. de

hoc

hoc viatico sapienter scribat: *Quidam mihi narrauit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui & id vidisset ipse, & audiisset: quod qui de hac vita migraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi, ab Angelis, illorum corpora satellitum more stipantibus propter assumptum illud Sacramentum, hinc recta in cælum abducuntur.*

Hi sunt duodecim ligni vitæ fructus indicati tantum à nobis potiùs, quam pro dignitate expositi. si ergò hos admirandos fructus non capis, experire, & maiora videbis. hoc docuisse Christus Ioan. sexto, videtur versic. 54. cùm enim obiicerent Iudæi vers. quinquagesimotertio: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum.* Respondit: *nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* quod responsum minimè ad rem facere videtur, cum tamen maximè faciat. nam qui gustando cœlestem cibum experitur, panemque hunc viuum dignè comedit, is demùm omnes eiusmodi voluntarias dubitationes à se tollet, quibus sublatis, fieri posse hæc admiranda, & his etiam maiora non dubitabit.

DIGRESSIO VII. MORALIS

De præparatione, qua Christianus ad Venerabilem Eucharistiam accedere debet.

1. *Cur Christus vltima cena mortis proditionis meminerit.*

MIRARI quis posset, & percontari; quare Christus, paulò antè mortem, cum vltimo cœnaret cum discipulis, mortis suæ, ac proditionis meminerit? *vnus,* inquit, *vestrum me traditurus est.* quis enim cœnaturus cum amicis, tristia ac molesta in medium adducat? an non potius quæ ad hilaritatem, animique relaxationem vel doloris remissionem pertinent, interserit? sed si quis diligenter aduertat, cogitasse tunc Christum in cibum corpus, in potum sanguinem suis tradere, abscedet ominò omnis admiratio. Etenim decebat vt tam cœlesti mensæ non accumberent, nisi prius perpenderent, & conscientiæ suæ latebras explorarent, num aliquid inesset mali, quo minùs apti ac digni essent tanto conuiuio. Et hinc est, quod eorũ quilibet intra se cogitare cœpit; nunquid ipse proditurus illũ esset: Nec satis habens seipsum explorasse, suo iudicio non multum fidens, Christũ interrogare, cœpit. *Nunquid ego sum Rabbi?* sciebant enim Apostoli alia esse Dei iudicia, alia hominum, & eo penetrare oculos Dei, quo non pertingunt hominum. Placuit igitur Christo hoc exemplo nobis indicare; quo animo esse debeamus, quibus cogitationibus, qua puritate ornati, quoties nobis ad hanc diuinam mensam accedendum est; nimirum, diligenter expendere decet; ac ponderare omnes animi motus, cunctas cogitationes, vniuersa quæ gessimus, diximus, omisimus, antequam cœlestem panem sumpturi eam mensam adeamus: nec contenti simus quod quantum potuimus acta nostra reputauerimus, totamque conscientiam excusserimus, nisi etiam supplices Deum ipsũ rogauerimus, vt si quid in nobis sit, quod ipsi obseruare non potuimus, ipse nobis aperiat.

Mirari etiam nonnulli solent, cum legunt parentem illum filij prodigi iussisse seruis, vt aduenientem filium induerent, qui potiùs pane egebat; hanc enim ob causam ille ad Patrem accurrerat. sic enim intra se dicebat adhuc longè à Patre positus: *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* Et videtur istis qui hoc mirantur debuisse parentem præcipere potiùs seruis vt panem afferrent, vel certè mensam apparare nt quam primum. Quid igitur sibi vult tam festinum præceptum: *citò proferte stolam primam?* tam præpropera cura, tam subita diligentia vestitus & ornamentorum? verùm qui animaduertit non esse aliquem diuino conuiuio excipiendum, nisi prius sordidis vestibus depositis, quæ diuinos oculos offendere possunt, dignè ac congruenter se ornet; is demum intelliget, cur prodigi Pater, qui Deum omnium nostrum Patrem repræsentat, ante omnem curam & cogitationem de ornatu filij sollicitus fuit, eumque sic postea mensæ adhibuit.

2. *Pater filij prodigi cur prius pestem quam panem adferri præceperit famelico.*

Et verò summum sacrilegij genus est indignè, hoc est cum peccato mort. ad hanc mensam accedere. Huc enim potest applicari illud Heli filijs dictum 1. Reg. 2. 25. *si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* quasi dicat; quædam sunt peccata, quæ in Deum tantum propterea committi dicuntur, quod contra eius præcepta sint, quæ continentur secunda tabula, & contra proximum dicuntur. quædam verò non contra proximum. verùm contra Dei ipsius personam, seu contra Deum immediatè peccantur, cuiusmodi sunt quæ contra præcepta primæ tabulæ committuntur, vt contra Sacrificia, quæ Deo offeruntur. De quibus difficilius venia obtineri potest. quis enim orabit pro eis? non quod pro his, qui sic contra Deum peccant, nemo sit qui oret: sed quod cum homo in hominem peccat, sæpè offensus intercedat pro offendente; & ideò Deus facilè condonat iniuriam etiam sibi factam dum contra sua præcepta in proximum peccat quis, neque enim superari vult Deus ab homine, vt eo remittente eam iniuriam quatenus contra se est, Deus ipse non remittat eandem quatenus ea etiam ipse offensus est, omne enim peccatum contra Deum est; cùm verò est peccatum in Deum immediatè, non est homo offensus, qui oret tanquam remissor iniuriæ. Etenim Deus ipse solus propriè tunc offensus est. quis ergò intercedere audeat? quare huiusmodi contra Deum ipsum offensæ, vel culpæ, aliquo modo ad peccata irremissibilia accedunt, licet verè irremissibilia non sint.

3. *Indignè sumere Euch. quantum peccatum.*

Cùm ergo qui indignè communicat, corporis & sanguinis Domini efficiatur reus, cõtra humanitatem Christi ac DEI personam peccabit. quis ergò orabit pro eo apud Deum ipsum offensum? neque enim est homo qui lædatur, vt possit qui læsus est remittere offensam, & pro offendente apud Deum vt ignoscat,

Digitized by Google

noscat, intercedere. alij hunc locum sic exponunt, legunt enim: *quòd si peccauerit vir in virum, iudices de hoc iudicant*, & Chald. *antè iudices causa tractabitur*. 9. d. erit locus defensioni: *at apud Deum offensum quis possit defendere*? Prima expositio est magis conformis nostro textui, sed secunda etiam potest adaptari accipiẽdo Deum pro Iudice, cùm dicitur *placari ei potest Deus*.

4. *Indignè sumentes Eucharist. similes Tyranno cuidam.*

Dionysius, vel potiùs Mezentius, crudelissimus Tyrannus inter alia tormentorum genera colligasse dicitur viuum hominem cum mortuo cadauere, donec mortuus viuũ interficeret fœditate, & squalore cõfectum. Sic mihi facere videtur, qui Christum sumit panem viuum, cùm sit ipse peccato mortuus. *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur*: tradit namque iste filium hominis suis peccatis fœtidissimis & crudelissimis tyrannis, huic homini verè dici potest illud, quod Oziæ dictum est 2. Paralip. 26. 18. *Egredere de sanctuario, ne contemperis: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino tuo*. Et verò vt Chrysost. obseruasse videtur: sicut summus actus Religionis est, dignè communicare; ita indignè accedere summi sacrilegij est.

5. Et vide quantum ij Deo displiceant, qui indignè huic cœlesti mensæ accumbunt. Christum. n. quòd ad illos attinet, valdè cruciant, & vehementer cõturbant. In cuius rei signum narrant Euãgelistæ, quod instituturus hoc Sacramentum Iesus, *turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis: quia vnus ex vobis tradet me* Ioa. 13. 21. qua animi perturbatione voluisse videtur, quanto dolore ipsum afficiant, qui instar Iudæ Proditoris peccatis infecti, eius mensæ audent accumbere: perindè enim est, hoc ac si belluam aliquam quis cibo exhibito pascat, & illa, nulla habita benefactoris sui ratione, vbi pasta est, ipsum qui aluit, calce feriat. Quid enim aliud illa verba significant: *qui manducat mecum, leuabit contra me calcaneum suum*? Ioan. 13. 18. verè de hoc homine dixeris: *incrassatus est dilectus & recalcitrauit*.

Nam cùm illum qui eiusmodi est, ita dilexerit vt suum illi corpus, & suum sanguiné in cęleste alimentum exhibuerit, in ferinum tamen morem ipse tam liberalem Dominum, vel doloris, vel peccati, vel simulatæ amicitiæ calce ferit. verùm hæc iniquitas suum apprehendet auctorem, & æternis pœnis afficiet; iuxtà illud Dauidis Psal. 48. 6. *iniquitas calcanei mei circundabit me*. An non iustè queratur Christus de hoc homine; *etenim homo pacis meæ* amicus meus, *in quo speraui*; *qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*, hoc est, mihi magnas fecit insidias, & fraudes, & quasi me osculi simulatione, dum comedit me, fefellit, & circumscripsit ac veluti calce cõtempsit & abiecit. Hebraicè calcaneum, eodem sensu.

6. *Quanta puritate accedendum.*

Et verò tanta nitere deberent puritate, qui huic mensæ accumbunt, vt vel Angelos ipsos corporis & animi nitore superent. quod si quilibet nostrum attentè ponderaret, quanta sit huius Sacramenti dignitas, quanta maiestas, non ille vnquam ad illud accedere auderet: verùm Christi amor est, & eius immen-

A sa benignitas, quæ nos excitant, & animant, vt promptè, alacriterque accedamus. quamuis non eo virtutum præsidio muniti simus, nec eo corporis, animique nitore ornati, quem Sacramentum hoc exigeret.

Cùm enim Deus sit, quem in hoc Sacramento sumimus, lucem ergò habitet inaccessibilem, & ignis consumens sit necesse est. si lux inaccessibilis? quis poterit intentis in illum oculis aspicere? quis non potius faciem auertat, & aspectum aufugiat? si ignis, quis poterit habitare cum igne deuorante? quis non absumi timeat, si propius accesserit? At si quis sub huius Sacramenti vmbra cum Sponsa sedeat, tanquam sub vmbra mali, næ ille & hac luce frui, & hoc igne suauiter ardere poterit, & huius quoque mali suauissimo fructu, summa cum voluptate vtetur.

B Hæc porrò vmbra Christi Caritas est, quæ nos dignos effecit, vt tantę mẽsæ participes efficeremur, vel quod eodẽ reuoluitur, Christi caro & sanguis nobis sub his speciebus panis & vini relicta propter nimiam caritatem, qua nos dilexit. duo quippè vmbræ insunt; nam & ab immodico æstu sua frigiditate defendit; & lucidissimos solis radios sua opacitate ita contemperat, vt non modo tenuem oculorum aciem non lædant, sed & recreent potius & exhilarent maximè. hæc duo nobis Christi amor præstitit dum nos huc accedere hilariter iussit. ipse enim sua caritate ita nos instar vmbræ tuetur, ita defendit ab æstu concupiscentiæ, sic se nobis accommodat in hoc C Sacramento, vt eius lucem sub speciebus illis latentem, & veluti obumbratam facilè intueamur, & illum ignem suauissimè admittamus. quamquam possumus etiam per vmbram mali, species sacramentales intelligere sub quibus crucifixus & mortuus Christus, itemque per modum cibi & potus cõgrueriter nobis ostenditur, ex quarum meditatione ingens excrescit amor. 7.

Imitemur igitur & audiamus Sponsam Cantic. 2. 3. sic dicentem: *sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*. Hunc fructum Rabbini de suo manna intelligunt. At verius de sanctissimo Sacramẽto exponunt, Rupertus in hunc locum Cant. Greg. 33. moral. cap. 3. & Bern. hom. 48. in Cant. qui etiam vmbram Christi carnem interpretantur. tria Sponsa fecisse se affirmat, primùm quidem, desiderasse Christum, quem sub nomine mali significauerat, dum dixerat, *sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios*, id est, cæteros homines. CHRISTVS namque mortuus de cruce pendens, prout in Ven. Sacramento proponitur consentientibus Patribus, aptè sub mali specie denotatur; cuius flores odor fidei; color, variarum virtutum decus; humor & potus, preciosus in altari sanguis; esus fructus, viuificã caro in Eucharistiæ Sacramento est accipienda cum Patribus, quos paullò antè citaui. deindè ait Sponsa; venisse ad illum, & sub vmbra illius sedisse. postremò optatum fructum decerpsisse, cuius suauitatem mirificè commendat. 8.

Duo necessaria vt quis Christo fruatur.

Duo ergò insinuat necessaria, vt quis Christo in Sacramento fruatur, eiusque fructum

cum

cum voluptate deguſtet, nimirum vt eius dignitatem, ac ſuauitatem mentis intelligentia percipiens, ardenti illum aſſequendi deſiderio æſtuet. mox ſurgat oportet, quæ malè prius amauerat contemptis, & affectuũ greſſu propius ad illum accedat, ſedeatque pauliſper ſub eius vmbra, quod tunc faciet cum ſub Crucifixi meditatione, & huius diuiniſsimi Sacramenti contemplatione conquieſcens illius immenſæ charitatis, qua ſe ſe nobis in precium, cibum & potum exhibuit, admiratione rapietur. Eſt enim in hoc Sacramento ita contentus CHRISTVS ſub ſpecie panis & vini, vt tanquam etiam de cruce pendens hic proponatur, cum in eius Paſionis memoriam & ſignificationem ſit præcipuè hoc Sacramentum inſtitutum. hinc verò innumera diuini amoris elucent indicia: quibus indicijs velut vmbra tectus & animatus quicunq; duabus illis rebus cùm Sponſa ſe præparauerit deſiderio, & contemplatione Crucifixi, decerpet ſanè huius arboris mali fructũ, eumq; gutturi ſuo ſuauiſsimum eſſe experitur: & in ſe ipſo animaduertet impletũ illud, quod Hoſeæ 14. 8. ſcriptum eſt: *conuertentur & ſedebunt in vmbra eius, viuent tritico.*

Meritò ſanè comparatur à Sponſa fructus hic fructui mali arboris ob eius præſtantiam ſuprà cæteros aliarum arborũ fructus. explent enim poma triplicem appetitionem, quæ maximè angit homines. Appetunt enim famem cibo, ſitim potu, mortem vita pellere. hunc ergò, optatiſsimum ternarium cibi, potus, & vitæ exhibent nobis fructus arboris mali: tollunt namque mala eſuriem, ſitim ſedant, vitam nutriunt, proindè gutturi, id eſt, appetitui ſponſæ dulciſsimus eſt huius arboris fructus: talis etiam eſt ijs, qui ſponſam imitantes ſub vmbra Chriſti crucifixi ſedent, quem deſiderauerant.

At ijs qui indignè accedunt amarus ſanè, & interitum aduehens ſumenti hic idem cibus eſt: etenim, *anima ſaturata calcabit fauum*, Prouerb. 27. 7. nam qui voluptatibus, & diuitijs terræ infixus hæret, eisque inhians ſatiatur, & animum rebus iſtis explet, cœleſtis menſæ fauum contemnit, & ſanctæ Crucis fructum dulciſsimum amarum reputat. at qui eſurit, & ſitit crucifixi fructum, & ob id ſedet ſub vmbra eius, etiam amara, quæ pro Chriſto ferenda occurrunt, illi ſuauia ſunt præ dulcedine fructus, quem de Crucifixi arbore decerpit: Et ideò ſubdit ibidem Salom. *anima eſuriens amarum pro dulci ſumet.* ſimiles ij ſunt, illis, de quibus Iſai. cap. 5. 20. vaticinatur: *væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum*, id eſt, res mundi amaritudine refertas, *in dulce, & dulce*, hoc eſt, diuinas res & ad animæ ſalutem pertinentes, *in amarum.*

(*)

DIGRESSIO VIII. MORALIS

De his virtutibus quibus ornari debet hoc Sacramentum ſumpturus.

VBI vniuerſim de præparatione egimus, videndum eſt nunc quibus in rebus ſpeciatim ea poſita ſit. Et prima quidẽ occurrit puritas; quamuis verò omnes hunc corporis & animi candorem ad hanc menſam afferre debeant: Sacerdotes tamen in primis carnis & mentis ſuæ munditia cunctos hac in parte ſuperare debent, vt ſit tantò magis hoc ſacrificium Deo acceptabile. quod indicare mihi videtur Eccleſia, dum poſt confectum in altari Sacrificium, præcipit ſuprà illud ea verba à Sacerdotibus pronunciari: *ſupra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris, & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Habrahæ, & quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech ſanctum Sacrificium, immaculatam hoſtiam.* Quomodo, inquiet aliquis, tam prolixè rogat Eccleſia Deum Patrem, vt hoc ſacrificium acceptet, cùm certiſsimè ſciat non poſſe non ſummè placere? quomodo petit vt ita accipiat, ſicut Sacrificium de manu Abel, Habrahæ, & Melchiſedech? An non hoc Sacrificium præſtantiùs, & magis acceptum illis eſt omnibus, quæ olim oblata fuére?

Verùm ſciendum eſt duo conſideranda eſſe in hoc venerãdo Euchariſtiæ ſacrificio. vnum eſt, res ipſa oblata: alterum miniſter qui offert. Primùm ſi ſpectes, nihil Deo acceptius, nihil gratius offerri poteſt. Si ſecundum verò attendas, poteſt hac ex parte hîc aliquid eſſe, quod Deo diſpliceat, & quo ſuperetur hoc Sacrificium ab illis, quæ Abel, Abraham, & Melchiſedech obtulerunt.

Rogat ergò Eccleſia, vt ſicut in ſacrificiis, quæ illi obtulerunt, non modo ipſa ſacrificia placauerunt, ſed perſonæ etiam quæ offerebãt: nam propter eximiam ſanctitatem Deo acceptæ maximè erant. quis enim innocentior olim Abeel? quis magis Abraham diuino cultui additus? quis ſanctior Melchiſedech? quod ſi Sacrificia quoq; iſta ſpectemus, fortaſis nullum fuit, quod cum his tribus conferri poſsit in lege veteri. præſertim cùm hoc Sacrificium Eccleſiæ clariſsimè repræſentarint, ſi quod offerebatur obſerues. nam quod offerebat Abel, Agnus erat; & quem parabat Abraham immolare, filius erat Vnigenitus, quem diligebat, quibus CHRISTVS immaculatus agnus, Deique Patris, prædilectus Flius ſignificabatur.

Quòd verò Melchiſedech protulit, auguſtiſsimum Chriſti ſacrificium repræſentabat. Ergò ſiue perſonas ſpectes, ſiue res oblatas nihil erat in illis Sacrificijs, quod Deo vel diſpliceret, vel non placeret. ita nunc quoq; optat Eccleſia, magnisq; precibus à Deo contendit, vt ſuos Miniſtros & Sacerdotes ità præparet, ita ſibi faciat acceptos, vt nihil omninò ſit in hoc Sacrificio Chriſtianorum, quod eius

1. *Puritas quæ neceſſaria communicanti.*

2. *Duo conſideranda in Eu. Sacram.*

Sanctiſsimis oculis diſpliceat; & ſimul monet Chriſti miniſtros qui hoc corpus, hunc ſanguinem Deo oblaturi ſunt, vt curent diligenter tanto pollere conſcientiæ nitore, vt ſimul innocentiam imitentur Abelis, & propenſam in Deum Abrahami deuotionem; denique ſanctitatem & ſapientiam Melchiſedech; præſertim verò liberalem eius caritatis affectum: hoc igitur rogat, hoc monet Eccleſia, illis verbis: *ſupra quæ propitio ac ſereno*, &c.

3. Nec verò parum referre putes ſi Chriſti ſacerdotes tales non ſint, quales eſſe oportere diximus, vt dignè Deo ſacrificium offerant. Etenim dicet aliquis ſatis eſſe infinitum ſacrificij huius valorem, quamuis Sacerdos malus ſit. Nihil enim de Sacrificio detrahit malitia ſacerdotis. fateor nihil detrahit: ſed magna tamen Deo irrogatur iniuria. Magnum ipſiſmet Dei miniſtris infertur damnum: vnde etiam fit vt quantum ex hac parte eſt aliquid ſit in hoc ſacrificio quod Deo diſpliceat. quod hoc exemplo facilè intelliges.

Multum interesse vt Sacerdos sacrificans sit bonus.

4. *Exemplum.* Si mittat aliquis ad Regem aliquem munus, eximium illud quidem, & regali dignum conſpectu: tranſmittat tamen per ſeruum aliquem altero claudicantem pede, laceris ac ſordidis indutum veſtibus, vultu ſqualido, indecora facie, immundis deniq; manibus. An non ille Rex meritò mittenti iraſceretur? an non meritò expoſtularet cum illo, & vlciſci iniuriam pararet, quod munus quamuis digniſsimum, & per ſe acceptiſsimum per tam ineptum ſeruum direxiſſet? Tale quid ſi hic accidere cogitaueris dum auguſtiſsimum hoc, gratiſsimumq; Deo ſacrificium per malos Sacerdotes offertur, facilè intelliges quantã iſti Deo iniuriam irrogẽr, & quantũ ex hac parte Deo iſtorum diſpliceat oblatio; ſic pia mater Eccleſia de DEI gloria, & filiorum ſalute ſollicita, optat vt hoc ſacrificium omni ex parte Deo quam acceptiſsimũ ſit. Hoc duplex miniſtrorum genus, quorum alterum bonum, alterum malum eſt, ſignificatur per Angelum, & coruum Eliæ, 3. Reg. 17. 6. & 19. 6. etenim tam ille, quam iſte panem detulit Eliæ quidem verum, & qui nutriret, delectaret, & vires adderet: ita etſi vterque ſacræ Euchariſtiæ miniſter ſiue bonus, ſiue malus, ſanctum porrigit panem, qui nutriat, delectet, corroboret: vnus eſt tamen angelo, ob vitæ præſtantiam; alter coruo ſimilis, ob vitæ turpitudinem.

5. *Cor mundã dam cõmunicaturus.* Sed iam vniuerſos complectamur qui hoc Sacramentum ſumunt, quamuis ſacerdotes ij non ſint; mundandum eſſe affirmo ab ijs omnibus cor non à peccatis modo grauioribus, ſed à leuibus etiam culpis: ſicut ſolet diligenter expurgari vas, in quod pretioſum aliquod vnguentum infundendum eſt, ſic Chriſti corpus ſindone munda, non ſine Dei conſilio inuolutum eſt, & in ſepulchro nouo poſitum: ſicuti in vtero olim puriſsimæ Virginis, quæ nullo vnquam ſuit temerata peccato quamuis leuiuſculo, formatum fuerat. vt verò id nobis clariùs oſtenderet, antequam corpus ſuum in cibum, & ſanguinem in potum traderet diſcipulis, nixus genibus eorum pedes lauit; nec aliter quam lotis cæleſtia myſteria impertijt.

A Memineris, rogo te, quicunque hæc legis, ſupplicij quo Deus olim Ozam affecit, 2. Reg. 6. 6. quod calcitrantibus bobus, ne arcam fortè illi in terram iactarent, protenſa manu arcam detinuerat; & ſcriptũ tamen eſt: *iratuſque eſt Dominus indignatione contra Ozam, percuſſit eum ſuper temeritate, qui mortuus eſt ibi iuxtà arcam Dei.* Quid quæſo hic mali egit? tenuit arcam ne caderet; an non hoc bonum fuit? neque verò id factum à Deo, quod ea nocte cum vxore diuerſatus eſſet. Nam non calcitrantibus bobus, ſed prius fuiſſet percuſſus. Neque enim immundis id licebat, Leuit. decimoquinto, nec ideò percuſſus, quod tangere auſus eſſet cùm Sacerdos non eſſet, vt innuit Ioſephus libro ſeptimo Antiquitat. B etenim Leuitis id non erat prohibitum, cum arcam ſuis humeris illi portarent. Nec dici poteſt ideò pœnas dediſſe, quod nudam arcam contigerit. nam arca triplici velamine operiebatur, alioqui non ipſe modo, etiam prius quam calcitraſſent boues interfectus fuiſſet, verùm etiam cùm illo quicunque nudam arcam vidiſſet, quod accidit Bethſamitis; ſoli enim ſacerdoti licebat ſic arcam videre, Num. quarto, ver. vigeſimo, verior cauſa hæc eſſe videtur; nam quoniam præceperat Dominus Numer. primo, 7. 10. & Deuteron. trigeſimoprimo, vt arca humeris Leuitarum deferretur, non verò à iumentis inſipientibus, quæ arcam ab alijs oneribus ſecernere non poterant, propterea que facilè fieri poterat, vt eam in terram deiicerent: C ideò cum temerè ac contra Dei præceptum Oza illam in plauſtrum nouum impoſuiſſet, quod trahebatur à bobus, ſupplicio eſt affectus tunc, cum accidit & manifeſtum factum eſt incommodum illud, propter quod cauerat Deus ne arca iumentis crederetur inſipientibus.

Quod tunc primùm clarè conſtitit, cum recalcitrantibus bobus apparuit, cum periculo Ozæ temeritas, propterà tunc deſæuiit Dei omnipotentis ira contra Ozam, qui erat Leuita, ad quem cum fratribus ſpectabat ſuis humeris arcam deferre. cur ergò, inquies, non etiam fratres interfecti ſunt? Reſpõdent, quia plauſtro ipſe impoſuerat fortaſsis. Verùm incertũ id, certiùs verò eſt, & quia plauſtro impoſuerat, & nec digno cum honore, ac reuerentia. neque cum tanta neceſsitate tetigiſſet. D ſic Abulenſis. Iam verò eo regrediamur, vnde diſceſsimus; ſignificatum eſt hoc nobis exemplo à mundis & puris hominibus ſuſcipiendum eſſe, & portandum hoc Venerab. Sacramentum, cuius tantùm figura quædam erat arca, non verò ab impuris, & ſordidis hominibus, qui tanquam impura iumenta in ſtercore ſuo computreſcunt: næ illi qui tantum audent ſcelus vindicem Dei manum citò ſentient.

6.

7. Etenim ſicut Manna calore ſolis colliqueſcebat, & contra, ad ignem poſitum obdureſcebat. ſic enim habetur Sapien. 16. ita hic panis, hoc verum, & diuinum manna, in eo qui calore caritatis accenſus & illuſtratus illud ſumit, colliquieſcit, & quaſi tenuè delicatumque fit, animumque ipſum penetrando impinguat, eumque

eumque in lacrymas, ac singultus soluit, & cælesti quadam suauitate reficit. verum è contrario si quis accedat cõcupiscentiæ igne, & amore rerum terrenarum exæstuans, durescet illud Manna intra corpus sumptum, ac sese veluti contrahet, & continebit, ne sua dona sumenti distribuat, illumque aridum, & æternæ morti obnoxium relinquet.

8. *Luxuria quam maximè fugienda communicaturis.*

Cæterùm cùm omnia peccata auersetur hoc mundissimum Sacramentum, præcipuè tamen à peccatis carnis abhorret. Cuius rei tres causas assignat D. Bernardi. tom. 2. ser. 57. Primò quia maximè hæc, corpus Christi videlicet, & carnis peccata opponuntur inter se; Deindè quia despicatissima sunt, & contemptissima luxurię peccata. postremò quia præ cæteris inquinant, totumq; hominem conspurcant; etenim hoc Sacramentum hominem efficit spiritualem; peccatum verò luxuriæ totum illum reddit carnalẽ, vt meritò dicat Augu. hoc modo fieri animã totã carnẽ, quia corruptio præualet naturæ; peruertit namq; infame vitium istud, rectũ, quem Deus præscripsit, rerum ordinem in homine, & quæ dominari debuit ratio, ancillatur carni, superi⁹, videlicet, inferiori. Vide ergò quantũ inter se opponãtur Christi, & luxuriæ cæno contaminata caro. Deindè villissimum est, hoc peccati genus, & abiectissimum, quæ erat altera Bernardini caussa. efficit namque hominem, ita ab hominis dignitate alienum, vt instar stercoris terræ illum faciat. Postremò non animã modo turpibus impressis phantasmatibus luxuria maculat, sed & corpus etiam; conuertit enim ipsum quodam modo, in fœdissimum, luridissimũmque porcum; estque proindè cum omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est.

9. Ad has omnes D. Bernardini causssas, quartam etiam nos addere possumus. quod cũ hoc Sacramentum cæleste quoddam lumen dignè illud susçipienti afferat; è contrario luxuria mentem obtenebret, & obscurissimam veluti noctẽm inducat. de luxuriosis enim rectè Sophoniæ 1. 17. dicitur: *Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt, & effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora:* quod idẽ expresit non obscurè Scriptura Genes. 19. 11. dicit enim Sodomitas pessimos illos cæcitate percussos esse: *eos, qui foris erant percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* Digna sanè retributio, vt qui interiori lumine destituti erant; etiam externa oculorum luce priuarentur, & *in meridie obtenebresceret illis dies,* quibus horrenda inferni nox iam iam imminebat.

10. Cuius flagelli etiam meminit Salomon, Sapien. 19. 16. *percussi sunt autem* AEgyptij *cæcitate: sicut illi* Sodomitæ, *in forib. iusti Loth.* comparat enim AEgyptios cum Sodomitis. quando autem AEgyptij cæcitate sint percussi explicat hæc subnectens: *cum subitaneis cooperti essent tenebris, vnusquisque transitum,* ideſt, ingressum, *ostij sui quærebant.* neque enim hoc de Sodomitis est accipiendum; vt Lyranus visus est putasse. Est enim græcè hoc loco Sapientiæ: *quoniam vnusquisque transitum portarum suarum quærebat,* & Sodomitæ ingredi ianuam domus Loth, eamq; tenere tentabant: licet aliter sentiat Ribera Sophon. 1. n. 81. 82. superfluum aũt videtur in nostra lectione verbum, *essent,* vt notat Iansen. in hunc locum Sapientiæ, nec in græcis est; & eo omisso melius cum sequenti hærerent illa; *subitaneis cooperti tenebris.* Martinus DelRio ex Iosephi, Ambrosij, Chrysostomi sententia affirmat; tantum percussos Sodomitas ἀοράσια, qua cætera videntes ostium lothi cernere nõ valebant; quamuis ipse eam cæcitatem extendat postea ad omnia ostia; cætera, inquit, videbant, ostia non videbant: alienas fores volebant perfringere. Dignum erat, vt nec suas inuenirent. sed magis credo de solo ostio Loth, id esse intelligendum. nam vt stet comparatio satis est tam Sodomitas, quàm AEgyptios cæcitate percussos esse.

11. *Luxuriæ peccatum quam execrandum.*

Sed redeamus ad luxuriæ peccatum, ac quam execrandum sit, & ab hoc Sacramento alienũ iterum ostendamus. Hiere. c. 5. 8. sic de luxuriosis ait: *equi amatores, & emissarij facti sũt vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.* Sapienter quidem, ac verè similes sunt carnis appetitus equis, qui nullo freno cohibiti, sed sibi ipsis relicti, delecto etiam interdum in terram Domino huc illuc œstro quodam agitati feruntur, ferocitate incredibili. Tales sunt indomitæ libidinis affectus: proinde nos admonuit Ecclesiasticus cap. decimooctauo, versic. trigesimo. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Quid ergò indignius vel dici vel cogitari potest, quam cœlestem panem impotentibus, & immanibus equis porrigere? Atqui hoc est, quod ij faciunt, qui nulla habita ratione diuinissimi Sacramenti, similes equis, fœdissimis carnis voluptatibus mancipati cum sint ad cęlestem panem sumendum non timent accedere. Quantò satius illis esset si saniore consilio vsi pristinam vitam horrerent, & malefacta per pœnitentiam delerent: atque ita ex Vener. Eucharistia remedium peterent ad effrenem appetitum in officio continendum. Etenim sicut nullum potentiùs remedium esse solet ad domandum equum nimia ferocitate exultantem, quam si frenum in os eius immittas: ita nullum est efficacius medicamentum ad comprimendos ferociẽtes animi nostri appetitus, vel contra effrenatam eorum vim, quam si quis dignè ore admoto accipiat sanctissimum hoc Sacramentum; erit enim illi tamquam frenum aptissimum ad eorum motuum ferociam cohibendam.

12. Si Achimelech panem propositionis Dauidi, eiusque socijs præbere noluit nisi prius intelligeret: *si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus,* quanto quæso magis panis cælestis & diuinus, cuius erat ille propositionis figura, impuris, atque immundis hominibus porrigendum non est: Audiat Sacerdos ab eo, qui ad hanc mensam accedere cogitat, prius quam sanctificatum panem porrigat; id quod de Dauide didicit Achimelech: *equidem si de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta.*

13. Sed quomodo inquies, mundus esse potero, vt aliquo modo dignè ad hanc mensam

Mundities debita quomodo acquirenda.

veniam? Docet hoc D. Bernardinus, eo, inquit, modo, quo lineum pannum abluis, simili etiam modo conscientiam tuam purgare poteris. Fit enim tribus rebus lineus pannus candidus, lotione, torsione, exsiccatione. & primùm quidem ad lotionem necessaria est aqua; deindè cum aqua sapone vtimur ad tollendas panni maculas. Tertiò manus adhibemus ad lintei partes comprimendas & confricandas. Denique lotricum fuste pannum verberamus, & tundimus. Per intorsionem verò immundum humorem extrahimus. postremò vt exsiccetur ad solem ipsum pannum expandimus. similibus his rebus cãdidus, nitidusque fit animus, & scelerum maculæ tollũtur. Nam quo ad lotionem attinet loco aquæ sunt lacrymæ; locum saponis Confessio tenet ad delendas peccatorum maculas; opera quibus satisfacimus, manus ipsæ sunt. Postremò tanquam fullonicus fustis pœnitentia est, qua caro tunditur & verberatur. Torsionem verò exercemus quoties arcas, crumenas excutimus, & veluti torquentes, extrahimus ex illis quidquid alienum est; & dominis restituimus, quod nostrum non est. Tandem quasi exsiccamus conscientias nostras, & solaribus quodam modo radijs exponimus, cum Dei in nos amorem expendentes, amorem noxium rerum mundanarum à nobis penitus excludimus, solius Dei, cœlestiumque rerum caritate feruentes.

14. Sic mundi igitur ad hoc Sacramentum accedamus, ne nobis illud Hiere. cap. 51. 35. iure obijciatur à Christo Domino: *caro mea super Babylonem, & sanguis meus super habitores Chaldæa.* Etenim qui indignè carnem Christi manducat, & bibit eius sanguinem, iudicium sibi manducat & bibit, atque adeò hæc caro, & hic sanguis mortem illi afferet. Nullus ergo huc Babylonis ciuis, nullus Chaldææ habitator accedat, nisi sanguinem hunc, & carnem hanc contra se esse experiri velit: Etenim si, vt Paulus ait ad Hebræos 10. 28. *irritam quis faciens legem Moysi sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est; & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Is certè qui carnem hanc, & sanguinem hunc impuris labijs attingere non timet, magnam irrogat Christo iniuriam, quia non maiorem vim ad sanctificandum illam habere, putare se declarat, quam aliorum animalium carnem, & sanguinem; cum tamen sanguis hic, sanguis sit testamenti, quo videlicet fœdus inter Deum, & homines percussum est, quo promissio æternæ hereditatis confirmata est: propterea enim Christus *Noui testamenti mediator* esse dicitur: sanguis, inquam, iste, ille est, in quo nostrum quilibet sanctificatus est, hoc est, tanto melior est omni sanguine, vt homines sanctificare possit, & cui solum debeamus, vt remissionem peccatorum, & sanctificationem consequuti simus: quantæ igitur ingratitudinis est, ita paruipendere sanguinem Christi, & immundum ducere, vel certè nihil ab aliorum sanguine differre, existimare? An non est hoc spiritui gratiæ contumeliam facere? An non iste, cui tu tantam facis iniuriam, Deus ille est, quem tu sumis? An non ille est, qui terram immensa aquarum vi perdidit vniuersam? an non ille est, qui igne, ac sulphure de cælo misso, Sodomam, & reliquas infames ciuitates absumpsit? nunquid non ille est, qui Pharaonem, eiusque copias demersit? denique non est ille hic, quem tu tam multis peccatorum sordibus pollutus & contaminatus per summum scelus accipere non erubescis, non horres, non inquam hic est ille, qui futurus est iudex ad extremum Iudicij diem? *Intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat*, Psal. 49. 22. *An non erit tunc æs eius super Babylonem, & sanguis eius super habitatores Chaldæa?*

15. *Historia Leuitæ.*

Legimus Iudic. decimonono, Leuitam quendam Ephraimitam venisse cum coniuge Gabaan, quæ ciuitas ad Beniamin tribum pertinebat. porrò Gabaonitæ prodigiosa in illos exarsere libidine; quam adeò monstrosè, ac impotenter, tantoque cum furore in vxorem Leuitæ exercuerunt, vt mortua non multò post conciderit. Leuita domum reuersus cadauer coniugis in duodecim partes dissecuit, & ad duodecim tribus transmisit: tantum verò potuere hæ velut sanguinolentæ litteræ, vt ad tanti sceleris vindictam excitarint reliquas vndecim tribus. Ita factum est vt ad 25100. hominum de tribu Beniamin breui deleta sint. Quid igitur putabimus facturum esse Christum cum iudex aduenerit cõtra eos, qui carnem suam, qui sanguinem contaminauerint, ac pollutum, communemve duxerint? Potuit caro, & sanguis vnius mulierculæ, ita vndecim tribus mouere, vt tam multa illi hominum millia, totamque ferè tribum de medio tollerent; & non poterit multo maximas pœnas reposcere caro & sanguis Christi, propter istorum impuritatem sic despecta, & contaminata? erit, erit sanè caro hæc contra Babylonem; erit sanguis contra Chaldæos istos. Et hæc dicta sint de puritate, qua ad hoc Sacramentum est accedendum.

16. *Odium exterminandum.*

Iam verò alteram etiam præparationem requirit Euchariltia, nimirũ, vt quis omni odio vacuus ad eam veniat. Est enim hoc Sacramẽtum præcipuè institutũ, vt nos cum Christo capite, eiusq; membris vniat: ideò. n. Christus ait: *qui manducat meã carnem, & bibit meũ sanguinem in me manet, & ego in eo*, Ioã. 6. 57. significãt enim hæc verba amoris, & vnionis cõiunctionem: sicut olim dictũ est de Dauid & Ionata: *anima Ionatæ conglutinata est animæ Dauid.* Et vt obseruat D. August. propterea in his rebus institutum est hoc Sacramentũ, hoc est, sub speciebus panis, & vini; non tam panis, quàm vinum, ex multis fiunt, quæ ad vnum aliquid rediguntur. Ex multis namque granis vnus panis efficitur, & ex multis racemis vinum confluit, vt vel ita moneremur quo præsertim tenderet huius institutio Sacramenti.

17. Quod ostendisse mihi videtur Dauid Ps. 71. 16. cùm enim præmisisset, v. 7. id quod futurũ erat Messiæ tempore: *orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis*, mox subiecit, quasi declarans quomodo id futurum esset: *erit firmamen-*

mamentum in terra in ſummis montium. vbi Hebraicè eſt, *erit placenta frumenti, vel pugillus frumenti*, Chaldaicè verò, *fulcimentum frumenti*, quod veteres Hebræi, vt Genebrardus notat, de placentis tempore Meſiæ interpretantur delicatiſimis, vbique offerendis, & percipiendis, hoc eſt, Euchariſticis haud dubio hoſtijs, & panibus. Præſertim ſi cum alijs legamus: *erit placenta frumenti in capitibus Sacerdotum.* lege Galatinum de arcanis Cathol. verit: qui hoc ipſum intelligit de V. Euch. hoſtia, quam poſt cõſecrationem vbi venerabundi adorauerunt Dei Sacerdotes ſupra caput ſuum attollunt. Eſt ergò veriſimum, hoc Sacramentum, vnionis ſymbolum.

18. Sed præter hæc; tria ſunt quæ in hoc Sacramento plurimum nobis commendant vnionem, & caritatem, ſimulque oſtendunt quantum abhorrere is debeat ab omni odij amaritudinè, & inuidiæ liuore, qui ad hanc menſam accedit. Erat enim ſolemne olim vt tribus rebus fœdera & amicitiæ iungerentur, pane, ſanguine, Sacrificio: nam quoniam panem in amicitijs ineundis adhibebant propterea natum eſt illud prouerbium Pythagoræ tributum; panẽ ne frangito. Porrò de ſanguine animalium fuſo Deum placari ſolitum, fœduſque cum illo & pacem iniri ſciunt, qui gentium, & Hebræorum ritus tenent. de ſacrificijs verò quod per illa fœdus feriretur res eſt clarior, quam vt oſtendi debeat. hinc ſacerdotes feciales à fide, vel fœderibus fortaſsis vocabantur; & Virgilius: *cæſa*, inquit, *iungebant fœdera porca.* Cùm ergò his tribus ſocietates & amicitiæ conciliarentur, voluit Chriſtus, vt hæc ſimul omnia in vnum Sacramentum coirent. Continet enim Chriſti carnem ſub ſpecie panis; ſanguinem ſub ſpecie vini: denique totum hoc in ſacrificium Deo Patri offerri voluit. Quanta igitur ingratitudo, quanta inhumanitas eſt, eo remedio, quod ſanctiſimè ad vnionẽ cum Deo & proximo inſtitutum eſt, vti ad recedendum ab eis? vti vita ad mortem? Neque enim aliud facit is, qui odio, & liuore exulceratus hanc caritatis alimoniam ſumit; cùm per talem edendi modum fiat, vt tanto remotior, tantoque magis alienus fiat à Deo, quãto magis longinquior eſt à Dei vel proximi caritate, qui ſic accedit.

19. Cauerit ſic Deus olim Exo. 34. 27. *non coques hœdum in lacte matris ſuæ.* Quorſum id? quia, nimirum, inhumanum nimis atque immane videbatur, eo medio vti, id eſt, lacte, ad interimendum agnum, vel hœdum, quod natura inſtituiſſet ad cum alendum. Iam quanto quæſo immanius, & crudelius erit eo vti medio ad incurrendum Dei inimicitiã, & ad incidendum in æternam mortem & exitium, quod ſapienter, nec ſine immenſa caritatis ſignificatione decretum, factumque eſt ad perfectam cum Deo coniunctionem, ad vitam, ad ſalutem?

20. Similes ſanè hos Iudæ proditori tu ſi dixeris, næ tu ſapienter, veriſimeque ſenſeris. De Iuda namque Io. 6. 71. dictum à Domino eſt: *Non ego vos duodecim elegi; Et ex vobis vnus Diabolus eſt?* Quemadmodum enim qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt cum eo; ita qui adhæret Diabolo vnus ſpiritus eſt cum eo; quod tunc fit, cùm quis odij furijs agitatus ad hoc Sacramentum, vt Iudas proditor, accedit. Tunc enim nõ vnus ſpiritus fit cũ Deo, qui ſic Chriſti ſacramentum accipit, ſed cum Diabolo; quod exemplo Iudæ inſinuatum eſt, de quo ſic teſtatur Io. c. 13. 27. *& poſt buccellam introiuit in eum Satanas.* Videigitur iterum atque iterum, rogo, Chriſtiane, ne ſimilis Iudæ odio ardens, & inuidiæ liuore inflammatus huic menſæ vnionis, & caritatis aſſideas, ne factus vnus cum Diabolo ſpiritus hinc recedas; & abutaris eo medio, quod datum eſt, vt Deus quodam modo ſis, ad hoc vt in diabolum euadas.

Time ne eaſdem pœnas luas, quas propterea dedit Iudas, quia contra vnionis ſymbolum tam impudenter peccauit: *ſuſpenſus*, enim, *crepuit medius, & diſperſa ſunt viſcera eius.* dignũ ſanè ſceleri ſupplicium, nam quia contra vnionem peccauit, diuiſus eſt ipſe: hanc ſiquidem pœnam non cuſtodientibus fœdus imprecabantur, qui fœdus inibant, vt quemadmodum porcam, vel aliud animal diſſecabant in partes, ita diſſecarentur, qui pactum non ſeruarent. hinc Ierem. 34. 18. *& dabo viros, qui præuaricantur fœdus meum, & non obſeruauerunt verba fœderis quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes*, id eſt, ſicut vitulum &c. *& tranſierunt inter diuiſiones vituli*, id eſt, quaſi dicẽtes ita fiamus ſi fœdus violabimus. 21.

DIGRESSIO IX.
MORALIS.

Enumerantur alij modi, quibus præparare ſe debent, qui cœleſtem panem ſumpturi ſunt.

1. *Fides neceſſaria communicanti quæ.*

DPaulus 1. Corin. 11. 28. 29. quatuor poſtulat, vt quis ſe dignè ad hoc V. Sacramentum præparet. Primum ſtabilem, firmamque fidem, qua dijudicet, ac diſcernat corpus Domini, nimirum, viuum, cœleſtem, & diuinum panem à communi, & profano. hoc verò præſtabit communicaturus ſi intelligat ſub ſpeciebus panis & vini poſt cõſecrationis verba, non amplius vulgaris panis, ſed ſolam corporis, & ſanguinis Chriſti ſubſtantiam contineri; ſi firmiſsimè credat ſub eiſdem accidentibus panis, & vini Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, verum Deum atque hominem totum verè, realiter, ac ſubſtantialiter ſumi: corpus quidem eius ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum, ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub vtraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur: Diuinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima hypoſtaticam vnionem. Quapropter veriſimum eſt tantundem ſub alterutra ſpecie, atque ſub vtraque contineri: totus enim & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quauis ipſius ſpeciei parte; totus item ſub vini ſpecie, & ſub eius partibus exiſtit. Vt Tridentini Patres ſanctiſimè definiunt ſeſs. 13. c. 3.

Hanc ſanè fidem habent, qui oculos geſtant

columbarum, quæ residēt iuxta fluenta scripturarū. harum enim oculi rectè cum fide cōueniunt, quæ ex auditu est. Hoc autem vt intelligas, obseruandum est: olim cōsueuisse venerandos illos Ecclesiæ Antistites, sanctissimam hostiam recondere intra aurcam, vel certè argenteam columbam, quæ ex alto loco altari imminebat; Has porrò columbas *Eucharisticas* vocabant, quarum meminit Basilius epistola ad Cæsariam, Teste Groppero lib. 1. de Euchar. cap. 17. vide item septimam synodum Nicænam actione quinta, vbi mentio fit columbarum aurearum, vel argentearum, quæ supra sacros fontes suspendebantur. Quod ideò credibile est veteres in asseruanda V. Eucharistia fecisse, non solum vt intelligeret, qui communicaturus accederet, quod sicut Dei Verbum, quo die hominem induit in purissimo Virginis vtero, non sine obumbratione Spiritus sancti intra viscera Beatissimæ Virginis illapsi, carnem sumpsit: Ita à communicante magnis precibus rogandum esse Deum, vt sibi Spiritum sanctum suum largiatur, quo dignè possit Christum intra se sumere sub speciebus panis, & vini: venit enim tunc Christus ad communicantem, vt per gratiam & caritatem vnum cum illo fiat, sicut tunc venit in vterum Virginis, vt se carni vniret.

3. Sed potissimum columbis illis aureis, vel argenteis declarabant sanctissimi homines, quibus cōditionibus instructus esse debet, qui sumere Christi corpus dignè desiderat. Has porrò conditiones ex columba desumi posse non ignorabāt. amat enim illa riuos aquarum, quia in illis obseruat perspicacibus oculis præteruolantis milui vmbram; caret etiam felle; oculos habet simplices, & puros; potissimum verò cum vel comedit, vel bibit, subindè oculos in cœlum tollit; ita qui panem hunc sumpturus accedit, non modo peccatum ipsum vitet necesse est; verùm etiam speciem ipsam, & vmbram peccati, omniq; eius suspicione vacet oportet: *ab omni specie mala*, inquit Apost. 1. Thess. c. 5. 22. *abstinete vos*: deindè omni felle amaritudinis, & obligatione peccati, omniq; odij, & inuidiæ liuore careat. Inprimis verò habeat oportet columbæ, vt paulò antè dicebam, oculos, nimirum, simplices, non autem qui subtiliter scrutentur secretā diuina, sed qui simplici ac sincera fide cœlestia mysteria debita cum animi submissione, & gratiarum actione contempletur, amplectatur, & altissimis cordis medullis inserat.

4. Hic verò animaduertendum est, quòd cum Noë ex arca columbam demisit, illaq; reuersa esset ore viridem præferens ramum oliuæ, statim intellexit Noë diluuij aquas cessasse iam. Rogat Ambrosius quomodo cognouerit Sanctus Noë, quod defeciſſet aqua redeunte columba cum oleæ ramo? an non poterat columba ramum tollere oliuæ sub aqua demersæ? Respondet verò: quia non est huiusmodi columba, vt possit fructus latentes sub aqua eruere: neque enim columba mergit caput, neq; intra aquarum profunda oculos immittit. Tales ergo sint communicantium oculi. Tales exposcit vera Christianorum fides, qui non se intra mysteriorum profunda ingerant, eaq; rimentur, & curiosius Dei Maiestatem, vel secreta scrutentur diuina. Talibus ergo oculis contenti simus, & quoties hunc panem edimus, vel hunc sanguinem bibimus, si se variæ offerant difficultates, & implexæ quæstiones, oculos instar columbarum in cœlum attollamus, & Dei potentiam perpendentes fateamur, infinita posse Deum efficere, quæ nos non intelligimus: Præceperat Deus olim Num. 4. 15. 20. vt Aaron & filij eius inuoluerent tabernaculum, eiusq; vasa, & diligenter operirent omnia, quo facto intrarent filij Caath, vt inuoluta portarent, nec quidquā vel scrutarētur, vel curiositate ducti viderent; nisi fortè certum sibi interitum vellent accersere. qua re tacitè significabatur, ne diuina curiosè scrutaremur, sed humili, ac deuoto pectore gestaremus potiùs, & crederemus, certò scientes nihil Deo difficilè esse. quo etiam pertinet præceptum illud, quod Exo. 12. habetur, iussit enim Deus; vt quod de agno supereret igni cōbureretur: vt discēremus igni Omnipotentiæ Dei tradendum esse, quod nondum intelligimus in fide ambulantes, & quidquid superest obscuritatis ad Dei potentiam esse reuocandum; illa enim est, quæ instar ignis omnes dissoluit difficultates, omnesq; dubitationes, implicitosq; nodos disijcit, & quasi in nihilum redigit. Itemque in his totam rationē facti, potentiam esse facientis.

Porrò fides hæc duo in communicantee gignit; desiderium, & reuerentiam. Desiderium expressit Zachæus suo exemplo, cùm gaudens excepit Christum in domum suam. illud imitabere si ascendens in arborem contemplationis, ibi Christi dignitatem fueris intuitus, & eius pulchritudinem adamaueris, moxque audies tibi à Christo dici: *Zachae festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere.* quod si in humilitatis vallem descendens Christum gaudens exceperis, intelliges magno tuo bono, ac summo cum gaudio: *quia hodie salus domui huic facta est.* igitur vt Chrysost: ait hom. 60. ad Pop. Antioch. *accedat nemo cum nausea, nemo resolutus, omnes accensi, omnes feruentes, & excitati. Nam si Iudæi stantes, & calceamenta in pedibus habentes, & baculos manibus gestantes agnum cum festinatione comedebant, te multo magis oportet esse solertem.* Et paulò pòst, *non videtis quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos alacritate ad hanc mēsam: quin immò cum longè maiori trahamus, tanquam infantes lactanei Spiritus gratiam, & vnus sit nobis dolor hac esca priuari*; cui non dissimilia habet Damasc. l. 4. Orthod. fid. c. 14. *accedamus desiderio ardenti manus in crucis modum formantes Crucifixi corpus suscipiamus, & apponentes oculos, & labia, & frontem, diuinum carbonem concipiamus; vt ignis in nobis insiti desiderij, assumpta ea, quæ ex carbone oritur inflammatione, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione diuini ignis inardescamus, & deificemur. Carbonem vidit Isaias, carbo autem non simplex lignum est, sed vnitum igni*; *sic panis communionis non panis simplex est, sed vnitus Diuinitati.* Sic ille. *Lætetur sanè Israel in eo, qui fecit eum, & filij Sion exultent in rege suo,* Psalmo centesimo quadragesimonono,

5. *Fides in cōmunione quæ gignat.*

Communicantium oculi similes oculis columbarum sint.

quare

quare si sic ad hanc mensam progressus fueris, hoc est, cum tãto animi desiderio, & alacritate, dicetur tibi illud Isaiæ duodecimo: *Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel*, & experieris profectò tibi euenire illud quod D. Monicæ non raro accidebat, vt præ dulcore panis cœlestis, quem de Sacerdotis manibus sumebat, vix continere se posset, quin exultaret, cum esset in aerem à terra sublata, ac diceret: *cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*: sic enim interrogata, cur tantopere exultaret, respondebat.

6. Sed præter hoc desiderium gignet etiam fides erga hoc Sacramentum timorem & reuerentiam. Quis enim non horreat cum illud ab Apostolo dictum audit; rerum esse corporis, & sanguinis Domini, non secus ac fuit Iudas proditor (sic enim Theodoretus locum hunc exponit) si indignè cœlestem panem accipiat? Quis non maximè reuereatur Christi corpus, sanguinem, Animam, Deitatem denique ipsam sub his occultam speciebus? Tu ergo vt ait Origenes homilia 5. in diuersos Euang. locos, *humilians te ipsum imitare Centurionem, & dicito: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum*. Quomodo verò Deus punierit quendam, qui minus honorifice de hoc est Sacramento loquutus, leges apud Bellarminum l. 3. de Euchar. c. 8.

7. *Hunc ergò*, vt Cyrillus Ierosol. Catechesi 5. mysta. ait; *pronus accede adorationis in modum ac veneration is, non animo tantum, sed & corpore venerabundus*. Sapienter ergò Cypria. in expositione Dominicæ Orationis; *placendum esse*, ait, *diuinis oculis etiam in habitu corporis*. Audi quid Patres Tridentini de cultu, & adoratione huius Sacramenti sess. 13. c. 5. decreuerint; non minori videlicet, latriæ cultu dignum esse Christum sub speciebus latentem, quam si in propria specie conspiceretur. *Neque enim*, inquiunt, *ideò minus est adorandum Sacramentum, quod fuerit à Christo Domino, vt sumatur, institutum: Nam illum eundem Deum præsentem adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei; quem Magi procidentes adorauerunt; quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse scriptura testatur*. Neque verò solus Christus sub speciebus, se totum sacramentum, quod oculis subijcitur, vt ex Christo & accidentibus constat, vnico latriæ actu adorandum est: sic enim semper monuit Ecclesia: *Tãtum ergò Sacramentum veneremur cernui*. Nam cum vnum sit Sacramentum ex Christo, & speciebus conflatum, procul dubio vno quoque actu adorandum erit, quo tamen Christus primo & per se adoratur, coadorantur verò species, vt quid cum eo coniunctum, & vnitum, & tanquam vnum cum illo componentes. Illustrari id potest exemplo Imperatoris, quem cum veste ipsa imperatoria, qua fulget, veneramur, cum tamẽ maior sit adhuc specierũ cõiunctio cum Christo. Immò verò quamuis adorandi intentio priùs in imperatorem feratur; potest tamen externus præsertim actus venerationis tendere immediatius in res, imperatori cõiunctas: sicut videre est cum eius venerabundi exosculamur vestem.

A Quare cum tanta debeatur huic Sacramento interna, externa veneratio, tantus vndique cultus, declarauit Tridentina Synodus loc. cit. cap. 5. *piè & religiosè admodum in Dei Ecclesia inductum fuisse hunc morem, vt singulis annis peculiari quodam, & festo die præcelsum hoc, & Venerabile Sacramentum singulari veneratione, ac solemnitate celebraretur*, vtque in processionibus reuerenter, *& honorificè illud per vias, & loca publica circumferretur &c.* 8

Quod autem hoc festum quo solemniter circumfertur Christi corpus, rectè institutum sit, tribus rationibus declarare videntur ijdem Tridentini Patres eodem loco. Prima est, ad ostendendum gratum animum erga communem Dominum, & Redemptorem pro tam ineffabili, & planè diuino beneficio, cuius rei B præcessisse videtur figura 2. Reg. 6. in Dauide ludente còram arca Domini, cum illam populus honorificè circumferret. Secunda ratio: quia sic repræsentatur expressius triumphus, & mortis Christi victoria cõtra infernum, mortem & peccatum. Tertia: quia sic oportuit victricem veritatem de mendacio, & hæresi triumphũ agere; vt eius aduersarij in cõspectu tãti splẽdoris, & in tãta vniuersæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati, & fracti tabescant, vel pudore affecti, & confusi aliquando resipiscant. Ad has tres rationes quartam addere possumus, vt ostendamus Christum crucifixum nostram esse Gloriam, idque palam in ipsa luce, atque omnium oculis; vt intelligant quotquot sunt in orbe terrarum gentes, pro eò, qui sub his speciebus manet occultus, promptos, paratosque nos esse cum eius fauore vitam, sanguinemque profundere. Atque hæc dicta sint de fide, quam Apostolum à communicante poscere diximus. C 9. *Festum corporis Christi cur institutum.*

Postulat secundò probationem. *probet*, inquit, *se ipsum homo, & de pane illo edat*. 1. Cor. 11. 28. Monet nos Paulus probare nos ipsos, hoc est, diligenter nostram discutere cõscientiam, num mortifero alicui peccato sit obnoxia; quod si deprehendat, doleat ac pœnitentiam agat. Eodem sensu intelligendum illud quod mox subtexuit Apostolus. *Quod si nosmetipsos dijudicaremus*, id est, per conscientiæ examẽ reos ageremus, *non vtique iudicaremur*, id est, damnaremur *à Domino*. Vbi Theophylactus sic scribit: *non alium, inquit Apostolus, tibi iudicem attribuo, verum te ipsum tibi ipsi commendo. Iudica igitur & explora conscientiam tuam, & sic accede, non quando fuerint feriæ, sed quando purum te ipsum, ac dignum inueneris*. D 10.

Tertiò postulat Paulus his eisdem verbis pœnitentiam, hoc est, contritionem, & confessionem de peccatis coram Sacerdote factam. Nam & hoc vocabulo probationis significasse etiam Apost. Tridentini Patres sess. 13. c. 3. vnanimi consensu ita declararunt: *communicare volenti reuocandum est in memoriam Apostoli præceptũ: Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationẽ necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur absque præmissa Sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiã accedere debeat, quod à Christianis omnibus, etiã ab ijs sacerdotibus, quibus ex* 11.

officio

officio incubuerit celebrare, hac sancta Synodus perpetuò seruandũ esse decreuit, modo non desit illis copia confessoris. Et hoc idem sancti Greg. lib.2.Reg. c.1.auctoritate confirmari potest; vbi declarat hæc Apost. verba : *Probet se ipsum homo* &c. & Hesychij Ierosolymit.in Leu.

12. Quartò exigit Apostolus, vt sic probatus accedat tandem quis, & edat de pane illo, & de calice bibat. D. Bernardinus tomo secundo, serm.55. *vt quis*, inquit, *benè, & vtiliter comedat, quinque hæc necessaria sunt : Debet enim esurire prius, postea sumptum cibum dentibus mandere, mollire, conficere; alioqui integer cibus concoqui non posset.* Sequitur posteà refectio quædam, ac delectatio, quam secum aduehit ipse cibus benè præmansus. Posteà fit alito sensim assimile nutrimentum. Postremò transit in alitum. hæc omnia quoque necessaria sunt, vt hoc sacrum edulium vtile nobis sit, & fructuosum. Præcedere enim debet magna quædam esuries, hoc est ardens quoddam desiderium panis huius cœlestis. Deindè benè mandere illum oportet, non quidem dentibus corporis, sed sanctis animi cogitationibus; præsertim verò lactucas agrestes adhibere oportet, hoc est, Passionis Christi, eiusque mortis miscere memoriam: hoc enim à nobis Christus postulat, dum ait: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Hoc ipsum significatum fuit Ruth.2.14. vbi sic Booz eum Ruth loquitur : *quando hora vescendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto.* Idem tibi dictum cogita cùm Christus sub modici panis specie edendus tibi porrigitur : Nimirum, buccellam hanc in acetum intingito, hoc est, amaritudine imbue passionis Christi, in illud, inquam, acetum inde buccellam hanc, quod oblatum Christi ori fuit, quod cùm accepisset, dixit: *consummatum est, & inclinato capite tradidit spiritum.*

13. *Lupi terram comedunt, si alium cibum desit.* Referunt auctores non omninò ignobiles: lupos, dum magna vrgentur fame, si nihil occurrat melius, terram edere, vt famem potius fallant, quam pellant. verùm potiore inuento cibo terram vomere, & loco illius verum, cibum aptioremque sumere. Idem tibi faciendum censè, quoties hanc mensam adis panem sumpturus de cœlo verum, vome terram, qua te priùs miserè imbueras, hoc est, desideria terrenarum rerum eijce, & à te penitus vana mundi gaudia pelle. Hæc enim sunt, quæ passionis Christi memoriam ab homine tollunt, atque ita fiet, vt vili abiecto, cælesti, ac diuino, magna cum vtilitate, pane fruaris.

14. *Præparatio ad Euch de sumpta ex B. Virg.* Statuam hic quosdam alios breuiores præparationis modos. vnus erit ex B. Virgine desumptus. Quatuor enim illa virtutibus conspicuam se ostendit priusquam Christum conciperet : nam purissimam se esse declarauit, & Virginitatis laude florere, cùm dixit: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* deindè quam familiaris esset Deo, quamq; cum illo in secessu mentis suæ agere soleret, non obscurè declaratum est illis verbis à D.Luca: *Et ingressus Angelus ad eam dixit* &c. Tertiò humilem fuisse indicat non tantum, quod cùm laudari se ab Angelo, & perhonorificè salutari videret: *turbata est in sermone eius*; verùm etiam quòd

A cùm in Dei Matrem esset electa, tantummodo se *Ancillam Domini* vocauit. Postremò incredibili flagrasse illam desiderio apparet, vt id in se Deus operaretur, quod illi per Angelum promiserat: propterea enim dixit: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* His ergò se ornet virtutibus, qui Christum sub specie panis ad se venientem excipere intra domum cordis exoptat. Primùm puritati studeat, deindè familiariter cum Deo versetur, sit præterea humilis, Postremò cœlestis panis cupiditate ardeat.

15. *Ab Apostolis.* Alterius præparationis exemplum præbuerunt nobis Christi discipuli, quo die Pascha immolandum erat. Primùm sic petierunt à Domino: *vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Mox edocti à Christo vestigia hominis lagena
B ferentis aquam, sequuti sunt: deindè ad cenaculum grande stratum veneruntt, ibique parauerunt Pascha. Quartò venit ad eos Christus cenaturus cum illis. Tandem hymno dicto exierunt: ita tu quoq; vt te dignè præpares ad sacram hanc mensam pete ad hoc dari tibi à Christo gratiam, eiusque opem implora. Mox sequere ductum, & instinctum Spiritus sancti, qui aptè per hominem benignum significatur; hoc enim sonat nobis hominis nomen; fert autem aquas Spiritus sanctus, dum facit te plorare peccata tua, antequam cœlestem panem deguste, & præ eius desiderio gemere. Tertiò orna virtutibus cenaculum cordis tui: humilitate, patientia, castitate. Quartò veniet ad te CHRISTVS, & cœnabit tecum,
C & tu ipse cum illo. Postremò memor sis gratiarum actionis, & hymni sumpto diuino Sacramento: & vide vt te purum conserues. In te enim est CHRISTVS, dum durant species. Tene illum cum sponsa Canticorum tertio, nec dimittas, accede ad pedes eius cum lacrymis Magdalenam imitatus, multis illum vinculis illiga, bonis operibus, suspirijs, lacrymis, orationibus. His enim ille vincitur vinculis ne recedat à nobis.

16. *Ex ipsa hostia.* Tertium se præparandi modum ex hostia ipsa mutuabimur. Est enim illa panis triticeus, candida, & absque fermento, figuræ circularis, & ardenti igne coquitur: ita Christianus, qui solus hoc pane communicare potest, cæteris nationibus præstantior est, sicut triticeus panis
D cæteris omnibus panibus dignior est. Absque fermento verò sit malitiæ, nam modicum fermentum totam massam corrumpit; neque id solum habeat, sed ab omni quoque peccandi occasione, & specie mali absit; sicut olim à domo ea, in qua agnus comedebatur abesse omninò fermentum debebat. Imitetur tertiò, qui communicat circulare, sphæricamue figuram, vt à Deo incipiat, & per sui contemptum ad eundem rèdeat, omnia in maiorem eum gloriam referens. Quemadmodum verò sphæra planum, vel terram in puncto tangit, ita scire debent communicantes debere se omnibus inordinatis affectibus, & terrenis cupiditatibus vacuos esse, vt vix supra terram esse cognoscantur. Quartò ardeat caritate, qui ad hanc mensam accessurus est; est enim hoc Sacrmentum caritatis symbolum.

Digitized by Google

17. *Ex sepulcro Christi.*

Quartum modum ex Christi sepulcro eliciemus. Fuerat sepulcrum, in quo Christi corpus conditum est, nouum, & de lapide excisum; deindè erat Sindon sacrum idem corpus inuoluens munda. Tertiò: non deerat suauis aromatum odor. Denique aduolutum fuit saxũ ad ostium monumenti. Eodem planè modo sit communicantis corpus nouum, ac mundũ; sit deindè anima pura; vt enim propior erat Christo sindon quam lapis, ita anima intima magis est quam corpus. Tertiò: adhibeantur aromata deuotionis, Pœnitentiæ, Orationis, Misericordiæ. Postremò operculi loco, diligens adsit cura & studium conseruandi se purum. olim enim vas sine operculo immundum habebatur.

18. *Ex modo cenandi*

Postremum modum prandium, vel cœna suppeditabit. Pransurus namque vel cenaturus primùm lauas manus; mox mensæ assides: deindè cibos intueris. Quartò sumis. Postremò quiescis sopori te tradens. Ita primùm laua cõscientiam. Secundò per humilitatem sede tuam expendens vilitatem. Tertiò per fidem, tanti mysterij dignitatem attende. Quartò cum desiderio sume. Tandem quiesce, teque ipsum colligens gratias age: stans autem cum Zachæo dic Domino cum gaudio: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.*

19.

Quoniam verò quanto magis propinquum est communicandi tempus, tanto magis ardere debet communicaturi caritas, & crescere præparandi se ardor. Ideò cum quis genibus flexis ante Christi Sacrosanctum & præcelsum Sacramentum ad sacram mensam mox accessurus astat, magna cum animi humilitate, ardenti desiderio, in gemitus & in lacrymas cũ Samaritano resolutus excitet se magis, atque magis, & similem in modum oret: Domine stellæ nõ sunt mundæ in conspectu tuo, columnæ cœli

Oratio communicaturi.

A contremiscunt, alas complicant Seraphini, Baptista clamat se indignum, vt soluat corrigiam calceamentorum tuorum, Petrus vociferatur, *exi à me Domine, quia homo peccator ego sum.* Quomodo ergò ipse infelix peccator, & sordidus accedere ad te audebo? memini me aliquando pluris fecisse stercus mearum voluptatum, quam te; pluris fecisse meos affectus paruos, lutum meum, & sordes vitiorum meorum, quibus obediui potiùs, quam legi tuæ.

B Ecce, Domine, ego sum, ego sum ille insipiens, qui dixi: *non est Deus:* ita enim vixi, ac si crederem non esse Deum. Millies te vendidi, vt Iudas; clausi aures meas sanctissimis vocibus tuis, quibus iugiter me dulciter vocabas & attrahebas. O amator animarum sanctarum, qui pascis inter lilia, quomodo ingredieris in animam horridam spinis! Vbi est in me ferculum ex lignis libani, columnæ argenteæ, reclinatorium aureum? vbi ascensus eius purpureus; sed

C nihil horum in me. Sepulcrum enim fœtidum, ossibus mortuorum oppletum, & atro, ac vili cinere squalidum esse me video; & nõ horrebo interim ad mensam tuam accedere, & celestem panem attingere? Verum audio suauissimam vocem tuam ô Bone Iesu, qua me inuitas, sentio dicentem te mihi: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos:* & iterum: *tu fornicatus es cum amatoribus multis, verumtamen reuertere ad me.* Video hæc & obstupesco, & interim animor, quia scriptum de te non ignoro: *hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* His igitur vocibus excitatus, ecce ego peccator accedo, vt tangam fimbriam vestimenti

D tui, vt sim cibus, quem desideras, accedo pauper, vt sim diues. hæc, & his maiora suggeret tibi Spiritus sanctus.

(.·.)

Hæc de toto libro quarto Dilucidationum, & parte altera, quam, Deipara Virginis præsidio suffulti, absoluimus sub finem anni 1609. eiusdem Virginis ope quæ restant aggrediemur ad maiorem Dei gloriam.

Digitized by Google

INDEX SENTENTIARVM SACRÆ SCRIPTVRAE.

C. V. GENESIS.

2. 2. COMPLEVITQVE Deus die septimo &c. C.1. Dig.3.
2. 3. Et benedixit diei septimo, quia in ipso. &c.c. 1.dig.4.
2. 6. Fons ascendebat de terra.c.2.theor.2.n.4.
3. 4.5. Nequaquam moriemini. scit enim Deus quod in quocumque die &c. 6. 6.dig.4.n.10.
3. 19. In sudore vultus tui vescêris pane tuo. c. 5. Schol.n.22.
3. 22. Ecce Adam quasi vnus ex nobis est factus. c. 8. dig.num.5.
16. 19. Ex cunctis animantibus bina induces in arcam, vt viuant tecum. c.1. Schol.n 104.
18. 6. Accelera tria sata similæ, commisce.c.14.dig. 1.n.1. & seq.
19. 11. Eos qui foris erant percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.c.11.dig.8.n.9.
20. 13. Hanc misericordiã facies mecũ. c.5.Scho.n.3.
21. 12. In Isaac vocabitur tibi semen. c. 4. Schol. num.38.
21. 23. Iuxta misericordiam quam feci tibi. c. 5. Schol.n.3.
24. 35. Dominus benedixit Domino meo valdè. c. 4. Schol.n.151.
26. 7. A vitis Gerara.c.7.dig.1.n.4.
26. 21. Appellauitq; eum inimicitias, c. 12. theor. 2. num.4.
27. 28. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terra.c.5.dig.7.n.14.
32. 10. Minor sum cunctis miserationibus tuis. c. 4. Schol.n.26.
32. 24. Et ecce vir luctabatur cum eo vsque mane, qui cùm videret.c.1.dig 5.n.6.
34. 1. Egressa est autem Dina &c. vt videret mulieres. &c.c.19.digr.1.n.4.5.
37. 4. Nec poterant ei quidquam pacificè loqui.c.16. Schol.n.33.
43. 11. Deferte munera viro.c.7 dig.1.n.4.
49. 4 Effusus est sicut aqua.c.10.digr.5.n.8.
50. 19. Nolite metuere: num Dei resistere possumus voluntati? vos cogitastis de me malum, sed Deus &c.c.4.dig.15.n.3.

C. V. EXODVS.

1. 12. Obstetrices conseruabant mares. c. 1. Schol. num.104.
2. 20. Vocate eum vt comedat panem &c.c.5.Schol. num 22.
3. 5. Solue calceamentum de pedibus tuis.c.17.dig. 1.n.2.
8. 19. Digitus Dei est hic.c.12.Schol.n.30.
12. 11. Calceamenta habebitis &c..c.17.dig.1.n.1.
15. 9. Diuidam spolia, implebitur anima mea. c. 5. Schol.n.50.
16. 15. &c. Iste est panis &c. colligat vnusquisque &c. fecerunt q; ita &c. c.2.dig.2.n 10.
22. 18. Maleficos non patieris viuere. c. 1. Schol. num 104.
23. 4. Si occurreris boui inimici tui &c. c. 4. Schol. num 144.
23. 22. Inimicus ero inimicis tuis. c. 4. Schol. n. 143 144.
24. 16. Habitauit gloria Domini super Sinai. eius species gloriæ.c.5.Schol.n.55.
21. 23. &c. De mensa propositionis panum multa.c. 2.dig.1.
25. 30. Et pones super mensam panes.c.2.dig.2.
28. 30. Pones autem in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron.c.5. dig.5.4.
33. 19. Ego ostendam omne bonum tibi.c.1. Schol.97.
40. 32. Gloria Domini impleuit. &c.c.5.Schol.n.55.

C. V. LEVITICVS.

2. 12. Quidquid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal fœderis.c.4.Schol.n.57.
13. 2. Si efflorerit lepra.c.7.dig.1.n.3.
13. 44. Quicumque maculatus fuerit lepra, & separatus est. &c.c.7.dig.2.n.1.
14. 2. Hic est situs leprosi quando mundandus est, adducetur ad Sacerdotem, qui egressus &c.c. 7. Schol.n.16.
19. 12. Non periurabis in nomine meo. c.4. Schol.n. 118.
19. 18. Diliges amicum tuum.c.4.Schol.n.143.144.
19. 12. Agrum tuum non seres diuerso semine. c. 13. theor.1.n.2.
24. 7. Proponebantur hi panes in mensa vt essent in monumentum.c.2.dig.2.n.16.
25. 21. Dabo benedictionem.&c.c.5.dig.5.n.8.

C. V. NVMERI.

10. 2. Fac tibi duas tubas argenteas c.5.Schol.n.6.
18. 20. Pactum salis est sempiternum. c. 4. Schol. n.57.
22. 32. Ego veni vt aduersarer tibi.c.12. theor.2.n.4.
24. 16. Qui cadens apertos habet oculos. c.1.digres.2. num.7.
30. 3. Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento.c.4. Schol.n.120.

C. V. DEVTERONOMIVM.

4. 5. Scitis quod docuerim vos præcepta, atque iustitias. c. 1. Schol.n.85.
5. 11. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. c.4 Schol.n.117.
6. 13. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies.c.4 Schol.n.120.
15. 6. Fenerabis gentibus multis. c. 4. Schol.n. 143. 144.
16. 16. Vltra non audiam vocem Domini Dei mei. c. 1. Schol.n.146.
18. 18. &c. Prophetam suscitabo eis. &c. c.1. Schol. n 160.
22. 5. Non induetur mulier veste virili c 11.dig 3.n.9.
24. 13. Benedicat tibi, & habeas iustitiam coram Domino.c.5.Schol.n.3.
25. 9.10. Et tollet calceamentum de pede eius, spuetque in faciem.c.17.dig.n 3.
25. 19. Delebis nomen eius sub cœlo. c.4. Schol.n.143. 144.

31. 21. *Ipsi me prouocauerunt. &c. & irritauerunt in vanitatibus suis. c.5. dig.2.n.9.*
32. 33. *Venenum aspidum insanabile. cap. 6. digr.1. num.1.*
33. 1. *Hæc est benedictio, quâ benedixit Moyses &c. c.4. Schol.n.151.*
34. 5. 6. *Mortuusq; est ibi Moyses &c. & sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor. c.10. digr.4.n.15.*

C. V. IOSVE.

3. 15. *Tempore messis. c.1. theor.2.n.3.*
4. 19. *Populus autem ascendit de Iordane decimo die mensis primi. ibid.*
5. 13. *Cùm esset Iosue in agro vrbis Iericho. cap. 7. Schol.n.2.*
5. 16. *Solue inquit calceamentum tuum. c.17. digr.1. n.2.*
15. 8. *Ascenditq; per conuallem Ennom. c.4. theor.6. n.1.4.*

C. V. IVDICVM.

2. 14. *Vendidit eos in manu inimicorum suorum. c. 15. Schol.n.13.*
5. 8. *Noua bella elegit Dominus &c. Clypeus, & hasta si apparuerint. &c. c.8. dig.1.n.9.*
12. 7. *Mortuus est, ac sepultus in ciuitate sua Galaad. c.2. Schol. n.4.*

C. V. RVTH.

2. 17. *Inuenit hordei quasi æphi. c.14. dig.1.n.4.*
4. 7. *Soluebat homo calceamentum suum. c.17. dig. 1.n.3.*

C. V. REGVM PRIMO.

1. 7. *Sicq; faciebat per singulos annos. c.11. theor.2. n.4.*
2. 6. *Dominus mortificat, & viuificat. cap.1. Schol. n.102.*
2. 19. *Tunicam paruam faciebat. c.5. Schol.n.54.*
2. 25. *Si peccauerit vir in virum, placari ei poterit Deus, si autem in Dominum peccauerit vir. &c. 11. dig.7.n.3.*
4. 9. *Confortamini, & estote viri. c.7. dig.1.n.4.*
14. 12. *Ostendemus vobis rem, id est, faciemus. cap.1. Schol.n.97.*
18. 9. *Non rectis oculis Saul aspiciebat Dauid. cap.5. theor 5.n.5. &c. 6. dig.3.n.10.*
20. 30. *Fili mulieris virum vltro rapientis numquid ignoro, quia diligis filium Isai in confusionem tuam. &c. c.4. dig.2.n.11.*
21. 1. *Quare tu solus. &c. c.2. Schol.n.15.*
26. 15. *Numquid non vir tu es. c.7. dig.1.n.4.*
30. 4. *Leuauerunt Dauid, & populus, qui erat cum eo voces suas, & planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ. c.8. dig.5.n.10.*

C. V. REGVM II.

6. 6. *De percussione Oze. c.21. dig.8.n.6.*
6. 11. *Benedixit Dominus Obededon, & omnem domum eius. c.4. Schol.n.151.*
7. 23. *Quem redemisti tibi ex AEgypto gentem, & Deum eius. c.20. Schol.n.18.*
12. 5. *Viuit Dominus quoniam filius mortis es. cap.5. theor. 2.n.2.*
15. 30. *Dauid ascendebat cliuum. &c. operto capite. c.th eor.1. n.5.*
19. 22. *Quid mihi & vobis filij Saruiæ, cur efficimini mihi hodie in Satan? c.12. Theo.2.n.4.*

C. V. REGVM III.

2. 2. *Confortare, & esto vir fortis. c.7. dig.1.n.4.*
5. 4. *Non est Satan. c.12. theor.2.n.4.*
6. 1. *In anno quarto ædificari c.1. Schol.n.14.*
6. 27. *Anno quarto fundata est. ibid.*
8. 11. *Impleuerat gloria Domini. c.5. Schol.n.55.*
10. 23. *Magnificatus est Rex Salomon. &c. Accommodatur hic locus Christo. cap.4. digress. 5. n.7.*
18. 1. *Factum est verbum Domini ad Eliam in anno tertio. c.16. Schol.n.28.*
18. 21. *Vsquequo claudicatis in duas partes. c.8. dig. 2.n.3.*
20. 40. *Hoc est iudicium tuum, vt ipse decreuisti. c.5. theor.2.n.1.*
21. 27. 29. *Ambulauit demisso capite. &, nonne vidisti humiliatum Acab. c.5. dig.1.n.1.*

C. V. REGVM. IV.

1. *Hoc caput bona ex parte explicatur. c.10. digr. 6.n.2.*
18. 17. *Iuxta aquæ ductum piscinæ superioris. c.1. dig. 1.n.1.*
23. 10. *Contaminauit quoq; Thophet. &c. per ignem Moloch. c.4. theor.6.n.2.7.8.*

C. V. PARALIPOMENON II.

7. 17. *Si feceris iuxta omnia. &c. & iustitias meas, iudiciaq; seruaueris. c.4. Schol.n.85.*
7. 20. *Et domum hanc quam sanctificaui &c. tradam eam in parabolam. &c. c 14. Schol.n.28.*
12. 3 *Troglodytæ, & AEthiopes. cap.12. Schol. num. 72.*
13. 5. *Num ignoratis quod Dominus. &c. dederit &c. in sempiternum ipsi, & filijs eius in pactum salis. c.4. Schol.n.57.*
26. 10. *Vbi dicitur Ozias in solitudine plures effodisse cisternas. c.1. dig.1.n.6.*
26. 20. *Eo quod sensisset illicò plagam Domini. cap.7. dig 2.n.1.*

C. V. ESDRAE I.

4. 4. *Factum est, vt populus terræ impediret manus populi Iudæ. &c. in regno Assueri in principio regni eius scripserunt accusationem. &c. 6.12. theor.2.n.4.*

C. V. ESDRAE II.

2. 14. *Aquæ ductus Regis. an Salomone sic dictus. c. 1. dig. .n.6.*
3. 15. *Muros piscinæ. &c. c.1. dig.1.n.1.*
3. 16. *Ad piscinam quæ grandi opere &c. c.1. digr. 1.n.1.*

C. V. TOBIAE.

8. 3. *Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris AEgypti. c.12. Schol n.82. & theor.3.*
12. 8. *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna. c. 5. digr.3.n.1.*
13. 2. *Deducis ad inferos, & reducis. cap.1. Schol. n.102.*

C. V. IVDITH.

10. 3. *Induitq; sandalia, &c. cap. 17. Schol.num. 19.21.*

Digitized by Google

C. V. IOB.

1. 1. Erat vir ille simplex: c.4.Schol.n.30.
1. 12. Tantum in eum ne extendas manum. c.13.theo. 1.n.8.
1. 12. Egressusq; est Satan. c.13.theor.2.n.7.
1. 15. Et irruerunt Sabæi. c.12.Schol.n.72.
1. 21. Nudus egressus sum de vtero &c. & nudus reuertar illuc. c.12.Schol.n.67.
3. 1. Post hæc aperuit Iob os suum. c.4.Schol. num.5. versus finem.
4. 12. Porrò ad me dictum est verbum absconditum c.6.dig.1.n.3.
5. 2. Paruulum occidit inuidia. c.16.dig 2.n.8.
9. 25. 26. Dies mei sicut naues poma portantes c.10. dig.4.n.19.
10. 4. Numquid oculi carnei tibi sunt? aut sicut videt homo, & tu videbis. c.5.theor.1.n.4.
10. 11. Pelle, & carnibus vestisti me. cap. 8. digress.2. num.12.
12. 25. Palpabunt quasi in tenebris. &c. ca.13.theor.3. num.3.
14. 15. Vocabis me, & ego respondebo tibi operi mànuum tuarum. &c. c.13.Schol.n.13.
15. 6. Condemnabit te os tuum. cap. 12. Schol num.54.
15. 32. Antequam dies eius impleantur peribit &c. leuetur, quasi vinea in primo flore. &c. c. 10. dig.4.n.2.6.7.
16. 19. Terra ne operias sanguinem meum. c.21.dig. 1.n.6.
17. 6. Exemplum suum coram eis. cap.4. theor. 6. num.6.
18. 13. Deuoret pulchritudinem cutis eius. c. 8.digr.2. num.11.
19. 20. Pelli meæ consumptis carnibus &c. c.8. dig.2. num.12.
19. 21. Manus Domini tetigit me. c.10.dig.3.n.9.
20. 4. Inuocabit Deum, & exaudiet eum. c.1.Schol. num 38.
21. 16. Veruntamen quia non sunt in manu eorum bona sua. &c. c.5.dig.4.n.11.
23. 4. Spiraculum Omnipotentis viuificauit me. c. 1.Schol.n.104.
24. 19. Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium. c.4.Schol.n.97. & c.9.theor.2.n.3.4.5.
28. 18. 20. &c. Trahitur autem sapientia de occultis, abscondita est ab oculis, volucres quoque cœli latet perditio & mors. &c. c.1.Schol.48.
28. 23. Deus intelligit viam eius. &c ibid.
28. 25. Aquas appendit in mensura. c 19.digr.3.n.5.
30. 25. Flebam quondam super eo, qui afflictus erat. c.4 Schol.n.26.
31. 21. Si non benedixerunt mihi latera eius. cap. 4. Schol.n.17.
32. 18. 19. Plenus sum sermonibus &c. & venter meus &c. c.12.Schol.n.54.
36. 36. Non saluat impios. c 1.Schol.n.104.
38. 10. 11. Circumdedi illud terminis meis, & dixi huc vsque venies. c.4.dig.12.n.5.
39. 6. Tabernacula eius in terra salsuginis. c.8.dig.4. n.10.
40. 25. Concident eum amici, dinident illum negotiatores. c 15.dig.2.n.4.
40. 26. Pellis Leuiatan. c.8 dig.2.n.10.
41. 4. Quis reuelabit faciem indumenti eius. cap. 14.dig.2.n.5.
42. 12. Dominus autem benedixit nouissimis Iob. c. 4.Schol.n.151.

C. V. PSALMI.

1. 1. In cathedra pestilentiæ &c. cap. 10. digr.5. num.6.
1. 2. 3. In lege Domini voluntas eius &c. & erit tanquam lignum &c. c.5.dig.5.n.7.
3. 4. Susceptor meus es tu, & exaltans caput meum. c.5.dig.1.n.5.
4. 3. Filij hominum c.7.dig.1.n.4.
4. 4. Mirificauit Dominus sanctum suum. c.4.Scho. num.26.
4. 6. Quis ostendet nobis bona. c.1.Schol n.97.
6. 9. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. c.6.Schol.n.50.
8. 4. Opera digitorum tuorum. c.12.Schol.n.31.
9. 23. Dum superbit impius incenditur pauper. c.5. Schol n.3.
17. 23. Iustitias eius non repuli à me. cap. 4. Schol. num.85.
21 15. Effusus sum sicut aqua. c.10.dig.5.n.8.
23. 4. Innocès manibus & mundo corde. cap.4.Schol. num. 30.
23. 5. Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo &c. c.4.Schol.n.26.
24. 16. Quia vnicus. &c c.1.Schol.n.38.
26. 5. Nunc exaltabo caput meum. &c. c.5.digr.1. num.3.
26. 12. Ne tradideris me in animas &c. ca.5. Schol. num.50.
22. 2. Qui oderunt te extulerunt caput. &c. cap.5. dig. .n.2.
32. 15. Qui finxit sigillatim corda eorum. cap.5.theo. 2.n.7.
33. 11. Diuites egerunt, & exurierunt. c.5.dig.7.n. 8.9.10.11.
34. 14. Quasi lugens, & contristatus. cap.5. theor.1. num.5.
36. 9. Sustinentes autem Dominum ipsi hereditabunt terram. c.4.Schol.n.16.
36. 11. Mansueti autem hereditabunt terram. c. 4. Schol.n.16.
36. 35. Vidi impium &c. sicut cedros libani. c.1.dig. 5.n.13.
38. 3. Intellexisti cogitationes meas, de longè semitam meam & funiculum meum. cap.5. theor.2. num.7.
39. 8. In capite libri scriptum est de me. c.16 Scho. num.5.
40. 3 Non tradat eum in animam inimicorum eius. c.5.Schol.n.50.
41. 4. 5. Fuerunt lacryme &c. dum dicitur mihi quotidiè vbi est Deus tuus. c.8.digr. 8.n.23.
43. 25. Conglutinatus est in terra venter meus. ca.8. dig.4.n.3.
44. 2. Lingua mea calamus scribæ. cap. 10.digress.6. num.5.
44. 8. Propterea vnxit te Deus &c oleo latitiæ. &c. c.16.dig.1 n.3.4.5.
48. 6. Iniquitas calcanei mei circumdabit me. ca. 21.dig.7.n.5.
50. 16. Libera me de sanguinibus. c.4.Schol 101.
54. 13. Si inimicus meus maledixisset mihi; sustinuissem vtique. et si is, qui oderat me &c.4.Schnum.154.
57. 5. Furor illis secundum similitudinem serpentis sicut aspidis surdæ. c.6.dig.1.n.1.
59. 5. Ostendisti populo tuo dura. c.1.Schol n.97.
59. 7. Mires autem perfecisti mihi c 13.Schol. n 14.
61. 10. Veruntamen vani filij hominum. &c. in statera, vt decipiant in idipsum. cap. 5. digress.2. num.7. 8.
64. 10. Introibit in inferiora terræ, tradentur &c. c.12.Schol.n.67.
63. 7. Accedet homo ad cor altum. &c. c.5.theor. 2.n.7.
66. 13. Iniquitatem si aspexi in corde meo. &c. c.4. theor.1.n.3.
68. 14. Tempus beneplaciti Deus. c 16.Schol.n.16.

70. 20. Quan-

70. 20. *Quantas ostendisti mihi tribulationes cap.1. Schol.n.57.*
71. 10. *Reges Arabum,& Saba.c.12.Schol.72.75.*
71. 14. *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum.c.5.Schol n.27.*
71. 16. *Erit firmamentum in terra in summis montium.c.21 dig.8.n.17.*
73. 13. *Contribulasti capita draconum in aquis.cap. 12 dig.1.n.4.*
73. 14. *Dedisti eum escam populis AEthiopum.cap, 12.Schol.72.& c.15.digr..n.4.*
75. 6. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum. cap.5. digreß.4. num.10.*
76. 6. *Scopebam spiritum meum.c.11.di.2.n.15.*
77. 2. *Aperiam in parabolis os meum.c.4.Schol n. 5.& c.14.Schol.n.25.26.27.*
77. 57. *Conuersi sunt in arcum prauum. c.12. Schol. 84.*
78. 12. *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum &c.c.8.Schol.n.56.*
83. 12. *Melior est dies vna &c.super millia. c.5.dig. 8.n 11..*
84. 8. *Ostende nobis Domine misericordiam. cap.1. Schol n.97.*
88. 13. *Aquilonem,& mare tu creasti. cap.12.Schol. num.76.*
93. 9. *Qui finxit oculum non considerat?c.5.theor.1. num.4.*
94. 6. *Venite adoremus.c.1 Schol.n.10..*
102. 6. *Faciens misericordias Dominus.cap.4.Schol. num 26.*
102. 17. *Misericordia autem Domini.ibid.*
103. 16. *Saturabuntur ligna campi.c.1.Schol.n.38.*
105. 41. *Dominati sunt eorum qui oderunt eos,& tribulauerunt eos inimici. &c. cap.4.Schol.num. 154.*
106. 9. *Quia satiauit animam inanem. ca.5.Schol. num.50.*
108. 4. *Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi. c. 12.theor.2.n.5.*
108. 20. *Hoc opus eorum,qui detrahunt mihi.ibid.*
109. 7 *De torrente in via bibet propterea exaltabit caput.c.5.dig.1.n.3.*
111. 7. *In memoria aterna erit iustus. cap. 4. Schol. num.26.*
111. 9. *Dispersit dedit pauperibus &c.c. 4. Schol.nu. 26 & c.5.Schol.n.3.*
121. 8. *Propter proximos meos loquebar.&c.cap.11. theor.2.n.4.*
125. 5. *Qui seminant in lacrymis in exultatione metent.c.8.digr.5.n.18.*
127. 5. *Videas bona Hierusalem cap. 4. Schol. num.31.*
138. 15. *Non est occultatum os meum à te quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terra.c.12.Schol.n.67.*
143. 4. *Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra pratereunt. cap.5.digreß.2.num. 7.*
144. 16. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione cap.4.Schol n.151.*

C. V. PROVERBIA.

7. 21. *Irretiuit eum multis sermonibus.&c. cap.11. digr.2.n.13.*
7. 22 *Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam.c.6.theor.3.num.5. & cap.11. digr.2. num.13.*
8. 3. *Beati qui custodiunt vias meas. cap. 1. Schol. num.148.*
8. 9. *Aperientur labia mea vt recta predicent. c. 4. Schol.n.5.*
8. 30. 31. *Cum eo eram cuncta componens &c. ludens coram eo &c.ludens in orbe &c. c.15.dig. vnic.n.1.*
9. 1. *Sapientia edificauit sibi domum, excidit columnas septem,&c.c.13.dig.vnic.n.4.*
10. 2. *Iustitia liberabit à morte.c.4.Schol.n.26.*
10. 25. *Quasi tempestas non erit impius.c.10. digr.4. num.3.*
11. 22. *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulcra,&c.c.11.dig.2.n.10.*
13. 11. *Substantia festinata minuetur.cap.5. digr.2. num.7.*
14. 30. *Vita carnium sanitas cordis; putredo ossium, inuidia.c.16.dig.3.n.7.*
16. 33. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.c.8 Schol.n.56.*
19. 17. *Feneratur Domino. qui miseretur pauperis & necessitudinem &c.c.4.Schol.n.27.*
20. 27. *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris. cap.5.theor.2. num.4.5.*
21. 14. *Munus absconditum extinguit iras,& donum in sinu.&c.c.19.dig.3.n.3.*
23. 3. *Ne desideres de cibis eius in quo est panis mendacij.c.8.dig.5.n.3.*
23. 6. *Ne comedas cum homine inuido,& ne desideres &c.c.16.dig.3.n.10.*
23. 23. *Veritatem eme, & noli vendere sapientiam. c.15.Schol.n.14.*
27. 7. *Anima saturata calcabit fauum. c. 21.dig.7. num.10.*
27. 21. *Probatio argenti & auri, vir autem probatur per os laudantium eum.& cætera.cap.12.digr. 2.n.1.*
30. 10. *Tria sunt insaturabilia infernus, & os vuluæ &c.c.12.Schol.n.67.*
30. 15. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes affer,affer c.18.Schol.n.24.*
31. 9. *Aperi os tuum,decerne quod iustum est.cap.4. Schol.n.5.*

C. V. ECCLESIASTES.

1. 2. *Vanitas vanitatum.&c.c.5.dig.2.n.6.*
2. 2. *Risum reputaui errorem;& gaudio dixi,quid frustra deciperis?c.8.dig.5.n.4.*
7. 5. *Cor sapientium vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia.c.8.dig.5.n.4.*
7. 18. *Ne impiè agas multum. &c. ne moriaris in tempore non tuo.c.10.dig.4.n.3.*
12. 11. *Verba sapientium sicut stimuli, & quasi &c c.10.dig.6.n.12.*

C. V. CANTICA.

1. 3. *Oleum effusum nomen tuum.c.16.dig.1.n.8.*
1. 3. *Trahe me post te.&c.c.21 theor.4.n.5.*
1. 8. *Egredere, & abi post vestigia gregum tuorum. c.12.dig.3.n.10.*
1. 15. *Ecce tu pulcra es amica mea &c.oculi tui columbarum.c.19.dig.1.n.3.*
2. 3. *Sub vmbra illius quem desideraueram, sedi & fructus eius dulces gutturi meo.cap.21.digreß.7. num 8.*
2. 4. *Ordinauit in me caritatem. c.11. Schol. num. 11.fin.*
2. 6. *Læua eius sub capite meo.c.5.dig.1.n.5.*
2. 16. *Pascitur inter lilia donec aspiret dies. cap.15. dig.8.n.7.*
4. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, & cætera. mille clypei pendent ex ea. & cæt. cap.14 dig. 5.n.10.*
4. 11. *Mel & lac sub lingua eius cap.10. digeß.6. num.19.*

5. 1. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum &c. c. 6. dig. 5. n. 16.*

5. 2. *Vox dilecti mei pulsantis; aperi mihi soror mea &c. quia caput meum plenum &c. c. 21. digr. 1. num. 3.*

5. 4. 5. *Misit manum suam per foramen &c. surrexi, vt aperirem &c. c. 10. dig. 3. n. 9.*

5. 13. *Labia eius lilia distillantia myrrham primam. c. 5. dig. 8. n. 1.*

6. 10. *Descendi in hortum meum, vt viderem &c c. 6. dig. 5. n. 3.*

7. 2. *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis, remissiue. cap. 5. dig. 8. num. 11. & cap. 12. Schol. num. 92.*

8. 5. *Quæ est ista quæ ascendit &c. innixa super dilectum suum. c. 5. dig. 6. n. 2.*

8. 6. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium. cap. 6. digres. 5. num. 12.*

C. V. SAPIENTIA.

3. 7. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent c. 10. dig. 6. n. 4.*

4. 3. *Multigena impiorum multitudo. &c. & spuria vitulamina non dabunt radices altas. ca. 10. digr. 4. n. 6.*

4. 10. 11. *Placens Deo raptus est, ne malitia &c. c. 21. theor. 9 n. 2.*

4. 13. *Consummatus in breui expleuit tempora multa. c. 10. dig. 4. n. 3. idem habetur Sapientiæ 4. ver. 7. 8. 9. 10. 19. Iustus autem si morte &c. ibid.*

5. 5. *Computati sunt inter filios Dei. cap. 4. Scohl. num 38.*

6. 8. *AEqualiter cura est illi de omnibus. c. 17. Sch. num 44.*

7. 2. *Coagulatus sum in sanguine & semine hominis, & delectamento somni. &c. cap. 10. dig. 4. num. 6.*

7. 8. 9. *Diuitias nihil esse duxi. &, omnè aurum in comparatione illius &c. cap. 15. digres. vnica num. 2.*

8. 21. *Et vt sciui quoniam aliter non possem esse continens. & c. c. 1. Schol. n. 148.*

10 1. *Hæc illum, qui primus formatus est &c. cùm solus esset. c. 1. digr. 3. n. 3.*

10. 13 *Descendit cum illo in foueam. &c. cap. 20. Schol. n. 18.*

16. 27. *Quod enim ab igne non poterat extermināri, statim ab exiguo radio &c. c. 21. digres. 6. num. 19.*

17. 4. *Personas tristes illis apparentes. &c. cap. 9. theor. 1. n. 15.*

17. 13. *Impotentem verè noctem, & ab infimis. &c. inferis superuenientem. &c. cap. 9. theor. 1. num. 14.*

17. 17. *Vna catena tenebrarum omnes erant colligati. c. 9 theor. 1. n. 16.*

19. 16. *Percussi sunt AEgyptij cæcitate, sicut illi in foribus iusti; cum subitaneis cooperti essent tenebris, vnusquisque transitum ostij sui quærebat. 21. digr. 6. n. 10.*

C. V. ECCLESIASTICVS.

6. 30. *Et continens factus c. 1. Schol. n. 148.*

9. 8. *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat. cap. 11. dig. 1 num. 11.*

9. 10. *Fornicaria quasi stercus in via conculcabitur. c. 4. Schol. n. 62.*

12. 5. *Da bono, & ne receperis peccatorem. cap. 4. Schol. n. 140.*

15. 5. *In medio Ecclesiæ aperuit os eius. ca. 4. Schol. num. 5.*

18. 19. *Ante iudicium para iustitiam tibi. c. 1. Schol. num. 126.*

23. 9. *&c. Iurationi ne assuescat os tuum &c. c. 4. theor. 10. n. 5. & c. eodem Schol. n. 124.*

23. 38. *Gloria magna est sequi Dominum. c. 4. digr. num. 12.*

26. 25. *In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi aduenit. cap. 1. Schol. num. 66.*

26. 28. *Duæ species &c. difficile exuitur negotians à negligentia. c. 21. dig. 1. n. 5.*

29. 15. *Conclude eleemosynam. c. 4. Schol. n. 27.*

35. 17. *Non despiciet Deus preces pupilli, nec viduam &c. nonne lacryma viduæ & cætera, & exclamatio eius & cætera. cap. 8. digres. 5. num. 24.*

40. 1. *Iugum graue &c. à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium. c. 12. Schol. n. 67.*

C. V. ISAIAS.

1. 4. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini &c. dereliquerunt &c. cap. 1. digr. 5. num. 8. 9.*

1. 22. *Vinum tuum mixtum est aqua c. 13. digr. vni. num 5.*

2. 9. *Incuruauit se homo, & humiliatus est vir. c. 7. dig 1. n. 4.*

5. 10. *Triginta modij sementis facient modios tres. c. 14 dig. 1. n. 3.*

5. 20. *Væ qui dicitis malum bonum & cætera. ponentes amarum & cætera. cap. 21. digres. 7. num. 10.*

6. 9. 10. *Audite audientes, & nolite intelligere &c. excæca cor populi huius & aures &c. c. 13. theor. 4. fuse.*

7. 3. *& 36 2. De superiori piscina. cap. 11. digres. 1. num. 1.*

8. 18. *Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi. &c. vide ad Hebræos. 2. 13. inferius in hoc indice.*

10. 5. *Væ Assur virga furoris mei, & baculus. cap. 4. digr. 15. n. 12.*

11. 3. *Non secundum visionem oculorum iudicabit. c. 5. theor. 1. n. 4.*

14. 13. *In cœlum conscendam. &c. cap. 4. digres. 2. num. 6.*

18. 1. *Væ terræ &c. quæ est trans flumina AEthiopiæ. c. 12. Schol. n. 72.*

18. 15. *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno c. 1. dig. 5. n. 4.*

18. 21. *Pilosi saltabunt. c. 18. Schol. n. 17.*

19. 14 *Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis. c. 13 theor. 3 n. 3.*

20. 2. 3. *Vade & solue saccum &c. & calceamenta tolle & c. sicut ambulauit &c. cap. 17. digres. 1. num. 1. idem colligitur. cap. 47. 2. apud Isaiam.*

22. 12. 13. *Et vocabit Dominus exercituum in die illa ad fletum c. 1. dig. 5. n. 12.*

26. 19. *Viuent mortui tui & c. interfecti mei resurgent &c. cap. 10. digres. 3 num. 1. & cap. 21. dig. 6. n. 19. 20.*

27. 1. *Visitabit Dominus super Leuiathan & c. c. 13. theor 2. n. 9.*

28. 5. *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ. c. 4. dig. 5. n. 11.*

28. 9. *Qui ablactati estis à lacte, auulsi ab vbere, tribulationem super tribulationem expectate, spem super spem adhuc pusillum & c. c. 10. digr. 5. num. 14. 15.*

Digitized by Google

29. 10. *Claudet oculos vestros Propheta. &c. c.5.the. 1.num.1.*

30. 33. *Præparata est enim ab heri Topheth. cap. 4. theo.6.n.7.4.*

31. 3. *Ægyptus homo, & non Deus, & equi eorum caro,& non spiritus.c.5.theor.1.n.2.*

35. 2. *Gloria Libani, decor carmeli. cap. 5. schol. num.55.*

37. 29. *Ponam circulum in naribus. cap.1. digreſs.5. num.10.*

40. 12. *Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit, quis appendit tribus digitis &c.cap.4.schol. num.151. & cap. 12. schol. num.31.*

41. 18. *&c. Aperiam in supinis collibus flumina &c. ponam desertum &c. dabo in solitudinem cedrum.&c.c.15.dig.1.n.11.12.*

42. 1. *&c. Fusius exponuntur aliquot versus. cap. 3.schol.à num.23.vsque ad 38.&c.10. digreſs.6. num.4.*

43. 8. *Educ foras populum cæcum, & oculos habentem &c.c.16.n.13.*

43. 24. *Seruire me fecisti in iniquitatibus tuis. c.20. schol n.18. fin.*

46. 2. *Ad quem respiciam nisi ad paupereulum,& contritum &c.c.4.schol.n.10.*

49. 8. *In tempore placito exaudiui te. c. 16. schol. num.16.*

52. 3. *Gratis venundati estis,& sine argento redimemini.c.15.schol.n.13.*

53. 2. *&c. Non est species ei,neque decor,& vidimus eum &c.c.7.digr.2.n.4.6.*

53. 4. *Quasi leprosum & percussum.&c. c.7. digr. 2.n.1.*

53. 6. *Posuit Dominus in eo. &c. cap. 7. digreſs.2. num.6.*

54. 11. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Saphiris. cap. 4. digreſs. 10. num.1.*

54. 13. *Erunt omnes docibiles Dei. vel vniuersos filios tuos doctos à Domino (ponam) cap. 10. theor. 2. num. 8. &c. cap.21. schol.num.16. 17.18.*

55. 11. *Verbum meum non reuertetur ad me vacuū. c.17.schol.n.27.*

58. 8. *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.c.5.digr.2.n.13.*

59. 5. *Ova aspidum ruperunt,& telas aranea texuerunt.c.6.dig.1.n.1.*

59. 8. *Viam pacis nescierunt, & non est iudicium &c.c.1. schol.n.126.*

61. 1. *&c. Spiritus Domini super me &c. cap. 5. Schol.à numero 6.*

63. 15. *Attende de cœlo &c. vbi est zelus tuus & fortitudo tua.&c.tu enim Pater noster.&c.c.5. theor.4.n.4.*

C. V. IEREMIAS.

1. 5. *Prius quam te formarem in vtero noui te. c. 6. schol.n.49.*

2. 10. *Transite ad insulas Cethim, & videte, in Cedar mittite &c.c.12.dig.4.n.9.*

2. 24. *Onager assuetus in solitudine &c.c.18.schol. num.25.*

3. 16. *In diebus illis non dicent vltra,arca testamenti Domini.c.5.dig.5.n.1.*

4. 2. *Iurabis, viuit Dominus in veritate, & in iudicio & in iustitia.&c.c.4.theor.11.*

5. 8. *Equi amatores,& emissarij facti sunt, vnus quisque ad vxorem & cætera.cap.21.digreſs.8. num.11.*

7. 31. *Topheth,quæ est in valle filij Ennom. cap. 4. theor. 6..n.1.4.6.*

8. 19. *Et in vanitatibus alienis.c.5.dig.2.n.9.*

12. 2. *Plantasti eos,& radicem &c. cap.1. digr.5. num.13.*

13. 23. *Si mutare potest Aethiops pellem suam c.8. dig.2.n.10 & c.12.schol.n.72.*

15. 1. *Si steterit Moyses & Samuel coram me non est anima mea ad populum istum &c. c.4.dig. 14.n.16.*

17. 9. *Prauum est cor hominis & inscrutabile. c. 5. theor.2.n.1.*

19. 2 *Egredere ad vallem filij Ennom quæ est iuxtà introitum portæ fictilis. cap. 4. Theor.6.num. 3.4.5.*

19. 5. *AEdificauerunt excelsa Baalim.c.4.theor.6. num.2.*

23. 9. *Factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus à vino.c.5.theor.1.n.2.*

23. 23. *Putasne Deus è vicino ego sum.&c.c.12.dig. 3.num.3.*

24. 9. *Et dabo eos in vexationem. &c. & in parabolam,& in prouerbium.c.14.schol.n.28.*

30. 12. *Insanabilis fractura tua,& insanabilis &c. c.1.schol.n.25.*

31. 11. *Redemit Dominus Iacob, & eripuit eum de manu fortioris eius.c.12.schol.n.34.*

32. 35. *Et ædificauerunt excelsa Baal. c.4. theor.6. num.2.*

34. 18. *Et dabo viros qui prauaricantur fœdus meū, & non &c. vitulum quem conciderunt &c. c. 21.dig.8.n.21.*

46. 9. *AEthopia & Libyes &c. cap. 12. schol. num.72.*

48. 10. *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.c.4.digr.11.n.8.*

C. V. THRENI.

3. 4. *Vetustam fecit pellem meam & carnem meā. c 8.digr.2.n.11.*

3. 48. *Diuisiones aquarum deduxit oculus meus. &c.c.8.digr.5.n.10.*

C. V. BARVCH.

3. 16. *&c. Vbi sunt principes gentium, & qui dominantur super bestias &c. & quæ sequuntur vsque ad Vigesimum capite 15. digreſs. 1. numero 1.*

C. V. EZECHIEL.

1. 8. *Manus hominum sub pennis eorum in quatuor partibus.c.16.digr.5.n.12. idem fere habetur Ezechiel. c.10.8.*

7. 19. *Animam suam non saturabunt, & ventres &c.c.5.schol.n.50.*

8. 14. *Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem c.10.dig.5.n.3.*

13. 9. *&c. Et erit manus mea super Prophetas,qui vident vana &c.c.12.dig.4.n.5.*

16. 3. 4. *Radix tua & generatio tua de terra Chanaan. pater tuus Amorrhæus &c. quando nata es,non est præcisus.&c.c.12 theor.2.n.6.*

16. 24. *Ecce omnis qui dicit vulgo Prouerbium in te assumet illud dicens sicut mater. &c. cap.14. schol.n.20.*

16. 27. *Dabo te in animas odientium te. cap. 5. schol. num 50.*

22. 30. *Quæsiui de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra. &c. c. 14.dig.3.n.4.*

23. 41. *Sedisti in lecto pulcerrimo. cap. 11. digreſſ.1. num.9.*

24. 9. *Væ ciuitati sanguinum, cuius ego grandem*

Digitized by Google

faciam pyram. c. 9. theor. 1. n. 16.
24. 17. Corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta &c. c. 17. dig. 1. n. 4.
29. 3. Ecce ego ad te Pharao. &c. cap. 1. digres. 5. num. 10.
29. 21. Tibi dabo apertum os. c. 4. schol n. 5.
33. 30. &c. Filij populi tui &c. dicunt vnus ad alterum &c. vsque ad versum. 33. ca. 13. digr. vnic. num. 19.
37. 12. Aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris. c. 1. schol n. 123. 124.
40. 2. Dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium ciuitatis. c. 4. schol. n. 67.

C. V. DANIEL.

2. 35. Lapis &c. factus est mons magnus. c. 14. dig. 5. n. 3. 4. 5.
4. 24. Peccata tua eleemosynis redime. ca. 4. schol. num. 26.

C. V. OSEE.

2. 15. Dabo ei vinitores ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam spem. &c. ca. 10. digres. 5. num. 13.
2. 23. Seminabo eam mihi in terra. cap. 8. digres. 3. num. 6.
5. 1. Audite hæc sacerdotes, & attendite quia vobis iudicium est; laqueus factus est &c. & victimas declinastis. &c. & ego eruditor eorum. &c. & respondebit arrogantia Israel. cap. 10. digres. 5. numer. 7. 8. 9. 10. fere totum caput exponitur.
7. 11. Factus est Ephraim quasi columba seducta. c. 14. dig. 3. n. 11.

C. V. IOEL.

1. 4. Residuum Erucæ comedit locusta, & residuum locustæ &c. c. 6. dig. 1. n. 4.
3. 8. Sabæis genti longinquæ. c. 12 schol. n. 73.
3. 13. Mittite falces quoniam maturauit messis. ca. 14. dig. 3. n. 12.

C. V. AMOS.

3. 6. Si erit malum in ciuitate &c. cap. 4. digr. 15. num. 12.
4. 4. 5. Venite ad Bethl. &c. & sacrificate de fermento laudem. c. 14. dig. 6. n. 3.
5. 13. Prudens in tempore illo tacebit. c. 11. theor. 2. num. 4.
6. 1. Quia opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ. c. 5. dig. 7. n. 6.
6. 6. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti. c. 11. dig. 1. n. 10.

C. V. IONAS.

2. 3. De ventre inferi clamaui. c. 12 schol. 67.

C. V. MICHAEAS.

3. 2. Audite principes Iacob &c. qui violenter tollitis pellem desuper eis. c. 8. dig. 2. n. 12.
7. 2. Periit sanctus de terra c. 4. schol. n. 26.

C. V. NAHVM.

1. 9. 10. Quid cogitatis contra Dominum? consummationem &c. quia sicut spinæ &c. c. 6. 14. dig. 3. num. 14. 15.

C. V. HABACVC.

1. 6. Qui immolant sagenæ suæ, & sacrificant reti suo, quia in ipsis incrassata &c. cap. 5. digr. 7. num. 16.
1. 13. 14. Mundi sunt oculi tui &c. & facies hominis quasi pisces maris &c. 14. digr. 3. n. 7.
2. 6. 7. Væ ei qui multiplicat nõ sua. vsquequo & aggrauat contra se densum lutum? numquid non repente. &c. c. 16. dig. 4. n. 8.
3. 5. Egredietur Diabolus ante pedes eius. c. 13. theo. 2. n. 7.

C. V. SOPHONIAS.

3. 1. Væ prouocatrix, & redempta ciuitas, columba. non audiuit vocem, & non suscepit disciplinam &c. c. 14. dig 3. n. 11.

C. V. AGGAEVS.

1. 6. Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis saturati. c. 5. dig. 7. n. 15.
1. 9. Quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam. ibid.

C. V. ZACHARIAS.

3. 1. Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei. c. 12. theor. 2. n. 4.
3. 9. Super lapidem vnum septem oculi sunt; ecce ego cælabo sculpturam eius, &c. & auferam iniquitatem &c. c. 14. dig. 5. n. 2.
5. 1. 3. Ecce volumen volans, hæc est maledictio &c. c. 1 dig. 5. n. 2.
5. 2. &c. Dixit ad me quid tu vides &c. remissiue ex Chrysostomo. c. 4. theor.
11. 2. 3. Vlula abies, quia cecidit cedrus, quoniam &c. vlulate quercus Basan &c. vox vlulatus Pastorum. c 14. dig. 2. n. 8.
12. 6. In die illa ponam duces Iuda sicut caminum ignis. cap. 5. digres 5. num. 6. & cap. 14. digres. 6. n. 10.
12. 10. Effundam &c. spiritum gratiæ, & precum & aspicient ad me quem confixerunt: & plangent eum planctu, &c. c. 8. dig. 5. n. 11.

C. V. MALACHIAS.

3. 1. Ante faciem meam. c. 10. schol. n. 24.
3. 2. 3. Ipse quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentum & purgabit filios Leui, & colabit eos. &c. c. 5. dig. 5. n. 5. 6.

C. V. MACHABAEORVM. II.

7. 14. Tibi enim resurrectio ad vitam non erit. cap. 1. schol. n. 126.

C. V. D. MATTHAEVS.

5. 6. Esto consentiens aduersario. c. 12 theor. 2. n. 5.
5. 32. Omnis qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit adulterat. cap. 4. schol. & n. 115. 16.
6. 1. Attendite ne iustitiam vestram &c. c. 4. schol. num. 16.
16. 23. Vade retro me Satana & cæt. cap. 12. theor. 2. num. 4.
16. 27. Filius hominis venturus est in gloria. &c. c. 4. dig. 5. n. 12.

Digitized by Google

19. 9. *Nisi ob fornicationem, cap.4.theor.7 num.6.10. 11.12.*
20. 23. *Non est meum dare vobis, c.21.theor.3.nu.3.*
24. 5. *Multi enim venient in nomine meo, ca.1.schol. num.152.*
24. 23. *Tunc si quis vobis dixerit, &c. cap.1.schol. num.135.*
24. 31. *Mittet angelos suos cum tuba, & voce magna, c.1.theor.7. n.4.13.18.*
52. *Parabola decem virginum indicat opera esse necessaria ad beatitudinem obtinendam, cap.4. digr.6.num.4.*

C. V. D. MARCVS.

3. 20. *Ita vt non possent neque panem manducare, c.5.schol.n.22.*
10. 11. *Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam, c.4. theor.7. num.6.*

C. V. D. LVCAS.

1. 71. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos, c4.schol.nu.154.*
6. 37. *Nolite iudicare, &c. nolite condemnare, c.6. schol.n.6.*
9. 50. *Qui non est aduersum vos pro vobis est, cap.12. num.39.*
11. 41. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, c.19.digr.3.n.2.*
16. 18. *Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur, c 4.theor.7. n.6.*
17. 22. *Desiderabitis videre vnum diem filij hominis, c.5 digr.8.nu. 11.*
22. 30. *Vt edatis, & bibatis super mensam, &c. c.5. digr.8. nu.9.10.*

C. V. D. IOANNES.

1. 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, c.21.theor.2.n.6.*
3. 17. 18. *Non enim misit vt iudicet mundum, &c. qui non credit in eum, iam iudicatus est, c.6. schol. num.6.*
4. 25. *Messias iam venit, c.1. schol. nu.1.12.*
4. 45. *Exceperunt eum Galilæi cum omnia vidissent quæ, &c. c.1.theor.2. n.6.*
5. 1. *Quis fuerit dies ille festus de quo ibi Ioannes, c.1. theor. 2.*
5. 17. &c. *A versu 17. ad 30. hoc caput exponitur aliter quam in Scholijs, c.1. theor.6.*
6. 45. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, &c. c.10. theor.2.n. 8.*
8. 14. *Testimonium meum verum est, c.1.schol. n.135.*
8. 15. *Ego non iudico quemquam c.1.theor.5 n.7.*
10. 6. *Hoc prouerbium dixit eis Iesus, c.14. sch.n.27.*
13. 18. *Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum, c.21.digr 7.nu.5.*
16. 25. *Hæc in prouerbijs locutus sum vobis, c.14.scho. num.27.*
17. 6. *Manifestaui, &c. hominibus quos dedisti mihi, c.1.theor.3.nu.2.*
17. *Plura loca declarantur huius capitis, c.21.theor. 3.num. 9.*

C. V. ACTA APOSTOLORVM.

1. 8. *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, &c. cap. 17. theor.1. numero 2.10.*
2. 37. *His auditis compuncti sunt, &c. c.13.digr.vni. num.8.9.10.*
5. 36. &c. *Ante hos enim dies, &c. c schol. n.152.*
8. 35. *Aperiens autem Philippus os suum, c. 4.schol. num.5.*
9. 16. *Ego ostendam illi quanta, &c. cap.1.schol.nu. num.97.*
9. 29. *Loquebatur cum gentibus, & disputabat cum Græcis c.17. theor.1.n.9.*
10. 13. *Surge Petre occide & manduca, cap.10. digr. 6.nu. 18.*
10. 34. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, c.17. theor.1. n.2.*
11. 2. *Cùm ascendisset Petrus Hierosolymam disceptabant aduersus illum, & cæt. cap.17. theor.1. num.4.*
11. 19. &c. *Et illi quidem dispersi fuerant. &c. erant autem ex eis viri Cyprij, cap.17. theor.1.numero 7.*
12. 7. *Ecce Angelus Domini astitit, & lumen resulsit in habitaculo carceris.*
15. 7. *Per os meum audite gentes, cap.17. theor.1. num.7.*
15. 29. *Vt abstineatis vos ab immolatis, &c. & fornicatione, &c. c.11.digr.2. n.11.*

C. V. EPISTOLA AD ROMANOS.

3. 23. *Egent gloria Dei, c. 5. schol.n.55.*
5. 2. *Gloriamur in spe gloriæ, c.4.digr.5.n.12.*
6. 19. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati, &cæt. cap. 4. schol. num.29.*
7. 7. *Peccatum non cognoui nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces, c.4. schol.nu.84.*
8. 11. *Viuificabit, & mortalia corpora vestra, cap.1. schol. nu.104.*
12. 8. *Qui præest in sollicitudine non pigri, c.5.schol. num. 51.*
14. 17. *Non est regnum Dei esca & potus; sed iustitia gaudium, & pax in Spiritu sancto, c. 5. schol. num.57. 58.*

C. V. AD CORINTHIOS I.

2. 11. *Quis hominum scit quæ sunt hominis, &c. c.5. theor.2.n.1.*
2. 14. *Animalis homo, &c. c.5. schol.n.50.*
4. 3. *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, c.6. schol.n.11.*
5. 8. *Non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, &c. sed in azymis sinceritatis, & veritatis, c.4. schol.n.30.*
6. 7. *Iam quidem omninò delictum est in vobis, quod iudicia habetis, c.5. theor.6.n.4.*
6. 12. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, c.5.theor.6.n.2*
6. 20. *Non estis vestri, empti enim estis pretio magno c.5.digr.4.n.5.*
8. 3. *Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo, c.6. schol.n.49.*
9. 5. &c. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut, &c. cap.17. theor.2.num.1. vbi plures versus exponuntur huius c.9.*
9. 9. *Nunquid Deo cura est de bobus, cap.17.schol. num.44.*
9. 14. &c. *Dominus ordinauit, &c. cap. 17. schol. num. 23.*
11. 28. 29. *Probet autem seipsum homo, &c. cap. 5. theor.2.n.1. Postulat autem hic Apostolus quatuor, vt quis accedat ad V. Eucharist c 21.dig.9. nu.1.10.11.12.*
11. 29. *Iudicium sibi manducat, & bibit, &c. cap.1. schol.n.126. & c.6.schol.n.6.*

Digitized by Google

12. 3. *Nemo potest dicere: Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto, c.6. Schol. num.48.*
15. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita &c. c. 1. Schol.num.122.*
15. 52. *In momẽto, in ictu oculi, in nouissima tuba, &c. cap.1.theor.7.nu.3.*

C. V. Ad Corinthios II.

1. 17. &c. *Est & non, cap.4. Schol. nu.126.*
3. 17. *Vbi spiritus Domini, ibi libertas, cap.4.Schol. num.7.*
4. 7. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas, &c. cap.4.digr.8.nu.6.*
5. 20. *Pro Christo legatione fungimur, &c. reconciliamini Deo c.4.Schol.nu.35.*
7. 11. *Quantam in vobis operatur sollicitudinem, c.5. schol.nu.51.*
8. 7. *Abundantis, &c. omni sollititudine, c.5.schol. num.51.*
8. 14. 15. *In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, &c. qui multum non abundauit, &c. c.2.digr.2. nu.11.*
9. 9. *Dispersit dedit pauperibus, iustitia, &c. cap.4. schol.nu.26.*

C. V. Ad Galatas.

2. 9. *Iacobus & Cephas & Ioannes, &c. cap.8. theria 2. nu.6.*
3. *Quomodo obseruationes legis Mosaicæ reijciat Apostolus in hac epistola, & quomodo cessarit ea lex, & quomodo per Christũ liberati simus à maledicto legis, c.4. schol. nu.7.*
3. 21. *Si data esset lex quæ posset viuificare, c.1.schol. num.104.*
5. 9. *Modicum fermẽtum totam massam corrumpit; expurgate igitur, &c. c.14.digr.6. n.3.*
5. 22. *Fructus autem spiritus est caritas, &c. cap.4. theor.6.nu.6.*

C. V. Ad Ephesios.

1. 3. 4. *Benedixit nos in omni benedictione, &c. in cælestibus, in Christo, cap.21.theor. 2. nu.2.3.4. & theor.3. nu.4.*
1. 6. *In qua gratificauit nos in dilecto filio suo, cap. 21.theor.2.n.3.*
1. 9. *Secundum beneplacitum eius quod proposuit in eo, c.16. schol.n.16.*
1. 11. *In quo etiam & nos sorte vocati sumus, c.21. theor.2.nu.1.& theor.3. n.4.*
2. 10. *Creati in Christo Iesu, in operibus bonis, cap.21. theor.2. nu.3.*
2. 14. *Fecit vtraque vnum, & medium parietem macerie soluens, inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis euacuans, cap.4.theor.5. num.3.*
4. 9. *Descendit primum in inferiores partes terræ, c.12. schol.nu.67.*
5. 5. *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, &cæt. cap.5. digress.4. numero 12.*
5. 6. *Nemo vos seducat inanibus verbis, cap.5.digr. num.5.*
5. 32. *Sacramentum hoc magnum est. ego autem dico in Christo, & in Ecclesia, c.4.theor.7.n. 4.*
6. 12. *Non est nobis colluctatio &c.c.2. theor.3.n.9.*

C. V. Ad Thessalonicens. I.

4. 3. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, cap.4. schol. nu.29.*
4. 15. *Ipse Dominus in iussu & voce Archangeli, & in tuba, &c. c.1.theor.7.nu.3.7.8.10.19.*

C. V. Ad Timothevm I.

1. 9. *Lex iusto non est positu, c.4.schol.nu.8.*
2. 8. *Leuantes puras manus sine ira, cap.4.schol. num.101.*
2. 15. *Saluabitur per filiorum generationem si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione, &c. c.4.schol. nu.29.*
3. 2. *Hospitalem, doctorem, &c. cap.21. schol.nu.18.*

C. V. Ad Thimothevm 2.

1. 9. *Secundum propositum suum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu, cap.21. theor.2. num.3.5.*
2. 19. *Nouit Dominus qui sunt eius, cap.6. schol. num.49.*
2. 24. *Seruum Domini nõ oportet litigare; sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, &c. c.4.schol. nu.16.& c.21. schol.n.18.*
2. 25. *Cum modestia corripientem eos, ne quando Deus det illis pœnitentiam, cap.13.theor.4.numero 4.*
4. 14. *Alexander AErarius multa mala ostendit mihi, c.1.schol.n.97.*

C. V. Ad Titvm.

3. 11. *Cùm sit proprio iudicio condemnatus, c.1.schol. num.126.*

C. V. Ad Hebraeos.

1. 3. *Et figura substantiæ eius, c.21. schol.nu.5.*
2. 13. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi, cap.21. theor.2.n.1.& theor.3. n.3. fin.*
4. 3. 4. *Ingrediemur enim in requiem, &c. & quidem operibus ab institutione mundi, &c. cap. 1.digr.4.nu 4.6.*
5. 7. 9. *Qui in diebus carnis suæ preceps, &c. & consummatus factus, &cæt. cap.21. theor.3. numero 9.*
6. 7. *Terra sæpè venientem super se bibens imbrem, &c. cap.8.digr.5.nu. 19.*
7. 18. *Reprobatio quidem fit precedentis mandati, &c. c.4.theor.5.n.3.4.5.*
9. 4. *In qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, c.5. digr.5.num.1.*
9. 12. *Introiuit semel in sancta, c.4.digr.6.n.5.*
10. 5. *Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; c.21.digr.1.n.7.*
10. 38. 39. *Iustus ex fide viuit: quod si se subtraxerit non placebit anima mea. nos autem, &c. c.6. digr.2. n.5.8.*
11. 20. *Vnde eum in parabolam accepit, ca.14.schol. num. 28.*
12. 14. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, c.4. schol.n.29.*

C. V. D. Iacobi Epistola.

1. 17. *Orate pro inuicem vt saluemini. multum enim, &c. Elias homo erat, &c. cap.7. digr.1. num.3.*
2. 18. *Dicet quis, tu fidem habes, &c. ostende mihi fidem tuam sine operibus. & ego, &c. cap.10. digr.5. nu.19.*
4. 8. *Emundate manus, peccatores, & purificate corda duplices animo, c.4.schol. nu.30.*
5. 12. *Sit sermo vester est, est. non, non, cap.4.schol. num.126.*

Digitized by Google

5. 14. 15. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, &c. cap. 2. Schol. nu. 4. & cap. 17. digr. 2. num. 2.*

C. V. D. PETRI I.

2. 1. *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum lac concupiscite, c. 13. digr. vnic. nu. 7.*

2. 19. *Hæc est enim gratia, &cæt. cap. 4. Schol. numero 155.*

2. 21. 23. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini, &c. cap. 4. digr. 15. num. 11.*

C. V. D. PETRI 2.

2. 22. *Tanquam canis reuersus ad vomitum, &c. ca. 6. Schol. num. 25.*

3. 8. *Vnus dies, c. 1. Schol. nu. 112.*

C. V. D. IOANNIS I.

2. 18. *Filioli nouissima hora est, c. 1. Schol. n. 112.*

3. 14. *Translati sumus de morte ad vitam quoniam diligimus fratres, c. 1. Schol. nu. 109. 111.*

C. V. APOCALYPSIS.

1. 13. *Præcinctum ad mamillas zona aurea, c. 4. digr. 5. num. 16.*

1. 18. *Habeo claues mortis, & inferni, c. 1. Schol. nu. 102. & cap. 12. theor. 3. nu. 11.*

5. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum, cap. 4. Schol. num. 42.*

6. 8. *Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi mors, & infernus sequebatur eum, & data est illi &c. cap. 7. digr. 3. num. 4. 9. 10.*

6. 9. *Vidi subtus altare animas &c. cap. 21. digr. 6. num. 21.*

9. 2. *Aperuit puteum abyssi, & ascendit, &c. cap. 9. theor. 1. nu. 14.*

10. 4. *Et cum loquuta fuissent septem tonitrua voces suas &c. cap. 10. digr. 1. nu. 8.*

12. 1. 2. *Signum magnum &c. cap. 10. digr. 5. nu. 5.*

12. 9. *Qui vocatur Diabolus, & Satanas, c. 12. theor. 2. num. 5.*

13. 10. *Hic est patientia, & fides Sanctorum, cap. 4. digr. 8. nu. 5.*

14. 15. &c. *Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora vt metatur, &c. cap. 14. digr. 3. nu. 12.*

20. 1. *Habentem clauem abyssi, & catenam &c. cap. 12. theor. 3. num. 6.*

22. 1. 2. *Et ostendit mihi fluuium aquæ vitæ, &c. in medio plateæ, &c. cap. 4. digr. 5. nu. 4. 5. & cap. 13. digr. vnic. nu. 16.*

INDEX RERVM QVAE ALTERA HAC PARTE DILVCIDATIONVM EVANGEL. CONTINENTVR.

A.

Abiathar, & Achimelech

AN sint idem, cap. 2. Schol. num. 16:

Adam

Vnde sic dictus, c. 15. Digr. 1. num. 3.

Cur Adam prior mortem nō sit expertus, sed filius eius Abel, cap. 10. Digr. 4. nu. 18.

Adulatores.

Adulatores persequutorum genus sunt, cap. 12. Digr. 2. nu. 1.

Adulatores similes locustis, ibid. n. 2. 5. iniqui sunt, & nocent magis, quam qui cum odio loquūtur, num. 4. cum illis grauius egit Christus quā cum hoste, num. 5.

Adulter.

Adultero ab innocente coniuge amicè petere debitum interdum licet, cap. 4. Theor. 9. numero 5.

Adulterium.

Ius accusandi de Adulterio perscribitur quinquennio: nec requiritur monitio, vt v. g. vir adulterij reus ante accusationem moneatur, c. 4. Theor. 8. nu. 8.

AEternitas.

AEternitas omnium temporum differentijs exprimitur, cap. 1. Schol. num. 98. 99. 100. ad explicandam tamen permanentiam in æternitate vtimur præsenti tempore, num. eodem 99.

AEthiopia.

AEthiopia duplex, cap. 12. Schol. nu. 72.

Affectus.

Affectus animi praui quam crudeles tyranni, c. 18. Schol. nu. 24.

Affectuum

Inordinatorum turba fugienda, cap. 1. Schol. num. 60.

Ambitio.

Ambitio vt puluis cauenda perfectis, initium peccati, c. 1. Schol. nu. 157.

Ambitionis remedium, ibid.

Ambitio gloriæ, fidem impedit, c. 1. Schol. nu. 154. 156.

Ambitio ignis, c. 18. Schol. num. 24. vide V. Gloria, num. 6. 7.

Amen

Quid sit, cap. 4. Schol. nu 76.

Amor.

Amoris natura est, vt non nisi vnius esse queat, c. 5. Schol. n. 47.

Andreas

Vbi prædicauerit, cap. 8. Theor. 3. nu. 2.

Angari. & Angariare

Quid sint, cap. 4. Schol. nu. 136.

Angelus.

Angelus descendens in piscinam figura est Spiritus sancti sanantis animam per aquas Baptismi, ca. 1. Schol. num. 22.

Angeli cur discalceati, cap. 17. Digress. 1. numero 1.

Digitized by Google

Angelus tutelaris subinde nos de somno excitat, cap.14. Digr.1.num.11.

Anima.

Anima quomodo in Scripturis sumatur, videlicet pro ventre,&c. cap.5.Schol.nu.50.
Animæ sanctæ, quæ sese ad cælestia per contemplationem attollunt volucribus similes sunt, c.14. Digr.5. nu.13.
Animæ sanctæ cauere debent à vulturibus tartareis ne inuadantur,ibid.nu.14.

Annas

Diua Anna semel tantum nupsit, & vnam tantum habuit filiam,c.16.Theor.vnica,nu.2.

Apostoli.

Apostoli nomen quid significet, ca.8.Schol.num. 11.
Cur duodecim fuerint electi,ibid.nu.12.
Apostoli duodecim quibus figuris significati fuerint tum in Veteri,tum in Nouo testamento, c. 8.Theor.1. nu.1.2.3.
Apostoli duodecim, duodecim Zodiaci signis comparantur,& duodecim columnis fulcientibus Ecclesiam,item duodecim anni mensibus, & horis diei,sicut Euangelistæ, quatuor anni temporibus. sunt piscatores, turres, medici, cap.8. Theor. 1. numer. 4. & Theor. 3. numero 3.
Duodecim excellentiæ Apostolorum, c.8.Theor. 2.nu. 1.
Apostoli an præferendi D.Iosepho, & Ioanni Baptistæ remissiuè,c.8.Theor.2. nu.2.
Apostolorum ordo,c.8.Theor.2.nu.3.4.5.
Apostoli quas prouincias sint sortiti,cap.8.Theoria 3.
in Apostolorum numerum cur Christus Iudam, quem præuiderat proditorem,allexerit, cap.8. Theor.4.
Apostolos pauperes, infirmos, non potentes, non sapientes,non nobiles elegit Christus,quibus conuenit illud Iudicum 5. &c.cap.8. Digr. 1.nu.8.9.
Apostolis electis quatuor contulit Christus, quæ significant quatuor esse debere in electis prælatis,ibid.nu.10.
Apostoli abstinuerunt carne, & vino, c.10. Scho. num.37.
Apostolorum & Christi studium in cura animarum,cap.12.Schol.nu.4.7.
ad Apostolos, & Martyres accommodatur parabola sinapis, cap.14. Digress.5. numero 7. 8.9.
Apostoli fermento comparantur, cap.14. Digr.6. num.10. 12.
Huius fermenti quanta fuerit vis ex Chrysostomo ibid. num.12.
Apostolorum fames magna, cap.2. Schol.num. 10. 12.
Apostoli confricantes spicas significant moraliter,quod homines aristis, & paleis voluptatum,&cæt.exutos, in Christi cibum præparant. sic faciant boni operarij, ibid. eodem numero 10.
Apostoli Prophetis similes, cap.4. Schol. numero 52.
Apostoli quomodo sal terræ,ibid.nu.53.
Apostoli lux sunt,& lucerna, Christus propriè sol, ibid.nu.64.
Apostoli cur dicti sint sal terræ, lux mundi, ibid. num.65.
Apostoli ciuitas in monte,lux in candelabro,ibid. num.66. 67.
Apostoli Sapphiris comparantur, cap.4. Digr.10. num.2.
Apostolos cur prohibuerit Christus ad gentes ire, & illis concionari, cap.17. Schol. num.11.& quomodo id fit intelligendum, cap.17.Theoria 1.
Apostoli quibus calceamentis vterentur, cap.17. Schol.nu.19.
Apostoli quando diuisi per orbem,cap.17.Theor. 1.num.9.
Cur Apostolis præceptum à Christo, vt prius Hierosolymis prædicarent, quatuor rationes assignantur,c.17.Theor.1. nu.10.11.
Apostolorum obedientia, cap.19.Schol.num.21. fin.

Arbor.

Arbores steriles qui, vide Ver. Homo, numero 42. 43.
Quomodo arbores bonæ simus, & fructuosæ,cap. 6.Digr.5.nu.10.11.
Malarum arborum tria genera,ibid.nu.13.
Arboris viuentis signum, quod, & simul hominis habentis charitatem,ibid.nu.14.

Arca.

Arcæ testamenti descriptio, & quid intra illam, cap.5. Digr.5. nu.1.

Aridi.

Aridi qui, cap.1.Schol.num.18. & Digr.2.num. 5.8.

Artaba

Quæ mensura sit,cap.2.Digr.2.num.13.

Arundo.

Arundinis nomine quid in Scripturis significetur ex Gregorio, cap.10. Digr 6. nu.4.
Arundini qui similes ex Ambrosio, ibidem, numero 5.
Quatuor arundinis proprietates mundanis hominibus accommodantur, ibid. num. 6. vsque ad 10.

As, Assarion dupondius

Quid sint, cap.17. Schol. numer. 43.

Assaron, vel Gomor

Quæ mensura, cap.2. Digress.2.num.8. 12. 13. 14. 15.

Auaritia.

Quanta mala ex auaritia oriantur, cap.8.Digr.4. num.5.
ab Auaritia remoti sint concionatores,c.17.Schol. num.14.
Auaritia terra significatur, c.18. Schol.24.

Auarus.

Auari manum habent aridam,quæ extendenda est vt sanentur,cap.3.Schol.nu.12. 13.

Aures.

Aures intelligibiles quis habeat promptas ad intelligendum, c.13.Schol. num.15.

Auxilium.

Auxilium sufficiens nunquam negat Deus,& quomodo dicatur nolle mentem aperire, & similia. ex Diuo Thoma, cap. 13. Theor. 4. numero 5.6.

B.

Baal, & Moloch

IDem sunt, cap.4.Theor.6. num.2.
Baal absolutè positum significat Deum Tyriorum, & Sidoniorum,cap.12. Theor.1. nu.6.

Baptismus.

Baptismi Sacramentum piscina significatur,cap.1.

Schol.

Digitized by Google

Schol. n.14. & Theor.3.n.5.6.ib.vide V. Angelus nu.19.
Quod in Baptismo promissimus meminisse oportet, c.5. Digr.4.n.7.

Baptizati.

Baptizati recens lactis, & mellis concordiam degustabant, c.10. Digr.6.19.

D. Bartholomæus.

Eius dictum est illud : magnam esse Theologiam & minimam, & Euangelium amplum, & compendiarium, c.8.Schol.n.20. vbi prædicauit, ib. Theor.3.nu.2.
Bartholomæi constantia in tam atroci martyrio tolerando ex charitate profecta est, c. 8. Digr. 2 num.1.
Bartholomæus passus est sibi pellem detrahi, vt Christi imaginem sibi altius imprimeret, ibid. num.2.
In hoc imitatus est serpentis prudentiã, nu.3. considerauit etiam angustam esse portam, ideò libenter pellem deposuit, vt per arctam portam facilius intraret, nu.4.
Animaduertit Bartholomæus induisse se Christũ tunica nostræ carnis, ideo sua se exuit pelle, vt illam Christo gratus offerret, ib.nu.5.
Voluit esse luctator; propterea ne ab hoste cõprehenderetur, omnibus se vestibus exuit, hoc est, omnibus non modo bonis externis, sed se ipso etiam quodammodo nudatus est, ibid.n.6.
Bartholomæus nobis suam pellem reliquit in hæreditatem, vt tanto exemplo dimicandum nobis esse disceremus contra carnem, & sanguinem, ibid.n.7.
Bartholomæi pellis tanquam pretiosissimus thesaurus est Ecclesiæ Dei, & singulis valdè vtilis, & fructuosa, ibid.n.8.
Bartholomæi pellis metum, & horrorem dæmonibus incutit, quod exemplo cuiusdam declaratur tympani, illustris viri pelle, contecti, ib. n.9 vide Verbo Pellis, nu.104.

Beatus.

Beatus minor, qui æqualis est Metretæ græcæ, quæ mensura sit, c.2. Digr.2.num.12.& c.14. Digr.1. num.6.

Beatitudines Euangelicæ.

Beatitudinis merces vna est variè significata in singulis beatitudinibus, c.4.Schol. n.14.
Beatitudines septem sunt, ibid.n.40.
An Beatitudines Matthæi, & Lucæ eædem, cap.4. Theor.2.
Discrimen inter beatitudines, fructus, & dona Spiritus S. c.4.Theor.3.
Beatitudines cur sic dictæ, cap.4.Theor.3. numero 1.3.
Beatitudinum præmia explicantur, ib.nu.2.
Beatitudines adscribendę propriè sunt donis, fructus virtutibus, ib.n.1. & Theor.4. n.5.
Beatitudines & fructus in solis iustis sunt, ib. eodem num.
Beatitudinum numerus, cap. 4. Theor.4. num.1.2. 3.4.
Beatitudines Citharæ comparantur octo chordis constructæ, c.4.Theor. 4.n.1.
Beatitudinum numerus sufficiens colligitur, ibid. num.3.
Beatitudines quatuor Lucæ, quæ; & cur illis quatuor væ Lucas opposuit; & quomodo hæ quatuor Lucæ sint in octo Matthæi iuxtà Ambrosium, c.8.Schol.à nu.34.
Propriè tres sunt beatitudines Lucæ, c.8. Digr.3. nu.1.cur tres sint, nu.5.
Beatitudines posteriores, semper aliquid perfectius continent, c.4. Theor. 4.n.4.
Beatitudines omnes oportet habere, vt quis beatus censeatur, ib.eod.num.
Septem beatitudinibus adaptantur septem dies creationis, c.4. Digr.1.

Beati. Beatitudo.

De beatorum augustissima sede, quæ est cælum empyreum, c.4. Digr.2.
Quatuor bona beatos maximè commendant, multitudo, varietas, concordia, lætitia, cap.4. Digr.5.nu.1.2.
Beatorum gaudium nouem, vel decem bona complectitur, ca.4. Digr.5. nu.2.
Ex multitudine beatorum, & concordia diuinarum laudum concentus perpetuò erumpit, ex Augustino, c.4. Digr.5.n.3.
Beatorum gaudium describit Ioannes, ibidem num.4.
Nihil in beatitudine præstantiùs aspectu regis, & reginæ, quo tota illa exultat ciuitas, ibidem num.6.
Nihil non tolerandum, vt regis Christi, & reginæ matris conspectu digni esse possimus in beatitudine, ibid. nu.6.
Magnificentia Salomonis figura est amplitudinis Christi in beatorum domicilio, ibid.nu.7.
Beatitudo quatuor nominibus in testamento Nouo appellatur, & cur, ib.nu.8.
Beatis, tanquam cursoribus, cæleste debetur brauium, & vt athletis palma, ib.nu.9.
Beati reges sunt, & ideo illis regnum, corona, & purpura, &c. debetur, ibid.n.10.
Tribus modis Deus glorioſos efficit beatos, ib. nu.12.13.
Beatitudo cur dicatur gloria, nu.12.
Beati filij Dei, & heredes longè præstantiùs, quam erant in vita, ib.nu.14.
Nihil non ferendum pro assequenda beatitudine, ex Augustino, ib nu.15.
Beati Christo carissimi, ex loco Apocalypsis ostenduntur, ibid.nu.16.
Tria ad consequendam beatitudinem necessaria, cap.4. Digress. 6. numer.1. & Digress.7. num. 10.
Beatitudinis desiderium plurimum iuuat, c.4. Dig. 6.nu.1.2.3.
Ad beatitudinem obtinendam opera necessaria sunt, & labor, ib.nu.4.vsque ad finem.
Beatis erit Deus omnia, c.4. Digr.7. nu.1.
Tantum bonum, quantum est beatitudo malis tolerandis assequimur, cap.4. Digress.7.numero 2.6.
Beatorum domicilium Salomonis domo repræsentantur. vnde fit vt beati similes sint lapidibus dolatis, ac perfectis, quibus cælestis illa domus ædificatur, c.4. Digr.7. nu.7.
Tolerantia viam sternit ad beatitudinem, ibidem num.9.
Beatitudinem, & gloriam æternam emere possumus, & quod eius pretium, c.5. Digr. 4.n.6.
In beatitudine duplex mensa cap.5. Digress.8. numer.9.10.
Beatitudine dies aspirabit æternitatis, qui non habet vesperum, c.5. Dig.8. n.11.
Quomodo eadem mensura, vel præmij, vel supplicij correspondebit in beatitudine, vel inferno, c.6.Schol. n.16.
Beatorum gloria pluribus explicatur, c. 4. Dig. 5. n. 12. 13.14. vide V. Gloria, n.9.10. 11. 12. Oraculum, n.18.

Beelzebub.

Vnde sic dicitur, c.12. Theor.1. nu.1 2.3.4. benè nomen hoc dæmoni conuenit, ibid. n.5.

Digitized by Google

Benedicere

Quatuor modis sumitur in scripturis, c. 4. Schol. n. 151.

Berechah

Quid Hebraicè, c.1.Schol. n.10.

Bethesda

Vnde sic dicatur,& quid significet, c.1. Schol.nu. 12.14.

Bethsaida

Vnde,& quid,c.1.Schol.n. 13.

Bethsaida patria trium Apostolorum vbi sita, cap. 10.Schol.n.42.& c.19.Schol.n.5.

Bezeta, vel Bethezan

Quid,c.1.Schol.num.13.

Cur Cœnopolis dicta à Iosepho ibid.eod.num.13. & seq.

C.

Cæci, & Claudi

Quinam sint. vide Ver.Peccantium triplex genus, n.68.

Claudi sunt Christiani mali,c.6. Dig.2.n.4.5.

Cæcitas mentis,duritia cordis, aggrauatio auriũ, reprobus sensus,quid & quomodo differant, c. 13.Theor.3. n.1.

Excæcant hominem quatuor,ibid.n.2.

De cæcitate mentis explicantur loca quædã Isaiæ, & Euangelistarum,c.13.& Theor.4.

Cæcitas Iudæorum duplex,c.13.Theor.4. n.3.

Cæli,& Cælum empyrium.

De cælo empyrio Caietani , & Eugubini absurda sententia,c.4. Digr.2 n.1.& 2.

Cælum empyrium omninò dandum esse probatur ibid.n.3.4.5.6.7. & Digr 3.

Patres, qui cælos fidereos beatorum domicilium constituisse videntur,quomodo intelligendi,c. 4. Digr.2.n.8.

De cælo empyrio Eugubini figmentum refellitur, c.4.Digr.3.n.4.

Cælum Empyrium varijs figuris adumbratur,c.4. Digr.3.nu.4.

Sententia Caietani de cælo Empyrio reiicitur , c. 4. Digr.4.

Cur cælum Empyrium ad nos vsq; fulgorem suum non emittat, c.4. Digr.4. n.3.4.5.

Item,an cælum Empyrium influat in alios , ibid. num.8.

Perlucida cæli Empyrij facies referabitur ad extremum mundi diem ex sententia quorundam Patrum,c.4. Digr.4. n.6.7.

Item,quod cæli ex sententia , D.Petri non sint in nihilum redigendi,c.4. Dig.7. n.7.

Cænopolis

Quid Iosepho,cap 1.Schol.n.13.14.

Calceamentum

Quid arcana significatione significet,c.17. Digr.1. sine calceamentis incidere seruorum, ibid. Digress. 1.nu.1.

Capharnaum & Corozain

Quantum inter se distent,c.10.Schol.n.42.

Caritas.

Duo caritatis præcepta, c.1.Schol. n.26.

Caritas sale significatur,c.4.Digr.9.n.4.

Caritatis sal Ecclesiæ Prælatis necessarius,c.4. Digress.9.n.5.6.

Quantæ vires caritatis sint ad patientiam , & labores perferendos, c.4. Dig.9.nu.8.9.10.

Caritas iræ remedium exemplo circuli ex Dorotheo,c.4. Digr.12.n.3.

Fraternæ caritatis retinendæ exemplum remissiuè,c.5.Schol.n.36.

Caritas est arbor bona, cupiditas verò mala, c.6. Schol. n.45.

Caritatis tres effectus,c.21.Digr.5.n.2.3.4.

Caritatis signum,& vitæ in homine quod, cap.6. Digr.5.n.14. vide V.Vita num.32.

Caro. Carnales.

Caro fallax Pseudoprophetæ similis,cap.6. Digr. 4. num.8.

Caro domanda,c.6. Dig.4.n.10.alioqui insoleſcet ibid.nu.11.

Caro quomodo comprimenda more remigum, cap.14. Digr.5.n.15.

Carnales homines fugiendi, c.6. Dig.4.n.9.

Cenereth.

Cenereth, vel Chinereth , vel Chineroth, malè Cheneroth,c.19.Schol. n.1.

Centurio.

Centurionis virtutes numerantur, cap.9. Digress. vnic.

Centuriones quatuor commendantur in scriptura noua,sed omnes superare videtur is,de quo hoc c.9. ibid.n.1.2.

Centurione conueniunt , quæ Paulus ad Titum 2. habet: vt sobriè,& piè, & iustè viuamus, ibidem.

Centurio similis Baptistæ in humilitate,& D.Petro,& Paulo,ibid.n.3 4.

Centurio cur recusauerit Christum suscipere,cum Zacchæus gaudens ipsum susceperit, ibidem num.5.

Centurionis prudentia, ibid.n.6.

Centurionis caritas,ibid.n.7.

Centurionem amabant serui , simul, & obediebant, & cur; quem imitari deberent principes, ibid. n.7.8.

Centurionis fides magna quatuor modis , ibid.à n.9.vsque ad finem.

Tentauit Christus Centurionem, vt eius in fide stabilitas appareret, n.16.

Centurionis fides quomodo præferatur Israelitarum fidei,ibid.n.17.

Christus.

Christus in passione opertis oculis , & velata facie,per Dauidem significatus est, cap.5. Theor. 1. num.5.

Christus est propitiatorium, c.5. Digr.5.n.3.

Christi in hominem pietas ex Chrysologo, cap.5. Digr.6. n.5.

Christus myrrham primam experiri voluit,&stillare per passionem,& mortem , c.5. Digress.8. num. 4.

Christus,aliter, & aliter serui Dei myrrham primam distillarunt,c.5. Digr.8.n.5.

An Christus, & Apostoli dederint sanctum canibus cum Iudæis , & peccatoribus concionati sunt, c. 6. Theor.2.

Christi admiratio qualis,c.9.Schol.n.14.

Christus quibus sit petra scandali , cap.10. Schol. num.19.

Christi misericordia.c.10. Dig.3. n.4.5.

Christus è turba recedere solebat, vel in nauim, vel in montem, vel in desertum , cap. 4. Schol. num.2.

Christus legislator est contra Caluinianos, cap.4. Schol. n. 6.

Christus quomodo legem impleuerit, c.4.Schol. n.72.73.& Theor.5.eod.cap.

Christus impleueritne cerimonialia, & iudiciaria præcepta , an abrogauerit , cap.4.Theor.5. num.3.

Christus nihil omninò faciebat sine consilio diuino,licet interdum se gereret ac si casu faceret c.1.Schol. n.31.59.

Christus per miracula aliquid faciebat, vt ostenderet fuisse vera miracula à se facta,c.1. Sch.n.24.

Digitized by Google

Christus an effigiem mutaret ad piscinam, c.1.Sch. nu.53. 54. 55.
Christus præbet exemplum fugiendæ gloriæ, ibid. nu.55. 56.
Christus optimus medicus non sanat modo, sed præscribit etiam quæ faciunt ad conseruādam sanitatem, ibid.n.61. 63.
Christum se Deum dicere etiam Iudæi intellexerunt, ibid.n.76.
de Christo trifariam loqui possumus, ib. n.78.
de Christo quinque colliguntur ex verbis Ioannis ibid.n.82.
Christus est Deus, ibid.n.80.91.
Christus nequaquam discipulus Patris, ib.n.83.
Christus vt Dei filius, & Pater non se habent vt duæ causæ subordinatæ; & quomodo similiter operentur, ib. nu.89.90.
Christus finis scripturarum, ibid.num.149.159.160. Theor.8.n.3.5.
Christus nō accepit gloriam hominum, vide Ver. Gloria, nu.6.
de Christo dupliciter scripsit Moyses; ibid. num. 160.
Christus cur nihil scriptum reliquerit remissiuè, ibid.163.
Christus an violarit Sabbatum, c.1.Theor.4.& c.2. Schol. n.20.
De potestate iudicandi in Christo, vide V.Iudex num.133. 134. 135. 137.
Christi mysteria, & virtutes in scriptura præsignificatæ, c.1.Theor.8. n.3.
Christus granum frumenti, c.2.Schol.n.2.
Christus se regem, & Sacerdotem insinuat; cap.2. Schol.17. 18.
Christus licet non fuerit obnoxius legi, illam tamen seruauit; c.2.Schol.n.22.
Christi carō viuificā, c.10. Digr.3.n.6.
Christi opera, quæ, c.10. Digr.5.n.16.17. 18.
Christi viuendi genus, non ita asperum fuit vt Ioannis, & cur, c.10. Digr.7.n.9.10.
Christi clementia erga peccatores, cap.11. Schol. num.20.
Christi aduentus regnum Dei dicitur, ca.12. Schol. num. 27.
Christus cur se filium hominis vocet, c.12.Schol. n.68.remissiuè.
Christus quomodo in sepulcro tribus diebus, & tribus noctibus, c.12.Schol. n.68.
Christi victoria tres ob causas magna, cui subduntur Sanctorum omnium victoriæ, cap.12. Theor.3. n.13.
Christus seminator, c.13.Schol.n.7.& c.14. Digr. 2.nu.1.2.neminem respuit, vbique seminat, cap. 13. Schol.nu.9.12.13. cur in spinis seminet, num. 10. 11.
Christus granum sinapis, c.14. Schol.n.17.
Christus similis fermento, item V.Eucharist. c.14. Schol. n.21.22.
Christus cōparatur sinapi, item lapidi paruo, qui tamen creuit, c.14. Digr.5.nu.2 vsque ad 7.
Christus, siue eius imitatio similis thesauro; c.15. Digr. 1.à nu. 5.vsque ad 9.est absconditus, nu.9. & quidem in agro, nu 10.11.quibus modis inueniatur hic thesaurus nu.12. thesaurum hunc inuentum abscondere oportet, nu.12. 14. thesaurum non satis inuenisse, nisi & possideas, n.15.
Christus margarita, vide Ver. Margarita, nu.37.
Christi labiorum pulchritudo, & gratia, cap.16. Schol. n.1.18.
Christus cuius artis fuerit faber, cap.16. Schol. num 21.
Christus dupliciter potuit transire per medium inimicorum, c.16. Schol.n.32.
Christi vnctio qualis, c.16. Digr.1.
Christus tribus modus vnctus, ibid.nu.3.
Christus an nudis pedibus incesserit, c.17.Schol. nu.20.
Christi indumenta tria, c.17. Schol.nu.18.fin.
Christus est columna nubis, & ignis, cap.19.Schol. num.11.
Christus mons est, in quo est Ecclesia, c.19.Schol. nu.14.15.16.
Christus an Rex, c.20.Schol. n.5.
Christi ambulatio super aquas quatuor modis fieri potuit, c.20.Schol.n.11.
Christus dupliciter accepit à Patre naturam diuinam, c.21.Schol.n.5.
Christus quæ nobis meruerit, c.21.Theor.3. nu.1.
Christus non æquè pro omnibus sua merita obtulit efficaciter, c.21.Theor.3.nu.10.fin.
An Christus causa nostræ electionis, & vt hi potius quam hi eligerentur; vide Ver.Prædestinatio, n.140.141.
Christi fratres qui, c.16.Theor.vnic.

Christianus.

Christianus etiam timeat, c.9. Schol.n.18.
Christiani quantum à Christi lege deuiemus, & moribus, c.4.Schol.n.142.
Christiani hominis vestitus qualis, c.10. Digr 6.n. 15.16.
Christiani nominis vis, & potestas non in solis verbis; sed potius in sanctis operibus sita est, c.10. Digr.5.n. 19.

Chrysostomus

Defenditur ab errore Semipelagianorum, cap. 12. Theor.5.n.2.3.4.5.

Cinerum Cærimonia.

Cinerum cærimonia duobus constat, & quid hæc significent, c.5. Dig.1.à nu.1.vsque ad 6.
Cærimonia cinerum duo nobis in memoriam reuocat, c.5. Digr.1. n.6.7.
Cineris & puluēris nostri meditatio vtilis & nobilis, c.5. Digr.1.n.10.11.12.& Digr.2. n.3.
In cinerum cærimonia verba illa vsurpata: memento homo quia cinis es, &c. tria nobis ingenerant maxima bona, c.5. Digr.2.

Clementes

Duplices sunt. vide Ver.Misericordia, n.93.

Cleophas

Biaomius fuit, c.16. Theor.vnic.num.3. idem cum Alphæo, ibid. n.4.

Compunctio.

Compunctio moraliter explicatur, c.13.Digr.vni. nu.8.9. 10.

Concionator.

Concionator gaudet frequentia populi, c.4.Scho. num.1.
Concionator ascendat in montem, cap. 4. Schol. num.3.
Concionatoris est salis more detergere & à putredine seruare, nec sine mordicatione, cap.4.. Schol.n.53. sub finem.
Concionator in oratione, seu concione salem adhibeat, ibid.n.54.
Concionatores suos, & doctores sali, & luci, seu sali & soli comparat Christus, ibid.nu.55.
Concionatores vel doctores quomodo infatuentur, ibid.nu.59.63.
Concionatores infatuati præsertim hæretici cimicibus similes, ibid.n.61.
Concionator fatuus in duo mala incidit, ibid. num.63.
Concionator non debet obtegere doctrinæ bonæ lucem propter temporalia bona, ibid. numer. 68.
Concionator exeat oportet vt vtiliter concionetur, c.13. nu.9.

Digitized by Google

Concionatores in Iona repræsentantur quales esse debeant, cap. 12. Digr. 3. nu. 1.
Aduersus concionatores, qui blandiuntur peccatoribus, c. 12. Digr. 4. nu. 5. 6.
Concionator non debet propter timorem, scientiæ lucem abscondere, c. 13. Schol. n. 28.
Concionator seminator dicitur, c. 13. Theor. 1. n. 1.
Concionator tanquam seminator debet manu serere, ibid. nu. 2.
Concionatoris munus arduum, c. 17. Schol n. 10.
Concionator euangelicus quomodo mercede dignus dicatur, c. 17. Schol. nu. 22.
An concionari mendicādo, an verò propriis sumptibus melius sit, c. 17. Theor. 2. vbi explicatur locus Pauli 1. ad Corinth. 9. & aliter Christi. Nolite possidere aurum, &c. ibid. à num. 1. vsque ad 6. quid dicendum de Christo qui alienis facultatibus alebatur, ibid. nu. 6.
Concionatoribus dantur sandalia, quod mysticè explicatur, & quod hyacintho calceari debent sponsa, c. 17. Digr. 1. nu. 5.
Concionatores interiores qui sint, vide Ver. Inspirationes, nu. 49.

Concupiscentia

Quinque modis dicitur peccatum, cap. 4. Schol. num. 112.
Concupiscentiæ qui contradicit, non peccat; sed glorioſior efficitur, c. 14. Digr. 3. nu. 8.

Concursus Dei.

Concursus Dei cum omni etiam libero agente ostenditur ex verbis Christi, c. 1. Schol. n. 74.

Confessio peccatorum.

Confessio peccatorum expellit dæmonem, animi serenitatem affert, c. 12. Digr. 1. nu. 2.
Confessio fructuosè quî fiat, c. 12. Digr. 1. nu. 3.

Conscientia.

Conscientia nostra aduersarius hoster, c. 4. Schol. num. 102.
Conscientia rea hominem flagellat, cap. 18. Schol. num. 10.

Contemplatiui.

Contemplatiui similes volucribus, vide Ver. Anima, num. 13.

Contemptus rerum mundanarum,

Vide §. mundanarum rerum contemptus, Verb. Mundani, nu. 120.

Conuersatio.

Conuersatio praua, vide Verbo Peccator, numero 28.

Conuiuium.

in Conuiuiis olim cantilenis & modulatu vtebantur, c. 18. Schol. nu. 18.

Cophinus, Sporta

Quid sint, cap. 19. Schol. num. 28.

Cor.

Cor pro mente in Scripturis, c. 4. Schol. n. 32.
Cordis humani profunditas declaratur, cap. 5. Theor. 2.
in Corde humano tribunal erexit Deus, c. 5. Theo. 2. num. 2.
Cor humanum contendit sæpè delictum suum occultare, c. 5. Theor. 2. nu. 3.
Cor humanum ita est inscrutabile, vt ne ab ipso quidem homine, in quo est exactè cognoscatur cap. 5. Theor. 2. nu. 4.
Duplex cor, cap. 5. Theor. 2. num. 5. 6.

Cornelius

Primus ad fidem conuersus ex gentibus est; quis nam fuerit, & quando conuersus, &c. cap. 17. Theor. 1. nu. 9.

Correctio.

An qui in simili, vel grauiore peccato est, possit alium corrigere, cap. 6. Theor. 1.

Corus.

Corus quæ mensura, cap. 14. Digr. 1. nu. 9.

Cotyle

Quæ mensura, cap. 2. Digr. 2. num. 8. 9.

Creaturæ.

Creaturis quatenùs ad Deum referuntur; aliquis religionis honor debetur, c. 4. Schol. nu. 125.

D.

Dæmon, Dæmoniaci.

DÆmones quomodo Christum adorauerint, cap. 3. Schol. num. 38.
Dæmones idē significarunt per sanctum Dei, quod per filium Dei, ibid. nu. 39.
Dæmon est inimicus noster quem debemus odisse cap. 4. Digr. 3. nu. 14.
Dæmon homini fœneratur, cap. 5. Schol. nu. 27.
Dæmon Pseudopropheta, c. 6. Digr. 4. n. 12. vt fuit ab initio mendax, sic est quotidie, ib. nu. 13.
Dæmon plagiario similis; idem piscator est pessimus, laqueos terra abscondit, id est, peccata voluptatibus, ibid. nu. 14. 15.
Dæmonis regnum quod dicatur, c. 12. Schol. n. 19.
an Dæmon vnus alterum expellat, cap. 12. Schol. num. 19.
Quomodo dæmones Christus expelleret, & quod non simulatione, vel pacto dæmonum clarè indicatur Christi argumentis, c. 12. Schol. à nu. 19. ad 22. & num. 24.
Dæmones perfectè abigebat Christus à corpore & animo, ib. Schol. n. 22. 23.
Exorcismis nostris contra dæmones aliquid olim simile apud Hebræos, c. 12. Schol. nu. 25.
Dæmonum expulsio signum aduetus Christi, cap. 12. Schol. num. 33.
Dæmon quomodo dicatur fortis, c. 12. Schol. num. 34. quomodo armatus, ibid. num. 35. & quæ eius spolia, ibid.
Quando Christus eo fortior inuaserit eū, & quomodo alligauerit, ibid. nu. 36. 37. & Theor. 3. nu. 11. & quomodo distribuerit eius spolia, ibid.
Dæmon etiam congregata dispergit; Christus verò congregat ad vnitatem, ibid. 38.
Dæmones in quæ loca soleant expelli, & quæ habitare maximè ament, c. 12. Schol. n. 82. 83.
Dæmones libentius amant in his habitare, qui boni aliquando fuerunt, & mali postea fiunt, vt in ijs religiosis, qui suum pristinum institutum relinquunt, in hæreticis, &c. cap. 12. num. 84.
Dæmon quando reuertitur ad eum vnde egressus, eumque peiorem efficit, ibid. nu. 86.
Dæmon vnde dicatur Diabolus, cap. 12. Theor 2. num. 5.
Dæmon non tam suis contra nos valet viribus, quam mendacio, & calumnijs ad nocendū, cap. 12. Theor. 2. nu. 7. & c. 14. Digr. 2. nu. 5. 6.
De modo quo alligatur Dæmon siue corporaliter siue spiritualiter, c. 12. Theor. 3.
Dæmones cogendi vim, vel imperandi eisdem vnde accipiat homo, c. 12. Theor. 3. nu. 4.
Contra dæmones verba canonis Missæ efficácia, c. 12. Theor. 3. nu. 7.
Dæmon debilis, at tepidis præualet multum, cap. 12. Theor. 3. nu. 8.
Dæmonum illa excōmunicatio, qua proscribuntur, quid sit, c. 12. Theor. 3. nu. 8.
inter Dæmones sunt superiores, inferiores, &c. c. 12. Theor. 3. nu. 9.
Dæmones subduntur bonis angelis, ibid. nu. 10.
inter Dæmones ordo, & principatus cessabit, ib.
Dæmon duplex ius habuit in homines ante Christi ad-

Digitized by Google

sti aduentum, & cur per Christum vtroque sit priuatus, ibid. num. 11.
an Dæmon semel victus ad eundem redeat, tenta-turus eum, ibid. nu. 14.
Dæmon quomodo spiritualiter hominem obse-det, cap. 12. Digr. 1. num. 1. tres modi dæmonem pellendi ex anima, ibid. num. 4.
Dæmon seminator malus, vt Deus bonus, cap. 14. Digr. 2. num. 2. idem dæmon superseminat, & in medio tritici & abit, ibid. num. 3. ex Chryso-logo.
Dæmonis astutia in tentando, cap. 14. Digr. 2. nu. 5. & Digr. 6. num. 14.
Dæmon similis draconi alato, c. 13. Theor. 2. nu. 6.
Dæmon volucris nomine significatur, c. 13. Theor. 2. à num. 5. ad 11.
Dæmon expeditus & promptus ad inferenda ma-la, c. 13. Theor. 2. nu. 7.
Dæmones insatiabiles, ibid. nu. 8.
Dæmoni nomen Leuiathan rectè conuenit & ser-pens vectis, ibid. nu. 9.
Dæmonis odium in nos & Deum, in quo similis Pardali, ibid. nu. 10.
de Dæmone cur dicitur venit & tollit seu rapit verbum, ibid. num. 11.
Dæmon cur, si est imbecillis tam multa hominum millia subiicit, c. 14. Digr. 2. n. 6.
Dæmon fermento malo similis, c. 14. Digr. 6. n. 14.
Dæmon præsertim mortis tempore contendit nos perdere, c. 17 Digr. 2. nu. 1.
Dæmon suos habet concionatores interiores, c. 12. Digr. 3. nu. 2.
Ob tria à Dæmone arripi homines Deus permit-tit, cap. 12. Schol. n. 13.

Dare.

Quomodo dandum, cap. 4. Schol. nu. 137.
Quibus dandum, c. 4. Schol. nu. 141.

Dauid

Non peccauit sumens panes propositionis, cap. 2. Schol. nu. 14. remissiuè.

Decapolis

Vbi, & Decapolitæ qui, c. 3. Schol. nu. 19.

Delectatio morosa

An peccatum mortale dere venerea ex Chryso stomo, c. 4. Schol. nu. 108. 109.

Deuotio.

Deuotionis & lætitiæ oleo caput vngitur, cap 5. Schol. nu. 40.

Deus.

Deo maximè illi curæ sunt, qui hominum præsidio destituuntur, c. 1. Schol. nu. 38.
Deus Pater noster, & cur Pater, c. 5. Schol. nu. 16. & Theor. 4.
Nomen Dei pro Deo poni solet in scripturis, c. 5. Schol. nu. 18.
Inter Dei oculos, & hominum plurimum interest c. 5. Theor. 1. à nu. 2. vsque in finem.
Deus quasi opertis oculis dissimulat, contra ac homo, c. 5. Theor. 1. nu. 5.
Dei proprium est cor hominis profundum cogno-scere, c. 5. Theor. 2. nu. 7.
Deus erudit nos tripliciter, c. 5. Theor. 4. nu. 2.
Deum Patrem imitari debemus, c. 5. Theor. 4. nu-mero 3.
Magni est momenti quod Deus pater dicatur, c. 5. Theor. 4. nu. 4.
Quod Deus sit vltimus finis, & supremus omnium Dominus aliquot rationibus ostenditur, cap. 5. Digr. 4.
Deus quanti hominis seruitutem, & obsequium faciat, c. 5. Digr. 4. nu. 8.
Domini titulus quando Deo primùm tribuatur in Scripturis, ibid.
de Dei notitia tribus loquuntur modis scripturæ, cap. 6. Schol n. 49.
Item de Dei dilectione bifariam loquuntur, ibid.
à Deo separari quam terribile & horrendum sit, cap. 6. Digr. 1. nu. 2.
Deum non potest fugere peccator: comprehendit enim sapientes in astutia eorum, ca. 12. Digr. 3. num. 3. 4.
Dei immensa patientia in tolerandis malis admi-randa est, c. 14. Digr. 3. nu. 6. 7.

Digitus Dei, Digiti Dei

Quid significent, c. 12. Schol. n. 28. 29. 30. 31.

Dilectio.

Dilectio triplex, c. 4. Schol nu. 156.
Dilectio est dispositiua causa remissionis & iusti-tiæ, c. 11. Schol. nu. 29. 30.
Dilectionem sequitur alterum Dei beneficium ip-sa scil. remissio peccati, ibid. Schol. nu. 31. 32.
Quomodo plus diligenti plura dimittuntur, & de qua dilectione sit hic sermo, ibid. num. 35. 36. 37. & Theor. 2.
Dilectio duplex quæ antecedit, & quæ sequitur remissionem peccati cap. 11. Theor. 2. num. 2.

Discipulus

Non est maior Magistro suo, cap. 8. Schol. nu. 60.

Diuitiæ.

Diuitias habere aliud est, aliud illis seruire, & quomodo possimus diuitijs dominari, cap. 5. Digr. 4. n. 9.
Diuitiæ quibus dominentur, ibid. nu. eod. & 10. 11.
Diuitiarum seruitus vilissima est in Christiano præsertim homine, & scelus, quod cum idolo-latria comparatur, c. 5. Digr. 4. nu. 12.
Dives facilè in superbiam effertur, cap. 5. Digr. 4. num. 12.
Diuitiarum & deliciarum desiderium fluctuare facit hominem, & vt AEgypti musca percutit, & excæcat vt puluis, c. 5. Digr. 7. nu. 6. 7.
Diuitiis addicti Caino similes, ibid. nu. 8.
Diuitiarum cura auocat à cælestibus, ibid. nu. 7.
Diuitiæ non quidem malæ, sed periculosæ; deplo-randi item sunt qui delicias, & diuitias sequū-tur, & satiari volunt, lc. 8. Schol. à nu. 42. vsque ad 46.
Diuitiæ quantum impendiant eum, qui ad perfe-ctionem tendit, exemplo etiam iuuenis, qui Christum interrogauit, c. 19. Matth. c. 8. Digr. 4. nu. 1. 2. 5.
Diuitias relinquere amarum est, ibid. nu. 3.
Diuitijs vel delicijs dediti vêter sunt Ecclesiæ, ib.
Diuitibus difficilè est consilia amplecti, ib. n. 4.
Diuitiæ onerant, vide V. Paupertas, nu. 58.
Dives similis coruo Noêtico, sicuti pauper co-lumbæ, c. 8. Digr. 4. n. 11.
Diuitiæ fallaces cur dicantur, c. 13. Schol. nu. 25.
Diuitiæ, & deliciæ mundi non sunt verus thesau-rus, c. 15. Digr. 1. nu. 1. 2.
Dives si vult ad pauperem manum extendere, stet in medio, id est, amet mediocritatem, cap. 3. Schol. n. 7.

Diuortium.

Diuortium quoad torum & habitationem licet, c. 4. Theor. 8. à nu. 4. vsque ad 7.
Duortium vt liceat caussa adulterij, an sit de iure naturæ, c. 4. Theor. 8. nu 6.
In diuortio par est vterque coniux, c. 4. Theor. 8. nu. 7. 9.
Ad diuortium potest vxor procedere ante moni-tionem, ibid. nu. 8.
Cur Christus legem diuortij declarans tantum vi-rorum meminerit, ibid. nu. 10.
Diuortium coactorum &c. non in omnib. succes-sit loco repudij veteris legis, ibid. nu. 11.

Digitized by Google

Differentia item inter diuortium & repudium quæ ſit, ibid.
In ſex euentis diuortiũ nec fieri, nec debitum negare licet, c.4. Theor. 9. nu.1.
Diuortium facere ab adultera, tenetur maritus interdum ſub mortali peccato, ſecus autem de vxore dicendum eſt, ibid.nu.2.3.
Diuortium quoad torum & habitationem, vt iure fiat, opus eſt iudicis auctoritate, ibid. nu.4.
Diuortium quoad torum etiam priuata auctoritate fieri poteſt, ibid.nu.5.
Diuortij, præter adulterium, aliæ etiam cauſæ aſſignantur, ibid. n.6.

Doctrina Apoſtolica

Vide V. Apoſtoli, præſertim, nu.40.45.46.47.
Doctrina Apoſtolica neceſſaria, ſicut ſal, cap.4. num.56.

Dona

Vide V. Beatitudines, num.18.
Dona quomodo beatitudinibus adaptentur. vide V. Beatitudines, num.21.

Dormire.

Dormire quid ſit, cap.14. Digr.nu.7.8.

Durities cordis

Quid ſit, cap.13. Theor.3.num.1.
Indurati cordis effectus, qui, ibid.num.3.

E.

Ebrietas.

EBrietatem quæ conſequantur mala, c.18. Schol. num.14.19.

Eccleſia.

Eccleſia viſibilis eſt, cap.4. Schol.nu.67. vide item hic num.8.
Eccleſia candelabro ſimilis, ibid nu.69.
Eccleſia eſt domus ædificata Chriſto ſupra firmam petram; Contra ac impij ædificati à diabolo ſupra inconſtantiam infidelitatis: illa, contra pluuiam, ventos, flumina ſtabilis; ſecus hi, c.6. Schol n.55.
Eccleſia cur potius Apoſtolica dicatur, quam prophetica, c.8. Theor.2.nu.1.fin.
Eccleſiam gentium myſticè ſignificat regina Auſtri cap.12. Schol.n.78.
Eccleſia præſertim primitiua mulier eſt illa quæ acceptum fermentum abſcondit in farinæ ſatis tribus, cap.14. Schol.nu 20. & eod. cap. Digr.6. num.6.
Eccleſia viſibilis eſt, & neque ex electis, & bonis tantum; ſed etiam ex reprobis & malis conſtat, c.14. Digr.3.nu.9. & cap.15. Schol nu.3.15.16.
in Eccleſia curandum eſt, vt perſeueremus, nec inde vnquam exeundum, c.14. Digr 3. n.10.
Tantum ſimus frumentum non zizania, ibid.
Pro malis & peccatoribus qui ſunt in Eccleſia lugendum eſt, c.14. Digr.3. nu.11.
Eccleſia quoad zizaniam dici poteſt: prouocatrix & redempta ciuitas, & columba ſeducta, &c. ibid.
Eccleſiæ non potentiæ armis, ſed patientiæ præſidio creuit, c.14. Digr.5 nu.10.
Eccleſia quomodo bellarit cõtra aduerſarios, eoſque vicerit declaratur bello Gedeonis contra Madianitas, ibid.n.11.
Eccleſiæ fortitudo per clypeum declaratur, c.14. Digr. . nu.10.
Eccleſiam Chriſtus poſt perſecutiones Tyrannorum, & hæreticorum ad tranquillum ducet portum, c.21. Schol.nu.71.

Eden

Quid ſit, cap.15. Digr.vnic.num.3.

Eleemoſyna.

An eleemoſyna, vel miſericordia & innocentia vitæ ferè iunguntur; cap.4. Schol.nu.26.
Eleemoſyna etiam nemine loquente loquitur, nec illi obeſt ingratitudo vel obliuio mendicorum, ibid. num.27.
Eleemoſyna recondit, tutamque reddit pecuniam, quæ diſtributa eſt in pauperes, c.5. Schol. n.41.
Eleemoſyna largienda pro viribus exemplo viduę Sareptanæ; ſæpè parua eleemoſyna præfertur magnæ, c.16. Digr 4. nu.2.3.
Eleemoſyna quantum Deo placeat, ib. nu.4.5. nec valet dicere filij mihi ſunt, ibid.nu.6.
Eleemoſynam elargiri, eſt theſaurizare, ib.nu.7.
Eleemoſynam dare Chriſto quanto vtilius, ibid. nu.10.11.12.
Cum eleemoſynam facis, in cælum tolle oculos, c.19. Digr.1. nu.1.
Eleemoſynam elargiri quando præceptum, c.19. Digr.2. nu.1.2.
Qui nihil in eleemoſynam largiuntur; ſed omnia ſibi ſeruant, ſimiles ſunt Nabal, cap.19. Digr.2. num. 4.
Eleemoſyna quibus elargienda, ibid.nu.5.
Eleemoſyna quomodo facienda. ib.nu.6.7.8.
Eleemoſyna quæ larga, quæ parua dicatur, ibid. nu.8.9.10.
Vt quis eleemoſynam impendat libenter, pauperem connumeret inter filios, ibid.nu.3.
Eleemoſynæ fructus, & vtilitas, c.19. Digr.3.
Quomodo per eleemoſynam omnia nobis ſunt munda, ibid.nu.2

Eliſeus

Cur egredi ad Naaman noluerit, cap.16. Digr. 4.num.15.

Emere & Vendere.

Emendi & vendendi verbum quomodo ſumatur in Scripturis, c.15. Schol.nu.13.14.

Ennon vallis.

Vallis hæc vbi ſita, c.4. Theor.6.n.2.

Ephi

Quæ menſura, c.2 Digr.2.nu.12.13. & c.14. Digr.1. num.3.

Eſuries

Vide Verb. Ieiunium, num.5.
Qui eſuriunt propter Chriſtum, multis modis reficiuntur, c.8. Digr.5 nu.2.3.

Eua

Sexta, an ſeptima die condita, cap.1. Digr.3.num. 2.3.4.

Euangelium.

Euangelicæ atque Apoſtolicæ ſapientiæ ſale ac ſole nihil in vita vtilius, c.4. Digr.9.nu.1.
Euangelica, atque Apoſtolica ſapientia ſuaues, ac dulces, aquæ tribulationum efficiuntur: vnde per ſalem Eliſæi Chriſti Euangelium ſignificatur, c.4. Digr 9. n.3.
Euangelium ſimile grano ſinapis, c.14. Schol.nu. 17.18.19. idem ſimile fermento, ibid. eod.numero 19. idem eſt regnum cælorum, c.15. Schol. nu.15. idem ſimile margaritis, cap.15. Schol. numero 10.11.
Euangelium ſeu eius prædicatio ſagenæ comparatur, c.15. Schol. n.15.16.

V. Euchariſtia.

Euchariſtia per panes propoſitionis ſignificata, vide V. Panes propoſitionis, num.28. & V. Menſa propoſitionis panum, nu.70.
Ad V. Euchariſtiam accedentes rectè dicimus: Domine non ſum dignus, c.9. Schol.nu.13.
Ven. Euchariſtia panis eſt propoſitionis non ſine thure, & ſale, eſt panis ſanctus non laicus, c.8. Digr 5.nu.2.

Digitized by Google

Panis Ven. Eucharistiæ duabus in rebus præfertur pani Mosis, c.21. Schol. nu.9.10.
Quomodo in Eucharistia dicatur panis caro Christi, c.21. Schol. n.25.
Quomodo V. Eucharistiæ effectus sit resurrectio, vel gloria corporis, c.21. Schol. n.29.30. & Dig. 6 à nu.17. ad 25.
Quomodo necessaria est Ven. Eucharistia ad salutem, si Baptismus sufficit, c.21. Schol. n.29.
Cur V. Eucharistia dicitur versus cibus cum aliis ciborum generibus cõparatus, c.21. Schol. n.32.
In V. Eucharistia vnio cum Christo, quomodo naturalis dicatur, ibid. nu.33.34. & Digr.6. nu.14. 15. 16.
Sermo Christi de V. Eucharistia, qua occasione, vbi coram quibus, & quo successu fuerit habitus, & quot partibus constet, c.21. Schol. n.42.43.
V. Eucharistiæ tactus salutaris, ibid. nu. 70.
Cum de V. Eucharistia agit Christus c. 6. Ioan. de manducatione, & potu etiã reali carnis, & sanguinis sui agit, non modo spirituali saltẽ à versu 32. c.21. Theor.1. fusè. Patres, præsertim Augustinus, & Innocent. qui contraria videntur sentire, declarantur, ibid. nu.8. & sequent.
An V. Eucharistiæ sumptio sub vtraq; specie sit iuris diuini disputatur cap.21. Theor.7. à quibus hæresis de vtraque specie orta sit, ibid. n.1. cur olim viguerit consuetudo sub vtraque specie communicandi, ibid. 2.3. non colligitur ex verbis Christi, à nu.3. ad finem.
An V. Eucharistiæ Sacramentum sit necessarium necessitate medij, quoad primam gratiã, & remissionem peccati, c.21. Theor.8. an saltẽ quoad finalem gratiam, vel perseuerantiam sit necessarium eadem necessitate medij, c.21. Theor.9. fusè disputatur.
Ven. Eucharistiæ votum quomodo sint cætera Sacramenta, c.21. Theor.9. nu.3.4.
Ven. Eucharistiæ institutæ tres causæ ex D. Thom. c.21. Digr.1. fusè.
Ve. Eucharistia libellus memoriæ, cap.21. Digr.1. num. 5.
Ve. Eucharistia cibus est tria mala expellens, venenosi illius pomi, quod comedit Adam, c. 21. Digr.1. nu.8.9.
Quod V. Eucharistiæ primarius effectus sit amorem spirare, idque primum ex significatione, significat enim Christi vitam, Passionem, Ecclesiam militantem, & triumphantem, c.21. Digr. 2. fusè.
Quod Ven. Eucharistia spiret amorem, iterum ex præsentia Christi ostenditur, c.21. Digr.3.
Se præsentem reliquit hic Christus ob quinq; causas, ibid.
Ven. Eucharistia arbor, & lignum vitæ est, cuius duodecim sunt fructus, quorum primus est vita, cap.21. Digr.4. aliis item digressionibus sequentibus effectus alij ponuntur.
Quando per Ven. Eucharistiam conferatur prima gratia, & quid ad hoc requiratur, c.21. Digr.4. num.7.8.
Ven. Eucharistia affert dulcorem & suauitatem quandam, c.21. Digr.5. nu.7.8.9.
Cur non experiamur hanc sæpè suauitatem, ibid. num 10.11.12.13.
Vener. Eucharistia auxilia quædam actualia confert, & præseruat à peccato mortali, ibid. num. 15.16.
Ve. Eucharistia illuminat; quare felli Tobiæ & collyrio comparatur, & melli Ionathæ. præstat robur animi, compescit fomitem, & quomodo id bifariam faciat, delet peccata venialia, idque dupliciter. hæc omnia habentur ibidem, Digr.6.
Vener. Eucharistia in solis sumentibus prodest ex opere operato. quamuis etiam sit vtilis aliis aliter, ibid. nu.12. 13. ibidem declaratur Ve. Eucharistiam vt Sacramentum non esse satisfactoriam; sed vt sacrificium.
Cur Eucharistici panis fit mentio in Missa pro defunctis, c.21. Digr.6. n.22.
Ve. Eucharistia pane Eliæ subcinericio significata est, ibid. nu.23.
V. Eucharistia viaticum est, ibid. nu.25.26.
ad V. Eucharistiam accedendum cum digna præparatione fusè, c.21. Digr.7.
ad V. Eucharistiam quibus virtutibus ornati esse debent qui accidunt fusè, c.21. Digr.8. præsertim Sacerdotes, ibid. nu.2.3.4.
V. Eucharistia tres ob causas à peccatis carnis maximè abhorret, c.21. Digr.8. nu.8. Additur quarta causa, nu.9.10.
Sanguis & caro Christi in V. Eucharistia ad diem Iudicij quid faciet contra te qui indignè accedens illam commaculasti, si tantum potuit sanguis, & caro vnius mulierculæ vxoris Leuitæ, vt duodecim tribus permouerit, c.21. Digr. 8. nu.15.
Quæ experietur supplicia qui indignus ad V. Eucharistiam accedit, ibid. nu.14. 21.
Quantum scelus sit ad Ven. Eucharistiam malè accedere, cap.21. Digress.7. num.3.4.5. & Digr.8. num.19.
Ve. Eucharistiæ odium maximè opponitur, ca.21. Digr.8. nu.16.17.
Tria sunt in Ve. Eucharistia, quæ nobis vnionem commendant, c.21. Digr.8. nu.18.
Qui malè accedũt ad V. Eucharistiam similes sunt Iudæ, c.21. Digr.8. nu.20.
ad V. Eucharistiam accedenti necessaria fides, cap. 21. Digr.9. num. 1.2.3.4. gignit duo in communicante hæc fides, ibid. nu.5.
Ve. Eucharistia in argenteis, vel aureis columbis asseruabatur olim, & quid ea re significaretur, ibid. nu.2.3.
Eucharistiam V. sumendi dignam præparationem docet columba, ibid. nu.2.3.4.
ad Ve. Eucharistiam magno desiderio accedẽdum ibid. nu.5. magna item reuerentia, num.6.
Vener. Eucharistiæ solemnitas in qua publicè circumfertur, quibus instituta causis, ibid. nu.9.
Quinque necessaria, vt quis dignè V. Eucharistiam comedat, sicut quinque necessaria ad benè comedendum sunt, ibid. nu.12.13.
Varij modi se præparandi ad sumendam Ven. Eucharistiam ex B. Virgine, ex Apostolis, ex hostia ipsa, ex Christi sepulcro, ex prandio, vel cæna desumpti, c.21. Digr.9. à nu.14. ad 19.
Cùm mox communicaturus assistis coram Ve. Eucharistia quibus illam verbis alloqui debeas, habes, ibid. nu.19.
De carne Christi in Ven. Eucharistia, & quadruplex expositio illorum verborum: spiritus est, qui viuificat, & quæ vera expositio, c.21. Schol. à nu.49. ad 56.
Eucharistia an danda infantibus, vide Verbo Infantes, num.7.

F.

Fatuum, vel Infatuatum

QVid sint, cap.4. Schol. num.58. 63.

Faustus Manichæus.

Fausti Manichæi hæresis, quod Moyses nihil de Christo, & quod verba illa Ioannis, scrutamini Scripturas supposititia sint, c.1. Theor.8. n.6.

Fermentum.

Fermenti proprietates, cap.14. Digr.6. nu.2.

Digitized by Google

Fermenti vox dupliciter sumitur in Scripturis, ibid.nu.3.
Fermenti parabola Christo Domino applicatur, ibid.à nu.4.vsque ad 10.
Fermentatum panem, vel sine fermento, quis comedat, c.14. Digr.6.n.3.
Fermento similis est gratia. vide Verb.Gratia, numero 26.

Festuca

Quid sit, cap.6. Schol. num.19.

Festum.

Festi simpliciter positi nomine in Scriptura Pascha intelligitur, c.1.Theor.2.nu.6.

Fides.

Fides in Christum, quibus ad vitã, item quod cum dilectione iungenda, c 1.Schol.n.109.
Sola fides nõ iustificat, vel saluat, cap.1. Schol.numero 127.
Fides sine operibus nõ liberabit in die iudicij, c.6. Digr.2.n. 7.
Quomodo iustus ex fide viuat, & iustificetur, c.6. Digr.2.n.8.
Fidei vita non est sine operibus. eam enim viuere opera ostendunt, non lingua, non oculorum aspectus, c.6. Digr.1.n.14.15.16. vide V.vita n.32. & Verb.Caritas, nu.26.
Fidem opera firmant, contra si destituatur bonis operibus, c.6. Digr.2.n.5.
Fides manibus sustẽtanda est ex figura animalium Ezechielis, c.6. Digr.2.nu.6.
Fides & opera duplex fundamentum ædificij spiritualis, c.6.Schol.n.53.54.
Fides sola non sufficit, c.4.Scho.n.104. & c.6. Sch. nu.53.54.& eod.c.6. Digr.5.n.1.2.
Triplicem fidem distinguunt hæretici, ca.6. Digr. 2.nu.1.
Hæretici per fidem specialem, quæ est promissionum, iustificari se falsò iactant, c.6. Dig.2.nu.2. confutantur, ibid.n.3.
Fides quatuor modis dicitur magna, c.9 Digr.vnica, n.10.11.12.13.
Fides D.Magdalenæ saluam illam fecit, & fuit fides iustificans, c 11.Schol.n.38.
Fides fundamẽtum, & radix prima bonorum operum & salutis, c.13.Schol.n.23.
Fides vel Euangelium regnum cælorum, cap. 15. Schol.nu.5.
Fide armatus nihil non efficit, cap.16. Digress. 4. num. 1.
Fides septem modis dicitur opus Dei, ca.21.Schol. num. 8.
Fides oculos habet columbarum, & proprietates, c.21. Digr.9. num.2.3.4. communicatuo necessaria, numer. 2. eadem in communicante duo gignit, ibid.nu.5.

Filij

Parentibus similes esse solent in moribus, cap.12. Schol.num.51.& Digr.2. nu.6.7. Filios castigat Deus propter parentes, ibid. de quo tom.3. si Deus dederit.

Fortè, vel forsitan

Varia significant in Scriptura, c.1. Schol. n.161.& c.10.Schol. n. 43.

Frater.

Fratri non irascendum, c.4.Schol.nu.95.
Fratris nomine quis veniat, ibid.
Fratres Christi qui, c.12.Schol.n.95.& c.16.Theo. vnic.vbi & de sororibus Domini, num.7.

Fructus.

Fructus Spiritus sancti. vide V. Beatitudines Euangelicæ, n.18.21.22.
Fructus centesimus, sexagesimus, trigesimus quis, c.13. Schol.n.:6 27.

Fuga.

Fugere in persecutione quando liceat, c.17.Theoria 3.

G.

Gehenna.

Gehenna duplex, ignis, & frigoris ex Hieronymo, c.4.Schol.n.97.& cap.9. Theor.2. numero 2.
Gehennæ nomen vnde, c.4.Theor.6.n.18.
Gehennæ nomen inferno cur tributum, c.4.Theo. 6.num.7.
Gehennæ nomen primus Christus vsurpauit, c.17. Schol.nu. 42.

Genesar

Terra quæ, cap.21.Schol.num.68. Lacus Genesar vel mare Galileæ, c.19.Schol.n.1.& c.20.Scho: num.10.

Gloria.

Gloriam hominum non accipit Deus, vel Christus c.1.Schol. n.151.
Contra hominum gloriam quærentes, ibi. Schol. n.154.
Gloriam quæ est à Deo oportet quærere, ibid.eod. num.154.& 155.
Quid nomen gloriæ significet, cap. 4. Digress.5. num.12.
Gloria laboris filia, c. 4. Digr.6. n.7.
Gloriæ vox quot modis sumatur in Scripturis, ca. 5.Schol. n. 55.
ad Gloriam quæ via ducat, c.21.Theor.4.nu.5.

Gomor

Vide Verb. Assaron, num. 66.

Grabatum

Quid sit, cap.1.Schol.n.45. & quod mystice peccatum significet, ibid. n. 46.

Gratia.

De gratiæ etiã auxilio interno loquitur Christus, cùm ait: Tyrios, & Sidonios cõuertendos fuisse cum eodem, vel æquali auxilio præueniente, non tantum de externo, c.10.Schol.n.41.
Præueniens gratia interdũ negatur eis, quos Deus nouit benè illa vsuros; & datur eis qui malè vsuri sunt, c.10.Theor.1. nu.3.
Falsum est Deum multis negare gratiam necessariã, quod prædestinati nõ sint, c.10.Theor.1.n.6.
Gratiæ diuisio in sufficientem, & efficacem colligitur, & quæ vtraque sit, c.10.Theor.2.
Non est verum efficacem gratiam fieri esse in quadam commensuratione cum voluntate ad dita relatione ad futurum actum, c.10.Theor.2. num.4.5 6.
In quo sita sit efficacia gratiæ, cap. 10. Theor.2. nu.10.
Efficax gratia dupliciter sumi potest, ibid. n.2.
Efficax gratia an aliquid addat supra sufficientem, tum in ratione rei, tum in ratione doni, ibid. nu.7.10.
Efficacitas gratiæ non est ipsa liberi arbitrij cooperatio, ibid.nu.8.
Gratiæ efficacia etiam in actu secũdo potissimum Deo tribuenda est, c.10.Theor.2.num.9.10. eadem minus principaliter à libero quoque dependet arbitrio in actu secundo, ibid.nu.11.
Gratiæ efficacitatem quomodo quidam declarent sine scientia conditionata, ibid.12.
ad Gratiam Dei accommodantur parabolæ sinapis & fermenti, c.14. Digr.7.
Gratia similis est rationali summi Pontificis, c.14. Digr.7.n.2. & seq.
Gratiæ duodecim vtilitates, c.14. Digr.7.à num.5. in finem.

Digitized by Google

Gratia Dei datur homini sine pretio, c.15.Schol.n. 14.
Qui gratiam efficacem non habet qua trahitur, nec venit ad Christum, non excusatur, c. 21.schol.n. 14. & eod.c.theor.5.
Quis gratiæ vocationis dicatur propriè ob. positus, c.21.theor.5.n.10.
Finalis gratia an addat aliquid gratiæ primò acceptæ in Baptismo, c.21.theor.9.n.2.

H.

Hæresis, Hæretici.

HAEresis, & infidelitas Diaboli filios facit. c.4. schol.n.42. & c.6 dig.3.n.1.
Hæretici cognoscuntur ex fructibus, & quotuplices sint hi fructus, & qui nam, c.6.schol. nu.39. 40.41.
Quando ex malis operibus cognoscentur aliqui hæretici, seu falsi doctores esse, c. 6.schol n.42.
An hæretici doctores rectè arbori quæ non facit fructum bonum; Catholici arbori, quę non facit malum rectè comparentur, cap.6. schol.nu.43. vsque ad 47.
Hæretici similes aspidibus in tribus, eorum verò doctrina veneno aspidum, c.6.dig.1.n.1.
Hæretici omninò fugiendi, & quidem etiam vt diabolus, c.6.d.1 n.2.& c.6.dig.3.
Proprium est hæreticorum doctrinam suam vt admirandam, & profundam laudare ex Gregorio, c.6.digr.1.n.3.
Hæretici sunt vt meretrices, quibus dæmones vtuntur ad decipiendum, c.6.dig.1.n.5.
Hæretici tandè vel in magicas artes, vel in Atheismi impietatem degenerant, nisi maturè redeant ad fidem, c.6.dig.1.n.4.
Hæretici claudicant vtroque pede, c.6.dig.2.n.3.
Hæretici Hypocritæ, & simulatores. vndè nunc falsi Prophetæ dicuntur, nunc fucis, nunc simiæ comparantur, nunc equis pallidis eorum persecutio significatur mortem gestantibus, vel diabolum, c.6.dig.3.n.4.5.9.10.
Hæretici similes astutis vulpibus incedentibus per obliquos calles, c.6.dig.3.n.6.7.
Hæretici ceu vulpes vt elabantur, varias vias, & modos habent. capiuntur tamen à Catholicis quocumque confugiant exemplo Christi, c. 6. dig.3.n. 7. ijdem demoliuntur Ecclesiæ vineam, ibid.n.8.14.
Hæresis alijs etiam rebus comparatur, cap.6.dig 3. num.1.2.
Samsonis historia nectentis caudis vulpes hæreticis accommodatur, c.6.dig.3.n.11.12.
Hæreticos æterna manent supplicia, ibid. n.12.sub finem & 13.
Hæretici quibus notis cognoscantur, ibid. à nu.15. vsque in finem.
Hæretici tanquam superbis similes sunt Datan, & Abiron, ibid. num.15.16.17.nouitatibus studentes, contra ac Catholici, ibid.n.18.19.
Hæresis lepræ inprimis assimilis est, cap. 7.digr.1. num.8.
Hæretici superseminant, vt diabolus, c. 14. schol. num.4.
Hæretici zizania sunt ex Chrysost. Augustino, & Hieronym.c.14.schol.n.6.7.
Hæreticos non esse occidendos nisi &c. non colligitur ex verbis Christi, ibid.n.6.7.8.
Hæretici similes sunt malo semini, & lolio, ca.14. digr.4.
Hæretici Aelchesaitæ, c.17.schol.n.51.

Herodes, & Herodias.

Herodes Antipas & Philippus quomodo fratres, c.18.schol.n.4.
In Herodiadis filiam vltio, remissiuè cap.18.schol. n.13. Quæ filia vocata est Salome, ibid.
Herodias quibus percita furijs, ca.18. schol.n.24. similis onagræ, ibid.n.25.
Herodias non erat filia Arethæ, sed Aristoboli, ca. 18.schol.n.26.fin.
Herodis conuiuium vbi instructum, c. 18. schol.n. 28.26.
Herodias linguam Ioannis transfodit, c. 18. schol. num.26.

Herodiani

Quinam fuerint, c.3.schol.n.16.

D. Hieronymus.

D.Hieronymi de prouidentia locus explicatur, ca. 17.schol.n.45.

D. Hilarion.

D.Hilarionis miraculum, c.12.theor.3.n.5.

Homicidium.

Cur de homicidio in lege duplex datum non sit præceptum de interno, & externo actu, sicut de furto, & adulterio datum est, ca.4.schol.n.110.

Homo.

Homo, & Enos quid debile, terrenum &c. significat, c.1.schol.25.
Hominis staturæ mensura, c.5.schol.n.53.
Homo num de puluere, an de limo formatus sit, c. 5.dig.1.n.6.
Homo si dignitatem suam perpenderet, facilè res terrenas contemneret, ex Philone, c.5.dig 7.n.1.
Homo vilis & abiectus sit, dum terrenis inhiat. c. 5.dig.7.n.2.
Homo arbori similis, c.6.dig.5.n.1.9.
Cuius arboris fructum quærit Deus, ibid.n.1.3. alioqui igni tradit, & separat à se, quo nihil tristius, ibid.
Homines illi arbores etiam steriles sunt, qui cum possint alijs non prosunt, c.6.dig.5.n.7.8.
Homo qui est arbor sterilis non debet desperare, c. 6.dig.5.n.9. cætera vide V. Arbor.
Homo tribus nominibus vocatur Hebraicè, & quid interfit, c.7.dig.1.n.3. item quod hominis vox debilem, &c. designet, ibid. Vide Verbo Vir num.28.
Tria nomina Hebraica hominis sunt inter se connexa, c.7.dig.1.n.5.

Humilitas.

Ex humilitate diuitiarum cõtemptus; vide. V. diuitiæ, n. 78. Humiles sequitur gloria, qui quo magis suas obtegunt virtutes, eo magis honorantur à Deo exemplo Eliæ, D. Ioannis, B. Virginis, c. 10 digr.6.num.2.3.
Humilitas, & subiectio diuitum, & principum quantas habeat vires, cap.16.dig.4.n.14.15. Quomodo Deus agat cum humilibus, ibid.n.16.17.

Hypocrita.

Hypocrita quid, c.3.schol.n.6.& c.6.schol.n.23.
Hypocritæ iudicando alios dupliciter peccant; c. 6.schol.n.20.
Hypocrita quercui comparatur, & mulierculis; & sepulcris, c.6.schol.n.22.

I.

Iacobus.

IAcobi Alphæi vita & mors paucis comprehensa; cur frater Domini dictus, & iustus; quot annos Episcopus Hierosolymorum; quando mortuus; virgo fuit; eius genua callum obduxerant, & frons eius cathedra, & lamina &c. c.8.schol. à n.23. vsque ad 27.
Iacobus frater Domini & Apostolus, idem, ibid. num.27.
Iacobus vbi prædicauit, c.8.theor.3.n.2.

Idumæa.

Idumeæ situs,& Idumæi qui,c.3.schol. n.17.

Ieiunium.

Ieiunantium tres conditiones,c.5.dig.2.n.12.13.14.

Ieiunium acquirit quod Adam per intemperantiam amisit;virginitatem impollutam seruat,c. 8.dig.5.n.1.

Ἰμάτιον χιτῶν

Quid græcis c.4.schol.n.135.

Incarnationis mysterium

Lactis ac mellis nomine designatur, c.10.di.6.n.19.

Infantes.

Infantibus an Dei præcepto dandum Venerabilis Eucharistiæ Sacramentum, & an id Ecclesia præceperit, & quis vsus in hac parte fuerit, c.21.theor.6.

Infernus.

An in inferno damnati, non solum ardoris, sed frigoris etiam cruciatum sentiant,c.4.schol.n. 97.98.

Inferni tenebræ exteriores quæ, quis fletus, quis stridor dentium,& vndè,c.9.schol.num.16.&c. item 9.theor.1.

Ignis inferni ardebit, sed non lucebit, quamuis aliquid luminis ibi futurum sit, sed ad pœnam, c.9.theor.1.n.7.

Inferni tenebrarum exteriorum nomenclatura, vndè ad inferni supplicia translata fuerit, ca. 9. theor.1.n.8.9.

Inferni tenebræ quales; videlicet in quibus mors regnat, & vniuersitas miseriarum, vndè infernus dicitur terra vel regio tenebrarum, quasi tenebras gignens.c.9.theor.prima,à numero 12. vsque in fin.

Inferni tenebræ horridæ ob spectra, & vmbras mortis, c.9.theor.1.n.15.

Inferni tenebræ confusione plenissimæ, ibid. num.16.

Inferni tenebræ timorem habent simul, & dolorem,ibid.n.17.

In inferno an sit aqua,vel nix,vel gelu, vel saltem frigus,disputatur,c.9.theor 2.

Inferni innumera mala, & calamitates numerantur,ibid.n.8.9.

In inferno an vermes,an sulphur.ibid.n.10.

Inferni pœnæ non sunt æquales,c.14.dig.3.16.

In inferno est ordo aliquis ex Gregorio,c.14.dig.3. n.16: & quomodo tamen ibi confusio & nullus ordo,ibid.n.17.

Infidelitas.

Infidelitas vel incredulitas in causa sæpè est, vt multa Deus in nobis nõ operetur,c.16.dig.4.n.1.

Inimicus.

An inimicos odisse olim licuerit Iudæis, c.4.scho. n.143.144.

Quomodo odio habendus inimicus.ex August.c.4. schol.n.145.147.

Tribus modis intelligi potest illud, odio habebis inimicum tuum,ibid.n.146.

Inimicis tria iubet Dominus exhiberi, c.4.schol. num.150.

Duæ causæ ad diligendos inimicos impellentes,c. 4.schol.n.154.

Inimicorum dilectio,ibid.n.158.

Inimicorum dilectionem merito Ecclesia initio iejunij quadragenarij commendat, c.4. dig.14. num.1.

Multis rationibus allatis ostenditur inimicis esse parcendum,c.dig.14.& dig.15.

Nihil ita odit Deus vt hominem vlciscentem se de inimicis,c.4.dig.14.n.2.

Qui præ ira de inimico vltionem sumit, se prius gladio perimit, quam alium, c.4. dig.14.n.4.& hic similiter est api.ibid.n.5.

Pluribus & Philosophorum & Patrum sententijs, similitudinibus, & rationibus ostenditur iram esse frenandã,nec esse vltionem expetendam de inimicis ob illatas iniurias,c.4.dig.4.à n.6.vsq; in finem.

Memorabile exemplum mulieris inimico parcentis,immò & adiuuantis,c.4.dig.14.n.15. item aliud viri exemplum illustre,ibid.

Ad diligendum inimicum satis est, quod Christus ipse id postulet, vt sui amore quis id faciat, c.4. dig.15.à n.1.vsque ad 6.

Nisi inimico ignoueris, scito prius te læsurum Christum,quam inimicum.c.4.dig 15.n.6.

Non est impossibile & graue inimicum diligere ex Patribus,c.4.dig.15.n.7.8.

Contra illos qui honoris iacturam facere aiunt si de inimico se non vlciscantur.c.4.dig.15.n.9.10. 11.immò & quod tales sint filij Diaboli; qui verò parcunt Filij Dei,ibid.

Inimicis iniurias remittere nobilissimum opus, c. 5.schol.n.30.

Ad diligendos inimicos plurimum facit perpendere primam damni causam Deum esse, qui te vt pater filium corripit,c.4.dig.15.n.15.

Pro inimicis diligendis exemplum Christi de cruce pendentis,c.4.dig.15.n.11.

Diligere inimicos sæpè Christus & hortatur, & præcipit in Scriptura,c.4.dig.15.n.13.

Si tantoperecupis odisse inimicum, vide quis sit verè tuus inimicus, & illum persequere, &c. c. 4.Dig.15.n.14.

Qui inimico remittit iniurias remittet & illi Deus peccata, & tantò magis, quantò magis remittet,c.5.schol.n.28.29.

Etiam inimico non postulanti dimittenda iniuria. c.5.theor.5.n.6.

Qui inimico remittit iniurias,si ex animo petat,vt conuertatur à peccato,& pro vt debet, exaudietur,c.5.theor.5.n.7.

An is qui inimico iniurias non vult condonare, benefaciat tacendo in oratione Dominica illa verba: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris,& an mentiatur,siue proferat siue non,c.5. theor.5.n.8.9.

Ad iniurias inimicis remittendas quæ impellant, remissiuè.c.8.schol.n.56.vid.V.Ira.

Inspirationes.

Inspirationes à Deo immissæ sunt tanquam concionatores quidam interiores,c.12.dig.13.n.2.

Insulæ.

Insulæ quid in scripturis significent, c.3. sch. n.36.

Intentio.

Intentio bona vel mala,c.5.schol.n.45.

Interpres.

Interpres latinus retinet voces interdum græcas, nec ob id reprehendendus,c.17. schol. n.21.

Inuidia.

Inuidia facit ferocire homines,c.2.Schol.n.14.

Inuidiæ coniuncta solet esse insipientia & odium, c.3.Schol.n.14.

Inuidia inter ciues vndè c.16.Schol.n.24.

Tres inuidiæ effectus,ibid.n.24.25.

De inuidia qui tractent,c.16.dig.2. n.1. quid sit nu. 2.& sequent. quomodo differat à quibusdam similibus affectibus,ibid.

Inuidia non habet locum inter eos qui conditione multum inter se distant. ibid. num.6.qui sint proniores ad inuidiam n.7.8.

Remedia inuidiæ,c.16. dig.3. difficile curatur,ibi. num.1.

Inuidia quibus rebus similis,ibid.n.4.

Inuidia quam malè cesserit inuidis. ibid. n. 5. eisdem quanto sit tormento,n..6.

Ad vincendã inuidiam sapientia opus est,ibid.n.7.

Digitized by Google

Inuidiæ descriptio. ibid. n. 8.
Inuidus simulator est, & duplex, ibid. n. 2. inuidus cæcus, n. 9. 10. 11.
Inuidi fugiendi, n. 12.
Inuidiosus & inuidus quomodo differant, n. 14.

D. Ioannes.

Ioannis testimonium non erat necessarium Christo, c. 1. Schol. n. 138. 140. sub fin.
Ioannes cur lucerna, ibid. n. 139. cur ardens, & lucens, ibid. n. 140.
Ioannes Baptista dubitarit ne an Christus Messias; vel certè quid sibi voluerit cum dixit: tu es qui venturus es, & c. c. 10. Schol. n. 12. 13. 14.
Ioannes Propheta, & plusquam Propheta, cap. 10. Schol. num. 22. item Angelus aliter quam reliqui Prophetæ, & Sacerdotes, ibid. num. 22. 23. & aliter quam Christus & cur, cap. eodem 10. dig. 7.
Ioannis Baptistæ abstinentia, cap. 10. Schol. num. 30. 37.
Ioannis Baptistæ gloria, quod à Christo laudatus sit, c. 10. dig. 4. n. 12. 14.
Ioannes fugit gloriam ideò illa eum secuta est. ca. 10. dig. 6. n. 2.
Ioannes Baptista non vestitus mollibus mysticè quid, ibid. n. 12 13.
Ioannis Baptistæ vestitus qualis, ibid. nu. 16. genus comedendi asperum, ibid. n. 17.
Eius cibatus mysticus & symbolicus, ibid. num. 18. 19.
Ioannis Baptistæ constantia cap. 10. dig. 7. n. 2.
Ioannes Baptista cur sagittæ comparetur, c. 10. dig. 7. n. 2.
Ioannes Baptista similis Angelo Apocalypsis, 10. ibid. n. 4.
Ioannis vox Leonis rugitui similis, ibid. n. 5.
A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, ibid. n. 6. 7.
Ioannis pœnitentia austera, ibid. n. 8. 9.
Ioannis secessus admirandus, ita enim in terris vixit quasi in cœlo, ex Chrysostomo, ibidem, num. 11.
Ioannes omnes in se sanctorum titulos clausit, c. 10. dig. 8. n. 1.
Ioannes primæ fidium cordæ similis, parem non habens, c. 10. dig. 8. n. 2. 3.
Ioannes verus Orpheus cantu siluas & saxa mouens & c. ibid. n. 4.
Ioannis vox quantam lætitiam mundo attulerit, ibid. n. 5. item quantæ dignitatis ea vox fuerit, num. 6. 7.
Ioannes in ea vrbe natus, quæ Charia tarbe dicta fuit, quia in ea quatuor viri sepulti, quorum virtutes expressit Ioannes, cap. 10. digr. 8. n. 8. 9.
Ioannes magnus coram Domino, ibid. n. 10.
Ioannis submissio, ibid. n. 12.
Ioannes quam excelso sit gradu in cœlo collocatus, ibid. n. 13. 14.
Ioannes quia magnus erat futurus magnis tribulationibus fuit exercitus, ibid. n. 15. 16.
Ioannes se seruum Christi fatetur dum ait: non sum dignus soluere, c. 17. dig. 1. n. 2.
Ioannes Hespero similis, c. 18. Schol. n. 1.
Ioannes Baptistæ mors inter epulas, horrendum scelus, cap. 19. Schol. n. 23. eius corpus vbi sepultum, c. 18. Schol n. 27.

Ionas.

Ionas concionatores repræsentat, c. 12. dig. 3. num. 1. 2.
Ionæ Hederæ allegoria, capite 12. digress. 4. num. 14.

Ioseph.

D. Ioseph virgo fuit, c. 16. theor. vnic. num. 1.

Iota.

Iota quid, c. 4. Schol. n. 79.

Ira.

Irascendum peccatis, peccantibus condolendum, c. 3. Schol. n. 11.
Iræ pœnarumque eius triplex gradus, ca. 4. Schol. n. 89. 90.
Ira iusta mater est disciplinæ. capite 4. Schol. num. 93.
Iræ iustæ exempla, ibid.
Ira iusta seu zelus tribus rebus ornari debet, ibid. num. 94.
Ira opportuna, ibid. n. 95.
Fratri non irascendum. Vide verbo Frater, num. 30.
Iræ non resistendum aduersarij, cap. 4. Schol. num. 142.
Ira nulla immanior bestia, cap. 4. dig. 12. n. 1.
Cum ira non accedendum ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel Missæ sacrificium, ibid.
Curandæ iracundiæ remedia, c. 4. dig. 12.
Ad coercendam iram, ira perpendenda Dei, cap. 4. dig. 12. n. 2.
Ei qui fratri irascitur nolens parcere, meritò Deus irascitur, c. 4. dig. 12. n. 2.
Iræ initio statim occurrendum ne foras prodeat, c. 4. dig. 12. n. 4. 5.
Quod ira hominem deformet, & rationi tenebras offundat, c. 4. dig. 12. n. 9. 10. 11.
Iram sæpè scriptura graviter damnat, c. 4. digr. 12. num. 12.
Iræ quare nos non pudeat, sicut pudet nos obscenos quarundam partiũ corporis pati, c. 4. dig. 13. n. 1. 2. 3.
Ira quotuplex, & quæ pessima, cap. 4. digress. 13. num. 4. 5. 6.
Iracundia subita, festuca; ira per odium nutrita; trabs, c. 6. Schol. n. 16.
Ab irato declinandum, tanquam à tigride, cap. 16. dig. 4. n. 18.
Ad iram refrenandam, dextera & sinistra maxilla præbenda, & an id sit præceptum, c. 4. Schol. n. 132. 133. 134.

Iudæa, Iudæi.

Ratione Galilææ ea inuentior, c. 1. Schol. n. 6.
Iudæorum quatuor status, in quorum vltimo peiores, c. 12. Schol. n. 85.
Iudæi quomodo in synagogis suos conuentus peragerent, c. 16. Schol. n. 4.
Iudæi Scripturam sacram habuerunt, sed obsignatam, c. 16. n. 17.

D. Iudas.

Iudas Iacobi trinomius fuit, cap. 8. Schol. n. 29. vbi prædicarit, c. 8. theor. 3. n. 2.

Iudas Iscariotes

Vnde sic dictus, c. 8. Schol. num. 30. an iustus fuerit cum electus à Christo in Apostolum, & dicitur Diabolus, cap. 21. Schol. num. 62. 63. 64. quomodo dicatur electus à Christo, ibid. n. 65.
Iudas proditor cur allectus in numerum duodecim Apostolorum, c. 8. theor. 4.
Iudas cur Diabolus dictus, c. 12. theor. 2. n. 6.

Iudex, Iudicium extremum, Iudicium humanum.

Iudicij vox quinque significat, cap. 1. Schol. num. 125.
Vera Iudicij forma à iudicibus seruanda, c. 1. Scho. num. 133.
Iudex tria habeat, ibid. n. 134.

Digitized by Google

In iudicio lex non seruata accusabit nos, c.1.Scho. num.158.
Iudicandi potestas duplex in Christo, & per vtramque iudicabit. ea.1.theor.5.num.2.& theor. 6.num.10.11.
Quomodo pater non iudicat.cap.1.theor.5.num.3. 4.5.
Iudicare an,& quomodo competat Christo.cap.1. theo.5.n.6.7.
Iudicandi potestas, & viuificandi mortuos in Christo coniunctæ.c.1.Schol.n.105.
Potestas iudicandi Christo merito data. c.1. Schol. n.107.
Quadruplices iudicij extremi tempore voces ex Scriptura habentur, cap. 1. theor.7. num.1.2. & an omnes hæ sint vna vox, ibidem num. 3.18.
An die iudicij vera tuba perstrepet,an metaphorica,c.1.theor.7.n.5.6.
Die iudicij an sensibilis sit futurus clangor tubæ, & vocis,c.1.theor.7.n..9.& sequen.
In iudicio an idem vox & imperium,ibid.num.10. quod officium huius vocis,vel tubæ, ibid. n.11. 12.an bis audienda,ibid.
Apparente Christo edetur vox: surgite mortui, & venite &c.& statim colligentur cineres, reuocabuntur ad vitam mortui, ad locum mox adducendi iudicij, temporis quidem breuissimo spacio,ibid.n.13.
Vox hæc ad omnes perueniet mortuos, ab illis audienda, ibid.n. 15. 16. 17. erit articulata,ibid. num.17.
An duplex futura tuba,ibid. num. 19. quando tuba præponitur,& sequitur vox in Scriptura τὸ, &, exegeticè potest sumi,vt ver. Gratia cum tuba, & voce,&,pro,id est,capi potest, cap. 1.theor. 7.n.18.
Non iudicantur homines ex his, quæ acturi essent.ibid.
Ad iudicandum quomodo surgent Niniuitæ, c. 12. Schol. n. 70. Regina Austri quomodo condemnabit in iudicio,ibid.n.75.
Iudicij tempus,& vltionis, messis dicitur in Scripturis,c.14.dig.3.n.12.
Ad diem iudicij separabuntur mali de medio iustorum, neque hos illi amplius persequentur,c. 14.digr.3.n.13.14.15.16.
Iudicium vel tribunal duplex apud Hebræos, an liceat iudicio repetere,quæ nostra sunt,& an id expediat aliquando: vbi excutitur sententia Augustini,c.5.theor.6.
Quot, vel quale iudicium prohibuerit Christus Matthæi 7. cap. 6. Schol. à numero 3. vsque ad 10.
Iudicium publicum vsitatum ab Ecclesia, c. 6.Sch. num.3.
Iudicare non vno modo sumitur, cap. 6. Schol. num.6.
Dei dispositiones non iudicemus iniustè ex Irenæo,c.6.Schol.n.9.
Qui iudicat iudicabitur à Deo; quomodo iudicabitur,c.6.Schol.à n.10.vsque ad 15.
Qui alium iudicat,vel corrigit,qualis esse debeat, c.6.Schol.n 18.

Iuramentum.

Iuramentum duplex, sicut & periurium,c. 4.Scho. num.121.
Iuramentum quomodo prohibeatur omninò, ibid.
Quod iurare liceat, ibid.n.122.
De non iurando exemplum Cliniæ Philosophi apud Basilium,hom.24.cap.4.Schol.n.127.
Hæreticum est affirmare iuramentum omne damnari,c.4.theor.10.n.1.7.
Omninò non iurare cur Christus cauit,& quomodo,ibid.n.2.3.
Frequens vsus iurandi noxius,ibid.n.3.4.
Iurare actus est latriæ,ibid.n.4.
Scriptura auertit nos à consuetudine iurandi,ibid. num.5.
Olim flamini Diali iurare non licebat, & cur.ibid. num.6.
Quibus conditionibus vestiri debeat iuramentum c.4.theor.11.
An prohibuerit Christus iurare tantum per creaturas,non autem per Deum,c.4.theor.12.
Bifariã potest quis iurare per creaturas,c.4. theor. 12.n.4.

Iurgia.

Iurgia qui seminat diabolo similis ex Gregor. c.14. digr.2.n.12.

Iustitia.

Iustitia non potest esse vbi sana fides, vel caritas non est:ex Augusti.c.4.Schol.n.42.
Iustitiæ nomen quot modis sumatur, cap.4. Schol. n.85.
Iustitiæ æqualitas sali comparatur, cap.4. digr.10. num.3.
Iustitia regnum Dei.c.5.Schol.n.57.58.
Iustitiam operari dupliciter dicitur, sicut & iniquitatem,c.6.Schol.n.51.

Iuuentus.

Iuuentutem tria in interitum submergere solent, c.8.digr.4.n.2.
Iuuenum immatura mors. Vide Verbo Mors,num. 109.110.
Iuuentutis descriptio, quamque præceps sit ad mala,c.10.digr.4.n.12.
Iuuenes plurimum à malis auertit mortis meditatio,c.10.digr.4.n.13.14.

L.

Lacryme, Luctus.

LAcrymæ,vel luctus hic esse debent, vt sit lætitia in cœlo ex Gregor.Nyss. cap.4. Sch.n.20.
Lacrymæ ac luctus sapientis sunt; stulti gaudium, c 8.digr.5.n.4.
Lacrymarum, ac luctus potentia, & efficacitas, ibid.num.5.
Lacrymarum ac luctus ratio duplex expressa duplici irriguo filiæ Caleb, quod idem ex diluuio colligitur,ibid. n.6.7. ad quod lacrymarum genus singulæ lacrymandi causæ pertineant, ibid. num.8.
Lacrymas peccatorum prouocat inferni meditatio,ibid.num.9.item iniuriæ proximi Deo irrogatæ,ibid.item commiseratio malorum, quæ proximis imminent,ibid n.10.
Dulces, & piæ lacrymæ sunt ex meditatione cruciatuum Christi,ibid.n.11.
Lacrymarum etiam, seu luctus causa est meditatio miseriarum huius vitæ, amor Dei, recordatio futuræ beatitatis.n.12.13.
Luctum seu lacrymas consequitur serenitas mentis,n.14.& c.11.Schol.n.39.41.fin.
Lacrymarum donum à quo petendum, c.8.digr.5. num.15.
Augustinus lacrymarum donum magnis vocibus à Deo postulabat,ibid.n.16.
Lacrymæ quales esse debeant,n.17 18.
Timendum est à lacrymis non fluctuosis,n.19.
Lacrymæ,propter Deum esse debent,n.20. tales erant lacrymæ &c.n. 23.
Quę sint lacrymę similes lacrymis Crocodili,n21.
Lacrymæ quantum Deo placeant visu ostensum cuidam,n.22.
Lacrymæ oppressorum velocissimè ad Deum ascendunt.n.24.

Digitized by Google

Lapis.

Lapides pretiosi Vrim, & Tummim, quomodo futura prædicerent, c.5.dig.5.n.4.

Lector.

Lectoris officium non est aspernatus Christus, ca. 16.Schol.n.4.fin.

Lectus.

Lectorum duo genera, eorumque luxus, c.11.digr.1. n.2.3.

Vide V.Mensa num.74.76.

Lenticula.

Lenticula quid, c.16.digr.1.n.6.7.

Lepra, Leprosi.

Leprosi an excluderentur vrbibus omninò, cap. 7. Schol.n.3.& eod.c.7.dig.2.n.3.

An leprosi toto corpore haberentur immundi, c.7. Schol.n.4.13.

An leprosum tangere esset sub peccato prohibitum.c.6.Schol.n.9.

Christus tangens leprosum nobis commendauit opus misericordiæ erga pauperes fœdos, & horridos, vt illos non horreamus, c.6.Schol.n.10.

De duplici mundatione lepræ, c.7.Schol.n.16.

Leproso curato à Christo conueniunt tres voces hominis Hebrææ, c.7.dig.1.n.6.

Qui lepra peccati infectus est sanari debet faciendo quod præstitit leprosus à Christo curatus, ibid.n.7.

Lepra triplex carnis, vestis, domus, ibid.n.9.

Lepræ proprietates, c.7.dig.2.n.1.2.3.applicantur Christo, ibid.à 4.in fin.

Lepra Deus superbos punit, vndè dicitur plaga, ib. n.1.2.

Leprosi curati à Christo quatuor insignes virtutes, c.7.dig.1.n.1.

Leprosi fides an maior fide Centurionis, c.9.dig.vnica.n.18.

Lex.

Legem quomodo impleuerit Christus, vel arrogauerit vide V.Christus n.54.55.

De lege bifariam loquitur scriptura ex Ruperto. c.4.theor.5.n.4.

Legè soluere duobus modis dicitur quis, c.4. Sch. n.74.

Lex quot modis sumitur, c.4.Schol.n.75.

Lex vetus, an internos, prauosque animi motus vetaret, ibi.n.87.92.111.

Legem de non mœchando in quo perfecerit Christus.c.4.Schol.n.106.

Sub lege non mœchandi prohibebatur etiam omnis illicitus veneris vsus, ibid.n.117.

Cur in legè non sit datum duplex præceptum de homicidio, vt de furto, & adulterio, vide V. Homicidium, n.34.

Lex Talionis quibus data, & quod iusta fuerit, & inter quos locum habeat, ibid.ca.4.Schol.n.128. 129.

Legis Dei variæ corruptelæ, c.4.theor.1.n.3.

In iudicio lex accusabit: vide ver. iudicium, num. 132.

Lex noua terra; vetus malri significatur, c.10. digr. 7.n.4.

Libertas, Liberum arbitrium.

Libertatem requirit Deus in iustificando homine, c.1.Schol.n.32.

Liberum arbitrium peccatoris quid possit sine gratia, c.1.Schol.n.39.

Lilium.

Lilijs duo insunt, c.5.Scho.n.54.

De lilijs agri, c.5.dig.8.à n.1.vsque id 8.

De lilijs cœli quæ sunt beati, quos Deus pascit ac vestit, c.5.dig.8.n.8.9.10.

Christus est ille, qui pascit inter lilia, & pascitur in lilijs, & pascit ipsa lilia, cap.5. dig.8.num.7.

Lucernæ.

Lucernæ quatuor necessaria moraliter applicantur, c.1.Schol.n.140.& c.4.Schol.n.70.

Luxuria.

Luxuria maximè hominem inquinat, c.11.dig.2.n. 10.locus lubricus, & periculis plenus, n.11.12.

Remedium contra luxuriam efficacissimum, ibid. digr.2.n.13.

Luxuriæ initia supprimenda ne conualescat, ibid. num.14.

Luxuria per os vuluæ significata, c.18.Schol.n.24. similis anagro, n.25.

Luxuria quam contaria Venerabilis Eucharistiæ Sacramento, cap.21.digress.8.à numero 8.vsque ad 16.

Luxuria lumen aufert, & cæcitatem aduehit, vt in Sodomitis, c.21.dig.8.n.9.10.

Luxurioſi similes equis, ibid.n.11.

Quomodo se quis à luxuriæ peccato mundare poterit, ex similitudine panni, qui abluitur, vt sordibus purgetur, ibid.n.13.

M.

D. Magdalena.

Magdalena nonnisi vna, quæ peccatrix dicitur; quæ viuentem Christum vnxit bis, & mortuum voluit vngere, c.11.theor.1. eadem est quæ dicitur soror Lazari, ibid.

Magdalena quomodo habitaret in Galilæa, cur dicta Magdalena, c.11.theor.1.n.8.

Magdalena ad Christum septem comitata puellis venit, c.11.digr.2.n.2.& seq.

Magdalenæ humilitas, & verecundia, c.11.dig.2.n. 5.6.silentium, ibid.n.9.

Magdalena quantum amarit Christi pedes, ibid.n. 6.7.dig.3.n.2.

Magdalenæ conuersio, miraculum Dei potentiæ, ibid.n.14.

Magdalenæ contritio, ibid.n 15.

Magdalenæ liberalitas, c.11.dig.3.à numero primo ad 8.omnia propter Christum abiecit, ibidem, num.4.5.6.

Magdalena veluti funibus, sic capillis se Christo inretijt, ibid.n.7.

Magdalenæ ardens in Christum caritas, ibid.à nu. 8.in finem; hic explicatur eius caritatis magnitudo, fortitudo, signum, &c. proindè à Christo defensa, n.16.laudata, n.17.

Maria Magdalena an vulgo nota peccatrix, cap.11. Schol.n.5.6.7.

Mariæ Magdalenæ duplex alabastrum, c.11. Schol. n.9.

Magdalena quomodo recumbenti Christo, steterit retro ad pedes, & Ioannes supra eius pectus recubuerit, c.11.Schol.n.10.& digr.1.n.6.7.

Mariæ Magdalenæ vngentis pedes pietas, c.11.dig. 1.n.12.

Magdalena similis turri, ex Hieronymo, c.11.Scho. num.11.

Magdalena pedem Domini rigauit vtrumque. vide V.pedes Domini, n.103.

Quæ Magdalena exhibuit Christo quomodo nos etiam moraliter eidem exhibere possimus, c.11. Schol.n.16.

Magdalena cur caput Domini non vnxerit, cap.11. Schol.n.14.

Magdalenæ vnguentum quam pretiosum fuerit, & cur Iudas hic non obstrepuerit, ibid.Schol.n.13.

Magdalenæ actiones erga Christum, c.11. Schol.n. 13.& cur eas exhibuerit, ibi.n.15.

Magdalena suauem edebat symphoniam comedente Christo cum Pharisæo, ibid.n.17.

Digitized by Google

In Magdalenæ conuersione exemplum Christi de duobus debitoribus explicatur allegoricè ex Ambrosio, c.11.Schol.n.22.
Inter Magdalenam, & Pharisæum antitheses obseruandæ, ibid.à Schol.à n.24.ad 29.
Magdalenæ remissa peccata quoad pœnam etiam omnem, & fortè etiam ablati habitus mali, phantasmata, ibid.Schol.n.34.
Magdalenæ fides qualis, ibid. n.38.
Magdalena abiectis dæmonis armis se dedidit Christo, ibid.nn. 41. similis columbæ Noeticæ, ibid.

Maledicere.

Maledicere quid, c.4.Sch.n.151.
Maledicere quot modis fiat.ibid.n.152.
Maledicere quando prohibitum, c.8.Schol.n.47.

Mancus.

Mancus quis, c.1.Schol.n.18.

Mansuetudo.

Mansuetudo quid significet, & mites qui sint, c.4. Schol.n.15.16.
Mansuetudinis duo officia, ibid.Schol.n.16.
Mitibus terræ possessio promittitur, & cur, cap.4. Schol.n.19.
Mansuetudinis præstantia, & bonum illustribus exemplis declaratur, c.4.digr.12.n.6.7.8.

Manus.

Manus arida quæ, c.3.Schol.n.12.
Manum aridam habens omnium hominum imaginem figurat, c.3.Schol.n.15.

Margarita.

Margaritæ bonæ, quæ, c.15. dig.2.n.5.6.7.& plures & vna margarita bona, ibid. quod pretium, n. 7.& 16.& eod.c.15.Schol.n.7.
Margarita Christus, cui applicantur proprietates margaritarum, c.15.dig.2.à n.8.

Diua Maria Mater Dei.

D.Maria à Marcella benedicta dicta est, & vbi, c. 12.Schol. à n.87.ad 92.
De D.Mariæ vberibus, & ventre.c.12. Schol.n.92. variæ ad id figuræ allatæ, ibid.
D.Mariam esse benedictam confirmat Christus, c. 12.Schol.n.93.& quia mater est Christi absolutè benedicta dicenda, ibid.n.90.93.
Humilitas D.Mariæ, ibid.98.
D.Maria dupliciter mater Christi, ibid.n. 102. nec Christus negauit eam matrem, ibid.num.93.101. 101.
D. Maria mulier illa quæ abscondit fermentum in farinæ satis tribus, c.14.Schol.n.24. & eod.cap. dig.6.n.7.8.
D. Maria inprimis fermentata est fermento, quod est Christus, siue fides, c.14.digr.6.n.9.
D.Maria in corde suo abscondebat eloquia Dei, & secreta & virtutes, c.15.dig.vnic.n.14.
D.Maria prima olei Christi suauitate, & odore repleta fuit.c.16.dig.1.n.10.
D.Maria lilium liliorum, c.5.dig.8.n.7.
Quomodo sub D.Mariæ lingua mel, & lac, cap.10. digr.6.n.19.
D.Maria cur præter morem in domo Zachariæ tam multa loquuta dicitur, gratias agens Deo, cap. 10.digr.8.n.7.
D.Mariæ os portæ sanctæ simile, quæ tempore Iobelæi aperitur Romæ, c.10.dig.8.n.7.

Maria.

Mariæ in Euangelio tres tantum, c.11. theor.1.n.6. & c.16.theor.vnica n.2.

Martyres.

Sanguis Martyrum semen est Christianorum ex Tertulliano, c.14.dig.5.n.8.
Martyres Christi sanguine tincti persequutiones tolerarunt, c.4.dig.7.n.8.
Martyres sunt pelles rubricatæ de quibus Exodi, 25. c.8.dig.2.nu. 13. Eædem etiam mortificationem significant, & verecundiam, ibid.n.44.
Martyres multa paupertatis & inediæ incommoda tolerarunt, c.8.digr.3.n.1. Fuerunt columnæ, scopuli, turres, candelabra, tauri, ex Chrysost. ibid.
Martyrum patientia fœcunda, & tanto validior, quanto pluribus illi impetebantur malis, ex Theodoreto, c.8.dig.3.n.1.
Martyres plurimum sunt apud Deum auctoritatis; & quidem meritò, cum assertores, & testes sint diuinæ gloriæ & veritatis, ibid.n.3.4.
Martyrum victoriæ testis est paupertas, exuries & lacrymæ, quæ tria mundi iugulum petunt, ibid. num.5.
Martyres similes sunt granis in terram iactis, quæ sua fœcunditate, magnam Christo hominum multitudinem peperere, c.8.dig.3.n.6.
Martyrum admiranda constantia ex similitudine annosæ quercus, ibid.n.7.
Martyrum tanto illustrior victoria, quanto atrociora supplicia; ideò merito repræsentantur varijs instrumentis musicis cum hoc dicto: non percussa silent, & face deorsum versus inuersa, ibid.n.8.9.

Mater.

Qui mater, frater, soror Christi, c.12.Schol.103.

Matrimonium.

Causæ soluendi matrimonium, quoad torum plures sunt, quam fornicatio; & cur hæc inprimis nominetur, c.4.theor.7.n.9.
Quid addiderit Christus legi matrimonij circa dimissionem vxorum, c.4.Schol.n.117.
Matrimonium duobus in casibus dissolui potest certo, Tertius verò casus est controuersus, c.4. theor.7.n.1.2.3.
Matrimonij indissolubilitas, vndè nascatur, ibid. num.4.
Matrimonium per adulterium solui non potest quoad vinculum, c.4.theor.8.n.1.2.3.

Matthæus.

Diui Matthæi abstinentia, c.10.Schol.n.37.

Mel siluestre.

Mel siluestre quid, c.10.digr.6.n.19.

Mensa.

Mensa propositionis panum repræsentat altare diuinissimi Sacramenti, c.2.digr.1.n.2.3.& eod.c. digr.3.
Situs mensæ propositionis panum quis; quot essent hæ mensæ, & c.c.2.digr.1.n.7.8.
Mensarum tabulæ apud veteres ex qua materia, & quomodo mutarentur, c.11.digr.1.n.8.
Ad mensam sedere solebant pueri & fœminæ, c.11. dig.1.n.9.
Mos accumbendi ad mensam in lectis, num antiquior more sedendi, c.11.dig.1.n.4.5.
Accubuerit ne in lectis Christus cum discipulis, nec ne, c.11.dig.1.n.6.
In lectis quomodo recumberent, cap. 11. Schol. num.10.

Merces.

Mercedis vel meriti nomine Catholici quid intelligant, c.4.Schol.n.50.

Meridionalis Pars.

Meridionalis pars dicitur in scripturis dextera pars, c.12.Schol.n.76.

Messias.

Vide V.Christus littera C.

Messis.

Messis in Scriptura nouissimum tempus significat, cap.14.dig.3.n.12. licèt torcular vltionem, ibid.

Digitized by Google

Messis tempus apud Hebræos, c. 1. theor. 2. n. 3.

Minors

Quid significet, c. 13. theor. 4. n. 4.

Miraculum.

Ob tria Christus miracula corporibus, & animis depellendis contulit. c. 19. sc. n. 12.

Miraculum panum bifariam fieri potuit, c. 19. sch. num. 25.

Miraculum multiplicationis panum an omninò trans mare Galilææ in vlteriori ripa gestum, c. 19. schol. n. 5. 6. c. 21. schol. n. 67. 68.

Miracula facere sola voluntate, an signum certum diuinitatis, c. 6. schol. n. 7.

Miracula cur Christus præcipiebat cælari, cap. 7. schol. n. 14.

Miracula non quia quis edit verbo, vel iussu, ideò Deum se declarat, nisi & c. c. 9. schol. n. 12.

Misericordia.

Misericordia Dei est, quod promptior ad benefaciendum, quam puniendum, ex Chrysostom. & Philone, c. 14. schol. n. 9.

Misericordiam paruam magna remunerat Deus, c. 4. schol. n. 27.

Misericordia vel eleemosyna in scripturis iustitia etiam nominatur, c. 5. schol. n. 3.

Misericors qui non est, promereri misericordiam non potest, c. 5. dig. 3. n. 4. 5.

Misericordes, seu clementes duplices, c. 6. sch. n. 11.

Misericordiæ duo opera nos liberant ex Augustin. c. 8. schol. n. 57.

Missa.

Missæ tria illa verba, quæ in canone leguntur: per ipsum, & cum ipso, & in ipso efficaciæ sunt contra dæmonem, c. 12. theor. 3. n. 7.

Modus

Quæ mensura, c. 14. dig. 1. n. 4. 5. 6.

D. Monica.

D. Monicæ feruor in sumenda V. Eucharistia, c. 21. dig. 9. n. 5. fin.

Mons.

Quis mons fuerit in quo Christus est figuratus, c. 4. schol. n. 2. 3.

Morbi.

Morbi magnam vim habent, vt quis resipiscat, c. 1. digr. 5. n. 7.

Morbi sæpè ob peccata, c. 1. schol. n. 64.

Mors.

Mortis meditatio vtilis homini, cap. 5. dig. 1. à n. 7. vsque in finem.

Tres mortui resuscitati à Christo quid significent, c. 10. schol. n. 7.

Mortis duodecim dolores, c. 10. dig. 1.

Abbas Elias tres res timebat, inter quas prima mors, c. 10. dig. 1. n. 7.

Mors spiritualis per similitudinem mortis corporalis declaratur, c. 10. dig. 2. fuse.

Vt quis de morte spirituali ad vitam reuocetur: Christi vocem audiat necesse est, c. 10. dig. 2. n. 5.

De morte ad vitam quatuor modis vocat Christus peccatores, c. 10. dig, 2. n. 5.

Mira occursatio mortis, & vitæ, &c. accidit cum Christus occurrit adolescenti, qui mortuus asferebatur, c. 10. dig. 3. n. 3.

De morte immatura, & eius vtili recordatione, c. 16. digr. 4. fuse.

De immaturâ morte monendi sunt iuuenes, ca. 10. digr. 4. n. 1.

Per immaturam mortem sæpè homines scelesti abripiuntur, ibid. n 2. 3. 4. 10.

Causæ immaturæ mortis iuuenum sæpe sunt ea, quæ perditè amant, c. 10. dig 4. n. 5.

Mortis recordatio à malis auertit, c. 10. dig. 4. à. n. 13. vsque ad fin.

Mortis remedium mortis est meditatio, c. 10. dig. 4. n. 16.

Mors plures decepit sibi longæ vitæ spe blandientes, c. 10. dig. 4. n. 17. 18. 19.

Mulier.

Mulieres studeant humilitati, & verecundiæ exemplo Magdalenæ, c. 11. digr. 2. nu. 8. verbosæ ne sint, ibid. n. 9.

Mulieres fugiendæ, ibid. n. 12.

Mundani, Mundus.

Mundani homines, & animales, non percipiunt, quæ sunt Dei, & sanctorum, c. 12. schol. n. 10.

In mundo tria maximè eminent tribus digitis Dei significata, c. 12. schol. n. 31.

Mundanarum rerum cõemptus, inuidiæ remediũ efficacissimum, c. 16. dig 3. n. 13.

Mundus falsus Propheta, c. 6. dig. 4. n. 1. idem Hypocritæ comparatur, ibid. n. 2.

Decipiuntur & pereunt, qui mundum fallacem sequuntur, ibid. n. 3.

Mundus pix est, viscus, laqueus, mare absorbens, c. 6. dig. 4. n. 4. 5.

Fugiẽdus mũdus exemplo hirũdinũ c. 6. dig. 4 n. 6.

Spernenda eius bona, more nauigantium cum vrget tempestas, ibid. n. 7.

Mundanæ res vt puluis luctatoribus officiẽs, ibid.

Mundani homines arundini similes ob quatuor proprietates, c. 10. dig. 6. à n. 6. vsque ad 10.

Mundi corde

Deum vident, c. 4. schol. n. 28. 29. 31.

Mundum cor est locus Dei, in quo puteus aquæ viuæ ex Origene, c. 4. schol. n. 33.

Mundus corde quis, c. 4. schol. n. 28.

N.

Naaman, Syrus

Cur solus mundatus sit, c. 16. di . 4. n. 14.

Natalis dies.

Natalem suum diem celebrasse duntaxat duos in Scriptura legimus, Pharaonem & Herodem, c. 18. schol. n. 12.

Necessitas.

Necessitas medij, & præcepti declaratur, c. 21. the. 8. num. 1. 2.

Negotiatores.

Negotiatorum mundi proprietates, c. 15. dig. 2. nu. 1. eædem accommodantur negotiatoribus spiritualibus, ibid. nu. 2. adduntur & aliæ proprietates n. 3. quâ felices negotiatores spirituales, n. 4.

Neutralistæ.

Neutralistæ hæretici refutantur, c. 12. schol. n. 41.

Nobe

Quæ ciuitas, c. 2. schol. n 16.

Nosse Deum

Tripliciter dicimur, c. 6. schol. n. 49.

Nouatiani.

Nouatiani refutantur, c. 12. schol. n. 42.

Numerus.

Numerus 38. languoris est, schol. n. 26. 28. numerus 40. perfectionis, ibid.

O.

Obedire.

OBediendum Dei mandato quomodo. vide Ver. præceptum Dei, n. 139.

Oculi.

Oculi Dei perspicaces c. 5. theor. 1. n. 3.

Dei oculi eminenter cunctas videndi facultates, & modos continent, ibid. n. 4.

Oculi hominum carnei, ibid. n. 2.

Oculos sublevasse dicitur Christus quater, vel quinquies, c. 19 dig. 1. n. 1.

Oculorum Dei proprietates, ibid. n. 2.

Oculorum custodia, & quod duplices sint oculi boni, & mali, & qui, ibid. n. 3.

Digitized by Google

Oculus scandalizans, quis. ibid.
Ob oculos non custoditos quam multi decepti, ibid. n. 4. 5. 6. 7.
Oculorum cum tactu, & manibus magna cognatio, c. 19. dig. 1. n. 8. ex Basilio.

Operarij, Opera.

Operarij salutem animarum quærant, ipsi excitent quos ad Deum sanandos adducant, c. 1. sch. n. 33.
Operarij quomodo præparet Christo homines, vide V. Apostoli, n. 43.
Operariorum coadiutores, id est, qui cibum corporis subministrant illis, quo vacent saluti animarum sacrificium Deo offerunt, c. 2. schol. n. 19.
Opera bona omnia ad tria capita reuocauit Christus, c. 5. schol. n. 1.
Operibus bonis hominem iustificari, non tantum bonũ declarari contra Caluinũ, c. 6. sch. n. 47. 54.
Operarij iniquitatis qui, & operari iustitiam dupliciter dicimur, c. 6. schol. n. 51.
Operibus respondere optimus est respondendi modus, c. 10. digr. 5. n. 16.

Oraculum.

Oraculi portæ ex lignis oliuarum tria innuunt, c. 4. digr. 6. n. 5.

Oratio.

Orationi quantum prosit manuum mundities, c. 4. schol. n. 101.
Orationi, concordia multum prodest, ibi. sub fin.
Orandum frequenter, licet breuiter, & quid sit multum loqui in orando, c. 5. schol. n. 11. 12.
Quid opus est oratione si nouit Deus ea, quibus opus est nobis, antequã petamus? c. 5. sch. n. 13. 14.
Oratio Dominica declaratur. c. 5. schol. n. 15. & seq.
Oratio Dominica quot petitiones contineat, c. 5. schol. n. 35. 36.
Orationis Dominicæ præstantia, vndè sumatur. c. 5. theor. 3 n. 1.
Ter Dominicam orationem recitare quotidiè in constitutionibus Apostolicis mementur Christiani, c. 5. theor. 3. n. 1.
Orationis Dominicæ petitionum ordo digeritur, c. 5. theor. 3. n. 2. 3.
Petitionibus septem accommodantur septem Spiritus sancti dona, & septem beatitudines, ca. 5. theor. 3. n. 4.
De quibus peccatis in oratione Dominica sit sermo, dum dicimus: dimitte nobis debita nostra, vide V. peccatum §. de quibus peccatis.
An oratio Dominica competat B. Virgini c. 5. theo. 5. num. 4.
In oratione Dominica quæ debita præcipimur dimittere, ibid. n. 5.
Oratio Dominica est fidelium baptizatorum, c. 5. theor. 5. num. 4.
Oratio, Ieiunium, & Eleemosyna vtilissimè iunguntur, c. 5. dig. 3.
Orationis alæ duæ ieiunium, & eleemosyna, ca. 5. digr. 3. num. 1.
Cur Oratio cum Eleemosyna, & Ieiunio Deo gratissima sit, c. 5. digr. 3. n. 2.
Quid sit orando petere, quærere, pulsare, c. 6. scho. num. 28.
Oratio adiuuat ad perfectionem assequendã, ibid.
Ad orandum secedere exemplo Christi oportet omissis negotijs, c. 7. schol. n. 19.
Oratio Christi per totam noctem docet quantum nos orare debeam' pro salute nostra, c. 8. di. 1. n. 1.
Oratio Iudithæ incitat nos ad orandum, vt de hoste triumphemus, ibid. idem docet Esther, ibid. n. 2. idem Iosaphat, ibid.
Quibus exemplis pateat in omnibus angustijs ad asylum orationis profugiendum esse.
Oratio est cœlestis aquæductus, quem dæmon incidere conatur, vt olim Holofernes, ibid.
Efficacitas orationis quanta varijs exemplis declaratur, c. 8. dig. 1. n. 3,
Oratio in omni euentu, tempore, occasione, statu necessaria, ibid. n. 4.
Qui nõ orat facilè decipitur ab hostibus, quod exemplo Iosuẽ, & Israel ostenditur, ibid. n. 5.
Oratio maximè necessaria cùm eligendus est Prælatus, ibid. n. 6.
Orantis Ecclesiæ lacrymas respicit Christus, c. 10. dig. 3. n. 5.
Subinde ad orationis secretum confugiendum, c. 18. schol. n. 8.

Os.

Os aperire in scripturis quid, c. 4. sch. n. 5.

Ostendere

Idem aliquando est in Scriptura, quod dare, exhibere, c. 1. schol. n. 97.

P.

Pacifici.

Pacifici qui sint, c. 4. schol. n. 34. 35.
Pacifici cur Filij Dei. c. 4. schol. n. 37.
Pacifici similes Deo, c. 4. schol. n. 39.

Pœnitentes, pœnitentia.

Non est neganda pœnitentibus venia, c. 5. sch. n. 65.
Pœnitentia cito fiat, c. 1. theor. 3. n. 11.
Pœnitentia & labor breuis est, ideò portæ, & viæ comparatur, c. 6. theor. 3. n. 4.
Ad pœnitentiam expectat nos Deus; sed patientiam in supplicium vertet, nisi conuertamur, c. 5. dig. 5. n. 3. 4. 5.
Ad pœnitentiã si dum nos exspectat Dominus, ac iuuat, non conuertamur, erimus vt arbores steriles, recidemur, & in ignem mittemur, c. 6. dig. 6. num. 5. 6.
Pœnitentiæ grauissimæ habitus, cilicium & cinis, c. 10. schol. n. 40.
Conuertitur Deus post pœnitentiam ad peccatores, c. 11. schol. n. 24.
An pœnitentia sit maius beneficium, an verò innocentia, c. 11. theor. 3.
Pœnitentia peccatoris nihil Christo gratius, ca. 11. dig. 2. num. 1.
In pœnitentibus vt in desertis locum, & requiem non inuenit dæmon, c. 12. schol. n. 86.
Pœnitentiæ dare se debet peccator, & à licitis abstinere cum illum Deus flagellat, c. 12. dig. 4. n. 6.
Vera pœnitentia virtutum sibi opera habet semper adiuncta: quod eleganter explicat Chrysost. exemplo Pauli, & Iudæorum, c. 12. digr. 4. n. 7.
Quia ad pœnitentiam agendam nõ mouemur, vehementer timendum, ne in die iudicij Niniuitæ nos condemnent, ibid n. 8.
Pœnitentia Niniuitarum qualis, & quomodo à pœnitentibus imitanda, c. 12. dig. 4. n. 11. 12. vestitus pœnitentium qualis, ibidem.
In pœnitentia peragenda ad placandam Dei iram principes & Prælati alijs sint exemplo, ibid. n. 13. immò, & primi esse debent, ibid.
Ad pœnitentiam excitat August. c. 14. dig. 2. n. 4.
A pœnitentia cœpit prædicatio Christi, & Apostolorum, c. 17. schol. n. 13.
Tria hominum genera pœnitentiæ mare non ingredientium, &c. c. 19. schol. n. 9.
Pœnitentia, & conuersio peccatoris ad Deum duplici mœrore afficit hominem, quem Deus sua dulcedine compensat, c. 21. theor. 4. n. 7. 8.

Panis.

Quid nomine panis in scripturis intelligatur, c. 5. schol. n. 22.
Quid panis supersubstantialis, vel ἐπούσιος, cap. 5. schol. n. 23. 24.

Panis propositionis.

Panes propositionis cur sic dicti, & quales, c. 2. sch. num. 17.

Digitized by Google

Panum propositiones ifuse declarantur nomina, ordo, numerus, an essent azymi, quomodo in mensa collocarentur, pondus, vel magnitudo &c.c.2.dig.2
Panes propositionis à quibus præpararentur & offerentur, ibid.n.16.
Panes propositionis in quibus significarent V.Eucharistiam fuse, c.2.dig.3.

Parabola.

Parabola quid & cur parabolis vsus Christus, c.13. schol.n.5.6.
Parabolas explicandi modi tres, c.14.schol.n.13.
Parabola, propositio, problema, ænigma, parœmia, Prouerbium, quid, c.14.schol.n.25.27.

Paralyticus.

Inter duos Euangelicos paralyticos, hunc piscinæ, & alterum Matth.9.differentia, c.1.sch.n.30.35.
Paralytici ad piscinam virtutes, c.1. schol.n.36.41. 48.51.60.
Languidus apud piscinam quo morbo laborarit, c. 1.sch.n.29.& quo die sanatus, c.2. the. vnic. n.4.

Parentes.

Parentes nutriant Christo filios c.10.dig.5.n.4.
Parentes propter Christum relinquendi exemplo Christi, c.12.schol.n.101.

Pater Deus.

Pater testimonium tripliciter perhibet de Christo c.1.schol.n.145.
An Patris vox, quę aliquando au[illegible]c.1.sch.n.146.

Paterfamilias

Similis esse debet centro circuli, & se præbere debet exemplum virtutis, c.5.theo.4.n.3.

Patientia.

Patientiæ in primis & tolerantiæ præmia promittuntur, c.4.schol.n 44.
Patientia nitendum nobis est, vt vitam ad sempiternam glorię coronam muniamus. vide V.Beatitudo.§.Tolerantia viam.
Nulla est virtus perfecta, quæ non habeat comitem patientiam, c.4.dig.8.n 1.2.3.
Patientiam operatur tribulatio & persequutio, ita vt patientia sit veluti terra fructifera, cap.4. dig.8.n.4.
Patientiæ addit vires caritas. vide V. Caritas.§. Quantæ vires.
Patientia iniurias repellit, vt dura petra, easque dispungit, vt telum contra petram durissimam coniectum & repercussum, c.4.dig.14.n.7.
Patiens à nullo læditur, c.4.dig.14.n.8.9.
Patientia tribus modis exercetur ex Gregor.cap.4. dig.14.n.11.
Patienter ferentium iniurias vtilitates, c.4. dig.14. num.12.13.14.
Patientia exemplo patrisfamilias tenenda est, ca. 14.schol.n.10.& eod.c.dig.3.n.6.
Dei patientia. vide V. Deus.§.Dei immensa.

D.Paulus

Vbi prædicauerit, c.8.theor.3.n.2.

Pauper, Paupertas.

Pauper tribus modis sumitur in scripturis, cap. 4. schol.n.10.
Pauperes spiritu qui, c.4.schol.n.10.11.
Pauperes triplices sunt, ibid.n.12.
Paupertas prima beatitudinum, ibid.n.13.
Pauperibus diuitiæ promittuntur, ibid.n.14.
Paupertas quoddam martyrij genus est, cui merito regnum cœlorum promittitur ex Barnardo, c.4.schol.n.46.
Paupertas securum reddit hominem ab inimicorũ insidijs, tanquam tutum præsidium, c.8.dig.4.n. 6. graui nos pondere exonerat; onerant enim diuitiæ, ibid.n.7.8.
Paupertas iuuat ad benè operandum, ibid. n. 9. ac accendit sitim rerum cœlestium, ibid.n.10.
Pauper similis columbæ. vide V. Diuitiæ.§. Dives similis.
Paupertas dum hominem rebus priuat fluxis, diuitem in Deum facit, c.8.dig.4.n.12.
Pauper cum manus habeat vacuas rerum terrenarum, regnum cœlorum rapere potest, contra ac diues, ibid.n.13.
Paupertas vberrima terra cum fenore reddes fructum, ibid.n.14. eadem est felix negotiatio, ibid. n.15.16.

Pax.

De pace & concordia remissiuè, c.12.schol.n.27.

Peccare, Peccatum, Peccator.

Peccare potest homo contra Iouinianum etiam post Baptismum, & iustificari; c 1.schol.n.64.
Peccatori vt sanetur duo necessaria odium morbi, & desiderium sanitatis, c.1.schol.n.34.
Peccatori ad sanitatem mentis reuocato, præstanda, quæ Christus iussit paralytico, c.1. sch.n.44.
Peccantium triplex genus, aridorum, cæcorum, claudorum, c.1.digr.2. n.5.8.& c.10.schol.nu.10. habes item aliud triplex peccantium genus.
Peccator vbi sanatus à peccato caueat iterum casum, c.1.dig.2.n.10.11.
Peccatorum in delicto perseuerantium subitum supplicium, c.1.digr. 5.n.2.3.4.5.6. de istis queritur Deus, ibid.n.8.
Peccatoribus immittit morbos, & mala Deus, vt resipiscant: quod si nolint tandem punit æternis pœnis, c.1.dig.5.n.9.10.11.12.
Peccantium quorundam mirus est veternus, & socordia, c.1.dig.5.n.6.8.10.11.12.13.
Peccatori, qui manum non porrigit, quassatum calamum confringit, c.3.schol.n.31.
Peccatorum animæ terræ nomine intelliguntur, quam serpens comedit, c.4.dig.9.n.2.
Peccatores qui intelligantur, c.4.schol.n.157.
Peccatores propter Dei obliuionem, ita viuunt, ac si à Deo non aspicerentur, c.5.theor.2.n.1.
Peccatoris prudentis typus Herinacius, c. 5. dig.9. num.3.
Peccatores per viam latam ad interitum tendunt, c.6.theor.3.n.5.
Peccator similis paralytico qui puer erat Centurionis, c.9.schol.n.5.
Peccator similis Hericio, c.10.dig.1.n.6.
Peccatoris obstinatio cum magna ingratitudine coniuncta, c 11.dig.3 n.3.4.
Peccator repræsentatur in Iona fugiente à facie Domini, c.12.dig.3.n.3.
Peccatores quamuis sibi sapientes comprehendit Deus in astutia eorum, ibid.n.4.
Peccatores dum à Deo fugit, incidit in magnas angustias, sibique emit luctus, & tempestates. ibi. n.5.6. & idem dum fugit à Deo nihil aliud facit, quam quod à Deo propitio fugit ad Deum iratum, ibid.n.7.
Peccator nisi peccata sua proijciat in profundum maris, pacem non habet, nec illi proderunt mundi solatia, ibid.n.9.
Peccatori magnum beneficium fit cum illum Deus castigat, vel persequitur, vt ad se redeat, ibid.n. 10.11.12.13.
A consuetudine peccatorum fugiendum c. 12. dig. 4.num.2.
Peccatores in medijs periculis, quasi omnia sint secura, dormiunt, c.12.dig.4.n.3.4.
Quantæ sit admirationi quod relicto Deo peccator fluxis rebus se tradat, c.12.dig.4.n.9.
Peccatores malo fermento similes, c.14.dig.6.n.13.
Peccatum pondus maximum, c.12.dig.4.n.1.
An peccatum sit peccati pœna, c.13.theor.5.
Peccatum grauius est post præteritam remissionem, c.1.schol.num.64.& digr.2. num.10.11.& grauius

Digitized by Google

grauius punitur, ibid. schol. n. 66. & digr. 5. nu. 1. 2. 3. 4. 5. 14.
Peccati Deus nullo modo est causa, quatenus peccatum est, secus tamen qua pœna, vel medicina est. vtitur enim Deus malis aliorum voluntate in bonum, permittens malum propter bonum, c. 4. dig. 15. n. 12.
Peccata cur debita dicantur, c. 5. theor. 5. n. 1. 2.
De quibus peccatis sermo sit cum in oratione Dominica dicitur: dimitte nobis debita nostra, c. 5. theor. 5, n. 3. 4.
Peccata cur trabi comparentur, c. 6. schol. n. 21.
Peccatum Originale astruitur, c. 12. schol. n. 40.
Peccatum in Spiritum sanctum, ibid. n. 43. & theo. 4. & theor. 5. à n. 8. in finem, quomodo irremissibile c. 12. schol. n. 44. & theor 5. vsque ad n. 8.
Peccatum, vel Verbum in Filium, ibid. n. 45. 46. 47.
Cur dicatur peccatum in Spiritum S. potiùs cum sit contra diuinitatem, ibid. n. 48.
Propter peccata Deus ab homine recedit, c. 16. dig. 4. n. 18. & quam id miserum sit, & horrendum, c. 21. schol. n. 60.

Pedes Domini.

Duo sunt misericordia, & iudicium: hos simul amplexari & osculari decet cum Magdalena, c. 11. schol. n. 12.

Pelles.

Pellium varia genera sunt in scriptura, quarum aliquas nobis detrahere debemus, aliquas verò quærere & conseruare, c. 8. digr. 2. à n. 10. vsque in finem.

Perfectio.

Perfectionis impedimenta & adiumenta, c. 4. the. 1. num. 5. 6.

Persecutio.

Persecutionis vox fidei cursum significat, & in currendo victoriam indicat ex Nysseno, c. 4. schol. num. 43.

Perseuerantia.

Perseuerantia dupliciter sumitur, c. 21. theor. 9. n. 1.
Perseuerantia, vel finalis gratia effectus Venerabilis Eucharistiæ, c. 21. theor. 9. à num. 5. ad fin.

D. Petrus

Cur primus nominetur ab Euangelistis, c. 8. theor. 2. num. 3. 4. 6.
Vbi prædicauerit, c. 8. theor. 3. n. 2.
D. Petrus coniectus in carcerem illum videtur, qui vocabatur Betiso, c. 9. theor. 1. n. 11.
Diuorum Petri, Pauli, & Timothei abstinentia, c. 10. schol. n. 37.
D. Petri domus, c. 12. schol. n. 3.
D. Petrus primus cõuertit gentilem; qui fuit Cornelius, c. 17. theor. 1. n. 7. 8.

Pharisæus.

Pharisæus superbus, malè collegit Christum non esse Prophetam, c. 11. schol. n. 19.

D. Philippus.

D. Philippo dicta illa: sequere me & dimitte mortuos &c. c. 8. schol. n. 19.
D. Philippus quo anno obierit, vbi, & quomodo, c. 8. schol. n. 19. Asiam superiorem solus excoluit & partem Scythiæ cum Bartholomæo, ibid. & theor. 3. n. 2.

Piscina.

Piscina probatica cur sic dicta, c. 1. schol. n. 9. 10. 11. vide item. V. Berechah.
Sex res mirabiles in piscina, c. 1. schol. n. 15.
Piscina cincta muro erat, c. 1. schol. n. 16. quinque eius porticus & languidorum multitudo moraliter quid, c. 1. theor. 3. n. 12.
Piscinæ historia contra Anabaptistas defenditur, c. 1. schol. n. 17.
Piscinæ origo & finis, c. 1. schol. n. 17.
Piscinæ motus an certo tempore fieret, & an semel in anno, c. 1. schol. n. 20. 21.
Cur nisi mota aqua non sanaret piscina, c. 1. theor. 3. num. 7.
Piscinæ an ad sanandum impressa virtus, c. 1. schol. num. 22. 23.
Piscina an habuerit gradus, c. 1. schol. n. 46.
Cur tam mirabilia ad piscinam Deus faceret olim, c. 1. theor. 3. n. 1. 2. 3. 4.
Piscina repræsentat Baptismum. vide V. Baptismus, significat item pœnitentiam, c. 1. theor. 3. num. 7. 8. dig. 2.
Cur ad piscinam vnus & primus sanaretur, cap. 1. theor. 3. n. 9. 10. 11.
Quot piscinarum mentio in scriptura c. 1. dig. 1.
Probaticæ piscinę auctor, c. 1. dig. 1. n. 1. 2. 4.
Piscina vnde aquas haberet, ibid. n. 3. 4. vbi sita n. 5.
Piscinæ aquis vt sanaretur quis tria habere debebat, quæ significant tria sanitati animæ necessaria; item qua ad spiritualem piscinam, quæ est Christus, patet ingressus, & per quas ianuas & porticus, c. 1. dig. 2. n. 1. 2. 3. quid illa tria ægrotorum genera significant cæcorum, claudorum, aridorum; & quod hi debeant iuxtà piscinã esse patienter aquæ motum expectantes, ibid. n. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Plaga.

Plagæ quod genus morbi, c. 3. schol. n. 21.

Porta.

Porta gregis vbi, c. 1. schol. n. 9.
Porta vallis, an porta gregis, c. 1. dig. 1. n. 6.
Porta fictilis vbi, c. 4. theor. 6. n. 5.

Præceptum Dei.

Præceptum Dei c. 3. schol. n. 31. ex Basilio.

Prædestinatio.

Num Christus fuerit causa meritoria prædestinationis, & electionis hominum, c. 21. theor. 2. fuse & quod non solum dilectionis efficacis causa fuerit, c. 21. theor. 3. n. 7.
Christus non fuit causa, vt prædestinarentur, vel eligerentur hi potiùs quam illi, licèt peculiari modo merita sua quibusdam applicauerit, & pro eis efficaciter orauerit, c. 21. theor. 3. n. 8. 9. 10.
Quomodo prædestinationis, electionis, dilectionis diuinæ causa esse posit, c. 21. theor. 3. n. 11.
Prædestinatio, electione Christi prior fuit prædestinatione, & electione aliorum, ibid. n. 12.

Prælati.

Prælati columnarum templi Basibus significantur, quibus tria erant insculpta, leones, boues Cherubim, c. 4. dig. 9. à n. 7. vsque in fin.
Prælatis magna opus est fortitudine animi, cap. 4. dig. 9. nu. 11.
Prelatis salis proprietates accõmodãtur, c. 4. di. 10.
Prælati sapphiris comparantur, ibid. n. 2.
Prælatus iustitiam seruare debet cum omnibus, vt sit sali similis, ibid. n. 3. 4.
Prelati quomodo ad dignitates venire debeant per humilia, sale indicatur, ibid. n. 5. 6.
Prælati quomodo se conseruare in alto loco debeant, salis ostenditur similitudine, ibid. n. 7.
In prælatum, vel principem eligere ineptum quãtum malum, c. 4. dig 11. n. 1.
Quantum bonum sit bonũ eligere prælatũ, ib. n. 2.
Prælati vel principis insipientis remedium, silentium est, ibid.
Prælato, vel principi, quæ sapientia necessaria, ex gallo desumitur, ibid. n. 5. 6. 7.
Prælatus sceptro oculato repræsentatur, ibid. n. 4.
Prælatus Ecclesiæ fenestra, ibid. n. 3.
Prælato & doctori in increpando, & exhortando, virtus discretionis necessaria, ibid. n. 5. 6.

Digitized by Google

Prælatus, & doctor prius se excitet vt gallus, deinde cantū edat seu hortetur alios, c.4.dig.11.n.7.
Prælati & doctores quantum peccent cum negligunt colligere suos ex Gregorio, ibid.n.8.
Prælatus vel doctor qui alios ad virtutem excitat, & malus est quantum noceat, ibid.nu.9.
Prælati & doctoris est lucere, & ardere, n.10.
Prælatus vel princeps oculus est reipublicæ, cap.5. theor.1.n.1.
in Prælatos eligendi non debent se intrudere, sed vocari, c.8. schol.n.8.
Pastores vel prælati boni diu quærendi sunt per orationem, c.8.digr.1.n.6. delitescunt enim velut in latebris, instar thesaurorum, ibid.n.7.
Quatuor prælatis inesse debent, quæ fuerunt in Apostolis. vide V.Apostoli.
Prælati significantur per pelles tabernaculi tegentes vela, vt est Exodi, 26.c.8 dig.2.nu.13.
Prælati debent exemplo Dei in applicandis hominibus ad varia officia, propensiones etiā singulorum expendere, vt tanto suauius res administrent, c.11.digr.3.n.8.9.
Prælatorum ac principum humilitas, qua se seruis Dei subijciunt quantum valeat. vide V.humilitas, §.Humilias & Subiectio.
Prælati qui non sunt operarij, indigni sunt cibo, c. 17. schol.n.23.
Contra Prælatos, qui sacris ordinibus, & Ecclesiasticis dignitatibus, dumtaxat victum & reditus quærunt, c.21. schol.n.3.

Propitiatorium.

Propitiatorium quid, & quomodo ante illud duo erant Cherubim, c.5.digr.5.n.3.

Propositio.

An hęc propositio sit propria: hic homo est Deus, sicut hæc: hic homo est prædestinatus, vt sit filius Dei, c.1.theor 6.n.2.

Prouidentia.

Prouidentia Dei circa flores superat Salomonis gloriam, c.5.schol.n.54. vide Ver.Lilia, §.Lilijs duo.
Prouidentia Dei & sollicitudo erga hominem, c. 5.digr.7.n.2.ex Chrysologo.
Dei prouidentiam ostendit Herinacius, c.5.dig.9. nu.1.2.
Argus qui mundum significat, Dei prouidentiam declarat, c.5.digr.4.n.2.
Prouidentia Dei duplex, c.17.schol.n.44.

Proximus.

Proximus portandus est, & sic ad Dominum eundum, c.1.schol.n.27.
Quanti Deus faciat proximi gratiā & amicitiam, c.4. schol.n.100.

Prudentia.

Vide Ver. Serpens. & V.Simplicitas.

Publicani.

Publicani qui, cap.4. schol.num.155.

Purgatorium.

Purgatorium colligitur, c.12. theor.5.nu.49.

Q.

Quadrans

Quid sit, cap.4. schol. num. 103.

R.

Rachá

Quid sit, cap.4. schol. num. 96.

Raphael

Videtur is Angelus qui piscinam turbabat, cap.1. schol.n.19.

Rationale.

de Rationali summi Pontificis, cap.14. digress.7. nu.2.3.

Regina.

Regina Austri cuius regionis fuerit regina, cap.12. schol. n.73.74.
Regina Austri non fuit AEgypti, vel AEthiopiæ regina, ibid.nu.74. dicta est Nicotris, ibid. nu.76.vel Maqueda, seu Macheda, alij Nicaulem vocant, ibid.

Regnum Dei, vel cælorum.

Regnum cælorum tribus modis sumitur, c.4.scho. num.81.
Regnum Dei quadruplex est, c.5.schol.n.19.
Regnum Dei iustitia, c.5.schol.n.57.58.
Quærentibus primum regnum Dei hæc omnia adijciuntur, id quod declaratur, & exemplis illustratur, c.5.digr.7.n.12.13.
Regnum Dei nunquam omninò tollit, sed minuit regnum diaboli, c.12. schol.n.32.

Reliquiæ.

Reliquiarum veneratio confirmatur, c.21. schol. num.70.

Remissio peccatorum.

Remittit Deus peccata dupliciter vt & sanet corpora, c.11.schol.n.33.

Repudium.

Libelli repudij exemplum (Deut. 24.1.) c.4.schol. num.114.

Respondere

Quid interdum Hebraicè significet, c.1.n.70.

Resurrectio.

Resurgent etiam mortui infantes in vtero, & qua ætate, cap.1.schol.n.122.& an iudicandi an torquendi, ibid.
Quo loco resurgent mortui, c.1.schol.n.126.
Resurrectio duplex, vitæ & iudicij, cap.1..schol. num.126.
Resurrectionis communis memoria, & nouissimæ tubæ, cap.19.digr.3.n.8.

Robur.

Robur carcer erat tenebricosus apud Romanos, item barathrum; thesaurus verò apud Messenios, item Betiso Hierosolymis, cap.9. theor.1. num.10.11.

S.

Saba, Sabæi.

Saba dicti fuêre duo præsertim in scripturis, ca. 12.schol.n.72.
Sabæi duplices: Sabæi Asiatici triplices, & alij item Sabæi Africani, ibid.

Sabbatum.

Sabbato licebat Iudæis ad duo millia pedum ambulare, c.1.schol.n.49.
an Sabbatum Christus violarit. vide Ver.Christus, §.Christus an violarit.
Cur præceperit Deus Sabbatum obseruari, & quæ opera essent prohibita, remissiuè, c.1.the.4.n.3.
an Sabbato, id est, die septimo, an verò die sexto compleuerit Deus opera sua, c.1.digr.3.
Quid sit Deum benedixisse diei septimo, seu Sabbato, c.1.digr.4.n.2. & quid sit sanctificasse die sabbati, ib.n.3. an ab initio mundi Deus astrinxerit homines ad diei sabbati obseruationem, ib.n.4.5.6.quid sit Deum cessasse ab omni opere suo quod creauit Deus vt faceret, ibid. n.7.8.
Sabbata numero plurali quid, c.2. schol. à n.3.ad 9.
Sabbatum secundò primum quid, c.2.schol.n.9.& theor.1.
Sabbatum interdum pro Festo: differentia item inter Sabbatum pro Festo, & pro septimo die, c.2.schol.n.7.8. & in theor.vnic.n.2.

Sacerdotes.

Contra Sacerdotes qui indignè offerunt immaculatum Sacrificium, c.1.digr.8.n.2.3.

Sacramentum.

Sacramenta,& Dei mysteria cur margaritis comparentur,c 6.schol.n.26.

Sacramentorum duo priuilegia, & quod ex attrito faciunt contritum, & quod ob ipsum Sacramentum accipit homo gratiam vltra illam quæ datur ex opere operantis, c.21. digr.5. n.5.6.

Salis pactum.

Salis pactum quod,c.4.schol.n.57.

Salomon.

Salomonis cultus & Hebræorum remissiuè, c.5. schol. nu.54. fin.

Sanctus.

Vox Sanctus quid significet fusè, c.3. schol.n.39.

Sancti ac pij homines, cursores sunt, & pugiles, c.4.digr.5.n.9.

Satan

Vnde sic dictus, c.12.theor.2.n.1.2.3.

Satisfactio

Opera omnia satisfactoria ad tria reuocantur,c.5. digr.3. n.6.7.8.

De tribus operibus satisfactorijs oratione,eleemosyna,ieiunio qui tractent,c.5.digr.n.8.fin.

Satum.

Satum quid, cap.14. digr.1.

Scandalum.

Scandalum, quo homines quis auertit à Deo, quam graue scelus sit,c.10. digr.5.n.6.

Scandalum non venit nisi in terreno mundo ex Chrysost. c.10.digr.5.n.11.

Sceba,& Seba.

Sceba,& Seba vtraque est in Arabia felice cap.12. schol.n. 75.

Scolion.

Scolion quid, c.18. schol. nu.18.

Scriptura.

Scriptura obscura est,c.1.schol.n.148.

Scripturarum finis.vide Verb. Christus,§.Christus finis.

Scripturam habuere Iudæi obsignatam, c.1.schol. num.17.

Semen, Seminator.

Seminator Christus. vide Ver.Christus,§.Christus seminator. & Ver.Dæmon, §. Dæmon seminator.

Seminator est Concionator. vide Verbo Concionator,§.Concionator seminator.

Semen in qua terra non fructificetur, c.13. theor.1. à n. 4.vsque ad 11.

Semen dicitur tam doctrina quã bona opera, c. 13. theor.1.nu.8.

Quæ terra apta semini, c.13.theo.2.à.n.1.vsq; ad 4.

Semen in tribus terræ partibus seminari, quid significet,c.13. theor.2. n.11. fin.

Semen vt in terra fructificet,tribus rebus eget,ibidem nu.12.

Semen iactum in terram bonam affert fructum in patientia,& quid hoc sit,ibid. nu.13.& cur non æqualem,sed maiorem, minoremve fructum, proferat, ibid. n.14.

Sepultura.

Sepulturæ cur tradantur corpora fidelium,cap.10. schol. n.3.

Ad sepulturam à quatuor portatur miser peccator c.10.digr.2.n.4.

Qui ad sepulturã funera conducunt placent Deo, c.10.digr.3. n.4.

Sepultura quibus nominibus nominetur in scriptura, c.12. schol.n.67.

Sermo Domini.

De sermone Domini in monte qui agant,c.4.scho. num. 1.

Summa sermonis Domini in monte, c.4.theor.1.

Serpens.

Serpentum genera alata,c.13.theor.1.n.6.

Serpentis quomodo imitanda prudentia, cap.17. schol.nu.32. vide V.Simplicitas, §. simplicitas columbæ.

Serui Dei.

Seruitutem hominis quanti Deus faciat. vide V. Deus.§.Deus quanti.

Serui Dei septem prærogatiuis donantur à Deo, quæ significantur septem singularibus beneficijs,quæ olim Hebræi habuerant, c.5.digr.5.

Serui Dei arca testamenti figurificantur illiq; similes sunt,c.5.digr.5.n.2.

Seruorum Dei Christus est propitiatorium, illos custodiens,& illustrans,&c. ibid. n.3.

Serui Dei fulgent,ibid. num.4.

Serui Dei oleo Spiritus S. vnguntur vt robusti sint ad certandum,&ad currẽdum,& vt lucidi sint, ibid n.5.

Serui Dei Sacerdotes,& Reges sunt,ibid.

Serui Dei igne de cælo misso purgantur, ibid. n.6.

Seruis Dei cælestis luminis participatio inest,n.7.

Serui Dei, vel iusti fœcunditas triplex, ideò similis est arbori fructiferæ,ibid.

Triplici fructu alit seruos suos Deus,ibid.n.8.

Seruo Dei timendum ne priuetur Dei beneficijs, ibid. n.9.

Iis qui Deo seruiunt,illumque timent nihil deerit, c.5.digr.7.n.9.10.11.

Serui Dei ac iusti labia sunt Christi, & lilia agri, propter tria quæ lilijs insunt, c.5.digr.8.n.1.

Serui Dei,vel iusti licet non laborent,vt nec lilia, cooperiuntur tamen melius,quam Salomon in omni gloria sua, c.5. digr.8.n.2.

Serui Dei delicijs affluunt vt lilia,licet distillent myrrham primam,& circũferant corpus mortis, c.5.digr.8.n.3.

Serui Dei suam excellentiam & iustitiam silentio contegunt,ibid. n.6.

Serui Dei etiam si iuuenes moriantur nunquam tamen immaturi moriuntur,c.10.digr.4.n.8.9.

Seruorũ Dei gloria pati pro Christo,c.10.dig.5.n.1.

Serui Dei cur tanto studio ferantur ad vincula,& tormenta,c.10. digr.5.n.2.

Serui Dei carcerem vertunt in templum, at impij de templo faciunt prostibula, & carcerem diaboli, ibid.n.3.

Serui Dei quanto studio prosequantur filios spirituales allatis exemplis ostenditur, c.10.digr. 5. nu.5.

Serui Dei se ciues cælorum esse ostendunt tribus rebus, ibid. fin.

Seruos suos,& iustos quanti faciat Deus,c.14.dig. 3. n.3. 4. 5.

Nisi serui Dei essent væ mundo,ibid.n.1.eod.

Serui Dei sunt mundo magnum beneficium sunt enim bonum fermentum,c.14.digr.6.n.13.

Seruus.

A seruis duo exhibenda dominis, diligẽtia & fidelitas,c.8. theor.

Sextarius, Quæ mensura,cap.2.digr.2.n.12.13.

D. Simon.

Simon cur Chananæus,& Zelotes dictus,differt ab illo, qui centum viginti annos natus crucifixus est,c.8.schol.n.28.

Vbi prædicarit,ibid.theor.3.n.2.

Simoniæ.

Cur per Simoniam vendi nequeunt spiritualia, c.17. schol. n.15.

Simplex,Simplicitas.

Simplex quis,c.4. schol. num.30.

Simplicitas columbæ coniungenda cum serpentis prudentia,c.17.schol.n.33.

Digitized by Google

Sinapis.
Sinapis Christus est & regnum cælorũ, id est, verbi Dei prædicatio, vel Ecclesia, c.14. schol. n.18. 19. item Christus similis sinapi, ca.14. digr.5. n.2.
Sinapi significare potest singulos homines, ib. n.19
Sinapis proprietates, c.14. digr.5. nu.1.
Quomodo sinapi similis debeat esse Christianus, c 14. digr.5. n.12.
Grano sinapis gratia similis est, vide Verb. Gratia §. ad Gratiam Dei.
Sollicitudo.
Sollicitudo quæ vituperanda, c.5. schol. n.49.51.
Sollicitudinem malam sex rationibus tollit Christus, ca.5. schol. nu.51.52.54.56. septimam rationem vide nu.60.
Sollicitudinem malam ad mortem vsque vitare debemus, c.5. digr.6. n.1.
Ad sollicitudinem vitandã iuuat Deo inniti cum sponsa, & præcepta seruare, c.5. digr.6. n.1.2.
Tribus locis D. Thomas de sollicitudine mala agit, c.5. digr 6. n.3.4.6.
Quadruplex est sollicitudinis inordinatio, cap.5. digr.6. n.3.
Sollicitudo temporalium tripliciter potest esse illicita, c.5. digr.6. n.4.
Sollicitudo intempestiua quæ, ex D. Thoma, c.5. digr.6. nu.6.
Sollicitudo de crastino quomodo intelligatur, ca. 5. digr.6. n.7.
Sollicitudines noxiæ septem, ibid.
Cura Dei erga coruos nostram redarguit sollicitudinem, c.5. digr.7. n.3.
Sollicitudinem alit immodicus diuitiarum amor, c.5. digr.7. n.4.
Sollicitudinem terrenarum rerum & curam præcedere debet cælestium cura, & sollicitudo, quia cælestia terrenis priora sunt, c.5. dig.7. n.14
Qui solliciti de terrenis sunt non saturantur, c.5. digr.7. n.15.
Sollicitudo rerum temporalium ita absorbet, vel inebriat hominem, vt dies suprema tãquam laqueus illi superueniat, c.5. digr.7. nu.17.
Somnus, Vide Verb. Dormire.
Ex somno fit in Ecclesijs, & religionibus tanta in peius mutatio, c.14. digr.2. n.8.
Somnus prælatorum, plurimorum malorum, & hæreseon causa, c.14. digr.2. nu.9.
Somnus oscitantiæ, & ineptiæ torpor quanta inuehat mala, ibid. nu.10.
Somnum suum, & torporem quantum deplorare debeat peccator, ibid. n.11.
Somno licet dediti sint homines, vigilat tamen Deus; nec illum latent dæmonis astutiæ, ib. n.13.
Speculatores.
Speculatores, vel potius speculatores quid significent, c.18. schol n.22.
Spiritus sanctus.
Spiritus S. digitus Dei, & cur. filius verò manus, & brachium, c.12. schol. n.28.
Analogia inter digitum & Spiritum S. ibid. hoc digito scripta lex, ibid.
Stagnum Genesareth, vel Genesar.
De hoc, cap.19. schol. nu.1.2.3.4.
Superbi.
Superbi lepra à Deo puniebantur, c.7. dig.2. n.1.2.
Supplicia.
Supplicia quæ Deum comminatur ijs, qui alios auertunt à Deo & virtute, eosque scandalizant, c.10. dig.5. à nu.7. vsque ad 11.

T.

Templum.
AD Templum Hierosolymitanum ter singulis annis Iudæi conueniebant ex legis præscripto, cap.1. schol. numero 5.
In templo Hierosolymitano fuit ingens fons ex Aristæa, c.1. schol. n.12.
Tenebræ.
Tenebræ exteriores quæ dicantur, c 9. theor.1.
Tenebræ exteriores significant carcerem in modũ putei tenebrosum extra muros Hierosolymitanos propè Caluariæ locum, c.4. theor.1. nu.9. vocabatur & Betiso, ibid. n.11.
Terra.
Terra bona quæ, vide Ver. Semen, §. Quæ terra apta.
Tetrarcha.
Tetrarcha quid, cap.18. schol. num.5.
Theodorus.
Theodori Mopsuestiæ hæresis, quòd scripturæ veteris Testamenti de Christo historicè non loquantur, refutatur. c.1. theor.8.
Thesaurus
Quid interdum significet, c.8. schol. n.63.
Thesaurus verus quis nam, c.15 dig.1. n.1.
Thesaurus quid. ibid. n.4. & schol. n.6. vide item Ver. Christus.
An thesaurus inuentus in agro empto totus cedat emptori, qui sciebat ibi latere illũ, c.15. sch. n.8.
Thomas.
Thomas Dydimus cur dictus, & quod Ioãnes eius tantum nomen est interpetratus, non aliorum Apostolorum, c.8. schol. n.21.22.
Tiberias, Quæ ciuitas, c.19. schol. n.1.2.
Timor.
Timor mundanus excludendus, c.17. schol. n.40. 41. Timor Dei præponendus, ibid. n.41.
Topheth.
Vbi Topheth, c.4. theor.6. n.5.
Quid sit Topheth, & vnde dicatur, c.4. theor.6. num.6.
Tractio.
Aliter homo trahitur à Deo, aliter à creaturis, ca. 21. theor.4. n.2.
Vox tractionis quid insinuet, c.21. theor.4. à nu.3. vsque ad 10.
Quibus nos modis trahat Christus, c.21. theor.4. nu.5.6.7.
Tractio Deo Patri cur tribuatur, ibid. n.10.
Ex tractione multa stabiliuntur dogmata fidei, ibid. nu.11.
Num quod homo non trahatur eius culpa fiat, cap.21. theor.5. vide item V. Gratia, § qui gratiam.
Trans Iordanem.
Trans Iordanem quæ regio, c.3. schol. n.19.
Tribulatio, Tentatio.
Tribulatis, & destitutis hominum auxilio, Deus maximè subuenit. vide V. Deus §. Deo maximè.
Tribulationis expers iustus aliquis non ex Chrysostomo, c.4 schol. n.41.
Qui tribulationibus purgantur filij Dei sunt, ibid. num. 42.
Extra tribulationis disciplinam positi si qui sunt adulterini, & non simpliciter filij sunt, ibid.
Tribulatio, & patientia reges facit, ibid.
Cùm tribulatione, & tolerantia Christi pax coniuncta esse debet, ibid. n.45.
Probat Deus tribulationibus suos vt aurũ in fornace, vt triticum in area, & vuam in torculari, c.4. digr.7. n.2.4.5.
In tribulatione non est deficiendum, ibid. n.3.
Tribulatio & persecutio tanquam lapis Lydius, cap.4. digr.8. n.5.6.
Tribulationum aquæ insulsæ, & amare quomodo suaues, & dulces euadant. vide littera E. §. Euangelica Ver. Euangelium.

Digitized by Google

Qui in Christum credunt tribulationes & persecutiones patientur, c.6. schol. nu. 52.
Tribulationes pro Deo toleratæ magnâ fiduciam præbent eas sustinentibus, facilè se omnia obtenturos à Deo quæcumque petierint, c.10. dig. 5. nu. 12. 13. 14. 15.
Cùm à malis tribulamur, iudicij tempus in mentem reuocemus: tunc enim separabuntur tandé mali de medio iustorum, c.14. digr. 3. n. 13. 14. 15.
In tribulationibus non relinquit suos dominus, c. 20. schol nu. 10.
In medijs tribulationibus, vel tentationibus interuere Christum, clama ad eum, c. 20. schol. n. 15.
Tribulationum tempore Deum habemus præsentem, c. 20. schol. nu. 18.
Post tribulationem quies, & securitas, c. 21. schol. num. 71.
An & quomodo rogandus sit Deus ne tentari nos permittat, & quod duplex est tentationis genus, c. 5. schol. n. 31. 32.
Tentare quid sit cũ Deo tribuitur, c. 19. sch. n. 18. 19.

Triticum.

Triticum non est sine zizania, idest, bonis mali admixti sunt, c. 14. digr. 3. n. 8. item omni voluntati bonæ adhæret desiderium, & cogitatio mala, sed non curandum est omninò, vt tollatur ad plenũ, ne simul tollatur opus bonum. ex Chrysostomo, ibid. num. 8.

V.

Vallis Achor

VIde cap. 10. Digress. 5. num. 13.

Vanagloria

Periculosum vitium est, c. 5. schol. nu. 2.
Aliud est propter vanam gloriam velle se videri, aliud velle opera sua videri, c. 5. scho. n. 7.

Verba.

Verba geminata in scriptura quid significent, c. 1. digr. 4. num. 8.

Verbum Dei.

Verbum Dei audiendi studium, c. 12. schol. n. 4.
Verbum Dei quomodo semini simile, c. 13. theo. 1. à num. 3. vsque ad 8.
Verbum Dei quam multis rebus simile sit ex Scripturis, cap. 13. digr. vnic. est enim lucerna, aqua, vinum, &c.
Verbum Dei lignum vitæ afferens duodecim fructus, c. 13. digr. vnic. nu. 16.
Contra eos qui frequenter verbum Dei audiunt sine fructu, c. 13. digr. vnic. nu. 19.
Verbum Dei sensim fructificat in nobis, c. 14. scho. n. 14. 15.
Verbi Dei vtilitas, & quod simile sit mannæ ex Origene, c. 13. digr. 1. à nu. 13. vsque ad 19.

Verbum otiosum.

Verbum otiosum quod, c. 12. schol. n. 54. quomodo de eo reddenda ratio in iudicio, ibid. n. 55. 56.

Vesperæ.

Vesperæ duplex significatio in Scripturis, cap. 20. schol. n. 7.

Vestitus.

Vestitus mollis dissoluit, c. 10. schol. nu. 21.
Studium pretiosarum vestium peccatum est, ib. & c. 10. digr. 6. n. 10. 11. 14.
Vestitus Christiani hominis. vide Ver. Christianus, §. Christiani hominis.
Vestes cenatoriæ quæ, c. 11. digr. 1. n. 11.

Via

Quomodo via Domini arcta sit, cum Domini iugum sit suaue, c. 6. theor. 3.
Via virtutis & vitæ similis fornaci Babylonicæ, c. 6. theor. 3. n. 4.

Viduæ.

Viduas fouere sanctum, c. 10. schol. n. 6.
Viduæ filius peccatorem repræsentat, c. 10. digr. 3. num. 9.
Viduæ filius, c. 10. digr. 3. n. 2. vide item Ver. Mors, §. Mira occursatio.
Vidua Sareptana, c. 16. digr. 4. eius historiæ sensus mysticus, ibid. n. 13.

Vigilia.

Vigiliæ nocturnæ & excubiæ militum, c. 20. schol. num. 10.

Vindicta

Vide Verb. Ira, Inimicus, Patientia.
Vindictam expetens semper peccat, cap. 4. dig. 14. num. 10.
Vlcisci velle iniurias fatuum, immò contra iustitiam, ibid. nu. 11. 13.
Vindictæ appetitus hirundini similis, c. 18. sch. 24.

Vir.

Viri vox quid, cap. 7. digr. 1. num. 4.

Virtus.

Ad ostendendam aptitudinem naturalem ad virtutem, qua vnus magis quam alius pollet elegans exemplum Nazianzeni à filice sumptum, c. 21. theor. 5. n. 7.

Vita.

Aliud est vitam habere à semetipso, aliud in seipso c. 1. schol. n. 116.
Vita nostra naui similis, c. 10. digr. 4. n. 19.
Vita animæ nõ constat sine operationibus bonis, c. 6. digr. 5. à nu. 14. in finem.

Viuificare

Quinque modis sumitur in Scripturis, ca. 1. schol. num. 104.

Vnctio extrema.

Vnctio extrema Sacramentum est, & quod eius Trident. Concil. doceat materiam, formam, effectus, ministrũ, eos qui suscipere debeant, &c. c. 17. digr. 2. à n. 2. ad fin.

Vnctio, vnguentum.

Vnctionum, atque vnguentorũ vsus inter cænandum quando cœperit, c. 11. digr. 1. n. 10. 11. 12.
De varijs vnctionum, & vnguentorum generibus, c. 5. schol. n. 39.
Vnctio de qua Ioan. 11. & de qua Luc. 7. eadem, c. 11. Theor. 1. nu. 1.
Vnctio Sacerdotum, Regum, Messiæ, vide V. Christus, §. Christi vnctio.
Vnctio Apostolorum, qua infirmos vngebant, an fuerit Sacramentum Extremæ vnctionis, c. 17. theor. 4. hæc vnctio dupliciter potest intelligi, ibid. n. 5. non naturaliter sanabat, ibid. n. 7.

Voluntas.

Voluntas propria fugienda exemplo Christi, c. 1. schol. n. 132.
Quomodo intelligendus sit Augustinus, cùm ait: Deum inclinare voluntates ad malum, vel peccatores trahere in praua desideria, & in reprobum sensum, c. 13. theor. 5. nu. 5.

Voluntas Dei

Duplex est, cap. 5. schol. num. 20.
Non semper optandum, vt fiat quod vult Deus fieri, c. 5. schol. n. 21.

Vsura.

Ad vsuram, vt ad Simoniam requiritur intentio accipiendi aliquid pro mutuo, vel pro re spirituali, c. 8. schol. n. 54.

Vxor.

Dimittendi vxores consuetudo duplex apud Iudæos vtraque mala, c. 4. theor. 7. nu. 7.

Finis Indicis rerum, quæ in altera hac parte dilucidat. Euang. continentur.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

Digitized by Google

R. P.

VINCENTII REGII PANORMITANI SOCIETATIS IESV THEOLOGI

DILVCIDATIONVM EVANGELICARVM

Pars Tertia.

CONTINENS EXPOSITIONEM Libri Quinti Enchiridij Euangeliorum.

CVM QVINTVPLICI INDICE, QVORVM QVARTVS AD CONCIONATORVM COMMODVM, EX QVINQVE præcedentibus libris colligitur.



BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus Bernardi Gualtheri.
ANNO M. DC. XVI.
Cum gratia & priuil. Sac. Caſ. Maieſt. & permiſſu Superiorum.

Digitized by Google

ADMODVM

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, NOB. ET AMPLISSIMO DOMINO,

D. IOANNI HENRICO A GERTZEN, DICTO SINTZIG,

IMPERIAL. MONASTERII S. CORNELII ad Indam Abbati dignissimo, &c. Patrono iugiter sibi colendo, Felicitatem.

TAMETSI hominesque Deosque muneribus placari ac deliniri, meritò sibi persuasit Religiosa, vt ita loquar, Gentilitas: permagni tamen interesse, quo quisque dono honoretur, nemo negauerit; Neque enim

Arma solent Venerem, nec Martem flectere puppæ;
Nec boue mactato cælestia Numina gaudent.
Sed Martem galeæ recreant; botriqúe Lyæum,
Thura Iouem, Cytharæ Paæna, & carmina Musas.

Cum igitur beneuolentiam illam in mentem reuoco, qua Reu.da admodum P. V.a iam vltra integram annorum decadem spem meam, & merita omnia egregiè supergressa est; quemadmodum prima me cogitatio ad gratitudinem excitat; sic altera mox cura perplexum reddit, quo potissimùm officij genere, ingratitudinis à me periculum amouere queam. Ac profectò difficile foret, certi aliquid in fluctuatione hac animi statuere, nisi præteritorum experimenta temporum docuissent me, in quales maximè occupationes & voluptates ingenij ipsius bonitas, & natura propendeant: in eiusmodi videlicet, quæ pro sanctis duntaxat ac sapientibus per Authorem vniuersitatis secretæ sunt: Quibus miseriam nostram mortales ad sydera vsque transcendimus: Quarum vsu exercitioque ad mundi contemptum, & DEI consortium peruenitur.

Digitized by Google

Testis esto imprimis Thesaurus ille saniorum poëmatum, quem profectò, velut thesaurum decet, olim à me sibi nuncupatum ambabus quod aiunt vlnis non aliâ de causa Reu.da Admodum P.tas V.ra complexa est, quàm quod occultæ cuiusdam sapientiæ argumenta in eo deprehenderet. Testis perpetua eiusdem industria in religioso Sodalitio suo ad cælestis Philosophiæ studium & amorem promouendo: Ac tandem memorabilis Zelus ornandi locupletandiq́ue sacram domum suam supellectili libraria, & codices quidem conquirendo, qui non consumuntur in fabulosis Vlyssææ nauigationis euentibus, Troianorum excidijs, aut Comædorum delirijs, &c. sed Christianæ perfectionis semitam & sublimitatem deprædicant.

His ita constitutis, nec commodius arbitror, nec gratius quicquam in grati animi significationem proferre potuissem, quàm præsentem Euangelicarum Dilucidationum VINCENTII
1. REGII Tomum tertium. Nam siue intellectus hominis per occidentis literæ corticem ad viuificos Scripturarum sensus penetrare, & connatam sibi caliginem sanctæ cuiusdam lucis
2. splendore dispellere gestiat: siue voluntas exquisitam viuendi regulam, ac diuina subinde ex earundem medullis consolationis lenimenta postulet;
3. Vel memoria denique compendioso aliquo supernorum in nos beneficiorum Indice iuuanda sit, vnus hic Commentator, pro spiritualis doctrinæ copia & varietate, quâ redundat admirabili, quoad primum in Scholijs ac Theorijs; quoad secundum ac tertium in Digressionibus præsertim moralibus, vsque adeò probis lectoribus satis superque facit, vt qui alios præter hunc Authores tangere præsumpserit, non tam eruditionis lucrum, quàm æris temporisq́ue dispendium quærere videatur.

Quapropter benignis quæso oculis Librum Reu.da Admodum P.tas V.ra excipiat, examinetq́ue: Examinatum porrò eo loci reponere velit, quem Euangelicæ illius Dilucidationis Maiestas præ alijs sibi voluminibus iure vendicat, nempe vt paruulis pariter & adultis sapientiæ ac sanctimoniæ amatoribus, qui per sermonum Domini declarationem illuminari cupiunt, perpetua cum eo consuetudo esse possit. Sic, quoties VINCENTII REGII venerabuntur memoriam, BERNARDI GVALTERI quoque rememorabunt officium, quod recens inuentum Thesaurum ex officina propria ad ipsorum potissimum Monaste-

rium

rium transtulerit. His vt finem faciam, pacis præsidium, sanitatis stabilimentum, & gratiæ incrementum vouens voueo Reuer.dæ Admod. P. V. ex animo. Coloniæ Vb. prid. Natiu. Deiparæ. M. DC. XVI.

Adm. R. & Nob. P. V.æ

deuotiss. seru.

BERNARDVS GVALTERI,
Ciuis ac Bibliopola Colonienſis.

Digitized by Google

THEOLOGVS EIVSDEM SOCIETATIS LECTORI S.

ECce iam, Candide Lector, Euangelicarum Dilucidationum eruditissimi viri tertiũ Tomum habes; cui cùm auctor vix finem fecisset, mors, quæ cuique quasi saxum Tantalo semper impendet, exitum attulit. Quamobrem cùm extrema operi manus minimè accesserit, quam ipse ἀπάρτιαν (vt aiunt) ἔλαχεν, τοῦτο κρῖναι οὐκ ἐδυνάμην. Certissimam tamen in spem vocor futurum, quod tibi promitto, atque recipio, vt hunc tanti viri laborem non minima laude sapientissimus quisque dignum ducat. Fidem mihi facit huius rei inter alia, viri sapientia, quam vel ipsa Germania (vt, quæ de ipso dici possent, reliqua omittam) maxima sui vtilitate experta est, dum Viennæ in Societatis nostræ Collegio multos annos, iuuenis pœnè dixerim, Theologiam publicè docuerit: quanta omnium admiratione, atque approbatione, non dicam: sacris verò scripturis exponendis quantam operam studiumque nauauerit, ex eius operum lectione sine vllo negotio poteris intelligere. Nunc vero reliquum esset, vt quid ipse de hoc opere sentiam, paucis exponerem. Verum hac de re iudicium ferre, difficile sane negotium est: τὸ γὰρ δοκεῖν ἑκάστῳ, τοῦτο καὶ εἶναί ἐστι δοκεῖ. Illud verò dicere non erubesco, fore vt te, Candide Lector, laboris nunquam pœniteat, quem in hoc opere legendo, volutandoque susceperis. Vale, & Auctoris labore, quantus quantus ille est, vt lubet, fruere.

Digitized by Google

INDEX
CAPITVM QVINTI LIBRI
DILVCIDATIONVM EVANGELICARVM.

Cap. Dilucid.		Cap. Euang.
1.	Reprehendunt Pharisæi discipulos, quod illotis manducarent manibus	A.15.1.B.7.1.D.7.1
2.	Filia Chananææ à dæmonio liberatur	A.15.21.B.7.24
3.	Sanatur surdus & mutus	B. 7.32
4.	Septem panibus quatuor hominum millia sanantur	15.29. B.8.1
5.	Pharisei & Sadducæi signum de cælo quærunt, & de fermento Pharisæorum	A.16.1. B. 8.11
6.	Petrus Christum confitetur, prædicit Christus passionem & resurrectionem, & multa fidei documenta docet	A.16.13. B.8.27.C.9.18
7.	Transfiguratio	A.17.1. B.9.1.C.9.28
8.	Ejicitur dæmonium quod ejicere non potuerunt discipuli	A.17.14. B.9.13.C.9.37
9.	Mortis prædictio, didrachmatis solutio	A.17.21.B.9.30. C.9.44
10.	Docetur pro Primatu humilitas, & quod scandalum vitandum sit	A.18.1.B.9.32. C.9.47
11.	Fratris correptionem præcipit, cum parabola Regis, qui debitum servi sui semel remissum repetijt, quod immisericors erga conservum fuerit	A.18.15
12.	Relinquit Galilæam, nec recipitur à Samaritis	A.19.1. B.10.1. C.9.51.D.7.2
13.	Decem leprosi curantur	C.17.11
14.	Docet Iesvs in Templo, in festo Scenopegiæ	D. 7.11
15.	Adulteram mulierem absoluit	D.8.1
16.	Rursum in Templo docet; manibus se lapidare volentium eripit	D.8.12
17.	Cæci nati historia	D.9.1
18.	Parabola Pastoris, ouium, Ouilis, Ostij, Ostiarij, Mercenarij, Furis ac Lupi	D. 10.1
19.	Selectio & missio septuaginta duorum discipulorum	C.10.1
20.	De reditu septuaginta discipulorum, & exultatione Christi	A.11.25.C.10.17
21.	Discipulos Beatos prædicat, & Legisperitum sub parabolâ Samaritani docet, quis sit proximus	C.10.23
22.	Excipitur Iesvs hospitio à Martha	C.10.38.
23.	Modum & orandi vim Iesvs discipulos docet	C.11.1
24.	Ad prandium vocatus præposteram Pharisæorũ munditiem reprehendit	C.11.17

INDEX COMPLECTENS SINGVLA CAPITA EVANGELISTARVM, QVAE QVINTO HOC DILVCIDATIONVM LIBRO EXPLICANTVR.

CAP. D. MATTH.

Cap. Matth.		Cap. lib.
15.	*Reprehendunt Pharisæi discipulos, quod illotis manducarent manibus*	1
	Filia Chananæa à dæmonio liberatur	2
	Septem panibus quatuor hominum millia sanantur	4
16.	*Pharisæi & Sadducæi signum de cælo quærunt, & de fermento Pharisæorum*	5
	Petrus Christum confitetur, prædicit Christus Passionem & Resurrectionem, & multa Fidei documenta docet	6
17.	*Transfiguratio*	7
	Ejicitur dæmonium quod non potuerunt ejicere discipuli	8
	Prædicitur denuò mors, & soluitur didrachma	9
18.	*Docetur pro primatu humilitas, & quod scandalum vitandum sit*	10
	Fratris correptionem præcipit, cum parabola Regis, qui debitum servi sui semel remissum repetijt quod immisericors erga conservum fuerit	11
19.	*Relinquit Galilæam, nec recipitur à Samaritis*	12
11.	*De reditu septuaginta duorum discipulorum, & exultatione Christi*	20

CAP. D. MARCI.

Cap. Marc.		Cap. lib.
7.	*Reprehendunt Pharisæi discipulos, quòd illotis manducarent manibus*	1
	Filia Chananæa à dæmonio liberatur	2
	Sanatur surdus & mutus	3
8.	*Septem panibus quatuor hominum millia sanantur*	4
	Pharisæi & Sadducæi signum de cælo quærunt, & de fermento Pharisæorum	5
	Petrus Christum confitetur, prædicit Christus passionem, & resurrectionem, & multa fidei documenta docet	6
9.	*Transfiguratio*	7
	Ejicitur dæmonium quod ejicere non potuerunt discipuli	8
	Prædictio mortis, solutio didrachmatis	9
	Docetur pro primatu humilitas, & quod scandalum vitandum sit	10
10.	*Relinquit Galilæam, nec recipitur à Samaritis*	12

CAP. D. LVCAE.

Cap. Luc.		Cap. lib.
9.	*Petrus Christum confitetur, prædicit Christus Passionem & Resurrectionem, & multa fidei documenta docet*	6
	Transfiguratio	7
	Ejicitur dæmonium quod ejicere non potuerunt discipuli	8
	Prædictio mortis, solutio didrachmatis	9
	Docetur pro primatu humilitas, & quod scandalum vitandum sit	10
	Relinquit Galilæam, nec recipitur à Samaritis	12

Digitized by Google

17. *Decem leprosi curantur* 13
10. *Selectio & missio septuaginta duorum discipulorum* 19
De reditu eorundem, & exultatione Christi 20
Beati prædicantur discipuli, & docetur sub parabola Samaritani Legisperitus, quis sit proximus 21
Excipitur IESVS *hospitio à Marthâ* 22
11. *Mollum & orandi vim discipulos docet* 23
Ad prandium vocatus præposteram Pharisæorum munditiem reprehendit 24

CAP. D. IOANNIS.

CAP. IOAN. Cap. lib.
7. *Reprehendunt Pharisæi discipulos, quod illotis manducarent manibus* 1
Relinquit Galilæam nec recipitur à Samaritis 12
Docet IESVS *in Templo, in festo Scenopegia* 14
8. *Adulteram mulierem absoluit* 15
Rursum in Templo docet, manibus se lapidare volentium eripit 16
9. *Cæci nati historia* 17
10. *Parabola Pastoris, Ouium, Oulis, Ostij, Ostiarij, Mercenarij, Furis ac Lupi* 18

MVTIVS VITELLESCVS, SOCIETATIS IESV PRAEPOSITVS GENERALIS.

CVM tertium Tomum Euangelicarum Dilucidationum P. VINCENTII REGII, quatuor nostræ Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint; & in lucem edi posse probauerint; facultatem damus, vt typis mandetur, si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 23. Aprilis 1616.

MVTIVS VITELLESCVS.

Digitized by Google

EVANGELICARVM DILVCIDATIONVM LIBER QVINTVS.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

CAPVT I.

REPREHENDVNT PHARISAEI DISCIPVLOS QVOD ILLOTIS MANducarent manibus.

A. 15. 1. B. 7. 1. D. 7. 1.

Feria IV. post Dom. III. Quadrages.

V. 1. D. POST *hæc autem ambulabat* IESVS *in Galilæa; nõ enim volebat in Iudæa ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.*

2. B. *Et* A. *Tunc* B. *conueniunt ad eum Pharisæi, & quidam de scribis venientes ab Ierosolymis.*

3. *Et cùm vidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperauerunt.*

4. *Pharisæi enim, & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum.*

5. *Et à foro nisi baptizentur non comedunt; & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum.*

6. *Et interrogabant eum Pharisæi, & scribæ:* A. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* (&) B. *Quare non ambulant iuxta traditionem* (*eorum*) A. *non enim lauant manus suas cùm panem manducant,* B. *sed communibus manibus manducant.*

7. *Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? nam Deus dixit:*

8. *Honora Patrem, & Matrem.*

9. *Qui maledixerit Patri, vel Matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit Patri vel Matri munus quodcumque est ex me tibi proderit.* B. *& vltra non dimittitis eum quidquam facere Patri aut Matri rescindentes verbum Dei.*

10. *Et nõ honorificabit Patrem suum aut Matrem suam, & dicebat illis benè irritum facitis præceptum Dei, vt traditionem vestram seruetis.* A. Et irritum feciſtis.

11. A. *Hypocritæ, benè prophetauit de vobis.* B. *Hypocritis,* A. *Isaias dicens,* B. *sicut scriptum est.*

12. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

13. *Sine causa autem colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum.*

14. B. *Relinquentes enim mandatũ Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata vrceorum, & calicum, & alia similia his facitis multa.*

15. A. *Et conuocatis ad se Turbis.* B. *Iterum.* A. *dixit eis: audite & intelligite.* B. Et adducens iterum turbas.

16. *Non quod intrat in os coinquinat hominem* (&) B. *Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare; sed quæ de homine procedunt illa sunt, quæ communicant hominem. Si quis habet aures audiendi audiat.*

17. A. *Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt.*

18. *At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.*

19. *Sine illos: cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.*

20. B. *Et*

Digitized by Google

B. Interrogabant discipuli eius parabolam.

20. B. *Et cùm introisset in domum à turba,* A. *Respondens Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.*

21. *At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis?* B. *Sic & vos imprudentes estis.*

22. A. *Non intelligitis quia omne quod in os intrat (id est)* B. *omne extrinsecus introiens in hominem non potest eum communicare, quia non intrat in cor eius, sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnes escas.*

23. A. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.*

24. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia,* B. *Auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia.*

25. *Omnia hæc mala ab intus procedunt, (&)* A. *hæc sunt quæ coinquinant hominem, non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.*

SCHOLIA.

1. *Ratio ordinis.*

PRincipio monere oportet lectorem, inter ea, quæ proximo superiore capite sexto, à Ioanne narrata sunt, & eam histor. quæ septimo capite ab eodem exponitur, intercessisse tempus sex mensium, quod interfluxit inter festum paschæ, quod primo mense celebrabatur, & festum scenopægiæ, quod in septimum mensem incidebat. Atque hoc toto tempore Christus Galilæam obambulabat: Dixit verò, & fecit ea omnia, quę ferè narrantur à Matth. c. 15. 16. 17. 18. & à Marco c. 7. 8. 9. & à Luca c. 9. Hæc autem omnia posita sunt à nobis à capite primo huius libri quinti, vsque ad caput 12. vt videri potest tum hic, tum præsertim in Enchiridio, quod sub finem harum Dilucidationum Christo duce, & auspice Christo, in lucem edetur. Nihil autem obest ijs, quæ diximus, verbum illud Ioannis: *Posthæc*, quod initio capitis septimi habetur, sicut hìc in scholijs videre poteris, sequenti num. 2.

2. *Quid significet post hæc apud Ioannem.*

v. 1. *Post hæc*] Hæc verba significant ea, quæ sequuntur in historia septimi capitis Ioannis, siue immediatè, siue mediatè consequuta esse sermonem de Venerabili Eucharistiæ Sacramento; non igitur designant tempus illud, de quo dixerat Ioannes c. 6. 1. *post hæc abiit Iesus trâs mare Galilææ*, cum scilicet redijsset de Iudæa, nam de isto tempore, hoc est, de tempore post reditum à Iudæa, elapso iam secundo paschate, intelliguntur hęc verba posita initio cap. 6. Ioannis: videtur autem hìc velle Ioan. assignare causam, cur Christus versatus fuerit in Galilæa, nec descenderit in Iudęam, cum iam esset Pascha, cuius meminerat eodem capite 6. 4. vt v. 6. cap. 19. l. 4. harum Dilucid. habetur. Conuenerat enim quotannis Ierosolymis pascha celebrare, ratio est, quia quærebant eum Iudæi interficere.

3. *Tria colliguntur ex verbis Ioan.*

Itaque tria hinc colligimus. Primum Christum post ea, quæ narrauerat Ioan. c. 6. dicta & facta in Galilæa, permansisse in eadem Galilæa; hoc enim significant, *post hæc*, id est, post ea non discessisse à Galilæa. Alterum est non adijsse Christum hoc tertio paschate Ierosolyma. hoc enim satis insinuat Ioan. qui cum c. 6. meminisset proximi paschatis, significauit tamen post illud tempus permansisse Christum in Galilæa. Tertium voluisse Christum subtrahere Iudæis materiam homicidij: iam enim decreuerant illum interficere, vt significauit Ioannes c. 5. 17. & vt habes lib. 4. Enchiridij, seu harum dilucidationum vers. 18. cap. 1. in text.

4. *Tępore persecutionum, non ideo deserenda quæ ad Dei gloriam.*

Illud obseruandum, ita Dominum declinasse pericula, & odium inimicorum, vt interim à suo cursu non deflecteret: nam per id tempus multa edidit signa, nec intermisit conciones, vel salutis documenta præbere: Dei seruos docens, vt ita pericula caueant, vt interim Dei gloriam fugiendo non prodant, vel cum opus est, suas oues non relinquant ope destitutas.

5. *Ambulabat*] Gr. ἐπεριπάτει ambulabat, vel *obambulabat* melius, quam versabatur, quomodo Erasmus vertit, vt notat Gagnæus. *Nam versantur*, inquit, *in aliqua regione, qui in certo illius loco habitant, etiam si inde non moueant. Voluit autem indicare Euangelista, Christum prædicando varia Galilææ loca obambulasse, non in Iudæam (sicut nec ad pascha descendit, quamuis Paschatis appetente tempore) ob Iudæorum furorem, qui ad mortem eum petebant. Vbi Iudæam non generatim, sed speciatim pro ea regione intelligere oportet*, quæ tribum Iuda & Beniamin complectitur. Nam in generali Iudæa est Galilæa.

Iudæa bifariam sumitur.

In Galilæam] Gr. ἐν τῇ γαλιλαίᾳ, ἐν τῇ ἰουδαίᾳ in Galilæa, in Iudæa. Rectè tamen vertit noster interpres in Galilæam, *in Iudæam*. vt intelligas Christum non otiosè vno sedisse in loco Galilææ, vt paulò ante significaui.

6. *Varia lectio.*

Volebat] Chrysost. & Euth. legunt οὐκ ἠδύνατο non poterat, aut οὐκ εἶχεν ἐξουσίαν, non habebat potestatem; nec videtur discrepare Augustin. & Beda, sed idem est sensus, quia sæpe *non posse*, idem est, quod *nolle*, vt vult Nanz. orat. 4. de Theol. & patet Matth. 6. 1. *& non poterat ibi virtutem vllam facere.*

Quærebant] Hebr. quærebant, pro volebant, aut quærebant interficere, id est, ad interficiendum, aut quærebant occasionem interficiendi.

7. *Cur timuit Iudæorum manum.*

Sed cur, inquies, timuit Iudæorum manus, cum sciret, ni vellet, nihil se posse à quoquam mali pati, & elabi facilè posse, vt Ioan. 8. 59. & Luc. 4. 30. Græci Chrysost. Leont. Theophyl. Euthy. aiunt, voluisse se hominem ostendere. Augustino & Bedæ placet, voluisse exemplum suis præbere, qualiter se in huiusmodi euentu gerere debeant, ne se periculis obijciant, cum id ratio, charitasque non postulat.

Vide Chrysol. serm. 171.

Et tunc] cum pauisset videlicet Dominus quinque hominum millia, & post habitum item cœlestem illum, de Venerabili Eucharistiæ sacramento, sermonem, venisset in terram Genesar, allatisque vndique ægrotis sanitatem contulisset, vt habes lib. 4. Dilucid. c. 21. ad v. 53. & sequent. tunc, inquam, factum, quod habent hìc Matth. & Marc. venisse scilicet ab Ierosolymis scribas, & pharisæos.

8.

Pharisæi, & quidam de scribis] nec absre Pharisæos, & scribas ab Ierosolymis venientes describunt Euangelistæ, qui cęteris essent, vt plurimum, nequiores: quippe qui maioris essent auctoritatis, & gloriæ vanæ studiosiores; sicut plerumque contingit, maiorum vrbium incolas cęteris malitia præstare, & ad altiora semper aspirare, à qualibet tamen tribu eiusmodi pha-

risæi,

risæi, & scribæ, & à qualibet vrbe Iudææ erant, & talem sectam profitebantur. Porrò videntur hi Ierosolymis venisse malo in Christum animo armati, atque odio, & inuidia pleni, vt aliquid in eo vitiosum deprehenderent, & eo fortassis nomine missi sunt.

Conueniunt ad eum] consilio, studioque collato aggrediuntur eum, inquit Montanus, reprehensuri traditionis violatæ à discipulis, illius vel consilio, vel saltem dissimulatione, ac negligentia. Erat autem argumentum grauissimum scilicet.

Iudæorum consuetudo.

3. *Cum vidissent quosdam*] *Iudæis*, inquit, Gagnæus, *quibus perfrequens varijs vti lautionibus, & baptismatis mos inoleuerat, non ex Dei præcepto, aut Moysis traditione, sed ex seniorum institutu, priusquam prandium, cenatumque irent, manus lauare. Quod cum aliquando non contemptus quidem gratia, sed per imprudentiam illotis manibus discipuli discubuissent, vti flagitium ducens pharisaica hypocrisis, cum re nulla attingere Christum possent, volentes in eum discipulorum culpam (si tamen culpa fuisset) reijcere; Quare, inquiunt, discipuli tui transgrediuntur legem seniorum? sperabant autem nonnihil aduersus maiorum traditiones dicturum Christum, atque ita vulgi inuidiam conflaturum. Christus autem sic responsionem temperat, vt & de traditione maiorum taceat, & de inhumanitate illos coarguat, inquiens: Quare & vos, &c.*

Et cum] coniunctio, *&*, expositiua est, ex Hebraicæ linguæ idiomate, ac Syræ.

Communibus manibus] verbum *communico*, & *commune* est magistrale, inquit idem Montanus, in traditionibus. *Communicare* idem significat, quod prophanare, & *commune* prophanum: distinguitur autem iuxta subiectam rationem, vt, communis cibus, id est, impurus: *communis dies*, id est, profestus, siue luctuosus potius: *communes manus*, id est, illotæ. Gagnæus in Marc. caput 7. *Commune*, ait, *Hebræi immundum vocant, quod multa quæ gentibus tractare licebat, Iudæis non liceret: per quorum tactum, & esum, immundi censebantur: propterea communes cibos immundos vocant, sicut communes manus immundas dicunt, quæ videlicet illotæ sunt. Itaque quorum vsus cæteris gentibus communis, ac permissus erat, sibi verò per legem, aut traditionem interdictus, immundum censebant; idque cum alijs commune esset, ac licitum, sibi illicitum: factum est, vt τὸ κοινὸν, & τὸ commune, scriptura vsurpauerit pro immundo, & τὸ κοινῶ, ac latinum communicare, pro inquinare, cuius significati vsus tantum est in sacris.*

9. Commune, & communicare quid.

Et quidem in nouo testamento Matth. 15. (nam Græcè, pro coinquino, est, κοινόω) Marc. 7. actor. 10. 14. Rom. 14. nec alibi puto reperies in script. communicare, vel commune in hac significatione. nam quæ in prouerbijs dicitur *communia domus* cap. 21. 9. ea est, quæ multos capit ob amplitudinem, & lib. 1. Mach. 1. 65. exprimuntur cibi immundi, voce τῶν κοινῶν. vnde Hieronym. docet, hoc verbum *communico*, propriè scripturarum esse, & publico sermone non teri, sic scribit cap. 15. Matth. vbi legit in textu latino Matthæi, communicat, cum nos habeamus *coinquinat*. certe eadem voce, commune, pro immundo, ter vtitur Paulus loco citato ad Rom. & act. 10. 14. ait Petrus: *Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune, aut immundum*; vbi Caieranus, inquit, *immundi* nomen vsurpat secundum legem: *communis*, secundum quandam modestiam loquendi cum gentibus; quod etiam innuit Glossa interlin. & vtrumque à Petro additum ad exprimendum horrorem, id quod Hieronym. monuit.

10. Com Pron. 9.

A Ita verum est, vt ibi notat Lorinus, vt nec in latina, neque in lingua græca, talis ea vocum significatio inueniatur, multo minus in Hebræo, quidquid dicat Comestor in histor. Schol. actor. c. 51. vbi significat esse idiotismum eius. Marcus, qui latinè scripsisse creditur, vsurpat hîc verbum *communicare*, & manus communes vocat, exponens non lotas, quæ dicuntur κοιναὶ, τοῦτ' ἔστιν ἀνίπτοις, vbi expositio nominis, communes, siue Euangelistæ, siue interpretis denotat insolentem vocis vsum in ea significatione. Augustin. seu auctor quæstionum veteris testamenti quæstione nona docet, duplicem significationem communis pro immundo, & pro indiuiso.

11. Insolens est eo modo apud Latinos & Græcos ea significatio communis prò immundo, sed etiam in lingua Hebræa. Duplex significatio, verbi communis ex Augusti.

Ceterum non videtur verum quidquid tractari potest æque ab omnibus esse immundum: immo longe plura sunt eius generis non immunda; & Beda recte putat (si tamen proprie loquamur) communem cibum dici, quo vtantur omnes homines, vt suem, ostreas, lepores, &c. immundum, qui nulli sit comestibilis, vt bestiarum, vel reptilium. Addo tamen ego, inter illos cibos quibus communiter omnes homines vtuntur; etiam immundum esse Hebræis eum, qui Iudæis prohibitus est.

B

Illud obseruandum non ob id vetitos esse cibos aliquos Hebræis, quod re vera vllus suapte natura sit immundus, sed vel ob quandam corporis immunditiam vitandam; vel ob valetudinem, vel distinctionem ab idololatris; vel ob mysticam significationem morum; vel ob nimiarum amputationem delitiarum; vel ad contundendam duritiam, atque coercendam peruicaciam Iudæorum. Vide de his Aristeam lib. de septuaginta interpretibus, Chrysostomum in caput decimumquartum epistol. ad Romanos. Item putatum Ambrosium ibidem; Diuum Thomam prima secundæ quæstione centesimasecunda, articulo sexto, Pererium in caput decimumquartum ad Romanos 1. disp. 1. numero tertio, quarto, quinto.

13. Nullum cibum suapte natura immundum.

C

Porro maxime mundus cibus est Eucharistia, ideoque secundum Origenem homilia septima in Leuit. cibi nomine absolute dignus; & adeo communis est, vt etiam κοινωνία nominetur, vt docet Lorinus act. 2. 46. & act. 12. non modo, quia nobis coniunctionem cum Deo conciliat, nosque regni ipsius participes, & consortes reddit; vt vult Isidorus Pelusiota libr. 1. epistol. 228. verum etiam quoniam similem animorum, corporumque vnionem conciliat inter nos, & est maxime omnibus expositus. Vide Dionysium Eccl. Hierarch. c. 3. p. 1. sed de his satis.

14. Cur sacra Euch. communio dicatur.

Manducare panes] Hebr. est, pro, solitum prandium, siue cenam sumere.

D

Vituperauerant] non solum factum sed ipsum Iesum tamquam auctorem illius exempli, Græc. ἐμέμψαντο, id est, incusauerunt, vitio verterunt, conquesti sunt, inquit Gagn.

v. 4. 5. *Nisi crebro*] sensus est, quod Pharisæi cum à foro redeunt, quo passim Iudæi permisti gentibus conueniunt, quoniam necesse est multa contrectare, quæ gentiles contingunt, quorum attrectatione immundos se putant, & locus iste vt communis, ita valde habebatur prophanus ob consuetudinem purorum, & impurorum, ac gentilium simul, nunquam cibum sumunt, nisi se abluerint. id enim significat verbum, *baptizentur*: quod plus significat, quàm abluere. βαπτίζω enim significat immergere se, & totum corpus abluere; quod per hypocrisim faciebant Pharisæi, ne qua videlicet corporis pars immunda remaneret. cum totam mentem sordidam haberent. Cum enim multa ibi promiscue

15. Baptizare plus quam abluere.

tangerent, & in illum locum varij homines etiam gentiles conuenirent, eorum contactu ne contaminati essent, verebantur.

16. *Iudith baptismata.*

Porrò aliter Iudith hæc baptismata exercebat, quàm isti, vt est in eius historiæ cap. 12. 7. cum enim in gentilium tentorio moraretur, ideo sese totam, si quid inde forsan labis contraxisset, ritu Iudaico, simul se Iudæam ostendens, eluere volebat. nam, quod eiusmodi baptismata, quæ à Christo Domino iam sublata, tum temporis religionem, & Dei venerationem aliquam continebant, non est dubitandum eo etiam animo à religiosissima fœmina fuisse suscepta non per hypocrisim, nec curiose nimis & superflue, licet eorum necessitatem illam non putaret, quam Hæretici Hemerobaptistę apud sanctum Epiph. l. 1. postea vrserunt.

Hemerobaptistæ hæretici apud Epiph.

17.

Quemadmodum vero gentiles Iudæorum baptismata imitati sunt, vti stromate 4. cap. 6. probat ex Homero Clemens Alexandrinus: ita etiam, & illud vt viuis libenter aquis lauarent, & mane vel ante lucem. Quædam enim apud Ouid. Fast. 3. *lauaturas mane petebat aquas.* Et apud Stat. thebai. 9. *Ante diem gelidas ibat Ladonis ad vndas purgatura malum fluuio viuente saporem,* sic Serarius Iudith 12.

Baptismata calicum] id est, ablutiones omnium poculorum, quibus ad bibendum vtimur, & vrceorum Gr. ξυλῶν, sunt autem lignea pocula, & vasa, inquit Gagn. ξυλὰ enim sunt, quæ torno poliuntur, aut sculpturis ornantur.

Et æramentorum] id est, vasorum omnium, quæ ex ære fiunt, cuiusmodi sunt lebetes, patellæ, & eiusmodi instrumenta.

Et lectorum] Gr. κλίνων. Cum autem κλίνη lectum significet, vbi decubabant, similiter & vbi accumbentes prandebant, ac cenabant: hîc posteriore sensu commodius accipitur; vel etiam pro tabulis lecti, vtcumque sumas lectum. dum verò *baptismata* dixit Marcus, plus indicauit, quam simplices ablutiones, videlicet ἐβαπτίζοντο, id est, tota in aquam immergebantur.

18. *De qua lotione crebra hîc Euangelista Marcum loquatur v. 4. & 5.*

Dubitant nonnulli num crebra hæc manuum lotio, de qua Marc. hoc loco, fieret antequam mensæ accumberent, an verò postquam accumbebant. Maldon. Iansenius, Caiet. posteriorem sensum sequuntur. equidem opinor cum Barrad. traditione seniorum, istos, antequam mensæ accumberent non semel tantum, quod gentes consueuerant; sed sæpe lauisse manus (quidquid sit de alijs lotionibus inter accubitum) & de hac loqui vers. 4. & 5. hîc Marc. quod indicat Syriaca interpretatio: quod enim nos crebro legimus, Syriace est, *batilai,* id est, curiose, sedulo, diligenter; vt insinuetur mos abluendi manus crebris, & multis lotionibus curiose, ac diligenter. Gr. habetur πυγμῆ, id est, vt exponit Euthy. vsque ad cubitum, vel cubitaliter. videtur enim fuisse mos lauandi manus vsque ad brachij cubitum: vel vt in biblijs regijs leges, πυγμῆ, idem est, quod pugillatim, nam πυγμῆ, Gr. pugnus dicitur. Solebant enim, inquit Emm. cap. 7. in nota, in Marc. lauare sæpe manus, tandemque infundere in summos digitos aquam, comprehensa in pugnum manu, & eleuata, vt posset in brachium aqua fluere vsque ad cubitum. Id quod etiam hodie Hebræi dicuntur obseruare. Interpres videtur vel legisse πυκνῶ, id est, crebro, vel sensum reddidit.

Mos se abluendi vsque ad cubitum, &c.

19. *Cur discipuli manus aliquando cibum sumpturi non abluebant.*

6. *Quare discipuli tui*] Victor Antioch. Marc. 7. *non est hoc eo sensu accipiendum,* inquit, *quasi discipuli manus nullo modo lauerint, non ita enim res habet; verum quia à Domino edocti erant, vt ea, quæ ad explendam communem corporis necessitatem faciunt, pro rerum vsu, locique, & temporis commoditate administrarent: soli autem virtutum studio ex animo*

A *incumberent: quo tempore cibus sumendus erat, de receptis apud pharisæos lauationibus non magnoperè curabant: hoc autem cum scribæ, & pharisæi animaduertissent, illos veluti vsitatarum traditionum transgressores apud Christum accusabant.* Chrysost. item hom. 52. in Matth. ait: *consideratione dignum est, cur illotis manibus discipuli manducarent.* Cuius igitur rei causa sic comedebant? *non studiosè, atque data serte opera: sed serijs, atque necessarijs apprime attendentes, superflua, & inutilia facere spernebant, ita vt nullam haberent legem, lotis, aut illotis manibus comedere, ex temporis opportunitate alterum faciebant: namque qui alimenta necessaria plerumque negligebant, quomodo his minimis animum dedissent.* sic ille. non igitur id Apostolorum rusticitati tribuendum est.

Illud non est silentio inuoluendum, quod Lyranus arbitratur, propterea discipulos à scribis, & B pharisæis reprehensos fuisse quod antequam cibum sumerent haud manus lauarent; licet in contrariam abierint sententiam Caietanus, & Iansenius putantes sermonem hîc vers. 6. esse, non de lotione manuum ante prandium, & cenam, sed de ea, qua ex traditione seniorum ter, aut quater eodem prandio, vel cena lauabant manus (de qua tamen nos diximus numero 18. fieri solitam quoque ante accubitum) & ideo, inquit Iansenius, non dicunt Pharisæi, & Scribæ, non lauant discipuli manus suas, *antequam panem manducent,* sed *cum panem manducant*: quare secundum istos non incusantur discipuli, quod præterirent eam manuum lotionem, quæ ciuili, ac consueto more fieri solet, antequam quis mensæ accumbat; verum Lyrani sententiam, Chrysostomi, Theophylacti, & Euthym. fuisse non ignorabit, qui eos legerit, & in eadem est Dionys. Carth. & Abulens. Matth. 15. 9. 14. quam C docet non obscure Marc. 7. cap. *cum vidissent,* inquit *quosdam ex discipulis Christi communibus manibus, id est, non lotis manducare panes, vituperauerunt.* Ergo quod viderant, reprehenderunt, nimirum, quod illotis omnino accumberent manibus. non verò quod inter prandendum, vel cenandum crebro manus non lauarent; immo nec de crebra manuum lotione ante accubitum (de qua num. citato 18.) loquuntur hîc Pharisæi vers. 6. & hoc eorum verba indicant: *Quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum, sed communibus, id est, non lotis manibus manducant panem.* Illud porrò, quod vers. 3. habetur, *cum vidissent quosdam,* &c. *non lotis manibus manducare panes,* numero plurali, consuetudinem notat: quasi dicant, solere sic prandere, vel cenare.

Traditiones seniorum] Euangelium, quod Hebraicè Matthæi nomine circumfertur: Ghezerot azzekenim, hoc est, constitutiones seniorum nuncupauit: græcus verò codex singulari numero τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων, id est, traditionem seniorum vocat. D

Lutherus (inquit Sixtus Senensis in bibliotheca lib. 2. vers. traditiones) atque omnis fœda Lutheranorum colluuies, per traditiones, & doctrinas hominum à Christo (explosas vers. 7. sequenti, & 13. & 14.) interpretantur omnes Ecclesiasticas sanctiones, quæ in diuinis litteris apertum, & expressum Dei testimonium non habent. Cæterum apparet eos improbè mentiri ex eo, quod Christus non damnat traditiones hominum bonas, & iustas, quamuis expressum verbum Dei non habeant, sed iudaicas tantum constitutiones, hoc est, mandatis Dei repugnantes: qualis erat pharisæorum; *munus quodcunque est ex me proderit tibi,* quæ præceptum diuinum de pietate erga parentes destruebat. adde etiam Christum de his præsertim mandatis hominum loqui, quæ sunt irrationabilia, fri-

20. *De qua lotione loquatur Pharisæi dum vers. 6. accusant Christi discipulos.*

21. *Quid hic traditionum nomine Lutherani perpetram intelligent. Duplex traditionum genus, & quadruplex reprehenditur.*

uola,

uola, & nil conducunt ad pietatem priuatam, vel publicam, vt ex Marc. vers. 14. constat, & has Apostolus irridens nunc *Iudaicas fabulas*, nunc *aniles nugas*, nunc *stultas quæstiones, & prophanas vanitates* appellat. Timotheumque ab ipsarum tractatione deterret. 1. Timoth. 1. & 2. cap. 2. & 4. Item ad Titum 3. huiusmodi erant tam crebræ, & curiosæ manuum, calicum, vrceorum, æramentorum, lectorumve lotiones, seu potius baptismata, quæ nullum habent in Dei lege firmamentum) sanctiones verò Ecclesiasticas, & decreta Patrum, quæ cultum Dei promouent, & augent, ita Christus seruari vult, vt per Paulum dicat 2. Thessal. 2. *state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam.* Et ipsemet de traditionibus pastorum seruandis legem statuens Matth. 23. inquit, *omnia quæcunque dixerint vobis seruate, & facite.* Et ad Pastores Lucæ 10. ait: *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Et Matth. 18. *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi, tanquam ethnicus, & publicanus.*

22. Non enim minus meretur inter ethnicos abijci, qui Ecclesiasticas traditiones recusat, quam qui Euangelium recusat. Siquidem reiectis Ecclesiæ constitutionibus; Euangelium quoque abiectum iri necesse est, quod & D. Basil. in lib. de Spiritu sancto planè testatur his verbis, cap. 27. *Si instituta, consuetudinesque non scriptas, tanquam in eis vis magna non insit, semel repudiare aggrediemur; clam, ac pedetentim ratas ipsas Euangelij sententias improbabimus, aut potius ad inane nomen eius prædicationem contrahemus. Apostolicum igitur existimo in his etiam traditionibus, quæ scriptæ non sunt permanere.* Sic ille.

23. Duplex ratio in traditionibus inuitur. *Non ambulant*] *grauior est accusatio*, inquit Arias Montanus in Marc. cap. 6. *quam prima fronte videtur; nam duplex ratio in traditionibus inuitur, altera sententiarum, altera consuetudinis communis. Si quis transgreditur traditionem, quæ constat singulari vnius ex antiquis, vel communi quorundam seniorum sententia, dummodo habeat aliquorum seniorum opinionem, cui adhæreat, non solet reprehendi, nisi ab ijs fortassis, qui oppositam partem tuentur. Si verò quis transgreditur communem seniorum traditionem publica etiam consuetudine firmatam, is grauiter peccat istorum iudicio. Hic igitur accusantur discipuli Iesu communis traditionis, & consuetudinis violatæ: idque significatur illo verbo, ambulant. namque consuetudo in libro traditionum;* HALACHA *dicitur, id est, ambulatio: atque ambulare, consuetudine vti est ex Hebraico idiotismo: vt, qui ambulant in vijs Domini. Ex his apparet non leuiter, magis armatos suis, adortos fuisse Iesum, vsos nimirum stylo orationis doctrinali, ac magistrali, qui certa vsurpatione, & obseruatione pondus addere solet disputationibus.*

v.7. *Quare & vos*] leuem, atque inanem Pharisæorum reprehensionem, grauissima reprehensione confutat, sic clauus, clauo pellitur, sed malus bono. Euthy. Matth. 15. non dixit benefaciunt transgrediendo, ne Iudæis contentionis occasionem præberet; nec dixit male faciunt, ne huiusmodi traditiones confirmaret, neque eos calumniatur, qui illam tradiderant, ne tanquam contumeliosum eum verfarentur. Sed statim diuerso de maiori peccato accusat; ostendens non oportere eos, qui Dei præceptum transgrediuntur, accusare illos, qui hominum traditionem prætereunt.

Propter traditionem vestram] quasi dicat vt traditiones vestras statueretis. Sic Hieron. ad Algasiam quæst. 10.

Nam Deus dixit] Marc. habet Moyses: quare apertè confirmat Christus legem Moysis à Deo dictatam esse.

A v.8. *Honora Patrem*] *Honor*, inquit Hieronym. Matth. 15. *in scripturis non tantum in salutationibus, & officijs deferendis, quantum in eleemosynis, ac munerum oblatione sentitur. Honora, inquit Apostolus, viduas, quæ verè viduæ sunt*, 1. ad Tim. 5. 3. *Hic honor donum intelligitur. Et in alio loco: presbyteri duplici honore honorandi: maximè, qui laborant in verbo, & doctrina Dei, & per hoc mandatum iubemur boui trituranti os non claudere; & dignus sit operarius mercede sua.* 24. *Honor quid in scripturis.*

v.9. *Vos autem dicitis*] *præceperat Dominus vel imbecillitates*, ait idem Hieron. *vel ætates, vel penuriam parentum considerans, vt filij honorarent, etiam in vitæ necessarijs ministrandis, parentes suos. Hanc prouidentissimam Dei legem volentes scribæ, & pharisæi subuertere, (vt impietatem sub nomine pietatis inducerent) docuerunt pessimos filios, vt parentibus dicerent*, quod sequitur: 25.

B *Munus quodcumque*] id est, quidquid deuoui Deo, tuæ cedet vtilitati, & sic tuæ non succurram pietati, vel (& eodem recidit) secundum Lyra. Hugonem, Strabum, munus quodcumque ex me, (proficiscetur, id est, quodcumque obtulero Deo) tibi proderit, perinde ac si tibi dedissem, præstat ergo Deo offerre, quam tibi dare, iubet ergo filius, vt sic contentus esse debeat parens vt pro se filius, ac pro parente offerat sacrificium, & nihil amplius requirat, quod dicit D. Marc. cum ait: *& vltra non dimittitis quicquam facere Patri suo, aut Matri*, vt habes v. 9. docebant ergo Pharisæi pueros ne quid darent parentibus etiam in senectute, sed quidquid haberent, Deo offerrent, atque ita fiebat, vt oblatio liberorum, sub occasione templi & Dei, in sacerdotum lucra cederet, hæc est bona expositio.

C Montanus in caput 15. Matth. aliter difficilem hunc locum elucidat; duplex scribit fuisse præcipuum genus votorum apud Hebræos: alterum votum continentiæ priuatæ, cum quis sibi ipsi voto concepto interdicit cibo, vel potu, vel alio voluptatis, aut deliciarum, aut iucundæ, aut vtilis rei genere. Alterum genus vouendi est, vt quis iurelurando, ac vouendo neget se alium iuuaturum, vt amicum, vel Patrem, vel vxorem, vel virum. appellatur autem hoc votum, NEDEKHANAAH latinè ad verbum, *votum vtilitatis*, vel commoditatis. Est autem angustissimum in hoc genere votum, si quis dicat, se alij commoditatem omnem abnegaturum: Nam qui negat cibum, vel commercium, vel societatem, vel si vir vxori, vel vxor viro debitum abiuret, alia potest præstare; qui commoditatem negat, nihil omnino commodi illi afferre potest, ex traditionis interpretatione. Itaque qui abiurat prodesse, placere, iuuare, &c. nihil permittitur præstare illi, aduersum quem abiurauit, & hoc votum ad huius loci explicationem facit, cui cum iuramentum addebatur omnino insolubile euadebat, præsertim si iurabatur per sacrificium, aut munus, erat enim hoc grauius, quàm per altare, aut templum iurare Matth. 23. 18. Iam his præcognitis sic locus hic facilè exponetur, si græca simul cum latina conferatur lectio. Nam Gr. sic legimus δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, latinè sic ad verbum lego, & dispungo; *munus, quod si ex me iuueris, vel iuuaberis.* quibus manifestè ostenditur votum; conceptum, & pronunciatum aduersus parentes, adiuncto iuramento, per munus, iuxta traditionem grauissimo, quasi dicas, sanctum munus iuro, & hic dispunge; *quodcumque ex me iuueris*, pro, quocunque ex me iuueris, vel iuuaberis, seu iuuari possis, siue vt habet vetus interpres, *quodcumque ex me tibi proderit*, vel profuerit, supple, *interdictum tibi est*, quicquid meum tibi vtile esse poterit, interdictum tibi est, per votum abnegandę commoditatis. Vel sanctum munus iuro, me dam- 26. *Duplex votum apud Hebr.*

D

natum esse, si quidquam proficiscatur à me, quod tibi prosit. Itaque post vocem, *munus*, qua iuramentum insinuatur dispungendum est in nostra editione. significat enim ille Hebraismus concisus idem, ac si dicatur, sanctum munus iuro, &c. Marcus loco muneris habet *corban*, quod frequentissimè est vsurpatum in traditionibus, estque iurandi forma, aut deuouendi. & hæc quoque expositio ex Montano non est contemnenda. Verum secundum vtrumque modum exponendi, aliquid supplendum erit hoc modo: quicumque dixerit, munus quodcumque est ex me, tibi proderit, &c. liber erit à subuentione paterna: seu innocens erit, culpa vacabit, præcepto de honorandis parentibus satisfacier. licet etiam non malè verba sequentia v. 10. *& non honorificabit Patrem*, &c. referri ad præcedentia possint; hoc sensu, quicumque dixerit Patri, &c. munus, quodcumque, &c. ille non honorificabit amplius Patrem. nam coniunctio, *&*, Hebraico more affirmat, & exponit, atque colligit hoc loco; vt & eadem coniunctio, *&*, statim à Christo pronunciata, affirmat tanquam illatiua, *& irritum feciſtis*, &c. Matth. 15. 6. pro, atque ita irritum feciſtis. Si ergo hoc modo exponamus nihil videtur explendum, ne vacua sit oratio, post verba, *quicumque dixerit*, pertinent enim hæc, ad sequentia, *& non honorificabit* q. d. illé vtique non honorificabit amplius patrem, id est, liber erit ab honorando patre, &c.

Rescindentes] Gr. ακυροῦντες, & etiam significat abrogãtes, siue antiquantes, & rescindẽtes eo significato, quo rescindere, & ratũ habere cõtraria sunt.

10. *Et non honorificabit*] hæc verba si non pertinent ad explenda illa, *quicumque dixerit*, Christi sunt, sicut & illa Marc. v. 9. *& vltra non dimittitis*, &c. Pharisaicum dogma damnantis, & quasi subiungentis: Atque ita fit vt filius falsò persuasus, non honorem deferat, quem Deus vult, parentibus, atque ita irritum feciſtis mandatum Dei propter impiam traditionem vestram. Gr. pro *irritum feciſtis*, est; ἀθετεῖτε, quod propriè significat, repellitis, reijcitis. Vt duo inferat mala Christus ex traditione illa: & quod parentes honore debito priuentur; & quod Dei mandatum rescindatur. Maldon. hęc verba, non dubitat esse Pharisæorum, & Scribarum, vt sit sensus; quicumque dixerit Patri suo, aut Matri; munus quodcumque est ex me tibi proderit, culpa vacabit, & poterit non honorare alia in re Patrem suum, aut Matrem; vel etiamsi alia in re non honorauerit patrem, aut matrem quam offerendo pro illo Deo sacrificium, & munus. Sed si ita exponas, vt verba Christi non esse velis, quod non improbo, debes saltem verba Marci, posita v. 9. nempe illa: *& vltra non dimittitis eum quidquam facere patri, aut matri rescindentes verbum Dei*, tribuere Christo & ea, subiungere post hæc alia v. 10. *& non honorificabit patrem suum, aut matrem suam*; vt mox subnectantur verba Christi, *& vltra non dimittitis*, &c.

Benè irritum] Ἰησοῦς additum est aduerbium *benè*, ingeniosè inquit amouistis pulcherrimè collocatum præceptum Dei, vt eodem loco statutam traditionem vestram seruetis; vel *benè* idem est, quod, valdè irritum feciſtis, vel certè.

11. *Hypocritæ*] hypocrita propriè mimum, vel histrionem significat. ex hoc genere alij actione, & gestu, alij vocibus fabulas agunt, & personas sustinent, atque referunt non proprias, sed alienas, regum, ducum, diuorum, patrum, senum, matronarum. hoc verbum Dominus IESVS sapientissimè vsurpauit ad eos significandos, qui vel gestu, & actione, vel oratione tenus pietatis cultum in speciem referunt. hîc vtrosque tetigit Pharisæos, & Scribas. Cur igitur eos hoc loco *hypocritas* vocat, cum non de hypocrisi, sed de peruersa agatur doctrina? Respondet Euthym. quia cum diligentissimi legis obseruationes videri vellent, legem tamen propter traditiones suas transgrediebantur.

27. *Hypocrita quid.*

Cur Pharisei & Scribæ hypocritæ dicantur nunc.

Benè prophetauit] Int. quia benè conuenit vestris moribus.

12. *Populus hic*] Gr. legitur, *appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat, cor autem eorum longè abest à me*. Sic Isaiæ 29. 13. 70. verterunt, nisi quod apud 70. non est σώματι αὐτῶν vt hoc loco: sed αὐτῆ, nec τιμᾷ, sed τιμῶσι, nulla tamen iniuria sententiæ, Appropinquare Deo, est Deum colere, vt Psalm. 148. 14. *Hymnus omnibus, &c. populo appropinquanti sibi*, hoc est, colenti illum; quos enim sanctos vocauerat, hos appropinquantes nominat. Est ergo sententia loci huius: populus hic colit me labijs, non colit corde. In nostra noui testamenti editione non leguntur priora verba Esaiæ; quia probabile est Christum ea citasse ex Esaia, quę maxime ad rem suam spectabant: Erat autem sermo de honore. Quare nullus Latinus vel Græcus auctor præter Euthym. & Theophyl. legit aliter.

28. Isai. 29.

Appropinquare Deo quid.

13. *Sine causa*] D. Marcus habet, *in vanum*, & Heb. apud Prophetam non est sine causa, sed, *& est timor eorum aduersus me*, hoc est, timent me, colunt me. Est autem timere Deum apud Hebræos idem ac colere. Verum qui pro suo arbitrio, non vt Deus docet, ipsum colit, in vanum, id est, frustra, & sine fructu colit. Vel frustra, in vanum, & sine causa. idem sunt quod vane, sine rationabili causa, vt Psa. 38. 12. *Vane conturbatur omnis homo*, cultus autem vanus est, qui rationabili causa caret, id est, friuolus, inutilis. LXX. igitur, & Matthæus, sensum reddentes μάτην addiderunt, id est, frustra, hoc est, sine causa, & in vanum. illa verò, quæ Hebraicè habentur *timor eorum aduersus me*, interpretati sunt σέβονται μὲ colunt me, vt & Matthæus habet.

Psal. 38. 12.

Docentes doctrinas, & mandata hominum] sic vocat humanas traditiones, vel mandata, quæ præceptis Dei cõtraria sunt, vel certè superflua, & inutilia. Hebr. præcepta hominũ docta, id est, ab hominibus inuenta, & tradita. 70. videntur legisse *doctrinam*, & explicationis causa addita coniunctione verterunt: διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων, καὶ διδασκαλίας docentes præcepta hominum, & doctrinas. Matt. tantum transposuit verba: dicens *doctrinas, & mãdata*: nisi per negligentiã scriptorũ id euenerit.

29. *De quibus loquatur Isa.*

Circa hoc Esai. testimonium obserua esse, qui putent non loquutũ Esaiam de Scribis tantum, & Pharisæis, sed de toto populo Iudæorum, & non de eo, qui futurus erat, sed de eo, qui tunc erat, ita vt non sint hęc propriè vaticinantis verba, sed accusantis. Accommodasse tamẽ Christum ad Scribas, & Pharisæos, vt sit sensus, adeo, quod de toto Iudæorum populo, qui suo tempore erat, accusando, dixerat Esaias, in Scribas, & Pharisęos conuenire, vt de ipsis futuris Scribis, & Pharisæis prophetasse videatur. Sic Mald. Sed non video cur negari debeat hæc esse vaticinantis verba, & pertinere ad totum Iudæorum populum, vt in primis comprehẽdit Scribas, & Pharisęos, etiam illos, qui futuri erant tempore Christi. quæ duo stabilire videtur sententia Christi, cùm ait: *bene prophetauit de vobis Isaias, dicens: populus hic, &c.* Quare rectè Arias in hunc locum notat; Esaiæ vaticinia à sua ætate, vsque ad noui testamenti tempora pertinuisse. Potest & illud Hieremiæ testimonium c. 8. 8. 9. accommodari in Scribas istos & Pharisæos: *Quomodo dicitis sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum. confusi sunt sapientes, perterriti, & capti sunt: Verbum enim Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis.* & v. 10. *quia à minimo vsque ad maximum omnes auaritiam sequuntur.*

14. *Tenetis traditionem hominum baptismata vrceorum*] hinc patet non de solis traditionibus loqui Dominum, quæ Dei præceptis contrariæ sunt,

30.

sed et-

sed etiam de inutilibus, & superfluis, quibus per hypocrisim exactam obseruationem præceptorum Dei simulabãt. huiusmodi erant baptismata vrceorum, calicũ, lectorũ, crebræ manuũ lectiones, &c.

31. 15. *Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite*] Huiusmodi verbis vti non solet Christus, nisi cum nouum aliquid, & paradoxum dicturus est, quod hominum mentibus inculcari velit. Cùm ergò abundè Pharisæis satisfeciſſet volés paulatim ceremonias legis, quibus plus nimio Iudæi fidebant, euertere, huiusmodi erant de cibis mundis, & immundis discrimina, subdit: *non quod intrat in os coinquinat hominem* &c. ergo Christus Iudæorum turbis, quibus mitius erat, ac faciliùs, quàm superstitiosis pharisæis ingenium, *audite* inquit, *& intelligite*, q.d. Rem nouam vobis, & quæ initio dura videatur, dicturus sum. Indignãtur Pharisæi, quod illotis manibus quis manducet. Ego autem dico vobis, quod non modò aliquis in hoc non malè agit, quin immò si posthac cibos in lege veritos & immundos comedat, non coinquinabitur &c. Nec mireris lector quod tanto studio Christus dedoceat turbas, facilè enim persuaderi solent magnam aliquam pietatem inesse in huiusmodi rebus obseruandis, tum propter Scribarum auctoritatẽ, tum etiam propter præstandi facilitatem, cùm facilius multò & dici, & agi huiusmodi res possint. quàm ea, quæ solidæ virtutis sunt.

Iterum] nam vt patet Marc. 6. v. 55. 56. prius turba ad Christum concurrerat, non igitur mirum si Marcus dicat nunc: *Et aduocans iterum turbas.*

32. 16. *Non quod intrat*] lege in hunc locum August. contra Adimantum cap. 15. & lib. 16. contra Faustum cap. 31. Est ergo sensus; non quod intrat, id est, nullus cibus etiam illotis manibus sumptus, vt infra vers. 22. videtur explicari, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, vide vers. 23. Interim aduerte, vt superiori versu diximus, velle etiam Christum tacitè ceremonias illas sensim euertere de mundis, & immundis cibis. quasi dicat, tantum abest, vt illotis manibus cibum manducare, coinquinet hominem, vt nihil etiam quod intrat in os, imposterum coinquinare possit hominem, vbi simul Pharisæos reprobat, ne illotis quidem manibus parcentes; & ciborum legalium tacite differentiam tollit. Oecumenius de sordibus exponit illa, *non quod intrat, coinquinat.* sed prima expositio, id est, vt cibus illotis manibus sumptus, intelligatur, videtur verior, & menti Christi magis consentanea ex sequentibus. Aug. verò exposuit de ore cordis ea verba; *quod procedit ex ore* &c. Vide inferiùs v. 22.

17. *Scis quia Pharisæi &c. scandalizati sunt*] videbatur enim contra ciborum delectum lege perscriptum loqui, legemque ipsam abrogare.

33. 18. *Omnis plantatio*] id est, planta. per *plantam* autem Hilar. Theophyl. Euthym. & quidam alij doctrinam intelligunt. malo cum Athanasio epist. de Synod. Arimin. & Seleuci. Hieronym. August. lib. 1. qq. Euang. c. 17. homines ipsos, id est, Scribas & Pharisæos interpretari, quos cœcos, & duces cœcorum mox vocat. Meritò autem dicit non esse istos plantam à Deo plantatam, quia cùm essent vinea à Deo electa, in vineam prauam versi sunt, vt meritò excidendi sint, & in ignem mittendi, nisi se emendauerint, vt lucem recipiant. Quare tanquam homines perditi, & profligati dimittendi sunt, qui non lucentem Dei spiritum, sed tenebricosum suum sensum traditionesq; sequebantur, nec proinde mirum, si Christi verba spiritu plena, carpere non possint. Arias Montanus, omnis, inquit, plantatio. id est, pharisaismus non fuit à Deo, ideoque nec debuit à Christo tolerari, neq; illius ratio potuit probari, quæ cum Dei veritate non constabat, atq; adeò tandem perituras erat omninò: sed melior est prior expositio & magis literæ inhærens.

Eradicabitur] ex viua videlicet terra electorũ, & Dñi vinea, nisi videlicet, in meliorem frugem se receperint, neq; enim hunc locum secundùm Christi sensum, de reprobatis intellexero. nam nõ dixit Christus dimittendos, quia reprobati, sed q cœci essent; qui verò tales sunt, illuminari possunt, & desinere esse inter cœcos, & credibile est, non omnes illos reprobatos fuisse. subdit ergo. nam adulterinæ plantationes non dabunt radices altas.

34. 19. *Sinite illos*] id est, cœcos magistros cũ cœcis discipulis, quos docent, in æternæ dãnationis foueam cadere: cũ recta monentibus, & salutaria audire nolint. Vel sensus est; ne de illorũ offensione laboretis, aut solliciti sitis, sed finite offendere, & impingere in meam doctrinam, vt agnoscant se esse cœcos, aut saltẽ agnoscantur cœci ab alijs, quos ipsi indignè in periculum trahunt ducentes; vt saltem isti moniti, qui se existimant à videntibus, & B oculatissimis duci, simul cũ magistris ambo in foueam non cadant magistrorum errore delusi.

35. Notat Pererius in caput 14. ep. ad Rom. n. 12. non dici quempiã scandalizare proximum, qui bonum opus facit, ex quo tamen alius vel inscitia, vel sua culpa scandali occasionem capit, vt nunc Pharisæi propter hęc verba Christi, scandalizati sunt, & tamen respondens Christus Apost. dixit: *sinite illos, cœci sunt* &c. Iterum dupliciter fieri potest vt quis alium scandalizet: vel faciendo id, quod est verè malum, vel id, quod licet per se non sit malũ, apud alios tamen habet speciem mali. hinc est quod Apost. 1. Thess. vlt. monet eos, vt abstineant se *ab omni specie mali.*

Scandalizare proximũ quando & quomodo & quis.

1. Thess. vlt.

36. Verùm duplex est genus hominum, apud quos aliquid potest habere speciem mali: alij sunt ab Ecclesia catholica separati, vt hæretici: alij sunt in C ipsa Ecclesia, & ab ea tanquã infirmi tolerantur, & hi sunt, quos Apost. ad Rom. 14. non vult contẽni, & scandalizari, sed potiùs compatiendo eorum infirmitati, tolerari, vt qui putabant legalia esse obseruanda, & tantisper ab Ecclesia tolerabãtur, dum doctrina Euangelica sufficienter esset in mũdo euulgata. Hæreticorum, sicut & Scribarum olim, & pharisæorum, alia ratio est, qui cœci sunt, & duces cœcorum.

Duplex genus hominũ.

37. Gagn. eodem tẽdens doctè hunc locũ exposuit; *dum enim*, inquit, *ex verbo Christi intellexerũt Pharisæi paulatim ceremonias suas labefactari, quamquã meliora illis longè succedebãt pro ceremonijs scilicet, & vmbris, ipsissima lux, & veritas, scãdalizati sunt scandalo, vt Theologi vocant, accepto, non dato: neq; enim Christus, neq; eius verba occasionem vllam illi dabant offendiculi, sed ipsi mera inuidia vltro sibi scandalum accersebant. Ideoq; negligendum docet* D *huiusmodi hominum scandalum, inquiẽs, sinite illos. subaudi, scandalizari: rationemq; subdit: Cœci sunt, ex his videlicet qui videntes videre nolunt, neq; intelligentes intelligere. Sinite ergo illos perire, qui scientes, ac volentes perire volunt. Ego aũt non possum opera Patris mei non facere, & necessariam veritatẽ non prædicare. Etsi futurum scio illos inde offendi, nihil ad me de illis, qui adulterina plantatio sunt, quam Pater meus non plantauit, ideoq; eradicabuntur, ex viua scilicet terra electorum.*

20. *Et cùm introisset in domum à turba*] à turba, id est, semotus à turba, relicta turba, vel vbi cum turba loquutus est. Syriacè pro turba, id est, vt turbam fugeret prementem.

38. *Respondens*] Hebraismus est, licet enim nulla interrogatio præcesserit, significat simpliciter loqui, vel dicere; nec solus Petrus, sed cæteri etiam discipuli rogauerunt, vt habet Marcus, nisi dicamus, Petrũ omnium nomine rogasse; vel hebraismum esse quo numerus pluralis apud Marc. pro singulari.

39. *Parabola quid hic.*

Parabolam] parabolæ nomen hîc non pro similitudine sumitur, sed pro obscura aliqua sententia, quomodo & in Psal. 77. *Aperiam in parabilis os meum* &c. vel parabolicè putarunt discipuli Christum loqui, tum quod ea verba non intellexerant: tum quod Christus apud Marcum addidit: *si quis habet aures audiendi, audiat.*

40. *Quis sine intellectu.*

21. *Adhuc & vos sine intellectu*] sine intellectu est, inquit Arias, qui non nouit naturam hominis duplicem, interiorem & exteriorem: & qui non cognouit etiam rerum causas, efficientiam, & vsum; maximè verò earum, quæ cum ipsa natura cõiunctæ sunt, aut ab ea disiunctæ, ad vsum aliquem asciscuntur: huiusmodi sunt cibus, potus, lectus, lotiones &c. de his non semel, neq; breuiter differuerat Christus, neq; obscuris verbis; vt cap. 5. 6. 7. Matth. indicatur. Ideoq; arguuntur discipuli ignorantiæ cuiusdam supinæ.

41. 22. *Non intelligitis*] G. οὔπω, nondum. Iam ostendit Christus, quomodo, *quod intrat in os, non coinquinat hominem*: quia videlicet sola impietatis fedes mens, & cor. nam quidquid fit non accedente mentis consensione, siue illud stuprum sit, quemadmodum in Loth culpa caret, siue homicidium fuerit, si vere imprudenti, & ignoranti acciderit, non igitur quod in os intrat, & non in corde hæret, sed quæ de ore exeunt, id est, quæ animo prius inquinato, ac sordido patrantur, & concipiuntur; & de ore exeunt, ea hominem maculant. denique, & quidquid hominem coinquinat, vt exit à prauo corde, id est, animo inquieto & corrupto, sic maculat, non vt intrat. Porrò procedunt de ore non solum verba, sed facta etiam, dum in actum exeunt. primum quidem quia omnia opera in corde primum concipiuntur: vnde non videntur, nisi per os exire posse in opus per actum, quod vt Mald. inquit, vnicum cordis foramẽ est; deinde verò quia ita plerũq; naturaliter fit, vt primũ, quæ facturi sumꝰ, animo cõcipiamus, deinde eloquamur ore, tãdẽ perficiamus, quia ergo hoc plerumq; fit, ideò dixit Christus de ore exire homicidia, adulteria &c. mod dicto. non aũt solùm verba, quæ propriè de ore exeũt. Sunt enim voces indices mentis, & ex abundãtia cordis os loquitur. nihil enim loqui solet ni si quod illi mẽs suggerit, ideò quodcumq; peccatũ est in voce, & ore, huiusmodi sũt falsa testimonia, & blasphemiæ, radicẽ habent à corde. omnia ergò, quæ maculant hominem, de ore exeunt, & vt exeũt maculant. Dices multa exire de ore, quæ non maculant hominem. Resp. De malis & peccatis loquitur, id est, de ijs, quæ de animo sordido, ac malè affecto scaturiunt.

Os vnicum cordis foramen quomodo sit.

42. D. Augustinus ea verba, *non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore* &c. sicut & ista verba, *quæ procedunt ex ore* &c. sic exponit lib. 15. de Trin. c. 10. *Quædam*, inquit, *cogitationes, locutiones sunt cordis, vbi & os eius esse Dominus ostendit, cùm ait: Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem; vna sententia, duo quædam hominis ora complexus est, vnum corporis, alterum cordis. Nam vtiq; vnde illi hominem putauerunt inquinari, in os intrat corporis. vnde autem Dominus dixit inquinari hominem, de cordis ore procedit. Ita quippè exposuit ipse quod dixerat. Nam paulò post de hac re discipulis suis. Adhuc & vos, inquit, sine intellectu estis? Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Hic certè apertissimè demonstrauit os corporis. At in eo quod sequitur os cordis ostendens. Quæ autem, inquit, procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ &c. Quid hac expositione lucidius.* Idem habet Augustinus de mẽdacio ad Consentium c. 16. Item de Continen. c. 2.

Duplex os.

A *Purgans omnes escas*] τὸ *purgans*, non potest referri ad secessum, cùm diuersi casus sint, ita etiã in Græco ἀφεδρῶνα coniungi nequit cum participio καθαρίζον, vt ostendit casuum, & generum diuersitas. Est autem ἀφεδρὼν cloaca in qua exoneratur venter, non autem anus, vt videtur velle Abul. Matth. 15. q. 47. Igitur hæc, *purgans omnes escas*, pertinent ad illa, *omne extrinsecus introiens in hominẽ*. id enim quod extrinsecus in os intrat in ventrem vadens, & in secessum exiens, hoc inquam est, quod purgat escas in corpore remanentes. Cùm enim ciborum excrementa separantur, tunc cibi expurgantur, quos comedimus, vt in substantiam conuertantur. Cùm verò ait Dominus, *omne quod in os intrat in ventrem vadit, & in secessum emittitur*, intelligendus est loqui secundùm aliquam cibi partem, id est, quantum ad excrementa. nam reliquæ partes in corpus animantis transeunt.

43.

B 23. *Quæ autem procedunt de ore*] Duo dixerat Dominus v. 16. Primum *non quod intrat in os, coinquinat hominem*, id nunc ostendit, quia cibi cor nõ attingunt, vnde vera oritur immũdities, ac proinde cordis malitiam contrahere nequeunt, vt ita infecti hominem coinquinent. Alterum verò; *quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*. Id sic declarat, nam quæ ex ore exeunt, proficiscuntur etiam ex corde, ac voluntate, atque ideò hominem conspurcant; quæ namque ex corde sordido dimanant, totum deturpant hominem, cuiusmodi sunt ea, quæ v. 24. sequent. enumerantur.

24. *Cogitationes*] de corde, inquit, cogitationes exire, quia inde manant, quamuis non semper in verba erumpant, aut facta.

Homicidia, adulteria] Marcus addit: superbia, stultitia, id est, stultiloquium, oculus malus, id est, inuidus, q̃si alienam cernens felicitatem torqueatur, cuiusmodi oculos malos habebat Saul, de quo 1. Reg. 18. 9. dicitur, *non rectiùs oculis Saul aspiciebat Dauid*. nam rectè Ecclesiast. 14. 8. dicitur: *Nequam est oculus liuidi*, & Matth. 20. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*

44. 1. Reg. 18. 9. Eccl. 14. 10.

45. 25. *Hæc sunt*] Frustra laborant Hæretici, contendentes de externo ciborum delectu propter ea, quæ his versibus docuit Christus, cùm nihil tamen aliud velit, quàm cibum nullum ore sumptum per se hominem impurum reddere; sed nõ negat, quod Ecclesia docet, inobedientiam, & inordinatam cupiditatem, qua sumitur cibus, coinquinare hominem, vt patet de Adamo, & Esau testo Augustino tract. 37. in Ioan. Item cibus Eucharistiæ cum peccato sumptus, & vinum immoderatè sumptum.

Non cibus simpliciter, sed inobedientia, qua cor. hominem maculat.

46. *Non lotis autem*] id est, cibus illotis manibus sumptus, vt exposuimus n. 32. Est hæc conclusio totius quæstionis; vbi aduerte; quod non lotis manibus, id est, operibus, cœlestem panem, id est, Eucharistiam manducare, maximè coinquinat hominem. *necesse est enim*, vt ait Beda Marc. 7. *crebrò eleemosynarum, lacrymarum, aliorumq; iustitiæ fructuũ lauamento, sua opera purgare, vt casto corpore, & corde cœlestibus quis valeat communicare mysterijs.* Et Chrysost. hom. 42. *discamus, quænam ea sint, quibus turpiter homines fœdantur. vt fugiamus. In nonnullis enim iam Ecclesijs hunc morem corroboratum videmus, vt diligenter multi studeant, quomodo manibus loti, candidis induti vestimentis, in Ecclesiam ingrediantur; Quomodo autem animam, ac mentem suam puram, atq; defecatam offerant Deo, nullam prorsus habent curam. Hæc dico non quia lauare os, aut manus prohibeam: sed quia non aqua solum lauare os velim, verùm etiam vt æquius est, omni virtutis numero. sordescunt quippè manus operationibus prauis, os autem maledictione, blasphemia, contumelia, verbis iracundis, atq; obscœnis, scurrilitate &c.* Hæc Chrysost.

Lotis manibus V. Eucharistia sumenda.

Quæ lauanda.

Digitized by Google

THEORIA

In v. XVI. *Non quod intrat in os coinquinat hominem.*

In qua declaratur baptizatis omnibus, quouis cibo, etiam Idolothyto, vel in Idolio præciso scandalo vti licuisse.

DE hac re Doctor Olauius in quibusdam manu scriptis disputat contra nonnullos contrarium sentientes, quæ ob id hic referre placuit, quod locum hunc Euangelicum illustrare possunt, ne quis fortè opinetur cibum semel idolo consecratum, vel in idolorum templo sumptum secundùm se hominem maculare. Sic ergò vir doctissimus scribit: duo asseuero, quæ ambo intelligi volo nullo imminente scandalo (primum baptizatis omnibus quouis cibo etiam idolothyto vti licuisse) quamuis huius contrarium Augustinus videatur dicere: is enim tom. 2. epist. 154. ad Publicolam in fine epist. *Restat*, inquit, *ni fallor, vt dicamus aliquid de illo viatore Christiano, quem commemoraſti victum famis necessitate, si nihil vspiam inuenerit, nisi cibum in idolio positum, vbi nullus alius est hominum, vtrum ei satius sit emori, quàm illum in alimentum sumere*, huic quæstioni ita ille respondet; viatorem illum nulla ratione illo cibo vti debere, si certo sciat idolothytum esse: si verò certò cognoscat non idolothytum, aut omninò ignoret, tunc eo licitè vesci posse. Hæc est vt plurimi censent Diui Augustini sententia.

Contra illud obijcio totum octauum caput 1. ad Corinth. in quo luce clariùs significatur, hominem sapientem, qui cognocit idolum nihil esse, & cibum nullam vitiositatem re ipsa contrahere ex eo quod idolis immoletur, vti posse cibo idolothyto, non secus quàm quouis alio, modò nullus offendatur. hoc apertissimè illis verbis significatur versiculo nono: *Videte autem ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis*. Nam cùm dicit licentia, significat planè licere sapientibus sic facere, & in verbis versiculi octaui præcedentibus, vt illum actum indifferentem esse significaret, dixit: *Neque enim si manducauerimus, abundabimus: neque si non manducauerimus, deficiemus*. Legatur totum caput diligenter, & verum hoc esse luce clariùs apparebit. Neque contrarium, mea sententia, asserit Augustinus dum ait: *Si ergo certum est esse* (nempè idolothytum) *melius Christiana virtute respuitur*. Qui dicit respui melius esse, is nõ respuentes, comedentesq; non idcircò condemnant.

Iam verò alterum, quod dico, est, cibum nihil habere quod possit fœdare hominem, si in idolio comedatur. Caietanus enim propter illa decimi capitis verba eiusdem epistolæ: dico, quod *quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum*, putat non imminente scandalo prohiberi Christianis esum cibi

A in idolio. Ego verò contra sentio. Peto igitur à quouis studioso, vt diligenter legat verba decimi capitis ab illo loco: *propter quod carissimi mihi, fugite ab idolorum cultura*, vsque ad finem capitis, videbit profecto perspicuè eos reprehendi, qui vel cum animi consensu, vel cum infirmorum offensione in idolio cum gentibus accumbunt, vt cum illis idolothytis vescantur.

Probat autem & exemplo Christianorum, qui congregantur vt de vno calice bibant, & de vno corporis Christi pane edant, communem religionem agnoscere, qui communibus vult vti cibis. Idem confirmat ex consuetudine, quam Iudæi adhuc ceremonias seruantes obseruabant; non enim patiebantur vllum ab ipsorum religione alienum de suo agno immolato edere. Hinc igitur colligit Christianos, B qui ad idolium se conferebant, si cum consensu non accedebant, certe quidem magnam offensionis ansam infirmis præbere, vt id existiment. Exaggerat autem, quàm sit periculosum consentire, ab illo loco versiculi decimi noni: *Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid?* vsque ad illum locum versiculi vigesimi secundi: *omnia mihi licent*; vnde vsque ad finem capitis, euidenter nostram sententiam confirmat, & rem ipsam in sapiente, vitio carere ostendit, siue cibum consideres, siue locum; actionem tamen reprehendendam esse propter offendiculum, quod infirmis illa præbet, hoc illa verba significant, *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*; & illa: *si quis autem dixerit hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum, qui indicauit, & propter conscientiam*: C *conscientiam autem dico non tuam, sed alterius*. Non poterat clariùs Diuus Paulus nostram sententiam confirmare. Consulantur nunc etiam illa octaui capitis verba: *Videte ne licentia vestra offendiculum fiat infirmis*. licentia haud dubium Diuo Paulo respectu eorum est, quæ licitè facere possumus: Audiamus igitur quæ sequuntur: *si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia eius, cùm sit infirma ædificabitur ad manducandum idolothyta?* Colligo hinc euidenter licentiam habere sapientem recumbendi in idolio, sed eum hac licentia vti non debere propter imminens scandalum. Hæc noster Olauius.

D Sed ad clariorem loci Euangelici intelligentiam roget quis, cur igitur non modò post datam legem, sed etiam ante illam prohibitus fuit homini esus quorundam ciborum, vt carnis cum sanguine, immò & ante diluuium alia quædam immunda habebantur ex Genes. 7. 8. itemque tunc illicitus videtur fuisse esus carnium? Verùm facilis est responsio. nam quod attinet ad cibos prohibitos per legem, iam dictum est cur prohibiti sint in Scholijs numero decimo tertio, vetitæ verò carnis esum cum sanguine causſæ videntur, quæ assignantur à Diuo Thoma 1. 2. quæst. 102. artic. 3. ad 8. & præter has duæ aliæ assignantur Leuitici 17. Prima quia *anima carnis in sanguine est*, quasi dicat, quia vita animalis maximè consistit

in san-

Reiicitur.

4.

5.

Cur prohibitus olim esus quorundam ciborum.

Cur prohibitus carnium esus cum sanguine.

in sanguine, sanguis enim est vita animalis, & proinde est comedere sanguinem, atque vitam ipsam animalis, vel ipsum animal viuum; quod est inhumanum. Altera continetur in illis verbis, *& ego dedi illum vobis, vt super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit.* sanguinem enim reseruare sibi voluit Deus pro sacrificijs, quæ videtur coincidere cum tertia Diui Thomæ. Vide illum. Denique quod attinet ad tempus ante diluuium Chrysostomus homilia 20. in Genes. & Pydimus in catena Genes. cap. 7. discrimen mundorum, atque immundorum animalium putant fuisse cognitum Noe Genes. 7. 2. plus octingentis annis ante legem, vel naturali rationis iudicio, vel Dei reuelatione. Theor. Beda, Abulensis, Mosen de his meminisse volunt προλαπτικῶς in historia Geneseos. Alij hanc differentiam volunt esse tantum quoad sacrificia, quædam enim censentur immunda, alia non, quoad esum, sed vt Deo immolentur. & hoc placet, si de immundis animalibus ante legem loquamur. Sunt quædam tamen alia; quæ natura abhorret quoad esum etiam. De esu verò carnium ante diluuium, placet mihi eorum opinio, qui licet esum carnium dicant homini licitum ante diluuium, negant tamen vsurpatum à probis, & pijs viris à stirpe Seth genitis. Vide Diuum Thomam in epist. ad Rom. cap. 14. & 1. 2. quæst. 102. artic. 6. ad 2. Neque verò Deus indulgendo esum carnium post diluuium fecit eum ex illicito licitum, sed significauit tunc incepisse indigentiam eius propter fragilitatem vitæ, & humanæ valetudinis infirmitatem, & inualidam ad benè alendum hominem vim eorum, quæ ex terra nascuntur; quamobrem quasi religione quadam viros pios soluit, ne ab esu carnium quasi superuacuo, vt prius, refugerent. Quibus constat nullum vnquam cibum vetitum esse, quasi per se hominem inficiat, sed ob alias omninò causas. De esu carnium lege Pererium lib. 14. in Gen. disp. 1. item de esu sanguinis disput. 2. sed iam receptui canamus.

Opinio auctoris.

Quomodo post diluuiũ concessus esus carnium, & cur.

DIGRESSIO PRIMA

In V. 3. & 6.

Qua declaratur quàm vitium detractionis horrendum sit.

1. Cuias sit homo tria indicant.

QValis sit & ad quam Ciuitatem pertineat homo tria imprimis indicant, lingua, mores, affectus. hæc enim tria notæ sunt; quæ cuias nam sit aliquis, non obscurè demonstrant. Nam si quis linguam cohibeat, & egregijs moribus compositus sit, affectus verò habeat rationi parentes, hunc non dubitamus cœlestis patriæ ciuem esse affirmare. quod si ita sit aliquis peruersis moribus corruptus, & affectibus incompositis, vt sua non animaduertens vitia, de aliorum vita, moribusque detrahat, nemo erit ita planè rudis, vt non videat hunc ad Diaboli Ciuitatem pertinere & ciuem inferni esse. Huiusmodi sanè mihi videntur scribæ, & pharisæi ab Ierosolymis venientes tanquam patriæ cœlestis desertores, vt sanctissimum Christi nomen, & Apostolorum, traducerent, & accusarent, & ore rabido, vt Marcus ait, vituperarent, cùm tamen ipsi pessimis essent moribus contaminati, & corruptis affectibus infames, à quorum nos detractionis vitio vt alieni simus, & simul intelligamus quanto studio sit fugiendum tam infame peccatum, aliquid ea de re breuiter hîc loquemur.

2. Lingua Detractoris cui similis.

Principiò detractor non sibi tantùm nocet, sed & ijs, vel qui illum libenter audiunt, vel quibus detrahit. est enim detractoris lingua similis serpentis linguæ: sic enim Psalm. 139. legimus: *acuerunt linguas suas sicut serpentis.* Etenim auctore Plin. hist. natur. lib. 5. cap. 38. linguam habet serpens tenuissimam, & in speciem bisulcam, vel etiam trisulcam, adhæc celerrimè, ac veluti perpetuò vibrantem, atri item coloris, etsi extrahat, prælongam. At hæc multò verius in detractorum linguam conueniunt. est enim multò tenuior detractoris lingua, & in detrahendo subtilior. nam calumniandi studio etiam minima obseruat, quæ reprehendat, & sæpè, quæ bona sunt, vituperat vt mala. Ecce tibi instar multorum exemplorum esse possunt isti scribæ, & Pharisæi, qui cùm vidissent quosdam ex discipulis Christi communibus manibus, id est, non lotis manducare panes, vituperauerunt, & quod transgrederentur traditiones seniorum, quasi graue aliquod vitium commisissent, incusarunt. Meritò Dauid Psalm. 56. linguam eorum gladio acuto comparauit; à qua Diuus Paulus ad Titum 1. Episcopum absterret, *Oportet*, inquiens, *Episcopum esse, non percussorem.* quod Diuus Hieronym. in commen. non ad verbera refert, vel manus, sed ad linguam, qua aliquis siue per contumelias siue per detractionem quasi gladio alium ferit.

Locus Paul. ad Titũ c. 1.

3.

Trisula est lingua Detractoris: & vibrans.

Quoniam verò non sibi tantùm, verum etiam & ijs, quibus detrahit, & illi aurem præbentibus, malum creat detractor, iurè cum his tribus noceat bisulcam, & trisulcam eum gestare linguam affirmabimus. Vibrantem porrò etiam habere, non dubitabit dicere, qui Isychium in Leuit. lib. 6. legerit, vbi illa verba Leuit. 21. explanans, quibus præcipitur, vt vir iugi scabie infectus, procul ab omni sacro ministerio abesset, testatur detractores inter eos esse connumerandos, qui iugem habent scabiem, cùm facilè ad detrahendum prouocentur; vt enim scabie laborantes pruriginem patiuntur, ita detractores iugi veluti scabie laborantes præ prurigine à detrahendo desistere non posse videntur, sed hoc pessimo semper motu versari.

Scabie infestos similis Detractor.

4. Detractoris os sepulcri simile.

Sunt verò etiam eorum linguæ atro colore infectæ, nimirum odio, maleuolentia, inuidia, turpes ac fœdæ. Quare arbitror aptè admodum detractorum ora conferri posse apertis mortuorum sepulchris, quæ teterrimum, & graueolentem odorem exhalant. *Sepulcrum enim patens, est guttur eorum*, & eos,

qui præ-

Digitized by Google

qui præsentes illos audiunt incredibili maledicentiæ fœtore corrumpens. Porrò quàm prælonga sit detractoris lingua, nemo ignorabit, qui sciuerit eos etiam longissimè à se dissitis non parcere, & non ad superstites modò eorum, verùm etiam ad vitam iam functos maledicis sermonibus, ac linguæ iaculo pertingere. Hinc est vt Dauid Psalm. 56. Detractorum dentes *arma*, & *sagittas* vocauerit, cùm non cominus modò, vt arma quædam, sed eminus etiam, & longè vt sagittæ feriant. ergo meritò vt venenosi, ac pestilentes quidam serpentes fugiendi sunt detractores, ac diligenter inspiciendi, qui tales sunt, ne fortè clanculum, & quasi furtiuè, instar serpentum nos mordeant, quod solent, dum non apertè detrahunt. quare prudenter Hieronym. Eccli. 10. 11. monet, serpentem, & detractorem æquales esse: quomodo enim ille occultè mordens venenum inserit, sic iste clam detrahens pectoris sui virus infundit.

Et mirabimur si tanto studio Dauid eiusmodi detrahentes persequeretur? *detrahentem*, inquit Psalm. 100. *secretò proximo suo hunc persequebar*; vt meritò Basil. reg. 26. ex breuioribus, exterminandos censeat detractores à reliquorum conuictu, & consuetudine. Quis enim non horreat serpentis sibilum, ac morsum? Atqui detractionem, sibilum, & morsum serpentis esse nullus ignorat, nisi fortè qui Ecclesiastæ c. 10. 11. non crediderit affirmanti: *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.*

Verùm cur ego huiusmodi morsum nomino, cùm Scripturæ ipsæ diuinæ comedere, deuorare, consumere carnes eos, qui detrahunt, asserant? *Appropiant*, inquit Psalm. 26. 2. *super me nocentes, vt edant carnes meas*, quem locum de detractoribus Hieronymus in comment. exponit. quos ipse rapido dente dilacerare, vt August. maledico dente consumere testatur. Nicetas item in Iob cap. 19. v. 22. ait: *probrosos sermones ad depascendos artus, satis per se ipsos valere*. & Gregor. libr. 14. moralium cap. 14. *qui alienæ*, inquit, *vitæ detractione pascuntur, alienis procul dubio carnibus saturantur*. Quæ omnia confirmat Paul. ad Galat. 5. *si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne inuicem consumamini*. Rectè: nam qui detrahendo lædunt, & insidiantur, veluti alios consumere velle videntur; præsertim quia ij qui maledicendo proximi famam perdunt dentibus, ore, lingua id efficiunt, quæ eadem sunt mordendi, comedendi, deuorandi, & absumendi instrumenta. Quare qui detrahunt dentibus premere, deuorare, perdere, ac consumere videntur, & veluti in ventriculum quemdam seu consumptionis, & interitus barathrum traijcere: quibus illud Iob verè dicere possis, quod alienis carnibus saturentur: *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini.* Et illud Dauid Psalm. 51. 5. contra Doeg detractorem, insidiarumque delatorem: *Dilexisti omnia verba præcipitationis* (Hieronym. omnia verba ad deuorandum Chald. vora-

citatis. Nam præcipitare, absorbere, & deglutire est) *lingua dolosa*, nempè detractoria, & maledica, qua detractor perniciem affert proximo.

Optimum igitur consilium est, quod Ecclesiast. cap. 28 tradit: *sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire*, hoc est, muni eas & obtura, ne pateant detractoribus, quomodo spinis ager circumsepitur contra bestiarum incursum, aureisque tuas timore Dei veluti spinis quibusdam sepias, vt ibi Iansenius interpretatur, quibus etiam detrahentium pugnantur linguæ. Et quoniam id allegoricè dictum erat, explicans clariùs Sapiens sequentibus verbis: subdit; *& feras auribus tuis facito.* August. teste Possidio cap. 22. magnis, & apertis literis sic mensæ suæ inscripserat:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

quàm verò ab hoc vitio abhorreret August. docet idem Possidius his verbis: *quosdam sic familiarissimos Coepiscopos, illius Scripturæ, quæ immensa erat, oblitos, & contra eam loquentes, tam asperè aliquando reprehendit commotus, vt diceret; aut delendos illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. Quod ego & alij, qui illi mensæ interfuimus experti sumus.* Sic Possidius: *Percussit*, inquit liber Regum 1. cap. 24. *cor suum Dauid, eò quòd abscidisset oram Chlamydis Saul*, & cor nostrum ergo nos percutiat, hoc est, reprehendat, & mordeat conscientia, si non oram vestimenti, sed bonum fratris nomen, & famam, vel abscindamus, vel abscindi videamus. ita enim sanctissimum virum Augustinum imitabimur magno cum fructu, & emolumento: Nam vt Bernardus sapienter affirmat lib. 2 de consid. sub finem; *detrahere, an detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim*: quod tunc maximè habet locum, cùm is qui detractionem audit, eo ipso inducit alterum ad detrahendum, vel ei placet detractio. rectè enim non minus peccat, quàm alter. de qua re lege Valen. tom. 3. disput. 5. 9. 18. parte 4.

In hac igitur re illud maximè cauendum est, ne quæ aliorum vitia à detractoribus hausimus in aliorum sinum effundamus; hoc enim esse hominis stulti docet idem Ecclesiast. cap. 19. 26. eleganter: *Sagitta*, inquit, *infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti.* Sic enim legendum est non *femori canis*. G. σάρκος. Est enim idem *femur carnis*, quod carneum, vt significetur, quod femori sagitta profundè infigi soleat, quia nimirum carneum exstat & molle. Nisi malis *carnis* positum esse, pro, corporis. ait ergo: verbum auditum sic se habere in corde stulti; vt Iansenius exponit, sicut se habet sagitta infixa in femore corporis, quia sicut sagitta illa grauiter hominem affligit, donec extrahatur, ita, & verbum auditum, & receptum in corde stulti (tanquam sagitta ab arcu emissa, id est, ab ore narrantis) torquet eum grauiter, donec datum fuerit ei illud in aliorum sinum effundere; ita quidem stultus.

At sa-

Lingua Detractoris prælonga.

Detractor & serpentes æquales. Eccl. 10.

5. Dauid, & Basilius quid senserint de Detractore.

Eccles. 10. 11.

6. Detractor mordax cruentus

Psal.

7. Eccles. 28. 28.

Aug. quàm à Detractione alienus.

8.

Eccl. locus c. 19. 26.

9. *Sapiens quo modo se cũ Detractore gerit.*

At sapiens tetrico vultu detrahentes excipit. Scit enim quod *ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem*, teste Salomone prouerb. 27. 24. nam vt quidam dixit: *qui detrahit, discit non libenter dicere, si videat quod didicerit non libenter audiri.* vnde Ecclesiastes: *per tristitiam*, inquit, *vultus, animus corrigitur delinquentis.* Constat verò Aquilonares flatus nubes dispellere, ac proindè pluuias auertere; quarum nomine rectè significatur libera detrahentis effusio. & præclarè in eamdem sententiam Hieron. ep. ad rusticum Monachum ait: *Sicut sagitta si mittatur in duram materiam, nonnunquam in mittentem reuertitur, & vulnerat vulnerantem, illudq; completur. Facti sunt mihi in arcum prauum* (Ps. 27.) *ita detractor cùm tristem faciem viderit, audientis, imò nè audientis quidem, sed obturantis aures suas; illicò conticescit, pallet vultus, hærent labia, saliua siccatur.* Sic Hieronym. Altius itaque cordi imprimendum est, quod Ecclesiast. c. 19. 10. nos monet, ne veluti pleni rimarum hac, illac perfluamus, alijs mox communicantes, quod de aliorum vitijs hausimus. *Audisti*, inquit, *verbum aduersus proximum tuum, commoriatur in te* (hoc est sempiterna obliuione sepeliatur, ita vt nunquam in animum inducas, illud alijs manifestare) *fidens quoniam non te dirumpet.* quasi dicat, silentio pressum non te dirumpet. Non enim est veluti venenum, quod nisi euomatur hominem dirumpit: sed veluti res mortua inefficax, & innoxia.

Eccl 19. 10.

10. *Quidam similes parturientibus.*

Quod non sine caussa dictum est à Sapiente, quia sunt quidam similes mulieribus parturientibus conceptum iam intra se fœtum, quæ summo labore, totisque viribus infantem connituntur in lucem proferre, quod nisi vbi fecerint, eo onere, ac dolore non leuantur; ita isti fatui, ac imprudentes homines concepto per auditum sermone, quamdiu illum intra se continent, torquentur, tanquam graui onere depressi, & in omnem se partem vertunt, vt in aliorum aures audita effundant. Et hoc est, quod attexuit Sapiens: *à facie verbi parturit fatuus, quasi gemitus partus infantis*, quasi dicat, fatuus à verbo concepto per auditum sic parturit sollicitus illud effundere, sicut gemitus, qui fit pro partu infantis, id est, vt mulier gemens, & laborans inter pariendum, conceptum parturit infantem.

Eccli. 19. 11.

11. *Odium Dei in Detractores.*

Sed quam maximè detestari oportet hoc vitium, illud vnum imprimis ostendit, quod summo illud odio Deus ipse prosequatur. Præfert enim Spiritus sanctus Ecclesiast. c. 5. 17. detractorem furi, dum ait, *super furem enim est confusio, & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, inimicitia, & contumelia.* vbi aduerte denotationem legendum esse, significat autem denotatio damnationem, vel vituperationem, vt patet ex c. 19. eccl. v. 5. & 6. vbi bis vtitur Ecclesiast. verbo *denotabitur* κατα γνωσθήσεται, vnde est nomen κατα γνῶσις, vt ergo *denotabitur* ibi significat vituperabitur, vel damnabitur, ita hic *denotatio* significat vituperationem, vel damnationem, quod videtur secundum Lyranum. Exponit enim denotationem, id est, ostensionem confusibilem cum digito, quamuis in eius contextu legatur deuotatio, pro denotatione. Est ergo sensus ex Iansenio super furem est confusio, id est, furem sequitur confusio, & pœnitentia, at non rarò venia talis est dignus. Prouerb. enim 6. dicitur, *non grauis est culpa, cùm quis furatus fuerit; furatur enim vt esurientem impleat animam.* Verùm super bilinguem, & susurronem est pessima denotatio, id est, dignus est qui sine misericordia damnetur, ac perpetuam ignominiam ferat, cùm non ex inopia peccet, grauissimumq; inferat damnum, & quidem sine vllo suo emolumento. Sequitur ergò susurronem grauis damnatio, & vituperatio. Et quidem meritò, nam vterque furetur & fur, & detractor, ille diuitias, hic verò famam ac nomen, peior est priore posterior, quia maius bonum, & quod vix recuperari possit, aufert. *Melius est* enim *nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* Et vnio, atque concordia, quam sæpè tollit detractor bonis istis externis longè anteferenda est.

Prou. 6.

Audi iam Origenem, qui homil. 7. super numeros, expendens illa verba num. c. 22. *Quare non timuistis detrahere seruo meo Moysi, iratusq; contra eos, abijt, nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum, & ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix:* in hæc inquam verba sic scribit Origen. *Ira furoris Domini efficitur super eos, qui malè loquuntur, & detrahunt: nec prætereundum quod prius recedit nubes, & ita Maria repletur lepra, vt ostendatur, quod etsi in aliquo sit Spiritus sancti gratia, si obtrectat, & detrahit, recedit ab eo post obtrectationem, & sic anima eius repletur lepra.* Sic ille, & aduerte tantam fuisse Dei iram contra detractores, vt post illa verba; *quare non timuistis detrahere seruo meo Moysi?* nullo alio interposito verbo, statim Scriptura subdiderit, *iratusq;* (Deus) *contra eos, abijt* &c. quod maximè excandescentes faciunt, & ira perciti, dum nullum miserationi locum reliquum esse significant.

12. *Origenis sententia de ira Dei contra Detractores.*

Diuus Paulus 1. Thimot. 3. 11. detractores satannicos homines, & diabolicos non dubitat appellare. vbi enim nos legimus: *mulieres similiter pudicas non detrahentes* Gr. est μὴ διαβόλους; id est, non diabolicas, hoc est, calumniatrices, quasi alludens ad Diabolum, eo enim suam culpam refert originem detractio, diaboli enim fœdissimus partus est. Nam Gen. 3. initio nascentis orbis sic serpens loquitur: *Nequaquã morte moriemini, scit enim quod in quocumque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum, & malum.* Vides ne vt Deo detrahat callidus anguis? sic nimirum detractor audet in cœlum ponere os suum. Vide contra tam pessimum virus Gregor. lib. 14. moral. c. 26. & August. lib. 12. contra Faustum Manichæum c. 20. vbi detractorem Coruo, qui non est reuersus ad arcam, appositè confert, rebus enim mortuis nutriuntur detractores, vt corui, id est, nonnisi aliorum vitia, & fœtidissima quæq; hominũ ore versant, & canino dente premunt, & tandem veluti in stomachum traijcientes, in seipsis, tanquam fœtidissimis sepulcris, sepeliunt.

13. *Detractor satannicus ex Paul. 1. Tim. 3.*

Est partus diaboli.

Detractor coruo similis.

14.

Et ne longum faciam, mitto cetera: vnum certè non præteribo, quod Glossa Danielis c. 7. habet, quia immanitatem huius vitij clarissimè de-

Locus eccli. 5. 17. & 19. 5. 6.

Detractor Bestiæ Danielis similis.

mè declarat. Bestiam enim illam quartam decem cornibus horribilem, dentibus magnis & ferreis armatam, æmulatoribus, id est, detractoribus accommodat. Sic enim de ea Bestia habet Daniel 1. 7. *& ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans, & habebat cornua decem* &c. Per hanc bestiam, inquit auctor Glossæ moralis, significatur malitia æmulatorum, & ideò non dicitur, quæ bestia in speciali fuerit, quod æmulatorum malitia non possit vno nomine, vel etiam pluribus explicari. Habebat dentes ferreos magnos, scilicet ad deuorandum famam innocentum, vel saltem ad diminuendum. Ideò dicitur *comedens, atque comminuens* &c. per pedes autem intelliguntur malæ voluntates ad conculcandum innocentem si possit, vel ad despiciendum, si non possit amplius. Cornua decem significant decem item modos detractionis: primus est; peccatum fratris occultum iniustè reuelare. Secundus, peccatum reuelatum malè verbis indebitis exaggerare. Tertius, falso peccatum fratri imponere. Quartus, bonum fratris cognitum tacere, quàdo dici debeat. Quintus est, bonum fratris auditum imminuere. Sextus, affirmare fratris bonum peruersa factum esse intentione. Septimus, Octauus, Nonus, fingere se malum fratris dicere motum conscientiæ stimulis, vel amicitia impellente, vt frater corrigatur, vel ex reuerentia prælato debita, cùm tamen peruersa eum voluntas, & malitia ad id faciendum inducat. Decimus fratrem signis, vel nutibus de culpa, quam ignorat notare. Tantùm Glossa. Nos ad alia veniamus.

Decem modi Detractionis.

DIGRESSIO II.

In v. 8. *Honora Patrem & Matrem.*

HOc Dei præceptum adeò commendatum nobis voluit esse Deus, vt huic soli inter reliqua omnia, quæ in posteriori tabula exarata sunt, & proximi charitatem spectant, longiorem vitam promiserit. Exhodi vigesimo, vt non mirum sit, si Paulus ad Ephes. 6. 2 hoc præceptum *primum* appellauerit in promissione, id est, primum in altera tabula præceptorum Dei, cum pollicitatione longioris vitæ. *Filij*, inquit, *obedite parentibus vestris in Domino. Hoc enim iustum est. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, vt benè sit tibi, & sis longæuus super terram.*

Olim Deus, vt Epiphanius libro primo contra hæreses tomo primo animaduertit, nullus filius, vt liquet ex his, quos Scriptura in libro Geneseos nominat, ante Patrem vitam relinquebat; quin etiam ad parentum solatium volebat Deus, vt parentes potiùs moribundi sibi astantes filios cernerent, & tanquam successores viuos relinquerent. Cæterùm in supplicium idololatriæ primus Thare Pater Aram, quem referunt auctorem fuisse, & artificem idola fingendi, obitu filij adhuc viuens punitus est. quod quasi admirans diuina Scriptura, inquit Epiphanius, adnotauit dicens capite vndecimo, vigesimo octauo Geneseos: *Et mortuus est Aram ante Thare Patrem suum in terra natiuitatis suæ.* Quare minimè mirandum est, si tanquam locò magni beneficij promiserit Deus Iacob in AEgyptum descendenti Geneseos quadragesimo sexto, quarto: *Ioseph ponet manus suas super oculos tuos*, id est, viuo illo relicto, hinc lætus abibis. Nunc verò propter hominum vitia, & ob parentum præsertim nimiam in filios indulgentiam, & filiorum erga parentes impietatem, & inobedientiam, passim filij ante parentes, etiam in ipso adolescentiæ flore, hinc abripiuntur.

Iam verò quantum debeant parentibus filij, vel ipsum *Patris* nomen indicat, cui sapientissimi quique viri aliquid inesse diuinum arbitrati sunt, quorum Philo initio quinti præcepti sic scripsit: *Sequitur Præceptum*, inquit, *de honorandis parentibus situm in duarum tabularum confinio; cùm enim in prima sit vltimum, coniungit ambas &c. quod idcò factum arbitror, quia parentum natura videtur mortalis, & immortalis esse essentiæ confinium: mortalis, propter cognationem cum hominibus, & ceteris animantibus, & propter corpus corruptibile: immortalis verò, quia gignendo refert Deum Creatorem omnium.* Quare eleganter dixit Origenes Homilia quinquagesima prima in Leuiticis; *nomen Patris grande mysterium est, nomen Matris grandis reuerentia est.*

3. *Patris nomen quale.*

A veteribus proditum scimus, & à Proclo repetitum, esse parentes ἀγάλματα τοῦ πάντων πατρὸς διός, hoc est, idola, spectraque patris omnium Iouis. rursumque qui in Deorum simulacra impios se præstiterint, in Deos ipsos, quorum imagines sint, impietatem regerere. Est profectò sacra parentum maiestas, & omninò proxima Deo, vt Rhodiginus libro vndecimo, capite decimo septimo habet, & propterea inquit moralium octauo, ita verissimè Aristoteles tradit: τὸ δυνατὸν γὰρ φιλία ἐπιζητεῖ, οὐ τὸ κατ' ἀξίαν. οὐ γάρ ἐστιν ἐν πᾶσι, καθάπερ ἐν τοῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς καὶ γονεῖς, οὐδεὶς γὰρ τὴν ἀξίαν ποτ' ἂν ἀποδοίη. hoc est, quod fieri potest, amicitia requirit, non quæ ex dignitate, cui in omnibus paria facere nequimus, sicut in Dei, ac parentum honore, quibus pro meritis nemo vnquam rependat.

4.

Ex his duo habemus, quæ satis hoc præceptum illustrant, nobis omnibus commendant, promissio vitæ longioris, & nomen ipsum patris, & matris, cui post Dei nomen nullum par esse videtur in mundo. Sed tertium his accedit, encomia videlicet, quibus diuinæ litteræ hanc parentum pietatem extollunt. Et vt ceteris supersedeam, in vno Ecclesiastici capite tertio, nouem bona proborum liberorum commemorantur, veluti totidem huius ornamenta præcepti, Primum bonum est, abundantia diuitiarum tam corporalium, quam spiritualium; *Sicut*, inquit, *qui thesaurizat, ita qui honorificat matrem suam.* Secundum fortunatos, & felices fore in filijs, quos procreauerint: *Qui honorat Patrem suum, iucundabitur in filijs.* Tertium, quocunque tempore

5. *Duo præceptum hoc honorandi parentes illud accedit præmium.*

Nomen boni proborum liberorum. Eccli. 3.

Locus Eccli. 3 12.

supplicauerint Deo, exaudientur ab eo, votorum suorum compotes facti: *In die orationis suæ exaudietur.* Quartum, longitudo vitæ: *Qui honorat Patrem, vita viuet longiore.* Et hoc est primum præceptum in lege, cui Deus mercedis retributionem adiunxerit, vt ponderasse dixi Paulum ad Ephes. 6. Quintum, stabilitas familiæ, ac posteritatis: *Benedictio Patris firmat domos filiorum.* Sextum, gloria; *Ex honore Patris gloria hominis.* Hoc potest dupliciter intelligi, vel quod honoratus Pater reddit filios gloriosos, vel quod filius honorans Patrem, comparat sibi gloriam apud oēs. Septimum, liberatio hominis in tempore tribulationis: *Eleemosyna Patru non erit in obliuione, & in die tribulationis memor erit tui.* Octauum, peccatorum dissolutio, *sicut in sereno glacies, ita soluentur peccata tua.* Nonum est, quasi bonorū omnium cumulus, id est, perpetua Dei erga bonos filios beneuolentia, beneficentia, & protectio vsque in finem. *Honora,* inquit, *Patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouissimo maneat.* benedictio enim Dei significat effusissimam bonorum largitionem, quæ si vsque ad extremum maneat; nihil ea re potest homini optabilius accidere. Vide Perer. tom. 2. in Genes. lib. 14. cap. 9. num. 189. disput. 4.

6. Quarto loco quod valde extollit erga parentes pietatem, est, quod in brutis quoq; maximus ille conditor rerum Deus insignibus indicijs præmonstrasse videatur, vt Rhodiginus ait eodem loco, quid parentibus debeatur à benè institutis filijs. Siquidem vt auctor Ambrosius est (capite decimooctauo in Lucam de honorandis parentibus, & Exhemeron libro quinto, capite decimo sexto) Ciconia romano vsu *pia* vocatur, quod pulli, parentibus iam senio confectis, nec alimenta sibi conquirere sanis valentibus, in retributionem mutuam, tacita quidem, sed alta naturæ vi in id propellente, necessaria summo studio quod in homine rarum est, suggerunt. quam rem amplissimis verbis sic exaggerat Ambrosius: *depositi Patris artus, per longæuum senectutis, plumarum tegmine, alarumq; remigio nudatos, circumstans soboles pennis propriis fouet. Et quid dicam collatitio cibo pascit; quando etiam ipsa reparat naturæ dispendia, vt hinc, atque inde subleuantes senem fulcro alarum suarum ad volandum exerceant, & in pristinos vsus desueta iam reuocent pij membra Parentis?* &c. *Non recusant Aues pascere Patrem; quod etiam præscripta necessitate sub terrore pœnarum plerique hominum recusarunt. Aues non scripta, sed nata lex stringit* &c. *Aues non erubescunt reuerendi senis membra portare. est enim vectura pietatis* &c. merito igitur hæc auis dia dicitur, & vt subdit idem Ambrosius, quod vix vni Impertaori Consulto Senatus delatum dicitur, hoc istæ aues in communi meruerunt. habent ergo istæ aues decreta Patrum ad propriæ insignia clementiæ &c. habent etiam vniuersorum suffragia. nam retributio beneficiorum Antipelargosis nominatur. Pelargos enim Ciconia dicitur. Virtus igitur ab his nomen accepit, cùm relatio gratiarum Ciconiæ vocabulo nuncupatur. Idem habet Basilius in Hexemeron homil. 8. Imitemur igitur filij Ciconiarum exempla, parentes senio confectos pascamus, & veluti pennis, ita vestibus confoueamus, ne plus posse hac in re videantur animalia rationis expertia, quàm homines. Pascamus igitur eos, qui nos prius pauerunt, demus illis, qui nobis seipsos dederunt.

Ciconiarum pietas.

A

Rectè Euripides ad eam nos rem hortatur, licet ipse Christianis præceptis non imbutus: sic enim ait. 7.

Quisquis parentes hic piè viuens, colit,
Hunc viuentemq; mortuumq; amat Deus.
Non liberis est pulchrius munus aliud,
Quàm liberos dici parentis optimi,
Parentibusq; dignum honorem reddere.

Euripidis versus.

Illud præterea quinto illustrem reddit in parentes pietatem, quod etiam maximè excitare, ac perurgere debet filios ad deferendum debitum parentibus honorem, quod 8. Celebrata pietas in parentes.

B

summis laudibus passim celebretur omnium ore pietas erga parentes. In græcorum monumentis perpetuò ficulorum iuuenum pietas celebrata effloresçit, hoc est Amphinomi, & Anapiæ, à quibus riuos ignium vomente Athena in agrum Catanensem, parentes humeris elatos, & incolumitati redditos, constans inter Græcos opinio est. Sed Ethnicos mittamus. Certè præclarum illud facinus, & insigne paternæ reuerentiæ, ac pietatis officium, quod Sem, & Iaphet exercuisse Geneseos narrat historia, omnibus erit sæculis memorandum, tum ob pietatem, tum simul ob illustrem in pietate significationem castissimi animi, & ob laudatissimi pudoris exemplum. etenim nuntiata ipsis à Cham, patris sui nuditate, non solùm leuitatem eius non approbarunt, vt eleganter Pererius obseruat, verùm etiam (vt credere par est) vehementer obiurgarunt. Deinde non modo nudum Patrem visere noluerunt, sed ne fœditas nuditatis eius plurium oculis pateret, & inde cresceret Patris ignominia; quam suam illi ducebant, quam ocyssimè ad eum contegendum, retrogrado tamen gressu, ne fortè nuda Patris vel per imprudentiam viderent, festinarunt. *Euidens,* inquit Ambrosius de Noe, & arca capite trigesimo primo, *pietatis expressus est affectus, quod nudatum amictu Patrem boni filij videre cauerunt, ne paterna reuerentia, vel ipso minueretur aspectu: siquidem etiam ipso tacite vultu pietas frequenter offenditur.*

C

D

9. *Vnde etiam Roma vetus fuisse vsu dicitur, ne filij cum parentibus, & maximè puberes intrarent lauacrum.* Sic ille. Cuius hoc postremum dictum confirmat Cicero libro primo Officiorum. *Nostro,* inquiens, *quidem more cum parentibus puberes filij, cum soceris generi non lauantur.* Quod duorum fratrum exemplum tropologicè interpretatus est Gregorius libro vigesimoquinto moralium: *Subtilis,* inquit, *via tenenda est rectitudinis, & humilitatis, vt sic magistrorum vitia displiceant, vt subditorum tamen mens à seruanda magisterij reuerentia non recedat. Quod benè in Noe inebriato exprimitur, cuius nuditata verenda boni filij auersi veniendo texerunt. Auersari quippè dicimus, quod reprobamus; bonis igitur subditis sic Præpositorum suorum mala displiceant, vt ea tamen ab alijs oc-*

cultent. Operimentum auersi deferunt: quia improbantes factum, & venerantes magisterium nolunt videre quod tegunt.

10. Postremò vel hoc solùm quam maximas, Deus bone, vires habet ad auertendos liberos ab omni in parētes iniuria, quod de Cham Noe filio diuina eiusdem Geneseos narrat historia. Cùm enim facinus Cham in Patrem probrosum notum fuisse Noe, relatu, vt credibile est, Sem, & Iapheti ait Genes. 9. 22. *maledictus Chanaam seruus seruorum erit fratribus suis.* siue ea verba propheticam prædictionem contineant, vt verè videntur continere, siue imprecationem mali, non ex impatientia acceptæ à filio iniurię, nec ex ardore vindictæ, sed ex sanctissimo Zelo iustitiæ profectam, habeant. Quæ sanè maledictio, quàm multa mala posteritati eius intulerit, euentus ipse declarauit. vt autem multò acerbior esset hæc maledictio Cham illata contra Chanaam eius filium directa est, quem vnicè diligebat, vt minimum natu, sibiq; ingenio, & moribus simillimum: vnde non poterat nó leuiter dolere Cham posteros filij turpissimæ seruitutis pœna punitum iri; qua etiam vna re apertiùs declarabatur grauitas peccati Cham, cuius pœna non in ipso tantum finita fuerit, sed vsque ad posteros extensa. Illud perbellè Diuus Gregorius expendit in hoc exemplo: Deum interdum in hac vita hominem, qui crimen aliquod commisit non in se ipso supplicio afficere, sed in posteris suis. Interdum verò etiam his manifestis punire supplicijs. lege illum librum vigesimum sextum moralium in illa v. Iob. cap. 35. Nunc non infert timorem suum &c.

Noe maledixit Cham Gen. 9. 22.

11. Verùm aliud non grauabor exemplum adducere ex libro vigesimo secundo Augustini de Ciuitate capite octauo memorabile satis, & quod ingratis filijs terrorem non paruum incutiat. His ergo verbis scribit: *vnum est quod apud nos factum tam clarum fuit, atque illustre miraculum, vt nullum putem esse Hipponensium, qui hoc vel non viderit, vel didicerit; nullum qui obliuisci vlla ratione potuerit. Decem quidam fratres fuerunt, quorum septem sunt mares, tres fœminæ de Cæsarea Cappadociæ, suorum ciuium non ignobiles: qui maledicto Matris, recenti Patris eorum obitu destitutæ, quæ iniuriam sibi ab eis factam acerbissimè tulit, tali pœna sunt diuinitus coerciti, vt horribiliter omnes quaterentur tremore membrorum. In qua fœdissima specie oculos suorum Ciuium non ferentes, quaque versum ire cuique visum est, toto penè vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo frater, & soror, Paulus, & Palladia multis aliys in locis miseria diffamante iam cogniti. Venerunt autem ante Paschа ferme dies quindecim Ecclesiam quotidie ingredientes, & in ea memoriam gloriosissimi Stephani frequentabant, orantes vt iam sibi placaretur Deus, & salutem pristinam redderet.* Posthæc narrat Augustinus, quemadmodum per misericordiam Dei, & inuocatam ab ipsis sancti Stephani intercessionem prorsus liberati, & sanati fuerunt. quibus facilè est intelligere verissimam esse illam Scripturæ sententiam. *Benedictio Patris firmat domos filiorum, maledictio autem eradicat fundamenta.*

Exemplum terribile ex Aug.

A Verùm Coronidis loco placet illa verba Tobiæ, quibus capite quarto filium instruit, superioribus adnectere, totaméque hanc digressionem absoluere; Ait ergo Tobias: *Audi Fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundamentum construe. Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius: memor enim esse debes, quæ, & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo. Cùm autem & ipsa compleuerit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me.* Tanta Tobias.

12.

13. Cùm enim duæ veluti partes sint pietatis erga parentes, & vt viuentes illos honore, & obsequio prosequamur, & vt mortuos etiam cum lachrymis piè sepeliamus, B supremum illis honorem deferendo, ad hæc duo matri præstanda hortatur sanctissimus vir, nam cùm iam se moriturum crederet, tantum pro se petit à filio, vt corpus suum tradat. cuius rei magna fuit veteribus cura Genesis vigesimo tertio, trigesimo quinto, quinquagesimo, teste item Augustino I bro de cura pro mortuis, & Lactantius libro 1exto capite duodecimo. Erga Matrem verò, vt obseruat Serar. *quia sana, & superstes futura videbatur; honorem requirit, eumq; constantem, atque perpetuum, & cautissim addit: Memor esse debes, quæ, & quanta passa sit propter te in vtero suo; magni matrum quæ nos genuerunt; & diuturni esse solent dolores, & fastidia etiam multa. Honor ergo, & amor his meritò debetur, prout libro octauo Ethicorum capite septimo & vndecimo, Aristoteles qui libro nono capite septimo, Matres, ait, magis filios amant: Generatio namq; laboriosior est. Erga mortuam verò, eadem, qua erga se, pietate filium esse iubet, vt ab eo scilicet etiam sepeliatur. Sed quid est, quod non ait simpliciter; sepelias eam, sed addit; circa me? Hebræus explanat dicens: sepelias eam mecum honorificè, in vno eodemq; sepulcro. Et Græcus, sepelias ipsam iuxta me in vno sepulcro. Hoc enim modo Prisci, cum coniugibus, Patriarchæ sepulti sunt. Genes. 25. 10. & 49. 29. Hæc enim etiam in sepulcro coniunctio significat, quantus, quàm constans, ac perennis inter coniuges amor esse debeat, de quibus Genes. 2. 24. 1. Corinthiorum 6. 16. dicitur; erunt duo in carne vna.*

Duæ pietatis partes.

Magna cura olim sepulturæ.

C

Eiusdem sepulcri coniunctio expetita.

Et ob contrariam omninò rationem, prati spiritualis cap. 40. *Hæreticum eodem in sepulcro secum esse non ferebat Catholicus, eiq; quia hæresim oderat, mortuus mortuo dicebat: Noli me tangere Hæretice.* Sic Serarius. Porrò de beneficijs parentum erga filios, lege Senecam de benef. l. 6. c. 24.

14. *Catholicus mortuum cō sepultum sibi seruatur hæreticum.*

D

15. Discant parentes exemplo Tobiæ teneros liberorum animos bonis informare præceptis. quod officium, quia pleriq; prætermittūt, hinc est, quod ingratos, ignominiosos, inobedientes magno suo damno, & dolore experiuntur liberos. Meritò Plutarchus de educandis liberis, ad bonam pueri institutionem tria docet necessaria esse; naturam, rationem, seu doctrinam, & exercitationem. *Natura quippe sine disciplina si sit, cæca est. Disciplina si natura destituatur, defecta: Exercitatio, his duobus demptis; imperfecta est. Et quemadmodum ad agriculturam*

Parentes instruant filios.

Ad bonam pueri institutionem tria necessaria.

primo requiritur bonum solum, deinde peritus colonus, denique semina frugi: ita plane natura, solo; agricolæ, magister; semini præcepta respondent.

16. Et vt idem addit Plutarc. *vt Agricolæ stirpibus pedamenta apponunt, sic probi magistri accuratis præceptis, admonitionibusq; adolescentes suffulciunt, vt mores recti inde germinent*, vt intelligamus quanti ea res rerum publicarum referat.

17. Eodem Plutarcho auctore, *antiquus ille Crates dixit, se si fieri posset altissimo vrbis loco consenso proclamaturum, quò tenditis homines, qui rei faciendæ omne impendistis studium, filijs, quibus opes vestras relinquetis, curam perparuam? quibus ego adderem* (inquit Plutarchus) *tales Patres perinde agere, ac si quis de calceo sit sollicitus, pedem nihil curet.* Et hæc hactenus delibasse, ea de re satis sit.

DIGRESSIO III.

In V. 22. 23. 24. & 25.

Quanta cura coercendum sit cor.

1. QVoniam sapienter Salomon monet nos, vt omni custodia custodiamus cor nostrum, cùm ab ipso vita procedat, & mors; &, quod caput est, Christus Dominus versic. 24. dumtaxat ea quæ de corde nascuntur, doceat, coinquinare hominem posse; Inde enim existere cogitationes malas, homicidia &c. Propterea non ab re erit aliquid de hoc argumento breuiter disserere. Et primum quidem diligenter animaduertere oportet, quid inter bonum, & prauum cor intersit, quæ illius encomia, & huius infames notæ, & vt ab illo ordiamur. Est cor iusti secretum Dei cubiculum, vbi suâ arcana omnia amicis suis aperit; est fornax igne charitatis incensa, ad quam magni consilij Angelus descendit ad recreandum, reficiendumque eos, qui intra illam morantur; est parvula quædam cellula, vbi magnus ille Heliseus diuersatur; Est aureum vas cœlesti manna repletum, id est, gratia diuina, intra pectoris arcam positum; Est floridum cubile, ac thalamus, vbi cœlestis sponsus recumbit; Est non quidem Regis Assueri, sed supremi Regis hortus amœnissimus, vbi suis illo manibus varias virtutum conserit herbas, suaueolentem, & gratum spargêtes odorem. Est parua Dei Ciuitas, quam diuini impetus fluminis exhilarat; liber est vitæ, per quem Deus mortales iudicaturus est; Aureum thuribulum est, vnde in Dei cultum, ac venerationem suauissimus suffitus ascendit, & incredibili dulcedine plenus odor emanat, quem Deus cùm odoratur, placatur. Est aureum præsepe: vbi dulcissimus Infantulus Iesus sanctissimæ suæ Genitricis manibus collocatur. Est arca Dei, in qua legis tabulæ, manna, & virga continetur Aaronica. Etenim lex Dei in corde iusti est, vbi & cœlestes sunt voluptates, & virga disciplinæ, qua iustos instruit, sanctissimisq; moribus Deus informat. Regium item est mausoleum, vbi sacrosanctum Christi corpus conditum est, cuius suauissima aromata omnium suauissimorum florũ fragrantiam exsuperant. Postremò paradisus est voluptatis, &

Cor iusti quibus rebus simile.

A quidã lucidissimus arcus varijs, ac præstantissimis coloribus ornatus, & post decurrentes lachrymarum imbres apparés, in piorum animis tanquam candidissimis nubibus pacem secum aduehens, & serenissimam cœli faciem ostentans.

Iam verò cor prauum non vno nomine cõplectitur Scriptura; neq; enim simplex est eius malitia, sed multiplex, suum in omnem partem virus effundens, neque nouum hoc videri debet, cùm sit inferni regis optatissima sedes, & apotheca quædam in quam suas omnes diuitias mittit, id est, omne genus scelera; & quidem ad hæc probanda instar omnium satis esse debet nobis cor Iudæ, de quo Ioan. 13. 2. scribit; *cùm Diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas*, & v. 27. *post buccellã introiuit in eum Sathanas.* in hoc
B ergo libenter immoratur Sathan, & quæcumq; potest mala, ac sordes immittit. Eius impietatẽ varijs modis, & nomẽclaturis explicat Scriptura, vocat enim quorumdam nunc cor induratũ, ac lapideum, quale erat illud Pharaonis Exod. 7. nũc incrassatum, ac pingue, cuiusmodi est eorum cor, qui nihil aliud sapiunt, ac depascũtur, quàm vel spurcissimas carnis delicias, vel toti etiam terrenis, ac fluxis rebus infixi hærẽt; nunc affirmat esse qui cor amittant Hierem. 5. *audi populestulte, qui non habes cor*, cuius omninò contrarium de se scribit Ecclesiast. c. 51. 28. *Possedi cum ipsa* (hoc est sapientia) *cor ab initio* (quo cœpi studere sapientiæ) quasi dicat, cordatus effectus sum, prudens, & circumspectus. Iam verò non deesse asserit, qui cor habeant excæcatum, Esai. 6. 13. & qui immundum tanquã fontem, vel sentinam potiùs sordidarum aquarum,
C & qui exaltatum Psal. 129. & qui duplex, & qui coagulatum, & tabescens vt Niniue, Nahum 2. ob vehementem timorem; & cor feræ, cuiusmodi est eorum, qui animo crudeli sunt. Daniel 4. & qui conturbatum Psa. 142. sic videlicet Spiritus S. in sacris literis cordis prauitatem aperit, neque mirabile videri debet.

Locus Eccli. 51. 28.

Est enim praui hominis cor tanquam Clibanus succensus malarum cogitationum igne exæstuans, in quo teterrimus peccatorum panis à dæmone coquitur, quo ille depascitur. Est tãquam equus indomitus qui nisi duplici habena contineatur, pœna videlicet & præmio, præceps ruat necesse est, ac per omne scelerum genus feratur.

3.

D Videndum igitur & diligenter animaduertendũ, quanto sit studio, & sollicitudine custodiendum cor, ac mihi quidem videntur rectè ij sentire, qui in morem arcis, summa vigilantia, & cura defendendum esse cor contra omnem aduersariorum impetum, præclarè tradiderũt.

4. *Cor vt arx defendendum.*

Finge igitur cor tanquam arcem quamdam esse, quam continenter expugnare, atque inuadere conantur tres robustissimi inimicorũ cunei, mundus, caro, diabolus, vel vt Ioannes loquitur, *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Muniẽda est igitur arx cordis nostri, & circumsepienda tribus tanquam fortissimis muris, iustitia, fortitudine, & temperantia, & fossa circumambienda humilitatis, in quam lacrymarum aquæ deriuentur, in quibus si fortè hostes traijcere parent, vt cordis occupent arcem, submergantur.

Neque

Digitized by Google

5. Triplici arte cordis arcem expugnare nituntur hostes.

Neque illud dissimulandum triplici arte occupare solitos nostri cordis arcem aduersarios quemadmodum Absalonis cor tribus lanceis, ac iaculis conuulneratum est à Ioab; & re vera tria fuere mala, quæ Absalonem interemerunt, dolus, vel falsa consilia; deinde fames, seu regnandi cupido; Deniq; timor quo Patrē suum fugiebat; & his eisdem artibus aduersarij nostri arcem cordis inuadere, & occupare nituntur; fallacibus nempe cogitationibus, dum quædam proponunt vel vana, quæ assequamur, vel etiam cum obscœna voluptate coniuncta, quibus tanquam escis, capiamur, nam his dum toti intenti sumus, decipimur, & hostibus nostris ad ingrediendum cordis patefacimus aditum. Deinde immensa quoq; rerum terrenarū cupidine, deniq; pœnitētiæ horrore, cor vndiq; totis connixis viribus adoriūtur. Cōtra hęc tria hostium tela, tria quoq; alia opponēda sunt cōtra fallaciam, & dolum, oratio intellectum muniat; contra famem verò, & cupidinem caducarum rerum, eleemosyna volūtati robur addat; timorem pœnitentiæ, ieiunium expellat, quo nostra appetendi pars, & concupiscendi vis comprimatur.

Tria opponenda, quæ tela hostiū.

6. Prudentia vigil.

Sed inprimis prudentia necessaria est, quæ semper vigil, omni torpore depositō ad ianuā cordis diligēter excubet. Nam si dormitet hæc ac somno se dedat, verendū erit ne illud nobis accidat, quod liber secundus reg. c. 4. Isboset euenisse narrat. Cùm enim somno teneretur Isboset super stratum suum cubans, meridie contigit, vt quæ mulier ianuam custodiebat, dum triticum purgat, in somnum incideret: quo facto est, vt ingressi Recab, & Baana, clam sumptis tritici fascis, dormienti Isboset vulnere in inguine prius illato, silentio abierint, mortuo illo relicto. quam historiam eleganter prosequitur Gregor. lib. 1. in Iob. cap. 19.

7. Cor contra se pugnat, ni custodiatur.

Sed illud omni admiratione plenissimum est, ipsummet cor ni custodiatur; contra se ipsū validissimam hostium manum immittere. *Ex corde* enim *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Ecce qualem hostium exercitum, quam immanem aduersariorum Cateruam contra se, atque adeò hominem ipsum cor pariat; & vide quantum opus sit, vt vigilet, & diligentes excubias habeat prudentia. *Nouus est*, inquit Chrysol. serm. 171. *hic ordo bellandi de homine contra hominem gentes exeunt bellatura*, & cætera, quæ eleganter ille persequitur.

8. Cogitatio, prima contra cor insurgit, cui statim initio occurrendum.

Sed in hac enumeratione non sine consilio, ac prudenti ratione primo loco à Christo Domino cogitationes malæ ponuntur. Sunt enim hæ, quæ statim ipso initio hominem aggrediūtur, vnde fit, quod si principijs nō obstiterimus, in manus hostium vēturi simus, qui nobis multis vulneribus malè acceptis, necem inferent. Præclarè igitur Dauid Psal. 136. beatos prædicat eos, qui initijs malarum cogitationum statim occurrunt. *Beatus*, inquit, *qui tenebit, & allidet paruulos tuos* (Babylonem enim alloquitur) *ad petram.* Nam quos alios mysticè melius intelligemus, quam cogitationum initia? quæ si viuere permittantur, adolescunt, ac mox verba, atque opera sibi non absimilia pariunt: at cùm statim illis itur obuiam, & ad Christum veluti ad Petram alliduntur, concidunt, ac defectæ viribus contabescunt. Proinde Iob. 31. pepigisse se dicit fœdus cum oculis suis, vt ne cogitaret quidem de Virgine. eodem spectat illud Cantic. 2. 15. quo iubemur vulpes paruulas capere, quæ demoliuntur vineas; sicut enim sunt paruuli Babylonis apud Dauid ipsæ nascentes malæ cupiditates, ita eædem sunt vulpes paruulæ, quæ si adoleuerint, venatorum manus effugient, & maximum vineis detrimentum afferent.

9.

Nam *qui spernit modica, paulatim decidet*, ex Ecclesiast. sententia cap. 19. quod Israelitarum populo accidit, qui, vt inquit Diuus Paulus 1. Corinth. 10. *sedit manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Esus, & potus, ad lusum impulit, lusus ad idololatriam traxit. doceat id nos horrendum scelus Iudæ, qui cùm intra cor suum admisisset auaritiæ quædam initia, ex his paruis initijs in immane proditionis scelus contra Christum à Dæmone impulsus ruit Deuter. 32. 33. vbi nos legimus: *venenum aspidum insanabile*: hebraicè est, rospetanim, hoc est, caput aspidum, quo significatur cuiusque peccati initium esse tanquam aspidis caput, cuius morsus non sine lethifera voluptate, mortem inducit. Caput igitur aspidum si initio non perimatur, sed mordere sinatur in ingētem molem excrescet, & quem semel momorderit, perimet. Quare omninò præcidēda sunt opportunè septem illa draconis inferni capita, de quibus Apocalyp. 12. quibus septem capitalia vitia designantur, ne si adoleuerint, suis nos venenatis dentibus, ore, faucibus frangant, vorent, absumant.

Locus Deuter. 32. 33.

10. Gregorij Nysseni ex positio mystica de primogenitorum Aegypti cæde.

Huic ego comparationi, quæ ab arce desumpta est, supremam manum imposuero, si sanctissimi viri Gregorij Nysseni præclaram sententiam mirificè ad hanc rem facientem, adiunxero. *Cùm primogenita*, inquit, *Aegyptiorum occiduntur, docemur quod oporteat primas cogitationes, & prima peccandi initia, & vias primas radicitus tollere. Nam qui principia destruxit, is totum nequaquam admisit. Qui primogenitum interimit, is partum quoque, qui ex primogenito nascitur, simul interimit. sicut in occidendo serpente, qui caput oppressit, is totum, quod à capite trahitur, corpus mortificauit; quod minimè vnquam fieri poterit, nisi sanguis in ostijs infundatur, qui percussorem facile repellit. id ergo vtrumque in vnum complectamur. Primogenitorum nece, & postium per sanguinem custodia, discimus, & illinc primas vitiorum appetitiones tollendas, & hinc primum vitiorum aduersus nos aditum per verum agnum repellendum esse intelligamus. Non enim ingressum percussorem ejicere, sed ne omninò subingrediatur cauere lex iubet.* Hæc Nyssenus. & tot de similitudine arcis ad cor accommodata dixisse satis sit. Hoc verò modo conseruatum cor, paradisi instar habebit.

11. Cor iusti est quidam Paradisus spiritualis, habēs fontem & quatuor flumina.

Age iam hanc alteram comparationem ad præcedentem addamus, qua cum paradiso voluptatis Dei manu in terris consito cor piorum, sicut dixi custoditum, conferamus. Vt enim in loco illo, nascentis mundi exordio, fons viuus à Deo collocatus est, qui deinde in quattuor præstantissima flumina, eaq; in varias partes contendentia, diuidebatur: Ita, initio renascentis hominis per baptismum, in eius

corde diuinam gratiam producit Deus tanquam vberrimum fontem, vnde quattuor virtutes cardinales, veluti quattuor pulcherrima flumina, quattuor animi noſtri vires fœcundantia exoriuntur. Nam intelligendi vim, prudentia, voluntatem iuſtitia, iraſcibilem fortitudo, deniq; concupiſcibilem temperantia lætam, fœcundamque reddit.

12. Niſi magis aptè Chriſtum cruci ſuffixum, ac piorum cordi inhærentem, & fontem, & quattuor iſta flumina eſſe dixeris. eſt enim eius pectoris vulnus tanquam fons quidam ſaluberrimus in medio conſtitutus: Cetera verò quattuor tanquam quattuor lætiſſima flumina, quæ altius cordi noſtro impreſſa, ne illud in auguſtiſſimum, feliciſſimumque paradiſum voluptatis euaſerit.

13. *Tria genera arborum in cordis paradiſo.* Porrò tria arborum genera paradiſum exornabant; videlicet, arbor vitæ; item ſcientiæ boni & mali, à cuius fructu omninò abſtinere præceperat Deus parentibus noſtris; Denique plures aliæ, ad varij generis fructus in hominũ vſum proferendos; totidem igitur ſunt in paradiſo cordis noſtri arborum ſpecies, & quidem primum arboris vitæ locum tenet cœleſtis ſapientia, ſeu potiùs Chriſtus de cruce pendens, vitam veram, & beatam, ſuauiſſimum eius fructum guſtantibus præbens: deinde arbor vetita, propria nimirum voluntas, à qua omninò abſtinẽdum erit, Mortem enim ſi attigerimus, affert. Deniq; ſunt varij generis, hoc eſt, variarum virtutum arbores, vt ſuauiſſimis earũ fructibus fruamur. Sed ex hac comparatione cordis cum paradiſo terreſtri, rurſus diſcimus quomodo cuſtodiendum ſit cor in paradiſi modũ.

14. *Quomodo cuſtodiendum cordis paradiſus.* Paradiſum terreſtrẽ tria erant, quæ ſeruabant omnia, quæ perdere illum poſſent, mala, propulſantia: Audi quid Moſes ſcribat. Gen. c. 3. 24. *eiecitq; Adam* (Deus) *& collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* ergo tria erant poſita, vt paradiſum cuſtodirent, Cherubin, ignis, & gladius, dum enim gladium flammeum lego, vtrumque concipio, & ignem, & gladium, alterum non ſine altero, & hæc prohibebant ne amœniſſimum illum locum ſiue dæmones, ſiue homines, ſiue malæ beſtiæ inuadere poſſent. Ne igitur cordis noſtri paradiſus pateat incurſibus vel dæmonum, vel malorum hominum, vel prauarum cogitationum diligenter curanda ſunt nobis tria alia, quæ loco Cherubin, ignis, & enſis eſſe poſſunt. & primo quidem loco erit tanquam Cherub, D. Maieſt. reuerentia vbique præſentis, & cuncta cernentis. Vt enim Angeli, & diuinæ illæ mentes Deũ ſemper intuentur, ac venerantur: vnde fit, vt nunquam in ipſum peccent, & ne latum quidẽ vnguem ab eius voluntate diſcedant; ita ſancti viri per hanc diuini numinis reuerentiam, ſemper ſibi videntur præſentem Deum intueri, & in eius conſpectu verſari, atque adeò nullo modo ſibi licere putant, non omnia caſtè, ſanctèque facere, vnde fit, vt ab omnibus ijs, quę Deo diſplicent, religioſiſſimè caueant, contra quam faciunt omnes improbi, de quibus Dauid Pſal. 53. *non propoſuerunt Deum in conſpectu ſuo*, & Pſal. 9. *non eſt Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius, in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius.* Sic Daniel 13. *Euerterunt ſenſum ſuum* ſenes illi, qui caſtiſſimam Suſannam primùm violare, mox perdere voluerunt. Quare? nimirum, *declinauerunt oculos ſuos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum.* Teneat ergo primum cor noſtrum diuinæ maieſtatis cuncta cernentis reuerentiam, ne maculetur.

15. *Ignis.* Deinde curandum erit, vt charitatis diuinæ ignis in nobis ardeat, qui ex recordatione beneuolentiæ, ac beneficentiæ erga nos Dei excitatur, alitur, augetur, quo nihil potentiùs, nihil efficaciùs ad promouendum nos, ne intra cordis noſtri arcana quidquam admittamus, quod Dei oculos offendere valeat: tãtum valuit apud caſtiſſimum adoleſcentem Ioſeph recordatio beneficiorum, ac beneuolentiæ ſui erga ſe Domini, vt ea armatus cogitatione nulla ratione inducere in animum potuerit, vt eius coniugem violaret; quantum, Deus bone, valere debet apud animos noſtros diuinorum beneficiorum memoria, & immenſa Chriſti in nos beneuolentia? in his ſanè funiculis Adam abſtrahemur, in his vinculis charitatis deterrebimur, ne tale aliquid committamus, quod Dei honorem lædere, vel quidquam imminuere poſſit.

16. *Enſis.* Poſtremò parandus nobis erit enſis timoris Dei, verſatilis ille quidem, & qui in omnem iudiciorum Dei partem circumagatur, nihil prẽteriens, quod hunc caſtiſſimum Dei nobis timorem pariat. Orabat impenſiùs Dauid Pſal. 18. *confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui*, ſciebat enim quantas haberet vires Dei timor, ad quod validiſſimè confirmãdum ſapientiſſimi ſimul, & ſanctiſſimi viri Baſilij ſententiam afferre nõ grauabor, breuiter enim vim, efficacitatemque diuini timoris his verbis exponit in illud Pſ. 33. *Venite filij, audite me, timorẽ Domini docebo vos. Cum te*, ait, *appetitus inuaſerit peccandi, velim cogites horribile illud, & intolerabile Chriſti Tribunal, in quo præſidebit Iudex in alto, & excelſo throno: adſtabit aũt omnis creatura ad gloriosũ conſpectum eius contremiſcens. Adducendi etiam nos ſumus ſinguli, eorum quæ in vita geſſimus, rationem reddituri. Mox illis, qui multa mala in vita perpetrarunt, terribiles quidam, & deformes aſſiſtent Angeli igneos vultus præſeferentes, atque ignem ſpirantes; ea re, propoſiti, & voluntatis ſuæ acerbitatem oſtẽdentes; noctiq; vultu ſimiles propter mœrorem, & odium in humanum genus. Adhæc cogita profundum barathrum, & inextricabiles tenebras, & ignem carentem ſplendore, vrendiq; vim habentem, ſed priuatum lumine; deinde vermium genus venenum immittens, & carnem vorans, inexplebiliter exurens, neque vnquam ſaturitatem ſentiens, atque intolerabiles doloris corroſione ipſa infigens. Poſtremò quod ſupplicium omnium grauiſſimum eſt, conſidera opprobrium illud, & confuſionem ſempiternam. Hæc time, & hac timore inſtructus, animam à peccatorum concupiſcentia, tanquam frenum quoddam reprime.* Sic Baſilius.

Vir timoris Dei.

Digitized by Google

DIGRESSIO IV. MORALIS.

Cor humanum pluribus rebus comparatur.

1. Cor vt terra.

PRincipio quod terra est in mundo, id est, cor in homine. Terra centrum est mundi, centrum corporis humani cor est. Illa vniuersi pondus est, hoc verò hominis; intra terram tum gemmæ, tum lapides impoliti, ac rudes, pretiosa item metalla, & fœtidissima rerum genera clauduntur, intra cordis verò arcana tum cœlestes, ac mundæ, tum terrenæ, & sordidæ cogitationes latent. Ex terra omnes exsurgunt exhalationes, è corde quoque mali appetitus, & peccandi libido, circa terram perenni agitatione circumuoluuntur cœlestes orbes non aliter, quàm si illi obsequerentur; in cordis verò gratiam omnes dilassantur animæ vires.

2. Cor instar terræ colendum.

Quare si terra instar cor hominis est, etiam in modum terræ colendum est. Terra aratro proscinditur, iactam sementem suscipit, quæ vbi marcuerit, repullulat, ac reuiriscit. Eadem ni salutari imbre, ac tempestiuis fluuijs irrigetur, fructum non profert, quæ omnia indicant quo cultu excolendum sit cor; nam contritione quasi conscindendum est, & conterendum. Sic enim Euangelij semen percipiet: quòd si per mortificationem, spem, ac perseuerantiam foueatur copiosos, vberesque fructus proferet: sic enim emoritur in nobis, ac quasi marcescendo reuiriscit Verbum Dei. quamuis enim ipsum verè non moriatur, nec marcescat, semper enim viuidum est, virtute tamen vel efficacitate dum nos mori facit, quodammodo in nobis in vitam æternam vtiliter emoritur. Verùm nisi interim cœlesti pluuia perfundatur. hoc est, Dei gratia fœcundetur, nequaquam opratos virtutum, & piarum actionum fructus subministrabit.

3. Duo munera Deus Adamo dat.

Iterum quemadmodum Adamo, vbi illum Deus in paradiso voluptatis collocauit, duo munera præscripsit, vt locum illum & operaretur, & custoditet: ita duo nunc quoque præcipit homini Deus: vnum vt operetur terram sui cordis, nimirum vt cooperetur gratiæ Dei per voluntatis assensum: præterea vt custodiat ipsum à bestiarum immanium, hoc est, Dæmonum ingressu, & tentationum aculeis. Sicut verò, quoniam Adam ea munera non obiuit in Paradiso, audiuit à Deo: *maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinabit tibi*: ita idem nunc homini accidet, si hæc eadem officia non præstabit, subiacebit enim cor eius Dei maledicto & anathemati, neque aliud proferet præter spinas & tribulos.

4. Cultus ex lege.

Quare diligenter colendum est vt dixi, id quod monet nos Paulinus Nolæ Episcopus 28. epist. ad Aprum, & Amandum, simul & modum colendi illud paulò aliter docens quam num 2. tradidimus: *Igitur*, ait, *cùm in agro es, & rus tuum spectas, te quoque ipsum Christi agrum esse cogita, & in te sicut in agrum tuum respice, qualem agri tui speciem fieri à villico tuo postulas, talem Deo Domino cordis tui redde culturam, & intellige quidquid in agro tuo tibi displiceat, aut placeat, idem in a-*

A *nima tua placere Christo, aut displicere. Si vasta peccatis quasi dumis sordeat, neque propheticis, aut Apostolicis nubibus compluatur, in aridam solitudinem gratia deserente damnabitur. Si verò sus diligens, orationibus crebris semet excolat, & sacris litteris opimetur, & intimum cordis aratrum Crucis imprimat, & rastro diuini timoris spinas tuas eruat, ignitoq; Dei verbo vratur in culpis, luminetur in sensibus, tunc necesse est vt spatiari in tuo corde patremfamilias, & omnes animæ tuæ regiones peragrare delectet, & pro te in suo adgaudens tibi dicit, si diligens tui cultor appareas: Euge serue bone, intra in gaudium Domini tui, qui fidelis fuisti in paucis, supra multa te constituam.*

Cauendum verò inprimis, ne sicut olim terra aquis circumsepta, & obruta, nec virentem herbam, nec fructiferas arbores proferre poterat: ita cor nostrum vitijs, voluptatibus & illecebris, quasi quibusdam mortiferis, & marcescentibus aquis, vallatum vndique, & altè obrutum, neque cœlestes cogitationes quasi virides herbas, nec virtutes quasi fructiferas arbores æternæ vitæ fructus proferentes germinet. Cogendæ igitur sunt aquæ istæ in locum vnum seorsum à terra cordis nostri, vt ita appareat arida, hoc est, idem cor nostrum vitijs, & peccatis vacuum, orandumque est diligenter vt afflet boreas vehemens ventus, id est, nouissimorum timor, vel auster vrens, diuinus videlicet amor, qui morbidas voluptatum & illecebrarum aquas adurat, & exsiccet, sic enim fiet vt appareat cor, tanquam terra arida ad cultum fructumque iam idoneum. constat igitur rectè cor cum terra ipsa conferri.

5.

B

C Verùm nec minùs aptè idem ipsum cor mari simile esse dicemus, quam comparationem vsurpauit Isaias 57. 20. *Cor impij quasi mare feruens.* est enim mare amarum semper atque salsum, siue quod sulphureis venis permisceatur, seu quod excrementa cunctorum elementorum in se capiat, seu verius quod terrestres halitus vi solarium radiorum attracti in extima ipsius superficie spargantur, & coacescant: ita improborum hominum corda omni voluptatum & vitiorum amaritudine plena sunt, vel quod nimio effrenis libidinis ardore exurantur, vel quod fœtidissimarum terrenarumque rerum sit receptaculum, vel quod agente Deo multis miseriarum doloribus cómisceatur, atq; ita sæpè obducatur, vt vix respirare queat. iterũ

6. Cor vt mare.

D iactatur mare flantibus ventis, & intumescens feruet, & corda nostra odio, amore, spe, timore, turbulentis quasi animi motibus agitantur, nunc velut in altum intumescunt, nunc velut deorsum deprimuntur, sicque perpetuò conflictantur. Horrendis sanè monstris, atque immanibus belluis horret mare, & cor effrenatis cupiditatibus, atq; portentosis cogitationibus horret, ac seipsũ semper corrodit, ac deuorat. Mare thesauros, atque gemmas, & lapillos pretiosos in profundiore sui parte abscondit, cùm contra cadauera, paleas, resque leues in altum tollit & ostentat. ita cor virtutum semina veluti sub cœno illecebrarum obruit, vitia verò, & crimina palam profert.

7.

Quòd si spiritus Domini super aquas cordis nostri, vel mare istud ventis horridum feratur, illicò conquiescet omnis eius agitatio, & Spiritus sancti qui leni aura spirante pacatum

illicò apparebit: rectè enim testatur Augustinus: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

8. *Quatuor res in mari admirandæ.*

Commemorat D. Basilius exhem. homil. 7. quattuor res prorsus admirandas, quæ in mari cernuntur; quòd aqua in salem vertatur; quòd corallium in mari sit herba, in aere pretiosus lapis; quòd in ostreis margarita celetur; quòd purpura in saxis detegatur, & colligatur: sic. n. scribit: *plura poterunt adhuc auidis audiendi de ijs, quæ in mari nascuntur, referre digna prorsus admiratione, de mari denique ipso: quonam pacto in salem cogatur maris aqua: quomodo pretiosus lapis corallium in mari quidem sit herba, sed cùm in aerem effertur, in lapidis soliditate transgelatur, & concrescit; vnde vilissimus animantibus ostreis ipsa natura pretiosissimas vniones impresserit, quæ nimirum vtraque in suis reconds thesauris Reges percupiunt: ea passim circum littora & oras siue ripas circum asperæ saxa disiecta sunt, vilissimus ostreorum insita crustis, vnde vellus aureum pinnæ nutriant, quòd nondum exactè quisquam eorum, qui coloribus inficiunt vellera, potuit imitari. Vnde Cochleæ, vestes Regibus purpureas offerunt, quas quidem & pratorum flores viuacitate coloris longo interuallo superare non est obscurum.*

9. *Eædem quatuor res in corde visuntur.*

His autem omnibus etiam spiritualiter hoc mysticum cordis nostri mare non caret. nam & eius aquæ in salem vertuntur, cùm diuinis solis radijs expositæ cogitationes nostræ, humorem fluxæ, ac mollis carnis effundentes, in salem sapientiæ, hoc est, in sapidam cœlestium bonorum scientiam, & amorem conuertuntur. Iterum cor, dum adhuc carnis illecebris immergitur, vilis herba est, dum verò in cœlestem, ac spiritualem vitam transit, in corallium immensi pretij euadit. omnis enim caro fœnum est, & omnis gloria eius quasi flos agri. at cœlestis vita tanquam solidum, firmumque corallium, rubens item, ac rutilans est; solidum enim per fortitudinem est, rubet charitate, splendet exemplo, quòd verò intra duros ostrearum crustas, margaritæ, seu vniones reperiuntur in mari, significat, quòd in cordis austeritate, & continenti pœnitentiæ dolore Christus, eiusque imitatio inuenitur, vt meritò sponsa dixerit, *in lectulo meo quæsiui quem diligit anima mea, & non inueni.* Sed vide ne ad solis radios per animi remissionem in morem ostrearum testas aperias, hoc est, austeritatem vitæ posthabeas. res enim hæc periculi plena est; solet enim cancer tunc, hoc est, diabolus mundani amoris calculum inijcere, vt vel ita branchijs insidiarum suarum à te margaritam, hoc est, Christum, eiusque imitationem auferat.

Denique sicut mare purpureum, & cæteros insignes colores nutrit, ac profert, ita & cor nostrum tunc in modum purpuræ fulget, cum Christi sanguinis contemplatione, & meritis ornatur, & fulget. Itaque non desunt in corde tanquam in mari hæc quattuor admiranda, quę Basilius, eumque secutus Ambrosius, nobis sapientissimè commemorauit.

10. *Ex corde duplex exhalationum genus.*

Et verò sicut ex mari, & terra duo non inutilia exhalationum genera prodeunt, & in sublime feruntur, calidæ quædam, & siccæ, humidæ verò, & calidæ aliæ, & ex illis quidem fulgentia, tonitrua, & fulgura gignuntur; quòd si altius ascendant in ignitas exhalationes, faceſque per inane volantes, micantesque euadunt: hæ verò quæ calidæ sunt, & humidæ, si frigore concrescant, & iterum calore laxentur, in imbres, ac pluuias transeunt, ita ex bonis cogitationibus, quæ ex corde exeunt, & ad superna volant, aliæ deuotæ mentis affectum afferunt calidis, siccisque exhalationibus similes, & hæ tonitrua, fulmina, &c. id est, suspiria, cordis compunctionem efficiunt, vel etiam, si altius eleuentur, rerum cœlestium contemplationes subministrant, longè illustrius quàm micantes faces. Cogitationes verò illæ, quæ instar sunt calidarum, & humidarum exhalationum, hoc est, ardente in Deum charitate flagrantes, & proprię salutis desiderio, & pietate humentes, opportunam pluuiam ingenerant, id est, lachrymas, quibus cor nostrum velut terra irrigatur, & ad proferendos sanctarum actionum fructus magis magisque idoneum efficitur.

11. *Male cordis cogitationes.*

Sed præter has bonas cordis nostri cogitationes: sunt aliæ malę ac terrestres ex vitiorum limo exsurgentes, nusquam ad superna volantes, sed ad inferna potius nos deprimentes. similes illis exhalationibus, quæ ex limoso solo excitantur, crassæ, & obscuræ, ac fœtidæ.

Cogitationes malę piscibus, bonæ auibus similes.

Hæ porrò duplices cogitationes bonæ ac malæ similes sunt piscibus & volatilibus. de quibus scriptum est Genes. c. 1. *Producant aquæ reptile & volatile.* etenim primi generis cogitationes malæ piscibus rectè comparantur. Aliæ quibus ad cœlestia volamus, auibus aptè significantur. Audi quid scribat de hac re Beda in Genes. *Si mens nostra illuminata fuerit à sole nostro Christo iubetur postmodum ex his, quæ in ea sunt, aquis, producere reptilia & volatilia, id est, cogitationes bonas, vel malas proferre in medium: vt discretio fiat bonorum à malis, quæ vtique vtraque ex corde procedunt, quasi ex aquis, vt cogitationes quæ reptant super terram, à nobis seperemus: sublimiores autem cogitationes velut volatilia ad excelsa sinamus volare.*

12.

Quæ Beda sumpsit ab Orig. hom. 1. in Gen. vbi etiam eamdem rem præclarè illustrat exemplis: *Si viderimus*, inquit, *mulierem ad concupiscendum eam, illud est in nobis reptile venenatum. Si verò sint in nobis sobrietatis sensus, etiamsi Domina AEgyptia nos adamauerit, efficimur aues, & relinquentes AEgyptia vestimenta in manibus eius, ex obscœnis insidijs euolabimus. Si sit in nobis sensus ad suscipiendum nos prouocans, istud est reptile pessimum. Si verò sit in nobis sensus, vt etiamsi duo minuta habeamus, hæc ipsa pro misericordia offeramus in dona Dei, iste sensus auis est nihil de terrenis cogitans, sed ad firmamentum cœli volatilibus tendens, &c. similiter etiam de cæteris vel peccatorum, vel virtutum speciebus, sentiendum est, & discernendum, quæ sint reptentia, & quæ volatilia, quæ producere ad discretionem in conspectu Dei aqua nostra iubentur.*

13. *Silarus amnis.*

Refert Plin. lib. 2. cap. 103. Silarem Lucaniæ amnem eius esse naturæ, vt virgulta, folia in ipsum cadentia, vertantur in lapidem. hoc verius de corde nostro affirmare possumus. nam in eo cogitationes peruersæ in lapidem sæpè mutantur, hoc est, si diu illud opprimant, lapides sunt quodammodo, & cor ipsum in reprobum sen-

sum

sum conuertunt, de quo illud Sapiens verissimè affirmat: *cor durum malè habebit in nouissimo.*

Hoc sanè cor sic obduratum, si in fornacem pœnitentiæ immittatur; accurata consideratione & timore simul iudiciorum Dei, quasi quibusdam follibus doloris peccatorum ignem insufflantibus, colliquescet facilè, vt ęs, ac molle in manu Dei, & ad omnem eius nutum tractabile efficietur.

DIGRESSIO V.

In V. 25. *Hæc sunt quæ coinquinant hominem, non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.*

Vbi declaratur quam manuum puritatem requirat oratio, ex Anastasio Episc. Nicæno.

ANTEQVAM gradum ad secundum caput faciam, non relinquam in præteritis, quæ Anastasius Episcop. Nicænus habet ex Chrysost. qu. 1. in responsionibus ad Orthodoxos, & habentur in Bibliotheca Patrum tom. 1. circa initium fermè.

Ex Chrysost. in Psalm. 140.

1. Manus, orantis quales esse debeant.

Dirigatur oratio mea tanquam incensum in conspectu tuo, & eleuatio manuum Si manus tuæ nullam in se habent rapacitatem, rectè clamas, eleuatio manuum mearum Circumspice ergo manus, & vide quales sunt, etsi in se nullam habeant rapacitatem, aut sordes, aut auaritiam, tunc dic confidenter. Dirigatur oratio mea: sed si quid rapuisti, aut feceris aliquod prohibitum, ne clamaueris, neque manus sustuleris, donec à malo cessaris. Nam etsi Deo permittente eas potueris in altum extollere, oratio tua (vt quæ sit polluta) nullo modo ascendit in cœlum; quin etiam tu eum audi dicentem: Quando manus tuas ad me extenderis, auertam oculos meos à te, etsi multiplicaueris preces, non te exaudiam, dicit Dominus.

Ex eodem in Euangelium secundùm Matthæum.

2. *Discamus ergo, quænam sunt quæ inquinant hominem, discamus, & fugiamus. In Ecclesia enim apud multos videmus hanc vigere consuetudinem, vt studeant mundis ingredi vestimentis, & curam gerant, vt manus, & os lauent, sed vt Deo mundam exhibeant animam, nullam habent rationem. Hæc autem dicit non vetans lauare manus, nec os, sed volens ita lauare vt conuenit: non aqua solùm, sed pro aqua virtutibus. Nam manuum quidem sordes sunt rapina, malorum facinorum perpetratio, earumque in proximum immissio: oris autem maledictum, turpis sermo, scurrilitas, risus, contumelia. Si ergo sis tibi conscius quod nil eiusmodi feceris, nec dixeris, nec eiusmodi sordibus sis inquinatus, accede confidenter: Si ergo eiusmodi innumerabiles susceperis maculas, cur frustra laboras; aqua quidem linguam, & manus abluens; noxas autem (& eas exitiosas) in eis circumferens? Dic enim mihi: si stercus, & cœnum haberes in manibus, auderesne precari? Minimè. Et tamen hoc nullam affert noxam; illa autem exitium & perniciem afferunt. Quomodo ergo in ijs quæ an agas, nihil refert, caues ac vereris; in ijs*

A *autem, quæ sunt prohibita, negligis? Oportet quidem; sed non sordibus inquinatum, neque tanto cœno fœdatum.*

Quid ergo, inquis, si in eo fuero deprehensus? purga te ipsum: quomodo, & quanam ratione? lachryma- 3.
re, ingemisce, da eleemosynam, confitere, reconciliare ei, quem affecisti contumelia, & ab ea absterge linguam, ne Deum magis irrites: si quis enim manus habes plenas stercore, sic supplex tuos prehensaret pedes: non solùm eum non exaudires, sed etiam pede calcatum repelleres: Quemadmodum ergo audes tu ad Deum accedere? lingua enim est manus precantium, & per eam Dei genua prehensamus. Ne eum ergo polluas, ne tibi dicat; si autem multiplicaueris preces non te exaudiam. In manu linguæ est vita & mors. Et ex sermone tuo iustificaberis, & ex sermone tuo condemnaberis. Et tu quidem post consuetudinem cum tua B
vxore, non audes sic orare, post maledicta autem, conuitia, contumelias, & alia mala: priusquam ritè fueris expurgatus, extendes manus? Et quemadmodum, dic mihi, non horres vocare nomen illud terribile, & formidabile? Nam audiuisti Paulum dicentem. 1. Tim. 2. 8. Volo ergo viros orare in omni loco, tollentes manus sanctas absque ira, & disceptatione, similiter etiam mulieres. Hæc ex Chrysost. Nos ad alterum Caput pergamus.

CAPVT II.

A. 15. 21. B. 7. 24.

V. 1. B. C *Tinde surgens abiit in fines Tyri & Sidonis, & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.*

A *Et ingressus inde secessit in partes Tyri & Sidonis.*

2. *Mulier enim statim vt audiuit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, A. finibus illis egressa. B. intrauit & procidit ad pedes eius.*

A *Et ecce mulier Cananæa.*

3. *Erat enim mulier gentilis Syrophœnissa genere, & rogabat eum, vt dæmonium eiceret de filia eius. A. Clamauit dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæ-* D
monio vexatur.

4. *Qui non respondit ei verbum: & accedentes discipuli eius rogabant eum, dicentes: Dimitte eam quia clamat post nos.*

5. *Ipse autem respondens, ait: non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.*

6. *At illa venit, & adorauit eum dicens: Domine adiuua me.*

7. B. *Qui respondens ait: sine prius saturari filios. A. B. non est. B. enim. A. B. bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.*

8. B. *At illa respondit, & dixit illi: Vtique Domine, nam & catelli come-*

dunt

dunt sub mensa de micis puerorum.

A. *quæ cadunt de mensa dominorum suorum.*

9. *Tum respondens Iesus ait illi: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis (&)* B. *Propter hunc sermonem vade, exijt dæmonium à filia tua.*

10. A. *Et sanata est filia eius ex illa hora.*

11. B. *Et cùm abijsset domum suam, inuenit puellam iacentem supra lectum, & dæmonium exijsse.*

SCHOLIA.

1. *Orig. hom. 7. in diuer. Aug. lib 2. q 49. serm 74. de tempore, & 41. de diu. 1. qq euang. c. 18. Chrys. de profectu Euang ad fin. hom. 17 ex var. l. in Matth. Chrysol. ser 100. Amb in Ps. 43. in med.*

ET *inde surgens.*] Videtur de terra Genesar intelligere cùm ait Marcus inde surrexisse, vt ex v. 53. ca. 21. li. 4. diluc. colligi potest. quamquam id non omnino constat. nam c. 1. v. 1. huius libri habes Christum obábulasse Galilæam post habitum sermonem de cœlesti pane; at cùm sub finem lib. 4. v. 57. eodem cap. 21. legamus Christum obambulasse vicos, & villas, aut ciuitates, terræ videlicet Genezareth, similius mihi vero videtur de regione Genesareth secessisse in partes Tyri, & Sidonis, & id intellexisse Marcum, cùm ait, *& inde surgens, &c.*

2. *Quid hoc secessu significet Christus.*

Abijt in fines Tyri & Sidonis.] primum Chrysost. in homil. notat ereptis postea Iudæis ab obseruatione escarum, iam insinuari gentibus ianuam aperiri: sic Petrus iussus hanc legem soluere ad Cornelium mittitur. Actorum 11. 7. *Surge Petre, occide & manduca.* Id ergo videtur indicare suo nunc Christus exemplo, fore vt sublata illa legali ciborum differentia mox gentes adeant, dum verò Scribas & Pharisæos Iudæorum relinquit suo sensu obfirmatos, & ad alios se confert, docet nos hæreticos post vnam & secundam correptionem deuitare, ad Titum 3. adhæc, significare etiam voluit hoc secessu, id quod breui consequuturum erat, vt recederet omnino à Iudæis ob superstitiones legis, & aditurus gentes, quæ Euangelium essent amplexuræ grato, ac perlubenti animo. Denique præmonstrasse videtur Apostolis id, quod olim ipsi essent facturi, quòd nimirum à Christi resurrectione, Iudæis Euangelij prædicationem repellentibus, ad gentes essent Euangelij vexillum allaturi: *Vobis*, inquit Paulus Iudæis Actor. 13. *oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad gentes.*

3. *An Christus regiones gẽtilium adierit, ita vt ingressus sit.*

Dubium est an Christus regionem ipsam gentilium ingressus sit, an solùm venerit in fines Galilææ, & Phœniciæ, vbi Tyrus & Sidon collocatæ erant. probabilius non ingressum arbitror, cùm Apostolos id facere prohibuerit. Matth. 10. 5. *In viam gentium ne abieritis.* quod etiam sensit Mald. tum Matth. 15. versic. 21. tum Marc. 7. vers. 31. licet aliter Theophylact. Euthym. & quidam alij opinentur. & Brocar. loca quædam designet ad Tyri, & Sidonis portas, vbi Christus miraculum fecit. Christus enim constitutus est quidem omnium hominum redemptor, sed Apostolus Israelitarum tantum: ideoque à Paulo dictus *Minister circumcisiones ad implendas promissiones Patrum.* Marcus habet Græcè ἦλθε μεθόρια venisse videlicet Christum in fines seu, vt aiunt, *in confinia Tyri & Sidonis*, qui dicendi modus indicat, non esse eas vrbes ingressum.

4. *A per Sidonem transierit.*

Sed huic sententiæ refragari videntur verba Marci 7. 31. quæ hic inferius habentur c. 3. v. 1. *exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem*, sed respondeo

A Græcos codices habere καὶ πάλιν ἐξελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου, ἦλθε διὰ Σιδῶνος πρὸς τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας. Iterum exiens è finibus Tyri & Sidonis, &c. sic habet Syrus, suffragantur huic lectioni Theophylactus, & Euthym. quare Maldon. Matth. 15. ver. 21. vitiosè, inquit, legitur, *per Sidonem*, vt multi interpretes adnotarunt; sed non videtur ita esse, imò veriorem arbitror lectionem, quam noster habet interpres, quam etiam retinent Biblia iussu summi Pontificis correcta, quibus idem etiam Græcis consentiẽtibus. Quare dicendũ potius, non significasse Marcum transisse Christũ per Sidonem, sed tantum innuisse per fines, & loca proxima Sidoni venisse. quamquam alijs videtur non absurdum esse affirmare per mediam etiam Sidonem iuisse, dum taxat illac transeundo. Iterum dubitabis: cogitantibus mare Galilææ non esse Sidone transeundum, sed potius per fines Tyri è Sidone rectam viam ducere ad mare Galilææ. Erat enim Sidon magis ad Septemtrionem, quàm Tyrus, atque adeò hæc vicinior mari Galilææ erat, quàm illa. Respondeo, voluisse Dominum tale iter facere, licèt prolixiùs. Cur autem sic voluerit, incertum est, & silentio suppressum ab Euangelistis.

Defenditur noster interpres.

B Porrò Abulen. Matth. 15. quæst. 55. scribit, Sidonem magis esse Aquilonarem, quam Tyrum leucis vndecim per littora maris mediterranei, vtraque tamen tam Tyrus quàm Sidon vrbes sunt maritimæ ad Phœniciam pertinentes proximæ Galilææ, qua vergit ad Septentrionem, monti Libano propinquæ. Distabat Tyrus Capharnao, vt eodem loco tradit Abulensis leucis ferè vigintiquinque, de his autem vrbibus, & de Chananæis vide Theoriam.

5. *Tyrum & Sidonem.*

6. *Quæ domus ista.*

Ingressus domum.] Euangelistæ cùm faciunt mentionem domus absolutè citra loci peristasin, intelligunt ferè domum Capharnai, in quam se solebat C recipere. Verùm constat ex his quæ hic dicuntur, Marcum eam domum non intelligere. Syrus addit; *Domum quandam*, hospitium videlicet quoddam eius loci.

7.

Neminem voluit scire, & non potuit latere.] vel sensus est noluisse prædicari ac prodi à suis, quod domi esset, at requiri voluisse, & ita factum est. nam non latuit, non quòd esset à suis proditus quod ibi esset. sed ab alijs patefactus, quod ipsum volebat. Sic Auctor. qq. ex nouo Testamento tom. 4 q. 77. addit Beda, præcepisse discipulis ne se quis esset, aperirent. vel sensus est, fecisse ipsum; quod in se est, vt lateret, sed satis non fuisse. quæ expositio vim habet secundùm humanam Christi voluntatem, iuxta quam Damascenus lib. 3. fid. ca. 14. & 17. hunc locum interpretatur. voluntas enim humana Christi ad hibuit media ad latendum ad id apta, verùm citra di- D uinitatis opem id efficere non potuisse, sed de hac re plura in Theoria.

Damascen.

8. *Cur ad hos fines venit Christus.*

Hic locus euincit latere Christum voluisse, sed non efficaciter probat idcircò eò venisse illum; vt laterer, quod tamen videtur Theophylact. sentire significat enim aliquomodo Christum non docendi caussa eò se contulisse, sed latendi. Euthym. verò quiescendi studio arbitratur eò concessisse; sed vt hæc probabilia sint, in eam potius sententiam propendeo, vt eò putem deuenisse, tum quo illustrior Chananææ fides appareret, & eximia virtus, interim restituta eius filiæ sanitate; tum maximè propter eas rationes, quas hic numero secundo significauimus, præsertim vt ita gentium, posthabitis Iudæis, vocationem insinuaret Apostolis, quos vt indaeis, vocationem insinuaret Apostolis, quos vt indæis, vocationem insinuaret Apostolis, quos vt indæis, vocationem insinuaret Apostolis, quos vt indæ

quam Apostolis præceperat, gentibus prædicaret, & palam miracula apud eos faceret, vnde Iudæi occasionem caperent dicendi se merito, iureque optimo illum non recipere, quia cum prophanis gentibus consuetudinem haberet.

9. Victor Antiochenus loco iam indicato in eamdem ferè sententiam sic scribit: *Tyrijs & Sidonijs aduentum suum non indicauit; sed quantum commodè fieri potuit, celauit. Fecit hoc autem ne ante tempus ad gentes migrare videretur: tum quod Iudæos propter beneficia, quæ in illos contulerat, virtutesq; quas inter ipsos exercebat, ad fidem prouocaret, conuersionem autem ad gentes in tempus quod crucem, & passionem, absolutamq; Israelitarum abiectionem consequebatur, reijcere placuit, nihilominus non potuit per omnia latere: sed neque rationi quoque consentaneum erat, vt ijs, qui fide Israelitis multis partibus præstabant, nullo prorsus indicto, aut beneficio se manifestaret.* hæc ille.

10. Ordo historiæ. Opera Christi Euangelistarum.

2. *Mulier enim statim*] aliquid hic interesse inter Matthæum & Marcum videtur. indicat ille Chananæam post CHRISTVM, & discipulos suo euntes itinere clamasse in via, vnde factum vt discipuli Christum sic vrgerent; *dimitte eam, quia clamat post nos.* At Marcus scribit, hanc mulierem inijsse domum, in qua Christus latebat, & ad illius accidisse pedes rogantem, vt, exacto dæmone, filiam pristinæ incolumitati restitueret. Sed si quis attentè consideret ordinem, quem nos in hoc texendo capite tenuimus, omnis illicò cadet dubitatio. Itaque cùm Augustinus libro secundo de consensu Euangelistarum, capite quadragesimo nono, affirmo mulierem nanc primum quidem in eam domum intrasse, in qua Christus latebat, & ad eius sanctissimos prostratam pedes magnis lacrymis, vt par est credere, rogasse, vt filiæ grauiter laboranti opem ferret, sublato dæmone, qui multis, mirisque modis malè eam accipiebat. Et hoc est quod narrat Marcus. Christus mox nullo reddito responso domo egressus est, egredientem verò consequuta est mulier intereundum inclamans, *Miserere mei Domine Fili Dauid*, &c. Porrò discipuli pro ea rogarunt: & hoc Matthæus scribit. Demum vicit mulieris patientia, & à Christo, quod voluit, accepit, prout vterque narrat Euangelista. Nihil igitur est in his dissonum, nihil non consentiens.

11. At Iansenius, cui alia magis placuit conciliandi ratio, sequutus, vt videtur Zachariam Chrysopolitanum, negat mulierem saltem initio intrasse domum, quod sic indicat Zacharias: *postambulantem*, inquit, *Dominum Chananæa deprecatorias voces mittit, & post in domo ad pedes eius procidit, vt Marcus commemorat.* Sic ille. immò addit Iansenius quæ hic narrantur ab Euangelistis rectè intelligi posse extra domum accidisse. quod ex Græcis probat, non enim est Græcè intrauit, sed tantùm ἐλθοῦσα προσέπεσεν, id est, cùm venisset, *procidit*. Sed Augustini proculdubio expositio præferenda est, tanquam consentanea magis nostro interpreti, & biblijs iam correctis. immò & Marci sensui. Ait enim Marcus, voluisse Christum neminem scire se ibi esse, nec potuisse latere, & quasi id declarans quomodo intra domum latens cognitus fuerit: subdit, *mulier enim statim vt audiuit deeo*, &c. *intrauit & procidit*, & negari non potest, vel aliter interpretem nostrum legisse græca, vel sensum explicare voluisse. nam cùm domus mentio facta esset intellexit latinus interpres, *venisse* positum esse pro intrasse. dicere verò hic *intrauit*, idem esse, quod venit, ridiculum mihi sanè videtur, & non nisi affectatæ obscuritati deseruire.

A *Finibus illis egressa*] ergo verum est quod superius numero tertio opinati sumus, Christum non ingressum regionem ipsam gentilium, ac proinde rectè nunc ad eum egressam dici de finibus illis Chananæam. hoc enim nobis potius fauet, quàm aduersarijs. 12.

Cæterùm quid hæc mulier egressa de finibus suis supplex ad Christum aduolans mystico sensu declarat. Vide digr. 2. num. 9. 13.

Illa ad mores faciunt, primùm nisi de finibus nostris egrediamur, salutem animæ reperire minimè posse, hoc est, nisi post habitis ijs, quæ nobis caussæ fuerunt, vt in peccata præcipites ruetemus, cuiusmodi sunt delitiæ, consuetudines hominum malorum, & omne occasionis genus, hæc enim sunt fines peccatorum. audiamus proinde vocem monentis Angeli Genes. 19. *Salua animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione.* dic tu si sapis prauæ occasioni, quod Abraham Loth: *Recede à me, obsecro, si ad sinistram ieris ego dexterã tenebo, si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam*, hoc est, statue vbicumque occasionem peccandi offenderis, illam præcidere, & in contraria abire. 14. *Mores instituuntur.*

B Deinde discamus hic quantas vires habeat vexatio, vt ad Christum nos impellat. Hanc enim mulierem vexatio immissa de finibus suis exciuit. Verissimè namq; dixit Esaias 28.19. *tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.* quod locus ille Oseæ 2. *ego sepiam viam tuam spinis*, & quæ sequuntur, præclarè ostendit. lege illum lector, & perpende, fuerit satis indicasse. 15.

3. *Mulier gentilis*] G. ἑλλὰς, græca. Sic enim vocantur gentiles in scripturis præsertim noui Testamenti, quamuis neque lingua, neque genere Græci sint Act. 9.29. & 18.4. Rom. 1.16. & 2.9.10. & 3.9. & 10. 12. 1. Corinth. 1.22.24. Galat. 3.28. Matth. ait: *Ecce mulier Chananæa*. ideò verò secundum Chrysost. expressit Euangelista Chananæam esse, quò admirabilior eius fides appareret. habebantur enim Chananæi apud Iudæos omnium gentium maximè impij. Marc. etiam *Syrophœnissam* nominat, vel quod Tyrij, & Sidonij Syrophœnices erant. Faciunt enim Plinius lib. 5. c. 12. & 20. & Strabo lib. 6. Phœniciam partem Syriæ, eam videlicet oram, vbi Tyrus, & Sidon erant. vel quia duplices erant Phœnices, quidam propriè sic dicti habitantes in Syria, quidam in Africa *Lybiophœnices* dicti, ideo vocabulo compositio, qui in Syria habitabant, *Syrophœnices* vocabantur, nisi malis dicere, vnam quidem fuisse Phœniciam, sed illam aliquando ab Auctoribus extendi vsq; ad AEgyptum, aliquando verò contrahi, vt non excedat Syriæ fines, nec ad AEgyptũ vsq; pertineat. hos ergo intelligit Euangelista Marcus, & ideò *Syrophœnices* nuncupat. Neq; hoc repugnat Matthæo, qui *Chananæam* appellat. Nam Chananæi nomine Phœnices consueuit Scriptura vocare, vt pluribus in Theoria 1. dicemus. 16. C *Chananæi, Syrophœnices.* *Duplices Phœnices.*

D *Fili Dauid*] percrebuerat rumor, quem, vt verosimile est, auxerat hæc mulier, quamquam gentilis, Christum esse Messiam Iudæis promissum, esseque proinde de stirpe Dauid, sic autem appellabatur Christus ab ijs præsertim, qui ab eo beneficium postulaturi accedebant. 17.

Malè à dæmonio vexatur] sunt sanè, qui benè vexantur à dæmone, sunt qui malè. bene vexaris, si superior tentatione es, si succumbas, malè. vexatum bene Iob legimus vt imitemur; vexatum malè Iudam vt fugiamus. Bernardus sermone quadragesimo octauo in Cantica: *Bene pungeris*, inquit; *si compungeris*, &c. bene aurum igne incenditur, quo tantò fit illustrius, malè palea, quæ cõburitur, sic iustus vt aurum igne tentationis excoquitur, & purgatur, impius vexatione comburitur; & ardebit tandem vt palea vsq; ad inferni nouissima. *Morum ob seruatio.*

Miserere mei] ideò, *mei*, dicit, secundùm Chrysost. & Theophylact. quia cùm eius filia sine sensu iaceret, ipsa, & suum & filiæ dolorem sentiebat, & tolerabat, quomodo magis Christum mouere posse arbitrabatur, quàm si diceret *filiæ meæ*.

18. 4. *Non respondit ei verbum*] Quare non responderit, docet Hier. libr. 2. comment. in cap. 15. Matth. *non de superbia Pharisaica, nec de Scribarum supercilio; sed ne ipse sententiæ suæ videretur esse contrarius, per quam iusserat: in viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis*. nolebat enim occasionem calumniantibus dare, *perfectamq; salutem gentium resurrectionis; & passionis tempore reseruabat*. Victor quoque Antiochen. ad cap. 8. Euang. Marc. ait: *Petitæ sanitatis beneficium distulit* (Christus nihil respondens) *partim quidem quo Iudæis per hoc ostendat, non pari se facilitate ipsis, & exteris hominibus sanitatem præstare; partim etiam vt mulieris huius fides omnibus manifesta euadat; quo hac quoque ratione, comparatione quadam facta, Iudæorum perfidia, & duritia magis in apertum venit*. Sic ille. quibus verbis tres affert silentij rationes.

Accedentes discip.] qui præeuntem sequebantur.

Dimitte eam] id est, da, concede, largire quod petit, vt domum redeat compos voti facta.

Quia clamat post nos] quasi dicat, saltem propter improbitatem, vt tu ipse in illa parabola amici intempesta nocte panem ab amico petentis docuisti. Luc. 11. 8. *Post nos*.] molestia simul & dedecore nos afficit: molestiam enim clamor, dedecus clamitantis mulieris consecutio nobis parit.

19. Verùm opinor ego non tam sic rogasse Apostolos vt ea molestia liberarentur, quàm commiseratione potiùs, & patientia mulieris commotos, idq; voluisse Christum vt contra malignos hæreticos intercessio sanctorum stabiliretur.

Victor Antiochenus loco superius indicato sic scribit: *Dominus Chananææ animum, & in se studium cunctatione aliquali patefactum iri certò cognoscens, Apostolorum interceßionem ad tempus negligit. Interim ne curam illius penitus abiecisse videatur, patitur illam accedere, patitur adorare, patitur filiæ sanitatem iterum, iterumq; efflagitare, locumq; & tempus, vt omnia hæc fiant, opportunum indulget*.

20. 5. *Non sum missus*] primum non respondit, nunc respondet discipulis quidem; *putatis me absq; causa tacuisse? Audite: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Nescitis quod alienigena mulier est? Nescitis quòd & vobis iam præcepi, ne iretis in viam gentium. Quare tam temerè compaßionem erga eam declaratis? considera multifariam Dei sapietiam, quomodo, & quum respondere videbatur, mulierem magis perstringat, quàm silendo; & quasi latalem plagam dabat, prouocare paulatim eam volens, vt discerent ignorantes discipuli, quanta in ea lateret fides*. Sic Chrysostomus homilia quadragesima quarta in Genesin. Montan. Matthæi decimo quinto in hunc locum notat, *miracula & beneficia à Christo edita eum Apostolum à Deo missum declarabant, & contestabantur. de hac ergo missione agit hoc in loco, qua missus est Apostolus Israelitarum tantum, & minister circumcisionis, ad implendas promißiones Patrum. Est ergo sensus; Ego non confirmo meam doctrinam huiusmodi miraculis, nisi apud eos, quibus promissus datusq; sum Apostolus, & legatus. His gentibus non sum missus* ἐπ' ἀποστόλων, *hoc agebat Christus, vt omnino se se probaret Iudæis eum, qui fuerat promissus. Interim verò fidē mulieris exercebat, cuius virtute, & experimento illa dignissima iudicaretur beneficio postulato, etiam ipsis Iudæis arbitris*.

De qua missione hic Christus.

21. *Ad oues*] oues vocat Israelitas, quia erat populus Dei peculiaris, & eius velut grex, quem ipse tanquam Apostolus ipsis promissus, ac proinde pastor, & per se, & per reges, & prophetas pascere dicebatur Psalm. 73. 1. & 76. 21. & 77. 52. & 70. & 71. & 78. 13. & 79. 1. vbi pro *qui regis*, est Hebraicè, *qui pascis Israel*.

Quæ perierunt] quia declinauerunt semel inutiles facti sunt Psalmo decimotertio, tertio, & quinquagesimo secundo, quarto, & Isaiæ quinquagesimo tertio, sexto, *Omnes nos quasi oues errauimus*, & Ezechielis trigesimo quarto, quinto, *Dispersæ sunt oues meæ, eò quòd non erat pastor*.

6. *At illa venit*.] Verè ergò Victor Antioch. vt habes numer. 19. dixit. *interim ne curam illius penitus abiecisse videatur, patitur illam accedere, patitur adorare, &c.* Chrysost. homil. 44. in Genes. *neque*, inquit, *sic tardior, negligentiorq; facta est, visis discipulis à cœpto suo desistentibus, neque dixit intra semetipsam: si non potuerunt illi Dominum pro me exorare, quare ego frustra sequerer, & continuò instarem? Sed quasi ab igne calefacta, & succensa, visceribus & ratione conturbatis, accedit adorans & dicens: Domine, adiuua me. Ille autem neque sic adiuuat mulierem, sed responsum dat superiore grauius: non est, inquit, bonum, vt tollatur panis filiorum, & detur canibus*. *Chananææ constantia, & fides.*

7. *Sine prius*] Montan. sic notat: *doctrinam Euangelicam & miracula, quibus hæc confirmanda fuerat, filijs regni Israelitici, qui familiares magis in domo Dei esse dicebantur, exhiberi primùm oportuit ad confirmandas promißiones Patrum, vt D. Paulus exponit*.

Gentes in domo Dei olim vt canes in familia censebãtur: ijs exceptis, qui fide, & pietate non dißimiles veris filijs se se exhiberent. Cuiusmodi exemplum hac mulier præstitit. Victor Antiochenus ad caput 8. Marc. sic hoc loco scribit: *Hoc sermone Dominus apud Chananæam non vtitur, quasi virtus illius tanta non fuerit, vt vtrisque, Iudæis inquam & Gentibus, benignè facere nequiuerit* (*erat enim illa satis, quæ omnibus ope indigentibus adminicularetur*) *sed quod Iudæi & pagani veluti à se mutuò maximè dißidentes, nullã omnino inter se communicationem haberẽt. Deus namque ita se se gerere videbatur, quasi hos soios simpliciter elegisset, illos contra simpliciter repudiasset. immò verò donec manus tandem in Christum Dominum iniecerunt, pristinam in Iudæos beneuolentiam constanter retinuit; Neque gratiam suam ad illos ferè exteros transtulit. Cuius quidem rei Iudæi non ignari, Paganos omnes canum nomine designabant. Quod sanè canis nomen in ipsos etiam Israelitas, tum demum quadrare cœpit, quando cœlestis esca alimonia orbatus fuit* (Israel) *Notum est enim illud Psalmißtæ: Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem*. Hæc Victor his verbis: *Sine prius saturari filios*, spem aliquam mulieri dedisse videbatur, fore, vt aliquando illi concederet, quod petebat, vt notat Maldon. vers. vigesimosexto in Matthæi caput decimumquintum: *Sciebat vtique non saturandos filios, sed panem cœlestem oblatum contemptim reiecturos: sed mysterium est. neque quod culpa Iudæorum accidit, sed quod diuino consilio, & exfœdere cum Abrahamo inito fieri debuit, explicauit*. Sic doctè Maldon. nam reuera id voluisset Deus, & hoc in primis promiserat Abrahæ, vt saturarentur primùm filij, sed culpa factum est ipsorum, vt secus euenerit.

Non est bonum] καλὸν, honestum, decens, conueniens.

Sumere] eripere. *Panem*] id est, gratiam miraculorum, de qua agebatur, & doctrinam Euangelicam, quæ tunc solis Iudæis quodammodo debebatur, quibus ex fœdere Abrahæ promissa erat.

Filiorum] illis enim ipse loco patris erat, hinc non mirum, quod Exod. 4. 22. vocet Israel filium suũ *primogenitum*. 14.

Basilij sententia de eleemosyna.

Et mittere] ῥῖψαι, proijcere, quasi dicat, non esse delicatum filiorum panem tam malè collocandum, id est, non ratione, & consilio distribuendum, sed temerè proijciendum. Notent hoc, qui malunt sumere panem filiorum Dei, id est, pauperum, & tradere canibus, parasitis, meretricibus, quàm Dei amore illum mendicantibus, & his, qui piè viuunt, porrigere, cùm eguerint. Audiant isti quid eis sapientissimè consulit Basilius in Psalmum quadragesimum: *Quando pauperi datus es in Domini gratiam idem ipsum, & donum, & fœnus est. Donum quidem quòd à paupere non speres te recepturum. Mutuum verò siue fœnus ob Domini munificam liberalitatem, pro illo reddentis. Qui parua quidem per pauperem cùm acceperit; maxima pro ipsis retribuet. Qui enim pauperis miseretur, Deo fœneratur. Non vis vniuersorum Dominum tibi ad solutionem auctoratum habere? si quis in Ciuitate diues tibi pro alijs spondeat, fideiussionem illius accipis: Deum verò non admittis, tantò se plura persoluturum, pauperum caussa pollicentem?* Hæc Basilius. *Considera*, inquit homilia quadragesima quarta in Genesim Chrysostomus: *animæ eius desiderium, & fidem eximiam, vt audiuit se canem dici, non grauatim tulit, non retrocessit, sed magna ingenuitate, inquit, etiam Domine, &c.*

24. 8. *Vtique Domine*] subintelligitur vtique, dicis quod res est, nam catellis micæ tantum dãtur. sic Emmanuel Maldon. aliter hunc locum interpretatur. Vocauerat, inquit, Christus Chananæam *canem*, arripuit mulier ex loco contumelioso, vt Chrysostomus adnotauit, argumentum, & subtiliter causam suam probat. Etiam Domine, id est, sim sanè canis, quasi dicat, hoc est quod volo, me esse canem. Nam quoniam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum, certè si canis sum, de micis saltem edere debeo. Sed vt acuta sit hæc expositio, verior tamen videtur prior. Admittere enim vult hæc mulier illis verbis, & concedere totum, quod dixerat Christus, non modo quod esset canis, sed etiam non esse bonum sumere panem filiorum, & dare canibus, quia ergo, inquit, canis sum, non panem quidem, sed micas edere debeo, nam etiam catelli comedunt de micis, &c. Diuus Hilarius facit vim in nomine diminutiuo catelli, quasi Christus canem appellarit, & ipsa minus se, quàm canem fateatur, id est, catellam, sed tam Christus, quàm Chananæa nomine diminutiuo vtitur. est enim Gr. vtrobique κυνάριον, licèt interpres priori loco canes, posteriori catellos interpretetur.

Nam & catelli] Gr. καὶ γὰρ τὰ κυνάρια, id est, etenim catelli, quod interpres vertit, *nam & catelli*, porro fauet magis nostræ expositioni Græca lectio,

25. *De mensa dominorum suorum*] Marcus habet, *de micis puerorum*, vtrumque videtur dixisse Chananæa, vt habes hic in textu octauo: *Catelli comedunt sub mensa de micis puerorum, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* pueri enim dici videntur canum domini. Diuus Chrysostomus putat Chananæam per Dominos, Iudæos intellexisse, quod Christus filios nominauerat.

Virtutes Chananææ ex Victore.

Victor Antiochenus: *Admirabilis*, inquit, *hæc mulier: duro responso à Christo accepto, tantùm abest, vt ægrè, indignabundèq; id ferat, vt voces non multa tantùm fide, sed magis quoque reuerentia, & sapientia plenas depromat. Nam quòd à Domino inter canes se censeri patienter fert, id summæ vtique reuerentiæ, & pietatis argumentum erat. At verò minimam illius virtutis partem, (hoc enim mica nomine significatur) ad præstandam integram filiæ sanitatem sat esse certò arbitrari, id excellentis fidei opus erat. Demum ex illato probro familiaris cuiusdam necessitudinis occasionem arripere, edereq; responsum vsque adeo admirabile, id eximiæ prudentiæ, admirandæq; sapientiæ indicium erat.* Et quid enim ait illa: *Vtique Domine. Nam & catelli, &c. Quasi dicat, magni beneficij loco duco, vel in canum ordine haberi; dummodo abs te, veluti aliena non excludar, sed de mensa dominica cibum capiam; si non panem, certè micas temerè de mensa cadentes. Tanta enim dominicæ mensæ sunt opes, vt abundè mihi sat sit, si iustorum tuorum micis frui liceat.* sic ille.

De micis] micas vocat secundùm Theophylactum minora miracula, & minus frequentia; apud Iudæos namque passim Christus miracula ædebat, cæcis visum, mortuis vitam restituebat: horum ista vnum dumtaxat petit, vt à filia dæmonem expelleret, quod per se minus erat difficilè. Ad panem sanè filiorum pertinebant maiora illa miracula, & frequentiora, Christi item præsentia, & doctrina. 26.

Quæ cadunt] videtur opponi τῷ βαλεῖν, id est, proijcere, quod dixit superiùs interpres mittere; quasi dicat, non rogo vt ex professo miraculum facias, sed vt obiter quasi proijciens illud, non quasi dans, cuiusmodi sunt ea, quæ nobis excidunt de mensa. Mensam vero vocat gratiarum omnium copiam, quæ in Christo, vel in Christi Ecclesia sunt, sicut in mensa Regum omne ciborum genus est. 27.

Piè ad instruendos mores aptè adnotat Barrad. venatico cani similem hanc egregiam mulierem fuisse. Ille enim vbi primùm prædam odoratur, in eam toto conatu, atque impetu fertur, nec desinit nisi comprehendat; ita admiranda hæc fœmina post suauissimum, quem Christus spargebat odorem, currens, toto pectore, & viribus illum est insequuta, neque prius à cursu dimoueri potuit, quàm voti compos fieret: Qua plusquam virili animi constantia, intentisque clamoribus quasi terribili latratu dæmonem de filia propulit, penitusque fugauit. 28. *Venatico cani similis Chananæa.*

9. *O mulier, magna est fides tua*] Vox admirantis. Explicat etiam hæc exclamatio, quòd non potuerit diutius sese continere, veluti anxiè laborauerit dissimulando tamdiu suam bonitatem. Chrysostomus homilia trigesima octaua ait: *Non simpliciter annuit precibus illius, sed prædicauit, & celebrauit illam. Nam dicendo, ô mulier: monstrauit quomodo fidem eius obstupescat, dicendo autem: magna est fides tua: diuitias quoque mulieris ostendit. deinde, inquit, fiat tibi sicut vis. Quantumuis, quantum animo concipis, tantum præbeo. Tanta enim tua perseuerantia dignam te declarauit tua petitione.* Sic Chrysostomus. *Meritò*, inquit Chrysologus, *quæ se canem confessa est in hominem commutatur. meritò adoptatur in filiam, leuatur, honoratur ad mensam, quæ se sub mensam laudabili humilitate deiecit*, &c. Illud mihi iure optimo vsurpare posse videtur insignis hæc mulier, quod dixit Iacob Angelo, *non dimittam te, donec benedixeris mihi*, vicit ille, & benedictionem extorsit. Sic ista cum CHRISTO veluti confligens mira humilitate, ac perseueranti fide, victoriam, benedictionemque retulit. 29.

Propter hunc sermonem] Arias Montanus sic dicit: *propter omnem illam viuæ fidei rationem, quam mihi oratione ista expressisti, impetrasti quod postulabas.* Victor verò Antiochenus ait: *tanta animi humilitate, & fide alienigenæ mulieris perspecta, Dominus dixit ad illam: Propter hunc sermonem vade, exijt dæmonium à filia tua.* Matthæus sanationis caussam fidei; Marcus sermonis virtuti adscribit; sed in idem redit; efficax enim sermo ex efficaci fide prodibat. Vide quantum potuerit ardens Chananææ fides. la- 30. *Fides Chananææ.*

tere Dominus voluit, sed non potuit, fides domum ingressa est, penetrauit aditum, latentem inuenit: fax est enim lucidissima Christum nobis quamuis latentem, patefaciens. hæc vbique Deum cernit, vbique orat illi ne intra regiam admittatur, non occurrunt satellites pro foribus repellentes, non est qui dicat; non est nunc accedendi tempus, etiamsi nocte intempesta venerit, quocumque tempore, quocumque loco, quacumque occasione fides accesserit, patet illi ostium cœlestis regni, valuæ reserantur. Est enim Deus noster Deus appropinquans, & non Deus procul. Hierem. 3. ergò si fidem ardentem habeas propè te fuerit preces audiens. quod verò longè absit, à nobis proficiscitur.

Exijt] simul ac Christus hæc dixisset, exijt, non antequam ista diceret, quia voluit his verbis dæmonium eijcere.

10. *Sanata*] à dæmone liberata; impropriè vsurpatur verbum *sanandi*: neque enim propriè morbus est, dæmoniacum esse.

Ex illa hora] Gr. ἀπὸ ab illo momento, quo ea protulit Christus.

11. *Puellam*] Θυγατέρα, filiam.

Iacentem] quietis gratia. βεβλημένην, proiectam. nam agitata à dæmonio defatigata erat & inquieta, at liberata composuit se ad quietem lassitudinis ac laboris leuandi causa. hæc de Scholijs.

THEORIA I.

De Tyro, Sidone, & Chananæis.

1. *Tyri & Sidonis antiquitas. Isaiæ 23.*

TEste Augustino sermone 74. de tempore: Tyrus & Sidon non erant ciuitates populi Israel, sed gentium, quàm vicinæ illi populo. Et quidem Tyrios vetustatem suam maximè iactasse significat Isaias capite vigesimotertio, v. septimo, quam Plinius vetustissimarum vrbium parentem nominauit. quia verò Isaias v. 12. Tyrum nominauit *filiam Sidonis*, affirmare oportet hanc illam antiquitate superasse. Cæterùm quantum ad alia præstantiorem Sidone Tyrum fuisse, habet Barrad. capit. 13. libr. 10. init. & de Tyro Ezechiel. 27. multa. Verùm celebriorem fuisse olim arbitror Sidonem, quam Scriptura Iosue 11. & 19. *magnam* appellat, non quòd altera esset Sidon minor illa, sed ob veterem eius vrbis celebritatem, & gloriam: saltem dubio olim certamine contendit cum Tyro de primatu, vt scribit Strabo libr. 16. & quidem Homerus, qui sæpè Sidonem laudat, nullam Tyri mentionem facit. Hinc factum, vt vniuersa Phœnicum ora, Sidoniorum olim nomine, non Tyriorum, celebris esset.

Vtra præstantior.

2. Sidonis regio pertinuit ad Tribum Aser, & limitabat terram promissionis promontorio sui littoris, quòd in libro Numerorum trigesimoquarto capite, versiculo septimo, & in nostra editione vertitur, mons altissimus.

3. *Vnde dicta Sidon.* Sanè inter posteros Chanaan Genesis decimo, primi recensentur Sidonij, originem suam à Sidone, qui primogenitus dicitur fuisse Chanaan, trahentes. quare quod habet Iustinus libro decimooctauo, Sidonem appellatam à piscibus, quorum illic maxima soleret esse copia, siquidem Phœnices piscatorem appellant, *Saidi*, & hodie vulgò vrbs ipsa *Said* nominatur; minus verum esse videtur, prima enim eius nominis origo ad primogenitum Chanaan pertinet.

Verùm non propterea quod Sidon dicitur ad tribum Aser pertinuisse, putare debemus Sidonem fuisse sub legibus, & imperio Hebræorum, semper enim illa liberum retinuit principatum, Iudicum 1. 30. 31. 32. 33. & semper infesta Hebræis & molesta fuit, vt ex his, quæ commemorant Prophetæ, præsertim Ezechiel & Isaias, est intelligere. Itaque nomine *Sidonis* & *Tyri* cùm dicuntur pertinere ad tribus Israelitarum, accipere oportet oram Tyro & Sidoni obiacentem, ad quam desinebant fines terræ Hebræorum.

4. *Locus Isaiæ de Tyro.* De Tyro Isaias loco superiùs indicato sic ait: *Quis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatam*, vbi coronatam vocat, vel quia se, vt omnium insularum, vel vicinarum ciuitatum reginam iactabat; vel allusio est ad situm vrbis in cacumine montis, seu rupis constitutæ in medio maris, quod indicat ipsum nomen, quod rupem, & saxum propriè significat. Nam teste Masio Iosue 19. à scopulo vndequaque altissimo mari circumdato, in quo vrbs ista erat exædificata, nomen ei est à priscis hominibus impositum. Quare mœnia, & turres montis caput cingentia coronæ castrensis imaginem præ se ferebant. Vel tertio ex sententia Hieronymi lib. 5. super Isaiam. Quia sicut Rex inter plurimam hominum multitudinem ornatum diademate erigit caput: ita Tyrus fulgens, & excelsa opibus, auroque, & gemmis, & serico, ac purpura nitens regina sit in cunctis gentibus existimata.

5. *Tyrus quæ ex Hieron.* De hac sic Hieronymus tomo tertio, vel auctor de locis Hebraicis in Acta Apostolorum: *Tyrus*, inquit, *metropolis Phœnices in Tribu Nephthalim, vigesimo propè milliario à Cæsarea Philippi. Hæc quondam insula fuit præalto mari, septingentis passibus diuisa: sed ab Alexandro terra continens facta est, propter expugnationem, multis in breui freto aggeribus comportatu*, cuius maximè nobilitas Conchylio, atque purpura constat. Sic ille. Itaque Tyrus à Cæsarea Philippi viginti miliaribus distabat, Sidon verò dicitur ab eadem Cæsarea distasse vndecim miliaribus, & ab Antilibano miliario vno.

6. *Chananæorũ nomen bifariam.* Reliquum est vt de Chananæis breuiter dicamus: *Chananæarum* gentium nomen bifariam in Scripturis accipitur, primum vt commune est omnium illarum gentium, quæ proseminatæ sunt ab vndecim filijs Chanaan, de quibus Geneseos decimo, versu decimoquinto, &c. *Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum, & Iebusæum, & Amorrhæum, Gergesæum, Heuæum, & Araceum, Sinæum, & Aradium, Samaræum, & Amathæum; & post hæc disseminati sunt populi Chananæorum.* Ecce tibi nomen Chananæorum omnibus istis commune.

7. Quomodo verò Gētes, quæ ante Iudæos terrã

illam

illam habitarunt nunc plures numero, nunc pauciores recenseantur in Scriptura docet Pererius in Caput 3. Exod. dist. 10. n. 46. quamuis vt plurimum septem memorentur, vt Deuter. 7. Iosue 3. Act. 13.

8. Chananei Phœnices.

Interdum verò nomen Chananæorum, & terræ Chanaan, comprehendit eos dumtaxat populos, qui ab externis scriptoribus, præsertim Græcis, Phœnices appellantur, vt obseruauit Andreas Masius in librum Iosue: quam rem multis argumentis his verbis confirmat Pererius loco superius indicato numero quadragesimo septimo: Principio, inquit, in quinto capite libri Iosue, vbi secundùm Scripturam Hebraicam, & Latinam translationem appellantur *Reges Chananæorum*. Septuaginta Interpretes nominarunt, *Reges Phœnicis*; & mulier illa, cuius filiam à dæmone vexatam Christus liberauit, à Matthæo dicitur *Chananæa*, à Marco autem *Syrophœnissa*. Idem probatur ex sedibus, quas ea gens occupabat. Nam Chananæi vt renunciarunt exploratores in illam regionem à Mose missi, oram maritimam Palæstinæ, qua mediterraneo mari alluitur, tenebant, eamdem quoque oram, & habitationem omnes prophani Scriptores assignant Phœnicibus. Homerus item Phœnices facit admodum vafros, & industrios, & mercatura, atque nauicularia facienda celebres. Idem quoque de Chananæis dicitur in Scriptura, vt Oseæ capite 12. 7. & Isaiæ capite 23. 8. & Salomon Prouerbiorum vltimo, 24. mulierem frugi laudans: *Linteum*, inquit, *fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo*, hoc est, mercatori, ac negotiatori, Iob 40. 25. Zachariæ 14. 21. sicut apud Hebræos, præcisè sunt Chananæi, maris accolæ illi, qui supra Palæstinam recedunt ad Septentrionem, sic apud Græcos, Phœnices. Rursus vt interdum apud Hebræos Palæstini, etiam vsque ad AEgyptum subijciuntur Chananæorum nomini, quod ex capite 10. Genes. & capite 5. Iosue perspicere licet, sic etiam Græci Phœniciam interdum vsque ad AEgyptum portendunt. Dionysius enim qui de situ orbis scripsit, Gazam in Phœnicia locauit, & Moses in Chananæa. Idemque scriptum reliquit Strabo in libro 16. Est igitur prorsus eadem, vnaque gens, apud Hebræos Chananæorum, & apud Græcos Phœnicum. Tantum Pererius quæ propterea à me relata sunt, quia huius Chananææ mulieris nomen, & gentem, & locum Matth simul, & Marc. mirificè illustrant.

Aduerte ergò *Chananæi* nomen hoc modo sumptum pro Phœnicibus non sumi pro vndecim, vel septem illis gentibus, quæ terram Israeli promissam possederant, sed pro vna illarum à reliquis distinctam Deuter. 7. 1. Iosue 3. 10. quam iuxta mare habitasse patet Numer. 13. 30. nec omnino ab Israelitis fuisse deletam; ex hac ergo gente fuit hæc mulier Chananæa.

A

B

G

D

THEORIA II.

In V. item primum: *Neminem voluit scire, & non potuit latere.*

Declaratur quomodo Christus quædam voluerit, quæ non potuerit facere.

1. QVidam ita exponunt hunc locum Marci, vt velint Christum se habuisse instar eius qui latere velit, licèt ipse alioqui nil tale reuera vellet, & summum tantum voluntatem habuisse conditionatam, id est, *velleitatem*, vt dicunt, & sic Augustinum exponunt quæstione septuagesima septima quæstionum noui Testamenti, sed omnino ab Augustini aberrant mente, cùm clarè dicat Christum latere voluisse, ab alijs autem qui ipsum viderunt ingredientem, proditum esse. Marcus verò, *voluit*, inquit, *latere, & non potuit*. Voluntas verò ea conditionata non satis est vt ex epistola Agathon. constabit propositione tertia. Alijs placuit eam Christi voluntatem omninò efficacem fuisse, licèt humanam. Aliqui mediam viam secuti sunt, affirmantes modo aliquo efficacem fuisse, simpliciter inefficacem. Sunt qui præcitata verba Marci exponant voluisse latere, sed non potuisse, vt aiunt de misericordia, id est, secundùm commiserationem quamdam, voluit siquidem latere, sed commiseratio compulit eum, ne omninò lateret: sicut de homine liberali ac munifico dicitur, non posse sua bona alijs non dilargiri. Sic Vgo Cardinalis. Dionysius verò Carthusianus interpretatur non potuisse latere propter nominis celebritatem iuxta naturalem cursum, ordinemque rerum, nec loquuntur hi de absoluta potentia. At Caietanus hoc, quod est, *non potuisse latere*, in commentario in hunc locum, explicat, non potuisse homines illum non indicare: ita vt illa verba, & non potuit, nullam in Christo explicent impotentiam, sed in alijs, qui postquam ipsum viderunt, silere non potuerunt. Cæterùm hæc omnia, & his similia non perfectam loci huius intelligentiam præstant, quare rem altiùs repetentes quinque propositionibus totam hanc rem videmur illustrare posse.

2. 1. propositio. Sit igitur prima propositio. Omnia, quæ Christus vel per seipsũ, vel per alios fieri voluit voluntate, vt quidam consequente, vt alij loquuntur, absoluta, & efficaci, hoc est, omnibus spectatis, potuit ipse facere, vel propria virtute, vel tanquam instrumentum diuinitatis. Quare omnia, quæ sic voluit, facta sunt, sicut voluit fieri, id est, vel à se, vel ab alijs. Obserua voluntatem efficacem trifariam dici posse, vel prout distinguitur à sola complacentia, & vt aiunt velleitate, potestque dici efficax quodammodo, quatenus ita aliquid vult vt media adhibeat, sed non est planè efficax, quia id quod vult, V. g. vt quis aliquid euulget, vel non euulget, pendet liberè ab alijs, nec est in sua potestate, de qua in tertia, & quinta propositione dicam. Vel dicitur efficax non vt tantum distinguitur à sola complacentia, sed etiam à quodammodo

Tripliciter voluntas efficax dici potest.

efficaci voluntate, non enim vult aliquid quod ab alijs liberè pendet, sed quod alios necessariò, ac naturaliter consequitur, vt conspici ab alijs, vel non conspici ab alijs naturaliter consequitur, si vel incurras, & te des in conspectum hominum; vel si te abscondas. hoc enim naturaliter consequitur, non liberè alios, & ita propriè efficaciter appetere quis potest secundùm humanas vires nesciri ab alijs, quod alicubi sit, & non assequi illud, quia accidat, dum fugit alios, in illos incurrere, de qua voluntate in quarta & quinta propositione dicam. voluntas denique efficax simpliciter, & omni modo, ac proprijssimè dicitur illa voluntas, qua aliquis vult aliquid secundùm omnem, siue humanam suam virtutem, siue Diuinam, & distinguitur non modò à complacentia, sed à prima & secunda efficaci voluntate, quæ tantùm per humanam, & propriam rationem creatam tendit in obiectum volitum. hæc autem voluntas vult illud consequi secundùm superiores etiam vires diuinas, si aliter saltem non possit, idque omnibus spectatis, non secundùm vnam rationem tantùm; & de hac intelligitur hæc prima propositio. quam propositionem inprimis auctoritate Augustini confirmo libr. quæstion. ex nouo Testamento, quæstione septuagesima septima, vbi ait: *impossibile prorsus est, vt Saluatoris voluntas non impleatur, nec potest velle, quod scit fieri non debere. Idcircò quod factum est, hoc voluisse dicendus est.* quasi dicat, indixit suis silentium, & ita à suis non est proditus. non noluit requiri, & ita factum, quia id efficaciter modo dicto voluit. Similiter noluit iam ab alijs traditus se occultare, id fecit. quia tamen in dicto silentio voluit latere, sed non omnino efficaciter, non mirum si hoc non est factum, ita vt intentum effectum non obtinuerit. Idem sentit Gregorius libro 19. moralium, 14. & Diuus Thomas quæstion. 13. artic. 4. in corp.

Probatur 1. propositio.

§.

Nec desunt rationes ad eamdem rem constabiliendam. Primùm, quia debuit Christi potestas perfecta esse, non fuisset, si aliquid voluisset efficere, quod non posset. Huc accedit, quia quòd voluntas humana Christi volebat, id quoque voluntas Dei erat. ergò debuit semper impleri. Deinde cùm Christus sciret, quid fieri posset, & quid futurum esset, frustra voluisset voluntate sic efficaci, & absoluta, quod neque futurum erat, neque fieri poterat. Id autem cùm sapientem hominem non deceat, multò minùs conuenire potuit in Christum. Præterea Christi voluntas efficax semper erat conformis voluntati beneplaciti Dei, ergo sicut hæc semper impletur, ita & illa. Postremò omnis eiusmodi voluntas absoluta, & efficax aliorum hominum Beatorum semper impletur, multò igitur magis Christi. Hinc Anselmus libr. de similitudine, capit. 52. dixit confirmans huius postremæ rationis assumptum, quemlibet Beatum posse transferre montem ab vno loco in alium, si efficaciter velit: & capite sexagesimo octauo habet, posse facere quidquid vult. *Quoniam*, inquit, *ipsum omnipotentem suæ voluntati concordantem habet.* ex his sequitur nihil voluisse Christum hoc modo assequi per humanam voluntatem secundùm eius proprias tantùm vires, si id non poterat omnino, ac certò obtineri per illas.

A

Verùm in hac re perpendenda est differentia inter Christi voluntatem, & aliorum Beatorum. Nam licèt similes sint, plurimum tamen inter vtramque interest, tum quia nulla est voluntas beneplaciti Dei, quæ non sit semper perspecta sanctissimæ Christi animæ, vnde simpliciter fit, vt nunquam contra Dei voluntatem tendat, ac nitatur in aliquid, quòd Deus vult secundùm eamdem rationem, quod non idem est de reliquis Beatis, quibus non est semper cognitum quid Deus fieri absolutè nolit. Quare interdum aliquid cupiunt, voluntque fieri quantum in ipsis est, quod reuera Deus non vult voluntate beneplaciti, contra quam nituntur, antequam sit illis perspecta; vt intelligi potest ex Daniel. 10. de spiritibus Beatis. Tum quia voluntas Christi est deitatis organum, ad exequenda admiranda quædam opera: id quod non habet voluntas aliorum hominum, & ideò non mirum si multa possit absolutè, & efficaciter velle, quæ alij Beati nequeunt.

B

4. *Differentia inter Christi & Beatorū voluntatem.*

Iterum obseruandum non sine causa dixisse nos in hac prima propositione, potuisse Christum omnia eiusmodi, quæ fieri voluit vel virtute propria, vel tanquam instrumentum verbi facere. Nam vt Caietanus in articulo 4. D. Thomæ ad primum, & epistola Agathonis recepta in 6. Synodo, act. 4. declarat, non omnia potuit Christus virtute propria, præsertim quæ fieri voluit per alios; quamuis omnia posset siue virtute propria, siue tanquam instrumentum diuinitatis, ac proinde omnia, quæ sic, id est, alterutro modo efficaciter voluit, sunt adimpleta; licèt non omnia, quæ voluit, efficaciter sic voluerit.

C

5.

Postremò non est oscitanter prætereundum discrimen, quod in hac efficacitate cernere est inter humanam Christi, diuinamque voluntatem, quod his verbis doctè enucleat Franciscus Suarez disput. trigesima octaua, sectione quinta, tomo primo. in 3. part. Diui Thomæ: *Voluntas*, inquit, *diuina per se, & virtute propria potens est ad perficienda omnia, quæ absolutè vult siue velit per se, siue per alios illa efficere, quia est omnipotens, & ita propria virtute potest vel facere, quæ per seipsam vult fieri, vel immutare aliorum voluntates, per quos aliquid fieri decreuit, vel denique vti quibus voluerit instrumentis ad ea perficienda, quæ efficaciter vult. At verò humana voluntas Christi per se non ita potens est, semper autem impletur, vel ex perfecto, & prudenti modo volendi, scilicet, quia semper est conformis diuinæ voluntati, vel quia participat aliquo modo omnipotentia Dei tanquam instrumentum diuinitatis.* Ita Suarez: quæ vera sunt intellecta de propriè efficaci Christi voluntate.

D

6. *Differentia inter humanā & diuinā Christi voluntatem.*

Secunda propositio: Quæ Christus voluit efficaci Christi voluntate vt facienda à seipso, minimè dubitandum est impleta & executioni mandata fuisse, siue altero, siue vtrouis modo, prout distinximus numero quinto, illa voluerit. Probo: nam spectabat profectò

7. *2. propositio*

Digitized by Google

ad ipsius sapientiam nihil planè eligere, & velle efficaciter vt faciendum ab ipso, quod potestati eius nō subiaceret, aut quod in electione mutandum esset in alia consultatione. mutare siquidem consilium tunc prudentiæ tribuendum est, quando is qui nunc aliud, quàm prius, elegit, non omnia viderat, & intellexerat in priore consultatione, quòd in Christo locum non habet. igitur omnis voluntas efficax Christi ad faciendum, & exequendum aliquid per se, semper impleta fuit.

8. 3. propositio. Tertia propositio: In illis rebus, quas voluit Christus fieri per alios, à quibus liberè dependebant, nihil incongruum, & absonum affirmabimus, si dixerimus, Christum aliquid virtute propria fieri voluisse absolutè, & efficaciter aliquo modo, & quantum ad ipsum attinebat, quod tamen reipsa non fuerit impletum, fuerit tamen ab ipso volitum, vt voluntatis suæ humanæ imbecillitatem indicaret, vel se hominem declararet, vel ad exemplum nostrum, & exercitium virtutis.

9. Probo ex illa epistola decretalium Agathonis, sext. Synod. Actione quarta, vbi Pontifex ex loco Marci septimo, hoc est, ex eo quòd Christus aliquid voluit quod non potuit, colligit esse in eo præter diuinam, humanam quoque voluntatem, quæ collectio nulla esse, nisi intelligeretur de efficaci voluntate creata Christi. Nam constituit ibi Pontifex hoc discrimen inter humanam, & diuinam Christi voluntatē, quod humana aliquid interdum voluerit, quod non sit factum, vt Matthæi nono, & vigesimo sexto, & Marci septimo, cum diuina nihil velit, quod omnino non fiat. & idem omninò significat Damascenus libro tertio, capite decimoquarto, à medio. Quod discrimen nullum esse videtur si de voluntate inefficaci loquamur. Quemadmodum enim hæc humana voluntas inefficax Christi non semper impletur, ita nec diuina. nihil igitur inter vtramque discriminis est.

10. *Caietani sententia.* Quòd perpulit Caietanum, vt affirmaret in tertia parte, quæstione decimatertia, articulo quarto, interdum Christi voluntatem non fuisse impletam, quando erat de rebus efficiendis per alios, seu cùm executio rei volitæ ad alios pertinebat. Sed non est id verum, si intelligatur de voluntate perfectè, & propriè efficaci, id est, omnibus consideratis. hæc enim vt illa priori propositione dictum est, núquam nō impletur, siue propria virtute, siue prout ipsa eius voluntas est diuinitatis instrumētum, alterutro videlicet modo. Intelligendus est igitur Caietanus de voluntate Christi consequente, & efficaci saltē aliquo modo, spectata tantùm secundùm propriam virtutem: potuit enim Christus per voluntatem humanam, quod in se erat, cupere, vt quidpiam fieret ob aliquas rationes, & ad id apta, & sufficientia media adhibere, vt id assequeretur, & tamen non consequi; quia humanæ voluntatis ad id vires sæpè non satis erant. Verbi gratia, potuit velle vt aliquis non peccaret, optando vt ille Deum non offenderet, & conari suadendo, & tamen id non assequi, quamuis hoc ipse non permitteret secundùm humanam suam voluntatem; *neque enim*, inquit Caietanus, *erat in manu eius hoc modo*

A *cohibere peccatum alterius*, verùm prout erat instrumentum diuinitatis sic poterat id efficere: quòd verò hæc voluntas non sit omninò efficax & propriè, hoc videlicet sensu, quo dicimus voluntatem efficacem esse illam, quæ fertur in rem vt executioni mandandam, vt quæ est circa finem omnino volitum, sed solùm sit simplex quidam affectus desiderij, ex quo tamen sequatur alia voluntas applicandi omnia media etiam illa, quæ sunt efficacia, hoc est, ea quæ efficaciter mouebunt voluntatem, & affectum alterius hominis, vnde res liberè pendet; quòd inquam tantum sit efficax modo isto probatur, quia quòd simpliciter est in potestate alterius, vbi applicata sunt à nobis media omnia, quibus voluntas alterius hominis moueri potest, non est in manu
B illius hominis, qui vult aliquid fieri ab altero homine, licèt media sint in eius potestate, vt suasio, consilia, &c. ergo non potest id efficaciter appeti. Sic cernere est, quòd cùm optamus vt aliquis efficiat liberè aliquid, dicimus potius optare, vt illud efficiatur, quàm velle; vt significemus, non esse id in nostra potestate, & non præfiniri à nobis, vel decerni, sed in votis illud habere. Cæterùm qui applicat omnia media, quæ possunt esse, vel etiam sunt futura efficacia, vt reipsa suadeant rem illam, quam cupimus fieri, passim consueuit dici absolutè velle illud, & quodammodo efficaciter, quatenus ita intensè in illud fertur, vt nihil omittat adhibere mediorum, quæ possunt applicari secun-
C dùm rationem prout congruit, vt illud assequatur. Talis enim voluntas mouet efficaciter saltem ad applicationem mediorum, & ita efficax dici potest, vt distinguitur ab ea voluntate, & simplici complacentia, quæ non mouet ad admouenda omnia media possibilia, & hoc modo hic dicitur Christus voluisse latere, & non potuisse, vt dicam in quinta propositione. Fecit enim quidquid per humanæ voluntatis vires facere potuit, vt lateret, quamuis id assequi non potuerit, & hæc voluntas simpliciter, & absolutè est inefficax, atque adeò secundùm quid dumtaxat, &
D quodammodo efficax.

11. Et sic loquutus videtur Augustinus quæstione septuagesima septima citata, cùm ait: *quod factum est, hoc voluisse dicendus est Christus. Aduertendum est enim quod illud in finibus gestum est gentilium, quibus adhuc tempus prædicandi non erat: vltrò tamen venientes ad fidem, non suscipere, inuidia erat. A suis ergo noluit prædicari, requiri autem se voluit, & ita factum est.* Itaque videtur significare non simpliciter, sed efficaciter voluisse latere, & ab alijs non prodi; voluisse tamen efficaciter tertio modo: vt explicauimus numero secundo, ne discipuli eum manifestarent, quod dicit Augustinus factum fuisse; quamuis effectum ipsum, quem cupiebat per illa, quæ adhibuit media secundùm propriam virtutem, nempè ipsum latere, & non prodi, non fuerit assequutus, nimirum id quodammodo, & tantùm secundùm quid efficaciter voluit. Verùm locus iste Augustini, si ipse est auctor illarum quæstionum nou-

Quod hæc voluntas nō sit omninò efficax.

Alij legunt, nō noluit, *alij minus benè* non voluit.

Digitized by Google

Testamenti, non eodem modo legitur ab omnibus, sic enim ait: *impossibile est vt Saluatoris voluntas non impleatur, neque potest velle, quod scit fieri non debere: idcirco quod factum est, hoc voluisse dicendum est.* *Quæritur quare neminem voluit scire? Animaduertendum quia istud in finibus gestum est gentilium, quibus adhuc tempus prædicandi non erat*, &c. *Idcirco noluit se prodi, quòd esset in domo, Requiri autem se non voluit, sed libenter accepit*, &c. hæc verba non videntur posse stare cum sequentibus. subdit enim paulò post: *Requiri enim voluit, & ita factum est, non enim latuit ab alijs demonstratus*; proindè alij sic legunt priora verba, *Requiri autem se non noluit.* Si tamen legamus, *non voluit*, sensus erit, quòd antequam manifestus fieret eius aduentus, ita latere voluit, vt neque ab alijs requiri voluerit, id est, non habuit talem voluntatem, vt ab alijs requireretur. Verùm vbi semel proditus fuit, ac demonstratus, non curauit iterum latere, vel se occulere, sed passus est ab eis requiri & inueniri, quos etiam benignissimè excepit, & hoc est, quod ait; *Requiri autem se non voluit*, antequam scilicet proditus esset, *sed libenter accepit*, nempe ad se venientes, & inquirentes ipsum, vbi nimirum ab alijs indicatus est. subdit, *Requiri enim voluit*, id est, iam indicatus ab alijs, *& ita factum est, non enim latuit ab alijs demonstratus*, hoc est, postquam proditus est ab ijs, qui ipsum ingredientem viderant, noluit se iterum abscondere, &c. Sed germana lectio mihi videtur vt legamus, *Requiri autem non noluit.* Idem Damascenus significat libro tertio de fide, cap. 17. vbi ait: voluntatem humanam Christi fuisse per vnionem Deificatam, non tamen reliquisse suum naturalem motum, & actionem; & mox subijcit: *quo factum est, vt cùm sui conspectum subducere vellet, penè id non potuerit, quòd nimirum hoc Deo Verbo perspicuum fieri placuisset, verè in se inesse voluntatis humanæ imbecillitatem.* Itaque affirmat Christum quoad humanam voluntatem non potuisse latere. Voluntas enim humana habuit media ad latendum apta: sed ipsa per se sine ope diuinitatis latere per illa media non potuit. alia verò media per diuinitatem adhibere noluit cùm posset. cap. item 14. Act. *Si cùm profectus Dominus in partes Tyri, & Sidonis, & ingressus in domum, neminem scire voluerit, nec tamen latere potuerit: profectò si diuina ipsius voluntas quidquid potest, cùm aduentum suum obscurum esse voluerit, nec potuerit, nihil afferri potest, quia quatenus homo id voluerit, nec potuerit, ac proinde quatenus homo erat, volendi facultatem habuerit.* sic Damasc. quibus iterùm docet Christus quatenus homo erat, id est, secùndùm voluntatem humanam occultari non potuisse: id quod etiam Agatho epist. cit. his verbis confirmat: *ergóne Christus latere volens non potuit, nisi hoc ad humanam eius voluntatem redigatur, &c.*

Quarta propositio, quædam voluit Christus efficaciter humana voluntate, & secundùm propriam eius virtutem, quòd non potuit facere, in ijs quæ ab alijs liberè non dependebant, sed naturaliter consequebantur. Hæc propositio ex sequente constabit, & ex posteriori interpretatione loci Diui Marci paulò post subijcienda, numero decimoquarto.

Sit igitur quinta propositio, quæ continet duas rationes exponendi hunc locum Marci, qui nobis est præ manibus. Affirmo igitur sensum Marci duplicem esse posse. Primum, vt voluerit Christus quodammodo efficaciter, prout in tertia propositione exposuimus, ne illi, qui sciebant ipsum in eam Ciuitatem venisse alijs id aperirent, & vt hoc assequeretur efficacia quę fisse media, & quæ videbãtur apta adhibuisse, & verè optasse ne suus aduẽtus Tyrijs, Sidonijsque notus fieret, neque id tamen obtinuisse. Pendebat enim ea res liberè ab ijs, qui illum viderant, & mox alijs quibus erat ignotus, eius aduentum patefecerunt, & hæc voluntas, vt constat ex tertia propositione non omnino, sed quodammodo efficax fuit, cùm res quàm cupiebat liberè ab alijs penderet, nec esset in eius potestate secundùm humanas vires. Atque iuxta hunc exponendi modum constat discrimen inter humanam, diuinamque Christi voluntatem, & Agathonis mens, nam aliquid voluit Christus secundùm creatam voluntatem per eius vires asse qui, liberè pendens ab alijs, quod non potuit. At diuina voluntas quidquid vult sic efficaciter assequi potest; & hæc est imbecillitas, quam voluit indicare Diuus Damascenus, & sic loquutus Augustinus, vt numero 10. & 11. diximus.

Alter sensus esse potest de voluntate verè ac propriè efficaci, quamuis spectata quantum ad id quòd per se potest: si videlicèt dicamus voluisse Christum aduentum suum ignorari, non indicto aliquibus silentio, sed fugiendo Tyriorum, Sidoniorumque conspectum, vel eorum qui illum agnoscere poterant, atque adeò voluisse efficaciter nesciri, quòd eò ipse adueniisset, neque tamen id obtinuisse adhibitis quamuis medijs necessarijs, & possibilibus, Verbi gratia, clam fines illorum ingrediendo, &c. Cæterùm cùm quidam Tyriorum, vel Sidoniorum qui ipsum antea nouerant, vt significat Marcus capite tertio, v 8. vbi ait: *& qui circa Tyrum, & Sidonem multitudo magna audientes, quæ faciebat, venerunt ad eum*, cùm ij inquam vidissent ipsum ingressum esse ea loca, & illuc accessisse, eum diuulgarunt. Quare licèt ipse Christus occultasset se, ne ab aliquo videretur, & agnosceretur, id tamen assequi non potuit. Hæc expositio differt à prima (vt etiam insinuamus numero secundo) quod notitia aduentus Christi hoc posteriori modo necessariò consequebatur, ac naturaliter, si accidisset illi occurrere eos, qui illum agnoscerent, atque adeò non pendebat liberè ab aliorum voluntate, propterea poterat efficaciter Christus velle latere quærendo secundùm humanitatis vires, ne in aliquem, qui illum agnosceret, incideret. Secundùm verò priorem exponendi modum notitia aduentus pendebat liberè ab aliorum voluntate, quibus illum diuulgare integrum erat. & ideo non poterat efficaciter velle Christus, vt suus in eas partes ingressus, ita occultus esset, vt alij illum non diuulgarent, licèt id ipse vellet quodammodo efficaciter, & adhibuisset necessaria media, indicendo quibus poterat, silentium. Quòd si vrgeas contra posteriorem modum potuisse Christum

sub

Locus Augustini explicatur.

Damasceni sententia de Christi voluntate humana.

12. 4 propositio

13. 5 propositio

Duplex exposito loci Marci.

14.

Digitized by Google

sub noctem eas regiones adire, ac mutato habitu. Respondeo propter aliquem alium finem decreuisse illum eo tempore ea loca inire, & consueto habitu, quare alia quærenda fuerunt media ad idem apta, quibus tamen adhibitis non potuit prout efficaciter volebat secundùm humanas vires, incognitus esse, diuulgantibus eum, qui clam ingredientem agnouerant. Et iuxta hanc secundam interpretationem Agathonis etiam mens patet, cùm hinc constet secundùm humanam voluntatem aliquid voluisse Christum efficaciter, quod non potuit assequi. Plurimum igitur interest inter humanam, & diuinam Christi voluntatem, atque adeò vtrãque fateri necesse est inesse Christo. Eadem esse potest mens Damasceni 3. de fide c.17. dum ait: *quo etiam factum, vt cùm sui conspectum subducere vellet, per se id nõ potuerit.* Quibus verbis denotat oẽm Christum adhibuisse diligentiã, nimirum ex efficaci voluntate, & non potuisse tamen fugere conspectum aliorum, ita vt nesciretur ad ea loca aduenisse. quod si Damasc. de hac voluntate propriè efficaci, vel saltem de quodammodo efficaci non loqueretur, ineptè diceret, quod per se id non potuerit: quid enim mirum, si non adhibita omni diligentia, & efficaci conatu id non fuisset consequutus? August. q.77. Christum videlicet latere voluisse, ab alijs autem, qui ipsum viderunt ingredientem, proditum esse, magis consonat prior expositio de voluntate secundo modo, seu quodammodo efficaci vt in num. 2. & 11.

15. obiectio prima.

Sed contra hanc nostram sententiam occurret aliquis in hunc modum ratiocinans; consequitur ex hac sententia vel Christum aliquid voluisse, quod futurum non erat, nec facere poterat, quod videtur absurdum, vel certè id quod dicimus nihil aliud est, quàm Christum efficaciter optasse applicare media aliqua, quæ potuit, vt se occuleret, non autem verè voluisse latere. Sed ex hoc sequeretur aliud fuisse, quod voluit, aliud quod non potuit: nam voluit adhibere media quædam, quæ erant in sua potestate, & hæc verè potuit applicare, non potuit autem latere, & ignorari, hoc tamen non voluit: at Euangelista ad idem retulit voluntatem Christi, & potentiam eius, vt ostenderet plus eum voluisse, quam potuisse; dixit enim; *Nemirem voluit scire, & non potuit latere*, nempe, pro eodem accipiẽs *nesciri*, & *latere*; quod si voluntatem Christi, & potentiam eius ad idem nõ referemus, inepta videretur sententia Euangelistæ, dum ostenderet, Christum vnum voluisse; & aliud non potuisse.

Responsio.

Sed respondeo, Ratiocinationis huius postremum membrum vim haberet, si sentiremus Christum voluisse tantùm media illa admouere, non autem habuisse actum aliquem efficacẽ saltem aliquo modo, prout voluntas efficax distinguitur à sola complacentia, & ab ea voluntate, quæ non applicat media. neque contra hoc valet id, quod dicitur in primo membro hanc Christi voluntatem absurdam videri, nam quemadmodum licet Christus nosset non posse talem se assequi effectum, non fuit stultitiæ tribuendum ad illum conari, quod aduersarij non negant, cùm concedant ipsum, adhibere media ad eum effectum apta, voluisse; ita non est stultitiæ tribuendum, quod efficacem voluntatem illius habuerit; niti enim pro virili ad aliquem effectum, neque esse sine efficaci voluntate illius; immò verò, si quid hîc inest imprudentiæ, præcipuè cerneretur in conatu, & ratione illius in affectu voluntatis circa finem. Igitur dicendum in Christo non posse stultitiæ tribui ad illum finem conari, quem sciebat non futurum, quia eius illa voluntas, & conatus frustra non fuit, licet enim effectum illum non fuerit consequutus, aliũ tamen finẽ, & affectũ habuit, quẽ est cõsequutus & quem indicauit Damasc. dum dixit l. 3. c. 17. voluisse ostendere Christum alijs quod inesset sibi humanæ voluntatis imbecillitas, per quam aliquid vellet, quod consequi non posset. Cùm verò iste finis omninò exigeret voluntatem latendi: neque enim potuisset suæ voluntatis imbecillitatem, & impotentiam indicare, nisi efficaciter, ac verè, & vellet, & conaretur latere, & non posset: proinde nulla fuit stultitia, voluisse latere, quod non esset assequuturus, cùm nosset fore, vt alium saltem finem hoc modo obtineret.

Cur quædam voluit Christus, quæ sciebat non fore se assequuturum.

16. Secunda obiectio.

Iterum obijci posset: eorum quæ fieri non possunt tantum esse inefficacem voluntatem. non igitur vlla hîc quoquo modo efficax volũtas Christi affirmari potest circa illud, quod sciebat non esse futurum.

Responsio. Duplicer aliquid impossibile.

Respondeo duobus modis aliquid potest esse impossibile, licet sit impossibile tantùm per accidens, & non per se. Primo consequẽte quadam impotentia, sicut quod iam factum est, & præterijt V. g. data hypothesi quod Petrus peccarit, quæ est hypothesis rei præteritæ, iam non manet sub potestate, vel libertate nostra vt nõ peccarit, atque adeò non potest efficaciter voluntas velle illud, vt Petrus non peccarit. Altero modo aliquid antecedente quadam impotentia dicitur fieri non posse, ex parte scilicet causæ, quæ antecedit, hoc est, data hypothesi, & scientia V. g. quod Petrus peccaturus sit, quæ est hypothesis futuri; & hoc impossibile manet adhuc in nostra potestate, & libertate, antequam fiat; V. g. Si Deus reuelaret Petro cras illum peccaturum, adhuc esset liberum Petro peccare, & non peccare, immò teneretur efficaciter non velle peccare, & ad id conari, vt ostendit Vasquez 1. 2. d. 27. c. 3. hoc igitur modo dicimus fuisse impossibile Christũ latere posse, ita vt non deprehenderetur, atque adeò potuit efficaciter hoc ab illo eligi antequam fieret.

17. Tertia obiectio.

Tertiò sic adhuc dubitare quis posset: ex nostra sententia videtur absurdum illud consequi, quod non concordasset humana Christi voluntas efficax cum diuina; hæc enim voluit Christum non latere, sed deprehendi; illa, efficaciter voluit vt Christi aduentus Tyrijs, ac Sidonijs ignotus esset.

Responsio.

Respondeo non sub eadem ratione voluisse diuinam voluntatem, vt Christus cognosceretur, quam noluit humana; ac proinde nihil hîc dissidens, nihil non consonum fuit. Adde secundò, quod facere, vel conari contra id, quod Deus non per se solus, sed cum liberis causis facere decreuit, nihil continet contrarium diuinæ voluntati, nisi fortè causis liberis esset præceptum illud facere. Cùm ergo Deus Chri-

sti aduentum in eam gentium regionem eatenus decreuerit manifestum fieri per causſas liberas, quatenus illæ velint, accommodans se ad earum operationem, si vel occurrerent Christo eo in loco, in quo ipse se occultare nō posset, vel illius aduentum diuulgarent si vellent, non sequitur aliquid contrarium diuinæ voluntati voluisse Christum, vel feciſſe, dum voluit, ac fecit quantum in se erat, vt occultus esset eius aduentus aliud agentibus causſis secundis non sine Deo: secus autem ésset si ex se illud Deus omninò voluisset, quod non est dicendum, cùm Christum instigarit, vt lateret. Has obiectiones & proponit, & dissoluit pluribus Vasquez.

DIGRESSIO PRIMA

Breuiter explanans Allegoriam huius historiæ ex Theophilo Patriarcha Antiocheno In Euangelia, & admirandam Chananææ virtutem ex Chrysost. & quæ ad nostram vtilitatem hinc haurire possumus ex eodem Chrysostomo & Augustino.

1. *Allegoria hist. Chanaeae.*

THeophilus antiochenæ Eccleſiæ Episcopus sextus, qui floruit sub Imperatore Mar. Antonino verò lib. 1. comment. siue allegoriarum in quattuor Euangelia sic scribit: *Ecce mulier Chananæa de finibus illis veniens; hæc mulier gentilis populi habebat figuram, qui rogabat Dominum, vt congregatio eius ab erroribus idololatriæ mutaretur: At Iesus dissimulabat vt fides mulieris omnibus fieret manifesta. Et Apostoli dixerunt; quid clamat post nos, significantes post resurrectionem Domini gentilem populum creditурum. Respondit Iesus non se missum esse nisi ad oues perditas Israel: id est, ad populum Iudæum saluandum, si tamen credere voluissent. Non licet, inquit, accipere panem filiorum, & mittere canibus; Panem, corpus suum dixit. Canes autem gentiles homines veluti indignos gratia diuina. At illa respondens: Vtique Domine, id est, verum dicis: sed & Catuli edunt de micis mensæ Dominorum suorum. Per catulos ostendit omnes gentes venturas ad fidem Dei, & esuras de micis, id est, de Prophetarum, Apostolorumq; doctrinis: quas de mensa cadere, est de congregatione populi Iudaici separari ad resurrectionem generi humano præbendam; Mensa enim congregatio populi intelligenda est.* Hæc ille.

Ex Chrysostomo hom. 17. ex varijs locis in Matthæum.

2. *Chrysostomi verba de Chananea.*

Iam verò non possum me cohibere, quin hic adscribam carptim quę de incredibili Chananææ virtute, & efficacitate orationis eius sapienter, piè, copioseque scribit Chrysost. loco iam indicato. Mirificè enim illustrat totam hanc Chananææ actionem, nec sine suaui sensu, & gustatu eorum, quæ hac historia narrantur. Sic ergo ait: *Miratur Euangelista: Ecce mulier, vetusta armatura Diaboli, quæ hominem de paradiso expulit, mater peccati, initium iniquitatis, præuaricationis materia, ipsa illa mulier venit, ipsa natura. Noua res, & miranda. Iudæi fugiunt, & mulier sequitur. ecce mulier de finibus illis egressa,*

A *Rogabat eum, dicens: Miserere mei &c.*

O præclara confessio. Euangelista sit mulier deitatem eius, & dispensationem annuntians. Confitetur enim & Dominationem, & Incarnationem eius. Vide Philosophicam mulieris animam dicentu: Miserere mei. Non, inquit, habeo Conscientiam bonorum operum, nec rectæ vitæ fiduciam, ad misericordiam confugio, ad tranquillum portum peccantium: ad misericordiam confugio, vbi cessat iudicium: ad misericordiam confugio vbi ineffabilis salus est. Dic mihi mulier quemadmodum ausa es, cùm sis peccatrix, & iniqua accedere ad eum? Confessio Chananæ.

3. *Ego, inquit, noui quid agam. Vide prudentiam mulieris: Non rogat Iacobum, neque obsecrat Ioannem, neque pergit ad Petrum, nec intendit Apostolorum chorum, non quæsiuit mediatorem, sed pro omnibus illis pœnitentiam accepit comitem, qua aduocati locum impleuit, & sic ad summum fontem perrexit.*

B *Propterea, inquit, descendit, propterea carnem assumpsit, & homo factus est, vt & ego ei audeam loqui. Sursum in cœlis Cherubin eum tremunt, & Seraphin metuunt, & deorsum meretrix, loquitur cum eo, miserere mei. Nudus quidem sermo, sed immensitatem salutis continens, miserere mei: propterea, inquit, venisti, propterea carnem assumpsisti, propterea factus es, quod ego sum. O admiranda res, sursum tremor, & deorsum fiducia. Miserere mei. Non opus habeo mediatore. Miserere mei. Quid habes opus? misericordiam, inquit, quæro. Quid pateris? Filia, inquit, mea malè à Dæmonio vexatur. Egressa est aduocatrix filiæ, non affert puellam, sed defert fidem deuotam. Hæc intra semetipsam conferens, & dicens: Deus est ad quem vado. Absentia videt, occulta inspicit, omnia nouit. Miserere mei. Filia mea malè à*

C *Dæmonio vexatur. Fletus pessimus stimulus naturæ viscera mea disrumpit. Quid faciam misera? Vide prudentiam. Non dixit, miserere filiæ meæ, sed miserere mei. Illa enim insensibili passione tenetur, nescit quid habet, non sentit dolorem, velatum cor habet, nequissimo spiritu obducente.*

4. *Chananea miseria & angustia.*

Miserere mei spectatricis diurnorum malorum, quotidiè cruciatus meos video. Vbi vadam, quo pergam? In Heremum ire non audeo, nec illam solam relinquere, in domo sedere non possum, quia intrinsecus est inimicus. Fluctus in portu sunt, in tranquillitate tempestas est. Et quo nomine eam vocabo, inuenire non possum. Mortuam eam dicam, sed mouetur, viuam appellem, sed nescit quid faciat. Inuenire non possum, quo eam nomine appellem. Miserere mei. Si mortua esset filia mea, nō talia pateretur. Tradidissem vtique corpus in sinum terræ, & tempore euoluto obliuionem malorum haberem, & dolor conquieſceret:

D *nunc autem mortuum habeo pertinax corpus, sine sensu viuum, spectaculum lamentabile, increscentia per momenta vulnera passionum multiplicata doloribus. Cerno enim oculos eius transuersos, aspectum sanguineum, manus intortas, crimen dissolutum, contortum collum, ora spumantia, inimicum incedentem, & non apparentem, tortorem clausum, & flagella resonantia, neminem interrogantem, & illam cum clamore loquentem: adsum sermocinatrix malorum meorum, præsto sum stimulante natura. Miserere mei, pessima tempestas passio, & timor. Passio natura, timor Dæmonis. Accedere non possum, neque contingere. Abigit me passio, explodit timor. Miserere mei.*

5. *Consideranda mulieris philosophiam, inspice animam generosam. Non perrexit ad diuinos, non vocauit*

magos,

magos, non alligaturas quæſiuit, non impoſtatrices mulieres adduxit illas, quæ ſolent Dæmones prouocare, & incantationibus ſuis vulnus augere. Reliquit illa omnia, dimiſit Diaboli falſitates, omnia purgamenta contempſit, & venit ad ſalutarem animarum noſtrarum portum. Miſerere mei Domine. Fili Dauid. Filia mea malè à Dæmonio vexatur. Noſtis paſſionem quanticumq; fuiſtis Patres, adiuuate ſermonem meum, quantacumq; matres vocatæ eſtis, non poteſtis interpretari tempeſtates, quas ſuſtinuit mulier illa. Miſerere mei, filia mea malè à Dæmonio vexatur. Vidiſti inſtantiã mulieris, vidiſti virilitatem, vidiſti longanimitatem, vidiſti fidem?

6. Ipſe autem non reſpondit ei ſermonem. O noua rei materies. Rogat mulier, obſecrat, deprecatur, deflet caſum ſuum, auget tragœdiam, enarrat paſſionem: & amator hominum non reſpondit, ſermo tacet, fons clauſus eſt, medicus medicamenta retinuit. Quid nouum? Quid admirabile? Alios prouocas ad ſequendum, & hanc miſerabilem inſequentem abijcis. Sed conſidera medici ſapientiam, qui non reſpondit ei verbum, cur non reſpondit? quia fidem illius amplius prouocabat, & animum perſeuerantia exercebat, & diſcipulorum miſerationes excitabat. Dicunt quippè ad eum diſcipuli eius: dimitte eam, quia clamat poſt nos. Vos, inquit, de foris clamare auditu, ego autem intrinſecus video: Grandis quidem vox ex ore procedit, ſed maior eſt mentis.

7. Dimitte eam, quia clamat poſt nos, alius Euangeliſta (Marc. 11. 25. & hîc verſ. 2.) dicit: ante nos diuerſi ſermones, ſed vna ſententia eſt, vtrumque faciebat in cauſſa doloris, prius poſt tergum clamabat, & cùm vidiſſet, quia non reſpondit, antecucurrit, quaſi canis, Domini veſtigia lambens. Ipſe autem reſpondens ait: Non ſum miſſus &c. Et cùm hoc dixiſſet peius eius vlcus efficit. Medicus enim erat ſecans, non vt diuidat, ſed vt coniungat, &c. Nolo tu hi occaſiones querimoniarum inuenias ô Iudæe, ecce non loquor, ecce non reſpondeo; adeſt occaſio benefaciendi; & pietatem meam interim differo. Ecce naufragium imminet, & gubernator quieſcit, & increſcente calamitate differtur ſanitas propter vos, qui ingrati extitiſtis, vt omnis vobis auferatur occaſio detrahendi &c. Ne fortè dicerent Iudæi: Dimiſiſti nos: & ad extraneos perrexiſti, & ideò non credimus tibi. Ecce de gentibus veniunt, & non ſuſcipio, vos fugientes conuoco, dicens: venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & venire non vultis. hanc repello, & recedere non vult; verè impletur illud, quod ſcriptum eſt: populus, quem non cognoui ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi &c. Quæ cùm audiſſet acceſſit, & adorauit eum dicens: Domine &c. Conſidera precantis inſtantiam, & Domini temperantiam. O Clementia Medici in deſperationem adducebat eam, vt amplius rogaret, & augmentum fidei faceret.

Non eſt bonum, inquit, ſumere panem filiorum, quorum filiorum? Iudæorum videlicet, & mittere canibus. Quibus? ſine dubio vobis, hæc ad opprobrium Iudæorum, qui filij vocati canes effecti ſunt, dicente Paulo: Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem Philip. 3. Nos enim ſumus circumciſio, gentes autem canes appellatæ facti ſunt filij, filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis. Laus Iudæorum, accuſatio illis erat: At illa dixit: Etiam Domine. O violentia mulieris, ô intentio animi, ô profectus fidei. Medicus &

A Dominus dicit non, hæc dicit etiam, non quaſi procax, at impudens reputanda eſt; ſed laudanda magis, quia expectat ſalutem. Etiam Domine. Tu canem me vocas, ego te Dominum voco. Tu me iniurias, ego te glorifico. Etiam Domine, nam, & Catelli edunt de miis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum. Non reſpuo opprobrium, tantùm accipiam vel eſcam canis. Tu fac, quod debetur cani: quia canem me vocas, da mihi micas. O Domine aduocatus meæ factus es poſtulationis, abnegando promittis.

Quid ergo? qui abnegabat, qui repellebat, qui non reſpondebat, in laudes mulieris ſubitò erumpit, dicens: O Mulier. Propterea, inquit, laudo conſtantiam eius, laudo fidem, quia iniuriata permanſit, & ratione extorſit. Si enim ab initio dimiſiſſem illam, nec illa paulatim erudita fuiſſet, nec tu ſciuiſſes virtutem animæ eius, nec latentem fidei theſaurum, & ideò ſuſpendit donationem, vt tu agnoſceres fidem. 8.

B Quando dico, cariſſime, roga Deum &c. dicis rogaui ſemel, ſecundò tertiò &c. & quidnam accepi? ne recedas quousq; accipias, finis poſtulati, acceſſio deprecantis eſt. Tunc ceſſa, quando acceperis, immò magis nec tunc ceſſes, ſed tunc perſeuera, agens gratias pro eo, quòd accepiſti, vt perſeueret tibi, quòd acceperis &c. imitare Chananæam. 9. Perſeueranter orandum.

Sed forſitan dices; non habeo filiam, quæ Dæmone plena ſit, ſed habes animam peccatis refertam. Dicito & tu miſerere mei Domine, quia anima mea malè à Dæmonio vexatur. Grandis enim Dæmon peccatum eſt & ille quidem in propatulo habens, velocius curari poteſt: qui autem occultat peccata ſua hominibus, & pœnitere non vult, ſed contemnens ſecurus delinquit, & C odibilis eſt. Et ille quidem pro ipſa vexatione veniam habebit, iſte verò reſponſione priuabitur &c. Fiat tibi ſicut vis. Vbi ſunt Hæretici? nunquid dixit, rogabo Patrem &c. Non vtique quia auctor ſalutis eſt. 10.

O Mulier magna eſt fides tua. & quia magna eſt fides, copioſa effuſa eſt gratia. O Mulier magna eſt fides tua. Non vidiſti mortuum ſuſcitatum, nec leproſum mundatum, nec Prophetas audiſti, nec legem meditata es, neque mare in diuiſionibus ſcindi vidiſti, nihil horum contemplata es, inſuper & deſpecta, & contempta à me es, & non receſſiſti, ſed perſeueraſti petendo. O Mulier magna eſt fides tua. Mortua eſt mulier, & prædicatum eius viget. Vbicunque ieris, audi Chriſtum dicentem: O Mulier magna eſt fides tua. In Gottia, in India, in Mauritania, quantumque ſol reſpicit terram, clamat D Chriſtus, & non tacet verbum: O Mulier magna eſt fides tua, ſicut vis. Non dixit ſanetur filia tua, ſed fiat ſicut vis. Tu, inquit, eam cura, eſto medicus, tibi committo medicamentum vt imponas ei, fiat tibi ſicut vis. Voluntas tua curat eam. Chananæa voluntate curauit. & filius Dei ſicut dicunt hic à ſemetipſo non curat fiat tibi ſicut vis. Neq; iuſſit mulier, nec imperat Dæmoni, ſed ſola mulieris voluntas curauit filiam. Dæmonemq; fugauit. 11. Fides Chananæa.

Vbi ſunt qui audent Chriſtum dicere per orationem virtutes feciſſe? Vide quid dicat: Fiat tibi ſicut vis. Conſidera ſermonis germanitatem, patrem ſuum imitatur. Quando enim faciebat Deus cœlum, dixit: Fiat cœlum, & factum eſt cœlum, fiat terra, & facta eſt terra: fiat ſol, fiant aſtra cœli; & facta ſunt vniuerſa. Iuſſio adduxit ſubſtantiam parentelæ. Sermo communionem oſtendit naturæ. Et ſanata eſt, inquit, filia eius ex illa 12.

hora.

hora. Ex qua hora? Non ex qua venit Mater eius domum, sed ex qua Domini sermo processit, & cùm rediisset domum, inuenit eam sana mentis, & voluntate, imo fide eius curatam.

Ex eodem Chrysostomo hom. *de profectu Euangelij*, quod tria colligantur ex hac historia valde nobis vtilia.

13. *Tria vtilia nobis ex hoc Euang.*

Tria hæc nempe, quod indignum, frequens conuersatio (cum Deo) *dignum reddat: & quod Deus magis annuat, si per nos ipsos oremus, quam si alij orent; & quod dando sæpè differt, non vt nos vacuis manibus amandet; & animo exhæsitabundo relinquat, sed vt maiorum causa fiat. Tria hæc inquam ex parabola hodie nobis lecta* (i. ex historia) *manifesta facere tentabimus. Accessit Chananæa Christum pro filia orans, quæ à Dæmone agitabatur, & clamans cum tanta voce ait: Miserere mei Domine, filia mea &c. Ecce alienigena mulier, & barbara, & extranea à Iudæorum iurisdictione. Et quid aliud erat quàm canis, & indigna, quæ voti compos fieret? non enim honestum est, inquit, vt accipiatur panis filiorum, & obijciatur canibus. Attamen precum frequentia digna facta est, non solùm vt inter filios recenseretur, quæ erat canis, sed vt & multis laudibus honestata dimitteretur. Dixit enim: O Mulier magna est fides tua. Vides quomodo mulier, quæ indigna erat, ex assiduitate facta est digna?*

14. *Vis discere quòd etiam per nosmetipsos orantes apud Deum plus efficimus, quàm dum alij pro nobis orant? Clamauit hæc, & vt accesserunt discipuli dicunt; dimitte eam, quia clamat post nos, & ad illos quidem dixit: non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Quando autem ipsamet accessit, & perseuerauit clamans, & dicens: Domine etiam; Nam & Catuli edunt de mensa Dominorum suorum: Tunc beneficium dedit, & ait: Fiat tibi sicut vis. Vides quoniam repulit cùm alij precarentur: vbi verò ipsamet orans pro dono clamauit, annuit? illis enim inquit, non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël: huic autem dicit: magna est fides tua fiat tibi vt vis. Similiter ab initio, & ad ingressum petitionis nihil respondit: Vbi autem semel, & iterum, & tertiò accessit, tunc denique beneficium concessit.*

Cur dist ulit exaudire.

Et in fine docet, quod dare distulerit: non vt eam repelleret, sed vt patientiam mulieris omnibus monstraret. Nam si propter repulsam distulisset, neq; tardè ei donasset: & nos minimè agnouissemus mulieris ab initio vsq; ad finem fortitudinem. Dimitte eam inquiunt, quia clamat post nos. Vos audita vocem, ego mentem video; scio quid dictum sit. nolo thesaurum mentis suæ occultum permanere, sed expecto, & fileo vt manifestetur, & omnibus clarus fiat. Cùm hæc omnia non ignoremus, post hac licet peccatores simus, & indigni non desistamus orando &c. Hæc omnia præclarè Chrysost.

Ex Augustino tractatu 6. in epist. Ioan. 1.

16. *Vtilitas ex hac hist.*

Ex hac historia illud etiam ad nostram vtilitatem conuertere possumus, non esse sanctitatis argumentum, & signum quod Deo magis placeas, si statim obtineas, quod petis. Neque diuinæ contra te indignationis, si in longum tempus extrahat Deus tua vota, immò verò si numquam audiat, quia fortè non expedire nouit. Hoc præter exemplum Chananææ mulieris docet August. loco notato his verbis: *Diabolus petijt Iob, & accepit, petijt Apostolus, vt auferretur ab eo stimulus carnis, & non accepit. Sed Apostolus magis exauditus est, quàm Diabolus: Apostolus enim exauditus est ad salutem, etsi non ad voluntatem. Diabolus exauditus est ad voluntatem, sed ad damnationem: Ideo enim concessus est iste tentandus, vt eo probato, esset ille cruciandus.* Sic Augustinus.

DIGRESSIO II. MORALIS.

De orationis excellentia, & conditionibus.

De oratione plura etiam dicemus inferius cap. 23. Nunc sequentia accipe.

SAcratum litterarum monumentis proditum est Iacobum Patriarcham cum Angelo luctatum fuisse, atque in ea lucta tandem euasisse victorem, sic enim libr. Genes. cap. 32. *Si contra Dominum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?* Quo significatum est, eos qui in oratione, & contemplatione, victores, desiderijsque compotes euaserint cunctis humanis rebus facile superiores fore. Est enim oratio, & contemplatio quædam pugna, ac diuina contentio hominis cum Deo. Quod Greg. 14. homil. super Ezechielem mellifluis, dulcissimisque verbis declarat eo applicans luctam illam quam dixi Iacobi cum Angelo. Sic ergo scribit: *Est in contemplatiua vita magna quædam lucta, & contentio, cùm sese mens ad cœlestia erigit, cùm in rebus spiritualibus animus extenditur, cùm trãsgreditur omne, quod corporaliter videtur, cùm se se angustat, vt dilatet. Et aliquando quidem vincit, & reluctantes tenebras suæ cœcitatis exsuperat, vnde ex incircumscripto lumine quiddam furtim, & tenuiter attingat. Sed tamen ad semet ipsam protinus mens quasi reuerberata reuertitur, atque ab ea luce, ad quam respiciendo transit, ad suæ cœcitatis tenebras suspirando, ac lamentando redit. Hoc benè sacra historia designat, cùm Iacob luctatum esse cum Angelo narrat. Reuertens enim Iacob ad proprios parentes, in via Angelum inuenit, cum quo per luctam magnum certamen habuit. Is autem qui luctando certat, aliquando se aduersario suo superiorem, aliquando inferiorem inuenit. Iacob porrò, & Angeli lucta, cuiuslibet perfecti viri, & in contemplatione versantis exercitium denotat. Cuius quippè anima, dum contemplari Deum nititur tanquam in certamine quodam posita modo quasi exsuperat, quia intelligendo, & sentiendo de diuino lumine aliquid degustat: modo succumbit quia & degustando iterum desicit. Quasi ergo vincitur Angelus quando intellectu intimo apprehenditur Deus.* His verbis Gregor. ostendit mirabilem quamdam vicissitudinem proficiendi, & veluti pugnam, & concertationem quamdam experiri vires orationis studio, contemplationisve deditos; nam interdum vis spiritus, & cuiusdã diuini luminis, seu gratiæ participatione prævalere, ac seipsos exsuperare videntur, hoc est, cuncta visibilia excedere, & ad quemdam vsque velut æternitatis conspectu euchi.

I. *Quod oratio sit lucta.*

Contra

Contrà non rarò fragilitate carnis deficiunt, & quasi succumbentes in lucta deprimuntur ad ima. Sed pergit Gregorius reliquas luctæ Iacobi cum Angelo circumstantias declarare, vt ostendat quantus sit constantis, ac perseuerantis orationis fructus, hæc enim est, quæ victoriam reportat, ait ergo.

2. *Sed notandum quòd idem victus Angelus neruum femoris Iacob tetigit, & marcescere statim fecit: Et ex eo tempore Iacob altero claudicauit pede. Videlicet Omnipotens Deus cùm iam per desiderium, & intellectum cognoscitur* (hoc est, per feruentis orationis, & contemplationis desideria) *omnem in nobis voluptatē carnis arefacit: Et qui prius quasi duobus nitentes pedibus, & Deum videbamur quærere, & mūdum tenere post agnitionē suauitatis diuinæ, vnus in nobis pes sanus remanet, & alter claudicat: quia necesse est vt quisq; debil. tato amore mundi, conualescat ad amorem Dei. Si ergò tenemus Angelum, vno tantùm claudicamus pede: quia dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, pariter infirmatur fortitudo carnis. Omnis quippè, qui vno pede claudicat, illo solùm pede nititur, quem sanum habet: similiter & is, cui iam desiderium terrenum arefactum fuit, in solo pede amoris Dei tota virtute se sustinet, & in ipso stat; quia pedem amoris sæculi, quem ponere in terra consueuerat, iam à terra suspensum portat. Et nos ergò si ad parentes proprios, id est, ad spirituales patres nostros tendimus, teneamus in via Angelum, vt suauitate intima apprehendamus Deum. Contemplatiua namque vita amabilis valde dulcedo est, quæ super semetipsam animā rapit, cœlestia aperit, terrena omnia contemptui esse debere ostendit, spiritualia mentis oculis patefacit, corporalia abscondit. vnde benè sancta Ecclesia Cant. 5.12. Ego dormio, & cor meum vigilat. Vigilanti enim corde dormit, quia per hoc quod interius contemplando proficit, ab inquieto foris opere quiescit.* Hæc piè, & sapienter Gregorius.

Claudicare vno pede quid mystice.

3. Verùm si Iacob Patriarcham admiramur, quod fortiter pugnarit cum Angelo, & victor euaserit, certè non minùs, imò longè maximè suspicere debemus mulierem hāc Chananæam, cuius victoria multò illustrior illa Patriarchæ Iacobi fuit. Quòd non negabit, qui Patriarchā cogitauerit virum fuisse, hanc verò fœminam; & Iacobum quidem aduersus Angelum dimicasse. Hanc verò cum Rege Angelorum, & Domino contendisse. Quare iure victrix prædicatur vel ipso Christo tantarum laudū præcone, qui quodāmodo victum se fatetur, dū sic exclamat: O *Mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Vicit aūt patientia, vicit humilitate, vicit perseuerantia. Etenim in spirituali hac lucta eum qui orando cum Deo contendit constanti esse oportet pectore, & in proposito perseuerante, ita vt nulla vnquam difficultate ab orandi desistat ardore; contendendum verò est, vt licet ipse Angelus, vel Angelorum Dominus nos à se depellere videatur, illud non semel inculcans, *Dimitte me*, si salutem à Deo cupimus, tanto ardentiùs vrgeamus, dicamusque: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Vide etiam quod oratio sit lucta, capite 23. digressione 4.

Perseuerantia orandi & constantia est necessaria.

4. Ex his quæ hactenus diximus non arbitror aliquem dubitare posse de orationis dignitate, & excellentia, quippè quæ non modò cum Deo familiariter agat. Sed & luctetur cum illo, vt vel ipse se Deus aliquo modo oratione ligari, vinciq; fateatur. hinc est, quod Exodi trigesimo secundo, v. nono dicit, DEVS Moysi: *cerno, quòd populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me vt irascatur furor meus contra illos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam. quis non obstupescat*, inquit Chrysostomus libro primo de orando Deum, *& admiretur, tantam benevolentiam erga nos Dei, vt mortalibus tantùm honoris largiatur, vt dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostraq; vota apud ipsum deponamus? nam verè profectò cum Deo fabulamur quoties vacamus deprecationi; per quam simūl & Angelis copulamur, & societatem quam cum brutis animantibus habebamus, procul effugere videmur. Angelorum enim opus est deprecatio, superans interim etiam illorum dignitatem, si tamen maius est Angelorum dignitate, colloquium miscere cum Deo. Atqui quod id sublimius sit, ipsi nos docent, multo quidem cum tremore vota sua offerentes.* Sic Chrysostomus. Est tanta porrò hæc dignitas orationis, vt in Scripturis mirificè commendetur Moses, propterea quòd cùm versaretur cum Deo, non sine magna omnium admiratione, exterpo etiam vultus splendore fulgeret; sic enim Exodi trigesimo quarto, v. trigesimo, *videntes Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt prope accedere*; & versiculo trigesimo quinto, *operiebat*, inquit Moses, *faciem suam, si quando loquebatur ad eos*, id est, filios Israel.

5. Gregorius Nyssenus libro de oratione, de eius præstantia sic loquitur: *Oratio corporum robur est, abundantia domus, recta legum, ac iuris in ciuitate constitutio, regni vires, belli trophæum, pacis securitas, dissidentium conciliatio, coniunctorum conseruatio, oratio virginitatis sigillum est, matrimonij fides, viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, nauigantium salus, eiusdem cum Angelis honoris conditio, præsentium fructus, futurorum repræsentatio.*

Orationis laus ex Nyss.

6. Sed si cetera orationi deessent, hoc certè vnum summis illam attolleret laudibus, & admirabilem redderet; confertur enim in Scripturis cum sacrificio, sic Dauid Psalmo centesimo quadragesimo, v. secundo testatur, dum ait, *dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Hinc est quod Tobiæ 12. 12. indicetur Angelorum obsequio orationes nostras deferri in cœlum. Sic enim Raphael Angelus dixit Tobiæ: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino*, & Act. 10. 10. habes Cornelium dum Deum deprecaretur vidisse Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Rectè ergò Chrysostomus in Genesin homilia trigesima ait: *magna arma sunt preces, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, refugij locus.*

Confertur cum sacrificio.

Amica Angelis.

7. Paraphrastes Ierosolymitanus in cap. 30. Genes. ita scribit: *Quatuor claues positæ sunt in manu Domini vniuersi mundi, quas non tradidit Dominus nec Angelis, nec Seraphino: Clauis scilicet pluuiæ,*

Claues quatuor in manu orantis.

clauis

clauis cibationis, clauis sepulcrorum, & clauis sterilitatis. De claue pluuiæ sic dicit Scriptura Deuteron. cap. 28. 12. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum vt tribuat pluuiam terræ suæ in tempore suo. de claue cibationis habes in Psalm. 144. 16. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. De claue sepulcrorum dixit Deus apud Ezechielem cap. 37. 12. Ecce ego aperiam tumulos vestros; & educam vos de sepulcris vestris. De claue sterilitatis habes cap. 30. 22. in Genes. Recordatus Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius.* Hæc ille. Nunc vide potentiam orationis, non absimilem quodammodo potentiæ Dei, eædem enim quatuor res, quas Scriptura dicit in manu Dei esse, & non in Angelorum, non in quarumcumque aliarum creaturarum potestate, In manu tamen sunt, & potestate etiam orationis, ita vt & pluuiæ clauem, & alimoniæ, & mortuorum resurrectionis, & procreationis liberorum, seu fœcunditatis claues in manu sint positæ orationis. Ipsa enim salutarem de cœlo pluuiam impetrat, aliméta mortalibus obtinet, mortuos ad vitam reuocat, & remota sterilitate parentem facit.

8. *Orationi omnia parent.*

Omninò omnia parent orationi; illi concessum est, quoties libitum fuerit, Dei aulam ingredi, cum cœlesti Rege colloquia miscere, nullo eam repellente, quo minus superni Regis ad thronum adeat. Hinc Eccles. 35. 21. dicitur, *oratio humiliantis se nubes penetrabit, & non discedet donec Altissimus aspiciat.* Et D. August. in Psal. 29. *Clamauit,* inquit, *de profundo Ionas de ventre cati. Erat non solum sub fluctibus; verum etiam in visceribus bellua, nec tamen illud corpus, & illi fluctus intercluserunt orationem ne peruenirent ad Deum, & venter bestiæ non potuit tenere vocem deprecantis. Penetrauit omnia, dirupit omnia, peruenit ad aures Dei, quando aures Dei in corde precantis erant.* Sic August.

9. *Conditiones orationis.*

Quod si quis scire auet tantis orationis præconijs accensus, & inflammatus, quibus constare debeat conditionibus oratio, vt vires habeat ad impetrandum idoneas, facilè id ex huius mulieris Chananææ oratione, & historia intelligere poterit. Imprimis oraturo fides perneccessaria est, *quomodo* enim ait Apost. Rom. 10. 14. *inuocabunt in quem non crediderunt?* & Christus Dominus Marc. 11. 24. *quæcumq; orantes petitis, credite quia accipietis.* Contra, his, qui sine fide orant dicit Iacobus 4. 3. *petitis & non accipietis, eo quod malè petatis.* Hoc mihi mysticè significare videntur illa verba huius historiæ: *Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa.* Excesserat Chananæa humanæ rationis fines, quibus teneri nequit diuina fides, vt meritò sit illi dictum: *O Mulier magna est fides tua.* Ex finibus humanæ intelligentiæ est quod egrediamur, si Dei fidem tenere volumus, quæ diuina innititur auctoritate, & à Deo quod poscimus, impetrare. Quod quia Synagoga olim, & Philosophi illi facere noluerunt, intrà fines suos occisi, infidelitatis gladio perierunt. Ecclesia verò è finibus suis egressa, diuinaque auctoritate nixa, diuinum lumen excepit, & longè ipsam Synagogæ fidem superauit, & salutem inuenit.

Fides.

Fiducia.

Altera est orationis conditio fiducia, quam significat in hac muliere Euangelista, dum ait:

A *à finibus illis egressam clamasse post Do[mi]re mei Domine fili Dauid.* Hic enim indicat huius mulieris fiduciam, ne thones, non idola, non in maleficijs nec medicorum magnopere curauit Christum, ardens fiducia, domi resi trauit, accidit ad eius pedes, domo entem persecuta est cum clamor mis certa quòd voti compos fieret, mitteret fiduciam, itaque tandi mobilis petendo, & à sua spe dete quamdiu non audiuit; *fiat tibi sicut*

Tu quoque si sapis quoties vide innumeris opprimi, quoties tenta xari, *clama, ne cesses:* sic Dauid sepi statur Psal. 119. 1. *Ad Dominum cùm tri*

B *mani; & exaudiuit me.* An non tu si vi onem tete iam inuadentem, teque ac deuorare apertis parantem fauci non illicò ad eum, qui te eo perici possit, clamaueris? ecce tibi Diabol leo rugiens circuit quærens quem d non igitur validissimis in cœlum v mandum tibi erit ad eum, qui solus pere de potestate dæmonum? Veni tem Tobiæ, qui cum irruere contr non paruæ quantitatis cerneret, vt raret, repente comitis Angeli impl lium, exclamauit, vt ab inuadente beraretur. Quid? An non clamauit ventre Cœti, quamuis iam deuorat audijt illum clementissimus Deus, v vt incolumis litori restitueretur.

C quamuis tibi videare propter peccat monis fauces, ventremque traect tamen quantum potes, & exclama, & eripiet de ventre inferni. quod ni ue ne aliquando pertæsus cum illo *uiam tacui inueterauerunt ossa mea* Psa si circumdari te innumeris Dæmon videas, ne despera, clama cum Giez Syrorum hostium armatam manu stantem animaduerteret, ad Elisæu vt opem ferret: *Heu heu Domine mi, mus?* & audies plures tecum esse quà stibus: *noli timere: plures enim no quàm cum illis.* 4. Reg. 6. clama cum cùm accedentem Pharaonem cum exercitu videret aduersus se, suum

D lum clamauit ad Dominum, qui propterea demersit in mare, totum uentibus aquis disiecit, & interfecit Exhod. 14.

Quamobrem magna cum fidentia tate, quamuis te multis vitijs irretit uis multis criminibus obnoxium vid ominus clama, ne cesses. Ecce mul næa finibus illis egressa, mulier de g bus vitijs, atque omni dedecore i dedita, infamis, cui olim maled Genes. 9. *Maledictus Chanaan, serui erit fratribus suis.* clamat tamen, & or lier Chananæa non timidè, nec sed Christi clementiæ confisa fidente nuit tandem quod voluit amplissime go desperes peccator veniam, perpe sti te inuitantis etiam clementiam, & nis redeuntem te excipere cupientem

Orationis efficacitas cui innitatur.

ne, licet te ob scelera maledictis obnoxium, & venia prorsus indignum videas. etenim orandi vis, & efficacitas, non tam eius, qui postulat meritis nititur, quàm eius quem rogat, clementiæ, & fiduciæ. Tantùm è peccati finibus, id est, omni occasione mali posthabita egredere, & vitam in melius commutare desidera; ita fiet, vt Christi meritis, & gratia continuò te omni peccati labe priuatum agnoscas.

13. Sit ergò tanquam certissimum positum præter fidem, & fiduciam addendam esse orationi, quam Matth. 9. 2. postulauit Dominus à Paralytico, quem vt fidentiùs ageret, sic compellauit: *confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* & vide quantum valeat fiducia in orando. illi propria est impetratio tanquam singillatim eidem promissa, vt ex illo Psal. 90. liquet: *quoniã in me sperauit, liberabo eum.* iterumque, *clamabit ad me, & ego exaudiam eum*, vt proinde non sit dubitandum, quòd scripsit Cassian. collat. 9. cap. 32. signum certum impetrationis esse, cùm quis inter orandum magnam in Deo fiduciam experitur. Cæterùm non orabit fidentiùs quispiam, nisi bonis operibus, ac iustitiæ vacet: hinc enim oritur in orante fidentia.

14. *Bona opera cum oratione iungenda.* Quare tertia orationis conditio bona opera sunt, vel iustitia; etenim id Christus apertè ostendit, cùm dixit Ioan. 15. 7. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis*; etenim *oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Psalm. 33. 16. Qua de re monet nos Ioannes epist. 1. cap. 3. 21. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.* proinde rectè monui num. 12. si audiri volumus à Deo preces nostras, recedendum nobis esse cum Chananæa à finibus nostris, omnia relinquenda sunt mortalia, Patria, amici, cognati, diuitiæ, splendor gloriæ, voluptates, fluxarum rerum desideria, cogitationes, curæ, saltem quod ad animi affectum attinet. Migrandum omninò ex carnis finibus, deserenda peccata, vt ita præpotentis Dei vultui promptè, fidenterque orando assistamus. tibi igitur illud dictum cogita, dum ad orandum te recipis, quod Psalm. 44. scriptum est: *Obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* Sic Esther Reginam cap. eius lib. 14. proditum memoriæ est, Deum precaturam omnem penitùs Reginæ ornatum, vestiumque splendorem posuisse, cinerem verò, & saccum prætulisse; sapienter quidem illud, quia ad sempiterni Numinis conspectum frustra veniet, qui rerum mortalium studio deditus, animum rerum caducarum formis, atque affectionibus indutum gestat.

15. Præcepit Deus Exod. 10. vt Israelitæ AEgypto egrederentur cum omni substantia sua, ita vt ne vngula quidem animalis in AEgypto remaneret ex ijs omnibus, quæ ad eos pertinebant. & Gen. 12. 5. Abraham cum omnibus suis exijsse de Vr Chaldæorum dicitur; de Iacob verò scriptum legimus Genes. 31. quod nihil

A eorum, quæ ad se pertinebant reliquerit in domo Laban. Postremò is, de quo modò dixi, Abraham, vt patet Genes. 14. ex ijs quæ sua non erant, sed ad Sodomam pertinebant, nihil accipere sibi voluit. Sic enim dixit v. 22. *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem cœli, & terræ, quod à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Exempla hæc quattuor videlicet, Israelitarum, Abraham, Iacob, iterumque Abraham docent, quid iustitiæ afferendum nobiscum sit ad orationem, quidve relinquendum: quattuor enim virtutum genera afferenda sunt, & quattuor in primis vitia relinquenda. prima virtus per Israelitas significata est Diuinæ maiestatis quædam quasi inspectio, vnde reuerentia nascitur. quidquid ergo ad huiusmodi Israel pertinet, hoc est, ad hanc

B facit inspectionem Dei, præparare oportet ante orationem, vt Deum reuerenter adeas. Altera virtus in Abrahamo significata promptitudo quædam est, & alacritas, cum qua ad orandum accedere oportet, & quidquid ad hanc promptitudinem pertinet, & deuotionem curandum est oraturo vt secum ferat. Sed de deuotione paulò pòst. Sequitur Iacob, per quem insinuatur is, qui vitijs bellum indixit. Studendum est enim diligenter oraturo, vt prauas animi cupiditates euellat à se, & loco eorum virtutes animo inserat, insertasque custodiat, nihilque omittat iste vitiorum supplantator, quod hanc curam, virtutumque studium iuuare queat. Denique iterum Abraham per-

C sonam gerit eorum, qui perfecta, & integra carnis, ac mentis puritate fulgent, ac proinde quidquid ad Sodomam, & turpes corporis voluptates pertinet, contemnunt, & plusquam hostili prosequuntur odio; sciunt enim abhorrere vehementer Deum eorum præsentiam, qui fœdis istis corporis voluptatibus affixi sunt. hanc ergo iustitiam, quæ his quattuor capitibus virtutum continetur, secum ad orationem afferre debet oraturus. Contrà, quattuor etiam veluti vitiorum omnium fontes à se procul abijciat, quæ per AEgyptum, per Vr Chaldæorum, per domum Laban, & Sodomã significantur. AEgyptus mundanarum rerum amorem; Vr Chaldæorum, quidquid ad Dæmonum cultum, superstitionemque pertinet;

D domus Laban auaritiam, ac diuitiarum cupiditatem, demùm Sodoma turpium voluptatum consecrationem significat. procul hinc abire, & his finibus omninò excedere oraturum decet, alioqui næ ille frustra voce, ac verbo salutem suam postulat.

Quatuor ad orationem afferenda, & quatuor relinquēda.

16. *Sit ardens oratio.* Sequitur quarta orationis conditio: debet oratio esse ardens, ac feruida vt ignis, non languens, non frigida, denique deuotione ornari debet, deuotio siquidem est quæ accendit, & feruere facit orationem. Sed neq; hac proprietate priuata fuit oratio Chananææ. etenim hoc etiam significat pertinax ille clamor, quo vehementer commoti discipuli Iesum rogabant dicentes: *dimitte illam, quia clamat post nos.* hoc verò ardens orandi studium auxit calamitatis commemoratio adiuncta: *Miserere mei Domine Fili Dauid, filia mea malè à Dæmonio vexatur.* Plurimum enim orationem incendit propriæ necessitatis

Incendit oratione propriæ necessitatis cognitio, & multum Deum mouet calamitatum cõmemoratio. Locus 1. Tim. 5.

sitatis cognitio; nimirum cùm se homo multis nominibus egentem, atq; inopem videt. nunquam enim constãtiùs, atq; feruentiùs Diuinam opem implorat, quàm tunc. hinc natum illud: eos qui maris tempestate iactantur, didicisse verè orare: hoc Paulus significat dum ait: 1. ad Timot. 5. 5. proprium esse viduarum instare orationibus, multum enim valet derelicti, atq; auxilio destituti hominis deprecatio, *quæ verè*, inquit, *vidua est & desolata speret in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus nocte ac die.* Hoc cœleste orantis artificium vsurpat Dauid in Psalmis: nam si attentiùs legas plenos eos inuenies querelarum, calamitatum, & persecutionum. eadem arte vsus est Ionas in ventre cœti positus Ionæ 2. eamdemque Daniel sequutus est cùm captiui populi malis exstimulatus magno spiritu, & contentione precatus est Dan. 6. 10. Eamdem precandi rationem tenuit Sara castissima puella, cùm se tot viris orbatam, & mox à famula malè conuicio acceptam vidit: inde enim obortæ illæ lacrymæ, quibus Deum obnixius deprecata est. Taceo hic Tobiam seniorem ad inopiam redactum, & vel ab ipsa vxore probro exceptum. Tob. 3. prætereo Iacobum vehementer sibi timentem è fratre, hi enim omnes calamitate vexati magno animi studio orarunt.

17. Hos igitur æmulata Chananæa domesticarum calamitatum commemoratione ardens, atque exæstuans venit ad Christum: *Miserere mei Domine*, inquit, *filia mea malè à Dæmonio vexatur*, nimirum videbat Mater dilectam filiam, tanquam ouem crudelissimo leoni obiectam, hoc est, à Dæmone ereptam, videbat feræ crudelis aduncis vnguibus raptari vt prædam, huc illuc clamantem pertrahi. Videbat infixo dente immanem belluam totum natæ sanguinem exsugere. videbat se miseram, ac desolatam opem nullam tantis malis afferre posse. Quo igitur animo illam fuisse putamus? quo igne arsisse? qua deinde contentione orasse? videlicet multum possunt afflictorum clamores: nec dubium, quin si diligenter huius vitæ calamitates perpenderemus, si peccata, quibus sumus obnoxij, si Dæmonis tyrannidem, qua peccatores miserè opprimit, si imminentia pericula, & futura mala non oscitanter consideraremus feruentiores, & ardentiores ad Deum preces funderemus. Vide quàm feruidè Dauid oret malis proprijs, & persecutionibus exstimulatus: *Domine Deus meus in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me; ne quando rapiat vt leo animam meã, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.* Psalm. 7. 1. 2. Tu quoque dum Diabolus vt leo ferox, vel vrsus minax accurrit, vt te apertis faucibus deuoret, ad Christum aduola, qui te solus potest saluum facere, *ne quando rapiat vt leo animam tuam.*

18. Ipsum Christum enim significauit Dauid, qui persequebatur leonem, & vrsum, & percutiebat, eripiebatq; de ore eorum prædam, vt habes 1. Reg. 17. ipsum etiam idem Dauid referebat dum Citharam pulsans Dæmonem Saulis compescebat: Quam rem D. Prosper elegãter obseruauit lib. de promiss. & proditio. c. 25. *eripuisse*, inquit, *se prædam ore leonis Dauid fatetur, & noster* (Dauid Christus) *manu fortis de ore leonis Diaboli, & Petrum negantem, & latronẽ eripuit confitentem. Suaui sono citharizans Dauid non tantum animalium mulcebat auditus, quantum etiã in ipso Saule vexationẽ mali spiritus tẽperabat.* 1. Reg. 16. *Si nostri manu fortis Christi Domini Citharam respicias personantem, quam ligno crucis carnis, membrorumq; suorum chordis aptatam, plectro dum tangit sancti Spiritus omne animal benedictione, ipsum quoq; Diabolum fugauit de cordibus inimicorum, pro quibus orans in cruce suauem illum sonum protulit, dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciũt.* Ergo huius Christi veri Dauidis virtutis à Deo edocta Chananæa non ignara clamat: *Fili Dauid miserere mei, filia mea malè à Dæmonio vexatur*: proinde, *salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatẽ meam.* Hæc si quis attẽtè consideret, næ ille feruidè, & deuotè orabit.

19. *Humilis fit oratio.* Cum deuotione coniungenda est quinta cõditio humilitas, cuius nobis clarissimum exemplum suppeditat eadem Chananæa, nam repulsa, nec sine canis etiam appellatione, respondit Christo: *etiã Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.* qua in re Ecclesiæ figuram prætulit vt August. serm. 74. de tempore sic animaduertit: *videte fratres quæadmodum in hac muliere, quæ Chananæa erat, id est, quæ de gentibus veniebat, & typum, hoc est, figuram Ecclesiæ gerebat; maximè humilitas commendata est. Etenim gens Iudæa, vt ab Euangelio repelleretur, superbia inflata est, quod legem accipere meruisset, quod de illa Patriarchæ processerint, Prophetæ exstiterint &c. erat vnde extolleretur gens Iudæa, & per ipsam superbiam factum est vt Christo nollet humiliari. Auctori humilitatis, repressori tumoris, medico Deo, qui propter hoc cùm Deus esset, homo factus est, vt se homo hominem cognosceret, magna medicina; hæc medicina si superbiam non curat, quid eam curet, nescio &c. ergo propter hoc ille populus non accessit, id est, propter superbiam, & dicti sunt ex arbore olea, hoc est, de illo populo à Patriarchis creato, fracti rami naturales, id est, Iudæi meritò sterilesti spiritu superbiæ, & in illa olea insertus est oleaster. Oleaster populus ex gentibus, sic dixit Apostolus.* Rom. 11. *quod oleaster insertus sit in olea, rami autem naturales fracti sint. illi fracti propter superbiam, insertus oleaster propter humilitatem, hanc humilitatem ostendit mulier dicens: ita Domine, canis sum, micas desidero.* Hæc Augustinus.

20. Hanc igitur humilitatem, si cum deuotione, hoc est, cum feruente, & ex imo corde profecta oratione coniungas, nihil est, quod non possis orando obtinere. D. Chrysost. in Psalm. 129. vbi Dauid sic orat: *De profundis clamaui ad te Domine* scribit: *quid est, De profundis? non dixit solummodo ex ore, vel lingua, errante enim mente, sæpè verba funduntur, sed ex corde profundissimo cum magno studio & magna animi alacritate ex ipsis mentis penetralibus. tales enim preces magnam habent potentiam, vt quæ neque subuertantur, neque concutiantur, etsi eas Diabolus magno impetu inuadat. quemadmodum enim arbor valida, & quæ in multam profunditatem terræ agit radices, eiusq; finus deuincit, & astringit, cui vis ventorum impetui resistit, quæ in terra autem summa superficie sita est, si quælibet parua aura incubuerit, labefactatur,*

& radicibus reuulsa iacet super terram. ita etiam preces, quæ ab imo quidem ascendunt, & egerant radices in profundo etiam, si innumerabiles venerint cogitationes; etiam si instructa tota Diaboli acies, firmæ manent, & stabiles, & minimè euertuntur, quæ autem ex ore, & labijs procedunt, & non ab imo ascendunt, ne possunt quidem ad Deum ascendere; ac Sancti non sic orabant, sed cum summo studio, & maxima vehementia, vt etiam totum corpus inflecterent. Nam B. Elias orans primùm quidem quæsiuit solitudinem; deinde cùm posuisset caput inter genua, & seipsum cum magno ardore incenderet, ita fundebat preces, & paulò pòst. *audi quomodo Anna orabat de profundis, cuiusmodi fontes lacrymarum emittebat, quomodo per orationem euehebatur in sublime. Qui enim ita precatur etiam antequam consequatur quod postulat, ex oratione magna bona percipit, omnes animi perturbationes reprimens. iram sedans, inuidiam expellens, rerum ad vitam pertinentium amorem diminuens, & exsiccans, animum in magnam tranquillitatem redigens, in ipsum deinceps cœlum ascendens.* Hæc Chrysostomus. Quibus constat quantas vires habeat oratio, quæ de profunda cordis humilitate cum quadam animi alacritate procedit. contra verò quàm infirma, & flaccida sit, quàm mollis, & enervata, & quasi exanimis illa quæ his caret, sola oris & labiorum superficie contenta.

21. Perseuerãs in oratio.

Postrema conditio est perseuerantia, quam non video vbi melius quã in Chananæa cernere possimus. hanc enim narrant Euangelistæ adeo in orandi proposito pertinacem fuisse, vt nulla difficultate ab incœpto destiterit, quamuis, vt olim Angelus Iacobum secum luctantem visus est repellere, illud inculcans: *dimitte me*, sic Christus præter consuetum morem repulisse videatur illam tanquam indignam, cuius preces audiret, at non propterea mulier infracta destitit, sed institit ardentiùs, & quodammodo cum Iacobo dixit: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.*

22. Perseueran tia Chananææ.

Sed vide incredibile & plus quàm virile animi robur in muliere. neque enim qualis qualis hæc perseuerantia fuit, sed diu multumque probata. nam primùm tantis eius clamoribus interpellatus Christus, *non respondit ei verbum*; quo quidem silentio, quanta contemptus significatio continebatur? deinde deprecantibus pro illa Apostolis: *dimitte illam, quia clamat post nos*, respondit: *non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* quod responsum grauiùs, atque acerbiùs quid, etiam priore silentio continebat. nam tale datum est responsum vt contrarium esset votis. denique cùm iam illa pudorem & sexum exsuperans per se tandem accessisset, illud subijciens: *adiuua me*, tulit no solũ contrarium votis responsum, verũ & probrosum: *non est*, inquit, *bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* quibus illa non obscurè canis esse significabatur; cuius hic fortissimi viri pectus non frangeretur, vel cuius non concideret animus? Quis non retro pudore perfusus abiret? at non ita hæc mulier, sed insistit, pergit, contendit quantum potest alacriter, &, quod vix credas, ipsismet aduersarij armis, hoc est, Christi telo, quo petitur, vtitur ad suam salutem, victoriamque obtinendam. nam canis vocata libenter admisit, nec à se repulit datum

A sibi nomen, sed hinc quid effecit? panem, inquit, filiorum fateor canibus dandum non esse. at vbi suppetit panis, si fortè è mensa filiorum, qui iam saturati sunt, decidant micæ, quid ni canes colligant? O virilis pectoris mulierem? ô mulierem non mulierem. Sapienter Ambrosius lib. 5. in Luc. sub finem. *Diripuit,* inquit, *regnum illa Chananæa, quæ à suis finibus egressa clamabat, dicens: Miserere mei Domine Fili Dauid, filia mea malè à Dæmonio vexatur. Verè hæc regnum coegit, pertinax in precibus, sapiens in responsis, fidelis in verbis, prætereuntem reuocat, tacentem rogat, excusantem adorat, negantem inclinat nonne tibi videtur deripere cùm elicit, quod negatur? præripere quod alijs reseruatur? negauerat enim Dominus panem filiorum dari canibus oportere: at illa consensit, & consentiendo diripuit dicens;* B *vtique Domine: nam & Catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum: didicisti quemadmodum regnum cœleste rapiatur. cogamus igitur & nos, diripiamus illud. nemo enim nisi festinans Pascha manducat.* Exod. 12. *Sed quæ est ista quæ rapit regnum? non improbitas, non lasciuia, non voluptas, sed illa de qua dicitur: magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Ecce rapuit, quæ quod voluit impetrauit, quod rogauit extorsit. rapuit & illa vidua, quæ frequenter orando, si non propter Innocentiam, saltem propter importunitatem, vt exauditetur extorsit.* &c.

Ambrosius.

Hanc igitur perseuerantiam tenere oportet in orando, ad quam vehementer nos hortatus est Christus exemplo illius, qui de media nocte surgens, amici ianuam pulsando, panesque ob improuisum hospitis aduentum postulando tanta id pergit contentione, ac perseuerantia, vt repellentem amicum, multumq; detrectantem compulerit tandem è cubili surgere, & magno studio petitos panes exhibere. *Et si ille,* inquit Christus, *perseuerauerit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eò quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios* Luc. 11. *& ego dico vobis, petite & dabitur vobis: quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis. Vult,* inquit Gregorius, *Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. ideò tibi dicit: Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud, esto ergò sedulus in oratione, esto in precibus importunus, caue ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire,* C *quem rogas, esto raptor vt regnum cœlorum accipias: esto violentus, vt vim etiam ipsis inferas cœlis. quid hac rapina locupletius? quid hac gloriosius violentia? bona violentia quæ Deus non offenditur, sed placatur, proximus non laditur, sed iuuatur, peccatum minuitur non multiplicatur.* Et satis sit de oratione dictum.

23.

D

Digitized by Google

CAPVT III.

SANATVR SVRDVS ET MVTVS.

B. 7. 13.

Domin. 11. post Pentecost. A 15.29. Et cùm transisset inde Iesus, venit secus mare Galilææ.

V. 1. *Iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sydonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.*

2. *Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.*

3. *Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculam eius: & expuens tetigit linguam eius.*

4. *Et suspiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Ephpheta, quod est, adaperire.*

5. *Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.*

6. *Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quãtò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant.*

7. *Et eò amplius admirabantur, dicentes: benè omnia fecit: & surdos fecit audire & mutos loqui.*

SCHOLIA.

1. Ordinis ratio.

Hieronymus Matth. 15. ordinis rationem insinuat sic scribens: *Intueamur quòd sanata Chananæa filia, reuertatur ad Iudæam, & ad mare Galilææ, & ascendat in montem, & quasi auis teneros fœtus prouocet ad volandum, ibiq; sedeat, & turbæ concurrant ad eum deducentes, siue portantes secum variis oppressos infirmitatibus, quos postquam curauit, dedit eis cibos.*

1. *Et iterum*] non significat Marcus, iterum. hoc est, secundò redijsse de finibus Tyri, quasi quòd non semel, sed iterùm eo iuisset; sed *iterum*, idem valet, quòd *rursus*, & refertur non ad *exiens*, sed ad vocem, *Tyri*, quasi dicat, ab ijsdem finibus Tyri, q. d. reuersus.

2. *Exiens de finibus Tyri*] Theophyl. Marc. 7. affirmat, non moratum diu in gentilium locis, sed statim transisse, ne ansam Iudæis præberet dicendi, quod legem præuaricaretur, gentilibus se intermiscens. Idem Euthym. Marc. 7.

Venit per Sidonem] hunc locum expendimus capite præcedente in Scolijs num. 4. hinc intellige verissimum esse, Christum, vt Petrus dixit Act. 10. pertransisse *benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo*, & semper in conficiendis itineribus Dei gloriam illustrasse, & fructum aliquem in hominibus edidisse. Pet. Act. 10.

3. *Inter medios fines Decapoleos*] iter habens per medios fines. neq; enim placet quòd dicit Beda: Christum non intrasse fines Decapoleos; sed aliter significat Marcus. Græca paulò aliter habent; ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων Δεκαπόλεως, id est, *per medium finium Decapoleos*. Non enim significatur mare Galilææ esse inter medios fines Decapolis; sed Christum

A transijsse per medium illius. Itaq; verbum, *venit*, refertur ad mare Galilææ, vt sit sensus: venit ad mare Galilææ, per medios fines Decapoleos iter habens. Syriacè habetur: *Venit ad mare Galilææ ad confines Decapolis*. Verùm Græca, & multò magis nostra lectio clarior est.

Verum sitne Decapolis trans Iordanem, an citra, non omninò constat. Itemque quænam regio sit. Plinius libr. 5 cap. 18. ait; *iungitur ei* (Iudææ) *è latere Syriæ decapolitana regio à numero Oppidorum, in qua non omnes eadem obseruant. Plurimi tamen Damascum, & Opoton riguas amore Chrysorrhoa, fertilem Philadelphiam, Raphanam, omnia in Arabiam recedentia, Scythopolim Anter Nysam à libero Patre, sepulta nutrice ibi, Scythis deductis. Gaddaram Hieromiace præfluente, & dictum Hippon Dion, Pellam aquis diuitem, Galasam, Canatham.* Hæc Plinius. 4. Decapolis.

B Diuus Hieronymus lib. de locis Hebraic. Decapolim trans Iordanem collocat. Est, inquit, *Decapolis regio decem vrbium trans Iordanem circa Hippum, & Pellem, & Gaddaram*, &c. quem videntur sequuti Beda in Marcum, & Haymo. 5.

Borchardus prima par. c 6. §. 6. de eà re sic scribit: *Scias ad vrbem Tiberiadem terminari regionem dictam Decapolim. Nam Iacobus de Vitriaco sic dicit: regionis Decapoleos fines sunt mare Galilæa ab Oriente, & Sidon magna ab Occidente, & hæc est latitudo eius. In longitudine verò protenditur à Tiberiade, & toto littore aquilonari maris Galilææ, vsque ad Damascum. Dicta autem est Decapolis quasi decem vrbium regio, quæ vt præcipua in ea continentur*; quas vrbes nos simul cum longitudine & latitudine numerauimus lib. 3. Dilucid. c. 11. in Schol. ad vers. 9. ex Adrichomio in Tribu Nephthalim num. 40. qui sentit eam ad Orientem trans Iordanem, & Mare Galilææ

C vltra Gaddaram, Hippum, & Pellem se extendere.

Verùm Pater Natalis Dominica XI. post Pentecosten in annotat. super Euangelium Marc. 7. pag. 491. sic ait: *Video vnam illam Regionem Decapolim à Marco* (5. & 7.) *significari, vt etiam innuit Matth.* (4.) *& aliam fuisse à Galilea, vt decem vrbes in diuersis regionibus sparsas, non fuisse Decapolim hoc loco significet Marc.* (cap. 7.) *tum illud, Decapolim trans Iordanem esse. Nam Gerasenorum regio erat trans Iordanem, vbi Christus fuit, cùm insignem illum Dæmoniacum sanauit, qui tamen cũ Christo nõ transfretauit, sed vt à Christo intellexerat, cœpit prædicari in Decapoli, quæ ad montem Antilibanum spectat, post quem introrsum esse Decapolim tradit Plinius.* Sic Pater Natalis. 6.

Verũ huic sententiæ si velit tantùm vltra Iordanem esse Decapolim, vt viderit Hieronymus

D innuere, obest Iosephus lib. 3. de bell. cap. 16. vbi maximam Decapoleos ciuitatem vult esse Scythopolim, & Tiberiadi vicinam. Est autem Ciuitas hæc cis Iordanem. igitur hãc ego veriorem arbitror sententiam, Decapolitanam regionem partim trans Iordanem, partim verò citra esse collocãdam, quam intercursant, vt ait Plinius, & cingunt Retrarchiæ, videlicet, Galilæa citra mare. Trachonitis vltra, & quidem quæ fuerint illæ decem ciuitates, non adeò constat, quod Plinius significat. Neque mirum quod Euangelistæ vt Matth. 4. Decapolim à Galilæa separarent. Nam Galilæa alia continet, quæ non amplectebatur Decapolis, & hæc, alia item quædam oppida, quæ non comprehendebãtur sub Galilea Quare ille Dæmoniacus à Christo liberatus, quamuis non traiecerit Iordanem, potuit dici in Decapoli diuulgasse nomen Christi. Auctoris sententia.

Digitized by Google

7. 2. *Et adducunt ei*] non est hæc eadem historia, atque illa, quæ Matth. cap. 9. 32. scribitur, quam habes harum dilucidationum libr. 3. cap. 19. Item, Nec quæ Lucæ 11. habetur, & Marc. 13. & Matth. cap. 12. vt habes dilucidation. lib. 4. cap. 12. ideo autem *adductus* dicitur, quia nec venire per se ad eum, quem ignorabat; neque loqui pro se poterat; &, quo maximè indigebat, sanitatis beneficium postulare.

P. Ioan. de la Haye in sua concor. sic piè hîc obseruat: *Eum qui pro se Dominum orare non potuit, fideles, pro illius salute solliciti, & illius calamitatem miserati, ad Dominum ducunt, ac pro illo deprecantur, sola manus impositione credentes duo simul mala posse tolli ab hoc misero; docemur in afferentibus quid valeat aliena fides, & oratio, & quam solicitudinem debeamus hu maximè, qui sibi non sufficiunt.* Erat autem morbus ille à Dæmone vt asserit Theophyl. Marc. 6. & plures alij, licet Maldon. neget, nam meminisset, nec silentio id inuoluisset Euangelista. vtrumque probabile, neutrum certum. Ceremonia Ecclesiæ, qua dum baptizat vtitur, quasi volens Dæmonem expellere, potiùs Theophyl. fauet, licet Maldon. aliter eam, nec malè interpretetur vers. 32. Marc. 7. Vide Ambros. de hac ceri. l. 1. de Sacramentis cap. 5. lib. de ijs, qui sacris mysterijs initiantur cap. item 1. de aliena fide quantum profit. Vide lib. 3. dilucidat. cap. 16. Schol. ad vers. 7.

8. *Surdum & mutum*] omnis natura sua surdus, mutus quoque est. Videtur tamen hic non omninò fuisse mutus, sed impeditæ ad loquendum linguæ, quia G. μογιλάλος, id est, agere, ac difficile loquens appellatur, & vt notat Maldonat. aliquando, & audierat melius, & liberius fortè loquutus fuerat; siquidem linguam didicerat, quasimul vt sanatus est, loqui cœpit: nisi credere velimus, & eam partem vnam fuisse miraculi, vt non modò impedita solueretur lingua, sed sermonis etiam cognitio conferretur. Illud videtur Marc. 35. vt hîc habes v. 5. subindicare cùm dicit, loquutum fuisse rectè veluti, insinuans loqui quidem ante, sed non rectè potuisse.

Et deprecabantur eum] G. est παρεκάλεσαν αὐτόν, deprecantur eum. Sed Gregorius homilia decima legit vt nos habemus, nec curandum de consequentia temporum secundùm quam videtur dicendum, vt imponeret, non vt imponat. Grammaticæ leges plerumque Ecclesia spreuit.

impositio manus. *Vt imponat illi manum*] ita enim viderant IESVM huiusmodi infirmos aliquando sanasse, & ita Archisynagogus peterat. Matt. 9. *Domine filia mea modò defuncta est; sed veni impone manum tuam super eam, & viuet:* & ita Prophetæ imponendo manus super infirmos sanabant, sicut Naaman Syrus dicebat: *putabam quod egredereturad me* (Elisæus) *& stans inuocaret nomen Domini sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me.* lege item de hac manuum impositione, & contactu Marc. 1. 31. & 5. 23. 41. & 6. 5. & 8. 22. 23. 25. Matth. 8. 3. 15. & 9. 18. 25. & 19. 13. 15. & Luc. 13. 13. Dum verò rogant, vt imponat manum, profitentur se credere, impositione manus eius facilè posse liberari hunc hominem duobus malis incurabilibus, quibus obnoxius erat.

9. Aduertendum est. inquit Pater Salmeron, tom. 5. tract. 30. Christum solum posse sanare, homines posse alios adducere ad IESVM, & deprecari, & non sanare: ideo fac quod tu potes, & Deus præstabit, quod tu non potes. Hic ille Samaritanus impositis iumento hominem semiuiuum relictum, alligauit vulnera eius, & curam illius egit: non ait,

A sanauit illum. Ita expendit Bernardus lib. 4. de consideratione ad Eugenium initio, hunc locum: *curam, inquit, illius habe, & non cura, vel, sana illum. Fac tu quod tuum est: Nam Deus quod suum est, te neq; solicito, neq; anxio facere non deerit.* Itaque nisi Dominus manus imponat hominibus, salutem non obtinebimus. Rectè idem Bernard. de 7. misericordijs: *Tua*, inquit, *est Domine Deus, & non humanæ virtutis, susceptum semel peccati iugum à ceruicibus excutere, quando omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati, nec est liberari nisi in manu forti.* Deprecemur ergo Deum, vt manum fortem cordi admoueat, excitetq; ad conuersionem illum, quem adducere ad Deum conamur.

3. *Apprehendens eum de turba seorsum*] sex à Domino obseruantur in huius curatione. Nam hominem à turba separat, seorsum eum apprehendens; deinde digitos mittit in aures; tertiò expuens linguam tangit; Adhæc, suspicit in cœlum; B Præterea gemit; tandem dicit: aperire. Ioannes de la Haye in sua Euang. dispos. c. 76. sic scribit: *Obseruatio moralis.* per hoc quod surdum, & mutum duxit seorsim, insinuari eos, qui mente curari volunt, & gratia impleri, debere praua vitare consortia, & Deo in secreto vacare. Psal. 54. *Ecce elongaui fugiens &c.* Ps. 101. *similis factus sum Pellicano solitudinis.* deinde etiam hic indicauit Dominus, quòd homo societate malorum, & popularium admistus non sit facilè capax gratiæ Dei, & supernæ illustrationis. Tertiò hoc facit Christus, vt doceat interdum esse peccatores seorsim, ac secretè hortandos, & docèdos, ne humano rubore à pœnitentia se auertant, si id publicè fiat. Alij idcircò seorsim apprehendisse volunt, ne premeretur à turba, alij vt hunc curaturus remotus ab hominum cœtu melius oraret, orasse enim ex v. 4. hic colligunt.

C *Misit digitos suos*] Euthym. Marc. 7. omnia fermè, quæ hic Christus gessit, sic exponit: *Apprehendit*, inquit, *eum à turba seorsim*, hoc est, *assumpsit, separauit: ne miracula videretur spectaculo exponere, & maximè cognoscens multitudini quosdam immixtos esse, qui reprehenderent. Præterea quandoq; miracula coram multis operabatur, propter spectantium vtilitatem: Interdum verò separatim, vt laudem fugeret. Tanquam generatiuam superbiæ. Misit autem digitos suos in aures eius: Vnum quidem dextræ manus in dextram aurem, vnumq; sinistræ in sinistram propter angustiam, & profunditatem auditus, vt hunc acuat. Poterat quoque & alio modo hunc curare; sed ita curauit, vt sciremus omnem partè sancti corporis ipsius diuina plenã esse virtute. Ecce enim sputum etiam immaculati oris sui, quo linguam tetigit impeditam, diuinam quoq; participabat virtutem, ac omninò excremẽta ciu[illegible] oris sancta erant, vt potè talis corporis; solùm autem operabantur dum vellet.* D *Præterea octauo huius Euangelistæ capite sputo etiam vsus est ad cœci curationem, & Ioan. c. 9. quando cæcum à natiuitate curauit. hoc autem agebat, vt fidem faceret vnitæ sibi diuinitatis? quo enim pacto hæc operaretur, nisi Deus esset: suspexit in cœlum, docent eos, qui alios erant sanaturi ad Deum aspicere, & virtutem ab eo petere. Ingemuit autem motus hominis afflictionibus, ac humanæ miserius naturæ, quæ tum à Dæmonibus, tum ab infirmitatibus adeò impetitur, propter præcepti transgressionem.* Hæc ille.

Maldonato non multũ placet quod Euthy. sentit, dexteræ manus digitum in dexteram, sinistræ in sinistram misisse, quia cùm Christus aduersus staret surdo necesse erat, vt dexterũ eius latus surdi sinistro, sinistrum dextero lateri responderet. Nisi dicamus, quod nulla potest cõiectura probari trãsuersa in figuram Crucis posuisse brachia, quod Patriarcham Iacobũ filijs Ioseph benè dicentẽ fecisse

Euthym. obseruatio. 11.

12.

Digitized by Google

legimus Gen.48.14. sed pro Euth. illud dici posset, Christũ non omninò aduersũ surdo stare potuisse, sed iuxta alterum latus eius stantem extendisse alterum brachium post tergum hominis, & digitum in aurem inseruisse; alterius verò manus digitũ in alteram, ita vt digitus dexteræ manus in dexteram, sinistræ verò in sinistram inferretur aurem.

13. Illud acutè dictum ab eodem Maldonat. quod quia qui surdi sunt, videntur re aliqua obturatas habere aures, mittit digitum in aures surdi, quasi clausas & obturatas terebraturus, aut impedimentum, quod in illis erat ablaturus digito. Et quia qui muti sunt, videntur ligatam nimia siccitate habere linguam, palatoque adhærentem, mittit Saliuam in os muti, quasi eius linguam humectaturus: Saliua verò potius vtitur, quod humana Saliua multos ad morbos medicamentum esse, & quod ea humectari lingua, & mobilis, volubilisque fieri soleat. Nam & qui humidiore sunt cerebro, quia plus Saliuæ habent, solutiorem videmus habere linguam. Itaque vt per metaphoram surdæ aures clausæ, & muta lingua ligata dicitur, ita & per metaphoram Christus digitis aures aperuisse, & Saliua linguam soluisse per metaphoram quoque dicitur.

14. *Et expuens tetigit linguam eius*] G. καὶ πτύσας, & cùm expuisset tetigit nempè Saliua linguam eius. Cũ enim expuisset, sumptâ deinde digito Saliuam super muti linguam imposuit. Saliua vsus est Christus. Marc. 8. 23. Ioan. 9. 6. Hieronymus & Glossa, sputum Domini sapor sapientiæ, quæ dixit; *ego ex ore altissimi prodiui*, terræ admixtum, id est, humanæ naturæ, cœcum illuminauit; caput vnde descendit, Deus. Quanquam non constat in terram, ne hoc loco, an in digitum expuerit. Minimè verò mirum videri debet, si Dæmon expertus deitatem digiti Dei fugiat, & liberas relinquat aures: si deferat linguam, quam verbum Dei sua sapientia tangit, id est, quàm sapidè, & sapienter loquentem reddit, hæc enim lingua flagellum est Dæmonis.

Expositio allegorica.

15. 4. *Suspiciens in cœlum ingemuit*] vtrumque secundùm Chrysost. & Euthy est dolentis humanam conditionem, & miseriam, vt nu.11. notauimus ex Euthy. vtrumq; fortassis etiam orantis sic Theoph. Beda. Quare Greg. hom.10. in Ezech. *qui suspiciens*, inquit, *in cœlum ingemuit, non quod ipse necessarium gemitum haberet, qui dabat quod postulabat, sed nos ad eum gemere, qui cœlo præsidet, docuit, vt aures nostræ per dona Spiritus S. aperiri, & lingua per Saliuã oris, id est, per scientiam diuinæ loquutionis solui debeat ad verba prædicationis.*

16. *Ephphetha*] Ethpethah Chaldaicus est imperatiuus passiuæ significationis. G. ἐφφαθά, idem autem est quod aperire, aut apertus esto. sicut leproso Matth. 8. dixit; *Mundare*, hoc est, mundus esto, sic auribus & linguæ, hoc est, homini surdo, & muto ait: *adaperire*, seu apertus esto, audi & loquere. Refertur autem tum ad aures, tum ad linguam. Nam Esa. 35. non modò aures, sed & linguam aperire legimus: *Tunc aures surdorum patebunt, & aperta erit lingua mutorum.* Et Luc. 1. de Zach. *apertum est illicò os eius, & lingua eius & loquebatur* &c. P. Salmeron quattuor docet esse, quæ homo aperire debeat. primo intellectum vt illud Dauid considereret Ps. 38. *Verumtamen vniuersa vanitas omnis homo viuens* atq; adeò vt Deo cognito cetera omnia spernat. 2. voluntatem, vt cor amori, ac timori diuino clausum incipiat Dei bonitatem degustare. 3. os, vt gratias agat Deo, proximũ doceat, & afflictos soletur. Deniq; manus, vt iuxta illud Prouer. 31. *Manum suã aperiat inopi, & palmas suas extẽdat ad pauperẽ.*

Ethpethah, vel Ethpathah.

Locus Isa. 35

Quattuor aperienda in nobis.

17. Et *statim apertæ* &c.] Interlin. vno sermone curauit, quia Deus. Beda.

A Licet Marc. non exprimat, nisi vnum esse curatũ, tamen plures fuisse sanitati restitutos ostendit Matthæus, vt habes seq. cap. v. 2. hic tamen à Marco commemoratur, vnus fuit inter illos, cuius cura fuit mirabilior, quia in ipso tria miracula cõcurrunt, nam ei auditus cum affatu redditur, & fortè etiam à Dæmone fuit liberatus. arbitror tamen hũc curatum fuisse à Christo, antequam montem inscenderet inter eundum.

Greg. hom. 10. in Ezech in illa verba: *Fili hominis oẽs sermones meos, quos loquor ad te, assume in cor de tuo, & auribus tuis audi, & vade* &c. ait: *vigilanter intueũdum est, quod voce Domini ad Prophetam dicitur, vt prius sermones eius audiat, & postmodum loquatur. Audimus enim verba Dei, si facimus. & tunc ea proximis rectè loquimur, cùm prius ipsi fecerimus.* Sic Greg. quod confirmat ex ordine curationis huius surdi, cui aures cordis ad obediendum prius apertæ fuerunt, & postea dicitur, *loquebatur rectè.* B *Ille enim rectè loquitur, qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse facienda.* Vide Dominica 11. Pentecost. lect. 9. 18.

19. 6. *Præcepit illis*] non solùm ei, qui curatus fuerat, sed ijs etiam, qui eum adduxerant, quia miraculo interfuerant.

Quanto autem eis præcipiebat,] est græcismus ὅσον δὲ αὐτοῖς διεστέλλετο, μᾶλλον περισσότερον ἐκήρυσσον, latinè diceremus, quo magis ille ipsis præcipiebat, tanto illi magis prædicabant.

Videtur autem Christus voluisse secundùm humanas vires quodammodo efficaciter, & secundũ aliquam rationem, quam mox adferam, vt silentio obuolueretur miraculum iuxta ea, quæ cap. præcedenti theor. 2. docuimus, præsertim num. 8. & 13. quamuis omnibus spectatis vellet ad Dei gloriam, & hominum salutem illis adesse sua virtute, ac concursu, qui illud vellent manifestare, fortè etiam gratia sua præueniendo vt id vellent. Cur autem id ita præceperit, docet Beda hom. in hoc Euangelium. C *An fortè*, inquit, *nobis exemplum dare voluit, vt virtutum opera facientes, vitium iactantiæ per omnia gloriamq; vitemus humanam, ne bona nostra actio per inanem vulgi fauorem superne retributionis munere priuetur? Et tamen sciamus opera nostra si digna imitatione sunt, nullatenus posse celari, sed ad vtilitatem fraternæ correctionis ipso disponente patefieri, qui dicit: Non potest ciuitas* &c. Sic Beda, Augustinus etiam lib. 4. de consensu c. 4. *vt quid*, inquit, *hoc præcipiebat, nisi quia pigris volebat ostendere, quanto studiosiùs, quantoq; feruentius eum prædicare debeant, quibus iubet vt prædicent quando illi, qui prohibebantur, tacere non poterant?* quam eamdem Augustini rationem subdit Beda loc. cit. an verò hoc præcepto obligare vere voluerit Christus diximus lib. 3. dilucid. c. 18. ad v. 23. in schol.

Cur voluit vulgari miraculum.

7. *Benè omnia fecit*] Iste est, quasi applausus, & acclamatio, ea, quæ vel viderant, vel audierant approbantium, quasi dicat, nihil in eo reprehendi potest: nihil non bonum facit, nihil non vtile proximis. quod mox explicant. *& surdos fecit audire, & mutos loqui.* G. ποιεῖ, facit, id est, facere solet, vel etiam facit, videtur positum esse præteritum pro præsenti. D

20. Obseruandum est, ad nostram vtilitatem, quod homo ille rectè loqui dicitur, qui quæ Dei sunt loquitur, nec quid in Deum vel proximũ sinistrè profert. Audit verò, qui dictis obedit, & ad interrogata rectè respõdet. Hiero. *Genus humanũ in protoplasto cœcatur, dũ malè videt; surdus fit cũ audit, obmutescit cũ loquitur.* Habes igitur ex his, quinã sint surdi, & quinã muti, qui videãt, & q. audiãt. Verè surd' est peccator, cui cũ Deus cõsciẽtiã tradiderit vt illũ à malo auertat; & si lapsus fuerit in peccatũ, illũ reprehẽdat, & vt surgat, admoneat, illã tñ nõ audit;

Observatio moralis.

similis

Conscientia dupliciter fungitur præconis officio.

similis Iudæis incircumcisis corde, & aure, & Spiritui S. semper resistētib. Dupliciter enim præconis officio fungitur conscientia; primùm ante peccatū, terret enim hominē ne peccet, illud inculcās: *quacūq; hora peccaueris, morte morieris.* quomodo similis est conscientia angelo, q̄ Balaā Ariolo ad maledicendū Israeli proficiscenti occurrit euaginato gladio, mortē comminatus, si quidquam vel loqueretur, vel ageret cōra Israelitas. Deinde post peccatū perpetratum aliam præconis vocem imitatur conscientia, repræsentat homini malū quod gessit, bonorum omnium iacturā, amissas virtutes, & merita ante oculos ponit, inferni barathrum referatū manifestat. Deniq; supremū numē delicti vindex proponit; quomodo conscientia similis est nuntio illi, qui solus euasit post singulas calamitates, vt nūciaret Iobo omnia quæ illi mala contigerāt. ita vbi in peccatum quis incidit, tantā acceptam plagam sola nobis conscientia nūciat, & repræsentat. Cæterū ad tot tātosq; clamores obsurdescit sæpè peccator. Quare nisi ad Christum adducatur, vt imponat illi manum, auditum recipere non poterit, hæc obiter ad pleniorem textus intelligentiam: nam cætera, quæ ad mores pertinent, fusius in sequentibus digressionibus habes.

DIGRESSIO I.
MORALIS.

De Christi in procuranda hominum salute, diligentia, & insigni peccatorum pigritia in quærendis ad curam animæ necessarijs. Itemque de surditatis causis, & de duplici surdorum, mutorumque genere.

I. *Sex quæ Christus in hoc homine sanando fecit, mystice declarantur Digr. 2.*

SEx sunt quæ in huius surdi & muti curatione obseruantur à Christo, quibus non pauca continētur moribus nostris vtilia. nam post multos itineris labores Saluator infirmum hūc sibi oblatum, primū à turba seorsim apprehensum separauit, mox digitos in eius aures immisit, deinde expuens eiusdem linguam tetigit, quartò suspexit in cœlum, quintò gemuit, dixitque tandem: aperire. hoc verò miraculum quinque consequuta sunt. Primùm illicò surdi apertæ sunt aures, deinde solutum est linguæ vinculum, ita vt loqueretur rectè is, qui prius mutus erat; mox præcepit Iesus ne cui factum dicerent; quartò magis prædicabant miraculum, qui viderant. postremò amplius mirabantur dicentes. *bene omnia fecit, &c.* de his omnibus sequentibus digressionibus dicendum.

2. Et primùm quidē, dum initio huius historię lego iterum exeūtem Christum de finib. Tyri, venisse per Sidonem ad mare Galilææ, &c. nō satis mirari possum sedulam in quærēda salute nostra Christi operam. vix enim Chananęę filiam incolumem reddiderat, cùm exijt de finibus Tyri, statimque per Sidonem venit ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos, vbi adductum ad se surdum & mutum paulò post sanauit. moxverò in montē ascendens plurima alia edidit signa, vbiq; emittens diuinitatis suæ radios, quo contra magis deploranda est pigritia nostra, qua in rebus ad salutem pernecessarijs vtimur: & multò maximè damnanda diligentia, qua in inferni barathrum promptè,

Socordia peccatoris.

A hilariterque pergimus. Rectè de impijs illud Dauidis Psal. 34. 6. interpretari possumus: *Fiat via illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini persequens eos,* quibus significari mihi videntur quales sint impiorum viæ; tenebrosæ nimirum & lubricæ. nam & cœlestis luminis claritate carent, & facilè in grauia subinde scelera ruunt, qui per illas incedunt, præsertim cacodæmone eos persequente, & ad peccata, & perditionem quasi stimulo quodam perurgente; proindè satis aptè impios similes esse dixerim iumento graui onere presso, quòd per præcipitem, lubricum, abruptumque locum densissimis noctis tenebris incedat, cui si adiunctus sit mulio truci vultu, atque ira inflammatus qui verberibus eius latera tundat, compellet sanè illud per auia, & abrupta loca præceps in profundum ruere. Ambulant miseri homines peccatis grauati, atque onusti per auias scelerum, & voluptatū abruptas vias, ceduntur infelicem in modum à crudelissimo infessore dæmone flagellis, & in infernum compellūtur, crassissimis tenebris circumdati, & licèt nunc cæcis erroribus inuoluti, & prauis cupiditatibus inflammati, suam miseri infelicitatem, & periculum non videant, & idcò læti, hilaresq; in omne ferātur peccati genus, aderit tandem aliquando tempus, cùm illud frustra repetent: *Ambulauimus vias difficiles, lassati sumus in via iniquitatis.*

Impij similes iumento onusto.

Huc mihi facere videtur quod Regum narrat historia lib. 2. c. 2. de Asaele, cuius in currendo velocitatem tantoperè laudat Scriptura v. 18. *Asael cursor velocissimus fuit quasi vnus de capreis quæ morantur in siluis.* is nimium agilitati suæ confisus pertinax aliquando Abner strenuissimum ducem insequebatur. &, quamuis ab eo cursu magnis Abneris vocibus reuocaretur, etiam cum mortis comminatione. *noluit* tamen *Asael omittere, quin vrgeret eum.* inclamabat ille: *recede, noli me sequi, ne compellar, confodere te in terram.* verùm cùm his vocibus nihil proficeret, (etenim eum Asael *audire cōtempsit, & noluit declinare*) *percussit eū Abner auersa hasta in inguine, & transfodit, & mortuus est in eodem loco.* Ecce tibi quasi in tabula depictam ad viuum miseri peccatoris imaginem: nam suis viribus, robore, adolescentia, pulcritudine, opibus & fauore confisus pertinacissimè in mortem, certissimumque salutis discrimen ruit, & quamuis magnis piorum hortationibus, quamuis ob oculos positis mortis infernique periculis, reuocari tamen nō potest à semel cœpto omnium vitiorum itinere. contemnit omnia, ridet, & præ se cęteros insanire putat, qui benè consulunt. siste paululum temeraria leuitas, & feruor iuuenilis. an non vides homo quò te iste cursus rapit? quò moriture ruis? itane amens eris, vt rapacissimo cursu volens, cæcusque in mortem festines?

3. *Peccator similis Asaeli.*

Verùm si sapis imitare eos, *qui* interfecto Asaele *transibant per locum illum, in quo ceciderat Asael, & mortuus erat; substistebant* enim; ita & tu infelicem illorum exitum, mortemque perpende, qui influxis rebus istis nimium fidētes, & in inani corporis leuitate cæci se omni turpitudinū, facinorumq; generi tradiderūt. subsiste parūper, & miseram nunc eorū conditionē cōsidera. ita enim fiet vt eorum exemplo doctus

4.

implo-

implorata cœlestis numinis ope resipiscas, & à tam pernitioso cursu pedem retrahas, ne cùm illis sempiternam labaris in mortem. Hæc occasione itinerum, diligentię, ac laborum Christi in quærenda animarum nostrarum salute dicta sint.

5. Surditatis causa.

Et adducunt ei surdum & mutum] si Physicos consulamus, vel medicæ artis peritos facilè erit intelligere quatuor ex causis surditatem contrahi, ex quibus quæ ad animæ salutem pertinent, paucis colligemus. Et primum quidem vehementior sonus aures percellens, auditum lædit, nec rarò corrumpit: est enim Aristotelis verissima sententia: excellens sensibile sensum corrumpere, hæc quidem Physici; quæ tamen locum etiam in animorum salute habent. vnde enim rogo fit, vt facinorosi homines surdi sint ad legem, ad Prophetas, ad diuinas comminationes, denique ad omnia, quæ ad animæ salutem pertinent? Sanè si penitiùs introspexeris, remque hanc totam diligenter rimatus fueris, non vereberis affirmare id ex vehementi rerum mundanarum strepitu, & turpium voluptatum, cæterarumque perturbationum tumultu fieri, quæ cùm ipsam totam animæ arcem occupent, excludunt reliqua, nec locum dant sanis consilijs, atque ita hominem, vel ipsius rationis lumine priuant, vt certum salutis discrimen videre non sinant.

6. Accidit istis quòd olim idololatris illis parentibus eueniebat, qui per atrocissimum facinus, summumque scelus filios à se genitos igni comburendos Molocho idolo Ammonitarum consecrabant. Erat autem impurissimum hoc idolum simulacrum quoddam æneum cauum sub pectore, vt in eo recondi ignis posset; ita fiebat vt in modum ferri ex accensa fornace educti, excandesceret ea præsertim idoli pars. in hunc ergo locum sic concalefactum vehementer miserè comburendi conijciebantur infantes. quoniam verò inde fieri poterat, vt combustorum infantum fletu, atque eiulatu parentes commouerentur, dæmonis arte factum est, vt à Sacerdotibus tintinnabulis, tympanis, cymbalis, cæterisque instrumentorum generibus fragor & strepitus excitaretur, quo infantũ clamores, & eiulatus audiri non possent, ne fortè parẽtes filiorum cõmiseratione commoti accurrerẽt, & natos ab immani combustione liberarent. Tale quid cum cœlestis quibusdam peccatoribus agitur, qui tanquam idololatræ Molocho, id est, diabolo, quem quasi Deum colunt, filios suos, hoc est, opera non mala modò, sed ex se bona sacrificant, nimirum ieiunia, orationes, eleemosynas, aliaque id genus. Nam quamuis hæc peccata non sint, sed natura sua bona sint, nihilominus vt à facinorosis hominibus fiunt in peccato, nullius sunt meriti, & hac ratione veluti diaboli igne absumpta, ac deperdita censentur. quamuis alioqui bonum sit illis insistere, iuuare enim aliquo modo possunt. immolant item ij dæmoni laborem, cogitationes, sudorem, sanguinem, operamq; omnem, quam in rebus vanis, iniustis, turpibus collocant; ne verò tanta prolis; hoc est, operum iactura aliquãdo commotus resipiscat peccator, ea est diaboli astutia, vt illum interim stolidum, stultumve, &

Peccator filios suos Molocho consecrat.

A quasi stupidum efficiat; neque aliter, quàm vehementi rerum mundanarum strepitu, quæ solent sensum inuertere, & perturbare. Excitat etiam quasi sonos, fragores multiplices, dum dignitatum, honorum, delitiarũ, opumve splẽdorem, ante oculos ponit, & similia, quæ tanto passim vulgariũ hominũ applausu excipiũtur.

Est & altera surditatis causa, terrestris quidam, & crassus humor audiendi organum occupans, & ne percipere possit sonum impedi̇ens. simile quid est reperire in auaris, rebusque terrenis addictis hominibus; nam excipere nequeunt interiorem Dei vocantis vocem; hac in re propterea similes aspidi surdæ, & obturanti aures suas, *quæ non exaudiet vocem incantantium*. ij enim in morem aspidis, aurem alteram terra, ac luto, hoc est, terrenarum diuitiarum nimia B cupiditate obstruunt; alteram verò cauda perueršæ, ac siniſtræ opinionis, qua cœnum rerum mundanarum cœlestibus bonis præferunt, & qua vel iniusta quæ sunt, vel quæ ad sordidum lucrum, turpemq; vsuram pertinent, falsis quibusdam rationibus obtegunt, & licere ibi persuadent. hæc certè genimina viperarum aures suas coucluserũt, ne Dei vocem, & piorum admonitiõnes admittant; sed non fugiẽt à ventura ira, verùm olim horrendum illud tonitru audient inuiti: *ite maledicti in ignem æternum*.

7. Secunda causa surditatis.

Peccatori similis aspidi.

8. Tertia causa surditatis.

Tertia causa est corruptus quidam humor in aures defluens, & in illis vlcus ingenerans, quod liberas auditus functiones præpedire solet. eiusmodi surdis similes sunt carnis voluptatibus, fœdæ libidini, ventríqueediti; nam quæ maior corruptio, magisq; fœdus morbus, C quis deprauatus magis, vitiosusq; humor effrenata carnis cupiditate? hoc laborabat morbo Herodes turpi consuetudine fraternæ vxoris irretitus. vnde factum est vt in tam profundã surditatem incideret, quæ sanctissimas validissimasq; Ioannis Baptistæ voces non admiteret. licèt enim exteriùs libenter Ioannem audiret, libidinosus tamen animus, ne interiùs vox clamãtis in deserto penetraret, viam & aditum intercludebat, quare verissimum est quod Eccl. c. 21. 18. scribitur: *Verbum sapiens, quodcumq; audierit scius laudabit, & ad se adijciet*, id est, sibi applicabit, & ad se assumet velut sibi conueniens. *Audiuit luxuriosus & displicebit illi, & proijciet illud post dorsum suum*.

Locus Eccl. 21. 18.

9. Vltima causa surditatis.

Vltima est surditatis, ventus quidam, seu flatus, ac quasi tumor, qui in cauD itate auris innascitur. Vnde fit vt sibilus aliquis, ac sonus percipiatur quasi caput petens. Hoc genus surditatis aptè ad superbos, & iracundos accommodaueris; cuius rei instar omnium probationum sit Pharao, qui tot cladibus, plagisq; à Deo immissis, nihilo melior effectus est, quin vento superbiæ distẽtus, & inflammatus ira voci Mosis ac Dei præcepto locum dare contẽpsit. similes huic erant qui *exclamantes voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in Stephanum*, quos ipse iure ac liberè reprehendens sic appellabat: *dura ceruice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui S. resistitis*. etenim superbię spiritus, & velut quidã impotẽtis iracũdię flatus aures ita obfirmãt, & obstruũt, vt voces diuinas nõ excipiãt. Cõstat ergo ex his peccatũ vniuersim loquẽdo

spiri-

Peccatum vniuersim causa est surditatis.

spiritualis surditatis causam, & originem esse. an non tibi surdus esse videretur is, qui quamuis extra se positum editum rumorem, strepitumve non perciperet? & illum interim negabis esse surdum, immò, & cordis auribus carere, qui magnis vocibus intra pectus clamantē sinderesim non audit? an nō surdus, quos nō terrent illæ minæ: *quacumque hora peccaueris; morte morieris?* an non surdus, qui voce sacrati sanguinis agni de Cruce pendentis non commouetur? An non surdus, qui tubam illam insonantem: *Surgite mortui, & venite ad iudicium*, quotidie cum Hieronymo non audit, & contremiscit? vel etiam quem non percellit terribile illud tonitruum: *discedite à me maledicti in ignem æternum*? & ne longum faciam, non surdus qui Deum ipsum contemnit cœlestia, & sempiterna bona promittentem? scilicet huius tam pernitiosi caussa mali peccatum est.

II. *Sunt & boni surdi.*

Cæterùm non inutile, est intelligere esse quidem malos surdos, de quibus dixi, verùm, & bonos etiam non deesse surdos, & mutos, quos imitari par sit. bonus erat, & surdus, & mutus Dauid cùm diceret Psalm. 37. 14. *ego autem tanquam surdus non audiebam*, hoc est, audire me dissimulabam, *& sicut mutus non aperiens*, qui non aperit, *os suum: & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*, obiectorum videlicet dilutiones, confutationes, seu responsa ad calumnias; ad quam rem multum sibi profuisse ait, certam in Deo fiduciam collocasse, vnde fore vt preces suas exaudiat Deus, quod fuerit ipse surdus ad probra, & contumelias; & ideo subdit ver. 16. *Quoniam in te Domine speraui: tu exaudies me Domine Deus meus.* Porrò dissimulasse Dauid inimicorum conuicia, non malum pro malo reddidisse apertissimè docet incredibilis illa patientia, qua Semei tolerauit probra iacientem, & maledicta, mittentemque lapides contra ipsum, & contra vniuersos seruos eius, vt est libr. 2. Reg. 5. 13. testis est ipsemet Spiritus S. per os Dauid loquens. Psalm. 38. 2. *Posui ori meo custodiam cùm consisteret peccator aduersum me, obmutui, & humiliatus sum.* Quòd si aliud exemplum Dauide etiam antiquiùs quæris, Iobum audi cap. 3. 26. sic de se testantem: *nonne dissimulaui, nonne silui, nonne quieui? & venit super me indignatio.* Sed nihil hac in parte magis elucet, sicut Christi Domini nostri exemplum, qui quasi surdus & mutus Præsidi Pilato dicenti: *non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Præses vehementer*, cuius etiam rei tanto ante tempore testis fuit Isaias 53. 7. cùm dixit: *sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.*

Est præterea surdus & mutus plurimum Deo carus is, qui cœlestibus intentus, ea quæ mundi huius sunt, ne attendit quidem, & mundanorum hominum verba, & irrisiones contemnit.

A

B

C

D

DIGRESSIO II. MORALIS.

Prosequitur Auctor cætera, quæ ad surdi, & muti historiam pertinent, ea ad mores transferens.

DIximus initio præcedentis digress. num. 1. & Schol. num. 3. quæ Christus gesserit antequam sanitati hunc infirmum auribus & lingua captum restitueret, quæ nos singula hic persequemur. Verùm ante omnia, inquit Euangelista: *deprecabantur eum vt imponat illi* surdo & muto *manum*, quo significatur nihil posse illum efficere, qui animarum saluti studet, nisi Christus peccatori manus imponat. nostrum est cum Dei gratia homines ad Christum adducere, hoc est, hortari illos vt ad Christum veniant, sed nisi adductis manum ille imponat, nunquam salutē recipient. proinde rogandus est Deus, vt eos ipse sanet, quorum salutem curamus: vide schol. n. 9. sed veniamus ad primum ex his quę gessit Christus, vt hunc sanaret.

1. *Orandus Deus vt sanetur peccator.*

Et apprehendens eum de turba seorsum.] Obseruant aliqui vocem illam, *apprehendens eum*, vim quamdam, atque efficacitatem innuere, vt idem sit apprehendere, quod vi quadam arripere, seorsumque à turba pertrahere: quia nisi Dominus miserit manum suam de alto, & peccatorem quasi vi quadam ad se pertraxerit, nunquam à peccatis & vitijs, quibus affixus est, abstrahi poterit. Quod mihi aptè Genes. 19. 16. significatum videtur: nam cùm funditùs igni, & sulphure delendi essent pessimi Sodomitæ, vrgerentque Angeli Loth, vt illicò se inde proriperet, vt inquit Scriptura, *dissimulante illo apprehenderunt manum eius*, &c. *eo quod parceret Dominus illi, eduxerunt eum, & posuerunt extra ciuitatem.* Dissimulat peccator redire ad Deum, difficile se voluptatibus, diuitijs, honoribus, amicis spoliat, quibus incredibili amore fixus hæret. Verùm Clementissimus Deus dissimulantem mouet, impellit, instigat, & quasi protensa manu, vi potentis gratiæ suæ per manum hominem apprehendit, & tandem potenter quidem, verùm non coactum, sed sponte, libenterque sequentem è vitiorum igne, & ceu tetro peccatorum sulphure educit, ne & ipse pariter cum sceleratis pereat.

2. *Dei misericordia in peccatores.*

Hoc ipsum sibi euenisse sponsa commemorat Cant. 5. 2. audiuerat illa vocem Dilecti pulsantis: *Aperi mihi soror mea* humanitate, *Amica mea*, charitate, *columba mea*, simplicitate, *immaculata mea*, puritate; *quia caput meum plenum est rore*, exprimuntur his sanctorum labores, die enim, ac nocte laborant, *& cincinni mei guttis noctium* repetitio est præcedentis partis. significat verò excipiendos humaniter, & fouendos qui pro Christo laborant, & quidem Christum ipsum præcipuè, qui pro nobis tàtoperè laborauit, præsertim nocte passionis. verùm cùm illa quasi dissimulans tempus extraheret, hoc est, non statim aperiret, & excusando difficultatem, diceret: *expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* quasi dicat,

3. *Locus Cant. 5. 3. 4.*

quid

quid me iterum induam, & surgam ex lecto vt aperiam? pedes etiam inquinabo, dum obuiam pergo? videlicet, refugit sensus labores etiam in sanctis, verùm Dei gratia fit, vt omnem superent difficultatem, sicut indicant sequentia. Cùm ergò illa sic moras necteret; *dilectus meus*, inquit, *misit manum suam per foramen*, id est, mentem, per quam aditus est ad voluntatem, ac si diceret: tetigit mentem meam excitans pigritiam, *& venter meus intremuit ad tactum eius*, interiora mea commota sunt. *Surrexi*, abiecta pigritia, *vt aperirem dilecto meo*. pergit verò recensere in sequentibus, quæ se pati oportuit exemplo sponsi, & sanctorum; ecce quanta vi pollent digiti, ac manus CHRISTI; quam nisi ille ad nos extenderet, quis vnquam à profundo vitiorum extraheretur?

Vis manuum Christi.

4. Quòd verò dicitur *seorsim à turba* eduxisse hûc eumdem hominẽ Dominus, declarat, egrediendũ esse à turba vanarum cogitationum, cupiditatũ, mundanorum tumultuũ, deniq; malorũ hominum cõsortio ei qui salutem animæ assequi cupit, vide Schol. n. 3. rectè Basil. obseruauit in Reg. quòd cùm singulare aliquod beneficium in aliquem cõferre Deus vult, primũ eum à mundo & hominum turba educit, sic cum Abrabam fecit, cui præcepit vt de terra sua egrederetur, & de cognatione, & de domo Patris sui; idem & cum Iacobo egit. Moyses *cùm minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb, apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*. Exod 3.1. nam ei qui affectuum, cogitationumque suarum gregem ad interiora deserti perducit, aperit se Dominus, aures patefacit, & ad cor illius loquitur iuxta illud Oseæ 2. *ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*, & Dominus Psal. 45.11. ait: *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus*. iterum est hinc intelligere esse aliquando peccatores seorsim, & secretè hortandos, informandos, instruendos, & mouendos, ne fortè humano perfusi rubore minus apti sint ad bona excipienda consilia, atque adeò se à pœnitentia auertant, si hoc publicè fiat. vide Schol. n. 9.

Fugiendum hominum consortium ex Scriptura ostenditur.

5. *Misit digitos suos in auriculas eius*] hoc est secundùm quod cum hoc surdo præstitit Dominus, quod rectè cum primo cohæret. nam digiti, qui in aures surdi peccatoris mittuntur verba indicant Spiritus sancti, quæ in medio tumultuum non clarè percipiuntur, & ideò turbulentis cogitationibus, medijsque turbis hominum mundanorum excedendum est, si Dei verba admittere cupimus, nam quemadmodum Nili, marisque sonitus aures corporis, sic turbæ strepitus aures obtundit animi.

Verba Spiritus S digiti in aurem, immissi insinuant.

6. *Et expuens tetigit linguam eius*] hoc est tertiũ Christi factum in curando hoc homine. sanè sputo eget lingua vt prõptè loquatur, sed multò magis nos sputo, hoc est, deuotionis humore atque succo egemus, vt expeditè, alacriterque de cœlestibus rebus loquamur, illius sanè lingua hæret palato, quæ sanctæ deuotionis humore destituta est, quam linguam indicant verba Dauid Psalm. 136. 6. *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui*. Muta est sanè eius lingua, & ad palatum adhærescens, qui Dei obliuiscitur. at qui Dei recordatione feruet, & cœlestium bonorum gustatu pingescit, atque

Deuotionis succus significatur sputo.

A adeò deuotionis succo fruitur, dicere continenter potest cum Dauide Psal. 62. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum*. nimirum, cuius deuotionis adipe & pinguedine repleatur anima, statim cor & labia promptè, alacriterque diuinas laudes concinunt; sub huius *lingua* verè *mel, & lac* esse dixeris Cant. 4. meritò Bernard. ser. 45. in Cantic. animæ linguam deuotionis esse feruorem testatus est. etenim elinguis planè est, atque infans animus, qui deuotione caret, nec cum verbo sermocinari potest.

Anime lingua deuotionis ferour.

Quod si discere placet, vndenam deuotio acquiratur, hanc secum aduehens linguam: vide vndenam defluat sputum, & qua ex corporis parte oriatur; atque ita intelliges, quòd sicut sputum ex corporis capite descendit, sic de mente, atque intellectu, qui loco capitis animæ est, deuotio oritur. nam qui cœlestes diuinasq; res euoluit intellectu, ac subinde mente pertractat, easq; frequenter assidueq; meditatur, is planè deuotionis succo abundat.

7. *Vnde deuotio.*

B Sed variæ sunt malarum linguarum formæ, quas si Iesus tangat sacratissimi sui oris sputo, illico deposito veneno cœlestia resonabunt; linguam canum habent Psal. 67. 24. qui similes sunt Iudæis clamantibus: *Crucifige, crucifige*, quæ etiam dicta est *gladius acutus* Psal. 56. 5. & 63. 4. tales ij sunt, qui alios maledictis infectantur, Deum blasphemant, de aliorum fama detrahunt, qui dente canino lacerant, & tanquam nouacula acuta dissecãt aliorum mores & vitã.

8. *Varie malarum linguarum formæ.*

Lingua canum & gladius acutus

C Lingua Balborum, & mutorum prædita sunt, qui Deum laudare nõ curant, & sua peccata vel culpas nec agnoscunt, nec confitentur, vel accusant. Cæterùm tunc *lingua balborum velociter loquetur, & planè*, Isai. 32. 4. *& aperta erit lingua mutorum*. Isa. 35. 6. cùm eas sputo gratiæ suæ tetigerit Dominus.

Lingua Balborum.

Est & lingua tota die cogitans iniustitiam, quam ij possident, qui corde ea versant, quæ Dei legi aduersantur, & proximorũ malis lætantur, contra quos Dauid Psal. 51. 4. *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua*, id est, cor tuum, *sicut nouacula acuta fecisti dolum*. Cæterùm in pijs viris hæc lingua, qua significantur corda, repletur exultatione: Psalm. 125. 2. *Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione*.

Lingua tota die cogitans iniustitiam.

D Linguarum diuisionem habent, qui inter se discordes sunt, quam diuisionem tollit Spiritus sanctus, & propterea die ipso Pentecostes apparuit in linguis, non modò quia linguarum diuisio, & gentium multitudo vnienda erat per eius aduentum in Ecclesia, sed quòd etiam soleat discordes inter se peccatorũ animos charitatis vinculo coniungere ac copulare. Contra verò lingua vna construentium turrim Babel ipsis in malum, Gen. 11. est, cùm omnes potentiæ in malum conspirant. hanc rogandus Deus vt confundat, nec peccata accrescant, & accumulentur mala.

Linguarum diuisio.

Lingua vna construentium Babel

Lingua Maris AEgypti designat blasphemias, & idololatriam AEgyptiorum, seu infidelium, & facinorosorum hominum, designat etiam scientiam doctrinæ sæcularis erroribus offuscatam, de qua lingua Isa. 11. 15. meminit, *& desolabit Dominus linguam maris AEgypti*; & Iob 15.

Lingua maris AEgypti.

5. ait:

Digitized by Google

sait: Eliphaz: *Docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium*, & hæc est lingua Leuiathan, quam Deus fune ligauit Iob 40.20. hos *occidet lingua viperæ.* Iob 20. 16. hoc est, violenta diaboli tentatio, vel contrà, quia vipera tardius occidit quàm aspis, est lenis, & diuturna tentatio.

Est & lingua abscondens malum, eorum propria, qui peccata non confitentur Iob 20.12. *cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub lingua sua*, hypocritæ quoque abscondunt malum sub lingua, quando asperitatem malitiæ, quæ latet in mente, sub tegmine prauæ locutionis operit. malum enim in lingua, & non sub lingua esset, si loquens hypocrita malitiam suæ prauitatis aperiret. & quidem labor est, & dolor sub lingua eorum vel qui non confitentur malum, vel eorum, qui sub simulatione fictæ sanctitatis, cordis prauitatem obtegunt.

Postremò est lingua magniloqua, hoc est, superba. hanc disperdet Dominus teste Dauid Psal. 11.4. *Disperdet Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam.* est autem dolosa lingua hæreticorum, & clam per dolum trahentium ad malum, quorum proinde dentes etiam à Propheta *arma & sagittæ* dicuntur Psal. 56.5. *Filij hominum dentes eorum, arma & sagittæ & lingua eorum gladius acutus*, contra quos iterum vehementer insurgit Psal. 119. 3.4. *quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs.* Vbi Dauid per apostrophen sic interrogat suum aduersarium: *quid detur*, id est, quid dabitur tibi emolumenti (ô hostis fraudulente) pro lingua dolosa, & respondet per figuram subiectionis: *sagittæ potentis* Dei *acutæ*, te, scilicet, configent; simulque combureris carbonibus desolatorijs, hoc est, acriter vastantibus. Hebr. habetur: *carbonibus iuniperorum*, quorum prunæ dicuntur ardentissimæ, vt Theod. notat. Sagittæ autem significant supplicia. Has omnes vitiosarum linguarum formas solus potest sanare ille, qui expuens tetigit linguam surdi, & muti, & continuo morbo, cui subiacebat, liberauit; ad illum igitur accurre, illum roga quicumque vitia linguæ resecare, ac à te procul abijcere cupis.

Et suspiciens in cœlum ingemuit] hoc est, quartum & quintum quod in huius hominis curatione adhibitum à Christo est. exemplo interim suo nos docuit in valle lacrymarum positos, vt frequenter suspicientes in cœlũ prę desiderio cœlestis patriæ dulci lacrymarum imbre ingemiscamus, instar eorũ, qui cùm procul essent à patria, solo se fletu consolabantur: *super flumina*, inquiunt, *Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur Syon.* est enim proprium mœstorum loca deserta petere, ideò Hebræi qui erant captiui Babylone, deplorabant exilij tui miserias in solitarijs locis, super, hoc est, iuxta flumen Babylonis, dum veniret eis in mentem Syon: imitemur, & Dauid Psalm 119.5. sic plorantem: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar. Concupiscamus*, inquit Bernard. serm. de obed. pat. &c. *in patria Domini, crebro suspiremus illu, patria nostra ipsa est, oderemus saltem, & à longè salutemus eam.*

A

Sed cur gemuit Dominus? vt doceret, inquit Greg. homil. 10. in Ezechiel. *nos ad eum gemere, qui cœlo præsidet, &c. vt & aures nostræ per domum Spiritus sancti aperiri & lingua per saluum oris, id est, per scientiam diuinæ locutionis solui debeat ad verba prædicationis.*

10. *Cur gemuit Christus.*

Vel vt Euthymius opinatur, gemuit hominis commotus afflictionibus, humanæque misertus naturæ. etenim *miserum esse* hominis proprium est Epitheton. ita vt vel optima quęque dies non possit miseris mortalibus non esse misera. Aptè sanè homo Hebr. *enos*, id est *miser*, dicitur, quasi æger de cuius salute desperatum est; quippe cum iam breui moriturus sit. hinc verè à Iobo dictum est cap. 14. 1. *homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miserijs*, vbi obseruandum est, idem esse miserijs repleri, ac saturum esse à radice *Sabagh*, quod est, replere, & satiare; non rarò de ærumnis dicitur, & laboribus, quibus oppletur quasi ventriculus cordis, vbi sæpè stomachum faciunt, & molestissimam nauseam mouent. Significat ergo Iob quasi in cibum, & potum homini datas esse miserias, ita vt in hominis quasi substantiam conuertantur, & abditos viscerum recessus peruadant: & sicut ex cibo vapores eleuantur, grauem somnum efficientes, ita ex humanæ vitæ miserijs quasi vaporibus tristissima mortis imago ac veluti horrifica excitantur insomnia: vide Pinedam.

11. *Locus Iob c. 14. 1. Hominis miseria.*

B

Hinc non mirum videri debet, si viri pij, qui maximè charitate flagrant, aliorum frequenter calamitates, ac miserias lacrymis prosequuntur, & gemitu. De Iobo certè est plurium sententia; *suis lamentis totius mundi deplorare miseriam*, vt Isidorus loquitur in libro procœmiorum, & Philipp. ac Beda aiunt, *in se humani generis mortalitatem deflere.* & de Matathia dubitari non potest, quin hoc fecerit 1. Machabæor. 2. *Væ mihi*, inquit, *vt quid natus sum videre contritionem populi mei.* & Ezechiel. 9. 4. notantur signo Thau in fronte, Viri gementes & dolentes *super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio* ciuitatis. qua in re pij CHRISTVM hic imitantur; & alibi, dum *videns ciuitatem fleuit super ipsam.*

12.

C

Ex his quæ hactenus de hominum miseria diximus; patet, non esse vllo modo fidendum in felicitate humana. quare multorum ore illa Solonis sententia laudatur. nam à Crœso interrogatus, an quem vidisset ipso beatiorem, Telum nominauit Athenienſium priuatum hominem, sed qui relictis liberis, ac nepoticus bene institutis felicem obijsset diem. interrogatus deinde, cui post illum tribueret elogium felicitatis, Cleotin & Birum argiuos fratres nominauit; qui cum summa pietatis laude defuncti fuerant. indignatus Rex: *Nullo igitur*, inquit, *loco me ponis?* tum ille: *Ego facilè confiteor te Regem opibus, & imperio florentem: beatum autem non appellarim, priusquam hanc vitam feliciter absolueris.* Itaque cùm à Cyro Rege captus, iussus esset ingenta pyræ imponi, vt viuus cremaretur, ter alta voce dicitur Solonem inuocasse; tum Cyri iussu interrogatus, quid ea vox ter repetita sibi vellet? exposuit quæ ille olim de fortunæ variatione, veraque felicitate à Solone audiuisset. per quæ humanæ

13. *Instabilis felicitas humana.*

D

imbe-

imbecillitatis Cyrus admonitus, iussit Crœsum ab igne seruari, fuitque deinceps ipse apud Cyrum in summo honore. Huc allusisse mihi visus est Ouidius dum sic cecinit: *sed scilicet vltima semper expectanda dies homini est, dicique beatus ante obitum nemo, supremaque funera debet*. quæ omnia illa Eccles. ca. 11. 30. sententia confirmantur: *ante mortem ne laudes hominem quemquam*. G. μακαρίζῃς, beatum prædices.

14. Et subdit; *quoniam in filijs suis agnoscitur vir*, qualis scilicet fuerit vita Patris, vt plurimum ex filiorum moribus colligitur; si enim filios benè à se institutos, & Deum timentes post se relinquat, testes erunt paternæ probitatis. Contrà, *ex iniquis somnis filij, qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua*, vt Sapiens inquit cap. 4. 6. hoc est, si quis ex illegitimo concubitu natos roget, seu inquirat vnde sint orti, apparebit, testes esse illos, ac quasi præcones nequitiæ paternæ. nam iuxta Prouerbium *Patrem sequitur sua proles*, & Solon quoque suum Telum beatum non pronuntiasset, nisi reliquisset post se liberos, & nepotes bene institutos, vt retuli n. 13.

15. *Alexandri mors humanæ infelicitatis & inconstantiæ argumentum.*

Sed nihil potentiùs ad humanam fragilitatem, & miseriam, & ad caducam felicitatem ostendendam exemplo illo Alexandri magni, de quo liber primus Machab. cap. 1. vbi post admirandam eius potentiam, & bellicum splendorem post multa accepta spolia, post innumeras victorias, post summam gloriam commemorata subdit tandem v. 6. *& post hæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur*, & v. 8. *& regnauit Alexander annis 12. & mortuus est*. quæ verba singula per se, si expendantur, magnam vim habent, & pondus ad contemnendum humanum omnem gloriæ splendorem, & vmbratilem hominum felicitatem despiciendam, rectè hac de re Iuuenal. Sat. 10.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis,
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Vt Gyaræ clausus, & Scripho.
Cùm tamen à figulis munitam intrauerit Vrbem,
Sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur,
Quantula sint hominum corpuscula. Plutarchus sub Alexandri finem ait: eius cadauer incuratum, & insepultum diu mansisse, vt meritò eius mater Olympias queribunda voce exclamarit: *O Fili, qui cæli particeps esse studebas, ne ijs quidem potiri iam vales, quæ mortalium omnium communia sunt, terra, & sepultura*, lege Plutarchum lib. 8. Apoph. 46. Sunt qui comminiscuntur, cùm è viuis excessisset Alexander aduenisse Philosophos quosdam, quorum vnus dixit: *heri totius terræ spatiositas Alexandro non sufficit, nunc trium quatuorve vlnarum spatium ipsi sufficit*. alius verò: *heri potuit Alexander à morte multos liberare, hodie seipsum non potest*. Alius cùm Aureuneius videret loculum, aiebat: *heri Alexander ex auro fecit thesaurum, hodie aurum fecit ex ipso thesaurum*: Alius: *heri Alexander terrã oppressit, hodie à terra opprimitur*. nimirũ verissimum est illud Eccles. 1. 2. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Quid ergò miramur si Christus tot hominum miserias gemitu ac lacrymis prosequitur?

16. *Gemitum spiritualem quatuor prouocant.*

Cæterùm gemitum spiritualem quattuor prouocant, amaritudo doloris in pœnitentibus, magnitudo laboris & miseriarum in peregrinantibus, solicitudo timoris in ijs qui alijs præsunt, teneritudo amoris in contemplantibus.

Sed cur, inquies, tam multa fecit Christus in surdi huius curatione? Primùm enim apprehendit eum de turba seorsum; mox misit digitos in eius auriculas; deinde expuens tetigit linguam eius; quartò suspexit in cœlum; postremò ingemuit, & ait, adaperire. ijs ostendere voluit magnam operis difficultatem, non ex parte Dei, qui in digito suo dæmones illicò fugare potest, sed quantum attinet ad ipsum opus expellendi, nimirum ex animo dæmonem, qui causa est cur surdus & mutus sit peccator; quam difficultatem duo inprimis nomina dæmonis indicant: vnum est *Beelzebub*, quod est Deus musca, vel *Deus muscarum*. Pierius in Hieroglyph. lib. 26. muscam symbolum ait esse diaboli: nam animal est molestum, importunum, infestum, sanguinis humani multùm auidum; qua in re optimè diabolus eam refert. Sic Homerus in Iliad. docet muscam, quamuis repulsam, non desistere tamen, sed semper morsus appetentem esse; denique morsus, & cruoris auiditas muscæ inest. quæ omnia cumulatius in diabolo insunt, importunus nimis & molestus nunquam cessat humanum genus infestare, nunquam sanguine hominis expletur, si semel prægustauerit, si cutem illius lædere, & mordere cœperit, nulla est ita molesta musca, nulla ita infesta, & quæ difficiliùs abigatur, quamuis millies illum repuleris. Alterum nomen diaboli est *Leuiathan*, de quo Isai. 27. 1. *Visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi & forti super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum*. Factum verò est quod hic dicitur per Christum. gladius est potentia, vel Verbum Dei. Leuiathan est diabolus, qui in mundo, velut in mari cete, discurrit, quem *serpentem* ob venenum, & astutiam; *vectem* ob vastitatem, *tortuosum* ob fraudes vocat. Nihil sanè è foramine, vel cauerna petræ educi difficiliùs potest, quàm coluber, quantò enim magis contenderis illum extrahere, tantò se amplius inuoluit multiplici caudæ conuolutione: quare iure dicitur non nisi obstetricante manu Dei eductus esse coluber tortuosus. Rectè ergò & per muscam, & per serpentem tortuosum, eductio diaboli de animo hominis, quem semel inuadens, surdum mutumque effecit, significatur. Propterea vt huius rei difficultatem declararet Dominus in curatione huius surdi & muti, tam multa fecit.

17. *Musce similis diabolus*

18. *Aperta sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè*] Tria referuntur ab Euangelista recto ordine digesta. nam vt Greg. ait hom. 10. in Ezech. *cuius aures cordis ad obediendum apertæ fuerint, ex subsequenti procul dubio etiam linguæ eius vinculum soluitur, vt bona quæ ipse fecerit, etiam facienda alijs loquatur. Vbi bene additur, & loquebatur rectè. ille enim rectè loquitur, qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse facienda* Sic Greg. Sed est quod receptui canamus, & ad miraculum de septem panibus nos accingamus.

(··)

Digitized by Google

CAPVT IV.

SEPTEM PANIBVS QVATTVOR HOMINVM millia saturantur.

A. 15. 29. B. 8. 1.

V.1. A. ET ascendens in montem sedebat ibi.

2. Et accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secũ mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos.

3. Ita vt turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Israel.

Dominic. 6. post Pentec.

4. B. In diebus illis iterum cùm turba multa esset, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis ait illis:

5. Misereor super turbam, quia ecce iam triduò sustinent me, nec habent quòd manducent. A. & dimittere eos ieiunos nolo ne deficiant in via.

6. B. Et si dimisero eos ieiunos in domum suam deficient in via.

7. Quidam autem ex eis de longè venerunt.

8. B. Et respondерunt ei discipuli sui: vnde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? A. vnde ergo nobis in deserto panes tantos, vt saturemus turbam tantam?

9. B. Et interrogauit eos: quot panes habetis? qui dixerunt, Septem, A. & paucos piscículos.

10. B. Et præcepit turbæ discumbere super terram, & accipiens septem panes, A. & pisces, B. gratias agens fregit, & dabat discipulis suis.

11. A. Et comederunt omnes & saturati sunt, & quòd superfuit de fragmentis tulerunt septem sportas plenas.

12. Erant autem qui manducauerunt quattuor millia hominum extra paruulos & mulieres.

13. Et dimissa turba ascendit in nauiculam, B. statim cum discipulis suis, A. & venit in fines Magedan.

SCHOLIA.

I. Quædã miracula bis edita à Domino.

BIS eiecit Dominus vendentes & ementes de templo, bis tempestatem sedauit, duos paralyticos, alterum funibus de tecto submissum, alterum ad probaticam piscinam sanauit. semel & iterùm leprosos mundauit. Deniq; bis esu-

A rientem populum in deserto aluit. *Non enim semper*, inquit Theophyl. Marc. 8. *miraculum facit in alimentis, vt ne putent quòd propter cibos populus illum sequatur, & nunc nisi periculum ciborum fuisset neutiquam feciſſet miraculum.* Potest & hoc signum bis à Domino editum duplicem innuere satietatem qua nos Dominus tum hic in terris, tum in cœlis satiat, & pane quidem cœlesti: nutrimur enim hic venerabilis Eucharistiæ pane, qui de cœlo descendit, & eodem ibi alimur & fruimur, cùm se nobis reficiendis, non iam sub speciebus velatum, sed clarè & apertè tribuet, & omnem prorsus famem, omnem sitim depellet, perpetua nos suauitate exsatians. *Duplicitер nos exsatiat Dominus.*

v. 1. *Et ascendens in montem sedebat ibi*] Iesus interdum dicitur circumire quasi quærens malè habentes, quos sanet, interdum verò sedere expectans eos, quibus cura opus est, vt Chrysost. habet B homil. 53. in Matth. & Euthym. Matth. 15. illud quidem bonitate facit, hoc verò, vt de infirmorum fide sumat experimentum. Significat etiam hic Dominus bifariam solere homines ad se traducere, vel suæ gratiæ munere ad se per se trahens, vel per alios non sine sua ope illos ad se adducens. Et ita, vt inquit Hilarius, canon. 14. in Matth. *varijs obsessi morbis, id est, infideles à fidelibus Domino sanandi adducuntur, vt eum adorent, & procidant instruuntur, quibus salus redditur, atque ad sentiendum, contuendum, laudandum, comitandum Deum omnia & mentis & corporis ministeria reformantur.* *Quærit interdũ Christus malè habentes, interdum sedẽs expectat.*

Frequenter autem in montem ascendit propter suę altitudinem diuinitatis, vt notat Euthy. Matth. 15. ac docens à solo eleuari eos, qui Deo appropinquare cupiunt. 2.

2. *Debiles*] non significant morbo imbecilles, sed manu captos. Est enim Gr. κυλλὸς D. Hieronym. Matth. 15. sic scribit: *vbi transtulit Latinus interpres, debiles, in Græco scriptum est* κυλλὸς, *quod non generale debilitatis nomen, sed vnius infirmitatis est nomẽ: vt quomodo claudus dicitur qui vno claudicat pede, sic* κυλλὸς *appelletur, qui vnã manum debilem habet. Nos proprietatem huius verbi non habemus.*

Hos ægrotos August. mysticè explicat lib. 1. qq. Euang. c. 19. *Obtulerunt*, inquit, *mutos, qui Dominum non laudant, vel non confitentur fidem, cæcos qui non intelligunt, etiamsi obtemperant iubentibus; surdos, qui non obtemperant etiam si intelligunt, claudos qui præcepta non implent.* Adde etiam mutilos, vel manu captos, eos videlicet, qui operari detrectant, & in proximos beneficia nulla conferunt. 3. *Muti, cæci, surdi, claudi, mutili qui mysticè*

Et proiecerunt eos ad pedes eius] *Vide*, inquit Euthym. loc. cit. *proficientem illorum fidem; neque enim amplius tangunt fimbriam eius, sed proijciunt solum ad pedes eius.* Addit Chrysost. hom. 53. in Matth. *dupliciter fidem suam hos ostendere: quia claudi ascenderunt, & quia nihil aliud quæsierunt, sed solùm coram eo proiecti posse sanari crediderunt.*

Et curauit eos] Repentè, inquit idem Euthy. *curat eos, nõ quod maioris sint fidei, quã Chananæa, sed quòd Iudæi sint: vt ingratorum obturet ora Iudæorũ, demõstrãs illos maiori dignos supplicio. Ingratus enim quãtò maioribus, pluribusq; afficitur beneficijs, tantò ad maiorem pœnam est obnoxius;* quæ deprompsisse videtur Euth. ex ho. 53. Chrysost. in Matt. Et aduertãt locupletes quod de ingratis dicitur, *si enim nulla copia rerum facti sunt meliores, multò magis, quàm pauperes punientur;* quod monet Chrysost. hom. eod. loco. 4.

3. *Ita vt turbæ mirarentur*] *Erat*, inquit Chrysost. ead. hom. *ingens omnium admiratio, cùm multos, qui prius ab alijs portabantur, iam ambulare absq; ductore viderent. Etenim multitudo eorum qui curati fuerant, & summa curationis facilitas obstupescere vniuersos cogebat.*

Digitized by Google

Deum Israel] hoc est, qui ab Israelitis colebatur.

4. B. *In diebus illis*] sub idem tempus, inquit Maldon. ne quis putet certum diem notari, vel significari ea quæ sequũtur eodem die accidisse, quo ea, quæ superiori capite dicta sunt. Ideò de industria dixit Marcus *in diebus illis*. Hęc ergo trium dierum spatio facta sunt, vt patet ex v.5. hic, & ex Marci 8.2. Matth.15.32. Fuerat enim Christus per tres illos dies ibi, & multa miracula fecerat, quæ Matth. cõmemorat vt habes hic v.2. quibus cernẽdis quattuor hæc hominum millia intenta fuerant, & triduum illud totum cum Christo transegerunt: verbum etiam Dei audientes.

5. *Iterum*] refertur hoc ad primam saturationem, de qua Marc. paulò ante meminerat, vt ita ostendat hoc signum distinctum à primo illo miraculo. Obseruat verò Augustin. duos Euangelistas Matth. & Marcum hoc miraculum scripsisse. quia si aliquis eorum id dixisset, qui de illis quinque panibus non dixisset, contrarius cæteris putaretur. Quis enim non existimaret vnum, idemq; factum esse, non aũt integrè & veraciter siue ab illo, siue ab alijs, siue ab omnibus fuisse narratum; sed aut illum pro quinq; panibus septem commemorasse, aut illos pro septẽ quinque, aut vtrosque mentitos, vel obliuione deceptos. hoc & de duodecim cophinis opinaretur, quasi contrarium. Hoc de quinque millibus, & quattuor millibus eorum, qui pascerentur. Sed quia illi qui miraculum de septem panibus narrauerunt, nec illud de quinq; panibus tacuerunt, neminem mouet, & vtrumq; factum omnes intelligunt. Ergò si quid legimus in vno Euãgelista, quod alteri ita repugnare videtur, vt solui non possit, vtrumque factum esse intelligamus, & alliud ab illo commemoratum, sicut de centenis, & quinquagenis discumbentibus commemorauimus; quia si non etiam illud vtrumque apud vnum inueniremus, cõtraria singulos dixisse putaremus. Vide August. 2. de consens. c.50. quid interfit inter vtrumq; miraculũ multiplicationis panum, docet paucis Hieron. *Supra legimus, vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli, dicentes: desertus est locus, &c. hic discipulis cõuocatis ipse Dominus loquitur; Misereor turbæ, quia triduo iam perseuerant mecum. ibi quinque panes erant, & duo pisces; hic septem panes, & pauci pisciculi: ibi super fœnum discumbunt, hic super terram; ibi qui comedunt quinque millia sunt, iuxta panum numerum, quos comedunt, hic quatuor millia: ibi duodecim cophini replentur de reliquijs fragmentorum, hic septem sportæ.* Sic Hieron.

Cur Matt. & Marcus hoc miraculum scripserint.

6. *Conuocatis discipulis suis*] vt sua consilia cum illis communicaret, ergo Superiores non debent aspernari inferiorum consilia, vide hic Hieron. sępè enim accidit vt hac ratione Deus mentem illustret, vt cum sapientissimo Mose fecit Exod. 18. sequuto Iethro gentilis salutare consilium. Voluit etiam Christus sic discipulorum fidem explorare; voluit vt discerent ipsorum esse pascere populos; voluit captare futuri miraculi occasionem, vt discipulorum confessione constaret non esse panes, vnde tãta multitudo posset ali. neque enim citra necessitatem miracula edebat Christus: vnde factum vt triduum expectarit, vt quidquid ciborum turba secũ attulerat, consumeretur. Denique voluit, vt tantò clarius esset miraculum, quantò magis constaret panum, ciborumque defectus. Admonent Chrysost. & Theophyl. non suggessisse nũc Apostolos Christo, vt turbas dimitteret, vt in pagos irent, & cibos emerent, vt ante fecerant. Matth.14.15. quod iam aliquanto fide profecissent, & quod viderent omnes alacres esse, & audiendi auiditate famem non sentire.

7. V. 5. *Misereor super turbam*] significantior est vox Græca σπλαγχνίζομαι, hoc est, *ex intimis visceribus misereor*. Ostendit ergo primum commiseratione adduci se ad miraculum edendum, non ostentatione trahi, & simul indicat radicem omnium, quæ ab illo in nos proficiscuntur, bonorum & fontem, hoc est, misericordiam, quę non tantum est alienæ miseriæ subleuatio, sed tener etiam, ac mollis quidam eiusdẽ miseriæ sensus, animum nostrum excrucians, & hunc misericordiæ sensum, & viscera tunc induit Christus, cùm humanos quoq; induit artus; vt verè dixerit Paulus ad Hebr. 2.17. *debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum.* Porrò ex hac misericordia ceu quattuor dimanant flumina, quæ totã irrigãt Ecclesiam prædestinationis vel redemptionis, vocationis, iustificationis & glorificationis; vel aliter creationis, gubernationis, redemptionis, glorificationis; nisi malis dicere ex misericordia, quæ in Christi corde residebat, tanquam in amœnissimo paradiso, quattuor flumina, hoc est, quattuor vulnera, pretiosissimum, ac saluberrimũ sanguinem manantia, exstitisse in hominum salutem. hanc ergò nunc misericordiam discipulis aperuit, cùm dixit *Misereor super turbam*, suumq; simul cõsilium declarauit, ac voluntatem, dum subdidit; *dimittere eos ieiunos nolo.* Præbendæ quoque escæ necessitatem indicat, dum ait, *nec habent, quod manducent, & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via. quidam enim ex eis de longè venerunt.* Postremò dignam esse turbam, quæ alatur, demonstrat; *quia*, inquit, *iam triduò sustinent me*, vel vt ait Matth. *perseuerant mecum.* Et ex his etiam patet necessitas miraculi.

8. *Triduò sustinent me*] quare consumpserant vt ait Euthy. quicquid secum attulerant cibi. Gr. est προσμένουσί μοι. Apud Matth. interpres vertit; *perseuerant mecum.* Erasmus vertit, manent apud me. *Mihi*, inquit Gagn. in Mar. *melius videretur, perseuerant mecum, quòd melius interpreti consonat. Non enim manebant apud Christum, neque apud eum hospitabantur, qui diuersorium nullum habebat proprium, vtq; sibi, ac discipulis cõmodato reperire poterat. Sed cùm iam triduum, assidueq; sustinuissent, hoc est, perseuerassent intenti prædicationi, ac cernendis miraculis Christi, rectè dicuntur triduò sustinuisse Christum, hoc est, cum illo perseuerasse.* Greg. hom.31. in Ezech *Turba*, inquit, *Dominum triduò sustinet, quando multitudo fidelium peccata, quæ perpetrauit per pœnitentiam declinans, ad Deum se in opere, locutione, atque in cogitatione conuertit.*

9. *Dimittere eos ieiunos nolo*] Theophyl. Marc.8. *Christus*, ait, *nullum vult dimittere ieiunum; omnes enim vult delitijs suorum bonorũ alere, & maximè eos qui triduò apud se manent, hoc est, baptizatos.* Illuminatio enim dicitur baptisma, quia autem baptismo in tribus mersionibus fit, ita & triduò manent, qui per baptismum illuminantur. Idem Gregorius eadem homilia 31. *Dimittere*, inquit, *ieiunos in domum suam Dominus noluit, ne deficiant in via, quia videlicet conuersi peccatores in præsentis vitæ via deficiunt, si in sua conscientia sine doctrinæ sanctæ pabulo dimittantur. Ne ergò lassemur in huius peregrinationis itinere, pascendi sumus sacra admonitione.*

10. V. 6. *Et si dimisero eos ieiunos*, &c. *deficient in via*] Rectè, nam nisi impartitis ab ipso epulis, reficiat nos, vt possimus suis alimonijs fortiores infirmitatem ieiunij non timere, deficiemus procul dubio in via, deficiemus in istius cursu vitæ, deficiemus antequam ad caput perueniamus viæ, antequam perueniamus ad Patrem. Ergo meritò dixit: *Dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via*, merito prælatis dixit olim, & ijs qui animarum curant salutem; *date vos illis manducare. Si quis ergò*, inquit Ambrosius libro 6. in Lucam, *defece-*

Sine Christi ope deficimus.

Ambr.

BIBLIOTHÈQUE DE LYON

Digitized by Google

rit, non per Dominum Iesum, sed per se deficit, ille in te contulit omnia firmamenta virtutum, sed si tu negligentia tua virtutem perdidisti, non alimentorum cœlestium, sed tuæ mentis præsidia defuerunt.

V. 7. *De longè venerunt*] declarat moraliter Gregor. homil. illa 31. in Ezech. quinam de longè veniant.

V. 8. *Vnde illos quis poterit*, &c.] discipulos tanquam solis assueti naturalibus, quæ naturalia sunt cogitant, nec possunt diuinæ virtutis gratiam considerare. *Ipse autem*, inquit Theophylactus, Marc. 8. *non reprehendit eos*, docens & nos ne morosiores & austeriores erga indociles simus, & vt idem ait Matth. 15. vt cùm postea hos videris tanta sapientia præditos, qui nunc stupidi sunt, & præcedentis signi, quo quinque hominum millia satiari à Christo viderant oblitos, mireris Dei gratiam.

Panes tantos, &c. turbam tantam?] id est, tam multos, & tam multam, quasi dicat, vnde tibi & nobis tanta copia panis adest ad tot turbas alendas, quibus, & infirmam fidem, & obcæcatum cor ostendunt, omninò parum prosunt externa omnia officia, si non adsit spiritus intus docens. Non intelligebant quomodo Christus facere signa posset, non tantùm semel, sed iterum, ac tertiò, & quoties libitum est; nondum didicerat in eo perfectè sperare, & omninò fidere, eo præsente nihil illis esse timendum, nec magnipendendum si quid deesse videretur; sunt qui dicant eos non dubitasse de Domini potentia, sed ignorasse voluntatem, an vellet fami præsenti miraculo prospicere. Arbitror, non dubitasse quidem reipsa, sed non cogitasse tamen, cùm maximè deberent eius potentiam, neque tam firmam habuisse in eo spem, quòd esset prospecturus, sed rei difficultate detentos dumtaxat sic respondisse. Quæritis ô discipuli vnde vobis *panes tantos?* in promptu est responsio, ex magistro vestro, illum cogitate, & cessabit omnis illico admiratio, & difficultas, dicite. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.*

V. 9. *Quot panes habetis?*] interrogat non quasi ignorans, sed vt euidentiùs monstraret quid esset facturus.

Et paucos piscículos] neque hic, neque in miraculo quinque panum mentio fit vini, vt colligi non improbabiliter possit Apostolos non solitos secum vinum gestare, sed aqua vti consueuisse, alioquin etiam vinum protulissent augendum & populo proponendum.

10. *Et præcepit turbæ discumbere super terram*] quæ huc pertinent satis explicauimus libro 4. capite 19. Schol. ad ver. 15. de modo verò multiplicationis, diximus eodem loco num. 25.

V. 11. *Tulerunt septem sportas*] sporta dicitur à sparto herba, aut ab asportando; erat vasis genus ex vimine, iuncis, aut sparto, aut simili leuiori materia, cuius *sportula* diminutiuum est, & quoniam in sportulis pecunia quandoque etiam, in quotidianum vsum deferri solebat, factum est vt sportula pro ijs cibis, & pro ea pecunia acciperetur, quæ à magnatibus ijs quotidie dabatur, qui ipsos officij gratia essent comitati, aut domi salutauissent togati. de hac sporta, siue sportula sic habet Perottus in caput 6. Ioannis, numero 13. Sporta, siue sportula Romanis, inquit, erat genus numismatis pendi solitum ijs, qui salutationis, & comitatus caussa illustrium Romanorum cingebant latera, valens centum quadrantibus, siue duobus denarijs, & dimidio, quo pertinet illud Martialis.

Da baiana mihi quadrantes sportula centum.

Vide etiam quæ diximus libr. 4. capit. 19. num. 28.

13. *In fines Magedan*] quam Matthæus *Magedan*, Marcus, *Dalmanutha* vocasse videtur, & licèt Hieronymus in Marcum legisse significet *Magedan*, non *Dalmanutham*, & Augustinus libro 2. de consensu Euangel. cap. 51. fateatur in pluribus codicibus Marci legi *Magedan*, & in quibusdam *Dalmanutha*. opinor tamen apud Marcum retinendam esse vocem potius *Dalmanutha*, quàm *Magedan*. hoc vt sentiam, faciunt Biblia iam correcta iussu summi Pontificis, nec proindè non concordant Matthæus & Marcus. Nam vt rectè ait Augustinus est *Dalmanutha* & *Magedan* duobus appellata nominibus, licet censeant nonnulli alterum regionis, alterum vrbis nomen esse. Aut vtrumque vrbis, ita tamen, vt vtraque vrbs vicina esset, ac proinde qui in fines vnius veniebat, in fines etiam alterius venisse dici poterat, sicut secundo capite dicitur venisse Christus *in partes* seu *fines Tyri & Sidonis*. Gr. apud Matth. loco *Magedan* est μάγδαλα. 1. Reg. cap. 17. 20. mentio fit loci *Magala*, sed an idem sit, quod hic est *Magedan*, vel G. *Magdala* omnino obscurum.

12. *Mageda, Dalmanutha.*

Magala.

Lyranus & Carthusianus putant *Magedan* locum esse, in quo Iosias Rex est occisus à Rege AEgypti 4. Reg. 24. 29. *Abijt Iosias Rex in occursum eius* (scilicet Regis AEgypti) *& occisus est Mageddo*, &c: Sed Hieronymus in libro de locis Hebr. circa Gerasam esse scribit. Illius apponam verba: *Magedan*, inquit, *ad cuius fines Matthæus scribit Dominum peruenisse: sed & Marcus eiusdem nominis recordatur. nunc autem regio dicitur Magedena circa Gerasam.* hæc ille. Ex quibus constat Magedan trans mare esse Galilææ, siquidem iuxta Gerasam est, Gerasæni autem, vt supra diximus, trans mare sunt.

DIGRESSIO I.
MORALIS.

Allegoriam huius historiæ explanans carptim ex Augustino ser. 209. de tempore: & Ambr. libr. 6. in Luc. & ex Gregor. in Ezech. homil. 31.

Vide eamdē Aug. l. 82. qq. quæst. 61.

DVplex in vno eodemque Redemptore nostro operatio est diuinitatis, & humanitatis, vtramque hic Christus ostendit contra detestandum Eutychetis errorem, qui vnam tantum in Christo dogmatizare præsumpsit operationem. *In alterutra enim parte, vel qui solum hominem fuisse dixerit, gloriam negabit Conditoris: vel qui solum Deum, negabit misericordiam Redemptoris.* Hic ergo *quod super turbam misereatur Dominus ne vel inedia, vel longioris vitæ deficiat labore, nouerimus affectum & compassionem humanæ fragilitatis; quod autem de septem panibus, & paucis piscibus satiauit quattuor hominum millia, credimus diuinæ opus esse virtutis.*

1. *Duplex Christi operatio*

Aug. mystica expos. 10

2.

Turbas hic omnes gentes significare creaturas intelligimus, pro quibus ipse Dominus misericordia commouetur, quod non haberent, quod manducarent. Gentes enim legem non habebant, non Prophetas, non prædicationem Ioannis. per fidem namque venerunt ad Redemptorem, non per legem. Id-

eò triduò perseuerant, id est, in Natiuitate, in Passione, & Resurrectione Domini, siue in Patre, siue in Filio, siue in Spiritu sancto. Perseuerare enim, permanere est in confessione. dicit ergo Dominus, non habent quod manducent, quia legem non habent; & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant, vt qui per fidem Christi crediderunt, per fidem Christi saluarentur.

3. Differentia inter duo miracula panum.

Quidam autem ex his de longè venerunt: longè enim erant gentes à Deo, errando per idola, & modò omnis qui peccat longè stat Deo, &c. Differunt porrò duo miracula panum, primum illud pertinet ad Iudæos, istud verò ad gentes. Ibi discipuli suggerunt Domino locus desertus est, & hora præterijt, dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi escas, hic penitus tacent discipuli, sed ipse Dominus pro eis sollicitus est. Videamus quare tacent, quia necdum missi fuerant prædicare gentibus, sed potius ad oues perditas domus Israel. Ibi quinque panes fuerunt, hoc est, quinque libri Mosis: hic verò septem panes, qui sunt septiformis spiritus dona, sicut ait Esa. 11. Spiritus sapientiæ & intellectus, &c. Ibi duodecim cophini pleni Spiritu sancto, hic septem Ecclesiæ, siue septem candelabra aurea. ibi duo pisces, qui sunt duo testamenta, siue vnus liber omnium Prophetarum, sancti Ioannis prædicatio, hic indefinitus numerus ponitur, quæ sunt dona gratiarum, sicut ait Apostolus.

Alij per spiritum datur sermo sapientiæ, &c. primæ Corinthiorum capite vndecimo: ibi super fœnum recumbunt, & hic super terram. Vtrinque vna conuersatio, vna gratia, vna virtus, vna Deitas. Ibi super fœnum discumbunt, hoc est, mortificata opera carnis, quia omnis Caro fœnum, Esai. 40. Hic super terram discumbunt, id est, opera terrena conculcant. Ibi quinque millia refecti, qui numerus pertinet ad Iudæos. Nam post ascensionem Domini, loquente D. Petro, quinque millia sunt baptizati: hic autem quattuor millia, hoc est, de tota terra omnes gentes à quattuor cardinibus cœli de septiformis sancti Spiritus gratia esse repletas in vitam æternam. hæc ex Augustino hinc inde delibata.

4. Allegoria Ambr.

Eodem commodissimè referri potest allegoria Ambrosij libro sexto in caput nonum Lucæ; Diuidit, inquit, escas Dominus, & ille quidem vult dare omnibus, dispensator enim est omnium, sed cùm ille panes frangat, & det discipulis, si tu manus non extendas tuas, vt accipias tibi escas, deficies in via, nec poteris in eum culpam tuam referre, qui miseretur, & diuidit, sed his, qui cum eo in deserto permanent, &c. supra fœnum quinque millia discumbunt, super terram quattuor millia recumbunt, plus est terram premere, quàm supra fœnum iacere. Illi enim quibus adhuc sensus sunt corporales, mollioribus delectantur, & ideò supra fœnum recumbunt. Omnis enim caro fœnum; isti verò supra terram, quæ triticum & vinum gignit, & oliuam, cibum gratiæ consequuntur. Illi discumbunt, isti recumbunt. Maior est enim quadam requies recumbentis. ibi duo pisces, hic sine numero. vnde plerique septiformis spiritus gratiam in panibus definitam, in piscibus quoque duplicis testamenti figuram intelligendam putarunt. Non piget ergo æstimare, quòd quattuor millia ex quattuor mundi collecta partibus, in quibus Ecclesia figuratur, maioris gratiæ cibum sumant, iuxta quod scriptum: Quia venient ab Oriente & Occidente, à Septentrione, & Austro, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum.

Vnde hic gratiæ Patri aguntur à Christo Non enim frustra illic benedictio tantum, hic etiam gratiarum est actio. Pro Ecclesia quippe sua Dominus Patri gratias agere consueuit; quia quæ abscondit à sapientibus, ea paruulis reuelauit, &c. Alibi quinquageni discumbere iubentur, tamen videtur hic fundatoris Ecclesiæ populus, qui sine definitione numeri recumbit. 5.

Mysticum quoque est, quod manducans populus satiatur, & Apostoli ministrant. Nam & in satietate repulsæ in perpetuum famis indicium designatur, quia non esuriet, qui acceperit cibum Christi: & in Apostolorum ministerio futura diuisio Dominici corporis, sanguinisq; præmittitur, &c. Nec otiosè quæ turbæ supersunt à discipulis colliguntur, quia ea, quæ diuina sunt apud electos facilius possis, quàm apud populos reperire. Vtinam mihi contingat audire, collige quæ supersunt. Si audiero, & fecero, habebo multa, quæ turbæ, pueri, & mulieres edere nequiuerunt. Beatus ille qui potest colligere, quæ etiam doctis supersunt. Videamus quomodo colligat. dicit Lex non mœchaberis, fregit hunc panem Christus. diuisit hoc verbum non aliunde adijciens, sed de suo partiens: qui viderit inquit, mulierem ad concupiscendum iam mœchatus est eam. Habes fragmentum, de suo addidit; si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum. Habes aliud: Et si dextera tua scandalizat te, abscinde eam, & qui dimissam à viro ducit mœchatur. Vides ex vno quàm multa fragmenta? Moses dicit, quòd Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & alterum de libera. Paulus dixit: hæc sunt duo testamenta, diuisit hoc verbum, & inuenit Mysterium. Beatus ergo qui colligit, quæ diuidit Christus. 6.

Illud nouissimè non est silentio prætermittendum, quod habet eodem libro in Lucam capite nono sub initium idem Ambrosius; gratia, inquit, cœlestis Christus impartitur alimentum, sed quibus impartiatur aduerte. non otiosis, non in Ciuitate quasi in Synagoga, vel sæculi dignitate residentibus, sed inter deserta Christum quærentibus, &c. sic sapienter Ambros. & hoc est, quod Luc. 22. ait Dominus; vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et mox addit: Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. His enim Christus omni nobilium epularum genere conuiuium instructissimum exhibebit, qui secum in tentationibus perseuerant, & in deserto pœnitentiæ. Meritò Iacobus cap. 5. Sufferentiam, inquit, Iob audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, miserator, &c. meritò sacris consignatum est Scripturis. Benedixit Dominus nouissimis Iob magis, quàm principio eius, & facta sunt ei quattuordecim millia ouium, & sex millia camelorum, mille iuga boum, &c. Iob quadragesimo secundo. Ecce tibi splendidissimum conuiuium quo à Deo exceptus est Iob, ecce tibi felicissimum perseuerantiæ finem. Tobias immobilis in Dei timore permansit Tobiæ capite secundo, vers. at postea sic legimus capite vndecimo, v. 14. vigesimo primo: per septem dies epulantes omnes cum gaudio magno gauisi sunt. Lucæ 11. perseueranti panes dantur: si perseuerauerit pulsans, dico vobis, inquit Dominus, etsi non dabit illi surgens, eò quòd

7. Perseuerantibus cū Christo conuiuium paratur.

Digitized by Google

quod amicus eius sit, propter improbitatem eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.

8. *Gregorij pulcra expositio mystica.*

Est & D. Greg. hom. 31. in Ezech. alia etiam mystica interpretatio, eaque melle suauior: *confessi*, inquit, *atque ieiuni ad Dominum populi cùm venissent, discipulis Dominus dixit: Misereor super turbã, &c. turba triduo Dominum sustinet, quãdo multitudo fidelium peccata, quæ perpetrauit per pœnitentiam declinans, ad Deum se in opere, locutione, atque in cogitatione conuertit: quos dimittere ieiunos in domum suam Dominus noluit, ne deficiant in via, quia videlicet conuersi peccatores in præsentis vitæ via deficiunt, si in sua conscientia sine doctrinæ sanctæ pabulo dimittantur. ne ergo lassemur in huius peregrinationis itinere, pascendi sumus sacra admonitione. Valdè autem pensanda est pia sententia, quæ processit ex ore veritatis, qua dicitur: quidam enim ex eis de longè venerunt. est autem qui nihil fraudis, & nihil carnalis corruptionis expertus, ad Omnipotentis Dei seruitium festinauit: iste de longinquo non venit: quia per incorruptionem, & innocentiam proximus fuit. alius nulla impudicitia, nullis flagitijs inquinatur; solo autem coniugio expertus ad ministerium spirituale conuersus est. neque iste venit de longinquo, quia vsus coniunctione concessa per illicita non errauit. Alij verò post carnis flagitia; alij post falsa testimonia; alij post facta furta; alij post illatas violentias; alij post perpetrata homicidia ad pœnitentiam redeunt, atque ad Omnipotentis Dei seruitium conuertuntur, hi videlicet ad Dominum de longinquo veniunt. Quanto etenim quisque plus in prauo opere errauit, tanto ab Omnipotenti Domino longius recessit. nam & prodigus filius, qui Patrem deseruit, abijt in Regionem longinquam, in qua porcos pauit, quia vitia nutriuit. Dentur igitur alimenta eis etiam, qui de longinquo veniunt, quia conuersis peccatoribus doctrinæ sanctæ cibi prabendi sunt, vt in Deum vires reparent, quas in flagitijs amiserunt, qui sæpè à Doctoribus tanto necesse est, vt largioribus cibis doctrinæ satientur, quantò fessi maioribus vitijs venerunt. & cùm iam confiteri cœperint mala, quæ commiserunt, atque confitendo relinquere, & fletibus punire, necesse est, vt Doctores sancti pro eorum peccatis solicitè exorent, quatenus mensæ Domini carnes oblationis portent. quod quoties agunt, & in hoc pro alienis peccatis interueniunt sua ante Dei oculos amplius detergunt, quia ea ipsa charitate se iustificant, qua mira pietate pro alienis iniquitatibus se in lamentis mactant, nec laboriosum debet esse Doctori pro conuersis peccatoribus lachrymas fundere, quando & ipse, qui omnia creauit, homo factus, pro nostris iniquitatibus in cruce sanguinem fudit.* Hæc Gregorius.

Alia allegoria.

Aliam adhuc allegoriam paucissimis complectitur Gagnæus in Marc. capite octauo. *Si quis*, inquit, *allegoriam quærat; distributus turbæ panis super terram, ordo est militantis Ecclesiæ, cui distribuuntur à discipulis Christi, qui sunt Prælati, & Sacerdotes, septem Diuina sacramenta.*

DIGRESSIO II.

MORALIS.

In idem Euang. septem panum.

A

Misereor super turbam.] Multis in locis Scriptura aperit nobis Dei prouidentiam, vt vnde in nos proficiscantur bona omnia intelligamus, Deumque vt liberalem benefactorem nostrum, & verum omnium conditorem, & colamus, & amemus. Differit Paul. Actorum 14. 16. de Dei prouidentia; *& quidem*, ait, *non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera*, varijs enim anni temporibus varij quoque proferuntur fructus, *implens cibo, & lætitia corda nostra*; exhilarantur enim corda, & recreantur cibo, quibus verbis indicat Apostolus ex his naturalibus beneficijs, quibus nos continenter afficit Deus, posse hominem peruenire in cognitionem ipsius. nam non dubium, quin, si quis his adductus naturæ argumentis, consentaneæ cognitioni naturali de DEO quoad licuit, naturalem legem seruasset, ampliorem DEVS illi gratiam ad se cognoscendum, vt superaturaliæ vires, & supernaturalium donorum auctor, & largitor est, liberaliter concessisset.

1. *Dei prouidentia. Locus Pauli Act. 14. 16.*

B

Et quidem meritò, fulget enim in creaturis DEVS tanquam in speculo, & in eis tanquam in libro legitur, quasi in cithara suauiter resonat, & tanquam in pictura pulcrè, sapienterque depictus est, vt verè dixerit Augustinus libro 10. confessionum, capite 6. *Cœlum & terra, & omnia, quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem, nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles.* Hortatur nos Isai. capite 40. 26. vt hæc DEI opera aspiciamus, quæ eius potentiam, sapientiam, liberalitatem, pulchritudinem produnt, præsertim verò ea, quæ in cœlis visuntur: *leuate in excelsum oculos vestros, & videte, quis creauit hæc.* hinc monet Amos capite 5. ver. 8. amandum, timendumque esse DEVM, videlicet *facientem Arcturum, & Orionem, & conuertentem in mane tenebras, & diem in noctem vertentem, qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ*; sed locus ille Dauid Psalm. 146. 8. 9. maximè mihi videtur idoneus ad DEI prouidentiam illustrandam: *qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam, qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum: qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum:* vbi docet eam esse prouidentiam DEI, vt etiam iumenta pascat causa hominis: quare illud: *& herbam seruituti hominum* petitum è Psalmo 103. significat, qui producit in montibus fœnum, & herbam bestijs homini inseruientibus, vel vt homini tanquam Domino seruiant. Quòd vero de pullis coruorum addit, hoc est, nam quoniam pulli coruorum dum nascuntur, candidi apparent, seu quod impiumes, seu quod plumas habeant albicantes. Inde fit, vt à parentibus negligantur. Clamantib. verò præ fame, vt quidã aiunt, Deus immittit muscas, quæ eos,

2. *Deum quomodo in creaturis fulget.*

C

D

Locus Psal. 146.

sese,

seſe in fauces inſinuando, alant; ſunt qui dicant eos paſci aura quadam roſcida. quid ergò miramur, cùm tantam gerat curam atri, & fœdæolentis animalculi, ſi in hac Euangelica hiſtoria ſcriptum legimus, tanta miſeratione proſecutum eſſe Chriſtum turbam, in deſertis ac ſolitarijs locis neceſſarij cibi auxilio deſtitutam? *Miſereor*, inquit, *ſuper turbam*, atque illicò ſua illam prouidentia & refecit, & exhilarauit, implens cibo, & lætitia corda omnium.

3. *Partes quæ ſint veri Regis declarat. Chriſtus.*

Et verò indicat ſe Chriſtus hoc loco, quales ſint veri Regis partes, nimirum proſpicere, ac diligenter curare ea, quæ populis ſunt neceſſaria. propterea enim debent ab ijs, qui eorum ditioni ſubſunt, in honore haberi. ſic teſtati ſunt Valentinianus, & Marcianus Imperatores vt habetur Cod. Iuſtin. cap. de ſacroſ. Eccleſ. vbi ſic legimus: *humanitatis noſtræ eſt egenis proſpicere, ac dare operam vt pauperibus neceſſaria non deſint.* Hoc ipſum confirmat Iſai. 3. 67. vbi ille qui poſtulabatur vt Rex eſſet, reſpondit ſe propterea in Regem eligi non poſſe, quia non eſſet Medicus, hoc eſt, non poſſet mederi miſerijs, quibus ſubiacebant ij, qui illum in Regem ſibi poſcebant, & quia panem in domo ſua non haberet, quòd tam magnam eſurientium multitudinem paſceret. ſic enim loco citato reſpondiſſe hunc ait Iſai. *non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum, nolite conſtituere me Principem populi.* Chriſtus igitur cùm tam ſtudioſè eorum neceſsitati ſubleuandę qui triduum illum ſuſtinuerant in ſolitudine, conſulit, docet quodnam ſit principium, ac Regum proprium munus.

Locus Iſa. 3. & 7.

4. *Quanta ſit Chriſti cura erga ſeruos ſuos.*

Ecce iam triduo ſuſtinent me] Quis quæſo non libenter ſtudeat Chriſto obſequi, pro illo pati, eius amore de ſuis commodis, & vtilitatibus aliquid detrahere, dum nunc videt illum ita ſollicitum, ita ſe quaſi in omnem partem vertentem, vt neceſſitati proſpiciat eorum, qui tres dies cum illo in deſerto perſeuerarunt? Iam rogo te, perpende ſingula, quę hic egit Dominus: *Miſereor*, inquit, *ſuper turbam*, ægrè fert noſtras miſerias; vide eius vt viſcera amoris, & miſericordiæ pleniſſima, aliorum malis, & neceſsitatibus commoueantur. deinde ſubdit: *ecce iam triduo ſuſtinent me*, non obliuiſcitur laborum noſtrorum, *non enim iniuſtus Deus*, inquit Paulus ad Hebr. 6. 10. *vt obliuiſcatur operis veſtri & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis.* numerat ipſe dies quibus aliquid pro ipſo patimur: *ecce*, ait, *iam triduo ſuſtinent me*: immò & greſſus; ita Iob 14. 16. *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti*, & Prouerb. 5. 1. *Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus eius conſiderat.* lacrymas etiam vel minutiſsimas obſeruat, & ne vnam quidem fruſtra cadere ſinit: Sic Dauid Pſalm. 55. 9. *Deus vitam meam annunciaui tibi, poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo: ſicut & in promiſſione tua.* Hebr. nónne in libro tuo? Hieronymus *non in narratione tua*, hoc eſt, vtique etiam meas lacrymas refers in tuos libellos, & obſignatas tabulas, diligenterque cuſtodis. legitur etiam ex Hebræo *in lagunçula*, aut *in vtre*, vel *ſacculo tuo*, id eſt, altius menti quaſi infigis, & firma memoria conſeruas

Locus Pſal. 55. 9.

5. *Mundus infidelis cũ ſuis.*

Non ita agitur cum illis qui mundo, & carni peſsimis Tyrannis ſeruiunt. cùm enim mundus, & caro ſine vllis charitatis viſceribus ſint, & tantùm ſua quærant, ſi periculũ immineat, & amara neceſsitas, nec curant tunc, nec vllo modo reſpiciunt, quę à ſuis olim exhibita ſunt obſequia, tantùm abeſt vt ea digna mercede proſequantur: quòd exemplo Sacerdotum Baal facilè erit declarare 3. Reg. 18. 26. *qui inuocabant nomen Baal de mane vſque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos, & non erat vox, nec qui reſponderet.* cumque illis per irriſionem Elias diceret ver. 27. *Clamate voce maiore*, &c. *clamabant* illi *voce magna & incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine*, &c. *& nec audiebatur vox, nec aliquis reſpondebat, nec attendebat orantes.* Ecce tibi in Baal clariſsimè repræſentatum mundum, dæmonem & carnem. Hoc enim eſt ſtipendium, hæc merces, quam hi ſuis ſoluunt mundani principes, vt ne dignentur quidem eos rectis oculis aſpicere, graui aliqua calamitate oppreſſos, quamuis toties vitam in diſcrimen adduxerint, cùm mundo & carni obſequerentur, diuturnis etiam exantlatis laboribus, quibus illis diu multumque meruerunt; id faciunt mundus, & caro cum ſuis amatoribus, quod Phariſæos olim cum Iuda feciſſe memoriæ produnt ſacræ literæ. nam Iudas vbi perpetrato ſcelere proditionis Chriſti, quo putabat facilè poſſe ſe demereri animos Phariſæorum, tantùm abfuit vt id fuerit aſſecutus, vt etiam cum ingenti timore perculſus ad Phariſæos abiens dixiſſet: *peccaui tradens ſanguinem iuſtum*, nullum aliud tulerit reſponſum loco beneficij præter illud: *quid ad nos? tu videris.* ſimilibus verbis mundus, & caro ſuis Aſſectatoribus, qui laſſati ſunt in carnis obſequijs, & via iniquitatis, reſpondebunt, cùm magnis prementur anguſtijs, præſertim verò extremo mortis tempore quando iam grandi horrore concutientur, vel ob hoc ſolùm, quòd Mundo, & carni non ſine maximis laboribus morem geſſerint. quòd ſi tam neceſſario tempore mundum adieris, eique ſic dixeris; vt leges tuas ſeruarem, leges Dei contempſi, iam mihi hoc tam periculoſo tempore ſuccurre; non aliud feres reſponſum: quid ad me? tu videris. quòd ſi ad carnem acceſſeris, dicens; probè noſti quòd vt tuis voluptatibus parerem, Dei mandata deſpexi, & vt tuis vacarem delitijs, æternam inferni pœnam commeritus ſum: nunc igitur accede, manum porrige, & ab imminentibus periculis incolumem ſerua, quid putas reſpondebit? non certè aliud, quàm illud ipſum: quid ad me? tu videris. at non idem eueniet ijs, qui Chriſto deſeruiunt, quia veriſſimum illud: *inquirentes Dominum non deficient omni bono*, Pſal. 33. 11. *quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos, in æternum conſeruabuntur:* Vide rogo te nunc quantam curam gerat, de ijs qui per triduum cum illo morati fuerant.

Mundus ſimilis Phariſæis.

Vtinam ſcirent homines quàm magna merces maneat eos qui Chriſtum ſuſtinent, & patienter ſperant in eo; obuijs ſanè vlnis, atque alacri corde exciperent quidquid vndique pœnarum eſſet illis immiſſum. etenim vt hic non obſcurè oſtenditur magna Dominus ſuſtinen-

6. *Qui Chriſti cura illum iuuat, & eandem in cœlo præmio affi cientur.*

tes ſe,

tes se, hic cura prosequitur in terris, & magno præmio afficit in cœlis. *Triduo*, inquit, *sustinent me*. Verè Isai. 40.31. de iustis ait: *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient*. quid mirum, cùm oculi Domini sint super iustos, & aures eius apertæ vocibus eorum; proinde Paulus *libenter*, inquit, *gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi* 2.Cor.12. 9. expertus id ille fuerat, in dato sibi stimulo carnis suæ, in quo ter Dominum rogauerat, & responsum tale accepit; *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*, quum cùm in se esse vidisset, ac Dei curam in suis infirmitatibus obseruasset, lætus cuncta tolerabat; & ideò *cùm infirmor*, inquit, *tunc potens sum*. 2. Cor. 12. 10.

7. Exemplum Iob.

Sustinuit Iob non per triduum dumtaxat, sed diu multumque probatus. neque recessit ab illo vxoris insanis stimulatus vocibus; *adhuc tu permanes in simplicitate tua?* Perseuerauit tamen, & ita perseuerauit vt à Deo etiam propterea commendatus magnoperè fuerit, cùm Satanæ dixit, vt est cap. 2. lib. Iob. *numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc*, id est, inter tot res aduersas, *retinens innocentiam*? idcircò misertus est Dominus super eum, nec reliquit eum esurientem, sed lautè excepit, addidit enim *Dominus omnia quæcumque fuerant Iob duplicia*. Iob. 42. cuius nobile exemplum ob oculos nobis posuit D. Iacobus cap. 5. 11. dum dixit: *sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis*, hoc est, quem Dominus eius calamitatibus imposuit, *quoniam misericors Dominus, & miserator*. non mirum, quod misertus est eius, quia per multos dies sustinuerat eum. Idem de Tobia dicendum est, de quo in sempiternam orbis terrarum memoriam sacrarum literarum monumentis proditum est Tob. 2 *non est contristatus contra Deum, quòd plaga cecitatis euenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit*. sustinuit ille Dominum, & ideò Dominus misertus est eius, & magno eum conuiuio excepit & gaudio. Sic enim cap. 11. Tob. legitur: *per septem dies epulantes omnes cum gaudio magno gauisi sunt*. Deniq; vide quid Apostolis dixerit Dominus Luc. 22. *Vos estis*, inquit, *qui permansistis mecum in tentationibus meis*; en isti Dominum diu sustinuerant: sed audi Domini misericordiam in eos: & simul vide quale eis conuiuium pollicitus sit: *& ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam in regno meo*.

8. Audiamus ergo Apostoli vocem nos hortantis, vt Christum patienter sustineamus: Hebr. 12. 7. *in disciplina perseuerate, tanquam filijs vobis offert se Deus: quis enim filius quem non corripit Pater*: quasi dicat, tolerate vt eruditi à Deo, perseuerate ferendo vt Deus perficiat quod vult. Agnoscite vestram felicitatem, non vos abijcit Deus, sed ad vos venit, vt ad veros filios Pater. G. per errorem legi videtur εἰ ὑπομένετε ὑπομένατε, si disciplinam sustinetis, cùm legendum potiùs sit εἰς, *in disciplinam*, pro, in disciplinam perseuerate, permanete; ita enim sæpè Apostoli loquuntur per

Vocem Heb. 12. 7.

A Accusatiuum. Sed idem est, ac si dicas, *in disciplina*, more latino.

Dulce admodum est cum Christo perseuerare, quis enim amicus suauior, quis Pater magis carus, & indulgentior, etiam dum te castigat? quis Rex potentior? quis Dominus magis munificus, & liberalis? quis pulchrior sponsus, & amabilior? de quo iure sanè sponsa, quia experta fuerat, dicit: *tenui eum nec dimittam*. etenim vt Sap. 8. scribitur. *non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium*. eius rei locupletissimus testis est Petrus Ioan. 6. qui Christo dicenti Discipulis: *numquid & vos vultis abire?* Respondit: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*. Perseueremus igitur etiam cùm corripimur cum Christo, nec deseramus eum, neque mutemus, vt nostri tandem misertus dignos nos efficiat cœlesti conuiuio.

9. Dulcis amicus Christus.

B

Discant de Christo, qui aliorum opera vtuntur, dies operariorum numerare, & digna eos mercede non fraudare, nec dies extrahendo differre, sic ille Paterfamilias Matth. 20. operarijs ad laborandum conductis eadem die pecuniam soluit: *cùm sero*, inquit, *factum esset, dixit Dominus vineæ procuratori suo, voca operarios, & redde illis mercedem*. caue ne merces, quam iniustè diu differs, vel etiam aufers, clamet aliquando contra te iuxta illud Iacobi 5. *ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit*. Sed pergamus ad alia.

10. Mercede non fraudandi operarij.

C *Et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via, quidam enim ex eis longè venerunt*. Vide quàm minuta vtatur Dominus diligentia, vt eorum consulat commodis, & prospiciat necessitatibus, qui cum eo triduum perseuerarunt. Verùm cur inquies; tertium diem expectauit? quia nimirum indicare volebat se non nisi necessitate compulsum eiusmodi miracula, quæ ad corporum cibos, & conuiuia pertinebant, edere, ne fortasse sibi persuaderent homines, eos, qui illum sequebantur, propterea sequi, vt cibo sese reficerent, & recrearent: itaque vbi defecit panis, nec quòd comederent quidquam reliquum fuit; apparente iam necessitate, tum denique miraculum edidit. Est & aliud quod huic dubio respondeamus magis ad mores faciens, nimirum, nisi deficiant terrenæ voluptates, & desint terrena bona, hoc est, nisi propter Christum libenter istis priuemur, ac terrenis cupiditatibus renuntiemus, eius cœlestibus voluptatibus recreari non poterimus; sic nunquam Israelitæ manna de cœlo pasti sunt, nisi prius de AEgypto egressi essent, & carnibus, & cœpis AEgyptiorum sese priuassent.

11. Cur triduum expectauit Christus, antequam miraculum ederet.

D

Quot panes habetis?] significat nobis Christus his verbis, vt si nos præstemus minimùm id, quod possumus, non deerit ipse sua gratia, vt impleat, addatque quod deest; ecce tibi nunc voluit septem illos panes ab Apostolis exhiberi, quos habebant, paucos quidem illos, sed effecit ille plurimos alios, adiecitque cumulatè quot deerant, vt satiarentur, qui cibi penuria deficiebant. Quod autem in hoc videmus conuiuio, multò veriùs experimur in spiritua-

12. Faciēsi quod in se Deus non denegat gratiam.

libus. etenim vult nos Deus per opera nostra æternam beatitatem consequi, cùm tamen si per se spectentur opera adeò minima sint, vt licet simul omnia sumpta, nullo modo cum æterna gloria conferri possint, neque enim nullam habent proportionem, comparationemque cum illa. Verùm ipse adiungit gratiam, quæ operibus nostris deerat: vnde fit vt æternam gloriam mereantur. Vult nobis Deus sæpè maxima dona elargiri, idque vehementer optat, sed exigit tamen à nobis, vt quantum possumus ad id præparemur, quamuis omnis nostra præparatio longè inferior sit tantis eius beneficijs, ac donis. Sic si in vas cordis tui quantulam poteris olei guttulam influas, accedet ipse, & cumulatè super cœlestis gratiæ oleum, quod deest, subministrabit; itaque nitendum nobis est, vt quòd possumus exequamur? quamuis paruum illud sit & modicum, præsertim cum eo auxilio, quod præsens nobis aderit de cœlo, & interim maiora de illo speremus: hoc enim si effecerimus, & ita nos gesserimus cum Deo, fiet vt quod cupimus, abundè obtineamus ab illo, modicum laborabis, & inuenies tibi multam requiem.

13. *Vis in manibus Christi.*

Et accipiens septem panes, & pisces gratias agens fregit &c.] Magna vis est in manibus Christi. collocant discipuli in sanctissimis eius manibus septem panes, & innumeros recipiunt; quos turbæ distribuant. Proinde similes sunt Christi manus terræ frugiferæ, ac saluberrimæ, quæ significata est olim per terram illam, in qua sementem fecit Isaac, vt Genes. 26. 12. videre est: & multiplicatum semen accepit: *Seuit*, inquit Scriptura, *Isaac in terra illa, & inuenit illo anno centuplum, benedixitq; ei Dominus, & locupletatus est homo, & ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est.* Idem tibi eueniet si in manibus Christi sæueris, metes enim tempore suo fructum multò maximũ, & locuples eris spiritualibus diuitijs, ibis procedens atque succrescens, donec in magnum euaseris virum.

14. *Locus Ierem. 2. 31.*

Audi quid Deus de se testetur, Ierem. 2. 31. *numquid solitudo factus sum Israeli*, id est, terra inutilis, & infructuosa, sicut solitudo esse solet, *aut terra serotina*? hoc est, obscura & caliginosa, quam non lustrat, seu videt sol; id genus enim terra sterilis esse solet; quòd perinde est ac si diceret: an non inuenerunt Israelitæ auxilium in me, quoties poposcerunt? subdit: *quare ergo dixit populus meus; recessimus*, hoc est, recedemus à te, loco enim futuri ponitur præteritum, *non veniemus vltrà ad te*. Cùm igitur instar fructuosæ, fœcundæ, vberis ac feracis terræ sint Christi manus, ibi colloca quidquid habes boni, quia conseruatum recipies, & multis partibus auctum; hoc autem facies, si stipem libenter pauperi porrexeris. etenim extensæ pauperum manus fœcundas, ac frugiferas Christi manus referunt. paruam pecuniam tribuis pauperi, & thesaurum in cœlo recipis; interdum etiam & hîc in terris cẽtuplicato colliges, quod in pauperum, id est, Christi manibus posueris. *Honora Dominum*, inquit Sapiens, *de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da ei, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Prou. 3. 9.

9.

A

Cæterùm quòd in mundi, vel carnis manibus posueris, non modò non auctum, & multiplicatum recipies, verùm totum, quidquid illud erat, perditum, atque amissum tandem aliquando plorabis. Propterea enim neque tu, neque bona tua augescunt, quia sterili terræ, qualis est mundus, & caro semina mundas: pẽde à Deo totus, teque cum omnibus tuis in eius manibus colloca, & Beatus eris cum Dauide, qui apud Deum ita gloriatur: *in manibus tuis sortes meæ.* Psal. 30. 16. itemque cum Paulo, qui eodem nomine vehementer gaudet, dum ait 2. Timot. 1. *scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.*

15. *Perit quòd in manibus mundi ponitur.*

DIGRESSIO III. MORALIS.

B

In ea verba v. decimi, eiusdem historiæ septem panum. *præcepit turbæ discumbere super terram*] & de septem panibus ex Bernardo, & contra ebrietatem.

CVm Dominus misertus esset turbæ quatuor millium hominum, quæ eum desertam petentem secuta fuerat, studio audiendi verbum Dei, & eam necessario cibo destitutam, vt pane spirituali, ita etiam corporali reficere vellet, iussit eam in eodem loco discumbere. Iussit porrò discumbere in eodem loco, vt doceremur præsertim, qui religiosi sumus, augmentum nostræ virtutis, in eodem loco cum alijs fratribus quærendum, & communibus eisdemque studijs religionis comparandum esse; ad quam rem Augustinus epist. 109. hortatur moniales quasdam his verbis: *omnia opera vestra in vnum fiant, maiori studio, & frequentiori alacritate, quam si vobis singulis feceritis propria; charitas enim de qua scriptum est* 2. Cor. 13. *non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur, quia communia proprijs, non propria communibus anteponit. Et ideò quanto amplius rem communem, quàm propriam vestram curaueritis, tanto vos amplius proficere noueritis.* Sic sapienter August.

1.

C

Communia præferenda priuatis.

Multum sanè damni affert singularitatis vitium, nam rogo, quomodo verbum Dei audiet religiosus is, qui vt largiùs ventri indulgeat solus extra communem mensam comedit? vel qui à congregatione cæterorum, cùm Prælatus reliquos exhortatur, abscedit? qui fieri potest, vt obediat is, qui singularem vitam amplexus, munera à Superioribus imposita nihil curat? aut quo pacto sancta contemplatione mentem recreabit, qui mundanis colloquijs aut temerarijs aliorum iudicijs se nutrit? quomodo suaues vnquam infletus soluetur, aut illacrymabit is, qui cæteris orantibus, & obortis lacrymis pro suis excessibus Deum precantibus; interim ipse risui, & cachinnis vacat? quo pacto fiet, vt quis prauos suos animi motus cõponat, vel emendet errata, seque in meliorem frugem recipiat, qui cæteris conscientiam excutientibus, & vitam, actusque suos quasi ad calculos reuocantibus, extra cubiculum vel cel-

D

2. *Vitium singularitatis.*

Digitized by Google

lam suam huc illuc vagatur? aut quomodo vnquam flagris, cæteriſque pœnitentiæ laboribus carnem suam domabit, vel prauas animi cupiditates rationi parere coget, qui reliquis tam sanctis pœnitentiæ studijs vacantibus, omnem vitæ religiosæ laborem refugit?

3. *Bernar. verba contra singularitatis vitium.*

Vidit hoc Bernardus sermone in hoc ipsum Euangelium, atque perpendens verba illa CHRISTI, *& præcepit turbæ discumbere super terram*, vt hîc habes verſiculo decimo, seu vt ipse ait, *facite homines discumbere*: Porrò, inquit, *si fuere qui discumbentibus alijs, post dumeta, seu diuersoria quæsus absconditi latuere, hominés huiusmodi ieiunos, vacuosq; remansisse quis nesciat? sic & eos nihilominus, qui leuitate, & curiositate ducti circumquaque vagantes minimè resederunt; aut qui resederunt quidem, sed non in ordine, & numero cæterorum.* quo loco Bernardus notat tria hominum genera priuata fuisse CHRISTI pane in ea turba, quæ CHRISTVM secuta fuerat; nam qui fortè inter dumeta & latebras absconditi erant, vel qui leuitate, & curiositate vagabantur, ideò panis sancti edulio caruerunt, quia ad comedendum cum alijs non resederunt. ij verò qui resederunt quidem, sed non tenentes eumdem ordinem, & numerum aliorum, etiam tam suaui panum CHRISTI dulcore destituti sunt; si qui tales in turba illa atque hominum conuentu fuerunt. Deinde Bernardus hæc ad Religiosos accommodans subdit:

4. *Hortamur proinde charitatem vestram, & pastorali solicitudine admonemus, ne quis ex vobis inueniatur angulos amare, sectari latebras, quærere diuerticula: quoniam qui malè agit, odit lucem, vt non arguantur opera eius. sed nec inueniantur in nobis qui circumferantur omni vento doctrinæ, instabiles, & inquieti, nihil in se soliditatis, nihil grauitatis habentes, tanquam puluis quem proijcit ventus à facie terræ: nam de his quid dicam, quorum manus contra omnes, & manus omnium contra ipsos? Hi sunt qui separant semetipsos, animales, spiritum non habentes: quoniam nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu. nequissima planè, & pernitiosissima pestis: quoniam vniuersos vnius obstinatio turbat, & fit omnibus discordiæ fomes materia scandalorum. Denique Prophetam audi, qui de vinea Domini loquens: singularis, inquit, ferus depastus est eam. pro huiusmodi rogo & obsecro vos fratres mei, fugite simulationem omnem, & angulos propriæ voluntatis; fugite inquietudinem, & spiritum leuitatis, fugite obstinationem, & nequissimum vitium singularitatis, nisi fortè (quod absit) fraudare vultis animas vestras panis edulio benedicti.* Sic Bernardus, qui in his verbis distinguere videtur triplex religiosorum genus, simili triplici illi hominum generi, de quo numero tertio. Quorum nullum panibus CHRISTI reficitur. Primum eorum, quia latebras, & diuerticula quærunt, ficti, simulatique & mala, quæ faciunt obtegentes. Alterum inquietum, & spiritum habens leuitatis. Postremum quod obstinato animo abundat in suo sensu, ac singularitatis vitio laborans, fomitem discordiæ, & materiam scandalorum reliquis subministrat.

A Hos omnes fraudare ait, *animas suas panis edulio benedicti.*

Subijcit postea septem panes quibus reficiuntur à CHRISTO, qui communem vitam, & studia religionis deuorè sectantur. *Iam verò*, inquit, *ne longius protraham vos septem panes quibus reficiamini, isti sunt. Primus panis Verbum Dei, in quo vita hominis est, sicut & ipse testatur. Secundus panis obedientia est, quoniam meus cibus est, inquit, vt faciam voluntatem eius, qui misit me. Tertius panis meditatio sancta, de qua scriptum est: cogitatio sancta conseruabit te. & quæ alto in loco nominari videtur; panis vitæ & intellectus Eccles. 15. 3. Quartus panis orantium lacryma. Quintus verò pœnitentiæ labor est. nec mirerus quod laborem, aut lacrymas panem dixerim, nisi fortè excidit tibi quod in Propheta legisti: Psal. 79. Cibabis nos pane lacrymarum, & item in alio Psal. 127. Labores, inquit, manuum tuarum, quia manducabis beatus es, & benè tibi erit. Sextus panis est iucunda vnanimitas socialis, panis, inquam, ex diuersis granis confectus, fermentatus vtique sapientia Dei. Porro septimus panis est Eucharistia Ioann. 6. quoniam panis, inquit, quem ego do, caro mea est pro mundi vita.*

5. *Septem panes quibus boni Religiosi reficiuntur.*

B Sed antequam tam suaui CHRISTI conuiuio finem imponamus, non dissimulabo illud in controuersiam vertere, quamobrem factum sit, vt in hoc conuiuio nulla vini mentio fiat? Sed in promptu responsio est, nimirum, docere nos voluit Dominus quàm alienum esse debeat à Christiano homine ebrietatis vitium, Etenim vt Oseæ 4. 11. dicitur fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor, libidinem item inflammat, hinc prouerb. 20. 1. *luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas.* innumera etiam mala, etiam cum vitæ, & fortunarum iactura inuehit, etenim vt Ecclesiast. 31. 38. legimus *vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit*, vt meritò Basil. homil. 14. in ebriet. dicat: ebrietatem Dæmonem esse voluntarium ex voluptate animis nostris inditum, cui Chrysost. consentit hom. 57. ad populum Antioch. dum ait: *ebrius Dæmon est voluntarius, mortuus animatus, morbus veniam non habens*, quid? quod & Seneca ad Lucilium scribens epist. 73. *nihil*, inquit, *aliud est ebrietas, quàm voluntaria insania.*

6.

Ebrietas damnatur.

C

Ad quæ ostendenda non deerunt exempla, & vt externa omittam, quæ sunt innumera, certè Noe profectus erat in generationibus suis, & tamen ebrietate victus, & indignè nudatus est in tabernaculo suo, Genes. 9. vnde meritò Ambrosius inquit lib. de Elia & ieiu. cap. 5. *vinum nec suo pepercit auctori.* Loth, quem Sodomitarum non vicerat insana libido, vicit vinum, quo hausto ebrius geminum commisit incestum Genes. 19. Quid de fortissimo Sampsone dicam? is creditur vini potentia prostratus, per meretricem hostibus traditus esse. Holophernes quia potenter biberat resecto manu puellæ capite, superbiæ & ebrietatis pœnas dedit Iud. 11. 6. Iobo de filijs suis sic narrat nuntius; *filijs tuis & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti; repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quattuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Iob. 1. quod si nihil aliud vnquam ex vino profectum esset mali

7.

D

quam

Digitized by Google

quam sanctissimi præcursoris nex, quam illi impiè ac nefariè præcepit Herodes inter pocula inferri, satis id vnũ esset ad infamem; & noxiam ebrietatem damnandam. prætereo hic prudens Epulonem illum qui ob nimium delicati vini potum, ne guttulam quidem aquæ post hanc vitam habere meruit. taceo & reliqua.

8. *Locus Prouerb. 23. 29.*

Meritò Sapiens Prouerbiorum 22. 29. percurrens breuiter ebrietatis damna, ait: *cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui sine caussa vulnera? cui suffusio oculorum? none his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis.* quibus verbis quinque minimum numerat ebrietatis mala. nam & væ, id est, dolorem animi simul, & corporis affert ebriosis, eorumque parentibus, deinde rixas excitat, & contentiones inter potandum, & post potum vt experientia docuit. Adhæc in foueam ebriosos cadere non rarò cogit, ebrij enim imminentia mala præcauere nequeunt. Quartò inducit vulnera sine caussa, hoc est, sine vlla vtilitate, qualis esset, si quis vulneraretur ob patriæ defensionem, vel ob commune bonum; vulnerantur verò ebrij dum vel cadunt, vel dum cum alijs rixantur. Postremum malum est suffusio oculorum, Hebr. rubor oculorum, quo significatur solitam ebrietatem oculis caliginem quamdam inducere, & suffusis humoribus visum obscurare.

9. *Amos 6. 6.*

Reprehendit Amos cap. 6. 6. optimatum luxuriam, eosque deplorat, quod ventri seruiant & luxui *bibentes vinum in phialis.* quibus verbis & vini copiam, & vasa ad bibendum pretiosa, magna, & ampla insectatur Propheta, etenim solet Scriptura interdum vini copiam modestè significare, quamuis simpliciter *bibere vinum* dicat, vt Psalm. 68. 13. *in me psallebant, qui bibebant vinum,* & Gen. 9. 21. de Noe; *bibensq; vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo.* & cap. 19. 33. *dederunt itaque Patri suo bibere vinum nocte illa.*

Bibere vinũ quid in Scripturis aliquando.

10. *Locus Hier. 51. 39.*

Et vide quomodo irascatur Deus contra hanc hominum temulentiam Hier. 51. 39. *in calore,* inquit, *eorum ponam potus eorum; & inebriabo eos, vt sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, & non consurgant dicit Dominus: deducam eos quasi agnos ad victimam, & quasi arietes cum hædis.* Videtur alludere ad conuiuium illud quod celebrauit Balthassar Rex Babylonis, qua nocte capta est vrbs à Medorum Rege Dario, quo conuiuio Rex inebriatus fuisse dicitur Dan. 5. 1. 2. & eadem nocte ab hostibus interfectus v. 30. hoc ergo esse videtur, quod hic ait Ierem. ponitur autem *in calore,* pro *in calorem eorum,* quasi dicat, efficiam vt eorum conuiuia in perpetuam ebrietatem conuertantur, id est, vt sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, ex quo nunquã expergefiant, quod perinde est, ac si diceret, vt moriantur. Addit verò, *deducam eos quasi agnos,* id est, penè stolidos, ita vt non resistant, ducam *ad victimam,* id est, macellum, seu occisionem.

11.

Non præteribo antequam supremam huic digressioni manum imponam subnectere præclara quædam Chrysost. verba ho. 49. in Matt. ad id de quo nunc agimus maximè facientia. referens enim verba Amos Prophetæ, quæ habes num. 9. *Vides,* inquit, *qualiter hic delicatam viam reprehendit, non enim auaritiam his verbis, sed voluptatem accusat. & tu quidem immoderatè deuoras, cùm Christus esuriat. tu pretiosiss. mas placentas, ac liba, Christus verò ne siccum quidem frustum panis. tu vina bibis phalerna, Christo verò ne frigida quidem aqua calicem sitienti dedisti. tu in tenerrimo lecto, ac perornato stertis, cùm Christus frigore laboret. quare si omni etiam auaritia conuiuia tua vacent, tamen adeò flagitiosa sunt, quia cùm immoderatè omnia facias, ne necessaria quidem* CHRISTO *præbes; præsertim cum rebus illius lasciuias.*

A

CAPVT V.

B

PHARISÆI ET SADDVCAEI SIGNVM DE COELO QVAERVNT; ET DE fermento Pharisæorum.

B. 16. 1. B. 8. 11.

V. 1. B. ET exierunt Pharisæi A. & Sadducæi, & accesserunt ad eum, B. & cœperunt conquirere cum eo, *quærentes ab illo signum de cœlo tentantes eum.*

C

2. At ille respondens, ait illis: *facto vespere, dicitis: serenum erit, rubicundum est enim cœlum.*

3. *Et mane hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum.*

4. *Faciem ergo cœli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire?*

5. B. *Et ingemiscens spiritu ait: quid generatio ista* A. *mala, & adultera,* B. *signum quærit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum* A. *nisi signum Ionæ Prophetæ.*

D

6. B. *Et dimittens eos, ascendit iterum mare, & abijt trans fretum.*

7. *Et obliti sunt panes sumere, & nisi vnum panem non habebant secum in naui.*

8. *Et præcipiebat eis dicens: Videte, & cauete* A. B. *à fermento Pharisæorum,* A. *& Sadducæorum,* B. *& fermento Herodis.*

9. *Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: quia panes non habemus, quo cognito, ait illis Iesus:*

10. A. B. *Quid cogitatis.* A. *intra vos modicæ fidei.* A. B. *quia panes non habetis?*

A. Relictis illis, abijt.

A. Et cùm venissent discipuli eius trans fretũ, obliti sunt panes accipere.

A. Attendite & cauete.

A. At illi cogitabant intra se dicentes: quia panes non accepimus. Sciens autem Iesus dixit.

11. B. Non-

11. B. *Nondum cognoscitis, nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum?*

12. *Oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis?*

13. *Nec recordamini quando quinq; panes fregi in quinq; millia, quot cophinos fragmentorum plenas sustulistis? dicunt ei duodecim.*

14. *Quando & septem panes in quattuor millia quot sportas fragmentorum tulistis? & dicunt ei: septem.*

15. *Et dicebat eis: quomodo nondum intelligitis?*

16. A. *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum?*

17. *Tunc intellexerunt quia non dixerit cauendo à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum.*

18. B. *Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum, vt illum tangeret.*

19. *Et apprehensa manu cæci eduxit eum extra vicum, & expuens in oculos eius, impositis manibus suis, interrogauit eum, si quid videret.*

20. *Et aspiciens ait: video homines, velut arbores, ambulantes.*

21. *Deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & cæpit videre, & restitutus est, ita vt clarè videret omnia.*

22. *Et misit illum in domum suam dicens: vade in domum tuam, & si in vicum introieris, nemini dixeris.*

SCHOLIA.

A *Nondum intelligitis? neq; recordamini quinq; panum in quinq; millia hominum, & quot cophinos fragmentorum sumpsistis? neque septem panum in quattuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis.*

I.

2.

Hæretici hoc no concordant, quod Christi Ecclesiam oppugnant.

ET *exierunt Pharisæi, & Sadducæi*] rectè notat Chrysost. hom. 54. in Matth. dictum esse, vt sub finem superioris capitis v. 12. habes, dimissa turba, pauerat, ascendisse in nauiculam, statimque recessisse, quia inquit, *nullo miraculo ad sequendum ipsum magis turbæ inducebantur, quàm hoc signo*, nempe multiplicationis panum, *quippe quæ non solum sequerentur, verum etiam ad regni fastigium promouere vellent: vt omnem Tyrannidis* (vel affectati regni seu tumultus) *suspicionem euitaret post huiusmodi miracula confestim recedit; nec pedibus ne ipsum sequerentur, sed nauigio* &c. Venit autem in partes Magedan.

Et accesserunt ad eum] Pharisæi & Sadducæi perpetes, & graues inter se inimicitias gerebant, vt patet Act. 23. 6. sicut olim Herodes & Pilatus inimici erant, sed in oppugnando Christo conueniũt, & confœderantur hæ duæ sectæ; vt mirum non sit, si huius tempestatis hæretici, quãuis maximè inter se contrarij, aduersus tamen Ecclesiã Catholicam summo consensu conspirent. Nam vt rectè ait Tertull. & notat hic Maldon. *semper Christus inter duos latrones crucifigitur.*

A *Cæperunt conquirere*] G. συζητεῖν, quod significat altercari, vel disputare. quemadmodum Sophistæ, & minus creduli solent. Altercabantur autem non crediturí, nisi signum de cœlo viderent. conquirere ergo cœperunt, & altercari, id est, fingere multa argumenta sophistica, quibus illius auctoritatem, vel oppugnare, vel apud vulgus leuare tentabant, quasi miracula quæ promebat, non gererẽtur virtute cœlesti, ac quasi essent humilia nimis, ac plebeia, ita vt pro ea non satis declararet se esse eũ, qui à populo habebatur, proinde si vellet Pharisæos, & Sadducæos homines longè supra vulgus positos, quasíque cœlestes sibi credere, ederet signũ aliquod de cœlo Christo dignum, ac simile his, quę veteres Propheræ edidisse leguntur. nimirum Iudęi teste Paul. 1. ad Cor. 1. signa petunt. quamquam etiã sancti nonnunquam signa sanctè petierint, vt Gedeon Iud. 6. & Ezechias, quin immò ipse Achaz infidelis damnatur, Isa. 7. quod signum à Domino petere recusauerit, & verò, qui vt & de Dei voluntate certior fiat, eamque impleat, signum petit, non improbè agit. At, qui curiositatis tãtùm gratia, aut diffidentiæ causa id agit, impius est. 3.

Interdum licet signa petere.

B *Quærentes ab illo signum de cœlo, tentantes eum*] vide quæ scripsimus lib. 4. cap. 12. Schol. num. 15. 16. & 56.

2. *Facto vespere*] Vespertinus in cœlo rubor serenitatis est signum, pluuiæ matutinus, quod ipsa experientia docuit, ideò Iudæi cùm rubere cœlum vespere cernebant, serenitatem adfore; cùm verò id manè accidebat, ventorum, & pluuiarum tempestatem futuram esse adfirmabant. Itaque qualis esset futura diei tempestas, ex cœli facie, & inspectu discernere nouerant. 4.

3. *Rutilat enim*] hoc est, rubicundum est. nam græcis vtrobiq; idẽ est verbum πυῤῥάζει. *Triste cœlum*] hoc est, turbulentum, vel tristitiam afferens hominibus.

C 4. *Faciem ergo cœli*] Faciem, id est, dispositionem, bifariam legunt interpretes hæc verba, vel cum, vel sine interrogatione. Chrysost. hom. 54. in Matthæum sic sine interrogatione explicat, *sicut*, inquit, *in cœlo aliud tempestatis, aliud sereni temporis signum est, & nullus signo tempestatis perspecto, tranquillitatem expectat: neque in tranquillo tempore tempestatem scrutatur: eodem quoque modo in me cogitare oportet. aliud enim tempus huius aduentus est, aliud futuri. his miraculis, quæ in terra facimus, nunc opus vobis est; quæ verò in cœlo fiunt, illi tempori reseruantur. Nunc enim quasi medicus veni, tunc quasi Iudex adero &c. Et nunc quidem occultiùs, tunc verò apertissimo cœlo implicato, sole abdito, luna obscurata veniam &c. sed horum opportunum nunc tempus non est. Non enim ad hæc, sed ad passionem veni, atque ad mortem &c.* Sic Euthymius & Theophylactus in Matthæum. Itaque

Expositio Chrysost.

D hi per signa temporum intelligunt signa vtriusque aduentus CHRISTI, & signa quidem primi aduentus debere fieri in terra, secundi verò in cœlo, vt sit hic sensus. Sicut in cœlo aliud cognoscitis esse serenitatis signum, aliud pluuiæ, ita si sapientes essetis, de me cogitare deberetis. Quod alia sint signa huius aduentus, & alia futuri. Nunc opus est miraculis in terris, quæ verò de cœlo fient, vsque ad illud tempus reseruabuntur, quando veniet filius hominis in maiestate sua, quando Sol, & Luna obscurabuntur, & stellæ de cœlo cadent. Cui interpretationi fauet, & lectio, quæ habet, *signa autem temporum non poteſtis*, nempè *diiudicare*, vt repetatur idem verbum. Diuus Hieronymus intelligens per *signa temporum*, signa primi aduentus

Expositio D. Hieronym.

Christi,

Digitized by Google

Christi, hoc est, signa adimpletorum temporum, quæ pater prædestinauit,& promisit in Scripturis, sic exponit: *Sensus*, inquit, *manifestus est, quod ex elementorum ordine, atque constantia pœnint & sereni, & pluuiæ dies præno sci, scribæ autem, & Pharisæi, qui videbantur legis esse doctores, ex prophetarum vaticinio non potuerunt intelligere Saluatoris aduentum* &c.

Cæterùm licèt Chrysostomus & Hieronymus interrogationis fortassis non meminerint, non video tamen quamobrem cum interrogatione eorum interpretationes accipi non possint, vtrouis enim modo accipias, rectè cadent hoc modo: ergo cùm possitis cœli faciem iudicare, quare signa temporum non poteſtis dijudicare, siue intelligas per signa temporum signa vtriusque aduentus cum Chrysostomo, siue signa primi cum Hieronymo.

5. *Auctoris opinio.*

Atque ita procul dubio quidquid sit de Chrysostomo, Theophylacto, Hieronymo cum interrogatione exponenda sunt hęc verba, sic enim in correctis nuper biblijs repositа sunt,& interpretatio Hieronymi videtur mihi loci huius esse germana, vt neget Christus petentibus de cœlo signum, eosque confutet, ac reprehendat, quod ex miraculis editis in terra non credant ipsum esse Messiam, cùm tamen satis superque essent ad eam fidem persuadendam; si ergo qualis est, inquit, futura diei tempestas ex cœli facie, & inspectu discernere nostis, quare signa temporum, id est, Messiæ aduentum in sanctis Scripturis expressum, & miraculis à me factis declaratum non potestis agnoscere? & hoc est, quod Luc. 12. 56. obiecit Dominus turbis: *Hypocritæ faciem cœli, & terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis?*

6. Augustinus lib. 1. qq. Euang. cap. 20. videtur prout Chrysostomus signa temporum accipere, ait enim: *Quod dixit facto vespere dicitis, serenum erit, rubicundum est enim cœlum, id est, sanguine passionis Christi, id est, in primo aduentu indulgentia peccatorum datur; & mane, hodie tempestas, rubet enim cum tristitia cœlum, id est, quod secundo aduentu igne præcedente venturus est. Signa temporum dixit de aduentu suo, vel passione, cui simile est roseum cœlum vespere. Et ità de tribulatione ante aduentum suũ futura, cui simile est mane roseum cum tristitia cœlum.* Sed verior vt dixi est Hieronymi sententia, quamuis vtraque probabilis. *Scire*] verbum hoc omittitur à plerisque, pro quo quidam habent, *cognoscere*. In plerisque Græcis non ponitur, nisi ὃ δύνασθαι, subauditur verò ex præcedentibus διακρίνειν.

Euthymius Matth. 10. Hypocritas eos nominauit, non solum tanquam alia dicentes, verùm etiam tanquam habentes se pro sapientibus, cùm essent insipientes. tentare verò dicuntur qui petunt, quòd præstari non oportet, quodq; ipsi reuera non optant. Vide etiam quòd notauimus lib. 4. cap. 12. num. 15. Schol.

3. *Et ingemiscens spiritu*] id est, ingemiscens ex intimo cordis vel intra se.

Quid generatio ista mala, & adultera signum quærit?] vide loco iam indicato num. 57. 58.

7. *Si, pro non.*

Si dabitur] cum dicit, *si dabitur* signum, hebraismus est, pro *non dabitur*. qua de re sic scribit Ribera in caput tertium ad Hebr. num. 18. Si, cum verbis iurandi, vel affirmandi, vel expressis, vel tacitis idem est quod non, vt Psalm. 88. *semel iurauı in sancto meo si Dauid mentiar*, Psalm. 131. *Sicut iuraui*, &c, *si introiuero in tabernaculum*. &c. (Add. Psalm. 94. *quibus iuraui in ira, si introibunt in requiem meam.*) Titelmannus Vatabl. Genebrar. in Psalm. 94. & Adamus in cap. 3. ad Hebr. putant quædam suppleri debere, vt *non sim Deus*, aut, *mendax habear*, aut aliquid simile, *si introibunt in requiem meam*, nec probant hoc, quod diximus, *si*, cum huiusmodi verbis accipi pro, *non*, quod in Amos cap. 8. num. 21. falsum esse ostendit idem Ribera, qui etiam notat in cap. 6. ad Hebr. num. 58. quod sicut post verba iurandi, vel affirmandi, *si*, valet idem quod *non*, ita, *nisi*, post eadem verba, affirmationis nota est, vt Ezech. 5. *viuo ego dicit Dominus Deus, nisi pro eo, quod sanctum meum violasti* &c. *ego quoque confringam* &c. & 3. Reg. 19. 2. *hæc mihi faciant Dij, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam vnius ex illis* propterea Theophyl. & OEcum. dixerunt, *nisi* significare idem quod *verè*.

8. *Signum Iona Propheta*] Hæc fusè declarauimus n. 59. vsque ad 69. loc. cit.

6. *Et dimittens eos*] quia tentantes erant, ideò responso indigni erant, propterea his relictis trans mare abscessit. Quod Matth. ait. *Et relictis illis abijt*. in Matth. vertit interpres, *relictis illis*, quod magis rem explicat, quàm *dimittens eos*, vt apud Marcum est. Ob id enim scribit Hilarius in Matth. *non sicut alijs locis legitur, dimissis turbis abijt, sed quia infidelitatis error, insolitum animos obtinebat, non dimisisse eos dicitur, sed reliquisse*. Non enim est hic verbum ἀπολύω, vt in superiore capite Marci, sed participium καταλιπὼν αὐτὸς in Matth. est, ἀφεὶς apud Marcum, quod & Iansenius hîc obseruat.

9. *Abijt trans fretum*] Matth. habet, *& cùm venissent discipuli eius trans fretum* G. ἐλθόντες, vbi tam vox græca, quam τὸ *venissent* videtur positum pro *iuissent*, neque enim rectè dicerentur post transfretationem obliti panes sumere, quos ex ripa vlteriori secum sumere debuissent; ea etiam quæ narrantur deinceps dicta Domino, sunt dicta inter nauigandum, vt ex Marco patet, qui scribit, oblitos esse panes sumere, & vnum tantum panem habuisse secum in naui. Itaque sensus Matth. est idem cum Marco. Discipulos cum nauim ascendissent, & ire cœpissent trans fretum oblitos accipere panem secum in naui, ac tum in naui ea, quæ sequuntur dixisse, quod aduertit Iansenius cap. 65. concordiæ, qui etiam notat hinc colligi ex eo, quod dicuntur panum obliti discipuli morem fuisse illis, panem secum deferre, quod non rarò Dominus in desertis moram traheret. Iterumque colligi ex hac eorum obliuione, ita fuisse totos spirituali doctrinæ Christi additos, & à delitiarum appetentia alienos, vt rerum etiam necessariarum curam interdum deponerent, hoc est panes accipere sine quibus vitam exigere non possumus. Ideò verò huius obliuionis mentionem intulêre Euangelistæ, quia expositurі erant qualiter discipuli ob neglectos panes ex verbis Domini turbati fuerint.

7. *Et nisi vnum panem*] id est, nullum alium, præterquam vnum secum habebant in naui.

10. 8. *Videte & cauete*] Repetitio hæc, vel conduplicatio eiusdem rei pertinet ad epitasim cautionis, vt sit sensus, diligenter vobis cauete, & attendite: in Matthæo latinè habetur, *intuemini, & cauete*, cùm G. sit ὁρᾶτε καὶ προσέχετε, videte & attendite, sic enim προσέχετε vertit interpres Luc. 12. 1. *attendite à fermento Phariseorum*. Est autem aliud *videre*, quàm *intueri*, vt G. diuersum ἕλκειν ab ὁρᾶν. Est enim *intueri* oculorum, *videre* animaduertere. Itaque interpres per Catachresim posuit *intuemini*, pro *videte*. Eadem catachresis est apud Marcum G. ὁρᾶτε, βλέπετε. 11.

A fermento Phariseorum] fermentum nunc pro bona doctrina Matth. 13. 33. nunc pro mala sumitur, quomodo hic Apostoli ex Christo sumi intellexe-

runt. Dicuntur & praui mores fermentum à Paulo 1. Cor. 5. 8. *itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis. Non dixit autem illis manifeſtè* inquit Theophyl. Matth. 16. *cauete à doctrina Phariſæorum, vt memores eos faceret ſigni panum.*

Duplex maſſæ corruptio.

Aduerte duplicem eſſe maſſæ corruptionem, *aut enim inſipida & putida redditur malè temperato fermento; aut acida nimium, & acerba. hoc ſæpè in panibus ex fermento corruptis, deprehenſum eſt; alterum vitium Phariſæorum fermentum ſimplici doctrinæ afferebat; alterum Sadducæorum.* Porrò illud commune omni fermento eſt, vt maſſam inflet, & tumidiorem, auctioremq; reddat. *Quare & hoc nomine etiam optimè quadrat fermenti ſymbolum cum iſtarũ fractionum doctrina.* Sic Arias Matt. 16. Porrò Sadducæorum fermentum non tam acerbum, mordaxque vt Phariſæorum, quàm mucidum, putridumq; erat, ab incorrupta Dei veritate prorſus alienum: negabant hi carnis reſurrectionem Matth. 22. 23. ſpiritum Act. 23. 8. animæ immortalitatem Ioſeph lib. 18. antiq. c. 2. quæ doctrina in beluam hominem vertit, in exteros inhumanum, in ſocios ferum, voluptatibus addictum; Sadducæorum mores vide apud Ioſeph. libr. cit. & lib. 2. de bello Iudaico c. 7. iſtis ſimiles ſunt, qui dicunt: *manducemus, & bibamus, eras enim moriemur.* Sap. 2. Iſa. 22. 13. 1. Cor. 15. 32. contra hæc fermenti genera Phariſæorum, & Sadducæorum ſuam doctrinam *panem vitæ & intellectus.* Eccl. 15. 3. *azymum ſinceritatis, & veritatis.* 1. Cor. 5. 8. ex aduerſo Chriſtus promulgabat.

12. Herodes Phariſæorum

Idem Marc. 8. ait: *Phariſæorum doctrina omnis in exteriori pietatis ab ijſdem compoſita ſpecie præcipuè verſabatur; huius finis populo magis, quàm Deo probati erat. Herodis verò doctrina omnis mundana erat, humanaq; prudentia rationibus innitebatur: Tantùm religionis res curabat, quantum ad regni potentia, ac politica, vt dicitur, vitæ adminiſtrationem facere intelligebat. In vtraque parte verè pietatis virtus deſiderabatur. Ab his autem modis alienos eſſe oportet eos, qui ſanam Chriſti doctrinam quærunt: Nam ſi quid vel tantillum ex vtrouis genere admiſceatur, omnis maſſa, quæ ſimpliciſſima eſſe debet, corrumpetur.* Sic Arias. Quæ confirmari poſſunt ex Hieron. eodem loco Matth. *fermentum*, inquit, *hanc vim habet, vt ſi farinæ mixtum fuerit, quod paruum videbatur, creſcat in maſſa, & ad ſaporem ſuum vniuerſam conſperſionem trahat, ita & doctrina hæretica, ſi vel modicam ſuntillam in tuum pectus iecerit, in breui ingens flamma ſuccreſcit, & totam hominis poſſeſſionem ad ſe tradit.* Et Amos. 4. idem Hieron. ait: *in Euangelio dicitur, cauete vobis à fermento, id eſt, à doctrina Phariſæorum.* quare cùm Hieronymus & Hilarius nomine *fermenti*, intelligunt etiam legis Moſaicæ doctrinam, noluerunt interpretari hunc locum poſitum ſecundum ſenſum à Saluatore intentum, ſed iuxta ſenſum, qui ipſorum & noſtris conuenit temporibus, quibus abrogata iam lege Moſis, legis literalis doctrina & obſeruatio cœpit eſſe fermentum, fidelibus cauendum; vt meritò Paulus dehortetur Galatas à circumciſione tanquam à malo fermento: *Modicum*, inquit, *fermentum totam maſſam corrumpit.* Per fermentum igitur hîc intellige doctrinam Phariſæorum &c. quæ docebant partim inutilia, partim Dei mandatis aduerſa vt ex ſuperiori cap. 1. 13. licet non eam, qua ex Moſis Cathedra docebant, vt Matth. 23. ſuper cathedrã &c. denique ea erat doctrina Phariſæorũ, quam ipſi commenti fuerant, vt erant traditiones illæ, & mandata, doctrinæq; hominum, de quibus Matth. 15. & 23. capitibus.

Rectè igitur Theophy. Marc. 8. exponit fermentum ideo nominari doctrinam Phariſæorum, & Herodianorum, quia *amara eſt, malitiæq; veteris plena; quicumq; enim malitia inueteratus eſt, & nihil ſpirituale poteſt dicere, quod auditoris ſaucibus ſit dulce, ille fermentum habet, ac mordacem veteris malitiæ doctrinam, quæ illum obedientem ad pœnitudinem tandem ducat,* & Matth. 16. addit: *quemadmodum fermentum amarum eſt, & vetus, ita & Phariſæorum, & Sadducæorum doctrina mordet animas, amara exiſtens, & veteres ſeniorum traditiones introducens: & ſicut fermentum temperatura eſt aquæ, & farinæ, ſic doctrina Phariſæorum mixta eſt ex ſermone, & vita corrupta.* Et Euthym. Matth. 16. dicit: *doctrinam Phariſæorum, Sadducæorum* &c. *fermentum vocaſſe, vtpote acetoſam, ac marcidam.*

Hanc doctrinam Luc. 12. 1. vocat *hypocriſim*, dum ait, *attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis*, quia aliud docebant, aliud faciebant, & ita ſuo exemplo alios inſtituebant, ſeu potiùs, quia omnis eorum doctrina ad hypocriſim ſpectabat, ſed dicet aliquis, Chriſtus iubebat audiri Scribas, & Phariſæos Moſis legem explicantes. Matth. 23. *ſuper cathedram* &c. ergo audiendi ſunt hæreticorum magiſtri, cum ſacris literis conſentanea docent. Nego parem eſſe rationem. Nam illi non alios habebant tum præceptores, quàm Scribas, & Phariſæos, nunc innumeros habemus Catholicos doctores: & ideo hæretici tanquam publici hoſtes Eccleſiæ non magis, cum vera etiam dicunt, audiendi ſunt, quam Diabolus cùm Chriſtum Dei filium confitetur; qui ita quoque vitandi ſunt, vt mulier pudica, impudicum amatorem, etiam honeſtè loquentem fugit, vt argutè ſimul & verè monet Maldonatus.

14. *Hæretici fugiendi etiã cum recta docent.*

Fermento Herodis] Theophy. Marc. 8. notat Herodianos fuiſſe doctores quoſdam nuper ortos, dicentes, Herodem eſſe Chriſtum, & illi eſſe credendum. Arias Marc. item 8. declarat, quænam fuerit Herodis doctrina, vt habes ſuperius. n. 12. ſed fortè Sadducæi *Herodiani* dicebantur, quod eis faueret Herodes, aut ipſi Herodi. Sic Emman. Marc. 8. quod mihi probatur; loco *Herodis* aliqui codices habẽt, *Herodianorum*, quaſi ſecta quædam fuerit, cuius vel occaſio, vel auctor fuerit Herodes, ſiue magnus ille Antipatri filius, ſiue alius Antipas.

15. *Herodiani qui?*

9. *At illi cogitabant*] G. διελογίζοντο, propriè diſceptabant, quod Maldon. exponit, conſultabant, ſollicitique erant, non ſolùm quomodo verba Chriſti intelligerentur, ſed etiam quid acturi eſſent, cùm panes non accepiſſent. licet dubitarent Diſcipuli, quid vellet ſibi Chriſtus occurebat illis credere, quod de fermento pani admiſceri ſolito, loqueretur eis, quaſi prohiberentur Phariſæorum, & Sadducæorum veſci pane, ſtatimq; illis venit in mentem, quod panem omiſiſſent ſecum afferre ex loco vnde ſoluerant. Emmanuel, Matth. 16. explicat; *diſceptabant*, id eſt, alij in alios culpam reijcientes, cui aliquomodo videtur fauere Marcus, dũ ait; *& cogitabant ad alterutrum* &c. Equidem arbitror cùm διαλογίζονται & cogitare, & diſceptare ſignificare poſſit, apud Matth. poſitum eſſe, pro cogitare potiùs. Nam vt ex correctis bibliis patet, non eſt legendum, *cogitabant in ter ſe*, ſed *intra ſe*, vt & v. 16. Illud verò *dicentes, quia panes* &c. vel ſignificat internam locutionem, vel externam etiam, vt ſit ſenſus, cogitabant intra ſe, & dicebant adhuc intra ſe; vel, cogitabant intra ſe, & hoc ipſũ inter ſe conferebant, ſolliciti quidnam acturi eſſent. apud Marcum verò; *& cogitabant ad alterutrũ, dicentes* &c. poteſt eſſe poſitum, cogitabant, pro diſceptabant, ita tamen vt non tantùm externa diſceptatio, vel conſultatio ſignificetur, ſed interna etiam cogitatio præcedens, vel coniuncta. Nã vox illa, *ad alterutrum*, cogit nos ita accipere; niſi vel

16.

lemus illud, *ad alterutrum*, referre ad dicentes, vt sit sensus, *cogitabant*, nimirum intra se; deinde sequatur, *ad alterutrum dicentes, quia panes non habemus*, id est, quod panes non habemus, ita vt sic consultarent, ac dicerent inter se alter alteri, solliciti quid essent facturi. Neq; verò mihi multùm placet ita accipere disceptationem, quasi alter in alterum culpam conferret, potiùs disceptare, consultare erat, ac solicitos esse, quidnam facto opus esset.

17. 10. *Sciens autem Iesus*] eorum cogitationes; etenim *præcedentium iam miraculorum oblitionem declarandis ipsorum cogitationibus, hoc nouo miraculo illis exprobrat.* Neque enim etiam quod illi inter se mussitabant, audire poterat. Itaq; arbitrati sunt Apostoli illa monitione, vt cauerent à fermento Pharisæorum &c. Dominum prohibuisse, ne & ipsi panes à Pharisæis, & Sadducæis tanquam excommunicatis exciperent; & simul audita fermenti voce, & non intellecta in mentem venit illis neglectorum panum, ac veluti se accusantes, trepidátesq; dixerunt: *Panem non accepimus*, nō habemus, quid agendum? qua in re dupliciter reprehendendi erant, & quod crassè intelligerent, quod dicebatur de fermento Pharisæorū, cùm didicissent de Christo prius: Non quod intrat in os coinquinat hominem. & quod ex hac crassa intelligentia incidissent in anxiam victus solicitudinem, cum secum eum veherent, cuius potentiam iam bis experimento didicerant in rerum necessariarum subministratione. Quare data opera Christus vsurpauit obscuram fermenti vocem, vt sic daretur illi occasio, qua (dum Christi verba discipuli non intelligunt, & aliorsum transferunt) doceremur, nihil defuturum ijs, qui tota animi cogitatione Christo inhærent, licet aliqua nostra interdum negligentia desint necessaria, idq; tunc præsertim, cùm eius negligentiæ occasio studium est pietatis.

Dupliciter errabant Apostoli.

Cur Christus obscura locutus vocem fermenti vsurpans.

Quid cogitatis &c.] quasi dicat, ô pusillæ hominesfidei? quid hoc est? cur anxij cogitatis intra vos & inter vos mussitatis, quod non habeatis panes? tot præceptis instituti, tot exemplis edocti, toties admoniti nondum habetis eam, quam deberetis intelligentiam; adhuc cum Pharisæis cor habetis excœcatum. Euthy. Mat. 16. quærit cur non tũ imperauerit Dominus, quando dixerunt: *vnde nobis in deserto panes tam multi?* respondet quia *non erat æquum, vt hos coram multis confunderet, simul etiam expectans donec edito duplici miraculo grauior, & efficacior redderetur accusatio* Sic ille.

11. *Nondum cognoscitis, & intelligitis*] Interl. quasi dicat, nec mysterium intelligitis, nec virtutem in memoria habetis.

18. 12. *Nec recordamini*] Ianſen. notat apud nos hãc esse distinctionem hîc & interpunctionem, vt interrogationis finis sit, post *sustulistis*, vt sit sententia hæc: An non recordamini, quando quinq; panes fregi in quinq; millia, & quot Cophinos tunc sustuleritis? Verùm iam non rectè, inquit Ianſen. subiungitur: *dicunt ei duodecim*, non enim id agebat Dominus secundùm hanc distinctionem, vt interrogaret, quot cophinos sustulissent, sed num memores essent, quot sustulissent. Proinde respondẽdum erat, etiam Domine meminimus; Idem dicẽdum de sequente interrogatione in Marco hic v. 14. Itaq; rectiùs Græci hunc locum in Marco sic distinguntˆ; vt postea: *nec recordamini*, interrogationẽ statuant, & deinde nouam inchoent ab illis verbis: *quando quinque panes* &c. Sic enim rectè cohæret responsio cum interrogatione. Sed cum in correctis biblijs interrogatio sit post *sustulistis*, huic stãdum arbitror. Responsio verò Apostolorum non discrepat ab interrogatione. Cùm enim diceret Dominus, nonne memores estis quot cophinos, quot sportas sustuleritis? illi ostendere volentes, rem ita se habere, vt dicebat Dominus, respondérunt verum id esse, & se meminisse, duodecim semel sublatos esse cophinos, & sportas iterum septem. Matt. habet; *nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis? neq; septem panum in quattuor millia hominũ, & quot sportas sumpsistis?* G. τὸς ἄρτος τῶν πεντακισχιλίων, quinque illos panes quinq; millium, id est, in quinq; millia hominum distributos esse? eodem modo δὲ τὸς ἑπτὰ ἄρτος τετρακισχιλίων, id est, neque septem illos panes quatuor millium. Interpres sensum spectauit.

15. *Nondum intelligitis*] potentiam meam.

16. *Quare*] G. πῶς ὀυ, quomodo non?

17. *Tunc intellexerunt*] Euthym. Matt. 16. *vidisti*, inquit, *præmissam increpationem: Vide etiam fructũ eius: Excitauit enim mentem illorum, quæ dormiebat, & intellexerunt. Siquidem oportet non vbique mitè esse præceptorem, sed quandoque asperum fieri*, quæ delumpsit ex Chrysost. hom. 54. in Matth. vbi etiam ait, vtrisque remedijs istis mentem hominum indigere. Vnde & Deus vniuersum quoque orbem terrarum ita gubernat, vt modo hoc, modo illud adhibeat, nec secunda semper concedat, nec aduersa per se sola esse permittat. 19. *Reprehensio in fructus.*

18. *Et venũt Bethsaidam*] hanc historiam solus Marcus narrat. Erat autem Bethsaida patria Petri Andreæ & Philippi, & secundùm Chysost. ho. 9. Iacobi, & Ioannis, de qua sic Brocardus p. t. c. 5. §. 6. Nephthalim, *tribus leucis in angulo maris Galilææ, vbi idem curuari incipit ab Aquilone contra Austrum, sita est Bethsaida ciuitas Petri Andreæ, & Philippi.* Sic ille. 20. *Bethsaida.*

Vt illum tangeret] non satis videtur habuisse fidei, sed existimasse Christum nisi tangendo curare non posse iuxta Theophyl. sententiam, aut consuetudine ducebantur, vt vult Maldon. quod consueuerat Christus his, quos curabat manus imponere. Beda Marc. 8. *rogabant*, inquit, *eum vt illum tangeret, scientes, quia tactus sicut leprosum mundare, ita cæcum illuminare valeret, tangimus autem Dominum cùm nos fide integra, & syncerè adhærentes ei quem profectò tactum nobis esse saluberrimum exemplo mulieris quæ fimbriam, felici audacia, tetigit, edisimus: tangit nos Dominus cùm mentem nostram afflatu sui spiritus illustrat, atque ad agnitionem nos propriæ infirmitatis, studiumq; bonæ actionis accendit.* 21. *Quomodo tangimus Christum, vt sanemur: quomodo tãgamur à Christo.*

19. *Eduxit eum extra vicum*] Sed quare, inquies, cum, vt dicitur Ioan. 1. ciuitas esset Bethsaida, vicus vocatur? Respondeo, dici vicum G. κώμην ob paruitatẽ, erat enim parua ciuitas, præsertim, quia fortassis κώμη græcum nomen paruis ciuitatibus tribuebatur, quomodo etiam Bethlehem parua ciuitas Ioann. 7. κώμη dicitur. vel fortè verior ratio est, quod olim vicus fuisset; A Ioanne verò dicitur *Ciuitas*, quod ex vico in ciuitatem esset conuersa teste Iosepho lib. 18. antiq. c. 3. vbi scribit; Philippum vico Bethsaidę in ripa lacus Geneſareth speciem vrbis addidisse frequentato incolis, & aucto opibus, & Iuliæ Cæsaris filiæ cognomen esse voluisse. Vocata est enim Bethsaida, etiam Iulias. 22.

Iterum rogabis, cur cæco visum restituturus extra vicum illum extraxerit Christus? Respondeo potuit id humilitatis causſa esse factum, vt imitaremur exemplum fugiendæ iactantiæ. Theophyl. tamen & Euthym. cum alijs propter incolarum incredulitatem factum id putant. Sic enim scribit Theoph. Marc. 8. *Apparet Bethsaidam incredulitate multa laborasse, ideo & miseram eam dicit Christus: Væ tibi Chorozain, væ tibi Bethsaida* &c. *huc igitur cùm venisset Iesus adducunt ad eum* 23. *Cur eduxit cæcum extra vicum.*

Vera interpunctio textus, & sensus legitimus.

cæcum.

cæcum. Non erat pura adducentium fides, vnde & Dominus educit cæcum de pago, & sic sanat illum. Euthym. verò Marc. item 8. non enim, inquit, vici illius incolæ digni erant, vt fieri viderent huiusmodi miraculum. nam cùm multa alia vidissent, manserãt increduli. Idem habet Victor Marc. 8. potest etiam dici è vico eduxisse, ne ab irruẽte turba opprimeretur. Beda Marc. 8. spirituali sensu, apprehendit, inquit, manum cæci, vt eum ad exequutionem bonæ operationis, quam pro diutina cordis obscuritate non noverat, confortaret. Eduxit extra vicum vt à vita vulgari segregatus voluntatem sui conditoris, qua illuminari mereretur, liberius sedulo corde scrutaretur. Intelligit enim Beda in hoc cæco paulatim curato, illuminationem designari cordium stultorum, ac longè à via veritatis aberrantium.

Observatio moralis ex Beda.

Miraculum in miraculo.

Expuens in oculos eius] *Miraculum*, inquit Arias, *in miraculo vt hebraicè dici solet. Nam sputum humanum nocet magis oculis, quam prosit, ob excrementosam, atque viscosam vim. Sed vt ostendatur magna Iesu virtus, in quo nihil erat saluti afferendæ repugnans*, quod dictum Ariæ, quamuis verum sit, tamen vt sputo humectatur lingua prout diximus c 3. n. 13. schol. ita caligantes, vel lippientes oculos sputum detergit, & purgat, & ideò non mirum, si ad detergendum, quasi oculos sputo vsus fuerit, quasi significans quod sequuturum esset, nimirum oculorum depurgatus aspectus atque visus omni caligine, vel lippitudine deposita clarus, quamuis saliua, non quia humana, quia tamen Christi erat, cæcum curauerit.

24.

Impositis manibus suis] Auctor commentariorum in Marc. homil. 9. quod opus tribuitur Chrysost. licet doctiores negent Chrysostomi esse, significat, Christum antequam amoueret manus à cæci oculis, rogasse num quid videret, atque in eo fuisse miraculum, quod impositis super oculos manibus videret cæcus. Verùm nunc impositas fuisse manus dicit Marcus, sed supra oculos non dicit. deinde credibilius est supra oculos imposuisse prius manus, statimque amouisse interrogato cæco nũ videret, iterumque imposuisse, vt perfectè visum restitueret. Ergò cùm Marcus ait, *impositis manibus interrogauit si quid videret*, græcum participium ἐπερωτήσας, accipi debet pro ἐπερώτας, cùm posuisset. Beda Marc. 8. ait: *de sputo oris Domini, quod gratiam spiritus eius designat sæpè dictum. De tactu manuum eius quod virtutem adiutorij ipsius insinuet nulli dubium. Sputum quippè abintus de capite Domini procedit: manus verò sunt membra corporis exterius posita. Expuens ergo in oculos cæci Dominus, imponit manum suam vt videat: quia cæcitatem generis humani, & per inuisibilia diuinæ pietatis dona, & per exhibita foris Sacramenta assumptæ humanitatis, absterfit.* Euthym. Marc. 8. ait: *sputo ac manibus hunc sanat, ostendens quod sermo coniunctus operibus, miraculum operari potest, sermonis quidem signum est sputum: vtrumque enim ab ore egreditur, operis verò manus: sermonem autem dico laude dignum similiter & operationem.* Sic ille.

Observatio moralis.

20. *Video homines velut arbores ambulantes*] *ambulantes* ad *homines* refer, non ad *arbores*, quia græcum δένδρα, quod significat *arbores*, neutri generis est, & περιπατοῦντας, id est, *ambulantes* masculini. Cùm verò dixit, *video homines velut arbores*, ostendit se videre, quamuis imperfectè, quia nec sciebat verè, an homines essent, quos videret, velut arbores. Conijciebat tamen homines esse, quos ambulantes videret, cùm tamen prius nihil videret. Idem autem est sensus G. *video homines, quoniam velut arbores video ambulantes. Ex his verbis collige hunc non fuisse à natiuitate cæcum, noverat enim arbores. Et aspiciens*] Gr. καὶ ἀναβλέψας, cùm oculos sustulisset. significatur gestus, habitusq; attollentis oculos vt exploraret num quid videret.

A

Beda Marc. 8. sic hunc locum spiritualiter tractat. *primò*, inquit, *is qui curabatur, videbat homines velut arbores ambulantes, hoc est, formam quidem corporum inter vmbras aspiciens, sed nulla membrorũ lineamenta visu adhuc caligante discernere valens, quales condensæ arbores à longè spectantibus, vel certè in luce nocturna solent apparere, ita vt non facilè arbor, an homo sit, possit dignosci. Quia primus nimirum cuiq; virtutis introitus est, hominum vitam, moresq; cæterorum inspicere, vt quidquid vspiam boni viderit imitetur, quidquid mali caueat, ac detestetur. Sed quis quis ita desipit, ac longi temporis obscuritate depressus est, vt inter bonum & malum, fidem & perfidiam, syncera pietatis opera, & simulationem adhuc iustitiæ discernere nesciat, quasi ambulantes homines instar arborum cernit, quia facta multitudinis absq; luce discretionis videt. Et quid talibus superest, nisi vt diuina dignatio, quæ ei curam hominis considerandi tribuit,* B *etiam donum conferat discernendi, quæ maximè hominum vita sequenda, quorum sit audienda doctrina? vnde aptè dicitur, quia secunda impositione manuum suarum Dominus ei lucem clare omnia videndi restituerit. Clarè namq; videt omnia qui cæcus fuit, cùm is, qui illuminari nitus meruit, manifestè didicerit, quomodo credendum, qualiter viuendum, quæ profide veritatis, atq; operatione iustitiæ præmia sint in futuro speranda.*

25. Observatio moralis.

21. *Et restitutus est ita, vt clarè videret*] clarè Græcè est, τηλαυγῶς, quod componitur ex τῆλε eminus, & αὐγὴ quod lucem ac splendorem significat, quare latinè quidam duabus vocibus exprimunt, eminus & dilucidè. Beda loco citato sic scribit: *Ideo cæcum hunc Dominus paulatim curat, quem vno mox verbo si vellet, poterat curare, vt magnitudinem humanæ cæcitatis ostenderet, quæ quasi pedetentim,* C *& per quosdam profectuum gradus ad lucem diuinæ visionis solet peruenire, seu vt suæ nobis gratiæ crebra daret indicia, per quam singula nostræ perfectionis incrementa, vt proficere aliquid possint, nec deficiant, adiuuat.*

Theophyl. Marc. 8. aliam assignat causam sic scribens: *quia neq; cæcus ille perfectam habuit fidem: idcirco non statim ipsum respicere facit, sed sensim, vpote integra carentem fide. Iuxta fidei enim magnitudinem, & sanitas datur.* Idem habet Euthym. qui habet, ideò eum interrogasse, si quid videret, *vt qui parum adhuc respiciebat per modicũ aspectum crederet, ac sanaretur perfectius: sapiens enim erat Medicus* &c. & subdit, augmẽtum fidei, augmẽtum promeruit sanitatis. Maldonato etiam & illum placet, voluisse, vt cæcus beneficium, quod accipiebat, sanitatis, dum paulatim sibi conferebatur, pluris faceret. Docemur & hinc Dominum rogatum non illicò dare omnia, sed paulatim nonnunquam sua dona rogantibus impartiri, quò languens sæpè nostrum desiderium, & paruam fidem accendat.

26. Observatio moralis.

22. *Misit illum in domum suam*] Hæc verba nec Græcè, nec Syriacè leguntur, sed non sunt omittẽda & optimè quadrant cum sequentibus, subditur, si vt domum eas, illac transibis, de miraculo nil ibi dixeris. quare miserit, abire iusserit domum, inquit Maldon. sequentibus intelligitur, ne si in proximam iret vrbem, quæ Bethsaida dicebatur, aut huc illuc vagaretur, miraculum euulgaret. Ex his verbis constare videtur cæcum hunc non habitasse Bethsaidæ, alioquin non diceretur illi, *& si in vicum introieris nemini dixeris.*

Si in vicum introieris] Græci codices hic variant, inquit Gagnæus, quidam habent μηδὲ εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς μηδὲ εἴπῃς τινὶ ἐν τῇ κώμῃ, id est, neque in vicum ingrediaris, neque cuiquam in vico dixeris. Noster autem interpres videtur

Digitized by Google

Observatio moralis.

aliter legisse, & melius, vt habes in biblijs correctis. Beda quod eum ait in domum suam ire præcepit, *mysticè admonet omnes, qui agnitione veritatis illustrãtur, vt ad cor suum redeant, & quantum sibi donatum sit solicita mente perpendant, collatisque sibi beneficijs digna operum exequutione respondeant.*

27. *Nemini dixeris*] Assignant caussam Theophyl. & Euthym. Marc. 8. incredulitatem ciuium Bethsaidæ, & vt ne in credulitate sua perseuerantes illi in grauius inciderint Iudicium. quæ secunda ratio est Theophyl. cui Euthym. addit tertiam, ne fidem eius peruerterent; Aliam caussam attigit Beda loco indicato, *quod exemplum suis tribuere voluerit, vt ne de his, quæ faciunt mirandis fauorem vulgi requirant.* Illud multum in Theophyl. commendo, quod bonis moribus fructuosum est: *nos*, inquit, *quamdiu in hoc pago, id est, in mundo agimus, animo sumus cæci, educti autem de mundo, & sæcularibus negotijs à Christo sanamur. Postquam autem sanati fuerimus, dicit nobis, non vt vltra reuertamur in pagum, sed in domum; domus autem vniuscuiusq; nostrũ cœlum, & mansiones, quæ illic sunt,* & de hoc capite satis.

Observatio moralis.

CAPVT VI.

In festo SS. Petri & Pauli.

PETRVS CHRISTVM CONFITETVR, PRAEDICIT CHRISTVS ET PASSIONEM, ET resurrectionem, & multa fidei documenta docet.

A. 16. 13. B. 8. 27. C. 9. 18.

B. Egressus est Iesus. A. in partes.

C. Quem me dicunt esse turbæ? B. Quem me dicunt esse homines?

V.1. A. *Venit autem Iesus,* B. *& Discipuli eius in Castella Cæsareæ Philippi.* 2. C. *Et factum est cùm solus esset orans, erant cum illo & Discipuli: & interrogauit illos* B. *in via,* C. *Dicens: quem dicunt homines esse filium hominis?*

3. *AT illi dixerunt: Alij* A. B. C. *Ioannem Baptistam, Alij verò Heliam,* A. *alij verò Ieremiam,* C. *Alij verò, quia vnus Propheta de prioribus surrexit.*

4. A. *Dicit illis Iesus: vos autem quem me esse dicitis?*

5. *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es CHRISTVS filius DEI viui.*

6. *Respondens autem IESVS: Dixit ei: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.*

7. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

8. *Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram erit solutum & in cœlis.*

9. *Tunc præcepit, & comminatus est Discipulis suis ne cui dicerent, quia esset Iesus Christus.*

10. *Exinde cœpit Iesus ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati* B. C. *& reprobari* A. *à Senioribus, & Scribis, & Pontificibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.*

11. B. *Et palam verbum loquebatur;* A. *assumens eum Petrus cœpit increpare eum dicens: Absit à te Domine; non erit tibi hoc.*

12. *Qui conuersus, &* B. *Videns discipulos comminatus est Petro, dicens:* A. *Vade post me Satana scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum.*

13. *Tunc Iesus* B. *conuocata turba cum discipulis suis, dixit eis:* A. C. *si quis vult post me venire abneget* A. B. C. *semetipsum, tollat crucem suam* C. *quotidie,* A. B. C. *& sequatur me.*

14. *Qui enim voluerit animam suam saluam facere perdet* A. B. *eam: qui autem* A. B. C. *perdiderit animam suam propter me* B. *& Euangelium* A. *inueniet eam.*

15. *Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?*

16. *Filius autem hominis venturus est in glo. ia Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuiq; secundùm opera eius.*

17. *Qui enim me confessus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera, & peccatrice, & filius hominis confundetur eum, cùm venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis.*

18. *Et dicebat illis:* A. B. *Amen dico vobis* B. *quia* A. B. *sunt quidam de hic stantibus* A. B C. *qui non gustabunt mortem donec videant* A. *filium hominis venientem in regno suo.*

C. At ille increpans illos præcepit ne cui dicerent hoc, dicens: quia oportet filium hominis multa pati &c. B. Et à summis Sacerdotibus.

B. Si quis vult me sequi deneget semetipsum. C. Illam. nam qui &c. B. Cælum facient. B. eam. C. illam. C. Quid enim proficit homo si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat. C. Nam qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cùm venerit in maiestate (sua) sua & Patris & sanctorum Angelorum. C. Dico autem vobis verè, sunt aliqui hic stantes B. donec videant regnum Dei venientem in virtute. C. Donec videant regnum Dei.

Digitized by Google

SCHOLIA.

1. MAtthæus ait, post superiùs enarrata venisse CHRISTVM in partes Cæsareæ Philippi, Marcus verò habet, egressum in castella Cæsareæ fuisse. G. εἰς τὰς κώμας, id est, in vicos, & oppida circumiacina Cæsareæ, nimirũ pedibus peragrabat loca illa, mundi Redemptor, docendo, & quas lucraretur animas quærendo. Venit] ἐλθὼν, cùm venisset.

2. Cæsareæ Philippi quæ? *Cæsareæ Philippi*] Quænam fuerit hæc Cæsarea Philippi declarat Hieronymus. Matth. 16. dum scribit. *Philippus iste est frater Herodis tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionum: qui in honorem Tiberij Cæsaris Cæsaream Philippi, quæ nunc Paneas dicitur, appellauit, & est in Prouincia Phœnices; imitatus Herodem Patrem, qui in honorem Augusti Cæsaris, appellauit Cæsaream, quæ prius turris Stratonis vocabatur (eadem Cæsarea Palestinæ dicta quoque est) & ex nomine filij eius, Iuliadem trans Iordanem extruxit. Ille locus est Cæsareæ Philippi, vbi Iordanis oritur ad radices Libani, & habet duos fontes, vnum nomine Ior, & alterum nomine Dan: qui simul missi Iordanis nomen efficiunt.* Eadem habet Beda, Marc. 8. Matt. 16. & hom. in hoc Euang. simili a Euthym. Matth. 16. Vide Ioseph. l. 1. de bello Iudaic. c. 16. & lib. 15. antiquit. c. 13.

3. Duplex Cæsarea. illa vetus Cæsarea ab Herode magno amplificata ad litus Maris mediterranei inter Doram, & Ioppen sita erat. Altera verò recentior (ante ingressum Israelitarum dicta Lesem, vel Lais) à Philippo aucta, & ornata postea magis à Rege Agrippa, vt Neroni adularetur, Neronia est appellata. Teste Ioseph. libr. 20. antiquit. cap. 8. Illud verò quod Hieronym. dixit supra numero secundo. hanc recentiorem *Cæsaream* nunc *Paneadem* vocari, non ex obliuione sanctissimo viro excidit, sed dictum puto, quia deleto adulatorio illo nomine *Cæsarea*, credibile est restitutum fuisse illi priscum *Paneadis* nomẽ. Erat porrò sub finem regionis Iudæorum septemtrionem versus. Duo namq; erant termini regionis Iudæorum, ad austrum alter, Bersabee dictus; alter ad septemtrionem, Dan vocatus 2. Reg. 3. 10. & 17. 11. *à Dan vsque Bersabee.* Cæsarea ergo Philippi prope Dan erat, vt idem Hieronym. asseuerat lib. de loc. Hebr. his verbis: *Dan viculus est, in quarto à Paneade miliario euntibus Tyrum, terminus Iudææ contra septemtrionem.* Vide illum. Hæc ergo Paneas dicta est *Cæsarea Philippi* finitima regioni Iudæorum, Iudæis, & Syris simul habitata. Iter igitur fecit Christus Dominus septemtrionem versus in extremas Iudææ oras. *Procul enim*, vt inquit Theophyl. *à Iudæis abducit discipulos; vt nullum timentes liberè, ac fidenter dicãt* idem habet Euthy, Matth. 16. Commodè ergò circa hæc loca discipulos rogat, quid de se vulgus, & ipsi sentirent, vt longiùs à Iudæis positi liberè responderent, quæcumq; sentirent, & falsa relinquerent, & veris inhærerent ab ipso edocti.

4. Quomodo concilientur Euangelistæ. 2. *Cùm solus esset orans*] G. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν προσευχόμενον κατὰμόνας. Marcus verò scribit in via fuisse Dominum, cùm hæc interrogaret. Quomodo igitur dicit solùm fuisse Lucas? quomodo & interrogare potuit, si orabat? Maldon. putat ex August. libr. 2. de consensu Euang. cap. 53 in ipsa via, antequam ad locum, quo tendebat perueniret, solum in aliquem ad orandum locum à via deflexisse: mox absoluta oratione cœpisse pergere, atq; tum discipulos interrogasse. Illud autẽ, *cùm esset solus orans*, ex græco textu, & phrasi hebraica explicat idem esse ac postquam orasset solus. Nam illud ἐν τῷ εἶναι &c. significat, *postquam* iuxta hebraic. quo τὸ in idem valet aliquando, ac

A *postquam*, vt, *in conuertendo Dominus captiuitatem.* id est, postquam conuertit, quod nos etiam italicè dicimus, in absoluendo prandio veniam ad te, id est, postquam perfecero, absoluero, itaq; Græcum ἐν, idem est, ac *postquam.* Rectè hæc dicuntur, sed mihi magis placet dicere, Dominum inter eundum orasse præcedentibus, vel sequentibus illum Discipulis; vt nos doceret, etiam in via secreto cum Deo agere, quamuis socios itineris habeamus. Sic Bernard. sic sanctissimi illi præsules dum iter conficiebant, vt oues inuiserent, quamuis socios itineris haberent, vel illos præcedebant vel subsequebantur, Deum interim orantes inter eundum, vt ne lacum quidem aduerteret aliquando Bernard. quem transibat. Deinde est hoc conformiùs Marco, qui hanc historiam narrat accidisse in via, immò, & Lucæ, qui ita solùm scribit fuisse, vt essent cum illo & Discipuli eius, & eos interrogasse. Itaq; cùm solùm dicit, non negat fuisse vel præcedentes, vel
B subsequentes eius cum eo discipulos, sed ita cum illis iter confeciſſe, vt interim tacitus oraret paulò semotior à suis, verum iter agens, ac post orationem assequutum suos, vel se illis adiungentem rogasse; *quem dicunt homines* &c. Tanti enim mysterij interrogationem, ac responsionem debebat præcedere ardens ad Deum oratio, cuius etiam efficacitas in confessione Petri ostensa est.

Illud verò maximè probo in Maldon. quòd per hebraismum ἐν apud Locam, pro, *postquam* sumit. Quare sic hæc verba exponemus: *Cùm esset solus orans*, nimirum postquam solus orasset. Hæc expositio est etiam secundum Augustinum eodem loco, vbi ait; *Sed potest illud mouere, quod Lucas, Dominum interrogasse Discipulos suos, tum dixit, cùm esset solus orans, & adessent etiam ipsi. Porrò autem Marcus in via dicit illos hoc ab eodẽ interrogatos; sed eum mouet, qui putat, quod nunquam orauit in via.* 5.
C Ergò secundùm Aug. hoc loco 2 de consens. 53. Inter eundum orabat potiùs, quàm diuertens ab itinere solus in aliquo loco. Idem clariùs affirmat Euthy. simul iter feciſſe, & simul orasse, neq; quidquam dicunt Euangelistæ de diuerticulo hoc ad orandum. potest tamen intelligi *in via*, id est, eo tempore, quo iter faciebant, licet non semper ambularent, sed interdum quiescerent: primum tamen magis probo.

Quem dicunt homines] quos homines vocat Mat. 6.
Lucas *turbas* dicit, harum enim sensum exquirebat Christus, non Scribarum & Pharisæorum. Itaq; idẽ est, *homines*, quod *vulgò* per Hebr. Dicũt enim Hebræi virum, aut hominẽ, id est, quemlibet vt Matt. 5. 13. *Ad nihilum valet vltra, nisi vt proijciatur foras, & conculcetur ab hominibus*, id est, à quolibet prætereunte, vel vulgò; neq; enim Scribarum, &
D Pharisæorum sententiam de Christo opus erat repellere, vt quæ ipsis operibus per se se nimis apertè redargueretur. Turbarum autem & vulgi opinio, quæ à malitia libera erat, & videri poterat aliquid habere probabilitatis corrigenda erat. Sic sentit Chrysost. hom. 51. in Matt. *Populi*, inquit *opinionem quærebat. quoniam etsi deiectior esset, procul tamẽ ab omni erat malitia, qua Pharisæi & Scribæ maximè peruertebantur*: quos constabat, nihil boni de ipso prædicare.

Quem dicunt homines esse filium hominis?] Hæc 7.
est vera lectio, quam habent ferè omnes codices latini, & auctores, licet Epiphanius in Anchor. Theophyl. & fortè Hilarius legant, *quem me dicũt homines esse filium hominis?* & G. sic etiam passim legitur τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι, τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; credunt nonnulli τὸ, *me*, de margine irrepsisse in textum, positum autem fuisse in margine, vt explicaretur, quisnam esset iste filius hominis. Sunt etiam qui legant, *quem me dicunt homines esse?* vt

clariùs fortassis constet de se loqui. Lucas non Christi verba retulit vt Matth. sed sensum, dum narrat Christum rogasse: *quem me dicunt esse turbæ?* D. Hieron. reddit rationem cur se filium hominis vocarit, scribens Matt. 16. *non dixit: Quem me dicunt esse homines, sed filium hominis; ne tactanter de se quærere videretur. & nota quod vbicumq; scriptū est, in veteri testamento; filius hominis, in Hebræo, filius Adam, positum est; illud quoque quod in Psalmo legimus filij hominum vsq; quo graui corde: in Hebr. dicitur, filij Adā.* Articulus verò Ὁ, additus ad υἱὸν, non debet explicari quasi significet illum filiū hominis, nempè à Prophetis demonstratum, & singulari quapiam ratione ab alijs separatum, cum modestiæ caussa semper se *filium hominis* vocet, & quidem in tertia persona. Quare articulus græcus *hic* significat ipsum non loqui de quolibet filio hominis, sed de certo quodam, id est, de se. Origen. tract. 1. in Matth. notat, debere nos inquirere, qualem de nobis homines habeant sermonem, vt si quid mali intellexerimus emēdemus, si q̄d verò boni, augere illud studeamus. præsertim id ad maiores pertinet, & præsules quorū vita in omniū oculis posita est.

Cur hic se filium hominis vocat?

Origenis dictum morale.

8. Cur hæc interrogarit Christus, cùm sciret.

Quærunt hic interpretes, cur petierit quod nouerat? Respondet Cyrill. l. 9. Thesa. c. 4. huiusmodi interrogationibus, qualis est Ioan. 11. *Vbi posuistis eum?* Et Matt. 16. *quem dicunt homines esse filium hominis?* vsum fuisse Christū ad indicandā humanæ naturæ ignorantiam, nempè secundùm se, & vires nāturæ debitas. quomodò etiam dixit Basil. ep. 141. voluisse interdum Christum in Euangelio cum ignorantibus numerari propter infirmos. Potest & ex Fulgen. ad Trasimun. l. 3. responderi, *ad hanc vnitatem personæ sine vlla confusione vtriusq; substantiæ cognoscendam, interrogat Discipulos, quem dicunt homines &c. cumq; illi opinionem vulgi protinus indicarent, tunc propria ab eis qualitas veræ fidei expetitur, vt erroris humani falsitas auferatur.* cui consonat Iansen. cū ait; *interrogasse, idq; prius vulgi de se sentētiā, ac deindè discipulorū, nō quod eā ignoraret, sed vt relata vulgi de se incerta sentētia, ac recta ipsorū existimatione audita, & vulgi incertas opiniones reiiceret, & eos in fide recta cōfirmaret, quod hoc potissimū tempore erat necessariū, cùm tempus adforet, vt fidē illis prædiceret passionem*, nec longè discrepat Damasc. ora. de Dominica transfiguratione, & Isidorus Pelusiota lib. 1. ep. 235. & Victor Marc. 8. *primo omnium vulgi sententiam exquirit, vt aliorum de se iudicia depromentes, posteaq; quid ipsimet de Christo sentirent interrogati per interrogationis modum, in sublimiorem sensum assurgerent, apud se decernētes, par non esse vt ipsi aquè abiectè, & humiliter de illo iudicarent, atque cæteri mortalium. propter hoc ipsum quoq; non in ipso mox prædicationis initio, sententiam illorum exquirit, sed post multa demūm miracula, & multa de rebus sublimibus, suaq; diuinitate vltro citroq; agitata, & disputata.*

9. Beda aliam etiam affert rationem in hom. *ideo*, ait, *quid alij de se sentiant, inquirit, vt expositis primo sententijs errantium, discipuli probarentur veritatem suæ confessionis, non de opinione vulgata, sed de ipso percepisse Dominicæ reuelationis arcano.*

10. 3. *Alij Ioannem baptistam*] Cur alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij Ieremiam putauerint, parum refert scire; arbitror tamen putasse aliquos Ioannem surrexisse, & ipsum esse Christum: legerant enim mortuos aliquos fuisse suscitatos, & nonnullos à Christo viderant: quia ergo Ioannes erat vir sanctus, & iniustè occisus, facile potuerunt credere illum surrexisse, vt Herodis scelus vindicaret. Heliam vero sciebant ex Malach. 4. 5. venturum, atque adeò credebant ipsum nunc apparuisse, cum tempus iam esset aduentus Messiæ, tunc enim illum venturum arbitrabantur. Ieremiam verò ab alijs putabatur esse Christus, fortè propter similitudinem spiritus, & libertatem homines reprehendendi, quam in Christo maximè animaduertebant eminere. quod verò ex Iosepho Bengorionis affert Iansenius, Ieremiam esse venturum: fabulæ videtur simile. Totus enim iste Iosephus, qui descripsit hebraicè historiam Iudaicarum rerum à captiuitate Babylonica vsque ad Pilatum, fabulosissimus est, inquit Maldonatus. Alij vnum aliquem antiquorum Prophetarum esse credebant in carne reuersum.

Iosephus Bēgorionis fabulosus.

Veram autem resurrectionem intellexisse, & non μετεμψύχωσιν Pythagoræorum diximus libr. 4. cap. 18. numer. 9. Quare Caietani sententiam Matth. 16. & Iansenij hic, & cap. 16. concordiæ, qua existimant putasse Iudæos animam vel Ioannis, vel Ieremiæ in Christi corpus migrasse iuxta Pythagoræ μετεμψύχωσιν, vel παλιγγενεσίαν (quam eamdem habuit Baronius in annalibus anno trigesimotertio) falsam arbitror. certè Matth. 14. dicitur clarè de Ioanne Baptista; *ipse surrexit à mortuis.* Nota enim erat Iudæis resurrectio, putabant quidem illi in sua corpora remigraturas animas, sed meliora; vt non sit mirum, quod Christum Ioannem fuisse crediderint, licet corpus CHRISTI non eadem cum corpore Baptistæ habere lineamenta cernerent. Ioannem enim nouerant.

II. Contra μετεμψύχωσιν.

Ambrosius libro septimo in Lucam sic scribit: *refert quid sibi velit quod non alium turba opinabatur, nisi vt Eliam, aut Ieremiam, aut Ioannem Baptistam; & Eliam fortè, qui raptus ad cœlum est; sed non Elias CHRISTVS, ille rapitur, iste regreditur. ille inquam rapitur per turbinem, iste rapinam non arbitratus est esse se æqualem DEO, ille petitis ignibus vindicatur, hic persecutores suos maluit sanare, quàm perdere. cur autem Ieremiam putabant? fortasse quia sanctificatus in vulua est, sed non hic Ieremias. Ille sanctificatur, iste sanctificat. Illius sanctificatio cœpit ex corpore, hic sanctus ex sancto. Cur etiam Ioannem putabant, nisi fortè quia in matris vtero positus Domini præsentiam sentiebat? Sed non hic Ioannes. Ille adorabat in vtero, hic adoratur. Ille baptizabat in aqua, CHRISTVS in spiritu. Ille pœnitentiam suadebat, hic peccata donabat.*

12.

Sed cur inquies, recentem aliquem Prophetam esse non existimabant potiùs, equidem opinor tantam miraculorum magnitudinem, tātam vitæ sanctitatem, tantam doctrinæ excellentiam arbitratos non esse potuisse ab alio, quàm ab insigni quopiam ad viuos reuocato, vel certè apparente, nam Elias mortuus nondum fuerat. hinc est, quod Mat. 14. dixit Herodes de Ioanne Baptista: *ipse surrexit à mortuis, & ideò virtutes δυνάμεις operantur in illo.* Ex qualiter ex miraculis Christum Ioannem esse colligit.

13.

Sed roget quis cur non retulerint Apostoli eorum iudicium, qui censebant Christum esse Messiam? Abulens. ait: ideò id non commemorasse Apostolos, quia defixis, & constantibus vulgi opinionibus loquebantur; cuiusmodi non erat opinio quod Christus esset Messias, sed certè magis constans, ac stabile videtur fuisse apud plures, quod Christus esset Messias, quàm quod esset Ieremias, vel Elias &c. Hinc Matthæi 12. 23. *numquid hic est filius Dauid?* & Lucæ 7. *Propheta magnus surrexit in nobis*, hoc est, Messias. Ioann. 6. *hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* Vera responsio est, quia videntur Apostoli voluisse ineptas, ac falsas vulgi opiniones referre, & ideò hanc tanquam veram noluerunt

14. Cur nihil dictum de opinantibus ipsum esse Messiam.

numerare

numerare cum falsis, præsertim cùm hæc sententia esset non tam vulgi saltem stabilis, & perseuerans, quam discipulorum Christi dignè, ac verè de Christo sentientium, erant enim multi Discipuli Christi, vnde meminit Lucas aliquando turbæ Discipulorum. nec verum est quod addit Abulensis, Christum non præbuisse auxilium Iudæis, vt crederent ipsum esse Messiam, ne suam mortem impedirent, nam id de sufficiente auxilio intellectum, falsum est.

Contra Abulens. in.

15. Sed quid sibi vult quòd Petri vox hic non exauditur? Respondet Ambros. libr. de Incarnat. Domini Sacram. cap. 4. *Cùm interrogasset*, inquit, *Dominus quid homines de filio hominis æstimarent, cùm diceretur vulgi sententia, Petrus tacebat. Taces ergo Simon, & reprehendentibus alijs adhuc taces, cùm ipse sis primus, qui etiam non interrogatus interrogas, nec times, ne reprehendaris à Domino, quia non respondes interroganti? Idcò, inquit, non respondeo, quia non interrogor meam, sed alienam sententiam. legi enim vt non loquatur os meum opera hominum.* Psalmo 16. 5 *Opus autem est perfidorum perfidias prædicare. Ergo taceo adhuc, quia nondum id, quod sentio, interrogor, non proferam labijs, quòd animus non probauit. Erit tempus quando respondeam, interrogabor, & ipse quid sentiam, tunc demum respondebo quod meum est. meum est enim fidem loqui, pietatem asserere, gratiam prædicare. non igitur quasi pigrior, voce tardior, tacet, nec quasi fastidiosus differt vocis obsequium, sed quasi cautus periculum vulgaris opinionis euitat, qui periculum non euitabat salutis. denique in posterioribus habes, quia exiluit de naui vt occurreret Domino, non gloriæ cupidus, sed obedientiæ præmaturus.*

Petri vox.

16. 4. *Vos autem quem me esse dicitis*] D. Hieronym. sic: *illis quia homines sunt humana opinantibus, vos qui estis dij, quem me esse existimatis?* itaque secundùm Diuum Hieronymum discipulos hominibus opponens, ipsos Deos tacitè appellare videtur, sed hoc ab Hieronym. vt piè dictum accipi debet. Chrysostomus verò homilia 55. in Matthæum sic: *Vos qui mecum semper versantes plura me fecisse vidistis; qui meo nomine complures virtutes ipsi quoque fecistis, quem me esse dicitis?* Vult ergò Chrysostomus discipulos per hanc interrogationem ad sublimiorem de se opinionem CHRISTVM extulisse: sic enim ait: *hac secunda interrogatione monuit Dominus discipulos vt maiora de ipso cogitarent.* ipso enim interrogandi modo ostendit illas vulgares opiniones multùm à sua dignitate abesse, quod & Euthymius Matthæi 16. significat; *Cùm diceret*, inquit, *illis; vos autem quem me esse dicitis, significauit turbas non rectè dicere.*

17. 5. *Respondens autem Simon Petrus*] Ambros. lib. de Incarnat. Domin. Sacram. cap. 4. sic ait: *hic ergo*, Petrus, *qui ante reticebat, vt doceret nos, quod impiorum nec verbum debeamus iterare: hic, inquam, vbi audiuit, vos autem quid me dicitis? statim loci nõ immemor fui, primatum egit, primatum confessionis vtique, non honoris, primatum fidei, non ordinis. hoc est dicere: nunc nemo me vincat, nunc meæ partes sunt, debeo compensare quod tacui, debet prodesse quod filui, lingua mea non habet spinas, sine impedimento fides debet exire, dum alij cœnum alienæ licèt, prolatæ tamen impietatis euacuant, quia aut Eliam, aut Ieremiam, aut vnum ex Prophetis Christum dixerunt. habuit ista vox cœnum, habuit ista vox spinas: dum alij in hoc lauãt cœnum, dum in alijs euodantur spinæ, vox nostra filium Dei Christum resultet. mihi est sermo cui nullas spinas expressas reliquit impietas.*

18. Sed numquid Petrus nomine omnium discipulorum respondit? Patres ita videntur sentire. nam D. Hieronym. Matt. 16. *Petrus*, inquit, *ex persona omnium Apostolorum profitetur, Tu es Christus filius Dei viui.* Diuus Ambrosius libro de Incarnatione capite 4. *Petrus*, ait, *respondit præcæteris Apostolis, immò pro cæteris.* Diuus Augustinus sermone 13. de verbis Domini dicit: vnum pro omnibus respondisse. Diuus Anselmus affirmat eamdem voluntatem fuisse omnium Apostolorum, Petrum tamen pro omnibus respondisse. Gloss. interlinearis, *Sciunt*, inquit, *Apostoli, sed Petrus respondet pro omnibus*, & Chrysostomus in hunc locum, Victor item Marc. 8. Petrum dicunt Apostolorum os fuisse. Fauet & ratio, quia Christus omnes discipulos interrogauerat: *Vos autem quem me esse dicitis?* Vel ergò sunt accusandi omnes quod non responderint interrogati, vel, quod verum videtur, Petrus nomine omnium respondit. Sed hinc, quamuis non bene, conficere volunt quidàm hæretici, vt nomine omnium loquutus est Petrus, ita etiam nomine omnium audisse Petrum, *Tibi dabo claues*, &c. Carthusianus, Lyranus, Iansenius opinantur Petrum tanquam præcipuum inter alios non pro se modò, sed pro cæteris etiam respondisse.

Num Petrus nomine omnium discipulorum responderit.

Verùm hæc sententia non placet Abulensi, non Maldon. non Barrad. placet mihi responsum, & velut concordia quædam. Bellarmin. libro 1. de Rom. Pontific. cap. 12. Petrum respondisse non vt præconem aliquem, sed vt Principem, & caput, & os, vt Chrysost. & Victor loquuntur, Apostolorum. ipse enim solus respondit, cùm ignorarent cæteri quid potissimum responderent: sed Petri confessionem silentio suo approbauerunt, & eo modo per os Petri omnes responderunt. quemadmodum igitur Petrus solus respondit, & ei cæteri assenserunt; ita Christus soli Petro claues promisit, sed tamen post eum cæteris communicandas. Probat optima ratione Bellarminus, nam si nomine omnium Petrus respondit, vel id fecit quod reliqui Discipuli hanc illi Prouinciam demandarunt, vel quod sciuit quod illi responsuri essent. sed neque hoc, neque illud verum est, ergo falsum est nomine omnium Petrum respondisse. Probo assumptum quoad primam partem, quia non ex consultatione humana, sed reuelatione Patris quid responderet, didicit Petrus, cui propterea dictum est; *caro & sanguis non reuelauit tibi, sed*, &c. Probo secundam partem, quia soli ipsi facta est reuelatio; deinde si scisset Petrus mentem aliorum, aliquomodo indicasset, vt fecit Ioann. 6. 69 *ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*; & vers. 70. *nos credimus; & cognouimus quia tu es Christus filius Dei*, vbi Chrysostomus observat, Petrum pro omnibus dixisse, *& nos credimus*, &c. Christum verò significasse id non esse verum de omnibus, neque enim Iudas credebat, & ob id dixisse Christum vers. 71. *nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* Verùm cùm Petrus dixit, *Tu es Christus filius Dei viui*, quia non fecit mentionem aliorum, Petri confessionem Dominus simpliciter approbauit, & eum illo solo loquitur, solum illum beatum appellat, illi claues promittit, nullam de cæteris Apostolis mentionẽ facit. Quamobrem? quia pro se Petrus responderat, suam fidem exposuerat, cæteris verò Apostolis, vt idem facerent, exemplo præiuerat.

19.

Probat Auctor Bellar. sententiam.

Quare quod quidam dicunt, sciuisse Apostolos, sed Petrum respondisse pro omnibus, si de ea scientia quam habuit Petrus per reuelationem, intelligatur, planè inficior; nam non obscurè Patres docent, Petrum ita primùm esse loquutum, vt ne sciret quidem quid alij de ea re senti-

20.

Digitized by Google

rent. hinc Hilarius in hunc locum ait: *dignus iudicatus est, qui quod in Christo Dei esset, primus cognosceret.* Si primus igitur non simul alijs facta est reuelatio. Et libr. 6. de Trinitate; *In cunctorum,* inquit, *Apostolorum silentio, Dei filium reuelatione Patris intelligens,* &c. Cyrillus libro 12. in Ioannem, capite 64. *vt Princeps,* inquit, *caputq; caterorum primus exclamat: Tu es Christus filius Dei viui.* & Augustin. vt cæteros taceam, serm. 124. de tempore: *Hic est,* inquit, *Petrus, qui diuina reuelatione primus omnium veritatem meruit confiteri, dicens; Tu es Christus Filius Dei viui.* Ex his constat quomodo intelligendi sint Patres, quos num. 18. recensui.

21. *Christus verus ac naturalis Dei filius.*

Tu es Christus filius Dei viui] Aduerte hic Diuum Petrum affirmare, Christum esse verum, & naturalem filium Dei. nam propterea addidit, *Viui,* quia proprium est viuentium gignere sibi simile in natura, & ad hoc faciunt, idemque confirmant alia quædam Scripturæ loca: Nam Ioan. 3. vers. 16. dicitur CHRISTVS *Filius vnigenitus,* Roman. 8. vers. 32. vocatur *Filius proprius,* 1. Ioannis 5. vers. 20. *Filius verus,* Colossens. 1. 15. ad Hebræos 1. 3. dicitur enim *imago* seu character, hypostasis *Patris,* quod non competit in adoptiuos filios, ibidemque dicitur talis filius, vt præ illo Angeli dicantur serui, qui alioqui filij sunt adoptiui, & præcipui. Postremò Iudæi accusarunt illum quod se *Filium Dei* prædicasset, Ioannis 19. 7. & constat non accusasse illum quòd se fecisset Filium DEI adoptiuum, vel metaphoricè, alioqui etiam ipsi Iudæi affirmabant Ioannis capite 8. vers. 41. *Vnum Patrem habemus Deum,* nec CHRISTVS talem accusationem diluit, sed vt veram admisit. iam si Christus est verus, proprius, vnigenitus, naturalis filius Dei, ergo est ex substantia Patris genitus, & quia Deus impartibilis est, non partem substantiæ, sed totam accepit: Est ergo vnus numero Deus cum Patre.

22. *An Petrus primus diuinitatem agnouerit.*

6. *Beatus es Simon Bar-Iona*] felix es ob hanc tuam fidem, illiusque professionem, qua primus emines. *Beatus es,* id est, ornatus isto dono, quo beatitudinem infallibiliter consequeris adiunctis alijs muneribus, &c. Euthym. Matth. 16. sic scribit: *atqui prius etiam discipuli sedata tempestate Filium Dei esse confessi sunt; dicentes verè Dei filius es, Matthæi 14. 33. nec tamen Beati prædicati sunt; & alij quidam Deum esse crediderunt,* vt Nataniel, Ioannis 1. & Martha, Ioannis 11. *sed nullum illorum beatificauit. Quid ergo dicendum est? quòd omnes, qui ipsum esse Dei filium confessi sunt, aut Deum esse crediderunt, & natura, & propriè hac illum esse opinabantur, sed secundum excellentiam virtutis, veluti etiam omnes sanctos Dei filios esse dicunt. Solus autem Petrus verè Christum & natura, & propriè filium Dei hunc esse intellexit. Ideò quoque volens Christus discipulis demonstrare, quod solus hic rectè cognouerit, & sine errore confessus sit, ipsum beatificat, tanquam assequutum diuinam de se reuelationem; caro enim, inquit, & sanguis, hoc est homo, non initiauit te ad sacram hanc de me confessionem, sed Pater meus, tanquam huiusmodi confessione dignum. Quòd autem dicitur Bar, Hebraica dictio est, significans filium; erat siquidem filius cuiusdam Iona.* Sic Euthym. Idemque habet Matth. 16. Chrysostom. & Theophylact. Ioann. 1. quin Diuus Hilarius canon. 16. in Matth. ait: *Petrum primum Christi diuinitatem agnouisse,* ergo ex illius sententia non agnouit Nataniel esse verè filium Dei, cùm dixit: *Rabbi tu es filius Dei,* quamuis Cyrillus in Ioannem, Irenæus libro 3. capite 11. Tertullianus libro contra Praxeam, quod sequuntur Carthusianus & Maldon. affirment, Nataniel confessum fuisse Christum esse DEI filium naturalem. Idemque videtur sentire Glossa interlinearis sic habens: *ecce eadem vox Nataniælis & Petri,* idemque sequitur Glossa ordinaria, magis tamen placet mihi prior sententia, quam etiam sequuntur Lyran. Caietan. Tolet. Ioann. 1. annotat. 79. nec argumentum Cyrilli vim habet: neque enim Christum ita scrutatorem cordium credebat vt Deum, potuit enim existimare Deo reuelante id illi innotuisse, quod occultum erat. fateor propter auctoritatem illorum Patrum probabilem esse posteriorem sententiam. Quòd si quis obijciat leprosum confessum esse Christum Deum verum, vt superiori parte harum dilucidationum diximus. Respondeo, ipsum non tam explicita fide credidisse Christi diuinitatem tanquam à Patre acceptam, atque adeò non ita distinctè Christum filium & Deum Patrem cognouisse, quod fassum esse Petrum diximus.

An Nataniel cognouerit Christũ Dei verum filium.

Antiqua opinio.

B Iterum obserua quod quemadmodum ex toto illo Apostolorum cœtu Petrus tantùm responderat, & solus tam eximium de Christo testimonium præbuerat: ita Christus cæteris posthabitis, eum duntaxat, nomine proprio compellat, & quod admirere magis parentis quoque nomine adiecto, vt vel ita tantò facilius intelligeretur, ad quemnam propriè, atque singulariter sequentes promissiones referendæ essent. 23.

Quia caro & sanguis] Apud Hyeroni. de vera circumcis. sic legimus: *cuius caro, & sanguis? num quidnam Petri ipsius caro & sanguis obstabant, quin filius Dei diceretur? non, inquam, sed ipsius Domini caro, & sanguis, in quibus dum homo cernitur, quod erat Dei filius: non credebatur esse quod erat. impossibile enim hominibus videbatur Deum credere, cùm hominem viderent, & tantam illam Maiestatem, in qua inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, quam ipse non capit mundus in corpusculo despecta imaginis inclusam. ait ergo: non hæc caro mea tibi, & sanguis, me esse Dei filium prodiderunt. nam ista non patiuntur me hoc credi,* sic apud Hierony. Idemque videtur D. Hilarius sensisse. verùm ipse Hieron. ad Galat. 1. in illa, *continuo non acquieui carni & sanguini,* id est, carnalibus Iudæis, vt ipse exponit; per *carnem,* & *sanguinem* homines carnales intelligit, & Pharisæos. sic ergo ait: *cum talibus,* inquit, *qui caro & sanguis erant, quæ Petro quoq; non reuelauerunt filium Dei, non contulit Apostolus Paulus Euangelium quod ei fuerat reuelatum, sed paulatim eos de carne, & sanguine vertit in spiritum, & tunc demum occulta eis Euangelij Sacramenta commisit.* sed vera sententia est, vt per carnẽ, & sanguinem homines intelligantur, qui carne & sanguine constant. sicut etiam Chrysost. locum illum Pauli ad Galat. 1. 16. *continuo non acquieui carni & sanguini,* interpretatur de hominibus, hoc est, non contuli Euangelium cum hominibus, hoc est, cum Apostolis, hos namque carnem & sanguinem vocat, vt Theophyl. etiam ait, à natura eos denominans. 24. *Caro & sanguis quid?*

Declarauit etiam his verbis Dominus, quantam certitudinem habitura esset ea doctrina fidei, quæ à Petro traderetur ex præcipua illa auctoritate, quam deinceps illi pollicetur. non enim sensu, qui fallax est, carnis & sanguinis, sed cœlestis Patris instinctu fides de Christo, atque adeò de cæteris mysterijs omnibus, quę ad Christum tandem reuocantur, concipienda à Petro, atque proponenda, explicandaque erat. 25.

Ex hac sententia colligunt quasi fidei dogma quidam Theologi non posse ratione naturali cognosci Trinitatem, vel etiam pluralitatem diuinarum personarum, hoc enim est, *caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.* Quod confirmatur Matth. 11. *nemo nouit Patrem nisi filius* 26. *Notitia Trinitatis naturaliter nequit haberi.*

lius, & cui voluerit filius reuelare. & 1. ad Corinthios 2. vers. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos; sapientiam verò non huius sæculi.* & ad Hebr. 11. 1. *est autem fides sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*; quod idem probat Diuus Thomas prima part. quæstion. 32. articul. 1. nam non possumus naturali ratione cognoscere de Deo aliquid, nisi ex eius effectibus; neque hoc modo, nisi id quod Deo competit, quatenus ab ipso manant eius effectus, sed huiusmodi non sunt, nisi ea quæ competunt Deo vt est vnus, vt Verbi gratia, quod sit infinitus, sapiens, &c. ergò hæc solùm possumus per rationem naturalem de Deo intelligere.

27. 7. *Et ego dico tibi*] Hieronymus Matthæi 16. *quid est quod ait: & ego dico tibi? quia tu mihi dixisti: Tu es Christus filius Dei viui, & ego dico tibi non sermone cassо, & nullum habente opus: sed dico tibi; quia meum dixisse, feciſſe est,* &c. Chrysostomus verò sic: *quid est ego tibi dabo? quemadmodum Pater tibi dedit vt me cognosceres; sic ego tibi dabo claues regni cœlorum.* Diuus Leo sermone 3. assumptionis suæ: *Hoc,* inquit, *est: sicut meus Pater tibi manifestauit Diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam. quia tu es Petrus, id est cùm ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis. ego fundamentum. tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris; vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* pollicetur ergo Petro Dominus summum totius Ecclesiæ Principatum. quare Beatus Hieronymus libro 3. in Matthæum: *Mercedem,* inquit, *recipit vera confessio.* & Cyrillus libro 4. dialog. de Trinitate cum Hermia circa initium: *Tam veræ,* ait, *sententiæ remunerationem Petrus reportauit,* hoc est, singularem prærogatiuam & donum aliquod vicissim Christus Petro pollicetur in præmium illius verissimæ confessionis, quam solus ipse præ cæteris, Christo fecerat.

28. Duplex metaphora in verbis Christi. *Tu es Petrus*] sub duabus metaphoris promittit hic Christus Petro totius Ecclesiæ principatum. Prior metaphora est fundamenti, ac ædificij, quod enim est in ædificio fundamentum, id est in corpore, caput, Rex in regno, paterfamilias in domo. Posterior est clauium; cui enim traduntur claues ciuitatis, ille instituitur Rex, vel certè gubernator ciuitatis, qui quos vult, admittat, quos vult excludat.

29. Ambrosius libro 7. in Lucam: *Magna autem,* inquit, *Christi gratia, qui omnia propè vocabula sua discipulis suis donauit. Ego sum, inquit, lux mundi; & id tamen quo ipse gloriatur, discipulis nomen indulsit, dicens: vos estis lux mundi, ego sum panis viuus: &, nos omnes vnus panis sumus.* 1. Corinth. 10. 17. *ego sum vitis vera: & tibi dicit: plantaui te vitem fructuosam omnem veram.* Iere. 2. 21. *Petra est Christus: bibebant enim de spirituali sequēti petra, petra aũt erat Christus. etiam discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit, vt & ipse sit Petrus, quod de petra habeat soliditatem constantiæ, fidei firmitatem. Enitere ergo & tu vt petra sis; itaque non extra te, sed intra te Petram require. petra tua actus est, petra tua mens est, supra hanc petram ædificetur domus tua, vt nullis posis nequitiæ spiritalis euerberari procellis. Petra tua fides est. Fundamentum Ecclesiæ fides est, si petra fueris in Ecclesia eris, quia Ecclesia supra petram est, si in Ecclesia fueris, portæ inferi non præualebunt tibi.* sic Ambrosius. Obserua *Petram* hoc loco non significare quemuis lapidem, sed saxum firmum, & rupem magno ponderi sustinendo aptam, sicut Isaiæ capite secundo, vers. decimo, *ingredere in petram, & abscondere in fossa humo,* &c. & vers. decimonono, *introibunt in speluncas petrarum.* & capite 7. vers. 19. *requiescent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum,* & capite 51. 1. *attendite ad petram vnde excisi estis.* 30.

Petra quid hic? *Et super hanc petram ædificabo*] Placuit Christo Ecclesiæ principatum tanquam optimum Monarchicum condere, & ideò ait: vnam Ecclesiam in vna exstruam petra, vni corpori caput vnum assignabo, vni ciuitati, vel regno vnum Principem gubernatorem vel Regem præponam. hinc Cyprianus libro 1. epistol. 8. *Deus,* inquit, *vnus est, & Christus vnus, & Cathedra vna, super Petrum Domini voce fundata.* hunc textum in Theoria declarabimus, satis est nunc intelligere per hanc petram, Petrum esse intelligendum.

31. Portæ inferi quæ? *Et portæ inferi*] Beda in homilia sic scribit: *Portæ inferi, doctrinæ sunt nequam, quæ seducendo imprudentes ad inferos trahunt: portæ quoque inferi & tormenta & blanimenta sunt persecutorum, quæ infirmos quosque deterrendo, vel emolliendo à stabilitate fidei, introitum eis æternæ mortis aperiunt. Sed & prauæ fidelium opera, ineptæq́, colloquia, portæ vitique sunt inferi, inquantum suis vel fautoribus, vel sequacibus iter perditionis ostendunt. Multæ sunt itaque portæ inferi, sed harum nulla Ecclesiæ, quæ supra petram fundata est, præualet; qui fidem Christi intimo amore perceperit, omne quidquid exterius periculi tẽtantis ingruit, facillimè contemnit. at quicumque credentium fidem vel opere, vel negatione deprauatus prodiderit, non hic supra petram, Domino cooperante, domum suæ possessionis ædificasse, sed iuxta alterius loci parabolam super arenam, sine fundamento posuisse credendus est, hoc est, non simplici, ac vera intentione Christum sequi, sed terrenam quamlibet, fragilemq́, ob causam, habitum prætendisse Christiani.* Sic ille, & Matthæi 16. ait: *portas inferi hæreticam prauitatem nominat, siue vitia & peccata, vnde mors ad animam venit.* Diuus Gregorius in Psalm. 5 pœnitential. *Portæ,* inquit, *inferi hæreses sunt, quæ dum multos in fide infirmos fucata verborum calliditate decipiunt, quasi infernorum eis aditum pandunt. Sunt etiam portæ inferi quædam potestates huius mundi. Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iste, qui hoc tempore Ecclesiam persequitur, numquid non omnes portæ inferi? Quis cogitare sufficiat quanti promissionibus eorum deuorati sunt? quanti eorum metu perterriti? quanti afflictionibus eorum superati? quos omnes perpetuæ mortis profundum absorbuit, & ad cruciandum, damnationis æternæ infernus admisit. Sed Ecclesia in illius de qua dictum est, petræ soliditate fundata, nec minarum ventis concutitur, nec persecutionum fluminibus mouetur,* &c. D. item Ambr. lib. 7. in Lucam: *Portæ,* inquit, *inferi, portæ mortis sunt, portæ autem mortis, portæ Ecclesiæ esse non possunt. Quæ autem sunt portæ mortis, hoc est, portæ inferi, nisi singula quaque peccata? si fornicatus fueris, portas mortis ingressus es. si fidem læseris, portas penetrasti inferi. si peccatum mortale commiseris, portas mortis intrasti: sed potens est Deus, qui exaltet te de portis mortis; vt annunties omnes laudes eius in portis filiæ Syon, sunt enim portæ Ecclesiæ, sunt portæ castitatis, sunt portæ iustitiæ, quas iustus intrare consueuit, dicens: aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino. Sed vt porta mortis, portæ inferi: ita & porta iustitiæ, Dei porta est: hæc enim porta Domini, iusti intrabunt per eam.* Psalmo 117. vers. 19. *& ideo fuge pertinaciam delictorum, ne portæ tibi inferi possint præualere. si enim dominatum fuerit peccatum in te, mortis pœna præualuit.* Portæ item inferi, Græc. πύλαι ἅδου regnum insinuant erebi seu luciferi, quo hæreses, peccata, Tyranni, & cæteræ huiusmodi per-

tinent:

tinent: ponitur hoc modo, continens pro contento, id est, *portæ* pro regni incolis. Vocatur ἄδης, tanquam ἀϊδὴς lucis expers, vnde alibi σκότος tenebras vocat.

32. *Non prævalebunt*] non ait: non pugnabunt, non dimicabunt, etenim totis viribus pugnant contra Ecclesiam hostes, sed non prævalent, iuxta illud Matthæi septimo: *descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram.* quare verè Ambrosius libro de Salomone, capite quarto: *Ecclesia*, inquit, *etsi vndarum fluctibus ac procellis sæpè vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium, quia in arbore eius, id est, cruce, Christus erigitur; in pupe Pater residet gubernator; proram Paracletus seruat spiritus, etsi sæculum istud tanquam pelagus sortitur infestum, nunquam alliditur ad saxum, nec mergitur ad profundum.* sic Ambrosius.

33. *Et tibi dabo claues*] sic Hilarius hoc loco de his clauibus scribit; *O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaq; illius ædificatione petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. O Beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cœlo, vt quæ in terris ligata sunt aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cœlo.* Sic Hilarius. Ergò claues Regni cœlorum dari Petro est Ecclesiæ Principatum eidem concedi. quia solent domus, aut vrbis claues penes eum esse, qui in domo vel ciuitate Princeps est. quare nomine clauium non rarò in Scriptura Principatus significari solet. Isaiæ 22. 22. *& dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat*, quod est dicere: dabo illi supremam in Regno Dauid potestatem. Cùm verò claues non super humerum, sed in cingulo portentur, quid est, quod hic super humerum dicit esse gestandas? Respondeo, quia voluit Scriptura duas clauium, & sceptri metaphoras coniungere, quarum vtraque ad declarandam supremam potestatem apta est. & quidem prima metaphora clarè per claues significatur, altera per humerum significatur supra quem sceptrum gestari consueuit. Vnde Isaiæ capit. 9. vers. 6. dicitur, *factus est principatus super humerum eius*; Apocalyps. item 1. 18. dicitur Christus habere *claues mortis & inferni*, hoc est, in mortem, & vitam imperium habere, & cap. 3. 7. dicitur habere Christus clauem Dauid, qui aperiat, & nemo claudat, claudat & nemo aperiat. itaque quod Petro claues promittantur Ecclesiæ, est supremam secundùm Christum in Ecclesia promitti potestatem, quæ tunc data est, quando dictum est illi Ioann. 21. *pasce oues meas.*

34. *Regnum cælorum bifariã sumitur.* *Regni cœlorum*] bifariam sumi potest *regnum cœlorum*, vel pro Ecclesia militante, & hoc modo accipere claues regni cœlorum, est regere vniuersam Ecclesiam, & ita aperire vt non sit qui claudat: ita claudere, vt non sit qui aperiat, & hoc est, quod subditur: *quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis*, &c. quasi dicat: tu in terris, ego in cœlis gubernabo, in quibus quæcunque legitimè pro potestate tibi tradita egeris, rata habebo: vel sumitur regnum cœlorum pro regno Beatorum in cœlis triumphantium, & ita promisit Dominus Petro claues, quibus aperire valeat occlusos impijs cœlos, præsertim per potestatem soluendi criminum vincula, quòd si indigni sint solutione, vincula retinendi potestas eidem tribuitur, atque adeò ad relinquendum clausas cœli ianuas. Sed de his fusius in Theoria secunda, numero 8. cur non nominetur clauis inferni, quamuis dicatur claudi per claues cœlum. Vide apud Suar. disputation. 16. section. 4. numer. 3.

35. *Aliter Petro, aliter alijs Apostolis dantur claues regni cælorum.* *Et quodcunque ligaueris* &c.] his verbis non obscurè significat Petrum non vtcumque soluere, & ligare posse, sed tanquam qui potestatem ipsam clauium regni cœlorum plenè, atque absolutè possidet. quomodo ne cæteri quidem Apostolorum clauium vnquam auctoritatem acceperunt; quod sapienter colligit noster Maldon. in hunc locum Matthæi ex eo *quod soli Petro hic dicatur. tibi dabo claues Regni cœlorum, & ita dicatur tanquam alijs dandæ non essent, quia solus respondit, tu es Christus filius Dei viui, sicut soli dictum est; super hanc petram ædificabo meam.* non inficior tamen cæteros Apostolos ligandi, soluendique potestatem habuisse, quod rectè docent ij; qui aiunt, claues omnibus Apostolis datas esse; sed ait tamen istas claues, de quibus fit hic mentio, non esse cæteris communes, neque vnquam aliorum potestatem clauis nomine significari: denique alio semper sensu claues vocamus cum omnibus tribuimus Apostolis, alio cùm Petro soli.

36. 9. *Tunc præcepit, & comminatus est*] Matthæus habet: *tunc præcepit discipulis, vt nemini dicerent*, &c. Marcus verò: *& comminatus est eis, ne cui dicerent de illo* &c., at Lucas vtrumque coniungens comminationem, & præceptum dixit: *increpans eos, ne cui dicerent hoc*, vbi *increpare* significat, cùm talis confessio quam reuelante Patre fecerat Petrus, cui & cæteri consenserant, laude digna, non reprehensione esset. idem est ergo increpans quod comminatus. quare Græc. tam apud Lucam, quàm apud Marcum est idem verbum ἐπετίμησε. Quòd si roges quid prohibuit? prædicarene ipsum esse IESVM CHRISTVM, an esse Filium Dei? Respondeo cum Origene & Hieronymo, Matthæi decimosexto vetuisse ne prædicarent ipsum esse CHRISTVM, id est, Messiam, hoc enim est: *tunc præcepit discipulis suis vt nemini dicerent, quod ipse esset Iesus Christus*, hoc est, IESVS Messias in lege promissus; aliqua exemplaria non habent τὸ *Iesus*, vt nec Ambrosius apud Lucam, citans Matthæum: nec Chrysostomus, nec Victor Marci octauo: habent tamen exemplaria Latina non pauca, vt & Origenes & Hieronymus, & Biblia nunc emendata, & sensus est, prohibuit ne cui dicerent, se, qui proprio nomine dicebatur *IESVS*, esse CHRISTVM, & Messiam, hoc est quod prædicari vetuit. consequenter tamen prohibuit, ne ipsum esse *Dei filium* dicerent, præsertim quia hoc nomine CHRISTI, vt inquit Ambrosius, *& diuinitatis & incarnationis expressio, & fides est passionis*, quod intelligendum est tacitè, & non distinctè; nam erant qui crederent, IESVM esse Messiam, quamuis ignorarent ipsum esse natura Dei filium; erat autem Messiæ nomen Iudæis notissimum, quo appellabant eum quem venturum esse sperabant; nomen autem *Filij DEI*, etiam iustis tribuebant. propterea ergo CHRISTVM se prædicari Dominus vetarat. *Quid hic prohibitum, & cur?*

37. Erat quidem tunc Christo tempus probandi per miracula, & per executionem eorum, quæ prædicta erant à Prophetis, quod esset Messias, quo spectabant opera Christi. at nondum aduenerat tempus id publicè prædicandi; quare sapienter Chrysostomus homilia quinquagesima quinta ait:

cuius

cuius rei gratia mandauit Christus discipulis vt nemini dicerent? vt scilicet scandalis de medio sublatis, & mysterio crucis, ac omninò passione consummata, cùm nihil resultaret quod retundere, aut perturbare multitudinis fidem posset, sincera & immobilis opinio de ipso audientium animis confirmaretur. nondum enim clarè sua virtus effulserat. qua de caussa post resurrectionem, quando rerum veritas erat coruscata, & virtus eorum quæ fiebant præcipuè Apostolis auxiliatura, volebat ista prædicari. Sunt qui non male etiam dicant, præcepisse id Christum Apostolis, ne Pharisæorum, & Sacerdotum inuidia hac arrepta occasione magis accenderetur. Diuus etiam Ambrosius Lucæ 9. tres alias affert caussas, sic scribens: *Multis ex caussis Christus iubet tacere discipulos, vt fallat Principem mundi; vt declinet iactantiam, doceat humilitatem, simul ue rudes, & imperfecti adhuc discipuli maximè prædicationis molibus opprimantur.* sic Ambrosius. cuius prima caussa non videtur omnibus placere: sed Toleto annotation. 42. in Lucam non displicet; nam si dæmonum, inquit, Principi per apertam Apostolorum prædicationem clarum id factum fuisset, vtique impedire curasset mortem, & passionem CHRISTI. Verùm mihi non satis probatur ea caussa, quia non est negandum ante mortem Christi dæmonem firmis coniecturis sciuisse ipsum esse Messiam, nec tamen propterea illam impedisse, ignorabat enim per illam inferni regnum esse diruendum. multò autem minus consentio Abulensi Matthæi 16. quæst. 94. asserenti ideò præcepisse ne se prædicarent esse Messiam, ne Iudæi eamdem Christi passionem impedirent. neque enim id Pharisæi, ac Sacerdotes credidissent, sicut nec Ioannis prædicatio obstitit quominus in crucem ageretur à Iudæis; nec tanta illa Populi acclamatio, *Hosanna filio Dauid*, qua Messias proclamabatur.

38. Sed dices Lucæ 9. sic legi: *increpans illos præcepit, ne cui dicerent hoc, dicens; quia oportet filium hominis multa pati*, &c. & videtur esse sensus: iussit, ne cui dicerent Messiam esse, ne mors eius impediretur. oportebat enim filium hominis multa pati. Respondeo non hanc esse sententiam, sed aliam, hoc est, tempus opportunum prædicandi Christi dignitatem post resurrectionem fore, quasi dicat, Lucas iussit, ne cui diceren: hoc publicè, & apertè, quòd esset Messias, dicens, non esse opportunum tempus id dicendi antequam pateretur. oportebat enim illum multa pati prius, &c. nisi fortè sumere velis *ὅτι*, *quia*, vt non reddat caussam, sed loco *vtique* ponatur, vt sit sensus per narrationis modum, & continuationis: iussit ne cui dicerent, dicens: vtique, vel quod oportet filium hominis multa pati, &c. quomodo loquuntur Matth. & Marc. ille quidem: *præcepit vt nemini dicerent*, &c. exindè *cæpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati.* hic verò: *& cæpit docere eos quoniam oportet filium hominis pati multa*, &c. Diuus Hieronymus Matthæi 16. significat per Matthæi verba, reddi caussam prohibitionis, vt sit sensus; *non prodesse Christum publicè prædicare, & eius in populis vulgare Messiatem, quem post paululum flagellatum, visuri sint, & crucifixum*, &c. quem sensum videtur Chrysostom. homil. 15. in Matthæum explicare, cuius verba retulimus numer. 37. eiusdem sententiæ ea Origen. Victor item Antioch. Marc. 8. ait, *voluit opinionem, quam de ipso habebant, adhuc rectam manere, quo crucis, passionis, scandalis è medio sublatis, puram, sinceramq; fidem illorum mentibus imprimat*: quare possumus tres hos Euan-

A gelistas ita exponere, quasi reddat caussam prohibitionis, quamuis & altera expositio per modum narrationis & continuationis non sit reijcienda. Barradio non placet dicere, præcepisse Dominum ne cui dicerent, se Messiam, ne in passione grauius scandalizarentur, quod tamen nos probauimus cum Chrysostomo, Victore, & alijs, rationem affert, nam paulò ante passionem voluit CHRISTVS sibi acclamari à turbis, *Hosanna filio Dauid*, sed aliud est prædicari IESVM Messiam esse à discipulis publica, & aperta prædicatione; aliud à turba, quæ nullam habebat auctoritatem apud Pharisæos, & Sacerdotes, cuius leuitati id tribui poterat.

Obserua autem quòd cùm Matthæi 10. 7. discipulis quos ad prædicandum mittebat, dixit Christus: *euntes prædicate dicentes: quia appropinquauit regnum cœlorum*; non iussit vt prædicarent ipsum esse Messiam, sed vt prædicarent regnum cœlorum nulla facta Messiæ mentione; vel missi sunt vt nuntiarent aduentum Messiæ appropinquasse, non autem illum, cuius erant discipuli, esse Messiam, de Christo verò apertè tantùm loquebantur tanquam de insigni, & magno viro.

B Accommodatè ad mores in hunc locum sic ait Ambrosius libr. 7. in Lucam: *Fuge ergò contentiones, & dissensiones, sirepitus, tumultusq; discordiæ, ne portas mortis ingressus incurras. Dominus enim Iesus Christus prædicari se primò noluit, ne vllus strepitus nasceretur. Et fortasse ideò hoc addidit, quia sciebat Dominus difficile passioni, & resurrectioni etiam discipulos crediturros. Et ideò passionis, & resurrectione sua assertorem se esse maluit, vt ex facto fides, non ex auditu discordia nasceretur. ergo Christus noluit gloriari, sed maluit ignobilis videri vt passionem subiret. Et tu qui ignobilis natus es gloriaris? eadem tibi, qua Christus ambulauit, gradiendum est via. Hæc eius agnitio, hæc eius imitatio, per ignobilitatem, & bonam famam, vt glorieris in cruce Domini, sicut ipse est gloriatus. Sic ambulauit Paulus, & ideo gloriatur dicens: Mihi absit gloriari in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Sic Ambr. 39.

C 10. *Exinde cœpit Iesus*] secundùm Hieronym. *sensus est, cùm ista passus fuero, me prædicate.* Sed melius Euthymius Matthæi 16. *Ex eo*, inquit, *tempore, ex quo firmiter cognouerunt discipuli, quod naturalis esset Dei filius: tunc enim demum cœpit demonstrare, siue prædicere illis quæ passurus erat; vt hæc præscientes, tempore passionis non offenderentur, neque suspicarentur, quod propter naturæ imbecillitatem paterctur. Quo enim pacto id fieret de eo qui præuonit, & prædicit ac sestinat potius vt patiatur.* sed cur, inquies, non prius suam illis aperuit passionem? caussa est, quia ante nondum satis tanquam Dei filius naturalis agnitus à discipulis, & apertè pronuntiatus fuerat. Quare dubitandum ne si mortis ac passionis ignominiæ meminisset offensi retrocederent. Lucas ait, vt hic habes ad ver. 9. *oportet filium hominis multa pati*. Vbi Beda Mar. 8. ait: *notandum quod eum, qui multa pati & occidi, & resurgere debebat, filium hominis appellat: quia passo in carne Christo, diuinitas impassibilis mansit.* 40. *Prædictio mortis.*

D *Multa pati & reprobari*] hoc est, non recipi vt Christum, & Messiam, sed repelli & negari. Hoc enim est quod habet Luc. *reprobari.* Ex his est colligere, quam diu prohibitio hæc locum esset habitura, nimirum vsq; ad tempus suæ resurrectionis obita iam morte.

11. *Et palam verbum loquebatur*] palam loquebatur, Gr. *παῤῥησίᾳ*, id est, liberè, & magna cum fiducia. 14.

Et as-

Et assumens eum Petrus] προσλαβόμενος. Hieronymus, *assumit*, inquit, *eum in affectum suum*, quod explicans Maldon. vers. 22. inquit, προσλαμβάνει, aut προσλαβέται, id est, assumere, accipere, sumi posse pro misereri, sic Romanor. 14. 1. *infirmum autem in fide assumite*, id est, miseremini, & capite 15. 7. *suscipite invicem*, id est, mutua alij in alios vtimini misericordia, in quibus locis est idem verbum Græcum. Itaque cum Hieronym. *assumit eum in affectum suum*, significat Petrum commiseratione commotum cœpisse dehortari eum à passione. Communis expositio est. *Assumens eum*, hoc est, separatim ducens, & segregans illum ne præsentibus cæteris condiscipulis Magistrum videretur arguere.

Increpare quid.

Cœpit increpare eum] amantis affectu, seu amici consulentis more vbi Petrus maiorem erga Christum amorem ostendit, sicut maiorem prius fidem ostenderat quàm cæteri Apostoli. *Absit à te Domine*] Hieronym. sic, *absit à te Demine, vel vt melius habetur in Graco* ἵλεώς σοι κύριε· οὐ μὴ ἔσαι σοι τοῦτο, *hoc est, propitius sis tibi Domine, non erit tibi hoc. Non potest fieri, nec recipiunt aures meæ vt Dei filius occidendus sit.* ne talia tibi persuadeas, prædicas, & eo negotia tua referas. absit à te Domine, vt dicas, aut persuadeas tibi, occidi te oportere. idem semper sensus ferè est in his exponendi modis. Euthym. Matth. 16. *Quod autem dicitur, inquit, propitius tibi sis, consueto more loquutus est. Moris enim erat hoc dicere eum, qui indignaretur absurdum quippiam dicenti: vt propitius tibi sit Deus ob talem sermonem.* Id verò quod addit, *nō erit tibi hoc*, tantumdem est, ac si diceret: ne contingat tibi hoc quod dicis. Sic Euthymius. Sed mihi cum Maldon. videtur Græcus Matthæi interpres sequutus hoc dicendi modo 70. sic enim illi vertere solent, ἵλεώς σοι, propitius tibi, vel cùm est Hebraicè *Salom lacem*, vt Genes. 43. 23. pax vobiscum. Vel absit; cùm est prohibitionis, abominationisve vox *Chálila*. hanc vocem verò vertit noster interpres, *& propitius sit Dominus*, & absit. sic 1. Reg. 24. 7. *Chalila-limè Iehoua*, propitius sit mihi Dominus ne faciam hoc. Videtur autem nunc Petrus hanc vocem *Chalila* vsurpasse, & rectè interpres vertisse secundùm sensum huius phrasis, absit à te Domine. idem est ergo, absit à te Domine, quod propitius tibi Domine, parce tibi Domine, ita vt vox sit abominantis, & ne eueniat, quod prænuntiatum est, deprecantis. in Euangelio Hebr. quod dicitur Matthæi habetur, *Chalila lac*, absit tibi, vel à te. In Syriaco legitur, *Chas lac. Chas* verò significat non *absit*, modo, sed etiam *misereri*, propitium esse, parcere. Nec est necesse subaudire *sis* vel sit tibi propitius Deus. quod si velis subintelligere *sis* vel *sit*; sensus idem est, absit, vel auertat id à te Dominus ne sit; vel auertas à te procul quod dixisti, ne sit. omnia eodem reuoluuntur.

42. Conuersus quid.

12. *Qui conuersus*] videtur idem esse *conuersus*, quod respiciens, vel vt Marcus exponit, *videns*, alijs videtur Hebraismus esse, iterationem & vicem, responsionemve contrariam significans, quasi dicat Euangelista: obiurgauerat Petrus Iesum, quòd pati vellet, at Iesus è contrario Petrum obiurgauit, quòd se pati nollet, sic sumitur conuersus Psalm. 70. 20. & 84. 7. Ex hoc loco intelligitur, Petrum non omnino abduxisse Dominum extra discipulos, est enim verosimile aliquos ex Apostolis audiuisse Petri increpationem, qua Christum amicè monuerat; licèt submissius loqueretur, quod & Iansenio videtur. aspexit verò discipulos, & sic Petrum increpauit, quia voluit illos quoque increpationem audire, ac castigari, qui idem quod Petrus patiebantur, vt Euthymius Matth. 16. notat.

A *Comminatus est*] increpauit. verbum enim ἐπιτιμάω, significat in Euangelijs modò cum interminatione præcipere, vel cum indignatione, vt cùm dicitur increpasse Dominus mare, ventum, dæmones, interdum significat simpliciter reprehendere, & amicè monere, vt cùm dicitur Petrus increpasse Christum. denique interdum est id quod propriè est increpare, & corripere. & ita hic videtur sumi. noster verò interpres vertit nunc, per *increpare*, nunc per *præcipere*, imperare, nunc per comminari.

Vade post me Sathana] ὕπαγε ὀπίσω μου: abi à me, abscede, facesse hinc è conspectu meo. est enim ὕπαγε idem quod apage, facesse. ὀπίσω μου verò idem significat, quod post me. reijcit autem Christus Petrum à se, non simpliciter, sed per stantem in sententia. abi hinc à me si adhuc perduras in sententia. Cæterùm non hic Petrum *Satanam* vocat B Christus, quasi proprio cacodæmonis, verùm quasi communi aduersarij nomine; quia sibi pro omnibus hominibus mori volenti aduersabatur, nec sibi modo, sed Patris etiam voluntati opponebat sese; non fuit autem tam vehemens reprehensio tam propter Petri culpam, si qua fuit, quàm quòd rei magnitudo id exposceret; decebat enim vt doceret Christus discipulos, quanto esset studio Dei voluntas, & mundi salus amplectenda, & quanti sit pretij libenter pro Deo pati, & quantoperè ea res sibi esset cordi. Hilar. in Psalm. 131. sic scribit: *Cùm quadam de passione sua loquutus ad discipulos fuisset, & Petrus tanquam indignum hoc Dei filio detestatus esset, Petrum, cui superius claues regni cœlorum dederat, super quem Ecclesiam ædificaturus erat, aduersus quam portæ inferi nihil valerent, qui quæ in terris vel soluisset, vel ligasset, ea in cœlis vel soluta persisterent, vel ligata. Hunc itaque tali conuitio detestantem hoc* C *Sacramentum passionis excepit. Vade post me Sathana, scandalum mihi es. Tanta enim est religio fuit pro humani generis salute patiendi, vt Petrum primum filij Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cœlestis regni ianitorem, & in terreno iudicio iudicem cœli, Sathanæ conuitio nuncuparet.* Vbi aliter Hilarius loquitur quam can. 16. in Matth. vbi sensit diabolo, non Petro hæc dici; Satana scandalum mihi es, Petro verò dici, *Vade retrò me*, id est, tu exemplo me passionis sequere. Quæ opinio nec Hieronymo, nec Victori, nec Cyrillo placuit, & meritò, illo ergo loco Psalm. 131. *Satana* vocem Petro tributam esse non negat saltem communi aduersarij nomine. clarius quidam affirmant etiam proprio diaboli nomine *Satanam* appellatum, quod lubenter arripiunt hæretici, vt Petro insultent. sic videtur sumpsisse non malo tamen in Petrum animo Euthymius Matthæi 16. vbi ait: *Satanam autem eum vocat, quasi in hoc Satanam imitantem, quòd Christum occidi nolebat. siquidem neq; Satanas Christum occidi volebat, vt mendaces viderentur prophetiæ, quæ de morte eius loquebantur: & ne mors carnis huius fieret mors suæ potestatis*, &c. Sed magis mihi placet prior expositio, vt *Satana* nomine aduersarium Christus intellexerit, quod & postea affirmat idem Euthym. cum communi sententia.

Satan quid hic.

Hilarij præclara sententia.

Cùm verò subdit Dominus: *Scandalum es mihi*] significat impedimento sibi esse, non quòd aliquid Christum scandalizare reuera posset, sed quod quantum ad se attinebat eius obstaret Petrus passioni, ac morti.

Quia non sapis ea] ideò dicit non sapere quæ sunt Dei, quæ Deus probat, sed quæ sunt hominum, quia humano tantùm sensu cruciatus & mortem horrente loquens Petrus, licèt pro affecta verè Christo aduersabatur, propterea non est dictum; sapis ea quæ sunt dæmonis, sed *hominum*, est ergo sen-

tentia

sus: non sapis Græc. οὐ φρονᾶς, non intelligis, quid Deus Pater de morte mea decreuerit, neque quàm magna bona ex hac Dei voluntate consecutura sint, tantùm more hominum, quæ carni contraria sunt, nosti fugere.

44 Cyrilli obseruatio notanda.

Discimus hinc, inquit Cyrillus libro 12. in Ioannem, cap. 23. *quando tempus ad certamina vocat, ne si etiam qui carissimi nobis sunt prohibeant, turpe forsan putantes, mentem vllo modo illis adhibeamus. Non enim à Satana differt qui scandala ponit, & quibuscumque modis potest, à recta sententia homines seducit.* Diuus Hieronymus Matthæi 16. *Diabolo*, inquit, *dicitur: vade retrò: Petrus audit: Vade retrò me. hoc est. sequere sententiam meam: Mea voluntatis est, & Patris, cuius veni facere voluntatem, vt pro hominum salute moriar: tu tuam tantum consideras voluntatem, non vis granum tritici in terram cadere, vt multos fructus afferat.* Sic Hieronymus. Sunt qui dicant phrasim esse Hebraicam, *vade post me, sequere me.* Quamquam arbitror hunc dicendi modum hic præsertim esse hominis facessere iubentis vt dixi numero 43. In multis Græcis codicibus Matthæi cap. 14. legitur ὀπίσω μου, quare non est satis firmum illud discrimen, dictum esse diabolo, *Vade Sathana*, Petro verò, *Vade retrò me Sathana.*

Euthym. cõtra audaciam & personarũ acceptionẽ.

Non est prætermittendum quod notat Euthymius Matthæi 16. contra audaciam, & personarum acceptionem; sic enim scribit: *Tu verò mihi considera eum qui paulò antè maximè Beatus prædicatus est, nunc maximè increpatur & ad correptionem sua audacia; & vt intelligas, quod Saluator non sit personarum acceptor: cùm enim rectè loquutus est, beatum prædicauit illum; quando autem non rectè, increpauit. Rectè quidem loquutus est in his, quæ per reuelationem diuinitus accepit: non rectè verò loquutus est in his, quæ à seipso dixit.*

45. Quomodo qui paulò antè beatus fuerat vocatus, nunc repentè Satan vocetur.

Quæret aliquis quomodo is qui paulò ante beatus prædicatur; nunc repentè *Satanas* appelleturr Audi Hieronymum propositam dubitationem sic amplificantem: *Prudens*, inquit, *Lector inquirat quomodo post tantam beatitudinem: Beatus es Simon Bar-Iona. Et tu es Petrus, & supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quod ligaueris vel solueris super terram, erit ligatum vel solutum in cœlo; nunc audiat vade retrò me Satana, scandalum mihi es. Aut quæ sit tam repentina conuersio, vt post tanta præmia Satanas appelletur. Si sic consideret, qui hoc quærit, Petro illam benedictionem, & beatitudinem, ac potestatem, & ædificationem super eum Ecclesiæ in futuro promissam, non in præsenti datam intelliget. A Edificabo, inquit, super te Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. & dabo tibi claues regni cœlorum: omnia de futuro. Quæ si statim dedisset ei, nunquam in eo prauæ confessionis error inuenisset locum.* Sic Hieronymus.

Victor Antiochenus Marc. 8. eadem de re sic ait: *& quidnam hoc est? illene qui diuina reuelatione paulò antè ditatus, felixq; à Christo Domino prædicatus fuerat, tam citò prolabitur, & impingit? verùm hoc mirum non est, siquidem nullam ille de Christi passione & cruce notitiam è cœlo acceperat. Christum Dei filium esse, hoc ei diuinitùs patefactum fuerat; at crucis verò & resurrectionis mysterium, ipsum adhuc fugiebat. Erat enim quod Lucas ait, Verbum istud absconditum ab eis. Dominus autem hoc loco clarè ostendit, tantum abesse vt inuitus ad passionem veniat, vt Petrum ne id fiat dissuadentem, palam quoque increpet; Satanamq; appellet.* Hæc Victor. Gagnæus Matthæi 16. sic eidem petitioni respondit: *Nihil*, inquit, *mirum si humana tantùm, non item diuina saperet, nondum accepto ad satietatem diuino spiritu, qui etiam post acceptum nonnihil titubauit, vt docet Paulus ad Galat cap. 2. 11.*

13. *Tunc Iesus conuocata turba cum discipulis*] quòd Matthæus tantum discipulorum meminerit, nihil obstat, quominus omnibus etiam conuocatis turbis ista dixerit, & quia præcipuè Apostolorum gratia dicta ea sunt, idcò fortasis Apostolorum modò mentionem Matth. fecit. 46.

Si quis vult post me venire, abneget] Diuus Chrysostomus quid sit abnegare seipsum ex aliorum desumit abnegatione. Etenim alios abnegare est illos despicere, ac derelinquere, nullam eorum ducere rationem, curam nullam, denique nihili vitam eorum facere. Hæc si tibi ipsi applices, teipsum abnegasti; teipsum despicatui habe, nullam tui rationem, nullam vitæ, cùm res poscit, habeas. Vide digressionem 1. numer. 5. Gagnæ. sic idem explicat etiam, addens quid sit *venire post Christum*, & tollere crucem suam, *venire*, inquit, *post Christum est eum imitando sectari, eiusq; se præstare discipulum: Abnegare autem semetipsum est totum pendere à Deo, omnemq; voluntatem suam diuinæ voluntati conformare.* nec à Chrysostom. & Gagn. ferè recedunt, qui dicunt abnegare idem esse ac repellere, vel repudiare, iuxta illud Pauli ad Titum 2. 12. *abnegantes impietatem, & sæcularia desideria*, &c. hoc est, repellentes, nec illis morem gerentes, &c. *tollere crucem suam est lubenter, & ex animo ærumnas Deo volente, & permittente sibi oblatas propter Deum apprehendere.* Fauet Basilius Reg. fus. disput. inter. 6. vbi definit, sui abnegationem esse summam rerum omnium vitæ superioris obliuionem, atque à suijpsius voluntatibus recessionem: quod declarat Tolet. annotat. 45. in cap. 9. Luc. Quare hæc tria abnegare se, tollere crucem, & sequi Christum distinguuntur hoc modo: quia si quis aduersa, ac repugnantia amplectitur, seu non curat, idque ex contemptu sui, & vt obluctetur carni, ac sensui, & sibi vim inferat, sic se abnegat. Si verò mortem etiam acerbissimam, cruciatus, persecutiones vndecumque sint, & omnia tormenta patienter & æquo animo ferat, vel certè paratus sit ferre omnem crucem, omnes persecutiones, cruciatus, &c. non aliter quàm qui crucem portat, & humero eam sustinet, is demum dicitur crucem suam quotidie tollere. Postremò si ista patiatur mala, & bonis operibus studeat vt Christum imitetur, eiusque virtutes in se exprimat, dicetur verè Christum sequi etiam contradicente carne & sanguine, atq; aliud offerente sensu. Vnde patet vnum & idẽ pertinere posse ad tria ista simul si sub varia ratione ad singula horum referatur. addit Luc. *quotidie*, quod & ad abnegationem & crucem referri potest, vt semper sit paratus ad perferenda omnia aduersa, etiam crucis mortem. Nota verò vt quis sit Christi discipulus, præter duo illa prima requiri etiam tertium, vt quis hæc seruans sequatur Christum, id est, virtutes imitetur, nam illa duo ob alium finem facere, non prodest. itaque sequi Christum, non idem omnino est, ac venire post Christum. hoc enim tria sequentia complectitur, abnegationem, crucem & sequelam, denique est discipulum esse Christi tria prædicta faciendo, quod Dominus declarauit, cum dixit: *Si quis vult venire post me, abneget*, &c. sequi verò illum est, eius imitari virtutes, humilitatem, obedientiam, &c. Vide etiam Digressionem 1. numer. 7. 8. quid sit crucem tollere, & num. 11. quid sit sequi Christum.

Quid sit abnegare seipsum.

Quid sit venire post Christũ, &c.

14. *Qui enim voluerit animam suam*] Gagnæus Matt. 16. *animam*, inquit, *suam saluam facere est Euangelico negotio, Deiq; caussa vitam suam præferre.* 47.

(*hic autem anima pro vita*) *perdere autem eam propter Christum, est leuem eius præillius amore iacturam facere. Quod qui fecerit, etsi perdidisse mundo videatur, inueniet eam, id est, saluam faciet, quod ait* Marc. Matth. & Luc. *propter me*, inquiunt, Marc. verò *propter me & Euangelium*; quod bifariam sumitur, vel cum Euthym. vt particula, *&*, sit declaratiua particula, & idem sit propter Christum animam perdere, ac propter Euangelium. Vel melius, vt perdere propter Christum sit vitam pro Christo exponere: perdere propter Euangelium verò, sit quod inferius dicitur v. 17. propter verba mea, seu, vt ait Luc. *propter sermones meos*, id est, suis inordinatis affectibus resistere propter obseruandam legem Dei, & primum competit Martyribus, alterum omnibus, quare non loquitur hic tantùm de Martyribus, vt sensit Euthym. Porrò Matth. & Lucas sub illis, *propter me*, etiam Euangelium intelligunt. quare postea Lucas addidit: *me, & sermones meos*, vt habes in margin. ad vers. 17. ex his verbis, quæ subtexuit post præcedentia Christus: *Qui enim voluerit animam suam saluam facere*, &c. constat verius exposuisse hunc locum, *si quis vult venire post me, abneget*, &c. secundùm literæ sensum Chrysostom. de abnegatione in primis vitæ & sanguinis profusione pro Christo, quam Hieronymus & Gregorius de abnegatione veteris hominis, morumque prauorum, nam cùm Dominus dixisset, *si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat*, &c. Mox subiecit: *qui enim voluerit animam*, &c. vnde Basilius intulisse videtur in reg. fus. disput. quæst. 6. *Perfecta igitur renuntiatio in eo consistit, si quis id assecutus fuerit, vt ne de vita quidem sua quidquam affectus sit omnino, esto habeat mortu responsum, ita vt nihil sibi confidat.* Quare sapienter Ecclesia hoc Euangelium legit in festo Martyris, & Pontificis. sed quamuis de Martyribus in primis sit hic sermo, non tamen excluditur abnegatio veteris hominis, quin etiam comprehenditur. subdit mox Christus:

Nō loquitur hic Christus tantum de martyribus.

Anima pro altera hominis parte potiore.

Anima pro toto homine.

Locus Psal. 48.8.

15. *Quid enim prodest homini*] hoc sic idē Gagn. explicat: *Cùm potior*, inquit, *hominis pars animus sit ad Dei imaginem & similitudinem formatus, quid lucri facere potest, cum animi iactura, in quo aut perpetuum beatus, aut æternùm miser est futurus? idcircò nihil carius homini debet esse anima propria, neque etiam vita; quandoquidem salua anima æternam potest recuperare vitam.* Vel, *Animæ verò suæ*] hoc est, sui ipsius, quomodo exponit Luc. cap. 9. 25. *Detrimentum patiatur*] iacturam faciat, *seipsum autem perdat, & detrimentum sui faciat*, inquit Lucas, videlicet in altero sæculo.

Aut quam dabit homo commutationem] compensationem. hac voce comprehenditur quidquid datur, vt quid redimatur, iuxta veterum commercia, quæ non pecunia, sed mutua rerum permutatione constabant, vel iuxta bellorum morem, quo miles vnus pro alio redimitur. est ergo sensus: si rem quampiam amiseris reperiri poterit, si quid vendideris redimi, sicut & seruituti subiecti homines per commutationem liberari poterunt. Atqui amissa anima, & inferni ignibus addicta nunquam inueniri, nec diabolo vendita & sempiternis cruciatibus mancipata, vel in seruitutem, captiuitatemque inferni adducta in libertatem asseri poterit. Proinde vita prius amittenda, quàm anima. itaque cùm ait, *commutationem pro anima sua*, intellige, vt notat etiam Iansenius de anima perdita. nam anima nondum perdita redimitur pretio sanguinis CHRISTI, ac bonis operibus iuxta illud Daniel: *Peccata tua eleemosynis redime.* est, quod hic dicitur, simile ei, quod habetur Psalmo quadragesimo octauo, versiculo octauo, *Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem*

A *suam, & pretium redemptionis animæ suæ, & laborabit, & viuet adhuc in finem*, quasi dicat, in die mala aduersitatis, & iudicij, frater fratrem non liberabit, cùm verò ait; *redimet homo.* repetenda est negatio, non redimet homo aliquis, nec poterit Deum placare, & non dabit pretium pro redemptione animæ eius, sed *laborabit* in supplicijs *in æternum, & viuet in finem*, id est, perpetuò detrusus in infernum. Disce ex v. 15. nihil esse animæ præferēdum, & ne vitam quidem: vt meritò laudari d. beat sententia illa Apostoli, Act. 20. 24. *Nec facio animā meam* vitam meam, *pretiosiorem quàm me*, id est, quàm me ipsum, quasi dicat, non præfero mihi vitam meam. prorsus nolo pro conseruanda vita me ipsum, corpus simul, & animam perdere. iterum obserua id quod hic monet Theophylactus, *quod in futuro sæculo non poterit quis dare commutationem pro anima sua, hic quidem potest dare lacrymas,* B *& eleemosynam, & ieiunare; illic autem non. iudex enim tunc nos excipiet dona respuens; nam iuxta opera sua iudicabit vnumquemque; est autem & metuendus. Veniet enim in gloria sua, & cum angelis, & non contemptibilis.* sic piè & verè Theophylactus, si enim nunc corporis afflictationes, dolores, virtutes pro salute animæ dederis, illam recipies. admittet nunc iudex hanc commutationem, sedō nos infelices nimum tradimus miseri animas nostras dæmoni, & eius non recusamus esse mancipia, pro falsis & vilibus sæpè terræ bonis: *porrigit ille pomum*, inquit Bernardus tractatu de humilitate, capite de curiositate, *& surripit paradisum*, & animam pro qua mundus vniuersus dignum, ac iustum pretium non est, sibi per Tyrannidem subijcit.

Notāda sententia Theophyl. ad moret facient.

Sunt qui hoc loco *animam* etiam sumant pro vita, hoc modo: Quid iuuat hominem mundum 48.
C etiam totum lucrari, si vitam hanc interim perdat? planè nihil; etenim amissa vita quo pacto obtento imperio frui poterit? ita quoque subintelligendum est, nihil prodesse homini si vniuersum mundum lucretur, animam verò amittat. Græc. τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῇ, hoc est, anima verò sua *mulctetur*; est enim metaphora sumpta de foro, qua etiam vtitur in sequentibus, cùm ait: *aut quam dabit homo commutationem*, Gr. ἀντάλλαγμα, compensationem; quam metaphoram declarat hic Maldon. Matthæi decimosexto, vers. vigesimosexto, vide illum. Est autem anima mulctari, eius detrimentum, vel damnum pati, id est, huius, vel æternæ vitæ iacturam facere. sine vita enim nullius sanè momenti vniuersum mundi imperium habendum est; aut quam dabit homo compensationem pro anima sua, hoc est, vita iam amissa? certè nullam; quis enim vita functum hominem quamuis totius mundi thesauros impendat, in vitam reuocare possit? ita vbi quis semel vitæ æternæ iacturam fecerit, & inferni ignibus fuerit addictus, nullam poterit ad redimendam animæ vitam, hoc est, æternæ vitæ iacturam, compensationem facere: videtur mihi *anima*, sumi debere iuxta hanc intelligentiam, tam pro vita hac corporis, quàm pro æterna vita, vt tacita sit similitudo, & transitus ab amissione vitæ huius ad amissionem æternæ, vt declarauimus: ita vt sensus sit: *quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ*, i. vitæ siue corporalis, siue æternæ *detrimentum patiatur?* item, *quam dabit commutationem pro anima*, id est, vita sua temporali, seu æterna, amissa iam & deperdita?

Anima pro vita.

D *Homo*] Hebraismus est, pro quisquam, ita consueuerunt Septuaginta vertere, *is*, hoc est, *vir* dicitur, quæ vox loco *quisquam* apud Hebræos poni solet, vt Iudic. 2. 21. & 4. 20. Ruth 3. 3. & 1. Reg. 17. 25. & 24. 20. & 4. Reg. 18. 21.

Digitized by Google

V. 16. *Filius enim hominis*] iuxta Gagn. Christus vt ad tolerandam pro se crucem, discipulos animet, ostendit non defore olim se sequentibus præmia: quia filius hominis: qui scilicet nunc vilis, & abiectus, ac mundo contemptus, olim in iudicio venturus est cum Angelis suis gloria Patris ornatus, itemque sua, id est, suæ humanitatis, *& sanctorum Angelorum*, vt Lucas ait; gloriam enim intelligit per maiestatem, G. δόξης. vocat verò gloriam humanitatis *suam*, quia erat à diuinitate ei coniuncta in vnitatem personæ; qui enim erat homo, idem erat & Deus. Tunc verò cùm venerit, reddeturus est vnicuique secundùm opera eius, ijs scilicet, qui se fuerint sequuti, vitam æternam, ijs verò qui contempserint, mortem, & perpetuum cruciatum. Sic D. Hieronymus putat hæc dici ad consolandos discipulos. Sed fortassis magis ad mentem Christi dicemus, propterea extremi iudicij nunc meminisse, quia in eo anima, vel salua fiet, vel peribit, nullaque commutatione redimi poterit, si semel iusto Dei iudicio pœnis addicatur æternis, & æternæ vitæ iacturam faciat. *In Gloria*] *in* pro *cum*, per Hebraismum. Patris vocat diuinitatem, hoc est, acceptam à Patre, ad quem omnia referre solet: vel innuit sibi illam cum Patre esse communem.

49. 17. *Qui enim me*] non est legendum *confessus*, sed *confusus*, G. enim ἐπαισχυνθῇ με, *confusus fuerit*, quamuis incongruus sit apud Latinos loquendi modus, sensus autem est: quem pudebit mei coram hominibus, eius me etiam pudebit coram Deo. Dicunt autem Hebræi confundere aliquem, id est, negari illi quod vult, seu petit. Confundi Christum, est erubescere confiteri illum, fugere eius crucem, & ignominiam, deserere eius doctrinam propter persecutionem, aut pudorem. Quòd enim dicit Paulus, *Non enim erubesco Euangelium*. Rom. 10. 16. dicit Christus *verba mea*, vel *sermones meos*; interest enim aliquid inter *me erubuerit*, & *verba mea*. Primum enim præsertim significat erubescere confiteri Christi fidem, seu indignum iudicare, Christum confiteri Deum. Alterum verò est, erubescere eius mandatis obedire, qui in crucem actus est. Et verò æquum est vt eum, qui filium hominis, hoc est, humilem, & quasi abiectum in sua humanitate despexit, hunc filius hominis despiciat cùm non iam in humilitate sua, sed in maiestate venerit. *In generatione ista adultera & peccatrice*] opponit hominibus coram quibus hi erubescunt Christum, Angelos coram quibus Christus eos erubescet; peccatoribus verò opponit sanctos. Porrò per Hebraismum *adulteram generationem* vocat, filios Dei degeneres, & dissimiles, quos Dauid Psalm. 17. 46. *alienos* vocat, itemque Psalm. 143. 7. & eodem modo loquitur Paul. ad Hebr. 12. 8. vbi ait: *quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes*, videlicet qui filij sunt, *ergo adulteri & non filij estis*.

Confundere quid

V. 18. *Qui non gustabunt mortem*] Hebr. est, significans idem quod non morientur; idem habetur Luc. 9. 27. Ioan. 8. 52. ad Hebr. 2. 9. notat Maldon. Hebræos potius videre mortem, quàm gustare dicere consueuisse vt Psal. 88. 49. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem*; videre apud Hebr. significat experiri: quod aptiùs apud G. dicitur γεύσονται, quàm videre. Videtur verò loqui de tribus illis discipulis, qui interfuerunt Christi transfigurationi, quam vocat in sequentibus verbis, *regnum suum*, quia nimirum sui futuri regni imago erat, & ideò non mirum quòd tanquam de re aliqua magni momenti dicat, aliquos ex circumstantibus non morituros esse, antequam ipsius regnum videant; nam licèt loquatur de transfiguratione, quæ paulò post facta est, loquitur tamen de ea, vt reprehensatura erat futurum eius regnum. At non excedere vita, antequam quis videret, quamuis in figura, & per

A trãsennam, Christi regnum, non parui beneficij loco fuerat, & hæc de scholijs.

THEORIA I.

An Petrus sit illa petra, super quam fundata est Ecclesia in V. 7. *Tu es Petrus, & super hanc petram*, &c.

HAEreticorum falsa sententia, & à recta discrepans via triplex est, vel hanc petrã omnem hominem fidelem esse; quod Erasmus sensit, vel esse Christũ, & nullo modo Petrum, seu eius successorem, vel denique hanc petram fidem [illegible]eu fidei cõfessionem, non verò Petrum, nec Romanum Pontificem, sed inter Catholicos communis, eaque constans opinio est, B petram illam esse Petrum, non vt particularis erat persona, sed vt pastor & caput Ecclesiæ, quam confutatis prius erroribus, paulò post confirmabimus, idque propositis aliquot propositionibus efficiemus.

1. *Hæreticorum error triplex.*

Catholicorũ vera sententia.

Sit ergo prima propositio, *falsum est oẽm hominem fidelẽ esse hãc petram*; nam in primis Ecclesiæ domus solum, nudumque esset fundamentum. Etenim si omnibus fidelibus conuenit esse petram, omnibus conueniet esse fundamentum, qui igitur erunt parietes, quod tectum huius ædificij? quemadmodum si totus homo esset pes, vbi caput, vbi brachia, vbi reliquæ corporis partes? Sed his omissis, quid clarius dicere poterat Dominus, si Petrum esse istam petram, supra quam esset ædificanda Ecclesia, significare C voluisset (vt verè voluit) quam vocare eum, primum nomine proprio, addito etiã cuius esset filius, *Beatus es Simon Bar-Iona*, ita distinguẽs illum ab alio Simone Apostolo; neque hoc cõtentus, adiecit & nomen *Petri*, quod illi prius imposuerat; vsurpauit & pronomina quædam certam indicantia personam; *ego dico tibi, quia tu es Petrus*, qui igitur clarius loqui poterat? At inquiet Erasmus, Origenem tract. 1. in Matth. affirmare; petram esse omnem, qui imitator est Christi, & super omni eiusmodi petra ædificari Ecclesiam Dei. Sed respondeo Origenis expositionem nõ literalem, sed allegoricam esse, alioquin ipse homil. 5. in Exod. secundùm litteram, Petro id tribuit: *Vide* enim ait: *magno illi Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ, super quã Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino;* D *modicæ fidei quare dubitasti?*

1. *propositio, Non omnis fidelis est hæc petra.*

Origenis locus explicatur.

Sit altera propositio, *hic Christus nõ dicitur Petra*. non nego, neque vnquam vllus Catholicus negauit, Christum esse Petram, & primum Ecclesiæ fundamentum, & hoc ipsum ex hoc loco non obscurè colligi, etenim si loco Christi Petrus est petra, & fundamentum Ecclesiæ, quomodo non Christus multò magis erit fundamentum? Hoc ergo est quod dicimus, secundùm proprium, ac immediatum literæ sensum, non Christum, sed Petrum dici hoc loco *petram* super quam ædificanda sit Ecclesia. Quare non est contra nos Paulus 1. ad Corinthios 3. 11. *fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Quare ita Christus est Ecclesiæ fundamentum, & quidem solus, sicut solus est mundi lux, so-

2. *propositio, hic non dicitur Christus petra.*

Locus Pauli 1. Cor. 3. quomodo Christus fundamentum.

lus est noster Pontifex, Episcopus, Doctor, & Pastor animarum, cùm tamen sint præter Christum alij quoquè in Scripturis lux mundi, Episcopi, Doctores, Pastores verisimè appellati. Nempè non eadem, sed alia ratione, nihil enim obstat vt quæ primariò, & principaliter, hoc est, præstanti quadam, & singulari ratione in Christum conueniunt, eadem secundariò alijs competant. Lux ipse solus est, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioann. 1. solus ipse est ille pastor, qui posuit *animam pro ouibus suis*, Ioan. 10. & *qui dedit se redemptionem pro omnibus*, 1. ad Timoth. 2. solus Pontifex *qui penetrauit cœlos* [illegible] Hebr. 4. *introiuitq; per sanguinem suum in sa[illegible] eterna redemptione inuenta* ad Hebr 9. s[illegible] Doctor *in quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*, Coloss. 2.

Quomodo Petrus fundamentum, quo cæteri Apostoli, & Prophetæ.

Postremò est primum, & maximum Ecclesiæ fundamentum 1. Corinth. 3. fundamentum fundamentorum secundùm August. in Psal. 86. quòd nimirum seipso constitat; neque alteri innitatur, sustineatque quidquid ad Ecclesiæ ædificium pertinet, adeò vt vel ipsum etiam confirmet Petrum, qui secundarium, ac præcipuum post Christum Ecclesiæ fundamentum est. cuius fidei etiam alia vt Gregor. Nazianz. in orat. de moderatione in disput. habenda, Ecclesiæ fundamenta commissa sunt, id est, cæteri Apostoli, qui quatenus cæteros in CHRISTI religione stabilierunt, fundamenta etiam quædam fuerunt, sicut Prophetæ ratione doctrinæ à Deo reuelatæ. lege Turre-Cremata in summa Ecclesiæ lib. 2. cap. 17. & sequent. & Bellarmin. libr. 1. de Roman. Pontifice, capite 11. vbi ostendit tribus modis Apostolos omnes fuisse Ecclesiæ fundamenta sine vllo tamen Petri præiudicio, quia primi Ecclesias fundarunt, docuerunt, & gubernarunt.

3. Sed his prætermissis ostendamus, hic Christum Petram non dici, nam in primis absona esset orationis consequentia hæc: tu Petrus es: ego super me ædificabo Ecclesiam meam: & id sanè quod sequitur, *Tibi dabo claues*, idem confirmat, cùm enim hæc ad Petrum referantur, esset obscura, & perturbata satis oratio, si tam paucis verbis fieret tanta rerum, & personarum mutatio, à Petro ad Christum, à Christo ad Petrum, à nomine ad fundamentum Christum, & ab hoc ad Petri claues, &c.

Deinde quis non videt pronomen illud demonstratiuum, *hanc*, positum loco Relatiui, quasi dicat, tu es Petra super quam ædificabo Ecclesiam meam? Idem est enim Hebraicè, seu Chaldaicè, & Syriacè nomen significans *Petrum*, & *Petram*, neque est differentia generis in istis linguis, quæ est Græcè & Latinè inter Petrum, & petram, scripsit autem Matthæus Hebraicè siue Syriacè, qua lingua CHRISTVS dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo*, &c. quare sicut si Latinè Apostolus non *Petrus*, sed *petra* vocaretur, & CHRISTVS dixisset, Tu es petra, & super hanc Petram, &c. nullus nisi planè ineptus, aliam petram intelligeret, quàm Petrum ipsum demonstrari, ita quoque cùm Syriacè locutus, vbi idem omninò nomen *Cephas* petram & Petrum significat, dicat; tu es Cephas, tu saxum, & super hoc saxum ædificabo, &c. nemo aliam petram demonstrari, quàm illum hominem, qui Cephas est dictus, intelliget. super illum ergo CHRISTI erat ædificanda Ecclesia. Porrò interpres Latinus, vel Græcus, quia de vlro loquebatur maluit *Petrum*, quàm *petram* fœminino genere dicere, licèt Græcè petra, & πέτρος, & πέτρα dicatur, sicut cùm de ædificij fundamento agebatur, petram maluit dicere, quàm Petrum, quamuis Græcè idem vtrumque nomen significaret; in ædificijs enim magis vsurpamus petræ nomen. πέτρος enim & Atticum & rarum est. Confirmatur hæc ratio, quia pronomen, *hanc*, debet referri ad aliquid proximum, non autem remotum. Proximè autem dictus fuerat non Christo; sed Petro, *tu es Cephas*, id est, Petra.

Tertiò, quamuis CHRISTVS appellari queat petra, hic tamen pronomen, *hanc*, ad eum referri debet, qui dictus est petra, non verò ad eum, qui hoc nomine vocatus non est. Atqui non est hic CHRISTVS petra à quopiam vocatus, sed Christus filius Dei viui.

Quartò, quid magni concessisset Christus Petro, si tantùm illi dedisset vt *Petrus* vocaretur, immò nihil planè concessisset, quia iam prius sic appellatus erat.

Quintò, facturum se aliquid hic Christus promittit, quod nondum fecisset, aut inchoasset. at CHRISTVS iam inde ab origine mundi erat Ecclesiæ fundamentum, ac super ipsum CHRISTVM hæc loquentem bona ex parte Ecclesia ædificata erat, cùm tamen hic per futurum loquatur, *ædificabo*, &c. quod tamen rectè conuenit in Petrum, nam nondum Christus constituerat Petrum fundamentum, sed à resurrectione id facturus erat.

4. Quomodo August. super Christum ædificatã Ecclesiã dixerit.

At inquiunt Hæretici, Augustinum tractatu vltimo in Ioannem sic exposuisse hunc locum: *super hanc petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam*. Idem est legere apud illum sermone decimotertio de verbis Domini. Immò libro 1. retractat. capite 21. docet dici debere super CHRISTVM potius ædificatam Ecclesiam, & retractat quod aliquando dixerat super Petrum ædificatam esse.

Respondeo nunquam dubitasse Augustinum, neque vllum orthodoxum vnquam de ipso Petri principatu in Ecclesia, quem principatum vocabulo petræ, capitis, fundamenti, ianitoris cœli per metaphoram significant Catholici Patres, vt ex Augustino patet tractatu 56. in Ioannem, quæstion. septuagesima quinta ex nouo Testamento, in Psalmum 108. libro 2. de Baptismo contrà Donatistas, capite 1. constat etiam ex epistola 86. ad Casulanum. Vnde liquet minimè August. improbare, quo minus Petrus Apostolorum caput, cœli ianitor, & Ecclesiæ fundamentum nominetur. alioquin reiecisset ibi hæc

omnia.

Digitized by Google

omnia. Adde quòd Augustinus nusquam reperitur reiecisse expositionem illorum Patrum qui dicunt Petrum esse petram supra quam ædificata est Ecclesia, licèt ante posuerit aliam interpretationem, vt patet 1. retract. cap. 21. vbi ait: *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro quod in eo tanquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiã cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, vbi de Gallo gallinaceo ait; hoc, ipsa petra Ecclesiæ, canente culpam diluit. Sed scio me postea sæpissime sic exposuisse, vt super hanc petram intelligeretur, quem confessus est Petrus; non enim dictum est illi, tu es Petra, sed, tu es Petrus: petra autem erat Christus. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior eligat lector.* Hæc Augustin. Non ergò reprobat August. alteram expositionem, tanquam blasphemam vt putat Caluinus, immò videtur tantùm subdubitasse, Petrúsne an potius Christus ibi petra nominetur, cùm aliorum Patrum, qui per petram Petrum intelligunt tam sit concors, & constans sententia. Neque argumentum Augustini quod loco citato indicat; non esse dictum; *tu es petra*, sed, *tu es Petrus*, alicuius est momenti apud eum, qui linguæ Hebrææ ignarus non est. Hebraicè namque cephas, quod dixit Christus, nihil aliud significat, quàm petram. Quòd si Augustinus eius linguæ peritus fuisset, nunquam illud dixisset.

Tertia propositio, *Petra de qua hic loquitur Dominus, non est fides, seu fidei confessio absolutè*, quomodo hæretici intellexisse videntur, nam primum pronomen, *hanc*, non refertur ad fidem, sed ad *petram* proximè nominatam, id est, ad Simonem, cui dictum est, *tu es petra*, non fides. Deinde non rectè dictum esset super hanc petram ædificandam Ecclesiam, sed potius ædificatam esse, vel ædificari, iam enim multi crediderant, Christum esse filium Dei. Postremò, vt fides secundùm se sumpta bene dicatur fundamentum iustificationis & virtutum, non tamen propriè est Ecclesiæ fundamentum, quia cùm fundamentum, & reliquæ partes ædificij eiusdem generis sint, & Ecclesia sit hominum cœtus quasi lapidum viuorum. 1. Petr. 2. debet is lapis, qui est fundamentum homo esse, non virtus debet. At obijciunt nobis Aduersarij, plures Patres, Hilarium lib. 6. de Trinit. Ambros. lib. 6. cap. 9. in Luc. Chrysost. homil. 55. in Matth. Cyrillum lib. 4. de Trinit. & alios, qui per *petram* hoc loco fidem, seu fidei confessionem intellexere. neque nos negamus, si rectè intelligatur supra fidem, seu fidei confessionem fundatam esse Ecclesiam, eodem enim res redit, siue affirmes supra Petrum certò fidem confitentem atque docentem, siue supra certam Petri confessionem, Ecclesiam esse fundatam. Nam cùm fatemur supra petram fundatam esse Ecclesiam, non personam Petri nudam accipimus, sed docentem, significantemque veram, ac firmam de filio Dei fidem. Et neque eo loci nuda fidei confessio secundùm se, & vt nullam dicit ad Petrum relationem, neque confessio alterius hominis, neque quælibet fidei confessio præterquam Petri, accipi potest. Quid enim sibi aliud vult Christus cùm ait: *super hanc petram*, &c. quàm super te Petre confitentem, atque adeò super confessionem fidei tuam fixam, ac stabilem ædificabo Ecclesiam meam? Quare vt Patrum mentem habeas, intelligas oportet bifariam fidem, seu fidei confessionem sumi posse, vel cum relatione ad Petrum, vel sine illa. Primo modo loquuntur Patres, altero hæretici; nam cùm ratione fidei suæ, quæ deficere non potest, Petrus sit petra firmissima totam Ecclesiam sustentans. Idem est dicere *super Petrum*, & *super eius fidem* Ecclesiam esse fundatam; præsertim cùm ob meritum suæ fidei Petrus habuerit, vt fundamentum esset Ecclesiæ, iuxta Hieron. Hilar. Chrysost. & alios; quòd verò quidam hæreticorum aiunt, non potuisse dici Petrum saxum, supra quod fundata sit Ecclesia, cùm paulò post corruerit, ita vt *Satanas* sit appellatus, & paulò post Christum negarit; nam nunquam aliquid errauit circa fidem, licèt aliquid illum latuerit cùm dictum illi est, *vade retrò Satanas*, & à charitate exciderit quando Christum negauit. Deinde, quod Hieronymus obseruat, quod Christus promisit Petro, post resurrectionem ei dedit: Quare non mirum si ante resurrectionem aliquo modo defecit.

Postrema propositio sit, eaque verissima; & Catholicorum communis, *petram illam esse Petrum, non quidem vt persona erat particularis, sed vt Pastor, & Ecclesiæ caput.* Probatur primò, quia Christus non duabus illis vocibus *Petrus*, & *petra*, sed vno, & eodem nomine, nempè *Cephas* Syriacè loquutus vtrobiq; vsus est. Quod argumentum superiùs est declaratum numero tertio. Deinde ipsa nominis commutatio indicio est promissam esse à Christo auctoritatem summam Petro in omnes fideles, nam ex alijs Scripturæ locis colligere est eiusmodi nominum commutationes à DEO factas singularis alicuius dignitatis indicium fuisse, vt videre est in Abraham, Sara, & Iacob, quam rem non indiligenter obseruat Chrysostom. homil. 18. in Ioann. denique quæ contra alias sententias diximus, satis nostram hanc indicant.

Porrò hunc esse communem Patrum sensum nemo dubitabit, qui legerit Diony. de passione Petri & Pauli ad Timo. Clem. epist. ad fratrem Domini. Anacl. epist. ad Episcopos per Italiam. Pium primum epist. ad vniuersos Christi fideles, Marcellum primum ad Episcopos Antiochenæ prouinciæ. Eutychianum ad Episcopos Bethicæ, Cypria. epist. 55. & 59. & libr. de vnitate Ecclesiæ, capit. 3. de habitu Virginum, epistol. 73. cap. 2 qui omnes pro Christo martyrium subiere. Tertullian. libr. de præscription. hæret. cap. 22. Origen. homil. 5. in Exod. Ambros. quem Augustin. citat libr. 1. retractat. cap. 21. & serm. 47. de fide Petri, & sermone 68. de natali Petri & Pauli, dum meminit claudi illius hominis, qui diuinitus à Petro sanatus est, Hierony. lib. 3. comment. in Matth. cap. 16. & in cap. 2. Isai. & 16. Hierem. & 41. Ezech. & 7. Amos, & 1. Abdiæ & lib. 1. contra Iouinianum, circa medium, Basil. concion. de pœnit. quæ est num. 28. Hilar. can. 16. in Matth. Chrysost. homil. 17. ex varijs in Matth. locis, & in Psal. 50. & hom. 2. de encomio Petri & Pauli, & hom. 55. in Matth. & ne longum faciam nihil

Dupliciter fides, vel eius confessio accipi potest.

6. Propositio 4: Petrus est petra ista.

9.

5. Propositio, confessio, vel fides non est ista petra.

Quomodo Patres intelligendi, cũ confessionem fidei petram hic esse dicunt.

est ita obuium in Patribus, nihil fermè tam communi consensu receptum. Ex his constat quid sit supra Petram ædificari Ecclesiam. nimirum est hac metaphora significatum, Petro esse commissum totius Ecclesiæ principatum, præcipuè quantum ad ea, quæ ad fidem pertinent. Petræ fundamentali proprium est totum ædificium regere & sustentare. Quòd si dicas, non sequitur, super fidem ædificatur Ecclesia, ergo fides est rectrix Ecclesiæ; ergo nec sequitur, supra Petrũ ædificata est Ecclesia; ergo Petrus est rector Ecclesiæ. Respondeo negando paritatem, quia vt superiùs dixi n.5. non propriè dicitur Ecclesia ædificari supra fidem, sicut supra Petrum. Denique natura rerum non patitur vt dicamus, fidem esse rectricem propriè Ecclesiæ, sed pendere à fide tanquam à principio iustificationis, at à Petro vt à Rectore benè.

8. *Duo loca Scripturæ, Exod 33 21. iterum Cantic 5.15.*

Sed huic Theorię finem imponant duo Scripturæ loca, quorum primum Exod.33.21. declarat D.Gregor.epist.53.libr.7.de fidei petra, hoc est, de Ecclesia Romana, in qua Petrus sedet: *Ad Moysen*, inquit, *dicit Dominus: est locus penes me, & stabis super petram. Est locus apud Deum videlicet, sancta Ecclesiæ vnitas, in qua super petram statur, dum confessionis eius humiliter soliditas tenetur; de quo loco subiungitur, tunc videbis posteriora mea: in petra enim, id est, in sancta Ecclesia stantes, Dei posteriora videbimus, quando iam ea, quæ in fine promissa sunt, cœlestis patriæ gaudia contemplabimur.* Sic Gregor.

9. Alter locus est Cant.5.15. *Crura eius*, Christi, *columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Quem locum sic interpretatur Psellus: *per crura*, ait, *Petrum intellige Apostolorum Principem. In hoc enim Dominus in Euangelio se Ecclesiam suam ædificaturum promisit*; rectè Psellus, nam sunt hæc crura in modum robustissimarum columnarum firmissima, nam sicut corpus cruribus, ita domus columnis innititur, ita mysticum Christi corpus, hoc est, Ecclesia in Petro, eiusq; successoribus fundatur; Petrus verò ipse Christo innititur, & fundatur, & ideò rectè dicitur, *crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*, aurea basis Christus est Deus, & homo; huic fundamento aureo innititur Petrus. Ergo qui Petrum non admittunt vt hæretici, qui Romano Pontifici parere recusant, cruribus carent, atque adeò rectè ingredi nequeunt, nec ad cœli ianuam peruenient vnquam. qui item super arenam ædificant, qui firmissimam Petri, Romanęque Ecclesiæ columnam tollere, ac subruere nituntur.

THEORIA II.

In V. 8. *Et tibi dabo claues regni cœlorum.* Declaratur quidnam & qualis sit potestas clauium, quotuplex, cui potissimum tradita, & qui eius actus, &c.

1. *Claues quid?*

PEr *claues* quę hic promittuntur Petro, passim Catholici principatum in vniuersam Ecclesiam intelligunt, quâ rem ipsa metaphora clauium satis per se declarat, quę in scripturis eiusmodi potestatẽ designat; est enim clauis veluti facultas quædam ad aperiendum & claudẽdum, & inde trãslatum est nomen hoc ad significãdam potestatẽ, præsertim Ecclesiasticã, quæ pertinet ad regẽdas animas, vt cœlorum regnũ adipiscantur. Quomodo ipse in primis Christus Apoc.3. habere *clauem Dauid* dicitur, & Isaiæ 9. *factus est principatus eius super humerum eius*, quæ clauis est potestas Excellentiæ, cuius participatio potestas est, siue clauis Ecclesiæ; hanc rem illustrat locus Isaiæ 22.15. vbi describitur depositio vnius Summi Pontificis, & institutio alterius, hoc modo: *Vade, ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo ad Sobnam præpositum templi, & dices ad eum quid tu hic?* & infra v.19. *expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. & erit in die illa: vocabo seruum meum, Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu eius, & erit quasi Pater habitantibus Hierusalem, & domui Iuda. Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat; & cludet, & non erit qui aperiat.* Quibus liquet clauis nomine principatum significari, & ideò fortasis dicitur principatus super humerum impositus, quia sceptrum quod clauis significatur super humerum poni consueuerat. Quare etiam in ciuili ac prophana gubernatione, quando vrbes deduntur alicui principi, in signum seruitutis, claues ei offerri solent, sicuti & ei qui in œconomum eligitur in domo, claues dari consueuerunt. Locus Isaiæ 22.15. &c.

Deinde id ipsum euincũt ligandi atq; soluẽdi voces: *Quodcunq; ligaueris*, &c. ligat enim qui præcipit Matth.23. *alligant onera grauia, & importabilia in humeros hominum*, item ligat qui punit; *quæcunq; ligaueritis super terram*, Matt.18. vbi sal tem præcipuè Dominus de potestate excõmunicandi loquitur. Hinc est vt obligari homines ad legem seruandam, & ad subeundum pœnas passim dicamus. Iterum, soluit qui dispensat in lege, in votis, iuramẽtis, & cæteris obligationibus, qui condonat peccata, qui soluit à pœna, &c. ergò cũ Christus Petro ait generatim: *Quodcunq; ligaueris super terram*, &c. & *quodcunq; solueris*, &c. potestatem ei præcipiendi, punicndi, dispensandi, remittẽdi in vniuersa Ecclesia committit. Fit igitur Princeps, & Iudex omnium, qui sunt in ea, nec ex verbis illis, *super terram*, benè colligunt, qui Ecclesiæ potestatem ad ligandum, & soluendum ad mortuos pertinere negant, quia cùm dicatur *super terram*, mortui verò sub Ecclesiæ iurisdictione nó sint, vt dicit Strabus Glo. ordinariæ auctor; iccircò non videtur se ad illos Ecclesiæ potestas extendere. Sed quidquid sit de re, hinc non potest illud colligi, nam *rè super terram*, non de illis intelligitur qui ligantur, & soluuntur, sed ad eos pertinent qui ligant, & soluunt, vt sit sensus, *quidquid* vos, qui super terram viuitis, *ligaueritis, seu solueritis, erit*, &c. Postremò hanc eamdem veritatem confirmant Patres vt Chrysost. hom. 55. in Matth. vbi ait claues Petro promissas significare magnam potestatem, & donum ineffabile. Et homilia 83. ait: *Claues regni cœlorum ei concessit, totamq; potestatem ei commisit.* Et Beda Ioann. 21. sub finem: *Ecclesia*, ait, *quæ fundatur in Christo claues regni cœlorum accepit in Petro*,

id est,

id est, potestatem ligandi, soluendique peccata; & hoc voluit Augustinus tractatu 50. in Ioannem, cùm dixit: *Petrum, cùm illi commissa sunt claues, Ecclesiam repræsentasse*, scilicet quia toti Ecclesiæ in ipso datæ sunt, non quia corpori Ecclesiæ immediatè sint datæ, sed capiti propter totum corpus, quod significat etiam Augustinus sermone 124. de tempore. De hac eadem potestate exposuit hanc metaphoram idem Augustinus libro 20. de Ciuitate cap. 9. si cum isto coniungas alium locum ex lib. 1. contra aduersarium legis, & Prophetarum cap. 17.

2. *Aug locum.* Quare quod Augustinus scripsit; Petrum in persona Ecclesiæ claues accepisse nullo modo huic sententiæ officit: significare enim voluit, non vt qualemcumque alium Ecclesiæ magistrum, nec vt priuatam personam, sed vt Ecclesiæ totius præfectum, ac principem, qui singulariter proinde vniuersam repræsentauerit Ecclesiam, atque adeò in vtilitatem Ecclesiæ, eas accepisse. Quod Caietanus animaduertit tractat. de Roman. Pontif. institut. cap. 3. & Ecchius in locis communibus cap. 3.

3. Sed inquies; quidquid hîc Petro promissum est, alijs etiam Apostolis ex Patrum sententia datum est; quare Cyprian. lib. de vnit. Ecclesiæ ait; *hoc erant vtique cæteri Apostoli, quod erat Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis.* Et hoc idem Anacleti auctoritate constat distinct. 21. cap. in nouo; & Hieronym. lib. 1. contra Iouinian. Leonis epist. ad Anastas. Tarsensem, & aliorum. Respondeo Apostoli omnes vt Apostoli, duo habuêre; Alterum quod ab ipsomet Christo immediatè Ecclesiastici ministerij auctoritatem habuerunt, & ideò à Christo missi dicuntur, sicut erat ipse Christus à Patre missus. Vide Bellarm. l. 4. de Pontif. cap. 22. 23. Franc. Suar. tom. 4. disput. 16. sect. 3. à num. 3. Alterum est quod eam auctoritatem ad Apostolatus prærogatiuam pertinentem, ita à Christo acceperunt, vt vbique omninò ritè, ac legitimè fungi valerent Ecclesiasticis muneribus, non in hac vel illa certa mundi parte dumtaxat. Hoc enim significant illa: *Quæcumque ligaueritis super terram.* Matth. 18. *euntes docete omnes gentes.* Matth. 28. *Prædicate Euangelium omni Creaturæ.* Marc. 16. *Sicut misit me Pater, ego mitto vos. Et quorum remiseritis peccata* &c. Ioann. 20. in his duobus pares, & Scripturæ & Patrum auctoritas Apostolos omnes faciunt.

An cæteri Apostoli eandem cum Petro habeant potestatem?

4. Cæterùm Petrus non vt absolutè Apostolus, sed vt cœli ianitor, Pastor ouium CHRISTI, & singulare fundamentum, & Ecclesiæ caput duabus alijs rebus præcelluit cæteris Apostolis; nam hæc eadem summa potestas collata est Apostolis omnibus vt legatis, non vt pastoribus ordinarijs, quare illis vita functis desijt eiusmodi Apostolatus dignitas, neque ad vllos eorum successores deriuata est, nam quamuis Episcopi sint Apostolorum successores vt loco notato Anaclet. exponit. Habent enim in suis modò Ecclesijs vicem, & functionem Apostolorum, non tamen succedunt in Apostolorum

A auctoritatem, quatenus in totum se orbem extendebat, neque eam, quam habent proximè à Christo, accipiunt vt Apostoli, sed à Petro, id est, Roman. Pontif. à quo tanquam ab vniuersali pastore aliorum pastorum ordinaria potestas deriuanda est. Vide Bellarmin. libr. 4. de Pontif. cap. 24. & cap. 22. vbi docet solũ summum Pontificem habere etiam nunc potestatem proximè à CHRISTO. lege item Suarez tom. 4. disput. 25. sect. 1. Deinde eadem potestas etiam, cum quadam subiectione ad Petrum, tradita est reliquis Apostolis, ideò Petro soli dictum est: *pasce oues meas*, vt & soli dictum est: *tibi dabo claues*; nam claues cœli, & Ecclesiastici regni vt principalis, & ordinarius præfectus non tunc accepit cum omnibus
B Apostolis dictum est Ioann. 20. *accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis*, sed tunc solùm cùm audiuit: *pasce oues meas*, expresso nomine, *Simon Ioannis* 10. 21. Quando etiam Apostolorum fratrum suorum cura ei commissa est, omnes enim habuerunt sub Petro potestatem. Itaque regere ipsos, atque in fide confirmare cũ auctoritate potuit, etsi ad Ecclesiæ bonum faceret illis perscribere, & modum, & locum ad munus Apostolicum exequendum. licet non posset eam vel auferre, vel imminuere quod eam haberent proximè à CHRISTO. lege Bellar. lib. 4. de Pontif. 23. Hinc doctè Caiet. tract. de comparat. Papæ, & Conc. cap. 3. ait: Apostolos quatenus Apostolos D. Petro omnes pares fuisse, ac quatenus oues, fuisse eidem subiectos. Et hanc sententiam etiam ipsa Cy-
C priani verba confirmant. Nam post illa verba quæ citauimus n. 3. lib. de vnit. Ecclesiæ, vbi dixit: *pari consortio præditos Apostolos reliquos fuisse, & honoris, & potestatis*, statim subnectit: *sed exordium ab vnitate proficiscitur, Petro primatus datur, vt vna Christi Ecclesia, & vna Cathedra monstretur.* lege totum hunc locum Cypriani, & videbis delirare Hæreticos, dum Cyprianum aliò trahunt.

Cypriani verba pro primatu Petri.

Sed contra ea, quæ de Petri principatu, & clauibus ei concessis hactenus diximus tria objiciuntur. Primùm, quia si claues Petro promissæ significarent principatum in totam Ecclesiam, non dubitassent postea Apostoli, *quis eorum videretur esse maior*. Matthæi 18. Marci 9. Lucæ 22. Respondetur, id indicat non satis intellexisse Apostolos promissionem Domini Petro factam ante resurrectionem; tantùm verò suspicati sunt Petrum fortasse constituendum esse Principem omnium. & propterea vt Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Matthæi 18. indicant, contendisse inter se; immò verò etiam Christus, dum sic contenderunt, ostendit non obscurè, iam à se designatum esse Principem, hoc enim significant illa, *qui maior est in vobis, fiat sicut iunior, & qui præcessor ἡγούμενος fiat* sicut ministrator, quibus declarat vnum maiorem, & ducem inter illos esse debere. Secundò, si quia Petrus confessus est Christum filium Dei viui accepit claues. Ergò omnes fideles, qui Christum confitentur habent claues; sequelam hanc probant Hæretici ex similis formæ argumento, quo vtitur D. Paul. ad Ro. cap. 4. Quomodo Abrahæ reputata est fides

5. *obiectio prima.*

obiectio secunda.

Digitized by Google

ad iustitiam, ita ideo etiam omnibus qui crediderint reputandam esse fidem ad iustitiam. Respondet Caiet. admittens argumentum esse similis formæ, sed quia dissimilis est materiæ, nihil concludere. Ratio est, nam fides natura sua ducit ad iustitiam, & vel ex iniusto iustum, vel iustiorem ex iusto facit, si reliqua adsint, quæ ad iustificationem exiguntur. Verùm confessio fidei non ducit ex se ad accipiendum Ecclesiæ regimen, quamuis placuerit Christo Petri confessionem collata clauium potestate remunerare, sicut etiam placuit fidem Abrahæ beneficio illo afficere, vt mereretur Abraham pater multarum gentium fieri, cùm non omnes qui credunt, fiant multarum gentiũ patres. Etenim non ex se, & natura sua connexa est fides cum beneficio, vel clauium, vel paternitatis multarum gentium, sicut ex se cum iustitia connexa est.

6. *Obiectio tertia.*

3. Obijciunt; vnde habet Pontifex claues cùm eligitur, vel enim secum affert, vel aliunde habet; si primum dicas, igitur erat Pontifex antequam eligeretur; si aliunde non videtur ab alio, quàm ab Ecclesia accipere, Ecclesiæ igitur à principio traditæ sunt à Christo. Respondeo sicuti è viuis excedente Pontifice non periére cum illo claues, nec tamẽ illo extincto formaliter in Ecclesia remanent, nisi quatenus communicatæ sunt inferioribus ministris. Verùm manent in Christi manibus; ita cùm quis in Pontificem eligitur, neque affert secum claues, neque ei ab Ecclesia traduntur, sed à Christo proximè ratione primæ institutionis, non per nouam traditionem, vel per inunctionem dantur. Cùm enim Petro tributæ sunt à Christo, etiam omnibus suis successoribus similiter tributæ sunt. Placuit enim Christo, vt mortuo Pontifice alius eligeretur, cui iam se tunc ab initio eamdem potestatem largiretur, quam priori concessisset. Restat nunc declarare presè magis, & speciatim hanc clauium potestatem, quæ nam potestas sit, & quàm latè pateat, quotuplex item sit, & quot actus habeat ostendere.

7. *Potestas clauium dupliciter sumi potest.*

Obseruandum est igitur potestatem clauium bifariam sumi posse. Vno modo vt complectitur totam Ecclesiasticam potestatem, quæ dirigitur ad regimen animarum, vt hæ tandem regnum cœlorum assequantur. Altero modo sumi potest speciatim pro potestate ad remittendum, vel retinendum peccata in foro pœnitentiæ, quæ sub priore aliquo modo continetur, quamquam potestas hæc nunquam videatur nominatim nomine clauis regni cœlorum significari, nam hic Mat. 16. vbi clauium fit mentio, sermo est de illa potestate suprema summi Pontificis ad regendam Ecclesiam. Immò Matth. 18. promittitur Apostolis, & in eis Ecclesiæ potestas ad soluendum, & ligandum, sed nec nomen clauis exprimitur, nec est ibi sermo de potestate remittendi peccata in foro pœnitentiæ saltem præcipuè, sed de potestate excommunicandi, & ligandi in foro externo per leges, pœnas, censuras, & soluendi ab illis, hoc enim significare videntur illa verba: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus.*

8. Vt autem explicemus quotuplex sit hæc

A potestas, quam diximus nomine clauium regni cœlorum metaphoricos appellari, perpendere oportebit varias regni cœlorum significationes, vt quid contineat hæc metaphora intelligamus. Sumitur ergo *regnum cœlorum* pro augustissimo illo regno triumphantis Ecclesiæ, & amœnissimo æternæ beatitudinis loco, cuius nobis aditum obstruit, non modo peccatum mortale, quemadmodum eiusdem remissio refert, sed etiam impedit ignorantia veritatum fidei, & morum quæ ad salutem necessaria est: aperit verò earumdem rerum contraria cognitio. Propterea potestas illa vniuersalis residet in summo Pontifice non modo ad explorandam conscientiam pœnitentium, & eos interrogandum iuridicè in foro pœnitentiæ ita vt illi teneantur veritatem fateri, verùm etiam, & quidem præcipuè, potestas definiendi

B veritates fidei, & morum, & interpretandi Scripturas *clauis* dici potest *regni cœlorum*; est enim fides initium viæ, & fundamentum quoddam ad ingrediendum regnum cœlorum, & ipsa Scriptura sacra consueuit interdum *regnum cœlorum* appellari, vt Matth. 21. ex Hierony. & Origen. patet, & hæc clauis scientiæ vocatur. Interdum accipi solet regnum cœlorum pro militanti Ecclesia, atque ita spiritualis ea potestas, quæ tradita est Petro, & successoribus ad moderandam Ecclesiam, & admittendum in illam, vel separandum ab illa prout oportuerit, nomine clauium significari potest, idque aptissimè, vt constat ex ijs, quæ diximus num. 1. Habet autem hæc potestas multiplices actus, ferre leges salutares, dispensare, & coercendo

C etiam ligare, per censuras, & ea, quæ ad sanctissimum cultum pertinent, constituere, aliisque id genus rationibus hominum saluti consulere. Diciturque propriè clauis potentiæ. Solent Patres interdum Petro clauem potentiæ, Paulo clauem scientiæ attribuere. Vide Ambros. serm. 66. August. serm. 27. de Sanctis, nam licet vterque vtramque habuerit, per quamdam tamen eminentiam sic accommodantur, & hoc modo quoque licet non ita perfectè, & propriè in lege veteri claues fuerunt, & quod fuerit potestas regendi, satis per se constat. De potestate verò scientiæ legimus Lucæ 11. 52. *Væ vobis legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ* &c. quod verò non propriè fuerint claues regni cœlorum, hinc patet, quod nondum esset reserata cœli ianua, sicut nec erat propria potestas

D ad remittendum peccata, & conferendum gratiam.

Regnum cœlorum multis modis dicitur.

9. *Duplex clauis.*

Ex his licet intelligere potestatem hanc Petro collatam sub nomine clauium duplicem esse, *scientiæ* videlicet, & *potentiæ*, vtramque verò esse ad aperiendum, & claudendum, vnius enim & eiusdem clauis proprium est claudere, & aperire, & ideò non rectè quis per *claudere* & *aperire*, seu per soluere & ligare distingueret claues, vt alia sit ad aperiendum, altera ad claudendum. vnius enim & eiusdem clauis est aperire, & claudere, qui potiùs actus sunt, & operationes clauium. possunt quidem diuidi claues in clauem ordinis, & iurisdictionis, sumendo ordinem solum prout respicit corpus Christi mysticum; & iurisdictionem generaliter prout exercetur in omni foro Ecclesiæ. Verũ

quoniam

quoniam ordo, & iurisdictio vnam integrè conficiunt potestatem, quæ est in summo Pontifice solo adæquatè est, non item in alijs, ideo multò melius est vt diuidatur hæc adæquata potestas, quæ dicitur clauis, in clauem scientiæ, & potentiæ, iuxta varium vsum huius potestatis, & ita solent Doctores claues diuidere; Cæterùm sub his membris non est alia potestas contenta, quàm quę dicta est, id est, quam quæ constat ordine, & iurisdictione vniuersali, ad quam pertinet & scientia, & potentia, & ita illa se habet, vt totum diuisum, hæ vt partes quędam iuxta varium, & multiplicem clauium vsum.

10. *Eadem clauium diuisio tribuitur soli potestati remittendi peccata.*

Eadem diuisio clauium in clauem *scientiæ*, & *potentiæ* tribuitur à Doctoribus seorsim soli etiam potestati remittendi peccata in foro pœnitentiæ, de qua numero septimo. Duo enim necessaria sunt in exercendo iudicio aliquo. Debet enim primum cognosci causa ipsa, & excuti. Deinde sequitur sententiæ prolatio. Cùm ergò hæc potestas remittendi peccata ad iudicium animæ pertineat, idque in foro pœnitentiæ, eadem duo exigit, sufficit verò ad vtrumque potestas vna remittendi peccata, quæ secundùm priorem rationem cognitionis causæ appellatur clauis scientiæ, secundùm posteriorem rationem ferendi sententiam, clauis potentiæ, & prima quidem clauis non est scientia priuata aliqua in confessore; quod visus est Magist. sentent. putasse, neque enim talis scientia potestas est, cùm reperiri possit in eo, qui claues non habet, sicut & claues esse possunt absque ea scientia, sed est potestas, seu auctoritas ad explorandam, excutiendamque conscientiam pœnitentis, & ad interrogandum iuridicè in pœnitentiæ foro, ita vt teneatur pœnitens veritatem fateri. Clauis autem potentiæ dicitur facultas absoluendi, & remittendi peccatum, ferendo iam sententiam, de quibus Theologi distin. 18. 19. & 20. constat autem remittendo peccata, aperiri; claudi verò cœlum, eadem retinendo, id est, non soluendo.

Magistri opinio de claui scientiæ in Confessore.

11. *Potestas clauium adæquatè vna.*

Ex his patet potestatem, quæ clauium nomine dicitur adæquatè, & completè vnam esse, licet plures habeat actus, siue primo, siue secundo modo sumatur, hoc est, siue pro vniuersali potestate in Pontifice, siue speciatim pro potestate remittendi peccata in foro pœnitentiæ, de quo duplici modo numero septimo diximus, secundùm tamen diuersos respectus, seu conceptus, & varium vsum distinguitur in clauem scientiæ, & potentiæ. Sed roget hîc aliquis, sitne hæc particularis potestas ad remittenda peccata ordinis, an iurisdictionis? Respondeo vnam integram conflari ex ordine & iurisdictione potestatem ad remittenda peccata, & hanc diuidi in clauem scientiæ, & potestatis. Sunt enim duo necessaria ad remittendum peccata, potestas ordinis, quæ in solo est sacerdote, & iurisdictio

Potestas ordinis duplex.

Porrò potestas ordinis duplex est, altera respicit corpus Christi verum, & est potestas ad consecrandum; Altera respicit corpus Christi mysticum, & de hac nunc loquimur, & nihil aliud est; quàm Character sacerdotalis, quatenus ex Dei institutione aliquis per illum deputatur, vt possit esse Iudex animarum in foro pœnitentiæ; vel aliter, est ipsemet Character vt per modum potestatis iudiciariæ extendit se ad sanctificandas animas gratiam culpæ remissiuam conferendo. neque enim alius à Sacerdote potest esse Minister Sacramenti pœnitentiæ; Itaque licet Caracter Sacerdoti impressus integrè spectatus, & corpus CHRISTI verum, & corpus CHRISTI mysticum respiciat, non tamen habet rationem clauis, vt CHRISTI corpus verum respicit, sed tantùm per respectum ad corpus mysticum; præter ordinem verò requiritur Iurisdictio in Sacerdote, vt validè absoluat à peccatis. Quæ Iurisdictio non est potestas illa ordinis, hæc enim non modò non est completa, vel actualis, sed nec inchoata, vel habitualis Iurisdictio, si propriè loquamur, quamuis sint, qui ita nominarint, quos refutat Suarez disput. 16. sect. 3. præsertim numero vigesimosexto possuntque hæc duo, nimirum potestas ordinis, & iurisdictio separari, ita vt vna possit esse sine altera, & quamuis potestas ista ordinis possit appellari aliquo modo iurisdictio, quatenus est ad exequendam iurisdictionem validè quando habebitur, & quatenus exercet suum actum per modum iudicij tantùm, vnde habet vt dicatur iudiciaria à Theologis. ad tollendam tamen omnem æquiuocationem, more conciliorum debent distingui duo hæc, & altera potestas ordinis, altera iurisdictionis vocari. hac Sacerdos dicit ius, & sententiam profert, illa habet vt validè possit sententiam proferre, nec vllo modo Iurisdictio propriè appellatur. Datur verò hæc Iurisdictio Auctore D. Th. 2.2.q.39.a.4. per iniunctionem hominum secundùm ordinarium Ecclesiæ cursum, siue detur per delegationem, siue per officij collationem tanquam ordinaria potestas, vt confertur Episcopis, & Parochis, & ideò est mutabilis hominis arbitratu, cùm potestas ordinis nequeat mutari, & in ordinatione ipsa conferatur.

Iurisdictio in Confessario non est illa potestas ordinis, & quomodo possit nihilominus potestas ordinis dici iurisdictio.

Differentia inter potestatem ordinis & iurisdictionis.

Respondetur ergo ad dubium propositum, totam hanc integram potestatem, quæ conflatur ex potestate ordinis, & iurisdictione esse potestatem ad remittenda peccata in foro pœnitentiæ, & eam diuidi in clauem scientiæ, & potentiæ, vtraque enim, & tota simul est ad exquirendam & explorandum conscientiam per modum Iudicij, & ad absoluendum, & ligandum.

12. *Actus potestatis ad remittenda peccata duplex.*

Cæterùm actus huius potestatis duo sunt, quos Dominus indicauit illis vocibus *soluendi*, & *ligandi*, *remittendi*, & *retinendi* peccata, de quibus Suarez disput. 16. sect. 3. num. 15. 16. Nos tantùm hîc cum D. Thoma in cap. 16. Matth. tres errores cauendos esse hac in re monebimus. Vnus illorum est, qui existimarunt sacerdotem pro suo arbitratu ligare, aut soluere quemlibet posse, siue iure, siue iniuria id fecerit, ratumque id semper in cœlis esse futurum. Sed longiùs hi à veritatis scopo aberrant. His enim verbis, *quodcunque solueris* &c. Matth. 16. promisit Petro imprimis CHRISTVS, mox reliquis Apostolis vices suas in terris, cum dixit: *Quæcumque alligaueritis* &c. Matth. 18. 18. nimirum vt facerent, quod ipse facturus

Tres errores. Primus.

fuisset

fuisset, si in terris esset, & eodem modo ligandos ligarent, soluendos soluerent; vno hoc dempto quod propria Christus, aliena Apostoli, videlicet ipsiusmet Christi virtute, ligaturi, aut soluturi erant, & hoc est, quod Scholastici dicunt, claue non errante; sic Cypr. epist. 51. ad Antonianum ait: *iudicaturo Christo nemo præiudicet*. Hanc sententiam videtur Hieronym. Matth. 16. voluisse confutare, dum pares visus est facere legales, & Euangelicos Sacerdotes, quia sicut illi inter lepram, & lepram discernebant, lepram autem tollere non poterant; ita & hi se gerant circa peccata. His D. Hieronym. videtur tantum voluisse docere, non esse situm in manu, & arbitrio sacerdotis tollere, vel retinere peccata prout libitum fuerit, & hac in re pares facit sacerdotes nouæ, ac veteris legis; nam neque hi, neque illi valebant pro libito discernere inter lepram, & lepram, sed iuxta merita causæ. Cæterùm quod ad potestatem attinet, nequaquam pares facit, de veteribus enim sacerdotibus tantum affirmat, discernere potuisse, quisnam mundus, quisve immundus foret; De Euangelicis verò Sacerdotibus ait, posse illos auditis peccatis, vel eorum causa ligare, ac soluere. Comparat igitur vtrosque sacerdotes, vt Ricard. ait artic. 3. & Castro contra hæreses verbo *absolutio*, hæresi prima, secundùm proportionalitatem quamdam, non verò æqualitatem.

Quid sit, claue non errante.

13. *Hieronymi dictum difficilè explicatur.*

Alter verò error est, quod ligare, aut soluere nihil sit aliud, quàm homines, aut iam à Deo ligatos, aut iam solutos declarare: quod visus est dixisse Hieronym. quem tamen iam exposuimus num. 13. Sed si hæc opinio vera esset, non dixisset Christus: *Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis*. Sed quæcumque erunt soluta in cœlis, soluetis super terram.

14. *Secundus error.*

Postremus error est, quod cùm in peccato sint culpa, & reatus pœnæ æternæ, ab vtroque absoluitur pœnitens per contritionem æterna pœna in temporalem commutata; Sacerdotes verò cùm absoluunt, tantùm aliquid, de temporali pœna, minuunt. Quod expresè contradicit verbis Christi aientis: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: Ioan. 20. Igitur etiam à culpa sacerdotes pœnitentes absoluunt, quod & per baptismi etiam Sacramentum faciunt contra Nouatianos ex Ambrosio lib. 1. de pœnitent. cap. 2. Quod si dicas: Sacerdotes cùm ligant, declarant, non faciunt homines peccatores; igitur & cùm absoluunt, Iustos esse declarant, non faciunt Iustos. Respondeo, negando sequelam, nam ligandi, soluendique potestas non fuit data propter iustos, sed propter peccatores, eos enim qui iusti sunt, atque adeò soluti, Deus nequaquam vult ligari, verùm qui peccatores, id est, ligati sunt, si digni sint, solui cupit, si indigni, ligari, quamuis non eodem modo ligent sacerdotes, & soluant: soluunt verè soluendo per actum aliquem verum, vt aiunt, *positiuè*, ligant verò non soluendo, & quod aiunt, *negatiuè*, non faciendo, sed retinendo peccata.

Tertius error.

Sacerdotes à culpa verè soluunt.

Quomodo ligent, vel soluant sacerdotes.

15. *Opinio Caiet.*

Caiet. tract. de instit. & auctor. Rom. Pontif. cap. 5. opinatur; non esse idem claues regni cœlorum, & potestatem soluendi, & ligandi;

A Claues enim regni cœlorum includunt potestatem ordinis, & Iurisdictionis, quæ designãtur actionibus ligandi, & soluendi; sed præterea addunt aliquid amplius, latiusque patere ait aperire, & claudere, quàm soluere, & ligare, ligare enim & soluere propriè tantùm significant actus Iudiciales: Claues verò non hos modo, verùm etiam alios continent, vt illuminare, dispensare, regere &c. qui omnes aptè continentur sub metaphora claudendi, & aperiendi. Hinc effici vult Caietan. claues secundùm actus suos adæquatos esse tantùm in summo Pontifice, & soli Petro fuisse promissas Matth. 16. Verùm quantum ad actus inadæquatos ligandi, & soluendi, etiam alijs concedi.

B Quæ Caiet. opinio quoad rem ipsam attinet, vera est, nam claues vniuersim sumptæ, quæque ad omnes actus se extendunt, speciatim in Petrum, eiusque successores collatæ sunt. Iterum eædem claues multiplices, vt Caiet. docet, habent actus, quos omnes sub se claudit metaphora illa *aperiendi & claudendi*, hæc vera sunt: Verùm aio etiam eosdem actus posse aptè significari per vocabula ligandi, & soluendi, per quæ eos significauit Dominus Matth. 16. Vbi primo, quod non oscitanter obseruandum est, promittit auctoritatem Petro, seu potestatem designatam per claues; Deinde actiones eius potestatis, siue officium Petri explicat per voces soluendi, & ligandi, ita vt omninò sit idem hîc, soluere, & aperire, claudere & ligare. Expressit verò Dominus clauium

C actiones per vocabula illa *soluere, & ligare*, non per *claudere, & aperire*, vt intelligeremus omnes istas loquutiones translatas esse, & metaphoricas, & tum demùm cœlum hominibus aperiri, cùm homines soluuntur à peccatis, & ab his quæ ingressum in illud prohibebant. Vide August. primo de doctrina Christiana cap. 17. & 18. & Greg. lib. 4. epist. cap. 76. epist. 32. Et confirmantur hæc: nam potestas clauium est potestas aliquo modo superioris alicuius: Quidquid autem superior per suam potestatem operatur, potest rectè ad actus ligandi, atque soluendi reuocari. Nam si dispensat, soluit: si præcipit, ligat, Matth. 23. *alligant onera grauia, & importabilia.*

16. *Censura opinionis Caietani.*

17. Propterea absolutè loquendo verissimum

D est has claues esse communicatas alijs à Petro, licet non expresso nomine clauium, nec eodem modo; & quidem collatæ sunt quoad potestatem ordinis perfectè, quoad potestatem verò Iurisdictionis quadamtenus, id est, ex parte, vt aiunt, & dependenter à capite. Quare non est negandum nomine *clauium* aliquid amplius comprehendi, quàm comprehendatur potestate illa remittendi peccata, quę ordine, & iurisdictione in foro pœnitentiæ tãtùm continetur, nec vnquam ea speciatim, & per se expresè clauis nomine in Scriptura est appellata, ipsam tamen sub clauibus contineri omninò concedendum est. Nomine quidem clauium potestas ordinis, & iurisdictionis vniuersalis significata est à Christo, quæ in solo est capite, id est, summo Pontifice, sub hac tamen clauditur tacitè potestas ad remittenda, & retinenda peccata.

Nomine clauium aliquid amplius continetur, quam potestate remittendi peccata.

His ad-

18. His addendum neque alijs Apostolis sub nomine clauium potestatem illam vniuersalem, quam habuit Petrus, collatam fuisse, si Scripturas consulas, & si eo modo, quo de clauibus hîc loquitur CHRISTVS, dum eos soli Petro committit, loquamur, licet non malè clauium nomine eadem Apostolorum potestas sit à Patribus vocata: Quod Mald. in Matt. 16. v. 9. & Val. tom. 3. disput. 1. q. 1. pun. 7. affirmant: Claues enim, vt dicunt, plenam, atque summam regnum cœlorum aperiendi, & claudendi potestatem soli Petro promissæ, atque adeò tributæ sunt; solus enim Petrus & vniuersis, atque adeò etiam ipsis Apostolis, & omnibus modis aperire regnum cœlorum potuit; soli ita aperire datum est, vt nemo claudat, ita claudere, vt nemo aperiat, sicut in domo, licet omnes, aut plures suas habeant claues, solus tamen Dominus, & domus omnes, & secretas habet, quibus cùm vult ita claudit, vt nemo aperire, ita aperit vt nemo possit claudere. Et hoc videtur CHRISTVS nomine clauium intellexisse, hanc scilicet, summam potestatem quæ à nulla alia pendet, sed è contrario omnes ab illa.

Claues quomodo soli Petro date & promissæ

19. Sed quando (quærat aliquis) confertur potestas hæc specialis remittendi peccata, quam clauem etiam diximus vocari à Doctoribus & sub vniuersali Pontificis potestate contineri? Respondeo, si loquamur de prima sui institutione, collatam Apostolis fuisse Ioan. 20. illis verbis: *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata* &c. quamuis enim Apostoli omnes in memoranda illa nocte postremæ cœnæ Sacerdotes constituti sint, quod attinet ad potestatem in corpus Christi verum, cùm dictũ est illis: *hoc facite in meam commemorationem.* Quod spectat tamen ad potestatem in corpus Christi mysticum perfecta fuit eorum consecratio, & ordinatio completa post CHRISTI resurrectionem, verbis prædictis: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata* &c. Verùm si sermo sit non de Apostolis, sed de alijs sacerdotibus, affirmandum est conferri eis totam ordinis potestatem, dum in sacerdotes promouentur. Idque docet Ioannes 22. in extrauag. de verborum significat. vbi inquit: claues in collatione sacri ordinis conferri, & Tridentini Patres sess. 14. cap. 6. & can. 10. & sess. 23. cap. 1. idem expressiùs testantur: & patet, quia iam diximus numer. 11. hanc potestatem non esse quid distinctum à caractere. Character autem sacerdotalis integrè, ac perfectè confertur, dum quis sacerdotio initiatur. Licet adhuc dubitari possit, quomodo hæ duæ potestates ordinis in corpus Christi verum, & mysticum distinguantur, & an imprimant distinctos caracteres, de quibus lege Scot. in 4. dist. 19. q. 2. artic. 8. ad Sacramentum enim ordinis hæc pertinent. quomodo verò similes sint, qui solam habent potestatem ordinis, iudicibus Chartularijs, quomodo arbitris, vide Suarez disp. 16. sect. 3. num. 52.

(**)

A

THEORIA III.

De Ecclesiæ acceptione, & Origine.

1. *Ecclesia quid, & quotmodis sumitur.*

ECclesia Græcè, Latinè est *conuocatio*; vnde translatum est hoc nomen ad significandum locum ipsum, in quem illi, qui sunt conuocati conueniunt, vt Iudith cap. 6. 21. *per totam noctem intrà Ecclesiam vrauerunt.* Deinde traductum est ad significandum cœtum ipsum, vel conuentum hominum conuocatorum, quomodo hîc de Ecclesia loquimur, & sumitur hoc nomen in ea significatione in Scripturis aliquando in bonam, aliquando in malam partem Psalm. 25. 5. *Odiui Ecclesiam malignantium*, & Psalm. 149. *Laus eius in Ecclesia sanctorum.* Notant tamen aliqui hanc vocem hominum congregationem in sacris literis semper significare, saltem vbi Græcè scriptum, aut ex Græco sermone sacrorum bibliorum acceptum inuenitur, & excepto vno loco Actor. 19. 32. vbi de pop. ethnicorum dicitur: *Erat enim Ecclesia confusa.* cùm absolutè pronuntiatur non secus, quam cum Ecclesia Dei dicitur, cœtum designat hominum in veram vnius Dei, atque vnius propitiatoris fidem, & legitimum ipsius Dei cultum consentientium, & conspirantium; cuiusmodi cœtus, etsi numquam ab orbe condito, saltem post reconciliatos primos parentes in mundo defuit; post promulgatum tamen CHRISTI Euangelium eos dumtaxat complectitur, qui per baptismi Sacramẽtum admissi doctrinam, & cultum retinent; quem CHRISTVS ipse obseruandum esse in vniuerso mundo denuntiauit, primum quidem per Apostolos suos, deinde verò per eos, qui Apostolis in officio pascendi, atque docendi alij post alios successerunt, ad quos etiam ipsorum Apostolorum doctrina partim scripto, partim per manus tradita incorrupta peruenit.

B

C

2. *Ecclesia pro cœtu triplici ter vsurpatur. Primò.*

Consueuit autem tribus modis Ecclesia pro cœtu ab Ecclesiasticis vsurpari. Primùm pro multitudine eorum, quos beneficio vocationis diuinæ verus DEI cultus, & vera DEI cognitio indita diuinitus, quomodocumque coniungit, siue ea cognitio sit obscura credentium, siue clara beatorum. Dixi quomodocumque coniungit, vt comprehenderem eos, quos sola externa coniunctione DEI cognitio, vel cultus in tali multitudine coniungit, hoc est, secundùm sui saltem protestationem externam, quamuis non secundùm se, atque adeò coniunctione interna, quomodo diuidi consueuit Ecclesia in militantem in hac vita cum hostibus, & in expiantem in Purgatorio; denique triumphantem in cœlis.

D

3. *Origo Ecclesiæ primo modo sumptæ.*

Atq; ita in ipsa conditione Angelorum suũ habuit initium Ecclesia sic sumpta; nam sunt illi creati cum vera cognitione Dei, & in gratia, quod sentiunt grauiores Doctores Scholastici, eorumque antesignanus. D. Th. part. 1. q. 62. art. 3. quare meritò Diuus Bernardus ad

Ecclesiam

Ecclesiam sic acceptam refert Angelos serm. 27. in Cant. & Diuus Thomas 3. part. quæst. 8. art. 4.

4. *Secundò sumitur Ecclesia angustius.*

Secundo modo angustius definitur Ecclesia pro eo hominum cœtu, quem verus Dei cultus, veraque cognitio, sed obscura fidei, in hac vita coniungit, partim secundùm se interna coniunctione, partim secundùm sui protestationem coniunctione externa; sic sumimus, cùm dicimus vnam & eamdem esse veteris, & noui testamenti Ecclesiam, ob eamdem videlicet fidem in eumdem Christum mediatorem antiquis Patribus nobiscũ communem. Hinc meritò Apost. ad Ephes. 2.20. lapidem angularem Christum esse dixit, quo nimirum est vtraque Ecclesia connexa.

5. *Origo Ecclesiæ sic sumtæ.*

Dubitant Doctores de initio Ecclesiæ hoc modo sumptæ. Affirmant quidam ab Adam originem suam ducere, quod placuit Ioanni Driedo. libr. 4. de var. dogmat. & Hosio in confess. Polonica. cap. 22. Adam siquidem primus homo Dei manu effectus, Dei spiraculo animatus, humanæ sobolis propagator, innumeris à Deo denis cohonestatus, orbis imperio illustris, scientijs omnibus insignitus, quique de peccati venia non à spe lapsus vt Cain, salutem proculdubio consecutus est, quod docent Irenæus libr. aduersus hæreses 3. Epiphanius contra hæresim 47. Diuus Augustinus epist. 99. ad Euodium, & complures tum priscorum, tum neotericorum patrum, & doctorum, immò & sapientiæ liber apertè id ipsum habet cap. 10. 12. *hæc* (Sapientia) *illum qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus custodiuit, & eduxit illum à delicto suo & dedit illi virtutem continendi omnia*, dominandi omnibus. Si ergo extra Ecclesiam nulla est salus, non modo in Ecclesia, saltem merito censendus erit Adam, sed etiam ipsum eius initium aliquo modo fuisse fatendum est.

6. Verùm Diuus Augustinus enarrat. 1. in Psalm. 42. & libr. 15. de Ciuitat. D E I cap. 1. Ab Abel initium sumpsit Ecclesiæ: *hæc Ciuitas*, inquit, hoc est, *Ecclesia, initium habet ab ipso Abel, sicut mala Ciuitas à Cain*, quam sententiam confirmare possumus quod primus Abel sacrificium Deo obtulerit. Gen. 4.4. sacrificium verò duo continet, quæ Ecclesiæ cõpetunt, fidei attestationem, & Dei cultũ. Hanc Augustini opinationem Ioan. Turrecremata, summa de Ecclesia libr. 1. cap. 25. & 27. asserit communiorem esse sententiam.

7. *Opinio auctoris.*

Sed hæc controuersia potiùs de nomine est, quam de re, nam si Ecclesiæ nomine intelligatur hominum cœtus, quem coniungit fides, & qualiscumque cultus Dei absolutè, licet is nullis certis externis ceremonijs, nullis determinatis signis declaretur, sic verissimum est ab Adamo eam initium accepisse. Quod si ad Ecclesiæ significationem requiramus fidem, & cultum cum certa quadam, & peculiari ceremonia externa, tunc non liquet Adamum huic Ecclesię initium dedisse, cùm non constet illum certam aliquam ceremoniam cultus externam vsurpasse ante Abel, quamquam id non improbabiliter suspicari

A liceat feciſſe Adam. Itaq; cùm Abel ſit primus de quo liquet certam diuini cultus ceremoniam adhibuiſſe, ille meritò Eccleſiæ hoc modo acceptæ initium fuiſſe dicitur.

8. *Tertiò ſumitur Eccleſia adhuc preſſius.*

Tertiò adhuc preſſiùs definitur Eccleſia, vt ſit hominum cœtus, qui per baptiſmi Sacramentum admiſſi doctrinam, & cultum cõtinent, quem Chriſtus ipſe per Apoſtolos ſuos, & eorum ſucceſſores in vniuerſo orbe denuntiauit, vt num. 1. dictum eſt; continet verò non modo eos, qui verè & ex animo fideles ſunt, & quos tum externa, tum interna coniũctione Chriſti fides, & verus Dei cultus coniungit. quomodo nulli hæretici ſunt in Eccleſia, neque eius membra eſſe poſſunt per internam videlicet vnionem reliquo corpori coniuncta; verùm etiam eos ſecundariò, qui

Hæretici quomodo in Eccleſia.

B coniunctione tantùm externa, hoc eſt, ſecundùm profeſſionem exteriorem fidei in Eccleſia verſantur, cuiuſmodi ſunt occulti hæretici, vt Melchior canus lib. 4. de lo. Theo. cap. 6. ad 12. docet, & Bellar. 4. contr. l. 3. de Eccleſ. militan. cap. 10. ſecus verò eſt de manifeſtis hæreticis dicendum. Bellar. controuer. 4. l. 3. de Eccleſ. militan. cap. 4. idem dicendum de Apoſtatis, quod de hæreticis dixi. vtrique verò cogi poſſunt, & puniri ab Eccleſia, vt tranſfugæ, & oues perditæ: nam de Eccleſia fuerunt, & baptiſmalem retinent characterem, & ideo quærendi ſunt, & reducendi, vel puniendi vt oues extra ouile reducere, & deſertores vi cogere, & ſuſpendere licet, licèt extra ouile, vel exercitum ſint. Ex his intelligi poteſt quod habetur cap. *firmiter* de ſumma Trinitate vnam eſſe Eccleſiam fidelium, & id

C quod dicit Nicolaus Papa in can. Eccleſia de conſecrat. diſt. 1. *Eccleſia eſt Catholicorum collectio*, vt intelligamus per fideles, & Catholicos eos, qui tantùm etiam exterius fidem profitẽtur: ſunt enim omnes iſti tanquam arida Eccleſiæ membra.

9. *Cathechumeni an de Eccleſia.*

Ad hanc Eccleſ. pertinent Cathecumeni nondum baptizati, ſi per votum baptiſmi gratiam conſecuti ſunt, & fidem habeant, non quidem numero, & propriè, ſed merito, & impropriè. Sic Turrecrem. libr. 1. ſummæ de Eccleſia cap. 8. ad 8. quod ſi dicas neminem extra Eccleſiam poſſe ſaluari. Reſpondetur id accipiendum de ijs, qui neq; voto, & deſiderio, neque reipſa ſunt in Eccleſia.

10. *Schiſmatici an de Eccleſia.*

Schiſmatici quicquid dicat Alphonſus de Caſtro, non ſunt de Eccleſia, licet hæretici non ſint, nam pars ſciſſa à corpore

D non eſt amplius pars eius corporis. Vide Bellarminum controuerſ. 4. libr. 3. de Eccleſia militante capit. 1. Nec obeſt, quod Eccleſia à Nicolao Papa definiitur *Catholicorum congregatio*, vel ab Innocentio *fidelium*, nam non propriè dicuntur Catholici, niſi qui fidem in Eccleſia Catholica profitentur. Et Innocent. ſicut & Nicolaus noluerunt plenè Eccleſiam definire, ſed tantùm excludere hæreticos ab ea, & verò cum ſchiſma opponatur vnitati Eccleſiæ eſſentiali, nam per ſchiſma vnum membrum non vult amplius eſſe membrum corporis Eccleſiæ, cuius erat membrum, nec ſub illius capite; propterea tollit vnitatem eſſentialem, atque

Digitized by Google

Ecclesiam ipsam à qua se separat: quæ secundùm suam vim, notionemq; propriam dicitur *vnum ouile*, Ioann. 10. *vnum corpus*, Rom. 10. *vna sponsa, vna amica, vna columba*, Cant. 6. quod sub vno capite omnia eius membra, & inter se connexa sint.

11. *Excommunicati non sunt in Ecclesia.*

Excommunicati item non sunt in Ecclesia, quod docet Catechismus Romanus in explicatione symboli, & videtur elici ex illo Matt. decimooctauo. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* At Ethnici non sunt de Ecclesia, & excommunicatio est electio de Ecclesia: quare cùm absoluuntur excommunicati, dicitur; *Restituo te vnitati Ecclesiæ, & membrorum participationi.* Quod si quis sit iniustè excommunicatus, & amicus DEI, talis est in Ecclesia animo, siue desiderio, non corpore vel externa communicatione, quæ propriè facit hominem esse de Ecclesia visibili, quæ est in terris: locus verò Augustini libro contra Donatistas post collation. cap. 20. vbi dicitur: *neque enim à populo DEI separamus quos vel degradando vel excommunicando ad humiliorem pœnitendo locum redigimus*, videtur corruptus, sic enim legendum esse arbitror; *neque enim à populo DEI non separamus*. Vide de his, qui non sunt in Ecclesia etiam Valent. tomo 3. disputatione 1. quæstione 1. parte 7. §. 15. vbi declarat quot modis aliquis non sit in Ecclesia in illis verbis: quibus sanè argumentis.

12. *Ad Ecclesiã secundo modo sumtam accommodatur mystice initium Genes.*

Cæterùm regressi iterum ad secundam Ecclesiæ notionem numero quarto positam possumus initium Geneseos huic Ecclesiæ mysticè accommodare cum auctore Glossæ mysticæ in primum caput Geneseos. Nam si quo referendum sit eius initium interroges: Respondet Moses: *In principio creauit DEVS cœlum & terram*. En tempus originis Ecclesiæ; etenim cum homine initio nascentis mundi modo superiùs explicato numero secundo cœpit Ecclesia, licet vsque ad Christum paruula fuerit, de ea enim exponunt quidam illud Cantic. 8. 8. *Soror nostra parua, & vbera non habet*, tribuunt enim hæc verba Angelis, seu triumphanti Ecclesiæ, cuius soror est Ecclesia militans ex eodem Patre DEO genita; aiunt ergò Angeli, *Soror nostra parua est*, quod nimirum vsque ad CHRISTI tempus paruula fuerit, atque adeò cùm pueritiæ annos ageret instar puellarum, vberum potiùs initia, verùm non vbera lacte distenta habuit. Quæ verò vbera nisi Sacramenta? quod lac nisi gratia? Vbera igitur parua in signum gratiæ futuræ per Christum habuit, non autem vbera lacte distenta: hoc est gratiam quidem indicantia, verùm non conferentia. Lac verò tum demum suscepit, cùm tanquam sponsa Christo coniuncta est, quando Sacramentis gratiam ipsam continentibus donata plurimos edidit filios cunctorum viuentium tandem mater effecta.

Locus Cant. 8.

13. *Locus Gen.*

Sed age iam etiam cætera huius initij Geneseos applicemus huic Ecclesiæ. Pergit Moses; *Creauit DEVS cœlum & terram*: constabat Ecclesia initio, cùm adhuc ferè esset Euæ vtero, lumbisve Adam clausa, Iudæis & gentibus, & quidem Iudæi cœli nomine, Gentes terræ intelligi possunt; nam illi tanquam stellis, luna, sole, ita Patriarchis, ac Prophetis & iustis exornati sunt, Dei etiam sedes quasi cœlum, hoc est, peculiaris Dei populus vocati sunt, gentes verò postea tanquam omnium vitiorum colluuies quædam effectæ, aptè terræ nomine nuncupantur. illi per Seth propagati sunt, hæ per Cain ex primis parentibus proseminatæ fuerunt. Accidit porrò Iudæis, & gentibus, quod olim in partu Thamar euenisse narrant diuinæ litteræ Genes. trigesimooctauo: *cùm enim*; vt Irenæus Martyr libro quarto aduersus hæreses capite quadragesimosecundo scribit: *concepisset Thamar geminos, alter eorum prior protulit manum suam: vt cùm obstetrix putaret eum primogenitum esse coccineum alligaret signum in manu eius. Cùm autem ille retraxisset manum suam, prior exiuit frater eius Phares, & deinde secundus ille, in quo erat coccinum; Zara: clarè manifestante Scriptura eum populum, qui habebat coccineum signum, id est, eam fidem, quæ est in præputio, præostensam primùm in Patriarchis: post deinde subtractam vti nasceretur frater eius: deinde sic eum qui prior esset secundo loco natum. Hic est cognitus per signum Coccineum, quod quidem est passio Christi, & initio præfigurata in Abel, & descripta à Prophetis, perfecta verò nouissimis temporibus à filio Dei: oportebat enim quædam prænuntiari paternaliter à Patribus, quædam autem præfigurari legaliter à Prophetis, quædam verò deformari secundùm deformationem Christi ab ijs, qui adoptionem perceperant.* Sic Irenæus. Addit Theodoretus hæc, clariùs quædam explicans quæstione 95. in Genes. *quid indicabat quod Zara, & Phares accidit? denotabat duos populos, Phares populum Iudaicum, Zara verò gentes, quæ crediderunt, nam ante legem fuerunt etiam plerique pietatis alumni, secundùm fidem, non secundùm legem viuentes. quocirca Zara tale vitæ genus demonstrans manum porrexit.* & paulò pòst subdit: *cùm Zara manum retraxisset, egressus est Phares. Lex enim intercessit media inter eos, qui ante legem, & post legem fuerunt. Quapropter Beatus Paulus inquit* Rom. 5. 20. *Lex autem subintrauit: docens etiam ante legem secundùm fidem iustificatos esse: & item splenduisse gratiam DEI.* Sic Theodoretus.

Irenæi verba de Iudæis, & Gentibus.

Theodoretus idem clarius habet.

Hanc tamen figuram paulò aliter applicat ad eosdem Iudæos, & gentes Rupertus capite trigesimoprimo, libro 11. Genes. sed breuius id facit Isidorus in hunc locum Genes. *Zara*, inquit, *significabat antiquum Israeliticum populum sub lege constitutum; qui prior quasi manum emisit, quando dictis Propheticis, & Legalibus sacrificijs natiuitatem, & Passionem Domini in carne prænuntiauit. Sed instante partu manum subtraxit; quia aduenientè plenitudine temporum, credere in DEI filium noluit; & eum in præsenti positum despexit: de quo tamen multa in posterum prædixit. Phares porrò, qui interpretatur diuidens, prius egressus est: quia postquam cæcitas in Israel facta est, plenitudo gentium introiuit, & sic postmodum Israel saluus erit.* Sic Isidorus. Hæc porrò interruptio Israel, diuisio maceriæ est, quam & significat Phares quod interpretatur diuisio,

14. *Rupertus habet idem paulò aliter clarius vtit Isidor.*

vt inquit loco citato Rupertus. Sed pergamus ad alia.

15. *Terra autem erat inanis, & vacua*: nam gentes, quas terræ nomine intelleximus in præscribenda sibi beatitudine, & ea comparanda vt plurimum aberrarunt, idque non post multum tempus à molitione mundi, *& tenebræ erant super faciem abyssi*. His significatur ignoratio DEI rerumque diuinarum, quæ passim gentes occupauerat: qua de re multa Eusebius libro primo & decimoquarto de præparatione Euangelica. *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*: quia nimirum non ita reliquerat DEVS gentes, vt non multis beneficijs, & magna significatione bonitatis suæ eas ad se vocaret. *Dixitq; DEVS*, cùm tandem *Verbum caro factum est*, nam *olim DEVS loquens Patribus in Prophetis: nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio*: ad Hebr. 1. 1. 2. *Fiat lux*; videlicet per Euangelij prædicationem ad illuminationem gentium, idque tunc factum est, cùm dictum est Apostolis; *euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ* &c. & ne longum faciam ipsi septem dies, quorum postea fit mentio in Genes. significant septem Ecclesiæ Sacramenta, quibus tanquam diurna luce illustratus est orbis terrarum, & hæc de hac mystica interpretatione initij Geneseos dicta sufficiant. iam ad Christianorum cœtum, seu CHRISTI Ecclesiam speciatim transeamus.

THEORIA IV.

Ecclesia Christianorum, quæ auctore Christo ædificata est, pluribus rebus comparatur.

1. AVgustinus in Psalmum octuagesimumprimum: *Israelitarum*, inquit, *propriè synagoga dici solet, quamuis aliquando & Ecclesia dicta sit*, vt 1. Regum 17. 47. *nouerit vniuersa Ecclesia hæc*, 3. Regum 8. 14. *omnis Ecclesia Israel stabat*: nostram verò Apostoli synagogam dixerunt, sed semper Ecclesiam, siue discernendi caussa, siue quod inter congregationem, vnde synagoga; & conuocationem, vnde Ecclesia nomen accepit, distet aliquid, quod scilicet congregari & pecora solent, atque ipsa propriè; conuocari autem magis est vtentium ratione sicut sunt homines.

2. *Anastasius Synaita 14. lunæ Ecclesiam comparat.* Anastasius Synaita Exhæm. libro quarto eleganter docet CHRISTI Ecclesiam rectè per decimamquartam lunam significari, in qua agnum immolabant Iudæi. erat autem Exodi duodecimo, sexto præceptum à DEO hoc modo: *seruabitis eum*, Agnum, *vsque ad quartam decimam diem mensis huius* primi: *immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam, & sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque postem* &c. Agnus hic CHRISTVS erat, *quasi agnus ductus ad victimam*. Hunc immolauit vniuersa multitudo filiorum Israel; cùm clamarunt:

A *Crucifige*,
batur, agi
ras; &
nebras,
ta sunt s
ad subsec
tenebræ fa
bus cade
te emisit
Porr
runt peru
cæcitate
buntque
est, vsq
Nam sene
poribus
B Paulus. I
dem reue
tota mic
quia nimi
suam, dig
STVS i
bique Ec
iunxit.
Iteru
vel CH
qui exæd
consecrau
tione mu
tanquam
nis, in
Domus e
est, supra
C ti licet ma
uertere ne
orationis,
tionis con
in qua Mar
parat, ad
tota ab eiu
qua Magdal
mis lauat, tergit capi
& scelerum suorum co
amque meretur. Do
CHRISTVS ianuis
STI gratia intrat nul
exigentibus meritis,
stem incredibilemque
Domus in cuius tecto v
D trus, & orat, cœlestiq; o
quid agendum, quid fugi
credendum sit, & diuino
vnquam aberrat.
In hac igitur domo,
STVS extruxit, posita
STVS non sub modio
candelabrum, quod v
brum, quam Crux, in q
totius mundi hominibus
est? Insunt autem lucern
nium, ignis: fuit autem in
oleum, quia Spiritus sanc
quo obumbrante concepta
est candidissima illa, puriss
gnis verò Deitas. irru
hanc lucernam prævalidi
Ventorum flatus, vt ferè
quando oleum defecit, h

Digitized by Google

manitas; sublatum est elychnium ab oleo, hoc est seiuncta est anima à carne. Verùm rediuiuo Christo multò maximè lucerna hæc resplenduit, & fulgentissimos suæ Deitatis radios emittens, hostes Christi mirificè exterruit; iterum reposita est in Ecclesiæ domo super candelabrum diuinæ potestatis, & auctoritatis, qua donauit illi Deus Pater *nomen super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Est ergò Ecclesia domus Dei, & lucerna eius est Agnus.

4. Ecclesia per arcam Noe representata. Christus Noe significatus duplicem peperit requiem.

Ad extremum Ecclesia Christianorum per allegoriam in Arca Noe repræsentata est. rectè namque Noe vmbra quædam, & imago CHRISTI est. quid enim aliud Noe significat quàm *requiem*? Vera autem requies nostra CHRISTVS fuit, qui dixit Matthæi 11. 29. *tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Duplicem autem nobis requiem peperit CHRISTVS, alteram ab operibus manuum nostrarum, id est, à peccatis, ne cor nostrum perturbent; alteram à miserijs, & ærumnis; nam licet iusti per CHRISTVM iustificati, huius vitæ malis obnoxij sint, spem tamen habent certissimam se breui his liberandos fore per nomen Christi. & verò sicut per vnum Noe seruatus est orbis, sic per vnum CHRISTVM seruantur omnes quotquot seruantur; rectè enim testatus est Petrus Act. 4. 14. *non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*, & quidem Noe per lignum conseruauit pauculas illas humani generis reliquias, at CHRISTVS per lignum Crucis humanum genus à peccatorum, & æterni exitio diluuij redemit.

5. AEdificauit Noe iubente DEO arcam, & CHRISTVS Ecclesiam iuxta æternam Patris voluntatem fabricauit, ex firmissimis item lignis, quæ sunt gentes in æternum victuræ. luctabatur Arca Noe in aquis diluuij, fluctuat nunc Ecclesia persecutionum vndis, vel tentationum fluctibus. Erant Arcæ ligna non malè compacta, sed bitumine benè connexa; ita CHRISTI Ecclesia ex multis est hominibus, quasi lignis collecta glutino charitatis in vnam fidem coniunctis.

6. Hæc sanè ligna & incorruptibilia erant secundum quosdam; secundùm alios fortia, iuxta nostrum interpretem, læuigata; secundùm septuaginta, quadrata; hæc autem quattuor proprietates aptè in Ecclesiam cadunt. nimirum debent, qui ad Ecclesiam pertinent, incorruptis esse moribus, robusti ad aduersa omnia æquo animo ferenda, eosdem etiam læuigatos esse oportet, hoc est, mites, non duros, non peruicaces; Demùm Concionatores ipsi Euangelij tanquam cæterorum Doctores, ipsi Antistites quadratorum lignorum locum habent, quia vndique stabilis, & ad omne bonum parata, debet esse Euangelicorum Doctorum, ac Præsulum vita.

7. Sed illud non est silentio prætereundum, talibus lignis fuisse arcam compactam, quæ

A essent intrinsecus, & extrinsecus bitumine lita, quod mysterio non vacat; nam qui ad Ecclesiam Christi pertinent, non debent intus sepulcris mortuorum esse similes, quæ de foris apparent pulcra, cùm intus plena sint ossibus mortuorum.

8. Cùm autem in Ecclesia non omnium idem sit sanctitatis gradus, non idem meritum; iccircò & hoc in Arcæ mansiunculis varijs, & multiplicibus significatum est. erant quoque in ea omne genus animalia, tam munda, quàm immunda, vt intelligeremus in Ecclesia semper bonos malis admixtos esse; quoniam verò Ecclesia omnium spiritualium frugum vbertatem, cœlestiumque ciborum copiam continet: iccircò & hoc ipsum per Arcam Noe repræsentatum est, in qua ad nutrienda animalia varij generis escæ comprehendebantur.

B

9. Longitudo Arcæ fidem denotat, latitudo charitatem, altitudo celsitudinem sapientiæ, diuinarumque rerum sublimitatem.

10. Postremò non est in præteritis habendum, quod Diuus Gregorius homilia 16. in Ezechielem allegoricè interpretatur id, quod Origenes cum pluribus alijs Doctoribus affirmat, Arcam in imo amplam fuisse, arctam verò, & angustam quo altiùs assurgebat, ita vt tandem vnius cubiti angustijs contineretur. ait ergo Gregor. *quod per Arcam Noe nisi sancta Ecclesia figuratur, quæ inferiùs ampla est, superius angusta? rectè enim per hoc Ecclesia designatur, quæ adhuc in multis suis carnalibus lata est, in paucis spiritualibus angusta. Et quia ad vnum hominem, qui est sine peccato colligitur, quasi in vno cubito consummantur. Videmus enim multos intra eiusdem sanctæ Ecclesiæ sinum in superbia erigi, in carnis voluptate dissolui, acquirendi terrenis rebus inhiare &c. Sed quia eos adhuc sancta Ecclesia tolerat, vt conuertat, quasi in Arca latitudine deorsum bestiæ commorantur. Videmus alios tam aliena non quærere, illatam iniuriam æquanimiter portare, rebus proprijs esse contentos, humiliter viuere, sed quia isti iam pauci sunt, angustatur Arca. Alios etiam conspicimus etiam possessa relinquere, nullum terrenis rebus studium dare, inimicos diligere &c. sed quia tales quique valdè rari sunt, in Arca iuxta cubitum ducuntur, vbi homines & volatilia continentur. Quæratur tamen, si quis in eis esse valeat sine peccato, at nullus inuenitur. Quis itaque homo sine peccato*

C

D

est, nisi ille, qui in peccato natus non est? in vno ergo cubito consummatur Arca, quia vnus est auctor, & Redemptor sanctæ Ecclesiæ sine peccato ad quem omnes proficiunt, qui se esse peccatores nouerunt. Sic Gregorius.

THEORIA V.

Proprietates Ecclesiæ Christi numerantur.

1. *Dicitur Ecclesia Christiana, & cur?*

ECclesia à Christo Domino *Christiana* vocatur, eò quòd ille ipsius sit, quatenus ædificium dicitur, fundamentum: quatenus corpus, caput, quatenus virgo, sponsus; quatenus regnum, dux, & gubernator; & ab Apostolis *Apostolica* nominatur, super quorum doctrinam est extructa; *Regnum* item *Cælorum* dicitur, quod per cœlestes leges gubernetur, quas si quis custodiat procul dubio cœleste regnum victor ingredietur.

Apostolica item regnum cælorum.

2. *Est vnica.*

Hæc sanè Ecclesia, quamuis particularibus pluribus Ecclesijs tanquam maioribus membris constet, vnica est in vniuerso mundo, quod vnicum habeat sponsum, vnicum fundamentum, vnicum caput, & vnicum inuisibilem ducem; vel etiam vnica est propter vnam doctrinam, in quam conspirant omnes, qui ad eam pertinent; atque adeò propter vnum verum DEI cultum; deinde, & propter visibilis capitis vnitatem, & rectoris, quem sibi ipse CHRISTVS IESVS, dum in cœlesti solio nobis inuisibilis præsidet, in hoc visibili mundo, vt suum Vicarium, & caput visibile eidem præfecit Ecclesiæ.

3. *Dicitur Catholica.*

Dicitur item *Catholica*, quod ex omnibus gentibus, quæ Euangelicæ fidei lumen recipiunt, vbicumque terrarum sint, coagmentata sit, nec certè vlli, vt olim Iudæorum synagogæ, nationi, seu vt Donatistarum adulterina Ecclesia, Prouinciæ alicui alligata sit. quam Ecclesiæ communitatem, vniuersalitatemque contra Donatistarum errorem, præsertim epist. 167. confirmat Diuus Augustinus varijs auctoritatibus ex sacra Scriptura depromptis.

4.

Nec valet quod hac in parte contra Romanam Ecclesiam obijciunt Hæretici, illam nec in Asia esse, nec in Africa, nec iam in Græcia. nihil inquam, hoc obest, quin sola ipsa Catholica sit, quæ sola & per multum temporis in omnibus illis locis floruit, donec DEVS nationes illas errare, labi, & obscurari mente, propter immania illorum peccata, permisit; nunc verò ad eas se partes feliciter conuertit, vbi AEthiopes, Indi, & vniuersus nouus orbis habitant, sese sensim in omnem locum diffundens.

5. *Sancta.*

Præterea profitemur eamdem hanc ipsam Ecclesiam *sanctam* esse, non prout eam sanctitatem perperam interpretati sunt Catari, Donatistæ, Circuncelliones, Vsitæ, Anabaptistæ, quasi nullus qui sit peccato mortali commaculatus Ecclesiæ membrum sit, aut quasi macula vnius membri reliquorum membrorum munditiæ, & sanctitati labem aspergat. quem errorem quod ad priorem partem pertinet, confutauit August. de vnitate Ecclesiæ cap. 16. tom. 7. & epist. 171. ad Honoratum Episcopum, & 50. ad Bonifacium: & meritò, nam vt ipse ait, ea 50. epist. Ecclesia area est Dominica, quam habere o-

A

B

C

D

qua vtcunque moueri possis, & contendere in vitam æternam, licet minimè quidem sufficienter absque charitate; itaque vel sola participatione fidei in Ecclesiæ corpore interna vnione connexus, tanquam membrum hæret peccator. velut si pars aliqua sic esset vnita corpori humano, vt nonnihil vitæ participaret ex corpore, verbi gratia motum, & vigorem per nutrimentum, non autem etiam sensum: membrum corporis censeretur, tametsi non sanum & perfectum. ergò minus propriè ac benè loquuntur, qui licet concedant, peccatores quidem Ecclesiæ partes dici posse, negant membra esse, licet quæstio hæc de nomine sit. Vide de his Bellarminum libro tertio de Ecclesia militante capite nono, vbi distinguit membra duobus modis considerari posse, vno modo vt sunt res quædam secundùm se, & sic concedit malos esse membra mortua, & proinde non vera corporis Christi, quantum attinet ad rationem membri, vt est pars quædam viui corporis. Secundò, vt sunt instrumenta operatiua, & sic ait Papam, Episcopos esse vera capita, doctores veros oculos, seu veram linguam huius corporis &c. nam etsi in corpore naturali non possit membrum mortuum esse verum instrumentum operationis, tamen in corpore mystico potest, quia anima huius corporis est Spiritus S. qui potest æquè benè vti instrumento bono, & malo, viuo, & mortuo exercendo opera vitæ.

Membra dupliciter considerantur.

9. *Tripliciter dicitur Ecclesia sancta.*

Reiecta igitur Hæreticorum opinione de sanctitate Ecclesiæ affirmamus tres ob causas Ecclesiam militantem dici posse, & esse *sanctam.*

Primùm ob sanctitatem doctrinæ, & puritatem legum ad mores pertinentium.

Deinde quod in ipsa tantùm remissio peccatorum & sanctitas conferatur.

Postremò, quia semper Sancti aliqui, & pij viri sunt, qui veste nuptiali sunt induti, & oleum in lampadibus instar prudentium Virginum portant, quique instar palmitum sunt, fructum in vite ferentium. frumentum non palea, boni pisces non mali, aurea vasa, non lignea, denique vt Augustinus inquit lib. de vnit. Eccles. capite decimosexto, *audiendo, & faciendo supra petram edificant, & eos tolerant, qui audiendo tantùm, & non faciendo edificant super arenam.*

10. *Ecclesia quomodo visibilis.*

Hanc Ecclesiam, quam vnam, Catholicam, & Apostolicam, denique sanctam profitemur, certissimè affirmamus *visibilem*, & conspicuam ita esse debere, vt digito indicari, non secus quàm quæuis alia hominum multitudo possit; hinc est vt Matth. 5. *Ciuitas supra montem posita, & lucerna super candelabrum* sita dicatur. & Psal. 18. *tabernaculum in sole positum.* licet enim Ecclesia ipsa dona habeat diuina, & supernaturalia, quæ fide tantùm complecti, sensu certè comprehendi non possunt, hoc tamen non obstat, quin necesse sit indicia exstare visibilia, per quæ certiores de visibili ista Ecclesia, quæ eiusmodi inuisibilia dona, & supernaturalia habet, fieri possimus quotquot tenemur; visibiliter, & corporaliter ad eam nos adiungere, percipiendo visibilem eius doctrinam, & cultum, id est, quem in ea tradi auribus, & oculis percipimus, & obediendo visibilibus eius Prælatis. Sicut enim nequit fieri, vt aliquis sit obligatus ad cognoscendum Petrum, vel Ioannem, & multo minus ad admittendam doctrinam ex ore eius, nisi certa supperant signa sensibilia, quibus illum, qui res est sensibilis, & singularis discernere possit; ita fieri nequit, vt obligemur ad tenendam, & obseruandam Ecclesiam DEI visibilem, & cultum Dei visibilem, & ad doctrinam per ipsius magisterium recipiendam, nisi certis notis, ac signis sensibilibus designetur Ecclesiæ &c. Sed si nihil aliud esset pro hac veritate, satis illam confirmaret ortus & progressus Ecclesiæ: etenim vt nihil nunc de testamento veteri dicam, in quo adeò visibilis erat Ecclesia, vt in ipsa carne visibile circumcisionis signũ gestarẽt: Certè in testamento nouo Ecclesiam Christianam satis cõstat visibilẽ fuisse, nam Christus Deus supremum Ecclesiæ huius caput sensibiliter ab æterno Patre indicatus fuit hominibus *voce huiusmodi à magnifica gloria delapsa: hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite.* Matth. 17. 2. Pet. 1. Deinde liquet ipsum etiam Deum clara, & aperta voce discipulos ad prædicandum misisse; *sicut*, inquit, *misit me Pater, & ego mitto vos* Ioann. 20. clara item, & manifesta voce Petrum in Vicarium suum illis verbis elegisse: *pasce oues meas, pasce agnos meos.* Ioann. 21. vt ipso abeunte à nobis in cœlum, Petrus tanquam visibile caput Ecclesiæ, quæ in terra remanebat, relinqueretur. quo signo visibiliter ostendit Dominus cœtum Apostolorum suorum, & eorum, qui illis aggregarẽtur per baptismi susceptionem, & confessionem fidei, quam prædicabant, quibus Petrum tanquam supremum Præsidem præfecerat, veram illam Ecclesiam suam esse, quæ & doctrinam sine errore, & cultum Sacramentorum absque vitio traderet. Itaque tota erat Ecclesia in principio in Apostolis, & Discipulis Christi, qui adeò visibiles erant, vt super illos visibiliter Spiritus sanctus descenderit in die Pentecostes: deinde istis additi sunt visibiliter vnà die homines ad tria millia, iterumque ad quinque millia non sine fidei confessione, & baptismo. Actorum primo, secundo, tertio, quarto, ac deinceps semper illi homines, & soli habiti sunt de Ecclesia CHRISTI, qui ad illos primos se adiunxerunt per fidei professionem & baptismum, neque inde recesserunt per hæreses, aut schismata, vel expulsi sunt per excommunicationem, quibus constat signo visibili initio ostensam nobis esse Ecclesiam, eò quòd visibiliter à Christo electa, & declarata, & caput ei visibile visibiliter tributum est.

Primitiua Ecclesia visibilis.

Potestas verò edendi miracula non fuit Apostolis tradita vt signum, quo declararent se esse membra veræ Ecclesiæ DEI, sed potiùs vt argumentum, quo significarent doctrinam, quæ in Ecclesia Christi tradebatur, esse omninò diuinam, & citra omnem errorẽ, hoc enim multum intererat pro initio nascentis Ecclesiæ miraculis confirmari.

11.

12. Porro procedente mox tempore, cùm notum ac fixum esset omnibus, qui ad suscipiendam CHRISTI fidem gratiæ DEI auxilio mouebantur, veram CHRISTI Ecclesiam puram doctrinam, & sanctum DEI cultum retinere, miraculis quidem opus non fuit ad id persuadendum, id est, ad credendum articulum, quo sanctitas CHRISTI in moribus, & doctrina asseueratur: Verùm opus fuit vt relinqueretur signum visibile, quod in locum claræ vocis CHRISTI succederet ad internoscendam visibilem illam ipsius Ecclesiam, quam tenemur omnes credere, ob tam excellens sanctitatis donum gaudere, & ad discernendum eiusdem Ecclesiæ Prælatos, vt non lateret nos, quinam illi sint, quibus CHRISTVS ait: *qui vos audit, me audit.* Restat igitur vt inquiramus quodnam, vel quale sit huiusmodi signum.

13. *Quod, vel quale signum sit nunc veræ Ecclesiæ. Hæreticorũ hac in re stoliditas.*

Hæretici adeò densis inferni tenebris obscurati hac in parte fuerunt, vt non alia vnquam signa statuere voluerint, quàm doctrinæ veritatem, & legitimum Sacramentorum, ac diuini cultus vsum. Verebatur videlicet Cacodæmon, ne si alia illi signa præter hæc inuisibilia, de quibus omnis est inter ipsos, & Catholicos controuersia, designarent, aditum suis erroribus conuellendis aperirent; alioqui quis nisi omninò amens postulanti signa, vel notas, quibus certum aliquid visibile posset dignoscere, occultam, & inuisibilem illius rei proprietatem pro signo, & nota assignaret? etenim Catholici omnes certiùs, ac firmiùs, quàm hæretici (præsertim illi, qui putant errare Ecclesiam nonnunquam in doctrina, & cultu Sacramentorum solere) credimus in vera Dei Ecclesia veram esse doctrinam, & sincerum cultum. Cæterùm quia hæc proprietas occulta est, & inuisibilis, ita vt fide tantùm percipi valeat, incredibilis est dementiæ eam assignare pro signo visibili, quo Ecclesia visibilis innotescere possit hominibus. Porrò Hæreticorum argumenta, quibus astruere conantur Ecclesiam inuisibilem esse, doctè soluit Bellarminus lib. 3. de Ecclesia milit. cap. 15. & Valent. tom. 3. disputat. 1. quæst. 1. part. 7. in sexta Ecclesiæ proprietate.

14. *Obiectio hæreticorum.*

In hoc verò errore asserendo nebulones isti filios esse se inferni, & tenebrarum ostendunt, dum vel ipsam etiam Dei Ecclesiam, quod in ipsis est, priuare contendunt sua luce. Ad hoc verò probandum eorum quidam hoc peracuto, si DEO placet, argumento vtebantur: si quid credi debet, id non etiam oculis cerni potest. at ex fidei articulis ille vnus est: *Credo sanctam Ecclesiam.* non igitur Ecclesia cerni potest, aut si conspicua esse dicitur, tollendus erit ille articulus de Apostolico symbolo. Sed hæc non tam argumentatio est, quàm crassissima inscitia, & ignorantia nescientium quid sit Ecclesiam esse visibilem. Neque enim cùm hoc dicimus, affirmamus aut oculis cerni, aut euidenti ratione intelligi posse vel ipsam Ecclesiæ veritatem, & sincerum cultum, quæ

Quid sit Ecclesiam esse visibilem.

A sunt eius velut essentia, vel omnes eius proprietates. nam non potest palam aspici, aut euidenter cognosci, vllam congregationem esse reuera cœtum aliquorum rectè colentium DEVM, & sancto Spiritu gubernari & sanctitate, vera fide, doctrina, alijsque donis affectam esse. immò hæc in illa ipsa congregatione inesse, quæ vera est Ecclesia, nonnisi obscura fide credimus, vt cæteros articulos fidei, sed neque cùm dicimus Ecclesiam esse visibilem, volumus significare eam constare hominibus, qui corporei cùm sint, pateant sensibus; de hoc enim nemo, nisi stultus planè dubitat. est ergò sensus: euidenter posse omni sæculo conspici, & internosci, & quasi digito demonstrari (vt rectè ait Valent. loco citato in sexta Ecclesiæ proprietate) congregationem aliquam
B hominum, de qua possit, ac debeat vnusquisque firma fide, tamersi alioqui obscura, credere, quod sit vera Ecclesia (id est cœtus rectè Christum colentium) quod vera fide copuletur, quod Spiritu sancto regatur, quod sit vna, sancta &c. ita fit vt licet Ecclesiam visibilem statuamus, locum tamen suum relinquamus illi articulo, quo credimus Ecclesiam esse, & esse sanctam &c. & eodem redit, quod ait Bellarminus lib. 3. de Eccl. milit. cap. 15. ad 6. in Ecclesia aliquid videri, & aliquid credi. Videmus enim eum cœtum hominum, qui est Ecclesia, sed quod ille cœtus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus.
C Vera enim Ecclesia est, quæ profitetur Christi fidem, quis autem euidenter scit nostram fidem esse CHRISTI? facessant igitur hi lucifugæ, neque illos, sed Augustinum potiùs lucis amicum audiamus in Psal. 18. expos. 2. de Ecclesiæ claritate sic scribentem: *in sole posuit tabernaculum suum; in manifestatione posuit Ecclesiam suam; non in occulto, non qua lateat, non velut operta, ne fortè fiat ficut operta super greges hæreticorum. Quid tu hæretice fugis in tenebras? quid latitare conaris? in sole posuit tabernaculum suum.*

15. *Veræ notæ Ecclesiæ.*

Restat nunc vt veras notas, & signa assignemus, quibus sensibiliter demonstari possit, quæ sit illa Ecclesia, vel cœtus Christianorum, de quo credere quisque debeat veritatem continere doctrinæ, & syncerum
D DEI cultum; deinde sanctitatem, vnitatem, & quod sit Catholica, Apostolica, visibilis &c. tanquam proprietates. Duas autem conditiones debent habere hæ notæ. Requiritur primum vt omninò Ecclesiæ veræ conueniant, atque etiam vt illi soli, siue seorsim, siue simul omnes, siue pleræque: nam si aut Ecclesiæ veræ non competunt, aut in alijs cœtibus qui Ecclesia non sunt, reperiuntur, non poterit ex illis certò, atque propriè dignosci ille cœtus hominum, qui solus est Ecclesia Christi vera. Deinde oportet vt istæ notæ nõ sint ipsa Ecclesiæ essentia, vt sic dicam, id est, veritas ipsa doctrinæ fidei, & syncerus Dei cultus, sed debẽt esse accidentia cognitu facilia omnibus; & quidem clariora ea ipsa re, quæ quæritur, nempe vtrum hic aut ille cœtus sit Ecclesia, id est, congregatio eorum, qui veram fidem habent, seu doctrinæ veritatem, & syn-

cerum

cerum Dei cultum continent; hoc enim tamquam Ecclesiæ essentia, obscurius est, & declarandum per clariores notas; quas tamen non est necesse euidentes esse euidentia scientiæ, quamuis aliquam habeant euidentiam credibilitatis, atque adeò credantur.

16. Iam asserimus proprietates quas superius à numer. 2. & sequent. numerauimus esse potissimas nôtas, quibus internoscitur, quę sit vera Christi Ecclesia, saltem si coniunctim, ac simul omnes illæ, vel etiam pleræque earum considerentur, sed potissimum tamen signum dicimus esse illud, quo ostenditur consensio, & vnitas Ecclesiæ nostræ visibilis cum prima illa visibili Ecclesia Apostolorum, quam Christus Dominus suo digito demonstrauit, vt num. 10. docuimus & cum cæteris consecutis, in quibus tot sancti Confessores, Martyres, & Virgines vixerunt, qui multis euidentibus claruerunt miraculis, nam cùm sit certum vnam solam Christianam Ecclesiam, inde ab Apostolorum tempore ad consummationem vsque sæculi per continuationem nunquam interruptam, nec interrumpendam constitui, iuxta illud Cantic. 6. *vna est columba mea, perfecta mea*, & illud ad Ephes. 4. *vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & Pater omnium*, non potest plenè quisquam Ecclesiam aliquam veram nunc esse ostendere, qui non illam vnam cum Apostolorum Ecclesia esse demonstret: vnitatis autem huius nullum certius, & clarius dari potest signum, (miraculis diuinis exceptis) quàm si demonstretur Ecclesiam aliquam visibilem huius temporis deriuatam ab Ecclesia Apostolorum, perpetuò, & constanti quodam ordine suprемorum Rectorum à capite deinceps sibi in munere, & eiusdem doctrinæ professione succedentium, quem veræ, & incorruptæ historię monumenta confirment.

Potissima nota Ecclesiæ.

17. Quod signum quoniam euidenter cognoscimus conuenire hodie in Ecclesiam, quæ Episcopo Romano vero, & legitimo Petri successori tanquam Vicario Christi, & supremo capiti paret; ideò credere omnes tenemur solam hanc Christi esse Ecclesiam. cæteros verò hominum cœtus Lutheranorum, Zuinglianorum, Anabaptistarum, & similium pestium, quæ scissa huius vestis inconsutilis vnitate, & nothis, ac fallis ministris, absque legitima potestate, & ordinatione acceptis, discessionem ab hac Ecclesia fecerunt, verius *Synagogas Sathanæ* esse appellandas, quàm Christi, qui pacis est, & vnitatis auctor, Ecclesias esse nominandas. quòd autem hæc notæ, & præsertim illa de vnitate ac successione, quæ sub proprietate illa continetur, qua dicitur Ecclesia Catholica in Ecclesiam Romanam conuenire, pluribus ostendit Gregor. Valent. loc. cit. a. §. 20.

(·.·)

A

DIGRESSIO PRIMA MORALIS.

In V. 13. *Si quis vult venire post me, &c.*

1. DOcet Christus his verbis ei, qui velit discipulus fieri omnino tria necessaria esse; Abnegationem sui; Tollere Crucem. Et Christum ipsum sequi. De quibus hic aliqua moribus non inutilia scribemus. Principio, *si quis*, inquit, *vult*, neminem cogit, sed liberè, ac spontè sequentem quærit: Quod Diuus Chrysostomus homilia de adoratione Crucis, & homilia 56. in Matthæum obseruauit sic scribens: *Vide vt nullam necessitatem adiungit; non enim dixit; velitis, nolitis, hoc vobis perferendum est, sed quomodo? si quis vult me sequi; non vim affero, non cogo; sed sui quemque iudicij, ac voluntatis Dominum facio, vtrum crucem suam, mei amore velit ferre. ob eamq; causam dico, si cui in animo est me sequi. Nam sicut qui vim facit plerumque aucrtit; sic qui liberos audientes constituit, multò magis attrahit; potentior enim est oratio mitis, quàm violenta.* Idem & Victor Antiochenus Marc. 8. annotauit. *Non dicit*, inquit Victor. *etsi vos non volueritis, ego nihilominus pati vos volo; sed quomodo? si quis vult me sequi; quasi dicat ad bona, & honesta prouoco, non ad mala & odiosa: nec quemquam huc compello, sed amicè tantùm inuito, hac autem dicens magis attrahit: qui enim vim adfert, decorum non seruat. qui autem auditori libertatem facit, validius allicit: Delinitio enim, & obsequium, quam violentia fortiora sunt.* sic Victor, rectè sanè.

Christum volentes vocat.

B

C 2. Etenim Deus minimè faciendum sibi duxit, vt inuitos beneficijs afficeret, sed vt de volentibus bene mereretur; *Voluntariè*, inquit Dauid, Psalm. 13. *sacrificabo tibi*; quod Spiritus sancti beneficium esse non negabit, qui Dauid Psalm. 50. sic orantem legerit: *Spiritu principali confirma me*, vbi Hebraicè pro *principali* nediba, hoc est, spiritu principe, liberali, spontaneo *confirma me*; Etenim spiritus Dei liberalis, ac munificus, eos in quibus relidet erga Deum spontaneos, & prolixè liberales efficit, ita vt toto corde, atque animi propensione in illum ferantur. Si enim mundi amor, & earum rerum, quæ cum turpi voluptate coniuncta sunt, cor impiorum ita vehementer trahit, vt à cœlestibus omnino abstractos homines, ad tartara vsque demergat; & si

Locus Psal. 50. 14.

D quod olim de Israele narrat Scriptura 2. Reg. 16. verum est, *toto corde vniuersus Israel sequitur Absalon*, quantò magis totum ad se cor vel suauiter attrahere, vel potenter rapere, vel efficaciter conuertere poterit Spiritus sancti vis atque potentia? Et ideò rogandus est Deus cum sponsa Cant. 1. Ab vnoquoque nostrum: *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Ita fiet, vt non *ex tristitia aut necessitate*, vt 2. Cor. 9. loquitur Paulus, seruiamus Domino, *hilarem enim datorem diligit Deus.*

3. Quod si quis rationem scire cupiat, cur Deus non coactos, non inuitos, sed liberos, sed spontaneos inuitet. Plures sunt caussæ. Primùm tanta nos ille misso filio, & tot cruciatibus pro nobis exposito, charitate prosequutus est, taliaque, ac tanta contulit beneficia, vt istarum rerũ

Cur volentes vocet Dominus.

attenta consideratio satis per se sit, vt ad ipsum sponte, & summa cum voluntate trahantur homines. Et vide quid dicat; *si quis vult venire post me*, nimirum qui tot pro vobis paratus sum ferre cruciatus, tam atrocia tormenta, sanguinem etiam, ac vitam profundere, qui tot in vos beneficia contuli. Hæc certè ratio, si quis non ocitanter animaduertat, adeò efficax, adeò potens est vt etsi nulla nos manerent in cœlis promissa bona, magnas tamen vires haberet ad quoscũq; trahendos ad Christũ. Sed præterea multũ ad id valet contẽplatio præmiorũ, quę Christũ sequentibus promittuntur in cœlis. Quòd mihi inprimis D. Chrysost. animaduertisse videtur. sic enim ait: *magna sunt quæ retribuit Christus, ac talia vt vltrò, ac sponte homines ad ea concursuros dubitare non debeas: Non enim si quis aurum, aut argentum proponeret, vim inferret; quantò magis in cœlestibus bonis inferenda non est? Et certè si rerum ipsa natura non persuadet, & nisi sponte curreres, nec accipere quidem dignus es: nec si acceperis, quale, quantumq; sit quod acceperis, cognosces. Ideò non cogit, sed hortatur.* sic Chrysost. Vt intelligeremus ergo magnitudinem præmiorum quæ nobis promittuntur in cœlis, liberos reliquit ad se venientes. Addidit & tertiam causſam Bernard. serm. de diligendo Deo: *Volens*, inquit, *Deus nobilem creaturam hominem recuperare, si, inquit, inuitum coegero, asinum habeo, non hominem; quoniam quidem non libens veniet, nec spontaneus. Numquid Asinis dabo regnum meum? Vt ergo habeam voluntarium, terrebo eum.*

Quartam rationem addidit Gregorius Nazian. orat. 37. quia *quod voluntariũ non est, nec diuturnum quidem est. quemadmodum neque fluenta, nec stirpes quæ per vim retinentur. Quod autem voluntarium est, tum diuturnius est, tum certius.* Confirmat id sententia D. Hieronym. Oseæ 7. *Quidquid enim*, inquit, *necessitate fit, citò soluitur, quod voluntate arripitur perseuerat.*

Neminem verò excludit, omnes inuitat; *si quis*, inquit, *vult venire post me*, hoc est, Discipulus meus esse vult. sic enim dicere solebat his, quos ad se vt sui essent discipuli vocabat: *Venite post me.* idem est ergo si quis vult, ac (quod Augustinus hom. 47. de diuersis habet) *siue vir, siue mulier, siue is qui præest, siue is qui alteri paret, & seruari vult, hanc ingrediatur viam. Non enim admonitionem hanc Virgines debent audire, & maritati non debent, aut viduæ debent, & nuptæ non debẽt, aut monachi debẽt, & coniugati non debent, & laici non debent: sed vniuersa Ecclesia, vniuersum corpus, cuncta membra per officia propria distincta distributa audire debent. Si quis vult venire post me.*

Iam primùm, quod necessarium est vt quis ipsum sequatur, significans, ait: *abneget semetipsum.* Nos quid sit abnegare semetipsum carptim, breuiterque iuxta Chrysost. mentem & Gagnæum exposuimus in Scholijs numer. 46. nunc eiusdem Chrysost. verba homil. de venerat. Crucis, & homil. 56. in Matth. afferemus: *Discamus*, inquit, *quid sit alterum, ac tum denig; abnegare se, quid sit intelligemus. Quid ergo est negare alterum? qui alium negat, exempli causſa, filium, vel fratrem, vel amicum, vel vicinum, aut quemuis alium, siue flagris eum cedi videat, siue in vincula conijci, aut quiduis aliud perpeti, non præsto est, non fert auxilium, non vicem eius dolere se lacrymis testatur, nullum sensum doloris eius sensit, omnes enim alieno ab eo sunt animo. Sic ergo vult nos Deus corpus nostrum negligere, vt si qui nos ipsius causſa, vel verberent, vel supplicio afficiant, vel exagitent, aut aliquid aliud faciant; negligamus; hoc est enim abnegare; id est, nihil rei secum habeat, sed se ipse periculo obijciat, & certamini. Atque eo modo affectus esto, quo si quis alius pateretur, esset. Nec dixit, neget seipsum, sed abneget, hac parua adiunctione magnam declarans exsuperantiam, cùm abnegare multò plus sit, quàm negare.* Hæc Chrysost. cui Theophyl. Matth. 16. consentit, sic scribens: *Abneget autem semetipsum dixit, perfectam abnegationem per præpositionem, ab, significans: Exempli causſa ne habeat communionem quamdam cum corpore, sed contemnat seipsum: sicut consueuimus dicere, quod quis quempiam negarit, hoc est, non habuit eum pro amico, vel noto. Sic igitur omnes docet, nullam cum corpore habere communionem, id est amicitiam,* & subdit: *Abnegat autem seipsum, qui heri quidem intemperatus erat, hodie autem castus, & sobrius, talis erat Paulus qui abnegauit semetipsum cùm diceret: viuo autem non iam ego, viuit autem in me Christus.* sic Theophyl. itaque etiam qui seipsum vincit, & inordinatis affectibus & vitijs obluctatur, seque omnino contemnens, curam & rationem non habet, quamuis mors toleranda sit, is demum abnegat seipse. Eodem modo abnegationem exponit, & Victor Antioch. Marc. 8.

Diuus Hieronym. Matth. 16. explicans quæ sit sui abnegatio: *qui deponit*, inquit, *veterem hominem cum operibus suis, denegat semetipsum dicens: Viuo autem non ego, viuit verò in me Christus: tollitq; crucem suam, & mundo crucifigitur. Cui autem mundus crucifixus est, sequitur Dominum crucifixum. Idem habet ep. ad Algasiam q. 3.*

Præceperat Dominus Lucæ 14. 33. se sequi volentibus vt sua omnia reliquerent; *Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; iam eo non contentus addit. *qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Ibi *dicitur*, inquit Gregor. homil. 32. in Euangelia, *vt abnegemus nostra, hic dicitur vt abnegemus nos. Et fortasse laboriosum non est homini relinquere sua, sed valdè laboriosum est relinquere semetipsum. Minus quippè est abnegare quod habet; valdè autem multum est abnegare quod est. Nec tamen sufficit nostra relinquere, nisi relinquamus & nos; quid est quod dicimus, nisi relinquamus & nos. si enim nosmetipsos relinquamus, quo ibimus extra nos, quis est qui vadit, qui se deseruit?* Respondet huic difficultati Greg. declarãs quonam tandẽ modo hoc quod esse impossibile videtur, fiat, ait enim: *aliud sumꝰ per peccatum lapsi, aliud per naturam conditi, aliud fecimus, aliud quod facti sumꝰ. Relinquamus nosmetipsos, quales peccãdo nos fecimus, & maneamus nosmetipsi, quales per gratiam facti sumus. Ecce etenim qui superbus fuit si conuersus ad Christum, humilis factus est, semetipsum reliquit; si luxuriosus quisque ad continentiam vitam mutauit, abnegauit vtiq; quod fuit; si auarus quisque ambire iã desiit, & largiri didicit propria, qui prius aliena rapiebat, proculdubio seipsum reliquit, ipse quidem est per naturam, sed non est ipse per malitiam. Hinc enim scriptum est: verte impios, & non erunt. Prou. 12 7. Conuersi namque impij non erunt: non quia non erunt omnino in essentia, sed scilicet non erunt in impietatis culpa. Tunc ergo nosmetipsos relinquimus, tunc nos ipsos abnegamus, cùm*

4.

5.

Ex Chrysost. quid sit abnegare se.

Ex D. Hieron. quid sit abnegare se.

6.

Idem ex D. Greg.

mutamus quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, quo per nouitatem vocamur. Pensemus quomodo se Paulus abnegauerat qui dicebat: Viuo autem iam non ego, Galat. 2. 20. Extinctus quippe fuerat ille sæuus persequutor, & viuere cœperat pius prædicator. Si enim ipse esset pius profectò non esset. sed qui se viuere denegat, dicat vnde est quòd sancta verba per doctrinam veritatis clamat? protinus subdit: viuit verò in me Christus: ac si apertè dicat, ego quidem à memetipso extinctus sum: quia carnaliter non viuo, sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spirtualiter viuo. Dicat ergo Veritas, si quis vult post me venire, abneget semetipsum, quia nisi quis à semetipso deficiat, ad eum, qui super ipsum est, non appropinquat, nec valet apprehendere, quod vltra ipsum est, si nescierit mactare quod est. Abnegat ergo seipsum, qui priorem vitam suam malam, bona conuersione reliquit, vtputa aliquando luxuriosus, denegat se luxuriosum conuersus ad castitatem; & qui erat iniustus denegat se iniustum, cùm cœperit seruare iustitiam; sic & qui insipiens fuerat aliquando, denegat se insipientem, sapientiam Dei suscipiens: sic & in omni malitia est dicendum qui se abnegauerit secundùm quod præcepit Iesus denegat quod fuerat. Hæc Gregorius: simul explicans quid sit relinquere, atque adeò abnegare seipsum. lege item Origen. in cap. 16. Matth.

7. Sed neque hoc sufficit abnegasse se vtcumque; nisi etiam Christi crucem tollat, qui cupit Christi discipulus euadere, & quidem quotidie, *ne quis*, inquit Chrysost. *putet ad verba tantùm, ac contumelias hanc sui abnegationem fieri oportere, subiunxit, vt videas abnegandos nos esse vsq; ad mortem, & mortem turpissimam, quam designans non dixit abneget seipsum vsq; ad mortem, sed tollat crucem suam, mortem ignominiosam significans; & non semel, nec bis, sed continuè ad necem paratissimus sis.* hic Chrysostomus, cui accinunt Theophyl. & Euthymius, quorum ille crucem tollere dicit esse mortẽ eligere, & cum studio inquirere etiam mortẽ ignominiosissimam, qualis crux fuit apud veteres. Alter verò tollere crucem suam, ait esse, semper suijpsius cædem exspectare, semper ad mortem paratum esse, & quotidie voluntate mori, tollit ergo crucem suam iuxta horum Patrum sententiam, qui paratus est ad pericula, cruciatus, persequutiones, mortem denique ipsam, & quidem crucis, vt est is qui iam eam humero gestat. Vide etiam num. 8. & 9. paulò inferiùs, vbi Basil. Victor. Antioch. citamus pro hac sententia, Augustin. homil. 47. de diuersis; eum dicit crucem suam tollere, qui fert quidquid molestum. *Cùm enim quis cœperit Christum sequi multos habebit contradictores, multos habebit prohibitores, multos habebit dissuasores, & hoc de ipsis quasi comitibus Christi. Cum Christo ambulabant, qui cæco clamare prohibebant, siue ergo minas, siue blandimenta, siue quaslibet prohibitiones, si sequi vis, in crucem verte, tolera, porta, noli succumbere.* sic Augustinus.

8. Equidem tollere crucem, licèt Patrum non reijciam sensum de præparatione animi ad mortem subeundam, quamuis ignominiosissimam, quæ etiam sententia est Basil. in reg. fusi. disputat. interrogat. 6. & Vict. Antiochen. Marc. 8. sed illum reuerenter admittam; arbitror tamen etiam tollere crucem esse, tribulationes, afflictationes, & persequutiones, vndecumque existant siue ex abnegatione, siue ex virtutum studio, siue ex diuina probatione, siue ex naturæ corruptione, siue ex hominum malitia; denique vndecumque proueniant patienter, & modestè tolerare, nec propterea vel latum etiam vnguem à Christo, virtutisque tramite recedere. Tolet. annotat. 46. in caput 9. Lucæ putat id quod Patres illi dicunt de morte, seu de præparatione ad mortem, magis ad id, quod mox subiungitur, *& sequatur me*, pertinere. Verùm de hoc in schol. dictum est numer. 46. vbi quid propriè sit sequi Christum, & quomodo distinguatur ab alijs duobus, *abneget se, & tollat crucem suam*, exposuimus.

Additur quotidie à Luca quod consentaneum est alijs Scripturæ locis vt Psalm. 43. *propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis:* 2. Cor. 4. *semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes.* 1. Cor. 15. 30. 31. *vt quid & nos periclitamur omni hora? quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quàm habeo in Christo Iesu Domino nostro. Sequendus est igitur Dominus cruce assumpta, & passionis suæ, si non forte, attamen voluntate comitandus est;* quæ verba sunt Hilarij & fauent plurimum sensui prædicto Patrum, quem numero 7. habes, vt non sit dubitandum, licèt aliter videatur Toleto hanc esse veram, & propriam loci huius sententiam, in qua non dubito intellexisse Patres contineri id, quod nu. 8. diximus de persequutionibus, vexationibus, &c.

Postremò suam dicit tollendam esse crucẽ, id est, vnumquemque suam ipsius crucem accipere debere, vndecumque veniat, hoc est, debere quemlibet crucem putare suam, eo ipso, quòd sibi gestanda ferendaque venit. Posset enim aliquis interdum arbitrari non suam esse crucem, quod ab hoc, vel ab illo sit, à quo non debebat esse, vel à quo non sperabatur esse futura, non ita censuit Christus, immò verò obuijs excepit vlnis quidquid sibi, & vndecumq; accidit.

Ad extremum his duobus tertium accedit, vt Christum sequatur, qui seipsum abnegauit, & crucem sustulit. Vt enim rectè monuit Chrysost. hom. 56. in Matth. *posset aliquis crucem ferre, & grandia pati, Christum tamen non sequi, quippe latrones, sepulcrorum violatores, dæmonum cultores, & magi multa plerumque talia patiuntur. Ne ergo credas ipsius passionis per se naturam sufficere, causam eius subiecit: quam ipsam? vt quæ dicta sunt, vniuersa faciens, atque patiens ipsum sequaris, vt scilicet propter ipsum omnia sustineas, vtq; omnem virtutis numerum habeas. is enim qui Christum sequitur, non in periculis modò fortitudinem adhibet, sed modestiam, sed humilitatem, & omne sublimioris philosophiæ genus complectitur. Id enim est rectè Dominum sequi, & vt oportet, si propter ipsum cuncta sufferas, & alias virtutes non negligas.*

Illud non est indiligenter animaduertendũ Christum oportere sequi, non antecedere; etenim propterea ille tanquam Dux nobilissimus inuicto, ac forti animo *baiulans sibi crucem*

exiuit

Ex Auctoris sententia.

9.

10.

11.

Sequi Christum quid sit ex Chrysost.

12. Christum oportet sequi, non antecedere.

Tollere crucẽ quotidie quid ex Chrysost. Theoph. Euthym.

Ex Aug. quid sit crucem tollere.

exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum: quo apertè demonstraret præcedens, quid facere oporteat eum, qui ducem se sequi velit; & idcircò fortasis comitem habere non recusauit Simonem Cyrenæum, qui post se crucem portaret, vt hoc exemplo indicaret decere Christi milites, qui suam crucem portant, ducem Christum sequi, vt aspicere possint in *Auctorem fidei, & consummatorem Iesum*, ad Hebr. 2. 2. *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet*: Quicumque igitur crucem ferre cupis vt oportet, *inspice, & fac secundùm exemplar quod tibi in monte* Caluariæ *monstratum est*. Exod. 25. 40. eorum verborum memor, quibus hortatur nos D. Petrus epist. 1. cap. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.*

13. Igitur hac cogitatione Crucis Christi quasi quibusdã cœlestibus armis munitus Christianꝰ miles, inimicorum castra non timebit; est enim ea cogitatio vt munitissima quædam turris, in quam se quisque recipiat cùm hostis illum adoritur; vnde tela etiam immittere, & quamuis validissimas hostium cateruas in fugam conuertere & dissipare valeat, vt meritò Augustinus dixerit in ea verba Psalm. 60. *tu es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici*; *turris est Christus ipse: nobis factus turris à facie inimici, caue ne feriaris à diabolo, fuge ad turrim. Quomodo autẽ fugies ad turrim? ante te est turris, recordare Christi, & intra in turrim.* Diximus ergò de tribus, quæ necessaria sunt ei, qui Christi discipulus esse cupit.

DIGRESSIO II.
MORALIS.

Iterum de eisdem tribus rebus necessarijs Christi discipulo. & primùm de Carnis mortificatione.

1. NVllus est Dux, vel Imperator, qui non sibi fortem ac robustum militem deligere cupiat, ignauum verò & imbellẽ non reijciat; Dux ergo & Imperator noster Christus Iesus delectũ militũ facere cupiẽs, ita dicit: *Si quis vult venire post me, abneget*, &c. nimirũ fortẽ ille, ac magnanimum, non delicatum, & socordem quærit militem, hoc est, qui prauis animi motibus resistere, voluptatibus renunciare, & laboribus assuescere didicerit, quod non aliter efficitur melius, quàm voluntaria, & constante sui abnegatione. id quod monet nos Paul. ad Titum 1. declarans quales esse oporteat eos, qui sub Christo duce mereri velint: *Apparuit*, inquit, *gratia Dei Saluatoris nostri, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & piè, & iustè viuamus in hoc sæculo.* Quando nos erudijt? cùm milites sibi allegens. ita præscribit: *si quis vult venire post me, abneget semetipsum*, &c. ad hoc idẽ hortatur nos D. Petrus epistola 1. 2. *Obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.* significat his verbis Apostolus Petrus, similem esse carnem nostram munitissimæ arci, cuius desideria, & affectus praui instar militum sint, qui aduersus animam perpetuò insurgunt, & incursione facta irruere in illam nunquam desinunt, qui nisi frangantur, actum sit de anima oportet; hanc tamen arcem omninò de medio tollere, soloque æquare scelus est, quamuis illa sublata perirent omnes, qui intra eam sunt milites, quique animæ officiunt ne Christo militet; etenim carnem quæ instar arcis est occidere non licet, hac igitur arte vtendum est, nimirum pro viribus contendendum nobis erit, vt illam abnegemus, ita veluti fame excruciati, facilè superabuntur hostes, & mortificationis vinculis fortiter constringentur; Huc debet omnis Christi militum studium, curaque spectare; nam *qui sunt Christi*, inquit Paulus ad Galat. 5. 24. *carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.*

Delectus militũ Christi.

2. *Abnegatio tympani & psalterij similis.*

Hæc militum Christi abnegatio aptè tympano & psalterio comparatur, quo Christo duci occinunt generosi milites; qua de re sic scribit Augustin. in Psalm. 149. 3. *super illa verba: in tympano & psalterio psallant ei: ipsum*, ait, *mysterium tympani, & psalterij non est tacendum In tympano corium extenditur, in psalterio chordæ extenduntur, in vtroque organo caro crucifigitur. Quam benè psallebat in tympano & choro, qui dicebat: mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Gal. 6. *ipsum psalterium velut tympanum tollere te vult, qui amat canticum nouum, qui te docet, quando tibi dicit: qui vult esse meus discipulus abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, non dimittat psalterium suum, non tympanum. extendatur in ligno, & figatur à concupiscentia carnis. Nerui quantò plus fuerint extensi, tantò acutius sonant. Vt ergo acutè sonaret Pauli Apostoli psalterium quid dixit? quæ retrò oblitus, in ea, quæ antè sunt, extentus, sequor ad palmam supernæ vocationis. Extendit se ipse, tetigit Christus, & sonuit dulcedo veritatis.* Ecce quo tympano & psalterio Christo duci cantare debent canticum nouum.

3. Multùm sanè caro pro regno Dei militantibus obstat, & officit, & quominus Christum ducem sequantur, totis viribus occurrit; iccircò eius sunt comprimendæ vires, ac frangendus impetus, quod mihi egregiè tradidisse visus est Orig. hom. 7. in cap. 21. Genes. explicans lusum Ismaelis cum Isaac hoc modo: *Ait Paulus; sicut tunc is, qui secundùm carnem erat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum (loquitur autem de Ismaele ludente cum Isaac) ita & nunc vide quomodo nos Apostolus doceat, quia in omnibus caro aduersatur spiritui, quia caro concupiscit aduersus spiritum. & spiritus aduersus carnem, & hæc sibi inuicem aduersantur Et inuenimus legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ, & captiuos nos ducentem in lege peccati. Vides quantæ sunt pugnæ carnales aduersus spiritum? Et tu si habes in te fructum spiritus Dei, Isaac esse potes secundùm repromissionem, & esse filius liberè, si tamen potes, & tu secundùm Paulum dicere: In carne ambulantes, non secundùm carnem militamus, arma enim militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem cogitationum* 2. Cor. 10. 3. 4. *si potes talis esse, vt dignè tibi aptetur etiam illa Apostoli sententia, quæ dicit; Vos autem in carne non estis, sed in spiritu. si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Et tu ergò si talis es, non es secundùm carnem natus, sed secundùm spiritum per repromissionem, & tunc eris hæres Dei, coheres autem Christi.*

Origẽ. obseruanda sententia de carne vitanda & coercenda.

Ismael

4. Ismael iubebatur expelli, quia ludebat cum Isaac, quid laeserat, si ludebat? sed miror Apostolum, qui ludum hunc persecutionē pronunciauit, dicens: sed sicut tunc is, qui secundùm carnem persequebatur eum, qui secundùm spiritum, ita & nunc; Cùm itaq; nulla persecutio Ismaelis aduersùm Isaac mota referatur, nisi hic solus ludus infantiæ. Sed videamus quid in hoc ludo intellexerit Paulus, & quid indignata sit Sara. Superius loco virtutis posuimus Sarā. Si ergo cuius personam gerit Israel, qui secundùm carnem nascitur, spiritui blandiatur, qui est Isaac, & illecebrosis cum eo deceptionibus agat, si delectationibus illiciat, voluptatibus molliat, huiuscemodi ludus carnis cum spiritu, Saram maximè, quæ est virtus, offendit, & huiuscemodi blandimenta acerbissimam persecutionem iudicat Paulus. Sed tu auditor horum non solùm illam persecutionem putes, quando furore gentilium ad immolandum idolis cogeris, sed si fortè te voluptas carnis illiciat, si libidinis tibi alludat illecebra, hac si virtutis es filius, tanquam persecutionem maximā fuge. Tantum sapienter Orig.

5. Quare ne Christi militi officiat, perimenda est caro, quod quomodo faciendum sit, declarat optimè Origen. libr. 6. in epistol. ad Roman. tom. 3 exponens illa cap. 8. 12. *debitores sumus non carni vt secundùm carnem viuamus: Non propterea, inquit, nos fecit Deus ad imaginem suam, vt carnis seruitio essemus obnoxij, sed potius vt Creatori suo anima deseruiens ipsa seruitio, ac ministerio carnis careret. Sed fortassis dicat aliquis, quomodo carni non sumus debitores, cùm & victum & vestitum prouidere naturæ necessitate cogamur? sed vt ostendat non carni aliquid conferre, sed ipsam vitam carni mancipare culpabile haberi, ideò addit: si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini. quid sit autem secundùm carnem viuere, sæpè iam dictum est, hoc est, carnis desiderijs indulgere. In hoc ergo negat nos esse debitores, sicuti & alibi dicit: Et carnis curam ne feceritis in desiderijs; non vtique negans carnis curam habendam in necessarijs, sed in concupiscentijs. Ita ergò hic, si enim, inquit, secundùm carnem vixeritis, moriemini, & addit: Si autem spiritu actus carnis mortificetis, viuetis.*

6. Explicat deinde Origenes quomodo mors inferenda sit carni, vt viuat homo, si nimirum per actus spiritus morti tradamus actus carnis; & ideò subdit: *Qui ergò secundùm spiritum agens se mortificat actus carnis, viuet propter habitantem in spiritum vitæ: Mortificat autem quis actus carnis hoc modo. Fructus est autem spiritus, charitas; odium carnis est actus; odium ergo per charitatem mortificatur, & extinguitur. Gaudium sim liter fructus est spiritus, tristitia verò huius sæculi quæ mortem operatur, carnis est actus. Hæc verò extinguitur, si sit in nobis gaudium spiritus. Certum est discordiam mortificari per pacem posse; sic & patientia spiritus, violentiam carnis extinguit, & bonitas malitiam, & mansuetudo ferociam, & continentia intemperantiam, & castitas impudicitiam, taliq; ordine, qui per spiritum actum carnis mortificat, viuet.* Docet postremò Origen. non repentè perfici hæc omnia; sic enim subtexit: *Intuendum etiam quòd ista mortificatio actuum carnis per patientiam fiat, & non ad subitum, sed paulatim. Primò languescere eos necesse est in his, qui incipiunt, tum deindè cùm ardentius proficere cœperint, & abundantiore spiritu repleri, actus carnis non solùm languescere, sed & tabescere incipient. Vbi verò ad perfectū iā venerint, ita vt nulla in eis prorsus, vel in facto, vel in dicto, vel in cogitatu peccati oriatur indicia, tandē actus carnis mortificasse, & ad integrū morti tradidisse credēdi sunt.* Hæc sapienter Orig.

Et verò qui sic carnem perimit, gratissimum sanè Deo obsequium præstat; est enim carnis mortificatio, suiq; abnegatio, & optatissimum, iucundissimumq; Deo sacrificium. Comparat Orig. hom. 1. in Leuit. mortificationem proprij corporis oblationi vituli, de qua Leuit. 1. sic ergò ait: *Habes & tu vitulum; quem offerre debeas. Vitulus est, & quidem valdè superbus caro, quam si vis munus Domino offerre, vt eam castam, pudicam, custodias, adduc eam ad ostium tabernaculi, id est, vbi diuinorum librorum; suscipere possit auditum, Masculinum sit munus tuum fœminam nescit, concupiscentiam respuat, fragilitatem refugiat, nihil dissolutum requirat, aut molle, impone etiam manum tuam super ostiam tuam, vt sit accepta Domino, & iugula illam contra Dominum, hoc est, impone ei continentiæ frenum, & manum disciplinæ ne auferas ab ea, sicut imposuit manum carni suæ, ille qui dicebat, macero corpus meum, & seruituti subijcio, ne forte cùm alijs prædicauero ipse reprobus efficiar. Et iugula eam contra Dominum, mortificans sine dubio membra tua quæ sunt super terram. Vult ergò sermo diuinus, vt rationabili sensu carnem tuam in castitate offeras Deo, secūdùm quod Apostolus dicit Rom. 12. 1. Ostiam viuentem, sanctam Deo placentem, rationabile obsequium vestrum, & hoc est, per sacerdotem, & filios sacerdotis offerre sanguinem ad altare, cùm & corpore & spiritu quis castus efficitur. Sunt enim & alij, qui offerunt quidem holocaustum carnem suam, sed non per ministerium sacerdotis, non enim scientes, nec secundùm legem, quæ est in ore sacerdotis offerunt, sed sunt quidem casti corpore, anima autem inueniuntur incesti. Hi sunt ex illis quinq; virginibus stultis, quæ virgines quidem fuerunt, & castitatem corporis seruauerunt, oleum autem charitatis & pacis, & reliquarum virtutum in vasis suis condere neglexerunt, & iccirco exclusæ sunt à Thalamo sponsi: Quoniam sola carnis continentia ad altare Dominicum non potest peruenire, si à reliquis virtutibus deseratur.* Sic sapienter Orig. applicans ad abnegationem, mortificationemque carnis nostræ, quæ de vituli sacrificio dicuntur cap. 1. Leuit vt videre potes.

Carnis mortificatio est similis oblationi vituli Leuit. 1.

7. Est sanè mortificatio carnis, splendor & ornatus ille vestium, quo fulgere debent qui sub Christo militant. Nam decet eos non sordidis, vel vilibus, aut aceris vestibus esse indutos, sed præclaris; D. Hierony. explicans illa verba cap. 31. Prouerb. ver. 22. *Byssus, & purpura indumentum eius. Byssus*, inquit, *candidis coloris est: de terra oritur virens, sed per exercitationes longas, ac multiformias amisso humore, ac virore natuo ad decorem cādidæ vestis perducitur. Bysso induitur Ecclesia, cùm castigant corpora sua electi, & seruituti subijciūt, pura autem eūm eamdem continentiam, non ob fauorem vulgi, sed ad acquirēdam beatitudinem regni perennis exercent. sed hic virtutum habitus in præsenti quidem nescientibus videtur contemptibilis, sed in futuro qualis fuerit, manifestè patebit. Vnde pulcrè in Apoc. 19. 7. 10. sanctorū se voces audire refert dicentiū: Gaudeamus, & exultemus, quia venerūt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se, & datum est illi vt cooperiat se byssino splendenti, & candido, byssinum enim iustificationes sunt sanctorum.*

8. Euasuro in Christi militem, qualia esse necessaria indumenta.

De huiusmodi etiam vestimentorū fulgore Greg. explicās illa verba Iob: *Et abominabantur*

9.

Corpus animæ est vestimentum, & cădidum esse debet.

me vestimenta mea. lib. 9. moral. cap. 19. tom. 1. sic scribit: quid vestimẽti nomine, nisi hoc terrenum corpus exprimitur, quo induta anima tegitur? hinc etenim Salomon ait: Omni tempore sint vestimenta tua candida, id est, membra corporis à sordidis actibus munda. Hinc Isai. ait cap. 9. 5. vestimentum mistum sanguine erit in combustionem. Sanguine quippe vestimentum miscere, est desiderijs carnalibus corpus inquinare, quibus nimirum se pollui Psalmista formidauerat, cùm dicebat: Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ. Hinc voce Angeli ad Ioannem dicitur. Habes pauca nomina in Sardis, quæ non inquinauerunt vestimenta sua. More autem sacri eloquij vestimenta nostra nos abominari referuntur, quia abominabiles reddunt, sicut per Petrum quoque de Iuda dicitur: Act. 1. 18. hic possedit agrum de mercede iniquitatis; neque enim emptum pretio sanguinis agrum figuli Iudas possidere potuit, qui relatis triginta argenteis traditionis crimen, criminosiori in se protinus morte mulctauit, sed posedit dictum est, possidere fecit; ita hoc loco abominabuntur me vestimenta mea, dicitur, abominabilem facient: quia nimirum dum contra mentem membra superbiunt, dum sancti desiderij studia tentationum suarum tumultibus interrumpunt. in ipso certamine posita anima agnoscit, quantum adhuc à diuinitate despicitur, quæ corruptionem suam plenè appetens transire, sed non valens, fœdo puluere cogitationis inquinatur. Hanc vestimentorum abominationem senserat, qui dicebat: video aliam legem in membris meis repugnãtem legi mẽtis meæ, & captiuum me ducẽtem in lege peccati, quæ est in membris meis. Hæc etiam vestimenta in quibus perfectè placere non poterat, quandoque melius resumenda deponere festinè cupiebat, dicens: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. Dicat ergo vir iustus; si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea. Quia quantumlibet ad summa ex compunctione contemplationis ascenderit, quantumlibet in opere se per exercitium laboris accinxerit, indignum tamen adhuc aliquid de corpore mortis sentit, & abominabilem se esse considerat in multis, quæ de pondere corruptionis portat. Hæc Gregor.

10. Origenes de mortificatione carnis.

De hac Carnis mortificatione disserit sanè præclarè Origenes homil. 3. in Genes. dum explicat verba illa capit. 17. 13. Genes. erit testamentum meum super carnem tuam, vbi nostra editio habet, erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum: sic scribit: Quomodo erit testamentum Christi super carnem meam requiro? si mortificauero membra mea, quæ sunt super terram, testamentum Christi habeo, super carnem meam; si semper mortem Christi in corpore meo circumferam, testamentum Christi est in corpore meo, quia si compatimur, & conregnabimus, si complantatus fuero similitudini mortis eius, testamentum eius ostendo esse super carnem meam. Quid enim prodest si in illa tantùm carne, quam de Maria suscepit, dicam venisse Christum, & non ostendam etiam in hac mea carne quod venerit. Ostendo autem ita demum, si quemadmodum prius exhibui membra mea seruire iniquitati ad iniquitatem, nunc ea conuertam, & exhibeam seruire iustitiæ ad sanctificationem. Testamentum Dei ostendo esse in carne mea, si potuero dicere secundùm Paulum, quia Christo concrucifixus sum, viuo autem iam non ego, viuit verò Christus in me; etsi potuero dicere vt ipse dicebat: ego autem stigmata Domini mei Iesu Christi in corpore meo porto. Si autem voce tantùm confiteamur Dominum Iesum, & non ostendamus testamentum eius esse super carnem nostram, videbimus etiam nos aliquid simile facere Iudæis, qui solo circumcisionis signo Deum se confiteri putant, factis autem negant. Hæc Origen.

11. Duo necessaria ad abnegationem tenendam. 1 Attenta rerum cœlestium contemplatio.

Vt verò ad tam excelsum abnegationis gradum perueniat Christianus miles, primùm attenta rerum cœlestium contemplatione iuuari debet. Quod significasse mihi videtur non obscurè Ierem. cap. 31. 19. cùm dixit: postquam conuertisti me egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi percussi femur meum; quid enim, inquit Gregor. lib. 25. moral. cap. 12. In femore nisi voluptas carnis accipitur, & quid est quod ait: postquam ostendisti mihi, percussi femur meum? nisi quod postquam superna spiritaliter vidit, omne quod in se inferius carnaliter viuebat, extinxit; vt quanto magis summa patescerent, tantò amplius ima, quæ tenuerat, non liberent. Nam quantò incipit quisq; superius viuere; tantò & inchoat inferius interire. Iuxta affectum namque carnalis operationis omnis caro Pauli simul interierat, cùm dicebat. viuo autem iam non ego, &c.

12. 2 Spiritus S. ductui sequi.

Deinde quantum potest contendat oportet, vt Spiritus sancti ductum constanter, alacriterque sequatur. Quocirca imitari debet animalia illa quæ cap. 1. Ezech. describuntur. De quibus v. 12. dicitur; vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur. Quod explicans Greg. homil. 5. in Ezech. to. 2. inquit: in electis & reprobis diuersi sunt impetus, in electis videlicet impetus spiritus, in reprobis impetus carnis. Impetus quippe carnis ad odium, ad elationem, ad immunditiam, ad rapinam, ad exteriorem gloriam, ad crudelitatem, ad voluptates animam impellit. Impetus verò spiritus ad charitatem, ad humilitatem, ad continentiam, ad interiorem profectum, ad spem sequentis gaudij, ad lacrymas mentem pertrahit. Vnde necesse est vt magna semper cura considerare debeamus in omne quod agimus, qui nos impetus ducat, vtrum nostra cogitatio per impetum carnis, an per impetum spiritus impellatur. Amare etenim terrena, temporalia æternis præponere, exteriora bona non ad vsum necessarium habere, sed ad voluptatem concupiscere, vltionem quærere, de amuli casu gaudere impetus Carnis est. At contra amare cœlestia, contemnere transitoria, non ad fructum voluptatis transitoriæ, sed ad vsum necessitatis quærere, de inimici morte tribulari impetus spiritus est. Et quia perfecti quique in istis se semper virtutibus exercent, rectè nunc de sanctis animalibus dicitur: vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebãtur. sed sciendũ nobis quòd plerũq; impetus carnis se sub velamine spiritualis impetus palliat, & quod carnaliter facit mẽtitur sibi ipsi cogitatio, quia hoc spiritualiter faciat. sic præclarè Gregor. Qui ergo ductum, impetumque spiritus Christi sequitur, is demùm verè Christiani militis nomine gloriari poterit.

13. Felix qui quotidie ad aduersus prauos animi motus dimicat Elie triumphus

Et felices dixerim eos, qui aduersus effrenatos animi motus, & fluxas corporis voluptates quotidie dimicant; etenim longè præstantissimo triumpho in cœlum inuehentur ij, quàm qui olim apud Romanos gloriosissimè triumpharunt. Huic triumpho aliquid simile adumbrauit Eliæ raptus ad cœlos. de quo sic Ambr. ser. 47. ait: Elias raptus ad cœlum, & quadriga ignea impositus, quasi in quodam triumpho victor ascendit. Victor enim extiterat non Gentium Barbararum, sed

secun-

sæcularium voluptatum. Siquidem grauiores inimici sunt praui mores, quàm hostes infesti. Hæc ille.

14. Hanc igitur partem, quæ est abnegatio sui constat ex hactenus dictis esse Christianis militibus longè opportunissimam, maximeque necessariam. Placet autem eam non prius absoluere, quam sub finem sequentibus verbis ex Bernard. in serm. 10. in Psalm. *Qui habitat* desumptis; quibus ostendit quàm fatui sint, qui dediti sunt carni, & sanguini, quasi nihil aliud essent, quàm sola caro. Sic ergò scribit: *Sic errant aliqui, & in tantam obliuionem, & spiritualem phrenesim deuenerunt, vt nihil se aliud putare, quàm suum hoc exterius tabernaculum videantur, &c. Qui tanquam mortui à corde omnem insumunt operam circa carnem, sic intendentes tabernaculo suo, ac si nunquam putent esse casurum. Verumtamen cadat necesse est, atque id quidem in breui. An non seipsos nescire videntur qui sic dediti sunt carni, & sanguini, ac si omnino nihil aliud, quàm Carnem solùm se esse reputent, sic in vano accipientes animas suas, tanquam prorsus ignorent animus se habere? si separaueris pretiosum à vili ait Dominus Ierem. 15. 19. quasi os meum eris, hoc est, si solerter discreueris inter exteriorem; interioremq; substantiam, vt non plus tabernaculo tuo timeas à flagello, quàm tibi ipsi à malo, hoc malum quod sua quidem anima animam priuat, quod separat inter te & Deum, vt eo regnante tanquam corpus sine anima, sic sit anima sine Deo planè mortua in semetipsa; nec sanè dixerim, vt vel ipsam odio habeas carnem, dilige eam tanquam tibi datam in adiutorium, & ad æternæ beatitudinis consortium præparatam. Cæterùm sic amet anima carnem, vt non ipsa in carnem transisse putetur, dicaturq; ei à Domino: non permanebit spiritus meus in homine, quia Caro est. Diligat anima carnem suam, sed multò magis suam ipsius animam seruet. Amet Adam Euam suam, sed non sic amet vt voci eius plus obediat, quàm diuinæ. Denique nec ipsi quidem expedit sic amari, vt videlicet cui interim caues à flagello paternæ correptionis, thesaurizes iram æternæ damnationis. Geninima viperarum ait Ioan. quis demonstrauit vos fugere à ventura ira? facite fructus dignos pœnitentiæ, ac si euidentius loqueretur, apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, sustinete virgam corripientem ne sentiatis malleum conterentem. Quomodo dicunt nobis carnales homines, crudelis est vita vestra, nõ parcitis carni vestræ? Esto non parcimus semini In quo ei magis parcere poteramus? an non melius est illi renouari, & multiplicari in agro, quàm in horreo putrefieri? Heu computruerunt iumenta in stercore suo, sic vos parcitis carni vestræ? simus nos crudeles interim non parcendo: at vos planè parcendo crudeliores. siquidem etiam nunc caro nostra requiescit in spe, videritis vos ipsi quid ignominiæ interim vestra sustineat, quid miseriæ eam maneat in futuro.* sic piè, & eruditè Bernard. sed iam ad alterum ex tribus necessarijs militi Christiano transeundum est.

15. Tollat, inquit Christus, *crucem suam* meus miles. Quilibet habet crucem suam, sicut quilibet habet vitã suã; vt Aug. docet ho. 32. de sanctis, *Quia tota*, inquit, *vita Christiani hominis si secundum Euangelium viuat, crux est, atque martyrium*, nec se quisque fallat quasi possit sine cruce esse, nam vt idem ait Psalm. 137. *Vita ista parua, tribulatio est, si non tribulatio non est peregrinatio; si autem peregrinatio est, aut parum patriam diligis, aut sine dubio tribularis. Quis enim non tribuletur, non se esse cum eo quod desideret? quòd si ibi non videtur tribulatio, causa est, quia non amas. Ama alteram vitam, & videbis quia ista vita tribulatio est, quacumque prosperitate fulgeat, quibuscumque delitijs abundet, atque circumfluat.* Et in Psalm. 55. *nemo sibi*, inquit, *dicat, fuerunt tribulationes apud Patres nostros, apud nos non sunt. Si putas te nondum habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus. Et vbi est vox Apostoli: omnes qui volunt in Christo piè viuere, persequutionem patientur, si ergo non pateris pro Christo vllam tribulationem, vide ne nondum cœperis in Christo piè viuere.* sapienter Augustinus etenim vt & Chrysostomus ait homilia 67. ad Antiochen. *à Christiani vita vinculum insolubile est tribulatio.* quod ipsum testatum reliquit Apostolus ad Galatas 5. 24. scribens; *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs*, ergo magnam habent, quam portent crucem. Diligenter igitur aduertat Christianus miles, qui crucem fugit, ne hoc ipso quod crucem fugit, Christiano nomine spolietur; *Etenim*, vt Christus ait: *qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus*, & quod idem est, nec miles. Hæc enim duo, Christi discipulus, & miles vtrò citroque commeant, vt qui discipulus Christi est, sit & miles, qui miles discipulus; quòd si discipulus non est, vel miles, qui crucem auersatur, Christianus esse non poterit.

16. Libenter igitur, & æquo animo ferenda crux est, etenim & Christus *exultauit vt Gigas ad currendam viam suam*. Et quænam quæso, via Christi fuit? arbitror nullam magis aliam, quam eam, qua cruce onustus promptè, hilariterque Caluariæ montem petijt. Ad hoc nobis persuadendum Chrysostomus homilia 1. in 2. epistol. ad Corinth. sic scribit de Paulo: *Beatus Paulus cùm videret quasi niuis cumulos tentationes quotidie ingruentes, non aliter, quàm si in medio paradiso vixisset, ita gaudebat, gestiebatq;.* meritò id dicit Chrysostomus, etenim de se Paulus 2. Corinth. 7. 4. testatur: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*. Quæ certè quanta fuerit subdit vers. 5. *nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores*, & mox subnectens, vnde in tribulatione tanta profecta fuerit ea consolatio, ait: *sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus.* Meritò ergò subdit Chrysostomus post illa verba: *Proindè, vt qui hoc gaudio gaudet, non potest ab animi perturbatione vinci; ita qui hoc non tenetur gaudio, à quibuslibet facilè capi, vinciq; potest; ac prorsus huic idem euenit, quasi si quis arma gestans imbecillia, qualibet leui plaga vulneraretur. Nullum armatura genus validius: quàm gaudere secundùm Deum.* sic Chrysostomus, quòd si non potes cum Paulo superabundanti gaudio crucem ferre, si sanctos illos maximos, & insignes proceres æmulari non vales, suspice illos saltem, & quantum potes nitere vt hilariter crucem feras. si te premit, tristemque tentationis sensus reddit, memineris quod & *ferrũ graue* est, vt ait Chrysost. epist. ad Philipp. hom. 6. *& malleus grauis, sed parant vasa vtilia, & argentea, & distorta dirigunt, ita vt nisi grauia, & dura essent, distortam materiam*

Verba D. Bernar. contra eos qui carni seruiunt.

Cum gaudio ferenda crux.

vtiq; dirigere non possent. Hæc Chrysost. Mœroris est in præsenti si naturam spectes: crux ipsa, verùm animi prompti eorum, qui flagella patiuntur, vt Chrysost. ait hom. 3. de Lazaro, rerum naturam vincunt. Etenim ipse mœror, ipsa tristitia, quam experimur in sensu, admirandam etiam gignit voluptatem. quod sapienter Chrysostomus homilia 18. ad Antiochen. sic docet: *Admirabile hoc est, quòd non tantùm tristitia mundi, sed & lætitia extremum damnum habet. In spiritualibus verò planè contrarium accidit, vbi non tantùm lætitia, sed & tristitia* (quæ non est contra Deum, immò pro Deo toleratur tanquam & ipsa quædam crux) *ingentem bonorum omnium thesaurum continet.*

17. *Tria secum adfert hilaritas in tolerandatribulatione.*

Hæc hilaritas secum etiam ferre solet tria illa, quæ crucem ferenti perneccssaria sunt, nimirum vt patienter, vt constanter, vt cum gratiarum actione crucem quis portet; etenim plurimùm ad hæc tria iuuat animi alacritas; & quidem nititur diabolus vt per impatientiam, quæ facilè tristitiam comitatur, crucem detestemur, & abhorreamus; sed perpendendum est cum Cypriano, libro de patientia; *vt patientia bonum Christi est, sic contra, impatientia diaboli malum; & sicut, in quo habitat, & manet Christus, patiens inuenitur; Ita impatiens semper existit, cuius mentem diaboli nequitia possidet.* Quàm verò grato animo ferenda sit crux docet Augustin. serm. 111. de tempore, dum declarat, bonos, cùm tribulationibus vrgentur, suauissimum spirare odorem, dum propterea Deo gratias agunt; secus mali, *sic*, inquit, *sunt boni & mali quomodo si duo vasa sint plena, & vnum habeat putredinem, & illud aromata pretiosa cum vno ventilabro ventilata. Illud vas vbi fuerint aromata odorem desiderabilem: Aliud autem fœtorem intolerabilem reddit. Ita simul boni, atque mali indiscretè quidem turbati, sed alto Dei iudicio separati. Quoties aliqua tribulatio in mundum venerit, qui boni sunt veluti sancta vasa, gratias agunt Deo, qui eos castigare dignatur: Illi verò qui sunt superbi, luxuriosi, cupidi, blasphemant, & murmurant contra Deum dicentes: O Deus quid tanti mali fecimus, vt talia patiamur? Vnde sæpè fit, vt infelices isti amore huius vitæ obligati, nec istam tenere possint, & illam sempiternam, de qua fugiet dolor & gemitus, amittant, & quod peius est, nec ista mala præsentia possunt euadere, sed ad illa quæ æterna mala sunt, eorum crimina eos faciunt peruenire.* Sed quomodo inquies in ægritudine positus, & doloribus, Deo gratias agere poteris? Respondet Chrysost. hom. 94. ad Antioch. *si eum legitimè diligas. Nam si tres pueri in caminum proiecti, & alij in carceribus, & in alijs innumeris constituti malis, agere gratias non desinebant; multo magis in ægritudinibus, & in cruce positi hoc facere poterunt. Nihil enim est quod non superet amor cum desiderio.* Hæc Chrysost. Constantiam etiam gignit ea, quam dixi, alacritas, sine constantia verò & perseuerantia coronari nemo poterit, nam *qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit; quis*, inquit Apostolus, *nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?* & addit, *certus sum enim quia neq; mors, neque vita, neq; Angeli, neque principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura aliqua poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Sed nihil hac in parte sic elucet sicut Deiparæ Virginis, ac filij eius Iesu Christi exemplum. Quis enim illam animi constantiam, illam fortitudinem, robur illud inuictum satis intelligat, quod paucis indicauit Ioannes dum de matre Iesu scripsit: *stabat iuxta crucem eius mater Iesu*; verè stabat in tantis dolorum fluctibus, quos nullius lingua etiam Angelorum possit exprimere; & verò, vt erat stans erecto corpore, ita cōstans erat erecto animo, hoc enim illud, *stabat*, innuit, imitabatur illa incredibilem filij sui constantiam in cruciatibus; cui cùm ab impijs acclamaretur: *si Filius Dei es, descende de cruce*, perstitit tamen in cruce fixus, nec prius descendit de cruce, quàm mortuus aliorum manibus deponeretur. Quare sicut ille de cruce non descēdit, quia filius Dei erat, quamuis impij homines illi diceret: *si Filius Dei es, descende de cruce*, ita & tu Christiane miles, si filius Dei es, crucem ne relinquito, in ea ducis tui exemplo mori cupias, vt inde tandem Angelorum manibus deponaris translatus in cœlum.

Cum gratiarum actione excipienda Crux.

Postremò vbi de abnegatione, carnisq; mortificatione actum est, & de ferenda cruce, deinceps dicendum de tertio erit, de Christi videlicet sequela; & quidem diligenter animaduertēdum, quomodo sequi oporteat Christum, neq; enim ille qui dicebat, *Magister sequor te quocumq; ieris*, Christo propterea placuit; Audi Augustin. ser. 7. de Verbis Domini: *Quid tam promptū, quid tam impigrum, & quid ad tantum bonum aptius nū, sequi Dominum quocūq; ierit? Quid est hoc, quòd magu magistro bono, &c. inuit ante discipulos, quibus daret regnum cœlorum, displicuit tam paratus? intelligimus istum hominem si sequeretur Christum, sua quæsturū fuisse, non quæ Iesu Christi.* Verè id dicit Aug. quia & hoc indicauit responsum Christi, *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*, vulpes enim foueas habebant in corde illius, & dolosus erat. Volatilia cœli nidos, quia elatus, dolosus verò, Christum se sequi velle simulans, reuera autem quærens diuitias potius, quàm paupertatē Christi; sicut & elatus Christum non sequuntur. Nā quomodo dolosus sequi potest simplicitatem? quomodo diuitiarum cupidus paupertatem, & nuditatem Christi? quomodo superbus, & vanę gloriæ auidus humilitatem sectabitur? eijce de corde tuo hæc monstra, & tunc sequi poteris Christum.

18. *De sequela Christi.*

Sed neq; duos illos imitari debes, quorū meminit Matth. ca. 8. 21. & Luc. 9. 61. Etenim vnus illorum quia non, vt par erat, sine mora, contemptis omnibus sequi volebat Christum; ideò vocatus respondit: *Domine permitte me simul ire, & sepelire patrem meum*, alter verò dixit: *sequar te Domine, sed permitte mihi primū renunciare his, quæ domi sunt*; vtrumque reprehendit Christus, quia nimirum continuò relictis omnibus sublata in humeros cruce sequendus est Christus nec mora nectenda est, nec petenda dilatio. Deniq; neque sequendus est Christus eo animo, quo tum erat ille qui dicebat: *quare non possum te sequi modò? animam meam pro te ponam*; nimis iste audacter tunc se Christum posse sequi etiam per medias tribulationum procellas fidebat, quāuis Christo prędicente illi rem aliter esse euen-

19. *Statim relictis omnibus sequi oportet Christum.*

turam

turam, sit sufficienita tua ex Deo tantum, ita enim curres post Christum, sequerisque non quasi aerem verberans, sed cum ingenti laborum tuorum fructu palmam tenebis, CHRISTO tibi semper vires, animumque præbente.

20. Etenim si tantum animi, tantumque virium suggesit Machabæi ducis militibus præcedens Angelus, qui apparuerat Ierosolymis, quantùm putabimus subiecturum esse roboris, & fortitudinis, additurum præeuntem Christum videre sublata in humeros cruce? sic enim legimus 2. Machabæor. 11. 8. *cumq; pariter prompto animo procederent; Ierosolymis apparuit præcedens vos eques, in veste candida, armis aureis hastam vibrans*, & vt videas quantum ea res animum addiderit militibus; subdit Scriptura v. 9. *tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, & convaluerunt animis: non solùm homines, sed & bestias ferocissimas, & muros ferreos parati penetrare.* Incitet ergo nos præclarissimi nostri ducis, non Angeli alicuius aspectus, sed Angelorum Domini, qui candida veste, hoc est, Carne virginea indutus, & purpureis, aureisque instructus armis, hoc est, toto corpore conspersus sanguine, Crucis etiam hastam contorquens in hostes, addit militibus suis animum præcedens, & vires sufficit. Narrat Plutarchus in Apophthegm. quòd cùm vnus ex his, qui cum Photione erant, militibus morituri, quidam indignatus fleret sortem suam, eum ita consolatas est Photion, *Pigetne te*, inquit, *cum Photione mori?* quale ergo, quæso te, ac quantum boni erit pati cum Christo? quàm honorificum contumelijs affici? quàm iucundum omnia malorum genera, atque huius vitæ incommoda perpeti, quæ ille omnium Dominus nostri causa perpessus est? Cùm Abimelech, vt Iudicum 9. 48. habes, pugnaturus esset contra hostes, montem conscendit, *& arrepta securi præcidit arboris ramum, impositumq; ferens humero, dixit ad socios; quod me videritis facere citò facite.* Ergo socij *certatim ramos de arboribus præcidentes sequebantur ducem*, factumque est vt de fusis hostibus triumpharint. Quare si nos Imperatoris nostri, qui solus instar omnium ducum est, & longè etiam maximus, vocem hanc libenter exceperimus: *si quis vult venire post me abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me*, insignem de cunctis hostibus reuehemus triumphum.

DIGRESSIO III.
MORALIS.

De Martyrum gloria.

1. COnsueuit Ecclesia Dei verba, quæ hactenus exposuimus: *si quis vult venire post me*, &c. diebus festis sancti alicuius Martyris Pontificis recitare, iccirco, vt Concionatoribus prout Dominus largitus fuerit, consulamus, non erit alienum à proposito nostro in hac digressione, de laudibus Martyrum ex Patrum dictis aliquid afferre. Martyres eos nominamus propriè, qui pro Christi fide, vel pia alia causa, sanguinem, vitamque profuderunt; re-

Martyr quis.

A liquos enim sanctos, Confessores potius dicimus. Non ignoro Cypriani temporibus eos, qui iam cruciatus aliquot experti fuissent, quamuis nondum profuso sanguine vitam cum morte commutassent, vicissim nunc *Martyrum*, nunc *Confessorum* nomine appellatos esse, vt Cypriani epistolas legenti constare poterit, quod & illis euenit qui vitam in tormentis amisissent, vt tradidit Palmerius in annot. ep. 9. & Cæsar Baron. in Martyrologio secunda Ianuarij.

Cæterùm tribus de causis festa Martyrum Christiani celebramus vt August. docet libro 20. cap. 21. contra Faustum Manichæum tom. 6. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur, ita tamen vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum, constituamus altaria.* Hæc August. 2. *Tribus de causis festa martyrum celebramus.*

B Est verò martyrium tantæ dignitatis apud Deum vt instar sit baptismi, præcipuè verò tribus in rebus: Primùm quòd conformet hominem Christi passioni & morti. Deinde quòd condonet peccata omnia etiam primigenium illud, quod nobiscum innascitur, si fortè quis illo adhuc maculatus vitam pro Christo fundat. Condonat autem ex opere operato, quæ verior est Doctorum sententia. Postremò quòd auferat omnem pœnam, cui propter peccatum erat obnoxius siue de æterna, siue de temporali loquamur, quod proprium esse baptismi inter Sacramenta nouimus, & hinc est vt 3. *Martyrij laus.*

C Ecclesia nunquam pro martyribus fundat preces; & August. de verbis Apostoli ser. 17. testatur iniuriam facere martyri, qui orat pro martyre.

Et meritò sanè, iureque optimo tanta tribuitur martyribus dignitas; etenim vt Origen. animaduertit serm. 9. in cap. 4. ad Ephes. *Semper quidem admirandi sunt Martyres, cunctaq; gratia pleni, maximè verò quando propter Christum periclitantur, quando in vinculis sunt. Dicam cogitationem meam. Babylas beatus martyr, & ipse eadem causa, qua Ioannes vinctus erat, quòd regem iniquè agentem arguerat. Hic cùm moreretur, præcepit vincula iuxta corpus suum collocari, corpusq; vinctum sepeliri, & nunc pedicæ simul cum cinere illius sepultæ iacent, tanto videlicet ille desiderio pro Christo vinctus esse cupiebat.* Accommodat deinde hoc Origenes eleganter ad mores nostros ita subijciens: *Verùm nos non ligamur, quippe huius iam nulla existente occasione. Nihil opus est, vt manus ligatas, sed mentem vinctam habeas. Sunt & alia vincula illa ferent qui istis non ligantur, dicente Christo: ligate illis manus, & pedes, & proijcite in tenebras exteriores Sed absit vinculorum illorum experientia, istis potius abundè vinciri contingat.* Sic Origen. Quid igitur miramur tantis martyres laudibus attolli, cùm tanto amoris igne in Christum arserint? 4. *Origenes.*

D Fulgent omnino Martyres inter tormenta; & quamuis oculis insipientium obscuri videantur, eorum tamen tantum est lumen, tantus splendor quo illos Deus condecorauit, vt vel ipsis crudelissimis tyrannis timori, horroríque fuerint, ita vt non semel victos se eorum gloria & fortitudine palam faterentur. Meritò Augustinus libro 7. quæstionum in libr. Iudic. 5. *Fulgent in ornatis Martyres.*

tom. 4. capit. 49. trecentis illis Gedeonis militibus comparat: sic enim ait: *quod trecenti viri ad signum Crucis ipso numero pertinentes, Hydrias fictiles acceperunt, eisq; ardentes faculas incluserunt, quibus hydrijs fractis repentè lumina numerosè micantia, tantam hostium multitudinem terruerunt*, tanquam ex suo arbitrio videtur feciſſe Gedeon. non enim Scriptura dicit Dominum admonuiſſe vt hoc faceret: & tamen tam grande signum quis eius animo, atque consilio faciendum, niſi Dominus inſpirauit, *qui præfigurauit sanctos suos thesaurum Euangelici luminis in vasis fictilibus habituros, sicut Apostolus ait 2. Corinth. 4. 7. habemus thesaurum istum in vasis fictilibus? Quibus in passione Martyrij tanquam vasculis fractis, maior eorũ gloriæ fulgor emicuit, quæ impijs Euangelicæ prædicationis inimicos, inopinata illis Christi claritate superauit.*

6. Laudamus maximè & glorioſos prædicamus viros, qui fortitudine bellica clari fuerunt. Eſt enim fortitudo ſupra cæteras virtutes admiranda, & quæ maximè illuſtres, atque conſpicuos homines efficit; quòd ſi ita eſt, multò digniſſimi martyres, quàm cæteri duces, qui non armis inſtructi, non clypeo muniti, vel haſta potentiſſimorum Regum, & Imperatorum fregere impetum, ſola muniti animi fortitudine. Propterea iure illos confert Auguſt. libr. de Correct. & gratia ad Valentinum, cap. 12. tom. 7. cùm Adamo olim fortiſſimo procul dubio viro: *Adam*, inquit, *& terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium, libero vſus arbitrio, non ſtetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate. Iſti autem* (Martyres) *non dico terrente mundo, ſed ſæuiente ne ſtarent, ſteterant in fide; cùm videret ille bona præſentia, quæ fuerat relicturus, iſti futura, quæ accepturi fuerant, non viderunt. Vnde hoc? niſi donante illo, à quo miſericordiam conſequuti ſunt vt fideles eſſent, à quo acceperunt ſpiritum non timoris, quo perſequentibus cederent, ſed ſpiritum virtutis, & charitatis, & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta inuitantia, cuncta cruciantia ſuperarent?* Hæc Auguſtinus. Verùm mirabitur aliquis, quomodo eos fortes vocemus, & victores, qui ab inimicis trucidati ſunt quorũ corpora dilaniata, canibus obiecta, & in profundum etiam mare coniecti cineres? Atque in hoc ſita eſt Martyris incredibilis fortitudo. Inauditum eſt fateor hoc fortiter agendi genus, vt moriendo hoſtem vincas, mortem verò fugiendo vincaris. Audi: quid volebant Tyranni? quid poſcebant à Martyribus? Chriſtum auferre, fidem delere, conſtantiam ex animo expectorare: hoc non potuere, victi ergo ipſi, victores illi. Quòd verò mortem intulerint, Martyrum tantò magis robur extollit; cùm enim mors ſit terribilium omnium terribiliſſimum quid, conſtantiſſimus ſit neceſſe eſt, ac fortiſſimus, qui ne perdat Chriſtum, hoc eſt, quidquid bonum eſt ac rectum, mortem contemnit, nec timet tormenta.

Inauditũ vincendi genus.

7. Quamquam illi, qui ſic moriebantur non vitam amittebant, ſed vitam inueniebant, hoc eſt, perituram vitam, & multis obnoxiam periculis, cum felice illa & æterna commutabant. Audi quid hac de re Auguſt. ſcribat lib. 13. de ciuit. cap. 14. *Tantam*, inquit, *Deus fidei præſtitit gratiam, vt mors quam vitæ conſtat eſſe contrariam, inſtrumentum fieret per quod tranſiretur in vitam.* ſic Auguſt. Sic igitur ſi tunc moriare pro Chriſto æternum viues. Quare meritò Cyprian. epiſt. 11. pretioſam mortem hanc eſſe dicit, *quæ emit immortalitatem pretio ſui ſanguinis.* Et Ambroſ. 2. ad Corinth. 12. teſtatur tunc vincere Chriſtianum *cùm perdere putatur.* Verè igitur cùm Auguſt. in Pſal. 127. Martyres vocare poſſumus *fœliciter infœlices*, quod dum vitam amittunt, vitam inueniant.

Cur igitur Martyres formidaſſe dicuntur, ſi fortes exſtitèrunt? formidarunt quidem Martyres, ſed non tormenta, non cruciatus, non mortem, cùm neque Tyrannorum minæ, nec illata ſupplicia eos à Chriſto abduxerint vnquam, verùm à verbis Dei formidarunt. Sic Auguſt. concione 31. in Pſal. 118. *Quare*, inquit, *Principes perſequebantur illos?* hoc eſt, Martyres? *ſine cauſſa vtiq;, & ideò Regius Vates ait: Principes perſequuti ſunt me gratis, ſed à verbis tuis formidauit cor meum. Habuerunt quidem & illi verba minantia: expello, occido, vngulis torqueo, ignibus torreo, beſtijs ſubigo, membra dilanio, ſed tua me potius verba terruerunt. Nolite timere eos qui occidunt corpus, ſed eum timete, qui poteſt corpus & animam perdere. Ab his verbis formidauit cor meum, & contempſi hominem perſequutorem meum, & vici diabolum perſequutorem meum.* Hæc Auguſt. Sic ſecum Martyres loquebãtur, & cum Deo, quando nimirum vincti Principibus, Regibus & Tyrannis ſiſterentur, cùm conijcerentur in carcerem, obijcerentur beſtijs, tormentis, & cruciatibus torquerentur; non enim illi iſta verè timebant, quamuis ea ſenſus interdum horrerent, ſed eum potius timebant, qui poterat corpus, & animam perdere: propterea ne contra Deum peccarent, vitam reliquerunt.

Quomodo Martyres formidaſſe dicantur?

8. Meritò igitur Martyres tanto honore cohoneſtantur, tot laudibus efferuntur, tot miraculis illuſtrantur, ob eximium videlicet robur, quo nullis aduerſis pro Chriſto ceſſerunt. Auguſt. explicans illa Pſalm. 118. conc. 30. *Multi qui perſequuntur me, & tribulant me*, ait: *Purpurata eſt vniuerſa terra ſanguine Martyrum, floret cœlum coronis Martyrum, ornatæ ſunt Eccleſiæ memorijs Martyrum, inſignita ſunt temporanatalibus Martyrum, crebreſcunt ſanitates meritis Martyrum. Vnde hoc? niſi quia impletum eſt, quod prædictum de homine iſto toto terrarum orbe diffuſo; multi perſequentes me, & tribulantes me, &c.*

Chriſto debent quid fortes, quod glorioſi martyres.

9. Sanctus Hieronymus ad Hedibiam, quæſt. 12. paſſionem Martyrum Dei triumphum appellat: *Triumphus*, inquit, *Dei eſt paſſio Martyrum, & pro Chriſti nomine cruoris effuſio, & inter tormenta lætitia. Cùm enim quis viderit tanta perſeuerantia ſtare Martyres, atque torqueri, & in ſuis cruciatibus gloriari, odor notitiæ Dei diſſeminatur in gentes, & ſubit tacita cogitatio, quòd niſi verum eſſet Euangelium, nunquam ſanguine defenderetur. Neq; enim delicata, & diuitijs ſtudens, ac ſecura confeſſio eſt, ſed in carceribus, in plagis, in perſequutionibus, in fame, in nuditate, & ſiti. Hic triumphus eſt Dei, Apoſtolorumq; victoria.* Sic. Hieron.

Paſſio martyrum Dei triumphus.

10. Diuus quoque Chryſoſt. demonſtrat. aduerſus Gentiles, quod Chriſtus ſit Deus, quo loco ſint præſtantiſſimi quique Martyres in Eccleſia Dei, docet his verbis: *Diſcipulis Chriſti*

Chryſoſt. de Martyrib.

qui

Digitized by Google

qui ducebantur, & circumducebantur, qui contempti erant, & vincti, qui innumera patiebantur, dum viuebant, vbi defuncti sunt, Regibus ipsis magis erant venerabiles etiam Romæ, quæ vrbium est Regalissima, relictis omnibus ad sepulcra piscatoris, & pellionis cutrunt, & Reges, & præsides, & milites. Et in Constantinopoli Reges nostri magnam gratiam putant, nō si propè Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, sianta piscatorum ostiarij Reges. Neq; hinc in morte confunduntur, sed honestantur & ipsi, & eorum nepotes, & pronepotes.

11. Locus Psal. 67.

De Principibus Ecclesiarum, hoc est, de Martyribus, exponit August. illa Psal. 67. *Principes Iuda, Duces eorum: Principes Zabulon, Principes Nephthalim hoc loco* ait: *Principes Ecclesiarum, Duces eorum, qui in Ecclesijs benedicant Domino video commendari. Martyres namque in Ecclesiu locum summum tenent, atq; apice sancta dignitatis excellunt.*

12. Requiret Dominus sanguinem Martyrum.

Quòd si tibi videntur Martyres ignominiosam oppetijsse mortem, quippe quibus insultarint tyranni, & in quorum etiam corpora, iam vita functa atrociter sæuierunt, Paulisper expecta, & animaduertes verissimum esse quod Dauid scripsit requisiturum esse olim Deum sanguinem sanctorum suorum, qui effusus es; *Requirens*, inquit, *sanguinem eorum recordatus est*, hoc est, *Veniet*, ait Aug. *vltimum iudicium, vbi & interfectorum gloria, & interficientium pœna manifesta erit. recordatus est autem nemo ita positum putet quasi obliuio cadat in Deum, sed quia post longum tempus futurum est iudicium; secundùm affectum infirmorum hominum positum est, qui quasi oblitum Deum putant, quia non tam citò facit, quod ipsi volunt.*

13. Ex Aug. quo modo exaudijt Deus martyres etiã occisos.

Sed illud obijci potest cõtra ea, quæ verè dicta sunt de gloria Martyrum, & honore quo eos prosequitur Deus: etenim quomodo honorare dici potest eos, quos orantes non audijt. Clamarunt illi in medijs persequutionum fluctibus: *Exaudi Deus orationẽ meam cùm deprecor, à timore inimici eripe animam meam*, læuierunt tamen inimici in Martyres. *Quid orabat ista vox corporis Christi?* inquit August. Psal. 63. & respondet: *hoc orabat vt eruerentur ab inimicis, & eos non possent occidere inimici. Ergo exauditi nõ sunt, quia occisi sunt, & deseruit Deus contritos corde seruos suos, & sperantes in se desperit? absit. Quis enim inuocauit Dominũ, & derelictus est ab eo? Quis sperauit in eum, & desertus est ab eo?* mox verò clarius propositæ à nobis obiectioni occurrens sic rem totam eleganter explicat. *Exaudiebantur ergò, & occidebantur, & tamen ab inimicis eruebantur. Alij timentes cõsentiebant, & viuebant, & tamen ipsi ab inimicis absorbebantur, occisi eruebantur, viuentes absorbebantur. Inde est & illa vox gratulationis forsitã viuos absorbuissent nos. Multi absorpti, & viui absorpti, multi mortui absorpti. Qui putauerunt inanẽ esse vitã Christianam, mortui absorpti sunt. Qui autem scientes veritatem esse prædicationem Euãgelij, &c. cesserunt tamen doloribus, & idolis sacrificauerunt, viui absorpti sunt. Illi absorpti, quia mortui. Illi autẽ quia absorpti mortui*, non .n. absorpti viuere potuerũt, quamuis viui absorberentur. *Hoc ergo erat vox Martyrum: A timore inimici eripe animam meam. Nõ vt me non occidat inimicus, sed vt non timeã occidentem inimicum. Hoc orat in Psal. impleri seruus, quod Dominus iubebat in Euangelio: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed eum potius timete qui habet potestatem, & animã & corpus mittere in gehennam. Et repetiuit; ita dico vobis, hũc timete Luc. 12. 5. Qui sunt qui corpus occidũt? inimici; quid iubebat Dominus? ne timerentur. Oretur ergo vt præstet quod iubet. A timore inimici eripe animam meam. Erue me à timore inimici, & subde timori tuo. Non timeam eum, qui corpus occidit, sed eũ qui corpus & animam potest occidere. Non enim à timore volo esse immunis, sed à timore inimici liber, sub timore Domini seruus.* Hæc Aug. quibus factum satis est obiectioni initio huius numeri motæ.

14. Duplex martyrij genus.

Ad extremum obseruandum est duplex esse Martyrium vt Greg. testatur lib. 3. dial. c. 26. & ho. 35. in Euãg. ait enim, *Duo aũt sunt martyrij genera, vnũ in occulto, alterũ quoq; in publico, nam etsi persecutio desit externa, martyrij meritum in occulto est, cũ virtus ad passionẽ prõpta flagrat in animo*, & de altero quidẽ quo corp⁹ pro Deo morti traditur hactenꝰ dictũ est. De primo verò, Ber. ser. 30. in Cãt. *Genus*, ait, *martyrij est spiritu facta carnis mortificare; illo nimirũ quo mẽbra cadũtur ferro, horrore quidẽ mitius, sed diuturnitate molestius.* & Aug. ser. 32. de sanctis, *tota*, inquit, *vita Christiani hominis, si secundùm Euangelium viuat, crux est, atq; martyriũ.* Rectè, *nam tracũdiam mitigare, libidinẽ fugere, seruare iustitiam, auaritiam contemnere, elationẽ deprimere magna pars Martyrij est. Habet ergo & pax nostra Martyres suos*, vt Aug. scribit ser. 250. de tẽp. & Greg. hom. 3. in Euang. *Omninò quãdo diabolus mortuus non est, tãdiu persecutiones atq; martyria viuent.* Vide Aug. in Ps. 127. sed non est in præteritis relinquendum quod scribit Chrys. ho. 11. in ep. ad Heb. c. 6. tom. 4. *Sunt & aliæ oblationes quæ verè sunt holocaustomata, corpora Martyrum. Ibi & anima & corpus offeruntur: Illa sacrificia odorem suauitatis habent maximum. Potes & tu si volueris tale sacrificium offerre. Quid enim si non igni comburatur corpus? sed alio igne potest, vtpote paupertatis voluntaria tribulationis. Cùm enim liceat delitiosè degere, & eligatur laboriosa vita, & amara, mortificãs q; corpus: nõne holocaustoma est? mortifica ergo corpus tuum, & crucifige, & accipies tu huius martyrij coronã. Quod enim illic gladius operatur, hoc hic alacritas animi faciat.* sic Chrysost. ad hoc nos martyrij genus hortatur Paul. ca. 12. 1. *Obsecro itaq; vos fratres per misericordiam Dei vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.*

15. Spirituale martyrium quinque specierum.

Quamuis verò multiplex sit hoc spirituale martyriũ, potest tamen in quinq; genera fundi. Vnũ est eorum, quos Martyres designatos Tertul. vocat lib. ad Martyr. qui nimirũ licèt mortui in tormentis non fuerint, tormenta tamen aliqua fortiter passi sunt. In horum numero D. Ioannes Euangelista connumerandus est, nam & cum alijs Apostolis flagellatus est Act. 5. 40. & sub Domitiano Romæ positus in feruentis olei dolio; Alterum est eorũ, qui charitate flagrãtes pro animorũ salute aperto, vel satis probabili mortis discrimini se offerunt; lege Martyrol. Rom. die 28. Febr. Ad hos rectè quis referat eos qui remotissimas gentes Indos, Sinas, Angliam, &c. vt gentilium animas, vel hæreticorũ ad fidẽ traducant, intrepidè adeunt. Tertiũ est illorũ qui cùm optent maximè sanguinẽ & vitam pro Christo profundere si opus sit, vel occasio ferat, illud patiẽter animi ærũnis, &

angoribus sponte toleratis compensant, horum Princeps fuit Beatissima Virgo cuius Martyrium, vt ait Bern. serm. 7. de Assumptione tam in Simeonis Prophetia, quam in ipsa dominicæ passionis historia commendatur. Quartum est Martyrium eorum, qui castitatem seruant, & continuè carnis, cupiditatumque carnalium mortificationi student. Hinc Hieron. de Virginitate seruanda epist. 8. ad Demetriadem: *Assume scutum fidei, loricam iustitiæ, galeam salutis, procede ad prælium. Habet & pudicitia seruata martyrium suum.* Postremò quicunque ita vitam instituit, vt diuina mandata custodiens contra quotidiè insurgentes animi motus, vel peccata pugnet, is demum martyr etiam est; & hæc in hoc caput dicta sufficiant.

CAPVT VI.

TRANSFIGVRATIO.

A. 17. 1. B. 9. 1. C. 9. 28.

V. 1. A. B. Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum B. *solos* C. *vt oraret.*

C *Factū est autem post hæc verba ferè dies 8.*

2. *Et facta est dum oraret species vultus eius altera,* A. *& transfiguratus est ante eos.*

B. *Transfiguratus est coram ipsis, & vestimēta eius facta sunt, &c.*

3. *Et resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt* B. *splendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.*

4. *Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes,* C. *visi in maiestate, & dicebant excessum eius, quē cōpleturus erat in Ierusalē.*

5. *Petrus verò, & qui cum illo erant, grauati erant somno, & euigilantes viderunt maiestatem eius & duos viros, qui stabant cum illo.*

A *respondēs autem Petrus* B. *rabbi* C. *præceptor.*

6. *Et factum est cùm discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum:* A. *Domine* A. B. C. *Bonum est nos hic esse. A. si vis* A. B. C. *faciamus* A. *hic* B. C. *tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnū, & Eliæ vnum,* C. *nescions quid diceret.* B. *erāt enim timore exterriti.*

B. *non enim sciebat quid diceret.*

7. A. *Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbrauit eos,* C. *& timuerunt intrantibus illis in nubem.*

B. *& facta est nubes obumbrās eos.* B *Carissimus.*

8. A. *Et ecce vox de nube dicens: hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui. ipsum audite.*

9. *Et audientes Discipuli ceciderunt in faciem suam & timuerunt valde.*

10. C. *Et dum fieret vox inuentus est Iesus solus.*

11. A. *Et accessit Iesus, & tetigit eos, dicit q. eis: surgite, nolite timere.*

12. *Leuantes autem oculos suos,* B. *& statim circumspicientes neminē amplius viderunt, nisi Iesum tantum secum.*

13. A. B. *Et descendentibus illis de monte præcepit* A. *eis dicens: nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.*

B. *& verbū continuerūt apud se.*

14. C. *Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his, quæ viderant.* B *conquirentes quid esset: cum à mortuis resurrexerit.*

B. *Quid ergò dicunt Pharisæi & scribæ, quia Eliam oportet venire primum.*

15. A. *Et interrogauerunt eum discipuli, dicentes: quid ergò scribæ dicunt quòd Eliam oporteat primum venire?*

16. *At ille respondens ait eis: Elias quidem venturus est. (&)* B. *cum venerit primo, restituet omnia: & quomodo scriptum est in filium hominis, vt multa patiatur, & contemnatur.*

B. *sed dico vobis quia & Elias venit (& fecerūt illi quæcunque voluerunt) sicut scriptum est de eo.*

17. A. *Dico autem vobis quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt; sic & filius hominis passurus est ab eis.*

18. *Tunc intellexerunt discipuli quia de Ioanne Baptista dixisset eis.*

SCHOLIA.

I. *Ordinis ratio.*

PErmagni refert ad intelligendū ea, quæ tres Euāgelistæ scribūt de gloriosa Christi transfiguratione, ordinē ac seriē historiæ bene tenere, cū eius narratio à diuersis Euāgelistis descripta, alio atq; alio modo narrari videatur, propterea conandū erit in primis quonā modo, atq; ordine se habuerit, declarare; ergo primū confēdit Christ⁹ montē adiūctis trib⁹ discipulis orādi studio iuxta morē. deinde vt est credibile, omnino aliquāto ab Apostolis spatio seiūctus orat, interim Apostoli sopore corripiūtur. dū orat Christus & Apostoli somno indulgent, apparuere Christo Moses, & Elias statimq;, (transfiguratio. n. Christo orāte accidit) resplēduit facies eius, & vestimēta eius facta sunt alba & splendētia. Tuncverò nullo intercedēte tēpore ei⁹ gloria ad testes Mosē & Eliā se diffudit, nō aliter quā radij solis eo apparēte totū aerē, terrāq; illustrāt ante se positā, sed licet tēpore nō præcesserit Christi Maiestas. i. gloria, Maiestatē testiū, horū tñ Maiestas à Christi Maiestate pēdebat. interim mi scēt hi sermonē de morte, quā subituros erat Christus pro nobis, euigilāt Apostoli, & initio quidē timēt, cuius timoris mētionē facit Marcus, vt hic habes v. 6. mox etiā tāq; Maiestatis aspectu recreātur, cūq; viderēt Mosē, & Eliā discessū cogitātes: Petr⁹ nomine omniū, nolēs priuari eorū aspectu, & gloriæ intuitu, Christū alloquitur: *Domine bonum est, &c.* dūq; hæc loqueretur. ecce tibi nubes dēsa illa quidē, sed tota collucēs eripit ab oculis discipulorū glorioſos illos viros, atq; adeo Christū ēt ipsū. est aūt credibile, tūc delatos per Angelos Mosē & Eliā ante factā vocē, ad loca vnde huc trāslati per angelos ēt fuerāt, sed de hoc postea. interim timor maior quā r. ille discipulos inuasit nube quoq; illa cōclusos, de quo timore Luc. loqui videtur v. 7. hīc. Audita est & Patris ęterni vox. *hic est filius meus, &c.* in modū tonitrui: quare Apostolos tū metus maximus corripuit, ita vt præ timore corruerint vultib. terræ adhærescentibus. Accessit Christus, vbi iam tota hæc visio euanuit, tetigit illos, iubens timorē depellere. sumunt illi animos, attollunt oculos. Christum solū aspiciunt, qui quidē eis præcepit dū de monte descēderent, ne cui visum refer: ēt donec

2.

3.

filius

filius hominis à mortuis resurgat. Hæc tota rei gestę series, hic ordo iam ad explanationē veniamus.

2. 1. *Et post dies sex*] Dixerat Christus, *sunt quidā de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in Regno suo.* verba Christi sequitur res, inquit Hilar. Post sex dies inquiunt Matth. & Marc. at Lucas ferè dies octo numerat. vtrumque verum. nam Matt. & Marc. extremos non recensent, quia non integri sunt, recenset Luc. extremos voco eum quo Dominus dixerat: *si quis vult venire post me abneget* &c. Luc. 9. 32. vt etiam habes hic cap. 6. v. 13. Item, *sunt quidam de hic stantibus* &c. vt eodem cap. v. 18. habes hic, & Lucæ cap. 9. 27. subdit Luc. *factum est autem post hæc verba ferè dies octo*. Alterum verò diem extremum voco eum, quo Dominus transfiguratus est. sic Augustin. lib. 2. de consensu 56. & lib. 3. de doctri. Christia. cap. 35. & lib. 1. qq. Euangel. cap. 7. Hieronym. Mat. cap. 7 Ambros. lib. 7. in Luc. Epiph. hæres. 69. sub finem Chrys. hom. 57. in Mat. hō. 10. in Marc. & alij. Ceterum addit Luc. *ferè*, quia dies illi extremi non integri fuere, & ideo nō dixit, *post dies octo: assūpsit Iesus Petrum & Iacobum, & Ioannem*, sed die octauo, vt obseruat Hieron.

3. Quid numero ternario discipulorum significetur. *Assumit Iesus Petrum* &c.] tres assumit, quia satis erit ternarius testium numerus Deut. 19. 15. *in ore duorū aut trium testium stabit omne verbū*. sunt qui tribus testibus omne genus hominum, quod à tribus Noe filijs descendit, significari volunt, quin hoc ipso indicari ex singulis hominū generibus aliquos ad visionē Dei, in qua beatitudo posita est, admittendos, sic Hilar. can. 17. alijs placet trib. discipulis S. Trinitatis fidem ostendi, sine qua Deum nemo videbit. Sed duo hæc ad mysticum sensum pertinent. Decebat aūt Apostolos Christi diuinitatē prædicare, ideo testes ex Apostolis assūpti. Non oēs admissi, quia nondū aderat tēpus suam omnib. diuinitatē clarè aperiendi, propterea. n. silētio voluit hanc visionē celari. deinde propter hoc ipsum, quod ad tēpus placuit Christo hoc mysteriū occultum esse. ideo non oēs assūpsit. melius. n. occultum esse potuit, si pauci, quā si multi illud cognoscerēt. Remansērat aūt reliqui Apostoli ad radices mōtis.

4. Cur hi tres præcipuè assumpti in testes. Eligitur Petrus, super quē fundanda erat Ecclesia; Iacobus qui primus de Apostolis martyrio coronandus erat; & Ioannes, qui virginitatis dono fulgebat. hos Dns solos interesse voluit, cū ad vitā Archisynagogi filiā reuocauit, & cū manante sudore sanguinis orauit patrem ad hortū, ita vt hi veri testes & infirmitatis Christi & Maiestatis fuerint.

5. Singularia quoq; priuilegia, quæ hi præ cæteris à Christo consecuti sunt, digniores etiam faciebāt, vt præ cæteris quoq; assumerentur ad certa quædā opera Christi, nam Petro cōmissa Ecclesiæ cura, & claues datę Regni cœlorū: Ioanni, Mater in custodiam tradita: & titulus discipuli præ cæteris dilecti, adde quod reseranda illi altissima mysteria fuerant, & ideo eum Damasc. orat. de transfig. *purissimum Theologiæ organum* appellat. Porrò Iacobū prima martyrij palma mirificè illustrabat. Adhæc potest & illud addi, apparuisse ardētiùs in his tribus studiū pro Christi gloria tuenda; indicauit id Petrus, & cùm respondit: *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes.* Itemq; *si oportuerit me mori tecum, non te negabo*. & quāuis piscator, nō dubitauit tamen inter armatam militum manū stringere gladium, nec, vt ad Christū accederet, supra turbatum mare ingredi, Christi tantū præsentia tretus. Simile quoq; studium apparuit in filijs Zebedæi, quando igne de cœlo misso ingratam ciuitatem Domino hospitium negantem absumi cupiūt.

Ioannes purissimum Theologiæ organum.

6. *Iacobum*] non fuit iste *Alphæi* dictus; licet Augustin. in epist. ad Galat. capit. 2. & Ambros. cap. 9. in Luc. secus indicent; putant. n. hunc fuisse Episcopū Ierosolymorum, quos sequitur Gloss. interl. quæ

A sumpta est ex Ambros. ait enim: hunc Iacobum primum conscendisse solium sacerdotale, atqui Iacobus hic *frater Ioannis* dicitur, igitur Zebedæi filius erat.

Ducit illos] nisi nos ducat, & eligat Christus, nunquam ad gloriæ montem conscendemus. *In montem excelsum seorsum*] Euthym. Matth. 17. *Subduxit*, inquit, *illos in montem excelsum, vt à nullo alio conspici posset; ideo etiam addit, seorsim. nihil enim faciebat ad gloriam, sed omnia ad vtilitatē; præterea vt discamus oportere à terrena subleuari humilitate eum, qui diuina contemplatione dignus habendus est.* Theophyl. Luc. 9. *In montem ascendit, vt oraret, oportet enim nos solitarios esse, & ascendere, & nullis terrenis rebus intendere orando.* verè enim Damasc. orat. de transfiguratione, *mater*, inquit, *orationis est solitudo: oratio autem diuinæ gloriæ demonstratio. nam cùm occlusis omnibus sensibus nobiscum ipsi, & cum Deo versamur, atque ab externa*

B *huius mundi iactatione velut in libertatem vindicati, intra nos ipsos sumus, tum demùm perspicuè Dei regnum in nobis ipsis conspicimus. Regnum enim cœlorum hoc est, Dei regnum, intra nos est, quemadmodū Christus pronuntiauit.* Beda Matt. 17. *benè*, ait, *addidit seorsum; quia tunc* tempore resurrectionis *iusti à prauis separantur, quorum nunc vitijs premuntur; licet fidei intentione disiuncti sint.* D. Damasc. loc. cit. ad charitatem accommodat: sic enim scribit: *quid autem est, cur discipulos in montem excelsum subducat? Montes figurato sensu virtutes scriptura nominat. omnium porrò virtutum apex, ac velut arx quædam est charitas. hæc enim perfectio definitur &c. opera pretium est igitur vt terrena terræ relinquentes, ac supra corpus humilitatis assurgentes, atq; ad*

C *sublimissimam, ac diuinam charitatis speculam euecti, ita demum ea, quæ aspectum omnem superant, intueamur. nam qui ad summum charitatis verticem peruenit, quodammodo à se excedens, eum, qui cerni non potest, perspicit, atq; corporeæ nubu caligimem mentis luminibus officientem præteruolans, atq; in animæ serenitate constitutus in iustitiæ solem liquidius oculos defigit, tametsi non prorsus huiusmodi spectaculo expleri queat.*

Obseruandū, libenter Dns montes conscendisse præsertim orationis caussa, in illis versatū non rarò; sanè ibi lōgum sermonē habuit Matt. 5. & veluti Euangelicæ doctrinæ fundamenta iecit: *Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. & cū dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis*, vt Luc. habet c. 6. 13. cò se recepit orandi caussa, post miraculū illud, quo quinq; hominum millia paucis panibus satiauit Mat. 14. sedēs in monte Oliueti docuit, ac de aduentu suo disseruit Mat. 24. ibi ter Patrem orauit ea nocte, qua captus est. Mat. 26. in monte vndecim rediuiuus apparuit Mat. 28. ex monte cœlos ascendit, cū in mōte prius suffixus crucimortē pro nobis oppetijsset.

D Pleraq; olim in montibus perfecisse Deum legimus. in montem iussu Dei Abraham, vt filium suū vnigenitum, quē diligebat Isaac offerret, cōtendit Gen. 22. in monte vult Deus offerre sibi Mosē sacrificia, vbi de Egypto populum eduxisset Exo. 3. 12. ibi legē non sine ingēti totius populi admiratione legem dedit Exo. 19. 20. sæpe cum Mose in mōte loquutus est, in monte Hor voluit Eleazarū cōsecrari loco Aaronis Patris eius Nū. 20. se videndū Eliæ in monte Oreb exhibuit 3. Reg. 19. in monte Sion habitare dicitur Dns Psal. 73. 2. Iosue altare Deo in monte Hebal ædificauit Ios. 8. deniq; Salomon in mōte Moria tēplū constituit toto orbe celeberrimū. 2. p. 3. hinc est vt diabolus etiā in mōtib. se coli passim voluerit, vt tanquā Deus adoraretur, vt patet n. 27. 3. Reg. 12. & excelsorū passim fit in scripturis mētio, vbi iuxta gentiū mores idola colebātur. Deut. 2. 2. Cōmunis opinio est, mōtē, in quo trāsfi-

7. *Cur Deo sint transfigurationis montes.*

8. *Orationis præstantia.*

9. *In montibus Christum sequens erat.*

In montibus multa olim Deus.

guratio facta est, Thabor fuisse, de quo in Theoria.

10. *Orationis vis.*

v.2. *Et facta est dum oraret species vultus eius altera*] Orabat credo id, quod reipsa hîc obtinuit, vt discipulis diuinitatis suæ, ac gloriæ visibile spectaculum exhiberetur; semper enim ad patrem retulit, quicquid faciebat. Inter orandum transfiguratur, quia orationis ea vis est & efficacitas, vt hominem in alterum transmutet, & velut splendidũ totum reddat, & candidum. Sic Mosis vultus fulgidus effectus est ex consortio sermonis Dñi. Exod. 34. etenim quasi in Christum crucifixum transformatur, qui in eius imaginem diligenter intendit, dum eius meditatur labores & dolores: ibi exardescit ignis qui & fulget & ardet. hoc Christus nos hic docuit. Sic Euthym. Luc. 9. *orans autem*, inquit, *transformatus est, vt discamus quod oratio transformat, ac illustrat hominem, si fiat quemadmodum oportet. Species vultus eius*] G. εἶδος forma, vel species, hoc est, quod dicunt obscuriùs Matt. & Marc. *transfiguratus est*. quid sit autem transfigurari, quasi declarans, subdit Matth.

v.3. *Et resplenduit facies eius sicut sol*, &c.] nõ ergò immutata sunt eius vultus lineamenta, sed additus tantùm est splendor, & lux; eodemq; modò omninò intelligendus est Luc. cum ait: *facta est, cùm oraret, species vultus eius altera*. Itaq; non figuræ facta est mutatio, sed ea, qua inter homines versabatur obscura, humilis tum faciei, tum corporis species mutata est in alterã, & cœpit splendescere cœlesti quadam pulchritudine.

11. Victor Antioch. Marc. 9. probat hinc Beatos in resurrectione eadem sua effigie, magno tamen cũ decore è mortuis excitandos. D. Hieron. in ea affirmat visum tunc gloria Christũ, qua apparebit ad extremũ iudicij diem. Græca vox μετεμορφώθη trãfigurationem vt & transformationem significat, & vtraque vox vsitata est apud Latinos, quidquid hæretici obganniant. Hinc etiam patet mutationẽ hanc in extima parte corporis fuisse, hoc est, in superficie, non verò ad interiora corporis penetrasse; est. n. figura, vel quod idem hîc est, species, terminus, & extrema quãtitatis qualitas, quã in re hęc Christi claritas differt à claritate Beatorũ corporu, quæ totũ corpus permeabit, atq; inuadet, & efficiet tanquã cristallũ. An verò in facie tantũ fuerit hic splendor, ex theoria pete, vt & alia quædam.

12. *Situs corporis Christi in transfiguratione.*

Si quis quærat, quis situs corporis Christi fuerit tẽpore trãsfiguratiõis? Respõdeo, nihil certi affirmari posse, sed verosimile est, vel genib⁹ fuisse flexis, vel stetisse, & hoc credibilius. nã aliquo modo id ex D. Luc. colligere est, dicit. n. vt hîc habes v.5. *& euigilantes viderunt Maiestatẽ eius, & duos viros stantes cũ eo*, videlicet, stante. numquid stare par erat seruos, & nõ Dñm? surrexisse enim videtur ab oratione Christus, vt cũ Mose, & Elia colloqueretur.

13. *Vbi facta transfig.*

Quod si iterum petas in terra ne facta sit transfiguratio, eiusq; apparitio? Respondeo, verisimilius in terra, quamuis pictores aliter rem describant. etenim statio, ac pedum fixio melius in terra intelligitur, quam in aere.

Inconsutilis tunica.

Vestimenta autem eius facta sunt &c.] Non ergò tantùm extrema vestis, quę oculis patebat, sed omnia eius vestimẽta splẽduerũt, quidquid Abul. Mat. 17. q. 28. velit; ergo etiam inconsutilis tunica, quam Euth. à matre factam & cũ Christi corpore creuisse notat, splẽduit: nec tãta tamẽ claritate vestimẽta, quanta corpus refulsit: quod significat Marc. dũ ait: *& transfiguratus est coram ipsis, & vestimẽta eius facta sunt* &c. vbi τὸ, &, consecutionem quamdam videtur significare, q. d. totus fulgidus apparuit, vnde factum vt & vestimenta alba, & splendentia fuerint. Sic significat Auctor de mirabilibus sacræ Script. l. 3. c. 10. *fortè*, inquit, *vt per carnem diuinitas foris illuxit, sic & caro illuminata per vestimenta radiabat*, idemq; testatur Euth. dum ait: *vestimẽta eius facta sunt candida, diffuso etiam in illa splendore*. ex quibus duo fiunt, & non fuisse tantum vestimentorum, quantus erat corporis splendor, qui principiũ erat, & causa totius splendoris in vestimentis, & eũ fulgorem intrinsecum fuisse corpori Christi, cui natura sua cõueniebat, extrinsecũ vestimẽtis, quib. nõ debebatur tãquã incapacib. omnis beatitudinis.

14. *Tam splendor, quam candor vestium accessit ex corporis fulgore.*

Splendentia & candida] Lux corporis Christi redundabat in eius vestimenta, hinc factum est, vt lucida simul & candida apparerent. Hoc autem efficere potest lux illa supernaturalis Beatorum, vt appareat tanquam candor quidam admixtus splẽdori in corpore aliquo. Sicut & Angeli (quãuis non eiusdẽ cum hac rationis eorũ sit claritas (vt dicam in theor. 2.) in assumpto corpore veluti opacãt lucem, vt vestimenta colorẽ habere videantur. itaq; simul in vestimentis Christi, & splendor erat, & candor apparebat. non tamen propterea sentiendũ est aliquid aliud in vestimentis Christi fuisse præter lucẽ ex Christi corpore resultãtem, quæ in modum coloris cãdidi simul, & splẽdoris apparebat. Dicuntur. n. vestimenta eius à Marco *splendẽtia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere*. Mat. habet: *vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix*, quamuis Gr. habeatur, ὡς τὸ φῶς. interpres verò videtur legisse, ὡσχιὼν vt est apud Marcum. Lucas verò habet: *vestitus eius albus, & refulgens*, pro *refulgens* habet Lucas G. ἐξαστράπτων, quasi dicas, *effulgurãs*, id est, emicãs. quare non est meo iudicio dubitandum, candorem fuisse in vestimentis simul cum splendore, quorum vtrũq; in rebus coloratis est interdum videre. Putat Cardinalis Caiet. candorem vestium ex splendore corporis emanasse, cp quãuis reijciat Barrad. nam splendor, inquit, splendorẽ parit non candorem, & propterea putet tã splẽdorem illum, quam candorem Christi vestibus miraculo tunc esse datũ, neq; totum à corporis fulgore profectum, verosimilior tamen mihi videtur Caiet. sententia: nã splẽdor seu lux à corpore Christi dimanans vtrumque efficiebat, vt enim recipiebatur in superficie vestimẽtorum (corporalis enim erat, non spiritualis) per modum coloris, & candoris apparebat.

15. *Vestes Christi non amisere colorem suum.*

Nec est necesse fateri mutatũ fuisse vestimentorum Christi colorem, idem. n. mansit, esto niger fuerit. nec quidquã valet ratio Abul. Mat. 17. q. 42. quod lux per opacũ corpus nequeat transire. nam inprimis hæc lux alterius erat rationis à nostra, & ab ea qua Moysis olim facies fulgebat; maxima itẽ erat, quare non mirum si ad extremã vestem splendor à corpore ipso diffusus, per medias transierit vestiũ partes. deinde ad splendorẽ extremæ vestis, & partium interni vestimenti, quæ fortè exstabant, satis erat splendor faciei, & manuũ (saltem quantũ ad anteriorem partem vestis) quamuis à reliquo corpore non diminasset fulgor. neq; illud placet quod videtur Abul. probare q. 46. alba fuisse vestimenta Christi ante transfigurationem, & ideò tantùm fuisse auctum colorem in transfiguratione.

16. *Omnes vestes splendore, & candore donatæ fuere, non extima tantùm, multa tamen transparent, vel perspicua.*

Est hic quorũdam opinio, nomine *vestimentorũ* accipiendam esse tantùm extimam Christi vestem, eam videlicet vnã, quæ in intuentiũ oculos primũ incurrebat, vestimẽta aũt dici more scripturę, quo numerus pluralis ponitur pro singulari, sed nõ est necesse eò cõfugere, nã verosimile erat partes aliquas interioris vestis etiã oculis expositas fuisse. nõ ergo sola vestis externa fulgebat, sed saltẽ etiã aliquæ partes interiorum vestimentorũ. Itaq; dicendum censeo per intermedias vestes splendorẽ ad extremã peruenisse, quã etiã verisimile est splẽdorem accepisse à manibus, & facie saltẽ à parte anteriori, quã manus & facies spectabãt: nõ tamẽ est necesse dicere fuisse vestes omnes perspicuas seu

transpa-

transparentes factas, solùm enim quod de vestibus oculis exterius expositum erat, visebatur, non corpus, non lacentes vestium partes. & quamuis lux intimas ac absconditas vestium partes penetrarit, vt ignis lux totum permeat carbonem ignitum, non tamen interiores vestium partes apparebant, sed sola superficies vestis extimæ candebat, & apparebat.

17. Sed cur, inquiet aliquis, etiam vestes albæ effulgentes factæ sunt? Respondeo, quia vt eius corporis claritas repræsentabat eius futuram claritatem, ita vestium candor fulgens, venturam significabat illam sanctorum claritatem, quæ tamen à Christo claritate excedetur, vt candor niuis collucentis à fulgore solis.

18. 4. *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias*] Cur hos voluerit adesse, dicam in theor. 3. quando de vtroque teste agam. *Visi in maiestate*] Gr. ὀφθέντες ἐν δόξῃ, hoc est, qui visi in gloria scilicet, discipulis. ergo maiestatem vocat glorioſum illum splẽdorem. Sed vnde iste splendor? Probabile quidẽ est, vt ex Christi corpore in vestimenta dimanarit fulgor, ita eumdem & Mosem, & Eliam collustrasse. Verùm mihi credibilius videtur proprio illos fulgore conspicuos, & glorioſos apparuisse, non qui ex anima redundarit, vt in Beatis fit: neque enim adhuc beatitudinem indepti erant: sed quem Dei virtus effecerit. & hoc mihi videntur indicare verba illa: *nisi in maiestate*, seu gloria. Hinc colligo glorioſos apparuisse, vt in se ipsis Beatorũ gloriam corporum, & splendoris dotem referrẽt, simulq; ostenderent, similes nos esse futuros Christo in gloria. Quod si ex Christi fulgore tantùm lucebant, non ipsorum propriè fuisset gloria, sed Christi tantùm, eidemq; soli tribuenda. At Lucas ipsosmet glorioſos nominat, dum visos asserit in gloria. Præterea cur non etiam ad Apostolos peruenisset gloria Christi? An quia remotiores erant? At nõ id indicãt Euangelistæ, qui D. Petrũ loquutũ cum Christo fuisse scribunt; imò & audisse etiam significant, quod de excessu viri illi loquerentur cũ Iesu; saltem imperfectè id perceperunt Apostoli, neq; enim statim ac expergefacti sunt, verosimile est desijsse illos colloqui cum Christo, sed paulò post discessum parasse credibilius est, mutua iam collocutione absoluta, quãuis ad hãc rationem respõderi potest, fuisse in potestate Christi vt sui corporis fulgore eos tantũ afficeret, quos ipse vellet.

Vnde Mosis & Elię fulgor. ortum habuit.

19. Adhæc neque nubes lucida, vt verosimilius videtur, ex participato Christi fulgore fuit, sed alia diuersę rationis luce fulsisse eam crediderim. quod si verum est multo minus probabile est corpora Mosis, & Eliæ Christi dumtaxat luce participasse. Hæc opinio consentanea verbis Tertul. lib. contra March. c. 22. dicentis: *in consortio claritatis, quod dignationis est & gratiæ exemplum, visos fuisse Mosem & Eliam.* idem significat Damasc. orat. de transfig. dum dicit: *oportebat siquidem ipsis* (Discipulis) *cõseruorum suorum ac Dei famulorum gloria, animiq; fiducia conspecta, Domini benignitatem, atque indulgentiam admirari, atque Zelum inde maiorem concipere, & ad suscipienda certamina confirmari*, adde Epiph. etiam hæres. 42. eidem sententiæ subscripsisse videri, cùm dicit: *Christum duxisse secũ in propria sua gloria Mosem & Eliã, & ostendisse Discipulis, quo ipsos cohæredes sui regni ostẽderet*, omitto Orig. hom. 12. in Exod. vbi idẽ significat. Hæc aũt omnia non ita verè & propriè dicerentur, si verè Moyses & Elias sua in gloria non essent visi cum Christo.

Chryſoſtomi opinio.

20. Cæterùm non negauerim contrariam opinionẽ sua non carere probabilitate, in quam magis propendet doctissimus Franciscus Suarez to. 2. disp. 31. sect. 2. sub finem, eamq; confirmat auctoritate Tertull. loc. cit. vbi de Mose loquens ait: *stetisse cum*

Opinio contraria probabilis etiam.

A *Christo os ad os, & facie ad faciem, & in gloria ipsius ne dum in conspectu, de qua*, inquit, *gloria non aliter illustratus discessit à Christo, quam solebat à Creatore*, quamuis responderi posset, significasse his verbis Tertull. concessum fuisse Moysi, vt sic fulgeret dono Christi, atq; adeò à Christo discessisse illustratũ, sicut solebat à Creatore, vt comparatio sit non in modo illustrationis, sed in ipsa vniuersim illustratione. Nec refert Mosem & Eliam secundùm animam non fuisse Beatos, quia hic illorum splendor tantùm eò spectabat, vt significaret gloriam Beatorum. Non dicuntur aũt transfigurati, sicut Christus, tũ quod illorum gloria longè inferior erat gloria Christi, tum quod Christus viuebat adhuc, & inter ipsos Apostolos versabatur sine gloria. At Moses mortuus erat, Elias iam ante multos annos raptus, in aliũ locũ seorsim à cõmuni cæterorum hominum consuetudine translatus erat. & ideo de illis tantùm dicitur, apparuisse in gloria.

B *Et dicebant excessum eius*] Gr. ἔλεγον τὴν ἔξοδον αὐτοῦ, id est, dicebant *exitũ eius*, hoc est, mortẽ. Itaq; idẽ excessus, qꝫ exit⁹; mors. n. q̃ est exit⁹ ex hac vita, dicitur excessus, quia per mortẽ ex hac vita excedimus. Loquebãtur ergò qualiter per crucẽ ex hac vita excessurus erat: atq; adeò ad moralem sensum pertinet, quod quidã vt Lyran. ad excessum charitatis, & demissionis Christi hanc vocẽ referãt, propterea verò de cruce & morte loqui voluit, vt doceret ea, quæ de sua morte discipulis prædixerat, iã ante à Deo definita fuisse, & à Prophetis prædicta, eaq; illis satis perspecta fuisse. Deinde vt ea cõfirmaret magis tantorum Prophetarum testimonio. Ad hoc docere voluit per crucem veniendum ad gloriam, & per suam mortem nobis aditum ad vitam illam omnis gaudij, & lætitiæ plenissimam aperiendum esse; docuit etiam nos mortis meditationem lætis rebus miscere, id qꝫ est buccellã in aceto intingere.

21. *Exitus & excessus quid?*

C 5. *Petrus verò, & qui cum illo erant grauati erant somno*] Hic mihi clarè videor colligere, nocturno tempore Christum transfiguratum esse. Nec mirum; noctu enim Dominus montium conscendebat culmina ad orandum, sicut fecit cùm pauisset quinque hominum millia; & dum per hebdomadæ sanctæ dies de Ierusalem in montem Olueti se recipiebat, vbi etiam orauit in horto ea, qua captus est nocte. Nec satis est dicere ex fulgore nimio in somnũ incidisse discipulos, vt videtur hom. 57. Chrysost. & qui illum sequuntur significare, quasi ob virium resolutionem à visu illo profectam, inciderint in soporem. atqui antequam esset fulgor, somno se dederunt, vt ex historia ipsa non difficilè est intelligere, quam Euangelistæ narrãt, præsertim Lucas, dicit enim Christum transfiguratum visum esse ab Apostolis dispulso somno euigilantibus. Idem etiã persuaderi potest ex verbis Lucæ cap. 8. sequenti harum dilucidationum, vbi narratur Christus sequenti die ex monte descendisse.

22. *Noctu actidit transfiguratio.*

D igitur per noctem in monte fuerat. quamuis aliud videatur D. Chrysost. Euthym. & D. Ephrem. idem sequitur; neque huic opinationi quidquam officit, quod dicatur, nubem obumbrasse eos, quasi id sine solari luce fieri non potuerit. est namque nubem obumbrasse, nihil aliud, quam aspectum Christi, & testium sustulisse ob sui densitatem, nam densitas in causa erat vt nubes lucidior esset, atq; adeò illustraret illos, & densitate simul, ac luce faceret vt Discipuli Christum cernere non possent: seu, vt semel dicam, obumbrare idem est ac tegere in modum vmbraculi, & tegendo suam dẽsitate aspectũ aliquorum tollere; vide etiam inferius nu. 28. nec deerat ea nocte fulgor, quamuis solaris non adesset. Deniq; in tempus nocturnum rectè quadrat transfiguratio, tantò enim magis splendor ille cernebatur, & admirabilior apparebat.

Quid sit obumbrare.

Digitized by Google

23. *Quid moraliter sopor insinuet,*

Somnus Discipulorum significat (quod ad mores attinet) præpediri homines à cælestium bonorum contemplatione, à suaui gustu supernæ beatitatis, propterea quod dormiant, ac si semel euigilauerint, & in animum induxerint oculos in altum tollere, tunc videbunt Christi gloriam, tunc flúxarum rerum studijs renuntiabút, & præ Christo, ac cœlestium rerum desiderio tanquam stercora esse omnia putabunt, & despicient. Sic factũ cum Discipulis vbi euigilarunt. Aliud etiam sopor iste significat, mortem videlicet: & tum demum euigilabimus, vbi semel mortui fuerimus, per resurrectionem ad gloriam introducendi, *& sic sẽper cum Domino erimus.*

24. *6. Et factum est cum discederent ab illo)* Mat. habet. *Respondens autem Petrus*, sicut & Marcus. Luc. verò ait: *& factum est cùm discederent*, id est, cum discedere pararent, nec dũ omnino abijssent: Syrus habet: *cum cœpissent discedere.* Hoc est, pararét abitum, valedicéres videlicet. Apostoli enim experge facti timuerunt quidem initio viso tam insolito lumine, & visis conspectis derepentè nouis, & iãdiu ab hominum conspectu semotis, sed rerum pulchritudine oblectati, tantisper aspexerunt, donec finito sermone quem testes cùm CHRISTO miscebant, vnde discessum pararent, tum loquutus est Petrus, quo illos retineret, nolens tam pulchro ac suaui conspectu priuari, & hac occasione insinuati discessus protulit illa: *Domine bonum est*, id est iucundum, *nos hic esse*, idcircò ne patiare hos abire. *Tria tabernacula*] Solus Petrus vt familiarior loquitur, sic Matt. 16. 22. & cap. 19. 27. & cap. 26. 33. Ioann. 6. 69. Porrò tabernaculorum meminit, quod fœlicitatem, quam ex Christi, & testium intuitu capiebat, voluerit esse perennem.

Nesciens quid diceret] Intelligebat quidem Petrus suorum verborum sensum, qui præ dulcedine tantæ gloriæ ea protulit. Sed nescisse dicitur, quid diceret eodem modo, quo nec Iacobus, nec Ioannes sciebant quid peterent, dum ante bellum coronari postulabant per matrem. nesciebat ergo Petrus quid diceret, quia nec Christo, nec Mosi, nec Eliæ opus erat tabernaculo, nec beatitudo hæc sola quærenda erat, nec diu in monte manendum, nec relinquenda mundi redemptio, nec reliqui discipuli ad montis radicem finendi erant, vel obliuioni tradendi, denique laborandum, moriendum prius erat.

25. *Quanta cœlestis voluptas.*

Hinc disce quanta erit illa cœlestis beatitudo, si Petrus vel leuiter eam delibans, adeo extra se factus fuit, vt quid diceret, planè nesciret, omnium oblitus; exclamare libet; *quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Psal. 83. 1. Hinc meritò Basilius. *Pulchritudo*, inquit, *diuina vbi semel humanæ affulsit animæ, cætera omnia, quæ diligebantur turpia esse conspiciuntur.* Verè Petrus nesciebat quid diceret, quia in terris domos ædificare cogitabat, cùm tamen in cœlis potiùs fugenda tabernacula sint, quare danda opera est, vt per bonas operationes domos nobis magnificas, & excelsa palatia construamus. Rectè enim Chrysostomus homilia 55. in Ioannem: *ædificant*, ait, *domum in cœlo manus pauperum*, immò pro pecunia, quam largiris pauper, ex auro tibi mansionem construis in cœlo. Lege Gregorium 4. Dialog. capit. 36.

In cœlis ædificanda tabernacula.

Erant enim timore exterriti] timor ipse in caussa fuit, vt Petrus parum considerate loqueretur; nec sola tamen huius rei timor caussa fuit, sed etiam admirandi visus dulcedo, quam

A reuerenter, ac timidè spectabant: deficit enim mens supernarum rerum maiestate, & cœlestium personarum aspectu suspensa. Peciſſe ergo videtur timor vt Petrus minus, quàm par erat dulci præsertim illo visu attractus considerate perspexerit, quænam illa essent, quæ postulabant, & quantum ad rem tunc facerent. Nec propterea peccauit ille, sed affectum potiùs sanctæ cuiusdam deuotionis declarauit, dum promptam suam operam exhibet construendis tabernaculis, quibus Dominus & Prophetæ illi recipiantur. Sic Ambrosius. quin etiam amoris affectum indicat Petrus, dum illorum præsentia priuari timet. Chrysostomus homil. 57. in Matthæum mouet hanc partem huius vers. 6. qua dicitur Petrus nescisse quid diceret, non esse dictam à Matth. sed à Marc. & Luc. Sic Euthymius in Matthæum 17. Theophylactus & Damascenus.

B Roget hic aliquis, vnde cognouerint discipuli Mosem & Eliam? Respondeo vel ex spiritu vt Tertull. voluit contra Marchio. 22. hoc est, per internam illustrationem; vel ex colloquio, nam fortè alter alterum nominabat, dum vicissim loquerentur, vel ex aliqua re seu signo, quod illos repræsentabat, puta ex tabulis legis, vel cornuta facie, aut ex zona pellicea.

26. *Vnde cognouit Mosen, & Eliam.*

27. *Vnde nubes, & eius vsus.*

7. A. *Adhuc eo loquente ecce nubes*] Angelorum opera hæc facta videtur nubes ex naturali materia, nec eodem loco vbi visa est, efformatam arbitror, sed per Angelos tamen in inferum à superò loco esse delatam, ita vt inuaderet Christum, & fortè Apostolos. equidem abijsse, interim dum illa loqueretur Petrus Mosem & Eliam opinor, ita vt Christum solum tunc adfuisse non omninò obscurum fuerit discipulis qui viderant prius testes paratæ discessum, C quod ex aliquibus verbis colligere poterant, quibus vt solet fieri Christo valedicebant, salutantes eum perhonorificè. Et quidem arbitror tunc illos abijsse, cùm nubes ab alto ad terram delapsa, testes ipsos Mosem & Eliam etiam inuoluerat, ita vt intelligere potuerint Apostoli non obscurè recessisse illos, hoc enim significant verba illa Luc. *Et factum est, cùm discederent ab illo.* Porrò hæc nubes ad Christi gloriam ostendendam, qua ad iudicandum venturus est in nubibus ad superni quoque numinis maiestatem indicandam, & Spiritus sancti præsentiam adfuit. Solet enim nubes Dei cum hominibus agentis familiarius, sedes esse, Exhod. 16. 10. & 40. 32. 33. 34. 35. 36. num. 11. 25. tanquam è cœlo summa eius sede, vbi lucem inhabitat inaccessibilem, ad nubes vsque se demittat, quia nequit homo imbecillis maioris illius lucis splendorem ferre. Hinc Dauid nubem vocat *ascensum*, D seu vehiculum Dei Psalm. 103. 3. 106. tentorium seu tabernaculum Dei c. 36. 29. iterum non præsentiã Dei solum, sed & maiestatem indicat, nubes, & efficientiam, & virtutem, Psal. 67. 35. & 88. 7. Adfuit demùm nubes, vt cum minori admiratione Apostolorum deponeret Christus splendorem vultus, vestiumque claritatem. Decebat verò, vt sicut Apostoli non viderant Dominum assumentem eam gloriam, ita neque illam deponentem cernerent. eodem modo vt testes non sunt visi ad Dominum accedere, ita par erat, vt nec discedere viderentur. vt verò olim Moysi loquutus est Deus per nubem Exod. 19. 9. *veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentẽ*, ita & nunc factũ.

28. *Nubis officium.*

Obumbrauit eos. & timuerunt intrantibus illa in nubem] Duplex officium huius nubis indicatur, obumbrationis & receptionis. Est autem obumbrare, Christum, eiusque testes ex intuentium

Apostolorum oculis eripuisse, & ne amplius vi-
derentur impediuisse, siue se mediam inter Apo-
stolos, atque illos constituerit, siue ipsos etiam
Apostolos inuoluerit, vt quidam censent. ingre-
di verò nubem significat initium obumbratio-
nis, & quod nubes ipsa ab alto delata viros il-
los in se susceperit, & quasi complexa fuerit.
est autem credibile in ipso nubis ingressu re-
cessisse testes. Cæterùm cùm Lucas ait: *intrantibus illis in nubem*, intelligi potest loqui
de Apostolis, Christo, & testibus, sed incredi-
bilius est intellexisse cum Christo solos testes qui
eidem Christo aderant, quamuis statim ij recce-
serint vt nubem sunt ingressi. Vt enim in bapti-
mo cœlum super Christum ipsum apertum est,
& inde descendit Columba, seditque super eum,
& vox ex eodem cœli ostio exaudita est super
eumdem Christum; ita nunc & hæc visio tota
super Christum facta videtur; atque adeò & vox,
& nubes super ipsum facta est, non super Apo-
stolos, præsertim cùm Pater per vocem, & Spi-
ritus sanctus per nubem indicetur; & rectè, nam
vt in baptismo interfuit Spiritus sanctus Co-
lumbæ specie, vt significaretur prima regenera-
tio, quæ per baptismum fit, in quo Spiritu re-
nascimur; ita & in transfiguratione, quæ se-
cundam innuebat regenerationem, quæ fiet per
resurrectionem, præsens verò sub nube Spi-
ritus sanctus. Et meritò per nubem signi-
ficatur, nam ab æstu vitiorum non obtegit
& defendit, & leni cœlestium voluptatum
aura recreat, ac suaui donorum spiritualium,
vel etiam lachrymarum imbre nos fœcun
dat.

Apostolos non esse ingressos nubē auctor censet.

29. 8. *Et ecce vox de nube*] Dum facta est vox,
censeo non interfuisse testes. Nam non video
alioqui, cur Luc. illos ante vocem quasi di-
scedentes descripsisset, si enim reuera discede-
re nolebant, quorsum se discedere velle osten-
derunt? deinde propterea verosimile est discessisse, dum vox fieret, vel paulò ante vt testi-
monium Patris de solo CHRISTO tanto cla-
rius intelligeretur esse dictum, & solùm eum
esse vocatum filium, & supra illum tantùm vi-
sionem illam esse factam, & propterea fortas-
sis videntibus Apostolis discedere se testes prius
indicauerant, nec contrarium mihi significare
videtur Tertullianus libr. 4. contra Marchion.
capit. 22. cùm ait: *Etsi facta sit translatio audi-
tionis à Moyse, & Elia in CHRISTO sed non
vt ab alio DEO, nec ad alium CHRISTVM,
sed à Creatore in CHRISTVM eius*, vt solum
relinqui CHRISTVM declararent, *atque ad
eò tantùm ad eum vocem & visionem pertinuisse se-
cundùm deceßionem veteris, & succeßionem noui
testamenti* &c. *Tradidit igitur Pater Filio disci-
pulos nouos, ostensis prius cum illo Moyse & Elia
in claritatis prærogatiua, atque ita dimißis, quasi
iam officio & honore dißunctis*, id est, perfunctis.
Hæc ratio Tertullian. multò magis habet locum,
si dicamus recessisse Mosem & Eliam ante factam
vocem. nam rectius sic ostenditur verus Magister
Christus & Doctor cum nouis discipulis Euan-
gelij, Mose & Elia cedentibus. neque Epiphan.
hær. 42. confutat. 17. quidquam habet contra nos,
sed fauet potiùs. Quod si dicas Mosem testem
fuisse cum Elia, ergò debuerunt non recedere,
nisi absoluta visione. Respondeo illos dici te-
stes, quia cùm Christi latus hinc inde cingerent,
sic satis eius dignitatem indicabant, itemque quia
collocutione illa cum Christo testabantur futu-
ram Christi mortem per Crucem, sicut olim præ-
dictum fuerat, neque alio opus fuit testimonio.
Hæc porrò opinio est Chrysostom. homil. 58. in

Dum fieret vox, non interfuisse Mosem, & Eliam probabilius.

Moses & Elias quomodo testes.

A Matthæum, & Ambros. in Lucam. Licet in aliam
abierit sententiam Cardinal. Toletus annotat. 83.

Hic est] τὸ, *hic*, indicat personam vnitam humanæ naturæ, atque adeò subiectæ sensibus, quæ demonstrari possit. habet enim duas naturas Christus, diuinam, qua consubstantialis est Patri, & humanam, qua nobis. Habet autem vox, *hic* Emphasim ex Ambrosio & Hieronymo, quasi dicat, non Moses, non Elias, sed, *hic est filius meus*. Illi serui, hic filius. *Filius*] non de natura, sed de persona diuina dicitur *filius*: propterea non duo, sed vnus est filius Dei Christus, nec adoptionis, sed naturalis. *Meus*] per consubstantialitatem, non per possessionem, aut amorem, immò non vtcumque consubstantialis est Patri, sed eiusdem planè substantiæ cum illo. an verò possit dici filius adoptionis in theoria dicemus.

30. *Vnus Dei filius.*

B *Dilectus*] G. ὁ ἀγαπητὸς, sic habent omnes Euangelistæ, & legitur cum articulo, ad notandam dilectionis singularitatem. Ideo Marcus, vel eius interpres, *carissimum* dixit, vt exprimeret vim singularis dilectionis, quam per articulū diximus exprimi. G. D. Damascen. orat. de transfigurat. Domini. *Hic est*, inquit, *filius meus, ille, inquam, gloriæ meæ splendor, ille substantiæ meæ character: per quem Angelos etiam feci, per quem cœlum fundatum est, ac stabilita terra, qui fert omnia verbo virtutis suæ, & spiritu oris sui, hoc est, per spiritum vitæ auctorem, ac principalem.*

In quo mihi benè complacui] G. ἐν ᾧ εὐδόκησα, id est, in quo placui, siue benè complacui: noster interpres dandi casum addit. Solet autem vertere vocem Græcam εὐδοκία beneplacitum, vt Ephes. 1. 9. vel bonam voluntatem. Lucæ 2. 14. Itemque & εὐδοκεῖν, quomodo septuaginta vocem hebræam passim vertunt G. vertit & ipse, sibi complacere. Vox autem hebræa vt Maldonat. doctè notat Matth. 3. sub finem, multa significat, inter alia placari, reconciliari, in gratiam redire, & hoc modo hic sumitur, vt sit sensus, non solùm quem vnicè amaui, & quo valdè delector, & in quo cõquiesco, sed in quo, id est, per quem placatus & reconciliatus sum mundo, hoc est, placari, & reconciliari decreui, in quem cũ intueor omnem iram, & offensionem pono; sic autem dictum est à Patre, vt tanto libentiùs ab hominibus reciperetur, & audiretur vt præceptor. Alludere videtur ad prophetiam Isaiæ 42. 1. *ecce seruus meus suscipiam eum; electus meus complacuit sibi in eo anima mea*. Consule quæ diximus libr. 2. dilucidation. libr. 2. cap. 2. schol. numer. 26.

31.

C

Ipsum audite] Hinc colligere licet discrimen
inter hoc testimonium, vt hîc prolatum & vt in
D baptismo. Ibi in baptismo ostensum est Chri-
stum esse eum, per quem mundus erat Deo recon-
ciliandus, & in Dei filium cooptandus, quę baptis-
mi efficacitas est. at hîc eodem testimonio osten-
ditur Christus, vt præceptor omnium cui obau
dire oporteat, & ideo dicitur hic, & non ibi,
ipsum audite, inquit Damasc. loco citato, *qui enim
hunc suscipit, me suscipit, qui eum non herili aucto-
ritate, sed paterno modo misi. Vt enim homo mitti-
tur, vt autem Deus, in me manet, & ego in eo, qui vni-
genitum meum filium non honorat, me Patrem non
honorat, qui misi eum. Ipsum audite. Habet e-
nim æternæ vitæ verba. Hic est non seruus, aut lega-
tus, aut Angelus, sed filius meus dilectus, ipsum au-
dite.*

32. *Differentia inter hanc vocem patris vt hic, & vt in baptismo pronunciatam.*

Vox hæc Patris fuit, quia in eius persona
prolata est, alioquin Angelis auctoribus exsti-
tit, nec Deus Pater eius auctor, & Architectus

33. *Vocem hanc quis effor-marit.*

fuit.

fuit. quemadmodum vocare solemus Imperatoris imaginem, non quia ab imperatore sit picta, sed quod eius repræsentet personam. itaque Angelus huius efformator vocis non in sua, sed in Dei Patris persona loquitur. quamuis probabile etiam sit à tota trinitate fuisse formatam. vt Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 21. de simili voce in baptismo testatur. lege D. Th. 3. par. q. 39. a. 8. ad 2. facta est autem non extra nubem, cùm dicatur: *& ecce vox de nube*, hoc est de suprema eius parte.

34. 9. *Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam*] Phrasis est hebræa significans præ timore procidere; neque enim Euangelistæ per hoc significare voluerunt ipsos adorabundos procidisse. *Amb.* Licet D. Amb. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. putet non sine probabilitate illos adorabundos etiam procidisse: *putasne*, inquit, *illos vel cùm prociderent adorasse cùm fulgorem diuini luminis corporalibus oculis sustinere non possent, & splendor lucis æternæ aciem visus mortalis obduceret? aut quid aliud tunc temporis dixerunt illi videntes gloriam eius, nisi: venite adoremus, & procidamus ante eum?* itaque quamuis hebræa phrasis id quod diximus significet, non excludit tamen quo minus etiam ipsos Apostolos adorabundos procidisse credamus. Chrysost. etiam. hom. 57. in Matth. *ceciderunt*, inquit, *tremente simul atque adorantes*. *Triplex timor in discipulis.* *Timuerunt valdè*] Triplicem timorem in hac historia notare est. Primus fuit vbi expergefacti sunt discipuli, qui indicatur v. 6. iterum timuerunt, & magis quidem post nubem lucidam intrantibus illis in nubem v. 7. hic. Maximus verò timor habetur hoc loco v. 9. *& timuerunt valdè*. Sed quæ causæ timoris? videntur mihi ad quattuor reuocari posse. causa primi timoris fuit insolitos homines, & vel ex mortuis, vel ex loco incognito conspicari. Iterum Christi Maiestas, & eorum, qui ipsi aderant, testium. Sequentis timoris causa fuisse videtur introitus Christi, & testium in nubem lucidam, terræque adhærentem. Poterant enim cogitare Chrystum cum Moyse, & Elia recessisse; vel certè cùm illum non viderent quasi soli inter densam nubem, seu potiùs interposita nube sibi timuerunt; adhæc Dei etiam præsentia territi sunt, seu gloriæ tantæ maiestate. Postremi ac maximi timoris fuit Patris vox de nube irrumpens. quis enim Dei vocem non timeat? timuit Adam; *audiui*, inquit, *vocem tuam & timui*. *Leo rugiet, quis non pauebit? humana fragilitas*, inquit Hieron. *conspectum maioris gloriæ ferre non sustinet, ac toto animo & corpore cõtremiscens ad terram cadit.*

35. Sed cur timuêre hîc Apostoli, non timuerunt turbæ audita voce simili in baptismo, & nec Ioan. 12. cùm dicebant, *tonitru factum esse*? Respondet Chrysost. hom. 57. in Matth. 17. quoniam solitudo, & altitudo montis ingens, & transformatio plena horroris, lux fulgentissima, profunda nubes, & latior, hæc omnia magnum vndiq; illis pauorem inferebant, addere possumus, Dei id factum prouidentia, vt hic ita timerent. Decebat enim vt eum, quem illis dabat in præceptorem, ita reuererentur, vt & amarent, & timerent.

36. 10. *Et dum fieret vox*] Enallage temporis, hoc est, facta iam voce. quamquam sunt, qui dicant significatum esse per hæc verba, non interfuisse testes, ita vt interim dum verè fiebat, vox fuerit, ibi Iesus solus, quod videtur Theophylact. affirmare Luc. 9. dum sic ait: *Inuentus est Iesus solus, vt ne quis putet, quod hic est filius meus; de Moyse, vel Elia dictum sit.* vt intelligatur facta iam voce solum Iesum statim ferè ab attollentibus oculos discipulis inuentum esse. Licet verum sit non interfuisse voci duos illos testes. Sed melior est, seu verior prior interpretatio. eodem modo loquutus est

A Luc. cap. 11. 37. *& cùm loqueretur, rogauit quidam Pharisæus*, vbi cùm loqueretur, positum est, pro, cùm locutus esset, seu loqui desijt.

Inuentus est Iesus solus] non quidem statim facta voce, sed vbi prius dulcibus Christi verbis, & viuifico tactu (erat enim caro illa sanctissima confortans, & viuificans, quippè dignissimum diuinitatis instrumentum) animati essent. ergò cùm surrexissent, atque in altum oculos sustulissent, tunc factum est, quod ait Lucas, vt declarat Marc. v. 12. hîc: *& statim circumspicientes*, circumspexerunt enim primum, si quid fortè viderent, vel fulgentem nubem, vel glorioſos illos viros, vel splendorem, vel Patris aliquam imaginem, vel quid simile. Verùm *neminem amplius viderunt nisi Iesum tantum secum*. Sic igitur construe verba Luc. *dum fieret vox, inuentus est*, nimirum ab illis circumspicientibus, *Iesus solus*, hoc est, inuentus est Iesus in priorem formam restitutus, depositâ claritate, sine testi- B bus, nube, & signo vllo Patris. & hoc significat etiam Marc. vt hic habes. v. 12. dum ait: *neminem amplius viderunt*, indicat enim τὸ *amplius* quod vidisset Apostoli prius glorioſos illos viros &c. at postea nihil huiusmodi, sed Iesum solum. Ambrof. *Amb.* lib. 7. in Luc. *Dum tres*, inquit, *essent, vnus est factus, tres in principio videntur, vnus in fine. perfecta enim fide vnum sunt. Denique hoc etiam Dominus Patrem orat, vt omnes vnum simus. nec solus Moyses, & Elias in Christo vnum sunt, sed etiam nos vnum corpus sumus Christi. ergo & illi tanquam in vno corpore reijciuntur in Christi corpus, quia & nos vnum erimus in Christo Iesu. Aut fortassis, quia lex & Prophetæ ex verbo: quæ autem ex verbo cœperunt, in verbo desinunt. Finis enim legis est Christus, ad iustitiam omni credenti.* Theophyl. Luc. 9. *fortassis*, inquit, *etiam hoc significat*, nimirum quod dictum est, inuentum esse Iesum solum, *quod vsque ad tempus quoddam apparebant lex & Prophetæ, sicut & hoc loco Moyses & Elias; deinde solus Christus, præteritis illis apparuit; nunc enim Euangelium seruatur, legalibus abolitis.* C

11. *Nolite timere*] ad nouam enim legem pertinet illud Apost. Rom. 9. *non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Timor enim initium fit amoris Dei, & in amorem denique conuertitur. 37.

13. A. *Et descendentibus illis præcepit Iesus, dicens: neminî dixeritis* &c.] Alterum relatiuum abûdat ex phrasi hebræa, latinè; diceremus, *& descendentibus illis de monte, præcepit.* Cur præcepit ne cui dicerent? Respondent Chrysost. hom. 58. in Matth. & Euthym. huic obiectioni, vide illos. Vera ratio mihi illa videtur; quia si qui audissent eius gloriâ, vel voce Patris Dei filium esse prædicatum, naturalem, ac verum, vel non credidissent, neq; enim adhuc satis apti ad id videbantur, vel magis inuidiæ D stimulis exstimulati fuissent, vel cùm postea in crucem actum vidissent, impositum sibi putassent ab ijs, qui eum pro Dei filio illis vendidissent, ac semel conceptam fidem illico abiecissent. Vide doctè hanc rationem explicantem Maldon. Matt. 16. 20. fuit autem à Christo præceptum non tantum vt hi qui viderant cæteris non vulgarent, qui Apostoli non erant; sed ne ipsis etiam Apostolis visum aperirent, idque ne mœroris illis & inuidiæ causam subministrarent, quod absentes fuissent. Seruarunt tres Christi præceptum per eos dies, hoc est, per totum passionis tempus ante resurrectionem; nam post illam tunc vulgandum erat Euangelium; tantum inter se conquisierunt, quod habet Marc. συνητοῦντες *inter se mutuò quærentes, disceptantesve, quid esset donec filius hominis à mortuis resurgat*, neque enim adhuc ea quæ de sua cruce, ac re-

surrectione prædixerat Christus, benè tenebant: vt habes v. 14. vbi per hebraismum dictum est, *in illis diebus*] pro, per id tempus, ante resurrectionem Iesu.

19. Cur interrogarunt Apostoli de Elia aduentu.

15. *Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam* &c.] Difficile est veram assignare causam, cur id interrogarint Apostoli. Hieronym. Matth. 17. respondet: quia putabant iam Christum in gloria venisse: *traditio*, inquit, *Pharisæorum est, iuxta Malach. Proph. quod Elias veniat ante aduentum Saluatoris.* &c. *æstimant ergo discipuli transformationem gloriæ hanc esse, quam in monte viderant; & dicunt si iam venisti in gloria, quomodo præcursor tuus non apparet? maximè quia Eliam viderant recessisse. quando autem adijciunt Scribæ dicunt: quod Eliam oporteat primum venire, primum dicendo, ostendunt, quod nisi Elias venerit, non sit secundum scripturas Saluatoris aduentus.* Iansen. & hanc etiam notat caussam huius interrogationis, quia cùm iam certissimi factiessent, quod ipse esset Christus, admirabantur, quomodo Scribæ, hoc est, legisperiti è scripturis docerent Eliam, debere venire priusquam veniret Christus, & hanc caussam indicare videtur Chrysostom. hom. 58. in Matth. & videtur bona. Barrad. credit visionem Eliæ in monte huius rei interrogandæ fuisse caussam, cùm enim discipuli Eliam vidissent in monte Thabor, meminerunt doctrinæ quam à Scribis hauserant, videlicet, Eliam ante Messiam esse venturum; ideo interrogant: Domine Elias non venit ante te, sed tantum tecum in gloria apparuit, mox verò recessit, quomodo ergo dicunt legisperiti, quod oporteat Eliam Messiam præcedere? Maldon. opinatur ex proximis Christi verbis: *donec filius hominis à mortuis resurgat*, occasionem sumpsisse id interrogandi: quia igitur putabant Christi aduentum instare, videbantque Eliam nondum venisse, saltem eo modo, quo dicebatur venturus (in transfiguratione enim potiùs apparuit, quam venit) interrogant quomodo Scribæ dicant, ante eius aduentum Eliam esse venturum. Eligat lector quam malit opinionem. *Scribæ*] communis quidem erat Iudæorum opinio non priuata Scribarum. cæterùm quia illi Doctores legis erant, eamque solebant populo traditionem explicare, propterea speciatim eis attribuunt.

40. Locus Mala. 4. 6.

16. *Elias quidem venturus est* ἔρχεται. G. in præsenti venit, pro futuro, venturus est, hoc est, ante secundum, non primum aduentum. *Restituet omnia*] videtur declarare Malach. cap. 4. 6. *Et conuertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum.* 70. pro *conuertet* habent idem verbum quod hîc habet Matth. ἀποκαταστήσει *restituet*. Marc. in præsenti ἀποκαθιστᾷ restituit, sed præsens hoc futuro æquiualet. Quid sit autem restituere Iansenius sic declarat: Quomodo Paulus dicit Christum instauraſſe omnia, quæ in cœlis, & quæ in terris, nimirum, quia homines inter se, & cum Angelis dissidentes, inter sese, & cum Angelis atque adeò cum Deo pacificauit: Sic Elias omnia restituet, quando incredulos Iudæos gentibus credentibus vniens ad fidem Patriarcharum redire faciet. quod autem dicit prius videtur explicandum ex Malach. cap. 4. 5. *ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* patet hic Prophetam de die iudicij loqui, ante quem Elias venturus promittitur. porrò ponitur *primò*, pro prius, græco more, & iungendum est *cùm venerit*, vt sit sensus apud Marcum, cùm prius venerit Elias restituet omnia; verbum autem *venerit*, non esse futuri temporis, sed præteriti docent græca, quæ habent ἦλθεν μὲν ἠλίας πρῶτον. *Et quomodo scriptum est in filium hominis*] videtur sensus esse ex Matth. colligendus. Sic enim scribit: *Elias iam venit*, id est, Ioannes baptista, *& non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt: sic & filius hominis passurus est ab eis*; videlicet, sicut Ioannes. idem videntur significare verba Marci, connectendo priora cum sequentibus, hoc modo; *sed dico vobis, quia & Elias venit (& fecerunt illi quæcunque voluerunt: sicut scriptum est de eo, & quomodo scriptum est in filium hominis vt multa patiatur, & contemnatur*, subintellige, ita & Ioannes passus est &c. Verùm alius potest esse Marci sensus: *Elias cùm venerit, restituet omnia; & quomodo scriptum est in filium hominis*, id est, de filio, *vt multa patiatur, & contemnatur*, tum subintellige; sic Elias ab Antichristo multa patietur, & contemnetur, seu sic Eliæ accidet. Est enim reticentia. Vide Gloss. ordin. & interlin. & hæc mihi videtur vera intelligentia. Notandum quod illa verba Marci, quæ hic habentur in margine ad versiculum 17. *Sicut scriptum est de eo*. Referuntur ad illa præcedentia, *Elias iam venit*, citatur enim locus Malach. 3. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum*, & Isai. 40. *vox clamantis* &c. ea verò eiusdem Marci, quæ præcedunt (*& fecerunt illi quæcunque voluerunt*) parenthesi claudenda sunt, vt patet in biblijs correctis. *Et non cognouerunt eum*] Fuisse Messiæ præconem; & verum testem, missum *vt testimonium perhiberet de lumine. Fecerunt in eum quæcunque voluerunt*] hoc est, occiderunt eum pro voluntate sua Herodes, & Herodias, & filia Dini Hieronymi Matthæi decimoseptimo habet: Pharisæos in mortem Ioannis consensisse.

Vera expositio Marci.

THEORIA I.

De fine & loco transfigurationis.

1. Cur transfigurari placuit.

CVR CHRISTO transfigurari placuerit, multas Patres afferunt rationes. Primùm vt transfigurationis gloria, Patrum testimonio, & æterni Patris voce excellentem illam Petri confessionem confirmaret: *Tu es* CHRISTVS *filius* DEI. Deinde ex Damasceno oratione de transfiguratione, vt quid inter nouum & vetus testamentum interesset, ostenderet. *Olim* enim, *Israeliticus populus in faciem Moysis, quæ abolenda erat, intendere non potuit. Nos autem reuelata facie Domini gloriam intuemur, à gloria in maiorem gloriam transformati tanquam à Domini spiritu*, quasi dicat Damascenus olim Israelitæ non potuerunt videre splendorem Moysis, nec eius vultum, nisi velo tectum; nunc autem Apostoli reuelata facie, hoc est, reiecto veteris testamenti velamine, gloriam Domini intuiti sunt 2. Corinth. 3. olim enim tecta erant omnia, & quasi sub velo, ac figura mysteria diuina latebant, ab hac autem claritate fidei, ait Paulus, Nos transformamur in claritatem gloriæ, qua similes Deo erimus, sicut exposuit Augustinus epist. 112. cap. 21. & libr. 15. de Trinitate cap. 8. licet aliter exponi à multis soleat hic locus Pauli. Idemque ait Damascenus, significatum est in nube lucida, quæ in transfiguratione apparuit. Moyses enim *Dei spectator, diuinam caliginem subibat, legis videlicet opacitatem subindicans. Vmbram enim*

Damasc.

vt ex Paulo audire licet, futurorum lex habebat, non ipsam veritatem: CHRISTVM autem *nubes lucida non caliginosa obumbrauit. etenim mysterium à seculis absconditum, detectum est; ac perpetua, & sempiterna gloria ostenditur.* Tertiò *transfiguratus est* CHRISTVS, *vt de cordibus discipulorum crucis scandalum tolleretur, nec conturbaret eorum fidem voluntaria humilitas passionis, quibus reuelata esset absconditæ excellentia dignitatis*, vt ait Diuus Leo sermone de transfiguratione. hinc factum est, vt Petrus, qui mortem & passionem Christi, cuius antea Diuinitatem confessus fuerat, tanquam rem indignam existimauerat, dum dixit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc* Matth. 16. confirmatus fuerit in fide de Christi diuinitate, eumque cum socijs esse agnosceret, quem Prophetæ prædixerant, & lex præfiguraurat. Voluit ergo Christus statim Matth. 16. discipulorum infirmitati subuenire suam illis gloriam ostendendo, vt ita propter passionem & crucem de ipsius diuinitate non dubitarent. Quartò voluisse videtur Christus testimonio Mosis, & Eliæ, ea, quæ de passione sua, & morte dixerat, stabilire, & tanquam non casu dicta, sed ab æterno prædordinata ostendere. Quinctò præterea declarare voluit hominibus quid corpori suo deberetur, & quanta illud priuaret gloria propter illorum salutem: Et propterea fortasis, quando transfiguratus est, de excessu loquebatur, quam vt pro hominibus posset assumere, gloriam corpori suo debitam repræsentaret, ne redundaret in corpus. His accedit sextò, voluisse Christum, quanta cum Maiestate ad iudicandum esset venturus, aperire, quam rationem confirmant verba illa: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis* &c. & illa: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in Regno suo.* Matthæi 16.

Leo.

2. Postremò addi potest septima ratio, vt quis sit finis abnegationis & crucis, ad quam hortatus fuerat Christus discipulos Matth. 16. statim indicaret; ducit enim crux patienter tolerata hominem ad immensum gloriæ pondus; cuius spes mirificè ad subeundos labores excitat animos. etenim vt testatur Paulus Rom. 8. 17. *si filij & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si autem compatimur, vt & conglorificemur.* quam rationem pluribus explicat Leo Papa serm. de transfig. & Damasc. orat. de eadem, vbi ait: *nam qui laborum fructus perspectos habet, idem quoq; intrepido animo in certamen descendit. etenim lucri cupiditas homines eo adducere solet, vt corpori suo minimè parcant*, in eamdem sententiam loquitur Beda in 9. Marci: *pia prouisione*, inquit, *factum est, vt contemplatione semper manentis gaudij ad breue momentum delibata, fortius aduersa tolerentur.* Itaque Christus nunc veluti exiguam carnis rimam strictim nobis aperuit, vt si quis ingentem auri, & gemmarum thesaurum per tenuissimam rimulam ostenderet: nunc quidem riuulus dumtaxat ingentis oceani ostenditur tantùm, verùm in patria torrente voluptatis replebimur, & inebriabimur.

Beda.

A Auguſt. Pſalm. 64. ſapienter, cœleſtis gloriæ ſpem, *ancoram* vocat continentem nos, ne in vitia præcipites ruamus, & in hoc mundi pelago naufragium faciamus. Citans enim Pauli ſententiam ad Philip. 3. *Conuerſatio noſtra in cœlis eſt*, ſic inquit, *iam deſiderio ibi ſumus, iam ſpem in illam terram quaſi ancoram præmiſimus, vt non in iſto mari turbati naufragemus. Quemadmodum ergo de naui, quæ in ancoris eſt. rectè dicimus, quod iam in terra ſit, adhuc tamen fluctuat, ſed in terram quodammodo educta eſt contra ventos, & contra tempeſtates. Sic contra tentationes huius peregrinationis noſtræ, ſpes noſtra fundata in illa ciuitate Ieruſalem, facit nos non abripi in ſaxa.*

3. *Spes ancora eſt.*

Cæterùm fruſtra ſperamus gloriam, niſi ibi eam quæramus, vbi latet. ſapienter enim idem Auguſtinus tra. 2. in Ioannem indicat B multos non quærere cœleſtem gloriam vbi oportet, latet enim ſub cruce, & alibi quæritur, idque declarat eleganter exemplo eorum, qui aurum quærunt, ſed vbi non eſt. Sic ergo ait: *quomodo ſi aurum nobis omnibus eſſet neceſſarium, & ego ad aurum vna vobiſcum peruenire volens, & eſſet alicubi in agro veſtro, & viderem vos quærentes, & dicerem quid quæritis? reſponderetis aurum, dicerem, & ego aurum quæro, ſed non quæritis vbi poſſumus inuenire. ergo audite me, vbi poßimus inuenire: vobis non tollo, locum vobis oſtendo, immò ſequamur omnes eum, qui nouit vbi ſit quod quærimus.* Hæc ille: quare ſi quis cœleſtium diuitiarum amore, & deſiderio flagrat, ſequatur illud Chriſti conſilium: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, alioquin C longiùs illum à ſcopo aberrare neceſſe erit, qui non ibi quærat vbi oportet, hæc de fine transfigurationis, ſequitur vt de loco dicamus.

4. *Vbi quærenda cœleſtis gloria.*

Incertum quidem, in quo monte perfecta ſit transfiguratio: verùm paſſim montem Thabor fuiſſe putant interpretes. Hunc Ioſephus libr. 4. de bello Iudaico c. 2. *Itabyrion* vocat, ſitum inter Scythopolim, & campum magnum (videtur hic campus Eſdrelon eſſe) protenſum verò in altitudinem triginta ſtadijs, ex ſeptentrionali parte inacceſſum, in vertice habente planitiem viginti ſtadiorum, alij viginti tria, vel viginti ſex numerant. D. Hier. de loc. Hebr. *Thabor*, inquit, *terminus Zabulon. eſt enim mons in medio Galilææ campo mira rotunditate ſublimis, diſtans à Dioceſareæ decem millibus contra* D *orientalem plagam, qui confinium quoque inter tribum Iſſachar, & Nephthalim fuit.* Superius verò aſſirmarat idem Diuus Hieronymus diſtare ab eo Naim in ſecundo milliario contra meridiem iuxta Endor; Nazareth verò iuxta hunc montem ſitam eſſe. itaque ex his habes Thaborem montem eſſe in magno campo Galilææ Eſdrelon, altitudine triginta ſtadiorum, in vertice compeſtrem amplitudine vndique viginti, vel viginti trium, vel viginti ſex ſtadiorum; ſex, aut ſeptem circiter milliaribus à Nazareth, Borchardus duabus diſtare leucis Thabor à Nazareth ad orientalem plagam affirmat, in finibus Iſſachar, & Zabulon: lege Egeſippum lib. 4. cap. 4.

5. *Locus transfigurationis. Mons Thaborius.*

Beda

6. Beda de loco sanct. cap. 17. in memoriam tam glorioſi myſterij ſcribit, tres illic in mõtis vertice eſſe ædificatas Eccleſias, iuxta quod dixerat Petrus, *faciamus hic tria tabernacula*, grãde inſuper apud eas monaſterium eſſe cõſtructum. Sed Nicephorus libr. 8. cap. 30. de Helena refert, quod in transfigurationis memoriam tribus Apoſtolis pulcherrimum in hoc monte templum extruxerit, videturque fuiſſe cathedrale ex VVilhelmo Tyrio lib. 2. belli ſacri capit. 13. acceſſerunt poſtea huic templo duo monaſteria, quorum vnum dicitur græcorum fuiſſe Diuo Eliæ conſecratum, credibile etiam eſt alterum Moyſi fuiſſe dicatum, ita vt hic eſſent quaſi tria ex Diui Petri deſiderio tabernacula. Vide Adrichomium in theatro. Teſtatur idem Ioſephus fuiſſe totam planitiem montis verticis muro cinctam atque munitam contra Romanos. Chriſtianos illo accedere conſueuiſſe Religionis cauſſa affirmat ſanctus Hieronymus epiſt. 27. in epit. Paul. vbi de D. Paula hæc ſcribit: *Scandebat montem Thabor, in quo transfiguratus eſt Dominus, aſpiciebat procul montes Hermon, & Hermonium, & campos latiſſimos Galilææ, in quibus Hiſara, & omnis exercitus eius Barach vincente proſtratus eſt.* Iud. 4. Hunc eumdem montem amœnum fuiſſe arborum frondibus, & herbarum virore, & vario ſimul florum odore, & colore fragrantiſſimum, auium quoque concentu ſuauem: adhæc, & ædificiorum, nobilium domorum, turrium maieſtate celebrem, vt ruinæ oſtendunt, auctores plures referunt.

7. Porrò in hunc locum venit Chriſtus anno trigeſimotertio ætatis ex Paneade iuxta Cæſaream Philippi, vbi interrogauerat Diſcipulos: quem dicerent homines vulgò ipſum eſſe, & reſpondit Petrus: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.*

8. Diuus Damaſcenus loco citato habet: vaticinium illud Dauid ex Pſalm. 88. 13. *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt* tunc impletum eſſe, cùm Dominus transfiguratus eſt. Sic enim ait: *Hermon enim prius, cùm filij nomen; quod paterno teſtimonio Chriſto apertè tribuebatur, audiſſet, exultauit, cùm præcurſor Ioannes tanquam veteru, ac noui teſtamenti mediator, baptizandi cauſſa proficiſceretur, in hoc videlicet miſſus vt theſaurum in deſerto abſconditum tanquam in tenebris, hoc eſt, in mundo &c. in publicum proferret &c. nunc autem exultat; ac lætitia perfunditur Thabor, diuinus inquam, ac ſanctus ille mons, nec gloriæ, ac ſplendoris ratione, quam ingenti quadam altitudine ſublimis. Nunc meritò exhilaratur; de gratia enim cum cœlo certat. nam in quem illic Angeli immotam oculorum aciem intendere nequeunt, hunc regni ſui gloria collucentem ſelecti Apoſtoli in hoc monte perſpiciunt. in hoc mortuorum reſurrectioni fides aſtruitur, ac mortuorum, & viuorum Dominus eſſe declaratur: vt qui ſcilicet ex mortuis Moſem aſſumpſerit, viuum autem Eliam teſtem adhibuerit, &c.*

Locus Pſal. 88. 13.

9. Hunc montem intellexit D. Petrus transfigurationis mentionem faciens epiſt. 2. cap. 1. 17. vbi ait: *accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria*, id eſt, è nube, in qua magnificè apparuit: *hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite.* vbi G. additur articulus, *hic eſt ille filius meus dilectus*: eſt autem *dilectus* nomen, non participium, omninò plus quiddam ſignificans, quam dilectus, & ideo apud Marcum interpres, *cariſſimus* per ſuperlatiuum vertit, *& hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto*; vbi dicitur vox de cœlo allata, non quod reuera in cœlo ipſo fuerit formata, ſed quod in ſuprem a parte nubis facta ſit; & cœlum in ſcriptura non rarò pro aere ponitur; montem autem Thaborinum *ſanctum* vocat propter ea, quæ in eo exhibita ſunt plena numinis, ac maieſtatis. initio verò in illis verbis: *accipiens à Deo Patre honorem* &c. participio abuſus eſt Petrus pro verbo, per hebraiſmum, quaſi dicat, accipiens fuit, hoc eſt, non Angeli, ſed ipſe accepit, nimirum vt homo voce Patris honorem, quia per eam vocem à Patre honoratus eſt, dum declaratus, & appellatus eſt filius Patris ipſi naturalis, & conſubſtantialis, accepit & gloriam, quia vox hæc eadem Patris prolata eſt magna maieſtatis, ac gloriæ demonſtratione, nimirum è nube lucidiſſima, & ſplendentiſſima.

Locus D. Petri ep. 2. 1. 17.

THEORIA II.

Declaratur ipſa Chriſti transfiguratio, eiuſque gloria.

QVid ſit transfigurari præter ea, quæ diximus in ſcholijs num. 10. Rectè Euthy. ſuo cap. 34. in Matth. declarat: *transformatus*, inquit, *eſt corpore quidem in propria figura manente, diuino verò ſplendore, modicum quiddam in eo delegente, ac faciem illuſtrante ſpeciemq; illius ad maiorem Dei ſimilitudinem immutante.* Sic Euthym. itaque Lucas cùm ait: *facta eſt ſpecies vultus eius altera*, intelligendus eſt loqui, quoad ſplendorem, non verò quoad figuram corporis, vel alias qualitates eius; eodemque modo ſumenda ſunt vocabula transfigurationis, vel transformationis; ſolùm enim ſignificant immutationem quãtum ad faciei ſplendorem, vel veſtium candorem attinet. Sic enim Matth. poſuit. Sed vt melius intelligatur quid ſit trãsfiguratio D. Tho. in 3. p. q. 45. a. 1. Reſpondens ad 3. arg. docet; transfigurationem fuiſſe aſſumptionem, ſeu communicationem illius claritatis, quę eſt vna ex quattuor dotibus corporis, quod art. 2. magis explicat. Deinde docet cur potiùs aſſumptio huius dotis, quæ eſt claritas, dicatur transfiguratio, quam aſſumptio agilitatis, quam oſtendit, quando ſuper mare ambulauit; vel ſubtilitatis, quam indicauit quando de clauſo Virginis vtero prodijt? Reſpondet: quia nimirum ratio, & perfectio claritatis tota poſita eſt in informatione, ſeu actu formali, quem confert corpori, quod propterea apparere facit alterius formæ, & ideo immutatio ſecundùm hanc dotem rectè vocatur transfiguratio, ſeu transformatio: cæterùm aliæ dotes, vel qualitates non ſunt, vel certè non ſunt tales, vt per ſe immutent ſenſum; pertinent enim ad efficiendam, vel impediendam aliquam operationem; hinc eſt vt corpo-

1. *Quid ſit trãsformatio, vel transfiguratio hic.*

Cur aſſumptio claritatis dicatur transfiguratio, & non agilitatis &c.

corporis formam non immutent, prout sensibus obijcitur, atq; ita non rectè dicitur fieri secundùm illas transfiguratio corporis.

2. Verùm, præter hæc, verissimum est ad effectus aliarum dotium, quos Christus aliquãdo in corpore morti obnoxio edidit, non fuisse necessarias qualitates aliquas inhærentes; quod enim ambulauerit supra aquas maris, id fecit per virtutem miraculorum effectricem, quæ qualitas non est Christi corpori superaddita: & quod aliud corpus penetrarit, id verò per qualitatem inhærentem fieri nequaquam potest, quorum vtrumque docet Franciscus Suarez doctè, primum disp. 31. sect. 3. & 5. tom. 1. 3. par. Alterum disp. 48. sect. 5. tom. 2. 3. p. denique quod de manibus Iudæorum euaserit, quod D. Th. ad dotem impassibilitatis reuocat, proculdubio nulla qualitate effectum est, qua corpus illud nullis passionibus obnoxium in se fieret, sed tantùm quia Iudæorum oculos sic effugere voluit, atque ita se occulere, vt habet idem auctor quæst. 44. 3. p. in comm. art. 3. At claritas transfigurationis non potest intelligi absque inhærente qualitate per se oculos afficiente, & ideo sapienter D. Thomas affirmat, tantùm ratione claritatis dici potuisse Christum esse transfiguratum, propter duplex hoc discrimen, quod esse hactenus significauimus inter claritatem, & cæteras dotes, primũ quod harum effectus citra qualitatem vllam effici possint. Deinde, quod nõ afficiant corpus ita, vt per se sensum immutent, quod ex nu. 1. liquet.

3. *Cuiusmodi fuerit claritas hæc.*
1. Quid recepta fuit in corpore certũ esse debet.

Ex his constat quidnam fuerit transfiguratio Christi. Sequitur iam nunc, vt videamus cuiusmodi fuerit hæc claritas corporis Christi. & primùm quidem tanquam certissimum positum esse volo, claritatem quamdam nouã, ac splendorẽ verè in Christi corpore fuisse, non in extrinseco, & Christũ circumambiente corpore, quod suæ lucis radios in Christi corpus, vultũve transfuderit, vt plures opinantur euenire, cùm lux solis speculum vel corpus opacum illustrat, non quod inhæreat in his corporibus, vel eorũ superficie intrinsecè, sed quod aeri inhæreat illis contiguo: vel sicut accidit cum solis radij in vicino corpore excepti in res propinquas reflectuntur. etenim cùm Matt. dicat: resplenduisse faciem eius sicut solem, & esse transfiguratum: Lucas verò; factam esse speciem vultus eius alteram. Quis audebit negare non verè ac propriè inhæsisse vultui Christi splendorẽ? aut quod, vel quale corpus illud fuit, vnde in Christũ immediatè deriuatũ est lumen? vel quomodo illa claritas Christo propriè tribueretur, & non potiùs ei corpori, vnde in Christum profecta est? Nec Aug. lib. 3. de mirab. sac. scrip. cap. 10. hanc sententiam affirmat, cùm ait; *licet in hac ostensione Domini facies solari splendore fulserit, non ipsa caro splenduit, sed diuinitas latens in corpore luminis sui portiunculam foris videntibus quantum poterant, cõcessit.* Aug. mens non est inficiari Christi carnem verè fulsisse, sed non proprio lumine, seu quod à se haberet, sed à lumine quod à diuinitate manauit, quod sequentibus verbis indicat: *Vnde vestimenta candorem niuis habuerunt, dum neque de carne, neque de diuinitate erant? nisi fortè vt per carnem diuinitas foris illuxit, sic & caro illuminata de diuinitate, per vestimenta radiauit.*

Deinde etiam tanquam verissimum constituo eiusmodi Christi splendorem, non imaginarium, sed verum fuisse. hoc autem multo certiùs est, quàm id, quod num. 3. posui; nec Beda super illud Lucæ 9. *non gustabunt mortem* &c. contrarium opinatur, vt D. Thom. respondet quæst. 45. art. 2. ad 2. quamquam nec ea verba apud Bedam reperiantur, in Gloss. autem interlin. Luc. 9. reperire est simile quid, cuiuscumq; tamen sit, minimum erronea est hæc sententia. 4. *Secundo non fuit imaginaria.*

Tertiò illud omninò reijciendum est: faciem Christi affulsisse oculis Discipulorum, non quod nouo lumine affecta sit, sed quod tunc datum sit Discipulis, vt intueri possent lumen, claritatemve illam, qua caro Christi semper effulsit, confortatis fortassis tunc eorum oculis, sicut Augustinus 22. de Ciuitat. cap. 19. affirmat de claritate corporis Christi post eius resurrectionem: *Claritas*, inquit, *in Christi corpore, cùm resurrexit ab oculis Discipulorum potiùs abscondita fuisse, quam defuisse credenda est. non enim eam ferret humanus, atque infirmus aspectus, quando ille à suis ita deberet attendi, vt posset agnosci.* Sed vt verè de claritate corporis CHRISTI post resurrectionem id dictum est ab Augustino, longè aliter sentiendum est ante resurrectionem, cùm oportuit ipsum languores nostros in corpore interitui subdito, & infirmitati portare, vt à nobis illos auferret iuxta illud Isa. 53. 4. *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Ergò non claritatem, quam habuit, & abscondit, nunc ostendit: sed assumpsit, & ostendit, quam non habuit. Nec Damascenus huic errori fauet, dum in orat. illa de transfiguratione sic scripsit: *coram Discipulis transfiguratur, qui semper eodem modo glorificatus est, ac diuinitatis fulgore collucet.* & postea: *ac gloriam quidem caro, simul atque ex nihilo in ortu producta est, obtinuit, diuinitatisq; gloria, corpori quoque gloriam conciliauit.* & inferius: *quamquam igitur numquam sanctum illud corpus diuinæ gloria expers fuerit: at cum ea gloria in corpore sub aspectum cadente obscura esset, ab ijs, qui carnis vinculo constringebantur, cerni non poterat; transfiguratur itaque non quod non erat assumens, neque in id, quod non erat, migrans; verùm id, quod erat Discipulis suis declarans, eorum nimirum oculos aperiens. atque hæc sententia est horum verborum, transfiguratus est ante eos. idem enim ipse manens, præter id, quod prius cernebatur, aliud, nunc Discipulis apparere videbatur.* eodem ferè modo videtur loqui Epiphanius lib. 2. hæres. 69. sub finem: his verbis tantùm significat Damascen. hypostaticam vnionem, seu deitatem sanctissimæ carni Christi vnitam nunquam eidem carni defuisse. Hanc ergo vocat gloriam corporis Christi, non illam corporis claritatem, quam transfiguratus ostendit. Istam verò vnionis hypostaticæ gloriam docet propter carnis passibilitatem fuisse occultatam, & in transfiguratione reseratam, non quidem in se, sed per radios gloriosæ claritatis se- 5. *Tertiò nouũ fuit lumen illud corporis.* *Aug.* *Damasc.*

Digitized by Google

se ab illa diffundentes. eodem modo exponendus Epiph. quæ expositio consentanea est ijs, quæ habet Damascen. libr. 3. de fide cap. 17. & alibi.

6. Nazianzeni præclara similitudo.

Quam etiam Greg. Nazian. eleganti exemplo declarare possumus orat. 49. de fide: *vt sol*, inquit, *cùm in nube tegitur, claritas eius comprimitur, non cæcatur, & lumen illud, quod toto orbe diffusum claro splendore cuncta perfundit, paruo admodum obstaculo nubis includitur, non aufertur: sic & homo ille quem Dei filius induit, Deitatem in illo non intercepit sed abscondit. deniq; cùm se in monte paucis extra ipsum hominem extulisset, fulgore luminis eius penè obcæcati Apostoli sunt*; &c. Hæc eleganter Greg.

7. An claritas oculi Christi totum occupet.

His ergo positis quædam in controuersiam reuocari possunt, vt exactiùs Christi claritas declaretur. Dubitari ergo potest primũ, an splendor ille solam Christi faciem affecerit, an verò etiam totum Christi corpus. etenim si Matth. spectemus dicentem: *& resplenduit facies eius sicut sol.* itemque si Luc. *& facta est species vultus eius altera*, satis esse videbitur fortassis alicui, si affirmemus eam claritatem tantùm Christi faciem tenuisse, atque ita huius opinionis fuit Abulen. quæst. 47. in 17. Matth. Verùm in eam potiùs sententiam libens descendo, toto corpore fulsisse Christum, cùm absolutè dicatur ipse transfiguratus, seu transformatus. neque enim excludunt Euangelistæ reliquas corporis partes, quamuis dicant ipso vultu splenduisse, quia inprimis ille oculis obijcitur. An non etiam fulsere manus? & tamen nulla earum mentio, immò verò cùm de vestimentis scribunt facta esse alba, non obscurè indicant se corporis splendorem ipso vestium candore satis insinuasse, cùm hic ex illo prodijsse credatur. & D. Marcus nulla vultus mentione inducta, simpliciter transfiguratum dicit, & mox ad albedinem transit vestimentorum, sic quasi indicans ex splendore corporis, candorem vestimenta concepisse. hanc esse veram Euangelistarum intelligentiam docuit Hieronymus epist. 61. ad Pamma. cap. 10. *Dominus noster*, inquit, *in monte transfiguratus est in gloria; non vt manus, ac pedes, cæteraq; membra perderet, & subitò in rotunditate vel solis, vel sphæra volueretur, sed eadem membra solis fulgore rutilantia Apostolorum oculos perstringerent, vnde & vestimenta eius mutata sunt in candorem, non in aerem, ne fortè & vestes eius asseras spirituales. Et facies eius, inquit, fulgebat vt sol. Vbi autem facies nominatur extimo, quod & cætera membra conspecta sint*, non quod vestes ipsæ factæ sint visui peruiæ, ita vt eius membra virginea per se oculos mouerent; id enim non est verosimile, vt schol. numer. 16. diximus. Quare quod vltimo loco ait Hieronymus, illud ipsum est, quod ex Auctore libr. 3. de mirabil. Sacr. scriptu. cap. 10. retulimus schol. numer. 14. *caro illuminata per vestimenta radiabat.* Igitur candor vestium claritatem corporis indicabat. Diuo Hieronymo astipulatur sanctus Ephrem oratione de transfiguratione: *facta*, inquit, *sunt vestimenta eius alba. Etenim ostendit Euangelista, quod ex toto eius corpore eius gloria scaturijt, & ex tota eius carne resplenduit eius facies, & ex toto eius membris resplenduerunt radij* &c. Constat igitur totum CHRISTI corpus splenduisse, non solam faciem.

8. An totum corpus Christi claritas penetrarit.

Sed vtrum in superficie extima carnis Christi is splendor tantùm fuerit, scisciteur hic aliquis, an verò totum quoque corpus permearit, ita vt intimas etiam partes corporis penetrarit, sicut olim probabile est corpora Beatorum futura esse omninò lucida, & transparentia? credibile quidem est hoc, verùm credibiliùs in sola corporis superficie eam lucem fuisse, quod vox transfigurationis subindicat, nam figura extimus est corporis terminus; neque Christus claritatem gloriæ perfecto modo, ac stabili hic assumpsit, vt proinde non sit necesse dicere corpus ipsius debuisse fieri lucidum totum, sicut corpora erunt Beatorum. Hanc sententiam docet D. Th. 3. p. q. 45. art. 1. ad 2. Porrò de vestimẽtis quomodo candida, & splendentia fuerint, & quod non transparentia, satis dictum est in sch. num. 14. & seq.

9. Differat quo modo hæc claritas ab alijs.

Verùm de hac eadem claritate quomodo differat à claritate Angelorum in assumptis corporibus, à claritate solis, corporum Beatorum dubitari etiam solet. Fatemur hanc claritatem, & splendorem differre ab ea claritate, qua Angeli resplenduisse aliquando dicuntur, cum assumptis corporibus apparuerunt, quod Matth. cap. 28. scribit de Angelo, qui post Christi resurrectionem visus est mulieribus: *erat*, inquit, *aspectus eius sicut fulgur.* etenim eiusmodi Angelorum claritas assumptorum corporum variam constitutionem, & temperamentum sequebatur, non Angelorum beatitudinem; hæc autem Christi claritas eiusdẽ erat rationis secundùm speciem cum gloriosa corporum Beatorum claritate.

10.

Iterum hinc fit interesse plurimum inter hanc Christi, & alteram claritatem qua facies Mosis resplenduit, cùm à Domini conspectu cum legis tabulis reuersus est. etenim ea Mosis claritas naturalis ordinis erat, quamuis miraculo accesserit. at qua Christus rutilabat supernaturalis & gloriosa. Quare non mirum si claritatem vultus Mosis non ferrent Iudæi Exod. 34. claritatem vultus CHRISTI ferrent Apostoli, ita vt eorum oculi recreati potius fuerint. Ita Abulen. quæstion. 33. in cap. 17. Matth. nam licet probabile sit, confortatos fuisse Discipulorum oculos, vt eam lucem intueri, & ferre possent, tamen cùm proportionata sit oculo etiam mortali, & sub obiecto eius contineatur, vt verosimilius esse puto, ita potuit videri ab oculis discipulorum repressa ea alteratione corporali, quam per accidens efficere solet lux in oculi corruptioni subiectis absque alio auxilio. vide Suar. 3. p. tom. 2. disp. 48. sect. 2. versus finem, vbi etiam affirmat ex D. Thom. corpus gloriosum non agere corruptiua actione, sed intentionali, & perfectiua tantùm, vt proinde hæc claritas gloriosa ex se non agat lædendo, sed dumtaxat confortando & recreando oculos, quod ei debetur ratione status corporis glorioſi: Deinde Moses tantùm facie rutilabat, isq; splendor apposito velamine non transparuit: Christus toto corpore splendebat, eaque lux vestimenta

An confortati nunc discipulorum oculi, vt hãc claritatem viderent.

omnia, quamuis non diaphana redderet, penetrabat tamen, ita vt extima vestis pars candida, ac splendida appareret, vt dictum est scho. num. 16. & cum Aug. 22. libr. de Ciuit. cap. 19. dicit. Apostolos in corpore mortali non potuisse videre claritatem corporis Christi resurgentis, intelligit id proficisci ex alteratione materiali per accidens adiuncta, non quod natura ipsius lucis minimè proportionata sit visui nostro: & si reprimatur ea actio corporalis, & tantùm relinquatur intentionalis vt erit in patria, iucundè percipietur ea lux.

II. Iam verò eadem claritas à solis claritate alterius rationis erat propter eamdem caussam quod glorioſa esset & supernaturalis, contra ac solis claritas est. Iustin. lib. de discipl. & perfect. Monast. conuers. cap. 23. habet: splendorem Beatorum septies excessurum solis splendorem, quàto ergo maior erat hæc Christi claritas & fulgor? Apocal. item 21. scriptura illam cœlestis patriæ claritatem, Dei claritatẽ vocat. *ciuitas*, inquit, *illa neq; eget sole, neq; luna vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus.* & Paul. Philip. 3. 21. Beatorum claritatem non cum claritate solis, sed corporis Christi confert. *Reformabit*, inquit, *corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* ergo non tantùm à splendore solis sua magnitudine differt, verum etiam quia diuersæ rationis est ab illo. Restat videre an hæc claritas differat à claritate corporum Beatorũ. hactenus indicasse videmur glorioſam fuisse. & ita reuera est: neque enim à claritate illa Beatorum ita differebat, vt non eiusdem rationis esset cum illa, sic docet D. Th. loc. cit. art. 2. asserens hunc Christi splendorem claritatem gloriæ dici quoad essentiam, ergo indicat eiusdem speciei esse. & merito quia speciem quandam corporum Beatorum hic Dominus indicare voluit: præsertim cùm claritas Beatorum Christo propria sit. Exemplar namq; cæterorum est lucidissimum Christi corpus, atq; adeò in illo tanquam in fonte, à quo suo modo velut in cætera corpora manat, omnis glorioſorum corporum gloria.

An eiusdem speciei cum claritate beatorum.

Sed quamuis hæc ita sint, interest tamen aliquid inter hanc Christi, & Beatorum claritatem. Primum q̃ in Beatis ea lux perpetua sit, at in Christo nõ vt quid stabile, & permanens, sed per modum fuit, vt aiunt, transeuntis. & hinc est, vt negent Theologi cum D. Thom. loc. cit. dotis rationem habuisse, quamuis eius particeps fuerit. est enim propriè dos, quæ stabilem, & inamissibilem statum habet; deinde claritas Beatorum est cum alijs dotibus connexa. in Christo verò sola claritas fuit. ex his liquet, quod quamuis in Christi corpore fuerit claritas gloriæ, corpus tamen eius glorioſum dici nequaquam debet.

12. *Quid interfit inter hanc, & beatorum claritatem.*

Dos quid propriè.

Tertiò hæc Christi claritas prodigioſa fuit, hoc est, non sine miraculo; tum si corpus eius spectetur interitui obnoxium, quod erat subiectum huius claritatis; claritas verò glorioſa per se immortali, atque impatibili conuenit corpori. tum si attendas, quod non permanentis habuerit qualitatis rationem, vt dixi nu. 12. nec coniuncta fuerit cum alijs dotibus. Si verò Christi animam spectes, ita fateor non prodigioſam esse, nec miraculo tribuendam. cùm enim Beata esset anima illa, ab ea dimanare in corpus debuisset ea claritas; Dei autem voluntate factum est, vt non dimanarit ob corpus corruptioni subiectum. itaq; miraculum fuit potiùs, quod anima Beata corpori dotes non conferret, illud infirmum, obscurum, mortale esse voluerit. quod quidem miraculum tunc cœpit, cùm Dei Verbum carnem assumpsit, & per totam postea vitam idem perseuerauit, vt proinde in ipsa transfiguratione potiùs miraculum desijsse, quod attinet ad claritatem, quã factum esse nouum dicere debeamus: nimirum si id cogitemus, quod anima Beata secundùm ordinariam legem postulabat.

13. *An miraculoſa.*

Postremò explicare oportet, quæ caussa fuerit efficiens huius claritatis Christi, nam de finali caussa dictum est theoria 1. duæ possunt videri caussæ huius fulgoris. vna communis Christo cum omnibus Beatis post resurrectionem. Altera illi propria, & quæ nulli alij præter ipsum competit. Prima est gloria animæ. Secunda hypostatica vnio. ergo & ab animæ Christi gloria, & à diuinitate corpori cõiuncta splendor hic in corpus redundasse potuit. Primam caussam confirmare videtur Aug. ep. 56. ad Dioscorum, nimirum quod claritas corporis glorioſi ex claritate animæ deriuetur. Posteriorem caussam videtur admittere Damasc. orat. de transfig. significans, claritatem illam in Christo deriuatam esse à diuinitate eius corpori coniuncta. Cæterùm non cãret difficultate, quid sit in Beata anima, quod claritatis huius caussa possit esse efficiens. iterum difficile est intelligere quomodo ex diuinitate claritas ad Christi corpus redundet. quam rem, quoniam clarè, doctè, & verè explicat Francisc. Suar. 2. to. 3. p. in q. 45. D. Th. a. 2. ideo hic eius responsum adscribam; negat ipse hæc intelligenda esse *de propria, ac physica dimanatione, quia claritas*, inquit, *glorioſa anima non est nisi aut lumen gloriæ, aut visio beata*, ostendit autem ipse eam efficacitatem non esse tribuendam lumini gloriæ; est enim qualitas spiritualis, quæ tantùm beatę visionis, non glorioſi corporis caussa efficiens est. Visio verò beata, actio est immanens, quæ non videtur aliquid in corpus transmittere posse. Ergò nihil est in anima quod claritatis huius sit efficiens caussa. Nam præter hæc duo non video, quid aliud assignari possit in anima cui vis insit claritatem hanc producendi.

14. *Duplex caussa fulgoris.*

Quomodo possit ab anima beata, vel à diuinitate effici claritas, vel resultare.

15. -Neq; quod dictum est ex Damasc. videtur quidquam prodesse ad ostendendum quomodo à diuinitate fuerit ea claritas deriuata, tanquam ab effectrice caussa: *nam si consideretur diuina persona, quatenus subsistẽtia est vnita illi corpori, ita non est principiũ alicuius physicæ actionis ad extra: sed solùm quatenus habet voluntatem, & omnipotentiam cum Patre, & Spiritu sancto communem. ergo ab illa vt vnita non potuit physicè manare hæc claritas.* Cùm ergo nec ab anima beata, nec à diuinitate claritas hæc deriuetur, ictacircò quod Aug. & Damasc. dicunt, non est intelligẽdum de propria, ac physica dimanatione, sed secundùm quandam dimanationem debiti; quæ nititur vel in merito, vel in cõnaturali proportione inter animã, & corp⁹: inter beatitudinẽ animæ, & beatitudinẽ corporis, inter

Diuini-

Diuinitatem & corpus cui illa coniuncta est: *Sicut etiam gratia habitualis, & aliæ virtutes infusa dicuntur dimanare à gratia vnionis*, vt explicat idem auctor tom.1.disp.18.sect.3.

16. *Hæc intelligenda sunt loquendo dè emanatione connaturali per propriam, & connaturalem actionem. Nam si sit sermo de actione instrumentaria, facile intelligitur animam Christi habere vim ad efficiendam gloriam in corpore; sed hanc vim non habere propter beatitudinem animæ, nec solum per illam: sed propter vnionem ad verbū, & per suam substantiam, vel voluntatem, vel per visionem si voluerit.* Hæc breuiter ex Suarez.

17. Si ergo propriam Physicamque effectricem causſam quæramus eiusmodi claritatis non aliam assignabimus, quam illum ipsum, qui & felicitatis animæ est causſa, & vnionis hypostaticę Deum omnipotentem, cuius felicitatis, & nionis quasi quædam proprietas est huiusmodi splendor corporis: quare is recte dicetur esse causſa huius proprietatis, qui est & principium felicitatis & vnionis. Et de claritate sat dictum est.

THEORIA III.

De duob. testibus transfigurationis Mosę & Elia.

1. *Cur Moses & Elias in testes præsertim adducti.*

QVALIS fuerit gloria Mosis, & Eliæ in transfiguratione diximus in schol. num. 18. & seq. nunc cætera persequemur, & primum videndum cur hos adesse voluerit Christus. Cui obiectioni sic respondet ex D. Chrys. homil. 57. in Matth. D. Thom. q. 45. a. 3. ad 3 *Moses & Elias in medium adducuntur propter multas rationes. prima est hæc. quia enim turbæ dicebant ipsum esse Eliam, aut Ieremiam, aut vnum ex Prophetis, capita Prophetarum secum ducit, vt vel saltem hinc appareat differentia seruorum & Domini. 2. ratio est: quia Moyses legem dedit, Elias pro gloria Domini æmulator fuit. Vnde per hoc quod simul cum Christo apparent, excluditur calumnia Iudæorum accusantium Christum tanquam transgressorem legis & blasphemum Dei sibi gloriam vsurpantem. Tertia ratio est vt ostendat se habere potestatem mortis & vitæ: & esse Iudicem mortuorum & viuorum, per hoc quod Moysem iam mortuum, & Eliam adhuc viuentem secum ducit. Quarta ratio est quia vt Luc. dicit: loquebantur cum eo de excessu, quem completurus erat in Ierusalem, id est, de passione, & morte sua, & ideo vt super hoc discipulorum animos confirmaret, inducit eos in medium, qui se morti exposuerunt pro Deo. Nã Moyses cum periculo mortis se obtulit Pharaoni: Elias vero Regi Achab. Quinta ratio est quia volebat vt Discipuli sui æmularentur Moysis mansuetudinem, & zelum Eliæ. Sextam rationem addit Hilarius can. 17 in Matth. vt ostenderet scilicet, se per legem, quã dedit Moyses, & per Prophetas, inter quos fuit Elias præcipuus, esse prædicatum.* Hæc D. Thom. Tert. lib. 4. contra March. c. 22. aliam etiam assignat rationem, sed eius verba habes schol. num. 29. quam etiam insinuat Epipha. hæres. 42. confutat. 17. vt ibid. notauimus.

2. Maldon. in 17. Matth. verisimam huius rei causſam cur Moyses, & Elias apparuerint esse arbitratur, quod voluerit Christus futuri aduentus sui imaginem repræsentare: ante secundum autem eius aduentum non Elias modo, A sed etiam Moyses venturus est, vt ex Apoc. cap. 11. colligitur verum hæc sententia nullo modo mihi probatur, qua de re pluribus agam, Christo Duce, lib seq. vbi nihil huiusmodi ex Apocal. colligi ostendam.

3. *An verus Moses, & Elias apparuerint.*

Sed vtrum, roget aliquis, verus Moyses, verusue Elias apparuerint, an non? longè credibilius est verum Mosem, verumque Eliam apparuisse. hũc ex Paradiso terrestri, vel ex loco Deo noto, illum ex limbo, non sine Angelorũ ministerio. scio D. Tho. 3. p. q. 45. art. 3. ad 2. & Abul. q. 54. & 55. in 17. Matth. cum aliis affirmasse, solam Mosis animam assumpto corpore præsentem adfuisse. At Hieron. c. 17. in Mat. resurrexisse affirmat, idemque habet Auctor de mirab. sacr. scrip. lib. 3. c. 10. & Damasc. orat. de transfiguratione. potest id confirmari ex B verbis Euangelistarum, qui dicunt Mosem adfuisse. Atqui anima in corpore assumpto non est propriè, ac verè Moses: præterquam quod anima separata naturali virtute non potest corpus assumere, neque mouere illud. Cui sententię fauet non parum Tert. lib. 4. contra March. cap. 22. & Praxeam c. 14. dum dicit, in transfiguratione impletum esse id quod Mosi pollicitus erat Deus Exhod. 33. postulanti enim Mosi v. 18. *ostende mihi gloriam tuam*, respondit Deus v. 23. *non poteris videre faciem meam, &, videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* illud etiam numerorum 12. 8. *ore ad os loquor ei* Mosi: *& palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*, docet Irenæus lib. 4. contra hæres. cap. 37. hic esse expletum. Idemq; Cyril. Ierosolym. Cath. 10. & Origenes hom. 12. in exod. C sentire videtur, putant autem hi etiam corporali, non intellectus sola visione Mosem Christi gloriam conspexisse eodemque modo esse cum eo loquutum in specie, non in ænigmate, id est, in specie hominis, quam gestabat, tunc vidit Moses posteriora Dei, hoc est, in assumpta humanitate Deum. Quod verò Moses saltem secundum animam adfuerit, non est meo iudicio dubitandum, cum Moysem & Eliam adfuisse apertè commemoret scriptura, & Augustlib. de cura pro mortuis agenda c. 15. probaturus animas mortuorum interdum ad superos redire, affert tanquam certum exemplum Mosis: *quid de Mosi*, inquit, *dicturi sumus, qui & in Deuteron. mortuus, & in Euangelio cum Elia, qui mortuus non est apparuisse legitur*, idemque Patres D palsim sentiunt. quare aberrant planè qui Angelorum aliquem Mosis personam sustinuisse hic putant, quod non videtur displicuisse Vgoni Cardin. in 9. luc. Quod verò ille obiicit ex Chrys. nullam animam antequam Christus eo descenderet ex inferno exijsse, In gloriæ statũ transferendam fateor. De Elia verò qui nondũ mortuus est vt Augustlib. 1. de pecc. merit. c. 3. Hieron. epist. 61. ad Pamma. Ambr. lib. 4. de fide c. 1. quibus fauet scriptura 4. Reg. 20. Eccles. 48. multo minus probabile est in propria persona non adfuisse; facile enim Angelorum ministerio duci in Montem Thabor poterat, vt exemplo Abacuch Dan. 4. & Philippi, act. 4. ostendi potest.

Lucæ Exhodi 33. & num. 12. 8.

Augustl.

Meritò ergo Epiph. hæresi 64. ex Proc'o, & Metho. scribit hæc vt verisima: *nihil Dominus*

Epiph.

mentitus est, quare non spectrum, aut visum ostendit discipulis in monte Eliam & Moysem, quo ipsos deciperet, sed id quod erant extra falsitatem. Reijcienda est & Gloss. Luc. 9. quæ negat verum Eliam & Mosem apparuisse, sed spectrum tantùm Angelorum ministerio fabricatum, seu simulacrum eorum, quam Gloss. D. Thom. in solut. ad 2. art. 3. loc. cit. dicit desumptam ex libr. de mirabil. sacr. Script. qui falsò August. attribuitur, sed in loco vbi significatur in eo lib. reperiri, hoc est, lib. 3. cap. 31. id non habetur, immò eius contrarium omnino legitur capit. 10. Franciscus etiam Suarez affirmat nec se hanc sententiam apud Ambrosium reperisse, cui tamen Vgo Cardinalis illam tribuit. Reijcienda ergo est hæc opinio tanquam erronea.

3. *An viuat Moyses.*

Porrò quòd quidam dicunt Mosem mortuum non fuisse, sed viuum translatum ad Paradisum, vt cum Elia ante iudicium veniat, quod videtur sensisse Hilarius can. 20. in Matthæum, & Ambrosius libr. 1. in Cain, & Abel, cap. 2. & Gregorius Nyssenus lib. de vita Mosis. Itemque quòd Rabbi Samuel lib. de aduentu Mess. cap. 13. asserit mortuum quidem fuisse, sed mox ad vitam reuocatum, non sunt Scripturæ consentanea Deuteronom. 32. & 34. præsertim verò quod dicit Rabbi Samuel erroneum videtur.

6. Fateamur igitur Mosem verè mortuum, cuius corpus scribit Epiphan. lib. 1. hæres. 9. fuisse ab Angelis sepultum, quod in honorem tanti viri factum esse dicit OEcumen. in epist. Iudæ ex Philone lib. de vita Mosis, qua de re vide Abulens. Deut. 34. q. 3. & seq. Chrysost. verò homil. 1. in Matth. scribit factum id esse ne Hebræi corpus eius adorarent. quòd verò dicatur sepulcrum Mosis occultum, potius indicat ipsum sepultum esse.

7. *Quomodo Moses & Elias ad locũ transfigurationis venerint, & inde ad propria redierint.*

Translata igitur fuit anima Mosis duce Angelo de limbo ad locum, vbi corpus eius iacebat, eodemque loco vnitam corpori fuisse, atque inde vnà cum corpore statim duce ac vectore Angelo in locum transfigurationis adductam esse; indiguit enim Moyses vt & Elias duce, qui viam indicaret, & vectore, vt momento fermè temporis ad locum transfigurationi præfixum Domino sisterentur. Illud tamen obseruandum, ante resurrectionem Mosis, Angeli opera collectos fuisse pulueres, in quos fortè eius corpus abierat; verùm Deus ipse animam corpori postea coniunxit, sicut futurum docent Theologi in vltima, & vniuersali hominum resurrectione, vbi verò ij testes officio suo functi sunt eodem Angelo reuectore Moses ad locum sepulcri, vt ibi corpus deponeret, & deinde eius anima ad limbum reuersa est, cuius motus ipsa sui principium esse potuit. Elias verò ad locum vnde deuectus fuerat translatus est. hæc nobis quæ de translatione per Angelos, & loco resurrectionis Mosis diximus probabilia magis esse videntur. Vnde verò gloriam in transfiguratione habuerint si quis scire velit, legat quæ diximus in Schol. num. 19. & 20.

THEORIA IV.

In ea verba: *Hic est filius meus dilectus*, &c. fueritne Christus in quantum homo filius Dei naturalis, & quomodo, & an etiam adoptiuus?

1. QVamuis hæc res subtiliter à scholasticis tractetur, non est tamen Scripturę interpreti dissimulanda vt pleraq; Scripturæ loca intelligat, & quomodo hac in re loquendum sit, benè teneat. Principio stabili fide tenendum est aduersus Arrium, Christum, vt Verbum est Patris, naturalem Dei filium esse, omnino Patri æqualem. Deinde eadem fide contra Nestorium, qui duas personas in Christo finxit asseuerandum est, Christum hominem absolutè, simpliciterve per idiomatum communicationem, vt cum Theologis loquar, esse filium Dei naturalem.

2. His positis distinguendus est, clareque intelligendus cum Theologorum schola modus ille loquendi in hac controuersia. etenim cùm vestigamus, sitne Christus, in quantum homo, Dei filius; voces illæ, *in quantum homo*, duobus modis sumi possunt, vel, quod aiunt, reduplicatiuè, hoc est, prout causam adæquatam, commensuratamque innuunt; vel specificatiuè, hoc est, vt notent naturam, in qua aliquid dicitur alicui conuenire. iam constat non id nos hic agere vt dubitemus, an humana in Christo natura sit causa vel ratio propter quam Christus est filius Dei, constat enim id esse non posse, & inde sequi omnem hominem esse Filium Dei naturalem, talem enim sensum gignunt eæ voces, si adæquatam causam contineant. posteriori ergo modo hic eas voces sumimus, vt sit hæc sententia; an Christus in humanitate subsistens habeat in humana natura respectu Dei rationem aliquam filij.

Distinctio propositionis: Christus in quantum homo est filius Dei.

3. Iam verò tribus propositionibus huic difficultati satisfacere conabor. Prima sit: omninò Christus in quantum homo, dicendus est *Filius Dei*. Probat id Adrianus Papa in epist. ad Episcop. Hispan. ex illo Roman. 8. 32 *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Scimus*, inquit, *quia non est traditus secundùm diuinitatem, sed secundùm id quod verus homo erat, illum nimirum, qui traditus est, id est, hominem ipsum Apost. proprium Dei filium protestatur.* Iterum exponens hæc verba, quæ nunc præ manibus habemus. *Hic est Filius meus dilectus*, &c. quæ habentur Matthæi 3. & 17. sic ait: *Super quem descendit Spiritus sanctus in specie columbæ super Deum an super hominem?* & inferius: *Secundùm id quòd homo est, Spiritum sanctum super se venientem suscepit: de eo ergo hominis filio, super quem Spiritus sanctus descendit, licèt vnus sit Dei, & hominis filius, vox Patris intonuit, dicens: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; si secundùm diuinitatem dixisset, nequaquam diceret, in quo mihi benè complacui, sed tantummodo in quo mihi benè placui; dum ergo dicit complacui, totam simul Trinitatem comprehendit, quia in homine Christo tota complacuit*

1. propositio. Notanda Adriani verba.

Trinitas. Animaduertite, quia nihil vobis restat vt secundùm diuinitatem tantummodò credatis dixisse Patrem, hic est filius meus dilectus, sed potius secundùm humanitatem, super quam Spiritus sanctus dicitur descendisse. Hæc si quis benè perpendat quę habentur in ea epistola, itemque in alia Concil. Francford. næ ille fatebitur Christum inquantum hominem esse Dei Filium vocandum.

Nec valet si quis dicat, voces illas, quas Adrian. vel Concil. illud vsurpat, videlicet, *secundùm humanitatem*, vel, *secundùm quod homo*, designare solùm suppositum Verbi in natura humana subsistens, esse filium Dei, quomodo dixit D. Thom. quæst. 16. art. 11. hanc propositionem; *Christus, secundùm quod homo, est Deus*, veram esse: nam reuera hæc locutio impropria est, & neganda potius, vt Diuus Thomas ibi etiam affirmauit. Deinde propositio nostra hac ratione stabiliri potest. Nam Christus in quantum homo seu in humanitate sua est particeps cœlestis hæreditatis, ergò in ipsa humanitate habet ius ad hæreditatem illam, igitur & secundùm eamdem humanitatem est filius Dei, & quidem multò præstantius, quàm iusti hęredes beatitudinis, & filij Dei vocantur. hinc meritò Patres dicere solent Christum vt Deum esse vnigenitum Dei; vt hominem verò, esse *primogenitum in multis fratribus.* Rom. 8. *& primogenitum omnis creaturæ.* Coloss. 1. vt patet ex Concil. Sardi. in epist. ad omnes Fideles, & ex Cyrill. Alexandr. libr. de fide ad Theod. & lib. 1. de fide ad Reginas in ostensione, quòd Christus sit Deus in epist. ad Hebræos vbi Paulus ait: *Locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum.* quod non videtur propriè conuenire nisi in Christum vt hominem, quia vt Deus non constituitur hæres, sed natura sua est omnium Dominus simul cum Patre & Spiritu sancto. est ergo Christus vt homo, dicendus propriè filius Dei, eo modo quo iam explicaturi sumus.

Sit altera propositio, Christus inquantum homo, est filius Dei naturalis, tametsi interueniente gratia vnionis. hæc videtur Adriano Papæ, & Concil. etiam Francfordensi consentanea, dum probant Christum vt hominem esse filium Dei naturalem, & loqui videntur etiam ratione gratiæ vnionis, & meritò. Etenim sicut Christus in humanitate ipsa est sanctus, & summè carus Deo propter gratiam vnionis, ita & propter eamdem vnionem habet ius proprium, & connaturale ad diuinam hæreditatem in ipsa humanitate suscipiendam, ergò ex vi illius vnionis, est etiam filius Dei. fateor tamen hanc filij relationem, non esse realem, sed rationis; innititur enim in gratia vnionis, seu in persona verbi hypostaticè vnita humanitati quasi formaliter illam sanctificante, & præbente ius ad diuinam beatitatem, persona autem diuina non potest esse fundamentum relationis alicuius, quæ re ipsa cohæreat, & recens accedat, cuiusmodi est ista de qua loquimur, relatio filij in Christo, quatenus homo est.

Cæterùm cum dicimus Christum in quantum hominem propriè esse naturalem filium

A Dei propter vnionem diuinam, non significamus Christum vt hominem dici posse propriè filium Dei per essentiam, æternamve generationem. vt docet D. Thom. quæst. 24. art. 2. ad 1. vide ibi Caiet. sic enim est æqualis Patri, cùm tamen, vt homo non sit æqualis, sed minor illo, à quo nec procedit per æternam generationem; significamus ergo per gratiam vnionis hoc factum esse, vt natura humana verè ac propriè sit substantialis natura filij Dei, ita vt personæ sic constitutæ intrinseca, ac connaturalis, non extrinseca, & aduentitia, sit talis gratia vnionis, atque adeò vt ratione illius sit intrinsecum, & connaturale, & debitum huic homini ius ad æternam hæreditatem in natura quoque humana; ac proindè vt etiam inquantum homo is sit filius Dei & hæres; hoc autem modo B declarari potest hic, de quo loquimur, filij respectus: nam finge Patris, vel Spiritus sancti personam hominem induere, tum sanè homo ille nec simpliciter, nec inquantum homo dici posset filius naturalis Dei communicatione idiomatum, quomodo nunc Christus dicitur *Verbum*, seu *Filius Dei*, hæc enim mutua idiomatum communicatio tantum fit à relatione propria personæ assumentis, & ita tunc diceretur ille homo Pater, seu Spiritus sanctus; posset tamen dici *Filius Dei* inquantum homo, hoc alio sensu in quo nunc loquimur, videlicet, quia ex vi vnionis haberet intrinsecum, & quasi connaturale ius ad capessendam diuinam hæreditatem in ipsa etiam humana natura, quod satis est ad hanc filij rationem: ita ergò nunc de G Christo, eiusque filij respectu loquimur, cùm affirmamus ipsum, inquantum homo est, esse filium Dei naturalem ratione vnionis, propter quam intrinsecè, & connaturaliter obtinet vt sit hæres vniuersorum, ac proindè & filius Dei naturalis, hic autem ordo filij alius est ab eo, quo Patrem vt Deus respicit ab æterno genitus.

Quòd si roges, an secundùm hanc relationem filij respiciat Christus totam sanctissimam Trinitatem? Respondeo: ita esse planè. quod obseruauit Adrian. verbum illud expendens, *complacui*, vt retuli numer. 3. & iure, quia à tota sanctissima Triade accepit humanitas Christi gratiam vnionis, à tota etiam collata est illi hæreditas, ad quam habet connaturale ius; hinc est quod Ioann. 20. 17. dicitur: *Ascendo* D *ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*, quo loco de se, vt homo est, loquitur, & eumdem vocat Deum & Patrem suum qui noster est Deus & Pater. liquet autem non solùm primam personam, sed totam sanctam Triadem Deum esse, & Patrem Christi vt homo est, itemque nostrum. Ioann. item 14. 31. *sicut mandatum*, inquit, *dedit mihi Pater, sic facio.* constat autem reuera præceptum à tota Trinitate profectum esse, quamuis per appropriationem Patri tribuatur. non tamen propterea dicendus est CHRISTVS Spiritus sancti filius, ne occasio detur errandi; putare enim quis posset etiam in diuinis Spiritum sanctum esse eius Patrem; vel saltem ne ratione humanæ generationis, quæ virtute Spiritus sancti dicitur perfecta in vtero Virginis, credatur Spiritus sanctus

fuisse

Quomodo intelligere debemus, Christum inquantum homo est, esse naturalem filium Dei.

7.

Locus Ioan. 20. 17.

Locus Ioan. 14. 31.

An dicendus Christus Spiritus S. filius.

Digitized by Google

fuisse verè Pater Christi. his accedit hanc dignitatem filij de qua loquimur, competere Christo quasi formaliter ratione filiationis diuinæ ipsius humanitati collatæ, per vnionem factam à tota sancta Triade, atqui hæc relatio filij solùm respicit Patrem æternum inter diuinas personas. quare simpliciter ac speciatim compellatio filij, non est Christo tribuenda per respectum ad alias personas, sed tantùm per relationem ad Patrem.

8. 2. propositio.

Verùm quamuis rectè hæc dicta sint, sit tamen tertia propositio; Christus, in quantum homo, non potest dici *filius Dei adoptiuus*, sic D. Thom. quæst. 23. artic. 4. & quæst. 32. artic. 3. & quæst. 43. artic. 1. & 4. con. gent. cap. 4. Magister cùm Scholast. in 3. distinct. 10. constat ex auctoritate Patrum Chrysostom. vel auctoris imperfect. homil. 40. in Matth. in illa: *Reuerebuntur filium meum*, vbi notat Prophetas ante Christum missos adoptiuos filios fuisse, Christum vocari proprium filium, vt & Paul. nominat Roman. 8. Ambros. item libr. 1. de fide, capit. 9. ait: *nos filij per adoptionem, ille per naturam*, idem testatur de Incarnat. Domin. Sacramen. cap. 8. idem habet August. epist. 120. cap. 4. & lib. con. Secundi Manich. cap. 5. & libr. 3. contra Faust. cap. 3. libr. etiam 1. de consens. Euangel. cap. 2. affirmat Paulum vsurpasse nomen adoptionis, vt quid interst inter Christum & nos, indicaret; idem docet Irenæus lib. 3. contra hæreses, cap. 21. *Propter hoc enim*, inquit, *Verbum Dei homo, & qui filius Dei est, filius hominis factus est commixtus Verbo Dei, vt adoptionem percipiens*, nimirum homo, *fiat filius Dei*. Sic enim intelligendus est Irenæus, quamuis & aliter Feuard. intellexerit. Quin Hilarius lib. 3. de Trinit. *Multi*, inquit, *nos filij; sed non talis hic filius; hic enim verus, & proprius est filius, origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione*, &c.

9. Contra eos, qui Christū vt hominem adoptione filium vocāt.

Hac patet hallucinari eos, qui existimant Christum secundùm humanitatem *adoptionis filium* dici posse, & secundùm hanc filiationem primogenitum illum fuisse; secundùm autem alteram, quæ naturalis est, vnigenitum. in hac sententia D. Hilarius fuisse videtur; nam de Christo loquens libr. 2. de Trinitate: *Potestatis*, inquit, *dignitas non amittitur, dum humanitas adoptatur*, vbi saltem de humanitate affirmat adoptatam esse, quod etiam Gabr. 3. sent. distin. 10. concesit cum quibusdam alijs, idem Marius Victorin. libr. 1. contra Arrium. Verùm vt D. Thom. ait: hi Patres largè, & impropriè vsi sunt nomine *adoptionis*, significant enim ea voce, quodcumque beneficium, seu gratiam liberaliter collatam. itaque gratiam vnionis humanitati factam, adoptionem vocant. apertè tamen hanc sententiam, hoc est, Christum, in quantum homo est, dici posse filium adoptiuum ratione gratiæ habitualis. Durandus defendit in 4. distinct. 4. quæst. 1. & eum sequitur Gagnæus in sua Paraphr. in cap. 8. ad Roman. Sed probo falsum hoc esse: nam primo Paul. cap. 8. ad Rom. 15. ait: *non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum: in quo clamamus* (*Abba Pater.*) En Paulus adoptionem in filios merito Christi susceptam significat. quod & ad Ephes. 1. 5. ostendit: *qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* ergò quicumque adoptati sunt in filios per Christum sunt adoptati. igitur Christus non adoptione filius est. lege Hieronym. in verba prædicta epist. ad Ephes. Deinde secundò ex D. Thom. 3. part. quæst. 23. artic. 4. filiatio est proprietas non naturæ, sed hypostasi conueniens: sed in Christo vna tantum fuit hypostasis, eaque increata, cui naturalis filiatio conuenit, ergò propriè loquendo Christus non aliam, quam naturalem filiationem attribuemus.

Durandi sententia reijcitur.

1. ratio.

2. ratio.

10. Obiectio.

Sed obijciet aliquis: Christus, vt homo, est persona humana, id est, ex persona diuina, & humanitate composita; ergò vt sic erit capax relationis filij Dei per participationem; ergo & adoptionis, quamuis absolutè, & simpliciter sit filius naturalis; neq; enim repugnat aliquid dici participatiuè, quod p se dicitur si diuerso modo spectetur, vt dicitur Christus simpliciter ens per se sua natura, quia Deus, & tamen in quantum homo potest dici ens per participationem; vt homo enim creatura est. Verùm hæc obiectio facilè soluitur ex sequente ratione tertia qua Adrian. Papa, & Concil. Francford. vtuntur. nam *adoptiuus filius* non dicitur, nisi qui est alienus, & adoptatur ad hæreditatem ex indulgentia; vnde etiam in l. 1. ff. de adoptionibus, *adoptiuus* opponitur *naturali*. Sed hæc definitio, Christo etiam vt homini, non potest competere. ergo nec filij adoptiui ratio in eo locum habebit. patet assumpta propositio, primum quidem quantum ad id quod non sit alienus, quia Christus, qua homo, non est aliena persona; neque enim est alia persona à persona filij Dei naturalis: & licet sumatur vt persona composita, tamen ita etiam sumpta includit intrinsecè filiationem Dei naturalem, per quam constituitur in huius esse personæ. igitur nullo modo concipi potest vt persona aliena, vel extranea à diuina filiatione. deinde quoad alteram partem constat idem assumptum; nam hic homo Christus non admittitur ad diuinam hæreditatem suscipiendam in humanitate sua omnino liberaliter, & ex indulgentia, sed intrinseca, & connaturali acceptatione, & debita ratione vnionis; igitur vndequaque incapax est adoptionis. hoc ergo modo intelligendus est Diuus Thomas cùm ait: id quod est per se tale, non dici tale per participationem. nam si id, quod dicitur per participationem, vt, Verbi gratia, esse filium adoptiuum exigat in ipsamet persona aliquid repugnans propriæ perfectioni talis personæ, non poterit de illa affirmari etiamsi determinatio aliqua apponatur. atque adeò Christus non potest dici persona creata, seu finita etiam in quantum homo, repugnat enim id perfectioni eius personæ secundùm se; & huius generis est filiatio adoptiua, requirit enim in persona vt extranea sit.

3. ratio.

Quis filius adoptiuus.

11. 4. ratio.

Sed ratio, quæ cæterarum caput & fundamentum est, & ad quam cæteræ ferè reuocantur, est hæc quarta humanitati Christi hoc ipso, quod à suppositio diuino assumpta est, ius, & possessio hæreditatis æternæ sunt tributa, & non illi ius illud per vllam aliam adoptionem liberaliter à gratia habituali, vel quauis alia ratione à gratuita Dei voluntate manante fuit

con-

Digitized by Google

concessum: quomodo omnibus alijs filijs adoptionis concedi solet. ergò si filiatio alia à naturali Christo secundùm humanitatem tribuenda sit, non debet illa adoptionis filiatio dici.

12. Id quod optima adhuc ratione confirmari potest: nam qui filius est per adoptionem, is etiam ex sent. Duran. in 4. distinct. 10. quæst. 2. prius saltem ordine naturæ est sine iure ad hæreditatem, & deinde per gratuitatem adoptionem ius ad ipsam hæreditatem acquirit, sed non fuit prius hic homo Christus, ne ordine quidem naturæ, quam esset in eo respectus filij, & ius ad hæreditatem; ergò ne abusiuè quidem Christus filius adoptionis secundùm humanitatem dici debet.

Hoc sic magis declaratur; quia filius adoptiuus prius est, quam sit filius saltem ordine naturæ: etenim filius adoptiuus non per illam actionem producitur, per quam filius adoptiuus constituitur, sed per aliam priorem, & quę minimè pendeat à tali filij respectu, Christus verò, etiam vt homo, simul, & per eamdem actionem, qua constitutus est hic homo, seu Christus, habuit vt esset filius Dei: hanc rationem insinuat Augustin. libr. 3. contra Faust. ca. 3. Sed ais saltem humanitas ipsa prius fuisse intelligitur ordine naturæ quam habuerit vnionem, atque adeò filiationem. ergò saltem ipsa dici poterit adoptata, licet non Christus. Respondetur gratiam vnionis esse alterius rationis gratiam, & ideò per eam non confertur adoptio, sed tribuitur per eam, vt quis sit filius superioris ordinis, id est, naturalis.

An humanitas adoptata dicatur.

Mitto quod filij respectus non naturæ, sed personæ est.

13. Sed quærat aliquis, an hoc ita certum sit, vt fide tenendum sit? Respondeo non videri rem hanc omninò certa fide definitam esse. nam quod aliqui afferunt ad id astruendum definitionem Adrian. & Conc. Francford. non multum me mouet; in eo namque Concil. agitur contra quemdam Elipandum Toletanum Episcopum, qui videtur idem cum Nestorio tenuisse, quod attinet ad duas personas in Christo, id quod directè ibi damnatur, definiturque Christum inquantum hominem non esse filium adoptiuum, si *inquantum* designet, licet impropriè, tantum suppositum; sic enim Christus inquantum homo, est filius Dei naturalis æqualis Patri. item definitum est ibi, quod Christus vt homo propriè non sit filius adoptiuus secundùm hypostasim aliquam, nimirum humanitatis, ad quam referatur filiationis appellatio, quæ semper ad hypostasim refertur aliquam. Cæterum quod nullo modo Christus inquantum homo propriè filius sit adoptiuus, ita certum est, vt contrarium vix verosimile vel probabile sit, quamuis vt fide tenendum definitum nondum sit, quod & Franciscus Suarez tertia parte, disputatione tertia, sectione secunda. sub finem censuit.

An hoc sit de fide, quod nō sit filius adoptiuus.

14. Sed Durandus sic nos vrget: gratia, inquit, Christi est eiusdem rationis cum nostra, sed nos sumus filij adoptiui ratione huius gratiæ, ergò & Christus inquantum homo. Respon-

Durandi obiectio.

A sum in promptu est. nam si de gratia habituali sit sermo, non de gratia vnionis, sic fateor eiusdem rationis esse in nobis, & in Christo. verum modus illam habendi non idem est, quia nos non supponimur filij sed alieni, & per gratiam ad hereditatem liberaliter acceptamur: Christus verò per gratiam habitualem non constituitur propriè filius, sed supponitur per gratiam vnionis esse filius, & nec alienus vllo modo est: nec præterea liberalis donatio est illi gratia habitualis, sed debita est illi, & quasi proprietas consequens vnionis filiationem, & ideò nos filij adoptiui dicimur, non ille. immò si *filius* esset dicendus ratione gratiæ habitualis, non diceretur adoptiuus, sed potius naturalis: nam gratia

B connaturalis fuit Christo non aduentitia & extranea, & sicut igni naturalis est calor, aquæ verò violentus, ita gratia in Christo naturalis est, nobis autem aduentitia, & ideò in Christo non fundat relationem filij adoptiui, sicut in nobis. Ceterum, verum non est dici Christum filium Dei vllo modo ratione gratiæ habitualis, quia relatio fundata in gratia habituali in Christo, non recipit dominationem filij, tantum enim dicitur filius inquantum homo propriè, quamuis non sit negandum in Christo gratiam, cuius auctor est Deus, fundare respectum realem effectus ad Deum vt ad causam, sed iste respectus ad Deum, non vt in nobis, ita & in Christo capax est denominationis filij.

G

DIGRESSIO PRIMA MORALIS.

In qua quæ de transfiguratione dicta sunt, accommodantur ad ipsum iudicij diem & communis resurrectionis.

1. MENS & consilium CHRISTI fuit in transfiguratione etiam declarare aliquo modo gloriam aduentus sui ad extremum iudicij diem, quando eius diuinitas omnibus omninò hominibus erit manifestissima. Huc commodissimè referri possunt illa verba: *Sunt quidam de hic stantib. qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in Regno suo.* Matt. 16. non igitur erit alienũ ab intentione Christi, si quæ hic de transfiguratione dicuntur ad eum diem applicemus.

D *Post sex dies.*] Rectè id quadrat in extremum iudicij, diem, & tempus resurrectionis. Sex diebus conditus est mundus: igitur spatio sex dierum consummato aduenier rerum omnium creatarum finis, & Iudicis aduentus.

sex dies quid mysticè.

Sic Theophylactus *tu autem disce*, inquit, *post sex dies, id est, post mundum, qui sex diebus conditus est, Dei contemplationem futuram.*

Beda verò ait: per hos sex dies *ratione mystica significari, post sex mundi ætates sanctis ab omni labore quiescendum.* idem habet Rabban. sic scri-

bens:

bens: *merito post sex dies gloriam illam ostendit, quia post sex dies futura est resurrectio.* hæc ratio Hilarij quoque est: *post dies sex*, inquit, *gloria dominicæ habitus ostenditur sex millium scilicet annorum temporibus euolutis Regni cœlestis honor præfiguratur.*

2. Significant etiam sex dies omnes vitæ huius labores, & ærumnas Iob 5. 19. *in sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.* Rectè ergò vita præsens sex dierum numero significatur: nam septima quietis est. Idē significatur verbis illius Archisynagogi Luc. 13. 14. *sex dies sunt in quibus oportet operari.* ad idem fortè significandum Hebræus sex annis seruiebat Exod. 21. 2.

3. *Octo dies quid.* At Lucas octo dierum mentionem facit, id, quod rectè etiam quadrat: nam & septenarius numerus pœnitentiæ numerus est, & significat dierum vitæ huius hebdomadam, at octaua lætitiam; & resurrectionem iustorum innuit: Vel si mauis, sex dies laborum sunt, septima sabbatismum continet, cum videlicet sepulti quiescemus. octaua dies resurrectioni assignatur.

4. *Locus Gen. 2. 2.* *Compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat; & requieuit die septimo ab omni opere quod patrarat* Genes. 2 2. nos quoque post sex dies, post exantlatos pro Christi nomine labores, post bona opera, in immortalem illam vitam omni labore, & solicitudine liberi admissi, quiescemus. etenim vt Paul. ad Hebr. 4. 9. 10. ait: *relinquitur sabbatismus*, hoc est, requies, *populo Dei, qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus.* vocem ergo Apostoli libenter accipiamus, qua v. 11. sic hortatur: *festinemus ergo ingredi in illam requiem.* Vide August. lib. 22. de Ciuit. cap. 3.

5. *Separatio discipulorum quid.* *Assumit Iesus*] Neque hoc vacat mysterio. in duas partes discipuli diuiduntur: aliqui ad radices montis remanēt, & quidem pars eorum maior; tres dumtaxat ad Christi gloriam conspiciendam assumuntur. nam die illo extremo Iudex *statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris* Matth. 25. 33. en tibi duas iudicandorum sortes. & oues quidem paucæ, hædi verò multò plures. quod verò ad radices montis hi relicti sint, & tres illi in cacumen assumpti, indicat id, quod D. Paul. Thess. 4. 16. scripsit: *simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*; & iure sane mali, qui caduca, & terrena amarunt, tunc in terra erunt; boni qui cœlestibus inhiarunt, cœlum versus rapientur, & sic semper cum Domino erunt. Hoc idem Apostolus scripsit Cor. 15. 51. *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur:* nam boni corporis dotibus & animæ donabuntur. Hanc tam amaram, tam terribilem separationem expressit nobis Dominus Luc. 17. 34. *dico vobis in illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus assumetur, & alter relinquetur, duæ molentes in vnum: vna assumetur, & altera relinquetur: duo in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur.* ex quocunque enim statu aliqui salutem assequentur intrā paradisi ianuā admissi, aliqui ab illa excident in Baratrum conjecti. Porrò per eos qui in agro, Prælati meritò intelliguntur tanquam satores, & agricolæ, ijdem signantur per Noe, arcæ moderatorem tempore diluuij. Per molentes verò indicantur qui matrimonio iuncti sunt. hi enim qui mundana tractant, & cùm mundanis versantur, similes molentibus sunt, quorum est vita laboriosa, rotarum strepitu inquieta, & tumultuosa, & vix fieri potest, ac ne vix quidem, quin aliquid adhæreat farinæ semper, id est, mundani pulueris ijs, qui in medio tumultuum, ac mundanorum strepitu & labore versantur; ij significantur per Iob, cuius vita exemplar esse debet coniugatorum. Per eos denique qui in lecto iacent aptè accipiuntur Religiosi per Danielem significati; debent enim contemplationi, & sanctis desideriis esse intenti, & in pace, hoc est, in vita à sæculi tumultu seiuncta, quasi in lecto iacere. Ex triplici ergò hoc hominum statu, & ex quolibet illorum aliqui salutem, aliqui mortem consequuntur æternam. *Qui stat videat ne cadat.*

A B

Ceterùm cui debeant iusti acceptam referre salutem, sat verbis illis declaratur, quibus dicitur Christus assumpsisse Petrum &c. *Beatus* namque *quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.* Psalm. 65. 5. & Psal. 72. 24. *tenuisti manum dexteram meam.* Dauid inquit, *& in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me* &c. de sponsa Cant. 8. 5. dicitur: *quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super Dilectum suum?* nemo enim intra cœlestem gloriam admittetur, nisi Christi meritis & auxilio innixus fuerit, neque quisquam illuc ascendet, vbi *tribus, tribus Domini ad confitendum nomini Domini*, nisi assumatur à Christo, qui cruciatus & mortem pro nobis libenter assumpsit.

6. *Quid dicatur Christum assumpsisse. & quid sit.*

C

7. *Christi transfiguratio.* *Et transfiguratus est.* Obseruandum hic est triplicem Christi transfigurationem esse; vnam in monte, in cruce alteram, tertiam in valle Iosaphat, & quidem quantum duæ primæ differant, satis per te videre poteris: nam in monte vt filius Dei gloriosus apparuit, in cruce tanquam peccator, non gloria, & honore, sed opprobriis, & ignominia circumdatus. Ad iudicij verò transmutationem pertinere potest illud Iob 30. 21. *mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi.* tūc enim Christus qui se hic mitissimum agnum exhibuit, *quasi leo rugiet*: tunc ille: *occurram*, inquit, *eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum, & consumam eos ibi quasi leo.* Oseæ 13. 8. tunc fiet illud quod Apoc. 6. 15. 16. 17. prædictum est esse futurum: *reges terræ & Principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus & liber, absconderunt se in speluncis & in petris montium, & dicunt montibus, & petris: cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum. & ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum. & quis poterit stare?*

D

Locus Iob 30. 21.

8. *Quid splendor faciei Christi.* *Resplenduit facies eius sicut sol, & vestimenta eius &c.* Hic splendor faciei Christi maiestatem indicat, & ignem illum, qui ante ipsum præcedet: *ignis* enim *in conspectu eius præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Psalm. 96. 3. hæc maiestas, hic splendor Christi significatus est Daniel. 7 9. *thronus eius flammæ ignis accensus:* Porrò *thronus* hic *flammeus & igneus*, quinque res denotat, vt Perer. in eum Daniel. locum obseruat: *namque in flamma est claritas, est item ardor: claritas throni ostendit omnia, de quibus iudicium fa-*

Locus Luc. 17 34.

Iturus

turus est Deus, esse clarissima illi, atq; manifestissima. itaq; nullatenus errare potest in iudicando propter ignorationem veri. Deinde ostendit illud iudicium nullis fore occultum, sicut nunc plerasq; Dei iudicia mortalibus abdita, & incognita sunt: tunc autem omnibus, & hominibus, & Angelis erunt clarissimè conspicua; nec quisquam tam manifesta, testataq; veritati contraducere audebit. Ardor præterea throni tria indicat; primò Deum ad iudicandos homines venturum, non hominum odio, vel cupiditate vindictæ, sed ardore amoris, quo veritatem, & iustitiam amat: tum declaratur efficacitas illius iudicij, cuius executio nullo modo impediri poterit; ad extremum, ignis aurum reddit purius, & illustrius, paleam verò denigrat, adurit, & consumit; sic in illo iudicio, summa bonis claritas, & gloria accedet, improbi verò incredibili cum probro, & ignominia ad sempiternas inferni pœnas relegabuntur. quia verò Deus sua potestate, & efficacitate celerrimè percurrit omnia, ac permeat, ideò quamuis natura immobilis sit, rotas tamen habere thronus eius dicitur, & vt Sap. 7. 24. significatur, *omnibus mobilibus mobilior est sapientia; attingit autem vbiq; propter suam munditiam,* & v. 27. additur: *& cum sit vna omnia potest, & in se permanens, omnia innouat.*

9. Quid vestium candor.

Vestium sanè candor iustorum gloriam manifestat, qui Christo tanquam vestimenta adhærent. nam vt vestes pretiosę hominem amicientes, eumdem exornant: ita pij Christo inhærentes amore, decori illi, & ornamento sunt, iuxta illud Ierem. 49. 18. *omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa.* quod præsertim omnibus manifestissimum erit in resurrectione iustorum, quando fulgebunt *iusti sicut sol, & in regno Patris eorũ* instar niuis, quæ candida, ac frigida est, omnium oculis pulcri, & castitatis candore conspicui apparebunt. Meritò igitur Gregor. 32. moral. 7. ait: *in transfiguratione quid aliud, quàm resurrectionis vltimæ gloria nunciatur? in monte vestimenta eius sicut nix facta sunt, quia in supernæ claritatis culmine, sancti omnes ei luce iustitiæ fulgentes adhærebunt.*

10. Moses & Elias quid?

Ecce apparuerunt illis Moyses & Elias]. Iudicabit Christus viuos & mortuos. Hoc ergo Elias & Moses qui è viuis excesserat, ostendunt. sed & aliud hic subest: declarant enim hi duo in gloriam illam cœlestem ingressurum esse neminem, nisi per Christum. nam vel qui Christum anteceſſerunt, vel qui secuti sunt, eius meritis salui erunt, quicunque salutem consequentur. ex his autem duobus Christum Moses antegressus est, consequetur Elias ad finem tandem mundi interimendus: quod si Apostolos numerare velis; signabunt & hi eos qui Christi tempore vixerunt, vt in multitudine illa, quæ in die Palmarum Christum circumstetit, & qui præibant, & qui eius latera hinc inde cingebant, vno omnes animi sensu, vna alacritate accinebant illi; *Hosanna filio Dauid*, omnes item in illum intendebant siue oculos, siue mentem.

11. Quid sopor discipulorũ, & vigilia, & videre maiestatem Christi, &c.

Grauati erant somno, & euigilantes viderunt Maiestatem, &c.] sopor hic non obscurè indicat omnes quotquot à primo homine in hanc lucem editi sunt, morituros esse antè extremum iudicij dicem. Quod verò euigilasse dicantur Apostoli declarat audituros omnes vocem il-

A lam: *surgite mortui, & venite ad iudicium*, etenim *venit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij.* Ioann. 5. 28. Denique quod euigilantes viderunt Maiestatem, innuit illud, quod Matth. 24. 30. *tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute multa, & maiestate.*

12. Domine bonum est, &c.

Domine bonum est nos hic esse.] Ostendunt hæc verba quanta sit futura illius gloriæ magnitudo, quam inexplicabilis suauitas hanc quoque explicat pulcritudo hic, atque præstantia corporis Christi, hanc gloriam nobis Paulus ad Philippens. 3. 20. 21. describit: *nostra*, inquit, *conuersatio in cœlis est, vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum IESVM Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ secundum operationem, qua etiam possit subijcere sibi omnia.* exẽplar ergò gloriæ nostræ, corporis Christi gloria est. operationẽ verò dicit Dei tam potentem, vt omnia sibi subijciat, atque ex ijs ea efficiat, quæ velit: quare non mirum si tam pretiosis dotibus crassa, obscura, grauia, morti obnoxia etiam hominum corpora sit ornaturus. nam siue animam, siue corpus, siue hominem totum spectes, dici nequit quantis donabuntur bonis, quanta iucunditate fruentur, *torrente enim voluptatis suæ potabit eos*, anima videbit, & comprehendet Deum suum: nec id modo, sed & amabit, & fruetur. *Videbimus* enim *eum sicuti est*: tunc ostendet faciem suam, atque adeò omne bonum, quando *videbimus Regem in decore suo*, tunc cum sponsa læti dicemus. *inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.* quòd est comprehendere sine vllo amittendi timore. quis verò explicet quanta sit futura illa fruitio, illa iucunditas? Petro vel tantillum illius gloriæ concessum fuit videre, & extra se positus exclamat admirabundus: *Domine bonum est nos hic esse.* Ecquis igitur tunc erit animæ sensus, ecquę cogitatio cùm se torrente voluptatis potari sentiet? quanta ex summi boni intuitu enascetur voluptas? Omitto illam in Deo creaturarum agnitionem: nam qui omnia videntem videbunt, quid erit quod visuri non sint? Porrò fidei respondet visio, comprehensio spei, charitati fruitio.

13. Corporis dotes.

Corporis verò dotes erunt impassibilitas, ob patientiam; & indefessam pro Christo laborum tolerantiam: nam mortale absorptum erit à vita. *oportet* enim inquit Paulus 1. Corin. 15. *mortale hoc induere immortalitatem, & corruptibile hoc induere incorruptionem.* Altera est subtilitas pœnitentiæ; Tertia agilitas obedientiæ respondens: erit enim corpus tunc, tam subtile, tam leue, tam agile, ita velox vt non modo oneri minimè sit, sed veluti spirituale factum spiritui in omni sit futurum actione consentiens, *vbi* enim *volet spiritus, ibi protinus erit corpus neq; aliquid volet spiritus, quod nec spiritum possit decere, nec corpus*, vt docet Augustin. 22. de Ciuitat. cap. 30. Postrema est claritas, quæ maximè castitatem consequetur, etenim vt Sapient. 3. 7. dicitur: *fulgebunt iusti & tanquam scintillæ in arundineto discurrent*, tanta erit tunc celeritas

Locus Phil. 3. 20. Gloriæ magnitudo.

motuum, atque facilitas. hæc corporis ornamenta, & dotes sic breuiter simul cõplexus est Paul. 1. Cor. 15. 42. 43. 44. *seminatur* inquit corpus *in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute, seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.*

14. *Pax ibi summa.* Totus porrò homo anima & corpore constans summa atq; incredibili pace fruetur: *sedebit* enim *populus meus in multitudine pacis*, inquit Dominus, *in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta*: tunc bonorum omnium copia, *satiabitur homo cum apparuerit Domini gloria*: testis eius locupletissimus est Isaias 65. 12. 13. 14. *pro eo quod vocaui, & non respondistis, locutus sum, & non audistis &c. ecce serui mei comedent, & vos esurietis, ecce serui mei bibent, & vos sitietis, ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini; ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis.* aderit præterea ibi plena, ac perfecta iucunditas, cuius sæpè scriptura meminit. *Lætitia sempiterna super capita eorũ. Euge serue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui. iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Etenim Beati illi siue Deum videant, siue in seipsos oculos conuertant, siue in societatem illam beatorum intendant, siue denique alia quæcunq; considerent, causam semper inuenient summi gaudij. *Gaudium.*

15. *Æternitas.* Ceterum vniuersa hæc bona perpetua erũt, nullis vnquam sæculis terminanda. meritò igitur tunc Beati dicent: *bonum est nos hic esse.*

16. *Nubes lucida quid.* *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.*] hæc nubes lucida, quę nunc super discipulos facta est, & obumbrauit eos, est illa lux inaccessibilis, in qua Deus habitat vt Anselm. ait serm. de transfiguratione, quam sententiam Dionys. Areop. confirmat. itaque hac nube lucida præsentia Trinitatis Deificæ significatur: hic prorsus deficiunt, & prosternuntur Apostoli; neque enim tantũ Maiestatis splendorem ferre possunt homines mortales.

17. *Vox de nube.* *Et ecce vox de nube dicens: hic est filius meus dilectus &c. ipsum audite.*] Vox hæc Iudicis potestatem declarat. accepto namq; à Deo Patre in omnes imperio, & potestate summa, proferet sententiam, cui standum omninò erit. propterea subditur: *ipsum audite. Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi* Matth. 25. 34. terribili verò vultu, aspectu horribili conuersus ad impios ijs maledicet, & in supplicium æternum ablegatos ab se mittet in sempiternum: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Matth. 25. 41. hæc sententia illius vltimi, & generalis iudicij ore iudicis prolata, & ab omnibus exaudita, instar rapidissimi fluminis improbos demerget, absorbebit, & ad tartarum deturbabit, vt non sine causa Daniel. 7. 10. de eadem sententia dicatur: *fluuius igneus, rapidusq; egrediebatur à facie eius.* porrò illa, rapidus, & igneus, indicant sententiam illam Iudicis, quam celerrimè, & efficacissimè, correptis à Dæmonum turba improbis, & in tartarum delatis, executioni mandandam. indicant quod nõ poterunt impij coram iudice consistere, quod

A prædixit Dauid Psalm. 1. 6. non *resurgent impij in iudicio*, vel vt sonant hebræa, *non stabunt*, vel *consistent*, sed causa cadent, cùm iudicabuntur. Quis ergò tunc erit horror? quantus tremor? qualis in miseris illis sensus? non erit quẽ appellent, quo se vertant, non spes vlla fiet reliqua salutis, plangent, vociferabuntur, vlulabunt, quousque dehiscens tellus eos absorbeat in baratrum demergendos, & nunquam Dei faciem visuros. O infelices homines? O miseram hominum conditionem? ecquid igitur mirum quod facta hac voce corruerint Apostoli. cum etiam quodammodo Beatos illos, si fieri poterit, timor, & horror sit inuasurus: *& si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt.* 1. Petr. 4. 18. *Horror iudicij.*

B

DIGRESSIO II.
MORALIS.

Percurritur eadem historia transfigurationis, & ad mores accommodatur

L Aboribus, qui pro Christo tolerantur, propositum esse præclarum præmium, non ignorat ille, qui vel primoribus labris diuinas degustauit scripturas. Constat autem nihil ita efficax esse ad perferendas huius vitæ molestias pro Christo, quam antè oculos semper habere propositam regni cœlestis spem, spes enim & timor quasi duo mundi cardines vocantur, in quib. tota vniuersi machina voluitur, hoc est, tota hominum vita conuertitur, quorum altero deficiente tota ruet & deficiet, vt enim timor vitæ nostræ libertatem coercet, ita spes animum ad cœlestia erigit. quis enim tantus labor esse potest, qui cœlestium bonorum consideratione non libenter toleretur? Chrys. hom. 12. ad Philip. *caput*, inquit, *sursũ, sursum oculos, istud & pedotribæ currentibus præcipiunt, ita solidatur fortitudo. sursum vbi palma est suspice. ipsa palma conspectus multam facit alacritatem.* Imitemur ceruos, qui teste Plin. li. 8. cap. 32. gregatim maria tranant nantes, nec terras vident, sed in odore earum natant: ita nos odorem cœlestium trahentes, huius mundi pelagus traijciamus, laboriosè nauigationis cursum libenter sustinentes. Audiamus amicam illam Pauli vocem hortantis nos, vt propositam æternorum præmiorum spem firmã tanquam ancoram teneamus ad Hebr. 6. 18. 19. *fortissimum*, inquit, *solatium habeamus qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam.* nam sicut ancora tempestatis tempore naues firmas continet, ne ventis arripiantur in saxa, & contentantur: ita spes beatitatis æternæ nos firmos, ac stabiles seruat in medijs fluctibus, & tempestatibus mundi huius, ne in peccata abripiamur, & confringamur. *Moyses*, vt idem Paulus ait ad hebr. 11. *elegit affligi cum populo Dei* spreta Pharaonis aula: *aspiciebat enim in remunerationem.* sic Dauid Psal. 118. *Inclinaui*, inquit, *cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.* Difficile iter ad virtutem est, confragosum, accliue, ab itinere oculos auerte, finem viæ iucundum attende, & vt ait Aug. Ps. 36. *si vis sustinere* C D *Speiac timoris vis.* 1.

Digitized by Google

nere laborem, attende mercedem. propterea Christus cum de cruce ferenda prius verba fecisset, mox gloriam transfiguratus ostendit, vt animaret suos ad perferendos labores, ad cruciatus subeundos cœlestis mercedis cogitatione armatos.

2. Secessus orationis.

Facta est species vultus eius altera.] Secessit Christus in montem vt oraret, & tunc facta est species vultus eius altera, & resplenduit; amat.n. quietē Deus, vt se animæ oranti ostendat. relinquēda est proinde oraturo turba, & hominū & negotiorum. locum semotū, tempus tranquillum captare debent qui orationi vacant, si diuinæ lucis radios in se recipere cupiunt, hic.n. est proprius, ac genuinus orationis effectus, vt animus Deo quam simillimus euadat; quod in facie Moſis ostēsum est. nam cum diutius versatus esset cum Deo familiariter ex infinito illo lumine quosdam attraxit lucis radios, quos cum alij viderent nesciebat ipse. Sic Exod. 34. 29. scriptum est: *cumq; descenderet Moyses de mōte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Quia nimirum prudens Dei contemplator quantò illustrior, quantò donis cœlestibus auctior est, tantò ad ea, quibus excellet, perspicienda, oculis debet esse hebetior, esto omnibus admirationi sit propter eum splendorem, quem Deum contemplando, contraxit. Vt enim si quis rem odoriferam, vel Chirothecas præstanti vnguento delibutas tractet, manus inde suauiter olentes referat necesse est, & ad alios quoque eam odoris suauitatem transferat; ita sanè qui diuina sæpè tractat, meditatur, ac cœlestia attento animo voluit, impletur quadam quasi diuini odoris suauitate, & cœlesti dulcedine, vt in cœlestem, diuinumq; virum transisse aliquo modo videatur. huius rei testis est animi illa quies, illa serenitas gaudium illud piorum hominum, qui cœlestibus diuinisq; contemplationibus addicti sunt. Vnde in alios. suauissimus odor, & cœlestis quidam fulgor emanat.

Locus Exod. 34.29.

3. Locus Pauli 2. Cor. 3.18.

Ii planè sunt qui cum Paulo 2. Cor. 3. 18. dicere possunt: *nos verò omnes relata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu,* G. habetur κατοπτριζόμενοι significat autem κατοπτρίζειν: in speculo repræsentare, id est, susceptam in se imaginem tanquam in speculo repræsentare. Iterum idem est κατοπτρίζειν, quod speculari, vel in speculo videre: illud verò transformamur. G. est μεταμορφούμεθα, hoc est, transfiguramur. quem locum sic interpretatur Theod. *quemadmodum aqua perspicua eorum qui inspiciunt aspectum & ipsius solu circulum, & cœlorum conuexa effingit, ita etiam cor purum fit diuinæ gloriæ veluti quoddam speculum, quod eam refert & exprimit:* Caiet. κατοπτριζόμενοι explicat instar speculi susципientes gloriam Domini, & reddentes, quorum vtrumque speculi munus est, quasi dicat, officium speculi exercentes, quod ij faciunt, qui instar speculi præsertim dum orant, Christi imaginem in se susципiunt mox bonis exemplis, sanctis hortationibus, & virtutibus eamdem proximis repræsentant. & hæc expositio procedit iuxta priorem huius verbi significationem, vt sit sensus iuxta Theodor. & Caiet. nos verò gloriam Domini tanquam speculum recipientes receptamq; aliis videndam exhibentes non instar Moſis faciem velantes, à claritate in claritatem, siue à gloria in gloriam (potest enim δόξα vtrumque significare.) id est, per abundantem Dei gloriam in nos transfusam transformamur in eandem cū illo imaginem, id est, ad eius imaginem, & similitudinem accedimus, quia *cum apparuerit tunc similes ei erimus.* transformamur autem *tanquam à Domini spiritu,* id est, Domini spiritu sic nos transformante. Iuxta verò posteriorem verbi κατοπτρίζομαι significationem sensus est: gloriam Moſis Iudæi videre non poterant, quod eius facies velata esset, nos verò non ita: quia *renelata facie* Moſis, id est, spirituali legis cognitione percepta, quæ nos Christum venisse docuit, *gloriam Domini speculantes,* id est, nunc per fidem velut in speculo cognoscentes, *in eandem cum illo imaginem transformamur,* dum illi quotidie per fidei, & virtutum incrementa incorporamur, transformamur à claritate in claritatem, siue à gloria in gloriam, dum gloriosiores ab eo efficimur, clariorēmq; subinde Patris cognitionem nanciscimur. Sicut Gagn. exponit.

4.

Sed, pro dolor, pauci sunt nunc inter Christianos qui sic orent; quare meritò Chryso. in Christianos inuehitur languidè frigideq; Deū precantes. sic enim de varijs locis in Matth. homil. 17. tom. 2. scribit: *nonnulli introeuntes Ecclesias in mille versus extendunt orationem suam, quasi apud Dominum multitudine sermonum opus sit, tanquam ignoranti quid postules, qui antequam cogites nouit. nam & illi quidem quid dicunt, nesciunt, labia mouentur solummodo, mens autem sine fructu est, & aures eius surdæ sunt. Tu non audis orationem tuam, & Dominum vis audire precem tuam? flexi, inquit, genua, curuasti quidem genua intus, sed mens tua foris vagabatur, corpus tuum intus, sed sensus foris os quidem loquebatur, sed mens vsuras cogitabat, amicorum verba voluebat, parasitorum vrbanitates ridebat, mulierum speciem considerabat, Diabolus enim cum sit astutus, scit quoniam in tempore orationis grandia postulemus, & sæpius impetremus, impedire festinat improuidas mentes.* Hactenus Chryso. & quidem, quod dolendum est, verè eiusmodi precatores auersatur Deus, quamuis prolixè orantes, sic enim Amos 5. 23. *auser à me tumultū carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.* Hebr. auser desuper me: fastidientis. n. vox est, & quasi magno & molesto onere grauati.

Locus Amos 5.23.

5. Locus Iob 36 32.

Resplenduit facies eius.] Rectè Iob cap. 36. 32. *in manib.* inquit, *suis abscondit lucem, & præcipit ei vt rursus adueniat.* rectè dici potest Christus abscondisse in manibus suis, diuinitatis, & gloriæ lucem, quando homo factus nostræ mortalitatis vestem induit, & Deitatis suæ gloriam celauit, aptè verò in manibus abscondisse dicitur, quia lux in manibus abscondita vix potest ita celari, quin per digitorum saltē rimas aliquo modo eius splendor non emicet. ita Christi Diuinitas & gloria quasi in manibus celabatur assumptæ humanitatis, per quam velut per manus operabatur Deus: erat enim illa coniunctū Diuinitatis organum. quamuis autem sic Christus verè Deus absconditus esset; quandoq; tamen gloriæ suę radios per humanitatem emit-

tebat, dum vel mortuos ad vitam reuocabat, cœcis visum restituebat, curabat infirmos, Dæmones pellebat: præsertim verò cum in monte Thabor gloriosus apparuit, tunc præcepit luci, hoc est, gloriæ Deitatis, vt rursus adueniret; singulari. n. modo tũc Diuinitatis suæ, & gloriæ dedit indicia. nec mirum, quia in manibus suis absconderat lucẽ, promptumq; erat illi quoties libuisset, & abscondere, & aperire gloriã suã. Sed cur id nunc prestiterit docet idẽ Iob seq. v. 33. *annuntiat deea amico suo, quod possessio eius sit, & quod ad eã possit ascendere.* nam vt annuntiaret amicis suis de hac suæ gloriæ luce, quod possidere eã, & ad eam ascẽdere possent: ideo glorioſus apparuit; ideo Diuinitatis suæ sic voluit radios quosdã emittere, ideò Petrũ, Iacobũ, & Ioan. testes gloriæ suę esse voluit, nimirũ vt ita suorum spẽ erigeret, & qui ipsum ducẽ sequi vellẽt, intelligerẽt posse se post laborũ & crucis tolerãtiã eiusmodi gloriã adipisci.

6. *Cur medius Christus inter Mosem & Eliam. Zelus & mãsuetudo.*

Apparuerunt illis Moses & Elias.] accómodatè satis inter Mosem & Eliam medius apparuit Christus. etenim Mose mansuetudo, fuit enim mitissimus omniũ. num. 12. Elia verò zelus Dei significatur, erat. n. tanquã fax Dei zelo inflãmata Eccl. 48. sed nisi zelus & mansuetudo in Iesum intendant mediũ, eiusq; gloriam respiciant, vana sunt & suo fructu carẽtia, ita in Arca testamenti tabulæ legis cum Manna & virga simul repositæ sunt, quod B. Greg. 3. p. Past. c. 17. declarat, ideò factum, vt intelligeremus in Dei lege seruanda vtrumq; adhibẽdum, suauitatem, & disciplinam, & vt idem ait ad id insinuandum spiritus S. & Columbæ, & ignis specie apparuit, vt mansuetudinem non esse zelo Dei contrariã, neq; hunc illi aduersari ostenderet. si ergò zelus non alio tendat quam in Iesum, & mãsuetudo, proximi peccata ferat propter Iesum, & hominum salutem, nullo vnquam tempore suo fructu destituentur.

7. *Excessus Christi.*

Dicebant excessum eius, &c.] Mirũ sanè est in medio tãtæ gloriæ de morte, & Cruce agi. sed desines admirari si intelligas tanto Christũ pro nobis moriendi desiderio flagrasse vt mortem ipsam, & Crucis ignominiã, gloriã ille suã cẽseret. hinc non mirũ quod mortem suam *claritatem* vocarit apud Ioannẽ; *Pater clarifica filium tuũ.* hoc autem verissimum esse ẽt testimonio Apoc. c. 5. intelligere poteris. describit enim ibi Ioannes Deum Patrẽ in throno gloriæ sedẽtem, & Agnum stantẽ tanquã occisum, vndiq; perfusum sanguine, cuius tamen mortẽ, & pœnarum acerbitatem summa lætitia persequuntur beati: sic enim scribit Ioannes habuisse illos in manibus Citharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, cecinisse verò percutiẽtes musica instrumenta v. 12. *dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & Diuinitatem, & sapientiam & fortitudinem, & honorẽ, & gloriam, & benedictionem.* Si igitur in cœlesti illa, & immortali cælitum sede tãto gaudio excipitur recordatio mortis, & sanguinis Christi, non est cur dubitemus esse illam summæ gloriæ, & ornamento ipsi eidem Christo. iccircò nullus sermo, nulla cuiusq; rei commemoratio ita cordi esse poterat Christo, vt sermo de Cruce, & morte, eiusque recordatio.

Locus Apoc. 5.

8.

Sunt præterea & aliæ rationes quamobrem de excessu loquerentur. Primũ vt discipuli Crucis Christi horrorem deponerent, atq; adeò in animum inducerent multo iustissimum esse, & conueniẽtissimum crucis ignominiam subire, & mortis perferre suppliciũ. deinde quia vt antea nunquã gloriam aliquã admisit Christus, nisi aliqua simul condiretur aduersitate, vel cótradictione vel subeundę crucis recordatione, ita quoq; gloriã nunc transfigurationis placuit probrosæ mortis recordatione respergere. Ad hæc cõmendare voluit nobis crucis, ac mortis suæ memoriam, vt illa nunquã ex animo, vel memoria laberetur, quæ ipsi adeò cordi fuit, vt in summa gloriæ maiestate positus, illius tamen obliuisci noluerit. postremò monere homines voluit, vt in diebus bonorũ memores essent malorũ, ne fortè prosperitatis alicuius splendore abrepti, & in transuersum acti, in elationem efferrentur.

9. *Vigilandũ nobis.*

Et euigilantes] monet nos hic loc⁹, ne qui ad Christi gloriã aspiramus sopori, vel socordiæ nos tradamus. etenim si rationem indagemus quamobrẽ homines tam parũ cœlestia curent, potiorem nullã assignabimus, quam quod veterno quasi quodã capti de æternis vix vnquã, de caducis verò rebus ferè semper, cogitent. euigilandũ igitur cũ Apostolis nobis est, si cœlestem gloriam intueri volumus, si regẽm ipsũ Christum in alto gloriæ solio sedentẽ, immẽso lumine circũamictũ vultu hilari aspicre placet.

10.

Explorarunt olim Israelitæ missis exploratoribus, antequam illam inirent, terram promissionis: nos etiam omni depositio sopore, apertisq; contẽplationis oculis sanctas præmittamus meditationes in cœlũ, & ardentib. desiderijs cœlestem patriã, & inexplicabilem illã gloriam adhuc in mortali corpore constituti, frequenter lustremus, eoq; magnis itineribus peruenire contendamus. hinc. n. fiet vt quẽadmodum Israelitarũ exploratores botrum, malogranata, & ficus vbertatis terræ promissionis indices reportarunt, ita nos ex rerum cœlestiũ contemplatione vel aliquã ex ipsa Deitate dulcedinẽ, vel ex Christi humanitate, vel ex iucũda Beatorum societate, suauẽ nonnullũ fructũ referemus, quæ tria rectè per ficus, botrum, & malogranata significantur. nam nihil dulcius deitate, nihil aptius ad significandum Christi sanguinem pro nobis expressum botro, nihil ita exprimit ordinatã illã, & charitate ardentẽ, & regalib. coronis ornatã cœlitũ multitudinẽ, vt malogranata. excutiẽdus igitur somnus est, ne tantorũ bonorũ cõmunicatione priuemur.

Quid ficus, botrus, malogranata ex terra promissionis allata significent.

11. *Alia viuentiũ, alia mortuorum cogitationes.*

Bonũ est nos hic esse.[vide quantũ intersit inter mortuorũ, & hic viuentium cogitationes; vita functus erat Moses Elias quamuis adhuc viueret, vitã tamen viuebat longè diuersam à ceterorũ mortaliũ vita. Petrus adhuc communem hanc cum cęteris hominib. aurã spirabat; verũ illi qui ex hac hominũ colluuione excesserant, de excessu & morte, de Cruce loquebantur. Petrus verò hic manere desiderabat, illa tũ gloria corporis cõtentus, nihil de æterna beatitudine, nihil de laborũ tolerãtia sollicitus: si liceret nobis iã vita functos interrogare, num de acquirendis diuitijs anxij sint, de honoribus, de voluptatibus? responderent sanè illi: *Quid profuit nobis superbia, diuitarum iactantia*

quid

quid contulit nobis? Omnia velut vmbra transierunt; nos verò miseri, qui in terris residemus adhuc, & breuem hãc degimus vitam, terrenis immorimur bonis, & inflãmatis studijs tantum caduca versamus animo. sic Sap. 26. dicunt impij: *Venite ergò & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur Creatura tanquam in iuuentute celeriter, vino pretioso, & vnguentis nos impleamus; & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant; nullum pratũ sit, quod non pertrãseat luxuria nostra.* Similes ij mihi esse videntur meretrici illi 3. Reg. 3. quæ freta Salomonis sententia puerum vnũ in duas partes dissecare volebat, atq; ita ab ea auferre, quæ vera mater erat, *nec mihi*, inquiens, *nec tibi, sed diuidatur.* ita mundani homines terrenæ sapientiæ secuti iudicium, bonis corporis quasi beatitudine frui interim volunt, & quę post hanc vitã reliqua est, beatitudinem non curant, sed alijs possidendam relinquunt, illud inculcantes nefariæ meretricis, *nec mihi, nec tibi, sed diuidatur*, atq; ita gloriam & beatitudinem quasi duplicẽ separant, dum eã ẽt in terris quærunt, quæ tantũ in cœlis mundi contemptorib. proposita est: Vnde fit, vt neq; nunc beati sint in terris, neq; veræ beatitudinis participes futuri sint in cœlis; ea.n. est beatitudinis, & gloriæ cõditio, vt si diuidatur, pereat, si hic quæratur, moriatur. Verè igitur Petrus nesciebat quid diceret, cũ solius corporis gloriæ cupidus dicebat: *bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula.* Absit vt hic sistamus, quin potius tanquã hospites, & aduenæ magnis in Patriã itineribus contẽdamus. *erras Petre*, inquit Hier. Mat. 16. *sicut & alium Euan. testatur, nescis quid dicas. noli tria tabernacula quærere, cũ vnũ sit tabernaculũ Euangelij, in quo lex & Propheta recapitulanda sunt, si autem queris tria tabernacula, nequaquam seruos cum Domino conferas, sed fac tria tabernacula, immo vnum Patri, & filio & Sp. S. vt quorum est vna diuinitas, vnum sit & in pectore tuo tabernaculum.*

Locus 3. Reg. 3.26.

12.

Pia D. Aug. precatio.

Longè aliter Aug. de vera beatitudine sentiebat, qui in terris dum viueret omnẽ terrenarũ rerum voluptatem, ac dulcedinẽ abhorrebat. sic ille soliloq. c. 22. cum Deo loquebatur: *Obsecro summa Veritas te per te, nõ permittas me in aliqua consolatione vana consolari, quam in te; sed peto vt omnia mihi amarescant, vt tu solus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo inextimabilis, per quã cũcta mala dulcorantur. Tua.n. dulcedo Stephano lapides torrentis dulcorauit, tua dulcedo craticulam B. Laurentio dulcẽ fecit, pro tua dulcedine ibant Apost. gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andreas securus ad crucem, & gaudens, quoniã ad tuã dulce dinẽ properabat. hæc.n. tua dulcedo ipsos Apost. Principes sic repleuit, vt pro ipsa Crucis patibulũ vnus eligeret, alter quoque caput ferienti gladio supponere non timeret. pro hac emenda Barthol propriã pellem dedit. Pro hac quoq; gustanda veneni poculũ Ioan. potauit. Hanc verò vt gustauit Petrus omniũ interiorẽ oblitus clamauit quasi ebrius, dicens: Domine bonũ est nos hic esse, faciamus hic tria tabernac. hic moremur, te contẽplemur, quia nullo alio indigemus. sufficit nobis Domine videre te. sufficit, inquit, tanta dulcedine satiari. vnã.n. ille dulcedinis stillã gustauit, & omnem aliã fastidiuit dulcedinem. Quid putas dixisset si magnã illam multitudinẽ dulcedinis diuinitatis tuæ gustasset, quã abscondisti timentib. te? Hanc tuam dulcedinẽ ineffabilem & illa gustauerat Virgo, de qua legimus quod lætissima, & glorianter ibat ad carcerem quasi ad epulas inuitata. Hanc (vt reor) & ipse gustauerat qui dicebat, quã magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quã abscondisti timentibus te: quiq; monebat: gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Hæc est enim illa beatitudo Domine Deus noster, quã expectamus daturũ te nobis, pro qua tibi Domine continuè militamus, pro qua tibi mortificamur tota die, vt in tua vita tibi viuamus.* Hæc piè Aug.

13. Beatitudo cœlestis.

Bonũ est nos hic esse. Immò verò nõ bonũ est hic semper esse, sed ibi bonũ est esse, vbi erit semper benè, beatèq; esse, quod si tantũ placet minima in terris hausta de cœlo voluptas, cũ nondũ apparuit quod erimus, quid faciet tunc torrens voluptatis, cũ Dei erimus in cœlis hæredes, atq; Reges constituti. Audi Chrys. epi. ad Theod. lapsum, explicantẽ exemplo quanta futura sit sanctorũ in cœlis dignitas, & præstãtia, *quemadmodũ*, inquit, *puellus regium primũ alitur cibo non admodum splendido, terretur minus Pedagogi, ne per indulgentiã lapsus paterna se indignũ reddat hæreditate; mox regiã nactus maiestatem, omnia hæc mutat, præsidet cum magna libertate, vestitus purpura, diademate q, ornatus, & stipatus numeroso satellitio, abiectis ab anima rebus humilibus, ac subamaris, in quorũ tunc locum omnia magnifica, omnia iucunda successerunt, sic tunc eueniet omnibus sanctis.* hæc Chrys. non ergò diutius hic hærendũ, sed potiùs ex quantulacumq; hic cœlestis gloriæ, ac suauitatis participatione, tanto ardẽtiore studio festinandũ nobis, vt eo veniamus, vbi perfectum erit gaudium filiorum Dei, vbi tanquam in Regno præsident, & dominantur.

Chrysost.

14. Idem.

Ad hanc nos beatitudinẽ summis votis optandã hortatur idẽ Chrys. eod. loco ista subijciens: *dic obsecro, si quis te in theatrũ induceret, vbi magna multitudo hominũ sederet amicta stolis aureis, & in medio omnium ostenderet aliũ quemdã adornatum eximiè gẽmis, Regio vestitu insignem, coronã habentẽ in capite, deinde polliceatur te assumpturum in numerum eorum, num omnia faceres quæ ipse iusserit? Euola nunc in Cœlos, animo in illud intende theatrum, quod non coijt ex huiusmodi viris. Conuẽtus est illic eorum, qui exsuperant omne pretium auri, lapidum pretiosorum, radiorũ solis, & omnis visibilis formæ, non hominũ solum, sed eorum qui hominib. antecellunt, Angelorum, Archangelorũ, &c. de Rege ipso nihil satis idoneum dici potest, adeò sermonem, & mentẽ omnẽ excedit eius pulcritudo, formositas splẽdor gloria, Maiestas, magnificentia. Tantũ ne bonorũ à nobis ipsis submouebimus, quo declinemus exigui temporis laborẽ? Quod si quotidie foret infinities moriendũ, ferendũ tamen esset. Præterea gehennam, tormenta q, omnia conuenit sustinere vt videre queas Christum venientem in gloria sua & conscribi ordini sanctorũ. Audi quid Petrus dicit: Bonum est nos hic esse. Si Petrus, qui vidit obscurã quamdam imaginẽ futurorum, omnia continuò reiecit ab animo propter voluptatem inditã animæ à tali aspectu: quid dicemus, quando verũ veritas aderit, quando regijs cubiculis adapretus, contueri licebit ipsum Regẽ, non per ænigma, nec per speculum, sed facie ad faciẽ. sunt quidã absurdi iudicij, ij dumtaxat amant effugisse gehẽnam. contrà ego multo durius esse tormentum quoddã assero, quam gehenna est, hoc est, non assecutum esse tantam gloriam, & illinc illapsum esse.* Tantum

Pœna damni quã acerba.

Chryſoſt. qui poſtremis verbis indicat pœnam damani, quàm ſenſus eſſe grauiorem.

15. Gregor. *Faciamus hic tria tabernacula.*] Greg. li. 8. mo. c. 41. *iuſti, inquit, nec oblata bona hic pro magno ſuſcipiunt, nec illata mala valdè pertimeſcunt: ſed cum bonis præſentib. vtuntur, ventura mala metuunt; & cum de malis præſentib. gemunt, bonorum ſequentiũ amore conſolantur; ſicq; temporali refouentur ſubſidio. ſicut viator in ſtabulo vtitur lecto, pauſat, & recedere feſtinat; quieſcit corpore, ſed ad aliud tendit mente. nonnunquam verò & aduerſa perpeti appetunt, in tranſitorijs proſperari refugiunt, ne delectatione itineris à Patria peruentione ſequeſtrentur, ne greſſum cordis in via peregrinationis figant, & quandoq; ad conſpectum cœleſtis patriæ ſine remuneratione perueniant. Gaudent deſpici, nec dolent ſe neceſſitatib. affligi, qui ergò contra præſentia ſe aduerſa nõ muniunt, quaſi contra æſtus, & pluuias habere tabernaculum nolunt. Vnde & Petrus iure reprehenditur, quia nec dum mentis perfectione roboratus, veritatis claritate cognita in terra figere tabernaculum conatur. Iuſti itaq; hic ſe conſtruere negligunt, vbi peregrinos ſe, & hoſpites nouerunt. Quia enim in propriis gaudere deſiderant, eſſe in alieno felices recuſant. Iniuſti autem quanto longius ab æterna patria hereditate diuiſi ſunt, tanto in terra altius fundamenta cogitationis figunt.* Hæc Greg.

16. Damaſc. *Neſciens quid diceret*] Damaſc. de transfig. Domini ſic ſcribit: *quid autem Petrus poſtquã diuinæ huius reuelationis ſpectaculo ei frui contigit? tanquam ſpiritu afflatus, & extra ſe raptus, bonũ, inquit, ad Dominum, eſt nos hic eſſe, nec mirum, caligine enim cum luce commutat, ac ſanè cernitis, quã lum, ex qua lux omnis illuminatur, & ſuauiorem, & magis expetendam eſſe putatis? & ipſammet vitam, à qua vita omnis viuificatur, & impertitur: in qua omnes viuimus, mouemur, & ſumus, quanto tandẽ amabiliorem, & iucundiorem? An non totus eſt dulcedo, ac totus deſiderabilis &c. An non igitur bonum eſt à bono minimè ſeiungi? non abſurdè ſanè Petrus hoc prolocutus eſt, verum quoniam omnia tẽpore ſuo bona ſunt, ac ſuũ cuiq; rei tempus eſſe Salomon pronuntiauit, oportebat portò non ijs dumtaxat, qui illic erant, bonum circumſcribi, ſed ad omnes qui fide præditi eſſent, diffundi, ac propagari; quo plures eſſent, qui beneficium perciperent; quod quidem per crucẽ, ac mortem perficiendũ erat, haud quaquam ei bonũ erat illic manere, qui figmentũ ſuum, cuius cauſſa carnem induerat, ſuo ſanguine redemturus erat, ſi in monte Thabor manſiſſetis, nequaquã, ô Petre, pollicitatio tibi facta exitum nacta fuiſſet. non. n. Regni clauiger extitiſſes, non latroni paradiſus patuiſſet, non ſuperba, atq; inſolens Tyrannis deleta fuiſſet, non orci regia in prædam conceſſa fuiſſet, non Adamus ſaluti reſtitutus, non Eua redempta, non Patriarchæ, Prophetæ, & iuſti ex imis inferni receſſibus erepti fuiſſent, non deniq; humana natura incorruptibilitatem induiſſet. Quo circa Petre ne ea, quæ bona ſunt præproperè quæras. erit id aliquando, cum hoc ſpectaculo in ſempiternũ frueris. Dominus non tabernaculorum, ſed vniuerſæ Eccleſiæ ducem, & moderatorem te conſtituit. diſcipuli tui, hoc eſt, oues tuæ, quas bonus ille paſtorũ Princeps fidei tuæ commiſit, ſermones tuos in opus perduxerunt, vt qui nimirum hodierno die Chriſto, ipſiuſq; famulis Eliæ, ac Moyſi tabernaculum conſtruxerint. Hæc porrò non ratione, atq; animi conſideratione proloquebatur Petrus, verùm ſpiritu futura prædicentis inſtinctu, non enim ſciebat, quod diceret, ait Diuiniſſimus Lucas, ac Marcus etiam cauſſam hanc affert: erant enim timore perterriti.* Hęc Damaſc.

17. Greg. ſubmiſſe ac modeſte agendum. *Erant enim timore exterriti*] *Illa, inquit* Gregorius libr. 2. expoſit. in libr. 1. Reg. cap. 3. *interna maieſtatis ineffabilis pulcritudo electam mentem, cui ſe delectabiliter oſtendit, aliquando mirabili pauore concutit, ne de viſionis magnitudine ad elationem proſiliat, ſi eam, quam blanda contemplatio ad tam ſumma euehit, prouector ſuus ſpiritus timoris moderamine non refrenat. in vna quidem, & eadem reuelatæ gloriæ viſione & bonitas Redemptoris aſpicitur, ineffabiliter blandiens, & equitas illius ineffabiliter terrens; vt quo videntis animus de reſpectu Dei bonitate dulcius paſcitur, conſideratione æquitatis territus, caueat ne inaniter ſatietur. Vnde & Samuel cum ad Diuina locutionis familiaritatem ſuſtollitur: ei non læta de electorum profectu, ſed de magnorum defectu terribilia nuntiantur. nam ſubditur: & ait Dominus ad Samuelem: ecce ego facio verbum in Iſrael: quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius.* ſic Greg.

18. Aug. de voce Patris, hic eſt &c. *Hic eſt filius meus dilectus*] Auguſtin. orat. de hæreſ. cap. 7. *ecce. inquit, vox de nube dicens. omnes audiamus. nemo aures claudat, audiant pagani irriſores, audiant Iudæi perſecutores, audiant Manichæi phantaſmatum ſomniatores, audiant hæreticę erronei litigatores, audiant, & maximè audiant catholici fideles Dei cultores. Iſti audiant, vt inſtruantur; illi vt corrigatur; aut iſti audiant ne ſeducantur, illi vt puniantur. Quid dicit vox de nube? Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè cõplacui: Vbi eſtis qui aduerſamini filio Dei? Pater dicit: Hic eſt filius meus & tu dicis, non habet, filiũ Deus? tu pagane quid ſtas foris, & murmuras? intra huc in ſcholã Dei, aperi aures cordis tui, audi vocẽ Domini tui, & diſce filium Dei. Quò fugietis Iudæi, qui occidiſtis filiũ Dei? Quò fugietis? Vbi vos abſcõdetis? qui montes, quæ petræ ſuper vos caſura ſunt? etſi in cauernis petrarum vos abſconderitis inde extrahã vos dicit Dominus. Sed & vos venite, intrate, conſilium meum audite &c. ſeuiſtis, occidiſtis, ſanguinem Chriſti fudiſtis &c. quid facere nunc debetis, niſi vt credentes baptizemini & viuatis? ſanguinem quod fudiſtis non eſt quod horreatis. fuſus eſt ſanguis medici, & factus eſt medicamentum frenetici &c. Quid tu Manichæe? quamdiu phãtaſmata ſomniabis? euigila, & vide, nubila tonant. Quid tonant? Hic eſt filius meus dilectus. Vide in terra hominem verum, audi de cœlo Deum verum. Vide in terra hominis filium, audi de cœlo Dei eſſe filium. vtrumque verum eſſe cognoſce, id eſt, Deum & hominem filium Dei, & filium hominis. Agnoſce hominem, & placabis Deum, &c. Audi tu Sabelliane, audi de cœlo Patrem, vide in terra filium & noli dicere, idem Pater qui filius. Audi & tu Arriane, & in Patre, & in filio noli errare, ſed ſequere veritatem, & vide Diuinitatem. Domine audiamus, quid dicis de filio tuo? Hic eſt, inquit, filius meus Dilectus, in quo mihi bene complacui. & quid aliud? Ipſum audite. Deo gratias. Intonuit præceptum Dei, & mutatum eſt conſilium Petri. Gratias tibi Deus æterna virtus, gratias tibi Deus Pater omnipotens, qui & filium tuum oſtendiſti, & mihi doctorem dediſti.*

De hac voce Patris, & cur Pater bis manifeſtauerit naturalem Chriſti filiationem, & quomodo Pater ſemel tantùm loqui dicatur, & quod tam in baptiſmo, quam in transfiguratione tota Trinitas apparuerit, cur Sp. S. in

baptiſ-

baptismo sub forma columbæ, hic verò sub specie nubis se ostenderit, & cur IESVS hic præcipiatur audiri non in baptismo, consule D. Th. 3. part. quæst. 39. artic. 8. & quæst. 45. artic. 4.

19. Hieron.

Accessit IESVS & tetigit eos: dixitque eis, surgite &c.] Diuus Hieronymus Matth. 17. sic ait: *quia illi iacebant, & surgere non poterant, ipse clementer accedit, & tangit eos: vt tactu timorem fuget, & debilitata membra solidentur. quos manu sanauerat, sanat imperio: nolite timere. Primùm timor expellitur, vt postea doctrina tribuatur.* Sic Hieronym. Intelligimus ergo nihil posse hominem sine gratia Dei, atque adeò ne surgere quidem, vel timorem deponere posse, nisi manu Christi tangatur, ac solidetur. Quam rem doctè obseruat Diuus Gregorius homilia 9 in Ezechielem sic scribens: *Ecce diuina vox iacenti Prophetæ iubet, vt resurgeret. Sed surgere omninò non posset, nisi in hunc omnipotentis Dei spiritus intrasset* (lege cap. 2. Ezechie. versic. 1. 2. huc enim respiciunt verba Gregor.) *quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem possumus, sed hæc implere non possumus, si ipse non adiuuat, qui iubet. Sic Paulus cùm discipulos admoneret, dicens: cum metu & tremore vestram ipsorum salutem operamini.* Philip. 2. 12. *illico, quis in eis hæc ipsa bona operaretur, adiunxit, dicens* versiculo decimotertio: *DEVS est enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate. Hinc est quod ipsa Veritas Discipulis dicit: sine me nihil potestis facere.*

Gratiæ vis, & Dei auxilij necessitas.

20. *Sed in his considerandum, quia si bona nostra sic omnipotentis Dei dona sunt, vt in eis aliquid nostrum non sit, cur nos quasi pro meritis æternam retributionem quærimus? Si autem ita nostra sunt, vt dona DEI omnipotentis non sint, cur ex eis omnipotenti DEO gratias agimus. Sed sciendum est, quia mala nostra solummodò nostra sunt: bona autem nostra & omnipotentis DEI sunt, & nostra, quia ipse aspirando nos præuenit vt velimus, qui adiuuando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere quæ volumus. Præueniente ergo gratia, & bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis DEI donum est, fit meritum nostrum, quod benè Paulus breui sententia explicat dicens* 1. Corinth. 5. 10. *plus illis omnibus laboraui, qui ne sua videret virtuti tribuisse, quod fecerat, adiunxit: non autem ego, sed gratia DEI mecum, quia enim cœlesti dono præuentus est, quasi alienum se à bono suo opere agnouit: non autem ego. Sed quia præueniens gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bono, quod libero arbitrio eamdem gratiam est subsequutus in opere, adiunxit: sed gratia DEI mecum. Ac si diceret: in bono opere laboraui non ego, sed & ego. in hoc enim quod solo Domini dono præuentus sum: non ego. in eo autem quod donum voluntate subsequutus: & ego.* Hæc Gregor. contra Pelag. & Cælestin.

21. Mundi gloria citò abit.

Neminem viderunt nisi solum Iesum] Quò tanta illa gloria sic repentè abijt? ecce tibi Apostoli neminem tunc amplius ibi viderunt præter solùm Iesum; & hunc non splendentem vt prius, vel vestimento gloriæ circumamictum: nimirum sic transit gloria mundi, *omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri.* Isa. 40. 6. nam si terra aresci, in qua flos ortus

A est, quid mirum si flos quoq; ipse aresca? etenim caro, in qua humana subsistit gloria citò cadit, igitur & citò gloria cadet. Quod Greg. lib. 17. mor. c. 5. nos monet, & hanc gloriam fumo; & aquæ bullis confert, ergo non in hac mundi gloria, quæ citò transit, fidendum est, sed ad cœlestem illam, quæ perpetua est aspirandum.

22. Diuinæ illustrationes abscondendæ cùm opus non est.

Nemini dixeritis visionem] Sic sancti, quas de cœlo habent illustrationes perpetuo, quod ad se attinet, obtegunt silentio, quod & Paulum fecisse legimus, qui *raptus est vsq; ad tertium cœlum*, & in Paradisum, *& audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui* 2 Cor. 12. quatuordecim enim totos annos visum hoc tacuit, & cùm coactus fuit euulgare, ita id fecit, vt quasi de alio, cui id obtigisset, verba faciat. *Scio*, inquit,

B *hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsq; ad tertium cœlum* &c. *non sola* inquit Chrysost. *hæc reuelatio facta est Paulo, sed etiam aliæ multæ. Paulus verò vnam ex multis ponit* necessitate compulsus, & quidem post quatuordecim annos. *quod enim multæ fuerunt, audi quid dicat, ne magnitudo reuelationum extollat me.* V. 7. nisi igitur necessarium sit, vel vrgeat Dei gloria, vel proximi vtilitas abscondendæ sunt, non alijs aperiendæ diuinæ illustrationes.

23. Piè satis & vtiliter obseruat Greg. hunc eũdem locum sub calcem expositionis in libr. 1. Reg. *Quid est*, inquit, *quod Petrus cadit, cùm vocem audit insonantem tanti verba præconij? sed paruulus erat. adhuc videbat, quod videre non sufficiebat. Videbat, & quia videndo cadebat, significat quod ad id*

C *non poterat attingere, quod merebatur videre. nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. quia ergo Petrus nondum illam plenitudinem spiritus acceperat, prædicare Iesum quasi paruulus, nõ valebat. ergo surgere iubetur prius, & visionem nemini dicere, donec à mortuis resurrexisset. Post resurrectionem quippe accepturus erat Spiritum S. vnde scriptũ est: nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. non debebat ergo Petrus ante resurrectionem visionem dicere, quoniam quidem benè vidit, sed antequam spiritum haberet, non intellexit. Quid est ergo quod ad Samuelem Dominus ait: surge & vnge eum? Quid est quod surgere iubetur, vt inungat, nisi quia multum oportet eum erigi ad superna, qui sublimitatem Domini gestit prædicare? Sed quantum erectus erat Petrus, qui ad tanta videnda*

D *sustollebatur? Sed si ille adhuc altiorem statum perfectionis expectat, quis tantæ prædicationis officium subire non metuat? Si Prophetam Dominus surgere admonet: prædicare Dominum audet, qui per lapsum prauitatis iacet? hinc est enim quod vnicuiq; prædicatori per Isa. præcipitur.* 40. 9. *super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion.* hæc sapienter Gregor. vtinam ea obseruarent qui præcones diuini verbi sunt; maiorem planè fructum decerperent.

Quantum sit Christum prædicare.

CAPVT VIII.

EIICITVR DÆMONIVM, QVOD NON POTVERVNT EIICERE Discipuli.

A. 17. 14. B. 9. 13. C. 9. 37.

1. C. Factum est autem in sequenti die descendentibus illis de monte. B. veniens ad discipulos, suos (Iesus) vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis.

C. Occurrit illis turba multa.

2. Et confestim omnis populus videns Iesum stupefactus est, & expauerunt, & accurrentes salutabant eum.

3. Et interrogauit eos: quid inter vos conquiritis?

4. A. Accessit (autem) ad eum homo B.C. de turba A. genibus prouolutus ante eum B. & respondens C. exclamauit dicens: A. Domine miserere filio meo, quia lunaticus est & male patitur.

5. B. C. Magister, C. obsecro te, respice in filium meum, quia vnicus est mihi.

6. (Et) B. Attuli (eum) ad te habentem spiritum mutum, qui vbicumq; eum apprehenderit C subitò clamat. (&) B. allidit eum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit, C. & vix discedit dilanians eum. B. & dixi discipulis tuis, vt eicerent illum, & non potuerunt.

C. Et elidit & dissipat eum cum spuma.

7. B. Qui respondens eis, dixit: A. B. O generatio incredula. A. C. & peruersa B. Quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? A. B. Afferte huc A. B. illum ad me.

C. Infidelis. A. Quousque ero vobiscū? vsque quo patiar vos, vsque quo ero apud vos, & patiar vos.

8. B. Et attulerunt eum. Et cùm vidisset eum statim spiritus conturbauit illum, & elisus in terram volutabatur spumans.

C. Adduc huc filium tuum.

9. Et interrogauit Patrem eius: quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: ab infantia.

C. cùm accederet elisit illum dæmonium, & dissipauit.

10. Et frequenter eum in ignem, & in aquas misit, vt eum perderet. Sed si quid potes adiuua nos, misertus nostri.

A. Nam sæpè cadit in ignem, & crebrò in aquā

11. Iesus autem ait illi: si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

12. Et continuò exclamans Pater pueri cū lacrymis aiebat: credo Domine, adiuua incredulitatem meam.

C. Increpauit Iesus spiritum immundum.

13. Et cùm videret Iesus concurrentem turbam, cōminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum.

14. Et exclamans, & multum discerpens, exijt ab eo, & factus est sicut mortuus ita vt multi dicerent, quia mortuus est.

15. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit A. & curatus est puer ex illa hora. C. & reddidit illum Patri eius.

C. Et sanauit puerum.

16. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei.

17. Et cùm introisset in domum discipuli eius secretò interrogabant eum. A. B. quare nos non potuimus eijcere. B. eū?

A. Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secretò, & dixerunt.

18. A. Dixit illis Iesus: propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granū sinapis dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.

19. Hoc autem genus non eijcitur, nisi per orationem, & ieiunium.

B. Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio.

20. B. Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam, nec volebat quemquam scire.

A. Conuersantibus eum eis in Galilæam.

SCHOLIA.

1. C. Factum est autem.] Obseruat Ianſ. Dominum qui ad perfectiora quædam agenda Thaborinum montem inſcendens, ſeſe ſubmouerat à turbis orādi videlicet ſtudio, & prę-bendi gloriæ ſuæ ſpecimē perfectioribus diſcipulis, his peractis rurſum ſeſe demiſiſſe, vt relictos alios diſcipulos ad radicem montis reuiſeret, & turbam iterum doceret, nimirum, hoc tam illuſtri charitatis exemplo verbi Dei præcones, & eos, qui animarum ſalutem procurant, egregiè docuit, decere interdum ſeſe è medijs turbis ſubtrahere, ac ſibi ipſi vacare, & in montem diuinæ contemplationis ſeorſim à cæteris ſemotos aſcendere, vt & alacriores aliquando redeant, & tantò promptiùs à populis recipiantur. Nec ſemper tamen in ſecretis illis exercitationibus morandum eſt, ſed mox viciſſim ad intermiſſa paſcendi populum officia redeundum eſt, nec grauatè ferre debent, ſi ſe accommodare oporteat captui, & infirmitati populorum, & vilis etiam plebeculæ, quamuis ſe diuinarum rerum cognitione refertos agnoſcant, & ea in re, doniſq; alijs cæleſtibus longè vulgò ſuperiores ſentiant; rectè, nam nec ipſe Dñs poſt tam ſingularem transfigurationis gloriam, & egregium æterni Patris teſtimonium aſpernatus ſit rudium diſcipulorum, & communis populi conſuetudinem; familiaremve conuictum.

I. Secedendum interdum ad orandum Dei præconibus.

In sequenti die] Hinc conſtare videtur Dominū præcedente nocte transfiguratum fuiſſe; proinde ſcripſiſſe Luc. *Factum est autem in sequenti die descendentibus illis de monte.* Eſt aũt veroſimile fermè totam noctem Dominum in monte orando peregiſſe. *Deſcendentibus illis de monte*] hoc eſt, vt G. eſt κατελθόντων αὐτῶν cùm deſcendiſſent illi de monte; eſt enim hoc loco G. præteritum; ſuperiùs verò c. 7. v. 14. cùm ex Matth. & Marc. dicitur: *& deſcendentibus illis de monte*: G. eſt participium καταβάντων αὐτῶν præſentis temporis, *cùm deſcenderent ipſi*, quia nimirum præceptum illud datum Apoſtolis, vt nemini dicerent viſionem, inter deſcendendum

2.

contigit;

Digitized by Google

contigit; quod verò hic narratur, accidit post descensum de monte. *Veniens ad discipulos suos*] Marcus distinctiùs ac copiosiùs ordinem historiæ, nexumq; describit; sic enim inquit; *& veniens ad discipulos suos*, cùm videlicet iam descendisset de mõte, *vidit turbam magnam circa eos, & Scribas cõquirentes cum illis*, & quæ sequuntur vt hoc capite digestum habes. Vnde altercatio.

Conquirentes] G. συζητοῦντας, id est, altercantes, & disputantes cum illis. *Cum* enim *nouem discipulos solos inuenissent Scribæ*, ait Euth. *circumueniebant eos interrogationibus, futurum sperãtes, vt illos compedirent, seu fallerent.* Idem habet Victor Marc. 9. *occasione* videlicet *ex Christi Seruatoris absentia capta, eos dolosè capere, & circũuenire posse arbitrabãtur* Scribæ & Pharisæi. Porrò quid conquirerent, Beda sic declarat: *potest ni fallor aptè intelligi, de hoc quæstionem fuisse motam, quare ipsi cùm essent discipuli Saluatoru, saluare dæmoniacum, qui in medio erat positus, non possent.* Sanè ex ijs quæ dicit, qui filiũ suum dæmoniacum attulerat, nõ est difficilè intelligere, quod fuerit argumentũ disputationis inter Scribas, & Discipulos. Hinc. n. colligere est disputationis occasionẽ fuisse ex eo, quod Discipuli non potuerunt eijcere dæmonium. Credibile. n. est Scribas, qui G. γραμματεῖς, id est, litterati, vel legisperiti dicuntur, obiecisse discipulis, vanè illos sibi polliceri potestatem eijciendi dæmonia, sed nec virtute diuina illos eijcere, cùm eijciunt, quæ Deo auctore impediri potest, cũ diuina non possit, & ex vna re in aliam disputationem esse deuolutam, vt disputando solet accidere.

3. Cur viso Iesu mirati populus.

2. *Et confestim omnis populus videns Iesum stupefactus est*] Euth. Marc. 9. *obstupuit*, inquit, *populus, aut propter accessus opportunitatem, quasi præcognouerit Scribarum inuasionem, ideoq; ad discipulorum auxiliũ aduenerit; vel propter splendorẽ aspectus eius, etenim verisimile est à transfiguratione gratiam quãdam contractam esse*: id quod etiã Theoph. placuit: *quidam*, ait, *dicunt, quod facies eius facta à luce trãsfigurationis formosior ad salutationem populum inuitarit.* dicitur ergo apud Marc. populus G. ὁ ὄχλος illa turba, obstupuisse viso Dño, videlicet, ob inopinatum eius, & subitum aduentum, ignorabant. n. vbi prius fuisset, aut vnde venisset: itemq; propter aduentus eius opportunitatem, quasi præcognouerit Scribarum inuasionem, vt dixi. Adhæc fortassis splendor aliquis relictus in Christi facie fuit stuporis, & admirationis populi causa, vt olim splẽdor vultus Mosis, cùm descendisset à monte. cui benè cõgruit, quod additur in Mar. *& expauerunt*: licet G. hæ duæ dictiones non habeantur.

Tres causæ stuporis.

Et accurrentes salutabant eum] pacem, vt loquitur Syrus, hoc est, salutem ei precabantur. omnes quidem quantum arbitror obstupuerunt, etiã Scribæ. Verùm non omnes salutarunt. Quare, vt superius, dolus Scribarum, & Pharisæorum notatur, ita hìc contra significatur plebis erga Christum reuerentia, ipsiusq; Christi quanta fuerit apud populũ auctoritas, quã apud simplicem plebem parit sinceritas doctrinæ, & vitæ sanctimonia, cùm eã frequenter nolit agnoscere superba, & sibi placens humana sapientia. omnis. n. populus mox vt vidit eum, salutauit eum, obuijs eum vlnis suscipiens.

4. 3. *Et interrogauit eos*] D. Marc. G. habet, & interrogauit Scribas, quid conquiritis cùm illis, notans Scribas, quod ipsi scripturarum cognitionem sibi promittentes, cùm his discipuli essent, & in Scripturis rudes disputarent. voluit item hac interrogatione discipulos à Scribarum diuexatione liberare, & miraculo occasionem præbere. non ergò interrogat quod ignoraret. loco verò illi⁹ dictionis, *Scribas*, interpres legis αὐτοὺς, id est, eos, intelligitur de Scribis & Discipulis inter se altercãtibus. Pro eo verò quod nos habemus *quid inter vos conquiritis*, G. habent; quid altercamini cum illis? nihil aũt refert, quod ad sensum attinet, vtrũ legas: *quid altercamini cum illis*, an *quid altercamini inter vos*, vel inuicem. Quanquam aũt Dñs interrogaret Scribas, aut Scribas simul, & discipulos, nullus tamen eorum respondit; tum quod respondere non auderent, nam & discipuli erubescebant de sua impotentia, & incredulitate, & Scribæ conscij erant de suo calumniandi studio: tum quod is, qui disputationi dedit occasionẽ ægri videlicet Pater, quoniam ardenter filij sanitatem optabat, ceteros præueniens, cœpit Dominum pro filij salute rogare.

A

4. *Quia lunaticus est*] Orig. hunc locum exponẽs sic scribit: *quoniã oportet & ipsa verba interpretari primũ quæramus, quare lunaticus appellatur, qui à spiritu immundo vexatur, & quare passio ipsa nomen accepit à luna, quæ post solẽ magnum luminare vocatur. medici ergo loquantur sibi, quæ volũt, qui nec immundum spiritũ arbitrantur sed corporalem aliquam* B *passionẽ, & dicunt humida moueri in capite secundũ aliquam comparationẽ ad lumen lunare, quod humidam habet naturã. Nos aũt qui Euangelio sumus credentes, dicimus hanc passionem immundi spiritum in hominibus operari, obseruat. n. quædam schemata lunæ, & sic operatur vt ab obseruatione quorumdã schematũ lunæ pati homines mentiatur, & per hoc culpabilem Dei creaturã ostendit.* D. Hiero, Mat. 17 eamdẽ sententiam sequutus lunaticum dici arbitratur, qꝰ à dæmone obseruato lunæ cursu vexaretur, & Mat. 4. lunaticos, qui ad Christum afferebantur, non verè lunaticos fuisse ait, sed qui tales putarentur ob dęmonum fallaciam, qui obseruantes lunaria tempora; creaturam, id est, lunam infamare cupiebãt, vt in Creatorem blasphemiæ redundarẽt. Theophyl. quoq; Matt. 17. idem sentit; ait enim: *non erat luna caussa morbi, sed diabolus obseruabat pleniluniũ, & tunc insidiabatur, vt arguerentur opera Dei tanquam nobis malum inferentia*: itaq; dicitur iste lu- C naticus, quia furore non perpetuo, sed per internalla à dæmone arripiebatur, & vt verisimile est secundùm lunæ cursum. Quare Caiet. opinio non placet. Putat enim habuisse dæmonium surdum ac mutum, sed præterea fuisse lunaticum, non à dæmone, sed naturali ægritudine. præsertim quia quæ Matth. tribuit lunatico, Marc. dæmonio surdo, & muto dat. Ex his tamen quæ diximus, non est eliciendum lunaticos omnes à dæmone agitari, cũ constet medicorum experientia dari morbũ quendam, qui dicitur comitialis, & lunaticus, quod certis lunæ mutationibus incrementa suscipiat, quamuis Origen. aliter videatur sentire, & cum illo alij. Iansen. credit hanc passionem frequenter, sicut & phrenesim à diabolo fieri in hominibus.

Quid sit hic lunaticus.

6. *Vbicumque eum apprehenderit*] G. καὶ ὅπου ἄν, quia non semper, sed quandoque illum spiritus vexabat. *vbicumque*] quocumque loco, quantumuis periculoso igni, aquis, præcipitio proximo. *Subitò* D *clamat*] Hebr. est, pro *clamare facit*. porrò non articulatam, sed inarticulatam emittebat vocem, cùm Marcus dicat, eum spiritum mutum habuisse. *Et allidit eum*] quatuor enarrat Marcus. Primùm est, *allidit*, videlicet, spiritus dæmoniacum in terram eijcit, & miserè conuellit, siue in verbum græcum ῥίπτειν significat, lacerat, diducit, membra distorquet. Lucas ait: *elidit, & dissipat eum cum spuma*, quamuis G. apud Luc. non sint ista duo, *elidit, & dissipat eum*, sed tantùm σπαράξαν αὐτὸν μετ' ἀφροῦ, hoc est, dissipat eum cum spuma, quibus comprehendit duo illa Marci *allidit, & spumat*; est autem, σπαράσσειν discrepit, lacerat, sub quo continetur iactatio in terram; sicut etiam apud Marc. sub allisione, seu illisione comprehenditur dilaceratio, seu dissipatio.

6.

Allidit, spumat, stridet, arescit, quid sint apud Marcum.

Spumat

Spumat & stridet dentibus, & arescit] Hæc sunt reliqua tria, quæ narrat Marcus, & sicuti primum, id est, *allidit*, referuntur ad spiritum, ita hæc tria ad puerum dæmoniacum; nam casum, & conuulsionem sequebatur spuma, quæ signum solet esse morbi comitialis: deinde erat stridor dentium præ frigore. Postremò arescebat, hoc est, sine sensu efficiebatur, impos suorum membrorum, ac vexatione tanta contabescens. addit Lucas, vt morbi indicet diuturnitatem, *& vix discedit dilanians eum*, hoc est, non discedit, nisi relinquat eum velut dilaniatum, & contritum; hæc autem dilaniatio non est distinctus effectus à præcedentibus. Obserua tamen hunc recessum dæmonis ab hoc puero, non solùm videri fuisse, propterea quod cessaret spiritus puerum vexare; verùm etiam quod re ipsa exiret à corpore illius, non enim perpetuò manebat in pueri corpore, sed vicissim ibat, ac redibat vexando illum, & ideo dixit, vix discedere spiritum, quia vix vnquam cessabat illum vexare eundo, ac redeundo.

7. Hilarij dicta explicantur.

Et dixit discipulis tuis] Obtulerat hic homo discipulis Christi filium suum, vt notat Hilarius illud duriusculè addens, quod vidit Maldonatus, quemadmodum enim populum, dum Moyses in monte maneret, ita nunc discipulos, dum Christus in monte versaretur, fidem perdidisse. Verùm ego puto Diuum Hilarium non omninò significare, quod fidem perdiderint, sed quod absente Domino minorem habuerint. Chrysostom. indicat: propterea discipulos dæmonem illum eijcere non potuisse, quia Apostolorum columnæ non aderant. Idem Chrysost. Hieron. Theophyl. & Beda significant, hunc hominem tacitè apud Christum eius discipulos accusasse. Sed credibilius puto eum non vt discipulos accusaret, sed vel vt dæmonis malignitatem, maliq́ue grauitatem exaggeraret, vel vt id quod reuera acciderat, aperiret, dixisse, eos eijcere non potuisse. Solebant discipuli abigere dæmones è corporibus hominum; dederat enim eis Christus potestatem super omnia dæmonia; iccircò fortassis hic homo obtulerat sanandum filium discipulis absente Christo.

8. 7. *Qui respondens eis dixit*] Matth. & Luc. tantùm respondisse dicunt, sed cui, vel quibus tacet. Marc. verò ait: *Respondens eis*: quamuis G. αὐτῷ, id est, ei, videlicet homini, qui opem implorabat pro filio. Et hanc lectionem sequitur Euth. & verba Matth. ita exponit etiam Hieron. quasi vni illi homini Christus responderit, sed eodem res recidit, quia Christus loquebatur cum illo homine, & ideo verum est respondisse illi, sermonem verò dirigebat in vniuersum ad gentem illam incredulam, quamuis incredulitas Patris, & ipsorum quoque discipulorũ in caussa fuerit, vt expulsus non fuerit dæmon. Hinc verò Dñs occasionem desumpsit redarguendi generatim Iudaicæ gentis incredulitatem, & peruersitatem, reijciens etiam culpã impotentiæ discipulorum, de quibus pater pueri dixerat; quod non potuerãt eijcere spiritum, in ipsummet Patrem, qui hoc dixerat. & rectè quidem iam generatim redarguit Iudæorum incredulitatem pertinacem, quod credibile est, multos ex ijs, qui præsentes aderant, de discipulis à Christo minus conuenientia cogitasse.

9. *O generatio incredula & peruersa*] putat Orig. tractat. 4. in Matth. hæc verba dicta esse discipulis, sed melius cum Hilar. Chrysost. & D. Hieronym. dicemus; dicta reliquis Iudæis, patriq́; adolescentis. quasi dicat Dominus, incredulitas tua in caussa fuit, vt discipuli mei curare non valuerint filium tuum, estis enim Iudæi generatio incredula, & peruersa: itaq; hic non tam discipulos reprehendit, quam Patrem & reliquos. quamuis postea discipuli seorsim reprehensi sint incredulitatis. Est autem hîc *generatio peruersa*, idem quod distorta, præfracta; non enim hîc peruersa idem est simpliciter, quod mala, sed significat idem quod distortum hominem, pertinaciter incredulum, sicut peruersum hominem propriè dicimus, qui nulla ratione ad meliorem frugem reduci potest. ergo indicat hic Dominus, accusatque pertinacem Iudæorum incredulitatem, quam tot edita miracula expugnare non potuerunt; & ad rectam fidem adducere, atque eodem modo Moses Deuter. 32. 5. vocat Iudæos generationem prauã, & peruersam.

Quid hic peruersum.

Quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar?] Notat Hieronym. Matth. 17. sic loquutum esse Dominum; *non quod tædio superatus sit mansuetus, ac mitis, qui non aperuit, sicut Agnus coram tondente, os suum: nec in verba furoris eruperit, sed quod in similitudinem medici, si ægrotum videat contra sua præcepta se gerere, dicat: vsq; quo accedam ad domum tuam? quousq; artis perdam industriam, me aliud iubente, & te aliud perpetrante? in tantum autẽ non est iratus homini, sed vitio; & per vnum hominem Iudæos arguit infidelitatis; vt statim insulerit: afferte eum huc ad me.* D. Chrysost. Mat. 17. ait: *cùm dicit Christus: quousq; ero vobiscum? quam mori sitiat, quantumq; ad Patrem redire desideret; & quia non sit sibi molesta passio, sed cum huiusce modi hominibus conuersatio, ostendit.* Idem habet Theophyl. sed verus sensus est, quem ex D. Hieronym. retulimus. 10.

Afferte illum ad me] Matth. & Marc. scribunt, dixisse Dominum: *afferte illum ad me*, additq́ue Marc. *& attulerunt eum*, quæ verba ad turbam referuntur. at Luc. ait: *Adduc huc filium tuum.* Tolet. annotat. 97. in cap. 9. Luc. respondet: primum quidem iussisse Christum parenti, *adduc filium tuum*, quod cùm ille executioni mandaret, dæmon elisit filium eius, & torquere cœpit, timens Christi virtutem; quod etiam indicat idem Lucas subdens, *& cùm accederet, elisit illum dæmonium, & dissipauit.* Est enim G. προσερχομένῳ αὐτῷ, id est, eo accedente; est enim participium præsentis temporis, quod benè interpres vertit, *cùm accederet.* Tunc ergo hoc animaduertens Christus, iussit his, qui præsentes aderant; *afferte illum ad me*, hoc est, facite vt prope accedat; neque enim solus Pater id poterat præstare, non displicet hęc intelligentia; breuiùs, & fortassis veriùs potest dici, numerum pro numero positum apud Luc. singularem pro plurali, præsertim cùm subdat. Marc. *& attulerunt eum*, vt habes hic V. 8. Interim perpẽde Domini clementiam, ostendit hic, quod nõ homini, sed vitio iratus sit, nam vbi reprehendit incredulitatem, iussit ad se adduci puerũ. disce hinc nõ homines odisse, sed eorũ peccata, nõ illis irasci, sed vitijs, illis verò benefacere, eorumq́; misereri. 11.

8. Et *cùm vidisset eum, statim spiritus conturbauit illum*] Dubitari potest, cur viso Christo dæmõ magis turbarit puerum? Beda marc. 9. Respondet: *illatum Domino puerum spiritus cõturbat, & elidit; quia sæpè dum conuerti ad Dominum post peccata conamur, maioribus, nouisq́; antiqui hostis pulsamur insidijs, quod ob id vtiq; callidus facit aduersarius, vt vel odiũ virtutis incutiat, vel expulsionis sue vindicet iniuriam. Hinc est enim (vt de specie transeamus ad genus) quod Ecclesiæ sanctæ primordijs tot grauissima inferebat certamina persecutionum, quod suo Regno dolebat subitò animarum illata fuisse dispendia.* 12. Responsio Bedæ morali.

Hoc ipsum vberiùs explicat Gregor. hom. 11. in Ezech. considerans ea verba, quæ hic habentur v. 14. *& exclamans, & multum discerpens cùm exijt &c. mox*, inquit, *vt animus amare cœlestia cœperit, mox vt ad visionẽ pacis intimæ tota se intentione collegerit, antiquus ille aduersarius, qui de cœlo lapsus* 13. Idem refert Greg.

est, in-

dit, inuadet, & insidiari amplius incipit, & acrioras quam consueuerat tentationes adinuenit, vita vt plerumque sic resistentem animam auferat, secum ante quàm tentauerat, quando possidebat. Vnde scriptum est: Sta cautus ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & prepara animam tuam ad tentationem. Vndè & daemoniacus, qui à Domino sanatur, ab exeunte daemone discerpitur, sicut scriptum est: Et eiiciam, & multum discerpens eum, exijt ab eo. Quid est enim quod obsessum hominem antiquus hostis ijnm possessum non discerpserat, discrete discerpit? nisi quod plerumque, dum de corde expellitur, dira crudelis in vltimis tentationes generat, quem prius excitauerat, quando hoc quietus possidebat? Vnde & Israelitae quoquod Moysem & Aaron dixerunt: videat Dominus & iudicet: quoniam fecere faciestis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, & praebuistis ei gladium vt occideret nos. Exhod. 5. 21. *in Moyse enim & Aaron lex & Prophetae figurati sunt; & sapè apud semetipsum animus quasi contra eloquia murmurat: quia postquam verba caelestia audire, & sequi coepit, vitia quae in Egypti aduersitate, id est, maligni spiritus tentatione creuit. Debet igitur vigilanter Doctor proficienti animae, quas illam tentationes sequantur, inuestigare, vt cautam se valeat contra maligni spiritus insidias praeparare.* Haec Gregorius. Verè daemon impediebat, & quantum poterat, obsistebat, ne ad Christum propius accederet; timebat enim furciferChristi virtutem, quam aduersus se exercendam nequaquam dubitabat: grauatè verò ferebat ea potestate Dei iudicio sibi in puerum permissa, priuari. quare haec caussa illi, quam ex Beda, & Diuo Gregorio attulimus addenda est.

14. *Cur id permiserit Christus ex Euthym.*

Dubitari item potest, cur Christus daemoni id permiserit, vt puerum magis vexaret? respondet Euthymius Marc. 9. *permisit haec ipsum pati, vt viderent, qui praesentes erant, à quibus calamitatibus liberandus esset, vtque postquam vidisset Pater eius daemonium viso Christo turbari, ad fiduciam de eius virtute inducerentur.* & hanc secundam rationem habet etiam Victor Marc. 9. & propter easdem caussas iussit Dominus vt puer adduceretur ad se, quem potuisset absentem curare, neque enim id ostentationis caussa factum est, sed vt praesente daemoniaco mali magnitudo praesentibus nota fieret, & appareret, quantum daemones Christo contrarij essent: & pater virtutem Christi interim agnosceret: itemq; vt clariùs declararet se miraculi auctorem esse.

15. *Declaratur Dei prouidentia permittentis paruulos innocentes vexari à daemone.*

Obserua deinde circa illa verba Marc. *Et cum vidisset eum,* dubium esse, an sit sensus: cùm Christus vidisset puerum; an cùm puer vidisset Christum. neque enim intelligi potest, cùm spiritus vidisset Iesum, repugnant enim Graeca; nam πνεῦμα, id est, spiritus, neutrius generis est, participium verò ἰδὼν, quod hîc absolutè ponitur, masculini generis est, videtur autem sententiâ esse, cùm puer vidisset Iesum, potiùs, quam cùm Iesus vidisset puerum.

Obseruanda est hîc Dei prouidentia, permittit enim paruulos etiam innocentes manibus tam atrocis inimici generis humani vexari: quae res Augustinum etiam mouit. Quid enim peccauit? nam si intelligas peccatũ Adae, iã illud sublatum est sacramento. Cur ergo eius remaneat poena? si intelligas peccatum posteriorum parentum, propterea quod scriptum sit: *visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* opponetur illud Prophetae: *filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij.* Ez. ch. 18. 20. Verùm respondeo dubitationi; non puniri propria puerorum peccata, nec primum illud originale, sed parentum proxi-

A morum, quorum filij quo[illegible]
Cùm verò Ezechiel ait: *Fili[illegible]*
tem Patris, intelligendus es[illegible]
cio, & non de eo, quod [illegible]
tamen hanc Deus interdum [illegible]
quae consequitur dum liber[illegible]
esse verum in caeco nato, &
Hic etiam dicitur v. 16. quo[illegible]
dine Dei. Permittit etiam in[illegible]
ius meritum, & sunt quidam[illegible]
esse pueros alia patientes p[illegible]
pensationem à Deo merito E[illegible]
placet pro ipsa actum fidei in[illegible]
B volũtatis in huiusmodi vo[illegible]
nim sunt Christi, & in Christ[illegible]
ab Ecclesia iuuari posse tradu[illegible]
inquit Salmer. to. 6. tract. 36.

Et eliſus in terram volu[illegible]
πεσὼν ἐπὶ τὴν γῆν, cadens, vel d[illegible]
cùm cecidisset in terram quo[illegible]
bat.

9. *Et interrogauit Patrem eius*] Euthym. *9. interrogauit,* inquit, *vt illo respondente, scirent audientes, quod iam olim perdidisset* diabolus, *nisi diuinitus fuisset cohibitus.* vel rogauit vt Pater ipse decegeret, quod a[illegible]i Christus sciebat, vt magnitudo miraculi m[illegible]is constaret.

10. *Et frequenter eum in ignem*] quod Matth. ergo non suo loco dixit breuitati studens: *sepè cadit in ignẽ, & crebrò in aquam,* huc pertinet, & subintelligitur, proiectus à daemone, vt eum perderet, vnde patet pueri calamitas, saeuitia daemonis, & Dei praesens fauor, quo seruabatur puer, ne quid grauius in illum committeret daemon; nihil enim prorsus potest, nisi quantum Deus permiserit, quãuis in infideles maius illi ius concedatur, & quasi dominetur in eos.

C *Sed si quid potes, adiuua nos*] Euthym. Matth. 17. ostendit non omninò credidisse hunc hominem, sed infirmum in fide fuisse. *Hoc autem,* inquit, *& ex eo manifestũ est, quod dixit Christus: O generatio incredula, & rursus ab eo, quod dixit adducens: si quid potes adiuua nos, & ex eo quod interrogauit Christus: si potes credere, & iterum ab eo, quod ipse respondit: credo Domine, auxiliare incredulitati meae.*

11. *Si potes credere*] Quod ego te possim iuuare fide per fiduciam operante. G. praeponitur τὸ, *hoc si potes credere,* quod tamen nec Syriacè, nec Latinè extat, sed facilè intelligitur etiam omissum. Victor Marc. 9. *Dominus,* inquit, *non absque decenti modestia, & mansuetudine, quid posset, declarat, ait: si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Non dixit: mihi possibilia sunt omnia, sed credenti possibilia sunt omnia. Significat per hoc autem, qui sincera, incorruptaq; in Christum fide ornati sunt, eos nihil non posse. Aegri proinde genitorem ad fidei lumen excitans, credenti omnia possibilia dicit.* Idem habet Euthymius Marc. 9. Beda item Marc. 9. *aptum,* ait, Dominus *responsum reddidit petenti. ipse enim ait: si quid potes adiuua nos. & Dominus: si potes, inquit, credere possum vos misertus, adiuuare. quia fides non ficta, omnia quae salubriter petit, impetrare meretur. cui contra leprosus, qui fideliter clamabat: Domine, si vis, potes me mundare; congruum suae fidei accepit responsum. Volo, mundare.*

D *Omnia possibilia sunt credenti*] Aug. lib. qq. ex vtroque mixtim. q. 115. sub finem sic scribit: *Si credis, ait, omnia possibilia sunt credenti, in voluntate vtique posuit meritum, quia fidei bonum est, non naturae. Fides autem res accedens est, quae exigitat ad exercitium voluntatẽ: vt quia in natura non est, voluntas quae in natura est, susceptae fide meritũ ei collocet apud*

17. *Quomodo fides in natura sit, vel nõ sit.*

Deum. ita enim est natura hominum sicut lapis, qui cùm ignem non habet in substantia, habet tamen in potentia, vt opere creet, quod non videtur habere, quia non existit: sed quasi in semine, ita est in potentia, vt per exercitium generetur, etsi defuerit exercitium, non fit; quia & semen nisi exerceatur, non generat, sed ipsum solum manet. Accessio ergo fecit vt generet. ita & homo fidem non habet in natura, sed semen fidei habet, quod nisi fuerit prouocatum, & excitatum, fructum non dabit, id est, fidem non habebit. Exclamans] & ad genua illi accidens, quod ex Matth. habes v. 4. neque enim initio tantùm, sed & nunc genibus flexis rogasse credibile est. Certè lacrymæ & clamor animi testantur angustiam. *Pater pueri*] Marcus hîc abutitur voce παιδίον pro παῖς, nam Matth. & Luc. παῖς dicitur, & Marc. ipse vt habes v. 9. idem significat, quod nimirum fuerit παιδίον, non verò iam fit. παῖς de secundo, παιδίον de primo septennio dicitur.

12. *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam*] *Atqui si credebat,* inquit Victor Marc. 9. *vt se credere aiebat, qua ratione adiuua Domine incredulitatem meam dicit, non vnius rationis est fides, est enim fides inchoata, est rursum consummata. exorsus igitur credere, vt Dominus virtute sua, quod deerat, adijceret, opus habebat. Sic discipuli quoque ad Saluatorem aiebant:* Sic Victor. Ergò adiuuare in credulitatem est infirmam fidem augendo adiuuare.

13. *Comminatus est spiritui immundo*] Lucas habet: *increpauit Iesus spiritum immundum,* vbi G. est ἐπετίμησεν αὐτῷ, id est, imperauit illi. omnia enim hæc, & increpare, & imperare, & comminari significat, vt innuit Euthym. Græcus auctor hic Matth. 17. & supra cap. 16. 22. conuenit autem in hunc locum imperandi significatio magis, quàm increpandi. quasi dicatur: seuerè præcepit, imperiosè, & diré imperauit illi dæmonio egressum. quod clariùs ex Marc. intelligitur: sic enim habet: *ego præcipio tibi, exi ab eo.* quare pronomen *illi* apud Matth. non est dubium referri debere ad dæmonem, non ad adolescentem, vt ex Marco & Luca constat, licet Hieronymus, Beda, & Theophylactus dubitent. *Surde & mute*] exprobrat illi malitiam, qua opera Dei vitiet, puero & auditum adimens, & sermonem. Nota quod ἐπιτίμησις ista, seu increpatio præ se fert imperium, & indignationem aduersus dæmonium, imperium vt in subditum, indignationem vt in hostem, qui iniquè gaudeat homines affligere, quos ipse venerat misericorditer saluare.

Et amplius ne introeas in eum] notat hic Beda Marc. 9. quod *benè Dominus, qui spiritum immundum repellit ab homine, simul ne amplius in eum ingrediatur, imperat; quia ille veraciter à dæmoniaca dominatione liberatur, qui ad peccata, à quibus semel pœnitendo mundatus est, vitat malè viuendo reuerti.* Sensus litteræ est, quod quoniam, vt dixi numer. 6. sub finem, spiritus hic ibat, ac redibat, imperauit illi Dominus vt egressus ne rediret amplius.

18. *Observatio morum.*

14. *Et exclamans, & multum discerpens eum, exijt ab eo*] Vide quæ notauimus ex Greg. num. 13. *Et factus est sicut mortuus*] Gregorius lib. 17. moral. in cap. 12. *quasi stultos,* inquit, *dispiciunt, qui scilicet ea non habent, quæ ipsi vtique vel habendo, vel solummodo amando mirantur; & quasi mortuos deputant, quos nequaquam secum viuere carnaliter pensant. qui enim ab huius mundi appetitu moritur, à terrenis mentibus profectò omni modo extinctus æstimatur. quod benè nostri miraculum Redemptoris signat, cùm ab immundo spiritu hominem liberat, de quo nimirum scriptum est, clamans, & multum discerpens eum, exijt ab eo, & factus est sicus mortuus, ita vt multi dicerent, quia mortuus est. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit. Velut mortuus quippe ostenditur, qui à maligni spiritus potestate liberatur; quia quisquis iam terrena desideria subegit, vitam in se carnalis conuersationis extinguit, & mundo mortuus apparet: quia possessore prauo, qui per immunda desideria se agitabat, cãret. Quem multi mortuum dicunt, quia qui spiritaliter viuere nesciunt, eum qui carnalia bona non sequitur extinctum funditus arbitrantur.*

15. *Et reddidit illum Patri eius*] sibi illũ ad sua obsequia retinere potuisset; verùm id noluit, nam sanum incolumemque statim non sine miraculo redditum, restituit illum Patri, cui dæmon ficillum subtraxerat, vt potiùs dæmonis miserè esset mancipium, quàm Patris filius. Solebat verò Dominus, vt cùm adolescentem filium viduæ, & puellam à morte suscitauit, eos pro singulari dono tradere parentibus. 19.

16. *Stupebant autem omnes*] Meritò omnes in admirationem rapiebantur propter magnitudinẽ, seu magnificentiam potentiæ diuinæ, quam animaduertebant in Christo magnificè operari. neque enim opinabantur propria virtute ista efficere, cũ non crederent ipsum esse Deum, vnde rectè dixit Lucas: *stupebant autem omnes in magnificentia Dei,* non autem in magnificentia, seu magnitudine eius, quod dicere debuissent. Erat autem hæc magnificentia, seu magnitudo Dei, quam mirabãtur, quod solo iussu tam graue malum, ac potens, adeò cito, perfectè sublætum esset.

17. *Et cùm introisset in domum*] quod ergò ait Matt. *tunc accesserunt discipuli ad Iesum secretò*; intelligitur non tunc statim factum esse, sed paulò post cùm domi essent.

18. *Propter incredulitatem*] Duplex igitur causa fuit, cur non fuerit exactus spiritus à puero, tum Patris incredulitas, rum discipulorum. *coram multis,* inquit Euthym. *Christus multorum incredulitatem reprehendit; semotis autem arbitris suorum diffidentiam; neque enim æquum erat, vt coram multis confunderet communes orbis præceptores.* Quam diuinam prudentiam imitari deberent, qui præsunt. 20.

Si habueritis fidem sicut granum sinapis] dubitatio hic esse potest, de qua fide hîc fit sermo, de Catholica ne, quæ dogmatum est, an de fide signorum? & quidem inter vtramque multum interest. num prima est habitus, seu facultas quædã intellectus, qua ineuidenter quidem, sed firmiter assentimur ijs omnibus, quæ tanquam à Deo reuelata proponuntur credenda in Ecclesia. Sic accipitur à D. Paulo ad Hebr. 11. 1. cùm definit: *fidem esse substantiam sperandarum rerum argumentum non apparentium.* Fides autem miraculorum, est hæc ipsa fides adiuncta firma quadam fiducia circa euentum miraculosum; est autem fiducia nihil aliud, quàm quædam firma spes, quæ proinde non in intellectu vt fides, sed in voluntate est, cuius functio est cum appetitu quodam propendere in rem speratam, non autem scire, vel intelligere, vel credere. Hæc porrò fiducia solum est sicuti spes de futuris, cùm fides etiam de præsenti, aut etiam de præterito sit. Generatur autem fiducia ex fide.

De qua fide sit hic sermo. Fides dogmatum & signorũ quomodo differant. Locus Pauli ad Heb 11.

Fiducia quid.

Diuus Chrysostomus Matth. 17. *fidem,* inquit, *hic Christus miraculorum dicit,* & hom. 29. in priorem epist. ad Corinth. *alij autem fides: fidem ait non eam dico, quæ dogmatum est, sed signorum, de qua Christus; si habueritis, inquit, fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic; transi hinc, & transibit. & Apostoli pro hac precabantur: dicentes: adauge nobis fidem. ipsa enim mater signorum est.* Chrysostom. sequuntur Abulen. Matth. 17. q. 165. 21. *D. Chrysost.*

Ianſ. & Pater Salmer. Barrad. credit potiùs Chriſtum de fide Theologica loqui. Nam cùm reprehendit incredulitatem diſcipulorum, non videtur reprehendere eos, quòd fidem miraculorum, quæ donum eſt gratis datum, non habeant. Itemq; cùm exhortatur illos ad fidei perfectionem dicens: *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis* &c. non videtur exhortari illos ad fidem miraculorum, quæ eſt donum gratis datum.

22. *Opinio verior.*

Equidé media via incedendum, arbitror eſſe hîc ſermonem de fide quidem catholica, verùm quæ tanta ſit, vt fiduciam illam, de qua dixi, gignat, etſi enim partim agatur hîc quoq; de fiduciâ, attamen non excluditur vera fides, quam eius fiduciæ oportet eſſe velut radicem, & in cuius confirmationem fiduciam illam, atque adeò ipſa miracula initio Eccleſiæ referri oportuit, iuxta illud Marci vltim. *Signa autem eos, qui crediderint hæc ſequentur &c.* hoc eodem modo loqui videtur Apoſtolus de fide 1. Corinth. 13. 2. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam*, &c. Nam vt Diuus Anſelmus in comm. in hunc locum Pauli notat, Apoſtolus hîc ad hanc ſententiam Chriſti alludit, *ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti* &c.

Fides miraculorū quomodo non gratis gratis data, & quomodo in noſtra poteſtate.

Ad id verò quod num. 21. primo loco obijciebatur, Reſpondeo reprehenſos eſſe Iudæos non tam quod fiduciam non haberent, quàm quod fidem ipſam, qua in Chriſtum creditur, poſt tot edita miracula, non haberent, Apoſtoli verò, quod licet eam fidem haberent, infirma tamen erat, cùm tantam habere debuerint, quæ fiduciam gigneret ad edendum miraculum illud ſufficientem. Ad alterum verò de dono gratis dato, Reſpondeo, fidem miraculorum propriè, & ſecundùm ſubſtãtiam, vt ſic dicam, non eſſe inter gratias gratis datas connumerandam, ſed eſſe ipſam fidem catholicam ita auctam, vt ſe extendat ad voluntatem pariendo fiduciam, quæ eſt in voluntate; hæc autem fides ſufficiens eſt ex ſe ad patranda miracula; & dicitur in noſtra poteſtate eſſe hoc ſenſu, quia Deus auxilio ſuo paratus eſt iuuare volẽtem ſic credere, & hinc eſt, quod hortatur ad illam habendam, & reprehendit non habentes, cùm ipſi in culpa ſunt, vt eam non habeant. nec tamen inde ſequitur omnes eam habentes facere miracula; poteſtas enim completa ad patrandum miracula, quæ neceſſaria eſt ad opus miraculoſum, non eſt quid completè inhærens per modum habitus, ſed requirit multa ex parte Dei præter fidem catholicam, & fiduciam, quæ tamen illis, qui habent neceſſariam, & ſufficientem fidem ad edenda miracula non dantur, quia non expedit, vel ob incredulitatem petentis miraculum, vel ob maiorem Dei gloriam, & de hac completa poteſtate eſt verum non eſſe omninò in noſtra poteſtate, neque ad hanc exhortari Chriſtum, poteſtque dici *donum gratis datum*. Quamuis fides, quę numeratur inter gratias gratis datas ab Apoſt. 1. Cor. 12. ſignificet ſingularem certitudinẽ, & intelligentiã rerum fidei, quam Sp. ſanct. præbet Doctori Euangelico, vt poſſit congruè docere. Porrò de gratijs gratis datis conſule Diuum Thomam 1. 2. quæſt. 40. art. 2. ad 2. & quæſt. 111. art. 4. & 22. & quæſt. 4. art. 5. ad 4. & quæſtio. 178. & 3. part. quæſtio. 7. art. 7. & in 1. Corinth. 12. & ex his patet aliud eſſe operari miracula, quod non eſt in noſtra poteſtate, hoc enim exigit completam poteſtatem patrandi miracula, aliud verò eſſe, fidem ſufficientem ad id habere, quod modo dicto eſt in noſtra poteſtate.

Fides quæ eſt gratia gratis data, qua.

23. *Quæ fides grano ſinapis ſimilis.*

Dubitari deinde poteſt, quam nam Chriſtus Dominus fidem grano ſinapis ſimilem appellet? Reſpondeo paucis: fidem grano ſinapis ſimilem non eſſe minimam, vel paruam fidem, ſed perfectam, ſed magnam, quam videtur Apoſtolus vocare *omnem fidem*, 1. Corinth. 12. 2. illa enim fides cum grano ſinapis confertur, quæ feruida eſt, aeris, & inſtar ſinapis in arborem magnam excreſcens; nam hæc quia humilis eſt, & ad hominum oculos deſpecta, & vilis, rectè opponitur per antitheſim tanquam granum ſinapis monti, quem tamen alio transferre, cùm rei neceſſitas exigit, poſſit; qua vel vna re eius efficacitas, & acrimonia pulcrè exprimitur.

Obſeruatio morum & triplex fidei perfectio.

D. Thom. Matth. 17. notat triplicem perfectionem hîc deſignari fidei, obſeruat enim in grano ſinapis ineſſe feruorem, fœcunditatem, & paruitatem; cùm enim conteritur, feruere incipit, non priuſquam conteratur; ita & fidelis homo, cùm conteritur, tum eius apparet ſanctitas; fœcunditas verò inde conſtat in ſinapi, quod in magnã excreſcit ſegetem, vel arborem, quamuis minimum granum ſit id, quod ſeritur. Sic fides, cuius plurima opera narrat Apoſtolus Hebr. 11. & ſubdit: *Sancti per fidem vicerunt regna* &c. Denique eſt in ſinapi cernere prauitatem, qua deſignari poteſt humilitas fidei, quæ acquieſcit ſermonibus Dei, quibus qui non acquieſcit, *ſuperbum* vocat Apoſtolus, 1. Timot. 6.

24. *Myſticus ſenſus.*

Dicetis monti huic] Secundùm literæ ſenſum per montes ipſos reuera montes intelligit, quamuis Diuus Hieronymus nomine montis dæmonem intellexit, vt ſit ſenſus, dicetis dæmoni inſtar monti ſuperbo, *tranſi hinc*, id eſt, abi ex hoc homine &c. Idem ſentit Ambroſ. in Pſalm. 45. Auguſt. etiam lib. 1. qq. Euang. cap. 29. ſuperbiam per montem intelligit, vel etiam Chriſtum: *quod Dominus*, inquit. *dicit diſcipulis ſuis; dicetis monti huic, tolle te, & iacta te in mare, de ſuperbia dixit, quæ ad ſæculares pertinet. Hoc ſibi ſeruus Dei dicere debet, vt eam ſe repellat, quia ipſi non congruit: vel quod per eorum fidem, quia per eos Euangelium prædicatum eſt, ipſe Dominus, qui mons appellatus eſt, oblatus eſt à Iudæis, vt in gentes, tanquam in mare porrò iaceretur.* Sed hæ myſticæ intelligentiæ ſunt.

Efficacitas fidei.

Idem Auguſtinus tract. 40. in Ioannem, quanta ſit efficacitas fidei, quæ tam magna poteſt præſtare, his indicat: *nec in radice*, inquit, *arboris apparet aliqua pulchritudo; totum tamen quidquid te delectat in arbore, de radice ſurrexit. Si vides radicem, & non delectaris, vides arborem, & miraris. Stulte quod miraris, inde ſurrexit, quo non delectaris. parum aliquid videtur fides credentium, non habes ſtateram, vnde appendas. Audi ergo, quo perueniat & vide quanta ſit, ſicut & ipſe Dominus in alio loco dicit: ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, quid humilius, quid vehementius, quid minutius, quid feruentius?*

25. *Montes qui reuera transtulerint.*

Dicat verò hîc aliquis, an hoc ſignum de monte transferendo, aliquando per Sanctos editum fuerit? Reſpondeo Euſeb. Cæſar. libr. 7. cap. 25. ſub finem tom. 1. narrat Gregor. Neocæſar. virum Apoſtolicum rupem quamdam vicini montis ſuis precibus mouiſſe tantum, quantum opus erat ad ædificandam Eccleſiam. Suidas etiam, v. ἀγαπητὸς ſcribit, quod Agapetus Epiſcopus Synadon, quem vehementer laudat Euſebius, montes & flumina è proprijs locis alio tranſtulerit. Faber Stapul. affirmat legiſſe ſe in hiſtoria Tartarorum iuxta Baldacem, montem diuina virtute translatum eſſe oratione cuiuſdam viri ſancti, cùm improperarent Tartari Chriſtianis iſtud Euangelij: *ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis. Quod ſi palam non fecerunt*, inquit Euthymius, *Apoſtoli tranſmigrare montes, ne mireris: non enim hoc ideo fuit, quod non poſſent; ſed quia noluerunt, vtpotè huiuſmodi neceſſitate, aut vtilitate ſeſe illis non offerente.*

26. *Montes mysticè qui?*

Mysticè montes sunt homines superbi, & in potestate constituti, qui indignè opprimunt, & vexant pauperes; hi piorum precibus, & fide insigni præstantium deterrentur, & alio declinant onera. Sunt item diaboli montes iuxta illud Ierem. 51. 25. *ecce ego ad te, mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis vniuersam terram*, & hi similiter efficaci sanctorum precatione, & fide à loco expulsi, in quo hominibus damnum inferunt, alio suum pondus detorquent. Hoc enim quod hic ait Dominus: *si habueritis fidem* &c. *dicetis monti* &c. etiam pertinet ad commendandam nobis fiduciam in orando iuxta illud Iacob. 1. 5. *postulet autem in fide nihil hæsitans*: non ergo vt tantum ad miracula patranda necessarium dictum hoc Christi accipiendum est.

27. *Quomodo ieiunium & oratio requirantur ad miracula interdum.*

19. *Hoc autem genus*] Primum hic in dubium reuocari potest, an hic addatur noua causa, cur Apostoli eijcere non valuerint dæmonem. Respondeo ita esse omninò. Vrgebis, quomodo ergo Dominus superius significauit solam fidem cum fiducia, seu fidem similem grano sinapis satis esse ad edenda miracula? Responsum est in promptu, illud superius dictum commune esse ad omnia miracula, hic verò additur id, quod interdum speciatim requiritur, & tanquam proprium ad fugandum quosdam dæmones, & de corporibus exigendos. Neque enim commune illud, hoc peculiare excludit, neque enim est dictum, solam fidem cum fiducia semper sufficere, quamuis semper necessaria sit; quid? quod etiam oratio, & ieiunium, quâ doque requiritur ad eam fidem obtinendam, quæ cum fiducia exigitur, si quis se præsertim infirmum nec satis fortem ea in re experiatur? quamquam etiam ieiunium & oratio ex fiducia sæpè perfecta nascantur, atque ob id requiruntur, vt eam excitent magis, augeant, conseruent. & quidem sigillatim requiritur oratio, quæ propriè apta est ad impetrandum; ieiunium verò, vt ad orandum animus magis sit expeditus, & ipsa oratio ardentior sit & perseuerantior. Possumus denique & illud respondere, hanc causam non solùm valere in hoc genere dæmoniorum, ad quod necessariò adhibendum ieiunium & oratio præter fidem, sed etiam ad incredulitatem pertinere posse, & sub ea comprehendi, nam accidit, vt quia non oramus, nec ieiunamus, perfectam fidem non obtineamus, oratio enim & ieiunium vim magnam habent ad incredulitatem pellendam. Quare qui his destituuntur, facilè in incredulitatem incidunt, vel si ea laborant, dum tales sunt, minimè apti erunt ad patranda miracula, nisi ieiunio, & oratione, iuuante Deo, incredulitatem pellant, quod & nunc Apostolis acciderat, qui hic fidei infirmitatem passi, nec ieiunium, nec orationem visi sunt adhibuisse.

28. *De quo genere dæmoniorum hic agitur.*

Est & altera hic dubitatio, de quo genere dæmoniorum hic agatur. Athanasius in lib. de virg. Chrysostomus, Euthymius, & Diuus Thomas in hunc locum omne dæmoniorum genus significari hic volunt: huiusmodi enim sunt omnes dæmones, vt non nisi per orationem, & ieiunium expelli possint, quibus obijci potest, Apostolos sola interdum nominis Christi inuocatione, cùm fortiores essent in fide, dæmones expulisse: vnde Luc. 10. 17. dicunt: *etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo*. Verisimilius ergo est Christum de certo aliquo dæmoniorum genere loqui, hoc autem quod vel quale sit scire oportet, vt intelligamus, quâdo oratio, & ieiunium sint adhibenda. D. Hieronym. Matth. 17. & Leo serm. 2. de ieiun. septimi mensis; putant significari pessimum, seu nequissimum genus. Addit Iansen. & quod iam diu aliquem possedit vt malû ferè in naturam sit versum. & tale erat hoc dæmonium, quod ab infantia puerum hunc affixerat, & quia crudele erat, in ignem illum, & in aquam frequenter mittere conabatur, vt perderet. Iansenio fauere videtur interrogatio Christi apud Marc. cap. 9. 21. & hic v. 9. quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? quasi difficilius sit antiquissimum dæmonem, id est, qui diu obsederit hominem, expellere. Mihi non displicet etiam Caietani sent. esse illud dæmonum genus, quod reddit homines surdos, & mutos, verior tamen opinio est, si dicamus, esse pessimum, & atrocissimum dæmonû genus, quodque diu homines possedit, vt dixi ex Iansenio præsertim si perdere præ ferocitate frequenter nititur eum, quem inuasit. Huiusmodi autem videntur dæmonia illa, quæ surdos, ac mutos homines reddunt. Hinc est vt vno simili electo, Matt. 9. 33. dixerint populi: *nunquam apparuit sic in Israel*, & cap. 12. item Matth. v. 23 rursus altero electo dæmonio cæco, & muto, *stupebant omnes turbæ & dicebant: numquid hic est filius Dauid?* item Luc. 11. 14 *erat eijciens dæmonium, & illud erat mutum: & cùm eiecisset &c. admirata sunt turbæ*. De alijs verò expulsis non adeò mirabantur.

Opinio verior.

29. *Cui necessaria oratio & ieiunium.*

Postremò dubitari potest, cui nam dicat Christus necessarium esse ieiunium, & orationem. D. Chrysost. Euthym. & Theophyl. putant Christum hic exigere ieiunium, & orationem, & ab eo qui expulsurus est Dæmonem, & ab eo à quo expellendus est. Verùm, vt aduertit Iansenius cum hæc discipulis interrogantibus: quare ipsi non valuerint expellere dæmonium, seorsim à Christo dicta sint, veluti pro causa, quam solam ponit Marc. magis intelligendum est Christum de eo tantùm loqui, qui dæmonem expellit: docet enim Apostolos, quemadmodum hoc dæmoniorum genus eijcere debeant, quamuis non sit negandum vtriusque ieiunium, orationemve iuuare. Quam sententiam amplectitur Orig. tract. 4. in Matth. vbi ait: *videamus etiam illud quod dicit: hoc genus non eijcitur nisi in ieiunijs & orationibus: etsi aliquando oportuerit nos circa curationem tale aliquid patientium permanere, non adiuremus, neque interrogemus, neque loquamur quasi audienti spiritui immundo; sed permanentes in orationibus, & ieiunijs, impetremus patienti salutem à Deo, & abigamus ieiunijs, & orationibus nostris spiritus malignos*. Quod autem ait, non esse adiurandos spiritus, neq; interrogandos &c. cautè accipiendum, ne putemus eum prohibere adiurationes dæmonum, & locutiones cum eis: sed ne in his solis acquiescamus, quin adijciamus potiùs ieiunium, & orationes. Alioqui ipse Dominus noster, & adiurauit, & interrogauit dæmones, & cum eis locutus est. Hactenus de scholijs: Nam quod attinet ad v. 20. Vide schol. sequent. cap. num. 1. 3.

Origenis verba explicantur.

DIGRESSIO MORALIS.

Accommodatur ad mores lunatici historia.

1. *Hieronymi mystica lunatici expositio.*

QVIS NAM sit iste lunaticus mysticè sic explicat Hieronymus Matthæi 17. *mihi videtur iuxta tropologiam lunaticus esse, qui per horarum momenta mutatur ad vitia, nec persistit in cœpto, sed crescit, atque decrescit, & nunc in ignem fertur, quo adulterantium corda, succensa corda; nunc in aquas, quæ solent extinguere charitatem*. Augustinus libr. 1. qq. Euangelic. capite 22. *ignem ad iram, quod alta petat: aquam ad voluptates carnis* refert.

Orige-

Digitized by Google

2. Aliter Origenes.

Origenes verò tractatu 4. in Matthæum: *conueniens*, inquit, *est vt de lunatico requiramus. est ergo passio hac mutatio à melioribus ad deteriora, quia nihil differt à sanis, qui patitur hoc, in tempore quando non operatur in illo ipsa mutatio. Tabet autem in venis infirmitas animæ in quibusdam hominibus, qui frequenter existimantur sani esse in castitate, vel misericordia, & viuere secundùm iustitiæ voluntatem. aliquando autem quasi quadam correptione spiritus à passionibus comprehenduntur, & cadunt ab eo statu boni, in quo stare putabantur, & transuertuntur ad seductionem seculi huius, & ad cæteras concupiscentias carnales.*

3. aliter, fomes est, seu carnis infirmitas hic spiritus faciens lunaticum, surdum &c.

Possumus & per spiritum hunc immundum lunaticum, surdum, & mutum efficientem aptè intelligere fomitis morbum, seu carnis infirmitatem, quam ab infantia contraximus, dicitur enim de hoc spiritu hic, quod ab infantia puerum corripuerit, *proni autem sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua.* Hæc sanè carnis petulantia lunaticos efficit homines, in quos illud quadrat: *stultus sicut luna mutatur* Ecclesiast. 27. 12. dum eos instar lunæ inconstantes reddit, & nunc ad hunc explendum appetitum paruum, nunc ad illum exsaturandum impellit: & nunc quidem in aquam, lutosumque luxuriæ fluuium, nunc in ignem ambitionis, & iracundiæ conijcit: nunc mutos efficit ad loquendum bona, ad detrahendum verò plusquam oportet, loquentes; surdos ad excipiendum Dei verbum, ad turpia verò, & obscœna verba impensè auritos, vel vt Origenes inquit tractatu 4. in Ioannem: quia illi, *qui tali impetu rapiuntur irrationabili, non vident iustum vel iniustum, quemadmodum cæcus, nec recipiunt admonitionem Discipulorum Christi, quemadmodum surdus. ideo opus est eis Christi sermone* &c. Spumant verò hi, qui hoc iactantur spiritu, cùm stulta, & omne quod in buccam venerit, euomunt; stridentdentibus, cum iracundia perciti impetum in obuium quemq; temerè faciunt; arescunt item cum aliena fœlicitate cruciantur, & contabescunt. Hæc est ægritudo lunatici, quam Apostoli sanare nequiuerunt, quam Christus solo curauit verbo. Huic non Apostoli modò, verùm quisque etiam nostrum, si fidem afferat cum oratione, & ieiunio coniunctam, non difficilè medebitur. Quare cùm hæretici fide careant, & ad cohibendos petulantes carnis motus orationis arma & ieiunij procul à se abijciant, hoc dæmonio non vnquam liberabuntur. Qui verò fide præstanti muniti sunt, & ieiunijs carnem macerant, & precandi studio præcellunt, his molestijs DEI auxilio facilè expedientur.

4. Consuetudinis prauæ vis.

Verùm illud non omittam, quod hîc dicitur; ab infantia cum puero hoc lunatico fuisse spiritum nequam, atque adeò difficilè expelli potuisse: quia, nimirum valdè arduum est, inueteratum iam prauæ cupiditatis morbum, qui diu, multumque in hominis alicuius animum dominatur, curare, iuxta illud Iob 20. 11. *Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.*

Pater lunatici.

Verùm quis lunatici pater est? *Forsitan*, inquit Origenes loco citato: *Angelus, qui sortitus est lunaticum illum talem, pater huiusmodi lunatici appellatur, deprecans quasi pro filio medicum animarum, vt liberet eum, qui non potest sanari à passione, per verbum humile discipulorum Christi.*

A

Cæterùm si quis tanto malo medicinam facere cupiat ex hoc Euangelio tria remedia colligere poterit, quibus suæ ægritudini medeatur. Sunt autem hæc fides tanquam granum sinapis, oratio, & ieiunium. etenim vt à primo remedio ordiamur, omnia possibilia sunt credenti, & si fidem habuerimus sicut granum sinapis, nihil impossibile erit nobis. Fides enim viua quasi Dei manus est, quidquid Deus potest, fides potest, & ij, qui fidem habent, possunt, quia non suis, sed Dei manibus operantur, quod acutè vidit Maldonatus, nec propterea sequitur, vt adnotat Diuus Thomas, eos esse, dicique posse omnipotentes: omnipotens enim dicitur, non quisquis omnia potest, sed quisquis suapte natura, & virtute potest, qualis solus est Deus.

B

5. Tria remedia ad curationem Lunatici. Primum fides.

De ieiunio verò & oratione, quæ duo sunt reliqua remedia, sic scribit Chrysostomus homilia 58. in Matthæum: *& vide quomodo iam in ipsis* Discipulis *ieiunij semina iecit: nec mihi ea, quæ rara sunt dicas, quod scilicet absque ieiunio eiecti dæmones aliquando fuerint* &c. Subdit deinde: *Sed si fide opus est, inquies, cur ieiunare oportet, quia vna cum fide non paruas vires affert ieiunium, cumque maioris philosophiæ singulare opus sit, Angelum ex homine facilè reddit, & virtutibus incorporeis mirum in modum reluctatur; quare non ieiunio solo, sed oratione quoque, ac multo magis oratione opus sit. Expende igitur quæso, quot, quantaque vna ex vtrisque iunctis emanent. qui enim orat, & ieiunat vt oportet, is multis rebus non indiget, qui verò multis non indiget, nunquam fiet auarus; & qui non est auarus, pronior semper ad misericordiam erit. qui ieiunat leuior est, & vigilanter orat, & cupiditatis incendia extinguens, ac animam suam humilians, facilè Deum placat: iccircò & Apostoli ferè semper ieiunabant. qui orans ieiunat, binas possidet alas, quibus ventos ipsos volando præterue hitur. non enim oscitat, nec extenditur, nec torpet orando, quæ multi patiuntur, sed igne ardentior, & terra superior est, quare terribilis hostis dæmonibus redditur.* De eisdem ieiunio, & oratione idem Chrysostomus homilia 1. de pœnitentia docet quantum dæmoni terrorem incutiat. *Sed haud*, inquit, *timete tremendum Principem ieiunium audientes, non enim nobis, sed dæmoniorum naturæ tremendum est, etenim si lunaticus fuerit quis, ieiunij faciem ostende. atque lapidibus ipsis immobilior manet timore suffocatus, & veluti vinculo quodam detentus: idq; potissimùm cùm viderit ieiunio adiunctam sociam, contubernalemq; orationem: propterea & Christus dicit: hoc genus dæmonij non ejicitur, nisi in ieiunio, & oratione; cùm itaque nostræ salutis hostes sic persequatur, atque inimicis vitæ nostræ tam sit timendum; nonne & amare & diligere id decuit? Si enim crapulam, ebrietatemq; timere oportuit, non ieiunium timeri debet; illa siquidem nostras post terga ligans manus, vitiorum Tyrannidi veluti cuidam prauæ Dominæ seruos nos, captiuosq; reddit; ieiunium verò seruos existentes nos, atque ligatos inue-*

C

6. Secundum & tertium ieiunium & oratio.

Ieiunij & orationis vtilitas & vis.

D

Tremendum ieiunium dæmoni.

niens, vincula remittit, & tyrannide liberat, priſtinamq; in libertatem inducit. igitur quando & inimicos noſtros expugnat, ſeruituteq; nos liberat, atque ad priorem nos reducit libertatem, quàm aliam maiorem eius, quam ad noſtrum habet genus, amicitiarationem exquiris? Idem habet omninò ſerm. 2. de ieiunio, vt idem ſit ſermo, cum homil. 1. de pœnitent. alio tamen interprete. His adde quod habet Auguſtinus ſermone 65. de tempore, *videte ergo cariſſimi quanta ſit ieiuniorum virtus, vt id facere ieiunia valeant, quod Apoſtoli nequiuerant.* & ſerm. 230. *aduerſus*, inquit, *Dæmonum nequitiam, quæ Dominus nobis arma oſtendit, debemus vtique retinere. Hoc, ait, genus in nullo eiicitur, niſi in oratione, & ieiunio. hæc cùm plena fide exercentur, pietas eſt, pietas autem ad omnia vtilis eſt.*

7. *Differentia inter ſpirituale, & corporale bellum. Baſ. de ieiunio.*

Neque verò idem accidit in bello ſpirituali quod in corporali. nam militibus, qui contra corporales hoſtes pugnant, vires addit cibus; verùm dimicantibus contra tartareas dæmonum phalanges, robuſtos, terribileſque efficit cibi parcitas. etenim vt rectè Baſilius ait hom. 1. de laud. ieiun. *ieiunium armatura eſt ad conſligendum cum impiis ſpiritibus*, cui ſi addatur oratio, mirum dictu, quale ac quantum robur Chriſti militibus adiungatur; quantus verò terror aduerſarijs inijciatur. Quemadmodum enim in bello temporali dux quiſpiam ſtatim ac videt ſe ab hoſte clauſum, obſeſſumque teneri, datis ad Regem literis auxilium & opem petit: ita quoties nos à maligno inferni hoſte obſideri, & oppugnari ſentimus, ardentes preces tanquam litteras tranſmittamus in cœlum, quibus auxilium contra aduerſarios, quibus longè viribus inferiores ſumus, imploremus. Sic opem ad Deum conuerſus poſtulauit Ioſaphat lib. 2. Paral. 20. 2. 3. cū enim veniſſent nuntij, & indicaſſent Ioſaphat, *dicentes: venit contra te multitudo magna*; tunc ille *timore perterritus, totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium vniuerſo Iuda.*

Illuſtre exemplum.

Locus 2. Paral. 20.

8. *Per orationē & ieiunium ſpiritus quodammodo fit homo.*

Meritò autem tantum momenti poſitū eſt in oratione, ac ieiunio, tantumq; virium ſitum contra ſpirituales hoſtes; etenim per hæc duo in ſpiritualem quamdam quodammodo naturam tanſit homo, quo fit vt aduerſus ſpiritus aptior ſit ad dimicandum. etenim ieiunio domantur effrenes, petulantesq; carnis motus, oratione roboratur in nobis ſpiritus. Conſtat autem eò maiores vires accipere ſpiritum in nobis, quò magis ſibi habet ſubiectam carnem, ac proinde eò aptior eſt, & expeditior, vt cum immundis ſpiritibus manus conferat; ſpiritus enim impurus diuinis his armis inſtructos homines non minus metuit quàm Angelos; eos verò qui omninò his armis deſtituti ſunt, tametſi Chriſti nomen inuocent, parum formidat. Hinc non mirum ſi Actor. 19. 13. &c. Iudæis exorciſtis cùm inuocarent ſuper eos, qui habebāt ſpiritus malos, nomen Domini Ieſu, reſponderit ſpiritus nequam: *Ieſum noui, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis? & inſiliens in eos, homo in quo erat dæmonium peßimum, & dominatus amborum inualuit contra eos, ita vt nudi, & vulnerati effugerent.*

(**)

A

CAPVT IX.

DIDRACHMA.

A. 17. 21. B. 9. 3. C. 9. 44.

V. 1. A. *Conuerſantibus autem eis in Galilæa,* C. *omnibus q. mirantibus, in omnibus quæ faciebat, dixit ad diſcipulos ſuos: ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos, filius enim hominis futurum eſt, vt tradatur* A. B. C. *in manus hominum.*

B. *Docebat autem diſcipulos ſuos, & dicebat illis: quoniā filius hominis tradetur &c. A. Tradendus eſt &c.*

B

2. A. *Et occident eum & tertia die reſurget.*

3. B. C. *At illi ignorabant verbum* C. *iſtud, & erat velatum ante eos, vt non ſentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.* A. *& contriſtati ſunt vehementer.* C. *intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior eſſet.*

B. *Et venerunt Capharnaum.*

4. A. *Et cùm veniſſent Capharnaum, acceſſerunt, qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei, Magiſter veſter non ſoluit didrachma?*

5. *Ait; etiam. Et cùm intraſſet in domum præuenit eum Ieſus, dicens: quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filijs ſuis, non ab alienis.*

C

6. *Et ille dixit: ab alienis. dixit illis Ieſus: ergo liberi ſunt filij.*

7. *Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum; & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies ſtaterem: illum ſumens da eis pro me, & te.*

SCHOLIA.

D

1. TRes Euang. ex Aug. l. 2. de conſenſu Euang. c. 59. hic re & ordine narrationis conſentiunt, & quidem Mar. vt patet ex v. 10. c. præcedentis, ſignificat Dominum fuiſſe iam in itinere ad relinquendam Galilæam; ſic enim ait: *& inde profecti prætergrediebantur Galilæam; nec volebat quemquam ſcire*, ne fortè à Galilæis eius præſentiæ cupidis, ſi ſcirent, impediretur Ieroſolymam tranſire, atq; adeò Galilæam omninò relinquere. Quod verò Matth. v. 1. ait: *conuerſantibus autem eis in Galilæa.* Hunc ſenſum habent; cùm adhuc eſſent in Galilæa, & iā eā eſſent relicturi. Porrò non veniebant Caphernaum, quaſi domum, ſed tantum prætergredientes.

2. *Ordo hiſtoriæ.*

Videndum autem eſt hoc loco, vt rerum ordinem, & conſecutionem benè teneamus, num hæc fuerit vltima profectio ex Galilæa, cùm occultè, & non manifeſtè Ieroſolymam aſcendit, vt docet Ioann. capit. 7. 9. 10. & hoc lib. capit. 12. v. 10. Ianſen. cap. 69.

Digitized by Google

cap. 69. ordo, inquit, *historiæ sic se habere videtur, vbi Dominus reddidisset Patri filium suum sanum, stupebant omnes*, vt v. 1. hîc habes ex Luc. *Dominus autem illâm vulgi stuporem nihil moratus, illinc mox digressus*, hoc est, *ex finibus Cæsareæ*, vt ipse Ianseu. ait, *vbi prius dixerat, necessariò sibi eundum Ierusalem*, vt habes superius cap. 6. v. 10. (vel potiùs digressus vt ego puto, ex radicibus montis Thabor, vbi quæ dicta sunt de dæmoniaco proximè gesta sunt, vt patet ex cap. præcedenti v. 20. ex Marc. nam post narratum miraculum dæmoniaci, quod ad radices montis Thaborini accidit, & ingressum in domum v. 17. superioris c. *inde profecti* &c.) illinc ergò digressus per Galilæam versus Ierosolymam iter instituit, & ne quispiam illum remoraretur, aut impediret, ne relicta omninò Galilæa Ierosolymam adiret, illic in posterum mansurus, ibi tandem cruci suffigendus, noluit quemquam scire, sed quantum fieri potuit latere, quæ omnia habes ex Marc. v. 20. cap. præcedentis. Porrò quoniam ad supplicium ibat, idcircò confirmans suorum animos, vt id æquè ferrent, nec nimis scandalizentur, rursum illis suam mortem, crucem, & resurrectionem prædixit; Salmeron videtur hanc rem clariùs explicare, dicit enim tractat. 38. tom. 6. hanc profectionem Domini è Galilæa in Iudæam, siue in Ierusalem, eamdem omninò esse cum ea, cuius meminit Matth. 19. 1. & Marc. 9. 29. & c. 10. 33. & Luc. 9. 51. & Ioan. 7. 10. ita vt de eodem itinere omnes loquantur, quo iam ibat Christus in Iudæam, vel Ierosolymam, vnde non amplius reuersus est in Galilæam, quamuis Euangelistæ diuersas significent huius dimigrationis causas. nam Ioann. propter festum, alij subeundæ mortis caussa indicant illum è Galilæa in Iudæam ascendisse, potuerunt autem accidere plures caussæ, vna prior, altera etiam post inchoatam profectionem. Scribit autem idem Salmeron duo documenta, quæ ad Luc. intelligentiam non parum faciunt. Primum quod cùm sub finem capitis 9. dicat: *Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit, vt iret in Ierusalem* (quo satis significat Dominum mox profectum recta Ierusalem) capitibus seq. frequenter profectionis Domini in Ierusalem meminit, vt cap. 10. 38. & cap. 13 22. & cap. 17. 11. & cap. 18. 31. nunquam scribit eamen eum venisse Ierusalem, nisi in fine cap. 19. 45. proinde aduertendum illos versus, quibus dicitur à Luc. Dominum iuisse Ierusalē non esse accipiendos de vna eademq; profectione, quæ tunc fuerit absoluta, cū id est factum, quod describitur cap. 19. nam ex Ioan. constat post migrationem illam è Galilæa, Dñm bis aut ter venisse Ierusalem, aut in Iudæam; cū, tamen solius aduentus in Ierusalem Luc. mentionem faciat, quo insidens Asinæ vrbem est ingressus. Alterum documentum est; plura per recapitulationem miscuisse D. Luc. in his cap. à 9. ad 19. quæ acciderant ante hanc profectionem, cuius meminit ipse cap. 9. sub finem, & hæc dicta sint circa ordinem historiæ.

Einsdem migrationis ex Galilæa, omnes Euangelistæ meminerunt locis hic citatis.

Duo ad intelligendam Lucam vtilia.

3.

1. *Conuersantibus autem eis*] ἀναστρεφομένων δὲ αὐτῶν vel conuersantibus, vel reuertentibus; ambiguum enim est, sed non dubium *conuersantibus* cum interpr. esse vertendum, quia iam Christus in Galilæa versabatur; redierat enim ex Phœnicia, quo Matth. cap. 15. 21. dixerat iuisse, itaque sensus est; cùm adhuc in Galilæa versarentur, antequam inde exirent, prædixisse suam mortem Christum.

Omnibus] mirantibus in omnibus, quæ faciebat, dixit] non omnes Euangelistæ huius prædictionis eamdem caussam assignant; nam Marc. quidem, vt habes v. 20. cap. præced. eam affert caussam, quod prætergrederetur Galilęâ, vt Ierosolymam iret, id quod occultum volebat esse Galilæis, qui ipsum

Caussa prædictionis.

A secum habere voluissent; nam tanquam derelicturus Galilæam, & subeundæ mortis caussa Ierosolymam profecturus docebat discipulos suos, eos præparans, ne scandalizarentur &c. *docebat* ait, id est, non obiter, sed prolixè, id clarè, expeditè inculcans. Sic autem legimus G. *nec volebat quemquam scire. docebat enim discipulos suos* &c. non enim est G. δὲ, id est, *autem*, vt nos legimus, & habes in margine ad versiculum 1. huius capitis, sed γὰρ, id est, enim. itaque *autem*, hîc vim habet caussæ, vt sit hic sensus; voluisse neminem scire, quod iret Ierosolymam, quia docebat discipulos imminere iam passionis tempus Ierosolymis subeundæ, ac propterea nolebat quemquam scire, quod iam iter faceret per Galilæam, eam omninò derelicturus, & Ierosolymam concessurus, ne retardaretur, aut impediretur à Galilæis Ierosolymitana perfectio, impensè enim amabant illum Galilæi plerique, & retinere optassent. B Neque enim absolutè Christus latere volebat, alioquin Capharnaum non conceſſisset, ex caussali ergo coniunctione γὰρ, patet id, quod præcessit, *nec volebat quemquam scire*, intelligendum, quod eò properaret, vnde non esset reuersurus, mortem nimirum subiturus ibi. Porrò Lucas occasione admirantium populorum scribit à Christo prædictam fuisse passionem; *omnibus*, inquit, *mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: ponite vos* &c. quibus planè indicat Dominum quamuis turbis admirantibus præcepisse Discipulis suis, vt perpenderent magis quæ breui erat passurus, & mortis suæ ignominiam cogitarent, quàm quæ modò de eo prædicare audiuerant gloriosè à turbis. Matthæus verò nullam expressè occasionem affert huius prædictionis, significans tantum, per illa verba, *conuersantibus illis* &c. Dominum constitutis adhuc in Galilæa discipulis, antequam reuera Ierosolymis pateretur, C voluisse prædicere, quæ passurus erat, cùm adhuc versaretur cum illis in Galilæa, ad eos animandos, & confirmandos in fide, vt scirent à Deo prædefinitam esse eius passionem, cùm viderent ab illo prędici, antequam in se Iudæorum odium esset expertus Ierosolymis.

Ponite vos in cordibus vestris] Victor Antioch. Marc. 9. *quandocumque* inquit, *Christus Dominus de sua morte & cruce verba facit, statim miraculum adiungit. & quidem ante & post traditam doctrinam non raro hoc facit; prout multis passim locis obseruare id licet. & inde scribit Matth.; cœpit Iesus ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam.* &c. *tunc quando Apostoli illum Christum, & Dei filium esse confessi sunt* (vide superius cap. 6. v. 10.) *rursum quando admirabilem vultus sui splendorem discipulos in monte ostēdit*, &c. *sua iterum perpessionis, & mortis mentionem intulit*, (vt patet ex superioribus cap. 7. v. 13. & 17.) *tandem posteaquam hoc loco obstinatum Dæmonem, expulerat, illico quæ hic modo citata subnectit* Euangel. *Faciebat hoc autem, quo miraculorū magnitudine mœstitiæ, quā de morte illius conceperant, magnitudinem nonnihil diminueret, & mitigaret.* Alias etiam caussas huius rei subdit Theophylactus Matthæi 17. *Suoindē*, ait, *memoriam facit passionis* (*nimirum post lata*) *ne existiment quod inuitus patiatur, & interim hoc agit vt exerceat eos, & ne terreantur, si hoc inexspectatum eueniat. coniunxit autem tristibus lata, scilicet quod resurget.* Marcus item 9. ait, *vbique miraculorumoperationibus interserit sermonem de passione, vt ne putent ipsum propter impotentiam pati. Ex his Patribus caussæ huius rei quinq; colligi possunt.*

4. Mors Christi.

D *Ponite vos in cordibus vestris sermones istos*] licet aliqui dubitarint, paucis tamen dico, per ser-

5.

mones istos, intelligi verba sequentia, quibus suam prædicit mortem; rectè autem hîc notat Beda Luc. 9. *sanè quod ait, ponite vos; expressius, & vi intentiore legendum*, (habet enim vos, Emphasim quamdam sicut & istos) *vos qui meo discipulatui familiarius adhæretis quibus incerta, & occulta sapientiæ meæ manifestius aperui, cæteris diuina tantùm facta mirantibus sanguinis quoq; pretiosi, quo mundus est redimendus, euentum mente recondite.* Sic Beda. Adde quod hæc, quæ humilitatis sunt, & ad iniuriarum perpessionem pertinent; quæq; ad Christi imitationem faciunt, magis consideranda sunt, & altiùs cordibus imprimenda, quam miracula, *ponite in cordibus vestris*] G. legimus in auribus vestris, quare videtur interpres vel aliter legisse, vel sensum secutus.

6. *A quo traditus est Christus.*

Vt tradatur in manus hominum] Roget quis à quonam tradatur? Respondeo non ab vno traditus fuit Christus vt homo. Primũ à Patre ex dilectione hominum, *sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suũ vnigenitum daret.* Ioan. 3. 16. & Rom. 8. 32. *qui proprio filio suo non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum*, decreuit enim Pater non impedire, sed permittere inferendam Christo mortem, & cruciatus, & ratione huius decreti dicitur tradidisse filium in mortem. Iterum ipsemet Christus vt homo spõte seipsum tradidit, vt Patris volũtati obediret, & hominum saluti prospiceret Ioan. 14. 31. *vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* & ad Galat. 2. 20. *in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Adhæc traditus fuit à Iuda per summum, ac nefarium scelus Matt. 26. *quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam.* Præterea tradiderunt eũ Principes sacerdotum, & Iudæi Pontio Pilato, & gentibus. Ioan. 18. *Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi*, & hæc peior fuit, quàm illa Iudæ; neque enim iste ideò tradidit, vt interficeretur, sicut illi tradiderunt, *eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Matt. 20. Postremò tradidit eum Pilatus ministris, voluntati Iudæorũ consentiens vt crucifigeretur, quamuis minus Pilatus peccauerit, quã Iudæi, potest ergo hic intelligi generatim omnis huiusmodi traditio. Verùm speciatim de proditione Iudæ, qua tradendus erat hominibus & hostibus, Pharisæis, Senioribus, Scribis &c. videtur locus hic intelligendus.

7. C. *At illi ignorabant verbum istud*] Euthy. Mat. 17. *contristati sunt*, inquit, *& non vtcumque, sed vehementer, hoc autem factum est, eo quod ignorarent virtutem eorum, quæ dicebantur, sicut Marc. & Luc. dixerunt, diuina autem dispensatione occultabatur ab illis verbi cognitio, tanquam ab imperfectis, & qui necdum poterant ad supernaturale eius penetrare mysterium.* Sic Euthym.

8. *Et erat velatum ante eos*] hæc verba confirmant illud, quod nunc citamus ex Euthym. nimirum diuina dispensatione factum esse vt mysterium verbi ignorarent, refert enim Euangelista ignorationis huius causſam in diuinæ prouidentiæ dispensationem, itaq; Deo disponente tanquam sub velo proponebatur illis hoc verbum, quamuis verbis claris significaretur, vt si quid ante oculos ponatur velo obductum, vt videri nequeat. neque enim adhuc Discipuli apti erant, vt crucis verbum, & mortis mysterium perciperent; multà enim habebat illis Christus dicere, sed non poterant tunc portare illi Ioan. 16.

9. *Cur interrogare non audent?*

Et timebant eum interrogare] Cur timebant? Victor Antioch. *non*, inquit, *interrogant, siue quod nimia animi tristitia pressi non possent, siue etiam quod metu impediti non auderent; sæpè enim cùm nolle ipsum disertis verbis aliquid exponere animaduertunt, silent omninò.* His Victoris rationibus addi possunt & hæ, quia timebant, ne fortè audirent quidquam, quod eorum magis augeret, quàm leniret dolorem, malètes ignorare id, quod erat, quam dum id scire tentant, audiant quod magis displiceat.

10.

Et contristati sunt vehementer] Idem Euthy. loc. cit. *Si*, inquit, *ignorabant quomodo contristati sunt vehementer? non penitus ignorabant, sed de morte eius intelligebant, cùm de ea sæpiùs audissent, & de hac contristati sunt vehementer, de resurrectione verò ignorabant, de qua etiam sæpiùs audierant, nec tamen poterant intelligere quid ea esset, dicit enim Mar. inter alia quod conquirebant inter se, quid esset, donec à mortuis resurgam. Suspicabantur namq; hanc etiam quamdam esse parabolam; siquidem post resurrectionem aperuit mentem illorum, vt intelligerent Scripturas de omnibus.* Et Luc. 9. idem Euth. ait, *ignorabant verbum istud, verbum, non quod erat de passione, & occisione, sed de resurrectione.* Hæc Euth. cuius sententia videtur à quibusdam reijci; nam verosimilius est, inquiunt, discipulos intellexisse Christum de morte locutum, sed verba tamẽ Christi ignorasse, hoc est, causſam, modum, & vtilitatẽ mortis Christi, & hoc significasse Euang. cùm dixit: *& ignorabant verbum.* Equidem opinor non aliter intellexisse Euthy. neque enim negat, quod cũ Euangelista dicit: *at illi ignorabant verbum*, significaret Apost. ignorasse circumstantias, causſam, modum, commoda, &c. vt patet ex verbis eius Mat. 17. quæ retulimus num 7. ait enim de Apost. *necdum poterant ad supernaturale eius penetrare mysterium.* Ergò cùm inquit verbum, non quod erat de morte eius, ignorasse discipulos, sed & de resurrectione loquitur de morte, & passione secundùm rem; nam licet ignorarint mysterium mortis, resurrectionis longè maiorem habebant ignorationem. Quod idẽ videtur dixisse Chrys. affirmans discipulos intellexisse quidem Christum moriturũ, atq; iccircò contristatos esse, ignorasse tamen mortem Christi non duraturam diu, & innumera in homines inuecturã bona. Sic malim interpretari Patres, neque enim inficiantur, indicari illis verbis: *at illi ignorabant verbum*, etiam mortem ignorasse quoad mysteriũ, neque aliud sensisse videtur Hilar. can. 17. in Matt. *Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum*] vndenam in eam deuenerint cogitationem, non omninò constat. nam quod Hieron. ait: quia idem tributum viderant Apostoli pro Petro, & Domino redditum, cuius verba referam num. 15. sub finem, non videtur omninò stare, nam de quæstione primatus disputarunt Apostoli in via, qua Capharnaum petebant, vt Marc. ostendit, & ideo in fine v. 3. id quod hic de hac cogitatione dicitur, posuimus ex Luc. desumptum ante ingressum Capharnaum. tributũ autem solutũ est post hũc ingressum, incitasse quidem potuit acrius discipulos ille honor Petro delatus, sed non fuit causſa disputationis, vel prima occasio. Verã causſam arbitror, vel quia morte suã prædixerat, ideo quærebãt inter se, quis loco illius esset futurus caput eius familiæ. Accidit idem post prænuntiatam mortem filijs Zebedæi, *tunc*, inquit Matt. *accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi.* idem & Luc. 22. legitur paulò ante morte: *facta est* enim eadem *contentio inter eos.* sed de his locis alibi, vel causſa est, quia audierãt Petro claues promissas nõ multò ante. Pro *cogitatione* G. est διαλογισμὸς, quæ vox hic, nõ disceptationẽ, quæ verbis fit, vt quidã recentiores volunt, sed ipsam cordis cogitationẽ significat, vt patet ex Luc. cũ subdit: at Iesus videns cogitationes cordis eorũ, vt hic habes v. 2. cap. seq. licet eã verbis clam Christo etiam absente, declarassent inter se, ambitiosa disceptatione.

Senſus Patrum.

Ex Hieronym. causſa cur hoc cogitarint nunc Apost.

Vlterior causſa.

11. 4. *Accesserunt, qui didrachma accipiebant*] G. τὰ δίδραχμα, numero plur. De didrachmate, & de hoc tri-

Digitized by Google

tributo, quod vel quale fuerit in theor. 1. dicemus.

Magister vester non soluit didrachma] Sensus est: nō solet soluere? est enim verbum *soluit* præsentis tēporis, non præteriti, non actionem, sed consuetudinem significans, qualia in scriptura plura reperiuntur, sed instar omnium sit locus Ioan. 4. 9. *non n. coutuntur Iudæi Samaritanis*; hoc est, couti non cōsueuerunt non solent. ijs ergò respondit Petrus antequā Dñm consuleret (nā sciebat alijs annis solui esse,) etiam, q.d. imò verò consueuit soluere; sic enim affirmantis modo, non negantis intelligendus est Petrus dixisse, *etiam*, licet aliter senserint Lyr. Abul. Caiet. & Interl. negatiuè enim sic locum interpretantur, *etiam*, hoc est, verùm est quod dicitis, non soluit Magister tributum. Petri verò responsum edito miraculo confirmauit Dominus, ex quo loco etiam est intelligere, huiusmodi tributum quodcumque illud fuerit singulis annis consueuisse solui, sed de hoc in theor.

5. Et cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus &c.] hinc apparet Petrum promisisse Publicanis, dicturum se Magistro de soluendo tributum. Ceterum præuenit eum Dominus, indicans se occulta quæque cognoscere, talemque proinde esse, ac tantum, qui tributis homini soluendis meritò, iureque optimo non deberet esse obnoxius.

12. *An Apostoli liberi a tributis, an Christiani.*

6. Ergò liberi sunt filij] loquitur Dominus de se tanquam de naturali Dei filio, qualis non erat Petrus non ergò potest sub hic verbis Petrus comprehendi: Cur ergo, inquies dixit plurali numero liberos esse filios?

Respondeo, quia generatim intelligebat etiam vniuersos Regum filios. quare multò magis ipse liber erat, quia Regis cœlestis, hoc est, DEI filius erat, nihilominus non negarim significari his CHRISTI verbis neque ipsum, neque discipulos eius tributum debere hoc modo; nam eum non solum Regum filij, verùm etiam eorum domestici à tributis liberi sint, hinc fit, Christi discipulos, tanquam eius familiares, & domesticos immunes, liberosque ab ijsdem tributis esse quoque debere, vnde non fit omnes Christianos solutos esse tributis, cum Christi non sint domestici, vt olim Apostoli, hunc autem sensum confirmant verba illa Christi numero plurali comprehensa: *vt autē non scandalizemus eos*. hoc enim dicēdi modo significat, nec Petrū teneri non quidē quia filius sit, verū, quia domesticus sicut & ceteri Apostoli.

13. *An Christus vt homo liber à tributis*

Neque verò mihi vlla ratione eorum probatur sententia, qui affirmare ausi sunt, Christum vt Deum, liberum quidem fuisse à tributo non vt hominem. sic sensit Hesselius Matth. 18. quod probat ex illo Pauli ad Galat. 4. 4. *misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege*. item hoc loco de se vt Deo loquitur. verùm constanter affirmandum est, ne vt hominem quidem cuiquam tributum debuisse Christum, vel legi subiectum. nam ratione vnionis hypostaticæ etiam qua homo Rex Regum erat, & Dominus Dominantium, ergò quod tributum soluerit, quod legem seruauerit, voluntatis fuit, non necessitatis, atq; adeò factus est sub lege quia voluit, non quia debuit. Porrò ex eo quod naturalis erat filius Dei, fit, vt etiam qua homo propter vnitā sibi filij personam esset ēt Dei filius, sicut etiam plurib. à nobis declaratū est c. 7. Theor. 4. quare satis fuit ostendere naturalem se Dei filium esse, quia hinc sequitur ipsum neq; vt Deum, neq; vt hominem tributū cuiquam debere.

14.

7. Vt autē non scandalizemus eos] ignorabant. n. immunem illū esse à pendendo tributo ij qui illud exigebant; neq; enim credebant illum Dei filiū. sed vide lector mirum Christi artificium; miscet enim simul summa imis, sublimia humilibus. *Vade*, inquit Petre, *ad mare; & mitte hamū, &c.* Soluit quidem tributū quod non debebat; & hoc humilitatis fuit, verùm ita soluit vt admirandum in modum se Dei filium indicarit, & sapientiæ, & maiestatis simul lumen ostenderit, vt meritò dixerit Hieron. *quid primùm mirer nescio vtrum præscientiā, an magnitudinem Saluatoris, præscientiam quod nouerit piscem habere in ore staterē; & quod primus ipse capiendus esset. magnitudinem, atq; virtutem. si ad verbum eius statim stater in ore piscis creatus est, & quod futurum erat, ipse loquendo fecerit*, sic Hieron. hoc autem quod posteriore loco ait Hiero. credibilius est, quod & Gloss. interl. sequitur; *mira*, inquit, *potentia, qua hoc dicendo creauit staterem*. Ita se Dominum maris ostendit. vt meritò dicat Chryso. hom. 59. *diuina Christi virtute munera pelagus efferebat, & vndiq; subiectionem suam ostendebat.*

An statim creatus stater.

15. *Stater tetradrachmus.*

Inuenies staterem] stater idem est quod siclus, & tetradrachmus qua de re inferius, sed stater græcū nomen est, vt & tetradrachmus, siclus Hebrai. iubet autem staterem dari, quia singuli pendebant didrachmum, duo autem didrachmi staterem conficiunt. *Da illis pro me & te*] Notat Chryso. quantum hac in re Christus Petro detulerit honoris: *vidisti*, inquit, *honoris excellētiam, hunc locum Mar. qui Petri discipulus fuit, ideò non scripsisse videtur, quoniam ingens hinc honor Magistro, id est, Petro deferebatur.* Sed negationem quidem ille quoq; diligentissimè scripsit: *hæc quæ ad Magistri laudem pertinent, ipso forsan deprecante, ne magnifica de eo dicerentur, omnino siluit.* Eumdem honorem magnum fuisse censuerunt ceteri Apostoli, de quib. ait Hieron. quod *ex æqualitate pretij arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus.*

Honor Petri.

16. *Cur pro aliis Apostolis nihil pensitatū*

Sed cur, inquies, non etiā pro alijs Apostolis tributū soluit? Non placet hic ratio Chryso. quia Petrus fuit primogenitus, nam Andrea minor erat Petrus; nec Lyrani, q. Petrus esset caput Apostolorū, & tributū hoc tantū per capita familiarū esset soluendū nā contra hoc secundū ostendemus in theor. viritim fuisse pensitandū. Mitto Titelm. rationem, quæ minus placet. putat. n. tributum hoc exigi solitū à transeuntib. Capharnaum, & simplex quidem didrachmum soluendū, cum quis solus transibat, duplū autē dum cū comitatu aliquo. Paucis vera ratio esse videtur, vel quod tunc solus Petrus erat cū Christo, licet. n. discipuli omnes comitati fuerint Christū Capharnaū, poterunt tamē tunc præsentes non adesse, cū ad Petrū accesserunt tributi exactores, quod fuit post ingressum, vel si hoc nō placet, pro Petro soluit Christus, & non pro alijs, volens illū præ ceteris honorare, & meritò, nā & caput erat Ecclesiæ designatus, & tunc quasi quidā Apostolorum Princeps; deinde singulare ostenderat obedientiā, & fidē in Christū. quam rē admirandā planè scribit esse Chryso. & confert aliquo modo cum Christi potētia: *miraris*, inquit, *omnipotentiā Christi? mirare discipuli ēt, id est, Petri fidē, quia ad rem ita natura incredibilē, illico paruit.* quare subdit: *fidei retributionem cōfestim Petrus habuit, Christo in tributi solutione coniunctus.* Quid si addas & hoc? ideo Petri solius mentionē esse factam, quia cū eo solo locuti fuerant tributi exactores? Brugēsis non male, ait, voluisse Christū ceteros discipulos suos inopiæ ratione apud exactores tacitè esse excusatos, licet & pro ipsis soluere potuisset.

Excellentia Petri.

17. *Cur miraculo adducti pisces soluit tributū*

Iterū rogabis, quamobrem Dominus nō ex suis loculis, sed adducti pisces miraculo maluit tributū soluere? Poterat quidem ex loculis soluere, nam ea, quę in loculos conferebantur, ad omnē necessarium vsum eo conijciebantur, vt proinde non locum hic habeat ratio Diui Hieronym. noluisse Christum elemosynas, vel bona pauperum in tributū conuertere. quare vel dicendum, tunc non adfuisse discipulos, quibus loculorum curadem data erat, vel dum non ex suo, sed exnumero soluit,

indicare voluit non obligari se lege tributi, atque ita priuilegium illud non soluendi non amisisse; quod autem soluerit Publicanos non offendendi caussa, sponte fecisse, vel indicare voluit, se nihil in hoc mundo possidere proprij vnde tributum solueret, & simul interim declararet maiestatis suæ potentiam, & dominatum non in homines modo, sed in pisces etiam, ac mare.

18. *Tria ad mores hic colligenda.*

Sed antequam hinc discedamus tria hic sunt diligenter perpendenda, atque intimis animæ medullis altius infigenda. Primum intuere Christi paupertatem. nam iuxta Hieronym. sententiam *ædificat auditorem, dum tanta Dominus fuit paupertatis, vt vnde tributa pro se & Apostolo redderet, non habuerit.* nam si loculos mihi obijcias, illos ipsos ego dixerim, Christi nobis paupertatem commendare, qui eleemosynis vt pauper victitabat, nihil ipse possidens vt proprium. Sed quid si tunc nihil erat fortasis in loculis? Deinde immensam Christi humilitatem, & incredibilem animi submissionem mihi inspice lector, tributum soluit, quod minimè debebat. Sed quid mirum, cum nec famem, nec sitim, nec mortem deberet, & exsoluit tamen? Audi Augustin. serm. 6. de ver. Apost. *Christus*, inquit, *tributum non debitum persoluebat, sic persoluit & mortem, non debebat, & persoluebat. ille nisi indebitum solueret, nunquam nos à debito liberaret.* Postremò perpende quanta sint diligentia proximi scandalum, & offensio fugienda. Ecce tibi Dei filius, *ne*, inquit, *scandalizemus, vade ad mare &c.* vt meritò dixerit Paul. 1. Cor. 8 *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aternum.* Sed de scandalo Christo iuuante seq. cap. dicam vbi etiam constabit cum intelligentia huius loci, quodnam scandalum sit omninò cauendum.

THEORIA I.
De soluto tributo à Christo Capharnaum.

DIcemus hic primùm, quid census, tributum, vectigal, deinde quod fuerit hoc tributum, & quæ eius origo, & à quibus solueretur, & qui excluderentur. Tertiò quanta esset summa quę soluebatur. Quartò an viritim, & singulis annis penderetur. Ad hæc per quę Imperatorem trâslatum fuerit à templo in capitolium Quintò, an Christus singulis quoque annis illud soluerit necne quotidie solueretur & mente. Postremò, an hoc quod in præsenti exigebatur à Christo in templi sumptus vt olim exigeretur, an verò à Publicanis solueretur in impensas, & tributum Romanorum Imperatorum.

1. *Census, tributũ, vectigal. census tripliciter sumitur.*

Principiò explicare hic oportebit vim, & notionem harum vocum, scilicet, Census, tributi, & vectigalis. Et quidẽ census à censendo, hoc est, æstimando dictus est; sumitur verò tribus modis. Primò pro rerum, vel facultatum cuiusque æstimatione, quæ fit vt quilibet pro earum valore aliquid in commune bonum, seu tributum soluat. Inde vox hæc accommodatur secundò ad significandum ipsasmet facultates, seu bona cuiusque quæ ad id censeri, æstimarique consueuerunt. Postremò accommodatur ad significandum tributum ipsum, quod inde soluebatur, immò verò vlteriùs vocabulum hoc extensum est ad significandum etiam tributũ, & per capita familiarũ, & in signum subiectionis supremo Principi, impositum erat, & soluebatur, cuius mentio fit Matt. 22. 17. *licet censum dare Cæsari an non?*

A

Hinc non difficile est intelligere censum pro tributo duplicem fuisse. vnum qui ex bonis cuiusq; pro illorum quantitate soluebatur, propter quod fiebat bonorum singulorum hominum æstimatio: quod si mutaretur eorumdẽ bonorum status illis vel crescentibus, vel decrescẽtibus; æstimatio similiter bonorum, quæ referebatur in catalogum censitorum, id est, eorum, qui eiusmodi æstimationes faciebant, & quantitatem census, seu tributi decernebant, variabatur in eodem catalogo, quid autem fieret, dum bona alienabantur, ad nos facit. Vide si placet Mol. de trib. disp. 661. num. 2. Alter verò census non soluebatur de bonis pro illorum quantitate, vt hactenus expositus, qui iccircò appellabatur tributum rei, hoc est, Patrimonij, verùm soluebatur pro capite cuiusq;

B

familiæ, & propterea vocabatur non rei, sed capitis; quod qui soluebant apud Romanos dicebantur capite censiti: is census seu tributum capitis Iudæis à Romano Imperatore impositum fuerat, quo soluebatur didrachma, vt constat Matth. 17. & ex hoc cap. 9. dilucid. v. 4. & ex v. 7. vbi iubet Christus staterem solui pro se & Petro, nã stater tetradrachmus erat, atq; adeò duos didrachmos continebat, quorum vnus soluendus erat pro Christo, alter pro Petro. quare denarius ille census Matth. 22. 19. erat didrachmus, hoc est, duarum drachmarum, vt quidam volunt, sed de hoc posteà.

2. *Census pro tributo dupliciter.*

Porrò census siue sit rei, siue capitis, pensitatio publica etiam nominatur, vt notat Gloss. in rubr. C. de censibus, & censitoribus libro 11.

3. *Pensitatio publica.*

C

tametsi latius pateat & potiùs significet actum soluendi censum, & similia alia, quæ singulis annis, vel certè statis temporibus fisco soluebantur, quam censum ipsum inse. Ceterùm vterque census num. 2. declaratus proprijsimè & presè tributum nuncupatur, quatenus tributum à vectigali distinguitur.

4. *Vectigal.*

Vectigal. n. si presè sumas dicitur id quod soluitur ex rebus, siue mercibus, quæ vehuntur de loco ad locum, ratione loci publici, per quę transeunt, aut quo afferuntur, sic dictum à vehendo; tributum verò soluebatur ratione totius patrimonij aut per capita familiarum vt dixi, & vt Gloss. libr. 1. §. 1. v. pendant. ff. de public. & vectigal. etiam ratione soli ab eo qui illud possidet. quod autem census, vtrouis modo accipiatur, sit tributum proprijsimè sumptũ præter communẽ Doctorum sententiã patet ex eodem hoc c. 9. v. 5. vbi Christus dixit Petrũ interrogans. *Reges terræ à quib. accipiunt tributum vel cẽsum*, vbi eamdem vocem pro eadẽ re vsurpat; & idem patet ex c. 22. Matt. vbi Euang. refert discipulos Pharisæorũ cum Herodianis interrogasse Christum: *licet censum dare Cæsari an non?* & tamen Marc. 12. 14. & Luc. c. 20. vtuntur nomine tributi de eadẽ interrogatione scribentes, quia nimirũ census, etiam capitis & tributum idem sunt. idem etiam constat ex Paul. Rom. 13. 5. 6. 7. vbi videtur sumere tributum presè, & propriè, vt à vectigali distinguitur pro vtroq; censu qui in signum subiectionis, & in sumptus Principis, ac ministrorum eius soluebatur: sic enim ait; *ideò necessitati subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ideò enim & tributa præstatis*

Census vtrouis modo sumptus proprie tributum.

D

(vide

(videlicet in signũ subiectionis) *Ministri .n. Dei sunt, in hoc ipsum seruientes; reddite ergò omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Vide cap. 2. de censibus.

Iam verò vt ad secundum ex propositis initio accedamus, & declaremus quod fuerit hoc tributum, de quo hic Euangelistæ, & eius originem, scire oportebit, communi interpretum sensu non fuisse diuersum ab eo quod templo olim, iubente Deo, soluebatur. quare si hoc declarauerimus, intelligetur omninò quod vel quale sit hoc tributum de quo hic agitur. præceperat olim hoc modo Deus cum Mose loquens Exhod. 30. 12. *quando tuleris summam filiorum Israel iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino*, videlicet ob vitam in singula momenta seruatam, vel ad redimendam vitam, ne alioqui interficiantur. ponitur enim anima pro vita, *& non erit plaga in eis cum fuerint recensiti.* & num. 1. 2. *tollite summam vniuersæ multitudinis filiorum Israel per cognationes & domos suas, & nomina singulorum quidquid sexus est masculini à vigesimo anno, & supra omnium virorum fortium ex Israel, numerabitis eos per turmas suas tu & Aaron, eruntq; vobiscum Principes tribuũ, ac domorum in cognationibus suis.* Hinc patet vnde lex capitationis originem habuerit, & censum Hebræis antiquiorem Romano censu, vel lustro fuisse. Seruius enim Tullus teste Liu. libr. 1. & Dionys. l. 4. primus populum censuit, Mose mille annis, Dauide ferè sexcentis posterior. Porrò primùm recensiti sunt Hebræi in deserto cum agerent, Num. 1. 45.

Locus Exho 30. 12. num. 1. 2.

6. Septem hominum genera à censu excludebantur.

Verùm septem hominum genera excludebantur à censu. Inprimis Leuitas noluit Deus obligari, id quod testatissimum est nu. 1. 47. 49. 50. vbi ait Deus: *tribum Leui noli numerare, neq; pone summam eorum cum filijs Israel, sed constitue eos super tabernaculum testimonij.* De Leuitis vero sic præceperat idem Deus nu. 8. 24. 25. *hæc est lex Leuitarum à vigintiquinq; annis, & suprà ingredientur vt ministrent in tabernaculo fœderis, cumque quinquagesimum ætatis annum impleuerint, seruire cessabunt*, cuius rationem assignat Deus nu. 3. 12. 41. etenim Leuitas sibi assumpserat Deus pro primogenitis, *eruntq; mei*, ait, *Leuitæ*, & iccircò voluit eos sibi dicari non à 20. anno solum, sed eorum numerum ferri ab vno mense, & suprà. Leuitæ ergò non censebantur. Deinde neq; adolescentes ante annum 20. neq; senes post 50. Quod verò nõ censerétur in vsum militiæ, qui 20. ætatis annum non attigisset, constat ex libro 1. Paral. 27. 23. *noluit autem Dauid numerare eos à viginti annis inferius, quia dixerat Dominus vt multiplicaret Israel quasi stellas cœli*, quasi dicat, satis multi erant reliqui, vt opus non fuerit iuniores numerari. Idem habet Ioseph. libro tertio antiquitatum, capite vndecimo, & meritò, quia minùs apti sunt ad arma tractanda, & ad militiam, qui nondum vigesimum annum attingunt, quamuis Romani teste Veget. de re milit. libro primo, capite quarto, *incipientem pubertatem ad delectum cogerent*, & passim volunt post septimum, & decimum ætatis annum militiæ adscriptos Romanos, iam de his qui quinquagesimum annum excedebant, sentiunt passim non esse censitos. His adduntur feminæ, quas natura ad bellum ineptas effecit, itaque aduersa valetudine affecti, & qui seruitute quoque premebantur. Postremò exteri à fide. Hæc autem septem hominum genera mysticè exprimunt eos, qui ad spiritualem militiam minùs idonei sunt, quam rem ad digressionem reijcimus, vt ad mores potiùs facientem. Hactenus igitur originem huius tributi quod Deo soluebatur exposuimus, & quinam eius immunitate fruerentur, edocuimus.

Locus 1. Paral. 27. 23.

Videndum nunc quantum esset illud tributum, quod acto censu, Deo soluebatur tanquam summo militiæ Principi, hoc enim erat quod tertio declarandum proposuimus. Hac de re sic habes Exhod. 30. 13. *Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen dimidium sicli, iuxta mensuram templi: siclus viginti obolos habet, media pars sicli* offeretur Domino. sept. legunt: omnis qui transit ad visitationem, scholastes ad numeros, hoc est, super visitatos, vel adnumeratos, seu qui venerit ad numerum recensitorum. Vide quam paruo contentus sit Deus, quamq; parum exigat à nobis pro tot impensis beneficijs. Addit verò Dominus ibidem Exhod. 30. 15. *dives non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuet.* quid ita? fortasse quod vna est omnium anima, vel quod æquè cara est ei vniuscuiusque vita; quod esse verum, effusus eius pretiosus sanguis pro singulis hominibus satis postea indicauit: vel etiam quia non pluris sunt apud Deum diuitiæ, quàm paupertas. didrachmus ergo, seu dimidium sicli in hoc tributo soluebatur Deo.

7. Locus Exho. 30. 13 quantũ solueretur.

Cæterum didrachmus, siue didrachmum, vel didrachma n. g. duas continet drachmas. drachma verò siue argenteus Romanum Iulium, vel Regalem Hispanicum valet. didrachmus igitur duos huiusmodi Iulios ferè, seu Regales Hispanicos continet. atque adeò tetradrachmus quatuor drachmas, seu Iulios, seu Regales ferè habet. sunt autem idem siclus, stater, & tetradrachmus. quare dimidium sicli, siue stateris æquiualet didrachmo, quantùm erat soluendum pro tributo.

8 Didrachmus Drachma.

Sed aduersus ea quæ nunc dicta sunt illud primum facere videtur quod Matth. 22. 19. habetur: *ostendite mihi numisma census. at illi obtulerunt ei denarium.* vnde fieri videtur, denarium drachmæ æqualem numisma census dici, quia eiusmodi nummum quilibet Cæsari penderet. sunt qui respondeant, tributum hoc, de quo Matth. 22. diuersum quid fuisse ab eo, de quo Matth. 17. illud enim drachmam continere, hoc duas drachmas, seu dimidium stateris, vel sicli. Ceterùm passim fatentur auctores nusquam legi tributum aliud à Romanis impositum fuisse Iudæis præter didrachma illud sacrum, quod templo olim dabatur. Cæsar Baronius tomo primo annalium Anno Christi 34. ait: Romanos numismata iuxta tributi rationem credere solitos, ita vt alijs nummis immotis manentib. numisma census, iuxta ipsius census rationem, aut minueretur aut crescere, quod ipse ex Lamprid. probat iuxta quam sententiam dici posset, numisma illud CHRISTO oblatum à Cæsare percussum didrachmam fuisse, denariumque dici propterea quod Romano denario, formas

9. Locus Matt. 22. 19.

An denarius fuerit census numisma.

imagi-

imagine, inscriptione, licet non pendere, simile fuerit. Alij dicendum potius censent, Romanos, qui teste Plinio libr. 33. cap. 3. victis gentibus semper argenteum imperabant pro tributo, vnicam atque consuetam denarij Romani monetam imperasse, verùm alij simplicem, alij duplicem, vel alio modo multiplicem pro imperantium arbitrio solui volebant: iccircò census numisma dici à Iudæis, non quod vnum tantùmodo soluerent, sed quia qui didrachma soluebant, illud duplici denario soluere cogerentur; eligat lector vtram malit ex postremis his duabus opinionibus.

10. 70. siclum didrachmum vocans & semisiclum drachmum.

Verùm illud silentio inuoluendum non est, ne quis miretur, septuaginta interpret. pro becagh, id est, didrachmo, seu semisiclo, drachmam substituere, nam ipsi solent sanctuarij siclum in didrachmum conuertere, ac proinde semisiclum in drachmam, quod non est ignorandum si errare nolimus.

11. Vnum ne, an plura didrachma soluerentur.

Iterum contrà illud de didrachmo soluendo obijci potest, quod habeatur hic. *Magister vester non soluit didrachma?* vbi didrachma numero plurali exiguntur à Christo. non ergò vnum didrachmum, sed plura didrachma soluebantur. Quod Titelm. respondet huic dubitationi, iam reiecimus in scholijs superius nu. 16. Verior responsio est vnum solui solitum didrachmum: Christum verò duo soluisse vnum pro se, alterum pro Petro. igitur vnus vir vnum tantum pendebat didrachmum, non plura. at exactores loquebantur de didrachmis pro Christo, & pro discipulis, seu saltem pro Christo, & Petro quo cũloquebantur, soluendis. nisi malis dicere positum esse numerum ralem pro singulari.

12. Conciliatio.

Denique quoniam diximus num. 6. tributum hoc sacrum non solui solitum, nisi ab ijs, qui attigissent vigesimum annum, obijci potest id, quod diximus libr. 1. harum dilucid. cap. 9. num. 6. schol. etiam infantes post nomen inditum censitos fuisse. Verùm ibi sermo erat præsertim de eo, quod solutum fuit in ea descriptione prima Augusto imperãte præcepta; licet fortasis ét Imperatores id postea imperauerint, aut etiam infantes, vel etiam fœminæ soluerent. quamquam Villalpand. tom. 3. cap. 31. sub finem ferè dicat, quod si aliquando vel à fœminis, vel ab ijs qui non attigerant vigesimum annum didrachma soluebatur, id exactorum licentiæ, & auaritiæ tribuendum potius, quàm legi à Cæsare latæ.

13.

Iam sequitur 4. vt videamus quomodo penderetur hoc tributũ, num capitatim, an aliter & an singulis annis. Affirmo ergò viritim, seu capitatim solui consueuisse, quod & ex hoc loco colligere possumus, si Syriacam translationem consulamus. vbi enim nos habemus Matthæi decimo septimo, *accesserunt qui didrachma accipiebant*, in Syriaca translatione habetur: *accesserunt ij qui accipiunt binas drachmas argẽti capitatim, ael bina zuzin argenti capitatim.* .i. per singula capita, & quia vt dixi n. 5 idẽ tributũ quod tẽplo pendebant, exegere Romani Imperatores: ideò etiam ipsi idem tributum solui iusserunt à singulis Iudæis. Quare non videtur verum quod habet Auctor. qq. ex nouo testamento apud Augustinum quæstione

A septuagesima quinta, *didrachma*, inquit, *ab eis exigenda erat, qui aliquid negotij gerebant, aut artibus operam dabant. Saluator autem quia nihil horum curabat, neque discipuli eius, exigenda vtique non erat. Sed diabolus exactorum animos occupauit, vt accedentes ad Petrum, solui debere dicerent didrachmam.* hæc ille. quod si verum esset, non video: quamobrem diceret Dominus: *ne scandalizemus eos.* Aug. minus probabilis sententia.

Neque id quod Diuus Chrysostomus de de hoc tributo scribit homilia quinquagesima nona probandum est. ait enim: *quando Aegyptiorum primogenita Deus interfecit, tunc Leuiticam tribum pro ipsis accepit, quoniam huius tribus Leuitica minor numerus erat, quam primogenita Iudæorum fuissent, pro deficientibus ad supplendum numerum, siclum* (potius quinque siclos) *iussit deferri* (consule cap. 3. num.) *consuetudo igitur ex illo tempore obtinuit vt primogeniti hoc vectigal persoluerent. Cum itaque primogenitus esset Christus, Petrus quoque Discipulorum primus esse videretur ipsum adeunt.* à Chrysostom. stant Theoph. &, ferè Euthym. Ite & Chrys. sententia excluditur.

B

Sed falsum videtur quod primogeniti singulis annis tributum penderent, tantum id semel cum quinque siclis infantes redimerentur.

14. Quotannis pendebatur.

Cæterum soluebatur tributum de quo loquimur, etiam singulis annis, quamuis nullus bellorum timor ingrueret, sed pace summa fruerentur. Hinc Ioseph. libro septimo de bello Iudaico capite vigesimo sexto. *tributum*, inquit, *Iudæis indixit Vespasianus vbicunque degerent, binasque drachmas singulis annis deferre in capitolium iussit, ita vt ante hac Ierosolymorum templo pendebant.* Sic ille. vnde etiam constat à Vespasiano impositum fuisse hoc tributum, non quod nõ anteà hoc ipsum feciſſet Augustus, sed quod fortè Iudæi per aliquot annos noluerint illud pendere: quare à Tito & Vespasiano iterum impositum, vel repetitum fuit. Titus ergò seu Vespasianus non imposuit nouum didrachma, sed transtulit, vt ex loco citato Ioseph patet, & idem confirmat Xiphilinus in Vespasiano. Huius tributi meminit ipsemet Titus ex Ipsepho 7. bell. capite decimo tertio. Iudæis exprobrans ingratitudinem, quod Romanis resisterent; enumerans namque beneficia à Romanis Imperatoribus in ipsos collata, sic subijcit: *quodq; maximum est tributum capere Dei nomine ac donaria colligere permisimus, eaq; offerentes, neque monuimus, neque prohibuimus, vt hostes nobis efficeremini ditiores, nostraq; pecunia vos contrà nos instrueretis.* Constat etiam ex eod. loco Iosephi, Iudæos vbique gentium exisserent ad hoc tributum soluendum in singulos annos coactos fuisse. Ab Aug. impositũ, à Vespasiano renouatum.

C

D

15.

Verùm hoc loco contrà id, quod de pensitatione huius didrachmi in singulos annos diximus, facit quod Euangelistæ non scribant Christum soluisse hoc tributum nisi semel, neque enim alterius solutionis meminere. Sed respondeo non obscurè indicari ipsis Euangelistarum verbis diligentius animaduersis Christum Dominum à Tributi solutione nunquam desijsse. Nam quæ ratio ipsum nunc ad soluendum mouit, videlicet vitandi scandali occasio, eadem ad semper soluendum impulisse

Digitized by Google

credibile est voluente anno, quamquam & illud dici potest, quo breuius dubio satis fit: non omnia quæ fecit IESVS scripta esse.

16. *Quo mense & die soluerentur.*

Sed adhuc quintò de hoc tributo est quod quæramus, quo mense, quoue die soluerentur. Cui dubitationi sic occurrendum puto: hunc tam illustrem populi Hebræi censum, & verò annuum certo & stato die fieri consueuisse, hunc verò diem festum expiationis passim assignant; quæ opinio inde maximè robur accipit, quod in ipsa lege Exhod. trigesimo, 12. vbi nos legimus: *dabunt singuli pretium pro animabus suis*, Hebraicè haheatur, *dabunt expiationem animæ suæ.* Erat verò expiationis festus mense septimo prima die mensis, & verò erat dies ille celeberrimus.

17. *Cuim vtilitatib cedebat hoc tributum.*

Postremò reliquum est videre an hoc tributum quod exactoribus nunc soluit Christus secundùm legem posceretur in sumptus templi, an verò ad Romanos Imperatores transiret? Et quidem Diu. Hilario canone decimo septimo videtur quod hoc tributum templo penderetur.

Opinio D. Hilarij reijcitur

At isthæc Hilarij opinatio ex his quæ hactenus diximus ex Iosepho satis reijcitur. Etenim iam illud quod olim in templo pendebatur tempore Augusti, siue etiam fortasis Pompeij ad Romanos transisse videtur. consule Egesipp. libro primo, capite septimo, & Iosephum libro decimoquarto antiquitatum, capite octauo, quamuis fortasis religiosiores Iudæi sponte, non coacti illud adhuc soluerent templo, licet compellerentur adhuc Imperatori didrachma soluere. Erant enim hac in re religiosi Iudæi, vt constat ex Ioseph. libro secundo, bell. capit. decimo tertio. *Iudæi*, inquit, *freti locorum natura sacrum didrachma quod Deo ex more solent offerre, ceteramq; votiuam pecuniam in his vrbibus.* Neerda videlicet, & Nilibi, *tamquam communi ærario, vnde suo tempore transmitterent Ierosolyma, reponebant.* Istud ergò tributum, quod nunc postulabatur, à Christo, sicut & illud de quo Matthæi vigesimo secundo, ad Romanos Imperatores pertinebat, non ad templum, ad quod etiam confirmandum afferri possunt verba Christi hic vers. quinto.

Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel censum? ergo credibile est tributum illud, de quo est præsens quæstio ad Reges terræ, hoc est, Romanos Imperatores pertinuisse, & à Publicanis in impensas Imperatoris Tiberij, non autem à sacerdotibus in templi sumptus exactum fuisse.

A

B

C

D

DIGRESSIO MORAL.

In Caput nonum de tributo.

1. Dictum à nobis est in præcedenti theoria num. 6. septem hominum genera Hebræorum censu in vsum militiæ acto, exclusa fuisse, Leuitas, adolescentes, senes, fœminas, valetudinarios, seruos, & exteros à fide. Deinde num. 7. asseruimus ex scripturis dimidium sicli solui consueuisse. Postremò statuerem pro Christo, & Petro exactoribus datum, hæc omnia nunc ad primarium spiritus sancti sensum, id est, spiritualem reducemus. Addemus verò his quædam de clericorum immunitate præsertim à tributis, vt quanta sit huius gradus dignitas etiam vniuersus orbis terrarum agnoscat, eumque reuereatur. Affirmo igitur primò septem hominum genera inepta esse atque adeo inutilia ad Christianam militiam. Et Leuitarum quidem nomine intelligere possumus eos, qui quod in sortem Christi vocati sint, eiusque obsequio mancipati, solo militum Christi nomine contenti sunt, arma verò abijciunt, seque ignauiæ, ac torpori tradunt, diuitijs abutentes, quas è beneficijs, & dignitatibus, quarum solo nomine gloriantur, accipiunt. nisi malis Leuitas potiùs eos accipere, qui iam è vitæ huius militia translati sunt in cœlestem triumphantemq; ciuitatẽ, vbi tanquã emeriti milites desiuere merere, militiaq; egregiè perfuncti sunt, ac proinde nunc coronati sempiterna pace fruuntur. Adolescentes verò sunt, qui quoniam deliciarum studio dediti à nullis mundanis illecebris abstinẽt, armis contra spirituales hostes tractãdis apti nõ sunt, quib. illud Tertul. ad Iudæos accõmodari potest: *nemo miles cum delicijs ad bellum venit, nec de cubiculo ad aciem procedit,*

Inepti ad spiritualem militiam.

2. Senes verò aptè eos dixerimus, qui veluti senio quodam confecti, & ætatis flore, atq; animi robore destituti, otio, atq; ignauia marcescũt. de his verè affirmabimus inutiles esse qui Deo militent. His verò quarto effeminatos quosdã homines adnumerare poteris; sunt hi, qui propterea lethales animi morbos, quibus obnoxij sunt iure, optimo à Christi militia repelluntur, nõ armaturã Dei induẽt, qua possint resistere in die malo aduersus insidias diaboli; non succingunt lumbos in veritate; non induunt loricam iustitiæ, neq; pedes calceati in præparationem Euangelij pacis sunt, non sumunt scutum fidei, non galeam salutis, non gladiũ spiritus: quo fit vt necessarijs armis exuti hostiũ insultib. pateãt & maiorib. in singulos dies morbis impliciti & vulneribus debilitati sint. nã peccatũ quod per pœnitentiam non deletur, suo põdere ad aliud trahit, teste Greg. 6. serui numerantur ad spirituale bellum inepti. Ii verò sunt eius libertatis minimè participes, qua Christus nos donauit, atq; adeò Christiana nobilitate, & ingenuitate priuantur. Postremò minùs etiam idonei sunt huic Christianæ militiæ, & spiritualib. armis, qui veræ Dei fidei, & Christianorũ religionis expertes sunt. hi. n. potiùs contra Christum Dominum, & aduersariorum castris stipendia merent. & hæc de primo.

Iã verò neq; illud mysterio vacat, quod dimidiũ sicli sibi in tributũ exsolui Deo præceperit,

non

non verò integrum siclum, idque pro seruata ab illo vita; etenim verè nemo est, qui tantum rependere Deo possit, quantum ille meretur, siue in Cœlis, siue in terris: quare quidquid vnquam facimus, quidquid cogitam⁹ quidquid loquimur, denique quidquid offerre possumus præ eo quod Deo debemus, mancum, mutilum & imperfectum omninò est, vt iure optimo de nobis possit affirmari illud Isa.64.6. *quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ vestræ.* At non ita nobiscum se gerit Deus, quin potiùs magnis nos accumulat beneficijs, & immenso præmio coronat propter opera non satis magna, quæ cum eius auxilio illi exhibemus, vt meritò dixerit Abrahamo. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Genes.15.1.

4. *Stater Christus est.*

Sequitur tertium: vt expendamus, an quid fortè vtilitatis, vel spiritualium diuitiarum ex hoc statere decerpere possimus. plura de hoc apud Patres. Elias Cretens. episc. in orationem quartam Nazianz. *nos*, inquit, *re vera pisces eramus de amaris vitæ fluctibus extracti, velut è mari per Apostolica retia: tenentes in oribus nostris Christum, qui regius est stater, datus pro redemptione duorum pretio, nimirum animi, & corporis nostri: vel pro duobus illis populis, pro Iudæis, & Ethnicis, æquè redimens pauperes, ac diuites. nam & vetus illa lex, nullam excusationem admittens, æquè à pauperibus, ac diuitibus drachmæ vectigal exigebat.*

Idem iustitia est.

5. Chrysostom. hom. in Psalm. 71. *orta est*, inquit, *ergò in diebus eius iustitia. qualis est ista iustitia, nisi stater ille inuentus in interioribus piscis à Petro de mari leuatus? de quo statere dixit Petro: da filiis regni huius pro me & te. Ergò ista iustitia qualis est, nisi vt Dominus carne induta, & hominem oculis humanis demonstraret, & diuinitatem occultaret? quanta iustitia, vt traderet se pro omnibus hominibus, & pro Ecclesia vbique diffusa? quanta iustitia, nisi vt omnia toleraret iniusta ex improbitate Iudæorum, & suam iustitiam demonstraret ferocitati hominum? hæc iustitia monstrata est omnibus hominibus, vt qui vidisset mulierem ad concupiscendum eam, iam mœcharetur eam in corde suo; nulli malum pro malo reddere; cum omnibus hominibus pacem habere; pro inimicis orare. Ecce orta est in diebus eius iustitia.*

6. *Auarus similis pisci in ore pecuniam habenti.*

Theophyl. huic pisci similem esse putat auarum hominem nihil fermè aliud in ore habentem quàm pecuniam, aurum & argentum. Quod si Petrus, iubente Christo, missus, hoc est, concionator, hamum mittat, piscem, hoc est, auarum capiet, pecuniam, id est, diuitiarum cupiditatem sanè inexplebilem, ex ore, ex intimis visceribus extrahet: itavt non aurum, deinceps, sed Deum in ore, & visceribus habeat.

Piscis Eccles.

Postremò piscis à Petro extractus ab aquis est Ecclesia fidelium. nam quamuis fideles multi sint, vna tamen eorum fides, vnum cor, vnum quoque eos piscem constituit. & aptè fideles pisces nominantur, quia ex amaris mundi aquis educti in escam Christo præparantur, vt sic in ipsum transmutentur. Porrò stater in ore piscis inuentus, peccata sunt, quæ Christiani aperto ore confitentur, & hic idem stater est, videlicet, hæc peccata sunt, quæ Christus soluit, nam licet peccati censum ipse non debeat, nisi tamen soluerit, væ miseris mortalibus. meritò igitur Dominus ne scandalum insit hominibus, quod non debuit, sponte soluit, sed

A licet peccator ore suo peccata fateatur, nisi Petrus, hoc est, sacerdos ea à peccatore extrahat, illumque absoluat, non soluet Christus. demum soluit peccata Christus, quę Petrus extraxit, pro se, quia præ nimia charitate peccata nostra sua esse ducebat. Psalm. 21. *longè à salute mea verba delictorum meorum.* Pro Petro verò etiam soluit, id est, pro Ecclesia, quia *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo.* Quoties igitur peccatorem videris ad sacerdotis pedes accedere, & aperto ore peccata fateri, toties cogita piscem esse ab aquis extractum, atque ora laxantem, vt inde peccata extrahâtur, quæ Christus soluat pro se, & pro Petro.

7. *Iterùm stater quid sit.*

Isidor. lib. 1. epist. 206. *stater*, inquit, *ille, quem in pisce abstrusum Petrus capere iussus est, formam nostram vitiosis affectionibus coopertam designabat,* B *quam Dominus in seipso ad primogenium exemplar reuocat. suo autem nomine hunc dari præcepit vt homo effectus, atque omnibus nostris conditionibus subiectus, nec imperatori, cum ea imperat, quæ minimè noxia, & perniciosa sunt, obluctari permittens, & diuinæ potentiæ vim, ac facultatem ostendens.*

Regi noxia non iubenti parendum.

8. *Clerici à tributis immunes.*

Sed antequam huic digressioni supremam manum imponamus animaduertere oportet, Christum illis verbis, quæ huius cap. v. 6. habentur, se ac Petrum, hoc est, clericos tanquam suos domesticos speciatim sibi addictos (quãuis non Christianos vniuersim) liberos esse à tributis non obscurè ostendere. & quidem quod non omnes Christiani tributis soluti sint, docet Paul. Rom. 13. 7. iubet enim Christianos suum cuique reddere, *cui honorem, honorem, cui tributum, tributum:* licet enim omnes C Christiani Dei filij sint adoptione, eius tamen domestici, vt Apostoli non sunt, sunt tamen clerici, neque est quod D. Augustin. quasi contrariæ sententiæ fauentem afferas lib. 1. qq. Euangelic. cap. 23. vbi sic habet: *quod dixit, ergò liberi sunt filij: in omni regno intelligendum est liberos esse regni filios, id est, non esse vectigales. multo ergò magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filij illius Regni sub quo sunt omnia regna terræ.* hæc Verba Aug. Explicantur
Augustin. verba nullam habent difficultatem, si intelligatur sensus verborum Christi, quæ citat Augustin. *ergò liberi sunt filij*: loquitur enim Christus de filijs regum naturalibus, siue Dei qualis erat ipse, siue Regum mundanorum. nec de alijs loquitur Augustin. sub istis verò comprehenduntur etiam eorum domestici. consule quæ diximus num. 12. in schol. superius. Aliter etiam respondet D. Thom. 2. 2. qu. 104. D art. 6. ad 1. sed mysticè potiùs.

Maiorem habent difficultatem D. Hieronym. verba in hunc locum Matth. sic enim ait: *Dominus noster & secundùm carnẽ, & secundùm spiritum filius Regis erat, vel ex Dauid stirpe generatus vel omnipotentis verbum Patris. Ergò tributa quasi Regum filius non debebat, sed quia humilitatem carnis assumpserat, debuit adhibere omnem iustitiam, nosq; infelices qui Christi censemur nomine, & nihil dignum facimus tanta maiestate. ille pro nobis & crucẽ sustinuit, & tributa reddidit: nos pro illius honore tributa nõ reddimus, & quasi filij Regis à vectigalibus immunes sumus.* Quo loco videri potest Hieronym. per arrogantiam quandam sibi sumere Ecclesiasticos, quod non soluant Principibus tributa. Respondeo non hoc voluisse

Locus Hier. explicatur.

Digitized by Google

D. Hieron. sed contuliſſe dumtaxat Chriſti humilitatem pro nobis ſponte ſuſceptam, cum clericorum honore pro Chriſti nomine illis cõceſſo; q̃ piè facit, quo nos excitet vt charitati Chriſti ac honori quo propter illum fruimur, reſpondeamus; quod cum minimè à nobis fiat, vehementer dolet vir ſanctiſsimus, nihil nos facere dignum ea dignitate, & honore, quem Chriſti munere accepimus.

9. *Clerici cur liberi non à tributis modo, ſed à ſeculari poteſtate.*

Sed iam reuertamur ad clericos, doceamuſq́ue meritò Eccleſiaſticas perſonas à ſæcularibus, & prophanis iudicibus exemptas, nec modo res illarum à vectigalibus ſoluendis immunes eſſe, vt vel hinc diſcant quantò ſit dignius honore earum ſtatus, quantaq́ue animi puritate Chriſto, vnde hoc beneficij hauſerũt, obſequi debeant: & primum quidem ſi dignitatem ſtatus earum perſonarum perpendamus, non erit difficile intelligere meritò, iureq́; optimo hanc illis exemptionem conuenire. etenim Eccleſiaſticæ perſonæ præcipua, ac peculiari quadam ratione diuinis rebus mãcipatæ, & conſecratæ ſunt. Igitur quis non videat contra honorem, & reuerentiam, quam Deo debemus, eſſe, ſi id, quod ſemel Deo dicatum eſt, tractetur vt prophanum? quare Dauid ne defendendi quidem ſui cauſſa fuit vnquam auſus ſibi infeſtiſsimum hoſtem Saulem lædere, quia vnctus erat Domini; & non ignoramus tamen eius temporis vnctionem vmbram dumtaxat fuiſſe vnctionis, & veræ ſanctificationis Eccleſiaſticorum. Vide igitur quanto ſint digni honore, qui per eum ſtatum Chriſto conſecrati ſunt. Huic rationi altera non minoris momenti accedit ratio: Etenim Eccleſiaſticæ perſonæ paſtores ſunt, & Patres ceterorum, qui in ſæculo ſunt, & verò etiam Iudices eorumdem pro Deo in ſummis cauſsis, nimirum quæ ad ſpiritalem, æternamq́ue animorum ſalutem pertinent: quis ergò negabit indecorum valdè eſſe, vt quis Paſtorem ſuum iudicare audeat, & filius Patrem, & qui ante fuit reus Iudicem ſibi à Deo conſtitutum? tertiò, quamuis Principes à clericis iniurias propulſent, eoſq́ue tueantur, quo tranquillè viuãt, clerici nihilominus Principibus longè diuinius beneficium conferunt; dum vel illos baptiſmali vnda luſtrant, veritatis lumen oſtendunt, à peccatis abſoluunt, vt viam ſalutis ineant, monent, pane cœleſti, orationibus, ſacrificiis ſuffulciunt, & ſexcentis alijs beneficijs afficiunt, quare vt habetur 23. q. 8. c. 23. in qualib. Conſtantinus, & Conſtans Imp. oneribus perſonalibus clericos liberos eſſe volentes,

10. hanc aſsignant rationem: *ſcientes magis religionibus, quam officijs & labore corporis, vel ſudore noſtram Rempubl. contineri?* Quartò, res ſacræ ſiue ablatæ Deo, dicuntur eſſe bonæ Dei, & ſub nullius hominis dominio conuenit ea eſſe, atque adeò eo ipſo, dumtaxat Deo ſubijci debẽt, atqui clerici ſunt Deo mancipati, & diuinis vſibus deputati, atque adeò in Dei ſortem electi, quæ maxima eorum eſt dignitas. nihil igitur iuris ciuiles magiſtratus in eos exercere decet. etenim quid illis cum eis, qui in ſortem, partem & hereditatem Dei ceſſerunt, vt ſuis eos legibus aſtringant, & cogant, & tantum nõ obuoluto capite ad ſua tribunalia trahant, in

A eos inquirant, & pœnis animaduertant? Ad hęc ſi vaſa, altaria, templa, veſtes, &c. Deo ſacra eo tantùm nomine, quod diuinis vſibus, & cultui deputata, & dicata ſunt, omnium votis à prophano, & ciuili vſu ſeparantur; nonne etiam clerici multò maiori ratione propterea quod Deo conſecrati ſunt, ab omni Ciuili vſu, & poteſtate decet eſſe ſemotos? Res Deo ſacratas indignum eſſe ducimus, vel tangi ſolum à laicis: & iudicabimus perſonas Deo dicatas, & diuinis officijs, & miniſterio addictas tangi, & malè accipi à laicis poſſe? quid plura? nonne mundani milites ſæcularibus Principibus militant? cur ergò ſacrati Deo milites, hominibus etiam militabunt, & non ſoli Deo? omitto quod hæc immunitas plurimum facit ad tranquillam, quietamq́ue Eccleſiarum gubernationem. Hæ quidem rationes tantùm ponderis, ac momenti apud quoſdam habent, vt etiam de iure diuino eſſe clericos, non modo à tributis immunes, verùm etiam à ciuili poteſtate liberos in his, quæ ciuilia, & temporalia ſunt. qua de re conſule Azor. tom. 1. libr. 5. cap. 12. ſed de his ſatis.

11. *Scripturæ idem auctoritate probatur.*

Illud non omiſerim eamdem, quam rationibus ſententiam confirmauimus age etiam ſacræ ſcripturæ exemplis corroboremus. enim verò Ioſeph Geneſ. 47. totam terram Aegypti Regi tributariam fecit, ita vt quinctam ſolueret fructuum partem; ſecutus tamen ius diuinum naturale, quod ſaltem dictat, meritò à Principibus exemptos eſſe ſacerdotes, terram ſacerdotum excepit, quibus etiam ex publico cibaria dabantur. Quare iure Vrbanus Pontifex 23. q. 8. cap. 22. tributum: inde collegit *agros Eccleſiæ non eſſe Imperatorum exactionibus ſubijciendos.* Prætereà 1. Eſdræ 7. eamdem ſecutus rationem, idemq́ue ius Artaxerxes iuſsit, ſacerdotes, Leuitas, & alios templi miniſtros à vectigalibus eſſe immunes. Quod ſi naturale lumen rationis ſecutus cenſebat ſacerdotes illos eximendos eſſe, quantò magis id de noui teſtamenti ſacerdotibus, & miniſtris æquum eſſe iudicabimus? Hæc eo dicta ſunt, vt agnoſcant denique Imperatores, Reges, omneſq́ue mundi Principes, Reſpub. Magiſtratus quo loco habere debeant ſacerdotes, & ſacratos Dei miniſtros. Deinde vt ipſi etiam, qui ad eius dignitatis gradum euecti ſunt, agnoſcant ſuã dignitatem, atque adeò Deo gratias agant. Vnde quidquid eſt dignitatis in illis, profectum eſt, itaque vitam ſuam inſtituere conentur, vt longè ſint à Dæmonum ſeruitute, quibus nullum omninò peccati tributum exhibere debent. ſequitur capit. 10.

CAPVT X.

DOCETVR PRO PRIMATV HVMILITAS, ET QVOD SCANDALVM VItandum sit.

A. 18. 1. B. 9. 32. C. 9. 47.

1. IN illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes, quis putas maior est in Regno Cœlorum.
2. C. At Iesus videns cogitationes cordis illorum.
B. cum domi essent, interrogabat eos: quid in via tractabatis?
3. At illi tacebant: siquidem in via inter se disputauerant, quis eorum maior esset.
4. Et residens vocauit duodecim, & ait illis.
5. Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister.
6. A. Et aduocans, B. & accipiens puerum statuit illum secus se, (&) A. B. in medio eorum. B. quem cum complexus esset, ait illis.
7. A. Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum cœlorum.
8. Quicunque ergò humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum.
9. C. Nam qui minor est inter vos omnes hic maior est.
10. B. Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit. A. B. C. in nomine meo. B. me recipit: & quicunque me susceperit, non me suscipit, sed eum, qui misit me.
11. Respondit illi Ioannes, dicens: Magister, B. C. vidimus quendam in nomine tuo eiicientem Dæmonia. B. qui non sequitur nos. B C. Et prohibuimus eum. C. quia non sequitur nobiscum.
12. B. Iesus autem ait. B. C. Nolite prohibere, B. eum. Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito malè loqui de me.
13. B. C. Qui enim non est aduersum vos pro vobis est.
14. B. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.
V. 15. Et quisquis scandalizauerit vnum ex his pusillis credentibus in me: bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo eius, & in mare mitteretur. A. & demergatur in profundum maris.

A. Et qui susceperit vnũ paruulum talẽ. C. quicunque susceperit puerũ istũ

C. Respondẽs autem Ioan. dixit Præceptor.

C. Et ait ad illum Iesus.

A. Qui autẽ scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt: expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius.

A
16. Væ mundo à scandalis: necesse est enim vt veniant scandala; verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit.
17. Et si scandalizauerit te manus tua, abscinde illam, bonum est tibi debilem intrare in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem.
18. Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.
19. Et si pes tuus te scandalizat amputa illum, bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis.
B
20. Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.
21. Quod si oculus tuus scandalizat te, ejice eum: bonum est tibi luscum introire in Regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.
22. Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.
23. Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.
24. Bonum est sal, quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? habete in vobis sal, & pacem habetote inter vos.
C
25. A. Videte ne cõtemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.
26. Venit enim filius hominis saluare quod perierat.
27. Quid vobis videtur si fuerint alicui centum oues, & si errauerit vna ex eis; nonne relinquit nonaginta nouẽ in montibus & vadit quærere eam, quæ errauit?
28. Et si contigerit vt inueniat eam: amẽ dico vobis, quia gaudet super eam magis quàm super nonaginta nouem, quæ non errauerunt.
D
29. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis.

A. Si dixit manus tua vel pes tuus scandalizauerit te abscinde eam & proijce abs te, bonũ est tibi ad vitam ingredi debilẽ vel claudã, quam duas manus vel 2 pedes habentẽ mitti in ignem æternum.

A. Et si oculus tuus scandalizet te, erue eũ, & proijce abs te, bonũ est tibi vno oculo in vitam intrare, quã duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

SCHOLIA.

QVæ narrant hic Euangelistæ in speciem non satis cohærere videntur. Luc. enim narrat cogitasse discipulos de primatu, eamque cogitationem Dominum cognouisse, cum tamen Marcus referat eos inter se contendisse. Iterum Matth. ait, Apostolos ad Christum accessisse, eumq; interrogasse, *quis esset maior in regno cœlorum*; contrà Marc. aduocatos affirmat à Domino discipulos, & interrogatos filuisse. Verũ si penitiùs historia hæc inspiciatur, nihil apparebit contrarium, sed summa concordia, atque consensio Euangelistarum. Itaque talis est ordo intelligendus: Recessit Christus ab ea domo, cuius mentio fit c. 8. v. 17.

I, consensus Euangelistarũ.

harum

harum dilucidationum, vbi discipulos incredulitatis reprehenderat, & de passione, ac morte sua illos prȩmonuerat. Inde in viam se dedit Capharnaũ versus: inter eundum verò cœperunt Apostoli cogitare quis eorum maior esset, vt est apud Luc. & habetur hic c.9. sub fin. v.3. vbi Capharnaum ventũ est, inijt Christus domum, & fortassis cum eo omnes discipuli, nisi velimus dicere illos saltẽ omnes non esse tunc statim ingressos, sed distentos alijs negotijs aliò abijsse; vel certè vbi semel sunt ingressi, egressos postea fuisse, Petrus verò cùm solus foris esset, interrogatus ab exactoribus fuit: *Magister vester non soluit didrachma?* quare factum est, vt domum ad Christum adiret moniturus de petito tributo. Verùm domum ingredientem prævenit illũ Dominus, prout superiori cap. exposuimus, perrexitq; Petrus ad mare, & stater em soluit. Interim cũ redijssent Apostoli, atque adeo audissent dictũ Petro vt tributum solueret pro se & Christo, cœpere vehementius in eam cogitationem de primatu incumbere. Cum enim idem tributum pro Christo, & Petro solutum esse cernerent, ardentius cogitare cœperunt, num forte Petrus omnibus maior inter illos esset, nec se cohibere potuerũt, quin Christum interrogarent: & quia sat bene tenebant quãtũ Christo displiceret ambitio, non clarè ausi sunt scisciari, quis esset inter illos maior, ac qui ceteris præesset constitutus ab illo, verũ vniuersim, & absolutè de Regno Cœlorũ interrogãt, intelligentes sub nomine regni Cœlorũ, simpliciter siue regnũ cœleste, siue Messię, siue Ecclesię regnũ, cuius Christus erat auctor, sperabãt enim interim manifestaturum Christum, quisnam in hoc etiam sæculo relinquẽdus esset primus inter eos, & hoc erat quod prȩcipuè illi scire tũc auebant, quamuis deprehẽdi nollent. hęc autem censuisse videtur Chrys. ho. 59. in Matth. vbi, *in illa*, inquit, *hora, quando ceteris omnib. Petrum prætulit, cum ad vnum delatus est honor, tunc doluerunt, & interrogarunt.* quod Euthym. planius explicat, ait enim, prius quidem cogitasse, ac inter se disputasse Discipulos de primatu, cũ tamen posteà animaduerterunt præferri sibi Petrum, magis esse irritatos, & interrogare ausos, non tamẽ verũ est rogasse illos Dominum clarè de primatu, de quo disputauerant, videlicet in hoc sæculo, sed occultè potiùs, quisnam esset maior in regno cœlorum, quamuis videantur secus innuere quidam Doctores. Porrò Christus qui omnia nouerat, quæ intus latebant, videns cogitationes illorum potiùs quàm quæ verbis præferebant, interrogauit eos, vt ait D. Marc. hic v.2. *quid in via tractabatis?* q.d. aliud voce quæritis, aliud mente retinetis, *at illi tacebãt. siquidem in via inter se disputauerant, quis eorũ maior esset.* tunc residens Christus vocauit ad se duodecim, & sequuntur reliqua prout exarata sunt à nobis hoc cap. in text. Hic mihi videtur genuinus historiæ ordo prout nos illum digessimus à v. 17. c. 8. vsq; ad fin. huius c. 16. Non igitur inter se dissidẽt, atque discordant sancti Euangelistæ, sed mirificè consentiunt. Hæc de ordine, & serie historiæ.

Regnum cœlorum quid hic.

2. *Hora*] Ponitur hic *hora* pro tempore. Non enim eadem hora, qua Dominus præcepit Petro, vt didrachma exsolueret, hæc euenerunt, sed cum ex ea domo, & loco iam abijsset Petrus, vt solueret didrachma, ac deinde redijsset, verosimillimũ enim est, vel etiam ferè certum Petrum doctrinæ Domini de humilitate interfuisse, ait enim Marc. vt hic habes v.4. *& residens vocauit duodecim. Quis putas*] G. τίς ἄρα, quisnam. *Maior est in regno cœlorum*] videtur comparatiuus poni pro superlatiuo, *maior*, loco *maximus*, & verbum *est* præs. pro futuro. vt sit hæc sententia, quisnam nostrum maximus in regno cœlorum futurus est. prædixerat enim moriturum se, quomodo autem hic sumatur *regnum cœlorum*,

A nõ vna omnium mens. equidem arbitror, neq; pro regno Messiæ tantùm, neque pro collegio iustorũ, vt interl. habet, neque pro triumphante Ecclesia, vt Orig. D. Chrys. & Euthym. putare videntur, hęc pro sola militante. vt Maldon. placuit, neq; enim istud nunc agebant Apostoli vt quærerent, quisnã esset maior in regno cœlorum. equidem opinor cũ Lyrano, & Carthus. accipi regnum cœlorum tam pro cœlesti, & triumphante, quàm pro militante in terris, siue pro regno Messiæ, idque absolutè sub hac enim notione, & vi regni cœlorum absolutè sumpti continebatur etiam regnum Christi in terris, de cuius primatu cõtendebant Apostoli, atque ita probabiliter sperare poterant Christum de maiore in vtroque regno doctorum quid in re esset. Quod si obijcias Christi responsum ad cœleste regnum pertinere in promptu est responsio: Christũ data opera de cœlesti regno respondisse, vt discipulorum mentem auocaret à cogitatione, & vano B appetitu primatus terreni; inerat .n. is mos Christo, vt à terrenis rebus auocaret homines ad res cœlestes, & data occasione terrena in cœlestia mutaret: vt accidit cum Salome filijs dexteram & sinistram peteret, illam enim terrenã cogitantem ad spiritualia reuocauit. *potestis bibere calicem*, &c. illud autem non est ignorandum, putasse Apostolos Ecclesiæ regnum, vel si mauis, Messiæ, in terris futurum putasse, diuinum tamen, & cœleste, & ideò non mirum, quod de eius primatu certarent.

Mos Christi.

2. *Videns cogitationes*] hæc num. 1. sunt exposita, nam licet aliud verbis apertè præferrent, quàm re vera mente gestabant, Christus tamen, quæ cogitarant, aperuit. *Cum domi essent*] videtur hæc dom eadem fortassis cum ea, de qua diximus lib. 3. c. 10. harum dilucidat. schol. nu. 3. 4. 23. *Quid in via tractabatis*] His non obscurè indicat se ipsorum cogitationes nosse.

2.

C 3. *At illi tacebant*] viderant enim ipsum ambitionem eorũ agnouisse, seque verè de terreno primatu contendisse in via, & ideò pudebat eos id aperire.

4. *Et residens*] quasi rem seriam acturus. Admirare Christi modum rationemque reprehendendi, monendique discipulos, vide quàm seriò, quã placidè, quàm appositè quàm suo loco adhibeat correctionis medicina. verè dictum à Sapiente est: *inauris aurea, & margaritũ fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem.* prou. 25. 12. sensus est, qui prudenter alium monet, vel corripit, comparandus est rebus pretiosis, cuiusmodi sunt inauris aurea, & margaritum fulgens, ipsaq; tunc correctio est tanquam ornamentũ appensum auri obedienti, & viro sapienti. vide tacitè insinuat Salomon: prudentem reprehensionẽ duo debere continere: primùm vt vtiliter adhibeatur, hoc est, illi, qui inde D profecturus speratur: nam talem significat, Sapiens & auris obediens. deinde debet esse vt inauris, cui duo item insint oportet, & pretiũ, & lenitas, quæ si desit aurem suo pondere discindet, & affliget nimium, ita reprehensio habeat rationum pondus, seu valorem, nec futilis sit, vel de re futili; præterea non debet esse aspera, & nimium audientem onerare verbis, quæ irritent potiùs, sicut inauris aurea magni precij est, & valoris, habetq; margaritũ fulgens, ac preciosum, & parum prægrauat, exigui enim ponderis est, talis si sit reprehensio, fructuosa erit, & ornamento non audienti modò, sed etiã adhibenti eam. contra verò dici potest de admonitione, vel reprehensione intempestiua, & imprudenti, id quod idem Sapiens ait Prou. 25. 20. *acetum in nitro qui cantat carmina cordi pessimo*, vbi pessimum cor, vel significat improbum, vel afflictum, vt sit sensus; cor afflictum exacerbari carmine, id est, cantilena dulci, flendum enim cum flentibus,

Lucis Prou. 25. 12.

Reprehensio qualis.

Locus Prou. 25. 20.

seu cor scelestum scelestius reddi, si carmen illi correptionis, vel prædicationis occinas, vt nitrũ super infuso aceto redditur asperius. vide ergò quẽ & quomodo moneas.

5. *Erit omnium*] erit, hebraico more, positum est pro imperatiuo, *sit*, vel *esto*. significatur enim vt monet Iansen. quid fieri debeat ab eo qui volet esse primus. Notat autem idem Iansen. bifariam intelligi posse versum hunc: *si quis vult primus esse, erit omnium minister, &c.* vel de primo in meritis, & acceptatione apud Deum, vt sit sensus: hanc esse viam, & rationem assequendi apud Deum eiusmodi primatum, si se omnibus subijciat, & omnium exhibeat ministrum. Iterum intelligi potest idem versus de primo, dignitate Ecclesiastica, vt sit hæc sententia. qui huiusmodi adeptus est dignitatem, & primatum, hac se ratione gerere debet, nimirũ, vt se exhibeat tanquam omnium nouissimum per humilitatem, & charitatem, non autem sensus est, vt docere velit Christus, quanam arte ad eã dignitatem, seu primatum adspirare debeat. Porrò posteriori modo intellexisse videtur eamdem sententiam idem Christus Matth. 20. & Marc. 10. qãuis primæ rationi exponendi hunc locum, magis fauere videatur id quod subditur apud Matth. *quicunq; humiliauerit se sicut paruulus.* &c. & apud Luc. *qui minor est inter vos omnes, hic maior est.* clarè enim hæc intelligenda videntur de maiore, id est, maximo, vel primo in acceptatione Diuina, & meritis. Putat autem Iansen. vtrumque sensum hîc comprehendisse Dominum. ego autem primo modo lubentius hunc locum intellexerim, præsertim cum per *regnum Calorum* cæleste regnum intelligi putem; sic enim Christus quæstionem de terreno primatu, ad cælestem, more suo, transferre voluit vt dixi num 2.

Omnium minister] hæc pars posterior priorem explicat, hoc enim est esse omnium nouissimum, quod esse omnium ministrum, efficit enim se omnium postremum hominum iudicio, qui se se omnium ministrum exhibet. Is autem omnium minister est, qui quantum in se est, omnibus prodesse cupit, & vt omnib, vtilis sit nihil aspernatur eorum facere, quæ prodesse possunt.

4. παιδίον. 6. *Et aduocans, & accipiens puerum*] Vox G. inquit Iansen παιδίον proponi significat puellum. Quidam arbitrantur infantem fuisse, quod Maldonato non placuit, nec mihi, nam si aduocatus fuit, grandiusculus erat, quia ingredi poterat, ita tamen vt posset in vlnas tolli, itaque puellus quidem erat, sed qui ingredi posset. Luc. tamen 18. 15. & 1. Io. 2. 14. infantium fit mentio: quod facit contra Anabaptistas. Quis autem fuerit iste puer, non certò constat. D. Ignatium fuisse, testatur Nicephorus libr. 2. cap. 35. & Metaphrast. in eius vita, qui ait: Ignatio cum esset planè puer, aiunt Christum manus imposuisse, & dixisse: *nisi quis se humiliauerit vt hic puellus, non intrabit in Regnum Cælorũ*, Gloss. verò in c. vnic. de sac. vnct. ad D. Martialem refert. fuit is discipulus postea D. Petri, ab eodem in Germaniam missus prædicationis caussa, & Lemouicensium Episcopus. Idem sentiunt D. Anselm. Thom. Lyran. *Complexus*] G. est ἐναγκαλισάμενος αὐτὸ, id est, cum accepisset eum in vlnas, quod non solum fieri solet cum infantibus, sed etiam cum paulò graundiusculis. Pagnin. vertit, *in vlnas accepit*. vtrumque enim significare videtur ἐναγκαλίζομαι, & complecti, & in vlnas accipere, vtrumque autem feciisse videtur Dominus, nam in vlnas acceptum complexus est: Syrus habet: *cũ accepisset eũ super brachia sua*, ô felicem sanè puerum, quem Iesus complexus est. non dubium, quin eximiam impertiuerit benedictionem.

Quis fuerit iste puellus. D. Ignatius. D. Martialis.

5. Quod complectitur Christus puerum, significat, inquit, Beda humiles suo dignos esse complexu, ac dilectione, & meritò, nam vt solent matres grandiores iam filios ab vberib. & lacte repellere, nec sinu gestant, at paruulis libenter vbera præbẽt, eosq; sinu fouent: ita & Christus, quos videt superbia tumidos, & grandes à se depellit, & ab vberibus amouet, de quib. Cant. 1. 1. 2. dicitur: *meliora sunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis*: at humiles tanquam paruulos suo complexu fouet, & suauissimo enutrit lacte; propterea Dauid Psa. 130. 2. tantopere superbiam exhorruit, ne scilicet à dulcibus Dei vberibus abstraheretur, & cœlesti illo diuinarum deliciarum lacte priuaretur. *si non humiliter*, inquit, *sentiebam, sed exaltaui animam meam: sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea*, hoc est, accidat mihi vt puero ablactato ante tempus, talis inquam sit retributio animæ meæ, vt à te derelinquar. tales paruuli, & sugentes vbera Christi sunt qui vtiliter Euangelium prædicant, & Dei gloriam latè propagant, in quos rectè illud Psalm. 8. conuenit: *ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.* quod etiam maximè in Apostolos quadrat.

Locus Ps. 130. 2.

Locus Ps. 8.

Statuit illum secus se] Quæ Marc. de hoc puero refert, ordine præpostero scribere videtur; ait enim: *accipiens puerum statuit eum in medio eorum: quem cum complexus esset*, prius enim videtur Dominus accepisse in vlnas suas, complexusque fuisse, postea verò in medio statuisse, complexus sanè est, vt re ipsa indicaret quam peculiari amore innocentiam, & humilitatem prosequeretur, & ob eandem rationem, *secus se* illum collocauit vt Luc. habet; Quamuis Matth. & Marc. dicant, *in medio eorum* constitutum fuisse; sed hocidem est cum eo quod dicit Luc. potuit enim Christus consedisse in medio Apostolorum constituto iuxta se puero; vel certè poni, vel esse in medio aliquorum phrasi hebraica idem est, quod poni, vel esse inter aliquos. D. Hieronym. Matth. 18. sensui litterali adiungens spiritualem, sic scribit: circa illa: *statuit eum*: id est; paruulum, *in medio eorum*: *vel simpliciter quemlibet paruulum, vt ætatem quæreret, & similitudinem Innocentiæ demonstraret: vel certè paruulum statuit in medio eorum, seipsum, qui non ministrari, sed ministrare venerat; vt eis humilitatis tribueret exemplum. Alij paruulum interpretantur Spiritum sanctum, quem posuerit in cordibus discipulorum, vt superbiam in humilitatem mutaret*, quo respiciens Bernard. homil. 4. super Missus est, ait: *studeamus effici sicut paruulus iste: discamus ab ipso, quia mitis est, & humilis corde.*

6.

Quid esse in medio? D. Hier. mystica expositio cum literali.

7. *Amen dico vobis nisi conuersi fueritis*] cum asserat hic Dominus cum discipulis loquens: *nisi conuersi fueritis &c. non intrabitis in Regnum Cælorum.* Videtur ex verbis Christi colligi posse Apostolos, tunc lethali crimine obnoxios fuisse; alioqui non diceret illis Christus: *nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli non intrabitis in Regnum Cælorum*, nam videtur hinc haberi non fuisse tales tunc Apostolos, vt intrare possent in Regnum Cælorum. Respondeo, quidquid Abul. sentiat Matth. 18. q. 22. voluisse Christum docere, nisi simplicitate, & humilitate similes forent pueris, non posse eos ingredi Regnum Cœlorum, non quod in omnibus humilitas, atque simplicitas tanta quanta est in pueris requiratur, sed quod curandum sit nobis, vt quam proximè possimus, ad eam accedamus, non ergò significat Christus non habere Apostolos tantam humilitatem, vel simplicitatem, quæ ad ingressum Cœlorum satis sit, sed tantum quid necessarium sit ostenditur; sicuti etiam iubemur esse perfecti, sicut & Pater noster cœlestis perfectus est. His ergo dicendi modis tantum indicatur, quid necessarium sit vt quis in Regnum

7. *An Apostoli tunc peccato lethali essent obnoxij.*

Digitized by Google

gnum Cœlorum admittatur, vt si quis eo careat, det operam vt habeat, si habet, conseruet, & quantum fieri potest semper aliquid adiungat, si in eo perfici velit. Quare esto Christus ambitionis Apostolos reprehenderit, non tamen continuò fit, eam ambitionem mortalis criminis culpam habuisse; potuit enim leuis esse, ac venialis noxa, & talem fuisse credere debemus potiùs. quare cùm Christus ait: *nisi conuersi fueritis*, non est sensus, vt putat Abulens. nisi conuersi fueritis à peccato elationis, non intrabitis in Regnum cœlorum, sed nisi vos conuertatis, & quodāmodo transeatis in pueros; quem sensum explicant sequentia verba, *& efficiamini sicut paruuli*. Verùm quibus conditionib. paruulos imitari debeamus, docent Patres, Basil. in reg. breuio. interrog. 217. *quomodo*, inquit, *Regnum Dei accipiemus vt paruulus? nempe si ad doctrinā Domini tales nos præbuerimus, qualis est paruus, in percipiendis disciplinis, qui non contradicit, neq; se disputans aduersus Magistros defendit; sed tradita sibi præcepta cum fide, atq; obedientia suscipit.*

Quomodo pueri efficiamur ex Basi.

8. Ex Euthym.

Euthym. verò, Matth. 18. *Vos quidem*, inquit, *de primatu in Regno Cœlorum interrogatis: ego autem dico vobis quod nisi conuersi fueritis à prauitate ad sinceritatem, & efficiamini innocentes vt pueri, in illud omnino non ingrediemini puer siquidem est simplex, non curiosus, neque vanæ gloriæ cupidus, sine fastu, liber est & ab inuidia, æmulatione, sui amore, contentione, & vt semel dicam solutus est ab omni voluntario affectu, non per exercitium, sed per simplicitatem. si quis ergo discesserit à voluntarijs affectionibus, efficietur sicut puer habens per exercitium, quod habent pueri per simplicitatem. Oportet enim imitari puerum, qui multas habens virtutes ob nullam illarum extollitur.*

9. Ex Isidoro.

Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 207. mentem Domini hac in parte sic expressit, ait enim: *cum Dominus id à nobis exposcit, vt ad puerorum similitudinem accedamus, non id à nobis exigit vt ad infantiam redeamus, quemadmodum ipse Nicodemi instar, existimas: verùm vt improbitatem abiuremus, sicque nos comparemus vt pueritia in nobis simplicitas insit. atque hoc per ea, quæ dixit, ostendit, non enim dixit: nisi paruuli efficiamini, sed sicut paruuli, nimirum per huiusce particulæ, sicut, accessionem, rei imitationem declarans.* D. Hierony. Matth. 18. etiam alias pueri conditiones adiungit; *sicut iste paruulus*, inquit, *cuius vobis exemplum tribuo, non perseuerat in iracundia; non meminit læsus; non, videns pulcram mulierem, delectatur; non aliud cogitat, & aliud loquitur: sic & vos nisi talem habueritis innocentiam, & animi puritatem, non poteritis Regna Cœlorum intrare.*

Ex D. Hiero.

10. Ex D. Cypr.

Postremò D. Cypr. de zelo, & liu. c. 4. ad liuoris, & æmulationis vacuitatem, hāc similitudinem retulit sic scribens: *idcirco fratres dilectissimi, huic periculo consulēs Dominus, ne quis zelo fratris in laqueū mortis incurreret; cum eum discipuli interrogarent, quis inter illos maior esset: qui fuerit, inquit, minimus in omnibus vobis, hic erit magnus: amputauit omnem æmulationem responso suo, omnem caussam, & materiam mordacis inuidiæ eruit, & abscidit. Discipulo Christi zelare non licet, non licet inuidere. exaltationis apud nos non potest esse contentio, humilitate ad summa crescimus didicimus, vnde placeamus.*

11. Humilitatē docet hic Christus in primis.

Cetera quamuis Patres tam multas enumerāt pueri conditiones, vt eas imitemur. Christi tamen Domini mens ea esse videtur. vt ad humilitatem, atque adeò ad omnis ambitionis, & contentionis amputationem imitatione pueri Apostolos adhortetur, reliquę similitudines plurimum ad mores faciunt, quas poterit lector ex citatis Patribus colligendo in certum numerum redigere. *Ex his intelligimus quod humilitate peruenitur ad Regnū simplicitate penetratur ad Cœlum. Quisquis ergò cupit diuinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. Quicunq; vult fratrem præuenire regnando, prius præueniat obsequendo, sicut ait Apostolus honore inuicem præuenientes.* ficut Ambros. ait.

A

8. *Quicunque ergò humiliauerit se, sicut paruulus iste*] iam directè respondet quæstioni discipulorū hoc, & seq. præsertim versu. hic verò sumitur *regnū Cœlorum* pro cœlesti regno beatitudinis, &, est, pro erit accipiendum est. v. verò 9. sequenti sumitur regnum Cœlorum pro præsenti Ecclesia, &, est, potest etiam pro præsenti tempore sumi, siue futuro. Notat Iansen. dictum esse; non quicunq; humiliauerit se sicut paruuli, sed *sicut paruulus iste*, vt significetur perfecta submissio, quia paruulus ille videtur fuisse valdè puerulus. Sed dices: quomodo Christus iubet nos paruulos imitari, cum Paul. 1. ad Cor. 14. 20. moneat: *nolite pueri sensib. effici.* Respondeo & benè & malè posse nos esse paruulos; tunc malè imitamur paruulos dū pueriliter desipimus, absurda

B

sectantes, & carnis affectibus nimis adhuc indulgētes, cuius puritiæ Paulus redarguit Corinthios; aut dum in dogmatibus pietatis incerti fluctuamus, & circumferimur omni vento doctrinę, quam puritiam damnat ad Eeph. 4. 14. benè verò imitamur, dum illorum innocentiam nostris præferimus moribus, & humilitatē, ita vt vacui simus omni malitia inuidia, dolo, ira, ambitione &c. ad quā nos puritiam hortatur D. Paul. loc. cit. 1. Cor. 14. 20. dum ait: *nolite pueri effici sensib.* hæc est mala, *sed malitia paruuli estote*, hæc est bona puritia.

12. Locus Paul. 1 Cor. 14 20. & bene & male possimus esse paruuli.

9. *Nam qui minor*] G. μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν. Videtur Dominus hoc & præcedenti v. 7. & 8. dum ad humilitatem hortatur, & ad non appetendū aliquē dignitatis gradum exemplo paruulorum respexisse etiam ad eorum quantitatē, vt sicut illi exigui sunt

C

corpore, ita & nos parui simus animo. Cui sensui cōsonat quod posteà apud Matth. & Mar. pro παιδίοις, id est, *puellis*, ponitur μικροῖς, id est, parui, vt patet hic v. decimoquinto, & 25. vbi nos legimus, *pusillis*, & apud Lucam hoc loco, minor, seu G. μικρότερος habetur. q. d. quātò inter vos omnes quis minor est animo, submissionisue gradu, tantò maior est apud me. idem etiam tacitè innuunt verba illa, *nisi conuersi*, &c. &, *quicunq; se humiliauerit*, potestq; comparatiuus etiam hic pro superlatiuo accipi. hoc sanè versu magis directè respondet Dominus petitioni Discipulorum iuxta ipsorum mentem qua de primatu in terris loquebātur, licet quæstionem absolutè proposuerint de Regno Cœlorum.

13.

10. *B. Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit*] Matth. habet: *Et qui susceperit vnum paruulum talem.* Luc. *Quicunq; susceperit puerum istum*, &c. ex Matth. autem patet, *istum*, positum esse apud Lu.

D

pro, *talem*, hoc est, vt inquit Marc. *vnum ex huiusmodi pueris*, videlicet non tam ætate, quàm morib. hoc est, qui se humiliauerint sicut paruulus iste cui similes morib. & humilitate præsertim similes sint. Itaq; sermo est hic propriè, nō tam de ætate pueris, quàm de verè pueris, id est, humilibus, & minimè dignitate cupidis, suscipere autem, seu recipere non tantùm significat hospitio excipere, sed quodlibet etiam officij, & charitatis genus complectitur *In nomine meo*] propter me, siue quia meus est. *Non me suscipit*] Id est, non purum hominem suscipit, sed etiam Deum, seu Patrē, qui in me est, à quo sum missus, vel certè loquitur Marcus iuxta communē loquendi vsum; frequenter enim dicere solemus, quod mihi facis, non mihi facis, sed Deo; volentes significare non tantū nobis fieri, sed etiam Deo, aut tam nobis, quàm Deo, qui illud fit. remuneraturus, aut vindicaturus tanquam sibi factum, vt rectè Iansen. interpretatur vel non tam me recepit, quam qui me misit. significatur ergò præmium susceptionis Christi. Rogabis quorsum hæc à Christo dicta sint. Re-

14. Quid hic puer quid suscipere.

spondeo, vel quia vult probare eum maiorem, qui puero, atq; adeò minimo similior est; quod puer sibi simillimus sit, & ipsius personam gerat: id quod patet, quia qui puerum suscipit, ipsum suscipit. vel vult declarare quanti referat puerum effici innocentia, & humilitate; nam *qui susceperit* inquit apud Matth. *vnũ ex in me suscipit*, vel vt ait Luc. *me recipit*, hoc est, *in me illud quidquid est boni confert.*

15. 11. *Magister vidimus quemdã.*) Cum hęc à Christo proferrentur dubitare cœpit Ioannes, an rectè fecisset ipse cum ceteris discipulis, prohibentes quẽdam, qui non erat de numero eorum, ne Dæmonia in Christi nomine è corporib. pelleret. sed quorsũ nunc ea dubitatio in Ioannis animum incidit? Respondeo quia audierat à Christo dici, *qui puerũ in nomine meo susceperit, me suscipit*, cœpit dubitare, ét ne ij sint suscipiendi, an abigendi potiùs, qui in Christi nomine Dæmonia eijciebant, quamuis cum Apostolis, vel discipulis Christũ non sequeretur; ambigebat ergò Ioannes, num ij quoq; recipiendi essent, & non prohibendi. *Nobiscum*] *non sequitur nobiscum*, nimirum te, hoc .n. est supplendũ: erant quidam ex Iudæis, qui quãuis nec de Apostolis, nec de ijs essent, qui Christum sequebãtur, in eius tamen nomine Dæmonia eijciebant; hoc .n. indicat locus iste. Theoph. Luc 9. *admirare*, inquit, *obsecro virtutem nominis Christi, quomodo, & per indignos, & eos qui non erant eius discipuli, gratia operetur, & c. ita & per sacerdotes, etiamsi indigni fuerint, operatur gratia, & sanctificantur omnes, etiam si impurus fuerit sacerdos.*

Cur sic dubitarit nunc Ioannes.

Virtus nominis Christi.

Impuritas sacerdotis sacramentis non officit.

16. *Alia responsio cur id interrogauit Ioan.*

Idem Theophyl. paulò superiùs eodem loco aliam affert causam huius interrogationis Ioannis. Sic enim rogat: *quænam sermonis illius consequentia, quem dixit Ioannes ad ea quæ dixit Dominus? vtiq; magna. quia enim dixerat Dominus, quod minor in vobis hic erit magnus timere cœpit Ioan. ne fortè malũ quid fecissent, homine per arrogantiam, & superbiam prohibito. nam prohibere aliquem ab aliquo non minorem arguit eum, qui prohibet, sed maius quiddam de se sentientẽ, quàm de eo, qui prohibetur ab ipso: proinde Ioannes timebat, ne forte superbius egisset, prohibito homine. cuius igitur gratia prohibuerunt hominem? nos inuidentes, sed indignum illum iudicantes, qui miraculum operaretur. non enim aderat, cum illis gratia agendorum miraculorum daretur, neq; ad hoc à Domino missus erat sicut alij, neq; Christum vsquã sequebatur.* non itaque Theoph. affirmat per arrogantiam, & superbiã discipulos prohibuisse eum, qui Dæmonia eijciebat in nomine Christi, sed quia id videri poterat arrogantiæ & superbiæ, interrogat Ioannes an benè fecerit; quare rectè etiam sic notat Victor Antioch. *non inuidia, nõ praua æmulatione percitus tonitrui filius, hæc aiebat: verùm omnes, qui Christi nomen inuocabant, Christum itidem sequi vnà cum Christi discipulis ætatem agere debere, persuasum habebat.* Hæc ille, à quo non dissentit Titus Bostrens. hinc patet quantũ insaniat Caluinus dum ait, discipulos Christi in prohibitione illius dæmonia eijcientis fecisse *inconsideratè, ac temerè, superbè ac inuidè*, quæ sanè vitia in hac insunt reuera Caluini reprehẽsione.

17. *Aliter Iansenius.*

Iansenius aliter connectit interrogationem Ioan. occasione inquit, illorum verborum, *in nomine meo*, motus videtur Ioã. vt Domino narraret de eo, quem eijcientem Dæmonia in nomine Iesu prohibuerant tacitè interrogare Dominum volens, num benè eum prohibuissent, quando recepisse solum puerum in nomine ipsius res esset ipsi tantopere grata. Vnum restat hic quærere, an is, qui eijciebat Dæmonia, fidelis esset, nec ne? Euthym. Marc. 9. ait; de numero credentium fuisse, licet non sequerentur eũ: sic enim scribit: *quidã eorum, qui crediderunt, gloriæ amore capti imitabantur Apostolos, &*

An hic qui eijciebat dæmonia esset fidelis.

A *per inuocationem nominis Christi expellebant Dæmones; non sequebantur tamen propter continentiam, & asperum viuendi modum ipsorum.* Sic ille: constat sanè ex Ioann. cap. 8. & 10. multos fuisse, qui in Christum crederent, quamuis eum non sequerentur, fortè vnus ex his fuit iste. Victor tamen Antioch. Marc. item 9. negat fuisse de numero credentiũ, quod etiam admitti potest. nam cum gratia miraculorum, tanquã gratia gratis data, fit propter aliorum vtilitatem, potuerant per infidelem miracula fieri ad indicandam aliis vim, & efficacitatẽ nominis Christi, in cuius illa virtute fiebãt, & ad cõfirmandam verã de Christo fidẽ, poterat ét ea res non credentes ad Christum pertrahere. Hinc

B Aug. libr. 2. cont. lit. Petiliani c. 80. de hoc loco sic scribit: *quomodo tunc præter communionẽ Discipulorum, valebat tamen plurimũ sanctitas nominis Christi; sic præter Ecclesiæ communionem valet sanctitas sacramenti, (hoc est baptismi) neq; enim baptismus consecratur, nisi in nomine Patris & filij & spiritus sancti:* & paulò post subdit: *sed planè præter Ecclesiæ communionem, & vnitatis sanctissimum vinculum, & charitatis supereminentissimum donum, nec ille à quo Dæmonium eijcitur, nec ille qui baptizatur æternam vitam consequitur. sicut nec illi, qui per communionem sacramentorum intus videntur; & per iniquitatem morum foris intelliguntur.*

12. *Nolite prohibere eum.*] cum olim Moysi nuntiatum esset, Eldad & Meldad prophetare in castris, dixissetq; Iosue Mosi, vt eos prohiberet, respondit ille: *quid æmularis pro me? quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum:* Videbat enim Moyses id non sine Dei spiritu fieri, ita fecisse videtur nunc Christus; noluit .n. eũ qui virtute sui nominis abigebat Dæmones prohiberi; quod id non sine Dei consilio, & virtute fieret. Rectè Paul. ad Phil. 1. 18. scribit: *Quid enim? dum omni modo, siue per occasionẽ, siue per veritatẽ Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* quare decet nos illud sequi Salomon. præceptum. Prou. 3. 17. *noli prohibere benefacere eum qui potest. si vales, & ipse benefac.* *Nemo est enim*] ponitur virtus pro miraculo, reddit verò hic causam Christus, cur Dæmonia eijcientẽ prohibere non debeant, &

C fecit, non posse eũ, qui nomine Christi miracula facit, tanto ab eo obligatũ beneficio, malè de ipso loqui. Sic Theoph. & Euth. Cito]. i. facile ταχὺ, ponitur loco aduerbij, facile, q. d. difficile est, aut vix fieri potest, vt quisquã in nomine meo dæmones eijciat, & me blasphemet. Paulò aliter quidã exponũt nõ esse hunc prohibendũ, quia cum in suo nomine Dæmones eijceret, & re ipsa experiretur quãta Christi esset potẽtia, verosimile esset eũ in se credere; vel certè si fortasse nunc nõ credit, spem esse fore vt citò credat, quomodo Euthy. exponit, hoc

D enim valet illud non posse malè de illo loqui quãuis alij putent valere idem quod blasphemare.

13. *Qui enim non est*] Alteram affert rationem, qua ille prohibendus non est. Hic, inquit, homo cũ non sit contrarius vobis, pro vobis est: remq; vestram agit, vestrum promouens studium. etenim eadem agit, quæ vos, ac re vera nomen meum hominibus commendat. Igitur prima ratione ostendit vix fieri posse, vt ille sit contrarius: hac verò etiam fautorem & adiutorem esse indicat.

Credere quis posset hanc sententiam illi repugnare, quæ contrarijs apud Matth. verbis habetur cap. 12. 30. *qui non est mecum, contra me est.* Sed huic dubitationi respõdet Ambr. li. 7. in Luc. sic scribẽs: *qui .n. non est aduersũ vos pro vobis est benè Domine: quia & Ioseph & Nicodemus occulti discipuli propter nã & Ioseph & Nicodemus occulti discipuli propter metũ in tẽpore tũ suũ tibi officiũ non negarunt. sed tũ metũ in tẽpore tũ suũ tibi officiũ non negarunt. sed tũ quia alibi dixisti: qui non est mecum aduersum me est, & qui mecum non colligit, dispergit, aperi nobis,*

18 *Locus simil. 11. 26.*

1. *Ratio cur non sit prohibendus.*

2. *Ratio.*

19. *Locus Matth. 12. 30.*

nevi-

ne videatur esse contrarium. Et puto quia si quis mẽtium consideret scrutatorem, dubitare non debeat vniuscuiusq; factum, mente discerni: deniq; alij dicit: sequere me; alij vulpes foueas habent: ille cogitur, iste remouetur, vt scias quia deuotus admittitur, indeuotus excluditur. Sensus Amb. est, nõ sequi Christũ exterius potest fieri bono, & malo animo: qui bono animo facit, non est contra Christũ, qui aliter aduersus Christum est, & hic non colligit, sed, dispergit. Hoc est quod alij dicunt respondentes ad idem dubium, aiunt enim illa apud Mat. *qui non est mecum*, non significare non sequi Christum cum Apostolis: nam Ioseph & Nicodemus viri iusti erant, & neuter tamen sequebatur Christũ cum Apostolis. Iterũ is dicitur apud Mat. non esse cum Christo qui non probat, nec consentit ijs quæ docet Christus: cuiusmodi non erat iste eiector Dæmoniorum in hoc opere, immò sentiebat in eo cũ Christo, cùm in nomine eius dęmonia eijceret, eiusdemq; potentiam, ac sanctitatem cõfirmaret; quamuis interim fieri potuerit, vt alijs in rebus non esset cum Christo. Loquitur ergo Dñs de hoc dumtaxat opere istius hominis, in quo non dissentiebat à Christo. Aliter Theoph putat quod dicitur apud Mat. *qui non est mecum, contra me est semper*, de dæmonibus esse dictum, *qui studeant à diuino abstrahere, & quæ Dei sunt dispergere. Quod aũt nunc dictum de hominibus, qui ad Deum quoscũq; adducunt per miraculorum operationem.* Sed magis placent superiores expositiones.

20. Connexio cũ superioribus.

14. *Quisquis enim potum dederit*] multũ in connexione horum cum superioribus laborãt interpretes. Mald. significare videtur, hoc loco hanc sẽtentiam non cohærere, apud Mat. verò c. 10. 42. cohærere, ac proinde non hic, sed illic fuisse à Christo pronunciatã. Sed non video, cur fit eò cõfugiendũ, cùm congruenter, & aptè hæc verba copulari possint cum superioribus, potuit autem non semel à Christo idem proferri. Ianſen. putat adduci tertiam quamdam rationem, qua Dominus ostendit non esse prohibendum quicumque in eius nomine miracula edit, in hunc sensum: adeò non est prohibendus quisquis in nomine meo dæmonia eijcit, & quiduis, quantumuis exiguum, si modò in nomine meo fiat, à quocumque id fiat, ita sit mihi gratum, vt suo præmio carere non debeat. nam quisquis vel potum aquæ tantum vobis dederit, nõ propter humanam aliquam gratiam, sed propter nomen meum, nimirũ quia mei estis discipuli, verè affirmo non carituram illum, intellige saltem mercede æterna, vel saltem temporali. Theoph. nõ multum ab hac expositione discrepans, sic ista exponit: non solum gratum mihi est, quod ille in nomine meo dæmonia eijciat, sed si quis etiam, quod minus est, faciat, si vel aquæ potum in nomine meo vobis porrigat, ita gratum istud operis, quantumuis minimum est, vt mercede non sit carituram. Breuiter. argumentum est à minori ad maius, quo confirmat non esse eiusmodi prohibendum. Nam si quis prò suis facultatibus, vel minimum aliquod emolumentũ ad Euangelij progressum attulerit, non perdet suã mercedẽ, vt si quis porrigat in nomine meo potũ aquę frigidæ. At multò magis Euãgelij cursũ, negotiũq; ꝓmouet qui in nomine meo dæmonia eijcit, atq; adeò lõgè minus mercede, ac sua remuneratiõe carebit, nõ ergò prohibẽdus est.

3. Ratio.

15. *Et quisquis scandalizauerit* &c. *bonum est ei magis*] D. Mat. habet *expedit ei vt suspendatur mola* &c. quare dubitare posset quispiam quomòdo expediat ei, qui alterum scandalizat, vt in mare proijciatur? Ecquid commodi ea demùm demersio, & ruina affert ei? Respondet Diuus Hieronym. *expedire id ei, quia multò melius est pro culpa breuem recipere pœnam, quam æternis seruari*

A *cruciatibus. Non enim vindicabit Dominus bis in id ipsum.* Cæterũ ex Mar. & Luc. quid significet Mat. intelligere possumus. Mar. n. habet; *bonum est ei magis si circũdaretur mola* &c. Luc. verò non hic, sed c. 17. 2. habet: *vtilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collũ eius* &c. Est ergo hæc sentẽtia: satiùs esse mori, quã peccare. nã qui alteri scandalo est, Deũ offendit, & æterni supplicij reus est: hoc autẽ magis est detestabile, atq; pestiferũ, quã sit in mare demergi. itaq; idem est, expedit, ac melius vel vtilius, seu satius est. *Scandali peccatum.*

D. Hiero. Mat. 18. notat hoc suppliciũ fuisse ad maiora crimina punienda vsitatũ apud Iudæos, sic. n. ait: *quod aũt dixit: expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius: secundùm ritũ prouinciæ eius loquitur: quo maiorũ criminũ ista, apud veteres Iudæos pœna fuerit, vt in profũdũ ligato saxo demergerẽtur.* 21.

B *Qui in me credũt*] Aduertẽdũ licet Dñs in hoc cap. speciatim auocet à scandalo pusillorum, qui in se credunt; nõ tñ affirmat cauẽdũ esse ab illorum dũtaxat scandalo. nã Paul. non rarò iubet, ne q.d scãdali Christiani præbeant infidelibus 1. Cor. 10. 32. *sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei.* & 2. Cor. 6. 3. *nemini dantes vllam offensionem vt non vituperetur ministerium nostrum.*

Mola asinaria] G. μύλος ὀνικὸς D. Hil. intelligit molam, quam asinus aut iumentũ quoduis circũagit; est. n. alia mola, quæ dicitur trusatilis, quæ hominum sc. manu circumfertur. Sunt qui molam asinariam putent vocari inferiorẽ molam, quæ dicitur G. ὄνος. i. asinus, solet aũt inferior superiore mola maior esse, & liquet voluisse Christũ ingẽs saxum, & prægrãde significare. Verũ cũ Christus nõ G. sed Syriacè loqueretur, & in eo idiomate nõ sit ea nominis ambiguitas, non video qũo hæc obseruatio locũ hic habeat. Mar. simpliciter dixit, λίθος μυλικὸς .i. saxũ molare. & vbi Luc. 17. 2. nos legimus, lapis molaris, G. est vt hic apud Mat. μύλος ὀνικὸς, id est mola asinaria. 22.

C Verũ quosnã hic, inquies, Dñs paruulos, seu pusillos vocat? nã alioqui qui scãdalizantur nõ videtur posse esse ij paruuli, de quib. dixerat esse maximos in regno cælorum; ij enim sunt perfecti, *at qui scandalizatur paruulus est; maiores. n. scandala non recipiunt*, vt Hiero. ait Mart. 18. quare Hieron. vt ex his verbis constat, putat hic vocari pusillos, eos, q in fide, aut virtute sunt imperfecti. quomodo, & Orig. intelligit, Mald. etiam ait: *paruulos hic appellari nõ ita ætate, qualis ille erat, quẽ in exẽplũ proposuerat. sed morib quia addit; qui in me credũt. Ii. n. sũt, quib. iniuria plerũq; fieri solet, quod homines simplices, & abiecti habeãtur.* Ipse aũt Mald. cũ Chrys. & Theoph. & D. Th. putat hic scãdalizare esse idẽ, ꝙ iniuria aliquẽ afficere, vel cõtẽnere, opponi. n. scãdalizare ei, ꝙ est, (vt hic habes v. 10.) suscipere, vel recipere. i. benefacere, seu vt Chrys. ait, honorare. cæterũ hoc, ꝙ de verbo scãdalizãdi dicitur nõ multũ probo, nã si cõsiderẽtur ea, q̃ sequũtur, magis cõuenit: vt accipiatur vox scãdalizandi secundum magis cõmunem, & vsitatam significationem, quæ ẽt opponitur ei, quod est benefacere, vel beneficia cõferre; nã qui scandalizat hoc modo malũ, & damnũ infert, & ruinæ occasio est fratri. & sanè cùm dicitur: *si pes tuus* &c. *scandalizat te*, absurdè sumeretur scãdalizare ꝙ despicere, vel vituperare aptè verò ꝙ offẽdiculo esse, Iãs. cõcedit vt Hiero. insinuat, pusillos in fide maximè scãdali capaces esse ex D. Paul. Ro. 14. & 1. Cor. 8. verũ vniuersim ait, dici hic pusillos, homines simplices, & humiles, q̃ in hoc mũdo nõ magnifiũt, sed cõrẽnũtur à mũdo, quales esse debẽt oẽs, q̃ credũt in Chr. etsi non oẽs tales facilè scãdalizẽtur, ꝙ mihi ꝓbatur. Arbitror. n. nomine paruulorũ intelligẽdos esse hic hũiles ẽt eos, q maximi sũt in regno cælorũ, cũ sint pfecti, 23. *Quinam hic paruuli.* *Scandalizare quid hic.*

de quib' v.8.8&9. ſed nō hoc modo, verū ēt, & verò maximè eos, qui quāuis boni ſint, & in Chriſtū credant, ſimplices tñ ſunt, vel nōdum perfecti, ſed infirmi adhuc ſpiritu, nec virtutū adeptione omninò magni, volētes nihilomin' eſſe magni i. perfectè humiles, atq; adeò paruuli. itēq; eos, qui nuper eōuerſi ſunt, vel ad fidem, vel ad mores magis Chriſtiano nomine dignos. hi oēs continētur ſub nomine paruulorum, id eſt, perfectè humilium, ſicut imperfectum tendens ad perfectionem participat perfectione ſaltem aliquo modo.

24. His ergo omnib. ſcandalo eſſe, & offenſioni prohibet Dñs; nam licet perfecti nō offendātur, vel ſcā dalizentur, nihilominus malum eſt ēt eis offēdicula perſecutionum & ſimilia proponere. Quod. n. ij non cadant, ipſorum virtuti, nō tuæ malæ actioni tribuendum eſt, accidere tñ poteſt, vt ei ipſi ruant, licet rarū id ſit. illud nō negauerim Chriſti doctrinam præſertim accipiendā eſſe de alijs, de quib. iā dixi, nōdū eſſe perfectos, in ijs. n. potiſſimum locū habet, vt offendantur & cadāt. Quod ſignificat Orig. tract. 5. in Matth. vbi tacitè inſinuat eſſe duplex puerorum ſpiritualiū genus, quosdā effectos iam pueros. i. perfectos iā, & maximos in regno cęlorū, hos negat ille ſcandali zari, nimirū ita vt corruant. quoſdā verò eſſe, qui nondū ſunt omninò pueri. i. perfecti humilitate, & virtutibus, ſed qui eo tēdūt, vt efficiantur pueri, fieriq; tales incipiunt, atq; ita dici pueri aliquo modo poſſūt, de quib. ait Orig. *propter hoc ipſum, quod ſic conuerſi ſunt, vt fiāt quaſi pueri, nondum autem ſunt facti, ſed videntur nuper eſſe conuerſi, puſilli habentur in Chriſto, & paruuli ſunt, ſcandali receptores.*

Duplex puerorū genus.

25. D. Aug. l. 1. qq. Euang. c. 24. molā aſinariā, & mare ſic myſticè exponit: *expedit ei vt mola aſinaria &c.* i. *congruit ei*, ſc. qui ſcandalizauerit vnum ex humilibus, *vt cupiditas rerum temporalium, cuis ſtulti, & cœci colligantur eum deuinctum pondere ſuo deducat ad interitum.* Greg. verò aliter, ſed myſticè tñ lib. 6. mor. c. 26. alias 17. *quid*, inquit, *per mare niſi ſæculum, quid per molam aſinariam niſi actio terrena ſignatur? quæ dum colla mentis per ſtulta deſideria conſtringit, hanc in laboris circuitum mittit. Sūt itaq; nonnulli. qui terrenas actiones deſerunt, & ad contemplationis ſtudia, humilitate poſtpoſita, vltra intelligētia vires ſurgunt, non ſolum ſe in errorem deijciunt, ſed infirmos quosq; à gremio vnitatis diuidunt, qui ergo vnum de minimis ſcandalizat, melius illi fuerat, alligata collo mola aſinaria in mare proijci, quia nimirū peruerſæ menti expedibilius eſſe potuiſſet, vt occupata mundo, terrena negotia ageret, quam per contemplationis ſtudia ad multorum perniciem vacaret.*

Myſticè mola aſinaria, & mare. Aug.

Greg.

Idem Greg.

Paulò aliter idē B. Pater eamdē molā myſticè declarans idem repetit. part. 1. paſtor. c. 2. *Per molam*, inquit, *quippe aſinariam, ſæcularis vitæ circuitus, ac labor exprimitur, & per profundum maris extrema damnatio deſignatur. Qui ergo ad ſanctitatis ſpeciem deductus, vel verbo cæteros deſtruit, vel exemplo melius profectò fuerat, vt hunc ad mortem ſub exteriori habitu terrena acta conſtringerent. quam ſacra officia cæteris in culpa immutabilem demōſtrarent: quia nimirum, ſi ſolus caderet, vtcumq; hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret*, Sic Greg.

Locus Pſ. 68.

16. *Va mundo à ſcandalis*] Aponitur loco propter, vt Pſ. 68. *à templo tuo, quod eſt in Ieruſalem.* Hebr. eſt mem, quod & ab, & propter ſignificat.

26. *Neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala*] hanc neceſſitatem ex hypotheſi vocant Theologi, non abſolutam; nimirum ſuppoſita tanta hominum improbitate. quomodo dixit Apoſt. 1. Cor. 11. *oportet hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Euth. verò etiam hoc ipſum non reijciens ait Mat. 18. *neceſſe eſt vt veniant offendicula propter neceſſitatem dæmonum; non eſt autem neceſſe, vt virtuti deditis offendiculum patiantur; id enim in ſua voluntate ſitum eſt, cùm liberum habeant arbitrium. vt ergo veniant offendicula non in nobis ſitum eſt; vt autē offendiculum patiamur, omninò in nobis ſitū eſt. ſciens ergo Chriſtus, quod omninò futura ſint offendicula, prædicit de illis, vt caueamus: non tamen ideo ventura ſunt, quod prædixerit: ſed propterea prædixit, quia ventura erant. Verumtamen vę homini, per quē offendiculum venit; offendiculum quidē à dæmone ſeminatur, ab homine verò alitur, & augetur, ac recipitur, qui prauam & corruptam habet voluntatem, quē ēt nunc deplorat, tanquā dæmonis miniſtrū.* Sic Euth.

Verū non ia iucundū arbitror lectori fore ſiutilem, ac perelegantē Chryſ. in totum hunc locū cōmentariū his noſtris adſcribā, vt conſtet quantū in ſcandalis mali inſit; quāquam aliter ſcandalizandi vocem ſumpſerit Chryſ. vt dixi n. 23. ſic ergo ſcribit: *quēadmodū qui hos paruulos propter me honorāt, cœlos poſſidebunt, inquit*, (Chriſtus) *immò verò cœlo quoq; ipſo maius aliquid: ſic & qui deſpiciunt, atq; vituperant (hoc. n. ſcandalizare hic ſignificat) maximo plectentur ſupplicio. nec mireris ſi ſcandali vocabulo, cōtumeliam, & vituperationem intellexit, cum multi propter puſillanimitatem, non parū. ſi contempti, vituperatiq; ſint. ſcandalizentur. detrimentū aūt, quod huius criminis cauſſa homines inuadet, & acerba ſupplicia, ab his, quæ nobis notiſſima ſunt, præoculis poſuit. Nam cū rudiores cōmouere ſummoperè velit, ſenſibilioribus vtitur exemplis. quare in hoc etiam loco, atrocitatem punitionis exprimens, qua contēptores paruulorum poſſit commouere, ſenſibilem pœnam molæ, ac ſubmerſionis in medium attulit. Et quamuis ſecundum rerum conſequentiam, qui non ſuſceperit vnum horum paruulorum, non ſuſcipiet me, dici conueniebat, quæres omne punitionis genus excedit: tamen quia rudes, atque inſenſatos, etiam ſi multum iſtud metuendum ſit, non admodum commouere ſolet, molam potius, & ſubmerſionem poſuit. Nec dixit molam collo eius ſuſpenſum iri, ſed expediet ipſi, ſi hoc patietur: vt oſtendat grauius quoddam atq; acerbius malum iſtum expectare. Quod ſi hoc intolerabile iure videtur, quāto magis illud, ita vtrinque terribilē cōminationem effecit, comparationem quidē exempli notiſſimi ante oculos adducens, exceſſum verò multò maiorem hac, illos cogitare compellēs. Vides quomodo radicitus arrogantiæ tumorem euulſit? Quomodo vanæ gloriæ vlcus curauit? Quomodo edocuit nulla in re primatus dignitatē expetendā? Quomodo animos primatus honorem deſiderantium induxit, vt vbiq; ac ſemper in vltimo ſe velint ordine collocare? Nihil certè arrogantia, atque ſuperbia peius, qua mentis quoq; vires natura hominibus conceſſas ita deījcit, vt amētes, ac valde ſtolidas efficere videatur. Nā quemadmodū ſi quis cū ſtatura tricubitali ſit, inſtar montiū, immò etiam altiorē ſe putet, & ideo ſeipſum, quaſi montes exceſſurus erigat, nullum aliud argumētum inſaniæ ſuæ quæremus: ſic cùm inflatū videris hominem, qui meliorem ſe cæteris arbitretur, contēniq; opinetur, ſi cæteris hominibus conferatur, nullum iam aliud ſignum vecordiæ hominis exquiras. Tātò quippè ridiculoſior eſt his, qui natura ſtulti ſunt, quanto ipſe ſponte hunc ſibi morbū iniecit. nec hac re ſolū miſer; verū etiā quia in miſeria fūdū abſq; ſua miſeria ſeſu ſe præcipitauit. Quando. n. is peccata ſua, vt oportet, cognoſcet? quando nimirum ſe delinquere ſentiet? certè quaſi vile mancipiū, & miſerum captiuum, diabolus eū abduxit, agitatq; verberibus, & mille contumelijs, quocūq; velit. Nam in tantam amentiam plerumq; eos impellit, vt perſuadeat aduerſus liberos, & vxores prætumore inſoleſcere, atq; etiā aduers' ſuos maiores.*

Superbia nil peius.

17. *Etſi ſcādalizauerit te manus tua*] ſignificat Dñs hoc & 19. & 21. v. reſecādā à nobis cōſuetudinē eorū hominū, q. impedimēto nobis ſūt ad ſalutē aſſequē dē, q. uis nobis cari ſint, & alioq. neceſſarij. de his. n. loqtur Dñs, qui ſcādalo alijs ſūt, quāuis poſtea hæ ſentētiæ ad res ipſas nobis caras, & affect' noſtros

28. *Conſuetudo trahens ad peiora fugienda.*

Digitized by Google

extendi poſsũt,nã & ijs carere decet,cũ inde nobis gignitur ęternę ſalutis periculũ. Mat.verò 29.& 30. ét de q̃busc̃q; reb.caris, & affectib. loquitur, quia ergo de amicis,& neceſſarijs hominib.loquebatur, eorũ dumtaxat mẽbrorũ abſcindẽdorum mẽtionẽ fecit,q̃bina in nobis sũt,vt ſc.inſinuaret cõmerciũ & cõiunctionẽ eorum hominum,qui nobis ſunt velut altera manus,pes,vel oculus.Nec debuit dicere Dñs ſi caput tuũ ſcãdalizat te, abſcinde illud, quia hic Chriſti loquẽdi modus allegoricus eſt,& trãslatꝰ ab his, quæ ꝓ tuẽda corporis vita homines facere cõſueuerunt:etenim pro ea manũ interdũ,vel pedẽ ſinũt ſibi amputari,caput aũt nõ poſsũt.quarẽ Caiet.vult ét ſignificari ꝓ has cõparatiões,poſſibiles,ac tolerabiles abdicationes præcipi,vt ꝓpterea nõ pręcipiatur abſciſſio, ſi caput te ſcãdalizat, nec ſi vtraq; manu,vel oculo carẽdũ eſſet. Porrò his omnib.mẽbris vnũ &idẽ ſignificatur.Quod ſi his tribus,manu,pede,&oculo diuerſa ſeorſim ſignificari velis(trib⁹. n.Mar.diſtinctis sẽtẽtijs has cõparationes exarauit,vt Mat.duab.hic & cap.5.)poteris ꝓ manũ intelligere eos,q̃ noſtro veluti sẽper lateri aſſiſtunt, vt ſunt amici, & vxor; per pedẽ miniſtri; per oculum, Doctores,Magiſtri. Vel per manum amicos,quorum opera vtimur;per pedem eos, quibus innitimur vt parentes;per oculum maximè caros,vt ſunt filij, & vxor.

Quid hæc tria, manus pes,oculus.

29. Huc referri poteſt illud Deut.13.6.7.8. ***Si tibi voluerit perſuadere frater tuus filius matris tuæ,aut filiꝰ tuus,vel filia.ſiue vxor,quæ eſt in ſinu tuo,aut amicus, quẽ diligis vt animã tuã,clã dicẽs: eamus,& ſeruiamꝰ dijs alienis,quos ignoras tu, & Patres tui,ne acquieſcas ei,nec audias,nec parcat ei oculꝰ tuus,vt miſerearis,et occultes eũ,ſed ſtatim interficies,ſit primũ manꝰ tua ſuper eũ.*** Mald.Mat.5.in v.29.verũ oculum verã manum intelligit per quãdã exaggerationẽ à Chirurgorum arte deſumptã.nõ quod velit Chriſtus vt manus ipſi nobis amputemus,aut oculos eruamus; ſed vt in exaggerationib.fieri ſoler,ſubintellgenda eſt exceptio,ſi fieri poſſet,& liceret;ſed video paſſim Patres de amicis,& nobis caris,ſeu ét affectibꝰ noſtris hæc intellexiſſe,ſic Hilar.can.4.Atha.9.70. Pacian.ep.3.adue.Nouat.Cyrill.lib.12.in Io. c.28. Anaſt.q.73.Saluia.lib.3.de prouid.Theoph.Matt.5. & 18.Aug.lib.1.de ſer.Do.Euth.Mat.5.& 18.Victor Antioch.Mar.9.quare hoc lubentiùs ſequor.

Locus Deut. 13.6.7.8.

Debilẽ]i.manu altera carẽtẽ,ſeu mãcũ.G. κυλλὸν.

30. 18.***Vbi vermis eorũ***]Ieſumpta eſt hæc sẽtẽtia ex c. vlt.Iſa.v.24.vbi ait:***vermis eorũ nõ morietur,& ignis eorũ nõ extinguetur.*** Cæterũ per *vermẽ* trãslatè poſſumꝰ intelligere moleſtiã,angorẽ,cruciatũ illũ,quo quaſi corrodẽtur dãnati,nõ animo modo,ſed & corpore,,ꝓpterea q̃ illi loco infeliciſſimo,tanquã carceri terrimo perpetuò mãcipati ſint, neq; vnquã inde ſint egreſſuri:inde.n. veheméter anguntur, & cruciantur tãq; verme,qui nũq; moritur, pręſertim verò ipſos cõſcięti æ angores,& cruciatꝰ,quib.dies noctesq; miſeri excruciãtur,& quaſi excarnificantur.Sic paſſim intelligunt hunc locũ Mar.9.& illũ Iſa.66.24.itemq; Eccleſ.7.Vnde Vict.Mar.9.***omni,*** inquit ***ſupplicio grauius eſt immortalẽ illũ vermẽ perpetuò citra vllã prorſus intermiſsionẽ, auidè vorãtem, direq; corrodentẽ circũferre. Deſignatur auitẽ hoc vermis nomine impura,ſceleratag; cõſcięti a:ſiquidẽ vna hac animã peccatricẽ, nullius q; boni ſibi conſciã,inutilis pœnitentiæ aculeis, inſtar edacis vermis continuò pungit,& rodit.Vnusquilibet ergo ſceleratorũ ſuipſiꝰ accuſator erit.Etenim dum ea ſecũ perpẽdet, animoq; iugiter reuoluet.quæ in mortali hac vita improbè geſſit,vel inuitus ſe Deũ confiteri cõpelletur, propriæ nimirum cõſcientiæ ſtimulis actus, eiſdemq; contra ſe teſtimonio apertè cõuictus.*** Hęc ille: & eſt cõmunior sẽtẽtia. ***Et ignis***]Sũt quib.videatur quod vt vermis tropicè ad animã,ita ignis ſine tropo ad corpus pertineat.Habet.n.inquiunt,vermis tropũ malæ conſcięti ę:nã dãnati agnoſcent sẽper ſe malè egiſſe,sẽper erũt malè cõſcij ſibi ſuę nequitię.Porrò ignem citra tropũ accipiẽdũ eſſe cẽſent,quia re vera corporalis ignis erit corpus affligẽs. Quare his verbis duplex impiorũ pœna in inferno ſignificatur iuxta illud Ier.17.18.***duplici cõtritione cõtere eos,*** corporis ſc.& animæ,ſeu culpę,& pęnę.hęc omnia verè,rectęq; ab his dicũtur,dũmodò nõ negẽt ignẽ ad animã ét ſpectare.etenim ignis ille ét in ſpiritus, & animas agit.itaq; dũ aiunt,ignẽ eſſe corporis pœnã, intelligi omninò debent,diſcrimẽ voluiſſe aſſignare inter vermẽ, qui directè ac propriè ſolã animã affliget,& inter ignem,qui nõ animã dũtaxat, ſed corpus ét attinget,quin pęna maxima afficiet.Porrò ſatis cõmodè triſtitia illa animas dãnatorũ corrodẽs,vocatur ***vermis***:nã ſicut tinea veſtimento,& vermis ligno;ita triſtitia viri nocet cordi,Prou. 25. 20.quãuis nõ dubitẽ illũ animi angorẽ redundaturum ét ſuo modo in corpus,illudq; afflicturũ. Meminit aũt Iſa.***vermis,*** quia cadauerũ mentionẽ fecerat,& vermes cadauera arrodere ſolẽt,ex quorũ ét putredine naſcuntur.agit.n.ibi Iſa.de sẽpiternis dãnatorum pœnis per metaphorã aſſumptã ex cladib⁹,& ijs,quæ in bello fieri ſolent: aptè ſanè ad id de quo agebat.i. ad ſtragẽ, quam Deus hoſtib. Iudæorũ illaturus erat: inde more prophetarum ad sẽpiternas dãnatorum pœnas per metaphorã trãſit. ait aũt:***egrediẽtur*** nimirũ triũphãtes iuſti cũ Chriſto poſt deſtinatos iuſto Dei iudicio,ætterniſq; pœnis addictoſ impios;& ***videbũt illos,*** tãquã ꝓſtrata q̃dã,cęſaq; hoſtiũ ***cadauera,*** vt ſolẽt victores ſtragẽ peracta cũ furor reſederit,egredi vrbe ad cõtẽplãdũ cęſos.

Duplex dãnatorum pœna.

Locus Ier. 17.18.

31. 20. ***Vbi vermis eorũ nõ moritur***] An in inferno ſint vermes carnẽ re ipſa affligẽtes,dubitat Aug.l. 21.c. 9.***eligat,*** inquit,***quisq; quod placet,aut ignem tribuere corpori,animo vermẽ, aut vtrũq; propriè corpori, iã.n.ſuperius diſputaui poſſe animalia in ignib.viuere in vſtione ſine cõſumptione,& in dolore ſine morte per miraculũ omnipotentiſſimi Creatoris*** &c.Mald.Mar. 9.v.44.ait:***meminiChryſ.& Theoph.verum eſſe in dãnatis vermem,qui eorũ arrodat corpora alicubi ſentire,quo magis miror Theoph hoc loco vtrumq; & vermẽ,& ignẽ metaphoricè accipiendũ putare.*** Sic ille, verum locum vbi illi hoc dicãt,non affert. poteſt tñ id cõfirmari ex Eccl.c.7. 19. ***humilia valdè ſpiritũ tuum:quoniã vindicta carnis impij, ignis, & vermis.*** & adhuc magis Iudith 16.20.21.***Væ genti inſurgenti ſuper genus meũ: Dominus.n omnipotens vindicabit in eis,in die iudicij viſitabit illos.Dabit.n.ignẽ,& vermes in carnes eorũ,vt vrantur,& ſentiãt vſq; in sẽpiternũ.*** Hãc ſentẽtiã ſecutus dicitur Alph.Caſtro v. infernus,& eã tuetur noſter Sera. in hũc locũ Iud.

An in inferno veri vermes.

Locus Eccl. 7.19.

Locus Iudit 16.20.21.

32. Cæterũ licet Dei potẽtiæ id non ſit impoſsibile, vt ſint in dãnatis vermes,qui illorũ mordeant carnes,dolorẽ inferentes magnũ,ſiue nũquã moriãtur quãuis ſint in igne,ſiue moriãtur,& gignãtur. Arbitror tñ non eſſe in inferno vermes. q̃ét ſenſi p.2. harũ diluc.l.4.c.9.theor.2.n.10.tũ q̃ hæc ſit cõmunior,ac recepta magis opinio. Tũ q̃ verba Iſa.quo reſpexit hic Chriſtus,id mihi perſuadeãt; nã ſi veros vermes intellexiſſet,nõ ***vermis*** dixiſſet,ſed ***vermes.*** Deinde genitiuus ille, ***eorũ,*** idẽ mihi inſinuat, q.d.vermis eorũ ꝓprius,nõ illi,quos cadauera gignunt,qui tãdẽ moriuntur.quod verò apud Iudith c.16.***vermes*** legamus,nihil refert,quia potuit ibi ſignificaſſe Sp.S.per num.pluralem angores, & cruciatus multos,qui ex malę conſcięti æ remorſu,vel ex carcere illo exiſtũt in dãnatis. quod ſi in his locis Iſa. & Mar. qui ter eãdẽ hãc ſentẽtiã repetit,q̃ ter dicta.eſt à Chriſto metaphor. ſumitur vermis, veroſimilꝰ ét eſt eodẽ modo ſumi apud Eccleſiaſt. & Iudit.Ad locũ ergo Eccl.aliter ſumi ibi ***carnem impij,*** tropicè,ꝓ dãnato ipſo per ſenecdochẽ,vt iã fuſiùs dicã: vermes.n.ex putrefacta carne naſcũtur, proinde cõiungũtur aptè cũ carne,& cadaueribus.

Locus Eccl. & Iudith declaratur.

Victor.

Vermis dãnatorum.

33. Ad locũ verò Iudith aliter. vel ibi sermonẽ esse de vltione, & iudicio in hac vita. omnis. n. dãnatio, & pœna iudiciũ quãdoq; appellatur, q̃a iudicij quidã effectus est, sic Os. 10. 4. *germinabit quasi amaritudo, iudiciũ super sulcos agri.* 1. Cor. 11. 29. *iudiciũ sibi mãducat & bibit.* Vel significat iudicij diẽ extremũ, seu vltimũ, & extremũ supplicíũ. iã si primo modo sumas, per vermes dicã intelligi vlcera puruleta, putredines, verminationes, morteẽ ipsã, q̃ in vermes & putredinẽ tãdẽ definit. at si secũdo modo sumas *iudicij* nomẽ, vermes metaphoricè erunt cruciatus vel angores illi animi, quib. ꝑpetuò afficitur dãnatus ob carcerẽ illũ teterrimũ, & sine fine duraturũ; ꝑsertim verò quib. excarnificatur ob cõsciẽtiæ reatum vt n. 30. declaraui. Per carnes verò impiorũ intellige ipsosmet impios vt ponatur pars pro toto: hoc. n. loco Iudith 16. ponuntur carnes eodẽ modo quo cadauera, apud Isa. ꝑ ipsismet dãnatis æterno supplicio, idq; per metaphorã sumptã à cadaueribus carnibusve cæsorũ hostiũ, q̃ vermib. scatere solẽt.

Locus Oseæ 10 4. item Paul. 1. Cor. 11. 29.

34. Mald. Mar. 9. quẽ sequitur Petr. Thyr. de glorioſa Christi appa. c. 16 n. 59. & seq. putat sumi quidẽ vermẽ metaphoricè, sed nõ aliud significare quã ignis supplicíũ, nõ pœnã diuersã, neq; diuersarũ hominis partium, sed totiꝰ hominis pœnã vnã, & eãdẽ, & totã, ita vt vnum, & idẽ supplicíũ vermis, & ignis dictũ sit, & iccircò particula &, sumẽdum exegeticè opinatur, vt sit sẽsus, vermis nõ moritur, & ꝑ. i. ignis nõ extinguitur. Verũ duo significari diuersa supplicia arbitror, vnum propriè animi, alterum etiã corporis eo modo quo declaraui n. 30. cùm. n. non vno loco iungãtur vermes & ignis dãnatorũ nõ video cur vnũ tãtũ suppli ciũ ꝑ illa duo intelligi debeat, ꝑsertim cũ interdũ ꝑponatur ignis, sequãtur vermes, vbi nõ est verosimile, & exegeticè poni, & qui ita exponunt nullum afferunt auctoreꝰ huiꝰ expositionis. Cõfirmatur idẽ ex loco Iudith; ibi enim etiam duæ actiones distinctæ ponuntur, vstio & sẽsio, quarum illa ad ignẽ, hæc ad vermes pertinet.

An vermis, & ignis diuersa supplicia.

21. *Luscum*] G. μονόφθαλμον, id est, vnoculum.

35. 23. *Omnis. n. igne salietur*]. i. per metaphorã quasi igne salietur. Magna est loci huiꝰ obscuritas, & difficilis nexus cũ superioribus. Id q̃ sequuntur Interpretes maiori ex parte est: quoniã dixerat Christus: *si te oculus scãdalizat, erue eũ*, idq; de pedibꝰ & manibꝰ, si nos offenderẽt, docuerat: monet iã id, si Deo cari esse velimus, necessariò nobis faciẽdũ esse. Etenim oportere, more victimarũ, seu iuxta id; quod de victimis in lege præciꝑitur; igne, & sale saliri. i. huiusmodi purgari pœnis, atq; adeò igne tribulationis, ac præterea sale sapiẽtiæ, & caritatis cõdiri, vt maiores deuitemus, quasi dicat, oportet electos per ignẽ trãsire, more victimarũ, & sale cõdiri, videlicet multa pati, & sal habere sapiẽtiæ. victimæ nãq; in lege cum sale offerebãtur, & igni cremabãtur. Sic. n. Leuit. 2. 13. legimus: *quidquid obtuleris sacrificij, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.*

Locus Leuit. 2. 13.

36. Est & altera interpretatio, q̃ mihi magis ad rẽ facere videtur: nimirũ vt de dãnatis ẽt hìc sit sermo, de quorum pœnis iã egerat. Cùm. n. dixisset, vermẽ eorum non vnq̃ mori, & ignẽ eorum nõ extingui; reddit nunc causã, quare ignẽ eorum vocarit. hæc igitur causa est, quia oẽs illi igne saliẽtur, i. cõdiẽtur, torrebunturq; veluti carnes. nõ ergo cum *omnis* priori loco dicit, victima subintelligenda est, vt ex G. patet, πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, ἡ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται. est. n. πᾶς masculi. generis, θυσία verò fœm. Dicit aũt igne saliri, nõ tãtum quia afflictione, tribulatione quasi mordaci sale puguntur, purgãturq; iusti iuxta primã interpretationẽ, sed multò magis quia loquitur de dãnatis metaphoricè, tanq̃ de occisis victimis, ad declarãdã Dei gloriã, & iustitiã: sic. n. Prophetæ loquuntur, vt patet ex Isa. 34. 6. Ier. 12. 3. & c. 46. 10. & 55. 40. & Ezech. 21. 9. 10. & c. 39. 17. cũ

A verò subdit. *& omnis victima sale salietur*, ad præcitatã Leuit. legẽ alludit; & illud, &, vim habet nõ tã cõiunctionis, quã cõparationis; ponitur autẽ loco, *sicut*, q. d. sicut omnis victima pro vt in lege præciꝑitur, sale salietur, ita instar victimæ omnis dãnatꝰ salietur igne, q̃a vt dixi tãquã de victimis Deo mactatis, sic de dãnatis loquebatur. Neq; nouũ, vel inusitatum est, &, vim habere cõparatiuã in Script. vt Prou. 25. 3. 23. 25. obseruat Brugẽsis, salẽ duplici qualitate esse præditũ vrẽdi, & cõseruãdi, cruciat aduſtione, seruat à corruptione. has cõditiones tribuit nunc Christus igni gehennæ, sic. n. aduret & cruciabit reprobos, atq; adeò eos, qui scãdalizãt alios, vt nõ cõsumat, sed relinquat integros & sẽpiternę cõbustioni aptos. est autẽ metaphorica locutio *igne saliri*, vt illa, *igne baptizari* Mat. 3. 11. Itaq; ignis erit tanquã sal, tanquam si sale perfrictus reprobus in inferno perpetuis eius cruciatibus torqueatur.

B 24. *Bonũ est sal*] videtur nunc Christus monere Apost. ne habeãt illũ dãnatorũ salẽ. i. ignem, sed illũ, quo victimæ Deo gratæ cõdiuntur. i. prudentiã, caritatẽ, & pacẽ, q̃ per illũ salẽ significabãtur. hunc. n. ſi habeãs, nõ fore amplius in illis de primatu cõtẽtionẽ more insipiẽtium. Rectè aũt cõiunxit Christianæ prudẽtiæ pacẽ; hæc. n. index est veræ, illibatę & Christianæ sapiẽtiæ, vel prudẽtiæ. nã *quæ de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deindè pacifica.* Iac. 3. 17. qui aũt mutuò seipsos odiunt, detractionibꝰq; dilaniãt, mundana sapientia potiùs tument, & actionum manus non sub pennis sanctæ contẽplationis, & sapiẽtiæ ponunt vt Ezech. illa animalia, de quib. dicitur: *& manus hominis sub pẽnis eorũ*, sed sub vitio, ꝑ prię glorię, & ambitiõis cõdũt.

37

C 25. A. *Videte ne cõtẽnatis*] Tres rationes affignat in sequentib. bonus Dñs, ob quas cauere debemus ne cõtẽnamus scãdalizãtes vnum ex dictis pusillis, & humilibꝰ, de quib. n. 23. Primum q̃dẽ quia ꝑsertim Angelos habẽt ipsorũ in primis custodię, ac præsidio deputatos à Deo, qui Dei vultum cõtinẽter aſpiciunt, & valẽt proinde in cõtẽptores vindictã à Deo facilè interpretari. Adde q̃ vt ait Hilar. *periculosè ille cõtẽnitur, cuiꝰ desideria, & postulatimes ad Deũ Angelorũ ministerio peruehũtur.* Aliorum Angeli & ipsi quidẽ vidẽt faciẽ patris, nõ tñ ea libertate agere possunt apud Deũ causã illorum, quibus superbia Deum cõciliat aduersariũ. Notãda est hic phrasis hebr. solẽt. n. hebr. ea phrasi significare Deũ esse propinquũ; & familiarẽ, sumpta metaphora ex aulæ cõsuetudine, vbi quo quis honoratior est, eò propinquior est Regi, eoq; frequẽtius in eius cõſpectu versatur. hunc dicẽdi modũ vsurpat Script. 3. Reg. 10. 8. vocatur autẽ hìc metaphoricè *facies*, vultusve Dei, splẽdor ille, ac gloria eſſẽtię diuinę, seu vt Aug. ait vlt. de Ciu. Dei, manifestatio etenim in vultu quasi tota ꝑsona resplẽdet. Docet D. Greg. Iob 1. in illa: *cũ venissẽt filij Dei*, &c. Angelos ẽt intueri Deũ cũ in terra sunt. & 6. 2. mor. c. 2. 3. habet: D *& faciẽ ergo Patris sẽper vidẽt, & tamẽ ad nos venit, quia & ad nos spiritali præsẽtia foras exeũt, & tamen ibi se. vnde recesserat, per internã contemplationẽ seruãt.* Idem testatur Bern. ser. 5. dedica. Ecclesiæ, ergò cùm hic dicitur: *Angeli eorũ in cœlis sẽper vidẽt* &c. intellige Angelos sẽper esse in in cęlis ratione saltẽ cõtẽplationis, & intuitus diuini vultus, vt ex Greg. patet, vel Angeli in cęlis, idẽ est, ac cęlestes q̃ habitare solẽt in cęlis, ad differẽtiã malorũ Angelorũ.

Tres rationes vitandi scandali.

Facies Dei quæ?

Angeli etiã Deũ vident in terra positi.

Postremò aduertẽdũ est, hęc duo, *videre faciẽ Dei.* & *assistere Deo* idẽ esse interdũ: duobꝰ. n. modis, vt Greg. innuit lib. 17. mor. c. 9. assistere Deo sumitur; nonnunquã idẽ est, quod Dei præsentia frui, eiusq; faciẽ corã cernere; q̃mdo *assistere* de omnib. Beatis Angelis, ẽt qui ministrãtes nominantur, vniuersim dicitur, & ita hoc loco de Angelis singulorũ hominũ custodibꝰ, qui ad infimũ ordinẽ ꝑtinẽt, legimꝰ: *Angeli eorũ semper vident faciem Patris, qui in cœlis*

38.

Assistere Deo & videre faciem Dei quomodo idem.

est. Non-

Quomodo omnes Angeli ministrantes.

est. Nonnũquã verò *assistere* ita dicitur de Angelis, vt opponatur ei, quod est ministrare, & mitti ad externa munera peragenda, & significat idẽ ac proximè omnia videre in verbo; & inde notitiã omniũ, quæ agenda sunt haurire, nec mitti in terras ad exequẽda ministeria; quomodo putat D. Dionys. 4. superiores ordines .i. Seraphim, Cherubim, Thronos, & Dominationes esse assistentiũ Angelorum; reliquos inferiores esse ministrantiũ. Et quamuis Paul. c. 1. 14. ad Hebr. oẽs dicat esse *administratorios spiritus*, intelligendũ est id, nõ immediatè, sed mediatè, quatenus Angelos cæteros, ad quos pertinent eiusmodi ministeria exequi, docẽt, & erudiũt, diuinaq; tradũt mãdata ab ipsis cõficiẽda. Primus ergo ordo propriè ministrantiũ eorũ est, qui peculiari nomine dicũtur *Angeli*, & sũt qui diuina nũtia ferũt hominibus. *Archangeli* verò sũt insigniorib⁹ nũtijs deputati. *Virtutes* verò appellãtur, qui miracula, & prodigia faciunt. *Potestates*, qui multa; magnaq; polleẽ potẽtia, vt qui Aegyptiorũ primogenita omnia, & 185. millia Assyriorũ vna nocte occiderũt: demũ qui vocãtur *Principatus*, ij sũ, qui Prouincijs, & Regnis præsũt: hinc Princeps regni Persarũ, vel regni Græcorũ dicitur. qui verò cęlorum orbes mouẽt, cẽsentur passim ex virtutũ, vel Potestatũ ordine esse. D. Greg. putat plures esse ministrãtes, quã assistẽtes. Vide illũ loc. ci. At Dion. Areop. putat tãto numerosiores esse ordines Angelorũ, quãto superiores; & magis cõgruit cũ loc. Dan. c. 7. 10. *millia millium ministrabãt ei, & decies millies centena millia assistebãt ei.* Vide de hac diuisione Angelorũ in assistẽtes, & ministrãtes, quæ diximus l. 1. diluc. c. 5. theor. 1. n. 14. an verò assistẽtes mittãtur aliquando eadem theor. disputauimus.

26. *Venit. n. filius hominis*] Nec mirũ quod Angelos tutores & custodes his humilibus assignauerit, cũ & filiũ suũ ad illos, cũ iam perijssent seruandos. Continetur hîc tacitè secũda ratio, quãobrem cõtẽnendi non sint paruuli, quod tãti eos fecerit Dñs Deus vt propter eorũ salutem venerit fi ius hominis, non quod propter alios non venerit, oẽs enim perierãt, sed significare voluit, se propter peccatores venisse. Inter quos sũt & isti pusilli. Tũc vlterius addẽdũ est. Quod si Deus misit filium suũ in mũdũ ad reuocandos & saluãdos istos, cũ iã perijssent (erant. n. & ipsi peccatis obnoxij, anteq; per Christũ liberarẽtur (quãto minus vult, vt cũ iã filij sui opera liberati credũt, & viã salutis tenẽt, à quoquã cõtemnantur, aut scandalizẽtur, & perdãtur. Hãc tãquã ratione omniũ efficacissimã ad idẽ persuadẽdũ vsurpauit Pau. Ro. 14: 15. *noli cibo tuo illũ perdere, pro quo Christus mortuus est.* 1. Co. 8. 11. *& peribit infirmus in tua scientia frater, propter quẽ Christus mortuus est?*

27. *Si fuerint alicui* 100. *oues*] Tertia est hæc, & postrema ratio; qua bonus Pastor magis illustãdæ rei gratia per parabolã ouis palabũdę, & perditę, super cuius inuẽtione tãtũ gaudij possessori accidit, ostẽdit non solũ sibi, sed & Patri suo cęlesti (vt patet ex fine parabolæ v. 29. huius c. (magnoperè curę esse paruulos, quãuis abiecti, & humiles hominibus, & maximè peccatores esse videãtur, eorumq; salute magis gaudere, quã super 99. iustos, qui non errauerũt, esto tales reperirẽtur. Neq; hic significat Christ⁹ esse aliquos, qui nõ errarũt, sed tãtũ indicat missũ esse se à Patre, ꝓpter eos, q errarũt, ita vt ꝙuis vnus tantũ inter homines errasset, cæteris nõ errãtibus (vt si 100. fuissent homines tantũ, & 99. saluis dũtaxat, vnus perditus fuisset) propter eũ solũ, relictis 99. vt illum vnũ perditũ recuperaret, vẽturũ se, ac mittendũ à Patre fuisse: & ex eius inuentione gaudio magno & se & Patrẽ afficiẽdum esse: ita iuxta hunc exponẽdi modũ, nõ oportet anxiè quærere, nũ Angeli, & multi Patres fortassis mysticè exposuerunt, sint illæ 99. oues relictæ, cùm cõmodè de hominibus accipi possint. *In montibus*] in quib.

A pascũtur. G. est ἐπὶ τὰ ὄρη, interpres id cõiunxit præcedentibus, fauet Syrus & Theoph Sunt tamen qui cum sequentibus minus benè connectant: ἐπὶ τὰ ὄρη πορευθεὶς ἐκτᾶ in montes profectus quærit.

28. *Gaudet super eã magis*] propter eã magis. Intelligde actuali, nõ habituali gaudio: nam quoniam de recenti bono nouum, & actuale est gaudiũ, magis dicitur Pastor gaudere super vnã recẽs inuenta oue, quàm super multis, quæ perditæ non erant.

29. *Sic non est voluntas ante Patrẽ*] gradatim à scãdalo pusillorũ dehortat⁹ est, prius Angelorũ, deinde sui & Patris mentionẽ faciens, interim significãs & Angelos, & se ac Patrẽ suum cœlestẽ hostes, & aduersarios experturũ esse eũ, qui paruulos scãdalizarit. ac propterea totã parabolã cõcludens, cum dicendũ videretur; sic nõ est mea volũtas, dixit potiùs, *sic non est voluntas ante Patrẽ meũ*, id est, coram patre meo, vt simul Patris, qui ipsũ misit, mentionẽ ẽt faceret. Ait ergo nũc: si Pastor, qui 100. oues habet tã solicit⁹ est vna perdita, vt ei⁹ gratia reliquas omittat alterius curæ cõmissas, nihil mirũ, si nõ ego modò, sed Pater ẽt meus, vel vnã suarũ ouium. i. vnum præsertim humiliũ Christianorũ, quos amat & curat vnicè, siue electorũ (quos certo numero elegit) pusillũ quãuis, & abiectũ, perire nolit; & verò ẽt peculiari cura quærat, & repertũ reliquis suis ouibus lætus cõiungat; singulari verò gaudio afficiatur, ꝙ repertus, & ab errore reuocat⁹ ille fuerit. vnde liquet nõ esse huiusmodi offẽdẽdos, tũ ꝙ tam singulari cura quærãtur à Deo, si fortè errare accidat, tũ ꝙmore nostro (immutabilis est. n. Deus) singulare gaudiũ ei⁹ inuẽtio & salus Deo afferat, quod per Angelos mõstrat Luc. 15. 10. sic constat, quã propensa sit Patris mei erga hos pusillos voluntas.

THEORIA I.

De scandalo. Quid sit, & quotuplex, & an in perfectos cadat?

C QVoniã sæpè vox *scãdali* legitur in Script. operę pretiũ erit semel declarare quidnã sit, quotuplex, & alia quædã huc spectãtia. ergò *scãdalũ* græcũ nomen est, eãdẽ significationem habens, quam σκύλον, & πρόσκομμα deducitur à προσκοπτεῖν, offẽdere, impingere: reliqua verò duo σκάνδαλον & σκύλον, à ruina dicta est ex Hiero. 2. con. Pelag. vnde aliquib. deriuata videtur à σκάζω, ꝙ est claudicare; ꝙ claudus dũ se inflectit, tẽdere videatur ad ruinã. His dictionibus respõdet hebr. *Michschol*: quamuis sept. interpr. tribus illis græcis vocib⁹, soleãt vt plurimũ interpretari, hebr. nomẽ *Mokesch*, quod non rarò Hiero. vertit *scandalũ*, cũ tamen apud hebr. ea vox laqueũ potiùs significet, à *lacasch*, quod est irretire, & illaqueare. Sed idẽ semper est sẽsus, siue *laqueũ*, siue *scãdalũ* vertas. Cęterũ apud lat. nulla vox magis accedere videtur ad græ σκάνδαλον, vel hebr. Michschol, quã offẽdiculũ, vel offensio, si accipias has voces latinas, quatenus significãt id, in ꝙquis inter ambulãdũ impingit & offẽdit, quãuis Hiero. vtatur interdũ his eisdẽ vocib. ꝓ peccatis, quib. offenditur, & ad irã prouocatur Deus, vt in orat. Manas. *malũ coram te feci. statuẽs abominationes. & multiplicãs offensiones.* & Hier. 4. 1. *si abstuleris offendicula tua à facie mea, nõ cõmoueberis.* G. βδελύγματα abominationes. Quia ergo scãdalũ propriè significat omne offendiculũ in via, & offẽdiculũ eiusmodi impedimẽtũ ꝙdã est, hinc est, vt rectè dicatur scãdalũ esse impedimẽtũ viæ, seu offẽdiculũ viæ, seu occasio ruinæ, seu lapsus; & interdũ quidẽ melius exponitur ꝓ impedimẽtũ, vel obstaculũ, vt cũ superi⁹ hoc lib. c. 6. v. 12. Christ⁹ dixit Petro:

Digitized by Google

ſcandalum es mihi, id eſt, impedimento, vel obſtaculo mihi es. communiter verò, & ferè ſemper per offendiculum aptiùs exponitur, vt Leuit.19.14. ſecundùm communiſſimam huius vocis vſurpationem dicitur: *non maledices ſurdo, nec coram cæco pones offendiculum.* vbi hebraicè eſt, *Michſchol*, & Græcè σκάνδαλον.

Leuit. 19.14.

2. *Eſt ſcandalū quidquid in via offendiculum eſt: impactio itē ipſa, & ruina vt effectus offendiculi.*

Gregor. Valen. tom. 3. diſp. 3. q. 18. p. 1. ſcribit, *ſcandalum* dici, quidquid in via obiectum eſt, id eſt, offendiculum eſt, in quod poſſit quis pede impingere; itemque impactionem ipſam, ſiue offenſionem pedis, atque etiam ruinam & caſum, quatenus hæc omnia ſolent eſſe effectus alicuius eiuſmodi offendiculi. eādemque ait, eſſe vim vocabuli προσκομμα: niſi quod per illud propriè iſta ſignificantur: per vocabulum autem, *ſcandalum*, non niſi metaphoricè; nam propriè σκάνδαλον Græcis ſignificat paruulum illud lignum in muſcipula, ex cuius motu, cùm mus eſcam attigit, ſequitur caſus aſſerculi muſcipulam concludentis. atque ita per metaphoram nominatur *ſcandalum* omne offendiculum in via, ex quo impendet caſus, ſeu offenſio pedis, & ſic etiam ipſe caſus, & offenſio dicitur.

3. *Scādali vox & ſcandalizare quomodo à Theologis ſumatur.*

A corporali verò offendiculo, ſeu ſcandalo tranſtulere Theologi, immò Spiritus ſanctus in Scriptura vocem hanc *ſcandali* ad id, quod in hac vita, tanquam in via, qua contendimus ad Dei conſpectum, ſic ab aliquo fit, aut dicitur, vt ſit alteri occaſio ruinæ ſpiritualis, id eſt, peccati; quod D. Hieronym. auctoritate confirmari poteſt, ſic ſcribentis in cap. 15. Mat. in illa: *ſcis, quia Phariſei audito hoc verbo ſcandalizati ſunt? quia crebrò teritur in Eccleſiaſticis Scripturis ſcandalum; breuiter dicamus, quid ſignificet* προσκομμα, *& σκάνδαλον, nos offendiculum, vel ruinam, & impactionem pedis poſſumus dicere. Quando ergo legimus; quicumq; ſcandalizauerit quemquam, hoc intelligimus, qui dicto, factoue occaſionem ruinæ cuiquam dederit.*

Scandalum & ſcandalizare ex Hieronym.

4. *Definitio ſcandali.*

Ex hac Hieronym. obſeruatione ſcholaſtici Doctores ſuam ſcandali definitionem ſumpſerunt, vt legere eſt apud D. Thom. 2.2 q. 43. art. 1. ſcandalum eſt dictum, vel factum minus rectum præbens occaſionem ruinæ. nam quia actus exterior tantùm alteri notus ſcandali rationem habere poteſt; ideò dicitur eſſe dictum, vel factum ex D. Thom. 4. d. 38. q. 2. a. 1. ad 3. Factum verò, vel dictum minus rectum vocatur, & non abſolutè malum, vel non rectum, quia ſatis eſt ad hoc, vt actus habeat rationem ſcandali, ſi tantùm ſpeciem habeat mali, ſeu ſit tantùm ratione effectus, id eſt, ratione ruinę alterius, malus, quamuis alioqui per ſe ſit omninò bonus; ſemper tamen is actus, cùm ex aliquo capite careat debita rectitudine, ſimpliciter eſt prauus, *bonum*, enim, *conſurgit ex integra cauſſa, malum autem ex quocumq; defectu*, teſte D. Dionyſ. cap. 4. diuin. nom. itemque Ariſtot. 2. eth. c. 6. vbi: *peccare*, inquit, *multis modis poſſumus, rectè verò agere vno modo tantùm licet; atque ideò illud facilè, hoc verò difficilè eſt. facilè ſiquidem eſt à ſcopo aberrare, ſicut ipſum attingere, difficile.* Scandalum itaque dicimus eſſe dictum, vel factum minus rectum; non autem dicimus, vel eſſe abſolutè malum, vel non rectum. Neque enim minus rectum dici ſolet dumtaxat, quod ſimpliciter rectum eſt, quamuis per reſpectum ad aliud non ita rectum appareat; ſed etiam minus rectum dicitur, quod ob aliquem defectum eſt minus rectum quàm eſſe deberet ſimpliciter, & quod ideò eſt abſolutè & ſimpliciter malum. Quia verò à nulla re intrinſeca tanquam ab efficaci cauſſa, poteſt humana voluntas ad peccatum induci, ſed tantùm velut ab occaſione, ſi ipſa velit, ad peccandum inducitur; & rurſum, quia ſunt ſcandala quædam, quæ bonis alioquin actibus continentur, euitandis dumtaxat ratione effectus, id eſt, ruinæ alterius, ideò dicunt Theologi ſcandalum eſſe dictum, vel factum præbēs occaſionem, non autem cauſſam ruinæ. Hæc finitio ſcandali actiuo tantùm cōuenit, vt ex diuiſione ſcandali in actiuum, & paſſiuum inferius n. 7. ponenda, colligere erit.

5.

Cæterùm antequam ad diuiſionem ſcandali gradum faciamus, obſeruandum eſt diligenti ſacrarum Scripturarum lectori in veteri quidem teſtamento ſcandalum ſoluere, accipi vtrouis modo, ſiue pro corporali, ſiue pro ſpirituali occaſione ruinæ. Primo modo Pſal. 139. 6. *funes extenderunt in laqueum, iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi*; rurſum Pſalm. 140. 9. *cuſtodi me à laqueo, quem ſtatuerunt mihi, & à ſcandalis operantium iniquitatem*; vocat Dauid laqueum, & ſcandalum illas ipſas inſidias, quibus ipſum impij ſubuertere nitebantur. Secundo modo ſumitur Malachiæ 2. 8. *ſcandalizaſtis plurimos in lege*, id eſt, peccare feciſtis in legem. & Ezech. cap. 14. 3. 4. 7. vbi notat idola, *ſcandalum iniquitatis.* pro occaſione verò corporalis, & ſpiritualis interitus ſimul ſumitur ſcandalum Exhod. 23. 33. Sic enim de pellendis idololatris, præcipit Deus: *non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me, ſi ſeruieris dijs eorum; quod tibi certè erit in ſcandalum*, hoc eſt, idolorum cultus erit tibi occaſio perditionis, & in hac, & in futura vita, immò magis hic ſermo eſſe videtur de corporali perditione, vt ferè ſemper in veteri teſtamento; & ita 1. Reg. 18. 21. *dixit Saul: dabo eam* (Michol) *illi* (Dauid) *vt ſiat ei in ſcandalum*, id eſt, occaſio perditionis, & ruinæ; cæterùm in nouo teſtamento accipitur ſemper, ſcandalum, pro occaſione, vt quis vel à veritate, vel à iuſtitia excidat, aut abalienetur. Matth. 13. 41. *Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittet eos in caminum ignis.* & Paul. Rom. 9. 33. *ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali* iuxta Iſa. 8. 14. & 1. Cor. 1. 23. *nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum* &c. Dicitur enim à Paulo crux Chriſti, vel Chriſtus crucifixus Iudæis ſcandalum, non quod ex ſe talis ſit, vt aliquem in errorem, & peccatum pertrahat, abſit enim. Sed quod cùm talis non ſit, Iudæi tamen ſua prauitate, & cæcitate illum ſibi fecēre errorīs, & peccati occaſionem, & proinde non abſolutè ſcandalum nominatur, ſed his, vel illis. Sic accipitur ſcandalizare Ioann. 6. 62. *hoc vos ſcandalizat.* Item Matth. 26. 31. *omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte.*

Locus Pſal. 139. & Pſal. 140.

Locus Mala. 2. 8. & Exec. 14. 3. 4. 7.

Locus Exod. 23. 33.

Locus 1. Reg. 18. 21.

Locus Matt. 13. 41. Rom. 9. 33. 1. Cor. 1. 23.

Locus Ioan. 6. 62. & Matt. 26. 31.

6.

Quare non tam benè fortaſſis, & propriè paſſim aiunt, ſcandalum actiuum eſſe ipſam

Digitized by Google

Scandalum vniuersim sumptum ruinæ occasionem significat.

ruinæ occasionem, passiuum verò ipsam ruinam, nam vt rectè aduertit Iansenius: *scandalum* non aliud significare potest, quàm ruinæ occasionem, seu ipsum offendiculum. Cætùm cùm effectum nomine causæ appellare soleamus, non malè, nec omninò impropriè ruinam ipsam, qui est quidam effectus scandali nominare quis poterit, cum Scholasticis Doctoribus scandalum.

7. Quotuplex scandalum actiuum & passiuum.

Diuiditur verò scandalum à Theologis primum in actiuum, & passiuum, & illud quidem numero 4. definiuimus, passiuum verò dicitur ab Scholasticis ferè ipsa spiritualis ruina alterius; ab alijs fortè magis propriè ipsa quoque occasio spiritualis ruinæ, siue data, siue tantum accepta, est enim aliquid, quod aliquem offendit, & à veritate ac iustitia alienat, vel quia ipsum sua natura tale est, vel quod cùm tale non sit natura, alius sua prauitate illud sibi facit erroris, & peccati occasionem, atque adeò eam occasionem patitur, cui se volens subijcit. itaque scandalizari dicetur is, quia patitur aliquid quod ipsum offendat, & à virtute vel fide in Christum alienet. atque ita vtrique scandalo esse ruinæ occasionem, conuenit vt nu. 6. dixi, prout etiam videtur ferè semper in Scripturis vsurpari.

8. Duplex scandalum passiuum. Scandalum pusillorum & Phariseorum.

Rursum scandalum passiuum aliud datum, aliud acceptum est: & illud dicitur id, quod oritur verè ex dicto, vel facto alterius minus recto, id est, quod oritur ex scandalo actiuo, consueuitque appellari scandalum pusillorum, seu infirmorum, iuxta quod dicitur hic vers. 15. *quisquis scandalizauerit vnum ex his pusillis* &c. Scandalum verò acceptum appellatur occasio ruinæ alterius, non verè orta ex scandalo actiuo alicuius alterius, sed ex malitia propria eius, qui illud patitur, sumpta: & consueuit vocari scandalum Phariseorum, neque est curandum iuxta illud Christi Matth. 15. 14. *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.*

Locus Matt. 15. 14.

9.

Cæterùm est scandalum passiuum in eo, qui scandalizatur, semper peccatum mortale vel veniale, prout mortale, vel veniale peccatum fuerit id, in quod occasione data, vel accepta ab alterius facto, vel dicto labitur, cùm autem scandalum passiuum (vt dixi num. 6. 7.) sit vel ipsa spiritualis ruina per peccatum, seu potiùs ipsa occasio ruinæ accepta seu data, qua quis cadit in peccatum, sicut fieri potest, vt vnus, quantum est in se, scandalizet alterum, & alter non scandalizetur; & vicissim vt quis perperam accipiat occasionem ruinæ ex facto, vel dicto alterius, qui verè ipsum non scandalizat: ita constat fieri posse, vt sit peccatum scandali actiui in vno sine peccato scandali passiui in altero; & vicissim peccatũ scandali passiui in vno sine peccato scandali actiui in altero, ex Diuo Thom. loco citato a. 1. ad 4. & de scandalo actiuo sine passiuo intelligitur illud Matth. 16. *scandalum mihi es* de passiuo verò sine actiuo, illud Luc. 2. 34. *ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem* &c. & Rom. 9. ex Isa. *ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali* &c.

Scandalum actiuum esse potest sine passiuo, & passiuum sine actiuo.

10. An scandalum species

Porrò scandalum passiuum non est peccatum certæ alicuius speciei, sed potest esse diuersarum, pro vt potest quis ruere in peccata variarum specierum sumpta occasione ex dicto vel facto alterius; hoc enim quod est sumere occasionem peccandi ab alterius dicto, vel facto non constituit actum in aliqua specie peculiari peccati, vt neq; per alias occasiones, vel incitamẽta peccatorum dicitur peculiaris species aliqua peccati: id quod ex Diuo Thoma colligere est loc. cit. art. 3. At de scandalo actiuo secus habet res; nam saltem si est cum expressa, & formali intentione ruinæ, seu peccati alterius, vt malum eius est, non dubium est esse peccatum scandali speciale distinctum ab omnibus alijs: licet controuersum sit inter Doctores, an si non adsit formalis ista intentio, & directa ruinæ proximi sit distinctum peccatum scandali præter aliam speciem actus mali, quam ex suo obiecto habet actus, quod mihi videtur ita esse, in euentu, quo probabiliter putari potest inordinatum dictum, vel factum vnius manifestum, futurum occasionem ruinæ alteri, etsi fortè non ruat, vel ruat præter intentionẽ scandalizantis. de hac re vide Valen. to. 3. disp. 3. q. 18. part. 2. Quare solicitans fœminam non paratam, peccat scandali peccato speciali.

certà peccati sit.

11. Scandalum mentis ex quadruplici causa contingit.

Notat Iansenius in Psalm. 118. 31. 8. in illa; *non est eis scandalum*: scandalum mentis ex quadruplici causa contingere: primò ex aduersitatibus, quare Dominus quod super petrosa cecidit, similes facit eis, *qui cum gaudio suscipiunt verbum*, sed exorta tribulatione continuò scandalizantur. Secundò ex pessimis aliorum exemplis. Atque hæc scandala, licet etiam impijs contingant, dicuntur tamen scandala pusillorum; quos tamen & aliter tertiò scandalizari contingit, nempe ex facto etiam licito, sed indiscretè ab alijs facto, vtpotè coram eo, qui per infirmitatem fidei, & ignorantiam excusabilem, nondum nouit illud esse licitum. Postremò contingit & scandalum ex opere etiam optimo, ex eorum qui scandalizantur malitia, seu nimis crassa ignorantia, quod Phariseorum diximus numer. 8. appellari.

Scandalum pusillorum.

Scandalum Phariseorum.

12.

Hæc autem pusillorum, & impiorum scandala non contingunt perfectis. Quare Paulus 2. ad Corinth. 11. 29. cùm dixisset: *quis infirmatur, & ego non infirmor?* & subderet, *quis scandalizatur*, non adiecit, & ego non scandalizor; sed *& ego non vror?* Igitur rectè sanctus Vates dixit Psalm. 118. 165. *pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*, per diligentes autem legem Dei perfectos intelligit. Et D. Hieron. Matth. 18. *qui scandalizatur*, inquit, *paruulus est, maiores enim scandala non recipiunt.* Itaque ordinariè, & vt plurimum, scandalum non cadit in viros perfectos: sed de hoc sequenti Theoria.

Locus Paul 2. Cor. 11. 29

Locus Psal. 118. 165.

THEORIA II.

De scandalo magnorum Hæreticorum, & pusillorum. Locus item insignis Pauli explicatur.

1. *Perfecti etiã scandalizari, & scandalizare possunt.*

CVM nemo hic inter viuos agat, qui labi, & errare non possit, nisi sit in gratia confirmatus, non est negandum, quin etiam perfecti non scandalizari modò, verùm etiam scandalizare possint. Hinc de Dauide Augustinus Psalm. 50. scribit: *fit casus maiorum, tremor minorum. Ad hoc propositum est tanti viri peccatum: non tacetur, prædicatur in Ecclesia,* & infrà: *attende securus, si non habes, vnde moueatis; sed respondes, fortis teneor. Numquid tu fortior quàm Dauid?* De Salomone quoque 3. Regum 11. 4. scriptum est: *cumque iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur deos alienos.* Diuus quoque Petrus ex Augustini sententia peccauit, abstrahendo se à gentibus ad Galat. 2. neque aliter, quàm quod eas, id agens, aliquo modo scandalizauerit.

2. *Scandalum perfectorum actiuum magnæ ruinæ caussa ex Chrys.*

Et quidem scandalum actiuum præsertim perfectorum magnam ruinam facit, vt Chrysostomus homilia 1. de verbis Apostol. *modico vino vtere*, sic scribit: *sicut in corpore aliquo, aliquo quidem membro corrupto, non est magnum damnum; oculis verò læsis, vel capite contrito, totum corpus inutile redditur; sic & qui in alta quadam tanquam virtutis specula cum multa claritate constitutus, ab omnibus admirationi habitus, quando cecidit, magnam ruinam, & iacturam facit, non tantùm quia ex alto cecidit, sed quoniam alijs multis scandali materia est, in ipsum respicientibus.* & homilia 40. ibidem ait: *sicut quod de alto cadit, grandem sonum facit, vt audiant omnes; sic & qui de alto gradu ruina illius vbiq; auditur.* Hæc Chrysostomus. Quare timendum est cuique perfecto, & cautè agendum, exemplo etiam Diui Antonij viri sanctissimi, & crebris contra dæmones victorijs gloriosissimi, de quo sanctus Athanasius in eius vita sic scribit: *sed neque Antonio securitatem dedit hic triumphus, nec diabolo semel fracta defecere vires* &c. *propter quod solerti propositum labore seruabat, ne victor aliorum in alijs vinceretur.*

Simile.

Exemplum D. Antonij.

3. *Scandalum hæreticorum*

Verùm maximè detestabile, & execrandum est hæreticorum scandalum simplices præsertim per fallaces, & captiosas Scripturarum interpretationes circumuenientium: quam rem Hector Pintus in cap. 34. Ezechiel. eleganti similitudine declarat: *vt qui Regis,* inquit, *imaginem ex auro, & gemmis pretiosis à solerti opifice fabricatam, dissoluunt, ac transferunt aurum illud, & gemmas in canis imaginem, quam ex eadem materia conficiunt, aiunt imaginem illam suam canis esse Regis imaginem, quoniam idem est aurum, & ijdem pretiosi lapilli: sic hæretici imaginem fidei dissoluunt, & ex ijsdem sacræ Scripturæ auctoritatibus peperam, ac falsò expositis, imaginem perfidiæ conficiunt, & ornant, & aiunt illam esse fidei, & veritatis imaginem; quoniam est ex eisdem locis sanctarum Scripturarum constructa.* Sic verè Pintus.

Præclara similitudo.

4. *Locus insignis Apostoli 1. Cor. 8.*

Porrò de scandalo pusillorum est insignis locus Apostoli 1. Corinth. 8. vbi de Idolothytis, & idolio agit, soletque passim ab interpretibus Euangelij afferri, dum de scandalo pusillorum vitando agitur. Docet autem Apostolus eo cap. baptizatis omnibus quouis cibo, etiam Idolothyto, vel in Idolio vti licuisse; verùm, quamuis hoc ita habeat, abstinendum tamen esse omninò monet ratione scandali pusillorum. in quem locum Apostoli, quid egregiè scribat Doctor Olauius in quibusdam supra retulimus lib. 5. cap. 1.

THEORIA III.

Quidnam omittere seu facere opus sit ad euitandum scandalum.

1. *Scandalum interdum cõtemnendum, interdum vitandum.*

RESTAT videre, quidnam oporteat facere, vel omittere ad vitandum scandalum; quam rem non ex alio magis, quàm ex Diuo Gregorio colligemus homilia 7. in Ezechiel. *in nostro,* inquit, *bono opere aliquando cauendum est scandalum proximi, aliquando verò pro nihilo contemnendum, quod in ipso nostro Auctore didicimus, qui dum tributum, Petro inquisito, peteretur, prius paradigma proposuit, per quod se nihil debere respondit. Sed postquam liberum se esse monstrauit, ne fortasse scandalum cuiquam faceret; subdidit: vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare* &c. *qui rursum cum diceret, quia omne quod in os intrat, non coinquinat hominem, tunc accedentes Discipuli dixerunt ei: scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt? At ille respondens ait: omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Ecce Magistra veritas ne in quorundam cordibus scandalum gigneretur, quod non debuit, tributum dedit. & rursum quia generari scandalum in quorumdam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scandalo remanere permisit.* Quibus iactis hanc regulam statuit Gregorius, quam hac in parte sequamur, sic subdens: *ex qua re nobis consideradum est, quia in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. si autem de veritate scandalum sumitur, vtilius permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur.* Tantum Gregor. Ad vitandum igitur proximi scandalum, quod ex illius ignorantia, aut infirmitate secuturum alioqui videatur, & quod ideo nominari solet scandalum pusillorum, omnia illa ex obligatione charitatis oportet facere, vel omittere, quæ sine peccato fieri, vel omitti possunt; intellige moraliter loquendo; nimirum, quod sine peccato potest fieri, vel omitti sine maxima videlicet aliqua, & penè intolerabili difficultate considerata personæ conditione. nam qui non est Pastor spiritualis alicuius, citra extremam necessitatem spiritualem, non te-

Regula Gregorij cum cõtemnendum scandalum.

Declaratur regula D. Gregorij.

netur,

netur, vt hominem liberet à scandalo, facere vitæ aut fortunarum iacturam, quod est secundùm D. Thom. loc. cit. art. 7. ad 4. & ar. 8. ad 3. & sic est accipienda regula Diui Gregorij, quam retulimus.

2. Idem sentit Glos. ordinaria super illud Matth. 15. *Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt*, vbi Gloss. habet: dimittendum esse propter scandalum omne quod potest prætermitti salua triplici veritate, scilicet vitæ, iustitiæ, & doctrinæ. Porrò per hanc triplicem veritatem intelligunt Doctores omnem rectitudinem, & immunitatem à peccato in actionibus humanis. Veritas namque vitæ posita est in illis actionibus rectis, quas aliquis iuxta regulam rationis, & appetitum rectum congruenter efficit, atque adeò verè veritate quadam practica; veritas iustitiæ est in illis operationibus, quæ fiunt erga alterum congruenter rationi rectæ, pro vt verè, & absque peccato oportet. Veritas doctrinæ fide vera continetur. Hinc patet Gloss. ordin. sensus. de loco autem illo Matth. 15. de scandalo Pharisæorum vide quæ scripsi cap. 1. huius libri à nu. 34. vsq; ad num. 38.

Triplici veritate salua vitandum est id quod scandalizat.

3. Ex his efficitur primò, omittendam esse ratione huiusmodi scandali punitionem peccati, si timeretur scandalum schismatis ex Augustino libr. 3. contra Parmen. cap. 2. item actum docendi veritatem doctrinæ, non tamen ipsam veritatem. Hinc Dominus Matth. 7. *nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras spargatis ante porcos, ne conuersi disrumpant vos*. Item correctionem fraternam, quando timeretur scandalum, & perturbatio. Vide Diuum Thomam art. 7. dum soluit argumenta.

Conclusio.

4. Rursum sequitur debere fieri, vel omitti aliquid contra præceptum iuris humani, quando id est necessarium ad vitandum scandalum infirmorum; quia quando concurrunt duo præcepta, quæ nequeunt simul seruari, malus est seruandum. At præceptum de vitando scandalo pertinet ad naturale præceptũ charitatis, atq; adeò maius est, quã præceptũ iuris humani, & quã præceptum iustitiæ vindicatiuæ, & correctionis, quod cùm sit affirmatiuum, sicut reliqua affirmatiua, non semper obligat, puta positis his circumstantijs, quibus perseuerantibus nullum tunc esset peccatum vel omittere, vel differre, quod præcipitur, alioqui nunquam licet aliquid vel omittere, vel facere, quod his, vel his circumstantijs positis, quæ hic & nunc occurrunt, peccatum esset, quamuis veniale, vt patet ex regula D. Greg. num. 1. posita. De his lege Adrian. quodlib. 1. a. 2. §. ad 5. non tamen propterea teneretur perpetuò, aut per vnum annum mulier illa carere sacro, esset enim intolerabile.

5. Ad hoc differri etiam debet ingressus religionis, licet non perpetuò: nisi sequeretur grauissimum, & commune scandalum in fide, aut moribus alicuius communitatis. Præterea debet etiam fieri aliqua iactura bonorum temporalium, si opus esset, vt impediretur scandalum infirmorum. Diuus Thomas art. 8. non tamen tenetur quis facere iacturam omnium, aut penè omnium fortunarum ob

A paucorum scandalum, nimis enim id graue, & verò posset tolli scandalum docendo eum, qui ex ignorantia scandalizandus putatur ex eodem Diuo Thom. art. 8. quod si post admonitionem adhuc scandalizaretur, videretur eius malitiæ id tribuendum, vt art. 7. ait D. Thom. posset tamen aliquis ita simplex esse, ac ea conditione natus, vt rem non satis capiens, non ex malitia, sed ex infirmitate scandalizaretur.

Nunquam tamen ad Pharisæorum scandalum vitandum necesse est aliquid facere, vel omittere cum aliqua iactura temporali, vel spirituali, licet id absque peccato fieri, vel omitti posset, ex eodem Diuo Thoma 7. & 8. nisi fortè inde sequeretur pusillorum scandalum, vt si isti ab illis penderent, qui scandalum Pharisæorum patiuntur. Quod si quis nullo suo, vel penè nullo damno posset impedire Pharisaicum alicuius scandalum, vel omittendo, vel faciendo aliquid, deberet id facere, vel omittere, quia etiam iste qui scandalizatur pharisaicè, est in aliqua necessitate spirituali.

B

6. Ad scandalũ Pharisæorũ vitandum nihil faciendum vel omittendum cum iacturâ aliqua.

Absoluat denique totam hanc disputationem de scandalo Tertulliani sententia libro de veland. virginibus, vbi contra illos, qui ex aliorum continentia, & benefactis scandalizantur, sic scribit: *scandalum, nisi fallor, non bonã rei, sed mala exemplum est ædificians ad delictum. Bona res neminem scandalizant, nisi malum mentem. Si bonum est modestia, verecundia, fastidium gloriæ, soli DEO captans placere, agnoscant malum suum, qui de tali bono scandalizantur. Quid enim si & incontinentes dicant se à continentibus scandalizari, continentia renouanda est?* Sic sapienter Tertullianus contra scandalum Pharisaicum.

C

7. Tertulliani verba.

DIGRESSIO I.
MORALIS.
De scandalis vitandis.

1. DIuus Bernardus sermone 2. de sancto Michaele distinguens duplex scandalum interius, & exterius, quædam valdè vtilia ad interius scandalum vitandum scribit; quæ ego in vtilitatem lectorum hic referre minimè grauabor; sic ergò ait: *Iam verò quem non moueat quod sequitur in Euangelio? Si oculus tuus scandalizauerit te, erue eum, & proijce abs te &c. numquid enim corporalem hunt oculum monemur eruere, aut vnam ex manibus istis, similiter, & vnum abscindere pedem? Absit à nobis huiusmodi carnalis & minùs, & nimis ridiculosa cogitatio. Sed postquam ab exterioribus scandalis deterruit nos sermo diuinus asperè satis, sicut audistis: consilium dat: quid de eo nobis agendum sit scandalo, quod interius patimur, contrariam nouenientes legem in membris nostris. Ipse enim nouit figmentum nostrum, quod eiusmodi scandalum non tam facilè à nobis valeat euitari.*

D

Duplex scãdalum ex D. Ber. Vtilia ad vitãdũ scandalũ interius.

2. Triplex scandalum interim.

Porrò tripliciter fieri scandalum istud, quotidiano nobis nosse licet experimento. Interdum enim est in nobis spiritualis intentionis oculus simplex, & qui gratiæ magis, quam noster dicendus sit; sed scandalizat nos oculus noster, & qui verè à nobis est, dum voluntas nostra aliam minus castam importunè ingerit intentionem. Sed habemus iam super hoc salubre consilium Saluatoris: erue eum, inquit, & proijce abs te. Hoc autem fiet, si non consentias, si abijcias, si resistas. Simili modo de manu, ac pede est intelligendum. Cùm enim bonis operibus intentos, ad alia opera trahere voluntas propria conatur, manus nostra est, quæ nos scandalizat; sed abscindi debet, & proijci à nobis, vt non ei consentiamus. Sic etiam proficere in sancta conuersatione, & ascendere per gradus scalæ, quæ Iacob apparuit, ac iuxta quod ait Psalmista (Psalm. 83. 8.) de virtute in virtutem ire desiderantes, sæpius scandalum patimur à pede quodam pusillanimitatis, & negligentiæ nostræ, qui nimirum descendere magis, ac remissius ire conatur; sed abscindi eum necesse est, vt pes gratiæ, qui stat in directo (Psalm. 25. 12.) currere possit sine offensione, siue scandalo, sine impedimento.

Quis oculus, manus, pes abscindi debeat

3. Quod autem dicit, bonum nobis esse ad vitam intrare cum vno oculo, aut manu, aut pede, quam duos habentes ire in gehennam: eos notat qui voluntatem suam siue bona, siue mala, sit, equè sequuntur, & ingrediuntur duabus vijs, nunc bona, nunc mala sectantes, secundùm quod variantur desideria, quibus meritò vtilius fuerat gratiæ in omnibus inhærere, & vbi obuiat propria voluntas, abscindere, & à se ipsis abijcere eam. Est autem cum multo tempore in abscissione propriæ voluntatis nostræ exercitati aliquatenus eam domamus, vt discat iam non superbire, sed magis sine omni scandalo, vel contradictione Deo subiecta sit anima nostra, nec iam abijcere necesse sit oculum nostrum, nempè qui simplici adhærens oculo, factus est & ipse simplex, aut certè iam non alter est oculus, sed vnus cum eo, Apostolo teste (1. Corinth. 6. 17.) quoniam qui adhæret Domino vnus spiritus est cum eo. quod autem de oculo dictum est, de manu quoque & pede eodem modo est intelligendum, cuius enim voluntas ex affectione, & cum desiderio gratiæ cohæret, vt nec concupiscat mala agere, nec bona minora, nec minus benè quàm gratia suggerit: hic planè perfectus est vir. Sed pax ista potius est fœlicitatis: abscissio verò scandalorum, & tentationum victoria fortitudinis, illa, inquam, gloriæ, hæc virtutis. hæc Bernardus.

4. Summa dictorum à D. Bernar.

Iuxta Bernardum igitur voluntas ipsa nostra aliam ingerens intentionem, quam simplicem, oculus est eruendus, & à nobis proijciendus; eadem à bono opere auocans, & ad malum instigans, manus est abscindenda, eadem per torporem, ac negligentiam descendere potiùs & in via Dei remissius agere impellens, pes est omninò præcidendus. Cæterùm si perpetua mortificatione voluntas nostra hæc mala cohibeatur, subdaturque DEO, vel spiritui, tunc non duo, sed vnus potiùs est oculus, non tam duæ, quàm vna manus, vnus potiùs quàm duo pedes, quod perfectè fiet in cœlesti beatitudine, vbi voluntas nostra plenè adhærebit, & vnum cum illo fiet. Interim curandum nobis est, vt constanti affectuum moderatione, tanquam spirituali quadam abscissione, oculum, manum, pedem, hoc est, voluntatem à DEO sese auertere molientem diligenter abscindamus. Hæc summa est eorum, quæ Bernardus piè ac vtiliter docuit.

5. Omnia plena scandalis.

Cùm igitur tam multa sint scandala in mundo interius, exteriusque, eaque longiùs latiusque passim sparsa, diffusaque cernantur, meritò CHRISTVS Dominus humanæ saluti consulens nos monuit, & vt ab eis caueremus, ne vel alios inficeremus, pessimo nostrorum morum exemplo; vel ne inficeremur ipsi tot laqueis, periculisque passim expositi. *Væ*, inquit, *mundo à scandalis*, & verò non quisquam est in via Dei tam firmus, tam securus, qui varijs hostium insidijs, telis, laqueis, & insultibus, hoc est, scandalis, & offendiculis non sit obnoxius, ac subinde non vulneretur. Meritò Propheta cùm hanc vitam tentationem, ac militiam esse super terram cerneret, de se ipso testatus est: *in via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* Psalm. 14. 4. Verè Ioan. 1. epist. suæ cap. 2. 16. affirmat: *omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* His namque tribus pestibus continentur innumeræ aliæ illecebræ, & incitamenta peccandi, vt non mirum sit, si 1. Ioan. 5 19. legamus, *mundum totum in maligno positum esse.*

6. Nemo tutus à scandalis.

Væ mundo à scandalis. Quis, rogo, spem omnem non abijceret, nisi Dei nos fortitudo erigeret, & roboraret, cum animaduertit etiam tantoperè dilectum à DEO Dauidem, dum suis oculis nimium indulget, & incautus nudam Bethsabeam sese lauantem aspicit, tam non modò turpiter, sed grauiter etiam lapsum esse, vt adulterio etiam homicidium adiungeret? 2. Regum 11. 12. Quid de Balaam, & Madianitis hic attexam? qui quam graue scandalum per suas puellas excitarint, vix aliquis verbis consequi potest, quippè incircumcisos Israelitas ad fornicationem magno cum dedecore, & probro pellexerunt. numer. 31. 25. Salomon quoque 3. Regum 11. qui tantùm sapientia pollebat, scimus per insanum mulierum amorem vt in effeminatum, & Idololatram euaserit.

7. Hæreses nostris temporis.

Væ mundo à scandalis. An non totum deprauatum esse mundum propter scandala hac infelici nostra ætate cernere est? hoc certè negabit nullus; qui tot hæreses nostris his luctuosissimis temporibus longè lateque disseminatas, nec minus impunè per orbem penè totum propagatas nouit, contra quos meritò Apostolus non sine ingenti animi dolore, & lachrymis inuehitur: *Vtinam abscindantur qui vos conturbant*, Galat. 5. 12. & iterum capit. 1. 8. eiusdem: *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.*

Væ mun-

Digitized by Google

8. Pastorum scandala.

Va mundo à scandalis Præsulum, & Antistitum, qui sui immemores officij, sese mercenarios, & sal infatuatum exhibent, nullam fermè ouium suarum curam habentes, quibus Dominus Malachiæ 2. 8. dicit: *vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum*: Veniet veniet aliquando Princeps ille Pastorum, & seuerissimè, exactissimeque de singularum ouium interitu, ac ruina iudicabit, earumque sanguinem de manu Pastorum exquiret.

9. Regum ac Principum scandala.

Va mundo à scandalis Regum, Principum, Iudicum, Magnatum non Christianè, sed Tyrannicè potiùs, & summa cum licentia dominantium, qui nihil ad subditorum vtilitatem, sed omnia ad suam voluptatem, potentiam, fastum, denique auaritiam referunt; per quos etiam non modò pupilli, viduæ, pauperes non defenduntur, sed opprimuntur magis. Perpendant hi, quid de his dicat Dominus per Michæam cap. 3. 9. *Audite hoc Principes domus Iacob, & Iudices domus Israel, qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis, qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate.*

10. Scandala mulierum.

Va mundo à scandalis mulierum, quæ meretricio cultu comptæ, oculisque stibio pictis, superbè instar Iezabelis incedunt; & se, pulchritudinem suam ostentantes, passim venditant nullam DEI timoris, nullam diuinæ comminationis rationem habentes, quarum totum studium est videre tantùm, & videri, quoad sui amorem, atque admirationem intuentium oculos alliciant, ac quasi muscipulas quasdam & laqueos insipientium pedibus ponant, quibus sic Isai. DEI nomine comminatur capit. 3. 16. *Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant. Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras* &c. Subdit verò: *& erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali, cilicium.*

11. Scandala iuuenum.

Va mundo à scandalis iuuenum impudicorum nullo habito discrimine alienæ castitati insidiantium, & qui nec coniugum, nec viduarum, nec Virginum rationem vllam honoris habentes ad turpem, obscœnamque libidinem cunctas solicitant, nullarum parcentes mulierum honestati. etenim *oculos habent*, vt Petrus inquit epistolæ secundæ, capite tertio: *plenos adulterij, & incessabilis delicti*: apud quos nullo loco habetur vox illa Apostoli, & Christiana monitio Ephes. 5. 3. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos* &c.

12. Scandala artificum.

Va mundo à scandalis artificum, cauponum, popularium, quorum domus, ac tabernæ, officinæ potiùs diaboli sunt, in quibus pessimis voluptatibus liberæ laxantur habenæ, & impudicis verbis, cum magna Christiani nominis infamia, & honestatis iactura, petulantiùs inseruitur: qui *vt aquam iniquitatem bibunt*; peierare, mentiri, decipere nihil esse ducunt. Sic puerorum mores contaminantur, &, quod peius est, gloriantur cùm malefecerint, ac si quis sese prauis eorum conatibus obijciat, vel eos non imitetur, illum insanum, abiectum, rerum omnium ignarum esse putant, irrident, ac tanquam contemptui habendum publicè prædicant: & querimur tamen, cùm tales simus Christiani, si ira Dei in nos aliquando sæuiat. Verè nos monuit Apostolus Ephes. 5. 6. 7. *nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira DEI in filios diffidentiæ. nolite ergo effici participes eorum, nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite*. Verissimum est igitur diabolicis laqueis, & noxijs scandalis plena esse omnia, vt proinde vigilantem esse oporteat Dei seruum, si inoffenso pede rectà in cœlum tendere cupit; demum apertis, vigilantibusque oculis omnia circumspicere necesse est, ne fortè in lapides impingamus & in laqueum aliquem incurramus incauti; neque enim ab hominibus solis cauendum est, verùm à dæmonibus etiam, à nobis ipsis, à diuitijs, honoribus, voluptatibus.

Cautè ambulandum ne scandalis pateamus.

Si quando ingentis alicuius domus parietes bona ex parte collabantur, & sparsis per plateas, ac publicos vicos, magnis, plurimisque lapidibus obstruatur iter, cauendum est diligenter iter agentibus, ne in vnum aliquem incurrentes lapidem, pedem lædant, & in ruinam, interitumque ruant. Cecidit olim cœlestis illius Ciuitatis pars magna, hoc est, ingens Angelorum multitudo, quorum non prauus numerus per orbem hunc, viasque nostras dispersus est, & in modum lapidum itinera, quibus nobis ambulandum est, obstruit, & impedit, seseque tanquam scandala & offendicula eorum pedibus exhibent, qui magnis itineribus in cœlum contendere cupiunt; nec lapidum instar tantùm sunt, sed tanquam aspides Basilisci, Leones, & Dracones ignem è naribus spirantes, iter nostrum obsident, vt proinde non aliter faciendum sit ijs, qui in cœlum aspirant & tendunt, quàm faciebat Dauid per diem, ac noctem elatis manibus cœlum precibus pulsans, dum illum tribulatio vrgeret, sic enim ait Psalm. 76. 3. *in die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum; & non sum deceptus*, sic enim fiet, vt DEI auxilio fortes, super aspides, & Basiliscos ambulemus conculcantes Leonem, & Dracones Psalm. 90. Sic enim DEVS pacis conteret Sathanam sub pedibus nostris velociter Roman. 16. sed qua arte, quibus auxilijs, tot laqueos, tot scandala euadere possimus, reliquum est, vt explicemus.

13. Ex ruina Angelorum scandala.

Imprimis id præstabit nobis affectuum nostrorum moderatio; quod remedium maximè opportunum est aduersus eius generis scandala, quæ à nobis enascuntur. Itaque si oculus noster vel lasciuiæ, vel prauæ intentionis scandalizat nos, non dicam,

14. Quomodo vitari debeant scandala. primò mortificatione. Oculum eruendum & proijciendum.

vt auertamus eum. Sed vt eruamus etiam, quod iubet Dominus, hoc verò gladio ſanctæ mortificationis efficitur. Neque eo ſolo contentus addo, vt quantum poſſumus procul à nobis proijciamus, hoc eſt, contendamus pro viribus longiſſimè à nobis omnem luxuriæ occaſionem, vel prauam intentionem abijcere. Si manus nos noſtra ſcandalizat, ſi pes, hoc eſt, ſi mala operatio, quæ rectè per manum ſcandalizantem intelligitur, ſi pes puſillanimitatis, ac negligentiæ impedit nos, ne rectè in via mandatorum Dei ingrediamur, eodem mortificationis gladio abſcindamus, & procul à nobis abijciamus. Imitemur ſexaginta illos viros fortes, qui lectum Salomonis circumambiebant, accincti ſuper femur ſuum gladio. Cantic. 3. 7. cuſtodiamus conſcientiam noſtram tanquam cœleſtis Salomonis lectulum, & quidquid illam polluere poteſt accincti gladio ſuper femur, propulſemus; aptè enim femore omnis inordinatus affectus, & procax cupiditas deſignatur, quam ſuperimminens gladius mortificationis cohibere, & refrenare debet; inſurgentemque repentè iugulare, & occidere.

Idem cum manu, pede faciendum.

Locus Cant. 3. 7.

15. *2. Iugi memoria inferni.* Præſtabit idem iugis, & attenta æterni ſupplicij meditatio, de quo Dominus: *melius eſt tibi cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Quæ poſtrema verba tanquam graue quid continentia, ter ſunt à Domino repetita, vnde Auguſtinus libr. 21. de Ciuit. Dei cap. 9. ait: *non piguit Dominum eadem verba vno loco ter dicere: quem non terreat iſta repetitio, & illius pœnæ comminatio tam vehemens, ore diuino?*

16. *3. E mundo egrediendo.* Si ſcandala vis effugere omninò, tibi è mundo egrediendum erit, væ mundo enim dicitur à ſcandalis. Exi de mundi huius cupiditatibus, de mundanarum rerum curis, & cogitationibus, de voluptatum, honorum, diuitiarum amore, denique contemne mundum, & non ad te pertinebit væ illud à ſcandalis. Dic cum Apoſtolo, *mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*, & nulla vitæ offendicula incurres. Rectè enim Orig. tract. 5. in Matthæum: *etſi*, inquit, *mille ſunt ſcandala, non tangunt eum, qui non fuerit ex hoc mundo.*

17. *4. Dei præſentia.* Adhæc multum ad euitanda ſcandala confert ſeipſum ſubinde ad præſentis DEI recordationem, metumque reuocare, perpende quod Prouerb. 15. 3. ſcriptum eſt: *in omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos*, mente reuolue illud Eccleſiaſt. 33. 1. *timenti Dominum non occurrent mala, ſed in tentatione Deus illum conſeruabit, & liberabit à malis.*

17. *5. A ſpecie mala abſtinere &c.* Poſtremò iuuabit plurimum quod monet Apoſtolus 1. Theſſalon. 5. 22. diligenter obſeruare: *ab omni ſpecie mala abſtinete vos*; iuuabit eſurire, ac ſitire iuſtitiam, & quanto cum damno perdatur, attendere; *beati* enim, *qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam*; & hæc quidem vtilia ſunt præſertim, vt munire ſe quis poſſit, ne aliorum ſcandalis impetatur, & corruat. Iam ſub huius digreſſionis finem Petri Caniſij viri Societatis noſtræ vitæ ſanctitate, doctrina, & eloquentia conſpicui, præclara quædam verba ſubijciam, quibus ille reuocare homines contendit, ne alijs ſiue ſcientes, ſiue neſcientes fratri offendiculum ponant, ſic enim ſcribit.

18. *Petri Caniſij è Soc. Ieſu verba aurea.*

Non oſcitanter diſpiciam, ſicut & Chriſtus faciundum hoc loco ſubindicat, quæ pericula, & incommoda conſequantur, ſiue ſciens, ſiue neſciens, fratri offendiculum ponam. Primùm enim charitatem, veſtem illam nuptialem, ſine qua nullus Deo placere poteſt, polluo, & quod omne damnum excedit, amitto. Tum Chriſtus, qui tam caro effuſi ſanguinis ſui pretio nos omnes redemit, honore ſuo, & fructu quodammodo priuo. Noli, ait Paulus, illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt (Rom. 14.) *quiſquis autem ſcandalizat, Dei ſpiritum contriſtat, & Angelos ſanctos cuſtodes grauius, quàm dici poteſt, offendit: Sathanæ autem gratum offert ſacrificium, ac in eius quodammodo venit poteſtatem. Adhæc ſcandalizans ego regnum cœlorum & mihi, & alijs occludo, oſtium verò ad referendas inferorum portas aperio, meque vitiorum omnium, quæ ratione dati, & accepti ſcandali conſequuntur, participem reddo, dignus planè, qui coram ſummo Iudice Chriſto velut nefarius proditor à bonis, maluq; Angelis accuſer, & velut commiſſi homicidij reus peragar, quia veluti Cain, fratrem Abel, ita meum in Chriſto fratrem occidere non dubitaui. Clamat in cœlum ſanguis Abel aduerſus primum fratricidam effuſus: & non clamabit anima ſiue paruuli, ſiue adulti meo vitio æternæ morti tradita? Væ oculis meis, qui ob vnum ſcandalum, vel datum, vel acceptum æternæ luci ſubtrahuntur, & exteriores tenebras, in quibus ſine fine plorabunt, ſecundùm iuſtum Dei iudicium experientur. Væ manibus, & pedibus meis ſcandalizantibus: quia vinculis indiſſolubilibus colligabuntur: ligatis manibus, & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium* (Matth. 22.) *Hi funeſti ſunt fructus eorum ſcandalorum, quæ tantoperè Chriſtus deteſtabatur vt dicat: Væ mundo à ſcandalis. Væ homini illi per quem ſcandalum venit. Hæ ſunt paleæ, de quibus Baptiſta prædixit, quod igne inextinguibili comburentur. Hæc illa Zizania de regno Dei colligenda, & in caminum ignis conijcienda, ſicut ipſe Chriſtus alibi prodidit. eoque magis mihi commendatum habebo, quod cunctis fidelibus mandat Apoſtolus* (1. Corint. 10.) *ſine offenſione eſtote Iudæis, & Gentibus, & Eccleſiæ DEI. Pax verò multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum, ſicut Pſalmographus canit* (Pſalm. 118.)

DIGRESSIO II.
MORALIS.

De ambitione & humilitate.

HOrrendum sanè malum est ambitio, quod non homines modo infestat, sed & Angelos sua peste corrupit, & inter homines causa etiam Christi discipulos aggredi, de quibus hic v. 3. ait Mar. quod *in via inter se disputauerant, quis eorum maior esset.* At humilitatis Magister, & mansuetudinis, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se æqualem Deo, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens*; quique Diabolum de omnium Regnorum mundi ambitione ipsum tentantem, acriter represit, & à se procul abiecit: *Vade,* inquiens *Satana.* his, inquam, docuit non honorum ambitione, sed humilitate viam sibi hominem ad Regna Cœlorum sternere, ac munire; solam esse humilitatem, quæ iter aperit ad sublimia: *nisi,* inquit, *conuersi fueritis, & effi:iamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Nec verbo id solùm, verùm, multò magis suæ humilitatis exemplo edocuit.

1. Via ad cœli humilitas.

Etenim cùm tanquam minister linteo se præcinxisset, & discipulorum suorum, ac sui quoque proditoris Iudæ pedes lauisset, dixit: *exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*; & vt semel dicam: humiliauit se vsque ad mortem, mortem autem Crucis.

Quare Diuus Paulus excitat nos ad huius exempli contemplationem, & imitationem ad Hebræos duodecimo, 2. *per patientiam,* inquit, *curramus ad propositum nobis certamen aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contepta.* Hoc quia sibi Bern. proposuit exemplum incredibilis humilitatis, non potuit non exclamare sermone primo inmissus est. *Erubesce superbe cinis. Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori? Vtinam mihi aliquando tale aliquid cogitanti Deus respondere dignetur, quod & suo increpando respondit Apostolo, Vade, inquit, post me Satana, quia non sapis ea, quæ Dei sunt. Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo, & verè non sapio ea, quæ DEI sunt.*

2. Cœlo damnū inuidiæ ambitio.

Et vide quam magnum inuexerit damnum vel ipsi Cœlo ambitio *semel,* inquit Bernard. serm. 2. de verb. Isa. *turbauit superbia regnum illud, concussit muros, etiam prostrauit ex parte, & parte non modica. Quid ergo? facilè ne deinceps admittenda videtur? numquid non odit Ciuitas illa, & vehementer huiusmodi pestem abominatur? Certi estote fratres eum qui superbis non pepercit Angelis, nec hominib. parciturū. Sola ei placet humilitas siue in Angelo, siue in homine.* & paulò superius ait: *qualē putas necesse est hominē inueniri, qui repudiati locū Angeli sortiatur? Planè immunē ab omni iniquitate sed ab ea maximè, quæ in ipso Angelo inuenta est, ad odium sempiternum.* Sic Bernard. rectè humilitatis studiosissimus. Vides ne lector quantum detrimentum acceperit Cœlum ex ambitione?

A

Audi nunc August. de superbiæ, & ambitionis atrocitate, ac malitia sic differentem Psal. 18. exposit. 2. in illa v. 14. *& mundabor à delicto maximo,* vel vt ille legit, magno. *Quo putamus,* inquit, *delicto? Quod illud est delictum magnum? Delictum magnum arbitror esse superbiam. Quærimus quam magnum sit hoc delictum, quòd deiecit Angelum, quod ex Angelo fecit Diabolum, eiq; in æternum interclusit Regnum Cœlorum? Magnum hoc delictum est, & caput, atq; caussa omnium delictorum. Scriptum est enim* (Eccles. 10. 15.) *initium peccati omnis superbia, & ne quasi leue aliquid contemnas, initium, inquit, superbiæ hominis, apostatare à Deo. Non leue malum est hoc vitium, fratres mei, huic vitio in hu personis, quas videtis amplas, displicet humilitas Christiana. propter hoc vitium dedignantur colla subdere iugo Christi, obligati arctius iugo peccati, non enim seruire non eis contingit nam nolunt seruire. sed eis expedit seruire. Nolendo seruire nihil aliud agunt, quam vt bono Domino nō seruiant, non vt omninò non seruiant, quia qui noluerit seruire charitati, necesse est vt seruiat iniquitati:* Et paulò post: *propter hoc vitium, propter hoc magnum superbiæ peccatum Deus humilis venit. Iste ingens morbus animarum omnipotentem medicum de Cœlo deduxit, vsq; ad formam serui humiliauit, contumelijs egit, ligno iuspendit, vt per salutem tanta medicinæ curetur hic tumor. Iam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem humilis factus est Deus.* Hæc August.

B

3. Arg de ambitione & superbia.

Superbia delictū magnū

C

Vt verò innumeram simul malorum congeriem, quam inuehit ambitio, & singularem stragem quam edit ad viuum explicaret D. Chrysost. homil. 43 ad popul. antioch. vehementi, ac furibundo vento illam comparauit, sic scribens: *Quemadmodum sæui quidem venti in tranquillum mare delati, totum ab imò subruunt, vt & arena cum vndis misceatur: sic & ambitio, & turpis quæstus animam suo euntes, omnia subuertūt. Excæcat mentis intuitum præsertim gloriæ furor; nam pecunias quidem contemnere volenti satis est facile, honorem autem à multis collatum despicere, multi laboris indiget, magna sapientiæ, Angelicæ cuiusdam animæ ipsam cœlestis testudinis vertiginem tăgentis.* Hęc ille. Quam verò stultitiæ plena sit ambitio, non est quod pluribus explicemus; exempla nos hoc morbo laborantium satis superque docent; cum enim in eo toti positi sint, vt ascendant, descendunt tamen semper, ita vt quo magis crescit ambitio, magis etiam descensus augeatur, quousque ad infima inferni loca deueniat. Hoc non alio, quam Luciferi exemplo discēs: Dicebat ille, vt apud Isa. legere est cap. 14. 13 *in Cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum,* & mox. Ver. 14. *ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* At quid ait scriptura v. 15. *Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci;* Pulcra sanè antithesis: qui in Cœlum conscendere parabat, ad ima detractus est; & qui sedem suam ad latera Aquilonis, vt omnibus esset conspicuus, locare cogitabat, deiectus est ad obscurissimi laci profundum. Neque enim aliquid aliud est, quod ita hominem deprimit, sicut arrogātia, superbia, ambitio, vt verè

D

4. Mala ex ambitione plurima similitudine Chryso. significantur.

Cæcus & stultus est ambitiosus & superbus.

Digitized by Google

dixerit Propheta de superbis Psalm. 72.18. *deiecisti eos, dum alleuarentur*, quæ verba D. Greg. 32. moral. cap. 7. expendens ait: *impius ergò in loco suo conteritur: quia ipsa superbia, qua eleuatur, opprimitur; cumq; efferendo se in cogitationibus erigit, lumen sibi Iustitiæ, quod inuenire debuisset, abscondit. sæpè autem dum contra Deum falsa gloria exterius proficit, vera miseria interius inanescit, vnde Propheta ait: deiecisti eos dum alleuarētur. non enim ait, deiecisti eos postquam eleuati sunt, sed dum alleuarentur: quia hoc ipsum sit superbis interius deijci, quod eis falsa contingit gloria exterius eleuari, ordinate enim diuino iudicio, non eis hic aliud culpa est, atque aliud pœna: sed sua illis in pœnam vertitur culpa, vt elatis fastu superbiæ, hoc ipsum sit verè intus cadere, quod foris ostenditur profecisse.* hæc sapienter Gregor. ipsum enim eleuari, deijci est in ambitiosis, & superbis. Athletæ namque à terra inimicum subleuant, vt in altum sublatum in profundum ruere faciant: ita vt re vera ipsa elatio depressio sit.

Greg. sententia præclara de ambitione & superbia.

eleuari deijci est.

5. Idē patet Augustin. autoritate.

Id quod & ex Augustin. in Psalm. 82. in illa v. 24. *Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* nam si ab Augustino petas: quid est vt rotam? *Conuenienter*, inquit, *accipitur vt nō sint in eo, quod cogitāt stabiles Verūtamen etiam sic rectè posse intelligi existimo: pone illos vt rotam, quod rota ex his quæ retrò sunt, extollitur, & ex his quæ antè sunt deijcitur, sic fiunt omnes inimici populi Dei. Non enim hac optatio, sed prophetatio est.* Sic Augustinus, quasi dicat erigitur superbus, & sedem suam in loco supremo constituit. non tamen ibi stabilis permanet, sed in morem rotæ, dum in altum erigitur, statim simul in profundum laci descendit. Etenim videre est eleuatam posteriorem rotæ partem summum quidem eius attingere, verùm nec stabilem, nec diu ibi permanere, sed statim, atque eo euasit eodem temporis momento ad ima deuolui, & dum ex vna parte à terra tollitur, simul eodemque tempore ex altera parte in terram deprimitur.

Pulcra comparatio ambitiosi seu Superbi cū rota.

6. Similitudine Chrys. idē declaratur.

Et verò non minus efficaciter eamdem rem declarat elegans illa similitudo Chrysost. tom. 5. serm. contra desperat. & superbiam, vbi arrogantis, & tumidi spiritus hominem stuppæ flammescenti comparat: *mihi certè*, inquit, *posse videtur horum hominum tumiditatem cum stuppa aliqua flammescente conferri, quando post incendium mox illa inflatur, & surgit, postmodum leuiori quodam manuū tactu dissoluitur omnis in cineres tenuissimos: eiusmodi sunt istorum animi.* Verè ista Chrysost. nam animi quoque tumidi, & inflati spiritus in alta conscendunt, magno plerumque fulgore nitentes, sed statim euanescunt extincti, & quasi ampullæ in aquis formatæ facilè dissoluuntur. Non sic humilis, non sic qui alta non amabit loca, sed humi sedens non habet, vnde cadat, & quia recumbit in nouissimo loco auditurus est aliquando non sine stabili & ingenti animi sui gaudio: *amice ascende superius.*

Humilis.

7. Exemplum Dauid & Christi humilitatis.

Hanc inijt viuendi rationem Dauid, qui Psalm. 130. 1. 2. sic de se testatur: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei neque ambulaui in magnis: neque in mirabilibus super me.* & Paulus ad Ephes. 4. 9. 10. de Christo

A *Quod autem ascendit quid est, nisi quia & descendit Primum in inferiores partes terræ? qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos.* Hinc Bernardus sermone quarto Ascens. Domin. ait: *quis docebit nos ascensum salubrem? Quis nisi de quo legimus, quoniam qui descendit ipse est, & qui ascendit? ab ipso demonstranda nobis erat ascensionis via, ne ductoris, imvò seductoris iniqui, aut vestigium, aut consilium sequeretur. Quia ergò non erat quo ascenderet, descendit altissimus, & suo nobis descensu suauem, & salubrem dedicauit ascensum.* Hæc Bern.

Quod si ascendere lubet: *venite & ascendamus ad montem Domini*, Isaiæ secundo, 3. mons
B est ambitio, vel superbia, quem primus Angelus ascendere voluit: *sedebo*, inquit, *in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. heu miser*, inquit Bernardus, *in lateribus Aquilonis. frigidus est mons ille, non te sequimur, quem sequimini miseri homines, quem sequimini? An non videtis Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem? nonne iste est mons in quem ascendit Angelus, & Diabolus factus est.* Alter est mons huic non absimilis, quem Diabolus primis parentibus demonstrauit, cum vellet illos ascensionis suæ consortes facere, vt essent & pœnarum socij: *eritis*, ait, *sicut Dij, scientes bonum & malum. Genes. 35. pessimus mons inflans scientia, in quem tamen vsque hodie videas passim tanta concupiscentia plurimos repere filiorum Adam, ac si non nouerint, quantum Pater eorum in*
C *illius montis ascensu descenderit, immò quàm grauiter ceciderit, quantùm tota deiecta sit, & conquassata posteritas. Filij hominum vsque quo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Quid vobis & montibus istis, in quorum ascensu tanta difficultas est, & tam grande periculum.*

8. Mons est ambitio, in quē diabolus ascendere voluit & cecidit.

Alter mons inflans scientia.

Igitur cum Isaias, vel Deus potiùs apud Isa. ascēdere homines cerneret inflammato studio vel in montem illum ambitionis, & incensæ dominandi libidinis; vel in alterum huic similem inflantis scientiæ, ad alium nos reuocat montem Euangelicæ perfectionis, cuius ascensus securus est, cuius possessio salubris. Huc adeste mortales, *Venite & ascendamus ad mon-*
D *tem Domini.* Mons hic *mons coagulatus, mons pinguis, vt quid suspicamini montes coagulatos?* Ceterùm huc ascenditur non aliter quàm humilitatis studio descendendo, & idcò non mirum si Propheta, cum inuitaret nos ad huius montis ascensum, dixit: *& fluent ad eum omnes gentes*, vt enim in hunc montem euadas more aquæ per terras labentis eo peruenias oportet; hoc est, vt te ad terram vsque prorsus abijcias, sic ad culmen euaseris perfectionis.

9. Tertium mōs Dominj, & Euangelicæ perfectionis sic petitur ab Isa.

Cæterùm inter alias ambitiosi hominis stultitias, & fatuitates vna illa est, nec minima quod se miser ingenti onere prægrauat, humeroſque suos haud ferendo ponderi subijcit, dum alijs dominari studet; quod mihi D. Gregor. ad viuum expressisse videtur libro octauo moralium in 9. cap. Iob. in illa v. 13. *Sub quo curuantur, qui portant orbem: ipsi etenim*, inquit, *orbem portant, qui curas præsentis sæculi tolerant, tantorum quippe ponderā vnusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur. Vnde*

10. Stultitia ambitiosi.

& terræ principes non incongruè græco eloquio Βασιλεὺς *dicitur,* Λαὸς *enim populus interpretatur.* Βασιλεὺς *igitur* Βασις λαῦ *vocatur, quod latina videlicet lingua basis populi dicitur, quia videlicet ipse super se populum sustinet, qui motus illius, potestatis pondere fixus regit. quo enim subiectorum suorum onera tolerat, eo quasi superpositam columnam basis portat.* Princeps basis populi.

Sic Gregor. quanta igitur stultitia est bone Deus in honoribus petendis nimis ambitiosum esse, & quodam splendore forensi tam perditè insanire, vt quasi mola asinaria collo alligata semper ad ima se quis trahi permittat, atque humeros libens, volensq; immenso sæpe oneri, cui sustinendo par non sit, supponat. Etenim ambitio ipsa effrenata honorum, vel dignitatum etiam sola per se spectata, veluti mola est asinorum, id est, stultorum hominum, quæ ex collo suspensa, pondere suo hominem imprudentem in mare amarissimum, id est, tartarum trahit, & in pelago vitiorum sic mergit, vt nolit emergere. Ambitio mola asinaria.

II. Proinde similes efficit homines miserrima omninò ambitio, honorumque contentio stultis pueris vana quædam insequentibus, quorum studio curiosè nimis intenti in foueam sæpè incidunt. quod eleganti, atque illustri similitudine describit Anselm. lib. de similit. cap. 72. *Sic,* inquit, *agunt illi, qui mundi huius honores appetunt, quomodo pueri, qui sequuntur papilionem; papiliones enim dum volant, tramitem rectum nunquam tenent, sed huc, illucq; se agitant; Cumq; alicubi residere videantur, nec ibi diu morantur. Hos autem sequentes cum pueri capere volunt, cito post eos currere fatagunt, & quia non ad suos pedes, sed ad papiliones intendunt, aliquando in foueam cadunt, seque immaniter ladunt. Plerumq; cum cautè accedunt, & eos apprehendere tentant, papiliones auolant. si quando eos apprehenderint, exultant de nihilo, quasi magnum quid fuerint adepti. similiter faciunt, qui huius mũdi honores appetunt. honores enim huius mundi nunquam certam tenent viam, sed incertis diuerticulis de vno ad alium transuolant.* Sic Anselmus. II. Stultis pueris similis ambitio.

Quantò igitur satius esset, hac populari aura non trahi, nec suspicere eos, vel beatos arbitrari, qui in excelso dignitatum culmine tantò cum discrimine, & curis positi sunt. Prudenter sanè Basil. homil. 21. in aliquot scripturæ locos, sic monet: *quid quæso ab externis probas homines, præcordia verò, meutemq; minimè curas? Bel. externe quietem as habuit, lutum verò sub are fulgente absconditum. si illustres in vita videris, considera as esse apparens, intus cænosa omnia. contra verò quidam aurum intus habent, exteriore testa circumdatum, hoc est, thesaurum in vasis fictilibus absconditum.* Hæc Basilius. Alludit autem ad Bel idolum, de quo Daniel. 14. 6. dicitur: *ait Daniel arridens: ne erres Rex; iste enim intrinsecus luteus est, & forinsecus æreus.* Rectè ergò huic similem dixit Basil. esse superbum: contra verò humilem, aurum esse in fictili vase latens. quare non mirum quod tam magno studio sancti dignitates, honoresque respuerint, nimirum intelligebant quanto in periculo versarentur ij, qui ad dignitatum fastigia proueherentur, & quantum ad ampliorem vitæ, morumq; perfectionem obligarentur. Reuocabant in memoriam illud Sap. 6. 6. 7. *iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet; exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Vidit hoc Ambrosius qui à Populo, & Imperatore Mediolan. Episcopus postulatus, noctu ex vrbe aufugit, & cum Ticinum iter intendisset, non sine miraculo deprehendit se mane ad portam esse Mediolanensis Ciuitatis. Vidit Hieronymus, qui ita auersabatur omne honorum genus, vt vel ipsa sacerdotis ministeria, quamuis ipse sacerdos, in suo monasterio exercere reformidaret. Vidit Chrysostomus qui veritus ne ad honores eueheretur, in solitudinem aufugit, vt Metaphr. in eius vita testatur. Vidit Martinus, qui teste Sulpitio in eius vita, ne Diaconatum quidem, etiam suadente Hilario, suscipere voluit, & cum esset ad Episcopatum coactus, cum quidam Episcopi vilitate personæ, & habitus deterriti: consecrare eum nollent, magno affectus est gaudio, atqui eos deinceps ampliori honore, quam alios prosequutus est. Vidit hoc Augustinus, qui cognita sui Episcopi morte, fugit ab vrbe. Vidit Gregorius, vt habet Ioann. Diaconus in eius vita, qui electus in summum Pontificem, non fugit solum, sed etiam statim ad Mauritium Imperatorem compellauit. Vidit Ammonius Eremita, qui teste Palladio hist. Laus. cap. 12. sibi aurem præcidit ne Episcopus fieret. Vidit Malachias, qui nisi Episcopi congregati illi anathema comminati fuissent, non suscepisset Episcopatum; omnem enim vt scribit Diuus Bernard. locum sublimem veluti præcipitium reformidabat. Denique ne longum faciam, Vidit Barnardus, Thomas Aquinas, Bernardinus & alij innumeri, qui constanti animo non semel delatos Episcopatus & oblatas dignitates, vel repudiarunt, vel pro viribus ne Episcopi fierent, contenderunt. Exempla sanctorum, honores fugientium. Ambros. Hieron. Chrysost. Martinus. Augustin. Gregor. Ammonius. Malach. Bernard. Thom. Aqu. Berardin.

Sat nouerant viri sanctissimi. *Quod Episcopus* vt Chrysost. ait homil. 3. in acta; *debet omnium onera gestare.* Nouerant id, quod idem Chrysost. ibidem grauiter censuit: *non arbitror inter sacerdotes multos esse qui salui fiant. sed multo plures, qui pereant: in causa est; Quoniam res excelsum requirit animum. multas enim habet causas quæ depellant ipsum à suis moribus, & innumeris oculis illi vndiq; opus. Non vides, quam multas res oportet ad esse Episcopo, vt sit appositus ad docendum, vt tolerans malorũ, vt tenax sit, ac fidelis in doctrina sermonis? Quantæ hoc difficultatis? & quod alij peccant, illi imputatur. nihil dico præterea, si vel vnus tantum decedat non initiatus, nonnè totam ipsius subuertit salutem? vnius enim animæ perditio tantam habet iacturam, vt nulla ratio possit æstimare. Etenim si vnius animæ salus tanti est, vt ob hanc filius Dei fieret homo, tantaq; pateretur, perditio, cogita, quantam conciliabit pœnam? Quod si quis ob hominem in hac vita peritum morte dignus est, quanto magis ille.* Sic Chrysost. etenim vt Gregor. 3. p. Pasto. cap. 5. scribit: *Prælatus si peruersa perpetrat, tot mortibus dignus est, quot ad subditos suæ perditionis exempla transmittit.* 13. Episcopatus onus difficile.

14. Non ignorabant item viri illi sapientissimi, immodicum ambitionis studium, & execrandam dominandi libidinem, omnia rumpere licet firmissima, siue naturalis, Vis ambitionis.

Princeps basis populi.

Ambitio mola asinaria.

II. Stultis pueris similis ambitio.

12. Prudentis est honores non suspicere, sed despicere.

Locus Dan 14. 6. Superbus extra æreus, intus luteus est, vt Bel. humilis aureum in vase fictili ex Bas.

naturalis, siue diuini amoris vincula. Esau ob sibi præreptam benedictionem paternam, fraternum amorem conuertit in hostile odium, fratris sui Iacob, vsq; ad firmum propositum vel deliberatam occidendi eius voluntatem procedens. Vt autem scriptura indicaret non breue, aut repentinum fuisse eiusmodi odium, sed continuum, obfirmatum, dixit Gen. 27. 41. *oderat ergò semper Esau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei Pater: dixitq; in corde suo: venient dies luctus Patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* finis non esset si de multis vitijs, quæ secum annexa habet ambitio, & damna prosequi vellē. Vide hac de re Carolum Regium in suo Oratore Christiano lib. 7. c. 16. vbi quamuis paucis multa huiusmodi complexus est.

15. *Tollit ambitio pacem.*

Postremò timebant ijdem sapientissimi viri, qui dignitatum culmina tantopere fugiebāt, ne suauissima pace destituerentur, qua in abdito, semotóque conscientiæ suæ loco fruebātur. Aduehunt. n. præter pericula, innumerabiles curas ipsæ dignitates, quæ pacem, animæq; quietem non sine magna bonorum spiritaliū iactura, dispersunt, ac dissipant: hoc autem egregio illo apologo, quo vsus est Ioatham Iudicum 9. sat insinuatur: arbores, adeoq; tota lignorum omnium multitudo regni erat auida; iccircò vt Regem nouum eligeret, communi omnium consensu oliuam adiere, rogantes vt Regiam potestatem susciperet. recusauit illa, *numquid possum*, inquit, *deserere pinguedinem meā, qua & Dij vtuntur, & homines, & venire, vt inter ligna promouear?* rursus iere ligna ad ficum, cūq; illam in Regem deposcerent, detrectauit & ipsa regnum, dicens: *numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusq; suauissimos, & ire vt inter cætera ligna promouear?* Tertiò communibus lignorum suffragijs electa vitis est, quæ in Regē deposceretur. Verùm cum illa negaret, & dignitatem eam nollet admittere, respondit: *nūquid possum deserere vinū meum, quod lætificat Deū, & homines, & inter ligna cætera promoueri?* Ceterùm cum decretum esset, deliberatumq; à lignis, vt sine rege non essent, & bonum non possent habere, malum potiùs, quàm nullum voluerunt. Itaque statutum est, vt è malorum lignorum genere Rex eligeretur, quamuis omnium pessimus, ita factum vt Rhamnum in Regem nominarent: ille verò nequaquam, vt superiora ligna, oblatam depulit dignitatem, sed neque vllam, cur aut non posset, aut non vellet regnare, caussam attulit: quare lætus, & tanto delato honore elatus annuit illico. Sed cum suam ipse vilitatem, nequitiam, sterilitatem cogitaret, timuit ne fortè per iocum, ac ludicra hæc esset electio. explorandi ergò caussa, simulq; etiam ostentandi sibi regium non deesse animum, quin & imperandi vires, & acrimoniam adesse vultu ad grauitatem composito, respondit: si seriò se Regem vellent, ad se iā accederent, suam sub vmbram subirent, se si quod iuberet non facerent, omnes ac inprimis pulcerrimas libani cedros igne suo exusturū; sic enim ait scriptura v. 15. quasi minaci supercilio respondisse Rhamnum: *si verè me Regē vobis constituistis, venite, & sub vmbra mea requiescite, si autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno & deuoret cedros libani.* hic est apologus, quem vt

Apologo id ostenditur.

A applicemus, aduerte, Rhamni etiam mentionē fieri Psal. 57. 9. *priusquam intelligerent spinæ vestræ Rhamnum, sicut viuentes, sic in ira absorbet eos.* est autem Rhamnus spina maior, quæ speciem arboris ferè gerit, nostris dicitur rubus, aculeis acutissimis, & præduris in rectum extensis, vnū è generibus sentum asperrimum. D. Hieron. in Abacuc 3. *Rhamnus*, inquit, *plena sentibus & hericio similis.* est ergò sensus Prophetæ in eo loco Psa. priusquam spinæ vestræ crescant in mensuram, acutiem, & duritiem Rhamni, id est, antequam peruenietis ad prouectam ætatem, perfectumque robur, Deus vos perdet, ac delebit *sicut viuentes*, inquit, hoc est subitò de vita abripiet, & absorbebit, in immatura ætate, veluti si viuentes, terra dehiscente absorberi faceret, & hoc obiter. Quod verò ad rem nostram facit, eleganter & mystice significantur eodem apologo per ligna homines; sic enim & Psalm. 1. de iusto dicitur. *erit tanquam lignum &c.* ij ergò Regem quærunt sibi inungere, nimirum, Rectorem, qui eos prudenter, leniterq; gubernet, & vel oliuam, vel vitem, vel ficum optant sibi præesse, viros videlicet, vel operibus misericordiæ deditos, vel Deo familiares, vel charitate feruentes; qui aptè per oleam, ficum, & vitem significantur. Verùm hi eorum votis nō acquiescunt: qui vehementer præesse diffugiūt. nam primi nolunt oleum, hoc est opus misericordiæ dimittere, cui vacant cum sua & proximorum etiam vtilitate, & quo conseruari vident diuinæ gratiæ lucem in seipsis, timent. n. ne fortè, si præficiantur alijs, amittāt huius olei pinguedinem; secundi verò, hoc est, rerum diuinarum contemplationi, & Dei familiaritati dediti, etiam alijs imperare recusant, ne cœlestis contemplationis, suauitatisq; diuinę dulcedine priuentur. Postremi, qui per vitem significātur feruentis dilectionis in se vinum experti alijs præesse nolunt, ne varijs sollicitudinū curis tepescat fortasis tam sanctæ dilectionis feruor, qui Deum & homines exhilarat: ij omnes melius esse spiritalem suam retinere pinguedinem, dulcorem, suauemq; ac cœlestem gustatum spiritualium gaudiorum censent, quàm ijs amissis longè lateq; dominari. *Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò detrimentum patiatur?* Matth. 16. 26. Vix enim fieri potest ob varias caussas, quæ incidunt, & occurrentes occasiones ratione personarum, vitiositatum, imbecillitatum, consuetudinum, temporum, locorum, similiumue circumstantiarū, vt & nostrarum inter tot discrimina animarum salutem perfectionemque tueamur, & alijs prosimus. At Rhamnus Tyrannos, ambitiososque homines aptè indicat spinis vitiorum acutissimis vndique obsitos, & auaritia, crudelitate, libidine armatos, hi facilè aliorum non sine magnæ voluptatis sensu, & gaudio curam suscipiunt, & ne expectant quidem vt inuitentur, ipsi potius excitant alios, vt eligātur, nihilq; intentatū relinquunt, quousq; ad summum optatæ dignitatis fastigium euehantur, quod est certissimum inscitiæ, stultitiæque ipsorum argumentum.

Locus Psal. 57. 9.

Apologus explicatur mystice.

Ambitiosi similes Rhamno.

Huic ergò vitio, quod difficilis curationis, CHRISTVS Dominus aptissimum humilitatis remediū adhibendū docuit. Quare in

16.

medium

Digitized by Google

medium constituto puero ad discipulos conuersus ait: *nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum: abominatio enim Domini est omnis arrogans* Prouerb. 16. 5. Itaque huic morbo si medicinam facere cupis, stude humilitati. libenter sis sub pedibus Christi, eius fimbrijs adhæreas; inde enim omnis virtus: quod si tetigeris fimbriam vestimenti eius, à sanguinis, hoc est, ambitionis fluxu saluus eris. Etenim CHRISTI fideles appositè per Dei vestes designantur; illis enim velut ornamento vestitur Christus iuxta illud Isa. 49. 18. *omnibus his velut ornamento vestieris*; huius verò ornamenti fimbriæ sunt humiles obedientes, *subiecti omni humanæ creaturæ propter Deum, non altæ sapientes, sed humilibus consentientes*, qui humiliantur non modo *sub potenti manu Dei*: sed pedibus etiam illius omninò subijciuntur, sciunt enim scriptum esse, & *ea, quæ sub ipso erant, replebant templum* Isa. 6. 1. Vacuum bona ex parte, atque inane quodammodo superbia Cœlum effecerat, quod templi Dei nomine rectè significari potest, Cœlum autem non aliter melius, quàm humilitate repletur. hoc est, humilibus, Deoque planè subiectis hominibus. noluit Lucifer sub pedibus Dei esse, & ideò *ad inferos detracta est superbia* eius, voluit superbus super astra Dei exaltare solium suum, & ecce sicut fulgur de cœlo cecidit, pedibus omnium subiectus, quod si inter ea, quæ sub ipso Deo erant mansisset, templum Dei, hoc est, cœlum replesset.

Hinc Bernardus sermone secundo, de verbis Isa. *Vide*, inquit, *vt sub ipso inueniaris, alioquin esse non poteris cum ipso. Quid enim? putas indifferenter admittet Dominus in illud tanta beatitudinis templum, qui nec ipsos quidem Angelos indifferenter reliquit in eo? aut non discernet inter glebas, qui discreuit inter stellas?* Memoriæ proditum est Exhodi vigesimoquarto, 10. visum aliquando Deũ Israel, & sub pedibus eius *quasi opus lapidis sapphirini, & quasi Cœlũ cum serenũ est.*

Tales Deus efficit humiles pedibus ipsius subiectos, nimirum firmos, ac stabiles, & cœlestis gloriæ luce conspicuos, quasi opus lapidis sapphirini: est enim is lapis cærulei coloris, ac magna claritate refulget, quibusdam etiam aureis punctis, quasi astris ornatur, sicut Cœlum cum serenum est, stellis decoratur. Vides ne, quantus sit humilium splendor, quanta gloria? Quid non decorum in humilibus? Quid non clarum? Quid non præfulgidum? lapideum esse opus videntur, vel etiam lateritium, & luteum, atque ita tanquam immundum lutum ab impijs passim æstimantur, etenim *tanquam purgamenta facti sunt omnium peripsema vsque adhuc* 1. Corinth. 4. sed si oculos mentemque intendas in eum, sub cuius pedibus positum est opus istud quod luteum, vel lateritium esse censetur, videbis illico, & admiraberis tantam eius claritatem, & splendorem haud absimilem ei gloriæ, qua fulget cœlum, cum serenam faciem mortalibus ostendit: etenim, vt paulò superius dixi, humiles sub pedibus Dei sunt *quasi opus lapidis sapphirini, & quasi Cœlum cum serenum est*, ad extremum iudicij diem impij, quamuis serò, sapient, erroremque suum agnoscent, nec sine intimo cordis dolore cum viderint eos, quos aspernabãtur in terris, tanto splendore inter Dei filios, circumamictos esse, dicent: *nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* Sapient. 5. 4. 5. 18.

Sequere igitur ô homo Christi consilium, *& cum vocatus fueris* ad nuptias, ad cœlestes nimirum epulas inuitatus, *vade, recumbe in nouissimo loco, vt cum venerit qui te inuitauit* Christus ad diem mortis, *dicat tibi: amice ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentib.* hoc est, Beatorũ cætu, *quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Luc. decimoquarto v. 10. 11. Tunc videbis quantum profuerit sub omnium pedibus propter Deum constituisse te; videbis, inquam, & affluens multiplici cœlestium beneficiorum genere, & potioribus donis à Deo perceptis *mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Isa. 60. 5.

Reuoca quæso in memoriam id, quod olim accidit Beniamin omnium fratrum suorũ minimo. nam cũ ad conuiuiũ inuitati fuissent à Iosepho ceteri omnes fratres, panibus *appositis seorsum Ioseph, & seorsum fratribus &c. sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam, & mirabantur nimis sumptis partibus quas ab eo acceperant, maiorq; pars venit Bẽiamin, ita, vt quinq; partib. excederet.* Ecce tibi lector rẽ planè admirandam. Beniam. minimus inter omnes, qui excepti cõuiuio fuerãt idemq; in nouissimo loco recumbẽs maiorem potioremq; accipit partẽ. An non intelligis hoc facto significatũ esse id, q olim in cœlesti beatitudine futurũ est? ibi quo quis humilior propter Dei amorẽ in terris fuit, eo sublimior erit, & tanto maiorib. donis amplificabitur. *quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.*

Humilitati studendum quæ Christi fimbria est. Locus Isa. 49. 18.

Isa. 6. 1.

17. Humiles sapphiro similes sub pedibus Dei.

Gloria humilium.

18. Humiles exaltantur à Deo.

19. Beniamin humiles representat.

DIGRESSIO III.
MORALIS.

Numerantur 17. Angelor. excellentiæ.

QVoniã v. 25. huius ca. de Angelis præsertim verò custodib. fit mẽtio, & solet hoc Euangeliũ festo die D. Micha. in Ecclesia legi, non ingratum arbitror futurũ lectori, si seqq. aliquot digressionib. de cœlestibus illis mentibus, earũq; excellentijs, præsertim verò de hominũ per ipsos custodia, & de D. Mich. Angel. Principe breuiter aliqua dixero. Multa sanè in Angelis sunt eximia, & præclara satis, ob quæ Deus, & ab ipsis, & à nobis maximè laudandus sit. etenim ij sunt, qui in hoc amplissimo mũdi theatro inter omnia creata quasi Principatum tenent. nam primò si spectemus non oscitãter, neq; perfunctoriè eorũ originem, & antiquitatem primi omniũ, aut certe cum primis conditi sunt. Est aũt celebris apud antiquiores Patres controuersia de tẽpore creationis Angelorũ. etenim ferè Græci scriptores, & ante Aug. latini censuerunt, multis ante hunc mundum sæculis Angelos esse à Deo creatos. sic putarũt

1.

1. Excellentia Angeli quasi principes orbis.

Tempus creationis Angel.

1. opinio quod ante conditũ mundũ hũc.

Orig.in lib.περὶ ἀρχῶν,& homil.4.in Isa.Basil. 1.& 2.homil.in examer. Gregorius Nazianz. orat.de Natiu.Domini,Hilar.lib. 12.de Trin. & contr.Auxent.Ambr.lib.1. Examer. cap.5. & præfat.in Psalm. Hieronym.in 1.cap.epist. ad Tit.Isid. libr.1.de summ. bon.cap.12. adeò verò hoc certum apud Cassian. fuit vt collat. 7.cap.8. dixerit: neminem fidelium ea de re posse dubitare. quam tamen opinionem Gennadius, & Achatius (vt habetur in catena) derident tanquam fabulam è Platonis Timæo desumptam. Verùm ea censura nimia est.nam Angelos conditos esse simul cum mundo nusquam tradit scriptura, nec euidenter ex ea colligitur. neque enim Patres tanta doctrina,sanctitate,& antiquitate venerandi, contraria fidei docuissent,vel scripsissent.

2. *Vera opinio Aug. priori contraria.*

Ceterùm Augustini sententia est, Angelos simul esse cum mundo corporato conditos. Vide illum libr.11.de Ciu.Dei,libr.12. Confess. lib.1.& 4.de Gen. ad literam.& alibi.August. sequuti sunt Gregorius, Beda, Rupert.Hugo, Magister lib.1. sent. omnesque passim Theologi scholast. etenim, *in principio Deus creauit cœlum & terram*, non igitur Angeli extiterunt antea, quod nihil ante principium creationis rerum sit, *& qui viuit in æternum, creauit omnia simul*, sed magis vrget auctoritas Innocentij Tertij affirmantis; spirituales, & incorporeas substantias simul esse ab initio temporis creatas à Deo. Verùm de hac decretali Innocent. lege 23.opusc.D.Thom. Est & ratio,quæ huic sententiæ fauet,quia si Angeli multò antè mũdum fuerunt, vel omnes toto illo sæculorum spatio fuissent in gratia, atque adeò in ea confirmati,neq; vllus cecidisset, quod est falsum, & scripturæ contrarium;vel statim à creatione secunda, vel tertia morula, (vt in scholis loquimur) aliqui peccassent. at hinc sequitur absurdum simul illos Angelos peccatores cum bonis fuisse tot sæculis ante mundum conditum.nam alio ablegari non poterant, nulla enim tunc erat locorum discluſio. Hanc nos posteriorem sententiam multò propensius amplectimur. si quis plura hac de re scire auet,adeat quattuor nostræ Societatis Illustres viros, qui luculenter,& eruditè hac de re scripserunt: Benedictum Perer.lib.1.Gen. sub fin. Ludouicum Molin,1.part.quæst.61.art.3. Gregor. de Valent.tom.1.disp.4. q.12.p.2. Gabriel. Vasquez.disp.224.per sex seq.cap.

Probatur sententia Aug.

3. *2. Excellētia Duratio.*

Secundò, si vitæ & durationis longitudinem,si naturæ gradum,& conditionem in Angelis respicias, ilico apparebit quàm sint præstantes. etenim sunt illi spiritus immortales nulli corruptioni obnoxij, vel mortis necessitati,sunt omninò incorporei,inuisibiles,simplices, non frigoris, non caloris, non famis, non sitis, non alicuius lassitudinis molestiis obligati,vel obstricti, nec sunt vllius rei corporalis indigentes.

4. *3. Excell. agilitas.*

Si tertiò, ad agilitatem eorum mentis oculos conuertas, nulla est Ceruorum, Aquilarum, quorumcumque animalium, immò & Orbium Cœlestium velocitas,quæ eorum valeat celeritatem adæquare. Quanta intellectus, & mentis illorum est dignitas? quanta ad intelligendum vis, & subtilitas?quanta ad distinguendum solertia, quantum ad inueniendum acumen? Quanta simul multarum rerum comprehensio? Perpetuò etiam intelligunt, & sine discursu omnium, quæ naturaliter sciri possunt, plena, & consummata scientia mirificè valent.

5. *4. Excellētia efficacitas & voluntatis constantia.*

Quartò, quanta est eorum efficacitas, & voluntatis constantia? volunt enim efficacissimè, & immobiliter eligunt ea quæ cupiunt, ne tantillum quidem à diuino nutu discrepantes.

5 Firma memoria.

Quintò, si firmitatem memoriæ attendas, nulla illis vnquam subrepit obliuio, quod enim semel hauserunt, omni æuo conseruant.

6 potentia.

6. Quid de potentia sentiendum? quæ adeò incomparabilis est, vt vix, ac ne vix quidem illam homo cogitando assequi possit? quis enim satis percipit quanta facilitate, quàm incredibili velocitate, vel vnus Angelus primum Cœlum,cuius respectu vniuersa terræ,& aquæ amplitudo puncti instar est, nullo labore per tot annorum millia conuoluit? Quid inquam Angelis fortiùs?quorum vel vnus Michael luciferum illum creaturarum omnium præstantissimum manu potenti debellatum,deiecit de Cœlo? Vnus fuit Angelus, qui vt blasphemiæ crimen in Assyrijs puniret,breuissimo tempore in illorum castris centum octoginta quinque millia trucidauit 4.Reg.19.35. peccauit olim Dauid per superbiam, & eo peccato factum est,vt Angelus manum suam super Ierusalem extenderet, vt disperderet eam, 2.Reg. 24.15.16.Sed *misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo pertutienti populum, sufficit:nunc contine manum tuam.* meritò ergò apud Iob tantæ esse potentiæ dicuntur Angeli, vt orbem portent; præsertim verò quia cœlestium orbium motores,& rectores sunt,portare orbem & esse columnæ cœli dicuntur.

6. *7. Numerus. Locus D. 8. 7.10.*

Iam verò septimo de numero agamus, certè nisi propemodum innumerabiles illi forent, minimè diceretur Iob 25.3. *numquid est numerus militum eius?* neque Danielis cap.7 10. *millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*, præsertim si cũ Tertul.legamus: *millies centies centena millia, & millies centena millia apparebant ei.* quamuis reliqui omnes legant. *millia millium ministrabant ei* priori loco. nec in Ioann. Apocal.cap.5.legeretur: *numerus eorum millia millium*, nec apud Paulum ad Hebr. 12. *accessistis ad cœlestem Ierusalem multorum millium Angelorum*;nec Diony.assereret libr.de cœlest. Hierarch. cap.14. maiorem Angelorum esse numerum, quam omnem rerum sensilium,& caducarum multitudinem:sicut enim cœlestia corpora aliorum corporum magnitudinem exsuperant;sic multitudo Angelorum aliarum rerum numerum excedit.

8. *Varietas.*

Octauò porrò in tanta multitudine varietas,& in varietate pulcritudo sanè admiranda est:nam si præsertim Diu. Thom.sequare,nullus est in tam magna multitudine Angelus, qui non ab alio Angelo specie distinguatur. Hinc si ratiocinari libet, vix credi potest,quanta sit perfectio,quanta pulcritudo supremi angeli,cum magna sit vel infimi perfectio, sic quæso tecum reputa, & cogitatione complectere: si fortè in amœnissimum,amplissimum-

Egregia comparatio ad intelligendam angelorũ pulcerrimam varietatem

que

que aliquod pratum incideres, vbi essent multa florum millia, in quibus reperire non foret vel duos flores speciei eiusdem, sed quilibet à quouis alio differret specie, quãta quæso te cãpus ille voluptate reficeret? in quãtam admirationẽ raperet? certè nihil posse te cernere pulcrius, nihil spectare admirabilius crederes.

8. De septem Angelis.

Porrò inter illos, qui supremi ordinis sunt septem numerantur Angeli tanquã electi quidam Principes magni, & inter cæteros dignitate excellentes, quibus humanæ salutis cura demandata est, quemadmodum Martyr Irenæus, & Clemens Alexandr. auctore Aretha in cap. 4. Apocal. testatur, & Clem. quidem libr. 6. strom. *septem*, inquit, *quidem sunt, quorum est maxima potentia primogeniti Angelorum Principes, & per quos Deus omnibus hominibus prouidet, &c.* horum munus est Deo tanquam Domino & Regi maximo obsequentissimorum ministrorum instar semper astare; eius nutum expectare; eius iussu confestim quidlibet agere, quolibet vadere, rerumque humanarum curam suscipere. ac propterea oculi vocantur Dei, & Christi, sicut Diaconi oculi Episcopi. Vocantur & cornua, quia pro hominum salute aduersus inferorum portas depugnant. Hinc Apoc. 5. 6. *& vidi, & ecce in medio throni*, &c. *Agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem: qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram*, de quibus Zachar. 4. *septem sunt isti oculi Domini, qui discurrunt in vniuersam terram.* Dicuntur *& lampades* Apoc. 4. *ante Dei thronum* quia summa claritate refulgent, & eos ad quos mittuntur insigni quodam splendore collustrant cui rei symbolum exhibuit Angelus, qui Act. 12. 17. cum astitit Petro lumen, refulsit in habitaculo. & Apoc. 8. legimus: *& vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ*, & cap. 15. 16. 17. septem Angeli memorantur quasi curam habentes vniuersæ terræ. est & Tob. 12. clarissimus locus: *ego sum Raphael Angelus vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Ex his colligimus non dici eos astare ante Dominum, vel in eius conspectu esse, quasi qui assistunt, & non mittuntur, vt passim solent exponere illud Daniel. 7. *millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* sed astare, & esse in conspectu throni, dicuntur quod præsto sint, vt quocunque Deus voluerit, mittantur: iccircò in vniuersam terram mitti, & per vniuersam discurrere dicuntur. Quamuis ad res insigniores, & quæ ad vniuersum hominum genus pertinent, credendum sit mitti, & multa etiam facere per intermedios Angelos infimæ Hierarchiæ. Ab ijs porrò innumera beneficia in hominum genus proficiscuntur; qua de re lege Serarium nostrum in cap. Tob. 12. quæstiunc. 9.

Locus Apoc. 5. 6. Zach. 4. Apoc. 4.

Locus Tob. 12. Astare quid. quid assistere

9. Excel. ordo

Neque verò cum tanta multitudine, & varietate Cœlestium spirituum confusio vlla est, sed incredibilis ordo, quæ nona est eorum excellentia. etenim si illorum dispositionem, ordinemq; cõsideres, ordinatissimi sunt, & in tres Hierarchias supremam, mediam, & infimam distributi, singulæ verò Hierarchiæ, tribus itidem ordinibus ita distinguũtur, vt chori nouem conficiantur, eamque distinctionem nunquam varient, ac perturbent. Ne-

A que enim inferiores cupido incesit vnquam ascendendi ad locum superiorum, nec superiores metus vllus, vel spes sollicitat, aut tangit, vel aliquid aliud vrget ad deturbandos eos, qui in loco inferiori sunt. 10. licet illorum alij mittant, alij mittantur, quidam doceant, reliqui doceantur, pax tamen, & coniunctio inter illos nunquam non visitur maxima: quare sua sorte contenti sunt singuli, & in genere suo perfecti: in hoc vnum intenti, ac conspirantes, vt omni vi, & contentione Deum exercituum die, nóctuque collaudent, quo illud Iob applicare possumus: *concentum Cœli quis dormire faciet?* sed obijciet aliquis contra id, quod diximus de mutua Angelorum vnione, videri ex scriptura Angelos custodes diuersorum hominum, vel prouinciarum habere sibi commendatos diuersas simpliciter voluntates, & conatus, immò & esse pugnam inter illos, vt fuit inter Principem Regni Persarũ, & Iudæorum. sic. n. Dan. 10. 13. Gabriel Angelus dixisse fertur Danieli: *Princeps autem Regni Persarũ restitit mihi 21. diebus.* D. Hieron in idem caput Dan. interpretatur principem illum Regni Persarum fuisse aliquem Dæmonem, qui aliquos de populo Israelitico in Persia induxerat ad peccatum & eatenus obstabat, quo minus ille populus à Iugo seruitutis liberaretur. Diuus Gregorius tamẽ li. 17. c. 7. Basil. li. 3. conc. Euno. circ. init. & Theodor. in orat. 11. in Daniel. & alij, passim bonũ Angelum fuisse arbitratur, quod D. Th. q. 113. ar. 8. magis probatur. quare dicendũ pugnã illã fuisse, quia Angelus Persarum videbat multos gentiles conuerti ab Idololatria ad verum DEVM per consuetudinem Hebræorum, ideo volebat conditionaliter, si Deo placeret, orabatque Deum, ne discederent Hebræi, è conuerso, quia aliqui Hebræi idola colebant, eorum Angelus orabat conditionaliter vt discederent inde Hebræi. Hæc dicitur pugna. vterque autem cum charitate id faciebat, & sancta contentione. quare Gregorius loc. cit. inquit, *quorum tamen vna victoria est, sui opificis voluntas summa. Quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, nunquam volunt, id est, simpliciter & absolutè.* Verùm 11. quis dicendo complectatur, quæ vel quot illi munera apud nos in terris exactè simul, & accuratè obeant, cùm sint diuinæ prouidentiæ in regendo, & conseruando mundo præcipui administri: & inde fit, vt in sacris literis nominentur milites, & exercitus Dei, Prouinciarum Principes, Præsides populorum, singulorum hominum custodes, Magistri, & apud Deum internuntij ac interuentores.

B

C

D

Ait inter se discordes angeli.

Locus Dan. 10. 13.

11. munera varia.

12. quàm magna sit eorũ puritas, quãta innocentia niteãt, quis explicet? ij ne leuissima quidem peccati labe vnquã inquinantur: neq; vnquã Dei gratia spoliati, vel nudi fuerunt, cũ in gratia initio creati, & in ea perpetuò cõseruati fuerint. 13. inter tot ipsorũ vel naturæ, vel gratiæ dona, virtutes, excellẽtias quis satis admirari queat profundissimã illorum humilitatẽ, & singularẽ erga Deũ pietatem, gratitudinem, obedientiam, reuerentiam, vt meritò scriptũ sit: *corã eo incuruantur qui portant orbem, & columnæ Cœli pauent in conspectu eius.* Ioann. quoque

10. Vnio.

10. 12 puritas.

13 humilitas cum obedientia.

in Apocal.7.11. vidit Angelos cadentes in faciem ſuam adorare Deum. hinc eſt vt mirum non ſit quod Cherubim illi qui arcam velabãt, vt pueri deſcribantur, ita enim ea ætate melius ſignificatur eorum humilitas cum puritate coniuncta. & verò tantæ humilitatis & obediẽtię ſunt, vt ne minima, & obiectiſsima miniſteria ſubire detrectent, quin ea cupidiſsimè diligẽtiſsimeq; ſuſcipiunt, & abeunt, vt Dei inprimis imperio obſequantur, deinde ẽt vt hominum ſaluti conſulant. Tale quid fuit Angelum luctari cum Iacob, famulari Iuniori Tobiæ, Habacuc quoque Babylonem capillo ex Iudæa transferre vt prandium ferret Danieli, de hac porrò obedientię promptitudine teſtatur Dauid Pſalm.102.20.21. *benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum eius.* Et poſtea, *miniſtri eius qui facitis voluntatem eius*: proinde comparantur ventis, & igni Pſalm.103.4. *qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.*

11. 14. *Chriſtus eos honore magno affecit.*

Ergóne hos beatos, ſummaque laude dignos Angelos non magni faciam, & ſingulari honore proſequendos non putem? Quos (& ſit decimaquarta excellentia eorum) Chriſtus potentiſsimus omnium Dominus, magni conſilij, & teſtamenti Angelus (Iſa. 9. &. Malach. 3.) tanto affecit honore, vt ſuam Natiuitatem, felicemque reſurrectionem per illos primùm orbi ſignificarit; per eoſdem etiam poſt longum quadrageſimæ ieiunium placuit in deſerto cibo reficis & cum in ſummo mœrore eſſet, ab his exterius exhibitam conſolationem admiſit. Denique hos ipſos ad extremum iudicij diem reuerſus, quaſi lateris ſui ſtipatores, toto orbe longè, lateque ſpectante, ſecum aduehet & ſui iudicij impigros faciet executores. Nec fallet eius promiſsio, qua dixit: *omnis quicunque confeſſus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei; qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.* Luc.12.8.9.

12. 15 *Vtilitas in noſtrum genus.*

Quid plura? 15. Vtilitatem ſi ſpectes, quæ in nos ab illis dimanat vtiles eſſe maximè inuenies. ſunt Angeli Vrbium cuſtodes, & Eccleſiarum Præſides, vt eos facit Gregor. Nazian. orat. 32. de quibus etiam Cyrill. Alexandr. de adorat. in ſpiritu: *ſcimus*, inquit, *ſanctos Angelos à Deo eſſe ordinatos ad opem ferendam credentibus, & vt ſint velut duces populi.* Auguſtin. hos eſſe cuſtodes ciuitatis nouæ Ieruſalem, & montes in circuitu eius vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper dominicum Gregem cap. 27. ſoliloquio. affirmat. ijs gaudium eſt ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, ſicut Diabolo ſuper vno iuſto pœnitentiam deſerente. Horum curam, & operam nobis prodeſſe plurimum expertus eſt ſub vmbra Iuniperi Elias 3. Regum decimonono. Experta Agar Abrahæ ancilla inſolitudine; Expertus Loth. Geneſ. 19. vbi legimus quod Angeli eduxerunt Loth, & poſuerunt extra ciuitatem, dicentes, *ſalua animam tuam*; Expertus Tobias Iunior in itinere Tob. 6. Expertus Daniel Propheta, Dan. 10. Expertus D. Ioannis Baptiſtæ parens Luc.1. Experti Apoſtoli Act.5.12. deniq; innumeri alij. 16. Excellentia, laus & prærogatiua

13. 16. *honor qui illis defertur in ſcripturis.*

A Angelorum eſt deſumpta ex modo, quo honorificè in ſcripturis proponuntur & deſcribũtur. Voluit aliquando Deus Angelorum præſtantiam velut obijcere oculis mortalium, eamque ſignificare Daniel.10.5.6.8. Sic enim ſcribit Propheta: *leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir vnus veſtitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo, & corpus eius quaſi chryſolitus, & facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius lampas ardens, & brahia eius, & quæ deorſum ſunt vſque ad pedes quaſi ſpecies æris candentis, & vox ſermonum eius, vt vox multitudinis. ego autem relictus ſolus vidi viſionem grandem hanc: & non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quidquam virium.* Admirandus ſanè viſus ad exprimendam cœleſtium ſpirituum præſtantiam, & dignitatem multò quam aptiſsimus. nam veſtimentum lineum eorum ſingularem puritatem ſignificat; zona aurea, ardentem, & eximiam charitatem; corpus inſtar chryſoliti, immortalitatem; facies vt fulgur, ſummam agilitatem, & incredibilem celeritatem; oculi in modum lampadis, ſolertem, acutum, perſpicacem intellectum citra diſcurſum cuncta penetrantem; brachia verò, & pars corporis deorſum vſque ad pedes vt æs candens, eorum innuit opera charitatis igne ſuccenſa. proinde enim igni comparantur vrenti. Denique vox *quaſi multitudinis* potentiam, fortitudinem, robur pluſquam virile deſignat. Quis obſecro ad tantum ſpectaculum non obſtupeſcat, & paueat? *cecidi*, inquit Ioannes, cum Angelum vidiſſet Apocal.19.10. *ante pedes eius vt adorarem eũ.* Tanta enim eſt Angelorum gloria, tantus ſplendor, vt quaſi Dij quidam videantur. & Apocal.18.1. *Vidi*, inquit, *alium Angelum deſcendentem de cœlo, habentem poteſtatem magnam, & terra illuminata eſt à gloria eius.* Caligant mortalium oculi, & omnis humanæ naturæ potentia nutat ad quamuis vnius Angeli aſpectum.

Angelorum præſtantia repræſentatio ad viuũ.

B

G

Propterea 17. non mirum quod Angeli in ſcripturis *filij Dei* nominantur, vt Iob.cap.16. & 38.7. & Daniel.3.92. Primùm quidem vt auctor eſt Diuus Thomas 3.par.q.13. quia illi antè alios adoptionem filiorum receperunt; deinde quia in rerum gerendarum alacritate, & obedientiæ prõptitudine filijs ſimillimi ſunt. 3. quia Dei optimi parentis ergà res humanas charitatẽ referunt, & imitãtur. 4. quia Dei adminiſtri, & diſcipuli, & ideò filij Dei, vt olim filij Prophetarum dici poſſunt. Poſtremò quia egregiæ naturæ præſtantia, & illuſtribus dotibus, pluſquam reliquæ omnes res creatæ ad Deum accedunt.

14. 17. *Filij Dei.*

D

15. *Locus Iob 38.4.7.*

Vt aũt verè Dei filios eſſe, affectumq; filiorũ erga Deum habere ſe oſtenderent, initio conditi orbis Creatori Deo laudes cecinerunt. quod videtur Iob ſignificatum eſſe cap.38.4.7. *vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, &c. cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Duobus autem modis hæc Angelorum laudatio accipi poteſt. Primùm quidem vt dicamus, ſua ipſa pulchritudine, & & naturæ, qua conditi erant, præſtantia, additis, tot ac tantis etiam gratiæ ornamentis, ſtatim commendaſſe Deum tanti operis Auctorem, Creatoremue ſuum. quomodo dicere

ſole-

Digitized by Google

solemus opus artificiosum,& affabre effectum elegantem artificis manum commendare;præsertim verò quia cum se ipsi viderunt tot, tantisque à Deo affectos esse beneficijs,& insignibus multis,siue naturæ,siue gratiæ dotibus auctos esse,pro acceptis beneficijs cœperunt tũc nec vnquam desinent Deum laudare, illique continenter gratias agere. Nam vt Theodor. ait:*qui creatus est laudat, Creator laudatur,& ingratus, qui conditorem non laudat.* Hic ergò est primus laudationis Angelorum modus communis ferè cum reliquis creaturis: nam & *Cœli enarrant gloriam Dei.* Alter modus huius laudationis est, vt cum molitione aliarum rerum, quæ tunc à Deo creabantur, coniungatur hymnus Angelorum, præsertim quando velut primus lapis, primaque totius mundi fundamenta iacta sunt, id est, terra creata. etenim terræ creationem comitata est statim lætitia, iubilus, & acclamatio Angelorum, diuinam bonitatem afferentium in noua nascentis orbis creatione. deinde etiam aucta magis, magisque est hilaritas,& gaudium, cum etiam cęli,& sidera ipsa tanquam illustria quædam lumina Deo creante prodierunt. Hinc septuaginta apud Iob: *quando facta sunt sidera laudauerunt me,*& Chrysost. *Angeli,* inquit, *ipso aspectu obstupuerunt, cum multitudinem, pulcritudinem, dispositionem, vtilitatem, varietatem, ornatum, splendorem, concentum, ceteraq; omnia, quæ multò illi quàm nos, melius vident, intuerentur.* Anastasius item Sinaita libr.4.Examer. eam Angelorum laudem refert, præsertim ad Incarnati Verbi Mysterium,sic scribens: *hymnis Deum celebrarunt. Quamobrem? Quoniam facta sunt astra. non certè propterea, sed cùm vidissent solum è terra recurrentem. in Mysterio didicerunt Christi incarnationem,& è terra Assumptionem, & ideò,cùm vidissent eum ex Sancta Virgine, tanquam ex Abysso exortum,statim exclamarunt,dicentes: Gloria in excelsis Deo.*

Mysterium Incarnationis.

16. Anastasij Sinaitæ opinio falsa.

Verùm Anastasius putat astra, & solem priùs in terra facta esse, deinde Cœlo esse tradita.sed falsum id est, ac proinde allegorica est eius expositio, quamuis non negem Angelos bonos summis laudibus Dei bonitatem extulisse post reseratum mysterium Incarnationis.Igitur primo ipso molitionis mundi exordio verè Dei filios exhibuere Angeli Deum omnium rerum molitorem, ac suæ ipsorum naturæ conditorem mirandum in modum extollentes.

17.Sed neque cum vltima dies mundi huius aduenerit, cum dissoluenda erunt omnia, & quisque hominum proprio erit loco,ac domicilio ad extremum iudicij diem assignandus, non ostendent se Angeli verè filios Dei,& diuinæ iustitiæ propugnatores contra impios, ac Dei contemptores, quomodo rectè intelligere possumus locum illum Propheræ Nahum. 2.3. *Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus in coccineis.* Fortes Dei sunt nobilissimi quiq; Angeli, qui ad extremum Iudicij diem descendent cum filio hominis instar Principum Clypeos aureos gestantium, eruntq; ipsi terrori maximo impijs, qui Deum contempserunt,& quia ab eis nulla ratione offendi poterunt, rectè clypeos aureos gestare dicuntur.ijdé etiam *viri exercitus* nominari possunt,& in coccineis esse referuntur, quia charitatis igne flagrant. sequitur vt de custodibus Angelis agamus.

Locus Nahũ. 2.3.

DIGRESSIO IV. MORALIS.

De custodia Angelorum.

ANgelos esse custodes hominum testatur scriptura, confirmat consentiens doctrina omnium Theologorum, probat etiam, & persuadet ratio. In scriptura reperimus multa testimonia, ex quibus sunt hæc pauca Genes. 48.16.Iacob benedicens filijs Ioseph,ait: *Angelus eruit me de cunctis malis.* vbi planè videtur loqui de aliquo Angelo, qui peculiarem curam ipsius semper gesserit ex Dei voluntate. Et Ps. 90.11.sic, inquit Dauid: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.*

1. *Angelorũ custodia,stabilitur ex scriptur.*

Locus Gen. 48.16.

Locus Psal. 90.11.

Loquitur enim hic scriptura de iustis, quibus Angeli Dei iussu in custodiam, & auxilium assignati sunt.& Matth.18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris,* vbi Hieron. *magna,* inquit,*est dignitas animarum,& vnaquaque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Idem affirmat Orig. hom.23. in Luc. & D. Chrysost. hom. 60. in Matth. expendens hunc locum: *Angeli eorum,&c.* ait:*hinc manifestum est,quia omnes sancti Angelos habeant.* quod confirmat ex eo,quod 1.Corint. 11. 10. iubet Paul. mulieres *potestatem,* id est, velum *habere supra caput propter Angelos* custodes earum,ne ab illis alioqui offendantur, prout ex Basilio in Psal. 33.mox declarabimus. Nec contemnendus est locus ille Act.12.15. nam cum fideles non crederẽt esse ipsum D.Petrum, quem puella nuntiabat liberatum è carcere,adesse ad domus ianuam;dicebant, *Angelus eius est.*

Locus 1. Cor. 11.10.

Locus Act. 12.15.

De consensu Doctorum non est dubium, nam præter Hieron.Origen.& Chrysost.quos iam citauimus,eadem expressa est Basi.sententia Conc. 9. in Psalm. 33. sic scribentis: *omni credenti in Dominum Angelus assidet, si non ipsum nos per praua opera fugauerimus; quemadmodum enim apes fugat fumus,& Columbas graueolentia expellit, sic custodem vitæ nostræ Angelum lacrymosum, & graueolens abigit peccatum.* idem sentit Conc.13.in Psalm. 48. & libr. 3. contra Eunomium initio; nec propterea quod de credentibus, & timentibus Deum præcipuè loquatur,excludit alios homines à peculiari cura Angelorum; vt liquet ex eo quod dicit:custodes Angelos attribui ad custodiendam,& dirigendam vitam nostram:quæ ratio in omnibus hominibus locum habet; omnium enim vita à diuina prouidentia ordinatè regitur,atque adeò per ministeria Angelorum, vt ostendit ratio D.Thomæ quæst.113. articulo primo. Sed occasione eorum quæ dicit Basil. roget quis. piam. Deseratne aliquando Angelus hominem? Respondeo quantum ad præsentiam loci non est necesse, vt sit semper cum illo, sed quantum ad custodiam semper est illi præsens.nam etiamsi sit in cœlo, cogitat quæ sunt illi vtilia, & dum opus est adest. nam quod dicitur Ierem.51.9. *curauimus Babylonem, & non est sanata,derelinquamus eam,* non est intelli-

2. *Ex consensu Patrum. Basilius.*

Deseratne Angelus custos interdũ hominem.

Digitized by Google

gendum quod omninò derelinquant, sed quod in aliquo euentu non iuuent, & per aliquod etiam tempus permittant hominem cadere in aliqua mala, à quibus possent liberare id demerentibus peccatis hominis secundùm Dei beneplacitum, à quo per omnia pendent; quamquam, vt nemo per omnia deseritur à prouidentia diuina, ita neque à custodia Angelica, per quam diuina prouidentia exercetur. Hoc obiter.

3. Nyssenus. Nyssen. quoque Basil. frater libr. de vita Mos. *occultior*, ait, *traditio est, verus sermo ad nos vsque descendit, quo creditur, postquam in peccatum natura nostra lapsa est, non omninò clementia diuina neglectam, nec absque suo patrocinio dimissam, sed Angelorum, qui natura incorporei sunt, aliquem in adminiculum cuique constitutum esse.* Magister sentent. libr. 2. distinct. 11. citans Gregor. ait: *Gregor. quoque dicit, quod quisque bonum Angelum sibi ad custodiam deputatum, &c. habet. cum enim omnes Angeli boni nostrum bonum velint, communiterq; saluti omnium studeant: ille tamen qui deputatus est alicui ad custodiam, eum specialiter hortatur ad bonum, &c.* quamuis hoc non reperiatur in Diuo Gregor. sed in Hugone de sancto Victore libr. 3. sentent. vt habetur notatum ad marginem prædictæ distinct. Magister senten. Cyrill. lib. 9. super Leu. & 4. lib. cont. Iulian. Apostat. multa disertissimè scribit de præsidio & custodia Angelorum erga homines.

Magister sententiarum ex Hugon.

4. Philosoph. Nec verò Theologi tantum in hac sententia fuerunt, sed etiam Philosophi. nam Platonici censebant hominum quemlibet suum Dæmonium habere. Hinc illud Socratis Dæmonium tantopere celebratum, à quo dicebat se custodiri, & ad bonum induci.

5. Idem ratione probatur. Ratio etiam idem suadet ex parte Dei, Angeli, hominis, dæmonis desumpta. Ex parte Dei, quia lex est diuinæ prouidentiæ, & sapientiæ, vt extrema reducat ad prima per media. Angelus autem est medius inter Deum, & hominem, & ratione naturæ immortalis, & ratione gratiæ consummatæ. Quare debet homo reduci ad Deum per Angelum. Præterea videmus in dispositione vniuersi res corruptibiles, gubernari per incorruptibiles, sicut sublunaria per Cœlestia, & res mobiles per immobiles, vt omnia corpora per Angelos. Cum igitur homo sit defectibilis in bono, & mutabilis, debet gubernari ab immutabili in bono, qui est Angelus.

6. Ex parte verò Angeli idem patet, tum quia est Ciuis noster, & ideò debet esse commercium inter eum, & nos; sumus enim eiusdem societatis ad eumdem finem ordinati; tum quia non debet esse tardior Angelus in adiuuando, quàm Dæmon in nocendo. Non enim debet esse charitas pigrior ad iuuandum in Angelo, quàm malitia in Dæmone ad nocendum, sed Dæmon semper conatur nocere. ergò decet Angelum semper præsto esse ad adiuuandum.

7. Ex parte item hominis idem ostenditur, tum quia eius voluntas est flexibilis ad bonum & ad malum; post peccatum enim pronior est ad malum, & multa sunt, quæ illam ad malum inclinant; tum propter caliginem intellectus, & perturbationem passionum in affectu. opportunum igitur illi est Angelicum auxilium &, vt inquit Diuus Bonauent. quattuor ob causas indiget homo præsidio, & tutela Angelorum, ad proficiendum in gratia, ad resurgendum à culpa, ad præcauendum mala, & ne admissi peccati pondere grauetur, & trudatur ad maiora.

8. Denique ex parte Dæmonum hoc ipsum potest declarari: cum enim *non sit nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem*, vt Paulus ait: Dæmon autem sit aduersarius potentissimus, quia secundùm Iob. *nulla est maiestas, quæ comparetur ei*, (est enim in iciendo astutissimus, & propter longam experientiam peritissimus: est nocendi cupidissimus, & in malitia abstinatissimus, & tanquam Leo rugiens perpetuò *circuit, quærens quem deuoret*) Decuit homini impugnato à tanto aduersario constitui defensorem Angelum, & cum opus est plures etiam eidem præsto esse. sicut patuit cum Elisæus rogauit, vt aperirentur oculi pueri sui, vt videret plures esse cum eo Angelos, quàm cum hostibus, qui ad eum capiendum venerant, Dæmones, lege libr. 4. Reg. cap. 6.

9. Interrogatus à Christo Dæmon, vt publicè diceret, quod esset nomen eius, obsidebat enim is miserum hominem. Respondet non vnum esse Dæmonem, qui vexabat infelicem illum, sed legionem Dæmonum. quod Tertullian. 4. cont. Marcion. cap. 20. obseruans monet *legionis* nomen esse militare, atque adeò eorum, qui bella continenter gerunt. Vt videatur iccirco interrogare voluisse Christus, quod esset illi nomẽ, vt ex responso, quod sciebat redditurum Dæmonem, intelligeremus hostes nostros esse Dæmones, & quidem innumeros, perpetuoque in armis contra omne hominũ genus stare. ideò habent instar fortissimi, copiosissimique exercitus cohortes, & manipulos, & legiones, quibus nullæ possent humanæ vires resistere, & obluctari, nisi maiore Cœlestium spirituum auxilio, & robore defenderemur. quare castra Dei meritò dicuntur Angeli, quorum quia Princeps gloriosissimus est Michael, ideò scriptum est, *Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone*, &c. hos ergò fortissimos pugiles, & athletas, nostros adiutores esse voluit Deus, vt inferorum vires comprimere, & in nihilum redigere, si per nos non steterit, possemus.

Dæmonũ legiones cohortes, manipulique quid indicẽt.

Mira Angelorũ custodia in defendendis hominibus à Dæmonum potestate.

10. Et verò quia fortes sunt & valentes viribus à Daniele cap. 10. visus est Angelus ille æreis brachijs terribilis, & admirandus, vt eorum robur eluceret, quoad nos defendendos ab Dæmonum insidijs, & potentia plurimum valent. ijs nos brachijs cum adhuc intra matris vterum claudimur, liberamur, ne Dæmonum odio, & iniuria extinguamur. cum verò in lucem edimur accurrunt Angeli, & ne vita nobis antè baptismum eripiatur à callidissimis inferni hostibus, potenti nos brachio tuentur; & quoniam cum in lucem quoque editi viuimus, omni nos studio in peccatum impellunt Dæmones, & nullum non lapidem versant, nihil intentatum relinquunt, vt in Dei odium, mortemque animæ miseros mortales incidere faciant. ideò tunc præsto sunt etiam Angeli, vt contra hostes elatis brachijs eripiant nos de potestate tenebrarum, quod tunc multo ma-

iori

iori conatu præstant, dum vitæ nobis finem imminere conspicantur. tunc enim Satanæ ministri turmatim aduolãt, & vno consensu, atq; omnibus inferni viribus connixi secum in infernum animas rapere, ac pertrahere contendunt. quare nisi ærea sanctorum nos spirituum brachia munirent, quis obsecro liber hinc abiret? quis non in infernum præceps rueret? hinc patet quantum sanctis Angelis nostris præsertim tutelaribus debeamus.

11. *Conflci ex diuitis, singulos homines proprium, tutelarem Angelum habere.*

Ex his quæ hactenus diximus, constat certum esse non modo vniuersitati hominum, nõ modo Regnis, & prouincijs, verumetiam singulis hominibus deputari diuinitus, & quidem ab illorum natiuitate peculiarem Angelum Custodem, à quo promoueantur in bono, & defendantur à malo, quod sine insignis temeritatis, atque erroris nota negari non potest, præsertim cum non obscurè ex scriptura colligatur, vt ex nu. 1. constat, & communi scholasticorum consensu 2. sent. dist. 11. receptissimum id sit. Confirmat idem & ratio D. Th. q. citat. art. 2. nam cum singuli homines secundùm animam quidem sint immortales, gerit Deus singularem illorum prouidentiam, etiam vt singulares, & indiuidui sunt. igitur conuenit vt singulorum custodiæ singulos præficiat Angelos. & quidẽ succcessiuè vnus põt plurium hominum curam habere post singulorum mortem. quamuis eodem simul tempore non plurium, sed vnius tantum hominis vnum Angelum peculiarem gerere curam censendum sit cum D. Thom. eodem loco, quidquid hac in parte dubitet Mag. in 2. dist. 11.

Vnus Angelus eodẽ tempore vnius tantum gerit curam.

12. *An Christus tutelarẽ Angelum habuerit.*

Tantum hic dubitari posset de Christo Domino, an tutelarem Angelum habuerit sibi peculiarem. Sed respondeo. Christus Dominus cum purus homo non fuerit, sed Deus, ac Dominus Angelorum, nullo modo habuisse dicendus est Angelum tutelarem tanquam superiorem, sed vt seruum & ministrum, nec solum vnum, sed plures, immò etiam omnes iuxta illud Psalm. 9. 6. 8. *Adorent eum omnes Angeli eius.* vnde probat Apostol. ad Hebr. 1. 6. Christum omnibus Angelis superiorem fuisse, & iuxta illud Matth. 4. *Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* An verò aliquem sibi deputatum habuerit ad obsequium, sicut alijs ad custodiam, probabile quidem est, sed incertum. Ceterum respectu ceterorum hominum Angeli custodes, vt superiores ipsis, illorum curam gerunt, docent enim eos, & opem ferunt tanquam auxilio indigentibus, quamuis interim in hoc ministerio præstent obsequium Deo tanquam illius serui.

13. *Tres rationes custodiæ Angelorum.*

Postremò, cur nos custodiant, tres assignat causas Bernard. serm. de Diuo Michaele. *propter Deum, cuius,* inquit, *ergà nos misericordiæ viscera imitantur. Propter nos, in quibus propriam similitudinem miserantur; constat enim humanas animas Angelicæ cognatas esse creaturæ. Propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur.*

sic Bernard.

(***)

DIGRESSIO V. MORALIS.

Quot, quamue multæ vtilitates ex Angelorum custodia in homines deriuentur.

1. *Reprehendit.* *Locus inde. 2. 1.*

DVodecim numerari possunt vtilitates, quas tutelaris Angelus suis clientibus præstat ex varijs scripturæ locis collectæ. Primo loco afferri potest quod peccata exprobrat quæ commisimus Iudic. 2. 1. *Ascendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: eduxi vos de Aegypto,* &c. *& noluistis audire vocem meam: cur hoc feciſtis?* Secundò suadendo, & increpando, criminum nexibus nos vinctos, & colligatos liberat; quod significatum est mysticè Act. 12. 7. illis verbis, quibus Angelo liberante Petro dicitur, *& ceciderunt catenæ de manibus eius.* Tertiò peccatorum illecebras, & occasionem mali, & boni impedimenta remouet; quam rẽ significauit ille Angelus, qui vt habetur Exho. 12. *percussit primogenita Aegypti.* Idem ostensum videtur per eum Angelum, qui Num. 22. 31. euaginato gladio oppositus se itineri, quo Balaã pergebat ad maledicendum populo Dei, cui dixit Angelus; *ego veni vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, mihiq; contraria.*

2. *Abigunt dæmones.*

Quartò abigunt custodes Angeli Dæmones à nebis ita Tob. 12. 3. dicit de Angelo Tobias iunior, qui ipsum duxerat, & reduxerat incolumem: *Dæmonem abea,* id est, vxore mea *ipse compescuit.* Idemque patet ibidem cap. 6. vbi Raphael Angelus Tobiam docuit, quam rationem tenere deberet ad exterminandum Dæmonium, vt nullam prorsus haberet potestatem in ipsum, contra quod etiam ipse Angelus pro iuuenis defensione pugnauit. Etenim tutelares Angeli sunt fideles illi custodes, de quibus Dominus Isa. 62. 6. dicit: *super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* nam positi sunt ij ad custodiendum gregem suum per vigilias noctis, ne lupus ille tartareus nobis infensissimus instar Leonis animas nostras deuoret, & secum abstrahat in perditionem. Ad hos custodes, & tutelares spiritus spectant etiam illa verba Apoc. 3. 2. *esto vigilans.* Vigilant enim contra versipellem aduersarium nostrum obijciendo se eius incursibus, frangendo vires, & acceptam resarciendo iacturam. Vigilant item, dum cõfirmant nos, nunc remouẽdo peccatorum occasiones, nunc deterrendo à vitijs, nunc corroborando in spirituali bello, nunc à Deo fortitudinẽ, ac robur ad resistendum impetrandũ do. Denique ita vigilant, ac mater intentos solet semper oculos habere in puerulum suum, ne forte labatur, aut mali aliquid, vel faciat, vel patiatur. similes proinde sunt illis fabris ferrarijs ferramentis instructis ad deterrendcornua, & procul à Iudæis abigendum, ne vlterius noceant. vt habes Zach. ca. 1. 20. 21. *ostendit,* inquit Vates, *mihi Dominus quatuor fabros* (Angeli erant) *& dixi: quid isti veniunt facere? qui ait, dicens: hæc sunt cornua quæ ventilauerunt Iudam,* &c. *& venerunt isti* (fabri vel Angeli) *deterrere ea, vt deijciant cornua gentium quæ le-*

Locus Isa. 62. 6.

Locus Apoc. 3. 2.

Angeli fabris ferrarijs similes.

uauerunt cornu ſuper terram Iuda, vt diſperderent eam. his ſignificatur non obſcurè Angelos hominum cuſtodes armatos eſſe, vt deterreant cornua illa ferrea, i. Diaboli poteſtatem ſupra homines, id eſt, qua dominari, & nocere hominibus nituntur, ne noceant illis.

3. 1. Docet.

Quintò docent, & illuminant Daniel. 9. 22. vbi Angelus apparens Danieli dixit: *Daniel nũc egreſſus ſum vt docerem te, & intelligeres.* Sextò ſecreta Dei conſilia aliquando etiã ſuis aperiunt Geneſ. 18. 17. *Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum?* erant autem tres Angeli, qui ſic loquebantur perſonã Dei portantes. Septimò cõſolari ſolent afflictos Tob. 5. 13. *forti animo eſto, in proximo eſt vt à Deo curetur*, & Angeli illi qui tempore reſurrectionis Chriſti mulieribus viſi ſunt, ſolabantur illas, dicentes: *nolite timere vos, ſcio enim quod Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis: non eſt hic, ſurrexit enim ſicut dixit.*

6. Secreta aperit.

7 Conſolatur mœſtos.

Octauò corroborant, animumque addunt, vt in via Dei progrediamur 3. Reg. 19. 7. *ſurge comede: grandis enim tibi reſtat via.* Nonò ſaluos & incolumes conſeruant nos etiam quoad corpus inter tot peregrinationis huius diſcrimina Tob. 5 15. *ego ducam & reducam eum ad te:* nam Angelus in hac vitæ præſentis via tanquam tutor & pædagogus noſter eſt, nos verò velut pueri pædagogo indigentes, ne graue aliquod vitæ periculum adeamus; ille ergò nos quaſi brachijs excipit, vt tuti, ſecuriſque loca periculoſa tranſeamus. ſic factum cum Iuniore Tobia, nam cum peruenisſet ad fluuiũ Tigris, & in eo vellet pedes abluere, inſilijt in eũ immanis quidam piſcis, vt deuoraret verùm Angelus tutatus eſt eum, & à periculo liberauit, iuſsitque vt fel eius acciperet ad reſtituendam cœco parenti ſanitatem. His addi poteſt cuſtodes Angelos etiam nonnunquam eſſe ſollicitos, cum expedit, in procurandis nobis bonis tẽporalib. vt ſanitate, viribus, pecunia, alijſque adiumentis, vt vitam conuenienter ſtatui, qui ad ſalutẽ conſequendam ſit accommodatior, inſtituere poſsimus.

4. 8 Corroborant. 9 corpus à periculis itinerum conſeruant.

Decimò ipſos etiam corporales hoſtes terrent, fugant, diſperdunt. Iſa. 37. 36. *Egreſſus eſt autem Angelus Domini, & percuſsit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia.* Vndecimò vim tentationum infringunt. Hoc ſignificatum eſſe videtur exemplo Angeli, qui Gen. 32. 25. in perſona Domini apparuit Iacob cuius tetigit neruum femoris, & ſtatim emarcuit.

5. 10. Terret viſibiles hoſtes. 11 Tentationum vim infringunt.

Duodecimò ſuorum preces offerunt Deo pro quibus etiam orant. Tob. 12. 12. *quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.* Et Apoc. 8. 4. *aſcendit fumus incensorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo.* nec orationes tantùm, ſed bona ẽt noſtra opera, & deſideria offerunt ſemperq; ſtudent aliquod gratiæ diuinæ donum ad nos adferre. Vtinam videre fas eſſet quanta cura & diligentia tutelares noſtri ſpiritus nunc aſcendant, nunc deſcendant pro nobis, quemadmodum oſtenſum eſt Patriarchæ Iacob in viſu per ſcalam, in qua aſcendebant, & deſcendebant Angeli. Porrò aſcendunt Angeli neceſſitates noſtras exponendo, bona, & preces offerendo, opemque nobis, & miſericordiam à Cœleſti Patre implorando: deſcendunt verò deferendo ad nos à Deo cœleſtes inſpirationes, ſanctas cogitationes, aliaque diuina auxilia, quibus iuuemur in ſpirituali militia, & maiores in dies progreſſus in virtute faciamus.

6. 12 Preces Deo offerunt bona opera, deſideria.

Aſcendunt & deſcendũt pro nobis Angeli.

Huic poſtremæ vtilitati accedit & illud in primis, quod ſub vitæ finem etiam animas piorum hominum in Cœlum ad Deum euehunt cuſtodes Angeli. Hinc Lu. 16. 22. habetur: *factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Etenim vt Serarius noſter teſtatur cap. 12. Tobiæ quæſtione. 21. ſub finem. *Poſtquam anima è corpore exceſſit idem Angelus eam comitatur, ſolatur, animat, vt confidenter ſe tribunali Diuino ſiſtat; obijciens eius oculis merita Ieſu Chriſti pretioſiſſima, in quibus tempore illius iudicij fidere debeat. Si autem ad expiandas peccatorum reliquias adiudicata fuerit Purgatorio, ibi eam ſæpe inuiſit, ſolatur, certiorem reddit de precibus piorum pro ea in mundo fuſis, & denique de futura liberatione ſecuram eſſe iubet.* Sic ille.

7. Animas ad cœlos effert.

Ceterùm præter has vtilitates; ſeptem tutelaris Angeli officia notat Gerſon Cancellarius Pariſienſis tract. 8. ſuper magnificat par. 3. eaque colligit ex act. Apoſtol. cap. 12. vbi refert Lucas D. Petrum ab Angelo è carcere eductum eſſe. Sunt autem hæc officia, aſtat, fulget, pulſat, iubet ſurgere velociter, ſoluit à catenis, educit ex carcere, liberum relinquit, eius verba, quia rem hanc exactè, & clarè explicant hic adſcribere non grauabor, ait ergò: *Angelus aſtat, vt penſemus, hoc eſt, ponderemus & libremus in tratina cordis, quis ſit finis. Si enim Satan aſtat nobis vt noceat, quis ferret ſi non ſtaret Angelus bonus? ſicut præterea querit iſte Satan claudere, vel eruere penitus oculum fidei, ne recogitemus finem noſtrum, qui Deus eſt: conueniens eſt, vt Angelus bonus ſanet & illuminet oculos cordis in viam, & in finem pacis. Angelus aſtans fulget in carcere mortis huius, vt nouerit vnuſquiſque poſitus in tenebris, qualis ſuus ſit ſtatus proprius. Sunt enim iuxta qualitates morborum ſingulorum, qualitates auxiliorum. Angelus aſtans & fulgens pulſat incitans ad bonum. Scit enim generaliter omnes & hoc nos ſcire facit, à Satana impelli. dum enim ſcitur periculum, ſollicitudine maiori fugitur ad auxilium. Angelus aſtans. fulgens & pulſans iubet ſurgere velociter. hoc autem impletur, dum ſperando diuina mandata ſeruantur, alioquin iacet obrutus in peccatis vetus homo noſter de ſe ſperans, aut non cum minori diſcrimine nimis ſperans ſeu præſumens. Angelus aſtans, fulgens, pulſans, ſurgere iubens ſoluit à catenis vitiorum, vinctum in mendicitate, & ferro, concuſſus enim timore caſto, & ſancto, cum grata Domini magnificatione iam ſe præcingit virtute actionis, iam calceat caligis præceptorum in præparationem Euangelij pacis. Angelus ſextum peragit officiũ dũ aſtans, poſtquã fulſit, pulſauit, ſurgere iuſſit, & ſoluit, educit extra carcerem; aperit vltro portam ferream pœnitentiæ, tranſito vicum vnum ſatisfactionis arte. Angelus tamen ſic eductum libertati derelinquit. Quo facto ſic ſanè deinceps, quæ retro ſunt obliuiſcens, liberatus in anteriora ſe*

8. 7. Offitia tutelaris Angeli.

Gerſonis verba de 7. offitijs Angeli tutelaris.

totus

totus extendit. Reuersus quidem ad se Deo gratus, & Angelo suo dicit ex sententia: nunc scio verè, quia misit Deus Angelum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Sic Gerson. Hæc si quis aduertat ex septem circumstantijs, cum quibus narratur liberatus fuisse Diuus Petrus collecta esse videbit.

9. *Honor debitus Angelis custodibus.* *Locus Ose. 12.4.*

Postremò docet nos reuereri plurimum SS. Angelos hominum custodes, eosque colere, coram eis flere, & rogare, sicut fecisse Iacob narratur Ose. cap. 12. 4. *& inualuit ad Angelum, & confortatus est; fleuit, & rogauit eum.* rogantis sanè Iacob, vt scripsit Moyses Gen. 32.26. illa vox est: *non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* nec hoc tantùm fecit Iacob cum Angelo suo, sed nepotes duos ex Ioseph filio genitos moriturus iussit ad se adduci, quos peramanter deosculatus, & complexus, sic eis benedixit Gen. 48.16. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Hãc eximiam S. Patriarchæ fidem, & pietatem erga nostros custodes, & tutores Angelos pro viribus æmulari par est. Etenim *amico fideli*, vt Ecclesiast. 6.15. 16. habes, *nulla est comparatio, & nulla est digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius; amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis.*

10. *Obedientia debetur Angelis.* *Locus Exho. 23.20 &c.*

Deinde Angelis nostris peculiarem obedientiam debemus exhibere, & quasi de illius dictum esse accipere debemus id, quod DEVS præcipit. Exhod. 23. 20. 21. 22. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paraui. Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cùm peccaueris, & est nomen meum in illo. Quod si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.* Quare libenter audiam monentem Bernardum sermone 2. super Psalmum 90. *cautè ambula, vt cui videlicet adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus vijs tuis. in quouis diuersorio, in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiam exhibe.* Iterumque ait: *quoties grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca Custodem tuum, Ductorem tuum, Adiutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione.* Adhæc, conari nostrum quilibet debet ea sectari maximè, quæ Angelis custodibus animaduerterit esse cara, quæque faciant nos ad ipsorum imitationem propius accedere; nam amoris caussa est morum & vitæ similitudo. Quare sicut Angeli, quamuis in terris homines custodiant, nusquam tamen vbicumque sit, Dei faciem non intuentur: ita & nos vbicumque simus, præsentem semper Deum mentis oculis cernere debemus: nam si erubescis in conspectu hominis peccare, tanto magis dignum est, vt erubescas coram Deo iniquum aliquid, vel facinorosum committere, qui non solùm opera, sed corda etiam intuetur.

Imitemur Angelos.

Præterea vt diligentissimos esse cognoscimus Angelos in custodiendis, & à peccato liberandis hominibus: ita si illis similes esse cupimus pro viribus nitamur, vt vel vnum saltem hominem à crimine liberemus, si plures nequimus: nam etiam Angelus, cùm vnum præsertim custodiant hominem, non propterea negligentior, vel remissior est in cura. Hinc Chrysostom. homil. 3 in epist. 1. ad Corinth. *ne*, inquit, *quoniam orbem terrarum non potes seruare, etiam paucos despice: etsi non possis centum, decem curam geras, etsi non possis decem, ne quinque despicias, etsi quinque non possis, vnum nobis despicari:* Proprium est Angelorum Dei laude nunquam satiari, amant proinde eos, qui diuino cultu, & sacris precibus de more vacant. Solent Angeli orantibus astare, & delectari his, quos vident leuare puras manus in oratione: holocaustum sanctæ deuotionis gaudent se offerre Deo in odorem suauitatis, vt docet Bernar. homil. 3. super missus. Solent quoque psallentibus se dignanter admiscere, vt Psalmist. ait Psam. 67. 26. *Præuenerunt Principes coniuncti psallentibus*: ac iterum: *in conspectu Angelorum psallam tibi.* Psal. 137. 2. quod etiam notat Bernard. sermone 30. super cant. Quare si rem illis gratam facere volumus, orationibus, ac diuinis laudibus diligenter vacemus.

11.

12.

Denique vt cætera omittam, sicut sunt Angeli natura purissimi, ita placent illis innocentes, & simplices, pueris similes, omnis fraudis, omnisque doli, impostura, mendacij, & simulationis expertes; cognata est enim Angelis virginitas, & cœlibum consuetudine mirificè delectatur, quam incredibilem Angelorũ puritatem clarè explicant verba Christi Matth. vigesimosecundo. vers. trigesimo. *in resurrectione neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Hos igitur Patronos nostros pro viribus æmulemur.

Locus Matt. 22.30.

DIGRESSIO VI.
MORALIS.

De Diuo Michaele Archangelo.

1. *Angelorum maior cum hominibus familiaritas tempore legis nouæ.*

MAgnum sanè beneuolẽtiæ Dei erga homines indicium est, quod tam nobiles spiritus, hominũ voluerit esse custodes, quod quamuis ita factum sit ab initio nascẽtis orbis cũ singulis hominibus, hoc tamen nouæ legis tẽpore, postquam Deus, Deiq; filius humanos induit artus, imprimis cernere est. Nũc enim maiorem quamdam familiaritatẽ, & coniunctionẽ intercedere experimur inter homines, & cęlestes illas mentes. quod nescio qua ratione adumbratum est duabus illis Angelorũ apparitionibus, quas Isa. 6. Dan. 10. Scriptura recensẽt, iterũq; ex Cherubinis illis quos Salomon 3. Reg. 6. collocauit in tẽplo. Isa. de Seraphim sic scribit v. 2. *sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciẽ, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Daniel verò v. 6. narrat vidisse se Angelũ, cuius erãt *brachia, & quæ deorsũ sũt vsq; ad pedes, quasi species aris cãdẽtis.* De Salomone verò scribitur loc. cit. v. 23. *& fecit in oraculo duos Cherubim de ligno Oliuarum.* & postea

versic. 27. dicitur posuisse *Cherubim in medio Templi interioris; extendebant autem alas suas Cherubim, & tangebat ala vna parietem, & ala Cherub secundi tangebat parietem alterum; ale autem altere in media parte templi se inuicem contingebant.* Ita vt facies ipsas conuersas haberent ad ianuam oraculi, atque adeò ad populum ipsum.

2. Ex his tacitè colligere est inter Angelos tempore veteris Testamenti, itemque post Euangelij tempus à Christi Domini aduentu non parum interesse. Nã quod Angeli ab Isaia visi opertam haberent duabus alis faciem, indicat mysticè non fuisse olim adeò notos, & perspectos hominibus, nec sese in eorum familiaritatem adeò insinuasse, sicut nunc faciũt post tempus aduentus filij Dei. Quod verò pedes occlusos ẽt haberent, & duabus alis contectos, innuit mysticè eorum affectus, non ita, vt nunc adeò propensos fuisse erga homines, vel etiam non ita frequenter aduenisse, descendisseq; ad homines, nec tamdiu cum illis, nec tam frequenter esse versatos.

3. Porrò quod Danieli visus fuerit Angelus ferè instar æris candentis; item mysticè designat eo tempore fuisse Angelos quasi æreos, & quodammodo ferreos, quod Dei imperio obsequentes magnam sæpè improborum hominum stragem ediderint, totosq; exercitus deleuerint, vt in historia Sennacherib videre est, opulentas quoq; ciuitates iniecto igne, ac sulphure absumpserint.

4. *Salomonis Cherubim quid indicẽt?* Verùm ij, quos in templo collocauit Rex Salomon Cherubim, nobis insinuãt quales se gesserint Angeli cum hominibus, vbi *Verbum Caro factum est.* Rectè enim Ecclesia Christi per Salomonis templũ significatur: aptè quoq; per ipsum Salomonem, Christus Dominus Dei Patris sapientia exprimitur: quare non ineptè per eos Angelos, quos Salomon in templo collocauit, significari potest, quales sint Angeli post Christi aduentum, quam ve peculiarem curam erga Dei Ecclesiam gerant. Hoc esse non obscurè insinuatum videtur, in Salomonis Cherubim. Hi oleæ ligno constitisse dicuntur, non ære, vt olim ille Danielis. Est enim olea misericordiæ, gratiæ, charitatisque symbolũ, vt intelligas post veri Salomonis accessum, prorsus misericordes, & benignos, maximeq; familiares sese hominibus Angelos ostendisse. Rursum, quod ijdem extensis ferantur fuisse alis, sereno, exporrectoq; vultu non obducto, expeditis pedibus, non tectis, indicat maiorem nunc etiam sui cognitionem impertiri hominibus, maioremque cum illis coniunctionem, necessitudinemque contrahere, & lubentius, frequentiusque ad eos aduolare, diutius etiam cum illis versari. Hoc enim ostendit alarum illa expansio, vultus apertus, & ad populum versus, expediti quoq; pedes. Hinc non mirum si nato statim Domino aduolarint illico ad Pastores Angeli, vt illis gaudium Natiuitatis Domini nuntiarent. Quorum vnus fortassis Gabriel. *Ecce,* inquit, *euangelizo vobis gaudium magnum.* & postea narrante Luca: *facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deũ, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis.* Iterum cùm A vellet Ioann. adorare Angelum, prohibuit hic ne id faceret. *Vide,* inquiens, *ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum* &c. Apocalyp. 22. 9.

Verùm cum omnibus Angelis hæc laus conueniat, nimirum tam prolixa in homines voluntas; inter cæteros tamen palmam hac in parte Michael Angelorum omnium Princeps sibi vendicat, qui peculiaris Ecclesiæ Christi custos datus est. Dicitur autem Michael: *Quis vt Deus?* Quod Dei imprimis honorem, maximamque gloriam defendat, & tueatur, nec permittat de ea quidquam, quamuis minimum sit, detrahi. 5.

Narrant quidam Hebræi, vt refert Sixtus Senens. libr. 1. Bibliothec. Iudam Mathathiæ filium, cùm aduersus Antiochum Iudæorum hostem prælium esset initurus, dedisse militibus suis, ceu belli tesseram sententiam illam Mosis, Exhod. capit. 15. 11. *Mi. chemocha. baalim. Iehoua,* hoc est, *quis sicut tu in fortibus Domine?* iussisse verò Iudam ea verba singulis ordinum vexillis inscribi tanquam certæ victoriæ omen, per quattuor literas: M. C. B. I. quæ initia sunt prædictarum quattuor dictionum. Itaque non integras dictiones scripsit, sed earum tantùm primam litteram. Cùm ergò vulgus militum quattuor has literas breuitatis gratia pronuntiare cœpisset, non iuxta integram, quam referunt sententiam, sed secundùm vnicam dumtaxat dictionem, quæ primùm ex earum combinatione resultat, videlicet Maccabæi paulatim militaris consuetudo obtinuit, vt huius tesseræ auctor Iudas, & posteri, *Maccabai* cognomine appellaretur, alioquin gentilium, seu familiæ nomen *Assamonæorum* erat. Nam sicut Romani in suis insignibus non integras dictiones scribebant, vt significarent, Senatum, Populumque Romanum, sed inscribebant, S. P. Q. R. ita fecit & Iudas. Itaque quod Iudæ exercitus loco tesseræ gestabat, nomen erat reuera Michaelis: *Quis vt Deus?* Cuius virtute non dubium (erat enim Synagogæ custos) tot victorias, tam multos de hostibus triumphos reuexerat Iudas. 6. *Maccabæorũ nom. vnde?*

Nomen ergo *Michaelis* est velut Ecclesiæ Christi tessera: quam contra omnes Dei hostes objicit, ac præfert in omni prælio, quod pro Dei nomine, & gloria aggreditur; hoc ergo nomine: *Quis vt Deus?* magna vi fertur in hostes diuini numinis contemptores, seque ac secum Angelos, huius sententiæ contemplatione, accendit ad bellum, qui quoties bellum inuadunt, Duce Michaele inclamãres: *Quis vt Deus?* incredibilẽ metũ, terroremq; hostibus incutiũt. Experiuntur hoc ipsum ẽt Christiani, dum vrgente tentatione Michaelis nomen inuocant. Sentiunt enim sibi ab hoc Angelorum Principe inter medias bellorum procellas, opem, auxiliumque impertiri, ad debellandas aduersariorum vires. 7.

Hæc verò quæ de nomine Michaelis diximus, eiusque efficacitate, verissima esse intelliget is, qui bella legerit, quæ à tam nobilissimo Angelorum Principe commissa esse Scripturæ narrant. Quattuor enim in vniuersum prælia narrat Scriptura, in quibus glo- 8. *Quattuor Michaelis bella in Scriptura.*

riosissimè

riosissimè Michael triumphauit, hac semper munitus tessera, quis vt Deus? Primum illud recensere possumus, quod contra Luciferum gestum est, ipso mundi exordio, qui cùm se per indignam, & intolerandam superbiam contra Deum insolenter efferret, voluit *in cœlum conscendere, Super astra Dei exaltare solium suum, sedere in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendere super altitudinem nubium, similis esse altissimo.* Isa. 14. 13. 14. Verùm non tulit id cœlestis militiæ Dux Michael præstantissimus, sed illico tanquam acerrimus diuini honoris, & gloriæ propugnator. *Quis vt DEVS?* Exclamat, & cœlestium spirituum agmina simul accendens, incredibili impetu prorumpit in hostem, statimque ad infernum detrahit, & in profundum laci deturbat ab alto. Sic enim Scriptura ait, Apocalyp. 12. 7. 8. 9. *Factum est prælium magnum in cœlo, Michael, & Angeli eius prœliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt* &c. *& proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus* &c. *& proiectus est in terram, & Angeli eius cum eo missi sunt.* Ita hunc locum de primo illo bello quidam interpretati sunt, vt Scholast. passim cum Magistr. 2. sentent. distin. 6. & D. Thom. 1. part. quæst. 63. artic. 8. saltem non dubium quin eo referri possit per aptissimam quamdam accommodationem. Tunc acclamatum est Deo, & Michaeli: *Quis vt Deus?* Tunc quoque omnes cœlestium spirituum acies lucifero exprobrarunt illa, quæ apud Isa. loco citato habentur versiculo 12. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes.*

Locus Apoc. 12. 7. &c.

9. Locus Iudæ v. 9.

Alterum est bellum, cuius in scripturis mentio est in epistola Diuæ Iudæ vers. 9. vbi sic legimus: *Cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ; sed dixit: imperet tibi Dominus.* Videtur enim diabolus percupiuisse, vt Mosis corpus reuelaretur, quo Hebræi ad illud adorandum, atque adeò ad idololatriam incitarentur. Quam rem intelligens Michael, in campum descendens: *Ecquis*, inquit, *vt Deus?* statimque pro nominis sui, & officij ratione omnem idololatriæ ansam præcidere volens, passus non est, vt Mosis corpus, vbi esset Angelorum manibus repositum, constaret. Hinc patet proprijssimum Michaelis munus esse, fortiter ea omnia propulsare, quæcumq; contra Dei honorem facere videntur; neque vnquam illud non inspicit: *Quis vt Deus?* ergo & in hoc etiam bello fortiter per Michaelem gesto, acclamatum est Deo, & Michaeli: *Quis vt Deus?*

10. Locus Dan. 10. 13.

Tertia expeditio à Michaele suscepta fuit; cùm Gabrieli Archangelo opem, auxiliumq; laturus adfuit, qui à Persarum principe impediebatur, ne Israelitas educeret è Babylonica captiuitate, cuius amicæ contentionis meminit Dan. 10. 13. *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti, & vno diebus: & ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum.* Vbi imprimis sciendum eum, in cuius auxilium Michael venit, Gabrielem Archangelum fuisse, qui cùm Michaelem vnum de principib. primis appellat, non est intelligendus loqui de Angelis supremi ordinis infimæ Hierarchiæ. pertinere enim arbitror Michaelem ad Seraphinos, sicut & reliquos sex, quos Archangelos nominamus; quamuis Michael omnium cœlestium spirituum, qui remanserunt, Princeps, & caput sit. Est enim communior Doctorũ sententia, quam sequitur D. Th. 1. p. q. 63. a. 7. cum Magistro in 2. sent. dist. 6. Luciferum in vniuersum omnium Angelorum fuisse primum, Michaelem verò eorum tantùm, qui non peccauerunt, Principem facere videtur Daniel, dũ illum Principem magnum cap. 12. 1. nominat; alludere enim videtur ad septem illos astantes Angelos omnium supremos, de quibus Tob. 12. 15. *Ego sum Raphael Angelus vnus ex septẽ qui astamus ante Dominum.* Hos quia naturę præstantia excellit Michael, meritò Princeps magnus vocatur à Daniele. Quod confirmat id, quod habet Greg. hom. 34. super Euangelia, vbi Gabrielem summum Angelum vocat. ergo ad Seraphinos pertinet, multò ergo magis id Michaeli competet, qui inter illos septem solus *magnus* dicitur. Quamuis D. Hieronym. Dan. cap. 10. & alij quidam sequentes Dionysiũ Areopag. de cœlest. Hierarch. c. 9. inter Principatus collocent D. Michaelem. At Dei Ecclesia vocat eum *Præpositum Paradisi, Primatum cœlestis exercitus, Principem militiæ cœlestis, Præpositum animabus suscipiendis*, & in Litanijs secundo statim loco à Beatissima Virgine collocatur. Vnde ille etiam Seraph sex alis ornatus, admirandoque splendore collucens, qui anno 1224. teste Anton. 3. p. Cronic. tit. 24. cap. 7. §. 4. vel circa festum exaltationis sanctæ Crucis, vel ipso die festo Crucis mense Septembri apparuit D. Francisco in monte Aluerniæ, & eum Christi Domini stigmatibus insigniuit, D. Michael fuisse creditur, vt vix dubitari queat, saltem ad Seraphinorum ordinem pertinere. Quamuis ergo à Dan. loc. cit. dicatur vnus de primis Principib. non propterea ad Principatus, qui ad infimæ Hierarchiæ supremum ordinem pertinent, referendus est, sed ad septem illos Principes, qui astant ante Deum omnium Angelorum supremos. Primum tamen inter illos esse, & cæteris præstare omnibus non dubito, vt proinde meritò dici videantur Angeli reliqui Michaelis esse tanquam eius milites, quia totius cœlestis exercitus Dux est, & Imperator. Sic enim legimus scriptum: *Michael, & Angeli eius prœliabantur cum Dracone.* Hæc obiter pro intelligentia huius loci Daniel. ne arbitretur quis primatui Diui Michaelis obesse hæc verba Scripturæ, qua *vnus de Principibus primis* appellatur.

7 Archangeli Seraphini sunt.

Lucifer primus Angelorum.

Locus Dan. 12. 1.

Michael primus nunc Angelorum.

A D Michaele insignitus stigmatibus creditur fuisse D Franc

11. Contentio sancta inter Angelos.

Iam verò quoniam *Princeps Persarum*, qui Angelus erat bonus, contendebat, ne Israelitæ educerentur è captiuitate babylonica, quia videbat inde plurimum vtilitatis capere Persas suæ curæ commissos, & interim Hebræorum aliquos his malis meliores fieri posse. Gabriel verò acriter curabat, vt illinc Hebræi excederent, ne ad idola collaberetur colenda, vt erat genus illud hominum

Digitized by Google

ad idola procliue. Hinc fraterna quædam, & amoris plena contentio nata est inter sanctos Angelos; quilibet Deum pro suis orabat, nitebaturque ante perspectam Dei voluntatem absolutam, bonis de caussis, quod vtilius sibi commissis esse videbat, obtinere. Adfuit interim Michael Gabrieli, & obiecta, explicitaque vexilli militaris tessera, *quis vt Deus?* Principis Persarum conatus fregit, & ne Gabrieli resisteret, effecit. Sed, inquies, quid hoc ad Michaelis munus pertinet? imò verò maximè facit. Nam si Iudæi non essent Babylone regressi in Patriam, in discrimen adduci poterat DEI honor, & fides. Vaticinijs enim Prophetarum promiserat Deus expletis septuaginta annis captiuitatis reductorum se esse Iudæos in Patriam. Quare cùm hæc eductio multum ad Dei numen illustrandum, & seruatæ fidei gloriam pertineret, suarum partium esse maximè censuit Michael, vt suo aduentu meliorem hanc caussam tutaretur. Quare vt ait Gregorius verè hæc Gabrielis defensio aduersus Angelum Persarum ad Diui Michaelis officium pertinebat, quippè qui erat Hebræi populi Præpositus. Vnde constat quanta sit Michaelis auctoritas, & potestas cum eius ope, & auxilio non infimi quique Angeli modo, verùm ipse etiam Gabriel vnus de septem astantibus indiguerit. Hac igitur victoria parta, ab Angelis Deo & Michaeli acclamatum quoque est: *Quis vt Deus?*

12. Restat vltimum prælium, quod Duce Michaele sub finem interituri mundi magna potentia, ac robore conficiendū est. De hoc Daniel. 12. 1. sic legimus: *in tempore illo consurget Michael Princeps Magnus, qui stat pro filijs populi tui, & veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt vsque ad tempus illud.* Vbi prædicit Gabriel Michaelem Ecclesiæ Præsidem periculosissimo illo Antichristi tempore, pro ea, quam de fidelibus gerit, cura, imprimis verò pro diuini nominis honore, quem sibi sceleratissimè impius vendicabit Antichristus acerrimè, pugnacissimeque bellaturum contra Antichristum, ipsumque inferni caput luciferum: tunc ergo vndique ad atrocissimum, difficillimumq. bellum magno totius cœlestis militiæ consensu ibitur in prælium, explicatisque vexillis resonabunt omnia mundi elementa Angelorum vocibus inclamantium: *Quis vt Deus? Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.* 2. Thessal. 2. 8. Et quidem eo loco verba illa: *interficiet spiritu oris sui*, docet D. Thomas & alij non pauci, significare Dominum Iesum interfecturum Antichristum spiritu oris sui, id est, mandato suo; *quia Michael interfecturus est*, inquit, *eum in monte Olineti, vnde Christus cœlum ascendit.*

13. De hoc bello secundùm genuinum, germanumque sensum videntur accipienda illa verba Apocalyp. loco citato num. 8. *Factum est prælium magnum in cœlo: Michael, & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius:* Vbi sicut Angeli mali dicuntur Angeli Draconis, quia ipse est illorum caput, ita & Michaeli tribuuntur Angeli boni, quod ipse sit eorum caput, & Princeps. Porrò mox eodem loco describitur Michaelis victoria. *Et non valuerunt &c. & proiectus est Draco ille magnus.* Tunc acclamabitur ab Angelis: *nunc facta est salus, & virtus, & Regum DEI nostri, & potestas CHRISTI eius,* & quæ sequuntur.

Constat igitur quanta sit Diui Michaelis potestas, quantum imperium, atque adeò quanto sit à nobis honore prosequendus. Ipse enim est, qui ad nostram defensionem Angelos in modum exercitus instruit, & tanquam castra Dei contra dæmones immittit; Ipse Adamum è Paradiso eiectum direxit, eumq; terram rastris, ac ligone colere docuit; Is manus, gladiumque Abrahæ compressit, ne filium neci daret; Ipse Mosi oues pascenti totus ardens, igneusque in medio rubi apparuit; Ipse dedit legem in monte Sinai; Idem visus est Iosue stricto gladio aduersus Dei hostes Iosue 5. Ipse Gedeoni apparuit, eumque adiuuit, vt trecentis tantùm militibus infinitam Madianitarum multitudinem profligaret Iudic. 6. 7. Ipse centum octoginta quinque millia Assyriorum in Sennacherib exercitu vna nocte deleuit; *Is est, qui fidelium populorum Ecclesias exhilarat*, vt quidam ait, *Romanorum custodit Rempublicam. Imperatores armat aduersus Barbaros; Christianos reddit victores; ab ingentibus maris fluctibus eos, qui ipsum inuocant, eripit; fertilitatem fructuum terræ suppeditat; Hic est Michael Archangelus*, vt Ecclesia canit, *Princeps militiæ Angelorum, cuius honor præstat beneficia populorum, & oratio perducit ad regna cœlorum, quem honorificant Angelorum ciues, cui tradidit Deus animas sanctorum, vt perducat eas in Paradisum exultationis.*

14. D. Michaelis opera præclara.

15. Hunc si sapimus cum vniuerso Angelorum exercitu nobis sæpè ob oculos ponamus, vbique suspiciamus; hos & redamemus, & veneremur, ab illis ex animo petentes, vt pro sua ipsorum præstanti charitate è vita excedentibus nobis opitulentur, & patrocinentur. Etenim Lazari quoque mendici animam in sinum Abrahæ deduxerunt, & vidit Antonius magnus, adesse Angelos, vt in eius vita narrat Athanasius, qui sancti Ammonis animam in cœlum deferrent. Denique testis est Chrysostomus libr. 6. de Sacerdot. quod, qui purè communicant corpori Dominico, in extrema hora Angelis stipati rectà in cœlum adducentur.

Qui purè communicant.

(***)

Locus Dan. 12. 1.

Locus Paul. 2. Thess. 2. 8

Locus Apoc. 12.

Digitized by Google

CAPVT XI.

FRATRIS CORRECTIONEM PRAECIPIT, CVM PARABOLA REGIS, qui debitum semel remissum sui serui repetijt, quod immisericors erga conseruum fuerit.

A. 18. 15.

Fer. 3. post Do. 3. Quadragesimæ habes inferius cap. 31. v. 3. 4. simile ex c. 17. Lucæ.

V. 1. *I autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eũ inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus es fratrem tuum.*

2. *Si autem te non audierit adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.*

3. *Quod si non audierit eos; dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

4. *Amen dico vobis, quæcumq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.*

5. *Iterum dico vobis, si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumq; petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.*

6. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum.*

7. *Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsq; septies.*

8. *Dixit illi Iesus: non dico tibi septies, sed vsq; septuagies septies.*

9. *Ideo assimilatum est regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.*

10. *Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.*

11. *Cùm autem non haberet vnde redderet; iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.*

12. *Procidens autem seruus ille, orabat eũ, dicens: patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*

13. *Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.*

14. *Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum, dicens: redde quod debes.*

15. *Et procidens conseruus eius, rogabat eum, dicens: patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*

16. *Ille autem noluit: sed abijt, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.*

17. *Videntes autem conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt valde: & venerunt, & narrauerunt Domino suo omnia quæ facta fuerant.*

18. *Tunc vocauit illum Dominus suus, & ait illi: serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.*

19. *Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?*

20. *Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet vniuersum debitum.*

21. *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris.*

SCHOLIA.

1. Connexio.

SI *peccauerit*] Paulò antea vetuerat Christus, ne cui scandalo essemus, maximè verò humilibus & pusillis: nunc autem amplius in hoc totos nos esse vult, vt quàm studiosissimè poterimus, peccantium fratrum nostrorum salutem quæramus, illosque qua fieri poterit, diligentia lucremur. Item cùm docuisset cauendum, ne in quem fratrem peccemus per scandalum, accommodatè nunc subijcit, quid faciendum, cùm frater aliquid peccat in nos. Sicut etiam Lucæ 17. monitioni de scandalis, hæc subijciuntur. *Frater tuus*] in vniuersum *fratrem* vocat omnem Christianum, non quemlibet proximum aut hominem quod constat hic ex v. 3. *dic Ecclesiæ, &, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*; liquet autem non quemlibet hominẽ ad Ecclesiam pertinere, *neq; enim de ijs, qui foris sunt, iudicat* 1. Cor. 5. 12. & patet Ethnicum & Publicanum *fratri* opponi. Docet ergo si quid fortè frater peccauerit, misericorditer, & tanquam fratrem esse tractandum.

2. In te) bifariam fumi posse.

In te] Bifariam id exponi solet; vno modo, vt idem sit, *in te*, ac *contra te*: sic interpretatur Diuus Hieronymus & Chrysostomus, Matth. 18. Ambrosius Luc. 17. & Hilarius can. 18. in Matthæum, qui sensus confirmari potest ex verbis Diui Petri: *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei.* Altero modo: perinde est dicere *in te*, atque te sciente, præsente, atque vidente siue alio qui peccet contra te siue non. Nam eo ipso potest dici aliquis contra aliquem modo aliquo peccare, si eo sciente peccat, quasi faciens eum suæ iniquitatis testem, & approbatorem: Item quia eo ipso scandalizat, quantum in ipso est, conscium criminis. Sic exponit D. Augustinus serm. 16. de verb. Domini, vbi ait: *peccauit in te frater tuus,*

si tu

Digitized by Google

si tu solus nosti; tunc verè in te solum peccauit. Nam si multis audientibus tibi fecit iniuriam, & in illos peccauit, quos testes suæ iniquitatis fecit. Et paulò post inquit, quando me audiente fratri meo quisquam iniuriam facit, prorsus & mihi fecit: immò mihi plus fecit; cui putat placere quod fecit. Augustinum sequitur Diuus Thomas quodlib. 11. art. 12. iuxta quem sensum (qui tamen primum minimè excludit) præcipitur hic, vt corripiamus proximũ vtcumque peccantem, siue contra nos, siue contra Deum peccet, quod tanquam certum videntur supponere doctores, præsertim verò Aug. loc. cit. vbi concludit: *non solum quando in nos peccatur, sed quando peccatur ab aliquo, nesciente altero, in secreto debemus corripere.*

Peccare intelligitur siue contra nos, siue contra Deum.

3. Equidem fateor, priori modo sumi hic *peccare in aliquem* propriè, præsertim cùm apud Luc. 17. cap. vt hic habes cap. 31. vers. 3. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi.* Vnde liquet in illum aliquem dici peccare propriè, qui potest ei peccatum dimittere, hoc est, qui læsus est. Et sic intellexisse videtur Diuus Petrus cùm sic interrogauit: *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Censendum est igitur secundùm proprium, & primum sensum, illum peccare in aliquem, qui directa fratrem afficit iniuria, & Dominum eum, qui sic ab alio læsus est, propriè hoc præcepto constringere ad lædentis se correptionem, non ad vltionem.

Quid propriè peccare in aliquem.

4. Et quidem ei, qui offensus est, vel læsus, id est, cui propriè iniuria irrogata est, duplici nomine competit præ alijs peccantis fratris correptio, & quod ei fratris peccatum est notius, magisque premit, & vrit, & quod fraterna eius monitio potentior esse censeatur apud eum, qui offendit, cùm viderit illum etiam saluti suæ studere, cui iniuriam irrogauit. Cæterum quia omne peccatum, siue rectà feratur in Deum, siue in proximum, verè Christianum offendit. Qui enim iubetur Deum & proximum diligere, quomodo non illorum iniuria affici potest? propterea quod Christus hic dicit, est etiam intelligendum de omni eo peccato, quod rectà siue in Deum, siue in proximum fertur. Iterum quoniam quilibet peccantis quouis modo fratris saluti studere debet, hinc fit, vt hoc præcepto quilibet Christianus ad correptionem cuiusque fratris peccantis coram se astringatur. Adhæc idipsum ex paritate rationis stabilitur: nam peccantem contra nos iubemur corrigere, non ideò propriè, quia peccat contra nos, sed quia omninò peccat, & offendit Deum, & animam occidit, quod facit etiam, qui mortaliter solùm contra Deum peccat. Igitur non nostra causa, sed causa salutis ipsius quemcunque ita peccantem corripere debemus; & ideo dixit Dominus: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Et Augustinus sermone 16. de verbis Domini, *quare*, inquit, *fratrem corripis? quia sic doles quod peccauerit in te? absit. Si amore tui id facis, nihil facis; si amore illius facis, optimè facis.* Et paulò post subdit: *Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam non pro nobis, nam gloriosum est iniurias obliuisci, sed obliuiscere iniuriam tuam, non vulnus fratris tui.* Postremò à fortiori idem colligi potest: nam si debemus ex charitate eum quoque peccatorem corripere, qui nobis iniuriam irrogat, multò igitur magis peccantem illum, qui nihil contra nos egit: magis enim obligamur ex caritate diligere amicos, vel etiam non inimicos, quàm illos, qui nobiscum inimicè se gerunt. Hanc autem sententiam non dubito esse Aug. D. Thomæ &c. Nam etiam, per peccantem in nos, intelligunt eum, qui nobis videntibus, vel scientibus peccant, quia etiam hos putant iniuriam aliquam nobis inferre, vt dixi num. 2.

Ei qui offensus maximè competit correptio, sed & alijs tamen.

A

Vade & corripe eum] Primum quidem seorsim, atque clam testibus peccantem corripere iubet, ne fortè indignatus peccatum suum alteri detectum, monitionem respuat. Qui si audierit magnum corripienti lucrum accesserit emendati fratris: sin audire recusauerit, iterum præcipit adhibendos testes: quos etiam si contempserit, Ecclesiæ tertiò dicendum mandat. Vade autem ait, hoc est, ne expectes, dum prior ipse ad te veniat, & erratum agnoscat, sed tu opportunitatem quæras.

5. *Tres gradus fraternæ correptionis.*

Si te audierit] Ex his verbis Diuus Augustinus colligit non leue esse peccatum, quod in fratrem, & in hominem committitur, vt per quod homo in perditionem incidit: *Agnosce*, ait, *quia in hominem peccando periisti; nam si non perieras, quomodo quomodo te lucratus est? nemo ergo contemnat, quando peccat in fratrem.* Diuus quoque Chrysostomus & Hieronymus etiam illud hinc eliciunt; fratris videlicet salutem tanquam nostrum bonum diligenter quærendam à nobis esse; ipsius verò ruinam & perditionem velut proprium damnum habendam esse: si enim fratrem in meliorem frugem se recipientem lucrari dicimur, ergo & peccantem perdidimus, atque adeò damnum passi sumus. Liquet hinc quanta debeat esse inter Christianos animorum coniunctio.

6. *Peccare in fratrem grave est.*

Fratris salutem nostrum bonum, perditionem damnum putemus.

B

Inter Christianos quãta debeat esse vnio.

2. *Si autem te non audierit*] Cur testes post primam admonitionem adhiberi velit, petat Lector ex theoria. *Vt in ore duorum*] Citat legis testimonia ex Deuter. 17. 6. *In ore duorum, aut trium testium peribit, qui interficietur.* & cap. 19. 15. *non stabit testis vnus contra aliquem quidquid illud peccati & facinoris fuerit, sed in ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum.* Itaque hoc interest inter locum Deuter. Et hunc, quod ibi voluit Deus ea lege terrere, ne quis vno tantùm teste condemnaretur. Hic autem Christus tantùm affirmare voluit satis esse ad fidem faciendam duos, vel tres testes, verùm vtrũ simul an separatim adhiberi debeant, in theoriam reijciamus.

7.

C

3. *Dic Ecclesiæ*] Indicat hic locus, nec summum Pontificem, nec reliquos Episcopos iurisdictionem suam exercere in foro exteriori debere, præsertim in caussis grauioribus, sinè consilio, & approbatione Seniorum, quos vt assessores, & consiliarios habere debent; quorum Synodus, & congregatio vna cum ipso capite accepta, Ecclesia in hoc Euangelij loco appellatur, applicata appellatione totius parti præcipuæ; & vt in nominibus collectiuis frequenter fieri assolet. Veteres multi nomine *Ecclesiæ* ipsos prælatos intellexerunt, Chrysostom. in hac parte imitati, ductique hac ratione, quod statim conuertat Dominus sermonem ad Apostolos, dicens: *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis* &c. Alij nomine Ecclesiæ intelligunt congregationem omnium fidelium. Neutra tamen expositio tam videtur quadrare ad sensum litteræ, atque ea quam attulimus. nam quoad priorem attinet, *Ecclesiæ* certè nomen non fert, vt sola Episcopi persona intelligatur: præsertim cùm sequatur statim in Euangelio: *Iterum dico vobis, quia si duo consenserint super terrã, de omni re, quamcũque petierint, fiet illis à Patre meo*; quod haud dubiè ad extollendam auctoritatem congregationis dictum est.

8.

Ecclesia quid hic.

D

Nec verò cũ de Ecclesia hic agatur, vt exercet actum iuridicum, quemadmodum verba illa significant: *Si Ecclesiam non audierit* &c. Item *quæcunque alligaueritis* &c. vniuersa fidelium multitudo eius nomine potest intelligi; nulla enim

9.

Digitized by Google

Respubl. vnquam extitit, quæ non eligeret ex toto corpore aliquem, vel aliquos, quibus iuris dicendi officium committeret. Et quis, obsecro, non videt rem esse tam perplexam & difficilem, vel vniuersam fidelium Ecclesiam cogere, vt illi crimen fratris denunties, vel ab ipsa multitudine sententiam expectare, vt tolerari minimè posset? non sum nescius esse aliquos, qui argumento sumpto ex Ecclesiæ consuetudine, quæ habet vt excommunicandi denuncientur publicè iussu Episcopi in medio cœtu Ecclesiæ per monitoria, contendunt verba hæc, *dic Ecclesiæ*, hunc habere sensum; si sis Ecclesiæ Præses, tu ipse dic Ecclesiæ; sin minus, dic Præsidi Ecclesiæ, vt is curet toti Ecclesiæ denunciari; verum hi non animaduertunt, denuntiationem hanc, quæ fit in Ecclesia, quemcunq; alium finem habere potius, quam executionē istius præcepti Christi, *dic Ecclesiæ*. Christus enim iussit vt deferretur res ad Ecclesiam, tanquam ad supremum Iudicem, quemadmodum verbis illis sequētibus declarat: *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*: At qui monitoria, aut sententiam excommunicationis promulgant in Ecclesia, non rogant, nec expectant ipsius Ecclesiæ iudicium.

10. Nullus igitur sensus est, qui aptius conueniat instituto sermonis Christi & verbis ab eo prolatis, quam is, quem tradidimus, vt *Ecclesiæ* nomine intelligatur cœtus Episcopi, & Seniorum, qui sint à consilijs ipsius Episcopi, sine quorum iudicio & sententia nihil Episcopus in rebus, præsertim grauioribus, statuere deberet. Quos vt Cardinales referunt apud summum Pontificem, ita referebant forsitan olim Canonici apud Episcopos. Itaque vt Romæ, *dicere Ecclesiæ*, esset rē deferre ad Consistorium, quod constat ex summo Pontifice & Cardinalibus; ita in alijs Episcopatibus fuisset deferre eam ad Capitulum, quod constat ex Episcopo & Canonicis; vsus tamen obtinuit à multo tempore vt *dicere Ecclesiæ*, non sit aliud, quàm dicere officiali, aut vicario Episcopi, qui nullis Senioribus in consilium adhibitis excommunicauit, & absoluunt.

11. In primitiua Ecclesia qui-bus fierent denunciationes.

Iansenius notat cap. 71. conc. in hæc verba: *quod in primitiua Ecclesia, secundùm hoc Christi præceptum, denunciabantur peccatores post vnam & alteram correptionem toti Ecclesiæ alicuius loci, hoc est, Christianis legitimè cum suo Episcopo aut Pastore congregatis, ibique si impœnitentes persistebant, omnium consensu, & approbatione excommunicabantur ab Episcopo. vnde Paul. 1. Corint. 5. incæstuosum Corinthium tradens Satanæ, dicit, se id facere cum congregatis secum secundum Spiritum Corinthijs, &c. & Tertullianus in Apologet. cap. 39. describens qualis suo tempore fuerit disciplina Christianorum in congregationibus ipsorum, inter cætera, sic habet: Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & cēsura diuina. nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu; summumque futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à cōmunicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti cōmercij relegetur. Præsident probati quiq; Seniores, honorē istū non pretio, sed testimonio adepti, verū postea cū optimus ille primitiuæ Ecclesiæ status remissus est, & ob instabilis vulgi tumultus non conueniret pleraque agi arbitrio & consensu vulgi; cœptæ sunt denunciationes fieri tantum ad Ecclesiarum Præsides, quorum etiam prius ab initio semper fuit prima auctoritas in iudicando & excommunicando peccatores denuntiatos, quamuis non sine consensu & approbatione fidelis multitudinis, proinde D Chrysost. exponens hic nomen Ecclesiæ, habet præsulibus scilicet, & præsidentibus, vnde factum deinceps vt harum rerum cura committeretur ab Episcopis ipsis Archidiaconis,*

A *& Officialibus, quemadmodum hodie obseruari videmus.* Hæc doctè Iansen. & verè. Obseruandum est autem hic quidem Dominum loqui de iniurijs, quas vnus ab alio patitur: sed à maiori, intelligendum etiam esse de iniurijs, quæ fiunt in totam Ecclesiam, & in Deum, qualis est hæresis: qui enim iubet deferri adulterum ad Ecclesiæ iudicium, multò magis hæreticum.

12. Ecclesia visibilis.

Sed antequam ad sequentem versum transeamus, monemus ex hoc vers. 3. *dic Ecclesiæ*] non obscurè colligi Ecclesiam esse inuisibilem, *quod ferè omnes hæretici nostri temporis* (inquit Olauius in manuscriptis) *præter Anabaptistas admittunt, affirmantes visibilem Ecclesiam necessariò esse constituendam, quamquam Caluinus non visibilem, sed inuisibilem dicat Ecclesiam eam esse, quæ in Symbolo ad credendum proponitur. Bifariam enim, ait ille, de Ecclesia sacras literas loqui. Interdum de inuisibili in quam non recipiuntur, nisi qui adoptionis*
B *gratia filij Dei sunt. Interdum de visibili, quæ designat vniuersam hominum multitudinem in orbe diffusam, quæ consensionem habet in vera Dei doctrina, & legitimo vsu Sacramentorum, in qua plurimi (vt inquit ille) sunt hypocritæ, qui nihil Christi habent, præter titulum, & speciem. Christianos igitur ait inuisibilem Ecclesiam credere, visibilem autem obseruare debere. Philippus nullam de Ecclesia inuisibili vult fieri mentionem, & apertè contra Caluinum, (etiam si eum non nominet) videtur scribere non esse fingendam Ecclesiam hominum in hac vita inuisibilem, & mutam; nam tabernacula dilecta, ad quæ Propheta suspirat, & domum, cuius decorem dilexisse se prædicat (Psalm. 83. 25.) ac vnum illud corpus, de quo ad Ephes. 4. Apost. loquitur, non esse Ideam Platonicam, sed publicas, ac visibiles congregationes, quæ vbi desunt, quēadmodum apud Anabaptistas, ibi ait, vocem Euangelij conticescere & diabolicas vastitates*
C *& dissipationes effici.*

13. Ecclesia in visibilem & inuisibilem diuiditur ex Aug. Ecclesia visibili, etiā in Symbolo credenda proponitur.

Nos, inquit Olauius, nec improbamus cum Philippo Ecclesiæ diuisionem in visibilem, & inuisibilem, quoniam ea videmus D. August. necessaria ratione adductum, esse vsum lib. 20. de ciuitate cap. 9. & Caluino neganti Ecclesiam visibilem ad credendum nobis esse propositam, vehementer repugnamus. Primùm, quoniam non erat planè opus Ecclesiam inuisibilem peculiari articulo hominibus commendari, cùm ex infinita Dei sapientia euidenter colligatur præsentem esse coram oculis Maiestatis eius, qui per æternitatem intuentur congregationem iustorum, & saluandorum omnium. Et certè nemo satis explicare poterit quem vsum nobis afferat audire Ecclesiam iustorum, & electorum (quæ soli Deo nota est) Vnam esse, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam. Deinde cùm apertè dicat Caluinus; Et si imperium Ecclesiæ solo Christi verbo exerceatur, quia tamen visibili præsentia
D *inter nos Christus non habitat, salutis doctrinam illum apud homines deposuisse, quas suæ voluntatis fecit interpretes, quorum visibile munus magnis exaggerationibus necessarium esse alibi demonstrat: sed cùm hæc ille doceat, mirum planè est, cur credere Ecclesiam visibilem reformidarit, cuius vsus, quem tam necessarium prædicat, pereat omninò oportet, nisi Ecclesia ipsa credatur: dubium enim non est, nullum posse fidei Christianæ (quam scimus ex auditu esse, & ab Ecclesia visibili hauriri) firmitatem & certitudinem constare, nisi visibilis ipsa Ecclesia credatur, cùm ideo certissimam esse illam non dubitemus, quoniam credimus iuxta Domini promissionem Ecclesiam à qua docemur magisterio Spiritus sancti, qui præsens illi semper adest, perpetuò gubernari, ac proinde columnam eam, & firmamentum veritatis esse, nec portas inferi contra ipsam valituras. Quod si iccircò credere visibilem Ecclesiam*

Caluinus recusat, quod doceat nonnunquam in ea obrepere errores in doctrina, & cultu Sacramentorum solere, capitibus quibusdam, quæ semper immota manent, exceptis, cur obsecro toties inculcat Symbola verissima, & tesseras Ecclesiæ visibilis puritatem doctrinæ, & cultus sinceritatem esse? An potest caussa aliquid dicere cur Ecclesiam visibilem non credat, qui talibus eam signis designat? de hac cõtrouersia vide quæ superius diximus, c. 6. theor. 5. nu. 10. & seq.

14. *Sicut Ethnicus & Publicanus*] Hilarius Matthæi 18. in hæc verba dicit: Deum sic egisse cum populo Israel, vt Christus monet agendum, primò enim corripuit populum inter se, & ipsum solum, quando apparuit illi cum maiestate in monte Sinai. Secundò, adhibuit secum duos testes, id est, legem & Prophetas. Tertiò dixit Ecclesiæ, id est, misit Christum summum præsulem. Vltimò, cùm illi Ecclesiæ præsulem non audirent, neglexit eos, ac deseruit vt Ethnicos, & Publicanos. Quibus verbis ostendit Hilarius, fieri Ethnicum, & Publicanum, quod fit per excommunicationem, esse eijci de populo Dei, & non amplius à Deo gubernari peculiari illa prouidentia, qua gubernatur Ecclesia. idem videtur Chrysost. & Theophyl. D. Hieronym. etiam in cap. 3. epist. ad Titum, dicit, alios peccatores per Episcoporum excommunicationem propelli extra Ecclesiam, quo per se ipsos sponte eunt Hæretici, & Schismatici.

Quid sit fieri sicut Ethnicũ & Publicanũ secũdum Hilar.

15. Diuus Hieronymus Matth. 18. ait: *quando autem dicitur: Sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus: ostenditur maioris esse detestationis, qui sub nomine fidelis agit opera infidelium, quã hi qui apertè gentiles sunt. Publicani enim vocantur secundùm tropologiam, qui sæculi sectantur lucra, & exigunt vectigalia per negotiationes, & fraudes, ac furta, sceleratáq; periuria.*

16. Augustl. libr. 1. con. aduer. leg. & Prophet. cap. 17. ostendit, quàm grauis sit hæc pœna: *illud enim*, inquit, *quod ait: si nec Ecclesiam audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus: grauius est, quàm si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si ferùs subrigeretur.*

4. *Quæcunque alligaueritis*] Caussa huius promissionis est, quia dixerat Dominus habendum esse pro Ethnico & Publicano, qui Ecclesiam non audierit. Ne quis ergo putaret contemnendam esse Ecclesiæ auctoritatem, subiunxit, tantam fore Prælatorum Ecclesiæ potestatem, vt quæ ipsi ligauerint in terris, sint ligata & in cœlis.

17. Præterea quoniam non solùm ea congregatio nomine *Ecclesiæ* significatur, in qua summus Pontifex præsideat, sed quæcunque etiam alia, cui præsit Episcopus, qui iurisdictionem habeat in fratrem illum, cuius correptio procuratur; conuertens sermonem Dominus ad Apostolos, qui futuros omnes Episcopos referebant: *Amen dico vobis*, inquit, *quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solueritis super terram* &c. vt confirmaret, videlicet id, quod dixit: *Si Ecclesiam non audierit* &c. de quacunque particulari Ecclesia respectu eorum, qui sibi subditi sunt, intelligi oportere. Significauit igitur his verbis Dominus, quemcumque Episcopum habiturum potestatem iurisdictionis ad alligandos, & soluendos subditos suos; ac proinde nullam esse Ecclesiam, quæ Episcopum habeat, quæ non sit hac potestate, & auctoritate instructa, vt qui eam non audierit, meritò sit tanquam Ethnicus & Publicanus habendus, nisi fortè ad superiorem Ecclesiam prouocarit, existimans iniustum aliquid sibi in inferiori Ecclesia præcipi; Quæ prouocatio in caussa semper fuit

A licita. Sed in alijs caussis difficilè olim concedebatur, quo maior singulis Episcopis in suos subditos constaret auctoritas. *Alligaueritis*] G. *Henr.* ligaueritis excommunicationis, alijsque vinculis constrixeritis, vel certè ligatos reliqueritis. Vinculo excommunicatio comparatur, quia priuat peccatorem communione fidelium; non secus ac ligatus corporatis vinculis prohibetur vti libera hominum consuetudine.

Sunt autem duo in verbis Domini notanda: Alterum, nullam iurisdictionem Ecclesiæ hic tribui distinctam à Iurisdictione Episcopi: proinde, vt passim omnes concedunt, non licere Episcopi crimen ad eam Ecclesiam deferre, in qua ipse præsidet: Ita etiam concedendum esse non licere deferre crimen Pontificis ad Ecclesiam vniuersalem, tanquam ad Iudicem, cùm nullum inde iudicem supra se habeat, nisi Christum. Alterum est, verba hæc à Christo Domino Apostolis omnibus

B dicta, & si verissimum illud clauium officium significent, quod *aperiendi*, & *claudendi* verbis designatur, ita tamen interpretanda esse, vt nihil detrahant prærogatiuæ D. Petro promissæ. Sic enim esse existimandum; claues vt supremam authoritatem significant, & potestatem ita claudendi in vniuerso regno Christi, quod in terris est, vt nemo aperiat: & ita aperiendi, vt nemo claudat, soli Petro fuisse concessas, vide superius capit. 6. theor. 2. num. 3. 4. 17. 18. ipsas verò vt significant officium claudendi, & aperiendi, non quidem supremum, nec in vniuerso regno, sed in genere etiam esse promissas Episcopis, conferendas tamen ordinariè per supremum gubernatorem, & Christi vicarium, vt Diuus Leo serm. 3. de Anniuer. die suæ Assumptionis declarat, nam de Diuo Petro loquens: *Mirabile*, inquit, *dilectissimi huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio: & si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus,*

C *nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid alijs non negauit.* Gratianus item cap. ita Dominus dist. 19. citat hæc verba: *Sed huius muneris Sacramentũ, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi à quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.*

Postremò circa eadem verba: *quæcunque ligaueritis* &c. obseruandum est, per ea *tantùm promitti, explicari, & prædici, quantam potestatem essent Apostoli, eorumque successores suo tempore habituri*, vt illustrissimus Bellarminus libr. 1. de summo Pontif. cap. 12. notat. *Planum enim est*, inquit, *Apostolos non esse factos Sacerdotes, nisi in vltima cœna, neque Episcopos, & Pastores, nisi post resurrectionem. Proinde quo tempore hæc loquebatur, priuati homines erant, nec vllam habebant Ecclesiasticam potestatem. Deinde si his verbis: quæcunque ligaueritis &c. datur re ipsa potestas ligandi, etiam illis verbis: quodcunque ligaueris, erit ligatum &c Matth. 16. Erit data, non promissa potestas: Sunt enim verba omninò similia. At fatentur aduersarij, per illa verba: quodcunque ligaueris, nihil esse datum, sed tantùm promissum. Igitur, & per ista: quæcunque alligaueritis nihil datur, sed tantùm promittitur.* Subdit verò idem auctor datas esse Ioann. 20. & 21. *nam Ioann. 20. cum Dominus ait Apostolis, pax vobis, sicut misit me Pater, & ego mitto vos, tum eis potestatem seu clauem iurisdictionis attribuit; fecit enim his verbis eos quasi legatos, & nomine suo gubernatores Ecclesiæ; verbis autem sequentibus; Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. dedit potestatem ordinis.* Tandem subdit: *vt autem intelligeremus hanc summam potestatem*

18. *Ecclesia non maiorem habet iurisdictionem quàm Episcopus illius*

Claues vt Petro cuiusq; successoribus & vt cæteris Episcopis.

Potestas Petri.

19. *Potestas Episcoporum.*

Quando Apostoli Sacerdotes, quando Episcopi.

Petro etiam Apostoli subiecti, & quando illi hæc potestas data.

flatem collatam Apostolis omnibus, vt legatis, non vt pastoribus ordinarijs, & cum quadam subiectione ad Petrum, soli Petro dicitur Ioann. 21. 17. Pasce oues meas; quemadmodum soli illi dictum erat: tibi dabo claues. Claues enim regni: vt principatu & ordinaria Prefectura, tunc solum accepit, cum audiuit, pasce oues meas; tunc enim etiam Apostolorum fratrum suorum cura commissa est. Sic ille: vide c. 6. superius theo. 2. n. 19.

20. 5. *Si duo ex vobis consenserint*] Euthym. Matt. 18. *quod si duo*, inquit, *multo magis plures. Quomodo ergo frequenter aliqui duo in dilectione existentes, & Deum concorditer de aliquo postulantes, non exaudiuntur? quia non sunt similes Apostolis. Neq; enim simpliciter dixit, si duo consenserint: sed si duo ex vobis, hoc est, similes vobis, virtutem colentes*, &c. Et paulò post subdit: *at qui etiam vnus virtuti deditus, si sic petat, exaudietur. Sed non tantum quantum duo conformes.*

Cur non exaudiamur interdum. Vnionis vis ad impetrandum.

21. Sed difficile est cõnexionem horum verborum cum præcedentibus videre. Bas. in reg. breu. interrog. 261. *illud*, inquit, *si duo ex vobis consenserint, quid sibi velit apertè series ipsa loci declarat. Ibi enim de eo agitur, qui verbis corrigit eum, qui peccauit, & qui corripitur, quod videlicet, cùm Deus nolit mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat: si qui correptus fuerit, animo indoluerit, & in idem propositum venerit cum eo, vnde corripiatur; de omni re, hoc est, de omni peccato, si relaxationem petierint, dabitur ei à clementissimo Deo; Etenim nisi cum corripiente consenserit is, qui corripitur, non iam relaxatio fit, sed religatio conuenienter verbis illis: quæcunq; ligaueritis super terram, &c. completur enim iudicium illud, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

22. Vnio. D. Hieronym. verò sic videtur nectere, *omnia*, inquit, *supra sermo Christi nos ad concordiam prouocat. Igitur & præmium pollicetur.* D. Chrysost. videtur idem dicere, & Hilarius in Matth. & Cypria. libro de vnitate Ecclesiæ, nec discrepat Theophyl. sic scribens: *quia prohibuit Dominus ne mutuum offenderemus, nunc & de mutua concordia dicit.* Sic & Euthym.

23. Alij litteræ magis inhærentes, sic connectunt; meminerat Christus Ecclesiæ cùm dixit: *dic Ecclesiæ*; &, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus* &c. Ideo de Ecclesiæ præsertim pastoribus, adiecit, *quæcunq; alligaueritis* &c. iam de ipsa Ecclesiæ congregatione addit: si vel duo dumtaxat ex congregatione ipsa Ecclesiæ consenserint. Græc. συμφωνήσωσιν, quod est consonare, vel simul vocem edere, q. d. si vel duo ex vobis consonantes fuerint, id est, eodem animo, atque ore aliquid petierint à Patre, impetrabunt; quod si duo, quantò magis id affirmandum erit, de magna Ecclesiæ multitudine.

24. Iansen. censet, hac sententia Dominum significasse, *quanta sit Ecclesiæ, id est, congregationis fidelium potestas. nam si vel duobus tantùm consentientibus, impetraturi sunt illi, quidquid volent, multò magis totius alicuius Ecclesiæ iudicium erit pertimescendum & quod illa voluerit, à Deo erit approbandũ.* Hinc constat Ecclesiæ nomen sumi debere nõ pro solo prælato, sed pro congregatione ipsa cum capite. Hæc expositio & cõnexio mihi maximè probatur. Quare illa verba: *iterum dico vobis*, hunc faciunt sensum: non solùm *quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata, & in cœlo*, verùm quod amplius est, vobis promitto fore, vt quidquid duo de vobis communi consensu petierint, consequentur. Itaq; illud, *iterum*, significat, præterea, seu rursus. Hinc patet cur nõ impetremus à Deo quæ petimus. Vnio. nã vt Orig. ait: *sicut in musicis nisi fuerit cõcentus, nõ delectatur auditor; ita nec Deus nisi sit in Eccl. cõsẽs.*

A Maldon. verò rogans, quorsum hic Christus de oratione subijciat, cùm de ligandi, soluendiq; potestate agatur: respõdet, *propterea id subiecisse, vt ostenderet fore, vt Deus nunquam eos in iudicando, id est, in ligando, atq; soluendo errare pateretur, si suo nomine iudicarent, quia quidquid suo nomine à Patre petierint, fiet illis. Sunt qui putant propterea Christum de oratione hæc addidisse, quia intelligebat Apostolos, & quicunque ligandi, & soluendi haberẽt potestatem, nunquam ea nisi præmissa oratione vsuros esse, qua peterent gratiam rectè, iustèq; iudicandi.* Sic Maldon. vt planius dici potest, voluisse per hęc ostendere Dominum, quanti Deus faciat, quantumue approbet Ecclesiæ suæ vnanimem voluntatem & iudicia, quæ communi consensu fiunt soluendo vel ligando, dans eis lumen & sapientiam ad hæc; & multò magis conuentui prælatorum, ad ea etiam iudicanda in concilijs, quæ ad totam Ecclesiam dirigendam pertinent, ne in ijs omnibus

B erret, de quo dicam n. 27. cùm vel duorum consentientium vota suscipiat, & deprecantium se volũtatem faciat, & approbet. & hæc vtraq; connexio etiam bona est.

Quare autem quæ petimus, non semper accipiamus, benè docet Maldon. cap. 6. Matth. 12. & cap. 7. 7. D. Hieronym. *possumus*, inquit, *& hoc spiritualiter intelligere, quod vbi spiritus & anima corpus q; cõsenserint, & non inter se bellum diuersarum habuerint voluntatum, carne concupiscente aduersus spiritum, & spiritu aduersus carnem, de omni re, quam petierint, impetrent à Patre, nullique dubium, quin bonarum rerum postulatio sit, vbi corpus ea vult, quæ spiritus.* Sic ille spiritualem afferens sensum. idem ferè Cæsarius dialogo 3. & Ambros. libr. de instit. Virg. c. 20.

25.

26. *Obseruatio moralis.*

C 6. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati*] Locus iste plurimum facit ad confirmandum. id, quod fide Catholica tenemus, concilia saltem generalia à summo Pontifice confirmata errare non posse, nec in fide, nec in moribus; quamuis Caluinus non adeò magnifaciat hoc testimonium ad hoc probandum, vt inquit illustrissimus Bellarminus libr. 2. de concil. auctor. cap. 12. propterea quod ex hoc testimonio videatur probari posse, etiam conciliũ duorum hominum non posse errare. Sed vt rectè idem Illustrissimus aduertit, *hoc testimonium non contemnet qui obseruarit, argumentum sumi nõ simpliciter ex his verbis, sed ex his verbis cõtinuatis cum superioribus addita argumentatione à minori ad maius* quod sic declaratur. Dixerat enim Dominus de homine incorrigibili: *Dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus, & Publicanus*; & ne quis Ecclesiam contemnendam putaret, adiunxit: *quæcunq; ligaueritis* &c. ne quis verò dubitaret de assistentia Dei, quando Ecclesia cũ suo capite congregata aliquem damnat, vel absoluit, subiungit: *vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio illorum sum*, q. d. si duo vel tres congregati in nomine meo, obtinent semper quod petunt à Deo; nimirum, sapientiam, & lumẽ, quod sufficit eis ad cognoscenda ea, quæ ipsis necessaria sunt, quanto magis Ecclesia cũ suo capite congregata in nomine meo, semper obtinebit quod iustè petit. Vnde hinc licet inferre, multò magis hoc affirmandum esse, quando præsertim vniuersalis Ecclesia, vel omnes Episcopi, qui capita sunt Ecclesiarum, in nomine Christi congregãtur; multò magis ij semper obtinebunt, quod iustè petunt, id est, sapientiam & lumen ad iudicanda ea, quæ ad totam Ecclesiam dirigendam pertinẽt. Itaque vt rectè Illustris. Card. Bellarm. colligit, *siue pauci, siue multi, siue Priuati, siue Episcopi congregentur in nomine Christi, omnes habent Christum præsentem, & adiuuantem, & obtinent, quod eis*

27. *Generalia Concilia à Pontif. confirmata, nõ posse errare.*

conuenit obtinere. Sed in congregatione paucorum & priuatorum adest Christus, vt eos adiuuet in rebus paruis, & priuatis; in congregatione autem Episcoporũ adest, vt eos adiuuet in rebus magnis & publicis. Vide Conc. Calcedo. epist. ad Leonem post finem tertiæ actionis, sextam Synodum act. 17. Toletanum tertium non procul ab initio. Eadem veritas confirmari etiam solet duobus alijs testimonijs Ioann. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, & Actor. 15. *visum est Spiritui sancto & nobis.*

28. *Concilia particularia etiam errare nequeunt confirmata à Pontifice.*

De Concilijs verò particularibus saltem temerarium, erroneum, & proximum hæresi est existimare ea à Pontifice confirmata posse errare; cùm tenendum omninò sit summum Pontificem in iudicandis his rebus, quæ ad fidem, & bonos mores pertinent, non posse errare, vt idem Card. affirmat loc. cit. cap. 2. & cap. 5.

Ex his colligitur nullum in toto orbe cœtum hominum cogi posse sine Papa, qui hanc habeat potestatem & auctoritatem. Possunt quidem prouincialia & nationalia concilia diligenter inquirere, quid illud sit tandem quod in controuersijs, quæ de fide oriuntur Ecclesia Catholica profiteri consueuerit, idque alijs per modum doctrinæ tradere, & canones morum condere, quæ subditos arctent suos: temerè tamen ac superbè eos facere, si hanc sibi arrogant auctoritatem, vt præscribere velint, quid sequi, ac tenere tanquam certum fidei dogma Christianos oporteat. nam hoc ne Oecumenicis quidem concilijs licet, quæ essent à summo Pontifice coacta, cuius morte interciperentur, quamdiu sedes vacaret; nec illis quæ tempore schismatis cogi possent vsque dum certus aliquis Pontifex declararetur. Ac possunt quidem errores inueniri in doctrina, quæ ab his Concilijs prodiret, non interposita auctoritate Pontificis: nec suffragari huiusmodi Concilijs eam Domini pollicitationem; *vbi sunt duo, vel tres congregati* &c. non magis profectò quam congregationi quorumuis duorum, aut trium aliorum priuatorum hominum, qui si congregentur vt doceant nihil determinando quod hominum conscientias astringat, adest in medio eorum Dominus non infallibilitatem præstans, sed suum auxilium ad eorum industriam, & diligentiam attemperans; si verò congregentur? vt pro auctoritate alijs præscribant, recedit ab illis, quoniam non in nomine ipsius, sed superbè, & arroganter contra eius voluntatem conuenerunt.

30. Iterum obseruandum est hoc loco non posse confirmari hæresim vbiquetariorum; nam hæc dicuntur de Christo, quatenus adest suis per gratiã, & auxilium, ad quod nõ requiritur præsentia corporalis, vt patet. Immò ex hoc loco, sicuti & ex illo Matth. 28. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*, qui eodem modo intelligitur, id est, quod Christus adsit suis per gratiam, & auxilium, non modo non colligitur eum esse vbique, sed colligitur non esse vbique. Nam hoc modo, quo Christus adest congregatis in nomine suo, certè non adest congregatis in nomine alienorum deorum.

Locus Matt. 28.

31. *Quid sit congregari in nomine Christi.*

In nomine meo] Congregari in nomine Christi, nihil videtur esse aliud quam congregari auctoritate Christi, id est, ab eo, qui à Christo habeat congregandi auctoritatem. nam quod Caluinus dicit: congregari in nomine Christi. esse ita congregari, vt solus Christus præsideat, & nullum collegam habeat, sed omnes subiectos, nec est secundum Scripturas, nec nota sufficiens ad discernenda legitima Concilia: nam in Scripturis, illud *in nomine*, vbique ferè accipitur pro eo, quod est, ex auctoritate, vt Marc. vlt. 17. *in nomine meo dæmonia*

Locus Marc. vl. 17

A *eijcient*. Ioan. 5. 43. *Ego veni in nomine patris mei.* Matth. 7. 23. *nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus.* Act. 4. 7. *in qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos?* Deinde est certũ non posse hac nota discerni legitima concilia: nam verum est in legitimo concilio oportere Christum ita præsidere, vt nullus sit ei collega, sed omnes subiecti: at quis hoc discernet, cùm Christus visibili forma in concilijs non præsideat? Sic Bellarm. lib. 1. de Conc. & Ecclesia cap. 12. Maldon. idem ferè sequitur, nimirum nomine Christi congregari esse eius auctoritate, eiusque personam gerentes conuenire, sicut inquit D. Paulus 1. Cor. 5. 4. dicit se *in nomine Christi*, id est Christi auctoritate atque virtute, vt statim declarat, Corinthium illum Satanæ tradidisse; & sicut Apostolos legimus, in nomine Christi baptizasse, & miracula fecisse; Itaque cùm ij, qui auctoritatem in Ecclesia iudicandi habent,

B ad iudicandum conueniunt, eo ipso nomine Christi dicuntur conuenire. Neque necesse est, vt nihil aliud, quàm Christum quærant, quotus enim quisque id faceret? Immò nec sic constaret, an qui congregati essent, in nomine Christi conueniſſent. Hic ergo est verus sensus horum verborum *in nomine meo.*

Ioan. 5. 43. Matth. 7. 22. Act. 4. 7.

Ibi sum in medio eorum] Euthy. Matth. 18. inquit, *in nomine meo, hoc est, propter me, propter mea præcepta, & non propter aliam causſam, vbi ergo ita congregati fuerint, ibi sum in medio eorum, colligans, & custodiens eos, ac complens eorum petitiones. Non autem dixit: ero, sed, sum, protinus.* Theoph. Matt. 18. idem habet: sic scribens: *non dixit autem, ero (nõ enim tardat, vel cunctatur) sed sum, hoc est, iam illic inuenior, intelligas item quod quando conspirauerint spiritus, & caro, & non concupiuerit contra spiritum caro, tunc erit in medio Dominus. Conspirant autem & tres virtutes animæ rationalis, irascitiua,*

C *& desideratiua. sed & si vetus, ac noua leges conspirarint, inuenitur in medio ipsarum Christus ab vtraq; prædicatus.* Chrysost. hom. 4. in poster. ad Thessal. *Si in medio est*, inquit, *vbi duo, vel tres cõgregati sũt, multò magis est in medio vestri. Quod enim quis apud seipsum precatus, accipere non poterit, hoc cum multitudine precatus accipiet. Quare? quia etiam si non propria virtus, tamen concordia multum potest. Vbicunque inquit, duo vel tres congregati fuerint. Quare de duobus dixit? etenim si vnus alicubi fuerit in nomine tuo quamobrem non & illic es; quia omnes simul esse volo, & non diuelli. Constipemus itaque nos inuicem, & colligemus per caritatem, nemo nos separet.*

32. *Vnio habet præsentem Christum.*

Vnio & concordia multum potest.

Mald. reiecta opinione Hilarij, qui exponit, *in medio eorum* esse, in illis per gratiam habitare. nã, inquit, hoc modo in omnibus iustis est, quamuis non sint congregati, cùm tamẽ Christus significet,

D se aliter esse in medio congregatorum, qu àm aliorum, qui congregati non sunt, subdit: *ego non solùm auxilium: sed etiam auctoritatem significari arbitror, q. d. ego in medio eorum, tanquam supremus iudex sedeo, eorum sententiam confirmans, quam in meo nomine pronuntiant, sicut Dauid dixit* Psal. 81. 1. *Deus stetit in Synagoga Deorum, id est, Iudicum, in medio autem Deos diiudicat.*

33.

Locus Psal. 81. 1.

Huc elegantissima D. Cypriani verba afferre non grauabor, quibus præsidium huius Christi promissionis, *vbi sunt duo* &c. quo hæretici omnes, & veteres, & recentes suas Ecclesias munire ac defendere volunt, ex eorum manibus extorquet. Sic ergo ait tract. contra Nouat. qui de vnitate Ecclesiæ rectiùs, quam de simplicitate Prælatorum, inscribitur: *nec se quidam vana interpretatione decipiant, quod dixerit Dominus: vbicunque fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum,*

34.

Corru-

Digitized by Google

Corruptores Euangelij, atque interpretes falsi, extrema ponunt, & superiora prætereunt partis memores, & partem subdolè comprimentes; vt ipsi ab Ecclesia sciβi sunt, ita capituli vnius sententiam scindũt. Dominus. n. cum discipulis suis vnanimitatẽ suaderet, & pacem: dico, inquit, vobis: quoniam si duobus ex vobis conuenerit in terra; de omni rę &c. vbicũq; enim fuerint duo aut tres &c. ego cum eis sum, ostendens non multitudini, sed vnitati deprecantium tribui. Si duo, inquit, ex vobis cõuenerint in terra, vnanimitatẽ prꝰ posuit; concordiã pacis ante præmisit, vt cõueniat nobis, fideliter & firmiter docuit. Quomodo aũt potest ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ, & cum vniuersa fraternitate non conuenit? Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo, & ab eius Euangelio separari? non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt, & cũ hæreses, & schismata postmodũ nata sint: dũ conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput, atq; originem reliquerunt: Dominus aũt de Ecclesia sua loquitur: vt si ipsi concordes fuerint, si secundũ quod mandauit, & monuit, duo aut tres licet, collecti vnanimiter orauerint, duo aut tres licet sint, impetrare posβint de DEI Maiestate, quod postulant. Hæc Cyprianus.

35. Est etiam operæpretium animaduertere, non fuisse eiusdem veritatis ignarum Orig. nimirum ad hæreticos non pertinere hanc Christi sententiã, nec Christũ, atq; adeò veritatem esse in ea cõgregatione posse, quæ ab Ecclesiastica discordet traditione. In principio enim 1. lib. Periarc. postquam questus est tot ex ijs, qui se in Christum credere profitentur multos esse, qui non solùm in paruis, & minimis discordant; verùm etiam in magnis, & maximis, tandem ille hanc pronuntiat sententiã: *Seruetur verò*, inquit, *Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsq; ad præsens in Ecclesiis permanens, atq; illa sola veritas esse credatur, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione.* In confirmanda aũt hac Orig. sententia ferè vniuersum opusculum illud cõsumitur, quod Vincentius Lyrin. ante mille, & eò amplius annos contra hæreses scripsit.

36. 8. *Non dico tibi septies, sed vsq; septuagies septies*] Regerit in Petrum quem ille numerum, vt æquo maiorem assumserat, multiplicatum immensè semel conuellens ipsius opinionem, vt nimium parcus & restrictus esset. & verò interim significat sẽper fratri pœnitenti peccatum condonandũ. Itaq; ponitur numerus finitus pro infinito: nam vt notat Io. delahaie in sua Euang. disp. c. 92. *sicut myriades, .i. decies millies apud græcos, significat frequenter, ita septies apud hebræos, & multò magis septuagies, ac insuper quod ex vtroque compositum est, septuagies septies; quia ergo infinities in Deum peccamus, infinitis vicibus iussit ignoscere ijs, qui in nos delinquũt, si semper resipiscant: eum namq; qui non resipiscit, post tertiam monitionem repelli iussit tanquam Ethnicum & Publicanum. Quomodo enim remittet quis ei, qui remissionẽ non quærit?* D. Aug. ser. 15. de verb. Dñi accipit illa verba, septuagies septies, cũ subintellecta coniunctione, &, hoc modo: *septuagies, & septies*; vt sit sensus; condonandum non solùm septies, sed septuaginta & septem vicibus. D. Hieron. verò nulla subaudita coniunctione exponit, quomodo *septuagies septies* significat, numerum septenarium septuagies multiplicatũ, id est, summam 490. Eodem modo intellexit Theoph. græ. legimus, ἑβδομηκοντάκις ἑπτά, hoc est, *septuagies septiẽ*, quod septenarij numeri per septuagenarium multiplicationem indicat. Itaq; expositio Hierony. & Theoph. Græcis respondet. Gen. 4. 24. vbi nos legimus: *septuplum vltio dabitur de Cain*, de Lamech verò, *septuagies septies*; Hebraicè inter duos numeros ponitur coniunctio, *septuaginta, & septem*, vel *septuagies & septies*; vbi tamen septuaginta verterunt, sicut hic habetur, ἑβδομηκοντάκις, id est, *septuagies septem*, vt videri etiam possit, Dominum ad illum locum alluisse, & sic iam voluisse multiplicare septuplam remissionẽ Petri, quomodo Lamech multiplicauit septuplam punitionem Cain. Cæterùm Orig. etsi græcus, illud, ἑβδομηκοντάκις ἑπτά, videtur accepisse pro septuaginta septem, sed vtcumque sumas, eodem recidit sensus.

Sed cur, inquies, hunc numerũ apposuit? possumus primùm respondere ex verbis Chrysf. sic scribentis hom. 19. ex varijs in Matt. locis, *de Cain scriptũ est, septies exsoluet vindictam, qui occiderit eũ; de Lamech aũt septuagies septies. Ecce iam fratres, declarauit nobis veritas, omnia peccata dimittit in Ecclesia sancta Catholica, & quamuis grauia, quamuis criminosa, quamuis execrabilia, dimittit illa omnia Pater bonus, qui non vult mortẽ morientis, sed tãtũ vt reuertantur; & viuat. Ecce septies in Cain, ecce septuagies septies in Lamech; vt ad spẽ reuertantur peccatores.* Rectè ac verè: nã cùm numerus septenarius totũ vitæ huius tempus significat, quod per septẽ dies agitur, rectè per septẽ & p septuaginta, seu septuagies omnia peccata significãtur, quæ toto tempore cõmittuntur; iterum significantur peccata grauia, & grauissima, vt septuaginta excedunt septem. ergo significare voluit Dominus omni tempore, quantumuis grauia peccata dimittenda esse.

37. *Obseruatio moralis.*

Ex D. Aug. possunt etiam aliæ rationes mysticè adduci huius numeri appositi: sic enim habet serm. 15. de verbis Domini: *quid sibi ergo vult septuagies septies? Audite fratres, magnum mysterium, admirabile Sacramentum. Quando Dominus baptizatus est, Lucas Euang. Sanctus ibi (c. 3.) commemorauit generationes eius, quo ordine, qua serie, quo stẽmate ad illã generationem ventum fuerit qua natus est Christus.* Matth. (c. 1.) cœpit *ab Abraham & venit vsq; ad Ioseph descendendo: Lucas aũt ascendendo cœpit numerare, quare ille descendẽdo, iste ascendẽdo? quia Mat. generationem Christi cõmendabat, qua descendit ad nos: ideo quando natus est Christus, cœpit numerare descendendo. Luc. autem, quia tunc cœpit numerare, quando baptizatus est Christus, ibi est initium ascensionis, iste ascendendo numerare cœpit; numerando autem compleuit generationes septuaginta & septẽ. A quo numerabat? Intendite à quo. Exorsus est numerare vsq; ad ipsum Adam, qui primus peccauit, & nos cum peccati obligatione generauit. Peruenit vsq; ad Adam, & numerantur generationes septuaginta septem, hoc est, à Christo vsq; ad Adam, quas dicimus septuaginta septem. Si ergo nulla generatio prætermissa est, nulla culpa præteritur, vbi nõ debet ignosci. nam ideo ipsius septuaginta septem generationes numerauit, quem numerum Dominus in peccatorum remissione commendauit; quoniam à Baptismo cœpit numerare, vbi omnia peccata soluuntur.* Hæc Aug.

38. *Numero 77. quid mysticè.*

Idem Aug. lib. 2. de consens. Euangelij c. 4. sic aliam subiecit causam istius numeri septuagies septies in cõdonatione peccatorum à Christo vsurpati: *nec frustra*, inquit, *iste numerus ad peccatorũ omnium pertinet mundationem. Denarius quippè tanquam iustitiæ numerus in decem præceptis legis ostenditur. Porrò peccatum est legis transgressio. Et vtiq; transgressio denarij numeri congruenter vndenario figuratur; vnde & vela cilicina iubentur in tabernaculo vndecim fieri (Exhod. 26. 7.) Quis autem dubitet ad peccati significationem cilicium pertinere? At per hoc, quia vniuersum tempus septenario dierum numero voluitur conuenienter vndenario septies multiplicato ad numerum septuagesimum & septimum cuncta peccata peruenisse &c.* Hæc Aug. qui eamdem mysticam intelligentiam habet eodem serm. 15. de verbo Domini, cit. num. 33. ex quibus duabus interpretationibus mysticis Aug.

39.

Non pertinent ad hæreticos hæc sententia si duo &c.

Locus Gen. 4. 24.

colligere est, nullam debere esse generationem, nullum hominum, cui non sit condonandum, dum culpam agnoscit. Iterum nullum debere esse peccatum, quod in hac temporum varietate committitur, quod non sit dimittendum.

40. *Quid si qui non audiat corripientē?*

Sed roget quis; quid si is qui me offendit, corripientem non audiat, nec velit cu pam agnoscere, nec emendet erratum, nunquid illi parcere debeo? Huic dubio fieri satis poterit ex ser. eodem 15. Aug. de verb. Domini. *Iam ergo obsecrāt*, inquit, *pueri indisciplinati, & nollēt vapulare, qui sic præscri būt nobis quādo volum⁹ dare disciplinā; peccaui, ignosce mihi, ecce ignoui; & iterum peccat, ignosce, ignoui; peccat tertiò, ignosce, tertiò ignoui. Iam quartò vapulet, & ille. nunquid septuagies septies te fatigaui? si hac præscriptione seueritas disciplinæ dormiat, repressa disciplina, sæuit impunita nequitia. Quid ergo faciendum est? corripiamus verbo, & si opus est, verberibus, sed delictum dimittamus, culpam de corde abijciamus; ideo enim Dominus subdidit; de cordibus vestris* (vers. 21.) *vt si per charitatem imponitur disciplina, de corde ientas non recedat. Quid enim tam pium, quam medicus ferens ferramentum plorat secandus, & secatur; plorat vrendus & vritur, non est illa crudelitas, absit vt sæuitia medici dicatur; sæuit in vulnus, vt homo sanetur; quia si vulnus palpetur, homo perditur* &c. Idem habet libr. 1. con. aduer. leg. & ptophet. capit. 17.

41. *Quid si in speciem conuertatur, an dimittendū?*

Sed si quid in speciem conuertatur, qui me offendit? Hoc dubium proponit Hieronym. 2. exposit. in Psalm. 119. sic enim ait: *Sed dicis, non ex toto corde conuertitur, mentitur. Nos dimittamus Deo iudicium, rogat me, deprecatur: non dicit hoc verè, Deus nouit; ego vocem audio: Christus cor intelligit: ego suscipio quod audio; suscipiat Christus quod nouit. Deinde vide mercedem tuam; mentitur ille, tu verum suscipis: illius interfectio est, tua salus.* Subdit postea contra rixas Religiosorum, hæc quæ sequuntur: *Hoc totum quare loquatus sum? quoniam in monasterijs, & maximè in cœnobijs solēt esse ista vitia. Non erubescimus, non dolemus? dimisimus matres, dimisimus patres fratres & sorores, filios, patrias nostras, domos, cellulas nostras, dimisimus cellas, in quibus nati sumus, & nutriti, & seruos cum quibus nutriti sumus: venimus in monasterium, & propterea hæc dimisimus omnia, vt propter rem fruolam rixam cum fratribus faciamus in monasterio? dimisimus possessionem, patriam, sæculum, & propter calamum rixam facimus in monasterio? si verbum amarum audiero, ferre non possum, æstuat in corde meo, scribitur in medullis meis diebus decem, aut quindecim; non potest tolli de corde meo: loquor fratri meo, qui mihi iniuriam fecerat, & pacem labijs promitto, & corde venenum teneo. Frequenter, & oculi, & vultus mentis indicium sunt* &c.

Contra Religiosos dissidentes in cœnobijs.

42. 9. *Ideo assimilatum est*] *Quia* potiùs videtur dicendum, quam *ideo*, quare aut διὰ τοῦτο ponitur pro ὅτι, id est, *propterea*, pro *quia*; vel subintelligendum est ideo, hæc dici, quia simile est regnum cœlorum *homini Regi*, id est, Regi cuidam; per hæbraïs. *homo* interdum valet, ac *quidam*, vel subaudiendum: ideo vt intelligatis quàm sit æquum, quin & necessarium fratri veniam roganti, iniuriam condonare, simile vobis esse declaro, vel assimilatum est à me regnum cœlorum &c.

43. Quoniam verò regnum cœlorum, id est, Ecclesia nō comparatur Regi, sed is, qui regni huius Dominus est; ideo sensus est: simile est, vel assimilatum est regnum cœlorum, hoc est, simile quid accidit in Ecclesia. Chrysost. *ne videretur*, inquit, *graue quid iniunxisse, adijcit parabolam.* Hieron. verò ait: *familiare Syris ad omnem sermonem parabolam*

A *iungere, vt ab auditore teneatur.* Præcipit verò Dominus sub hac comparatione Petro, vt dimittat conseruis peccantibus. Orig. etiam docet, Dominum velle, nos esse faciles ad indulgendum ijs, qui vobis nocuerunt, maximè si satisfaciant, & deprecentur veniam. Finis ergo huius parabolæ, qui elicitur ex v. 21. 15. est: Deum nobis peccata remissurum non esse, nisi nos fratribus remittamus iniurias. *Finis parabolæ.*

10. *Oblatus est ei*] Necessariæ huius parabolæ partes sunt; Rex, duo serui, debitum decem millium talentorum, quod vnus seruorum Regi debebat, & debitum centum denariorum, quod alter seruus alteri debebat; reliqua verò quæ adduntur ad ornatum potiùs parabolæ faciunt, & verisimilitudinem. 44. *Partes parabolæ.*

Aug. lib. 1. qq. Euang. cap. 25. sic explicat hanc parabolam: *quod oblatus est Domino debitor decem millium talentorum, & iussit vnum venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi;* B *intelligendum est decem præceptorum legis eum fuisse debitorem, & pro cupiditate atq; operibus suis, tanquam vxore & filijs pœnas soluere debuisse; quod est pretium eius; pretium enim venditi, supplicium damnati intelligitur. quod dixit; noluit ignoscere conseruo suo; sed abijt, & misit eum in carcerē, & reliqua; intelligendum, tenuit contra eum hunc animum, vt supplicia illi vellet. Conserui autem, qui narrauerunt Domino, quæ fiebant, potest intelligi Ecclesia, quæ illum soluit, & illum ligat.* Hæc Aug. 45. *Sensus mysticus ex Aug.*

Decem millia talenta] De talento dicemus in digressione, in hoc numero decem millium talentorum mysticè quidem, sed aptè accipere possumus, numerum denarium expressum esse, propter transgressionem decalogi; millinarium ob peccatorum ac scelerum multitudinem; *talentum* verò esse positum ad significandam peccatorum grauitatem: nam in decalogum & multis modis, & grauiter offendimus plerique. C

11. *Cum autem non haberet vnde redderet*] Interl. id est, *cum viribus suis hoc explere non posset*; potest quidem peccator debitum contrahere, & quidem ingens, sed non habet vnde suo conatu satisfaciat, neque enim ex se soluendo est. 46.

Iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius] Spiritualiter quid per vxorem, filios &c. ex Aug. diximus num. 45. secundùm litteram verò nō vult significare Dominus, fore, vt vxor propter maritum, liberi propter patrem condemnentur; sed vel ornatus caussa hæc adduntur, vel tantùm significant grauissimam pœnam, cuiusmodi solet esse illa, qua iuxta leges ciuiles non tantùm is, qui crimen commisit, sed vxor quoque & filij condemnantur, quæ non videtur fuisse inusitata apud Hebræos, vt patet ex 4. Reg. 4. 1. Interl. spiritualiter exponit illa, *iussit eum Dominus eius venundari*, id est, permisit iusto iudicio, malignorum spirituum seruum fieri. *Et reddi*] id est, solui. 47. *Obseruatio moralis.* D

12. *Procidens autem*] Preces, & oratio vnicum sunt afflictorum perfugium. Ex Remigio peccatoris humiliatio, & satisfactio demonstratur. *Patientiam habe in me*] Expecta me patienter. Gr. μακροθύμησον ἐπ' ἐμοί, id est, longanimis esto erga me, & patiens: ex interl. *patientiam habe*, id est parce peccatis: ex Remigio petit viuendi tempus, & spatium pœnitendi. 48.

13. *Dimisit eum, & debitum* &c.] magna Regis liberalitas indicatur; plus concessit quàm postulauerat. Rogauerat seruus vt tantisper expectaret, donec debitum solueret; at Rex toto statim debito illum exsoluit. *Quantus*, inquit Chrysost. apud Emmanuelem, *amor Dei, plus dat quā petitur. i. dedisset etiam non rogatus, nisi vellet non solum suum*

esse do-

esse donum, sed & supplicationis illius. voluit etiam prius ponere rationem; vt ille intelligeret quantis debitis liberaretur.

49. 14. *Egressus autem*] à facie & conspectu sui Domini, recentem beneficij magnitudinẽ adhuc ante oculos habens. *inuenit*] in ipsa fortè adhuc Regia. *Vnum de conseruis suis*] eiusdem Domini seruis cui propterea amorem indicare debebat propter Domini obseruantiam, hinc discè omnes nos conseruos esse, & ideò inter nos vt æquales comitatem exercere debere, præsertim ob obseruantiam eiusdem Domini. Habes hic magnum crudelitatis, & ingrati animi exemplum, perpendit hoc Chrysost. hom. 17. in Genes. *vide*, inquit, *quantum interest, hic conseruus debebat centum denarios; illic Dominus erat, qui repetebat decem millia talentorum. quia tamen vidit supplicantem, dimisit. At iste apprehensum seruum strangulabat, dicens; redde mihi si quid debes. & quidnam conseruus qui supplicabat, dixit? vide quomodo subinde Euangelista verbum, conseruus, versat non temerè, sed vt discamus, quod pares illi nihil differebant. verumtamen debitor ei supplicabat eodem modo, vt ille antea Domino: longanimis esto in me, & omnia tibi reddam. Ille autem inquit, egressus coniecit hunc in carcerem. O summã ingratitudinem: habebat adhuc in recenti memoria quanta Dominus liberalitate secum egerat, neque sic motus est &c.* Idem Chryl. hom. 62. in cap. 18. Matt. *Ne verba*, inquit, *quidem ipsa veritus est seruus, quibus salutem acquisiuit. Hu enim ipse dictis; patientiam habe in me, & omnia reddam tibi; decem millia talentorum debitum euitauit; ita ne portum quidem cognouit, quo tutatus à naufragio euasit, nec modus ipse supplicationis ad misericordis Domini memoriã eum reduxit.* Hæc Chrysosto. ex cuius verbis constant circumstantiæ crudelitatis huius serui & ingratitudinis, tum ex æqualitate debiti, tũ ex personarum differentia: nam hic erat conseruus eius qui debebat. At Dominus fuerat qui illi omne debitum dimisit. Adde quod ne verborum quidem quibus remissionem obtinuerat rationem habuit, præsertim cum recens esset facti memoria. Postremò is, cui omninò indultum fuerat à Domino, ne prorogare quidem voluit cõseruo tempus ad soluendum debitum, quin iniecta manu, obtorto collo trahebat, vt græca indicant: neque hoc solo contentus, vinculis etiam, ac carcere conseruum oppressit ad genua accidentem.

50. *Multò maximum est debitum cum Deo, quam debitum hominis in Deũ*

Centum denarios.] Vide quæ de denario diximus superius cap. 9. Theor. 1. num. 7. & sequente iste numerus, cum decem millibus collatus indicat quantò maius sit debitũ hominis cum Deo, quam hominis in hominem, & verè ita esse animaduerses si spectaueris quàm frequenter, quàm mulcis modis quisque in Deum peccet, quanta item sit Dei dignitas cõtra quẽ peccatur, quàm multa, quã multiplicia, quàm crebra eius in nos beneficia; quàm sint iniqua quæ contra illam peccamus, nẽpe contra omnem naturæ æquitatem. hæc si conferas cum peccato hominis in hominem, nihil fermè hoc esse dixeris præ illo, vt non mirum sit si illud numero decem millium talentorum exprimatur, hoc centum denariorum.

Cetertùm quemadmodum talentum longè maius est denario, & decem millia longè plus sunt, quam centum; ita & longè maiora, & longè plura sunt peccatorum debita, quibus Deò quisq; est obstrictus, quàm possint esse fratris in fratrẽ, & hoc declarat hic tanta debitorum inæqualitas. *tenens* πνιγε *cum manus iniecisset & apprehendisset, vt captiuum, strangulabat eũ stringebat illi fauces, & guttur. quod debes*, G. ὅτι ὀφείλεις, *si quid debes, sed rectius habetur in alijs li.* ὅτι ὀφείλεις *quod debes.*

51. 17. *Videntes autem conserui eius*] Interl. Angelos intelligit. qui referunt Deo gesta hominum, vel

A prædicatores Euangelij. Ex Remigio intelliguntur quicunque fideles, qui contristantur, cum quis non miseretur fratris. Sed videtur hoc ad ornatum parabolæ pertinere, iuxta litteram, & cum subditur, quod, *venerunt & nunciauerunt Domino*, &c. non significatur sanctos, id est, seruos Dei accusare illos, qui iniurias fratribus non dimittunt; sed additur hoc, quia ita inter homines consueuit fieri, vt alij serui alios accusent apud Dominum, quamuis ex Remigio, cum dicitur, venerunt, & narrauerunt intelligi possit corde; narrare enim, est dolores cordis in suo affectu demonstrare.

18. *Tunc vocauit eum Dominus*] secundùm Remig. idem est, ac iussit migrare ex hoc sæculò.

Serue nequam] *Verè*, inquit Chrys. eadem hom. 17. in Gen. *hic videre licet quantum malorum sit in iniuriarũ reminisci. quoniam cum decem millia talenta consumpsisset*, B *non vocauit eum malum; sed nunc quia conseruo crudelis fuit: male serue, inquit, omne debitum illud remisi tibi, quia rogasti me, &c. magna & ineffabilis Dei misericordia; cum in se quidem peccatum est ad nudas tantum preces totum remittit, cum autem in conseruum videt crudelem & inhumanum, suam reuocat liberalitatem, monstrans illi re ipsa, quod non tam illum quàm seipsum offendisset, & sicut conseruum in carcerem coniecit donec debitum redderet; ita & ipse tortoribus traditur, donec quod debebat, rependat.*

Domini clementia.

20. *Iratus dominus*] Ex Remigio ira Domini dicitur vindicta. *Tradidit eum tortoribus*] ex eodem Remigio tortores, Dæmones sunt, semper ad hoc parati, vt perditas animas suscipiant, & torqueãt.

Dæmones tortores sunt.

Quoadusque] Interl. in perpetuum, ex Chrysostom. ostenditur æternaliter puniendus; & si aũt C sunt irreuocabilia Dei dona, tamen militia tantum valuit, vt hanc legem soluere videatur. *Redderet*] persoluere, sed nunquã persoluet vt inquit Rem. Carẽt. n. damnati gratia, sine quà nulla satisfactio, vel remissio, sicut nec meritũ. Aduertit Remig. quod nullum responsum legitur dedisse crudelis hic seruus, nam post hanc vitam omnis excusatio cessabit.

Post hanc vitam nulla excusatio.

21. *Faciet vobis*] Interl. id est, repetet à vobis dimissa. Augustin. de verb. Domin. sermon. 15 *si non dimiseris, replicabo tibi quidquid dimiseram.* Gloss. *quod per pœnitentiam dimissum erat, non dimittenti exigitur.* Sensus aũt est, punietur grauissimè ob ingratitudinem, & inhumanitatem, ac si nihil prius remisisset, tam seuerè, vt repetere videatur supplicium, & debitum prius condonatum; alioquin nemo reuera punitur ob culpas semel à Deo remissas. *De cordib. vestris*] Interl. ex Hieron. *non sicta pace*, q.d. nisi ex animo remiseritis, subintelligo peccata eorum, vt græc. additur. Augustin. sermone eodem 15. de verb. Domini. *Sic*, inquit, *& vobis faciet pater vester qui est in cœlis. Inuenis Patrem, imitare Patrem: Si enim imitari non vis, exheredari disponis; faciet ergo vobis ista, inquit Pater vester cœlestis, si non remiseritis vnusquisque fratribus vestris, ex cordibus vestris. Ne dicas in lingua ignosco, & corde differas. Supplicium enim ostendit tibi Deus minando vindictam. Nouit Deus vbi dicas, vocem tuam homo audiuit, conscientiam tuam Deus conspicit. Si dicis dimitto, dimitte: Melius est, cum clamas ore, & dimittis in corde, quam blandus ore, crudelis in corde.*

Ex corde dimittendum.

Audiamus igitur Aug. eod. ser. 15. de ver. Dom. *omnis homo*, inquit, *debitor est Dei, & debitorẽ habet fratrẽ suũ; quis est. n. qui nõ sit debitor Dei, nisi in quo nullum potest inueniri peccatum? Quis est autem qui non habet debitorem fratrem, nisi in quem nemo peccauit? putas ne quisquam in genere humano reperiri potest, qui non & ipse aliquo peccato obstrictus sit fratri suo? debitor est ergo omnis homo, habens tamen & ipse debitorem. Ideò Deus iustus constituit tibi*

Regula ad dimittendum & benefaciendum.

regulam in debitore tuo, quod facit & ipse cum suo. Duo sunt enim opera misericordiæ, quæ nos liberant; quæ Dominus posuit: dimittite, & dimittetur vobis, hoc ad ignoscendum pertinet. Date & dabitur vobis, & hoc ad præstandum beneficium pertinet. Quod ait de ignoscendo, & Deus tibi ignoscit, quod peccas & habes alium, cui tu possis ignoscere. Rursus quod pertinet ad tribuendum beneficium, petit te mendicus, & tu es Dei mendicus. Omnes enim quando oramus, mendici Dei sumus, ante ianuam magni Patrisfamilias stamus, ita etiam prosternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere, & ipsum aliquid ipse est Deus. Quid à te petit mendicus? panem. & tu quid petis à Deo nisi Christum, quid dicit: ego sum panis viuus qui de cœlo descendi? ignosci vobis vultis? ignoscite, remittite & remittetur vobis. Accipere vultis: date & dabitur vobis &c. & inferius. nemo contra se teneat non ignoscendo, ne contra illum teneatur quando orat. Dicit illi Deus: dimitte & dimittuntur decem millia peccatorum, si ego prior dimisi, dimitte, vel postea. nam si non dimiseris. reuocabo te, & quidquid tibi dimiseram, replicabo tibi. hæc Augustin.

54. Lucramur dũ dimittimus.

Audiamus & Chrysost. eadem hom. 27. Genes. sic & pater vester cœlestis, inquit, faciet vobis, &c. magnum parabola lucrum, modo attendere voluerimus. quod enim tantum poterimus dimittere, quantum nobis à Domino dimittitur? Iterum homil 62. in Matt. Quid facis, inquit homo? non sentis aduersus te ipsum (nimirum dum non dimittis) mucronem adigere, ac sententiam, ac munus Domini reuocare? & hom. illa 27. in Genes. ait: Aduerte quomodo vult cor nostrum in quiete, & tranquillitate esse, & mentem nostram à perturbationibus alienam &c. plurimumq; nos erga proximum misericordiæ studium declarare, & alio loco iterum dicit; si demiseritis hominibus delicta illorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis. Ne igitur putemus, quod dum benefacimus alteri gratificemur, aut magnum quoddam beneficium apud illum deponamus; nam ipsi sumus qui beneficio fruimur, & multum lucri inde nobis conciliamus. sicut etiam si hoc non fecerimus, omninò nihil eos lædere poterimus, nobisipsis autem intolerabilem gehennæ pœnam paramus. Hæc Chrysostom. ne igitur hunc malum seruum imitemur, qui cum omni debito solutus esset, ille debito liber, vt ait August. serm. 15. de verb. Dom. sed iniquitatis seruus. egressus à facie Domini sui cœpit debitorem suffocatum trahere, vnde factum vt audierit: serue nequam, &c.

Dimittere proximo, vel benefacere nostrum est lucrum.

55. Quomodo deus cũ malis & peccatoribus indulgentior sit, cum iustis exactior, & cur?

Postremò non dissimulabo quod prudenter observat idem Chrysost. hom. de pœnit. peccata, inquit, quasi debita describuntur, peccatoribus quidem & ipsam principalem sortem elargitur Deus, & debita dimittit, à iustis verò etiam vsuras exigit. Probat id Chrys. nam debitori, inquit, decẽ millium talentorum vniuersa dimisit, & ipsam etiam priorem sortem: à iustis verò & vsuras repetere promittit. Quare, inquit, non dedisti argentum meum ad mensas & veniens cum vsura recepissem? Hæc dico, non quasi Deo odiosè se se ad iustos habente: Deo enim nihil iusto acceptius. Sed solatur peccatorem, quo eleuet; iustum, quo statuat, terret. & quibusdam quidem multa dimittit peccata, quasi inimicis & inflatis, quibusdam verò, & nimis exactè de minimis etiam quærit, nihil his ad perfectionem deficere volens. Et quod in mundo est pauper, id circa Deum est peccator. Nihil peccante est pauperius, nihil ditius est iusto. hæc Chrys. quibus docet cur Deus malis sit clemens & pius, & cum bonis exactus.

A

B

C

D

THEORIA I.

De correctione fraterna, an necessaria sit, & quæ eius vtilitates.

1. Discrimẽ inter correctionem, & correptionem.

VIDETVR iuxta Augustini sententiam sermone 16. de ver. Domini aliquid interesse inter correctionem, & correptionem, sic enim ait: *debemus amando corripere non nocendi auiditate, sed studio corrigendi.* videtur ergò correctionem intelligere, quam sequitur emendatio, ita secundùm Latinos corrigere propriè est, ita sermone impellere proximum ad bonum, & à malo deterrere, vt re ipsa ad frugem meliorem reducatur. Hinc Terent. in Andr. *corrigere mihi gnatum porrò enitere.*

Et Ecclesia. 1. sic accipitur *corrigere* dum dicitur: *peruersi difficilè corriguntur*; corripere verò est tantummodo id eniti proximum reprehendendo, siue sequatur emendatio, siue non & Diuus Gregor. de *arguendi*, & *corripiendi* vocabulis differens ait in Psal. pœnitent. Psal. 37. 1. in illa: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. sicut maior est furor, quàm ira, ita arguere maius est quam corripere. teste S. Augustin. hi omnes qui non posuerunt sibi fundamentum Christum in furore arguuntur, quia æterno igne cruciantur: qui autem eidem fundamento superposuerunt lignum, fenum, stipulam in ira corripiuntur, quia igne purgati ad beatitudinis requiem deducuntur.* Ex his videtur posse deduci hoc discrimen quod correctio propriè, sit lenior admonitio adhibita, vt emendetur frater; correptio verò sit reprehensio seuerior; quamuis tale discrimen passim non seruetur, immò correctionis siue correptionis generatim nomẽ vsurpatur pro quacũq; ex caritate profecta admonitione de cauendo errato, vel lapsu commisso siue lenior illa sit, siue seuerior, siue sequatur emendatio, siue non.

Locus Eccl. 1.

2. Correptio necessaria est. Locus Leuit. 19. 17. Eccl. 19. 13. 14. 15.

Porrò hæc correctio necessitate præcepti necessaria est, quod ex scripturis auctoritate Patrum & ratione ostendi potest Leuit. 19. 17. *non oderis fratrem tuum in corde tuo, & publicè*, id est, apertè *argue eum, ne habeas super illo peccatum* Eccl. 19. 13. *corripe amicum ne fortè non intellexerit* (videlicet, esse peccatum nó putet; præcipit verò hic primùm de corripiendo facto amici) *& dicat, non feci* (quidquam mali) *aut si fecerit* (sciens malum esse) *ne iterùm addat facere.* subdit postea de corripiendo amico ob verbum halè prolatum & ait: *corripe proximum, ne fortè non dixerit*, quod illum falsò putas dixisse, quia fama fortè accepisti, corripe autem leniter, id est, mone primùm vt intelligas veritatem vel falsitatem famæ, *& si dixerit, ne fortè iteret. corripe amicum: sæpè enim fit commiss o* (scilicet delicti nisi quis corripiatur) est διαβολὴ Græcè, hoc est, calumnia, vt sit sensus: sæpè commissio peccati fit ab his qui aliena crimina deferunt, vt proinde non sit omni verbo credendum, vt subditur ibi. Deinde est locus, quem præ manibus habemus Matthæi decimooctauo, & decimoquinto, & est locus Lucæ capite decimoseptimo, 3. Item 1. Thess. 5. 24. *corripite inquietos* 1. ad Timoth. quinto.

20. pec-

20. *peccantes coram omnibus argue*, sic 1. ad Tim. 4. 2. & ad Titum 1. 13.

3. D. Basil. sententia quod peccat, & qui dem 2. qui nō corripit se lædentem, licet patienter ferat,

Iam verò idem fuit perpetuus Sanctorum Patrum sensus. Imprimis id significat Basil. in reg. breu. interr. 232. *si quis*, inquit, *iniuria affectus ab aliquo, tenendæ animi lenitatis caussa, patientiaq́, ea de re cum nemine loquatur, atque hoc modo existimet, se reddere iudicium Deo, nunquid id faciat secundùm Deum? cum Dominus dixerit modo: dimitte si quid habetis aduersus aliquem; modo verò; si peccauerit in te frater tuus vade, & corripe eum &c. hic lenitatis quidem animi sui fructum in eo ostendere debet, vt preces Deo ex sincero animi affectu pro eo à quo læsus fit, adhibeat, verbaq́, illa vsurpet; Domine, ne statuas illi hoc peccatum: ne, vt iratus fratri suo, reus efficiatur iudicio, admonitione verò leni & castigatione aduersus ipsum iniuriæ auctorem vti: quo videlicet illum quoque ab ira liberet, quæ venit in filios contumaciæ* Ephes. 5. 6. *Si verò in hoc negligens fuerit, & tenendæ videlicet patientiæ suæ caussa id dissimulanter tulerit, dupliciter peccatum incurrit: & quod præcepto illi non paret: castigatione castigabis fratrem tuum, & non sumes propter eum peccatum: & taciturnitate illa peccantis particeps efficitur: & quod quem castigationibus lucrari potuerat sicut Dominus præcepit, in malo eum patitur viuere.* hæc Basil. D. Hiero. in Psal. 140. 5. in illa. *corripiet me iustus in misericordia*, &c. non corrigentem confert medico, qui *si viderit in corpore carnes putridas, & dicat, quid ad me pertinent? scias*, inquit, *quia crudelis est, si autem præcidat, & cauterium imponat, misericors est. quia sanat hominem.* Neque verò aliud vult Chrysost. hom. 60. in Matth. sic scribens: *si nobis non est satis ad salutem, quod virtuosè viuamus, sed oportet aliorum salutem re ipsa desiderare: cum neque nos rectè viuamus, neq́, alios hortentur, quid respondebimus? quæ nobis spes salutis reliqua erit?* Idem censet & clarius l. b. 3. cont. vituperat. vit. Monast. pluribus idem cōfirmat Augustinus serm. 16. de verb. Domini: *hoc ergo*, inquit, *debet facere qui fecit iniuriam; qui autem passus est, quid debet? quod audiuimus hodie si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter se, & ipsum solum; si neglexeris, peior es. Ille enim iniuriam fecit, & iniuriam faciendo, graui se ipsum vulnere percussit. Tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum vides perire, & negligis? peior es tacendo, quam ille conuiciando. Quando ergò in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam non pro nobis: nam gloriosum est iniurias obliuisci. sed obliuiscere iniuriam tuam, non vulnus fratris tui. Ergo corripe inter te & ipsum solum, intendens correctioni, parcens pudori; fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum & quem vis correctiorem, facis peiorem. corripe ergo inter te & ipsum solum.* Hæc Augustinus.

Leu. 19 18.

qui passus est iniuriā quid debeat facere

4. Contra eos qui non corripiūt fratres ex Greg.

Sed nihil efficacius, nihil vtilius ijs, quæ hac de re scribit Gregorius 3. part. pastor. admon. 26. quæ nos, paucis mutatis, ad eos speciatim qui correctionem adhibere negligunt, sic accommodabimus. *Si indigentibus proximis* pecunias absconderes, *auctor procul dubio calamitatis* existeres. Quomodo ergò abscondere audes morienti fratri correctionis remedium? etnim *sapientia abscondita & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque* Ecclesiast. 20. *si populum fames attereret, & occulta frumenta* ipse seruares. *auctor procul dubio mortis* existeres. *quia itaq́, plectēdi sunt pœna considerent, qui cum fame verbi animæ perēt, ipsi panem percepta gratiæ* seu correctionis, *non ministrant. Vnde & benè per Salomonem dicitur* Prouerb. 11. *qui abscondit frumenta maledicitur in populis. frumenta quippe abscondere, est prædicationis* (seu correctionis) *apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicitur: quia in solius culpa silentij pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur. si medicinalis artus minimè ignari secandum vulnus cernerent, & tamen secare recusarent, profectò peccatum fraterna mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa inuoluantur aspiciant, qui, dum cognoscunt vulnera mentium, curare negligunt ea sectione verborum. Vnde benè per Prophetam* (Ierem. 48.) dicitur: *maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine, gladium quippe à sanguine prohibere, est prædicationis* (vel correctionis) *verbum à carnalis vitæ infectione retinere; audiant*, qui tales sunt, *quod Paul.* (Act. 20) *eò se à proximorum sanguine mundum credidit, quo feriendis eorum vitijs non pepercit, dicens &c. mundus sum à sanguine omnium vestrum*, & alia ille prosequitur, quæ nos ad Prælatos accommodantes retulimus plenius par. 3. c. 4. digressio. 11. n. 8.

5.

Præter sanctos Patres quoque vel ipsi Ethnici Philosophi censuerunt vtilissimum atque adeò necessariam esse correctionē; quare Plato lib. 10. de leg. sub finem, legem statuit, quod cum quis propter peccata in Deum admissa, v. g. blasphemiam, fuerit carceri mancipatus, adducantur homines probi, qui illum exhortantes in modestiam, & saniorem mentem deducant. Et Arist. Ethic. cap. 3. scribit, non esse facilè soluendam amicitiam, etiamsi alter amicorum peccet, *nisi cum ijs, qui ob prauitatem incurabiles sunt. nam qui correctionem admittunt, ijs eò magis in moribus, quam in facultatibus ferendum auxilium est, quò & præstantiores, & amicitiæ sunt accommodatiores*, nimirum mores.

6. *Rationes prò correptione.*

Iam ad rationes veniamus. est ergo prima ratio ex ipsa caritatis, & amicitiæ natura delumpta. Etenim exigit caritas & amicitia, vt qui proximo in re tanti momenti, quanta est salus, opem ferre potest, id ne omittat: ergò cum correctio necessaria ad salutem proximi est, adhiberi tunc caritas, & amicitia postulant.

Hinc patet correctionis præceptum naturale esse & non à Christo additum, vt non minus videatur, si illud Philosophi agnouerint. nullum enim Christus nouum præceptum ad præcepta naturæ addidit præter ea, quæ sunt de fide Christiana, & de sacramentis. explicuit tamen & præcepit modum, qui seruandus ex præcepto naturali quo efficax sit correctio in quibusdam casibus, vt fratris famæ consulatur. Deinde cum omnes simus inuicem membra in eodem Ecclesiæ corpore, & sub vno capite Christo; sitque illud natura insitum membris, vt se mutuò foueant & iuuent quantum possunt, certè liquet inter homines alterum alteri hoc beneficij præstare debere cum opus est, vt se mutuò corrigant. Tertiò, quoniam *militia est vita hominis super terram*, & sumus omnes in terris tanquam

com-

commilitones, quis non videat, noſtrarum partium eſſe vt mutuis nos auxilijs iuuemus ac ſtabiliamus ad hoſtium machinationes propulſandas. Quartò conſtat inter Doctores, præceptum eſſe diuinum de facienda eleemoſyna corporali; ergo multò magis de facienda ſpiritali, qualis eſt correctionis fraternæ, nam ſpirituale bonum multò præſtantius, magiſque neceſſarium eſt, vt enim ait Chryſoſtomus homil. 3. in epiſtol. 1. ad Corinth. *nullius rei pretium eſt cum anima conferendum, ne totus quidem mundus. quamobrem etiam ſi diuitias innumerabiles dederis pauperibus, nihil tale efficies, quale is qui conuertit animam.* Et Diuus Gregor. hom. 6. in Euang. *fortaſſe*, inquit, *aliquis panem, vt indigenti eleemoſynam porrigat, non habet; ſed maius eſt quod tribuere valeat, qui linguam habet. Plus enim eſt verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quàm ventrem moritura carnis terreno pane ſatiare. Nolite fratres proximis veſtram eleemoſynam verbi ſubtrahere.*

Lucrum animarum maximum.

7. Elephas.

Narrat Plinius libr. 8. cap. 8. quod in foueam ſi Elephas decidat, protinus ceteri congerunt ramos, moles deuoluunt, aggeres conſtruunt, omnique vi eum conantur extrahere. Ergóne homines Elephante inhumaniores erimus? videbimus fratrem in peccati foueam eſſe collapſum, & negligemus? verè recteque Bernardus libr. 4. de conſider. ſub finem: *heu*, inquit, *cadit aſina, & eſt qui ſubleuet eam, perit anima, & nemo eſt qui reputet*? An non legimus quid Deus Iudæis præceperit Exhod. 23. & Deuteron. 22. videlicet vt obſeruat Chryſoſtom. in hom. de feren. reprehen. Tom. 3. *ne errantia inimicorum iumenta deſpiciant, & lapſa ne pratereant? nos ergò fratrum animos diſpiciemus? & quomodo non eſt ſumma inhumanitas nos non tantùm curæ hominibus impendere quantùm alij iumentis.*

8. Similitudo Chryſ. à nautis.

Quare meritò idem Chryſoſtom. hom. de habenda cura ſalutis proximi, & de nomine Abraham tom. 1. Imitari nos vult hac in parte nautas: *nauta*, ait, *licet nauis ſecundo vento feratur, cum tamen vident alios vel à longè naufragium facere, non ad propriam ſpectantes vtilitatem, illorum contemnunt calamitatem. ſed ſiſtunt nauem, detrahunt vela, eijciunt anchoras, eijciunt funes, proijciunt tabulas, vt ille qui à fluctibus mergitur, fortè aliquo illorum arrepto emergat. Imitare & tu nautas. cum videris nauigantium aliquem natare in fluctibus, & iam ſubmergi, relictis negotijs tuis, ſtatim illius prouide ſalutis.* hæc Chryſoſt.

9. Correptio fraterna elemoſyna eſt ſpiritualis.

Hæc autem omnia ad eleemoſynam pertinent, ſiue corporalem, ſiue ſpiritualem cuiuſmodi eſſe correctionem, ſi aliæ deeſſent probationes, ſatis eſſent verba Aug. in Enchir. ad Laurent. ca. 72. *ad omnia*, inquit, *quæ vtili miſericordia fiunt, valet quod Dominus ait: date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. non ſolum autem qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtimentum, &c. verumetiam & qui dat veniam peccanti, eleemoſynam dat, & qui emendat verbere, in quem poteſtas datur, vel coercet aliqua diſciplina, & tamen peccatum eius, quo ab illo læſus eſt, aut offenſus dimittit ex corde, vel orat vt ei dimittatur, non ſolùm in eo quod dimittit, atque orat, verumetiam in eo quod corripit, atque aliqua emendatoria pœna plectit, eleemoſynam dat, quia miſericordiam præſtat. multa enim bona præſtantur inuitis, quando eorum conſulitur vtilitati, non voluntati, quia ipſi ſibi inueniuntur eſſe inimici, amici verò eorum potiùs illi, quos inimicos putant, & reddunt errando mala pro bonis, cum reddere mala Chriſtianus non debeat pro malis. Multa itaque ſunt genera eleemoſynarum, quæ cum facimus, adiuuamur, vt dimittantur nobis noſtra peccata.* Sic egregiè Auguſtin.

10. *Contra eos qui correptionem tollebãt*

Refert Diuus Auguſtinus libro de correptione & gratia cap. 3. quoſdam ex gratiæ neceſsitate malè collegiſſe, correctionem non modo non præcipi à Chriſto, ſed ne locum quidem vllum illi inter homines relinqui, neque enim poſſe hominem piè viuere abſque ope diuinæ gratiæ. quare ſic inferebant: *ergò præcipiant tantummodo nobis, quid facere debeamus, qui nobis præſunt, & vt faciamus pro nobis orent: non autem nos corripiant & arguant. ſi non fecerimus.* verùm valdè perperam colligebant: &c. nam auxilium gratiæ ad id ſuffici ens nemini deeſt, & culpa hominis eſt ſi illam reddat inefficacem; non igitur tantùm præcipienda pietas hominibus eſt, & preces pro eis fundendæ, ſed corripiendi quoque ſunt, niſi piè vixerint. Quam rem Auguſtinus auctoritate ſimul, & exemplo Pauli loco citato pulcrè oſtendit, *præcipit*, inquit, *Apoſtolus, dicens:* (1. Corinth. 16.) *omnia veſtra in charitate fiant. corripit, dicens:* (1. Corinth. 6. 7.) *iam quidem delictum eſt in vobis, quia iudicia habetis vobiſcum;* quare enim non magis iniquitatem patimini? quare non potiùs fraudamini? &c. orat cum inquit (1. Theſſalonic. 3.) *vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat in caritate in inuicem, & in omnes. Præcipit vt habeatur caritas: corripit, quuiã non habetur caritas: orat vt abundet, caritas.* ſtatimque Auguſt. ſubdit, *ô homo in præceptione agnoſce quid debeas habere; in correptione agnoſce tuo te vitio non habere; in oratione agnoſce, vnde accipias, quod vis habere.* Hæc Aug.

Locus eccl.

Quod ſi contra hæc & illud Eccleſiaſt. 7. 14. opponas: *quod nemo poſſit corripere, quem Deus deſpexerit*, conſtat autem deſpicere, & odiſſe Deum *omnes qui operantur iniquitatem.* Pſalmo quinto. Igitur nullus eſt, qui quemquam mortaliter peccantem corrigere poſſet. Reſpondeo, ſermonem hic eſſe de eo, quem Deus deſpexit, & odit, non vtcunque, ſed tanquam perſeueraturum ſua culpa finaliter in peccato; is enim reprobus eſt. Nam quomodo ſenſu (vt loquuntur) compoſito poſſunt ſimul ſtare hæc duo, id eſt, vt certum ſit per Dei præſcientiam, talem non eſſe ſuo vitio corrigendum, deinde verò, quod talis corrigatur.

Concluditur neceſſariam correptionem eſſe diuino præcepto.

Ceterùm, quia nobis Dei præſcientia non conſtat, de omnibus debemus meliora ſperare, atque adeo quemlibet corripere, quare poſitum ſit diuino præcepto perneceſſariam eſſe correctionem fratris.

Auſtin. Prælatis correptionis præceptum ſit impoſitum.

Sed obijciat forè aliquis, hoc correctionis præceptum ſolis prælatis, ac Principibus, & ijs omnibus, qui aliquod imperium in alios habent, impoſitum eſſe; huiuſmodi etiam ſunt parentes in liberos, præceptores in diſcipulos, & id genus homines, contra quos, ſi non exerceãt quod habent munus, admonendo, reprehen-

dendo, coercendoue ſibi ſubiectos, ſtat ſententia Domini Ezechielis trigeſimoquarto. *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis.* In quæ verba lege Gregorium 2. part. Paſtoral. cap. 6. & 10. verùm fatemur planè pluribus titulis teneri Prælatos, ac ſtrictiori vinculo obligari, vt hoc munus diligenter exerceant in ſuos. At non continuò efficitur cæteros homines hoc præcepto non teneri, hæc enim quæ ex ſcripturis, Patribus, rationibus deſumpta attulimus num. 1. & ſequent. id apertè confirmant; quibus adde, & Anacleti ſummi Pontificis auctoritatem 24. quæſt. 3. cap. Tam ſacerdotes. Adde etiam & Chryſoſtomum homil. 2. ad Popul. Antiochen. & homil. 30. in epiſtol. ad Hebr. & 44. in prima ad Corinth.

12. *An peccatores immunes corrigendi leges ſint.*

Sed quid de peccatoribus cenſendum erit? Videntur ij immunes eſſe, ac liberi à corrigendi obligatione; poſſet enim, ſi id attentarent, illud iſtis obijci; *hypocrita eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui*; & illud: *medice cura teipſum*, & illud item Pſalm. 49. 16. *quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? tu verò odiſti diſciplinam, &c.* Ceterùm cum Theologis reſpondendum eſt, peccatum neminem immunem reddere ab obſeruatione præceptorum. Quomodo ergò, inquies, ait Auguſtin. libr. de ſermon. Domini in mon. cap. 30. *ſi cogitantes noſmetipſos inuenerimus in eo eſſe vitio in quo eſt ille, quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque obiurgemus, ſed tamen congemiſcamus, & non illum ad obtemperandum nobis, ſed ad pariter cauendum inuitemus.* Reſpondeo, Patres dum ſimilia ſcribunt, indicare volunt, eum, qui vitæ inculpatæ non ſit, aut ſaltem liber eo vitio quod reprehendit, parum idoneum, & efficacem eſſe poſſe ad correctionis remedium adhibendum, niſi ſe prius ipſe corrigat, & non increpando, ſed blandè potiùs monendo & congemiſcendo proximum ſecum ad prauos mores emendandos excitet.

13. *Locus Matth. quomodo trabs eijciatur ex oculo.*

Quare Chryſoſtom. hom. 24. in Matth. in illa: *eijce primum trabem*, ait, *vides certè quod non vetuit iudicare, ſed iuſſerit eijcere primùm de oculo trabem, & tunc aliorum peccata corrigere.* Ceterùm eijcitur trabs ex oculo quantum attinet ad effectum licitè corripiendi, vt inquit Valen. diſp. 3. quæſt. 10. p. 3. non modo per pœnitentiam, qua peccatum tollatur, ſed etiam per humilitatem, qua peccatum proprium agnoſcatur, vt ex Auguſt. diximus, habere enim trabem in oculo, quæ correptioni ſit impedimento, non tam eſt peccatum habere, quàm non humiliter illud videre, & agnoſcere, vt intelligi poteſt ex illis verbis Domini: *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* Et ex verbis etiam quibus præcipit vt trabs eijciatur, inquiés. *hypocrita eijce*, &c. cũ primùm enim quis agnoſcit peccatũ ſuum, nec ſe iuſtum ſimulat, deſinit eſſe hypocrita. ex quibus efficitur peccatorem, vt adimpleat

A præceptum correctionis, ſicut & eleemoſynæ corporalis, non teneri ad pœnitentiam proprij peccati agẽdam; ſufficit enim ſi impleat, quod ad ſubſtantiam actus pertinet; licet aliter ſit dicendum, ſi peccatum eius, qui poſſet & teneretur alterum corripere, ſit publicum & ſcandaloſum, nec poſſet tolli id ſcandalum niſi per publicam pœnitentiæ actionem, quæ ſemper debet eſſe non ficta, ſed ex animo. Sequitur vt quas ſecum afferat correctio vtilitates breuiter explicemus.

Triplicem ergò vtilitatem eruemus ex verbo *lucrandi*, quo vtitur Dominus apud Matth. hoc loco, nam & in eum qui corripitur, & in B eum qui corripit, & in alios, præſertim cũ publica eſt correptio, ex correptione lucrum redundat, & quidem pro lucro eius, qui corripitur facit primùm ſententia Domini, *ſi peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum*, &c. *ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum*; non paruus ſanè fructus correctionis hic eſt, quo fit vt plerumq; homines eius beneficio, è cœno vitiorũ educantur, & ad pietẽ ſanctęq; viuendum transferantur, q̃ nõ obſcurè etiam inſinuat Iacobus c. 5. ſuæ epiſt. v. 19. *ſi quis*, ait, *ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, ſcire debet, quoniã qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Idemq; Auguſt. ſer. 15. de verb. Dom. colligit ex verbis illis, *lucratus eris*, &c. C *Quid eſt*, inquit, *lucratus eſt te, niſi, quia perieras, ſi non lucraretur te: nam ſi non perieras, quomodo te lucratus eſt?* Salus ergò correcti eſt primum, & maximum correctionis lucrum; Alterum deinde adhuc eſt lucrum eius, qui corripitur: nã quoniam ſæpè qui peccauit, ſe peccaſſe non agnoſcit, ita vt errati illum non pœniteat; iccircò fit ſæpè, vt par fraternam monitionem aduertat is delictum, & inde ad pœnitentiam adducatur, quod ex illo cit. ſuperius num. 2. Eccleſiaſtici loco: 19. 13. apertè conſtat: *corripe amicum ne fortè non intellexerit*, &c.

14. *Vtilitas correptionis.*

Iam verè 2 multa lucratur etiam is qui alterum corripit, id quod inſinuat imprimis Salomon Prou. 24 24. *qui dicunt impio, iuſtus es, maledicent eis populi, & deteſtabuntur eos tribus; qui arguunt eum, laudabuntur; & ſuper ipſos veniet benedictio.* hic ergò fructus primus eſt, qui in correctorem redundat, quod capax ac particeps redditur, auctore Deo, plurium non modo ſpiritualiũ, verùm etiã ſæpè temporaliũ beneficiorũ & laudis. Præterea non exiguum alterũ lucrum ad correctorem accedit, q od correctio amabiliorem, gratioremq; reddere ſolet ipſi qui corrigitur, eum, qui corrigit: hoc ſignificatum eſt Prouerbior 9. 8. *argue ſapientem & diliget te*, & 28. 23. *qui corripit hominem, gratiam poſtea inueniet apud eum, magis quã ille, qui per linguæ blandimenta decipit.* neq; verò noua & inſolita ſunt iſta, quæ diximus de bonis, quæ ex correctione ſequuntur. nã ſicut ex eleemoſyna multa bona à Deo lucratur is qui eam proximè impendit, ita ex correctione, quàm neq; dubium eſt ſpiritualem quamdã eleemoſynam eſſe, vt ex Aug. probauimus ſuperius n. 9. & in hoc lucro ſpiritualis eleemoſynæ eius ſalus connumeratur, qui ex correctione emendatur. Ea enim ſalus multum auget & meri-

15. *Locus Prou. 24. 24.*

Locus Prou. 9 8.

tum, &

tum & præmium correctoris, quod emolumentum significatum est per illa; *lucratus eris fratrem tuum.* Denique 3. correctionis vtilitas non in his dumtaxat personis sistit, verùm interdum eius fructus in alios quoque redundat, qui eius, qui corripitur, emendationem vident, vel certè correptionem audiunt; cautiores enim sæpè alij redduntur; Ita Apost. 1. ad Timoth. 5. 20. *peccantes*, inquit, *coram omnibus argue*, & reddit caussam, *vt & ceteri timorē habeant*, hoc est, propter aliorum saltem vtilitatem. Ita enim Chysostom. hom. 15. hunc locum Pauli interpretatur. *Quid ergò?* (ait:) *nonne maius scandalum facit coram omnibus arguere? minimè id quidem, magis enim scandalizantur, si peccata non ignorantes nullum inferri videant cruciatum. Sicut enim si impunè peccetur, plurimi delinquunt, ita si peccata puniantur complures virtuti student. Ita & Deus fecisse deprehenditur.*

Locus 1. Timoth. 5. 20.

THEORIA II.

De circumstantijs excusantibus à correctione, & de quibus fieri debeat.

1.

ALiquot sunt peristases ad impendendam correctionem necessariæ, quibus cessantibus eximitur quis à præcepto correctionis. Primùm enim sequitur, vt quis vel certò, vel saltem probabiliter fratrem peccatum illud commisisse cognoscat, quod aliqui colligunt ex verbis Christi: *si peccauerit in te*; (id est, te sciente,) *frater tuus.* nec tenetur priuatus homo explorare, vel inquirere aliorum peccata, vt corrigat. Vnde dicitur Prou. 24. 15. *ne quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius.* Iterùm correctionis beneficium tunc ex præcepto exhibendum est, cum qui peccauit adhuc perseuerat in peccato, vel cum aliquis peccatum commissurus esse videtur, quare cū constat proximum malè commissa emendasse, siue sponte id fecerit, siue ab alijs monitus non tenetur quis illum corrigere. imò si scio probabiliter eum paulò post siue sponte errata emendaturum, siue ab alio monitum, nec imminet periculum interim lapsus, nec aliud damnum, non teneor corrigere, quamuis debeant superiores subditos palam delinquentes, etiam cum resipuerint palam arguere propter aliorum exemplum. Hinc Seneca de morib. *nemo prudens*, inquit, *punit, quia peccatum est, sed ne peccetur: res. n. optima est non scelerates extirpare, sed scelera.* quomultò magis cōfirmatur verbi Paul. 1. ad Tim. 20 *peccantes coram omnibus argue.* sed hæc non tam fraterna correctio est, quæ priuatum bonum respicit, quam iuridica, quæ bonum commune spectat. Tertiò cum quis iudicat correctionem hoc vel illo tempore adhibitam non fore fructuosam, poterit is differre illam in aliud tempus oportunius. refertur enim correctio fraterna ad vtilitatem spiritualem proximi, quod si certò vel probabiliter sibi persuadeat, se nihil effecturū correctione sua apud proximum, præsertim cum deteriorem euasurum esse fratrem iudicat, poterit eam omnino omittere, hinc Sapiens Prouerb 9. 8. ait: *noli arguere derisorem, ne oderit te.*

Locus Prou. 24. 15.

Seneca sententia.

Correptio iuridica.

Locus Prou. 9. 8.

A in his enim euentibus cessat finis intrinsecus ipsius præcepti correctionis; qui est emendatio proximi, saltem moraliter, & in intentione corripientis, est enim correctio actus misericordiæ, cuius est obiectum subleuatio miseriæ proximi, quæ non potest habere locum in intentione, & voluntate hominis, cum is censet non esse secuturam emendationem proximi; contrà in ieiunio, quia non cessat immediatus & intrinsecus finis eius, id est, obiectum formale suum, vt est actus virtutis temperantiæ, tenetur quis ieiunare in quadragesima, licet non indigeat maceratione carnis, quæ est finis tantum extrinsecus. Ceterùm quando ad breue tempus putatur deterior futurus, & postea ad cor esse omninò rediturus, corripiendus nihilominus est, vt docet D. Thom. d. 19. q. 2. art. 2. q. 2. ad 5. cum alijs. An verò sit necessaria correctio cum dubium est, an sit profutura. Item quando peccatum est veniale ex his, quæ iam subijciam, constabit.

B

Videndum ergò secundò, de quibus debeat esse correctio? Et primò an de peccatis mortalibus tantum; deinde num de ijs solum, quæ contra nos, non de ijs quæ contra Deum fiunt. Et quidem Hilar. Chrysostom. Hieronym. Ambros. in cap. 17. Augustin. serm. 16. de verb. Dom. Theophyl. & Euthy. quos etiam refert Maldon. Matth. 18. v. 15. sentire videntur correctionem debere esse de his tantum peccatis quæ contra nos sunt, & quidem mortalibus. nam quæ contra Deum fiunt, ea non sunt dissimulanda. Orig. verò in Matth. tract. 6. correctionem, de qua hic Christus, docet esse debere de solis venialibus, siue contra nos, siue contra Deum factis; ducitur autem hac ratione quia qui peccat mortaliter non est re vera frater, sed nomine tenus; ait enim Paulus 1. ad Corinth. 5. 11. *si quis frater nominetur in vobis sit autem fornicator aut auarus &c.* vbi videtur Apost. opponere per Antithesim fratribus veris eos, qui aliquo modo delinquunt mortaliter, quasi hi non sint, sed tantum nominentur fratres.

C

Sed constanter asseuerandum est loqui hic Dominum de correctione mortalium. & hoc ex verbis ipsis Christi declaratur tribus modis, primùm quia dicit: *si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, ergò perierat, quod fit per peccatum mortale. Deinde id manifestè colligitur ex accurato ordine, quem præcepit seruari in corripiendo. videlicet, vt secreto primùm corripiatur; deinde coram vno, vel duobus testibus &c. quæ non est necesse seruare propter veniale peccatum. postremò id maximè colligitur ex pœna, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*: hæc enim pœna non videtur infligenda ob contumaciā in solo peccato veniali. Nec valet responsio Orig. tantum ibi dici vt à nobis habeatur vt Ethnicus & publicanus, non quod sit talis apud Deum. Nam talem haberi ab Ecclesia grauior adhuc pœna est, quam vt imponenda sit propter contumaciam in peccato veniali. Respondeo igitur ad rationem Orig. eum qui mortaliter peccat, non esse perfectè fratrem, videlicet, per gratiam & caritatem, qua iusti perfectiori modo filij Dei sunt, & inter se fra-

D

Correptio actus misericordiæ.

Inter præceptū correptionis, & ieiunij quid interest.

2. De quib. correptio peccatū esse debeat.

An correptio esse debeat de ijs peccatis mortalibus, quæ contra nos sunt.

Locus Pauli 1. Cor. 5. 11.

3. De mortalibus correptio est.

tres

tres. Cetertim ratione naturæ, qua omnes filij sumus communis creatoris etiam suo modo fratres nostri sunt, & potissimum si fide non careant. & eodem modo intelligitur locus ille 1. ad Corinth. quamuis ibi Apost. loqui videatur de eo qui verè frater est, saltem per communionem fidei, vt clarè constat ex 2. ad Thes. 3. 6. 14. & 15.

Locus 1. Cor. 5. 11. explicatur 1. & 2. Thes. 3. 6. 14. 15.

4. *An de venialibus correptio.*

Dubitant tamen Doctores quidam, an saltem sub veniali peccato teneamur corrigere proximum propter simplex peccatum veniale, & licet sit vna omnium sententia, libenter tamen amplector Caietani opinionem sum. v. correct. frater. astringi nos ad eam correctionem sub peccato veniali. Verùm hoc intelligendum est cum his conditionibus, si sit spes emendationis, & absque incommodo id quis facere possit, neque alioqui ipse, qui peccat, satis sibi attendat, & neque à suo superiore, aut ab alio corrigendus putetur. loquor autem de veniali simplici, nam alioqui quando veniale tale est, vnde immineat periculum peccandi mortaliter. tunc tenetur quis sub peccato mortali corrigere, quod etiam contineri sub præcepto CHRISTI non est negandum.

5. *De peccatis contra Deum.*

De peccatis verò quæ sunt contra Deum, an in illis sit necessaria correctio, rectè mihi videor sic respondere posse de omni peccatorum genere siue contra nos, siue contra Deum loquutum esse hic Christum, quamuis maximè & primò de peccato per quod quiuis offensus est à fratre; non tamen de illo iussit corripi fratrem propriè, vt est peccatum contra proximum, sed vt per illud, perit frater delinquens quod commune est cum peccato etiam, quod contra solum Deum committitur. lege quæ diximus superius in schol. à num. 2. vsque ad num. 5. vbi etiam declarauimus quid sit: *peccauerit in te.*

6. *An facienda correptio quando dubium an sit profutura, vel cum periculo vitæ.*

Rursum controuersum inter Doctores, an quando esset dubium num sit profutura correctio, adhibenda sit, itemque cum periculo vitæ, cui dubio sic videtur occurrendum. nam si quis non modo dubitet, an sit profutura, sed simul etiam num sit obfutura, tunc dicendum cum Caiet. loc. cit. non esse necessariò adhibendã; loquimur vero quando dubitat quis, & an sit profutura, & simul an sit obfutura, non autem quando opinatur profuturam, licet dubitet an obfutura. in hoc ergò euentu potest quis vtramuis partem eligere, licet dubia non sint omninò æqualia; satis enim est qualitercunque verè dubitare. illud addunt aliqui, excipiendũ esse euentum illum, in quo quis esset in extremo periculo amittendæ salutis æternæ, vt quia iam moriturus est. Sic Adria. in 4. in q. de correct. fratern. §. & quoad secundam: nam sicut quando salus ægri est desperata adhibent medici dubia remedia; tunc enim medico iubere Galenus dicitur; interfice audacter; quod Adrian. refert; Ita quoque cum desperata est ferè salus animæ, adhibenda est correctio, licet obfutura ne sit, an profutura, dubitetur.

7. Quando verò quis solum dubitat an sit profutura correctio, ita vt non dubitet, quod non sit obfutura, tunc censendum cum Adrian. in 4. q. de correct. fratern. post tract. de indulg.

A debere correctionem adhiberi, sicut medicus tenetur non negare ægroto medicinam, quam scit non obfuturam, licet an sit futura vtilis, dubius sit, & per hanc distinctionem concordari possunt Caiet. & Adria. nam ille loquitur primo modo vt dictum est nu. 6. nec dissentit Adria. Iste loquitur secundo modo, de quo hoc n. 7. nec discordat Caiet.

Num verò in euentu, quod immineret periculum vitæ, aut malum aliquod magnum temporale obligetur quis corrigere fratrem, non consentiunt Doctores, verior sententia mihi esse videtur, quod quando ageretur de extrema necessitate spirituali, quilibet tenetur corrigere, secus verò quãdo non est extrema, nisi esset superior, cui ex officio incumberet cura B proximi, ratio est, quia in eo euentu extremæ necessitatis præferenda est salus, seu vita spiritualis corporali vitæ, seu bono; qua de re vide Valent. disp. cit. 3. q. 10. de correct. fratern. p. 2. sub finem, & eadem disp. q 4. de ord. car. p. 3.

§.

9. *Quod tempus opportunum corripiendi.*

Sed meritò hic roget quis; quodnam sit tempus opportunum, quo quis teneatur statim proximum corrigere? Respondeo opportunitatem temporis non illico inducere obligationem corripiendi, nisi quando ea opportunitas aliquam secum aduehit necessitatem. Præcepta namque affirmatiua, quale est præceptum correctionis, non obstringunt hominem nisi necessitas incumbat. Porrò hæc necessitas in corrigendi præcepto in eo posita est, vt frater hic C & nunc indigeat correctione; cum enim pertineat ad eleemosynæ virtutem exigit in proximo indigentiam, vel egestatem, & in ea innititur, vt ergò astringat & obliget requirit eiusmodi indigentiam, quæ hic & nunc requirat opem, remediumq; alterius. Est verò hic discrimen inter correctionem, quæ tendit ad impediendum continuationem, vel repetitionem peccati commissi, & eam quæ solùm dirigitur ad delendum peccatum commissum, v.g. cum nullum timetur periculum iterum in peccatũ incidendi, licet emendatum per pœnitentiam non sit. In primo ergò euentu quoniam indigentia proximi re ipsa præsens semper est, cum perpetuò semperq; timeatur nouum spiritale damnum proximi, id est, repetitio peccati, vel D perpetuitas eius: propterea tunc quodlibet tẽpus quod opportunum esse censetur ad corripiendum proximum, est etiam tempus necessitatis, & indigentiæ, atque adeò exigitur tunc officium misericordiæ. At quando correctio dirigitur solum ad remediũ peccati commissi, tempus necessarium non est quodlibet temp' opportunum, neque quod solam spem fructus affert, sed illud quod aduehit necessitatem vitandæ impœnitentiæ peccati, vel fugiendæ mortis æternæ, v.g. si adesset & tẽpus confitendi peccata, & moraliter crederetur frater, qui commisit peccatum non esse executurus tale præceptum, nisi admoneretur, ad vitandum impœnitentiæ peccatum tunc adesset tempus necessarium ad corrigendum fratrem. rursum, quando instaret mors, & esset periculũ ne frater decederet in peccato nisi moneretur, tunc etiam adesset tempus necessarium. quam rem fusè declarat Franciscus Suarez 3. part. tom. 4. de pœnitentia disp. 15. section. 5.

numero trigesimotertio, vsque in finem sec-tion.

THEORIA III.

De modo corrigendi ex præcepto Christi.

1. *Tria necessaria in correctore vt vtilem nauet operam.*

TRIA minimum seruanda sunt à correctore iuxta præceptũ Christi vt vtiliter adhibeatur correctio; vnum est qui priuatim peccauit, verbi gratia coram vno, vel altero: primum quidem priuatim quoque ac seorsim corripiatur, sic enim præcipit Dominus: *si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum.* qua de re Ambros. sic scribit libr. 8. in Luc. *corripe eum inter te & ipsum: plus enim proficit amica correctio, quàm accusatio turbulenta. illa pudorem incutit, hæc indignationem mouet. seruetur potius quod prodi metuat, qui monetur. bonum quippe est vt amicum magis te, qui corripitur, credat, quam inimicum; facilius enim consilijs acquiescitur, quam iniuriæ succumbitur, vnde & Apost.* (2. Thessal. 3.) *Corripite, inquit, fratrem vt erubescat, non vt inimicum eum existimetis. Infirmus enim custos bonitatis est timor; pudor autem bonus magister officij: qui enim metuit, reprimitur, non emendatur: quem pudet facere in naturam vertit*: Hæc Ambros. Diuus. Hieronym. libr. 3. in Matth. *corripiendus est autem*, inquit, *frater seorsum, ne si semel pudorem ac verecundiam amiserit: remaneat in peccato, & si quidem audierit, lucrifaciamus animam eius & per alterius salutem nobis quoque acquiritur salus.* D. quoque Augustinus sermon. 16. de verb. Dom. *Si solus* inquit, *nosti, quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor.* obserua quod si emendauit se delinquens non est res deferenda, vel indicanda prælato, nisi certò, vel probabiliter crederetur frater relapsurus, nisi præteritus eius lapsus indicaretur superiori, quo præseruetur ne recidat, quomodo tantùm verum est, quod dicit Richar. 4. d. 19. a. 2. q. 1.

2. *Cur necessarij testes.*

Si quando verò priuata correctio non iuuerit, tunc secundo adhibendi testes vnus, vel alter. Sed quorsum, inquies, necessaria est inductio testium? Respondeo quattuor de causis videtur talis inductio efficax, & necessaria: Primò, vt vel ipsi testes confirment esse peccatum id quod proximus facit, quod insinuat Dominus, dum subdit; *vt in ore duorum vel triũ stet omne verbum*; deinde vt conuincatur de actu si in illum proximus recidat, nec per inductionem testium erratum emendauerit, atque adeò oporteat ad eumdem hunc finem emendationis fratris, rem totam deferre ad superiorem, Sic Augustin. Regum 3. cap. 23. tom. 1. & epist. 109.

3. Tertiò vt testes approbent, & testentur officium eius, qui corripit, vt vide licet sicut ait D. Chrysostomus homil. 61. in Matth. quia is solus imbecillior visus est, adiectione duorum fortior factus, arguat delinquentem. Adde & ex eodem Chrysost. ibidem, vt habeat is testimonium, quod officio suo non defuerit. Addunt & alij, vt hoc valeat correctori ad eum finem, vt non repellatur à denunciatione facienda Prælato vt alioqui repelleretur, nisi præmisisset monitionem ex cap. *cum dilectus*, extra de accusationibus. Postremò vt etiam ipsi testes delinquentem corripiant. quod significat Dominus. *si eos non audierit*, quod & Hieronym. obseruat. quando igitur videtur profutura inductio testium hic, vel aliqua ex his causis adhibenda erit post priuatam monitionem ex præcepto Domini.

4. *An tantum ij qui sciunt delictum adhibendi sint in testes.*

Sed restat dubium, an tantùm testes adhibendi sint, qui sciunt fratris delictum, non autem hi qui ignorant; videtur enim illicitum prodere nescienti peccatum fratris. Quidam negant id licere nisi crimen continuetur, vel iteretur, vt si quis retineret rem alienam, quam furto subtraxit; vel cum occulta pellice pergeret fornicari, sed respondendum est etiam si ignoretur peccatum, & neque per obseruationem continuationis, aut iterationis cognosci possit, inducendum esse adhuc vnum, vel duos testes, quando iuxta modos num. 2. & 3. explicatos profuturum id videtur ad finem correctionis; patet, quia Dominus non dixit: adhibe vnum vel duos testes, sed, *vnum vel duos*, vt intelligeremus non solum tunc esse adhibendos, quando possunt esse testes, ita vt sciant peccatum fratris, sed etiam quando ex causis, vel capitibus, quæ numerauimus dicto n. 2. & 3. possunt iuuare ad finem correctionis; & quamuis subdat postea Dominus; *vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*, id tamen subiecit, vt insinuaret posse istos saltem testari officium exhibitum à correctore, vt denunciatio admittatur; licet quoque quando eis notum est peccatum testari possint, sicut & quando iteratum, aut continuatum esset, si ab illis id foret obseruatum. Deinde idem indicat non obscurè Augustin. Regum 3. capit. 23. & epistol. 109. vbi docet, peccatum fratris esse vni, vel alteri demonstrandum (procul dubio nescienti) *ne deterius putrescat in corde.* Et certè, si propterea adhibendi essent testes tantum, vt probarent crimen cognitum coram prælato, satis esset eos testes, qui sciunt peccatum adhibere, quando res iam defertur ad prælatum. Neque verò timendum erit per hunc modum famæ fratris; nam Augustinus q. 1. in Leuit. differens, an sit licitum indicare alteri periurium fratris, Respondet: *videtur quod se homo soluat à peccati vinculo, etiamsi indicet talibus, qui magis possunt prodesse, quam obesse periuro, siue ad corrigendum eum, siue ad Deum pro illo placandum, si & ipse confessionis adhibeat medicinam.*

5. *An primo indicandum delictum prælato tanquam patri.*

Ceterùm grauior est hic controuersia, num videlicet delictum indicandum sit Prælato tanquam Patri dumtaxat, antequam etiam indicetur vni, vel alteri, de quo hactenus dixi. & quidem non est dubium prius esse adhibendum vnum, vel alterum, quam crimen deferatur prælato, siue vt iudici tantùm, siue vt patri & iudici simul; sed dubium tantùm est de prælato, vt est quædam singularis persona, quæ magis prodesse potest, quam alij, vt loquitur Diuus Thomas 2. 2. quæstion. 33. articulo octauo, ad 4. id est,

pro-

Digitized by Google

prout tantùm Pater est, & quidem D. Th. loc. citat. citans August. Reg. 3. cap. 23. eius est sententiæ, vt ante adhibitos testes dicatur prælato vt Patri. At Hugo de S. Victore in contraria sententia est. quam defendit Grego. de Valentia p. 5. §. 2. in illis verbis, *Tertiò controuersum est*, &c. Ceterùm sententia Diui Thomæ amplectenda est.

6. *Post testes res aperienda Prælato vt patri & iudici sed præsertim vt patri.*

Sequitur iam tertium circa modum, & ordinem correctionis seruandum. Si enim testes non audierit, tunc delinquentis peccatum Ecclesiæ ostendendum est, id est, prælato qui nomine Ecclesię in primis intelligitur, tum vt iudici, tum vt patri; sed præcipuè vt patri, vt vtroque nomine prospiciat bono fratris. nam dum dicit Christus, *dic Ecclesiæ*, significat in primis Prælatum vt Ecclesiam repræsentat tãquam persona publica, atque adeò vt iudex; significat idem Dominus ita debere dici prælato, vt si opus sit, & quæ ad id exiguntur accedant, possit res per sententiam iudicis venire in notitiam Ecclesiæ. quare Hieron. exponit, *dic Ecclesiæ*, id est, dic multis. q. d. dic iudici per cuius sententiam si ita res tulerit, omnib. post-ea nota fiat. Denique cum Dominus dicat: *si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus*, innuit debere dici ei, qui iubere possit cum commination excommunicationis, quod iudicis est. constat ergò debere dici Prælato vt iudici, vt mirum non sit, si doctores hanc denunciationem publicam vocẽt, quod nimirum fiat personæ publicæ; seu Prælato, sicut in loco iudicis residenti.

7. *Differentia inter denunciationẽ fraternam & iuridicam.*

Quod verò debeat eidem dici vt Patri, patet ex fine correctionis fraternæ qui est bonũ fratris, ergò qui corrigit, etiam in hoc tertio gradu ordinis, seu modi correctionis adhibere debet prælatum, vt tanquam pater ad meliorem vitam peccantem reuocet; quia verò correctio fraterna actus est misericordiæ, & caritatis, & præcipuè respicit particulare bonum fratris; Ideò diximus num. 8. dicendum esse delictum prælato præsertim tanquam patri. in hoc enim differt multum denunciatio fraterna, seu Euangelica, seu pœnitentialis à iuridica: nam hæc spectat præsertim bonum commune illa priuatum. vnde non mirum si quidam Doctores respicientes proprium finem, & formale correctionis obiectum, dixerint; peccatum esse indicandum Prælato, non vt iudici (id est, præcipuè & formaliter) sed vt Patri, seu vt priuatæ personæ, sicut Siluest. loquitur v. denunciat. num. 1. cum tamen v. correctio. nu. 4. dicat, per viam correctionis indicari peccatum Prælato, etiam vt iudici. hoc item confirmant verba, quæ retulimus ex August. num. 6. cum ait: *prius præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi, ne fortè possit secretius correptus* (aliàs correctus) *non innotescere ceteris*, vult ergò August. ostendi crimen post testium videlicet inductionem Prælato, præsertim vt patri, vt consulatur famę delinquentis, licet nõ neget minus principaliter dici debere simul eidem vt iudici, vt omni modo iuuetur, prout expedierit emendationi fratris.

8. Ceterum prælatus nequaquam poterit delinquentem punire per pœnas iuridicas, quæ iure constitutæ sunt ratione solius huius notitiæ, quod ex hac fraterna denunciatione habuit, licet possit & debeat quacunque ratione alia quæ apta videatur ad emendandum fratrem illum corripere; Imò & illum punire pœnis arbitrarijs ad eumdem emendationis finem, instar patris animaduertentis in filium poteritque ea, qua pollet vt iudex, auctoritate si ita videatur expedire seriò imperare, vt à delicto abstineat sub excommunicationis pœna ipso facto incurrendæ, atq; adeò poterit remouere ab illo efficaciter occasiones peccandi quascunque.

An prælatus denunciatum fraternè possit punire.

Quod autem non possit pœnis iure constitutis delinquentem punire, inde constat, quod per correctionem fraternam delictum ostenditur prælato, non vt iudici formaliter, & præcipuè; sed quasi, vt aiunt, materialiter & minus præcipuè; nec per viam iudicialem vt accusationis vel denunciationis iuridicæ, sed indicatur illi vt Patri præcipuè, & per viam fraternę caritatis; non ergò poterit prælatus vt iudex legitimè condemnare reum ad pœnas lege cõstitutas, quasi deferretur per viam iudicialem. Quod autem possit per pœnas arbitrarias facere ea omnia quæ dixi num. 10. & illi imperare etiam sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, vt à peccato caueat, inde patet, quod ad patrem spectat, vt per pœnas etiam conuenientes coerceat filios, quod quia non fecit Heli, punitus est à Deo 1. Reg. 2. & 3.

9.

Itemque patet ex eo, quod quamuis minus principaliter, delatum est tamen prælato crimen etiam vt iudici. igitur & si non ordinarijs at arbitrarijs pœnis coercere poterit delinquentem cum expedierit ad finem emendationis.

Sed dices: verba Christi: *sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, indicare videntur, quod eo ipso quod prælatum non audit delinquens, sit excommunicandus, vel excommunicatus intelligatur, atque adeò vitandus; poterit ergò statim pœnis ordinarijs, ac iuridicis puniri contra ac nos diximus num. 10. & 11. Respondeo ea verba Christi: *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, non debere ita accipi, quasi peccans non audiens prælatum propter talem contumaciam sit statim iure diuino excommunicatus, cum iure diuino nulla sit lata excommunicatio. Neque ita accipi debent, quasi per notitiam habitam via correctionis possit prælatus ob peccatum præteritum delinquentem excommunicare, cum id fieri nõ possit, est enim excommunicatio pœna iuridica; pœnas autem iuridicas non posse infligi diximus, cum per viam fraternę denunciationis defertur delinquens quamuis id posset præstare prælatus. Si rursus deferretur delictum illud via iudiciali, vel certè si delinquens coram duobus, aut tribus, de nouo contumax esset manifestè, & propterea sine alia delatione excommunicaretur à iudice, quod rarò accidit, quare quod Dominus ait, est; posse ac debere, cum ad emendationem proximi facit, Prælatum imperare delinquenti emendationem sub pœna excommunicationis, quam, si pergat esse contumax, ipso facto incurret; hoc enim non est actu infligere pœnam iuridicam excommunicationis, sed imperare seuerè sub

10.

Digitized by Google

ea pœna, quam poteſt cauere ſi velit delinquens.

11. *Cũ licet Prælato via iudiciali procedere.*

An verò, & quando liceat prælato via quoque iudiciali procedere aduerſus fraternè denunciatum, cum peccatum eius probari poteſt iuridicè per duos vel tres teſtes; vel cum poteſt iuridicè inquiri de eo, vt cum præter denunciantem adeſſent indicia criminis, vel fama, &c. vide apud Valent. loc. citat. part. 5. §. 2. ſub finem in illis verbis: *quartò controuerſum eſt.*

12. *Tres caſus, in quib. non eſt præmittenda correctio priuata.*

Iam verò diligenter obſeruandum eſt in tribus caſibus non eſſe tenendum modum hunc correctionis hactenus à nobis iuxta Chriſti præceptum expoſitum. Primò cum peccatum eſt publicum, vel quia publica infamia diuulgatum; vel in iudicio conuictum, vel in aliqua vicinia, collegio, communitate compertum ex Nauar. cap. 24. Manua. num. 14. & Sot. in relect. de ſign. fecr. mem. 2. qu. 6. dub. 3. quod verò non eſt aliquo ex his modis notum, licet non modo à duobus, vel tribus, vel quatuor, ſed pluribus etiam ſciatur per quos & probari poteſt, dicetur peccatum, occultum; de peccante ergò publicè, loquitur Paulus 1. ad Timoth. 2. *peccantes coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant*, iuxta expoſitionem Auguſtini ſermon. 16. de verb. Domini.

Locus Pauli 1. Tim. 5. 20.

13. Secundus caſus eſt, ſi peccatum cedat in damnum graue communitatis, vel alicuius hominis, vt ſi quis proditionem ciuitatis machinaretur, vel necem alicuius, licet occultum eſſet peccatum; tunc enim ſtatim deferendum eſſet cum vel periculum eſt in mora, vel non ſperet quis priuatim monendo poſſe ſtatim remedium adhibere. Huc etiam refertur quando peccatum eſſet contagioſum, & exitiale ſua natura, vt eſt in primis hæreſis. Nec obeſt quod Diuus Thomas ait, q. citat. artic. 7. in peccatis quæ nocent alijs, vt in proditione, & hæreſi vt ipſe ait, oportere ſtatim denunciare ſuperiori, niſi fortè aliquis firmiter exiſtimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet huiuſmodi mala impedire; Intelligendus eſt enim Diuus Thom. cum ſtatim, certò & efficaciter per ſecretam admonitionem ſpectata natura peccati: poſſent eiuſmodi mala pernicioſa impediri, quod vix in peccato, præſertim hæreſis locum habet.

14. *Locus Pauli ad Tit. 3. 10.*

Apoſtolus verò ad Titum 3. 10. ſcribens: *hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita*; intelligendus eſt eodem modo: ſi nimirum certò per correctionem ſperetur hominis emendatio: alioqui enim ſtatim conſulendum bono communi.

15. Tertius caſus eſt, in quo neque ſeruandus eſt is ordo & modus correctionis, cum quis ei Religioni, vel ſodalitio nomen dedit in qua ad maiorem ſubmiſionem declarandam, copioſioremque profectum ſpiritualem, atque etiam ampliorem à recidiuo ſecuritatem exigeretur; vt quilibet lapſus etiam occultus extra confeſionem ſacramentalem perſpectus, ſuperiori Religionis aperiatur: qua de re quoniam egregiè ſatis & pluribus differit noſter Gregor. Valent. loco citato p. §. 1. in illis verbis: *quintus caſus eſt*; ad illum remitto lectorem, cætera quæ ſuperſunt de correctione fraterna, ſequenti Theoria complectemur.

THEORIA IV.

De quibuſdam alijs regulis obſeruandis in modo & ordine corrigendi.

1. *Tres regulæ an ſeruandus ſit ordo correctionis?*

DIXIMVS in quibus euentibus minimè ſeruari oporteat corrigendi ordinem à Chriſto præſcriptum vt patet Theor. 3. num. 14. & ſequent. verùm non puto ingratum lectori ſi tres regulas illis adnectamus, quæ clarius explicẽt, quo ſpectandũ ſit, vt conſtet obſeruandus ne ſit, an non ordo à Chriſto Domino in corripiendo præſcriptus. Sunt autem hæ regulę à P. Salmerone deſumptæ tom. 4. part. 3. tractat. 12. vbi ſub finem ſic ſcribit: in praxi fraternæ correctionis exercendæ tria ſunt circa ordinem commune priuato eſſe præferendum; quod natura in omnibus teſtatur, & Aug. lib. confeſ. 3. c. 8. *turpis eſt omni pars, ſuo vniuerſo non congruens.* & D. Thom. 2. 2. q. 47 a. 10. ad 2. *ille*, inquit, *qui quærit bonum commune multitudinis, ex conſequenti quærit bonũ ſuum: quia bonum proprium non poteſt eſſe ſine communi.* Secundum, in correctione fraterna, primò quærenda eſt ſalus ſpiritualis proximi, & famæ illius eſt anteponenda, ſi non ſe ſimul compatiuntur &c. probatur ex eo quod Dominus dixit: *quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur animæ verò ſuæ detrimentũ patiatur?* Tertiũ eſt famam proximi ſemper conſeruandam in correctione fraterna, quantum fieri poteſt ſine damno boni communis, & ſpiritualis ſalutis animæ: quia fama inter bona externa primatũ tenet, quia *melius eſt nomen bonũ, quam diuitiæ multæ.* Prouerb. 22. ſi ergo in cęteris bonis dãnum proximi vitari debet à fortiori in fama; vt Chriſtus propterea conſultiſſimè admonuerit, primò famam proximi ſeruandam, cũ ait: *corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Qui igitur ad has regulas ſpectauerit, non poterit nõ ſuauiter corripere fratrẽ, & ſcrupulos omnes, ſi qui occurrerint, facilè repellere, ſic ille, & ſanè prudenter atque vtiliter.

2. *Leniter & modeſtè fiat correptio.*

Sede neque illa diſſimulanda ſunt, quæ valde vtilia cenſentur ad bonum correctionis modum, nimirum vt plurimum debere correctionem fieri leniter, & modeſtè, & debita cum animi ſubmiſione, quam rem optimè docet Apoſtolus ad Galat. 6. 1. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris*, & 2. ad Timoth. 2. 24. *Seruum*, inquit, *Domini non oportet litigare; ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati.* Docet Gregor. Nazianz. de moderatione in diſp. ſeruan. *hanc*, inquit, *rationem tene, vt partim fratrem corrigas, idq; leniter & humanè, non vt hoſtis, nec vt durus, & rigidus medicus; nec vt ſectionibus tantum, & cauterijs aduerſus morbum ſciens graſſari*, & paulò poſt ſubdit; *ſi*

primum

Digitized by Google

primùm obluctetur, leniter expecta; si secundò, ne animum despondeas; nondum enim curationis tempus effluxit, si tertiò, benignum illum, & humanitate præditum agricolam imitare: Dominum adhuc precare, ne infructuosam ficum excidat, verùm conuertat, & curet. Vide Chrysostom. homil. tertia & septima ad populum Antiochen. & Cassian. 8. constit. cap. 5. & collat. 2. capite decimotertio.

3. Ceterùm si lenis corrector non proficis, indue durioris personam, verùm præeunte semper caritate. Sic Paulus 2. ad Timoth. quarto, 2. *predica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Sic ad Titum 1. 13. *quam ob caussam increpa illos* (Cretenses) durè vt sani sint in fide, &c.

Augustinus in Psal. centesimum secundum, *quid*, inquit, *de luxurioso filio facturus es? non castigabis? non verberabis? seruum & ipsum tuum, si malè viuentem videres, non pœna aliqua, non verberibus refrenabis? fiat hoc. fiat: admittit Deus, imò reprehendit si non fiat, sed animo dilectionis fac non animo vltionis:* Sic August. verè Greg. libro vigesimoquarto moral. capite 24. de iustis ait: *iusti cum seuerè corrigunt interna dulcedinis gratiam non amittunt.* vide eumdem tertia parte Pastoral. & Bernardum sermo. 4. in Cantica.

4. *An liceat Prælatos & summũ Pontif. corrigere.*

Verùm hùc spectare videtur, vt explicemus varios corrigendi modos pro varietate & ratione personarum, qua de re quia disertè & copiosè loco citato in pastoral. scribit Gregorius, nihil hìc ego adijciam, tantùm hic declarabo, an liceat Ecclesiæ Prælatos, imprimis verò ipsum Pontificem corrigere. Ad quam ego dubitationem idem respondeo, quod olim Doctor Olauius, nimirum per multum interesse inter gubernatores regni Cœlestis, & Regni terreni iuxta illam Domini doctrinam Marc. decimo, 42. idem habetur Matthæi vigesimo, & Luc. 22. *Scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & Principes eorum potestatem habent ipsorum. non ita est autem in vobis; sed quicunque voluerit fieri maior, erit vester minister, & quicunque voluerit in vobis primus esse erit omnium seruus.* in cuius schola eruditus Diuus Petrus effecit, & docuit quod didicerat. Docuit quidem dum in sua canon. 1. Petri quinto, 2. scribit Episcopis, *pascite, qui in vobis est gregem Dei, non vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* fecit verò partim, dum auctoritatem suam nunquam nisi necessaria aliqua ratione compulsus, ostendit, vt cum Ananiam & Saphiram in aliorum terrorem condemnauit, Actorum quinto. dum in medio Ecclesiæ orationem habuit præcipiens, vt de sufficiendo aliquo in locum Iudæ proditoris ageretur Actorum primo. dum in die Pentecostes patrociniũ Christianorum aduersus obloquutores susçepit Act. secundo. dum in concilio primus sententiam dixit Act. decimoquinto. partim dum modestiam in sua gubernatione adhibebat, vt etiam in re sibi exploratissima aliorum sententiam audire voluerit, & decretum omnium nomine promulgari, quod communi consensu esset definitum, Act. 15. nec

D. Petrus auctoritatẽ, & modestiam miscuit.

A grauatus est laborem eum susçipere tanquam ab alijs impositum, quem omnes vtilem rebus Ecclesiæ esse censuissent Act. 8. Nec recusauit rationem reddere doctrinæ, quam tradebat ad sedandos animos eorum, qui eam nosse cupiebant Actorum vndecimo, memor illorum verborum, Iob cap. 31. 13. *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea cum disceptarent aduersum me.* *Locus Iob. 31. 13.*

Nec audimus eum quidem grauiter Diui Pauli increpationem tulisse ad Galatas 2. quam cognoscebat ex sincero animo fuisse profectam quamquã nihil ipse mala intentione commisisset, sed dum nimium volebat saluti eorum, qui erant ex circumcisione, prospicere; accidit vt offenderentur; qui venerant ex præputio, quorum caussa fuit increpatus à Paulo; vterque enim suis quantum poterat consulebat: traditum autem fuerat Euangelium circumcisionis peculiariter Petro, & Euangelium præputij Paulo ad Galat. secundo, subtraxerat se Petrus à præputiatis, ne offenderentur circumcisi, reprehensus fuit publicè à Paulo, ne subtractione eius alienarentur præputiati. *Locus Gal. 2. 11. & seq.*

Ad quem modum ego quidem non dubito posse Pontificem à Cardinalibus, & alijs prælatis, quibus ipse tanquam consiliarijs vtitur, admoneri & corrigi debita reuerentia obseruata iuxta illud 1. ad Timotheum quinto, 1. *seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt Patrem*; nam vt Gloss. Augustin. habet ad Galatas secundo, *exemplum Petrus maioribus præbuit; vt sicubi fortè rectum tramitem reliquissent, non dedignentur etiam à posteriorib. corrigi.*

Existimo autem ego eos, qui sunt à Consilijs Pontifici non tam adduci debere ad corrigendum Pontificem obligatione præcepti de correctione fraterna traditi, quam ratione officij, quod hanc illi imponit personam, vt non placentia loquantur, sed salutaribus consilijs & admonitionibus Pontificem iuuent. nam correctio fraterna si rectè illa omnia perpendamus, quæ Matth. 18. & Lucæ 17. habentur illi abhibenturquem increpare liceat, & qui ad Ecclesiam tanquam ad iudicem deferri possit, nisi emendetur. Verùm non magnopere laborabo, quo nomine vocari illa correctio debeat: modo illud fixum maneat correctionem Pontificis accusatoriam esse non debere, nec huiusmodi, quæ deduci possit ad tribunal Ecclesiæ, vbi iudiciariè tractetur. 5. *Ad quos pertineat Pontificem reuerẽter monere.*

Hoc enim modo tantùm abest, vt licuerit vnquam alicui Papam reprehendere, vt etiam interdictum sit subditis cuiusuis particularis Episcopi suum Episcopum reprehendere, nisi in fide inueniretur errare, id quod ego de reprehensione accusatoria inteligo, quæ fiat in ipso episcopatu, & non de ea quæ fiat apud iudicem superiorem: quod colligi potest ex decreto quodam Simmachi allegato à Gratiano 2. quæstione septima, & ex Anaclet. epistol. 3. Fabiani epistola secunda, vbi habetur: *Apostolica authoritate iubemus, ne pastorem suum oues, quæ ei commissæ fuerunt (nisi in fide errauerit) reprehendere audeant, quia fa-*

Digitized by Google

cta Præpositorum oris gladio ferienda non sunt, nec potest esse discipulus super Magistrum, dicente hoc veritatis voce Lucæ sexto, nominatim autem cauetur de summo Pontifice, distinctione quadragesima, cap. *si Papa*, Item quæst. 9.3.capit. *Patet*, cap. *Nemo*, cap. *Aliorum*, cap. *Facta*, cap. *Cuncta*, in extrauagan. BONIFACII 8.cap. *nam sanctam*.

6. Correctio patienter ferenda.

Postremò, nec illud in præteritis habendum est, quod principem obtinere locum censetur, vt correctio eum, quem sibi proposuit, finem consequatur, debere correctionem, reprehensionemue æquo, patientique animo sustineri. Hinc Prouerbiorum decimoquinto, 5. *stultus irridet disciplinam Patris sui, qui autem custodit increpationes, astutior fiet.* & versiculo duodecimo, *non amat pestilens eum qui se corripit: nec ad sapientes graditur.* vers. trigesimoprimo, *auris quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientum commorabitur,* & v. trigesimosecundo, *qui acquiescit increpationibus, possessor est cordis.* & capite vigesimonono, 1. *viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur*, & Eccl. decimo, 28. *vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus*, & capite vigesimoprimo, 7. *qui odit correctionem, vestigium est peccatoris.* quasi dicat, euidentissimum argumentum est mali animi, vel sequetur talis viam peccatorum.

Multa etiam apud sanctos Patres ad hanc rem faciētia luculentissimè scripta inueniūtur, sed satis est vnum illud ex Augustin. lib. de correct. & gratia cap. 5. in medium attulisse: *quicunque*, ait, *corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. non vis enim tibi tua vitia demonstrari: non vis vt feriantur, fiatq; tibi vtilis dolor, quo medicum quæras: non vis tibi tu ipse ostendi, vt cum deformem te vides, reformatorem desideres, eiq; supplices, ne in illa remaneas fœditate. Tuum quippe vitium est, quod malus es, & maius vitium corripi nolle, quia malus es, quasi laudanda, vel indifferenter habenda sint vitia, vt neq; laudentur, neque vituperentur. aut verò nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor*; quare sic scribit de seipso ad Hieron. epist. 19. *identidem rogo, vt me fidenter corrigas, vbi mihi hoc opus esse perspexeris. quanquam enim secundùm honorum vocabula, quæ iā Ecclesia vsus obtinuit, Episcopatus presbyterio maior sit, tamen multis in rebus Augustin. Hieron. minor est; licet etiam à minore quolibet non sit refugienda, vel dedignanda correctio.* Hæc Augustin.

Sed neque Ethnici hoc ipsum ignorarunt. Lege Plutar. lib. de profectu morum, vbi inter alia habet: *quisquis ad bonam frugem ex corruptis moribus peruenire desiderat*, opus habet, Auctore Diogene, diligenti amico, feruidoque hoste, vt peccatum fugiat, aut correptus aut certè humaniter, ac blandè curatus.

A

THEORIA V.

An infallibilitas in decidēdis fidei dogmatib. vel ijs quæ ad mores pertinent, in summo resideat Pontifice, an verò in concilio generali, & an hoc supra Papam sit?

B

QVoniā propter ea verba, quæ v. 3. huius c. habentur: *Dic Ecclesiæ*, & eorum, quæ v. 6. sunt, *vbi n. sunt duo vel tres congregati.* &c. cōtenderunt nonnulli, maiorem esse potestatem Cōcilij generalis, quam sit Pontificis, & infallibilitatē quoq; non tam esse Petro promissā, quā eidem concilio generali, ideò vt veritas eluceſcat paucis erit hic ea de re agendū: agitata fuit inter Catholicos ea quæstio grauiter post concilij Cōstantiensis celebrationem. Verū ne inquisitio hæc obscura & cōfusa videatur, distinguenda sunt huius cōparationis extrema. Existimāt. n. quidā Gersonē, & qui eum sequūtur, ita de hac cōparatione disseruisse, ac si ab vna parte collocassent summū Pontif. solū, ab alia aūt, congregationem reliquorū Præsulum Eccles. quę sine sum. Pōtif. Conciliū diceretur; At falluntur, vt rectè Ola. monet, ex quo pluri madesumemus, q̄ de hac q. disseremus; non n. ignorabant illi quorūcunq; Episcoporū multitudinē, quę capite careat, nec Eccl. vniuersalē repræsentare, nec suprema potestate, & auctoritate ad controuersias fidei constituendas, & ad condendas leges instructā esse posse: neq; n. aliter dici potest, nisi ab eo, qui cum hæreticis negaret, Papam totius Cath. Ecclesiæ caput esse. extrema igitur ita constituerunt illi, contra quos disputamus, vt vnū facerent solum Pontificē, alterū verò plenariū & legitimum concilium, in quo summus Pontifex tanquā caput præsideat. Quod plenarium Conciliū proinde illi cum Papa conferunt, atq; conferre possent cum quouis alio Episcopo ex ijs, quos tanquā mēbra complectitur, & quibus libera suffragandi potestas in ipso est. nec referre aiunt, dicātne sentētiam summus Pontif. an taceat, subducat se ex congregatione, an perseueret in illa. Nam cum legitimè conciliū congregatum est, & Pontifex nulla ratione impeditur, quin suo loco sententiā dicat, si eam dicere sine legitima causa recuset, impedimēdo non erit, quin sententia maiori parte suffragiorum totius concilij confirmata habenda sit pro vera, plenarij & vniuersalis concilij definitione, vt habita etiam esset, si sententiam contrariam ille dixisset.

C

D

I.

Verus sensus huius controuersiæ.

Multitudo Episcoporū sine capite nec vniuersalē Ecclesiam repræsentans, nec suprema potestate ad controuersias fidei constituendas, nec ad condendas leges instructa est.

Hi igitur si quid peccant (vt peccant sanè, & quidem grauissimè) non in constituendis huiusmodi comparationis extremis peccant, sed quod de sententia Concilij plenarij non pro eo ac debēt iudicant; nam cum pro definitione, & sententia eius habeant, quidquid per quamcunq; maiorē partem eius, resistente etiam & repugnante summo Pontifice, decernitur, apertè ostendūt se verbis tantùm, & non sensu summum Pontificem caput esse Ecclesiæ confiteri, nec intelligere, quanta illa potestas sit, quam

2. *Quid peccent aduersarij.*

Digitized by Google

Tres prærogatiuæ Concilio generali tributæ examinantur.

Petro contulit Christus, cùm eum in suum vicarium suffecit, & caput visibilis Ecclesiæ in terris esse voluit. Ac ex tribus quidem prærogatiuis, quibus Concilia illi generalia ornant, nulla planè in ea competit, si pro Concilij generalis decreto haberi possit, quod contra iudicium, & voluntatem Præsidis, & capitis ipsius in eo statuitur: ex quibus illa prima est: Concilium generale auctoritatem habere à Christo immediatè. Secunda Papam Concilio generali parere debere. Tertia Concilium generale potestatem habere coercitiuam in supremum Pontificem &c. Hæc tertia prærogatiua omninò est prauæ illi interpretationi annexa.

3. Nam si quis iuxta veram, & receptam apud veteres omnes opinionem, diceret Concilij sententiam, eam demùm esse, quæ consentiente, atque approbante ipsius Concilij Præside, & capite decernitur, posset quidem facilè tueri, & habere Concilium immediatè auctoritatem à Christo, quia auctoritatem Pontificis, quam CHRISTVS immediatè confert, in se continet, & Papam Concilij decretis parere debere, quia debet ille haud dubiè obedire suis, & maiorum suorum decretis iuxta obligationem, quam in eis esse, ipse vel Maiores eius esse declararunt. Nam decreta fidei, & quæ iure naturali, aut diuino in moribus obseruanda esse cum Concilio decernunt, æquè illos, ac quosuis alios homines obstringunt. Breuiter si quid cum sententia Concilij statuunt, nec mutationem, nec dispensationem pati posse, id non possunt illi, vel mutare, vel dispensatione relaxare: sed si decernant statuendum aliquid propter aliquas cõmoditates, vel tempori, vel personis, conuenientes, idque mutari ac dispensari propter iustas causas aliquando posse non negant, nihil tunc faciet aduersus suum & Concilij decretum, si vel mutet illud, vel dispenset cum causa legitima id postularet. Duæ igitur primæ prærogatiuæ attribui possunt Concilio, si vsus potestatis eius rectè, & sanè explicetur, non autem si prauè, & sinistrè. Tertia verò è contrario competere illi nequit, si iuxta Sanctorum sententiam de illius auctoritate & vsu loquaris, cùm sit tanquam principium apud omnes receptum, neminem habere potestatem coercitiuam in se ipsum, qua sanè Pontifex carere in seipsum non posset, si eam Concilium in illum haberet, cùm Concilium absque illius consensu nihil possit statuere. Quare vt quid in hac parte tenendum sit iuxta veram sententiam sequentibus assertionibus declarabimus, paucis quidem more nostro, qui non controuersias tractamus, sicut nec scholasticas quæstiones agitamus, sed tantùm pro locorum Euangelij alicuius occasione & opportunitate parcè delibamus in concionatorum præsertim gratiam, & eorum, qui breuiter ea discere cupiunt, & vt locus Euangelicus, quem declaramus, planior, illustriorque reddatur.

4. Primatus in totam Ecclesiam cum

Assertio prima: cùm constet illustribus Christi testimonijs Matth. 16. & Ioan. 21. quod nec aduersarij negant, primatum in vniuersam Ecclesiam cum plenitudine potestatis Petro

A tanquam Christi vicario, tum pro ipso, tum pro suis successoribus promissum primùm fuisse, deinde præstitum: nec negare quidem id possunt cùm apertissimum de hac re decretum extet Concilij generalis (cui infallibilitatem aduersarij meritò tribuunt) in litteris enim vnionis Græcorum, & Latinorum, quæ fuerunt in OEcumenico Concil. Florent. sub Eugen. IV. omnium consensu definitus est hic articulus: *Item definimus Sanctam & Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum esse totius Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis OEcumenicorum Conciliorum & in sacris Canonibus continetur.* Cùm, inquam, hæc omnium Catholicorum consensu firma, rataque esse debeant, non obscurè hinc efficitur, falsa esse, quæ ab aduersarijs defenduntur. cùm apertè cum his pugnent. Etenim intelligi non potest vel summam auctoritatem Ecclesiasticam pluribus, distinctis, & diuersis ita esse concessam, vt singuli seorsim ea polleant, vel auctoritatem Pontificis summam dici posse, si ea, vt illi aiunt, quoad vsum & executionem regulari & dirigi per Ecclesiæ auctoritatem debeat, & restringi, ac dilatari ab ea possit.

B

Deinde contradictionem inuoluit statum Ecclesiasticæ Reipublicæ Monarchicum simul, & Democraticum esse. Adhæc, non decebat, vt Christus, cùm corporalem suam præsentiam hominibus subtraxit, vicarium quatenus homo sufficeret, qui non esset illi in ea auctoritate, & eo munere successurus, quod manens ille in mundo, obiturus fuisset. Cùm reliqua igitur Ecclesia non habuisset auctoritatem vllam in vsum & executionem potestatis Christi, fit, vt nec nunc habeat eam auctoritatem in vsum potestatis vicarij eius; idque non obscurè Dominus significasse videtur, cum vicario suo tanquam vniuersali Pastori omnes, qui in Ecclesia sunt velut oues parere voluit: non enim ouibus vel seorsim acceptis, vel coniunctis potestas vlla in pastorem est. Et verò cui non absurdum videatur, & minimè consentaneum esse, vt viuente in cœlis Christo, qui princeps, caput, & primarius pastor, & gubernator Ecclesiæ militantis est, vicarius ab eo constitutus, & supernaturali instructus potestate, eius in iussu ab omnibus possit vicariatu eijci, & illa tam excelsa, & supernaturali potestate priuari?

C

D

Sed quod caput est, parum certè hi, qui hæc dicunt animaduertere videntur, quo discrimine separentur politia Ecclesiastica, quæ regnum cœlorum in Euangelio vocatur, & politia ciuilis, quę est regnum terrestre, profectò vt homines in illam supernaturali virtute cooptantur, ita quoq; legibus ipsam cęlestibus ac supernaturalibus, & quidem per rectores supernaturali potestate præditos gubernari parerat, & stabilitatem eius nõ humanis præsidijs

Supremus potestate Petro est à Christo datum.

5.

6. *Differentia inter Ecclesiasticam, & Ciuilem potestatem.*

niti,sed ex supernaturali assistentia, & fauore Spiritus S.pendere. Quare non vt in terreno regno,cùm à Rege opprimitur, supremũ suffugium ad vniuersum corpus Reipubl.est, cuius consensu,& potestate ipse princeps est delectus;ita in regno cœlesti à corpore Ecclesiæ contra iniurias Pastoris à Christo constituti remedium extremum petendum est,sed ab ipso potiùs Christo,qui nec secundùm diuinitatem vnquam abest, nec oculos vnquam à spõsa sua dilecta deijcit. Et meritò hoc discrimen inter vtramq; politiam constituimus. In Monarchia namque vel politia regni terreni Monarcha potestatem exercet delatam sibi à communitate,cuius partes gerit,& velut personam tanquam vicarius eius sustinet : quare licet potestatem habeat supra singula mẽbra communitatis, non habet tamen vllam auctoritatem in ipsam communitatem, cùm eam, quam tenet, illa largita sit, & auferre etiam possit. At in regno cœlorum, & spiritali Monarchia, primus quidem Christus verus Rex, & Monarcha amplissima in vniuersum suum regnum pollet auctoritate, accepta illa quidem non à regno, sed ab æterno patre, per quam subditam sibi habet vniuersam suam Ecclesiam tanquam sponsam. Hanc autem suam potestatem Dominus cum Pontifice tanquam cum immediato suo vicario communicat.

7. Vnde necessariò colligitur Pontificem potestatem habere supra vniuersam Ecclesiam,quæ illi regenda committitur, sicut clarè constat illis Domini verbis: *super hanc petram adificabo Ecclesiam meam*. Colligitur etiam Pontificem non habere potestatem ab Ecclesia,vt Monarchæ terreni habent à communitatibus,sed à Christo : quare nec eam illi ab Ecclesia detrahi posse,sed à solo Christo, cùm non sit ipse vicarius Ecclesiæ, perinde vt sunt Monarchæ terreni, veluti vicarij communitatum,quarum personas referunt, sed sit immediatus Christi vicarius, cuius personam gerit,non Ecclesiæ.

8. *Pontifex immediatus Christi vicarius.* Immediatum autem vicarium ideo voco, quia cùm omnis potestas à Deo sit, quicunque potestatem gerunt,vicarij Dei quodammodo sunt:sed immediatus vicarius dici non potest, qui potestatem immediatè à Deo non accepit, sed ab alio, cui vel similem, vel superiorem Deus contulit,vt Monarcha terrenus, qui potestatem à communitate accipit, in qua illam Dominus prius collocauit. Nec si immediatè quidem potestatem à Deo quis accipiat, vicarius eius immediatus dicetur,si inter ipsum & Deum media sit aliqua potestas, cui parere ex Dei imperio teneatur,& per quam regi & gubernari debeat : non enim omnes Apostoli & Discipuli immediati erant Christi vicarij, & si potestatem,quam habebant, immediatè à Christo accepissent; sed vnus solus Petrus inter omnes electus à Domino,tanquam immediatus vicarius fuit, cui omnes suas oues pascendas in terra commiserit, traditis illi clauibus multò antea promissis,quæ supremam ad gubernandam Ecclesiam auctoritatem significabant.

A Sed mirabitur fortè aliquis cum Papa ab hominibus, nullo interueniente Sacramento creetur,& potestatem accipiat, quã & auferre illi Ecclesia iudicialiter,saltem propter crimẽ hæresis,possit, & ipse quotiescunque velit per voluntariam renuntiationem deponere, quomodo nos in illo auctoritatẽ esse dicamus sup vniuersam Ecclesiam, quod immediatus sit Christi vicarius, & potestatem habeat non ab ipsa Ecclesia, sed ab ipso Christo immediatè acceptã? verosimilius sanè videtur hoc vel de minimi sacerdotis potestate,quam de Pontificis auctoritate dici posse: siquidem Sacerdos etiam si hominum ministerio ordinetur,potestatem tamen per Sacramentum (in quo diuina virtus operatur) assequitur,quam nõ possit illi nec propria voluntas, nec vlla vis creaturæ adimere. 9. *Difficilis quæstio.*

B Respõdet Doctor Olauius huic quæstioni:primùm quidem potestatem Pontificis tam esse supernaturalẽ, quam est potestas ordinis,tum quia nisi supernaturalis esset, cõmunitati subijceretur : repugnat .n. in cõmunitate instituti potestatẽ, quæ nõ sit ipsi cõmunitati subiecta; tum quia vires naturæ superat infallibilitas illa in constituẽdis controuersijs fidei,qua Põtificis potestas fulget, vt nihil nũc de alijs eius ornamentis dicamus; proinde nõ potuit instituti immediatè, nisi à Deo, vt nec potestas sacerdotis. Deinde(ait)potestatem supernaturalẽ, & quæ per visibiles effectus prodere se non potest, cùm interest notam esse hominibus,non conferri à Deo, nisi interueniente signo visibili. non enim posset aliter hominibus innotescere : conferri autem vel per hominum ministerium,ac tum quidem *Responsio Doctoris Olauij.*

C signum illud visibile Sacramentum appellari; vel immediatè ab ipso, & non per hominum ministerium, & tunc signum visibile non dici *Sacramentum*, vt de Sacramento Doctores loqui consueuerunt,cùm id in septem species diuidunt.

10. *Pontificatus non per Sacramentum, sed per visibile tamen signum à Deo immediatè confertur.* Addit tertiò Pontificatum summum non dari quidem per Sacramentum, non quod non interueniat signum visibile, sed quia non hominum ministerio confertur,sed immediatè à Christo Domino:etenim Cardinales perinde se habere in creatione Papæ, atque illi, qui ius patronatus habent, qui non habent ius vt Sacerdotium,aut Episcopatum donent,

D sed tantùm vt nominent eum, cui à Pontifice conferatur. Itaque legitimam electionem, velut nominationem esse, & signum sensibile, quo posito,maximam illam, & vicariam suam ad Ecclesiam regendam potestatem Christus largitur absque impressione tamen indelibilis characteris, qualis imprimi solet, cùm potestas ordinis per Sacramentum confertur.

11. *In Pontificatu non imprimitur character.* Subdit postremò, duplicem esse caussam, cur imprimi characterem non expedierit & sic directè quæstioni motæ respondet. Altetera, inquit, caussa est, quia potestas summi Pontificatus non tam est potestas ordinis, quã seorsum per Sacramenta Pontifex ipse plenissimam accipere debet, quam est potestas iurisdictionis; character autẽ indelebilis

magis

Digitized by Google

magis est accommodatus potestati ordinis, quæ non præbet immediatum ius ad exequendam licitè actionem, cuius facultatem tradit, nisi accedat potestas iurisdictionis, quæ coercere illam, amplificare, & moderari potest. Non enim potestas iurisdictionis, ea tantum appellatur, per quam in foro Ecclesiastico exteriori ius dicere quoquo modo aliquis potest, sed etiam per quam ius habet, tum vt potestatem ordinis licitè exequatur intra limites ab ipsa præfixos, tum vt quoduis aliud ministerium Ecclesiasticum exerceat. Posteriorem causſam ex affectu cognoscimus: nam Christus Dominus à quo hæc vicarij ipsius potestas dependet, vt signum quoddam visibile præfixit legitimam electionem, quo posito vicariatum suum donaret; ita signa alia esse voluit, quibus interuenientibus eum tolleret, vt publicam & spontaneam renuntiationem, claram & apertam hæresim, maniam item quæ incurabilis à medicis iudicetur, & si quæ sunt alia, quæ per ipsosmet Christi vicarios illustratos spiritu Domini sui declarata sunt. Hæc sapienter Olauius.

12. Verùm si alia deessent munimenta ad confirmandam causſam nostram & Pontificis supra Ecclesiam totam, atque adeò Concilium generale potestatem & eius infallibilitatem astruendam in definiendis fidei, & morũ quæstionibus, satis illud vnum esset, quod semper in vsu, & consuetudine Ecclesiæ positum fuerit, vt has partes Pontifex Romanus vsurparet, quas nos illi tribuimus, vt Concilijs, inquam, fidem & auctoritatem sua potestate cõciliaret, vtq; irrita & inania redderet, quæ sine eius auctoritate cogerentur, vel quæ ipso repugnante decernere aliquid auderent, & vt vtamur Gelasij verbis in tomo quem edidit de vinculo Anathematis: *quæcunq; cuiuscunq; Synhodi acta, nisi per Romanum Pontificem confirmentur, nullum habere robur: totum enim in sedu Apostolicæ positum esse potestate, ita quod firmauit in Synhodo sedes Apostolica id robur obtinuisse, quod illa refutauit, habere firmitatem non potuisse, ac solam sedem Apostolicam resi ndere, quod Synhodica congregatio putauerit vsurpandum.* Hæc Gelas.

Verba Gelasij pro Rom. Pontificis auctoritate.

13. Quod autem hæc fuerit Ecclesiæ praxis, exemplo sunt octo illa vetera generalia Concilia magnæ inprimis auctoritatis. In primo nãque Nicæno interfuerunt legati à summo Põtifice, Victor, & Vincentius Presbyteri Romani, & Osius Episcopus Cordub. in secũdo quod fuit primum Constantinopolitanum constat interpositam fuisse Damasi auctoritatem. In tertio Ephesino Cyrillus Alexandrinus locum tenuit Celestini. In quarto Calcedonensi Legati Leonis Pontificis præfederunt. In quinto, quod fuit secundum Constantinopolitanum sedes Apostolica verbis honorificis recognoscitur, & Agapeti Papæ in Anthimum sententia recipitur. In sexto quod fuit tertium Constantinopolitanũ, positi sunt Legati à Domno Pontifice, & eo mortuo missi sunt ab Agathone cum seuerissimis mãdatis. In septimo quod fuit secũdum Nicenum, positi sunt Legati per Constantinum Imperatorem nepotem perfidi Leonis (quem Gregorius tertius propter eie-

Octo generalium Conciliorum exẽplo Pontificiam auctoritas in decidendis rebus fidei, & morum quæstionibus confirmatur supra Concilia.

A ctas imagines ex templis excommunicauerat) ab Adriano Pontifice, qui in Concilio præsiderent, & missi Petrus Monachus Presbyter Cardinalis, & alius Petrus Abbas S. Sabinæ. In octauo, quod fuit quartum Constantinopolitanum Legati quidem interfuerunt Nicolai primi Rhodoaldus & Zacharias Episcopi, qui pecunia corrupti à Michaele Imperatore consenserãt, vt Ignatius legitimus Episcopus Cõstantinopolitanus è sede deijceretur, tanquam damnatus à sede Apostolica, vtq; Photius, cui Imperator fauebat, in locum eius subrogaretur. Hoc autem cùm Nicolaus intellexit, curauit, vt iterum Synhodus congregaretur, & vt Photio expulso Ignatius pristinæ, ac debitæ illi dignitati restitueretur.

Porrò non minus in abolendis adulterinis Concilijs authoritas summorum Pontificum eluxit, quam in veris confirmandis. Constat enim Iulium primum Synhodum Antiochiæ coactam per Eusebium Nicomed. aduersum Athanasium abrogasse & Athanasium ipsum iniustè damnatum suæ sedi restituisse. Item Damasum pernicioſum Ariminense sexcentorum Episcoporum Concilium execratum esse & omni auctoritate priuasse. Taceo Leonem qui Ephesinum secundum aboleuit damnato Dioscoro, quod in eo legatorum Pontificis Romani, qui intererant, sententia non fuerit audita. Taceo Innocentium primum, taceo, Pelagium quoq; primum, quorum ille Synodum orientalium aduersus Chrysost. prostrauit, & eius auctores excommunicauit: Iste grauiter Ioannem Constantinopolitanum increpauit, quod ex vniuerso oriente Synhodum coegisset, ipsiusque Synhodi omnia acta cassa, & irrita reddidit. Patet igitur hunc fuisse semper totius Ecclesiæ sensum.

14. *Pontificia auctoritas in abolendis adulterinis Concilijs.*

Merito igitur Hieronymus sic de Pontifice Romano scribit: *ego*, inquit, *interim clamito, si quis cathedræ Petri iungitur, meus est.* Item, *ego nullum præmium nisi Christum sequens, beatitudini tuæ (Damasum alloquitur) id est, Cathedræ Petri communione consortior ac super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio: rursus, quicunque tecum non colligit, spargit. Id est, qui Christi non est, Antichristi est: & tandem si hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit, se imperitum vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticam comprobabit.* Sic Hieronym. litteris ad Damasum scriptis, sentitque & cæteri verè Catholici.

15. *Hieron verba de potestate & auctoritate Pontificis summi.*

Sit iam assertio secunda ex hac Romani Pontificis in vniuersam Ecclesiam potestate à Christo Domino tributa tanquam suo ipsius vicario, neminem esse qui non videat, illud necessario consequi, vt Christiani omnes præceptis eius in ijs, quæ ad fidem & religionem pertinent, parere teneantur: quod præter perpetuum Ecclesiæ vsum definitum etiam inuenitur in C. *Maiores*. extra de Baptismo & eius effectu; Itemque non esse dubitandum vlla ratione, infallibilitatem in definiendis quæstionibus non quidem facti, sed fidei, & iuris tributam esse à Christo, suo in terris vicario. Enimuerò si credimus etiam infallibilitatem fuisse tributam

16. *Omnes Pontifici, qui Christiani sunt, obedire debent.*

Infallibilitas Petro tributa in definiendis pertinentibus ad Religionem.

Sacer-

Locus Deut. 17.9.10.11.

Sacerdotibus Leuitici generis, qui cum electo Iudice & Pontifice ad definiendas & explicandas difficiles legis controuersias, constituti erant; sic enim Deuteronom.17.9.10.11.dicitur: *ipsi indicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.* Sic enim Euangelista Ioannes scribit, ideo verum vaticinium ex ore Caiphæ prodijsse, quod Caiphas Pontifex eo anno esset, cùm illud vaticinium edidit. Denique si infallibilitatem credimus tributam Scribis & Pharisæis ex cathedra Mosis legem Domini & doctrinam enarrantibus: Audiuimus enim Christum vniuersaliter præcepisse: *Omnia quæcunque dixerint vobis seruate & facite:* an non par erit, vt credamus infallibilitatem diuinitus præstari Christi vicario in ipsius Christi cathedra sedenti, cuius iudicio, & sententiam in ijs, quæ ad religionem pertinent, sequi vniuersus orbis debet? Præsertim cùm eam disertis verbis legamus Luc. 22. 33. non tam propter personæ conditionem, quam propter officij, quod hab turus erat, rationem, vt contineret scil. & confirmaret in vera fide & religione fratres suos, id est, reliquos omnes Christianos. Vide quæso Lector collationem, quam facit D. Augustinus libr. 2. contra litter. Petilia. cap. 51. Cathedræ Petri cum cathedra Mosis, & intelliges quàm verissimum sit quod dicimus.

17. *Non sine cõsilio prudentum debet summus Põtifex definire res fidei, & quæst. de moribus.*

Postremò sit tertia assertio, qua affirmamus, constare ex sacris litteris, & perpetua Ecclesiæ traditione, atque adeò ex suaui gubernandi ratione, qua Christus suam Ecclesiam absque vllis ordinarijs miraculis, quæ visibilia sint, regit, summum Pontificem non debere sine consilio prudentum virorum, qui exercitatos habeant sensus in lege Domini Ecclesias administrare, & difficiles atque obscuras quæstiones, illas præsertim, quarum determinatio vniuersum orbem obliget, constituere; nec videtur difficile id ostendere, cùm & Deuter. 17. legamus supremum Iudicem habuisse secum Sacerdotes Leuitici generis, quorum opera in iudicando adiuuabatur: & Act. 15. cum Petro Christi vicario Iacobum, & Ioannem & alios Seniores fuisse congregatos constat, vt disceptarent difficilem illam quæstionem, quæ circa legalia fuerat excitata, vt nihil interim dicam de argumentis, quæ peti possent ex hic verbis Domini, quæ initio theoriæ proposuimus: *dic Ecclesiæ*, de quibus nos fusiùs in schol. egimus à n. 8. vsq; ad 12. Item & ex illis: *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est: vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* de quibus locis nos pluribus in scholijs à numer. 20. vsque ad 36. Clarum quoque est consueuisse semper Pontifices decernere res graues de consilio vel Cardinaliũ, vel aliorum sapientum virorum: Sic enim & ipsi loquuntur.

18.

Itaq; summis Pontificibus infallibilitatem hac ratione suauissimè Spiritus sanctus impartitur in ijs, quæ iudicialiter de religione

A discernunt, & toti orbi ex cathedra ad credendum, & obseruandum proponunt nullo intercedente miraculo: incitat illos primùm vt adhibeant in consilium suum viros, qui rem diligenter expendant: deinde in ipsa examinatione multorum oculos idem spiritus aperit, vt veritatem cognoscant; tandem sua suggestione occulta semper & insensibili mouet ipsos Pontifices, vt illorum sententiam approbent, qui optimè & verissimè loquuti sunt, vtque in ea firmi & constantes perseuerét propter eminentis officij rationem, vt olim Caiphæ Ioan. 11. accidit.

19. *An Pontifex sine consilio possit errare.*

Duo tamen non hic sunt prætermittenda; vnum est, quosdam dixisse Pontificem non posse errare si maturè procedat, & consilium audiat aliorum Pastorum; alios verò affirmasse

B Pontificem etiam solum nullo modo posse errare. Cæterum istos re vera non dissidere inter se, quod Cardinalis Bellarminus obseruat de Roman. Pontifice libr. 4. cap. 20. *nam*, vt ille ait, *posteriores non volunt negare, quin teneatur Pontifex maturè procedere & consulere viros doctos; sed solum dicere volunt, ipsam infallibilitatem non esse in cœtu consiliariorum, vel in concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice: Sicut è contrario priores non volunt ponere infallibilitatem in consiliarijs, sed in solo Pontifice, verum explicare volunt Pontificem debere facere, quod in se est consulendo viros doctos; & peritos rei, de qua agitur. Si quis autem peteret, an Pontifex erraret, si temerè definiret; sine dubio prædicti auctores omnes responderent non posse fieri, vt Pontifex temerè definiat, qui enim promisit finem, sine dubio promisit & media, quæ ad eum finem obtinendum necessaria sunt.*

C *Parum autem prodesset scire Pontificem non erraturum, quando non temerè definit, nisi etiam sciremus non permissuram Dei prouidentiam vt ille temerè definiat.* Hæc ille. Alterum est, non semper Pontifices aliorum vti consilio, quasi eo indigeant, & non satis perspectum ac certum habeant, quid de ijs statuere & præcipere debeant, quæ in disquisitionem vocantur: ac sæpè quidem illum cõcedere, vt concilium conuocetur, in quo de dogmatibus fidei disputetur, quæ certa alioqui sunt, & indubitata, hoc tantùm fine, vt errores aduersum illa excitati Concilij auctoritate tollantur. Hinc est quod Petrus nõ fuit grauatus, vt de legali cessatione, quæ illi fuerat diuinitus patefacta (Actor. 10) in concilio Seniorum illio præsente ageretur, quo res communi consensu

D definita maiorem fidem apud eos fratres haberet, ad quos Iudas, & Sylas, vnà cum Paulo & Barnaba ad denuntiandum Synhodi decretum missi sunt. Errores de quibus fuit actum in Concilio Calcedonen. omnes fuerunt à Leone Pontifice, & in epistola, quam cum suis legatis misit, confutati: quam epistolam & regulam Concilium habuit, à qua ne punctum quidem deflectere vllus in ea Catholicus ausus est. Idem præstitit Agatho in litteris, quas ad sextam Synhodum misit.

20.

Et verò Concilia ad quæstiones fidei explicandas ferè semper conuocantur, vt infirmis & imperfectis, vel vacillantibus in fide, vel omninò deprauatis subueniatur, quos

certum

certum est nulla humana ratione magis induci posse, vel ad deponendos errores, vel ad veritatem Catholicam constanter retinendam, quam concordi plurimorum sapientum sententia, ac iudicio. Aliter verò dicendum de concilijs, quæ propter morum reformationé & salutarium legum institutionem expetuntur. Hæc enim sæpè à pijs & Christianis viris efflagitantur, & nonnunquam à bonis Pontificibus.

21. An iuris diuini sit institutio Conciliorum.

Sed quæret tandem aliquis an iuris diuini institutio Conciliorum sit, cui dubio sic respondet Doctor Olauius: *institutionem Conciliorum, tum in causis fidei, tum in grauioribus causis morum, aut etiam facti, si in genere accipiatur iuris esse diuini; nam ex ijs, quæ commemorat Scriptura olim à Iudæis, & postea ab Apostolis fuisse obseruata, atque ex eo quod Matth. 18. (dic Ecclesiæ &c. & si duo ex vobis consenserint, &c. vbi enim sunt duo &c.) insinuare visus est Dominus; colligitur velle DEVM pro eo, atque suauis gubernandi ratio eius exigit, vt Pontifex grauiores causas sine aliorum consilio non transigat. Quemadmodum autem ex hoc principio argumentamur concilia, id est, multorum consiliariorum congregationes placere Deo, ita possumus colligere gratum illi esse, vt ad conuellendos errores, & abusus abrogandos, atque ad condendas leges salutares cum tanto pondere, & robore, quantum illis humana industria addere possit, atque ad nonnullas etiam controuersias facti nimis graues componendas, Concilia cogantur OEcumenica, & vniuersalia, id est, ea ad quæ ex vniuerso ordine & Episcopi ad sententias dicendas conuocentur, & quicumque alij præterea venire velint, vt liberè proponant, quæ iudicent commodis Ecclesiæ conuenire. Quod si propter hanc rationem dicere libet Concilia generalia iuris esse diuini, nihil repugnamus. Asserere tamen ipsa Concilia generalia instituta in particulari à Christo Domino fuisse; vel infallibilitatem Pontificis fuisse non promissam, nisi quatenus eorum adminiculo niteretur, temerarium planè est, primum quoniam in sacris litteris ne vmbra quidem Concilij generalis inueniatur, nec species eius ante tempora Constantini visa in Ecclesia fuerit, nam in Synodo illa Hierosolymitana Actor. 15. non interfuerunt nisi tres Apostoli cum alijs Senioribus, qui erant in vrbe, nec vlli extra vrbem conuocati sunt. Deinde ostensum est infallibilitatem in his, quæ ad fidem pertinent, nunquam ex Concilijs Pontificibus accessisse, quin ipsos Pontifices infallibili sententia Concilia præueniisse, à qua nec punctum deflectebant Catholici, qui in eis intererant. Infallibilitatem verò tribui Pontificibus à Domino diximus, quotiescunque iudicialiter, & ex Cathedra proponunt aliquid credendum toti orbi. Vt autem id suauiter fiat, & absque miraculo sensibili, nunquam Dominum permittere, vt tale quidpiam à Pontifice iudicialiter proponatur sine consilio aliquorum, qui conficiunt Concilium aliquod, vel Sacerdotale, vel Prouinciale. Tam certa itaque erit definitio fidei, quæ cum approbatione sedis Apostolicæ fit in Concilio Sacerdotali, & Prouinciali, quàm ea quæ fit in Concilio Generali: rursus tam incerta, quæ fit in Concilijs generalibus sine ipsius approbatione, quàm quæ fit in Prouincialibus, aut Sacerdotalibus.*

Infallibilitas est sumi Pontificis, non Concilioru, siue generalia, siue particularia sint.

Caterum ad subueniendum infirmitati, & imperfectioni multorum, qui ad hanc veritatem non penetrant, & plus auctoritatis illi Concilio tribuunt, quod ex pluribus constat, charitas gubernatores Ecclesiæ impulit, vt de conuocandis Concilijs plenarijs cogitarent. Quorum vsum ad sedandas grauiores tempestates in Ecclesia excitatas, & ad leges libentius, & cum pondere maiori recipiendas, saluberrimum esse meritò à Diuo Augustino in epistola 118. ad Ianuarium scriptum est. Eisdem etiam OEcumenicis Conciliis in quæstionibus facti disceptandis, in quibus semper potest error aliquis interuenire, non est dubium, quin cedere, particularia Concilia debeant. Quo in sensu verissimum est, quod Augustinus scribit libro 2. de Baptismo contra Donat. cap. 3. Concilia, quæ per singulas regiones vel prouincias fiunt plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano sine vllis ambagibus cedere, ipsaq; plenaria sæpè priora à posterioribus emendari. Et capit. 9. nam & Concilia posteriora, inquit, prioribus apud posteros præponuntur, & vniuersum partibus semper iure optimo præponitur. Id quod etiam in vniuersum verum est, cùm neutra sunt approbatione sedis Apostolicæ corroborata, tunc enim nullam ipsa ad definiendum potestatem habent, sed tantùm ad tradendum doctrinaliter ea quæ tradunt. Non aliter igitur quàm anteponendum esse constat iudicium totius ordinis Theologorum Academiæ Parisiensis sententiæ, paucorum doctorum ipsius ordinis, constat etiam cedere locum particularia Concilia plenarijs debere, cum vtraque sine auctoritate definiendi doctrinaliter, vt loquuntur, aliquid statuerunt, atque in hoc posteriori sensu loquutum esse Augustinum arbitror. Hæc Olauius, ex cuius manuscripto desumpta sunt ferè, quæ in hac Theoria diximus.

22. Quomodo Concilia generalia præferantur prouincialibus &c.

Restaret vt ad illa loca huius capitis, *dic Ecclesiæ*, &c. &, *vbi enim sunt duo* &c. responderemus; sed intelligentia horum patet ex nostris scholijs, tantùm enim indicant debere Pontificem audire suos Consiliarios, eosque consulere, ne temerè quid decernat; licet in rebus fidei & conditionibus morum non sit permissurus Deus, vt Papa temerè procedat vnquam.

THEORIA VI.

De reditu peccatorum.

In V. 20. & 21.

1. QVidam Patres in Matth. 18. vbi à seruo immani, & inexorabili propter asperitatem, & sæuitiam erga conseruum Dominus exigit omne debitum, quod ei remiserat, exponunt verba illa: *Iratus Dominus tradidit eum tortoribus, quo ad vsque redderet vniuersum debitum, sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis* &c. de quodam reditu peccati propter sequentem ingratitudinem. Sic Rex cui semel remisit crimen læsæ Maiestatis, & Ecclesiæ inquisitores, cui condonarunt crimen hæresis, si relapsus sit, quamuis ostendat signum emendationis, non remittit punitionem; cæterùm hæc res difficilis visa est Magistro in 4. distin. 22. c. 2. quasi putet Sanctos dicere, quod Deus remissionem peccati non simpliciter conferat ei quem scit relapsurum, decessurumque in peccato, sed sub conditione quadam, quia ex præscientia non imputat, & ad tempus tegit, dum in gratia permanserit; sicut dum iudex Ecclesiasticus absoluit ab excommunicatione ad reincidentiam, & homo iustus per opera meretur consecutionem gloriæ, si tamen in gratia decesserit, quia consequutio requirit perseuerantiam, vt conditionem, & tamen opus iustum simpliciter meretur gloriam, & iusto ea merces debetur secundùm statum præsentis iustitiæ. Proinde non erit ab re, quoniã occasione huius parabolæ, quam in scholijs huius capitis exposuimus, exagitant Patres hanc quæstionem, breuiter dicere quid hac de re sentiendum sit.

Magister sentent.

2. Communis sacrorum Interpretum ac Theologorum opinatio, quam D. Thomas docet 3. part. quæst. 88. a. 1. & sequuntur Scholastici 4. dist. 22. peccata semel per pœnitentiam remissa, minimè per sequentem lapsum redire secundùm suas proprias rationes. Dicitur autem propria ratio cuiuscunque peccati mortalis macula, vel auersio, quatenus manet in modum habitus traseunte actu, eaque sita est in gratiæ priuatione, non vtcunque spectata, sed prout consequitur specialem hanc vel illam transgressionẽ legis v.g. furtum, vel adulterium, &c. communis verò ratio peccatorum est ipsa priuatio gratiæ, atque adeò habitualis auersio à Deo, quatenus nullum est peccatum mortale, quod non sit contra legem. Hanc ergo sententiam dicimus primùm ex scripturis colligi, in quibus legimus Deũ pœnitẽtib. omnino peccata remittere, neque amplius illa imputare, & quidem non sine magna amplificatione verborum, vt Ezechielis 18. 22. *si impius egerit pœnitentiam* &c. *omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* & 33. 12. *impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua* Micheæ capite septimo. *proijciet in profundum maris omnia peccata nostra*; quæ verò in profundo maris iacent comparere amplius non solent. His verò loquendi modis non obscurè docemur criminum condonationem absolutam, nequaquam dependentẽ esse à futuro euentu. idem patet dum eadem scriptura indicat iustum, cum in peccatum recidit, propter illud ipsum, per quod ex Iustitia excidit esse moriturum, non propter antiquũ peccatũ vt Ezech. 18. 24. *si auerterit se Iustus à iustitia* &c. *in prauaricatione, qua prauaricatus est & in peccato suo, quod peccauit, in ipsis morietur*, & c. 33. 13. *in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur.* Postremò dum docet Deum non solere retractare sua dona, ita vt manẽtibus causis ob quas illa dedit, ea postea neget, & consequeretur, si præteriti peccati condonationem, quam ob id tantùm liberaliter dedit, quod hominem commissi delicti pœnituit, permanente hac veritate, & sc. verè hominem pœnituerit, postea reuocaret. Quo pertinet illud ad Rom. 11. 29. *sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei.* Quare meritò D. Chrys. ad Pop. Antioch. hom. 40. *non est*, inquit, *sicut homo Deus neque enim exprobrat præterita.*

Peccatum secundùm suas proprias rationes non redit.

3. Hanc sententiam apertissimo testimonio confirmat Gelasius in can. diuina de pœniten. dist. 4. his verbis: *Diuina clementia dimissa peccata in vltionem vlterius venire non patitur:* id quod etiam clarè affirmat D. Prosper in respon. ad obiectiones gallorum respons. 2. sic enim ait: *qui recedit à Christo, & alienatus à gratia finit hanc vitam; quid nisi in perditionem vadit? sed non id, quod remissum est, recidit, nec pro originali damnabitur.*

4. Hanc quoque veritatem firma hac ratione declarat D. Thom. loco citato, art. 1. opus Dei per opus hominis rescindi nequaquam potest: sed condonatio præcedentium delictorum semel per pœnitentiam facta, opus Dei est: igitur rescindi & aboleri nequit persequens peccatum, quod est opus hominis, atque adeo minimè redeunt per illud priora peccata. Verùm in hac argumentatione primam propositionem, vt verum contineat, intellige de opere Dei, quod non amplius pendet vllo modo secundùm effectum suum ab homine, quemadmodum pendet gratiæ conseruatio etiam ab homine; nam quamuis gratia opus sit Dei, si tamen ipse homo peccet, impedimento est, ne perseueret, & conseruetur gratia Dei in illo: Igitur quod dicit D. Thom. accipiendum est de eo opere Dei, quod non amplius pendet ab homine. Istud enim nequit ab eo rescindi, vel impediri. Assumptum sic ostenditur; quia peccata hoc ipso remissa sunt, quod Deus admittens actum præteritum pœnitentiæ hominis iterum donauit gratia sua hominem, quam prius peccando amiserat: hoc verò opus Dei non amplius pendet ex vllo actu hominis, vt perseueret, & continuetur in homine; verùm hoc ipso effectum suum sortitur, quod semel hominem pœnituit peccasse, id quod iam infectum esse non potest; nequit enim fieri vt pœnitentia non sit ab eo facta, quẽ semel cõmissi peccati pœnituit, & quidẽ ad hoc probandum magnam vim habet locus ille Ezech. 33. & 12. *impietas impij non nocebit ei.* Vnde liquet condonationem delicti fieri à Deo independenter ex futuro, vbi semel hominem pœnituit. Quod si obijcias parabolam Matth. 18. de seruo, qui debebat decem millia talenta, quam

Ratio D. Th. cum explicatione.

in scho-

Digitized by Google

in scholijs huius capitis exposuimus. Respondeo non oportere, vt parabola per omnia accommodetur, satis esse, vt seruiat principali fini, nempe quod hominis, qui debitum proximo non remittit, nec miseretur indigentis, Deus non miserebitur, nec parcet: sed exiget vniuersum debitum vsque ad vltimum quadrantem, quod contraxit sequenti peccato vir ingratus beneficio Dei.

5. *Varijs nihilominus modis redeunt peccata.* Cæterùm quamuis hæc verissima sint, non est tamen negandum redire aliquo modo peccata semel remissa per sequens peccatum; idq; varijs modis, pro vt etiam peccatum non vno modo considerari potest, vel ratione culpæ, seu priuationis gratiæ, & auersionis à Deo, vel secundo ratione reatus pœnæ damni, vel tertio pœnæ sensus, vel quarto ratione pœnæ temporalis, quæ relinquitur post remissam B culpam. *Primo ratione communis auersionis.* Primum ergo dici possunt redire peccata, quantum ad culpam, vel maculam secundùm id, quod est omnibus peccatis commune, quod diximus numero 2. esse ipsam priuationem gratiæ, atque adeò habitualem auersionem à Deo, quatenus omne peccatum contra legem est Dei; hæc ergo priuatio gratiæ, & auersio vt est in omnibus peccatis mortalibus similis, illisque communis procul dubio redit, quamuis non redeat eadem specie, pro vt ex tali, vel tali transgressione consequitur, hoc est, secundùm propriam rationem cuiusque peccati. Sic intelligendus locus ille Iacobi 2. 10. *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus*, secundùm illud videlicet, quod est commune omnibus peccatis, vt sunt contra legem, atque ita intellexit hunc locum Iacobi Hieronym. libr. 1. contra Pelag. cap. 7. & rectè, quia quomodocumque quis offendat mortaliter Deum, peccat contra legem.

Latin Iacobi 2. 10.

6. *Secundo ratione effectus causati.* Iterum etiam quantum ad culpam dici possunt redire peccata virtualiter, & in effectu suo quodam, qui effectus est quædam maior deformitas, quæ cæteris paribus, est in ijs peccatis, quæ perpetrantur post aliorum condonationem. Etenim in istis est inuenire circumstantiam quamdam ingratitudinis, quæ in eo posita est, quod iterum peccando quasi contemnatur collatum antea Dei beneficium in condonatione priorum delictorum. Hæc ergo ingratitudo esse videtur quasi quidam effectus priorum peccatorum, ratione cuius dicuntur aliquo modo redire, non in se quidem, sed virtualiter per hunc, quem dixi, effectum, vt diligenter explicat Diuus Thomas loco citato articulo 2. & 4. Sequens enim peccatum respicit præcedentia remissa, vt continens illa aliquo modo, id est, vt factum est grauius respectu condonationis, remissionisve illorum, quia tamen culpa, seu macula priorum peccatorum non redit ex vi eorumdem peccatorum. Quæ remissa fuerunt, ita vt nouum peccatum non solùm inducat nouam maculam, sed etiam reuocet antiquam, proinde non dicitur redire simpliciter, sed secundùm quid tantùm illa macula, seu priuatio gratiæ præteritæ.

A Quo verò quis plura, maiora; beneficia receperat, vt maiora merita, gratiam & auxilia, eo magis ex hoc titulo augetur grauitas ingratitudinis. Sic enim peccatum hominis baptizati & iusti, grauius est propter beneficia recepta, maioremq; notitiam, & facilitatē vincēdi peccatum, quam simile peccatum hominis infidelis. 7.

8. *Tertio ratione pœnæ damni.* Quantum verò ad pœnam damni attinet, dicitur redire aliquo modo idem peccatum, vel eadem pœna damni, quia ex sequenti peccato mortali, subiectum ita priuatur eodem bono diuino, quod in futurum sperabat, vt prius priuabatur, quod si cum hoc peccato vita decedat manebit similiter obstinatus in odio Dei. Redit etiam ob circumstantiam ingratitudinis. Non tamen propterea eadem omninò pœna damni & tota, dicetur redire, vel idem & totus reatus pœnæ damni, quod sic declaro. Nam pœna damni maior est in vno, quam in alio, id quod non attenditur principaliter secundùm merita prima, & dignitatem maioris gratiæ, ex qua cecidit quis; sed quo peccata, in quibus decedit aliquis plura sunt & grauiora, eo pœna damni, id est, priuatio ipsa beatitudinis, quam consequitur tristitia de eadem priuatione, est grauior iuxta communem Doctorum sententiam: vt priuatio vitæ, seu mors, quæ videtur æqualis in omnibus, dicitur pœna grauior in viro nobili & delicato, quando infertur cum infamia, & varijs tormentis ob grauiora crimina, puta Sodomiæ, Proditionis, & Hæresis: Sic enim reus plus dolet de morte sibi C inferenda. Præterea & illud addendum est his; plura & grauiora peccata priuare maiori rectitudine debita inesse actibus, propter quos homo damnatur: & ita priuationem beatitudinis in hoc homine, quæ respondet illis actibus tanta rectitudine priuatis dici maiorem, nec esse in omnibus æqualem; gignere verò maiorem tristiam in voluntate obiectiuè sumptam. Vide Suarium 3. part. tom. 4. disputatione 13. sectione 2. numero 25. *Quomodo pœna damni maior, vel minor in vno.*

9. Demùm his accedit, quod cui merces magis debetur, si careat illa, est grauius damnum illa priuari; vt quia aquæ magis debetur frigiditas, quam terræ, si vtraque omninò priuetur frigore grauius damnum est in aqua: Ita carere gloria est maior priuatio, & grauior pœna in eo, qui receperat maiora beneficia, & maius ius gloriæ, quam in alio. quāuis in ratione negotiationis sine vllo ordine ad subiectum in omnibus damnatis (immò & in homine in puris naturalibus) sit æqualis; nam & si priuatio beatitudinis (sicut neque vlla alia priuatio) per se vt negatio est essentialiter, non sit maior, vel minor, est tamen maior vel minor pœna; quia vt sic habet habitudinem, seu respectum ad plura, vel pauciora, seu ad grauiora, vel leuiora peccata; Itemque ad subiectum, cui magis debebatur propter maius ius quod ad gloriam habebat; cuius rei indicium est; quod magis ob ipsam priuationem beatitudinis contristabitur in inferno is, qui priuabitur illa propter plura, vel

Digitized by Google

grauiora peccata, & propter maius ius amissum, quod ad illam habebat; quamuis pœna damni maior non consistat propriè & præcisè in maiori illa tristitia, sed hæc sit tanquam effectus eius indicans maiorem pœnam damni, cùm maiorem afflictionem inducat, sicut etiam maculæ peccatorum, licet consistant in priuatione gratiæ, inæquales nihilominus sunt; quatenus habent ordinem ad maiorem vel minorem transgressionem legis quæ fuerit in praua conuersione ad creaturas.

10. Atque hoc modo seruatur ordo iustitiæ, quod DEVS grauius peccantem & priuatum maiore rectitudine debita, cui respondet pœna damni, punit grauiori pœna damni, sicut & sensus. Ex his ergo fit nunquam redire moraliter per sequens peccatum, eamdem pœnam damni, cùm nec redeat eadem macula, vel peccata quibus respondent pœnæ damni, vt dixi numer. 8. & 9. Sed redit tantùm ratione maioris, vel minoris ingratitudinis, hoc est, quantum ingratitudo grauat sequens peccatum, itemque ob similem priuationem beatitudinis, præsertim si spectetur præcisè, vt negatio est.

11. *De pœna æterna sensus.* Diximus hactenus quomodo redeãt peccata ratione maculæ, seu auersionis, quomodo ratione pœnæ damni. Iam videndum est tertiò de pœna sensus æterna, & tandem de temporali illa, quæ relinquitur remissa culpa. Affirmandum est igitur peccata prius remissa, virtualiter dumtaxat, & secundùm suum effectum quemdam, non autem per se & simpliciter redire, quantum ad pœnam sensus æternam; reatus enim pœnæ æternæ consequitur culpam: igitur ita redeunt peccata secundùm reatum pœnæ, sicut secundùm culpam; sed ostensum est numer. 6. per sequens peccatum non redire præteritorum peccatorum culpam, seu maculam simpliciter, sed tantùm virtute ratione ingratitudinis: ergo & eodem modo redeunt secundùm reatum pœnæ æternæ; quo enim maior fuit reatus peccatorum ante homini remissus simul cum prioribus peccatis, eo est grauius sequens peccatum ratione ingratitudinis maioris, & maiori pœna sensus puniendum in inferno, si non tollatur per pœnitentiam.

12. Hinc fit nec secundùm propriam rationem redire priorem pœnæ reatum, nimirum vt erat pœna debita tali, vel tali peccato. Nam hoc modo respicit talem actum; nec redire æquiualenter, hoc est, ita vt tanta pœna decernatur sequenti peccato, quanta erat decreta omnibus prius remissis; ratio est, quia quamuis pro maiore, vel minore grauitate, & multitudine delictorum, quæ antea remissa fuerant, maior sit vel minor ingratitudo in sequenti crimine; hoc tamen non propterea accidit, quia hæc circumstantia ingratitudinis habeat prauitatem prorsus æqualem malitiæ quorumcunque peccatorum: (nam etiam ipsa expressa & formalis ingratitudo, non adæquat peccata, quæ sunt contra nobiliores virtutes, quam sit ipsa gratitudo) sed quia quamdam habet proportionem cum præteritis peccatis remissis.

13. *De pœna temporali.* Tandem quod ad pœnam attinet temporalem, quæ relinquitur post sublatam culpam, peccatum semel contritione & absolutione remissum dicitur redire, quando manet reatus, & obligatio ad pœnam temporalem; (quod ideo dico, quia si non manet reatus & obligatio ad pœnam vllam, vt euenit in peccatis per Baptismum remissis, in quibus condonatur tota pœna, sic non redibunt hoc modo peccata remissa) quia si reincidens ita decedat, ea pœna sensus fit per accidens æterna ex D. Thom. 1 2. quæst. 87. 5. ad. 3. quasi sub ea conditione mutata fuerit in temporalem, si iustus illam plenè solueret: atque ita redit pœna æterna sensus ratione culpæ debita homini ingrato, quæ priori venia fuerat facta temporalis. His igitur modis dicuntur redire peccata.

14. *Ratione præsertim quatuor peccatorum dicitur redire peccata præterita.* Iam verò licet ratione ingratitudinis per quoduis delictum redeant peccata prius remissa, singulari tamen quadam ratione redire dicuntur per quattuor peccatorum genera, quæ sunt, odium fratrum, Apostasia à fide, contemptus Sacramenti Confessionis, displicentia anteactæ pœnitentiæ, vt Theologi loquuntur. Hinc versus;

Fratres odit, Apostata fit, spernitq; fateri,
Pœnituisse piget, pristina culpa redit.

Nam quamuis omnia peccata sint contra beneficium remissionis peccatorum, si sint commissa post alia simul remissa, hæc tamen quattuor numerata propria quadam ratione sunt contra formam etiam, & rationem eiusmodi beneficij remissionis acceptæ. Id quod sic declarat Diuus Thomas loco citato, artic. 2. nam in forma, & ratione beneficij condonationis peccati aliquid est spectandum ex parte DEI benefactoris, aliquid ex parte hominis pœnitentis, cui condonata sunt peccata. Ex parte Dei est considerare, quod benignè remittit debitum homini, atque adeò contra formam huius beneficij peculiari quadam ratione est odium fratris, per quod is, cui remissum est à DEO tam clementer multorum peccatorum debitum, non vult condonare modicum illud, quod in ipsum deliquit frater, atque adeò exiguum, quod illi debet. Ex parte pœnitentis tres actus est videre, qui ad condonationem peccatorum præcipuè concurrunt, videlicet, motum fidei, motum pœnitentiæ; denique propositum confitendi, seu ipsam confessionem. Ratione fidei imprimis contra formam beneficij remissionis peccatorum, est Apostasia à fide; ratione secundi est delictum illud, quo pœnituisse piget; ratione tertij est contemptus confessionis. Hæc tamen non impediunt, quo minus per aliquod aliud peccati genus, si sit istis grauius magis absolutè redeant peccata remissa.

15. *Locus 2. Reg. 17. 18. & Psal. 108. 14.* Sed contra ea, quæ hactenus constituta sunt, obijci posset illud 3. Regum 17. 18. *Quid mihi & tibi vir Dei? reuersus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ,* & Psal. 108. 14. *in memoriã*

redeat

redeat iniquitas Patrum eius in conspectu Domini. Hic enim dicendi modus significare videtur punire Deũ peccata, quæ remiserat, vt enim obliuisci peccatorum est ea remittere, ita recordari est illa punire. Respondeo imprimis in his locis esse propriè sermonem de pœnis temporalibus huius vitæ, non de pœnis alterius, cuiusmodi pœnæ huius vitæ immitti solent interdum filijs propter peccata parentum tantùm ad tempus. Deinde Deum obliuisci peccatorum, nõ semper significat remittere illa, quo ad illam pœnam, vel effectum, respecta cuius dicitur Deus oblitus talium peccatorum, quia talem pœnam, vel effectum propter illa non operatur; sed significat moram quamdam, vel dilationem diuturnam eiusmodi pœnæ: censetur enim tunc quasi remissa illa pœna, quia non executioni mandatur. Præsertim si interim Deus beneficia aliqua conferat. Aliud est ergo omninò remittere pœnam, aliud non punire, sed differre pœnam etiam diu. Quando ergo sancti petunt, vt non recordetur Deus delictorum ipsorum, vt cùm dicimus; *ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum* &c. & Psal. 78. *ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*: non petunt ne Deus puniat peccata iam prius remissa, sed ne pœnam, quam distulit, tandem exequatur. Expectat enim interdum Deus benignus & clemens, antequam iram inferat, vel pœnam temporalem, vt emendemus errata, quod si non facimus, pœnam accelerat, & quidem exactè tum propter præsentia peccata, tum propter antiqua, vide Suarium hoc pluribus explicantem disp. illa 3. sect. 2. n. 7.

Quomodo dicatur Deus obliuisci peccatorum.

16. Iterum obijci possunt dicta quædam Patrum, quæ refert Gratian. de pœniten. dist. 4. cap. 1. vsque ad 7. & Magister in 4. dist. 22. sed respõdeo, Patres intellexisse hunc reditum, aliquo, vel aliquibus ex his modis, quos hactenus exposuimus. Postremò obijciet aliquis; si merita redeunt, cur non & peccata? Respondeo quia hæc prorsus destruuntur, illa verò solùm impediuntur, vel mortificantur, vt aiunt, durante statu peccati sequentis. Nec refert quod peccatum ex se sit tam efficax malum, quam actus pœnitentiæ bonum; nam licet hoc sit verum de actu pœnitentiæ præcisè sumpto, quia tamen adiunctam habet secum gratiam & misericordiam Dei, potentior est, & efficacior, ad delendam culpam, quam sit peccatum ad destruendum meritum: quoniam ergo per sequens peccatum mortale tantùm impedita, & mortificata erant merita, remoto per pœnitentiam obice, reuiuiscunt, præsertim cùm sint opus Dei ex auxilio; sicut & Sacramentum Baptismi receptum cum obice semper de se acceptum est Deo, atque ita maiorem vim habet pœnitentia finalis, vt viuificet merita mortificata, faciatque efficacia, vt propter illa detur nouus gradus gloriæ, quam impœnitentia finalis, & ingratitudo. Adde quod pro culpa, & pœna eius æterna remissa, applicata est digna solutio ex Christi merito, & acceptata à Deo: sed pro meritis nihil ad huc mercedis & gloriæ solutum est homini iusto, qui proinde per pœnitentiam iustificatus repetit iustè futuram mercedem meritorum. Maneat ergo vt verissimum peccata simpliciter non redire, vbi semel remissa sunt; nec Deus *iudicat bis in idipsum* peccatum, vbi semel verè absolutum est per eum tanquam per iudicem.

Cur si merita redeunt, non item peccata redeant.

Vtrum verò peccata venialia remissa redeant, lege apud Franciscum Suarez in commen. q. 88. D. Thom. a. 2. num. 2. & disp. cit. 13. sect. 3. num. 8. & Valentiam tom. 4. disp. 7. quæst. 5. p. 2. circa medium. §. *est autem hic duplex dubium.* 17.

Iterum an de potentia absoluta Dei redire possint peccata, esto de potentia ordinaria non possint, vt diximus, vide apud Valent. loc. cit. p. 1. §. *quod si Deus.* 18.

DIGRESSIO PRIMA

De talento Hebræorum, cum expositione aliquot Scripturæ locorum.

MEminerit Lector, quod initio harum dilucidationum monuimus duplex nos digressionum genus scribere. Alterum quod *digressionem* simpliciter nulla alia voce adiecta vocamus. Alterum *digressionum moralium.* Primum illud, quod rarum est, & ad eruditionem quamdam pertinens, non est necessarium ad litteræ intelligentiam; alioqui inter theorias recensendum esset, quia tamen eius rei obiter in textu fit mentio, ansa præbet propter vtilitatem, quam eius tractatio afferre potest, ad digrediendum aliquantulum à proposito instituto: quoniam igitur hic fit mentio *decem milliam talentorum*, placuit vt quæ esset summa talenti apud Hebræos, quidve esset talentum Hebraicum, quid Atticum, aperiremus, nonnullam afferentes lucem aliquot Scripturæ locis, vbi talentorum fit mentio. 1.

Aureum ergo talentum Hebræorum pendebat libras centum vigintiquinque, continebat verò Scuta Romana sexdecim millia octingenta triginta. *Aureum talen. Hebr. lib. 125. Scut. Rom. 16830.*

Talentum aureum Atticum (nulla tamen aurei talenti facta est à græcis historiographis mẽtio) libras pendebat sexaginta duas cum dimidia, Romana autem scuta continebat octo millia quadringenta quindecim. *Tal. aur. Atticum 62½. Rom. Scut. 8415.*

Argenteum Hebræorum talentum libras pendebat centum vigintiquinque, sed scuta Romana continebat mille quadringenta quadraginta. *Tal. Argen. Hebr. 125. Rom. scut. 1440.*

Argenteum verò Atticum libras pendebat sexaginta duas cum dimidia, scuta verò Romana continebat septingenta viginti. *Tal. Arg. Atticum 62½. Scut. Rom. 720.*

Ex his non erit difficile admodum eorum omnium summam, quæ Dauid Rex Salomoni filio in ædificationem templi reliquisse fertur: Sic enim legitur 1. Paral. 22. 14. *Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domus Domini auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum; aeris verò & ferri non est pondus: vincitur enim numerus magnitudine &c.* 2. *Locus i. Paral. 22. 14. 100000.*

Et cap. 29. 3. *& super hæc quæ obtuli in domum* 3.

Locus 1. Paral 2. 9. 3.

Dei mei de peculio meo aurum & argentum, do in templum Dei mei, exceptis his, quæ præparaui in ædem sanctam tria millia talenta auri de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi ad deaurandos parietes templi.

7000.

4. Cæterùm Dauidis etiam suasu & exemplo *pollicitis sunt* vt sacra testantur eloquia primo Paralip. 29. 6.7. *Principes familiarum, & proceres tribuum Israel, Tribuni quoq; & Centuriones, & Principes possessionum Regis, dederunt ad opera domus Dei auri talenta quinque millia, & solidos decem millia; argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia: ferri quoq; centum millia talentorum.*

Locus Paral. 29. 6.7. Auri Talen. 5000. Solid. 10000. Arg. Talen. 10000.

5. Si tota hæc talentorum omnium summa ad Romana redigenda sit scuta, vt in ijs habetur talentorum valor, multiplicationis beneficio id nullo poterimus assequi negotio. Quodlibet enim talentum auri Hebræorum scuta continet Romana 16830. Atque ita si singulos talentorum numeros per 16830. multiplicauerimus, habebimus peculiares summas in scutis. Itaque centum millia auri talenta (de quibus numer. 2.) reddent scuta 1683000000. hoc est, mille sexcentos octuaginta tres milliones. Tria verò millia talentorum auri (de quibus num. 3. dabunt 50490000. hoc est, quinquaginta milliones & quadraginta nouem millia scutorum. Iam verò quinque millia talentorum, de quibus numero 4. æquiualent scutis Romanis 84150000. hoc est, octuaginta quattuor millionibus, & quindecim millibus.

6. Tota itaque ex his confecta summa talentorum 108000. numerum scutorum dabit 1817640000. hoc est, mille octingentorum septendecim millionum sexcentorum quadraginta millium: quibus aureos solidos addere oportet (de quibus num. 4.) quorum quilibet quarta pars est vnius sicli, siclus verò præter quinque scuta iulios sex continet & baiocum. Si igitur supradictæ talentorum summæ 10000. solidorum, seu 2500. hoc est, bis mille quingentorum siclorum, scutorũ verò 14025. hoc est, quattuordecim millium vigintiquinque accesserit summa, erit tota auri summa, scutorum 1817654025. hoc est, mille octingentorum septendecim millionum sexcentorum quinquaginta quattuor millium vigintiquinque.

Summa tota auri 1817654025.

7. Placuit autem auri istius quantitatem curiosiùs inuestigare, sicque non discretam solum perpendemus quanti tatem, sed etiam cõtinuã. Quærimus enim in præsentia, si tota auri summa in solidum cubicumque corpus redigeretur, quantum id esset? Quod ex lateris quantitate oportet indagare. Est autem latus hoc cubicum (aureorum videlicet talentorum cum siclis) cubitorum sacrorum septem, palmorum quinque. Est verò ex palmis quilibet latus chœnicis, latusque cubicum vnius talentiiam si sacrum cubitum reducamus ad vlnas vel palmos Panhormitanos, erit aureæ summæ latus cubicum vlnarum trium, duorumque ferè digitorum. Quod hac arte compertum est. Pes Romanus antiquus ad cubitum Hebræorum est 500. ad 1311. Itemque pes Romanus antiquus ad palmum Panhormitanum est, vt 20. ad 17. vel vt 500. ad 425. ergo cubitus sacer ad palmum Panhormitanum erit, vt 1311. ad 425. hoc est, 425. cubiti sacri respondebunt 1311. palmis Panhormitanis, & si fiat, vt cubiti sacri 425. ad palmos 1311. ita cubiti sacri $7\frac{7}{8}$. ad 4. inueniemus palmos $24\frac{17}{170}$. vel vlnas tres, vnicam $1\frac{49}{425}$.

8. Sed iam quia parum in tam parua præsertim mensura pro nihilo reputatur, si latus vnciæ diminutum pro integro sumatur, ita vt latus totum solidi cubi ex tota auri summa confecti dicatur esse trium vlnarum, & duarum insuper vnciarum; spreta vltima vncia lateris, auri summa, quæ ex toto cubo auferetur, erit vnciarum cubicarum 251431. quarum numerum habebimus redacto maximo cubo, cuius latus est trium vlnarum, & duarum vnciarum ad cubicas vncias 24389000. Nam si ex eo subtrahatur minor cubus, cuius latus est trium vlnarum, & vnius præterea vnciæ similiter reductus ad cubicas vncias 24137569. remanebunt illæ vnciæ cubicæ, quas suprà numerauimus 251431. // // // // // // // // // // // // // // // // // // //

9. Sed vt de argenti summa sit sermo; sunt primo loco talenta argenti 1000000. (vt num. 2.) cum itaque argenteum talentum scuta Romana contineat 1440. si talentorum numerus per istum multiplicetur, producetur numerus scutorum Romanorũ 1440000000. Quod si eodem modo multiplicentur talenta 7000. (de quibus numer. 3.) prodidit numerus scutorum 10080000. denique multiplicata talenta 10000. (de quibus num. 4.) numerum scutorum procreabũt 14400000. iam verò vt talẽtorum omnium summa est 1017000. ita scutorum omnium summa est 1464480000.

Summa Talentorum omnium argenti 1017000. Prima scut. omnium 1464480000

10. Huius verò summę continua quantitas est cubus, cuius latus est viginti cubitorum sacrorum cum $\frac{1}{8}$. quod per eamdem operationem facilè in Panhormitanis palmis habebitur; continet autem hoc latus Panhormitanos palmos 62. vncias $2\frac{1}{2}$. hoc est, vlnas septem palmos 6. vncias $2\frac{1}{2}$. paulò amplius. Hæc obiter: iam ad mores.

DIGRESSIO II.
MORALIS.

De Parabola serui, qui debebat decem millia talenta

1. *Assimilatum est regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis* &c.] Eusebius Emissenus rectè docet, hæc non esse accipienda de extremo iudicio, eiusque sententia, vt aiunt, definitiua, nam imprimis propterea dici Regem istum cœpisse rationem ponere; quod iudicium, atque examen animarum nostrarum, quamuis in hoc mundo initium sumat, perficiatur tamen in futuro sæculo. Hinc non mirum est, quod in hoc iudicio cuius in Euangelio mentio fit, appellatio locum habeat; contra ac accidet in extremo iudicio, vbi nullæ appellationis ratio habebitur, nihil lacrymæ, nihil preces poterunt, quæ

1. Non de iudicio extremo esse sermonẽ in hac parabola.

omnia

omnia magni hic ponderis fuêre, vt liberaretur iſte decem millium talentorũ debitor, immò verò vnum illud verbum *patientiam habe in me* cum humilitate, & mentis pœnitudine prolatum, totius contracti debiti condonationem ſtatim impetrauit. Rurſum in iudicio illo extremo ſententia proferetur definitiua, & abſoluta, nec reuocabitur vnquam; cùm tamen in hoc iudicio ſemel dimiſſus debitor iterum citatus, vt iudici ſe ſiſteret, iterum in ius vocatus fuerit, audiueritque: *ſerue nequam omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me. nonne oportuit* &c.

2. *Quale ſit hoc iudicium de quo hic exponitur.*

Sed quodnam; aut quale ſit hoc iudicium, vel cui ſimile egregiè declarat idem Euſeb. *iſte Rex ipſe eſt*, inquit, *qui hæc loquitur, Deus & homo Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui quotidiè cum ſeruis ſuis rationem ponit, quoniam per Epiſcopos, & Sacerdotes peccata hominum dijudicat, dum vnuſquiſque ad pœnitentiam veniens, quantum debeat, & in quibus peccauerit Domino confitetur*, & rectè ſanè hoc ipſum iudicium potiùs miſericordiæ thronum, quam iuſtitiæ ſolium appellabimus: etenim cernere eſt in eo ſedentem ter benignum & clementem iudicem, qui ad primam pœnitentis vocem, quidquid peccauit, dimittat reo, & libertati priſtinæ reſtituat.

3. *Locus Iſa. 16. 5.*

Non eſt ergo quod aliquis miretur, ſi hoc iudicium ſolio illo miſericordiæ ab Iſa. deſcripto, multo ante ſignificatum eſſe dixerimus; Sic enim cap. 16. 5. vaticinatur: *& præparabitur in miſericordia ſolium, & ſedebit ſuper illud in veritate in tabernaculo Dauid iudicans, & quærens iudicium, & velociter reddens, quod iuſtum eſt.* Hoc planè vaticinium multò magis in Chriſtum competit, quam in Ezechiam Regem. Verè etenim Dominus Ieſus conſtituit ſibi in tabernaculo Dauid, hoc eſt, in Eccleſia Catholica ſolium hoc miſericordiæ, quod propterea plurimum à cæteris hominum iudicijs differt. nam imprimis cætera iudicia ac tribunalia, in quibus cauſſæ hominum dijudicantur, non miſericordiæ ſolium, ſed veriùs iuſtitiæ, ac ſeueritatis nuncupantur; nihil enim in illis eſt audire aliud, vel videre, quàm carceres, vincula, compedes, cruces, ſecures, virgas & ſexcenta alia tormentorum genera, quibus plectuntur rei. At in hoc Chriſti & Eccleſiæ ſolio vndique miſericordia, venia, clemencia, manſuetudo reſonat, & viſitur; proinde verè miſericordiæ ſolium appellatur. Adhæc, cætera hominum tribunalia eſſe ſolent mendacijs, dolis, & fallacijs referta, contra verò hoc ipſum tribunal, quod à Chriſto erectum eſt, thronus eſt veritatis: proinde *ſedebit*, inquit Iſa. Chriſtus iudex *ſuper illud in veritate*, in quo nullo tormentorum genere torquetur reus, vt veritatem exprimat, ſed ſponte, ac liberè crimina omnia libenter aperit. Quid plura? in illo altero iudicio hominum, qui crimen diſſimulat, tacet, vel etiam audacter negat, pœnam effugit, qui verò crimen agnoſcit, fatetur, pœnæ ſubditur; At in hoc Eccleſiæ, qui crimen occultat, & tegit, in mortem incidit ſempiternam, qui verò aperit, in gratiam recipitur DEI; ſic enim veriſſimè inquit Dauid Pſalm. 31. 5. *dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.*

Poſtremò in hominum iudicijs in longum ſæpè tempus cauſſarum lites protrahuntur; at de eo, qui huic Eccleſiæ iudicio præſidet, dicit Iſa: *velociter* reddere *quod iuſtum eſt*, hoc eſt, iuſtitiam accelerare; ac meritò proinde iuſtitia hæc maturata, acceleratáque dici poteſt. Tum quod extremum iudicij diem, qui peccantibus hominibus ſeuerior, & horribilior eſt, præuenit. tum maximè quod innumera ſæpè peccata, & enormia valdè, eadem iuſtitia vnico, verè contriti cordis, ſuſpirio ſtatim delet, & ſempiterna, atque innumera pœnarum genera in paruam, ac breuem contrahit pœnam.

4.

Quoniam ergo tanta in hoc iudicio miſericordia exercetur, decebat ſanè, vt tam ſublime miſericordiæ tribunal non alibi, quàm in tabernaculo, & domo Dauid collocaretur. Dauidis namque miſericordia etiam erga hoſtes, mirum, quam attollitur in Scripturis. Hinc illud: *eſt ne aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Domini?* Sunt, qui narrent Cambiſem, cum percepiſſet aliquando Iudicem quemdam inter ſuos iniuſtè iudicare, & munerum acceptione iuſtitiam corrumpere, præcepiſſe, vt viuo cutis detraheretur, eaque tribunal, in quo ille iniuſtè iudicabat, operiretur, mox iuſſiſſe, vt filius iniuſti illius Iudicis in eodem tribunali idem munus iudicandi, quod Pater habebat, exerceret, atque ita fieret, vt conſpecta Patris pelle, quoties ad iudicandum ſederet, diſceret, vnicuique quod iuſtum erat, reddere, nec propter munera à iuſtitia vnquam deflecteret. Ita non ſine magno conſilio voluit Deus Pater, vt Ieſus Chriſtus eius filius in tabernaculo Patris ſui Dauid conſideret, & iudicaret, de quo ſic Gabriel ad Beatam Virginem: *& dabit illi Dominus ſedem Dauid Patris eius*, nimirum vt cunctis ſignificaretur ſolium Chriſti, ſolium miſericordiæ futurum eſſe, quod rectè per tabernaculum Dauidis, cuius admiranda manſuetudo fuerat, indicabatur. Hoc ergo iudicij genus, hoc miſericordiæ ſolium eſt, cuius in hoc Euangelio fit mentio.

Cambiſis iudicium.

5. *Tribunal iuſtitiæ aliud.*

Verùm præter hoc aliud reſtat iuſtitiæ tribunal, cuius terrorem, rigoremque maximum, cùm attentiùs contemplaretur ſanctiſſimus Dei Vates magna animi contentione ſic Deum rogabat: *non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens:* cuius etiam Ioann. ſpeciem aliquam adumbrare conatus, ſic ſcripſit Apocalyp. 6. 15. 16. 17. *Reges terræ, & Principes & Tribuni, & Diuites, & Fortes, & omnis ſeruus, & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montiũ, & dicunt montibus, & petris: cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni; quoniam venit dies magnus iræ ipſorum, & quis poterit ſtare?*

6.

Nec myſterio vacat, quod terribilem illum Iudicem *agnum* nominet, quod alioqui animal manſuetum eſſe conſueuit. Nam & hoc ipſum ad iuſtitiæ rigorem pertinet; voluit enim declarare Ioannes, quod pro miſericordiæ, & manſuetudinis quantitate, quam in

terris positus iudex ille iustissimus, ostendit, seuerus erit vindex ad extremum illum iudicij diem; nam benignitas conuertetur in ferocitatem, clementia in rigorem, remissio in vltionem, & misericordia in iustitiam.

7. *Locus Iere. 1.13.* Ierem. 1.13. interrogauit Deus Ieremiam: *quid tu vides Ieremia?* cui Propheta: *virgam vigilantem ego video.* Iterumque Deus ad illum: *quid tu vides?* respondit: *ollam succensam ego video, & faciem eius à facie aquilonis.* Nihil absurdi dixero, si his Ierem. verbis, duo, quæ hactenus exposuimus, iudicia Dei indicari contendam. Nam virga, quam primum vidit in iudicium illud, seu supplicium, quo Deus nunc animaduertit in peccatores aptè quadrat: est enim virga ad frangendum fragilis, ac debilis, vt commodè proinde significet morbos, angustias, persecutiones, vigilias, afflictionesque corporis, quibus in præsenti Dominus peccata castigat, & vlciscitur, sed debilis est virga, breui enim hæc absoluuntur, ac finem capiunt. Cæterùm caminus ille ardens inferni, ac ventus iugiter spirans, vt magis, magisque accendatur, inextinguibilis est, & in perpetuum duraturus; quod proinde olla succensa aptè satis insinuat. Immò & in hoc Euangelio, huius etiam supplicij mentio fit posteriore loco, cùm ingratus seruus iubetur tortoribus tradi, quoadusque redderet vniuersum debitum: quod etiam n.25. in scho. insinuauimus.

8. *Cur peccata debita sint.* *Oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta*] Non est nouum in Scripturis peccata *debita* dici cum Deo contracta. Hinc docuit nos magister noster orare: *dimitte nobis debita nostra* Matt. 6. & 12. quod explicans D. Luc. cap. 11. 4. dixit: *& dimitte nobis debita nostra*; Sed rogabit aliquis, cùm nemini debeantur peccata, cur *debita* vocantur? nulli dubium est Deo peccata non deberi, sed amorem, sed timorem, sed honorem. Hoc Moyses scripsit *Locus Deut. 10.12.* Deuteron. 10. 12. *Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, custodiasq; mandata Domini* &c. Etenim tria diligenter perpendenda sunt in Deo. Primum quod infinitum quoddam bonum est, deinde quod Dominus omnipotens. Demum quod primum principium omnia post se infinito interuallo relinquens. Quoniam igitur bonum est, amandus est; quoniam Dominus timendus. Quoniam principium omnia excedens, honorandus est, eidemque seruiendum, & parendum. Iterum eodem modo quo bonum est, eodem merito amari debet; propterea, quia primum bonum primum omnium amari debet; & quia summum bonum, summo quoque amore prosequendus est; quia infinitum bonũ nullus debet eius amori præscribi limes, sed sine fine diligatur. Adhæc, quia solum bonum est, nihil amore complecti debemus, nisi propter ipsum, & in ipso. Denique quia purissimum bonum est, ideo sincero quodam amore prosequẽdus est. Similiter eodem modo timeri debet, & honorari, quo Dominus & principium est. Quare quoniam primus Dominus, & primum principium est, infinitus

A quoq; Dominus, & summus, & solus, & semper; itemq; summum principium, solum, & sempiternum: iccircò eius timor, eiusq; honor primarius sit, necesse est, & suo modo infinitus, & summus, & solus, & perpetuus.

Quod si rationem exposcas: quamobrem hæc omnia illi debeamus; hæc præcipuè assignari potest. breuis illa quidem, sed quæ magnas habet ad persuadendum vires: videlicet, ipse creator tuus est, tu verò opus manuum eius vita, & ratione præditum: debet ergo homo amorem Deo, quia Dei opus est, & ipse conditor: debet timorem ob id ipsum quod opus eius sit, & ille fictor, debet honorem, ob eamdem prorsus rationem. 9.

Quod si è contrario Deum ipsum respiciamus, affirmare quoque poterimus, iccircò
B Deum spontè, ac liberè hominem amare, eiq; fidem seruare debere, nec decipere illum velle vnquam, quia ipse effector eius est, homo verò opus manuum suarum. Quis verò artifex affabre effectum opus vel odio prosequitur, vel si opus ipsum ratione præditum foret, fallat ac decipiat?

Quoniam verò Deus non hominem modò totum ex nihilo protulit, verum etiam reliqua omnia propter ipsum hominem condidit, propterea debet adhuc homo, vt vniuersim dicam, non se totum dumtaxat, sed cuncta etiam, quæ habet, vel habere potest, Cedo quicunque es, qui ista legis, nonne quæ creata sunt omnia homini seruiunt, vel etiam portio quædam sunt, si per se singula spectentur, eius hæreditatis, quam Deus creato homini contulit? Sunt sanè hæc omnia singillatim tan-
C quam annona quædam, ac commeatus, quem Deus homini præparauit ad alendum illum, vt proinde verè affirmare liceat, tot esse in homines singulos à Deo collata beneficia, quot sunt res à Deo creatæ: parum dixi, quot sunt res à Deo creatæ; immò verò tot sunt beneficia in hominem collata, quot sunt siue bona, siue dona rebus singulis, quæ hac rerum vniuersitate continentur, tributa. 10.

Dic rogo, quorsum tanta virtus, tam immensum lumen solis, tanta pulchritudo lunæ, tanta reliquorum siderum efficacitas, tam magna florum venustas, tanta arborum vbertas, tanta pretiosorum lapidum varietas, tanta
D frugum multitudo, & prouentus, an non ad hominem oblectandum, fouendum, nutriendum parata sunt? quis quæso te, magis gaudet, quem confortat magis, atque oblectat suauis rosæ odor, & pulchritudo, & virtus herbarum, ipsamne rosam, & herbas, an hominem potius? Itaque quamuis ipsismet rebus creatis assignata sint hæc omnia bona, quæ per singulas creaturas sparsa, susaque videntur, alius tamen est, qui illis gaudet, & fruitur, nimirum homo, quem meritò proinde totius naturæ finem veteres philosophi nuncuparunt, vt reuera hæc omnia, quæ enumerauimus insignia dona, non tam cæterarum rerum, quam hominis beneficia dicenda sint. Quod hoc exemplo clarissimum euadet: præcipis interdum vestem concinnam & perpulchram, multoque auro, & argento orna- 11.

tam

tam cõfici, vt ea filiũ tuum exornes, peto iã argento ornatam confici, vt ea filium tuum exornes, peto iam tanta pulcritudo, tantus auri, & argenti fulgor, vestis ne ipsius beneficium est, cui illa insunt ornamenta, an filij potius? certè si veritatem affirmare volueris, non inficiaberis omnia illius esse beneficia. Cernis nè igitur aliud esse hic illud, quod in se pulcritudinem accipit, vel cui inest aurum & argentum, aliumverò in quem cõfertur beneficium; illud enim vestimentum est, hic verò filius. ostendimus igitur hactenus non singulas modo creaturas, verum etiã omnes earum perfectiones, omnia bona, quæ illis insunt, hominis esse beneficia, quæ tamen innumera sunt.

12. Sed nondum hic finis: etiam ipsi creaturarum labores, tot actiones, perpessionesq; tot, tot admiranda opera, tot fructus, tam magna, quæ pariunt emolumenta, tot fœtus, omnia ad hominem pertinent, cuius singula sunt beneficia. Tibi ô homo telam texunt, ac sericum conficiunt vermes, tibi tempestiuos fructus producunt arbores, tibi vinea, ac vites vinum pariunt, tibi arua, colles, montes, herbas, & suaues flosculos gignunt, tibi fontes scaturiunt, tibi prata herbis conuestiuntur. Ad te oblectandum Pauus vario pennarum fulgore conspicuus, aduerso maximè sole colores expandit, dum se magnificè circumspicit, adeò vt neque vllam ob vtilitatem aliam, quam ob quamdam hominis voluptatem cauda pauoni donata esse videatur; cui præterea suauis philomelæ cantus occinitur? an non homini? quid opus est multis? tibi pecus vellus portat, tibi capellæ lac asseruant, tuæ sunt vitulorum, ceruorum, leporum, & innumerarum auium carnes, mitto reliqua.

13. *Quantum & quæ debeat homo Deo.* En igitur homo quantis te Deus obligarit, secumque deuinxerit beneficijs, ac proinde vide quantis ei debitis obstringaris. hoc si diligenter animaduerteris næ tu fatebere amorẽ, timorem, & honorẽ te debere Deo. Deniq; totum te, quidquid etiam in hac mundi vniuersitate habes, vel habere potes. Quare quisquis pro virili ac sincerè hęc reddit Deo, soluit aliquo modo illi quæ debet. contra, si fortè ista non tribuerimus Deo, eius semper debitores erimus, & hoc ipso peccatores euadamus necesse erit; Hinc fit vt peccata etiam ipsa duplici nomine debita dicantur, non quidem vt scholastici loquuntur formaliter, sed effectiuè, & per synecdochen tantum. vno quidem modo, quia dum peccamus negligimus interim persoluere Deo, id quod debemus, amorem, timorem, honorem, &c. nam dum crimen aliquod committit aliquis alibi quàm in Deo finẽ suũ constituens, tunc desinit Deum amare, dum eius præcepta contemnit eum honorare, vel timere recusat, iccircò peccãdo effectiuè subtrahit illi quod debet, atq; adeò debitor euadit, cum illa subtrahat per peccatum, quæ Deo debebat. Altero modo peccata *debita* dicuntur, quia obnoxium hominem reddunt sempiternis pœnis inferni, sic de illis octodecim *super quos cecidit turris in Siloe* Luc. 13. 4. dixit Christus; *putatis, quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem?* peccata ergo debita nuncupantur per synecdochen, qua caussa pro effectu ponitur. caussa enim huius debiti peccata sunt. *Quæ sint*, inquit Chrys. ho. 9. ex var. in Matt. hoc. *debita nostra? quid debemus Deo, nisi imaginem & similitudinem eius seruare illæsam? sunt alia debita quæ debemus Deo, peccauimus illi grauiter, iniustè egimus, iniquitatẽ fecimus.* Duo statuit debitorum genera; similitudinem Dei non violare, quod est Deo reddere amorẽ, honorẽ, timorẽ, se totum, & quidquid habere potest homo; sunt & alia debita, ipsa videlicet peccata, i. dona Dei male collocata, & alia multa à nobis malè perpetrata, sicut & duplex est iustitia: declinare à malo, seu non violare mandata, quæ ad Dei in nobis similitudinem (hoc est, duplicem caritatem) conseruandam data sunt; & facere bonum, seu benè vti gratijs, donis, talentis, à Deo nobis concessis: quæ duo si quis peccando non seruet, statim se pluribus debitis obnoxium Deo reddit, & quod ea reddere desinat DEO, quæ debet; & quod reus euadat sempiternorum suppliciorum. *Duo debito rum genera.* *Duplex iustitia.*

Porrò dicuntur peccata debita nostra, quia nostra item voluntate fiunt, *perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum*, neque enim Deus caussa est aliquo modo peccati, qua peccatum est, sed solus homo peccati, qua peccatum est, auctor est. Iam verò hoc quod diximus de peccatorum debitis, nullo alio melius exemplo illustrare poterimus, quã huius serui decem millium talentorum debitoris. Numerus enim denarius transgressionem significat decem præceptorum Dei; quod verò insuper addantur millia, indicat non semel & iterum, sed millies violasse aliquem eadem Dei præcepta; quia verò sæpe, & multis & grauioribus sæpe criminibus Deum offendimus, rectè eorum grauitas multorum talentorum pondere explicatur; quam rem talento illo plumbi, cuius meminit Zacharias cap. 5. 7. 8. expressam esse non ignoramus, quod iniectum esse dicitur in os impietatis; rectè enim talentum plumbi, põdus peccati significat quod iniectum in os impij proinde dicitur, quia ad ea peccata cum quis venerit, negare ea non poterit. 14. *Peccata debita sunt nostra.*

Opera sanè & maleficia innumera, quibus passim impij homines Deum offendunt, meritò sane decem millibus talentis comparantur: *si enim consideremus peccata nostra*, ait S. Augustinus serm. 15. de verbis Domini, *& numeremus, quid facto, quid oculo, quid aure, quid cogitatione, quid innumerabilibus motibus* peccatum sit *nescio vtrum dormiamus sine talento.* Quam rẽ confirmant voces illæ impiorum Sap. 2. 6. 7. 8. 9. *venite & fruamur bonis quæ sunt. & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter; vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ; vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniã hæc est pars nostra, & hæc est sors*, &c. rectius hi multo facerent si cum Manasse dicerent, *peccaui super numerum arenæ maris.* 15. *Peccata nostra rectè 10000. talẽtis comparãtur.*

Cum autem non haberet vnde redderet) Etenim tantum est peccati debitum, vt si omnes ho- *Debita peccati nullo mo-*

Digitized by Google

mines, omnes Angelorum ordines, omnes denique quotquot sunt creaturæ illud dissoluere conarentur, nihil omnino efficerent. dum enim quis peccat, debitor efficitur non sui tantum, nec sempiternorum supplitiorum dumtaxat, sed etiam Deitatis ipsius infinitum debitum, & quod nulla possit ab homine ratione dissolui, si vniuersas dederis creaturas, nihil planè dedisti; longè præstantius quid debes, immò & immensum & infinitum, quia DEVM debes. Visne clarè perspicere quod DEVM debeas? exemplo hoc vtcumque intelliges. si nunc potentissimo Hispaniarum Regi Amplissimi Regni Diadema per summum nefas è capite detraheres, & illo vilissimi mancipij caput insignires, certè quod ad te attinet, Regnum surripuisti dignissimo Regi, & in mancipium contulisti. Regnum ergò ei deberes. iam quoties in capitale aliquod crimen incidis, cogita te idem cum DEO tuo facere. Ille finis omnium supremus est. Ille Rex Regum, & Dominus Dominantium, ille omnibus anteferendus, ille præ cæteris omnibus amandus, timendus, colendus. Tu verò ingratissime, & scelestissime pro scelus: hanc immensi Regni coronam, hunc ipsum vltimo fini debitum cultum, amorem, timorem per summam iniuriam contra omne ius audaci, ac temerario ausu à DEO tuo aufers toties, & creaturæ tribuis, propter hanc DEVM tuum derelinquis. Igitur cum diuinum Deo honorem abstulisti, tunc ei diuinitatem, quod ad te attinet surripuisti; eam igitur debes. Atque hinc fit, quod omne eiusmodi peccatum participatio quædam & similitudo idolatriæ est; Instar enim idolatriæ spiritualis est capitale crimen committere, quo illud efficitur, quod Paulus scribit Romanorum primo, 23. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, &c.* quamobrem? quia nimirum gloriam DEO tribuere debet peccator, in creaturam confert.

17. Hinc effectum illud est, vt oportuerit propter peccatum CHRISTVM hominem fieri, & pati, vt huic planè debito fieret satis. Deus enim cum esset, Patri se pro nobis obtulit; atque ita factum est, vt Deus Deo redditus fuerit. itaque iustitiæ satisfactum est, & disruptum chirographum debiti nostri; sic enim scribit Apostolus de Christo. ad Colos. 2. 14. *delens quod aduersus nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci.*

18. Iure igitur hic dicitur de seruo debitore nihil habuisse vnde debito satisfaceret; nam præter ea, quæ hactenus diximus, reuera ex nobis quasi ex nobis non habemus, nisi peccata. Etenim natura & gratia, & creaturæ omnes non nostræ sunt, sed à Deo nobis commissæ. Peccatum etiam quia Deum infinitum, & creaturas offendit, & infinitum Christi sanguinem proculcat, infinitam proinde exigit satisfactionem, quam ex se homo præstare nequit; quid enim aliud est homo quàm vt Dauid Psalmo 77. 39. ait: *spiritus vadens & non rediens*? vadens, inquit, hoc est, vadens ad contrahendum debitum, verùm non rediens proprijs viribus ad Dei gratiam iterum repecurandam.

Do per homines, vel creaturam vllam dissolui nipotest.

Peccator Deum Deo debet.

Peccatum capitale: idolatria quædã.

Nequit homo Deo satisfacere.

Locus Psal. 77 39.

Minimè verò mirandum est, nequaquam posse nos soluere debitum peccati. Nam licet peccati expertes essemus, minimè tamen pro collatis in nos beneficijs æquale DEO reddere vnquam possemus. Immò verò totos nos non vno tantum Deo, sed pluribus etiam debemus titulis. nam & ratione creationis, & conseruationis, & redemptionis, & æternæ vitæ, ac gloriæ promissæ, & innumeris alijs modis illi obnoxij sumus. Sed ad alia pergamus.

19. *Multis Deo titulis debitores sumus.*

Iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem, eius & filios, &c.) Rectè totus hic locus infelicem peccatoris statum ante oculos ponit. Quod enim hic legimus eum, qui decem millia talentorum Domino suo debebat, iussum esse venundari; & neque ipsum modo, sed & omnia, quæ habuit, vxorem, filios, denique cuncta quæ possidebat, vt ita dissoluto debito Domino satisfieret; hoc inquam non ineptè significare potest, hominem peccatorem, impium, sceleatum, in pœnam tot scelerum à Deo reprobari, sibi ipsi relinqui, tradi in reprobum sensum Romanorum primo, venundari sub peccato Romanorum 7. vt desideria patris sui diaboli (neque enim amplius Deum Patrem habet) faciat, & eat post concupiscentias suas, quibus nupsit, & comedat fructus operum suorum, quæ sunt proles eius, & ea metat, quæ seminauit; vt denique omnia quæ habet accepta à Deo talenta, auferantur, & ei qui plura habuit, conferantur. Quidquid enim decrescit impijs, accrescit iustis, & beneficia, quibus impij abutuntur alijs conferuntur; vt quia Donis Dei abusus est Saul, electus est Dauid, in quem & spiritus eius, & Regnum transferrentur; & Iudæis repellentibus verbum DEI, conuersi sunt Apostoli ad gentes.

20. *Infelix peccatoris status.*

Sunt quippe peccatorum pœnæ non solum flagella huius vitæ, & sempiterna inferni supplicia in altera, verum etiam ipsa peccata, ipsa priuatio gratiæ, ipsa cæcitas cordis, totiusque hominis derelictio, qua grauior pœna esse nulla potest. Ita interim diuinæ iustitiæ satisfit. quare totus ipse peccator cũ concupiscentia sua tanquam cum vxore, & cum operibus suis tanquam cum infelicissima prole, & cum omnibus suis venundatur, dum totus in reprobum sensum traditur, & omnia talenta quæ à Deo acceperat, ab illo auferuntur. Quamobrem vt ista mala fugiamus, timidum semper ac pauidum oportet esse. nam quemadmodum ea animalia, quæ tenues, & arctas venas habent, non facile veneno pereunt; etenim virus tunc ad cor facile non penetrat propter angustas vias: at quæ vasa sanguinis lata sortita sunt; velocius veneno opprimuntur & extinguuntur: ita qui conscientiam possident timore Dei angustatam, difficile virus peccati in cor admittunt, nec, vt ad voluntatis consensum sese illud infinuet, permittũt: contra quibus ampla, & laxa est conscientia nullo Dei timore, nullo inferni horrore constricta

21.

Quod sit venundari peccatorem, & vxorem eius & filios &c.

Similitudo.

Digitized by Google

& post concupiscentias suas euntes per lata currunt, ij quolibet peccati veneno intereunt, cuilibet vel paruæ tentationi cedunt, quodlibet animo scelus admittant, & ad cordis penetralia peruadere sinunt. ij sanè similes sunt impio illi Achab. de quo 3. Regum vigesimoprimo, 25. dicitur: *non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est, vt faceret malum in conspectu* DOMINI, hoc est, datus est in reprobum sensum, nulla peccati conscientia tactus. *concitauit enim eum Iezabel vxor sua, & abominabilis factus est.* Iezabel nostra, caro nostra est, cui qui morem gerit, procul dubio abominabilis fiat necesse est. De hoc peccantium genere Isaiæ quadragesimo secundo, 19. *quis cæcus, nisi qui venundatus est?* Nam quæ maior rogo cœcitas, aut inueniri, aut excogitari potest, quàm eius qui à DEO derelictus, sibique traditus est, vt vilissimo quouis voluptatis pretio animam suam vendat? Denique quod dictum est à Deo contra rebellem, & ingratam Hebræorum synagogam Isaiæ 50 1. aptè conuenit in huiusmodi quemlibet flagitiosum peccatorem. *Quis est*, inquit DEVS apud Isaiam, *hic liber repudij matris vestræ* (sic enim synagogam appellat) *quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis, & in scleribus vestris dimisi matrem vestram*, quasi dicat, non ego vos vendidi prior, aut dimisi, vt à me discedere coacti sitis, sed vos ipsi vltrò discessistis à me propter peccata vestra. Illa enim, *in iniquitatibus*, &, *in scleribus* idem significant, quod ob iniquitates, & scelera. dimisi verò idem est, quod abieci tandem.

Sed & alio modo venundatur peccator, cum omnibus simul quæ habet carne item & anima, & facultatibus omnibus, tunc videlicet cum Dæmonibus in æternum possidendus traditur, cuius opera tanquam infortunati filij, & caro tanquam infausta vxor cum illo simul sempiterno igne comburentur. lege etiam in hunc locum Anselmum in commi Hic est enim impietatis finis, quæ à paruis initijs sæpè exorsa in ingentem ignem succrescit. Sic inquit Isaias capite 9. decimooctauo. *succensa est enim quasi ignis impietas. Veprem & spinam vorabit, & succendetur in densitate saltus, & conuoluetur superbia fumi.*

Expendenda est hic optima similitudo, qua vtitur Propheta, dum impietatem igni comparat. Sicut enim ignis leues materias, & aridas, cuiusmodi sunt spina, stipulæ, palæ primum absumit, illisque succensis ad densiora, humidioraque comburenda progreditur, vt sunt virentia & crassiora ligna, adeò vt totam siluam incendat, & densitate fumi terram obscuret, ita impietas à paruis exordijs incipiens, pessimos habet exitus, & à leuioribus culpis in magnam erumpit malitiam. quam rem eleganti oratione prosequitur Chrysostomus homilia 87. in Matthæum Tomo secundo, à minimis plerumque incipit (Diabolus) quod intueri hoc modo licet. *studebat in Pythonisse derisionem Saul regem detrudere, iterum quia non adhibuisset ille mentem, ad Pythonissas paulatim ipsum inducit. Nam quoniam Samueli non obtemperauit, & holocausta offerre præparauit, illo absente accusatus, ait, necessitas hostium facta est maior. Cumq; flere oportuisset quasi nihil mali fecisset, latabatur, Iussit deinde nonnulla de maledictis Deus, ea quoque transgressus fuit: hinc aduersus Dauid illum insanuit, ac sic paulatim atq; paulatim labes non stetit, quousq; ad ipsū perditionis barathrum seipsum immisit. Similiter etiam de Caim factum esse videmus. Non enim confestim eadem fratru illi suggessit, ne magnitudine rei commotus tam scelestum facinus abominaretur; sed prius persuasit deteriora offerre, nullum esse id dicens peccatum; deinde inuidia veneno succendit, nihil etiam hinc mali sequuturum persuadendo: Ita sensim in eum illapsus, ad cædem fratris, & ad negationem sceleris impulit, nec prius cessauit, quam malorum omnium verticem imposuit. Repellenda igitur malorum initia sunt, &c. non enim vim delicti solā consideres, nec quia paruum sit, cogites: sed illud præcipuè tene, quia si radicem non euulseris, magnus inde labor succrescet. mirabile quidem ac inauditum dicere audeo, solet mihi nonnunquam, non tanto studio magna videri peccata esse euitanda, quanto parua & vilia: illa enim natura ipsa sponte auertitur, hæc autem hac ipsa re, quia parua sunt, desides reddunt: & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. vnde cito ex paruis maxima fiunt negligentia nostra: hoc ipsum corporibus quoque accidere videbis: sic in Iuda maximum proditionis malum concreuit: nisi enim putasset paruum esse pecuniam inopum surripere, in tantam proteruitatem non deuenisset; Iudæi quoque, nisi putassent inanis gloriæ delictum minimum esse, vsque ad eadem Christi lapsi non fuissent.*

Hæc via omnia scelera fieri videbis. Nemo. n. repente ad extremam improbitatem insilijt, habet quippe insitum quemdam anima pudorem atque innatum, quem subitò calcare, atque proijcere non potest: sed sensim atque paulatim ex negligentia perit: hoc pacto etiam idolorum cultus aditum inuenit, cum vltra quam oportet, vini ac defuncti nonnulli honorarentur: hoc pacto simulacra, & statuæ adorata sunt. hoc pacto denique fornicatio, & cætera vitia dominantur, &c.

Idem Chrysostomus in epistola ad Galatas capite primo post medium: parua delicta non esse negligenda sic docet: *an non audisti quod is, qui in veteri quoque testamento sabbato ligna collegerat, vnicum mandatum, nec id maximum, transgressus extremo affectus est supplicio nu. 15 32. quodque Oza quoniam arcam alioqui subuertendam fulcit è vestigio mortuus est, eò quod ministerium sibi non congruens vsurpauit; 2. Reg. 6. 7. ergo ne sabbatum violatū & solus arcæ ruituræ contactus ad tantam indignationem prouocauit, vt qui hæc ausi fuerint, ne minimum quidem veniæ sint consecuti: hic verò qui adoranda, & ineffabilia dogmata corrumpit excusationem habiturus est, & veniam consequetur?*

Hæc Chrysostomus, punitur ergò qui folia peccatorum venialium colligit, ne in illis malitia succensa, in magnam impietatem prorumpat, quæ mirificè Isa. similitudinem illustrant, qua impietatem *igni* esse dixit, qui stipulas primum, ac siccam nactus materiam, maximam solet flammam

Peccator similis Achab.

Locus 4. Reg. 21. 25.

Caro nostra Iezabel

Locus Isa. 42. 19.

Locus Isa. 50. 1.

22. Alio etiam modo venundatur peccator.

Locus Isa. 9. 18.

23. Impietas vt ignis à paruis ad magna progredi ens. nec cessat nisi in inferni flammam desinat

Parua delicta cauenda ex Chrys.

Iterum ex eodem parua delicta cauenda.

accendere, & ingentem siluam absumere.

25. Pessima vxorum consilia sæpè viros in damnationē detrudunt.

Sed antequam ex hoc loco discedamus, aduertendum est, hac vna re quod seruus iste iussus est venundari cū vxore, & filijs, non obscurè indicari multas esse vxores, quæ sæpè maritis suis perditionis, & condemnationis occasioni sint, accidit enim interdum, vt vir inimico iniuriam condonare libenter velit; vel quæ iniustè possidet, restituere, & non in superfluos vsus, fastum, ac superbiam insumere; verùm fit, vt his nullo modo assentiatur vxor, immò verò omnibus potiùs viribus maritum ab ea mente auocare nitatur, suadens quæ vana sunt, & ad tumorem & fastum, mundanumque honorem pertinent, ad quæ persuadenda ipsa quoque promptam sese ac liberalem exhibet. Talem se exhibuit Iezabel impia Achab Regi marito, cum illi vilem animum exprobrabat, quod nesciuerit iniustè Naboth agrum sibi vsurpare: sic enim Regem adorsa est: *grandis auctoritatis es, & benè regis Regnum Israel; surge, & comede panem, & æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth*, quod & fecit, interempto ac lapidibus obruto Nabothe 3. Regum 21. Tales & illæ coniuges fuerunt, vt Exhodi 32. legimus, quæ libenti ac prompto animo dederunt inaures aureas viris suis, vt eis abuterentur in ædificando idolo, &c. quas tamen, si erogandæ fuissent in auxilium pauperum in dissoluendo ære alieno, in templorum ædificijs, nunquam fortasis dedissent. ita fit, vt verisimum sit illud quod Ierem. 7. 18. dicitur: *filij colligunt ligna, & Patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciāt placentas Reginæ cœli, & libent dijs alienis.* quasi dicat, omnes conspirasse, & in vnum conuenisse videntur aduersum me in ciuitate ista, Patres, Matres, liberi, totum studium, operamque suam in eo collocant, vt in meum maximum dedecus Reginæ cœli, id est, lunæ, liba & holocausta offerant. ob id filij in montibus cędunt ligna, Patres focum construunt, ignemque accendunt, interim mulieres domi libum, & placentas adipe consperfas, quas offerant, parant. Vtinam & nostra hac tempestate viri, vxores, liberi non in summi Dei dedecus conspirarent, dum ipsi viri in cauponis & hospitijs proprias etiam coniuges & filias aliorum libidini, propter quęstum exponant. Verùm de his non est hic dicendi locus; illud tantum moneo minimè mirum videri debere, quod Rex iste iusserit debitorem seruum simul cum coniuge, & liberis venundari; qui enim simul peccant, simul & puniantur necesse est.

Iezabeli similes malæ vxores.

Locus Ier. 7. 18.

A

DIGRESSIO III.

MORALIS.

Prosequitur auctor moraliter exponere quæ in eadem parabola restant.

1. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*) Meritò dubitabit hic aliquis qui fieri potuit vt tam promptè responderit iste: *omnia reddam tibi*, cum superius dictum sit, cum *autem non haberet vnde redderet.* Itemque digressione secunda, numero decimosexto & sequent. ostensum sit, non posse peccatorem pro commisso crimine satisfacere Deo. Sed in promptu responsio est: fateor, non habet peccator vnde debitum dissoluat. nec propterea tamen non valet promptè, ac fidenter dicere; *omnia reddam tibi.* vt enim non habeat à se vnde quod debet, reddat; habet à Deo: non potest propria, potest aliena pecunia soluere, id est, meritis CHRISTI DOMINI. Quare dum in se peccator oculos, animumque conuertit, nihil sanè reperit dignum, quo pro peccato, Deo facere satis possit. Sic soluere curabat debita Bernard. dum in CHRISTVM in Crucem elatum ituens summa animi fiducia dicebat sermone 61. in Cantic. *ego fidenter, quod ex me mihi deest vsurpo mihi ex visceribus Domini: quoniam misericordia affluunt: neque desunt foramina per quæ affluant, &c.* Ceterum de quadruplici debito lege Bern. serm.

1.

B

Merita Christi.

C

Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.) locus hic Dei misericordiam maximè illustrat, quæ in eo maximè elucet, quod quamuis DEVS acerbissima comminetur, si tamen homo ad meliorem frugem se recipiat, statim ad misericordiam flectitur, qua in re non consilium mutat, sed sententiam, imò potius suum consilium, & voluntatem perficit; quā rem eleganter Chrys. hom. 1. de pœnit. declarat; *Quare quæ facturus es mala prædicis? vt non faciam quæ prædico. Propterea & gehennam minatus est, ne gehennam induceret.* id quod in Ionæ vaticinio patuit. Voluit enim DEVS, vt clamaret Ionas ante immissum supplicium, pœnam, quam minabatur DEVS, *adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur.* vt resipicerent Niniuitæ, & *fugerent à facie arcus*, quod & factum est: *vidit enim Deus opera ipsorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam loquutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.* Ionæ tertio, 10. Quare rectè Hieronymus in hunc locum sic docuit: *Deus neminem punire desiderans, quod facturus est, comminatur*, quod & ipsemet Deus significat apertè Ieremiæ decimooctauo, 7. 8. 9. *repentè loquar aduersus gentem & aduersus Regnum, vt eradicem & destruam, & dispердam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod loquutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei: & subitò loquar de gente & de regno, vt ædificem & plantem illud.*

2. Dei misericordia.

D

Locus Ier. 18. 7. 8. 9.

Quid ergò miramur si per Zachariam capite primo, 3. Sic Deus peccatores alloquatur, *conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Ne sitis sicut Patres vestri, ad quos clamabant Prophetæ priores dicentes: Hæc dicit Dominus exerci-*

3. Locus Zach. 1. 3.

tuum

tuum: conuertimini de vijs vestris malis & de cogitationibus vestris pessimis; & non audierunt, neque attenderunt ad me. Pulchrè sanè August. serm. 54. De verb. Domini *fugientis*, inquit, *dorsa persequitur, qui faciem redeuntis illuminat. Quo enim fugies à Deo? fugiens quo fugies ab illo, qui nullo loco continetur, & nusquam absens est? qui conuersum liberat, punit auersum. quem habes iudicem fugiens, hunc patrem habeto rediens.* liceat igitur mihi cum Ezechiel. 18. 31. 32 clamare: *quare moriemini domus Israel, quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus, reuertimini, & viuite.* Ecce tibi in promptu diuinę miserationis exemplum in hoc decem millium talentorum debitore. quam sic admiratur Chrysost. ho. 62. in Matt. *perspexisti*, ait, *mirabilem exaggerationem misericordiæ: dilationem tantummodo tẽporis, ac quamdam prorogationem seruus postulauit; ille autem multo magis quam petijt, videlicet totius mutui donationem vltrò præbuit.* Quare verissime Paulus Ephes. secundæ, 4. testatur: Deum diuitem esse in misericordia. An non diues in sapientia? An non in potentia? An non in perfectione? Ita sanè, sed solum in misericordia diuitem appellauit Apostolus, quia *miserationes eius super omnia opera eius* Psal. 144. vel quia vt ait Bernar. *misericordia miseris sapit dulcius*; vel denique quia in Dei misericordia bonitas eius maximè elucet, cuius fons infinitus, & abyssus perennis Deus est.

Locus Paul. Eph. 2. 4.

4. Sex modis dissoluuntur peccatorum debita.

Ceterum non inutile erit hic enumerare modos, quibus debita, quæ cum Deo contraximus, dissolui possunt, si scripturas euoluamus sex inueniemus rationes, quibus peccatorum debita tolluntur. Primus est pœnitentia, citra quam, nulla est spes veniæ reliqua, post commissa peccata. hunc modum docet Deus Ezecch. 18. 21. 22. *si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis &c. omnium iniquitatũ eius, quas operatus est, non recordabor.* v. 27 *Cùm auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est & fecerit iudicium & iustitiam; ipse animam suam viuificabit.* Altera ratio debitorum condonationem obtinendi, est feruida & ardens oratio quod voce regis testatissimum est in hac parabola: *omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.* Et Ecclesiast. 21. 1. *Fili peccasti? non adijcias iterũ; sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur.* Tertia est caritas, de qua Petrus epist. 1. cap. 4. 8. *caritas operit multitudinem peccatorum.* Quartò est misericordia Ecclesiastici. 1. *Ignem ardẽtẽ extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccato,* & Luc. 11. 41. *date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Vnde Ambros. *Sola misericordia comes est defunctorum,* diuitiæ, amici, famuli, coniux, liberi, honores, mundi fastus deducent te, vbi vita excesseris, ad sepulturam, solus Dei tribunal adibis, solus anteactæ vitæ rationem reddes: Id enim præcepit Deus omni mundanæ gloriæ, quod & mari, *vsque huc venies, & nõ procedes amplius & hic confringes tumentes fluctus tuos,* Iob 38. 11. Itaq; vt maris vndis terminum, sic terrenæ pompę limitem præfixit, nempe sepulchrum: vnum tantum superest remedium, si te hinc abeuntem misericordia comitetur, & causam tuam corã seueriſsimo Iudice tuendam suscipiat, *Solà enim misericordia comes est defunctorum*, sic etiam Dominus dixit: *Facitè vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quintò plurimum iuuat ad dissoluenda peccatorum debita, persecutionum, & laborum inuicta perpessio, & tolerantia: sic Tob. 3. 13. *In tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te.* Sed quod supra cætera maximam habet efficacitatem, remissio est, & condonatio iniuriarũ; alioqui nulla à Deo speranda est venia, quod expressè in hac parabola pronunciatũ à Rege est, *sic & pater vester cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris,* & alibi Mat. 6. cum docuisset nos orare, *dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris,* subiecit: *si enim dimiseritis hominibus peccata eorum; dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra; si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Neque enim ille dimittet, nisi prius ipse dimittas, frustra oras, & vota offers, si non dimiseris prius; & quidem de corde tuo, alioquin contra te oraueris, si dixeris: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: in qua enim mensura mensus fueris, remetietur tibi.

Locus Tob. 3. 13.

Condonatio iniuriarum.

Vt verò melius intelligas vbi hæc remissio, quam exhiberi præcipit CHRISTVS debitoribus nostris, sita, locataque sit, diligenter aduerte; tria hac in parte nos mente complecti posse. Vnum est offensa ipsa, quam DEO infert, qui proximum lædit. Alterum est rancor quidem, & odium, quæ quis contra se offendentem concipit. Postremò est ipsa iniuria, & damnum, quod per aduersarium nobis accidit; ergò propter primum orandus est Deus, vt illi eam offensam, & iniuriam, qua est contra ipsum DEVM, relaxet. quod verò ad rancorem attinet & odium, si tibi remitti peccata desideras, est quod illa omninò deponas, & à corde tuo longius depellas; *fratres mei*, inquit Augustinus, *exercete vos inquantum potestis ad exercendum mansuetudinem, etiam erga inimicos, frenate iram, quæ vos stimulat ad vindictam, si vendicare te vis de inimico tuo ad ipsam iram te conuerte; quia ipsa est inimica tua, quæ occidit animam tuam. Vis ne videre quod ipsa sit inimica tua; cum dicis: dimitte nobis debita nostra, ibi illa inimica stat contra te, sæpit viam orationi tuæ, murum erigit, non est quo transeat. Non sæuias contra inimicum tuum, contra istam sæuias.*

5. Quare continetur remissio iniuriarũ

Ira est inimica, in quã insurgendum, & de qua vindicta sumenda est.

Postremò, quod attinet ad damnum tibi illatum ab inimico tuo, breuiter dico: non est prohibitum repetere, quod per inimicum amisisti, vel velle referiri tibi damnum, quod accepisti; sed est quod ita ius tuum prosequare, vt ad id nullo odio, nullo rancore pertraharis: hæc autem res, quoniam difficilis est, & grauis plena periculi, non sine magna circumspectione, & piorum simul & doctorum virorum consilio peragenda est.

Misericordia Mundi gloria

Damnum nõ tenemur relaxare.

Locus Iob. 38. 11.

Egressus autem ille) insinuatur hic solemnis quædam peccatorum omnium conditio, & proprietas. solent enim cum se vrgeri malo aliquo vident, vel imminente periculo constringi, ac DEO vindice affligi, ad cor vtcumque redire, præsentium

6. Peccatorum solemnis quædam cõditio.

malorum

malorum metu compulsi, maria & montes pollicentur, vniuersum debitum se persoluturos per condignam satisfactionem promittūt. interrogati respondent. velle se aliena restituere, in gratiam cum aduersario redire, mores in melius commutare. At vbi se malis immunes ac liberatos animaduertunt, atque omnia esse iam tranquilla, & pacata, obliti præteritæ deliberationis, ac pollicitationis reuertuntur vt sus ad lutum, & vt canes ad vomitum: hoc est, quod Dauid Psalm. 80.3. dicit: *in multitudine virtutu tuæ mentientur tibi inimici tui*, quæ verba Titelm. intelligit de admirandis rebus, quas facit Dominus in AEgypto ad indicandam suam potentiam, vt dum conuertit aquas in sanguinem, tenebras & serpentes induxit, primogenita sustulit, &c. quibus compulsus Pharao, rogabat Mosem, vt diuinam contra se iram placaret, sed vix liberatus, redibat ad pristinam peruicacitatem frangens fidem, & promissis non stans. Idem inimpio Antiocho 2. Machab. 9. videre fuit, qui morbo fœdissimo à Deo percussus epistolas scripsit ad Iudæos plenas fictæ, & diris tormentis extortæ pietatis, cum prius obstinatissimo animo aduersus locum sanctum, & legem Dei impijssime desæuisset. Vtinam hodie non multi essent Pharaonibus & Antiochis similes quos apte repræsentat hic seruus graui ære alieno liberatus; procidens enim Dominum suum rogabat: *patientiam habe in me & omnia reddam tibi*; sed vix egressus à conspectu Domini, cœpit ingratus multò grauiora committere.

Locus Ps. 65. 3.

7. Locus Iere. 9 3.

De hoc hominum genere, qui malis compulsi ingentia pollicentur, sed illis soluti ad ingenium redeunt, videtur Ieremias dixisse cap. 9.3. *de malo ad malum egressi sunt.* nam sicut de Sanctis scriptum est 83.8. *ibunt de virtute in virtutem*; sic de improbis, ac infidelibus peccatoribus affirmare possumus, de malo in malum egredi; semper enim prioribus debitis quæ condonata fuerant, noua & grauiora etiam adiungunt; Ita fit vt nouissima hominum istorum peiora sint prioribus.

8.

Cæterum huius totius mali, in quod per crudelitatem seruus iste incidit prima origo fuit, quod egressus fuerit à facie Regis; sic enim legimus: *egressus autem seruus ille inuenit vnum de conseruis suis, &c.* nam si præsentem Regem, atque omnia intuentem cogitasset, tam indignū scelus non vnquam patrasset. *Quis enim est*, inquit Basil. in reg. breu. interr. 29 *alterius potestati subiectus, qui in oculis Principis sui, aliquid ausurus sit vnquam, eorum quæ ipsi Principi non placent?* Noluit intelligere seruus iste, vt benè ageret. quod si seipsum attendisset, intellexisset vtiq; ac didicisset misereri conserui sui. verè. n. Ecclesiast. 31.18. monemur: *intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso.* quare si debita sua pristina attendisset hic seruus, & quàm magno ære alieno liberatus esset Regis sui liberalitate, nunquam certè tantam acerbitatem, crudelitatemue in proximum exercuisset; Immò verò quod sibi fieri optauerat, id conseruo faceret; nec se ob auaritiam ad tantam carnificinam exercendam adduci sineret. tres ergò fuerunt tantæ crudelitatis causæ, & quod à Deo egressus fuit, nam, vt verè ait Theophyl. *nullus qui in Deo manet, compassionis expers est*; & quod intelligere noluerit, quæ sunt proximi ex sei ipso; Postremò quod auaritia detentus fuit; centum enim denariorum cupiditas inexorabilem illū reddidit; quid verò non audet auri sacra fames? suffocat sæpè, opprimit, strangulat auarus fratrem, vt vel denarium extorqueat,

Locus Eccle. 31.18.

Tres causæ crudelitatis huius serui.

Nonne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum) Exhibet Christus misericordiam suam tanquam exemplar misericordiæ nostræ, cum inquit: *nonne oportuit, & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum*, sicuti & alibi ait: *estote misericordes, sicut & Pater vester cœlestis misericors est.* Deinde misericordiā nostrā mensuram esse docet eius, qua in nos vsurus est, misericordiæ; sic enim subdit: *sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

9. Diuina misericordia nostra sit exemplar.

Misericordia nostra mensura misericordia Dei erga nos.

In priori ergò sententia ostenditur nobis exemplar miserendi; in altera mensura misericordiæ, quam nobis exhibebit Deus. Quare opera sua regulam efficit operum nostrorum, & opera nostra mensuram efficit bonorum, quæ in nos collaturus erit; qua in re cernere est admirandum sanè, & diuinum artificium quod duabus illis particulis insinuatur, sicut, & sic; *sicut & ego misertus sum*, & *sic pater meus cœlestis faciet*; & primo quidem horum hominem sibi copulat Deus, ac stricto vinculo connectit; dum enim tribuit illi misericordiam suam exemplaris loco, hominem obligat, vt multò maxima, & quantum potest plurima proximis exhibeat in amplissimam Dei misericordiam oculos intendens. Altero verò, dum videlicet misericordiā nostram suæ modum facit, seipsum nobis deuincit, atque obligat, & quantum maximam voluerimus misericordiam, nobis ille impendat; eadem quippe mensura, qua mensi fuerimus, remetictur nobis. Quo quidem incredibili artificio nescio, an potuisset ille quodammodo efficacius & vehementius ad misericordiam alijs exhibendam excitare. Cum enim homo maiorem semper optet sibi à Deo misericordiam impendi, si viderit pro modo, ac mensura misericordiæ, quam proximis exhibet, exhibendam sibi quoque misericordiam à Deo maiorem conabitur, si sapit, quanta maxima poterit in fratrem beneficia conferre.

10. Duæ conditiones misericordiæ diuinæ.

Sed primum iam expendamus rogo, propositum nobis diuinæ misericordiæ exemplar, vt imitemur; deinde etiam secundum, quod videlicet, misericordia nostra mensura sit diuinæ. Duæ huius exemplaris nobis in hac parabola conditiones proponuntur, quas æmulemus. Vna illis verbis indicatur: *omne debitum dimisi tibi*; nullum est enim crimen quantumuis magnum quod non condonet, nullus tam ingens numerus peccatorum quem Deus ex corde roganti non dimittat, hoc ergò tu intueare exemplum, hoc imitere, nulla sit iniuria tam grauis, nulla multitudo hostium tanta nulla vel indignitas, vel ingratitudo personarum, quæ te à condonatione offensæ & misericordiæ remoueat; & verò tanto magis gaude quo pluribus & grauioribus affectus es iniurijs, quia tanto maior tibi subministratur seges colligendæ maioris misericordiæ Dei.

Sed

11. Sola sua clementia Deus peccata relaxat.

Sed præter hanc, altera etiam in hac parabola exprimitur misericordiæ conditio, illis significata verbis: *quoniam rogasti me*, hoc est, non vllo tuo merito, sed sola mea clementia, & bonitate debitum dimisi. Hanc proprietatem caritati & misericordiæ ineſſe diuinæ teſtatur etiam Paulus ad Romanos 5. 6. dum ſic rogat: *vt quid Chriſtus cum adhuc infirmi eſſemus ſecundum tempus pro impijs mortuus eſt. vix enim pro iuſto quis moritur; nam pro bono forſitan quis audeat mori.* Mox reſpondet quæſtioni ait: *commendat autem caritatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* An fortè impius merebatur amari? Chriſtus tamen pro impijs mortuus eſt, amauit non amatus vt redamaretur. *tum eſſes in ſanguine tuo*, inquit apud Ezechielem Deus cap. 16. 6. *Vidi te conculcari in ſanguine tuo, & dixi tibi, cum eſſes in ſanguine tuo: viue. Dixi, inquam, tibi: in ſanguine tuo viue*: In hoc ergò quod ingratis, & impijs debita relaxat Deus illuſtriorem reddit, ac maximè commendatam caritatem, & miſericordiam ſuam. Hanc proprietatem imitaberis, ſi quamuis ignotum, quamuis indignum miſericordia proſequaris, non expectatis aduerſariorum tuorum meritis. Dictum eſt Ioſeph Geneſ. 50. 16. 17. *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: obſecro vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum; quibus auditis fleuit Ioſeph, & ait: nolite timere.*

12. Exemplū & præceptum Chriſti vt dimittamus iniurias noſtras debitoribus.

Adeſte animis quicunque fratribus iniurijs dimittere non vultis; ecce nunc vos verbis optimi parentis CHRISTI, obſecramus: *diligite inimicos veſtros, benefacite ijs qui oderunt vos*: in gratiam redite cum aduerſarijs veſtris. Nolite merita ſpectare aduerſariorum veſtrorum, non an digni ſint quærere: ſatis ſint Chriſti in vos merita, ſanguinem illum intuemini, quem pro vobis ſuffixus cruci copioſè ſudit; voces illas manantibus lacrymis intermiſtas excipite, quibus pro interfectoribus ſuis, ipſum indignis contumelijs etiam afficientibus patrem rogauit: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*, & hæc de primo, hoc eſt, exemplari miſericordiæ nobis exhibito.

13. Noſtra miſericordia diuinæ menſura eſt.

Sequitur vt paucis ſecundum contemplemur, nimirum qualiter miſericordia noſtra modus quidam eſt, ac menſura clementiæ & miſericordiæ diuinæ, nã *qui parcè ſeminat, parcè & metet; & qui ſeminat in benedictionib. de benedictionib. & metet*, 2. Cor. 9. 6. audi Aug. libr. 50. homil. 6. *cum in poteſtate*, inquit, *noſtra poſitum ſit qualiter in die iudicij iudicemur, dimittamus omnibus inimicis noſtris, vt libera conſcientia poſſimus in oratione dominica dicere: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. ignoſce tu & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur, dimitte quod minus eſt vt dimittatur tibi quod maius eſt. ſolent merces vltroneę vilius vendi, quam occaſionem ſibi offerri libenter vident homines. Ecce tibi Dei miſericordia venditur, Dei propitiatio, venia peccatorum, & quidem adeò exiguo pretio, vt pro parua miſericordia, magna tibi rependatur à Deo. Noli occaſionem præmittere, *ſi enim dimiſeritis hominibus peccata eorũ*, inquit Dominus, *dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra; ſi autem non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra*. Ad tam magnum tonitruum ait Auguſtinus cap. 74. Enchir. ad Laurent. *qui non expergiſcitur non dormit, ſed mortuus eſt; & tamen potens eſt ille etiam mortuos ſuſcitare*. Quemadmodum igitur ex fonte tanto copioſiorem hauris aquam quanto maius eſt vas quod defers, ita de fonte diuinæ miſericordiæ tanto vberiorem hauries miſericordiam, tantoque præſtantiora Dei Beneficia colliges, quanto maiora ipſe proximis exhibebis bona; neque enim ſtabit oleum, niſi cum vas defecerit. quibus conſtat valde gaudendum eſſe homini, quod multa habeat, quæ dimittat vt multa vſus miſericordia maximam à Deo ipſe recipiat.

Similitudo.

14. A Chriſto petamus miſericordiæ menſuram. Locus Pauli Coloſſ. 3. 14.

Audiamus ergò Apoſtolum Coloſſ. 3. 14. monentem nos, vt in parcendo non aliam menſuram quam Chriſtum nobis proponamus. *Induite vos ergò ſicut electi Dei, ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem, & donantes vobismetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos*. qui igitur ad extremũ mortis, vel iudicij diem huic menſuræ non fuiſſe conformes inuenti fuerint, miſericordiam non conſequentur. Verè enim apud Iſaiam dicitur cap. 27. 8. *in menſura contra menſuram, cum abiecta fuerit, iudicabis eam*, hoc eſt, ſuperbit nunc homo & vanè effertur, cum ſe hic diuitijs & reliquis mundi bonis affluentem cernit, ſeu aderit tempus cum abiectus erit, hoc eſt, cum tremens ac ſupplex ad mortem, iudiciumque trahetur, tunc iudicandus erit in menſura Chriſti contra menſuram crudelitatis, quam ipſe offendentibus exhibuit; quando nimirum declarata Chriſti miſericordia in peccatores eius ſæuitia, & immanitas contra inimicos eluceſceret; præſertim enim de miſericordiæ operibus rigidiorem reddendam eſſe rationem non ignoramus.

Locus Iſa. 27. 8.

Tradidit eum tortoribus quoadusque redderet vniuerſum debitum) hoc eſt, quod teſtatur Iacobus cap. 2. 13. *iudicium ſine miſericordia illi, qui non fecerit miſericordiam*. Non miſertus eſt ſeruus hic debitor millium talentorum conſerui ſui; proinde iudicium expertus eſt abſque miſericordia, qua ſi vſus fuiſſet commerito & digno ſupplicio liberatus eſſet. Traditus eſt tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum, quod quia ſoluere nunquam poterit, æternum cruciabitur in inferno. coniecerat conſerum ſuum in teterrimum carcerem donec redderet debitum. Par pari relatum eſt illi. Sic Agag. 1. Regum 15 dictum eſt à Samuele: *ſicut fecit ab que liberis mulieres gladius tuus, ſic abſque liberis inter mulieres erit mater tua*; & Iudicum 1. 6. eadem pœna mulctatus eſt Adonibezec, quam in alios exercuerat; ſic enim legimus: *fugit Adonibezec, quem perſecuti comprehenderunt cæſis ſummitatibus manuum eius, ac pedum, dixitq; Adonibezec: ſeptuaginta Reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus*. Per aquam peccauit Pharao Hebræorum infantibus proie-

Non vſo miſericordia cũ proximo ſimilia, ſed multo grauiora reddit Deus.

iectis in flumen, par pari redditum est; nam ingentibus rubri maris vorticibus absorptus est. Etenim Sapient. vndecimo, 17. *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Hæc hactenus. Sequitur caput duodecimum.

CAPVT XII.

RELINQVIT GALILAEAM, NEC RECIPITVR A SAMARITIS.

A 19.1. B. 10. 1. C. 9. 51. D. 6. 7. 2.

Feria 3. infra hebdomad. passionis. B. *Venit in fines Iudææ vltra Iordanē: & conueniunt iterum turbæ ad eū.*

V. 1. A. ET *factum est, cum cōsummasset Iesus sermones istos.* B. *inde exsurgens* A. *migrauit à Galilæa.* A. B. *& venit in fines Iudææ,* A. *trans Iordanem, & secutæ sunt eum turbæ multæ, & curauit eos ibi* B. *& sicut consueuerat iterum docebat illos.*

2. D. *Erat autem in proximo dies festus Iudæorum scenopegia.*

3. *Dixerunt autem ad eum fratres eius: transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua quæ facis.*

4. *Nemo in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse, si hæc facis manifesta teipsum mundo.*

5. *Neque enim fratres eius credebant in eum.*

6. *Dicit ergò eis Iesus: tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum.*

7. *Non potest mundus odisse vos: me autem odit; quia ego testimonium perhibeo, quod opera eius mala sunt.*

8. *Vos ascendite ad diem Festum hunc, ego autem non ascendo ad diem Festum istum, quia meum tempus nondum impletum est.*

9. *Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa.*

10. *Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem Festū, non manifestè, sed quasi in occulto.*

11. C. *Factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit, vt iret in Ierusalem.*

12. *Et misit nuncios ante conspectum suum: & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, vt parerent illi.*

13. *Et non receperunt eum; quia facies eius erat euntis in Ierusalem.*

14. *Cum vidissent autem discipuli eius Iacobus, & Ioannes, dixerunt: Domine vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?*

15. *Et conuersus increpauit illos, dicens: nescitis cuius spiritus estis.*

16. *Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. & abierunt in aliud castellum.*

SCHOLIA.

QVamuis Ioann. initio huius capitis habeat: *Post hæc autem ambulabat Iesus in Galilæā*, &c. non tamen significare voluit ea, quæ cap. septimo narrantur, immediatè consecuta esse illa, quæ capite sexto narrantur, sicut monuimus capit. 1. huius lib. schol. vbi hic versus expositus est numer. 1. &c. 1.

1. *Cū consummasset*) Absoluisset in ciuitate Galilææ Capharnao, domi apud discipulos; *sermones istos*) capit. superiori à Matthæo descriptos, vt habes capit. 10. & 11. harum dilucid. videlicet de humilitate, correptione, & condemnatione fraterna. *exsurgens* ἀναστὰς cum exsurrexisset, hoc est, profectus esset.

Migrauit) μετῆλθεν transtulit, huius tantum in Iudæam profectionis meminit hactenus Matth. qua tamen non reuersurus in Galilæam abijt. *Venit*) ἦρχετο præsenti tempore.

Fines) loca ad vlteriorem ripam Iordanis, & hoc est quod ait Matthæus, *trans Iordanem*: nisi malis exponere, *Trans Iordanem*) per viam, seu regionem eam, quæ est vltra Iordanem, vt referas hæc ad verbum *venit*, non ad *fines*, ita videlicet, *venit trans Iordanem*, hoc est, per trans Iordanem ad fines, &c. fauet Marcus cap. 10. 1. vbi Græcè dicitur διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου per vltra Iordanem, vt sensus sit venisse Dominum per Peræam regionem ad loca quædam adiacentia vlteriori ripæ Iordanis, quæ etiam dicebantur fines Iudææ, de quibus locis videtur loqui Ioannes capite decimo. 40. vt habes inferius hic capit. 27. 19. Neque enim statim venit Iesus in fines hos Iudææ, vt videntur dicere Matthæus & Marcus. Sed post encænia; cum eum etiam turbæ, vt ait Matthæus, sequutæ sunt, venit porrò ad hos fines dominus immediatè ex Ierosolymis. reliquimus autē, & nos hæc verba hic, ne distraheremus, & indecorè interrumperemus text. Matth. & Marc. vide cap. 27. vers. 19. & 20. eò enim ista pertinent.

Sicut consueuerat) mos erat hic Christo, vt nullam elabi sineret occasionem docendæ, & adiuuandæ turbæ.

Erat autem in proximo) quo tempore migrauerit Christus è Galilæa, declarat hic Ioannes, *erat*, inquit, *in proximo dies festus Scenopegiæ* intellige verò non vnam diem, sed totum illud tabernaculorum tempus, quod 7. dies complectebatur. Vnde Græc. non est *dies*, sed ἑορτὴ *festum*. declarat item Ioannes festiuitatis gratia è Galilæa migrasse Dominum; quamuis alij Euangelistæ in Iudæa, mortis subeundæ gratia, ascendisse significent.

3. *Dixerunt autem ad eum fratres eius*) Augustin. tractat. 28. in Ioannem, *consanguinei*, inquit, *Virginis fratres Domini dicebantur: erat enim consuetudinis scripturarum appellare fratres, quoslibet*

con-

consanguineos, & cognatos propinquos, &c. nam Abraham, & Loth fratres sunt dicti, cum esset Abraham patruus Luth; & Laban & Iacob fratres sunt dicti, cum esset Laban auunculus Iacob. cum ergò audiùt fratres Domini Mariæ cognitate consanguinitatem, non iterum parientis vllam progeniem. sicut enim in sepulcro, vbi positum est corpus Domini nec antea, nec postea mortuus iacuit, sic vterus Mariæ nec antea, nec postea quidquam mortale concepit. Nos de fratribus Domini agimus lib. 4. 16. Theoria vnica. Declarauimus fratres qui fuerint; audiamus quid dixerint.

Cur fratres Dominum exhortentur ad eundum in Iudæam.

Transi hinc & vade in Iudæam] Quò animo hæc Christo dicerent non constat Euthy. Io. 7. *fingunt quidem*, inquit, *de bonis suadere tanquam cognati, & amici familiares; finis verò eorum prauus erat ab inuidia procedens: conabantur siquidem illum pellicere, vt ab illis occideretur, qui eum quærebant interficere.* Quid quod & D. Chrys. idem etiá licet dubius habet hom. 47. in Io. ait enim: *fortassè eum tradere Iudæis consultabant, & ob hoc respondet tempus meũ nondum aduenit, hoc est crucis & mortis. Quid antè tempus vt moriar properatis?* Verum tam corruptâ in his fratribus voluntatem fuisse non arbitror. D. Augustt. tract. 28. in Io. affirmat, ambitione quadam motos esse, vt inducerent videlicet, & exhortarentur Christum ad hanc mundi gloriam quærendam quasi ipsius gloria, in eos etiam tamquam fratres, & propinquos redundaret. sic enim scribit in illa *neque enim fratres eius credebant in eum*: quare in eum non credebant? quia humanam gloriam requirebant, nam & quod eum videntur monere fratres *gloria ipsius consulunt; facis mirabilia, innotesce, id est, appare omnibus vt laudari possis ab omnibus. loquebatur caro carni; sed caro sine Deo, carni cum Deo. loquebatur enim prudentia carnis verbo, quod caro factum est, & habitauit in nobis.* Idem censet Cyril. lib. 4. in Ioan. cap. 32. *Videntes*, inquit, *propinqui Christi miracula ab eo occultius in Galilæa fieri ad inanem gloriam hortantur quasi ad hoc illa signa faceret, vt laudem ab hominibus consequeretur.* Horum ego sententiam maximè probo, nimirum, Christi fratres inanis gloriæ cupidos suadere Christo voluisse vt Ierusalem peteret, & in celeberrimo totius Palestinæ loco quæ patrabat miracula, ostentaret. Id sanè eorum verba indicant, & quãuis D. Ioann. significare videatur hanc illorum suasionem ex incredulitate profectam, ait enim: *neque enim fratres eius credebant in eum*, sensus tamen Ioann. est, ita Christo suasisse propinquos, vt inani videlicet gloriæ studeret, quia Deum esse & Messiam non credebant. Quod si credidissent, nunquam talia suasissent, nec tam parum reuerenter cum illo egissent. Tolet. in cap. 7. Ioann. putat fratres Domini dubios fuisse, an ipse esset Messias, & propterea hac incredulitate ductos suasisse Iudæam vt peteret, vbi legis periti erant, & poterat ea res plenius ibi excuti, sed malo à patribus magis receptas sententias sequi, licet hæc non sit improbabilis.

Sententia author.

Discipuli tui] discipulos vocant non Apostolos, sed qui sequebantur Christum, vel eum audiebant, quamuis illi assidui non essent, nam in Iudæa versabantur, vt Nicodemus & alij. inquiunt aũt transi nobis eum hinc Hierosolymam ad festum, quò ipsi aspirabant. loco, *Dixerunt autem* 3. G. est εἶπον οὖν *dixerunt igitur*, vel *ergò*, occasione festi proximi.

3.

4. *Nemò quippe in occulto*] D. Chrysosto. docet fratres Domini his verbis notare voluisse Christum, vt inanis gloriæ cupidum, & vt nimis timidum: sic enim ait homil. 47. in Ioann. *videtur quidem principium amicorum esse: Verùm asperrimè dicunt. nam & formidinis, & inanis gloriæ eum insimulant. siquidem cùm dicunt: nemo in occulto quid facit &c. & formidinis arguere, & suspicari videntur, an quæ faceret Iesus, verè faceret. illa autem particula: & quærit ipse palam esse: habet inanis gloriæ suspicionem. Quid* egregium quid *& quærit.*] particula, *&*, videtur idem valere, quod, *sed*: seu vult vel quærit celebris esse.

In palam esse] Gag. hic apud Ioann. ait; *pro in palam esse Græcè* ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι, *quod non significat in libertate esse, id est, audacter loqui, vt in bibliorum suorum annotationibus quidam interpretatus est, sed in propatulo esse, & palam ac liberè omnium ore celebrari; vt scilicet cùm miracula eius Ierosolymæ viderint, quotquot illuc affluunt, palam ac liberè eum prædicent, ac commendent, indicant autem verba sequentia, quid sibi velit* ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι, *id est in palam, ac propatulo esse, omnium ore celebrari, ista scilicet, verba, si hæc facis manifesta teipsum mundo, id est, prodi in publicum, & vbi te celebrem reddes.* Vnde apud Ioannem παῤῥησία publicum liberũ & manifestum sermonem significat vt cap. 7. apud Ioan. 26. *ecce palam loquitur, Græcè* παῤῥησίᾳ λαλεῖ, *id est, publicè & manifestè, liberè, id est, non timidè loqui. Ioan.* 16. 25. *venit hora cùm iam non in Prouerbijs loquar vobis, sed palam, Græcè* ἀλλὰ παῤῥησίᾳ, *de Patre annunciabo vobis*, & vers. 29. *ecce nunc palam loqueris, & Prouerbium nullum dicis*; Græcè παῤῥησίᾳ λαλεῖς. & Ioann. 18. 20. *ego palam*, Græcè, ἐγὼ παῤῥησίᾳ *locutus sum mundo.* & Ioann. 10. 28. *si tu es Christus dic nobis palam*, Græcè εἰπὲ ἡμῖν παῤῥησίᾳ, & cap. 11. 54. *Iesus ergò iam non in palam ambulabat apud Iudæos* οὐκέτι παῤῥησίᾳ, & Coloss. 2. 15. *traduxit confidenter, palam triumphans.* Græcè ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, significat ergò esse *in parrisia*, esse in publico, & crebritate hominum, atque ore, libere quæ prædicari, ita vt parrisia, manifestationem quamdam significet: & verò videtur prouerbialiter accipi locis citatis.

Parrisia quid.

Locis Ioãn. 7. 26. & 16. 25. 29. & 18. 20.

C

Si hæc facis] Bifariam sumi potest hoc quod dicunt *si hæc facis*, vt notat Iansl. & alij, vel per modum dubitandi, si vera, ac non fucata sunt, quæ facis miracula, vel si ea facis, quæ homines de te prædicant quia forte aũ ea non viderant. vel certè non omnia, vel si hæc facis ea virtute, qua te facere perhibes; aut sumi possunt per modum affirmandi seu asserendi, vt τὸ, *si* positum sit pro, *cùm*, vel pro *siquidem*, vt sit hæc sententia; cùm hæc, id est, talia facias, vel siquidem hæc admiranda opera facis, *manifesta te ipsum mundo.* Euthym. Theophyl. D. Chrysostom. opinantur cognatos Christi suspicatos esse vera non esse, Lyran Carthus. Mald. affirmãt etiam de miraculis dubitãsse: quare hæc verba: *si hæc facis*, priori sensu sumunt, & tunc facile est intelligere, quod subdit Euangelista; *neque enim fratres eius credebant in eum*, cùm in dubium reuocarent eius miracula, & fortè ex inuidia hæc verba profecta fuerunt, quæ illos dubitare faciebat Chrysost. homil. 48. in Ioannem id significat: *nam consanguinitas solet quodam modo inuidia haberi*, & Theophyl. *Solent*, inquit, *cognati inuidere.* Probabilia hæc quidem sunt, equidem malim posteriori sensu accipere; quando verò Ioannes subdit.

4.

Si hæc facis dupliciter sumi posse dubitatiuè, & affirmatiuè.

D

5. *Neque enim fratres eius credebant in eum*] reddere vult causãm Euangelista, quare tam parum reuerenter, tamque confidenter cum Christo fratres eius sint loquuti; neque enim illum esse Deum, vel Messiam credebant; *non credebant*, inquit Arias Montan. *illum esse Christum Dei filium Seruatorem mundi, vitæ auctorem, & vitam ipsam qui consilium Dei explicaret, & exequeretur in mundo. Existimabant illum arte, & ingenio, & virtute vllere, & posse nomen aliquod sibi comparare, aut tale quid velle conari: quod si succederet commo-*

dius illis esset futurum, vt in Iudæa contingeret: sin autem minus incommodum ipsis, minusq; negotiosum; vt absens ab ipsorum conspectu & consuetudine periret, quàm vt inter ipsos latens & curam ipsis & laborem, & periculum etiam afferret: huiusmodi hominum cogitationes, & consilia sunt. Ideò hoc illi dicebant, non ipsi, sed sibi ipsis consulentes & prospicientes &c. Fratres eius] D. Chrys. & Euthym. inter hos nondum credentes Iacobum minorem cõnumerant, & Iudam eius fratrem, ceterum non est id probandum; nam Apostoli omnes in Christũ credebant, inter quos tunc erant illi, vide quę scripsimus lib. 4. c. 16. in Theo. vn. num. 6. De alijs ergò Christi propinquis intelligi hæc verba oportet, qui Apostoli non erant. sed vel B. Virginem consanguinitate, vel Ioſephum ipſum attingebant, cuius consanguinei, quoniam pater Christi putabatur, etiam Christi consanguinei censebantur.

An Iacobus Apost. & Iudas inter hos essent Christi fratres.

5. 6. *Tempus meum*] Græcè ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς οὔπω πάρεστιν, tẽpus meum nondum adest: quare *aduenit*, præsenti tempore dicendum esse ait Salm. sicut & præsenti tempore subditur; *tempus vestrum semper est paratum*. Sed credo interpretem sententiam respexisse, & præteritum vertisse *aduenit*, quod præsenti adest, rectius congruit, quàm præsens *aduenit*. sed ad grauiora transeamus, D. August. tract. 28. intelligit de tempore glorificationis, vt sit sensus: nondum est tempus glorificationis meæ, prius enim oportet me humiliari & mori, & ita per humilitatem & opprobria intrare in gloriam meã. tempus autẽ gloriæ vestræ in hoc mundo est. Nam putat Aug. fratres inducere voluisse Christum, vt gloriam quæreret. D. Chrysosto. vt constat etiam ex dictis n. 21. intelligit, tempus & horam mortis à Deo cõstitutam Christo, vt sit sensus: Tẽpus & hora mortis meæ à Deo statuta, cuius ego gratia in mundũ hunc veni, nondum adest, necdum tempus est, vt ego immoler. Quod si nunc Ierusalem ascenderem qui toti ardent & morti meæ inhiant Iudæi, statim me occiderent, quod fieri non oportet ante tempus à patre constitutum. Vestrum autem tempus semper est paratum, vt cum velitis, semper ascendatis, quibus nihil est à mundo ac Iudæis periculi; quippe qui operibus eorum consentitis; ego autẽ opera eorum arguo, ideò tutè ascendere potestis. ceterum magis mihi probatur eorum sententia, qui simpliciter hæc intelligunt dicta à Christo de tempore ascendendi in Iudæam & Ierusalem. significare autem voluit Dominus, se non aliorum hominum more facere opera sua singula prout occurrit, sed certis temporibus, prout nouit ea Patrẽ præscribere sibi, & prout scit ea maximè facere ad Dei gloriam illustrandam, & profectum Euangelij proue hendum, vt inquit Iansen. est ergò sententia hæc: nondum est mihi tempus commodum, & opportunum proficiscendi Ierosolymam, tũ quod pater nondum velit me eo ascendere, ex cuius præscripto, non verò hominum, omnia facio quæcunque facio: tum quod obstet Iudæorum in me odiũ, qui vitæ meæ insidias tendunt. propterea more hominum loquens ait: non est mihi vobiscum palam ascendendum, sed in occulto. aderit tempus cum eo manifestè ascendã. vobis verò qui ex Dei præscripto non viuitis, quibus denique cum mundo benè conuenit, saltẽ in eo quod in me non creditis nec mundum ipsum reprehenditis, atque adeò nihil imminet illic periculi, quodcunq; tempus est opportunum, & liberè illuc ascendere potestis; hæc respondit Dominus, quia fratres inuitabant eum, vt secum Ierusalem ascẽderet, propterea excusat se. Quare adiecit Ioann. particulam, *ergò* vt causam responsionis indicaret eam esse, quod tũc fratres eius ad proficiscendum Ierosolymam eum

Augusti.

Chrysost.

Autoris sententia.

A hortarentur, & vide Christi humilitatem, potuisset eos reprehendere, quod eum impudenter sui officij admonere ausi fuissent, quasi quæ facienda expediret, ignoraret; potuisset etiam responsum negare quasi incredulis & indignis, nihil tam horum ille, sed causam reddere non grauatur, cur non ascendat.

Christi mansuetudo.

7. *Non potest mundus odisse vos*] exponit causam, cur tempus suum nondum aduenerit, illorum verò sit paratum; quia mundus, inquit, vos non odit, *me autem odit*, iccircò vobis nihil periculi creatur à mundo, mihi verò maximè imminet vitæ discrimen. causa verò odij est, quod opera eius mala accuso, ac reprehendo, quod grauiter ferens mundus, me tentat occidere, vos verò quia ipsum non reprehenditis, nec accusatis, non odit mundus. *Mundum* nominat improbos homines, quibus mundus refertus erat, præcipuè verò Iudæos, quos etiam fratres mundi nomine nuncuparant, *manifesta te mundo.*

6.

B Cum verò ait: *non potest mundus odisse vos*, non est hoc ita accipiendum, quasi nullo modo id fieri possit, sed quia inconsentaneum est, vt Gregor. Nazianzen. orat. 4. Theolog. explicat, vt similes sibi similes odio prosequantur in eo, in quo similes sunt. solet quidem interdum similis sibi simili inuidere, vt figulus figulo, verum non in eo, in quo similitudo consistit, est inuidentia, neque illud est odij ratio.

Similis simili non inuidet, in eo in quo similis.

8. *Vos ascendite ad diem festum hunc*] Theophyl. Ioann. 7. *mittit*, inquit, *fratres ad festiuitatem, ostendens, quod non cogat eum eo manere, si quidem nolint. Attende autem quomodo ad duo crimina, quæ intendebant illi, metum dico, & vanam gloriam; duo etiam respondet ad. Ad metum quidem dicendo; arguo opera mundi, hoc est, eorum qui mundum sapiunt, non autem arguissem, si quidem meticulosus essem, vt putatis.*

7.

C *Ad vanam autem gloriam non compellendo eos, vt secum maneant. Nam si inanis gloriæ crimini fuisset obnoxius, neutiquam illos à se dimisisset: quia arrogantibus magnæ pompæ cordi sunt.* Ego autem non ascendo ad diem festum istum] Gagn. in hunc locum sic scribit: *quomodo ait Christus, non ascendam, cum statim Euangel. subdat, vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit: ad quod respondeo quod cum ait: non ascendam, intelligendum est vobiscum. & certe græca quæ nunc extant, pro, non, habent οὔπω, id est, nondum. quamquam, & Græcus Cyrill. legit, ac interpretatur, non ascendo, & Chrysost. interpretatur, non ascendo nunc, hoc est modo vobiscum. Igitur ego, inquit, non ascendo, adhuc enim vrget Iudæorum excandescentia in me. qui me occidere possent ante tempus à Patre statutum.* Refellit] *quod suspicabantur de mea cum crimini gloriæ. Gagn. expositio.*

D *Post verò ascensum fratrum ascendit, & ipse, non manifestè, ne quod illi suadebant, humanam gloriam affectare videretur: tum etiam expectans, donec Iudæorum deferbuisset ferocia.* Hæc videtur esse loci huius intelligentia. Cyrill. aliter interpretatur nimirum, ego non ascendam ad diem festum hunc celebrandum quia vmbra est, & typus futuri: *ego* inquit Cyr. lib. 4. c. 35. *cui vmbræ iam cordi non sunt; non ascendo, quia per figuras celebrare iucundum non est, expecto autem veræ solemnitatis tempus, quod nondum impletum est. Tunc enim in splendore sanctorum cum eis conuiuam in gloria Patris.* Si obijcias Cyrillo quod postea ascendit ad celebrandum festum, negat id Cyril. neque enim ascendit ad celebrandum festum, sed ad docendum in festo. facit verò Cyril. vt & August. tract. 21. vim & emphasim intelligit in pronomine, *hunc & istum*, significans Dominum, qui nos venerat ad spiritale festũ vocaturus, nolle ascendere ad carnale, & vmbratile Iudæorum festum, quod iam desiturum erat;

Cyril. interpretatio.

sed

sed præferenda est prior expositio Gang. quæ est opinio Chrysost. hom. 47. & Euthy.

8. Observatio morum.

10. *Tunc & ipse ascendit non manifestè*] Notat Chryſ. potuisse manifestè ascendere, & eorum inordinatum impetum cohibere, sed noluisse, vt incarnatio certior esset, & vt disceremus, quid nos oporteat facere, qui non possumus persecutores cohibere. Gloss. *quod latuit*, inquit, *exemplum est vitandi malos, quod palam loquitur & non tenetur, potestatis est.* Dicitur autem non manifestè, neque omninò occultè, sed quasi occultè ascendisse, quia licet secum discipulos haberet, non tamen concionabatur, nec consuetam hominum multitudinem post se trahebat. August. Allegoricè, *non vacat*, inquit, *quod latenter ascendit Christus ad diem festum, quia ipse latebat in illo die festo*, rectè, quia finis legis Christus, deinde quia illa sacrificia, & scenopegia, vmbra futurorum erant. quare ipse dies festus scenopegia aptè Christi membra peregrinatura significabat, quia ille est in tabernaculis, qui se esse in mundi solitudine intelligit peregrinum.

Peregrinatur hic Christi membra.

9. Varijs modis Christus mortem vitare poterat.

In his quæ ab Euangelista narrata sunt, ne intelligas Christum mortem, quam tantopere sitiebat, timuisse; Dominus enim cũ esset vitæ & mortis, mortem poterat multis modis euadere. Primũ quidem signis ostensis, mox factus inuisibilis. Tertiò timore turbæ iniecto in hostes suos, vt cum dicitur: *non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.* Ad hæc sermone corda mutando, vt de ministris narrat Ioann. 7. *nemo misit super eum manus.* Quintò diuinitatis maiestate ostẽsa, vt factum est ab illo, cum ementes & vendentes eiecit de templo. Postremò fugiendo vt homo, quod nunc factũ est, atque hic modus præstantior, suauior, & ad imitandum pronior est, tum quia ostendit se hominem verum esse, timori obnoxium, tum quia magnam ostendit caritatem cedendo furori hostium ad tempus, quo pœnitentiam agerent, rediturus vt medicus postquam recesserit phrænesis, tum vt humilitatis præbeat exemplum.

10. Assumptio Christi qua.

Factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius] Græcè ἀναλήψεως, assumptionis. vocat autem *assumtionem*, recessum Christi ex hoc mundo, & ascensionem in cœlos vt & act. 1. a. *vsque in diem, qua &c. assumptus est*, & Marc. vlt. 19. *assumptus est in cœlum*, Hinc Euth. *dies*, inquit, *assumptionis eius, dicit Euangelista præfinitum tempus, dum à terra assumeretur in cœlum*, mors enim Christi rectè sic significatur. neque enim detinendus erat in morte, sed transiturus per mortem ex hoc mundo ad Patrem. mors Christi in scriptura euangelica varijs nominibus denotatur; appellatur enim *assumptio* & *Baptismus*, & *excessus*, & *transitus*, & *exaltatio*, & *consummatio*. non dixit verò Luc. cum completi essent dies assumptionis, sed *dum complerentur*. Nondum enim tempus passionis, & ascensionis impletum erat, minimum enim distabat per sex menses; nam futura erat mors ad finem Martij, quando verò hæc gerebantur, initium erat Septembris, decimoquinto enim die Septemb. scenopegia celebrari incipiebat. Tempus ergò implebatur, quia iam cœperat appropinquare, & proximum fieri. Est ergò sensus, cum pauci dies superessent, vt in cœlestem ac Patriam domum admitteretur Christus, vel vt assumeretur ex hoc mundo, & ille iret ad Patrem.

Mors Christi varijs nominib. vocatur in Euangelijs.

Quid sit facie firmauit.

Et ipse faciem suam firmauit, vt iret in Ierusalem] τὸ, & abundat more hebræo. Theophyl. Luc. 9. *decreuit*, inquit *Dominus, non vltra hinc, & inde obambulare; sed ascendere Ierosolymam. Itaque quod obsirmauit faciem suam, hoc declarat, quod stabilierit, & firmarit sententiam, vt ascenderet Ierosolymam*, licet sciret se ibi occidendum, ipso etiam vultu, vt Caietanus, Iansen. Beda obseruant, firmum & imperterritum animi sui decretum præseferens, veluti morti occurrere gestiens. *obsirmauit*, inquit Hieronymus ad Alga. quæst 5. *faciem suam, vt iret in Ierusalem. confirmatione enim & fortitudine opus est ad passionem sponte properanti.*

Moralis observatio Hieron.

12. *Et misit nuncios*] dum nuncios dicit misisse, significare videtur eos missos ad aliquid annunciandum. Nam licet Euangelista subdat postea illos intrasse vt pararent hospitium, intelligendum tamen est intrasse ad parandum, significantes, & annunciantes aduentum eius. Titus Bostren. Lucæ 9. *præmittit*, inquit, *hos ad Samaritanos vt denuncient cupere se apud illos diuertere, etsi repulsam iſtic accepturos non ignoraret, facit hoc autem, tum vt omnem illi excusationis causſam adimat.* (Nam vt Theophyl. etiam ait Lucæ 9. *dicere posſent* Samaritani, *suscepissemus illum, si quosdam præsemisisset*) *tum maximè vt nonnulla hinc vtilitas ad discipulos accedat. qui enim perpessionis tempus vicinum iam tunc habens, Ierosolymam ascendebat insanas Iudæorum furias ibidem experturus, ne iniqua eum pati cernentes offenderentur, neque si qui ipsos aliquando, vel contumelia afficerent, vel iniustè insectarentur, animo frangerentur, aut patientia, & mansuetudinis obliuiscerentur: propterea Samaritanorum petulantiam quasi quoddam futurorum incommodorum præludium, & præexercitamentum venire permisit, tantum non eiusmodi oratione illos compellans: quamuis Samaritani vos non exceperint, nihilominus meis, qui dominus sum, vestigijs insistentes æquanimiter, vè sanctos decet, perdurate.*

12.

Morum obseruatio exẽplo Christi.

Samaria.

Intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum] Sunt qui existiment non ingressos esse istos, qui missi sunt in vrbẽ ipsam Samariã, vnde tota ẽprouincia *Samaria* vocata est; sed in pagum aliquem Samaritanorum, quia Græci non πόλιν, sed κώμην, Lucas appellat. *Non moueor*, inquit Maldonat. *argumento, nam & ea nomina sapè per catachresin mutari solent, & scimus vrbem ipsam Samariam in recta fuisse via, vt constat ex Ioanne cap. 4. 4. & pagus facile eum recepisset.* & potest quod dicit Maldon. confirmari, quia Luc. cap. 2. Bethlehem dicitur πόλις at Ioann. cap. 7. 42. dicitur κώμη, &, vt nos legimus, Castellum, & Bethsadia, quæ ciuitas erat, κώμη dicitur Mar. 8. licet posset quis respondere has paruas fuisse ciuitates, ideo non mirum quod pagi vel vici dicantur.

13. *Et non receperunt eum*] &, pro, *sed*, obserua eum dicere, id est, Christum, non autem eos, id est, nuncios; Etenim hi ingressi sunt oppidum nunciantes Christi aduentum, & volentes ei hospitium parare. Itaque credibile est, Samaritanos, vbi intellexerunt per nuncios, prope iam adesse Christum, egressos statim esse, nec permisisse aduentantem illum oppidum ingredi, & hoc significare videtur Lucas, cum dicit: *& non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem*] Græc. pro *euntis*, est πορευομένου, id est, *iens*, vt referatur ad τὸ πρόσωπον interp. noster legit πορευόμενον, estq; magis propriũ ac facilis lapsus est ab ν inest aũt sensus, quia apparebat illũ ire in Ierusalẽ adorandi causſa, quod Samaritanis displicebat, contendentib. in Garizim monte fuo potius adorandum. Hier. epist. 151. q. 5. ad Algas. & Theo. sic intelligunt hanc rationem; *quia facies eius erat euntis in Ierusalem*, quasi propterea Christus à Samaritanis receptus non fuerit, non quia illi noluerunt, sed quia ipse noluit; quasi sensus sit, voluisse quidem, sed non potuisse recipere eum ac retinere, quia Ierosolymam versus festinabat, à quo sensu non longè abest Ambros. Sed si hæc in-

14.

Quid sibi velit facies euntis.

telligentia vera est, cur ergo Iacobus & Ioannes ignem in eos de cœlo immittere voluerunt? certè ob id quod Dominum recipere nolebant.

15. *Samaritæ ædificauit templum Samaritanis.*

Quare dicendum, id Religionis causſa factum fuisse. contendebant Samaritani non in templo Ierosolymitano, sed in eo quod in Samaria in monte Garizim ædificauerat Sanaballath præfectus Darij, vt Manasse genero suo à Iudæis Ierosolyma pulso, & Sacerdotio priuato gratificaretur, & ostenderet non in Ierosolymitano, sed in eo templo, quod ipse fecisset, colendum esse Deum, quod ex Io. 4. 20. intelligi potest, lege historiam apud Ioseph. lib. 11. antiq. cap. 7. 8. & lib. 13. cap. 1. vide item Iansenium circa cap. Ioan. 4. in cap. concor. 23. Consule item quæ diximus tom. 1. lib. 3. cap. 4. num. 23. 24. 25. in schol. quoniam igitur animaduerterunt Samaritani Christum, & qui eum sequebantur, adoraturos ire Ierosolymam; ideo non receperunt, ne religionem illam, & morem Ierosolymis adorandi, approbare viderentur. Hoc est ergò quod dicit Luc. propterea non esse receptum, *quia facies eius erat euntis in Ierusalem.* Sæpe alioqui Christus illac iter habuerat, & verosimile est à Samaritanis exceptum fuisse, quia aut non Hierosolymam versus, sed à Iudæa in Galilæam ibat: aut certè non quasi adoraturus ibat, quia nec tempus erat, quo ex lege ascendendum foret Ierosolymam ad festum aliquod. Porrò ex temporis conditione, & ex multitudine hominũ simul euntium, facilè erat intelligere nunc Christum adorationis causſa Ierosolymam cogitare, Euthymius Lucæ 9. *facies*, inquit, *eius, hoc est, ipse; à parte totum.*

16. 14. *Cum vidissent autem discipuli eius Iacobus & Ioa.*] Meritò *tonitrui filij* sunt appellati. *Quid enim mirũ filios tonitrui fulgurare voluisse,* vt inquit Ambros. Quidam conijciunt eos fuisse nuncios, sed non satis firma coniectura. *Vis dicimus*] Græc. εἴπωμεν, dicamus, iubeamus. *vt ignis descendat de Cœlo*] Syriacum Euangelium sic habet. *Vis dicimus, vt ignis descendat de cœlo & consumat illos, sicut & Elias fecit.* Græca etiã sic habent: ὡς καὶ ἠλίας ἐποίησεν, sicut & Elias fecit. lege libr. 4. Reg. 1. Hier. q. 5. ad Algas. Beda, Bostr. vindictam eos non tamen suam sed Christi optasse indicant, nulla sanè culpa sed sola Euangelici, & Christiani spiritus ignorantia & ideò à Christo reprehenduntur; animabat etiam eos exemplum Eliæ, & iustior causſa: nam ille propter excluſum à Iudæis seruum, hi propter reiectum ignominiosè Dominum ignem in eos mittere volebant, vt Titus notat. Ambrosius quoque hos discipulos à culpa liberat.

17. *Mansuetudo euangelici Doctoris.*

15. *Nescitis cuius spiritus estis*] ostendit Dominus quantam oporteat esse mansuetudinem Euangelici Doctoris, quo discipulorum vindictæ zelum coerceat. Porrò de clementiæ & mansuetudinis spiritu CHRISTVM loqui docet Dionysius Areopagita epistol. ad Demoph. *discipuli*, ait, *tunc clementi, benignoq; spiritu carebant.* Additur verò Græcum pronomen, *vos, nescitis cuius spiritus estis vos.* quod pronomen separat Christi discipulos ab Elia, huius sibi illi sequendum exemplum proposuerant. Quæ verba sunt, qui sic intelligant: nescitis quo spiritu moueamini, seu quo spiritu acti vindictam postulatis, bonòne an malo. putabant enim moueri se spiritu diuino, non humano, & zelo iracundiæ. Verum hæc interpretatio non placet; nam quæ consequuntur verba, non obscurè indicant voluisse CHRISTVM Dominum significare hic, quid interesse debeat inter Apostolos & Eliam, quantum attinet ad id quod exemplo Eliæ imitari voluerunt, nimirum, quod illius facti, quod in Elia laudatur, imitatio, non conueniat his, qui Euangelicum hauserunt spiritum; & potest accipi, *estis*, pro, *esse debeatis*, sicut in illis verbis Pauli, *sicut estis azymi.* Est ergò sensus: nescitis cuius spiritus esse debeatis: aut nescitis ad quem spiritum delecti, vel vocati estis; quis sit, nimirum, spiritus vocationis vestræ; quomodo estis, sumitur simpliciter, quasi dicat, ad alium sanè spiritũ vocati estis quam veteris testamenti, qui viguit in Elia, & alijs prophetis; *non quod alius natura & re*, vt inquit, Iansenius, *sit spiritus Euangelicus à spiritu Prophetarum, sed quod pro exigentia diuersitatis temporum, vnus, idemque spiritus alius dicitur secundum diuersos effectus, quemadmodum enim cum vnus, idemque sit spiritus, qui datus est olim Hebræis, & in noua lege Christianis, illi tamen dicuntur Paulo accepisse spiritum seruitutis, & timoris, hi verò spiritum adoptionis filialis, & spiritum amoris; ita & Eliæ spiritus hic significatur fuisse spiritus zeli, & vindictæ; spiritus verò Euangelicus, spiritus mansuetudinis, & tolerantiæ.*

Locus Pauli

Quid interſit inter veteris & noui testamenti spiritum?

18. *Non semper puniendi peccantes.*

Rectè Ambrosius deducit ex hoc loco, non semper peccantes puniendos esse: *quod verò inquit, discipulos increpauerit, quia ignem de Cœlo supra illos descendere cupiebant, ostenditur nobis non semper in eos, qui peccauerint vindicandum, quia nonnunquam amplius prodest clementia ad patientiam, lapso ad correctionem. Denique Samaritani citius crediderunt* (postea) *à quibus hoc loco ignis arcetur.* Toletus ait: *ignorabant* hi discipuli *spiritum Euangelij, confundentes cum legis spiritu.*

Hic timoris, ac seruorum erat, transgressoribusq; etiam mortis corporalis pœnam imponebat; at ille amoris est, non seruorum, sed filiorum: transgressores morte corporis non punit, sed eis veniam per pœnitentiam promittit. Vnde non erat Christus Eliæ comparandus, nec lex illa Euangelio. Adde noluisse Christum armis obtrudere, sed mansuetudine, doctrina, miraculis Euangelium insinuare, & ad infideles inferre. Quibus constat germanus horum Christi verborum sensus.

19. *Quomodo intelligendum sit hoc discrimen inter legis nouæ & veteris spiritum.*

Verum obseruandum est interim illud, quod verè notat Beda, discrimen hoc inter legem & Euangelium situm in seueritate illius, & benignitate huius, non adeò esse perpetuum, quin & in lege aliquando benignitate vtendum fuerit, & in Euangelio vti aliquando liceat seueritate. *Vsus est in lege Eliæus*, quod habet hic Malodonatus, *benignitate etiam in hostes à Rege Syriæ missos, vt comprehenderetur, quos cum in vrbem Samariam, vbi hoc ipsum accidit, concluſisset, noluit occidi, sed cautè pastos dimitti.* 4. Regum 6. 22. *Vsus est in Euangelio seueritate Petrus Ananiam, & Saphiram occidens Actorum quinto*, 4. 5. *Vsus est Paulus tradens Corinthium illum in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret primæ Corinthiorum quinto*, 5. *Vsus est in Elymam Magum illum excæcans, quia vias Domini peruertere non desistebat. Actorum decimotertio*, 11. *ergò nec in lege erat desperanda benignitas; nec in Euangelio est contemnenda seueritas. Habet & Euangelium gladium sum, & si rarò distringit* Sic Maldon.

Neque enim prohibet Christus quin Principes malos castigent, & occidant, & inuadentes in Ecclesiam Turcas persequantur & interimant; & hæreticos tamquam proditores, & transfugas comburant; nec vlla belli iustior causſa esse potest, quam vt Religio cõseruetur, & eius possessio defendatur.

20. *Locus Gen. 14. 21.*

16. *Filius hominis*] Cur sic vocetur CHRISTVS tradit idem Maldonatus Matthæi octauo, 20. *Animas*] pro homine ponit, vt Genes. decimo, 20. *Animas*] pro homine ponit, vt Genes. decimoquarto, 21. *Da mihi animas, cetera tolle tibi, &*

Digitized by Google

17. 14. *Delectabitur anima illa de populo suo. Abierunt in illud castellum*] Vide Christi humilitatem, cum Samaritanis contendere noluit, cessit illis, & in alium pagum abijt. Sic egit Abraham, cùm inter Pastores illius & Loth, rixa coorta esset: *ne quæso sit*, inquit, *iurgium inter me, & te* &c. *recede à me, obsecro; si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam*, Genes. 13. 9. vt iræ cedamus, monet Paulus Rom. 12. nam sicut cùm leænæ occurris, loco cedis; ita faciendum tibi cum irato viro. Ex hoc versu patet, quod cùm ait Christus: *nescitis cuius spiritus estis*, non tam propriè de loco Euangelio, quam de se solo dixerit, & de Euangelij prædicatione.

Christi humilitas.

Similitudo.

THEORIA I.

Ratio ordinis sequentium excutitur.

PRincipio obseruandum est eiusdem migrationis Christi è Galilæa mentionem hic facere cæteros Euangelistas, cuius & Ioann. c. 7. 10. cùm narrat illum è Galilæa ad Scenopegię festum Ierosolymam venisse. Post hanc enim migrationem è Galilæa nó amplius in illã redijt Dominus; fuit igitur vltimus hic recessus è Galilæa, Nam Matth. & Marc. apertè satis indicant, post eam profectionem, de qua loquuntur, Christum non esse regressum ante suam passionem in Galilęam. Idem & Ioan. innuit, quando ante hanc profectionem è Galilæa, scribit Dominum ambulasse in Galilæam, & noluisse in Iudæam ambulare, vt nos exposuimus huius libri capite 1. initio in schol. Post hanc verò profectionem multa Dominum, & dixisse, & fecisse narrat, nulla regressus in Galilæam facta mentione, cùm tamen consueuerit Ioan. eiusmodi regressuum in Galilęam diligenter meminisse. Cùm igitur etiam postrema fuerit hæc migratio, quam reliqui tres Euangelistæ commemorant, fit vt eadem fuerit, & hæc à Ioanne narrata migratio, cum ea, quæ ab illis, quamuis diuersas interim Euangelistæ significent huius migrationis caussas. Ioannes quidem festi scenopegiæ gratia, reliqui verò mortis in Iudæa subeundæ caussa significant è Galilæa Ierosolymam ascendisse.

I. De eodem recessu ex Galilæa ab Euangelistæ loquuntur.

Quod si dicas Matth. & Mar. scribere Christum discessisse ex Galilæa, & venisse primùm in fines Iudææ trans Iordanem, deinde Ierosolymã paulò ante festum diẽ Paschatis, quo in crucem actus est, quorum primum habes hoc 12. cap. 1. 2. & 11. secundum verò lib. sequenti c. 8. vbi narratur ingressus Christi Ierosolymã die palmarum, cum Ioann. ca. 7. scribat; Christum venisse Ierosolymã ad diem festum scenopegiæ multò ante Paschatis tempus; nam scenopegia decimoquinto mensis Septembris celebratur, Pascha verò circa finem Martij, vel initium Aprilis; non ergo de eodem recessu ex Galilæa loqui possunt. Adhæc narrat Ioann. Christum occultè in Iudæam ascendisse. At Matth. habet secutas fuisse eum turbas multas. Ꝛ. reliquos Euangel. nó velle illum Domini aduentũ vltra Iordanẽ statim secutũ fuisse illam Domini profectionem ex Galilæa. Intelligenda sunt quippe interceſsisse inter illum aduentum in fines Iudææ & hãc profectionem ea, quæ Ioann. à cap. 7. vsque ad finem decimi scribit tamquam omissa ab alijs. denique interceſserunt omnia illa, quæ à cap. 12. huius libri vsque ad v. 19. capit. 24. scribuntur; in quod tempus incurrerunt festum scenopegiæ, & encœniorum. Institutum enim reliquorum Euangelistarum erat res gestas à Christo in Galilæa describere: proinde nullius Ascensus in Ierusalem, aut Iudæam facere mentionem, nisi eius tantùm, qui mortem eius proximè præcessit, quando die palmarum asello insidens ciuitatem Ierosolymitanã inijt: omisso planè illo Domini in Ierusalem ascensu, quo ad scenopegiam, & deinde eo quo ad encœnia ascendit, quorum meminit solus Ioann. non ergo mirum, si Matthæus & Marcus statim ab vltima migratione à Galilæa intermedijs relictis, quæ in Iudæa gesta sunt, subiecerunt aduentum Domini trans fines Iudææ. Ad id, qnod secundo loco obijciebatur; Respondeo Ioannem quidem docere Christum ad festum scenopegiæ non manifestè, neque turbis comitantibus, sed quasi in occulto profectum esse. Matthæum verò dicere, turbas secutas fuisse Christum postea, cùm in regionem, quæ trans Iordanem est, venit, sic enim capite 19. ait: *venit in fines Iudææ trans Iordanem, & secutæ sunt eum turbæ multæ*, Idemque habet Marcus capite 10. *venit in fines Iudææ vltra Iordanem, & conueniunt iterum turbæ ad eum*, vide c. 29. 19. & 20. deinde affirmo migrasse quidem Christum ex Galilæa non manifestè; eodemque modo ingressum quoque Ierusalem ad festum scenopegiæ ignorantibus, videlicet, cognatis & Ierosolymitanis; in itinere tamen compertum fuisse à Samaritanis, ipsum Ierosolymam cogitare; sic enim ait Lucas capite 9. *non receperunt eum*, Id est, inter eundum, *quia facies eius erat euntis in Ierusalem.*

Ad 2.

2. Obiect. 1.

Præterea affirmandum est de hac eadem vltima Domini profectione è Galilæa Lucam agere cap. 9. vt etiam hoc cap. 12. habes vers. 11. Falsò autem quidam censent, eam Domini profectionem, quam Lucas narrat nunc cùm ait v. 11. hic & apud eumdem Luc. c. 9. 51. *factum est autem, cùm complerentur dies assumtionis eius, & ipse faciem suam firmauit, vt iret in Ierusalem.* Falsò, inquam, censent; factam esse post illa, quæ cap. 19. Matth. & Marc. c. 10. & Ioan. item cap. 10. narrantur, quando Christus à finibus Iudææ, & de regione trans Iordanem venit paulò ante Pascha in Ierosolymam. Non enim huius tunc meminit Lucas profectionis, sed eius qua Iesus vltimò Galilæam reliquit. Prius quippè descripsit, sicut fecit Matth. & Marc. ea, quæ gessit Dominus in Galilæa, quibus cùm mox subijciat, *factum est aũt dum complerentur dies assumptionis eius* &c. vt hic habes v. 11. non obscurè indicat hanc profectionem, de qua hic loquitur, non ex Iudææ finibus, sed ex Galilæa esse factam. Adhæc, Dominus describitur à Luca ire in Ierusalem transeundo per Samariam. Ex Galilæa ergo hoc iter aggressus fuerat; media namque erat inter Galilæam, & Ierusalem Samaria;

3. Lucas de hac vltima etiã profectione ex Galilæa agit.

Obiect. 2.

Resp. ad 1.

Rationibus probatur Lucam de eadẽ loqui profectione.

Samaria inter Galileã, & Ierusalē.

maria; à finibus autem Iudeæ, qui sunt vltra Iordanem, vt quis Ierosolymam veniat, non est quod Samariam transeat. neque credibile est, Dominum relicta via recta in Samariam deflexisse, cum alibi Apostolis præceperit ne ciuitates Samaritanorum inirent. Postremò, hæc Domini profectio quam Luc. habet, post illum in fines Iudeę secessum facta esse nō potest, putà, post festum Encœniorum, cum tempus Assumptionis Christi vno fere tantum, aut paulò plus mense præcederet Domini Passionem, hoc est, cùm supereſſet ad passionem vnus ferè mensis. Etenim tam breui temporis spatio, ea omnia contigisse ab hac migratione vsque ad passionem, vel ingressum Ierusalem die palmarum, non est verosimile; præsertim, quod de missis, ac reuersis septuaginta duobus discipulis refertur.

4. Quibus constat, hanc Domini profectionem, quam Lucas ait, instituisse Christum in Ierusalem, dum complerentur dies assumptionis eius, eamdem esse cum illa, quam in Galilæa factam apertè testantur duo Euangelistæ Matth. & Mar. cumque eamdem quoque narrare dixerimus Ioan. sequitur omnes quatuor Euangelistas de eadem vna, ac postrema ex Galilæa profectione agere, quæ fuit prope festum scenopegiæ sex circiter mensibus, vel eò etiam amplius ante Pasionē Domini, quo tempore commodè intelligere possumus missionem & reditum 72. discipulorum potuisse perfici cum alijs quibusdam, quæ interim narrantur facta post migrationem ex Galilæa aduentante tempore Assumptionis Christi.

Omnes Euāgelistas eādem narrare profectionem colligit Author.

5. In Luca quædam obseruanda.

Sed quædam obseruanda sunt circa narrationem Lucæ. Primum, non omnia, quæ post hanc, è Galilæa migrationem, missionemque septuaginta discipulorum scribit, intelligere oportet contigisse post hæc; cùm quædam compertum sit, quædam verò probabile videatur commemorata esse à Luca per recapitulationem tanquam prius dicta, vel facta à Domino, cùm adhuc versaretur in Galilæa. Deinde considerandum est, Lucam à fine capitis 9. vsque ad finem capitis 18. quædam habere, quæ rememorari lectorem possent. Nam cùm sub calcem capitis 9. scribat, Dominum completo tempore assumptionis suæ, firmasse faciem suam, vt iret in Ierusalem, & sequentibus capitibus, non rarò mentionem faciat profectionis Domini in Ierusalem, vt capite 10. propè finem & capite 13. propè medium, & capite 17. adhuc sub medium, & capite 18. sub finem, nunquam tamen scribit eum veniſſe Ierusalem, nisi sub calcem capitis 19. ne ergo quempiam remoretur, ac perturbet hæc narratio, animaduertendum non indiligenter est, illa loca, quibus dicitur Dominus à Luca iuisse Ierusalem, non accipienda esse de vna, & eadem profectione, quæ tum completa fuerit, cùm factum est id, quod narratur capite 19. nam post migrationem Domini à Galilæa, constat ex Ioanne, Dominum bis, aut ter veniſſe Ierusalem, vel in Iudæam: & tamen illius solius aduentus in Ierusalem Lucas meminit, quando die palmarum ciuitatem inijt. Institutum enim Lucæ, sicuti Matth. & Marc. erat scribere ea, quæ dicta, gestaque sunt à Domino in Galilæa, non Ierosolymis, vel Iudæa; exceptis ijs, quæ circa tempus passionis illi contigerunt.

Tandem & illud prætereundum non est in Luca, quod cùm cœpisset narrare, Dominum relicta Galilæa, instituisse iter in Ierusalem, & multa illi occurrerent dicta, gestaque à Domino in Galilæa, quæ prætermiserat, iudicauit bonum esse illa ante Passionis descriptionem per recapitulationem, vt dixi, inferere; propterea non mirum, si pleraque commemoret absque alicuius ordinis, & connexionis significatione, quæ prius à Matthæo & Marco scripta sunt. Et si probabile sit quædam eorum, à Matthæo & Marco per præoccupationem narrata esse, quædam etiam à Domino bis dicta fuisse, & quo loco, & tempore à Matthæo & Marco referuntur, & quo à Luca. Hæc de ordine.

6.

THEORIA II.

Quod & quale festum *Scenopegia*?

DE hoc festo sic legimus Leuiticorum capite 23. vērsiculo 34. *à quintodecimo die mensis huius septimi erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino. Dies primus vocabitur celeberrimus, atque sanctissimus, omne opus seruile non facietis in eo, & septem diebus offeretis holocausta Domino.* Erat hoc magnum festum apud Hebræos, & ex tribus vnum, in quibus omnes masculini sexus venire iubebantur in Ierusalem, vt legere est Deuteronom. capit. 16. versic. 16. *tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit; in sollemnitate azymorum, in sollemnitate hebdomadarum.* i. Pentecostes à septem hebdomadibus, quæ à Paschate ad Pentecostem numerabantur Leuiticorum capite 23. *& in sollennitate tabernaculorum.* Dicitur autem græcè σκηνοπηγία, à figendis tabernaculis; corruptè ergo scribunt quidam, *scenophegia*, vel, *scenophagia*, non enim à φάγομαι, id est, *comedo*, quod in scenis, hoc est, tabernaculis tunc comederent Iudæi, sed sine aspiratione, *scenopegia* scribēdum à σκηνὴ, quod est scena, seu vmbraculum, vel tabernaculum, vnde scenofactoria ars, & à verbo πηγνύω, vel πήγνυμι, hoc est, figo, q.d. tabernaculorū fixio; figebant enim, siue construebant tunc Iudæi tabernacula.

1. *Locus Leuit. 23. 34.*

Locus Deut. 16. 16.

Scenopegia vnde?

Cur verò celebraretur, explicatur eod. loc. Leu. v. 41. *mense septimo festa celebrabitis, & habitabitis in tabernaculis septem diebus, omnis, qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis, vt discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cùm educerem eos de terra AEgypti.* Hinc patet, nō veram attulisse causſam Theophyl. Ioan. 7. huius sollemnitatis, cùm ait; *tunc gratias agebant Domino* (nimirū mense illo 7.) *cōuectis omnibus frugibus, ideo & tabernacula fiebāt, & quasi sub dio agentes lætabantur. Vnde psalmos*

2. *Cur celebraretur. Locus Leuit. 23. 41.*

Contra Theophyl. & Euthym.

quosdam Dauid, qui inscripti sunt, pro torcularibus, quidam compositos esse dicunt in hoc festum, nam tunc torcularia implebant, & vuas premebant, propterea q; agebant gratias, & Psalmis vtebantur, atq; alijs in gratiarum actionem. Euthymius verò putat celebratum esse hoc festum in recordationem illius diei, quo Moses Dei tabernaculum fixit, & erexit. Atque præcitato Scripturæ loco constat aliam fuisse huius sollemnitatis causã.

3. *Septem diebus celebrabatur.*

Porrò septem diebus celebrabatur, quia multis diebus factum fuerat, quod in ea sollẽnitate memorabatur, quædam enim sollemnitates vno dumtaxat die celebrabantur apud Iudæos, vt Pascha, Pentecoste, Expiatio. Aliæ septem vt Azymi, Scenopegia, &c. cuius Ribera lib. 5. de templo cap. 5. sub finem hanc assignat rationem. *Cùm omnes*, inquit, *festi dies in memoriam alicuius diuini beneficij instituti sint. Si beneficium vno die datum fuit, vno etiam die illius memoria colitur. Si pluribus diebus datum est, septem diebus colitur, quia in septem scriptura multos intelligere solet. Sicut* 1. *Regum* 2. 5. *donec sterilis peperit plurimos: pro quo est in hebræo, peperit septem. Primus dies sanctus dicitur, in quo ab omni opere seruili feriandum erat. est autem*, vt idem auctor notat eodem cap. 5. *in diebus festis considerandum interdum præcipi, vt abstineatur ab omni opere, interdum non simpliciter, sed ab omni opere seruili. Cùm simpliciter dicitur: ab omni opere, intelligitur eo die neq; ignem incendi, neq; cibos parari posse. vt in sabbato. & in die expiationis, Leuit.* 23. 3. *omne opus non facietis in eo, sabbatum Domini est. De expiationis die in eodem cap. v.* 27. *legimus: omne opus non faciatis in tempore diei huius, quo in loco, & num.* 29 7. *multi codices habent: omne opus seruile, sed neq; in hebræo est, neq; in græco*, Sic Ribera. Quare cùm in nostris Biblijs habeamus, *opus seruile*, vt verum sit, quod notat Ribera, dicendum ex sequentibus, & ex Hebr. & Græcis declarari, nihil planè operis agendum esse eo die, ac proinde redundare τὸ *seruile*. in sequentibus enim eo loci Leuit. 23. v. 29. subditur: *& anima, quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de pop. suo; nihil ergo operis facietis in eo.* Sunt contra Deut. 16. 8. cùm de extremo die azymorum dicitur: *Non facietis opus*, subintelligendum *seruile*, quod iam ante explicauerat Leu. 23. 8.

Locus 1. Reg. 2. 5.

Locus Leuit 23. 3. 27. Num. 29. 7.

Locus Leuit. 23. 29.

Locus Deut. 16. 8.

Leuit. 23. 8.

Septimo tamen diei Scenopegiæ non vt in diebus azymorum par solennitas tribuebatur; nam ab omni opere seruili feriandum nõ erat, sicut in septimo azymorum, ratio quia dies sequens, qui erat octauus, erat dies cœtus, & collectæ, qui futurus erat sanctus, & decebat prouidere, ne quo ad eius fieri posset, diem, in quo ab opere seruili quiescebatur, alter similis dies subsequeretur, quod præsertim pauperibus incommodum fuisset.

4.

Dies cœtus.

Per diem autem festum cœtus, seu collectæ, qui 22. mensis septimi celebrabatur, negat Paulus Burgen. in Addit. in cap. 23. Leuit. colligi solere pecunias hoc præsertim argumento, quod septimus dies azymorum vocabatur etiam dies cœtus, atque collectæ, quo colligi cõsueuisse pecunias affirmat nemo. Adde, doctores Hebræorum affirmare huiusmodi collectionem pecuniarum ad sumptus templi per totam terram promissionis factam fuisse die primo mensis duodecimi. Quare affirmandũ

5.

A videtur diem septimum azymorum, & diem, qui sequebatur septimũ diem tabernaculorum dictum fuisse diẽ cœtus, vel collectæ, quod colligeretur populus in tabernaculum, siue templum, conueniens eo, vt gratias Deo sollẽnib. sacrificijs referret; in septimo quidem die azymorum gratias agebant, quod cũ trepidi, & festinantes ex AEgypto exijssent, quã rẽ panibus azymis repræsentabant, oẽs tamen salui, atque incolumes in vnum conuenissent exercitũ, & mare transijssent. In festo verò tabernaculorũ congregati, gratias agebant, quod post longam illam 40. annorum peregrinationem, oẽs salui in terram demũ promissionis veniissent, & ibi optata quiete frui cœpissent. quod D. Thom. explicat 1. 2. q. 102. a. 4. ad. 10. *significabatur*, inquit, *adunatio populi, & pax præstita in terra promissionis.* Sunt tamen non pauci, qui affirmant B cœtum, vel collectam dici à colligendis pecunijs, quod & sequi videtur D. Thom. loc. cit. & Petrus comest. in hist. lib. num. c. 47. & Lyra. c. 23. Leuit. & Abul. q. 26. 27. in idem caput. Sed Pauli Burgen. sententia magis placet ob eius rationes, præsertim cùm pecunias septimo die azymorum collectas fuisse non sit credibile, cũ liceret, vt ait Lyra. c. 16. Deut. omnibus secundo die in patriam proficisci, etsi petendæ erant pecuniæ, ante discessum erant petendæ. cùm verò dies etiam octauus post tabernacula idẽ nomen habeat cœtus, & collectæ, similiter probabiliùs est, nõn à colligendis pecunijs sic appellari, sed quod in vnum conuenirent, vt dixi, ad agendum Deo gratias, quamuis non negem nomine *collectæ*, vti D. Paul. 1. Cor. 16. 1. pro collectione pecuniæ.

Locus Paul. 1. Cor. 16. 1.

C Septuaginta Interpretes nomen *Asereth*, pro quo nos aut *cœtum*, aut *collectam*, aut vtrumque habemus, semper interpretantur ἔξόδιον. id est, *exitum*, quod propriè significat cãticum, quod Histriones è scena exeuntes canebant, & exodia nominat etiam Liuius libr. 7. quamobrem sollemnem illam gratiarum actionem, qua cœtus filiorum Israel duo illa festa azymorum, & tabernaculorum claudebant, & è loco sancto exeuntes in patrias ædes redibant, non ab re ἐξόδιον sept. nuncuparunt.

6.

Sed quæret aliquis, cur in azymis septimus dies idem erat azymorũ, & cœtus, seu collectæ; at in festo tabernaculorum, non item septimus dies erat dies cœtus, sed proximus? Respõdeo quia dies tabernaculorum septem esse debebant, vt dies azymorum, & toto eo tempore in tabernaculis habitabant, sicut alijs temporibus faciebant in domibus. Vnde non poterant cõgregari, nisi transactis septem diebꝰ, & dimissis tabernaculis; & in azymis semper poterant congregari.

D

7. *Cur 7. die non erat festum cœtus in tabernaculis, sed in 8.*

Sed operæpretium est scire, ex qua materia constarent eiusmodi tabernacula, & quo loco figerentur; erant tabernacula ex lignis, & linteis, pellibusque confecta vt æstum, & pluuiam propulsarent; figebant enim ligna, vel sudes tamquam columnas, deinde lintea tendebant, quæ domicilium constituerent, & ea pellibus extrinsecus tegebant. Hinc in Scriptura legimus tabernacula tendi, vel figi, vel transferri, seu moueri. Transferri enim poterant de loco ad

8. *Ex qua materia conficerentur tabernacula.*

locum,

locum, sublatis clauis, lignis & funibus, quibus firmabantur, & innectebantur. Horum tabernaculorum artifex fuit Paulus, sic enim legimus Act. 18. 4. *erant autem scenofactoriæ artis.* Ex his patet non rectè sensisse Abulensem quæst. 24. in cap. 23. Leuit. opinatum tabernacula ex ramis arborum facta fuisse, alioqui tantæ multitudini non suffecissent montes palestinæ; licet non sit negandum pauperes aliquos ex ramis sibi parare solitos tabernacula.

Locus Act. 18. 4.

9. *Locus tabernaculorum. Locus Nehemiæ 8. 16.*

Vt verò locus tabernaculorum intelligatur, satis erit hic adscribere verba Nehemiæ 8. 16. *Egressus est populus, & attulerunt, fecerunt q; sibi tabernacula, vnusquisque in domate suo, id est, in tectis domorum, & in atrijs suis, & in atrijs domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim.* hoc est, in locis spacijs sub dio positis intra vrbem, tunc enim non multi erant, & inimicis circumdati, ideo se intra vrbem continebant. At postea etiam extra vrbem construxerunt tabernacula, cùm ex omnibus locis terræ promissionis in Ierusalem veniretur, & à singulis familijs singula construerentur tabernacula, teste Iosepho Antiquitatum capite 10. 11.

10. *Locus Leuit. 23. 39 & Deut. 16. 13.*

Tempus porrò festi huius, fuit mensis septimus, qui nostro septembri, & octobri respondet, quando Iudæi de area & torculari frumentum, vinumque collegerant; sic enim scribitur Leuiticorum 23. 39. *à quintodecimo ergo die mensis septimi, quando congregaueritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus.* & Deuteronom. capite 16. versiculo 13. *solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area, & torculari fruges tuos.*

11. *Quanta cum lætitia celebraretur Scenopegia. Locus Leuit. 23. 40.*

Postremò explicat Scriptura, quanta cum lætitia celebrarent eiusmodi festum: sic enim legimus Leuiticorum capite 23. versiculo 40. *Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, id est, fructus cum ramis, in quibus sunt, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram DEO vestro*; quæ verba vltima sic exponit Abulensis: *Saltabitis habentes istos ramos in manibus coram Domino DEO vestro*, & postea subdit: *dicebatur hoc fieri coram Domino, quia ista lætitia, & saltatio fiebat in Sanctuario, vbi dicebatur esse DEVS*; non enim erant perpetuò in tabernaculis illis septem diebus, vt nunquam egredi possent.

12. *Arbor pulcherrima quæ? Lignum densarum frondium.*

Porrò per *arborem pulcherrimam*, citrum intelligunt, quam Hieronym. Zach. 4. cedrum nominat, sicut per *lignum densarum frondium*, myrtum, prout ex Iosepho libro 3. Antiquitatum capite 10. intelligere possumus, cuius verba græca sic reddenda sunt: *iubentur octo dies festos ducere, victimas incendere, & simul pro gratiarum actione sacrificare, ferentes manibus ramum myrti & salicis cum ramo palmæ laborato, adest & malum, quod Persea est*, id est, ferunt etiam ramos arboris Perseæ. Persea autem arbor est, quam malum persicum, siue citrum vocant; mala enim citra vocantur mala medica, siue mala persica ex Dioscor. lib. 1. 121. Esdræ 2. 8. 15. sic legimus: *egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi* (ex hebræo loco, *ligni pulcherrimi*, est, lignum olei, hoc est, lignum habens pinguedinem, cuiusmodi est oliua, Pinus, Larix, Picea, Cupressus, Cedrus, Iuniperus, vt notat Ribera libr. 1. de templo capite 8.) *frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, vt fiant tabernacula sicut scriptum est*, hoc loco videtur myrtus distingui à ligno nemoroso, id est, densarum frondium; vnde colligere possumus *lignum densarum frondium*, non solùm myrtum significare, sed etiam quamlibet arborem frondosam, sicut & per *arborem pulcherrimam* aliqui intelligunt omnem arborem pulchram, & hæc de scenopegia. Sequuntur digressiones.

Persea.

DIGRESSIO PRIMA MORALIS.

De Scenopegia spirituali.

1. *Scenopegia spiritualis.*

VERA Scenopegia Christianorum est, ita in mundo viuere, vt se esse peregrinum in hac vita censeat Christianus, & interim ad Paradisi patriam magnis itineribus contendat, & ardenti desiderio eò anhelet. Qua de re sic scribit Origenes homilia 23. in num. *Iam verò vltimus dies festus Dei quis sit, quo Deus lætatur in homine videamus. Scenopegia*, inquit, *lætatur ergo super te, cùm te viderit in hoc mundo in tabernaculis habitantem, cùm te viderit non habere fixum & fundatum animum, at propositum super terra, nec desiderantem quæ terrena sunt, nec vmbram vitæ huius quasi possessionem propriam, & perpetuam deputantem, sed velut in transitu positum, & ad veram illam patriam paradisi festinantem, ac dicentem; incola ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei. In tabernaculis enim habitauerunt; & Patres; & Abraham in casulis, id est, in tabernaculis habitauit cum Isaac & Iacob coheredibus repromissionis eiusdem. Cùm ergo incola fueris, & peregrinus in terra, & non est mens tua fixa, & radicata in desiderijs terrenorum, sed paratus es, vt citò transeas, & paratus es extendere te semper ad anteriora vsquequo peruenias in terram fluentem lac, & mel, & hereditatem capias futurorum; si te inquam positum in his videat Deus, lætatur in te, & diem festum agit super te* &c. Sic ergo pij viri festum tabernaculorum celebrat, quibus mundus pro deserto est, & verò quid aliud mundus est, quam horridum desertum, in quo non est panis, nisi cadat de cœlo; non sunt aquæ nisi de rupe eliciantur, id est, nisi magno labore parentur; non sunt carnes, nisi vento spiritus allatæ; non est tuta via, nec vllus viæ exitus, nisi columna nubis, & ignis præcedat, & in terram promissam, expulsis tetræ noctis tenebris, & æstu solis temperato, adducat, non vlla est firma sanitas, certa salus nulla est, vbi igniti serpentes, ac venenati angues miseros mortales inuadunt; denique; ne longum faciam, pax nulla est:

Verba Origenis.

Mundus deserta est.

vbi cùm

vbi cùm à maledictis, id est, versutissimis & callidissimis inferni hostibus continenter pugnandum est.

2. Impij etiam ipsi celebrant festum tabernaculorum. Locus 2 Pet. 1.13.14. 2 Cor. 5.4.

Cæterùm mali aliter festum tabernaculorum celebrant. Cùm enim nomine tabernaculi corpus ipsum in Scripturis intelligatur, vt 2. Petri 1.13. 14. *quamdiu sum in hoc tabernaculo*, id est, corpore, *& velox est depositio tabernaculi mei*; & 2. Corinth. 5.4. *qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati*; iccircò rectè dici possunt mundani homines festum tabernaculorum, hoc est, corporum, in terris nunc celebrare, cũ corporum suorum voluptatibus indulgent, quarum illecebris deliniti virtuti nuncium remittunt, proinde delicatè, ac suauiter corpora nutriunt, pascunt, comunt. Denique nullum deliciarum genus est, quod non corporibus statim indulgeant, quibus vt morem gerant, nullum est tam graue delicti genus, quod patrare non audeant. Verùm enimuero eiusmodi festum, quod breui interim tempore durat, in sempiternum vertetur luctum, nimirum nõ est in terris corporum, sed animarum celebrãdum festum, quia animæ nunc cœlestibus sunt nutriendæ dapibus, & virtutum ornamentis exornandæ. At corpora in seruitutem redigenda sunt, & vt spiritui pareant compellenda ieiunijs, vigilijs, oratione, cilicio, & cinere deprimenda, ne superbè contra spiritum insurgere audeant. Verit aliquando tempus, ipso videlicet Resurrectionis die, cùm sancti corporum suorum, quæ hic afflixerunt, festum celebrabunt, de quo festo sic Theophylact. Ioann. 7. scribit: *Scenopegia*, inquit, *significat resurrectionem, quando omnes quidem fructus nostrorum operum consummantur, tabernaculaque nostra per mortem destructa, iterum construuntur.* Idem habet Cyrillus libro 17. de Adorat.

Festum corporum in luctum vertetur.

Die resurrectionis corporum festa peragemus, interim animarum.

3. Hoc mundanorum festum, quo veluti sub vmbra corporum suorum tamquam sub tabernaculo quiescunt, & somno, delicijsque se tradunt, significatum videtur hederæ illius virentis vmbra, sub qua Ionas tanquam sub tabernaculo sedebat, ingenti gaudio perfusus, sic enim hac de re legimus Ionæ 4. 6. *Letatus est Ionas super hedera lætitia magna.* Sed quantula fuerit hæc lætitia, quàm breue gaudium, subiecit Scriptura versic. 7. *Et parauit Deus vermen ascensu diluculi in crastinum* (cùm videlicet postero die aurora exoriretur) *& percussit hederam & exaruit*, & versic. 8. *cùm ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido, & vrenti, & percussit sol super caput Ionæ, & æstuabat, & petiuit animæ suæ, vt moreretur* (optauit sibi mortem) *& dixit, melius est mihi mori, quam viuere.* Idem accidit mundi huius hominibus, qui sub suorum corporum tabernaculis, id est, deliciarum, honorum, diuitiarum, cæterarumque corporearum rerum amore, veluti sub hederæ vmbra conquiescunt, lætitiaque ingenti exultant. At cùm minus cogitant, præsto adest, à Deo præparatus mortis vermis, qui eam hederam, amœnaque corporum tabernacula arrodit. & ecce tibi exarescunt illico omnia, & quod minimè expectabant sol iustitiæ Christus, graui indignatio-

Locus Ionæ 4. 6. 7. 8. & eius histor. moraliter expositæ, quod ad vermem attinet, corrodentem hederam.

Mors vermis arrodens tabernaculum nostrum.

A nis, & pœnarum æstu eorum capita, id est, animas percutit, ita fit tandem vt æternis ignibus in inferno miserè æstuent, qui prius tam delicatè viuebant, & sub vmbra corporum suorum sine vllo timore vel exultabant, vel stertebant; Tale itaque tabernaculorum festum sancti quique vehementer horrent, neque aliter illud celebrant, quam si hic peregrinos existimantes, & quasi in vastissima solitudine positi, ad cœlestem patriam festinantes, cuius adeò vehementi desiderio flagrant, vt illius sola modo cognitione sustententur, dum verò inde remotos in hac miseriarum valle adhuc se esse cernunt, obortis lacrymis sic ingemiscunt, *quando veniemus, & apparebimus ante faciem Dei, heu nobis, quia incolatus noster prolongatus est. Habitauimus cum habitãtibus Cedar, multum incola fuit anima nostra.* Sed B iam ad alia pergamus.

4. Spiritualis scenopegia quando incipiat celebrari.

Decimoquintodie celebrabatur scenopegia, quo iam lunæ incipit detrimentum. Aptè sanè ad rem nostram. nam nisi res mundi fluxas, & caducas, ac semper magis, ac magis decrescentes esse omninò intelligamus, non dubium, quin eas amaturi simus, & in eis arctiùs inhæsuri, vnde fiet, vt amor cœlestium refrigescat in nobis. Quare qui scenopegiam verè celebrat, & magnis itineribus ad cœlestem patriam festinat, næ ille imprimis res mundi huius fluxas, vagas, & mutabiles esse, & verò etiam breui finiendas animaduertat oportet.

5. Quod verò septem diebus peragatur huiusmodi festum, quid sibi velit, docet Isychius: C *quando congregauerimus*, inquit, *omnes fructus terræ, ab operibus videlicet terrenis cessantes festa celebremus septem dies, id est, totam nostram demus vitam in diuina festiuitate celebranda.* Rectè Isychius, quia totam vitam nostram Deo dicare, & semper futura quærere debemus, tamquam hic hospites, & aduenæ, per septem autem dies totum vitæ tempus indicatur.

6. Dies primus nostræ scenopegiæ celeberrimus. *Dies primus vocabitur celeberrimus, atque sanctissimus.* quia cùm primùm incipimus peregrinos nos hic esse arbitrari, & cœlestium bonorum desiderio tangi, tunc nihil nobis iucundius aut lætius contingere potest eo die. tunc omne opus seruile non facimus in eo, quia tunc maximè ab omni seruitute recedimus, cùm nihil est in terra quod nos capiat, aut contendere prohibeat ad superna. D *Dies* porrò *octauus celeberrimus quoque est, atque sanctissimus*, nam transactis septem peregrinationis diebus, toto completo tempore, quod ad festiuissimum vsque resurrectionis diem excurrit, qui satis aptè festo cœtus, seu collectæ significatur, DEI electi peregrinatione perfuncti in illud cœleste templum simul omnes læti, alacresque resumptis corporibus, conuenient, dignas DEO laudes cantaturi & gratiarum actiones continenter relaturi. *Beati* sanè *qui habitant in domo tua Domine in sæcula sæculorum laudabunt te*, vt Vates ait diuinus, Psalmo 83.

Octauus item celeberrimus.

7. Restat, vt quid indicent arborum rami, quos in scenopegia Israelitæ ge-

Rami quid significent spiritualiter.

stabant, explicemus ex Hieronym. Sic enim Zachariæ 14. scribit. *Qui in tabernaculis habitat, & ad templum Domini ire festinat, debet celebrare solennia tabernaculorum in ligno sapientiæ pulcherrimo, de quo Prouerb. c. 3. dicitur: lignum vitæ est omnibus, qui appropinquant ei, & in ramis palmarum, in quibus signum victoriæ, & virtutis præmium continetur, & in frondibus densissimæ arboris, quam myrtum Iudæi intelligunt propter mortificationem carnis, & libidinum; & in ramis salicis, & populi, quam quidam vnam arborem vocant, ipsumq; ligni nomen, quod græcè dicitur ἀγνὸς, indicat castitatem. aiunt medici, & ij, qui de arborum, & herbarum scripsere naturis, quod si quis florem salicis, seu populi mixtum aqua biberit, omnis in eo frigescat calor, & libidinis vena siccetur, vtraque filios generare non possit.* Hæc ille. Vbi tres virtutes indicat his ramis significari, arbore pulcherrima sapientiã, palmis victoriam vitiorum, myrto, & salicum ramis, castitatem.

8. Sequitur autem Hieron. septuaginta interpretationem, quæ sic habet Leuit. 23. 40. *Sumetis die primo fructum ligni* speciosum, vel pretiosum, seu nobilem, *& spatulas palmarum, & ramos ligni densos, & salices, & Agni ramos de torrente ad lætandum ante Dominum Deum vestrum, Græ ἀγνὸς* Hieronym. vertit *populum*, editio regia *Agni castiramos*, habet, est autem; ἀγνὸς, planta, quæ vertitur à Gaza apud Theophrast. *Amerina*, quæ species est salicis, apud Arist. Vitex. Est autem *vitex* furtex in arborem assurgens, in fluminum ripis, ac torrentum alueis nascens, ramis prælongis, lentisque, folijs oliuæ, sed mollioribus. Duo sunt eius genera. Alterum album florem emittens cum purpureo. Alterum tantùm purpureum, & semen piperis similitudine. Hunc furticem vulgus Herbariorum *Agnum castum* appellat.

ἀγνὸς, Amerina, vitex.

DIGRESSIO II.
MORALIS.

In qua accommodantur ad mores quædam superioris capitis loca.

1. DIxerunt autem ad eum fratres eius: *transi hinc* &c.] Sat benè hi, consanguineorum mores referunt, de quibus dicitur: *inimici hominis domestici eius.* Mich. 96. & Matth. 10. 36. Solent hi suos ad tria hæc inuitare, videlicet ad diem festum, hoc est, ad relaxandam pœnitentiam, ad mundana gaudia, ad delicias, ad superfluos sumptus in vestibus, ædificijs, seruis. Deinde hortantur; *vade in Iudæam*: hoc est, quorsum in agellulo latitas, in oppidulo? Contende ad Cæsaris curiam, ad Romanam aulam. venare Ecclesiasticas dignitates, honorum titulos, quibus domum tuam illustriorem reddas. Tertiò denique sic monent: videat mundus opera tua, quæ facis. Compara tibi gloriam, diuitias, opes, popularem auram, ostende ingenium, sentiant qui nesciunt sapientiam tuam, qua polles plurimum, animi dexteritatem admirentur, consiliorum promptitudinem, & cæteras animi, corporisque dotes. En tibi ingenium mundi. Ecce carnis consilia, vt

Amicorum, & Consanguineorum prauorum mores. Ad tria hortantur.

A quisque donis Dei abutatur, & ea ad gloriosum sibi nomen comparandum, non ad DEI gloriam conferat.

Qui tales sunt, aptè his Domini fratribus comparantur. Quemadmodum enim hi in Christum non credebant, nec enim, si fidem habuissent, dixissent Christo: *transi hinc.* Sed *mane nobiscum Domine.* Nec impudenter Christum arguissent, sed faterentur potiùs: *benè omnia fecit.* Nec sua illi consilia darent, sed ab eo potiùs quærerent, ac rogarent: *doce me facere voluntatem tuam.* Nec popularem captarét auram, vel vanis rebus studerent. & verò neq; alios ad hæc ipsa incitarent, sed dicerent: *non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Quemadmodum, inquam, hi non credebant, ita etiam illi, de quibus dixi, consanguinei, qui

B similia suadent cum fratribus Domini, satis indicant, vel se parum in Christum credere, vel mortua dumtaxat fide præditos esse, vel nihil cœlestia curare. Quare illis vehementer obsistendum tamquam Christiano spiritui contrarijs.

2. *Hi fratribus Domini similes.*

Tempus meum nondum aduenit] Augustin. satis piè, & ad mores accommodatè totum hunc locum exponit tract. 28. in Ioann. *Quid est hoc? nondum venerat tempus Christi, quare ergo Christus venerat, si tempus eius nondum venerat? Nonne audimus Apostolum dicentem. Cùm autem venit plenitudo temporis misit Deus filium suum &c. Quid ergo est, tempus meum nondum venit? intelligite fratres, quo animo illi loquebantur, qui quasi fratrem suum monere videbantur. Dabant ei consilium consequenda gloriæ &c. Quod ergo ait Dominus, tempus meum nondum venit, illis respondet, qui ei consilium de gloria dabant. Tempus gloriæ meæ nondum venit. Videte quàm profundum sit, de gloria illi admonebant; sed ille voluit altitudinem humilitate præcedere, & ad ipsam celsitudinem per humilitatem viam sternere. Nam & illi discipuli vtique gloriam requirebant, qui volebant sedere, vnus ad dexteram eius, & alter ad sinistram. Attendebant quo, & non videbant qua via. Dominus eos, vt ordinatè venirent ad patriam, reuocauit ad viam. Excelsa est enim patria, humilis via; Patria est vita Christi, via est mors Christi. Patria est mansio Christi, via passio Christi. Qui recusat viam, quid quærit patriam? Denique & illis hoc respondit, quærentibus altitudinem; potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Ecce qua venitur ad celsitudinem quam desiderabatis, calicem quippe commemorabat humilitatis atq; passionis. Ergo & hic: tempus meum nondum venit,*

D *tempus autem vestrum id est, mundi gloria semper est paratum. Hoc est, tempus, de quo loquitur in prophetia Christus, id est, corpus Christi; cùm aderit tempus, ego iustitias iudicabo; modò enim non est tempus iudicandi, sed iniquos tolerandi.* Hæc Augustin.

3.

Tempus gloriæ mundana est.

Attendere oportet quo, & qua vitã & mortem.

Ego testimonium perhibebo de illo (id est, mundo) *quod opera eius mala sunt.*] Hoc dictum diuinæ sapientiæ ore prolatum altiùs nostris infigendum est cordibus. nam nisi cauti simus (quoniam dum viuimus, inter mundanos agimus) & nisi cum mundo, tamquam cum proditore agamus, deplorata sanè erit nostra salus, actum que de nobis. *Est enim mundus*, vt Alphons. Salmer. tract. 33. 8. ait, *plenus laqueis, retibus, periculis, insidijs, proditoribus. Est mundus*

4.

Mundus quis & qualis.

personatus

personata quadam pulchritudo, risus sardonicus, osculum Iuda, dulce venenum, fallax spes, verus dolor, Scilla, & Charybdis, mors suauis, manifestum naufragium, Syrena cantus, sepulcrum dealbatum, atridum desertum, inextricabilis labyrinthus, confusa quadam Babylonia, tenebrosa Ægyptus, immane barathrum, vallis lacrymarum, interior gehenna, denique vanitas vanitatum.

3. Salomonis iudicium de mundo.

Sunt autem hæc verba postrema, non vnius de plebe, sed Salomonis viri præ cæteris sapientia prædití, qui, vt sic dicam, mundi medullam degustarat, & ausus est tamen tam asseueranter prædicare; *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Quod si alius hæc affirmaret, qui bonis mundi non vnquam affluxisset, illi fortè homines non crederent. At in eo, qui hæc nobis edisserit, cessat omnis eiusmodi contradictio. *Est enim is Salomon,* vt inquit Gregorius Nyssenus homilia 2. in Ecclesiast. *tertius in Regibus Israel, cui nota sunt experientia quæcumque in mundo magna, & delectabilia sunt, vt hic agnoscas verè mundum meram quamdam esse, & omnimodam vanitatem, vtenim* in mundo non est pax, dicente Christo Ioann. 16. 33. *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* Non est bonitas teste Ioann. epist. 1. cap. 5. 19. *mundus totus in maligno positus est.* Non est in illo veritas, nam vt Dominus ait, Ioann. 14. 17. *Spiritum veritatis mundus non potest accipere.* Non est in eo sapientia, *sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum.* 1. Corinth. 3. 19. Non est in eo vera amicitia, quia *quicunque voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituetur.* Non est in eo certum aliquid, & stabile, *præterit enim figura huius mundi.* Non est iustitia, aut vita; etenim *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* Roman. 5. 12. gaudium nullum est verum, sed fugax, & captiosum, *risus enim dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Prouerbior. 14. 13. Nulla est constantia, nam *mundus transit, & concupiscentia eius.* 1. Ioann. 2. 17. Mundus periculis plenus est vniuersis, neque est in eo vlla securitas, vt verissimum sit, quod Matth. 18. scribitur. *Væ mundo à scandalis, necesse est enim vt veniant scandala.* Quid multa? in mundo non est Deus, neque Christus; nihil igitur in eo boni est. ait enim Psaltes: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* & Paulus Ephes. 2. 12. *eratis,* inquit, *illo in tempore sine Christo, & sine Deo in hoc mundo. Egredimini* ergo mortales, si sapitis, *de Babylone, fugite à Chaldæis.* Isai. 48. 20. *nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* 1. Ioan. 2. 15.

Mala mundi multa, bonum solidum nullum.

6. Diei festi quomodo celebrandi.

Vos ascendite ad diem festum hunc] Docet Gregorius Nazianzenus oratione 6. qualiter sanctè percolendi sunt dies festi. *Demus,* inquit, *operam, ne sancta impurè, sublimia demissè, & honore digna turpiter, & vt vno verbo dicam, spiritalia terrenè celebremus.* Quia verò dicitur Christus ascendisse ad diem festum, quasi in occulto, obseruat id Cyrillus libro 4. in Ioannem cap. 36. *non ascendit,* inquit, *simul cum fratribus, sed latentius, illis omninò dissimilis, qui ad diem festum hilari animo pergebant.*

Christus ad gaudia clam, ad passionem hilariter & palam.

A *Quando autem ad saluatorem ibat Passionem, tunc non occultè, sed pullo inuectus asinæ, in figura populi nouí, magnâ adolescentulorum multitudine præcedente, per quos venturi populi multitudo significabatur, ascendebat. Quoniam ergò latenter ascendit, non ad diem festum, sed ad docendum se Ierosolymam petisse ostendit.* Vide reliqua apud illum.

Et ipse faciem suam firmauit vt iret in Ierusalem] Indicant hæc magnanimitatem & constantiam Christi ad mortem properantis, quam ipsam fortitudinem, ipsa etiam facie præseferebat, dum se in viam daret Ierusalem, petens, vbi haud illum latebat promptos, paratosque esse Iudæos ad sibi mortem inferendam. etenim vt rectè monet Hieronymus quæst. 5. ad Algasiam tomo 3. B *Obfirmatione opus est; & fortitudine ad passionem sponte properanti. Vnde & Ezechieli cui dixerat DEVS* (capit. 2.) *fili hominis in medio scorpionum tu habitas, & ne timeas eos: obfirma, inquit, faciem tuam, & dedi faciem tuam æneam, & frontem tuam ferream, vt si forsitan surrexisset contra eum malleus vniuersæ terræ, quasi incus durissima resisteret, malleumque contereret, de quo scriptum est* (Hierem. 50. 23.) *quomodo confractus est, & contritus malleus vniuersæ terræ.*

7. *Fortitudine opus est ad contraria superanda. Locus Ezec 2 6.*

Locus Hierem. 50. 23.

Sic firmanda est Christiano facies, id est, animus contra omnes inferni hostes, aduersus labores, & ingruentia pericula. Nam sicut contra inimicos arcus intenditur, remissus enim, nihil prodest, ita contra pericula, & contrarias hostium impressiones, aduersus insurgentes labores, intendendus animus est, & corporis etiam vultus firmandus; formidine namque laxatus, nihil præclarè efficere potest. Quam rem nec mundi sapientes ignorarunt. Cicer. Tuscul. 2. *vt onera tentis corporibus facilius feruntur, remissa opprimunt; similime animus intentione suæ depellit pressum omnem ponderum, remissione autem sic vrgetur, vt se nequeat extollere; & si verum quærimus in omnibus officijs persequendis, animi est adhibenda contentio; ea est sola officij tamquam custodia.* Sic Cicero. Nec aliter ille sensit, qui dixit. *Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito.* Vndecumque irruant feri fluctus, & procellosi imbres, etiam si fractus illabatur orbis, ingruant flumina, insurgant venti, sit Christiani animus, tamquam firmamentum in medio aquarum.

8.

Ciceronis sententia egregia de intentione animi.

D Talis erat Pauli animus, quando etiam cum lachrymis rogantibus discipulis, ne Ierosolymam peteret, vbi prædicante Agabo, imminere illi vincula, & pericula audierant, impauidus dicebat, Actorum 21. 13. *quid facitis flentes, & affligentes cor meum? ego enim non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini IESV.* An non obfirmata erat fronte idem Paulus, cùm etiam alibi diceret Roman. 8. 35. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia? an fames, an nuditas? an periculum? an persecutio? angladius?* Verè iste de se testari poterat quod Dauid olim cecinerat, Psalm. 26. 3. *si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, si exsurgat aduersum me prælium, in hoc ego*

9. *Exemplum Pauli.*

sperabo. talis fuit & inuictissimorum martyrum fortitudo. ad alia pergamus.

10. Christiana mansuetudo.

Nescitis cuius spiritus estis] ostendit Christus, quæ sit Christiani hominis vocatio, & institutum, vt nimirum nolit vinci à malo, sed vincat in bono malum. Etenim si ethnico homini licuit dicere: *speciosius aliquanto iniuria beneficijs vincuntur, quam mutui odij pertinacia pensantur.* Quid non dicendum, faciendumque erit Christiano Christi lacte nutrito, vel præceptis edocto, vt omnem ab animo inuidiam, & amaritudinem aduersus inimicos, & persecutores euellat? an non meminisse debet, quid docuerit Christus dum dixit, *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*? an non sibi seruandum putabit, quod Salomon monuit Prouerbiorum 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit, da ei aquam bibere, prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi*? Hunc sanè spiritum Christianæ religionis sibilo illi auræ tenuis similem esse non dubito, qui ostensus Eliæ 3. Regum 19. 11. 12. in quo fuisse Deum docet Scriptura: *esse Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertens* (id est, qui videretur, vel posset subuertere) *montes, & conterens petras ante Dominum, non in spiritu Domino, & post spiritum commotio* (id est, montis concussio) *non in commotione Dominus, & post commotionem ignis, non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis*; Neque enim est Deus in spiritu grandi & forti; hoc est, turgido, & inflato, vel superbo, non in animi commotione, vel perturbatione, non in igne iracundiæ, verùm in sibilo auræ tenuis, hoc est, in humili commiseratione, pacata & miti cordis tranquillitate. Hoc est, quod exemplo suo indicauit nobis Deus, dum reprehensurus, & puniturus omnium nostrum parentem, Genes. 3. *venit ad auram post meridiem*, hoc est, non in ardenti æstu diei, sed in aura & sibilo mansuetudinis, nimirum vt nos doceret, vt si quando punire aliquem volumus, post iræ meridiem, aspirante lenitatis aura, ad id accedamus; id verò magister mansuetudinis, & humilitatis Christus, supra quam credi potest, & exercuit ipse, & exemplo, ac verbis etiam docuit. Nam quoties, prô dolor, in Beelzebub eijcere dæmonia, vel Samaritanum esse, & dæmonium habere per summam impietatem, & ingentis ingratitudinis scelus coram sibi obijci ab inimicis audiuit? Sed nunquid propterea innocens agnus & mitis impatienter respondit? an non potiùs eorum commiseratione commotus lachrymas fudit? sic aliquando *videns ciuitatem fleuit super illam*, Luc. 19. ita lachrymarum potiùs imbre, quam igne de cœlo persequi inimicos docuit. Sic discipulos corripuit, qui Samaritanos igne de cœlo censebant esse comburendos, quod non sine graui iniuria Magistrum hospitio excipere detrectarint. Quis verò verbis, vel cogitatione complecti queat, quanta illos patientia, quanta mansuetudine, quanta animi cõmiseratione prosecutus sit, qui illum non modò in crucem egerunt, verùm etiam summa animi voluptate citra illam obambulantes venenatis linguis horrenda in illum conuicia iactabant? Quid verò ille pro iniurijs referebat inter ardentem ignem dolorum & tantum opprobriorum æstum? certè non aliud, quam preces cum clamore valido, & lachrymis pro eorum salute Patri offerebat. O immensam animi mansuetudinem! ô admirandam & inuictam filij Dei patientiam! Et mirabimur si se mansuetudinis magistrum appellat? Discamus ergo de illo cordis lenitatem, facilitatem, discamus animi submissionem. De benignitate Dei erga peccatores per comparationem ad zelum Eliæ, vide elegantem homil. Chrysostom. tom. 1. hom. in Eliam. & est prima earum quæ sunt de Elia, Ad idem facit visio Carpi apud Diony. Areopag. in ep. ad Demophilum. Sed tempus est, vt ad 13. caput aggrediamur.

Spiritus auræ lenis, Christianorum spiritum repræsentat.

Qualis reprehensio esse debet.

Christi mansuetudo.

CAPVT XIII.

DECEM LEPROSI CVRANTVR.

C. 17. 11.

V. 1. ET *factum est, dum irent in Ierusalem transibat per mediam Samariam, & Galilæam.* Dom. 13. post Pent.

2. Et cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè.

3. Et leuauerunt vocem dicentes: IESV præceptor miserere nostri.

4. Quos vt vidit, dixit. Ite ostendite vos Sacerdotibus. & factum est dum irent, mundati sunt.

5. Vnus autem ex illis vt vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum.

6. Et cecidit in faciē ante pedes eius gratias agens, & hic erat Samaritanus.

7. Respondens autem Iesus, dixit: nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt?

8. Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigenà.

9. Et ait illi; surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.

SCHOLIA.

ET *factum est*] Hanc historiam non potuisse accidere post prædictam superiore capite vltimam migrationem Christi è Galilæa, certum esse arbitror. Nam cùm id, quod hic narratur de decem leprosis, acciderit, cùm Dominus pertranfiret per Galilæam, & Samariam, post vltimam verò profectionem è Galilæa, & vltimum transitum per Samariam non amplius 1. Ordinis ratio.

redierit

redierit eo, fit non potuisse, quod hic à Luca narratur, euenire post prædictam vltimam migrationem. An verò ante acciderit incertum, sæpè enim Christum à Galilæa in Ierusalem per Samariam, & contra measse, remeassèque constat. Nec videtur Lucas historiam suo narrasse loco, cùm inter eam, & quæ præcesserunt, nullam clarè connexionem cernere sit, & sic eam describat Euangelista, vt nullum ipse significet cum his, quæ eodem capite 17. præcedunt, ordinem. Credibilius tamen est accidisse, cùm Dominus in vltima migratione de Galilæa transiret per Samariam, & videtur Castellum, cuius hic versic. 2. fit mentio illud esse, de quo capite præcedenti, versiculo 16. excluso Christo à Samaritanis de ciuitate ipsorum, subditur, *& abierunt in aliud castellum.* Cur verò Lucas alio loco scripserit, Beda Lucæ cap. 17. his verbis insinuat: *hæc lectio superiori ea ratione coniungitur, quod tibi fidem per humilitatem augeri debere parabola data (de sinapis grano) decernitur; hic autem manifestius ipsis rebus ostenditur, non fidei tantùm agnitam rationem, sed executam fidei operationem esse, quæ saluum faciat credentem; detque gloriam Patri, qui est in cœlis.* Ambrosius item libro 8. in Lucam, in fine capitis de virtute fidei, *post hanc,* subaudi parabolam de grano sinapis, *reprehenduntur ingrati.*

2. Mansuetudo Christi.

Transibat per mediam Samariam] Admirari verò libet hic CHRISTVM, quamuis in itinere à Samaritanis affectum iniuria, non tamen propterea benefacere in Samaria destitisse, nam ingressurus quemdam Samariæ vicum decem leprosos occurrentes dimissos prius ad Sacerdotes, inter eundum mandauit, & collaudauit Samaritanum, qui vnus ex decem solus redierat ad ipsum gratias acturus.

3. *Et cùm ingrederetur quoddam Castellum*] siue vicum, pagum, aut ciuitatem: nam est rursum κώμη, & videtur, vt dixi numero primo, ille locus significari, in quem dicitur superiori capite, versiculo 16. Dominus ingressus, vbi repulsus in altero castello fuisset, ait verò, *cùm ingrederetur,* id est, cùm prope castellum esset iam ingressurus, neque enim intra, sed extra oppidum licebat leprosis habitare, lege id verante, numer. 5. 2. Caietanus verò, & Iansenius Matth. 8. putant potuisse leprosos ingredi, & transire per oppida, non habitare in illis. Vide libr. 4. capite 7. num. 3. schol. quod si verum est, potuerunt hi ingredienti Christo occurrere etiam intra oppidum, vel in ipso oppidi ingressu. Itemque cùm hoc accidisse verosimile sit in Samaria, forte etiam in ea non erat vetitum leprosos in oppidis habitare. *Occurrerunt ei decem viri leprosi*] non casu, vt credibilius est, sed studio sanitatis petendæ, cùm aduentantis famam audissent. Quod decem fuisse narrat Lucas, significare voluisse videtur multos esse vocatos, seu beneficia accipere, paucos verò electos, vel gratos, nam in Scripturis vt denarius numerus copiosam multitudinem, ita vnitas magnam designat paucitatem, sicut Genes. 31. 7. 41. *mutauit mercedem meam decem vicibus.* & Deuteronom. ca. 32. versic. 30. *quomodo persequatur vnus mille & duo fugent decem millia. Qui steterunt à longe*] agnoscentes morbi fœditatem, à qua Iudæi plurimum abhorrebant; non accedunt propius ad hominem Iudæum. Verùm procul stantes elata voce acclamant. Et loco quidem procul stant, oratione autem *prope fiunt: prope est enim Dominus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate.* Psalm. 144. 18. orant verò pauci, neque enim putant in multiloquio se audiendos esse, sed fideliter tamen, sed ardenter, sed efficaciter, quod verba illa significant: *leuauerunt vocem.*

Obseruatio moralis.

Locus Gen. 31. 7. 41. Deut. 32. 30.

Oratio leprosorum efficax fidens, ardens.

3. *Iesu præceptor*] Non stipem se mendicare, vel petere satis declarant, dum *præceptorem* nominant, credentes à Deo datum hominibus magistrum, ac proinde postulantes à Deo misericordiam, non alio nomine, quàm quod magister esset à Deo hominibus datus ad benefaciendum. *Miserere nostri*] clamauerunt autem vna omnes voce, vt vnam omnium caussam indicarent, vt ita coniunctis quasi viribus Christum magis ad misericordiam inflecterent; iccirco non pro se quisque loquens, ait: *miserere mei,* sed, *miserere nostri.* Est autem hæc precatio breuis, dulcis, humilis, spiritualis, omnes complectens, & fiducia plena; quod sit breuis sat patet. est dulcis, quoniam exoritur à dulci IESV nomine, quod est in aure melos, in ore mel, in corde iubilus; ad quod Prophetæ illud accommodari potest, Psalm. 134. *psallite nomini eius, quoniam suauis est.* Modesta item est, & humilis, quia dum eum præceptorem nominant, se illi in omnibus obedire velle non obscurè indicant, spiritualis est, quia non pecuniam, sed misericordiam & gratiam postulant, qua incolumes Dei verbum audire possint. Leprosi autem non poterant inter alios versari, & quoniam lepra in pœnam peccati iustè infligebatur in lege, quod constat in Maria sorore Mosis. Num. 12. & Oziæ rege odores incendente Deo, quod sacerdotibus concessum erat 2. Paralip. 26. 19. 20. & Giezi, Elisæi puero. 4. Regum 5. propterea per misericordiam mundanda erat, atque adeò ad rem plurimum faciebat Christi misericordiam implorare. Ad hæc, omnes complectebatur ea deprecatio, neque enim pro se quisque deprecatus est, sed communis fuit oratio, ac proinde Deo gratior, qui omnes homines vult saluos fieri.

4. Præceptor.

Oratio leprosorum quas habeat conditiones.

Et quidem hoc leprosorum exemplum monet nos, vt cùm magni aliquid à Deo obtinere volumus, nequaquam simus priuatis dumtaxat orationibus contenti, verùm publicas etiam adhibeamus, vim quasi Deo instructa acie inferentes. Etenim *hæc vis* ait Tertul. *Deo grata est.* lege Chrysost. orat. 4. de incomprehensibili Dei natura. Denique fuit fiducia plena, quod voces illæ, *Iesu præceptor,* significant, saluare enim posse solo præcepto & imperio non obscurè testantur. Clamor etiam ipse & efficax orandi ardor fidem declarat.

5.

4. *Quos vt vidit*] Videndo commiseratus est. Hoc enim est verè misericordem esse statim rogatum, egenti subuenire, nam qui citò dat, bis dat; & verum est, quod Paulus ait 2. Corinth. 12. *hilarem datorem diligit Deus.*

Ite ostendite vos sacerdotibus] Quia in lege testimonio erat opus Sacerdotis ipsi leproso, quo mundus iudicaretur: ideo ad sacerdotem remittit Dominus, non tamen in potestate sacerdotum erat leprosos mundare, sed tantùm de illorum munditia, vel immunditia iudicare. Lege hac de re, quæ scripsimus libro 4. capite 7. numer. 15. 16. schol.

Et factum est dum irent] Quoniam Leuitic. 4. non se repræsentabant sacerdotibus, qui lepra infecti fuerant, priusquam ea liberati essent; efficitur Christum illis verbis, *ite ostendite vos sacerdotibus.* Insinuasse eis, quod inter eundum mundarentur, & hanc ab eis tacitè fidem exegisse, ac propterea noluit ipse statim sanare. Hoc autem illi haud dubium crediderunt, alioquin non iuissent ad sacerdotes, quo ablegabantur à Christo, ne ab

illis cum opprobrio pellerentur. Hinc Theophyl. *quod præcipiebat*, inquit, *illis, vt ad sacerdotes abirēt, nihil aliud indicabat, quàm quod mundi futuri essent.* & clarius Euthy. *credendo*, ait, *quod eundo possent illos mundare, ibant non dijudicantes de præcepto Christi.* Obserua verò horum obedientiam, neque enim breue illis iter præcepit Christus, nam in Samaria erant, & iussi sunt Ierosolymam petere, seqs sacerdotibus ostendere. At quantæ sint vires obedientiæ recuperata sanitas ostendit.

Fides lepro sorum, & obediẽtia.

6. *Cur cæcus natus non in ter eundum sanatus?*

Sed inquies, cur cæcus ille à natiuitate non inter eundum, vt oculos lauaret in natatoria Siloe, visum recepit, vt hi leprosi sanitatem in via receperunt? Respondeo, quia ibi ad visum recuperandum ipsa præcipiebatur lotio, sicut neque Naamã mundatus est, antequam septies corpus ablueret, vt iubebatur, hic autem promissa est tacitè sanitas, antequam se hi sacerdotibus sisterent. Neque enim licebat non mundatum se sacerdoti repræsentare. Leuit. 14.

5. *Vnus autem ex illis*] Reliqui, vno excepto, templum petiuere, vt sacerdotibus se sisterent, & sacrificia consueta offerrent. Erant illi; si Teophy. Euthym. D. Bonauent. & Tito Bostrorum credimus, Iudæi; vnus verò vbi se à lepræ fœditate liberum vidit, ad tanti beneficij auctorem reuersus est, elata voce Deum laudans, & gratias agens. Sic enim inquit Euangelista, *regressus est cum magna voce magnificans Deum*, id est Christum, vt Maldonatus interpretatur, iam enim in illum, vt in Deũ credebat.

7. *Quomodo leprosi Iudæi cum Samaritano versabantur.*

Sed quomodo, inquies, illi nouem, si Iudæi erant, Samaritano coutebantur, inter quas gentes consuetudo nulla erat, Ioan. 4. 9. Respondeo, cùm leprosi excluderentur oppidis Iudæorum, videtur non fuisse prohibitum inter Samaritanos Samaritanis leprosis couti, conciliante eos, atque cogente communi morbo, vt Theophyl. & Euth. obseruarũt; & speciatim in istis studio, & industria factum esse videtur, vt coniungerentur, & quasi facta manu Christum expugnarent. Hoc mihi magis placet, quàm quod Barrad. habet, habitasse istos in oppido aliquo in Galilæa; credo enim, quod hic narratur, in Samaria accidisse, non in Galilæa, quod non erit difficile sibi persuadere obseruanti quæ cap. præcedenti continentur, vbi dicitur repulsum Dominum à ciuitate, vel oppido Samaritanorum aliud petijsse castellum, vt num. item 3. dixi.

8. *Obseruatio moralis.*

6. *Et hic erat Samaritanus*] Morbi communio, vt dixi num. 7. Samaritanum Iudæis copulauit. Hinc discimus, si ad mores accommodare velimus, neminem debere alium per superbiam contemnere, nec sua consuetudine, vel societate indignum censere, sed debere quemlibet beneuolo animo se cum omnibus vt socium gerere, cùm omnes leprosi simus. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.* Rom. 3. 23. Cæterùm quod ad verba attinet; vt huius tanto magis gratitudinem miremur, subiecit Euangelista, *& hic erat Samaritanus.* Nam decebat magis, vt reliqui nouem, qui Israelitæ erant, ad gratias agendum redirent, statim recepta sanitate, cum tamen solus Samaritanus gratum se erga Deũ & Christum declarauerit, reuera vincens Iudæorum religionem. Quare discimus, qua ex multis vocatis paucos electos fore, & qua nouissimos fore primos, & contra primos nouissimos, hoc est, in Euangelij gratia gentes potiores futuras esse Iudæis, atque illas præ istis pro acceptis beneficijs magis Deo Patri, & Christo filio gratas fore.

Samaritanus gentes significat.

9. 7. *Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sũt?*] cum his verbis videatur quo immodo Dñs compellare, & interrogare Samaritanũ, ille vt nõ solum se gratum exhiberet, sed modestum etiam, & humilem nihil omninò respondit, non socios ingratitudinis accusauit. non se illis prætulit, sed in faciem cadens, gratias egit benefactori. Verùm illo conticescente, cõuersus Iesus ad eos, qui præsentes aderant, dixit.

Io. 8. *Non est inuentus*] In tanto numero nullus compertus est, aut nullus extitit (sic enim Græcè accipitur reperiri) *qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena*, hoc est, Samaritanus genere alienus à gente Iudaica. Quibus verbis ingratitudinem taxat cæterorum, & eorum culpam auget, huius verò gratitudinem extollit, collatione facta Iudæorum cum hoc alienigena, & huius cum illis. Iterum indicat se his verbis secreta cognoscere, dum & reliquos mundatos significat, & ad quam quisq; gentem pertineat, quamuis id fortè ex vestitu deprehendi potuerit.

II. *Qui rediret, & daret gloriam Deo*] Plus est hoc, quam si dixisset, qui gratias Deo ageret, vt obseruat Maldonatus, *significat enim*, inquit, *non quocumque modo recognoscere acceptum à Deo beneficium, sed à Christo tamquam Deo acceptum, aut certè per Christum, cuius diuinitatem, potentiam, maiestatemq; quisquis confitebatur, gloriam Deo dare dicebatur. Hoc enim phrasis significat, Iosue 7. 19. & 1. Reg. 6. 5.*

Dare gloriã Deo.

9. *Surge*] Humi enim postratus iacebat Samaritanus, & ad Christi pedes, ideo surgere iubet. *Vade*] securus videlicet de beneficij nunc tibi collati perpetuitate. *Fides tua*] fidei vim energiamq; docet, & commendat, quæ in isto etiam cum humilitate, gratitudine, ac cæteris virtutibus coniuncta erat.

Fidei vis.

THEORIA VNICA.
Duæ difficultates dissoluuntur.

DVbitari primùm hic potest, quid de reliquis nouem leprosis sentiendum: D. Aug. lib. 2. qq. Euang. c. 4. reprobatos significat; *illi*, inquit, *nouem, qui gratias non egerũt, reprobi effecti, à consortio vnitatu excluduntur, ita vnus ille, qui gratias egit, vnicæ Ecclesiæ significatione approbatus, atq; laudatus est.* Potest D. August. intelligi locutus esse mystico quodam sensu, alioquin licet negandum non sit, quod ad animi gratitudinem attinet, nouem multò inferiores vno Samaritano fuisse; non tamen facilè crediderim tam ingratos esse tanto & tam recenti accepto beneficio potuisse. Verosimiliùs ergo est existimasse curatos quidẽ se à Christo esse, oportuisse tamẽ ad sacerdotes ire, & qa missi à Christo erãt, & qa iubebat lex, vt sacerdos de curata lepra iudicaret. Cæterũ non eo prouenit eorũ gratitudo, vt redire eos faceret ex itinere ad agendas gratias, & ad agnoscendum imprimis liberatorem suum, eumque recipiendum tamquam Messiam, qui ad ipsos, id est, Iudæos propriè missus fuerat, in quo à Samaritano, quam illi gentem vt peccatricem execrabantur, vinci se passi sunt.

An reliqui leprosi reprobati.

Vnitas Ecclesiæ.

Nec mihi placent, qui dicunt, Samaritanum corpore simul, & animo, Iudæos verò nouem solo corpore curatos, nam consuetudo Christi fuit, vt neminem curaret corpore, quin etiam curaret mente: nisi magna causa postularet vnum fieri etiam alio prætermisso: vt accidit in seruo Pontificis. Ioann. 19. 10. cùm voluit refarcire damnum, quod illi discipulus intulerat.

3. An hæc hist. eadem cum ea Matth. 8.

Rursum in dubium verti potest, an hæc historia cum illa eadem sit, quam habet Matt. 8. de qua nos lib. 4. c. 7. Clemens ergo Roman. libr. 6. Apostolic. constitut. cap. 19. videtur non obscurè scribere hanc historiam decem leprosorum, eamdem esse cum illa, quam Matth. cap. 8. 1. Marc. cap. 1. 40. & ipse Luc. c. 5. 12. narrant; sic enim ait. *Saluator noster, cùm aliquando vnum leprosum, & rursus nouem curasset* &c. nisi velis dicere, illum existimasse potiùs nouem fuisse leprosos curatos à Christo hîc Luc. 17 quamuis alter fuerit prius curatus, de quo duo reliqui Euangelistæ, & ipse Luc. loco citato egerunt, qui vnus tantùm fuerit, sed tûc videndum, quomodo nouem hi fuerint. Franciscus Turria. Sic locum hunc Clemen. explanat: *leprosus*, inquit, *qui in Euangelio Matth. sanatus est, vnus est ex illis decem, qui apud Lucam sanati sunt, qui propter gratum animum solum commemoratus est, reliquis nouem præteritis, ac silentio dissimulatis, quos Luc. cum vno illo grato, & memore beneficij connumerauit.* Et postea: *igitur cùm dixit Clem. curasse Dominum vnum leprosum & dixisse quidem primo, id est, ostende te sacerdoti* &c. *Rursus verò dixisse nouem illis: ite ostendite vos sacerdotibus; significat illum vnum leprosum primũ fuisse inter illos nouem; & quia primus erat, scilicet propter præstantiam grati animi, idcircò singulariter à Matthæo commemoratum esse: ac rursus illum ipsum vnum, vna cum nouem illis fuisse decem illos apud Lucam.* Denique subdit: *est autem hæc interpretatio, vt mihi quidem videtur, S. Epiph. &c. ait enim scribens contra Manichæos, vnum leprosum propter grati animi memoriam pro decem commemoratum esse. Fortassis Epiphan. vtpote multum in Apostolicis constitutionibus, vt earum lectione versatus, inde hunc sensum mutuatus est.* Hæc Turria.

Cæterùm hanc Clement. declarationem non facilè admisero; neque enim mihi persuadere possum, eamdem esse historiam illius vnius leprosi, de quo tres simul Euangelistæ, vt habes libr. 4. harum dilucidationum capite 7. scripserunt, & hanc decem leprosorum, quam solus narrat Luc. cap. 17. Nam prius illa accidit post absolutum sermonem Domini in monte, priusquam ingrederetur Capharnaum, & sanaret puerum Centurionis; at hæc eucnit post vltimò relictam Galilæam, cùm Ierosolymam peteret subeundæ mortis causa. tempore ergo differunt, loco etiam distinguuntur: nam prior illa contigit in ingressu Capharnaum Galilææ Metropoli; hæc cùm ingrederetur Christus quoddam Castellum, & vt verosimilius est, Samariæ. Dissident etiam & narratione; nam illam primam scribit Lucas cap. 5. cum reliquis duobus Euangelistis, hanc verò scribit capite 17. si ergo vna est historia, quorsum bis repetita est à Luca? Deinde in prima vnus ille venit ad sacerdotes, vt Christus iam sanato præceperat, at ex his decem inter eundum ad sacerdotes sanatis, vnus ad Christum redijt, cæteris ad sacerdotes abeuntibus. Denique vnus ille trium Euangelistarum leprosus sic precatus est. *Si vis potes me mundare.* Hi verò decem à longe steterunt medico acclamãtes: *Iesu præceptor miserere nostri.* Alia est etiam quæreda loci Clem. explanatio.

4. Differentiæ inter leprosii Matt. 8. & hos Luc. 17.

A

Barradius librarij errorem putat, vt loco decem nouem sint suppositi. Credibilius est, quod habet Salmeron tom. 6. tract. 38. constitutionem Apostolicam nouem commemorasse leprosos, qui decem reuera fuerant, propterea quod illi ingratos se Domino exhibuerint, nisi velis dicere, nouem tantùm seruasse mandatum eundi ad Sacerdotes, sed vnum illum in spiritu agnouisse verum templum Dei, & magnum sacerdotem Iesum Christum. potest & hæc vltima expositio confirmari, quia ibi ostendere volebat Clemens legem bonam fuisse, quam nouem illi seruarunt euntes ad Sacerdotes, quo missi erant à Christo.

5. Clementis sensus.

Quod verò ad Epiphan. hæres. 66. contra Manichæos attinet, dum dicit: Euangelistam propterea quod ille alienigena intellexit beneficium, & propter grati animi significationem vnius pro decem mentionem fecisse, fateor insinuare hanc historiam eamdem esse atq; eam, quam tres Euangelistæ narrant. & fortassis etiam Irenæus idem censuit, nam libr. 3. cap. 15. referens, quæ solus Euangelistarum Lucas scripto tradidisset de Christo, huius historiæ non meminit.

6. Epiph. sententia.

B

DIGRESSIO PRIMA MORALIS.

Quædam historiæ præcedentis verba ad mores accommodantur.

C

ET *factum est, dum iret in Ierusalem*] In hoc itinere, quo Dominus cogitabat Ierosolymam subeundæ mortis causa, efficacitatem effundendi sanguinis sui, eiusque admirabiles effectus multis modis aperit. nam & cùm ingrederetur hoc castellum, cuius hic mentio fit, decem leprosos opem ac misericordiam implorantes, lepræ morbo liberauit; quo mysticè indicauit, mox se liberaturum fore humanum genus quadam quasi lepra sic peccato infectum; verè enim de vniuersa Adæ progenie illud Isaiæ cap. 5. 6. affirmari poterat: *omne caput languidum, & omne cor mœrens à planta pedis, vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Iterum Iericuntinam vrbem adiens cæco visum restituit; quo significatum est hominum generi per Adæ peccatum excæcato aurei sanguinis sui collyrio lumen restituendum esse. Quo verò planè constaret, nos eius morte ad vitam reuocandos esse, Bethaniæ Lazarum ab inferis resuscitauit.

1. Efficacitas sanguinis Christi.

D

Sed cæteris omissis, quod de lepra dictũ est, verissimum esse non dubitabit, qui perpenderit solum Christum cælitus esse missum, vt leprosorum, & immũdorum, qui se ipsos grauissima lepra peccati purgare, vel ab alijs purgari non poterant, medicus esset. Enimuerò *venit* ipse *quærere, & saluum facere, quod perierat:* Luc. 10. De quo sic diuinus Vates multò ante cecinit Psalm. 106. 20. *Misit* (Deus Pater) *verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus.*

2. Locus Psal. 106. 20.

Nunquam Naaman Syrus 4. Reg. 5. & Luc. 4.

3.

Naaman Syrum à solo Eliseo sanatus, figura est generis humani, quod à lepra peccati à solo Christo curari potuit.

quamuis à summo capite ad calcem vsq; lepra respersus esset, in terra sua positus vllum sibi remedium ad sanitatem vtile inuenire poterat, donec Israelitidis puellæ, quam domi captiuam eius vxor habebat, consilio vsus in terram Israel pergeret, vbi turpi ac fœda lepra purgatus per Elisæum Prophetam est, septies in Iordanis fluentis carnem abluens. Nihil illi opes, nihil regis Syriæ fauor, nihil tot illi remedia adhibita, nihil tot medicinæ profuerunt, solius Elisæi vim, & potentiam sibi profuisse expertus est. Qua re Elisæus, quod nomen *salus Dei*, vel *Deus saluans* significat, aptè Iesum Christum signabat, ad quem illud Iacob Patriarchæ dictum maximè pertinet, cum graui implicitus morbo decumbens, sic vaticinaretur Gen. 49. 18. *Salutare tuum expectabo Domine.* nisi enim iste Saluator cœlitus fuisset missus, nemo nostrum à lepra esset dimissus. Meritò sanè versiculum illum 7. Psalm. 52. *Quis dabit ex Sion salutare Israel.* Titelma. de Christo exposuit: *quis verò*, inquit, *erit, qui tantæ poterit mederi malitiæ, quæ abundat in terris? Quis de superna illa, cœlestiq; ciuitate (posteaquam hic super terram declinauerunt omnes, & maculati sunt in seipsis) dabit salutem, & saluationem populo Israel, populo fidelium? Cùm conuerterit Dominus captiuitatem plebis suæ? Iudubie nemo præter Dominum Deum Saluatorem nostrum, qui cùm voluerit in tempore gratiæ per filium suum auferet captiuitatem illam plebis suæ, sub qua miserè detinebantur, saluumq; faciet populum suum.* Hominem igitur ab ipso nascentis mundi exordio lepra peccati infectum, nullus vnquam purgare potuit, nullus eidem medicinam facere, non Patriarchæ, non Prophetæ, non Sacerdotes, non iustus aliquis in terra, nec de cœlo Angelus, non inprimis lex ipsa Mosis quicquam solidi ad hanc sanitatem præstandam contulit, non sacrificia, non ritus, non cerimoniæ, omnia ad hoc inutilia, frigida, vana fuere. vni verò Elisæo, id est, Christo hæc prouincia demandanda erat, solus ille erat à Patre constitutus, vt sanaret hominem.

Locus Gen. 49. 18.

Psalm. 7. 52.

4.

Ad Christum vt à peccati lepra sanemur, accurrendum, & acclamandum.

Quocirca natiuæ nostræ lepræ conscij, quoniam ab Adam veluti leproso parente leprosi ac immundi & concepti, & in lucem editi sumus, ad hunc omnis misericordiæ fontem confugiamus huius tam immundæ lepræ purgationem ex animo petentes cum Propheta Psalmo 40. 5. & 6. 3. *Ego dixi, Domine, miserere mei: sana animam meam, quia peccaui tibi. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.* Precemur cum August. *sana me Domine & sanabor, saluum me fac, & saluus ero: tu qui infirma sanas, & sanata conseruas, tu qui solo nutu tuo restauras diruta, & collapsa.*

5.

Peccator lepra infectus est.

Occurrerunt ei decem viri leprosi. Decem hi leprosi non ineptè opinor, significare possunt eos, qui grauiter in decalogum peccant, *in quo quicumque offendit in vno, factus est omnium reus* Iacobi capite 2. versic. 10. Necesse difficilè ostendere peccatores lepra sordidatum animum gestare. & quidem qui primæ tabulæ præcepta infringunt, præsertim per hæresim, simili cum Ozia Rege lepra infecti sunt. Ozias enim lepra percussus est in fronte ob id, quod superbè sacerdotis officium ausus est assumere. Non huic absimiles sunt hæretici, qui propter superbi animi tumorem noua dogmata cudunt. Sacerdotum, & Ecclesiæ aspernantur leges, nomen etiam Dei in vanum assumunt, dum corrumpunt Scripturas, sabbata item, & festa, cæteroq; Ecclesiæ ritus derident. Quod verò Hæretici leprosi sint, & quãobrem rectè docet Augustinus libr. 2. qq. Euang. cap. 40. & Greg. libr. 5. mor. c. 11. Beda Luc. 17. Ruper. Leuit. 13.

Hæresim lepra Oziæ refert.

At eorum, qui parentibus non obediunt, lepra designatur, in quattuor illis leprosis, quorum meminit quartus liber Regum, qui castra ingressi comederunt, & biberunt, tuleruntque inde aurum & argentum, & vestes & abierunt, & absconderunt; ita illi parentibus ingrati, vbi eorum labore parta comederunt, & biberunt, ad alia se conuertunt vel abeunt sæpè, suis genitoribus contemptis, & relictis.

6.

Lepra eorum qui parentibus non parent, significatur lepra quatuor leprosorum, de quibus 4. Reg.

Qui verò hominem per dolum ac fraudem interimunt, in lepram incidunt Ioab, de quo ob interfectum per dolum, & proditionem. Abner scriptum est 2. Reg 3. 29. *non deficiet de domo Ioab leprosus.* Verùm qui obsceni sunt, & rebus turpibus inseruiunt, aptè per leprosum Naaman Syrum significantur, planè totum inquinatum lepra; sic enim fornicatores, adulteri, præsertim, qui computruerunt iam vt iumenta in stercore suo, toti planè sordent. Naaman Syri lepra adhærescens Giezi Elisæi puero denotat eum, qui per sordidam simoniacam labem spiritualia vendit, vel emit. Ii porrò, qui falsum testantur, vel de proximi fama quidquam detrahũt rectè per lepram Mariæ sororis Mosis in fratrem obmurmurantis, repræsentantur. Quemadmodum & eos, qui aliena rapiunt, vel cupiunt, vel vxorem proximi desiderant, aptè lepra manus Mosis indicat, vel etiam Simonis leprosi. Postremò ingratorum omnium peccatum nouem his leprosis, qui post receptam sanitatem ad benefactorem suum non sunt reuersi, significantur.

Qui per dolum hominem interficiunt in lepram Ioab incidunt.

Lepra Naaman obscenos significat.

Simoniaci per Giezi in dicuntur.

Detractores lepra Mariæ declarat, sicut latrones & fures lepra manus Mosis.

Ingratorum leptum nouum leprosi significant.

Quod si conditiones lepræ expendamus, haud sanè dubitabimus peccatum peioris lepræ speciem quamdam esse. Primum quidem quod lepra olim nõ tam medicis, quam Sacerdotibus erat commissa in lege, id quod aptiùs in peccatum quadrat, quod cognoscendum, & expurgandum solis est sacerdotibus consignatum; deinde lepra detestabilis morbus est; quẽ vel videre modò detrectent oculi, & peccato nihil detestabilius, nihil quod magis horreant sancti, & pij quique. Hinc illud. *tamquam à facie colubri fuge peccatum.* Adhæc lepra morbus varius, & fœdè discolor est, & peccatum multiplex est, & quasi monstrum horribili varietate deformatum; rursus vt lepra reddit corpus tardum, & inhabile ad omnem operationẽ, sic ex peccato fastidiũ quoddam, & satietas virtutis oritur, & paulatim odium, de quo Hiere. 31. 30. *omnis homo qui comederit vuam acerbam obstupescent dentes eius.* Præterea vt lepra inficit alios, sic, *modicum fermentum totam massam corrumpit* 1. Cor. 5. His accedit, quod leprosi habitus

7.

Peccatum lepræ comparatur & lepræ conditiones.

fœdo

fœdo odore molestissimus est. Hic Leuit. 13. iubetur habere os veste contectum, & peccati odor pessimus est. deniq; ordor est mortis in mortem, ex impuro enim corde omnia procedunt mala, & Propheta de peccatoribus ait. *sepulcrum patens est guttur eorũ*. Neq; illud omittendum, leprosum extra castra eijciendum, iubete lege; & olim tantus erat peccati mortalis horror, vt eo infectus cum fidelib. versari prohiberetur, quamuis per excommunicationẽ extra Ecclesiam nondum esset. sic D. Paul. 1. Cor. 5. 11. *si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus aut rapax cum huiusmodi nec cibum sumere.* Iterũ lepra alia quidem erat sacerdoti facilis ad cognoscendum, difficilis verò alia, ita animi lepra peccatum, quædam facilis est & manifesta, vt quæ omnib. patet; quędam verò intra corda sæpè latet, & in pectoris sinibus ac latebris recondita est; ipsa enim peccata si spectes, alia sunt nota, alia occultiora; quis enim furtum adulterium, homicidium non vituperet? quis verò laudet, nisi planè mentis & rationis expers; obscuriora sunt, ac subtiliora spiritualia quædam peccata, superbia, ingratitudo, temerarium iudicium, &c. quo in genere inprimis infamis est hæresis, quæ ficta vel sanctitatis, vel veritatis specie mentis aciem perstringit. Postremò incurabilis morbus est lepra, & peccatum soli Deo malum sanabile est, iuxta illud Isa. 43. 25. *ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor*. Quare cum omnes peccatores simus, atque adeò leprosi, est quod omnes quoque Christo Domino occurramus, qui solus potest hanc animi lepram penitus profligare.

Sed nescio quanam ratione fiat, vt cum tanto studio quærant omnes corporis lepræ purgationem, eamque summo odio detestentur, animi tamen multo peiorem non curent, sed foueant potius. duabus equidem de causis id euenire arbitror, quarum altera est, quia corporis lepra sub obtutum oculorum cadit, ita vt omnium oculis cerni possit; proinde ne alijs opprobrio simus, & contemptui, magna diligentia, atque studio curamus, vt statim tam fœdo morbo liberemur. Verum quoniã animæ lepra intus in anima est, & neque nostris, neque ceterorum oculis exposita, ideò vix est, qui multum eius purgationem curet.

Quantum autem valeat, vt quis se leprosum esse sciat ad lepræ curationem, non inepte sanè colligunt quidam viri docti ex his, quæ videntur in Leuit. 13. præcipi de lepra. Iubebat Deus, vt qui à summo capitis vertice, ad calcem vsque pedis lepra omnino insperfus esset mundus haberetur, & vt talis declararetur à sacerdote; qua de re vide quæ notauimus libr. 4. dil. cap. 7. schol. num. 4. At qui aliqua dũtaxat corporis parte, nec toto prorsus corpore leprosus esset, immundus haberetur, quã quidem rem quamuis plurimos admirari sat sciam, eiusque rei causam quærere; non dubitant tamen aliqui, mysticam hanc intelligentiam illud Dei præceptum habere. Duplices enim sunt animo leprosi, hoc est, peccatores; aliqui vndique quidem lepra respersi sunt, tales se tamen esse, & confitentur, & non sine dolore agnoscunt. Aliquos verò est inuenire, quos peccati lepra non omninò occupauit, sed cum vitijs virtutes aliquas, vel earum saltem speciem habere deprehenduntur, orant, rei sacræ assistunt, ad immaculatum Eucharistiæ sacramentum accedunt, ceteriſque Christianæ religionis officijs vacant. Ceterum seipsos non agnoscunt, nec se verè leprosos satcredunt, nec quid sit spiritualis lepra intelligunt adhuc; vnde fit, vt suis morbis medicinam vix quærant. Atq; sui in longè maiori salutis discrimine versantur quàm primi ad salutem obtinendam sui, ac spiritualis lepræ cognitione sibi aditum aperuerunt, vt merito illos quis tamquam non leprosos habendos iudicet, sed contrarium sentiendum est de secundis. Vtrumq; huiusmodi leprosorum genus per Magdalenam, & Simonem, qui Dominum conuiuio exceperat demonstratum esse non absurdè quis dicat. fuerat Magdalena infamis, tota ciuitate peccatrix, demum omninò leprosa, verum quoniam conditionem suam cognouit, dum vbertim profusis lacrymis ad cœlestis medici se pedes abiecit, lepræ purgatione accepta iam non leprosa declarata est à summo sacerdote Christo. Simon verò qui Christum inuitauerat, quoniam qua infectus erat lepra non congnoscebat, de remedio non cogitauit, immò verò ob bona quædam opera sibi bonus esse videbatur, atque adeò Christi sententia leprosus declaratus est. Itaque vt vnde huc delapsi sumus redeamus, non mirum, si spiritualẽ sensum inspicias, quod voluerit Deus illos declarari mundos à Pontifice, qui toto penitus corpore lepra infecti essent; contra ac de non omninò infectis præcepisset. Hęc ergò est vna de duabus caussis, propter quam dixi fieri, vt negligentes sint homines in quærenda purgatione spiritualis animi lepræ, quod eam videlicet nõ agnoscãt vt solent corporis leprã.

Altera causa assignari potest, quod nos lateat quanta sit morbi huius, id est, peccati grauitas & turpitudo, quantam item totius hominis perturbationem secum afferat tam detestanda & inf'amis animi lepra. Nam si quis hæc perfectè attẽderet, & penetraret omninò, protinus ad medicũ accurreret, vt tãto malo liberaretur, & q̃ inde est, periculũ effugeret. neq; n. aliunde fit, vt homines adeò perfricta fronte mali sint, vt nullo freno, ac timore cohibeãtur, quo minus in Deum peccent: non n. quantum malũ sit peccatum considerant, hinc Ier. c. 8. 6. meritò queritur de Ierosolymitanorum impudentia, quod nemo hominum esset in toto populo, qui commissa crimina defleret. *nullus est*, inquit, *qui agat pœnitentiã super peccato suo dicens: quid feci? omnes conuersi sunt ad cursum suũ quasi equus impetu vadens ad prælium.* nimirũ hi peccati obscœnitatẽ, & grauitatẽ minimè agnoscunt. Aliter Ansel. quoniã quantũ ineſſe mali in peccato animaduerterat de animi lepra sentiebat: *si hinc*, ait, *peccati pudorem, & illinc cernerẽ inferni horrorẽ, & necessariò alteri eorum succũbere deberẽ, prius me in infernum demergerem, quàm in me peccatum admitterem, mallem enim prius à peccato innocens gehennam intrare, quàm surdè polluti Cœlorum regna tenere.*

Quod si & nos peccati malitiã attẽti perpẽdemus

8. *Ob duas causas non curamus animi lepram à nobis depellere.*

Prima causa.

9. *Lepræ spiritualis cognitio multum iuuat.*

Duplices in animo leprosi.

Cur Deus omnino leprosos nõ doi declarari voluerit.

10. *Altera causa cur non ita detestemur animi vt corporis lepram.*

Locus Ier. 8. 6.

Iosiæ exemplum.

remus, toto cohorreremus corpore, atque animo prorsus deficeremus, nec tam præcipites in vitia ferremur. huc maximè pertinet id, quod legimus 4. Regum 22. & 23. fecisse Iosiam, memorando satis exemplo; cum enim audisset quæ Deus in volumine legis, quod audiente populo perlegebatur, de peccatorum grauitate & fœditate, dicebat, etenim propter peccata grauiter peccatoribus iratus, horribilia, & valdè acerba legis transgressoribus supplicia minabatur, famem, bella, miseram captiuitatem, labores denique mortem.) Tantæ sanè tunc angustiæ, tot terrores, tantus dolor sanctissimi Regis animum occuparunt, vt spectante populo vniuerso, vestimenta sua scinderet, & præ ingentis doloris magnitudine lacrymas non contineret. Cui Dominus per Holdam prophetidem sic respondit. 4. Regum 22. vers. 18. 19. 20. *pro eo quod audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius, quod videlicet, fierent in stuporem, & in maledictum, & scidisti vestimenta tua, & fleuisti coram me, & ego audiui, ait Dominus. iccirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulcrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum.*

Locus 4. Reg. 22. 18. 19. 20.

Quantum, Deus bone, ab huius regis pietate absumus; quotus enim quisque est, qui cognoscere velit, atque ex sacris litteris rimari, quanta sit peccati fœditas, quanta secum aduehat mala, quantum sit inuisum Deo, quot supplicijs illud persequatur, proinde non mirum si tanto monstro non terremur, si tanto malo non dolemus, si tam fœda lepra non curamus purgari.

12. Quæ fecerunt leprosi nobis præstanda sunt.

Quanto satius esset hos imitari leprosos, qui lepram suam agnoscentes, & foras prodeuntes Christo medico occurrerunt. sed videamus quæ isti præstiterint, occurrerunt primum Christo, deinde de longè steterunt; mox medico acclamauerunt, *Iesu præceptor miserere nostri*; denique cum medicus benigne eos respexisse, eius iussu pleni fide ad sacerdotes iuerunt: expendamus singula, vt imitemur; oportet igitur animo leprosos primum Christo occurrere, quod tunc facimus, quando eius ope adiuti incipimus odisse peccata, & quæ possumus quædam pietatis officia præstamus vel, & eodem fermè reuoluimur, cum spiritus sancti impulsu agitati eius motioni non repugnamus. stamus verò à longe cum leprosis & publicano, dum penitus conscientiam nostram explorantes videmus quam alieni simus à Deo, à quo per peccata longius aberrauimus: quorum rubore non audemus oculos in Cœlum tollere.

Dei misericordia.

Tertiò acclamandum est Christo, & quidem magna animi contentione, vt commiseratione commotus; peccati lepram expurget. Vt autem efficacior sit oratio, Christi qui solus medicus est ob oculos misericordia ponēda erit, illa identidem imploranda. nec sunt alia peccatori quærēda remedia potiora, illa est *quæ sanat omnes infirmitates nostras, quæ redimit de interitu vitam nostram*, ipsa perpetuum fuit sanctorum confugium, audi Dauid. *Ad Dominum*

A *cum tribularer clamaui, & exaudiuit me*, & iterū *in te sperauerunt*: (hoc est, in Dei misericordia.) *patres nostri sperauerunt, & liberasti eos ad te clamauerunt, & salui facti sunt, in te sperauerunt & non sunt confusi.* hoc solo præsidio fretus filius prodigus patrem adijt, & eius obuijs misericordiæ vlnis exceptus est.

13. Ochoziæ qui similes.

Qui alia in re confidunt, ij mihi similes videntur impio regi Ochoziæ, qui cum æger decumberet consuluit Beelzebub Deum Accaron 4. Reg. 1. contra quem iratus Dominus sic prædixit per Eliam Prophetam v. 16. *quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, à quo posses interrogare sermonem, ideò de lectulo, super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris.* Dignum sanè delicto supplicium, vt qui relicta Dei misericordia, alia malorum suorum remedia inquirūt, in miserijs non subsistant, contra quos etiam per Ieremiam c. 9. 23. 24. sic pronunciat Deus: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dines in diuitijs suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam in terra.*

B

14. Iudæi quod non in Deo, sed Assyrijs & Aegyptijs confisi sint, ideo Dei iræ tarent. Locus Ieremiæ 2. 36.

Nulla alia re acerbius Deum offenderunt Iudæi, quàm cum contempto Dei auxilio, ac misericordia desperata, ad Assyrios & Aegyptios confugerunt. Hinc iustissima illa Dei querela per Ieremiam c. 2. 31. *videte verbum Domini nunquid solitudo* (vbi nihil est fructus & consolationis) *factus sum Israeli, aut terra serotina?* i. serò fructum ferēs, septua. *plena sentiam*) *Quare ergò dixit populus meus: recessimus, non veniemus vltra ad te,* & postea v. 36. *quàm vilis facta es nimis, iteras vias tuas, & ab Aegypto confunderis, sicut confusa es ab Assur.* q. d. non poterit tibi Aegyptus opem ferre, sicut nec Assyrij potuere. Audi quid propter eamdem causam protestetur Dominus contra Asa Regem Iuda, cum derelicto Deo (cuius prius ope, parua suorū manu Aethiopes vsque ad internecionem percussus erat) à Benadab Rege Syriæ contra Baasam, Regem Israel auxilium postulasset, dictū est enim ei ab Hanani Prophēta Dei nomine 2. Paralip. 16. v. 7. *quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, iccirco euasit Syriæ Regis exercitus de manu tua,* & v. 9. *stulte igitur egisti & propter hoc ex præsenti tempore aduersum te bella consurgent.*

C

Asa Rex Iudæ reprehenditur, quod alibi quàm in Deo fiduciā locarit.

15. Dei misericordia.

Ecce quanta sit Dei misericordia in istis leprosis videre est; vix enim aperto ore Christi misericordiam implorarunt, cū illos audijt ille, & dimisit voti cōpotes factos; vt indicaret quàm sibi gratū sit videre, vt quis ad eius misericordiæ thronum cōfugiat, ad quem hortatur nos Apost. ad Hebr. 4. 16. *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiā consequamur & gratiam inueniamus in* (pro cum) *auxilio opportuno.* q. d. gratiā adiuuātem in opportunitate. cum videlicet opus est, etenim *misericors & miserator Dominus, longanimis & multum misericors.*

D

16.

Admirare quæso mecum lector interim Dei clementiam, quæ in petenda peccatorū venia visitur, ac misericordia. Qui enim sceleris sibi conscius postulat vt Deus sui misereatur, non solum id postulat, vt simpliciter gratiā, & fauorem à Deo obtineat; sed id quoque, vt leges,

quas

quas cõtra peccatores sanxit, in pso locũ quodãmodo nõ habeant, nec seruẽtur, quod postulare nisi ipse Deus ad id flagitandũ nos vrgeret, singularis foret impudentię. Cedo si quis latro, vel homicida à Rege aliquo peteret, vt leges, quas contra latrones & homicidas promulgauerat, in sui fauorẽ abrogarẽtur, vel irritæ fierent, an non iste nimiũ tibi audax videretur? Atqui hoc est quod reuera postulat, qui post commissũ crimen, quo Deũ ipsũ leth aliter offendit, poscit. n. in se non exerceri quæ cõtra fornicarios, immũdos auaros, superbos, inuidos diuinis legib. sancita sunt, sc. vt qui talia agũt Regnũ Dei nõ possideãt. Hãc quodãmodo infringi legem & quasi violari in te vno petis, cũ sic oras, *miserere mei Deus*, q.d. peto ne in me quę lege tua mereor, & iustè debẽtur supplicia, locũ habeãt. Verũ tãta est Dei Bonitas, tanta misericordia, vt non modo nos à throno misericordiæ suæ nõ repellat, sed inuitet potius vt accedamus, accedẽtes benignè excipiat & liberos dimittat. sunt qui ad eã rem declarandã factum illud Mosis, q. Exh. 32. 19. narratur nõ ineptè afferant. Cũ. n. descendens de mõte Sina secũ haberet tabulas legis digito Dei scriptas: *cumq; appropinquans ad castra vidisset vitulum, & choros, iratus valdè, proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicẽ montis.* Quo facto docuit in hoc sitam esse peccatorũ omniũ salutem, vt Dei leges ad radicẽ montis confringantur. Mons iste si allegoriam quæras, filius Dei est nostram indutus carnẽ, *& qui abscissus de mãte; sine manib.* hoc est, natus de virgine nullo virili opere factus est mons magnus Dan. 2. 34. 35. huius montis pars intima, & quasi radix Christi, est humanitas, ad hanc radicẽ frangũtur quodãmodo tabulæ legis diuinæ, quando propter Christi meritũ eiusq; sanguinem pro peccatorib. in cruce fusum non peccatorum modo veniam, & misericordiam non solum suppliciorũ condonationẽ, sed quidquid etiam à Deo Patre petierimus, obtinebimus. Hic ergò frãguntur leges, hic desinit infernus, hic aboletur mors, hic omnis purgatur lepra peccati, hic sita salus omnis, & cœlestis vitæ beatitudo. Clama igitur quicunq; es, dic quanta maxima contentione potes: *Iesu præceptor miserere mei.*

Locus Exh. 32. 19

Christus mõs est, ad cuius radicem hoc est, cutus humanitatis in cuius, & sanguinem vbertim fusi pro nobis leges quodãmodo Dei infringuntur, dũ supplicia peccatis debita & sacris legib decreta condonantur clemẽter à Deo propter sanguinem Christi.

Hinc verò considerandum est non indiligenter, maiorem longè potestatem Euangelicis sacerdotibus ad remissionem peccatorum tributam esse, quàm quæ in veteri lege vnquam supra lepram tradita fuit, quod sic disertè expressit D. Chrysost. 3 de sacerdot. *corporis lepram purgare, seu verius dicam haud purgare quidem, sed purgatos probare Iudæorũ sacerdotibus solis licebat: neque nescis quanta cum ambitione, quanto cum studio ac cõcertatione sacerdotalis dignitas id temporis conquireretur. At verò nostris sacerdotib. non corporis leprã, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. quare iudicio quidem meo, qui istos contẽnunt multo sceleratiores, maioriq; supplicio digni fuerint, quàm Dathan cum suis omnib.* Hæc ille. non obscura sunt Domini verba, quibus post factã insufflationem discipulis, perspicuè dixit: *accipite Sp. S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorũ retinueritis, retẽta sunt.* Io. 20. 23. & apud Mat. 18. 18. Apost. loquitur *Amen Amen dico vob: quæcunq; alligaueritis super terrã, erũt ligata & in Cœlo, & quæcunq; solueritis super terrã, erũt soluta & in cœlo:* rectè sanè Amb. li. 2. de pœn. c. 2. scripsit, quod Christus concesserit Apostolis, id ab h sad sacerdotes esse translatum, vt peccata dimittant. Quare quanti faciendus sit sacerdotũ ordo tã vtiliter, tam necessario institutus, ex his manifestè apparet: quos & Christus ipse tanti fecit, vt ad illos miserit leprosos, & per ipsos diuina munera quotidie offerat, atque dispenset. Quis enim non magnificiat isthæc Christi de sacerdotibus testimonia? *sicut misit me Pater & ego mitto vos; qui vos audit me audit: & qui vos spernit, me spernit, qui aũt me spernit spernit eum, qui misit me* Ioann. 20. Lucæ 10. Hinc Paulus suo & sacerdotum nomine constanter testatur 2. Corinth. 5. *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo reconciliamini Deo.* Ad hæc autem referuntur illa teste Clement. libr. 2. Apost. const. cap. 33. *Dijs non detrahas. & principi populi tui non maledices & dij estis, & filij altissimi omnes* Exhod. 22. Psalm. 81. 6. dicuntur & sacerdotes, eodem teste, Patres spirituales, quos non minus, quã alios sdm carnem parentes honore, & caritate prosequi debeamus. Debemus ergò si lepra peccatorum liberari volumus Christi præcepto obedire, & ad sacerdotes accedere; vt sanemur.

Testimonio Christi & scriptur. patet dignitas sacerdotalis.

Cæterum mundatos iam quò diutius in nobis conseruetur sanitas, & augeatur, etiam easdem actiones imitari decet, quas leprosus ille exercuit cum sanitatem consequutum se vidit: Redijt ad Christum, cecidit in faciem ante pedes eius, clamauit voce magna, & immortales gratias egit ex animo liberatori suo, idque statim fecit, erat autem hic Samaritanus & alienigena, cui demum dictum est à Christo, quod eius eum fides saluum fecisset, surgeret proinde, & securus abiret

19. *Vt sanitas spiritualis à morbo lepræ conseruetur in nobis, seruare oportet quæ leprosus gratus exercuit.*

Hæc eadem custodienda nobis, redeundum nobis iam sanitate recepta ad Christum, vt ita eum nostrum fuisse liberatorem, nostrum medicum, ac benefactorem fateamur, & agnoscamus. *ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur.* Eccles. 1. 7. sic beneficia ad eum, per gratiarum actionem redeant oportet, à quo emanarũt; *ad locum,* inquit Bernardus ser. 13. in cant. *vnde exeunt; reuertuntur flumina gratiarum, vt iterum fluant; remittatur ad suum principium cælestę profluuium, quo vberius terra refundatur.* deinde cadendum in faciem, per sinceram, ac profundam animi submissionem; etenim vt superbus animus virtutes dissipat, ceu ventus nubes: sic modestus & submissus easdem fulcit, auget, & custodit. tertiò magna opus est voce, nec tam oris contentione, quàm cordis alacritate clamandum.

1. Redeundũ ad Christum.

Gratitudo.

Locus Eccle. 1. 7.

2. Cadẽdum in faciem. Humilitatis vis.

3 Magna opus est voce.

Quod his trib. perficies, primũ si magna fide, ardẽte caritate, ingenti gaudio gratias Christo p̃ ãimenso beneficio recuperatæ sanitatis agas hic similis eris noeticæ colũbæ, quæ diluuio abscedente ad benefactorem suum redijt in arcam oliuæ virentis ramum ore præferens. Corũũ imitantur ingrati, qui cadauerum fœtore detentus Noe conseruatorem suum desertor ipse contempsit. Deinde nec gratias egisse satis est nisi statim id egeris, quod & publicanus fecit, dum statim accepto beneficio ad Christum venit. in veteri lege holocaustum, quod offerebatur pro gratiarum actione Leuitic. 8. & caro victimæ non erat in crastinũ seruanda. quia gratiarum actiones non sunt differendæ.

20. *Vox magna hac tribus continetur.* 1. *gratia agendæ.* *Grati colũbæ Noetice similes.* *Ingrati similes coruo.* 2 *Statim gratia agenda.*

Noe vbi primum exijt de arca liberatus à

diluuio

Quanti faciendi sacerdotes.

diluuio, statim altare Domino construxit, & sacrificia obtulit gratias agens DEO; & Dominus in Euangelio post illam panum multiplicationem iussit statim colligi fragmenta ne perirent, vt in memoriam accepti beneficij asseruarentur. Denique necesse est etiam, si verè Deo gratus esse cupis, vt eius beneficia quæ omnibus etiam communia sunt, ita tua reputes quasi tibi soli præstita forent, quod suo exemplo declarasse mihi videtur hic vnus leprosus, qui ceteris cessantibus, quasi solus ipse beneficium accepisset, gratus ad Christum redijt. quam rem egregiè monet Chrysostomus libr. 2. de comp. cordis. *Hic affectus*, inquit, *est serui fidelis, vt beneficia Domini sui, quæ communiter data sunt omnibus, quasi sibi soli præstita reputet, & quasi ipse sit omnium debitor, & pro omnibus ipse solus habeatur obnoxius: hoc fecit & Paulus, qui mortem Domini & Saluatoris nostri, quæ pro vniuerso expensa est mundo, sibi soli præstitam dixit, quasi enim de se solo loquens ita scribit* Galat. 2. 20 *quod enim nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui tradidit semetipsum pro me, hæc autem dicebat non coangustare volens amplissima, & per orbem diffusa Christi munera, sed quasi qui, vt diximus, pro omnibus se solum iudicaret obnoxium & re vera quid interest, sic & alijs præstitis, cum quæ tibi præstita sunt, ita integra sint, & ita perfecta quasi nulli alij ex his aliquid fuerit præstitum. Ideò denique, & in illa boni pastoris parabola non dicitur, quia venit oues multas quærere. sed vnam, vna namque est; quia sic omnibus quasi vni diuina beneficia conferuntur.*

2. *Quasi tibi soli beneficia communia præstita, sic agendæ gratiæ ex Chrysost.*

21.

Quartò demum eum, qui peccati lepra liberatus est, oportet Samaritanum esse, id est, receptæ sanitatis, & puri cordis solertem conseruatorem, atque adeò Dei in se inhabitantis custodem; sic enim monemur Prouerb. 4. *omni custodia serua cor tuum*, oportet & alienigenam esse, id est, peregrinum nulli rei corde adhærentem, sed tantum de mundo tenuè victum & vestitũ sumentem, vt quem sola cœlestium bonorum recordatio, & desiderium tantisper, dum peregrinus hic viuit, sustentat & oblectat. sic facile audiet quicunque talis est: *surge* ab his terrenis, & fluxis rebus, & *vade*, maiores in dies progressus faciendo, etenim *fides tua te saluum fecit*, & fructus fidei per dilectionẽ operantis, qui non alius, quam clara Dei visio est in omnem æternitatem saluum te reddet. Hæc hactenus.

4. *Oportet Samaritanum esse*

DIGRESSIO II. MORALIS.

Fugiendam esse consuetudinem malorum, & quod in benè cœptis perseuerandum sit.

1.

QVod leprosi Christum compellantes, & obsecrantes à longè steterint, fecerunt id ex veteris legis præcepto, quæ præcipiebat leprosos extra castra versari, & ab hominum conuictu, & consuetudine abstinere. Ceterũ si mysticũ sensum sequare, hoc non sine figura contigit illis. docere enim voluit Deus hac lege illata, vt à spirituali lepra, hoc est, à facinorosorum hominum consortio cauendum omnino esse. Huiusmodi homines, qui hanc lepræ pestiferæ saniem contraxere sunt sacrilegi, raptores, vsurarij, adulteri, fornicatores, ebriosi manifesti, alijque plures carnis operibus, vt Paulus appellat Galat. 5. 19. obnoxij, quos idem Apostol. nobis tamquam lepra pessima vitiatos vitandos esse monet. 2. Corinth 5. 9. 15. *ne commisceamini fornicarijs, &c. sius, qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere, & v. 6. nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit*; præsertim autem fugiendi sunt hæretici, de quibus ad Titum 3. 10. idem Apostolus ait: *hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita.*

Et vide quantopere fugiendos nobis esse peccatores Spiritus sanctus docet. primum fere Sapientis præceptum fuit Prouerb. 1. 10. *fili mi si te lactauerint peccatores ne acquiescas eis.* & v. 15. 16. *fili mi ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum, pedes enim illorum ad malum currunt.* & Prou. 4. 14. 15. *ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via, fuge ab ea, nec transeas per illam, declina, & desere eam.* & Eccles. 7. 2. 3. *discede ab iniquo & deficient mala abs te. fili non semines mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum.* is sementẽ facit in sulcis iniustitiæ, qui trita impiorum vestigia terens, & pariter cũ eis incedens, occasionis, & peccati semina sibi ipsi quærit. etenim *qui amat periculum peribit in illo, & corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Non alio sane nomine Iehu filius Hanani Prophetæ grauiter reprehendit Iosaphat Regem alioqui pium, quã quod cum impio Achab copias iungeret, sic. n. legimus li. 2. Paral. c. 19. 2. *impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & iccirco iram quidẽ Domini mereberis, sed bona opera inuenta sunt in te.* &c. propterea non est mirandum, quod veteri lege omnibus connubia cum alienigenis & idololatris populo Israelitico seuerè interdixerit Deus Exhod. 34. 16. *nec voces de filiabus eorum accipies filijs tuis, ne postquam ipse fuerint fornicatæ, fornicari faciant filios tuos in Deos suos.* Neque id solùm, sed omne etiam commercium propter eamdem causam grauiter proh. buit Deus. ibidem v. 12. *caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam.* Quid? quod illæ omnes prohibitiones, videlicet: *anima, quæ tetigerit aliquid immundum*, &c. *rea est.* Item: *si tetigerit quidquam de immunditia hominis iuxta omnem impuritatem* &c. *subiacebit delicto.* Leuit. 5. 2. 3. item: *qui tetigerit mortuum eorum, immundus erit vsque ad vesperum, & nolite contaminare animas vestras. nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis* Liu. 11. 31. 43 allegoricè hoc docent, vt ab improborum hominum consortio, & contagione caueamus.

Prima mundi contagio, & pestis, quæ & diluuium orbi inuexit, inde nata est, quod filij Seth, quos *Angelos* propter pietatem scriptura nominat, filias Cain in vxores acceperint.

Etenim sicut in aduerso flumine Cymbã remigando vrgere difficile est, sic inter media vitia

2.

Exem Eccl. 7. 2. 3.

Iosephat reprehensus à Deo.

Cauit Deus ne Israelitæ inirent connubia cum alienigenis, & idololatris, & ne cõmercium cum illis haberent

Prima orbis contagio vide.

Similitudo.

vir-

Locus Cant. 2.2.

virtutes seruare. Proinde bonos malis admistos scriptura cant.22.lilium inter spinas nominat; vix enim fieri potest, vt lilium molle ac tenerum inter spinas illæsum maneat. & mirabimur si tam seriò Isa. cap.1. 2.2. Iudæos notans, quod cum impijs versarentur, dixit: *Vinum tuum mistum est aqua:* significare enim voluit, quod vt vinum aqua dilutum vim suam bona ex parte amittit, & vtcumque acre sit, potens, colorem saltem mutat, etsi vim ferme retineat; sic malorum societas bonos si non corrumpit, saltem aliqua aspergit infamiæ macula.

Locus Isa. 1. 22. Infamiæ sal bonos notam inurit malorum consuetudo.

4. Hæretici imprimis vitandi.

Verùm nihil ita fugiendum est vt pestilens hæreticorum lepra; hi enim (vt Iacob ait) sunt *qui segregant semetipsos animales &c.* nam vt lepra contagione serpit, sic hæresis latè vagatur, populumque miserandum in modum contaminat. leprosus vnus fuit Lutherus, sed quam multa hominum millia contaminauit? Vnus fuit Caluinus, & quidem pessimè leprosus, at pestiferæ suæ doctrinæ lepra totum fere Septentrionem infecit. Verè Hieronymus ad Galat. 5. *doctrina*, inquit, *peruersa ab vno incipiens vix duos aut tres primùm in exordio reperit auditores; sed paulatim vt cancer serpit in corpore, & iuxta vulgare prouerbium: vnius pecudis scabies totum commaculat gregem*, &c. quare faciendum est quod eodem loco sic monet Hieron. ait enim: *scintilla statim vt apparuerit extinguenda est, & fermentum à massa vicinia semouendum; secandæ putrida carnes, & scabiosum animal à caulis ouium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereant. Arius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.* Hæc Hieronymus.

Egregia Hieron. sententia, de euouendis malorum consuetudine

5. 2. lepræ genus duplex peccatorum genus significat.

Leuit. 13. quædam nominatur lepra perseuerans, quædam volatilis ac vaga, quæ duæ species lepræ idoneè mihi significare posse videtur, duplex peccatorum genus. Vnum quod stabiliter hæret in homine, cum à peccato discedere neque vult, neque cogitat; quale illud erat peccatum Israelitarum, de quo Ierem. 17. 1. *peccatum Iudæ scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino.* quasi dicat, scriptum est indelebiliter cum digito adamantino, hoc est, fortissimè; vel certè sensus est, sicut literæ in vngue adamantino exaratæ perseuerantes sunt, & stabiles; ita in homine duro atque obstinato perseuerans est peccati lepra, hi computruerunt quasi iumenta in stercore suo, quibus illud aptari potest Dauidicum Psal. 54. 20. *non est illis commutatio, & non timuerunt Deum.* id est, non est illis commutatio à malo, quia non timent Deum, hi inprimis fugiendi sunt. Porrò volatilis lepra & vaga est peccatum quod serpit & sua contagione alios atque alios inficit; volat enim quasi serpens ex vno in alium, singulos veneno perimens. Hoc duplex lepræ genus rectè in hæresim conuenit; nam & perseuerãs esse solet, cum enim legum, & obedientiæ contemptrix sit, fixa, immobilisque manet, & in suo sensu hæret, timoris, & pudoris abiecto freno. Hinc fit vt etiam volatilis sit, serpit enim hæresis vt cancer, id quod ex dictis num. 4. constat. sequitur vt & illa Christi Domini verba perpendamus.

Locus Ier. 17. 1.

Locus Psal. 54. 20.

Hæresis lepra est perseuerans, itèq; volatili per similit.

A *Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt?* Monet enim nos hic locus, vt de perseuerantia in benè cœptis aliquid dicamus; Omnes namque decem isti leprosi benè cœperunt, omnes Christum benè quæsierunt, omnes ei in via occurrerunt, omnes vocem leuauerunt dicentes: *Iesu præceptor miserere nostri.* sed ex his omnibus vnus dumtaxat perseuerauit in eo fælicẽ ardore, ac studio virtutis; vnus tantum ad gratias agendum redijt, & fortasis reliqui nouem (si vera est quorumdam opinio à sacerdotibus ad quos missi erant corrupti sunt, qui eos à Christo auerterant, dicẽtes non Christi beneficio, sed propter legis obseruantiam sic sanatos fuisse, hanc ergò nouem illorum siue defectionem siue ingratitudinem grauiter reprehendit Christus. *Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?* illam vnius perseuerantiam studiosè laudat. *non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo nisi hic alienigena. etenim multi vocati, pauci verò electi.*

6.

In via ac ratione virtutis principia frequẽter feruent, progressus tepescunt, fines & exitus frigent. *sed non oportet*, inquit Chrys. hom. 24. ad Hebr. *exordia sola habere clara. sed & finem clariorem. nonne Rhetor circa finem orationis satagit clarior apparere, vt cum plausib. discedat? nonne circa finem perfunctionis sua actionem clariorem demonstrat? nonne Athleta nisi finem ostendat clariorem, & vsq; ad consummationẽ semper exsuperet; & si omnes vicerit vincatur autem à nouissimo, nonne omnia illi infructuosa fient? nonne gubernator si pelagus totum pertranseat, circa portum autem confringat ratem, omnem perdid t anteriorẽ laborem? Quid etiam medicus, nonne si liberauerit ægrotãtem morbo, cum autem ad perfectionem salutis peruenturus erat ægrotus, tunc eius corrũpat valetudinem, nonne, inquam totũ opus corrũpit, & perdit? sic etiam in virtute contingit. Quotquot exordijs finem non posuerunt competentem, & consequentem, & concinnum perierunt, & corrupti sunt. Tales namq; sunt, qui ex carceribus ipsis clari & gestientes prosiliunt, postea verò dissolutius, laxiusq; mouentur: iccircò palma fraudantur.* sic Chry. *non quæruntur* inquit Hieron. ad Feriam de viduit. seruan. ep 16. *in Christianis initia, sed finis. Paulus malè cœpit sed benè finiuit. Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.* lege Ezech. 33. 12. *iustitia iusti non liberabit eum in quacunq; die peccauerit, & impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.* & ep. 28. ad Luci. *obsecro*, inquit, *te, & moneo parentis affectu, vt qui Sodomam reliquisti, ad montana festinans post tergum ne respicias, ne aratri stiuã, nec simbriam saluatoris, nec tunicas eius noctis rore madefactos, quos semel tenere cœpisti, aliquando dimittas, ne detecto virtutum pristina quæsiturus vestimenta descẽdas, ne de agro reuertaris domum, ne campestria cum Loth & amœna horum diligas, quæ non irrigantur de cœlo, vt terra sancta, sed de turbido flumine Iordanis postquã dulcis aquas maris mortui cõmistione mutauit. cœpisse multorum est ad culmen peruenisse paucorum. qui in stadio currunt omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. ut contra de nobis dicitur: sic curritе vt apprehendatis. Non est inuidus agonotheta noster nec alterius palma, alteri parat ignominiam, omnes Athletas suos desiderat coronari.* Hæc Hieronym.

7. Chrys. de perseuerantia in benè cœptis.

Finis coronat opus.

8.

Qui alacriter ac feruenter viam virtutis aggrediuntur, sed sensim flaccescunt, languidique fiunt, ita vt tandem motus omnis animi tamquam ventus illos deficiat, similes mihi esse videntur statuæ illi, quam vidit in somnis Nabuchodonosor, cuius erat initium aurum, finis verò lutum, quæque vt iuxta literæ sensum principatuum huius mundi mutabilitatem significat, ita mystico, & occultiore sensu pietatis, & virtutis inconstantiam docet. caput huius statuæ, vt Daniel. 2. legere est, aureum erat, & sincerum Dei amorem ac pia opera designat, à quibus feliciter incipiunt ad Deum conuersi; pectus statuæ argenteum bona verba, & laudem, commendationemque virtutis notat, quam laudem adhuc ad tempus retinet, qui benefacere delijt. Sed hoc argentum paulatim efficitur æs, cũ bona illa verba, quæ bono animo & intentione loquebatur virtutem laudans, atque commendans, iam ad oſtentationem, & inanem gloriam, quo alijs bonus appareat, loquitur. Verum & hoc ipsum æs in ferrum tandem vertitur, quando ipsa quoque vmbratilis virtutis specie contempta, durus ad morum emendationem, durus ad salutaria audienda consilia efficitur. Postremò totus in lutum conuertitur, quando totus voluptati deditus, qui spiritu cœpit, in carne consumatur iuxta illud Pauli Galat. 3. 3. *sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini.* Hæc autem omnis in homine inconstante varietas aptè significatur in multiplici illa, sensimque in peius ruente auri, argenti, æris, ferri, & luti sibi succedentium coniunctione, qua illa Nabuchodonosoris statua constabat.

Simili tudo statuæ Nabuchodonosor cum homine bene incipiente, sed malè desinente.

Hanc deplorandam virtutis inconstantiam lugebat Ierem. Threnor. 4. 1. 2. 5. *quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum filij Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, qui nutriebantur in creteis amplexati sunt stercora.* Eandem lugebat & Isa. 1. 21. 22. *quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena iudicij? iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ, argentum tuum versum est in schoriam, vinum tuum mistum est aqua.*

9. *Locus Ier. Thren. 4. 1. 2. 5. item Isa. 1. 21. 22.*

10.

Quid igitur miramur, si tantopere Patres laborarunt, vt perseuerantiæ præstantiam, & necessitatem intelligeremus; sciebant enim verissimum esse illud, quod Petrus Blesensis epistola 28. scripsit: *Omnes quidem virtutes currere ad brauium, sed vnam perseuerantiam coronari.* Audi quanto ardore August. ad hanc rem fratres in heremo sermon. 8. adhortetur: *ô fratres mei,* inquit, *non tædeat incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes quod perseuerantia informat meritum, colorat boni propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad brauium, conducit cunctos ad portum, hæc est tunica talaris sancti Ioseph vsque ad finem contingens, hæc est tunica sacerdotalis vsque ad pedes perueniens, hæc est cauda hostiæ, quam tenemur reddere Deo. & offerre. hæc est calcaneum bonæ operationis, quod contra serpentis morsum debemus obseruare. hæc est virtus, quæ Deum ligat, hæc est quæ omne bonum informat. Hæc est perseuerantia qua laureantur Martyres, qua virgines coronantur, qua sacerdotes sublimantur, & confessores.* & paulò inferius: *bonum inchoare, & malo fine concludere, quid aliud est, quam res monstrosas conficere? illa enim actio, quasi chimæra est: quæ initium habet à ratione, sed finem à sensualitate. Cum enim fic agitur humano capiti ceruicem pictor equinam iungit, & superinducit infructuosas plumas.* Quare meritò inquit Bernardus epist. 129. ad Innuens. *tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.* Sapienter vterq; Aug. & Bernard.

Quantum in Perseuerantia positum sit. ex Aug.

Idem testatur Cæsarius Arelatens. homil. 25. his verbis: *Quid mihi prodest, si mihi fata viridantia in herbis spem messis ostendant, & me sub ipso falcis tempore subita vel aeris intemperie vel pluuiarum inundatione decipiant? quid mihi proderit, si vinea spem omnem in flore promittat, & vel ferarum incursio, vel vastitas grandinis spem omnem in consummatione subducat? Ideoque omnis prosperitas, aut felicitas in fine consistit.* hæc ille. Verè, neq; enim beatus est, qui bonum facit, sed qui perseueranter facit. Philistæi remittentes arcam 1. Regum 6. eamq; in plaustrum imponentes, quod vaccæ trahebant, vt intelligerent an veri Dei esset arca, & an propter illam tot etiam plagis mulctati essent, & non casu illis euenissent, id argumenti loco sumpserunt: si Vaccæ illæ, quarum vitulos domi recluserant, recto tramite in terram Israel pergerent, nec ad vitulos regrederentur, donec arcam Dei ad suum locum deduxissent. Quãdo fidelis quispiam pro Christi fide, vel gloria multa patitur aduersa, & bona operatur, vt cognoscat an illa bona, quæ operatur, & mala, quæ patitur, Deo sint accepta, sitque ipse, qui vel ea operatur, vel patitur, inter electos, qui ad Deum vadunt, connumerandus, nullum arbitror efficacius argumentum, nullum euidentius signum habere poterit, quam si recto itinere in studio virtutis pergere se videat, & ambulare de virtute in virtutem donec videat Deum Deorum in Sion. At qui ad vitulos domi recluſos reuertitur, hoc est, qui ad pristinas voluptates, veteriſque hominis actiones regreditur, quasi canis ad vomitum, timere debet, ne vel non veri Dei arcam hactenus portauerit, hoc est, ne non verum, & viuum Dei templum fuerit, vel ne non inter electos Dei seruos connumerandus sit. *nemo* enim *mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei* Lucæ 9. 62. sed de perseuerantia satis hæc modo dixisse.

DIGRESSIO III. MORALIS.

De ingratitudinis vitio.

1. *Vitij ingratitudinis vitiosissimi est.*

NON *est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena,* poscit hic locus, vt aliquid omninò dicamus de grati animi virtute, itemque doceamus quam fugiendum sit malum ingratitudinis vitium. Dominus per Isa. c. 1. 23. cum ingratis Israelis filijs expostulat: *Audite Cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. filios enutriui & exaltaui:*

altauit: ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Cui non mirabile videatur primum peccatum, quòd iussu Dei Israelitis exprobrat Propheta ingratitudinem esse? Quis non obstupescat sic exordiri Dei Prophetam? Quis non miretur aures terræ attribui, & ad audiendum Cœlum inuitari? Sed desinet admiratio si diligenter expenderimus quanta sit vitiositas ingratitudinis & malitiæ; Vt.n. hoc significaret vsus est Propheta insueto, & admirabili dicendi modo. In huius ergò tam execrandi vitij detestationem, res omninò vita, ac sensu carentes, id est, cœlum, & terram inuocauit. mox quasi rem admirandam prorsus aperiens sic subdit: *filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Quare quid dici detestabilius poterat, quàm affirmare ingratitudinem Dei esse contemptum? & neque his contentus subdit: *cognouit bos possessorem suum*, &c. quod efficacissimum pathos est à minori: populus, ait, meus non hoc præstitit mihi, quod bruta animantia exhibent ijs, à quibus curantur, etiam illa, quæ inter bruta vilia habentur maximè, & insipientia. Quid stolidius boue? quid stupidius asino? atqui *bos cognouit possessorem suum & asinus præsepe Domini sui: populus autem meus me cognouit* pastorem, & nutritium suum. Quis his non moueatur? Quem non pudeat à brutis vinci? Quis tam infame vitium non execretur?

Meritò Diuus Bernard. serm. con. vitium ingratitudinis ex hoc Euangelio sumpta occasione in tam execrandum vitium sic inuehitur, *heu, heu, non inuenitur, qui redeat, & agat gratias Deo, nisi hic alienigena. Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? meministis credo verba Saluatoris hæc esse nouem illorum ingratitudinem arguentis. Benè siquidem orasse, obsecrasse, postulasse leguntur, qui leuauerunt vocem dicentes: Iesu fili Dauid miserere nobis; sed defuit eis quarta, quam adiecit Apostolus gratiarum actio, quando nec redierunt, nec egerunt gratias Deo. Multos quoque videmus vsque hodie satis importunè petentes, quod sibi deesse cognouerint, sed paucos admodum nouimus, qui dignas super acceptis beneficijs gratias agere videantur. Nec reprehensibile quod instanter petimus, sed planè petitioni negat effectum, quod inuenimur ingrati.*

Et fortè hoc etiam clementiæ esse videtur ingratis negare quod postulant, ne contingat nobis vt tanto grauius de ingratitudine iudicemur, quanto magis accumulatis beneficijs ingrati probabimur extitisse. Ergò misericordiæ res est, in hac parte subtrahere misericordiam, quemadmodum iræ, & indignationis misericordiam exhibere, eam sanè, de qua per Prophetam ipse pater misericordiarum loquitur, dicens; misereamur impio & non discet facere iudicium (Isaiæ vigesimosexto, 10.) *Quàm multos enim videmus, & plangimus fratres, qui dummodo maneat habitus, & tonsura, salua sibi omnia arbitrantur? non considerantes miseri quemadmodum ingratitudinis vermis interiora corrodens ob hoc tantum corticem, quem vident transforare dissimulet, ne fortè recogitent, & erubescant, ipsaque verecundia emendentur. Qui sic interdum in nonnullis consumpta esse interiora vniuersa præsumit, vt non vereatur, ad ea quoque quæ foris apparent, venenatum ducere caput: nisi fortè quos videmus manifestè apostatare à Deo, repente fieri pessimos arbitramur: & non magis paulatim defecisse, cum comederint alieni robur eorum, & nescierunt. Vides ergò non omnibus prodesse, quod à lepra singularis conuersationis, cuius peccata manifesta sunt, emundantur: sed nonnullis peus in occulto ingratitudinis vlcus oriri, quod tanto periculosius sit, quanto interius.*

Et benè Saluator hic in Euangelio nouē illos, vbi sunt, quærit; quoniam longe est à peccatoribus salus. sic enim, & primum hominem post peccatum, vbi sit, interrogat, & in iudicio nescire se profitebitur operarios iniquitatis, cum legamus in Psal. Quoniam nouit Dominus viam iustorum, & iter peccatorum peribit.

Nec sine causſa in nouenario inuenti sunt, qui non redeunt ad Saluatorem, in quo nimirum numero, quaternario quinarius iungitur, & est non bona mistio corporeæ sensualitatis, & euangelicæ traditionis. Quod tunc fieri solet, cum sic volumus quattuor Euangelijs obedire, vt quinque corporis sensus pariter oblectare velimus. Felix autem Samaritanus ille, qui cognoscit se nihil habere, quod non accepisset; iccirco seruauit depositum, & cum gratiarum actione ad Dominum est reuersus. Felix, qui ad singula dona gratiæ, redit ad eum in quo est plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora adhuc accipere mereamur.

Omninò enim sola nos à profectu conuersationis impedit ingratitudo nostra, dum quodammodo amissum reputans dator, quod ingratus accepit, cauet sibi de cetero, ne tanto plura amitteret quanto plura conferret ingrato.

Felix proinde qui se alienigenam reputans, etiam pro quibusque minimis beneficijs non minimas refert gratias, gratuitum esse non dubitans, nec dissimulans, quod alieno impenditur, & ignoto. Nos autem miseri, & miserabiles, cum in initio adhuc alienos nos æstimamus, timorati satis, satis deuoti, & humiles inuenimur, tam facile postmodum obliuiscimur, quàm gratuitum sit quidquid accepimus, & præsumentes non benè quasi de familiaritate Dei, nequaquam aduertimus quod mereamur audire: quoniam inimici Domini domestici eius. Hæc Bernard. quæ omni auro lydio nobis præstabiliora sint oportet, ac super aurum & topatium acceptiora.

Contra verò magnum bonum est gratiarum actio, id, quod egregiè docet Chrysostomus ad Populum Antiochen. homilia prima sic scribens: *nullum, gratiarum actioni par bonum, quemadmodum blasphemia peius nihil.* & iterum: *magnus thesaurus gratiarum actio, magnæ diuitiæ, inconsumptum bonū, armatura fortis: sicut blasphemia ingruentem iacturam intendit ijs, qui peierare solent, plura insuper perire facit. Perdidisti pecunias? si gratias quidem egeris, animam lucratus es, & maiores nactus es diuitias quia Dei beneuolentiam hausisti amplius: si verò blasphemaueris, insuper & salutem tuam amisisti, & quam habuisti animam,* egregiè Chrysostom.

Nam etiam in aduersis, & contrarijs rebus non tantum in prosperis Deo gratiæ & ha-

Primum peccatum quod Isaias reprehendit ingratitudo.

2. Bern contra vitium ingratitudin.

3. Sæpè clemẽtia est, ingratis negare quod postulant.

Contra religiosos ingratos.

4. Cur quærit vbi sint.

Nõ omnib. prodest à lepra mundari.

5. Cur nouem ingrati.

Ingratitudo impedit à profectu.

6. Pelices qui se alienigenæ reputantes gratias i dentidem pro beneficijs referunt & minimis.

7.

8.

Digitized by Google

Etiam in aduersis gratiæ agendæ.

bendæ, & agendæ sunt, quod declarat Hieronymus in lib.3.cap. 5. commentar. epist. ad Ephesios, exponens illa Pauli verba: *gratias agentes semper pro omnibus: dupliciter*, inquit, *intuendum, vt & omni tempore, & pro omnibus, quæ nobis accidunt, Deo gratias referamus: vt non tantum pro his, quæ bona putamus, sed etiam quæ nos coarctant, & contra nostram veniunt voluntatem, in Dei præconium mens læta prorumpat, & dicamus, nudus exiui de vtero matris meæ, nudus & redeo, sicut placuit Domino, &c.* Iob. 1.21. subdit deinde; cum in prosperis etiam gentiles, & Iudæi, & Publicani, & ethnici soleant gratias agere: *Christianorum propria virtus est, etiam in his, quæ aduersa putantur, referre gratias creatori.*

Qui sibi sanctiores videntur solent Deo referre gratias, quod de periculis, vel miserijs liberati sunt. Sed iuxta Apostol. hæc virtus est maxima, vt in ipsis periculis atque miserijs Deo gratiæ referantur & semper dicamus: benedictus Deus, minora me scio sustinere, quàm mereor; hæc ad mea peccata parua sunt, nihil mihi dignum redditur. Hic animus Christiani est, hic crucem suam tollens sequitur saluatorem, quem nec orbitas, nec damna debilitant, quem, vt Flaccus in Lyrico carmine ait: si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ.

De hoc eodem argumento lege Chrysostomum homilia prima ad populum Antiochenum, & homil.8. in epistol. ad Colossens. & Basil. homilia quinta, in Mart. Iulittam exponentem illa Pauli: *in omnibus gratias agite.* Augustinus concion.1.in Psal. 32. & conc. 2. in 2.part.Psal.48.

9. Ingrati simi sunt Pincernæ Pharaonis.

Quanta igitur pœna digni erunt, qui, acceptis à Deo beneficijs, tam munifici largitoris obliuiscuntur ingrati? Hos rectè similes esse dixerimus Pincernæ Pharaonis, cui cum explicato somnio, faustum de mox adfuturâ liberatione à vinculis nuncium Ioseph attulisset, rogauit eum, vt restitutus in gradum pristinum suggereret Pharaoni, vt educeret ipsum de carcere, quod furtim sublatus esset, & innocens in lacum missus. Verum ingratus ille prospera vsus fortuna sui coniectoris gratiam obliuioni tradidit; ita plurimos passim inuenies, qui in aliqua afflictione, vel cruciatu positi, maria, & montes polliceantur ijs, qui patrocinium, & opem præbent, vt ex illis malis & periculis incolumes eruantur, sed mox liberati & incolumitati redditi alta obliuione beneficia sepeliunt.

10. Prosperitas & obliuio facile iunguntur.

Obseruant quidam, Ephraim & Manassem vterinos fratres fuisse, eodem patre genitos, eadem matre natos, atque adeò ita coniunctos esse, vt à se inuicem auelli non posse viderentur. Ephraim crescentem, vel frugiferum, id est, prosperitatem significat, & affluentem rerum copiam; at Manasses obliuionem, quæ res ita connexæ sunt, sic à se inuicem pendent, vt vix separari queant; nam is, qui alterius beneficio prosperè feliciterque viuit rebus ad nutum fluentibus, vix, ac ne vix quidem sui amplius benefactoris memoriam retinet; ita enim nostro vitio comparati sumus.

A Itaque prosperitas beneficiorum obliuionem inducit, vt proinde verisimum sit, etiam in hunc sensum Ephraim & Manassem fratres esse coniunctissimos.

11. Ratio suadet ingratitudinem fugere.

Ceterum præter Patrum exhortationes, & execrandam ingratitudinis vitiositatem alia etiam sunt, quæ nos ad ingratitudinis vitium fugiendum, & ad rependendam gratiam, amplectendumque bene de nobis meritos vehementer excitant. & inprimis ratio ipsa id suadet: omnis enim effectus, quod naturaliter rebus insitum est, ad suam caussam conuertitur iuxta naturalem ac proprium cuiusque caussæ modum & effectus. Sed is, qui accipit ab altero beneficium, quatenus beneficium accipit, B quidam effectus est benemerentis. Igitur ipse naturæ ordo exigit, vt is iuxta modum naturalem sibi, suoque etiam benefico consentaneum ad illud conuertatur, nimirum per intellectum, & voluntatem gratias reddendo, is est enim modus agendi naturæ hominis conueniens. Præpositio ipsa huius ratiocinationis probari potest ex D.Dionys. c.3. de de diuin.nom. vbi ait: *Deum omnia ad se conuertere tamquam omnium caussam.*

12. Tria præstare oportet eum qui beneficium accepit.

Et vt hoc obiter etiam adiungamus, vt quis se verè ad benefactorem conuertat, tria hæc necessaria sunt. Primò oportet eum, in quem beneficium collatum est, beneficium ipsum agnoscere: deinde laudare benemeritum C eique gratias habere.

Postremò gratiam etiam referre, aliquid pro loci, & temporis, ceterarumque circumstantiarum opportunitate rependendo, verbi gratia, honorem & reuerentiam, opem etiam & subsidia si indigeat; præsertim verò affectus, ex quo beneficium proficiscitur, statim est mutuo compensandus affectu. Quod Seneca sic testatur libro secundo de benefic. cap. 35. *Vis reddere beneficium, benignè accipe:* quamuis donum ipsum, quo beneficium continetur, non statim redditione alterius doni compensandum est, sed opportunum potius expectandum tempus id, quod etiam Seneca libr.4. de benef. sub finem docet: *qui nimis*, inquit, *citò cupit soluere, inuitus debet* (cuius signum est, quod studeat sese statim onere, & debito liberare) *& qui inuitus debet, ingratus* D *est.*

13. Singula Dei beneficia expendenda.

Iuuat & illud mirificè ne ingratus in Deum sis, si innumera Dei in te collata beneficia non indiligenter expendas, quo pertinent aurea illa Basilij verba in Mart. Iulittam: *si quando*, ait, *lætius arridet vitæ institutum, illam depromamus Dauidis vocem, Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi, ex nihilo effecit, vt essemus ac produxit, dono rationis ornauit, inuentum artium ad vitam tuendam gratuito contulit, & terræ visceribus alimenta eduxit; in ministerium dedit omnigenum pecus. Propter nos imbres, sol, montana, campestrisque Regio pulcrè exculta. Propter nos omnes fluunt, promanant fontium scatebræ, mare ad negotiandum naues admittit, è fodinis effodiuntur opes.*

At quid opus est hæc persequi? Deus ipse salutis nostræ caussa inter homines conuersatus est. Verbum caro factum, & habitauit in nobis. Sol ipse iusti-

tiæ me-

tiâ medius eorum factus est, qui sedent in tenebris. vita ipsa venit ad mortem, mortem autem crucis, ob mortuos surrexit spiritus sancti charismata distribuit, multiplices coronas promisit, delicias Paradisi, Regni cœlestis gloriam, &c. quæ numerari non queant; meritò vt exclamemus, quid retribuemus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis? rectè dicis; retribuit. quam. n. rependis pro accepta gratia gratiarum actionem in numerum refert & habet beneficij loco; qui licet aliud nil accipiat, quam quod suum est, solidam tamen retribuit gratiam, ac si propria dedisses.

14. Omni tempore gratias agere oportet.

Eodem pertinent quæ idem habet Bas. eodem loco. *Accumbens mensæ ora, edens panem largitori gratiam repende, tunicam induens gratias age benigno donatori, qui commodum tibi æstate, hiemeque tribuit vestimentum. Diem peregisti? refer to gratiam illi, qui solem immeritis in ministerium indulsit, si in Cœlum & eximiam siderum pulcritudinem aciem oculorum defixeris, supplica Domino, qui cuncta hæc in sapientia condidit, &c.* Nullum igitur tempus esto quo summo omnium bonorum largitori gratias non agas.

Iuuat etiam beneficia Dei, quæ cunctis hominibus communia sunt, quasi sibi soli præstita sint cogitare id, quod Diuus Chrysostomus libro secundo. de compun. cor. eleganter docet: vt notauimus capite decimotertio, digress. 1. n. 20.

15. Ex ingratitudine quot mala?

Prodest etiam plurimum ad execrandum ingratitudinis vitium fugiendum, si quis studiosè inspiciat quot, quantaue mala ex ingratitudine in hominum genus proficiscantur; eius proprium est, quasi incidere venam gratiarum, quæ à Deo in nos continenter fluunt, Christi manus tornatiles, & aureas plenas hiacynthis, & omnibus diuitijs atque opibus affluentes, quasi steriles reddere: *retribuebant*, inquit, *mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ*, Psalmo 34. 13. quia nimirum detestabile ingratitudinis vitium efficit, vt qui natura liberalissimus est, sterilis quodammodo appareat.

Locus Psal. 34. 13.

Etenim ingratitudo, vt Bernard. ait sermone quinquagesimoprimo in Cantic. *& quasi ventus exsiccans, & vrens fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Ecclesiastis 1. 7. quia nisi fluenta gratiæ à Deo in nos deriuata ad ipsum per gratitudinem, & gratiarum actionem redeant; exsiccato iam quodammodo misericordiæ fonte, non iterum fluent. Et meritò ita accidit. Nam ex ingratitudine non redditur prout par est, Deo bonorum largitori honor & gloria, quin etiam obfuscatur vehementer eius nomen quemadmodum nubes solis virtute varijs hinc inde vaporibus de terra attractis in sublime subuectæ, ipsum postea solem obscurant.; sic ingratus multis Dei beneficijs exornatus, & quasi in altum sublatus sua mox ingratitudine Dei lucem veluti noctem quemdam Diuinæ gloriæ offundit, & sicut mare dulces in se aquas admittit, quas deinde salsas, & amaras à se reijcit, ita qui ingratus est pro collatis in se bonis mala retribuit, & alterius beneficentiam in suam vertit perniciem.

Locus Eccl. 1. 7.

Similitudo.

Similitudo altera.

A

Verum nullum expressius, & illustrius exemplum malorum, quæ ingratitudo in hominum vitam inuehit, afferri posse videtur, quàm exemplum Iudæorum, quos tamquam ingratissimos abdicauit prorsus Christus Dominus, & abiecit propter ingrati animi vitium, reddiderunt illi Christo mala pro bonis, vt meritò ad illos pertineant illa Christi verba apud Prophetam, *Retribuebat mihi mala pro bonis sterilitatem animæ meæ*, quasi dicat, vt Augustinus exponit: *Ego attuli fœcunditatem, ipsi retribuebant sterilitatem. Ego vitam, ipsi mortem, ego honorem, ipsi contumelias; ego medicinam, ipsi vulnera, & in his omnibus, quæ retribuebant, vtique steriles erant. Hanc sterilitatem in arbore maledixit* (Matthæi vigesimo primo,) *vbi fructum cum quæreret non inuenit, folia erant, & fructus non erant. verba erant, & facta non erant. Vide in verbis numerositatem. & in factis sterilitatem: qui prædicas non furandum, furaris, &c.* Roman. 2. 21.

16. Exemplo Iudæorum mala ingratitudinis indicantur.

Locus Psal. 34. 13.

B

• Est Christus Dominus similis pelicano, *similis*, inquit, *factus sum pelicano solitudinis.* Psalm. 101. 7. Est pelicanus auis ægyptia, quæ nascitur in solitudinibus maximè Nili fluminis; dicunt autem eam, quæ mater est in hoc auium genere, seipsam grauiter vulnerare, & sanguinem suum super filios in nido occisos, vel potius saucios effundere, quo illi perfusi reuiuiscunt, vel sanantur, sed illa ob effusum sanguinem sic debilitatur, vt pulli ad quærendum cibum exire, matremque ad tempus alere cogantur. tandem resumptis viribus, mater eos, qui diligenter hoc officium erga se præstiterunt tenerrimè diligit, studiosè fouet, diligenter nutrit. Contra verò eos qui tamquam degeneres nullam matris curam gesserunt, tamquam ingratos è nido deturbat. Sed quidquid sit de hac historia, res certè ipsa in Christum aptè quadrat. Ille nos à veteratorio serpente vulneratos & percussos suo effuso sanguine sanauit, & vitæ restituit immortali. Quos ergo tanto accepto beneficio gratos videt ipsum laudare, obsequium præstare, morem gerere, eumque in suis pauperibus quasi penuria, & egestate laborantem, magno affectu alere, inuisere, vestire, recreare animaduertit, hos inter suos connumerat, diligit, fouet, nutrit. Porrò ingratos & degeneres è statu gratiæ deturbat, & à suo tandem conuictu & consuetudine in omnem æternitatem abdicat. & hæc de ingratitudine satis sint.

17. Pelicani exemplum.

C

D

Digitized by Google

CAPVT XIV.

IESVS DOCET IN TEMPLO IN FESTO Scenopegiæ.

D. 7. 11.

Feria 3. post Domin. 4. Quadr.

V. 1. Iudæi ergò quærebant eum in die Festo, & dicebant vbi est ille?

2. Et murmur multũ erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: quia bonus est: alij autem dicebant non, sed seducit turbas.

3. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum.

4. Iam autem die Festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat.

5. Et mirabantur Iudæi dicentes: quomodo hic literas scit, cum non didicerit.

6. Respondit eis Iesus & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.

7. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.

8. Qui à semetipso loquitur gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est.

9. Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?

10. Quid me quæritis interficere? respondit turba, & dixit dæmonium habes, quis te quærit interficere?

11. Respondit Iesus, & dixit eis: vnum opus feci, & omnes miramini.

12. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem (non quia ex Moyse est, sed ex Patribus) & in sabbato circumciditis hominem.

13. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi: mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato.

14. Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate.

15. Dicebant ergò quidam ex Ierosolymis: nonne hic est quem quærunt interficere.

16. Et ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid verè cognouerunt principes, quia hic est Christus?

17. Sed hunc scimus vnde sit; Christus autem cum venerit, nemo scit, vnde sit.

18. Clamabat ergò Iesus in templo docens, & dicens: & me scitis, & vnde sim scitis: & à me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.

19. Ego scio eum: quia ab ipso sum, & ipse me misit.

20. Quærebant ergò eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venit hora eius.

21. De turba autem multi crediderunt in eum & dicebant: Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quam quæ hic facit.

22. Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc: & miserunt Principes & Pharisæi ministros, vt apprehenderent eum. Fer. 2. post Dom. Pass.

23. Dixit ergò eis Iesus: adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui me misit.

24. Quæretis me & non inuenietis, & vbi ego sum, vos non potestis venire.

25. Dixerunt ergò Iudæi ad semetipsos: quò hic iturus est, quia non inueniemus eum? nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes?

26. Quis est hic sermo, quem dixit: quæretis me, & non inuenietis: & vbi sum ego, vos non potestis venire?

27. In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat dicens: si quis sitit veniat ad me, & bibat.

28. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.

29. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, non dum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.

30. Ex illa ergò turba, cum audissent hos sermones eius, dicebant: hic est verè Propheta.

31. Alij dicebant: hic est Christus. Quidam autem dicebant: nunquid à Galilæa venit Christus?

32. Nonne scriptura dicit: quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venit Christus.

33 Dissensio itaq; facta est in turba propter eum.

34. Quidam autem ex ipsis volebant apprehen

prehendere eum, sed nemo misit super eum manus,

35. *Venerunt ergò ministri ad Pontifices, & Pharisæos dixerunt eis illi: quare non adduxistis illum?*

36. *Responderunt ministri: nunquam sic locutus est homo sicut hic homo.*

37. *Responderunt ergò eis Pharisæi: nunquid & vos seducti estis?*

38. *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum aut ex Pharisæis?*

39. *Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.*

40. *Dixit Nicodemus ad eos, ille, qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis.*

41. *Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat.*

42. *Responderunt, & dixerunt ei: nunquid & tu Galilæus es? scrutare scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit.*

43. *Et reuersi sunt unusquisque in domum suam.*

SCHOLIA.

1. *Iudæi ergò*] Vox, ergò, causſam & conſecutionem indicat, q. d. Ioa. quia in occulto aſcendit, nec ſe omnibus ſpectabilem primis diebus exhibuit, iccircò quærentes eum Iudæi dicebant: *vbi eſt ille*, requirebant enim & inuenire cupiebant vbi eſſet, qui enim aliquem inquirunt vt inueniant, ſciſcitari ſoleant, vbi illè ſit quem inquirunt. D. Chryſoſt. homil. 48. & Cyrill. lib. 4. cap. 37. affirmant eos, qui ſic interrogabant; *vbi eſt ille*, inſequi, & interficere eum voluiſſe: quare Chryſoſto. putat, ex ſummo odio ita locutos fuiſſe; *vbi eſt ille*, quaſi ne nomen quidem eius proferre poſſent; Cyrill. verò ait, ex arrogantia, & ſuperbia ſic dixiſſe, quaſi eum contemptui habentes, nec dignus eſſet, qui nominaretur, quorum opinationem confirmare videtur verbum illud, *Iudæi*; vocare enim videtur Iudæos illos, qui cum de tribu Iuda eſſent, & optimates, & Phariſæi tunc Ieroſolymis erant: de quibus mox dicitur: *propter metum Iudæorum*. Erant enim hi præcipui inter eos, qui Chriſtum perſequebantur, eiuſq; capitales hoſtes. Iuxta igitur horum patrum ſententiam vox iſta erat Principũ Iudæorum & Phariſæorum, qui propterea Iudæi dicuntur, vt à Galilæis ſecernantur. ſed fortaſsis probabile etiam eſt, vocem hanc à multis fuiſſe prolatam: *vbi eſt ille?* qua bono, qua malo animo. Quæ expoſitio vim ſumit à verbis ſequentibus: ſubdit enim Ioannes: *& murmur multum erat in turba, de eo, quidam enim dicebant quia bonus eſt, alij autem dicebant, non.* omnes ergò requirebant, ſed non pari eodemque affectu, magis tamen vero ſimilis eſt præcedens interpretatio Chryſoſtom. & Cyrill. nam ſequentia verba turbæ tribuuntur, non Iudæis, ſcilicet Principibus & Phariſæis.

Iudæos quos hic Vocet.

2. *Et murmur multum erat in turba*] Auguſt. tract. 28. in Ioann. *Vnde murmur? de contentione, quæ fuit contentio? quidam enim dicebant quia bonus eſt, alij autem non, ſed ſeducit turbas. De omnibus ſeruis eius hoc dicitur modo: Quicunq; eminuerit in aliqua gratia, ſpirituali profectu, alij dicunt quia bonus eſt, alij quia non, ſed ſeducit turbas, vnde hoc? quia vita noſtra abſcondita eſt, cum Chriſto in Deo, & c. ſeducit turbas*] Auguſt. tract. 29. *dictum*, inquit, *hoc eſt ad eorum ſolatium, qui poſtea prædicantes verbum Dei, futuri erant ſeductores, & veraces. Si enim ſeducere decipere eſt, nec Chriſtus ſeductor, nec Apoſtoli eius, nec quiſquam ſeductor debet eſſe Chriſtianus: ſi autem ſeducere aliunde aliquem ad aliud perſuadendo ducere eſt, quærendum eſt vnde, & quo. ſi à malo ad bonum, bonus ſeductor eſt, ſi à bono ad malum, malus ſeductor eſt. In hac ergò parte, qua ſeduc-*

Obſeruatio moralis Au.

Capi poteſt, (ſe ducere) in bonã, & in malam partem ex Aug. licet hic in malã ſumatur.

cuntur homines de malo ad bonum, vtinam omnes ſeductores & vocemur & ſimus. D. Chryſoſtom. hom. 48. illa verba, *ſeducit turbas*, vult eſſe Principum Iudæorum: ac rectius fortaſsis ad turbam pertinent, in qua contendentium, & obmurmurantiũ quidam à Chriſto, quidam contra Chriſtum ſtabant, & clam inter ſe loquebantur.

3. *Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum*] id eſt, Principum, & optimatum Iudæorum, qui erant Ieroſolymis, quibus imprimis Chriſtus inuiſus erat. Auguſt. tract. 28. in Io. *Qui nõ loquebantur de illo propter metum Iudæorum? qui dicebant, bonus eſt: non qui dicebant, ſeducit turbas, qui dicebant, ſeducit turbas, ſonitus eorum audiebatur tanquam aridorum foliorum. ſeducit turbas, clarius ſonabant. bonus eſt, preſtius ſuſurrabant. Modo autem fratres, quamuis nondum venerit illa gloria Chriſti, quæ nos æternos factura eſt, tamen ita creſcit eius Eccleſia, vt iam ſuſurretur, ſeducit turbas, & clarius perſonet, bonus eſt.* Omnes ergò de Chriſto loquebantur, ſed qui bonum affirmabant, palam id non dicebant, Græc. παῤῥησίᾳ hoc eſt, palam & liberè.

Nunc clariùs ſonat (bonũ eſt) obſcuriùs (ſeducit turbas)

4. *Iam autem die feſto mediante* τῆς ἑορτῆς μεσούσης, *hoc eſt*: feſto dimidiato, nimirum tertia vel quarta die, ſi ſeptem dies ſcenopegiæ attendas, vel etiam ſi connumeres octauum diem. *Aſcendit Ieſus in templum*] in templum inquit, aſcendiſſe non Ieroſolymam, nam de hoc aſcenſu Ieroſolymam locutus eſt Euangeliſta cum dixit, vt habes ſuperius cap. 12. v. 10. *vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit*, &c. Itaque prima quidem die ad feſtum celebrandum venit Ieroſolymam, legiq; paruit, manſit tamen occultus vſque ad tertiã, vel quartam, vel 5. diem, vt doceret. Rectè autem ait, *aſcendit*, quia in edito, & excelſo loco ædificatum erat. Hic Cyr. moraliter: *non dixit*, inquit, *Euangeliſta Chriſtum ingreſſum fuiſſe in templum, ſed aſcendiſſe. ardua ſanè res eſt, atq; ſublimia loca ingredi ſancta, & docendi munus rectè ſuſcipere.* Et docebat] Auguſtinus. *Ille qui prius latebat, docebat, palam loquebatur, & non tenebatur. illud enim quod latebat erat cauſſa exempli, hoc poteſtatis.*

3.

5. *Mirabantur Iudæi*] Hæc dicebant Iudæi non admirantes excellentiam doctrinæ Chriſti; ſed ſimulantes ignorantiam modi, quo eam doctrinam ipſe acquiſiuiſſet, volebant odioſam, & ſuſpectam reddere: ſcilicet vt quæ humano ſtudio non eſſet acquiſita, Dæmonum magiſterio crederetur accepta. ſic Pererius; & verè. nam etiam Chriſti miracula ad dæmones referebant. Theophyl. hanc admirationem tribuit inuidiæ. *obſtupeſcebant*, ait, *quod ſolet inuidis accidere, ſicut ſi pauper vicinus repente in ſplendidiore veſtitu prodeat, & videat eum vicinus inuidus dicit; quomodo hic tam ſumptuoſis veſtibus indutus eſt? vnde huic veſtis illa?* ſic Nazarethani aiebant Marc. 6. *vnde huic hæc omnia, & quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi?* Addit Theophyl. complectens ſimul quod ex Perer. diximus, *hæc autem dicit*, (vicinus inuidus) *non quod reipſa admiretur, ſed quod aduratur inuidia, vſus talibus ſermonibus. Omninò enim dicit furatus eſt veſtem, ſic & Iudæi:*

Quomodo mirarentur, & cur Iudæi docente Chriſto.

quomodo hic literas scit? profecto ex Beelzebub habet. sic ille. Hinc alibi dicebant: *insanit: quid eum auditis*, doctrinam eius Dæmoni tribuentes.

Quomodo literas scit] scilicet scripturæ legere, & interpretari, erat enim Hebraicè scripta, Iudæi verò Syriacè loquebantur, vt notat Emm. qui addit in illa verba, *cum non didicerit*] quod fortè hæ literæ discerentur solum in Ierusalem. similem Iudæi concepere admirationem de Apostolis magnalia Dei loquentibus Actorum secundo, quos affirmabant musto plenos esse, quod spiritus sancti in eis loquentis vim non agnoscerent. Sic obstupuere sacerdotes, & magistratus Petri & Ioannis constantiam, Actorum quarto, *comperto quod homines essent sine literis, & Idiota.*

4. Quid hic doctrina?

V. 6. *Mea doctrina non est mea*] propriè hic nomine *doctrinæ* non videtur significari habitus quidam menti inhærens, sed doctrina ipsa, vt ea verbis explicatur, & traditur alijs hominibus, quasi dicat Christus, quod vos ego doceo, & quod prædico, esse vobis credendum, & agendum, non est meum inuentum, ex me solo profectum, sed Patris mei, qui misit me in mundum, cum me hominem fieri voluit, & docuit me hæc eadem, quæ vos doceo, & præcepit, vt denunciarem vobis: Quare Deo aduersamini, non mihi, cum meam doctrinam contemnitis. Quamuis autem hic locus intelligi possit sensu semper vero siue de Christo vt est Deus, siue vt homo, verba tamen ipsa magis exigere videntur, vt de doctrina, quam vt homo habuit, & à Deo erat illi collata, intelligatur; & sic exponit Ambrosius libro secundo de fide, capite quarto, & libro quinto, capite tertio, Cyrillus verò libro quarto, capite quadragesimo secundo. & Chrysostomus homilia quadragesimaoctauo de CHRISTO, vt Deus est, exposuerunt hunc locum. vtroque modo Augustinus, nam libro primo de Trinitate cap. 12. de Christo, vt est homo hæc interpretatur.

An de Xro. vt homo est, an vt Deus intelligatur. (mea doctrina non est mea?

5.

Quid illic dicemus, vbi ait: mea doctrina non est mea, &c. quam dixit suam, eamdem dixit non suam. Quomodo istud verum est, nisi secundum aliud suam dixerit, secundum aliud non suam? secundum formam Dei suam secundum formam serui non suam. Cum enim dixit: non est mea; sed eius qui me misit: ad ipsum verbum nos fecit recurrere. doctrina enim Patris est verbum Patris, qui est vnicus filius. at libr. 2. capite secundo, exponit eadem de Christo, vt Deus est: *mea doctrina non est mea, sed eius, qui me misit. nam & ex forma serui potest accipi, sicut iam ex libro superiore tractauimus. Et ex forma Dei, in qua sic æqualis est Patri, vt tamen de Patre sit. In Dei quippe forma sicut non est alius filius, aliud vita eius. sed ipsa vita filius est: ita non est aliud filius, aliud doctrina eius, sed ipsa doctrina filius est.*

Ac per hoc sicut id, quod dictum est dedit filio vitam, non aliud intelligitur, quàm genuit filium, qui est vita. sic etiam, cum dicitur: dedit filio doctrinam, bene intelligitur, genuit filium, qui est doctrina: vt quod dictum est: mea doctrina non est mea, sed eius, qui me misit; sic intelligatur, ac si dictum sit, ego non sum à me ipso, sed ab illo, qui me misit. sic Aug.

At Christus, vt dixi numero 4. propriè de doctrina loquitur, quam verbis docebat. Erat autem ipse sapientia Patris, à quo doctrina emanabat; non autem erat ipsa doctrina, quæ verbis tradebatur. Proinde dixi superius eodem numero quarto, sermonem esse hic de doctrina Christi, vt homo est.

Loqui ergò videtur Christus, vt legatus alicuius Regis loqueretur, si diceret: mea hæc verba non mea sunt, sed eius, qui misit me, Regis. rectè, nam Christus legatus erat à Patre missus, & quæ in mandatis habebat à Patre, ea loquebatur.

6. Vera interpretatio ad literam.

Vel loquitur CHRISTVS, quemadmodum si cithara, aut fistula diceret; meus sonus non est meus, hoc est, non à me oritur, sed ab artifice citharam, aut fistulam pullante; aut si fluuius diceret; aqua mea non est mea, innueret aquam aliunde oriri, quam ex fluuio, nimirum ex fonte, quæ similitudines etiam Christo, vt Deus est, quadrant.

Postremò dicit doctrinam non suam, quia rerum diuinarum cognitio accipi potest vel ab homine, vt eam acceperunt Iudæi à Mose & Prophetis; & Christiani ab Apostolis, & Euangelistis; vel ab Angelis, à quibus multa docti sunt Prophetæ; vel denique immediatè ab ipso Deo, à quo Christus Dominus, qua homo scientiam rerum omnium habuit, non quidem per partes & interualla temporum, sicut data est à Deo Prophetis; sed tota simul, & ita aptè dicitur esse Dei doctrina Christo collata. sicut enim scriptura aliqua, vel humana manu per partes successiuè exaratur; vel typis excussa, tota simul quadantenus exprimitur. Excuditur enim typis tota aliqua pagina, vel etiam plures, ita doctrina illa, quæ Prophetis data est sensim, & successiuè collata est illis, non tota simul, at Christo momento conceptionis tota simul tributa est à DEO. libenter autem sic loquitur Christus, quia solet omnia ad Patrem referre. itaque perinde est, *non est mea*, ac dicere, *non est à me.*

7. Reprehenditur Sabellius hæretici per Aug.

Augustinus tractatu vigesimonono in Ioannem. *Sabellianam hæresim*, inquit, *sententia ista dissoluit, Sabelliani enim dicere ausi sunt ipsum esse filium, qui est & Pater, duo esse nomina, sed vnam rem. si duo essent nomina, & vna res non diceretur: mea doctrina non est mea. Vtique si tua doctrina non est tua, ô Domine, cuius est, nisi alius sit, cuius sit? quod dixisti Sabelliani non intelligunt, non enim Trinitatem viderunt, sed sui cordis errorem secuti sunt.* Sic Aug.

8. Doctrinam Christi optimam esse ostenditur.

Iterum obseruandum est circa eamdem sententiam: *mea doctrina non est mea*, &c. quod ita est hominis, vt non sit etiam Dei, id non est bonum, omnis enim boni auctor est Deus vt principalis causa. Doctrina igitur, quæ ita est hominis, vt non sit etiam DEI; ea nec vera est, nec vtilis homini, nec Deo grata esse potest.

Quare dum dicit DOMINVS suam doctrinam non esse suam, sed eius, qui misit eum, doctrinam quam docebat & verissimam, & fructuosissimam, & Deo acceptissimam esse, & ab omnibus amplectendam indicat.

9.

Postremò sicut Iudæi mirabantur CHRISTI doctrinam, dicentes: *quomodo hic literas scit cum non didicerit?* & Nazarethani: *nonne hic est faber filius MARIAE.* & illi Actorum secundo, v. septimo. *Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur Galilæi sunt, & quomodo, audiuimus nos vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?* ita proprium est mundanorum hominum mirari, quando aliquem vident repente diuino munere conuersum, vel ex mundano Religioso; vel ex carnali spiritualem, ex mendace veracem, ex leone agnum, ex Saule Paulum, ex persecutore martyrem euasisse. hæc sanè admiranda si mundani homines oculis cordis inspicerent, pro noua re non haberent.

Mundani homines rebus spiritualib. non assueti sæpe mirantur.

More enim suo agit Spiritus sanctus, vt docet

cet Diuus Gregorius libro quarto expositionum in 1. Regum capite vltimo, in illud prouerbium: *num Saul inter Prophetas?* cùm ad virtutum culmen pauperes, humiles, atque simplices erigit. nam de eo scriptum est Iob 5. 9. *qui ponit humiles in sublime, & mœrentes erigit sospitate. Hinc omnipotens Pater ille eodem omnipotente suo spiritu per Prophetam dicit: super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos? Hinc Paulus ait 1. Corinth. 1. 26. non multi sapientes secundùm carnem, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi elegit Deus, vt ea quæ sunt, destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Quod certè prouerbium etiam electis adscribi potest. Non enim minor admiratio habita est de Beato Paulo Apostolo, quando auditum est ab Ecclesia; quia ille euangelizaret, qui Ecclesiam minando, & cædendo expugnare solebat, nunc prædicando defenderet, tunc quidem ij, qui audiebant, dicere poterant: Num Saulus inter Apostolos? Num quid ille Iesum prædicat, qui Iesum persequi solebat? Sed hoc iam in electorum prouerbium versum est. Prouerbium quidem est, quando in eo, quod dicitur, aliud occultatur. Conuersio autem B. Pauli Apostoli facta est prouerbium peccatoris; audiat ergo vnusquisq; peccator B. Pauli conuersionem, & non desperet de criminum multitudine. Saulus enim adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini vbiq; electos affligebat. Sed qui talis extitit Christum persequens, ad Christum conuersus, caput effectus est nationum, quia obtinuit totius Ecclesiæ principatum. Dum ergo tam magnum peccatorem conuersum, tam sublimi dignitate à Domino honoratum conspicimus, peccatorum nostrorum inuenire nos posse remissionē præsumamus. Prouerbium ergo nostrum, id est, quod ad euangelizandum persecutor assumitur, quod hoc mysterium continet: quia conuersus peccator, non solùm sperare à Domino veniam, sed quod viriliter sectando pertingere valeat ad coronam.* Tantùm Greg.

10. Quis Christi verba intelligat secundū Chrysost. expositionem.

7. *Si quis voluerit voluntatem*] Diuus Chrysostomus hic: *Qui facit*, inquit, *voluntatem eius cognoscet de doctrina, hoc est, si quis sit amator virtutis, meorum verborum vim intelliget. Si quis voluerit prophetias perscrutari, an secundùm eas loquar cognoscere poterit.* Rectè sanè, nam & voluntatem Dei facit etiam, qui scripturas, & prophetias scrutatur. Idem habet Euthymius, *Voluntatem*, inquit, *Dei vocat Dominus operari virtutem, & prophetijs quæ de ipso sunt attendere. Virtus siquidem purgat mentem, prophetia verò docent.* Idem Theophylactus sentit. *Caussa ergo cur non crederent, quia auersi à virtute, & Prophetarum studio non flagrabant diuinæ voluntatis faciendæ desiderio, sed inanis gloriæ cupiditate, inuidia, odioq; excæcati, Christum persequebantur.* Hinc Chrysostom. hom. 48. in Ioannem: *amouete*, inquit, *Iudæi iram, & inuidiam, & inane contra me odium, & nihil vos impediet, quin cognoscatis Dei verè verba mea esse. Nunc hæc vobis tenebras & effundunt, & rectum, verumq; iudicium corrumpunt.* Hanc expositionem Chrysostom. confirmat Christus Ioann. 5. *quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à Deo est, non quæritis.*

Animus erga Deum rectus, paratusque ad omnem mādatorum Dei obseruationem, facilè iudicat, an ex Deo sit doctrina, quam audit, necne. Spiritualis enim omnia iudicat, 1. Cor. 2. 15.

11. Similitudo Athanas.

Si hæc Christi verba obseruarent hæretici veritatem cognoscerent, nec per abrupta, & à via errarent; proinde non mirandum, quod præcipites in tartara ruant. Rectè enim Athanasius ait libro de incarnat. *quemadmodum si quis intueri velit solem, oculos detergit, & in splendorem redigit, ad eius similitudinem, cuius conspiciendi desiderio tenetur sese purificans; vt ita oculus iam lumen redditus, lumen solis contempletur: ita qui volet mentem virorum cœlestia loquentium intelligere, prius detergere, & abluere viuendi disciplina animam debet. A mandatis tuis*, inquit Dauid Psalmo 118. *intellexi*, vt postquam mandata complesset, tunc sciret se mereri intelligentiam Scripturarum, vt intellexit Hieronymus epistola 16. Quare benè notat hic Tol. *Eum, qui vult DEI facere voluntatem, dici cognoscere Christi doctrinam, quia dispositus est, nec impedimentum habet cognoscendi: tamen lumen diuinum necessarium est, quo id assequatur: sicut, qui diceret, qui oculos sanos habet, & apertos videt, quæ ei obiecta sunt, non tamen propterea negatur lumen exterius, sine quo non fit visio.*

Ex Augustini sententia tract. 29. is dicitur voluntatem Patris facere, qui in Christum credit, vt sit sensus; qui credit in me, cognoscet de doctrina mea, an à Deo sit, iuxta illud Isaiæ 7. *nisi crediderit is, non intelliget is.* Fidei enim mysteria hoc habent, vt prius credantur, quam cognoscantur. Probabile quidem hoc, sed probabilior Chrysost. expositio. A me ipso loquar] & non à Deo. 12. Aug. expositio.

Qui à semetipso loquitur] Hoc est, non à Deo doctus, hic gloriam suam quærit, de se loquitur, quærit suam statuere doctrinam, non Dei, contraria enim, & aliena à lege doctrina vtitur, vt Cyrillus ait, qui à seipso loquitur. Alteram hic indicat notam, qua cognoscere possit quis, an doctrina ipsius à Deo sit. Nam qui à semetipso loquitur, suam, non Dei gloriam quærit, id est, optat, aucupatur. Contra qui à Deo loquitur. Et benè sua ipsius verba ex Deo esse ostendit Christus, atque adeò quod non à seipso, sed ex Deo loquatur. Arias Montanus putat à posteriori Christum argumentari, volentem ostendere, non à se, sed à Deo loqui. *Qui gloriam suam quærit, ambitioneq; laborat, ipse prodit in publicum, & consilio suo cogitatam doctrinam loquitur: omninò in eam rem intendit animum, & ingenium, vt populari plausu excipiatur. Non patitur facilè se impediri, aut maledictis proscindi: nam suam rem agit, se nunquam negligit; qui verò mandatum exequitur, & perfert alterius, illum, à quo missus est, prædicat, illius voluntatem, auctoritatemq; procurat, de se nihil, de illo omnia summa, & optima confirmare studet.* 13.

Quidquid ab illo acceperit, siue durum, siue placidum exponit. Qui verò à se loquitur, cùm gloriam suam quærat, ea tantùm profert, quæ grata, & plausibilia vulgò esse existimat. Neminem habere vult aduersarium; gloriæ enim suæ consulit. Ego verò contra, multa dico vobis apertè cognita ex voluntate Dei, quæ dura videntur vobis. Eia, si gloriam meam quærerem ambitiosè, dissimularem profectò, vtpote gloriæ meæ impedimenta futura apud vos. Quod si quis ex alterius (puta Dei) *mandato dura dicat, habendus est verax, & simplex, & fidelis nuncius, vti verè est: & non est reprehendendus tamquam iniustus, & iniurius, sed vt probus, & iustus nuncius probandus; atq; adeò mandati illius asperitas ad ipsum auctorem, non ad ministrum est referenda. Videte vos an Deum reprehendere iure possitis: me certè iniustè reprehenditis, qui mandati ministrum me profiteor, mandati vestris moribus quidem aduersi, atq; ideo parum vobis grati; quia alia vos vultis, & agitis, quam Deus iubeat, ob eam rem mihi infensi estis.*

Cæterùm potest & hic versus clarius & breuius ita exponi. Nam illa verba: *Verax est, & iniustitia in illo non est*: sic intelligi quoque possunt. Cùm enim duo dixissent Iudæi; & quod seduceret turbas,

& quod operaretur in sabbato contra legem, ac proinde eius opera essent iniusta, ideo duo Dominus hic respondet, & quod verax sit, & quod opera eius sint iusta; quia nimirum à semetipso non loquatur, atque adeò quærat gloriam eius, qui misit eum, non suam, atque adeò non mentiatur, nec iniusta operetur. neque enim glorificari potest Deus mendacijs, & iniustitia, nec Deus talia docere potest, nec operari. quod verò à seipso non loquatur, sed ex Deo à posteriori probat, vt habet Arias Montanus paulò ante relatus. & hæc interpretatio clarior fortè & brevior est, sed præcedentem sequor, vt conuenientiorem textui.

14. Christus innocentiam suam tuetur.

9. *Nonne Moyses* &c.] Ostenderat Christus quod iustus, & sanctus esset dum dixit: *Hic verax est, & iniustitia in illo non est*, & quod iccirco eum reprehenderent, quia illis dura, hoc est, legis obseruationem doceret, quam ipsi non seruarent. Nunc declarat Iudæorum iniustitiam, & iniquitatem, quod legem transgrediantur: ait ergo; *nemo ex vobis facit legem? quid me quæritis interficere*, nullam legis Mosis, & Dei rationem habentes. Quod perinde est, ac si quis malè ab alijs acceptus, & contra iustitiam, persecutoribus diceret: an non Deus vetat hominem sine caussa iniuria & contumelia affici? nonne legi Dei subiecti estis, cur ergo legi non paretis? cur contraria ijs, quæ Deus præcepit, facitis? Ita loquitur hic Christus.

Quid me] Idem valet, quod, quare ergo contra legem quæritis, hoc est, vultis, & conamini mihi vitam adimere. Commodum autem illos reprehendit, eosque legis transgressores accusat, quod ipsum interficere quærebant. Nam & interim ostendit se non esse contrarium Mosi, quod sibi obijciebatur ab illis; & crimen hoc in ipsos retorquet, eosque potiùs Mosi contrarios ostendens.

Nemo facit legem] De incredulis, & sibi vim & manus inferre machinantibus hæc accipienda sunt. D. Chrysostom. paulò aliter exponit: sic enim scribit: *Quam habet hoc à superioribus consequentiam? quid cum his communicat? duo Iudæi in Iesu reprehendebant vnum, quod sabbatum solueret, alterum, quod Patrem Deũ diceret, & ei se æqualem faceret* Ioan. 5. 18. *Ad quod respondit, quod doctrina ipsius, Dei doctrina sit. Inde circa sabbati transgressionem instat*, dicens: *nonne Moses* &c. *& illos potiùs transgressores ostendit.* hæc ferè Chrysost. & Euthym. & tunc *nonne* idem est ac: & quid me vultis accusare violati sabbati, *nonne Moses* &c. hæc expositio etiam non male quadrat in hunc versum 10. vbi de vera legis transgressione etiam per homicidium cogitatum agi, omninò censeo.

10. *Respondit turba*] Cyrill. hæc Pharisæos dixisse putat. at Euangelista turbæ tribuit, quam paulò inferiùs, vt habes hic vers. 22. distinguit à Pharisæis, dum ait: *audierunt Pharisæi turbam murmurantem*. erant autem in turba, qui dicerent Christum seductorem esse. Hi ergo sunt, qui Dominum tãta iniuria affecerunt, vt dæmonem illum haberecoram omnibus affirmarent. *Quid posset aliud dicere*, ait August. tract. 30. *turba turbulenta? quid posset aliud olere cœnum commotum? turba turbata est. Vnde? à veritate, turbam lippitudinis turbauit claritas lucis. oculi enim non habentes sanitatem, non possunt ferre luminis claritatem. Dominus autẽ non planè turbatus, sed in sua veritate tranquillus, nõ reddit malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Quid ergo respondit, audiamus tranquillè, & tranquillum bibamus.*

15.

11. *Vnum opus feci, & omnes miramini*] Docet immeritò dici esse se sabbati violatorẽ, vel legis. Oẽs miramini, inquit, me tanquam legis violatorem, cùm vos ipsi legem non obseruetis in multis, & grauibus rebus. Miramini, inquam, & legis violatorem esse dicitis, propter vnum opus, quod sabbato feci, cum Paralytico sanitatem restitui, meq; propterea non aliter damnatis, quã si immane scelus commisissem. Quod græc. est θαυμάζετε, Chrysost. *perturbamini* exponit. Theophyl. *turbamini, & tumultuamini*, eodem modo Euthy. Itaque videntur hi de turba tumultuati fuisse, licet etiam simul mirarentur propter id, quod fecerat Christus in sabbato quasi magnum esset scelus, vt Rupert. ait. Itaque perturbatio fuit cum admiratione coniuncta. Vnum autem opus, inquit, hoc est, inter alia multa, quod nostis. Porrò *opus* miraculum vocat.

12. *Propterea Moyses dedit vobis Circumcisionem*] Optima ratione confirmat immerito dici se violatorem sabbati: idque facit ostendẽdo illud opus curationis paralytici, non esse ex ijs operibus, quibus sabbatum violatur. q. d. Atqui, vel attamen videamus an hoc opus tale sit, vt per illud sabbati lex soluatur. Certè propterea &c. pro clariore verò notitia huius textus obserua, quod Euth. particulã, *propterea*, (quàm difficilè est intelligere, quẽ sensum faciat) putat superuacaneam esse, nihilque ad sensum facere, ac si non esset; nisi fortè, vt quidam volunt, non causssam reddat, sed auditorem excitet, q. d. aduertite, ne miremini. Theoph. cum superioribus connectit, *vnum opus feci, & omnes miramini propterea*, seu propter hoc. Græc. διὰ τοῦτο. Cyrill. lib. 4. c. 49. cum sequentibus, & causssam reddere putat, vt sit hæc sententia, iccircò, ea de causa Moses Circumcisionem vobis dedit, id est, legẽ de circumcisione facienda octauo die, non quod ex ipso esset, sed quod ex Patribus, & tamen vos in sabbato circumciditis, hoc est, licitè vos circũcidere posse putatis, & reuera circumciditis hominem, licet circumcisio sit Patrum, & non ex legẽ Mosis, sed ante legẽ, & sabbatũ sit Mosis, nec putatis vos soluere propterea legem sabbati, quæ est Mosis, quia quod fecerũt Patres Mose antiquiores facitis. Nota quod Moses non declarauit expressis verbis circumcisionem esse in sabbato faciendam, sed tantùm dixit circũcisionem faciendam octauo die; & Iudæi declararunt, quod si octauus dies incidat in sabbatum, sit etiam faciẽda circuncisio in sabbato, quod Moses præcepit conseruari, nec existimabant legem Mosis ob id solui, quia erat opus Patrum. Et hic sensus videtur esse germanus, subintellige verò ante propterea, atqui, vel *attamen propterea*. nomine *circũcisionis* intellige, quidquid ad circumcidendum adhibebatur, & agebatur.

16. Quomodo circumcisio non ex Mose.

Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 103. a. 1. ad 3. *Sacramentum*, inquit, *circumcisionis præcepto diuino fuit statutum ante legem, vt patet Genes. 17. vnde non potest dici Sacramentum legis, quasi in lege institutum, sed solum quasi in lege obseruatum. & hoc est, quod Dominus dicit: Circumcisio non ex Moyse est, sed ex Patribus eius.* Arias sic exponit, non discrepans ab hac expositione: *Propterea Moses vobis tradidit circuncisionis ritum, & mandatum non tanquã præceptum ab ipso acceptum ex Deo, atq; inter præcepta legis reponendũ, sed tanquã à patribus suis acceptum, obseruandũ vobis proposuit. Ille enim acceperat à Patribus suis, Patres ab Abrahamo, Abrahamus traditur accepisse à Deo. quidquid sit, circumcisio non est ex lege Mosis, sed ante legem est, ex lege generis vestri ac familiarum Abrahæ, & tamen quia à Deo auctore proficisci dicitur, obseruatur religiosè, adeò vt in sabbato etiam fiat, & tamen sabbati lex non soluitur, cũ sit opus diuinum, & non nimium distans à seruili opere: scindere enim gladio opus manuarium est: ferire infantem, aut virũ, dolore q; affi. ere opus profectò natura sua durũ, & graue est: sanare illũ aliquo morbo sanctum præstãtius opus esset, aut leuare dolorem aliqua*

sui cor-

Christus potius obseruator quàm transgressor legis à Iudæis existimãdus.

sui corporis parte. Cur ergo mihi indignamini, quod sanum fecerim hominem toto corpore impeditum, & ægrotantem, magnoq; labore, ac dolore eum carere iusserim? quiescere fecerim laborantem, atqui sabbatũ ego potius constituo, & melius obseruo, qui sabbato benefacio, seruo, eripiog; homines è magnis laboribus, quod opus non est minus diuinum, quam circuncisio.

17. §. *Vt non soluatur*] Ita vt soluatur propterea lex. Itaque ponitur, vt, pro, ita vt: sicut & Ioan. 5. 20. *maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini,* pro ita, vt vos miremini. *totum hominem sanum feci,* id est, *totum corpus paralysi dissolutum sanum reddidi.* Sic Cyrillus libro 4. capite 50. exposuit. Augustinus & Diuus Thomas etiam cum hoc sensu adiungunt alterum de sanitate animæ, ille enim tractatu 31 *feci,* inquit, totum hominem saluum sabbato, quia & curatus est, vt sanus esset in corpore; & credidit, vt sanus esset in anima. Vide Diuum Thomam Ioan. 7. & 3. part. quæst. 44. art. 3. Iam sesquiannus præterierat, quod hoc opus curationis paralytici patrauerat Iesus tempore Paschali, nunquam tamen è Principum memoria exciderat, non zelo legis, sed quia illis videbatur idonea illud caussa, quamobrem de medio tolleretur Christus. nam licet alios sanasset in Galilæa in sabbato, nullum tamen opus curationis aliud in sabbato factum ita vrgent, vt istud, quod cum gestatione oneris coniunctum fuerat.

14. *Nolite iudicare secundùm faciem*] *Non ex odio, aut gratia personarum, quibus vltro vel inuidi, vel amantes estis, non ex nomine, & præsentia, vel absentia sed ex rerum animaduersione, & consideratione ipsarum iudicij rationem petite.* Sic Arias. Bifariam verò illud, quod græce habetur, κατ' ὄψιν secundùm visionem, prout Isa. 11. c. 3 legitur, *non secundùm visionem oculorum iudicabit.* Exponitur vel vt sit sensus, nolite personas accipere, sed rectè iudicare; nimirum, *inter me, & Mosem,* vt exponit Augustinus, quod sic declarat Cyrillus, *cùm Mosem præuaricatorem non putatis* (quamuis circumcisionem de octauo præceperit) *filium quoque vnigenitum ab omni crimine absolutis.* vel idem est, iudicare κατ' ὄψιν, quod secundùm externam rei speciem, vel iuxta id, quod prima fronte se offert, iudicare, quasi dicat, diligenter expédite rem ipsam, quam feci, nec temerè damnate, & hic videtur verus sensus, simul coniungendo tamen alterum de acceptione personarum, quod verò subditur, *sed iustum iudicium iudicate.* non de iudicio inter Christum, & Mosem, vel Iudæos intelligo, sed absolutè rectè iudicate sine vlla personarum acceptione, siue inuisæ vobis sint, siue amicæ, diligenter rem ipsam attendite.

18. Obseruatio moralis. August. tractatu 30. *hoc vitium,* inquit, *fratres, quod Dominus notauit hoc loco, euadere in hoc sæculo magni laboris est, non personaliter iudicare, sed rectum iudicium retinere. Admonuit quidem Dominus Iudæos, sed monuit & nos, illos conuicit, nos instruxit, illos redarguit, nos exacuit.* Bernard. quoque serm. 5. in quadrag. *quod est autem,* inquit, *iustum iudicium, nisi iudicium fidei? quoniam iustus ex fide viuit. ergo iudicium fidei sequere, & non experimentum tuum. quoniam fides quidem verax, sed experimentum fallax. Quæ est ergo veritas fidei, nisi quod promittit ipse filius Dei.* Sed hæc ad mores pertinent.

19. 15. *Dicebant ergo*] Ergo, caussam admirationis indicat. nam quia viderunt, & audierunt Christum liberè loquentem, propterea admirati sunt. August. tract. 31. *apparuit potestas, quæ putabatur timiditas, &c. qui nouerant, quà sæuitia quærebatur, mirabantur qua potentia non tenebatur.*

A *Quidam ex Ierosolymis*] Hoc notat Euangelista, vt constet, quomodo scire potuerint, Christum ad mortem quæri, atque adeò simul apparet eorum, qui de Iuda erant, & Ierosolymis habitabant, in Christum sæuitia, & crudelitas.

16. *Nunquid verè cognouerunt*] Vox illa, *verè,* significat ipsos Principes ad necem quæsiuisse Christum zelo veri Christi, quia nimirum se Christum faciebat, cùm non esset. Hinc fiebat, quod si cognouissent ipsum esse Christum, odium deposuissent; hoc putabant hi de Principibus; sed decipiebãtur, persequebantur enim eum, quia nouerant esse Christum, quod non obscurè indicat Dominus Matth. 21. illa parabola, in qua hi, qui nunc *Principes* nominantur, dixere: *hic est hæres, venite occidamus eum.* Fingebant quidem illi hũc zelum, vt turbis imponerent, sed aliud in animo latebat.

B 17. *Sed hunc scimus vnde sit*] Verba turbæ sunt. (*Vnde*) non locum, sed originem significat, videlicet, ex quibus parentibus, putabant enim Messiam ex ignotis Progenitoribus mundo apparaturum. Dices, Ioan. cap. 9. 29. habet: *nos scimus, quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus vnde sit.* at hic, inquiunt, scimus vnde sit. Iterum paulò inferius hic 31. ex Scriptura confirmant: *nonne Scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venit Christus?* Verùm hic dicunt: *Christum autem cùm venerit, nemo scit, vnde sit.* Ergo secum pugnant. Respondeo: non verè sibi contradicunt, nam cap. 9. apud Ioan. negant se scire, vnde sit Dominus, id est, à quo fuerit missus ad prædicandum, & docendum alios; à quo tantam acceperit auctoritatem, quantam præ se ipse ferebat; vnde didicerit, quæ docebat. Nolebant insani homines fateri ipsũ fuisse missum à Deo, quod tamen de Mose non negabant. Quod autem dicunt: *hunc scimus vnde sit,*

C hunc habet sensum, quod scirent matrem eius Dominam videlicet nostram, terræ, cœlique Reginam, educatum etiam in vrbe Nazareth, exercuisse à puero artem fabrilem, doctrinam quoque à nemine didicisse; humilẽ ac pauperem vitam duxisse; ex his patet multò minùs nullam esse in verbis Domini contradictionem, cùm in verbis sequentibus ait vers. 18. *& me scitis, & vnde sim, scitis,* & cùm infra c. 8. apud Ioan. dixit: *Neq; me scitis neq; Patrem meum.* Nam reuera hæc verba, *me scitis, & vnde sim, scitis,* per ironiam dicta accipienda sunt; vel sensus est: dicitis quod me sciatis, at ego Deus à Patre Deo sum. Hoc enim significat, sed est verus, Deus scilicet implens, quæ Patribus olim promisit, qui me misit à se genitum, quod clarius significat cùm ait v. 19. *ab ipso sum, & ipse me misit.*

D Cùm verò Iudæi Christum ex semine Dauid futurum esse confirmant testimonio Scripturæ, & hic dicunt: *Christus autem cùm venerit, nemo scit, vnde sit.* significant; Messiam secundùm aliqua fore notum, secundùm alia ignotum: notum quidẽ primùm secundùm tribum Iuda, deinde secundùm genus, & familiam, quia futurus erat de tribu Iuda, & ex semine Dauid; tum quod nasciturus erat in vrbe Bethlehem. Ad hæc secundùm tempus aduentus post septuaginta hebdomadas ex Daniele. mox secundùm miracula prædicta Isaiæ trigesimoqui Denique quantum ad potestatem, & gloriam, & quod redempturus esset Israel, & subiecturus imperio suo alia regna ex capite 2. 7. & 8. Danielis. Ignotum verò futurum Messiam, significant hoc loco, tum ob ea, quæ habet Isa. capite 53. *generationem eius quis enarrabit?* & ob ea,

20. Obiectio. Partim sciebant, partim nesciebant, vnde esset Christus Iudæi.

21. Messiam partim notum, partim ignotum significabant Iudæi.

quæ

quæ prædixit Dauid Psalmo 109. *tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, & ob ea, quæ Micheas scribit: *egressus eius ab initio à diebus æternitatis*. Denique ob id, quod scribit Daniel de lapide excisо de monte sine manibus, & ob alia multa, præsertim verò, qui essent progenitores eius obscurum fore existimabant, quod de Melchisedech genealogia, & parentibus affirmat Paul. cap. 7. epist. ad Hebr.

18. *Et me scitis*] Sunt hæc exposita nu. 10. sub finem.

Verus] Quasi dicat, non sum de numero eorum, qui sine caussa venerunt, sed me misit, qui verax est, ac proinde vt staret promissis de mittendo filio, & veracem misit, quippè Deum verum de se Deo vero.

Quem vos nescitis] Patrem esse meum.

Ab ipso sum] In æternitate genitus, *& ipse me misit*] In tempore hominem factum, sicut se promiserat esse facturum. Aliqui codices habent: *& si dixero, quia nescio eum, ero similis vobis mendax*, dicebant enim scire eum, & tamen putabant filium Ioseph, nec Dei filium esse. Quare mentiebantur. Sed hæc verba non sunt Græcè, neque habentur in alijs codicibus latinis, nec Chrysost. nec August. habent. ad octauum caput pertinent.

22. 20. *Quærebant ergo eum apprehendere*] Optabant, opportunitatem captabant. Euthymius Chrysostomum secutus: *Quærebant*, inquit, *eum apprehendere Iudæi; nam ægrè audierant dicentem; quem vos nescitis*. Rupert. caussam comprehensionis intentæ, refert ad id, quod se hic Christus Messiam esse indicauerit: Caietanus ad id, quod se Dei filium insinuauerit, dum dixit: *à me ipso non veni, sed est verus, qui misit me*. Sed fortassis hæc voluntas apprehendendi Christum, de qua hic Ioannes, est antiqua illa, qua iam decreuerant apprehensum interficere, quæ non propter verba nunc à Christo prolata, nata est; quamuis fortassis fuerit confirmata. Franc. Lucas putat Ioannem respexisse hic ad id, quod capite 7. versi. 25. & 26. narrauit, quod quidam Ierosolymitani viso Iesu, liberè loquente in templo, suspicati sint, Principes mutasse sententiam de apprehendendo, & interficiendo Iesu, & respondet nunc, quod perstiterint in eadem prana voluntate nec minus, quam antea. *Quærebant autem*, vt dicit Chrysosto. *Christum apprehendere; non turba, quæ non affectabat principatum, nec capiebatur inuidia*, sed sacerdotes. *&*] Sed. *Nemo*] Principum, vel Satellitum.

21. *De turba autem multi crediderunt in eum*] Chrysostomus negat horum fidem fuisse satis stabilem, ac firmam, quod probat ex sequentibus verbis: *Christus cùm venerit, nunquid plura signa faciet?* ita enim loquuntur, ac si alium expectarent Messiam; sed cùm Ioannes absolutè pronunciet, multos credidisse, credendum potiùs de vera, & firma fide locutum: quare vt ipsemet Chrysostom. vidit per concessionem dictum, hoc est, à turba, quasi dicat. esto non sit Christus, num cùm venerit Christus, plura signa facturus est? vel vt alij exponunt, sensus est: nunquid Christus, quem Principes expectant, negantes hunc esse Christum, cùm venerit, plura signa facturus est? secundùm August. sensus est: vtique si duo non erunt Christi, hic est Christus, nimirum quia cum alter venerit, non faciet plura miracula.

22. *Miserunt Principes*] ἀρχιερεῖς Principes Sacerdotum. Videntur Pharisæi, qui audierunt

A murmurantem seu susurrantem turbam, hoc est, eos, qui crediderunt Christi miracula inter se clàculum extollentes, Principes Sacerdotum commouisse, & instigasse. Latebant fortè Pharisæi intermisti turbæ, intenti ijs, quæ dicebantur à turba, & à Christo, nullam occasionem Christum accusandi prætermittentes. turba verò non audebat palam de Christo loqui ex Io. hic versiculo 13.

Docemur hinc plurima mala in populos redundare ex malis principibus, contra, plura bona à bonis. Quare apud Daniel. 3. legimus de Babylone: *egressa est iniquitas à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum*; & vere ille dixit: *Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui*. In crucem tollitur Christus, sed tradentibus Principibus illum Pilato, qui propterea dixit Ioann. capite 18. versiculo 35. *gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi*. Præciditur caput Ioanni Baptistæ in vincula coniecto, sed ab Herode Rege. In dolium feruentis olei conijcitur Ioannes Apostolus, verùm à Domitiano. districto gladio animaduerti iubet Herodes Agrippa in Iacobum. Neci dantur innocentes pueri, verùm ab Herode Ascalonita. interficiuntur Petrus, & Paulus, sed à Nerone. Percussa AEgyptus est, sed propter Pharaonem; diruta Babylon à Cyro Rege, sed ob impium Balthassarem. Heliam persequitur Iezabel, & Nabot lapidibus obruitur, sed propter Regem Achab. Isaias in duas partes dissectus est, auctore Manasse; Ieremias flagellis cæditur, sed à Principibus. Daniel à Dario Rege mittitur in lacum leonum. Michæa alapa impacta est, sed propter Iosaphat: Vrias cædi exponitur Dauidis Regis imperio. & ne longum faciam, quod tot sæpè blasphemias, tot in Christum, eiusque sanctos maledicta audiamus sæpè Principibus perperam ista dissimulantibus vitio vertendum est; quod despiciantur templa, sacerdates contemnantur, quod & veteres, & nouæ ab inferis excitentur hæreses, quod venalis sæpè sit iustitia, quod innumeræ & immortales gignantur lites, quod infanda flagitia grauius, & acerbius non puniantur, magna sæpè numero Principum facit incuria, & socordia, & hæc quidem dicta sunt breuiter occasione horum ministrorum, qui ad capiendum, vinciendumq; Christum à Principibus Sacerdotum missi sunt.

23. *Adhuc modicum tempus* &c] Diuus August. *Quomodo*, inquit, *vultu facere facturi estis, sed non modo quia modò nolo. Quare adhuc modò nolo? Quia adhuc modicum tempus vobiscum sum. implere debeo dispensationem meam & sic peruenire ad passionem meam.* & Rupert. *tam citò vultis me comprehendere? Sic festinatis occidere? expectabitis paulisper, donec impleam tempus.* Addit Chrysostom. *Ego hæc verba ad ministros dicta arbitror, vt eos maximè alliceret, ostendendo se aduentus eorum caussa intelligere* &c. Indicat etiam Dñs his verbis irritos esse, ac vanos Pharisæorum, ac Principum conatus, nisi ipse permiserit. Quod idem ostendit Dominus Luc. capit. 13. versic. 31. cùm dictum esset illi à Pharisæis: *Herodes vult te occidere*, quibus ille respondit, *in potestate sua*, & non in manu Herodis esse diem mortis suæ: *Ite*, inquit, *& dicite vulpi illi; ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consummor, verumtamen oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare, quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem*. Eisdem verbis declarat caritatem suam, dum ait, *vobiscum sum*, hoc est, pro vestra vtilitate, & doctrina, licet ingrati sitis, & mortem mihi moliamini. Est & verbum commonitionis plenum, & querimoniæ: vobis molestus, & grauis

23. Sæpissimè peruersi Principes enormium scelerum auctores sunt.

24. Locus Luc. 13. 31.

sum

sum etiam ad videndum, equidem abscedam à vobis, nec tamen facile erit imposterum ad me peruenire, quamuis maximè illud optaretis.

Modicum] Quantum temporis interuallum est ferè inter Septembrem, cùm celebrabantur tabernacula, & 22. Martij, cùm captus est Dominus, nam 23. obijt, & 25. resurrexit, vt quidam putant.

25. Obseruatio morum.

Animaduertit hic Salmeron tract. 36. tomo 8. *Nobis quoque dici, adhuc modicum vobiscum sum, exiguum enim, & cum tædio est tempus vitæ nostræ* Sap. 2. 1. *& vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur*, vt ait frater Domini 4. 15. *ideò nunc quærendus est, & audiendus Dominus non in morte, quando sera est pœnitentia, & tempus non est nostrum, sed suum. Modicum etiam est tempus, quando inspirat.* Apocal. 3. 10. *ideo tunc obediendum, ne postquam pulsauerit, nec confestim aperueris, dicas: pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat* Cant. 5. 6. *modicum etiam tempus est tribulationis, & crucis; ideo libenter ferenda est. Tempus etiam quadragesimæ, & ieiunij modicum est, si conferatur ad mensam illam æterni conuiuij.* Sic ille.

Locus Cant. 5. 6.

26. Quid hic Vado?

Vado ad eum] *Vado* his locis, quo sæpiùs vtitur Christus, significat spontaneam eius abitionem in mortem, quasi dicat, ne putetis, quod ego pro mundo moriturus sum, vestrum tantum futurum esse opus; ego enim sponte in mortem vado, non vos me ducitis, & quia nunc me abijcitis præsentem vobis, futurum est, vt & si quæratis, inuenire non possitis. Quod de multis eorum satis est, esse verum. Porrò loquitur Christus tam frequenter de suo è cœlo aduentu, & de suo iterum in cœlum reditu, vt rectè Chrysost. & Theophyl. obseruant ad terrorem Iudæis incutiendum: addo & ego, vt moneret Iudæos, ne abuterentur præsenti gratia; adfore enim tempus, cùm priuabuntur ea commoditate, & Dei beneficio tam singulari si pergant esse ingrati.

Quando Iudæi Christũ quæsierunt, nec inuenerunt.

24. *Quæretis me, & non inuenietis*] Chrysosto. quem Theophy. & Euthym. sequuntur ad eam obsidionem Ierosolymitanam, quæ sub Tito facta est, & ad eius tempus referunt ea, quæ hic Dominus dicit. Tunc enim Iudæi calamitatibus pressi Dominum quæsierunt, eorum videlicet aliqui, cùm recordarentur illum ipsis illa omnia mala prædixisse, & in mentem venirent insignes eius virtutes, miracula, & beneficia, quæ in eos contulerat, quare eum sibi adesse cupiuissent, sed vano prorsus, atque irrito desiderio. in hos enim aptè illud conuenit, quod Prouerb. cap. 1. 24. scriptum est à Salomone: *vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. ego quoque in interitu vestro ridebo* &cæt. *tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, & non inuenient me.* Sed non est probabile incredulos Iudæos in ea calamitate Christum desideraſſe, quem intestino odio persequebantur, & cum his imprimis loqui videtur Christus, nam de his capite 8. 10. 21. & hic cap. 16. 10. dicit Dominus, quod in peccato suo sint morituri. immò fideles, qui ex Iudæis erant conuersi ad Christum non erant tempore illius calamitatis in Iudæa Dei consilio teste Eusebio libro 2. histor. capite 5. D. August. tractatu 31. quem sequitur ferè Beda, refert hæc Domini verba ad eos Iudæos, qui post Spiritus sancti aduentum ad fidem conuersi sunt, quales fuerunt, qui, prædicante Petro, ipso die Christo crediderunt, & compuncti sunt, & dixerunt: *quid faciemus viri fratres?* &cæt. Act. 2. Hos significat Beda, sanè pro maximo duxisse beneficio, si Christo ipso, eiusque corporali præsentia, & suauissimis eius sermonibus frui potuissent.

Eosdem, vel saltem aliquos ex istis, qui crediderunt, desperasse veniam ob scelus crucifixionis Christi ait August. licet compuncti dicantur, quare non inuenerunt, licet in illum crederent; sed non video, quomodo ij, qui dicuntur compuncti, non verè fuerint conuersi: sed desperauerint. ex Actorum 2. Contrarium colligo; quod si conuersi sunt, ij certè Christum quærentes, inuenerunt. non inuenire enim est in peccato mori ex cap. 8. Ioan. 21. 24. At Rupertus & Caietan. in malam partem hæc verba accipiunt, vt sit sensus secundùm Caietanum, vos ô Iudæi, nó me viuum modò persequimini, sed etiam mortuum. Quæretis enim me iam mortuum tenere clausum in sepulchro, etiam custodibus adhibitis, sed non inuenietis. Exibo enim inde viuus, atque immortalis. Sed rectiùs dixisset Caietan. quæsiuisse Iudæos Christum in sepulchro post resurrectionem, sed non inuenisse, ita vt his verbis intelligatur Dominus suam resurrectionem voluisse prædicere. Est enim credibile Iudæos ad Christi sepulchrum veniſſe, sed minimè reperisse, resurrexerat enim: Rupertus verò censet dici hic Iudæos quæsiturum Christum ad persequendum, quasi dicat, *quæretis me* contumelijs afficere, meique memoriam, & nomen penitus delere, seruos quoque meos increduli odio persequemini; *sed non inuenietis*, id est, nihil proficietis. Eadem expositio est Augustini tractatu 38. sed durior est hæc interpretatio; vt patet. Postremò optimè expositum videtur Emmanuel: quæretis pro, si quæratis, sic Psalm. 36. 9. *Quæres locum eius*, pro, si quæras. item Psalm. 9 35. *quæretur peccatum illius, & non inuenietur.* Isa 41. 12. *Quæres eos, & non inuenies.* Ose. 2. 7. *Sequetur amatores suos, & non apprehendet eos, & quæret eos, & non inueniet.* Sic etiam Maldon. qui eam expositionem tribuit Theodoro Heracleensi; vt sit hebraismus, quo significet Christus se non inueniendum amplius in terris, licet maximè quæratur: quomodo locuntur Hebræi, vt indicent perijsse aliquem, vel non extare in terris. Quod si interpretaris, *quæretis me*, id est, optabitis præsentiam meam, hæc significatio verbi, *quæretis*, benè quadrat in primam, & secundam expositionem, quam retuli num. 26.

27.

Vera expositio.

Vbi ego sum, vos non potestis venire] Significant hæc statum immortalitatis, & gloriæ Christi, qui post resurrectionem eius à mortuis futurus erat: in quo statu nec infideles Iudæi vllo modo eum lædere poterant, nec ad eum peruenire propter infidelitatem, & de his præsertim obstinatis loqui videtur: fideles verò dum vita hæc durabat corruptioni obnoxia, non poterant ad eum statum assumi; dixit autem: *vbi sum*, non vbi ero, vel iuxta scripturæ morem posito præsenti tempore pro futuro: vel quod ibi mox futurus esset secundùm humanitatem, vbi semper fuerat secundùm diuinitatem, vel denique quod etiam vt homo, quamuis in terris existeret ipso suæ conceptionis initio in cœlesti esset, & æterna gloria secundùm superiorem animæ partem. Chrysostomus hæc ad mores sic accommodat hom. 49. *de nobis timeo ne dicatur: vbi ego sum, vos non potestis venire: quomodo enim poterimus cùm contra quam præcipiatur, operemur.*

28.

25. *Ad semetipsos*] Id est, inter se, vel ad se inuicem, *Non ad ipsum*, inquit August. nihil enim ipsum discendi caussa superbi actumidi, rogare volebant. *Nunquid in dispersionem gentium iturus est*] Gr. εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων, id est, in dissemi-nationem græcorum: nam ab Apostolis gẽtes, *græci* dicuntur. Roman. 1. 16. & 2. 9. & 3. 9. & 10. 12. & c.

Quid intelligendum nomine, dispersionis gentium.

quid verò sit *dispersio gentium*, non vna omnium est sententia. nam quidam censent, dispersionis hic gentium nomine accipiendos esse Iudæos per varias regiones dispersos extra Palestinam, ad quos scripsisse videtur Diuus Petrus, vt ex initio primæ epistolæ habetur: *Petrus Apostolus Iesu Christi electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ.* &c. At longè probabilius est, quod opinantur Chrysost. Aug. Rupert. & alij: isti enim per dispersionem gentium gentiles intelligunt: vel quod per omnes fermè regiones orbis disseminatæ sunt, cùm Iudæorum sola esset terra illa promissionis; vel quod non vna omnes lege, vnaque religione inuicem adunati essent, sed diuersa, ac sæpè contraria sequerentur instituta, & superstitiones; hos enim propriè significant, cùm subdunt; *& dicturus gentes.* & verò gentium vox numero plurali in scripturis, solet saltem vt plurimum significare omnes alios homines præter Iudæos.

Locus Petr. ep. 1. 1.

29.

Quare vt rectè notat D. Augu. tract. 31. *salutem nostram prædixerunt, quod Dominus iturus esset ad dispersionem gentium, & impleturus, quod legebant, & non intelligebant.* Psalm. 17. *Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi*, verè autem neque scire, neque credere suam derelictionem, & gentium conuersionem declarant hic Iudæi, cùm dicunt: *quis est hic sermo, quem dixit, quæritis me* &c. accidit ergo his, quod Caiphæ post, Ioan. 11. 51. *prophetauit* enim *quod Iesus moriturus erat pro gente*, id est, Iudæis, *& non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi* (Gentiles intelligit) *congregaret in vnum.* Itaque verè vaticinati sunt quodammodo, nescientes quid dicerent: Christus enim per Apostolos suos, relictis Iudæis, iturus erat ad docendas & conuertendas gentes, quod postea dictum est Iudæis à Paulo, & Barnaba, Act. 13. 47. *tunc constanter Paulus, & Barnabas dixerunt: vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes: sic præcepit nobis Dominus: posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ.* Isa. 49. & verò Iudæi erant primogenitura spoliandi, quæ ab ipsis ad gentes, tanquam ab Esau fuerat ad Iacob transferenda, Gen. 25. & populus, qui caput erat mutandus in caudã, Deut. 28. 44. quemadmodum verò Ionas in Ciuitatem Niniues, nõ nisi per mare, & absorptus à cete prædicaturus venit, vbi & hedera, siue *cucurbita*, vt sept. legunt, quæ ei præbebat vmbram, emarcuit: ita Dominus Iesus per Ionam significatus nõ aliter, quàm traiecto passionis suæ mari, cùm absorptus à morte fuisset, ad docẽdas gentes per Apostolos transijt, quo tempore hedera exaruit, hoc est, legis cerimoniæ, quæ vmbram tantùm futurorum bonorum continebant, abrogatæ sunt.

Locus Pſal. 17. 45.

Locus Ioa. 11. 51.

Gentium conuerſio.

Ionas Chriſti tranſeuntis ad gentes figura.

30.

27. *In nouissimo autem die magno*] Vltimo festo hebdomadæ tabernaculorum, quod vnum ex anni totius celeberrimis sabbatis, id est, festis erat; magnaque populi frequentia celebrabatur dies ille octauus. Hic ergo dies octauus vocatur hic ab Euangelista dies magnus, & nouissimus, quod celeberrimus esset; vocabatur verò dies cœtus, & collectæ. Itaque non eodem hęc die & superiora verba à Domino dicta sunt. *Stabat Iesus & clamabat*] Stabat quidem, qui à regula iustitiæ per peccatum nullo vnquam tempore deflexit, & verò nec poterat; stabat quasi derelicturus Iudæam, & ad gentes transiturus; stabat quasi imperterritus, & mente in Deum sublata, vt iacentes erigeret, & gladio verbi Dei contra aduersarios pugnaret pro suis. Consueuerat autem Dominus, cùm doceret Apostolos sedere, cùm verò turbam, stare, quasi significans orationem contra facinorosos homines feruentiorem, & efficaciorem esse debere, tranquilliorem verò, ac pacatiorem, quę ad bonos, & perfectos viros haberetur.

Dies octauus tabernaculorum celeberrimus.

Dies cœtus & collectæ.

Ieſus cur clamãs ſtabat?

Si quis sitit] Ambrosius serm. 19. in Psal. 118. ait: *Iesus Dominus clamabat, si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et voce verè magna clamabat, qui vocabat homines ad regnum cœlorum, ad illum venerabilem potum, quo vitæ æternæ fructus infunditur. Et tu cùm oras, magna ora, id est, ea ora, quæ æterna sunt, non caduca. ora quæ diuina sunt, atque cœlestia, vt sis sicut Angeli in cœlo. Noli orare pro pecunia, quia ærugo est; noli pro auro, quia metallum est; noli pro possessione, quia terra est. ista oratio ad Deum non peruenit; non audit Deus, nisi quod dignum suis ducit esse beneficijs, sed audit piam vocem plenam deuotionis, & gratiæ.* Sitim vocat vehemens salutis desiderium, ac studium. Sitientes vocat. etenim vt Chrysost. ait: *qui sitiunt poculum, quam cupidissimè hauriunt, & ita recreantur.* Hac ergo sit, qui laborat, veniat, inquit, ad me, hoc est, mihi credat, vt patet ex. v. seq.

31.

Quid orandum ex Ambroſ. ſer. 19.

Sitis hic quid ſignificet?

28. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura*] Difficile est intelligere, vbi Scriptura hoc dicat: *Flumina de ventre eius* &c. Chrysost. enim, Theophyl. Euthym. hæc verba, *sicut dicit Scriptura*, iungunt cum eo, quod antecedit, hoc modo: *qui credit in me*, quemadmodum Scriptura pronunciat esse credendum in me. Vel vt Theophyl. exponit: qui credit in me, eo modo, quo Scriptura credendum esse docet. Omnis enim Scriptura Prophetarum docet, oportere credere in Christum, tanquam in verum filium Dei, verum Deum, verum Christum & Redemptorem; vel certè eo modo, quo dicit esse credendum, vt quis saluus sit, nimirum fidè viua illa, quæ ab ijs exigitur, quibus propria salus expetitur, & curatur. Probabilis est hæc expositio Chrysost.

32.

Senſus huius loci ex ſententia chryſoſt. Theophyl. & Euthym.

Diuus Hieronymus habet, hunc locum esse vnum ex multis, quæ indicant Christum, & Apostolos plura citasse ex hebraica veritate, quæ in sept. interpret. non inueniantur, dicit ergo, hunc locum in lib. Prouerb. reperiri apud Hebræos, nusquam autem apud sept. vide illum in præfat. in Pentateu. & in in lib. Paralip. lib. 2. contra Ruffin. & in comment. in cap. 6. Isa. Verum quia Hieronymus Prouerb. locum non signauit nominatim, adhuc res in obscuro relicta est, vnde sit desumpta hæc sententia. Sunt qui putent ex cap. 5. 15. eius libri depromptam, vbi legimus: *bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui: deriuentur fontes tui foràs, & in plateis aquas tuas diuide.* Sed hæc verba habent etiam Septuag. quod tamen infici at D. Hieronym. deinde eo loci secundùm literam Salomon agit de matrimonio, horratur maritum, vt post habita meretrice, vel adultera, suæ duntaxat vxori adhæreat; quod sequentia verba clarissimè indicant: nam v. 18. subditur: *sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentia tuæ: cerua carissima* &c. *& quare seduceris fili mi ab aliena, & foueris in sinu alterius?* posset tamẽ ad hoc respondẽri, citari à Domino hunc locum secundùm mysticum sensum, sed hæc ratio nõ mihi multum satisfacit.

Sententia D. Hieron

Locus Prou. 5. 15. 18.

Probabilior igitur eorum est sententia, qui opinantur his verbis: *Flumina de ventre eius fluent:* alluisse Christum ad scripturam, non quod hæc eadem sententia in vllo diuinæ scripturæ loco inueniatur, sed quod eius sensus, non vno, sed pluribus apud Prophetam locis reperiatur, nimirũ in omnibus illis, in quibus prædixit Deus per Prophetas ingentem spiritus, & gratiæ suæ abundantiam communicandam cum ijs, qui crediturí erãt in Messiam; quam quidem copiam, & exuberantem gratiarum abundantiam exprimere solet Scri-

33.

Probabilior huius loci ſenſus.

ptura

ptura nunc voce *spiritus*, nunc, *aquarum*, nunc *fontis*, nunc *putei*, item *torrentis*, aliquando *fluminis*, interdum etiam *maris*; & verò nihil aliud iunuit, cùm pollicetur Deus per Prophetas se in omnes homines Spiritum sanctum largiter effusurum sub his, quæiam dixi, vocabulis: vt patet Ezech. 11. 19. & 36. 24. 25. & 39. 29. Isa. 44. 3. & 55. 1. Syrus habet: *sicut dixerunt Scripturæ*. duo ego loca tantùm assignabo: alterum Isa. 41. 18. *Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.* Alterum verò cap. 44. 3. *Effundam aquam super sitientem, & fluenta super aridam; effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam; & germinabunt inter herbas quasi salices iuxta præterfluentes aquas.* Hunc planè sensum visus est Ioannes declarare voluisse, cùm addidit: *hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes.* quasi innuens non verba quærenda esse, sed sensum, non de aquis, sed de Spiritu sancto loquutum esse Christum quem super fideles effusurus erat, die præsertim Pentecostes.

Locus Isa. 41. 18. & 44. 3.

Idem videtur sentire Euang. 10.

Hanc porrò gratiarum, & donorum Spiritus sancti affluentiam super credentes duabus vocibus expressit Euangelista; & cùm *flumina*, dixit, & cùm *fluendi* verbo, vsus est: *flumina* enim plurali numero, non *flumen* scripsit, vt abundantiam hanc declararet; quod Origenes homil. 12. in num. Ambros. lib. 10. epist. 82. & alij obseruarunt. Verbo verò, *fluendi*, significauit eos, qui in Christum fide viua crediderint (aliqui dæmones credunt, & contremiscunt) non id tantùm habituros gratiæ cœlestium bonorum, quantum satis sibi sit; sed ita etiam abundaturos, vt possint eã cum alijs hominibus communicare, quod & Ammonius obseruasse videtur.

34. Copiosa donorũ Spiritus S. effusio duabus vocibus ab Euang. exprimitur.

De ventre eius] Diuus Gregorius homilia 10. in Ezechielem: *In sacro*, inquit, *eloquio nonnunquam venter pro mente poni consueuit, vnde & per Ieremiam* capite 4. 19. *dicitur: ventrem meum doleo, quod quia de spiritali, & non corporeo ventre dixerat, adiunxit: sensus cordis mei conturbati sunt: neq; enim ad salutem populi pertinebat, si Propheta ventrem corporeum se dolere prædicaret; sed ventrem dolùit, qui mentis afflictionem sensit. Sed cur exemplum Prophetæ proferimus, cùm testimonium Domini apertius habeamus, & necesse est, vt cùm per semetipsam veritas loquitur, Prophetæ taceat, quia lucerna claritatem non habet in sole. Ait enim: qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, quia enim de mente fidelium sanctæ prædicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquæ viuæ flumina decurrunt.* Idem sentiunt, qui per ventrem intimam hominis partem, id est, rationem, & voluntatem, more hebræo significatam intelligunt, siue cor, siue animi conscientiam, hæc enim quasi venter animæ sunt. Cur autem potius nomine *ventris* hic vtatur, non est difficile intelligere, loquebatur enim de potu, qui solet in ventrem descendere, & inde diffundi.

35. Quid per ventrem in sacris litteris vt plurimũ accipiatur?

Cur hic nomine ventris vtatur.

Aquæ viuæ] Habebit enim in seipso fontem vitæ, qui sic credit in Christum, salutis, ac iustitiæ, ita vt ei mors non dominetur, non concupiscentia mala mortis mater; neque opera mortua faciat, sed viuentia, & Deo grata, propter inhabitantis Spiritus sancti virtutem, & efficacitatem.

36. Textus græcus, &c.

39. *Nondum enim erat spiritus datus*] Græcè habetur οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον *nondum enim erat Spiritus sanctus*, nec additur, *datus*, sed non dubito interpretem legisse *datus*, & vt inquit hic Maldonatus Syri ita legunt; & celeberrimus ille

A Vaticani codex græca scriptus manu; sic etiam Didymus libro 2. de Spiritu sancto, sic Augustinus tractatu 32. & libr. 4. de Trinitate capite 21. & lib. 83. quæstionum, quæstione 62. sic Leo sermone 2. de Pentecost. &c. Reddit autem hic rationem Ioannes, cur per futurum locutus fuerit de Spiritu, *quem accepturi erant credentes*, & non per præteritum, quem acceperant; ratio est, quia Spiritus sanctus nondum credentibus datus erat, sed dandus. Cur autem non esset datus, caussam subdit, *quia Iesus nondum erat glorificatus.* Loquitur aũt Ioan. hic non de qualicumque datione, sed de insigni ac singulari illa facta post Domini ascensionem in cœlum: nam vt notat hic Perer. disput. 9. num. 33. Christus tribus modis dedit hominibus Spiritum sanctũ post ascensionem; quibus modis; ante non dederat vnquam; dedit inquam vniuersaliter non vni, vel alteri, sed & multis simul, & separatim propemodum innumerabilibus; nec Iudæis tantùm, sed & gentibus. Dedit abundanter, id est, secundùm omnem affluentiam gratiarum. Dedit sensibiliter per externa signa, quædam conspicua, eiusmodi erant, loqui varijs linguis magnalia Dei. &c. Montan. sic interpretatur.

Spiritus S. post Christi ascensionẽ tribus modis datus.

B *Nondum enim Spiritus sanctus*] *Spiritus sanctus iustificationis & regenerationis non datus fuit in possessionis regni pignus, & arrhabonem ante mortem, & resurrectionem Iesu. Quanquam Spiritus sanctus ministerij, & auctoritatis multis antea datus fuerit; varia enim sunt efficientia in hominum animis ab eodem, vnoq; Spiritu sancto.*

Iesus nondum erat glorificatus] Numerat hic duodecim modos glorificationes Iesu Perer. Vide illum, si lubet. Breuiter glorificationem hic Christi, licet alij resurrectionem eius, vt Aug. alij crucem ipsam vt Theophy. Euthym. Ego ascensionem in cœlum intelligo, qua perfectam illam accepit gloriam, vt exaltatus, sedensq; ad dexteram Patris acciperet nomen, quod est super omne nomẽ, quod mihi significasse videtur, cùm dixit Christus: *si nõ abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si abiero, mittam eum ad vos.*

Quænã erat hæc Christi gloriatio, de qua hic agitur.

C Et verò æquum erat Spiritum sanctum dari à filio iam victore, & ad dexteram Patris sedente, vt sic constaret à filio etiam procedere, atque adeò filium ipsum Deum esse, qui Spiritum sanctum mitteret. Sunt & aliæ rationes huius rei, cur ante ascensionem non sit datus Spiritus sanctus præter iam dictam, tum vt cognoscerent Iudæi, eum, quem occiderunt in cœlis esse, vnde etiam vel ipsum Spiritum sanctum effunderet in suos, & quidem magno sono, quasi iam ipse de cœlo tonaret contra inimicos suos, quam rationem tetigisse videtur Diuus Petrus Act. 2. 33. *Dextera Dei* (id est, potentia) *exaltatus, & promissione Spiritus sancti*

37. Rationes quare Spiritus S. post ascensionẽ mittatur.

D *accepta à Patre* (id est, accipiens à Patre, vt posset Spiritum sanctum mittere, quem promiserat) *effudit hunc* (Spiritum sanctum, siue hoc donum Spiritus sancti) *quem vos videtis & auditis*, nimirum cùm videatis magnam in his discipulis Iesu mutationem; audiatisque apertè varias linguas, quibus magna Dei beneficia exponuntur; quod manifestum est Spiritus sancti donum; tum deinde vt Clichthoueus ait: *quod*, cùm *vnus Christus aderat carnè præsens consolator, & illuminator*, eius *doctrina, & lux tunc sufficiebat ad hominum illustrationem, tum quod*, vt idem inquit, *Spiritus sanctus potissimùm missus est, vt hominum corda ab amore præsentis vitæ ad futuræ vitæ bona traduceret, & inuisibilium affectum induceret; id autem non vsque adeò opportunè factum fuisset, cum homines nullo adhuc fuissent exemplo edocti, quæ sperandæ sint futuræ vitæ præmia. Cum verò per resurrectionem Christi, & in cœlos ascensum, viderint in*

Locus Act. 2. 33.

capite præceßiſſe futura vita gloriam, & exemplum facilius perſuaderi potuerunt, hæc quoq; in membris eſſe ſperanda, & miſſus eſt Spiritus ſanctus, qui hanc ſpem, iactis iam fundamentis, corroboraret. Ad hæc complenda erat prophetia, dicens: aſcendens Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Sic ille.

28. Hanc plenam Spiritus ſancti effuſionem ſuper Eccleſiam in nouo teſtamento docet Ambroſius epiſtola 82. libro 10. vel libro 3. epiſtola 25. ſignificatam eſſe per torrentem, libro 3. Regum 17. 5. ad quem miſſus Elias; aliam non plenam in veteri teſtamento per puteum teſtamenti, vbi fuit Elias 3. Regum 19. 3. *Primum*, inquit, *Elias in Berſabe eſt* (quod eſt puteus iuramenti) *conceßit ad ſancta legis myſteria, diuinig; iuris ſacramenta. Poſtea ad torrentem mittitur, ad illum fluminis impetum, qui latificat ciuitatem Dei. Vtrumque aduertis vnius auctoris teſtamentum, vetus ſcriptura quaſi puteus, profunda, atque obſcurior: Vnde cum labore haurias, non plenam, quia adhuc, qui impleret eam, non venerat. Denique poſtea ait: non veni legem ſoluere, ſed implere. Ideo ad fluuium tranſire ſanctus à Domino iubetur, quoniam qui de nouo teſtamento biberit, non ſolùm flumen eſt, ſed flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, flumina intellectus, flumina cognitionis, flumina ſpiritualia, quæ tamen perfidiæ aruerunt tempore, ne ſacrilegi biberent, potarent perfidi.* Sic Ambr.

Figura exuberantiam ſpiritus ſignificans in nouo teſtamento.

32. *Vbi erat Dauid*] Hoc eſt, pro, vnde erat.

34. *Quidam autem ex ipſis volebant apprehendere eum*] Deſcribit Euangeliſta contraria vulgi ſtudia, vt patet à verſic. 30. vſque ad 34. Nam aliqui ex turba confitebantur illum eſſe Chriſtum, alij Seductorem, alij Prophetam, alij dubitabant, quidam etiam manus in illum conijcere volebant, cùm verò inquit: *nemo miſit ſuper eum manus*, innuit, id facere non potuiſſe, quia nondum venerat hora eius, vt verſiculo 20. hic habes, quod enim ibi dixit, hic etiam vult à nobis intelligi.

35. *Venerunt ergo*] Reuerſi ſunt, re infecta; aduerte mediante feſto, hoc eſt, quarto, vel quinto feſtiuitatis die cœpiſſe Chriſtum docere in templo, Ioan. hic v. 14. poſtridie miſſi videntur ſatellites ad eum capiendum, vt Ioan. innuit verſ. 32. Tandem poſt tres, quatuor ve dies, nimirum vltimo feſtiuitatis die, redierunt ad Dominos.

39. 36. *Nunquam ſic locutus eſt homo*] *Homo*, pro, *quiſquam*, per hebraiſmum, ita & verſ. 41. *nunquid lex noſtra iudicat hominem*, id eſt, quemquam. Illud, *ſic*, & doctrinam commendat, & modum, ac virtutem, quaſi dicat, admiranda locutus eſt, & tanta vi, & efficacitate cœleſti potiùs, quam humana audientium animos allicit, vt nemo mortalium, vel talia vnquam dixerit, vel tanta ad ſuadendum virtute. Hi miniſtri ſignificati ſunt per miniſtros miſſos à Saule, vt Dauidem abducerent; non modo enim id non fecerunt, verùm vbi ad locum venerunt incidentes in chorum Prophetarum, nudati ſunt, & cœperunt prophetare 1. Reg. 19. 20. Rurſum ſignificati ſunt per quinquaginta illos milites ad Eliam miſſos, quos ille, igne de cœlo lapſo, combuſſit. 3. Regum 18. hoc idem ſuo modo accidit miniſtris ad Chriſtum miſſis; hos enim ipſe meliore igne charitatis ſuæ comburere voluit; quo factum eſt, vt nihil attentare auſi fuerint contra illum. Fecit nunc hic Chriſtus, quod olim Eliſæus, qui venientes ad ſe latrunculos Syriæ miſſos à Rege Benadab, vt eum caperent, ipſos cepit, & prandio opiparè excepit, & tandem liberos ad ſuos redire permiſit; in eumdem modum Dominus Ieſus hos miniſtros, vt ſe caperent venientes, verbo prædicationis ſuæ comprehendit, & cœleſtium verborum conuiuio exceptos remiſit ad Principes, & Phariſæos, vt teſtarentur apud illos, quis ipſe eſſet, & iam quaſi Chriſti miniſtri Phariſæos, & Principes alligarent. Simile quid accidit & Saulo, qui plenus minarum, & cædis deferebat litteras, vt ligaret Damaſci quotquot Chriſti fidem profiterentur: verùm cœleſti luce perfuſus, & diuino igne de cœlo tactus, efficacitateque verborum Chriſti, proſtratus in terram vinctus, victuſque eſt à Chriſto; & demũ miniſter eius effectus, alios per totum orbem ſalutariter vinctos ad Chriſtum adducere cœpit, non ſine ingenti eorum ſtupore, qui prius illum nouerant.

Vis ſermonis Chriſti.

Hi miniſtri à Phariſæis miſſi, quibuſdã Scripturæ figuris oſtenduntur.

Chriſtus Eliſæo comparatur.

Paulus.

38. *Nunquid ex Principibus*] Mirum eſt, quantum populis inferant damni Principes & Paſtores peſſimo vitæ exemplo, quod Quintilianus declamatione 3. teſtatus eſt, ſic ſcribens: *hæc eſt ſuperiorum conditio, vt quidquid faciunt, præcipere videantur, & perniciosiſſimus eſt malæ rei quiſquis maximus auctor.* Veriſſimum eſt illud Claudia. in Panegyr de quar. Conſu. Honorij. *Nec ſic inflectere ſenſus humanos edicta valẽt, vt vita regentis. Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.* Quare non id, quod faciunt, ſed quod facere deberent Principes, aduertendum eſt. Audi Aug. l. b. 50. hom. hom. vlt. c. 13. *tam ſunt*, inquit, *præpoſteri, qui Præpoſitorum ſuorum malos mores imitari eligunt, quam per eos prædicta Domini præcepta ſeruare; quam ſi quiſquam viator remeandum ſibi eſſe exiſtimet in itinere, cùm viderit miliaria lapidea litteris plena viam docere, & non ambulare. Cur enim non potiùs ſi peruenire deſiderat tales comites intueatur, & conſequatur, qui & viam benè demonſtrant, & in ea perſeueranter & alacriter ambulant.* Hoc eſt, quod Dominus dixit Mat. 23. *ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, omnia quæcumq; dixerint vobis ſeruate, & facite, ſecundùm verò opera eorum nolite facere.*

40. Quantum mali peſſimo Principis exemplo populis adferatur.

Non vitam malã Principum, ſed bona quæ docent, intueri decet.

41. 39. *Sed Turba hæc, quæ non nouit legem*] Cùm turbam *maledictam* vocant, quia legem non nouit, alludunt, vt Rupertus exiſtimat, ad locum Deuteronom. cap. 27. verſic. 26. *maledictus qui non permanet in ſermonibus legis huius.* Ergo non noſſe legem, eſt legem non obſeruare, vel potiùs ſenſus eſt: nunquid etiam vos, ſicuti multi de turba, creditis hunc hominem eſſe Chriſtum tamquam ab eo ſeducti? vbi rurſum Chriſtum ſeductorem eſſe mentiuntur: dixerunt hoc Phariſæi, quia religionis zelum quemdam maiorem, quàm cæteri præferebant. Illa autem vox, *ergo*, hunc habet ſenſum; quia viderunt Phariſæi miniſtros, ſi non penitus conuerſos ad Chriſtum, certè valdè propenſos in eum, propterea dixerunt: *numquid & vos ſeducti eſtis?* & reuocare conati ſunt ab ea in Chriſtum animi propenſione; idque hac ratione; quod nemo ex optimatibus, vel Phariſæis, qui legis cognitionem, & cuſtodiam profitentur, in Chriſtum crediderint; ſed turba legis ignara, quæque maledicto obnoxia eſt, quod Deus non cuſtodientibus legem inflixit. Porrò maledixerunt turbæ, ſicut & cæco quamuis hic propriè Dei maledicto potiùs turbam ſubiacere declarent, & non ipſi maledicere videantur. Profectò *turba illa verius contra dixiſſet* (inquit Rupertus) *iſtud vanitatis concilium, & hæc Eccleſia malignantium, quæ non facit legem, maledicti ſunt.* Execrabilis ſanè eſt hominum ſuperborum arrogantia, qua qui ſibi pluſquam oportet, placent, cæteros præ ſe nihil eſſe putant.

Chriſtus Eliſæo comparatur.

40. *Qui venit ad eum nocte*] Lege Ioann. c. 3. 1. 2. ecce tibi falſum eſſe, quod dixerunt Phariſæi, nullum ex Principibus & Phariſæis in Chriſtum credidiſſe.

Digitized by Google

didisse. Nicodemus Princeps & Pharisæus erat, & crediderat tamen.

Qui vnus erat] εἷς ὢν vnus existens, vnus cùm esset ex principibus Phariseis, vnus ex ipsis non sceleris consortio, sed ordinis dignitate; vnus ex ipsorum numero, & concilio.

Lex inauditum non damnat.

41. *Numquid lex nostra*] Lex, vt vult Montanus, quæ de veris, & falsis Prophetis lata est in Deuterono. neminem vt falsum Prophetam damnari vult, nisi cognita caussa ex illius ipsius tum sermonibus, tum actionibus. Nam prophetiæ ratio iudicanda non petitur ex testibus, sed ex ipsius, qui prophetiam profitetur, expositione, & assertione. Verùm Maldonatus negat alludi hic ad locum Deuter. 13. 14. & 19. 18. & arbitratur Nicodemum testimonium nullum scriptum, sed consuetudinem potiùs citare legis, quæ neminem nisi auditum damnari patitur. Nec enim ea tam scripta lex est, quam naturalis. Vtraque expositio probabilis est. Augustinus tractatu 33. *Sciebat*, inquit, *Nicodemus, vel potius credebat, quia si tantum modò Christum vellent patienter audire, forte similes fierent illis, qui missi sunt tenere, & maluerunt credere.* Quin expertus ipse fuerat, cùm nocte venit ad Iesum, quanta vis esset in verbis Christi, & sanctitate vitæ: & ideo alios vult terram hanc promissionis explorare lacte & melle manantem, quam explorator ipse nocturnus indagarat. *Iudicat*] condemnat. *Hominem*] vide num. 39. *Audierit*] Lex, hoc est, iudex legem secutus. *Ab ipso*] præsente, & legitimè interrogato. *Et cognouerit*] certo, si non ex ipso (fortè enim nolet veritatem fateri) saltem ex testibus. *Quid faciat?*] Refertur & ad *audierit*, & ad *cognouerit*. Duo enim, inquit Nicodemus præcedere debent condemnationem, primùm, vt audiatur reus. deinde, vt certò cognoscatur, quid ille agat, doceat, moliatur, &c. si non ex ipso, saltem ex testibus.

vis verborum Christi.

42. 42. *Numquid & tu Galilæus es?*] Montanus sic. *Numquid & tu Galilæus es? qui defendere velis, & ornare Galilæum hominem, perinde atque prophetiæ dignitate, & auctoritate fulgentem? Satis est illum esse Galilæum, vt negemus Prophetam esse posse. etiam si examinatum affirmare audeamus. Nam quamquam nemo iudicandus est falsus Propheta non auditus, & examinatus, tamen nemo est excipiendus omninò Prophetæ nomine, siue falsi, siue veri, qui Galilæus sit; quando nullum Galilæum Prophetam aut fuisse, aut fore ex Scripturis accepimus. Itaq; non de veritate, aut falsitate prophetiæ, sed de ipso etiam prophetiæ nomine iudicium nobis est. quod non est, neque verum, neque falsum est.* Pessimum genus argumentandi à Principibus vsurpabatur hoc loco ex negatiuo præterito. Sic enim argumentantur, nullus vnquam ex Galilæa Propheta extitit, ergo iste, qui Galilæus est, Propheta non est. Eodem argumento summi isti dialectici probarent, nec Heliam Prophetam fuisse, quia ante ipsum nemo ex eius patria Propheta fuerat.

Pessimus argumentandi modus Pharisæorum.

43. Græc. *à Galilæa Propheta non surgit*, minus ambiguè dicitur ἐγήγερται *surrexit*, quasi dicat, lege totam Scripturam nusquam reperies vllum vnquam ex Galilæa Prophetam extitisse, & ita ex præteritis probant Christum, cùm sit Galilæus, Prophetam esse non posse, quamuis nec cõstet nullum vnquam ex Galilæa extitisse Prophetam. nam Deboram ex Galilæa fuisse quidam censent.

44. 43. *Et reuersi sunt*] Insinuat hic Ioann. non iterum Principes ministros ad capiendum Christum misisse, atque adeò consilium Nicodemi profuisse, quasi dicat nihil tunc actum ea de re, hoc est, de Christi comprehensione. Iansenius ad hoc, inquit, profecit Nicodemi patrocinium iustum, & si non sufficiens, vt eius interpellatione in præsens malignum hoc consilium dissolueretur. Vnde discendum, quantum sæpè alicuius admonitio qualis qualis, valeat ad impiorum conatum reprimendum. Sic enim in multis locis experientia docet, paucos Nicodemos, & Iosephos plurima mala auertere; hic versus nec à plerisque antiquis auctoribus legitur, & in multis codicibus græcis desideratur. Sed de hoc in sequent. cap. Hæc de schol.

THEORIA VNICA.

De scientia Christi.

In V. 5. *Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?*

1. Quotuplex scientia sit in Christo.

TRiplicem in Christo Theologi scientiam collocant: creatam, videlicet acquisitam, qualem sibi possunt homines comparare per vim intellectus agentis. Infusam diuinitus, qualem habent Angeli naturalem sibi. Postremò Beatam. Has negare nimium temerarium esset, si de beata, & infusa loquamur. Si de acquisita, ferè temerarium; nam exceptis Duran. & Scot. passim Doctores eam in Christo agnoscunt.

2. Christum beata scientia fuisse præditum ostenditur.

Et quidem in Christo fuisse scientiam beatam, dum mortalem hic vitam viueret, indicat non obscurè locus ille Ioann. 1. *plenum gratiæ, & veritatis*, nam vna & præcipua gratiæ perfectio est consummatio ipsius per beatitudinem. Veritas imprimis in eadem beatitudinis cognitione resplendet. Et ad hoc etiam facit locus Ioann. capit. 3. versic. 11. *quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur*; vbi clarè Christus de se homine loquitur, & eodem modo accipiendum est, quod subdit versic. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo*, vbi verbum *ascendit* præteriti temporis est: ἀναβέβηκεν. item Ioann. 8. 38. *ego, quod vidi apud Patrem loquor.* & Ioann. 12. 26. *qui mihi ministrat, me sequatur, & vbi sum ego, illic & minister meus est.* Vbi non aliud polliceri videtur, quam beatitudinem, qua videlicet ipse iam donatus erat; eodem refertur & illud Ioan. 17. 24. *volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam.* lege Canum lib. 12. de loc. Theolog. c. 1. 4.

Loca Ioan. 3. 11. 13. & 8. 38. & 17. 24.

3. Christus beatus ab instanti suæ conceptionis.

Hanc sanè beatitudinem habuit Christus, momento suæ conceptionis, sicut ab eo momento fuit plenus gratiæ & veritatis. quod Damascenus libro 3. de fide capite 22. testatur: *nam propterea*, inquit, *eos qui dicunt Christum verum incrementum in sapientia accepisse, consequenter negare vnionem factam esse à primo illo carnis ortu; nam si tunc*, ait, *facta est, quid tandem afferri potest, quin omnibus prorsus sapientiæ, gratiæq; opibus affluxerit?* Confirmatur, & auctoritate Eusebij lib. 10. demonstrat. Euangel. capite vltimo, vbi de Christo intelligit illa Psalm. 21. *in te proiectus sum ex vtero.* Inducit enim Christum dicentem Patri: *ex tunc te*

Digitized by Google

Deum meum iam videbam. Auguſtinus quoque idem ſentit libro 83. quæſtionum, quæſtione 65. & libro 4. de conſenſu Euangel ſt. capite vltimo ſub finem; vbi cùm dixiſſet neminem hominum, qui interitui obnoxij ſunt, poſſe in hac vita DEVM videre, ſubdit: *qua maximè proprietate diſtat à cæteris homo, cuius ſuſceptione verbum caro factum eſt.* Et ne longum faciam, Riccard. de Sancto Victore libro 2. de Emman. capite 22. *quod nos*, inquit, *expectamus in conſummatione, illi datum eſt in ſua conceptione*. Eſt & ratio Diui Thomæ valdè congrua, 3. parte quæſtion. 9. art. 2. Chriſtus enim etiam vt homo auctor fuit ſalutis, atque adeò beatitudinis aliorum ad Hebræos 2. ſed cauſſam ornari oportet perfectione effectus; ergo & Chriſtum oportuit ornatum eſſe beatitudine: ſicut enim Adam, quoniam futurus erat naturale quoddam principium generis humani, creatus fuit ipſo ſtatim initio, quo ad naturalia perfectus, ita Chriſtum ſupremum gratiæ, & gloriæ auctorem decuit ipſo ſuæ conceptionis momento repleri gratia & gloria ſummè perfecta: nec minus valida eſt & altera ratio; nam Chriſtus ſemper fuit filius Dei naturalis; ergo hæres, atque adeò poſſeſſor. Neque enim tempore indigebat, quo frueretur hæreditate; neque erat quod intercederet mors Patris, vt filius in poſſeſſionem hæreditatis mitteretur, nec propter ætatem impediri poterat.

Ratio S. Th. probans Chriſtum ab inſtanti ſuæ conceptionis beatum fuiſſe.

A pari prædicta ratio cõfirmatur.

Alia ratio hoc idem probans.

4. Quid comprehenſor, quid viator?

Hinc fit Chriſtum ſimul comprehenſorem, & viatorem fuiſſe, quod docet Diuus Thomas quæſtione 15. artic. 10. comprehenſor enim is dicitur, qui beatitudinem eſt adeptus, quam cæteri non niſi ſpe tenent: viator verò eſt, qui bonorum operum officijs, & meritis ad beatitudinem contendit iuxta illud 1. Corinthiorum 19. *ſic currite, vt comprehendatis.* & Philippenſium 3. *ſequor autem, ſi quo modo comprehendam.* Cùm igitur Chriſtus beatitudinem animæ iam haberet ab inſtanti cõceptionis, comprehenſor fuit ſecundùm animæ beatitudinem: fuit & viator, cùm per merita & paſſiones contenderet ad gloriam ſui corporis, atque adeò ad beatitudinem vndique conſummatam, quo nondum peruenerat, vt meritò ad ipſum pertinuerit illud Ieremiæ 14. 8. *Quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum?* De gloria autem corporis reſurrectionis, & aſcenſionis, & de manifeſtatione, & exaltatione nominis Chriſti intelligenda ſunt illa, & ſimilia loca: *nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* &, *nondum erat ſpiritus datus; quia nondum erat Ieſus glorificatus.* &, *Et clarifica me Pater.* &c. Debebatur ſanè etiam gloria corpori Chriſti Domini ab ipſo ſuæ conceptionis initio, teſte Auguſtino epiſt. 56. non tantùm ratione gratiæ animæ, ſed etiam ratione vnionis; vt tamen redemptionis noſtræ munus exequeretur diuina diſpenſatione factum eſt, vt ad tempus illa caruerit; cuius rei ſignificatio quædam oſtenſa eſt in transfiguratione.

Quomodo Chriſtus in hac vita cõprehenſor fuerit, & viator, declaratur?

Locus Iere. 14. 8.

Chriſtus in hac vita vt nos redimeret debita corporis gloria priuatur.

Porrò per hanc beatam ſcientiam cognouit Chriſtus clarè omnia quæcumque DEVS cognoſcit ſcientia viſionis, ſcilicet quæcumque actu ſunt, erunt, vel fuerunt, & quæ præterea ſunt in potentia naturali creaturæ.

5. Chriſtum habuiſſe ſcientiã infuſã oſtenditur.

Quod verò pertinet ad ſcientiam infuſam, affirmo etiam habuiſſe Chriſtum ſcientiam per ſe infuſam, cognitionem videlicet rerum per intelligibiles quaſdam ſpecies, ijs perfectiores, quæ per naturalem intellectus agentis virtutem comparari poſſunt, ac præterea ipſi diuinitùs infuſas. Nam docet Scriptura Luc. 2. Chriſtum, cùm duodecim eſſet annorum, ita diſputaſſe, vt nullus eſſet, qui non miraretur; quaſi nequiuerit ita diſſerere ſcientia communi aliorum hominum naturali, id præſertim ætatis puer. Quo ſpectat & illud, quod nunc verſamus, *quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit?* Nec ſatis eſt hos ſapientiæ effectus, quibus etiam cognoſcebat hominum cogitationes, & futura contingentia, ac ſupernaturalia myſteria, profectos eſſe ex ſola ſcientia beata; non, inquam, id ſatis eſt dicere, nam cùm Chriſtus eſſet non tantùm comprehenſor, ſed etiam viator, æquum ſanè erat, vt etiam qua viator cognitionem aliquam haberet ſupernaturalem; viſio enim propriè eſt ſcientia comprehenſoris.

Ad hæc, poſſibilis erat hæc ſcientia in Chriſto, & expediebat interim ipſum pluribus modis cognoſcere creaturas, non in verbo dumtaxat, ſed in ipſis etiã per proprias earum ſpecies; qua ratione motus Auguſt. 4. Geneſ. ad litteram cap. 23. & 24. duplicem ſcientiam in Angelis diſtinguit matutinam, & veſpertinam, decuit ergo hac ſcientia præditum fuiſſe.

Ratio S. Th.

Quo etiam tendit ratio Diui Thomæ quæſt. 9. artic. 3. quæſt. 9. 3. partis quia niſi ita ſentiamus caruiſſet perfectione ſua in Chriſto illa potentia, quam habuit ſimpliciter, & abſolutè intellectus ipſius, vt perfectè informaretur ſpeciebus intelligibilibus rerum, quæ ſiue naturaliter, ſiue per reuelationem, cognoſci euidenter poſſunt.

6. Ab inſtanti cõceptionis fuit in Chriſto ſcientia infuſa.

Et hæc ratio etiam oſtendit Chriſtum Dominum ab inſtanti conceptionis ſuæ ſcientiam hanc infuſam habuiſſe, ne vnquam illa potentia intellectus in ipſo fuerit inanis; quod & illo Iſaiæ 7. confirmari poteſt. *Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum*: vbi Hieronymus, *adhuc puer*, inquit, *hoc ſciet.* Porrò hæc ſcientia electiua aptè, ac commodè tribuitur ſcientiæ infuſæ. & illo item Iſaiæ 11. 1. 2. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus* &c. vt proinde iure dixerit Paulus Coloſſenſ. 2. 3. de Chriſto: *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi.* & idem indicat ad Hebræos 10. 5. *ideo ingrediens mundum, dicit: hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi; tunc dixi: ecce venio; in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam, Deus, voluntatem tuam.* & ſubdit verſiculo decimo, *in qua voluntate ſanctificati ſumus* &c. Loquitur autem de ea voluntate Patris, cui conceptus Chriſtus continuò ſeipſum obtulit,

Digitized by Google

& meruit etiam sanctificationem nostram; nam per hanc Patris voluntatem, ad quam faciendam venit Christus, sanctificati tandem, ac iustificati sumus, & obtinuimus per vnum sacrificium, quod Christus semel in cruce obtulit, & quo sanctificauit nos, id quod per tot legis sacrificia obtinere non poteramus. Ex quo loco constat primo ipso momento conceptionis cognouisse Christi animam, voluntatem Patris, & nostræ redemptionis mysteria, & sponte vitam obtulisse pro hominibus. Cùm igitur hæc supernaturalis cognitio fundamentum sit meriti, credibilius est, non tantùm fuisse visionem comprehensoris, sed etiam cognitionem aliam, scientiæ infusæ.

7. Scientia naturalis Christi Domini.

Restat agere de scientia naturali Christi, quam Theologi *Acquisitam* nominant; & imprimis nomine scientiæ acquisitæ hic intelligimus omnes virtutes, quæ intellectuales nominantur à Philosophis, hoc est, intellectum, seu habitum principiorum, cuius sunt assensus euidentes, & certi. Deinde sapientiam, tertiò scientiam, quæ duæ cum necessarijs, & dilucidis rebus passim in nobis probabilia quædam, & incerta permiscent: neque enim omnia quæ sub sapientiæ aut scientiæ totalis obiectum cadunt, euidenter scimus, sed quædam opinamur, nec certò tenemus. Quod igitur ad conclusiones omnes earum euidentes attinet, constat assecutum fuisse Christum omnem euidentem cognitionem ipsarum, quam ratio naturalis assequi potest; quod verò pertinet ad rationes probabiles, & verisimilia iudicia opinionum omnium in ijs rebus, de quibus naturæ lumine adipisci non possumus claram, & euidentem notitiam, habuit Christus quidquid ratio naturalis assequi potest per rationes probabiles, & verisimilia iudicia: Verùm non per hæc de veritate ipsa rerum iudicabat, sed de earum dumtaxat probabilitate, quæ clara, & euidens esse poterat, iudicium ferebat, nisi mallet assensum suspendere.

Habitus prudentiæ & artis fuerunt in Christo ex D. Thom.

Denique non defuit Christo habitus prudentiæ, neque artis, itaque in Christo fuisse artes, quarum omne opus est in faciendo, atque agendo docet Diuus Thomas quæst. 13. a. 1. ad 3.

8. Scientia hæc acquisita duplex est.

Hanc ergo scientiam acquisitam, prout complectitur iam expositam naturalem cognitionem omnem claram, & euidentem, vt dixi, sic distinguere possumus, vt quædam sit cognitio experimentalis dicta, quæ tota circa singularia est, quæ sub sensum cadunt, & quæ experimur; ex qua accedit ad intellectum euidens cognitio fundata in experientia ipsa; quædam verò alia est cognitio euidens conclusionum, quæ ex proprijs principijs naturæ lumine perspicuis inferuntur, & propriè vocatur scientia: vtramque verò amplectimur hic nomine scientiæ acquisitæ, nam vtraque fuit in Christo.

9.

Hac ergo scientia dicimus Christo euidentes, & perspicuas fuisse res omnes naturæ, tam materiæ immersas, quàm abiunctas à materia; denique omnia, quæ ab anima tam corpori vnita, quàm à corpore separata naturaliter cognosci possunt. Addo potuisse Christum habere cognitionem hanc intellectiuam naturalem, quamuis à spectris ipsis, quæ in phantasia cernuntur, non penderet, & vt Philosophi loquuntur, absque conuersione ad phantasmata. Non loquor nunc de experimentali scientia; hanc propositionem pluribus docet Suar. 3. part. distinctio. 30. sectione 1. & generatim probari potest ex perfectione, quam animam Christi habere decebat ab initio conceptionis eius, ratione vnionis, vel beatitudinis; tota enim hæc perfectio superius num 7. exposita illi debebatur, nec quod ea careret quidquam ad hominum redemptionem faciebat. Igitur habuisse dubitandum non est, atque adeò ab initio conceptionis ne vnquam sibi deesset.

Habere potuit Christus naturalem scientiam acquisitam sine conuersione ad phantasmata.

10. Obiectio.

Quod si obijcias non potuisse Christi intellectum corpori adiunctum à phantasiæ spectris non pendere. Respondeo Christi animam, quamuis animaret corpus corruptioni obnoxium, habuisse tamen proprietatem hanc animæ beatæ, vt non fuerit proinde ita corpori suo subdita, vt ab eo penderet, quin etiam illi potiùs imperaret, lege D. Thomam quæstione 11. articul. 1. ad 2. & artic. 2.

Alia obiect.

Quod si iterum opponas, videri nos hac ratione scientiam acquisitam, & infusam per se permiscere, atque confundere; nam cognoscere cœlestes illas mentes, atque spiritus, prout in seipsis sunt, idque sine vlla spectrorum, vel phantasiæ necessitate, proprium esse videtur scientiæ per se infusæ. Respondeo, minimè permisceri, vel confundi scientias istas, quamuis aliquo modo conueniant in aliqua proprietate; alioqui plurimum dissident: nam scientia per se infusa est diuini ordinis, & supra omnem naturam, per quam non solùm res supernaturales, sed naturales etiam supernaturali modo cognoscuntur. Quare ea scientia vocatur per se infusa, non solùm ratione specierum, sed quod omninò sit supra ordinem animæ humanæ tam corpori coniunctæ, quam ab illo separatæ. At verò hæc scientia acquisita connaturalis est humanæ naturæ; & quamuis attingat res à materia auulsas, eo modo, quo anima humana valet illas naturæ viribus agnoscere, quod ad hoc tamen attinet, adhuc inferioris rationis est, quàm scientia per se infusa; habet enim species quidem infusas, ordinis tamen naturalis, quales infunduntur animæ à corpore abiunctæ; & quod caput est, non exigit lumen aliud præter illud, quod tributum est animæ humanæ.

Differentiæ inter infusam scientiam & naturalem.

Porrò de speciebus, & lumine scientiæ per se infusæ; consule eumdem Suar. disputatione 29. nam exactiùs ista excutere, Theologi munus est. Quod verò hæc scientia acquisita contra quorumdam Doctorum sententiam, ipso statim conceptionis initio sit animæ Christi communicata, & per accidens infusa, vt Theologi loquuntur, idem author docet disp. 30. sect. 2. quamuis acquisita dicatur, quia eiusdem rationis est cum scientia

connaturali animæ noſtræ, quam noſtro ſtudio, & labore acquirimus.

II. Quid ſitiendum quoad scientiam experimentalem in Chriſto.

Cæterùm aliter ſentiendum eſt de experimentali ſcientia. Hac enim profeciſſe Chriſtum procedente tempore cenſent Theologi. Vnde Paulus ad Hebr. 5. *didicit*, inquit, *ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam*. Hoc eſt, etiam experimento cognouit; quia pati voluit, vim & præſtantiam obedientiæ, quam grata illa Deo ſit, & quot, quantaue pariat bona.

DIGRESSIO PRIMA MORALIS.

Quàm ſobriè, & modeſtè gerere ſe debet, qui ſapiens eſt.

In V. 6. *Doctrina mea non eſt mea.*

I. De ſcientia non eſſe gloriandum.

SI is, cui natura ineſt ſapientia, quin etiam ipſa ſapientia eſt, ſapientiæ tamen laudem non ſibi tribuit, ſed ad Patrem, vnde profecta eſt, totam, integramque refert; quid ſentire de ſe æquum erit hominem, cuius ſapientia tam exilis, tam tenuis eſt, vt quaſi aliena, & precario conceſſa videatur. Magnæ ſanè ſtultitiæ eſt de ſua ſapientia, ac ſcientia hominem gloriari. Parit quidem illa naturaliter admirationem in quocumque cernatur; verùm ſi vnde ſit, ſpectemus, totam eius laudem, & admirationis pulchritudinem in Deum referri debere, vnde verè profecta eſt, animaduertemus. Etenim teſte Iob capite 28.18. *trahitur ſapientia de occultis*. Ita ſiquidem occulta, atque ab hominum ſenſu remota origo ſapientiæ eſt, vt non alius ſit *fons ſapientiæ* quam *verbum Dei in excelſis*. Quemadmodum Eccleſiaſt. ſcriptum eſt capite 1.5. Conabimur igitur declarare, quomodo gerere ſe debeat, qui ſapiens eſſe cupit, & quæ ſint Chriſtiani Doctoris partes, quæ haud ſcio, an aliunde melius emineré poſſint, quam ex illis ipſis inſignibus, quibus, qui in ſapientum ſcholis ad Doctoratus gradum euehitur, inſigniri ſolet.

Locus Iob. 28.18.

& Eccl. 1.5.

2. Tria doctoratus inſignia. quid liber clauſus ſignificet.

Sunt autem hæc tria, liber, primum quidem clauſus, deinde etiam & apertus, annulus, & pileus. Et vt à libro incipiam, quoniam permagni refert, non paſſim quoslibet aperire, atque euoluere libros (habent enim ſæpè intus venenata quædam, vnde infici quis poſſit) hinc eſt, quod clauſus primo loco traditur ad Doctoratum promouendo, quo moneatur ipſe, & quicumque alius veræ ſapientiæ ſtudioſus eſt, vt cùm in manus acceperit librum aliquem, diligenter inſpiciat, ecquis ſit libri auctor; quot item libri, qualeve argumentum, quid reijciendum, quidve amplectendum, cùm legerit, antequam quidquam in publicum proferat; ne ſi opus illud incautè manibus tractetur, inficiat eum, qui legerit, & ad alios etiam, ſi in publicum ſcripta proferantur, peſtis deriuetur. At ipſe idem liber apertus monet, vt cùm diligenter cuncta Doctor inſpexerit, inde quæ vtilia ſunt ſibi, hauriat, & mox priuata ſtudia in aliorum etiam vtilitatem conuertat, in illum perpetuò intendens aciem, qui ſolus habet clauem Dauid, & *claudit, & nemo aperit; aperit & nemo claudit.*

Quid liber apertus innuat.

3. Hæreticorum volumina aſpidum ouis comparata fugienda omnino ſunt. Locus Iſa. 59.5.

Verùm hac in parte fugiendi imprimis ſunt hæreticorum libri, qui ouis aſpidum ſimillimi ſunt, vt meritò huc illud Iſaiæ capit. 59. verſicul. 3. afferri poſſit, *ouа aſpidum ruperunt &c. qui comederit de ouis eorum, morietur, & quod confotum eſt, erumpet in regulum*. Oua aſpidum hæreticorum libros aptè, ſciteque dixeris, nam ſicut illa foris pulchra videntur, intus verò venenata, & peſtilentia ſunt, primumque ipſa frangentibus letifera; ita nefaria hæreticorum volumina in ſpeciem quidem pulchra, & cortice tenus, inani quadam eloquentia perpolita ſunt, ſed ſi premas, pernicioſa, & funeſta, & ijs potiſſimum, qui ea verſant, & quaſi frangunt, dum manibus terunt; qui verò ea fouerint, venenatos aſpides excludent. Quare etiam ex Gentilium, Philoſophorumque libris, *tamquam ex roſarijs*, vt Theodoretus ſapienter loquitur, *ſpinas intactas relinquens Chriſtiana ſapientia ſtudioſus, ſolum roſarum calices legat*. Hæc de libro.

Quomodo Chriſtianus Doctor Ethnicorum libris vti debeat.

4. Chriſtiani Doctoris annulus quid ſignificet.

Annulus inſigne eſt ingenuæ nobilitatis, & equeſtri ordini olim addicens: ita rectè ſymbolum eſſe dicemus veræ nobilitatis, quam Chriſtianus Doctor habere debet, quæque in edomandis, ſubijciendiſque prauis animi motibus, tamquam indomitis equis, poſita eſt, qui animum potiorem hominis partem, ni cohibeantur, impetu ſuo debilitant, atque affligunt.

Doctrina ſacra Sinai monti aſſimilata.

Equidem puto me non ineptè facturum, ſi ſacram doctrinam monti Sinai comparauerim, in quo DEVS benè viuendi præcepta, ſeque colendi rationem edocuit. Ad hunc ergo cœleſtis diſciplinæ montem, ſi quis belluæ animum, mentemque gerens, aut vulgi erroribus, vitijſque infectus acceſſerit, lapidibus interficietur, hoc eſt, vnde ſalutem, ac beatam vitam capere debebat, inde perniciem referet.

5. Tertium Doctoris Chriſtiani ornamentum.

Reſtat tertium ornamentum pileus, qui quaſi laurea quædam corona Doctoris capiti imponitur, quo iam ſe inter alios mortales tantùm eminere intelligat, quantum hic apex ſupra illius caput aſſurgit. Sed interim oportet eum, qui ſecundùm DEVM ſcire vult, vel ſapere, nihil eorum, quæ in ſe ſunt, vel videntur magna, inaniter admirari, quin abijciat ſe, neceſſe eſt, mentemq; non ad eum ipſe ſplendorem ſcientiæ, vel dignitatis gradum conijciat, quem habere videtur, ſinat alios admirari, ipſe potiùs quam multa ſibi deſint, quam multa ignoret, attendat: ſic ſapientiſſimus ille Moſes, cum acceptis legum, teſtamentiſque tabulis, deſcenderet de monte Sina, magnæ erat omnibus admirationi propter ſplendorem,

Chriſtianus Doctor debet eſſe humilitatis ſectator.

Moſes ſplendorem ſuum non cernés.

qu

qui crescentis instar lunæ frontem eius ambiebat; quod ornamentum cæteri cum viderent, & admirarentur, solus ipse ignorabat, tanto in hoc illustrior, quanto ad ea, quibus excelleret perspicienda, oculis esset hebetior.

6. Quã sit exigua humana doctrina

Ianuarius nescio quis Augustinum commendarat, quod nihil earum rerum, quæ sub humanum captum caderent, eum fugeret: Respondit Aug. epist. 119. *tantum absum, ab eo quod putasti nihil me latere, vt nihil in epistola tua legerim tristius, quia & apertissimè falsum est, & miror, quia hoc te latet, quod non solum in alijs innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis sanctis scripturis multo nesciam plura, quàm sciam.* rectè Augustinus. nam vt Ecclesiast. decimooctauo, vers. sexto scriptum legimus: *cum consummauerit homo tunc incipiet: & cum quieuerit, aporiabitur*, cuius postremi verbi notio, cum fortasse non esset omnibus nota, mutatum est aliquando verbum, *aporiabitur*, in *operabitur*; Cum tamen totius loci sententia sit, cum intellectus, apprehensa Dei magnitudine, putauerit se apprehendisse omnia, quæ Dei sunt, & ad quietem quamdam peruenisse, tunc rursum illi laborandum est, rursum incipiendum, ac si nihil nouisset, pluribus siquidem, maioribusq; difficultatibus experietur se premi, atque inuolui, quam antea, atqui hoc est, ἀπορηθήσεται, seu *aporiabitur*, incertum, perplexumque esse. vt meritò hinc discamus omnes, quàm modestè, quàm sobriè de tenui hac nostra doctrina sentire debeamus.

Locus Eccl 18.6.

7. Quomodo inanigloriæ sit obuiandum.

Quod si animum subit inanis gloriæ cogitatio, identidem vsurpemus illud Christi Domini verbum, *Doctrina mea non est mea.* nam si quid boni est in nobis, qualecunque & quantumcunque sit, id magis est à Deo. *Quid enim habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quare gloriaris, quasi non acceperis.* 1. Corinth. 4. nam bonum quod in nobis est, putà, doctrina, & nostrum est, & non nostrum, & magis non est nostrum, quàm nostrum, quia principalis eius auctor & causa non sumus nos, sed Dominus Deus. iuxta illud Iacobi Apostoli: *omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Deinde nec sumus nos eorum bonorum, quæ habemus, absoluti Domini, sed quasi depositi custodes, & talenti nobis traditi fœneratores, de quo à nobis quomodo sit expensum, & conseruatum, & an cum lucro auctum accuratè subtiliterque exigenda ratio est.

8. Modus sciẽdi prius quã ipsa scientia acquirendus est.

Itaque iure Apostolus Paulus 1. Corinth. 8. nos admonet; *qui putat se aliquid scire, nondum cognouit, quemadmodum eum oporteat scire*: docet Arist. modum sciendi scientiam præcedere debere 2. Metaph. cap. 3. At Paulus eum, qui scientiam iactet, ne modum quidem sciendi assecutũ esse dicit: itaq; duplo insipientior est, & ideò ait Romanorum primo, *putantes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Vt enim lucis radius, cum primum ex ipso fonte luminis amputatus obtenebrescit, & perit: ita sciendi laus, si non in Deum referatur, cuius est propria, illico in stultitiam vertitur. Ergò qui sapit, hoc vnum sciat, se nihil scire, quod Socrates de se testari non erubescebat, & multò melius Solom. Prou. 30. *stultissimus sum*, inquit, *virorum.* Hanc

Salomon, & Socrates sapientissimi viri stultos

A Christi vocem, *Doctrina mea non est mea*, vsurpare poterat quiuis Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, & verò etiã nunc vsurpare potest quicumq; pius euangelij prædicator, vel diuinæ doctrinæ scriptor est, qui studeat persuadere hominibus doctrinam, quam tradit, non ab ipso esse, sed à Deo profectam, atque adeò minimè mendacijs esse obnoxiam vel vanitati, ac superbiæ; *Sapientia* enim *quæ desursum est, pudica est, modesta, pacifica, suadibilis, bonis consentiens &c.* Iac. 3.

se profitebãtur Locus Prou. 30.

Contra verò Philosophi arrogantes ac tumidi omninò ijs contraria iactabant. studebant enim maximè persuadere hominibus B doctrinam, quam profitebantur, esse nouam & à nullo alio ante profectam, quàm à se ipsis tamquam proprij ingenij fœtum, proprium opus inculcabant ergò ij potius; mea doctrina mea est, non aliena, hoc plenis buccis insipienter, & stultè crepabant; hinc factum vt proinde lapsi sint in innumeros errores, dum suã doctrinam non Deo, sed sibi tribuebant; etenim verissimum illud, nec decipi potuit, qui dixit: *omnis homo mendax.* hinc tot opiniones, tot sectę inter philosophos, cum vna tamen sit veritas. sed de his satis, tantum illud esse sequendum non dubitemus, modestè semper, ac sobriè sapiendum esse, & nostram doctrinam non tam nostram esse, quam non nostram.

9. Arrogantes multis erroribus implicantur.

C DIGRESSIO II. MORALIS.

In loca aliqua huius capitis.

V. 14. *Nolite iudicare secundum faciem.*

I. Monentur hic iudices non ferre sententiam secundùm faciem, hoc est, inspiciendo nobilitatem, diuitias, munera, amicitiam, &c. vt autem iudex secundùm faciem nõ iudicet, nec sit προσωπο λημπτης. id est personarum acceptor, præditus esse debet potentia, & fortitudine, ne potentiorum, & diuitum vultum timeant, alioqui Ecclesiast. septimo, 6. dicitur: *noli quærere fieri iudex, nisi valeas irrumpere iniquitates, ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.*

Qualis esse & quo modo iudex se gerere debeat.

Eccl. 7. 6.

D Imitandus est iudicibus Iob quondam potens, qui de se c. 29. 17 sic testatur: *conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferam prædam.* Deinde adesse debet iudici timor Dei, qui animam eius extimulet ad accuratè inuestigandam perspiciendamq; causæ veritatem; quod se fecisse Iob eodem loco v. 16. affirmat; *causam, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.* Verum inprimis veritatem amare, & auaritiam odisse iudicem oportet: nam si auaritiæ studet verendum est, ne munera menti tenebras offundant, & iudicium peruertant. AElian. libr. 14. de varia historia. ca. 34. sic scribit de amore iudicum erga veritatem: *in iudicibus apud Aegyptios princeps erat sententiæ maximus natu; eum omnium hominum esse iustissimum, & sinceriſſimum* (Græcè ἀωεθεσατον, non parcentem, vel seueriſſimum) *oportebat, qui circa collũ*

Iob. 29. 17.

AEgyptiorũ mos in constituendis iudicib. qui essent iustissimi, & veritatis amantissimi.

imaginem ex ſapphyro gemma confectam, geſtabat, quæ vocabatur veritas. Ego verò iudicem non tam in lapide ſculptam circumferre, quam in animo, mente que inſitam, & inſixam habere velim.

2. Quæ ad iudices temporales quoad. forum externũ, ea adeo confeſſarios quo ad internũ pertinent.

Has omnes Iudicum proprietates vna ſententia complexus eſt Iethro Exhod. 18.21. *prouide de omni plebe viros potentes & timentes Deum in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, &c. qui iudicent populum.* Opportunè verò monet hic Barrad. hæc omnia eſſe imitanda à confeſſarijs, qui animarum iudices ſunt in foro interiori; eſt illis neceſſaria fortitudo, ne quemquã iniuſtè abſoluant, nec potentium peccata diſſimulent; & qua (ſi quando opus eſt) reſtitui, quæ iniuſtè ablata ſunt, imperent; viribus etiam valeat ad extrahendum ex Dæmonis faucibus animas, vt ipſe dicere poſſit: *conterebam molas iniqui, & de dentibus auferebam prædam.* Debet confeſſarius Dei timore eſſe ornatus, vt eius, qui confitetur, conſcientiam diligenter excutiat, & ad peccati prauitatem, & turpitudinem deteſtandam, pœnitentis animum excitet, ac permoueat. Videat abſoluendus ne ſit, an ligandus, qui peccata confitetur, ad quod neceſſaria eſt in Confeſſario ſcientia cum Dei timore coniuncta: nam ſi hic abſit, quamuis doctus ſit, oſcitanter hæc, & negligenter præſtabit. Vt verò gratis det, quod gratis accepit, auaritiæ peſtem omninò fugiat, quæ multò deteſtabilior eſt in ſacerdote, quam in externi fori iudice.

Aliqua particularia ad cõfeſſarios ſpectantia notatu digna.

3. De Principũ miniſtris aliqua hic apte inferuntur.

Et quia de iudicibus egimus, de miniſtris quoque Principum aliqua ſubijciemus, de quibus mentio facta eſt. verſ. vigeſimo ſecundo, *miſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros, vt comprehenderent eum*, & verſ. 36. *reſpondêrunt miniſtri: nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.* In his miniſtris ergò, quorum hic meminit Euangeliſt. tria commendat D. Thom. ſic ſcribens: *redduntur commendabiles miniſtri ex tribus.*

Primò ex admirationis cauſſa, quia non propter miracula, ſed propter doctrinam Chriſti mirabantur (nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo) ex quo proſiquires efficiantur veritati, & recedunt à conſuetudine Iudæorum, qui ſigna quærebant.

Secundò ex conuerſionis facilitate, quia ad pauca verba Chriſti capti ſunt, & allecti ad eius amorẽ. Tertiò ex animi ſecuritate, quia Phariſæus, qui Chriſto aduerſabatur, talia dicunt de Chriſto. Euthymius *non ſolum*, inquit, *prudentiam eorum admirari dignum eſt, ſed & loquendi libertatem. Neque enim dicunt, dimiſimus illum, ne fieret diſſenſio in populo, neque aliam fingunt excuſationem: ſed ipſam dicunt veritatem, & Chriſti prædicant ſapientiam.* Addit Theoph. *neque curauerunt iram Phariſæorũ, neq; quia vt ſerui miſſi fuerant, quæ placita erant principibus dixerunt, ſed teſtabantur veritati.* obſeruat quoque idem Theopyl. *nos miniſtros imitari oportere, & non obedire in ijs, quæ Deo ſunt aduerſa, ſicut & Sauli non eſt obtemperatum, cum aſtantes iuſſet contra legem ſacerdotes interimi.* ſic enim 1. Regũm 22. legimus: *ait Rex emiſſarijs, qui circũſtabant eum, conuertimini, & interficite ſacerdotes Domini. noluerunt autem ſerui regis extendere manus ſuas in ſacerdotes Domini.*

Credidiſſe in Chriſtum hos miniſtros cenſent Diuus Chryſoſtom. Euthym. Theophy. quin D. Auguſtinus tract. 33. D. Thomas Ioann. 7. Clichtoueus, & Hugo Cardinalis, quam opinionem noſter Barrad. piam & probabilem eſſe cenſet.

4.

In nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus, & clamabat dicens: ſi quis ſitit, veniat ad me & bibat v. 27. quoniam in aqua ſeminaria quædam virtus naſcentis mundi initio eminuit: *ſuper aquam enim*, inquit Ambroſ. Luc. 22 *ante ipſos mundi natales ſpiritus ferebatur*; idcò aptè Dei filio conuenit qui tanquam diuina quædam aqua exiſtens ſeminariam continet omnium rerum virtutem, teſte Ioann. qui ait: *omnia per ipſum* (Verbum) *facta ſunt.* Quod ſi verbum vt Dei ſapientiam conſideres, illi etiam rectè tribues aquæ nomen. eſt enim ſapientia illa filij Dei expurgatæ mentis potus, vt in Eccleſ. dicitur, *& aqua ſapientiæ ſalutaris.* Poſtremò ſi hoc ipſum verbum, hanc Dei ſapientiam ſpectes vt noſtræ carnis veſte circumdatam, nobis ſimilem factam, næ tu verè dixeris aquam eſſe, & fontem patentem domui Dauid; ad quam hauriendam & bibendam inuitat nos Sapiens dicens in Cantic. *Venite & inebriamini chariſſimi.* nec mirum quod inebriet: aqua enim illa diuini verbi, & æternæ ſapientiæ, in ſanguinem, vt aqua illa fluminis num. 4. quodammodo verſa eſt, cum verbum caro factum eſt; ita effecta ſimul eſt nobis potus inebrians, quem continenter ſtillat vitis illa, quæ ait: *Ego ſum vitis, & Pater meus agricola eſt.* Ab hac enim vite virtutem quamdam nobis ſalubrem, quaſi imbibens aqua hæc magis nobis attemperatus, & accommodatus potus efficitur, & quaſi in vinum vertitur, vt inebriare iam poſſit. rurſum verò quoniam ſordes abluere, refrigerare, ſitim extinguere poteſt, aqua eſſe non deſinit. Aqua igitur, & vinum eſt, cum vtriuſque habeat proprietates, & verò, ſe vt verè aquam & vinum oſtenderet, verbum caro factum, aquam triplicem, cum apud nos ageret, emiſit in vitis morem: qua de re non minus piè, quàm eruditè ſic ſcribit Bernard. ſer. de ſancto Clem.

5. Per aquam Dei ſapientia hic intelligitur.

6. Triplex Saluatoris aqua & qui ſint eius effectus ex D. Bern.

Accipe triplicem aquam, quam tibi Saluator apponit; plorat ſuper Lazarum, & ſuper ciuitatem Ieruſalem, & hæc eſt aqua prima. ſudauit imminente iam Paſſionis hora, & hæc eſt aqua ſecunda, non ab oculis tantum, ſed à toto corpore manans. Hæc autem rubea eſt, ſanguinei coloris, ſicut ſcriptum eſt: Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Luc. 22. *Lam verò tertia eſt aqua, quam & prædiximus de latere eius vnà cũ ſanguine emanaſſe. Et tu ergo primam quidem habes, ſi rigas lacrymis tuis conſcientiæ tuæ ſtratum, & dolore compunctionis præteritorum diluis maculas peccatorum. Secundam aquam habes, ſi in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, & labore pœnitentiæ corpus tuum caſtigas, ac reſtinguis concupiſcentiæ flammam. Eſt autem ſanguinei coloris, ſiue propter laborem, ſeu etiam propter ipſum, quem extinguit, concupiſcentiæ ignem. Iam vero ſi proficere potes vſque ad deuotionis gratiam, potaberis aqua ſapientiæ ſalutaris, & ſpiritus Chriſti ſuper mel dulcis, fiet in te fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et memento hanc eſſe aquam, quæ procedit de latere dormientis, & ſine moleſtia*

fluit.

Digitized by Google

fluit. oportuit enim iam mortuum esse mundo, qui in hac voluerit gratia delectari. Ergo vt b. euiter repetam, prima quidem præteritis delictis abluit conscientiam: secunda, vt futura caueas, extinguit concupiscentiam: tertia, si ad eam peruenire meruerus, potat animam sitientem.

Quoniam igitur Christus fons est viuentium aquarum vberrimus iccircò Isai. c. 12. 3. visus est magnam nobis lætitiæ causſam aperire voluisse, cum de ijs salutaribus aquis quas Iesus, hoc est, Saluator daturus erat credentibus ita vaticinatus est: *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris.* Aquas verò Saluatoris nominat tum baptismatis vndam, qua in spem vitæ æternæ regenerantur animę, tum doctrinam euangelicam, tum septem sanctæ matris Ecclesiæ Sacramenta, quæ de Christi in cruce dormientis latere fluxerunt, denique gratiam, & septem sancti Spiritus dona (& hoc præcipuè) quibus æstuantes animæ, & scelerum cõscientia afflictæ, debilitatæque recreantur. reficit enim summo gaudio Spiritus sanctus hominum corda, & fœdis cupiditatibus inflammata refrigerat, accendit verò, omnem vini suauitatem exsuperãs, cælestium rerum incredibili amore. Ad has aquas stans Iesus, & clamans inuitabat, cum diceret: *Si quis sitit veniat ad me, & bibat.* Qui merces venales offerunt voce præconis clamare solent, non tam aliorum quam propria commoda spectantes. At Christus non suæ, sed nostræ salutis cupidus, suo ipse ore clamans, ac diuina illa voce nos alliciens *Si quis sitit veniat*, inquit, *ad me & bibat.* non alio pretio stat tanta res, venire dumtaxat, & bibere iubemur. sic idem Isa. 55. multo ante prædixerat: *Omnes sitientes venite ad aquas, properate, emite absq; commutatione vinum, & lac. quare appenditis argentum, & non in panibus, laborem, & non in saturitate?*

Locus Isa. 12. Quænam sint aquæ, quæ ex fontibus Saluatoris hauriuntur.

Locus Isa. 55.

8. Fontes Saluatoris iugiter fluunt.

Neo verendum est, ne vnquam defectura sit hæc aqua, quamuis plurimi ad bibendum confluant; proinde enim fontibus gratiam & dona Spiritus Sãcti, quæ per Christum habemus, comparauit Isa. loco iam cit. n. 7. non torrentibus; fontes siquidem iuges sunt. Torrens cõtra facile deficit, & aresçit: propterea de hac aqua dixit Christus Io. 4. 13. *Omnis qui bibit ex hac aqua sitiet iterum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* quasi dicat, fons aquæ semper fluens nunquam exaresçens, nunquam deficiens; dona enim Spiritus Sãcti nunquam, quod ad se attinet, cessant, quoadusque in ipsum mare influant, hoc est, in cælestem illam patriam, vbi sancti beatam viuent, & æternam vitam.

9. Dona Dei propter eorum perpetuitatem sponsæ vberibus assimilantur. Locus cant. 1. Ex D. Bernar. ser. 9. in Cant.

Et hinc est quod perennem Dei misericordiam, eiusq; dona in nos redundantia non vino, sed vberibus sponsa comparat Cant. 1. dum ait: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino*, quem locum sic explanat D. Bern. serm. 9. in Cant. *Carnis inquiunt* (animæ) *voluptatem, quapaulo ante, tanquam vino ebriæ tenebamur, vincunt hæ, quas tua nobis vbera stillant, deliciæ spirituales. Et pulcrè vino comparant carnalem affectum. Vt enim vua semel expressa non habet iam quod denuo fundat, sed perpetua ariditate donatur, sic caro in pressura mortis ab omni prorsus sua delectatione siccatur, nec vltra reuiresçit ad libidines. Vnde Propheta omnis caro fenum, & omnis gloria eius tanquam flos feni; exsiccatum est fenum, & cecidit flos.* (Isa. 40.) & Apost. ad Galat. 6. *Qui seminat in carne de, carne & metet corruptionem.* Et rursum *Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & has destruet. Vide autem ne non carni tantum, sed & mundo fortè competat ista proportio. Siquidem & ipse transit, & concupiscentia eius. Et cum omnia, quæ in mundo sunt, finem habeant, finis eorum non erit finis. Verum vbera non sic; hæc enim cum exhausta fuerint, rursum de fonte materni pectoris sumunt, quod propinent sugentibus. Meritò proinde meliora carnis, sæculiue amore asseruntur vbera sponsæ quæ nullo vnquam lactantium numero aresiunt, sed semper abundant de visceribus caritatis, vt iterum fluant. Flumina siquidem fluunt de ventre eius, sitque in ea fons aquæ salientis in vitam æternam.* eamdem donorum Dei perpetuitatem testatur Aug. tom. 4. de substan. dilection. c. 3. *Per dilectionem*, inquit, *copulauit sibi Deus creaturam rationalem, vt ei semper inhærendo, ipsum quo beatificanda erat bonum, ex ipso quodãmodo par affectum sugeret, & de ipso per desiderium biberet, & in ipso semper gaudium possideret. Suge, ô apicula, suge. Suge, & bibe dulcoris tui suauitatem, immergere & replere, quia ille deficere nescit, si tu non incipias fastidire. Adhære ergo, & inhære, sume, fruere: Si sempiternum gustus fuerit, sempiterna quoque beatitudo erit.*

Ex Diuo Aug. tom. 4. de substan. dilec. c. 3.

Vinum verò gustatur dum bibitur, sed dulcedo illius nullatenus perseuerat: *Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius; ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Prouerb. 23. 31. quia nimirum necesse erit, vt de fœcibus bibant, qui semel ingredientem blandè rerum terrenarum potum gustauerint; sic enim legimus apud Dauidem Psalm. 74. 8. 9. *Hunc humiliat, & hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus misto. Et inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fex eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.*

10. Locus Prou. 23. 31.

Constat igitur cur Isa. fontibus, Saluatoris nostri misericordiam, amorem, & dona, quæ inde ad nos proficiscuntur, comparauit, non verò torrentibus, qui exiccari, & exhauriri tandem consueuere.

Christus fons aquæ emundantis peccatores.

Neque verò solus Isa. Christum fontem esse in Ecclesia multis ante annis prædixit, sed Zachar. quoque de hoc ipso fonte vaticinatus est cap. 13. 1. *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ. Fons*, inquit, Gregorius homil. 20. in Ezechiel. *occultus est vnigenitus Patris inuisibilis Deus, fons verò patens est idem Deus incarnatus.* Verè fons patens est Christus incarnatus, quod neminem prohibeat; omnes ad bibendum inuitet; en stat & clamat: *Si quis sitit veniat ad me, & bibat.* Patet autem domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, quia ibi maximè clamauit, ibi concionatus est, ibi illustriora miracula edidit, ibi innumera passus est mala, ibi opprobrijs & maledictis lacessitus, ibi denique in Crucem actus indignam mor-

Digitized by Google

mortem patienter ac placidè sustinuit. Patet etiam nunc domui Dauid, id est, sequentibus Christum, eumque regem agnoscentib. qui non declinant ad idola Ieroboam, i. sęculi huius: & habitantibus Ierusalem, ij autem Ierusalem habitant, vt ait Gregorius homil. 20. in Ezech. *qui in visione pacis intimæ mentem figunt.* Ierusalem enim visionem pacis interpretantur. Christus ergò fons patens est ijs omnibus. Et quidem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ, hoc est, vt abluantur ab omnibus scelerum maculis quicunque ad ipsum accedere non recusauerint. *Menstruata*, inquit Hieronymus, *nihil erat in lege immundius, quæ quidquid tangebat immundum faciebat.* omnem ergò facinorosum hominem aptè significare potest, verum multò aptissimè in gentium populos hoc vocabulum conuenit, qui immundi semper propter funesta Dæmonum sacrificia; & peccatorum suorum sordibus fœdati erant. Peccatoris verò nomine populum Iudæorum intelligi ad rem satis accommodatè, vult Lyran. quare rectè dictum est prius in ablutionem peccatoris, deinde & menstruatæ, quia prius ablui cœpere Iudæi, postea subintroiere & gentes. Iterum verò ex Gregorio hunc eumdem locum Ezechiel. moraliter expendemus inferius numero vigesimoquarto, iam redeamus ad Isa. & inuestigemus quo modo possumus.

12. Saluator fōs aquarum viuentium aptius quàm puteus dicitur.

Cur potius de fontibus Saluatoris hauriendas aquas prædixerit Is. & non potius de puteis? breuiter ratio ea esse videtur, quia nimirū fons vltro offert aquam; summis enim montibus descendunt fontes, & per aquæductus, per secretas terræ fistulas pergentes, vrbes ipsas leniter ingrediuntur, domos alluunt, & mortales ēt nō quærentes reficiunt, per hortos excurrunt, & absque vllo hominum labore omnia rigant, latè prata omnia humectant, omnia fœcundant. sic enim de aquis fontium scriptum est Genes. 2. 6. *non pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat, qui operaretur terram, sed fons ascendebat de terra irrigans vniuersam superficiē terræ*, & v. 10. *fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* Verum puteus ad se venientes expectat, neque otiosis, & nihil agentibus quidquam suppeditat, sed magno labore, & brachiorum contentione haurientibus aquam tribuit; hinc mulier illa Christo dixit Ioann. 4. *Domine neque in quo haurias habes & puteus altus est, vnde ergò habes aquam viuam?* Quoniam igitur vltro se Christus offert etiam non quærentibus, pelicit ad se non rarò, nihil de sua salute cogitantes, illos inuitat, excitat, tantum non cogit vt ad hauriendas salutis aquas veniant: iccircò iurè patentis fontis nomine in scripturis describitur.

13. Etiā nomen putei aquarum Christo conuenit. Quando nomen fontis in Christum conueniat.

Quamquam alia quadam ratione puteum si dixeris Christum, non errabis. Verè fons est, *& fons hortorum*, vt ait sponsa Cantic. 4. *puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* & Sapiens Eccles. 1. *fons sapientiæ verbum Dei in excelsis.* Verum ita fons est, vt sit & puteus.

Tibi est fons cum te præuenit, cum sese tibi non vocatus offert, cum stat ad ostium & pulsat, cum dicit Cant. 5. *aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* fons tibi est cum ianuas tuas ingreditur, & à non quærente inuenitur; sic enim scriptum legimus. *inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui; his qui me non interrogabant* Isa. 65. 1. Roman. 10. 20. Puteus verò tibi est & quidem altus, quoties tu non sine magno labore, & dolore illum requiris vt inuenias; quoties in lectulo tuo quærens per noctes quem diligit anima tua, & non inueniens dicis cum sponsa Cant. 3. 2. *surgam & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima, quæsiui illum, & non inueni*; quoties accensa lucerna similis illi mulieri, quæ drachmam perdidit Lucæ quinto, euertis domum, & quæris diligenter drachmam, quam perdidisti, donec inuenias eam. Quid mirum si tibi puteus est cum fuerit, & matri, dum illum triduum quæreret, & inuento tandem diceret: *fili quid fecisti nobis sic, ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.*

Puteus nob. est Saluator cum non nisi labore & dolore gratiæ eius aquas potamus.

Quod si sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies. Prouer. 2. 3. 4. 5. tunc hauries aquas de fontibus, & puteis Saluatoris, sed de fontibus cum gaudio, de puteis cum lacrymis. si tamen in quo haurias, habes, videlicet, cor omni carnis fœditate, & contagione malorum vacuum, & ab omni caducarum rerum cupiditate alienum. Vide igitur vt aquas de fontibus vitæ quæ vltro se tibi nunc offerunt, promptè, hilariterque bibas, ne fortè aliquando etiam de puteo, & si magno labore hauriendam aquam vehementer cupias, & reperire non valeas. Habes iam in Ecclesia Dei patentem fontem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ, accede, abluere, immergere. Caue ne propter duritiam tuam, & impœnitens cor, claudatur fons & quæras locum pœnitentiæ, & non inuenias. Audi clamantem: *si quis sitit veniat ad me, & bibat.*

24.

In quo aquæ putei Saluatoris hauriantur.

Impœnitēti cordi claudi tur fons pietatis.

Hæ aquæ similes sunt aquis Zelotypiæ numer. quinto, quibus infame illud scelus, quo per spirituale adulterium à Deo sponso aliquando recessimus, putrescat. Hæ sunt tanquam aquæ Piscinæ Ioann. 5. quibus omnis ægritudo, omnis membrorum paralysis, omnis animi dissolutio per vitā gratiæ ita sanantur, vt iam facile liceat grabbatum carnis tollere & efficere, vt peccatum in nostro mortali corpore non dominetur. sunt vt aquæ natatoriæ Siloæ ad quas recepit lumen, qui cæcus natus fuerat Ioann. 9. sunt aquę Iordanis, quibus baptizamur, vt in filios Dei regeneremur. Quid quæris? Hæ sunt illæ aquæ Samaritanæ, quas bibit illa de Christi fonte salutari, vt non mirum fuerit, si de ventre eius aquarum flumina redundarint in omnem illam Samaritanorum ciuitatem.

15. Aquę fontiū Saluatoris assimilātur aquis Zelotypiæ & alijs, quæ in sacris literis scriptæ repe riuntur.

Mundani ac scelesti homines fluxis rebus addicti, quoniam his cœlestibus aquis destituuntur, semper sitiunt, & sitim suam molestissimè ferunt. exēplo est Israelitarū populus

16. Terrena sitim non extinguunt & innumera mala ferunt.

Locus. num. 20. 2. 3.

numero vigesimo, 2. 3. *qui cum indigeret aqua, conuenerunt aduersum Moysem, & Aaron, & versi in seditionem dixerunt: vtinam perijssemus inter fratres nostros coram Domino.* id quod minimè mirum videri debet. hæc enim est mundanarum rerum natura, vt sitim non expleant, quin augeant potius; & quo sunt potæ plus sitiantur aquæ. hinc intolerabiles labores, lites innumeræ, seditiones inter homines multæ, & magnæ animorum perturbationes sequuntur.

17. Locus Isa. 44. 3. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* hæc flumina aquæ viuæ designasse visus est Isa. capite quadragesimoprimo, 18. *Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram in riuos aquarum,* & capite 44. 3. *effundam aquam super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam & germinabunt inter herbas quasi salices iuxta præterfluentes aquas.*

His significata sunt dona, quæ spiritus sanctus in CHRISTVM credentibus, & nouo populo largiter daturus erat, de quibus idem Propheta: *Omnis vallis exaltabitur,* vel vt Luc. 3. 5. legimus, *implebitur*; nam sicut ad valles, & loca depressiora vberius, & copiosius aqua defluit, ita in humiles, & tremente sermones Domini, quales olim futuri erant credentes in Christum, nimirum, *captiuantes intellectum in obsequium eius*, spiritus sanctus liberalissimè sua dona infundit, *vt impleantur in omnem plenitudinem Dei.* Luc. 3. 5.

Eph. 3. 19. & Gal. 5. 22. Ephes. 3. 19. cuius plenitudinis fructus commemorat Paulus ad Galatas 5. 22. *Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Hæc sunt flumina aquæ viuæ fluentia de ventre credentium, hoc est, corda, & interiora hominum replentia, vt inde in omnes animæ facultates deducta ad præclara cuiusque virtutis opera deriuentur.

18. Hæretici detestandi & nulla omnino fides illis est adhibenda. Atqui si hæreticis huius turbulentissimæ tempestatis fidem adhibemus, qui omnia regenerati hominis, & credentis in Christum opera immunda, & peccati sordibus commaculata esse affirmant, atque adeò *peccatis magis quàm virtutibus accensenda*, (vt impius Caluinus loquitur) profectò de ventre fidelium nequaquam aquæ viuæ flumina exeunt, quin flumina aquæ turbidæ, fœtidæ, cænosæ, obscenæ, manetque super eos Prophetæ maledictio: *Quid tibi vis in via AEgypti* (petens inde auxilium) *vt bibas aquam turbidam,* (id est, Nili 70. geon.) *& quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquas fluminis* (Euphratis) *arguet te malitia tua, & auersio tua* (à via recta) *increpabit te* Ierem. 2. 19. sic pestilentes isti, & delirantes mendacem hic faciunt Christum clarè, disertèque promittentem, *qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.*

Ierem. 2. 19.

Ezech. 36. 25.

19. Rursum aliam quoque pollicitationem Dei per Ezechielem cap. 26. 25. de hac eadem re planè irritam, inanem & fallacem reddunt: *& effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab* A *vniuersis idolis vestris mundabo vos, & dabo vobis cor nouum & spiritum nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.*

Sphemantes Hæretici blasphemis promissionibus Dei euertere nituntur.

Vide quantum interfit inter veritatem, & mendacium. Ait Deus, qui mentiri nescit: *spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis*, &c. aiunt hæretici eius filij, qui fuit mendax ab initio; non potest homo præcepta Dei seruare, impossibilia enim sunt. Ait Deus: *ponam spiritum meum in medio vestri*; negant hæretici aliquem in nobis inhærentem esse per dona spiritum Dei, sed soli Christo inesse, in quo plenitudinem sui spiritus Pater deposuit, nobis imputandam, quod Caluinus impiè scribit. Ait Deus: B *auferam cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.*

Affirmant hæretici tam claræ veritati tenebras offundentes, manere adhuc cor lapideũ durum, ineptum, inflexibile ad quodlibet bonum virtutis opus. Quid enim est aliud cor vetus, cor lapideum, quàm veteris hominis sordes, & ad omne pietatis opus difficultas, tarditas, duritia, impossibilitas? Hanc mentiuntur in regeneratis omnibus inesse hæretici. Negant igitur, & inficiantur prorsus hæc flumina aquæ viuæ, hæc dona gratiarum Christi de ventre credentium inhærentia, vereque infusa, & permanentia, & ad aliorum etiam vtilitatem promanantia.

20. Hauriendæ prius de Christo aquæ. Sed ad alia veniamus. Prius bibit sitiens, dum venit ad Christum, mox de ventre eius C fluunt aquæ viuæ. nisi enim quis semel aquas hauserit de vberrimo Christi fonte, & quasi biberit spiritum sanctum, vt non poterit sitim suam extinguere, ita multò minus valebit alios aquis salutaribus recreare. Potarunt olim sanctissimi illi Ecclesiæ Principes tam suaues, & cœlestes aquas spiritus sancti Die Pentecostes: iamque non se, vt prius intra vnius domus angustias propter metum Iudæorum se continent, sed foras egressi, quasi musto pleni statim tria hominum millia ad CHRISTI fidem conuertunt. nimirum intra se tanquam vberrimum fontem viuentium aquarum habebant, vt non sit mirum, si de cordibus ipsorum tam copiosè, tantoque impetu egrederentur aquarum flumina, quibus qui videbant, & audiebant, sitim extinguerent, & potarentur. D

Quare meritò, iureque optimo Gregorius libro decimooctauo moralium capite vigesimosecundo, illud Iob vigesimooctauo. 10. *in petris riuos excidit*, huc detorquet: *in petris*, inquit, *riuos excidit, id est, in duris gentilium, cordibus fluuios prædicationis aperuit, sicut per Prophetam quoq; de irriganda, dicitur ariditate gentilium: posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum: Atque in Euangelio promittit Dominus dicens: Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina aquæ viuæ de ventre eius fluent.* &c. *quia enim in petris riuos aperuit, ex duris quoque cordibus* gentilium *fluuius sanctæ prædicationis emanauit.* Iob. 28. 10.

Ausim verè affirmare longè facilius esse ra-

pidis-

Difficillimũ sanè est Verbum Euang. prædicationis impediri.

pidissimum fluuium detinere, quam prædicationem Euangelicam impedire, ne fluat. Quis enim vnquam potuit Apostolorum linguas cohibere, ne Christum annunciarent. Verissimum est enim illud Amos Prophetæ 3.8. *Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?* & illud Ierem. 20.8. *factus est mihi sermo Domini in opprobrium, & in derisum tota die, & dixi: non recordabor eius, neque loquar vltra in nomine illius: & factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, vlausq; in ossibus meis: & defeci ferre non sustinens.*

22. Sed hæc omnia bona à Christo manant, qui fons est qui nunquam poterit exhauriri; fons inquam est, vnde lauamur, *dilexit enim nos, & lauit nos à peccatis.* verumtamen non iste solus aquarum est vsus, neque enim tantum sordes abluunt, sed & sitim extinguunt, hortosque & plantas irrigant, quæ si desint exarescent imprimis plantationes, aut minus proficient præ siccitate. est & quartus aquarum vsus, cibos decoquere. hos effectus aquarum numerat. Bernard. serm. 1. de natiu. Domini. *ad hos efficiendos quattuor nobis fontes in se aperuit Christus in hac vita fontem misericordiæ ad abluendas culpas. Fontem sapientiæ ad expellendas ignorantiæ tenebras, & explendam salutaris sapientiæ sitim, vel vertè refrigerandam. Fontem gratiæ ad irrigandas animas. Denique fontem caritatis ardentis ad inflammada, & decoquenda pectora nostra, & affectus cordis nostri digerendos, & maturandos, ad zelum animarum concipiendum, ex hoc enim caritatis fonte hæ aquæ ebulliunt. Propter hos quatuor fontes factus est nobis Christus ipse paradisus voluptatis in Ecclesia Dei, vt paradisum recipiamus, quem amissimus quattuor fontium irrigatione amœnissimum.*

Quattuor fõtes nobis à Christo patefacti, atq; eorum effectus salutares ex Bern.

23. *Fortassis propter quattuor fontes,* inquit Bern. loco citat. *quattuor in locis vulneratus est Christus adhuc viuens in cruce.* Verum quia & *quintum, qui est fons vitæ post hoc sæculum repromisit, ad quẽ sitiebat Propheta, cum diceret: sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum,* addidit Bernard. *propter quintum cum iam tradidisset spiritum, transforatus est in latere. Viuebat adhuc quando foderunt ei manus, & pedes, vt nobis adhuc viuentibus quattuor fontes ex se ipso proferret; Quintum pertulit vulnus cũ iam expirasset, vt in se nihilominus quintum nobis fontem post obitum aperiret.*

Hi 4 in hac vita nobis à Christo exhibentur fõtes, quintus verò in vita æternam reseruatur ex Bern.

24. Ceterum antequam hinc abeamus opere pretium est audire, quibus peccatores, & menstruatas verbis inuitet Greg. homil. 20. in Ezechiel. vt sitientes ad Christum fontem patentem domui Dauid, & habitantibus Ierusalem velociter accurrant. *Peccator,* inquit, *& menstruata est, vel is, qui delinquit in opere, vel mens, qua labitur in praua cogitatione. Menstruata namq; ista pollutio est, quia & aliena carne non tangitur, & sua carne inquinatur. sic itaque sic est omnis anima, quæ, & si malum opus non agit, polluta tamen cogitatione sordescit. Vnde etiam per Prophetam alium sub Iudææ specie, de anima immunda desiderijs occupata dicitur* (Ierem. 2. 24.) *omnes, qui quærunt eam non deficient: in mestruis eius inuenient eam. maligni quippe spiritus quærentes non deficiunt, cum inferre perditionem cupiunt, & in nulla bona cogitationis rectitudine repelluntur. Atq; in menstruis animam inueniunt, quando in pollutis cogitationibus positam, facile ad peruersam operationem trahunt.*

Quid per peccatorem & menstruatam intelligat Greg.

Anima peruersis cogitationibus pollura facile trahitur ad perpetrãda opera.

A *Dicatur ergò: in die illa erit fons patens domui Dauid.* (sic enim legit Gregor.) *habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ; quia apertus iam nobis est fons misericordiæ Redemptor noster, qui in domo Dauid incarnari dignatus est; vt peccatorem lauet à peruerso opere, & menstruatam mentem diluat ab immunda cogitatione. Patet igitur fons, curramus cum lacrymis, lauemur hoc fonte pietatis. In hoc fonte ipse quoque Dauid totus est, cum rediit ad lamenta pœnitentiæ post maculas grauis vulpæ: ipsum quippe inuenire fontem quærebat, cum dicteret: redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Iesus enim hebraicè, latinè salutaris dicitur. Et quid est quod sibi lætitiam Iesu reddi postulabat, nisi quod hunc*

B *ante culpam contemplari consueuerat, viusque contemplationis gaudia in culpa perdiderat? Vnde rectè post pœnitentiam, visionis eius lætitiam sibi reddi quærebat. in hoc fonte misericordiæ lota est Maria Magdalene, quæ prius famosa peccatrix, postmodum lauit maculas lacrymis, detersit maculas corrigendo mores. In hoc fonte misericordiæ omnibus aperto lauit Petrus quod peccauerat, quia fleuit amarè. In hoc fonte misericordiæ lotus est in fine suo latro, qui semetipsum in morte reprehendens à culpa sua ablutus est confessione veritatis. Cur igitur pigri sumus? cur torpentes, & frigidi remanemus, qui in hoc fonte pietatis tantos se lauisse cognouimus? Ergòne in mundatione nostra desperabimus, qui tot exempla misericordiæ in pignore tenemus? & cessamus veniam quærere, atq;*

C *cum lacrymis fiduciam habere, qui tantorum iam emundationem spei nostræ pignus accipimus? Quærere enim misericordiæ fontem debuimus etiam si clausus esset: patet & negligimus? Hæc* non minus piè quam sapienter Diuus Gregorius.

Aliorũ exẽplo discere debemus, nostra vt crimina hoc fonte abluamus.

Sed neque illud dissimulandum est, debere diuites, vt Christum imitentur, fontes, & fluuios esse, non puteis, vel cisternis similes; inter hæc enim hoc interest, quod puteus, & cisterna abscondi possunt domi; fons & fluuius celari nequeunt, foras effluant necesse est, neque vspiam consistunt donec in mare influant. Cisternæ ergò, & puteo similes sunt, qui talenta, insignes animi dotes, opes, cæteraque huiusmodi vel intra se contegunt, vel intra arcas, & scrinia abscondunt, nec curant alijs dilargiri. *deriuentur fontes tui,* inquit Sapiens *foras*

D *& in plateis aquas diuide*; quod & de pecunijs, ceterisque externis bonis intelligi potest; & de concionandi dono ad quod D. Gregor. 3. part. Past. admon. 25. hæc verba applicat: *fontes,* inquit, *foras deriuare, est exterius alijs vim prædicationis infundere; in plateis aquas diuidere est in magna auditorum multitudine diuina eloquia dispensare.* fontibus ac fluuijs similes sunt, qui bouis suis siue animæ, siue corporis, siue fortunæ alijs prosunt, nec domi illa sepeliunt, sed ad alios deriuant. Primi ergò qui cisternæ similes sunt, aquas quasi mortuas continent, hoc est, bona inutiliter, & otiosè asseruant. posteriores verò fontibus, similes, viuas habent aquas, hoc est, bona continent, quæ dum in pauperes, viduas, & in eos, qui egent, diuidunt, quasi fluere faciunt.

25. Diuites sint fontib. similes non puteis & cisternis.

Postremò totam hanc digressionem pia quadam Aug. precatione concludemus, sic enim lib. med. cap. 37. scribit. *Trahe os sitientis a-*

26.

anima in superna fluenta æterna satietatis, immò trahe me ad te fontem viuum, vt inde pro captu meo bibam: vnde semper viuam, Deus meus, vita mea. Tu enim dixisti ore tuo sancto & benedicto: si quis sitit, veniat ad me, & bibat. fons vitæ da sitienti animæ semper bibere ex te, vt secundùm sanctam & veridicam promissionem tuam de ventre meo fluant aquæ vitæ. fons vitæ reple mentem meam torrente voluptatis tuæ, & inebria cor meum sobria ebrietate amoris tui, vt obliuiscar quæ vana sunt, & terrena, & te solum iugiter habeam in memoria mea, sicut scriptum est: Memor fui Dei, & delectatus sum. Da mihi spiritum sanctum tuum, quem significabant illæ aquæ, quas sitientibus daturum te promiseras. Hæc Augustin.

CAPVT XV.

ADVLTERAM MVLIEREM CHRISTVS ABsoluit.

D. 8. 1.

Sabbatò post Dom. 3. Quadragesimæ.

V. 1. IESVS *autem perrexit in montem Oliueti.*

2. Et diluculo iterũ venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos.

3. Adducunt autem scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio.

4. Et dixerunt ei: magister hæc mulier modo deprehensa est in adulterio.

5. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergò quid dicis?

6. Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra.

7. Cum ergò perseuerarent interrogantes eum, erexit se & dixit eis: qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.

8. Et iterum se inclinans scribebat in terra.

9. Audientes autem vnus post vnum exibant incipientes à senioribus? & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans.

10. Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier vbi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnauit?

11. Quæ dixit: nemo Domine: dixit autem Iesus: nec ego te condemnabo: vnde & iam amplius noli peccare.

A

SCHOLIA.

1. *IN montem oliueti*] De Pontificibus & Pharisæis cap. superiori V. 43. dictum est: *& reuersi sunt vnusquisque in domum suam*: at Christus montem ascendit oliueti, vt inde noctem orando trãsigeret; nam vt Luc. 21. dicitur. *erat diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte, qui vocatur oliueti.* Hoc ergo non semel fecit Christus: quare minus mihi probatur quod D. Thom. Caiet. & Hugo Card. putant adiuisse nunc Christum in montem oliueti, hoc est, Bethaniam in Domũ Marthæ: erat verò Bethania ad radices montis oliueti ad orientem sita: Vnde Glos. ord. *mox*, inquit, *Christo erat die docere in templo, vespere reuerti in Bethaniam, quæ in monte oliueti.* Verum cum hic de Bethania nulla facta sit mentio ab Euangelista, opinor potius in B monte oliueti pernoctasse orationis caussa. Græ. ἐλαιῶν, oliuarum.

1. Oratio Christi nocturna.

Bethania vbi sita

2. *Et diluculo*] Octauam scenopegiæ, quæ proximè Dominicam antecurrit passionem in sextam feriam incidisse, non obscurè significat Ioan. vnde sequitur etiam diem ipsum scenopegiæ primum, sextam feriam fuisse. Scribit namq; Ioa. Christum diluculo post nouissimum diem solemnitatis, seu post diem festum cætus (qui semper erat 22. *Tisri*, hoc est, Septembris,) ad Templum venisse, vt hoc V. habes, mox inde digressum cæco à natiuitate restituisse visum, idque in die Sabbati, vt patet in historia cœci nati inferius. Hinc enim ille lacrymæ filiorum Belial. *non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit.* atq; adeo hic dies fuit 23. Tisri. *Diluculo*] muneris sui exequendi, & salutis hominibus annunciandæ studio. *Omnis Populus*] simile quid narrat Luc. 21. *Omnis populus manicabat*, id est, mane ibat, *ad eum in Templum, audire eum.*

Octaua scenopegiæ incidit in sextam feriam.

2.

C 3. *Adducunt autem*] Vera maximi momenti historia, in qua Iesu fides ab aduersarijs tentatur, prudentia, & sapientia perspicitur, diuini Spiritus benignitas, & clementia cognoscitur.

Scribæ & Pharisæi] alteri vt illius scientiam, alteri vt religionis obseruantiam tentarent. *Statuerunt eam in medio*] tanquam ream fingentis se Christi iudicio stare velle: & propterea fortassis solam adulteram adduxerunt; quod facilius illis fuerat adulteram, quam adulterum capere; aut quod maiorem se in muliere, quam in viro criminandi Christum occasionem sperabant habituros, quod crederent ipsum facilius mulieris, quam viri commiseratione à lege, rectoque iudicio discessurum. In medio autem idem esse videtur, ac coram Christo. Græ. habetur στήσαντες αὐτὴν ἐν μέσῳ λαοῦ, *& cum statuissent eam in medio dicunt*: Vtitur autem Ioan. verbis præsentis temporis, *addu cunt, dicunt*, vt rem quasi præsentem oculis subijciat.

D 4. *Magister*] sub pulcro & honorifico nomine quasi sub melle fel contegunt, ob id eius se discipulos mentiuntur, sic & Matth. 12. 38. & 22. 16. 36. *magistrum* ergo vocant, cuius discipuli esse nolebant, & quem seorsum apud populum seducto rem prædicabant, vt aptè in illos quadret illud Psal. 61. *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* & illud Psal. 54. *Mollitii sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.*

3.

Modo deprehensa est] Græ. pro *modo* clarius dicitur παραυτοφώρῳ, quasi dicat, deprehensa est in ipso facto, in flagranti, vt aiunt, delicto, dum adulterium perpetraret, videlicet, vt indicarent negari non posse adulterium, nec opus esse testium productione; ne forte Christus tergiuersaretur probationes requirens. Adduntv. 5. & Moysis le-

Digitized by Google

gem quæ iubebat adulteras, & adulteros lapidib. obrui; qua de re postea.

5. *In lege autem*] Legē Moysis afferunt, vt illum alterū quodāmodo Mosem doceant, quin & perfectiorē legē doceat, & quasi illi Mosem subijcientes, vrgēt: *in lege Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare: tu ergo*, qui perfectiora doces, *quid dicis*? probasne, an reijcias legis iudicium? sic autem aggrediuntur, vt tanto liberius quid audeat contra Mosem pronunciare? An verò adulteri lege Mosis lapidarentur, dubitari potest. lex enim Mosis Deut. 22. 22. & c. 20. 10. Leuit. præcipiebat adulterium morte vtriusque adulteri vindicari, nusquā autem iubet adulteram lapidari, tantum prædicto loco Deut. v. 22. & 24. scribit Moses, si quis virginem desponsam alij viro compressisset, & virginem, & corruptorem eius extra ciuitatem lapidib. obrui debere; similis pœna infertur puellæ, quæ in domo patris sui voluntariè perdiderit virginitatem, vt ibidem dicitur v. 20. 21. Ezechiel quidem c. 16. satis indicat id genus supplicij in adulteros fuisse apud Iudæos in more positum. *iudicabo*, inquit, *te iudicio adulterarum. & c. adducens super te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus.* & v. 38. & 40. Verùm ante legem Mosis adulterium fuisse pœna ignis apud Hebræos vindicatū, indicio est id, quod 38. Gen. legimus. Iussit enim Iudas, vt nurus eius Thamar adulterij apud eum accusata ad ignem duceretur, *producite*, inquit, *eam, vt combratur.* v. 24. Verosimile igitur est lapidationis pœnam consuetudine introductam fuisse apud Hebræos, videbatur enim relinqui mors adulterorū populi iudicio à lege, & ita senes illos, qui adulterium illud falsò Susannæ imputauerāt, colligimus lapidatos fuisse, quia populus eos interfeciſſe dicitur Dan. 13. 62. quomodo verò poterat totus populus interficere nisi lapidando? dicuntur autem affecti ibi senes illi eadem pœna, qua Susanna, si probatum eius fuisset adulterium, erat afficienda. Igitur licet lex hoc supplicij genus non expresserit, significauit tamen Deuteronom. 22. 21. & quia mortem non expresit, visa est reliquisse populo vt eam lapidaret, sacerdotis quidem filia deprehēsa in stupro flammis exurebatur. Leu. 21. 9.

6. *Tentantes eum*] quem sciebant esse misericordem, & pœnitentiam prædicare: si audirent condemnantem, cum casus miserabilis esset fœminæ, crudelitatis nomine apud plebem diffamare studebant; si verò absoluentem accusarent, vt adulterorum defensorem, non solum peccatorum amicum, atque adeò vt Mosaicæ legis contemptorem & violatorem, præsertim in iudicialibus præceptis, vt inquit Arias, sine quibus Respublica rectè gubernari non potest. sic D. Gregorius libro primo moral. capite septimo exponit istud, *tentantes eum*. Augustinus tractatu trigesimotertio, & Euthym. motos esse volunt istos ad Christum tentandum, quia cum illum ad commiserationem, & clementiam valdè pronum esse scirent, putabant liberam esse adulteram dimissurum contra legem.

Ambros. epist. 58. & 76. tentasse ait, vt si absolueret, legem soluisse videretur: si damnaret propositum sui mutaret aduentus. Hæc omnia reijcit Toletus, vt minus probabilia, præsertim quia non postulabant isti à Christo iudicium, nimirum, vt absolueret, vel damnaret; verum quid sentiret de hac legis obseruatione. Aiunt enim, proposita lege, *tu autem quid dicis*? quasi expectantes, vt legem emendaret, vel eius rigorem mitigandum esse diceret: Probabile quidem hoc est, sed Patrum sensum malo sequi. Nam cum interrogant: *tu autem quid dicis*? sensus est absoluendamne nihil impediente lege, censes hanc adulteram, an verò seruandum legis rigorem arbitraris, ita vt mulierem tuo iudicio definias lapidibus obruendam? mulieris culpam exaggerant ex tribus secundùm Diuum Thomam hic, primum ex culpæ nouitate; vnde dicunt, *modo*, plus enim mouent recentia.

Secundò ex eius euidentia, *deprehensa est*, quasi dicat, non est locus defensioni, vel excusationi, vt solent huiusmodi mulieres iuxta illud Prouerbiorum trigesimo, 20. se excusare: *Talis est via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit: non sum operata malum.*

Tertiò ex culpæ enormitate, & hoc faciunt, dum dicunt: *in adulterio* quod quam graue facinus sit, & malorum multorum causa nemo ignorat, & *in lege mandauit*, inquiunt, *Dominus huiusmodi lapidare.*

Voluerunt isti Christum ligare præsertim dum delictum certum, ac recens esse affirmant, asserentes modo, in ipso deprehensam esse mulierem, & interim Mosis legem citantes: *nervorum*, inquit Prosp. libr. de promiss. & prædic. parte secunda, capite vigesimo secundo. *velut ex lege vinculis se crediderant ligasse Iesum, & maxime recentium, cum dixerunt: modo. Quæ noster sortis hoc responso disrupit, qui, inquit, vestrum sine peccato est, prior in illam lapidem mittat.*

Digito scribebat in terra] *velut aliud agens*, inquit Arias, *& tentationem illorum dissimulans, atque differens; ac se se eius quæstionis non iudicem arbitrumue esse indicans, nec non illos illa dissimulatione à tentandi vlterius cogitatione ad sui ipsorum cognitionem, & rei de qua agebatur æstimationem traducere curans.* Euthym. quoque idem sentire videtur: nimirum nihil à Christo tunc in terra litterarum esse scriptum; sed eum simulasse gestum illum scribentis in terram; vt sic quasi rebus alijs intentus oportunam, ac malitiosam illorum accusatorum interrogationem repelleret. iam audi Euthym. Ioann. octauo. *Iesus deorsum inclinatus digito scribebat in terra; quod frequenter facere solent, qui respondere nolunt importuna, indignaque rogantibus: cognita enim eorum machinatione, fingebat se in terra scribere, nec his attendere, quæ dicebant.*

Alij putant scripsisse Christum, & quidem bis illud idem, quod verbis expresit, *qui sine peccato est vestrum, primus in illum lapidem mittat*, quasi insinuans puniendum peccatorem esse, sed non ab ijs, qui præuaricantur legem, & grauiori digni sunt pœna. Lyran. & Haymo, & multorum, quin Diui Hieronym. libr. 2. contra Pelagian. cap. 6. est opinio, Christum scripsisse tunc vniusciuiusque eorum, qui mulierem illam accusabant, grauiora, & atrociora peccata: ita tamen vt sua cuique dumtaxat peccata, non alijs notescerent. Porrò ea scriptura non veris literis composita erat, sed notas quasdam & figuras continebat in modum speculi sua cuique crimina repræsentantes. Porrò reijciunt quidam hanc sententiam, quod si ita factum esset, accusatores illico recessissent visa priori scriptione. sed non me id mouet, vt dicam numero decimo. Verùm si quæras qui posset Christus in pauimento scribere, erat enim in templo, cuius solum stratum erat lapide. Respondeo potuisse scribere in puluere pauimenti, vel potuit super illud digito non aliquid efformare permanens, sed tantum signare literas, vt fit in aere.

Cæterùm Augustini & Ruperti sententia est CHRISTVM nullas tunc in terra litteras formasse, quod congruit cum sententia Euthy. & Ariæ n. 6. posita, sed corporis sui flexu & illo gestu, quasi digito scribētis in terra mysteriū aliquod designasse

Loca Deu 22 Leu. 20. 10. An adulteri lege Mosis lapidarentur.

Deut. 20. 21. Ezech. 16.

5. Quomodo tentabant?

A

B

D

Ex trib. adulterę peccatū exaggeratur vt ait D. Th.

6.

An Christus scripserit.

Quid putent Lyr. & Haymo scripsisse Christum.

7. Sententia Aug. & Rup.

Digitized by Google

Quid Christus significare voluerit illa sui corporis inclinatione?

designasse. Multiplex autem affertur huius mysterij interpretatio. Vna est, se Deum vsque ad terram inclinasse, assumpta humana natura vt homines saluaret, qui perierant. Quare non eius esse tũc quemquã punire, & perdere. Altera interpretatio est, quod voluerit se Christus ostendere legislatorem, & auctorem fuisse legis Mosaicæ digito Dei scriptæ in tabulis lapideis, nunc ergo Dominus in terra scribebat, quia fructum quærebat, quem in Iudæis duris in modum lapidis non inueniebat, erant enim legis præuaricatores, hanc interpretationem significat Aug. Serm. 47. de verbis Domini & tract. 33. in Ioan. *Audistis Doctores legis, legis custodem, sed nondum intellexistis legislatorem* (cum Iudæis loquitur de Christo) *quid vobis aliud significat, cum digito scribit in terra? digito enim Dei lex scripta est: sed propter duros, in lapide scripta est: nunc iam Dominus in terra scribebat, quia fructum quærebat,* & rursum, *quid,* inquit, *respondit veritas &c. non dicit non lapidetur, ne contra legem dicere videretur. Absit aũt vt diceret lapidetur. Venit enim non perdere quod inuenerat. sed quærere quod perierat. Quid ergo respondit? qui sine peccato est vestrũ prior in illam lapidem mittat. &c. Audistis ergo, impleatur lex, lapidetur adultera, sed nunquid in illa punienda, lex implenda est à puniendis? ergo aut istam dimittite, aut simul cum illa pœnam legis excipite.* quasi dicat, *puniatur peccatrix, sed non à peccatoribus, impleatur lex, sed non à præuaricatoribus legis, consideret sese vnusquisque prius,* & sic in illam lapidem mittat.

Tertia interpretatio est significatum esse per hunc corporis flexum quod proprium sit Dei iustitiæ seueritatem flectere, atque inclinare ad lenitatem, & suauitatem misericordiæ, nam superexaltat misericordia iudicium Iacobi 2. 13. Quarta & quinta interpretatio est, in terra ipsum scripsisse ad ostendendum, quod illi non in Cælo cum Apostolis, sed in terra essent scribendi iuxta illud Ier. 17. *Domine recedentes à te in terra scribentur. Peccatores,* inquit, Ambr. epist. 76. *In terra scribuntur, iusti in cœlo, sicut habes dictum ad discipulos* Luc. 10. *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo* idem dicit Aug. l. 4. de consen. c. 10. & addit 5. *aut* ad significandum, *quod se humiliando* (hoc est illo exteriori gestu inclinando se deorsum) *Signa* (hoc est, miracula) faceret in terra. Mox subdit: *aut quod iam tempus esset, vt in terra quæ fructum daret, & non in lapide sterili; sicut antea lex eius conscriberetur.* Quod idem ait trac. 33. Reijcit hanc Barrad. quod Christus non in terra, sed in lapidibus scriberet; sed hoc fortassis nimis rigidum est, nam cum lapides essent in terra, qui scribebat in lapide, in terra quoque scribebat; & Aug. videtur alludere ad Verbum, quod vsurpauit Euangelista, cum dixit: *digito scribebat in terra,* denique qui sedet super lateres, qui sunt in pauimento domus, dicitur vulgo sedere in terra, secus autem esset si quis scriberet super lapidem seorsim erectum vel parieti infixum. Sexta interpretatio est, quod significasse visus sit Dominus Iesus ea corporis inclinatione quantum interesset inter nouam & veterem Moysis legem; hæc enim in lapide scripta est, qui & durus, & sterilis est, ad indicandum legis illius rigorem, & duritiem, itemque quod infrugifera esset, hoc est, ineffícax ad remittenda peccata, ad largiendam gratiam, ad addendum homini virtutem, vt posset vitijs resistere: lex verò Euangelica scripta est à Christo Domino velut in terra, quæ mollis, itemque lenis, ac frugifera est. Hinc Dominus Matth. 2. *Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris, iugum enim meũ suaue est; & onus meum leue.*

A

9. Diuus Ambrosius libro 3. de Spiritu Sancto cap. 2. ad mores sic accommodat: *Culpa graphio scribitur, gratia spiritu designatur, hoc digito mystice etiam Dominus Iesus inclinato capite scribebat in terra, cum à Iudæis adultera esset oblata, significans per figuram, quando de peccatis alterius iudicamus, nostri nos debere meminisse peccati:* quod aliquanto fusius explicat Beda Io. 8. *Per inclinationem,* inquit, *Iesu humilitas, per digitum, qui articulorum compositione flexibilis est, subtilitas discretionis exprimitur. Porro per terram cor humanum, quod vel bonarum vel malarum actionum solet reddere fructus, ostenditur. Postulatus ergo Dominus iudicare de peccatrice, non statim dat iudicium; sed prius se inclinans deorsum, digito scribit in terra, ac sic demum quam obnixè rogatur, iudicat; nos videlicet typice instituens, vt cum qualibet proximorum errata conspicimus, non hæc ante reprehendendo iudicemus, quam ad conscientiam nostram humiliter reuersi, digito eam discretionis solerter exculpamus, & quod in ea conditori placeat, quidue displiceat, sedula examinatione diramus iuxta illud Apost. Fratres etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi spirita mansuetu linus, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* 9. 10.

B

Eq idem arbitror omnia hæc esse probabilia vel etiam mystica, sed quæ sequuntur probabiliora: Christum scripsisse quidem in terra semper aliquid, & primum quidem sententiam aliquam, quæcunque illa fuerit, Ambrosius putat epist. 58. & 76. in priori scriptione scripsisse illud Ierem. 22. ex translatio. Lxx. qua vti ferè solet Ambrosius *terra scribe hos viros abdicatos,* quo significabantur accusatores illi à Deo abiecti, & in numerum reproborum reiecti, quorum erant nomina in terra scripta, quamuis in posteriori sententia sentiat Ambrosius scripsisse, *festucam quæ in oculo fratris tui est, vides, trabem autem quæ in oculo tuo est, non vides.* Bada semper scripsisse censet, *qui sine peccato est vestrum* &c. quasi dicat puniatur peccatrix, sed non à præuaricatoribus legis, censeo primum scripsisse aliquid significans, omnes peccatores esse, seu *qui sine peccato est vestrum &c.* vt habes v. 7. vbi Græc. est; ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν, quod significat immunè à peccato hoc est, qui licet peccare possit, numquam tamen peccauit, vt Beata Virgo, & si de peccato mortali intelligas, etiam B. Ioan. Bap. fuit ἀμάρτητος vel etiam significat impeccabilem proprie ex Hieronymo lib. 2. contra Pelag. vt est solus Deus tamen hic videtur significare eum, qui sine peccato nunc est, licet Hieronymus & Euthy. pro impeccabili sumere videantur. Secunda verò scriptione vero simile mihi videtur, non sententiam aliquam scripsisse, sed notas aliquas, seu signa, quibus cuiuslibet illorum peccata representarentur saltem maiora quædam, & quidem cuique propria, & hoc mihi significare videtur id, quod dicit Euang. *Cum autem perseuerarent interrogantes* &c. quasi dicat, cum eum vrgerent accusatores; illis, vt propriæ conscientiæ criminibus erubescerent, & arcerentur ab accusando, eorum peccata sibi esse nota aperuit, eaque ostendit eis, propter quæ minus idonei testes, & accusatores essent, quare non mirum si prima statim scriptione non discesserint, sed secunda secuta præsertim post responsionem datam. Nam verosimile est quod dicit Augustinus Christum illis verbis, quæ respondit Iudæis: *qui sine peccato est vestrum primus in illam lapidem mittat,* tantum eorum animis incussisse terrorem, atque tremorem, vt non modo accusare mulierem illam desisterent, deferuescente intus sæuitia, & tremente conscien-

C

Ierem. 22.

D

Quid prima scriptione scripsit ἀναμάρτητος.

Quid secunda scriptione scripserit.

tia : sed etiam se quam primum è conspectu Christi proriperent, vide numero 13. Augustinum, quæ maximè conformia sunt modo loquendi Ioannis hic v. 9. cum ait: *audientes autem vnus post vnũ exibant*, vox enim illa, *audientes*, refertur ad verba ore Christi prolata, & non ad ea modò, sed simul etiam ad scriptionem posteriorem; nam Euang. antequam diceret: *audientes autem*, &c. præmisit v. 8. *& iterum se inclinans scribebat in terra*; His ergò auditis, simulque secuta scriptione, discedere cœpere; vt enim olim Deus è puluere ciniphes protulit, qui pungendo vexarent AEgyptios, ita nunc Christus è puluere illo templi, quasi ciniphes quosdam excitat, qui Scribarum, Pharisæorumque conscientias exstimulent.

Ciniphes quasi è templi puluere excitat Iesus.

11. Augustin.

7. *Qui sine peccato*] *O responsio sapientiæ*, inquit Augustin. tract. 33 *quomodo eos intromisit in semetipsos? foris enim calumniabantur, seipsos intrinsecus non perscrutabantur, adulteram videbant, se non perspiciebant, & c. si diceret, non lapidetur adultera, iniustus conuinceretur, si diceret lapidetur, mansuetus non videretur. dicat quod dicere debet, & mansuetus, & iustus: qui sine peccato est vestrũ, prior in illam lapidẽ mittat. hæc vox iustitiæ est, puniatur peccatrix, sed non à peccatorib. impleatur lex, sed non à præuaricatorib. legis, hæc vox omninò iustitiæ, qua iustitia illi tanquam trabali telo percussi se se inspicientes, & reos inuenientes vnus post vnum omnes recesserunt.*

12.

Aduerte non prohibere Dominum quo minus peccatores in corrigendis aliorum criminibus officium suum præstent, si præsertim sua detestentur peccata, & sine sæuitia aliena puniant. & ideò non dicit : Qui sine peccato est, ille solus iure potest in eam primus lapidem mittere, sed ille primus mittat, id est, ille maximè idoneus est, vt primus lapidem in eam mittat, & iustus iniustam lapidet. his ergò hypocritas tentatores adducere vult Dominus ad sua cognoscenda peccata, vt sic non ita seuerè vrgeant punitionem, quin etiam peccatricis misereantur. Sic locum hunc interpretatur Franciscus Luc. vir sanè doctus.

12.

8. *Et iterum se inclinans*] Cur bis Dominus Iesus scripserit D. Ambros. causam fuisse dicit, vt significaret hos accusatores vtroque testamento tam veteri quam nouo esse condemnatos, atque adeò non in Cœlo, sed in terra esse scribendos. Ianseníus verò, *dum consideramus*, inquit, *quod Dominus etiam secundo scripserit in terra, idque omnes factum dicant, vt Dominus velut aliud agens illis præberet citra pudorem abeundi locum, videri posset etiam ob id primo scripsisse, vt dum velut aliud agebat, quam ab eo petebatur, significaret ad se non pertinere vt illorum quæstioni satisfaceret, de qua, quid agendum esset apertè ex lege edocti erant. Vnde editio complutensis post illa verba: scribebat in terra, addit μὴ προσποιούμενος, id est, non dissimulans, aut propositam quæstionem non ad se assumens. Cui benè conuenit quod sequitur: cum ergò perseuerarent interrogantes, hoc est, interrogare eum, quo significatur Dominũ, velut coactum illorum improba postulatione ad diffinitionem causæ propositæ processisse. Quã sic temperauit, vt eluderet eorum expectationem, & sic eriperet peccatricem è manib. lapidantium, vt tamen contra legem eam non absolueret, nec contra mansuetudinem damnando faceret.*

Cur bis scripserit Dominus.

μὴ προσποιούμενος tripliciter exponitur.

Aduerte illud μὴ προσποιούμενος, quod nonnulli habent græci codices tribus posse modis intelligi. Primò vt significet non simulans, non fingens, quo significetur non fictè, sed verè scripsisse litteras; vel potest significare non formans, non figurans nimirum litteras, sed digitum tantum per terram ducens instar scribentis, quod non multum mihi placet, Ioannes enim dicit scripsisse in terra; siue notas, seu signa aliqua fecerit, siue litteras aliquas designarit. Tertio potest significare μὴ προσποιούμενος, *non vendicans*, vt sit sensus, non vendicans, non assumens sibi iudicium illud, à verbo προσποιοῦμαι.

13. D. Ambr.

9. *Vnus post vnum*] Ambrosius epistola 76. lib. 9. sic notat: *benè*, ait, *quod exierunt foras, qui nolebant esse cum Christo, foris littera est, intus mysteria. sequebantur enim diuinarum lectionum quadam velut arborum folia, non fructum, qui viuebant in vmbra legis, & solem iustitiæ videre non poterant.* Diuus Augustinus verò in sermone sab. post 3. Domin. quadrages. *leuauit*, inquit, *Christus oculos suos & inspexit terram, id est, accusatores, & fecit eam tremere: at illi compuncti, & tremefacti, vnus post alterum discesserunt: O terræmotum vbi sic terra mota est, vt etiam mutaret locum.*

Vnus post vnum] ita erubuerunt, vt de muliere nihil cogitarint, sed ea sola relicta, quamprimum se subducere contenderunt: verum id dissimulanter fecerunt non omnes simul exeuntes, ne fugere viderentur victi, sed vnus post alterum, vt iudicium pro nihilo ducere, & quasi sponte relinquere viderentur.

Incipientes à senioribus] Ambrosius epistola 58. lib. 7. *exire*, inquit, *cœperunt singuli incipientes à senioribus, vel quod ipsi plura haberent crimina, qui diu vixerant. vel quia priores vim intellexerunt sententiæ, quasi prudentiores. & cœperunt sua magis peccata deflere, qui alieni criminis venerant accusatores.* Vbi significat eos pœnitentiam egisse, quod idem videtur repetere epistola 76. lib. 9. vbi ait: *& sedebant cogitantes de se.* potuit benignus Dominus, qui peccata aperuit illis, pœnitentiam largiri; sed non multum videtur verosimile ita factum esse ob eorum duritiem, præsertim Seniorum illorum inueteratam malitiam, & vafritiem: vnde isti maximè omnium, ac primi senserunt responsionis aculeos. Græcè sic legimus: οἱ δὲ ἀκούσαντες, καὶ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι, ἐξήρχοντο ἷς καθὼς, hi autem cum hæc audissent, & à conscientia arguerentur, exibant vnus post vnum, id est, alius post alium, est enim hebraismus, quod barbarè dicimus, *vnus ad vnum.*

An cum pœnitentia egressi sint.

14. Solus remittit Christus, quid hoc mystice.

Solus Iesus] donaturus peccatum, inquit Ambros. epist. 76. libro nono per alleg. *Solus remanet Iesus, sicut ipse ait: ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in sua, & me solum relinquatis. Non enim legatus, neq; nuncius, sed ipse Dominus salutem fecit populum suum. Solus remanet; quia non potest hoc cuiquam hominum cum Christo esse commune, vt peccata condonet, solius hoc munus est Christi, qui tulit peccatum mundi. Meruit & mulier absolui, qua recedentibus Iudæis, remansit sola cum Christo.* Diuus Augustinus tractatu trigesimo tertio, *relicti sunt*, ait, *duo, miseria*, seu vt alij legunt, *misera & misericordia.* Int. verò allegoricè quoque *remanet*, inquit, *solus Iesus cum muliere in domo, id est, cum Ecclesia*; solum autem intellige sine vllo accusatorum, seu tentatorum; alioqui non est verosimile alios ibi non adfuisse cum Christo, nam cum dicat Euangelista mansisse solum Iesum & mulierem in medio stantem, si solus fuisset Christus, in quorum quæso medio mansisset mulier?

Insania Bezæ.

Hic patet insania Bezæ, qui probare non potest, Christum cum muliere, eaque adultera mansisse solum, ô virum, si Deo placet, pudicum, cuius tamen etiam libri impuris amoribus, & scatent, & putent; si hic hæreticus hanc historiam non probat, quod habeat Christum cum muliere solum mansisse, probare etiam non poterit historiam de Samaritana, nam ibi re vera solus Christus cum muliere diu locutus est.

15. Clementia Christi.

10. *Erigens autem se Iesus*] Ambros. epist. citat. *Vide*, inquit *clementiam Christi cum accusatur mulier, caput Christus inclinat: eleuat autem vbi defecit accusator, ita nullum damnari vult, absolui omnes.* Augu. verò eodem tractatu, *audiuimus*, ait, *vocem iustitiæ, videlicet, qui sine peccato est vestrum prior in illam lapidem mittat. audiamus, & mansuetudinis: plus enim credo territa erat illa, cum audisset à Domino dictum, qui sine peccato est prior in illam lapidem mittat; illi ergò attendentes ad se, & ab ipso confessi de se, reliquerant mulierem cum grandi peccato, ei qui erat sine peccato.*

Et quia illa hoc audierat, qui sine peccato est, &c. ab illo se sperabat puniendam, . in quo peccatum inueniri non poterat: ille autem, qui aduersarios eius repulerat lingua iustitiæ, leuans in eam oculos mansuetudinis, interrogauit eam, nemo te condemnauit? respondit illa, nemo: & ille, nec te condemnabo, à quo te fortè damnari timuisti, quia in me peccatum non inuenisti. Nemo te condemnauit?] quasi dicat nemone inuentus est sine peccato, qui te condemnaret? alludit ad ea verba, *qui sine peccato est vestrum*, &c.

16. Prudes Christi responsū.

11. *Nemo Domine*] Ambros. loc. citat. *nemo Domine, hoc est*, inquit, *dicere quis potest lapidare quam ipse non damnas? quis potest alium sub tali sententiæ conditione punire?* Nec ego te condemnabo] *Aduerte*, inquit idem Diuus Ambros. *quomodo propriam sententiam temperauit, vt Iudæi de absolutione mulieris calumniari nihil possent, sed in se magis calumniam retorquerent, si quæri vellent. Dimittitur enim mulier, non absoluitur, quia deerat accusator, non quia innocens approbatur, quid ergò quererentur, qui priores à persecutione criminis, & ab executione supplicij restiterunt.*

Verè absoluit.

Aduerte tamen verè CHRISTVM adulteram absoluisse, quamuis clarè non dixerit: *ego te absoluo*, sed tantum negando, *nō te condemnabo*, ne calumniæ locus daretur: patet autem absoluisse ex verbis illis, *vade, & iam amplius noli peccare.* hoc autem diuina potestate fecit. Neque enim erat integrum Iudæis liberare à pœnis, vel dispensare, si lege Mosis statutæ erant. Augustinus loc. citat. *Quid Domine*, ait, *faues ergò peccatu? non planè. ita attende quod sequitur: vade de inceps iam noli peccare. ergò & Dominus damnauit, sed peccatum, non hominem, nam si peccatorum fautor esset, diceret; nec ego te condemnabo, vade & viue vt vis, de mea liberatione esto secura &c. non hoc dixit: intendant ergò, qui amant in Domino mansuetudinem, & timeant veritatem; etenim dulcis & rectus Dominus. Amas quod dulcis est, time quod rectus est, tanquam mansuetus dixit: tacui: sed tanquam iustus, nunquid semper tacebo, & c. quod enim modo sustinet peccantes, iudicaturus est contemnentes.*

Deus nō est fautor criminum: dulcis & rectus est.

Vade & iam amplius noli peccare] *seueriore sententia*, inquit Ambros. *culpa damnatur, si vnusquisque crimen suum oderit, & in se incipiat condemnare delictum. Etenim cum reus occiditur, persona magis culpa punitur, vbi verò culpa deponitur, absolutio personæ est, pœna peccati.*

THEORIA VNICA.

An historia adulteræ sit certæ fidei.

I. Euthym.

SCiendum v. 43. cap. superioris, & totam historiam huius capitis à plerisque antiquis interpretibus non legi, vel exponi, & in aliquot græcis exemplaribus desiderari. quare Euthymius hac de re sic scribit tractans vltima verba præcedentis capitis: *& reuersi sunt vnusquisque in domum suam. Scire oportet ea quæ ab hoc loco habentur vsque ad illa verba: iterum ergò locutus est illis Iesus dicens: Ego sum lux mundi, in exactioribus exemplaribus, aut non inueniri, aut obelo confossa esse; eo quod illegitima videantur, & addita. & huius rei argumentum est, quod ea nullus (græcorum scriptorum, qui commentaria ediderunt) sit interpretatus. Nobis tamen animus est etiam hæc declarare, quod vtilitate non careant, sicut & caput de muliere adultera, quod inter hæc ponitur.*

2.

Quin & & Eusebius lib. 2. histor. c. 39. incertę fidei esse hanc historiam significare videtur, cuius auctoritate motus Erasm. id censuit in annot. cap. 8. Ioan. ait enim ibi Eusebius de Papia loquens: *historiam quandam subiungit de muliere adultera, quæ accusata est à Iudæis apud Dominum, habetur autem in Euangelio, quod dicitur secundum Hebræos, scripta ista parabola.* quibus non obscurè significat se non legisse eam historiam in Euangelio Ioannis, sibi verò parabolam videri potius, quam historiam. verùm hoc Eusebij testimonium potius confirmat, quam confutat hanc historiam, cum scribat Papiam Ioannis discipulum eius mentionem fecisse, signum est enim rem esse veram. Quod si Eusebius in suo codice eam non habeat, nihil nobis obest, potuit enim ab aliquo erasa esse. nam Augustinus etiam lib. 2. de adulter. coniug. cap. 7. testatur hanc historiam de nonnullis codicibus erasam fuisse ab aduersarijs veræ fidei, vt non mirum etiã sit, si eam Græci interpretati non sint. Illud quidam nō malè adijciunt verosimile esse, Euseb. de hac adulterę historia non esse locutum, sed de alia quapiam verè apocrypha; neque enim in textu Græco Euseb. adulteræ nomen habetur, sed περὶ γυναικὸς ἐπὶ πολλαῖς ἁμαρτίαις διαβληθείσης, hoc est, de muliere de multis peccatis accusata, nec propterea quod Papias citarit eam ex Euangelio secundum Hebręos credendum est in Euangelio Ioannis scriptam non fuisse, vel eamdem veram non esse, quia legatur in Euang secundùm Hebræos, alioquin, vt rectè obseruat Sixtus Senensis libr. 7. Biblioth. nihil in sacris libris verum erit, quod in alijs gentium scripturis inueniatur scriptum. Verum vrgent Anabaptistæ, qui hanc historiam non recipiunt, ideò suspectam reddi historiam, quia producitur ex Euangelio secundum Hebræos, quod est Tatiani hæresiarchæ opus, vt ex Epiphanio libr. 2. hæres. 46. colligitur. At isti ex historiarum ignoratione vehementer decipiuntur.

Papias.

Anabaptistarum error.

2. Euangeliū secundum Hebr.

Nam, vt idem Sixtus aduertit, plurimum interest inter Euangelium secundùm Hebræos à Papia citatum, & Euangelium ab Epiphan. commemoratum. De vtroque enim Euseb. scribens, ait: Euangelium cuius Papias recordatur, olim in primæua illa Ecclesia in magna auctoritate fuisse, & eo, quanquã in canone nō esset, consueuisse vti Iudæos ad Christum conuersos: Alterum verò quod Epiphanius refert à Tatiano hæretico editum, omninò ait ab Ecclesia fuisse explosum. Vide Euse. lib. 3. hist. Eccl. c. 25. & lib. 4. c. 29.

3.

Diuus Hieronymus libr. aduersus Pelag. scribit: *historiam mulieris adulteræ in multis codi-*

Responsio ad aliud argumentū ex verbis Hier.

cibus græcis & latinis reperiri in Euang. B. Ioannis. quibus verbis indicat eam in multis quoque alijs non inueniri. At si esset ea historia à Ioanne conscripta in omnibus reperiretur codicibus. sed inprimis hæc consecutio nulla est, cum sit à particulari affirmatiua ad particularem negatiuam, historia hæc in multis codicibus est, ergò in multis non est; deinde, quod caput est, non ideò dicit Diuus Hieronymus in multis codicibus esse, vt eam in dubium vertat, an sit Ioannis, sed ne quis dubitet de ea re, dum eam non legi animaduertit in aliquibus græcis codicibus & latinis; quin huius historiæ testimonio tanquam legitimo vtitur contra Pelag. affirmantes aliquos esse posse sine peccato.

4. Opinio Caiet. dicentis adulteræ historiā nō esse authenticam.

Quare miror, quid Caietano in mentem venerit, vt propter hunc locum Hieronymi, & minuta quædam argumenta eleuare, ac minuere voluerit huius historiæ auctoritatem, ait enim expositionem cap. 8. Ioann. aggrediens: *Aduerte quod hæc prima pars huius capitis cum tota historia adulteræ non est omninò authentica, quoniam non constat ipsam esse partem Euangelij.* Ambros. Caterin. libro 3 contra Caietanum, hanc Caietani sententiam sequenti censura notauit: *de historia adulteræ quod irrationabile sit illam secare ab Euang. aut asserere non authenticam, & hoc tantum, quod in aliquibus codicib. olim non reperiretur, cū tot seculis, & ab omnib. sanctis Doctorib. recepta sit & prædicata, ac sermonibus Ecclesiasticorum celebrata, vt vera, & Euangelica, non puto pij, ac simul prudentis cordis esse existimare, ac longè minus docere.* Quoniam verò paulò infra Caietan. explanans illa verba: *Iterùm ergò loquutus est illis Iesus*; sic ait: *nulla continuatio præcedentis facti cum istis verbis subiuncta testatur, adiectitiam esse præcedentem historiam de muliere adultera.*

Responsio Cateri. contra Caiet.

Retorquetur aliud argum. in fauorem veritatis.

Respondet Catherinus: *Immò hæc interpositio huius historiæ notam fecit nobis rem ipsam, sine qua manca esset narratio, nam in superiore capite dicitur, quod vnusquisque illorum reuersus est in domum suam: in hoc verò dicitur de Iesu, quod perrexit in montem Olueti, & postea quod venit in templum, & quod tunc ex malignitate nonnulli ex maleuolis adduxerunt ad eum illam adulteram, vt impedirent eius doctrinam, sed Dominus eluſit eos, & consequenter factus est locus doctrinæ: & benè sequitur, iterum ergò loquutus est eis, vt sic videas ita catenatum sermonem, vt si quid omittas procul dubio mancus appareat, aut saltem sermo non continens, sed initium proprium habens.*

5. Asseritur historia adulteræ esse canonica primum ex Pat.

Aduertendum est igitur hanc historiam mulieris adulteræ canonicam esse, & omninò certæ fidei, à Beato Ioanne scriptam, quod hoc tempore non licet in controuersiam vertere. nam in concilio Tridentino sessione quarta, decret. de script. canon. sic dicitur: *si quis omnes libros sacræ scripturæ integros, & cum omnibus suis partibus, sicut in Ecclesia Catholica legi consueuerunt: & sicut eos habet latina editio vulgata, pro canonicis, & sacris non susceperit, Anathema sit.* Sed Ecclesia legit historiam mulieris adulteræ tanquam sacram scripturam, & partem Euangelij Ioann. in Missa Sabbati post Domin. 3. quadrages. & latina editio vulgata habet eam in omnibus libris in hoc loco Euangelij Ioannis, ergò nulli catholico ea de re dubitare licebit. nec vlla ratione probari debet, quod quidam ex apocrypho Hebræorum Euangelio in hunc locum suspicantur fuisse translatam, aut scriptam quidem à Ioanne, postea quam Euangelium edidisset recordato à se prætermissam, aut ab aliquo, ex Papia, Ioannis insertam Euangelio, & ab eo tanquam veram approbatam, vt proinde non mirum sit in quibusdam reperiri exemplaribus, in alijs non reperiri. *Nihil enim*, inquit Maldon. *borum de eo, qui spiritu sancti afflatu scripserit, dici potest.* Hoc ipsum confirmat auctoritas Patrum. nam Ammonius in harmonia Euang. inter historias scriptas in Euang. Ioannis, collocat hanc historiam. Eandem vt sacram; & B. Ioannis partum refert Athanasius in Synopsi, & Ambros. in Epist. 58. & 76. & lib. 3. de Spiritu sancto ca. 2. & Aug. de consensu Euangelistarum cap. 10. & in Epist 54. 57. & tract. 33. & serm. 47. de verbis Domini. & lib. 2. de adulter. coniug. cap. 6. & 7. & lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 13. quin etiam citatur à Chrysost. hom 60. in Ioannem. non quod huc ab aliquo inserta sit, quis enim facilè id sibi persuadeat? Magis credibile est ipsum propterea non illustrasse eam hoc loco commentarijs, quod vel facilem esse iudicauerit, vel quod codex ille, qui in eius Ecclesia legebatur eam non haberet: Commentarij namque Chrysostomi in Ioann. homiliæ sunt, quas ille ad populum habuit, eandem corroborat auctoritas Prosperi lib. promis. p. 2. cap. 22. Greg. lib. 1. moral. cap. 6. & lib. 14. c. 15. & Idacij lib. cōtra Varimandum. Sedul. lib. 4. carm.

2. Ex autoritate Patrū.

DIGRESSIO I.
MORALIS.

De Adulterio.

1.

MAgnam hic sanè Christus Dominus erga hanc adulteram clementiam ostendit; venerat enim non perdere, sed saluare animas. Ceterum cum eam lapidationi accusatorum obtulerit, si quis illorum sine peccato esset, & mulieri à se dimissæ dixerit: *vade & iam amplius noli peccare*, non obscurè significauit, quam graue peccatum esset adulterium, & quanta pœna dignum. & verò quantum id Deo displiceat, satis aperuit idem Dominus Iesus Matth. 5. 28. *audistis quia dictum est antiquis: non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia omnis: qui viderit mulierem ad concupiscendum eam iā mœchatus est eam in corde suo*, & Apost. Rom. 8. 13. *si secundum carnē vixeritis moriemini*, & 1. Cor. 6. 9. *nolite errare, neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores regnū Dei possidebunt*, & ad Gal. 5. 19. &c *manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, &c. & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur* & Iac. *concupiscentia* inquit, *cū cōceperit, parit peccatū: peccatū verò cū cōsummatū fuerit, generat mortē.* quare D. Pe. ep. 1. 2. 11. hortatur fideles: *Cariss. obsecro vos tanquā*

Quanta sit grauitas adulterij ostenditur ex peccatis carnis, quæ Deo displicent plurimum.

aduenas,

aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. & ep. 2. 11 4. maxima, & pretiosa vobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem.

2. Misericordia iustitiæ iungenda.

Displicent ergo, & vehementer displicent peccata carnis Deo, voluit tamen hic Dominus Iesus in hac muliere docere misericordiam iustitiæ iungendam; & clementiam in noxios cum legis obseruantia copulandam esse; & suos calumniatores simul confutare, qui vel ipsum contra misericordiam in delinquentes, vel contra iustitiam in legem peccare voluissent. Sed frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Ad rem hanc appositè describitur Ezech. 41. Cherubim habens simul Leonis, & simul hominis faciem. & 3. Regum 7. depingitur idem Cherubim, tenens habenas hinc Bouis, inde Leonis, quo Symbolo docemur prudentis viri esse seueritatem cum benignitate coniungere, atque ita frenare vindictæ asperitatem, & indulgentiæ remissionem, vt nihil altera alteri obsit. Hanc maximè laudem Christo fore tribuendam, longo ante tempore Psalmista prædixit Psalm. 44. 3. 4. 5. 6. *Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia* (loquendi) *in labijs tuis: propterea* (ist est, ad hoc) *benedixit te* (donis ornauit) *Deus in æternum.* (loquitur cum Christo) *Accingere gladio tuo* (verbi Dei) *super femur tuum potentissime, specie tua, & pulchritudine tua* (splendore, & gloria) *intende* (bello, vel tende arcum) *prosperè procede* (*prosperè* iungendum cum *procede*) *& regna.* (iunge cum sequentibus) *propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam* (q. d. ob veritatem, & mansuetudinem dignus es regno) *& deducet* (diriget) *te mirabiliter dextera tua* (potentia tua, in hoc videlicet negotio triumphandi de hostibus.

3. Hieroglyphicum.

Tradit Pierius moris fuisse AEgyptijs, vt boni Principis mores: & ingenium exprimerent, sceptrum depingere, in cuius summo vertice Ciconiæ caput affingebant, in infima verò parte, quasi ad basim hyppotamum, id est, equum maritimum adijciebant, & capite quidē Ciconiæ clementiam, quæ prima debet esse in Principe, significabant; hyppotamo verò, cuius est insignis ferocitas, seueritatem iustitiæ designabant, quæ clementiam comitari debet, vel certè post adhiberi, præsertim cùm illa nō profuit. Quæ omnia agnouit in Rege suo Ecclesia, de quo proinde canit: *Deus qui potentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas &c.*

4. Locus Gen. 20.

Sed iam reuertamur ad adulterij grauitatem ostendendam, quam non video, vnde melius demonstrare possim, quam ex loc Genes. 20 8. 9. 10. vbi seriò, grauiterque cum Abrahamo expostulat Abimelech, quod se mechādi periculo obiecisset, dum non expositi, quod vxor sua esset Sara: *statim enim de nocte cōsurgens Abimelech vocauit omnes seruos suos* (cum prius monitus esset à Deo, *& morieris Abimelech propter mulierem, quam tulisti; habet enim virum*) *& locutus est vniuersa verba hæc in auribus eorum, timueruntq; omnes viri valdè. Vocauit autem Abimelech etiam Abraham, & dixit ei: quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande? quæ non debuisti facere, fecisti nobis. Rursumq; expostulans ait: quid vidisti, vt hoc faceres?* Ecce tibi, Christiane Lector, Abimelech, & Rex, & homo gentilis, vsque adeò exhorruit adulterium, vt grauiter, ac seriò conquestus de Abraham fuerit, quod se dissimulando coniugium, in adulterij periculum fermè adduxisset. Et vide ipsum vocasse adulterium peccatum grande: *induxisti*, inquit, *super me, & super regnum meum peccatum grande.*

Deus minatus est mortem Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ.

Et verè peccatum grande est adulterium propter varias causas, quarum aliquas breuiter recensere animus est, primùm propter magnitudinem culpæ, & fœditatem maculæ, qua inde non modò corpus, verùm etiam turpis redditur animus: deinde propter magnitudinem pœnarum, quibus per leges puniri solet, Romani antiqui, inquit Aug. lib. 3. de Ciu. Dei cap. 5. *in stupro detectas vestales, viuas etiam defodiebant*, de adulteris autem fœminis, non eadē semper pœna sumpta est, fuit enim apud ipsos varia, diuersis temporibus adulterorū pœna; vel nota publicæ ignominiæ; vel pœna pecuniaria, vel exilium, vel verbera, vel contusio neruorum, vel castratio, vel etiam mors. Sempronius Musca, testē Val. Max. lib. 6. c. 1. Caiū Gallium deprehensum in adulterio flagellis cecidit. Caius Menius Lucium Octauium neruis contudit. Vide Val. Max. Iul. Cæsar libertum sibi gratissimum, nullo accusante, capitali pœna affecit, quod & Augustus etiam cū Proculo fecisse narratur. Vide Sueto. in vita Iulij, & Augusti. Macrinus Imper. adulterij reos viuos simul incendebat, iunctis corporibus, vt refert Capitolinus; & scribente Vopisco, Aurelianus Imperator militem propter idem delictum ita puniuit, vt duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligatas, subitò dimitti iussit, vt discissus ille vtrinq; penderet. Taceo legem Constantini Magni, qua coniugij corruptores, gladio plectebantur, & ex epist. D. Hierony. ad Innocent. de muliere septies icta constat adulterium morte consueuisse puniri.

Adulterium vocatur peccatum grāde. & cur.

5.

Antiquorū Romanorū vsus in puniendis adulteris.

Sed quid ego hæc de Romanis scribo? etiā barbaræ, atque horridę gentes huius criminis grauitatem non ignorarunt. AEgyptij in adulterio inuentos virgis cædebant ad mille plagas, mulieri nasum obtruncabant, lege Diodorum Siculum libr. 2. Bibliothec. cap. 2. scribit Valer. Max. loco citato cap. 5. & AElianus libro 13. variæ historiæ Zaleucum Locrensium legislatorem tulisse, vt adulteris vterque oculus erueretur. Verùm cùm eius filius in adulterium incidisset, & pœna ei esset à populo propter Patrem remissa, restitit Pater quoad potuit, tandem victus populi precibus, sibi vnum prius, mox alterum filio oculum eruit. Salæthus Crotonienſium Princeps legem sanciuit, vt adulteri viui in ignem conijcerentur, in quod crimen, cùm ipse incidisset, in ignem sponte insilijt Vide Lucianum in Apolog. pro mercede conductis. Apud Hebræos etiam ōlim ex Gen. 38. videtur combustionis pœna in vsu fuisse. Dixit. n. Iudas, audita fornicatione Thamar: *producite eam vt comburatur.*

6.

Locus Gen 38.

Digitized by Google

Et iure ignis pœna puniuntur adulteri; etenim adulterium, & libido ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina Iob 31.12.

7. Libido ignis Grego.

Quod rectè Greg. tum hoc loco Iobi, tum 1.Reg.15. docet: *Quid est*, inquit, *libido nisi ignis? & quid de carne, & mente exortæ virtutes, nisi flores? Quis etiam nesciat, quia si in paleis ignis negligenter extinguitur, ex parua scintilla omnes paleæ accenduntur; qui ergo virtutum incrementa non vult exurere, ita debet libidinis ignem extinguere, vt per tenuem scintillam nunquam possit ardere.* Aliquanto fusiùs eamdem rem declarauit Basilius Basil. libro de vera virginitate, indicans, ne manum quidem virginis contrectandam esse, sic ergo ait: *sicut cùm ignem tanginus, ignis indicia per adustiones excepimus, & aut bullæ repentè tactum consecutæ turgescunt, ac dolorosa per seruorem, & inflammationem vlcera mox rumpenda minantur; ita possibile non est, quem ignis amor attigerit, eiusmodi tactum innocuum, inuiolatumq; præferre, sed aut simili ratione bullæ per tactum manus, cordi clam subrepunt, atque intumescunt, diraque amoris perturbationes feruentibus, & æstuantibus, incontinentissimisque agitationibus pariunt, ac peccati vlcera continuò rumpenda minantur; aut animum totum in intimis tam grauiter exulceratum indicant: ignis enim ardens, inquit Iob, est in omnibus membris: in quem verò superuenit eum à radicibus perdidit. Itaque quoniam in membris omnibus ignis hic ardet, his, qui corpus adustione liberum seruare instituunt, membrorum omnium contactus vitandus est, ne ardentem ignis operationem in membro per tactum, non in ea solùm parte quam tetigit, sed in toto corpore, atque in anima ipsa suscipiant, si enim dum caudam quis tantùm serpentis attingit, caput, magna licet corporis prolixitate disiunctum ad caudæ tactum repentè vertitur; & si digito pedis nostri impingente, capilli capitis mox in sublime feruntur, & vitiosus profectò contactus etiam, si manu tantùm fiat, à capite tamen vsque ad extremos vngues ad consensum voluptatis pro eius qui tetigit nutu, pertrahit corpus. Ac sicut lapis in aquam cisternæ coniectus non solùm adiacentem aquæ partem in quam cecidit, agitat, verùm orbes alios perpetuis vicibus excitans, eos interdum ad vltimos lacunæ margines agitando perducit: ita & lasciuus obtutus, vel sermo voluptatis delinitus illecebris, in virginis animam, velut in vadum puriss mam vehementer iniectus, alias post alias quasi in profundo cogitationes amatorias excitat, ipsamque totam eius, qui fecit, imaginem sauciam flatibus agitat.* Rectè Basilius, nam & Ecclesiast. 9.9. scriptum est: *propter speciem mulieris multi perierunt, ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* & v.11. *speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt. Colloquium enim illius quasi ignis exardescit.* Hinc est, quod Asmodæus ab igne dicitur, vide n.13. sub finem.

8. Ab effectis

Tertiò & illud etiam maximè indicat, quàm graue scelus sit adulterium, quod illud priuatim, & publicè atrocissimæ calamitates, & mala consequantur innumera; nec ea solùm ijs, qui adulterantur, contingunt, & nocent. Satis m hi vnum vel alterum exemplum ex sacris litteris commemorasse. Narrat liber Iudicum propter vnum adulterium viginti quinque millia cecidisse de Beniamitis, vt patet cap. 19. 46. quibus adijciendi sunt centum ex v.35. vbi disertè prostrati, & perèpti 25100. quare v.46. numerus rotundus ponitur millium, neque enim Scriptura curauit centenarium, vt rotundationem seruaret. Vnde vel corrigendus, vel emendandus Suidas, vt inquit noster Serarius in cap.20. Iudic. q.6. causam autem tantorum malorum narrat Athanasius ex scriptura epist. ad orthodoxos, cùm explicare vellet atrocissimas iniurias, quibus se, & Catholicos Alexandrinos affecissent hæretici: *mala*, inquit, *quæ passi sumus, & intolerandæ sunt, & condignè enarrari nequeunt, sed tamen, vt compendiosius vim, acerbitatemq; earum calamitatum significem, historia mihi ex sacris litteris recitanda videtur. Vir Leuita iniuriam in vxore passus, vimque eius indignitatis secum reputans, (erat enim mulier hebræa, & ex stirpe Iudæ) tantisque contumelijs attonitus, quemadmodum diuina Iudicum Scriptura denunciat, vxoris corpus diuisum in partes ad omnes Israeliticas tribus misit, vt iniuria non ad se solum sed ad omnes æquè pertinere crederetur, vtq; vel vicem eius dolentes, vindices se præberent, vel negligentes eius sceleris pudore suffunderentur. Nuncij autem rem, vt gesta erat, enarrarunt, illi autem, qui visu, auditu q; id cognouissent, in hæc verba proruperunt: nunquam tale quid, ex quo filij Israel ex Aegypto ascenderunt accidisse. Concitatæ igitur sunt vniuersæ tribus Israel, omnesq; quasi id peculiariter passi essent, in vnum coiere. In summa debellati sunt, qui hoc scelus perpetrauerunt: nō enim ad generis coniunctionem, qui in bellum coiere, sed ad facinus respexere.* Vide quantum malorū incendium ex vna pestilenti voluptate exarserit. Adijciam ex 1.Reg.12. Verba Nathan Prophetæ, quibus Dauidi véturas calamitates propter adulterium eius, cùm Bersabee denunciauit: *non recedet gladius de domo tua vsq; in sempiternum, eò quod tuleris vxorem Vriæ Hethæi vt esset vxor tua, itaque hæc dicit Dominus, ecce ego suscitabo super te malum de domo tua; & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius. tu enim fecisti absconditè: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis huius. Et quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius, qui natus est tibi, morte morietur.*

Athanasius.

Res admiranda.

Locus 1. Reg.12.

9.

Exempla alia huius rei in antiquis gentium monumentis extant plurima, quibus constat, non rarò propter vnius hominis adulterium, Imperia & verò maxima perijsse. Vnum Paridis, & Helenæ adulterij crimen, quantum malorum aduexerit Troianis, nullus est, qui ignoret: & quis sexti Tarquinij, cùm Lucretia commissum facinus perpendens, vnde regia omnis potentia apud Romanos euersa est, non detestetur prorsus tam nephandum scelus? mitto hic cætera.

10. Grauitas adulterij colligitur ex collatione cum alijs peccatis.

Quartò ostenditur grauitas huius delicti ex collatione cum alijs peccatis, est imprimis, teste Chrysost. hom.3. de Ozia, sine excusatione præsertim, si cum quibusdam alijs conferatur, *nam sicut nauclerus in portu naufragium faciens, neutiquam assequitur veniam, ita vir post nuptialem portum aliena coniugia inuadens, vel mulierem alienam curiosius spectans, nullam habebit defensionem, tam apud DEVM, quàm apud homines.*

hoc

Ex Chrysost. adulterium furto est peius.

hoc crimen furto esse peius, & ipso latrocinio grauius putat Chrysost. & quidem iure. etenim, *non grauis est culpa, cùm quis furatus fuerit. furatur enim, vt esurientem repleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet. qui autem adulter est propter cordis inopiam perdet animam suam: turpitudinem, & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.* Prouer. 6.30. ex Theodoreti sententia Paulus etiam auaritiæ nomen adulterio tribuit; nam in illa, 1. ad Thessalonicen. 4.6. *ne quis supergrediatur, neq; circumueniat in negotio fratrem suum.* notat Theodoretus verbum circumueniendi, Græc. πλεονεκτεῖν significare *per auaritiam in aliena inuadere*, auaritiam autem, & plura habendi cupiditatem hic vocari *adulterium*. Etenim adulter, non solùm ijs, quæ habet, contentus non est, sed aliena etiam inuadere cupit; quare idem Apost. ad Ephes. 4. 19. *qui desperantes (salutem) semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in auaritiam*, & cap. 5.3. *fornicatio autem omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos*; auaritiæ nomen, vt quidam volunt, adulterio tribuit, quod est immoderata quædam cupiditas alieni, continet ergo adulterium præter alias etiam auaritiæ turpitudinem, immò & homicidij.

Auaritiæ deformitatē habet.

II. Adulterium continet malitiam furti, & homicidij, non modo auaritiæ. Exhod. 20.13

Hinc benè Clemens Romanus obseruat non adulterandi præceptum inter homicidiū & furtum positum esse Exhod. 20. 13. *non occides, non mœchaberis, non furtum facies*, participat etiam adulterij [illegible] vtriusque malitiam, & ex homicidio quo[illegible] habet, quod separet homo adulter quod Deus coniunxit, carnem enim vxoris, quæ vna est cum carne viri, diuidit à carne viri. ex furto verò accipit, quod alterius contrectet, ac sibi vsurpet coniugem. Quid ergo miramur cum tam multæ improbitates, & malitiæ in vno insint adulterio, quod Iob cap. 31. 10. 11. illud nefas, & iniquitatem maximam vocet? *scortum*, inquit, *alterius sit vxor mea & super illā incuruentur alij; hoc enim nefas est, & iniquitas maxima.* Os. quoq; 9.9. profundum quoddā malitiæ baratrum, adulterium nominat: *profundè*, inquit, *peccauerunt sicut in diebus Zabaa.* meminit enim historiæ illius Iudic 19. & 20. de qua n. 8. cùm vxor Leuitæ nefariè ab adulteris vexata, & occisa est à viris Beniamitis. Porrò profundum vocat adulterium, propter immanem quamdam, & occultam vafritiem. & multitudinem improbitatis, quam supra cætera continet.

Locus Iob 31.10.11.

Osee 9.9.

Peccatum profundum est adulterium.

Illud etiam quintò ad exaggerandam huius dilecti peruersitatem facit, quod peccatum luxuriæ, atque adeò imprimis adulterij, propter eius fœditatem sibi propriè, ac peculiariter nomen turpitudinis, & flagitij vendicat, cuius rationem hanc assignat D. Thom. 2. 2. q. 156. articul. 4. quod omnia sensu, & effreni corporis cupiditate, quæ nobis cum belluis est communis, non ratione metiatur. Hinc Philosophi luxuriam cum belluinis vitijs copulant; & meritò, cùm etiam Scriptura ipsa equis, & mulis, quibus non est intellectus, comparet libidinibus traditos; & D. Petrus sui lotæ in volutabro luti 2. epist. 2.22. reddit Ambros. de Abraham Patriarcha c. 7. causam, ob quā equo

12.

Adulterium & libido proprium sibi fecit fœditatis nomē.

A comparentur adulteri, & luxurioſi, *equus enim stare nescit, velox ad impetum, ceruicē exaltans suā, hinniens ad libidinem. Quid tam simile peccati? feruet enim primò culpa impetu, & omnem recti cogitationem præuenit, motuq; immaturo exilit, vt eam difficile ratio reuocare possit. Fertur in præceps, & ascensorem eius proijcit in mare istud huius sæculi, ceruice tumida recusans iugum correctionis, & specialis quædam forma libidinis, quæ vocem mutet hominis, verba amantis corrumpat; suisq; se prodat sermonibus. denique ad Iudam per Ierem. 13. 27. Dicit Dominus Deus: nunc videbitur ignominia tua, & adulterium tuum, & hinnitus, & alienatio fornicationis tuæ supra colles.* Cæsarius hom. 3. fœtorem huius vitij confert cloacæ. *si benè*, inquit, *ac rectè iudicas, incomparabiliter grauiorem putorem*
B *reddunt cogitationes luxuriosæ, quàm cloacæ.*

Fœtorem exhalat libido.

Quare adeò horrendum est adulterij vitium, vt qui eo tenetur, quasi ab immundo aliquo dæmone agitari, & posslideri videantur. quod scitè simul, & pulchrè dicit etiam Cæsarius Arelatens. hom. 16. de erepto energumeno: *multi dæmonem in corpore alieno formidant, in suo corde dissimulant; omnis enim, qui superbiam diligit, diabolo plenus est, & si cum superbia inuidiam etiam habere voluerit, duobus dæmonibus subditus erit, & si cum inuidia etiam adulterium fecerit à tribus dæmonibus possidetur.* & verò multò aptiùs ad ultero, quàm vel superbo homini, vel inuido ea similitudo competit propter incredibilem immunditiam, & impetum quendam sine ratione, huic peccato proprium, quæ duo maximè dæmoni insunt. Adde quod sicut dæmon diuidit inter fratres, sic & adulter inferni furijs agitatus diuidit inter coniuges, à Deo sanctè præscripta frangens fœdera. His accedit, q̄ Asmodæus, qui rex est super oēs filios superbiæ, spurcissimum sanè monstrū, ad quod omnium turpitudinum, & obscœnitatum procuratio spectat, omniumq̄ maximè adulteros vexat, & agitat. dicitur autem ab *Es*, quod ignis est, & *Madad*, metiri, quia quantum satis est, tantùm vnicuiq; nititur luxuriæ ignis immittere: adultero verò, vt animum addat ad tam audax facinus patrandū, q̄ cū vitæ discrimine, & innumeris alijs malis cōiunctū est, amplam satis & superefluentē tā pestilētis ignis mēsurā metiatur oportet sup cęteros luxurioſos vt plurimū, & ideo adulteros frequētius vrget, acrius inuadit, vehemētius accēdit, & infelicio vexat.

13. Adulter energumeno similis, & dæmonium quoddam.

Asmodæus vnde?

D Sextò adulter aduersatur legi connubij, quam Deus sanctè in Paradiso sanciuit, & inuiolatam esse, quā etiam in lege veteri præcepit, & innouauit tempore Euangelij. Est autem ea lex: *quod Deus coniunxit, homo non separet*; atqui adulter sancta & inuiolabilia connubij fœdera, quod ad se attinet, dissoluit, & violat. Qua in re plurimum adulter Deo contrarius est. Tria enim hæc coniunctionis genera voluit Deus, quantum in se est, indissolubilia esse, nimirum vinculum illud, quo hominis anima cū Deo ipso copulatur; deinde alterum quo anima cū corpore; tertium quo corpus cum corpore iure connubij coniungitur; & quidem in primū nulla cadit dispēsatio; sola enim iniquitas, non vlla creatura, non homo, ac ne ipse Deus primum hoc vinculū dissoluere potest, verè enim ab Isa. c. 59. dictum est: *iniquitates*

14. Adulter cōtrarius legi connubij à Deo sancitę.

Tria coniūctionis vincula indissolubilia.

Isa. 59.

vestra diuiserunt inter vos, & Deum vestrum. Secũdum vinculum tollere potest Iudex à Deo cõstitutus in vindictam malefactorum, quod faciebat ille, qui dicebat: *in matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Psalm. 100. 8. At tertium illud matrimonij vinculum nullus potest hominum tollere, sic Deo præcipiente; *quod Deus coniũxit homo non separet.* in quæ verba lege Caiet. Ientacul. 9. q. 1.

15. Adulter sacrilegus dici potest. quas vniones hoc Sacramentũ significet

Verùm non solum adulter Dei præcepto repugnat, verùm etiam sacrosancto sacramento infert iniuriam: qua ratione illum nec immeritò, nec ineptè sacrilegum vocare possumus. Etenim sacramentum hoc magnum est, cum tres significet sacras vniones, Carnis cum Verbo in vnitatem personæ, qua vnione Verbum caro factum est. Deinde Christi cum ecclesia, vnde vnum corpus mysticum resultat; *multi enim vnum corpus sumus in Christo*; postremò animæ cum gratia in vnum Spiritum, quomodo etiam, *qui adhæret Deo, vnus Spiritus est cum eo*; quas omnes vniones inuiolabiles, perpetuasq; vult esse Deus, quæ sicut vniuersæ illis verbis insinuantur; *erunt duo in carne vna*, ita vniuersæ aliquo modo læduntur per adulterij vitium, quod eisdem verbis obsistit. Vide quæ de his copiosè & eruditè, simul noster Iulius Mazzarinus prosequitur, in eo opere, quod in Psalm. 50. composuit italicè, & postmodum latinè interpretatus est Ernestus Cholinus, Canon. Colonien. discur. 7.

Has vniones violat adulter.

16. Septimò eiusdem criminis atrocitatem grauissimè violata iustitia satis indicat Clemen. Rom. lib. 6. constit. Apost. c. 27. de sodomitis, de adulteris, de scortatoribus. *Primi*, inquit, *interitum mundi machinantur, qui quod à natura est, contra naturam facere conantur. Secundi verò iniuriam alijs faciunt, cum aliena matrimonia violant; & quod à Deo factum est vnum, in duo diuidunt ac liberos faciunt suspectos, & legitimum maritum infidijs exponunt. At scortatio corruptio est proprij corporis, quæ non adhibetur ad generationem filiorum, sed tota ad voluptatem spectat. In primo impietas, in secundo iniustitia, in tertio denique peccatum.*

17. Multæ iniustitiæ concurrere solent in adulterium. Exemplum Ioseph.

Ioseph ille Patriarcha cum ad perpetrandum adulterium sollicitaretur à Domina duarum rerum contemplatione ne tantum committeret scelus prohiberi se dixit. Primò beneficentia Domini erga se; deinde etiam Dei cũcta cernentis reuerentia, subiecitque quod ad rem meam maximè facit, *quomodo possum hoc malũ facere*, significãs plurimum iniustitiæ hoc vno vitio concludi, ac proinde magnum esse malum adulterium; ita vt eius spectata perfidia, & iniquitate vix in mentem hominis, eius committendi cogitatio cadere posse videatur. nam ingentem habet coniunctum iniustitiam propter insignem, quæ alteri fit, iniuriam, cõiuge eius violata, qua nihil habet coniunctius. Est præterea in adulterio grauis iniustitia aduersus legitimam prolem; fit enim sæpè vt pro legitimis filijs habeantur, qui ex adulterio suscepti sunt; nec rarò qui adulterinus est filius, quia primogenitus putatur, bonorum est heres, cæteris ac legitimis filijs non sine insigni iniuria hæreditate priuatis; est quoque in adulterio altera nó minus grauis iniustitia propter execrandũ perfidiæ crimen, quo nefariè conA iugalis pudicitiæ fides proditur.

Octauò plurimum adulterij impietatem aperit, quod eiusmodi nefarij homines, qui alienum torum commaculare audent; magis homines, quam Deum ipsum timere, ac vereri videntur, quod mihi graphicè depinxisse videtur Eccles. 23. 25. sic enim loquentem facit adulterum. *Quis me videt? tenebræ circumdant me,* (*oculus* enim *adulteri obseruat caliginem dicens: nõ me videbit oculus* Iob 24. 15.) *& parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit timorem Domini à se huiusmodi hominis timor* (id est, timor, quo ille tantùm metuit ab homine videri, expellit ab ipso timorem Dei, facit enim, vt de Dei timore non cogitet) *& oculi hominum timentes illum* (hoc est, oculi hominum, qui obseruant tantùm ne ab homine videantur, timẽtes tantùm ipsum hominem, expellunt ab ipso timorem Dei) *& nõ cognouit, quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem* &c. Non ita sentiebat is, de quo dixi, castissimus Ioseph; quin Dei timore improbissimam, & nefariam Dominam non timuit à se expellere, aiebat enim: *quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* At qui timorem Dei à se procul abijciunt, & *lætantur cùm malefecerint, exultant* verò *in rebus pessimis, & per risum, atque iocum scelus operantur,* qui *non proposuerunt Deum ante conspectum suum,* sunt similes senibus illis Sulannæ accusatoribus, Daniel 13. 9. qui *euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum; neq; recordarentur iudiciorum iustorum*; scilicet, istis non modò non impossibile videtur hoc malũ facere, & peccare in omnipotẽtem Deũ, sed etiam quodammodo impossibile apparet à malo abstinere, vel benefacere. De quibus loquitur Ierem. 13. *si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; & vos poteritis benefacere, cùm ded. certis malum.*

18. Eccl. 23. 25. Iob. 24. 15. Adulteri nihil metuunt Dei conspectum.

DIGRESSIO II. MORALIS.

Quibus remedijs mederi quis possit tam infami ac noxio vitio.

I. Occasiones peccandi sunt vitandæ imprimis.

NVlli rei magis studere debet is, qui vitia carnis fugere cupit, quàm vt occasiones peccatorum summo studio euitet, quia ex his peccata nascuntur, cuiusmodi sunt otium, conseruudo malorum hominum, sensuum & linguæ licẽtia, lectio librorum impudicorum, ludorum seu comœdiarum vsus, quare monendus est is, qui integram vitam, & puram instituere vult, vt pari cura & peccata, & peccatorum fugiat occasiones. Quod vtiliter monuit Carol. Reg. lib. 10. de orat. Christ. cap. 9. etenim tria imprimis mala ex occasione tanquam ex pestilenti radice proficiscuntur. Primum est, quod viam impediat, & iter obstruat ad acquirendas virtutes. recidit enim ac subrahit occasio omnem ad virtutem præparationem necessariam, vt enim non ardet lignum

gnum, nisi sensim prius præparetur calore, ac siccitate pulso frigore, & humore, ita dum hęret animus in prauis vitiorum occasionibus, quæ sunt castitati, vel vniuersim virtuti contrariæ, puritatis, vel virtutis splendorem tenere non poterit. *nunquid enim currere poterunt equi in petru*? Amos 6.13.

Amos 6. 13.

2. Quomodo Dominus in veteri lege populum ab occasione peccatorum retraxisse videtur. Gen. 3.3.

Gen.2.16.17. legimus præcepisse Deum Adamo: *ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas*. Interrogata tamen Eua à serpente, cur præcepisset Deus, vt non comederent de omni ligno Paradisi, quod est cap.3.3. Genes. duo respondit, & præcepisse illum, vt *de fructu ligni, quod est in medio Paradisi*, ne comederent; & ne tangerent illud, ne fortè morerentur, quod secundum non malè addidit mulier. etenim quia tangere lignum illud, præbere poterat magnam ad comedendum occasionem, ideo sub primo illo, hoc alterum, prudenter intelligi poterat esse præceptum. Iusserat Deus Abrahamo Gen.21.10. *eijce ancillam hanc, & filium eius*; cùm tamen culpa in sola matre esset, quamobrem id? quia vt à te ableges peccatum, etiam occasionem remoueas oportet illi coniunctam. nam si retento filio, dimissa esset mater, facilè reuerteretur ad eandem domum, vnde fuerat eiecta: quod vtroq; simul eiecto, non ita promptum ac procliue fuerit. Nec video, quamobrem Deus Exhod. 12.18. cùm iussisset, vt per id tempus, quo Pascha celebrabant, comederent azima, non hoc solo contentus adiecit illico v.19. *septem diebus fermentum non inuenietur in domibus vestris*, nisi quod subtrahere voluerit omnem comedendi fermenti occasionem, sic Exhod. 19. præcepit Deus, cauerent Israelitæ, ne in montem ascenderent, statimque adiecit, ne tangerent quidē montis fines, sic enim ait v. 12. *cauete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius, omnis, qui tetigerit montem, morte morietur*. & vt tantò magis occasionem ascendendi in montem fugerent, mandauit constitui *terminos populo per circuitum*. Ob eādem causā voluit Nu.6. ne Nazaræi vinum biberent, à quo vt tanto magis alieni essent, præcepit vuas recentes, siccasque ne comederent: quin v.4. sic iussit: *cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur, quidquid ex vinea esse potest ab vua passa vsque ad acinum non comedent*. His ergo liquet ad amplectendam virtutem obstrui viam, impedirique aditum per prauas vitiorum occasiones, quod cùm in omnibus vitijs verum sit, multo est in adulterio verissimum.

Locus Exho. 12. 18.

Num. 6.

3. Alterum occasionis prauæ malum.

Philonis egregia sententia.

Alterum verò malum, quod secum affert occasio peccati, est, quod vitæ emendationem difficiliorem reddere, eamque multum retardare solet mali occasio, quod mihi videor ex disertissimo Philone Iud. posse colligere libr. 2. sacr. leg. allegor. expendens enim verba illa Gen. *Relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras*, omnibus sæculis in castissimi adolescentis sempiternam memoriam, laudemque decantanda, sic scribit: *relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras: dicat aliquis*, inquit Philo, *& quis intro egreditur* (q.d. an non satis dixisse fuerat, egressus est, quid opus erat, foras adiecisse? sed quam necessarium fuerit istud addere sequentibus verbis probat Philo) *nonne multi* (videlicet egrediuntur intro, qui verò ij sint, mox declarat) *an non sunt quidam, qui fugiendo sacrilegium furati sunt ex priuatis ædibus? qui temperātes manibus à Patre, pulsarunt alios? hi egrediuntur quidem vnum peccatum, sed ingrediuntur aliud. Atqui oportet, vt perfectè tēperans, peccata fugiat omnia, maiora minoraq;, & in nullo prorsus deprehendatur. Sed Ioseph, vt homo iuuenis, qui non posset cum AEgyptio corpore, scilicet, voluptate, contendendo sperare victoriam, mauult fugere. Phinees autem sacerdos zelo Dei correptus non fuga sibi salutem quæsiuit, sed arrepto Siromaste, hoc est, ratione cum zelo coniuncta, non desistit priusquam transfigat Madianitidem, scilicet naturam occultātem se in diuino choro: idque per vuluam ipsius ne vnquam possit inde oriri stirps, aut semen malitiæ*. Sic elegantissimè docuit nos, vt exemplo Ioseph, & Phinees, vel fuga, vel carnem ipsam transfigendo per vuluam, hoc est, vt ego interpretor, eam edomando, & intempestiuos eius motus, effrenatamque appetentiam, quantum fieri potest, comprimendo vincamus. Sic enim ijs transfixis, vt sic dixerim, summa consequetur animi pax, & virtutis adeptio. Foras ergo nobis egrediendum est omnem mali occasionem auferēdo, si mores corrigere, & vitia fugere omnino exoptamus, alioqui non vnquam prorsus recedemus à peccato, sed de vno ad aliud transibimus, vnde etiam facile possimus ad ad pristina redire, sicut qui intra eandem domum de vno in alterum cubiculum se transfert, hic poterit nullo negotio ad primum regredi cum libuerit.

4. Tertium malum.

Tertiùm prauæ occasionis malum est, hominem impellere, ac præcipitem agere in multa peccata, nam *qui amat periculum peribit in illo*; & quamuis fortassis occasio non sit, semper tamē vmbra peccati est, quæ ipse adesse, ac quasi præsēs peccatū ostēdit, sicut vmbra corpus; hinc rectè, & aptè *vmbram mortis*, occasionē vocaueris: Itaq; qui occasionē non deserit, hic sciat se in vmbra mortis sedere; simile est peccatum nocturno furi, qui intus hominē spoliat virtutum ornamentis, verùm occasio quasi latrunculus foris manens exploratorem agit, ne quis latronem impediat, vt tantò liberiùs ac grauiùs malum inferat, dum nō est, qui opem ferat, quod mihi significasse videtur Ose.7.1. *Fur ingressus est spolians, latrunculus foris*.

Osee 7.1.

5. Caussæ libidinis fugiendæ.

Sed prēter hęc tria mala, de quibus egregiè, & pluribus agit Mazarinus lo. cit. discur. 3. adhuc fugiendæ nobis sunt caussæ peccati, quæ cū occasionibus malis connumerari etiam possūt. Sunt aūt hæ caussæ plures, quæ libidinem excitant, & in corpore quidē est cibus, & potus, vel largior, vel suauior, vel feruentior, quā natura postulet, vel ętas, vel valetudo, vel institutum. Hinc enim sanguis, spiritus vitales vehementiores, & impotentiores existunt: & inde earū, in quibus viget libido, partiū titillationes fiūt. rectè ille monuit. *fine Cerere, & Baccho friget Venus*. & multò efficaciùs Apost. nos monuit, *nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. & Hieron. in hoc genere pugnæ exercitatissimus miles, & glorioſissimus triūphator ad Eust. de cast. virgin. *vinū*, inquit, *& adolescentia duplex incendium voluptatis est. Quid oleum flāmæ adijcimus? Quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus*?

Hieron.

Imitan-

Exemplum Hilarionis.

Imitandum nobis est adolescentuli Hilarionis exemplum, de quo sic scribit idem Hieronym. *titillabat sensus eius, & pubescenti corpori solita voluptatum incendia suggerebat. Cogebatur tirunculus Christi cogitare quod nesciebat, & eius rei animo formam voluere, cuius experimenta non nouerat. Iratus itaque sibi, & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cadens manu posset excludere: ego, inquit, aselle faciam, vt non calcitres, nec te ordeo alam, sed paleis. Fame te conficiam, & siti: graui onerabo pondere; per æstus indagabo, & frigora, vt cibum potius, quàm lasciuiam cogites.* & hę quidem in corpore sunt causſæ.

6. Principijs cogitationũ obsistendũ.

In animo verò plurimum nocent castitati initia quædam ac scintillæ turpium cogitationum, quæ nisi initio statim suffocentur in magna mox incendia erumpunt: Itaque *dum paruus est hostis, interfice,* inquit Hieronym. ad Eustoch. *nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine.* Audi Psalmistã dicentem: *Filia Babylonis misera, beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Sic faciebat ille Sanctus Franciscani agri verè fragrans, & fortunata Iuniperus, qui sic de se testabatur, cum præsente Frãcisco, de vincendo carnis vitio ageretur, *Ego cùm procul aduentantem hunc inimicum prospicio, portas animi bonu desiderijs, sanctisq; cogitationibus occludo; & interius sublata voce procul, procul exclamo; occupatus est diuersorij locus,* quod cùm audisset B. AEgidius alter D. Franc. alumnus. *Ego,* inquit, *arma mihi Iuniperi assumo contra huius vitij importunitatem.* Sed ad alias veniamus eiusdem vitij vincendi rationes.

Exemplum B. Iuniperi & AEgidij.

7. Ex lib. Tob. tria contra libidinem, remedia.

Ex libro Tobiæ tria ego remedia simul colligo valdè vtilia ad debellandum pudicitiæ hostem. Tobias iuuenis edoctus ab Angelo fuit, vt si alligare Asmodæum vellet, eiusque vires prorsus frangere, orationi instaret, & cuiusdam piscis iecore in ignem impositu suffitu vteretur. Sic enim futurum, vt orationis virtute, ac mystici illius suffimenti quadam occulta vi, Asmodæus arceretur. Hîc ego ad fœdam superandam libidinem tria valdè vtilia insinuari video. Primum quidem orationem, & quidem frequentem, ac feruidam; deinde Christi passionis attentam meditationem. *Est enim Christus* vt ait Augustinus serm. 4. in festo SS. Petri, & Pauli, *piscis ille qui ad Tobiam ascendit, si allegoriam spectemus; nam huius iecore per passionem assato fugatus est diabolus,* Aug. sequitur Prosp. lib. de promiss. & prædic. p. 2. cap. 39. *Mysticam,* enim ait, *actionis huius, hoc est, quod ex interioribus piscis, & dæmon fugatus est, & Tobias illuminatus.* Postremò moderatam corporis castigationem; cùm enim iecur amare faciat, & concupiscere, quod etiam cordi tribuitur. Prouerb. 4. Matth. 15. dum in cinerem, & fumum, in ignem imposita, rediguntur cor, & iecur, extinctio, seu debilitatio earum partium, quæ ad libidinem incitant, significatur, quo respicit Ecclesia, cùm canit: *Lumbos, iecurq; morbidum adure igni congruo, accincti vt sint perpetim, luxu remoto pessimo.* Audi nunc verba Raphaelis cap. 6. Tob. 16 17. 18. 19. sic Tobiam docentis: *audi me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus præualere potest dæmonium; hi namque, qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut*

Christus piscis.

A *equus, & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos; tu autem cùm acceperis eam (Saram) ingressus cubiculum per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea, ipsa autem nocte incenso iecore piscis, fugabitur dæmonium.*

8. Orationis necessitas ad superandum carnis vitium.

Et verò orationem necessariam esse, vt quis continentiam illabatam seruet, non est dubitandum, cum pudicitia inter cæteras virtutes maximum donum Dei vocetur. hinc Sapiens cap. 8. 21. *sciui,* inquit, *quòniam aliter non possem esse continens nisi Deus det, adij Dominum, & deprecatus sum illum.* Sic Susanna in angustijs constituta ad Deum confugit. Sic Augustinus orauit 10. confes. 29. *ô amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris. caritas Deus meus accende me. Continentiam iubes; da quod iubes, & iube quod vis.* Sic Thomas Aquinas cum procacis sc
B sentia nonnihil commoueretur; Dei
tus est. *ne sinas quæso Domine Iesu, & tu sanctissima mater & Virgo Maria, vt tam immani scelere me obstringam,* mox rapto ex igne titione illud fugauit, ostioque concluso à duobus Angelis lumbos sibi constringi sensit in perpetuæ continentiæ signum.

9. Christi Domini passionis frequẽs meditatio.

De Christi verò atrocium cruciatuum assidua meditatione, sic Hugo de sancto Victore: *Quoties,* inquit, *te sentis turpibus cogitationibus pulsari, & ad illicitam delectationem allici, retines pone ante mentis oculos, quo modo Christus in cruce crucifixus est pro te, intuere, quomodo à Iuda Iudæis traditur, & quàm viliter pertractetur, blasphemetur, & colophizetur, iudicetur, & condemnetur, exspolietur, & flagelletur, ad vltimum verò contumelijs affectus, inter duos latrones suspenditur, clauis cruci affixus sputis derisus, spinis coronatus, lancea perforatus, ex omnibus partibus sanguis emanat, & inclinato capite emittit spiritum. Ita Redemptor tuus moritur pro te, & tu nescis, cuiusmodi sordida cogitatione sordidaris in mente?* clamabat S. Bernardus: *pudeat sub spinoso capite membra esse delicata,* & te non pudet contra Dei pro te tam dira patientis voluntatem, & honorem fœdis voluptatibus operam dare? Quin tu intueris sanguinem toto Christi corpore manantem? Quin aspicis vulnera? Quin caput in mortem inclinatum? neque enim dubitandum, quin plurimus hic, & rubentissimus cruor, qui pro te, è toto illo sanctissimo corpore fluxit vbertim, non gehennæ modo, sed
C & libidinum quantum libet ardens incendium, cunctasq; luxuriæ flammas, modo velis, in tuo
D pectore sit extincturus.

10. Carnis castigatio exemplo Christi.

Denique de carnis afflictatione audi Hieronym. ad Eustoch. *pallebant,* ait, *ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præmortua sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Iesu iacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Non depudesco infidelitatis meæ, quin potius plango me non esse qui fuerim. Memini me clamantem, diem crebro iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas.* Audi Gregor. lib. 5. in 1. Regum 14. sic de carnis castigatione per ieiunia describentem, *abstinentia ciborum contra hoc vitium fortissima est, si enim ignis libido est, subtrahi*

Gregor.

Digitized by Google

trahis igni materiam, cùm cibos subtrahis, & vinum præsertim, in quo vt est apud Apostol. Ephes. 5. *luxuria est.* Quid quæris? diuinum illum Apostolum audi 1. Corinthiorum 9. 27. *castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Prudenter igitur faciebat Gregorius alter, vt est in eo carmine, quo deplorat animæ suæ calamitatem: nam vt præstabiliori parti, vt æquum est, deteriorem subijceret: *ventri*, inquit, *claustra impono, animum mœrore constrio, lacrymarumq; vim profundo, sempiterno Regi debilitata genua flecto, ac sordidatus incedo &c. pro lecto mihi torus est, pro linteo cilicium, & pauimentum lacrymis perfusum.*

II. Tria fugienda, ne quis in libidinē incidat.

Cæterùm vt tria sunt hæc remedia, de quibus iam dixi ex Tobiæ historia mysticè desumpta, sic postremò huius digressionis loco, tria fugienda, ne quis in Asmodæi manus incidat, recensere possumus. Fugiendum est enim pudicitiæ studioso ocium, cohibendus oculus, refrenanda manus; hæc enim sunt tria quædam arma potentissima, quibus Asmodæus nos vincere, & expugnare contendit; quæ si ab illo auferantur, multum de eius furore remitti, & de eius viribus detrahi necesse erit. de otio multa essent, quæ dicerentur, sed sufficere videntur, quæ habet Apostol. 2. Thessalonicen. 3. de otiosis enim fratribus scribens ait versiculo 6. *denunciamus vobis fratres in nomine Domini nostri IESV Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem, quam acceperunt à nobis. ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos; quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione nocte, & die operantes, ne quem vestrum grauaremus.* Et postea clariùs explicans, de quibus fratribus loquatur, versiculo 11. subdit: *audiuimus enim inter vos quosdam ambulare inquietos, nihil operantes, sed curiosè agentes.* Hos demùm hortatur Paulus sic versiculo 12 *ijs autem, qui huiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes, suum panem manducent.* Vbi otiosos homines primùm *inordinatos* nominat, & iure, duplicem enim disiicit, ac disperdit ordinem, & naturæ & iustitiæ; docet enim illa per morum, & laborem ad quietem peruenire, docet hominem ad laborem natum esse, docet nihil esse in rerum vniuersitate prorsus alicuius operationis expers. Iustitia verò præcipit; *si quis non vult operari, nec manducet.* Interrogatus olim Democritus, quidnam faciendum esset, vt quis diutius viuat; respondit; *intus mel, foris oleum.* quo dicto, scitè significauit, plurimum facere ad longiorem vitam, si quis pacis & gaudij dulcedine perfruatur, corpus verò labore, atque exercitatione excolat; labor enim, & exercitatio rectè per oleum, quo se luctatores perungebant, significatur.

Locus 2. Thess. 3. 6. 11. 12.

Otiosus est inordinatus

Duplicem ordinē perdit otiosus.

Intus mel, foris oleum

12. Magnum negotium otium.

Deinde Apost. otiosos *inquietos* vocat, rectè enim dici solet: *magnum negotium otium*; foras vagatur, domi si sedeat, molestus est omnis otiosus. nec mirum videri debet, quod qui ignauiæ, otioque deditus est, inquietus quoque sit; nam locum reperire non valet, vbi iure, ac sine nota quiescat; neque enim illi in terris; vbi homo nascitur ad laborem, quieto esse licet, non in eo Paradiso, vbi initio positus fuit Adam, *vt operaretur, & custodiret illum*; neque in cœlis, vbi sua operarijs redditur merces; nec in Purgatorio loco, vbi exquisitis pœnis flagellantur animæ, quæ hic apud nos, cùm essent, iusto pœnitentiæ labore non se afflixerunt. Vnus dumtaxat locus superest otioso, quem iure ingrediatur infernus: etenim *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Omnis otiosus inquietus.

13. Otiosus est curiosus.

Tertium eundem nominat Paulus *curiosum*, ac proinde loquacem, cùm enim nihil operetur, satis illi multum superest temporis ad aliorum vitam, & mores inuestigandos, & ad multa inutilia verba effutienda, quibus tempus simul frustra conteratur, & conscientiæ puritas deperdatur. Hæc Apost. de otioso sentit, vt non mirum sit, si tam multa ex otio adulteria consecuta sint: est enim, vt Theophrastus sentiebat, inhonestus amor otij proles; hinc illud: *quæritur AEgystus, quare sit factus adulter? in promptu caussa est; desidiosus erat.* Viderat Crates ille Thebanus, vt refert Seneca epistola 10. iuuenem quemdam otiantem, ac solitarium, interrogauit, quidnam ageret; cui iuuenis, *mecum loquor*, respondit Crates; *caue ne cum homine malo loquaris.* Optimè; facilè enim est, vt otiosus malus fiat, nam qui operi intentus est, à solo vno dæmone impugnatur, otiosus à mille. Sic Cassianus libro 10. institut. narrat, hoc dictum solemne fuisse inter AEgyptios Monachos: quod Ezechielis 16. 40. non obscurè significatur, qui dum multiplicis luxuriæ Sodomorum caussas exponit, otium numerat: *hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius.*

Inhonestus amor otij proles.

Cratis argūtum responsum.

Otiosus à multis dæmonibus impugnatur

Hinc sapienter Greg. in 1. Reg. libr. 6. c. 1. ait: *Inter opera, & labores spirituales contra stimulos carnis fortes sumus: sed si quasi fessi à solita conuersationis rigore torpescimus, vel remittimus, dum paulatim negligimus, aculei carnis insurgunt, qui quasi depositis Moysi manibus Israelem vincunt*; reddit mox huius rei caussam: ait enim: *cùm duas simul res cogitare non possimus, fit vt aliquid aliud cogitando, non cogitemus immunda. Celer ergo & facilis victoria libidinis est circumspectio cogitationis, si quoties carnalia obuiant, ad aliquid aliud recurramus, quod libidinis non sit incitamentum.* Et quid quæso aliud Dauidem præcipitem ruere fecit in adulterij crimen, deinde verò etiam in homicidium, præter quam otium? Audi quid scriptum sit 2. Reg. 11. 2. *accidit, vt surgeret Dauid de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ: viditq; mulierem se lauantem ex aduerso super solarium suum: erat autem mulier pulcra valdè, &* v. 4. *missis itaque Dauid nuncijs, tulit eam.* En tibi Dauidem illum tantoperè Deo dilectum, cuius tantum erat robur, vt vrsos etiam & leones solus interficeret: Ecce tibi, inquam, illum iam meridiano otio torpentem in tam nefaria vitia à dæmonio meridiano præcipitatum, quis credat? quis non

14. D. Gregor.

Quomodo libido facilè & citò vincatur ex Greg.

horreat?

Digitized by Google

horreat? quis sibi ab acediæ dæmone non timeat?

15. Oculorum custodia. Iob 31. 1.

Sed non minus ab oculo cauendum est, nam summa est inter cor, & oculos coniunctio, vt proinde dixerit Iob 31. 1. *pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Cedo quid oculis cum cogitatione? sciebat vir sanctissimus, oculos fenestras esse, & ianuas, per quas quasi quidam nuncij rerum externarum, & aspectabilium perferuntur ad cor, vnde prauæ exoriantur cogitationes, vt enim interdum malè affectum cor oculos incitat, & ad malum aperit iuxta illud eiusdem Iob, *si secutus est oculus meus cor meum*; ita fieri frequenter solet, vt per oculos praua quædam, & obscœna rerum simulacra ad cor penetrent, & illud inficiant. Hoc mutuum oculorum, & cordis obsequium, hanc parem amicitiam expressit Osee 2. 2. *auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum*, hoc est, de oculis, & corde. Rectè Saluian. lib. 3. de prouid. *Sciens*, inquit, *Saluator fenestras quodammodo esse nostrarum mentium lumen oculorum, & omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quasi per naturales cuniculos introire, extinguere eas penitus foris voluit, ne intus orirentur, & lethaliter crescentibus fibris, conualescerent fortasse in animo, si germinassent in visu.* Et Clemens lib. 3. Pædagog. cap. 11. *fieri*, inquit, *potest, vt qui viderit, labatur, sed fieri non potest, vt qui non viderit, concupiscat; dū enim lasciunt oculi, calescunt appetitiones: melius est labi pedibus, quàm oculis.* Gregor. hac de re disserit, scribens in locum illum, quem citauimus ex Iob: *pepigi fœdus* & v. 1. *cùm sit*, inquit, *inuisibilis anima nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, sed per quinq; corporis sensus, quasi per fenestras exteriora respiciens concupiscit. Hinc etenim Hier. 9. 21. ait: ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras. mors quippè per fenestras ascendit, & domum ingreditur, cùm per sensus corporis concupiscentia veniens, habitaculum intrat mentis*, &c. *vt ergo S. Iob cogitationes cordis castè seruare posset, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incautè aspiceret, quod postmodum inuitus amaret. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, prouidendum nobis est, quia intueri non decet, quod non licet concupisci.* Quæ persuadere sequenti exemplo nititur: *neque enim*, ait, *Eua vetitum lignum contigisset, nisi hoc prius incautè conspiceret: scriptum quippe est: vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Hieronymus ad Eustochium epistola 22. affert Dauidis exemplum, & addi possunt Sampsonis, Salomonis, Olofernis, duorum Seniorum apud Danielem.

Locus Osee. 2. 2

Saluiani dictum.

Clemens Alex.

D. Greg.

16. Hugo.

Hugo ad ostium cordis oculum constituit pro ianitore, qui si pudicus est, nihil sinet omninò, quod nocere possit, ingredi, quin nec nũcium vllum deferet, vnde animus detrimenti aliquid accipere possit. At si minimè pudicus est quidquid placet, aut oblectat, diligẽter inuestigat, omnia lustrans; nec solùm omnibus aperit, sed etiam inuitat, allicit, compellit.

Quid differt pudicus ab impudico oculo.

Oculus dupliciter fur.

Est oculus dupliciter fur, & latro, quia aliorum bonis inhiat, & cuncta inuolare cupit, aliorum pulchritudinem, diuitias, agros, denique omnia, quæ videt bona; deinde, quod caput est, furatur animum, cuius est minister, dum ad mala illum pertrahit. Hinc Thren. 3. Hierem. *oculus*, inquit, *meus, depradatus est animam meam*; quod exemplo Phrynes meretricis ostendi potest, quæ cùm in vitæ periculum incidisset accusata, nec sibi satis tuta videretur sola Hyperidis actione, quamquam admirabili, conspectum adijt Iudicum, & cùm pulcherrima esset, ita illorum mouit oculos, vt ablegata iustitia, liberam illam dimiserint. Videsne, Lector, quantas vires habeat oculus ad virtutem peruertendam, & de rationis arce deijciendum animum? historiam Phrynes attigit Quintil. lib. 2. cap. 15. Christus, cùm adultera ad ipsum esset delata, inclinato corpore, oculos demisit, illud fortassis significans, adulterij præcipuam causſam oculos esse.

Phrynes exemplo, quàtum possit oculus contra rationẽ.

Postremò reliqui omnes sensus cohibendi sunt, & frenandi, sed præcipuè tactus in officio continendus. nam vt Christus de oculo Matt. 5. 29. dixit: *si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te*, ita & tactum muniens, mox versiculo trigesimo subiecit, *& si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proijce abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. Si virginitatem*, inquit Aug. lib. 50. hom. hom. 35. *animæ integram seruare desideras, quantum potes, obserua blandimenta draconis, & fortè, si incautus fueris, quinq; sensus, qui in te sunt, quasi quinque virgines permittas à serpente corrumpi.* Verum hoc præceptum, in tactu præsertim diligenter obseruandum est, quo semel corrupto, actum de castitate erit.

Sensuum omnium custodia.

Tactus imprimis frenandus.

CAPVT XVI.

RVRSVM DOCET IN TEMPLO, MANIBVS SE LAPIDARE VOlentium eripit.

D. 8. 12.

Sabbato post Domin. 4. Quadr.

V. 1. *Terum ergo locutus est IESVS dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

2. *Dixerunt ergo ei Pharisæi: tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum.*

3. *Respondit IESVS, & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum; quia scio vnde veni, aut quo vado. Vos autem nescitis vnde venio, aut quo vado.*

4. Vos secundùm carnem iudicatis: ego non iudico quemquam.
5. Et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater.
6. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.
7. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.
8. Dicebant ergo ei: vbi est Pater tuus? Respondit Iesus: neq; me scitis, neque Patrem meum, si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.
9. Hæc verba locutus est Iesus in Gazophylacio docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius.

Fer. 2. post 2. Domin. Quadr.

10. Dixit ergo iterum eis Iesus: Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quò ego vado, vos non potestis venire.
11. Dicebant ergo Iudæi: Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: quò ego vado vos non potestis venire?
12. Et dicebat eis: vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.
13. Dixi ergo vobis: quia moriemini in peccatis vestris: si enim non crediderit is quia ego sum, moriemini in peccato vestro.
14. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Iesus: Principium, qui & loquor vobis.
15. Multa habeo de vobis loqui, & iudicare, sed qui me misit verax est: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.
16. Et non cognouerunt, quia Patrem eius dicebat Deum.
17. Dixit ergo eis Iesus: Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater hæc loquor.
18. Et qui me misit mecum est, & non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.
19. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.
20. Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos: si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.
21. Et cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.
22. Responderunt ei: semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam: quomodo tu dicis liberi eritis?
23. Respondit eis Iesus: Amen amen dico vobis: quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.
24. Seruus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum.
25. Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis.
26. Scio quia filij Abrahæ estis: sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.
27. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor; & vos quæ vidistis apud Patrem vestrum facitis.
28. Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus: si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.
29. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo: hoc Abraham non fecit.
30. Vos facitis opera Patris vestri. Dixerunt itaque ei: nos ex fornicatione non sumus nati: vnum Patrem habemus Deum.
31. Dixit ergo eis Iesus: Si Deus Pater vester esset, diligeretis vtique me. Ego enim ex Deo processi, & veni; neq; enim à meipso veni, sed ille me misit.
32. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.
33. Vos ex Patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & Pater eius.
34. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi.

Dominic. Passion.

35. Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?
36. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.
37. Responderunt ergò Iudæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es, & dæmonium habes?
38. Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me.
39. Ego autem non quæro gloriam

Digitized by Google

meam, est qui quærat, & iudicet.

40. *Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.*

41. *Dixerunt ergò Iudæi: nunc cognouimus, quia dæmonium habes: Abraham mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis, si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum.*

42. *Numquid tu maior es Patre nostro Abraham, qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis?*

43. *Respondit Iesus: si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est, est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est.*

44. *Et non cognouistis eum: ego autē noui eum: & si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo.*

45. *Abraham Pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit & gauisus est.*

46. *Dixerunt ergò Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti.*

47. *Dixit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.*

48. *Tulerunt ergò lapides, vt iacerent in eum: Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.*

SCHOLIA.

I. Non eodem die hæc, & ea quæ cap. 7. habentur dicta sunt.

1. *Iterum locutus est eis Iesus*] Maldonatus *eodem*, inquit, *die, atque eodem loco, in eademq; concione hæc, & quæ septimo capite commemorantur, à Christo dicta fuisse arbitror.* Verùm non posse hoc ita esse, is demùm intelliget, qui meminerit Ioann. versic. 1. capit. 8. dixisse post ea, quæ Christus locutus fuerat capite 7. quasi sub noctem perrexisse in montem Oliueti, deinde verò diluculo insequentis diei Templum adijsse; non igitur eodem die dicta à Christo fuerunt ea, quæ capite septimo continentur cum his, quæ capite octauo habentur, sed præcedenti die. Dicendum ergo est, quod cùm Dominus doceret populum in templo diluculo, mox Pharisæi & Scribæ adulteram adduxerunt, qua deinde libera dimissa docere perrexit; & hoc significat Euangelista, cùm dicit, *iterum*, nisi velimus dicere summo mane, antequam Christus docere inciperet adductam mulierem, quomodo illud, *iterum*, significare poterit, perrexisse Dominum docere, sicut fecerat die præcedenti ex capite septimo, & hoc magis placet.

Ergo] Caussam, & illationem indicat, hoc est, quoniam dictum fuerat in capite septimo audita Christi doctrina, alios ipsum Christum acclamasse, alios vt Pharisæos, & Scribas id negasse, dicentes esse Galilæum, vnde Propheta non surgeret, iccircò quis sit, clarè nunc docet Christus, cùm ait: *ego sum lux mundi*, non Iudææ modò, vel Galilææ, sed totius orbis, atque adeò qui se non confitentur esse Christum, & Deum in tenebris esse. Hæc mihi connexio horum, *ego sum lux mundi*, cum præcedentibus videtur quadrare, licet Glossa paulò aliter connectat. *Subdit enim*, inquit, *quid possit ex diuinitate, ne ambigatur quod possit peccata dimittere.*

A

Ego sum lux mundi] ἐγὼ φῶς lux illa. Est Christus vt Deus in se lux; hic tamen videtur loqui de se, vt in carne est in quam, vt mundum collustraret cœlestibus doctrinæ radijs, venit; lux tamen mundi non esset in carne, nisi idem Deus esset in seipso. Quare Elias Cretens. ad orat. 4. Nazianz. *mundi*, inquit, *se lucem appellat, significans hac voce gloriam in diuinitate inaccessam. Propterea quod splendore cognitionis illustret eos, quibus oculi animi purgantur, quodq; occupatos ab ignorationis caligine, sua luce perfundat. Nam si ignoratio & peccatum caligo est, sequetur cognitionem, diuinamq; vitam esse lucem. Quod ait ego sum: Hic verbum, sum, coæternitatem ipsius denotat. Non dixit autem in me lux illa est, sed ego lux illa sum: ne quis Christum in duos filios diuidat post assumptæ humanæ naturæ administrationem. Nam vnus est Dominus Iesus Christus, vt inquit Apostol. tam ante carnem, quàm post carnem assumptam, vtque rem breuiter rursus exponam, de bono Patre, bonus filius, de luce ingenita, lux æterna emicuit.*

1. Elias Cretensis.

B

Qui sequitur me] innuit, quod qui non sequitur ambulat in tenebris. Chrysostomus homilia de eruditione disciplinæ ait: *sequitur Christum, qui insistit mandatis eius, qui per viam doctrinæ eius ambulat, qui per vestigia, & per vias eius curvit, qui imitatur illa, quæ Christus fecit, & docuit: sicut & Petrus Apost. suadet, & præcipit dicens: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius* 1. Pet. 2. 21. Cyprian. libr. de zelo idem dicit.

3. Quisnam Christum sequatur. ex Chrysost.

C

Non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ] Diuus Augustinus illud, *sed habebit lumen vitæ*, refert ad futurum sæculum, in quo sequentes nunc Christum regni cœlorum lumen consequentur. Sed cùm hæc pars opponatur illi, non ambulat, seu vt est græcè, & apud ipsum Augustinum, *non ambulabit in tenebris*, quæ pars ad præsentem pertinet vitam, ideo satius est, vt de lumine vitæ, hoc est, quod hic vitam animæ largitur, aut quod ambulantem deducit ad vitam æternam, accipiamus ista verba; hoc enim lumen est Christus ipse, aut Spiritus eius sanctus, qui per suam gratiam habitans, in mentibus fidelium prælucet eis, demóstrans, quid faciendum, & quomodo sit ad vitam perueniendum. Quoniam verò hoc lumen accipitur credēdo, & illi obediendo, quod non omnes

Augustinus.

Melior est positio.

D

faciunt, propterea non dixit, *ego sum lux mundi, & ideo per me omnes accipiunt lumen vitæ, sed qui sequitur me habebit lumen vitæ.*

Lumen vitæ] Hoc est, lumen vitale, vitam videlicet aduehens. vel lumen ad illuminandos pedes nostros in viam æternæ vitæ, hoc est, ostendens vitam æternam, & iter ad eam ducens iuxta illud 2. ad Timotheum 1. Christus *destruxit mortem, illuminauit* (patefecit) *autem vitam, & incorruptionem* (immortalitatem) quasi dicat, patefecit quomodo obtineri possit vita æterna & patefecit etiam animam immortalem esse; seu vitam, & incorruptionem dixit, vitam incorruptibilem seu immortalem. Dici etiam potest *lumen vitæ*, quia totam vitam, & nostras omnes actiones collustrat, & peccati, ac ignorantiæ tenebras expellit.

Quomodo Christus lumen vitæ.

Loci 2. ad Timoth. 1.

Demi-

Denique dici potest *lumen vitæ*, id est, viuens, quin & fons vitæ, & Pater luminum; vita enim lux quædam est iuxta illud Psalm. 35. *apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*, & illud, *omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.*

4. Obiectio.

2. *Dixerunt ergo*] Hæc particula, *ergo*, indicat Pharisæos hæc obiecisse, quia Christus se lucem mundi esse prædicauerat. Sed cùm dictum sit superius capite 15. versiculo 3. Scribas & Pharisæos, qui adulteram adduxerant, deinde ea relicta abijsse incipientes à Senioribus, vt habes eodem capite 15. versiculo 9. quomodo nunc Pharisæi obijcere potuerunt hæc Christo? Respondeo, omnes quidem Scribas, & Pharisæos accusatores adulteræ abijsse, sed alios etiam fuisse, qui Christum concionantem audiebant, qui accusatores non fuerant, & hi sunt, qui hæc Christo obiecerunt.

Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum] Quasi dicat, non est legitimum, nec pro vero habendum testimonium illud, quod de se quis perhibet, nisi aliunde probet; neque enim efficitur omninò verum non esse, quod de se quisque testatur, sed sequitur posse non admitti, nisi aliunde constet.

3. *Et si ego testimonium perhibeo*] hunc locum exposuimus parte 2. harum dilucidationum libro 4. capite 1. numero 135. schol. & ostendimus non opponi hæc duo loca, id est, quod versiculo 31. ibi dicitur: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum*, & quod dicitur nunc, *testimonium meum verum est*; breuiter Euthymius Ioann. 8. inquit: *quidam aiunt, quod illud tamquam homo dixerit, hoc autem tamquam Deus ostendens se non nudum esse hominem, prout ipsi suspicabantur.* Est ergo sensus huius loci; *& si ego testimonium perhibeo de me ipso verum est testimonium meum*, quia DEVS sum, hoc autem insinuauit cùm dixit; *quia scio vnde venio, aut quo vado*, id est, scio me à Deo Patre verum DEVM exijsse, & rursum vti DEVM, & verum hominem ad eum redire, DEVS autem non potest falli, nec mentiri: itaque cùm dixit: *testimonium meum non est verum, locutus est tantum vt homo*: hic autem loquitur vt homo Deus.

Dubij solutio.

Vos autem nescitis vnde venio, aut quo vado] Quasi dicat, ego cùm sim Deus, non nisi vere iudicare de me possum: *vos autem nescitis*, hoc est, ignoratis, *vnde venio, aut quo vado*, id est, Deum esse me, ob id non creditis. Quamquam Chrysostomus & Euthymius exponunt, *nescitis*, hoc est, dissimulatis nescire, cùm re vera sciatis. *Venio* autem ponitur pro *veni*, & *vado*, pro *vadam*; hac ergo prima ratione ostendit credendum esse sibi de se testanti, ex qua infert, cur nesciant se Deum, quia secundùm carnem iudicabant.

4. *Vos secundùm carnem iudicatis*] secundùm corpus quod in me videtis; cùm enim oculis cernerent illum pauperem, infirmum, obscuro loco natum, non se his aliùs attollebant, nec DEVM cogitabant, & ideò errabant. Est communis expositio & vera. Cùm enim dixisset nescire eos se esse Deum, rectè subdidit eos iudicare de se Christo iuxta humanam, & infirmam eius naturam. Fateor Diuum Chrysostomum exposuisse *secundùm carnem*, non secundùm humanam naturam Christi, sed prout caro suggerit, hoc est, prout carnalis sensus vel affectus illis dictabat; nam prout carnales erant, ita iudicabant, Christum hominem esse purum arbitrantes, atque ideo suum de seipso testimonium reijciebant.

5.

Ego non iudico quemquam] Aliqui subintelligunt non iudico quenquam secundùm carnem. sic Augustinus, Beda, Rupertus. sed si hic subintelligitur, *ego non iudico quenquam* secundùm carnem; etiam & in sequente parte; *& si iudico ego iudicium meum verum est*, subintelligendum erit, *si iudico ego*, videlicet secundùm carnem: at verum non est Christum secundum carnem iudicare. Chrysostomus ergo, quem sequuntur Theophylactus, Euthymius, absolutè sumit hic, *non iudico quenquam* minime subaudiens, *secundùm carnem*. quoniam enim obijcere poterant Pharisæi; si nos iniustè, & secundùm carnem iudicamus, cur minime nos coarguis? Respondet Christus, neminem se indicare, quamuis iudicandi habeat potestatem, quia nolit eam vsque ad alterum suum aduentum exercere, venit enim saluare, non iudicare. sed hoc, quod de tacita obiectione dicitur, nec Toleto, nec Barradio, nec mihi placet, nec est credibile sic fuisse obiecturos Pharisæos Christo. Maldonatus putat iudicare hic non esse sententiam ferre, quod faciunt iudices, sed testari; probat, nam alioqui non diceret Dominus; *& si iudico, iudicium meum verum est, quia solus non sum*; quorsum id? neque enim oportet ad veritatem iudicij plures esse iudices, sed testes plures esse oportet ad testimonium ferendum. Vnde subdit postea Dominus indicans se de testimonio loqui: *& in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.* Videtur nil clariùs dici potuisse. Est ergo sensus: secundùm Maldonatum dixerat superius, se de seipso testimonium perhibere, nunc tantùm asserit, cùm dicit: *ego non iudico quemquam* non esse necesse, vt ipse de aliquo alio iudicet, scilicet testimonium ferat, (sic enim sumit *iudicare* Maldonatus pro testari) alios esse, vt Mosem, qui perhibere possint Ioan. 5. 45. si tamen tulerit, pro vero accipiendum esse, quidquid iudicauerit, videlicet, testatus fuerit, quia solus non est; vel etiam quia DEVS est idem cum Patre, eamdem cum eo habens naturam, atque adeò vnum & idem est suum & Patris testimonium. Quare non simpliciter affirmat se de aliquo iudicare, id est, testari. Ita hic versus 4. 5. *Ego non iudico quemquam*, benè stat cum versiculo 3. *& si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est.* & cum versiculo 5. *& si iudico ego, iudicium meum verum est.* Sed non arbitror hic sumi *iudicare* pro testari, sed siue pro priuato iudicio, vt solent homines de aliqua re iudicium ferre, siue pro publico, & forensi. Quamuis; quia iudicium testificatio quædam de re aliqua est, etiam sub iudicio testimonium perhibere publicè vel priuatim comprehendi non negem. Nec obstat iudices non oportere esse plures, quia si iudex solus sine testibus iudicet, in forensi quoque iudicio non legitimè iudicat. Quoniam verò repellebatur eius de se testimonium, id est, iudicium, quod testificatio quædam est, vt dixi: ideo legem illam citauit Deuteron. immò in versic. 5. ex veritate sui iudicij, ostendit Dominus veritatem sui de se testimonij, quod notat Iansen. acutè c. 77. vt verissimum sit testimonium perhibere claudi sub iudicare.

6.

Arias in Ioann. 8. optimè hunc locum interpretatur: *Vos secundùm carnem iudicatis, hoc est, vos iudicare soletis, & condemnare, secundùm carnem (scilicet humano modo) aut legitimè, aut illegitimè; legitimè duobus hominibus testantibus vtimini, idq; iudicium legitimum appellatur apud vos, & est il-*

legitimè cùm sine plenis testimonijs damnatis, vti solet fieri in iudicio non integro, aut corrupto. Ita autem me damnatis non legitimè, nemo namq; verè contra me testatur. Ego verò quamquam posim vos legitimè iudicare apertis testimonijs multorum quibus conuincamini legis, & verbi, præceptiq; violati, & contempti diuini iudicij, tamen non iudico quemquam, non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluem mundum. Quod si quem iudicauero, id non erit ex proprio affectu, vel odio, vti vos iudicatis, sed verum iudicium erit, vtpote ab eo, qui me misit, & à me factum. Dicitis autem testimonium meum non est verum, quia à me proficiscitur testimonium de me ipso, tamen legitimum est testimonium meum iuxta testimonij materiam. Testimonium enim est de legationis auctoritate, in quo satis, abundeq; est ad legationis constantiam, & certitudinem, vt legatus affirmet se missum, & is, qui legauit, confirmet à se missum, maximè cùm testes sunt grauissimi, qualis Deus est, & Dei filius. Atqui ego affirmo legatum esse, & qui misit me, confirmat idem signis, portentis, & miraculis, & postea etiam confirmabit Spiritus sancti distributionibus: confirmabit, inquam, me esse Filium suum, & à se missum. Igitur ex iudicio secundùm carnem legitimo facilè poteratis etiam hoc iudicium instituere, quod verius, & certius multò est propter testimonia grauissima, ac maxima, quibuscum carnis testimonia comparari non possunt. ista expositio placet, & continet primam rationem, qua Christus ostendit, non esse reijciendum suum testimonium, vel iudicium de se, quod testificatio quædam de se etiam dici potest.

Probatio prima qua veritatem sui de se testimonij ostendit Christus ex duplici testimonio suo, qui missus est, & patris mittentis, quod cõfirmatur ex Deuterono.

6. *Et in lege vestra scriptum est*] Confirmat primam hanc rationem. Sed obijcere quis posset locum hunc Deut. 17. & 19. *in ore duorum vel trium stet omne verbum*, intelligi de duobus testibus, non numerando illum, de quo testimonium perhibetur inter eos; hic verò Christus solum patrem affert præter se. Occurrendum est Christum & hominem, & Deum esse, quatenus ergo Deus per opera ipsius diuinitatis propria reddebat testimonium de se homine, probando sub illa humanitate Deũ latere; quod si opera dumtaxat humana fecisset, tunc non connumeraretur inter testes, quomodo Ioan. 5. vt quidam exponunt, dixit Christus: *Si testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum*, id est, si vt homo solum, & humanis operibus de me testor, testimonium meum legitimum non est, vel idoneum. Quoniam ergo diuinis operibus testabatur de se, propterea in testem computatur, non quod duas personas in Christo ponamus, vnam enim in duplici natura ponimus. sed quod idem vt Deus, testetur de se, vt homo est, sic ergo intellige hunc versum. Quare doctè Tertullia. lib. de Trinit. hæc verba, *testimonium meum verum est*, Christo tribuit ratione Diuinitatis. Hic idem locus Sabellij hæresim personarum distinctionem negantis, conuellit.

7. Quomodo Christus inter testes cõputetur, cũ sit is, de quo testatur?

In lege vestra] à Deo vobis data, & in qua gloriamini. *Hominũ*] Emphasim habet, si hominũ, quãto magis Dei, præsertim vbi agitur de veritate legationis. *Verum est*] Pro legitimo, & iuridico haberi solet, licet possit esse falsum.

7. *Ego sum qui testimonium* &c.] Probat altera ratione suo de se testimonio credendum esse: ob eamdem rationem, quia solus non sit: sed vnum cum Deo Patre; in hac autem ratione duplex est energia, & quia duæ sunt personæ Pater, & Filius testimonium ferentes, & quia non homo solus est, sed etiam Deus, quod si testimonio hominum credendum, quanto magis Dei? Ambros. lib. 5. de fide cap. 2. *Dominus*, inquit, *cùm diuersitatem in se hominum designaret, qui nihil habent inter se, quod possit ad vnitatem individuæ substantiæ pertinere:*

8. Probatio altera ex eo, quod testimoniũ datur à duabus personis filio & patre: & quod ipse qui testatur, Deus est. Lex autem illa Deuter.

in lege vestra, inquit, scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum est, & cùm præmisisset, duorum hominum testimonium verum est, vbi venit ad suum & Patris testimonium, non dixit, verum est testimonium nostrum. quia duorum Deorum testimonium est: sed ego, inquit, sum, qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater. Supra quoque similiter ait; & si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum; sed ego, & qui misit me Pater. Itaque & infra & supra, & Patrem signauit, & filium, nec pluralitatem admisceuit, nec diuinæ vnitatem substantiæ separauit. Euidens est igitur, quia quod vnius est substantiæ, separari non potest, etiamsi non sit singularitatis, sed vnitatis. Singularitatẽ hanc dico, quæ Græ. μονὰς dicitur. Singularitas ad personam pertinet, vnitas ad naturam.

Diuus Augustinus libro 3. contra Maximi. capite vigesimosecundo: *testes*, inquit, *esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, quis Euangelio credidit, & dubitat, dicente Filio, ego sum qui testimonium perhibeo de me, & testimoniũ perhibet de me, qui misit me Pater? Vbi etsi non est commemoratus & Spiritus sanctus, non tamen intelligitur separatus; sed nec de ipso alibi tacuit, eumque testem satis apertè monstrauit. nam cùm illum promitteret, ait: ipse testimonium perhibebit de me. Hi sunt tres testes, & tres vnum sunt, quia vnius substantiæ sunt.*

8. *Dicebant ergo ei*] Particula, *ergo*, significat, quod quia non se solum, sed Patrem quoque suum secum testimonium de se perhibere affirmauerat, ob id interrogarunt: *Vbi est Pater tuus?* Quæ interrogatio dissimulata, ficta, ac malitia plena est: Iam enim sciebant, quod Patrem suum diceret Deum, & propterea eum interficere volebãt Io. 5. vt igitur iterũexprimat Patrem suum esse Deum, & inde maiorem sibi inuidiam conflet, & accusandi materiam præbeat, pergunt interrogare, *vbi est Pater tuus?* 9.

Neq; me scitis] *Qui præsens vobis adsum*, inquit Arias, *& multis signis meam virtutem, auctoritatemque confirmo, & tamen non magis cognoscitis propter incredulitatem vestram, quam si hoc ad vos nequaquam pertineret. Quid ergo rogatis de Patre meo, quem minus etiam quam me cognoscitis, & cognoscetis, vtpote inuisibilem, & hominibus non facilem cognitu, nisi ex virtute, & beneficentia, atq; efficientia, quæ cùm in me sint, ab illo accepta, & tamen à vobis non cognoscantur, arguunt planè, neq; illum à vobis cognosci: nam Patris, & filij vti eadem opera, idem consilium, eadem etiam natura est. Si ergo me sciretis quod promptius erat, & vobis facilius, & Patrem forsitan sciretis. non agnoscitis mea opera esse Dei opera, & tamen Dei sunt opera: ergo non cognoscitis opera Dei, non ergo cognoscitis Deum.*

Cardinalis Toletus aliter, sed melius exponit, vt sit sensus: oportebat vos prius scire me, vt sic Patrem cognoscere possetis, cùm ergo vos me nesciatis, quid mirum, quod & Patrem ignoretis? quod si me sciretis credendo vtique me esse Dei filium, & me Deum habere Patrem crederetis. Et aduerte, quod cùm ait: *neque me scitis*, satis apertè significat, aliam se habere naturam ab ea, quam oculis cernebant; hanc autem aliam naturam ipsos ignorare significat, cùm non crederent eum esse Deum. Hinc fit, vt neque Patrem eius cognoscerent, quem secundùm hanc naturam habebat, quam qui in Christo non credit, ignoret oportet eius Patrem Deum.

Forsitan] Non est dubitantis, sed affirmantis dictio.

Hæc verba locutus est Iesus in Gazophylacio] Propterea visus est Ioannes Gazophylacij memi- 10.

nisse, vt ex loco concionis ostenderet ea, quæ supra commemorata sunt, coram maxima hominum multitudine à Christo dicta fuisse, & cum tam multi essent, capi tamen ab ipsis non potuisse, quia nondum venerat hora eius, hoc est, quia tunc capi noluerit ante decretum moriendi tempus; significatur etiam eiusdem loci commemoratione Christi in dicendo libertas, qui hæc loco tam frequenti & publico non timuerit clara voce pronunciare. Gazophylacium dicitur à Gaza, quæ Persica lingua diuitiæ, & φυλάττειν, quod est seruare. erat autem locus in templo, vbi seruabantur diuitiæ, & vt inquit Origenes, Gazophylacium est locus pecuniarum in honorem Dei, & dispensationem pauperum oblatarum.

21. 10. *Dixit ergo eis iterum Iesus*] Hæc verba non significant alio die, vel alio sermone sequentia locutum fuisse Dominum: nam alioqui monuisset Ioann. discessisse Christum de templo post superiora, sequenti vel alio die in templum redijsse. Quod si diuersi fuissent sermones, non apposuisset particulam illam *ergo*, quæ coniungit ea, quæ præcesserunt cum sequentibus. Est ergò continuatio, coniunctioque eiusdem sermonis; & vox *ergo* significat causam, ob quam sequentem sententiam protulit Dominus, quasi dicat Euangelista, cum Iudæi doctrinam intellectam negligerent; quin maiori eum comprehendendi studio flagrarent ideò Christus subiecit iterum ea verba, quæ prius dixerat ministris capite decimoquarto, v. vigesimo tertio, & vigesimoquarto. hoc enim significat vox illa, *iterum*. Est tamen credibile aliquam fortassis paruam moram interceßisse inter hæc, & præcedentia verba. Ille ergo versus: *hæc verba locutus est Iesus in Gazophylacio*, non indicat absolutum fuisse superiorem sermonem, sed cur adiecta fuerint, diximus num. 9. *Ego vado*] hoc est, mox ad Patrem abiturus sum sponte, cum mihi, non vobis libuerit: exposuimus hunc textum superius capite decimoquarto. schol. nu. 26. 27. 28.

In peccato vestro] positus videtur singularis numerus pro numero multitudinis, vt ex sequenti vers. decimotertio intelligi potest. & ratio hoc ipsum exposcit: nam Iudæis, qui increduli remanserunt, non infidelitatis tantum peccatum, verum etiam reliqua peccata condonata non fuere. Vbi enim fides Christi non est, neque vllius sceleris culpa remitti potest. igitur in peccato infidelitatis, & cæteris omnibus, quæ aliunde contraxerant mortui sunt sine fide, superius c. 14. v. 24. non dicitur: *in peccato vestro moriemini*, sed *& non inuenietis*. sed quod dicitur hic, *in peccato moriemini*, tacitè comprehenditur sub illis eisdem verbis, *quæretis me & non inuenietis*.

In peccato] Præpositio *in*, bifariam in scripturis sumitur. Primò, loco *propter*, vt Isa. 43. 24. *seruire me fecisti in peccatis tuis*. & Thr. 4. 20. *Christus Dominus captus est in peccatis nostris*, id est, propter, 2. loco *cum* Ioa. 3. 3. *in peccatis natus es*. & Ps. 50. 7. *in peccatis concepit me mater mea*. Ose. 5. 6. *In gregibus suis, & in armentis suis vadent*. hic vtroq; modo accipi posse videtur. Primò vt vim causæ habeat, & sic exponit Euthy. *in peccato vestro*. id est, propter peccatum vestrũ morte afficiendi estis, quod reuera accidit quo tẽpore à Roman. capti, interfectiq; sunt à Christi morte anno 40. Isa. 65. 12. *Numerabo vos*, (i. numeratos tradam, nullo videlicet relicto. septuaginta tradam (*in gladio, & omnes in cæde corruetis, pro eo quod vocaui & non respondistis locutus sum & non audistis*. Luc. 14. 44. *Ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt* &c. *eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ*. Augustin. verò tract. 38. exponit, *in*, pro *cum*, moriemini cum peccato vestro. quãuis aũt, quod dicit Euthy. verũ sit, magis tamen sensum huius loci assecutus est Aug. vult. n. significare Dominus incredulos istos, non obtenta peccati remissione ex hac luce subtrahẽdos esse; & quæ sequũtur: *quò ego vado, vos non potestis venire*, idem confirmant. nam quia cũ peccatis moriturí erãt ideò nõ potuisse dicuntur eò venire, hoc est, in cœlũ, quò Christus abiturus erat. alioqui potuissẽt propter peccatũ puniri hic, & obtẽta cõdonatione peccati, quo Christus pergebat, peruenire, quod nemo potest qui cũ peccato diẽ clausit. Beda aduertit dixisse, *Peccato* in singulari, & *vestro* in plurali, *vt idem omnium scelus ostenderet*. *Moriemini*] Aug. *hoc est*, inquit, *Christum malè quærere, in peccato suo mori*. notat Orig. nõ de omnibus præsentib. hoc dici *multi. n.* vt infra dicitur *credi derunt in eum*. *Vos non potestis venire*, vos videlicet qui estis increduli. *Non potestis*] inquit Orig. *nõ possunt, quia non volunt. si. n. voluissent, & non potuissẽt non diceret in peccato vestro moriemini*. Aug. iterum notat: hoc discipulis alibi dixisse, non tamẽ eis dixisse: *in peccato vestro moriemini sed quo vado nõ potestis venire modo, non abstulit spem sed prædixit dilationem*.

11. *Nunquid interficiet semetipsũ*] c. 14. v. 25. eadẽ verba sic interpretati sunt: *quo hic iturus est, nũquid in dispersionẽ gentiũ?* &c. at hic inquiunt; *nunquid interficiet semetipsũ?* qua interpretatione ostendũt eã quam animo cõceperant impietatẽ contra Christũ; cogitabant. n. illum omni studio adhibito cõprehendere, vt mortẽ inferrent. *Nunquid?* inquiũt, *interficiet semetipsum?* & sic euadet manus nostras, vt eũ minimè inuenire possimus, nec à loco, quo vadit extrahere, vt mortẽ inferamus. *stulta verba*, inquit Augustin. tract. 38. *& omnino insipientia plena. Quid. n.? non poterant illo venire, quo ille perexisset, si interficeret semetipsum, nunquid ipsi non erant morituri?* &c. ergò *quo ego vado* dixit, non cum itur ad mortem, sed quo ibat ipse post mortem.

12. *Et dicebat eis*] hæc verba indicant seqq. verbis non contineri responsũ vllum Christi ad prædictã impiã Iudæorum suspicionẽ de sua interfectione. sunt ergò sequentia continuatio quædã cum verb. Domini præcedentib. quãuis interim explicet Dominus quid fit: *quò ego vado vos non potestis venire*. *Ego*, inquit, *de supernis*, hoc est, de cœlo *sũ*, Deus videlicet *vos de deorsum*, id est, de terra estis; ideò nõ mirum si in cœlum, quo ego vado, vos venire non possitis. Tertull. de Trin. Christi diuinitatem his verbis probat: *iccirco*, ait; *nunquid Christus in vnam partem solus diuinitatis incubuit, quoniam cæcitas Iudaica solum in Christo partem carnis aspexit? & ideo in præsente loco corporis fragilitate, qua de mundo est, silentio præterita, de sua sola diuinitate locutus est, quæ de mundo non est, vt in quantum illi inclinauerunt vt hominem illum tantummodo crederent, in tantum illos Christus ad diuinitatem suam considerandum traheret*. sic Tertullian. Dicitur Christus de supernis, & propter personam, & propter diuinam naturã vnitam suę humanitati; omnis verò homo est naturæ inferioris, atq; adeo corporeæ, cuius proprius locus terra est non cælũ, & *qui est de terra, de terra est*. Io. 3. quod si iusti in cœlos ascendunt, id propter virtutem cœlestem; & spiritum sanctum habitantem in eis fit; qua ratione in cœlestes homines euaserunt. Insinuat ergò Christus nihil inesse Iudæis cœleste, sed in terrena dumtaxat natura derelictos, nihil in se habere quamobrem cœlestis locus illis congruat. Hæc mihi videtur verior huius loci expositio quãuis græci & Aug. & Bed. existiment Christũ hic respondere Iudæis stultè interpretantibus ea quæ dixerat de occisione, cũ tamẽ loqueretur de sua in

Cœlum profectione ; nam quia terreni erant, ideò non nisi terrena sapiebant, nihil supra carnem, nihil supra hominem cogitabant. Contra CHRISTVS, qui de Cœlo erat, quæ dixerat: *quo ego vado, vos non potestis venire*, de suo in cœlum reditu intelligebat. Melius Rupert. reddi putat hic causſam cur non possent ire iudæi, quo Christus iturus erat, nimirum, quia solum homines, ac terreni.

De mundo estis] hoc est, natura, & affectu, ita vt quæ mundi sunt tantum sapiatis, ac de terrenis, mundanisque rebus cogitetis, & loquamini: secus Christus, & qui eius habent spiritum.

15. 13. *Dixi ergò vobis*] Infert, atque adeò explicat cur superius dixerit: *in peccato vestro moriemini*, quasi dicat, propterea dixi vobis futurum, vt in peccatis moreremini, quia video vos terrenos esse planè, & de hoc mundo duntaxat; & iccirco in me non esse credituros. quod autem non sitis crediturí, vos ipsi in causſa estis, nec per me, sed per vos stat, quo minus credatis. Quoniam autem superius absolutè dixerat: *moriemini in peccatis vestris*, quod ad ipsius præscientiam pertinere videtur, qua sciebat eos non esse credituros: nunc adiunctis his alijs: *si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro*, declarare voluit causſam, propter quam futurum erat, vt in peccatis morerentur, quia nimirum in ipsum nollent credere. Declarare item voluit per liberum ipsorum arbitrium fieri, quod in peccato moriantur, nec credant; possent enim efficere, vt in peccato non moriantur, si vellent credere in eum.

Cur essent in peccato morituri.

Quia ego sum] Nihil subintelligendum est, sed absolutè sumendum, quasi dicat, quia *ego sum qui sum*, quod proprium est Dei Exhodi tertio, v. decimoquarto. Quod Maldonato nimis subtile videtur, putatque cum Lyra. subaudiendum esse, *quia ego sum Christus*. Sed non nimis subtile illud visum est Augustino, & Bedæ, quorum ea est interpretatio, quam & ego verissimam arbitror; vult ergò Christus ostendere se Filium Dei esse, nec sine hac fide posse quempiam salutem assequi.

16. 14. *Principium qui & loquor vobis*] Difficilis sanè locus, & qui multis hactenus negotium facessiuit. Græ. sic legitur: τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν vbi τὴν ἀρχὴν ponitur loco aduerbij, & Græcorum more subauditur κατὰ. hoc ergò loco quidam aduerbialiter etiam sumunt, quod nos habemus *principium*. Potest autem sic duobus modis accipi, vel vt significet, *principiò, imprimis*, seu *primò*: vel vt sit particula confirmantis, & asseuerantis, idem valens, ac *omninò*, & *prorsus*.

Locus difficilis.

Principium sumptum ad uerbij loco bifariam accipi potest.

Quod verò nos habemus, *qui*, Græc. est ὅτι, quod aliqui scribunt disiunctè ὅ τι, vt sit relatiuum, *quod*, neutro genere; aliqui coniunctè ὅτι, vt sit coniunctio *quia*, vel *quoniam*; vel vt infinitè sumatur, pro, *quod*, siue, *vt*, sicut dicere solemus, quod tibi sim iratus, tu es in causſa.

His positis, Chrysostom. quomodo hunc locum intellexerit, non satis aperuit: sic enim scribit: *principium, qui & loquor vobis, hoc est, sanè indigni estis, qui sermones meos audiatis, & quis sim intelligatis, vos vt me tentetis semper loquimini, mihi autem non attenditis.* ita & Theophyl. Euthym aliquanto clarius idem explicat, vt sit sensus Christi: vos quæritis, quis ego sim: omninò indigni estis, vt loquar vobis, cum id non studio cognoscendæ veritatis interrogetis: sed tentandi animo, vt ex verbis meis causſam calumniandi, & criminandi me possitis arripere. iuxta quam expositionem sumitur τὴν ἀρχὴν

17. D. Chrysost. Theoph. Euthy. expositio.

A pro, *omninò*, & ὅτι loco, *quod*, vel *vt*, & *loquor*, pro, *loquar*; subaudiunt autem, qui sic interpretantur, *superfluum est*, seu *vos indigni estis*, quasi dicat, *omnino indigni estis, quod*, vel, *vt vobis loquar*, vel *respondeam* vtpote tentatoribus. Non multum placet hæc interpretatio, cum addat, & inuertat.

Aliqui sumunt, τὴν ἀρχὴν pro, *omnino etiam*: & ὅτι, pro, *quia*, & nolunt his verbis Christum respondere Iudæis interrogantibus: *tu quis es?* sed confirmare quod proximè dixit: *si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro*, vt sit sententia hæc: quæritis quis ego sim; malitiosa est hæc vestra interrogatio, ideo ad eam non respondebo: illud dico omninò fiet vobis dictum à me prius; *in peccato vestro moriemini*. Et hoc vobis eo iustius eueniet, quod, vel quia ego id palam prædixi vobis. Videtur mihi, & ista aliquantulum contorta. Tertiò, alij sumunt, τὴν ἀρχὴν, pro principio, vel à principio vt sit sensus: rogatis quis sim. Respõdeo: sum id, quod à principio vobis loquor, ac toties inculco, ac repeto, vt ponatur præsens pro præterito, *loquor*, pro *locutus sum*; panis vitæ, lux mundi, missus à Patre Deo, Messias, Filius Dei &c. & iuxta hunc sensum, ὅτι, sumitur pro relatiuo, *quod*, sed τὴν ἀρχὴν accipi potest etiam, pro eo, quod Latinè est, *omnino*, vel *prorsus*, hoc modo: interrogatis me quis sim; noui nihil habeo quod respondeam: omnino, vel prorsus is sum, quod loquor, vel locutus sum vobis. Hæc interpretatio maximè omnium placet inter eas quas hactenus retuli, & rectè cum verbis græcis congruit.

Altera expositio.

B

Tertia.

C

Ceterum malim sequi eos, qui Latinum interpretem obseruantes, latinæ interpretationi inhæserunt, & *principium* tanquam nomen sumunt. fuerunt hi imprimis Ambrosius, Augustin. Beda, Rupert. & Bernardus libro quinto de considerat. & alij, hi ex latina sensum græcæ scripturæ collegerunt: Rectè etenim latinam versionem huius loci Ecclesia tot ab hinc sæculis secuta est, quod ex Ambros. & August. satis liquet: quibus accedit Hieronymi auctoritas, qui vt ex proœmio ipsius in Euangelia patet, interpretationem latinam quam accuratissimè correxit ad fidem græcorum codicum, & hunc tamen locum tam insignem reliquit intactum. Ergò Ambrosius exhæme. capite secundo, & quarto, vbi legit; *initium quod & loquor vobis*, sicut & de Iob. ca. 19. Sed præsertim lib. 3. de fide cap. 4. vbi legit; *principium qui & loquor vobis*; & libr. 5. cap. 5. vbi habet: *ego sum principium, quod & loquor vobis*, hanc tradit expositionem minimè contortam, & implicatam, sed facilem huius loci: interrogatus Dominus: *tu quis es?* respondet: ego sum principium & initium rerum omnium, quod & loquor vobis, vt *quod* ad *principium* referatur; vel *qui & loquor vobis*, vt *qui* concordat cum *ego*: ego *qui & loquor vobis*, *principium sum*. quibus verbis significat se Deum simul, atque hominem esse; Deum cum se principium simpliciter vocat; hominem dum ait: *quod vel qui & loquor vobis*, scilicet, in assumpta carne; Diuus Augustinus eodem modo exposuit libro decimo, de ciuitate capite vigesimoquarto, & libro vndecimo capite trigesimosecundo, dum dicit; Christum respondisse se esse principium, & libro quinto de Trinitat. capite 13. & lib. 1. cont. aduers. leg. & Prophet. cap. 3. & tract. 38. & alibi; verum ob græca, vbi *principium* accusatiui casus est, putat subintelligi oportere in his Domini verbis, verbum, *credute*, hoc sensu quæsierunt Iudæi, *tu quis es? ac si dicerent quoniam abs te audiuimus: nisi crediderit is quia ego sum; quid te esse*

Verior interpretatio August. Ambr. &c.

D

credidimus?

credemus? Ad hoc respondit principium; tanquam diceret; credite me principium, & addidit; qui & loquor vobis, id est, quia humilis propter vos factus, ad ista verba descendi? nam si principium, sicuti est, ita maneret apud Patrem, & non acciperet formam serui, & homo loqueretur hominibus, quomodo ei crederent, cum infirma corda intelligibile verbum sine voce sensibili audire non possint? Ergò, inquit, credite me esse principium; quia vt credatis non solum sum, sed & loquor vobis. Sic Augustinus. ex quibus constat eum non legisse; *qui & loquor vobis*, etsi sic habeat contextus, sed *quia & olquor*; Græcis enim non est relativum, ὅς, *hoc est*, *qui*, sed ὅτι, *quod* vel *quia*.

Verum non satis probo, quod subaudiat Augustinus *credite*; nimis enim id coactum videtur, tu quis es? principi credite. quod si quid subintelligi placet, malim subaudiri, principium me esse dico cum Pagnino, sic enim vertit, *principium (me esse dico) qui & loquor vobis*, quod & nostræ latinæ editioni, & Græcæ potest congruere. quâ uis latinum interpretem nominandi casu *principium* vertisse censeam; nam sic melius consentit Responsio interrogationi *tu quis es?* si respondeatur *principium* nominatiuo casu. Græcè autem potius puto *principium*, quod accusandi casu ponitur, aduerbij loco sumi. quasi *à principio*.

Itaque expositionem Ambros. quæ quoad rem eadem est cum Augustin. interpretatione, libenter amplector: nec quidquam valet, quod contra illam obijcit Erasmus affirmans, parum esse theologicam, cum enim, inquit, ad rationem principij pertineat non esse ab alio, non potest nomen principij simpliciter CHRISTO conuenire, qui à Patre genitus est: sed sanè qui vel parum in theologicis est versatus, nouit nomen principij bifariam sumi à Theologis, vel ad extra respectu creaturarum, vel ad intra respectu diuinarum processionum, & personarum.

Et primo modo simpliciter, & æqualiter cuilibet diuinæ personæ conuenit; hinc Paulus ad Colossens. capite primo, Christum principium vocat; quomodo appellatur Apocal. tertio, v. decimoquarto. *hæc dicit: Amen, testis fidelis, & verus, qui est principium creaturæ Dei.* & vltimo capite dicitur Christus *Alpha, & Omega, principium & finis.*

Altero verò modo, licet filius Dei non dicatur principium simpliciter, sicuti dicitur Pater respectu ceterarum personarum, dicitur tamen, estque principium respectu Spiritus sancti; nam ipse, & Pater sunt vnicum principium productionis sancti Spiritus. Principium verò æternum intra Deum, & notionale solus est Pater, & Filius: principium autem de Deo procedens, solus est Filius. Quomodo se esse æternum principium rerum omnium tanquam à principio, & tanquam filium à Patre significauit hic Christus; dixit enim: *principium, qui & loquor vobis*, vbi illud *&*, seu, *etiam*, hanc habet vim, qui cum sim Verbum, quo ab æterno Pater locutus est, homo factus etiam loquor vobis; idem enim filius est Verbum, quo Pater loquitur, & idem est Verbum quod loquitur nobis. dicitur ergò hic Christus principium æternum rerum omnium tanquam verbum à patre procedens quod nouissime locutum est nobis.

Vnum videtur obesse huic, quam sequimur, expositioni. Nam græci codices, *principium* accusandi casu, non nominandi legunt; respondeo, poni apud Græcos vice aduerbij, accusatiuum, principium; & perinde esse dicere *principium*, ac dicere: *A principio* ego sum, qui & loquor vobis, *nouissime* enim *locutus est nobis in Filio* Hebr. 1. illud verò, *à principio*, per se sensum facit, nec cum alijs coniungitur. rogabant Iudæi (quia dixerat v. 13 *ego sum*) *quis es?* Respondet; *à principio*; nimirum sum, quod per hebraismum subticetur: vt item Psalm. 92. *A sæculo, tu es*, heb. non est, *es*, sed *à sæculo tu*; ita hic *à principio*, videlicet, *sum*; hoc est, ante omnia sæcula sum, tum Verbum æternum patris, sum Deus ab æterno patre genitus, atque adeo non mutor. Itaque explicat quod dixerat, *ego sum*, q. d. *ego sum, qui sum. Cæterum si* legas cum Latinis, nominandi casu, principium sum, quod & loquor vobis, quantum ad sensum idem est, ac Græcè à principio sum; demum illud *quod*, vel *qui* & loquor vobis exponunt aliqui; qui non solum patribus vestris Abraham, Isaac, & Iacob &c. in monte Sinai in solitudine olim locutus sum, sed vobis etiam post assumptam naturam vestram loquor vobis. 21.

B 15. *Multa habeo de vobis loqui, & iudicare* D. Aug. de iudicio extremo interpretatur. *Meminisitis*, inquit *quod ait: ego non iudico quemquam: ecce modo dicit: multa habeo de vobis loqui & iudicare; sed aliud est, non iudico, aliud habeo iudicare: non iudico dixit ad præsens; venerat enim vt saluaret mundum, non vt iudicaret mundum. Quod autem dicit, multa habeo de vobis loqui, & iudicare, iudicium futurum dicit. Ideo enim ascendit, vt veniat iudicare viuos, & mortuos, nemo iustius iudicabit, quam qui iniustè iudicatus est.* Aug. de iudicio extremo hæc intelligit.

At Diuus Chrysostomus de præsenti tempore hæc interpretatur: multa habeo de quibus vos reprehendam, & puniam, sed Pater id nunc fieri non vult, neque enim veni iudicare: vtraque expositio bona est. Plerique, *habeo*, accipiunt pro, *possum*, q. d. multa possum de vobis loqui, & iudicare, seu in multis vos reprehendere, & condemnare; sed lubentius verbum, *habeo*, iuxta vulgarem significationem sumo. Chrysost. de præsenti tempore explicat.

C *Sed qui misit me verax est*] Augustinus sic ista connectit: *multa habeo*, inquit, *de vobis loqui, & iudicare, sed qui me misit verax est, tanquam diceret, ideo verum iudico, quia filius veracis veritas sum.* 22. Aug. sensus. Itaque vult Christus ostendere secundum Aug. suum iudicium verissimum, & iustissimum esse futurum, quia filius veracis est, & veritas ab illo genita. Verùm obest huic intelligentiæ τὸ, *sed*, quæ particula aduersatiua est; non causalis. satis dicerem iuxta expositionem Augustini numero vigesimoprimo. habeo multa cõtra vos, quæ olim iudicem, verùm licet multa hæc habeam, non nunc hæc loquar; quia Pater verax est; qui promisit missurum me vt prius mundum saluem, quam iudicem, vel puniam: quare ego quæ ille mihi dixit, & audiui ab eo, hæc loquor, & non alia in mundo.

D Diuus Chrysostomus & Theophylactus sic connectunt: *multa habeo de vobis loqui* &c. sed non vult Pater verax, & fidelis vt nunc id faciam, *non enim misit Deus filium suum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* & hoc quod promisit vult vt seruem. iure ergo alia, quam quæ ille dixit, nunc non loquor, nec aliquem condemno, vel iudico (vtrumque enim, κρίνω, significat.) Aliter posset exponi: Possem & nunc iudicare vos, sed reijcio hoc iudicium in extremum tempus, quod licet vos non credatis, verax tamen Pater est, qui statuit diem iudicij, ad illud vos reseruo tempus, neque enim alia, quam quæ ab eo audiui loqui possum. Chrysost. Theophy. Alia expos.

Obseruat Tolet. hæc verba, *quæ audiui ab eo hæc loquor*, conuenire Christo ratione diuinitatis, significat enim ipse, quod hæc audierit antequam veniisset in mundum; nam si

ratio-

19. Principij nomen. apud Theologos sumitur dupliciter.

Pater est principium personarũ reliquarũ, atque adeò simpliciter principium; Filius principium de principio procedens.

Hoc dicendi modo, *principium qui & loquor*, innuitur Christus esse æternum Patris Verbum illud, per quod nobis locutus est per assumptam carnẽ.

20.

ratione humanitatis loqueretur, diceret; quæ audio ab eo, hæc loquor in mundo, seu quæ audiui, hæc loquor: nunc autem non ita dicit: sed *quæ audiui, hæc loquor in mundo*; quo dicendi modo, ostendit se audisse quæ loquitur antequam in mundum veniret, vt sit sensus: quæ audiui à Patre vt Deus, hæc indutus hominem loquor in mundo, non est tamen negandum posse hæc in Christum referri ratione humanitatis, nam re vera audiuit etiam vt homo à Patre, quæ loquebatur, vt dicitur Ioannis duodecimo, 49. *Ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar*: quamuis hic melius hæc de diuinitate intelligantur, cum proximè etiam de diuinitate sermo fuerit, vel de Christo vt hic homo est, videlicet vt persona quædam est habens humanam naturam, cui Deitas vnita est, ratione cuius vnionis accepit illa humanitas, quæ Dei filio ratione diuinitatis competunt. Vide quæ notauimus libro quarto, diluc. capite primo, numero septuagesimo octauo, schol. vbi diximus trifariam nos de Christo loqui posse.

23. 16. *Et non cognouerunt quia patrem eius*] Alii qui loco, *eius*, legendum contendunt, *eis*, sed cum recognita vulgata editio legat, *eius*, hæc lectio est retinenda, quare loco, αὐτοῖς, vt nunc græcè legitur, videtur Latinus interpres αὐτοῦ legisse, idem tamen sensus vtcunque legatur: non cognouerunt quod Patrem suum ipsis dicebat Deum, seu non cognouerunt quod de Patre suo Deo loquebatur.

Græci, inquit Gagn. non addunt *Deum*, quamquam Græci de eo intelligant. Tunc autem locutus est de Patre suo Deo; eumque Patrem suum dixit cum sic locutus est, *qui misit me verax est, & ego quæ audiui ab eo hæc loquor in mundo*. Itaque Iudæi non cognouerunt cum diceret: *qui misit me &c.* quod de Patre suo eis loqueretur, vel Patrem suum Deum esse diceret, ac proinde Deus ipse esset, & Dei filius.

24. 17. *Dixit ergo eis Iesus*] Dictio illativa, *ergo*, refertur ad præcedentem versum, vt sit sensus: cum non cognoscerent, quem Christus Patrem suum appellaret, dixit eis fore, quod obseruat Rupertus, vt post obitum suum cognoscerent. Dicit ergò hic, vt rectè Gagn. exponit: *cum exaltaueritis*] id est, morte crucis afficeritis; exaltationem enim suam crucem, & mortem appellat, vt etiam Ioann. capite tertio, v. decimo quarto, & capite duodecimo, v. trigesimo secundo, trigesimo quarto.

Etenim tunc ad literam exaltatus est in aere; & verè etiam exaltatus, id est, ad summum dignitatis gradum assumptus est, quod affirmat Diuus Paulus ad Hebræos secundo, 9. *eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum*; ignominiosissima namque morte, qua deiectum iri Christum, eiusque nomen extinctum Iudæi credebant, ea maximè exaltatum reddiderunt non sua, sed Dei Patris gratia, id quod testatur Paulus Philippensium secundo, *humiliauit semet ipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum. Cum ergo, inquit Christus filium hominis, me videlicet, vilem & abiectum, vestra quidem opinione oppresseritis, & extinxeritis, re autem vera, sed præter opinionem vestram, exaltaueritis, tunc cognoscetis quia ego sum.*

Quid sit, quia ego sum.

Quidam interpretantur, ait idem Gagn. *quia ego sum Dei filius, panis vitæ, lux mundi &c. at cum*

A *textus nihil horum habeat, simplicius sumendum videtur: Ego sum verus Deus, quasi dicat, cognoscetis me, quem contemptui habuistis, verum Deum esse, vt autem sic interpretetur adducor, eo quod ad vnum Deum spectat dicere, ego sum. & interroganti Moysi Deum, quod esset nomen eius, respondit: ego sum qui sum, & sic dicens filijs Israel qui est, misit me ad vos. cum ergò exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quod ego sum, id est, agnoscetis me verum Deum, Denique filium. sic enim scribit Matt. Centurio, & qui cum eo erant, viso terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: verè filius Dei erat iste.*

Adde quod de turba, quæ aderat scriptum est, *videntes quæ fiebant percutientes pectora sua reuertebantur.* Et post datum spiritum sanctum, victi Iudæi Apostolorum miraculis, vno die ter, alio quinquies mille homines in Dominum Iesum crediderunt Actorum secundo, 41. & 44. & quamuis non omnes Iudæi, visis miraculis in Christi morte, & post eam factis, & audita eius resurrectione in Christum crediderint, multitamen crediturі erant, vt proinde verissimè dictum sit, *cum exaltaueritis*, &c. *tunc cognoscetis quia ego sum.* Et hæc interpretatio quantum arbitror communis.

B *Et à me ipso facio nihil*] hoc est, cognoscetis tanquam à Patre genitum, ab illo omnia accepisse, vt essentiam, sapientiam, &c. ita & potentiam ad faciendum, ac proinde à meipso nihil facere. 25.

Iterumque intelligetis me ita loqui, sicut docet me Pater, à quo habeo sapientiam, per quam C loquor. Augustinus tractatu quadragesimo, *quid est*, inquit, *à meipso facio nihil? à me ipso non sum, Filius enim de Patre est Deus, Pater autem non est de Filio Deus.* & postea, *incorporaliter Pater locutus est Filio, quia incorporaliter Pater genuit Filium, nec cum sic docuit quasi indoctum genuit, sed hoc est, eum docuisse quod est scientem eum genuisse, & hoc est, docuit me Pater, quod est scientem me genuit Pater. si enim, quod pauci intelligunt, simplex est natura veritatis, hoc est filio esse, quod nosse. ab illo ergò habet, vt nouerit, à quo habet vt sit, non vt prius ab illo esset, & ab illo postea nosset, sed quemadmodum illi gignendo dedit, vt esset, sic gignendo dedit, vt nosset, quia simplici naturæ veritatis esse, & nosse non est aliud atque aliud, sed hoc ipsum*; Hæc verba possunt & ad diuinitatem, & ad humanitatem accommodari, nam, secundùm etiam humanitatem accipit tum potentiam ad agendum, tum sapientiam ad docendum à tribus simul personis, sed de diuinitate imprimis accipienda sunt hic. Aug. quid sit à meipso facio nihil.

26. Rupertus, Caietan.

D 18. *Et qui me misit, &c.*] Sunt qui hæc pendere velint à verbo *cognoscetis*, vt Rupertus & Caietanus. Alij & fortè melius hæc, vt diuersam sententiam statuunt: quoniam verò dum homo hominem mittit, non est, qui mittit, semper cum eo, qui mittitur, sed separatur à mittente missus, & solus sine mittente recedit; non ita, inquit, mecum agitur, sed *qui misit me, mecum est, & non reliquit me solum*, cum vna, eademq; sit Patris, & filij essentia.

ὅτι, quia, effectum significat potius.

Quia ego quæ placita sunt ei, facio semper] Particula ὅτι, *quia*, videtur effectum potius, quàm causam significare; argumentatur enim à posteriori, vt aiunt, nam alioqui non est verum, quòd quia Christus faciebat, quę Patri erant placita, propterea cum illo esset Pater, non futurus nisi faceret. sed quia Pater cum illo erat, & quidquid ille agebat, agebat Pater, neq; faciebat, nec facere poterat, nisi quæ Patri placerent. Itaque ostendit non esse se derelictum à Patre, ex eo quod illa,

quæ

quæ Patri placent, faciat ſemper; nam proinde ſẽper rectè ago, inquit, & malè agere, vel peccare non poſſum, quia ſemper mecũ eſt Pater, q.d. quia ſum Deus ſemper habens eamdem communem cũ Patre naturam ab æterno mihi ab illo communicatam. Caiet. ſic exponit: Pater non reliquit me ſolum ſecũdum humanitatem abſque ſua gubernatione, & dilectione, quia quæ illi placent, facio ſemper, q.d. quia continuam hanc gubernationem mea perpetua obedientia ſum commeritus. Duplici enim titulo, ſeu cauſſa Dominus Ieſus hanc gubernationem habuit, tum quod Deus eſſet, tum quod illam merebatur; habuit ergò, & propter diuinitatem, & propter meritum, ſicut & de gloria corporis fatentur Theol. ſic cenſet Caie. quomodo ὅτι, *quia* cauſſam meritoriam deſignat; vtraq; expoſitio eſt bona; ſed magis fortaſsis quadrat prima.

Caietan. expoſitio.

Dupliciter hæc gubernatio Chriſto tribuitur

19. *Multi crediderunt*] deſcribitur doctrinæ Chriſti fructus in quibuſdam, qui Chriſto fuit occaſio, vt ſequentem hortationem haberet ad illos confirmandos. Hinc patet, vix vnquam deeſſe apes, quæ ex floribus verbi Dei mel ſugant æternæ ſuauitatis; quamuis aranei inde venenum hauriant.

20. *Dicebat ergò*] Quia dixerat multos in eum credidiſſe, & multi inuenti ſunt, qui ad tempus crediderant, ac poſtea verbis eius offenſi, quia animales erãt, nec ea capere poterant, retrorſum abierat, vt Ioann. cap. 6. 67. conſtat. ideò ait nunc Ioann. dicebat ergò Ieſus ad eos, qui crediderunt (hæc enim omnia ſignificat, *ergò*) docet nunc non ſatis eſſe fidem, niſi in ea perſeuerauerint. Quod fecerint, veros fore eius diſcipulos, & veritatem agnituros.

Ergò, quid hic ſignificet.

Aduerte non eſſe firmum argumentum illud Caietan. hos, qui credidiſſe dicuntur, informi dumtaxat fide credidiſſe, propterea quod dicatur credidiſſe *ei*, vt habes hic, non autem *in eum*, at cum verſ. decimonono, dicantur multi credidiſſe *in eum*, apparet non habere vim, rationem Caietan. quamuis fortaſsis verum ſit quod dicit, informi illos fide credidiſſe.

Contra Gaiet.

27. An non permanſuri ſint veri Chriſti diſcipuli.

Dub. tari hic poteſt, an ſit veri diſcipuli CHRISTI, qui non ſunt permanſuri in eius ſermone, quamuis ſecundum præſentem iuſtitiam in eo maneant. non loquor hic de diſcipulo Chriſti, prout hoc nomen datur ſimpliciter Chriſtiano fideli, licet caritatem non habeat, nec præ deſtinatus ſit, de quo tamen dicam numero trigeſimo. loquor ergò præſertim de eo diſcipulo Chriſti, qui ſequitur, vel non ſequitur doctrinam, & ſermonem Chriſti, ſiue moriturus ſit in doctrina Chriſti, ſiue non.

Dupliciter diſcipulus Chriſti dicitur.

Reſpondent ergò aliqui, vt notat Cardinalis Bellarm. libr. 3. de Eccleſia milit. capite ſeptimo, dici diſcipulos Chriſti verè, vel ſecundùm prædeſtinationem, vel ſecundùm præſentem iuſtitiam, quam diſtinctionem indicat Auguſtinus de corrept. & gratia capite nono, vbi ſic ait: *Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant. Ioann. 6. 67. numquid non & iſti diſcipuli appellati ſunt, loquente Euangelio, & tamen nõ erant verè diſcipuli, quia non manſerunt in verbo eius, ſecundum id quod ait. ſi manſeritis in verbo meo verè diſcipuli mei eſtis. Quia ergo non habuerunt perſeuerantiam, ſicut non verè diſcipuli Chriſti, ita nec verè filij Dei fuerunt, etiam quando eſſe videbantur, & ita vocabantur.*

Oportet ergò hic vti diſtinctione, hominem poſſe dici Chriſti ouem, filium, membrum, diſcipulum, vno modo ſecundùm prædeſtinationem, altero modo ſecundum præſentem iuſtitiam, quæ diſtinctio colligitur ex Paulo Romanor. 8. *qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius;* & 2. ad Timoth. 2. *nouit Dominus qui ſunt eius.*

A

Itaque vnus & idem poteſt eſſe Chriſti diſcipulus, & non eſſe. erit enim eius diſcipulus, ſi ſit prædeſtinatus, & non erit eius ſecundùm præſentem iuſtitiam, ſi interim ſpiritum eius non habeat; contra, non erit Chriſti diſcipulus, ſi non eſt perſeueraturus, & prædeſtinatus, erit eius diſcipulus ſecundùm præſentem iuſtitiam, ſi caritatem habeat. quod declarat clarè idem Auguſtinus loco citato, *appellamus*, inquit, *nos & electos Chriſti diſcipulos, & Deifilios, quia ſic appellandi ſunt, quos regeneratos piè viuere credimus. Sed tunc verè ſunt quod appellantur, ſi manſerint in eo, propter quod ſic appellantur, ſi autem perſeuerantiam non habent, id eſt, in eo, quod cœperunt non manent, non verè appellantur quod appellantur & non ſunt; apud eum enim hoc non ſunt; cui notum eſt quod futuri ſunt, id eſt, ex bonis mali.* Idem habet Auguſtinus tractatu quadrageſimoquinto in Ioannem; *ſecundum præſentiam, & prædeſtinationem, quàm multæ oues foris? quàm multi lupi intus?* His ſimilia habet idem Auguſtinus libro quarto, de Baptiſm. & de bono perſeuerantiæ capite octauo, & loco citato de corrept. gratiæ.

B

Auguſt.

Sed aduerte, vt loco citato obſeruat Bellarminus; quod intereſt inter eos, qui ſecundùm præſcientiam, vel prædeſtinationem ſunt filij. vel diſcipuli; & eos qui ſecundùm præſentem iuſtitiam: nam qui ſunt oues, ſeu filij, ſeu diſcipuli ſecundùm prædeſtinationem dumtaxat, non ſunt actu, ſed tantum potentia tales, neque enim aliquid prædeſtinatio formalis ponit in homine, cum ſit actus in Deo manens: at qui ſecundùm præſentem iuſtitiam tales ſunt, actu, & ſimpliciter ſunt tales, quia in ſe re vera habent id, vnde tales appellentur.

C

28. Diſcrimẽ inter eos, qui ſecundùm præſcientiã ſunt diſcipuli, & qui ſecundùm præſentem iuſtitiam.

Cum verò Auguſtin. tractatu quadrageſimoquinto in Ioannem, ſic ait: *Quid eſt quod dixi, quàm multæ oues foris? quam multi luxuriantur caſti futuri? quam multi blaſphemant Chriſtum, credituri in Chriſtum? & hi oues ſunt*: intelligit ſecundùm prædeſtinationem, & potentiam. & ideò ſubdit: *verumtamen alienam vocem audiunt, alij nos ſequuntur.*

Cum verò ait: *item quam multi intus laudant blaſphematuri? caſti ſunt fornicaturi? ſiant caſuri? & non ſunt oues; de prædeſtinatis enim loquimur.* Intellige intus eſſe & filios, & diſcipulos, & membra &c. actu & ſimpliciter, & ſecundum præſentem iuſtitiam, foris verò eſſe, & non diſcipulos aute Deum & ſecundum prædeſtinationẽ.

D

29. Alia diſtinctio diſcipuli verè Chriſti.

Alij, vt Bellarm. aliter etiam diſtinguunt, verè filium Dei, aut verè membrum corporis Chriſti, aut verè diſcipulum Chriſti, aliquem duobus modis dici poſſe, vel veritate eſſentiæ, ſiue formæ, vel veritate finis, qui æternam hereditatem aſſequitur; finis enim filiationis eſt hereditas ad Galat. 4. *quod ſi filius, & heres per Deum*; itaque qui eſt in gratia, & non eſt prædeſtinatus, eſt vere filius & membrum, & diſcipulus veritate eſſentiæ; non eſt veritate finis. At qui non eſt in gratia, & eſt prædeſtinatus, non eſt vere filius, nec membrum, nec diſcipulus veritate eſſentiæ, eſt veritate finis, quia tandem verè finem filij Dei, membri, & diſcipuli Chriſti conſequetur, ſcilicet beatitudinẽ. De prima veritate intelligitur illud: *qui ſeruat verbum eius vere in hoc caritas Dei perfecta eſt* 1. Io. 2. 5. de ſecunda veritate accipiendum eſt quod hoc c. 8. Io. legitur: *ſi manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis*; quare Mald. vult dici hic verè diſcipulum illum, qui ita diſcipulus eſt: vt finem diſcipuli conſequatur, quod veriſimum eſt ſecundùm mentem Chriſti.

Aduer-

Digitized by Google

30. Quid de discipulo prout simpliciter fidelem significat.

Aduerte tamen, quod si nomine discipuli Christianum scilicet, fidelem simpliciter intelligas, quamuis Christi præcepta non seruet, nec caritatem habeat, & prædestinatus non sit; is veritate essentiæ, & secundùm præsentem fidem verè est discipulus, id est, Christianus cũ habeat verã fidẽ, non est tamen verè Christianus seu fidelis veritate finis. quod si adhuc nõ est perseueraturus in fide, is nec secundùm præscientiam est verè discipulus, scilicet fidelis, nec secundùm veritatem finis, seu permanentiæ, licet actu, & secundùm præsentem fidem, & veritatem essentiæ verè discipulus, id est, Christianus, & fidelis sit. quare cum auctor operis imperfecti in Matthæ. hom. 20. eum qui ab Ecclesia cadit, nunquam fuisse Christianum asserit; intelligendum est secundùm prædestinationem, & secundùm veritatem finis.

Tria perseuerantib. pollicetur.

21. *Et cognoscetis veritatem* &c. Tria his, si perseuerent, promittit, quæ se se ordine consequuntur Primo versu præcedente, *verè discipuli mei eritis*, vel estis, vt Græci quidam codices habent: quoniam verò discipuli est discere ab eo, cuius est discipulus, hinc Dominus ne non magnum quid esse quis putaret discipulũ eius esse adiecit: *& cognoscetis veritatem*, præsertim per Spiritum sanctum, quem verè discipulis daturus sum: demum tertio, ne quis parum esse opinaretur cognoscere veritatem: addidit, *& veritas liberabit vos. vt si non delectat veritas, delectet libertas*, vt Augustinus ait. Est autem hic *liberare*, liberum, & ingenuum facere, habetur enim hic Græc. ἐλευθερώσει, quæ vox ad libertatem pertinet, quæ seruituti opponitur, quod obseruauit Augustinus de verbis Domini sermone quadragesimooctauo, veritas ergò Euangelica liberat, hoc est, liberos facit, quia eos, qui potius grauabantur seruitute peccati, & legis, ab ea seruitute eximit; efficiens vt quis dominetur peccato, ac libera mente quæ Dei sunt, faciat. Adde etiam, quod eripit à seruitute corruptionis de qua Paulus Romanorum octauo, 21. ait: *creatura liberabitur à seruitute corruptionis* (qua nimirum nunc miserijs, laboribus, & pœnis, quantum ad corpus, etiam iusti obnoxij sunt) *in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Ab hac ergò triplici seruitute peccati, legis, & corruptionis liberat veritas Christi, id est, cœlestis Christi doctrina, si quis in ea perseueret, quamquam, & per veritatem ipse etiam Christus intelligi possit, qui dixit: *Ego sum via, veritas, & vita.*

Paul. Rom. 8. 21.

Triplex seruitus, à qua veritas Christi liberat.

31. Ambrosius. Cognitio aliud à fide

D. Ambros. sermone decimo, in Psalm. 118. vers. 3. obseruat in his verbis fidem à cognitione distingui, nam credenti promittitur cognitio, si enim, inquit, manseritis in meo sermone, credentes, *cognoscetis veritatem.* Cyprianus libr. de sapientiæ bono idem affirmat, quamuis per cognitionem intelligat eam, quæ futura est in Patria, credenti enim, & perseueranti promittitur cognitio perfecta, non in ænigmate, & speculo. Ambrosius verò per cognitionem intelligit perfectam intelligentiam mysteriorum Christi, quã non omnis qui credit, habet; ego vtramque cognitionem intelligi arbitror. & hæc de fide, quæ per dilectionem operatur intellige. Quia verò dicitur, *liberabit vos* in futuro; & *si manseritis in sermone meo*, ideò censet Theophyl. hos superficialiter, vt aiunt, credidisse ac vulgariter, & non vt oportebat, quod probabile est, licet id non omninò hinc colligatur; nam manere in sermone Christi est perseuerare; & ideò potest aliquis verè credere in Christum, quamuis postea non perseueret. Et illud, *liberabit vos*, &c. intelligitur perfectè, & omninò in beatitudine; & nunc in præsenti vita liberabit, ne rursus in peccatum recidant. stupidè hic clamat sacrilegus ille Caluinus:

A *Eant nunc*, Catholici, *& liberum arbitrium fastuosè extollant; nos autem seruitutis propriæ nostræ conscij; non nisi Christo liberatore gloriemur.* Digna, inquit Maldon. *verberibus, aut igne potius ignorantia, quasi nos diceremus à peccato per solum liberum arb. nos sine Christo liberari; aut libertas arbitrij esset libertas à peccato.* Nec animaduertit insanus hoc, quod nobis obijcit, sibi aduersari. *nam si propterea liberum non habemus arbitrium, quod sub peccati seruitute sumus; liberati iam per Christum à seruitute peccati, liberum vtique arbitrium habebimus. Quid ergò generaliter negat nos in hac vita vllam habere arbitrij libertatem? at nunquam*, inquit, *in hac vita sine peccato sumus. Nunquam igitur in hac vita liberi sumus.* atqui Christus longè aliud hic docet, dum ait: *cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. & si filius vos liberauerit; verè liberi eritis.*

Contra insaniam Caluini pro lib. arb.

Aliud item docet Paul. Roman. 6. 18. *Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ*, & vers. 22. B *nunc verò liberati à peccato, serui facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem*, & cap. 8. 2. *lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, & mortis.*

Paul. Rom. 6. 18. & 22.

22. *Responderunt ei, semen Abrahæ sumus*] Præcedentia verba Christi, *veritas liberabit vos*, Iudæi carnaliter intelligentes de seruitute corporali, & legali respondent: *nemini seruiuimus vnquam, semen Abrahæ sumus*, q. d. inquit Gagnæus, *semini Abrahæ regnum promissum est perpetuò duraturum, quomodo ergo nos seruos appellas, cum dicis nos per veritatem in libertatem asserendos?* Vel certè Abraham testantur tanquam primum progenitorem, qui liber fuit non seruus; videlicet magnus vir, ac Propheta insignis, ex Abrahamo autem genus ducere nulla apud illos nobilitas, & ingenuitas maior habebatur. Porrò illa, *quomodo tu dicis liberi eritis*, cum quadam indignatione, ac stomacho prolata videntur, quasi ægre tulerint libertatem sibi promissam, quasi serui essent. Augustin. tract. 41. hanc responsionem illorum qui in Christum crediderant esse affirmat, quod prius opinatus est Orig. tom. 22. in Io. cõfirmari id potest, quia Christus cum illis loquebatur, & illis dixerat: *si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Est autem verosimile eos respondisse, quibuscum loquebatur. Quidam tamen non eos, qui crediderant, verùm aliquos alios ex his, qui aderant, respondisse arbitrantur, quod mihi probabilius est, cum de istis dicturus sit inferius, quod quærerent eum interficere, & quod sermo eius locum non haberet in eis, quæ in credentes non videntur quadrare; nisi dicas Christum de toto Iudæorum genere loqui, cum ista dicit, nam Iudæi erant qui crediderant.

32.

C

33.

Quod dicunt: *nemini seruiuimus vnquam*: de se solis dicta quidam accipiunt. Malo de toto eos locutos esse genere Hebræorum, intelligere, quæ communior est sententia; quare hæc eorum verba patet impudens mendacium continere. sanè vera hominis libertas duobus his censetur, si neque ipse seruiat cuiquam, nec seruierit vnquam, & progenitores habeat, qui seruilis conditionis non vnquam fuerint; Atqui Iudæi, qui ista iactabant, quo tempore hæc dixerunt, seruiebant Romanis, omnisque Iudææ procurator Pontius Pilatus erat; nec ipsi negarunt cum dicerent: *non habemus Regem nisi Cæsarem*, id quod etiam publicum numisma Cæsaris continens imaginem, & superscriptionem indicabat. Deinde eorum progenitores diu grauissima seruitute ab AEgyptijs pressi sunt, & tempore Iudicum seruierunt Mesopotamitis, deinde Cananæis, mox Moabitis, quarto Madianitis, quinto Ammonitis, postremò Philistæis; &

D

Vera hominis libertas duobus censetur.

Iudæi quando & quoties in seruitute fuerint

verò

vero temporibus Regum ducti quoque sunt in captiuitatem Babylonicã, & inde reuersi seruierunt primò regibus Persarum, Deinde Regibus Asiæ, & Græciæ, tandem Romanis, hinc patet Christi modestia & patientia, qui cùm posset illis diuturnam seruitutem exprobrare, noluit tamen eos irritare; sed lenius egit, & eorum saluti studens, peccati dumtaxat seruitutem obiecit, cuius illi nullam fecere mentionem; quia nec multum illam curabant, nec satis intelligebant.

34. seruitus peccati.

23. *Omnis qui facit peccatum*] Respondet CHRISTVS docens aliam esse seruitutis rationem, quæ sit per peccatum *quia qui facit peccatum seruus est peccati*, nec contra hoc quidquam iuuat semen esse Abrahæ. Rectè Paulus Roman. 6. 16. *nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam.* Hanc seruitutem, eiusque turpitudinem etiam gentium Philosophi non ignorarunt, hinc illud scitum Diogenis dictum ab illo vsurpari solitum: *Inter seruos, ac Dominos malos præter vocabula nihil interesse, nisi quod mancipia seruirent Dominis, Domini cupiditatibus.* quo significabat vtrosque esse seruos, miseriorem tamen seruire seruitutem Dominos, quàm mancipia, si sint improbi. Cæterùm tacitè ostendit hic Christus legem veterem neminem à peccato liberasse. nam qui tempore legis liberabantur à peccato, virtute fidei in Christum venturum, eam libertatem consequebantur: verùm post Christi aduentum, & prædicationem non credentes in eum, hoc fidei priuilegio non gaudent, sed sub solâ lege sunt, quâ abolita, necesse est eos omnes sub peccato esse. Vide quomodo seruus sit quis peccati, & per ipsum diabolî digress. 4. n. 1. 2.

Diogenis Scitum dictum.

Lex veterum neminem à peccato liberauit.

35.

24. *Seruus autem non manet in domo &c.*] Videtur confirmare quod dixerat, *qui facit peccatum seruus est peccati*, serui est, inquit, non manere in domo Domini in æternum, cùm contra filij in æternum maneant. Ergò cùm peccator non maneat in domo Domini in æternum (licet enim ad tempus sit de populo DEI, eiusque Ecclesia, conjiciendus tamen est in tenebras exteriores inferni) contra, filius semper maneat in domo Domini (semper enim ad populum eius, & Ecclesiã pertinet, & post hanc vitam in cœlestem domum admittendus est) hinc fit, vt qui facit peccatum, seruus sit, & non filius, qui Dominus, & hæres est domus.

Ergò quid?

25. *Si ergo vos filius &c.*] Infert quod prius dixerat verficul. 21. asserendos esse in libertatem eos, qui credunt in eum: cùm ergo, inquit, serui sitis, tunc sanè in libertatem vindicabimini, quando filius, qui tanquam hæres, & Dominus permanet in domo paterna, in libertatem vos asseruerit, hoc est, cùm ego filios vos adoptionis effecero, qui sum verus, ac naturalis Dei Patris filius; vt. n. testatur Paulus ad Gal. 4. *misit Deus filiũ suũ factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Dictio illatiua, *ergo*, hanc habet vim ex his quæ dixit; cùm filius in domo maneat in æternum, id est, Dominus domus sit, si ille vos liberauerit, verè liberi eritis; ad eum enim pertinet seruos, quos vult, vendere, vel manumittere, & in libertatem asserere. Illud autem, *verè*, duo videtur insinuare, & quam Iudæi iactabant libertatem, quod filij essent Abraham, & nemini seruissent, veram non esse: & non posse eos alia ratione veram assequi libertatem, nisi filius liberasset. Hinc Athanasius sermone tertio contra Arianum, ostendit, Christum esse Dei filium natura, cùm illi

Verè, duo insinuat.

A impiè creaturam esse contenderent. Cùm enim ipsius sit in libertatem vendicare homines, & à seruitute soluere, naturalis DEI filius sit necesse est.

36.

26. *Scio quia filij Abrahæ estis*] Quia duo dixerunt Iudæi & *filij Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam*, hoc secundum confutauit hactenus ostendens eos venundatos esse sub peccato, atque adeò seruos. Primum nunc reijcit, probatque eos non esse verè filios Abrahæ, quem operibus non imitarentur. Et primum quidem mulcet quodammodo eos, fat scire se dicens, quod filij sint Abrahæ, nec negare: sed cum prauis affectibus occupari, capaces non sint sermonis sui, & ob id odio, atque inuidia excæcati, ipsum interficere quærant, patet eos potiùs diaboli, quam verè Abrahæ filios esse. Vt ergò, inquit, filij Abrahæ sitis secundùm carnem, certè secundùm fidem, & spiritum filij Abrahæ non estis, sed peccati, sed

B diaboli, cùm me interficere quæratis, non ob meum aliquod crimen, sed *quia sermo meus non capit in vobis*, hoc est, non habet locum in vobis; quibus verbis simul etiam tacitè aperit caussam, cur eos superius dixerit seruos, non enim quia filij sint seruorum; *scio*, enim inquit, *quia filij Abrahæ estis* secundùm carnem. Sed seruos dixi propter improbitatem animo conceptam, quam perficere paratis, id verò Abraham nunquam fecit, quia in re se verè Abrahæ filios non esse declarabant. Obserua illa, *sermo meus non capit in vobis*, idem esse, ac locum non habet in vobis, quod odio, inuidia, & malitia pleni essent ad summum, græcè ὁ λόγος ὁ ἐμὸς οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν significat autem, χωρέω, sum capax, vt locus capio, comprehendo, χώρα item nomine vtuntur græci, sicut latini nomine, loci, quod Barrad. & alij notant. Hinc 2. Corint. 1. χωρήσατε ὑμᾶς, id est, *capite nos*, dilatetur cor vestrum, fiat in eo locus, qui me capiat. Sic Matth. 19. *non omnes capiunt verbum istud*, græcè χωροῦσι, &, *qui potest capere capiat*, græcè ὁ δυνάμενος χωρεῖν, χωρείτω.

2. Cor. 1.

C

37.

27. *Ego quod vidi &c.*] Probat sermonem, id est, doctrinam suam locum in ipsis non habere, quod malo animo ad eam capiendam affecti sint, non quod digna non esset; cùm nihil ipse loqueretur, quod non didicerit de Patre suo.

Et vos, quæ vidistis] Obserua quosdam codices græcos non habere ὃ ἑωράκατε, *quod vidistis*, sed ἃ ἠκούσατε, *quæ audistis*, sed idem est hic videre, quod audire, hoc est, agnoscere vel discere, & solent qui ex alterius præscripto agunt, in eum quasi in exemplar intueri, eumque diligenter auscultare; quare cùm dixit & ipse Christus de se, *quod vidi apud Patrem, hæc loquor*, significat se nihil quidquam dicere, nisi quod sciat consentaneum esse Patris iudicio, ac voluntati, quodque didicerit à Patre. *Apud Patrem vestrum*]

D Diabolum intelligit, vt proinde, non, *facite*, imperandi modo, sed *facitis* per modum indicandi, legendum sit quasi enim reprehendens eos, dicit: *Et vos, quæ vidistis*; id est, didicistis *apud Patrem vestrum*; diabolum; *facitis*. Scio aliquos intelligere per Patrem, Abrahamum, ac proinde imperandi modo legunt; *facite*, sed si sequentia spectemus, minus congruit hic sensus. Græcè habetur, ποιεῖτε, & additur dictio οὖν; sed noster interpres non videtur legisse, οὖν, hoc est, *ergò*, videturque ea dictio fauere illis, qui per Patrem Abrahamum intelligunt, vt sit sensus! & vos ergò quæ apud Patrem vestrum vidistis, facitè; vt sint hæc exhortantis; sed non cõgimur sic exponere, licet legamus οὖν; potest enim esse sensus, *sicut ego quod vidi apud Patrem meum loquor*; & vos ergo, id est,

Vera interpretatio D. Chryſoſt.

ita & vos facitis, quæ apud Patrẽ veſtrum diabolũ vidiſtis. quæ interpretatio Chryſoſt. eſt. Denique aduerte, aptè ad id, de quo agebatur dictum eſſe à Chriſto, *loquor*, de ſe, & *facitis*, de illis, quia doctrinam ſuam tanquam Deo conſentaneam approbare, facta verò illorum reprehendere volebat.

38. 28 *Pater noſter Abraham eſt*] Non videntur intellexiſſe ſatis quem diceret eſſe ipſorum Patrem, cum dixit, *& vos quæ vidiſtis apud Patrem veſtrum facitis*; ſuſpicatos tamen eſſe apparet quod alium illorum, præter Abrahamum, Patrem diceret; propterea iterum inculcant: *Pater noſter Abraham eſt*, vt prius dixerant: *nos ſemen Abrahæ ſumus*, quibus Chriſtus reſpondens diuina quadam ſapientia; neque ait, neque negat quod dixerant, tantum ſubdit: *ſi filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*, hoc eſt, factis oſtẽdite, vbi Aug. tract. 42. *ecce*, inquit, *ille laudatus, iſti damnati. Non negat eorum originem, ſed facta condemnat: Caro eorum ex illo erat.* quidam ex græcis legunt: *ſi filij Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis.* verum Orig. Auguſtin. Beda, legunt, vt nos habemus, ſed idem eſt ſenſus. Rectè Chryſoſt. homil. 45. in Matth. *Præcurſor Ioannes cum dicit: genimina viperarum, ne videamini dicere, Patrem habemus Abraham: nolut oſtendere quia non eſſent ex Abraham ſecundum naturam; ſed quia nihil illis proderat eſſe filios Abrahæ, niſi etiam virtute illi coniungerentur, quod & Chriſtus denotat, dicens: ſi filij Abrahæ eſſetis, opera vtique Abrahæ faceretis. Nec enim carnis coniunctione ab Abraham eos ſeparare volebat; ſed admonebat, vt nobiliorem hac, atque meliorem inueſtigarent propinquitatem.* & ſerm. de Zacchæo ex Luc. *ſi filij Abrahæ*, inquit, *eſſetis, facta Patris veſtri faceretis. Non poteſt eſſe filius, quem diuerſi ſeparant actus, non poteſt patris cenſeri nomine qui fuerit diuerſus in opere. ſi Abrahæ es filius imple paternos affectus; quæ fecit comple; quæ docuit exerce; quæ docuit imitare. Vnde tibi filij nomen imponis, quem nec actus, nec natura commendat, quem nec fides, nec genus probat: quem nec mores nec proſapia indicat, quem paterna monita, factis diſſidentibus, ſeparant? in te eſt, vt poſsis, quia in te eſt vt velis.*

Augu. dictũ.

Caro eorum ex illo erat, ſed vita non erat. Chryſ. dictũ.

39. In te eſt, vt poſsis, quia in te eſt vt velis. 29. *Nunc autem*] probat eos non facere opera Abrahæ. neminem enim vnquam voluit Abraham occidere, propterea quod loqueretur, quæ à Deo audiſſet. dum verò ait: *hoc Abraham non fecit*, perinde eſt ac ſi diceret, nihil tale fecit vnquam. hæc verba tum Chriſti, tum Chryſoſtomi rectè accommodari poſſent ad Chriſtianos, qui ſe Chriſti filios iactant, cum nihil minus, quàm Chriſti opera imitentur; vel etiam ad religioſos qui ſe Benedicti, vel Dominici, vel Franciſci, vel Ignatij filios nominant, quorum tamen ſolo nomine gloriantur; quibus dici poteſt ſi filij Chriſti, vel Benedicti, vel Franciſci &c. eſtis, opera Chriſti, &c. facite.

Duo hic ſignificat. 30. *Vos facitis opera Patris veſtri*] Indicat clarius non eſſe filios Abrahæ, quin diaboli, cuius opera facerent, quemue imitarentur, Diabolum enim, nomine Patris illorum, intelligit. *Nos ex fornicatione non ſumus nati, vnum Patrem habemus Deum*] Duo dicunt, vnum, ſe ex fornicatione editos non eſſe; intellexerant enim Chriſtum non de carnali, ſed de ſpirituali Patre locutum, quaſi filij eſſent diaboli, id eſt, Idololatræ, qui diabolum colerent, reiecto Deo; Alterum ſe habere vnum Patrem Deum, id eſt, non eſſe idololatras, ſed Deũ verum adorare, quod quidem verum erat eo tempore: nam externo cultu verum Deum adorabant, & colebant; ſed quod dixerunt: *Nos ex fornicatione non ſumus nati*, verum non eſt, nam ſi intelligamus eos locutos de fornicatione ſpirituali, de qua

A verè locuti ſunt, hoc eſt, de idololatria, vt ſequentia verba indicant: *vnum Patrem habemus Deum*, mentiuntur. nam verè nati fuerant ex maioribus Idololatris: erant enim hi Iudæi, qui hæc dicebant de tribu Iuda mixta cum tribu Beniamin, quæ ſola ex captiuitate redierat in Iudæam, Atqui ea tribus ob crimen Idololatriæ olim infamis, & abominabilis fuerat, quod cernere eſt apud Prophetas & libr. 3. & 4. Reg. ſin autem intelligamus locutos eos fuiſſe de carnali fornicatione (de qua tamen non eſt vero ſimile eos intellexiſſe) multò etiam magis mentiuntur: nam tribus Iuda, vnde erant iſti, originem ex Phares Iudæ filio trahebat, qui non ex fornicatione modo, ſed quod probroſum maximè, ex inceſto Iudæ cum Thamar nuru genitus eſt concubitu, lege cap. 38. libr. Geneſ. Obſerua *fornicationis* nomen, ſeu adulterij bifariam in ſcripturis vſurpari, vel pro carnali, vel pro ſpirituali fornicatione, hoc eſt, idololatria. Eſt enim Deus

B veluti ſponſus, & quaſi maritus inuiolabili nexu coniunctus animæ tanquam ſponſæ, & vxori, cuius fidei, ac copulationis violatio, fornicatio, & adulterium rectè appellatur. Nota, *nos vnum patrem, &c.* τὸ *vnum*, & ad Deum, & ad Patrem poſſe referri, vt ſit ſenſus: colimus vnum Deum, non plures Deos, vel, nos vnum Patrem Deum habemus, non alium præter illum. & hic ſecundus videtur ſenſus legitimus, vt ex præcedentibus patet, *nos ex fornicatione non ſumus nati*, ſcilicet non Patrem alium agnoſcimus, non alium colimus præter Deum, non ſumus idololatræ.

40. 31. *Dixit ergò eis Ieſus, ſi Deus, &c.*] Quia dixerant vnum Patrem habemus Deum, id eſt, non ſumus idololatræ; vnicum Deum colimus, eumque pro Patre habemus: oſtendit nunc Chriſtus eos non eſſe Dei filios, nam ſi Deum, inquit, Patrem haberetis, me vtique diligeretis; atqui me odio habetis, quem interficere quæritis: ergò Deum Patrem non habetis.

C Primam propoſitionem probat, quod ipſe à Deo proceſſerit, & venerit, & Dei filius ſit; qui autem Deum Patrem habet, & tanquam Patrem amat, amare debet eum, quià Deo proceſſit, atque adeò per æternam generationem DEI filius eſt.

Duo dicunt, proceſſi, & veni quæ cõprehenduntur ſub nomine miſſionis. Duo dixit; proceſſi, & veni. vtrumque complectitur miſſio, & proceſſionem ab eo, à quo mittitur perſona diuina, & effectum aliquem nouum, qui hic verbi incarnatio intelligitur, & hoc potiſsimum exprimit vox, *veni*; primum autem verbum *proceſſi*, quod ſequentibus verbis declarat ad hunc: nec enim à me ipſo veni, quia non à me productus ſum, ſed ille me miſit, vt carnem aſſumerem, à quo genitus, & in mundum miſſus ſum. à ſe ipſo autem venire hic ſignificat, venire non miſſum, Chriſtus autem à Patre miſſus fuit, non quod coactus venerit, vel imperio, & iuſſu alterius, æqualis enim Pater æqualem miſit filium. *Chriſti ergò miſſio*, inquit Auguſtinus, *eſt incarnatio. quod verò de Deo proceſſit verbum, æterna proceſſio eſt, non habet tempus, per quem factum eſt tempus.* & poſt ea: *ergò ab illo proceſſit vt Deus, vt æqualis, vt filius vnicus, vt verbum Patris; & venit ad nos, quia verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: aduentus eius humanitas eius. manſio eius: diuinitas eius. diuinitas eius quo imus, humanitas eius, qua imus. Niſi nobis fieret qua iremus, nunquam ad eum manentem peruenire mus.*

Quid Chriſti miſsio, quid proceſſio.

32. *Quare loquelam*] Græc. eſt διὰ τί, quare, propter quid; eſt autem ponenda interrogatio poſt, *cognoſcitis*, non poſt, *ſermonem meum*, vt vult Cardin. Tolet. eſt ergò ſenſus, cur locutionem meam, linguam, idioma meum non intelligitis? quia non poteſtis, id eſt, non vultis propter obduratam, & & obfirmatam voluntatem, & alienum veſtrum

Fornicationis nomen bifariam.

Digitized by Google

à me animũ audire sermonem meum. i. cum auerso sitis à me animo; nec me loquentem aures vestræ ferre possunt. Aduerte & Greg. Maxian. orat. 4. de Theol. *non posse*, in sacris litteris idem interdum significare, ac *nolle*, vt hoc loco, *non potestis*.

41. Aug. verba.

33. *Vos ex Patre diabolo estis*] Explicat nunc apertis verbis, quem verè Patrem habeant, vocat autem filios Diaboli imitatione, non natura, sic Augustinus tract. 42. *Vnde ergo Iudæi filij Diaboli imitando non nascendo. Audite Scripturæ sanctæ consuetudinem. Propheta dicit ad ipsos Iudæos: Pater tuus Amorrhæus, & Mater tua Cethæa: Amorrhæi gens erat quædam, vnde originem Iudæi non ducebant. Cethæi & ipsi gentem suam habebant omninò alienam à genere Iudæorum; sed quia erant impij Amorrhæi, & Cethæi, Iudæi autem imitati sunt impietates illorum, inuenerant sibi parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectantes pariter damnarentur. Quæritis autem fortasse, vnde ipse diabolus? Inde vtique, vnde cæteri Angeli, sed & cæteri Angeli in sua obedientia perstiterũt; ille in obediendo, & superbiendo lapsus est Angelus, & factus est diabolus.*

Lapsus est Angelus, & factus est diabolus.

42. Quomodo Iudæi filij diaboli.

Homicidiũ & mendacium.

Rectè Iudæi diaboli filij dicuntur; Primum, quia illius similitudinem in se ipsis referebant, vt solent filij parentum. habebant enim in se diabolica consilia, opera, studia, cogitationes, magnum ac diabolicum veritatis odium, amorem mendacij, insectationem bonorum, inuidentiam alienæ virtutis, & cælestium donorum. hæc enim omnia desideria patris eorum nominat, præsertim autem homicidium & mendacium, vt patet ex sequentibus; fiam & Iudæi in his præsertim duobus diabolum referebant, & quod diabolum imitati, Christum occidere vellent; & multa passim contra eum mentirentur, vt quod esset Samaritanus, dæmonium haberet &c. Mol. 1. p. q. 63. a. 2. & 3. d. vnica, membro 3. desideria diaboli sic exponit, dum respondet ad 3. *Ille*, inquit, *homicida erat ab initio mundi, quando inuidia, suasionesque illius mors introiuit in orbem terrarum, genusque humanum morti obnoxium reliquit. At quoniam tunc peccato Adami id tantùm obtinere potuit; vt iuxta cursum naturæ, variosq; rerum euentus, singuli homines morerentur, cùm tamen longè plus optasset, citiusque singulos homines, si id obtinere posset, perdere voluisset, de Pharisæis mortem Christo machinantibus dicebat idem Christus; illos desideria diaboli, quæ ab initio habuit, velle perficere, idemque de quocunque alio, qui simili modo mortem alicui alteri machinaretur, posset meritò dici.*

43. Cur desideria vocat?

Chrysostomus, Leont. & Theophylactus obseruant, propterea non opera, sed *desideria* diaboli vocasse, vt ostenderet Iudæos non quocunque modo, sed summo studio, summaque animi cupiditate diaboli mores imitari; quamquam Maldonatus Hebraismum velit hic inesse; quo τὰς ἐπιθυμίας, id est, desideria dicit opera, studia, consilia, cogitationes; vel vt interpres noster loquitur, *adinuentiones*; hæc ergo est prima ratio cur filij diaboli aptè Iudæi nominentur.

Altera est, quia patris est suo nutu, atque arbitrio filios regere, illisque iubere quodcumque libitum fuerit, ab illis fieri; sicut filiorum munus est parentum iussis obtemperare, eorumque dictis audientes esse, aduersari verò magno conatu, & persequi illorum hostes. Ergo eum hoc modo erga diabolum affecti essent Iudæi, non dubium iure illos diaboli filios esse appellatos. Postremò his accedit quod sicut filij heredes sunt suorum parentum, ita & Iudæi isti in sua malitia permansuri ad mortem vsque, diaboli hereditatem (corrodentes nimirum vermes ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius, & ingentes sulphuris vortices) possessuri erant, & tanquam parentis diaboli hæreditatem mox adituri.

Ille homicida erat ab initio] Dicitur diabolus ab initio homicida, quia statim vt creatus est homo, callidè seduxit illum, & in peccatum pellexit, quo totius hominis, hoc est, tum animæ, tum corporis mortem incurrit homo, non ille modo primus, qui peccauerat, sed vniuersa quoque eius posteritas, totumque hominum genus; *per enim inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum* Sap. 2. hinc Paul. Rom. 5. *per peccatum mors intrauit in mundum, & ita in omnes homines mors pertransijt.*

44.

Ab initio] D. Augustin. capit. 17. libr. 11. de Genesi ad litteram, & in cap. 13. lib. 11. de Ciuitat. Dei, & seq. tribus modis hoc, *ab initio* explicat; vel quia diabolus ab eo initio, quo peccare incepit, nunquam deinceps peccare desijt, & homicida esse; vel quia ipse diabolus primus omnium peccauit, atque adeò initium peccandi omnibus fuit; vel idem est *ab initio*, quod ab exordio mundi, seu ab initio conditi hominis, seu paulò post initium mundi, quando decepit Cainum, vt fratrem suum Abel occideret, qui sensus bene quadrat textui: dicit enim hic Christus Iudæis, qui volebant eum corporaliter occidere: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere, ille homicida erat ab initio*, hoc est, ab exordio mundi suasit homicidium, quin idem Ioan. suæ canon. cap. 3. cum dixisset: *in hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli; omnis qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, vt diligatis alterutrum*; quibus volebat nos ad fraternam dilectionem exhortari, statim subiecit: *non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum* vbi opponit *esse ex maligno*, et quod dixerat *esse ex Deo*; vt idem sit apud Io. *esse ex maligno*, quod dixit in sua can. ac esse *ex patre diabolo*, quod in hoc loco euangelij habet. ex his modis tertius videtur esse germanus ac genuinus huius loci.

Explicatur tripliciter, Ab initio.

Ioan. ep. 1. cap. 3.

Rupert. ex hoc loco Io. 8. *Vos ex Patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat* &c. colligit Luciferum statim à principio desiderasse Christum interficere, neque id tamen exequi potuisse, statim enim illi, purat, declaratum fuisse mysterium incarnationis, & Christum futurum esse Dominum, & caput hominum, & Angelorum, ita videlicet vt hinc casus occasionem ac ruinæ ansam arripuerit, quæ ex hoc loco collegisse videtur Ruper. loquitur hic Christus de primo peccato, & casu Luciferi, nam cum dixisset: *ille homicida erat ab initio*, mox subiecit, *& in veritate non stetit*, quod passim exponunt, quia per peccatum à gratia, in qua conditus fuerat, decidit, ac primum peccauit; de primo ergò Luciferi peccato hic est sermo. Quare cum Pharisæi Christum neci dare quærerent; propterea inquit Rupert. illos esse dixit Christus *ex patre Diabolo*, cuius & vellent desideria perficere. Verum hanc fuisse peccati primi Angeli occasionem ac ruinam paucorum est sententia Ambrosij Cathari. in illud Gen. 3. *sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*, Viguerij cap. 3. instit. Theolog. §. 2. versic. vlt. & significat Rupert. in hunc locum Ioan. 8. His addit Dionysius Carthus. 2. sentent. d. 5. q. 1. Gulielmum Paris. & sunt, qui eamdem sententiam D. Bernardo tribuant serm 17. in Cant. opinantur ergo hi Luciferi peccatum fuisse superbiam, qua in seipso confidens, nimiumque audax sua pulchritudine, & naturæ præstãtia inflatus, superbè appetijt, vt ad diuinitatis thronum per vnionem hypostaticam sua natura eueheretur, atque adeò

45. Rupert. sententia.

peccatum Luciferi.

cæteris omnibus à Deo conditis præesset, nulli omninò creaturæ subiectus. Porrò tantam audaciam, ac mentis elationem, inuidia mox comitata est, atque adeò Dei, & vniuersi nostri generis odium, præsertim verò Christi Domini, quem ipso statim mundi initio perdere auidè concupiuit, vt meritò ille ab initio homicida fuisse dicatur. Sic illi etiam ex hoc loco peccatum Luciferi definiunt, ac cur homicida ab initio fuerit, ferè declarant.

46. Vera sententia de p. Luciferi.

Sed imprimis quoque credendum est cum D. Thom. peccatum Luciferi in eo fuisse positum, vt appetierit beatitudinem suam naturalem, tanquam vltimum finem simpliciter, nihil solicitus de supernaturali beatitudine, ad quam Deus destinarat illum per gratiam, quam ei initio conditionis naturæ conferrat; vel potiùs vt appetierit supernaturalem istam beatitudinem, quasi suis viribus assequendam nihil de diuino auxilio cogitans, quod fortasse magis censuit D. Thom. vel denique quod Bonauent. visum est, peccauit primum Lucifer obfirmata quadam superbia, & elatione, qua de suæ naturæ nobilitate, ac præstantium donorum multitudine nimiù audax, propria auctoritate dominatum, & quasi tyrannicum principatum super vniuersas alias creaturas contra Dei voluntatem, quæ fortè illi præcepto aliquo positiuo insinuata fuerat, inuadere concupiuit: ita voluit similis esse altissimo. Quare vt Deus omnibus dominatur, ita ipse sibi omnium creaturarum dominatum arrogare conatus est: non ergo per æqualitatem, sed per similitudinem quandam voluit esse vt Deus; quod etiam verissimum esse apparet in D. Tho. sententia; nam velle vel suam beatitudinem naturalem, & vltimam simpliciter, vel (quod reor potius D. Tho. censuisse) velle beatitudinem supernaturalem de Dei auxilio nihil cogitando, sed quasi acquirendam naturæ dumtaxat viribus, est interpretatiuè quoq; velle habere à se, & ex sese suâ beatitudinẽ vltimam simpliciter, siue naturalis illa sit, siue supernaturalis, quod est proprium Dei. Vide hanc D. Thom opinionem apud Molin. in q. 63. D. Thom. a. 2. & 3. disp. vnica. hæc obiter propter eos, qui peccatum Luciferi in appetitu vnionis hypostaticæ, & homicidium in odio præsertim Christi collocant, & ad id confirmandum huius loci auctoritate vtuntur.

Quomodo Lucifer voluit esse vt Deus?

47. Initium nõ significat momentum hic.

Dicimus deinde ad rem accedentes, diabolum hoc loco *homicidam ab initio* vocari, propter hominem, quem decepit, quod numero 44. explicatum est. Verùm non est existimandum nomen, *initij*, hoc loco positum, momentum, & quasi punctum temporis designare, quo primum factus est mundus, quin totum illud sex dierum spatium, quin & eo amplius, vt dixi num. 44. quo & factus, & ornatus est mundus, & paulò post etiam sex illos dies, rectè hic initij nomine continetur; sub hoc enim initium homo instigante diabolo mortem incurrit, vel etiam Cain Abel occidit suadente diabolo, vt proinde verè dictum sit: *ille homicida erat ab initio*. In quæ verba sic scribit Augustt. tract. 42. in Ioan. *Ille* (Diabolus) *inuidit homini & occidit hominem; Diabolus enim, cùm inuideret homini, serpentem indutus, locutus est mulieri, & de muliere venenauit & virum. Mortui sunt, Diabolum audiendo, quem non audissent, si Dominum audire voluissent; positus enim homo inter eum, qui creauit; & eum qui lapsus est, obtemperare debuit creatori, non deceptori: ergo ille homicida erat ab initio: Videte genus homicidij fratres. Homicida dicitur diabolus non gladio armatus, non ferro accinctus, ad hominem venit, verbum malum seminauit, & occidit. Noli ergo putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades, occidis, & vt scias quia occidis, audi Psalm. filij hominum dentes eorum arma, & sagitta, & lingua eorum vt gladius acutus.*

Nota etiam esse homicidam, qui mala proximo persuadet.

A

In veritate non stetit] D. Chrysost. Theophyl. Euthym. hic *veritatem*, pro rectitudine iustitiæ sumunt, in qua à Deo creatus est Lucifer, & per elationem in ea non permansit. Diuus Thomas & Caietanus videntur accipere veritatem pro veritate fidei, quam omnes Angeli statim ac conditi sunt, à Deo acceperunt. Inter cæteras verò fidei veritates, quas à Deo tunc obtinuêre, hæc fuit vna, non posse Angelos naturæ viribus suum vltimum finem assequi supernaturalem; sed ad id opus esse illis supernaturali auxilio. In hac igitur veritate non stetit diabolus cupiens, & confidens se naturali facultate posse vltimum finem suum, extremamque felicitatem sibi comparare. Has duas interpretationes veritatis in hunc locum conuenire arbitror, etiam si simul iungantur. Sed si de vtraque hac sola prima veritate intelligas, non satisfacies menti Christi, qui expressè etiam de veritate, quæ in loquendo consistit, loquitur, cùm subdit: *cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius*: ergo his duabus interpretationibus tertia iungenda est, vt sumatur veritas pro veritate illorum verborum, quæ dixit Deus Adamo: *in quacunque die comederis ex eo, morte morieris*; in hac ergo veritate dicitur non stetisse diabolus, quia cum ea minimè consentiens, nec in ea acquiescens, quin contradicere ausus, ad mendacia se conuertit, Deum qua mẽdacij, qua inuidię infimulans. Hinc illæ callidissimæ, & omnis vanitatis plenissimæ voces: *nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quod in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis tanquam Dij scientes bonum, & malum*; quibus verbis fine dubio mentitus est, vnde patet simul illum cum homicidio mendacium vno eo demque tempore coniunxisse. Hæc ergo germana loci huius explanatio est. Nam quod alij volunt veritatis nomine Christum hic intelligi; qui de seipso dixerit: *Ego sum via, veritas, & vita*; non mihi videtur ad Christi mentem esse.

B

C

48.

Addi etiam potest huic, quam sequimur, expositioni quod sapienter est à Card. Tolet. obseruatum; dictum esse diabolum in veritate non stetisse, non tantùm quod mentitus sit Deum etiam mendacij infimulans, verum etiam, quia cum à Deo tum in dictis, tum in factis sit conditus (eam enim virtutem fuisse illi à Deo simul cum gratia infusam statim initio suæ conditionis non est dubitandum) non diu tamen in ea permansit: nam à sublimi illo gratiæ statu in peccatum delapsus, subitò se ad mendacia, & dolos conuertit: quæ etiam nunc, qua per se, qua per alios impios exercet. Huic expositioni, quam sequimur in declaranda veritate, i nqua non diu stetit diabolus, fauet etiam Irenæus lib. 5. cap. 22. & 23. vtroque enim loco declarat; dici diabolum non stetisse in veritate; quia *mendax est, & mendacium loquitur*. Rectè quoque Augustinus lib. 11. de ciuitate cap. 13. 14. & 15. obseruat verbum illud, *non stetit*, indicare diabolum in veritate fuisse creatum, non tamen in ea perseueraſſe: alioqui non diceretur: non stetisse, hoc est, non permansisse in veritate, si nunquam in ea fuisset, quod & nos numero quadragesimo quinto superius ex communi sententia significauimus, quod verissimum est, siue sumendo *veritatem* pro rectitudine iustitiæ, siue pro veritatis, seu veracitatis virtute; nec ab hac sententia recedendum arbitror propter ea, quæ acutissimus Theologus Vasquez affert contra hanc expositionem tom. 2. d. ducentesima vigesimaseptima, capite 3.

D

49.

Digitized by Google

50. *Quia non est veritas in eo*] ὅτι, *quia*, non causſam ſed effectum, & indicium ſignificat, vt & ſuperius v. 18. *quia ego qua placita ſunt* &c. ſic ſentit Auguſt. lib. 11. de Ciuit. cap. 14. *ſubtexit*, inquit, *indicium, quaſi quæſiſſemus vnde oſtendatur, quod in veritate non ſteterit, atque ait; quia non eſt veritas in eo, eſſet autem in eo ſi in illa ſtetiſſet. locutione autem dictum eſt minus vſitata. ſic enim videtur ſonare: in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo tanquam ea ſit cauſſa, vt in veritate non ſteterit, quod in eo veritas non ſit; cùm potius ea ſit cauſſa, vt in eo veritas non ſit, quod in veritate non ſtetit. ſed iſta locutio eſt & in Pſalmo vbi ait: ego clamaui quoniam exaudiſti me Deus, cùm dicendum fuiſſe videatur; exaudiſti me Deus, quoniam clamaui. ſed cùm dixiſſet; ego clamaui tanquam ab eo quæreretur, vnde ſe clamaſſe monſtraretur, ab effectu exauditionis Dei clamoris ſui oſtendit affectum tanquam diceret, hinc oſtendo clamaſſe me, quoniam exaudiſti me.* Hæc Auguſtinus. eſt ergò huius loci ſententia, hoc indicio manifeſtum fieri, quod in veritate ille non permanſerit, in qua conditus eſt, quia, id eſt, quod nulla nunc in eo ſit veritas, ſed totus quantus quantus eſt mendax, & mendacij pater eſt.

51. *Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur*] ſenſus eſt, quod attinet ad ſe ſemper diabolus mendax eſt. Etenim quod loquitur, vel mendacium eſt, vel certè ſi tale non eſt, iccirco illud loquitur, vt per illud tanto facilius inducat homines ad perniciosum aliquod mendacium, ſeu errorem, & peccatum, ita vt ea mente, atque animo tunc verum dicat, vt decipiat, fallat, & in errorem incurrere homines faciat, atque peccatum, ſed obijcies interdum diabolum ſimpliciter verum dicere, idque cedere in fidelium vtilitatem. Reſpondeo; ſi quando teſtimonium perhibet veritati, minimè id verò ex proprijs loquitur, ſed ſuperiori, hoc eſt, diuina poteſtate coactus, non propria voluntate adductus teſtimonium perhibet veritati, & bonum, quod inde naſcitur, vt fidelium confirmatio, infidelitatis contemptus, in Deum tanquam in auctorem eſt referendum. Nec diſplicet ea interpretatio, *ex proprijs* loqui eſſe, vt Mald. explicat; *propria vti inuentione, nec enim ipſum quiſquam mentiri docuit, ipſe verò docuit mentiri alios; quicunque mentiuntur*, & peſſimo exemplo & inſtigatione. eſt enim primus auctor, & tanquam doctor mendacij, & huic intelligentiæ ſequentia ſtatim verba fauent: *quia mendax eſt, & pater eius.* Hoc eſt ſingularis Epiphanij opinio; qui Iudam putat hoc loco diabolum appellari. Nec minus ſingularis videri debet Eucherij interpretatio in quæſtion. in Ioannem; qui hoc ad Iudæos refert, qui dicantur ex proprijs loqui, hoc eſt, ex ijs quæ velut per hæreditatem à patre diabolo acceperunt, ſicut & de Iuda ſentit Epiphanius. Manichæi hinc colligebant diabolum eſſe naturâ malum, interpretabatur *ex proprijs*, id eſt, natura ſua ſed hoc eſt contra fidem, & contra id, quod ſupra ex Auguſtino docuimus diabolum à Deo bonum creatum eſſe.

Diabolus auctor mendacij.

Quia mendax eſt, & pater eius] hoc eſt, *mendacij*, refertur enim relatiuum, *eius*, ad vocem *mendacij* præcedentem; *patrem* vocat *mendacij*, quia primus eius auctor & inuentor, vt quaſi illud pepererit. græcè: γέννημα αὐτοῦ, vbi notat Theodoret. Heracle, dictionis, *Patris*, addi articulum, vt ſignificetur diabolus peculiari quadam ratione Pater eſſe mendacij.

52. 34. *Ego autem ſi veritatem dico*] *Si*, græcè, *quia*; eſt autem ſic reſoluenda hæc oratio; mihi verò ideò fidem non adhibetis, quia veritatem dico non autem mendacium ſicut pater veſter; quaſi dicat, ſi mendacia proferrem, vt diabolus, credere-

A retis vtique mihi vos, qui eſtis ex patre mendacij, & ob hoc ipſum mihi non creditis, ob quod ipſum maximè credere deberetis, nimirum quia veritatem vobis dico. Vox, *ego*, emphaſim habet, opponit enim ſe diabolo, ego, qui non modo verax, ſed veritas quoque ipſa ſum; non loquitur autem Chriſtus hic de ſingulis Iudæis, fuerant enim, qui illi crediderant, ſed de genere Iudæorum.

35. *Quis ex vobis arguet me* &cæt.] ἐλέγχει, *arguit*, non *arguet* græc. habetur, ſed idem eſt ſenſus: quis poteſt vel poterit veſtrum me arguere de peccato, eſt autem arguere hoc loco, idem, quod conuincere, alioqui ſæpe Iudæi Chriſtum accuſabant, vel blaſphemiæ, vel violati ſabbati, conuincere autem poterunt nunquam. ſic Ioannes, *arguit mundum de peccato.* ad Titum primo, *potens ſit eos, qui contradicunt, arguere.* Vult ergo Chriſtus his verbis declarare, vnde fieret, vt non crederent Iudæi, cauſſam in illorum culpam reijcit. propter tres enim cauſſas poteſt aliquis alicui non credere, vel propter vitæ, ac morum turpitudinem, & indignitatem, vel propter doctrinæ falſitatem, vel propter eius, qui audit, nec credit, culpam & improbitatem. CHRISTVS igitur reiectis duabus primis cauſſis tertiam infert, vt primam igitur remoueat, ſuam innocentiam examinij, ac iudicio ſuorum aduerſariorum ſubijcit, qui in obſeruandis aliorum delictis acutiſſimi curioſiſſimique erant, ſed tanta erat integritas vitæ CHRISTI, & morum, vt ex tam multis, qui ſumma in illum ardebant inuidia, & odio auſus fuerit quidquam vel minimum obijcere; ſciebam enim nihil huiuſmodi euincere, ac probare ſe poſſe.

B

Obſeruandum hic CHRISTVM non modo non peccaſſe vnquam, ſed nec peccare quidem C potuiſſe, præſertim verò ob duas cauſſas. Primum propter perſonæ diuinitatem, cùm enim peccare non naturæ ſit, ſed perſonæ, fit hinc vt cum CHRISTI perſona diuina fuerit, peccare ipſe, labi, errare non potuerit. Sic ſexta Synodo act. 8. & 17. ſic Athanaſius libro de Incarnatione Chriſti ſub finem. Cyrillus libro decimo in Ioannem capite quadrageſimo; ſic Damaſcenus libro tertio, de fide capite vigeſimo primo, ad quod oſtendendum ſermone ſecundo contra Arian. poſt medium (vbi vocat CHRISTVM per ſe ſanctum, & Dominum ſanctificationis, & naturâ ſuâ iuſtum & immutabilem ad malum) affert locum Pſalmi 44. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* intelligit verò per illam vnctionem ipſam vnionem Hypoſtaticam, & vult vt vox illa, *propterea*, ſignificet habitudinem cauſſæ finalis, vt ſit hæc ſententia, ideò te vnxit Deus hoc ſingulari, & ineffabili modo, vt omninò diligeres iuſtitiam, & odio haberes iniquitatem, nec poſſes ab hac virtutis rectitudine declinare. Tertullianus libro de carne Chriſti ſic ſibi obijcit: ſi noſtram induit carnem, peccatrix fuit caro Chriſti, & Reſpondet: noſtram induit, ſuam fecit, & ſuam faciens, non peccatricem effecit. Epiphanius item in Ancorato prope finem affirmat contra Apollinariſtas; *Chriſtum in ſe aſſumpſiſſe animam, & carnem, quæ ipſe in ſe continuit non diuiſa ad malitiam.* & inferius ait: *ſi Chriſtus ſuperne*, id eſt, ſecundùm diuinitatem, *eſt perfectus; & verax etiam inferne*, id eſt, in humanitate. Vnde effici vult, quod ſi in humanitate inuentâ eſſet culpa, vel in diuinitatem eſſet refundenda; vel certè diuinitas non perfectè in humanitate habitaſſet; Præclara eſt illa Origenis ſimilitudo ad id declarandum 2. Periarc. capite 6. *Ferri*, inquit, *metallum naturâ ſua capax eſt caloris & frigoris, ſi*

53. Chriſtus ini peccabilis.

Obiectio Tertul. & eius ſolutio.

ſimilitudo Orig. ad probandum impeccabilitatem Chriſti.

tamen ſemper intra fornacem ignis contineatur dici poteſt incapax frigoris: ſic beatiſſima Chriſti anima ſemper in Verbo, ſemper in ſapientia, ſemper in Deo poſita omne, quod agit, quod ſentit, quod intelligit, Deus eſt, & ideò nec conuertibilis, nec mutabilis dici poteſt, qua inconuertibilitatem ex Dei verbi virtute indefinenter ignita poſſedit: Chryſoſtomus enarratione in caput ſeptimum Iſaiæ in illa: *antequam ſciat paruulus*, & cætera, ait: *qui aliorum tollit peccata, vtique immunis eſt omnis peccati, nec peccare poteſt*; & inferius addit Diuum Paulum tribuere Chriſto τὸ ἀναμάρτητον, hoc eſt, liberrimam omnis peccati immunitatem, ſeu impeccabilitatem, quam dicit eſſe Deo propriam, vt & Diuus Hieronymus dialogorum ſecundo, contra Pelagianum, licet interdum hæc vox innocenti tribuatur, quamuis impeccabilis non ſit, vt patet ex Damaſceno libro ſecundo de fide, capite duodecimo. idem ſentit Auguſtinus libro de correptione gratiæ, capite vndecimo, libro ſecundo de peccatorum meritis, capite vndecimo, & libro primo, de prædeſtinatione Sanctorum capite decimo quinto, & in Euchiridio capite trigeſimo ſexto, & quadrageſimo, vbi dicit: in naturæ humanæ ſuſceptione factum eſſe illi homini (Chriſto) gratiam quodammodo naturalem, qua nullum peccatum poſſet admittere & libro primo contra duas epiſtolas Pelagianorum *non ob aliud*, inquit, *factus eſt inter Deum & hominem mediator, niſi quia ex hominibus non potuit eſſe peccator.* Diuus Anſelmus libro primo cur Deus homo, capite decimo, *primus*, inquit, *Adam peccare potuit, quia purus homo, ſecundus Adam peccare non potuit, quia eſt Deus.* Vide Fulgent. de Incarnatione, & gratia, capite ſeptimo, & octauo. Merito ergo Dionyſius Alexandr. epiſtola contra Paulum Samoſate. ſub finem de Chriſto dicit: niſi eſſet Deus, non poſſet eſſe alienus à poteſtate peccandi, ergo quia Deus, ea poteſtate caret, quæ potius impotentia dicenda eſt. Addit verò inferius virtutem & iuſtitiam Chriſto non aduentitiam, vt cæteris hominibus, ſed naturalem eſſe, meminit huius epiſtolæ Euſeb. 67. hiſt. capite vigeſimo quarto, eſt & ratio, quam ſcholaſtici afferunt, quæ principem locum habet inter alias ad id confirmandum. quia ſi Chriſtus peccaret per humanitatem, Deus peccaret, hoc impium, ergo & illud; quam rationem pluribus & defendit, & corroborat Suarez tertia parte d. 34. ſectione ſecunda, concluſ. 1. ratione 2.

54. Altera cauſſa quod peccare non poſſet Chriſtus, eſt viſio Deitatis. etenim ipſo conceptionis momento ſanctiſſima Chriſti anima clare diuinam intuita eſt eſſentiam, quam qui intuetur peccare non poteſt; quod docet Auguſtinus de ciuitate, libro vigeſimo ſecundo, capite trigeſimo. ſanè Chriſti animam beatam fuiſſe, atque adeò Deum vidiſſe principio ſuæ conditionis, affirmat idem Auguſtinus libro quarto de conſenſu Euangeliſtarum capite decimo, & Alcuinus libro ſecundo de Trinitate, capite vndecimo. Ex his conſtat, quam verè dixerit Chriſtus, *quis ex vobis arguet me de peccato?*

Si veritatem dico vobis] Remouet ſecundam cauſſam, quam obtendere poſſent Iudæi, quamobrem illi non crederent; nimirum, quia falſa doceret hoc ergo reijcit: veritatem, inquit, dico vobis, non tantum verbis eam vobis pronuncians, ſed multis ſignis, & efficacibus argumentis eam perſuadens, vt quicumque modo velit eam agnoſcat, & intelligat DEI veritatem eſſe. *Quare non creditis mihi*] hęc verba referuntur, tum ad illa, *quis ex vobis arguet me de peccato*, tum ad iſta, *ſi veritatem dico vobis*, &c. vt ſit ſenſus: A cùm in me non ſit peccatum, & doctrina mea vera ſit, vnde fit, vt mihi non credatis, & cauſſam ſequenti verſu ſubnectit.

36. *Qui ex Deo eſt*] Infert iam incredulitatis illorum cauſſam, quod cum ex Deo ipſi non eſſent, verba Dei, qualia erant, quæ ipſe loquebatur, audire non poſſent. Sic autem ſunt conſtruenda verba; *propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*, quod probat; nam alioqui, qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Auguſtinus tractat. quadrageſimo ſecundo, & Gregorius homilia decima octaua in Euangel. ait dici ex Deo eſſe hoc loco prædeſtinatos, ex Deo non eſſe reprobos; quam propoſitionem reijcit Cardinal. Tolet. tanquam minus conuenientem huic loco, in quo docere vult CHRISTVS cur nunc illi fidem non adhiberent Iudæi. Huius cauſſa referri non poteſt in reprobationem; nam aliqui fortaſsis ex ijs in præſenti non credebant, prædeſtinati fortaſsis erant; non ergo cauſſa quamobrem B non crederent, reprobatio erat. Ex Deo igitur eſſe, idem eſt, ac Filium Dei eſſe, vel ex Deo natum eſſe, *non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri*; hunc eſſe ſenſum, tum ex Origene tomo vigeſimo quinto in hunc locum, tum ex ſuperioribus verbis colligimus: Opponit enim hæc duo: *ex patre diabolo eſſe*, quod verſiculo trigeſimo tertio dictum erat, & *ex Deo eſſe*. Sicut ergo qui ex patre diabolo ſunt, libenter eius tanquam filij verba excipiunt quamuis falſa; ita qui ex Deo patre nati ſunt, verba Dei audiunt. Audire verba Dei non eſt auribus duntaxat percipere, ſed fidem adhibere doctrinæ, & quæ præcipiuntur ſeruare.

37. *Nonne bene dicimus nos*] Dictio, *Nonne*, vim quamdam habet illationis, quam indicat Euangeliſta per verbum, *ergo*, cum ergo oſtendiſſet CHRISTVS innocentiam ſuam cum C veritate doctrinæ, eos verò ſibi non credere, quod ex patre diabolo eſſent, nec Dei verba ferrent, ægrè iſta ferentes Iudæi, ex his verbis colligere ſe aiunt: veriſimum eſſe quod ſæpè obiecerant, Samaritanum eſſe, & dæmonium habere. Itaque hæc non tam quaſi duas iniurias ſimpliciter Chriſto nunc illatas accipere debemus, quam tanquam confirmationem, ac probationem quandam earum iniuriarum, quas in illum vſurpare ſolerent. & quidem non apparet eos ſupra apud Ioannem Chriſtum vocaſſe *Samaritanum*, affirmarunt *Galilæum* capite quadrageſimo primo, verſiculo quinquageſimo ſecundo; dixerunt dæmonium habere capite eodem verſiculo vigeſimo, ſed ipſis adhibenda fides de ſe teſtantibus ſolitos*, & hoc Chriſto per contumeliam obijcere. Non vocant autem *Samaritanum*, quod inter Samaritanos natus D ſit; ſciebant enim ex Nazaretano Oppido oriundum. *Vocabant autem eum Samaritarum*, inquit Euthy. Ioann. 8. *vtpote non exacte ſeruantem legem, ſicut illis videbatur, neque traditiones ſeniorum, tales ſiquidem erant Samaritani, dæmoniũ verò habentem tanquam Dei honorem in ſe ipſum deriuantem; nam tales ſunt dæmones; ſed hic tanquam ũ, qui in veritate Deus erat, illi verò quaſi ſeductores.* Quam intelligentiam clarius explicat Elias Creten. orat. 4. Nazianz. *vocant autem*, inquit, *Chriſtum Dominum Samaritanum fortaſſe propterea quod præcepta legalia pro adiaphoris, ſiue indifferentibus haberet, & Sabbati violationem floccipẽderet. nam apud Samaritanos accurate Iudaiſmus non obſeruabatur, ſed ipſorũ cultus ex peregrinis etiam græcis moribus aliquid miſtum haberet. deinde à dæmonio Chriſtum obſeſſum aiunt, quod in more ſit dæmonijs debitũ honorem Deo*

Chriſtum cur Iudæi Samaritanum vocant.

Cur habentem dæmonium.

Digitized by Google

in ſeſe transferre : ſinequæ iracundia Dei gloriam rapere, quod ipſum & à Chriſto fieri putabant, cùm ſe, qui eſſet homo, in Dei ſedem quaſi collocaret his ipſis verbis : qui ex Deo eſt, verba Dei audit. oſtendit enim ſe ſuos ſermones verba Dei appellare.

Alij etiam vt Origenes volunt dixiſſe illos, quod Chriſtus dæmonium haberet propter ſublimitarem doctrinæ ; ſupra humanum enim captum videbatur loqui, quo pertinet quod habet Gregorius Nazianzenus oratione prima contra Iulianum, vbi affirmat illos appellaſſe Chriſtum *dæmonium*, ſeu dæmonium habentem quaſi arreptitium & dæmone agitatum.

Alij, quod idem etiam Origenes habet, malunt ſic dictum propter admiranda opera, quæ faciebat, quæ ipſi virtuti dæmonum tribuebant. Sed mihi ea, quæ Euthym. & Elias Cretenſis habent, magis placent, quia in hunc locum magis conueniunt, confirmant porrò ex verbis Chriſti, ipſum rectè dici ab eis *Samaritanum*, quia cùm Iudæos ex diabolo eſſe diceret, videretur à Iudæis auerſus tamquam Samaritanus, & qui eorum legem & traditiones parum curaret. Inferunt & dæmonium habere, id eſt, vel tamquam arreptitium eſſe, vel potius dæmonis ductum ſequi, eiuſque virtute niti, quod dæmoni ſimilis Deum ſe eſſe diceret, ac verba ſua Dei verba eſſe affirmaret. propterea ergo inferunt, hæc duo meritò in illum conuenire, quæ illi in eum vſurpare, & iactare ſolerent.

55. 38. *Ego dæmonium non habeo*] Duo Chriſto obiecta fuerant, quod Samaritanus eſſet, & dæmonium haberet. Primùm tacuit, quidquid Cardinalis Tolet. velit. Alterum reiecit magna cum manſuetudine, & prudentia. Diuus Gregorius docet cur non negaret ſe Samaritanum homilia 18. in Euangel. *cuſtos namque*, inquit, *humani generis venerat, & ſi Samaritanum ſe non eſſe diceret, eſſe ſe cuſtodem negaret, ſed tacuit quod recognouit ; & patienter repulit quod dictum fallaciter audiuit, dicens : ego dæmonium non habeo.* Origenes homilia 34. in Lucam habet vnam rationem cur Samaritanum ſe Chriſtus minimè neget? At verò tomo 26. in Ioannem : tres affert rationes eiuſdem rei, & Diuus Auguſtinus ſermone 37. de verbo Domini docet, cur Chriſtus Samaritanum ſe eſſe confirmet, tantùm abeſt, vt neget, dicit idem Conc. 1. in Pſalm. 30. & 136. & tractat. 43. in Ioannẽ. Vera cauſſa mihi videtur, cur non reiecerit quod Samaritanus eſſet, quod nihil in eo diuina gloria læderetur, ſicut lædebatur in altero, quod dæmonium haberet. Docet Origenes tantùm Chriſtum dicere potuiſſe, *dæmonium non habeo*; nam qui peccatum habet, dæmonium habet; at quotuſquiſque eſt qui non peccet? Sed hoc myſticum.

Quarè Chriſtus ſe Samaritanum eſſe non neget?

Ego] Emphaſim habet, q.d. ego non habeo, vos habetis.

Sed honorifico Patrem meum] Quia dixerant dæmonium habere, quod ſibi Dei honorem tribueret, reſpondit Chriſtus : *dæmonium non habeo*, quia non mihi vſurpo, vt vos opinamini honorem Dei, quin eum maximè honoro. Cùm verò ait : *& vos inhonoraſtis me*, oſtendit illos dæmonium habere, nam proprium eſt dæmonis DEVM non honorare, ſed de eius detrahere honore, illi inuidere.

39. *Ego autem non quæro gloriam meam*] Probat quod honorificet Patrem ſuum, quia *non quæro*, inquit, *gloriam meam* dum me defendo, ac purgo quod dæmonium non habeam, ſed gloriam Patris mei; vel, *non quæro gloriam meam*, nam ſi gloriam meam quærerem, graue ſanè de vobis ſupplicium ſumerem, vel vt Diuus Chryſoſtomus ait : vlciſcerer iniurias meas; nunc verò veni in mundum, non vt quærerem honores, & auram popularem captarem, ſed ad iniurias, & contumelias ferendas, & opprobria toleranda, quibus hominum genus redimeretur.

Eſt qui quærat, & iudicet] Græcè ζητῶν καὶ κρίνων, *quærens, & iudicans*, nimirum eſt Pater, qui curam habet quærendi, & vlciſcendi, hoc enim ſignificat *iudicare* hic. Loquitur autem hic Chriſtus non de iudicio illo extremo, vniuerſali, atq; ſpectabili, ſed de eo, quod oculos ferè hominum fugit, & quaſi quotidiano ac priuato. quod verò dicitur Ioann. 5. 22. *Pater non iudicat quemquam*, de ſpectabili illo, & extremo iudicio accipiendum eſt. Auguſtinus de extremo iudicio hunc locum intelligit de multis verbis, vix tandem rem diſſoluit, ſolutio data planior eſt ; ſolet enim etiam nunc Pater, iniurias filio, & iuſtis omnibus illatas vlciſci.

B Illa ad mores faciunt, quæ huius loci occaſione mouet Diuus Gregorius homilia decimaocta in Euangel. *Conſiderans enim Chriſti patientiam, & manſuetudinem, quid aliud*, inquit, *niſi ſuperbia noſtra confunditur, quæ ſi exagitata, vel leuiter fuerit, atrociores iniurias reddit, quàm acceperit; facit mala quæ poteſt, minatur, & quæ facere non poteſt. Ecce iniuriam ſuſcipiens Dominus non iraſcitur, non contumelioſa verba reſpondet: qui ſi eiſdem iſta dicentibus reſpondere voluiſſet ; dæmonium vos habetis; verum profectò diceret, quæ niſi impleti eſſent dæmonio, tam peruerſa de Deo loqui non poſſent. Sed accepta iniuria, etiam quod verum erat dicere veritas noluit, ne non dixiſſe veritatem, ſed prouocatus contumeliam reddidiſſe videretur. ex qua re quid nobis innuitur, niſi vt eo tempore, quo à proximis ex falſitate contumelias accipimus, eorum etiam vera mala taceamus, ne miniſterium iuſtæ correptionis in arma vertamus furoris? Sed quia quis quis Dei zelo vtitur ſæpè à prauis hominibus dehoneſtatur, in ſemetipſo nobis Dominus patientiæ præbuit exemplum.* 56.

C 40. *Si quis ſermonem meum*] Iſta ſic connectit Diuus Chryſoſtomus : *Ego*, inquit, *non quæro gloriam meam*, ideo relicta gloriæ meæ vindicta; ad doctrinam exhortationemq; conuertor. Si quis ergo ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum, ita enim fiet, vt non modò ſupplicium vitetis, ſed æternam vitam conſequamini : quare oſtendit ſe, non propter eorum quidem contumelias à conſilio, cogitationeque ſua deijci, quo minus doctrinæ ſuæ curſum teneat, & veritatis ſuæ fructum vberrimum aperiat : in morem vberrimi fluminis, quod occurrentia ſaxa, & interiectos obices ſuperat, nec à curſu ſuo recedit. Quam Domini conſtantiam ad mores noſtros accommodat Diuus Gregorius homilia eadem 18. in Euangel. *Cùm verò*, inquit, *malorum peruerſitas creſcit, non ſolum prædicatio non debet minui, ſed etiam augeri. Quod ſuo Dominus exemplo nos admonet, qui poſtquam habere dæmonium eſt dictus, prædicationis ſuæ beneficia largius impendit, dicens : Amen amen dico vobis : ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.* Quid ſit mortem videre, vel guſtare benè declarat Maldonat. Matt. 16. 28. Luc. 2. 26.

Sancta prædicatio nũquã intermittenda.

41. *Nunc cognouimus* &cæt.] Ex his modò verbis, quamuis alia deeſſent argumenta, apertè cognouimus id, quod antea dicebamus, quod dæmonium habeas; vel, nunc reipſa videmus, atque experimur, quod ſola antea coniectura dicebamus; vel iuxta Euthy. *nunc cognouimus*, id eſt, nunc magis cognouimus, ſeu nunc omninò & perfectè credimus 57.

dimus, & hic sensus magis quadrat. Aptissimè in istos conuenit, quod Psalm. 63. de huiusmodi hominibus habetur *firmauerunt sibi sermonem nequam.* Sed vnde est, vt nunc agnoscere se dicant, quod dæmonium haberet? Respondet Euthym. quia visus est Deo se fecisse maiorem, melius respondet Theophy. Iudæos ideo dæmone agi Christum putasse, quod aliena quædam quasi mente captus diceret, quod ex Ioann. 10. confirmatur, vbi aiunt; *Dæmonium habet, & insanit, quid eum auditis?*

Abraham mortuus est &c.] Quia dixerat Christus futurum, vt qui sermonem eius seruarent, in æternum mortem non viderent. Obijciunt illi Abraham mortuum, quasi se eo superiorem vellet facere, vel etiam Deo, sed malè argumentabantur: neque enim Christus dixit: *mortem non videbit*, sed non videbit in æternum. neque enim Abraham mortem gustauit in æternum, sed ad sinum Patrum anima eius deducta est, & inde ad gloriam; ad vitã autem postremò immortalem corpore, & anima suscitandus.

58. D. Gregorius loco citato: *sicut bonis*, inquit, *necesse est, vt meliores etiam per contumelias existãt; ita semper reprobi de beneficio peiores fiunt: nam accepta prædicatione, iterum dicunt: nunc cognouimus quia dæmonium habes. quia enim æternæ morti inhæserant, & eamdem mortem cui inhæserant, non videbant, dum solam mortem carnis aspicerent, in veritatis sermone caligabant, dicentes; Abraham mortuus est, & Propheta mortui sunt; & tu dicis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum? Vnde & ipsi veritati eundem Abraham & Prophetas quasi venerantes præferunt. Sed aperta nobis ratione ostenditur, quia qui Deum nesciunt, Dei quoque famulos falsò venerantur.*

42. *Quem te ipsum facis?*] Hoc est, quem nobis te suades esse? *Quis*, inquit Rupertus, *se ipsum facit aliud quàm est, nisi is, in quo veritas non est, mendacij pater, id est, dæmon, & omnis hypocrita, & nequam, qui ex parte eius est?*

43. *Si ego glorifico me ipsum*] Interrogauerant quem seipsum faceret? ideo tacitè nunc Dominus ostendit se filium Dei esse. verùm prius amouet à se iactantiæ suspicionem: *si ego*, inquit, *glorifico me ipsum*, id est, si me vt homo solus insolenter iacto, & gloriam inanem aucupor, *gloria mea nihil est*, id est, vana, non vera, non solida est. vt sit hæc sententia: si ego vt homo me glorificarem, parum vel nihil solidæ gloriæ assequi possem: quantula enim sunt, quæ facere homo potest sua virtute? cæterum quæ ipse facio, non puri ac meri hominis sunt, sed Dei, eiusmodi fuêre innumera signa, & prodigia, quæ vobis videntibus, & feci, & dixi; non igitur inanem gloriam capto, nec per iactantiam me effero, cùm non vt homo, sed vt DEVS, & loquar, & operer. Obseruandum est velle hic Christum iactantiæ opinionem à se repellere, quod inde suadet, quia non vt homo, hoc est, ex solius meri hominis operibus, vel verbis gloriam quærat, vt solent homines inaniter gloriam per sua opera & iactantiam quærere, (quæ certè nullius momenti est) sed ex diuinis operibus, ac verbis, quæ vt DEVS facit, cui iactantia, vel inanis gloriæ cupido inesse nequit. Hæc est Toleti expositio.

Aliter Diuus Chrysostomus: *si ego*, inquit, *me ipsum glorifico*, si glorificauero, vel glorificare voluero, *gloria mea nihil est*, nimirum apud vos vel opinione vestra, cùm reuera gloria quam mihi ego tribuo, sit magna, & solida, quia vt DEVS & loquor & opere confirmo, quæ dico. sic Theophylactus & Euthymius etiam exponunt; *gloria mea nihil est*, vt vos putatis; vel aliter iuxta hominum commune iudicium, in quo ex iuris præsumptione non creditur homini de se testanti, nihil est gloria mea: *est Pater meus qui glorificat me.* glorificare se Patrem dicit, hoc est, declarare, atque aperire se DEI filium esse, & CHRISTVM verum, qualis reuera erat, & hinc est quod gloria eius sit vera, & solida, & magna; quia verò quæ ipse facit vt DEVS, Patri solet tribuere, vt se esse DEI filium doceat, ideo maluit dicere *est Pater meus qui glorificat me*, quam dicere ego vt DEVS diuina doctrina, & operibus glorifico me & verè, & solidè.

Quem vos dicitis] His apertè declarat, se 59.
filium DEI esse, cùm eumdem & Patrem suum, & Iudæorum DEVM appellet, vim habent autem, *vos dicitis*, quasi dicat, vos quidem iactatis illum DEVM vestrum esse, sed non ita est. nam si DEVS re vera vester esset, honoraretis eum, eiusque præcepta seruaretis.

44. *Et non cognouistis eum*] Interlin. quia si cognouissent, filium eius recepissent, vel est sensus de cognitione coniunctâ cum præceptorum obseruatione, de qua cognitione intelligitur illud 1. Regum 2. *filij Heli, filij Belial nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum*, & illud Pauli ad Titum 1. *confitentur se nosse DEVM, factis autem negant.* sic 1. Ioan. 2. *in hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius seruemus. qui dicit se nosse DEVM & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.* Vel, *& non cognouistis eum*, id est, quamuis illum non cognoueritis, nunquam videritis, nunquam audieritis, vt capite 5. Ioannis 27. Vel *non cognouistis*, id est, non credidistis, cùm de me ille testimonium ferret, dicens: *hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite.* Hoc autem dicto tacitè ostendit eos Deum non cognoscere, qui si cognoscerent Christum eius filium & recepissent, & amassent: nam, & qui Patrem recipit, non potest filium non recipere, & amare.

Ego autem noui eum] Quia illum quà homo clarè video, qua verò Deus ab illo genitus in sinu eius sum.

Et si dixero, quia non scio eum] Cùm sciam sic interlin. vel iuxta Diuum Augustinum, quia secundùm carnem iudicantibus, poterat videri arrogantis quod dixerat, ideo hoc subdit; arrogantia itaque cauenda est, vt veritas non relinquatur.

Ero similis vobis mendax] Videtur alludere ad ea, quæ superius contra ipsum mendaciter, & falsò dixerant Samaritanum esse, & dæmonium habere.

Sed scio eum] Secundùm Theophylactum naturaliter ipsius cognitionem obtinens, & vt homo sermonem eius, & legem seruo. Vel probat quod dixerat, se nosse DEVM; quod videlicet sermonem eius seruet, ita vt particula, *&*, causalis sit.

45. *Abraham Pater vester exultauit vt videret diem meum*] *Dies* hic quomodo sumatur non cõstat. potest sanè significare vel tempus aduentus Christi in mundum, quo cum hominibus conuersatus est, docuit, admiranda opera edidit; & tandem in crucem actus vitam amisit, vel potest humanam significare, vel diuinam, vel vtramque claritatem 60.

Christi quo modo diem vsurpat Hiere. 17. cum ait. *dies hominis non desideraui*, & Paulus 1. Corint. 4. *mihi pro minimo est, vt ab humano die iudicer.* Græci exponunt, *diem*, pro die passionis Christi, quem vidit præfiguratum, & adumbratum in die quo filium suum Isaac obtulit in holocaustum; didicit enim, inquiunt, quod sicut ipse non pepercit filio suo dilecto propter Deum, ita neque Deus parsurus esset dilecto filio suo propter hominem. sic D. Chrysostomus homilia 54. Theophylactus, Euthymius; sequitur & idem Diuus Ambrosius lib. 1. de Abrahamo c. 8. quam expositionem sic illustrat D. Prosper lib. 1. prædict. cap. 17. *diem*, inquit, *passionis filij Dei, vidit Abraham in suo filio figuratum; quod vnico filio non pepercit, quod veluti ad aram crucis triduo cum insonti victima conuolauit; quod patiens, ac sine voce similis agno coram tondente se filius Patri, vt percuteret, pia colla præbuit; quod Aries cornibus in vepre detentus, spinis coronatum Christum ostendens pro Isaac immolandus apparuit, quod ideo Isaac immolatus non est, quia resurrectio filio Dei reseruata est. Hæc omnia credens Abraham videre meruit per figuram.* hæc Prosper.

Christus in Isaac præfiguratus.

61. Sed cur, inquies, gauisus fuisse dicitur, cum lacrymis, ac luctu prosequenda viderit? Respondeo, & gauisum esse, & doluisse. nam ex Christi passione, & cruce vterque nascitur effectus; gaudij verò meminit, vt se non inuitum ad passionem venire, Christus ostenderet. Vnde ait Euthymius gauisum esse Abrahamum ob salutem mundi, quam ex Christi passione consequendam sciebat. Qui verò per diem Christi diem resurrectionis intelligunt, vt Turrian. lib. 8. const. Clem. c. 12. n. 3. facilius possunt respondere huic dubitationi.

De die, quã Abraham vidit, & gauisus est.

Verùm hæc Græcorum interpretatio reijcitur, quia non tantum dictum est, Abrahamum vidisse diem Christi, & gauisum esse, sed præmittitur quod *exultarit, vt videret*, hoc est, gestiuerit, magnoperè concupierit videre diem Christi, postea viderit, & gauisus sit. Alij ergo dicunt; quod hic *dies* pro toto tempore aduentus Christi sumitur, quem Abraham viderit in spiritu, dum in semine Christo benedicendas omnes gentes vidit, & credidit. Est ergo idem hic dies, quod tempus aduentus Christi, in quo rectè hi sentiunt, quidquid sit de eorum interpretatione, nimirum quomodo dicatur Abraham vidisse diem Christi. Alij intelligunt diem æternitatis, & diuinitatis Christi, quem viderit intelligens, ab æterno esse Deum, Deique filium. Diuus Augustinus tractatu 43. in Ioannem scribit: *quod ait Dominus diem meum, incertum potest esse, vnde dixerit, vtrum diem Domini, temporalem, quo erat venturus in carne, an diem Domini, qui nescit ortum, nescit occasum. Sed ego non dubito Patrem Abraham totum sciuisse.* sic Sanctus Augustinus. sequitur hanc expositionem de die æternitatis Caiet. censet enim Abraham exultasse, vt videret claritatem diuinitatis Christi, vidisse verò non visione per essentiam, sed visione certæ notitiæ, & gauisum esse.

62. Equidem arbitror hæc CHRISTI verba: *vidit, & gauisus est*, non de sola fide, aut de figura, vel prophetica reuelatione accipienda esse: etenim illud credendus est vidisse Abraham, eoque gauisus, quod tantoperè videre concupierat. At non optauerat sola videre fide, quia fide iam videbat CHRISTI diem; nam si de tempore, antequam fidem haberet, id intelligas, diem eius videre desiderare non poterat: Nec per figuram aut reuelationem videre optabat, quæ eius desiderium satiare non potuissent: quorsum enim figuram, vel reuelationem optasset, cùm certissimam haberet fidem? ergo loci huius: *exultauit, vt videret diem meum*, id est, concupiuit, vt veniret dies meus, seu citò adesset tempus aduentus mei. cùm enim Abraham, DEO reuelante, venturum me sciret in mundum, vt humanum genus redimerem, vehementer cœpit æstuare desiderio tempus hoc videndi; caro enim, & cor eius exultauerũt hac spe concepta in DEVM viuum, hoc est, vt quam primum DEVM inter homines viuentem, vel corporis cerneret, vel mentis oculis: hac ergò fretus spe, exultabat, & desiderabat.

Vidit verò, & gauisus est. sicut & cæteri Patres, qui ante Christi aduentum, diem iam obierant, cùm essent in Limbo. Tunc enim edito in orbem Christo, reuelatum est illi, aduenisse Saluatorem mundi.

Inde verò nouo, atque incredibili gaudio gauisus est. Nec dubito Patribus illis, & per Angelos, per Simeonem, per Annam, per Iosephum, per CHRISTI præcursorem, per vtrumque Deiparæ virginis parentem annunciatum esse filij DEI aduentum. Quare cùm ait hic CHRISTVS, *vidit*, intellige certissimè illum sciuisse desideratum gentibus in orbem venisse, atque adeò Emmanuelem adesse in Iudæa, & inter homines DEVM versari. Cùm ergo Dominus ait Luc. 10. *multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt*; intelligo, non viderunt oculorum iuitu, alioquin mentis non dubium vidisse illos, & eximiam inde, atque animo voluptatem concepisse. Sic Abraham in Limbo vidisse diem CHRISTI exposuit Titelm. Iansen. Maldonat. Salmeron. Emman. Barrad. Perer.

63. 46. *Quinquaginta annos* &c.] Non intellexerunt Iudæi verba CHRISTI: *Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est*, arbitrati CHRISTVM significare à se homine, visum Abraham, dum viueret. Meritò Gregorius hom. 18. *carnales*, inquit, *mentes audientium oculos à carne non subleuant, dum in eo solam carnis ætatem pensant: dicentes: quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Erat tunc CHRISTVS trigesimumtertium annum agens, quomodo ergo illũ quinquaginta fermè natum annos esse significant? Irenæus libro 2. cap. 14. arbitratur sic locutos esse Iudæos, quod CHRISTVS quadragesimum tunc annum excesserat. *Responderunt*, inquit, *Iudæi: quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? hoc autem consequenter dicitur ei, qui iam quadraginta annos excessit, quinquagesimum autem annum nondum attigit, non tamen multum à quinquagesimo abstitit. Ei autem, qui sit triginta annorum, diceretur vtique; quadraginta annorum nondum es. Quod autem videbant Iudæi hoc loquebantur: non ergo multum aberat Christus à quinquaginta annis: & ideo dicebant: quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Sed hæc opinatio Irenæi de CHRISTI annis contra communem est Patrum, & Doctorum sententiam; ad hæc non mortuus fuisset CHRISTVS sub Tiberio, sed sub Claudio: nam decimoquinto anno Tiberij baptizatus est, trigesimum ætatis circiter annum ingressus, quod si prope quinquagenarius mortuus est: hoc est, septem vel octo supra quadraginta annos natus, fieret inde ipsum mortuum fuisse sub Claudio. Tiberius enim vixit in imperio 23. annos, & successor eius Caligula quattuor annos, post quem imperauit Claudius. Obijsset ergo CHRISTVS contra omnes historias anno circiter 6. Claudij.

Digitized by Google

Euthymius Ioannis 8. ait: *putabant eum ferme esse quinquagenarium propter multam eius peritiam & experientiam.* Quædam autem exemplaria habent *quadraginta*; sed cum Biblia correcta *quinquaginta* habeant, non est ab hac lectione recedendum. Lyra putat, propter labores, & ieiunia visum fuisse Christum longè maioris ætatis, quam esset. opinor id dixisse, quod certissimum, & summum esse poterat in annis ætatis Christi.

64. 47. *Amen, amen dico vobis, antequam &c.*] Respondet Christus prudenter ad eorum mentem, qui ipsum tanquam hominem purum putabant ante quinquaginta annos non extitisse. *Appende*, inquit Diuus Augustinus, *verba, & cognosce mysterium: Intellige, fieret, quia creatura erat Abraham, non dixit: Antequam Abraham esset, ego eram, sed antequam Abraham fieret, qui nisi per me non fieret; ego sum, neque hoc dixit, antequam Abraham fieret, ego factus sum, in principio enim fecit DEVS cœlum, & terram, nam in principio erat verbum, antequam Abraham fieret, ego sum. Agnoscite creatorem, discernite creaturam. Non ait*: inquit Chrysostomus, *eram, sed sum, eiusmodi verbum Deo conuenit, eò quod perpetuus sit, atq; sempiternus.*

65. 48. *Tulerunt ergo lapides*] Vt eum tamquam blasphemum lapidarent. Ipse autem non vt timidus, sed quia nondum venerat hora eius, sese abscondit, reddendo sese, quod verosimilius est inuisibilem.

Abscondit se] Et vt dicit Diuus Augustinus, quia veritas fugit superbos, & mendaces, & abscondit se illis. Humiles autem sequitur & manifestat se illis. Aduertit hic Cardinalis Toletus annotatione vigesimaseptima, nec Diuum Augustinum, nec Chrysostomum, nec Euthymium legere illa verba: *exiuit de Templo*, quod ea in exemplaribus Latinis, & Græcis non inuenerint. Nonnum verò, ait, hæc alia etiam legere: *exiuit de Templo, & transiens per medium eorum sic præterijt*, sed hæc vltima nec Græci nec Latini codices habent, sed tantùm, *exiuit de Templo*. Quod ad rem attinet, nullum fermè discrimen est.

THEORIA I.

In V. 14.

Quomodo Christus principium sit?

1. PRincipium auctore Sancto Augustino 5. de Trinitate capite tertio, cum sit relatiuum, ac significet ordinem vnius ad alterum, ibi reperiri potest, vbi est aliquis ordo.

Porrò in diuinis, vel considerari potest ordo, quem tota TRINITAS gloriosa Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vt sunt vnus DEVS, habent ad creaturas, quarum caussa sunt: ita nomen Principij dicitur in diuinis, vt Scholastici loquuntur, *essentialiter*, estque commune toti Trinitati; vel spectari potest ordo originis ad intra, quomodo, vt Doctores aiunt, *notionaliter* sumitur, & quidem respectu filij, propriè conuenit Patri soli, & sic intelligit Sanctus Augustinus illud Psalmi 109. *tecum principium*, & quidem alij de Patre etiam accipiunt illud Ioan. 1. *In principio erat verbum*, vt quoque sumitur in Concilio Syrmiensi capite 23. respectu Spiritus sancti commune est Patri, & Filio, qui sunt vnum principium spiratiùum Spiritus sancti.

Itaque notionaliter sumptum hoc nomen, nulla ratione Spiritui sancto tribuitur, nam ad intra respectu diuinarum personarum, & processionum nec generat, nec spirat, nec personam aliquam producit diuinam, quamuis ad extra respectu creaturarum essentialiter principium sit cum Patre, & Filio, harum enim trium personarum, vt vna est essentia, ita vna & eadem est potentia, eadem, & vna actio.

B Neque verò hoc idem nomen accipi potest notionaliter respectu essentiæ: nam essentia nullum planè ordinem originis habet ad vllam personam, vt constat capite *damnamus* de summa Trinitate. Quod si mihi obijcias, à Dionys. de diuinis nominibus capite 3. Patrem vocari fontem cœlestis diuinitatis. Quod etiam habet Sanctus Augustinus 4. de Trinitate capite 20. sub finem: *vbi*, inquit, *totius diuinitatis, vel si melius dicitur Deitatis principium Pater est*; & Athanasius oratione contra gregales Sabelij, quin etiam Concilium Toletanum 11. in confessione fidei, Patrem nominat fontem, & originem totius Deitatis, & Concilium Florentinum sessione 24. in litter. vnionis idem habet. 2.

C In promptu est responsio: non sic vocari patrem, quod producat Deitatem ipsam, sed quod eam communicet: quare genitiuus *Deitatis* non vsurpatur in ea loquendi formula pro termino eius respectus, quem secum affert principij nomen. Etenim eiusmodi terminus, cùm quid productum esse debeat à principio, cuius dicitur terminus, distinguatur oportet re ipsa ab ipso principio. Ergo asserendum est, formalem terminum, esse naturam, secundùm quam tale principium sese communicat, & sic intelligendi sunt Scholastici cùm Magistro in primo, distinctione vigesimanona, cùm affirmant Patrem vocari principium totius Deitatis, quod sit principium omnis personæ, cui per originem communicatur diuinitas.

D Sed non ita frequens est locutio, qua Pater totius TRINITATIS principium appellatur. In Concilio Vormat. in Confession. fidei; quod non ita accipiendum est, quasi tota TRINITAS, aut omnes eius personæ à Patre procedant, quod constat esse falsum: verùm quia multiplicatio personarum sanctissimæ TRINITATIS in Patrem referatur, à quo ducit originem; ita vt principium TRINITATIS nominetur non quasi distinctum à Triade, sed quasi in Triade contentum, vt prima persona aliarum fons, & principium. Verùm non est vsurpandus hic dicendi modus, nisi fortè declaretur clariùs & distinctiùs.

Roga-

Digitized by Google

3. Rogabis fortè cur *principij* nomen Patri tribuatur, cùm videlicet notionaliter sumitur, nam & Filius verè, & propriè principium est ad intra.

Respondeo, esse principium sine principio, seu esse primum in illo ordine, hoc est, ad intra, seu respectu diuinarum processionum, proprium est Patri. Est quidem Filius Principium, sed de principio. Est principium vnius dumtaxat processionis, non tamen commune ac in vniuersum omnis processionis, quæ intra DEVM esse potest: proinde non Filius, sed Pater fons est Deitatis, &, vt loquitur Diuus Bonauentura, *fontalis plenitudo*; in quo per se, & sine vlla dimanatione diuina fœcunditas reperitur, ac propterea prompta, expeditaque est in Patre ad omnem illius fœcunditatis actum, cùm in filio fœcunditas reperiatur per processionem à Patre, atque adeò non ad omnem fœcunditatem.

4. Hoc autem ipsum significant Patres, cùm nomen *origenis* Patri assignant, vt videre est in Concilio Toletano 6. in confessione fidei, dicituréque Pater origo personarum, in qua loquendi formula origo non processionem ipsam, vel principium primum omnis processionis significat, ob eamdem caussam Chrysostomus oratione 9. sub finem 5. tom. Patrem vocat *radicem sancti illius fructus*, & Diuus Augustinus 3. contra Maximinum capite 14. *Auctorem*, hoc est, primum principium, vt interpretatur Diuus Thomas 1. parte, quæstione 33. artic. 1. quamuis Hilarius 2. & 4. de Trinitate etiam Filium auctorem nominat sancti Spiritus, vt propterea visus sit Phebadius, libro contra Arianum, Patrem vocare auctorem sine auctore. *Initium* quidem, quia significare magis videtur durationis alicuius, vel, vt aiunt, existentiæ principium, non est in sanctissima TRINITATE vsurpandum, nisi fortè per modum negationis, vt dicamus, diuinas personas durationis, vel esse initium haud habere, vt ex Hilario 4. de Trinitate obseruarunt Mag. & Diuus Thomas distinctione 29. cita. Diuus verò Bonauentura eadem distinctione artic. 1. q. 1. ad 2. Patri tribuit nomen *initij*, si sumatur pro primo principio; sed neque hæc propria, nec frequens huius vocis significatio est.

5. Sed quoniam diximus Filium esse principium essentialiter, & notionaliter respectu Spiritus sancti, mirabitur aliquis quomodo dici possit principium, cùm genitus sit à Patre; videtur enim repugnare principio, si dicatur productum esse. Sed si quis attentè consideret, quæ fides docet, & Doctores explicant, intelliget sanè personam, quæ verus DEVS est, verè ac reipsa productam esse posse. Docet enim fides illud ipsum esse Dei, ipsamque naturam, quæ Deitas dicitur, quia infinita est, dari communicarique posse omnibus personis, quibus non opponitur, atque adeo non repugnare, vt id, quod producitur, recipiat eamdem naturam, quæ in producente præintelligitur. Ex quo fidei dogmate necessariò efficitur, nihil repugnare, quominus & verus DEVS possit produci; & eiusmodi productio nullam contineat vel inuoluat perfectionis diminutionem.

Quorum vtrumque per se liquet. Et primum quidem: nam cuicumque inest natura diuina, siue à se illam habeat, siue ab alio datam, verus DEVS est, & haberi debet. Alterum verò facilè ostendemus, si excluserimus omnes defectus, qui in productione aliqua contineri posse videntur.

Defectus, qui in re producta reperiuntur à persona diuina producta omnes prorsus excludunt.

Primus igitur defectus, qui in producto reperiri potest, est, quod sit ab alio; hinc enim fit, vt non sit à se, quod à Deo planè alienum esse videtur; sed tolletur hoc vitium, si sic distinguamus, esse ab alio bifariam accipitur: vel ab alio DEO, vel ab alio, qui sit idem DEVS.

Primum affert apertissimum perfectionis defectum, sic enim fieret plures esse Deos, & neque vnam esse producentis naturam, & producti. Quare cùm hæc distinctio non possit stare cum æqualitate naturæ, cum minore sit oportet perfectione coniuncta, ita vt ea, quæ producitur persona Deus verus dici non possit producenti æqualis, cadit enim à perfectione producentis, à quo dependet in natura.

Secundum verò nullum continet vitium, nec defectum, sed stat cum æqualitate naturæ; hoc ergo modo astruimus, diuinam personam ab alio esse, qui sit idem DEVS; neque hic aliquid vitiositatis, vel imperfecti cernitur, vt meritò hoc sensu dixerit Hilarius libro nono de Trinitate post medium, quamuis Pater maior sit (hoc est videatur) auctoritate dantis, tamen Filius minor non est, cui idem esse communicatur. Atque ita rem intelligendo, non pugnant inter se illa duo, esse productam personam, & esse ipsum esse per essentiam. Quia per eiusmodi productionem accipit persona, quæ producitur, ipsum esse per essentiam, hoc est, eamdem omninò diuinam naturam: & in hoc sensu potest dici, quæ sic producitur persona, esse à se, prout à se excludit principium alterius naturæ; cùm accipiat eamdem prorsus naturam producentis, quæ producta non est, quamuis ea communicetur personæ per eius productionem.

Alter defectus perfectionis in productione cernitur, quia id, quod producitur, pendere solet à producente, tanquam à caussa. Verùm omnis hic defectus, vel perfectionis diminutio, in ea dumtaxat productione visitur, per quam non tribuitur ipsa illa natura, quæ est in producente, nam propter illam caussam res producta pendet ab efficiente, quia illa natura ipsum esse, quod ab alio recipit, manat à natura, vel ab esse alterius, nec sine tali influxu esse potest; producens enim efficit ipsammet naturam, ipsummet esse, quod communicat alteri, vnde fit, vt semper det esse, vel naturam aliquam

distin-

distinctam ab ea, quam in se habet, quod est propriè agere, efficere, seu vt vocant nunc Philosophi, causare. sanè in processionibus diuinis id non reperitur, nam illa, quæ per se primo per illas tribuitur, non est alia omninò natura ab ea, quæ est personæ producentis; id quod, vt est proprium, & peculiare, ita admirandum valdè in diuinis illis processionibus, neque vsquam alibi reperitur; vnde fit, vt per illas non communicetur aliquod esse, aliquaue natura pendens vel causata (quod Philosophi aiunt) à producente, ipsaque productio tota sine vlla dependentia sit; præsertim cum eadem illa natura, quæ communicatur, intimè, & essentialiter in ipsa persona producta contineatur, & in omni eius proprietate per summam quamdam, & inexplicabilem simplicitatem; vnde efficitur, vt illa productio sit absque vera, ac propria actione per simplicem quamdam processionem, quæ reipsa non distinguitur à persona producta, neque verò inter producens, & productum intercedit hic vera actio, quæ sit actus elicitus secundùm se, sed est persona producens, quæ est suum intelligere & amare.

7. Itaque eiusmodi productio in diuinis citra omnem causalitatem est non modo formalem, & materialem, vt constat, sed etiam efficientem: efficiens enim illud est, ad quod aliud sequitur, persona autem producta non est aliud à producente, neque enim aliam habet naturam, nec eius productio est propria effectio, vel actio, vt dixi, hinc excluditur etiam finis, nam vbi non est efficiens, nec finis est, & nec diuinæ processiones ex intentione finis sunt, sed ex absoluta necessitate illius naturæ, vt sapienter Cyrill. Alexandr. lib. 5. Thesau. cap. 5. hoc interesse dixerit inter æternam, & temporalem diuini Verbi generationem; quod de æterna quæri non possit, cur fuerit, de temporali possit ob rationes dictas.

8. Quomodo intelligendi sunt aliqui Patres, cùm in diuinis processionibus nomine, causæ, vtuntur.

Sed roget aliquis, quamobrem ergo Basilius contra Eunomium non rarò, Gregorius Nazian. oratione 29. Damascenus libro 1. de fide 8. & 11. & vt Græcos omittam, etiam Richardus de sancto Vict. lib. 5. de Trinitate cap. 7. nomine *causæ* in diuina Triade vtuntur, hoc Patri nomen tribuentes, vt proinde Aureol. 1. distinctione 29. non dubitauerit affirmare, causæ nomen, etiam iuxta proprietatem Latini sermonis, posse propriè Deo attribui ad intra? At non ita censuit Hilarius lib. 9. de Trinitate. non ita Diuus Thomas 1. parte quæstione 33. non ita passim Scholastici: quin Cyrillus ipse Græcus *causæ* nomen non admittit, vt obseruat Bessarion in Concilio Florentino sessione vltima in orat. pro vnione cap. 3. Quare exponendi sunt Græci Patres, dum eam in diuinis processionibus vocem vsurpant. Est enim aduertendum duobus modis consueuisse Patres *causæ* nomen in Deum transferre. Primùm per respectum inter attributa essentialia, & ita tum Augustin. tum Hieronym. aliquando dixerunt; DEVM sibi esse causam. vt sit, vel vt sapiens sit, quæ dicendi formula negatiuè accipienda est, vt sit sensus, DEVM non aliunde habere, vt talis sit, sed ex se talem esse, neque est passim vsurpandus hic dicendi modus, vel extendendus.

Deinde altero modo ad diuinas personas transfertur nomen *causæ* ita, vt tribuatur vni personæ respectu alterius, quod ferè græci consueuere, vt patet ex Concilio Florentino, sessione vltima in litera vnionis, & ibidem ex Bessarione in oratione pro vnione capite vltimo, vbi explicat, non vsurpasse græcos eam vocem prout limitationem, vel dependentiam secum affert, sed tantum quatenus simplicem originem significat.

Audiamus igitur Hilarium loco citato, qui negat in Diuina TRINITATE vtendum nomine *causæ*, sed vsurpandum principij nomen. Vide de his copiosius differentem, & egregiè, vt solet, Franciscum Suarez disputatione duodecima, in Metaph. sectione secunda, & libro secundo de Trinitate capite secundo.

Vt autem hæc clarius intelligantur, aduertendum est, nomen *principij* quattuor modis vsurpari (loquimur autem de principio rei, non cognitionis) Primum vt continet rationem ordinis, vel cuiusdam connexionis inter aliqua; vt cum dicimus, in scientijs, id quod est nobis notius, esse debere principium doctrinæ, & in tempore auroram esse diei principium, & in loco, qui primus sedet, dicitur ceterorum principium, & Rex secundum Damascenum est principium eorum, quibus præest propter ordinem dignitatis. Verùm hæc acceptio latissima est. 9.

Altero igitur modo magis propriè vsurpatur à Philosophis principium, vt significet aliquem respectum, qui intercedit inter ipsum & illud, cuius est principium, ita vt hoc ex illo aliquo modo per se oriatur, quamuis id non sit per positiuum influxum aliquem, sed tantum propter necessarium ordinem, & respectum per se ad aliud, quomodo priuatio dicitur ab Aristotele generationis principium; cum enim priuatio non sit aliquid reipsa inhærens, non potest habere proprium influxum in rem, quæ fit, sed tantum dicitur principium ob intrinsecum respectum generationis rerum natura constantium ad ipsam priuationem. Est enim generatio secundum suam vim & notionem transitus de non esse, ac propterea exigit priuationem, ex qua tanquam ex necessario termino per se constat.

Tertiò dicit principium positiuum influxum, & communicationem sui esse sine dependentia, & causalitate, qui modus principij tantum in diuina TRINITATE reperitur, vbi verè reperitur influxus, id est, vera communicatio diuinæ naturæ à persona in personam citra vllam causalitatem, dependentiam, & effectionem in

natura

natura verò creata non reperitur huiusmodi influxus sine caussalitate, & dependentia, cùm semper caussæ naturales influant esse aliud, & distinctum ab eo, quod in se continent, quod in efficiente clarum est, sed & in materia, & forma verum est, quatenus hæc à natura compositi, quod constituunt, distinguantur. Itaque in creaturis talis principij modus per solum influxum sine caussalitate, & dependentia non reperitur. Postremus verò principij modus per influxum & simul dependentiam, seu caussalitatem est, qui non reperitur in DEO ad intra, reperitur in natura.

10. Est tertium vitium, seu defectus, qui productioni inesse potest, quod ex nihilo videatur esse id, quod ab alio producitur; Itemque constare actu, & potentia, sed nihil huiusmodi in diuinis processionibus est reperire: nam cùm per has processiones personæ productæ tribuatur vna eademque substantia producentis. Hinc efficitur, vt id, quod producitur, non sit ex nihilo, sed ex substantia producentis, cuius propositionis intelligentiam docuimus prima parte dilucidationum libro 1. capite 1. digressione 3. sectione 1. de qua etiam vide Suar. libro 2. de Trinitate capite 2. numero 9. excluditur, & hinc omnis compositio, quia illa substantia, ex qua dicitur esse huiusmodi processio, non se habet vt potentia, neque vt pars naturæ, sed vt purissimus actus omninò, qui est tota natura rei productæ, reipsa nullo modo distincta à personali eius proprietate.

11. Postremò reliquæ omnes vitiositates, vt vno verbo dicam, quæ in alijs productionibus reperiri solent, procul hinc absunt; id genus sunt, productioni solere esse adiunctam mutationem aliquam, esse cum nouitate essendi, & similes.

In diuinæ naturæ cõmunicatiõe nulla mutatio.

At hæ vitiositates ideo insunt productioni rerum creatarum, quia per eam minimè perfecta natura communicatur, atque adeò modo minus perfecto, & cum caussalitate, & dependentia; at in diuinis processionibus datur natura omnis omninò mutationis expers, nulla igitur ibi mutatio, nulla nouitas essendi, nec finis. Hinc rectè Damascenus lib. 1. de fide cap. 8. speciatim de filij productione scribens ait: *impium esse in illa cogitare temporis initium, aut post Patrem filij substantiam generari, quia ex ipsa Patris substantia astruimus filij generationem.* Qua de re vide quæ diximus loco citato nostrarum dilucidationum sectione 4. numero 11. & 12.

Principij nomen propriè Deo cõuenit, non verò principiati.

Ex his constat, quot modis *principij* nomen sine vlla perfectionis diminutione Deo tribuatur, vnum addendum: quamuis principium de DEO dicatur propriè, non tamen propterea hinc efficitur, vt principiatum ibi locum habeat; nam principiatum, licet correlatiuum esse videatur principij, verè tamen ibi non est, sed si assignetur principij correlatiuum, erit id, quod est ab alio, quare filius non dicitur principiatus à Patre. Sic Diuus Thomas prima parte quæstione trigesimatertia, articulo primo ad 2. & passim Theologi, & merito, vt errandi occasio amputetur. Principiatum enim videtur significare aliquid factum, atque indicat initium durationis, vnde res inceperit, quæ prius erat. Græci verò, qui aliquando aiunt filium à Patre principiari, sumunt, *principiari*, vel esse principiatum, tantùm ab alio esse, seu habere principium, non durationis, sed originis.

THEORIA II.

In versu 33. *Ille homicida erat ab initio.*

Num diabolus semper malus fuerit?

1. MANICHAEORVM hæresis fuit, dæmonem malam habere naturam, Platonici etiam alios faciebant dæmones natura bonos, alios natura malos, & Porphyrius philosophus, teste Augustino 11. de Ciuitate affirmauit, quoddam reperiri dæmonum genus natura fallax, simulans Deos, & animas defunctorum. Hanc hæresim reiecit Diuus Dionysius Areopagyta de diuinis nominibus parte quarta, dum docet; nullam rem natura malam esse, & ne diabolum quidem; quod verissimum est, diabolus enim cùm à DEO factus sit, inter ea continetur, de quibus scribitur: *vidit DEVS cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Diabolus natura bonus.

Quod ipsum confirmatur in Concilio Lateranensi secundo capite *firmiter* de summa Trinitate & fide Catholica, & in Carthaginens. quarto capite 1. vbi ponuntur dogmata, de quibus interrogari debet is, qui in Episcopum promouendus: & in Concilio Bracharensi 1. & Leo primus epistol. 91. ad Turibium Astoric. Episcop. capite 6. & est de fide. Neque id est, quod hic in controuersiam vertimus, solum enim dubitamus, an diabolus propria voluntate peccando, statim vt creatus est, sit factus malus, quod non est de fide.

2. Solutio cuiusdam obiectionis.

Quod si obijcias locum libr. Sapient. 12. *erat naturalis malitia eorum.* Respondeo; vel accipi debere hunc locum de inueterata diu peccandi consuetudine, quæ quasi in naturam vertitur, ita vt id, quod secundùm eam fit, quasi naturale homini dici possit; vel accipi potest de corrupta quadam naturali propensione quorundam hominum ad malum: videntur enim esse quidam quasi naturaliter propensi ad mendacia, ad iras, rixas, furta, homicidia, ad omnem intemperantiam, & similia: hæc ergo propensio dici potuit istorum hominum *naturalis malitia.*

3. An diabolus in primo suæ creationis instanti peccauerit?

Dubitamus igitur, num etiam ipso creationis initio sua voluntate diabolus fuerit malus, & Diuus Thomas quidem prima parte, quæstione sexagesimatertia, articulo quinto

quinto ait: eam opinionem, qua creditur diabolus primo instanti malus fuisse, à magistris tamquam erroneam rationabiliter reprobatam esse, quamuis id dicere, non sit hæresis illa Manichæorum, quod diabolus suapte natura sit malus, vt obseruat Augustinus vndecimo de Ciuitate capite decimotertio, hunc tamen errorem secutus est Augustinus Eugub. libro octauo de perenni Philosophia capite trigesimooctauo, affirmat enim malos Angelos ab initio suæ creationis peccasse. Ipse verò Diuus Thomas non modò negat diabolum in primo instanti suæ creationis fuisse malum, sed ait: nullo modo potuisse tunc esse malum. Quamquam multi id non admittunt; de quo Molin. in prim. part. Diui Thomæ quæstione sexagesimatertia, articulo quinto, ibi enim docet, potuisse Angelos primo creationis suæ momento peccare, quamuis non peccarint.

4. Angeli omnes aliquãdo fuerunt in gratia.

Sed quidquid sit de hoc, an potuerint peccare, necne, omninò censendum est, primum diabolum, omnesque simul Angelos aliquando gratiam habuisse; deinde eam primo creationis suæ instanti habuisse: denique eam per suam cooperationem accepisse; tria hic affirmo.

Primum, non vno Scripturæ loco significari videtur. Docet enim Scriptura tantam aliquando fuisse Luciferi, & Angelorum præstantiam, quantam verosimile non est sine gratia supernaturali consistere potuisse, patet id Isaiæ decimoquarto: *Quomodo cecidisti Lucifer de cœlo, qui manè oriebaris?* Vbi de Lucifero sub persona Regis Babylonis loquitur Propheta, quo volunt quidam respexisse Dominum, cùm Lucæ decimo dixit discipulis. *Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem.* Item Ezechielis vigesimooctauo sub nomine Regis Tyri describitur, quanta magnificentia, & decore, & quot bonorum delicijs fuerit Lucifer ornatus à DEO, priusquam peccaret, vt Tertullianus offendit libro 2. contra Marcio. ante medium. & Diuus Hieronymus in illum locum, & alij Patres; hæc tamen loca sensu litterali de Lucifero non intelligi docet Vasquez 1. 2. quæstione 22. capite 4. Idem colligi potest ex hoc loco Ioan. 8. *in veritate non stetit*: fuit igitur aliquando in veritate.

At ambulare in veritate, & stare in veritate, in Scripturis significare solet esse in gratia, & vocabulum, *veritatis*, ac verbum, *standi*, rectitudinem gratiæ, & iustitiæ designat, vt primæ Ioannis capite tertio, versiculo decimooctauo, *non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus.* & secundæ Ioannis quarto: *gauisus sum valdè, quoniam inueni de filijs tuis ambulantes in veritate.* & epistola trigesimaquarta: *maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare*, & primæ ad Corinthios decimo, duodecimo: *qui se existimat stare, videat ne cadat.* & quarto Regum capite vigesimo, versiculo tertio: *Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate.* Fateor hæc loca aliter exponi, sed non multum probabiliter, si excludatur hic sensus. est alius locus in epistola Iudæ. *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.*

Quem principatum Angeli mali in prævaricatione amiserunt? 5.

Certum est autem, Angelos Apostatas non amisisse principatum, qui suaptè natura illis competebat. Etenim in Angelis manserunt naturalia. ac propterea naturalis dignitas, qua vnus alijs præstabat, quæ erat principatus naturalis ipsius, integra mansit; per *principatum* ergo & *domicilium* intellexit Iudas principatum gratiæ, qua vnus alijs excellentior erat.

Quod hic dicimus, non est omninò certum ex fide, nam Magister sententiarum secundo, distinctione quinta, absque nota erroris putauit dæmones nunquam habuisse gratiam, verùm ita certum est, omnes Angelos habuisse gratiam, vt iam id negare, sit planè temerarium ob testimonia Scripturæ, quæ quamuis exponi fortassis possent de quadam beatitudine naturali citra omne malum pœnæ vel culpæ, qualem non est negandum, Angelos habuisse ante peccatum; nihilominus non tam benè, atque aptè ad sensum Patrum, de quibus mox dicam, sic intelliguntur. Quod si Angeli, qui ciderunt, habuêre aliquam gratiam, non est, quod dubitemus, omnes omninò illam habuisse.

6.

Quod verò gratiam habuerint, ipso statim conditionis suæ initio, hoc est, primo instanti suæ creationis, sic probare possumus, nam cùm essent à DEO creati propter finem supernaturalem, quem virtute sua naturali consequi non poterant, consentaneum fuit, vt daretur eis à DEO fides, & gratia, quibus ad eum finem assequendum egebant. Vide Diuum Thomam prima parte, quæstione sexagesimasecunda, articulo tertio. colligitur hoc ex loco illo Ezechielis vigesimioctaui: *perfectus in vijs tuis fuisti à die conditionis tuæ, donec inuenta est in te.* Docent idem Patres: Augustinus libro vndecimo de Ciuitate capite vndecimo, & libro duodecimo capite nono, vbi ait, Angelos à DEO conditos fuisse *cum bona volunte, & casto amore.* Sic enim vocat amorem ex charitate supernaturali, quam etiam nominat *bonam arborem*, quæ non potest malos fructus facere. Addit & illud, quod *erat DEVS simul condens naturam Angelorum, & gratiam largiens.* Idem censuit Diuus Hieronymus in illa Oseæ 3. *dilexerunt vinacea vuarum.* Sic Diuus Gregorius libro quinto moralium capite vigesimoseptimo, & libro trigesimosecundo, capite vigesimoquarto, & vigesimoquinto. Theodoretus libr. decret. diuin. capite de Diabol. & Dæmon. Damascenus libro secundo de fide orthosta capite tertio & quarto, & alij Patres, dum affirmant, fuisse Angelum creatum à

Digitized by Google

DEO bonum, & rectum sicut & hominem.

Hominem verò fuisse creatum in gratia, elicitur ex Scriptura, & affirmatur à Concilio Tridentino sessione quinta de peccato originali. ergo etiam Angelus, qui est perfectior creatura, fuit creatus in gratia, & hæc est nunc communis Theologorum sententia; quamuis olim Hugo de sancto Victore, libro primo de Sacramento capite vigesimo, vigesimosecundo, & Magister in secundo distinctione quarta & quinta, & alij quidam censuerint, Angelos fuisse conditos naturali solùm perfectione præditos.

7. Tertium verò ex tribus, quæ asseruimus numero quarto init. negant quidam, vt est Capreolus. volunt enim Angelos nullum actum supernaturalem habuisse in primo instanti suæ creationis, quia si huiusmodi actum concepissent Angeli, per illum meruissent beatitudinem, & tunc omnes fuissent illam consecuti: nam post vnum actum meritorium sunt adepti beatitudinem, ex Diuo Thoma loco citato articulo quinto, hoc sequitur Molina prim. part. quæstione sexagesimasecunda, articulo tertio, ad primum, sed credibilius est oppositum; conditio enim creaturæ intellectualis videtur hoc exigere, vt non recipiat gratiam, nisi consentiat, atque eatenus sese ad illam recipiendam disponat, quamuis non sine auxilio diuino; nec obest ratio allata pro sententia opposita, quia cùm dicit Diuus Thomas, Angelos bonos per vnicum actum meritorium fuisse consecutos beatitudinem, intelligere id oportet, non de primo illo actu, quo se disposuerunt ad gratiam omnes, sed vnico actu cum perseuerantia, quæ complectitur secundum instans.

8. Obseruandum est enim, Theologos quasdam morulas, seu instantia assignare, quibus dicuntur Angeli in via fuisse ante consecutionem beatitudinis, vel antequam æterna puniti essent damnatione. Quamuis enim in primo creationis instanti omnes Angeli gratiam sanctificantem habuerint, non tamen gloriam, ad quam obtinendam in semel accepta gratia perseuerare illos oportebat. Sicut enim ab hominibus, vt salui fiant, DEVS non quomodocumque meritum requirit, sed meritum cum perseuerantia; sic enim Matthæi vigesimoquarto scriptum est. *Qui perseuerauerit vsque in finem saluus erit* (etenim in perseuerantia peculiaris inest difficultas, ac proinde præcipua laus, ac promerendi vis) ita probabilius est, se gessisse DEVM cum Angelis, vt non tantùm contentus ea gratia fuerit, & sanctitate, quam initio conditionis acceperant; sed voluit, vt in ea sanctitate perseuerarent per aliquam moram, quamuis non tam longam, quam requirit in homine.

Hoc enim conformius est conditioni naturæ Angelicæ, quæ postulat, vt statim Angelus id consequatur, quod potest habere; neque enim indiget ad id longo operationis discursu, & successione. Quæ de re doctè Diuus Thomas quæstione 62. cit. artic. 5.

Itaque via Angelorum bonorum ante terminum beatitudinis constitit vna dumtaxat duratione vnius saltem operationis meritoriæ, quam quilibet Angelus bonus habuit cum perseuerantia, quæ respondet vnico instanti Angelico; instantia namque temporis Angelici continentur ipsis Angelicis operationibus. At via Angelorum malorum duobus instantibus absoluta fuit, id est, duabus saltem operationibus, quarum prima meruerunt, sed sine perseuerantia, altera verò in peccatum inciderunt, & prius illud meritum extinxerunt.

9. Sunt tamen inter Theologos, qui etiam viam bonorum Angelorum duobus instantibus constitisse affirmant, nam primum illud meritum negant fuisse plenè deliberatum, sicut accidit per secundum instans Angelicum; id quod alijs non probatur, volunt enim semper fuisse plenè liberum tale meritum, quia Angeli non egent successione ad omnia adiuncta intelligenda, nec ad plenè deliberandum, ac propterea, cùm in illo primo instanti fuerint æquè perfecti in actu primo ad deliberandum, atque in secundo; non est cur dicamus illos sine plena deliberatione initio operatos fuisse, sed hæc exactiùs declarare Scholasticorum est. Boni igitur post illam bonam operationem continuatam, seu post vnicum illum actum cum perseuerantia, statim adepti sunt beatitudinem in alio instanti, siue secundum sit, siue tertium. At mali immediatè post duas illas operationes, seu instantia fuerunt similiter in termino, & damnati. Igitur verissimum est, quod affirmat Diuus Thomas Angelos post vnicum actum meritorium, videlicet post actum cum perseuerantia adeptos esse beatitudinem suam.

10. Porrò licet censeamus bonorum Angelorum viam vnicum continuisse instans, malorum verò dico, non propterea negamus omnium Angelorum æqualem fuisse viam, tanto enim tempori coextitit vnicum illud instans bonorum, quanto duo illa instantia malorum. Mora verò, in qua omnes Angeli fuerunt in gratia, non respondit soli momento temporis nostri, sed ipsi tempori; incepit enim actus ille meritorius per primum sui esse, vt Philosophi loquuntur, sicut & actus ille, quo Angelus primò peccauit; inter autem hæc duo instantia intercesserit tempus necesse fuit; & cum gratia & peccatum repugnent, non potuit primum esse peccati fuisse in instanti, in quo Angeli fuerunt in gratia, seu quo actum meritorium habuerunt.

Neque verò necesse est, vt in eo primo instanti, seu mora vnica tantùm fuerit operatio meritoria Angelorum, potuerunt

enim plures simul elicere, sicut & malorum operationes plures esse potuerunt; possunt enim dici vnum meritum, vnum peccatum, vnus actus, quia intra moram eamdem continebantur, quæ erat ipsorum via, & verisimile etiam est, quosdam Angelorum citius cœpisse extinguere, vel, vt Theologi loquuntur, mortificare primum meritum, quam alios, & non dubito peccatum Luciferi, cuius exemplo & suggestione cæteri peccauerunt, præcessisse etiam per aliquod breue tempus aliorum Angelorum peccatum, qui illum sunt imitati, licet simul omnes absoluerint viam.

11. Sed curiosiùs quidam inquirunt: quamdiu Angeli perstiterunt in via, antequam vel beati vel damnati essent? seu (quod idem est) quam longa fuerit eorum via? Hîc est opinio celebris Hugonis Victorini libro primo de Sacrament. Christ. fidei part. prim. capite decimo, qui censuit, tamdiu moram illam, quam habuerunt Angeli ad merendum, vel demerendum, durasse, quamdiu terra initio orbis conditi fuit inanis & tenebrosa, nondum producta luce, quæ paulò post producta est primo die creationis, ante quam terra & cœlum, & Angeli condita esse creduntur, vt tunc primum facta fuerit distinctio bonorum & malorum Angelorum per lumen gloriæ, & tenebras damnationis, cùm lux quoque corporalis à tenebris diuisa fuit.

Hæc coniectura non probatur Valent. tomo primo, distinctione quarta, quæstione decimatertia, parte secunda, nam duratio, inquit, illa tenebrarum & inanitatis terræ longior extitit, quàm duratio illius meriti perseuerantis, per quod Angeli statim, ac per meritum perseuerans potuerunt, beatitudinem adepti sunt. Verùm mihi valdè probatur Hugonis sententia, neque obstat ratio allata; nam licet Eugubinus in Cosmop. sex horas tenebrarum ante sparsam lucem dilapsas esse dixerit, cum illis, qui diem primum à mane exordium sumpsisse, lucemq; primam in meridiano effulsisse arbitrati sunt: & Alfonsus Tostatus in Genesin, & qui sensêre eamdem diem primum à vespere more nostro cœpisse, lucem verò non nisi mane in ortu emicuisse affirment, duodecim horarum fuisse tempus illud, & tenebras illas, easque horas partem primæ diei esse contendant, quomodo opus creationis primam diem non præcessisset, sed tantùm matutinam lucem primi diei: licet, inquam, ista isti censuerint, tamen Hugon. libro 1. de Sacrament. fidei prima parte capite 6. opinatus est: tempus quo chaos illud sub tenebris latuit indigestum ac rude non primæ diei tanquam partem eius aliquam, sed ante primum diem tempus illud elapsum credit, quamuis perbreue fuisse edoceat; videturque fuisse duo instantia inter se seiuncta; aliud quo rerum materia informis est condita, aliud quo lux manauit: cum autem ea esse immediatè non possint, efficitur, vt inter rudis chaos & formationem & lucem tempus intercesserit, necesse sit.

A Cæterùm quantum fuerit illud tempus, soli DEO est notum, nobis non nisi eo reuelante compertum esse potest; perbreue tamen fuisse cum Hugone credo. Duo me ad id impellunt: vnum, quod cùm mundi tunc status is fuerit, vt rudis, indigestus, imperfectus meritò dicatur, & res ipsæ perfici exoptent, decuit sanè, vt breuissimus esset eiusmodi status mundi; & cùm Spiritus Domini ferretur super aquas virtute ad perficiendum opus valida, perminutum fuisse dubitandum non est. Alterum propter hanc ipsam, de qua loquimur, viam Angelorum, quam satis congrua ac verisimili ratione eo tempore tenebrarum & inanitatis cum eodem Hugone constitisse opinor. 12.

B Cùm igitur Angeli natura citatissimis celerrimisque mentis operationibus operari possint, credibile est, bonos quidem Deo adhæsisse, & malos ab eodem auersos nonnisi celerrimè fuisse. Quare Theologi morulas illas instantia vocat: quin Christus Dominus de diabolo dixit: *ab initio in veritate non stetisse*, & alibi Scriptura Luciferum mane dum oriretur, cecidisse affirmat: quæ omnia tempus illud breuissimum fuisse significant.

Verùm antequam supremam huic Theoriæ manum imponamus, duo obijci possunt ex Patribus. Vnum ex Diuo Gregorio trigesimosecundo moralium capite decimooctauo, vel iuxta aliam impressionem capite vigesimoquinto, ait enim, exponens illud Ezechielis capite vigesimooctauo, versiculo decimotertio: 13.

C *aurum opus decoris tui & foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt: huius lapidis foramina præparata sunt, quia videlicet capax charitatis conditus fuit, qua si repleri voluisset, stantibus Angelis, tanquam positis in regis ornamento lapidibus, potuisset inhærere.* Et paulò post subdit: *habuit ergo lapis iste foramina, sed per superbiæ vitium charitatis auro non sunt repleta.* Ergò censet Gregorius nunquam in Lucifero fuisse charitatem, & gratiam.

Alterum est ex Ioanne Papa, capite *Visis* decimosexto, quæstione secunda vbi de diabolo, inquit; *dolet & erubescit charitatem, quam in cœlo nequiuit habere, homines constantes ex lutea materia tenere in terra.* Ergo diabolus nunquam habuit charitatem, alioquin non diceretur à Ioanne papa; *quam in cœlo nequiuit habere.* Ad primum respondeo, eodem loco docere Gregorium clarissimè, Luciferum in gratia conditum esse. Nam capite octauo exponens locum hunc Ezechielis: *quid boni*, inquit, *non habuit Lucifer, si signaculum Dei similitudinis fuit?* Quod ergo ait in verbis allatis, hanc continet sententiam: præter aurum caritatis, in quo iuxta Ezechielem primo Lucifer conditus est, rectè concipi Luciferum instar lapidis pretiosi, in quo foramina quædam sint facta, in quæ auri filum inseratur, vt affigatur Dei vestimento vna cùm pretiosis alijs lapidibus; huiusmodi autem auri filum sunt bona opera meritoria, & charitas perseuerans, cuius Lucifer capax fuit:

D

Hac

Hac ergo perseuerante charitate, cuius erat capax, caruisse Luciferum, ait Gregorius, & ideo affirmat foramina eius fuisse vacua.

Ad alterum respondeo, nequiuisse Luciferum habere charitatem, postquam eam semel amisit, neque enim concessus est ei locus pœnitentiæ, vel certè nequiuisse dicitur tenere in cœlo charitatem consummatam perseuerantemque, quam tamen homines tenent in terra, sed id suo vitio factum est. Sunt etiam, qui legant præsenti tempore: *Nequit*, & sic facilior sensus.

DIGRESSIO PRIMA.

Quid Gazophylacium significet?

1. DVPLEX Gazophylacij genus licet in sacris litteris obseruare; alterum, quo pecuniæ asseruabantur; alterum, quo res aliæ maioris magnitudinis, aut molis vel asseruabantur, vel asseruari potuissent. Exemplum prioris assertionis videre est 4. Regum cap. 12. versic. 9. *Et tulit Ioiada Pontifex Gazophylacium vnum, aperuitque foramen desuper, & posuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebantq; in eo sacerdotes, qui custodiebant ostia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini.*

Gazophylacium hic vertunt septuaginta Interpretes, γαζοφυλάκιον, hoc est, *arcam*, videtur enim fuisse arca perforata, in quam pecunia iactabatur per foramen. In Hebræo pro *Gazophylacio* habetur, *aron*, voce deducta, ab *oren*; & significat arborem quamdam, siue materiam, quamuis ignoretur quæ sit. Hieronymus Isaiæ capite 44. versiculo 14. *Pinum* interpretatur, alij cedri genus putant, alij abietem, alij ornum; quidquid sit, indicat materiam, ex qua ea arca, vel capsa confecta fuit, quamuis deinde indicare consueuerit ea vox, quamlibet arcam ex quauis materia.

2. Situs huius arcæ erat in atrio interiore *iuxta altare* videlicet holocaustorum *ad dexteram ingredientium domum Domini*, videlicet ad aquilonem inter vestibulum & altare. Cùm enim domus Domini, hoc est, sanctuarium ad occidentem sita fuerit, ij, qui eam ingrediebantur, facie occidentem spectabant, orientem humeris, dextra aquilonem, sinistra meridiem. & cùm altare holocaustorum esset in media area atrij sacerdotum, quicumque domum Domini ingredi volebat, vltra altare progrediebatur: hoc ergo loco valdè remoto, & velut in Dei oculis censuit Ioiada benè seruatum iri sacram pecuniam.

2. situs sanctuarij.

Porrò in hoc Gazophylacio sacerdotes pecuniam, quam populus offerebat, immittere consuerant; sic enim loco citato, 4. Regum capite 12. versiculo 14. dicitur iniunctum esse, vt sacerdotes, qui custodiebant ostia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini, mitterent in prædictum Gazophylacium, donec præsente Scriba Regis, & Sacerdote prædicta pecunia effunderetur, ac numeraretur.

Populus enim non poterat sua munera in Gazophylacium inferre, cui atrium interius ingredi non licebat. Est autem verosimile alia quoque Gazophylacia in atrio exteriore constituta fuisse, in quæ ipsi populi propria manu citra vllam Sacerdotum suspicione, ne sibi oblata vsurparent, sacram pecuniam immitterent, atque de huiusmodi Gazophylacijs intelligendi sunt, loqui Euangelistæ Lucas capite 21. versiculo 14. Marc. cap. 2. versic. 14. Ioan. cap. 8. versic. 20. horum etiam meminisse videtur Iosephus 6. belli cap. 11.

Posterioris acceptionis videtur meminisse Ierem. 35. 2. 4. *& introduces eos in domum Domini in vnam Exedram thesaurorum* &c. *& introduxi eos in domum Domini à Gazophylacio filiorum Hanan filij Iegedeliæ hominis* DEI, *quod erat iuxta Gazophylacium Principum.* 3. Hæc Gazophylacia non erant arcæ, sed cubicula seu domus, & multæ quidem, quæ erant distinctæ thesauris templi asseruandis, seu aptè ad asseruandum & habitandum Leuitis, & Sacerdotibus. Dicuntur alio nomine *Exedræ*. Sic libro 1. Paralipom. 28. 11. 12. nominantur. *Dedit Dauid Salomoni filio suo descriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cenaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis; necnon & omnium quæ cogitauerat atriorum, & exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, & in thesauros sanctorum.*

Quod autem noster interpres *exedras* vertit, *pastophoria* vocant septuaginta, dicuntur autem *exedræ* propriè cubiculum columnis fultum ab ἕδος, quod est sedes, vnde *catedra* & *exedra*, quod in exedriis multæ sedes essent. *Pastophoria* verò dicuntur, quia habitabant in eis Sacerdotes cum templo seruiebant, licet origo huius vocis compositæ ignoretur. Nam παστὸς Porticum, cœnaculum, παστάσι enim cœnare est, thalamum nuptialem, & velum nuptiali lecto impendens significat à πάστω, quod est, orno, atque ita *pastophori* vocabantur sacerdotes, qui thalamis illis præerant, siue quia in his habitabant, & ipsi thalami inde videntur dici *pastophoria*. Sanè apud AEgyptios honoratiores quidam Sacerdotes, qui paston; id est, pallium, seu velum ferebant sacerdotale, *pastophori* dicebantur, hinc Virgilius:

4. Quid exedræ, quid pastophoria?

Et capite ante aras Phrygio velatus amictu.

Venus quoque pastophoros dicitur, quasi thalami fera; quamuis vsu receptum fuisse videatur, vt quælibet domus ad alium recipiendum apta παστὰς diceretur.

Sanè hæ exedræ in templo, de quibus loquimur, partim erant ad res templi custodiendas, partim, vt habitarent ibi Sacerdotes, & Leuitæ, quo tempore ministrabant templo: Hinc 1. Paralippom. 28. 12. 5.

Digitized by Google

& hexedrarum per circuitum in theſauros domus Domini, & in theſauros ſanctorum, diuiſionumque Sacerdotalium, & Leuiticarum. Quid ſit theſaurus Sanctorum elici poteſt ex 4. Regum capit. 12. verſic. 4. *omnem pecuniam Sanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini à prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, & quam ſponte, & arbitrio cordis ſui inferunt in templum Domini accipiant illam ſacerdotes iuxtà ordinem ſuum, & inſtaurent ſarta tecta domus, ſi quid neceſſarium viderint inſtauratione.* pecunia verò illata à prætereuntibus pro pretio animæ ea vocabatur, quam offerebat populus, cùm numerabatur: pro quolibet enim prætereunte ſeu tranſeunte ad numerum illorum, qui apti erant ad bellum, hoc eſt, ad vigeſimum annum & ſupra, offerebatur dimidius ſiclus, ne ille moreretur, ſi non offerret, vt patet Exhodi 30. 12. 13. 14. hæc igitur pecunia, & ea, quæ ſponte offerebatur ab alijs, ſeruabatur ad Templum reficiendum & dicebatur *theſaurus ſanctitatum*, vel *ſanctorum.*

Reponebantur etiam in iſtis exedris aliæ opes templi, præſertim quæ erant diuidendæ eius miniſtris, vt conſtat ex Nehemiæ 13. & ex loco citato Paralipom. 1. vbi dicitur *in theſauros domus Domini*, &, *diuiſionumque ſacerdotalium*, &c. & hæ exedræ, in quibus hæ pecuniæ ſeruabantur, propriè dicta ſunt *Gazophylacia*; vt autem poſſet populus, qui ingrediebatur in templum facilè offerre quod volebat, erant collocatæ hæ exedræ iuxta portas in atrio interiori. Habebant autem nomina, vel ab ijs, quibus cuſtodienda tradebantur, vt Gazophylacium Hanan ex Ierem. 35. 4. Regum capite 13. verſiculo 11. 1. paralipom. cap. 9. verſic. 26. vel ab ijs, quorum dona ibi ſeruabantur, vt Gazophylacium principum vt c. cit. Ierem. 35. & c. 36. 10.

6. Cæterùm ſi quis petat, quid Ioann. hic capite octauo per Gazophylacium intelligat. Reſpondet Maldonatus in verſiculum vigeſimum non ſignificare hic arcam, in quam pecunia templo oblata conijciebatur, ſed aut totam eam templi partem, in qua ea erat arca, quæ propriè Gazophylacium vocabatur, vt Marc. 12. 41. 43. & 4. Regum 12. 9. 10. aut aliquam aliam templi regionem.

Verum non poſſe intelligi de eo loco vbi erat Gazophylacium, cuius fit mentio quarto Regum capite duodecimo, verſiculo nono & decimo, veroſimilius eſt. Nam cùm illud eſſet in atrio interiori, ſeu ſacerdotum, non patebat eo aditus Chriſto; nec puto Gazophylacium ſumi prò vna aliqua exedra, in qua CHRISTVS ſedens, aut ſtans doceret, manente populo intra illam, ſeu potius extra, ſicut de Baruch videtur dici Ierem. trigeſimo ſexto: nam cùm multa eſſent huiuſmodi Gazophylacia, non dixiſſet Ioannes *in Gazophylacio* abſolutè ſed aliquid aliud adieciſſet.

7. Arbitror igitur intelligere Ioannem per Gazophylacium locum illum iuxta portam A quamdam atrij exterioris, vbi erat maximum aliquod Gazophylacium, id eſt, area perforata, in quam plures dona conijciebant; & hanc portam arbitror fuiſſe celebriorem, qua plures ingrederentur. Adricomius in deſcriptione Ieruſalem Gazophylacium hoc atrio immundorum, ſiue gentium collocat, ſed crediderim potius in atrio mundorum fuiſſe, quod Ioſephus libro decimonono antiquitatum inſinuat: *Agrippa*, inquit, *Rex catenam auream à Caio donatam ſuſpendit in ſacrario ſuprà Gazophylacium*; procul dubio non appellaſſet atrium gentium, vel immundorum *ſacrarium*; & ex hoc loco Ioſephi colligi videtur, vnum fuiſſe Gazophylacium, ſi arcam intelligat, vt veroſimilius eſt intellexiſſe. Montanus B duo fuiſſe Gazophylacia, id eſt, arcas, cenſet, ſed Lucas 21. & Marc. & Ioann. loci citati ſemper de Gazophylacio numero ſingulari loquuntur; credibile eſt non vnum fuiſſe ſimpliciter, ſed vnum maximum & præcipuum, de quo Euangeliſtæ fuerint locuti.

DIGRESSIO II.
MORALIS.

In verſum 1. *Ego ſum lux mundi.*

Quod Chriſtus lux ſit mundi, & quam aptè ſoli comparetur in decem præſertim rebus, quæ ſoli tribuuntur.

C NIhil eſt in mundo ex his, quæ materiatis rebus attribuuntur, vt accidentia à Philoſophis nominari ſolent, quod DEO magis ſimile ſit, ac lux ipſa eſt, vt proinde iure dixerit Ioann. capite primo prioris epiſtolæ: *Hæc eſt annunciatio, quam audiuimus ab eo, quia Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.* Quam rem vel veteres Philoſophi haud ignorarunt: hinc enim eſt illud libr. de cauſſis proditum: Deum lumen eſſe purum: hinc qui ab Ariſtotele ſunt, Deum ſuo modo *actum purum* nominant. Auguſtinus ſermone 134. de D tempore ſoli Chriſtum comparat, & ad hanc rem accommodat verba Geneſis: *fiat*, inquit, *luminare maius* in inchoatione diei, *& luminare minus* in inchoatione noctis. Sol Chriſtus eſt, luna Eccleſia in orbe completa ſolis claritate quotidiè illuſtrata. Stellæ quoque lucentes Sanctorum ſunt millia, id eſt, Apoſtoli, Patriarchæ, Martyres, Virgines, Sacerdotes, cuncti iuſti pariter, & fideles virtutum ſuarum flamma radiantes. 1.

Nec diuerſa ab his commemorat Origenes in Geneſin homilia prima dum ait: CHRISTVS eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ex cuius lumine illumina-

ta Eccle-

ta, Ecclesia etiam ipsa lux mundi efficitur illuminans eos qui in tenebris sunt: sicut & ipse CHRISTVS contestatur discipulis suis dicens: vos estis lux mundi, ex quo ostenditur, quia CHRISTVS quidem lux est Apostolorum, Apostoli verò lux mundi; ipsi enim sunt non habentes maculam, vel rugam, aut aliquid huiusmodi, vera Ecclesia, sicut & Apostolus dicit: vt ipse sibi exhibeat gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi.

2. Est autem Deus lux vsque adeò pura, vt nihil nisi lucem in ea cogitare quisquam possit, propterea Ioannes dicebat: *& tenebræ in eo non sunt vllæ*; quod ita illi intimum est, ita proprium, ita perpetuum, vt hoc ipsum cum nulla alia re, quæ creata sit, commune habeat; omnibus enim rebus natura constantibus, solemne est, atque insitum, vt tenebrarum aliquid ex se habeant. Præteruola omnia mente, excede mundum hunc inferiorem corruptioni obnoxium, & mentes illas omnis materiæ, & interitus expertes attende, & videbis sanè etiam peccato illas ex se obnoxias esse, quibus tenebris nulla maior nox, aut obscuritas esse potest.

Quod si in Angelis ex se est prauitas, nemo dubitare poterit, quin eadem peccati caligo multo magis hominum genus possideat & occupet; nec in ceteris rebus sua deest obscuritas, nam in inferioribus corporibus corruptio, in superioribus defectus est, & mutatio, & vt vniuersim singula complectar, quæ creata sunt, in omnibus potentia inest semper aliqua, cum etiam in omnibus hoc ipsum quod sunt, hoc est, ipsorum esse non sit idem quod natura, essentiaque earum; ac proinde cum actus lux sit, erit potentia caligo quædam, & tenebræ: soli igitur Deo, qui nullo modo peccare potest, qui immortalis est, & nulli omninò mutationi obnoxius, cuius esse ipsa eius natura est, nec potentiæ vllius capax esse potest; soli inquam competit Deo, vt in eo tenebræ non sint vllæ; & ne esse quidem possint; apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

3. Cetorùm & si participem tenebrarum esse omnibus rebus conuenit, nulli tamen magis, quàm homini id accidit, quem sæpè labi, errare, peccare, atque adeò mutabilem scriptura docet Iob decimoquarto, & *nunquam in eodem statu permanet*; siue in eo quod est, siue in eo, quod operatur, siue interius, siue exterius illum consideres: vt iure propterea immortali Deo meritas laudes mortalis hominum natura tribuere, illumque suspicere, venerari, ac adorare debeat tanquam altissimum totius bonitatis lumen: vnde in se quidquid boni, quidquid lucis est deriuari conspicit, sine quo caliginosa omnia, densissimisque tenebris obtecta esse necesse est.

Quoniam verò inter creata omnia quæ A hoc inferiore orbe sub aspectum cadunt, sol fons est luminis vberrimus; vnde in omnia terrarum spatia, & in superiora quoque ipsa cœlorum corpora lux ipsa diffunditur, vt verè sol ipse aureus lux mundi dici possit; adeò non abs re erit solis proprietates accuratius rimari, & CHRISTO tribuere; neque enim aliter inaccesibilem illam lucem eius intueri poterimus, quem teste Paulo primæ Timoth. sexto, nullus hominum vidit, sed nec videre potest, nisi per externa exempla, quibus assueti sumus, eò vtcunque ascendamus.

Quod si solis huius fulgor oculos perstringit, nec quiescere, fruique tanta luce sinit, quanto magis mentis aciem superabit immensa illa, & supereminens CHRISTI B lux? Agnouit hoc Aristoteles secundo Metaphysicorum capite primo, vbi ait: *quemadmodum vespertilionum oculi se habent ad lumen diei, ita & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt.*

4. Incomprehensa natura solis.

Principio sicut vim & naturam solis perfectè inuestigare, & perscrutari impossibile quodammodo est, ita multò magis CHRISTI naturam perfectè intelligere, & capere nemo est qui valeat; ac quemadmodum coniunctio lucis ac solaris globi comprehendi vix potest; ita duarum naturarum vnio in vnam verbi personam ineffabilis, & incomprehensa est. Adhæc solis fulgor adeo nitet, ita coruscat, vt qui vel parum oculos in micantem ipsum intendit, illius radios non modò sustinere nequeat; sed nimio etiam splendore obrutus, C cæcus euadat; ita CHRISTI diuinitas, nobisque incomperta natura adeo emicat, vt si mens quædam eam attingere, eamque intueri procaciter audeat, nimia illius præstantia, & maiestate opprimatur; conspicamur quidem lucidum corpus solis, eiusque lucem mundum collustrare cernimus, sed quonam pacto in perspicuis, collucidisque rebus ea lux consideat vix cogitatione complectimur; & cum præsens res sit, nec oculorum nostrorum obtutum fugiat, manibus tamen apprehendi, contrectariue non potest, non aliter quidem radios diuinitatis in CHRISTO quosdam haurimus, neque obscura maiestatis eius argumenta tenemus: verùm quomodo humanitati diuinitas coniuncta D sit, nec sensus assequi, nec mens capere potest. Postremò solis lux peruadit loca vniuersa, corpora collustrat, & perspicua quidem etiam penetrat, quamuis opaca attingat tantum, ac suo splendore conuestiat; at Deitas nihil non penetrat, implet omnia media, infera, supera, quin etiam cælum ipsum excedit, & extra immensum illud & inane spatium nihil est intelligere, quod eius possit præsentiam fugere; Vix igitur mente comprehenditur natura solis, multò ergo minus in Christo diuinitas, eiusque cum humanitate coniunctio.

Ex cádidissima namque luce, & igneo sub-

Aduertenda colorum in sole copulatio.

flauoque corpore (vt ceteras relinquamus solis proprietates) constat sol, vt non defuerint veteres Patres, qui illum verè ex igne putarint esse conflatum: perarduum enim est, ac perdifficile solis constitutionem intelligere, & quomodo tam clara lux in illo rubente corpore resideat. Est igitur sol, si lucem spectes, candidus: si corpus ac materiam, igneus, subflauus, ac rubeus. sed Christus longè admirabiliori modo ex Dei persona, tanquam excãdidissima luce, & ex humana natura, tanquam ex rubente materia, compositus est, candidus & rubicundus.

Quam similitudinem Anastasius Synaita comment. in hexam. sic eleganter prosequitur, eorum opinionem secutus, qui ex ignea solem materia composuerunt: *Ne nos*, inquit, *lateat, quod ex omnibus luminaribus sol compositus, vt qui constet ex duobus generibus in typum Christi; nempe ex illa prima caelesti, & antiqua luce, & igne, qui postea factus est &c. & intellige hac nobis subministrare lucem, nempe verbi diuinitatem: erat enim & pridem in principio lux vera, quae illuminat omnem hominem: rursus autem sanguinolentam, & candentem nostram carnem. lux enim in sole ignem accepit, hoc est, verbum illuminans factum est caro. Adam enim induit Dominus, & accinxit. Adam enim interpretatur candens, & sanguinolentus: quandoquidem pueri communicarunt carni & sanguini, ex quibus etiam super terram Christus, nempe sol compositus apparuit. Et ideo etiam soror eius luna, nempe Ecclesia dicit in Cant. Patruelis meus albus, & flauus; nempe Deus, & Adam: albus propter diuinitatem flauus propter humanitatem. Qualem etiam videmus compositum solem album, & flauum ad imaginẽ Christi, qui est sol iustitiae, de quo dicit Deus per Malachiam Prophetam* (c. 4. 2.) *Orietur ijs, qui Deum timent, sol iustitia, vt appareat ijs, qui sedent in tenebris & in vmbra mortis, hic est enim sol, qui dicit: Ego lux veni in mundum.* sic Anastasius. quibus perpulchrè sanè Christum ex diuinitate, & humanitate constantem soli comparat ex igne (seu saltem ex materia quadam, quę instar ignis est) & luce illa, quae in principio fuit congesto; ergò sol candet luce, rubescit igne, & Christus vt Deus candor est, rubet vt homo ex terra rubra conflatus, ex qua homo primus extitit; vnde Adam, id est, candens, & sanguinolentus vocatus est; Adam ergo secundus & candens est diuinitate, & rubicundus humanitate. hinc Sponsa cant. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* hinc Ambrosius lib. 1. de Virginibus post med. *decet*, inquit, *vt plenè noueris Virgo quem diligis, atque omne in eo, & ingenitae diuinitatis, & assumptae mysterium incorporationis agnoscas. Candidus merito, quia Patris splendor, rubens quia partus est Virginis, color in eo fulget, & rutilat vtriusque naturae.* Et verò sicut quantò magis in coruscantem illum solis globum aciẽ oculorum figimus & attentius intuemur, tantò magis albescere ipsum cõspicamur, ita quantò perspicacius latitantes in Christo diuinitatis radios, fulgoresque spectamus; tãtò magis eius agnoscimus diuinitatem. Postremò hac in parte non dissimulanda est illa similitudo huc pertinens inter solem & Christum; rubet enim sol magis in ortu, & occasu quam in meridie: & Christi quoque humanitas cruore magis conspersa apparuit in circumcisione: & in occasu, videlicet in morte, totus cruore madidus visus est.

Tertiò, Christus vt sol suum circuitum, & quasi orbem confecit: ad quam rem Anastas. applicat illud Ecclesiast. 1. 5. *oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur*, & illud Io. 16. 28. *Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* descendit namque Christus quasi à meridie in occasum, cum de cælo in terram venit; quin vlterius progressus velut punctum zenit oppositum attigit, quando, corpore in sepulcro posito, anima penetrauit ad inferos. Inde verò redijt in ortum, dum coruscante aurora, sua ipsa luce coruscus, corpore assumpto, & deuicta morte gloriosus ad viuos redijt. Postremò ad meridiem reuersus mirantibus, & præ gaudio exultantibus Angelis suprema cælorum spatia tenuit, vbi sedet ad dexteram Patris, perpetuumque sedebit. 6.

Quartò ex Dionys. etiam Areopag. sententia cap. 4. diuinor. nom. part. 1. sol cælestia omnia corpora, quæ lucent ac splendent, collustrat; siue enim luna sit, siue quos planetas Astronomi vocant, siue cetera sidera, firmamento infixa, omnia prorsus à sole, quicquid fermè habẽt lucis, mutuantur; nec ista solum, sed quæcunque sub istis lucis participes sunt, à sole illam accipiu[illegible] *liquida*, inquit Dionys. *diuinae bonitatis imago magnus iste, & perlucidus, semperque lucens sol pro exigua boni similitudine, omnia, quae haurire ipsum possunt, illuminat, habetque lucem eminenter explicitam; expandens illam super omnem hunc visibilem mundum, superque, atque infra vibrans radios suos, nihilq; visibile est, quo ille non penetret excellenti lucis suae magnitudine.* sed longè verius, atque præstantius cælestes illæ mentes siue Angeli, siue Virtutes, siue Cherubim, & Seraphim, siue alio quouis nomine nuncupentur, nihil habent sapientiæ, nihil obtinent vitæ, nullum posident esse, quod non à prima sit sapientia, à prima vita, à primo ente, vt sic dixerim, rerumque omnium principe caussa communicatum. hinc est vt in sacris scripturis supernæ illæ substantiæ, & cæ- Angeli dictæ. lestes spiritus *stellarum* nomine significentur: *stellae dederunt lumen in custodijs suis.* Baruch 3. & apud Iob 38. Deus ipse ait: *cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Quod si cælestes ipsæ mentes ab omni materiæ labe seiunctæ fulgentissimis astris similes lucem aliunde hauriunt, nec ex sese habent, quid censebimus de infernis, corruptionique obnoxijs corporibus? Quare quicquid vniuersa creatarum rerum congeries veritatis cõtinet, quicquid sapientiæ continet, si quid vitæ, si quam denique bonitatis particulam habet, id totum à prima ei luce manare dubitandum non est; neque ob aliud *Patrem luminum* Deum Iacobus appellat cap. 1. affirmans; *omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum esse descendens à Patre luminum.*

Hoc idem Anastasius Symaita sic affirmat: 8. *Rursus inuenimus lunam & stellis lumen suppeditari à sole, vt docent, qui maximè sunt in externa ver-*

sati

sati Philosophia, re nobis significante, quod à Christo, qui cadit sub intelligentiam, illustrantur Ecclesia & sanctorum luminaria. Ipse enim est lux: de qua dicunt Ecclesia, & iusti, ex eius ignis plenitudine nos omnes accepimus, quibus etiam dicit ex aduerso, vos estis lux mundi.

Propter hanc solis proprietatem, quod cæteris omnibus astris lumen impartiri debeat sapienter à Deo in medio planetarum est constitutus, vt tanto facilius illi solem intueri, & inde lumen accipere possint, nusquam ab illo semoti; quod Christo multò melius conuenit. Inter veteres Prophetas, & antiquos Patres, & sanctos noui testamenti medius constitit, vt sapientiæ cœlestis lucem, & gratiæ calorem cunctis elargiretur. Est enim Christus propitiatorium illud, iuxta quod adsunt duo Cherubim conuerso vultu sese mutuo respicientes, & veteris, ac nouæ legis sanctos, qui sibi mirificè consentiunt, ac iuuant, significantes: est enim Christus propitiatio pro peccatis nostris.

9. Verum illud hic dissimulandum non est, nulla astra nisi facie ad solem conuersa, aliqua eius luce perfundi: ita neque homines nisi in Christum mentis oculos intendant, à Christo lucem haurire possunt. Et quemadmodum tersa ac nuda specula ita lumen admittunt, vt ad alios etiam transfundat; ita puriores animæ ac labis omnis expertes, diuini luminis præ ceteris capaciores sunt, cum ijs careant fœcibus, & veluti rerum terrenarum exhalationibus, quæ obstant quò minus diuinæ lucis radius perfectè animum penetret. hinc fit, vt tanquam speculum spiritus sancti afflatu incitati, & Christi radio perfusi, lucem tum doctrinæ cœlestis, tum sanctitatis reflectant in proximos. Vtinam mens nostra quasi nitidissimum speculum nunquam obscuris his terræ expirationibus, hoc est, rerum terrenarū cupiditatibus sordeat, vt ita supernū lumen à iustitiæ sole diffusum, & in se plenè susciptat, & cum aliorum emolumento reddere valeat.

10. Quintò, neque illud non solem hunc maximè commendat, quod in Psalm. 18. scriptum est: *in sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* hoc verò aptè accommodat ad Christum sic scribens Anastas. *hic* (Christus) *est sol, de quo scriptum est: in Cœlo* (vel in sole) *posuit tabernaculum suum, hoc est verbi diuinitati vnijt suam carnem,* id est, humanitatem, quam sibi in tabernaculum selegit, in quo resideret, dum cum mortalibus degeret, in quo etiam multò melius quam Moses olim Deum spectabat; anima enim Christi quamuis vt viatrix, humanis obuolueretur calamitatibus; vt beata tamē semper diuinitatem contemplebatur) *& ipse tanquā sponsus. Datus est enim ad nuptias humanæ naturæ à Patre, qui eum genuit. Cū incorrupta autem eius sponsa, nempe carne procedens ex thalamo suo, matre scilicet, exaltauit tanquā Gigas ad turrendā viā in Cœlos. à summo Cœlo facta est egressio eius, qui ad nos erat egressus & nunc occursus eius, & vsque ad summum cœlum recurrentis ad Patrem &cæt. quem etiam præsignauit Elias currens per AEthera.* Hæ nuptiæ illæ sunt quas Adam cū Eua in Paradiso celebrauit, hoc est, diuinitas cum humanitate in Deiparæ

A vtero tanquam in deliciarū horto, de quib. delicijs Sapientia loquitur Prou. 8. *delicia meæ esse cū filijs hominū:* in his nuptijs Gabriel Paranymphus fuit; conuiuæ populus gentilis, & Hebrę⁹ cantores Angeli; domus regia, Iudæa; munera distributa, cœlestium donorū dilargitio; dos, immortalitas ipsa sponsæ, hoc est, humanæ naturæ conferenda.

Sexto solemne est soli, vt nube tegatur quādo videri citra oculorum iniuriam potest, sic in Christo carnis nube obuelata diuinitas est, vt sic quodammodo humanis oculis cerni posset. quæ nubes illa caligine significata est, de qua Ps. 17. mysticè dicitur: *inclinauit Cœlos, & descendit, & caligo sub pedibus eius.* Quis. n. deitatis radios sine vlla humanitatis nube velatos ferre potuisset? Cuius oculorum acies non fuisset præstricta, obtusa, hebetata? oportuit ergò quo nobiscum versaretur Deus, vt per nubem nostrę humanitatis suæ diuinitatis attemperet fulgorem. quod olim prę signarat Moses vultū obnubens, vt Israelitæ possent in splendidā eius faciē intendere. facit autem tria sol, dum nube tectus in nubem leuem, & candidam radios emittit. primum nubē ipsam nitentem, & rutilantem efficit, sic diuinitas fulgentib. radijs emicans humanitatē sibi coniunctā, immenso glorię, ac sanctitatis lumine plurimū spectabilē reddidit, deinde circumtectus nube, per eādem radios suos omnes emittit. Ita Christus iustitiæ sol, & Ecclesiæ caput, omnia munera, cuncta dona, ac beneficia ad nos per humanitatem ipsam largiter effundit. Postremò solis radij per interceptā nubem prodeuntes rubenti quadā, vel subflaua quadā caligine obducti exiliunt: & dona, vniuersaq; munera, quæ à Deitate per humanitatē descēdunt in homines, Christi meritis affecta, & quasi Christi sanguine condecorata inde existunt.

11. Septimo triplicem Astronomi in sole orbē cognoscunt, supremum, infimū medium. horū primus si conuexam superficiem spectes concentricus, si cauam excentricus est; quod optimè in sanctissimam Christi animam conuenit, quæ ceteris animab. concentrica. i. consimilis est, quia creata, & in corpus infusa: excentrica; quatenus prorsus immunis, & aliena non modo à primogenij peccati labe fuit, verumetiā ab omni peccati macula, quam nullo modo contrahere poterat. Infimus contra solis orbis secundùm exteriorem faciem excentricus, secundùm interiorē concentricus est; quare purissimæ carnis Christi symbolum est. Etenim Christi caro quoniam ex terra desumpta fuit, atq; ærumnis obnoxia. nostræ carni concētrica fuit; at quia non humano semine, sed Spiritus sancti virtute ex purissimis Deiparæ Virginis sanguinibus coagmentata fuit, à cæterorum hominum carne plurimum discrepauit. Ceterum medius orbis solem deferens ipsam Christi dietatem repræsētat; est. n. is orbis vndiq; excentricus, & diuinitas rebus omninò omnibus quæcunque esse, vel cogitatione comprehendi possunt in immensum supereminet.

12. Octauo cernitur, & in hoc inter solem, & Christum similitudo, habet enim sol duplicem agitationem, vel notum, diurnum vnum abortu in occasum ex primi mobilis raptu: annuum

nuum alterum ab occasu in ortum ex sui orbis circuitu, & conuersione, & ille quidem vitæ Christi decursum significat, qui ortum habet, & occasum, natiuitatem videlicet, & mortem. Ortus est Christus, cum Maria peperit filium suum primogenitum; occidit, cum inclinato capite tradidit spiritum. Posterior verò motus qui ab occasu in ortum tendit, significat Christi gubernationem, qua vniuersum Ecclesiæ corpus regit, ac moderatur, qui incipit quidem ab occasu, id est, ab Adam, vnde mors orbem ingressa est, & ad iudicij vsque diem decurrit, id est, vsque ad finem; *cum tradiderit* (ipse Christus) *regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem, cum nouissima inimica destruetur mors*, cum æternitatis, ac perennis immortalitatis lux iustis omnibus apparebit, *cum erit Deus omnia in omnibus* 1. Cor. 15. omnes enim homines qui salutem consequentur à principio nascentis orbis vsque ad eiusdem occidentis finem, non aliter quam per Christum vitam consequentur æternam.

14. Nonò, in eo potissimum sol Christo similis cernitur, quod Eclipsim patitur, quæ in Christo moriente Dei consilio accidit, qua significatum est solem iustitiæ Christum Deũ mortuum esse, vt non sine ingenti admiratione Dionys. exclamarit; *aut Deus naturæ patitur, aut tota hæc machina dissoluetur.* accidit enim ea eclipsis nulla naturæ necessitate, solo Dei miraculo, quod etiam non vacat mysterio: Christi n. humanitas nulla primigenij peccati labe infecta, ac superueniente spiritu sancto concepta, mortem subire non debuit, sed sola eius in homines commiseratione factum est, vt mortem oppeteret, stipendia namque peccati mors, ob latus est ergò, quia ipse voluit.

15. Decimò, vt sol astrorum obtinet principatum, de quo item dicit scriptura factum fuisse, vt præesset diei, ita Christus vt Deus est, præest diei æternitatis tanquam rerum omnium principium: *in principio* namq; *erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt.* Et hic quidem principatus æternus est & immensus: verũ vt homo factus omnibus etiam principatum obtinuit teste Paulo Phil. 2. nam *cum exinaniuit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem*, tunc datum est *illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestriũ, & infernorum;* Triplicem igitur dominatum accepit, cœlestium spirituum; scriptum est enim: *& adorent eum omnes Angeli eius.* terrestrium, iuxta illud, *dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum.* hinc ipse: *data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra.* Deniq; infernorum, quia effractis, ac reuulsis inferni claustris, inde Patrum animas tanquam opima spolia morti hereboq; abstulit. ipsos et inferni proceres, & vniuersas tartari phalanges suo compulit imperio parere. his duob. Christi principatibus, quorũ alter vt Deo illi conuenit, alter vt homini, tertius addendus est, quo post exantlatũ præsentis vitæ cursum, gloria & honore coronatus cœlos penetrauit, & tanquã princeps super omnẽ principatũ, & potestatem ad dexterã Patris consedet: quare non absurdè dicere possumus, solẽ hunc nostrũ iustitiæ, vt Deũ præfuisse diei æternitatis, vt hominem ũ in terris nobiscum ageret, diei, hoc est luci euangelicæ. Iam verò cœlo præsidente diei præpositum esse gloriæ, lucisq; perpetuæ, de qua scriptum legimus: *lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, & æternitas temporum.*

Christi principatus.

16. Postremò occũbente sole, fulgentior appareret luna, micant planetæ, coruscant stellæ, occidente quoq; Christo iustitiæ sole apparuit lucidior luna, id est, Ecclesia, & Apostoli tanquam fulgentissimi planetæ micare clarius visi sunt, ceteriq; Ecclesiastici ordinis Principes tanquam coruscantes stellę, terras illustrarunt. Qua de re sic scribit Diuus Gregorius libr. 17. moral. capit. 10. in illa: *ecce etiam luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius. Quid per lunam*, inquit, *nisi cuncta simul Ecclesia? Quid per stellas nisi singulorum benè viuentiũ animæ designantur, qui inter prauorum hominũ conuersationes, dum magnis virtutibus eminent quasi in tenebris noctis lucent? vnde per Paul. quoq; discipulus dicitur, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. quia enim sancta Ecclesia lunæ appellatione exprimitur Propheta testatur dicens: eleuatus est sol & luna stetit in ordine suo, eleuato enim sole* (quod statim post Christi occasum accidit) *in suo ordine luna statuitur, quia ascendente ad Cœlos Domino, sancta protinus Ecclesia in prædicationis auctoritate roboratur, & quia stellarũ nomine electi signantur, rursum Paulus insinuat dicens: stella enim à stella differt in claritate.* Huc facit quod perpulcrè Anastas. obseruat, non sine altissimo Dei consilio factum esse, vt quartadecima die lunæ, dũ tota micat, & splendet, mactaretur agnus, vt Exh. 12. dicitur *in quartadecima die mensis huius immolabit agnũ vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam*; significare enim voluit Deus Ecclesiam tunc plenitudinem, & quasi cellitudinem suscepisse cum Christus in cruce mactatus est, quem Agnus ille demonstrabat, qui decimaquarta luna immolabatur. omnia enim in figura contingebant illis: patet igitur ex his, quæ hactenus diximus aptè Christum soli cõparari: nec mirum quod se *lucem mundi* appellet.

17. Hanc igitur lucem sequamur, quę & ad veritatis cognitionem, & ad benè operandum plurimum valet; in quo etiam Christus similis est soli, qui non lucet solum, sed fouet etiam, ac nutrit, vt Dionys. diuin. nom. c. 5. cum reliquis Philosophis docet, nec propter aliud adiunxit Christus, cùm prius se lucem esse dixisset: *qui sequitur me non ambulat in tenebris*, at qui sine ista luce ambulat, *in tenebris, & umbra mortis sedet.* quod Sap. 17. sic significat spiritus sanctus, *dũ enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ vincula tenebrarum, & longæ noctis compediti inclusi sub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt. Et dum putant se latere in obscuris peccatis tenebroso obliuionis velamento dispersi sunt, pauentes horrende, & cum admiratione nimia perturbati.* loquitur scriptura de AEgyptijs, qui olim horrenda tenebrarum caligine oppressi sunt, quorum infelicissimum statum inter medias mortis vmbras, & teterrimã noctẽ narrare persequitur. subdit deinde

Digitized by Google

& ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam. & ne singula percenseam subdit tandem; *ipsi ergò sibi erant grauiores tenebris.* Ita indicat Spiritus sanctus, quantæ sint, ac quàm horrendæ peccatorum tenebræ, & in quam obscura cæcaque nocte versentur, quo pauore, qua formidine perturbentur, quam conscientiæ carnificinam subeant, nam cum tot acerbissimos tortores, crudelissimosque tyrannos experiantur, quod prauis cupiditatibus obediunt, nusquam quiescere, nusquam respirare valent. quorum malorum ea est radix, illa origo, quod Christum solam, veramque mundi lucem peccatorum tenebris obuoluti minimè sequantur.

18. Quare magnopere decet eos, qui diuina luce fruuntur soli iustitiæ, quantas possunt gratias agere, præsertim quod de cœlo tanquam exoriente ijs, qui in tenebris, & vmbra mortis sedebant, in nostrum hoc hemisphærium veniens, apparuerit, idque *per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto, illuminare ijs qui in tenebris, & vmbra mortis sedent.*

Mentis oculi quomodo purgãdi sint vt solem iustitiæ intueantur.

Ceterum vt hãc puram, cœlestemque lucem intueamur abluendi sunt mentis nostræ oculi, quod Ambrosius exemplo solis lib. 4. hexameron capite prim. faciendum esse monet: *matutinos*, inquit, *quoq; solis ortus si quis spectare desiderat, emundet oculos suos ne quid pulueris, ne quid purgamentorum oculis eius insideat, quo intuentis hebetetur obtutus, neue aliqua caligo nebulosa corporeos visus spectantis obducat. Nobis in lectione exoriendus est sol, qui ante non fuerat.*

Primum iam diem sine sole transiuimus: secundum sine sole transegimus: tertium sine sole confecimus: quarto die iubet Deus fieri luminaria, solem, & lunam, & stellas. Sol incipit. Emunda oculos mentis ô homo, animiq; interiores obtutus, ne qua festuca peccati aciem tui præstringat ingenij, & puri cordis turbet aspectum. Emunda aurem, vt vase sincero scripturæ diuinæ nitida fluenta suscipias, ne qua ingrediatur contagio. Sapienter Ambrosius solemne namque est mortalibus, dum è strato surgunt, claris aquis faciem abluere, & subinde oculos tergere, ne quid pulueris, ne quid excrementi insideat, quo hebetetur obtutus, vt ita quasi serena facie, nitentibusque oculis orienti soli occurrant. Quanto igitur magis par est, vt Christiani tum faciem, hoc est, conscientiam lauent, tum interiores mentis oculos expurgent, cum ad iustitiæ solem adorandum prodeunt, ne qua sceleris labes interiores animi obtutus obfuscet, ingenijque aciem præstringat. Quod hac ratione præstabimus, si è molli deliciarum strato, vitæque luxu surgentes post diuturnum peccati somnum procurramus ad fontem, hoc est, pœnitentiæ sacramentum; inde nitidas gratiæ vndas hauriamus, & faciem, hoc est, conscientiam nostram abluamus, & simul oculos, hoc est, intelligentiam nostram purgemus: ita fiet vt procedentem solem iustitiæ Christum intueri, & eius luce ornari possimus.

A B C D

DIGRESSIO III.
MORALIS.
In V. 10. huius capitis.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quod peccati effectus sit malè mori, & quàm is pessimus sit?

VNus, & quidem maximus ex peccati effectis est malè mori, de quo Propheta Psalm. 33. *mors peccatorum pessima.* ait enim Bern. ser. 41. ex paruis. *Mors peccatorum pessima. mala in amissione mundi, quia non possunt sine dolore separari ab eo, quem diligunt: peior in dissolutione carnis, à qua euelluntur eorum animæ à spiritibus malignis: pessima in tormẽtis inferni.* id quod iusto Dei iudicio sic accidit; vitam enim pessimam mors sequitur pessima, similis vitæ pessimæ: rectè proinde Aug. monuit serm. 24. de verb. Dom. *viuite benè, ne malè moriamini; ne quomodo dies ille moriamini, non probat malam mortẽ nisi tempus post mortem.* Quod autem is sit effectus peccati, ostendi potest primum ex parte Dei, qui iustissimo iudicio permittit, vt qui in vita non est recordatus Dei, etiam in morte ipsius obliuiscatur. non q̃ tunc Deus tm̃ quãtũ sufficit auxilij facinorosis hominibus deneget, sed quod illud efficax, vel etiam abundans propter merita vitæ in peccatis actæ largiri non soleat. Iure sanè quia cum à se longè Deum frequenter expulerint, eiusq; ter sanctum numen, bonitatemq; contempserint, minimè mirum videri debet, si talem in se Deum experiantur tempore mortis, quales erga illum se tempore vitæ exhibuerunt; hinc est, vt malè obeant. Meritò expostulat cum istis Deus Prou. 1. *vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis aduenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit. quando venerit super vos tribulatio, & angustia. tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, & non inuenient me.* Quamobrem? *eò quod exosam habuerint disciplinam & timorem Domini non susceperint.* Ex quibus præmissis, quæ sequatur conclusio, audi: *comedent igitur fructus viæ suæ, suisq; consilijs saturabuntur.* eodẽ pertinent verba Iob. 27. vt obseruat D. Gre. li. 15. mor. c. 7. *quæ est spes hypocritæ si auarè rapiat, & non liberet Deus animã eius? numquit Deus audiet clamorẽ eius, cum venerit super eũ angustia?* futuri sunt ad diem mortis & iudicij, qui dicãt: *Domine Domine aperi nobis,* & audituri sunt horrendũ illud responsum: *amen dico vobis, nescio vos.* vnde circumspectè vigilandum subinfert Dominus nobis omnibus esse: *vigilate ergò quia nescitis diem neque horam.*

Et est altera huius effectus ratio: nam impius homo, qui obfirmato animo peccato inhæret, ipsa peccandi cõsuetudine, quasi vinculis quibusdã obstrictus multũ ineptus, atq; inhabilis efficitur, vt verè, & vt oportet tempore mortis ad Deum redeat; non tam. n. liberi arbitrij libertate, quã necessitate quadam videtur vtcunq; velle tunc homo peccatum relinquere, vt propterea verissimum sit illud Augustini

cap.17. libr. de vera & falsa pœniten. *arbitrij libertatem quærit Deus, non necessitatem.* id quod non ita accipiendum est, quasi velit Augustin. dicere: carere hominem libertate, quanto tẽpore est in corpore. Sed de libertate expedita vt D. Bonauent. exposuit. Iam verò tam periculoso tempore mortis plurima accidunt, quæ hanc expeditam libertatem licet non tollant, multum tamen distrahunt, ac remorantur in homine inueterato malorum: nam timor ille gehennæ, & imminentis Dei iudicij expectatio, ac quasi parturitio quædam ingentium, ac perpetuarum pœnarum, mœror ipse incredibilis, ac tristitia, quæ nascitur ex amissione terrenarum voluptatum, amicorum, & omnium denique quę cara erant, imaginatio quoque ipsa turbata, & hebetes facti sensus efficiunt profectò, vt & ipse intellectus ad benè considerandum vix idoneus sit, & voluntas ipsa difficile admodum eliciat operationes, quæ sint omninò voluntariæ, sed ferè ad eum modum, quo mercator proijcit merces in mare coorta tempestate. hunc enim actum vocat philosophus simpliciter inuoluntarium, & tantum secundum quid voluntarium. At nemo est qui ignoret exigere à nobis Deum conuersionem simpliciter voluntariam.

3. Est & tertia eiusdem rei probatio; nam si tempus spectemus illud vltimum, magni periculi plenum est, & summæ difficultatis res, vt quis videlicet peccatis assuetus tunc respiscat: nam si alia deessent tunc discrimina, satis esset diabolus ipse, qui tunc præsertim omni conatu in peccatorem insurgit, & nullum non mouet lapidem, vt peccatorem miserè secum ad inferna trahat, quod vel ex illo loco Ps. 48. 5. colligere est: *iniquitas calcanei mei circumdabit me.* est aũt dies mala aduentantis montis, & iudicij dies; ait ergò: cur permittam, vt timere debeam in die illa mala, cum iniquitas calcanei mei, hoc est, iniquus diabolus calcaneo meo extremæ spem vitæ insidias struens circumdabit me, vndique vt ad terram illam tenebrosam pertrahat me? quamquam verior sensus sit magis literæ inhærens: cur timebo in die mala? & cur permittam vt iniquitas calcanei mei, hoc est, iniquitas ad finem vsque vitæ perdurans, circumdet, inuoluat, implicet me, ne euadam? Atque ita repetenda erit interrogatio primæ partis, nisi mauis vt in prima tantum parte versus sic interroget Propheta. quomodo, vel quare fiet, vt quis timeat in die mala? & in secunda respondeat; per iniustitiam id fiet.

Hanc enim vocat iniquitatem calcanei, nam illa quasi calcaneo supplantat proximum suum illum circũ veniens, & supergrediens. possumus & per *iniquitatem calcanei*, seu gressuum, id est, operum, iniquitatem intelligere, nam calcaneum, vel gressus, pedes, vestigia, vocant Hebræi metaphoricè facta, & opera. sic etiam nos insistere vestigijs alicuius dicimus, id est, factis, & institutis. eamdem diaboli artem ostendit locus ille Genes. *& tu insidiaberis calcaneo eius.* hoc est, extremæ in primis vitæ parti. vnde sempiterna vel salus, vel damnatio tota pendet.

4. Io. Maria Verratus de incarnat. c. 12. *quid-*

A *quid*, inquit, *diabolus antea leue alicui proposuit, vt persuaderet peccatum, id graue facit tempore mortis. Resq; sic habet non secus atque cum trunco ligneo, qui cum in flumine natat, facile ab vnico pertrahitur; ad littus autem vbi fuerit ventum, ibi decem oportet manus vireſq; adhibeant, vt extrahant. Ita plane peccatum leue est, donec perueniat ad littus mortis, vbi tandem aggrauatur, & graue putatur.*

Profectò adeò graue euadit peccatum ad extremum vitæ, vt suo pondere secum rapiat hominem ad tartara. Quanto satius esset nunc eius fœditatem malitiam, & pondus aduertere, & illud à nobis ante mortem proculabijcre?

B Rogo te quicunque hæc legis iterum, atque iterum expendas propter eum, qui te suo sanguine redemit, quantopere tua interfit benè instructum, paratumque ex hac vita migrare. Etenim ex vno illo momento (ô fatuas hominum cogitationes omnia alia potius curantiũ quam ista!) pendet æternitas vel supplicij, vel præmij; id enim obtinebit semper homo, quod tunc meritorum, aut culparum ratio postulabit, sic enim habetur Eccl. 11. 3. *si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* in quem locum Hieronymus *vbicumque* ait, *tibi locum præparaueris, futuramq; sedem, siue ad austrum siue ad boream, ibi cum mortuus fueris permanebis*, & subdit mox: *vbicumque ceciderit, ibi iugiter permanebis, siue terrigidum, & trucem, siue clementem, & misericordem, vltimum inuenerit tempus.* Et rursus clarius idem explicans; *lignum igitur*, inquit, *quod in hac vita corruerit, & conditione mortalitatis fuerit incisum, aut peccauit ante, dum staret & in boreali parte posteaponitur: aut si dignos austro fructus attulit, in plaga iacebit australi. Neque est aliquod lignum quod ad aquilonem non sit, aut ad austrum.* Vidisti aliquando statuas à fabro confictas, quæ habitum currrentis, aut pugnantis præseferunt; neque tamen vt quidam piè, & sapienter ait, *pedem vnquam mouent, neque gladium, quem vehementer intentare videntur, vibrant, sed eo semper aspectu consistunt, quem artifex tribuit; ita anima, quæ ex hac vita recedunt, quod sub mortis tempus boni, vel mali studium gerunt, in eodem fixæ, atque immobiles in omnem perdurant æternitatem.* hæret semper affectus ille malus, illa voluntas peruersa, neque flectitur vnquam, & quamuis in medijs sint cruciatibus, quamuis amarissimas pœnas dẽt peccatorũ, peccata tamen ipsa nullo vnquã pacto relinquunt. Denique quod vt sic dicam, in manibus habet anima cum abit è corpore illud pertinaciter retinet; quo tunc spectabat, cum corpore excesit, spectabit æternum. reuoca in memoriam vxorem Loth, quæ cum retro conuersa in Sodomæ incendia respiceret, versa est in statuam Salis, & eiusmodi figuram, atque habitum eorum, qui æternis ignibus traditi sunt, esse ne dubita. sunt enim semper miseri atque infelices, in malo obstinatissimi in medijs illis, & sempiternis pœnis. Hanc mihi rem ad viuum expressisse visus est Isaias 8. 21. 22. *corruet, & esuriet, & cum esurierit irascetur, & maledicet Regi suo, & Deo suo, & suspiciet sursum, & ad terram intuebitur; & ecce tribulatio, & tenebræ, dissolutio, & angustia, & ca-*

C

D

ligo persequens, & non poterit auolare de angustia sua. Quod si quis ex his, qui in peccatis computruerunt, ea cogitaret attentius mala, quibus puniendi sunt peccato res ab eo vtiq; momento, quo excedent è vita, næ ille toto cohorreret corpore, & saniora sequeretur consilia. Et quidem quid illi pœnarum subeant cum moriuntur ex Amos Prophetæ verbis cap. 4. 2. colligere est: *iurauit Dominus Deus in sancto suo; quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus, & per aperturas exibitis, altera contra alteram, & proijciemini in Armon dicit Dominus.* Dies, qui supra aliquem venire dicuntur, dies molestissimi sunt, & maximis calamitatibus plenissimi, vt Isa. 2. 12. *quia dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur.* & Luc. 19. *quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo &c.* ait ergò Propheta super eos, qui hunc gaudent, & quibus nihil est, quod facere non liceat, & qui cum facinorosi sint, pios persequuntur, bonis exspoliant, & neque Deum timent, neque homines verentur; venient dies inexpectati, dies, inquam, mortis, & iudicij, quando de illis triumphum diabolus aget, quos æterna morte percussit, *sicut exultant victores capta præda,* & de ijs triumphant quorum capita pilis præfixa ostentãt. tunc reliquias eorum, id est, corpora conijcient dæmones in ollas fruentes, hoc est, inextinguibilem ignem inferni, vbi per totam æternitatem sine vllo vnquam fine cruciabuntur. Exibunt verò per aperturas ex perituris huius sæculi delicijs, id est, per amaram & omni dolore, & indignatione plenam mortem, alter alterius exitium videbit, nec sibi mutuam poterunt in tam horrendis calamitatibus opem ferre. Quid multis opus est? proijcientur in Armon, (qua voce loca Armeniæ significantur) in locum videlicet sempiterni exilij.

7. Nec minoris metus & terroris plena sunt illa, quæ pronunciat Dominus per os Naum Prophetæ capite primo, 1. contra Niniuem, cui minatur vastitatem, & iræ ac potentiæ suæ magnitudinem declarat, quo eam magis exterreat, *onus Niniue,* &c. *Deus æmulator, & vlciscens Dominus, & habens furorem, vlciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis,* &c. *Dominus in tempestate & turbine viæ eius, & nebulæ puluis pedum eius: increpans mare, & exsiccans illud, & omnia flumina ad desertum deduceus, infirmatus est Basan & Carmelus & flos Libani elanguit.* quæ hic contra Niniuem dicuntur, tu de anima intellige multis à Deo dotibus ornata, verum eis abutente, & voluptatibus dedita; huic ergò onus post hanc vitam prænuntiatur, id est, prædictio omne malorum genus continens. & rectè Deus *æmulator* dicitur animarum, nam eas proprio sanguine redemit, quamuis voluptates & vitia passim sectentur, dum corpus animant.

Porrò *vlciscens Dominus* vocatur, quia licet nunc sileat, & peccata dissimulet, loquetur tamen aliquando, & horrendam tandem contra peccatores sententiam proferet. Prodet dolorem suum, quod eos, quos toties ad pœnitentiam vocauit, & tamdiu exspectauit, videat suas voces contemnere, & tantum non irridere, & hoc est, quod ait Propheta. *Dominus in tempestate, & turbine viæ eius.*

8. Nimirum *horrendum est incidere in manus Dei viuentis* ad Hebr. 10. Proinde rogabat S. Dauid: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me:* sciebat enim vir sanctissimus vlcisci Dominum eam animam, quam sibi desponsit in sponsam, cum viderit post adulteros abeuntem, contra quam sic Ezech. 16. 38. loquitur Dominus: *iudicabo te iudicijs adulterarum, & effundentium sanguinem: & dabo te in sanguinem furoris & zeli;* iusto id Dei iudicio eueniet, quoniam eiusmodi anima adultera fuit à Deo recedendo, & sanguinem fudit eorum, quos peruertit, & contaminauit exemplo, & à Deo suo recedere fecit. subdit verò mox Naum: *in tempestate & turbine viæ eius;* quia cum scelerũ somno corripitur peccator, & torpet, & quasi securus sit in delicijs, quiescit, subitò ad eũ veniet Dominus per mortem, quasi in tempestate, & turbine repentino, videlicet, terribilique aduentu sicut olim illi accidit, cui dictum est Lucæ duodecimo. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti cuius erunt?* Putabat infœlix quod congregatis tot bonis, & in horrea multa inuectis frui dare tur in posterum dicebat enim animæ suæ. *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Sed hæc vna cogitatio omnium, ac sempiternorum malorum eius initium, & origo fuit. O cæcam hominis mentem, nihil illi profuit labor in congregandis bonis insumptus. fefellere illum tanquam fallaces omnes eius spes? & quod tandem ex tot curis inuenit, sempiternum fuit supplicium. nec minus ille stultus, de quo ibidem Dominus versiculo quadragesimoquinto, *quod si dixerit seruus ille in corde suo: moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere seruos, & ancillas, & edere & bibere, & inebriari, veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora, qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.*

9. Sed quid est quod subditur: *& nebulæ puluis pedum eius,* significat quod cum ad puniendos malos, & inimicos suos venturus est Dominus, non solum cum tempestate, & turbine, id est, cum magno impetu, ac fragore, qualis solet esse exercitus magni, sed etiam puluere pedum suorum, quem gradiens commouebit, nebulas excitabit, quibus vel cœlum ipsum obscuretur, quod facere consueuit grandis exercitus. hinc enim desumpta metaphora est. fit enim nonnunquam vt mortis repentino nuncio inopinatæ calamitatis accessu, ita peccator commoueatur, & perturbetur, vt quasi crassissimæ quædam nebulæ sensibus videantur offundi, & mens quasi nocte quadam circumfusa, obductisque tenebris obcæcata, partim dolore & metu, partim curis rei familiaris, partim futurorum timore ita perturbetur vt in tenebris versari, & in cæca esse caligine sibi videatur, & neque satis sit apud se, neque certi quicquam de rebus suis statuat, atque ita migrare cogatur è corpore: hic ergò est puluis, hæ nebulæ pedum eius,

ad quas explicandas facit Sophoniæ locus capite primo, v. decimoquarto. *Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies ira dies illa, dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis.*

10. Eodem ferè pertinent quæ sequuntur: *increpans mare, & exsiccans illud, & flumina ad desertum deducens*; mare, quoniam altissimum est, rectè cor hominis designat, consilijs, & cogitationibus varijs, quasi aquis abundans, ac bene profundum.

Hoc igitur mare, cum inopinatus dies mortis aduenerit, qui peccatoribus supra modum est inuisus (etenim *mors peccatorum pessima*) increpatur à Domino dolore subito præsentium bonorum quæ deserit, & horrore futurorum malorum, quæ vel inuitus repente cogetur experiri: exsiccabitur sanè tunc mare istud, & inops consilij quò se vertat ignorabit, neque vnde sibi præsidium accedere possit, videbit, & ea in quibus tantopere ad illud vsque temporis laborauit, nihil sibi cernet auxilij, nihil solatij, afferre posse. Porrò flumina, quæ intrant in hoc mare, amicorum consilia sunt, è quibus nihil suæ calamitati animaduertet infœlix peccator posse remedij aduenire; & ideo ait: omnia flumina in desertum deducens, destituetur enim tunc peccator omni subsidio, & rebus infectis magno terrore excedet è vita. Ita fatuæ Virgines quæ non sumpserant secum oleum cum lampadibus dum trepidant, dum à sapientibus poscunt, dum ad vendentes eunt, *venit sponsus, & quæ parata erant, intrauerunt cum eo ad nuptias & clausa est ianua.*

11. Sequitur: *infirmatus est Basan, & Carmelus, & flos Libani elanguit.* Basan, inquit Ribera, confusionem significat, Carmelus, spicam plenam; quare per *Basan*, aptè intelligemus carnis voluptates, quæ ignominiam, & dedecus afferunt; per *Carmelum* verò diuitias accipere possumus. Libanus verò mons magnus, in quo sublimes cedri, commodè potentiam, ac superbiam mundanorum ostendit. Quoniam ergò terrore mortis, & diuini iudicij ingruente, neque carnis voluptatibus vti licebit, neque proderunt diuitiæ, aut vllius potentiæ vires, sed sola benè actæ vitę conscientia, iuxta illud Prouerbiorum decimo, 2. *nil proderunt thesauri impietatis, iustitia verò liberabit à morte.* propterea meritò ait Propheta, infirmatum esse Basan, & Carmelum, & florem Libani elanguisse. Quibus constat, quo in discrimine versetur quilibet peccator, & quibus se pœnarum tormentis addicat propter exiguam, & breuem præsentis temporis voluptatem.

12. Expectat Dominus peccatorem si fortè resipiscat, quod si non facit, tunc ob inemendabilem malitiam in exitium tradit, vt ex Cæsareo mox referam. Sanxerunt olim Græci Aegyptiam quamdam legem, vt mulier grauida, si mortis fuisset damnata, asseruaretur donec pareret L. prægnantis, D. de pœnis. ita profectò exspectat nos Dominus benignus, & patiens differt supplicium, si fortè à facie eius concipiamus, & quasi parturiamus cum gemitu, & lacrymis spiritum salutis. quod Sapien. duodecimo. 1. 2. *O quam bonus & suauis est spiritus tuus in omnibus, ideoque eos qui exerrant partibus*, (id est, paulatim, & per partes non statim adhibendo totum supplicium) *corripis, & de quibus peccant admones, & alloqueris, vt relicta malitia credant in te* DOMINE. & postea versiculo nono, decimo, *non quia impotens eras in bello subijcere impios iustis, aut bestijs sauis, aut verbo duro simul exterminare, sed partibus* (paulatim, pedetentim) *iudicans* (condemnans & puniens, aut iudicia tua peragens) *dabas locum pœnitentiæ* (licet non ignorares obstirmatam, & incessabilem futuram esse illorum malitiam) *non ignorans quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuũ* (vbi autem quis contumax, & in peccatis obstirmatus est, & abutitur Dei patientia, tunc versiculo decimoseptimo subdit) *virtutem ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus, & horum, qui te nesciunt* (quod experti non fuerint diuinum supplicium, ac proinde frigidè sentiunt de diuina potentia) *audaciam* (id est, contumaciam) *traducis* (aperto supplicio redarguis, & quasi spectandam publico exemplo proponis.) Varios habet Deus castigandi modos, qua de re Cæsarius Nazianzeni frater dialogor. 3. de Iob sic scribit: *quattuor modos castigationis scimus: nam alia quidem propter peccata nobis ad correctionem adhibetur, multa enim flagella peccatoris. Alia verò superbiam, & fastum deijcit, hoc est, elationem, ac tumorem animi comprimit; superbis enim Dominus resistit.*

Varijs modis Deus peccatores castigat.

Alij aũt latentẽ virtutem & fortitudinem ostendunt vt eam spectatores imitentur: nullus. n. accendit lucernam, & ponit eam subter modium, aut lectum sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui sunt in domo, inquit Dominus, quasi dicat, propter hoc instar facis accendi Iobum, & extra ciuitatem super candelabrum stercoreum posui, vt luceat omnibus in orbe terrarum.

Alia denique castigatio est, in vniuersum à Deo deseri propter extremam nequitiam, & improbitatem, cui nihil omninò admixtum est boni, quod & Pharaoni, & Nabuchodonosori, & Iudæ contigit, vt in exitium traderentur propter inemendabilem malitiam, auertam enim ab ipsis faciem meam, & ostendam quid cum ipsis futurum sit in nouissimis, inquit Deus per linguam Moysis, Deuteronom. trigesimo, v. vigesimo. lege item Gregorium 15. moralium capite vigesimonono. Basilium in Reg. fusior. capite quadragesimoquint. Hieronymum in illud Isaiæ trigesimooctauo, vbi dicitur, *Ezechias infirmatus vsque ad mortem*, Augustinum 1. de Ciuitate capite 8. & capite nono. Theodoretum Heracleotem in Ioann. 9.

DIGRESSIO IV. MORALIS.

In eumdem versum: *Ego vado, & quaeretis me*, &c.

Quod citò arripienda sit beneuiuendi occasio, quia sera pœnitentia difficilis est.

1. MAgno sanè in periculo versatur, quicunque nunc benè viuendi occasionem non arripit, fit enim hinc sæpe vt cum volet non inueniat, quoniam nec tunc volet, cum debet, hoc multa ostendunt scripturæ loca, sic Ierem. 51.9. *curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, & eamus vnusquisque in terram suam: quoniam peruenit vsque ad cœlum iudicium eius.* & alibi cap. 5.3. *Domine percussisti eos, & non doluerunt; attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam; indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Idem habet Iob cum ait capit. 24.13. *ipsi rebelles fuerunt lumini*, id est, fuere præuaricatores, deficientes, & recedētes à Deo *qui lux est, & in quo tenebræ non sunt vllæ. lux hæc in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*, ad homines peccatores venit vt eos illuminet, sed protinus illi faciem auertunt, ne eam hauriant. quare vt Philippus presbyter ait in hunc Iobi locum, *qui cæcato corde in tenebris sunt, mittentur in tenebras exteriores, & duplici malo induentur sicut diploide.* timendum valde ne Deus gerat se cum ijs, qui vitæ emendationem, & pœnitentiam in finem vitę reijciunt, vt solet medicus, dum videt ægrotum non sibi morem gerere, nec ijs quæ præcepit ad obtinendam sanitatem parere, quin noxia quæque comedere, ac nullam fere valetudinis curam habere, solet is talem ægrum relinquere. Vnde fit vt moriatur, cuius mortis caussa ipse sibi est ægrotus, non medicus deserens, qui summum causa est permittens: ita Deus, eum, quem toties vocauit, quem diu expectauit, cui tot obtulit emendandæ vitæ occasiones, quem tot beneficijs affecit. tantis sæpe imminentium malorum minis exterruit, nec resipuit, derelinquere interdum solet, sufficientia dumtaxat (quæ sua est liberalitas) auxilia [illegible]negans, vnde sæpè fit, vt in maiora incurrens peccata de medio vitæ cursu repentina morte ad inferna rapiatur, si permittente Deo, cum ipse sibi tantorum malorum caussa fuerit, hoc est quod hic insinuat Dominus: *ego vado & quaretis me, & in peccato vestro moriemini.*

2. Cum enim recesserit Deus, difficile inuenietur. Hoc te Pharaonis exemplum doceat, quem Dominus toties ab eo repulsus indurasse dicitur, sic enim ait ad Moysen ipse Deus: *ego indurabo cor Pharaonis*; in quæ verba Augustinus sermone 88. ait: *quoties Dominus dixit; ego indurabo cor Pharaonis: non aliud intelligi voluit nisi: ego suspendo plagas meas, & flagella, vnde eũ per*

A *indulgentiam meam contra me obdurari permitto. sed fortè aliquis dicat: quare illum Deus parcendo indurari fecerit, & quare flagella remouerit? Hoc loco securus ego respondeo, ideo Deus toties flagella remouit, quia Pharao pro ingenti cumulo peccatorum suorum, non tanquam filius ad emendationem meruit corripi, sed tanquam hostis permissus est indurari. tantæ enim illius iniquitates præcesserunt, & Deum toties sacrilego ausu contempserunt, vt in illo impleretur, quod de talibus Spiritus sanctus dixit in labore hominum non sunt, & cum hominib. nō flagellabuntur; ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua, prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. ecce qualiter obduratur, qui ad correptionem castigari à Domino non meretur.* Et poB *stea: Quid est autem quòd dixit: ego indurabo cor eius, nisi cum abfuerit gratia mea, obduret illum nequitia sua &c. sicut enim quoties nimio frigore aqua cōstringitur, solis calore superueniente resoluitur, & discedente eodem sole iterum obduratur: ita nimirum peccatorum frigore refrigescit caritas multorum, & velut glacies obduratur, & cum eis iterū calor diuinæ misericordiæ superuenerit, resoluuntur; ille vtique calor, de quo scriptum, est, non est qui se abscondat à calore eius. quod etiam erga Pharaonem impletum esse cognoscimus, à quo quoties flagella remota sunt, contra Deum se obduratus erexit, quoties verò afflictus est, humiliter supplicauit,* tandem hortatur Augustinus vt peccata dimittentes, oblata nunc Dei miseratione remedia non relinquamus: *nos verò*, inquit, *fratres carissimi, in veritate agnoscimus, quod ex multitudine peccatorum desperatio nascitur, & ex desperatione obduratio generatur:* C *secundùm illud* Prouerbiorum 18. *peccator cum venerit in profundum malorum contemnit: quoties nobis aliqua peccata subrepserint, sine vlla mora medicamentum eleemosynæ vel pœnitentiæ festinemus animarum nostrarum vulneribus prouidere: vtiliter enim malagma, vel fibula calidis adhuc vulneribus apponitur, & cito ad sanitatem vulnus reducitur. quod putrescere longa abusione non sinitur, & ideo quotiescunque delinquitur, peccata nostra iudices nos sentiant, & non patronos, accusatores suos, & non defensores esse cognoscant. secundùm illud: iniquitatem meam ego cognosco. tu agnosce, & Deus ignoscit. nam quo pacto Deus dignetur ignoscere, quod in se homo dedignatur agnoscere?*

Meritò sic monet Augustinus, quia si quis occasionem negligat, in peccati consuetudi- 3.
D nem incidit, à qua emergere quodammodo impossibile sit: etenim peccati consuetudo longius hominem recedere facit à Deo, & peccato maximè inhærere, ac delectari, licet insuaue alioquin & iniucundum sit, & propter suam fœditatem omni studio fugiendum. Manna comedebant Iudæi Chrysosto. inquit, & cepas de AEgypto quærebant, nimirum propter contractam consuetudinem. qua fiebat, vt quod dulce erat, ac suaue, videlicet manna, insuaue & insulsum videretur, & cepas tanquam suaues cibos vehementer optarent, vilissimum alioquin cibi genus; verùm consuetudo id agebat. Ita plane nil dulcius, ac suauius virtute, sed antiqua consuetudo ita nos trahit, ita rapit, vt vitijs potius delectemur, quam virtute, & vt caducis, terrenisque rebus frui potius velimus, quamcæle-

stibus. ea est consuetudinis vis. Narrante D. Marco didicimus arreptum quendam puerum à dæmone, nó potuisse à Christi discipulis sanitati restitui; cum verò ad Christũ adductus esset, statim spiritum conturbasse illum, ita vt elisus in terram volutaretur spumans. Interrogasse verò Christum Patrem illius, quantum temporis esset, ex quo hoc ei acciderat? & respondisse Patrem, ab infantia. tunc Iesum dixisse: *surde & mute spiritus, ego præcipio tibi exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. & exclamans, & multum discerpens eum, exijt ab eo, & factus est sicut mortuus.*

Rogo te, lector: nonne nouerat Christus ab infantia à Dæmone correptum puerum? cur igitur id interrogauit? cerè non ob aliud nisi vt omnes id intelligerent, & inde discerent difficile eos, qui teneris annis se dæmoni tradidere, ab eo liberari posse: & iccircò factum esse, vt discipuli, qui alios curauerant, minimè hunc potuissent. Id quod mihi Iob significasse videtur capite vigesimo, 11. *ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* Quantæ sanè sint vires prauæ consuetudinis, eleganter expressit Ierem. 13. 23 *si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietatem suam, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum*: in qua tamen re locum habet id quod de diuitijs aliquando dixit Dominus: *quæ impossibilia sunt apud homines possibilia esse apud Deum.* nisi ergò antequam mala altas radices iaciant, ad Christum conuoles, & ab eo tibi oblatas ab benè, beatéque viuendum occasiones arripias, abibit ille à te, & quæres eum nec inuenies, & peccandi consuetudine computrescens, in peccato tuo morieris: sicut dictum est à Christo Iudæis: *ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.*

Prauæ consuetudinis vis.

4. Quare ne tam infœlicem cum Iudæis vitæ exitum fortiamur, laborandum nobis est, ac totis viribus contendendum, vt idoneam benefaciendi opportunitatem, tempusque ad id oblatum non prætermittamus, ne Deus à te discedat si cæcus es, & iuxta viam sedens mendicas, vbi audieris prætereuntem Christum clama: *Iesu fili Dauid miserere mei*, ne abeat ille, & tu sempiternis tenebris obuolutus permaneas. Aduerte quid Ose. 6. 3. scriptum sit. *quasi diluculum præparatus est egressus eius, & veniet quasi imber nobis temporaneus, & serotinus terræ*: quia enim Christus est, qui dat nobis velle, ac perficere bonorum operum fructum, rectè comparatur eius ad animam aduentus imbri temporaneo, ac serotino, ex quibus pendet omnis fructuum prouentus: dicitur verò *temporaneus* imber, qui mense Octobri decidit, cum fit sementis; qui verò mense Maio decidit, cum iam fruges ad maturitatem quamdam veniunt, imber est serotinus, & hi aptè initium, ac perfectionem bonorum operum in nobis significant; sed diligenter aduertendum est, eumdem Christi aduentum similem dici Auroræ, hoc enim est, quod ait: *quasi diluculum præparatus est egressus eius*, opus enim est mane ante lucem surgere, hoc est, pulsanti citò aperire, nec prætermittere labi aduentus eius occasionem: hoc enim est quod minatur: *ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Proinde aduentum suum *diluculum* nominauit, quia citò labitur, nec eo fruetur, qui diutius dormierit, & diu in peccati, socordiæque cubili iacuerit: non ita iustus, *cor enim suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum*, vt particula illa bona diei non eum præteireat, in qua cœleste manna descendit, ac colligi potest.

Porrò de manna sic scribitur Sapientiæ decimosexto, v. vigesimoseptimo, *quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat; vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* mirum sanè est, quod tam paruo radio solis deficeret manna, ac colliquesceret, cum tamen igni applicatum non deficeret, sed indurare tur potius; quod Dei consilio accidebat, vt disceremus, homines, nec pigros, nec socordes esse debere, si diuinam velint benedictionem accipere, quam Iacob meruit ab Angelo suscipere, cum maturè surrexisset, & cum lacrymis rogasset, *non dimittam te, nisi benedixeris mihi*: rectè enim diuina nos monuit Sapientia, *qui mane vigilauerit ad me, inueniet me.* quare attende ne fortè pulset Dominus cor tuum, & non sit qui aperiat: quis enim nouit an iterum sit pulsaturus? quid igitur moras nectis? cur non statim pulsanti aperis? nam si existimas postea facilius id efficiendum esse, erras omnino: etenim Deus magis à te recedet, & Dæmon interim iugo te grauiore premet, quod difficilius excusseris.

Profectò qui præsentem opportunitatem 6. præterlabi sinunt, & diem ex die exspectant, vt statuant boni aliquid faciendum esse, & in peccatis interim computrescunt, ita auersi esse solent à studio diuini verbi audiendi, vt super illo, quasi super cibo leuissimo omnino nauseent, nec vllo concionis genere oblectentur, sed crucem existiment subeundam sibi esse, si per breuem horam concioni interesse cogantur: Hos ergo rectè simillimos arbitror ægrotis illis, qui omne vtile ciborum genus respuunt, quos certissimum est apud medicos deploratæ salutis esse. An non tibi istos egregiè depinxisse diuinum Vatem Psal. 106. 18. putas, dum dixit: *omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis?* Quid enim restat aliud, si cibum omnem nauseet, respuat, nisi vt mortem subeat, qui vitæ præsidia odit ac reijcit? Aptissimè in istos conuenit quod de huiusmodi hominibus Matthæi vndecimo dixit Christus: *cui similem æstimabo generationem istam? cantauimus vobis, & non saltastis, lamentauimus vobis, & non planxistis*: neque lætis trahuntur, nec tristibus mœrent, & neque minas, neque præmia curant. An nó horum deplorata tibi videtur esse salus? Quid istis agas, nisi vt funus parari iubeas? An non ijs iure euenturum dixeris, quod Iudæis olim prædixit Christus: *ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini*: meritò id quidem, cum inuitantem nunc Do-

minum

minum per Concionatores suos, per Ecclesiæ Pastores, per Sacramenta, perque innumera alia salutis remedia audire renuant.

7. Falluntur qui ad extremum vitæ tempus facilè putant se pœnitentiæ locum habituros esse, est enim res hæc magni periculi plena. Quis enim sibi persuadeat veram pœnitentiam acturum, qui dum viueret, nullam suæ salutis curam gesit, & nec Deum timuit, neq; homines reuerit⁹ est, qui incredibili studio peccatis, ac terrenis rebus semper inhæsit? Quin ad istos quis neget pertinere illud, quod Sophonias habet cap. 1. 17. *abundabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt, & effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora.* A *Ambulabunt*, inquit Hieronymus, *vt cæci, quia lumen perdidere virtutum, & locum pœnitentiæ non habebunt, & hæc patientur, quia Domino peccauerunt.* Audisne quid tantus vir Hieronymus dicat? *locum pœnitentiæ non habebunt?* hoc enim præcipuè insinuant verba Prophetæ. *Cæci cum pericula imminent, tentant effugere*, inquit Ribera, *& hac, atque illac errant, nec domum, aut tutum latibulum inuenire possunt, quia cæci sunt. Ita peccatores multi mortis oppressi angustijs, & venturam iram formidantes, tentant effugere, & pœnitentiam quærunt, sed ianuam non inueniunt qua ingrediantur; sicut de viris Sodomitis legimus Genesis decimonono: & eos qui foris erant percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent. Peccatores etsi per fidem maneant in Ecclesia, foris esse dicuntur, quia à Deo peccando recesserunt. Quare saluberrimum est illud Ieremiæ consilium cap. 13. 16 Date Domino Deo vestro gloriam antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos: expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis, & in caliginem.* Montes caliginosi ad quos offendunt hi cæci, qui quærunt ostium salutis, id est, pœnitentiam, extremo mortis tempore, & plerumque non inueniunt, sunt tenebræ illæ animæ, & caligo peccatorum, à qua se quodammodo extricare nequeunt; cum enim restituenda sint mala ablata, & iniustè parta, vt ingens pecuniæ summa, vt ager fertilis, condonandæ iniuriæ, deponendæ inimicitiæ diu inueteratæ, supplicandum humiliter ijs, quos offenderant, vt ignoscant, recogitandi malè in vitijs impensi anni in amaritudine animæ, & conscientiæ maculæ per confessionem eluendæ, remittendus nuncius omnibus voluptatibus, & delicijs; hæc, inquam, & similia sunt montes caliginosi ad quos offendunt, qui lucem salutis, dum viuerent, neglexerunt aspicere, & putantes illam se esse inuenturos tam calamitoso, & alieno mortis tempore, decidunt in vmbram mortis, & in caliginem. Quare tandē subdit Sophonias, quid istis ita morientib. euenturum tandē sit: *& effundetur*, inquit, *sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora*; quia non modò corpus, sed etiam anima istorum vitijs inquinata stercus est viliſsimum. Nihil illis tunc proderunt diuitiæ, nihil potentia, fauor, nobilitas, & omne id quod olim argentum, & aurum illis videbatur. Etenim verisimum est illud Prouerb. 10. 2. *nihil proderunt thesauri impietatis, iustitia verò liberabit à morte.*

Quare si prudenter agere, si imminentia mala cauere volumus, nunc dum viuimus, & sani, integrique sumus, sana quoque consilia capientes, vitam nostram emendemus, & peccata per pœnitentiam deleamus, in gratiam cum inimicis redeamus, restituamus libenter quæ iniustè rapuimus; est enim nunc in nostra manu benè vel malè mori, quia in manu nostra quoque est bonos nunc dies trāsigere vel malos, illorum sane lumen inextinguibile est, & mirificè lucet, & in morte magnam tunc pacem, fiduciam, & gaudium præstans pijs: horum verò malorū dierū lux vmbratilis, atque apparens in densissimas tenebras desinet: obtenebrescet enim in morte cum *dies veniet succensa quasi caminus.* Malachiæ quarto, v. primo. de quibus diebus sic scribit Origenes homilia prima in librum Iudicum super illa: *seruiuit populus Domino omnibus diebus Iesu. Oportet scire, quia vnusquisque nostrum ipse sibi præstat, vt in bonis diebus sit aut in malis, dies habeat Iesu, id est iustorum, aut dies habeat impiorum. Si enim intelligamus lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & præbeamus ei ad illuminandum animas nostras, aut si oriatur nobis sol iustitiæ, & mundum animæ nostræ habeamus hospitium, habemus & nos dies Iesu Christi, dies salutis. si quis verò animam suam præbuerit ad recipiendam lucem illam, quæ extinguetur, lucem contrariam veritati; & ab ea fuerit illuminatus, habebit & ipse dies malos; & non erit in diebus Iesu, sed erit in diebus Manasse; vel in diebus Pharaonis, vel in alterius cuiuscunque diebus pessimis. Propterea denique in diebus Achab Regis iniqui, & pessimi non potuit Isaias videre visum* (capite quinto) *non potuit videre Dominum Sabaoth sedentem super thronum excelsum, & eleuatum. sed ex quo mortuus est Rex nequam, cuius erant dies mali, tum potuit videre Propheta visionem Dei.* Et paulò post subdit: *magis verò vnusquisque pro actibus suis & conuersatione vitæ dies sibi vel iniquitatis & belli, vel iustitiæ, & pacis acquirit. Audi Prophetam dicentem, timentibus nomen tuum orietur sol iustitiæ* (Malachiæ 4. *sine dubio faciet eis dies iustitiæ dies Iesu; de impijs dicit, quia occidet eis sol iustitiæ* &c. Addit deinde: *habent & impij lucem suam, ex qua sine dubio exoriuntur eis dies mali: Audi quid scriptum est* (Prouerbiorum 24.) *lux iustis semper, lux autem impiorum extinguetur. Vides ergo quia est propria quædam lux impiorum quæ extinguitur, & lux iustorum quæ permanet in æternum.* quod mox declarat. *intelligendum quod anima nostra aut vero lumine illuminatur, quod nunquam extinguetur, quod est Christus, aut si non habet in se istud lumen quod æternum est; temporali sine dubio, & extinguibili lumine illuminatur ab illo, qui transfigurat se in Angelum lucis, & falsa luce illuminat cor peccatoris, vt videatur ei illa esse bona, & præclara, quæ sunt præsentia, & caduca. Isto lumine illuminantur illi, qui summum bonum voluptatem putant qui diuitias & honores sæculi; & terrenam gloriam, quasi æternitatis memoriam quærunt. Sunt ergò isti in diebus lucis eius, quæ extinguetur. O-*

8.

mnia hæc quæ agunt, & quæ desiderant extinguuntur.

Postremò sic hortatur nos: *oremus ergò, vt semper in nobis Christus, qui est lux vera faciat dies bonos, nec vnquam de zabulo nos illuminati habeamus in nobis dies malos, de quibus dicit Apostolus* (Ephes. quinto,) *redimentes tempus quoniam dies mali sunt. Dies enim malos habemus, quando carnalia pro spiritualibus quærimus, terrena pro cœlestibus, pro æternis caduca.* hæc Orig.

DIGRESSIO V.
MORALIS.

De seruitute peccati.

In v. 23. *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.*

INter alios titulos CHRISTI Domini vnus est, & præcipuus, vt Redemptor hominum dicatur, ac libertatis humanæ vindex; oblato namq; diuini sanguinis pretio à captiuitate tenebrarum, & potestate, in libertatem cœlestis luminis, & potestatem Dei nos transtulit, peccatum enim nos diaboli seruos & mancipia constituit, non quod homines per peccatum omninò decedant de potestate & seruitute Dei, vel quod omninò veniant in absolutum imperium, & seruitutem diaboli, (etenī is absolutè in potestate sua aliqd habet qui ius obtinet arbitratu suo quolibet modo de eo constituendi; hoc verò ius absolutum, & potestatem in homines, neque Deus vnquam amisit propter hominum peccata, neque diabolus acquisiuit, Domini enim est orbis terrarum, neque iste modo verum & *plenitudo eius, & vniuersi qui habitant in eo*, Psalmo trigesimo secundo. lege Augustinum libro decimotertio de Trinitate, capite duodecimo. hinc est, vt nihil possit dæmon contra homines amplius quàm permiserit Deus absolutus omnium Dominus) sed primum quod non possint homines, vbi semel propter peccatum gratiam amiserunt, inde resurgere, neque peccatum deinceps vitare, sed oporteat eos, nisi præsidijs diuinę gratiæ adiuti fuerint, aliquando peccare mortaliter, & in statu peccati permanere, necessitatem igitur quamdam per peccatum cõtraxere, quantum in ipsis est, morem gerendi Diabolo contra voluntatem Dei: & hoc dicimus seruum esse diaboli: & hoc est, quod potissimum cupit diabolus propter odium in Deum, & in genus hominum inuidiam. lege Augustinum in Enchirid. capite decimotertio, & Bernardum epistola 191.

2. Deinde quod diabolo tanquam tortori sint homines addicti, & adiudicati, quod obseruauit Auctor imperfecti homilia vndecima in Matth. in illa: *& iudex tradat te ministro* &c. capite quinto. postremò quod decesserint quodammodo ex potestate, & seruitute Dei per peccatum: amissa namque gratia, homo naturæ suæ virtibus obsequi Deo in re aliqua sancta, & Deo grata, quæ ex charitate sit

A minimè potest; quin nec Deus ipse potest, quamdiu in peccatis est, eo vti tanquam bono seruo ad eam ipsam rem, hoc autem est tributum quod Deus à seruis suis exigit Deuterono. decimo. v. duodecimo, *& nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua?* obsequium ergò charitatis requirit Deus.

Verum, quia potest Deus peccatorum animos immutare, & eos per gratiam ex iniustis iustos facere, absolutè etiam ad hoc ipsum obsequium charitatis potest Deus peccatoribus vti.

B Docet verò scriptura multis in locis malos & peccatores quadam vt dixi ratione non 3. Dei sed diaboli seruos esse. Hinc Paulus Romanorum octauo, *qui spiritum Christi non habet, hic non est eius*; quasi dicat, diaboli est. *A quo enim quis superatus est, huius & seruus est.* 2. Petri secundo. quod rectè declarat Apostolus 2. ad Timotheum secundo, dum ait: *Deus det illis pœnitentiam, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.* Vide schol. numero trigesimoquarto, propterea Ioannis duodecimo, 31. diabolus vocatur à CHRISTO Domino *Princeps huius mundi*, hoc est, Dominus malorum omnium, qui habitant in mundo, vt ait D. Augustinus, tractatu quinquagesimo secundo, vbi etiam habet hæc: *Possidebat diabolus genus humanum, & reos suppliciorum tenebat chirographo peccatorum: dominabatur in cordibus infidelium.* vide Eusebium Emiss. homilia vndecima. de Pasch. & Origen. in cap. 15.

C Ceterum quoniam per peccatum homines & extra seruitutem Dei, & sub tyrannide 4. diaboli sunt, non iure aliquo ipsius diaboli, sed tantum iure Dei iusto iudicio permittentis illos esse in eiusmodi statu peccati; propterea vt ab ea tyrannide, seu captiuitate diaboli redimerentur, non diabolo, sed Deo facienda compensatio fuit. hinc Paulus ad Ephes. quinto, *tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo.* & Apocal. 5. *redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.*

D Est autem ita proprium peccato seruituti 5. hominem mancipare, vt omnis ex peccato nata sit seruitus, quod declarat Aug. lib. 19. de ciu. capite decimoquinto, *hoc naturalis*, inquit, *ordo præscribit; ita Deus hominem condidit. nam dominetur, inquit, piscium maris, & volatilium cœli, & omnium repentium, quæ repunt super terram. rationalem factum ad imaginem suam noluit nisi irrationalibus dominari, non hominem homini sed hominem pecori.*

Inde primi iusti pastores pecorum magis, quam Reges hominum constituti sunt, vt etiam sic insinuaret Deus quid postularet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum. Conditio quippe seruitutis iure intelligitur imposita peccatori: Proinde nusquam scripturarum legimus antequam hoc vocabulo Noe iustus peccatum filij vindicaret (Genes. nono, vers. 25. *maledictus Chanaan seruus seruorum erit fratribus suis*)

nomen

nomen itaque istud culpa meruit, non natura. Origo autem vocabuli seruorum in latina lingua inde creditur ducta: quod hi qui iure belli possent occidi, à victoribus cum seruabantur, serui fiebant; à seruando appellati, quod etiam ipsum sine peccati merito non est. Et postea: *prima ergo seruitutis caussa peccatum est, vt homo homini conditionis vinculo subderetur, quod non fit, nisi* DEO *iudicante, apud quem non est iniquitas, & nouit diuersas pœnas meritis distribuere delinquentium. Sicut autem supernus Dominus dicit; omnis qui facit peccatum, seruus est peccati: ac per hoc multi quidem Religiosi Dominis iniquis, non tamen liberis seruiunt; à quo enim quis deuictus est huic & seruus addictus est. & vtique felicius seruitur homini, quam libidini, cum sæuissimo dominatu vastet corda mortalium, vt alia omittam, libido ipsa dominandi.* Sic ex Augustino.

6. Verùm hic intelligere oportet, duplex esse dominium hominis. Alterum in seruos; alterum verò in liberos. Vnum seruile, alterum ciuile ac liberale; illud coactum, violentum, & inuoluntarium; hoc voluntarium & iucundum. Illud totum refertur ad bonum, & emolumentum dominantis. Hoc ad subditorum, vel potius ad publicum, & commune bonum. Igitur in statu innocentiæ alij præfuissent alijs, non dominatione seruili, sed ciuili.

Porrò imperassent homines tunc, quomodo iusti viri imperant alijs, vt docet Diuus Augustinus libr. 19. de Ciuitat. cap. 14. *non enim*, inquit, *iusti dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed prouidendi misericordia. Hoc naturalis ordo præscribit, ita Deus hominem condidit*; de violenta ergo illa, & acerba seruitute intelligendus est Augustinus dum ait ex peccato natam esse. Quod idem de subiectione mulieris sub potestate viri dicere possumus. Subiectio etenim mulieris sub viri potestate in statu innocentiæ fuisset mulieri iucunda, ac voluntaria, quia nihil imperasset vir nisi iustum, & honestum, & æquo, ac benevolo modo: post peccatum verò facta est subiectio hæc mulieri inuoluntaria, & acerba, idque in peccati pœnam: nam sæpè viri inhumanius, & durius coniuges accipiunt, tum quod mulieres corruptione naturæ ac voluntatis, & ob naturalem quamdam ingenij leuitatem, & iracundiam animi, iniquius ferunt mariti imperium. Origo igitur coactæ seruitutis ad peccatum pertinet.

7. Iam verò si ciuilis isthæc seruitus cum peccati seruitute conferatur, multò illa leuissima, ac tolerabilissima videbitur. Hinc est, quod clamat Apostolus Roman. 6. 12. *non regnet peccatum in vestro mortali corpore vt obediatis concupiscentijs eius.* Huius sanè Tyranni explicat Apost. stipendia vers. 23. cum subdit: *stipendia peccati mors*, nimirum cùm ea, quam hic experimur, tum præsertim, quæ perpetua est in æternis inferni cruciatibus. deplorandа sanè est animæ conditio, quæ peccato seruit sæuissimo Tyranno multò magis quam deplorabat Ierem. Thren. 1. Ierosolymitanæ vrbis captiuitatem, ac sic illacrymaretur:

A *Princeps prouinciarum facta est sub tributo.* Etenim vt Hieronymus ibidem ait: anima tot sceptris seruit dedita, quot vitijs: abstulit siquidem sceptrum rationi quicumque peccato seruit, & illud effrenatæ concupiscentiæ tradidit; non aliter quam si quis Reginæ optimæ coronam detraheret, & impotentissimæ meretricis capiti imponeret. *Absurdum*, inquit Chrysost. hom. 11. ad Rom. *planè est, atque indecens ad cœlorum regnum vocatos, pro Regina peccatum habere: vocatos vt cum Christo regnent, peccati captiuos esse malle. Perinde ac si quis diademate à capite abiecto, mulieris intemperijs acta, mendica, & pannosa seruitutem seruire velit.*

8. Quod si quis mala, onerosa, & aspera, & ignominiosa, quæ in seruitute corporali, & ciuili reperiuntur, consideret; eorum similia verum longè grauiora, & acerbiora, atque turpiora comperiet in seruitute peccati. Agit seruus infelicem planè vitam malè comedit, malè bibit, malè vestitur, malè habitat: ita peccator caret cibo animæ, ac potu spirituali. nam vt Prouerbiorum 13. habetur: *iustus comedit, & replet animam suam, venter autem impiorum insatiabilis*; peruehementi etiam siti arescit, quod & Dauid explicat Psalmo 21. *aruit tanquam testa virtus mea.* & Psalmo 101. *percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum*: nam vt herba solis ardore percussa, aut falce demessa, continuò exarescit; ita animus propter admissum peccatum, diuinæ gratiæ humore defectus, arescit, vt verè dici possit illud Dauidis Psalmo 142. *anima mea sicut terra sine aqua tibi*: caret ornatu virtutum. vnde peccatori dicitur Apocalyp. 3. *nescis quia miser es, & miserabilis, nudus & pauper*, in ruinosa etiam quodammodo domo, ac multo deformata pedore cum vilissimis bestijs habitat, hoc est, in conscientia, & corde fœdissimis cogitationibus conspurcato, & sordido; pascitur verò cibis porcorum, qui sunt fœdissima carnis, ventrisque voluptates, & vilissimis vitiorum vestibus circumtegitur.

Deinde seruus vigilat, sudat, multumque laborat, quæ vilia, & laboriosa sunt ministeria illi imponuntur; vix datur illi, quamuis ad breue tempus, quiescere, quod vel facinorosi homines testantur Sap. 5. 7. *lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Præterea seruus iniuriosè sæpè, ac multis verberibus malè à Domino accipitur, at quæ diabolus, tanquam crudelissimus Tyrannus in peccatorem ingerat mala, & dedecora, quibus fustibus eum cædat, quam graui iugo collum eius premat, expressit Isaias cap. 9 4. dum tyrannidem peccati, & diaboli *iugum oneris, & virgam humeri, & sceptrum exactoris* nominat. Omnes obsidet potentias animæ peccatum; obscurat intellectū, vnde ab Ambr. libr. 2. de Caim, & Abel comparatur peccatum fumo, quia sicut hoc acies oculorum lædit, ita mens scelestorum obscuratur peccato, quo fit, vt non videant peccatores bona, quæ amittunt, & mala, quæ à dæmone tolerant. Affectum obstupescere facit peccatoris, vt

non sentiat rerum spiritualium gustum, & saporem. Hinc Augustinus in Psalm. 48. affirmat peccata esse vuam acerbam, de qua scriptum est apud Ieremiam: *Omnis qui comederit vuam acerbam; obstupescent dentes illius.* Per peccatum potentiæ executricis obtunditur virtus ad benè operandum. Hinc Chrysostomus homilia 30. ad populum Antiochenum ex peccato duplex malum ait oriri; *vnum quo offendimus, alterum, quo pœnas reddimur.*

Denique peccatum cùm innumera secum aduehit mala, tum maximè animæ pacem, & tranquillitatem tollit, & secum conscientiæ malæ tormentum affert. Hinc Augustinus libro 1. confessionum capite 12. in fine: *iussisti Domine, & sic est, vt pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.* Quis igitur Dominus tam malè vile afficit mancipium, sicut diabolus per peccatum fatinorosos affligit ac vexat homines? Quartò qui corporalem, & ciuilem seruiunt seruitutem, nullam laborum suorum mercedem ferunt, sed omnis eorum industria, omne ministerium nihil eis affert emolumenti, omnia ad Dominum pertinent. Ita peccati seruitus adeò inutilis est, vt non modò omnia illa opera, quæ peccator facit, ad æternam vitam vtilia esse non sinat, ac sine vero ac stabili fructu faciat, sed etiam quæ magno prius labore parauerat peccator, suo fructu, ac merito priuet. Nam sicut fulgur vaginam integram aliquando relinquit, & ferreum consumit gladium, sic peccatum vitam animæ spiritualem perimit viuo corpore, vt sicut cadauer habet suum esse naturale, non tamen operationes vitæ, cùm abest anima, sic anima amissa vita gratiæ retinet quidem esse naturale animæ, & operationes naturales, non tamen gratas DEO, & meritorias. His quintò accedit, quod seruus corporalis, & ciuilis non permanet in domo Domini sui, vt hic ait Christus, sed eum Dominus suus cùm sibi placuerit, iure suo potest domo eijcere, non enim seruus ius habet permanendi in domo Domini: ita peccator cum viris pijs hæreditatem non capiet regni cœlestis, nec permanebit in domo magni Regis, sed in infernum eijcietur, & cum Hypocritis pars eius erit. Sextò, qui corporalis est seruus, non censetur ciuis, vel pars ciuitatis, vnde nec ciuilium munerum, nec honorum, nec dignitatum particeps est; ita peccator seruus non est inter ciues sanctorum; nec censetur supernæ ciuitatis pars, & cœlestium donorum expers est, non enim expectat fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex, & conditor DEVS est, vt Paulus ait ad Hebræos capite 11. versic. 10.

Postremò, qui verè seruus est, non ipse modò seruilis conditionis est, sed & liberi quoque eius eamdem seruilem conditionem, & statum subeunt: ita & qui peccato seruit, seruilis conditionis filios quoque gignit, hoc est, quæcumque operatur ad libertatem filiorum DEI non perducunt. Hæc igitur sunt septem mala seruitutis corporalis, quæ magis tamen ignominiosa, & aspera reperiuntur in seruitute peccati: quam in se aliquando expertus Diuus Augustinus libro 4. confessionum capite 5. & 10. *Suspirabam*, inquit, *ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate: velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me*: iterum addit: *nec planè volebam, nec plenè nolebam, ideo mecum contendebam, & diuisibar à meipso.* De qua etiam seruitute libro 2. de Ciuitate Dei capit. 3. sic quoque scribit: *bonus etiamsi seruiat, liber est: malus autem etiamsi regnet, seruus est; nec vnius hominis, sed quod est grauius, tot dominorum, quot vitiorum, de quibus vitijs cùm ageret Scriptura diuina: à quo enim quis, inquit, deuictus est, huic & seruus addictus est.* 2. Pet. 2. 19.

Ex his constat, multò magis peccati seruitutem fugiendam esse, quàm ciuilem quamlibet, quam tamen vehementer homines horrent, quemadmodum magna cum alacritate libertatem excipiunt; quod indicat exemplum illud, quod narrat Valerius Maximus libro quarto capite octauo vbi sic scribit: *Philippo Macedonia Rege superato, cùm ad insigne spectaculum tota Græcia conuenisset, Quintus Flaminius tubæ signo silentio facto per præconem hæc verba recitari iussit: Senatus Populusq; Romanus, & Quintus Flaminius Imperator omnes Græciæ vrbes, quæ sub ditione Philippi Regis fuerunt liberas, atque immunes esse iubet, quibus auditis, maximo & inopinato gaudio homines perculsi, primo veluti non audisse se, quæ audierant credentes, obticuerunt. Iterata deinde pronunciatione præconis, tanta cœlum clamoris alacritate compleuerunt; vt certè constet, aues, quæ superuolabant, attonitas, pauentesque decidisse.*

Cur igitur tanta alacritas, tam ingens gaudium, tam fausta acclamatio, quia nimirum natura homini insitum est, vt libertatem magnoperè velit, fugiat verò non seruitutem modò, sed etiam seruitutis vocem. Quantò ergo magis aspirare debemus ad libertatem filiorum DEI? quanto odio prosequi, quanto studio horrere peccati, & diaboli seruitutem, quam ipsa creatura etiam abhorret, vt indicat Paulus 8. capit. epistol. ad Roman. 20. *vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum DEI: scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc*: & subdit: *non solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes; & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum DEI expectantes redemptionem corporis nostri.*

Quin & Paulus suadet potius, vt si benè possumus, ipsam corporis seruitutem excutiamus, sic enim scribit ille 1. ad Corinthios capite 7. *Seruus vocatus es? non sit tibi cura: sed etsi potes fieri liber, magis vtere*, quem locum quamuis multi ita exponant, vt hoc, quod dicitur: *magis vtere*, ad seruitutem referant, vt intelligamus magis esse vtendum seruitute, cùm libertatem nanciscì possumus. Hoc pacto interpretantur

verba

verba hæc Theophylactus, Diuus Thomas, Caiet. Lyr. Glossa vtraque. Pater Olauius tamen contendit esse sic exponenda; *si fieri potes liber, magis vtere* ipsa libertate, id est, conare illam, & comparare, & conseruare, quoniam est multò expeditior, & commodior ad seruiendum Deo, & spiritualem vitam agendam, quã seruitus. Hunc esse Diui Pauli sensum ita colligit: *toto hoc in capite*, inquit, *Diuus Paulus de homine relato ad vitam spiritualem loquitur, & ea consulit, quæ sunt congruentia magis ad ipsam vitam spiritualem commodè agendam. Vt aũt cælibatus commodior est, ita & libertas. Nam vt vxorem cura mariti à cogitatione rerum diuinarum distringit, sic seruum Dominus. Breuiter qui seruus est Christi, magis illi seruit, quam qui tantum est eius libertus, at homo liber seruus esse Christi potest, homo seruus tantum libertus.* (qui enim ait Paulus versiculo vigesimosecundo in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini: similiter quilibet vocatus est, seruus est Christi) *danda est igitur opera Christiano seruo, vt si licitè possit, liber fiat, & ita demùm seruus esse integerrimus Christi possit. An non hoc apertissimè significatur, cum subijcitur* (versiculo 23.) *pretio empti estis, nolite fieri serui hominum.* Quare si fugienda est, cùm licitè possumus, seruitus ipsa corporis, vt Christo melius seruiamus, quanto magis fugienda erit peccati seruitus, quæ Dei seruituti omninò contraria est, & simpliciter mala? sed de his hactenus. lege de tyrannide peccati Chrysostomum oratione quarta de Lazaro.

DIGRESSIO VI.
MORALIS.

In aliquot loca huius capitis. & primò in versum 10. *Quæretis me, & in peccato vestro moriemini.*

1. POtest hic locus aduersus hæreticos afferri, qui quærentes vsque in hanc diem Christum in scripturis, eum non inueniunt, seque ipsos procul à Christo, secumque alios etiam abducentes in peccato suo, & ipsi moriuntur, & cæteros ad eamdem ruinæ foueam pertrahunt. Quærunt namque, quod iam pridem cognitum, & inuentum iam credendum fuerat, non quærendum amplius. Etenim fides Catholica, quã ipsi semper in disquisitionem, & controuersiam vocant, tot abhinc ante annis inuenta, exploratáque fuit, non quæri debet vlterius, sed credi. qua de re sic contra sui temporis hæreticos Tertullianus in libello præscript. contra hæres. cap. 9. scribit, quæ æquè militant contra horum temporum nouatores: *Vnum vtique* (ait) *& certum aliquid institutum esse à Christo, quod credere omni modo debeant nationes, & iccircò quærere, vt possint cùm inuenerint credere. Vnius porrò, & certi instituti* (cuiusmodi præsertim Euangelium est) *infinita inquisitio non potest esse, quærendum est, donec inuenias, & credendum vbi inueneris, & nihil amplius, nisi custodiendum quod credidisti.* Vides ne qualiter Tertullianus vetustissimus auctor temporis nostri hæreticos perstringat? Quærunt isti semper Christum in Ecclesia Catholica, iam dudum inuentum, quem credere oportebat eos, qui Christiani esse volunt; & non amplius quærere eum, quem maiores nostri crediderunt; custodire verò, & conseruare oportuit ea, quę fides nostra præcipit, nec de his superbè altercari, quæ à Sanctis Patribus, & Concilijs rectè constituta esse minimè dubitandum est.

2. Porrò si quærendum adhuc aliquid circa Christum erat, *hæc inquisitio*, vt idem ait Tertullianus capite 10. ibidem: *in tribus articulis consistit: in re, vt quid sit quærendum consideres; in modo, vt quousque, in tempore, vt quando.* Ad rem quod attinet, qui fidem quærit, fidem negauit, si prius credebat: *nemo enim quærit, nisi qui aut non habuit, aut perdidit*, vt hæretici, quare meritò de his dixit Apostolus 2. ad Timotheos 3. 7. eos esse *semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.* Quod spectat ad modum, si quærendum aliquid circa fidem est, *in nostro*, ait Tertullianus capite duodecimo ibidem, *& à nostris, & de nostro quærendum est, idq; dumtaxat, quod salua regula fidei potest in quæstionem deuenire.* Quid igitur miramur hæreticos hodie Christum quærentes, minimè eum reperire, sed in peccato suo, id est, infidelitate mori, cùm non in Ecclesia, sed vel apud se ipsos suum, vt aiunt, spiritum, id est, diaboli interrogantes, vel certè apud alios eiusdem farinæ hæreticos eum quærunt; nec salua fidei regula difficiles, & obscuras quæstiones indagant: quin etiam contra fidei regulam absurdissimas sententias comminiscuntur; & quæ sanctissimè constituta, & altiùs fixa erant, conuellunt, & refigunt, noua cudentes, quæ eorum spiritus, id est diabolus, eos docuit. id verò quod perperam confixere, cùm ex scripturis confirmare velint, nec possint, eas indignum in modum torquent, deprauant, adulterant. De tempore sic ibidem capite 10. Tertull. *vbi erit finis quærendi, vbi statio credendi, vbi expunctio inueniendi? Apud Marcionem? Sed & Valentinus proponit: Quærite, & inuenietis. Apud Valentinum? Sed & Apelles hac me pronunciatione pulsabit. & Hebion, & Simon, & omnes ex ordine non habent aliud, quo se mihi insinuantes, me sibi adducant. Ero itaque nusquam, dum vbique conuenior.* Sic Tertullianus.

3. *Vos ex Patre diabolo estis* &c. Quos vetus Scriptura *filios Belial* vocat, nominat hic Christus *filios diaboli.* nam vt notat noster Delrius Adag. 126. in locis illis Scripturæ, quibus agitur de personis immediatè, valdè commodè Belial salua manente analogia, & significatione vocis (significat enim *Belial* absque iugo, id est, eum, qui neq; Deo, neq; hominibus obedire vult. Filij verò Belial homines exleges sunt, quique nulli parere sustinent, nullius fere iugum) posse capi pro ipso diabolo, & filios pro imitatoribus poni; atq; adeò filios Belial dici, qui ipsum Belial contemptu diuinæ legis, ac DEI legislatoris audacter imitantur. Hinc

Pau'us 2. ad Corinthios 6. 15. antonomasticè cacodæmonem, tanquam caput præuaricatorum, *Belial* appellat, quem etiam Christo opponit; *quæ*, inquit, *est conuentio Christi ad Belial?* Rectè igitur participatione quadam impios, qui sunt diaboli membra, filios Belial appellare possumus. Sicut Christus Ioann. 6. 7. de Iuda dixit: *nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est?* & hoc sensu 1. Regum 1. 16. Anna negat se *vnam filiarum Belial*, significans se nec temulentam, nec impudentem, quæ Deo crapulam eructet, & serui de Nabal dixerunt 1. Regum 25. 17. *ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui*, videlicet propter superbiam, & 3. Regum 21. quos interpres vocarat versic. 10. *filios Belial*, vocat versicul. 13. *filios diaboli*; quare hæc eadem sunt. Sic 2. Regum 22. 5. legimus: *torrentes Belial terruerũt me*: quod desumptum videtur ex Psalmo 17. 5. vbi interpres non retento proprio nomine, reddidit *torrentes iniquitatis*, hoc est, impiorum hominum, vel tentationum violentam multitudinem, quæ à diabolo immittuntur. neque verò semper de personis dicitur Belial, sed interdum de rebus, vt Psalm. 40. 9. *verbum iniquum constituerunt aduersum me*. & Nahum 1. 11. *mente pertractans præuaricationem*, Hebraicè *Belial*, id est, consilia diabolica, semper tamen vel ferè semper hoc verbum significat saltem diabolicum aliquod. Vide item de hac voce Belial Riber. Nahum 1. sub finem à num. 44.

4. Quod si roges, quibus ergò præcipuè conuenit filios esse Belial? Respondeo ex beato Cæsario Arelat. homilia 18. in rebelles, atque superbos maximè congruere: *duo*, inquit, *ædificia, & duæ ciuitates à mundi initio constituuntur. Vnam ædificat Christus, alteram diabolus. Vnam ædificat humilis, alteram superbus. Vna humiliatur, vt firmiter surgat, altera erigitur, vt infeliciter cadat; in fabrica Christi, qui ædificantur, de imis leuantur ad summa; in fabrica verò diaboli, de summis ad ima præcipitantur. Attendat vnusquisque fratres dilectissimi conscientiam suam, & si in se viderit dominari superbiam, in ciuitate diaboli se infœliciter ædificare, immò & præcipitari non dubitet: si verò in illo vera humilitas regnat,* CHRISTO *se coædificare, & fœliciter adhærere vngaudeat; Non enim discernuntur filij* DEI, *& filij diaboli, nisi humilitate, & superbia. quemcumque superbum videris, diaboli filium esse non dubites. Quemcumque humilem conspexeris, Dei filium esse confidenter credere debes. Vt hoc verum esse cognoscas, audi Scripturam dicentem* Ecclesiast. cap. 10. versic. 14. *initium omnis superbiæ apostatare à Deo, & omnis, qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Nam quod diabolus per superbiam deiecit, Christus per humilitatem erexit; quia ad vulnus superbiæ medicamentum humilitatis exhibuit. Si ergo volumus venenum superbiæ effugere, antidotum humilitatis iugiter debemus haurire. Audiamus Dominum dicentem* Matt. cap. 11. vers. 29. *discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Hæc Cæsarius.

5. Beatus Macarius homilia quinta aliud certissimum filiorum diaboli indicium ex his Christi verbis desumit, quibus hic Christus filios Belial, vel diaboli dicit eos esse, qui mendacium, & cædes diligunt: *Vos*, inquit, *ex Patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere. ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Porro idem Macarius homilia 46. agens de differentia filiorum Dei, & filiorum diaboli, docet hos animales esse, & propterea spiritualibus sermonibus de Deo ac virtute nauseare, & præfocari. Contra filios Dei cum sint spirituales, & vt ait Apostolus vnus cum Deo spiritus, rerum mundanarum, & carnalium colloquijs malè affici, ipsisque eos instar mortis esse. Ratio horum est, quia vtraque propago parentum suorum similis est, & vtriusque requies, atque tranquillitas ibi sita, vnde progenita est. talia scribit Macarius quæ etiam faciunt ad intelligentiam versus 36.

Ille homicida erat ab initio. Rectè Apostolus ad Hebræos cap. 2. 14. ait diabolum habuisse *mortis imperium*, quem tamen Christus sua morte destruxit: mortis enim imperium is habet qui interimit quos vult, licet vitam dare non queat. Diabolus verò occidit quos voluit, permittente tamen Deo; vniuersum enim hominum genus occidit: etenim Sapient. 2. dicitur: *inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum*: ipse enim propriè mortem in hominum genus inuexit, omni illos studio omninò extinguere cupiens; merito proinde mortis imperium habere dictus est. Est & alia huius nomenclaturæ ratio, quia post primorum parentum lapsum, ipse accusator est pessimus omnium hominum vt moriantur, & iuxta legem Dei id necesse est fieri, quod ipse cupit, & postulat, & sicut ipse vult, mors omnes afficit, hinc est quod mortis dicitur habere imperium. His adde mortuos omnes ipsius subiectos ditioni olim fuisse, quæ tertia ratio huius est nomenclaturæ. Quod nisi Christus nos à mortis potestate erutos sua morte liberasset, supra omnes mortuos adhuc imperium haberet, sicut antea habebat. Simile sanè quid accidit hîc, ei, quod Daniel. 6. narratur: Satrapæ namque Babylonis aptè Darium Regem Danielem insimularunt violatæ legis, quod contra Regis edictum domi suæ orasset. Cumque Rex libenter Danielem absoluere cuperet, instabant illi, vrgebantque dicentes, contra legem Medorum, atque Persarum id esse, nec aliter decere fieri. Victus Rex, tradidit illis Danielem qui illum miserunt in lacum leonum. Hi sanè Satrapæ in hac dumtaxat Danielis causa mortis eius imperium habere dicentur, tum quod cuperent illius mortem, tum quod sic cupientes illum accusarunt vt moreretur, & illum tandem sub sua habuere potestate, ita diabolus, quos perdere optauit, occidit homines per peccatum Ipse pollutæ diuinæ legis illos apud Dei tribunal accusauit, & vt iuxta Dei edictum pœnam subirent, quam essent cõmeriti, vehementer vrgebat. inde in orbẽ terrarum per ipsum ingressa mors est, mortuiq; omnes sub eius ditione fuerũt, & nisi Christus nos in vitam reuocasset, libertatis ipse vindex, & vitæ restitutor; in perpetuum sub dæmo-

nis po-

nis potestate captiuum foret genus humanum. meritò igitur à Paulo illi mortis imperium tribuitur. At inquies, cur non & Adamo mortis imperium tribuitur? quia licet ipse mortis caussa nobis fuerit, nihil tamen tale cupiebat; neque homines accusat, vt moriantur, nec mortui ipsius subiacent ditioni.

Cæterùm quoniam Christus per mortem, & acerbissimos cruciatus immortalem vitam, & resurrectionem nobis peperit, atque diabolo hanc sustulit potestatem, iure dictus est à Paulo destruxisse eum, qui mortis habebat imperium; quibus fit iure illum *homicidam* appellari posse, cùm mortem in orbem terrarum adduxerit, vnde mortis imperium sit quodammodo assecutus.

DIGRESSIO VII. MORALIS.

In versum 35. *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Quantum malum sit peccatum.

1. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* deceret ita viuere Christianos, vt hæc verba, & ipsi suo modo dicere possent: cùm enim Christiana lex ita peccatum abominetur, vt nihil magis fugiendum prædicet, nihil magis vile, & abominãdum, nihil sic Deo odiosum simul, & iniurioſum esse doceat, nihil quod tã multa mala cœlo, terræque vnquam inuexerit, cupiendum sanè esset, vt omnibus peccatorum sordibus emaculatam vitam duceremus, neque esset, qui nos sceleris arguere posset. Quia tamen facilè labimur, & erramus (ea est hominum misera post peccatum conditio) operæpretium erit breuiter, quanta sit peccati deformitas & malitia, considerare, vt diligẽtiore studio illud fugiamus. Principio apparet enormitas peccati ex ijs rebus, quibus comparatur in scripturis; comparatur enim peccatum in Scriptura venenatis animalibus, & monstruosis Ecclesiast. 21. *tamquam à facie colubri fuge peccatum, dentes leonis, dentes eius interficientes animas hominum*; & de peccatoribus Luc. 3. *progenies viperarum*, & Ierem. 5. *equi amatores & emissarij facti sunt, vnusquisq; ad vxorem proximi sui hinniebat*. Comparatur & morbis, ac vulneribus Isa. 1. *omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis vsq; ad verticem capitis non est in eo sanitas, vulnus & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec fota oleo, neq; curata medicamine*. Comparatur maculis Ierem. 2. *si laueris te nitro, tamen maculata es quasi pannus menstruata*. Comparatur putredini Ioel. 1. *computruerunt iumenta in stercore suo*. Comparatur tempestati Isa. 64. *Cor impij quasi mare feruens*. Comparatur oneri Psalm. 37. 5. *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me*. Comparatur nuditati, & cæcitati, & miseriæ Apoc. 3. *dicis quia diues sum, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus; nudans spoliauit eam, & proiecit*. Ioel 2. hinc Exo. 32. legimus Hebræum populum post adorationem vituli nudum fuisse; *spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum eum statuerat*. hinc Adam & Eua post peccatum nuditatem suam aspexerunt, dum verò peccarunt, cœci fuerũt; nescit enim peccator dum peccat, quantum in peccato mali insit; post peccatum aperiuntur ei oculi, vt videat pro exigua voluptate maximum, & sempiternum malum sibi comparasse. Comparatur confusioni animi, & dedecori, ac ignominiæ. Hinc est, quod primi illi parentes ex ficulneis folijs consuere sibi pudendorum subligacula cœperunt. Hanc mentis confusionem expressit Paul. Ro. 6. *quem fructum habuistis tunc in ijs, in quibus nunc erubescitis*? Comparatur rebus amaris Act. 8. *in felle amaritudinis video te esse*. Comparatur sæpè morti Apocal. 3. *nomen habes, quod viuas, & mortuus es*. Comparatur sepulchris ossibus mortuorum fœtore, ac vermibus plenis Matt. 23. 27. *similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus pretiosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia*. Postremò comparatur tenebris Ephesios 5. *eratis aliquando tenebræ*.

Ex damnis item, quæ infert peccatum, quàm sit abominabile colligere est: etenim lethale peccatum hominem priuat gratia, & amicitia Dei, per quam anima viuit diuina quadam vita, vt 1. Ioann. 3. dicitur: *scimus, quia translati sumus de morte ad vitam*, & per hanc eamdem fit homo diuinæ consors naturæ 2. Petri 1. fit filius Dei. 2. Ioann. 4. Deinde peccatum priuat hominem paterna DEI prouidentia, nisi ad meliorem frugem redeat, spoliat donis Spiritus sancti, & cœlestibus charismatibus. Adhæc serenitate conscientiæ, & multis consolationibus, quibus Deo inhabitante, & visitante, iustorum animæ fruuntur. Item, fructu bonorum operum, & Sacramentorum. Nec bonis modò priuant nos peccata, sed & mala aduehunt innumera: nam & hominem capitalem DEI hostem constituunt: hinc Iacobi 4. 4. dicitur: *adulteri nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Dei*? efficiunt seruum diaboli, sicut digressione quinta ostendimus, & Tertullianus de fuga paucis docet: *peccator traditur diabolo quasi carnifici in pœnam vt Saul*: & Augustinus in expositione proposit. epistol. ad Romanos: *vnusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepto tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis*.

Affert conscientiæ vexationem vehementer hominem patrati sceleris accusantis, & condemnantis: id quod apparuit in Adamo & Eua, qui, vt narrat Moses, cùm audissent vocem Domini Dei, absconderũt se à facie eius, nimirum vt Paul. ait ad Rom. 2. *testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium*. Hanc pœnam ex testimonio conscientiæ subortã, consequitur pauor quidam, & trepidatio diuinicj; iudicij, & vindictæ metus. Hinc Sap. 17. scribitur: *improbi homines frequenter præoccupant*

pant pessima redarguente conscientia, cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæua perturbata conscientia. Hoc nec Gentiles latuit, dixit enim Iuuenalis Satyr. 13. *Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi displicet auctori, prima est hæc vltio, quod se Iudice, nemo nocens absoluitur.* Idipsum docet primorum parentum trepidatio inclamante Deo, *Adam Adam vbi es?* Docet Caim, qui post fratricidium, totam vitam pauidus, ac profugus egit. Docet & apud Græcos tragicos, Oreſtes ille matricida, quem scelus in matrem admissum, nusquam quiescere, nullo loco consistere, vel respirare sinebat.

3. Iterum peccatum dignum hominem reddit, vt deleatur de libro vitæ, & in æternum damnetur: *stipendia enim peccati mors.* Roman. 6. 23. affert enim peccatum in multis malam mortem, qui peccati effectus maximè deplorandus est, & vltimum hominis exitium, qua de re diximus digress. 3.

4. Efficit præterea peccatum, vt opera bona, quæ prius in gratia fuerant facta mortificentur, & ad meritum gloriæ, quamdiu in peccato persistit homo, nihil valeant, quæ iactura maximè à nobis formidanda, & dolenda est: quemadmodum si onustam preciosis mercibus nauim tempestas abripiat, & in profundum demergat. Hic autem effectus peccati maximè cum præcedēti coniunctus est, qui enim malè moritur, omnia perdit bona, quæ fecerat, idque in perpetuum sine vlla spe ea amplius recipiendi. Postremò peccata causſæ sunt omnium calamitatum, & malorum. Sic Chrysostom. homil. 5. de pœnitentia ait: *malorum omnium causſam constat esse peccatum. Ex peccato tristitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atque omnes, quotquot nos premunt passiones. Vnde Dominus ostendere volens malorum omnium causſam esse peccatum, paralytico dicit, vbi anima & corpore paralyticum esse vidisset, sanus factus es, noli amplius peccare, ne tibi aliquid deterius fiat.* Sic etiam Hieronym. epist. 1. ad Heliodor. *nostris peccatis barbari fortes sunt, nostris vitijs Romanus superatur exercitus, & quasi non hæc sufficerent cladibus, plus pènè bella ciuilia, quam hostilis mucro consumpsit &c. non amputamus causſas morbi, vt morbus pariter auferatur, sed timeamus, cernamus sagittas pilis, tiaras galeis, caballos equis cedere.* Omnia ergo mala ex peccatis originem habent. nam sicut recedente anima ex corpore, omnis inde corruptio manat, quam innumera in corpore consequuntur mala, ita dum idem animus recedit à recta mandatorum Dei regula omnis vitiorum colluuies, & innumera multitudo malorum existunt. Tanta est enim peccati malitia, vt ipsum solum posset hominem, vel Angelum malum efficere simpliciter, neque enim propter alia mala dicimus aliquem simpliciter malum; puta hominem malum, si peccato careat, at statim ac in peccata incidit, absolutè malum appellamus. mala enim pœnæ verè mala non sunt, immò summi boni causſæ esse possunt. Quare quod verè ac simpliciter malū est, solum peccatum est. Quid igitur mirum, si ex mala hac radice cætera mala sint?

A Sed nihil meo iudicio est, quod ita peccati fœditatem, & malitiam ostendit, quam summum in illud odium Dei. nam cùm Deus infinita sit bonitate præditus, necesse est, vt infinitè & oderit malitiam, & amet bonitatem. Quo enim quis maiorem habet bonitatem, hoc vehementius execratur malitiam, & amplectitur bonitatem. Adde infinitam quamdam peruersitatem esse in lethali peccato. Quisquis enim peccat, infinitam illam superni luminis maiestatem offendit: ergo restat, vt Deus quoque infinito odio illud detestetur. Quid ergo miramur, quod Deus malos in infernum coniectos priuet infinito bono, & bonos infiniti boni participes efficiat in cœlo? Hoc odium sæpè nobis diuinæ aperiunt Scripturæ, vt Eccleſiast. 12. 7. & Psalm. 5. 7. & alibi: indicant & hoc ipsum maxima supplicia, quibus Deus, vel ab ipsa nascentis mundi origine peccata persecutus est. signum euidentissimum est huius veritatis Lucifer ille, qui manè oriebatur, & inter ignicos lapides circumamictus obambulabat, cùm in vnum superbiæ crimen incidisset simul cum multis Angelorum millibus ex editissimo loco in abditissimum inferni baratrum, deiectus est, & repentè ex summo Dei amico, summus factus est & capitalis inimicus, & cùm pulcherrimus omnium creaturarum esset, mox pestilentissima, scelestissimaque facta est inferni bestia. Hoc ipsum Adam cum tota posteritate apertè testatur, ob præuaricationem enim diuini præcepti de non edendo pomo, paradiso eiectus est, & cum toto hominum genere innumeras huius mortalis vitæ ærumnas expertus est. Scimus totum olim hunc mundum ob peccata ingentium aquarum inundatione extinctum, deletumque fuisse. Hinc Scriptura ait Genes. 6. 5. *videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, &c. pœnituit eum, quod hominē fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem quem creaui à facie terræ ab homine vsque ad pecus.* Quid hîc ego Pentapolim igne, & sulphure de cœlo deletam commemorem? quid Saulem ob inobedientiam, Dauidem ob adulterium, & cædem factam, aliosve innumerabiles grauissimè à D E o punitos referam? clariora sunt hæc, quam vt recenseri debeant à me, quod si singula persequar, finis non erit. 5.

D Sed cùm omnia supplicia peccati enormitatem, & quanto illud Deus odio prosequatur, ostendat, nihil tamen ita eius prauitatem, & peruersitatem aperit; nihil æquè hoc ipsum Dei in illud odium indicat, vt institutum à Deo, datumque in peccati satisfactionem, & abolitionem remedium. Perpende, quæso, Passionis Christi atrocitatem, & hinc diligenter aduerte, tam dira Deum perpessum esse tormenta, vt peccata nostra ipse deleret, & peccati grauitatem ex supplicij magnitudine discemus. Audi quid Isaias dicat 53. *nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum, & humiliatum à Deo, ipse autem attritus est propter scelera nostra, cuius liuore sanati sumus,* & iterum: *propter scelus populi mei percussi eum.* quod antidotum vt efficacissimum ad detestanda peccata considerans Bernardus serm. 3. de Natali Domini 6.

ait: lu-

ait: *ludebam ego foris in platea, & in secreto regalis cubiculi, super me ferebatur iudicium mortis. Audiuit hoc vnigenitus eius, exijt, posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes flens & eiulans, quod morte damnatus esset seruulus eius. Intueor illum subitò procidentem, stupeo nouitatem, cauſſam percunctor, & audio. Quid facturus sum? Adhucne lædam, ac deludam lacrymas eius? planè si insanus sum, & mentis inops, non sequar eum, nec cum lugente lugebo. Ecce vnde pudor? timor & dolor vnde? vtique quia ex consideratione remedij, periculi mei æstimo quantitatem. Nesciebam, sanus mihi videbar, & ecce mittitur Virginis filius, filius Dei altißimi, & iubetur occidi, vt vulneribus meis pretiosi sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce ô homo, quàm grauia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si nõ essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam nunquam pro remedio eorum Dei filius moreretur.*

7. Subijciam, sed breuiùs aliquanto quod habet Carolus Regius in Oratore Christ. libr. 9. cap. 32. huc maximè pertinens: *notanda est*, inquit, *inuentio mira diuinæ sapientiæ, & charitatis, vnde agnoscamus peccati grauitatem. Volebat amor diuinus triumphare de peccato & morte; quid fecit? de ipsomet Deo triumphauit*, quod expressit Paul. Coloss. 2. *delens*, ait, *quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Quidnam Christus affixit cruci? *Suammet carnem diuinam & hoc modo chirographum decreti affigere dicitur, ac delere. Quomodo triumphauit de inimicis & peccatis nostris? in semetipso: expolians principatus & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Idē Pau. Col. 6. *vetus*, inquit, *homo noster crucifixus est, vt destruatur corpus peccati. Vter homo crucifixus est, nouusne an vetus Adam? planè Christus nouus homo in cruce positus, crucifigit in nobis veterem, & destruit corpus peccati*, & 2. ad Corinth. 5. *eum, qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, quod significat Christum non tantum hostiam pro peccato fuisse, & satisfecisse, sed subijsse etiam mortem acerbißimam, & valdè ignominiosam, quasi ipse esset verè peccator, quin ipsummet peccatum: nam si hoc esset aliqua persona viuens, ea damnandum esset pœna, qua Christus damnatus est vt flagellaretur, conspueretur, blasphemaretur, eijceretur, illuderetur, cruci affigeretur cum summa ignominia, etiam latus post mortem transfigeretur. O incredibilem peccati fœditatem, per quam Christus factus est maledictus, vt nos de maledicto redimeret, factus est pro nobis peccatum, vt nos iustitia Dei simus in illo: & tamen post tantum remedium, & talem medicinam exhibitam, audent homines peccata committere, iterum crucifigentes filium Dei in semetipsis, & ostentui habentes.* Hæc charißimi fratris verba sunt, quæ quia dignissima, & ad mouendum quodlibet saxeum pectus efficaciſſima, referre hic volui. Quot verò iniurijs peccator Deum offendat, & quam magnis, egregiè persequitur idem Carol. libro 9. capite 30. illum consule: ego illud addam, peccata esse, quæ omne genus iniuriarum olim Christo intulerunt, ipsa crucifixerunt, ipsa tot illi vulnera inflixere, ipsa denique mortem attulerunt: & quod dolendum maximè est, etiam nunc quantum ad se attinet, idem peccata Christianorum præstant. ipsum interroga: *quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Illicò respondebit Zach. 12. *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* An non Christiani nunc, dum in Christum peccant, ipsum plagis afficiunt? Audi Paulum Heb. 6. 6. *Rursus crucifigentes filium Dei sibimetipsis, & ostentui habentes.* Superbi coronam ex asperis spinis sanctißimo etiam nunc capiti eius imponunt: ventri, gulæque dediti, myrrhatum vinum illi porrigunt. Luxurioſi ad columnam alligatum diris flagris cædunt. Auaritiæ dediti, manus eius transfigunt, ijdem vestibus denudant, dum in pauperes crudeles sunt: quod sanè non facerent, si attenderent ipsum Christum Dominum nil sibi in cruce reseruasse, tradidit enim vestes his, qui in crucem ipsum egerunt, matrem Ioanni, Ecclesiam sponsam Petro, sanguinem peccatoribus, corpus Ioseph, animam Patri, denique crucem Discipulis. Blasphemantes verò Deum, & Sanctos similes sunt ijs, qui in ipsum cruci suffixum contumelias iactabant mouentes capita: Inuidi, qui odio proximos prosequuntur, & in illos linguam maledicam vibrant, vt lanceant: sunt qui latus illi aperiunt, pigri, ac negligentes pedes eius clauis confodiunt. Denique cùm tria sint capita, vnde omnia peccata promanant, malitia, fragilitas, ignorantia, propterea voluit Christus Dominus in cruce præter ipsa tria vulnerum genera experiri aliud in pedibus, aliud in manibus, aliud in latere.

Triplex peccatorum fons.

Primum illud ob peccata, quæ nascuntur ex ignorantia, pedes enim facilè impingunt, & in lapides offendunt. Alterum ob ea peccata, quæ ex infirmitate promanant. Tertium ob illa, quæ oriuntur ex malitia, quæ vt quid præmeditatum cordi tribuuntur. Vt ergo cognoscerēmus peccata esse quæ Christum crucifigunt etiam nunc, & peccatores crucifixores esse Christi, & quasi Deicidas, his omnibus locis vulnera voluit accipere. Verè ergo dicit nunc, cùm adhuc peccata maneant inter Christianos: *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.*

8. Vt ergo ad illud, quod huius digressionis initio dicebam, reuertar; Christiani hominis munus est ita viuere, vt iure dicere possit: *Quis arguet me de peccato?* A quo tamen tantum absumus, vt ne quidem propter commissa peccata reprehendi, & accusari patienter toleremus. Quin etiam malefacta ita tegimus & excusamus, vt propterea eum, qui velit nos amicè admonere, auersemur, & incredibili sæpè odio prosequamur; quod quantum Deo displiceat, audi Sanctum Bernardum sermone primo in festo omnium Sanctorum. *Quatuor sunt*, inquit, *peccandi gradus; Primus interior consensus; alter exterior perfectio; tertius consuetudo; quartus peccati excusatio, vel defensio, & ad hunc supremum gradum primi homines peruenerunt; atque hæc quatuor peccati incrementa Iob* (capite tertio) *mysticè deplorans: quare, inquit, non in vulua mortuus sum? egressus ex vtero non statim perij? cur exceptus sum genibus? cur lactatus vberibus? Etenim peccatum primò latet in cogitatione: tum prodit in opus: deinde consuetudine firmatur ac roboratur; denique latatur, & nutritur*

Peccatores quomodo Christum iterum atq; iterum crucifigant?

excusatione & defensione. Sic sanctissimus vir Bernardus.

DIGRESSIO VIII. MORALIS.

In eadem verba: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & aliquot sequentia.

1. DAuid 1. Regum 20. 1. vt videret Saulis contra se animum, & quot insidias sibi tenderet, necemque pareret, sic Ionatam allocutus, de eius Patre grauiter expostulauit. *Quid feci?* inquit, *qua est iniquitas mea, & quod peccatum meum in Patrem tuum, quia quærit animam meam?* Qua in re in Dauide animaduertere debemus, potissimum CHRISTVM esse figuratum. Nam sicut Dauid sic loquebatur suam ostendens innocentiam, & quod sine caussa Saul illum persequeretur. *Quid feci? Quæ est iniquitas mea?* Ita CHRISTVS iure de Iudæis queritur, quod sine caussa illi necem molirentur, *Quis ex vobis*, inquiens, *arguet me de peccato?* Conatus est ingratissimus Saul Dauidem suauissimo Citharæ pulsu sæui dæmonis (qui Sauli ipsi infestissimus erat) afflictionem sedantem, lancea transfigere; & ingratissimi Iudæi, cum quibus hic expostulat Christus, cùm eius suauissimos, fructuosissimosque sermones, præ odio, atque inuidia, & incredibili animi malitia ferre non possent, innumeras contumelias, & iniurias, quasi iacula quædam in illum iactare, & cædem funestissimam illi moliri ausi sunt. Et vide singularem Christi mansuetudinem, qui cùm summus esset Deus, cum aduersarijs suis, & quidem sibi infestissimis disceptare non est veritus, ipsosque caussæ suæ iudices adhibuit, quos sibi iniquissimos esse non dubitabat. de se testatur Iob capite 31. 13. quod non contempserit subire iudicium cum seruo suo, idque refert tamquam rem omni laude, & commemoratione dignissimam. *Si contempsi*, inquit, *subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cùm disceptarent aduersum me.* Sed nihil hoc est, si cum Christi facto conferatur. Etenim à Deo Patre Iudex omnium electus, iudicari non aspernatur à tam perfidis, sibique infestis hostibus. Quid caussæ, inquit, est, quamobrem oblatum Euangelij beneficium, & suauem cœlestium verborum concentum negligitis? numquid vitam meam alicuius vitij notare, ac sugillare potestis? Cur ergo veritatem doctrinæ meæ non admittitis; cùm enim duo sint, propter quæ Doctori fides non adhibetur, improbitas vitæ, & falsitas doctrinæ, cum horum neutrum, vobis etiam contradicere non audentibus in me sit, cur mihi non creditis, sed interficere vultis?

2. Meritò igitur Ecclesia hoc tempore Dominicæ passionis hoc Euangelium nobis proponit, vt intelligamus, videlicet Christum

A tamquam agnum immaculatum sine vlla sua culpa, sine caussa à sceleſtissimis hominibus per summam indignitatem cruciatus, dolores, & contumelias esse perpessum; vnde triplicem decerpere nobis fructum possimus, vnum commiserationis in Christum Dominum, alterum doloris, quod ob peccata nostra indigna tot, tantaque ille tulerit. Tertium imitationis Christi humilitatis, & patientiæ. nam si ille ita se demisit, quid nos tantuli facere debemus? si ille tam acerba sine vlla sui culpa, tormenta sustinuit, cur nos, qui peccatis nostris toties infernum commeriti sumus, quæ toleranda interdum occurrunt, & contraria omnia propter ipsum patienter, libenterque non tolerabimus? Vide quæso, & inuere diligenter, quanta sit ille pro te passus. Audi quid dicat: B *videte si est dolor similis sicut dolor meus*. Thren. 4. & iterum Psalm. 21. *circumdederunt me vituli multi; tauri pingues obsederunt me, &, sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea, &, foderunt manus meas, & pedes meos*, & quo nihil potest crudelius dici: *dinumerauerunt omnia ossa mea.* & Psalmo 30. *defecit in doloribus vita mea, & anni mei in gemitibus.* Quid ergo dicam hic de innumeris probris, & contumelijs tantis, quas à vilissimis, ac sordidissimis accepit ille incredibili mansuetudine, & cum eximia charitatis significatione? vt iure dixerit aliquando: *ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* & alibi *factus sum tamquam vas perditum*, fractum, conculcatum, & quod ab hominum conspectu in cloacam, vel in immundissimum locum abijcitur. verè de illo multo ante tempore testatus est Ierem. Thre. 3. *saturabitur opprobrijs*. Verè Isaias 53. *despectum ac nouissimum virorum* appellauit. Denique tota Christi passio, contumelia, & tormento, hoc est, ignominia, & cruciatibus contexta est; sic Sap. 2. significatur; *contumelia, & tormento interrogemus eum*: adhæc enim duo capita referuntur omnia, quę passus est Christus.

Iterum hæc verba, *quis ex vobis arguet me*, à iudicibus præsertim vsurpari deberent, cùm enim Iudicum munus sit, facinorosos homines propter peccata punire, intolerabile sanè malum est, si ipsi magistratus, si Dei ministri, si iudices ipsi ita se improbè ac stultè gerant, vt facinorosorũ hominũ peccata, quæ corrigere debent, & emendare, in ipsis cernantur. Hinc est quod Numerorum 25. præcepit DEVS vt Iudices, qui palam peccauerant, etiam publicè in crucem agerentur, vt eorum cruciatu, & ignominia eos à scelere auerteret, quibus illi pessimo exemplo fuerant: sic enim legimus ibidem versiculo quarto dixisse Dominum: *tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis: vt auertatur furor meus ab Israel.* Hinc est, quod Samuel populum reprehensurus prius fidelem se, ac iustum iudicem fuisse, ostendere voluit, suarum rerum, atque factorum omnium iudicium populo permittens. Sic enim primo Regum capite duodecimo, versiculo secundo locutum esse Samuelem legimus: *conuersatus coram vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diem,*

ecce præsto sum. Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum; si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi. Quid verò Diuus Paulus, qui Apostolus gentium erat? an non ipse Actorum 20. ostendit se magno semper studio cauisse, ne vel leui aliqua culpa, vel malo aliquo exemplo alios, quibus præerat, in culpam aliquam incitaret? Audi quid dicat ibi versiculo decimooctauo: *vos scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate & lachrymis*, & mox versiculo trigesimotertio subdit: *argentum, & aurum, aut vestem nullius concupiui.* Quare ea debet esse Prælatorum, ac Iudicum vita, ita innocens, ita à vitijs omnibus abhorens, vt cæteris virtutis forma sit, & liberè à suis quærere possit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

4. Nec satis est in Prælato vitæ solius integritas, huic adiungat oportet veram, vtilem, & idoneam doctrinam, vt verè eos, qui vel non credunt, vel non obediunt, liberè confutare possit: *si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Cauendum est autem Euangelico Doctori, ne non tam veritati lingua deseruiat, quàm voluptati; ne fortè qui illum audiunt, ad fabulas conuertantur, quærentes sibi magistros, prurientes auribus, & qui suis mendacijs non tam tollat, quàm foueat vitia: contra quas Isa. 30. 9. 10. *Filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: Loquimini nobis placentia* &c. Qua in re imitari oportet Diuum Paulum, qui quod suos saluos esse vellet, non blandiebatur, non occultabat vitia eorum; quare ad Galat. 4. 16. sic suos alloquitur: *ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?* sit similis summo olim Pontifici, in cuius pectore inscriptum visebatur, *Doctrina, & Veritas*, hoc est, sapientiæ & sanctitatis insigne palam gestet, qui aliorum Iudex & Magister est.

5. Quantum, Deus bone, à vero Doctoris munere absunt, qui verbum Dei, vt Paulus inquit, adulterare non erubescunt, sic enim 2. Corinth. 2. 17. scribit: *non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo* (acceptum) *coram Deo* (inspiciente) *in Christo* (de Christo, vel per Christum) *loquimur.* Quis autem adulteret verbum Dei, docet Gregor. libr. 16. moral. cap. 18. & lib. 22. cap. 17. adulter, inquit, non prolem, sed voluptatem quærit, & peruersus quisque & vanæ gloriæ seruiens, rectè adulterari verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquiũ, non Deo filios gignere, sed suam scientiam ostentare desiderat. Quem enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis, quàm generationi operam impendit. Græcè pro, *adulterantes*, habetur, *cauponantes*, id est, vt caupones, qui vina corrumpunt, ac vitiant, vel quasi dicat ad quæstum abutentes.

6. *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Hi profectò,* A inquit Gregorius homilia 28. in Euangelia, *verba Dei non audiunt, qui ea exercere opere contemnunt.* Vnum ex signis prædestinationis, & quidem magnum est, verba Dei aure cordis audire. Interroget ergo vnusquisque semetipsum, vtrum verba Dei, vti decet, audiat, nec ne, & intelligere poterit, an inter prædestinatos sit, an non? Suauis vnicuique est, & periucunda Patriæ recordatio, & libenter audimus eos, qui de ijs narrant, quæ in Patria geruntur, & auet quisque de charissimis parentibus, de germanis fratribus, de cæteris amicis, & ciuibus suis, narrantem aliquid audire? tantum est Patriæ desiderium. Quare de Israelitis narrat Scriptura diuina in Babylonica captiuitate positis, nihil illis dulce, nihil suaue videri potuisse præter dilectæ Patriæ recordationem, & memoriam. *Super flumina,* B inquiunt, *Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur Sion in salicibus, in medio eius suspendimus organa nostra.* Ergò hac vna maximè re, verè cœlestis Hierusalem ciues nos esse declarabimus, si verba cœlestia libenter audiamus, si illius Patriæ recordatione lætemur, si de ciuibus eius vrbis, si de optimis parentibus Christo Domino, ac Deipara Virgine narrantes, grato excipiamus pectore, si illuc magnis itineribus contendere conemur.

At de reprobis quid veritas dicat, audiamus: *propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis:* quod si audiunt illa, opere exequi contemnunt: quin etiam amariore sunt animo, si quis eos beneuolè moneat, vel abstinendum esse à peccatis doceat. Ita sæpè hi deteriores 7. euadunt, vbi verba Dei audierunt. Sicut enim C in ætate cùm aret tellus, si fortè imber è cœlo decidat, solent cadentes guttæ in ranas, vel serpentes quosdam, & fœda animalia conuerti; sic Dei verbum, quod inundantis pluuiæ instar solet in benè culta terra pulcherrimos flores, ac suauissimos fructus proferre, in istorum animis, tanquam in inepta, & infœcunda terra venenosa quædam monstra producit, sicut cernere est in Pharisæis, & Iudæis, in quorum corda arida, & odio, atque inuidia exasperata, pluuia illa cœlestis diuini Verbi, vel ipso filij DEI ore disseminati, descendens, quasi in serpentes, hoc est, in mortifera, & venenosa vitia conuertebatur.

Hi ergo iure Psalm. 57. aspidi comparantur: 8. D *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Hoc est, doctoris, qui cœlesti fretus sapientia, diuinorum eloquiorum cantibus sopire mortifera harum aspidum venena nititur; ne sibi & alijs noceant. Illud autem solemne est aspidibus, vnam vt aurem terræ affigant, & alteram cauda tegant, & obturẽt; ita isti qua terrenarum rerum cupiditate, qua dæmonis tanquam venenosi draconis cauda obstruunt aures. Hinc fit, vt licet validissimè clames, & de atrocissimis inferni pœnis, de morte imminente, de horrendo Dei iudicio cum illis agas, rideant tamen, & se non intelligere quæ dicuntur ostendant; sunt

enim tanquam sine mente, ac iudicio, & lapidum instar sine sensu. Nec mirum, quia cùm ex Deo non sint, hoc est, spiritu eius careant, spiritu immundo agi necesse est : *si quis enim non habet spiritum Christi*, inquit Apostolus Roman. 8. 9. *hic non est eius*; quod si non est eius, cuius igitur erit ? annon dæmonis? hic ergo spiritus malus, vbi semel obsidet arcem, id est, mentem hominis, omnes obstruit aditus, vnde peti possit auxilium, vt solent ij facere, qui arcem aliquam obsessam tenent, ac circumsident, statim omnes occupant aditus, vnde patere clandestinus ingressus possit. Ita hi miseri, & infelices dæmone occupante claudunt aures Dei verbo; & auersantur illud, vnde opem expectare poterant: & quoniam omne reijciunt auxilij genus, non secus habent, quam si mortui essent : quibus proinde accómodari potest id quod 4. Regum. 4. de Giezi narratur, qui ab Elisæo missus cum baculo, vt eum super mortui pueri faciem poneret, nihil illi omninò profuit, *non enim erat vox, neque sensus*, quare infecta re ad Dominum suum reuersus ait : *non surrexit puer*. Idem planè ij, quibus legatio similis à Domino commissa est, dicere possunt, fecimus Domine quod iussisti, baculum tuum, hoc est, potentiam tuam, iudiciorum tuorum scueritatem, imminentē mortem, horrenda inferni supplicia ante oculos eorum posuimus, qui ob peccata mortui erāt; verùm irritus omnis hic fuit labor; non fuit vox vlla confessionis audita, non vllus lacrymarum sensus, nulla vitæ spiritalis operatio apparuit.

9. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Vide quam verum sit, quod paulò ante diximus, cęlestem diuini verbi pluuiam in inepta, & inculta terra nihil nisi mortiferum, & venenosum gignere. Aptè sanè in istos verba illa Iob 19. 17. conueniunt. *halitum meū exhorruit vxor mea.* quę eleganter D. Greg. de Synagoga, quæ iure Christo desponsanda fuerat, intelligit. exhorruit enim Christi halitum, nec ferre illum valuit, cùm doctrinam eius tanquam iniucundam, & verba eius tanquam aspera præ incredibili in illum odio, & inuidia, non modò non admisit, sed ne audire quidem sine stomacho potuit. Iam verò quis non vehementer obstupescat eius halitum exhorruisse, de cuius ore, ac labijs innumeras olim laudes decantauerat, cùm diceret Cant. 5. 13. *Labia eius lilia distillantia myrrham primam*, &, *dulcedo mellis sub lingua eius.* Sed inde accidit, vt postea eius halitum exhorruerit, quia labia eius, etsi suauissimum spirarent odorem, erant tamen quasi myrrha amara. etenim quæ de ore Christi procedebant, illis aspera supra modum, & amara videbantur, nec ferre illum poterant, cùm eorum superbiam, hypocrisim, & auaritiam insimularet, & reprehenderet. nihil sanè illis amarius esse poterat, quàm cū ille sic in eorum vitia inueheretur : *Hypocritæ benè prophetauit de vobis Isaias, populus hic labijs me honorat* &c. cum similes illos sepulchris dealbatis diceret, cū ex Deo non esse, sed ex Patre diabolo affirmaret, & similia: propterea ergo Christi halitum exhorrebant, id est, verba vitæ auersabantur, & contemnebant.

A *Tulerunt ergo lapides* &c. Adscribā hîc, quæ in hunc locum valdè vtiliter habet Greg. ho. 18. in Euang. *sed sustinere*, inquit, *ista eternitatis verba mentes infidelium non valentes, ad lapides currunt, & quem intelligere non poterant, obruere quærebant. Quid autem contra furorem lapidantiū Dominus fecerit, ostenditur, cùm protinus subinfertur: Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. mirum valde est fratres carissimi, cur persecutores suos Dominus se abscondendo declinauerit, qui si diuinitatis suæ potentiam exercere voluisset, tacito nutu mentis in suis eos ictibus ligaret, aut in pœnam subitæ mortis obrueret. Sed quia pati venerat, exercere iudiciū nolebat. Certè sub ipso passionis tempore, & quantum poterat, ostendit, & tamen hoc, ad quod venerat, pertulit. Nam cum persecutoribus suis se quærentibus diceret: ego sum, sola hac voce eorum superbiam perculit, & oēs in terram strauit. Qui ergo & hoc loco potuit manus lapidantium, non se abscondendo euadere, cur abscondit se. nisi quod homo inter homines factus Redemptor noster, alia nobis verbo loquitur, alia exemplo? Quid aūt nobis hoc exemplo loquitur, nisi vt etiam cùm resistere possumus, iram superbientium humiliter declinemus? vnde & per Paulum dicitur:* (Rom. 12.) *date locum iræ. Quanta humilitate irā proximi ferre debeat, perpendat homo, si furores irascentium, abscondendo se, declinauit Deus. Nemo ergo se contra acceptas contumelias erigat. nemo conuitijs conuitium reddat. Imitatione etenim Dei gloriosius est iniuriam tacendo fugere, quam respondendo superare. Sed contra hoc superbia dicit in corde: turpe est vt accepta iniuria taceas. Quisquis conspicit, quia contumeliam accipis, & taces; non putat quia patientiam exhibes, sed crimina agnoscis. Sed vnde vox ista in corde nostro contra patientiam nascitur, nisi quia in imis cogitationem fiximus, & dum interra gloriam quærimus, placere ei, qui nos de cælo conspicit, non curamus? Accepta ergo contumelia, meditemur in opere vocem Dei : ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet.*

B *Hoc autem quod de Domino scriptum est: abscondit se, intelligi, & aliter potest. Multa quippe Iudæis prædicauerat, sed prædicationis eius verba deridebāt. Deteriores quoq; ex prædicatione facti sunt, qui vsq; ad iaciendos lapides peruenerunt. & quid abscondēdo se Dominus significat, nisi quod eum ipsa veritas absconditur, qui eius verba sequi contemnunt? Eā quippe, quam non inuenit humilem, veritas fugit mentem. & quam multi sunt hodie, qui Iudæorum duritiam detestantur, quia prædicationem Domini audire noluerunt, & tamen quales illos arguunt fuisse ad fidem, tales ipsi sunt ad operationem? Præcepta Domini audiunt, miracula cognoscunt, sed conuerti à suis prauitatibus renuunt. Ecce vocat, & redire nolumus. Ecce sustinet, & eius patientiam dissimulamus. Dum ergo tempus habemus, fratres, prauitatem suā vnusquisq; deseramus, Dei patientiam pertimescat, ne quem nunc tranquillum despicit, iratum postmodum nequaquam euadere possit.* Hæc sunt salutaria Diui Gregorij documenta.

C

D

10.

11.

BIBLIOTECA DEL SEMINARIO LYON

CAPVT

CAPVT XVII.

CAECI NATI HISTORIAM CONTINENS.

D. 9. 1.

eria 4. post ominic. 4. uadrag.

V. 1. ET præteriens IESVS vidit hominem cæcum à natiuitate.

2. Et interrogauerunt eum Discipuli eius: Rabbi quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?

3. Respondit Iesus: neq; hic peccauit, neq; parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.

4. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est, venit nox quando nemo potest operari.

5. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.

6. Hæc cùm dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius.

7. Et dixit ei: vade, laua in Natatoria Siloe (quod interpretatur Missus.) Abÿit ergo, & lauit, & venit videns.

8. Itaque vicini, & qui viderant eum prius, quia mendicus erat: dicebant: nonne hic est qui sedebat & mendicabat: Alÿ dicebant; quia hic est.

9. Alÿ autem nequaquam, sed similis est ei. Ille verò dicebat: quia ego sum.

10. Dicebant ergo ei: quomodo aperti sunt tibi oculi.

11. Respondit: ille homo, qui dicitur IESVS, lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: vade ad Natatoria Syloe, & laua; & abÿ, & laui, & video.

12. Et dixerunt ei: vbi est ille? Ait nescio.

13. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat.

14. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit IESVS, & aperuit oculos eius.

15. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi, quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video.

16. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Alÿ autem dicebant: quomodo potest homo peccator hæc signa facere? & schisma erat inter eos.

17. Dicunt ergo cæco iterum: tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: quia Propheta est.

18. Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuisset, & vidisset, donec vocauerunt parentes eius, qui viderat.

19. Et interrogauerunt eos, dicentes: hic est filius vester, quē vos dicitis, quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt?

20. Responderunt eis parentes eius, & dixerunt: scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est.

21. Quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus, ipsum interroga te: ætatem habet, ipse de se loquatur.

22. Hæc dixerunt parentes eius, quoniā timebant Iudæos; iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret.

23. Propterea parentes eius dixerunt: quia ætatem habet, ipsum interroga te.

24. Vocauerunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: da gloriam Deo: nos scimus, quia hic homo peccator est.

25. Dixit ergo eis ille: si peccator est nescio: vnum scio, quia cæcus cùm essem, modò video.

26. Dixerunt ergo illi: quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?

27. Respondit eis: dixi vobis iam, & audistis: quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis discipuli eius fieri?

28. Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu Discipulus illius sis: nos autem Moysi Discipuli sumus.

29. Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus vnde sit.

30. Respondit ille homo, & dixit eis: in hoc enim mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos.

31. *Scimus autem, quia peccatores DEVS non audit: sed si quis DEI cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.*

32. *A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.*

33. *Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam.*

34. *Responderunt, & dixerunt ei: in peccatis natus es totus, & tu doces nos: & eiecerunt eum foras.*

35. *Audiuit IESVS, quia eiecerunt eum foras, & cum inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium DEI?*

36. *Respondit ille, & dixit: Quis est Domine vt credam in eum?*

37. *Et dixit ei Iesus: & vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.*

38. *At ille ait: Credo Domine, & procidens adorauit eum.*

39. *Et dixit Iesus: in iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.*

40. *Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: numquid & nos cæci sumus?*

41. *Dixit eis Iesus: si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis; quia videmus; peccatum vestrum manet.*

SCHOLIA.

1. ET *præteriens Iesus*] Caietanus & Ianſenius videntur proniores ad credendum, Chriſtum non ſtatim ac è templo exiuit, cæcum vidiſſe & illuminaſſe; quia cum cæco oculi aperti ſunt, aderant cum Chriſto Apoſtoli; at aberant, cùm è templo ille exijt: etenim abſconderat ſe, ſolusque egreſſus fuerat; ſed veroſimilius eſt quod Chryſ. hom. 55. in Ioan. Euthym. Theoph. D. Tho. & alij paſsim ſentiunt, Dominum templo egreſſum mox cæcum vidiſſe, & viſu donaſſe, & idem D. Chryſ. hom. 56. puat, cęcum hunc ad ianuā tẽpli ſedisse, & mendicaſſe, vnde infer. v. 8. qui nouerant eũ dicebant: *nonne hic eſt qui ſedebat, & mẽdicabat?* Ad rationem ergo Caiet. in promptu eſt reſponſio; licet cum exijt Chriſtus è templo non adfuerint Diſcipuli, ſtatim tamen ſe illi adiunxerunt, cum eſſet propè aliquam templi portam. quāuis fortaſſis non abſurdè dici queat, Chriſtum diſcipulis ſe non abſcondiſſe, ſed cæteris qui aderāt volentibus illum lapidare.

Rogabis, cur ſtatim Chriſtus egreſſus miraculũ hoc patrare voluerit, quo credibile erat, magis exacerbandos fore recens offenſos? Chryſ. & Theophyl. factum affirmant hoc miraculum à Chriſto ſtatim egreſſo de templo; primum; vt tam inſigni miraculo lapidare ſe volentium animos leniret. Deinde vt re ipſa, ac facto tam admirando confirmaret id, quod paulò ante dixerat, maiorem ſe eſſe, prioremq; Abrahamo. Cyril. in græca catena, quem Mald. hîc citat, ad myſticum ſenſum litteralem facere arbitratur, quod ſtatim Chriſtus egreſſus è tẽplo, & præteriens in hunc à natiuitate cæcũ incurrerit, eumq; curauerit. Templum enim Iudæos innuit; quod verò Chriſtus exierit de templo, ſignificat ipſum Iudæos reliquiſſe, quod Euangelũ non receperint; tranſtuliſſe verò ſeſe ad gẽtes, quæ nulla à maioribus habita veri Dei cognitione, quaſi oculis priuatæ à natiuitate erant. At quod præteriens, cæcum curauerit, oſtẽdit, quod ad gentes miſſus non erat, ſed *ad oues quæ perierant domus Iſrael.* Quare illis primum Euangelium prædicauit, gentibus nonniſi obiter, cùm illud Iudæi repellerent. Etenim verè de illis prædictum eſt; *auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Mat. 21. 43. deniq; à Paulo & Barnaba illis ſignificatũ: *vobis oportebat primum loqui verbũ Dei, ſed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, eccè conuertimur ad gentes.* Act. 13. 46. Quāquam Augu. & Beda cæcum hunc genus humanum indicare docent, quod à natiuitate ſua cæcum eſt, omnes enim ſumus *natura filij iræ* ad Eph. 2. 3.

Vidit] Exiſtimat Chryſ. & Theop. cum alijs, verbum *vidit*, emphaſim quamdam continere: neq; n. caſu, neq; vtcunq; vidit, ſed cũ conſulto illuc præteriret, & non ignoraret ibi cæcum eſſe, vt inuentũ curaret, intentis oculis aliquantiſper contemplatus eſt eum; inde verò ex ea attenta inſpectione Apoſtoli anſam arripuerunt rogādi, quis peccaſſet; ille, an parentes eius? &c. Mald. hic & verè, & acutè: *Chriſtum*, ait, *nos priores non magis, quam cæcus ille videre poſſumus; ipſe nos, vt ſanemur, prior videat neceſſe eſt.*

Cæcum à natiuitate] Ambr. ep. 75. lib. 9. *prætereſt*, inquit, *Dominus Ieſus vidit à generatione cæcum. Ergo nec nos præterire debemus quem præterundum Dominus non putauit, præſertim cùm à generatione cæcus fuerit. quod non otioſe expoſitum. Eſt enim cæcitas, quæ plerumq; vi ægritudinis aciem obduxit oculorum, eademq; temporis ſpatio mitigatur. Eſt cæcitas quæ humorum infuſione generatur, ea quoq; vitio peiorumq; ſublato medicinæ arte depellitur, vt cognoſcas, quia quod iſte ſanatur, qui à generatione ſua cæcus eſt, non artis eſt, ſed poteſtatis. Donauit enim Dominus ſanitatem, non medicinam exercuit, eos enim ſanauit Dominus Ieſus, quos nemo curaret.*

2. *Quis peccauit*] Leont. opinatur non de præterito peccato, ſed de futuro accipiendam eſſe hãc interrogationem diſcipulorum Chriſti; neq; enim dubitare poterãt, quod, antequam naſceretur peccare non poſſet; arbitrati ergo ſunt Deũ, qui futura prænouit, cùm futurum proſpiceret, vt poſt natiuitatem peccaret, feciſſe, vt in futuri peccati pœnam oculorum lumine priuatus naſceretur. Eſt ergo ſẽſus ſecundùm Leont. an propter peccatũ aliquod, quod in lucem editus, patraturus erat, iuſto Dei iudicio cæcus natus eſſet. Sed non credo diſcipulos eo ſpectaſſe. D. Chryſ. ho. 55. quem Theoph. & Euthy. ſequuntur, cenſet diſcipulos non ambigentes, an antequam natus eſſet, cæcus ille peccauiſſet; ſed dubitantes, quanam culpa, quave cauſſa cæcus natus eſſet, rogaſſe, quis peccaſſet, ille an parentes eius, vt cæcus naſceretur: v. g. ſi quis de infantibus à militibus interfectis, dum oppidum aliquod inuadunt, ferro, & igni omnia vaſtantes, quæreret, quā ſua culpa hi infantes occiſi ſunt? eo loquendi modo is inſinuaret potius infantes nullam habuiſſe culpam, quamobrem interficerentur. Eſt ergo hæc ſententia: cùm audiſſent diſcipuli paralyticum illũ propter peccatum morbũ cõtraxiſſe, cui dictũ fuerat, *noli amplius peccare*; ideo videntes cęcum hunc è natiuitate eſſe, & proinde cæcitatem eius peccato tribui non poſſe, dubitantes dicunt: paralyticũ dixiſti in ægritudinẽ illã incidiſſe propter ſua peccata, de cæco ergo hoc quid dices? neq; enim antequam naſceretur peccare potuit, vt proinde hanc pœnam incurrerit; & parentes quidẽ peccare potuerunt

1.m An ſtatim egreſſus fecerit Chriſtus hoc miraculum?

2. Cur ſtatim egreſſus ediderit miraculum?

Senſus myſticus.

Locus Mat. 21. 43.

Act. 13. 46.

3. Quid ſit, vidit.

Moralis obſeruatio.

4. Cur dicatur quod à natiuitate fuerit cæcus?

5. De quo peccato interrogent Apoſtoli.

Chryſoſto.

tuerunt, sed non potuit ipsorũ peccatũ caussa esse cæcitatis in filio, quia *filius non portabit iniquitatẽ Patris*. Exec. 18. 20. Sed neq; hæc expositio placet, cũ clarè constet ex textu discipulos verè dubitasse, & interrogasse: *quis peccauit, hic, aut parentes eius* &c. & responsio Christi idem significat: *neq; hic peccauit, neq;* &c. rogauerant ergo illi, num ipse, vel parentes peccassent, vt cæcus nasceretur. Adhæc, ex verbis dictis paralytico, non colligebatur, omnẽ morbum propter propriũ peccatum. i. propria voluntate factũ accidere; si enim id dixisset Christus, rectè procederet obiectio Apostolorum de cæco nato, iuxta expositionem Chrys. Postremò, neque illud videtur esse verum, filios non puniri, seu mala aliqua contrahere propter peccata parentum.

6. Verus sensus Apostolicæ interrogationis.

Est ergo germana loci huius expositio: vt verè interrogarint Apostoli, ex cuius peccato factũ esset, vt hic homo cæcus nasceretur, proprione, an parẽtum? Sciebant. n. Apostoli non rarò corporis ęgritudines, & calamitates propter hominum peccata euenire non solum propria, sed ẽt parentum, vt in theo. 1. ostendemus, & in hoc quidẽ rectè sentiebãt Apostoli. Ceterum in altero errabant; putabant. n. non infligi à Deo eiusmodi calamitates, nisi propter peccata; ac proinde non mirũ, si rogent, proprione, an alieno peccato cæcitas huic homini accidisset? sed obijcit duo contra hanc expositionem D. Chrys. vnum est, quod stulta fuisset huiusmodi Apostolorũ interrogatio; neq; enim vllum esse poterat peccatũ huius hominis antequã nasceretur. Alterum est, quod absurda fuisset interrogatio, nũ propter parentũ peccatum filius cæcus natus esset, nam *filius non portabit iniquitatẽ Patris*. Sed ad postremũ hoc quid respondendum sit, in the. 1. docebimus. Ad primũ verò respondet Cyril. l. 1. in Ioa. c. 9. & in græca catena opinatos esse Apostolos, quę quorumdam fuit hæresis, hominum animas ante corpora creatas peccasse, & propterea in corpora tanquã in carcerẽ esse detrusas. Tribuit hunc errorem Epiph. Orig. Theophyl. philosophis. i. Platonicis. Sed nulla ratione credendum est, discipulos Christi errore tam absurdo tunc imbutos fuisse, vt propterea interrogarint, an propter peccatũ, quod huius hominis anima commisisset, antequã in corpus detruderetur, foret hic natus cæcus; pro grauitate. n. peccati sortiri animas peiora, meliorave corpora censebant huius hæresis auctores. Sũt qui opinentur Iudæos animarũ transmigrationẽ credidisse, ac propterea rogasse discipulos, an huius anima, dum aliud corpus animaret, cõmisisset peccatum aliquod propter quod in eiusmodi corpus obscurũ. i. visu priuatũ, tanquam in teterrimũ carcerem detrusa esset. De qua transmigratione vide quæ scripsimus l. 2. dilucid. c. 4. schol. n. 29. ad v. 7. & l. 4. c. 18. n. 9. Sed neq; hoc credibile est, putasse Apostolos à Christo lõgo iam tempore institutos. Neq; illud impingi Apostolis debet, quasi senserint infantes posse peccare, quod quidã senserũt, vt refert Aug. l. 1. de peccat. meritis c. 16. His ergo omissis, eorũ mihi maximè placet opinatio, qui Apostolos aiunt sciuisse, infantes omnes in peccato concipi, nec vllum inter homines reperiri, qui quãuis minima ætate, peccato tamen non sit infectus; nam Psal. 50. non ignorabant scriptum: *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea*. & apud Iobum; ne infantem quidẽ vnius diei mũdum esse à peccati sorde, cùm præsertim Scriptura passim oẽs esse peccatores doceat. Propterea ergo rogant Apost. an propter huiusmodi peccatũ, quo infecti nascuntur infantes, natus iste cæcus fuerit. Sed contra hanc interpretationem obijcit Mald. Peccatũ originale esse quidem caussam mortis, & morborũ, quod Theologi docẽt, & in Africano, & Mileuitano Concil. definitũ est. Verum ea generalis, & sine qua non, neutiquam propria causa est; nã si Adam non peccasset, neq; mortem, [illegible] morbos homines experiremur; cæterũ & mortis, & morborũ caussæ aliæ propriæ sunt, & inter has peccata numerantur, siue propria cuiusq;, siue parentum. Atqui Apostoli non generalẽ illam caussam rogabant, sed propriã quęrebant. Respõdeo, esse peccatum originale, nunc generalem tantũ, nunc etiam propriam caussam alicuius defectus corporis, vel mali alicuius pœnæ, cũ quo concipitur, vel nascitur infans; nam reuera, vt Card. Tol. hic ait, annot. 1. sub fin. *sæpè Deus propter peccatum originale infãtes pœnis corporalibus affligit, vt declaret eos esse peccatores*. quod docuit Aug. l. b. 22. de Ciuit. c. 22. Sed instat Mald. si peccatũ originale esset caussa cæcitatis, vel alterius calamitatis, certè oẽs cæci nascerẽmur, & cũ eodẽ defectu. Respõdeo nequaquã id sequi, satis. n. est ad id, q̃ Deus vult ostendere, si aliqui ita permittantur nasci; neq;. n. oẽs cæci, sicut nec iste, de quo in hoc capite, cæci nascuntur propter hanc caussã, sed propter gloriam Dei, vel maius eius, qui nascitur, spirituale bonũ &c. Illud adde, potuisse Apost. id interrogare, quãuis fortasse nescirent, quid, vel quale esset peccatum infantiũ, quo fœdatos omnes nasci docent Scripturæ.

Peccatum originale quomodo morborũ, & calamitatũ caussa.

Obiectio.

B

3. *Respõdit Iesus neq; hic peccauit neq;*] Notat Theodorus Heracleota, solitos esse homines ægritudinibus, alijsq; similibus corporis incõmodis vexari vel propter sua aut parentũ suorum peccata, aut quo eorũ virtus à Deo probetur, aut deniq;, vt in illis Dei gloria magis emineat, q̃ de hoc cæco docet Christus. D. Chrys. ho. 32. oper. imperf. *ideo*, inquit, *natura rerum conuertitur contra naturã suam interdũ, vt semper Deus naturarũ opifex in memoriã reducatur, & sæpe necessarius sit factor suæ naturæ: & nõ solũ semel. sed quotidie opera sua facere videatur. Propterea in Euang. de cæco, qui sic natus fuerat Dominus dicit: neq; hic peccauit, neq; parẽtes eius, sed vt manifestentur opera Dei. Non solũ simpliciter intelligẽdũ est. sicut multi putãt, vt cæco sanato, Dei potentia cognoscatur. i. operãs Deus; alioquin omnib. infirmitatib. sanatis, Dei potẽtia cognoscitur: sed ideo in illius persona hoc dicit, quia cõtra regulã naturæ fine oculis erat creatus, vt in trãsuersione naturæ opus Dei intelligatur, dũ emẽdatur natura*, & ho. 55. in Io. ait: *neq; hic peccauit, neq; parẽtes eius, hoc nõ absoluit eos à peccato; non. n. simpliciter dixit, neq; hic peccauit, neq; parẽtes eius; sed addidit: vt cæc⁹ nasceretur. peccauit nãq; hic, & parẽtes ei⁹; sed nõ propterea cæcus est.*

Cur mali affligamur ex Theodoro Heracl.

C

Vt manifestentur] Dictionem, *vt* quidã Auctores, vt Chrys. monet, non caussam, sed euentũ, atq; cõsequentiã significare volũt, vt sit sensus: cæcũ illũ non propterea natũ fuisse cæcũ, vt in eo opera Dei manifestarentur, sed cõsecutũ esse, vt cũ cæcus editus esset ab vtero matris occasionẽ præberet declarandæ in se virtutis Dei, sic Cyr. vt habetur in catena græca, & Theoph. sunt interpretati, quod sequitur Mald. sed non quadrat hæc intelligentia in interrogationẽ Apostolorum; nã ij caussam quærunt cæcitatis, dũ aiũt: *quis peccauit, hic aut parẽtes eius, vt cæcus nasceretur?* vbi patet, *vt* caussam designare. In respons. ergo eodẽ modo sumi debet. significat igitur, *vt*, causã finalẽ, quia ideo est permissum, vt hic cæcus nasceretur, quo in eo sanãdo diuina virtus manifesta fieret. Hinc Lyr. hunc sensum secutus ait: *licet parẽtes pro peccatis suis aliquãdo puniãtur in filijs monstrosis, in quantum talia monstra ex diuina iustitia nascuntur; tamẽ frequẽtius fit sine peccato. sc. propter indispositionem materiæ, vel debilitatẽ virtutis, quæ est in semine, veruntamen talia sint à casu, respectu naturæ creatæ; sunt tamen ordinata respectu diuinæ prouidentiæ. Et aliquando ordinantur addeclarationem diuinæ virtutis in operibus miraculosis, & sic erat de isto cæco.* Sic Lyran.

9.

Rationes pro D. Chrys.

Respõdetur rationibus Chrysost.

Animarum transmigratio.

De peccato originali loquuntur Apostoli, cũ interrogant an iste proprio peccato natus sit cæcus.

D

10. Christus Deus.

Opera Dei] prudenter Chrysostomus aduertit Christum appellasse se hoc loco *Deum*, nam opera Dei dixit, quæ ipse editurus erat. Est autem proprium opus Dei, hominem fingere, atque adeo eiusdem est, eum refingere, quod Christus hîc fecit, & hoc modo sensus erit: *vt manifestentur opera Dei in illo*: hoc est, vt manifestum fiat me Deũ esse, cuius sunt opera omnia, quæ in vniuerso cernuntur. Etenim eiusdem potestatis est, visum in homine fingere, qui antea in eo non erat; atque visum iam amissum refingere ac reformare. sed huic expositioni obijcit Maldonatus ex sequenti v. 4. apparere quod opera Dei, opera Patris appellet: sed ipsemet innuit solutionẽ, dũ subdit; *etsi eadem opera & ipsius & Patris erant*. Potest tñ & locus hic exponi semper de operibus Patris vel Dei absolutè, & non malè, vt sit sensus, *neque hic peccauit, neque parentes eius, vt cæcus nasceretur*; sed vt constet omnibus, opera, quæ ipse facio, ex potestate, ac voluntate Dei fieri; eaque certissimam fidem hominibus facere, verissima esse, quæ prædico de me ac Patre meo. Solet enim Deus manifestando opera sua, confirmare veritatem earum rerum, quas docet ille, qui à Deo missus est ad prædicandum, atque ita declarare auctoritatem legationis, qua quis Dei nomine fungitur apud homines, quod factum vidimus in Moyse, & in Apostolis.

11. Chrysost. obiectio.

Mouet Chrysostomus hîc hom. 55. in Ioannem dubitationem; quomodo iustè fieri potuerit, vt citra peccatum propter solam Dei gloriam hîc cæcus nasceretur? *Occurrit*, inquit, *alia dubitatio; annon aliter poterat gloria Dei manifestari? Quidni? neq; enim dicit non potuisse; sed & in hoc vt manifestaretur. Ergo iniuriam propter Dei gloriam accepit?* Respondet verò: *quam iniuriam, dic quæso, etiamsi eum omninò non produxisset ac formasset? ego verò etiam ex cæcitate beneficium accepisse dico. Vidit enim interioribus oculis. Quid oculi Iudæis contulerunt? Maius supplicium, cùm videndo cæci essent. Quid cæcitas huic obfuit, propter quam vidit? Itaque vt mala huius vitæ mala non sunt, ita neque bona, sed peccatum dumtaxat malum. Cæcitas autem non est malum. Qui verò quod non erat vt esset, effecit; poterat & sic dimittere.* Hæc Chrysost.

Responsio Chrysost.

Aliter etiã respondetur

Sed & aliter huic dubitationi respondere possumus. Licet non fuerit hæc cæcitas propter proprium, vel parentum peccatum, non tamen fuit sine eius peccato, nam propter solum originale posset Deus iustè quascumque temporales pœnas exigere ab omnibus sine iniustitia; misericordiæ tamen suæ beneficium est, quod id non faciat. Ergò iustè factum est; vt hic cæcus nasceretur; quia quamuis non propter iustitiam factum fuerit, sine iniustitia tamen factum est. Deinde quãdo Deus non dat alicui sanitatem, non visum, non auditum &c. non aliquid illi debitum aufert, sed non dat quæ dare poterat, omnia enim quæ habemus bona, dona Dei sunt. Quam rationem etiam attigit Chrysost. Postremò. Licet nullum in nobis esset peccatum, quin & debita essent isthæc nobis bona, adhuc nulla esset iniustitia, immò & iustitia magna foret, si Deus propter publicum bonum, cuiusmodi est fides in Christum, in qua salus hominum sita est, & DEI ipsius gloria, isthæc nobis negaret. Quas rationes fusiùs explicat Tol. annotat. 4. nos carptim, summatimque attigimus.

12.

4. *Me oportet operari*] Reddit caussam eius, quod in præcedenti v. dixerat, videlicet, quamobrem hæc opera Dei manifesta fieri debeant, quia, inquit, oportet, vt dum inter homines versor, opera Dei, id est, miracula, quibus diuinitas mea confirmanda est, efficiam, quasi dicat, habeo opera Patris mei multa, quæ faciam; hæc autem donec inter homines viuo, efficienda mihi sunt, hoc enim est, quod ait: *donec dies est*, quod explicat ait: *quamdiu sum in mundo lux sum mundi. Venit nox*, id est, mors mea, quasi nox quædam, seu similis nocti, in qua sicut nemo potest operari, ita nec post meam mortem erit opportunum tempus Patris opera faciendi. Restat ergo, vt opera Patris persequendo, etiam & in hoc cæco sanando, opus Patris ostendam.

Nox est mors Christi. dies præsentia.

Oportet] Præceptum significat, quod Christus vt homo accepit à Patre vt hæc operetur, ac proinde declarat firmam, stabilemq; voluntatem Patris, vt hæc fiant; non ergo vox hæc necessitatem significat absolutam.

Oportet quidhic?

Quando nemo potest operari] Id est, in qua non operantur homines. Alludit ad noctem quam solis huius absentia facit. Ita inquit, imminet nox, id est, occasus meus quasi nox quædam, quando quæ nunc facio inter homines vitam transigens signa, & miracula non operabor. Vel venit nox, id est, mors, post quam nemo, atq; adeò nec ego meritoriè operari potero, quomodo exponi posse Suarez affirmat tom. 1. in 3 part. disputatione 39. sect. 3.

13.

5. *Quamdiu sum in mundo*] Dum inter homines viuo, lux sum mundi, id est, eorum lux, ea docens, quæ ad salutem eorum æternam pertinent. Hanc expositionem eleganter persequitur Gagnæus, inquit, *præsentiam corporalem, diem hîc Dominus vocat, in qua, inquit, oportet me operari, & in exequendis mandatis sollicitum esse, donec dies est, id est, tantisper dum viuo. Venit enim nox, quando operari nemo potest, id est, propediem futurum est, vt hinc è vita discedam, atque ad Patrem redeam, iam occupatus non ero in prædicando hominibus, Patrique exequendis mandatis. Quod enim noctem absentiam eius corporalem interpreter, facit quod sequitur: quamdiu sum in mundo lux sum mundi. Si ergo Christus lux est mundi, absente eo per mortem à mundo, verè nox erit.*

Nox absentia corporalis.

14. Quid Aug. dies & nox.

Aliter D. Augustinus diem hîc, & noctem intelligit tract. 44. in Ioann. per diem enim intelligit totum tempus credendi in Christum, & edendi opera salutis, quo Christus vsque ad extremum diem iudicij suis radijs mundum illustrat iuxta illud Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*; quamdiu enim Christus est in mundo lux est mundi, id est, diem efficit. *Venit nox*, impijs videlicet post diem iudicij, *in qua nemo* poterit *operari* salutis opera. *Dies iste*, inquit Augustinus, *qui circumitu solis huius adimpletur, paucas horas habet; dies præsentiæ Christi vsque in consummationem sæculi ostenditur. Post resurrectionem verò viuorum, & mortuorum, cum positis ad dexteram dixerit: Venite benedicti Patris, percipite Regnum; positis autem ad sinistram dixerit: ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius, ibi erit nox, ibi nemo potest operari, sed recipere quod operatus est. Aliud est tempus operationis, aliud receptionis* &c. *in illa nocte diues ardebat, & stillam aquæ de digito pauperis requirebat, nec ei subueniebatur. O infelix, quando viuebas, tunc erat tempus operandi, modò iam in nocte es, in qua nemo potest operari.* Hanc expositionem sequitur etiam Chrysostom. Theophylactus, Euthymius, Rupertus, sed non multum quadrat in hunc locum; nam illa; *quamdiu sum in mundo lux sum mundi*, indicant loqui Christum de præsentia sua corporali, qua cum hominibus versabatur docens, & diuina eos luce collustrans; nunc enim etsi virtute, ac potestate est præsens, non tamen sensu eius præsentia percipitur, nec per seipsum docet, quomodo hic loquitur. Idem euincunt & illa, *nemo potest operari*,

Nunc operandi tempus, nõ post iudicij die, atque adeo mortis.

quæ

quæ referuntur ad illa alia, *me oportet operari*, vbi loquitur de miraculis, quibus induci poterant homines ad credendum, & ad salutem consequendam. Significat ergo se non loqui de operibus hominum, quæ erunt ad extremum vsque iudicij diem.

15. Rebus contrarijs vtitur interdū Deus in obeundis miraculis.

Expuit in terram] Solet Deus ad indicandum, non naturæ vi, sed diuina virtute ad mirandum aliquid esse factum, interdum vti medijs, rebusque repugnantibus illi rei obtinendæ, quam decreuit facere: sicut tempore Elisæi immisso sale aquas, quæ prius amaræ erant, dulces reddidit 4. Regum 20. & idem Propheta, iniecto in fluuium ligno, diuina potestate enatare fecit ferrum securis, quod in flumen ceciderat 4. Regum 6. 5. Quid tam contrarium visui quam lutum illi impositum, & tamen non aliter cæco à natiuitate visus restitutus est. Voluit ergo & hic Christus Dei potentiam indicare; ac se eum esse, cui deseruiret omnis creatura, ad quæcumque ipse vellet opera, ea vti. Et hæc est prima ratio, cur lutum ad abstergendam cæcitatem assumserit. Voluit deinde per lutum id efficere, vt declararet se hominis esse creatorem, quod docent ferè græci; eiusdem enim est artificis ex eadem materia, & opus facere, & reficere. Quoniam ergo à principio ex limo terræ hominem formauit Gen. 2. 7. ideo voluit nunc ex eadem materia in homine visum formare. Est enim sciendum, cæcum hunc non habuisse integros oculos; deerat enim illi ferè pars illa, quæ in concaua oculi parte solet esse, deerant humores; per hoc lutum ergo formatum est integrum visus organum, ita vt fuerit lutum materia, ex qua oculi fint integrè formati. Neque illud obstat, quod iussus fuerit cæcus abluere oculos, quasi per hanc ablutionem detersum sit, quidquid erat luti iniectum; nam nego in hac ablutione lutum esse depulsum, quin etiam affirmo in oculos fuisse trãsmutatum.

Cur luto visus.

Christus Deus creator.

Et luto formati oculi.

Cuiusmodi fuerint cæci huius oculi.

Chrysost.

Scio Chrysostomum aliter scribere hom. 55. nam *illato*, inquit, *luto dixit Dominus, vade & lauare, vt intelligas nihil mihi luto opus esse ad fingendos oculos*, probabile id quidem est; potuit Christus ex nulla materia visus organa efformare, sed Irenæ. lib. 5. cap. 15. Chrysologus sermone 176. & Theophyl. atque alij quidam, quod priori loco dixi, sequuntur, ex luto videlicet, fictos esse cæci huius oculos. Idem habet Cyprian. libro de bono patientiæ.

16. Tria fecit Christus hic quibus inimicos confutauit.

Obserua tria hîc Christum opera fecisse, expuit, lutum confecit, oculis imposuit, & sic tandem visum restituit cæco à natiuitate post lotionem; quibus primum confutauit eos, qui admiranda eius opera dæmoni tribuebant, idque effecit non aliter, quam tam nouum, & tam inauditum miraculum patrando, quod nulla posset naturæ vis efficere, atque adeo nec dæmon ipse, quare ne inimici quidem sibi temperare potuerunt, ne dicerent; *Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?*

Cur sputo visus.

Deinde eosdem conuicit, vsus modo contrario conferendæ sanitati oculorum; contrarijs siquidem medicamentis, & naturæ repugnantibus reformauit oculos, & visum restituit, quomodo non posset dæmon id facere, quamuis daremus, ipsum posse visum restituere. Tertiò hoc facto, vt dictum est n. 15. satis apertè declarauit Christus, se Deum omnium creatorem esse, qui olim hominem finxit ex limo terræ. Quartò, lutum fecit, non aqua, sed sputo adhibito, vel primo (quod Cyril. ait) vt ostenderet carnem suam medicam, ac salutarem virtutem continere, cuius posset sola saliua cæcum illuminare; vel, secundo, quod alij inquiunt, vt Aug. lib. 50. hom. hom. 43. Beda & Rupert. hîc, vt per hoc Incarnationis mysterium declararet, vnde omnis hominum salus exisit. Nam sputum ex capite defluit, sicut Verbum æternum ex fœcundo Patris intellectu genitum est. Porrò sputum in terram missum, & ex terra, & sputo factum lutum, significabat Verbum carnem factum, & in terras missum. Addè quod sicut lutum ineptum videri poterat illuminando cæco, ita Christus mortalis, pauper, humilis, inualidus videbatur humanis oculis ad liberandum, iustificandumque hominem. vel 3. vt censet Ambro. ep. 75. sputum sanando oculo adhibitum significat Christum intus cœlestis luminis pleniſſimum esse, cùm vel eius saliua, quæ ab intimis corporis partibus exit, cæcos illuminaret. Vel 4. per puluerem humanum corpus significatur, vnde formatum est, per saliuam verò, quæ ore expuitur anima, quam Deus quasi ore inspirauit in corpus efformatum. Videtur igitur Christus indicare voluisse, esse se, qui totum hominem, corpus videlicet, & animam efformasset; vel denique 5. cum Gregor. libro 8. in Iobum capite 21. dicamus, significare voluisse Christum per puluerem carnem nostram, terrenasq; cogitationes; per saliuam verò cœlestem gratiam; & hanc esse, quæ nos spiritualiter illuminat, & iustos reddit. Cætera vide digress. 2. n. 16. & digress. 3. n. 12. 13. Postremò ad Natatoria Syloe misit, sed cur, dicam sequenti versu.

17. Cur ad Syloam misit.

7. *Vade, lauа in Natatoria Syloe*] *Quod*, inquit Gagnæus, *ad Natatoriam Syloe miserit, non ideo factum est, quod alioqui verbo solo non posset hoc facere, sed vt visibilibus rebus signis, & Sacramentis, dum mora interim fit,* (adde & per vicos itur à cæco) *notius miraculum euaderet. Mysticè q. hoc notatur, vt cùm cæci omnes à natiuitate simus, vtpote naturæ filij iræ, & peccati, intelligamus non posse nos verum mentis lumen ac visum recipere, nisi in Natatoria Syloe, hoc est, in baptismo Christi lauemur. Syloa enim, quod missum significat, Christum indicat, à cœlo in terras nostra gratia à Paradiso missum.* Adde per hunc cæcum luto etiam oculis iniecto per vicos incedentem publicè significatam esse Iudæorum cæcitatem, quam nisi cum homine hoc lauerint se in Syloe, id est, in Christo baptizati sint, expellere nunquam poterunt, & hæc causſa maximè placet, cur Christus ad Syloe miserit lauandum hunc hominem cæcis, lutosisque oculis Iudæos repræsentantem, qui quoniam ad Christum ad ipsos missum noluerunt accedere, eumq; recipere, grauius cæci, & excæcati remanserunt post illius aduentum, quasi iniecto amplioris malitiæ luto.

Iudæorum cæcitas.

18. Syloa quid innuat.

Quod interpretatur missus] Augustinus tract. 44. in Ioannem: *pertinuit*, inquit, *ad Euangelistam commendare nobis nomen huius piscinæ, & ait: quod interpretatur missus, iam qui sit missus agnoscitis, nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus. Lauit ergo oculos in ea piscina, quæ interpretatur missus. Baptizatus est in Christo. Si ergo quando eum in semetipso quodammodo baptizauit, tunc illuminauit; quando inunxit fortasse catechumenum fecit.* Est & alia causſa, cur hoc adiecerit Ioann. vt ostenderet nomen illius fontis congruere cum ipso facto, & quod ipsum illuminatus fuerit cæcus, non ex natura eius fontis accidisse: sed ex virtute Christi, quem Deus in terras ad sanandas corporis, & animæ ægritudines miserat: iuxta illud Psalm. 106. *misit verbum suum, & sanauit eos.* Addi potest & tertia causſa desumpta ex historia, quam Dorotheus in sinopsi & Epiphanius in libro de vita Prophetarum referunt, fontem, videlicet, Syloe non extitisse natura procreante ab initio factum, vt alij fontes naturaliter producti sunt: verùm mirum in modum derepente ad orationem Isaiæ, qui à

Vnde ortus Syloe fœdum Epiph.

Deo

Deo postulabat aquam in vsum populi, diuinitus missum & datum, & inde sortitum esse nomen *Syloe*. Hanc ergo historiam in memoriam reuocare visus est voluisse Ioannes.

19. Cæci fides & obedientia.

Abijt ergo, lauit, & venit videns] Vide quanta fuerit huius hominis & obedientia, & fides; obedientia in hoc præsertim cernitur, quod passus sit oculos sibi luto deliniri, quod per mediam incesserit ciuitatem cæcus, etiam luto oculis ingesto, cùm sciret tamen propterea cæteris ludibrio esse potuisse; quod nihil responderit, nihil obiecerit, quod sic cum illo ageretur, quin promptè vniuersa quæ Christus gessit, & iussit, & in se fieri permiserit, & illico executioni mandauerit; longè hac in re Naaman illum superans, qui faciliora iussus facere ab Elisæo, quo sanaretur à lepra, non obediuit, nisi monitus à seruis 4. Regum 5. Fides in hoc apparuit, quod cùm nondum Christum Messiam, & Dei esse filium crederet, lutum tamen, & quam ille iusserat lotionem vtilia sibi futura non dubitauit, cùm secus ratio ipsa dictaret, sed Christi virtus cor ipsius excitans, & corroborans, prõptum, facilemq; reddidit, & ad parendum, & ad credendum.

20. 8. *Itaque vicini, & qui viderant eum*] *Quamquam*, inquit Gagnæus, *græci codices, qui nunc extant, habeant pro, mendicus,* πρόσ, *id est, cæcus, cùm tamen constanter latini omnes codices habeant, mendicus; & Theoph. cum Chrysost. legant & exponant, mendicus præstat legere mendicus; quam cæcus. Rationem enim ponit quare notus esset vicinis, nimirum quia mendicabat. Erant enim Ierosolymis cæci multi, sed hic præ alijs notus, quia mendicus. Facta autem inter vicinos controuersia, tum propter vultus mutationem, tum propter rem inauditam, annuntiauit miraculum vsq; ad Pharisæorum notitiam, qui & rem, & modum ab eo audientes non credebant. Ille verò tanquam audax defendit, & quem ignorabat, prædicabat.*

Gratitudo Cæci.

9. *Quia ego sum*] Interlinea. ex August. *vox*, inquit, *grata, ne damnaretur ingratus*, & Chrysosto. etiam; *non pudet*, ait, *prioris cæcitatis, nec furorem plebis formidat, sed benefactorem prædicat.* Toletus vult hîc esse hebraismum; dum repetitur vox ipsius cæci, *ego sum*; loco cuius latinè diceremus; ille verò dicebat, se eum ipsum esse, qui prius cæcus sedebat, & mendicabat.

10. *Quomodo aperti sunt tibi*] Rectè, *aperti*, inquiunt, quia solent palpebræ clausæ esse in illis, quibus oculorum organa desunt, sicut & huic cæco defuisse diximus n. 15.

21. 11. *Ille homo, qui dicitur Iesus*] Quasi de nunquam antea à se viso, sed sibi de solo nomine noto loquitur; erat enim Christus tunc celeberrimi nominis. etsi Theophyl. & Euthym. *hominem* vocasse dicunt, quod nondum sciret esse Deum. Hoc quidem credibile est, licet non sit negandum diuinam eum in miraculo virtutem agnouisse. Sed quomodo sciuit fuisse Iesum, cùm videre eum non potuerit? Respondent Theophylactus & Euthymius: scire potuisse, vel ex vulgari fama, vel ex ipsius Christi verbis, vel rogando ex alijs, vt cæcus ille, qui à turba prætereunte, cùm rogasset, audiuit quod Iesus esset, qui transiret Lucæ 18. 36.

Dubitatio

Lutum fecit, & vnxit oculos meos] Non dixit, quod expuisset in terram, id enim non nouerat, vt notat Chrysost. hom. 56. lutum verò feciſſe refert, quia sensit, quamuis sputo factum ignoraret, vtpote visu carens.

Video] Græcè ἀνέβλεψα.

12. *Vbi est ille*] *Cæcus confitebatur, & cor impiorum frangebatur*, vt August. ait tract. 22. ex Chrysostom. hoc dicebant, quia iam aduersus ipsum conspirauerant; solebat autem recedere Christus vbi curasset, non enim quærebat gloriam, nec se ostentare. Itaque non recto animo vt audirent, & crederent, sed vt accusarent tanquam sabbati transgressorem, interrogant: *vbi est ille?* Etenim paulò ante, illis inuisibilis factus erat Christus, & vbi esset, ignorabant.

Christus recedebat post miraculum.

Nescio] Iussus enim fuerat lotum ire, statimq; à Christo discessit, quare vbi esset, scire non poterat. Beda notat, in hoc cæcum hunc figuram tenere catechumenorum.

Cæcus figura Catechumenorum.

14. *Erat autem sabbatum*] Ideo hoc notauit Euangelista, vt indicaret calumniæ occasionem; nam propterea adduxerunt eum ad Pharisæos, vt diligentius interrogaretur, an sabbatum violasset Christus, sic Chrysost. & Euthym. Porrò ille modus loquendi; *erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus*; insinuat aliquem alium diem post illud sabbatum fuisse, cùm vicini, & alij cum cæco disceptarunt, eumque ad Pharisæos adduxerunt. Ait autem Ioan. *quando lutum fecit*, quia ad piscinam ire sabbato, lauari iq; licebat, sed lutum facere, & oculos linire simul, & aperire, nequaquam illis licere videbatur.

22.

Cur interrogât, quomodo vidisset.

15. *Iterum ergo rogabant eum Pharisæi*], *ergo*, indicat causam interrogationis; quoniam enim sabbatum erat, quando lutum fecit Iesus, ideo moti fuerunt ad interrogandum, quomodo vidisset, vt audientes, quod facto luto cæcum sanasset Iesus, calumniandi occasionem arriperent, ideo modum reperati visus rogant. O cæcas hominum mentes! hoc isti luto excæcantur, quo, qui prius fuerat cæcus, illustratur; nam eodem planè luto tanti miraculi splendori noctem offundere tentant, quo Christus tenebras excusit cæci oculos aperiens.

Quomodo vidisset] Id est, visum recepisset.

23. 16. *Non est hic homo à Deo*] Non id omnes Pharisæi dixêre, sed quidam inter eos, quorum improbitatem, & mentis cæcitatem nemo satis mirari poterit, exiguum lutum confecerat Christus in sabbato, quod contra sabbathi præceptum verè non erat, & esto fuisset, licebat medicis propter sanitatem multò maiora facere; & inde tamen inferunt: *non est hic homo à Deo*, cùm sic potius rationari debuissent, visum hic cæco à natiuitate restituit, ergo à Deo est. Sed quid istis facias odio, & inuidia flagrantibus.

Pharisæorũ cæcitas & inuidia.

Quomodo potest homo peccator hæc signa facere] Non videtur id verum: nam Deuter. 13. prædixit Deus Pseudo-Prophetas magna facturos signa, quod & Matth. 7. & 24. habetur. Respondent aliqui, hanc sententiam accipiendam esse, non vt semper veram, sed tanquam veram vt plurimum, quod conuenit multis sententijs, quæ vulgò vsurpantur tanquam veræ, licet non semper sint tales. erit ergo sensus: rarò accidit, vt per peccatores vera miracula fiant. Alij dicunt per illa verba, *hæc signa*, quæ subijciuntur, patere solutionem huius dubij. Idem enim est dicere, hæc signa, ac talia signa, qualia Christus faciebat, id est, tam insignia, & admiranda, tam crebra, tanta auctoritate, & potestate facta, & in declarationem suæ sanctitatis, talia, qualia audierant Messiam esse facturum: Vnde Nicodemus dixit: *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Bona est prima expositio, sed melior secunda; omnium optima videbitur, si dicas, id intelligendum de miraculis factis per proprium aliquod opus sine signo aliquo, quo declaretur fieri in confirmationem fidei: vt inuocato IESV nomine, signo crucis edito, aut aliquo alio modo, quo declaretur vera fides &c. Sed de hoc in Theoria. 12.

An peccator possit signa facere? Locus Deut. 13.

Digitized by Google

Et ſchiſma] Græcum nomen eſt, quod diſſidium, & ſciſſuram ſignificat; σχίζω enim idem eſt ac ſcindo, inde σχίσμα, ſciſſura, vt 1. Corinth. 11. *audio ſciſſuras eſſe inter vos.* Græcè ſchiſmata, vt habetur cap. 1. ibid, *non ſint inter vos ſchiſmata*: Orta ergo eſt inter Phariſæos altercatio, & diſſenſio his dicentibus: *non eſt hic homo à Deo*: alijs, *quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere?* *Tibi Chriſte*, inquit Rupertus, *in multitudine virtutis tuæ* (id eſt, potentiæ tuæ) *mētiuntur inimici tui, dicentes, non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit*, ſic Rupert. alludens ad illum locum Pſal. 65. *quam terribilia ſunt opera tua Domine, in multitudine virtutis tuæ mētiuntur tibi inimici tui.* Verè enim in tanto diuinæ potentiæ miraculo mentiti ſunt Phariſęi, dicentes, tam admirando opere violari ſabbatum, atque adeò Chriſtum eius effectorem à Deo non eſſe.

Locus 1. Cor. 11.

Pſalm. 65.

17. *Dicunt ergo cæco iterum*] *Ergo* conſecutionem quamdam indicat, videlicet, quia ſchiſma erat inter illos, & contentio, propterea ad cæcum ſe conuertentes, rogant vtri parti faueret; videntur autem ij huius interrogationis auctores fuiſſe, qui Chriſto fauentes dixerant: *quomodo poteſt homo peccator* &cæt. Iſti ergo ſunt, qui nunc cæcum interrogant, ſperabant enim futurũ, vt benè de ſuo benefactore loqueretur. Chryſoſtom. homil. 57. Hos quos diximus fauiſſe Chriſto, fuiſſe eos, qui interrogarunt, inde probat, quia non dicunt: quid dicis de eo, qui ſabbatum ſoluit? Sed de eo, qui oculos tibi aperuit: quamquam Ianſenius non improbabiliter velit, omnes ſimul interrogaſſe, & qui fauebant, & qui refragabantur.

24.

Propheta eſt] Sic & à Deo eſſe, & Dei virtute miraculum eſſe factum teſtatur; veriſſimum eſt autem quod dixit, quamuis non perfecta adhuc eius fuerit confeſſio, nec vox *Prophetæ* Græcè articulum adiunctum habet. Auguſt. *adhuc*, inquit, *inunctus in corde, nondum* DEI *filium confitebatur, non tamen mentiebatur, ipſe enim Dominus de ſe ait: non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua.* Prophetam autem cùm dicit, virum ſanctum intelligit, atque diuinum, hos enim homines apud Iudæos moris erat Prophetas vocare, quamuis futura non prædicerent.

Propheta quid hic?

18. *Non crediderunt ergo*] *Ergo* hunc facit ſenſum, quod ij, qui à DEO eſſe CHRISTVM negabant, non admiſerunt teſtimonium cæci de Chriſto, propterea cum quo ſe tuerentur, aliud non haberent, negarunt factum; videbant enim eo conceſſo, non poſſe quod Chriſtus fecerat, à Deo non eſſe, ſed nimirum veritatis ea vis, ea conditio eſt, vt quanto oppugnatur magis, tanto plus ſtabiliatur, & quo magis obtegitur, eo illuſtrior reddatur. Acutè notat hic Card. Tol. variam, cæcam, & inconſtantem iſtorum malitiam. *Si iudicarunt*, inquit, *ſabbati eſſe transgreſſorẽ, quia lutum fecit; cur non crediderunt illum hominem cæcum fuiſſe, cùm potius id credere deberent, vt cauſſam accuſandi haberent, quod lutum fecerit, at reuera ſenſerunt plus poſſe miraculum ad confirmandum eſſe à Deo, quam lutum illud ad probandum à* DEO *non eſſe; ideo miraculum occultare voluerunt.* Sic Toletus.

25.

Vis veritatis.

Phariſæorum cæca malitia.

19. *Hic eſt filius veſter*] Non contenti Phariſęi, qui Chriſto calumniam inferebant, teſtimonio cęci; parentes eius interrogãt primò, an hic eſſet eorum filius, deinde an natus eſſet cæcus: poſtremò, quomodo nunc videret? Ad duo priora reſpondẽt Parentes, & quod eſſet filius eorum, & quod cęcus natus eſſet. Tertium filio ſuo committunt reſpondendũ, vt habetur v. 20 & 21. quo verò conſilio Phariſæi parentes interrogent, vide infer. n. 27.

A

22. *Hæc dixerunt Parentes eius*] Cauſſam aſſignat Ioan. cur non liberè parentes omnia quæ nouerant, faſſi ſint, videlicet timuerunt ne extra Synagogam fierent.

Conſpirauerant] Græcè συνετίθεντο, id eſt, ex communi ſententia conſtituerant, vt quicumque Ieſum confiteretur eſſe CHRISTVM, id eſt, Meſſiam, ἀποσυνάγωγος γίνεται, apoſynagogus fieret.

Extra Synagogam] Græcè ἀποσυνάγωγος, id eſt, extra congregationem & Eccleſiam Iudæorum eiectus. Erat autem tunc ἀποσυνάγωγος, idem quod nunc excommunicatus. *Paulatim*, inquit Gagn. *fideles oportebat extra Synagogam fieri, quæ paulatim deſinebat. Hos autem Chriſtus excipiebat, qui aliam Synagogam, ſcilicet Eccleſiam paulatim incipiebat. Quod ſi Iudæorum illa excommunicatio timenda erat, vt viri boni multi timuerunt, Nicodemus videlicet, & Ioſeph ab Arimathæa, & alij occulti propter illum metum Chriſti diſcipuli, quanto magis Eccleſiæ nunc excommunicatio metuenda eſt? Sic tamen metuenda eſt, vt ne quid prauum, ac contra Dei honorem, & gloriam eius metu admittamus.*

Apoſynagogus quid?

Excommunicatio timenda.

B

Timebant Iudæos] Dicet aliquis, ſi dixiſſent Ieſum aperuiſſe oculos luto facto, non inde ſequebatur eos confiteri Chriſtum; cur igitur timebant id dicere? Reſpondeo ſaltem aliquam ſuſpicionẽ in animis Phariſæorũ mouiſſent, quod confiterentur Chriſtum; nam ſæpè accidit, vt cùm aliquid valdè metuimus confiteri, etiam illa, quæ aliquam cum illo affinitatem, & connexionem habent, caueamus.

Obiectio.

Vocauerunt ergo] Certi iam facti teſtimonio Parentum, quod homo ille cæcus natus eſſet, vocant iterum hominem, vt à Chriſti fide auertant, non vt quid rogent amplius de facto. Aiunt ergo: *da gloriam Deo*, id eſt, fatere id, quod res habet, & id quod verum eſt, nobiſcum affirma, hũc videlicet, hominem peccatorem eſſe, de miraculo verò nil dicunt. Vt verò apparet Ioſ. 7. 18. vbi legimus: *Da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atq; indica mihi quid feceris*, erat hic dicendi modus formula quædam obteſtandi, quam vſurpabant olim Iudæi, quando veritatem exigebant ab aliquo, hoc modo ſignificantes, ad Dei maximè gloriam facere, ſi quis iuridicè interrogatus manifeſtet veritatem: monebãtur ergo ijs verbis reſponſuri, ſtare ſe coram Deo, proinde ne committerent, vt coram illo mentirentur, qui omnia noſſet; ſecus ſi faciant, iudicare videbuntur, ignarum eſſe Deum rerum humanarum. Bar. negat ex loco illo Ioſ. 7. 18. colligi hãc intelligentiam habere illa verba, *da gloriã Deo*, nam loci illius alius eſt ſenſus: Deus te crimen admiſiſſe indicauit, da igitur ei gloriam crimen aperiẽs tuum; nam ſic oſtendes probè, eum omnia noſſe, alioqui ſi negaueris te crimen cõmiſiſſe, non paruã Deo iniuriam irrogaueris; at hoc loco nihil de cõfeſſione dicitur, verum tantum monent Phariſæi hunc hominem; *da gloriam Deo*. Quomodo etiam 1. Reg. 6. 5. intelliguntur eſſe locuti Sacerdotes Philiſtinorum: *dabitis Deo Iſrael gloriam, ſi fortè releuet manum ſuam à vobis*: eſt ergo loci huius ſententia hæc; Deo tribue gloriam tuæ curationis; nam nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt, quare oculos aperire tuos non potuit.

C

Locus Ioſuæ 7. 18.

D

Vnde patet Phariſæos tribus modis hic Chriſti gloriam obſcurare conatos eſſe. Primò calumniantes illum, quod ſabbatum non cuſtodiret, tantum non cœlum terræ miſcentes propter exiguum lutum; deinde eo quod audire expectabant à parentibus cæci, eorum filium non fuiſſe cæcum à natiuitate. propterea enim viſi ſunt vocaſſe parentes, quod ſperarent illos dicturos fuiſſe, quod is, qui dicebatur eorũ filius, nequaquã fuiſſet cæcus:

27. Phariſæi tribus modis conantur Dei gloriam obſcurare.

Cur Parentes vocarint Phariſæi?

nam

nam facilè erat, vt ob metum hoc dicerent parentes; vel certè spem aliquam concipiebant ex responso parentum, ansam se posse arripere dicendi, si qua in re fortè discreparent à filij testimonio, rem esse compositam, & vel non fuisse natum hominem illum cæcum, vel non miraculo, vt ait Chrysostom. sed magica arte curatum esse. Tertiò denique, quoniam miraculi gloriam Christo auferre tentarunt, dum suadere ei conati sunt, qui cæcus fuerat, da gloriam tam admirandi operis Deo, non homini huic, quem scimus esse peccatorem. Hic sensus Barradij, qui est Chrysost. hom. 57. & Greg. libro 2. in libr. 1. Regum cap. 2. & Euth. in hunc locum non malè videtur quadrare, quamuis prior expositio Ianſen. Card. Tolet. & Maldon. sit aptior & verosimilior, vt num. 29. sub fin. dicemus.

28. Masius in lib. Iosuè non probat istud: *da gloriam Deo*, formulam fuisse obligandi hominem Sacramento, seu adiurandi quempiam, quod arbitrati videntur, qui primam secuti sunt expositionem. *Ego*, ait Masius, *vt hoc funditus repudiare, aut refellere nolo, ita non admodum probare possum, cùm nihil appareat in illa Ioannis narratione* (cap. 9. v. 24.) *quod iuramento dicere cæcum voluerint Pharisæi; qui potius accusata Christi humanitate, qua offendebantur; studebant hominem auertere ab eius diuina virtute prædicanda, atque ad transcribendum omne beneficium in solum Deum inducere.* Sed non est negandum, quamdam obtestationem contineri etiam hic apud Ioannem, quod n. 29. patebit sub finem.

29. Martinus Delrius adagio 152. arbitratur idem esse: *da gloriã Deo*, ac, dic veritatem ad Dei gloriam: nam 3. Esdræ 9. 8. videtur interpres sic exponere hanc Phrasim: *date confessionem, & magnificentiam Domino Deo*: hoc est, magnificate Deum confitendo peccatum vestrum. Subdit vero Delrius; conuenire hanc expositionem æqualiter locis omnibus 1. Reg. 6. 5. *dabitis Deo Israel gloriam*; hoc est, figillis istis fatebimini vos in illum peccasse, & iustè ab illo tam ignominiosa pœna multatos. Ierem. 13. 16. *Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat.* Hoc est, dum tempus vitæ superest, agnoscite, & confitemini peccata vestra. Ioan. 9. & 24. *Da gloriam Deo*, dic veritatem, fatere te ab illo fuisse sanatum. Sed quod hanc veritatem voluerint extorquere, non credo: nimirum vt diceret cæcus, à Deo se esse curatum: alioqui visi fuissent, admisso quod hoc opus esset Dei, fateri Christum à Deo esse, per quem opus hoc factum esse negare non poterant. Itaque veritas quam volebat extorquere, à cæco erat, vt faterentur Christum peccatorem esse, qui sabbatum non seruaret, & vel fictum fuisse miraculum, vel magicæ arti tribuendum, quod Christus fecerat. Et ita ad rem maximè facit responsio cæci; *si peccator est nescio; vnum scio, quia cæcus cùm essem, modò video*, nihil igitur de miraculo dicunt, sed id tantùm cõfirmari volunt, & prædicari à cæco, *non esse à Deo, qui sabbatum non custodit.* Vnde infirmari potest Chrysostomi vel Barrad. expositio. Tandem addit Delrius: *subaudiendum videri sub hac formula: scio Deum nihil latere, scio te coram illo sisti; cogita ipsum te interrogare; quem nequis fallere. Verum fatendo, ostende te veracem illum credere, & veritatem profitendo, cole illum, qui Deus est.* Itaque verissimè diximus numero 28. in hac formula etiam obtestationem quamdam contineri.

Locus Esdr. 9. 8.

1. Reg. 6. 5.

Ierem. 13. 16.

30. Acutè Augustinus tractatu 44. *quid est*, inquit, *da gloriam Deo? nega quod accepisti; hoc planè non est gloriam Deo dare, sed Deum potius blasphemare.* Dicunt ergo confitere iustum non esse iustum, sed sicut nos eum habemus, peccatorem, & ideo subdunt: *nos scimus, quia hic homo peccator est.*

August.

25. *Si peccator est nescio*] Respondet quasi ex cæco videns: iam cæcos non ferens, mirum est, quod tantus esset peccator, & tanta nihilominus opera faceret, quanta nullus ante eum, cùm Deus peccatores non audiat. Quod verò dicit: *si peccator est nescio*, significat nolle se de ea re disputare; nam si dixerit non esse peccatorem, nihilo magis illos esse credituros; vel est sensus: nescio, i. non debeo ego de ea re iudicare, & sicut non est id mei muneris; ita nec vos de ea re scisciari debetis; neque enim debet reus, ad ea, quæ præter ordinem iuris, & inutiliter Iudex petit, respondere. Interim tamen quid ipse sentiat de Christo, satis aperit, dum subdit; hoc vnum scire se, quod cùm cæcus esset, illius opera sit sibi visus restitutus. Inde conijcere potestis an peccator sit nec ne, & mirum esse, quod hoc illi nesciant, & interrogent: quare rectè sentit Chrysostom. cæcum hunc certo credidisse, Christum non esse peccatorem, nam & *Prophetam* nominauerat v. 17. & v. 31. & 33. probat à Deo esse. Et aduerte, cæcum dum respondet expresè quod illi subdolè tacuerant de miraculo facto, & non concedit quod illi expresè volebant peccatorem esse: dixerant enim illi: *nos scimus quia peccator est*, hoc tu confitere; opus interim miraculosum tegentes: at cæcus & peccatorem esse non admittit; & miraculum tale ab illo patratum declarat, quod quilibet facilè intelligat non esse peccatorem.

26. *Dixerunt ergo illi: quid fecit tibi*] Iterum interrogant quod iam audierant, sperantes posse se aliquid expiscari ab homine grauius, quo Sabbatum omninò violatum videretur, vel suspicionem moueret magicæ artis à Christo vsurpatæ. Videbant enim nihil, vel parum ad violationem sabbati facere ex puluere & sputo lutum facere, & ridiculam fore calumniam propterea illatam.

31.

Dixi vobis iam & audistis] Chrysosto. hom. 57. & Euthym. sic legunt: dixi vobis, *nec audistis*, id est, nec credidistis, quomodo etiam Græcè legitur, sed legendum est, *& audistis*; quod ex sequentibus verbis apparet: *quid iterum vultis audire?* vbi *audire* non pro *credere* sumitur, reprehendit enim eos, quod cùm semel eum audissent, *iterum*, id est, secundò interrogarent.

27. *Numquid & vos vultis discipuli eius fieri?*] Nihil illi acerbius audire poterant ob insignem arrogantiam, quam vt discipuli cuiuscumque hominis esse possent, præsertim verò Christi, quem incredibili odio, & inuidia prosequebantur: duo autem indicat his verbis cæcus, & quid illi facere deberent, si saperent, videlicet vt Christi discipuli fierent; & præterea insinuat se, & alios quosdam Christi discipulos esse, hoc enim non obscurè innuit coniunctio, &, *numquid & vos* &c. nimirum sicut ego & alij discipuli eius sumus. *Quid est*, inquit Augustinus, *numquid & vos, nisi quia ego iam sum, numquid & vos vultis? iam video, sed non inuideo.*

Duo indicat hic cæcus.

32. 28. *Maledixerunt ergo ei*] *Hactenus illum*, inquit Gagnæus, *suum fecerunt doctorem, interrogantes & factum, & modum, nunc autem reprobant eius doctrinam, quam ducunt inutilem, obijciunt illi cæcitatem à natiuitate propter peccata sua contigisse, quod Christus à principio negauit. At ille ab eo gremio expulsus, tanto magis factus est Christi discipulus, à quo benignè exceptus, & quid credere debeat, edoctus.* Apud Græcos verbum *maledixerunt* ἐλοιδόρησαν, conuitium potiùs est, quàm mali imprecatio. Nam cùm significasset cæcus se discipulum esse Christi, hoc ipsum illi vt conuicium,

Potius conuitiantur Christo, quàm malum imprecantur.

& con-

Conuicium quid, ex Basilio.

& contumeliam improperant. Basilius in Reg. breu. respons. 24. *conuitium*, inquit, seu *maledictum est omne verbum quod eo animo profertur, vt ex eo contumelia, seu ignominia alter afficiatur; licet verbum ipsum per se non videatur contumeliosum, atque hoc manifestum est ex Euangelio: maledixerunt ergo ei, & dixerunt: tu discipulus illius sis.* Sic B. filius. Hinc benè Gregor. lib. 23. moralium ca. 21. vt doceat sæpè id, quod bonum est, malè proferri, petitur exemplo istorum Pharisæorum. Nam bonum isti protulerunt, quid enim melius quàm Christi esse Discipulum? non tamen benè, sed malè id dixerunt, quia conuiciandi animo. *Tale maledictum, inquit Aug. super nos & super filios nostros; maledictum enim est, si cui obiectas, non si verba perpendas.*

Gregorius.

Augustinus.

Illius] Gr. ἐκείνου pronomen abominantis esse ait Leontius. Cùm ergo aiunt: *tu Discipulus eius sis*: est sensus, sis sanè tu talis hominis Discipulus, vt solemus de re, quam execramur, dicere conuiciantes alicui. Græcè pro *sis, est*, ὑ, id est, *es*, tu Discipulus eius es, quod non imprecationem, sed conuicium magis significat.

29. *Nos scimus*] Addunt rationem inscitiæ plenam, quamobrem nolint esse Discipuli Christi, sed Mosis: aiunt enim: *nos scimus quia*, id est, quod *Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus vnde sit*, hoc est, cuius spiritu instructus, & auctoritate munitus ad nos venerit. *Hunc*, cùm dicunt, contemptim de illo loquuntur, cuius ne nomen quidem nominare velint. Obseruant autem Chrysost. & Theophyl. de eo, quod non viderant, sed audierant, aut legerant; dixisse se scire, videlicet, Deum cum Mose locutum, & huius illum fuisse præceptorem; cùm verò Iesum coram oculis perspexissent toties miracula facientem, & auribus ipsi suis audissent diuina magnificè, & apertè loquentem, seque illis admirandis operibus Dei filium esse confirmantem, nescire tamen dicunt, vnde sit. Adhæc si nesciebant vnde esset, quare toties tam constanter pronunciarunt non esse à Deo, quin diabolico spiritu afflatum esse? Vide pro loci huius intelligentia quę diximus cap. 14. schol. n. 20.

Quam stulte loquantur contra Christum, eum dicunt ie illum nescire.

33. 30. *In hoc enim mirabile est*] *Etenim*, Græcè γάρ, pro *sanè* ponitur; in isto sanè, vel in hac sanè re mirabile quiddam, atq; incredibile accidit, *quia* id est, quòd, *vos nescitis vnde sit*, &, pro, *cùm tamen*; (est enim hebraismus) *aperuit oculos meos*, habent autem singularem quandam vim hæc verba, *& aperuit oculos meos*, quasi dicat, cùm tam admirandum opus fecerit.

31. *Scimus autem quia peccatores*] *Scimus*, idem est, ac vulgò scitum est, atque receptum, vt nemo in dubium vertat. Probat vel scire eos, vel scire debere vnde sit, videlicet à Deo, atque adeò iustum esse, non peccatorem; scimus enim Deum peccatores nō audire, id est, exaudire, vt mox vertit interpres hoc eodem versu, & græcis eadem est dictio, itaque intelligitur *non audit*, videlicet cum effectu, quod est, non exaudit. *Sed si quis Dei cultor est*, sic vt non solum ceremonijs eum externis veneretur, & fidem habeat, sed voluntatem etiam eius faciat obtemperando mandatis eius, hunc exaudit, iustus igitur est, non peccator. Quam veritatem habeat illa propositio, Deus peccatores nō exaudit, in Theoria declarabimus; nunc breuiter dicimus, non ita audire, vt faciat miracula in confirmationem, probationemve innocentiæ ipsorum, vel certè non edit miracula oratione sola, & petitione, vel voluntate peccatoris nullo alio signo S. Ecclesiæ, vel Christi nomine inuocato, quō Christus faciebat sola saliua, vel imperio, vel oratione; quæ est expositio Tolet. annot. 9. Aliqui subintelligunt, non exaudit *regulariter* peccatores.

A 32. *A sæculo non est auditum*] Ostendit ex nouitate, & magnitudine miraculi adhuc efficacius, Christum non esse peccatorem, sed esse à Deo, quod est contra id quod illi dixerant: nescire se, vnde esset. Exaggerat ergo vt vult Chrysost. miraculum, vt maiorem superiori argumento vim adhibeat. nam si qui miracula ediderunt iusti fuerunt, & à Deo; quanto magis hic, qui tale, quale nullus miraculum edidit?

33. *Non poterat facere quidquam*] Pro *non posset*, seu potuisset, ἐδύνατο q. d. nihil tale facere posset.

34. *Respondérunt & dixerunt ei*] Quoniam hæc non simplex responsio fuit, sed simul contumelia, & conuicium, ob id non fuit contentus Euangelista dixisse: *respónderunt*, sed adiecit, *& dixerunt*.

In peccatis natus est totus] Scilicet & animo, & corpore, vbi peccatorum vestigium habebat, id B est, cæcitatem, quæ pœna saltem peccati originalis erat. quasi dicant, totus quantus quantus es, peccatum es, idq; inde iam à natiuitate. D. Chrysost. toto vitæ tempore peccator fuisti. Vel cum Mald. nihil aliud didicisti ab vtero matris, quàm peccare, & doces nos? Vehementer angebat eos, quod ausus esse videretur eos docere, videlicet vir abiectus, homines suo iudicio, & opinione peritos, & sanctitate præstantes. Hanc enim eorum superbiam significant illa, *tū, & nos*.

Tu, & Nos quam vim habeant.

Et eiecerunt eum foras] Alij extra Synagogam: Alij extra templum; sed neutrum videtur valdè probabile, arbitror extra locum illum, vbi hæc agebantur.

35. *Audiuit Iesus*] Loquitur de Christo vt de puro homine, audisse dicitur ab alijs, non quod alioqui ignoraret, sed voluit se hominem indicare; inuenisse verò dicitur non casu, sed de industria quæsitum; hoc enim innuunt præcedentia verba, *audiuit Iesus, quia eiecerunt eum*; nam quod eiectus esset quæsiuit eum, quæsitum verò inuenit. 34.

C *Tu credis in filium Dei*] Id est, credere vis? sicut cū dicitur, *propter quod opus me lapidatis*? id est, lapidare vultis? *Tu mihi lauas pedes*? id est, lauare vis. *vado piscari, venimus & nos tecum* &c. *Tu*, Emphasim habet, q. d. Pharisæi non credunt, tu verò vis credere? *lauerat*, inquit Aug. *faciem corporis, modò lauat faciem cordis*. aduerte nihil Christū interrogasse cæcum cùm sanaret corpus, interrogat cùm animā aggreditur plenè sanare, etenim in corporis sanitate solus Deus operatur miraculum edēdo; in danda animi sanitate cooperemur oportet Deo.

Augustinus.

36. *Quis est*] Ostendit se promptum, paratumve ad obediendum. obserua ex voce cognouisse illum qui secum loquebatur, Christum esse, eumque fuisse qui curasset, ob id honorificè, *Dominum*, compellat, nesciens tamen adhuc esse filium Dei, nam alioqui non dixisset, *quis est Domine*, sed statim adorasset, quod fecit vbi Christum ipsum esse Dei filium intellexit.

D 37. *Et vidisti*] Sensim ad fidem filij Dei ducit, nec statim dicit, *ego sum*. q. d. is est, quem accepto beneficio ab eo, vides iam: crede ergo eum, à quo tantum opus patratum est, non mentiri posse, sed verè filium esse Dei. Hinc clarè perspicitur, vnam esse Dei, & hominis personam, nam qui videtur, & loquitur, homo est; in quē credendum est, Deus est.

39. *Et dixit Iesus*] Non est hic inserendum, *ei*, vt & vitiosè in quibusdam exemplaribus legitur. Ergo sumpta ex illo cæco, occasione, qui cū prius cæcus esset, modo & corpore, & animo visum receperat, conuersus ad eos, qui ibi aderant, dixit sequentia. 35.

In iudicium ego in hunc mundum veni] Cùm duplex sit iudicium, vnum *discussionis*

Duplex iudicium.

& retributionis, in quo discussis omnium hominũ meritis, digna factis supplicia, vel præmia tribuũtur. Ad hoc iudiciũ exercendum nõ venit Christus, sed venturus est in altero aduentu. Alterum iudicium dicitur *discretionis*; in aduentu enim Christi maximè facta est hæc hominum discretio, vt hi excæcarentur, hi verò lumen reciperent. Sic ergo hic sumitur *iudicium*, quæ est expositio Aug. tract. 44. in Ioan. vt paulò post referemus. Quod si roges, à quo facta sit hæc discretio, & iudicium? In promptu est respõsio; à Deo factam esse, qui iustè Pharisæos elatos, ac tumidos excæcari permisit; & benevolè eos, qui in seipsis paruuli erant, diuina luce collustrare voluit, quod Matth. 11. significatum est; *confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ, quia abscõdisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*: quæ verba Christi huc accommodat Aug. qq. nou. & vet. testam. cap. 73.

August.

Illud aduertendum, particulam, *vt*, causſam significare, cùm iungitur cum priori parte huius textus, *vt qui non vident videant*; hęc enim est vera intentio sui in mundum aduentus, at cum posteriori parte coniuncta non causſam, sed euentũ, seu consequentiam rei denotat, non enim Christus, vel eius aduentus causſa fuit excæcationis hominũ, sed ex eo quod eius doctrinam, ad quam docendã missus est in mundum, non receperunt multi, & miracula calumniati sunt ob animi elationem, & improbitatem de se superbè sentirent; & inuidia, atque odio laborarent, & improbitate, inde consecutum est, vt illi à Deo iustè abiecti sint, & obfirmati in malo indies vehementius, magis, ac magis obcæcarentur. Vide de hac particula, *vt*, quæ scribit Vasq. 1. p. tom. 3. disp. 95. n. 40.

36. Vt, quomodo hic sumatur.

Hæc expositio melior videtur esse quam altera Chrysost. hom. 58. vbi *iudicium* accipit pro supplicio, & condemnatione, quod rectè confutat Tole. annot. 16. illum consule.

40. *Et audierunt quidam ex Phariſæis*] Videlicet ex ipsius Christi ore, hoc enim indicant illa verba, *qui cum ipso erant*. Existimabant verò hi non corporis, sed animi cæcitatem à Christo obiectam sibi fuisse; nam si putassent solam corporis cæcitatem sibi obiectam, irrisissent potius, & non indignati essent; dicentes: *numquid & nos cæci sumus*? id est, insipientes, animoq; cæci, sicut iste est, quem tu ex cæco videntem factum significas? hanc enim vim habet ἀ, &.

37.

41. *Si cæci essetis*] Hunc locum rectè sic Aug. enodat: *cùm sit cæcitas ipsa peccatum. si cæci essetis, id est, si vos cæcos aduerteretis, si vos cæcos diceretis, & ad medicum curreretis; si ergo ita cæci essetis; non haberetis peccatum, quia veni ego auferre peccatum: nunc verò dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet* (perseuerat) *quare? quia dicẽdo videmus, medicum nõ queritis, in cæcitate vestra remanetis. Hoc est ergo quod paulò ante nõ intellexeramus, quod ait: ego veni, vt qui non vident, videant. Quid est, vt qui non vident, videant? Qui se non videre confitentur, & medicum quærunt vt videant; & qui vident cæci fiant. Quid est, cæci fiant? qui se putant videre, & medicum non quærunt, in sua cæcitate permaneant. Ergo istam discretionem vocauit iudicium; cùm ait: in iudicium veni in hunc mundum, quod discernit causſam credentium, & confitentium à superbis se videre putantibus, & ideo grauius excæcatis &c.*

Quid hic si cæci essetis?



A

B

C

D

THEORIA I.

In v. 2. *Quis peccauit, &c.*

An filij plectantur propter delicta parentum, & vniuersim, an aliquis pro alieno plectatur?

I. Apostolorũ interrogatio qualis.

INterrogatio hæc discipulorum Christi, partim laude, partim reprehensione digna videtur. Laude, tum quod significent Deum propter peccata non rarò morbos corporis, & alias huiusmodi calamitates immittere solere, tum quod indicent filios propter suorum parentum scelera percuti interdum à Deo, quæ omnia ex sacris litteris constant; vnde nos postea exempla quædam depromemus. At eadem interrogatio reprehensione non vacat; propterea quod quasi certum, & indubitatum ponere videantur, cæcitatem, & id genus cætera mala semper hominibus contingere propter peccata, quod nõ esse verum, Iobi, & Tobiæ calamitates apertissimè declarant, & Scriptura sæpè docet, vt aurum igni probatur, & illustrius fit, ita tribulationes piorũ animos contrarijs rebus puriores, & glorioſiores reddere. Hinc Angelus Raphael ca. 12. dixit Tobiæ: *quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Sunt qui etiam fatuam dicant, & insipientem eamdem interrogationem, quoad eam partem attinet, an ille homo natus esset cæcus propter peccata sua, neque enim ante ortum, vel conceptum suum peccare poterat: sed iuxta nostram expositionem nihil tale interrogarunt Apostoli; quod enim rogant, an peccarit iste, ad peccatum originale pertinet. Vide schol. num. 7.

2. Pœna bifariam sumitur.

Sed propius ad propositam controuersiam accedentes, dicimus cum Gabriele 2. dist. 36. q. vnic. pœnam bifariam capi. Vno modo vniuersim pro quouis incommodo, vel detrimẽto, quod sit contra propensionẽ rei, seu inclinationem, ita vt eã priuet bono aliquo ipsi conuenienti; hoc. n. incommodum, si tantũ secundùm rationem incõmodi consideremus, consueuimus absolutè *pœnam* nominare. Quod si tale damnũ, & incõmodum referamus in maius aliquod malũ, ad quod vitãdum ordinatur hoc modo absolutè pœnam non nominamus, nisi fortè medicinalem. propriè verò appellamus medium vtile ad finem consequendum. Sic Pharmaca vt ad sanitatem referuntur, quãuis ægroto molestiam afferant, non absolutè pœnam sed media consequendæ salutis vocamus. Secundo modo magis propriè, ac præsè appellatur pœna damnum, vel incommodum aliquod quando infligitur in vltionem alicuius peccati; vel offensæ in aliquem. De hac duplici acceptione pluribus agit Valent. tom. 2. disp. 6. q. 17. punct. 1. vbi reijcit Durandi, & aliorum quamdam pœnæ rationem; ipsum addi. Est autem discrimen inter has pœnas; nam primo modo sumpta incurri potest absq; culpa, sicut & pœna medicinalis, quæ impropriè pœna appellatur. At pœna altero modo accepta, nõ potest sine peccato cõtrahi, & de

Differentia inter has pœnas.

Digitized by Google

priori quidem accipienda sunt illa Scripturæ loca, quibus docemur, pios etiam aliquando multis varijsque afflictationibus & calamitatibus affici ad eorum vtilitatem & ad salutem plurimum facientibus, & ad alios bonos fines iuxta Dei prouidentiam. Hinc Christus Ioan. 9. *neque hic peccauit, neque parentes eius* (nimirum *vt cæcus nasceretur*) *sed vt manifestentur opera Dei in illo*, & Ioan. 16. *in mundo pressuram habebitis*, & Paulus de iustis hominibus scribens ad Hebr. 11. ait: *lapidati sunt, secti sunt*, &c. & subdit; *quibus dignus non erat mundus*. Illa verò loca Scripturæ, quæ significant iustos homines nullum pati malum, intelligenda sunt de pœna secundo modo accepta, vt per eam peccatum aliquod compensatur, & ita loquitur Iob 4. dum ait: *quis vnquam innocens periit? Aut quando recti deleti sunt? Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem flante Deo perijsse*; & Psalm. 36. Dauid inquit, *iunior fui, etenim senui, & non vidi iustũ derelictum, nec semen eius quærens panem*. Eodem modo loquitur August. 1. retract. c. 9. *omnis pœna si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur*.

Nemo punitur propria pœna nisi ob vulpam. Iob 4.

3.

De hac ergo pœna posteriori modo dicta, vt videlicet, per illam mulctatur peccatum, dubitamus hîc, an solus is, qui peccauit, det pœnam quæ peccato debetur. Dubitationem hãc tractauit August. in Enchir. cap. 46. 47. ac ferè insolutam reliquit, in eam tamen partem vergit, vt putet interdum puniri filios propter peccata parentum, quod idem alijs locis docet lib. quæst. in vetus testam. q. 24. in Deuteron. & q. 7. super Iosue, & libr. 6. contra Iulianum cap. 4. & super Psalm. 8. in illa: *in memoriam redeat iniquitas*, & Psalm. 84. in illa: *Auerte iram tuam à nobis*. Psalm. 105. v. vltimo: *Peccauimus cum Patribus nostris*. Idem censuit D. Leo epist. 86. & desumpsit ex Augustino, ita Gratian. 24. q. 3. §. *quod autem* &c. *si habes*. & 1. q. 4. §. *item peccato*. quin communi consensu ita docuerunt Theologi, D. Thom. 1. 2. q. 81. artic. 2. ad 1. & 2. 2. quæst. 108. artic. 4. Bonauent. 2. distin. 23. & alij, quorum sententia est, filios etiam innocentes aliquando puniri pœna corporali, vel temporali propter delicta parentum, non tamen æterna, vel spirituali: contra quos videtur facere locus Ezec. 18. *anima quæ peccauerit* &c. & Ierem. 31. de quibus locis inferius.

August.

S. Thom.

Bonauent.

4. Homo bifariam spectatur. Primò.

Pro huius igitur nodi explicatione obseruandum est, quod ad rem nostram nunc facit, bifariam spectari posse hominem. Primum quidem secundùm se, quatenus à quouis alio homine differt, & in agendo suo libero arbitrio vtitur; quomodo nullus pro peccato alterius punitur, sed dumtaxat pro proprio. Hinc Paul. 2. ad Cor. 5. *omnes*, inquit, *stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gesserit siue bonum, siue malum*; & ad Galat. 6. *vnusquisque onus suum portabit*. & D. Thom. 1. 2. quæst. 87. art. 8. dum ait: *si loquamur de pœna pro peccato inflicta, in quantum habet rationem pœnæ, sic solum vnusquisque pro peccato suo punitur, quia actus peccati aliquid personale est*. Iterum considerari potest homo aliquis, vt quid est alterius hominis ob vinculũ alicuius necessitudinis inter aliquos intercedentis,

Secundò.

A quod potest duobus modis euenire: siue ratione consanguinitatis, vel iurisdictionis, seu dominij; 2. mutuæ charitatis ratione, vnde fiat, vt quis suscipiat in se debitum alterius.

Iis ergò positis affirmo primò, *titulo consanguinitatis, vel dominij vindicare interdum Deum peccata parentum in filijs, vel Principum in subditis, vel vnius partis communitatis in alia parte* non esse meo iudicio dubitandum, idemq; est nomine mutuæ charitatis, & vt hinc incipiamus, à titulo videlicet charitatis, patet id esse verisimum, nam peccata hominum in Christo vindicata sunt, quod ex Isa. ca. 53. manifestissimum est, præsertim ex illis verbis: *propter scelus populi mei percussi eum*, & ad Rom. 8. idem docet D. Paulus, *qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; ipse enim Christus immensa illa sua charitate ita voluit. Idem etiam constat ex satisfactionis doctrina: nam propter mutuæ charitatis coniunctionem fit, vt queat solui ab vno pro altero pœna illa temporalis, quæ post dimissam culpã exoluenda restat. Quod si dicas: pœna hæc satisfactoria voluntariè penditur, ergo pœna non est. Respondeo pœnæ rationem non exigere, vt in actu secundo sit voluntaria, sed satis est, si id habeat in actu primo, hoc est, in natura sua sit contra naturalem hominis propensionem, & hoc modo sunt inuoluntariæ pœnæ purgatorij, quamuis in actu secundo maxima voluntate acceptentur ab illis animis, qui ibi igne illo lustrantur; sunt autem vere pœnæ: quamuis verò hæ pœnæ pro peccato solutæ referantur ad maius bonum spirituale alterius, non tamen propterea cessant esse propriè pœnæ, prout considerantur vt habent aliquod incommodum in pœnam peccati susceptum.

B

C

5. Conclusio Ratione mutuæ charitatis vnus pro alio punitur.

Pœna quomodo inuoluntaria.

Deinde idem ostendo de titulo consanguinitatis, vel dominij; etenim propter peccata parentum, vel Principum, vel partis alicuius populi sæpè Deum pœnas sumpsisse ex filijs diuina docet Scriptura: nam Genes. 7. infantes diluuio perierunt. Itemque Genes. 19. incendio Sodomitico. quibus addi possunt paruuli Beniamin Iud. 20. & Iabes Galaad Iud. 21. & Genes. 9. peccatum Cham punitum est in eius filio Chanaan. Et Exod. 9. AEgyptiorum primogeniti Angelo percutiente interfecti sunt, inter quos verisimile est fuisse aliquos infantes, ob peccatum Regis, & parentum, qui recusabant dimittere populum Dei, & Num. 16. ro afam Iia Chore, Dathan, & Abiron ob Principum seditionem contra Mosen extincta est. Ios. 17. propter peccatum Achan iussit Dominus, vt domus eius etiam cum paruulis tota penitus deleretur; de hoc tamen loco inferius 1. Reg. 4. propter peccatum filiorum Heli, victus est populus Dei, & magna clade affectus à Philistæis. 1. Reg. 15. ob peccatum Amalecitarum paruuli iussu Dei sunt interfecti. 2. Reg. 12. filius qui natus est Dauidi ex adulterio, mortuus est propter homicidium, & adulterium Patris; &, vt verisimile est, deleto peccato originali; & ibid. dicitur Dauidi v. 10. *quamobrem non recedet gladius de domo tua vsq; in sempiternum.*

D

6. Idem de titulo cõsanguinitatis, vel dominij.

Digitized by Google

2. Regum 21. iusto Dei iudicio ob peccatum Saulis occisi sunt septem de eius stirpe,& facta est fames in Israel tribus annis. 2. Regum 24. ob peccatum Regis Dauidis bona pars populi peste sublata est. 3. Regum 14. peccatum Ieroboam in eius familia punitur, quod ipsum accidit 3. Regum 16. Baasa Regi Israelis. 3.Regum 21.propter peccatum Achab posteri eius vexati sunt. 4.Regum. 5. Giezi peccante lepra eius transmittitur ad posteros. Ieremiæ 15.peccata Manassis punita sunt in populo, vt patet versiculo 4. Malachiæ 1. odium Dei in Esau transijt ad filios. Matth.24. idem indicatur: *donec veniat super vos omnis sanguis iustus.* Hinc Tobias 3.3.orat. *ne vindictam sumas de peccatis meis,neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum:* & Ieremiæ 2. 30. *frustra percussi filios vestros,disciplinam non receperunt.* vbi Acatius legit,*non recepistis,* licet vulgata habeat,*non receperunt.* Thren.5.7. *Patres nostri peccauerunt,& non sunt,& nos iniquitates eorum portauimus.* Psalmo 108.9.*fiant filij eius Orphani, & vxor eius vidua.* & vers.14. *in memoriam redeat iniquitas Patrum eius.* Maximè verò vrget locus Exod. cap. 20. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem Patris in filios, in tertiam,& quartam generationem qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia ijs, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea*; illa verò verba,*eorum qui oderunt me,* &, *ijs, qui diligunt me,* non ad filios sed ad parentes referri debent, vt sit sensus: visitans iniquitatem eorum parentum, qui oderunt me, in filios, in tertiam,& quartam generationem, & contra, faciens misericordiam ijs, qui diligunt me in mille generationes. vide inferius num. 14. sub finem. Idem habetur Exod. 34.7. & Deutero. 5.9. idem habet Ierem.32 18. *qui facis misericordiam in millibus, & reddis iniquitatem Patrum in sinum filiorum eorum post eos.* Nec deest ratio, quam habet D. Thom. 2.2 q.108. art. 8. quia propter coniunctionem naturalem, vel politicam, aut affectiuam parentum, & filiorum, Regum, & populorum, partiumque inter se vnius alicuius communitatis incommoda, & calamitates vnius censentur alterius.

Locus Exho. 20.5.

Ratio S. Th.

7. Conclusio altera. Innocentes filij nunquã puniuntur propter peccata parentum. Ezech. locus 18.2.

Affirmo secundò innocentes filios adultos (idem de subditis & partibus communitatis intellige) nunquam plecti propter peccata parentum, sed vnusquisque eorum pro meritis, & meritorum mensura punitur. Ostendo veritissimam esse hanc 2.assertionem duobus præsertim insignibus locis Scripturæ, quorũ alter est Ezech. 18 2. *quid est quod inter vos parabolam vertitis in prouerbiũ istud in terra Israel* (hebraicè: quorsum inter vos parobolizatis parabolam, id est, crebrò repetitis hanc similitudinem, vel sententiam prouerbialem) *dicentes: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt?* (q.d. ob peccata Manassis nos luimus captiuitatis pœnas, nos captiui misera seruitute premimur propter nostrorum parentum crimina; ipsi deliquerunt, nos eorum pœnas perferre cogimur) *viuo ego, dicit Dominus Deus, si erit vltra vobis parabola hæc in prouerbium in Israel.* (Hebr. si erit vobis parabolizare vltra parabolam istam. est reticentia indignationem ostendens, qua proferuntur hæc verba; reticetur aũt: ego in vos seueriſſimè animaduertam, neque n. *si,* loco *non,* hic ponitur:) *ecce omnes animæ meæ sunt* (communis omnium parens sum ac proinde ex æquo omnibus prospicio, omniũ cura tangor, supremus sum Iudex, non est hoc meum, qui iudico oẽm terram, vt perdã iustũ cum impio, nedum iustũ pro impio. falso queremini, quasi patribus peccantibus vos iniustè plectamini; quin ab vnoquoq; pro ipsius peccatis exigo pœnas) & v.20. *anima quæ peccauerit.* i. homo, *ipsa morietur* (mors hic pœna est nõ culpa; neq; enim querebãtur Iudæi filios pro peccatis parentum transgressores fieri, & culpæ reos, sed quod peccãtibus patribus, filij plecterẽtur, idq; de temporalibus supplicijs, quę per Chaldæos inferebantur, non de spiritualibus intelligendum est. Id quod ex.v.13. etiã cõfirmatur, *non viuet, cum vniuersa hæc detestanda fecerit, morte morietur, sanguis eius in ipso erit*; quæ secundùm litteram pœnam temporalis mortis indicant, non culpam, & pœnam æternam) *filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem filij.* Idem habet Iere. 22. 18. *Domine Deus &c. qui facis misericordiam in millibus, & reddis iniquitatum Patrum in sinum filiorum eorum post eos.*

Ierem.32.18.

8. Aug. explicatio.

Aug.6.contra Iulian. c. 12. videtur intelligere hæc loca de tempore gratiæ, in quo filij iusti ob peccatum Adæ non detinentur in limbo, sicut antea detinebantur, etiamsi à peccato originali essent liberati: sic enim videtur hunc locum Augustini intelligere Salas. 1.2. tom.2.q.87. disp.15.sect. 14.num. 86. sed non videtur esse genuina expositio, quia nec detentio in limbo, nec mors pro peccato alieno infligebatur iustis, sed pro originali proprio, quod aliquando habuerant, vt docet idem ipse August.lib. 4. contra duas epist. Pelagian. cap.4. vbi quoque ait: proprium fuisse Christi pro alieno peccato interimi. Pelagianos verò abstuliſſe à Christo hanc prærogatiuam dum dixere, paruulos non mori propter peccatum proprium, sed Adæ. Præterea Ezechiel manifestè loquitur de tempore legis veteris, vt ibi explicat & Threnor. 5. Hieronym. Chrysostom. hom. 29. in Genes. Anselmus de conceptu Virg. cap.25. At Bellarm. tom.3. controu.2. lib. 4. de statu peccati cap. 8. aliter Augustini mentem explicat; sic enim scribit: *Aug. lib.6. in Iulia. c. 12. respondet, verba Ezechielis esse prophetica, ijsq; promitti beneficium testamenti noui, quo per regenerationem delendum erat Chirographum paternum, vt non amplius noceret peccatum veteris Adami ijs, qui ad nouum Adamum per baptismum pertinere cœpissent, quod euidentius scribitur ab Ierem. cap.31. vbi scribit de testamentõ nouo multa post sententiam illam: patres manducauerunt vuam acerbã, & dentes &c.* Sed hic sensus videtur idem esse cum eo, quem n.10. referemus ex Aug. in Enchi. cap.46. vbi reijcietur.

Alius sensus verborum August.

Idem August. quem passim Doctores sequuntur epist.75. concordans hunc locum Ezech. cum ijs quæ citauimus ex Exod. c.20. & ait, secundùm Exodi testimonium, puniri quidem parentum peccata in filijs pœnis corporum, quæ à parentibus acceperunt, pœnis aũt animæ, id est, spiritualibus, quod Ezech. signi-

9. Secundo alia item cõcordia ex Aug. loci Ezech. cũ loco Exodi

ficat

ficat, filios nō mulctari ob pecca ta parentum. Sed vt oſtendimus num. 7. anima apud Ezech. ſumitur pro toto homine, non pro forma, & mors non ſignificat mortem ſpiritualem, ſed corporalem, nec Vates loquitur de culpa, ſed de pœna, & quidem temporali, ſicut & Iudæorum querimonia nata erat ob ruinam vrbis, quæ pœna eſt temporalis, & prouerbio vſurpata dicentium: *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt*: non ergo videtur quadrare in hunc locum Ezech. expoſitio de pœna ſpirituali, vel etiam æterna, quaſi Moſes in Exodo loquatur de pœna corporali, & temporali, & ita non repugnet Ezechieli.

10. Tertio alia concordia Aug. Leonis Papæ, & Gregorij explicatio.

Tertiò idem Auguſtinus Enchirid. cap. 46. Leo Papa ep. 84. Gregor. lib. 15. moralium cap. 22. vel 31. aliter reſpondent; quam expoſitionem verbis Gregor. hic referam: *peccatum*, inquit, *originale à parentibus trahimus, & niſi per gratiam baptiſmatis ſoluamur, etiam peccata parentum portamus, quia vnum videlicet adhuc ſumus cum illo: reddit ergo peccata parentum in filios, dum pro culpa parentis, ex originali peccato anima polluitur prolis* (quod ſignificat Moſes) *& rurſum non reddit peccata parentum in filios; quia cùm ab originali culpa per baptiſmum liberamur, iam non parentum culpas, ſed quaſi ipſi committimus habemus*; (quod vult Ezechiel) Cęterū nec hæc interpretatio germana eſt, nam non de culpa ſermo eſt Ezechieli, nec Iudæis expoſtulantibus cum Deo, ſed de pœna, & quidem corporali, inflicta, non ob peccatum originale primorum parentum, à quo expiati erant per Circūciſionem, ſed ob peccata actualia proximorū parentum, qui Idololatræ fuerunt. Adde ijs, quod in omni tempore etiam veteris legis, & naturæ fuit aliquod remedium, quo liberabā tur homines à peccato originali, vt nunc per baptiſmum, ita vt non portarent peccata parētum, etiam tunc poſt illud remediū. Reſpōderi poſſet pro Auguſt. quod liberabantur quidem, ſed non ſine fide Chriſti mediatoris, & inſtitutoris baptiſmi, per quem tanquam per nouam generationem transferimur ab illo primo patre, cuius iniquitatē portauimus, ad aliū, quod futurum erat in nouo teſtamento. Sed reuera nullo modo quadrat in locum Ezechielis vel Ieremiæ hæc expoſitio, vt ex multis, quæ diximus, liquet.

11. Aliorum expoſitio.

Reſpondent alij, ſupplicia, pœnam eſſe interdum, & interdum medicinam: illam in vindictam ſcelerum infligi, hanc ad animæ curationem pertinere. Quibus poſitis Ezechielem volunt de pœna ſimpliciter eſſe locutum; hanc enim nullus alieno delicto ſuſtinet; Moſen verò cenſet de medicinali pœna eſſe locutum; hanc ſiquidem quibuſdam adhibet ſæpè Deus tanquam remedium, cùm ita poſcit eorum ſalus. At Moſes de pœna vt pœna eſt, quæ nimirum ob delictum infligitur, apertiſſimè loquitur, dum ait: *viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me*, & Ezechiel de pœna vt medicina eſt, verba facit, ait enim: *ſi autem impius egerit pœnitentiam &c. omnium iniquitatum eius non recordabor.* An non medicinam facere volebat per illatum ſupplicium, qui ad pœnitentiam hortatur, & veniam offert? quare rectè ait hic Pra-

Reijcitur.

A dus in hunc locum Ezechielis, quod ſi hæc diuiſio rationis, duplicis pœnæ locum habet in hac controuerſia, fateri oportebit, pœnam vt pœnam in filios tranſire ex loco Geneſis, pœnam vt medicinam ad alios non venire ex verbis Ezechielis. Quod ſi DEVS puniuit peccatum Adæ in poſteris priuatione donorum ſpiritualium & gloriæ, quæ fuit pœna peccati Adæ, ideo fuit, quia dona illa tranſfundenda erant in poſteros meritis ipſius Adæ, & obedientia; cùm igitur ipſe peccauerit, rectè peccatum eius punitur eo genere pœnæ.

12. 3. Concluſio

Affirmo tertiò, cùm Patres non modò ipſi peccant, ſed filijs etiam peccandi præbent exemplum; filij quoq; parentum peccata ſequūtur, prout ab illis didicerūt, tunc tam hi quam illi puniuntur. Et quidem Patribus ob peſſimū

B exemplū, filijs ob imitationem, vnicuiq; ſc. ob ſuū delictum pœnæ infliguntur. Hęc eſt præcipua aſſertio in hac controuerſia, ex qua & 2. aſſertione diſcimus, Deū nunquam ſine propria culpa aliquē punire; cùm aūt adeſt culpa propria, tunc puniendo filios, punit parentes. Idē eſt de ſubditis reſpectu Principis, & de partib. cōmunitatis; & ad hunc ſenſū accipienda ſunt exempla, quæ 1. aſſertione retulimus. Vt autē intelligas, quomodo pœnæ filiorum ſint quoq; parentū pœnæ, à quibus filij hauſerunt peccādi exēplum, obſerua cū eodem Prado: ſacras litteras cùm de ſupplicio eius peccati, quod à Patribus ad filios quaſi per traditionē deſcendit, loquuntur, licet vtriq; tam pœnæ, quā culpæ participes ſint; delictū quidē parenti aſcribere, quod ab ipſo quaſi à prima ſui origine fluxit ad filium: contra verò affirmare, vltionem exerceri in filio, q̄ in ipſo plus eluceat pœna, quā culpa. Etenim culpā cenſemus leuiorem eſſe in imitatore, grauiorem in inuentore; cōtra pœnā in minus noxio grauiorem arbitramur, leuiorē in auctore ſceleris, cū is in alio punitur. Eſt aūt filius imitator, & minus noxius, parens auctor ſceleris: quāuis accidat interdū filios grauius peccare, & addere plura, ac maiora peccata patrū ſuorum peccatis, ita vt menſuram expleant à Deo decretā, qua de re infer. c. 24. ſch. ſermo erit. His accedit, quod pœna in filio duplicis ſupplicij rationē continet, quo ſc. & patet videns caſtigatur, & filius ſuſtinens torquetur: ideo pœna grauior in filio: quare quamuis delicta, & ſupplicia ſint filijs cū parentibus communia, meritò tamen parentis delictū cenſetur in filijs caſtigari, quia in illis grauius punitur:

D alioqui neq; Patres ſine pœna euadunt, neq; filij citra noxā exiſtunt: neq; vnus alterius ſed vnuſquiſq; portat iniquitatē ſuā. Quod Ezec. nō obſcurè continet; atq; ita loca Scripturæ, præſertim quæ ex Exod & Ezec. citauimus, quæq; in ſpeciem ſecum pugnare videntur, rectè cōciliantur. Veriſſimum eſt. n. Deum punire peccata Patrum in filijs in tertiam, & quartā generationem, cum parentū vitia imitantur, quę ab illis didicerunt. Veriſſimū quoque eſt, neminem puniri ſimpliciter propter aliena peccata, quibus ipſe non ſit infectus, vel quæ ad ſe per imitationem traduxerit.

Quomodo filiorum pœnę ſint parētum pœnæ?

Conciliatio vera locorū Scripturæ.

Hanc ſententiam Hieron. in Ezech. cap. 18. expreſsè tradidit, cùm dixit, Moſis ſententiam

13. Hieronym.

Digitized by Google

esse prouerbialem, & figuratè accipiendam, ne scandalum ingereret in Christianis cordibus, si absolutè pronuntiatum audiant pro parentum delictis, filios castigari: sic enim scribit: *non ideo filij puniuntur in tertia, & quarta generatione, quia deliquerunt Patres eorum, cùm Patres potius, qui fuerunt peccatores, puniri debuerint, sed quia Patrum extiterunt amulatores, & oderunt Deũ hæreditario malo, & impietate in ramos quoq; de radice crescente.* Idem scribit Greg. post illam alteram expositionem, quam posuimus num. 10. *quod tamen* (inquit) *intelligi etiam aliter potest: quisquis praui parentis iniquitatem imitatur, etiam ex eius delicto constringitur. Quisquis autem parentis iniquitatem non imitatur, nequaquam delicto illius grauatur, vnde fit, vt iniquus filius iniqui Patris non solum sua quæ addidit, sed etiam patris peccata persoluat, cum vitijs patris, quibus iratum Dominum non ignorat, etiam suam adhuc malitiam adiungere non formidat. Et iustum est, vt qui sub districto iudice vias parentis iniqui non timet imitari, cogatur in vita præsenti etiam culpas parentis iniqui persoluere &c.* & postea explicans, cur in Exodo dictum sit, *vsq; ad tertiam & quartam generationem*, ait, *quia enim vsq; ad tertiam, & quartam progeniem, eam, quam imitantur filij parentum, vitam possunt videre, vsq; ad eos vltio extenditur, qui viderunt quod male sequerentur.* Hoc ergo quod Exod. 20. dicitur, intelligit Greg. de pœna temporali, verùm in filijs paruulis (de quibus mox dicemus) verum esse vult, quamuis peccata parentum non imitentur; in adultis verò non nisi parentum vestigia sequantur, quæ omnia legenti, quæ num. 10. & hoc 13. retulimus, ex Greg. constabunt.

Greg.

14. D. Thom. & Lyran.

D. Thom. 2. 2. quæst. 108. art. 4. ad primum, & Nicola. item de Lyra Exod. 20. Gregor. secuti astruunt, additum fuisse *in tertiam, & quartam generationem* non vlterius, quia ad has vsque generationes solum filij parentes videre possunt, vt eorum peccata imitentur. Qui sensus placuit quoq; Auguſt. libr. contra Adimantum Manichæum cap. 7. vt illi responderet, quia vt vetus testamentum damnaret, dicebat hunc locum Exod. 20. pugnare cum illo Luc. 6. *estote misericordes.* & Matth. 18. vbi Christus dicit dimittendum esse *septuagies septies.* Respondet Auguſt. solum filios puniri, qui imitãtur peccata parentum, & ideo additum fuisse; *ijs qui oderunt me.* & solùm *vsq; in tertiã, & quartam generationem*, quia vsq; ad has solùm filij videre possunt parentes, vt eos imitentur. Sed vt nos diximus n. 6. verba illa, *eorũ qui oderunt me, & ijs, qui diligunt me*, ad parentes referri debẽt, non ad filios. Addit Aug. lib. 5. qq. veteris testamenti q. 42. positam fuisse tertiam & quartam generationem, pro vniuersis generationibus, quæ septenario numero significantur. At cùm litteralis sensus in promptu sit, non est ad mysticum confugiendum; videmus autem seruatum à Deo, immò & in Ecclesia receptum, vt filij pro delictis parentum aliquo modo puniantur. Rogabis, cur sicut dictum est *in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderũt me*, nõ est etiam dictum: *faciens misericordiam in tertiã, & quartam generationem ijs, qui diligunt &c.* Respondeo, quia ita voluit opponere Dei misericordiam iustitiæ, vt eam exaltaret in eo, quod misericordiam præstat filijs in mille generationes, hoc est, in perpetuũ propter bona parẽtum: cùm tamen non puniat eorum peccata, nisi in tertiam, & quartam generationem.

Auguſtin.

Idem Augu.

Cur de peccatis dicitur in 3. & 4. gener. non itẽ de bonis parentum.

Sed quærat aliquis, quomodo possit incommodum, vel damnum illud, quod filius sustinet, esse pœna parentum, quando iam illi vita functi sunt; tunc enim sentire eam posse nõ videntur: esset autem pœna, si ipsis viuentibus, & videntibus, aut cum eis simul filij castigaren tur, vt accidit, cùm Sodomitarum filij simul cũ parentibus igne, & sulphure absumpti sunt. Alfonsus de castro lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. 10. negat esse omninò certum, parentes in purgatorio non sentire mala, quę filij sustinent in hac vita. Etenim hanc controuersiam mouens Augustinus Psalm. 108. non audet eam definire, sed ait: *Si hæc sentiunt mortui, cumulus malorum est; si hæc non sentiunt, formido viuorum est.* Respondent alij: quamuis non sentiant parentes mortui ea incommoda, & damna, quæ inter viuos patiuntur eorum filij, vel quod iam ipsi parentes beati sint, vel quod in purgatorijs pœnis positi hæc mala non cognoscant, qua de re dubius fuit Augustinus, hinc tamen solum sequitur, ex malis filiorum non oriri aliquam pœnam sensus in parentibus: possunt tamen hæc mala esse pœna parentum, si in purgatorio sint, quatenus, vt inquit Aristot. libr. 1. ethicor. cap. 11. tam prosperitates, quam aduersitates posterorum & amicorum aliquid dicuntur defunctis afferre, licet non ita, vt eos felices aut infelices efficiant, quod præcedente cap. pluribus docuerat. Sunt enim filij aliquid Patris, & ideo in illis rectè puniri possunt, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 77. a. 8. in corpore ad 1. & hęc de adultis sunt accipienda, quæ in hac conclusione diximus, de quibus Ezech. & Moses loquuntur.

15. Obiectio.

Cæterùm propter locum illum præsertim Matth. 23. 35. *vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram.* & Lucæ 11. 50. *vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi à generatione ista* &c. dubitare quis posset, quo iure, quave iustitia vltima ætas Iudæorum sola passa est, quod non sola promeruerat? Quod enim puniantur vltimi Iudæorum pro suis delictis, iustum est. at quod pro omnibus homicidijs ab initio in Prophetas patratis debeant ipsi puniri; hoc dicet aliquis, non apparet quomodo iustum sit: præsertim cùm sit dictum, Deum non punire filios, nisi pœna ipsorum peccatis debita. Ob hæc & similia loca, respondeo, solere Deũ exigendo pœnas omnium præcedentium delictis debitas, iustè propter eorũdem qui præcesserunt peccata, punire posteros grauius, quã illos puniſſet, si non præcessissent suorũ olim parentum, seu maiorũ peccata, quamuis id non faciat Deus sine proprijs delictis posterorum, quibus & ipsi id supplicij merentur. Declaratur hoc imprimis, & illustratur exemplo humanæ iustitiæ: accidit interdum vt multæ cædes in aliqua Republica patrentur, quas Princeps, vel Respublica dissimulat, vel certè leuioré quam mereantur pœnam infert. euenire postea solet, vt tandem aliquis cædem aliquã committat, quam Princeps facilè condonasset,

16. declaratur locus Mat. 23. 35. Luc. 11. 50.

Quomodo vltimi Iudæorũ iustè superiorum omniũ peccata soluerint.

declaratur exemplo.

vel

vel ſaltē non grauē propterea inflixiſſet pœnā delinquēti. ceterū tot homicidijs irritat⁹ & exulceratus nō modo nō cōdonat poſtremū hoc homicidium, quin ſeueriſſimè etiā delinquentem punit, iuſtam, atque integram pœnam pro commiſſo crimine exigens. Hoc igitur euentu rectè diceretur hic poſtremus homicida pro multis puniri, & omnes præcedentium ciuium cædes repoſci ab vno hoc, qui poſtremus peccauit; non quod propterea pœnæ ſingularum cædium commiſſarum à præcedentibus, huic vni infligantur, & ſupra id, quod meretur pœnam ſuſtineat, ſed quod pro proprio peccato quidem, quod poſtremo commiſit, nimirum poſt patrata antea tot homicidia, totam ſine vlla commiſeratione debitam pœnam ſoluere cogatur, quam ſeueritatem non experiretur, niſi tot aliorum homicidia præceſſiſſent. Iam ad rem noſtram veniamus: patet hoc euentu, nihil hic contra iuſtitiam fieri nihil non iure cum hoc poſtremo homicida agi, nam omnis, quam patitur pœna, quamuis integra ſit, ipſius delicto debetur. quod verò nulla commiſeratione cum eo vtatur princeps, qua cum alijs vſus fuit, in cauſa ſunt tot antea patratæ cædes non amplius diſſimulandæ. Simile quid accidit Iudæis, qui tempore Chriſti erant, atque adeò vltimæ eorum generationi. nam cum eorum Patres multas patraſſent cædes cōtra prophetas, quibus Deum irritauerant, nec illos vt meruerant penitus Deus patiens deleuiſſet, factum eſt, vt cum filij eorum qui vltimo loco fuerunt, ſimilia, ac etiam maiora committere pergerent, ſine vlla cōmiſeratione ſint à Deo, iuſto, & integro, atque vltimo ſupplicio affecti; nimirum ſublata demum Iudęorum natione, ac funditus deleta ciuitate Hieroſolymitana, Tito, ac Veſpaſiano ducibus, quo ſupplicio decreuerat Deus nonniſi poſt certam menſuram populi Iudæorum expletam totum Iſraelis genus afficere, ipſum penitus delendo.

Exemplum applicatur.

Hanc pœnam commeruerant, vel (quod idem eſt) mereri cœperant, olim Patres Iudęorum, qui Prophetas proſecuti fuerant, verum pepercerat illis Deus, quouſque tandem tot criminibus iratus, cum vidiſſet iam nihilo meliores effici illorum filios, iudicauit non vltra ferre hunc populum, decreuitque non quouis modo punire, vt antea non raro fecerat, ſed delere, & exſtirpare, *& auferre locum eius, ac gentem*, & in locum eius gentes aſſumere. Hæc diuina vltio venit ſuper Iudæos, qui ad ætatem vltimam Iudaici populi pertinebant, atque ita tandem *perdidit* Deus *homicidas omnes Iudæorum miſſis exercitibus ſuis*: noluit enim amplius Deus ludibrio haberi ab hac gente, ſed vlciſci tandem voluit ſeruorum ſuorum ſanguinem, extincto penitus populo Iudæorum, *omnis enim gens, vel ciuitas*, vt ait Auctor operis imperfecti, *non cum peccauerint ſtatim punit eas Deus, ſed expectat multas generationes & modo mandat, & modo minatur, interdum ex parte caſtigat, vt quanto diutius eos exſpectauerit, tanto & Dei iudicium iuſtius ſit, & illorum dignior pœna: quando autem placuerit Deo perdere ciuitatem illam, aut gentem, videtur omnium generationum præcedentium peccata reddere illis: quoniam qua illa omnes generationes merebantur, hac ſola paſſa eſt.* Intellige, de vltimo, ac conſummato ſupplicio quod etiam proprio delicto commeruerat vltima natio. Porro punito hōc vltimo populo, punitus eſſe dicitur totus populus Iudæorum; nam vltimus populus cum præcedente vnus intelligitur eſſe populus, & pœna cōmunis etiam fuit tota deleta Republ. Iudæorum. Quod ſi ſpeciatim de Iudæis loquamur poſtremis, dubitare quis non poteſt, iuſtè punitos eſſe pro ſceleribus omniū ætatum populi Iudaici, & quidem vltimo, ac conſummato ſupplicio; nam tale ſupplicium etiam iſtis vltimis erat debitum propter propria ipſorum peccata, tum quia maiorum iſti delicta, & crudelitatem imitati fuerant, nam vt Chryſoſt. ait in illum locum Matth. *qui multos propter peccata ſua vexatos eſſe non ignorat, neq; iccirco factus eſt melior, ſed eadem committens non curat, illorum quoque pœnas iuſtè ſuſtinebit.* tum quia non tantum imitati iſti fuerant ſcelera maiorum ſuorum, & æquauerant, quin ſuperauerant etiam. etenim vt Chryſoſt. ait, *iniquiora fœdioraq; quam cæteri omnes perpetrarāt, nec quicquam eos à malitia potuit reuocare.* tum denique quia non exceſſerant tantum & ſuperarant crudelitatem patrum ſuorum, verumetiam conſummarant, & impleuerant, id eſt, ſummum vſque impietatis gradum, & menſuram attigerant, quam vltra Dei benignitas, & longanimitas ferre non debebat, quin decreto iam toti genti Iudaicæ extremo ſupplicio vlciſceretur. Hæc autem mēſura erat mors illata Chriſto. Huius verò ſolius ſceleris enormitas commeruerat omnes omnium, qui vnquam fuerant, homicidarum pœnas; non ergo iſti puniti fuerunt grauius, quam ipſorum peccata merebantur, quamuis in ipſis, pœna toti populo decreta, exacta ſit, & in eiſdem tandem perſoluta.

Poſtremi Iudæorum meruerant, quod conſecuti ſunt ſupplicium, omnibus malorum ſuorum peccatis debitum.

Obiectiō.

Sed his repugnare videtur, quod Exod. 20. legitur, vbi dicitur Deus, *vindicans peccata patrum in filios vſque ad tertiam, & quartam generationem.* at hic habetur à mundi conſtitutione eſſe vindicanda maiorum peccata in poſteris, quod eſt in quamplurimas generationes vindicare. Reſpondeo duobus modis exigere Deū pœnas propter aliorum ſcelera (quod vt toties dixi non facit Deus niſi & ipſi à quibus repoſcit pœnas, etiam peccatis infecti ſint proprijs) primum, puniendo priores in poſterioribus, verbi gratia, Patres in filijs, quatenus filij ſunt res Patrum, & ad eos pertinent: ita non irrogat pœnam, niſi vſque in tertiam, aut quartam generationem, ad quam communiter peruenire poſſunt ſuperſtites Patres. ita etiam caſtigat principes in populo præſenti, in quem dominatur, quia res principum eſt; quod docet Iuſtin. in explicat. quæſt. Gen. reſponſ. 138. aſſerens, punire hos in his, tanquam in rebus eorū. deinde mulctat Deus poſteriores ob priores; vt eſt videre in Iudæis qui exſoluerunt ſuorum Patrum homicidia, & hoc modo nullus eſt terminus præſcriptus: quin etiam quanto plures præceſſerunt maiores peccatis commaculati, tanto à poſterioribus propter perſeuerantem, & continuatam magis malitiam à poſterioribus ſuorum criminum grauiores exquiruntur pœnæ. Sic etiam reſpondet Tolet. in Lucam cap. vndecimo, annotatione nonageſi-

duplicitet exigit pœnas Deus ob aliorum delicta.

Iuſtinus.

ma octaua, iam ad infantes gradum faciamus.

17. Quarta conclusio.

Affirmo quartò de paruulis non esse omnino idem dicendum, nihil enim repugnat si dicamus, simul illos cum parentibus communi aliquo supplicio inuolui, quod narrant Scripturæ accidisse in Sodomorum conflagratione; sicut nec repugnat, superstitibus parentibus immatura eripi morte, vt in paruulo, quem Dauid ex Bersabee sustulit factum est, de quo Scriptura, *quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, filius qui natus est tibi, morte morietur.* 2. Reg. 12.13. ratio differentiæ inter paruulos, & adultos est, quod illi cùm non perfectam habeant vitam, magis propriè aliquid esse parentũ existimantur, & non tam sibi viuere, quam parentibus, & ideò sententia aduersus Patrem potius lata videtur, cum filius, verbi gratia, moritur, quam aduersus filium: iste enim vix mortem sensit, cum nondum plenè vixerit, parens autem bis quodammodo perijt pereunte filio: quo enim innocentior erat, qui mulctabatur ob scelera Patris, eo grauius Pater cruciabatur proprij sceleris conscientia. Magis item congruenter in paruulis innocentibus plectuntur parentes, quam in adultis, quia tunc clarius constat parentum peccata puniri, & quia adulti interdum suis bonis operibus merentur euadere punitionem, quam possent pro peccatis parentum sustinere, cum aliqua interdum alia & ipsi addiderunt. Denique & ipsi paruuli (quod non est negandum vt indicauimus in Scho. n. 7.) interdum puniuntur ob peccatum originis. Sed non est id semper verum; etenim aliquando intuitu peccati parentum tantum, paruuli innocentes corporalibus, & non perpetuis pœnis afficiuntur.

Differentia inter paruulos & adultos filios.

18. Quomodo iustè puniantur paruuli pœna spirituali, & æterna.

Sed quam iustè inquies, paruuli puniuntur pœna spirituali & æterna? Respondeo nos cum dicimus paruulos puniri propter delicta parentum loquimur de pœnis corporalibus, & temporalibus, nam alioqui pœnam æternam, & spiritualem non patiuntur sine peccato. quod sic declarat Vasq. 1.2. disp. 135. cap. 2. nu. 9. *Cùm enim peccatum in seipsis contrahant originale, quia carent iustitia, quam debebant habere, priuatio gloriæ, quam patiuntur, non est pœna damni peccati primi parentis, sed originalis, quod in seipsis contrahunt: quare cum dicimus, eos esse dignos hac pœna damni; non existimamus eos tantum esse dignos dignitate parentum, sed etiam dignitate propria ex ipsa priuatione iustitiæ profecta, ac proinde paruuli non dicuntur portare iniquitatem Patrum suorum, sed in proprio peccato, non quidem ab ipsis perpetrato, sed in seipsis contracto mori: quod verò contrahant in se peccatum propter culpam parentum, mirum non est, cum hoc peccatum consistat in sola priuatione doni, quod gratuita Dei voluntate transfundendum erat in posteros.*

Paruuli ob proprium, & Adæ p. priuantur gratia, & gloria.

Adde & illud, paruulos non solum priuari gratia & gloria ob peccatum originale proprium in quo decedunt, sed etiam propter peccatum Adæ secundùm Vasq. quod etiam notauit Salas q. 87. n. 88. §. 5. obserua quod D. Th. 1.2. q. 87. a. 7. ad 1. defectus eorum qui nascuntur, vel etiam puerorum, ait, esse effectus, & pœnas originalis peccati, & manere etiam post baptismum; quod verò non sint æqualiter in omnibus, contingere propter naturæ diuersitatem, quæ sibi relinquitur. Ordinari tamen ait, huiusmodi defectus secundùm diuinam prouidentiam ad salutem hominum, vel eorum qui patiuntur, vel aliorum, qui pœnis admonentur, & etiam ad gloriam Dei.

An verò Iudices & Principes punire possint pœna sensus, & mortis filios pro peccatis parentum. Vide apud Vasq. loc. cit. cap. 3. & apud Salas quæst. 87. disputat. 15. sect. 14. concluſ. 2.

THEORIA II.

In vers. 31.

An peccatores Deus non audiat?

1.

HAEc cæci huius sententia de sui veritate non paruam ingerit difficultatem. Disputat de ea Augustin. hic & libr. 50. homil. hom. 43. & lib. 2. contra epist. Parmen. cap. 8. & lib. 3. de baptismo contra Donatistas cap. 20. & lib. 1. retract. c. 3. *Si. n. Deus peccatores nõ audiret*, inquit Aug. tract. 44. *frustra ille publicanus oculos in terrã demittens & pectus suum percutiens diceret: Deus propitius esto mihi peccatori.* putat ergo Augustin. quem sequitur Beda, & plures alij, cæcum istum tanquam catechumenũ, aut neophytum locutum esse, qui necdum satis institutus à Christo generaliter pronuntiauerit, quod generaliter verum non sit. Ante Augustinum idem sensit Origenes hom. 5. in Isa. Abutebantur hac sententia Donatistæ, vt conficerent inania, atque irrita esse Sacramenta per peccatores collata; quin & sanctissimus vir Cyprian. epist. 64. & 80. Hoc eodem lo. abutebatur, vt ostenderet baptismum ab hæreticis datum repetendum fore. Sed hunc locum negat August. & benè, de Sacramentis intelligi debere, cùm sit sermo de precibus, quæ licet Sacramentis admisceantur, aliud tamen sunt à Sacramentis. D. item Basil. lib. de constitut. monast. cap. 2. peccatores à Deo exaudiri probat illa parabola: *Amen dico vobis etiamsi non dabit illi surgens, eò quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* Luc. 11. 8.

Misericordia Dei pẽ catores exaudiendo.

2.

Hanc sententiam quidam coarctant ad miracula, & opera eiusmodi, de quibus cæcus loquebatur: Sed vt August. lib. 83. qq. q. 79. probat ex Luc. 9. 49. etiam peccatores virtute diuina miracula edunt. Idem patet Matth. 7. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo Prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus.* Idem patet Act. 19. 13. & est sententia Iustini explic. quæst. ge. respons. 5. & Gregor. lib. 9. ep. 58. & lib. 20. moral. cap. 9. vbi etiam hæreticos miracula facere docet. Quibus constat difficilem esse hanc cæci sententiam tueri.

Miracula nõ esse signa hominis gratia donati.

3.

Vt ergo hanc sententiam exactius declaremus, distinguendus est triplex gradus hominũ peccatorum; Primus est eorum, qui re vera in statu peccati sunt, verum id ipsi bona fide ignorant, quia forte existimant se esse contritos, cùm tamen tantum attriti sint, vel certè quod non satis aduerterint suum lapsum, & propter-

Peccatorum triplex est gradus.

ea fa-

ea facilè in illius obliuionem incidunt. Alter gradus est, cum peccator aduertit statum suum, verum angitur animo, nec permanet in voluntate peccandi cupiens ex peccato emergere, quamuis non perfectè contritus sit. Postremus gradus est eorum, qui quamuis statum suum, & cognoscant, & considerent, minimè tamen propterea anguntur, vel dolent, sed in voluntate peccandi persistunt. De primis ergo atque secundis dicendum est, eos etiam certo exaudiri, si cum illis quatuor conditionibus petant, de quibus D. Thom. 2.2. q. 83. a. 15. & Valent. eum secutus tom. 3. disp. 6. quæst. 2. p. 4. fusius explicat: nimirum si pro se, vtilia ad salutem, si piè, videlicet cum fide, spe, & pio desiderio placendi Deo petat: vt docuit D. Thom. art. 16. ad 2. denique si perseueranter petat.

Orandi conditiones.

4. Hoc modo Publicanus & orauit & exorauit Luc. 18. dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori*, ita Dauid, Zachæus, Latro, Magdalena, qui tamen frustra orassent, si peccatores DEVS non exaudit, vt ratiocinatur Augustin. tract. 44. Nec quidquam officit huic sententiæ, quod peccatores gratia Dei destituti sint. etenim nō indiligenter aduertendum est, virtutem orationis in impetrando non propriè niti gratia hominis, sicuti de virtute merendi Theologi affirmant, sed nititur Dei misericordia vt declarat Valent. loc. cit. pun. 3. At Dei misericordia, vel inprimis peccatores respicit, quamuis ex iustitia nihil Deus illis debeat. Hinc excluditur error 26. VVicleph, orationem præsciti nihil valere, de quo in Concil. Constant. sess. 8. Potest & afferri ad idem probandum ratio: nam hæc duo peccatorum genera facere possunt, quod in se est per auxilium gratiæ; quare si seruent conditiones necessarias, non est dubitandum, diuinam promissionem, orationes exaudiendi, quæ habetur in Scripturis, vt Matth. 7. *petite, & accipietis.* Ioann. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*, locum habere etiā in ipsis; est enim illa promissio vniuersalis. Quod si dicas: quamuis quis in orando adhibeat quatuor illas conditiones, non statim exauditur: non ergo certo talis oratio est impetratoria, vel promissionem habet, quod exaudienda sit. Ad hoc respondet Augustin. tract. 102. in Ioann. *qui in nomine Christi petit, accipit quod petit; accipit autem quando debet accipere; quædam enim non negantur, sed vt congruo dentur tempore, differuntur.*

Virtus orationis in impetrando solam dei misericordiam agnoscit.

Oratio cuius libet seruatis conditionibus valet apud deum.

Oratio congruo tempore impetrat omnino.

5. Obiectio.

Cur ergo, inquies, in Scriptura cum de huiusmodi peccatorum oratione agitur addi solet particula, *Fortè*, vt cum Act. 8. dixit Petrus Simoni Mago: *pœnitentiam age, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* & Daniel. 4. 24. *Forsitan ignoscet delictis tuis*, licet hic sermo sit de eleemosyna; quæ summum meritoria est de congruo, cum fit ex Dei auxilio ante gratiam iustificantem, & ob id non certo habet effectum gratiæ efficaciter remittentis peccata. Respondeo, solere addi particulam, *Forte*, vel quia non solum petitur quod ad salutem pertinet videl. condonatio alicuius pœnæ temporalis, cui non est annexa certa illa promissio, qualis fuit oratio Niniuitarum Ionæ 3. vel certè quia dubium est, an is, qui orat, habeat omnes conditiones, debitamque dispositionem ad obtinendum id, quod petit, & an sit cooperaturus gratiæ Dei.

Resp. Oratio in impetrando dubia redditur non seruatis conditionibus.

6. Peccatores quos in tertio gradu constituimus, credibile est non modo non habere certam illam promissionem vt exaudiantur, sed etiam raro exaudiri, siue hoc sit, quia eorum orationes vix vnquam habent conditiones necessarias, quamuis petant interdum spiritualia: siue quod indigni sint, qui exaudiantur, cum diuinam amicitiam quodammodo contemnant; quia tamen hoc non est omninò certum; iccirco ita ijs peccatoribus metus inijciendus est, quod Deus ipsorum preces etiam adhibitis necessarijs conditionibus non sit certo admissurus, vt in desperationem tamen non conijciantur, & ab vsu orationis prorsus auocentur; præsertim quia vix est inuenire inter Christianos aliquos tam obfirmato animo inhærentes peccato, vt penitus decreuerint nunquam resipiscere, vel certè aliquādo non affulgeat illis spes è peccato emergendi: quare non est incredibile, quod si pia intentione, ac firma fide, ac fiducia perseueranter petant necessaria ad conuersionem suam, tandem certo exaudiantur: nisi multum gratiæ Dei resistant. Quod verò ij raro exaudiantur, ex sacris litteris ostēdi potest. Isa. 1. 15. *cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* & cap. 59. 12. *aggrauata est auris eius, vt non exaudiat, sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum.* Psalm. 65. *iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* & Prouerb. 1. de peccatoribus dicitur: *tunc inuocabunt me, & non exaudiam.* & Prouerb. 28 9. *qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* & Mala. 2. 2. *maledicā benedictionibus vestris.* Porrò de iustis dicitur Ps. 33. 16. *oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Eccles. iast. 15. 20. *oculi Domini ad timentes eum.*

Peccatores obfirmato animo peccandi licet spiritualia petant, raro exaudiuntur.

7. Quod si peccatores eiusmodi tales sint, vt non piè, & ex bono desiderio, sed quatenus peccatores sunt quidpiā petant, hoc est ex malo aut cum malo desiderio, ita nunquam ex misericordia exaudiuntur, sed duntaxat aliquando ex ira, & in vindictam: *metuendum est*, inquit Augustin. tract. 72. *ne multa Deus quod posset non dare propitius, det iratus.* ita exaudiuit Deus petitionem Iudæorum, cùm petierunt carnes in deserto, & cum per Samuelem petierunt Regem. 1. Reg. 8. Huiusmodi orationes d mnat Chrysost. hom. 52. in Matth. *Si quis*, ait, *pedes tuos stercore sordidatis manibus supplicando tangeret, non modo non exaudires, verumetiam calcibus expelleres; quomodo igitur audes tu hoc modo Deum orare: nam qui orat, quasi manu lingua vtitur, qua genua Dei supplicando attingit.*

Peccatoribus ex malo desiderio petentibus, quod denegat Deus propitius, dabit iratus.

8. Exceptis igitur ijs peccatoribus, de quibus num. 7. vniuersim loquendo exaudiuntur non tantum propter Christi promissionem, de qua num. 3. & quæ propriè locum videtur habere in peccatoribus primi ac secundi gradus, cum in orando quatuor illas conditiones seruant, de quibus eodem num. 3. sed exaudiuntur interdum propter dignitatem Ecclesiæ, cuius illi in orando personam aliquo modo induunt, & cuius precationibus vtuntur apud Deum; deinde etiam propter dignitatem sacrificij, quod

Peccatores primi & secundi gradus Ecclesiæ personam induentes in orando exaudiuntur.

in altari

in altari offertur Deo, & per quod aliquid obtinere contendunt apud Deum. Adhæc propter deuotionem, & fidem eorum, pro quibus petunt. Quarto quia sæpe id quod orat ad maiorem Dei gloriam, & communem Ecclesiæ vtilitatem pertinet. Quinto his accedunt merita, & suffragia Sanctorum, quos illi peccatores adhibent apud Deum. Denique ad id multum facit fidei feruor, & constantia, qua quis postulat.

9. Ceterum cùm dictum sit vniuersim de hac propositione cæci, quomodo vera, vel falsa sit, reliquum est videre, quam veritatem contineat, prout ab illo prolata est. Sunt qui respondeant, sententiam mendici huius intelligendam esse de patrandis miraculis, videlicet peccatores Deum non audire ad edenda miracula. quod si peccatores aliquando miracula edunt, rarum id est, & minimè frequens: sanè propositio de re intelligitur, quæ vt plurimum accidit, cùm Christus frequenter admiranda opera faceret. Hæc expositio Theophyl. est. Alij adhuc presius respondent locutum esse mendicum de miraculis quidem, quæ tamen fiunt ad propriæ innocentiæ confirmationem. quare si peccatores hac in parte exaudiret Deus, testaretur id quod falsum est, quod nunquam facit. Iam verò Christus non vtcumque miracula edebat, neque id raro, sed frequenter, & confirmare volens per illa se esse à Deo, & voluntatem eius facere. De his ergo admirandis operibus locutum esse mendicum indicat illa verba: *nisi esset hic à Deo, nō poterat facere quidquā*, sumit autem tanquam notū omnibus, Christum edendis miraculis confirmare solitum, se esse à Deo, & voluntatem eius facere. Card. Tol. docet de miraculis quidem locutum esse mendicum, sed affirmat ex August. lib. 83. qq. q. 79. malos quidem miracula virtute diuina interdum facere, sed non aliquo proprio opere, sed iustitiæ signo, verbi gratia, signo crucis, nomine Iesu inuocato, aut aliqua huiusmodi re sacra, qua fides vera declaratur, & hoc modo infideles, & hæretici miracula edere solent. Ceterum peccatorem nullum hactenus audiuimus, vidimus, legimus, sua simplici oratione, & petitione obtinuisse à Deo, vt miraculum ederet: solis id iustis concessum: Hoc ergo inquit affirmasse nunc cæcum, cùm dixit: *à sæculo non est auditum*, nam ex Scriptura veteri nihil tale cōstat. at Christus, vel solo verbo, vel sanctissimo manus suæ contactu, vel saliua, vel imperio, vel oratione, nullo adhibito signo, nullius inuocato nomine insignia, ac præclara miracula edebat, quare peccator esse non poterat.

10. Quod si quis obijciat id quod narrat Sueto. in Vespas. & Tacitus lib. 4. histor. *Vespasianum* admotis manibus cuiusdam cæci oculis, qui id flagitauerat, visum illi reddidisse. Respondeo, vel id cum fabulis connumerandum vt plura alia apud Gentiles; vel certe ficta simulataque fuit illa cæcitas; neque enim verosimile est vllo modo voluisse Deum hac ratione hominem infidelem, ac Dæmonum cultorem honorare, Dæmon autē verè cæcum nequit sanare. Aliud verò dicendū de miraculo quod refert Nicephorus lib. 15. cap. 25. à Leone, qui postea fuit Imperator, patratum fuisse; etenim ope Beatissimæ Virginis illud factum esse tradit. Hæ igitur tres expositiones num. 9. allatæ videntur bonæ, & non malè explicant cæci mentem, quomodo nihil continet falsi eius sententia: licet vniuersim sumpta vera non sit, quomodo Augustin. Beda, D. Thom. & alij cæcum intellexerunt, vt diximus num. 1.

Miracula etiam, licet raro, edere possunt peccatores.

Miracula Christum facere voluntatem Patris ostendebāt.

Miracula semper virturi diuinæ non peccatorum proprio operi tribuuntur.

Miracula ficta edidisse peccatores narratur.

THEORIA III.

In vers. 38.

De adoratione, quæ debetur Christo quatenus homo est.

1. NON vocamus in controuersiam, Christum vt Deum adorari latria debere, sicut adorantur cætera sanctæ Trinitatis personæ. Hoc ergo posito certissimam quoque esse asserimus Catholicorum omnium sententiam, hunc hominem Christum diuinam humanāque natura subsistentem esse adorandum ea perfectissima adoratione latriæ, qua tota Trinitas & singulæ eius personæ adorantur. Hoc inprimis definitum, ac traditum ab Ecclesia esse videtur; nam in Concil. Alexand. in epist. ad Nestor. quæ approbata fuit in Concil. Ephes. & inter Cyrill. epistolas decima est, reprehenduntur ij qui affirmabant, *propter eum, qui hominem induit, veneror eum, qui indutus est*. Hic enim modus adorationis Christum diuidit: subdit deinde, *sed vnus intelligitur Christus Iesus, Filius vnigenitus, qui vna adoratione, propria cum carne adoratur*. Idem definitur in 8. Anathematismo, quem declarans Cyrill. iib. declarat. & in Apolog. ait: vtpote vnus existens Filius non absque sua carne, sed cum illa potius adorandus est. Idem definitum est in S. Synodo Constantinopol. collat. 8. can. 9. & in 7. Synodo act. 6. tom. 3. versus finem. quo loco referuntur hæc verba ex Athanas. *caro, postquam facta fuit Regis tegumentum, cum ipso Rege eiusdem sit dignitatis, quamquam natura non fuerit talis*. Vide item Concil. Trid. sess. 13. c. 5. & can. 6. in quo decernitur, sacrosanctam Eucharistiam latriæ adoratione venerandam esse, idque ob præsentiam diuinitatis. Cùm ergo in humanitate Christi tota Deitatis plenitudo corporaliter habitet, item latria veneranda est.

Christus humanitate adorandus.

Præter Concilia, auctoritas est Patrum Epiph. in Anchora. circa 8. folium: *adoras*, inquit, *Saluatorem incorporatum, aut non adoras? Quomodo verò non adoraueris? si enim non adoraueris, non habebis vitam. Ecce igitur creaturam adoras, ipsum corpus. ingens autem est vesania eorum, qui talia dicunt: nam Rex purpura indutus ab omnibus adoratur. Numquid ergo purpura adoratur, aut Rex? Manifestum est quod Rex: coadoratur autem cum ipso etiam purpura quam gestat: vbi autem Rex hunc exuit, & in locum reposuit, non amplius vestis purpura adoratur*, vbi simul explicat Epiph. modum huius adorationis: dixit autem purpuram separatam à Rege non adorari. non quod id fieri non possit, sed quia semel depositam vestem nunquam consueuimus venerari sicut coniunctam. eodem modo loquitur August. sermon. 58. de Verbis Domini. *ego Dominicum*

Christi humanitas aliquo pacto Regum purpura imperatur.

carnem, immò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quod à Diuinitate suscepta, atque deitate vnita est. Denique si hominem separaueris à Deo, vt Photinus, vel Paulus Hamosatenus, illi ego nunquam credo, nec seruio velut si quis vestrum, aut purpuram, aut diadema regale iacens inueniat, numquid conabitur ea adorare? cùm verò ea Rex fuerit indutus periculum mortis incurrit, si ea simul cum Rege adorare quis contempserit. vbi significat Augustinus humanitatem dimissam secundùm se non esse adorandam latria, idemque significat Epiphan. Dico autē secundùm se, quia si ad Deum referatur, saltem in eum modum adorari potest latria, quo res quæcumque huius mūdi, vt Vasq. docet. lib. 3. de adoratione dis. 1. nec propterea negat humanitatem, si separata à verbo cōseruaret eadē dona gratiæ sanctificātis, adorādam fore Hyperduliæ adoratione de quo n. 16. An verò aliquo modo posset adorari latria imperfecta, seu relatiua ob præcedentē vnionem, & quasi contactum ad verbum disputandum Scholasticis relinquimus; nam ex tractatione de adoratione, & cultu reliquiarum pendet. Vide Suarez tomo primo, disputat. 53. sect. 3. sub finem.

3. Eadem sententia ex Scripturis sic confirmari poterit Ioann. 5. 22. 23 *neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* & Rom. 14. illud Isa. 4. 5. 23. *Mihi curuabitur genu,* interpretatur Paulus de Christo: constat autem Isa. loqui de perfecta adoratione latriæ, quæ soli Deo competit, nec minorem vim habet locus ille ad Philipp. 2. 10. *In nomine Iesu omne genu flectatur.* D. quoque Th. ad pedes Christi accedens adorabundus dixit: *Dominus meus, & Deus meus.* Ioann. 20. 28. & hīc Ioann. 9. 38. noster cæcus *procidens adorauit eum.* quem locum expendit Cyril. Alex. li. de recta fide ad Theodosium sub fin. annectens, & locum alterum ad Hebr. 1. 6 *& cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit: & adorent eum omnes Angeli eius.* idemque professi sunt Reges Magi Christum adorantes Matth. 2. quod ex mysticis muneribus, & Patrum interpretatione constat. Denique Apocal. 5. 13. Sancti non aliter colunt Agnum occisum eique sedenti in throno coniūctis vocibus occinunt: *benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.*

Christo honorabomni creatura exhibetur.

4. Est & ratio eādem veritatem stabiliens: etenim nemo inficiari iure poterit Christum in quantum Deus est, hac latriæ adoratione colendum esse, cùm sit verus Deus, & æqualis Patri: sed verbum dum carnem induit, non se sua spoliauit dignitate: igitur verbo etiam carne circumdato, seu Christo, homini Deo, eadem debetur adoratio. Quis enim Regi quamuis vilioribus vestibus induto honorem regium negare audeat? Ex his constat hunc hominem Christum eadem adoratione latriæ adorari, qua adoratur Deus, idque fide tenendum esse. Verum bifariam hoc ipsum intelligi potest. Primum ratione cōmunicationis idiomatum, ita vt propter communicationē dumtaxat dicamus, vnā, eandēq; adorationē cōmunem esse Deo, & homini, quod tanquam de fide decretū est contra Nestorium in Concil. citatis n. 1. distinguebat enim Nestorius personam Christi à

Christus idiomatum cōmunicatione latriæ adoratione colendus.

A persona Verbi, atque adeò negabat, Christum eadem adoratione adorari qua Verbum, licet concederet aliquo modo coadorari, propter aduentitiam quamdam vnionem cum Verbo. Patres verò negabāt coadorari, & affirmabant per se, ac verè adorari, ideoque in Conc. Ephe. Anathematismo 8. damnatur qui dixerit (cum Nestorio) vnum cum alio adorari, & qui non vna adoratione adorat Verbum cum carne sua.

Ceterum si sic loquamur, videlicet ratione communicationis idiomatum, hinc tantum efficiemus, hūc hominem, qp attinet ad suppositum ipsum, colendum esse hac adoratione latriæ; sed non hinc constabit, an hæc adoratio aliquo modo pertineat ad humanitatem, ita vt etiam in ipsam redundet, vt verbi gratia, si B Rex sit adulter, qui Regem adorat, adulterum sanè adorat, quod attinet ad personam ipsam, seu suppositum, non tamen propterea continuo dixerimus adorationē ad adulterium referri vllo modo. Secundò ergo sensus esse potest, hoc cultu latriæ ita colere nos Deum hominem, vt ad ipsam quoq; humanitatem transeat latriæ cultus, & habeat hoc plusculum dubitationis. Quomodo enim, dixerit aliquis, idem cultus qui Verbo debetur in naturam creatam conueniat? Quare huic dissoluendo nodo, quod superest huius Theoriæ tribuemus.

5.

6. Primum igitur affirmo, vno, eodemque latriæ cultu, & quidem summo, quo Verbum carne velatum colitur eodem plane ita colendum esse hunc hominem Christum, vt simul eadem quoque adoratione coadoretur eius C humanitas; vnde efficitur, vt humana in Christo natura verè dici possit aliquo modo adorari etiam tanquam id, quod adoratur, quod aliqui Theologi significantius dicunt, adorari Christum etiam vt hominem specificatiue, est enim hoc idem, ac vt rem adoratam coli; reduplicatiue vero dicere, Christum in quantum hominem adorari, est humanitatem esse causam, & rationem adorationis: obseruandum est enim, in eo quòd per se primò adoratur, considerare nos posse & causam, & id quod adoratur. causa est excellentia & dignitas aliqua; quod adoratur, est persona ipsa in ea dignitate constituta, partes verò si quas habet, coadorantur potius eadem adoratione & cultu cum persona: vt cum Pontificis pedes osculamur secundùm interiorem cultum, vel intentionem, & affectum adorantis, Pontificem propriè adoramus, pedes verò coadoramus potius. Notant verò aliqui, aliud esse adorari vnum propter aliud, aliud adorari vnum in alio, primum enim rationem formalem vt aiunt, significat. alterum ad materiam pertinet. vt cum patres in toto, & cum toto adorantur, semper autem ordine intentionis, & secundùm affectum adoratur totum, vel persona, licet ordine executionis interdum adoretur totum in parte, seu veste, vt in osculo pedum Pontificis. igitur cùm dicimus, humanitatem Christi adorari latria, non loquimur reduplicatiue, non enim significamus in ipsa esse rationem quæ mouet ad cultum hunc latriæ, nec volumus circa ipsum affectum adora-

Christi humanitas latriæ cultu adoratur.

Humanitatis Christi cultus exemplo exprimitur.

tionis

tionis versari (vt docet Vasq. lib. 1. de adoratione disp. 3. cap. 3. num. 74.) cum in ea per se non sit excellentia, quæ mouet, & cui per se primo adoratio exhibetur, sed tota sit Deitatis; neque verò exterior adoratio, quæ ex intentione, & affectu interiori proficiscens eundem cum ipsa honorem constituit, ad solam humanitatem refertur, cùm etiam complectatur omne id, quod in ea persona reperitur præsertim vnitum Hypostaticè. tantum ergo docere volumus, cùm dicimus humanitatem Christi adorari latria, vna & eadem adoratione, quæ ex affectu circa excellentiam Deitatis, & personæ, atq; signo exteriori submissionis coalescit, cóprehẽdi omne id, quod in Christo reperitur: cumque illa sit latriæ adoratio, efficitur vt humanitas sub adoratione latriæ, quæ toti Christo exhibetur, contineatur, atque hoc modo tanquam aliquid illius eadem veneratione coadoretur. Sic ferè Vasquez. Postremo, vt idem docet nu. 72. scire oportet, adorationem duobus constare solere, videlicet exteriori signo submissionis, & interiori affectu exhibendi illud alicui, ex apprehensione excellentiæ, & dignitatis ipsius. Affectus verò circa excellentiam personæ, & signum exterius non duas, sed vnam cõflant adorationem; nam signum quod non proficiscitur ex affectu, non habet rationem veræ adorationis, & cultus: sed quod non requiratur omninò vt necessaria ad adorationem externus actus cadens sub sensum, docet Suar. 3. p. disp. 51. sect. 2. Hæc est Patrum sententia. Damascen. lib. 3. cap. 8. & lib. 4. cap. 3. vbi ait: *non enim carnem nudam adoramus, sed carnem Dei, id est, Incarnatum Verbum*; idem habet orat. 1. de imaginibus, & rationem assignat; quia caro idem effecta est cum Verbo, videlicet quantum ad personam attinet; censet ergo vna adoratione latriæ Christi carnem cum diuinitate esse colendam. Hinc Chrysost. hom. 5. in epist. ad Hebr. ait: *re vera magnum & admirabile, & stupore plenum est, carnem nostram sursum sedere, & adorari ab Angelis, & Archangelis.* hom. verò 3. interpretatur de Christo secundùm carnem sententiam illam: *& adorent eum omnes Angeli eius*; quæ tamen omnibus consentientibus de perfecta latria intelligitur. Ambr. idem docet lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 19. vbi affert locum Apostoli Philipp. 2. *dedit illi nomen super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* Porrò nome *Iesus* humanitatem formaliter significat.

Adoratio submissionẽ æternam, internumque affectum designat.

Humanitatis Christi dignitas extollenda.

7. Nicetas quoque in orat. 51. Nazianz. in illa verba. *quocirca*; *quemadmodum*, inquit, *si totus aer igneus esset, vel potius ignis esset & graunum quoddam ferreum in eum conijceretur, necesse profecto esset hoc quoque eadem qualitate affici, qua id, quod excellit ac superius est: & quidem ita, vt meo quidem iudicio nihil aliud quam ignis esse videretur, tametsi essentiæ ratio integra ipsi, & incolumis esset, eodem modo humana natura diuina copulata vsque adeò superata est, vt hominis natura ne manere quidem videretur; tametsi alioqui proprietates suas retineret. Ac propterea 88. quoq; Patres Deificatam ipsam dixerunt, nimirum ad id quod præstantius, & valentius erat respicientes, vnde etiam vna & eadem earum adoratio est propter vnam earum naturarum Hypostasim, & diuisionis omninò expertem*: quo etiam exemplo igniti ferri, quod timeo tangere propter ignem coniunctum, atque simul fugio ferrum, & ignem, vtitur Damasc. 4. de fide ca. 3. comparat verò ferrum humanitati, ignem verò Diuinitati: quemadmodum ergo non audemus accedere, sed fugimus ferrum ignitum: sic etiam humanam naturam ignitam, & Deificatam Deitate veneramur. Ergo qui adorat humanitatem ignitam, hoc est, penetratam, vt sic dicam, ac sanctificatam Deitate, simul etiam in ipsam Deitatẽ, & humanitatem vno eodemque adorationis cultu fertur, non tamen hinc efficitur humanitatẽ ipsam nullo prorsus alio modo adorari posse, quod tamen contendit Vasquez lib. 1. de adoratione disp. 4. num. 99. multum enim interest inter ignitum ferrum & humanitatem ipsam Deificatam: nam tactus fit re ipsa non cognitione; ferrum autem, & ignis re ipsa coniuncta sunt, quare qui fugit vnum, fugiet & aliud, adoratio verò fit cogitatione, qua separari potest humanitas, & vel sine Deitate considerari, vel secundùm se, licet vnita sit præcisè, vt aiunt, spectari potest. Patres verò vtuntur hoc exemplo, vt declarent eadẽ latriæ adoratione coadorari humanitatem Deificatam, quatenus in se Deitatem complectitur; vel quatenus ad eandem pertinet personam.

Humanitatis Christi adorationẽ ignito ferro sancti comparant.

8. Hoc ipsum docuit Cyril. in Schol. de Incarnat. cap. 26. & lib. 1. de fide ad Reginas, & refert hæc verba ex Athanasio lib. de Incarnatione Christi, quæ nunc in eius operibus non habentur, *confitemur etiam ipsum Christum esse Filium Dei, & Deum secundùm Spiritum, & Filium hominis secundùm carnem, non duas naturas, vnum Filium, vnam quæ adoratur, & vnam quæ non adoratur: sed vnam naturam Dei Verbi Incarnatam, & adorabilem cum carne sua vna adoratione*; quæ verba difficilia sunt non tantum in eo, quod vocat Verbi naturam Incarnatam, de quo S. Th. 3. p. q. 2. art. 1. sed etiam quatenus dicit, non esse asserendum, ita duas in Christo esse naturas, vt vna adoretur; alia non adoretur; sed sensus est; in Christo vnam esse naturam per se adorabilem, hoc est, Deitatem, cui natura humana ita coniuncta est, vt simul cum illa, & eadem adoratione colatur.

9. Affirmo deinde, aliter esse loquendum de Christo, aliter de humanitate Christi. Cùm enim Christus personam significet, non rectè dixeris coadorari Deo, sed adorari vt Deum; Verbum enim coadorandi si additum sit personis, indicat distinctionem vnius personæ ab alia; secus de humanitate censendum, vt nu. 6. affirmauimus. rectè enim dicetur coadorari Deo, cum ipsa Deus non sit, sed Deo coniuncta; neque enim vis, & ratio latriæ exigit, vt omne id quod adoratur, sit etiam Deus; sufficit si personæ Dei coniunctum sit; tantum poscit latria, vt persona quæ adoratur, sit verus Deus; & potest assignari ratio, quia quis hæc suprema adorãdi ratio aliquo modo ad assumptã naturam pertineat, non tamen eodem prorsus modo, quo ad personam. Ad hanc enim tendit adoratio per se primo, quemadmodum, & ad propriam, & connaturalem eius naturam, quæ Deitas est: ad humanitatem verò per se secundo, ac minus principaliter refertur.

Christus vt Deus est adorandus.

Quare

10. Quare cum sacrificium etiam summam & perfectam latriam significet, fit vt Christo offeratur primario ratione diuinitatis, non humanitatis: nam ratione illius, non huius conuenit Christo excellentia per sacrificiũ designata, vt meri to Aug. lib. 10. de Ciuit. cap. 20. hæc scripserit: *Christus cùm in forma Dei sacrificium simul cum Patre sumat, tamen in forma serui sacrificium maluit esse, quam sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret, cuilibet esse sacrificandum creaturæ.* Illud tamen negandum non est, adorationem hanc, quæ tendit ex affectu, & intentione adorantis ad Verbum carne velatum, aliquo modo differre, videlicet ratione materialis obiecti, id est humanitatis, ab eo cultu, qui Verbo secundùm se tribuitur. Verum nõ propterea affirmandum est, vel illum cultum non esse supremum, vel alterius esse rationis, cùm id quod præcipuum est, & formale, hoc est excellentia diuina, & res quæ primario loco colitur, nimirum persona diuina, & Deitas, secundùm suam naturam, & vim eadem perseueret; quod exemplo duliæ illustrari potest: cum enim duliæ cultu colitur homo, simul coadoratur corpus eius, quamuis nec corpus sit homo, nec tantam habeat dignitatem, quantam vel homo, vel eius anima; satis enim est eius cum anima coniunctio, vt eodem prorsus duliæ cultu cum anima, vel homine honorari possit: interim est hic cernere ex parte materialis obiecti aliquod discrimẽ inter cultum duliæ, qui animæ, vel toti cõposito datur, & eum qui corpori; sed cum tota hæc differentia ex quibusdam adiunctis nascatur, non mutat formalem rationem adorationis duliæ, perseuerante eodem formali obiecto, & materiali primario, id est, excellentia cum eadem re primario loco adorata. Neque id mirum videri debet cùm corpus in sanctis sicut humanitas implicitè in Christo tantum, & concomitanter adorentur, non quasi actu formali, vel diuersa intentione.

Adoratio Verbi carne velati aliquo modo differt ab adoratione Verbi secundum se.

Cultus Duliæ quid sit.

11. Humanitas Christi non rectè dicitur per accidens adorari. Tertiò affirmo, nõ videri probandũ modũ loquendi Durandi, quo dicit humanam Christi naturam per accidens adorari. Aduerte Duran. 3. sen. d. 9. q. 2. n. 7. annotasse duobus modis aliquid adorari, vel enim per se, vel p accidẽs; per se dicitur adorari illud, in quo continetur excellentia dignitatis excitans ad exhibendum submissionis signũ, quæ submissio est exterior adoratio: per accidens verò adoratur illud, cui non conuenit per se excellentia dignitatis, licet habeat ordinem, & respectum aliquem ad id, in quo eam primario reperire est. Hinc infert Durand, totum Christum per se adorari latria, eius verò humanitatem per accidens, eadem tamen latriæ adoratione; quem loquendi modum non probant aliqui Theologorum; videtur enim Durand. velle significare, humanitatem vnitam esse Verbo accidentaliter, atque adeò per accidens adorari, sicut purpura cum Rege per accidens adoratur, vel coadoratur. Etenim purpura accidentaria vnione coniuncta est, cum Regis persona, non ita Christi humanitas. Vasq. num. 76. quamuis damnet sententiam Durandi de vnione accidentaria humanitatis cum Verbo, est enim falsissima; quod tamen de adoratione illius dicit, nulla

A nota dignũ putat. *nam*, inquit, *quod de humanitate Christi docuit Durandus idem etiam de partibus substantialibus alicuius asserit, hoc est de manu, pede, immò de toto corpore eas nimirum per accidens cum toto adorari, ob id tamen non desinit, nec vllo modo sensit, eas accidentaria vnione toti coniunctas esse, quamuis ergo idem de vnione humanitatis cum Verbo docuisset, nihilominus affirmaret eã per accidens cum tota persona Verbi adorari.* Porrò ex Aristotel. 5. Physic. capite primo. *non solum ea dicuntur moueri per accidens motu alterius, quæ vnione accidentaria coniuncta sunt toti, sicut musicum, & album; verum etiam partes substantiales illius*, &c. humanitas verò comparatur toti suppositio vt pars illius, in qua, & ex qua subsistit. quamuis hinc non efficiatur, diuinitatem, quæ se habet ad modum partis respectu Christi, per accidens adorari, cum in illa sit tota illa excellen-

B tia, ratione cuius datur Christo latria.

12. Humanitas Christi dicitur per accidens adorari à Durando, prout pars & aliquid illius coadoratur. Ceterùm licet quod ad rem attinet, non multum differat à ceteris Theologis Durand. quantum ad hoc quod dicit, de adoratione humanitatis per accidens; negari tamen non potest, quin eius loquendi modus singularis sit, & vitandus, ne quis fortè ita se habere putet humanitatem, & ita vniri Verbo, sicut purpura vnitur Regi, cùm audit hoc exemplum vsurpare Patres. Etenim purpura cum sola accidentaria vnione personæ Regis vniatur, rectè, ac propriè dici potest solum per accidens coadorari, non ita humanitas, cùm per se vnita sit Verbo. Christus namque verè est vnus per se ex diuinitate, & humanitate compositus; propterea perfecto illo latriæ cultu, quo Christum veneramur, per se coadoramus humanitatem eius, sicut eadem adoratione duliæ,

C qua adoratur homo sanctus; per se coadoratur corpus, quod tali animæ per se vnitum est, quod exemplum aptius est, quam illud ex purpura sumptum, quod tamen intelligendum est ablatis ijs, quæ aliquid defectus afferunt.

13. Christus latriæ cultu est adorandus. Affirmo quartò, adorationem illam quæ Christo vt homini præcisè tribuitur propter dignitatem & excellentiam, quã e us habet humanitas ratione vnionis, esse latriam quidem, sed non illam perfectam, & absolutam de qua hactenus, sed ea inferiorem. Iam probo imprimis Christum hoc modo coli posse: nam ita præstantiorem habet excellentiam, & maiorem dignitatem, quam sit omnis creata dignitas, & excellentia; igitur hac ratione est longè maiori, & præstantiori veneratione dignus, quam simul omnes Sãcti. Quod verò hic cultus non sit tam excellens, quam ille, qui debetur Deo secundùm se, satis constat; est enim longè minor excellentia gratiæ vnionis in humana natura, quam sit excellentia Deitatis secundùm se, sicut Theologi passim affirmant rationem filij, quæ Christo tribuitur, vt homini, hoc est, in humanitate sua ratione gratiæ vnionis esse inferiorem, quam sit ratio filij increata, quæ Christo, vt Deo ratione generationis æternę conuenit. Deinde idem sic declaratur: interest enim plurimum inter hanc adorationem, & eam de qua in superioribus numeris dictum est: nam ratio quæ mouet ad deferendam priorem adorationem, quæ est

perfectæ latriæ, est Verbi excellentia secundũ se; at quæ mouet ad secundam, est dignitas illa creata, quam humanitas habet propter vnionem ad Verbum. Deinde in priori illa veneratione id quod per se primò obijcitur, & adoratur, est persona secundùm Deitatem; humana verò natura nonnisi concomitanter, & quasi implicitè: at in hac altera veneratione id q̃ per se primò obijcitur, & adoratur, est hic homo, vt quid compositum ex humanitate, cuius præter ceteros est nobilitata sanctitas, & magnitudo dignitatis. Denique in posteriori hac adoratione colitur Christus vt minor est Patre, in priori verò vt æqualis est illi dignitate.

14. Quamuis ergo his differentijs inter se differant hi duo cultus, conueniunt tamen inter se quod ab eadem Religionis virtute eliciantur. etenim posterior cultus nititur gratia vnionis, quæ licet ex parte humanę naturæ sit quid creatum, ex parte tamen Verbi quo terminatur, quiddam increatum est, videlicet Verbum per se vnitum humanitati, quam per se sanctam præter ceteros sanctos, atque adeò præter reliquos omnes adoratione dignam reddit; Nec mirum, si eadem virtus, quæ mouet ad colendum Verbum secundùm se, moueat etiam ad colendum omne illud, quod per vnionem ad Verbum, sanctum efficitur, & ita poterit hæc adoratio latriæ nominari, & ita duplicem facere possumus latriam; superiorem, seu absolutam quam negabimus tribuendã esse humanitati, nisi cum coadoratur, cum Verbo carnem induto, quomodo superius locuti sumus n. 6. alteram inferiorẽ, seu respectiuã, qua nunc dicimus adorare hunc hominẽ Christum propter gratiam vnionis, atq; adeò etiam humanitatem propter Deitatem illi coniunctam.

Hanc sanè duplicem latriam, licet specie differre dicamus, affirmare tamen possumus simpliciter, & vniuocè, quod attinet ad rationem latriæ conuenire; cum vtraque ab eadem religionis virtute sit, & in excellentia increatã nitatur, quamuis diuerso modo; etenim vna respicit excellentiam diuinam secundùm se, altera vt coniunctam humanitati, eamque supra ceteros sanctam, & honore dignam reddẽtem: hinc tamẽ non fit, alteram earum impropriè tantum, vel analogicè esse latriam, sed tantum sequitur alteram altera inferiorem. Sic ergo hanc posteriorem adorationem, *latriam* nominare possumus, quamuis passim *Hyperduliam* vocent. nam latrię nomen propriè, ac simpliciter tribuitur latriæ perfectæ, & absolutæ, nomen autem *Hyperdulię* vsurpatur interdum, vt omnem excellentem adorationem à perfecta latria diuersam significat.

Affirmo quintò illam adorationẽ, qua Christus vt homo, seu ratione humanitatis colitur, ob insignem, & eximiam eius sanctitatem creatam, & ipsi humanæ naturæ inhærentem, esse inferiorem vtraque latria, de qua num. 14. 15. diximus; propriè verò *Hyperduliam* nominari, quasi summam, & excellentem duliam. Probo: humanitas vnita Verbo excellentiam habet distinctam ab excellentia Verbi, sicut sanctitatem aliam à sanctitate Verbi: sed cuilibet excellenti, & in dignitate constituto debetur adoratio per se, quæ ad ipsum primò referri possit; igitur humanę Christi naturę, p̃ vt habet distinctã sanctitatis dignitatẽ, & excellentiã, à sanctitate, & excellẽtia Verbi tribui debet quoq; sua adoratio, q̃ sit distincta ab adoratiõe Verbi, & q̃ intra se Verbũ nõ cõplectatur; quare nõ potest esse latriæ, cũ hæc soli Deitati cõueniat: erit ergo omni latria minor, quã passim *Hyperduliã* vocant. Porrò nõ eadẽ est purpuræ ratio, quæ cum Rege adoratur, & humanitatis, quæ cum Verbo colitur; nam purpura nullam sibi propriã habere potest dignitatẽ, sed tota Regis est cui adhæret; propterea nisi re ipsa Regi vnita, vel saltem cogitatione coniuncta videtur, adorari non posse: at humana natura propriã sibi dignitatẽ habet, propter q̃ saltẽ mẽtis cogitatiõe à Verbo separata p̃ se adorari possit. Quod aũt hęc adoratio nõ sit latria, patet: q̃a non nititur in excellẽtia increata, ergo eiusdẽ rationis erit cũ dulia, q̃ datur sanctis, quãuis in specie duliæ sũmã quandã dignitatẽ habeat, sicut habet gratia, & gloria Christi cõparata cũ gratia, & gloria Sanctorũ. Quod si quis dicat, gratiã creatam Christi, quia cõiuncta est cum gratia vnionis, inde infinitam quandã dignitatẽ cõtrahere, ac proinde rectè dici posse, quod illi respondeat singularis quædã adoratio, q̃ ad latriã spectat, vt n. 13. 14. 15. significatum est, talis. n. adoratio nõ nititur tantũ in sola gratia creata, sed in gratia vnionis. Quẽadmodum enim Christi operationes licet quod ad se attinet, eandem specie bonitatẽ cõtineant cum nostris, si tamen cõcipiantur vt speciatim sanctitatẽ quandã cõtrahunt, propter vnionem peculiarẽ & excellentiorẽ merentur veneratiõnẽ: ergo ratione grãtiæ creatæ vt pręcisè spectatur, cõuenit humanitati honor non excedens Hyperduliam, nam ratione vnionis iam diximus n. 13. quę Christo eiusq; humanitati adoratio cõpetat, videl. cuiusdã latriæ inferioris q̃ tantũ probat obiectio quomodo nũc nõ loquimur. sed an titulo Redemptoris Christus esset adorandus latria saltem imperfecta? vide super. n. 17. 18.

Th. VVald. to. 1. doctrin. fidei a. 3. c. 24. n. 1. manifesti erroris redarguit Io. VVicleff affirmantẽ, Christi humanitatẽ à Verbo dimissam coli debere in propria persona adoratione latriæ etiã ob solũ titulũ Redẽptoris, licet Deus non esset, q̃ falsum est apertè si de perfecta, & absoluta latria loquamur, tũ quod in humanitate illa dimissa nõ est diuina excellẽtia; ei ergo latria non est exhibenda, tũ quod Christus, vt benè aduertit Scot. 3. sen. dist. 9. nõ est Redẽptor, vt prima causa simpliciter, sed solũ vt prima in genere meriti, & satisfactionis, quæ solum est prima secundùm quid, & alteri superiori causæ obediens: atqui perfecta latria solũ debetur primę causę, si simpliciter loquamur, tum denique quod dignitas Redemptoris prout conuenit Christo vt homini, inferior est dignitate Dei secundùm se: ergo non potest esse æqualis ratio adorationis inter Deum, & hominem, quin etiam quamuis pro beneficio Redemptionis deberetur perfecta latria, non ipsi humanitati, quæ solum fuit instrumentum, sed Diuinitati tanquam præcipuo auctori tribuenda esset. si verò loquamur de inferiori latria, & de hoc titulo Redemptoris prout fuit in Christo qui est homo Deus, re vera propter excellentiam, & titulum Redemptoris, qui singularia virtutis opera, ac specialia bene-

15. Latriæ hæc duplex appellatio, simpliciter & vniuocè latrię rationem habet.

16. Adoratio qua Christus colitur proprie vt homo Hyperdulia appellatur.

Aderatio, quæ Hyperdulia dicitur minor est latria.

gratia creata Christi proùt coniuncta cum gratia vnionis, quandam habet infinitam dignitatem.

Operationes Christi per se spectatæ eandem habent bonitatem, ac nostræ, si verò vt speciatim sanctitatem quandam contrahunt peculiarem

17.

Christus Redemptor est vt prima causa in genere meriti, & satisfactionis, prima quidẽ secundum quid, prout est superiori obediens.

beneficia hominibus præstita continet, aliquem singularem honorem deberi Christo non est negandum, & licet perfecta latria, & absoluta non sit, ad eam tamen latriam reuocari potest, quæ Christo debetur ratione vnionis (de qua postea num. 13.14.15.) inde enim tota Redemptoris dignitas profecta est. potest hoc exemplo illustrari, quemadmodum enim eadem adoratio duliæ debetur alicui sancto, & propter sanctitatem creatam, & ea virtutis opera, quę ad illa sanctitate profecta sunt. ita eadem adoratio conuenit Christo vt homini, propter vnionem, & propter perfectum modum redimendi homines, videlicet cum rigore iustitiæ, vt Theologi loquuntur, si tamen Christus Dominus tantum homo fuisset, & non etiam Deus, atque adeò imperfecto modo nos redemisset, non conueniret illi ea prorsus adoratio, quæ nomine Redemptoris nunc debetur illi. verum alia inferior, quę vltra dignitatem gratiæ creatæ, eiusque efficacitatem non progrederetur, sed ad Hyperduliam pertineret: de qua numero decimo sexto. Porrò dimissa humanitas titulum Redemptoris adhuc retinere non posset, nec propterea adorari latria. periret enim fundamentum illud, vnde tribuitur illi humanitati titulus Redemporis perfecti, nimirū vnio. Quod si dicas: si humanitas dimitteretur, posset, vt videtur, ob præcedentem vnionem, quasi ob contactum adorari latria inferiore quadam. ergo eodem modo de titulo Redemptoris sentiendum. nego esse parem rationem, nam humanitas dimissa esset actu: illa enim eadem remaneret, quæ vnita fuerat: at titulus Redemptoris, qui fuerat, non esset amplius, nec quid eius remaneret, sed omninò periret; vt pereunte filio desinit paternitas, licet esset verum dicere, *hic homo fuit Pater.*

Christo vt homini duliæ adoratio conuenit propter perfectu modū redimendi.

Humanitas Christi etiā dimissa ob contactum inferiore quodam latriæ cultu posset adorari.

18. Id autem quod numer. 2. diximus de humanitate Christi si dimissa esset à Verbo, & retineret eadem sanctitatis dona, &c. quæ Hyperdulia essent adoranda, affirmandum quoque est de eadem vnita Verbo, si præcisè tamen, vt aiunt, sumatur; illi enim hoc modo spectatæ debetur Hyperduliæ adoratio. quod docet D. Thom. parte 3. q. 25. a. 2. ad primum, vbi declarat Damasceni sententiam lib. 4. cap. 3. ait enim Damascenus. *Si diuidas subtilibus intelligentijs, quod videtur ab eo, quod intelligitur, inadorabilis est, vt creatura.* quæ verba intelligenda esse ait D. Thom. de adoratione latrię; & addit; humanitati sic cogitatę deberi adorationem Hyperduliæ, quomodo etiam intelligit Glossam in illud Psalm. 98. *adorate scabellum pedum eius;* quamuis Glossa ordinaria non habeat illa verba, quæ citant Theologi in 3. dist. 9. & D. Tho. loc. cit. sed hæc alia ibi habentur: *humanitas sine impietate à Verbo Dei assumpta adoratur, quia nemo carnem eius dignè manducat, nisi prius adoret, sed non terram intuetur, qui adorat, sed illum potius cuius scabellum est, per quem adorat, & in cuius honore scabellum adorat.* Neque aliter habet Glossa interlin. *Corpus Christi adoratur, sed propter ipsum, cuius est.* Lyra verò clarè dicit, humanitatem Christi, in quantum est vnita Deitati; latria esse adorandam, secundùm se verò Hyperdulia.

Humanitas Christi, vt vnita Verbo latriæ cultu est adorāda.

A Verum contra ea, quæ hactenus diximus, obijcere aliquis poterit, concilia superius citata declarasse, vnam duntaxat, non duas adorationes deberi Christo; nos autem diximus, Christo homini Deo deberi latriam perfectam numero primo, vsque ad decimum tertium. item Christo vt homini ratione vnionis tribuimus numer. 13. 14. 15. latriam quandam inferiorem, eandemque illi vt Redemptor est numero decimoseptimo, itemque ratione sanctitatis, quatenus ea sanctitas dignitatem quandam contrahit propter eandem vnionem assignauimus numero decimo sexto sub finem. Postremò ratione eiusdem sanctitatis, & gratiæ creatæ precisè vt creata est, deberi illi diximus numero eodem decimo sexto, adorationem ad duliam pertinentem, quam Hyperduliam nominant, tanquam summam in ea specie. Dicet ergo aliquis, plures nos contra Concilia, & Patres adorationes numerasse. Sed ad hæc non erit difficilè respondere, si quis animaduertat; non docuisse Concilia, Christum quocumque modo consideratum vna tantum specie cultus adorari posse; quin etiam quinta Synodus collat. 8. Can. 9. sicut decreuit vnam Christo adorationem deberi, ratione vnius personę, ita inficiatur rationæ naturæ: quid enim aliud hoc esset quam commiscere naturas? Voluerunt ergo Concilia cum docēt vna adoratione colendum esse Christum, Nestorij hæresim conuellere, non ita videlicet separandas esse adorationes, quibus Christum veneramur, vt vnam ad Christum, aliam ad Verbum pertinere credamus, quod ad Nestorianam impietatem refertur. Propterea igitur definierūt vna, eademque adoratione Christum coli deberę; quia quo cultu veneramur Verbum, eodem colimus Christum; & vicissim, quo Christum, eodem prorsus Verbum. est enim vnum, & idem Christus, vna, eademque persona, iccirco totus omninò cultus ad vnum, & eundem pertinet; & hinc habet vt sit vnus cultus. Hæc autem significasse mihi visus est D. Th. q. 25. a. 1. cùm dixit, adorationem Christi esse vnam ex parte rei adoratæ, licet possit esse multiplex ex rationibus *adorandi; vnde sit, quod sicut quando adoratur Christus adoratione latriæ coadoratur humana natura propter diuinam,* ita inquit Suarez disp. 53. sect. 2. sub finem, *si adoretur adoratione Hyperduliæ, coadorari diuinam naturam, licet ratio adorandi sit humana, seu dignitas eius. Nihil enim obstat, quò minus id, quod excellentius est, si solum concomitanter, & propter coniunctionem cum inferior natura adoretur, inferiori aliqua adoratione coli possit, quia ratio adorandi inferior est, & adoratio cum illa ratione, in qua nititur, commensuratur. Sicut inter homines, si idem sit Imperator & Dux, si tantum vt Dux honore, qui Ducē deceat, colatur, aliquò etiam modo simul coadoratur inferiori adoratione Imperatoria dignitas.* Sic Suarez.

B

C

D

19.

Christi hæc duplex adoratio Conciliotum & Patrum dictis est congrua.

Adoratio hæc Christi vna est, si nē adoratam consideres. Multiplex, si rationes adorandi spectes.

Ceterum quamuis vera sint quæ diximus de varijs modis adorandi Christum, & nec repugnet ipsam humanitatem, quæ re ipsa verbo vnita est, mentis cogitatione præscindere, eamque adorare; ita vt adorationis actus circa ipsam solam versetur tanquam circa materiam, in tali namque natura satis conueniens adorationis ratio reperitur, quæ satis est, vt sine vllo

20.

absurdo sic adorari posit, nihilominus publicus, vsitatus, & proprius modus adorãdi Christum, quo maximè spectabant Patres, est, vt adoretur vnica adoratione latriæ perfectæ, & absolutæ, atque ita debẽt concionatores docere populum, vt Christum adoret, nam reliqua quæ disputauimus de adoratione Christi per latriã inferiorem, quæ illi debetur ratione vnionis; vel per Hyperduliam, quæ præcisè ratione sanctitatis creatæ tribuitur illi, ad Scholasticas controuersias pertinent, nec ad communem, & vsitatam praxim trahenda sunt; quilibet enim eo adorationis genere adorari debet simpliciter, quod illi cõuenit ratione supremæ excellẽtiæ; sicut Regem non consueuimus honorare ducis, aut comitis honore, quãuis & Dux sit, & Comes, verum Regio cultu illum colimus, quod saltem in publica & communi Ecclesiæ adoratione seruandum est, Caiet. 3. p. & Canis. libr. 5. d Beata Virg. cap. 15. §. *verum ad Hyperduliam*, Cordub. lib. 1. quæst. 5. dub. 3. pun. 4. significare videntur Ecclesiam quidem exterius iure optimo ob hoc adorationis modo abstinere, quo per se propria adoratione Hyperduliæ, adoratur humanitas, vel Christus ratione sanctitatis creatæ, ne cum Nestorianis hæreticis videamur diuidere Christum: iccirco aiunt sacerdotẽ rem diuinam facientem sacram hostiam sumpturum latria Christum adorare, cùm ait: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum*: neque vnquam Ecclesia Dei cum Christo loquens consueuit ab eo postulare, vt preces ad Deum pro nobis fundat, quin deprecatur ipsum tanquam verum Deum, vt postulata largiatur; oratione quoque ad ipsam Christi animam duntaxat directa, *Anima Christi sanctifica me*, &c. non postulat Ecclesia, vt pro nobis oret, verum vt faciat, quæ postulamus; fatentur tamen hi Doctores, & alij nihil obesse, quo minus interiori mentis affectu, ac priuata oratione ab ipsa humanitate, vel à Christo, vt homo est, postulemus vt oret, & pro nobis intercedat, & vt ipsum non latriæ modo, sed duliæ etiam, aut Hyperduliæ adoratione colamus.

Non enim est dubitandum, vt docet Tol. in cap. 19. Ioann. annotat. 34. Christum in cœlo placare Patrem non modo repræsentando carnem suam cicatricibus signatam, sed etiam allegando merita sua, & intercedendo ex officio. quare D. Thom. ad Rom. 8. lect. 7. duplicem interpellationem Christi distinguit, aliam per orationem, aliam per repræsentationem suæ humanitatis, & clarius lect. 4. ad Hebr. 7. interpellat, inquit, pro nobis primo, humanitatem suam, quam pro nobis assumpsit, repræsentando; item sanctissimæ animæ suæ desiderium, quod de salute nostra habuit, exprimendo. Sed de oratione Christi multa Suar. doctè, vt solet, habet 3. p. disp. 45.

Christus latriæ cultu simpliciter est adorandus ratione supremæ excellentiæ.

Sacerdos latria Christũ dorat, cum hæc verba profert: Domine non sum dignus.

Ecclesia Christum deprecatur tanquam verũ Deum, vt postulata concedat.

A Christo vt homo est, priuata oratione potest quis postulare, vt oret & pro nobis intercedat.

21.

Christus in cœlo Patrem placat, intercedendo ex officio.

A

B

C

D

DIGRESSIO I. MORALIS.

In vers. 7.

Quid Gihon, quid Siloe, quid natatoria Siloe?

1.

QVONIAM hæc inter se valdè connexa sunt, & mutuis inter se nominibus ferè nũcupãtur, oportebit hæc declarare, vt quæ, & vbi, & vnde sit natatoria Siloe intelligamus: Christian. Adrichom. in sua Ierusalem nu. 236. ait: Gihon montem fuisse, in quo vnctus fuerit Salomon, saxosum, altum, oblongum, & qui ab occidente vrbem ambiat, atque versus portam iudiciariã sensim decrescat; sed si per *portã iudicij*, quæ & *custodiæ* dicebatur, intelligat, (vt videtur) portam illam occidentalem Caluariæ proximam (quæ *porta vallis* dicta est, alia tum à porta gregis, tum fontis) per quam egressus est Iesus crucifigendus, vt docet Villalp. lib. 3. de vrbe cap. 13. falli ipsum cum pluribus alijs docet idem Villalpand. de vrbe lib. 3. c. 23. verisimum tamen est, quod dicit de monte Gihon.

Gihon mons est: & qualis sit, exprimitur.

Ex hoc igitur monte extra quidem, sed propè Ierusalem oritur duplex fons, vterque *Gihon* dictus, vnus superior, alter inferior, & verò superiorem illum *Siloe* etiam appellatum fuisse, graues auctores referũt; erat is in parte occidentali montis Sion versus montem Caluariæ; inferior verò Gihon erumpit paulò inferius ad partem australem eiusdem montis, quem Chaldæus, & Hebræi *fontem Fullonis* appellare videntur, eundem montem *Rogel* nominatum ait Pineda lib. 2. de reb. Salom. cap. 5. num 3. sub fin. sed si per *fontem Rogel* intelligat eum, qui erat propè quercum *Rogel*, iuxta quem Isaias sepultus est, non video quomodo stare possit; Gihon enim inferior versus australem partẽ vergit montis Sion, cum fons vel quercus Rogel sit ad radicem montis Sion ex parte orientali. potuit tamen etiam ipse dici fons *Rogel*, id est, Fullonis, quia in agro Fullonis erat.

2.

Gihon superior Siloe appellatur.

Gihon inferior mons Fullonis & Rogel etiam dicitatur cum fons Rogel etiam Fullonis appellabatur.

Iuxta montem, & fontem Gihon superiorem inunctus esse Salomon dicitur 3. Reg. 1. 33. quare in memoriam vnctionis suæ dicitur Salomon magnis impensis nobili ædificato aquæ ductu fontem Gihon, quem diximus vocari etiam Siloe, quod num. 6. ostendemus, in ciuitatem extruxisse: cuius aquæ ductus Isai. 7. 3. meminisse videtur, ac collocasse in via agri Fullonis: Hebraicè, *Cobbas*, quæ vox significat, qui vestes vsu sordidas lauat, vt purget sordibus, & candidas efficiat. *Rogel* verò Hebraicè significat eum, qui varijs coloribus vestes inficere solet, quas cum infecit, abluit, ne color tãgentes inficiat, & vt purus sit. Hæc ergo est differentia Hebraicè inter *Rogel*, & *Cobbas*, quãuis eadem voce vtrumque vocabulum, & Græcè, & Latinè significetur. Græcè γναφεὺς, Latinè verò *Fullo*, & quidem apud Marcum 9. 3. videtur sumi Fullo, Græcè γναφεὺς, pro Cobbas. vbi ergo erectis fornicibus ad radices vsque montis Sion aquæ peruenerunt, extructam vo-

3.

Iuxta Gihon superiorem inunctus est Salomon vnde etiam Siloe mons hic est dictus.

Rogel dicitur, quia vestes varijs inficit coloribus.

Fullo qualis sit, apetitur.

lunt

lunt ibi ingentem piſcinam ad maiorem aquarum copiam in vſum ciuitatis, & vt tanto purior ad inferiorem piſcinam, quę natatoria Siloe vocabatur, à dextro, id eſt, meridionali montis latere deduceretur; à ſiniſtro verò, id eſt, à ſeptemtrionali per mediam vallem Tyropœon in probaticam piſcinam illaberetur. ne autem intercipi poſſet via ab hoſtibus, vel aliter à ſuperiore Dauidis arce ad has aquas fluentes ex prædicta piſcina, notat Villalp. excidiſſe Salomonem in ipſa rupe per intima montis gradus quoſdam, quorum meminiſſe ait Nehemiam ſic dicentem: *vſque ad gradus qui deſcendunt de Ciuitate Dauid vſque ad piſcinam*, &c. itaque ex hac piſcina pars aquarum ob probaticam piſcinam ducebatur in miniſterium templi; reliqua verò pars per latus meridianum montis Sion deriuabatur vſque ad inferiorem piſcinam, quæ ad Orientem erat montis Sion, diciturque Ioann. 9. 7. natatoria Siloe.

Piſcina natatoria Siloe dicitur.

4. Sed an Siloe & Gihon idem fons ſint; & an Siloe ſit vnus, vel duplex fons, obſcurum eſt. Meminit Scriptura Gihon 3. Reg. 1. & 2. Paralip. 32. putat Abulenſ. 3. Reg. 1. 9. 36. Gihon eſſe fontem Siloe, qui eſt prope Ieruſalem, & vocari natatoriam Siloe Ioann. 9. & credit natatoriam eſſe dictam, quod ſolerent ibi natare Iudæi. Sed hoc nō eſt veriſimile, potius dicitur natatoria, quod ſtagnum eſſet, ad natandum quidem aptum, ſicut dicitur piſcina, quia nutriendis piſcibus erat idoneum. Illud verò Gihon, & Siloam eundem eſſe fontem negat Borchard. cap. 7. §. 43. affirmans Siloam fontem eſſe ſub monte Sion, *ex quo per aquæ ductum fluit aqua in natatoriam Siloe, quando exundat aquis; non enim*, inquit, *fluit ſemper, ſed interpolatim*. Ibidemque non obſcurè tradit Gihon alium fontem eſſe. Adrichom. item in deſcriptione Ieruſalem duos fontes numerat Gihon num. 233. & Siloam num. 200. Montanus idem cenſet in deſcriptione Ieruſalem, quamuis Siloam fonticulum nominet, cum eum Ioſeph lib. 6. de bello cap. 6. fontem faciat dulcem, ac plurimum, ſeu vberrimum.

An idē fons Gihon & Siloe.

Siloa montis eſt.

5. Ceterum eundem eſſe fontem Gihon, & Siloam, arbitrantur Hebræi teſte Lyrano 3. Reg. 1. & Chaldæus Paraphraſtes pro, *Gihon*, vertit *Siloa* 3. Reg. 1. idem opinatur Vatablus. quod idem Ioſephi teſtimonio comprobari poteſt. nam cum 3. Reg. 1. 33. præciperet Dauid duci Salomonem in Gihon, & vngi in Regem: id lib. 7. antiquit. cap. 11. referēs Ioſephus ait: *Sardocum accerſit Pontificem & Banaiam, &c. iubet vt aſſumpto Nathane Propheta, & cohorte Regia, impoſitoq; filio Salomone in malam regiam extra vrbem illum deducerent ad fontem, qui vocatur Gihon*, cùm tamen Caldaica paraphraſis pro *Gihon* vertat *Siloe*. clarius Ioſeph. 6. bell. cap. 6. id habet, dum murum ſuperioris vrbis deſcribit, quo olim Sion à Dauide vallatus eſt: vbi primam fontis originem vocat Siloam, eamque occidentis in angulo ſitam fuiſſe, teſtatur: Vide Villalp. qui locis citatis pluribus oſtendit, Gihon fontem *Siloach* quoque dictum eſſe.

Vnus, & idē fons eſt Gihon, & Siloa apud Hebræos.

6. Equidem arbitror concordari poſſe hanc controuerſiam, ſi dicamus, duplicem fuiſſe fontem Siloe, alterum quidem ad Occidentem

Siloe fons, qui ad occidentem ma-

A Ciuitatis Dauid manaſſe, Gihon etiam dictum, vbi vnctus Salomon: alterum verò in Oriente fuiſſe ad radices montis Sion, qui deinde in natatoriam Siloe effluebat, & quamuis fortaſsis ab eadem origine fons vterque manaret; quod tamen duplici loco, vtroque oppoſito, multumq; diſsito eius vſu fruerentur Ieroſolymitani, nihil mirum, ſi eodem nomine retento duplicis fontis nota diſtingueretur, quod & Villalpand. cenſet ſimul oſtendens teſtimonio Ioſephi loco paulò ante citato, hunc inferiorem fontem, Siloe dictum, ad radices montis Sion ſimul cum natatoria Siloe à Salomone cōſtructum fuiſſe, inde verò natatoriam Siloe ſtagnum Salomonis dici, & in medio Orientali tractu montis Sion ſtatuendum tradit; nos item hanc natatoriam Siloe *piſcinam inferiorem* vocari diximus lib. 4. dilucidat Digreſſ. 1. in

B qua de piſcinis egimus, quarum ſit mentio in Scripturis, & quænam fuerit etiam piſcina ſuperior, declarauimus præter tertiam, quæ *probatica* dicebatur.

Porrò de hac ſecunda ſcaturigine, quæ *Siloe* vocabatur ad Oriētem ſita, loqui videtur Hieronym. Iſa. 86. ſic ſcribens: *Siloam fontem eſſe ad radices montis Sion, qui non iugibus aquis, ſed incertis horis, diebuſq; ebulliat, & per terrarum concuua, & antra ſaxi duriſſimi cum magno ſonitu veniat, dubitare non poſſumus; nos præſertim qui in hac habitamus prouincia.* videtur idem ſentire Iſidor. lib. 13. Orig. cap. 15. *Fons Siloa*, inquit, *ad radices montis Sion non iugibus aquis, ſed incertis horis, diebuſq; ebullit*, quæ procul dubio ex Hieronymo deſumpſit. quare non video quomodo ſtet id quod Card. Tolet. ait annot. 7. Siloē nomen eſſe piſcinæ, ſeu natatoriæ, Gihon verò eſſe nomen fontis; at ex præcedentibus conſtat, Siloe

C fontem eſſe, eumque influere in piſcinam, ſeu natatoriam. Marinus in arca Noe de hoc fonte Siloe ſic ſcribit: *eſt autem fons ille (modo vera ſint, quæ retulit mihi quidam Hebræus) bis in die ſolum erumpens, quemadmodum & vox ipſa ſonat, maximamq; aquarum copiam per vnius horæ plus minus tempus eijciens mane, veſperiq; videlicet, quam excipit aquæ ductus nan maximus, ſtatimq; pœnè defert in ingentem piſcinam* (videtur natatoriam ſignificare) *ex qua quibuſdam riuulis cum libet hortos irrigant.*

7.

Siloe fons eſt, qui in piſcinam influit.

Id verò quod Iſa. cap. 86. ait: *aquas Siloe fluere cum ſilentio*, de aquis intelligendum eſſe arbitror, quæ ex fonte in vallem effluunt, ſeu in piſcinam, & in hortum Regium. at Hierony. de

D aquis loqui videtur, quæ in fontem ipſum per concaua terrarum, & antra ſaxi duriſſimi veniunt, quę etiam eſt opinio noſtri Barradij, quod verò nō iugibus aquis manet, ſed incertis horis ebulliat, an miraculo tribuendum ſit, an verò Salomonis induſtriæ, & prudentiæ, vt admirabile quiddā eo fonte præſtaret, non facilè ſtatuo, inquit Villalp. ſed cum Siloe inferior eiuſdem ſcaturiginis primæ ſit, velut alter riuus, vt numero ſexto ſignificauimus, quod non perenni fluxu aquam effundat; admirando naturæ arcano ſuperiori primæ ſcaturiginī, vnde inferior dependet, tribuendum opinor. ſenſu verò occultiore locus ille Iſaiæ octauo, verſiculo ſexto, ſeptimo: *pro eo quod abiecit populus iſte aquas Siloe, quæ vadunt cum ſilentio, & aſſumpſit*

8.

Siloe fons quo pacto manet, variæ ſunt ſententiæ.

magis Rasin, & filium Romeliæ; propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Assyriorum, &c. (vbi per aquas Siloe designatur Regnum Dauid, & tribus Iudæ, seu placidissimum Salomonis imperium, quod ab aquis Siloe, ad quas vnctus fuit initium sumpsit, hoc quia abiecit populus decem Tribuum volens potius Damasci, & Samariæ Regibus esse subiectus, quam stirpi Dauid, ob id eos seruire fecit Dominus Regi Assyriorum, cuius potentia inundationi fluminis comparatur) mystice significat Regnum Christi, vt sit sensus: quia abiecit populus iste onus Christi leue, & iugum eius suaue, Dauidis, ac Salomonis Regno significatum; propterea adducet Dominus super eum durissimum iugum, grauissimamque seruitutem, quam etiam nunc Hebræi seruiunt; vel anagogice secundùm Diuum Hieronymum significatur, quod omnis hæreticus, & infidelis, qui Ierusalem, hoc est Ecclesiam oppugnare voluerit, derelinquès, aut contemnens aquas Siloe fontis, qui salit in vitam æternam, tradetur Assyriorum Principi, hoc est Diabolo.

Regnum Dauid per aquas Siloe designatur.

Mystice verò Christi regnum significatur.

9. Ex his intelligi potest locus 2. Paralipomenon 32. 3. vbi sic scribitur: *ipse est Ezechias, qui obturauit superiorem fontem aquarum Gihon, & auertit eas subter ad Occidentem Vrbis Dauid.* Ezechias enim, vt obsisteret Sennacherib irruere cogitanti contra Ierusalé, omnes fontes, qui extra vrbem manabant, obturare decreuit. & veritus aquæ ductum illum Salomonis, de quo numero tertio posse ab hostibus facilè euerti, vt aquarum vsu priuaretur Ciuitas obsessa, & eo fruerentur hostes obsidentes, ideò obturasse dicitur superiorem fontem aquarum Gihon, & auertisse eas subter, (scilicet subter antiquum aquæ ductum Salomonis fodiens ferro rupem) ad occidentem vrbis Dauid: eodem videlicet loco, quo prius effluebant, & Salomonis quidem aquæ ductus supra terram in plures partes vrbis aquas inferebat. Ezechiæ verò inferior aquæ ductus, qui occultissimus erat, in pauciores vrbis partes, easque inferiores aquas inducebat; hinc factum vt in superiorem piscinam aqua non amplius ascenderet, & vt in inferiorem tantum Cænopolim aquam conuehere aquæ ductus sineretur, ibique inter duos muros, lacum, piscinam, seu puteum extruxerit Ezechias; mortuo verò Sennacherib iterum saltem ex parte instauratum esse putat Villalpan. aquæ ductum Salomonis, &c.

10. De Siloe quædam narrat Diuus Epiphanius de vita Prophetarum capite septimo, admiranda, simulque indicat, eum fontem caussa Prophetæ Isaiæ Deum effecisse, quæ videntur inuoluere aliqua Rabbinorum figmenta; & verò fontem Siloa, & aquæ ductus eius vetustiores multo Isaia fuisse, ex his, quæ diximus satis intelligi potest. iterum Diuus Irenæus libr. 4. cap. 19. asserit in diebus Sabbatorum multos curari solitos in Siloa, quod non probat aliqua auctoritate, nec videtur verosimile, alioquin non eo misisset Christus cæcum, ne fortasis aliquis piscinæ tribueret miraculum. Gagnæus item narrat fontis Siloe aquas Saracenis multo in pretio esse, qui cum

Fons Siloa & aquæ ductus vetustiores fuere Isaia.

A instar hircorum pro more fœteant, huius fontis aquæ lotione fœtorem minuunt, & in eadem aqua lauantes oculos à cæcitate leuari, ita vt etiam Turcis magna sit in reuerentia; quæ si vera, admirabilia sunt.

Postremò Theodor. & Procop. volunt, *Gihon*, vel *Gehon* etiam esse nomen Nili fluuij Gen. 2. 13. & videri propterea fuisse communicatum fonti Ierosolymitano, quod ipse quoque per occultos cuniculos, quemadmodum Nilus exsurgat; videtur autem *Gihon*, seu *Giehon* à verbo *gauach* dici, quod erumpere, aut irrumpere significat, quod aquæ inde quasi impetu erumperent, quem ego impetum continuatum arbitror vsque ad fontem Siloe, qui deinde leniter fluebat in piscinam; *Siloe* verò dicitur à verbo *Salach* mitto, vel quod aqua è fonte Gihon mitteretur in piscinam, vel quod

B aquæ in hortos deriuabantur ex piscina. Reliquæ sunt digressiones morales.

II. Gihon nomen Nilo etiam est impositum, vt placet Theodoreto.

DIGRESSIO II.
MORALIS.

De cæcitate mentis.

1. Cæcitas mentis multis est subiecta periculis.

QVEMADMODVM eum qui oculorum visu priuatus est, non dubitamus affirmare obnoxium esse multis periculis, quæ facilè caueret, si oculis orbatus non esset; ita pluribus ac maioribus malis eũ esse subiectum, multo verius dicemus, qui mentis cæcitate laborat. Quid fortius leone? & tamen is

C iniectu pallij oculorum erepto lumine facilè cedit: *vix credibili modo*, vt inquit Plinius libro octauo, capite decimosexto. *torpescente tanta illa feritate, quamuis leui iniectu operto capite, ita vt deuinciatur, non repugnans, videlicet omnis vis constat in oculis.* ita hominis accidit, nam extincta luce mentis illico langueſcit, vincitur, & superatur, videlicet vberior atque ampla hominis vis constat in oculis animi, quibus rerum caducarum abiectam conditionem, & æternarum præstantiam perspicit, & sanè qui clausis oculis parata improbis supplicia non aduertit, sese ipse in dæmonis arma, & retia inducit. Ad hanc rem confirmandam illud ex Numer. 22. huc accersere possumus, quod Scriptura narrat de Balaam, eiusque asina, cui in-

D sidebat, nam hæc Angelum cernens euaginato stantem gladio, deflexit à via, at Balaam, qui minimè districto gladio armatum Angelum cernebat, vlterius progredi quantum poterat nitebatur. Similis Balaam peccator est, qui diuinæ iustitiæ sibi impendentem gladium magna mentis cæcitate percussus non intuetur; quare nec ab incepto flagitiorum recedit itinere. Quoties rogo tibi etiam vias prauas gradienti euaginato gladio astitit DEVS, vt viæ tuæ malæ aduerterentur? nec tamen vides quæ tibi impendent mala, & cum planè mentis oculis orbatus sis, in vtramque aurem dormis quasi securus, & tanquam omnia prospiciens dicis: *cæcus non sum.*

Cæcitas mentis causa, vt homo Dei euaginatum gladiũ non intueatur.

Solent

2. Solent feræ noctu circumcurſare hominum loca, noctu cubilibus exiliunt, vt prædas agant; *poſuiſti tenebras*, inquit Dauid Pſalmo 103. *& facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ, catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi*: at vbi iniecta terris lux caliginem diſſipat, omnia hæc monſtra ad ſua redeunt luſtra, *ortus eſt ſol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur, exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam* &c. nulla tam atrox bellua eſt, quæ cum inſana animi libidine, cum immodico inanis gloriæ ſtudio, cum auaritia, alijſque prauis cupiditatibus conferri poſſit.

Dum mens cæca eſt, in miſeram redigitur homo ſeruitutem.

Hæ ergo tam immanes beſtiæ dum mens cæca eſt, nec affulget cœleſtis lux, admirandum in modum cuncta animi bona diſijciunt, innumera ſecum aduehunt incommoda, mentis vires debilitant, atque infringunt, & veluti captiuum totum hominem in miſeram ſeruitutem conijciunt. at ſi de cœlo emicet lux, tunc cernit homo, quàm magnis tenebris obrutus fuerit, quàm tetra caligine ſepultus, tunc accepta per mentis tenebras damna reſarcire contendit. Vide quid interſit inter animi tenebras & lucem.

3. Sed non facilè erit homini, animi tenebris obuoluto, quod cæcus ſit, perſuadere; qui cum ſibi ſapere maximè videatur, reliquos ferè omnes in tenebris agere putat: ſed cæcum eſſe minimè dubitabit, qui Scripturas legerit. Audi quid Hoſe. 7. 11. ſcriptum ſit: *factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor*, quibus verbis non potuit clariùs ſtultitiam, & vecordiam peccatoris ſignificare Propheta; ſimilis planè eſt columbæ ſeductæ, id eſt, inſipienti, & ſtultæ, cæteræ aues pugnant vt pullos tueâtur, ſola columba etiam ablatos pullos non dolet, nec quærit. Hinc Euthym. & Theophylact. Matth. 10. notant, columbas etſi pullis orbentur, ad eoſdem tamen Dominos, & ad eaſdem ædes redire. Adde, quod columba aucupem tendentem retia, ita non magnoperè vel videre, vel deuitare curat, vt ſponte ſua quodammodo incidere in retia cupere videatur. Similis huic eſt peccator; negligit Dei gratiam, & dona, nec dolet amiſſa, nec ſentit, adeò ſalutis negligens eſt. Iterum cùm ſciat ſe, ex prauorũ hominum conſuetudine, ex voluptatibus, ex prauis animi cupiditatibus, damna, ac detrimẽta accepiſſe plurima, nunquam tamen ex his recedit, vel certè tanquam amens ac ſine corde eodem reuoluitur. Deniq; dæmonis retia vitare contemnit, quin etiam tanquam ſtultus ſponte ſua in illa incurrere feſtinat; fallaci enim quadam boni ſpecie captus, & breui, fœdaq; voluptate illectus, tantum non ſeſe vltro in laqueos, & in ipſas crudeliſſimorum hoſtiũ manus conijcit. An tu non iſtum columbæ ſeductæ, nec habenti cor ſimilem eſſe dixeris?

Peccator inſipiens efficitur.

Peccator vltro in dæmonum retia conijcitur.

4. Et verò quis hominem delicijs deditum cæcum non iudicet, cùm videat illum corpus tantùm curare, eique tanquam mancipium ſeruire, animæ verò quæ potior eſt hominis pars, omnem curam abijcere? infelicis quoq; huius vitæ ac breuis proſpicere commodis, æternæ verò contemnere gaudia? Annon tibi hæ AEgypti tenebræ, quæ palpari queant, videntur? ſi quem videas publica gradientẽ via in foueam, quæ ante pedes erat, clara luce incidere, nonne hunc tu captum oculis cenſebis? *foſſa profunda eſt meretrix, & puteus anguſtus, aliena. Inſidiatur in via quaſi latro, & quos incautos viderit, interficiet.* Prouerbiorum 23. 27. 28. in hanc foueam volens lubenſque incidit, qui miſeras fœdaſque voluptates perſequitur; tam aũt profunda eſt iſthæc foſſa, tam altus puteus vt ad inferos vſque penetret. Crudeliſſimo latroni tradit ſe interficiendum, & tamquã draconi deuorandum, qui ſe meretrici falſis eius delinitus blanditijs, committit. Ii cùm inter media vitæ diſcrimina verſentur, audent tamẽ ſibi longam vitam, &, quaſi tuta ſint omnia, miſericordiam Dei polliceri. In hos aptè cadit id, quod Hoſe. cap. 9. 7. de Iſraele: *ſcitote Iſrael ſtultum Prophetam, inſanum virum ſpiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ.* Non alium ego falſum Prophetam peiorem arbitror, non alium magis inſanum virum ſpiritualem, hoc eſt, Prophetam non à Deo afflatum, ſed inſania, & furore correptum, & mendacem eſſe duco, quàm eum, qui ſibi diuturnam vitam promittit, & cùm Dei minas, & ſupplicia audit, reſpondet ſtatim, Deum bonum & miſericordem eſſe, neq; velle mortem peccatoris, nihil interim curans quod ſequitur: *ſed vt magis conuertatur & viuat.* Iſtis frequenter accidit, id quod de quodam Gregor. 4. dialog. cap. 49. narrat: *cuidam* ait *noſtrum nuper certum eſt contigiſſe, dum ſomnio vehementer attenderet, vt ei per ſomnium longa vita promiſſa ſit, cumq; ad hanc longitudinem multas pecunias collegiſſet, ita repentè defunctus eſt, vt intactas omnes relinqueret, & ipſe ſecum nihil ex bono opere portaret.* Sic Sanctus Gregorius. Verùm illud eſt magni Prophetæ vaticinium, quod noſtris ſemper auribus deberet inſonare: *vigilate quia neſcitis diem, neque horam*, & Matth. 25. *videte, vigilate, & orate: neſcitis enim quando tempus ſit.* Mar. 13. & audent tamen iſti ſibi Neſtoris annos polliceri, & vt licentiùs peccent, accumulare opes, vt nullum voluptatis genus ſit, quo non perfruantur.

Peccator in foueam labitur, cùm ſe voluptatibus dicat.

Peccator inſanus efficitur, cum ſibi longiſſimã promittit vitam.

5. Sanè hos ſtultos Prophetas, hos inſanos viros ſpirituales diabolus decipit, falſorum Prophetarum ipſe ſeductor, & caput. Is eſt qui longam vitam iſtis pollicetur: is qui Dei miſericordiam immodicè extollit, verè homicida, verè mendax ab initio. quantò verior, quantò etiam tutior eſt illa prophetia: *niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis?* Lucæ 13. 3. & illa: iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. *omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Matthæi 3. 10. Denique illa: *ne dicas miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur.* Eccleſiaſt. 5. 6. 7. *miſericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius.*

Mundanorum inſania

6. Sed neſcio an melius exprimere quiſquam alius potuerit tantam animi in peccatoribus cæcitatem, denſamque caliginem, quàm benè illam expreſſit Diuus Paulus Romanorum 6. 21. vbi volens inſaniam ac ſtultitiam mundanorum hominum declarare, qui innumeros

Et cæcitas.

meros fruſtra ſuſtinent labores, & cum plurimis ſeſe exponant periculis, totus tamen iſte labor irritus eſt, nuſquam enim pacem, nuſquam verâ animi quietem experiuntur: ſic illos interrogat, *quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* nèc his cõtentus declarat etiam, quem finem ſortiatur improbus iſtorum labor; *nam finis*, inquit, *illorũ mors eſt.* hoc eſt quod multò ante prædixerat Haggæus 1. *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum, comediſtis, & non eſtis ſatiati; bibiſtis, & non eſtis inebriati; operuiſtis vos & non eſtis calefacti; & qui mercedes congregauit miſit eas in ſaculum pertuſum. in araneárum telas erit vitulus Samariæ* inquit Hoſeas cap. 8. talis erit exitus diuitiarum, voluptatum, honorum, & earum omnium rerum mundi, quas tanquam vitulum Samariæ adorant homines improbi in terra. Laborant quidem, ſed eorum labores inanes erunt, quaſi aranearum fila, quæ per aerem volitantia, ita ſtatim viſum fugiunt, vt in nihilum redigi videantur, vt proinde iure Iſa. cap. 59. 5. 6. omnes mundanorum labores, & opera telis araneæ compararit; *telas araneæ texuerunt*; & *tela eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis*; *opera eorum opera inutilia.* Quanto, & quam incredibili labore quaſi ex viſceribus ſuis telam ſuam aranea contexit, & tamen nihil aliud tantis incommodis peperit. quam vile opus muſcas capturum, quod facilè minimo flatu diſſoluatur; & mundani homines multò diuturnioribus, & grauioribus laboribus ſe frangunt, & euiſcerant, vt breui perituris, atque inutilibus huius vitæ bonis tanquam araneæ telis fruantur.

7. Quid habet hõmo amplius de vniuerſo labore ſuo, quo laborat ſub ſole? nõ veſtietur his telis, cùm infelicem animam exhalaturus ad Dei Tribunal paulò poſt ſtabit, ibi cernetur eius confuſio, videbitur ignominia illius, neque operietur operibus ſuis, *videbunt iuſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent; ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, & præualuit in vanitate ſua.* Pſal. 51. verè ij ſunt, de quibus Hoſ. c. 8. 7. *ventum ſeminabunt, & turbinem metent.* Etenim quamuis fecunda ſemina in lætam ſegetem prouentura terræ committere ſe credant, reuera ventum ſeminant, hoc eſt, inane quid, ac ſterile, & quod nihil plus fructus ſit allaturum, quàm ſi ventum ſeminaſſent. Sed ne id ſatis; quin turbinem etiam metent, ventus enim quaſi ſemen intra terram concluſus, cùm foras prodierit, puluerem excitat, & in puluerem vertitur, non parum oculos, corporaq; hominum infeſtans, ac lædens; ita ij tot operibus, vigilijs, ſudoribus nihil aliud quam magnas miſerias, aduerſa, & incommoda fortunæ innumera pro fructu percipient. Intelligiſne Lector quanta ſit iſtorum cæcitas, qui iſta non vident?

8. Sed vtinam hic eſſet tenebrarum finis; æternam ſentient caliginem, teſtis eſt Iob. 18. 5. 6. vbi ſic de impijs ait: *nonne lux impij extinguetur, nec ſplendebit flamma ignis eius? lux obtenebreſcet in tabernaculo illius, & lucerna, qua ſuper eum eſt, extinguetur.* Deficiet vmbratilis eorum lux, extinguetur lucerna, hoc eſt, fluxa mundi

A proſperitas, & horribilibus, ac ſempiternis inferni tenebris operientur, conijcientur in tenebras exteriores, *ibi erit fletus, & ſtridor dentiũ*; diuitiæ verò, voluptates, honores brucho ſimiles erunt iuxta illud Naum. 3. 16. *plures feciſti negotiationes tuas, quam ſtellæ ſint cæli, bruchus expanſus eſt, & auolauit.* Vide vt peccatoris vitam aptè deſcribat plenam negotio, & labore, neq; enim vnquam quieſcit peccator etiamſi opibus, & voluptatibus affluat, ſed negotiatur, ſed laborat ſemper, nec vna tantùm, ſed pluribus negotiationibus exercetur. Quæ enim moleſtior negotiatio ambitione, auaritia, libidine, vnde ſolent cædes, inimicitiæ, multiplex ſolicitæ mentis agitatio, angor, magna pecuniarum, & ſalutis iactura, & innumera alia mala proficiſci? Iure igitur Vates plures eſſe eorum
B negotiationes ſtellis affirmat. Verùm quid demùm tantis operibus comparatur? *bruchus expanſus eſt & auolauit.* Bruchus terram occupat multitudine maxima, repentè tamen auolat, ita vt nuſquam appareat; ſic iſtorum deliciæ, pecunia, honores ſtatim auolant, quod ita eſſe teſtatur Salomon Sap. 5. *quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius percurrens, & tanquam nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam.*

Obſeruat noſter Barrad. vtiliter ſatis hanc mentis cæcitatem tria valdè admiranda conſequi. Vnum eſt, quod cùm corporis cæcitatem vniuerſi fugiant, & propterea nihil non ſuaue experiantur, vt illam longiùs à ſe abijciant: Animi certè cæcitatem non curant homines mente cæci, non fugiunt, medicamenta non quærunt, vt curentur. Sero ſapiunt Phryges, ſola vexatio apud inferos illis intellectum dabit. Tunc intelligent miſeri quam tetrò malo dum viuerent, obnoxij eſſent. tunc dicent, ſed fruſtra. Sap. 5. 6. 7. *errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumẽ nõ luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* 9. Mundanæ cæcitatis incõmodd.

C Alterum eſt, quod qui corporis oculis capti ſunt, ſe cæcos eſſe non ignorant, at mentis lumine capti ſæpè miſeri ſuam cæcitatem non aduertunt. In media erat Babylone Sedechias Rex, ſed quia oculis orbatus erat, Babylonem non videbat Ierem. 52. hoc ipſum facinoroſis hominibus vſu venit; inter Babylonios agunt, hoc eſt, tetra mentis
D confuſione occupantur (ſignificat autem Babylon confuſionem) ſe tamen Babylone viuere non agnoſcunt, immò verò Babylonem ſuam Ieruſalem appellant. Nam cum tetræ noctis caligine obuoluantur, in maxima ſe luce verſari putant, ac proinde illis accidit, quod Syriæ Regis militibus, quos cæcitate percuſſos duxit Eliſæus in vrbem Samariam, hoc eſt, in medium hoſtium, ita improbi homines, qua, vel quo tendant cæcitate percuſſi, non vident. Rogandus eſt DEVS, vt iſtorum oculos aperiat, & vbi ſint agnoſcant, ſicut pro illis rogauit Eliſæus 4. Regum 6. 20. 21. *Domine aperi oculos iſtorum vt videant. Aperuitque oculos Dominus eorum, & viderunt ſe eſſe in medio Samariæ.* 10:

Vide quid narret Seneca epist. 50. de Arpaste cæca.

11. Tertium, qui solo corpore cæci sunt, nihil omninò vident. At hoc mirabile est in his, qui animo cæci sunt; cùm enim mentis cæcitas spontanea sit, qui hac affecti sunt, & vident simul, & non vident, videlicet quæ placent, vident; quæ displicent, non vident. Nam in his quæ ad animi salutem spectant, similes omninò cæcis sunt. At in his, quæ ad voluptates, diuitias, & honores attinent, lyncei sunt; & ideo comparari possunt his, quos DEVS aliquando ἀιοφασίᾳ aorasia percussit, qui cùm quædam rectè viderent, quędam tamen alia non videbant, quamuis apertos haberent oculos, vt ijs accidisse videtur, qui Sodomis in domum Loth vim conabantur inferre, *eos*, inquit Script. Gen. 19. 11. *qui foris erant percusserunt* (Angeli) *cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* De his Iere. 4. 22. *filij*, inquit, *insipientes sunt, & vecordes: sapientes sunt, vt faciãt mala: benè autem facere nescierunt*; *In hoc* dixit Naas Ammonites ciuibus Tabes Galaad, *feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.* 1. Regum 11. tale dæmon cum mundanis fœdus init, dextrum animæ oculum, quo diuina, & æterna meditamur, eruit, siniſtrum verò oculum reseruat, quo fluxa, & caduca tantum videant vt sequantur; aptè vero dæmon *Naas*, siue *Nachas* indicatur, quod hebræum nomen serpentem significat.

12. Mentis cęcę remedia. Reliquum est vt quæ cæcitati mentis amouendæ remedia prosint, aperiamus. Primum ex capite 3. Apocalyp. 19. subministratur: *collyrio inunge oculos tuos vt videas*; sed quod collyrium medicamentum sit curandis oculorum morbis, præcipuè verò lippitudini conducens, sat scimus. Verum quid Spiritus sanctus hoc collyrio significet, non planè Bona operatio. constat. Diuus Gregorius bonam operationem intellexisse videtur, nam de lippitudine spirituali, & de collyrio ad eam curandam sermonem instituens & albugine 1. p. curæ pastor. capite 1. ait: *Lippus est, cuius ingenium ad agnitionem veritatis emicat, sed hoc tamen carnalia opera obscurant. In lippis quippe oculis pupillæ sanæ sunt, sed humore defluente infirmatæ palpebræ crassescunt; quæ quia crebra infusione attenuantur, & acies pupillæ vitiatur: sunt nonnulli, quorum sensum carnalis vitæ operatio sauciat, qui videre recta subtiliter per ingenium poterant, sed vsu prauorum actuum caligant: lippus itaque est, cuius sensum natura exacuit, sed conuersationis prauitas confundit. cui benè per Angelum dicitur, collyrio inunge oculos tuos vt videas; collyrio enim oculos inungimus, vt videamus, cùm ad cognoscendam veri luminis claritatem, intellectus nostri aciem medicamine bonæ operationis purgamus. Albuginem verò habet in oculo, qui veritatis lucem videre non sinitur, quoniam arrogantia sapientiæ excæcatur. Pupilla namque oculi nigra videt; albuginem verò habens, nihil videt, quia si quis stultum se peccatoremque intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit; sin autem candorem sibi, vel iustitiæ, vel sapientiæ attribuit, lucem à se superna cognitionis excludit, de quibus dixit Apostolus: dicentes se esse sapientes stulti facti sunt.* Hæc D. Gregorius.

13. Compũctio cordis. Diuus Ambrosius *per collyrium*, inquit, *quod caliginem ab oculis detergit, & lachrymas educit, pœnitentiam, & compunctionem cordis intelligere debemus: hæc namque caliginem ignorantiæ à mente nostra discutit, eiusque oculos ad videndum, quæ sit retributio bonorum, & pœna malorum.* Thomas Anglus hanc Ambrosij interpretationem sequutus, sic eam confirmat: *quemadmodum collyrium turpat oculum, & humorem ex eo malum fluere facit, & clarum ei visum reddit; ita & cordis compunctio, atque contritio prius turbat animum per tristitiam, & dolorem, & sic noxium euacuat humorem peccati, cuius signum aliquando est resolutio in lacrymas, per quod interni animæ oculi mundantur, atq; clarescunt.*

14. Humilitas. At Rupert. Abb. magis fortassis inhærens textui Apoc. ait: *collyrium quo vitia, & morbi oculorum purgantur, atque sanantur, humilitatis virtutem significat: hæc enim paruulos adiuuat, vt ea quæ sapientibus, & prudentibus abscondita sunt diuinarum rerum mysteria, illis à Deo reuelentur. Rectè igitur Episcopo isti Laodicensi dicitur: collyrio inunge oculos tuos vt videas, id est, cor tuum humilitate purifica, vt paupertatem tuam videas, & veras diuitias bonitatis Dei cognoscas.* verè sanè Ruper. nam verum oculorum animæ collyrium est infirmitatis, & fragilitatis propriæ cognitio, vnde suiipsius contemptus, & abiectio exsurgit.

15. Passionis Christi consideratio. Sed nihil potentius, atque efficacius ad sanandos, & illuminandos mentis nostræ oculos est frequenti, atque attenta passionis Christi meditatione. Valesius de sacra philos. c. 42. docet ad abstergendos inueteratas oculorũ albugines, nihil magis celebrari quã fel, præsertim callionymi piscis; hic piscis significatus per piscẽ illum, quẽ è Tyri flumine Tobias extraxit, quemq; Valesius verosimiliter Callionymum fuisse putat, Christum aptè repræsentat, cuius nomen IESV pulcherrimum est, quod sonat nomen Callionymi. sicut ergo Tob. 6. iussit Angelus vt Tobias tres huius piscis partes reseruaret; cor, fel, & iecur. ita hæc tria nobis ex Christo reponenda sunt ad meditandum: cor est dilectionis immensitas, iecur amoris perfecta decoctio, fel Passionis amaritudo; cor ergo, iecur, & fel tam salutaris piscis sibi reseruant cum Tobia, qui dilectionem qua Christus in finem dilexit nos, & amaritudinem, quem toleraúit, in memoriam frequenter reuocant iuxta illud Threnor. 3. 19. *recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthij, & fellis.* Hinc enim fiet, vt sicut Tobias Pater felle piscis oculis admoto visum recepit; ita & qui cæcitate mẽtis laborant Passionis Christi diligenti, & accurata memoria tamquam collyrio mentis aspectum recuperent. Rectè enim monet Apostolus ad Hebr. 12. 3. *recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes.*

Piscis Tobię Iunioris. ca. 6.

16. Tribulatio. Plurimum etiam facit ad recipiendum a missum lumẽ mentis, & ad amouendum rerũ caducarum amorem, tribulatio, & persecutio. quod cum ex varijs locis Scripturæ, & exem-

plis

plis ostendi possit, satis nunc sit illud Thren. 1.13. *de excelso misit ignem* (tribulationis) *& erudiuit me*, & illud Isaiæ cap. 28. 19. *vexatio dabit intellectum.* Sic per mala contraria ad lucem & ad bona cœlestia, & æterna nos Christus perducit, sic per lutum, quod visui alioqui plurimum officit, cæcum à natiuitate illuminauit. Quare operæpretium erit hoc etiam Euangelicum lutum non negligenter prætereire; etenim efficacissimum est ad abstergendos oculorum animi morbos, lutum; sanè per hoc lutum naturam ipsam hominis morti obnoxiam, & de puluere seu limo formatam, aptè intelligimus. Hæc ergo terra, hic puluis, quē proijcit ventus à facie terræ, si solus per se spectetur, ad obcæcandos potius oculos valet, quam ad eorū tenebras expellendas: etenim si humana natura, quam ventus vanitatis, & fastus ceu puluerem huc illuc proijcit, ac rapit, attollatur, perspicacissimam quantumuis oculorum aciem opprimet, & in miseram rediget cæcitatem.

Cæterùm idem puluis, eadem terra, si non hominum vento supra se rapiatur, sed Christi saliua, id est, Christi sapientia, quæ Dei timorem gignit, & amorem, aspergatur, in efficacissimum medicamentum euadit ad repellendam inhærentem animo caliginem multò saluberrimum. Rectè autem diuina sapientia, quæ à capite descendit, id est, à Patre, saliua significatur: nam & gustatui inseruit saliua & sermoni, quorum vtrumque sapientiæ munus est, & diuina sapere, & diuina eloqui; hæc verò nullius vnquam, sicut Christi propria fuerunt postquam sibi carnem assumpsit, id est, saliuam terræ admiscens, quod est verbum carnem factum esse.

17. Poterimus ex hoc luto aliter nobis collyrium facere ad abigendas peccati tenebras: si enim per lutum peccatum intelligamus non vtcumque, sed Dei digito mentis nostræ oculis adhibitum, in collyrium, ac medicinam illico euadet efficacissimam; etenim ipsa peccatorum non sine dolore cogitatio cum æstimatione prauitatis, & deformitatis eorum, & grauitatis offensæ Dei diuinitus in nobis excitata, per quam incipiūt nobis displicere sordes nostræ, sanè saluberrimum medicamentum erit, quo gratiæ lumen peccato sublatum singulari Dei beneficio recipiatur. Sic recepisse se lumen amissum significat Dauid, dum ait: *quoniam iniquitatem meam ego cognōsco, & peccatum meum contra me* (ante me, coram me) *est semper.* Hoc verò quod nunc dicimus, declarauit Christus, dum liniuit super oculos cæci lutum, quod tunc spiritualiter Dominus facit, cum mentis nostræ oculis peccatorum turpitudinem, ac fœditatem ingerit, quod cum Petro factum esse non ignoramus, cùm respiciente illum IESV, recordatus verbi illius amarè fleuit. Sed illud non est hic prætermittendum, quod Christi lutum, quamuis obscurum, ab ipso tamen oculis admotum visum restituit: contra verò diuitiarum, honorum, cæterarumque rerum mundi in speciem splendor aciem mentis præstringit, & sapientum oculos excæcat. Persimilis est hic splendor candentis ferri fulgori: quo oculis admoto, Tyrannorum imperio, quibusdam ereptum esse visum audiuimus; fit enim nescio quomodo, vt vehementiore ignis fulgore acies obtundatur. Sic fastu, ambitione gloriæ, igne libidinum, iracundiæ, superbiæ, fulgore auri perstringitur acies mentis, & excæcantur homines; etenim si eiusmodi ignis super aliquem cadat, nec ille quidquam videbit prorsus, ac ne solem quidem.

Postremò vbi quis cœleste lumen recepit, & mentis oculos recuperauit, iam in alium euadit virum, nec esse idem videtur, qui antea fuerat, id quod cæco nato euenit, cui post restitutum lumen accidit, vt alius esse videretur, idem 1. Regum capite 10. Samuel significauit dum Sauli dixit: *insiliet in te spiritus Domini; & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Nec mirum, nam Spiritus Domini eos, in quos insilit, ita immutat, vt de terrenis cœlestes, de gulæ, ventrique seruientibus abstinentes, & sobrios, de genio, turpibusque voluptatibus deditis castos, denique de vitiosis virtute præditos efficiat. 18.

DIGRESSIO III. MORALIS.

Explicatur historia Cæci nati accommodatè ad mores.

PRæteriens IESVS v. 1. Cùm disputasset Christus Dominus cum Scribis, & Pharisæis, illi eo dementiæ venerunt; vt lapides sustulerint, quibus eum lapidarent; illis ergo relictis cùm præteriret, vidit medicus mendicum cæcum à natiuitate, & dum videt, ei visum contulit, à quo videri non poterat; quemadmodum verò ignis flamma, cùm lucernam attingit extinctam, statim accendit, ita Christus, cuius *oculi tanquam flamma ignis* dicuntur Apocalyp. 1. vbi videndo attigit cæci oculos orbatos lumine, quasi lucernas extinctas, illos protinus illuminauit. Hinc Ambrosius epistola 75. *quasi lux*, inquit, *Christus tetigit cæcum, & lumen infudit.* Quid mirum? Annon quidquid videt sol tenebris obsitum, sua protinus luce collustrat? An fortè ignoramus Christum solem esse iustitiæ? Vide igitur quantum afferat boni Christus, dum ad aliquem venit; atqui hoc est, quod Leuit. 26. 11. 12. significauit Deus his verbis: *ponam tabernaculum meum in medio vestri & non abijciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosque eritis populus meus.* Nihil est in cœlis, quod piorum animas magis exhilaret, quam Dei præsentia, quam intuentur. Contra verò si recesserit DEVS à nobis, sicut cum Scribis, & Pharisæis fecit, omnia secum auferet bona. *Væ eis*, inquit Deus Hose. 6. *cùm recessero ab eis*: etenim si diuitias auferat, si honorem, si vitam, parum vel nihil ista sunt, si non recedat à te. Verùm væ tibi vbi ipse recesserit; nulla enim in inferno pœna maior, quàm pœna damni.

Audia-

Audiamus quid per Ieremiam 6.8. moneat nos Deus: *erudire Ieruſalem, ne fortè recedat anima mea à te, ne fortè ponam te deſertam, terram inhabitabilem.*

2. Timendum eſt igitur vehemen[illegible]r, ne à nobis DEVS recedat iratus, it[illegible]lantibus noſtris flagitijs; atqui hoc eſt q[illegible]et nos Ioannes Apocalyp. 3. 11. *tene quod [illegible]s, vt nemo accipiat coronam tuam.* Quæ alia, rogo, eſt corona capitis noſtri, quam DEVS ipſe, ſertum exultationis noſtræ, quem hic per gratiam poſſidemus, in cœlis verò per gloriam? Porrò hæc corona facilè nunc amitti poteſt, ſi quis ingratus exiſtat, ſi quis contempto Deo vitijs ſeſe addicat. Sic enim fiet, vt alter alterius qui cecidit, coronam accipiat, iuxta illud Iob. 34.2.4. *conteret multos, & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis.* Quod non eſt difficilè exemplis illuſtrare. Cecidit Heli, ſubrogatus eſt Samuel: receſſit à DEO Saul, ſucceſſit in locum eius Dauid: abijt in locum ſuum Iudas, & ſubſtitutus eſt Matthias: Decidit Synagoga, & gentium populus erectus eſt, & ſubingreſſus in locum eius; rami enim fracti ſunt, vt inſererentur gentes. Quid multa? Veriſſimum eſt illud dictū Domini: *multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.*

3. Pauperibus ſubueniendum. Eſt & aliud, quod ex his verbis in noſtram conuertamus vtilitatem; nimirum vt pauperes non prætereamus ſine auxilio, ſicut Chriſtus prætereuntes mendicum illum intuitus, ei ſubuenit, qua in re oſtendit veriſſimum eſſe illud, quod de Chriſto teſtatus eſt Petrus Actor. 10. 38. *qui pertransijt benè faciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.* Quare ſi proximi tui corpori non vales per eleemoſynam ſubuenire, mentem illius refice. Ad quam ſpiritualem eleemoſynam hortatur nos Diuus Gregorius homilia 6. in Euangel. ac quam præclara ſit docet, *vnuſquiſque*, inquit, *veſtrum in quantum ſufficit ſi à prauitate proximum reuocat, ſi exhortari ad benè operandum curat, ſi aternum regnum, vel ſupplicium erranti denuntiat, cùm ſanctæ denunciationis verba impendit, profectò Angelus exiſtit. Huius altitudinem nominis ſi vultis, poteſtis mereri.* Ergo ex ſcientia Diui Gregorij ſpiritualis eleemoſyna ad Angelorum nos gradum euehit. Quod ſi dicas pauca te ſcire, nec habere quo alijs proſis, audi quid idem Diuus Gregorius dicat: *ſcimus quod in tabernaculo non ſolùm phialæ, præcipiente Domino, ſed etiam cyathi facti ſunt* (Exhodi capite trigeſimoſeptimo) *per phialas quippe doctrina exuberans, per cyathos verò parua, atque anguſta deſignatur ſcientia. In Dei ergo tabernaculo, id eſt, in Eccleſia poſiti, ſi per doctrinam ſapientiæ miniſtrare phialas minimè poteſtis; in quantum pro diuina largitate ſufficitis, proximis veſtris boni verbi cyathos date.* Sic ille. *Nemo igitur dicat*, vt idem ait, *admonere non ſufficio, exhortari idoneus non ſum: quantum potes exhibe, ne malè ſeruatum talentum quod acceperas, in tormentu pendere exigaris. Neq; enim pluſquam vnum talentum acceperat, qui hoc abſcondere magis ſtuduit, quàm erogare.*

A Sed accidit ſæpè, vt qui ſapientiores ſunt quodam ſapientiæ ſplendore inflati, alijs prodeſſe nolint, quod mihi imprimis Lucæ 10. ſignificatum eſſe videtur in Sacerdote illo, qui ſemiuiuum illum hominem, & multis vulneribus malè acceptum à latronibus vidit & præterijt, ſicut & Leuita. At Samaritanus, qui minimè omnium in ſeminecem illum operam, curamve aliquam impenſurus eſſe putabatur, *appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum.* ita prætereiens vidit, nec tamen præteriuit ægrotantem: *vade, & tu fac ſimiliter*, ſi ſapis. Præcipiebat Deus Deuteronom. 22. 4. *ſi videris Aſinum fratris tui, aut Bouem cecidiſſe in via, non deſpicies, ſed ſubleuabis cum eo.* Hinc, niſi planè ſit amens aliquis, intelliget arbitror quid cum homine faciendum B ſit, quando Aſinus & Bos ſubleuandus ſit; iure Bernardus epiſtola 203. ait: *Virgo Iſrael corruit, & non eſt qui ſubleuet eam, quouſque in luto aurum iacet? tollite margaritam, leuate pretioſiſſimam gemmam de ſterquilinio, leuate eam antequam porcorum, id eſt, ſpurcorum ſpirituum pedibus conculcetur.* Et ſanè meritò conqueri fratres noſtri poterunt de nobis, ſi illos virtutibus exareſcentes in modum torrentium prætereamus, nec irrigemus. Hinc illæ lachrymæ Iob cum fratribus expoſtulantis capite 6. 15. *fratres mei prætergierunt me, ſicut torrens, qui raptim tranſit in conuallibus.*

Exemplo igitur ſit nobis Saluator, vt 5. prætereuntes diligenter intueamur pauperes; nam quos tangit pauperum amor, & tener ille pietatis affectus, delectat profectò aſpectus ipſe ærumnarum, & cæcos vident, & C mutis ipſis nihilq; petentibus reſpondent, adſunt, ſubueniunt: at qui neque miſereri, neque molleſcere volunt ad aliorum ærumnas, omnem naturæ ſenſum abnegantes, hi deſpiciunt, deijciunt oculos, prætereunt, atque tantùm abeſt, vt cæcos videant, vt oculos viduæ, & miſerorum fruſtra expectare faciant. Vide locum illum Iobi capite 6.

Neque hic peccauit &c. ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo. Quamuis iuſtus aliquis 6. ſit, & ſine crimine, ſolet tamen interdum DEVS illum vexando exercere, vt perficiat, & meritum augeat, & alios patientiæ exemplo iuuet, & confirmet. Sic cum Iobo egit Deus, quem defendit, & eius obtrectatores repreſſit dicens c. 42. *non eſtis locuti rectum coram me, ſicut ſeruus meus Iob.* ſic cum Tobia, cui dixit D Angelus cap. 12. *quia opera tua placita erant coram Deo, neceſſe fuit vt teſtatio probaret te.* Deinde interdum etiam corripit aliquos propter ſcelera, vt emendentur, & ad meliorem frugem redeant, nunquam tamen in vniuerſum quod ex ſe eſt, ita punit quemquam, vel affligit, vt interimat, derelinquat, & damnet, nam etiam cùm corripit, non derelinquit, vt 2. Machab. lib. cap. 6. 16. dicitur: *nunquam quidem à nobis miſericordiam ſuam amouet, corripiens in aduerſis populum ſuum non derelinquit*, & Iob 5. 18. *ipſe vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius ſanabunt*; vbi verbum *mederi*, ex Hebræo circũuoluere vel *ligare* ſignificat; quare rectè hæc

duo

duo coniuncta sunt, *vulnerat, & medetur*, quasi dicat, vulnus quidem infligit, sed statim alligat, & sanat. Porrò maxima deligationis vis est apud chirurgos, teste Hippocrate: hinc solet cum fractionibus, & vulneribus deligatio in Scripturis adiungi Ezech. 34. 4. *quod confractum est, non alligastis.* & Psalm. 146. 3. *qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.*

7. Tribuitur verò etiam in Scripturis non rarò simul vtrumque Deo, percutere, & sanare, vulnerare, & alligare tanquam res illo dignissima, vt Deutero. 32. 39. *percutiam, & ego sanabo.* 1. Regum 2. 21. *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* Sap. 16. 13. *deducis ad portas mortis* (constituis inter extrema pericula) *& reducis.* Altissimo verò consilio hæc duo simul connexa Deo à se tribuuntur. Tum vt immensa Dei potentia, & iustitia nobis manifesta sit. Sic Deutero. 2. loco citato: *non est alius Deus præter te*, & eodem loco Sapientiæ, *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem* &c. tum vt Dei charitas, & misericordia appareat, quæ post flagella statim quem afflixit, solatur, quasi illum vexasse, & percussisse pœniteat, quod loco citato expressit Tobias: *castigauit nos propter iniquitates nostras, & ipse saluabit nos propter misericordiam suam.* & Ierem. 26. *bonas facite vias vestras, & pœnitebit Dominum mali, quod locutus est aduersum nos*, quod exemplo ex 2. Reg. 24. 15. 16. desumpto clarum est. Cùm enim esset comminatus pestem trium dierum, vix de mane vsque ad tempus constitutum holocausto vespertino, vel prandio meridiano lues illa sæuijt: vnde subditur: *cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Ierusalem, vt disperderet eam, misertus est Dominus super afflictionem, & ait Angelo percutienti populum, sufficit: nunc contine manum tuam.*

8. Tertiò quoniam aliqui sunt ita improbi & scelesti, vt nullis medicamentis adhibitis curari posse videantur. Hos mulctat potiùs, quàm corrigit Deus, dum supplicijs afficit, tamquam iam ex diuino suo conspectu proiectos. Sic Pharao, sic Antiochus Epiphanes, sic Herodes ille infanticida, & Alter Agrippa, sic Core, sic Abyron, & Datan puniti sunt, hîc apud mortales, vt ignis inferni, cui sunt destinati, partem aliquam libarent, illic apud infernos sempiternas pœnas daturi, ad quos Greg. lib. 9. mor. cap. 33. accommodat illud Psal. 108. *induantur sicut diploide confusione sua.* De his Sap. 12. 27. dicitur: *finis condemnationis eorum veniet super eos.*

9. Postremò immittit Deus calamitates, in quibus non merita hominum, seu bona, vel praua spectantur, sed eius potius gloria consideratur; quia nimirum vult Deus ex his incommodis, & ærumnis maxima, & amplissima sæpè bona pro admiranda sua sapientia elicere: sic in hoc cæco accidisse Christus ipse testatur: *neq; hic peccauit, nec parentes eius vt cæcus nasceretur, sed vt manifestentur opera Dei in illo.* non est propterea negandum, etiam ex reliquis tribus supra expositis calamitatum, vel afflictationum generibus, quibus vel iustos affligit ad coronam, peccatores punit ad emendationem, impios, & scelestos homines ad aliorum terrorem, & suæ iustitiæ manifestationem, tamquam à se proiectos mulctat in condemnationem: non est inquam negandum, hinc etiam illustrari, manifestarique Dei gloriam, sed hæc diuinæ gloriæ manifestatio cõiuncta semper est, vel cum eorum hominum, in quibus, vel apud quos fit, ingenti bono spirituali, animarumque salute, vt in ijs videre est, de quibus num. 6. vel cum eorum maiori etiam malo & exitio, vt patet ex num. 8. nam propter eorum hominum duritiam, & cor impœnitens, per ea magis excęcatur mens eorum hominum, & obduratur cor, per quæ illuminari, & emolliri deberet, cæterum in quarto calamitatum genere, de quo paulò ante hoc eodem num. 9. initio, vel sola per se, vel certè præcipuè spectatur Dei gloria tanquam proximus finis, quamuis inde postea redundet in alios vtilitas non parua.

10. Opera bona

Venit nox quando nemo potest operari v. 4. Hortatur nos Dominus, vt die operemus, nec pigri, ac desides noctem expectemur, quando nemo poterit operari. Rectè Chrysost. hom. 55. in Ioann. *donec dies est*, inquit, *dum licet hominibus in me credere, dum hæc durat vita laborandum est. Venit nox, hoc est futurum tempus, quando nemo potest operari, id est, quando non est amplius fides, neque labores, neque pœnitentia.* O nos miseros, qui diem negligimus, & noctem expectamus, vt benè operemur! Nam dum vita est comes, socordiæ nos tradimus, voluptati indulgemus, pœnitentiam verò, bonaque opera in importunum mortis tempus reijcimus, quod si hoc insanire non est, quid sit planè desipere, & insanire nescio. Similes hac in parte sumus primarijs viris, ac magnatibus, qui per diem totum fermè dormiunt in eburneis mollibusque lectis, clara luce stertunt; per noctem verò ipsam amant operari, tunc aleis, epulis, coreisque vacant. Ita naturæ ordinem inuertunt, vitæque officia peruertunt, cùm nonnisi nocte operari velint, interdiu verò quiescere: non aliter nos die, id est, dum viuimus cessamus, noctem verò bonis operibus assignamus. ita fallimur miseri Dei ordinem immutantes.

11. Præcepit Deus Leuit. 11. & Deuteron. 14. ne sibi in sacrificium offerrent, vel comederent Hebræi vespertiliones, seu noctuas, & alias id genus nocturnas aues. Quamobrem quæso id? nimirum per hanc legem spiritualem voluisse videtur significare Deus, vt indicat Cyrill. lib. 7. in Leuit. non placere sibi sacrificia nocturnarum auium, id est, eorum, qui non diei lucem, sed noctis tenebras ad volandum suscipiunt: & sanè ij cibi, id est, opera, quæ in supremas mortis angustias, atque obscurissimas tenebras differuntur, ipsis hominibus vtiles esse non solent; quæ cùm ita habeant, vt dixi, videas tamen aliquos ita salutis suæ negligentes, vt peccatorum confessionem, restitutionem, necessariamque pœnitentiam in infandam illam noctem, hoc est, mortis articulum extrahant. quanto satius esset timere, ne alicui nostrum illud accidat, quod refertur de pœniten. distinct. 6. c. *qui vult*; qui, cùm potuerunt, nunquam conuerti voluerunt, confitentes, cùm iam peccare nequeunt, non sic facilè acquirunt quod volunt. *Qui enim prius à*

peccatis

peccatis relinquitur, quam ipsa relinquat, ea non liberè, sed quasi ex necessitate condemnat. libenter nunc audiamus quod Sapiens consulit Eccles. 17.26.27. *non demoreris in errore impiorum: ante mortem confitere, à mortuo quasi nihil,* id est (quasi non existente) *perit confessio,* (quasi dicat, non potest mortuus Deum laudare) *confiteberis viuens, viuus, & sanus confiteberis.* ita quidem Sapiens sapienter monet: at aliter faciendum sibi censent, qui dum vitam hanc viuũt, aliena rapiunt, & sua augent, eleemosynas, & pia opera ab alijs fieri post obitum curant. Qui per noctem incedunt facilè errant, impingunt, & labuntur. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Qui maria traijciunt vel nauigant, die portum capere studeant, ne fortè noctu ad scopulos illisa nauis aperiatur, vel in syrtes occultas decurrens, ibi absorbeatur. Qui etiam iter faciunt, si fortè solem in occasum vergentem cernũt, pigritiam, ac socordiam excutiunt, equis calcaria addunt, vt ante tenebras, ad quem cupiunt locum perueniant. Si igitur nauigamus in tam periculoso mari huius vitæ, si iter conficimus, excitemus nos, percurramus, & si fieri potest, præteruolemus viæ spatium quod restat, ne antequam ad optatum portum, ad dulcem patriã perueniamus, in medio mari vel itinere pereamus ingruentibus sæuæ noctis tenebris.

12. *Fecit lutum ex spato, & liniuit lutum super oculos,* &c. v. 6. Irenæ. lib. 5. ca. 15. *Scriptura ait,* Gen. 2. *& sumpsit Dominus limum de terra, & plasmauit hominem: quapropter Dominus expuit in terram, & fecit lutum, & superliniuit illud oculis; ostendens antiquam plasmationem, quẽadmodum facta est, & manum Dei ostendens hi, qui intelligere possunt, per quam è limo plasmatus est homo.* Num verò homo ex puluere, an verò ex terra seu limo formatus sit, disputant Doctores in locum Gen. cap. 2. 7. *formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Tolet. annotat. 6. ex puluere solo, absque aquæ permixtione formatum esse hominem censet, quod Hebræa vox *Aphar* puluerem significet, & quidem valde tenuem, ac minutũ. sed sequor nostrum interpretem, qui locum Gen. sic vertit: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Est autem limus terræ, vt docet Augustin. lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 7. aquæ & terræ commixtio: Idem apud est lutum: vt proinde homo à Deo, quasi à figulo, seu vt vas, formatus sit ex luto. Quare Iob ait c. 10. *memento quæso quod sicut lutum feceris me.* Igitur *Aphar* puluerem quidem significat, sed eo loci permixtum aquæ. Declarare ergo voluit interpres, materiam, ex qua compactum est corpus hominis, non purum puluerem fuisse, qui nimium tenuis, & dissipabilis est, neque aptus, vt in corpus aliquod efformetur; sed puluerem commixtum aquæ, seu terram limosam aut cœnosam, quali vtuntur figuli, & hanc vocant *puluerem terræ:* etenim fons ascendebat tunc de terra, vt difficilè non fuerit inuenire limum.

13. Ex hoc ergo luto, quo cæci huius liniti sunt oculi, admonemur nostræ fragilis, & caducæ, ac breui perituræ conditionis naturæ; cuius rei frequens memoria mirum quantopere iuuet ad nostri rerumque caducarum contemptum, & ad cœlestium amorem inuitet; quod piè & A eruditè Rupert. vt solet cap. 20. lib. 2. de Trin. his verbis docet: *duo à Mose dicta sunt, quæ diligenter aduertere operæ pretium est: quia videlicet formauit Deus hominem, & non vndecumque, sed de limo terræ formauit. Hoc namque sicut dignum erat, perpendentes homines sancti, hunc ipsum creatorem suum, plastem, se ipsos autem lutum appellarunt, eleganti confessione, & lacrymosa declamatione: & nunc Domine inquit Isaias cap. 64. 8. tu Pater noster es, & nos lutum; & fictor noster tu, & opera manuũ tuarum omnes nos. & apud Ierem. cap. 18. 6. loquitur idem Psaltes noster Deus: nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israel, ecce sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea: ostenderat enim ille figulum facientem opus suum super rotam: & dissipatum est, inquit, vas quod ipse faciebat è luto manibus suis, conuersusque fecit illud vas alterum sicut* B *placuerat in oculis eius vt faceret. Hinc idem qui supra dicit Isaias, væ qui contradicit fictori suo, testa de samijs terræ. Hæc & illis similia sciens ille iurisperitus cœlestis Paulus ait ad Roman. 9. ô homo tu quis es, qui respondeas Deo? numquid potest figmentum dicere ei, qui se finxit, quare me fecisti sic? Aut numquid non habet potestatem figulus facere de eodem luto aliud quidem vas in honorẽ, aliud verò in contumeliã? ita & nos cùm legimus, quia formauit Deus hominẽ de limo terræ, non discutiendum nobis est cur ita fecerit, sed potius illud timendum vnicuique nostrum de se ipso, ne vas, quod fecit ipse, dissipetur in manibus eius, & hoc abiecto faciat aliud vas sicut placuerit in oculis eius.* Hæc disertè, & piè Rupertus.

14. *Vade laua in natatoria Siloe, quod interpretatur missus* v. 7. Duo erant necessaria homini, vt quem amiserat per peccatum visus reciperetur; quorum alterum solus Deus præstare poterat, alterum humanarum erat partium: illud C difficillimum, hoc verò facillimum: illud erat, vt luto nostræ humanitatis saliua, hoc est, sapientia Dei vniretur, & Dei Filius hominem indueret, atque adeò pro nobis sanguinem funderet in crucem actus. Ad nos verò pertinebat, vt hoc ipsum remedium nobis applicaremus, atque adeò vt tam precioso nos sanguine ablueremus: & vide quam pigri, & ingrati simus. Præstitit Deus id quod difficillimum erat, nos quod facillimum est, nolumus facere. Cedo, quam iniurioſum esset, & contumelioſum vile aliquod mancipium Regi Domino suo, qui vt grauem eius morbum curaret, carissimi filij sui sanguine balneum parasset, si postea nollet ingratum illud mancipium eo medicamento vti, quin etiam paruipenderet? Quid quæso hîc diceres? quid non mali de tam ingrato seruo D cogitares? Cui supplicio tam vile caput obnoxium esse non crederes? Iam audi. parauit tibi Pater cœlestis in tui medicinam, & salutem, vnici, & carissimi filij sui sanguinem, & tu interim refugis adire piscinam Siloe, & ibi lauari; hoc est non curas, & tantum non contemnis Sacramenta, in quibus tanquam in piscinis Siloe sanguinis Christi continetur ad tui salutẽ. Et vide quanto tu magis dignus sis reprehensione quã Naaman, de quo 4. Reg. 5. nam cum accedant ad te serui Domini sui, & loquantur tibi; *etsi rem grandem dixisset Propheta* (hoc est, Christus) *certe facere debueras; quanto magis quia nunc dixit tibi; lauare, & mundaberis?* nec tamen horum voces audire curas, quantò melior te

Naaman? qui quamuis initio Elisæi verbis, quibus iubebat illi: *vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis*, nollet parere, tandem persuasus à seruis, descendit, & lauit: tu verò nec Sanctorum monitionibus, nec piorum exemplis, & quod caput est, nec tam imméso Christi amore moueris, vt in hanc natatoriam Siloe descendas, & abluaris, & sanitatem, lumenque recipias, hoc est, ad Sacramenta Christi sanguinem in se habentia adire recusas, quæ tanto Christus amore tuum spectans bonum, dum tuam curat sanitatem, instituit.

15. *Abijt ergo, & lauit, & venit videns.* Notauit Cyrillus in catena Græca discrimen quoddam inter hunc cæcum, & alios: nam hunc nec clamantem, nec petentem oculorum aspectu donauit; cæteros non nisi rogantes, non nisi ad se clamantes curauit, quia nimirum hi Iudæorum ille gentium populum significauit; ergo quoniam Iudæi eius habebant ex lege notitiam, noluit illos curare, siue animo, siue corpore, nisi petentes, rogantesque: at gentiles, quoniam omninò cæci erant, qui petere ab eo quem non cognoscebant, sanitatem non poterant, sponte, atque vltro sanauit; sponte, atque vltro Euangelium, salutemque obtulit. Sanè quod saliua curauerit hunc cæcum indicat non posse gentes lumen gratiæ recipere, nisi suæ fierent carnis participes.

16. Diuinæ gratiæ vis. *Alij dicebant quia hic est, alij nequaquam* v. 8. 9. Tanta est diuinæ potentiæ vis cum gratiæ suæ fulgore quempiam illuminat, & exornat, vt non idem ipse qui antea erat iam amplius esse videatur. Sed ita in alterum mutatus appareat, ita diuersus à reliquo hominum cœtu, vt admirentur cæteri, & vix eundem esse iam opinentur. Hoc euenturum Sauli prædixit Samuel postquam illum in Regem inunctum ab se dimisit: *mutaberis*, inquit, *in virum alterum*, id quod egregiè D. Greg. explicat lib. 4. in 1. Reg. cap. 4. vbi ait: *amor electæ mentis quid est aliud, quam immutatio vetustatis? tepidus erat quis, sed repente visitatus à spiritu, feruens efficitur. In virum alium mutatur, qui compunctionis gratiam per aduenientem spiritum suscipit, quam ante non habebat. Repente raptus in virtute superuenientis spiritus esse carnalis desinit, potenter sæculi curas abijcit, & in æternorum contemplatione mira puritate consurgit. Miratur se tunc esse, quod non erat; miratur se tunc non fuisse quod est.*

17. In cuius rei confirmationem locupletissimos duos testes in medium proferre possumus Paulum, & Augustinum; etenim ille quidem cùm ante Christianorum sanguinem sitiret, & hostili conatu in Christum ferretur; postea de cœlo diuina virtute tactus in se ipso expertus est, quam admirando modo diuina gratia hominem quodammodo vertat in Deum: quare sic de se ipso testatus est: *Christo confixus sum cruci: viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus, quod autem non viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum propter me.* Vides, vt totus à se excesserat Paulus? Vides vt totus in Christum transierat? nam qui Paulum spectabant, non amplius Saulum, sed Christum ipsum videre sibi videbantur. Quid de Augustino dicam? ipsum de se ipso, non me loquentem audias. Cùm enim fluctuaret, & secum luctaretur, & iam quasi de cælo grauidus salutem parturiret, cumq; inde praua voluptatum cõsuetudo illum ad se raperet, hinc Christus honestè blandiens vt venire ne dubitaret, extensis ad suscipiendum brachijs inuitaret, ita scribit: *ego sub quadam fici arbore strauime, & dimisi habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum: Dixi tibi: & tu Domine vsquequo? Vsquequo Domine iraseris in finem, ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri, & iactabam voces miserabiles: quamdiu quamdiu, cras & cras? quare non modo, quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Audio vocem: tolle, lege, tolle, lege. cadicem Apostoli arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quo primum coniecti sunt oculi mei: non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione, sed induite Dominum Iesum Christum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentijs. Nec vltra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.* Cernis ne quantæ sint diuinæ gratiæ vires? Cernis vt hominem, qui prius infimis hisce rebus tenacius affixus totus inhærebat, totum etiam quodammodo in Deum transferat, & mentis caligine pulsa, cælestis gaudij, & incredibilis serenitatis luce perfundat?

18. Hanc tam admirandam morum immutationem non capit mundus, admiratur, suspicit, prædicat castos esse eos, quos prius impuros agnouerat; sui contemptores, quos elatos, & iniuriarum vltores prius viderat: cælestes, quos terræ affixos expertus fuerat. Quam mutationem apprimè significant ea, quæ de cæco isto, qui eum prius nouerant, dicebant; *nonne hic est qui sedebat, & mendicabat? alij dicebant, quia hic est; alij autem nequaquam, sed similis ei est*; de quo mundi stupore ob tam repentinum, & cœleste mutationis genus dicit Petrus epist. 1. cap. 4. *in quo admirantur, non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem.* Verè qui dextera excelsi sic mutatus est, ijs, qui propter eum in admirationem rapiuntur, ac vix credunt eundem esse hominem, qui prius, dicere potest: *venite, audite, & narrabo, quanta fecit Dominus animæ meæ.* & ad Deum conuersus gratias agere nunquam cessabit, illudq; repetere: *dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

19. Per confessionis Sacramentum datur gloria Deo. 24. *Da gloriam Deo*] quod per confessionis sacramentum detur Deo gloria, docet Aug. in Psalm. 94. sic scribens: *Numquid, & hoc non pertinet ad laudem Dei, quando confiteru peccata tua? immo verò maximè pertinet ad laudem Dei. quia tãto plus laudatur medicus, quanto plus desperabatur ægrotus. confitere ita q̃, peccata tua, quo magis desperabas de te propter iniquitates tuas. tanto enim maior laus est ignoscentis, quanto maior exaggeratio est peccata confitentis. non ergo putemus nos recessisse à laude cantici, si iam hic confessionem intelligimus, qua confitemur peccata nostra, & hoc ad laudem cantici pertinet: quia cum peccata n[illegible] cognoscimus, Dei gloriam commendamus.* Ea[illegible] pertinent verba eiusdem Augustini, quibus Psalmo 95. exponit illa: *confessio, & pulcritudo in conspectu eius. Pulcritudinem*, inquit, *amas? vis esse pulcher? confitere.*

Digitized by Google

non dixit pulchritudo, & confessio; sed confessio, & pulchritudo: fœdus eras? confitere, vt fis pulcher. peccator eras? confitere, vt fis iustus. Fœdare te potuisti, formosum te facere non potes. qualis autem est sponsus noster, qui fœdam amauit, vt pulcram faceret? quomodo ait aliquis, fœdam amauit? non veni, inquit, vocare iustos, sed peccatores. quos vocas peccatores? vt remaneant peccatores? non inquit, quomodo non erunt peccatores? confessio & pulchritudo in conspectu eius. cõfitentur enim peccata sua, vomunt mala, quæ auidè vorauerunt. non redeunt ad vomitum suum, sicut canis immundus, & erit confessio, & pulchritudo. Sic August. quibus non est difficilè intelligere, ex confessione magnam Deo gloriam consequi.

Et quidem meritò fateri debemus, ex confessionis Sacramento insignem Deo gloriam tribui ab eo, qui vt debet, sua peccata confitetur; primum quidem, quia sacramentum ab ipso Christo institutum sumitur, quo summus Christo Dño cultꝰ tribuitur. deinde, ppter ipsũ Christum hominibus, quoniam eius sunt sacerdotes, ac ministri, nos sponte subijcimus, & quidem in re pudoris, ruboriſque plenissima: adhæc, si effectum ipsum confessionis spectemus, ad magnam is Dei gloriam pertinet. etenim qui facinorosus erat, exsoluitur, immundus à sordibus eluitur. Denique totus mundus, ac purus efficitur, ex Dei inimico amicus, Dei Filius ex diaboli mancipio, ex Gehennæ obnoxio, beatitudinis hæres constituitur. Postremò gratias Deo agit, Dei clementiam, & infinitam bonitatem summis attollit laudibus, & occasio est alijs, qui tantam morum mutationem cernunt, vt Dei misericordiam admirentur, & laudent. Sed hæc obiter.

20. Persecutionis eximium bonum.

Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras, &c.] v. 35. Hîc Chrysost. hom. 58. præclarè notat, tunc maximè caros esse homines Deo, ac sub eius curam, & intimam familiaritatem admitti, cùm propter illum abijciuntur à mundo, & grauissimis ignominijs, ac contumelijs afficiuntur; sic ergo scribit: *qui propter veritatem & Christi confessionem malo, & contumelia aliqua afficiuntur, hi maximè à Deo honorantur. Vt enim qui propter Deum pecunias dispergit; is maximè eas inuenit, & qui odit animam suam, is vel inprimis amat, ita contumelia affectus propter Deum, is plurimam honoratur à Deo: quod cæco vsu venit. Eiectus est à templo à Iudæis, & in templo à Domino inuentus est: contemptus à contemptoribus Christi; ab Angelorum Rege honoratus est. Vt enim munerarius athletam victoria insignem, ac coronatum, ita hic Iesus accipit;* Sic Chrys. Moses à Pharaone ad necẽ quæsitus regalis palatij fulgorem relinquẽs inter solitaria, & squalida loca in rubi medio Deum videt. Exod. 23. Elias à Iezabele impia Regina damnatus ad mortem, dum in vastam eremum fugit, Angelorum cibo pascitur, deniq; in montem delatus præclaro Dei visu fruitur. 3 Reg. 19. Ioannes in Patmos insulam relegatus, Apocalypsim infinita continentem mysteria accipit. sic qui propter Deũ persecutionibus, calamitatibus, contumelijs exercetur, suauibus, & liquidis Dei voluptatibus fruitur. Ij liberè canere possunt, *Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* His dicit Dominus, *nolite timere opprobrium hominum, &* A *blasphemias eorum ne metuatis.* Is. 51. 7. 8. *sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea: salus autem mea in sempiternum erit.*

CAPVT XVIII.

PARABOLA PASTORIS, OVIVM, OVILIS, OSTII, OSTIARII, Mercenarij, Furis, ac Lupi.

D. 10. 1.

V. 1. AMen, *Amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.* Fer. 3. Pentẽ.

2. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium.

3. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas.

4. Et cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius.

5. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum.

6. Hoc prouerbium dixit eis Iesus, illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis.

7. Dixit ergo eis iterũ Iesus: Amẽ, amẽ dico vobis, quia ego sum ostium ouiũ.

8. Omnes quotquot venerũt fures sunt, & latrones, & nõ audierunt eos oues.

9. Ego sum ostium ouium; per me si quis introierit saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.

10. Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.

11. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Dominica 2. post Pascha.

12. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, vidit lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oues

13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.

14. Ego sum pastor bonus: & cognosco ô. oues meas.

15. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis.

16. *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.*

17. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam.*

18. *Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. hoc mandatum accepi à Patre meo.*

19. *Dissensio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos.*

20. *Dicebant autem multi ex ipsis: dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis?*

21. *Alij dicebant: hæc verba non sunt dæmonium habentis, nunquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?*

SCHOLIA.

1. Ratio ordinis.

OBseruanda est hîc diligenter ratio ordinis huius parabolæ cum superioribus. nam à septimo capite Ioannis vsque ad v. 21. ca 10. eiusdem Ioannis narrantur ea, quæ dicta sunt, & facta à Christo circa festum Scænopegiæ; quod festum septimo mense à Iudæis celebratur. quæ verò sequuntur, à v. 23. eiusdem cap. 10. Ioannis dicta sunt à Domino in festo Encæniorũ, quod celebratur mense nono. Itaque inter ea quæ à cap. 7. Ioannis ad versum 21. decimi capitis explicantur; & ea quę narrantur à v. 23. eiusdem capitis decimi, interceſſiſſe videtur minimum bimestris temporis spacium, tantum enim temporis interuallum cadebat inter vtrumque hoc festum. Hoc sanè capite nostrarum dilucid. 17. vsque ad vers. 21. continetur sermo Domini parabolicus de pastore, ouibus, oculi, &c. nam à v. 23. alius subnectitur sermo Domini post duos menses habitus, & hæc de ratione ordinis.

2. Mens Domini in hac parabola.

Quæ verò sit mens Domini in hac parabola, nõ eodem modo ab omnibus traditur. Sunt, qui ordiuntur hoc caput decimum Ioannis à v. 39. capitis noni Ioannis: videtur enim Dominus à prædicto v. 39. inchoare nouum sermonem, sumpta occasione ex cœci eiectione, quem sanitati restituerat. quod mihi planè non displicet. Quare mens Domini videtur inde petenda. D. August. Beda, & Rupertus mentem Christi hic esse volunt, vt probare velit Pharisæos cæcos esse, licet dicerent se videre, nam si oculos haberent, verum vtique Pastorem Christum non ignorarent; & vero vnde istis lumen, qui vt Augustinus ait: *furebant contradiem?* paulò aliter Chrysost. homil 58. quem tanquam antesignanum, Theophyl. & Euthymius sequuntur. arbitratur enim tacitæ obiectioni hîc occurrere Christũ qua obijcere aduersarij Christo poterant, se non propterea ab illo recedere, nec in eum velle credere, quod cæci essent: sed quod ipse fur, & latro, & seductor esset, qui ipsorum populum, suæ videlicet ipsorum fidei commissum, diriperet, ac dilaniaret. Respondere verò Christum se esse Pastorẽ, ipsos autem fures, atque latrones. Cardinalis Toletus excludens hanc Chrysostomi opinationem, putat, non propter ea, quæ obijcere poterant Pharisæi verbis illis: *vt qui non vident videãt, & qui vident cæci fiant*, hæc in præsenti Christum docere; sed quod eiecto è synagoga cæco à natiuitate, & ijs, qui in eum credebant, hac vna re Christũ seductorem esse declararent; eos verò, qui in eum crederent, deceptos ab illo esse opinarentur. Ergo declarat Dominus hac parabola, se minimè seductorem esse; sed ipsos potius, qui ouibus præesse vellẽt, nec ipsum reciperẽt. Et hoc probo; quod & censuisse Cyrillus, vt in catena græca legere est, videtur: ait enim occurrisse hîc Christum, non verbis Pharisæorum, nec tacitæ obiectioni; sed potius tacitis cogitationibus ipsorum. arbitrabantur illi se solos populi Doctores, atq; Pastores esse, & vehementer angebãtur, q̃ populus Christũ sequeretur seductorẽ seductus. id q̃ eo facto indicarũt tũc maximè cũ cæcũ natũ è synagoga eiecerũt Christũ cõfitentem.

Duo igitur docet Christus. Primũ; non se seductorem falsumq; Prophetã esse; sed eos potius, qui per ipsum nõ intrant tanquam verum ostium ouilis: cùm tamẽ ij tantum sint veri, ac legitimi pastores, qui per ipsum intrãt. alterum est: duntaxat eos, qui eum sequuntur, & in eum credunt, esse de ouili Dei, ac proinde inter oues, & fideles cõnumerandum esse neminẽ, qui eum non sequitur, vel in eum nõ credit. Quare præcipuus parabolæ Christi scopus, is mihi esse videtur, vt præsertim veliten hac parabola de ostio, ouili, pastore, & ostiario Dominus ostendere, se esse ostium, per quod & veris pastoribus, & ouibus in ouile intrandum sit omnino. Quamuis post hanc parabolam addat, se pastorem etiam esse, ne putaretur tantum ostium, & non pastor ille olim prænunciatus. Messiam enim pastorẽ futurum esse prædixerant, ex quibus efficere vult, toto hoc sermone Pharisæos, qui per se ostium nolebant ingredi, & se abnegarent esse illum pastorẽ vaticinijs prænostensũ, fuisse nõ bonos pastores, sed seductores, & furibus, ac latronibus potius similes, & magis ipsos esse extra synagogam, vel Ecclesiam, quam cæcum, qui in se crederet.

3.

C 1. *Amen, Amen dico vobis, qui non intrat per ostium*] 4. Quis verus pastor?
Declarat eum esse Pastorẽ verũ, qui in ouile ouium per ostiũ ingreditur; at illum, qui aliunde ascendit, furẽ esse & latronẽ. quod igitur pastores à furibus, & latronibus separat, ostiũ est ouilis. Aduerte fures, teste Hier. Ose. 7. eos esse, qui *insidiantur, & occulta fraude decipiũt*: latrones verò, eos, qui *audacter aliena diripiunt*. Fures itẽ rebus, latrones verò etiam vitæ insidias struunt, vt proinde meritò, iureq; optimo, hæreticos homines, cũ furibus Ecclesiæ, Tyrannos verò cum latronibus cõferre possis. Fur. n. vt ait Toletus arre, latro vi ac potẽtia nocet. loquitur aũt Christus, cũ inquit: *qui intrat per ostiũ pastor est ouiũ*, nõ de omnibus, qui ingrediuntur ouile: nã hoc etiã ouibus cõperit; sed de eo duntaxat qui propter oues intrat, & is pastor est, vbi sub nomine *pastoris* nõ se, sed alios intelligit. Sanè se *ostiũ* Christus nũc vocat, sic. n. ipse testatur v. 7. *Ego sum ostiũ ouiũ*, idẽ verò esse solet, & pastoris, & ouium ostiũ. & proinde nõ mihi multũ placet distinctio Maldonati; qui distinguit ostiũ pastoris ab ostio ouiũ. aliter sentit Cyril. in catena græca, aliter Aug. tũ hoc loco, tũ ser. 49. de verb. Do. aliter Greg. ho. 13. & 15. in Ezech. & li. 7. regiſtri c. 47. & li. 9. c. 40. vt ceteros breuitatis studio omittã. intrat aũt p Christũ, qui in illũ credit, & auctore Aug. qui illũ imitatur. Scio D. Chrys. ho. 58. ostiũ diuinas Scripturas, legis, & prophetarũ interpretari, quas dicit esse ostiũ Christi: verũ, nisi fallor, nõ ita propriè Scripturæ ostiũ dicuntur præsertim Christi, quin Christus potius est Scripturarũ ostiũ, q̃ ex Proue. 8. 34. rectè colligi potest. *Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei.* Ecce tibi hoc loco Christus ostium appellatur, per quẽ ad Deũ ingredimur. Huius porrò ostij fores, & postes Scripturæ aptè accipiuntur, ad quarũ studiũ, & cõseruationẽ inuitat nos Spiritus S. illis verbis: *Beatus homo*, &c. nam iuxta Bedã fores, & postes ostij sapiẽtiæ, sunt Scripturæ S. & DD. sacri, qui suã doctrina aditũ præbẽt ad percipiendã sapientiam,

pietiam, & tanquã postes, alios suffulciunt. ergo ad has fores excubandũ est, nõ ad hęreticorũ cõuenticula. Christus igitur aptius ostium ipsum est, clausum Scripturis legis, & prophetarũ tanquã foribus quibusdã, & postibus. neque verò Moses rectè ostiarius vocatur; sed, vt inferius ostendã, potius ipse Spiritus S. quãuis aliter visum sit D. Chrysostomo.

5. Ecclesia est ouile.

In ouile ouiũ] Gr. ἐπλὴν, stabulũ. nõ. n. ouile vocat loca solo rem septa, vt quibusdã nũc locis visuntur quæ ianuã, & ianitorẽ nõ habent, sed stabulũ muro circũdatũ, sed quodnã vocat ouile? Respõdeo, Ecclesiã Dei, vel fidel. ũ rectè hîc ouile dici; nũc verò post Euãgelij promulgationẽ sola Ecclesia Christi, seu Christianorũ, per tot mundi partes diffusa, & ex tanta hominũ varietate constituta, quæ inferius v. 16. dicitur vnũ ouile. neq; . n. alij sunt fideles quã Christiani. & quidẽ iure vnũ ouile nominatur; habet. n. vnũ duntaxat pastorẽ in terris, qui summus Pontifex Romanus est. habet eadẽ doctrinę pascua, eadẽ Sacramẽta, quibus ab alijs, qui non sunt intra ouile, secernitur, eundẽ habet Dei cultũ, præsertim verò venerabile, ac tremendũ Missæ sacrificiũ, vnã & cõmunẽ legẽ diuinã tenet, adiunctis quibusdam Ecclesiasticis legibus, quæ instar cuiusdã sepi s huiꝰ ouilis sunt. ꝙ si scisciteris num etiã ea, quæ in cælis triumphat Ecclesia, possit propriè ouile vocari. in prõptu est responsio; minimè ita dici posse. nã in ouili ad breue tẽpus oues permanent: cõtra cęleste illud domiciliũ æternũ durat. præterea multo lætius, ac perlibẽtius extra ouile vagãtur oues, & pascuntur; at Beatis summa est voluptas semper in cęlis esse, ibiq; Dei cõspectu, & venerãdo illo SS. cõcilio frui. his accedit, ouile locum esse clausum, ac munitũ cõtra aduersarios, lupos, & latrones; at in cœlis nullus metus, timor nullus est. etenim verè scriptũ est de viro iusto Ps. 90. *Altissimũ posuisti refugiũ tuũ, nõ accedet ad te malũ, & flagellũ nõ appropinquabit tabernaculo tuo.* Postremò (quod caput est) nõ solet in ouili satis pabuli esse, nõ raro deest quo ibi pascantur oues. at in cœlesti illa sede, ac mãsione, oũm rerũ præsto est copia, nulla penuria.

6. *Ascendit aliunde*] iuxta gloss. interlin. is aliunde ascendit, *qui quoquo modo præter Christum intrat in ouile, vel nõ bene de eo sentiẽdo, vel nõ eius gloriã, sed suã quærendo.* Hinc Aug. rectè: *dicãt*, inquit, *pagani*, vel Iudæi, vel hæretici, *benè viuimus; si per ostiũ non intrãt, quid prodest eis? quia nec benè viuere dicẽdi sũt qui finẽ benè viuendi, vel cæcitate nesciũt, vel inflatione cõtemnunt*, & fur quidẽ ideò fugit ostiũ, quia latere, ac tutò furari vult; timet. n. ne à pastoribꝰ deprehẽsus malè accipiatur: at latrones quoniã faciliorẽ ingressum per septa, & macerię nemine resistẽte, quã per ostiũ sperẽt, propterea ostio, limineq; deflectunt. Nec indiligenter obseruandũ est, verbũ illud, *Ascendit*: nimirũ, *cæsurus ex alto*, vt est in interlin. Aug. tra. 45. *Quicumque*, inquit, *vult intrare ad ouile, per ostium intret, Christũ verum prædicet, Christi gloriã quærat, nõ suã; nã multi quærendo gloriã suã, oues Christi sparserũt potius, quã cõgregauerunt: humilis est. n. ianua Christus Dominus: qui intrat per hanc ianuam, oportet humilem esse, vt sano corpore possit intrare: qui autem se non humiliat, sed extollit, per maceriam vult ascendere, qui autem per maceriam ascendit, ideò exaltatur vt cadat.*

7. Duæ furis proprietates

Fur est & latro] Duas furis proprietates, tum ex hoc. 1. versu, tũ ex v. 10. colligere est, quarũ vna sit, furi nõ reseruari ostiũ ab ostiario, quin ille relicto ostio aliunde ascẽdit; altera, ꝙ fur nõ venit ad oues vt illis aliquã vtilitatẽ afferat; sed potius vt eas rapiat, discerpat, interimat. Sanè nõ à scopo aberrabis, si per furẽ eũ hîc intelligas, qui Christi populũ quà à veræ fidei, & doctrinæ puritate, quà à morũ probitate, & sacrarum legum custodia auertunt, siue illi hæretici sint, siue falsarũ sectarum sectatores. Illi item fures sunt, qui relictis ouibꝰ, quamuis Prælati sint, suam gloriam quærunt, & proprijs vtilitatibus studẽt. & de his hactenus.

8. Veri pastoris notæ certissimæ.

2. *Qui autem intrat*] Veri Pastoris certissimas notas, & proprietates assignat, quarũ prima v. 2. habetur, ꝙ per ostiũ intret in ouile. quatuor aliæ ex v. 3. colliguntur. & hæc prima quidẽ pastoris cõditio ex declaratione versus 4. posita num. 4. satis constat.

3. *Huic ostiarius aperit*] hæc est altera proprietas: verò pastori reseruari ostiũ ab ostiario. *Huic*, inquit, *ostiarius aperit*. tertia proprietas ea est, ꝙ oues eius vocẽ agnoscãt; *oues*, inquit, *vocẽ eius audiũt*. Quarta, pastor *proprias oues vocat nominatim*. Quinta, *educit eas*, nimirũ ex ouili ad pascua. Sexta, v. 4. ponitur: has singulas nunc perpẽdamus. Theop. Teodor. Heracl. Rup. & aliorum opinionẽ hîc probo; qui per ostiariũ, Spiritũ S. intelligunt. ipse. n. est, qui ostiũ aperit Ecclesiã ingredientibus. cũ. n. per fidẽ Christi ingrediatur quis in Ecclesiæ ouile, & fides sit donũ Spiritus S. aptè dicetur Spiritus S. Ecclesiæ ianuã ingredientibus reserare; & verò et. ã eos idẽ Spiritus, quos in bonos pastores eligit ouiũ Christi, veræ doctrinæ præsidio informat, & munit. deinde facit vt Christi gloriã quærãt, eũq; imitentur; facit etiã vt res illis succedãt, dat potestatẽ legitimam, &, si oportet, etiã miracula faciendi, quibus modis veluti illis ianuã aperit; efficitq; vt ab ouibus pro vero pastore & cognoscatur, & recipiatur. est. n. tradita à Dei Spiritu potestas, & legitima pastorũ iurisdictio, veluti clauis, quæ aditũ aperit ad ouile. idem Spiritus docet, quod ad se attinet, eos, quos sic vocat, interius, quomodo cõmissas sibi oues benè pascere, regere, tueri debeant. mollit, ac lenit pastorũ labores, & molestias, quę in pastorali officio plurimæ sunt, nec leues. denique aduersus dæmonũ incursus resque oẽs cõtrarias roborat pastorũ animos. quibus rebus fit, vt oues pastoribus credãt, illorũ se curæ libenter cõmitrãt, eos amẽt, & venerentur, & maiores in dies in virtute progressus faciãt. est igitur Spiritus S. is, per quẽ pastoribus patet ad ouile ingressus, cuius cõsilio, atq; instinctu totũ corpus Ecclesiæ sãctificatur, & regitur.

9.

Oues vocẽ eius audiũt] oues intellige siue electos, siue veros fideles, quãuis prædestinati nõ sint, imò nec gratiã Dei habeãt, sequũtur. n. Christi doctrinã & vocẽ nõ aliã admittũt, eumq; agnoscãt Rectorẽ, gubernatorẽ & ducẽ. nõ igitur probo hic Aug. & Bedæ sententiã, qui solos prędestinatos interpretãtur. & verò multi sunt, qui vocẽ Christi audiunt, & diu Christum sequuntur, & reprobati sunt, quos tñ negare esse oues Christi, dũ eius vocẽ audiũt, & sequuntur, durũ admodũ est. cõtra plurimi sunt, qui Christo longo tẽpore nõ credunt, nec illũ sequuntur, & prędestinati tñ sunt; quis quæso istos dũ tales sũt, propterea ꝙ sunt prædestinati, oues appellarit? Deinde volebat declarare Christus, veluti per quasdã notas, & signa, quæ essent eius oues, vt ab omnibus cognoscerentur, nimirũ quas viderent vocem eius audire, eumq; sequi; at prædestinatos quis cognoscit nisi solus Deus? ꝙ verò qui Dei amici nõ sunt, dummodo fideles viri sint, etiã oues appellẽtur, nõ est quod dubitemus: habẽt. n. quoq; pastores terreni sæpe morbidas oues, easq; diligenter curãt. Sic Ezech. 34. reprehẽduntur pastores quod errantẽ ouẽ nõ reuocassent. erat igitur ouis etiã dũ erraret. adhæc de ouibus dicitur v. 4. quod eas cognoscat Christus, & cognoscãt ipsum oues, & quod animã suã ponat pro ouibus suis. at Christus nõ prædestinatos modo cognoscit, verũ omnes; & ꝙ omnibus morte subijt. oẽs itẽ, qui intra Ecclesiã sunt, vicissim illũ per fidẽ cognoscũt saltẽ mortuã. nõ. n. nego Christũ prædestinatos præsertim cognoscere. ꝙ significat Paul. 2. ad Timo. 2. 19. *cognouit Dominus qui sunt eius*. &, nõ prædestinatis dicet Matt. 25. *Nescio vos*. his adde quod de ouibus superius v. 3. dictũ est, bonũ pastorẽ *proprias oues vocare nominatim*. at no-

uit Christus summus Pastor omniũ ouiũ nomina. quãuis nõ prædestinatorum, cum singulas peculiari cognitione, & amore & cognoscat, & prosequatur, & dirigat. oues item fideles in eius ouili sunt, licet non omnes sint prædestinati.

10. *Et proprias oues vocat nominatim*] Hæc est quarta conditio, & veri pastoris nota. Nazian. orat. 11. hæc Christi verba commemorans, sic ait: *has nominatim voco (nec. n. nominibus carent, sicuti ne sidera quidem, quæ numerantur, & appellationes suas habent) hæ me sequuntur*, quæ exponẽs latius Elias Cret. ad eandẽ orationẽ secundã: *nominatim*, inquit, *has voco. quod inde sequitur, ex vate Dauide, cuius hæc sunt verba: Qui numerat multitudinẽ siderũ, & omnibus appellationes suas tribuit. quorũ vtroq; cognitio quædã accurata significatur. nã de hominũ cõsuetudine nouisse dicimur eos maximè, quos nominatim cõpellamus. Itaq; Greg. etiã hoc significare volens: has, inquit, oues meas nominatim voco. quod autem subiecit, nõ. n. nominibus carẽt, sublimius omninò quiddã cõtinet. nã ea, quæ eximia, diuinaq; sunt, cẽsentur apud Deũ digna, quæ numerentur, & nominatim vocẽtur: cũ vilia, & ignominiosa sacris litteris neq; numerentur, neq; nominentur. adeoq; licet obserues, in lib. Numer. neq; fœminam numerari, tanquã imbecillẽ, neq; puerũ tanquã contẽptui expositũ, neq; seruũ propter indignitatẽ status, neq; mixti generis quẽquã, velut alienigenã. ne humi quidẽ repentiũ vnus est numerus: nã qui repunt humi, & in pectore, ac ventre quasi tractim serpũt, neq; numerãtur, neq; nominantur. at de ouibus suis Seruator ait: nominatim eas voco. nõ. n. nominibus carẽt. sicut & eximius hic vir dicit: quẽadmodũ nec sidera nominib. carẽt, quippe quæ à Deo tũ numerãtur, tũ nominãtur. nec aberrabit, qui siderũ appellatione accipiet omnes, quotquot in religiosa pietate claruerunt; iuxta dictum illud: vos estis lux mundi, & tanquã luminaria lucetis in mũdo. neq; verò Dauides hoc ita protulit, quasi Deus ignoret antequã numerarit: sicut cæteroquin ignorãtium est per numerationẽ quantitatẽ numerorũ percipere. nimirũ qui omnia nouit ante ortũ ipsorũ: ad rerũ subiectarũ cognitionẽ numeri doctrina nõ eget; sed numerare ipsum multitudinẽ siderum Dauides ait, eaq; nominatim appellare, vt significet per numerum hunc Deum accurate nosse, quæ nobis ignota sunt. nã nobis vsu venit, vt accuratã quãtitatis cognitionẽ ex numero cõsequamur.* Aug. tr. 45. in Io. n. sequutus suã opinionẽ de prædestinatis: *proprias*, inquit, *oues vocat nominatim. habet. n. nomina eorum scripta in libro vitæ. hinc dicit Apostolus: nouit Dominus qui sint eius.*

11. Est itaq; nominatim vocare; callere ingenia, virtutes, vitia, propensiones singulorũ, qui oues sunt: probè tenere, scire distinctè quid cuiq; prosit, quid noceat, quo indigeãt auxilio, & hoc est, quod Exo. 33. 12. dictũ est Mosi: *nouite ex nomine*, quod est distinctè, propriè, familiariter nosse, & versari cum aliquo, & carũ esse, ac preciosum. Vt ergo breuiter dicã cum Pererio, quatuor denotamus in Pastore cùm dicimus, vocare illũ nominatim oues. primùm quidẽ certã, accuratã, distinctã ouium notitiã, deinde studium, & amorem erga oues; adhæc diligentem curam, & sollicitudinem circa illas. Postremò quandam familiaritatem, & veluti coniuctionemq; cum ouibus.

12. Ecclesia amplum ouile. *Educit eas*] Hæc est quinta boni pastoris nota; nimirum oues educere ad pascua, intra Ecclesiã tamẽ, nõ extra eã. est. n. Ecclesia amplum satis ouile, vbi multiplex est pabulorum copia, Sacramentorum, virtutum, S. Scripturæ, cœlestiũ deliciarũ, & ceterarum huiusmodi rerum vbertas. Neq; oportet in hoc esse similia cum Ecclesiæ ouili cetera ouilia. i. quod sicut oues rationis expertes extra ouile à pastore terreno, ita fideles à Christo, eiusque pastoribus extra Ecclesiã educantur. nõ. n. sicut in ceteris ouilibus, ita intra Ecclesiã pabulorum penuria est. quare educere oues dicitur bonus pastor, nõ cum extra Ecclesiã oues ducit; sed cum intra Ecclesiã pascit, vel cõgregando populum ad concionẽ audiendã, vel ad ministrãdum Sacramẽta, vel ad alia pietatis opera; quanquã nec necesse est in paribus omnia accõmodari ad id, cuius causa proponuntur. multa. n. ad explendã narrationẽ, multa ad ornatum afferũtur, vel propter aliã eiusmodi causam. Potest etiã dici Christianus pastor suas oues educere, quoties eas ex tenebris ignorantiæ nõ sine Dei gratia ad lucem veritatis ducit, & ex sordibus peccatorum ad purioris vitæ cultum, ex seruili timore ad filialẽ eius amorẽ, & reuerentiã, à rerum terrenarum cupiditate noxia ad cœlestium bonorum amorẽ trãsfert. Deniq; educere oues Christus dicitur ex medio infidelium, inquit Theop. verum nõ tã de se hîc Christus loquitur, quã de bonis alijs pastoribus. ꝙ ergo priore loco dixi, accõmodati' est.

B 13. Sexta boni pastoris conditio. 4. *Et cũ proprias oues emiserit, ante eas vadit* &c.] Ponitur hic sexta boni pastoris cõditio. glo. interl. *oues emiserit*, sc. de tenebris ad lucẽ, ante eos vadẽs, quasi in columna nubis & ignis. Aug. *quis alius*, inquit *oues emittit, nisi qui eorum peccata dimittit, vt eum sequi duris liberata vinculis possint*: cõpetit. n. id maximè Christo summo Pastori, licet hîc nõ tã de se quã de alijs pastoribus sit sermo. Dubitat quidam quomodo hîc dicatur pastor antecedere oues, cum eas sequi potius soleant pastores, iuxta illud Dauid. Psal. 77. *sustulit illum de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eũ.* & 2. Reg. 7. *Ego tuli te de pascuis sequentẽ greges?* Respondẽt passim, vtrumque solitos præstare pastores. nã & præeunt interdum, interdum etiã sequuntur. ex Ps. enim 79. quod præcedant manifestè constat. *Qui regis Israel intende, qui deducis velut ouem Ioseph.* Vbi septuaginta verterunt, ὁδηγῶν, quod significat ducere, vel ductorem esse: ὁδηγὸς, verò idem est, ac, dux viã demonstrans. & Hierem. 17. legimus. *Ego autẽ nõ sum turbatus te pastorem sequens*, quæ responsio magis Christi verbis cõformis est, quã altera Chrys. fatetur is solere pastores oues sequi; non præcedere. ceterum Christum, vt se omnium ad veritatẽ inueniendã ducẽ ostendat, contrarium ait pastoribus morem seruare, quẽadmodum cum oues per orbẽ dimisit, nõ extra, sed in medium luporũ misit, &c. Nec Aug. omninò alienus est à Chrysost. sensu: *quis est*, inquit, *qui oues præcessit, quo eum sequantur, nisi qui surgens à mortuis, iam non moritur. & mors ei vltra non dominabitur? & cum hic cõspicuus esset in carne, ait: Pater quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sũ, & ipsi sint mecũ.* pius sanè hîc sensus est, & vtilis, sed literæ prior magis est consentaneus. *Quia sciũt vocẽ eius*] ex sequentibus quid hoc sit, patebit.

C

D Fideles veri, docentem falsa non audiunt. 5. *Alienum autem non sequuntur*] si sc. fideles veri sunt, docentẽ falsa nõ audiunt: alioquin oues esse desinerẽt. sed cur inquies, alienum nõ audiũt? *quia nõ nouerũt vocẽ alienorũ.* i. nosse nõ debẽt, si veri fideles sunt, & esse volũt, vocẽ alienorũ. quis. n. eum dixerit verũ Christianũ, ac Catholicũ esse, qui vel Iudæi, vel pagani, vel hæretici, dum noua quædam auribus inferunt, præter id, quod iã à patribus accepit, vocẽ audit? profectò, vt verè ea nescit, quia noua dogmata sunt, ita nosse nõ debet, quia pernitiosa sunt. vera ouis, si lupi vocẽ audit, nõ curiosè auscultat, sed naturæ instinctu celerrimè ad pastorem accurrit, eidemq; vni adhæret, tantum se ibi saluã, & incolumẽ credit. tales oues Christus nos esse iubet; neq; verò ob aliud *oues* suas vocat, & suos vicarios *pastores* dici voluit: quia nimirũ debẽt oues quadam fidei simplicitate præditæ esse, & sinere se à pastoribus regi, atq; adeò nõ in disceptationem, dubitationemq; vocare, quæ à pastoribus longo iam tempore prædicata esse, ac firmata cognoscũt. Audi quid Aug. piè, sapienterq; hac de re scribat cõtra epist. Fundamenti ca. 4. *In Catholica*, inquit, *Ecclesia, vt omittã sinceriss imã sapientiam, ad cuius*

cognitio-

cognitionē pauci spirituales in hac vita perueniunt, vt eā ex minima quidē parte. quia homines sunt, sed tamē sine dubitatione cognoscāt: cæterū turbā nō intelligēdi vinacitas, sed credēdi simplicitas tutissimā facit. simplicitas ergo fidei, q̄ in populo Christiano esse debet, vna est ex causis, quāobrē Christi oues alienorū vocē nō audiāt, si verè Christi oues sūt. Est & altera causa interna Spiritus S. vnctio, vel illustratio, quæ in singulis est Christianis. etenim Dei spiritus corda fideliū aliquo saltē modo inhabitās purificat ea. i. illuminat, vt voces hæreticorū, & alienorū, tāquā peregrinas doctrinas nō agnoscāt, neq; admittāt, sicut Christus ait Ioan. 3. *Omnis qui natus est ex spiritu, audit vocē spiritus*, scil. qui verè fidelis est Christianus, renatus in Christo ex aqua, & Spiritu S. dū proximū audit Christianē loquētē, agnoscit cōmunē Dei spiritū, vt in illo, ita & ipsi loquētē. Ne verò hęc vox spiritus sola interna Dei inspiratio ab aliquo putaretur, & nō ēt externa Ecclesię vox, sic monuit Ioa. 1. c. 4. 6. in quo Dei spiritus inerat ad docēdū. *qui nouit Deū, audit nos. qui nō nouit Deū, non audit nos. in hoc cognouimus spiritū veritatis, & spiritū erroris.* i. si nos audiat, aut nō audiat, cognoscitur aliquis habere veritatis vel erroris spiritū. Nō ergo Dei spiritus est, cui nō cōcinit externa Ecclesiæ vox, sed spiritus erroris, & mēdacij: quē qui sequūtur, *corrupti sunt*, vt inquit Paulus 1. Corinth. 11. & exciderunt à simplicitate, quæ est in Christo, aliumque spiritum acceperunt.

15. Residentia Episcoporū in suis Ecclesijs, est iuris diuini.

Ex his boni pastoris notis, vel proprietatibus nō difficile colligere est, residētiā Episcoporū in suis Ecclesijs, iuris esse diuini. nā nō dubiū illos esse maxime pastores, & homines illis creditos, oues esse eorū curæ cōmissas. Hoc sanè diuinū ius sine vllis ambagib. & obscuritatib. cōstat hic Christū insinuasse, cū dixit, pastorū partes esse nominatim vocare oues, eas educere, ante eas vadere; & oues eorū vocē debere audire, illis inhærere, ad pascua p illos duci. & vt semel dicā, eos debere sequi. quę quis ita excors est, qui nō videat, sine pastorū præsētia, accuratāq; cura præstari minimè posse? quo ptinet illud Salomonis c. 27. 23. Prou. *Diligēter agnosce vultū pecoris tui, gregesq; tuos considera.* Vbi eos, qui greges habēt alēdos, monet diligentē eorū habeāt curā, frequēter, & accuratè oues suas contēplādo, quo sint habitu, quo numero: nec satis suo muneri fecisse putent, si earum curā alteri vicario pastori cōmiserint, quod non dubium Spiritum S. de Ecclesiastico pastore multo magis intellexisse. Vnde Ecclesiastici habetur cap. 7. 24. *pecora tibi sunt? attende illis, etsi sint vtilia, perseuerent apud te.*

16. Vnde dicatur, & quid sit prouerbium.

6. *Hoc prouerbiū dixit eis Iesus*] Prouerbiū Gr. dicitur παροιμία *Paræmia*: & est dictū cōmune, q̄ per hominū volitat ora, & dicitur ēt *Adagium*. Verùm hīc *prouerbiū* sumitur pro parabola, quod idē est, ac cōparatio, & similitudo, est. n. sermo, qui in se continet cōparationē quādā. potest aūt definiri, similitudo, in qua res diuersæ cōparātur, in eo, in quo sūt inter se similes, vt plurimū habēs notā similitudinis, vel cōparationis: vt, *simile est regnū cælorū*, vel, *sicut in dieb. Noe.* Reperitur & sine nota similitudinis, vt: *exijt qui seminat seminare* &c. ponitur ēt & *parabola* pro ipso prouerbio. vnde secūdū aliquos nominātur *parabolæ Salomonis*. Solent. n. Hebræi vocabulo significāte parabolā vti ad significādū quēlibet sermonē grauē, & recōditum, qui explanatione indiget apud imperitos. *Allegoria* verò, est quidē ēt similitudo, sed obscurata perpetua quadā metaphora, qua aliud significatur, quā verbis exprimitur, qualis est Iudic. 9. de lignis cōsultātib. de rege eligēdo. cōsueuit scriptura allegoriā p typo, & figura alterius sumere, vt ad Gal. 4. videre est. Ænigma est species allegoriæ insigni tantùm obscuritate à cæteris differens, quale est illis Sāsonis Iud. 14. *De comedēte exiuit cib⁹, & de forti egressa est dulcedo.* Sed de parabola, p̄blemate, ænigmate, prouerbio vide quæ plurib. diximus p. 2. dilucidat. cap. 13. schol. nu. 5. 6. & cap. 14. schol. num. 25. 27. 28.

17.

7. *Dixit ergo eis iterū Iesus*] Iudæi nō intellexerāt Christi allegoriā, ideo voluit illis Dns eā explanare, & hoc est q̄ significat vox illa, *ergo*, initio huius versus: q. d. Euāg. Cū nō essēt assecuti Pharisęi sēsū parabolæ, *ppterea* hæc iterū adiūxit Christus, vt q̄ eorū captū fugerāt, explanaret. est igitur q̄ sequitur explanatio præcedētis parabolæ clarior aliquātō.

Christus ostium ouiū & pastorū.

Ego sū ostiū] Iterū asseuerat se ostiū ouiū & pastorū esse, vt intelligant Pharisæi, eos, qui in Ecclesiæ ouile ingrediūtur, vt in cęleste regnū postea admittātur, nō aliter, quā per fidē in Christū ipsū, vel ingredi, vel admitti posse, atq; adeò tacitè significat, ipsos Pharisæos esse extra Dei, & Christi Ecclesiā quāuis sibi primariū locū in Synagoga tenere videātur, ipsūq; cæcū, q̄ in Christū crederet, eiecerint è Synagoga. Porrò quia Christus nō ouiū tātū ostium est; sed ēt pastorū; ideo vt quis legitimus pastor ouiū in Ecclesia Christi cēseatur, debet per ostium intrare, q̄ Christus est. Hoc aūt est ab illo mitti debere. Quare planè necessaria est certa, ac legitima missio, vel vocatio, si quis verus pastor esse velit ouium Christi. Is aūt à Christo vocatur, & mittitur, qui ab ijs quoq; vocatur, mittitur, qui à Christo vocati, ac missi sūt, neq; n. Christ⁹ oēs ipse misit, quos discipulos habuit, vel auditores. verū *quosdā dedit Apostolos, quosdā Prophetas, alios verò Euāgelistas, alios aūt Pastores & Doctores.* vt Paulus ait. rursū hi à Christo missi, alios quoq; miserūt. nā D. Paulus & Barnabas Lystrā, Iconiū, & Antiochiā Pisidiæ pertrāseūtes, constituerunt illis per singulas Ecclesias Presbyteros, vt Act. 14. legitur, vt D. Petrus pastores à se in Ponto, Galatia, & Bythinia cōstitutos sic alloquitur: *pascite, qui in vobis est, gregē Dei*, 1. Pet. 5. 2. idē Paulus ēt præcipit Tito, vt cōstituat per ciuitates Presbyteros, sicut illi disposuerat, vt patet ad Tit. c. 1. 5. nec in præteritis relinquēdus est D. Ioan. qui cū ab exilio rediret in Pathmos, diuersis in locis plures cōstituit Episcopos, auct. Euseb. l. 3. c. 23. historiæ; sed omissis scripturis, quid afferri potest euidēti⁹ testimonio Ire. l. 4. c. 03. vbi affirmat: *Ecclesiā quæ in vnoquoq; loco est*. i. catholicā *per successiones Episcopis regētā illos*. i. Apost. *tradidisse*? hoc ergo est per oītiū, q̄ Christus est, ad regēdā, pascēdamq; Ecclesiā ingredi, & hāc ingrediēdi rationē perpetuò seruatā videm⁹ in Ecclesia, vt nōnisi per ostiū. i. vocati, & missi ab Eccl. pastorib. intrarēt pastores.

Ecclesia Christi per successionē tradita à pi-scopis regenda.

Quod visus est Isaias lōgo ante tēpore vaticinatus fuisse c. 59. 19. 20. 21. *Cū venerit quasi fluuius violentus, quē spiritus Domini cogit: & venerit Sion Redēptor, & eos, qui redeūt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus. hoc fœdus meū cum eis dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus amodo, & vsq; in sēpiternū.* vt sit sensus; cùm Messias venerit, quasi fluuius violentus, propter exūdātē gratiæ vbertatē, quem fluuiū spiritus Dñi cogit. i. agit (vox. n. hebręa propriè significat fugare, vel currere facere) *& venerit Syon Redēptor; Syō*, datiuus est, q. d. *Ecclesiæ*, quam redimet suo sanguine. Paulus, vt iam dicam, legit, *ex Syon*, alij *propter Syon*, sed eodē sensus recidit. ne verò putaremus oēm Syon efficaciter redimendam adiecit; *& eis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob.* Vbi nota hebraismum: perinde enim est dicere, *in Iacob*, atq; agentibus in Iacob, vel, ad ipsum pertinentibus. Sunt, qui per *Syon* intelligant eam, quæ est in Palęstina, & per *Iacob* carnalem Israelem, & sanè melius ex Paulo cap. 11. 26. ad Rom. affert enim Apostolus hoc testimonium iuxta septuaginta, & de solis Iudæis exponit in hunc sensum: è gente Iudaica secundùm carnem nascetur, qui sit liberator gentis illius. i. qui aboleat peccata

18.

Digitized by Google

Israelitici populi, qui secundū carnē è Iacob descēdit. hęc aūt abolitio nō est adhuc pacta. pauci .n. ex Iudæis ad fidē sūt cōuersi, vt iure dici possit, nōdū esse impietatē abolitā à populo Israelitico. Igitur vult Apost. implendum esse hoc Isaiæ vaticinium ad diē iudicij, vbi intrauerit plenitudo gētium. quod verò fœdus sequentibus verbis fusè explicat Isa. v. 21. paucis verbis comprehendit Apost. eo.dē modo dicens v. 21. *& hoc illis à me testamentū, cū abstulero peccata eorū.* Verba sunt diuersa, idem reuera sensus; q. d. hoc est fœdus quod cū populo Israelitico inibo: auferā, & abolebo peccata eorū. ergo quod Isa. expressit plurib. verbis: *spiritus meus qui est in te*, ea Apost. cōplexus est illis verbis, *cùm abstulero peccata eorū*, quib. reuera fœdus implicitè continetur. abolitis .n. peccatis, & infidelitate, ac pertinacia Iudæorum, oēs Iudæi erunt sub eodem pastore Christo, eiusq; in perpetuū Vicarijs, & Episcopis sibi legitimè succedētibus, & quidē in vno eodemq; ouili cū gētibus; vbi earum multitudo ad Christi castra cōfugiēs iuxta numerū à Deo definitum expleta fuerit, tunc erit vnū ouile, & vnus pastor, fruenturq; ēt Iudæi, cùm facta fuerit eorū infidelitatis, & cęterorum peccatorū abolitio (quod pleně nōnisi versus mundi cadentis finē erit) hoc testamēto, vel fœdere cum gētibus. Cōstat ergo ex hoc vaticinio Isaiæ, verbū Dei, & spiritum Dei. i. sensum verbi, perpetua successione in ore pastorū esse permānsurum: nā nomine seminis hīc ipsos pastores, eorūq; successores accipere debemus, cū dicitur: *de ore seminis tui* &c. Loquitur aūt Pater cum Christo, q. d. spiritus meus qui est in te, ô Christe. quod verò nomine *seminis* pastores sint intelligendi, nō obscurè significat Christus Ioan. 14. in ea oratione, quā post vltimā cęnā fudit ad Patrē *verba quæ dedisti mihi, eis dedi, & ipsi acceperūt.* quod verò hæc verba permansura essent perpetuò in hoc Christi semine, ostēdit cū ait: *Pater sancte serua eos in nomine tuo*, & cū prius dixit quod spiritus veritatis mānsurus esset cū illis in ęternū, quare subiecit in prædicta oratione: *non pro eis rogo tantum. sed & pro eis, qui per verbum eorū credituri sunt in me*, hoc ergo est quod dicit Esaias: *non recedēt de ore tuo, & de ore seminis tui*: deniq; cōfirmat Christus hāc pastorū successionē, cū Luc. 10. 16. dixit: *Qui vos audit, me audit.* quare D. Cypr. l. 4. ep. scribit Christū per Apostolos ad oēs præpositos hæc verba dixisse; *qui Apostolis vicaria ordinatiōe succedūt.* idē habet Basi. Constitut. monastic. c. 23. & Iren. lib. 4. c. 43. & 63.

19. Est igitur Christus ostiū, quia ab ipso vocat⁹ quis ad munus pastorale, & ppter ipsū Christū suscipere, & gerere debet. Sunt .n. qui munus pastorale per vim capiūt: similes Alcimo summō Pontificatū Iudæorū per vim sibi rapere volenti. 1. Macha. 7. sunt quoq; qui largitionib⁹, dolis, & fraudib. pastorum sibi locū & dignitatē vsurpare conātur. Quod si q.s obijciat cōtra id quod sæpè diximus, nomine ostij Christū signari, non aptè id in illū cōpetere: cū .n. sit pastor, nō videtur simul ēt esse posse ostiū, cùm valdè hæc duo inter se discrepēt; sed ad hoc quidā respōdēt dicētes; si perpēdamus in Christo duas inter se infinitè distātes naturas esse cōiunctas, nō mirū videbitur, si quę sūt diuersa in hominib. reperiri cōiūcta in Christo possint, & q̄ inter se minus cohęrere videtur, secundū variā cōsiderationē simul in vnū Christū coire. Est igitur Christus & pastor, & ostium: ostiū respectu pastorū & ouiū, vt hactenus ostēsū est; pastor respectu ouiū. sic quidā respōdēt; sed obijci cōtra posset, nō videri adhuc qūo si ipse Christus pastor est, ingredi in ouile per ostiū, quod ipse est, possit. hoc .n. erat declarādū. Quare melius respōdebimus; si affirmem⁹ Christū hīc, cū dicit se esse ostiū, & ouiū, & pastorū, nō de se loqui, sed de cęteris pastorib⁹, q̄ cōfirmatur ex ea, q̄ n. 3. diximus.

20. D. Greg. ho. 15. in Ezec. mouet hanc eādē quęstionē, q̄ nūc soluimus. *si pastor*, inquit, *intrat per ostiū, ipse pastor*, Christus, *ipse procul dubio intrat per semetipsū.* & subdit: *quærendū nobis ita q̄ est, qualiter & ipse intret, & per semetipsū intret. Dominus .n. ac Redēptor noster cū S. Ecclesia quā redemit, secundū carnē vna substātia est*, Paulo attestante, *qui ait: Adimpleo ea, quæ desunt passionū Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Huius capitis corp⁹ Ecclesia est, & huius corporis caput, Christus. de quo suo capite exultat corpus. i. S. Ecclesia, ū per Psalmistam dicit: nunc aūt exaltauit caput meū super inimicos meos. quia .n. quandoq; ēt ipsa exaltanda est, iam nunc caput suū super inimicos suos exaltatū gaudet in cœlis. cū ergo electi quiq; ad vitā peruenīunt, quia membra eius per eum intrant ad eum. ipse per se intrat ad se. ipse enim in suis membris est, qui intrat; ipse caput, ad quod intrantia mēbra perueniunt. quod Ezechiel Propheta multipliciter insinuat, qui visum venisse dicit ad portam, & quæ eadem porta sit, ostendit.* Hæc Gregor. quæ continent alteram solutionem ad propositam dubitationem.

Nazian. orat. 5. explicans quō Christus ostiū, & quomodo pastor sit, sic ait: *dicitur ostium, vt introductor, pastor, vt qui loco herbido stabulet ad aquā requietis pastū præbeat, inde via dux sit, aduersus belluas propugnet, reflectat id, quod errat amissum reducat, fractū obliget, languore correptū corroboret, validū custodiat, per sermones pastoritiæ scientiæ ad caulā suā colligat.* in quæ Nazianz. verba Elias Cretensis hæc notat: *Ostiū vocatur, vt qui eos, quotquot præclarè totā virtutū vitā absoluerunt per actionis inculpatū curriculum ad cognitionē introducat, mirificeq; lucentes sapientiæ thesauros ostēdat. pulsemus igitur, & portæ aperientur nobis. Deū nemo cognouit, nisi filius, & cui filius reuelauerit. præterea Dominus seipsum & ostiū & viā vocat, quod ipse prior virtutū in actione versatus, nos quoq; docuerit, adeoq; auctor eiusmodi nobis operū fuerit. appellat & pastorē sese, cū ait: ego sū præclarus ille pastor, qui vitā pro ipsis ouib⁹ ponit. vocatur aūt pastor, vt qui loco herbido stabulet, & requietis ad aquas pastum præbeat. Locus autē ille graminosus, est Ecclesia. gramen sunt fideles ipsi virtute florentes: vel ēt ipsa Christianorum fides quæ sēper virescit. vnā fides Ethnica, instar fœni & cōsenuit, & emarcuit vel deniq; per gramen hoc intelligi possūt religiosa pietatis dogmata, quæ & alunt animum, & pinguefaciunt. per aquā requietis accipimus viua sacræ scripturæ oracula, non modò potum suppeditātia, sed ēt alentia cunctos, qui sitim quamdam, & famem illius aquæ sentiunt. patet hoc vel ex eo, quod requietis aqua dicitur. nam qui & comedit, & bibit, is requiescit. appellat aquā requietis ipsū ēt Baptismū, vt qui sordes abstergat, molestiq; peccati nos onere leuet. Sunt autem hæc verba Dauidis Vatis, qui ait: Dominus me pascit, ac nihil mihi deerit, in loco herbido me stabulauit, ad requietis aquam mihi pastum præbuit.* subdit verò post: *Talis est præclarus ille pastor, qui vitā pro ouibus ponit. cui longè dissimiles sunt scelerati pastores falsoq; nomē hoc vsurpantes. aduersus quos Deus per Hieremiam Vatem clamans ait: ô pastores, en ipsi lac deuoratis, lanas ad vestitū vsurpatis, oues meas non pascitis, languore correptū non corroborastis, fractum non obligastis, errans non reflexistis, amissum non quæsiuistis, validum labore obruistis;* & postea: *Est autem vinculum illud quo pastor bonus confracta obligat, oratio conglutinans ad distractionem spectantia.* Hactenus Elias. 21.

D. quoq; Greg. ep. 47. lib. 7. exemplo Iacob Gen. 31. qualis esse debeat bonus pastor, ostendit: *certè, ait, Beatum Iacob, qui pro vxoribus suis diu seruierat, dixisse meminimus: viginti annis fui tecum, oues tuæ & capreæ tuæ steriles non fuerunt. arietes tui gregis non comedi, nec captum à bestia ostenditi bi. ego damnum omne reddebam; quicquid furto perierat, à me exigebas; die, noctuque æstu vrebar, & gelu;* 22.

& gelu; fugiebatq́, somnus ab oculis meis. Si igitur sic laborat, & vigilat, qui pascit oues Laban, quanto labori, quantisq́ vigilijs debet intendere, qui pascit oues Dei? Lege eumdem epist. 40. lib. 9.

23. 8. *Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones*] Non parua hîc sese offert dubitatio, quomodo omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones? Venit Moses, venêre Prophetæ, venit Ioannes Baptista, omnes Deo fidelissimi, & probatissimæ vitæ pastores, & qui vltimo loco numeratus est, ore Christi est commendatus, & quod non surrexit maior inter natos mulierum. Respondent quidam in textu Græco legi, *quotquot venerunt ante me*, vt etiam habet Chrysost. Euthymius cum quibusdam Græcis, aiunt ergo sensum esse: eos qui veniunt ad oues non post Christum, hoc autem est, Christiana charitate, & non missi à Deo, neq; Dei gloriam spectantes, omnes fures fuisse & latrones. Hoc enim indicant duæ illæ voces, *ante me*, id est, nulla habita mei ratione, vel respectu, seipsos intrudunt, & pastores, vel potius dominatores ouiũ sese efficiunt. verum hæc expositio minus mihi Christi menti consentanea videtur, nec satis duo illa verba, *ante me*, aptè sic, & propriè exponuntur. mitto eas voces in latinis emẽdatis codicibus non reperiri, nec in omnibus græcis. Melior est illorum interpretatio, qui in his verbis tacitè subintelligunt, quod præcedentibus verbis Christus dixerat: *qui non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, fur est* &c. itaq; sententia hæc est. quotquot venerunt, & per ostium ingressi non sunt, fures sunt, & latrones. Hoc autem de Mose, Prophetis, Ioanne Baptista, cæterisq; eiusmodi notæ viris dici nec debet, nec potest. intrarunt hi per ostium, hoc est, per fidem venturi Christi iustificati, & ad pascẽdas, gubernandasq́; Dei oues missi sunt. Huic consentit 3. expositio ẽt bona, vt Christus ijs verbis eos notare voluerit, qui ante suũ aduentũ, se, vel tãquã Christum, & Messiã esse in vulgus iactabant, vel certè ꝙ Christi proprium erat, sibi vendicabant, vel vanas doctrinas, & hæreses docebant. Huius farinæ homines fuêre Theodas, & Iudas, de quibus Act. 5. & quidam Philosophi, & alij his similes. licet Theodas, & Iudas non se Messiam dixerint, quod ex verbis Gamahelis Act. 5. & ex Ioseph. lib. 18. antiq. c. 1. & 2. & lib. 20. c. 2. colligitur. Hi ergo oẽs fures sunt, & latrones. tales fuêre & hi. de quibus Hier. 13. dixit Deus: *non mittebam Prophetas, & ipsi currebant*, & Ose. 8 *Ipsi regnauerunt non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.* Hanc expositionem cõfirmant etiam aliqui per verbum illud, *venerunt*. veri enim pastores & Prophetæ non venerunt, sed missi sunt, quam verbi significationem Clem. Alexand. l. 1. strom. obseruauit, vt *venire* dicantur, quia non missi, sed à seipsis venerunt, siue pseudoprophetæ, siue philosophi fuerint cum suis dogmatib. probabiliter id quidem dicitur, sed non magnam habet vim. nam de Ioãne, qui bonus Propheta fuit testatur Ioan. Euangel. *hic venit vt testimoniũ perhiberet de lumine*, & hic Christus ait: *quotquot venerunt fures sunt*: quod si verbum, *venerunt*, in malam accipitur partem, non rectè subiecit Christus: *ego veni vt vitam habeant*; quin dicendum fuerat, *ego missus sum*. vel aliud quid.

24. Neq; audiendi sunt pessimi Manichæi, qui hoc Christi loco abutebantur, auct. Aug. lib. 5. contra aduersarium legis, & Prophetarum ca. 4. sic enim insulsè, & ineruditè ratiocinabantur: quotquot ante Christum venerunt, fures, & latrones fuerũt; at non vident cæci homines, vt aduertit Chrysost. hom. 58. iugulari hanc hæresim sequentibus mox verbis. nam de furibus, & latronibus, & non veris pastoribus affirmat Christ⁹, quod oues nõ audierint eos: id quod in laudẽ ouiũ dictũ fuisse inficiabitur nemo: atqui oues audiêre Prophetas; eos verò qui non audierunt, reprehendit Scriptura. non igitur Prophetæ, & pastores omnes ante Christum fures fuerunt, & latrones.

Et non audierunt eos oues.] Obscurior quibusdã, & magis implicita quæstio videtur altera, quã Aug. hîc mouet tract. 45. qũo videlicet dictũ sit: oues nõ audisse pseudoprophetas, vel pseudopastores. cõstat enim non paucos ex electis etiam aliquo tempore deceptos esse, vt. n. plurimi sunt reprobi, qui interdum veritatẽ sequuntur, & æmulantur, ita & aliqui sunt electi, qui vitijs sunt obnoxij, & hæresibus sunt obcæcati. Sunt qui admittunt electos à Christo in hac parabola *oues* vocari, verùm tũc verè esse tales, cùm Dei vocem audiunt, cùm verò nõ audiunt, propriè non dici oues. at isti non aduertunt quid v. 16. dicatur: *alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili*, vbi Christus eos, qui eo tempore erant infideles, nec actu adhuc oues, & quos conuertendos nouerat, appellauit *oues suas*, ob id tantũ quod futuri erant fideles, & reducendi ad suum ouile. i. ad Ecclesiã. satis ergo est fides, qua quis est intra Ecclesiam, vt censeatur inter oues Christi, licet prædestinatus non sit. D. Aug. qui etiam putat hic electos vocari *oues*, respondet oues non audisse Pseudoprophetas, fures, vel latrones, quia non perseuerauerunt in ea voce audienda; etenim prædestinati tandem aliquando resipiscunt, & recedunt à falsis ad veros pastores. Sic Paulus spirans minarũ & cædis in discipulos Domini, & contumeliosus, & blasphemus in Christũ, conuersus est tandem ad eum; inter electos enim, & prædestinatos erat. Sed hęc responsio eodem planè modo reijci posse videtur, quo reiecimus præcedentem, & quo superius reiecimus eandem Aug. sententiam, intelligentis hîc oues tantùm prędestinatos accipi debere. vide n. 9. quod si non prædestinati etiam oues sunt, non est necesse dicere, eos aliquando recessuros à falsis ad veros pastores. quare alij respondẽt, concedentes, electos hic dici *oues*: verùm illos eo tempore quo mali vel infideles sunt, non esse, nec dici debere oues secundũ præsentẽ tunc illorũ iustitiã, sed secundũ æternũ Dei propositũ, quo decreuit eos Deus oues suas facere. quare secundùm gratiam æternæ prædestinationis oues sunt, secundùm præsentẽ gratiam nõ sunt. Melius ac verius me iudice, dicerent, si affirmarent; actu ac reipsa non esse oues, at secundùm Dei propositum, quo decreuit efficaciter eos vocare ad fidem, & ad Ecclesiam suã esse futuros oues, verũ non est quod huc recurramus, facilior erit responsio, & verior, si non de electis tantũ & prædestinatis hæc interpretemur. Sunt. n. oẽs fideles, siue electi, siue reprobi sint, oues; cùm sint oẽs intra ouile Ecclesiæ. Respondetur ergo obiectioni, fideles quãplurimos non audisse pseudoprophetas: illi verò fideles, qui tales pseudoprophetas sequuti sunt, & tũc desierũt esse oues Christi, breuiq́; omnes perierunt cum suis pseudoprophetis, cùm tamen Christum non pauci, sed innumera esset hominum multitudo & auditura, & sequutura, futurumq́ue esset, vt eius nomen foret perpetuum, & doctrina nullo vnquam tempore desitura. Cũ verò dicuntur oues pseudoprophetas non audisse, intelligo, non sequutas esse eorum doctrinam hæreticã, & contra fidẽ, quãuis malos eorũ mores, & vitia interdum aliqua sequutę fuerint.

25. An Pharisæi fuerint pseudoprophetę?

Posset hic in dubitationem verti, an Pharisæi fuerint pseudoprophetæ, & fures, & latrones. ita enim videtur esse dicendum, quia à Christo auertebant oues, & Christum negabant esse à Deo missum: aliunde verò non videntur fuisse tales, quia de istis præcepit Christus, vt eos oues audirent Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. omnia ergo quæcumque dixerint vobis*

seruate

eti Pastos & Prophe non vene ut sed issi sunt.

ſeruate, & facite; at de pſeudoprophetis nil tale præceptum eſt à Chriſto. Reſpõdeo, Rupert. quidẽ v. hunc 8. *Omnes quotquot venerunt fures ſunt, & latrones, & non audierunt eos oues*. de Phariſæis interpretatum eſſe, qui tũc viuebant, cùm hæc Chriſtus diceret; ac propterea dixiſſe Chriſtũ præſenti tempore *fures ſunt, & latrones*. Verùm nos n. 23. hunc locum expoſuimus præſertim de pſeudoprophetis, quamuis etiam nõ excluſerimus Phariſæos non quatenus legitimi erãt paſtores, ſed quatenus ſimiles pſeudoprophetis, ſeu pſeudopaſtoribus. in hoc enim & fures, & latrones dici poterant. Itaq; ſic rem totam diſtinguere poſſumus: eſſe quoſdam paſtores, legitimos quidem; verùm non bonos, cuiuſmodi erant Phariſæi, qui quoniam legitimè erant creati, veri paſtores meritò cenſebãtur. quoniam verò oues à Chriſto ſeparabant, boni paſtores non erant; ſed ex hoc capite furibus, ac latronibus ſimiles, & quamuis vt legitimi, ingreſſi eſſent per oſtium; non tamen omninò per oſtium erant ingreſſi, quia nõ propter Dei vel Chriſti gloriã paſtoris munus exercebant, ſed ad propriã gloriam. Poſtremò alij ſunt nec veri, nec boni Paſtores, cuiuſmodi erant pſeudoprophetæ, & pſeudopaſtores, de quibus præſertim intelligendus eſt Chriſtus v. 8. ſub quibus tamen comprehẽdi etiam poſſunt Phariſæi, & illis ſimiles.

26. 9. *Per me ſi quis introierit, ſaluabitur*] Hoc perinde eſt, ac ſi dixiſſet: qui crediderit in me, ſaluus erit. Hoc enim eſt, per Chriſtum intrare, in illum credere: quod ſi dicas: non omnis, qui in illum credit, ſaluatur. Reſpondeo: ſupplendũ aliquid eſſe huiuſmodi propoſitionibus, ſi charitatem, & bona opera adiunxerit fidei; ſi fidem habuerit, nõ ſolam. i. mortuam, ſed viuam, & quæ, vt ait Paulus per charitatem operatur. Sic intelligitur locus ille Ioa. 3. 15. *vt omnis, qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam*; alioquin clamat Paulus 1. Cor. 12. 2. *ſi habuero omnem fidem, ita vt montes trãſferam, charitatem autem nõn habuero, nihil ſum.* ecce tibi; ſolam fidem per ſe ſpectatam ſaluare neminem. clamat Iacob. c. 2. 24. *Videtis, quomodo ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantũm*. nec de ficta fide loquitur; ſed de inſigni etiam fide Abrahami. V. enim 21. ait: *Abraham pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt*? Vide de his Mald. in ca. 3. Ioan. v. 15.

Fidei iungẽda ſunt bona opera.

Fides nõ ſit ficta.

27. *Et ingredietur, & egredietur*] D. Auguſt. quem ſequitur Beda, & quidam alij, allegoricè potius hũc locum expoſuit; duas voluit hic ſignificare vitas, contemplatiuam vnã, alterã actiuam; ingredi verò intrà ſe homines, cùm contẽplationi vacant; quaſi egredi extra ſe, cùm in actionem exeũt. Audi Aug. *Poſſem*, inquit, *dicere ingredi nos, quando interius aliquid cogitamus; egredi autem quando exterius aliquid operamur, & quoniam ſicut dicit Apoſtolus. per fidem habitat Chriſtus in cordibus noſtris, ingredi per Chriſtum, eſſe ſecundùm ipſam fidem cogitare: egredi autem per Chriſtum ſecundùm ipſam fidem, etiam foris, id eſt, coram hominibus operari. vnde & in Pſal. legitur: exibit homo ad opus ſuum* &c. Hanc explicationem videtur aſſignaſſe etiam Greg. 1. Reg. ca. 16. vbi ait: *ingredientur, & egredientur, & paſcua inuenient. intus quippe habent paſcua contemplationis, foris paſcua boni operis.* Addit & aliam: dum ſubdit: *foris paſcua boni operis. intus mentẽ deuotionibus impinguant; foris ſe pijs operibus ſatiant.* Iterum idem Aug. aliam affert interpretationem: Ingredietur in Eccleſiam militantem; & in ea vſque ad finem perſeuerans; egredietur ad Eccleſiam triumphantem, & vtrobique inueniet paſcua. Hic quidem gratiæ, quibus in exilio miſeræ huius vitæ ſuſtentetur; ibi verò gloriæ paſcua reperiet, quibus beatè in omnem æternitatẽ viuat. Huic expoſitioni conſtat & illa Greg. ho. 13. in Ezech. *Ingredietur*, inquit, *ad fidem, egredietur ad ſpeciem, paſcua verò inueniet in eterna ſatietate. & Pſalmiſta ait: Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum. cuſtodit enim Dominus vniuſcuiuſque animæ introitum, quo intrat ad fidem, exitum quoque, quo exit ad ſpeciem, vt neq; intrans Eccleſiam erroribus ſupplantetur, neque ab hac temporali ad æternam exiens, ab antiquo hoſte rapiatur.* & epiſt. 16. lib. 12. de paſcuis ſermonem miſcens, ait: *Quæ videlicet paſcua tunc inuenimus, quando huius vitæ hyeme carentes, de æternæ vitæ, quaſi de nouis veris viriditate ſatiamur.* Hæ expoſitiones bonæ quidem ac piæ ſunt, & magna reuerentia excipiendę, myſticæ tamen mihi potiùs videntur. D. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. & alij ingredi & egredi coniunctè ſumpta, nihil aliud quàm ſecuritatem quouis eundi, quiduis pro Chriſti gloria agendi, patiendiq; putant ſignificare. D. Th. verò hoc modo expoſuit: Ingredietur intra Eccleſiã cum fidelib. conuerſando; & egredietur ad infideles, qui extra Eccleſiam ſunt. videlicet ad inſtruendos, & confirmandos fideles; & ad infideles ad fidem Chriſti conuertendos, vel etiam ad confutandos, & conuincendos hæreticos, & ſanctæ fidei noſtræ hoſtes profligandos. Auctor libri de ſpiritu, & anima to. 3. inter opera Auguſt. cap. 9. alteram indicat explicationem huius loci, ſic ſcribens: *hoc autem erat totum bonum hominis ſiue ingrederetur, ſiue egrederetur, paſcua in ſactore ſuo inueniret, paſcua foris in carne Saluatoris, & paſcua intus in diuinitate Creatoris.* Quem etiam ſenſum commemorat D. Thom. vt ſit hæc ſententia: Ingredietur ad diuinitatem meam: & egredietur ad humanitatem: & paſcua inueniet. quis enim explicet, quã dulcia paſcua is reperiat, qui totus in contemplãda Chriſti diuinitate, totus in humanitate meditãda poſitus eſt? Mald. alium adinuenit ſenſum. *Per me*, inquit, *ſi quis introierit*. hoc eſt: ſi quis in me crediderit, *egredietur* ex ouili ad paſtum, & *ingredietur*, id eſt, à paſtu ſe in ouile recipiet, ſine vllo periculo, me paſtore ducente, ac reducente. quod ſemper fit intra Eccleſiam. ex loco enim in quo quieſcunt, & recubant oues in alium ducuntur locum, in quo paſcantur. vt ſit *egredi*, non exire ab Eccleſia, ſed exire ex loco recubitus in locũ paſtus. *ingredi* verò, non ſit in Eccleſiam introire, ſed ex paſtu ingredi in locum vbi recubent oues, neq; enim ſemper oues Chriſti docendæ, monendæ ex hortandæ ſunt, aliquod habent requietis tempus, quo audita ruminent, orent, ſeque colligant &c.

Cæterùm mihi alia vt communior, ita verior videtur loci huius expoſitio. pro cuius intelligentia obſeruandum eſt. Exire & intrare, egredi, & ingredi, vel ad Imperatores, & Duces exercituũ, vel ad quodlibet negotium referri poſſe, iuxta Hebraicam Scripturæ phraſim. ad primum modum pertinet locus Deuter. 31. 2. *Centum viginti annorum ſum hodie, non poſſum vltra egredi, & ingredi*: nimirum ante exercitum, vel ante faciem veſtram, vt ſtatim verſiculo 3 ſubijcitur. *Dominus Deus tuus tranſibit ante te*. vbi hebraicè dicitur: *Tranſiens ad facies tuas*, id eſt, ſecundùm ſeptuaginta: *ante faciem tuam incedens*. Porrò eſt hæc metaphora deſumpta à paſtoribus. Id quod indicatur Numerorum 27. 16. 17. vbi legimus: *Prouideat Dominus DEVS &c. hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc: & poſſit exire, & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere: nẽ ſit populus Domini ſicut oues abſq; paſtore*: eſt enim Imperatoris, ac Ducis munus, ſicut & boni paſtoris, præire, non ſequi gregem, neque vt apud Terentium eſt in Eunucho, poſt principia eſſe, hoc eſt, eſſe in tuto, citraque periculum. Sunt enim principia locus in caſtris à principibus mi-

28. Cõmunior & verior expoſitio.

litibus

Imperator debet primus contra hostes inire certamen, vt suo exemplo milites sequantur.

litibus sic appellatus, isque tutissimus. Nam auctore Liuio libro 8. dec. 1. *nullus in acie locus tutior, quàm post principia.* Debet ergo Imperator regere, ducere, præcedere exercitum, & primus contra hostes inire certamen, vt suo mox exemplo milites sequantur. Ad hunc modum, & hanc loquendi formulam pertinet locus 1. Regum 18. 13. vbi de Dauide Chiliarcha facto sic legitur: *Egrediebatur, & intrabat in conspectu populi*: & illud 2. Regum 3. 25, *Ad hoc venit ad te, vt deciperet te, & sciret exitum tuum, & introitum tuum*; quasi dicat, omnia belli arcana exploraturus venit. & illud 3. Regum 3. 7. *Et nunc Domine Deus, tu cat. ego sum puer parvulus, & ignorans egressum, & introitum meum.* id est, ignarus regendi, & ductandi populum. atque hoc modo non potest sumi in hoc loco, quem præ manibus habemus.

29. Altero igitur modo refertur hæc dicendi formula ad quodlibet negotium, & omne opus significat, quod homo incipit, aut peragit, & quidem cum felici successu, nec tantum cum libertate, & securitate, vt putasse videntur Theophyl. Titelman. Iansen. ad hunc versum Ioannis 9. sic sumitur Deuter. 28. 6. *Benedictus eris tu ingrediens, & egrediens.* Est enim sensus: quicquid incipies, aut perages, faustè, feliciterque succedet. Sic Psalm. 120. vltim. *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum*, videlicet totam vitam tuam, seu totius vitæ actiones; ita vt omnes res tuæ, & negotia quælibet prosperè cadant. Sic Esaiæ 37. 28. *Habitationem tuam, & egressum tuum, & introitum tuum cognoui.* est enim sensus. Nihil quod ad vitam, & actionem tuam pertinet, me fugit. Sic 2. Paralipp. 1. 19. *Da mihi sapientiam, & intelligentiam vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo.* hoc est, vt illum pacificè & iustè regam, & moderer, vt patet ex sequentibus. *Quis enim potest hunc populum tuum dignè iudicare?* quæ omnia sumpta sunt ex metaphora pastorali, quod ostendit hic Dominus versiculo 2. 3. 4. *Qui intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit. oues vocem eius audiunt &c. vocat nominatim, educit eas &c. ante eas vadit &c.* Verè felices tali pastore oues. Hinc est, quod consueuit Scriptura fugientem, palantemque exercitum, & duce spoliatum vocare, oues sine pastore, vt Nu. 27. *Ne sit populus Domini sicut oues absq; pastore*; & 3. Reg. vlt. 17 *Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oues non habentes pastorem.* Nouerat enim Michæa regem in prælio, accepto vulnere, fugiturum, & populum à Syris non esse profligandum. ergo (vt ad rem veniam) omnes istæ locutiones à re pastoritia desumptę sunt. Quibus notatis, & positis, facilis erit huius intelligentia. Significat enim hic Dominus dum ait: *per me si quis introierit, saluabitur &c. ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* ei qui per ipsum ingreditur, omnia prosperè succedura, dandamque illi gratiam, vt cuncta eius dicta, facta, studia, incepta felicem exitum sortiantur; continget enim ei, quod apud Dauidem scriptum est de viro iusto: *fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia quæcunq; faciet prosperabuntur.* quod si pastor fit, rectè suo munere fungetur, ante oues ingredietur, & egredietur, & faustè, feliciterq; séper oues suas reget, & pascet eas pascuis vberrimis. Hic mihi videtur huius loci sensus.

Hic videtur huius loci sensus.

30. 10. *Fur non venit, nisi vt furetur & mactet* &c. Probat hîc se esse verum ostium ouium; non autem eos, qui ante ipsum venerunt. ratio est, quia illi quæ sua erant, quæsierunt, non quæ ad salutem & incolumitatem ouium pertinebant, tales erant ij de quibus loquitur Ezechiel cap. 34. 2. 3. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos,* A *nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.* Vt veniſſe illos in perniciem, & interitum ouium non sit dubitandum, quod patet Actorum 5. 36. & 37. de Theoda, & Iuda Galilæo, occisi enim & perditi sunt, qui eos sequebantur. Se verò veniſſe ait, non ob suam, sed ouium vtilitatem: nempè vt oues vitam habeant, & abundantius etiam habeãt. cùm verò ait: *fur non venit.* subintellige, fur *autem* non venit &c.

Nisi vt furetur] Alienam rem vsurpando ex Glossa. Hoc est, vt iam Christianos, atque Catholicos hæreticis doctrinis à grege Christi abducant, suosque faciant Discipulos, qui Ecclesiæ fuerant. & vt ait Diuus Paulus Actorum 20. 30. *vt abducant discipulos post se.* Videlicet, post sensum & spiritum suum. etenim verissimum est illud, quod Irenæus lib. 3. cap. 2. scriptum reliquit. omnes hæreticos *seipsos prædicare, veritatis regulam deprauantes.* cùm perspicuum sit, illos à communi, & recepta fidei norma abstractos fideles, & à vero auocatos, ad sua noua, & particularia dogmata pertrahere. & quid hoc miramur, cùm veniant, vt Christus dixit, *in nomine suo*, hoc est, de suo sensu, & spiritu loquantur? vt verè de illis, quod de diabolo dictum est Ioann. cap. 8. affirmari queat, quod *ex proprijs loquuntur.* Videsne verè dixisse Dominum, istos tanquam fures transuersas agere Ecclesiæ oues à recto tramite, & aliena furari, hoc est Ecclesiæ oues? 31.

Hanc hæreticorum proprietatem descripsisse mihi Ieremias videtur, capit. 17. 11. *Perdix fouit, quæ non peperit: fecit diuitias sine iudicio*, vel, vt alij legunt: *Clamauit perdix: quæ non peperit, congregauit faciens diuitias non suas.* Vnde rectè Augustinus libro 13. contra Faustum capite 12. *Non*, inquit, *disputare amant hæretici; sed quoquomodo superare impudentissima peruicacia, vt congregent quæ non pepererunt. Christianos enim quos maximè Christi nomine seducunt, iam per ipsius Christi Euangelium natos inueniunt, & faciunt illos diuitias suas; non sanè cum Iudicio, sed cum temeritate inconsiderata: non enim intelligunt ibi esse veram, & salubrem, & quodammodo germanam, atque radicalem Christianam societatem, vnde istos separauerunt, quos ad suas diuitias congregarunt.* 32. Proprietas hæreticorũ.

Et mactet, & perdat] Glos. à fide retrahendo. Rectè sanè & mactat, & perdit hæresis. Tota enim hæreticorũ doctrina vt rectè quidam notat, hodie quanta quãta est, negatiua est, ablatiua est, destructiua est: ædificatiua nulla est: cũ tñ affirmet Apost. oẽm veræ Ecclesiæ potestatem datam esse *in ædificationem, & non in destructionem* 2. Cor. 10. 8. quod & ex eorum dogmatibus planè negatiuis, & ex factis eorum probare possumus. Dogmata sunt: nõ esse veram Ecclesiam, quæ dicitur Catholica, non esse Rom. Pontif. Christi vicarium, non admittendas traditiones, non esse in Eucharistiæ Sacramẽto verè, & realiter corpus, & sanguinẽ Christi, & sexcẽta alia facta et ablatiua sunt, vt sic dixerimus, quippè quæ cladẽ, interitũq; afferãt. etenim quis ignorat, tot per illos deiecta esse monasteria, tot pauperum Xenodochia, tot Christianorũ templa ad terram prostrata, tot sacerdotum collegia iniustè vsurpata, & (quod horrent aures audire) tot etiam sanctorũ reliquias passim in fluuios deiectas? annon tibi isti fures esse videntur, & latrones, qui ita debacchantur in sacra? qui, quæ tanto maiorũ nostrorum consilio, tanta maturitate constituta sunt, conuellere, ac dissipare contendunt; noua cudunt, refigunt vetera, denique nihil per illos firmum, nihil ratum esse potest, vt iure optimo huius præsertim tempestatis hæreticis 33. Quid sit doctrina hæreticorum?

nomen

nomen illud, seu characterem, quem secundùm Hyppolytũ martyrem in oratione de consummatione mundi proprium habebit Antichristus, tribuere possimus, nimirum ἀρνεῖσθαι: id est; *nego*, quod si quædam habent, quibus aliquid affirment, vel captiosa illa, vel veneno plena vel turgida & inflata, vel sordida, vel denique insana, ac fatua sunt, vt meras esse nugas non dubites, & ad destruendũ tantùm; non ad ædificandum inuenta, sed de his hactenus.

34. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*] Nimirum vt vitam habeant nunc gratiæ, & abundantius in cœlis perennem gloriæ vitam sortiantur, quæ perfectior est. ita August. tractat. 45. & Chrysost. hom. 58. vel, *vt vitam habeant*, hoc est, fruantur bonis, sic Olimpiodorus in Eccles. cap. 2. vel vt non solùm vitam, id est, gratiã habeant; sed *abundantius habeant*, id est, multiplicem præterea copiam aliorum donorum Spiritus sancti; vel, *vt abundantius habeant* vitam per resurrectionem. Soli enim boni absolutè resurgere dicuntur, quia ad vitam resurgunt. & solet Christus, vbi affirmauit se vitam esse daturum, statim subijcere suscitaturum etiam esse. Ioann. 6. 39. 40. 44. 54. Sic Cyrill. Alexand. in græca catena: vel cum Ruperto, *vt abundantius habeant*, quàm Patres legis antiquæ: Hæc omnia vera sunt. cæterùm fortassis, vt Emmanuel obseruat, *abundantius* pro abundanter positum: nam Græcè habetur non περισσότερον ἔχωσιν, sed περισσὸν ἔχωσιν: hoc est, non *abundantius habeant*, sed, *abundè habeant*. qui dicendi modus significare videtur esse pinguem, vt sit sensus: vt vitam habeant, neque id solum, sed præterea abundè habeant, hoc est, pingues, sanæ, vegetæ sint, siue de hac vita loquamur, siue de alia in Cœlis immortali. Sic Paulus 1. Cor. 8. 8. *esca*, vel idolothyta *nos non commendat Deo, neq; enim si manducauerimus, abundabimus*. Græcè περισσεύομεν, hoc est, pinguiores sumus, id est, meliores apud Deum. *neq; si non manducabimus, deficiemus*: id est, minus habebimus.

35. 11. *Ego sum pastor bonus*] Græcè ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν, ὁ καλὸς, additur articulus emphaticus vtrique nomini: *ille pastor, ille bonus*, vt significetur vnicus ille pastor, qui solus erat oues de ore, ac lupi faucibus eruturus. ergo ne tantum ostium esse ipsum quis sibi persuaderet, & non etiam pastorem, & quidem primum illum olim vaticinijs prædictum, idcirco nunc ait: *ego sum pastor ille bonus*, primus & verus, olim expectatus: de quo Ezech. 34. 23. *suscitabo super eas pastorem vnum qui pascat eas, seruum meum Dauid* (Messiam intellige, nam Dauid iam vita functus erat) *ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem*. & Zach. 13. *framea suscitare super pastorem*. Vnum hunc principem pastorem vocat Petrus epist. 5. quem cap. 2. nominauerat *pastorem, & episcopum animarum nostrarum*. quoniam ergo Pharisæi Synagoga exegerant cæcum, quod Christum vt Messiam prædicaret, ac sequeretur, quem ipsi Pseudo-Christum haberi volebant, ideo Christus nunc ostendit, se Pastorẽ esse illum Messiam, quem esse vaticinijs prænunciatum, vt pastorem fore venturum non ignorabant. Vnde patet ipsos potius Pharisæos esse extra Synagogam, & Ecclesiam, qui Christum non reciperent. Hæc enim est mens Christi in toto hoc sermone declarare se esse Messiam; cuius cõtrarium significare voluerunt Pharisæi dum cæcum abiecerunt; & huc tendit Dominus, dum superius probauit per parabolam illam se esse ostium ouium, & dum nunc probat se esse pastorem illum. Quamuis verò sit Rex, non tamen propterea non est & pastor. D. Basilius homil. 26. docet Regis & Pastoris titulos coniunctos esse, atque in Christum coiuisse: Dauid inquit, *à pecudum pastura peruenit ad regnum; forores quædam sunt pastura, & regni administratio. nisi quod illa irrationalium, ista verò rationalium animantium curam habet. Ita scilicet ad maiorem illa scientiam transitum habet. quapropter Dominus vtramque complexus & pastor est, & Rex, irrationales pascens, maiori ratione præditos sub regni gubernationem includens. vis discere quantæ dignitatis sit pastor? Dominus, inquit, pascit me. quomodo verò regiæ gubernationis soror est pastura? quis est iste, inquit, Rex gloriæ? qui illic pastor, hic Rex dicitur. nec putes illum ab alijs quidem pastorem vocari, ipsum verò id appellationis pudoris gratia non agnoscere, quin ipse degeneres pastores cõpescens, in seipsum veræ pasturæ testimonium transfert. ego inquiens sum pastor ille bonus. arcet degeneres, & veritatem sibi ipsi vendicat. disce quis sit pastor, & quis sit bonus ille. ipse hoc interpretatur: verus pastor animam suam ponit pro ouibus suis* &c. Sic Basilius. quibus indicare videtur debere eum, qui regit, & pastorem exercere, dum irrationalibus præsertim moderatur, quos more ouium pascere magna cum charitate debet; & regis personã sustinere, dum maiori ratione præditos sub officio, & potestate continet. Denique debet se singulis prout expedit accommodare. quod & Christus fecit, qui & simplices libenter docuit, rudes tolerauit, defendit humiles, cum sapientioribus autẽ, qui sibi sapere videbantur, & cum elatis, quasi regiam ostendit potestatem. Sororesigitur esse debent pastura, & regni administratio. Innuit etiam Basilius Reges quoque ipsos pasturam exercere etiam debere erga subiectos sibi populos. postremò declarat, Christum pastoris nomen non esse aspernatum, vt & hic locus ostendit.

Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis] 36. Vult iam declarare quantum intersit inter se verum pastorem, & eos, qui modò fures & mercenarij sunt. vnde id nascatur, vt pro ouibus suis se in vitæ periculum, discrimenque conijciat bonus pastor: hîc enim *anima* omninò pro vita accipitur, sicut & Iob 2. *cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua*. & Matth. 2. *defuncti sunt qui quærebant animam pueri*, & Ioann. 13. *animam meam pro te ponam*. Id docet Chrysol. serm. 40. dum ait: *fortem facit vis amoris; quia nil durum, nil amarum, nil graue, nil lethale computat amor verus. quod ferrum? quæ vulnera? quæ pœna? quæ mors amorem præualeat superare perfectum? Amor impenetrabilis est lorica, resipuit iacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem ridet; si amor est, vincit omnia. Sed quæramus, vtrum sit ouibus commoda mors ista pastoris, quæ destituit oues, quæ lupis tradit inerme pecus, quæ sic earum gregem ferinis morsibus derelinquit, direptioni dat, & exponit morti sicut ipsius pastoris Christi probatur ex morte: ex quo namque posuit ipse animam suam pro ouibus suis, seque Iudaico furore permisit occidi, oues eius gentilium velut prædonum diripiuntur incursu: mactandæ in carceribus, velut latronum clauduntur antris, à persequutoribus, quasi sæuientibus lupis sine cessatione laniantur; ab hæreticis quasi ab extraneis canibus rapido dente carpuntur. Hoc Apostolorum peremptus probat chorus: hoc martyrum toto orbe diffusus clamat sanguis: hoc Christianorum membra data bestijs, consumpta ignibus, demersa fluminibus, patenter demonstrant: quod vtique totum, sicut mors intulit; ita vita potuit prohibere pastoris. ideo pro te pastor amorem morte probat, quia cùm videat ouibus imminere discrimen, cùm gregem defensare non possit, maunlt mori, antequam mali de suis ouibus quid videat.* Sic Chrysol. quibus indicare videtur Christi Pastoris in humanum genus amorem, qui libenter mortem subijt, vt ab æterna morte liberaret omnes: nisi

Vis amoris quanta sit?

Christus verus Messias.

enim mortuus fuisset, iuxta Dei decretum, quod immutari non poterat, omnes luporum, id est, dæmonum direptioni, & æternæ morti essemus expositi.

37. Sed percontetur forsitan aliquis: quomodo constet similitudo, seu metaphora inter pastorem irrationalium ouium, & pastorem rationæ præditarum? nam non benè faceret, quin reprehensione dignus esset pastor irrationalium ouium, si pro suis ouibus vitam discrimini exponeret. est enim vita longè ouibus præstantior, iuxta illud Iob. 2. *pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Respondeo imprimis, non dici hic pastorem bonum, si de temporali loquamur, & quod rectè, vel benefaceret secundùm virtutem, si pro conseruandis ouibus vellet mortem subire; sed eum hîc appellari bonum, qui quod officij sui est, accuratè perficit. Hoc enim satis est huic similitudini: sicut villicus iniquitatis, licet iniquè, & iniustè egerit; commendatur tamen à
B Domino, quòd in ea re quam peregit prudenter fecisset. quamquam (quod caput est) non semper est contra virtutem, & honestatem pro rebus externis, & facultatibus temporalibus vitam in periculum adducere. licet enim pro rebus externis, quatenus referuntur ad honestè sustentandam vitam, atque adeò honesti boni rationem habent, verisimili mortis periculo sese exponere, si debitis interim id circumstantijs fiat. Hoc verò satis superque est vt bona, rectaque sit similitudo inter vtrumque pastorem. Neque enim in omnibus pares esse debent, alioquin etiam dici posset, debere pastorem animarum minimè amore benevolentiæ diligere suarum ouium animas quod temporalis pastor neque ita diligat, nec diligere debeat. De hac dubitatione lege Toletum fusius hæc explicantem annotat. 9.

38. 12. *Mercenarius autem, & qui non est pastor* &c.] Diuus Gregorius homilia 14. in Euangel. *Non pastor*, inquit, *sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oues dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit.* Idem autem est *mercenarius*, &, *qui non est pastor*, videlicet; absolutè bonus, & simpliciter pastor; & idem est, *qui non est pastor*, ac, *cuius non sunt oues propriæ*, posterior enim clausula est præcedentis explicatio.

39. Dubitari hic potest, an oues propriæ sint tantùm Christi: videtur id non esse verum, quia hinc conficitur nullum præter Christum esse pastorem bonum, si omnes illi sunt mercenarij, quorum non sunt propriæ oues. Respondet pluribus ad hanc dubitationem Diuus Augustinus hîc & sermone 50. de verbis Domini. breuiter dico, qui non propter mercedem quam iustè recipiunt, sed propter Deum & Christi sanguinem pascunt oues, & propter earum salutem, istos bonos esse habendos pastores: nam licet non suas, sed reuera Christi oues pascant; tamen perinde ac suas pascunt. Charitas enim facit, vt qui Christum verè amant; vnus quodammodo, atque idem spiritus sint cum Christo; atque adeò quæ Christi sunt, non minus, quin magis etiam, quàm si propria essent, ament, & curent. Etenim *qui adhæret Domino vnus spiritus est.* 1. ad Corinth. 6. 17. & ad Galat. 2. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Hinc est, vt non minus fortiter cum summo etiam vitæ periculo sese opponant lupis, quam si propriæ ipsorum essent oues: talis erat pastor Diuus Paulus, qui de se testatur diuina charitate ardens: *ego autem libentissimè impendar, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* 2. ad Corinthios 12. 15. Hos tu ne dubita ve-
A ros nuncupare pastores. cum hoc modo à pastorum principe non censeantur esse distincti. Quod si aliter rem spectemus, & cuius verè sint propriæ oues expendamus, negandum est, oues alterius esse quàm Christi, sic enim intelligitur Christus esse persona quædam secundùm se ab alijs pastoribus naturaque distincta. sic dictum est Petro Ioann. 21. 17. *pasce oues meas*, non, *tuas.* equidem fideles Christi sunt, & ratione creationis, & titulo redemptionis, & propter vitalem pastum, & potum Christi carne, ac sanguine constantem, quibus & pascuntur, & potantur, & quotidiè reficiuntur.

Sed aduerte hîc, mercenarium esse nihilominus verum, ac legitimum pastorem, licet bonus non sit. intrat enim per ostium ad oues, ab ipso admissus ostiario, & bona pascua præbet ouibus, id est, sanam doctrinam: quamuis suam vtilitatem, & emolumentum cupidè semper spectet, propter quod pastorale munus suscepit, & exercet. Hinc est, vt si quid contrarium propriæ vtilitati, & saluti accidat, relinquat oues eo etiam euentu, quo tenetur non fugere. Porrò videtur per hos mercenarios præcipuè Dominus significasse Pharisæos, & qui Iudæorum erant capita auaritiæ, & ambitioni studentes; decimabant enim mentam, & ciminum, & primos accubitus quærebant. Hi propriæ, non ouium vtilitati vacabant. Sic Diuus Augustinus tract. 46. sic Basilius orat. de S Mamante, quibus in Christi nunc Ecclesia similes aliquos esse posse non est dubitandum; vtinam verò etiam non sint: quod hi sint, qui quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesv Christi: distinguere ergo hîc possumus tres veluti hominum classes, quosdam fures, & latrones, qui non intrant per ostium, & sunt pseudoprophetę; quosdam de quibus dixi mercenarios; quosdam bonos pastores. ab his se omnibus distinguit,
C ac seperat Christus.

Cæterùm ex his duobus præsertim versibus, licet non obscurè colligere, cùm à lupis periculum imminet ouibus, non licere pastori fugere; sed quia non semper ad id tenetur, in dubium vertunt Doctores, quando liceat pastori incumbente persecutione, vel exorto periculo fugere? Tractat hanc quæstionem Tertullianus libro de fuga in persecutione, Athanas. Apolo. pro fuga sua. Gregorius Nazianzenus & alij; sed nescio, an vllus melius hanc dubitationem versarit Diuo Augustino in epistola 180. ad Honoratum. diximus nos de hac dubitatione parte secunda di lucidationum cap. 17. theor. 3. Breuis huius difficultatis decisio his constat. Primum quando persecutio non propter oues excitata est, sed pastoris personam petit, & nihil interim, aut propè nihil detrimenti oues passuræ sunt, licet Pastori sibi fugæ consulere. Sic Christus Matth. 10. ait: *si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* De
D inde cũ non sõlùm quæritur pastor, sed commune est cum ouibus periculum, nõ licet relictis ouibus fugere. Postremò ad tantillum temporis fido relicto vicario, & citra graue ouium damnum, si vita pastoris multum esset necessaria ouibus, non negarim, saltem citra scandalum; licitum esse pastori fuga se propipere.

Teste Diuo Augustino libro 2. contra epistol. Gaudentij caplte 8. Gaudentius hæreticus ex hoc versu 12. perperam colligebat; nulla ratione esse ingruente persecutione fugiendum; quod mercenarij sit, auctore Christo, fugere, & dimittere oues. quamobrem ergo fugit Paulus per murum demissus? cur iussit Christus discipulos de ciuitate in ciuitatem interdum fugere? nec tamen fugiente Paulo; vel discipulis, dispersi sunt fideles? non in-

40. 41. Vtrum, & quando pastori liceat fugere? 42.

telligebat iste hæreticus, fugiente nonnunquam pastore, nequaquam dimitti oues lupis raptoribus, vt ex his, quæ diximus facilè est cognoscere.

Quàm verò in Christum hoc boni pastoris officium conueniat, ostensum est olim in Dauide, cùm pastoritiam vitam agens, Christum repræsentaret, sic enim 1. Regum 17. 34. &cæt. habet Scriptura: *Dixitq; Dauid ad Saul: Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat Leo, vel Vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos. nam & Leonem & Vrsum interfici, ego seruus tuus.*

43. *Et lupus rapit*] Quod Lupi potius, quàm Leonis vel Vrsi hic fit facta mentio, potuit esse propter maiorem quamdam naturalem in ouibus aduersus Lupos inimicitiam, quàm aduersus aliud animalium genus, quod indicatur Ecclesiast. capite 13. *si communicabit aliquando Lupus Agno, sic peccator iusto.* Et Isaias capite 11. 9. vt rem valdè admirandam vaticinatus est, futurum esse post Messiæ aduentum, vt habitet *Lupus cum Agno.* adeò autem oues Lupos fugiunt, vt vel tantùm vlulantium Luporum vocem exhorrescant. adhæc Lupus, & frequentiùs, immò perpetuò ferè insectatur oues, illisq; insidiatur. Quid sit Lupum dispergere oues, docet D. Greg. hom. 14. vide inferius digress. 4. n. 6.

44. 13. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est*] Diuus Augustinus de verbis Domini sermone 49. *Diligendus*, inquit, *pastor, cauendus latro, tolerandus mercenarius, tamdiu enim vtilis est, quamdiu non videt Lupum, furem, & latronem;* Vt cùm dicet quis: si mercenariorum mores tales sunt, vt relictis ouibus fugiant, igitur non sunt in Ecclesia mercenarij tolerandi, nec audiendi. Sed non ita censet, & meritò Diuus Augustinus tract. 46. in Ioannem sic scribens: *Mercenarij necessarij sunt multi quippe in Ecclesia commoda terrena sectantes, Christum tamen prædicant, & per eos vox Christi auditur, & sequuntur oues non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium;* & paulò post subdit: *Inde mercenarius lædit, vnde malè facit, non vnde bona dicit: botrum carpe, spinam caue, ne dum quæris fructum, lacereris manum, & cùm audis bona dicentem, ne imiteris malè facientem. quæ dicunt, facite: legite vuas: quæ autem faciunt, facere nolite: cauete spinas: etiam per mercenarios, vocem pastoris audite, sed nolite esse mercenarij, cùm sitis membra pastoris.* Sic. Aug.

Mercenarij tolerandi in Ecclesia, & quare?

Quia mercenarius est] Mercenarius, cùm solam mercedem quærat, quando pereunt oues, non ipsi pereunt, sed Domino. siue ergo viuant, siue intereant, neque illi damno, neque lucro sunt, cùm sola sit contentus mercede. & hoc est, quod dicit; *quia mercenarius est*, quod magis explicant sequentia.

45. *Et non pertinet ad eum de ouibus*] Id est, neque illi stant, neque cadunt oues; hoc est, nec illi viuunt, nec illi pereunt, mercedem enim quærit, non oues: mercedem suam arbitratur, oues alienas putat. Hoc enim significant illa verba; *non pertinet ad eum de ouibus.* quomodo sumuntur Marci 4. 38. *Magister, non ad te pertinet, quia perimus?* Id est, non tua res agitur. Quidam interpretantur: *& oues non sunt illi curæ*, seu, *nō est cura illi de ouibus*, & Gr. habetur, ὃτι ὁ μίσθιος ἀντῷ οὐκ ἔστιν προβάτων. & sic vertit noster interpres; Lucæ 10. 40. *Domine non est tibi curæ, quod soror mea* &c. licet autem curent oues mercenarij, quia tamen non ipsis, sed Dominis pereunt, ideo dicuntur non esse illis curæ, quomodocumq; verò interpreteris, idem semper est sensus.

14. *Ego sum pastor bonus*] Hactenus separauit se à furibus, & mercenarijs; nunc, vt declaret se esse illum olim prædictum vnicum, ac verum pastorem, & fecernat se etiam à bonis pastoribus, probat ex quadruplici signo vel argumento, sibi imprimis notas quasdam boni pastoris inesse, & aliter quàm cæteris bonis pastoribus. Horum argumentorum primum illis verbis continetur. 46.

Notæ boni pastoris.

Et cognosco oues meas] Vbi &, commodè sumi potest pro *quia*, solus enim ipse plena, clara, atque adeo perfecta cognitione suas oues intimè penetrat, & cognoscit; est autem hæc vna boni pastoris nota ex v. 3. porrò hîc *cognoscere*, non est eo tantum modo nosse, quo consueuêre pastores per externa signa cognoscere, per figuram, colorem, magnitudinem; sed quomodo solus DEVS nouit intus, & in cute. nouit enim ipse, qui in se credant, sicut cùm hæc diceret, sat benè sciebat ex tanta hominum multitudine quæ aderat, quinam vel in se crederent, vel non crederent, atque adeò suæ, vel non suæ oues essent. & ita non cogimur hinc fateri, ad prædestinatos tantùm hæc pertinere, quamuis Augustinus & Beda ad illos referant; de qua re dictum est num. 9. licet non sit negandum, hanc cognitionem peculiari quodam modo ad prædestinatos pertinere: nec accipere necesse est *cognoscere* pro approbare; neque enim dictum est simpliciter *cognosco*, sed, *cognosco meas*, id est, quæ sint oues meæ, sat scio. Prima.

Et cognoscunt me meæ] Hoc est alterum argumentum & nota boni pastoris, in qua Christus à cæteris bonis pastoribus differt. Nota, quod aliter Christus dicitur suas oues cognoscere, aliter oues illum; ille Deitatis oculis, istæ oculis fidei, qua credunt ipsum esse principem pastorum, & vnicum illum Messiam, quomodo non cognoscunt alios pastores. prius autem dixit, vt obseruat Theophyl. *cognosco oueas meas*, mox subiecit, *cognoscunt me meæ.* etenim Deum nemo cognoscere potest, nisi prius ab illo cognoscatur. Porrò non sunt ausi Pharisæi hîc Christo sic de se loquenti quicquam obijcere, vt c. 8. 13. apud Ioan. *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* neque enim ausi sunt, semel ibi refutati. 2. Conditio.

15. *Sicut nouit me Pater &c*] Rectè Cyrillus in catena græca duas vult hic collationes fieri hoc modo: *sicut & nouit me Pater, & ego agnosco Patrē; ita ego cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* sicut part. 2. dilucidat. cap. 21. schol. 2. num. 35. similem in modum exposuimus illa verba Ioann. cap. 6. 57. *sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me* Sanè docemur hac collatione e duabus comparationibus constante, cognitionem hâc, amorem, & curam erga oues in se complecti: ac si diceret Christus Dominus: Ita ego oues meas cognosco, ita amo, ita earum curam gero, sicut Pater me cognoscit, amat, & curæ habet; & ita me oues cognoscunt meæ, quemadmodum à me Pater meus cognoscitur. Cùm verò dixit: *cognosco oues meas*, loquutus est vt Deus; cùm verò subdit: *sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem*, quidam intelligunt etiam loqui vt Deum, & hoc modo non significatur per hanc compositam collationem æqualitas, sed similitudo tantùm. at si (vt quidam volunt) hæc posteriora verba proferuntur ab eo de se, vt homine, ita æqualitas est. vt enim Christus tanquam Deus oues suas nouit, oues vero ipsius tanquam homines illum vicissim cognoscunt, ita Pater filium, vt Deus hominem nouit, & filius, vt homo Patrem suū recognoscit sicut & nos, sicut illū 47.

Digitized by Google

Ioan.10.17. Deum suum appellauit: *Ascendo ad Deum meum, & ad Deum vestrum.*

48. 3. Conditio boni pastoris.

Et animam meam pono] Tertium signum, vel argumentum boni pastoris hîc continetur, quo se etiam secernit à reliquis pastoribus. Referuntur autem hæc verba non ad versum præcedentem, sed ad decimumquartum. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ*, tum statim, ac si non interpositus esset versus is, sequuntur hæc: *& animam meam pono pro ouibus meis.* Cæterùm bifariam potest pastor animam, id est, vitam suam ponere pro ouibus, vel dum pro illarum custodia fortiter pugnans, mortem oppetit, vel cum assiduis, magnisque laboribus fractus, quos in curandis, ac defendendis ouibus patitur, sensim, paulatimque eius vitæ tempus imminuitur, & grauibus sæpè morbis implicitus, sibi mortem accelerat, prior modus quam præstantissimus est; & ita Christus animam suam posuit. quamuis verò alij etiam vitam amiserint in tormentis pro defensione ouium, nullus tamen vt Christus; idcircò etiam quod ad hoc attinet, à cæteris bonis pastoribus plurimum differt. nam primùm posuit ille animã in redemptionem, & remissionem peccatorum suarum ouium, at cæteri non item. nullus enim sua morte peccatum delere potuit, gratiam restituere, cœli ianuam reserare. Solus ergo Christus est, qui supra cæteros omnes, solus, qui verè, maximeque ac propriè pro ouium vtilitate vitam cũ morte commutauit, deinde quoniam homo omninò aliquando mori debet, qui vitam suam pro alijs exponit, potius dicendus est acceleraſſe sibi mortem, & vitæ tempus coangustasse, quam mortem pro aliquo subijsse. id, quod secus est in Christo, propter enim vnionem cum verbo, omnis interitus vacuitas, & doloris priuatio illi debebatur. quare liberaliter, & sponte factum est, vt patibilis, & interitui obnoxius fuerit. Solus ergo pro ouibus suis vitam suam verè posuit, sicut, *propter nos egenus factus est*; *cũ esset dives* 2. ad Cor. 8. adhæc morientes cæteri pastores pro Christi ouibus, plus sibi ea charitate profuerunt, quàm ouibus; ex quibus ingens capiebant lucrum, & emolumentum, quo fit, vt illi oues suas amore concupiscentiæ amarent, non omninò saltem amicitiæ. at Christus per mortem, alijs, non sibi, scelerum condonationem, assequutionem gratiæ, & animæ beatitatem acquiescit: omnia enim illa debebantur propter diuinitatis vnionem. Solus ergo Christus ouibus suis nullatenus indigens, adeò eas amore amicitiæ dilexit, vt acerbissimam, turpissimamque mortem subire non recusauerit. His accedit aliud quod multum commendat hoc Christi beneficium, liberalitas videlicet operis. sponte enim sua, magnaque voluntate animam suam tradidit pro ouibus. *nemo*, inquit, tollit eam, id est animam meam; *à me: sed ego pono eam à meipso*, vt v. 18. habes. neq; enim Iudæi nisi permittenti, & vehementer optãti vitam abstulissent: quod si Martyres vltro se morti obiecerunt, eam tamen mortem, si non tũc, certè postea, vellent nollent, subituri erant, vt diximus. Mitto tantam fuisse dignitatem vitæ Christi, vt nulla sit mens creata, quæ huius vitæ præstantiam satis intelligere queat; erat enim ea vita non hominis puri, sed hominis & Dei; cui nihil proinde comparandum est, siue in terris, siue in cœlis; denique quid opus est pluribus? quanta quanta fuit Christi vita, nobis vtilis ac fructuosa fuit: etenim ab eo etiam momento, quo in D. Virginis Matris vtero cõceptus fuit, nobis quam maximè profuit. Atqui cæterorum martyrum vita non toto mundo vtilis semper fuit.

49. 16. *Et alias oues habeo*] Continetur his verbis quartum signũ boni pastoris: dispersas, palantesque oues reducere, quod quia non faciebant pastores illi Ezec. 34. reprehenduntur: *Quod abiectũ*, inquit, *erat, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis.* Hoc vnicè, & insigniter præstitit Christus, qui missis Apostolis gentes ad suũ ouile quæsiuit, & reduxit. His ergo verbis gentium vocatio apertè significatur. sic Basil. hom. 28. in Psal. 28. Chrysost. hom. 59. Aug. tract. 47. Greg. hom. 14. vox illa *Oportet*] Præceptum & voluntatem Patris indicat quod acceperat, vt gentes etiam ad suum ouile redigeret, ac reportaret, pro quibus, & mortem subijt libenter; hæc igitur hîc nomine *ouium* appellantur, non quod tunc actu oues essent Christi, sed quod futuræ essent, ad Christum conuersæ. quamquam & iure creationis, & iure hæreditario eiusdem Christi, cui dictum est à Patre: *postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* deniq; ratione æternæ electionis, siue ad æternam gloriã, siue ad fidem, & gratiam, dici possunt infideles oues Christi.

Adducere] Gr. ἀγαγεῖν, congregare, vt scilicet vnum ouile fiat ex gentibus, & Iudæis.

Verùm circa illa verba: *Quæ non sunt ex hoc ouili*] Dubitatur quodnam sit ouile, cuius meminit hîc Christus? Rursum an præter istud, aliud quoq; fuerit ouile, dum enim ait: *alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili*, videtur saltem distinguere duo ouilia. Respondeo ita esse reuera affirmandum. primum enim ouile, cuius hîc fit expressa mentio, est Synagoga Iudæorum; aliud verò ouile erat Ecclesia iustorum, vel fidelium inter gentiles, qui de semine Iudæorum non erant. Fuerunt enim ab initio nascentis orbis; iusti aliquot ante Synagogam exortam, seu Ecclesiam Iudæorum, cuius initium numerari potest à circumcisione, quam Abraham accepit; tunc enim primum cœpit separari Iudæorum congregatio ab Ecclesia gentium; quamuis verò gentes ad primam illam Ecclesiam pertinerent, propter tamen peccata, & corruptam hominum naturam Ecclesia iustorum, & fidelium inter gentes multũ indies cœpit imminui ante aduentũ Christi, ita vt vix reperiretur aliquis inter gentes, qui esset iustus vel fidelis. erant enim fermè omnes idololatriæ affixi. contra, Synagoga, vel Ecclesia Iudæorum magis, ac magis indies augebatur; cuius oppositum post Christi aduentum accidit. nam accedentibus ad fidem Christi gentibus, cœpit sensim decrescere Synagoga. Porro Ecclesia Iudæorũ cùm staret, magis distinctam, clarioremq; fidem habuit, quàm olim gentium Ecclesia ante Christi aduentum. erenim gentibus satis erit credere vnum Deum esse Saluatorem, & diligentium se remuneratorem: quia vt Apostolos ait ad Hebr. 11. *sine fide*, supernaturali, *impossibile est placere Deo. credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* at Iudæi maiorẽ & magis distinctam habebant Dei fidem; præsertim verò Messiæ; sicut & propria quædam legis præcepta, & communes quasdam ceremonias religionis externas, quibus inter se consociebantur in vnam Rempublicam, acceperant. quibus constat duo fuisse ante Christianorum Ecclesiam ouilia; quorum vnum, videlicet Iudæorum, expresè cõmemorat hîc Christus, dum ait: *quæ non sunt ex hoc ouili*; alterum verò insinuat. nam si aliæ erant oues non ex hoc ouili Iudæorum, non obscurè subindicatur ad aliud alias has oues pertinere ouile:

Et vocem meam audient] Et, pro *vt*, hoc est, *vt vocem meam audiant*, q. d. vt doctrina mea fruantur; qua, dum sunt extra ouile, ad quod eas addicturus sum, frui illis non licebit; vel certè, & eodem redit.

Et vocem meam audient] Hoc est, mihi credent, ac proinde non erunt vobis similes, qui credere nõ

4. Conditio boni pastoris.

In quo sensu gentes oues Christi nuncupentur.

50.

Duplex ouile Synagogæ Ecclesiæ gentium.

Pastor dupliciter potest animam ponere pro ouibus suis.

In quo Christus differt ab alijs pastoribus.

vultis. quo modo Iudæorum durities, & incredulitas tacitè carpitur.

51. Christianorum Ecclesia vnum ouile rectè dicitur

Et fiet vnum ouile, & vnus pastor] Rectè Christianorum Ecclesia hîc vnum ouile appellatur, quàuis per tam multas terrarum regiones sparsa, diffusaque sit. primum propter vnum communem ouiũ pastorem, non Christum modo, sed Christi & vicarium vnum in terris, qui summus est Pontifex Romanus. Ad hoc, quia eadem omnibus ouibus proponuntur pascua, hoc est, eadem doctrina, eadem Sacramenta, idem cultus, & cerimoniæ sacræ, idem sacrificium, eadem lex, velut sepes huius ouilis. est autem sensus horum verborum.

Et fiet vnum ouile &c.] non quidem quod omnes voique homines sint fidem Christi accepturi ante finem mundi, sed potius sententia est, nullũ futurum esse discrimen inter Iudæos, & illos, qui ex gentibus venturi sunt ad Ecclesiam Christi, hoc est, rumpendam esse maceriam, quæ antea Iudæos à gentibus diuidebat. non enim erit Iudæus, neque Græcus, neque circumcisio, neque præputium; sed noua creatura; & vnus Christus, lapis ille angularis duos connectens sub vno capite, fide, & charitate, parietes. Hoc significat Paulus ad Ephes. 2. 14. *ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum*, i. ex duobus popul. vnum, ex duabus, Ecclesiam vnam. & v. 15. *vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominẽ*, id est, vt duos populos creet in vnum hominem renouatum spiritu.

52. 17. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam*] Rectè D. Paul. Rom. 4. 25. traditum Christum dixit propter delicta nostra, & resurrexisse propter iustificationem nostram. Horum vtrumque attigit hîc Christus, dum ait: propterea diligit me Pater, quia animam meam pono pro ouibus meis, hoc autem est, quia sponte morior propter delicta hominum, ita tamẽ vt rursum sumam eam. id verò est, ita vt statim resurgam propter eorumdem iustificationem. itaq; illud, *vt*, hic (vt Euthym. vult & alij quidam) non caussam, sed euentum, id est, quod futurum est, significat. Sed quorsum, inquies, hoc nunc adiecit? Respondeo (quod probabilius iudico) videtur declarare voluisse non tantùm vim verbi illius, *Pono* sed simul quam magnum & Deo gratum opus facturus sit ponẽs animam pro ouibus. nam quoniam non semel dixerat, se animam suam pro ouibus esse positurum; id quia poterat benè, vel malè intelligi, malè, si quis suspicatus fuisset illum vel temerè, vel non sponte, sed coactè mortem subiturum, vel saltem ita, vt non amplius resurgeret, sed vt dominaretur illi mors, vt Paulus loquitur Rom. 6. 9. proinde declarare nunc voluit, quàm gratum opus Deo sit, quod ponat ipse animam suam, & simul quid sit quod dixerat: *Ego pono animam meã*. neque enim ponere animam tantùm hîc significat sponte mori, sed ita mori, vt paulò post ad vitam sit rediturus: id quod vidit Mald. qui aptissimo exemplo hoc ipsum declarat: quemadmodum, inquit, dicimur vestem ponere, quam ita exuimus, vt paulò post simus resumpturi.

Obseruat August. *ego*, Emphasim quamdam præ se ferre. Sic enim scribit tract. 47. *Cum magno pondere dictum est, ego, quia ego, inquit, pono animã meam. ego pono. quid est, ego pono? ego, inquit, illam pono. non glorientur Iudæi; sæuire potuerunt, potestatem habere non potuerunt, sæuiant quantum possunt, si ego noluero animam meam ponere, quid sæuiendo facturi sunt? vna responsione prostrati sunt, quando eis dictum est, quem quæritis? dixerunt. Iesum, & ait eis: ego sum, redierunt retrosum, & ceciderunt in terram, qui ceciderunt ad vnam vocem Christi morituri, quid facient sub voce iudicaturi? Ego, inquit, dormiui, & somnũ cepi, & exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me. quid est ergo dormiui? quia volui, dormiui: quid est dormiui? mortuus sum: nonne dormiuit, & quando voluit de sepulcro, tanquam de lecto, surrexit?*

In dubium vertunt interpretes hic, quid nomine *animæ* hîc sumi debeat? sunt, qui pro altera parte hominis sumãt, & sunt qui pro corporali vita, & in horum ego sententiam pronior sum. cæterùm cũ corporalis vita tota sit in coniunctione animæ cũ corpore fita, non multũ interest, siue vno, vel altero modo sumas. ideo enim vitam ipsam animam vocamus, quod vita in hac coniunctione animæ cum corpore consistat. quare cùm vitam ponimus, & animam etiam ponimus. Quod si rursum roges, quidnam illud fuerit in Christo, quod posuit animam, & iterum sumpsit eam? non natura diuina, vel diuini verbi persona, quia, quod semel assumpsit, nunquam dimisit, ac ne momento quidem deposuit. anima verò non rectè dicitur seipsam deposuisse, vel iterum sumpsisse se. denique corpus, quod in animam potestatem non habet, non potuit animam ponere, vel iterum sumere: præter ista verò quattuor nihil aliud fuit in Christo, cui hic actus ponendi, vel iterum sumendi animã tribui possit. quid ergo est in Christo, quod & posuit, & rursum sumpsit animam? Vide quid hîc August. respondeat. ego ex solutione præcedẽtis dubitationis hoc eodem num. 53. posita, arbitror posse satis huic dubio fieri, cùm enim hîc *anima* pro corporali vita sumatur, quod in Christo vitam corporalem obiecit morti, verbum fuit. nã si dixeris eum quibusdam, fuisse ipsum coniunctũ ex Deo, & homine (quomodo dicitur Deus, & homo vnus esse Christus ab Athanasio in Symbolo) certè vt rectè dicatur, coniunctum hoc animam potuisse ponere, non rectè tamen dicetur, iterum eam sumere potuisse: nam sublata coniunctione animæ cum corpore, desijt illud tale coniunctum, quod euenit in illo triduo mortis Christi.

53. Quidnam illud fuerit in Christo, quod posuit animam, & iterum sumpsit.

Circa verba nota: *pono*, pro *positurus sum*, vel sũ paratus ponere suo tempore. Accipiendum est: & illud, *vt*, pro *ita tamen*, vt aptè videtur capi iuxta datam expositionem, qua diximus, *vt*, non significare caussam, sed euentum, seu quod futurum erat. Vide n. 52. Porrò verbum *diligit*, in illis verbis, *propterea diligit me Pater*, vt notat Euthy. & quidam alij, non significat se ante mortem à Patre non esse dilectum, vel diligendum non fore, si moriturus non fuisset, alias ob caussas; sed significat eam ob caussam etiam diligi præter alias multas: est autẽ hic amor complacentiæ. Cõmunis est omnium sententia, Christum hîc de se vt homine loqui, in cuius morte sponte sumpta complacuit sibi DEVS Pater.

54.

Nemo tollit eam à me] Hoc est, tollere potest, seu tollet: scilicet ab inuito, vel impotente. Hoc versu declarat quid sit id quod dixerat, ponere animam suam, vt iterum sumat eam, significat enim non solùm sponte, hoc est, voluntariè mori, quod & Martyres fecerunt, sed etiam non necessitate naturæ se mori, vt cæteros homines, in quorũ non est potestate animam in corpore retinere, & multo minus in corpus reuocare, quorum vtrumque se posse ait. vt enim homo idem habens ensem intra vaginam, cùm vult, illum exerit, & quia vna manu vaginam, altera ensem habet, potest quoties libuerit iterum in vaginam recondere, ita Christus, quà Deus, humanitatem sibi habens vnitam cùm voluit, animam à corpore, veluti ensem à vagina separauit, vtraque interim parte sibi vnita; & idem rursum animam corpori copulauit, quod non faceret, nisi Deus esset.

Sed ego pono eam à meipso] Hoc est, *vltro*. vtitur D. Ambros. eleganter hoc loco lib. de bono

mortis

mortis cap. 10. ad astruendam animæ immortalitatem.

Hoc mandatum] *Hoc*, videlicet ponendi animã pro ouibus. Adiecit id, vt ostenderet non temerè se munus hoc pastoris, & animam ponendi pro ouib. vsurpasse. rem enim facere se non modo Deo acceptam, sed & præceptam. Dices, si animam ponere, est mori, occidere erit animam tollere. at Iudæi Christum occiderunt, ergo eius animam sustulerunt. Respondeo: tollere, vim, coactionemque significat. quamuis ergo Christum Iudæi occiderint, cum volenti, ac se sponte offerenti id fecerint & vt Deus erat, potenti non mori, iccirco ab eo animam non sustulerunt.

Obserua Christum in Scripturis se nobis sæpè Deum simul & hominem insinuare. quod elegãter D. Fulbertus Episc. Carnotensis epist. 1. ad Eodatũ, quæ habetur 3. to. bibliot. Patrum, sic docet. *Dominus Iesus*, inquit, *in vnitate personæ ex duabus, & in duabus substantijs diuina scilicet, & humana subsistens; & mira pertulit vt Deus, & infirma sustinuit vt homo: vt cùm verum Deum sublimia opera loquerentur, verum hominem flebilia demonstrarent: Deus (inquit Apostolus) erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (2. Cor. 5. 19.) *Deus in Christo, filius Dei in filio hominis, diuinitas operabatur in homine. demus verba hominis: Pater maior me est: Demus verba Dei; ego & Pater vnum sumus. Loquatur in Christo nostra infirmitas, & conditio; filius, inquit, hominis non habet vbi caput suũ reclinet: intonet vox diuina: omnia quæ habet Pater, mea sunt. quasi homo esurit, quasi Deus quinq; millia hominum pascit. quasi homo dicit; tristis est anima mea vsq; ad mortem: quasi Deus confidenter ait: nemo tollet à me animam meam, quasi homo in Cruce pẽdet, quasi dominator latronem alloquitur, hodie mecũ eris in paradiso. si quis ergo mente captus vnius Christum, & Deum dicit esse substantia compugnantibus inter se rebus, aut solum hominem è cœlo lapsum, aut solum DEVM dicet crucifixum, sed non est ita: nam neq; solus Deus mortem superare potuisset; quam euidentissima ratione, & substantiarum distinctione, homo suscepit, & Deus vicit.*

19. 20. 21. *Dissensio iterum facta est*] Græcè schisma. Gagnæus hic. *Maleuoli*, inquit, *vix vnquam benè afficiuntur de quibus supra 8. dixit: Quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum. ideo ex illis quidam pertinaces dicebant: dæmonium habet, & insanit; qui ipsimet tamquam cæci insaniebant. alij parumper illuminati veritatem agnoscere incipiebant, dicentes, hæc verba nõ sunt dæmonium habentis, quod per miraculum cæci probant: vnde Chrysost. Quia à verbis iuaderi non poterant, vt obstrueret ora illorum, demonstrationem ab operibus faciebant. vnde opera dant fidem verbis, infra eodem: & si mihi non vultis credere, operibus credite. sed animalis homo, inquit Paulus, 1 Corint. 2. non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. spiritualis autem iudicat omnia.* Sic Gagnæus. Docet ergo hic Euangelista, quid Christus suo illo perfecerit sermone, nimirum in varias Iudæos de illo sententias fuisse distractos; quod & superius accidit in simili sermone Ioan. cap. 9. 16. propterea Euangelista dixit hic: *Dissensio iterum facta est.* Sed cur inquies vt alibi, ita & hic dicentibus dæmonium habere, nil respondit? Respondet Theophyl. quod maluerit per eos illis responderi, qui illis contradicebant, quasi per homines, qui omni carerent suspitione gratiæ.

(*_*)

THEORIA PRIMA.

An Christus acceperit à Patre moriendi præceptum, afferuntur variæ sententiæ & rationes, & quid demùm sentiendum sit?

1.

NON est hîc eadem omnium Patrum sententia, vt scholasticos interim omittam. Nam Diuus Chrysostomus homilia 59. 68. 75. & 84. in Ioannem, quem Theophylactus sequitur, & Euthymius negat mandatum illud, quod affirmat Christus se habuisse à Patre, fuisse verè, ac propriè præceptum. putant enim aliqui hoc interesse interdũ inter præceptum, & mandatum, quod illud sit vera legis præscriptio, veram afferens obligationem, & vinculum, quod præterire, iustitiæ, seu obedientiæ contrarium sit; mandatum verò latiùs pateat; significare enim aiunt, quamcumque directionem, seu voluntatis superioris significationem; quod discrimen elici potest ex Diuo Thoma 1. 2. quæstion. 99. articulo 5. vbi affert quædam Diui Hieronymi verba dicentis; in præceptis esse iustitiam, in mandatis charitatem, quod etiam habet Glossa ordinaria procemio in Marcum. præceptum enim continet ius superiori debitum, cuius custodia, & obseruantia ad morum rectitudinem necessaria est; mandatum verò dicitur charitatem continere, quia situm est in amicitia quadam, seu perfectione, non in obseruantia omninò necessaria, nec in iure superiori prorsus debito. Sentit ergo Diuus Chrysostomus non habuisse CHRISTVM vllum præceptum, vel mandatum, quatenus præcepti obligationem continet: verùm omnia liberè & sponte sola charitate fecisse. Porrò cùm Christus meminit mandati sibi à Patre traditi, ait Diuus Chrysostomus per mandatum intelligi nihil aliud, quàm Patris voluntatem. implere autem præceptum Patris idem esse, ac consensum, seu vnionem voluntatis suæ humanæ cum voluntate Patris: est enim idem vtriusque velle; vsum verò inquit Christum his tenuibus, & humilibus verbis, propter auditorum infirmitatem.

Diserimen quod est inter præceptũ & mandatũ.

2.

Rationes quæ mouerunt, vel quæ mouere potuerunt Diui Chrysostomi animum ad amplectendam hanc opinionem, hæ sunt: prima sumitur ex verbis Christi hoc loco v. 17. *Ego pono animam meam.* & versic. 18. *ego pono eam à meipso*, non igitur inquit Diuus Chrysostomus homilia 59. ex præcepto Patris animam posuit, si à seipso posuit. Id quod confirmat homilia 24. in epistola ad Hebræos, scribens in illa verba capitis duodecimi: *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta.* Sanè ex his verbis Pauli non absurdè effici posse videtur, moriendi voluntatem totam positam fuisse in

Rationes quibus mouetur Chrysost. ad negandum datum fuisse Christo præceptum moriendi.

arbitrio, & voluntate Christi. iterum Diuus Chrysostomus eadem homilia: *si Christus*, inquit, *est pastor bonus, ergo sponte bene operatur, nec indiget hortatore, vel impulsore.* adhæc, qui mandatum accipit, non est sui Dominus; atqui Christus quos vult, suscitat, vitam confert, quibus illi libet. ergo, ait Diuus Chrysostomus homilia 68. non agebat, vel loquebatur ex alterius præscripto. Addit quartum argumentum homilia 75. Christus legislator erat, non igitur legibus astringebatur. Potest & quinta ratio afferri. nam vt ad vnguem cœlestis Patris voluntatem Christus exequutioni mandaret, non opus illi fuit præcepto, cum sola sufficeret paternæ voluntatis ostensio, vel cognitio. Vt enim docet Diuus Thomas 2. 2. quæstione 104. articulo 2. perfecta obedientia, non expectat præceptum, sed statim ad nutum voluntatis superioris ad opus se accingit & expedit. Hanc rationem videtur Theophylactus atrigisse explicans verba illa Ioannis 15. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, si ut & ego præcepta Patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione. Hoc temperans se,* (inquit Theophylactus) *audientium infirmitati dicit; non enim qui omnium est legislator, mandatis obnoxius est, & sine paternis mandatis viuere non potest; hoc enim cogitare fuerit absurdissimum.* & sub calcem capitis 14. explicans illud; *sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, id est, *quod complacitum est illi, & decretum ab eo suscipio, & perficio.* & paulò inferius: *mandatum dedit, hoc est, voluit, dixit, approbauit, decreuit.* Sed maiorem vim habet sexta ratio, quæ desumi potest ex hoc loco Ioannis capite 10. 17. *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam*, & versiculo 18. *nemo tollit eam à me, sed ego ponam eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, hoc mandatum accepi à Patre meo.*

Iam verò præter primam rationē, quæ etiam ex hoc loco desumpta est, vt patet initio huius numeri 2. formari hinc poterit & hæc altera ratio: non aliter loquitur Christus de morte sua, quam de resurrectione, cùm vtriusque asserat se accipisse mandatum à Patre; at non potest dici habuisse præceptum, seuerè, ac rigidè *præcepti* vocem vsurpando, vt à mortuis, vel ab inferis exsurgeret, hoc enim magis est opus Deitatis, quam humanitatis: Igitur neque verè ac propriè moriendi præcepto obnoxius fuit. His accedit & septima ratio non contemnenda. cùm enim Christus errare, labi, peccare non possit, non videtur fuisse capax præcepti in his, quæ liberè & non necessariò facit, quale fuit mori: Postremò vix satis mente complecti possumus, quomodo, quave ratione imponi potuerit illi tale moriendi præceptum: nam cùm præcepta de his sint, quæ in manu nostra sunt; mors verò illa non videatur omninò posita in potestate Christi, cùm profecta sit ex praua Iudæorum voluntate, non apparet qualiter potuerit tale quid Christo præcipi. tot ergo ac tantæ sunt rationes, quæ vel à Chrysost. vel pro Chrysostomo præcipuè afferuntur. Præter Chrysostomum inter Patres etiam Basil. libr. de Spiritu sancto capit. 8. negat præceptum Christo impositum fuisse; sed non eodem modo quo Chrysostomus explicat verba Ioannis: ait enim, actum voluntatis Patris ab omni æternitate communicatum cum essentia filio, dum illum gignit admirandum in modum, & qui excedit omnem omnium rerum, quæ condi à Deo possunt, captum, & intelligentiam, hunc inquam putat Basil. dici mandatum Patris: aliter quam Chrysost. qui conspirationem, & cōsensum illum inter Patris, ac hominis Christi voluntatem censebat esse, ac dici implere Patris præcepta. In aliam longè diuersam abijt sententiam Clem. Alexan. strom. lib. 4. inficiatur is, Christi mortem ex voluntate Patris fuisse, licet fateatur ex eorum fuisse permissu.

Cæterum communissima inter Patres, & passim recepta opinio est, accepisse Christum vt hominem, verè ac propriè præceptum à Patre, ac perfectè eius implesse mandatum: ita Cyrillus libro 10 in Ioann. cap. 20. ita August. tract. 82. ita Ambros. lib. 5. de fide cap. 5. ita D. Thom. 1. p. q. 41. a. 6. ad 2. & 3. p. q. 47. a. 2. quæ sententia validissimis, & efficacissimis argumentis nititur, quæ ego in medium afferam, vt quid censendum sit hac in re, tanto clarius eluceſcat. & primum quidem qui hanc partē tuentur, multa afferunt Scripturæ loca, quibus nec obscurè, nec ambiguè verè præceptum Christo impositum fuisse ostenditur: videlicet Deuteron. 18. 18. vbi Deus de Christo venturo, sic ait: *Ponam verba mea in ore eius, loquetur q; ad eos omnia, quæ præcepero illi* quod ex Ioann. 12. 49. confirmatur. *Qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar.* Item Ioann. 14. *sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* & 15. *si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* vbi sunt, qui expendant, quod parem hîc facere videatur rationem præcepti Patris sibi impositi, ac præceptorum, quæ data sunt discipulis à Deo; & merito, vtraque enim erant vera præcepta; & expressiùs de præcepto moriendi est hîc locus Ioan. 10. 18. *Hoc mandatum accepi à Patre meo.* videlicet vt animam pro ouibus ponam, & iterum sumam eam. Huc etiam pertinet illud Lucæ 24. *oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam.* & ad Philippenses 2. dicitur Christus *factus obediens vsque ad mortem.* nemo autem verè obedire dicitur, nisi is, cui aliquid præceptum est. nec video, quomodo qui tollit præceptum, non auferat simul obedientiam, vt constat ex 2. 2. quæst. 104. quod confirmat etiam Paulus ad Roman. 5. *sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Apostolus ergo obedientiam Christi, Adami contumaciæ opponit. Atqui Adami contumacia contraria fuit vero præcepto. igitur & obedientia Christi præcepto propriè dicto fuit consentanea. Vide Cyrill. cap. 10. in Ioan. cap 11.

Nec audiendi, qui dicunt, non propriè vel seuerè hic *præcepti*, vel *mandati* voces accipi.

nam

Digitized by Google

vitam illam esse Dei; nec nego pretij esse infiniti: verum nihil istud causſæ nostræ officit, quia sic Dei vita non omninò delebatur, sed solum ad breuissimum tempus morti tradebatur ad æternam omnium hominum vitam, & incolumitatem assequendam: secus fuisset, si vita illa Dei simpliciter foret amittenda. ergo spectato charitatis ordine congruenter factum est, vt prætulerit CHRISTVS bonum illud commune, & spirituale hominum, breuissimo sui corporis damno. adde quod caput est, non hic hominum duntaxat salutem spectandam esse, sed maximè Dei honorem, & gloriam, in quam redundat hominum Salus & Redemptio, vt proinde dubitandum non sit, charitatem Dei & proximi, sua vi, & efficacitate deuincire, obligareque potuisse CHRISTVM ad subeunda libenter omnia corporis mala, restituendæ hominum saluti necessaria, quæ aliter manente Dei decreto obtineri non potuit.

8. Qua distinctione stabilita, declarare possumus Chrysostomi mentem fuisse, vt non negarit prorsus præceptum habuisse CHRISTVM, quo ad moriendum obligaretur. quod ergo ait, hoc est: Patrem non aliter CHRISTO præcepisse vt mortem oppeteret, quam patefaciendo illi suam voluntatem, & decretum de ijs omnibus, quæ ad restituendos in gratiam homines facere ipsum oportebat: quare non inficiatur idem Chrysostomus hinc effectum esse, vt astringeretur CHRISTVS præcepto, non quidem positiuo DEI, sed naturali charitatis ad redimendos homines. tantum ergo hoc contendebat vir sanctus ostendere, non indiguisse CHRISTVM aliqua positiua lege, & obligatione, vt hoc ipsum faceret, quod per se ipsum bonum, & necessarium erat, monente decreto Patris. quem etiam modum præcepti à Patre CHRISTO impositi amplexatus est Diuus Anselmus libro cur Deus homo, capite nono, vel, si mauis censuit Chrysostomus non indiguisse Christum præcepto positiuo expresso, sed satis superque illi fuisse tacitum, & in ipsa Dei Patris voluntate occultè insinuatum, idque ob insignem Christi hominis perfectionem, quod in primis Arrianam hæresim diruit, qua impiè affirmabant Arriani Dei Filium, etiam qua Deus dicitur, & mandatum à Patre accepisse, & illi obtemperantem esse. nam tantum abest, vt Christo, quà Deus est, conueniat præceptum expresse à Patre traditum, vt id ne illi quidem, vt homo est, necessarium fuerit. & hunc sensum fuisse Chrysostom. ostendunt aliquo modo verba illa eiusdem, quæ refert Diuus Thomas quæstione quadragesimaseptima, articulo secundo ad primum, ex homilia quinquagesimanona in Ioannem, in principio Tomi tertij, *non est*, inquit, *intelligendum quod prius expectauerit audire, & opus ei fuerit discere: sed voluntarium monstrauit processum, & contrarietatis ad Patrem suspicionem destruxit.*

9. Porrò hæc explicatio præcepti Christo traditi per solam ostentionem voluntatis Paternæ, verosimilis est; rectè tamen stat cum primo modo præcipiendi; non enim illum destruit. quomodo affirmare possumus, & ostensam esse Christo Dei Patris voluntatem vt moreretur, & adiunctum esse expressum præceptum, ita vt conuenerint simul hac in parte, & positiuum Patris, & naturale præceptum charitatis; quamuis Chrysostomus non requirat præceptum illud positiuum Patris expressum.

Clementem quoque Alexandrinum, cuius meminimus numero secundo sub finem interpretari possumus, dum negat ex voluntate Patris fuisse, vt moreretur Christus, sed tantum id ab eo esse permissum. mortem Christi, vel ad interfectores eius referri posse; qua ratione non est præcepta, quin contra præceptum potius est, quo iussit Deus *non occides*. sic igitur permissa solo Dei permissu facta est: vel referri potest ad Christum prompte eam, & perlibenter acceptantem, atque ita præcepta fuit à Deo, non permissa tantum. quam rem Martyrum exemplo illustrare possumus. obligabantur illi pro fide mori, idque Dei præcepto: verum eorum interfectores contra Dei præceptum agebant illos neci dando. iam ergo potuit Clemens primum modum respiciens, affirmare non ex Dei præscripto, sed contra potius præscriptum iliatam Christo mortem fuisse, summum hoc Iudæis esse permissum; at secundo modo, si de promptitudine voluntatis Christi, & acceptatione loquamur; non negat fortasis præceptam Christo à Patre fuisse.

10. Verum ne fortè quispiam, dum audit præceptum esse impositum Christo, quod illum ad moriendum astringeret, malè ac perperam id intelligat, obseruandum non indiligenter est: præceptum cuius est proprium obligare ad efficiendum id, quod lex præcipit, & fugiendum quod vetat, duplicem in se comprehendere vim: directiuam vnam quam vocant, seu ad dirigendum, alteram ad coercendum, & reprimendum. cùm ergo dicimus præceptum Christo datum, intelligimus, quo ad vim directiuam, & obligationem faciendi, quod præscribit lex; non autem quoad vim coercendi; neque enim Christus coerceri vllo modo indigebat. quod verò de vi directiua affirmamus, & obligatione, videtur desumi posse ex sexta Synodo Act. 17. in definitione fidei: vbi definiuntur duæ Christi voluntates non contrariæ.

Voluntas enim humana nec resistebat, nec reluctabatur, verum subiecta erat diuinæ voluntati; sic enim dicitur: *Oportebat carnu voluntatem moueri, subijciq; voluntati diuinæ iuxta sapientissimum Athanasium.* & hoc ipsum confirmat locus ille Psalmi 39. *In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei,* sic enim intelligit Paulus ad Hebr. 10.

11. Tolet. in hoc cap. 16. Ioann. annotat. 14. negare videtur hac directione Christum indiguisse, etiam quà homo est, *nam eius intellectus,*

inquit,

inquit, *plenus erat omni scientia, & eius voluntas erat* omninò *conformis diuinæ voluntati: nec discedere à rectitudine, vel ab eo, quod Patri placebat, poterat*. sed videtur sumere directionem pro instructione quadam, quomodo non indigebat lege, ob rationem ab eo allatam; sed si per directionem, seu vim directiuam præcepti intelligamus de ratione præcepti esse, vt contineat, & efficiat suo modo actionem aliquam necessariam ad rectitudinem, & honestatem virtutis; sic non est negandum præceptum CHRISTO traditum habuisse vim vt obligandi, ita & dirigendi, vis verò coactiua quæ respicit comminationem pœnæ, non est per se, & absolutè necessaria ad præceptum. quare quando aliquis non potest præceptum transgredi nulla eget coactione, vel comminatione pœnæ: iccirco poterit in illo locum habere præceptum quo ad vim directiuam sine coactiua. atque ita interdum princeps tenetur suis legibus quoad vim directiuam, quamuis non quoad coactiuam. quibus addendum est, præceptum hominibus præscribi ad maius meritum illius personæ, cui præscribitur, & ad exercendam, & acquirendam virtutem. nam negari non potest si cætera sint paria, plus mereri hominem per operationem, quæ ex obedientia, & præcepto proficiscitur. Hæ autem causſæ locum non habent in Christo. neque enim augebatur eius meritum, vel sanctitas cum ipso conceptionis momento perfectè omnia illa habuerit, quibus sanctus, & Deo gratus effici poterat. cur verò præceptum acceperit, rationes allatę sunt n. 6. quibus & hęc adiungi poterit: quia opera Christi, quæ ex obedientia, & præcepto Patris faciebat, perfectiora erant. opera enim Christi si spectentur respectu personæ, quæ illa exercebat, infiniti erant meriti, atque adeò æqualis semper, quod si vnum opus cum altero conferatur, potest alterum altero maioris esse meriti, si videlicet secundùm se singula considerentur, quomodo plus erat sanguinem fundere, quam cibo, potuque abstinere. Hoc ergo modo Christi opera ex obedientia, & præcepto facta perfectiora sunt, quam si ex præcepti præscriptione non fierent.

A conceptus sui, tanto mentis conatu, & feruore, quanto maximo poterat, (sic enim verosimilius est, impositum fuisse hoc præceptum, non ita tantum vt simpliciter mori vellet pro hominum salute,) non libere, verum necessariò acceptasset tale præceptum. ergo sine merito; neque enim vbi deest libertas, ibi meritum esse potest. at nemo est, qui non videat, quam id absurdum sit, cum ea moriendi voluntate maximè ipse meruerit nobis vitam, & salutem, ac Patri reconciliauerit peccatores. primum verò illud, quod posuimus, non potuisse Christum exequi tale præceptum libere, constat, quia peccare non poterat. ergo non poterat non illud exequi, si ponamus esse impositum; alioqui peccasset. Multa hîc Scholastici Theologi subtiliter disputant, & in varias abeunt sententias. Res enim hæc spinosior est. Nos verò qui non Scholasticum hîc agimus; sed Scripturæ interpretem; quid verius videatur, paucis indicabimus; qui latiorem enodationem, explicationemque huius difficultatis volet, adeat doctissimum Franciscum Suares tomo primo, tertiæ partis, disputatione trigesimaseptima, sect. tertia.

B

Affirmo ergo, fieri non posse, posito Patris præcepto, quod à voluntatis libertate non pendeat, sed antecedat eius consensum, vt Christus omittat illud exequi quod præcipitur: quin infallibile esse aio, voluntatem Christi illud effecturam, quod iubetur. nego tamen, (id quod verissimum esse constat,) cùm peccare non posset, inde effici vt Christus illud necessariò efficere debeat ob id solum quod peccare non posset. Huius rationem assignat Suar. quia, inquit, vt tollatur libertas ob aliquam suppositionem, verbi gratia, positum præceptum in Christo, non satis est, vt huiusmodi præcepti, vel alterius rei suppositio, vel hypothesis antecedat voluntatis consensum, & ab illius non pendeat libertate: esto ea hypothesi data, infallibile sit, secuturum esse actum; sed exigi præterea, vt id quod per eam hypothesim ponitur, quopiam efficaci, & veluti Physico modo determinet voluntatem ad talem actum. quod duobus modis fieri contingit, vel cum proposito obiecto hoc vel hoc modo ex vi illius & ex intrinseca propensione voluntatis oritur vel existit necessario actus voluntatis; & hoc modo necessarius est amor Dei in beatitudine: vel secundò, cum solus Deus efficaci influxu Physico determinet voluntatem, ita vt non possit voluntas resistere. quod si id quod ponitur per hypothesim non obtineat huiusmodi vim; & efficacitatem aliquam ex his; neutiquam conuertere, & immutare poterit modum, & rationem operandi, quam sua natura congruentem habet voluntas; quare neque auferet eius libertatem; in ea enim positus est naturalis modus operandi voluntatis: atqui præcepti hypothesis, quæ hîc intercedit, licet à voluntate CHRISTI humana; eiusque libertate non pendeat; & ea posita, certò ac minimè dubitanter; & vt aiunt; infallibiliter consequatur obedientia; non tamen talis est vt eam habeat in ipsam CHRISTI voluntatem efficacitatē, vt Physice illam

C

D

THEORIA II.

Respondetur contrarijs obiectionibus præsertim contra libertatem Christi.

1. RESTAT nunc vt primum difficile illud argumentum, quod solet contra hanc posteriorem sententiam afferri, breuiter diluamus. Dicet enim aliquis, non potuisse Christum obligari ad moriendum præcepto aliquo; quia cùm non potuerit labi, vel peccare, si præceptum illi fuisset, vt mortem oppetere pro hominibus vellet, cum omnibus suis circumstantijs, verbi gratia, vt tali acceptaret eam tempore; videlicet momento ipso

2.

deter-

determinet ad actionem aliquam altero ex dictis modis. est enim præceptum externum quid, & mouet potius ex parte obiecti, quam ex parte ipsius potentiæ; nec ponit aliquid per se in obiecto, quod necessariam vim inferat voluntati. id quod idem est affirmandum de præfinitione, vel decreto diuinæ voluntatis, quod humanam prægreditur voluntatem. quo posito indubitanter sequitur voluntatis consensus: etenim huiusmodi decretum, vel definitio intelligitur esse in Deo per modum intentionis, vt aiunt, non exequutionis, atque adeò nec physica dicitur propriè, nec moralis; hæ enim differentiæ re vera in exequutione ipsa cernuntur, puta in vocatione. quare per hoc decretum, seu definitionem non concipitur Deus agere in voluntatem vel Physice illam determinare ad operandum, ac proinde nec intelligitur tollere libertatem; quamuis autem hæc prædefinitio nihil efficiat, est tamen radix omnis causalitatis ad extra tam Physicæ, quam moralis, quæ ad effectum præfinitum necessaria fuerit, & ideò non affert necessitatem Physicam, quia necessaria non est, nec est illi accommodata salua libertate.

Verum, inquiet aliquis, quomodo fieri potest, vt actus aliquis voluntatis certò ab illa proficiscatur, facta aliqua suppositione, & tamen quod citra necessitatem fiat? videmur enim non satis id mente complecti posse, quia si data hypothesi aliqua voluntas non manet determinata, ergo erit indifferens, ita vt operari, & non operari valeat: si verò hoc admittitur, iam non erit certum, & indubitatum voluntatem esse operaturam: quod si certam, & non dubiam operatio voluntatis habet connexionem cum illa hypothesi, erit sanè propter illam determinata ad vnum voluntas. Respondeo hæc duo connectenda, ac simul concilianda sunt, posita infinita diuinæ mentis præscientia, qua de omnibus creatis voluntatibus agnoscit, non solum quid operari queant, vel quid re vera effecturæ sint; verum etiam quid facturæ essent in omni euentu, & opportunitate, si hoc, vel illo modo iuxta suam efficacissimam prouidentiam applicarentur, vel excitarentur ad operandum.

Hac ergo scientia posita, non est difficile mente complecti, posse Deum aliquam voluntatem perpetuò ita regere, & excitare, vt certò, & minimè dubitanter consentiat, quamuis libere. potest enim eam motionem, vel operandi occasionem illi præbere, cum qua certò præsciuit esse operaturam. & ita censendum est factum esse cum voluntate Christi, cuius singularem gubernationem, & prouidentiam diuinum illud suppositum assumpsit, quando illam sibi secundùm hypostasim vniuit. quare potuit Deus absolute intendere, atque adeò imponere præceptum, verbi gratia, moriendi Christo, etiam cum omnibus particularibus circumstantijs hic, & nunc, & cum tanto conatu, &c. idque antequam videret absolute consensu voluntatis eius. Posita namque & præeunte nostro modo intelligendi scientia conditionata, potuit Christi voluntas, quod ad exe-

A cutionem attinet, applicari, & moueri per diuinam gubernationem, & prouidentiam efficacissimam ad amplectendam mortem eo modo, quo præuidit Deus fore vt certò, ac minimè dubitanter, quamuis libere ipsa consentiret. vnde etiam efficitur, vt hæc certa, & indubitata connexio consensus voluntatis cum hypothesi præcepti impositi CHRISTO, non innitatur in necessitate aliqua, vel Physica determinatione ipsius potentiæ, vel voluntatis, sed in sapientissima, & efficacissima Dei prouidentia, qua nouit moderari voluntatibus creatis, modo illis accommodato, vt quamuis libere, certò tamen, & indubitanter consentiant. Quod si quis rectè teneat quod dicimus, facilè ille per hęc eadem expedire poterit similes dubitationes, quæ de confirmatis in gratia, & vniuersim de gratia præuenienti, & efficaci à Theologis agitari solent.

B Sed vt penitus omnis tollatur dubitandi materia obijcio postremò, videri ex modo dictis effici, potuisse Christum simpliciter peccare licet certò constaret ipsum non peccaturum, vt patet exemplo confirmatorum in gratia, de quibus id non negamus, nimirum posse simpliciter peccare. deinde idem hac etiam ratione probatur, quia iam constitutum est à nobis, Christum libere impleſſe præceptũ ita vt simpliciter posset implere & non implere; sed posse non implere præceptum est posse peccare, igitur simpliciter dici potest Christus potuisse peccare. Respondet docte Franciscus Suares, hoc ad modum loquendi potius pertinere. nam quod ad rem attinet cõstat ex ijs, quæ diximus, perpensis omnibus absolute, & simpliciter non potuisse in Christo esse peccatum: non propter liberatis defectum, C sed propter diuinam motionem, & gubernationem, ita illi debitam ratione vnionis, vt neutiquam posset illa carere. Quare simpliciter negandum est, effici ex dictis, Christum potuisse peccare. tantum enim hoc sequitur, Christum quod attinet ad modũ intrinsecum, & proprium operandi suæ voluntatis, non esse incapacem peccati; cum quo tamen simul stat, vt ratione personæ diuinæ, & ex modo gubernandi illam voluntatem, non sit capax peccati. Quoniã verò cum Christũ dicimus, simul inuoluimus, ac comprehendimus sub nomine personam cum tali modo regendi, ideò simpliciter affirmandum est Christum peccare D non posse, seu capacem peccati non esse. Id quod est longè secus in confirmatis: illis enim gratia, qua stabiles sunt in bono & confirmati, extranea est. quare si absolute loquamur, possunt illa carere, & ideò semper dici possunt absolute delinquere posse, præterquam in sensu, vt aiunt, composito, hoc est, quatenus eam gratiam habere illos ponimus. at Christo connaturalis semper est, & minimè extranea erat gratia, atque adeò modus ille gubernationis illi debebatur: qui quoniam in CHRISTI nomine includitur, sicut includitur suppositum, ideò simpliciter dici non potest, CHRISTVS peccare potuit, vel non implere præceptum, vel non operari quod iubebatur, atque adeò hę propositiones in Christo semper sensũ faciunt cõpositum;

quam-

quamuis negandum non sit; perpenso proprio modo operandi illius voluntatis humanæ ex se, Christum ita liberè operatum esse, quod præcipiebatur, vt posset non operari, vel non implere præceptum. Hæc, Lector, volui aliquanto vberius dicere, quia huius præcepti sæpe apud Euangelistas mentio fit, & res est ad intelligendum perdifficilis, & ad intelligendas Scripturas necessaria.

Sit igitur tanquam certissimum positum, & sanctis Patribus, ac Scripturis longè aptissimum, Christo verum, ac proprium à Patre præceptum esse impositum vt moreretur; neque obstare ea, quæ ex Diuo Chrysostomo numero primo allata sunt. nam cum CHRISTVS ait; *Ego pono animam meam*, & rursum, *à me ipso pono*; significat imprimis se liberè illam posuisse, ac sponte, nec propterea excluditur obligatio præcepti. vel dic, moriendi mandatum tale fuisse, vt mortem ab inimicis illatam acceptaret, quod Christus fecit, vt homo, & quidem liberè. punire verò animam à se ipso, & eam sumere, esse habere potestatem sperandi eam à corpore, & iterum vniendi, quod idem Christus exequutus est per potestatem diuinam, qua noluit impedire causam, occasionemve mortis, vt poterat nullo negotio. itaque idem CHRISTVS, qui mandato obediuit animam etiam suam posuit, & resumpsit; illud quà homo, hoc quà Deus; vide Schol. nu. 53. nec ista duo inter se pugnant, nam etiam CHRISTVS rogatus vt homo, miraculum aliquod edidit, vt Deus, hoc est, per diuinam potestatem. Iterum cùm dicitur, non indiguisse Christum præcepto, quia pastor bonus: nihil hoc continet contra nos. cur enim conueniens fuerit vt præceptum acciperet, plures causas attulimus numero sexto. Quod verò tertio loco affertur; qui mandatum accipit, non est sui Dominus, multo minus nostræ causæ officit. Affirmo enim Christum vt hominem, habuisse voluntatem congruentem præcepto diuino, nec propterea desijsse esse sui dominum, quia liberè promptè, ac perlibenter conformabat se Dei voluntati. An non beati domini sunt suæ voluntatis, nec tamen diuinæ voluntati contraire possunt? nec remorari nos quicquam debet, quod Christus legislator fuerit. ita enim erat legislator, vt superiorem habuerit, qui poterat ipsum alijs, atque alijs præceptis astringere, quamuis non quo ad vim coactiuam, vt diximus numero decimo. Porrò cùm affirmant aduersarij, satis fuisse Christo ostensionem solum voluntatis paternæ, non id diffitemur, sed iam assignauimus causas; quamobrem congruens fuerit dari præceptum cum obligatione. vide numerũ sextũ. locus verò ille qui producitur ex hoc cap. 10. v. 17. *ego pono animam meam, vt iterum sumam eam*, iam à nobis expositus est hoc cap. Schol. num. 52. 54. vbi declarauimus, aliter sumi illam partem *vt iterũ sumam*, quam accipiatur, *ego pono animam meam*. illud enim se habet vt medium, de quo acceperit Christus mandatum. Hæc verò altera pars, *vt*, significat tantum id, quod consequuturum, vel futurum erat. non ergo pars ratio est mortis, ac resurrectionis. de eo verò quod septima ratione continetur, copiosè dictum est. num. 12. 13. 14. vbi ostendimus, non amisisse Christum libertatem in posito à Patre præcepto, quamuis peccare non posset. Postremò vt ad id quod vltimo loco obijciebatur, respondeam, affirmo in voluntate Christi fuisse, mortem acceptare, & hoc erat quod præcipiebatur; non vt Iudæi illum interficerent; quod tantum à parua Iudæorum voluntate proficiscebatur. & de his hactenus.

DIGRESSIO I. MORALIS.

Quantum obsint Ecclesiæ Dei mali pastores, & de solerti cura, & industria bono pastori necessaria.

QVANTI momenti sit Ecclesiastici pastoris officium is demum intelliget, qui ea viderit & expenderit, quæ contra malos pastores in Scripturis, præsertim verò Prophetarum, scripta sunt; vt verè de iniquis pastoribus illa Ezechielis cap. 34. verba vsurpare possimus. *Hæc dicit Dominus Deus, væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos*. Proinde explicanda sunt hîc, quæ sint partes, quæ munera boni pastoris, vt videat, quid præstare se oporteat, cui tale onus incumbit. Moses ille summus Theologus, cui Deus suas oues commiserat, intelligens quam difficilis res esset, & quantis difficultatibus implicita, rationales oues pascere, quam necessaria ad id esset cura pastoris, & diligentia. Sic Numerorum cap. 27. 16. 17. ex hac luce discessurus, petijt à Deo: *Prouideat Dominus Deus spiritum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire, & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere, ne sit populus Domini sicut ouis absque pastore*. & Deuteronom. 1. 13. *Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam eos vobis principes* Vide quid requirat in pastore, & gubernatore.

Magnum sanè Dei supplicium est, & in scelerum pœnam populis inflictum; cùm permittit eos sceleatos principes, præsertim verò Ecclesiasticos, alijs præesse, quod ego non aliunde velim cognoscas, quã ex ipso Dei ore. sic enim loquitur per Oseam de iniquis populi rectoribus 8. 4. *Ipsi regnarunt, & non ex me*, id est, me id nõ approbante, & me etiam inconsulto, *Principes exstiterunt, & non cognoui*: hoc est, non probaui, quin etiam, & displicuit mihi. & Zachar. 11. 16. 17. *Ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quaret, & contritum non sanabit; & id quod stat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet. O pastor, & idolum derelinquens gregem, gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius*. Suscitabo, inquit, videlicet suscitari, & vires ad regnandum assumere permittam, *qui derelicta non visitabit*, hoc est lassa, & ægrotantia pecora, quæ inter ambulandum reliquum gregem assequi non valent certo loco relinquuntur à pastoribus, & postea requisita cæteris adiunguntur.

contri-

contritum verò vocat oues, quæ pedes fractos, aut luxatos habent, *id* verò, *quod stat*, inquit, hoc est, quod subsistit, & ambulare nequit, cui necesse est vt cibus afferatur à pastore, vel certè significat iuxta septuaginta, integras, & sanas oues. porrò cùm subdit: *vngulas eorum dissoluet*, robusto pede diffindet vngulas, vt incedere non valeat. *O pastor & idolum*. nimirum qui non regis, sed peruertis populum, & adorari vis quasi Deus, *gladius super brachium eius*. Dei vltio contra fortitudinem, & potentiam eius insurget, vt ad nihilum tandem redigatur; neque id tantum, sed *contra oculum dextrum eius* veniet. Hoc est, omnem in administrandis rebus prouidentiam perdet, & in nihilum recident omnia eius consilia tanquam infatuata.

3. Et verò quamuis de Antichristo hæc sint à Deo dicta, de iniquis tamen cæteris pastoribus, verè etiam accipi possunt. permittit enim aliquando Deus, vt hi in pastores, ac principes, assumantur, quos nouit certissimam luem, & perniciem subditis esse allaturos: qui cum pastores dicantur, idola verius sunt, extrinsecus præsulum imaginem præ se ferentia, intus verò vana, & inutilia sunt idola. an non tu hos idola dixeris, qui oculos habent, & non vident, aures, & non audiunt? dicam clarius, qui detestanda, ac publica flagitia dissimulant, qui veritatem moniti audire nolunt. hoc mihi significasse videtur illustris patientia Iob. ca. 34. 30. *Qui*, inquit, *regnare facit hominem Hypocritam propter peccata populi*. permittit regnare Hypocritam, principem videlicet, qui sub purpura, & tiara corruptos, & pueriles mores, & effeminatum animum gestet; sicque illudat populis suę curæ commissis; significant enim Hypocritæ non dissimulatores modo, sed etiam & illusores, de quibus Isaias 28.14. *Audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum.*

4. Narrat Anastasius quæst. 15. tom. 1. biblioth. Patrum illustria duo exempla huc pertinentia, nec dissimulanda. *Quando Phocas tyrannus factus fuit imperator, & per Bonosum lictorem eas cœpit facere sanguinis effusiones; quidam monachus in ciuitate Constantinopolitana, vir sanctus, & qui ad Deum magnam habebat fiduciam, cum Deo disceptabat, dicens in simplicitate: Domine cur eum fecisti imperatorem? deinde cum permultis diebus hoc dixisset, vox ad eum venit à Deo dicens; quoniam non inueni peiorem. Fuit etiam quædam alia Ciuitas in Thebaide iniqua, in qua vir quidam perniciosissimus Angeli monitu electus est Episcopus, qui ob id cœpit apud se esse elatus, & sibi valde placere. accedens autem Angelus Domini ei dicit; cur superbis, & magnificè tibi places, ô infœlix? re vera non tãquam dignus sacerdotio factus es Episcopus; sed quia hac ciuitas tali digna erat Episcopo.* subdit deinde Anastas. *quamobrem quãdo videris indignum aliquem principem, & Episcopum, ne mireris, neque Dei accuses prouidentiam, sed disce, & crede quod propter nostras iniquitates tradimur eiusmodi tyrannis, & ne sic quidem à malis abstinemus.*

5. Non igitur mirandum, quod principibus, & populi rectoribus se ipsum præbere voluerit Christus bonorum pastorum exemplum, & regulam; vnde traheremus quæ necessaria effingendis probis pastoribus sunt: pastor enim hic cœlestis Christus dignitatis regiæ titulum in cruce habuit, non in mensa, in laboribus, non in delicijs. vt merito de se ipse dixerit. *Ego sum pastor bonus: bonus pastor animam suam pro ouibus suis ponit*. verè pastor qui omnia pascit: pauit populum Israeliticum annis quadraginta in deserto, pauit Mosem, & Eliam cibo qui oculis cerni non poterat quadraginta dies, & quadraginta noctes; pascit naturalibus escis cuncta animantia; cum primis verò fideles suos pane gratiæ, & electis Sacramentorum epulis admirandum in modum reficit, & recreat; nec solum pastor, sed longe optimus. proinde enim id sibi cognominis assumpsit, vt ita suum erga homines immensum ostenderet amorem, & ita ad se illos alliceret, dum enim vocat se pastorem, suam erga nos charitatem, & solicitudinem aperit, de quo Dauid Psalm. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocauit*. & Psalm. 26. *Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo?* & Zachar. 2. 5. Ego, inquit, *ero ei* (Ierusalem) *murus ignis in circuitu*, qui hostes terreat, & accedere non sinat, *& in gloria ero in medio eius*. pro in gloriam, q. d. gloriosam eam efficiam, vel certè, *in gloria*, &c. id est gloriam & claritatem meam illi indicabo, & Esa. 49. 15. *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt nõ miserearur filio vteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui*. & Petro, quem suum Vicarium vniuersæ præfecit Ecclesiæ dixit: *pasce oues meas*, quibus constat, quam bonus, quam diligens, quam solers pastor is fuerit.

6. Munus boni Pastoris.

Quæ sunt ergo, roget quispiã, boni pastoris munera? quæ præclara insignia? quæ illustres notæ? sic accipe. Sex mihi esse præcipuæ videntur, ad quæ reliqua reuocari poterunt. primum munus, amor est ouiũ, & amor etiã illius, qui est verus & proprius Dñs ouiũ. qua de re satis multa à nobis dicta sunt superius. p. 2. c. 4. digres. 9. à n. 4. moraliter ea verba ostẽdentes. *vos estis sal terræ*. Alterũ ergo munus est ꝑpetua, & singularis cura, & diligentia in pascendo, & regendo, & custodiendo oues. Res enim est multis laboribus expolita boni pastoris vita; quod probe nouerat Iacob cùm numeraret pastoritiæ vitæ labores: Gen. 31. 40. *Die noctuq; æstu vrebar, & gelu. fugiebatq; somnus ab oculis meis*; vt de hoc vno bono pastore discant cæteri, qui præsunt Ecclesiæ, hoc munus eorum exigere, non vt quieti se tradant, sed operi vacent; non voluptatem sectentur, sed laborem; non gaudia quærant, sed dolores; non socordiæ se dedant, sed impigram curam adhibeant; hinc illud nunquam satis laudatum elogium profectum est, quod D. Gregorio tribuitur: potestatem Prælati, non honorem, sed onus æstimari debere.

7. Et cur quæso dicitur in vestibus, & ornatu summi Sacerdotis vniuersus descriptus esse orbis? sic enim Sapientiæ 18. 24. de ornatu illo scribit Salomon: *in veste poderis, id est, talari quam habebat, totus erat orbis terrarum* figuratè descriptus. *Et magnificentia tua in diademate capitis illius scripta erat*. quatuor siquidem illi colores, quibus conspicua erant, & decora summi Pontificis indumenta, videlicet Byssus, purpura, Hyacinthus, & coccus, recte quatuor

mundi

mundi elementa significabant. Nam Byssus ex terra nascitur, ideo rectè terram indicat; purpureum colorem mare præbet, propterea secundum notat elementum; Hyacinthus, quia cærulei est coloris, aerem ostendit, & nitidam quoque cæli faciem in se aptè repræsentat. Coccus ardens ignem refert. porro superhumerale cum geminis smaragdis, & lapides item illi duodecim pretiosi, ac fulgidi rationale circumambientes solem & lunam, & duodecim Zodiaci signa, cæteraq; cæli astra complectuntur. Postremò tiara, quę imperij quoddam insigne est, & in qua ineffabile Dei nomen exaratum erat, immensam Dei maiestatem infinitè omnia excedentem, & nulli creato intellectui comprehensibilem ostendit.

8. Graue onus prælatorũ.

Iam redeo ad id, vnde digressus sum, quid inquã causse fuit, quamobrẽ summus Põtifex tam eleganti amictu totum figuratè gestaret mundum? voluit videlicet ille sapiens rerum omnium molitor Deus, omnibus patefacere, quam graue, quam difficile sit illud onus quod sacerdotum, & prælatorum humeris est impositum. quod meritò Concilij Tridentini Patres appellandum cẽsuerunt; *onus angelicis humeris formidandum.* quam igitur robustos, quam prævalidos eorum humeros esse oportet, qui tantæ hominum pascendæ, seu vt verius dicam ferendæ multitudini præficiuntur? Rectè Apostolus 1. ad Tim. 3. *qui Episcopatum,* inquit, *desiderat, bonum opus desiderat.* Quare qui ad tam excelsum dignitatis gradum euehitur, altius menti inferat necesse est, quæ olim Dauidi in generum regis assumpto dicta sunt: *Esto vir fortis, & præliare prælia Domini:* etenim cum alicui Ecclesia aliqua, quæ tanquam filia à Deo diligitur, regenda tribuitur, & veluti in sponsam traditur, est, quod diligenter is inuigilet, vt forti, & indefesso sit animo, vt contra aduersa omnia illam defendat & tueatur, vt ne ad momentum quidem temporis vnquam è manibus gladium deponat, & quod caput est, vt sibi commissos populos immenso prope interuallo, quà robore, quà labore, quà exemplo, quà virtute, quà sanctitatis præstantia antecedat

9. Sollicitudo boni pastoris.

Hanc eandem Pastoris sollicitudinem, & curam illud non vulgariter ostendit, quod vsq; ad mortem laborandum sit Pastori, nec vitæ parcendum, paratus enim esse debet, si ita opus sit, mortem oppetere pro ouibus suis. hoc & fecit, & iussit Christus. audi Chrysostomum homil. 29. ad Roman. *non est,* inquit, *boni pastoris quiescere, & non circumquaque percurrere, innumerisq; etiam mortibus pro ouibus se exponere. an ignoras gregis huius dignitatem? an illius gratia Dominus tuus innumera non fecit? an non postremo & sanguinem suum effudit? tu verò requiem quæris?* & ibidem. *Bonus pastor & talis, qualem Christus vult, cum innumeris componi potest martyribus: siquidem martyr semel propter ipsum moritur, hic verò millies propter gregem. si modo talis sit pastor, qualem esse oportet, talis enim pastor singulis diebus mori potest.* Hæc Chrysost. nec ab eo aliena sentit Gregor. homil. 14. in Euangel. *Primum,* inquit, *nobis pastoribus est, exteriora nostra misericorditer pro ouibus impendere, postremo verò si necesse sit, etiam mortem nostram pro ijsdem ouibus ministrare.*

10. Hoc sanè suo nos exemplo docuit Paulus 2. ad Cor. 12. dum ait: *libentissimè impendam quicquid habeo, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* hoc est, & meipsum quoque, & vitam meã adijciam, cùm oportuerit; & alibi ad Rom. 9. *Optabam,* ait, *ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* sic Moyses Exod. 32. incredibili charitatis erga oues sibi commissas exæstuans ardore Deum rogabat: *aut dimitte eis hanc noxã, aut si non facis dele me de libro tuo, quem scripsisti.* & vide quomodo etiam Dauid bonus pastor pro ouibus morti se offerre non dubitauerit, cùm animaduerteret Angelum iusto Dei iudicio sæuientem in populum 2. Reg. 24. *Ego,* inquit, *sum qui peccaui, & ego iniquè egi: isti, qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum Patris mei.* Cùm igitur arduũ sit, & perdifficile omnia sua totamque vitam pro ouibus in discrimen obijcere, cõstat verissimum esse, quod ostendere voluimus difficilem satis esse prouinciam, & laboriosum munus pastoris. Quòd si vix inuenire est, qui pecuniam, & externa bona pro ouibus largiatur, quotusquisque erit, qui vitam periculo exponat? *cum incomparabiliter,* inquit Greg. hom. 14. *longè melior sit anima, qua viuimus, quã terrena substantia quam possidemus, qui non dat pro ouibus substantiam suam, quomodo pro his daturus est animam suã?*

Acutè satis, & verè Traianus imperator censuit, liene crescente, reliquos artus tabescere, sic enim ille fiscũ suum lienem vocabat. videlicet quod fisci pecunijs auctis, nimium ouium, id est, subditorum vires, à quibus illæ emunguntur sensim decrescendo, contabescant, & deficiant. sic & res habet in spirituali ouium cura. Pastoris thesaurus lieni similis est; illo crescente contabescunt pauperes, in quos ille erogari debuerat. Deficeret me tempus si singula persequi vellem, quæ de cura, & labore pastorum dici possent. 11.

Nemo enim est, qui scribendo assequi valeat, quanta sit opus solertia, quam singulari cura, quanta diligentia pastoribus in regendi, pascendique munere: innumera sunt quæ erga illas præstare oportet; eorum est mederi ægrotis, infirmos consolidare, fractos alligare, abiectos reducere, perditos quærere, leniter, sed iustè; suauiter, verũ efficaciter ouibus moderari. sic monet Apost. Pastores 1. Tessal. 5. *Corripite inquietos cõsolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.* diuinus ille pastor Christus Deus noster derelictis nonagintanouem ouibus in deserto, venit eam, quæ errauerat, quæsitum, eamque inuentam sustulit in humeros. Nonagintanouem oues sunt Angeli electi; ouis quę perierat, genus humanum; desertum, cœlum est lõgè diuulsum, ac separatum à nobis; aduentus ad quærendam ouem deperditam, Christi fuit œconomia, vel carnis assumptio, ouis impositio in humeros, generis est humani in proprio corpore redemptio; reuersio ad desertum, est reditus Christi ad vitam, eiusque in cœlum admirabilis ascensus, tales ergo sint pastores, sic laborent vt perditas oues diligenter explorent; sic quærant vt inueniant, inuentas suis humeris imponant. alioqui timeant. *væ namque pastoribus, qui disperdunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus.* Hierem. 23. & verè Gregor. affirmat: *Tot mortibus prælà-*

tos dignos esse, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.

13. Bonus pastor ve ...

Finem imponam si declarauero, Principem vel Pastorem leoni similem esse debere. narrant auctores non contemnendi, inter omnia animantia, quæ curuis vnguibus, munita sunt, vnum solumque leonem videre, vti primum in lucem editus est. Hinc factum volunt, vt à Plutarcho animal solare vocaretur. idem dormiens oculos habet apertos, & claros; vnde quidam in eum errorem prolapsi sunt, vt arbitrarentur leones dormire nunquam; quod refert Manethon AEgyptius. proinde veteres sapientes non absurde voluerunt leone præsulem, & custodem significari. Hinc vim accepit peruetusta illa consuetudo, quam refert Pierius, vt in portis ædium sacrarum leonum simulacra statuerent. hoc ergo symbolo significare voluerunt proprium pastoris esse, vel Principis, vigilantem esse, ac solerti cura ita custodire debere, vt ne dormiens quidem quodammodo gregis solicitudine careat. quod pastor ille egregius Iacob Patriarcha suo significauit exemplo, cùm diceret: *die, noctuq; æstu vrebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis.* Nunc ad aliud veniamus munus pastoris, quod sequenti digressione declarabimus.

Gen. 31.

DIGRESSIO II. MORALIS.

Explicantur duo alia boni pastoris officia.

1.

TERTIVM verò boni pastoris munus continet industriam, & prouidentiam quærendi, & comparandi ea, quę ouibus necessaria, vel vtilia sunt. debet pastor primùm panem habere in pera, hoc est, sacram Scripturam in alta mentis cognitione tanquam in pera repositam. id quod ait Deus per Malachiam 2. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam & legem requirent ex ore eius*, & per Oseam cap. 4. 6. *quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* & D. Paul. 1. ad Timoth. 3. docet prælatum doctorem esse debere, & ad Tit. 1. 9. ait: *Oportet Episcopum sine crimine esse, &c. amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere.* Deinde pastoris est baculum gestare ad delinquentium correctionem, quod Paulus præcipit Timoth. epist. 1. cap. 5. 20. *Peccantes coram omnibus argue: vt & cæteri timorem habeant.* & 2. ad Timoth. 4. *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.* Vinum enim & oleum in morem cœlestis Samaritani oportet infundere, vt ouium vulnera, & morbi curentur, hoc est, correptionem cum pietate, iustitiam cum misericordia, seueritatem cum clementia coniungere necessarium est.

2.

Postremò quoniam prælati *pastores* vocantur, celebrium pastorum mores referre, & in quatuor illos insignes pastores conijcere debent oculos, quos summis attollit laudibus Scriptura, vt ex eis sibi colligat, ac paret, quæ curando gregi opportuna videbuntur. horum primus fuit Abel Iustus, quem Gen. 4. legimus

A fuisse ouium pastorem. est autem *Abel* idem quod *lugens*, quia nimirum debent pastores populi peccata deflere, quod faciebat illi, de quib. Ioel. 2. *inter vestibulum, & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo*, id quod rectè intelligebat Hiere. cùm diceret. ca. 9. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Alter, qui pastoritiam exercuit, Iacob memoratur, qui de se ipse testabatur Gen. 31. *die noctuq; æstu vrebar, & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis.* quod indicat pastoris solicitudinem, & prouidentiam in quærendis ijs, quæ ad custodiam, & pastionem ouium pertinent, quod docuit nos Christus suo exemplo Io. 17. dum cœlestem Patrem alloquęs ait: *Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Tertio loco tāquā

B insignis pastor numerari potest Dauid, qui de se ipse fatetur 1. Reg. 17. 34. *Pascebat seruus tuus Patris tui gregem, & veniebat leo vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de vre eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamq; eos.* Hæ enim sunt præcipuæ boni pastoris partes, vt se leoni illi, vel etiam vrso vitæ, ac sanguini ouium insidianti fortiter opponat, de quo leone Petrus 1. cap. 5. scribit. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Nec prætereundus est Moyses, & ipse inter pastores ponendus. *pascebat* enim *oues Iethro soceri suo Sacerdotis Madian* Exod. 3. 1. Hic pro populo, cui pastor præerat, ardentes ad Dominum preces fundens clamabat Exod. 32. 12. *Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui.* De-

C cet enim valdè præsules pro ouibus suis Deum obnixe orare.

Tertio præter peram & baculum, fistulam quoque habeat pastor necesse est, hoc est, vt suauibus, ac dulcibus verbis oues mulceat & afflictas atque iacentes consoletur. Quarto fidelibus quoque non careat canibus, quos contra lupos immittat, si quando fortasis in oues irruant. sunt enim lupi, hæretici, qui non pascere, sed perdere, ac mactare oues veniunt. canes verò sunt Ecclesiæ Doctores, & Concionatores, qui suo latratu, sacris nimirum concionibus, testimonijs Scripturarum, validis argumentationibus hos tartareos lupos terrent, ac fugant. sic Ecclesiæ Doctores *canes gregis* vocat

D D. Gregor. in Iob initio cap. 30. *Canes gregis*, inquit, *id est, Ecclesiæ Doctores sancti vocantur, qui dum pro Domino suo, diurnis, nocturnisq; vigilijs intenti clamauerunt, magnos, vt ita dixerim latratus prædicationis dederunt.* Hos igitur pastor canes suis ouibus custodiēdis prospiciat, & in promptu habeat, qui cum opus est, contra lupos allatrent. Quinto debet & pastor sibilo vti, quod tunc prudenter facit, cum seorsim ad se vocatum signo dato monet aliquem magna charitatis significatione, vt occultum aliquod vitium emendet, & tollat. sic enim saluo honore ouium, sæpe delicta commodius corriguntur, dum nullo, si opus non sit, iniecto rubore facilius oues suos ipsæ morbos agnoscunt. Sexto exuuio, vel pelle ouium amiciat sese pastor oportet, quod tunc præstabit, cùm se libenter ad

earum

earum paupertatem,& humilitatem dimiserit, cum illis familiariter, & libēter egerit,earumque in se vulnera, morbos, ægritudines, calamitates, & commiserando, & adiuuando expresserit. debet & se immaculati agni pelle vestire,hoc est,Christi Domini virtutibus ornare,vt libenter Christi modestiam,patientiam, charitatem imitando oues ad sese alliciat.

4. Hi insignibus in suorum pastorum exemplum, & solatium instruxit se Christus Pastorum Princeps. Pastoris insignia, vt obseruat Hieron.Zach.11.sunt pera, baculus, fistula, & sibilus. adde & melotem, id est, ouinam pellem,& canes lupis formidabiles,placidos ouibus. hæc omnia si rem penitius introspexeris, in summo omnium pastore Christo non dubium,quin sis inuenturus.Vis illum ouilla pelle indutum aspicere? humanam agnosce naturam,quam assumpsit.Itaque nō pellem solum; sed totum induit hominem vna excepta creata hypostasi. id testatur Apost. dum ait de Christo ad Philip. 2. *Formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.*Peram gestat: quodlibet enim Sacramentū vas est,pascua & medicamenta continens, quibus ille oues reficit,&earum morbis medetur. Baculum præfert, videlicet crucem, in quam Dauidicum illud congruit Psal. 22. *Virga tua,& baculus tuus,ipsa me consolata sunt.*nulla enim re magis recreantur oues, quam sanctissimæ huius crucis assidua meditatione. hac fulciuntur, hac à lupis,leonibus, vrsis sese tuentur. fistula pastoris nostri,qua mulcet oues,verba sunt diuina,& sacra Scripturarum eloquia;sibilus verò,cordis inspirationes,quibus oues vocat. denique generosi canes Ecclesiæ Doctores, & Cōcionatores sunt à Christo missi,vt Ecclesiæ suę saluti prospiciant, & à leonum, luporumque morsibus suo latratu defendat,& sic ille Ecclesiæ suæ saluti prospiciat.

5. Sed non tantum proprijs his pastorum insignibus informatus esse debet spiritualis pastor,verum & medicis etiam instrumentis instructus ad ouium curam accedere. qua de re, quia ipse,ac prēclare præcipit Ioannes Clymacus in appendice libelli,qui dicitur,*paradisi scala*,quem tom.5. bibliothecæ reperies, eius hic verba apponam. *Bonus,* inquit, *noster Dominus, hanc naturæ proprietatem fecit; vt videns infirmus medicum exultet; quamuis nil forte ab eo iuuaminis, aut profectus sentiat. possidebis & tu* (quicumque pastor es ouium Christi) *emplastra,potiones, & spongias, phlebotomias, cauteria, vnctiones,experimenta dormire facientia,gladium,ligaturas,& beatam nauseæ priuatiuam remediationem.si verò horū penuriam,& impotentiam habemus, quomodo scientiam ostendemus? nunquam; non enim verbis, sed operibus debentur mercedes. Emplastrum est sanatio, & maturatio visibilium,passibilium,& corporalium vitiorum.potionis exhibitio,est sanatio passionum interiorum, & inuisibilis cordis euacuatio. rasorium est ignominia mordens,& remouens, & expurgans elationis putredinem;collyrium est redargutio, qua conturbat,post modicum verò curat;phlebotomia propriè est imperatiua,& institutiua & dura correctionis inuectio,in salutē infirmantium facta: spongia est(post chirurgicam phlebotomiam) per affabilia,mansueta; & lenia medici verba,curatio, & refrigeratio infirmantis: cauterium est interminatio,& increpatio in pœnitentiam,benigne,& humane per tempora data: vnctio,est post cauterium,per verbum;& leuem consolationem infirmanti suppositā, & superinductā placatio: dormire faciens antidotum,est,onus obedientiæ recipere.& propter subiectionem, requiem, & somnum absque somno, & cæcitatem sanctam ei,vt non videat bona sua, donare: ligaturæ sunt,admonitione,& patientia,vana gloria resolutos, & vacuos effectos,vsq; ad mortem in odio sui,& amore virtutū stringere & firmare:finis autem omnium, gladius,qui est terminatio, & sententia ad incisionem spiritualiter mortificati, & putrefacti in corpore membri, nē & reliquis propriam scabiem tradat &eos pestilentia morbi corrumpentis inficiat, Beata verò nauseæ priuatiua remediatio,in hominibus qui præsunt,& medicis impassibilitas est,quoniam quidam in omni fœtoris dissuauitate non nauseant, & accurationem sine otiositate,& pigritia admittuntur: hi verò,omnem animam morientem resuscitare valebunt.* Hæc ergo sunt, quibus instructus esse debet spiritalis animarum pastor, vt hoc tertium munus, de quo hactenus dictum est,fructuosè exequatur.

6. Iam verò quartum eiusdem boni pastoris officiū est, vt fortitudine animi ad propulsanda pericula, & aduersa, quæ ouibus solent, & possunt accidere,munitus sit. Veteres philosophi principem soli comparabant, quem θεὸν appellauere,hoc est currentem,vt significarent debere illum forti animo percurrere omnia,& tanquā de cœlo cuncta prospicere,futura mente præsagire,necessaria remedia, & longè ante videre, eadē maturè applicare,rebus aliter quā sperabatur succedentibus nusquam non excelso animo ingruentibus malis fortiter occurrere.denique quibuscumque aduersis superiorē esse. Eidem verò principi secretū quod rectū, & nudatum foliis esset,tribuebant; vt tacite innuerent, omnibus illum animi perturbationibus destitutum esse debere, vt tanto tenacius iustitiæ æquitatem teneret. quò verò hanc firmitudinem in tenenda æqualitate iustitiæ,tantopere necessariam ostenderent, Martem, per quem principem repræsentabant, indutum tunica adamantina finxerūt.nimirum illi robur, & æs triplex circa pectus sit oportet, qui cæteris præest pastoris officio prægrauatus. Porrò memoriæ proditum est, principem referentē statuam à sapientibus viris in quodam AEgypti loco collocatā esse, vbi erat Simandius Rex sepultus,quod scribit Hector Pintus in 34.cap. Ezech. ex Diodoro Siculo desumptam. traditur verò statuam illam,quæ principis similitudinem referebat ex collo pendentem veritatē, tanquam pretiosum monile, in quod ipse oculos habebat coniectos,gestasse:vt tali symbolo constaret, quo in loco princeps veritatem habere,& quanto studio colere deberet.videlicet nolebant sapientissimi viri,principis mentem corruptos animi motus, & perturbationes intueri,non adulationes, nō populare auram sequi,sed in veritate oculos debere figere, & diligenter aduertere quid illa imperaret. alieno verò animo esse omninò à delitijs, voluptatibus,& nimia diuitiarum cupiditate; ad quæ omnia nemo est qui non videat quanta animi fortitudo, quantum robur, quam accuratum studium sit necessarium.

7. Nunquã satis Alexandri vox illa laudata fuit: *seruile esse, dedere se voluptatibus*, laboribus aũt se exercere, res est principibus digna, quib⁹ rectè hæc subnectit Hector Pintus lo. cit. *Si hoc gentes absq; fide animo perspiciebant, quã rationẽ Deo reddent fideles, si illud intueri noluerint, quibus Deus dicit: Væ pastoribus Israel, qui pascunt se ipsos. si sæculi principes saluti populi cõsulere tenentur, quanto magis pastores Ecclesiastici, & Religiosi, qui sunt aureæ monetæ ingentis pretij in Ecclesia Christi? Oportet eos nihil intra se habere cupri, nullã alienæ materiæ formã recipere, nullũ raucum sonum plumbi edere, nihil adulterinũ intrinsecus admittere.* & quoniam sunt virtutis pictores præcipui, *à quibus subditi artem pingendæ virtutis discunt, vt ait in Apol. Greg. Naz. summa ope nitendũ est, ne inueniantur pulcræ virtutis pessimi picteres, vel certè ne alijs pictoribus, qui eã debent in se ipsis depingere, imaginis eius pessima præbeant exemplaria. pulcrã aũt depingent virtutem, si in eius actiones toto pectore incubuerint, & Ecclesiæ solicitudines præstiterint.* sic ille. Et quidẽ quã verè, ille demũ sciet, qui Paul. dicentẽ audierit, 1. ad Timo. 3. *oportet Episcopũ irreprehensibilem esse.* & Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiã Dei, quã acquisiuit sanguine suo.* equidem miror sanè posse Episcopũ quieto vnquã esse animo, nisi se totum pascendis ouibus impendat, cum peruigilandum sit illi, quasi rationem reddituro pro animabus sibi à Deo cõmissis. vnde etiã pateat, quod hîc volumus, quanta sit illi opus animi firmitudine, sine qua procul dubio animũ desponderet, ac spe decideret ob plurima aduersa, quæ in regendo pastoribus occurrunt.

8. Sed inter cetera, in quibus boni pastoris fortitudo spectatur, illud vnũ est, nõ vltimo loco numerandum, quo, quia carebant ij, de quibus Ezech. 13. 5. dicitur. *non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini.* meritò reprehenduntur. etenim boni pastoris hæ partes sunt, vt ex aduerso ascẽdat, & occurrat, & quasi se opponat iræ Dei tanquam murum pro ouibus. eiusdẽ est non fugere, sed stare veluti in prælio ante oues instar præclari, ac generosi ducis vt Deũ reddat precum suarũ vi, & potentia populo placatum. nã vt verè ait Hier. in eũ Ezech. locũ, sicut murus hosti opponitur, & aduersario occurri solet ex aduerso, contraq; venienti, ita Dei sententia SS. precibus frangitur. de hac Ezech. sententia vide inferius dig. 4. n. 5. ex Greg. qui paulò aliter explicat. talẽ olim fuisse pastorẽ bonũ Aaronem describit Scriptura. nam cum ira Dei ita fæuiret, vt graue de populo supplicium sumeret, illico occurrit Aaron, & ascendẽs ex aduerso opposuit se murum pro domo Israel. sic. n. Num. 16. scriptũ legimus; cum cucurrisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama: & stãs inter mortuos, ac viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit. *Legimus*, inquit Hieron. epist. 12. ad Gaudentium. *Aaron pontificem iisse obuiam furentibus flammis, & accenso thuribulo, Dei iram cohibuisse, stetit inter vitam, & mortem sacerdos magnus, neque vltra vestigia eius ignis procedere ausus est.* Vide, quam strenuus dux fuerit Aaron, qui validissimis precibus tanquam inuictissimo gladio armatus Dei iram vehementer accensam quasi vicerit manu valida, & furẽtes flammas diuinæ vltionis extinxerit. Verũ nihil hac in parte conferri potest cum fortissimo duce Moyse, de quo Exod. 32. in sempiternam eius memoriam proditum est, precum vi, & efficacitate sic se potentissimo numini opposuisse, & ira, plus quam credi potest, iustè inflammato sic processisse obuiam, vt eius manus ligauerit, dixeritque proinde Deus: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* vtinam tales Ecclesia Dei pastores haberet, qui suis precibus, & sacrificijs sententiam Dei frangerent in prælio, fortiter, stricto orationis gladio. verum quia tales non habemus, sæpe numero fit vt pereant cum pastoribus greges, quia *sicut populus, sic sacerdos*; vt cum Propheta Hieronym. loquitur eadem epist.

DIGRESSIO III. MORALIS.

In qua duo alia postrema declarantur boni pastoris officia, quintum & sextum.

1. QVINTVM pastoris munus est, fidelitas erga Dominum ouium: qua nulla ratione committat vt fraudetur ille vtilitatibus, atque emolumentis, quæ par est vt ex ouibus capiat. ad quam rem permagni refert, assidua pastoris præsentia, de qua nos in Scholijs hoc eodem cap. nonnulla diximus num. 15. quibus adijci possunt, quæ magis ad mores pertinent ex Arist. lib. Oeconomicorum cap. 6. duo egregia dicta, alterum Persæ cuiusdam, alterum Libyci. *Persa enim*, inquit, *rogatus, quid equum maximè pinguem faceret: Oculus Domini, respondit. Libycus verò, rogatus, quod sterquilinium agro foret optimum: Domini, inquit, vestigia.* Subdit verò mox Aristo. *Sunt igitur inspicienda negotia diligenter viro; inspicienda etiam ab vxore, prout inter eos distincta sunt curæ.* quare si præsens cura, & ipse quasi obtutus oculorum necessaria sunt rei familiari, si ita opportuna; quanto magis erunt hæc necessaria Ecclesiæ Dei, in qua non de terrenis bonis agitur, sed de animarum salute, quę sine pastoris præsentia facilè pereat necesse est? hoc monet *Episcopi* nomen, hoc vox *pastoris* postulat. eum enim qui pascit pastor, significat, vt Episcopus speculatorem, & exploratorem. quomodo igitur hæc præstabit munera, quomodo suo nomini vnquam consentanea faciet, nisi ipse sua vrgeat præsentia, ipse oculis inspiciat, quæ facere opus sit, ipse manum admoueat, pascua porrigat, medicinam faciat, soletur, denique occurrenti lupo, vel leoni ipse primus aduersetur?

2. *Ouium pastor*, inquit Chrysosto. lib. de sacerdotio, *gregem habet è vestigio subsequentem, quocumq; præierit, quod si quæ de recta via oues deflectat, ac feraci pabulo posthabito sterilia, atq; abrupta loca depascantur, satis habet pastor altius aliquantulum inclamare vt balantes atq; dispersas reducat, atq; in gregem cogat. sin verò à recto Christianæ fidei tramite aberrauerit quis, hic pastori magnum onus incumbit, magnum negotium, magna tolerantia.* Hæc Chrysosto. quæ nemo est, qui non videat, sine

præsen-

Pastoris præsentia gregi necessaria.

Episcopus idem est ac speculator.

Episcopi munus est gregem à malo ad bonum reuocare.

Digitized by Google

præsenti cura pastoris fieri non posse. quare si fidelis quis pastor Domino suo, si ouibus commodo, & emolumento esse vult, præsentiam suam gregi non deneget.

3. Eos verò, qui secus fecerint, perfidos & infideles nę tu dixeris esse pastores, & tales qui gregi malo sint potius. aduersus hos audi, quæ scribat Damasus epist. 4. dist. 78. can. Episcopi. *Pastores*, ait, *qui curam sibi à Deo commissam negligunt* (hoc est vt ego interpretor, qui infideles Domino suo sunt) *videntur mihi esse meretricibus similes, quæ statim vt pariunt, infantes suos alijs nutricibus tradunt educandos, vt suam citius libidinem explere valeant. sic & Christi infantes suos, id est, populos sibi commissos, alijs educandos tradunt, vt suas libidines expleant, id est, pro suo libitu sæcularibus curis inhient, & quod vnicuiq; visum fuerit, liberius agant. pro talibus. n. anima negliguntur, oues pereunt, morbi crescũt, hæreses, & schismata prodeũt, Ecclesiæ destruuntur, sacerdotes vitiantur, & reliqua mala proueniunt. Non taliter Dominus docuit, nec Apostoli instituerunt, sed ipsi qui curam suscipiunt, ipsi peragant, & ipsi propriis manibus Domino repræsentet. nam ipse ouem perditam diligenter quæsiuit, ipse inuenit, ipse propriis humeris reportauit nosq; idipsum facere perdocuit. si ipse pro ouibus tantam curam habuit, quid nos miseri dicturi sumus, qui etiam pro ouibus nobis commissis curam impendere negligimus, & alijs eas educandas tradimus? corrigantur hæc fratres, necesse est, quia qui plus laborat, maiorem mercedem accipiet. Audiant quid Beatus Iacob, qui pro vxoribus diu seruierat, dixerit socero suo: Viginti annis fui tecum, oues tuæ, & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostẽdi tibi; ego damnum omne reddebam, & quicquid furto perierat, à me exigebas: diu noctuq; æstu vrebar, & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis. si ergo sic laborat, & vigilat qui pascit oues Laban, quanto labori, quantisq; vigilijs debet intẽdere, qui pascit oues Dei.* sic Damasus Papa.

Episcopi qui curam sibi commissam negligunt, sunt similes meretricibus.

4. Diligenter, quæso te, animaduerte, vbi se quæsiturum dicat Deus oues: *ecce*, inquit, *ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum*. audis ne in manu pastorum quærendas esse oues illis commissas? quæ quomodo sint in manu eius inueniendæ, qui earum curam ad aliorum manus transtulit, non video. insinuat ergo Deus in manu prælatorum gregem esse debere, illorum manibus esse portandum, pro illis strenue laborandum. quod si cum reperturus in manu pastoris oues venerit, loco earum, non illas, sed earum pecuniam, argentum, aurum, vestes pretiosas ab illis detractas, & tantum non furto sublatas in eorum manibus offenderit, quid dicturus est? quibus supplicijs affecturus, tam nullam in pastore suo fidem? abiectam carissimarum ouium salutem? & quod vix sine lacrymis dici queat, etiam in vnguibus, in ore, in faucibus tartarei leonis positas deprehenderit? in manu item requiret Deus oues suas, non sub pedibus; neque enim oues, quod quidam faciunt, contemnendæ, vel pedibus proterendæ, & conculcandæ sunt; sed tanquam pretiosum monile pro pectore, & ne quid illis aduersi contingat in manibus gestandæ sunt. Adhæc de manu pastorum requiret oues, quia videlicet sigillatim pastorum opera excutiet Deus, & explorabit

4. Deus de manu pastorum requiret oues illis cõmissas in eorum. n. manibus debent esse oues.

Oues non sunt à pastoribus cõtemnendæ. Manus significant opera. Deus opera pastorum explorabit.

A omnia. manus enim aptè opera indicant. nihil enim ita magis perdit gregem Dei, quam pessima malorum operum pastoris exempla. exquiret sanè Deus, an ob cõmodum suum peccata ouium dissimulauerit pastor, an ad pascua eduxerit, an morbosis medicinam fecerit, an furtim à lupis sublatas reduxerit ad caulas. perpendant rogo prælati, quam horrendum sit incidere in manus Dei viuentis, qui tanto amore oues suas prosequutus est, vt non dubitauerit pro illis innumeros exantlare labores, & tandem acerbissimam, & ignominiosissimam mortem subire.

5. Et verò similes mihi esse videntur pastores, qui in curando grege Domino suo infideles sunt latrunculis illis Syriæ, qui puellam Israeliticam Naaman Syro lepra infecto tradiderunt: 4. Reg. 5. ita quidam sacerdotes latrunculis magis similes, quam pastoribus, Naaman Syro, hoc est, diabolo (ô homines per summam auaritiam, & socordiam ouibus pernitiosos, & per impietatem Christo Domino infidos) animas tradunt, qui peccatorum lepra eas inficiat, & multis modis male acceptas secum præcipites in infernum trahat.

Pastores domino suo infideles similes sunt latrunculis Syriæ.

6. Neque tamen per hæc negare volumus licere pastori à se ouem aliquam morbidam aliò amandare, & à cæteris ouibus separare. *quãdoquidem*, vt rectè Chrysostom. homil. 3. de Dauid & Saule, monet, *& patres filios delinquentes frequenter ex ædibus exigunt, & à mensa submouent; non vt semper illinc exulent, sed vt hac correptione redditi meliores cum debita laude in paternum redeant contubernium. idem sanè faciunt & pastores, dum oues scabie oppletas à sanis segregant, vt misero morbo leuatæ, denuò tuto ad sanas reuertantur, potius quam ægrotæ, gregem vniuersum suo illo morbo impleant.*

Oues morbidæ à cæteris separandæ.

7. Reliquum est, vt de postremò pastoris munere agamus. hoc verò est: pastor *cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit*. igitur ante oues ire proprium est pastoris munus. hoc autem nihil est aliud, quam ouibus omnibus virtutum ornamentis præstare, omnibus verò vitijs carere. nam vt Gregor. ait 2. par. pastor. cap. 1. *Tantum debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris*; quod ipsum egregiè docet D. Chrysostom. lib. 2. de sacerdotio sic scribens; *quanta inter se differentia homines rationis vsum habentes, & brutа ratione carentia dissident, tantum sanè discrimen inter eum, qui pascit, atque eos, qui pascuntur, esse velim*. caput cæteris membris valdè antecellit, pastor autem instar capitis est, si cum ouibus conferatur. pastorem igitur decet cæteris virtutibus anteire. de Saule, quem Deus in Regem elegerat, scriptum legimus 1. Reg. 10. *Non erat in populo Hebræo similis Sauli, quem Deus elegit*. indicare hîc videtur voluisse Deus, pastorem, atque adeò Principem vt dignitate cæteris præstat, ita debere & virtute. hoc est quod D. Petrus iure à pastoribus petit, dum his verbis illos hortatur 1. Petr. 5. 2. & 3. *Pascite qui in vobis est gregem, &c. forma facti gregis ex animo*. Vbi græcè habetur: τύποι γενόμενοι τοῦ ποιμνίου. iam scimus tales esse solere libros & characteres quales sunt typi, & pro typorum, seu formarum venustate, vel turpitudine, venustas vel turpes existere litte-

7. Pastores ouibus vitijs debent carere, atque oues virtutibus omnibus anteire.

Pastor est instar capitis respectu ouium.

Digitized by Google

Ex pastoribus vitia, vel virtutes ouium nosceuntur.

ras non ignoramus. igitur sicut ex litterarum typis, seu formis characteres sunt, sic ex pastoribus ouium vitia, vel virtutes nascuntur.

8.

Pastor est auriga & currus.

Eliseus Propheta, Eliam olim eximium Prophetam, & populi pastorem (quod est satis ad rem hanc nostram accommodatum) scimus vocasse *currum Israel, & aurigam eius.* 4. Regum 2. 12. Aurigam eum nominamus, qui dux est viæ, currum verò qui supra se pondera suscipit: vtrumque præstare debet Christianus Princeps, docere viam virtutum, hoc autem est, quæ sit vera sanctimonia, quæ pura, & pia religio, quid in vita sequendum, quid fugiendum, sed neque id satis, nisi ipse in morem currus portauerit pondera, quæ alijs ferenda tradiderit, & hoc est non modo aurigam esse, sed & currum etiam; nimirum debet quæ alijs præcipit facienda, eadem & ipse efficere pro ratione muneris sui.

Christianus princeps debet docere populum viã virtutum.

Princeps Christianus, quæ alijs facienda præcipit debet ipse efficere.

9.

Hoc ipsum de Salomone discere facilè erit, cùm ita Deum rogarat: *mitte*, Domine sapientiam, *de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret*, Sapient. 9. 10. intelligebat enim vir sapientissimus non satis esse Principi sapientiam, hoc est, vt bonus sit auriga, verum ita sapientiam amet, ita à Deo postulet, vt cum illa simul laborare velit, hoc est, quæ alijs facienda præscribit opera virtutum, ea ipse faciat, subeat sæpe onera, quæ à Principis dignitate non sunt aliena. ita illustris illa Hebræorum manus docuit, quæ dum ciuitatis muros instauraret, *vna manu sua faciebat opus, altera tenebat gladium.* Nehemiæ 4. 17. cùm gladius Verbum Dei sit, quem de ore Christi procedentem vidit Ioannes in Apocalypsi cap. 1. & 19. quid rogo est aliud altera manu gladium tenere, altera in opus incumbere, si ad Ecclesiæ pastores id accommodare velimus, quam debere eum, qui supra cæteros obtinet principatum, & instaurandis spiritualibus Ecclesiæ muris præpositus est, non docere solum verbo, verum id quod docet manu efficere? hic verè speculator est, hic pastoris nomine dignissimus. hanc rem videtur subodoratus Poetarum Princeps Virgilius, qui AEneam suum, laudibus efferre volens, scripsit illum secum Achatem indiuulsum comitem semper habuisse. est autem *Achates* à verbo Græco deductum nomen, quod curam significat. quare innuere voluit, debere principem ita semper de populi salute cogitare, non vt doceat, vel præcipiat tantum, sed vt solerti cura, ac cogitatione animo verset, quomodo onera sustinere, quomodo virtutum exemplo præire ijs quos regit, qualiter laborum particeps fieri queat; vt pastorum Principem imitetur, qui pro ouium salute sanguinẽ suum fundere non dubitauit, & de quo scriptum est, *cœpit Iesus facere, & docere.*

Verbum Dei gladius qui de ore Christi procedit.

Quinam dignissimus nomine pastoris.

Si quis Leuitici caput 9. 21. attentè perlegerit, deprehendet ad sacerdotem olim veteris legis ex victimis animalis pectus, & dextrum brachium, seu armum pertinuisse, vt videlicet adumbraretur in pectore sacerdotis sapientia, in armo verò, vel brachio opera significarentur quibus ornatus esse debet, quæ quoniam non impia, & sinistra, sed recta & dextra esse debent, iccirco non armum sinistrum sibi seperabat sacerdos, sed dextrum, vt quod piè, & sapienter pectoris, vel cordis cogitatione conceperat, & docuerat, exemplo vitæ, & bonorum operum probaret. quod autem brachium illud, & pectus, seperabatur à sacerdote, (sic enim loco citato dicitur, Aaron seperasse sibi pectora & armos victimarum) significabat debere in sacerdote tantum esse virtutis tam excelsum sanctitatis gradum, vt sit eius vita, & exempla à cætera multitudine hominum seperata, eiusque opera eorundem operibus longè superiora. Possumus & hoc ipsum quod dicimus de sapientia cum operibus iungenda ex Exod. 28. & Leuit. 8. non ineptè deducere: legimus enim; rationale in veste sacerdotali; quod pro pectore summi Sacerdotis erat, & in quo scriptum habebatur, *doctrina, & veritas*, super humerali connexum, ac copulatum fuisse, vt ita hæc duo sibi inuicem aptè cohærerent. iam sic accipe: rationale in pectore sacerdotis rationem, ac sciẽtiam significabat, superhumerale verò opera bona indicabat. insinuabatur ergo in hac vtriusque partis vestimenti sacerdotalis connexione debere sacerdotem, & animarum pastorem hæc duo simul connectere, sapientiam, & bona opera, quæ nisi simul coniuncta sint omnia laxa, & dissoluta esse oportebit. nec illud vacat mysterio, prius fuisse superhumerale, quam rationale ex Leuit. 8. 7. quia videlicet, prius debemus facere, quam docere, tum ne doctrinæ sublimitas prauis actibus destruatur, tum quia prius re vera est benè operari, quàm omninò benè intelligere. quod videtur Propheta significasse illis verbis: *à mandatis tui intellexi.* Psalm. 118. 104.

Dextri brachium boni opus.

Sapientia bono operi debet cõiungi.

Operæ sacerdotum omnium hominum sanctitate longè debẽt superare.

Quid sibi velint rationale ac superhumerale quibus vtebantur sacerdotes veteris legis.

Prius debemus facere quã docere.

Cùm ergo alijs exemplo bonorum operum præire debeant prælati, quid miramur prælatos *speculatores* vocari Ezech. 3. 16. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel*? videlicet, docere nos voluit Deus Ecclesiæ pastorem debere speculatorem agere. est autem specula, locus eminens, & excelsus, vnde excubiæ fiunt. hinc *speculatores* nominamus eos, qui è specula vigilanter, solerterque speculantur, ne forte hostes aduersus vrbem armati veniant; vel ne quid subsit insidiarum, diligenter obseruant; atqui hoc ipsissimũ est munus pastorũ & præsulum. eorum enim partes sunt, subditos monere, vt semper in armis sint, diligenter vigilare, ne quid grex mali patiatur à lupis, vrsis, & leonibus; denique accurate incumbere in salutem, & curam animarum; proinde merito speculatores nominantur. Huius etiam nominis & alia assignari potest ratio, vt intelligant, qui alijs præsunt, debere eos eminenti vitæ sanctitate supra alios esse, neque vnquam humi serpere, sed in altum perfectæ virtutis culmen contendere; quod ipsum prudenter monuit Gregorius: *quisquis*, inquit, *populi speculator ponitur, in sublimi debet stare per vitam, vt possit prodesse per prouidentiam.* neque ob aliud præcipuè factum esse arbitror, vt non prius traditus à CHRISTO Domino primatus Petro fuerit, quam mare, & retia ille reliquisset; nimirum indicare voluit Dominus, neminem aptum, & idoneum

II.

Cur speculatores Episcopi dicantur.

Quodnam munus Episcoporum.

Episcopi nõ humi serpere, sed in altum virtutis culmen contendere debent.

10.

Quid significet quod in lege veteri ad sacerdotes pertinebat pectus & dextrum brachium victimarum.

Pectus sapiẽtiam significat.

Nemo aptus pastor nisi mundum deseruerit.

neum dici posse ouium pastorem, qui prius mare mundi non deseruerit, cum retibus etiam suarum fraudum, & terrenarum cupiditatum, quibus captus, & irretitus tenetur, quisquis igitur pastoris munere rectè fungi desiderat, mare fugiat, retia relinquat, neque id solum, sed cum Petro Christum sequatur, cui prius dictum est: *Veni post me*, quàm: *Pasce oues meas.*

12.

Non speret igitur posse se benè, & vt par est ouibus moderari quicumque pastor est, vel ad pastoris vocatur officium, nisi prius vitijs dominetur. Quod Philo Iudæorum disertissimus significatum esse obseruauit Genes. cap. 25. versic. 25. vbi dicitur Iacob, cùm egrederetur ex vtero matris, manu fratris sui Esau plantam tenuisse: planta enim pedis, qua terram attigimus, aptè symbolum esse vitiorum dicitur, quæ vir strenuus, & virtute, ac sapientia ornatus coercere debet, ne ipsa dominentur in eum, sed ipse potiùs imperium teneat. Hinc sapienter Gregorius: *Summus*, ait, *locus benè regitur, cùm is, qui præest, vitijs potius, quàm fratribus dominatur. non est æquum vt leo pascat oues.* inquit Clymacus in paradisi scala, *& non est tutum, quod qui adhuc vitiosus est, vitiosis principetur. ridiculosa contentio est, vulpes inter gallinas. nil verò pastore iracundo magis ridiculosum, & impudicum. illa verò gallinas, hic verò rationales animas conturbat & perdit.* Sic ille. Hunc ego non pastorem, sed perfidum impostorem, sed furem, quin homicidam appello. & quidem rectè. nam Ezech. cap. 33. versic. 6. legimus dixisse Dominum: *sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.* vnde colligimus speculatores, hoc est, Ecclesiasticos pastores pœnas daturos esse calamitatum ouium & interitus. vide igitur hoc loco, iniquum præsulem subditos interficere, cùm eorum mortis, ac ruinæ causla sit, vt verè dixerit Augustinus: *Pastor malè viuens, homicida est.* Nemo igitur satis explicare valet, quâ magnas daturi sint pœnas mali pastores, qui gregi pessimo exemplo sunt; quem tamen pascere, & cuius vitæ, ac saluti prospicere accuratè tenetur.

Pastor vitia omnia debet coercere

Pastor improbus homicida est & fur.

Pastores sût daturi pœnas si ouibus pessimo sût exemplo.

13.

Nam propterea tribus rebus pastores suos similes esse voluit Christus sali, soli, hoc est, luci, & ciuitati in edito loco constitutæ. at sal si saliendi virtute destituatur, tantùm non pedibus proterendus abijcitur; lux verò nisi aëris tenebras discutiat, & rebus hilaritatem afferat, tenebris similior erit; deniq; ciuitati illud proprium est, vt in ea sola reperiantur, quæ in vno aliquo ciue inueniri non possunt. oportet ergo si prælatus ciuitas est, vt in eo omnia insint quibus cuncti, qui eius curæ commissi sunt, indigent; in ciuitate enim ab hoc tibi calcei, ab illo vestitus, ab alio alimenta, ab isto sapientia & doctrina subministrantur, at à Prælato, cùm ipse ciuitas sit, omnia simul bona quæ subditis necessaria sunt suppeditari debent. quoniâ verò omni virtutum genere eminere debet, & nô in occulto iacere, ideo ciuitati in alto sanctitatis monte collocatæ similis esse dicitur.

Pastores sûnt similes, sali soli, & ciuitati.

Pastor omnia bona quibus subditi indigẽt illis debet suppeditare.

14.

Quare quia optimo exemplo prælucere alijs debent, qui pastores sunt spiritualium ouium, tales esse debent, vt de ipsis verè dici queat, quod 1. Machab. 6. 39. *Refulsit sol in clypeos aureos, & æreos, & resplenduerunt montes ab eis.* quos clypeos si principes, & prælatos dixerim, nihil equidem alienum dixerim. Dauid cùm luctuosum Hebræorum in montibus Gelboe deploraret interitum, has miserabiles voces emisit: *vbi abiectus est clypeus fortium.* 2. Reg. 1. 21. quo loco per clypeũ Saulem Regẽ intelligebat. cui locus Oseæ consonat ca. 4. 18. *Dilexerunt afferre ignominiam protectores eius.* quæ verba sic ex Hebræo verti possunt: *Dilexerunt inferre alijs ignominiam clypei eius.* vt sit hæc sententia: principes Israelis, qui clypei loco populo esse debebant, non modò illum non protegebant, verùm opprobrijs etiam afficiebant, hinc est, quod versum illum Psalm. 46. 10. *Quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.* vertit Hierony. *Dij scuta terræ vehementer eleuati.* ecce tibi principes ac reges *clypeos* in scripturis appellari. iam ergo ad locum Machab. redeamus, in quo refulsisse sol in clypeos aureos dicitur, & splenduisse montes ab eis. quia debet videlicet virtutum splendor in principibus ita emicare, vt sanctitate, sapientia, & exemplo montes terræ, hoc est, sibi subditos terram colentes collustrẽt, & ad cœlestium rerum contemplationem, earũque desiderium excitent, & inflamment. Hæc igitur sex munera si ritè obierit Christi pastor næ ille bonus erit, qualem Dominus exigit, & quem simul cum grege illi commisso magno præmio donabit. Hæc de pastore. Sequitur de mercenario dicamus.

Principes & prælati dicuntur clypei.

Pastores exemplo ac sanctitate subditos debent ad cœlestium rerum desiderium inflammare.

DIGRESSIO IV.
MORALIS.
De Mercenario.

1.

HActenus copiosè de pastore dictum, sequitur vt de mercenario hîc breuiter dicamus. Porrò quisnam mercenarius sit, præter ea, quæ in scholijs dicta sunt à num. 38. piè satis & eruditè describit Petrus Abbas Cellensis libro de panibus cap. 16. quem reperies tom. 9. Bibliothecæ sub finẽ, cuius ego hîc verba quædã adscribã: ait ergo: *pictor ille, cuius sedes cœlum, cuius scabellum terra, cuius albi, & optimi colores, bonum natiuum; cuius nigri & tetriores, voluntas rationalis deficiens à bono principio in finem teterrimum; cuius palatium, cœli cœlorum, cuius secretarium est, quod præ omni intellectu, & cogitatione est excellentissimum: tam mirabiliter, quam sapienter ordinationem suam disponens, prius in Ecclesia instituit Patriarchas, & Prophetas, deinde Apostolos, & Euangelistas, postea Doctores, & Pastores bonos, ad vltimum etiam seruos, & mercenarios, ad vtilitatem familiæ suæ habere non recusauit. vt autem nulla in pictura, abusio videtur, si post album, etiam subniger color supponitur: similiter si cum bonis Apostolis, pessimus proditor Iudas inuenitur, vel sathan cum filiis DEI adsit, considerata patientia DEI sine stupore suscipitur.*

Subdit postea, quisnam mercenarius sit. *Mercenarius est, qui DEO, non pro DEO seruit: mercenarius est, qui occasione, non veritate Christum annunciat; mercenarius est, qui qua sua sunt,*

2.

Quinam sint mercenarij.

Heliab Moysi cognatus mercenarium significat.

non quæ Iesu Christi quærit. Huius panis est sapientia carnis, seu commoditas temporalis; & postea: Heliab cognatus Moysi, mercenarium significat. in Numeris enim (capite decimo v. vigesimonono) legitur: Rogauit Moyses hunc Heliab (Hobab) vt eos duceret per desertum, dicens: veni nobiscum vt benefaciamus tibi, quia Dominus bona promisit Israelt, cumque ille respondisset; non vadam, sed reuertar ad terram meam & de qua natus sum: noli (inquit Moses) relinquere nos; tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster, cumq; nobiscum veneris, quicquid optimum fuerit ex opibus, quas Dominus daturus est nobis, dabimus tibi. mox subdit mercenariorum spiritualium plura genera sic scribens:

Varia mercenariorum genera.

Aspirant plerique ad prælationem, non vt alios ducant, sed vt seducant; non vt viam ostendant, sed vt offendiculum ponant: hi malitia pleni sunt. plerique quidem ostendunt semitam, sed sedentes præmonent facienda, nihil tamen facientes; hos possidet pigra negligentia. alij lucrum temporale tantummodo, neglecta commissorum salute, in sublimatione culminis sui cupiunt: hos trahit auaritia. alij bona docent, & aliquando honesta comparant, sed non benè, sed non castè, quia non pro Deo hoc faciunt, sed pro vana gloria.

3. Hypocritarū opera & munera, eorum etiam intentio.

Hos nominat Dominus hypocritas, & mercenarios. intende hypocritam. oculum attendit hypocrita, non Deum; faciem non fidem; pecuniam, non gratiam; non fruitur Deo, sed vtitur tanquam nummo, & nummo fruitur tanquam Deo. Deo emit mundum; fide nummum; religione seculum; lacrymis vinum; ieiunijs conuiuium; cilicio linum; silentio plausus hominum: mirabile dictu. latet iste, vt appareat; tacet, vt audiatur; non sequitur, vt consequatur; recedit, vt præcedat; fugit, vt apprehendat; plorat, vt rideat; ieiunat, vt satietur. sic cancer serpit; sic obligando anfractus suos, vulpes fraudulenta incedit. excubat iste ad templum sancta vanæ gloriæ, & solemnes vigilias celebrat, sanctissima auaritiæ. sic enim orat: Deus da mihi honorem illum, pecuniam illam, gloriam illam. commendantur verò orationes istæ, multa falsarum lacrymarum effusione, & corporis extenuatione. potitur fortè aliquando effectu petitionum suarum; sed tunc quid? commutantur vigiliæ in soporem continuum, abstinentia in comessationem assiduam, fletus in cachinnum, silentium in multiloquium, mœror in subsannationem. Reuera oculi huius ad Dominum non semper, sed temporariè, donec misereatur eius. nam etsi in germine, quasi vitis hypocrita floreat, labruscam tamen facit non vuas. verè simulacrum nefandum optimis coloribus fucatum, & pessima rubigine plenum. Hæc præclarè Auctor iste in hypocritas, & politicos mercenarios. quæ proinde hic retulimus, vt quam multæ sint mercenariorum formæ appareat, quos omnes trahit, vel malitia, vel vana gloria, vel auaritia &cæt. huiusmodi; vnde etiam in simulatam sanctitatem incidunt.

4. Sed præstat D. Gregorium audire, hæc de mercenarijs sentientem homilia 14. in Euangel. Non pastor, inquit, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oues dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit; terrenis commodis inhiat, A honore prælationis gaudet, temporalibus lucru pascitur, impensa ab hominibus reuerentia lætatur, & subdit: Iste sunt etenim mercedes mercenarij, vt pro eo ipso, quod in regimine laborat, hic, quod quærit inueniat, vt ab hereditate Regis imposterum alienus existat. vtrum verò pastor sit, an mercenarius, cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis deest. tranquillitatis enim tempore, plerumque ad gregis custodiam, sicut verus pastor, sic etiam mercenarius stat, sed lupus veniens indicat, quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Lupus etenim super oues venit, cùm quilibet iniustus, & raptor, fideles quosque, atque humiles opprimit. sed is, qui pastor esse videbatur, & non erat, relinquit oues, & fugit: quia dum sibi ab eo periculum ingeri metuit, resistere eius iniustitiæ non præsumit. Fugit autem B non mutando locum, sed subtrahendo solatium. fugit, quia iniustitiam vidit, & tacuit. fugit, quia se sub silentio abscondit. quibus benè per Prophetam dicitur: Non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini.

Mercenarius lupo aduenienteꝫ fugit.

Quomodo mercenarij Episcopi fugiant, cùm periculum imminet.

Ex aduerso quippe ascendere est, quibuslibet potestatibus prauè agentibus, rationis libera voce contraire, & in die Domini pro domo Israel in prælio stamus, ac murum opponimus, si fideles innocentes contra peruersorum iniustitiam ex iustitiæ auctoritate vindicamus. quod quia mercenarius non facit, cùm venientem lupum viderit, fugit. Sed est alius lupus, qui sine cessatione quotidie non corpora, sed mentes dilaniat, malignus videlicet spiritus, qui caulas fidelium, insidians, circuit, & mortes animarum quærit. de quo lupo mox subditur: C & lupus rapit, & dispergit oues. Lupus venit, & mercenarius fugit, quia malignus spiritus, mentes fidelium in tentatione dilaniat, & is, qui locum pastoris tenet, curam solicitudinis non habet. animæ pereunt, & ipse de terrenis commodis lætatur.

5.

diabolus dicitur lupus.

6. diabolus per tentationes dispergit ac necat homines.

Lupus rapit, & dispergit oues, cum alium ad luxuriam pertrahit, alium ad auaritiam accendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam diuidit, hunc inuidia stimulat, illum fallacia supplantat. Quasi ergo lupus gregem dissipat, cum fidelium populum diabolus per tentationes necat. Sed contra hac mercenarius nullo zelo accenditur, nullo feruore dilectionis excitatur; quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. vnde & mox adiungitur: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Sola enim causa est vt mercenarius fugiat, quia mercenarius est; ac si apertè diceretur, stare in periculo ouium non potest, qui in eo quod ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum quærit. dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit amittat. tantum Gregorius.

Mercenarius exteriora commoda quærit, & oculum damna negligenter patitur.

7. Mercenarij in Balaam repræsentantur.

Non mihi porrò videntur ineptè dicere, quin ad rem maximè hanc accommodatè loqui, ij qui mercenarios istos in Balaã repræsentatos esse censuerunt, quos videtur D. Petrus intelligere suæ epistolæ 2. cap. 2. 15. cùm ait: Derelinquentes rectam viam errauerunt, sequuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit.

Digitized by Google

Hunc Balaam oculum ad res fluxas adijcientem, imprimis verò pecuniæ cupidum, vel asina obiurgauit Numer. 22. Audi quid Beda in ea D. Petri verba scribat: *Nonnunquam*, ait, *multi Catholici intantum mercedem amant iniquitatis, vt etiam docti ab indoctis, à laicis clerici merito lacerentur. qui iure comparantur Propheta, qui verbis asinæ contra naturam loquentis corripitur, nec tamen à proposito pari itineris retardatur. quibus etiam aptissimè nomen conuenit ciuitatis, de qua Balaam venisse perhibetur. Basor namque carneus dicitur, neque alia magis caussa luxuriosis existit, verbum veritatis amore pecuniæ adulterandi, quàm quot carnis se concupiscentiæ manciparunt, indigni nimirum Apostolica laude Roman. 8. vos autem fratres non estis in carne, sed in spiritu, sed & nomen Balaam, qui vanus populus, siue præcipitans eos, interpretatur, talibus conuenit. qui enim agnitam veritatis viam sponte ipsi deserunt, quid nisi vanus sui populus? quid nisi in præcipitium suos mittunt auditores, quibus non salutaria quæ corrigant; sed quæ illos delectent, erronea prædicant. Hæc Beda. Diligenter igitur aduertant, qui pastoris dignitatem, & munus obtinet in Ecclesia Dei, ne aliud, vel agant, vel doceant ad bona externa oculum adijcientes, præsertim verò ne auaritiæ dediti, aliud quærant, quàm quod è re ouium, ac Deo placitum esse viderint, imitentur potius primos illos populi Christiani pastores, qui credita sibi oues, verbo, & exemplo pascebant*, & Euangelium vtiliter prædicabant, sale videlicet doctrinæ mundum insulsum condientes, luce sapientiæ tenebras ignorantiæ discutientes, & in mortem ciuitatis supra montem politæ commoditate & magnificentia omnibus vtilitatem, & admirationem apportantes.

Basor dicitur carneus.

Balaam vanus populus interpretatur.

§. 8.

Verus pastor terrenarum cupiditatū affectum conculcare debet.

Verus pastor talis esse debet, vt verè dicere possit cum Paulo: *Viuo ego, iam non ego.* ita debet omnium terrenarum rerum cupiditatem, & affectum vincere, ita conculcare, vt nihil in eius pectore residere videatur, nihil viuere aliud, quàm Christus. Arbitrabantur, qui Paulum videbant, vel ambulantem, vel concionantem, vel comedentem, vel eiusmodi alia vitæ opera exercentem, illum viuere; verū decipiebantur; quod reuera erat non intelligentes. mortuus enim erat. quid ergo in eo viuebat? breuiter dico, sed verè, solus Christus. audi quid subijciat: *viuit verò in me Christus.* nā si mens Pauli aliquid cogitabat, si voluntas aliquid cupiebat, si memoria quicquam repetebat, si appetitus excitabatur, non Pauli, sed Christi nutum sequebatur. vnde tantùm boni Paulo? quia nimirum sale Euangelico conspersus omnem in se mundi cupiditatem, omnem carnis affectum exaresce re, & exhauriri fecerat. tales suos pastores esse voluit Christus, cùm illos *salem terræ* nominauit, inducunt quidem ij, instar salis terræ steriliratem, hoc est, terrenarum rerum ariditatem, sed quæ virtutum omnium vbertatem allatura sit. & hæc de mercenario.

In pastoris pectore solus Christus esse debet.

Cur sali sint similes pastores.

(*)

A

DIGRESSIO V. MORALIS.

De Ouibus, Lupo, & Alieno, seu Fure, & Latrone.

1.

CVM de pastore, & Mercenario dictum sit, sequi videtur, vt de ouibus etiam dicamus, ac de reliquis deinceps huc pertinentibus. Perbellè satis ouis similitudo, ac nomen in homines, præsertim verò iustos, vel electos conuenit. est enim ouis animal ex sese minimè aptum, vt suæ curæ, ac præsidio relinquatur, neque enim habet arma, quibus se ab alijs defendat, non pernicitate vel cursu, non calliditate, non naturæ solertia pollet, vt sibi necessaria comparet; à pastore hoc animal omninò pendet, & tales sumus homines, etiam iusti; omninò ductu ac præsidio Dei semper egemus, sine quo nihil possumus facere. Hæc ergo vna est ex caussis, cur homines rectè *oues* appellentur. deinde est & altera, quia rectè in homines iustos ouium proprietates quadrant. est ouis mansuetum animal, humile, innoxium, sociabile, pastori obediens, vndique vtile, siue lanam, siue pellem, siue carnem, siue lac, & quæ ex lacte conficiuntur, spectes; eius etiam fimus sua non vacat vtilitate, quæ quomodo in hominibus reperiantur, præsertim iustis, & electis, in quibus aptiùs, & omni ex parte *ouis* vocabulum, & res inuenitur, clarius est, quàm vt declaratione egeat. nos hîc aliquas ouium proprietates, vel notas ex Christi verbis desumptas prosequemur.

Homines iusti oues dicuntur.

B

C

2.

Et prima quidem ac præcipua Christi ouium nota illa est, qua dicuntur eius vocem audire. Hanc, quoniam D. Basilius homilia 27. diserte, & vtiliter explicat; eius ego hîc verbis vtar ad eamdem declarandam: ait ergo hæc: *Ad blasphemiæ suæ structuram rapuit hæreticos. ecce, inquit, dictum est, cognoscunt me meæ, & cognosco oues meas. quid ergo vocat cognoscere? an essentiam suam intelligere? an magnitudinem emetiri? an ea contra diuinitatem sentire, quæ tu ore impudenti, & temerario pronunciasti? vel non ex præcedentibus mensuram cognitionis huius intelligis. quid in Deo cognoscamus? Oues meæ, inquit, vocem meam audiunt. ecce quomodo cognoscatur Deus, ex quo quod præcepta illius audimus: ex eo quod illa audiētes, opere adimplemus. hæc demū est cognitio Dei, obseruantia videlicet præceptorum Dei, non inanis illa curiositas, non essentiæ Dei, & supra mundanorū inuestigatio, non rerū inuisibiliū cōsideratio. cognoscūt me meæ, & cognosco meas. Satis tibi sit scire pastorē esse bonū animā suā posuisse pro ouibus. terminus hic sit diuinæ cognitionis. quantus verò sit Deus, & quæ illius mensura, & qualis essentia. talia scisciranti sunt periculosa, ei qui rogatur perplexa, & talium medicina est silentium. oues meæ vocem meā audiunt; audiunt, inquit, non disputant, hoc est, non sunt inobedientes, non contendunt. audisti filiū, at non ita generationis modos, neq; igitur vel à me petere, vel ipsi rationi subijcere. de quib. nulla potest haberi ratiocinatio, neq; per schisma, quod cōuūctum est, separare velis. hac te ratione præoccupans Euangelista cōmuniuit, ac cautum reddidit. audisti.*

Oues Christi eius vocem audiunt.

Audire ac seruare Dei præcepta est Deum cognoscere.

Inanis Dei curiositas & rerum inuisibilium cōsideratio nō est Deum cognoscere.

D

Digitized by Google

In principio erat Verbum, ne filium humanam esse progeniem putes, qua ex non existente prouenerit: Verbum illum esse dixit, propter impassibilitatem: vitam propterea quod tempori subiectus non est: principium, vt natum Patri coniungeret. vides morigeram ouiculam, quomodo audiat vocem Domini? in principio, inquit, & erat, & Verbum ne dicas, quomodo erat? & si erat, genitus non est. & si genitus est non erat. ouicula nō est, ista dicens: pellis ouilla est; intus verò lupus latet qui hæc dicit, pro insidiatore habeatur; oues meæ vocem meam audiunt. Hęc Basilius. Quibus constat hanc ouium Christi notam esse, eius doctrinæ abaudire, voci auscultare, nec temerè de dictis disputare.

Quinam pellem habeant ouis, intus vero sint lupi.

Obedientiæ semper symbolum fuit ouis. cũ enim mansuetissimũ præ cęteris sit animal, obedientem se præbet alijs, ac quocumq; libuerit à pastore absq; negotio duci se sinit. absimilis est capræ per saltus, & colles exilienti, & propterea pastoribus sæpè molestæ, nihil habet cum tauro communne, qui nisi stimulo cohibeatur, ferox, & indomitus est; sed ouicula tenui sibilo dũtaxat vocata, vel leui sonãtis fundæ strepitu, ad gregem mox regreditur. voluit Dauid exprimere promptitudinem Israelitici populi ad obediendum Deo, cùm circumduci se patiebatur per deserta, neque aliam vsurpauit ad id exprimendum similitudinem, quam ouis, Psal. 79.1. *Qui deducis velut ouem Ioseph,* & Isaias non aliter promptam Christi obedientiam declarauit, quam ouis exemplo; *sicut ouis ad occisionem ductus est.* cap. 53.7. refert Scriptura Iob 42. Iobo post tot exantlatos patientiæ labores, post redditam tranquillitatem, oblatas fuisse ab amicis oues; & quidem singulas cum singulis inauribus ad aurem appensis, vt quidam volunt. Hoc certum, ouem cum inaure singulos obstuliſſe; quibus plurimum & ditatus, & exhilaratus fuerit Iob. Hoc sanè quod Iobo accidit, si Christi patientis typum fuisse dixeris, næ tu minimè errabis. cùm enim à Patre acceperit Christus post immensos crucis labores gentes in hæreditatem, atque adeò in solatium ærumnarum, & egestatis leuamen. aptè quis dixerit gentibus quasi ouibus, illum ditatum fuisse, nec sine inauribus. quid enim aliud inaures ad aurem appensæ significant, quam gentium ad Christi fidẽ aduentũ, & prõptam ad suscipiendum Euangeliũ, voluntatẽ, & obedientiam? de quibus propterea hic ait Dominus: *oues meæ vocem meam audiunt.* Signum igitur certissimum ouium Christi est, & perpetua, atque solemnis nota, Euangelio auscultare, Christi vocem excipere libenter.

3. Quis obedientiæ symbolum.

Quomodo ouis differt à capra & tauro.

Christus propter obedientiam dicitur ouis.

Christi voces audire est Euangelio auscultare.

Cæterum quamuis omnes Christi fideles oues sint aliquo modo, habere tamẽ ipsum oues quasdam magis dilectas, quæ in eius quodammodo sinu pascantur, & brachijs foueantur, non est dubitandum; quam rem declarat Aponius eleganter in Cantica sic scribens: *Dominus in Euangelio dicit; Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego pascua bona do illis, & quæ sint istæ Dei oues tam necessariæ, tam fetæ, tamque amabiles, quas non Angelis, non Archangelis credit pascendas, sed ipse Dominus pascat eas, Beatus Paulus ostendit* (Ephes. 5. & 6.) *qui dum in ouili Dominico præceptis suis singulas ordinaret oues, suo consistere loco: hoc est, quid vxor viro*

4.

Virgines & qui mundũ deferentes, carnem suã crucifixerũt cum vitijs & peccatis sũt oues magis à Christo dilectæ.

A *debeat, quid vir mulieri, quid pater filio, quid filius patri, quid frater fratri* &c. *vbi ventum est ad supradictas peculiares, quas in claro meridiano lumine ipse accubantes custodit; nihil sibi super illis dicit in præcipiendo iniunctum negotij, dicendo: de Virginibus autem Domini præceptum non habeo, consilium do, quasi misericordiam consequutus; de quibus* (etiam ouibus peculiaribus) *in alio loco dicit* (Galat. 5.) *Qui autem Christi sunt, carnem suam cum Christo crucifixerũt, cum vitijs, & concupiscentijs suis. habet ergo Dominus noster Iesus Christus animas nimia sibi charitate coniunctas, quas in claro intelligentiæ, vel dilectionis suis meridiano lumine semper conseruat* &c. *& quas non solùm baculo proprio regit, sed & brachio constringere, & sinu portare, prophetarum ore probatur. in quibus Esaias* (40. 11.) *ecce, ait, Dominus cum fortitudine veniet, sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit, quas animas ego confidenter in illis intelligi dico, qui vere philosophi cœlestes effecti relinquentes mundum cum delicijs, & fallacijs, & pompis suis, & heremi habitationem, aulis regalibus prætulerunt, potius eligẽtes cum bestijs, & sauissimis draconibus in deserto, quàm cum nequissimis hominibus habitare in vrbibus* &c. ita piè Aponius de dilectis istis, ac peculiarib. ouib. differit, & habetur tom. 1. Biblioth. rectè verò hæ oues magis propriæ, ac dilectæ Christo dicuntur, quia præstantioris obedientiæ nota insigniuntur. neque enim præceptum expectant, sed cœlesti pastori ad nutum obtemperant.

B

Sed fortè sic secum aliquis ratiocinabitur: si fideles oues sunt, cùm ad extremum iudicij diem oues à dextris collocandæ sint, &

C cœlesti domicilio donandæ, fiet hinc, vt omnes fideles sint à dextris tanquam oues vocem illam audituri: *Venite Benedicti Patris mei*; at non ita est. neque enim omnes fideles hoc Euangelij loco (vbi de iudicio agitur extremo) *oues* nominantur, sed qui ouium notas & insignia præferentes Christo Domino vero pastori obedierunt, eius præcepta seruarunt, illi perseuerante charitate inhęserunt. sic locum illum Euangelij passim omnes intelligunt. & meritò, cùm enim tam prõptè, tam amanter, tam diligenter Christi vocẽ audierint, dum hanc vitam viuerent, vt illam omnibus incommodis prætulerint, quidni ramur, si ad extremũ iudicij diẽ soli amicã Christi vocẽ ad æterna pascua illos inuitantis agnoscent, & audiẽt, & de cælo aduentanti lęto sint animo, fulgidoq; corpore occursuri? Quamobrem Macar. ille senior AEgyptius ho. 5. his verbis nos monuit: *Christus descensurus est de cœlis, & suscitaturos omnes filios Adæ, quos omnes in duas partes constituet; & hos, qui peculiari signo notati fuerint, (hoc est, sigillo sancti Spiritus) veluti peculiares accerset, & statuet à dextris: oues enim, inquit, meæ, vocem meam audiunt. & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. & tum eorum corpora propter opera bona circumdabuntur gloria diuina, & replebuntur illi gloria S. Spiritus, quam in hac vita in anima obtinebant. & ita lumine diuino illustrati, & ad cœlos rapti, in occursum Domini in aera vt scriptum est* (1. Thessal. 4.) *semper cum Domino erimus.*

D

5. Non omnes fideles, sed qui Christi præceptis obediunt, sunt veræ oues.

Digitized by Google

6. Oues à Lupo abhorrent.

Altera nota ouium, & proprietas quædam (id quod norauit etiam Pierius in Hieroglyphicis) qua naturæ quodam impulsu Lupum auersantur, & ab illo semper abhorrent, illius oculis, & aspectu terrentur. Hinc illud natum est, vt ouem simul cum lupo exprimerent veteres illi AEgyptij, vt discordiam indicarent. & quod vix credas, qui subtiliter, & curiosè naturæ arcana inuestigarunt, certò affirmant, tantam intercedere inimicitiam inter vtrunq; animal, ouem, & lupum, vt vel ipsæ vtrorumque exuuiæ à reliquo corpore seperatę antipathiam quamdam conseruare, ac retinere etiam post eorum interitum videantur. quare aiunt, si in lyra chordæ ex neruis ouium confectæ, alijs admisceantur neruis luporum, nullâ inde existere harmoniam posse: obmutescere enim ouinas chordas omninò, neq; vllum edere sonum. Id quod ipsũ de tympano tradit Opianus pelle ouina, & lupina contexto. obstupescet. n. ouina, nec tacta resonabit. eiusmodi nota, his insignibus notantur, & quæ sint oues Christi cognoscuntur, si videlicet cum crudeli, & truculento lupo humanum sanguinem perpetuò sitiente continuum gerant bellum, ab illo fugiant, & abhorreant penitus, neq; vnquam cum illo commercium habere, vel fœdus inire velint. circuit enim, quærens quem deuoret, humano semper sanguine imbutus, cum quo proinde tanquam cum immanissimo hoste perpetuæ nobis inimicitiæ exerceri debent.

Ouis cum luco discordiam indicat.

Mirum inter ouem, & lupum odium.

Oues Christi continuũ bellum cum dæmone debent gerere.

7. Oues alienũ fugiunt.

Accedit & tertia proprietas ouium, quod *alienum*, vt Christus ait, *non sequuntur, sed fugiunt ab eo*, per *alienos* rectè hæreticos intelligimus: etenim alieni sunt hæretici, præsertim nostri temporis, ac noui, recentesq; magistri, qui cùm nullam successionem indicare valeant, aut legitimam institutionem, audent tamen sibi prædicandi munus vsurpare, potestatemque docendi insolenter arrogare, quorum voces prophanas, ac nouas doctrinas, quæ sequutæ sunt oues, admirandum in modum deceptæ sunt, & ex Christi ouili extractæ, tartareo lupo perdendæ, ac mactandæ miserabiliter traditæ sunt. quod iccircò illis euenit, quia alienis aures præbuerunt: qua in re se veras Christi oues non fuisse clarissimè indicarunt: veræ enim oues, *alienum non sequuntur*, non auscultant, non consentiunt, non applaudunt. Hoc enim est non sequi, neque id solum, verùm etiam *fugiunt ab eo*, à lupo, à latrone, ab hæretico, hoc est non tantùm eorum dogmata ignorant, nec solùm curiosè scire, & audire non optant, sed nec vocem audire, vel videre faciem sustinent. tales sunt veræ oues Christi. qui secus fecerunt, facilè à fide naufragauerunt. proinde clamat Hieremias: *nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini.*

Hæretici dicuntur alieni.

Non sequi alienum est illi non consentire.

Oues Christi hæreticos fugiunt.

8. Hæresis mulier fornicaria dicitur.

Est namq; hæresis mulier illa meretrix, & fornicaria, quam nos fugere Salomon monet Prouerb. 5. 8. *Longè*, ait, *fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.* cur ita? quia hæreticorum *sermo tanquam cancer serpit.* 2. ad Timot. 2. qui alibi etiam nos monet Rom. 16. 17. *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam*

A *vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis.* declinare nos vult ab eis, hoc est, nullo modo accedere, mox caussam subdit, quia *huiusce modi perdulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium.* Sed nihil hac in parte efficaciùs dici potest, quàm sunt ea, quæ scribit Ioan. epist. 2. c. 2. 10. *Si quis venit ad vos* (rectè, neque enim hæretici mittuntur, sed spontè veniunt, non missi currunt) *& hanc doctrinam non affert* (veterem nimirum, & iamdiu receptam) *nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis.* est ergo verarum ouium hæc insignis nota, vt non modò non audire velint alienum, sed vehementer etiam fugiant. vt enim docent viri sanctissimi in luxuriæ peccatis fugiendum esse ne vincaris, ita non aliter se res habet in hæresi. excutienda est vt vipera, fugienda vt pestis, abominanda vt certa pernicies est: quare verissimum B est, quod Christus ait de suis ouibus, quamdiu veræ oues illius sunt, *oues meæ alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo.* memores simus eorum verborum, *qui se existimat stare, videat ne cadat*; &, *qui amat periculum peribit in illo.* exemplo sit nobis Polycarpus, & Polycarpi Magister Ioannes, quorum ille Marcionem hæreticum ne alloqui quidem dignatus est, teste Irenæo: hic verò cùm balneũ esset ingressus, in quo Cerinthus hæreticus lauerat, ne ingredi quidem voluit. vide Irenæum lib. 3.

Hæretici fugiendi.

Non sunt hic silentio prætereunda Antonij Abbatis sanctissimi verba, quæ ex hac vita discessurus filijs testamento reliquit: *Zelum meũ contra hæreticos omnes, & veritatis hostes tenete. Scitis quia nunquam illis molliter, aut pacificè loquutus sum. itaq; venena illorũ, & colloquia prorsus vitate.* nec his dissimilia sunt, quæ magnus Basilius suos quoque filios monuit epist. 73. *congressu*, ait, *hæreticorum subdolos, & ad subuersionem audientium instructos declinetis.* nec tantùm hæc dixisse contentus, adiecit & tres horum causssas. vna est: *vt dilectionem*, inquit, *erga nos sinceram custodiatis.* Rectè sanè: quia nullus est qui alieno præbeat aurem, & interim pastoré suum, & Ecclesiam audiat, & diligat. nullus libenter versatur cum hæreticis, qui suum pastorem, & ouile contemnere non incipiat. Altera causssa est: *vt Patrum fidem infractam & sanam seruetis.* verè, quia in hoc hæretici toti positi sunt, ne maiorum fidem, & auctoritatem semper eleuent, & suam astruere conentur. solos se audiri, & in vulgus iactari studiosè nitũtur. postrema illa est: *vt apud Dominum tanquam probati veritatis amici deprehendamini.* quod ex Apostolo desumptum est. cùm 1. ad Cor. 11. scribit: *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt in vobis, manifesti fiant.* videlicet vt firmi, & stabiles in fide qui sũt cognoscantur. verissimum est ergo eum, qui alienum sequitur, vel non fugit ab eo, vel certè si quid noui afferat, curiosè explorat, non amplius veram Christi ouem esse.

C

9. Verba S. Antonij è vita discessuri.

Quibus de caussis hæretici sint fugiendi.

Qui cum hæreticis versatur suum pastorem & ouile contemnit.

D

Hæreses ostendunt quinam sint stabiles in fide.

Verùm sine lacrymis dici non potest, quàm multi hac tempestate fuerint, quibus non sequi modò, nec audire tantùm alienos libuit; sed quod vix credas, etiam laudare, ijs etiã applaudere, & tantùm non diuinis attollere laudibus de superiore loco dicétes hæreticos ausi sint; in quos benè illud Hieremiæ quadrat ca. 5. 30. 31. *stupor, & mirabilia facta sunt in terra:*

10.

Digitized by Google

prophetæ prophetabant mendacium (Lutherus, Caluinus, & cæteri huius farinæ pessimi homines) *& sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in nouissimo eius?* Ausim affirmare, hinc nata esse omnia schismata, hinc tantam hæreticorum audaciam extitisse, hinc excitatas ab inferis nouitates innumeras, & hactenus non auditas, hinc tot seditiones natas, tot patratas cædes, tot turbulentissimos motus populorum excitatos; denique innumera alia mala, quæ miseri nunc videmus. nimirum, quia populus instabilis, & vecors ad omnem nouitatem præceps, sine iugo, sine lege, alienos non sequutus est modo, sed in cœlum extulit, fouit, aluit. vnde factum est, vt in superbiam elati in incredibilem prosilierint audaciam hæretici. O tempora! ô mores! quam rem etiam August. suo tempore defleuit; nam de Baptismo contra Donat. libr. 3. c. 19. ita scribit: *sic fiunt hæreses & schismata, cũ dicit plebs carnalis, quæ in charitate Dei fundata non est; ibo post amatores meos* (Oseæ 2. 5.) *cum quibus vtiq;, siue per fidei corruptionem, siue per elationem superbiæ turpiter fornicantur. nisi enim seductores isti à plebibus seductis vicissim seducerentur, cum eis creditur, & tales honores deferuntur, vt per eos habeant potestatem talia dicendi, & sibi talia vendicandi, vt eorum error veritas appelletur, & scelus eorum iustitia putetur, propter Sacramenta, & Scripturas, quas tenent ad speciem, non ad salutem; nunquã profectò ipsi seductores hæc sibi tanta, ac talia arrogarent.* Hæc August. & sanè nescio, an quid aptiùs, & ad nostra tempora accommodatiùs dici potuit.

II. Quoniam verò de alienorum, hoc est, hæreticorum dolis, & mendacijs meminimus, nõ possum me temperare, quo minus aurea quædam D. Ambrosij verba lib. 7. in Lucam in medium proferam, qui sub nomine Luporum (sunt enim hæretici, & aleni, & fures, & latrones, & Lupi parentis diaboli soboles non absimilis) mores pessimos, dolos, technas, & incredibiles versutias docet, à quibus vehementer cauendum sit: sic ergo ait: *Lupi quid significare videantur, debemus aduertere. Bestiæ nempe sunt, quæ insidiantur ouilibus, circa pastorales versantur casas, habitacula domorum intrare non audent, somnum canum, absentiam, aut desidiam pastoris explorant, ouium guttur inuadunt, vt citò strãgulent, feri rapaces, idemq; natura corporis rigidiores, vt se facilè non possint inflectere, impetu quodam feruntur, & ideo sæpè luduntur. tum præterea si quem, priores hominem viderint, vocem eius quadam naturæ vi seruntur eripere: si autem homo prius eos viderit, exagitari memorantur &c. nonne Lupis istis hæretici comparandi sunt, qui insidiantur ouilibus Christi, fremunt circa caulas nocturno magis tempore, quàm diurno, semper enim perfidus nox est, qui lucem Christi, sæuæ nebulis interpretationis obducere, & quantum in ipsis est, fuscare conantur. Versantur ergo circa caulas, stabula tamen Christi intrare non audent. & ideo non sanantur, quia in stabulum suum non vult eos Christus inducere, in quo curatus est ille, qui de Ierusalem descendens, incidit in latrones, quẽ vulneribus alligatis, infuso oleo, & vino imponens iumentum suum Samaritanus ille duxit in stabulum, & sanandum stabulario dereliquit. Non accipiunt ergo medicinam, qui medicum non requirunt, si enim requirerent, non derogarent. explorant pastoris absentiam, & ideo pastores Ecclesiarum vel necare, vel in exilium agere contendunt, quia præsentibus pastoribus oues Christi incursare non possunt. spoliare ergo gregem Domini, & diripere conantur, qui corporea quadam mentis intentione duri, ac rigidi, nequaquã solent à suo errore deflectere. & ideo Apostolus ait: hæreticum hominem post vnam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est. Hos Scripturæ velut interpres Christi illudit: vt inanes suos in vanum effundant impetus nocere non possint. qui si quem versuta disputationis suæ circumscriptione præuenerint, faciunt obmutescere. mutus est enim, qui verbum Dei non eadem, qua est gloria, confitetur. caue ergo ne tibi vocem tollat hæreticus, si prior eum non ipse deprehenderis: serpit enim, dum latet eius perfidia. si autem commenta impietatis eius agnoueris, iacturam piæ vocis timere non poteris. caue igitur versutæ disputationis venena; animam petunt, guttur inuadunt, vitalibus vulnus affigunt. graues sunt morsus hæreticorum, qui ipsis grauiores, & rapaciores bestijs, nullum auaritiæ finem, impietatis, nouerunt. nec vos moueat, quod formam prætendere videntur humanam; etsi foris homo cernitur, intus bestia fremit & ideo eos lupos esse non dubium est, iuxta Domini Iesu diuinam sententiam, qui ait: attendite vobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium, intus autem sunt lupi rapaces, ex fructibus eorum cognoscetis eos. si quis ergo specie mouetur, fructum interroget. Audis aliquem sacerdotem dici? Rapinas eius non agnoscis. vestitum ouis habet, facta prædonis, foris ouis, intus lupus est, qui modum non habet rapinarum qui tanquam in nocte Scythico membra duratus gelu, cruentus ora, circumuolat quærens quem deuoret.* His Ambrosius tanquam penicillo lupinos hæreticorum mores aptè describit.

Hæretici fures & Lupi dicuntur.

Luporum versutiæ, & mores pessimi.

Hæreticorum mores.

Cur hæretici Ecclesiæ pastores necare, vel in exilium agere contendant.

Qui verbum Dei iusta gloria non confitetur, mutus est.

Væ ouibus, quæ alienos, id est, stultos pastores sequuntur. Hæreticum enim quemlibet rectè *pastoris stulti* nomine vocare possumus Zach. 11. 15. *Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti.* volunt Hebræi, quos sequitur Vatablus, per vasa eiusmodi pastoris stulti accipi debere inepta planè instrumenta ad obeundum munus: stultum enim intelligunt stolidum, vel insipientem. verùm quoniam de Antichristo est sermo, malim stultum interpretari sceleratum, & crudelẽ, vt intellexit Theodoretus. Antichristo enim pessimo pastori pro baculo gladius erit; pro pera, laqueus; pro oleo, seu vnguine, mortiferum venenum; pro dulci sibilo, blasphemiæ & maledicta. quare rectè Rupertus *stultum* exponit, non per ignorantiam errantem, sed per malitiam repugnantem. & confirmatur hic sensus, quia superius locutus fuerat Zacharias de Christo pastore bono à Iudæis reiecto, cui duæ virgæ erant: paucis, optima pascendi ratio, atque instrumenta omnia apta, & idonea, quæ nomine *virgæ* rectè intelliguntur. Huius ergo pastoris pessimi, ac truculenti Antichristi oues sunt, qui, quos dixi, alienos vel audiunt, vel sequuntur. etenim hæretici Antichristi sunt præcursores. hi de Christi ouibus occisionis oues efficiunt, qualia sunt pecora victimis destinata, vel certæ neci, de quibus Psalm. 43. 22. *propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis*, quas versic. 12. *oues escarum vocauerat*, quæ non custodiuntur

12. Hæreticus dicitur pastor stultus.

Antichristi pessimi pastoris mores & opera.

Hæretici Antichristi sunt præcursores.

ad lanam, vel lac, hoc est, vt tondeantur, vel mulgeantur, sed vt necentur, & deuorentur, quales illi de quibus Hieremias 12. 3. *congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis.* & Ezech. 34.8. *Facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri.* quicunque ergo certum mortis periculum incurrere timet, alienos fugiat.

DIGRESSIO VI. MORALIS.

De Pascuis, Ostio, Ouili.

1. NON desunt ouibus Christi saluberrima pascua, & quicquid denique vel necessarium vel commodum est ad vitæ conseruationem, augmentum, & confirmationem. porrò sunt ea pascua, quà in sacris scripturis contenta, earumque diligenti lectione, ac meditatione posita, quà in cõuenienti Sacramentorum vsu, præsertim verò pœnitentiæ, & diuinissimæ Eucharistiæ; quà in voluendis perlegendisque piorum hominum libris; quà in perscrutandis atque æmulandis Christi & Sanctorum eius exemplis; quà demùm in attenta, & pia creaturarum omnium à Deo conditarum consideratione, vt in ijs considerandis opera Dei, eiusque perfectiones elucent, quomodo plurimum cõferũt ad Dei timorem cõcipiendum, ad subsidium, & oblectationem bonorum, & ad vindictam malorum. neque in ijs duntaxat, quæ numerauimus, inueniuntur pascua, sed etiam in aduersis rebus, & amarissimis sæpe cruciatibus. hæc.n. quamuis per se nõ rarò homini aspera, & amara videantur, exercitatis tñ in assiduo virtutũ studio, ac verè pijs viris, & dulcia, & appetenda, &, vt semel dicã, loco summæ oblectationis, & glorię habenda. non enim ignorant perfecti viri, verissimum esse illud, quod & experientia didicerunt, & Diuus Iacobus cap. 1. suæ epistolæ docuit: *Omne gaudium existimate fratres mei cum intentationes varias incideritis.* & quod Paulus Rom. 5. docuit: *non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus.* hæc sunt optima pascua, quibus suas oues cœlestis pastor reficit, ac recreat, dum hanc mortalem vitam viuunt. quid ergo dicendum de cœlestibus pascuis?

2. Et verò quis verbis consequi, vel mente complecti valeat, quanta sit illorum præstantia, quanta suauitas, & vbertas quanta? *neq; enim oculus vidit, neq; auris audiuit, neq; in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illũ.* 1. ad Cor. 2. 9. Inebriabuntur sanè, ô Deus, vt olim Dauid in spiritu dixit Psalm. 35. Septies beatæ illæ oues *ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eas*: Sed nihil hac in parte clarius, nihil lætius verbis illis Ioann. Apocal. 7. 15. *Qui sedet in throno habitabit super illos*; proteget nimirum oues suas semper, easque gubernabit, & rectè non, *erit*, super illos, ait, sed, *habitabit*, vt æternam mansionem ibi Christum habiturum quasi in suo domicilio ostendat. hinc Ambrosius *habitat verò*, inquit, *super sanctos suos Deus, cum eos suo lumine illuminat, circumdat, & tuetur.* pergit Ioannes v. 16. *non esurient neque sitient amplius*, quod sic Ambrosius interpretatur alludens ad locum illum Matthæi 5. 6. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. animæ sanctorum non esurient, neque sitient amplius, qui ex esurierunt, iamque percipere vitam æternam meruerunt.* sequitur Ioannes: *nec cadet super illos sol, neque vllus æstus.* significari videntur in sole, & æstu tentationes Ambrosio interprete; *per solem*, inquit, *tentationes, quas sancti ab hominibus perferunt, possumus intelligere: per æstum, tentationes dæmonum, siue voluptates carnales.* indicat ergo Ioannes, procul à beatis illis ouibus futurum esse omne id, quod molestum esse posit. denique v. 17. addit *quoniam agnus, qui in medio throni est, reget eos, ποιμανεῖ αὐτοὺς, pascet eos*, quasi dicat, ipsemet erit pastor, ac proinde longius ab eis arcere semper, ac nullo negotio poterit quicquid molestiam afferre posit. agnum verò, dum in medio throni dicit esse, alludit ad id quod cap. 5. 6. dixerat: *Et vidi, & ecce in medio throni*, &c. *Et deducet eos ad vitæ fontes aquarum ὁδηγήσει πηγὰς ὑδάτων. ad viuentes fontes aquarum.* solent enim pastores oues pastas ad fontem deducere, vt sitim, & lassitudinem abijciant, & recreentur. Est ergo sententia hæc: facturum esse Christum, vt semper maximis, & cœlestibus voluptatibus affluant: nam propterea dixit: *ad vitæ fontes*, etenim viui fontes nunquam non scaturiunt, nusquam deficit in illis aqua. hos fontes, qui clara Dei visione constant, sitiebat Dauid Psalm. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

3. Clãudit deniq; rem totam: *& absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* ipse enim idem CHRISTVS. vt est beatis tanquam ouibus pastor, & ijsdem tanquam carissimis filijs indulgentissimus parens; solet autem parens, dum flentes filios blandè solatur, manantes ab oculis illorum lacrymas tergere. hæc autem omnia ex Isaia desumpta sunt cap. 49. 10. & 25. 8. nam licet de viris iustis in hac vita loquatur, multo tamen magis respicit eius sermo domicilium cœleste, hic.n. inchoantur ea, quæ dicit: perficiuntur in altera vita. Porrò hæc lacrymarum detersio dolores, & luctus, quos in hac vita habuerunt pij, auferendos esse in cœlis apertè significat. cuius veram rationem assignat Amb. quia tempus flendi hic fuit, tempus ridẽdi in illa beatitudine erit, sicut Dominus dicit. *Beati qui nunc lugent, quoniam ipsi tunc consolabuntur.* intelligimus etiam ex his verbis Ioannis, & Isaiæ 25. 8. non esse in præsenti vita, quæ tot calamitatibus obnoxia, tot peccatis inquinata, vallis lacrymarum dicitur, abstergendas lacrymas; sed in beata illa, ad quã suspiramus, patria, vbi eas Deus ipse absterget. quare nihil est quod miremur si semper sancti in hac valle lacrymarum suspirijs, & luctui vacent.

4. Neque verò non vberrimis fontibus suas oues reficere, ac recreare solet idem pastor noster Christus, qui subinde inuitat nos, dum sitientes vocat ad aquas suas Ioann. 7. 37. 38. *si quis sitit veniat ad me & bibat, qui credit in me sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* & Esaiæ 55. 1. *Omnes sitientes*, inquit, *venite ad aquas.*

Pascua ouiũ Christi sunt sacramenta.

Multa ouiũ Christi pascua.

In rebus aduersis inueniuntur pascua.

Viris perfectis res aduersæ gaudio sunt.

Qualia sunt pascua cœlestia.

Quomodo Christus habitet super suos sanctos.

Per solem & æstum tentationes significantur.

Nulla molestia est beatis.

Semper maximis voluptatibus beati affluunt.

Quomodo Christus absterget lacrymas beatorum.

Non in hac vita, sed in gratia sunt abstergendæ lacrymæ.

aquas. sitientes, & egenos inuitat, pollicitus effusurum se aquas super sitientem, & fluenta super aridam. sic enim Esai. 44. 3. promittit. *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam*, & cap. 41. 17. 18. *Egeni, & pauperes*, ait Deus, *quærunt aquas & non sunt, lingua eorum siti aruit. ego Dominus exaudiam eos Deus Israel: non derelinquam vos. aperiam in supinis collibus fluminа, in medio camporum fontes, ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam, in riuos aquarum*. per *aquas* intellige aquas gratiæ, vel refrigerium. Chald. *doctrinam*. Sitientes sunt, qui harum aquarum desiderio flagrant, egeni verò humiles, & pauperes, videlicet spiritu: supini verò colles, loca arida antea significant, quasi dicat, ex rudibus faciam doctos, & ex aridis, ac mœrore confectis, diuites donorum gratiæ & cœlestium voluptatum gaudijs perfruentes efficiam.

5. Sitiebat sitim nostram explere Christus in cruce. Ioa. 19. 29. diues etiam in inferno ardenti siti laborantem linguam refrigerari sibi cupiebat. cuius exemplo docti, hauriamus dum per tempus licuerit, *aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris* Isai. 12. 3. Sanctus Bernardus sermone primo, de Nata. quinque numerat fontes Saluatoris, quatuor huius vitæ, quintum futuræ. primus est, misericordiæ, & remissionis, quo abluimur; alter sapientiæ, & discretionis, quo potamur; tertius, quo rigamur, deuotionis ad irrigandas plantas bonorum operum, quo maximè indigent nouellæ plantationes, quarto zeli, & æmulationis cibos coquimus iuxta illud, Psalm. 38. 4. *concaluit cor meum intra me*; & Psalm. 68. 10. *Zelus domus tuæ comedit me*. demum ad postremum illum cœlestis patriæ suspirabat Dauid Psalm. 41. 3. dicens, *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum*. Addit Sanctus Bernardus primis illis quatuor, quatuor item respondere CHRISTI vulnera, sed viuentis adhuc; porrò ad quintum iam mortui vulnus referri. ijs ergo fontibus suauissimis, & vberrimis pastas oues reficit CHRISTVS, quibus nec opima, nec læta pascua, nec limpidos latices vel prædulces fontes perpetuò manantes deesse patitur.

6. Sed libet hic de cœlestibus pascuis verba Sancti Bernardi sermone trigesimotertio in cantic. adscribere: *Quis*, ait, *non illic*, hoc est, in cœlestibus pascuis, *vehementer cupiat pasci, & propter pacem, & propter adipem, & & propter satietatem? nihil ibi formidatur, nihil fastiditur, nihil deficit, tuta habitatio, paradisus; dulce pabulum, verbum; opulentia multa nimis æternitas*, & cætera. addit deinde, quantum interfit inter huius vitæ & alterius pabula. *at quantalibet sanè abundantia spiritus pinguescant ista, non pari omninò iucunditate sumitur cortex Sacramenti, & adeps frumenti, fides, & spes, memoria, & præsentia, æternitas, & tempus, vultus & speculum, imago Dei & forma serui. nempe, in omnibus his, fides doluples mihi, intellectus pauper. numquid verò par sapor intellectui, fideique cùm sit in meritum ista, ille in præmium? vides ergo distare inter pabula, quantum inter loca; & sicut exaltantur cœli à terra, ita habitantes in eis bonis potioribus abundare? festinemus proinde filij, festinemus ad locum tutiorem, ad pastum suauiorem, ad vberiorem, & fertiliorem agrum. festinemus, vt habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio*. Hæc Sanctus Bernardus. lege item Gregorium homilia quarta in Euang.

Sed mirabitur aliquis, cùm tam multa sint pascua CHRISTI ouibus præparata in terris, in cœlis, tam pinguia, tam fœcunda, tam læta, qui fiat, vt cernere sit tamen, macilentas sæpe oues CHRISTI, ac veluti macie confectas esse? in promptu est responsio: iccirco id accidit, quod sint inter oues, quæ diuina pascua fastidiunt; & sint quibus meliora sunt vbera CHRISTI, vino, id est, quæ pastu, fructuque CHRISTI dulcissimi oblectantur, illud identidem vsurpantes, sponsæ Canticorum secundo: *Fructus eius dulcis gutturi meo*; quem probè experientia doctus nouerat sanctus Gregorius, cum eodem capite diceret, *hunc fructum, & pastum dum mens capiens auide comedit, omnes mundi voluptates præ eius dulcedine postponit*. rectè; nam, vt sanctus Augustinus ait, sermone vigesimoseptimo, de Verbis Domini. *maior est suauitas mentis, quam ventris*, quare nihil alienum dicemus, si affirmabimus priores illas oues, similes esse bobus illis fœdis, & macie confectis; posteriores verò pulcris illis & crassis nimis, de quibus Genes. quadragesimoprimo, 2. 3. vbi sic refert Pharao, *de quo*: id est, fluuio, *ascendebant septem boues pulcræ, & crassæ nimis*, & cætera. *Alia quoque septem emergebant* de flumine, fœdæ, *confectæque macie*. ita ex eodem baptismi fluuio omnes CHRISTI oues ascendunt, cæterum latum est inter illas discrimen, nam quædam fœdæ sunt, & macilentæ, quædam pulcræ, & crassæ, amant illæ amara huius mundi, & fœda pascua, fluxas nimirum mundi delicias ab opimis verò pascuis abhorrent: hæ alienæ sunt prorsus à fœdis & turpibus vitæ huius voluptatibus, fugiunt delicias mundi, quia tantum dulcis est illis fructus Christi. iam de ostio agamus.

Iure scripsit Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 10. CHRISTVM fieri omnia omnibus, itaque non mirum si se & pastorem, & ostium nominet. quod erudite declarat idem Auctor: *Multæ*, inquit, *sunt Saluatoris appellationes, ne tamen propter multas appellationes multos putemus esse filios, & propter errores hæreticorum, qui dicunt alium esse Christum, alium Iesum, aliud ostium, & sic de reliquis; primo confirmeris fide profitendo benè, & in vnum Dominum IESVM CHRISTVM, quamuis enim multæ sunt appellationes, sed vnum tamen subiectum. vnicuique autem varius fit Saluator ad vtilitatem: qui enim indigent recreatione, & lætitia, illis fit vinea: qui opus habent, vt ingrediantur, his constituitur ostium; & qui cuperent offerre orationes, illis fit mediator summusque sacerdos. Rursus habentibus peccata fit ouis, vt pro ipsis macletur; & omnibus fit omnia, ipse idem natura permanens qui est*. sic ille. Est ergo CHRISTVS ostium, per quod ingrediuntur oues in ouile. etenim sicut ostium inter superum, inferumque limen versa-

tur;

Isai. 12. 3. Quinque fontes Saluatoris ex Ber.

De cœlestibus pascuis Bern.

7. Cur cùm tà multa & bona sint pascua, macilentæ tamen sint sæpe oues.

Gregor.

Augustin.

Quædam oues bonibus Phara. macie confectis similes quædam pinguibus.

8. Christus omnia omnibus.

Cyrill.

Quomodo Christus ostium.

Digitized by Google

Duo testamenta duo cardines.

tur; ita & CHRISTVS, qui de se ait: *Ego sum ostium, per me si quis introierit saluabitur.* duobus testamentis, sicut cardinibus continetur: vetus testamentum simile est limini supero, quod in illo tanquam in figura CHRISTVS esset, at inferum limen lex est gratiæ, vbi totum ostij pondus conquiescit, vbi vertitur, & versatur. hinc intelliges quid mystice sit Isa. c. 6. 4. *& commota sunt superliminaria cardinum*, finem enim significat veteris legis, stabili aduenientè Euangelij lege. commouentur ergo superliminaria cardinum, liminari immobili permanente: quia, vt Paulus ait, Hebræo. 10. 9. *Aufert primum, vt sequens statuat*, est igitur CHRISTVS ostium, & vide quanta sit ouium CHRISTI dignitas, vt non aliud habeant ostium per quod ingrediantur, quam CHRISTVM ipsum DEI Filium, quod fit vel in ipsum credendo, vel ipsum imitando. At, qui aliunde ingreditur, fur est & latro. sed de ostio sufficiant, quæ diximus schol. numero quarto, & numero decimoseptimo & sequent.

Locus Isa. 6. 4.

Hebræ. 10. 9.

9.

Vnum tamen hic non omittam ex Hailgrino desumptum, quod habet noster Delrius capite octauo in cantica, sectione sexta sub finem; non solum CHRISTVM vocari *ostium*, sed matrem quoque eius eodem nomine insigniri; aliter tamen & aliter. nominatur enim CHRISTVS, ostium, hoc est, apertura, vt sic dicam, siue aditus, & via per quam intratur ad vitam; quod illi soli conuenit. quare de se ipso tantum dixit se ab alijs discernens: *ego sum ostium*, & non alius. ostium quoque dicitur compactio tabularum, per quam maleuolis clauditur ingressus in domum, vnde Canticorum 8. 9. de Beata Virgine rectè exponuntur illa: *si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* est namque Beata Virgo ostium in Ecclesia, quæ malignis obsistit spiritibus, ne ad deuotos suos intrent, & accendant sicut volunt: & hoc ostium tot tabulis est compactum à sacrosancta TRINITATE, quot in ea sunt virtutes, & priuilegia dignitatum, & hæ tabulæ cedrinæ dicuntur, quia imputribiles sunt, & odoriferæ, & per humilitatem, in profundum radicatæ, creuerunt in immensum. sic ferè Hailgrinus, quibus addit Delrius: sanè per portam Orientalem lucidam, & semper clausam, MARIA significatur apud Ezechielem 44. 1. 2. quo alludens Diuus Augustinus in sermone de Natal. Domini secundo, & decimoquarto. sic inducit illam loquentem; *Porta facta sum cœli, ianua facta sum Filij DEI. illi facta sum ianua clausa, qui post suam resurrectionem, ingressus est per ostia clausa.*

D. Maria etiam ostium: sed aliter.

Maria Orientalis porta lucida, & semper clausa.

Ezech. 44. 1. 2.

Reliquum est, vt de ouili tandem dicamus. Est vnum ouile, hoc est, vna Ecclesia CHRISTI, tum propter vnum vitæ principium, quod Spiritus sanctus est. Sicut enim cor ad hominem se habet, ita multo præstantiori modo Spiritus sanctus, quo animatur Ecclesia, ad illam se habet, vnde fit, vt contraria docere nequeat Ephes. 4. 4. *Vnum corpus, & vnus spiritus* 1. Corinth. 12. 13. *Omnes in vno spiritu potati sumus.* tum propter vnum caput IESVM CHRISTVM Ephes. primo, *ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* ad quod referuntur omnia membra; & merito CHRISTVS dicitur *caput*, quia primogenitus ex multis fratribus, cui omnes assimilari debent; quia perfectione cunctis longè præstat, quippe qui plenus est omni gratia, vt in capite vigent omnes sensus; quia denique summæ efficacitatis, ac virtutis est, *de cuius plenitudine omnes nos accepimus.* tum propter connexionem omnium inter se membrorum per mutuas operationes, quamuis diuersas, *multi* enim, vt Paulus ait Romanorum duodecimo. *Vnum corpus sumus, alter autem alterius membra.* porrò ex vno ouili, & vno pastore, veluti vna persona mystica constituitur, cuius caput est CHRISTVS, corpus Ecclesia. timeant, qui se ab Ecclesia separant tum ne eundem vltimum finem amittant: quod significatum est Matthæi vigesimo, in illo vno denario omnibus operantibus promisso, tum postremo propter eorundem mediorum vsum, & societatem, id est, fidei, sacramentorum, legum, iuxta illud Ephes. 5. *Vna fides, vnum baptisma.*

10: De ouili.

11.

Sed præter has vnitates, potest nihilominus Ecclesia, quasi vnum quoddam totum continuum, & per totum terrarum orbem sparsum cogitari, vt Cyprianus indicat lib. de vnitate. *Ecclesia*, inquit, *Domini luce perfusa per orbem terrarum radios suos porrigit, vnum tamen lumen est quod vbique diffunditur: sicut arbor magna longè, lateq; ramos extendit, vna tamen radice fulcitur, vno robore fidei sustentatur.* hoc modo Ecclesiam nominant Scripturæ, vnam ciuitatem, & domum magnam, vt eam Paulus vocat. 1. Timoth. 3. iterum spectari potest Ecclesia, vt vnum quoddam totum fluens ac successiuum. perpetuò enim ab initio ad finem vsque mundi perseuerabit. de hac vnitate Ecclesiæ successiua idem Cyprianus loco citato ait: *sicut de fonte vno, riui plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine: sic Ecclesia profluentes largiter riuos latius expandit, vna tamen mater fecunditatis successibus copiosa.* quod si hos postremos duos vnitatis modos consideremus, sola Ecclesia Catholica ac Romana, Vna est; quia sola omnium gentium Christianarum vbique degentium communionem tenet, sola ab Apostolorum tempore perpetua successiue propagata est. quomodo nulla hæreticorum synagoga, vna esse potest.

12. Quanta sit vis vnitatis Christi cum Ecclesia.

Cæterum diligenter perpendere oportet quanta sit vis huius vnitatis, quam magnas ad omnes Christianos vtilitates afferat. contra verò quam multa, quam ingentia ab ea se se vnitate diuellere detrimenta inuehat. quod cum multis modis docere possimus, ex tribus duntaxat capitibus declarabimus, vnum est, quia arctissima est CHRISTI, & Ecclesiæ coniunctio, quam proinde Apostolus Ephes. 5. magnum Sacramentum appellat.

nam sicut vir, & vxor duo quidem sunt, sed in carne vna, ita CHRISTVS & Ecclesia sunt duo in vno spiritu. hanc tantam vnitatem & coniunctionem inter CHRISTVM, & Ecclesiam, vt indicaret Apostolus Ephes. 1. 25. Ecclesiam non solum corpus, sed & *plenitudinem Christi* nominauit. & iure sanè, quia nec sine Ecclesia CHRISTVS plenus est, videlicet plenus & perfectus mediator, caputque absolutum & completum, nec Ecclesia plena est sine CHRISTO; tanta est CHRISTI cum Ecclesia vnitas, & coniunctio. quomodo igitur esse Christianus poterit, qui se ab Ecclesiæ vnitate separat? quam rem sapientissimè expressit Augustinus de vnitate Ecclesiæ capite quarto. *Totus Christus caput, & corpus est. caput vnigenitus Dei Filius, & corpus eius Ecclesia, sponsus, & sponsa, duo in carne vna. quicumque de ipso capite Scripturis sanctis consentiant, & vnitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia, quia de Christi corpore, quod est Ecclesia ab ipsius Christi testificatione dissentiunt. verbum qui non credunt Christum in carne venisse de Virgine Maria ex semine Dauid, quod apertissimè Scriptura Dei loquitur*, & cætera. *Etiam si per omnes terras inueniantur, per quas est Ecclesia, non vtique sunt in Ecclesia, quia ipsum caput Ecclesiæ non tenent.* &c.

Aug. c. 4. de vnitate Eccl.

Item quicumque credunt quidem quod Christus Iesus in carne venerit, & cætera. *Sed tamen ab eius corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, vt eorum communio non sit cum toto quacumque diffunditur, sed in aliqua parte separata inueniatur, manifestum est, eos non esse in Catholica Ecclesia.* Itaque ex sententia Augustini nihil nobis fidei fundamentum, quod est CHRISTVS Dominus, & tota Catholica veritas, firmè retenta, ac certissimè credita, ad salutem valet, si quis se ab Ecclesiæ vnitate separauerit. quod etiam docuit idem Augustinus in sermone super gestis Emeriti Donatistæ. *Extra Ecclesiam Catholicam, totum habere potest hæreticus præter salutem. potest habere honorem*, secundùm Ecclesiasticum Ordinem; *potest habere Sacramentum, potest cantare alleluia, potest respondere Amen, potest Euangelium canere, potest in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, fidem & habere & prædicare, sed nusquam, nisi in Ecclesia Catholica, salutem poterit inuenire.* Verè Augustinus. neque enim potest quis Deum habere Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem; quod Diuus Cyprianus eleganter libr. de vnitate Ecclesiæ expressit: *Vna est mater fecunditatis successibus copiosa. illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. hæc nos Deo seruat, hæc filios, regno, quos genera uit, assignat, quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. habere iam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* quid clarius?

Aug. in ser. super gestis Eremiti Donatistæ.

Cypt. lib de vnitate Eccl.

13. Alterum caput ad vnitatem Ecclesiæ retinendam multum iuuans, est, quod extra corpus Christi, spiritus quoque Christi esse non possit. quis enim vnquam vel vidit, vel audiuit caput ipsum naturale aliud mouere, aliud dirigere, in aliud influere, præterquam suum, vel in suum corpus, eiusque membra? & dubitamus affirmare, Christum vitale Ecclesiæ caput, spiritus sui gratiam non in aliud instillare, quam in corporis sui membra, hoc est, in Ecclesiæ filios? vbi enim Ecclesia, ibi est spiritus, vt Irenæus libro tertio, capite quadragesimo virissimè testatus est. *Et vbi spiritus Dei, illic Ecclesia. nihil* igitur vt Augustinus, tractatu vigesimoseptimo in Ioannem monet, *sic formidare debet Christianus, quam separari à corpore Christi, quod est Ecclesia vtique vna Catholica. si enim separatur à corpore Christi, non est membrum eius, si non est membrum eius, non vegetatur spiritu eius. quisquis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Quare nulla sacramenta, nulla bona opera cum vtilitate, & emolumento spirituali, hoc est, cum merito vitæ æternæ, extra Ecclesiæ vnitatem suscipiuntur.

Irenæ. lib. 3. c. 40.

Aug. tract. 27. in Ioan.

Postremum caput plurimum faciens ad retinendam vnitatem, & coniunctionem cum Ecclesia, illud est, quod in ea sola veritas orthodoxa, & sana fides, citra quam nequit esse salus inuenitur. etenim Ecclesia columna est, & firmamentum veritatis. huic ergo inniti, hac fulciri, hac eadem nos confirmari decet: ipsa est sponsa illa, & amica, cui sponsus eius Christus, quæcumque audiuit à patre, nota fecit. hæc est *amplum quoddam & diues depositorium* (vt Irenæus ait, libro tertio, capite quarto,) *in quod Apostoli, omnia quæ sunt veritatis, plenissimè contulerint, vt omnis quicumque velit, ex ea potum vitæ sumat.* hinc Augustinus in Psal. centesimum trigesimum, *si errasti aliquo, quare non redis ad lac matris? quia si non extollimini, si non exaltatis cor vestrum, si non ingredimini in mirabilibus super vos, sed humiliter sentitis, sicut qui ablactatus est super matre sua, reuelabit vobis Deus, quod aliter sapitis, si autem hoc ipsum quod aliter sapitis defendere vultis, & pertinaciter astruere, & contra pacem Ecclesiæ, fit vobis maledictum hoc quod dixit Propheta: ita fiat retributio in anima mea. quia adhuc sub matre cùm estis, foris à lacte separabimini, foris à visceribus matris fame moriemini. si autem perseueraueritis in pace Catholica; si quid forte aliter sapitis, quam oportet sapere, Deus vobis reuelabit humilibus. quare? quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* hæc Augustinus. quibus significat in omni difficultate, vel controuersia fidei, debere filios ad matris vbera confugere tanquam lactaneos infantes, & ex Ecclesiæ matris debere iudicio pendere; sumus enim adhuc eius paruuli filij, & tanquam oues Dominici ouilis ab ijs pascendæ, quos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam Dei.

Irenæ. lib. 3. c. 4.

Aug. in Psal. 130.

14.

Sunt autem extra Ecclesiæ ouile, quibus, dum tales sunt, nulla reliqua est spes salutis, primum infideles, de quibus 1. Cor. 5. *quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare?* horum nomine eos omnes intelligimus qui nondum dederunt nomina sua Christo per baptismum, sed sectas varias, & superstitiones sequuntur. porrò catechumeni licet non actu, & propriè, in potentia tamen sunt in Ecclesia, quomodo homo conceptus, sed nondum formatus & natus, non dicitur homo nisi in potentia. cæteri omnes nondum baptismo initiati extra Ecclesiam omnino sunt,

15. Infideles extra ouile Ecclesiæ.

nò sunt, atque adeò tanquam extra arcam Noe positi, tetra peccatorum eluuione peribunt, nisi ad arcam confugiant; quia quod Patres Concil. Lateranensis cap. 1. definierunt, certissimum semper erit. *Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia extra quam nullus omninò saluatur.* de Hereticis & Apostatis, qui à fide naufragauerunt, extra omnè controuersiam, est vel ipsis auctoribus, in Ecclesia non esse. quare Apostolus ad Titum 3. 10. 11. *Hæreticum*, inquit, *hominem, post vnam, & secundam correptionem, deuita, sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus.* Græcè ἁμαρτάνει, ὢν αὐτοκατάκριτος. peccat per se damnatus. Cyprian. legit, *à semetipso damnatus*, hoc est, damnatus etiamsi nemo iudex de illo pronuntiet, quia, vt ait Chrysostomus, *dicere non potest nemo corripuit.* cùm ergo post admonitionem in infidelitate persistat, ex se ipso damnatus efficitur. addit Hieronym. pertinacem hæreticum esse proprio iudicio condemnatum, quia talis secundùm se non est eiectus ab Ecclesia per excommunicationem, vt multi alij peccatores, sed ipse se ipsum ab Ecclesia eiecit. Nec refert quod characterem retinent, ali oqui hoc modo damnati essent de Ecclesia, quos tamen D. Th. 3. p. q. 8. a. 3. dicit nec actu, nec potentia esse membra CHRISTI. licet verò non sint de Ecclesia hæretici, deberent tamen esse; & proinde ad eam pertinent, vt oues ad ouile, vnde fugerunt, rursumque iterum cogi vt ad ouile redeant.

Tertio de Ecclesia non sunt, quidquid Alfonsus de Castro senserit, schismatici. Schisma enim scindit id, quod erat vnum in partes; pars autem scissa à corpore, non est amplius pars eius corporis. quod docet Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ, dum ait Ecclesiam Christi significari per vestem Christi inconsutilem, quæ scissa non fuit: quia videlicet Ecclesia scindi quidem potest, verum non quomodo scinduntur vestes, quarum omnes partes æque manent partes vestis; sed quomodo scinditur ramus ab arbore, qui statim moritur, arbore viuente; & riuus à fonte, qui mox aresci, fonte fluente; & radius à sole, qui continuò deficit, sole vt erat permanēte. postremò extra Ecclesiam sunt excommunicati, quod significatum est Matthæi 18. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus, & Publicanus.* Est ergo excommunicatio, eiecto de Ecclesia his omnibus, nisi resipuerint, & ad Ecclesiam venerint, vel redierint, certissimum manet, ac perpetuum supplicium.

(*)

Conci. Lateran c. 1.

Hæreticos in Ecclesia nō esse.

Cyprian.

Chryſ.

D. Thom.

16. Schismaticos non esse de Ecclesia.

Cyprian. lib. de vnitate Ecclesiæ.

Excommunicati sunt extra Ecclesiam.

CAPVT XIX.

SELECTIO ET MISSIO SEPTVAGINTA DVORVM DISCIPULORUM.

C. 10. 1.

v. 1. POST *hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit eos binos in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipse venturus.*

In Ferò plurimorum Martyrum.

2. Et dicebat illis: messis quidem multa operarij autem pauci: Rogate ergo Dominum messis vt mittat operarios in messem suam.

3. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

4. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta; & neminem per viam salutaueritis.

5. In quamcunq; domum intraueritis primùm dicite: pax huic domui.

6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur.

7. In eadem autem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua: nolite trāsire de domo in domum.

8. Et in quamcunq; ciuitatē intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.

9. Et curate infirmos qui in ea sunt, & dicite illis: appropinquauit in vos Regnum Dei.

10. In quamcunq; autem ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos exeuntes in plateas eius, & dicite.

11. Etiam puluerem qui adhæsit nobis de ciuitate vestra extergimus in vos: tamen hoc scitote quia appropinquauit Regnum Dei.

12. Dico vobis quia Sodomis in die illa remissius erit quàm illi ciuitati.

13. Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent.

14. Veruntamen Tyro & Sidoni remissius erit in iudicio quàm vobis.

15. Et tu Capharnaum vsque ad cælum exaltata, vsque ad infernum demergeris.

16. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.

SCHOLIA.

1. POST hæc] sermonem Domini quem sumus interpretati cap. superiore de ostio, Pastore, & ouibus, &c. non excipit sermo habitus in festo Encæniorum, sed inter vtrumque bimestre circiter spacium interiectum est, quamuis eodem capite Ioannis vterque sermo contineatur. Vide quæ initio capitis præcedentis circa ordinem notauimus. Porrò in hoc fere duorum mensium spatio, quod inter hæc festa intercedit scænopegiæ videlicet, & encæniorum, pleraque memoria digna, & dixit, & fecit Christus, quæ à D. Luca memoriæ prodita sunt, vt patet legenti eius caput 10. vsque ad 14. Inter hæc verò, quæ hoc intermedio tempore facta sunt fuit electio & missio septuaginta duorum discipulorum. enim verò hæc ante festum scænopegiæ fieri potuit cum scripserit Lucas eam euenisse post ascensum Christi in Ierusalem, vt patet cap. eius Euangelij q. v. 51. quem constat ex Ioanne cap. 7. 2. fuisse ad festum tabernaculorum. Nec post Encæniorum festum contingere potuit is ascensus; nam, inquiunt aliqui, post illud vsque ad passionem Christi breuius tempus est, quam vt videri possint intra hoc ipsum tempus facta fuisse, quæ ab Euangelistis narrantur. ab illo verò scænopogiæ festo vsque ad eandem Christi passionem plures menses intercesserunt, quibus egit Dominus in Iudæa, vel eius finibus, vt commodè fieri potuerint, quæ ab Euangelistis narrantur ad passionem vsque. verum hæc ratio Iansenij bona quidem est, sed non me multum mouet; nam vt rectè obseruat Barradius, non adeò breue fuit, vt & missio hæc, & alia multa in eo fieri non potuerint. Probatur, quoniam spatium fuit quinque fere mensium. nam festum Encæniorum agebatur mense Nouembri, Christus autem in crucem actus est mense Nisan, id est, Martio, à Nouembri autem mense vsque ad Martium quinque menses numerantur. In his ergo potuit Dominus discipulos mittere. Sed verosimile est post festum tabernaculorum mississe & ante festum Encæniorum, vt & communis docet opinio eorum, qui de ratione ordinis hic agunt, Iansenij, Baronij, Barradij, Ionnis Delahaye & aliorum: ordini etiam huic rectè consonat connexio huius cap. cum superiore. docuerat enim Christus c. superiore bonum se esse pastorem: hic ergo ouium, id est, turbarum cõmiseratione commotus, quod nimirum vexarẽtur, vt essent sicut oues non habentes pastorem, tanquam bonus ipse pastor constituit eos, qui secum populum salutari doctrina pascerent; atque adeo electis, designatisque septuaginta duobus discipulis, vt ilibus monitis instructos, mittit eos ad prædicandum.

Iansenij ratio. Barradius.

Iansenius, Baronius, & alij.

2. Cum verò ait Lucas posthæc missos esse discipulos, significat post profectionem, &, quod probabilius puto post aduentum in Ierusalem, factam esse hanc electionem discipulorum, & missionem. nam declarauerat cap. 9. faciem suam firmasse Christum, vt iret in Ierusalem, & constat ex Ioanne venisse in Ierusalem, quo tempore festum tabernaculorum agebatur mense Septembri; ergo probabile est post festum tabernaculorum & electos & missos esse discipulos, non modo post profectionem, vt verò Matthæus capite decimo, de missione Apostolorum egit, ita Lucas nunc agit de missione discipulorum, & ferme à Christo eadem præcipiuntur discipulis, quæ præcepta fuerunt Apostolis. proinde breuiores erimus in scholijs.

Quomodo fuerit facta electio, & missio septuaginta discipulorum.

3. Designauit] Græcè ἀνέδειξεν, ostendit, sic Actorum 1. 24. *tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris.* Græcè ἀνάδειξον, significat ergo hic, *designauit*, ostendere, & declarare quos mitteret, dando illis potestatem, insinuat ergo Lucas, ostendisse Christum Apostolis septuaginta duos discipulos eligendos esse; porrò Apostolos iussu Christi selegisse ac segregasse ab alijs hominibus, ac statuisse ante Christum 72. ipsum verò Christum declarasse à se electos, id est, approbatos dando eis potestatem. epistola secunda decretali D. Anaclet. sic scribit, de hac electione: *Videntes Apostoli messem esse multam, & operarios paucos, rogauerunt Dominum messis, vt mitteret operarios in messem suam. inde electi sunt ab eis septuaginta duo discipuli.* epistola verò tertia ait: *cum messis cœpisset crescere, videns Dominus paucos esse operarios, ad eorum adiumentum septuaginta duos eligi præcepit discipulos.* Zephyrinus epistol. 1. cùm loqueretur de testibus in causa Episcopi, ijs consentanea scripsit: ait enim: *qui minori non sint numero, quam illi discipuli fuerunt, quos Dominus ad adiumentum Apostolorum eligi præcepit, id est, septuaginta duo.* quia verò his calumniam inferunt Magdeburg. refellit eos Turrianus libro primo de canon. Apostolicis cap. 57 quem locum, quia continet totius huius electionis seriem, & expositionem, & declarat quot modis eligendi vox sumatur in Scripturis, quidue hîc designare sit, his nostris non grauabor adscribere, ait ergo Turrianus.

Epist. 2. decretalis D. Anacl.

Idem epi. 3.

Zephy. ep. 1.

4. Turrianus lib. 1. de can. non. apost. c. 57.

Eligere in Scriptura, quod græcè dicitur ἐκλέγειν, *homonymum est, aliquando enim significat segregare, & seligere è multis, non dando potestatem, vt cùm ait* (Actorum capite sexto) *& conuocantes duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: nõ est æquum nos relinquere verbũ Dei, & ministrare mensis; considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu S. & sapientia, quos constituamus super hoc opus, & placuit, inquit, sermo coram omni multitudine: & elegerunt Stephanum, & reliquos: & statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus, &c. elegit ergo multitudo; & Apostoli, tanquam ministri Dei, potestatem spiritualem Diaconorum dederunt electis. Deinde de electione Matthiæ:* Actorum primo. *Et statuerunt, inquit, duos: & orantes dixerunt: tu Domine qui corda nosti omnium, ostende, siue declara quem elegeris ex his duobus. quem elegeris, inquiunt: quæ electio facta quidem est à Domino dando potestatem electis; est autem vtrobique idem verbum græcum* ἐκλέγειν. ex his verbis Turriani habes, lector, duplex genus eligendi in scriptura, alterum, quod fit seligendo aliquos è multis, alterum verò, quod fuit electum approbando, atque ei potestatem tribuendo ad aliquid obeundum.

5. Pergit deinde Turrianus, his positis. *Videamus nunc, quid Euangelistæ dicant: Videns, inquit Matthæus* (cap. 9.) *turbas, misertus est eis, quia erant vexati & iacentes sicut oues non habentes pastorẽ, tunc dicit discipulis suis: messis quidem multa, operarij autem pauci: rogate ergo Dominum messis vt mittat operarios.* Ex his colligit Turrianus ordinem, & consequentiam rerum à Matthæo & Luca expositam; *posiquam* enim, inquit, *vidit Dominus turbas, & misertus est eis, tunc dixit, messis quidem multa, operarij autem pauci: rogate ergo Dominum messis vt mittat operarios. tunc Apostoli, vt admoniti à Domino de necessitate mittendi operarios, & petendi hoc à Domino, rogauerunt Dominum vt mitteret operarios. non enim credendum est non fecisse eos, quod eis Dominus præceperat, id est, rogare, vt mitteret operarios. prius autem quam Dominus mitteret, necesse erat secundum consequentiam rerum, vt ostenderet, siue declaret eos, qui mittendi essent, quod interpres Euangelij vocat, designare: & rursus prius-*

quam

quam designaret, id est, ostenderet, seu declararet, quos mitteret, necesse erat, vt eligerētur, id est, segregarentur ab alijs hominibus, & statuerētur ante eū, vt designaret, id est, declararet à se electos, dando eis potestatem. Actum ergo designandi, id est, declarandi electos, quos Dominus misit binos, narrauit Luc. (hoc ca.10.) *inquiens: Posthæc autem designauit Dominus, græcè enim est ἀνέδειξεν, quo verbo vsus est Lucas in electione Matthiæ, vbi Apostoli statuerunt duos, & orantes dixerunt, ostende seu designa* (*vt vtamur verbo interpretis Euangelij*) *quem elegeris. quare quod fecerūt Apostoli in duobus illis, quos ex numero aliorum elegerunt, non quidem dando eis potestatem, sed statuentes siue repræsentantes ante Dominum, vt alterum eorum designaret, id est, declararet, vt haberetur electus à Domino: & quod fecerunt illi, qui, sicut idem Lucas narrat, elegerunt septem viros & hos statuerūt ante conspectum Apostolorum, & eos Apostoli eligerunt dando eis potestatem, id est, declararunt Diaconos ordinantes eos per orationem & manus impositionem. hoc, inquam, ijdem Apostoli in septuaginta duobus fecerunt: eos enim elegerunt, & statuerunt ante Dominum, vt Dominus eos declararet à se electos* (*hoc enim significat, vt dixi, verbum græcum ἀνέδειξεν*) *& declaratos mitteret binos, &c. Vnde non dixit, Lucas post hæc elegit, seu segregauit Dominus, & statuit ante se alios septuaginta duos. sed ἀνέδειξεν. id est, declarauit alios septuaginta duos, quos scilicet Apostoli, postquam rogauerunt eum, vt mitteret operarios in messem suam, ipsi elegerunt & statuerunt ante eos, vt eos verè, ac propriè eligeret, dādo eis potestatem: mitteresq; in messem suam. sic quoq; non solum Zephyrinus, sed ante eum S Anacletus intellexit, sicut à discipulis Apostolorum didicerant.*

6. Verùm quia quis obijcere posset; id quod dixit Dominus: *Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios*, non pertinere ad designationem illorum septuagintaduorum, quia prius dicat Luc. *Post hæc aūt designauit Dominus & alios septuagintaduos.* & postea sequitur: *& dicebat illis messis quidem multa, operarij aūt pauci. rogate ergo* &c. R. spondere possumus cum eodem Turriano, ex Matthæo loc. cit. c.9. constare, quo loco illa verba: *messis quidem multa* &c. dicta & ponenda sint, tunc scilicet, cùm *vidit Dominus turbas, & misertus est eis, qui erant vexati* &c. & tunc dicit discipulis suis: *messis quidem multa* &c. *Rogate ergo* &c. Lucas verò præposterō ordine vsus est, cùm dixit: *& dicebat illis: messis quidem multa* &c. recapitulatio enim est Euangelistæ familiaris, qua vsus est Lucas ad continuandū ea, quæ Dominus dixit discipulis, quod autem hæc, *messis quidem multa* &c. &, *rogate Dominum messis* &c. non dixerit Dominus, postquam designauit septuaginta duos, significauit idem Lucas cùm dixit; *& dicebat illis*. quo verbo imperfecti temporis vti solent Euangelistæ, quando non est idem ordo rerum gestarum, & narrationis.

Turrianus.

7. Cæterùm hæc septuagintaduorum legatio ipsa Iudæa facta est. nā vt rectè animaduertit Mald. in tota Galilæa, & ipse prædicauerat, & ad prædicandum 12. Apostolos ante iam miserat Luc. 9.2. Matt.10.1.5. & Mar.3.13. in Iudæa verò nec ipse, nec Apostoli, nisi fortè valdè breui tempore, prædicauerat. Subdit vero idem auctor valdè probabile esse, cùm in Iudæam nunc venisset, vidisseque magnam populi multitudinem rudem adhuc Euangelij, & segetes iam albas ad messem, aratores verò, messoresq; deesse; & tempus suæ passionis instare, ex populi malè instituti necessitate, & ex breuitate temporis occasionem sumpsisse nouos, deligendi, mittendique concionatores.

Vnde facta fuit legatio septuagintaduorum. Maldonatus

8. *Septuaginta duos*] Sic legendum. Sed de hoc numero discipulorum in Theoria dicendum erit.

Misit] Electos discipulos ad prædicandum mi

A sit. etenim, *quomodo prædicabunt nisi mittantur.* Ro. 10. nam qui non missi, docere audēt, lupi sūt, fures sunt & latrones, quos eorū pater diabolus mittit.

Binos] Cur binos miserit, diximus p.2. dilucid. c.17. schol.n.9. sic Mosi ad educendum populum ex AEgypto adiunctus in socium est Aaron Exo. 4.14. 15. & 7.1. Iosue quoq; & Caleb, qui obmurmurantē populum compescuerant, eundem in terram Chanaam introduxerunt. Ios.14.6. Apostolos quoq; binos numerat Mat.c.10. 2.3.4. & binos quoq; ad prædicandum missos à Christo, narrat Marc.c. 6.7. itē ad soluēdum asinū, duo etiam missi discipuli Luc. 19.29. Mat.21.1. & ad parandam vltimā cœnam directi Petrus, & Ioannes Luc.22.8. quin etiam Ioannes Baptista in carcerem cùm esset coniectus, duos ex suis discipulis legatos misit ad Christum Matt. 11.2. meritò. nam *væ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.* Eccl.4.10. At *frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Poru.18.19.

Cur binos miserit discipulos.

B *Ante faciem suam*] Hebraicè ante se, vt Luc.c.1. 70. & 7.27. & Marc.1.2. *In omnem ciuitatem & locum quo ipse erat venturus*] Sunt qui putent, sed falsò, Christum non venisse corporis præsentia ad ea loca, quę percurrerunt discipuli, sed affectu dūtaxat spiritali, at vera intelligentia est, vt Apostoli missi fuerint, vt Ioannes, parare viam Domini ante faciem eius, tanquam præcursores, vt incultum, & rudem agrum Christo proscinderent, iacto etiā Euangelij semine, quo per doctrinam, & pœnitētiam præparatis auditorib. fructuosior esset Christi præsentia & prædicatio; & hoc significat Luc. dūait: *misit illos binos in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipse vēturus.* & verò nō sine causa ita factū est. nam cùm non posset ipse diu in singulis hærere locis, mors enim properabat, ante se misit suos, vt homines diu, & maturè ad recipiendam eius fidem & doctrinam præparārentur, & rem tantam perpenderent.

9.

C 2. *Et dicebat illis*] Quam vim habeat hoc præteritum imperfectum, & quo ordine verba sequentia dicta sint, docuimus n.6.

Messis quidem multa &c.] Hæc declarata sunt p. 2.c.17. sch.n.7.8. Hæc nunc addimus Aug. ser. 42. de sanctis rogat *quæ erat illa messis? & respondet, non enim illa messis in his gentibus erat, vbi nihil fuerat seminatum. restat ergo vt intelligamus istam messem fuisse in populo Iudaorum. ad illam messem venit Dominus messis. ad illam messem misit messores; ad gētes autem non messores, sed seminatores. intelligamus ergo messem factam in populo Iudæorum; sementes in populis gentium. ex illa enim messe Apostoli electi sunt, vbi iam. qui meteretur maturum erat, quia ibi Prophetæ seminauernnt* &c. Cyrillus item lib.12. thesauri c.15. *Cùm multos*, inquit, *vndiq; concursuros ad fidem Saluator videret, dixit ad discipulos: messis quidem multa operararij aūt pauci, nec vllam rem aliam messem appellat, quàm venientium hominum ab idololatria ad fidē Christi, quorum Dominus ipse Christus est. quomodo igitur non est Deus verus? præsertim cùm etiam Paulus per pœnitentiam omnes ad Christum vocet, dicens: Rogamus pro Christo; reconciliamini Deo. quoniam igitur solus Deus, qui est Dominus omnium, messis quoque huiusmodi, Dominus est, ipse solus erat operarios in messem missurus. Sed hoc ipse fecisse Saluator inuenitur. iussit enim Philippo, vt sequeretur se. Deus igitur verus est, & non creatura.* Probat ergo ex hoc loco Cyrillus Christum esse Deum; quamuis significet per messem etiam gentiles intelligi, contra id, quod significat Augustinus loc. citat. qui vult messem propriè dici, vbi seminatum est. quare extremo tempore mundi etiam gentiles messis vocantur, vt patet Matthæi 13. 39. *messis consummatio sæculi est, messores autem Angeli sunt.* quamuis

10. Aug.ser. de sanctis.

Ad Iudæos missi sunt messores: ad gentes seminatores.

Cyril. lib.12 thesaur.c.15

D

post prædicationem Apostolorũ factam ante iudicium dici possint etiam gentiles, quibus est prædicatum Euangelium, messis. Satio enim rectè dici potest ipsa prædicatio Euangelij per Apostolos & successores; messis verò possunt dici illi, qui fidem & religionem susceperant ab Apostolis prædicatam, hæc secundùm Aug. Verùm planior & verior erit sensus, si dicamus messem hoc loco appellari multitudinem auidè expetentium Dei verbũ, præsertim Iudæorum, quibus Christus annuntiandus erat, quiq; ad eum recipiendum prompti, paratiq; erant, in eumq; crediturі, vt notat Hieron. Matt. 9. *messis*, inquit, *erat omnis turba credentium.* & rectè dicuntur ij messis, quia falce Euangelicæ doctrinæ resecti, & quasi demessi in horreum Christi, quod est Ecclesia, congregandi erant.

Hieronym. Matth. 9.

Sed enim hæc verba: *Messis quidem multa, operarij* &c. causſam aperiunt, cur præter Apostolos alios adderet discipulos, qui Euangelium prædicarẽt; videlicet multitudo eorum, qui in ipsũ credituri erant, etiam ex Iudæis maior erat, quàm vt tanto numero fieri satis posset per 12. Apostolos.

II. Cur præter 12. Apostol. alios addidit discipulos.

Rogate ergo] Hortatur Apost. vt à Deo summis precibus obtinere contendant, vt velit operarios mittere, cùm sint multi crediturі, & pauci operarij: ipse enim Deus est Dñs messis. quare ab ipso petendum est quicquid ad bonũ messis progressum, & prouentum pertinet. hortatur aũt vt ad preces confugiant, nam prædicandi munus à Deo est, nec expectari fructus Euangelicæ prædicationis debet, nisi ab ijs, qui missi sunt à Domino messis. Hinc Hierem. 23. 21. meritò queritur Deus de pseudoprophetis: *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant; non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* tum vt intelligerent Apostoli, cæteriq; discipuli, quanti esset faciendum prædicandi munus, ad quod assumebantur. adeò enim magnum est, vt non nisi à Deo, & quidem summis precibus postulandum sit. ait verò, *Rogate vt mittat operarios*, non aũt vt mittat vos. etenim nemo debet à Deo sibi petere, vt in Episcopum eligatur, vel id genus alia munera obeat Ecclesiastica; sed potius roget vt mittat operarios in messem suam, pro messe enim ista petuntur.

Ecclesiastica munera à Deo non postulanda. 12.

3. *Ite ego mitto vos*] Lege quæ notauimus p. 2. dilucid. c. 17. sch. 2. 31. Obserua hæc verba non commemorari à Luca in missione Apostolorum, cùm Christus illos misit ad prædicandum per Galilæã, vt patet legenti ea, quæ idem Lucas habet c. 9. potest huius rei afferri causſa, quod septuaginta duo discipuli mitterentur ad Iudæos, Apostoli ad Galilæos. at illi magis infesti erant Christo, quam hi, & maiori odio, atque inuidia flagrabant. quærebãt enim eum Iudæi interficere. Ioan. c. 7. Hinc ergo est quod discipulos nunc admoneat dicens: *ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, etenim hæc missio discipulorum pluribus, ac maioribus erat periculis obnoxia: ex prædicatione verò inter Galilæos parum periculi creari poterat Apostolis, ideò non illis tunc dicta sunt. Quod si obijcias Matt. 10. 16. commemorari hæc à Domino Apostolis dicta esse; Respondeo eam sententiam, quæ habetur apud Matthæum, non tam pertinere ad missionem Apostolorum per Galilæam, quam Matthæus præcedentibus verbis narrauerat; quàm ad communem gentium missionem. nam quæ eo capite dicũtur; tametsi pleraq; ad missionem ad Galilæos pertineant; aliqua tamen potiùs missionem ad gentes respiciunt, vt sunt hæc. *Ecce ego mitto vos sicut agnos in medio luporum*; & illa: *ad præsides, & ad reges ducemini.* & pleraque ex sequentibus. cur ergo, inquies, Apostolos non misit ad Iudæos? in promptu responsio est, quia videlicet à Christi latere decebat illos non facilè discedere. adde quia cùm ipsi Christo semper adessent, & cum illo perpetuò

A

versarentur, sicut Christum, ita & ipsos Iudæi magno prosequebãtur odio, & vt Gregor. rectè monet 2. part. pastoral. cap. 8. difficile est vt recta denuntians prædicator, qui non diligitur, libenter audiatur.

Roget hic aliquis cur Christus Apostolos oues, discipulos verò agnos nominarit? Respondet Tolet. annot. 6. quia Apostoli post acceptũ Spiritum S. quando mittendi erant ad gentes, perfectissimi, sanctissimiq; erant; non item septuaginta duo discipuli cùm missi sunt ad Iudæos. quoniam ergo ouis perfectum animal est; agnus verò quid adhuc imperfectum, & nondum adultum, sed inchoatum potiùs; ideo meritò Christus Dominus Matth. 10. 16. de missione ad gentes loquutus, dixit: *Mitto vos sicut oues inter lupos.* 13.

4. *Nolite portare sacculũ*] Consule quæ circa hæc hoc versu contenta dicta à nobis sunt p. 2. eod. c. 17 sch. à. n. 15. vsque ad v. 22. An Dominus nudis pedibus incesserit loco citato attigimus, quamuis nihil in vnam vel alteram partẽ definiuerimus, nunc in eam potius proniores sumus, vt putemus, Dominum non omninò nudis incessisse pedibus, quãuis Hieron. oppositum significet fortassis Amos 2. de Apostolis. *Apostoli*, inquit, *nudis pedibus iubentur incedere, ne quid mortis habeant, & pellium, quæ referuntur ad carnes.* & idem D. Hierony epist. ad Euthymium de custodia virginitatis ait: *Moses & Iesu naue nudis in sanctam terram pedibus iubentur incedere, & discipuli sine calceamentorum onere & vinculis pellium ad prædicationem noui Euangelij destinantur, & milites vestimentis Iesu sorte diuisis, caligas non habebant, quas tollerent. nec enim poterat habere Dominus, quod prohibuerat seruis, id est, Apostolis*: sic ille. Idem sentit Lyranus Matth. 3. Luc. 7. Abulensis Mat. 3. quæst. 68. Carthusianus item Mat. 3. D. Bonauent. in vita Christi c. 28. quod si Apostoli, multo credibilius est Dominũ sic incessisse nudis pedibus. Sed ex verbis illis Baptistæ: *Cuius ego non sum dignus vt soluam corrigiam calceamẽti* &c. Ioan. 1. contrarium potest colligi. Nec vllius momenti est, quod quidam aiunt Baptistam ita loquutum, quia cum nõ nouisset Christũ de facie, existimabat calceis illum indui solitum. quid? an non verebimur falsitatis, & inscientiæ tãtum Prophetam arguere? probabilius alij dicunt, prouerbiale vsurpasse loquendi modum. esto, at hinc constat morem illius temporis fuisse, vt calceis homines passim vterentur corrigijs adiunctis.

B

C

Quare nemo negabit, puto etiam & Christo vsui fuisse calceos. nam in ijs quæ ad victum, & communem consuetudinem pertinebant, conformabat se Christus cum alijs, de veris ergo calceis Christi loquutum arbitror. Sed enim calceos vulgò communes fuisse tum temporis probat Magalianus noster tom. 1. in lib. Iosue c. 5. sect. 3. annot. 7. dum ait: Nouum & insolitum fuisse eo tempore sine calceis incedere, hinc factum est vt DEVS, quo terrorem populo inijceret nouo spectaculo præceperit Isaiæ capite 20. 2. sine calceis incedere. *Vade, & solue saccũ de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis.* igitur si instar prodigij erat apud Iudæos sine calceis incedere, quomodo qui vitæ communis amator erat Christus nudis pedibus incessit? quin arbitror & Baptistam ipsum eo saltem tempore, quo populo prædicabat, calceis esse vsum: quamuis asperum viuendi genus sequeretur. cuius opinionis illud non leue argumentum est: quod Euangelistæ, qui de singulis asperioris vitæ instrumentis ad Zonam vsque pelliceam meminerunt, atque adeò de tota vitæ eius ratione, nihil tamen significarunt quod nudis incederet pedibus: quod tamen Scriptura in Dauide notauit,

D

14.

dum

dum fugeret Absalonem *Dauid*, inquit, *ascendebat clivum scandens, & flens : nudis pedibus incedens.*

15. Et Auctor 12.8. vbi nos legimus dictum esse Petro ab Angelo: *Calcea te caligas tuas.* græcè habetur Σανδάλια quæ septuaginta veteris testamenti interpretes vertere solent pro calceis. & græci ferè omnes cum Euthymio calceos, non caligas, vt D. Hieronymus mauult, significari credunt: calceos, inquam, qui non totum pedem tegunt. cui intelligentiæ antiquæ picturæ Apostolorum & Christi consonant. Dixus ergo Petrus calceis vsus est, hoc est sandalijs. quod si caligas habuisse contendas, etiam & hinc sequitur quod volumus. non enim credibile est caligas indutum sine calceis incessisse. ita sentit D. Augustinus lib. 2. c. 30. de consensu Euangelistarum, & sermone 42. de sanctis: *De ijs*, inquit, *calceamentis, quibus calceati ambulamus, cõsolatur me idem ipse Dominus meus si enim ipse calceatus non esset, non de illo Ioannes diceret: non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius. sit ergo obedientia, non subrepat superba duritia : ego inquit, Euangelium impleo quia nudo pede ambulo; tu potes, ego non possum.* D. quoque Chrysost. hom. 60. ad populum Antioch. idem significat. *Qui nunc dicunt*, inquit, *vellem ipsius* (id est Christi) *formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta.* ecce tibi calceamenta Christo non negat. idem etiam censet Beda Marc. 6. idem Tertullianus affirmat calceis, qui totum cooperiunt pedem, Christianos suo tempore abstinuisse ; sandalijs vsos, quorum vsus ætate Christi modestissimus habebatur. Quod si dicas prohibuisse Christum discipulis calceorum vsum Matth. 10. *Nolite possidere* &c. *duas tunicas, neque calceamenta.* Respondent quidam, intelligi duo paria calceamentorum: probabile id sed verius puto dici posse prohibuisse integros calceos, qui totum obtegerent pedem, non autem sãdalia, vt ex Marc. constat c. 6. OEcumenius Act. 12. præceptum hoc putat Apostolis datum ad certum tempus. ait enim: *præcepta illa ad tempus seruanda dabantur.* de arcano calceamentorum significatu lege quæ diximus parte 2. dilucidat. ca. 17. Digr. 1.

16. D. Basilius in regulis breuioribus interrog. 251. *Quomodo*, inquit, *Dominus non portare sacculum, & peram in itinere vetat; nunc idem dicit. Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram : & qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium? hoc Dominus ipse dilucidè explicat, cùm dicit : oportet enim hoc etiam impleri me: & cum iniquis deputatus est ; confestim enim post euentum vaticinij de gladio, dicit Petro : conuerte gladium tuum in locum suum. omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt. vt illud nequaquam præceptum sit; sed nunc qui habet sacculum, tollat, vel tollet (ita enim plerag, habent exẽplaria) sed vaticinium Domini prædicentis, Apostolos oblitos donorum, & legis Domini, gladio etiam rem gerere ausuros. quod autem in sacris litteris imperatiuus loquendi modus frequenter pro vaticinandi modo vsurpatus sit, manifestum est multis ex locis: veluti ex eo, fiant filij eius orphani, & diabolus stet à dextris eius*; &c. sic Basil. sed de hoc loco, si Dominus Deus dederit 4. p. harum diluc. dicemus.

17. Quid interfit inter sacculum & peram ex patribus licet colligere. per sacculum enim significari videtur repositorium pecuniarum, id est, marsupium, seu crumena: per peram verò, cibariorum repositorium. sic docet Theophyl. Luc. 10.

18. *Neminem per viam salutaueritis*] Hoc præceptũ solus Lucas habet, vt neminem per viam salutarẽt. credibile tamen & id prius Apostolis esse præceptum. est autem sermo Hyperbolicus. neque enim omnem planè salutationem suis prohibere voluit, cùm hoc ad humanitatem, & beneuolentiam pertineat. tantùm ergo commendare voluit suis sedulitatem, & celeritatem in demandato opere, indicans omnia vana & non necessaria colloquia in via vitanda esse. denique resecandas omnes itineris moras, quæ animum auertunt ab earum rerum cogitatione, quæ commissæ sunt. hinc fit fidelẽ operarium totum debere in opus sibi creditũ incumbere, nec alijs distrahi oportere: ita sollicitus de rebus suæ curæ traditis sit necesse est. hoc ipsum est quod præcepit Elisæus 2. Reg. 4. 24. Giezi. cùm eum mitteret ad opus, quod celeriter exequi oportebat.

19. Hinc Orig. tract. 7. in Matth. ait, si quis non discutere volens, quæ Iesus hoc loco præcepit, quasi zelans vitam Apostolorum, neminem in via salutauerit, is quasi inhumanus, & stultus videbitur omnibus, & sic decebit audire omnes verba Christi, quasi agrestes, & inhumana docentia homines esse. forsitan aũt & morietur in odium cunctorum deductus littera se occidente. Origini consentanea scribens D. Aug. ser. 42. de SS. sentit hyperbolicum loquendi modum hunc esse: *Potest*, inquit, *simpliciter hic accipi, tamquam diceret, omnia prætermittatis, dum quod iniunctum est peragatis, ea loquutione qua solent dicta exaggerari consuetudine sermocinandi.* Ambr. lib. 7. in Luc. *hic*, ait, *non salutationis officium ac sedulitas auferitur; sed obstaculum impediendæ deuotionis aboletur, vt quando diuina mandantur, pauliſper sequestrentur humana : pulcra est salutatio, sed eò pulcrior, quò præceptorum maturior exequutio diuinorum, quæ per moram sæpè trahit offensam ideo autem & honesta prohibentur, ne solemnis gratia obrepat offi. ij, & impediat ministerium, cuius mora culpa sit.* D. quoq; Greg. ho. 17. in Euãg. *hoc præcipit*, inquit, *vt soli operi eis commisso intendant, & oblatam prædicationis occasionem non consumant in ea, quæ necessaria non sunt, sed præter intentum sese offerunt.* idem sentit Euth. Vatablus in

C locum illum 4 Reg. c. 4. præceptum Elisæi sic interpretatur: *hoc vnum agas, vt recta ad puerum eas.* Noster Delrius Adag. 208. explicans locum illum 4. Reg. *si occurrerit tibi homo non salutes eum, & si salutauerit te, bis*, inquit, *paræmialibus summa festinatio præcipitur, quia vetant omnem vel breuissimam moram, distractionem, interruptionẽ. tale quid Seruator noster Apostolis præcepit: neminem per viã salutaueritis.* Luc. 10. 4. subdit veteres in sacris proclamasse, Hoc age. *Possumus Christiani, maximè qui sors Domini vocamur, nos ipsos sic adhortari, quando vadimus vt horarium pensum persoluamus, vt concionemur, vt sacrosanctam hostiam Deo Opt. Max. offeramus.*

20. Abulensis & breuius Caietanus, inquit, propter duo fit huiusmodi mandatũ; alterum est ad tollendum moras, quæ inter salutãdum solent obrepere. alterum ad indicandum silentium ministro, vt deuotè absq; distractione mẽtis properet ad exequutionem tãti miraculi. sic & nos interdũ loquimur: ita vade, vt nec à quopiam audiare, nec videare; hoc est, si alienę sete offerãt cogitationes, & aliorsum te rapiant, non respondeas eis, neq; illis detinendo consentias. sic enim ego arbitror hæc verba accommodari posse ad moralem vsum.

21. *5. In quamcumq, domum* &c.] Vide quę diximus p. 2. diluc. c. 17. sch. n. 26. 27. *Pax huic domui*] nomẽ, שָׁלוֹם salem, pax Hebræis latius patet; quàm Latinis. docet Paulus quid nomine pacis significent Hebræi, ait enim Ephes. 2. 13. 14. *vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguinem Christi. ipse enim est pax nostra, qui fecit vtrag, vnum* &c. est ergo, definiente Paulo, hebręis pax duorũ inter se dissidẽtium redintegratio, seu recõciliatio. atq; adeò ponitur pro trãquillo, & felici rerũ statu, & opponitur seditioni, & perturbationi, vt in Gẽ. 15. 15.

Tu autem

Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. hac voce hebræi in salutationibus vtebantur, salutem, felicitatem, & incolumitatem precantes: vt videre est in eo, quod dispensator domus Ioseph respondit timore turbatis filijs Israel, & ait Gen. 43. 23. *Pax vobiscum, nolite timere,* & in libro Iudicum 19. 20. *pax tecum sit.* sic Christus post resurrectionem salutans turbatos eius morte discipulos dixit: *pax vobis.* Ioan. 20. 21. 26. 22. & hic Luc. 10. 5. hortatur discipulos, vt hac vtantur salutatione: *in quamcunq; domum intraueritis, dicite: Pax huic domui.*

22. ¶ Sed in hac discipulorum salutatione maximè contineri intelligitur reconciliatio cum Deo, quę vera salus est, & sine qua non est vlla salus, quæ vera sit. mittebantur enim Apostoli, & discipuli vt homines Deo reconciliarent, ideo hoc salutatis imprimis precabantur. & secundùm Chryso. hæc non erat sola salutatio, sed cum benedictione cõiuncta. & Theoph. per salutationem, & pacem de qua Christus ait discipulis vt primum diceret: *Pax huic domui,* benedictionem intelligit; non tamen puto ipsum excludere propriam salutationem cõiunctam cum benedictione, de hac salute, & incolumitate rogat Dauid nuntium dicens 2. Reg. 18. 28. *Estne pax puero Absalon?* & Psalm. 37. 4. *non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* eodem modo iussit saluere Nabalem 1. Reg. 25. 5. 6. *salutabitis eum ex nomine meo pacificè, & dicetis: sit fratribus meis & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus quæ cumque habes, sit pax.* quibus omnibus locis, pax integritatem, salutem, incolumitatem, & trãquillitatem significat; vt opponitur seditioni, & confuso ac perturbato rerum statui. Apud Malac. quoque 2. 5. 6. Tribus Leuiticæ felicem olim statum cõmemorans Deus ait: *pactum meum fuit cum eo vita, & pacis*; hoc est, incolumitatis nisi pacem hîc interpreteris quod semper habitura esset ea tribus sacerdotium, vt Num. 25. 13. *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum.* Sed & hoc felicitati tribuitur. Subdit mox Deus ibidem: *in pace,* hoc est, integritate obseruans mandata, *& in æquitate ambulauit mecum:* hanc eamdem vocem gladio, & bello sacræ litteræ non rarò opponunt. Matth. 10. 34. 35. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.* nomine gladij diuisionem, separationemve intelligit. sic enim subdit: *veni enim separare hominem aduersus patrem suum,* &c. itaq; diuisionem seu separationem opponi paci, idem etiam patet ex Luc. 12. 51 Denique vt docet Geneb. in Psal. 71. Pax phrasi hebræa, omne boni, & felicitatis genus includit: est autem symbolum pacis, & reconciliationis Euangelicæ cum Deo.

23. Deducitur nomen hebræum, salem, à radice שָׁלַם salam quæ significat aliquid esse integrum, perfectum, suis numeris absolutum: & per metalepsin, habere pacem, quæ hebræorum lingua consensus, concordia seu integritas, vocatur ob id, quòd pax sit partium inter se dissentientium compositio, & redintegratio. nomen ergo, salem, ab ea radice deductum, significat integritatem, perfectionem, concordiam, vnanimitatem, consensum, incolumitatem, salutem, felicitatem, redintegrationem & reconciliationem.

24. *6. Et si ibi fuerit filius pacis*] D. Greg. hom. 17. in Euang. filium pacis hic pro prædestinato accipit: quin etiam August. 1. de corrept. & gratia cap. 15. idem videtur ante Greg. dixisse: quam sententiam aliquot rationibus Toletus reijcit annot. 16. potest verus sensus, seu notio harum vocum elici ex Mat. 10. 12. vbi hoc idem obiectum est Apostolis, & subditur v. 13. *si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam, si autem non fuerit digna pax vestra reuertetur ad vos,* Itaque filius pacis erit is, qui dignus est, hoc est, qui Deum colit, nec veritati resistit, & suæ salutis auidus est. qui eiusmodi fuerit, super eum requiesceret, inquit, pax vestra, id est, proderit salutatio vestra, vtilis erit prædicatio ex quo loco Matthæi etiam intelligitur non posse filios pacis dici prædestinatos, qui à solo Deo cognoscitur. hi autem quos salutare iubentur discipuli cognosci poterant, ac debebant esse digni necne. nam ibidem v. 11. habet Matth. *in quamcunque ciuitatem, & v. intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit.* idem verò sentit Euthy. qui interpretatur filium pacis esse, qui pacificus est. est enim phrasis hebræa. ij autem vtuntur genitiuo substantiuo pro adiectiuo dicunt enim: filium diuitiarũ, id est, hominem diuitem, ita & filium pacis pro pacifico. hæc explicatio consentit cum nostra. alij quidam interpretantur filium pacis, hoc est, dignum pace, quod non multum placet Toleto. sed nõ video cur displiceat, nam qui dignus est pace, is est veritatis & salutis amator, & Deum colit. dicere itaq; hominem dignum esse eum, qui Deum colit, qui consentit veritati, & cæt. idem est ac dicere esse dignum pace; cui contrarij sunt ij, *qui sunt ex dissentione & non acquiescunt veritati: credunt autem iniquitati,* vt Apostolus ait Rom. 2. 8. & ita de Paulo Actor. 18. 7. dicitur intrasse in domum cuiusdam nomine Titi Iusti, colẽtis Deum. is dignus ac filius pacis dici potest.

Cæterùm ad magis declarandam hanc phrasim hebræam, qua dicimus filium iniquitatis, & filium pacis, & similia, tres vtiles canones notat Delrius Adagio 691. primus canon; quando hæc vox, Ben, vel filius in Scriptura coniungitur cum genitiuo rei substantiam denotante, tunc vsurpatur nomen illud cui adiungitur pro casu suo nominatiuo, vt filij hominum, id est, homines; & secundùm aliquos, filius hominis, homo, sic filij taurorum. Eccles. 38. 5. vel filij arietum, tauri, vel arietes Psal. 28. 1. & filia areæ, area. Isa. 21. 10. ita filij populi, populares; filij exercitus, exercitus ipsi; filij orientis, orientales; filia Ierusalem, filia Sion, filia Babylonis. Hierosolymitana, Siconia, Babylonica, & apud Homerum υἱὸς Ἀχαιῶν, Achæi. verum non habet locum hæc regula, quando ille genitiuus continet aliquid pertinens ad ipsum patrem vt est affectio, vel dignitas, vel peculiaris paternitatis ratio, vt cùm dicitur filius Abraham, filius Dauid & cæt. vel filius doloris, vel filius dexteræ, Benoni, Beniamin Genes. 35. 18. vel (secundùm alios) in nouo testamento, filius hominis dicitur Christus, quia ex sola matre; & apud Apostolum Colossens. 1. 13. *filius dilectionis suæ,* hoc est, filius dilectus. Alter canon; quando nomen, filius, annectitur casui patrio, significanti aliquid ipsi rei intrinsecum, aut acquisitum præsens, vel præteritum; tunc filij significat idem, quod generale vel speciale nomen rei; de qua fit mentio, & explicari debet genitiuus per suum adiectiuum, v. g. filius iniquitatis psal. 88. 23. id est, homo iniquus: agitur enim de peccatoribus, quorum nomen specificum est homo. sic filij cantorum, homines cantores 2. Esd. 12. 28. filij Prophetarum 2. Regum 2. 3. Homines Prophetæ; vel discipuli prophetarum. item iuxta Hebræum textum, filij roboris, seu fortium Psalm. 29. 1. 2. Paralipom. 26. 17. & 28. 6. & 1. Paralipom. 26. 6. & 2. Regum 1. 7. hoc est, homines fortissimi. Filij captiuitatis Daniel. 6. 13. homines captiui: filij deliciarum Mich. 1. 16. homines delicati. Sic filius vnius anni 1. Regum 13. 1. id est, homo vnius anni. similiter Isa. 5. 1. in cornu filio olei, cornu ponitur pro robore & potentia, oleum verò pro abundantia, & fertilitate; nomen autem genericum, siue

genus

genus prati, horti, vineæ est fundus, locus, solum, siue terra. quare explicandum est in loco munito, seu forti, simul & fertili. sic Zachar. 4. 14. Duo filij olei, siue iuxta septuaginta, pinguedinis, sunt duo Prophetæ secundi in gentium conuersione futuri.

Tertius canon; cùm nomen filij iungitur genitiuo nominis, quod designat accidens omninò extrinsecum, & pendens à futuro, vtpotè indicans præmium vel pœnam, aut quid simile, tunc explicandum est per futurum verbi cognati, vel per vocem dignus, v. g. 1. Regum 20. 31. & 2. Regum 12. 5. filius mortis homo dignus morte. Psalm. 78. ij filij mortificatorum, homines digni vltimo supplicio Matt. 23. 15. *Filium gehennæ duplo quam nos*, hoc est, (vt cum Columella dicam) duplicius dignum æterna damnatione, quam vos estis. Ioa. 17. 12. filius perditionis, homo dignus, vel certus perdi. Deut. 25. 2. Filius verberum, homo verberandus, verbero. Ephes. 2. 3. *natura filij iræ*, natura digni ira, & supplicio. sic quod Matth. 10. 13. dicitur: *si fuerit domus illa digna, pax vestra veniet super eam.* Lucæ 10. 6. seruato idiotismo, dicitur: *si fuerit ibi filius pacis*, hoc est, dignus pace. hæc ex Delrio, quæ vtilia sunt non modò ad hunc Lucæ locum intelligendum, sed ad multa alia scripturæ loca: illud tantùm notauerim, etiam filium pacis rectè per secundam regulam accipi posse pro homine pacifico eo modo quo exposui n. 24.

26. *Requiesceat super illum pax vestra: sin autem ad vos reuertetur*] Sic explicat hunc locum Augustinus sermone 42. de sanctis: *Veniant*, inquit, *ad domum & dicant, pax huic domui. non ore solum dicunt, quo plenti sunt, fundunt, prædicant pacem, & habent pacem. non sunt tales, de quibus dictum est, pax, pax, prædicantes non habent (pacem) laudant, & amant, dicunt, & non faciunt, sed tamen tu accipe pacem, siue occasione, siue veritate Christus annuntietur. qui ergo plenus est pace, & salutat; pax huic domui; si est illic filius pacis, requiescet super eum pax illius: si quo minus, fortè enim non est illic filius pacis, nihil perdidit, qui salutauit: ad vos, inquit, reuertetur. reuertetur ad te quæ non discessit à te. hoc enim dicere voluit, tibi prodest, quod annuntiasti, nihil profuit, qui non suscepit, non quia ille inanis remansit, ideo tu perdidisti mercedem. redditur tibi pro voluntate tua, redditur tibi pro caritate, quam impendisti. reddet tibi qui te securum velit voce Angelica, pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* Vide quæ diximus p. 2. diluc. cap. illo 17. schol. n. 27. vbi secundùm sensum assignauimus & secundus fuit hic idem ab August. insinuatus. Contra quem hoc obijci potest; nam etiam si dignus salutatione fuisset is quem salutabant Apostoli, & Discipuli, non amisissent mercedem suam: at Dominus dicit, si indignus erit reuertetur ad vos pax vestra, salutatio vestra, id est, proderit vobis, non carebitis mercede siue dignus, siue indignus fuisset pace. seu salutatione is quem salutabant, semper pax hoc sensu reuertebatur ad Apostolos vel discipulos, non enim priuabantur sua mercede vnquam. tantùm ergo Dominus significat Apostolos, seu discipulos, etiamsi indignis hospitibus precentur pacem, non amissuros esse præmium, vel mercedem operis sui; ac proinde non fore omninò vanam, & prorsus inutilem salutationem. itaq; siue digni, siue indigni sint hospites, vel domus, pax, & salutatio, id est, merces salutationis ad salutantes reuertetur, non præteribit illos.

Sin autem] Idem est, ac sin minus.

27. 7. *In eadem autem domo manete &cæt.*] Græcè ἐν αὐτῇ δὲ τῇ οἰκίᾳ. *in ipsa autem domo*, videlicet, cuius vos pater familias receperit, hinc patet non esse sensum, quasi iusserit Dominus discipulos binos manere: esto id sequi videatur ex his verbis Christi: & licet noster interpres habeat *in eadem autem domo manete*, idem tamen sæpe sensus est.

Edentes & bibentes quæ apud illos sunt] *Hoc est*, inquit Theophyl. *quæ proponunt vobis, etiamsi vilia & parua sint; nihil amplius inquirentes*, &, vt ait D. Greg. hom. 17. qui sacculum & peram portare prohibuit, sumptus, & alimenta ex prædicatione concedit.

Dignus est enim operarius mercede sua] Quasi dicat, concionatores operarij sunt, ergo mercede digni. Iure igitur, vt Paulus ait 1. Cor. 9. 14. *Dominus ordinauit his, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* & ad Galat. 6. 6. *Communicet autem is, qui catechizatur verbo ei, qui se catechizat, in omnibus bonis*, hoc est, qui mysteria fidei docetur verbo fidei, communicet ei, qui se docet, bona temporalia, si ille eget. quare quod Deuter. 25. dicitur: *non alligabis os boui trituranti*, rectè interpretatur Apostolus de doctoribus & concionatoribus. Notandum, inquit Greg. eadem ho. 17. quod subditur: *Dignus est operarius mercede sua. quia iã de mercede operis sunt ipsa alimenta sustentationis; vt hic merces de labore prædicationis inchoetur; quæ illic de veritatis visione perficitur: qua in re considerandum est, quod vni nostro operi duæ mercedes debentur: vna in via, altera in patria: vna quæ nos in labore sustentat, alia quæ nos in resurrectione remunerat. merces itaque, quæ in præsenti accipitur, hoc in nobis debet agere, vt ad sequẽtem mercedem robustius tendatur. Verus ergo quisq; prædicator non ideo prædicare debet, vt in hoc tempore mercedem recipiat; sed ideò mercedem recipere, vt prædicare subsistat. quisquis namque ideo prædicat vt hic vel laudis, vel muneris mercedem recipiat, æterna proculdubio mercede se priuat. quisquis verò vel ea quæ dicit, ideo placere hominibus appetit, vt dum placet quod dicitur per eadem dicta non ipse, sed Dominus ametur: vel iccirco terrena stipendia in prædicatione consequitur, ne à prædicationis voce per indigẽtiam laxetur: huic proculdubio ad recipiendã mercedem nihil obstat in patria, quia sumptus sumpsit in via.* Sic sapiẽter Greg.

Nolite transire de domo in domum] Hoc est, quod dixerat; *in eadem domo manete*, quia alioqui domicilium mutare citra necessitatem, leuitatis, & inconstantiæ est, &, vt inquit Ambros. sermo. 32. *reprehensibile est vt vir, qui Euangelium annunciat, & docet errandum non esse, ipse per diuersos incipiat oberrare, & domum cui pacem dixerat, deserere, hospitemq; contristare.* dixi citra necessitatem, quia nõ prohibet hic Dominus ex iusta causa de domo vna in aliam migrare, id quod fecit Paulus Actor. 18. nam de domo Aquilæ transiuit in domum Titi. Videitem, quæ parte 2. cap. 17. schol. num. 25. diximus.

28. 8. *Et in quamcumque ciuitatem &cæt.*] Hoc documentum, inquit Toletus, non idem prorsus est cum præcedenti: *in eadem autem domo manete edentes &c.* prius enim dixerat, *vt ederent de ijs, quæ sunt de bonis eorum, quibus prædicauerint, quasi diceret, non est quod ematis aut pretio comparetis vobis victum, sed ijs qui aliorum sunt vtimini, ac si vestra essent: ob id adiunxit Christus, dignus est operarius mercede sua, nec dictum est, edite, & bibite quæ apponuntur vobis, sed quia apud illos sunt. nunc autem monet vt in ijs quibus vti conceditur, non curent quid, aut quale sit quod eis offertur, sed quolibet cibo & potu dato sint contenti.* Sic Toletus. probabilis quidem est hæc expositio, sed vt significaui versic. præcedente ex Theophyl. idem mihi videtur esse præceptum vtrobique, & tantùm hoc interesse, quòd ibi sermo sit de domibus priuatis, earumque domesticis; at hic de ciuitatibus, & oppidanis.

pidanis. Apostoli enim & Discipuli non recipiebantur ipso statim initio prædicationis à ciuitatibus, quin potius repellebatur inde eorum prædicatio saltem aliquando; & ita compellebantur sæpè ad priuatas domos adire, & ad quosdam hospites notos diuertere. ideo Dominus prius ingressus in domum, postea in ciuitatem meminit. vbi enim sensim per miracula, salutem, doctrinam, & vitæ sinceritatem cognosci cœperant, tunc libenter à ciuitatibus, & villis recipiebantur.

29. 9. *Et curate infirmos*] AEgris sanitatem restituite, inter ægros autem intellige dæmoniacos, vel à dæmone arreptos. nam discipulos etiam dæmones expulisse legimus inferius hic cap. 19.1. *etiam dæmonia subijciuntur nobis.* Itaq; & docere, seu prædicare, & miracula edere iubentur, vt & mentem illustrent Euangelij doctrina, & beneficijs in corpus collatis affectus, & voluntas eorum afficiatur magis erga doctrinam Euangelicam, & alliciantur hi qui audiunt ad eam admittendam.

Et dicite illis appropinquauit in vos regnum Dei] Nimirum regnum Messiæ propinquum est: etenim à Christi resurrectione cœpit Ecclesia Christianorum propagari, & ea regnum est Christi. vel appropinquasse dicitur regnum Dei, hoc est, aduenisse iam Christum olim in lege & Prophetis promissum, & à Iudæis iam diu expectatum. aduentus ergo Messiæ regnum etiam Dei appellari potest; vel deniq; regnum Dei regnum est cælorum, cuius ianua prius lógo tempore obserata per aduentum Christi aperta est.

30. 10. 11. *Etin quamcumque* &c.] D. Hieronymus Amos 2. *Saluator*, ait, *discipulis præcepit, vt si fortè quoniam adhuc versabantur in terra, mortale quid eorum in operibus adhæsisset, excuterent puluerem de pedibus suis.* hoc morale potius est, vide quæ diximus parte 2. eodem c. 17. sch. n. 28. 29. Circa illa tantùm verba ver. 11. *Tamen hoc scitote quia appropinquauit regnum Dei*] Obseruandum est aliud esse prædicare Euangelium, aliud credere Euangelio, primum etiam inuitis & nolentibus populis, si fieri potest, faciendum est. est enim hoc Apostolis & Discipulis eorumque successoribus præceptum, & ideo obseruandum. alterum verò, quod est credere, liberum relinquitur audientibus Euangelium. qui enim nunquam crediderunt, non sunt inuitè, & contra suam voluntatem cogendi vt Euangelium recipiant; quamuis grauiter peccent, & æternis pœnis obnoxij sint, cùm diuino præcepto non obediant. Hæc constant ex Actor. 5. vbi cum Apostolis diceret princeps sacerdotum versic. 28. *præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto* &c. versic. 29. Respondens Petrus & Apostoli dixerunt: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* erat ergo præceptum prædicare etiam inuitis Iudæis, & Pharisæis; & inferius versic. 40. cùm ij, qui erant in concilio, conuocantes Apostolos cæcis denuntiassent, ne omninò loquerentur in nomine IESV, subditur versic. 42. de Apostolis; *omni die non cessabant in templo, & circa domos docentes, & Euangelizantes Christum Iesum.* quæ rectè annotat. 15. à Toleto obseruantur. hoc ergo hic significatur, cùm dicitur: *tamen hoc scitote.* vt sit sensus: quamuis hinc discedamus, excusso etiam in vos puluere, non tamen præterimus vos monere iterum atque iterum appropinquasse regnum Dei, vt intelligatis culpa vestra vos non credidisse, non nostra, qui prædicauimus, & fecimus partes nostras, prout nobis à Deo præceptum est.

12. *Dico vobis*] Hæc exposita sunt à nobis part. 2. capit. 10. schol. num. 44. & capit. 17. schol. num. 30.

A 13. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida* &cæt.] Vide parte 2. eod. c. 10. sch. n. 40. 41. & Theo. 1. & 2. vbi de hoc loco disputatum est.

14. *Verumtamen Tyro & Sidoni remissius erit in iudicio* &c.] Vox illa, *verumtamen*, Græcè πλὴν, vim habet inferendi, vt sit sensus, *idcirco*, vel *propterea*, idque secundùm Euthymium in Matthæū. Alij malunt accipere vt particulam vehementer affirmantis, & asseuerantis aliquid. mihi placet esse aduersatiuam particulam, vt sit sensus: licet plura miracula & virtutes factæ sint apud vos, quàm apud Tyrios & Sidonios, atque adeò in hac vita, quod ad beneficia attinet diuina, prælati sitis, ad diem tamen extremum iudicij grauioribus & acerbioribus supplicijs puniemini, quàm Tyrij & Sidonij. non ergo illud, *in iudicio*, significat non esse puniendos ante iudicium; sed potius insinuat alterum sæculum. 31.

B 15. *Et tu Capharnaum*] Vide loc. citat. c. 10. sch. n. 41.

16. *Qui vos audit me audit*] Matth. 10. legimus Apostolis dictum esse, quid simile, *qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* quod de receptione in hoc hospitium ob ea, quæ sequuntur, videtur accipiendum. Vide parte 2. dilucidationum cap. 17. schol. num. 55. 56. quibus verbis significatum est contrarium eius, quod hic manifestè ponitur. *qui vos spernit, me spernit* &cæt. Lucas verò hic ait: *qui vos audit*, id est, qui vestræ doctrinæ credit, vestrisque præceptis obtemperat, *me audit*, mihi obtemperat. hoc ergo interest inter illum locum Matthæi, & hunc Lucæ, quod ibi de receptione hospitij sit sermo, hic de receptione doctrinæ; si tamen ea, quæ expressè, & clarè præcipiuntur respiciamus; tacitè, & in receptione illa Matthæi ad hospitium, etiam continetur receptio doctrinæ de qua Lucas; & illa Matthæi in hac Lucæ. Verùm obserua non dixisse C Dominum: qui vos non audit, me non audit, sed potius, *qui vos spernit, me spernit*, quia reuera non credere, & obedire prædicanti nomine Christi, contemptus quidam est concionatoris, & concionis. 32.

Iterum obserua quanta sit Prælatorum auctoritas, quorum est prædicare Euangelium, quibus etiam parendum est; est enim non ab hominibus, sed à DEO auctoritas illis collata: & quod ipsis debeatur fides & obedientia, non modò ex præcepto Christi sit; sed etiã quia ipsi vices Christi gerunt, eum repræsentant. postremò pater hinc quanta debeat esse ipsorum sanctitas; & quantoperè cauendum subditis ne contra eorum præcepta faciant, eosque hoc modo spernant. Audi quid Dominus Samueli 1. Regum 8. dixerit: *non te spreuerunt, sed me.* & Moses Exod. 5. 6. rebellibus, ac contemptoribus Iudæis dixit: *non contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum.* qui & D Deuteronom. 16. necari mandauit eum, qui sacerdotis iudicio & præcepto parere recusaret. 33.

THEORIA PRIMA.

Fuerintne septuaginta Discipuli, an septuaginta-duo?

1. Græcorum de discipulorum Christi numero sententia.

VETERES quidam auctores, præsertim verò Græci, cùm mentio incidit discipulorum, septuaginta dumtaxat solent ponere, vel numerare. Sunt hi Irenæus libr. 2. cap. 37. & libr. 3. capit. 13. Clemens libro 4. dispositionum, quem citat Eusebius libro 1. histor. Eccles. cap. 14. Ambrosius hic, & sermone 24. Diuus Hieronym. ad Fabiolam de quadraginta duabus mansionibus. Damasus epist. 4. quæ est de Chorepiscopis, Concil. Neocæsar. canon. 13. quem Damasus profert. Dorotheus in synopsi: hi septuaginta numerant, fauent plerique Græci codices, & Syriaci septuaginta tantum legunt; quod sequuntur Euthym. & Theophylact. nec desunt rationes, quibus stabiliatur hæc sententia. numerum enim septuagenarium vt & duodenarium aiunt Iudæis in honore, & veneratione fuisse. duodenarium quidem propter duodecim Patriarchas; septuagenarium verò ob septuaginta animas, quæ cum Iacob ingressæ sunt in AEgyptum, à quibus totum postea Iudæorum genus profeminatum est Genes. 46. 27. Adhæc Moses non septuaginta duos, sed septuaginta dumtaxat seniores, consulente Ietro socero, elegit; qui infra se iudicarent. Exod. 18. 21. & 24. 1. Et Dominus Deus Numeror. 11. 16. septuaginta seniores eligi præcepit: *congrega*, inquit, *mihi septuaginta viros de senibus Israel.* His accedit Exod. 15. 27. in Elim, vbi castra posuerunt Israelitæ AEgypto egressi duodecim fuisse fontes, & septuaginta palmas, vt illis significarentur duodecim Apostoli, illis septuaginta discipuli.

2. Sententia Latinorum circa eundē.

Cæterùm Latini codices passim septuaginta duos discipulos constanter affirmant, & inter Græcos Diuus Epiphanius Hæresi 20. Tacianus Alexandrinus in sua Euangelica harmonia capite 6. legit septuaginta duos. Ammonius itidem in concordia Euangelist. capite 17. Clemens Papa constitut. libr. 2. capite 59. vel 55. Titus Bostrensis Lucæ 10. Diuus Augustinus libr. 2. quæstion. Euangel. cap 14. & serm. 42. de S S. & lib. 2. de consensu Euangelistarum. Auctor de mirabilibus sacræ Scripturæ capite 9. Beda Lucæ 10. vt interim omittam Anacletum Papam Martyrio, & antiquitate venerandum epist. 2. & 3. & Zephyrinum epist. 1. quos citauimus in schol. num. 3. Quin Diuus Hieronymus licet tantùm septuaginta discipulos numeret; cùm tamen omni labe emaculatum quattuor Euangel. librum ad Damasum mittit, ex emendatioribus codicibus restituit numerum septuaginta duorum Lucæ 10. scribit verò ipse Hieronymus de egregia à se nauata opera in corrigendis deprauatis quattuor Euangeliorum codicibus Præfat. in quattuor Euangel. Diuus Ambrosius quoque, quamuis discipulorum septuaginta solum faciat mentionem, postea tamen in

A caput 9. Epistol. ad Romanos & in caput 12. prioris ad Corinthios, clarè de septuaginta duobus discipulis loquitur: ausim etiam affirmare aliquos, qui septuaginta tantùm nominant, vsurpasse nomen septuaginta breuitatis caussa pro septuaginta duobus, eo modo quo dicimus septuaginta interpretes, quamuis septuaginta duo fuerint. constat igitur numerum septuaginta duorum discipulorum esse maximo consensu patrum receptum, & legendum esse hoc loco Lucæ: *designauit Dominus & alios septuaginta duos.* id, quod constat ex Biblijs iussu summi Pontificis correctis.

Vera sententia, eiusque rationes.

Hæc igitur est sententia quam sequimur; nam primò vt rectè hic obseruat Maldonatus, si probatum erit, legendum esse septuaginta duos, totidem fuisse discipulos, satis probatum erit. si quis verò probet legendum esse septuaginta, non omninò efficiet non fuisse plures: quoniam fieri potuerit, vt cùm septuaginta duo fuerint, septuaginta tamen tantùm à Diuo Luca dicantur breuitatis caussa. Est & alia ratio, cur proniores, esse debeamus ad hanc sententiam amplectendam, quia cùm Dominus propterea duodecim Apostolos elegerit, quod duodecim essent tribus (docuimus hoc parte 2. harum dilucidationum cap. 8. schol. numer. 12.) verosimile est eo numero quoque discipulos elegisse, vt æqualiter respondere possent singulis tribubus; porrò numerus septuaginta duo æqualiter diuidi potest inter duodecim, non item septuaginta. Sex enim ex diuisione septuaginta duo singulis tribubus obtingent.

3.

C Adhæc quæ aduersarij afferunt de numero eorum, qui cum Iacob in AEgyptum ingressi sunt, & de septuaginta senioribus; non tam pro ipsis, quàm pro nobis potius faciunt. nam si loquamur de ijs, qui egressi sunt de femore Iacob, & qui reipsa cum illo in AEgyptum descenderunt, erunt sexaginta sex animæ, vt ex Scriptura constat loco citato versiculo 26. tunc enim nec Iacob, nec Ioseph numerandus erit, qui iam erat in AEgypto, nec ingressus cum Iacob est: & Iacob non erat inter eos, qui propagati erant ex eius femore, numerandus. numerantur hic filij Iacob, qui ingressi sunt aliquomodo AEgyptum, ibi verò de his, qui reipsa cum Iacob ingressi sunt, agitur. Quod si numerare velimus Iacob, & Ioseph, & duos eius D filios, qui illi nati sunt in AEgypto, nec in AEgyptum cum Iacob ingressi fuerunt; erunt quidem septuaginta, sed tunc si eodem modo duos quoque filios Iudæ numeremus Her, & Onam, qui priusquam AEgyptum inirent, obierant Genes. 46. 12. erunt septuaginta duo omnes, qui nati erant de Iacob, numerando ipsum. quod si dicas, istos non esse ingressos AEgyptum, nec cum Iacob, nec sine illo; idem dicam ego de filijs Ioseph. scio posse responderi non esse rationem eamdem, quia filij Ioseph Ephraim, & Manasses saltem cum Ioseph ingressus est AEgyptum, & ipsi ingressi esse dici possunt tamquam contenti in lumbis eius. non item Her, & Onam. fateor hanc responsionem

4. 2. Ratio.

Digitized by Google

admitti posse ad conciliandum versicul. 26. Genes. cum versiculo 27. ibi enim dicuntur sexaginta sex animæ ingressæ AEgyptum, hîc verò septuaginta, quia si numerus septuaginta præferendus est, quia septuaginta animæ ingressæ sunt AEgyptum numerando cum Ioseph duos eius filios, qui quando ipse ingressus est AEgyptum, erant in lumbis eius; etiam & alia ratione præferendus erit numerus septuaginta duo propter omnes illos, qui vsque ad illud tempus ex Iacob nati fuerant, ipsum etiam numerando cum duobus filijs Iuda; conficiunt enim numerum septuagintaduorum, quod si dicas Actor. 7.14. animas septuagintaquinque ingressas esse AEgyptum, sic enim affirmat Diuus Stephanus. Respondetur, si cum Iacob, & Ioseph, & duobus eius filijs, numeres quinque tum nepotes Ioseph, tum pronepotes, qui nati sunt ipso viuente in AEgypto, sic erunt septuagintaquinque animę prout numerarunt septuaginta interpretes, quos sequutus est Diuus Stephanus in Actis; reliqui verò, qui nullo modo nati sunt in AEgypto, numerari non debent. quod si petas, cur potius in nostra versione ad explendum numerum septuaginta numerentur Ephraim, & Manasse filij Ioseph, quàm aliorum Patriarcharum? Respondeo, quia illi duo filij Ioseph confecturi erant duas tribus.

5. 5. Ratio. Quod verò Moses septuagintaduos seniores elegerit, illud, præter plurium auctoritatem, indicat, quod credibile sit ex singulis tribubus sex electos esse seniores. neque enim verosimile est ex vna tribu, plures quàm ex alia fuisse sumptos: si ergo æquales, & quidem sex sunt electi, omnes, ex duodecim tribubus desumpti, erunt septuagintaduo. dices, potuisse confici numerum octogintaquattuor sumptis æquali numero senioribus ex singulis tribubus, at nemo concedit seniores fuisse supra septuaginta duos. At quæstio tantùm vertitur, septuaginta ne fuerint, an septuagintaduo. Illud non inficiabor, non à tribubus, sed à Mose hos seniores electos esse, vt patet Numeror. 11. 16. 24.

6. 4. Ratio. Quartò assignari potest ratio, cur hoc numero septuagintaduorum electi fuerint à Domino discipuli. possum primùm dicere causam esse ob sanctitatem quãdam huius numeri, & quod multis celebris sit exemplis, vt septuagintaduarum animarum, quæ ex Iacob descenderant, ipso etiã numerato, septuagintaduorum Iudicum, in quos spiritus Mosis effusus est, septuaginta duarum palmarum in deserto, septuagintaduorum interpretum, septuagintaduarum linguarum, totidemque gentium, in quas ij, qui turrim Babylonicam construebant, diuisi sunt, vt passim fertur, quibus omnibus Euangelium prædicandum erat, etenim septuagintaduas linguas, vel gentes fuisse opinatur Diuus Epiphanius contra hæreses initio. Sic Diuus Augustinus libro 16. de ciuitate 3. capite 3. & 11. Sic Diuus Hieronymus Matth. 26. Sic Prosper libr. 3. de vocat. gentium capite 4. & alij, item Hebræi, vt tradit Genebrardus in chronographia. Scio Pererium nostrum tomo 2. in Genes. libro 16. censere hunc gentium, & linguarum numerum incertum esse. Sed colligi potest ex Genes. 10. vnde septuaginta duas familias turrim ædificasse colligere est, & ex ijs diuisas esse gentes, ac linguas septuagintaduas credibile est. Auctor de mirabilibus sacræ Scripturæ capite 9. ac Beda Lucæ 10. ex septuagintaduabus linguis, & gentibus confirmant numerum septuagintaduorum discipulorum. numerum hunc septuagintaduo respondere viginti quatuor diei horis, quæ multiplicatæ per tria, quæ mysterium Trinitatis indicant, efficiunt septuaginta duas horas, quot sunt discipuli. Apostoli verò duodecim, respondent duodecim anni mensibus.

7. Aliorum, ad constituendum 72. discipulorũ numerum, ratio.

Sunt, qui eumdem numerum significatum velint per tintinnabula illa aurea, quæ in ora extrema vestimenti Aaronis pendebant, ita collocata vt semper inter duo mala punica esset vnum tintinnabulum, & inter duo tintinnabula vnum malum punicum. Exodi 28.33. 34. & Ecclesiast. 45. 10. 11. Volunt autem fuisse tam mala punica, quàm tintinnabula, septuaginta duo; ita vt malo granata, propterea quod coronam habeant, & multitudinem granorum multiplici distinctione seiunctam, aptè significare possint regna nationes & linguas mundi diuersas septuagintaduas; tintinnabula verò prædicatores atq; adeò discipulos Christi septuagintaduos per varias mundi partes, & regna ad prædicandum Euangelium missos.

Eius solutio

Verùm non constat de numero malorum punicorum quot fuerint, sicut nec de tintinnabulis. Sunt enim, qui duodecim tantùm fuisse affirment malo granata, similiter & tintinnabula ad repræsentandos Apostolos duodecim, quorum sonus in omnem terram exiturus. Sic Iustinus in Triphonem, contra alij multò plura fuisse putant. vide Diuum Hieronymum epistola ad Fabiolam, Iosephum libro 3. antiquitatum capite 8. quamuis rectè tintinnabula concionatores significent.

8. Obiectio cõtra veram sententiam.

Barradius reijcit illud, quod superius assertum à nobis est de septuagintaduobus senioribus, & de septuaginta duabus palmis in deserto. præcipua ratio est, quia scriptura nusquam dicit fuisse septuaginta duos seniores, vel septuaginta duas palmas, sed tantùm septuaginta. cur ergo nos credamus esse septuagintaduos? Fateor propterea probabile id esse, quod attinet ad palmas, & seniores; nihilominus quia viri aliqui graues, Iansenius, Salmeron, Baronius, Maldonatus, & alij illud affirmant; & fauet id numero septuagintaduorum discipulorum, sicut duodecim fontes in deserto numero duodecim Apostolorum; & mos, breuitatis caussa, numerandi septuaginta interpretes, quamuis septuagintaduo fuerint omnium sententia, idem suadet. Illud non negauero numerum septuagintaduorum interpretum, non ab Eleazaro Pontifice Iudæorum electum esse, sed ab ipsomet Rege Ptolemæo fuisse præscriptum, vt patet ex epistolis apud Iosephum libro 12. antiquitatum capite 12. quamuis aliud significet Iansenius. Scripsit enim

Dilutio.

Ptole-

Ptolemæus ad Pontificem Iudæorum : *benefacies si idoneorum delectu per tribus habito, ex vnaquaque sex viros bonos iam seniores ad nos miseris.*

9. atio vlt.

Poltremò & hanc nostram sententiam de septuagintaduobus senioribus & palmis confirmare possumus ex Regula Diui Augustini libro secundo quæstionum in Exhodum quæ stione quadragesimaseptima solere scripturam cardinalem, quem vocant, numerum seu perfectiorem exprimere, quamuis aliquid illi aut superfit, aut desit, ita vt quod de summa perfectioris numeri paulùm excrescit, aut infra est, non computetur. sic Actorum 7. 6. & Genes. 15. 13. dicitur semen Abraham peregrinum futurum & seruitutem in AEgypto seruiturum quadringentos annos, cùm aliquanto plures fuerint, nimirum 405. numerandi enim sunt hi anni ab ortu Isaac: ab hoc enim tempore cepit peregrinari semen Abraham in terra non sua, quod fuit anno centesimo Abrahæ; nam licet Abraham venerit in terram Canaan anno septuagesimoquinto ætatis, vigintiquinque annis videlicet ante ortum Isaac, nihilominus semen eius in terra non sua non fuit peregrinum ante natum Isaac. Porrò Diuus Paulus ad Galatas 3. 17. & libr. Exhod. capite 12. 40. quadringentos triginta annos numerant à promissione prima cùm ageret Abraham septuagesimumquintum annum, & ingrederetur terram Canaan. vnde ad ingressum Iacob in AEgyptum fluxerunt anni ducenti quindecim; qui coniuncti faciunt annos quadringentos triginta; à quibus si subtrahas vigintiquinque annos, qui fluxerunt à septuagesimoquinto anno Abrahæ vsque natum Isaac, remanebunt anni quadringentiquinque. Sed hæc obiter, vt intelligamus annos peregrinationis seminis Abrahæ coniunctos simul cum annis seruitutis, & afflictionis conficere annos quadringentosquinque ab ortu Isaac; quamuis scriptura in Actis, & in Genesi, quadringentos nominet, videlicet minutos illos numeros non curat. nihil ergo absurdi dixerimus, si dicamus eodem modo septuaginta seniores, & septuaginta palmas dixisse scripturam more suo, binario neglecto; quamuis, vt verum fatear, parum ea res referat ad confirmandum numerum septuaginta duorum discipulorum, satis enim est ad id conficiendum communis Patrum auctoritas & codices emendati, qui passim septuaginta duos apud Lucam legunt.

emen Abra æ quot an- is peregri- um fuerit t in serui- ate vixerit.

10. Quos Apost. tem; quos lisciputi tunc in Ec- lesia habeat ucceſſores.

Cæterùm dubitari etiam hic potest, quinam nunc in Ecclesia Apostolorum, qui discipulorum locum teneant. Passim censent, Episcopos Apostolis, Presbyteris septuagintaduobus discipulis successisse. Sic Anacletus epistola secunda, & Diuus Hieronymus ad Marcellam aduersus Montanum. & Beda in comment. in caput Lucæ 15. & hæc est communior, ac verior sententia. quamuis non ignorem Ignatium epistola ad Smyrnenses, Episcopos Christo, Presbyteros Apostolis, Diaconos septuagintaduobus discipulis similes facere, & Clementem etiam lib. 2. constitut. capite 30. & eumdem Ignatium in epistola ad Trallianum. & in epistola ad Magnes. significare Episcopos Dei Patris, Presbyteros Christi, Diaconos, Apostolorum personam gerere.

11. Quomodò Presbyteri 72. discipulis succedãt.

Illud non est prætermittendum Presbyteros septuagintaduobus discipulis Domini non aliter, quàm per similitudinem quamdam dici succedere, sicut Apostolis Episcopos. nam septuagintaduo discipuli non fuerunt Presbyteri, nec vllum ordinem aut iurisdictionem à Christo susceperunt: Philippus enim, & Stephanus, & alij quinque Diaconi, ab Apostolis ordinati Actorum 6. erant ex septuagintaduobus discipulis Domini, vt docet Epiphanius Hæresi 20. non fuissent autem Diaconi ordinati, si iam ante ordinem Presbyterij habuissent. similitudo autem in hoc posita est, quia sicut Christo in terris viuente primi sub Christo erant Apostoli duodecim, deinde septuaginta duo discipuli; ita nunc primi sub Romano Pontifice sunt Episcopi, post eos Presbyteri &c. non ergo propriè Episcopi Apostolis succedunt, nec Presbyteri septuagintaduobus discipulis; quamuis Apostoli etiam ratione ordinis Episcopalis dici possint succedere Apostolis, non tamen propriè eo modo, quo vnus Episcopus alteri, & vnus Rex alteri succedit. Vide Bellarminum libro quarto de Romano Pontifice capite vigesimoquinto.

THEORIA II.

Quinam fuerint septuagintaduo discipuli?

OECVMENIVS in Acta Apostolica inter septuagintaduos discipulos numerat hos.

- Barnabam.
- Sosthenem.
- Cephas cognominem Petro.
- Matthiam qui inter duodecim connumeratus postea fuit.
- Barsabam.
- Linum de quo ad Timotheum scribens meminit Paulus.
- Thaddæum.
- Cleopam & qui cum ipso erant.

Baronius Annal. tomo 1. Anno Christi trigesimotertio sic de nominibus discipulorum Christi scribit. *Nomina discipulorum, qui à Domino fuerunt electi, dum singula exprimere conati sunt aliqui, omnes ferè, quorum inuenerunt in epistolis Pauli fieri mentionem, quos eiusdem Apostoli constat fuisse discipulos, simul confarcinantes, nulla prorsus habita ratione veritatis, inter discipulos Domini adnumerant: & quod deterius est, eos admiscent, qui nec Apostolorum discipuli fuisse noscuntur; primus post Hippolytum, quod inuenerimus, eius rei auctor fuit Dorotheus, qui falso cognomine: Tyrij Episcopus inscribitur; immò & ab aliquibus martyrij titulus eidem adijcitur: sed quam diuersus sit ab illo*

Digitized by Google

Dorotheo Tyrio, qui multa passus est temporibus Iuliani Apostatæ, dicemus suo loco: tu consule quæ notauimus in martyrologio Romano, dum de Dorotheo Tyrio egimus. hæc Baronius: & verè; nam, quod ad Dorotheum attinet, cautè legendus est ille libellus de septuagintaduobus Christi discipulis: pleraq; enim habet ab historica veritate abhorrentia. nam præterquam quod is auctor quoscunque nominatos in Epistolis Pauli absque alio delectu recenset inter septuagintaduos discipulos, certè quid magis ridiculum esse potest, quàm quoniam Paulus Philip. 4. 22 ait *salutant vos omnes sancti, maximè autem qui de Cæsaris domo sunt*, Cæsarem inter Christi septuagintaduos discipulos cooptare & Dirrachij eum Episcopum facere? cum consensu omnium iubeat Paulus salutari Christianos, qui in domo Neronis Imperatoris erant: neque enim temporibus illorum Imperatorum Cæsar dici poterat, nisi qui in Imperatorem eligeretur.

D. Epiphanius in Panario lib. 1. tom. 1. sub finem recenset aliquos ex septuagintaduobus discipulis, dum ait: *misit & alios septuagintaduos ad prædicandum, ex quorum numero fuerunt septem viduis præfecti, Stephanus, Philippus, Procorus, Nicanor, Simon, Parmenas, & Nicolaus, & Matthiam ante ipsos, Marcum, Lucam, Iustum, Barnabam, Apellem, Rufum, Nigrum, & reliquos septuagintaduos:* sic Epiphanius. Verùm ostendi parte 1. dilucid. in Prœmium Luc. Theor. 2. Lucam non Christi discipulum fuisse, nec ex septuagintaduobus vnum. D. Luc. Act. c. 21. 16. dum de Iasone Domini discipulo meminit, vt eum à recentioribus Apostolorum discipulis separet, cautè antiquum discipulum nominauit. quarenusquam puto extare nomina, quæ certò sciri queant septuagintaduorum discipulorum, in quo hallucinati sunt, qui contexere voluerunt Catalogum, commiscentes Apostolorum discipulos cùm Christi discipulis; quod Eusebius Historiar. lib. 1. cap. 12. qui diligentem nauauit operam in his perquirendis, testatur, cùm ait, nusquam inueniri Catalogum eiusmodi septuagintaduorum discipulorum, quamuis numeret aliquos, quos hinc inde excerpsit, Barnabam videlicet, Sosthenem, Cepham, alium à Petro, Matthiam & Thaddæum; crediderim & Ananiam inter eos adnumerandum. Papias apud Eusebium libro tertio capite trigesimotertio antiquus Theologus, & auditor Ioannis Euangelistæ recenset inter eosdem Domini discipulos Aristionem, & Ioannem alium ab Euangelista quoque diuersum. Hæc obiter de nominibus discipulorum Domini.

DIGRESSIO I. MORALIS.

In varia loca huius Catis 18.

A

Designauit Dominus & alios septuagintaduos] Si quis non indiligenter animaduertere velit, quàm liberalis fuerit Dominus erga homines tempore legis Euangelicæ, videbit sanè beneficia Christianis collata longè superasse ea, quæ olim populo suo contulit Dominus. enimuerò inter eximias gratias, quas Deus Israeliticæ genti olim impertijt, illa fuit non contemnenda quod in ducem illis seruum suum Mosem & in sacerdotem Aaronem tradidit, viros sapientia, & virtute conspicuos; qui & diuinis præceptis illam instituerent, & optimo vitæ exemplo ad virtutem excitarent. mitto Mariam illorum fororem: quæ tamen vitæ sanctitate hebræas mulieres in officio, atque pietatis operibus continere potuit, ac confirmare. & propter Mosem quidem, & Aaronem manna de cœlo pauit in deserto tot hominum millia, & columna ignis per noctem & nubis per diem etiam per loca inuia atque deserta deduxit. quibus beneficijs priuati sunt mortuo Mose, & Aarone; vt intelligerent Israelitæ quo loco habendum esset beneficium illud, quo tam illustres viros illis in legis doctores, duces, & rerum diuinarum magistros, & institutores tanta liberalitate tradiderat. igitur duo vel tres tantùm erant tunc, qui tantam hominum multitudinem præcedebant Moses, Aaron, & Maria. & quamuis procedente tempore istis ex viuentium numero sublatis, Prophetas illis excitarit Deus; pauci tamen ij fuerunt præ tanta hominum multitudine: præsertim Elias, & post illum Elisæus, & qui quattuor maiores, & duodecim minores nominantur, neque ij simul vno tempore vixerunt omnes, quin aliquando vix vnus, vel alter nominabatur; quare tempore Samuelis sic dicitur 1. Reg. 3. 1. *sermo Domini erat pretiosus in diebus illis.* & Psalm. 73. 9. *signa*, inquit Dauid, *nostra non vidimus: iam non est Propheta: & nos non cognoscet amplius.*

B

C

Iam verò vide quanto liberalior fuerit nobiscum Deus vbi Euangelij lux in orbem illata fuit, vt non mirum sit, si lex Euangelij, lex gratiæ nominetur. etenim si hebræis olim Deum tres dedisse personas, magnæ liberalitati tribuebatur; quid dicemus, vel quo loco ponemus, non tres homines, qui nos regerent ac docerent, nobis donatos esse, sed ipsum Dei filium qui vnus instar omnium est, & eo amplius, in quo videlicet sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei? verum neque id solum præstitit, adiecit & duodecim Apostolos cœlesti sapientia benè prius instructos & admiranda in edendis miraculis potestate ornatos, & verò etiam multò admirabiliore potentia in curandis animorum morbis munitos, hos ad inuehendam legis Euangelicæ doctrinam in totum terrarum

D

1. Collatio beneficiorum Domini tempore legis Euangelicæ cum eis quæ olim contulit. Gratiæ olim à Deo collatæ.

2. Lex Euangelij lex gratiæ & cur. Beneficiorū tempore legis Euangelicæ collatorum enarratio.

orbem

orbem transmisit, tamquam cœlestes legatos & vniuersorum hominum doctores, neque his contentus, septuagintaduos designauit discipulos pro linguarum & gentium diuersitate, vt tanto faciliùs in omnem terram exiret Euangelij sonus, & ad omnes nationes Euangelicæ legis permanaret vtilitas, atque ita fieret, vt qui in peccatorum tenebris iacebant, & tetra ignorantiæ nocte caligabant, cœlestem lucem aspicerent: verè de Christianis Dauidicum illud affirmari potest Psa. 137. *magnificauit Dominus facere cum eis, magnificauit Dominus facere nobiscum.*

3. Nec est quod miremur tantam in nos liberalitatem. Dei enim opera magnifica sunt, & omni laude dignissima. *confessio & magnificentia opus eius*; Itaque quia largus est Deus, & liberalis in benefaciendo, non modò ea quæ necessaria sunt rebus à se conditis tradere, sed complura etiam dona largiri solet, imprimis verò hominibus. id quod non ex hoc dumtaxat loco Lucæ intelligere est, vbi præter duodecim Apostolos tamquam insignes duodecim totius orbis Principes addidit & septuaginta duos discipulos, sed alijs etiam multis exemplis illustrare possumus. nam (vt generatim ad alia beneficia oculos conuertamus) si ea, quæ ad corporis humani necessitatem pertinent, intueamur, non solùm ea contulit, quæ necessaria sunt corpori vel nutriendo, vel conseruando, vel sanando, si fortè in ægritudinem incidat, verùm etiam adiecit ea, quæ non necessaria erant, & ad delicias potius faciunt. multò verò plura tribuit animorum saluti commoda & opportuna: ipse tutelarem Angelum, & patronum non singulis dumtaxat hominibus assignauit, sed etiam singulis ciuitatibus, ac prouincijs custodes attribuit. & vide quàm beneficus, & suauis sit. ipse idem non semel, aut iterum peccatorem vocat, & ad patientiam inuitat, eumque solatur, ac recipit cum ad ipsum, tamquam ad beneuolum patrem redit, sed quoties dum viuunt homines, ad cor redeunt, obuijs vlnis recipit. quanta quæso esset alicuius præpotentis Regis mansuetudo, & in subditos beneuolentia, si quempiam, qui grauiter ipsum offendisset, ad amicitiam redintegrandam prolixè, ac liberaliter excitaret vel semel, pollicereturque si ad se rediret non modò illi iniuriam omnem condonaturum, sed etiam filium, & regni hæredem esse futurum? Atqui multò frequentiùs, ac maiori procul dubio efficacitate idem facit DEVS Opt. Max.

Ipse cum innumeris alijs modis posset hominem olim lapsum in mortem sempiternam ad vitam reuocare, & sibi reconciliare, voluit quæ sua infinita est liberalitas & benignitas, seruato omni iustitiæ rigore id efficere, vt tantò copiosior esset hominis redemptio; & cum gutta sanguinis hoc ipsum præstare posset, totum tamen sanguinem profundere voluit. Adhæc non ea dumtaxat auxilia confert, quæ necessaria sunt, sed multò etiam plura & efficacia addidit: quod si necesse esset multò admirabiliora, ac diuiniora faceret ad homi-

A num salutem obtinendam, si mortuos excitare, si cœlestes omnes spiritus ad nos mittere oporteret, ea paratus esset efficere: vt verissimum sit illud Iacob 4. *dat omnibus affluenter, & non improperat.* hæc propterea diximus, quod nos hic locus Lucæ moneat, vt Christo Christiani præsertim, grati simus, qui ad hominum salutem procurandam, & ad Euangelij lucem diffundendam, non Apostolos modo duodecim, sed discipulos etiam septuagintaduos misit in orbem; non necessarijs tantùm contentus, sed largissima manu etiam multò plura largiendo: ijs verò postea tot venerandos antistites, & presbyteros, tot excellentes doctores, tot inclytos Martyres, tot religionum institutores sanctissimos, tam

B multos cœnobiorum incolas morum sanctitate præstantes, tot Heremitas admiratione dignissimos, tot denique cœlestes Virginum choros, qui Ecclesiam ipsam sanctitate nutrirent, illustrarent, denique optimis exemplis ad virtutem excitarent: vt meritò damnanda sit tanta hominum socordia, & ingratitudo erga tam liberalem, & munificum parentem. Quantò æquiùs nunc expostulare posset Deus nobiscum, quàm cùm de Hebræis conquestus est per Michæam capite 6. 3. 4. *Populo meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi, quia eduxi te de terra AEgypti, & de domo seruientium liberaui te: & misi ante faciem tuam Mosem, & Aaron, & Mariam.* nos enim non de AEgypti seruitute, sed diaboli, nec tres modò misit ante faciem

C nostram, sed ipsemet venit ad nos, ore suo nos docuit, addidit Apostolos duodecim, designauit discipulos septuagintaduos. Sed de hoc satis dictum sit.

Et misit illos binos ante faciem suam] Diuus Gregorius homilia 16. in Euangel. *ecce*, inquit, *binos ad prædicandum discipulos Dominus mittit, quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet.* quam rem confirmat Diuus Augustinus in Psal. 94. accersito ad hoc probandum loco scripturæ Cant. 4. 2. & cap. 6. 5. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas. quid est dentes tui?* ait Diuus Augustinus. *per quos loqueris. dentes enim Ecclesia per quos loquitur Ecclesia. quales dentes tui? tamquam grex detonsarum. quare detonsarum? quia sarcinas seculi deposuerunt. nonne detonsæ erant oues illæ de quibus paulò ante dicebam, quos præceptum Dei totonderat dicentis: vade, vende omnia & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis: & veni sequere me? fecerunt hoc præceptum, detonsi venerunt. & quia baptizati sunt credentes in Christum, quid ibi dicitur? ascendentium de lauacro. id est, ascendentium de mundatione. & omnes geminos creant. quos geminos? duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet, & Prophetæ.* eamdem expositionem eiusdem loci affert Diuus Gregorius in cant. cap. 4. ait enim: *sicut per oculos prædicatores intelliguntur, quia per eos Ecclesia illuminatur: similiter & dentes eiusdem possunt dici, quia per eos infideles consumuntur, & paruuli nutriuntur. Dentes quippe benè sancti prædicatores vocantur: quia dum*

4. Concionatores charitate ornati esse oportet.

imilitudine Christi omni in os beneuolentia & liberalitas eclaratur.

Digitized by Google

sanctam scripturam exponendo minoribus fratribus elucidant, quasi panem paruulis tanquam matres filijs commasticant, quo infirmi ad fortiora conualescant. hi nimirum benè sicut grex tonsarum quæ ascenderunt de lauacro esse dicuntur, quia dum se à peccatis omnibus in baptismo ablutos esse recordãtur, libenter onera mundi deponunt, vt æt cœlestia consequenda & prædicanda quò liberiùs, eò faciliùs gradiantur. De quibus subditur: omnes gemellis fœtibus & sterilis non est inter illas. gemellos fœtus omnes sancti prædicatores habent; quia dum in duobus præceptis caritatis cæteros homines supereminent, geminam dilectionem prædicant. & in ea duos populos Iudaicum, & gentilem gignere non tessant. inter quos nullus est sterilis: quia profectò prædicator non est dicendus, si filios spirituales gignere contemnit.

5. Hæc eadẽ caritas facit, vt concionatores ipsi inter se coniuncti colligatique sint, & nec inuidiæ liuore stimulatus vnus contra alterum inuehatur, vel de bono alterius nomine quicquam detrahat. quod mihi hæc Lucæ verba mysticè significare videntur. *Misit illos binos*, nimirum voluit Dominus, omnes concionatores & Christiani populi magistros inter se iugatos, & caritatis, pacisque vinculo constrictos esse. quam rem Marc. 9. 49. docuit Dominus, dum Apostolis dixit: *habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.* indicat enim duo apprimè necessaria concionatori; prudentiæ salem, ne auditores vel minima in re offendant; & vt pacem inter se perfectam obseruent, & caritatem mutuam: id quod idem Diuus Gregorius egregiè docet libr. 22. moralium cap. 16. *sunt*, inquit, *nonnulli, qui in eo quod officium prædicationis exhibent, alijs inuident bonum, quod habent, atq; ideo iam veraciter non habent. quibus rectè per Iacobum dicitur. Quod si Zelum amarum habetis inter vos, & contentiones sunt in cordibus vestris: non est ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. vnde hic quoque cùm dictum est; si fructus eius comedi absque pecunia: rectè subiungitur: & animam agricolarum eius afflixi: agricolæ quippè huius terræ, sunt hi qui minori loco positi, quo valent Zelo, quanto possunt opere, ad eruditionem sanctæ Ecclesiæ in prædicationis gratia cooperantur. quos videlicet terræ huius agricolas, hoc est, non affligere, eorum laboribus non inuidere: ne rector Ecclesiæ dum soli sibi ius prædicationis vendicat, etiam alijs rectè prædicantibus, inuidia se mordente, contradicat. pia etenim pastorum mens, quia non propriam gloriam, sed auctoris quærit, ab omnibus vult adiuuari quod agit. Fidelis namque prædicator optat, si fieri valeat, vt veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent: vnde cùm Iosue (numer. 11.) duobus in castris remanentibus atque prophetantibus vellet obsistere: rectè per Moysem dicitur: quid æmularis pro me? quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum? prophetare quippe omnes voluit, qui bonum quod habuit, alijs non inuidit.* Hæc sapienter Greg.

Charitatem prudentia comitari debet.

6. Nominem sibi satis esse.

Postremò & illud ex hoc loco vtiliter discere possumus. neminem in suo sensu abundare debere, vel in se solo spẽ collocare, quasi sibi ipsi sufficiat. iccircò enim bini missi sunt Apostoli, vel discipuli, vt sese mutuò iuuarent & solarentur, iuxta illud Prouerbiorum 18. 19. *Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* hoc sic intulit Ecclesiastes. cap. 4. 9. 10. *Melius est ergo duos esse simul, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ. si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. væ soli: quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.* quod enim inter varias orbis nationes, & prouincias vsu venit, hoc ipsum inter seruos Dei accidere solet, quod attinet ad cœlestia dona. videmus enim non omnia à Deo vni nationi, vel prouinciæ concessa esse: non enim, vt ille testatus est: *omnis fert omnia tellus.* Sed hæc triticum profert, altera vinum, illa oleum; est quæ pecudes, vel equos insignes nutrit; hîc aurum, hîc argentum effoditur, vnde fit, vt propterea magnum inter homines commercium, conuictusque sit, & caritatis, coniunctionisq; occasio, dum vna natio alterius ope eget, nec sibi locus vllus soli sufficit. idem in spiritualibus bonis videre est; neque enim Deus vni omnia dedit, vt Paulus 1. Corinth. 12. 4. apertè testatus est. *Diuisiones gratiarum sunt, diuisiones ministrationum, operationum* & c. & v. 7. *vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. alij quidem per spiritum datus sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundùm eumdem spiritum: alteri fides in eodem spiritu* &c. Itaque vnus nequit dicere, alterius ope non egeo. quod idem Apostolus exemplo membrorum, quæ in corpore sunt pluribus ostendit. neque enim *potest oculus dicere manui, opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus: non vestis mihi necessarij: sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt.*

7. Meritò igitur bini mittuntur Apostoli, quia nullus sibi sufficit, nullus satis sibi sapit: & medici qui alios curant ægrotos, cùm in ægritudinem incidunt, aliorum medicorum operam postulant: *caueamus*, inquit Diuus Augustinus libro 1. de doctrina Christiana in prologo, *tales tentationes superbissimas, & periculosissimas* (loquitur autem de ijs, qui de alijs discere tamquam soli sapientes minimè volunt) *magisq; cogitemus & ipsum Apostolum Paulum, licet diuina & cœlesti voce prostratum & instructum, ad hominem tamen missum esse, vt Sacramenta perciperet, atq; copularetur Ecclesiæ.* Act. 9. & Centurionem Cornelium, *quamuis exauditas orationes eius, eleemosynasq; respectas ei Angelus nuntiauerit, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solum Sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset audiret. & poterant vtique omnia per Angelum fieri.*

8. *Sed abiecta esset humana conditio, si per homines hominibus verbum suum Deus ministrare nolle videretur; quomodo enim verum esset quod dictum est* (1. Cor. 3. 17.) *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, si Deus de humano templo responsa non redderet, & totum quod discendum hominibus tradi vellet, de cœlo, atque per Angelos personaret? deinde ipsa charitas, quæ sibi inuicem homines nodo vnitatis astringit, non haberet aditum refundendorum, & quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent. & certè spadonem illum Act. 8. qui Isaiam Prophetam legens, non intelligebat, neque Apostolus ad Angelum misit, nec per Angelum ei, quod non intelligebat expositum, aut diuinitus in mente sine hominis ministerio reuelatum est: sed potius suggestione diuina missus est*

ad eum,

ad eum, sedit q3 cum eo Philippus, qui nouerat Isaiam Prophetam, viq3 humanis verbis & lingua, quod in Scriptura illa tectum erat aperuit.

9. *Nonne cum Mose* Exod. 18. *Deus loquebatur, & tamen consilium regendi, atque ministrandi tam magni populi à socero suo alienigena scilicet homine, & maximè prouidus, & minimè superbus accepit? nouerat enim ille vir, ex quacumque anima verum consilium processisset non ei, sed illi, qui est veritas incommutabili Deo tribuendum esse.* sic Augustinus audi quo modo Scriptura diuina hanc historiam narret. Exod. 18. 14. *Cùm vidisset (Ietro) cognatus eius (Mosis) omnia scilicet quæ agebat in populo, ait: quid est hoc quod facis in plebe? cur solus sedes? &c. non bonam, inquit, rem facis: stulto labore consumeris, &c. sed audi verba mea atq3 consilia, & erit deus tecum. esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur ad eum: ostendasq3 populo cærimonias &c. prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas & qui oderint auaritiam, &c. qui iudicent populum omni tempore;* demum subdit. *si hoc feceris implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris sustinere. quibus auditis,* inquit Scriptura, *Moyses fecit omnia, quæ ille suggesserat.* non ergo dubitandum hoc velle Deum, vt inter nos connexi, colligatique ita simus, vt alter ab altero discat libenter, & modestè, nec à se solo pendere posse se quisquam putet. Sed ne nimis prolixi in hac digressione videamur, cætera in aliam reijciamus.

DIGRESSIO II. MORALIS.

Prosequitur auctor alia huius capitis loca moraliter explicare.

1. MESSIS *quidem multa, operarij autem pauci.*] obseruanda sunt in primis diligenter hic verba D. Greg. & altius cordi imprimenda. sic enim ille homil. 17. in Euang. scribit: *ad messem multam, operarij pauci sunt; quod sine graui mœrore loqui non possumus: quia & si sunt qui bona audiant, desunt tamen qui dicant. ecce mundus sacerdotibus plenus est; sed tamè in messe Dei rarus valdè inuenitur operator: quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus. sed pensate fratres carissimi, pensate quod dicitur: rogate Dominum messis vt mittat operarios in messem suam: vos pro nobis petite, vt digna vobis operari valeamus, ne ab exhortatione lingua torpeat; ne postquam prædicationis locũ suscipimus, apud iustum iudicẽ, nostra nos taciturnitas addicat. sæpe enim pro sua nequitia prædicantium lingua restringitur. sæpe verò ex subiectorum culpa agitur, vt eis, qui præsunt, prædicationis sermo subtrahatur. ex sua quippe nequitia prædicantium lingua restringitur; sicut Psalmista ait* (Ps. 49. 16) *peccatori autẽ dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas? & rursum ex vitio subiectorum vox prædicantium subtrahitur; sicut ad Ezechielem Dominus dicit* (c. 3. 26. *linguam tuam adhærescere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans: quia domus exasperans est; ac si apertè dicat; iccirco tibi prædicationis sermo tollitur: quia dum me in suis actibus plebs exasperat, non est digna, cui exhortatio veritatis fiat. ex cuius ergo vitio prædicatori sermo subtrahatur, non facilè cognoscitur. quia verò pastoris taciturnitas aliquando sibi, semper autem subiecto nocet, certissimè scitur. Sed vtinam si ad prædicationis virtutem non sufficimus, loci nostri officium in innocentia vitæ teneamus.*

Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios &c.] Quemadmodum, cum exaruit terra ob aquæ penuriam, solemnes solent preces institui, ad diuinam opem implorandam. nimirũ vt de thesauro suo dignetur Deus arentem terræ faciem irrigare; ita cum desunt diuinæ prædicationis pluuiæ, atque adeo arescunt hominum animi, summis precibus exorandus est Deus, vt cælestes nubes mittat, quæ salutaris doctrinæ aqua arida hominum corda irrigent, & fœcundent. sunt vero instar nubium Ecclesiæ doctores, pastores, & diuini verbi præcones, quos Deus quocumque vult transmittit tanquam nubes vel ad hos, vel ad illos populos edocendos super faciem orbis terrarum.

2. Diuinæ prædicationis necessitas.

Sed enim sicut singulari Dei misericordiæ tribuendum est, quod terrestres istæ nubes hanc, vel illam fœcundent terram; cõtra vero, iustitiæ, vt agri arescere permittantur, prohibitis nubibus, ne dent temporaneum terræ imbrem; propterea Amos 4. 7. ostendere volens Deus misericordiã, & iustitiam suam, ait, *Plui super vnam ciuitatem, & super alteram ciuitatem non plui. pars vna compluta est; & pars, super quam non plui, aruit.* ita multo etiam illustrius Deus liberalem suam bonitatem, & gratiam ostendit, dum suos prædicatores tanquam spirituales nubes ad cælestis doctrinæ imbrem effundendum ad aliquas gentes mittit; contra vero iustitiæ, vltionisque diuinæ signum clarissimũ est cum eas nubes, vel imbrem negat illis cælestem. & vero quemadmodum nubes promptæ obedientiæ symbolum sunt, & exhibent eximiam quamdã creatori obedientiam, quod non sint vni, vel alteri loco alligatæ, sed quocunque eas spiritus impulerit, conuolant; ita & in hoc similitudinem referunt ministrorum Dei qui in vniuersum mundum mittuntur ad prædicandum Euangelium omni creaturæ, de quibus prædicatoribus Isai. c. 60. 8. sic ait, *qui sunt isti, qui vt nubes volant & quasi columbæ ad fenestras suas.* quibus verbis declarat prophetæ gratiam diuini spiritus, qui Apostolos, & diuini verbi ministros scite columbarum, siue nubium instar impellit ad varias mundi partes, vt illas salutari doctrina perfundant, & amore filiorum spiritualium; hoc est, vt infideles ad fidem adducant, & prauos homines ad meliorem vitam conuertant, excitat ad quærenda eorundem infidelium, vel prauorum hominum extremos recessus, & occultas, abditasque cauernas.

3. Concionatores penuria, diuina est indignatio.

Hanc vtilem, & propensam nubium obedientiam significauit & Iob. c. 37. 11. 12. *Frumentũ desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum: quæ lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum.* quo in loco mystice Concionatores nubibus comparantur, sicut & frumento electi; quod docet Gregor. lib. 27. Moral. in hæc verba Iob. *Quid enim,* inquit, *electi quiq3 sunt nisi frumẽta Dei cælestibus horreis recondenda, quæ nunc in tritura aræa paleas tolerant, quia in hac purgatione sanctæ Ecclesiæ, mores contrarios,*

4. Concionatores quasi nubes.

reproborum portant, quousque hanc æternus agricola ventilabro iudicij dirimat, & in superna habitacula electos suos, quasi munda iam grana suscipiens, æternis paleas ignibus tradat. vnde benè per Ioannem dicitur: cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili (Matth. 3. 12.) *sed hoc frumentum quousq; ad perfectionem fructuum veniat, nubium pluuias expectat, vt crescat; quia bonorum mens prædicantium verbis infunditur ne ab humore caritatis desideriorum carnalium sole siccetur. hoc frumentum supernus agricola in mũdo surgere, ac nubes desiderare conspexerat, cũ dicebat; Messis quidem multa, operarij autẽ pauci. rogate autem Dominum messu, vt mittat operarios in messem suam, qui igitur hic* (apud Iob) *frumentum; ill. c* (apud Lucam) *messis: qui verò hic nubes, illic operarij vocantur. quia prædicatores sancti & nubes sunt, & operarij, nubes videl. per doctrinã, operarij per vitã: nubes quia verbis influunt, operarij quia non desinunt agere, quod loquuntur. vnde & subditur, & nubes spargunt lumen suum: nubes enim lumen spargere, & prædicatores sanctos exempla vitæ & loquendo & agendo dilatare. sed quamuis annunciationis intimæ lumen spargant, non tamen ad conuertenda omnium quæ appetunt corda perueniunt. nam sequitur, quæ lustrant cuncta per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit. sæpe enim prædicatores sancti exhortari quosdam volunt, sed nequeunt. sæpe quosdam declinare appetunt; sed tamen internæ instigationis impulsu exhortari eos instantissime compelluntur.*

5. *Certè Paulus cum vestimenta sua excutiens à Corinthijs discedere vellet* (Actor. 18.) *audiuit: noli timere, sed loquere, & ne taceas, propter quod ego tecum sum, & nemo opponetur tibi, vt noceat te; quoniam multus est mihi populus in hac ciuitate. Rursum cum ad Thessalonicenses voluisset ire, retentus est, dicens:* (1. Thess. 2.) *volui venire ad vos ego quidem Paulus, & semel, & iterum, sed impediuit me sathanas. neq; enim per semetipsum sathan præpedire tanti Apostoli vias potuit, sed occultæ dispensationis viribus dum auersatur nescius deseruiuit, vt nimirum Paulus dum ad alios vellet accedere, nec valeret; eis, à quibus recedere non poterat, aptius prodesset. nubes igitur Dei cuncta per circuitum lustrant; quia prædicationis luce mundi fines illuminant. sed quia diuinis nutibus subditæ, nequeunt explere quod volunt, ire nõ possunt, nisi quò eas voluntas gubernantis duxerit. vnde & adhuc subiungitur: ad omne quod præcipitur eis super faciem orbis terræ.*

6. Ecce igitur docente Gregor. rectè concionatoribus nubes comparantur. has tamen salutares nubes interdum prohibet iratus Deus regiones aliquas lustrare, vnde fit, vt fames ingens illas occupet. Audi quid Spiritus sanctus dicat Amos 8. 11. *Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi Verbum Domini.* idque fit, *quando*, vt ait Hieronym. *propter peccata populi doctrina deficit in Ecclesia.* nec est silentio prætereundũ quod subdit Amos v. 13. *in illa die deficient virgines pulcræ, & adolescentes in siti*, in quem locum idem Hierony. *deficient*, inquit, *virgines, quia Verbum Domini non inuenient.* ex quo intelligimus, quando doctrina non fuerit in Ecclesia perire pudicitiam, castitatem mori, omnes abire virtutes, quia non comederunt Verbum Domini. quis ergo ita mentis in-

A ops est, vt non videat quantop
quam nubes cœlestes, à Deo
sint, ac proinde totis viribus a
esse, vt tales nubes operarii m
nostram irrigent, & fecundent
stram exsatient, & sitim tollant
ctrina Euãgelij cibus & potus v
gor. hom. 10. in Ezech. in ea ve
meũ, & cibauit me volumine ille. c.
quit, *sacra, cibus & potus est*, quod
dicto loco Amos. subdit postea:
cto suo eloquio fame, ac siti nos dicit
verba, & cibus noster, & potus sint
notandum est quod aliquando cibus,
sunt. in rebus enim obscurioribus, qu
unt nisi exponuntur, Scriptura sa
B *quicquid exponitur vt intelligatur,*
vt glutiatur; in rebus verò apertioribus
tum enim non mandendo glutimus
hanc famem, & sitim illi præse
qui aliquando miram eloquioru
sunt dulcedinem, quod de se te
quam dulcia faucibus meis eloquia tua
meo. vbi verò ij Deo ingrati terr
pti se prauis corporis voluptatibu
suspirant sæpe onere peccatorum
me ac siti verbi Dei excruciati pri
felicitatem requirunt, & hac fame, &
à quibusdam peccatis abstinent, verum
nitus peccata relinquentes, alijs implic
quod optabant non inueniunt.

Neque enim aliunde, quam ab illo ex
C ctandi sunt operarij, de quo Paulus Eph. 4.
ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam au
Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem p
res, & doctores ad consummationem Sanctorum
perficiendos sanctos, vel ad perficienda san
id est templum Ecclesiæ sanctũ) *in opus mini*
rij (ad operandum, & ministrandum) *in ad fi*
tionem corporis Christi (ad exædificandã Eccles
quæ est corpus Christi mysticum) quam re
multo ante Isaias 66. 19. prædixerat. Vbi De
ait, *& ponam in eis signum*, id est, vexillum cruci
seu prædicationis, *& mittam ex eis, qui saluati fu*
erint ad gentes, in mare, in Africam, in Lydiam te
dentes sagittam: (id est populos vtentes sagitti
in Italiam, & Græciam, ad Insulas longè, ad eos, q
non audierunt de me, & non viderunt gloriam mea
D (id est potentiam, seu miracula) *& annuntiabu*
gloriam meam gentibus. verè sanè, & clarè nun
videmus hoc vaticinium esse impletum. etenim
vt Apostolus ait Roman. 10. *in omnem terra*
exiuit sonus eorum; hoc est ministrorum Christi.

Aptè proinde significati sunt operarij à Deo
missi in omnem terram lib. 3. Reg. c. 7. 23. per
duodecim illos boues, qui mare æneum sustenta
tabant, vbi sic legimus: *Fecit quoque* (Salomon)
mare fusile. & v. 25. *Et stabat super duodecim boues, e*
quibus tres respiciebant ad Aquilonem, & tres ad Oc
cidentem, & tres ad meridiem, & tres ad Orientem.
significabat hoc mare Christianorum baptis-
mum. boues verò Concionatores repræsentabant, qui baptismum, eiusque fidem fulciunt.
ad quatuor verò mundi plagas respiciunt, quia
in totum terrarum orbem missi, baptismum,
eiusque fidem ferunt, & prædicant iuxta illud
Matthæi 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

constat

constat igitur operarios à Deo expectandos,& expetendos esse.

9. Quod mihi insigni quadam figura ex lib.3. Reg.c.5.13. 14. significatum esse haud absurde videtur. sic enim ibi legimus. *Elegitq; Rex Salomon operarios de omni Israel,* (& mox) *mittebatq; eos in libanum,* videlicet vt exædificaret templũ Dei; in eundem modum Christus verus Salomon ad extruendam Ecclesiam, quæ augustissimum Dei viui templum est, operarios elegit, quos non in libanũ modo, sed in vniersũ mũdum misit; nec mittere illos vnquam desinet, quousque hoc Ecclesiæ sanctissimum ædificium perficiatur; quod ad extremũ iudicij diem fiet.

10. Et quidem Dei beneficio his turbulentissimis temporibus, quibus tot infandę hęreses exortæ sunt, vidimus ad extremos vsque Indos à Deo missos esse hui⁹ minimæ Societatis nostrę homines, non alia quàm Dei virtute munitos, quo demum non sine magna illius potentia, & benignitate penetrarunt, & innumerabilem hominum multitudinẽ à dæmonum superstitione ad verum Christi cultum, & notitiam conuerterunt; quorum primus dux, & antesignanus extitit sanctissimus ille Franciscus, verè Indorum nostro tempore Apostolus, qui nullis periculis deterritus, nullis laboribus fract⁹, nulla dæmonum vi de sentẽtia deiectus Christi crucem in horridis illis & barbaris nationibus plantauit. Verum si huius viri laudes persequi vellem, finis non esset.

II. Concionatoris conditiones. Cęterũ si quis à me petat: quales esse oporteat hos operarios, qui à Deo mittuntur? breuiter respondeo vnum Paulum instar omnium esse posse, quem si imitemur, satis Deo, & animarũ saluti faciemus. Audi quid Lucas Actor. 20. Paulum Dei amore inflammatum, & magno salutis animarum studio incensum carissimis suis filijs dixisse referat. *Vos scitis,* inquit, *à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino, cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum: quomodo nihil subtraxerim vtilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos testificans Iudæis, atque gentilibus in Deum pœnitentiã, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum, & nunc ecce alligatus ego spiritu* (velut alligatus impellente spiritu) *vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sint mihi ignorans.* &c. & postea. *Quapropter conteſtor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omniũ. nõ. n. subterfugi quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis,* & paulò post: *propter quod vigilate memoria retinentes; quoniam per triennium nocte. & die non cessaui cum lacrymis monens vnumquemque vestrum.* denique addit: *argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis.* vtinam excitet Dominus Iesus hunc spiritum in Ecclesia sua, & huiusmodi operarios mittat in Ecclesiã suam, qui Domino seruiant cum omni humilitate, & lacrymis, qui aduersariorum persequutiones patienter superent, qui opus Dei vrgeant & publicè, & per domos nocte, & die vnumquemque moneant. qui dẽnique argentum, & aurum nullius concupiscant. Rogemus igitur Deum, vt hos mittat operarios in messem suam.

DIGRESSIO III. MORALIS.

Pergit auctor ad mores accommodatè cætera eiusdem capitis verba explicare.

I. Operarij Euangelici requisita. ECCE *ego mitto vos sicut agnos inter lupos*] Locus hic indicat vtilem operarium esse non posse, qui non sit electus, & missus à Deo, vel habeat auctoritatem, & potestatem acceptã ab eo. hoc item significatum est superius, cùm dictum est designasse Dominum, & alios septuagintaduos, & misisse eos, &c. & de Ioanne scriptum est: *Factum est verbum super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans,* &c. Luc. 3.2. & Marci 16. 15. Apostolis dictum à Christo est: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* hinc est quod Ieremiæ 23. 21. queritur Dominus de Prophetis, qui non missi ab eo prophetabant: *Non mittebam,* inquit, *Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Quare docet Paulus ad Heb. illis verbis c.5.4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* hanc esse notam veri pontificis, & hoc significat fuisse in vsu apud Hebræos olim, vt non qui vellet, sed quẽ Deus eligeret Pontifex esset. quod vel ex eo constat, quod elegit Deus Aaron, deinde eius filium natu maximum, id quod deinceps semper obseruatum fuit, dum ita stetit Hebræorum Respubl. vt diuinis legibus gubernaretur. Scimus Aaronem vocatum esse à Deo, idque patuisse etiam indicio virgæ, quæ cum arida esset, in manu Aaron illico floruit, & amygdalas protulit. equidem arbitror id non sine Dei consilio eueniſſe, videlicet, vt discerent homines eum duntaxat idoneum esse, ad procurandam non sine ingenti fructu animarum salutem, qui legitime missus esset.

2. Quomodo cesserit ijs, qui his requisitis destituti hoc munus susceperunt. Quam verò malè cesserit ijs, qui sponte, atq; adeò non missi prouinciã hanc susceperunt suis viribus confisi, suumq; iudicium, & mentem sequuti; multis illustrare possem exemplis, quibus supersedeo tribus tantum contentus. Deut. 1. legimus petijsse Hebræos à Mose, vt homines eligeret, qui explorarent terram promissionis. sic. n. ibi loquitur Moses v.22. *& accessistis ad me omnes, atque dixistis: mittamus viros, qui considerent terram; & renuntient per quod iter debeamus accedere, & ad quas pergere ciuitates.* merito displicuit ea petitio Deo, & Mosi: orta enim fuerat ex parua in Deum fiducia; etenim cum tantopere Deus ipse, ac Dei verbis Moses commendasset terram, tanquam lacte, & melle manantem, & eam se daturum illis pollicitus esset; hac sola promissione contenti, tutique esse debebãt, nec erat quod veritatem explorarent, quasi plus oculis crederent, quam diuinæ pollicitationi.

3. Quod si quis dicat id petijsse Hebræos Dei impulsu, tũ q⁹ loco paulò ante citato v.23. subdatur: *cũq; mihi sermo placuisset,* &c. nõ ergo ęgre id tulerat Moyses; tum quod constat ex cap.13. Numer.3. sic loquutum fuisse Dominum Mosi: *Mitte viros, qui cõsiderent terram Chanaan, quam*

datu-

daturus sum filijs Israel: quomodo igitur affirmamus Hebræos quod id peterent, fuisse proprium sensum sequutos? respondeo, priora illa verba, *cumq; mihi sermo placuisset*; non ita esse accipienda eo modo, quo primo aspectu significare videntur; sed placere ibi, consentire est, vt eo loco explicat Lyranus; propter importunitatẽ.n. populi hac de re consuluit Dñm. q̃ verò Dñs responderit: *Mitte exploratores*. non præcipiendo, inquit Lyranus, sed magis permittendo dixit; idq́ue in pœnam & malum incredulorum, iccirco quod malè peterent. quod ergo missi sint exploratores à Mose, non à Mose, nó à Deo, sed à populo primũ non satis, vt par erat, diuinis promissis credente natum est. Videamus iam, quam infelicem ea res finem sortita fuerit. Nam euntes exploratores hæc retulere Num. 13. 33. 34. *terra quam lustrauimus deuorat habitatores suos; populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est. ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere gigantẽo: quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* quamuis non negauerint terrã bonam fuisse & lacte, ac melle manantem. quid multa? ijs auditis obmurmurare cœpit populus contra Deum & Mosem, *Vtinam mortui essemus in AEgypto, & in hac vasta solitudine vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio.* Num. 14. cumque clamaret omnis populus, & ægrè ferrent, quod Iosue, & Caleb, contraria sentirent, & populum animarent, vt Dei virtute confisus alacriter, quo eos impelleret, pergeret.

4. Nihil esse aiebant hi, q̃ Deo auctore timeamus. poterim⁹ nullo negotio istos q̃is ꝓceros q̃is gigantes, valida nobiscum Dei manu pugnante prosternere. *nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius, quia sicut panem, ita eos possumus deuorare. recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere.* nec moueat quod vos præ illis tanquam locustæ videamini, quia non vestra, sed Domini res agitur, vt verendum non sit ne non, sicut locustæ, amplissimas regiones occupaturi sitis. nam locustę quamuis parua sint animalia, quãdo tamen, Deo agente, regna aliqua, & amplissimas etiam regiones inuadunt, ita illa opprimunt, ita deuastant, vt illis nulla hominum vis obsistere possit. neque verò est, quod animo concidatis iccirco quod terra illa vorare dicatur habitatores suos, quasi ibi homines sani, & incolumes diu viuere non possint, propter infestam aeris intemperiem. nam Dei consilio factum est, vt tales sint hi qui nunc terrã illam alioqui bonam, fertilem, optimi cœli incolũt, vt debiles & infirmi facilè vinci, ac superari possint; & nequaquam vobis resistere valeant. quare quæ vobis videntur esse metuenda, potius animare debent. Verum his auditis non modo non sedatus est populi tumultus, sed incensus est multo magis, ita vt lapidibus vellet illos opprimere. quid opus est multis? *dixit Dominus*, inquit Scriptura Num. 14. 11. *ad Mosen: vsquequo detrahet mihi populus iste? quousq; non credet mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis?* & v. 28. *Viuo ego, ait Dominus, sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. in solitudine hac iacebunt cadauera vestra.* quid quæris? dictum, factum. en tibi quẽ finem obtinuit electio illa duodecim exploratorum, non Dei vel Mosis voluntate facta, sed populi infidelitate permissa, & ab incredulitate profecta.

Est & alterum non minus celebre huius rei exemplũ Deut. item 1. & Num. 14. à Mose relatũ. cũ.n. Dominus hebræis dixisset: *nolite ascẽdere, neq; pugnetis.* cùm.n. hebræi nó à Deo missi aduersus Chananæos pugnarẽt, & in verticem montis contra illos ascenderent, opposuit se se illis Moses, dixitq́; *cur transgredimini Verbũ Domini, quod vobis non cedet in prosperũ? nolite ascendere; nõ.n. est Dominus vobiscum. at illi contenebrati ascenderunt in verticem montis, arca aũt testamenti Domini & Moses nõ recesserũt de castris.* Vide quæso te, quo horũ ꝓcesit cõtumacia vt ausi fuerint sine duce, sine arca, sine Deo, quin Dei imperio neglecto ad prælium proficisci. sed quantũ profecerint, rei euentus apertè declarauit. audi quid scribat Moses eodem 1.c. Deut. 43. 44. *loquutus sũ & nõ audistis, sed aduersantes imperio Domini, & tumentes superbia ascendistis in montẽ. itaq; egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, & obuiam veniens persecutus est vos, sicut solent apes persequi: & cecidit de Seir vsque Horma.*

Quibus verbis, duas Moses ostendit causas tantæ calamitatis, & quod Dei dicto audientes nõ fuerint, & quod superbia intumuerint proprijs armis, viribus, & iudicio confisi; quorum vtrumq; aquarũ similitudine aptè explicat; solent.n. aquæ ita irrumpere, tantoq́; impẽtu ferri, vt nulla vi, nullo cõsilio reprimi possint. iterum ita intumescunt & assurgunt interdum, vt cælũ ipsum attingere velle videantur. hac ergo eleganti similitudine eorũ cõtumaciam, & elatum animi tumorẽ exprimit Scriptura, qui à Deo missi liberè ac proprio arbitrio aliquam prouinciam audent sine Dei nutu vsurpare. Sed .n. nõ est hic dissimulãda etiã & altera ꝓlegãs similitudo, q̃ v. 44. habetur ab apibus sumpta.

Persequutus est, inquit Moses, *sicut solent apes persequi*. aptè sanè. etenim apis symbolum est obedientiæ, populiq́ue regi suo obsequentis, sic AEgyptij sacerdotes obsequentissimum regi suo populum significare si vellent, apem faciebant, quæ sola ex animalibus regem more hominum habet, quem vniuersum apum agmen consectatur, æquè ac homines regi obtemperantes. Vt igitur doceret Moses obtemperandum esse Deo, & eius imperium minimè negligendum, similitudinem attulit apum, quas quia illi hebræi imitati non fuerant, contumaces ac Deo rebelles facti, iusto Dei iudicio ab hostibus interfecti ceciderunt.

Tertium restat exemplum ex 1. Machab. lib. c. 5. 55. desumptum, etenim dum in hostia Machabæi versantur, duo, magnæ dignitatis sacerdotes, Iosephus, & Azarias in Iudęa, vt renouatũ iam tẽplum, ciuitatemq́; Hierosolymitanã tuerentur cũ residua exercitus parte duces relicti erant; ea tñ lege, vt si gẽtes eos adorirẽtur, ac lacessererẽt, valde obsisterent; eas verò ipsi, vt oppugnarẽt, sponte nõ adirent. istud virtutis, hoc est exercitus, principes Machab. dicto minimè audientes, Machab. ducum gloria, quæ omnium ore terebatur, incensi dixerunt: *faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare aduersus gẽtes, quæ in circuitu nostro sunt*, nec id dixisse cõtenti fecere q̃ dixerant; verũ euentu sanè funestissimo.

Digitized by Google

ſtiſsimo. etenim *fugati ſunt*, inquit ſcriptura, *Ioſephus & Azarias vſque in fines Iudæa, & ceciderunt illo die de populo Iſrael ad duo millia viri, & facta eſt plaga magna in populo.*

9. Porrò tanti mali cauſſam duplicem aſsignat eadem ſcriptura; alteram v. 61. *quia non audierunt Iudam, & fratres eius, exiſtimantes ſe fortiter*, hoc eſt viriliter, vt græcè habetur, *facturos*, id eſt, vt & ipſi viri haberentur, neq; ſolus Iudas, & Machabæi laudarentur. Alteram v. 62. *ipſi non erant de ſemine illorum virorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael*, vel vt Græcè legitur, quibus Iſraelis ſalus data, vt ipſorum manu, ſeu opera fieret. videſne quam malè id ſucceſſerit, qui proprio arbitrio & conſilio à nemine miſsi, quin etiam ſuperiorum neglecto imperio, quicquam attentare aggreſsi vel difficilem aliquam prouinciam ſuſcipere auſi ſunt? Egregiũ ſanè exemplum, & illuſtre humanæ vitæ ſpeculum. &, vt Serarius noſter inquit, vtilitatis, honoris, laudis & gloriolæ alicui obiecta ſpes plurimos, etiam à Deo non vocatos, etiam ab eodem, & magiſtratibus vetitos, etiam ineptos, neceſſarijſque rebus minimè inſtructos, in pace, in bello, in Eccleſia, in republica, in quolibet vitæ ſtatu ad quidlibet, per fas nefaſque audendum rapit. claudamus totam hanc narrationem vnica illa eiuſdem Scripturę ſententia ſempiterna hominum memoria cõſeruanda, quæ habetur v. 67. *in die illa* (tempore illo) *ceciderunt ſacerdotes* (non tamen de ſtirpe Ioarib) *in bello, dum volunt fortiter facere, dum ſine conſilio exeunt in prælium.*

10. Quibus Chriſtus dux eſt, nihil deeſt.

Sed non eſt in præteritis relinquenda particula illa, *Ite, ego mitto vos*; magnum enim habet emphaſim. quid enim deſit cum Chriſto euntibus? *ego*, inquit, *mitto vos*. nihil deſperandum Chriſto duce, & auſpice Chriſto. hoc ille expertus erat, qui dicebat: *non timebo mala, quoniã tu mecũ es.* & quidem quam id verum ſit, teſtis eſt Elias, qui cùm eſuriret, pane & aqua per angelum à Deo tranſmiſſa, ita famẽ omnẽ expulit, vt refũptis viribus, ambulauerit, *in fortitudine cibi illius 40. diebus, & 40. noctibus vſq; ad mõtem Dei Horeb.* 3. Reg. 19. 8. Mitto quod idẽ Dei præcepto per coruos, qui panem ei & carnes mane, itemq; veſperi deferebant, alitus 3. Reg. 17. 6. teſtis Eliſæus 4. Reg. 6. Qui cum hoſtium multitudine circumdatus eſſet, Deo fauente, vidit innumeris cœleſtium ſpirituum phalangibus ſtipari ſe, & puero ait: *Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt quam cum illis.* 4. Reg. 6. teſtis Dauid qui cum multis per Semei, viliſsimum mancipium, maledictis proſcinderetur, cũ patienter omnia ferret vicit omnia 2. Reg. 16. 5. 13. nec tamen Semei ſupplicio caruit: nam iuſto Dei iudicio morte mulctatus eſt 3. Reg. 2. 9. 42. 46. Taceo quanti ſteterit Doeg quod contra Dauid loquutus fuerit 1. Reg. 20. 2. Teſtis Daniel, qui cum inter duos crudeliſsimos leones poſitus eſſet, nihil inde mali expertus eſt, & vt ſemel dicã, viſo Angelo valdè recreatus eſt & per Prophetam allato cibo cõfirmatus. Teſtis Suſanna, vt cæteros omittam, quam Dominus de manu ſeniorum ne lapidibus peteretur tanquam adultera magna omnium admiratione liberata eſt. quis ergo non ſæpe illud vſurpet: *non timebo mala quoniam tu mecum es.*

A Ac neſcio an aliquid efficacius vel idoneum magis ad animandũ diſcipulos, quos ad hoſtes mittebat, dicere potuerit, quam *ite: ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos.* quis paſtor vnquam agnos mittit in medium luporum? immò à lupis ſeparat. Chriſtus verò agnos mittit ad lupos, vt lupos faciat agnos. Ne verò dicant: agni ſumus, qñdo nos mittit ad lupos? addit, *Ite, ecce ego mitto vos.* vos infirmi eſtis: ſed ego qui vos mitto fortis ſum. quis es tu Domine, qui cõfidenter agnos mittis in lupos? ego, qui verbo condidi cęlum & terrã, qui poſui arenam terminum mari, qui mortem ſuperaui, infernum expoliaui, qui mortis, & vitæ habeo poteſtatẽ. magna ſanè mittentis virtus: mittit oues in medium luporũ, & facti ſunt lupi, oues. nec enim B natura, ſed voluntate lupi erant. quod ſi dicas cur agnos eligit, vt lupos ſuperet? videlicet vt nomini eius adſcribatur victoria: Dei.n. hoc opus eſſe facilè intelligit quicumque benè intelligit. 11.

D. Gregor. homil. 17. expendens illa verba: *mitto vos, ſicut agnos*, docet debere eos, qui Eccleſię præſunt, agnos eſſe, ſic.n. ſcribit: *multi autem cum regiminis iura ſuſcipiunt, ad lacerandos ſubditos inardeſcunt. terrorem poteſtatis exhibent; & quibus prodeſſe debuerant nocent. & quia caritatis viſcera non habent, Domini videri appetunt, patres ſe eſſe minimè recognoſcunt, humilitatis locum in elationem dominationis immutant. & ſi quando extrinſecus blandiuntur, intrinſecus ſæuiunt. de quibus alias Veritas dicit: Veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. contra quæ omnia cõſiderandum nobis eſt, quia ſicut agni inter lupos mittimur, vt ſenſum ſeruantes innocentiæ, morſum malitiæ non habeamus. qui enim locum prædicationis ſuſcipit, mala inferre non debet, ſed tolerare: vt ex ipſa ſua manſuetudine iram ſæuientium mitiget, & peccatorum vulnera in alijs, ipſe afflictionibus vulneratus. ſanet. quẽ & ſi quãdo zelus rectitudinis exigit, vt erga ſubiectos ſæuiat, furor ipſe de amore ſit, non de crudelitate; quatenus & iura diſciplinæ foris exhibeat, & intus paterna pietas diligat, quos foris quaſi inſequendo caſtigat. quod tunc benè rector exhibet, cum ſeipſum diligere per amorem priuatum neſcit: cum nulla, quæ mundi ſunt, appetit; cum terrenæ cupiditatis oneribus nequaquam mentis colla ſupponit.* 12.

Iterũ eſt q̃ obſeruemus in his verbis, miſiſſe Dominum fortiſsimos duces, qui nos præcedant Apoſtolos, & diſcipulos, quos deſignauit in hoc opus. & quemadmodum olim accepit Deus de ſpiritu Moſis, & dedit 70. viris Num. 11. 25. ita accepit Deus Pater de ſpiritũ Filij ſui Ieſu, & dedit Apoſtolis, & 72. diſcipulis, vt illũ iuuarent in ſubijciendo fidei vniuerſo mundo, & de tenebris ac poteſtate dæmonis trãsferret ad Euangelij lucẽ, & ad Deum verũ omniũ cõditorẽ. fuerũt.n. Apoſtoli & diſcipuli lux mũdi, fuerũt medici, deniq; doctores ſanctiſsimi, ac Chriſtianorũ patriarchę. his ergo nos cõfiſi cęleſtẽ ciuitatẽ ac verã promiſsionis terrã ingredi poterimꝰ. egrediamur à captiuitate peccati in regnũ Filij Dei. nec eſt q̃ hoſtes timeamus, qui impedire conantur. olim nimio terrore correpti ſunt hebræi cũ audirẽt ab exploratoribus ſe cũ gigãtibꝰ pugnaturos eſſe, ſi vellẽt promiſsionis terrã inire; ac proinde metu de ſpe dejecti redire in Aegyptũ cogitabant. verũ duo 13. D

præ-

præstantissimi duces Iosue, & Caleb in medium procedentes bonis verbis illos animabant: terram illam optimam esse affirmãtes, & sicut panem ita gigantes illos Dei auxilio fretos deuorare posse, ac proinde nihil esse, quod timerent. Audisti, Christiane, innumeris bonis cęlestem illam promissionis terram abundare, quæ tibi exploratores nunciauerunt, Christus, Apostoli, discipuli. legisti scribentem: *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* 1. Cor. 2. 9. Nosti quid referat, qui ad tertium cælum raptus audiuit arcana verba, quæ nõ licet homini loqui, *existimo*, inquit, *quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, Rom. 8. 18. Audisti dicentem: *torrente voluptatis tuæ potabis eos.* terra igitur illa optima est, terra viuentium est, quia ibi vera vita, ista non tam vita, quam via ad vitam censeri debet. quod si non audes cum antiquo illo hoste generis humani, eiusque satellitibus manum conferre, ac propterea pugnam detrectas, quia te magnus hostium timor inuasit, audi Iesum dicẽtẽ: *confidite, ego vici mundum.* etiam si agnus fueris nullo accinctus ense, nullis instructus armis, nullo munitus clypeo, vel hasta, non galea tectus, in medium hostium Christo duce tutus prodire poteris. is qui fortem armatum alligauit, qui tartareum hostem armis suis expoliauit, tibi animum, roburque præbebit, vt, tanquam panem, hostes deuores, & vniuersas inferni regiones facilè superes. quid times? quid hæsitas? gladium arripe, quem tibi Christus porrigit. timorem excute, manus confere, & victor cœlestem promissionis terram ingredieris.

Cœlestis promissionis terra quibus bonis abundet.

DIGRESSIO IV.
MORALIS.
Quædam aliæ eiusdem capitis partes ad mores accommodantur.

1. *Nolite portare sacculum neque peram, &c.*] Ambros. lib. 7. in Lucam, in hæc verba scribens sic ait: *quid sit sacculum non esse portandum alibi euidenter expressit. scripsit enim Matthæus quondam dixit ad discipulos Dominus: nolite possidere aurum neque argentum. si prohibemur aurum possidere, quid eripere, quid auferre conamur? quod habes, donare præciperis; quemadmodum congeris, quod possidere prohiberis? non sic Apostolus Petrus cùm posceretur à paupere, vt ei aliquid pecuniæ largiretur, ait: argentum, & aurum non habeo. ille gloriatur, quod non habeat argentum & aurum, vobis pudori est minus adhuc habere quam cupitis. est ergo & paupertas gloriosa: quia est & beata paupertas, de qua scriptum est: beati pauperes spiritu. tamen non tam hoc gloriatur Petrus, quod argentum & aurum non habeat, quam quod seruet Domini mandatum, qui præcipit, nolite aurum possidere. hoc est dicere: vides me Christi esse discipulum & aurum à me requiris? aliud nobis multo pretiosiùs auro donauit, vt in nomine eius operemur. ita aq; nõ habeo quod nõ dedit; sed quod dedit habeo. In nomine Domini Iesu, surge & ambula. sicut ergo qui horrea vult congregando ædificare frumentis, Dominicæ sententiæ auctoritate reprehenditur, ita qui sacculum vult auro parare condendo, nauum reprehensionis incurrit. non peram, non calceamenta; vtrumque de corio mortui animantis confici solet; nihil autem in nobis Dominus Iesus mortale vult esse. denique ad Moysen dicit: solue calceamentum pedum tuorum. mortale igitur, atque terrenum calceamentum iubetur soluere, cum mitteretur ad populum liberandum. huius enim ministeri muneris timere nihil debet, nec à suscepto officio, mortis periculo retardari, ipse enim cum defensionem fratrum, hoc est, Iudæorum voluntarius recepisset, calumniæ terrore reuocatus est ab incepto, & fugit ex Aegypto. & ideò cùm Dominus affectum eius probasset, conditionem autem vidisset infirmam, animi eius, mentisq; vestigium mortalibus vinculis censuit exuendum. quod si quem mouet, qua ratione in Aegypto calceati iubentur edere agnum; Apostoli autem sine calceamentis ad prædicandum Euangelium diriguntur, is considerare debet, quia in Aegypto positus, debet adhuc morsus cauere serpentis; multa enim venena in Aegypto; & qui in typo paschæ celebrat, patere potest vulneri: qui autem minister est veritatis, euitat venena, non trepidat. denique momordit Paulum vipera in Melita insula, & videntes pendentem de manu eius viperam incolæ loci illius, putabant eum esse moriturum. sed vbi ineffensum stare viderunt, Deum esse dicebant, cui venenum nocere non poterat. & vt scias hoc verum esse, ipse Dominus ait, ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & supra omnes virtutes inimici, & nihil vobis nocebit.* sic Ambrosius.

Pauperitas gloriæ ducenda.

Eorũdẽ verborum allegoricam expositionem etiam habet Gregorius homil. citata 17. *quæsi quis*, inquit, *verba etiam per allegoriam velit intelligi, in sacculo pecunia clausa est: pecunia verò clausa est sapientia occulta; qui igitur sapientia verbum habet, sed hoc erogare proximo negligit, pecuniam in sacculo ligatam tenet. Vnde scriptum est: sapientia abscondita & thesaurus occultus, quæ vtilitas in vtroq;? quid verò per peram, nisi onera sæculi; & quid hoc loco per calceamenta, nisi mortuorum operum exempla signantur? qui ergo officium prædicationis suscipit, dignum non est vt onus sæcularium negotiorum portet: ne dum hoc eius colla deprimit, ad prædicanda cœlestia non assurgat. nec debet stultorum operum exempla conspicere, ne sua opera, quasi ex mortuis pellibus, credat munire. sunt etenim multi, qui prauitatem suam, ex alienis prauitatibus tuentur. quia enim alios talia fecisse considerant, se hæc facere licenter putant, vt quid aliud faciũt, nisi pedes suos ex mortuorum animalium munire pellibus conantur?* sic Gregorius.

2.

Concionatores rerum sæcularium curis non debent grauari.

Augustinus Psalm. 126. in illa verba; *sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum.* dicit Apostolos atque adeò Christi discipulos appellari excussos rectè, tum quod Matthæi 10. iussi sint de pedibus puluerem excutere, si intra ciuitatem non admitterentur: tum, & melius excusi dici possunt ob id quod à fluxis, caducisque bonis omnibus excusi fuerint. omnia enim excusserunt, hoc est, abiecerunt, nulloque terræ onere oppressi orbem peragrarunt, Euangelium annunciantes. eundem in modum concionatores illi, qui paupertatem amplexati sunt, dici possunt excusi, & excussorum Apostolorum filij, hoc est, discipuli, atque imitatores, in quos rectè conueniunt verba ista Prophetæ, *sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum.* sunt enim tanquam

3. Apostoli Christique discipuli cur nomine excussorum appellandi veniant.

sagittæ

sagittæ quædam acutæ in manu præpotentis Dei. quemadmodum enim magna vi excussis ex arcu sagittis corpora, ita huiusmodi excussorum verbis atque exemplo animi sauciantur. tales vere hoc CHRISTI præceptum seruant, *nolite portare sacculum, neque peram*, neque verò omnium passim concionatorum est ea laus, & tam laudabilis pulueris excussio, sed eorum duntaxat, qui totam spem suam in Deo collocarunt. sola spes est per quam sacculus & pera omnisque rerum temporalium cura excutitur. quod Propheta testatur Psalm. 54. *iacta super Dominum curam tuam & ipse te enutriet.* merito Gregorius eadem homil. ait: *Prædicatori tanta debet in Deo esse fiducia, vt præterita vitæ sumptus quamuis non prouideat, tamen sibi hos non deesse certissimè sciat; ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minus alijs prouideat æterna.* qui eiusmodi est, similis est Angelo illi, de quo Ioann. Apoc. 14. *Vidi*, inquit, *Angelum volantem per medium cœlum, habentem Euangelium æternum, vt Euãgelizaret sedentibus super terram.* Volat enim per cœlum, quia cœlestia mente considerat, terrenarum rerum pondere minimè prægrauatus; & liber, excusso terræ puluere, æternum Christi Euangelium sedentibus super terram prædicat. quid autem prædicet docet ibi Ioann. v. 7. *timete Dominum & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius.*

4. Quomodo saluandum.

Et neminem per viam saluaueritis.] Idem Gregorius ibid. subdit; *omnis verò qui saluat in via, ex occasione saluat itineris, non ex studio optandæ eiusdem salutis. qui igitur non amore æternæ patriæ, sed præmiorum ambitu salutem audientibus prædicat, quasi in itinere saluat, quia ex occasione, & non ex intentione salutem audientibus exoptat.* tantum Gregorius. D. Augustinus sermone 42. de SS. hanc explicationem clarius tradit. *quid est ergo*, inquit, *per occasionem salutare? per occasionem salutem annunciare. quid est autem aliud salutem annunciare, quam Euangelium prædicare? si ergo prædicas, hoc age per dilectionem, non per occasionem. sunt ergo homines, qui sua quærentes, non aliud prædicant Euangelium; de quibus Apostolus gemens dicit: omnes enim sua quærunt, non quæ Iesu Christi. & hi salutabant, hoc est, salutem annunciabant, Euangelium prædicabant; sed aliud quærebant, & ideò per occasionem salutabant.* subdit postea: *quid quærat annunciator non cures, quod annunciat, tenere velis. quid verò attendit, non ad te pertineat. salutem audi ab ore ipsius salutem tene ab ore ipsius, noli iudex esse cordis ipsius, &c. bonus tibi prædicat, carpe vuam de vite. malus tibi prædicat, carpe vuam pendentẽ in sepe. botrus implicite in palmite inter spinas creuit, & de spinis non germinauit. planè quando tale aliquid vides & esurís, sollicite carpe; ne cum ad vuam manum mittis, lacereris à spinis. hoc est, quod dico, sic audi quod bonum est, ne malos mores imiteris. prædicet ex occasione, saluet in via, illi nocebit quod non audiuit præceptum Christi: neminem in via saluaueritis. tibi non nocebit: qui siue à transeunte, siue à veniente salutem audis, salutem tenes, siue occasione, siue veritate Christus annuncietur.* hæc Augustinus.

5. Prædicationis impedimenta quæ cauenda.

Possunt & hæc verba aliter quoque ad mores accommodari. significat enim hic Dominus; omnia esse prætermittenda, quæ impedire possunt, vel retardare prædicationis cursum, nullamque moram faciendã esse, quæ remorari queat animarum salutem, ad quam procurandam discipuli mittebantur. extremam ergo necessitatem, summum periculum, ingens discrimen imminere indicat hic dicendi modus, cui statim omnibus prætermissis occurri debeat. sic Eliseus 4. Reg. 4. mittens Giezi cum baculo suo ad reuocandum in vitam puerum mortuum, dixit: *accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. si occurrerit tibi homo, non salutes eum, & si saluauerit te quispiam non respondeas illi.* de quo loco vide schol. num. 18. & seq. iam ad mores ista accommodemus. quoniam nullum maioris momenti negotium esse potest, quam illud, vnde Dei gloria, & animarum salus pendet; qua excluſa, excludatur etiam oportet omne hominis bonum; & vita sempiterna sublata, in mortem incidere necesse est: hinc non obscurè apparet discipulis Christi, quia ad salutem animarum colligendam mittebantur, videlicet vt peccatorum vulneribus medicinam facerent, ex quibus sempiterna calamitas, perpetuusque interitus peccatoribus imminebat, merito præceptum esse, vt neminem per viam salutarent. quod hoc exemplo intelligi aliquo modo poterit: si deberet quispiam suspendio lata sententia vitam amittere, & iam ad supplicij locum ductus esset, & iniecto in collum fune iamiam illi mors immineret, magno is procul dubio in periculo versaretur, & vix vlla spes salutis illi reliqua esset. Pone iam magno Regis vel Principis beneficio, reuocatam fuisse sententiam, vt à morte esset ille liberandus, quanta, quæso, celeritate, qui hoc nunciaret mitteretur? nisi enim statim ille ad locum pergeret supplicij, &, omni alia cura prætermissa, gradum acceleraret, fieri posset, vt illum iam mortuum offenderet, ad quem liberandum mittebatur. iam mihi hic, lector, paulisper considera, qualis sit peccatoris status & conditio: hoc ille in discrimine versatur, hoc illi instat periculum, lata in eum æternæ mortis sententia est. ad locum supplicij infelix ducitur, eoque magnis itineribus contendit. iam alterum pedem habet in inferno. magnus funis iam mortisque laqueus in collum eius iniectus est. quanta igitur celeritate opus est, quanta sollicitudine pergendum est concionatori, vt illum ab inferno, à sempiternis pœnis eripiat? cur igitur miramur concionatoribus præceptum esse, vt in tantum negotium toto pectore atque omni vigilantia, cura, studio, diligentiaque incumberent?

6. Amatorum mundi huius infelicitas.

Sed irrident nos homines huius sæculi amatores; nec se in tanto periculo versari opinantur. quos iterum atque iterum per Christi viscera rogamus, etiam cum lacrymis, vt perpendant, quæ hac de re sanctissimi Dei spiritu afflatus Isaias loquutus est cap. 28. 14.) *Propter hoc audite verbum Domini viri illustres, qui dominamini super populum meum, qui est in Ierusalem. dixistis enim: percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. flagellum inundans cùm transierit, non veniet super nos: quia posuimus mendacium spem nostram.* & postea v. 18. *Delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno*

ferno non ſtabit: flagellum inundans eum tranſierit, eritis ei in conculcationem. & v.22. *Nolite illudere, ne fortè conſtringantur vincula veſtra. conſummationē enim & abbreuiationem audiui à Domino Deo exercituum ſuper vniuerſam terram.* de his loquitur Propheta, qui cùm malefecerint putant nihil ſibi mali euenturum eſſe,& Dei ardentes minas in peccatores vix vnquam perpendunt: in horum collum quaſi laqueum iniectum eſſe à Deo inquit Iſaias,& vincula,quę ſi conſtringantur, pereant neceſſe eſt.audiſne,quo in periculo verſeris peccator? nimirum in eadem es naui cum illo, cui vincula in collum iniecta ſunt vt ſuſpendatur. attende quàm breuis, quàm periculoſa,quàm fragilis ſit hæc vita; & ex ea tamen calamitoſus ac ſempiternus interitus tuus pendet. |

7. Hoc ipſum mortis diſcrimen,hoc peccatori imminens periculum ſempiterni ſupplicij, explicat quoque Iudas Apoſtolus ſuæ epiſtolæ v.22. *Et hos quidem,* inquit, *arguite iudicatos: illos verò ſaluate de igne rapientes. alijs autem miſeremini in timore.* in quæ verba Diuus Thomas ait: de triplici peccatorum genere Apoſtolum loqui.primum quidem de hęreticis in hęreſi obfirmatis, quos dicit arguendos, vt iam iudicatos: deinde de ijs peccatoribus,quorum ſalutem ita curare debemus, quaſi de igne illos rapientes; quod videlicet in eo ſint periculo, ac ſi igne cœperint abſumi;poſtremo de ijs loquitur, qui vitam in melius mutare incipiunt, quibus condolendum eſt. ergo peccator, auctore Diuo Iacobo, iam igne ardere cœpit, proinde accelerandum eſt ijs, quibus animarum cura demandata eſt, quò celeriter illos de igne rapiant, antequam ſempiternis flammis abſorbeantur. huc pertinet tam ardens illa Dauid monitio Pſalm.7.13.*Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit; arcum ſuum tetendit & parauit illum; & in eo parauit vaſa mortis & ſagittas ſuas ardentibus effecit.*quibus verbis ſanctiſsimus Vates in terris quamuis poſitus,diuino tamen illuſtratus lumine, proſpexit quam proximum facinoroſis hominibus ſupplicium immineret. hoc enim indicat gladius vibratus, arcus diſtentus, & ſagittæ in eo poſitæ

8. Poſtremò etiam illa alia Iſaiæ verba eodem ſpectant cap. 18.2. quibus Spiritus ſanctus hortari videtur per Iſaiam ſuos nuncios,diuini verbi prędones, vt ad conuertendas ad Chriſtum gentes ociſsimè tendant: *Ite,* inquit, *Angeli veloces ad gentem conuulſam & dilaceratam ad populum terribilem* (Caldaicè ad populum vim patientem & direptum, olimque & deinceps potentem) *poſt quem non eſt alius* (quaſi dicat, habitantem in extremis terris, vel cui nullus comparandus) *ad gentem expectantem* (auxilium, Caldaicè oppreſſam: ſeptuaginta; ſine ſpe) *& conculcatam, cuius diripuerunt flumina* (Caldaicè, populi; myſticè dæmones) *terram eius.* Iedericus Lumnius libro ſecundo,de extremo Dei iudicio capite decimo,contendit terram illam de qua loquitur Iſaias eſſe Indorum, qui ad Orientem poſiti ſunt atque adeò Sinarum regionem, quibus iam Dei beneficio per homines Societatis noſtræ Euangelium prædicatur. quare honorificè ſatis de patribus

A noſtris interpretatur illa: *Ite Angeli veloces,* &c. ſed quidquid ſit de ſenſu literali huius loci; ſatis aptè accipitur, ſenſu ſaltem myſtico, vt intelligatur de gentibus præſertim remotiſsimis, quibus per Apoſtolos, ceteroſque CHRISTI diſcipulos, & Euangelij prædicatores, crucis vexillum & Euangelicæ legis lux illata ſunt. Vide Riberam Sepho. cap.3. num.30.

Dignus eſt enim operarius mercede ſua] D. 9.
Gregorius homilia decimaſeptima in Euangelia. *Ecce autem,* ait, *qui peram & ſaccum portare prohibuit, ſumptus, & alimenta ex eadem prædicatione concedit.* quod probat Gregorius ex ſequentibus. *In eadem domo manete, edentes & bibentes,* &c. *nam ſi pax noſtra recipitur, dignum eſt ab eis terrena ſtipendia conſequamur, quibus præmia patriæ cœleſtis offerimus.* quod ex Paulo 1. Corinth. 9. etiam oſtendit: *ſi nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi veſtra carnalia metamus?* ſubdit mox Diuus Gregorius hæc verba expendens, *dignus eſt operarius,* &c. *conſiderandum eſt; quod vni noſtro operi duæ mercedes debentur: vna in via, altera in patria: vna quæ nos in labore ſuſtentat, alia quæ nos in reſurrectione remunerat. merces itaque, quæ in præſenti accipitur, hoc in nobis debet agere, vt ad ſequentem mercedem robuſtius tendatur. verus ergo quiſque prædicator,* Merces veri prædicatoris quæ. *non ideò prædicare debet, vt in hoc tempore mercedem recipiat; ſed ideò mercedem recipere, vt prædicare ſubſiſtat. quiſquis namque ideò prædicat, vt hic vel laudis, vel muneris mercedem* B *recipiat, æterna procul dubio mercede ſe priuat.. quiſquis verò, vel ea quæ dicit ideò placere hominibus appetit, vt dum placet quod dicitur, per eadem dicta, non ipſe ſed Dominus ametur: vel iccirco terrena ſtipendia in prædicatione conſequitur, ne à prædicationis voce per indigentiam laſſetur; huic procul dubio ad recipiendam mercedem nihil obſtat in patria, quia ſumptus ſumpſit in via.*

Sed quid nos, quod tamen ſine dolore dicere 10.
non poſſumus, quid nos, ô paſtores agimus, qui & mercedem conſequimur, & tamen operarij nequaquam ſumus? fructus quippe ſanctæ Eccleſiæ in ſtipendio quotidiano percipimus, ſed tamen pro æterna Eccleſia minimè in prædicatione laboramus. penſemus cuius damnationis ſit, ſine labore hic per C *cipere mercedem laboris. ecce ex oblatione fidelium viuimus, ſed numquid pro animabus fidelium laboramus? illa in ſtipendium noſtrum ſumimus,quæ pro redimendis peccatis ſuis fideles obtulerunt. nec tamen contra peccata eadē,vel orationis ſtudio, vel prædicationis inſudamus. vix pro culpa ſua quempiam aperta voce reprehendimus,* &c. *debemus ſine ceſſatione meminiſſe, quod de quibuſdam in Oſee ſcriptum eſt.* (cap. 4. 8.) *peccata populi mei comedent, cur autem peccata populi comedere dicuntur, niſi quia peccata delinquentium foueri me temporalia ſtipendia amittant? &c. penſemus ergo cuius ſit apud Deum criminis peccatorum prętium manducare, & nihil contra peccata prædicando agere. audiamus quid Beati Iob. voce dicitur* (cap. 31. 38. 39.) *ſi aduerſum me terra mea clamat, & cum ipſa ſulci eius deflent, ſi fructus eius comedi abſque pecunia: terra etenim contra poſſeſſorem ſuum clamat, quando contra*

paſto-

pastorem suum iustè Ecclesia murmurat. cuius etiam sulci desient, si corda audientium, quæ à præcedentibus sunt patribus prædicationis voce & vigore inuectionis exarata, vident aliquid, quod lugeant de vita pastoris. cuius videlicet terra fructus possessor bonus sine pecunia non manducat; quia discretus pastor prærogat talentum verbi, ne ad damnationem suam de Ecclesia stipendium sumat alimenti. tunc enim de terra nostra cum pecunia fructus comedimus, quando sumentes Ecclesiastica subsidia in prædicatione laboramus. præcones namque venturi iudicij sumus. Hæc piè & sapienter Gregorius.

11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida. quia si in Tyro, & Sidone,* &c.] Hæc verba, quæ non sine dolore atque intimo animi sensu Dominus Iesus aduersus Corozain & Bethsaidam protulit, multo fortasis verius contra frigidos & ingratos Christianos conuertere, & detorquere possumus: quibuscum lacrymis exprobrare possumus, quod cum fidem habeant non sine magno Dei munere, CHRISTI doctrinam hauserint, tot concionibus interfint, futurum Dei iudicium expectent, parata peccatoribus sempiterna supplicia & benè operantibus proposita eiusmodi præmia, quæ mente ac cogitatione complecti nemo possit, non ignorent; iacent tamen peccatorum tenebris obsiti, auaritiæ pedore & luxuriæ sordibus fœdi horridique: in quibus ita versantur quasi ista nullo modo crederent, vel quasi futilia, ac vana essent. væ illis quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in illis pœnitentiam egissent. & verò, quæ est tam barbara, tam horrida, tam inculta natio, cui si Deus tam multa largitus fuisset beneficia, tam multa ostendisset cœlestia mysteria, si tot auxilijs, tot sacramentis munijsset, non multo maiori cura, ac studio in suam salutem incubuisset? *Verumtamen Tyro & Sidoni* cæteris; infidelibus *remissius erit in die iudicij*, si cætera sint paria: etenim *seruus qui nouit voluntatem domini sui, & non fecit, vapulabit multis*: qui autem non cognouit vapulabit paucis.

Væ quibus meritò intentandum sit.

12. Neque non illa verba eodem spiritu à Christo prolata aduersus Capharnaitas in nostra tempora conueniunt. *Et tu Capharnaum vsque ad cœlum* (mea doctrina, meis miraculis, mea præsentia) *exaltata, vsque ad infernum demergeris.* nos Christianos Euangelicæ doctrinæ luce Deus illustrauit, nobis ille in venerabili Eucharistiæ sacramento, admirabili sanè consilio, amore, potentia seipsum reliquit; vt propterea de nobis multo verius affirmari possit illud Psalmi centesimi quadragesimi septimi. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis*; nam Iudæis figuram tantum concessit tantæ gloriæ, nobis veritatem largitus est. quid multis opus est? nos ille spirituales sacerdotes effecit, vt illi hostias quoque spirituales offerremus, vt proinde Petrus 1. epistol. cap. 2. cunctos nos sic appellans alloquatur; *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* quid est ergo quod vltra nobis debuit facere Christus, quod non fecerit? ô nostram ingratitudi-

A nem. ô obfirmatam animi duritiem! non his mouemur, non tanto eius amore inardescimus.

Similes hac in parte sumus Dauidi Regi; qui cum senio confectus operiretur vestibus, non calefiebat, quamobrem? quia tenuem satis, ac debilem calorem nutriebat eundem in modum, quia Dei amore frigent Christiani, quamuis plurimo vestimentorum præsidio muniti, hoc est, tot tantisque circumuallati beneficijs, non incalescunt, non ardent. tantum potest inueterata consuetudo peccatorum, & rerum fluxarum amor, cœlestium rerum amorem excludens. expectat nihilominus Deus, vt ad meliorem frugem aliquando redeamus, 13.

B expectat vt vinea faciat vuas, cessetque tandem proferre labruscas. stat ad ostium, & pulsat: quod si non est qui respondeat, timendum ne declinet ille, atque transeat, iuxta illud Cantic. 5. 6. *At ille declinauerat, atque transierat.* quia quamuis interdum, quod ibi dicit sponsa, fingat DEVS se longius ire, vt sponsæ amorem probet, nihilominus dubitandum est ijs, qui tam tepidè viuunt, ne verè recedat ab eis, atque adeò seriò declinet atque transeat. audiamus hodie vocem eius, nec obdurare pergamus corda nostra.

Quare si saluos nos esse cupimus, timeamus ne nobis id accidat, quod Apostolus monet Philipp. 2. 13. cùm enim dixisset: *cum metu & tremore vestram salutem operamini,* 14.

C subdit: *Deus est enim qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* quibus verbis timere nos vult ne Deum offendamus, & pigri simus in bonis operibus exercendis: & iratus ille auxilijs suis nos priuet saltem vberioribus; vera enim & insignis est in hunc locum Caietani expositio. *ideò*, inquit, *vobis necessarius est, tam metus, quàm tremor cum operamini qua sunt salutis spiritualis; quia neque velle, neque operari in vestris consistit viribus; sed Deus est qui operatur in vobis tam velle, quam operari: propterea siquidem timendum est, ac tremendum ne subtrahat Deus operationem suam.* pluribus ista piè & eruditè persequitur Barradius noster in hunc locum. sed tempus est vt ad vigesimum caput transeamus.

D

CAPVT XX.

DE REDITV SEPTVAGINTA DISCIPVLORVM ET EXVLTATIONE Christi.

A. II. 25. C. 10. 17.

In festo S. Marci & Communi Euangelist.

V. 1. REVERSI *sunt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.*

3. *Et ait illis: videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.*

2. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.*

4. *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur, gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis.*

In die S. Matthiæ, & S. Francisci. A. 11 25. in illo tempore respondens Iesus dixit: cōfiteor, &c. A. quia abscondisti. A. ita Pater, quoniam sic fuit placitū ante te. A nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrē quis nouit, nisi Filius.

5. *In ipsa hora exultauit in spiritu Sancto: & dixit:* A. C. *confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ,* C. *quod* A. *abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis,* C. *etiam Pater: quoniam sic placitum est ante te.*

6. A. C. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo* C. *scit quis sit Filius, nisi Pater: & quis sit Pater, nisi Filius,* A. C. *& cui voluerit Filius reuelare.*

7. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*

8. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris.*

9. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.*

SCHOLIA.

1. REVERSI *sunt autem septuaginta duo*] sicut D. Lucas c. 9. & D. Marc. c. 6. missioni Apostolorum subiecerunt statim eorū reditum: ita etiā nunc idem Lucas post dimissionem, profectionemue septuaginta discipulorum, meminit eorum, quæ illis reuersis à Domino sunt dicta, ijs prætermissis, quæ intermedio tempore facta sunt vel à 70. vel à Domino; hæc aūt à Domino facta eo medio tempore credibile est, postea narrasse Lucam, cum inter alia c. 13. 22. scribit: *& ibat per ciuitates & castella docens, & iter faciens in Ierusalem.* & Iansenio videtur. præmiserat enim Christus hos septuaginta *in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus*, vt sibi interim viam pararent. Itaq; vbi Apostoli velut agni, ciuitates, & vicos peragrarūt, ad quæ ablegati erāt ad Christum nō sine gaudio rediere iuxta illud Ps. 125. *venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos*; & illud Iob. 38. 35. *Nunquid mittes fulgura & ibunt, & reuertentia dicēt tibi adsumus* præmiserat Dominus tanquam fulgura quædam miraculis & Euangelij luce coruscantia discipulos septuaginta duos; qui nunc reuersi dicunt: adsumus, aptè enim fulguri coruscanti diuini verbi prēcones comparantur. vide Gregorium lib. 30. moral. c. 2. vbi hæc verba mysticè exponit.

2. Concionatores necesse habent, subinde se sistere cōspectui diuino.

Discant Concionatores qui ad animarum procurandā salutē exiere, subinde reuerti ad Dominū, & Dei se cōspectui sistere. illi gratias agant de collecto fructu: colligant se se ad orandum, ne forte cum alijs prædicauerint ipsi reprobi efficiātur: ab eo spiritum roburq; augeri postulent vt maiores in dies fructus ex Domini vinea decerpere possint; nihil se esse cōsiderent, vel posse, nisi Dei auxilio munitos, cui omnis gloria debeatur. *Sancti viri*, inquit Greg. loc. cit. *etsi conspectu Creatoris sui, cuius claritatem mente conspicere conantur, foras propter nos ad actiuæ vitæ ministeriū veniunt; incessanter tamen ad sanctum contemplationis studium recurrunt, & si in prædicatione sua exterius nostris auribus per corporalia verba sonant, mente tamen tacita ad considerandum semper ipsum fontem luminis reuertuntur.* verè Greg. esse enim debēt prædicatores similes fluminibus: irrigant namq; auditorū mētes Euangelij doctrina & cœlestium rerum voluptate fecundant. porrò de fluminibus Eccles. 1. 7. ait Salomon. *Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur vt iterum fluant.* ita & sancti Concionatores à rerum diuinarum contemplatione, à S. Scripturæ studio, ab orationis feruore, ab interna coniunctione cum Deo ad concionandum, laborandumque in vinea Domini exeunt; quo facto mox ad eadem spiritalia studia regrediuntur, vt iterum cœlesti fluant eloquio.

Concionatores similes fluminibus.

3. *Cum gaudio*] Tribus modis intelligere possumus hoc gaudium discipulorum, propterea quod dæmonia subijcerentur eis: primum vt gauisi fuerint ob admirabilem sibi datam à Christo potestatem; ita vt gaudij causa esset donum illud Christo collatum. deinde potuerūt gaudere propter fructū spiritalem auditorum, qui ipsorum miraculis, & eiectione præsertim dæmonum excitati, Christi fidē amplexati fuerant. Demum lætari, & exultare potuerunt gloria, & exaltatione nominis Christi, cuius virtute animaduertebant tam admiranda opera ab ipsis esse patrata, expulsis præsertim immundis spiritibus, & eiectis de corpore hominū. inter hæc gaudia tertium est omnium præstantissimum, secundo loco positum præstantius quidē est primo, sed tertio inferius. vltimo loco ponendum primum. iam verò si quis roget cuius generis fuerit hoc discipulorum gaudium? Respondeo fuisse primi generis. ipsi enim reuersi cum gaudio dicebant. *Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis*; & quamuis faterentur se non propria virtute, sed nominis Christi ea admiranda opera fecisse; lætabantur tamen sibi à Christo tantam fuisse potestatē cōcessam. docet id Chrysost. in Matth. hom. 33. docet Titus Bostrenus hic. docet Cypr. tract. de tenta. & Ieiunio Christi, docet Greg. hom. 19. in Ezech. li. 9. Regist. epist. 58. & lib. 23. moral. c. 4. Addo nihilominus quod de successu etiam prædicationis, & de gloria Christi etiam gauderent. Itaque triplici illo gaudiorum genere exultabant, quāuis primum illud hîc exprimatur, quod forte nunc maximè illud experti fuerint; non quod hoc gaudium præferrēt duobus alijs gaudendi modis, sed quod maiorem conciperent voluptatem de potestate tradita, quā de alijs maioribus bonis. possumus enim secundū sensum, de minori bono plus gaudere, vt de bono temporali, quam de maiori, & spirituali, non præferendo tamen illud huic.

Triplici gaudiorum genere exultabant discipuli.

Cæterum, quamuis patres non eodem modo de primo illo gaudio discipulorum sentiant (sunt

4. An primum gaudiorum genus fuerit superfluum.

enim

enim qui illud cum elationis vitio fuisse conuinctum videantur dicere, vt Gregor. locis cit. Idemque Chrysostomus videtur sentire: Euthymius item ait illud gaudium superuacaneum fuisse, ideoque non bonum; qua in re sanè decipitur, quia non omne gaudium, quo de re ad salutem non necessaria gaudemus, superfluum, ac propterea malum dici debet: Aliquid item culpæ, vel certè minus perfectæ virtutis notant in his discipulis Cyprianus lib. de Ieiun. & tentat. Christi, Cyrillus apud D. Thomam, & Beda, & Elias Cretensis in orat. 4. de Theolog. Gregorij Nazianzeni; *quia infirma adhuc fide*, ait Beda, *gaudebant in virtutibus, vide quid audiant.*) equidem cum Theophylacto iudico primum illud gaudium discipulorum, nihil ex se continuisse mali. licet enim gaudere de sanitate recepta, & alijs bonis à Deo collatis. Poterat nihilominus malũ esse ex circumstantijs, nimirum si fuisset lætitia illa cum inani aliqua gloria, aut debitum modum excessisset: ex se tamen non ita erat, nec ex Euangelio constat, an talis vlla peristasis acciderit illi gaudio, neque obstat quod Christus illis dixerit: *Verumtamen in hoc nolite gaudere.* quod ex sensu illius loci intelligetur, cum eo ventum fuerit. fateor nihilominus imperfectum fuisse, si cum gaudio secundi, ac tertij præsertim generis conferatur.

5. Discipulorũ Christi potestas.

Etiam dæmonia subijciuntur nobis] Quod quasi mirantes dicant, *etiam dæmonia*, &c. (hanc enim vim habet dictio, *etiam*) indicat vel voluisse discipulos vno verbo cuncta, quæ gesserant, exponere; quare referentes id, quod omninò difficillimum erat, declarare voluerunt cætera se etiam fecisse: vt sit sensus; non modo cetera fecimus, quæ faciliora videbantur; verumetiam dæmones eiecimus. vel certè significant, non solum homines illorum dicto audientes fuisse, sed ipsos etiam dæmones. neque enim probo eorum sententiam, qui putant potestatem faciendi miracula non autem dæmones eijciendi traditam illis fuisse à Christo, cùm ablegati sunt: ita vt horum verborum, *etiam dæmonia*, &c. sit hæc sententia: non solum ea ad miranda opera fecimus, quorum dedisti nobis potestatem, sed etiam dæmones impulimus tuo nomine inuocato, remque succesisse pro voto. non, inquam hoc probo; quin arbitror, vt Apostolis ex cap. 9. Lucæ, Matthæi 10. & Marci 3. ita & discipulis eam traditam esse potestatem. hoc enim maximè Christo fidem conciliare poterat, si viderent homines, eius nomine, etiam dæmonia eijci. Itaque & tradita est Apostolis potestas expellendi dæmones; & reddita est hic à nobis caussa cur huius tantum operis abigendi dæmones facta sit mentio à redeuntibus discipulis.

6. Neque illud hic prætermittendum, non affirmasse etiam dæmonia subiecta sunt nobis, sed præsenti tempore dixisse: *subijciuntur nobis*, significantes eam potestatem adhuc in eis perseuerare, hoc verò gaudium discipulorum inditio est, eos à ciuitatibus Iudææ pluribus receptos fuisse; alioqui præceperat illis Christus, ne ea opera ederent in ijs ciuitatibus, in quibus susoepti non essent, vt patuit c. superiori vers. 10. & 11. sed in illis, qui eos admisissent, vt c. ex eodem superiore vers. 8. & 9. liquet.

7. 2. *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem*] Paucis hæc verba hunc sensum mihi reddere videntur, vt ad incarnationis mysterium referantur, hoc modo: cum subiectos vobis dæmones fuisse explicatis, nihil planè noui, nihil quod prius nescirem, narratis; sat ipse noui olim à me Luciferum dæmonum principem debellatum post aduentum meum in mundum, triumphatumque fuisse, atque adeò cœlo depulsum. hoc modo exposuisse videntur hunc locum Basilius, quod Deus non sit auctor malorum, Nazianzenus orat. 4. de Theolog. Cyrillus apud Diuum Thomam; & Elias Cretensis Commentar. in Nazianzenum, nec displicet hæc interpretatio etiam Euthymio, & Theophylacto, eamque probat Maldonatus; potestque accipi iuxta hanc expositionem, cœlum, pro aëre isto, in quo ante Christi aduentum dominabatur diabolus; sic Euthymius, & Elias, quin Diuus Basilius ait, aërem principatus diaboli locum fuisse: aut cœlum idem est quod potestas & gloria, quam olim habebat Lucifer antequam Dei verbum humanitatem indueret, quod malunt Theophylactus, & Cyrillus.

Huic expositioni fauet plurimum hic loquendi modus in Scriptura vsurpatus. nam cum dæmonis potestas impediri significatur, dicitur in scripturis, de cœlo cadere, ligari, foras eijci, vt clarum erit legenti Ioannis caput 12. 13. Apocalyp. 12. 9. & caput 20. 2. vbi cum ille angelus, qui dicitur apprehendisse draconem serpentem antiquum, qui est diabolus, & satanas, & ligasse eum per annos mille, &c. Christum repræsentabat, qui dæmonem in deserto prostrauit, vt p. 2. dilucid. docuimus l. 4. c. 12. sch. n. 36. & theo. 3. 8.

Videbam] græcè est, ἐθεώρουν, contemplabar, quod non solùm cognitionem, sed factum ipsum, seu actionẽ indicat. vt si quis Imperator, se victore, ac duce reportatam de hoste victoriam referens, diceret, videbam ante meos oculos hostium multitudinem cadere, is verbo illo, *videbam*, non tam cognitionem, vel oculorum aspectum, quam factum ipsum, & hostium internecionem explicaret; ita hic intelligendum. sed cur vtitur verbo imperfecti præteriti? quidam exponunt, *videbam*, videlicet tunc, quando corruit, præsens eram; verum is sensus magis faceret ad rem, si intelligeremus, hic esse sermonẽ de primo casu diaboli, immò non tam *videbam*, quàm, *vidi*, dicendum esset, videlicet secundùm diuinitatem, & in æternitate: quare iuxta sensum, quem nos elegimus de casu secundo diaboli ob mysterium incarnationis, sic potius respondebimus: ne putetis vos mihi rem nouam, & incognitam narrare; sciebam enim cùm vos misi ad prædicandum, ruituras esse satanæ vires antea iam à me debellati; immò cum dæmonia eijceretis, ipse ego vobis aderam, & videbam quod vos non videratis, satanam ipsum in morem fulguris cadere, viresque eius euanescere, quippe qui à me olim victus, stare contra meos non potest. 9.

Sicut fulgur] Malo ex ipso casu hanc similitudinem desumptam esse affirmare; hoc sensu: videbam satanam magna vi atque impetu cadentem, non aliter quam solet fulgur cœlo decidere. quamuis enim plerique referant, vt Diuus Ambrosius, Chrysostomus, Titus Bostrensis, Theophylactus, participium, *cadentem*, ad satanam, non ad fulgur vllo modo, quasi sit sententia hæc, videbam satanam, qui sicut fulgur prius erat, cadentem; vt similitudo sit inter satanam, & fulgur, non ratione casus, sed splendoris, vnde Lucifer appellatus sit, quod à luce in tenebras cecidisset; tamen hoc non multum ad rem præsentem faciebat, quia non de antiquo illo decore, ac lumine, quo primum conditus, & ornatus est, nunc agebatur, nec de primo casu, sed de secundo; quo in modum fulguris in abyssum deiectus est, sic coërcita à Christo eius potestate.

Hæc expositio magis mihi placet, quàm altera communior eorum patrum, qui de primo casu diaboli exponunt hunc locum quasi ad comprimendam discipulorum elationem; hinc Hieron. Isaiæ decimoquarto, in expositione secunda libri 10.

Dominus reuocat discipulorum animos ab inani gloria exemplo Luciferi.

sexti. *Videbam*, inquit, *Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem, non modo video: sed prius videbam, quando corruit, & si ille propter superbiam de tanta magnitudine cecidit: vos quoque discipuli, non debetis gloriari, quia vobis dæmonia subiecta sunt, sed quia nomina vestra scripta sunt in cœlo; vt vnde ille cecidit per superbiam, vos ascendatis per humilitatem.* Diuus quoque Gregorius existimat, vt dixi numero tertio, proposuisse Dominum, quo communiret suorum animos aduersus inanem gloriam, quæ illis videbatur obrepsisse, exemplum Luciferi, qui ob elationem à tanta felicis status conditione subito corruisset, sic ait libro vigesimotertio moral. capite septimo, vbi quatuor arrogantiæ formas assignat: *Sancti Apostoli ab hoc elationis vitio reuocantur, qui de prædicatione redeuntes, cùm elati dicerent: Domine in nomine tuo etiam dæmonia nobis subiecta sunt; me de hac miraculorum singularitate gauderent, illico eis respondet Dominus, dicens: videbam Satanam, velut fulgur de cœlo cadentem. ipse enim singulariter elatus dixerat: super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte altissimi, in lateribus aquilonis, similis ergo altissimo. & mirè Dominus, vt in discipulorum cordibus elationem premeret, mox iudicium ruinæ retulit, quod ipse magister elationis accepit, vt in auctore superbiæ discerent, quid de elationis vitio formidarent.* sic ille.

Cæterum propterea prior expositio, quam numero septimo attulimus, mihi magis placet, quia non libenter audio Christi discipulos accusari, vel notari elationis cum commodè neque vlla verbis illata vi possum id facere. at huius alterius sententiæ auctores notare videntur discipulos elationis cuiusdam.

11. 3. *Ecce dedi vobis potestatem*, &cæt.] Græcè: ἰδοὺ δέδωκα ὑμῖν τὴν ἐξουσίαν. *Ecce do vobis potestatem*: loquitur ac si ante non dedisset; sed non hoc significatur, id quod Euthymius rectè vidit, non significari videlicet verbo hoc præsentis temporis ante illis potestatem non cõtuliſſe; sed quod prius datam nunc confirmet. non tamen concesserim Euthymio prius non nisi ad tempus, dum ea legatione fungerentur, eam potestatem illis esse traditam, iam verò eandem in perpetuum prorogari. voluit tamen confirmare, quamuis in perpetuum antea concessa fuerit, vt aptius caderet, quod dicturus erat, *verumtamen in hoc nolite gaudere*. vt sit sensus, non tollo à vobis quam prius concesseram potestatem, quin etiam confirmo. verumtamen considerare vos volo longè me præstantius vobis beneficium contulisse, quo magis gaudendum sit, nimirum, quod nomina vestra in cœlo scripserim.

12. *Supra serpentes, & scorpiones, & super*, &c.] Serpentes, & scorpiones dæmones multi interpretantur; ita vt ea, quæ sequuntur, *& super omnem virtutem inimici*, explicent præcedentia, *serpentes, & scorpiones*. affert aliam & Beda, per serpentes, & scorpiones, verosintelligi, non dæmones, nam ij excluduntur per sequentia: *& super omnem virtutem inimici*; vt sit hęc sententia: do vobis potestatẽ euadendi, & superandi omne periculi genus, non tantum quod ab hominibus, sed quod à bestijs etiam, & dæmonibus euenire potest, vt Marci 16.17. 18. dicitur, *in nomine meo dæmonia eijcient; linguis loquentur nouis, serpentes tollent*, &cæt. hanc posteriorem explicationem sequitur etiam Theodoretus, inquit enim, *multi qui Deo crediderunt, has feras superarunt. sic Daniel leonum ora ligauit, Paulus nullum damnum à vipera accepit* (Actor. 28.35.) *sic*

Qui Deo credentes feras superarunt.

A *Noe inter feras versans incolumis euasit, sic innumeri, qui vitam solitariam amplexi sunt, & simul cum feris vitam duxerunt, & ob firmam spem in Deum fixam, harum pernicem euaserunt.* & hæc mihi sententia præferenda videtur alteri. illud sanè menti altius infigendũ, verè calceatos oportere esse pedes, vt inquit noster Barradius, qui serpentes conculcaturi sunt; porrò pedes animi intellectus, & voluntas sunt. illum ergo est quod æternarum rerum contemplatione muniamus, hanc Dei amore simul & timore.

4. *Verumtamen in hoc nolite gaudere*] Aduerte non hic reprehendi à Christo discipulos, quasi elationis; verum monet potius ac instruit, quin nec prohibet quidem ob subiectos sibi dæmones gaudere. docet potius vt ob scripta in cœlis ipsorum nomina magis gaudeant, erat enim donum, ac Dei beneficium expellendi dæmones, & edendi miracula potestas; dummodo gaudium simul cum dono in auctorem Deum referatur. illud non est hîc etiam prætereundum, consueuisse Scripturam interdum ita loqui, vt quod comparatione alterius minus affirmatur, simpliciter negetur; vt, *misericordiam volo, non sacrificium.* Oseæ 6. 6. Matth. 9.13. 13.

B *Gaudete autem*, &c.] Nomina in cœlo scripta esse idem est, ac esse scripta, vt loquitur Scriptura in libro vitæ: Exod. 3.32. 33. Psalm. 68.29. Philip. 4.3. Apocalyp. 3.5. & 17.8. & 20.15. & 21.27. & 22. 19. bifariam autem in libro vitæ homines scribi dicuntur à Theologis, aut secundùm æternam prædestinationem, & immutabilem, aut secundùm præsentem iustitiam, quæ mutabilis est. qui primo modo scripti sunt, nunquam delentur; qui posteriore deleri, scribique possunt, prout nunc ex iustis, iniusti, & ex iniustis iusti fiunt. vt patet Exod. 32.32.33. Psalm. 68.29. Apocalyp. 3.5. sunt qui putent hìc de prima scriptione secundùm prædestinationem esse sermonem. alij de posteriori. verum nihil hic certi præsertim cum Apostoli omnes non fuerint prædestinati. nam filius perditionis Iudas damnatus est. *quis nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* verum de hoc in Theoria. dicitur autem, *gaudete, quia nomina vestra scripta sunt*, non, vos scripti estis; quia nomina scribi solent, & vt significetur distinctissima prouidentia singulorum in notitia & memoria Dei, quæ est velut liber; sicut nomina ciuium solent scribi. 14. Bifariam in libro vitæ homines scribi dicuntur, vel secundũ æternam prædestinationẽ vel secundũ præsentem iustitiam.

C 5. *In ipsa hora exultauit in Spiritu sancto*] Matthæus capite 11. post exprobrationem Corozain, Bethsaidæ, & Capharnaum ciuitatum scribit verba ista. à Luca verò ponuntur hic ca. 10. post reditum discipulorum. opinatur D. August. 2. de consensu Euang. c. 33. credibile esse semel tantum dicta esse probabile id quidem, sed magis probo exprobrationem bis dictam esse à Domino; at confessionem semel, & quidem eo loco, vbi ponitur à Luca. 15.

D *In illa hora*] Matthæus habet, *in illo tempore*, videlicet vbi discipuli à prædicando redierunt, inde enim hoc est, ex eorum gaudio, & fructu collecto animarum, ansam arripuit Christus dicendi, quæ sequuntur: *Confiteor tibi Pater*, &c. cum verò Lucas dicat, *in ipsa hora*; credendum est potius ipsum quam Matthæum ordinem tenuisse. *Dixit*] Matthæus ait; *respondens Iesus dixit.* est autem idem, *respondens*, quod orsus loqui iuxta Hebraismum; respõdere enim Hebraicè non tantum significat interrogantibus reddere responsum, sed sæpe exordiri sermonem. sic Marci 11.13. 14. *Cum venisset ad eam* (ficum) *nihil inuenit præter folia*, &c. *& respondens dixit ei.* & Matthæi 17.4. *Respondens autem Petrus dixit ad Iesum: Domine bonum est nos hic esse.* nec dici potest sumi hic

respon-

respondere primo modo, quod Christus gloriantibus Apostolis videatur reddidisse respõsum, cõstat enim ex Luc. clarius prius respondisse Christũ Apostolis gloriantibus, & post adiecisse hæc verba, quæ manifestè ab illo responso distinguuntur; licet ex Matthæo non id, saltem clarè, colligatur, sed declarandus ex Luca.

In Spiritu S.] Quædam græca exemplaria non habent, *sancto*; vt videre est apud Euthym. qui legit tantùm; *in spiritu*. vt idem sit, quod exultauit animo. habent tamen alij quidam codices græci: *in Spiritu sancto*, vt & Latini etiam peruetusti, vt August. lib. 2. de consensu Euang. c. 33. & Titus Bostrenus, & antiqui Patres legerunt vt nos.

16. Porrò scribitur exultasse in Spiritu sancto; vt significetur gaudij, & exultationis caussa: neque enim erat res aliqua mundana ea, qua exultabat, sed cœleste mysterium, & res non humanis viribus, sed per Spiritum sanctum effecta, & eum loquendi modum vsurpauit Paulus 1. Corinthior. 12. 3. *nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*: hoc est, virtute, & munere Spiritus sancti. Iansenius ait: exultauit in Spiritu sancto, hoc est, per Spiritum sanctum qui habitans in Christo homine ad actualem hanc exultationem eum commouit. Rogabis; quidnã illud fuerit, propter quod exultauit Christus? Euthymius censet propter eorum salutem, qui per discipulos iuuandi erant nũc exultasse. melius Toletus annotatione vigesimanona causssam huius exultationis sumendam ex sequentibus verbis, vbi agit de manifestatione mysteriorum salutis Apostolis, & discipulis facta. item de eorum, & aliorum quoque futura vocatione ad Euangelij fidem, quique onus legis suæ, & Euangelij libenter erant suscepturi, requiemque animabus suis inuenturi. obserua habuisse quidem Christum quantum ad intelligentiam semper præsentia omnia obiecta, non tantùm quia Deus erat scientia pollens diuina; sed etiam vt homo habens scientiam visionis, seu beatam. cæterùm non semper quod attinet ad affectum mouebatur ad gaudium particulare propter hoc vel illud obiectum, nisi quando, quantum, & quomodo illi placuisset. Iam ergo exultauit, non quod noui aliquid acciderit, quod non fuerit ab illo præuisum, sed quia nunc illi placuit istud gaudium in seipso excitare, & discipulis indicare, vt omnes intelligerent, quã gratum illi sit animarum salutem procurare, interim docens nos non in terrenis rebus exultare, sed in rebus, quæ ad Dei gloriam & salutem animarũ pertinent. Theophy. aitquemadmodum pater bonus cùm viderit filios recta quædam opera egisse, gaudet, ita Saluator exultat, quia talia bona assequuti erant discipuli.

Quomodo Christus mouebatur ad gaudium

Confiteor] Hoc est, gratias ago, laudo te, est hebraismus, significat enim & confiteri, & laudare, & gratias agere Psal. 6. 6. & 7. 18. & 9. 2. & 17. 50.

17. *Tibi Pater, Domine cœli & terræ*] Athanasius ad Marcum Romanum Pontificem, Cyrillus l. 5. Thesauri capit. 5. obseruant non sine causssa interpunctionem esse positam à Christo inter nomen Patris, & Domini, videlicet, ne quis putaret Deum ipsum non solum Patrem, sed etiam Dominum suũ vocasse. nam apertè hic patrem non cœli & terræ, sed suũ dicit: at Dñm nõ suũ vocat; sed cęli & terrę, quare nec addenda est coniunctio, *&*. per cœlum & terram omnem intelligit creaturam, vt notat Cyrillus l. 5. Thes. cap. 5. nam cœlo & terra omnia continentur; hinc Cyril. colligit Christum se Deũ significasse, cùm se separet à creaturis omnibus; quod & Hieronym. obseruauit Matt. 11. hic etiam hæresis Marcionis reijcitur, qui dicebat, Deum qui fecit cœlum & terram alium esse à Deo, qui dicitur Pater Christi, atqui eundem vocat hic Christus Patrem suum, & Dominum cęli & terræ. Sic Iren. l. 4. c. 2. Est aũt longè præstantiùs esse Patrem, quã Dominum cœli & terræ: hoc enim non addit Deo perfectionem; illud dicit infinitam & æternam. vide Tolet. annot. 31.

Quod abscondisti hæc] Hæc, inquit: videlicet regni cœlestis mysteria, sua Apostolorum, & discipulorum prædicatione reserata, reiecta quidem fuerant à sapientibus, sed à paruulis percepta.

18. *Abscondisti*] Abscondisse dicitur pater negatiuè; quod non contulerit illis auxilia congrua, quæ tamen nulli debita sunt, quæ si tribuisset credidissent; quomodo Diuus Gregorius libro 25. moral. c. 9. explicat dum ait: *Inducere noctem Dominus dicitur, non quod tenebras inferat, sed quod obscura corda peccantium misericorditer non illustret.* sicut in cubiculo obscuro ac tenebricoso si quis esset, quamuis ibi positus esset thesaurus, aurum, & argentum; & lapides pretiosos contineret is, qui lumen præbere nollet cùm posset, rectè diceretur abscondisse thesaurum illi qui ibi esset; ita dicitur Deus Pater sapientibus Incarnationis Christi mysterium occultasse, quia nimirum auxilium superabundans vel congruum, & fidei lumen illis non præbuit: hinc Diuus Augustinus libro 1. ad Simplicianum quæstione 2. *cuius*, inquit, *Deus miseretur, fic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* & paulò superius: *si vellet*, inquit, *etiam ipsorum misereri* (loquitur de alijs qui non sic sunt vocati) *posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt & mouerentur, & intelligerent & sequerentur.* Cardinalis Toletus ex doctrina Diui Augustini libro de prædestinatione Sanctorum capite 6. & libro de bono perseuerantiæ capit. 8. docet annotation. 35. quod promulgato Euangelio, vel Dei verbo, hi credant, illi non credant, non ex eadem radice ex parte DEI procedere; vnum enim misericordiæ, alterum iustitiæ est; nam quod Deus vni lumẽ suum infundat, quo veritatem agnoscat, & eam prædicãti credat, misericordiæ est; neq; enim vllum in homine meritum antecedit, quin etiam demeritum præcedit; peccator enim est; quod verò alteri neget lumen illud, & gratiam, quæ si daretur, vtiq; crederet, & conuerteretur, iustitiæ est ob eius peccatum, & arbitrij repugnantiam, & contentionem. Pharisæis ergo, & Scribis potuisset quidem Deus eam gratiam dare, & lumen illud infundere, quo accepto reuera credidissent. ob eorum tamen superbiã, animiq; arrogantiam & inuidiam, adhæc quòd malè abusi essent ea gratia, & auxilijs, quæ concessa illis fuêre ad credendum, iusto iudicio illa negauit; similiter etiam his paruulis, de quibus loquitur, quia peccatores erant, negare lumen datum, & auxilia cõgrua poterat. placuit tamen misericorditer ea istis elargiri, non ex iustitia, sed ex gratia; nam quod, vel quale præmeritum in eis præcesserat? nec solum iustitia & misericordia in hac discretione elucent, sed etiam summa Dei sapientia in contemperanda iustitia, & misericordia modis & rationibus inuestigabilibus. has rationes tetigit Apost. & quidem iustitiam & misericordiam Ro. 11. ostendit dum ait v. 22. *vide bonitatem, & seueritatem Dei, in eos quidem qui ciderunt seueritatem; in te autem bonitatem Dei.* Sapientiam verò docet vers. 33. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei* &c.

Quomodo Deus Pater sapientibus Incarnationis Christi mysterium occultauit.

A sapientibus, & prudentibus] Sapientes intelligit Scribas, & Pharisæos, eorumque similes: non quod essent, sed quod esse deberent, vel essent suo ipsorum iudicio, vt censet Hilarius: vel quod reuera essent sapientes, non tamen secundùm spiritum, sed secundùm carnem, vt Chrysost. intelligit: eiusmodi sapientes, ea sapientia,

19.

quæ *stultitia est apud Deum* 1. Corinthior. 3. 19. & *quæ legi Dei non est subiecta* Romanorum 8. 7. Christi fidem & Euangelium aspernati sunt, de quibus Paulus 1. Corinth. 1. 26. *videte*, inquit, *vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles*, & capite 3. 18. *si quis*, inquit, *inter vos videtur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sapiens sit.*

Paruulis] νήπιοις, infantes, vel paruulos vocat, non tam Apostolos, & discipulos, vt Chrysost. Hieron. Euthym. & Beda intelligunt, quam eos qui prædicationi Euangelij crediderant. rectè autem sic vocat, quia *malitia paruuli* erant 1. Corinthior. 14. 20. & *sicut modo geniti infantes* 1. Petri 2. 2.

20. Huc facit, quod Diuus Cyprianus sermone de Natiuit. scribit: *A sapientibus, & prudentibus non quærit testimonium, qui paruulis se reuelat* &c. *pastores illi amplius mente, quam oculis carnalibus illuminati ad conspiciendum Emmanuel festinant, & edocti intus inuisibili magisterio Spiritus sancti, quẽ paruulum vident, confitentur immensum, & piæ ei deuotionis affectum præsentant. electa adest humilium personarum simplicitas, vt poneretur regula, & indissolubilis daretur forma, quòd nonnisi pauperibus spiritu Christi pateret humilitas: nec superbos ad intuitum sui possit admittere veritas.* & postea: *pauperes electi, superbi neglecti: nec fastus, nec altus circa Christi discipulatum aliquem obtinent locum: Christus pauper, discipulos diuites aspernatur. pauper mater, pauper filius, inops hospitium, his qui in forma huius schola in Ecclesia militant, præbent efficax documentum.* postremò ait: *ad paruulos venit Christus, & cum paruulis conuersatur, pauperes instruit, & creat. ipse in Synagoga Iudæorum in Isaia volumine cùm legisset in Sabbatho* (Lucæ 4.) *complicato libro prophetiam hanc in se completam edocuit quod à Spiritu sancto vnctus sit, & ad euangelizandum pauperibus Pater eum miserit. item in Euangelio gloriatur, confitetur Domino cœli, & terræ, gratias agens, quod reuelata sunt diuina mysteria paruulis, à quorum intellectu sublimitas huius mundi repulsa est, quæ Deo subijci non potest, dùm secundùm carnẽ, & sanguinem inuisibile ipsius suis regulis inuestigat. hic est primus religionis introitus, sicut in mundum primus Christi ingressus, vt quicumque piè vult viuere, humiliter de se sentiat, neque supra se in mirabilibus ambulare præsumat, fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas, nec in cœlo stare potuit superba sublimitas. hanc primam gratiam ingrediens mundum noster paruulus attulit, & à cunabulis nos sibi conformes fieri volens, teneri voluit in vita, quod exhibuit in persona.* Hæc ex Diuo Cypriano.

21. *Etiam Pater.*] Matthæus habet: *ita Pater.* Græcè est ναί, hoc est, certè, vtique, etiam. loco, *placuit.* & apud Matthæum, *placitum.* est Græcis nomen substantiuum εὐδοκία, id est, sic fuit bona voluntas, vel placitum ante te, quod clarius est, dictio, inquit Iansenius, εὐδοκία Scripturis sacris, est propria & familiaris, est autem hebraismus, tibi placitum, id est, tibi visum, quod dicet *ita*, vel *etiam Pater*, est vehementer adprobantis & confirmantis id, quod semel dictum erat, vt Lucæ 12. 5. *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. ita dico vobis, hunc timete*, & Lucæ 11. 51. *ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.*

Quoniam sic placuit ante te] Illud, *quoniam*, bifariam potest accipi: primò vt more græcanico abundet; vt sit sensus: ita, vel certè Pater, sic fuit placitum ante te. Secundò, vt causalem sensum reddat hoc modo: certè Pater sic factum est, eò quòd

A sic fuerit beneplacitum tibi. iuxta verò vtrumque sensum, præsertim verò posteriorem docemur his verbis, exemplo humilitatis, ne temerè diuina cõsilia de aliorum vocatione, aliorum autem reiectione audacter discutiamus, persuasi iniustum esse non posse, quod placuit Deo, & hac tam sublimi causa contenti aliâ non quæramus. audi Greg. qui lib. 25. mor. cap. 13. sic scribit: *Nemo discutiat, cur stante Iudaico populo, dudum in infidelitate gentilitas iacuit; & cur ad fidem gentilitate surgente, Iudaicum populum infidelitatis culpa prostrauit: nemo discutiat, cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito; si enim gentilitatem miraris assumptam, ipso consecente pacem, quis est, qui condemnet? si Iudæam obstupescis perditam, ex quo absconderit vultum suum, quis est, qui contempletur eum?* (Iob 34. 29.) *itaque consilium summæ & occultæ virtutis satisfactio sit apertæ rationis. vnde & in Euangelio Dominus, cùm de huius rei causa loqueretur*

Non debemus diuina consilia de aliorum vocatione & aliorum reiectione temere discutere.

B *ait, Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. ita Pater. atq; mox tãquam rationẽ quandã abscondionis & reuelationis adiungens ait: quia sic fuit placitum ante te. quibus nimirum verbis exempla humilitatis accipimus, ne temerè discutere diuina consilia de aliorum vocatione, aliorum verò repulsione præsumamus.* Sic egregiè Gregorius. hinc patet Diuum Gregorium ὅτι, *quoniam* causaliter sumpsisse. hic quæri posset an sola Dei voluntas causa sit reprobationis, vel negationis congruæ vocationis, sed de hoc in Theoria dicendum.

Cæterùm antequam ad sequentem versum veniamus, dubitare quis posset, an Christus gratias agat Patri ob id, quod celauerit mysterium incarnationis sapientibus. nam si id affirmemus, absurdum esse videtur id de Deo affirmare. numquid Deus malo gaudet sapientum? videlicet quod insipientia, & mysteriorum fidei ignorantia laborauerint, an non potius id materia lacrymarum, quã gaudij & gratiarum actionis occasio? D. Chrysost. Matth. 11. hom. 39. sic respondet: *gratias*, (inquit Christus) *tibi ago, quoniam à prudentibus & sapientibus hæc celasti, an igitur perditione illorum gaudere ipsum decemus, & quoniam illi hæc non didicere? minimè. Sed hæc est via salutis optima, vt qui respuunt quæ dicuntur, & nolunt suscipere, nullo pacto cogantur; vt quoniam vocati non obtemperarunt, nec meliores hic facti sunt, sed spreuerunt, atque contempserunt salutem. quoniam electi sunt, resipiscere cogantur: sic certè diligentiores etiam fient, qui crediderunt, quibus quoniam reuelata mysteria sunt, latari atq; gaudere dignum est: quoniam quod ab illis occulta sunt, non gaudere, sed lacrymarum fontes emittere dignissimum: quod profectò facit lacrymans, atq; commiserans ciuitatis. non ergo quia sapientes non cognouerunt, gaudet: sed quia paruuli percepe*

22. *runt latatur, ita & Paulus dicit* (Rom. 6. 17.) *Gratias ago Deo meo. quoniam fuistis serui peccati: obedistis autem ex corde in quam traditi estis formam doctrinæ. non ergo itaque Paulus gaudet, quia erant serui peccati. sed quia cùm essent huiusmodi, veritatis cultores facti sunt.* Sic Chrysost. est igitur sensus secundùm Chrysost. gratias tibi ago, Pater, quod cùm cœlestia mysteria sapientibus occultaueris, paruulis tamen declarare voluerit; non ergo gaudet quod sapientes non cognouerint, sed exultat quod paruuli perciperint. hæc expositio bona est, præsertim si verbũ, *confiteor*, vt sumit Chrysost. pro gratias agere accipiatur, quãuis etiam laudare significet; si verò quis contendat hic sumi pro laudare tantum, melior erit altera expositio; vt laudet hic Christus Patrem, tum quod quibusdam abscõdit fidei mysteria, tum quod alijs aperuit: cùm

enim

enim cælat, iustitiam; cùm manifestat, misericordiam suam declarat. Verùm quoniam nobis visum est, confiteri, sumi hic pro gratias agere, & simul laudare placet magis Diui Chrysostomi expositio, quamuis alteram non reijciamus.

25. *6. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*] Ne putaret aliquis iccircò quod Patri gratias egit, & dixit, fidei mysteria paruulis aperuisse, ipsum hac virtute destitutum esse; ne in hoc errore quis versaretur, ista nunc subtexuit, quibus indicat Patrem non id facere sine Filio, neque aliter aperuisse, quàm per Filium; est etiam & ratio alia cur hæc dixerit, nimirum vt rationem redderet eorum, quæ subiuncturus erat: *venite ad me* &cæt. nam vt omne hominum genus ad se alliciat, ostendit quantæ sit apud Patrem auctoritatis, cui à Patre omnia in manu sunt tradita, quem solus ipse nouerit, & per quem aperit Pater cœlestia illa mysteria; ita vt nemo sine eius opera Patris cognitionem, fidem, peccatorum condonationem, denique salutem animæ obtinere possit; quare hæc verba non tam cum præcedentibus quàm cum sequentibus copulanda sunt. Est autem hæc sententia horum verborum, *omnia mihi tradita sunt* &cæt. omnium rerum creatarum potestas in me collata est à Patre meo, & cuncta meæ ditioni ac voluntati sunt ab illo subiecta, ita vt nihil faciat Pater, nisi per me, nihilque fit quod à me malè, vel perperam fieri possit. Itaque idem significat: *Omnia mihi tradita sunt à Patre*, ac, *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.* Ioan. 3. 35. *Omnia dedit ei Pater in manus*, Ioa. 13. & : *dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Ioan. 17. & : *data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Matth. vltim. licet autem cùm ait: *omnia mihi tradita sunt*, possint hæc accipi tamquam dicta de filio secundùm diuinitatem, & quidem ab æterno per generationem, placet tamen magis intelligere his sententijs ostendi, omnia filio tradita secundùm humanam naturam Deitati coniunctam in hypostasi diuina filij. filio namque Dei, vt Iansenius obseruauit, cui per æternam ex Patre generationem omnia ante sæcula data sunt, etiam tamquam homini omnia tradita sunt per hypostaticam vnionem Deitatis cum humanitate, verùm non essent omnia homini tradita, nisi ea ab æterno tamquam DEVS habuisset: quare in posteriore sensu etiam prior includitur, secundùm quem Ioan. 16. dicitur: *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt.*

Christus ostendit quàm sit apud Patrem auctoritatis.

24. Huic expositioni fauet Athanasius oratione in hunc Lucæ locum, asserit enim intelligendum esse de Christo ratione dispensationis per carnem gerendæ, docetque tunc illi omnia tradita fuisse ad reparandum, & instraurandum, cùm humanitatem induit, ac carnem sumpsit. Sic ergo ait: *postquam peccarat, & lapsus esset homo, eiusq; lapsu, perturbatis omnibus, mors inualuisset ab Adam vsque ad Christum, terraque execrationi data esset, infernus apertus, paradisus clausus, cœlum infensum, & tandem corrupto, & interempto homine, insiluisset diabolus contra nos, tum demum Deus hominum amator ac nolens perire hominem ad suam imaginem conditum in hæc verba locutus est: quem emittam, & quis proficiscetur? omnibus obticentibus, locutus est filius: Ecce ego, mitte me: quo tempore illi respondit Pater: vade ergo, tum inquam dedit illi hominem, vt ipsum verbum caro fieret, carnemque assumptam in omnibus instauraret. tradita enim sunt illi vt medico, qui sanaret morsum serpentis, & vt vitæ, quo excitaret mortuum: & vt luci, quo illuminaret tenebras, & vt rationi, quo redintegraret vim rationalem; postquam igitur illi tradita sunt omnia, & factus est homo, quo recta sunt omnia, & perfecta, terra pro maledictione benedictionem obtinuit; paradisus reseratus est; infernus se metu contraxit; monumenta aperta sunt, resurgentibus mortuis, porta cœli eleuatæ sunt, vt intraret ille ex Edom. certè qua ratione sibi omnia tradita essent, indicare volens Saluator per Matthæum subintulit: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. datum est mihi vt fatigatos reficiam, & mortuos viuificem. consentit cum isthis etiam illud dictum, Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus eius: dedit enim, vt quemadmodum per eum facta sunt, ita & in eo omnia refici possent. non enim vt ex paupere dines fieret, neque vt qui non haberet, potestatem acciperet, assumpsit omnia, absit; sed quò omnia, vtpotè Saluator, instauraret, decebat enim exordium creaturæ per eum fieri vt esse posset, & instaurationem in eo fieri, vt corrigeretur. vide verborum differentiam. in principio enim creata sunt per eum, vt essent: postea verò lapsis omnibus Verbum caro factum est, & carnem induit, vt in eo omnia instaurarentur. ipse enim patiendo nos refocillauit, & esuriendo aluit, & ad inferos descendendo extulit. tùc igitur rebus omnibus creatis præceptū datum est vt fierent: quale illud est, producat & fiat; ad emendationem aūt tradi illi omnia decuit, vt homo fieret, & in ipso omnia renouarentur, eo enim ipso, quo homo erat, humanitas nostra viuificabatur. nam ideo cōiunctū est Verbum homini, ne maledictio vlterius vim sutam in hominibus haberet.* & cætera quæ ille elegantissimè prosequitur. ex quibus constat iuxta Athan. sententiam de Christo, qua homo est, hæc intelligēda esse. deinde tūc omnia illi tradita fuisse, cùm humanitatem induit, denique per omnia intelligi debere oēs res creatas. Vnde etiam fit non de Christo vt ab æternogenitus est à Patre hęc intelligi debere, sed de Christo homine; & meritò: quia cùm omnia in tempore creata sint, nec fuerint quando Pater genuit ab æterno filium; non ita propriè dici posset, Patrem filio tradidisse omnia, cùm ante sæcula genuit, neq; enim tunc erant. quare magis propriè dicitur tunc tradidisse, quādo illum hominem fecit, eumq; rerum omnium iam ante conditarum instauratorem constituit, præcipuè verò hominum, qui in peccatum lapsi fuerant, & diuino remedio, ac restitutione indigebant. quę confirmari possunt ex Dauid Psa. 3. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, & clarius Paul. Eph. 9. *vt notū* inquit, *faceret Sacramentum voluntatis suæ secundū beneplacitum eius, quod proposuit in eo* (hoc est, secundùm voluntatem salutis hominis, & refectionis vniuersi positā à Deo in Christo, quia ipsum cōstituit restitutorē, doctorem, medicū, redemptorē, & instauratorem, quod est tradidisse illi omnia) *in dispensatione plenitudinis temporis.* Scio eundem Athan. ser. 4. contr. Arian. Iren. l. 4. c. 23. Hilar. li. 6. de Trinit. lib. 3. de Spir. Sanc. cap. 12. Chrysost. hom. 39. in Matth. de Christo, vt DEO, hæc exposuisse.

Et nemo scit quis sit Filius nisi Pater, & quis sit Pater nisi Filius &c.] Matth. habet: *nemo nouit Filium nisi Pater.* Spiritus S. non fit mentio, quia nondū missus erat in mundum, nec satis hominib. cognitus, & vt ait Euth. quia nondū erat tēpus, vt de eo doceret. *primū siquidē oportebat filij cognitionē mentib. discipulorū insinuari, deinde ea illis reuelari, quæ sunt Spiritus S.* est aūt canō Theologorum dictionē exclusiuā, vel exceptiuā, vt vocant, additā vni psonę, nō excludere in ijs, q̄ essētialia sūt, altera personā, sed tantū creaturas. quarē cùm dicitur, solus Filius nosse Patrem, vel solus Pater Filium,

25. Quare in hoc loco nō fit mentio Spiritus S.

non ex-

non excluditur Spiritus S. quemadmodum nec negatur Patrem, aut Filium non nosse seipsum: aliqui de Spiritu S. loquitur Paulus 1. Cor. 2. cùm dixit: *nemo nouit quæ sunt Dei, nisi spiritus Dei.* Lege Ambros. libr. 2. de Spiritu S. cap. 12. cum verò dicitur, *nemo scit*, & apud Matt. *nemo nouit* &c. scientiam, vel notitiam absolutè accipio, siue sit naturalis, & comprehensiua, siue sit reuelata & supernaturalis, nam si de illa tantùm intelligas, nõ benè subijceretur, & cui voluerit filius reuelare, nam repetendum esset, & ille nouit eadem, videlicet notitia naturali, cui voluerit filius reuelare, quod est falsum. Licet reuera cùm de Patre, & filio dicitur, *nemo nouit filium nisi Pater, nec Patrem nisi filius*, de notitia naturali, & comprehensiua intelligi debeat, quæ comprehenditur sub notitia absolutè dicta. Sermo autem est hîc non de notitia naturæ diuinæ; sed etiam officiorum, & consiliorum Patris, & Filij. deniq; de notitia continente etiam aduentũ filij, & sacræ œconomiæ; nemo .n. nouit Patris cõsilia, qua ratione velit homines seruare, nisi filius, & nemo nouit filij officiũ, cuius causa in hunc mundũ venit, nisi Pater, hoc. n. ad sequentia verba, quibus cunctos ad se suauiter inuitat, *venite ad me omnes*, magis accõmodatum est. Nec obstat quod Lucas videatur de quidditatiua, & essentiali cognitione loqui, dicens: *quis sit Pater, & quis sit filius*, nam sub ista continetur cognitio sacræ œconomiæ verbi. & obserua priora illa verba: *nemo nouit Patrem, nisi* &c. pertinere ad Christum quà Deus est: *nisi cui voluerit filius reuelare*, pertinere ad Christum quà homo, vt paulò post dicam num. 27.

26. Soluitur obiectio nequissima Marcionis.

Hinc excluditur obiectio Marcionis, qui volés ostendere, Deum veteris testamenti alium fuisse ab eo, qui est Pater Christi, abutebatur hoc loco: si nemo nouit Patrẽ nisi filius, & cui voluerit filius reuelare; ergo antequã Christus naturã nostrã assumeret, pater hic non erat alicui notus, cùm Christus nulli eum aperuerit, priusquam hominem indueret; atqui ille Deus veteris testaméti multò ante cognitus, & declaratus erat, est igitur alius à Patre Christi. D. Iren. l. 4. c. 14. & Chrysost. hom. 39. in Matt. huius obiectionis meminerunt, & aliter, atque aliter respondent. paucis responderi potest. licet illa verba. *Nemo scit quis sit Pater, & quis Filius*, nisi filius pertineãt ad Christum, quà Deus est: hæc tamen alia, *& cui voluerit filius reuelare*, pertinent ad Christum vt homo est, & intelliguntur de cognitione & notitia, quæ complectitur verbi œconomiam, quam ipse filius homo factus primus docuit, & quam nemo habet, nisi is, cui Christus homo aperit. Hanc igitur notitiã veteres olim Patres nõ habuere, qui tantũ nouerãt eũ venturũ; sed eo veniente, noua Euang. lux de a duẽtu præsẽtis iã Christi in orbe emicuit, cuius ipse doctrinę primꝰ magister & doctor est Christus in carne assumpta.

27. *Et cui voluerit filius reuelare*] Hæc verba de Christo homine intelliguntur, quãuis priorib. de eo vt Deus est, fit sermo. Cùm .n. in Christo duplex sit natura, & vna hypostasis, de ea nunc quà vnius nũc quà alterius naturæ loquitur Scriptura, vt Ioan. 3. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur*, ꝙ scimus & vidimus ad ipsum, vt Deum pertinent; ꝙ loquimur, & testamur, ad eumdem, qua homo est referturteodẽ modo hîc. priora verba pertinẽt ad diuinitatem, posteriora ad humanitatẽ. Nota præterea hãc partẽ adiectã, *& cui voluerit filius reuelare*, satis indicare aliã esse notitiã, qua filius vt Deus cognoscit patrẽ, & pater filiũ, & aliã, qua homines cognoscũt patrẽ, & filiũ, sc. ꝙ horũ notitia sit per reuelationẽ, & nõ per naturã, illorũ verò per naturã, vt significauit Luc. cùm dixit: *Nemo scit quis sit filius nisi Pater, & quis sit Pater nisi filius.* nã *quis sit*, innuit quidditatiuam, vt loquuntur, & naturalem

Alia est notitia quà Filius, vt Deus cognoscit Patrem, & Pater Filiũ, & alia, quà homines cognoscunt Patrem, & Filium.

A diuinarum personarum comprehẽsionem, quà cognoscuntur etiam consilia, & officia earumdem.

Est aũt referenda hæc pars, *cui voluerit filius reuelare*, ad vtrumq; sententię præcedentis mẽbrum, vt sit hæc sententia: & cui voluerit filius reuelare Patrẽ & seipsũ. & iccircò priori mẽbro, quo dicitur: *nemo nouit filium nisi Pater*, nõ additur, *& cui voluerit filiũ Pater reuelare*, sed filio iã appropriatur (vt in scholis loqmur, & Iãs. obseruat c. 47. cõcordiæ) reuelatio vtriusq; : tũ quod iã prius reuelatio Patri fuerit tributa v. 5. vbi dictũ est de Patre *reuelasti ea paruulis*; tũ ꝙ Pater nõ reuelet, nisi per filiũ, iccircò in mundũ missum, vt nomẽ Patris aperiret hominib. Io. 17. *manifestaui nomẽ tuũ hominib. quos dedisti mihi.* propterea hęc sententia ex duplici capite indicat filium Patri esse æqualem. etenim si ita nouit filiũ Pater, sicut Patrẽ filius, oportet eos inter se esse æquales. itemq; si ita cõgruit filio reuelare, quibus vult, sicut Patri; necesse est, æqualem esse filium Patri. neque enim dicitur filius reuelare, quibus iussus est à Patre, sed cui vult reuelare, quemadmodum superius dixit loco citato Patrem reuelasse quibus placitum ei fuisset. Ceterum cum solus Pater filium noscat, benè ei tribuitur reuelatio filij versic. 5. & eorum mysteriorum, quæ ad filium pertinent: item cùm solus filius vt Deus Patrẽ cognoscat, & ei qua homo est, vt cætera omnia, de quib. dixit v. 6. *omnia mihi tradita sunt* hoc quoq; cõcreditũ sit, vt reuelet, quib. vult; hinc fit vt solus filius etiam quà homo sit, per quem Pater paruulis reuelat, quæ illis aperit mysteria.

B

28.

29. Aug. hom. 34. expendens verba huius versus 6. *omnia mihi* &c. *qui desideras*. inquit, *omnia mecũ habebis; si desideras Patrẽ per me habebis. nemo cognoscit Patrẽ nisi filius. noli desperare. veni ad filiũ. audi quod sequitur; & cui voluerit filius reuelare.* & cap. 1. lib. 1. quæst. Euang. & serm. 48. de tempore ait: *cũ diceret Dominus Iesus: nemo nouit filium nisi Pater; nõ dixit, & cui voluerit Pater reuelare; quẽadmodum cùm diceret: nemo nouit Patrem: nisi filius; addidit; & cui voluerit filius reuelare. quod non ita intelligendũ est, quasi filius à nullo possit cognosci, nisi à Patre solo. Pater autem non solùm à filio, sed etiam ab eis, quibus reuelauerit filius. Sic enim potius dictũ est, vt intelligamus & Patrẽ, & ipsum filium per filiũ reuelari: quia ipse est mentis nostra lumen, vt quod postea intulit, & cui voluerit filius reuelare: non tantum Patrem, sed & Filium accipias. ad totum enim quod dixit illatũ est: verbo enim suo ipse Pater declaratur, verbũ autem nõ solũ id, quod per verbũ declaratur;* & l. 7. de Trin. c. 7. *nemo*, inquit, *nouit Patrẽ nisi filiꝰ, & cui voluerit filius reuelare; quia per filium reuelat Pater. i per verbũ suũ. si. n. hoc verbũ, quod nos proferimus, tẽporale, & transitoriũ, & seipsũ ostẽdit, & illud, de quo loquimur, quãto magis verbũ Dei per quod facta sũt omnia*

C

30. D. Chrysost. hom. 3. de incomprehensibili Dei natura sic scribit: *reuelat autem* (filius) *non quantũ cognoscit, sed quantum nos recipere possumus: nam si Paulus ita fecit, multò magis Christus ita facere debet. ille quippè ad suos discipulos scribens, sic ait: non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis.*

D

31. 7. *Venite ad me omnes, qui laboratis* &c.] Vbi omnia sibi à Patre tradita fuisse asseruit, seque tantùm fidei lumine, & cœlestium mysteriorum cognitione donare homines præmisit, iam cũctos ad se allicit tanquã bonorũ omniũ largitorẽ, & illius doctrinæ auctorem, quę requiẽ præstat animæ. sensus ergo est horũ versꝰ. 7. 8. 9. vt Gag. exponit, *tradite mihi vos in disciplinam, discite me doctore Euãgeliũ Dei:* (accedite tãquam ad fontẽ bonorũ) *non est. n. quod metuatis, quod austerus, aut durus sim præceptis aut inflatus, & insolens, qui rudes dedigner docere.*

Digitized by Google

at contra, mitis sum & humilis corde: quod si præceptori mihi operam dederitis, ac disciplinæ meæ iugum vltrò subieritis, inuenietis requiem animabus vestris, hoc est, reperietis in ea, vbi acquiescatis. iugum enim disciplinæ meæ suaue est, & onus mandatorum, quæ vobis iniungo, leue. notanda illa: *qui laboratis, & onerati estis.* Hinc enim constat peccatum & laborem antequam perficiatur, & pondus postquam patratum est, plurimum habere, iugum verò Domini paruum, vel nullum pondus habet. iugum enim Christi, & disciplina eius idem sunt. possunt simplicius labor, & onus sine differentia accipi, vt laborare hîc & oneratum esse, sit idem quod lassari, affligi, defatigari, molestias aliquas perpeti: sic enim laborare frequenter in Scripturis sumitur, vt: *Laboraui in gemitu meo; laboraui clamans, rauca facta sunt fauces meæ*; Laboraui sustinens, sic etiam labor ponitur non rarò pro afflictione, & molestiarum perpessione. quare laborantes, & oneratos inuitat, hoc est, eos, qui quocumque modo afflicti, defatigati, miserèque affecti sunt: itaque qui laboratis, & vt Græcè habetur hîc οἱ κοπιῶντες significat, qui lassi, qui fatigati estis, nimirum peccatis degrauati, vnde illa; *Lassati sumus in via iniquitatis, &, iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, &, sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Sic intelligunt Chrysost. Hieronym. Augustin. ferm. 11. de verbis Domini, & Euth. possunt & hæc ad graue legis onus referri, non exclusis peccatis. Hilar. Theoph. videtur enim suum iugum legis iugo opponere.

Peccatum labor, & pondus.

32. Christus omnes vocat absq; personarum differentia.

Porrò omnes vocat cuiuscumque sit conditionis, aut gentis, quo significet se absque personarum differentia promptum paratumque esse quoscunq; ad se venientes obuijs vlnis excipere; siue illi Iudæi sint, siue ad gentes spectent. pollicetur autè vt libentius veniant, se cunctos refecturum. est autem hîc, reficere, exonerare, & recreare; est enim hîc Græcis pro reficere, quod non habemus, ἀναπαύσω, hoc est, requiem vobis præbebo, requiescere vos faciam, recreabo, refocillabo. igitur reficere hîc idem est, ac recreare, & requiē præbere, proinde nō benè interpretantur, qui referūt reficere ad internum pabulum humanarum mentium, vt idem sit, ac saturare hominum mentes cibo interiori; hoc enim non ita ad rem facit, cùm de laborantibus, & oneratis, & angustijs oppressis sit sermo, non de esurientibus, præsertim cùm subijciantur illa: *& inuenietis requiem animabus vestris.* hæc enim requies effectus est Euangelici iugi in humeros sublati.

33. Quare lex, & doctrina Euangelica vocatur iugum.

8. *Tollite iugum meum super vos*] Iugum, legem vocat, & doctrinam Euangelicam, dicitur autem iugum, vel quia Christi discipulos inter se coniūxit, & cum Christo tanquā auriga; vel potius, quia in iugi modum ad Christum accedentibus imponitur, eos comprimens, & constringens, vt non quodcumque carni libuerit illi sequantur; nam propterea in Scripturis lex, iugum dicitur, Psal. 2. *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum*; & Ierem. 2. 20. *A sæculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti non seruiam.* tollere ergo iugum Christi super se, est submittere sese, ac subijcere legi, & doctrinæ Euang.

34. Sunt qui inter iugū Christi. & onus putent hîc distinguēdū esse, vt p iugū, præcepta, per onus cōsilia Euangelica intelligāt. equidē arbitror hic idē vtraq; voce significari. i. eādē legē, & doctrinā Euangelicā, nomine, & vocabulo iugi simul & oneris indicari. cur. n. iugū dicatur lex, & doctrina Christi, dictū est num. præced. onus verò dicitur, quatenus legē ipsā ferēdi, siue implēdi, perficiēdiq; nobis incūbit necessitas. cęterū v. 9. iugū suauevocat, onus leue. nā iugū magis asperitate, & quadā veluti ineptitudine, vel incōmoditate vexare solet a-

A

nimalia sub ipso incedētia, quā pōdere. at onē grauitate ipsa molestū est. quare difficultatē oēm, ꝓpter quā abhorrere quis posset à lege Euāg. volens amouere Christ⁹, ne q.s, ꝓpterea deterreretur, iugū suū vocauit suaue. i. nō asperū, nō molestū, sed suaue, & cōmodū; onus verò leue. i. ad portādū facilē.

Quidā, *suaue*, exponūt delectabile, ac palato mētis dulce: Hinc Psal. 118. docet Dauid suaue esse iugū Dñi, sc. his, qui nō sunt palato infecto: *iudicia Domini vera &c. dulciora super mel, & fauū, &, quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* verùm aduertendū est, hoc loco Mat. nō esse χρηστὸς vt est in præcitatis locis Psalmistæ, sed χρηστὸς, quæ dictio significat, nō dulcorē, qui ad gustatū pertinet, sed propriè significat cōmodū, placitū, benignū, & humanū; hos. n. homines & nos vocamus suaues, aut dulces, sic Ps. 24. *dulcis & rectus Dominus*, vbi pro *dulcis*, est χρηστὸς, & Psalm. 30. *quam magna multitudo dulcedinis tuæ*, χρηστότητός; & Psalm. 118. *iudicia tua iucunda* κρίματά σου χρηστά, significat enim hîc, *suaue*, idem, quod commodū, nō asperum, placidum &c. q. d. iugum hominis benigni, ac facilis.

B

Discite à me quia mitis sum &c. Bifariam exponi hic locus potest. primum quidē vt cōiunctio, *quia*, non causalem sensum efficiat, sed sit idē, ac *quòd*, vt sit hæc sententia; exemplo meo discite manſuetudinē, discite humilitatē; vnde Aug. ser. 10. de verbis Domini secundùm Matth. dixit illud omnium ferè cōcionatorum ore decantatum: *discite à me non miracula facere, non omnia visibilia, & inuisibilia creare, sed quoniam mitis sum, & humilis corde.* Sic Chrysost. hom. 39. in Matth. D. Athanas. ser. 4. cont. Arrian. D. Greg. lib. 34. mor. sub fin. D. Barrad. in vigil. Natiuit. Dñi ferm. 5. & est communior sententia; docere enim velle videtur Dñs, quomodo quis libenter, suauiterq; suscipere, ac ferre possit iugum, & onus suum, id est, legem suā, nimirū hoc efficiet, si Christi humilitatē, & manſuetudinē imiteturi; hos. n. humeros, has ceruices, humiles inquam ac mites Christi lex Euangelium postulat. *quæ dicta sunt* (inquit Chrys.) *perficies. si humilitate sincera, si manſuetudine vera, si moderatione integra te communies. humilitas quippè virtus est, & sublimioris Philosophiæ mater, & origo.* Bona est hæc interpretatio, præsertim cùm tantorum Patrum sit. Verior tamē fortassis est altera expositio, vt, *quia*, sensum reddat causalem, videaturq; Dñs per mānſuetudinē & humilitatē suā cunctos velle ad suscipiendum iugū, & doctrinā suam excitare: vt sit hęc sententia: ne dubitetis: qualescumq; sitis, venite ad me; nec graue vobis sit tollere iugū meū super vos, & docente me discere. nam me nihil modestius, nihil magis obuiū, ac prōptū volēti discere, nihil demissius, nihil mitius. nō ergo quispiā timere debet si ad me accesserit, ne à me repellatur, vel ne sim graue aliquid, & molestū illi impositurus. Hūc sensum etiam sequitur Gagn. n. 31. superius relatus. vide locū. Itaq;, *quia*, caussā & ratione cōtinet cur de illo doctore, ac magistro discere debeāt libēter & depulso omni metu suam doctrinam arripere.

C

D

35. Quare iugum Domini suaue.

36.

Humilitas & manſuetudo efficiūt vt possimus ferre iugum & onus legis

Et inuenietis requiē animab. vestris] Requies hæc seu pax nascitur ex obseruatione, & custodia legis Euāg. & sita est in fiducia remissionis peccatorū, & benignitatis diuinę, & opponitur omnib. illis, qb. onerati sunt, qui vocātur ad Christū, atq; adeò est in cōscientiæ trāquillitate posita, ad quā cū venerit anima dicere potest Dauidicū illud: *cōuertere anima mea in requiē tuā, quia Dominus benefecit tibi*: de hac pace Hier. 6. 16. *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animab. vestris.* ex quo loco desūpta videtur hæc sētētia Dñi. loco refrigerij Hebraicè est margoah, ꝙ ꝓpriè significat requiē. eodē spectat & illud Eccl. 51. 34. 35.

37.

Digitized by Google

Sequentibus Christum non est corporis requies, sed mentis.

Collum vestrum subijcite iugo, & suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est enim inuenire eã. videte oculis vestris, quia modicum laborauí, & inueni multam requiem. dicit autem requiem animabus vestris, vel quia sola mentis requies, est vera requies, vel quod sequentibus Christum, reuera non est corporis requies. multa enim corporis mala patiuntur serui Dei, verùm per illa, requies mentis non amittitur, non turbatur iuxta illud Ioan. 16. *hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, in mundo pressuram habebitis, sed confidite ego vici mundum.* Adde quod corpora in altera, quam speramus, vita solidè, ac perpetuò conquiescent.

38.

9. *Iugum enim meum suaue est* &c.] Hæc exposita sunt num. 33. 34. 35. addò hîc iugum Domini esse suaue, & onus leue, si conferatur cum oneribus, & multiplici iugo mundanorum, nimirum cum onere, & iugo afflictationum, ærumnarum, & curarum huius sæculi, de quo iugo, & onere loquitur Ecclesiasticus, cùm ait: iugum graue impositum esse filijs Adæ, & hoc iugum, seu onus dici potest mundi. item cum onere, & iugo legis Mosaicæ, *quod*, vt ait Petrus Actor. 15. 10. *neque Patres nostri, neque nos portare potuimus.* adhæc cum onere, & iugo Pharisaicarum traditionum, quod Christus Matthæi 23. 4. *graue & importabile* nominat. Præterea cum onere & iugo diaboli, seu peccati, de quo Sapient. 5. sic dicunt impij qui illud experti fuerant: *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles.* postremò cum onere conscientiæ ex consideratione peccatorum, eorumque tabe, & fœditate agnita. Hoc onere se depressũ queritur Dauid: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meũ, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* peccatum enim licet initio blandiatur, & speciem quamdam suauitatis præseferat; reuera tamen, molestum, asperum, graue est, & intolerabiles sæpè labores, & certissima pericula hominem subire cogit; conscientiæ verò, molestissimos, acerrimosque aculeos infigit, quousque tandem ad baratri profundum sua grauitate hominem demergat. igitur Domini iugum suaue dicitur, & onus leue, si cum prædictis comparetur, ijs præsertim, qui non carni, sed spiritui seruiunt, quamuis eius etiam suauitas, & leuitas legis Euangelicę ex charitate, & aliunde nascatur, de quo in digressionibus moralibus.

Mundanorũ iugum graue.

THEORIA PRIMA.

In vers. 4. *Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.*

Excutiuntur libri, quorum in Scriptura fit mentio, præsertim verò liber vitæ.

1.

Plurium librorum mẽtio, qui in Scripturis ẽon eodem nomine nuncupantur.

FIT in Scripturis mentio plurium librorum, qui non vno eodemque modo & nomine nuncupantur. nam Daniel. 12. 1. legimus librum absolutè nominari: *in tempore illo saluabitur populus tuus, omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro.* Exod. item 32. 32. *si non facis, dele mè de libro tuo, quem scripsisti:* interdum etiam legere est librum vitæ, vt Apocalyp. 20. 15. *qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* nominat item Scriptura aliquando librum vitæ agni, vt Apocalyp. 21. 27. *non intrabit in eam* &c. *nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.* nonnunquam verò est reperire librum

A iustorum. Ios. 10. 13. *nonne scriptum est hoc in libro iustorum?* Poni verò solet interdum liber in singulari, vt patet locis citatis; interdum etiam in plurali libri nominantur, & tunc semper absolutè libri ponuntur nulla alia dictione adiecta, vitæ, vel iustorum, vel agni, seu simili vt Daniel. 7. 10. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt,* & Apocalyp. 20. 11. 12. *Vidi thronum magnum, candidum, & sedentem super eum* &c. *& vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt,* & mox: *Et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.*

Præterea obseruandum est librum vitæ, & librum absolutè, sacras literas interdum significare, quod nimirum litteræ sacræ, quasi liber quidam sint, qui æternæ vitæ consequendæ B præcepta contineat; sic Ecclesiast. 24. 32. *Hæc omnia liber vitæ, & testamentum altissimi, & agnitio veritatis;* quo pertinere potest, quod habetur Baruch. 4. 1. *hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum; omnes qui tenent eam, peruenient ad vitam, qui autem dereliquerunt eam in mortem,* & Psalm. 39 9. *In capite libri scriptum est de me;* qui liber Auctore Arnobio, & Augustino liber est Psalmorum, quod 1. Psalmo de Christo sit sermo, licet Tertul. lib. contra Praxeam, & Hilario in Psalm. 2. magis placeat Dauidem ad initium Genes. respexisse; quibus videntur fauere Hierony. Augustin. Gregor. qui mundum in principio, hoc est, in filio fuisse conditum scribunt. quidam non malè de libro vitæ, seu prædestinatorum malunt intelligere Dauidem esse locutũ, illud certum de Christo id accipiendum esse, qui verè caput est, & C princeps omnium prædestinatorum, & omnium diuinorum voluminum argumentum, materia, scopus, & finis. Librum verò vitæ agni significare quidam volunt omnia, quæ spectant ad Christi vitam, & eodem libr. Apocalyp. vniuscuiusque conscientia, in qua leget Deo auctore sua quisque opera iuxta Paulum Rom. 2. *testimonium reddente illis conscientia.* vide Hieronym. Daniel. 7. liber vitæ vniuscuiusq; appellatur ex Augustini sententia libr. 20. de Ciuit. cap. 14 & homil. 17. in Apocal. sed in textu nõ est vniuscuiusque, sed vitæ tantum, quare puto de libro prædestinatorum id esse intelligendum: additur verò vitæ agni, vt intelligamus omnem beatorum vitam, & gloriam esse Christi proprio quodam titulo; neque enim aliter habetur, quàm Christi meritis, & quia Angeli D etiam sunt prædestinati per Christum, ideo etiam illorum non modo hominum nomina intelligenda sunt esse scripta in libro vitæ agni.

2.

Moses in verbis illis Exod. 32. 31. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti:* meminit & libri cuiusdam Dei, de quo non vna est interpretum sententia, & Patrum: de prædestinatorum libro exposuere Cyprianus de adhortat. mart. & August. quæst. 147. in Exhod. ait enim Augustinus Mosen, cùm neutiquam dubitaret, quin certò sciret se de libro vitæ deleri non posse, magna impetrandæ veniæ confidentia, ita esse locutum, vt sit sensus; aut fac, quod fieri nequaquam potest, aut noxam populo condona. non ergo voluit, aut

3.

verè

verè elegit deleri de libro prædestinatorum, vel amicorum Dei, sed per exaggerationem id dixit, vt significaret tam impossibile esse vt non speraret à Deo id, quod petebat, quàm vt timeret priuari amicitia eius sine culpa. ab hac Augustini sententia non discrepare videntur, qui opinantur Hyperbolicum esse dicendi modum, ad innuendam excellentem quamdam beneuolentiam, & charitatem in populum. Scio tamen aliquos vt Hieronymum arbitratos desideraſſe Mosen vitam cum morte commutare; scio esse qui referant verba Mosis ad librum, seu album ducum, ac principum populi Israelitici. hoc ipsum videtur sentire Burgensis in locum hunc Exodi, qui putat loqui Mosem de libro quodam, in quo scribebantur insignia facta illustrium personarum gentis Israeliticæ, cui videtur fauere Hilarius in illud Psalmi 68. *deleantur de libro viuentium.* & hunc credunt nonnulli esse librum iustorum, de quo in libro Iosue & Regum, sed ijs obest, quod ibi Moses dicat. *dele me de libro quem scripsisti*, & post habeatur: *qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* videtur ergo esse sermo de libro aliquo à Deo speciatim scripto, & antonomasticos dicatur, liber Dei, quod confirmat illud, quod ibi dicitur: non deleri inde, nisi qui peccauerit, hoc enim maximè conuenit libro iustorum in mente Dei scripto. probabilius loquuntur, qui negant quidem intelligendum esse librum ad prædestinationem, vel iustitiam coram DEO pertinentem, sed librum tamen, in quo Deus apud se recensuerat Duces, ac Principes illius populi, in cuius capite Mosen posuerat, quasi dicat, vel dimitte populo noxam, vel aufer à me, hoc tam illustre munus Principis, ac Ducis populi tui, in quo me collocasti, quo ablato deleretur de libro illo. mihi præferenda videtur August. sententia.

4. Non desunt recentiores, qui censeant magna cum laude potuisse Mosen, nulla tamen culpa propria intercedente, optare se de libro vitæ abradi, dummodò alijs plures Deum agnoscerent, ac diligerent: & ita etiam isti interpretantur verba Pauli ad Roman. cap. 9 3. *Optabam* (optarim) *& ego anathema esse à Christo, pro fratribus meis.* quod si intelligatur ad tempus, non mihi displicet. sic enim Chrysostomus in locum hunc Pauli, & lib. 1. de compunctione cordis, & homil. 1. & 2. de laudibus Pauli, Theophylact. Theodoret. OEcumen. Anselm. D. Thom. in eumdem locum Pauli, & 2. 2. quæst. 27. art. 8. ad primum, & quæst. 182. art. 2. quin etiam Gregor. Nazianz. orat. 44. quæ est de Pœnitent. & ibidem Nicetas optasse existimat Paulum, non quidem simpliciter, sed adhibita conditione si Deo placeret, vel id esset vtile Iudæis ad aliquod tempus beatorum fœlicitate carere, & hoc est esse anathema à Christo, hoc est, separatum à Christo. dicitur enim Anathema Græcè ἀνάθημα, seu ἀνάθεμά, à verbo, ἀνατίθεσθαι, quod est quasi separare, & seponere, non autem à verbo ἀνατίθεσθαι quod est sursum ponere, nam dicendum esset ἀνάθεμα; quæ autem Deo consecrantur, ideo anathemata dicuntur, quod à prophanis separantur: & qui ab Ecclesia separati

A sunt ἀναθέματα & appellantur. erit ergo sensus: optarim ergo pro fratrum meorum salute, extrema quæque pati; & si possibile esset, & rerum id natura, seu ratio pateretur, etiam aliquandiu à Christo diuelli, eiusq; amœnissimo aspectu, consuetudineque carere, quod videtur Paulus expressisse alijs verbis ad Philipp. 1. 21. *Mihi enim viuere*, ait, *Christus est, & mori lucrũ* (æternæ vitæ) *quod si viuere in carne, hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro.* si viuere, & hanc auram vitalem ducere, operæpretium sit, adeò non præfero vestris commodis & rationibus vtilitatem meam, vt quid eligam, statuere planè non queam, *coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne, necessariũ propter vos.* q. d. si spectem quid mihi magis vtile, hinc migrare mihi optandum potius videtur: nam esse cum Christo longè maximè præferendum; quamuis superstitem esse, & labores tolerare, magis ad vestram vtilitatem, & ad gentium fidem faciat.

B Hæc expositio magis placet, quam illa Hieronym. ad Gal. 1. & epist. ad Alga. q. 9. putat enim tam Mosen, quam Paulum corporis mortes expetisse pro populi salute, cui fauet Hilar. Psalm. 8. & probat Euche. in qq. noui testamenti, licet Diuus Chrysostomus id omninò reijciat. & certè id verbis Pauli non videtur cõgruere; nam addidit, *anathema esse à Christo*, cui potiùs iungeretur per mortem. Sed si exponamus optasse à Christo mortem tamquam à Iudice, & auctore, seu illo permittente, citra culpam tamen omnem propriam: & hoc significare esse à Christo anathema, quod perire secundùm carnem; tunc non displicet hæc interpretatio. nec obest significatio anathematis. nam olim sacri, & detestabiles, qui placando numini tanquam victima morti destinati erant, auathemata, quasi ad mortem separati, dicebantur, Hebr. Chormali. magis tamen placet expositio Chrysost. superius allata hoc eodem numero. sed aliter sentiendum de Mose, in quo sequor interpretationem Aug. positam num. 3.

5. Quid significat esse à Christo anathema.

6. Iam verò de libris in die iudicij aperiendis, quorum fit mentio Apoc. 20. Beda censet, intelligendos esse non metaphoricos, sed sacræ Scripturæ libros, quia tunc clarissimum omnibus erit esse verissima, quæ de die iudicij Scripturæ tradunt. Sed non videtur loco Apocalyp. congruere expositio: subditur enim v. 12. *& iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum.* at non videntur iudicandi mortui ex scriptis in Scriptura, cùm nec ibi sint scripta cuncta opera eorum, qui sunt iudicandi, nec pœnæ singulorum sigillatim operibus respondentes: quorum vtrumque consignatum est in mente Dei. nec D. August. interpretatio 20. de Ciuit. cap. 14. omninò huic loco quadrat. putat enim libros aperiendos in die iudicij, esse sanctos ipsos, qui ad iudicium cum Christo venient: qui ideò libri dicantur, quod in eorum vita & moribus custodia legum Dei cognoscetur, constabitq; potuisse homines illam habere: atq; adeò illorum comparatione alij iudicabuntur, & condemnabuntur. excluditur hæc expositio, licet

acuta & vera sit, quia cùm ibi agatur, in quibus scripta sunt opera iudicandorum, non videtur consentaneus esse verbis hic sensus, licet possit iuuare mores. quare arbitror nomine librorum plurali numero intelligi debere illos, qui in notitia & mente Dei conscripti sunt, ita vt inde deleri nequeant. Sic Daniel. 7. accipiendi sunt libri, de quibus dicitur: *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* quamuis verò vna sit notitia Dei, eaque simplex, & ita dici debeat ille liber, quod attinet ad rem, vnus esse, quomodo appellatur Psalm. 138. *In libro tuo omnes scribentur*, virtute tamen, & ratione plures sunt libri; quatenus plurium hominum, & Angelorum facta continet vna illa Dei cognitio.

Librorum nomine intelliguntur illi, qui in notitia, & mente Dei conscripti sunt.

7.

Quod si roges, quot libri sint, ex quibus iudicandi sunt homines & Angeli? Diuus Hieronymus Daniel. 7. sentit libros illos duos esse, bonorum vnum; alterum malorum; singulos cum suis operibus siue bonis, siue malis, primũ vocat librum vitæ, posteriorem mortis. verũ quia videbat D. Hieronym. nusquam Scripturam tribuere Deo librum mortis, proinde ait, librum quidem bonorum esse in Deo, librum verò mortis in manu diaboli, tamquam accusatoris illorum, vt dicitur Apocal. 12. ob hanc causam dicuntur nomina bonorum scripta esse in cœlis, vt hoc cap. Lucæ 10. & dilucid. cap. 19. v. 4. de malis autem dicitur Hierem. 17. *Recedentes à te, in terra scribentur.* at cùm in Apocal. dicamus loc. cit. iudicatos fuisse mortuos ex his, quæ scripta sunt in libris, longè verò simillimum est libros illos omnes in Deo esse; absurdum est enim affirmare Deum, vt iudicium ferat in aliquo extra se libro legere, non ergo libri per quos iudicat, sunt extra eius notitiam. Nazianzen. orat. 9 ad Iulian. num. 41. mentionem facit libri viuentium, & pereuntium, qui non videtur esse alius, quã præscientia Dei metaphoricè liber appellata, in quo tam boni, quàm mali perscribuntur. potest autem significari & nomine libri numero singulari, vt Euthy. ait, in Psal. 68. *in libro tuo omnes scribentur*, & numero plurali librorum nomine vt dixi num. 6. sub finem. & quidem quod ad rem attinet, certissimum est in Deo esse præscientiam electorum, & reproborum, & alteram ab altera ratione differre, cui non video cur non possit accommodari metaphora libri, atq; adeò cur dicere non possimus in Deo esse librũ vitæ, & mortis, id est, in quo qui in illo scripti sunt nonnisi ad mortem æternam præcogniti præscitique sunt.

Libri viuentium, & pereuntium.

8.

Diuus tamen Thomas 1. part. quæst. 24. art. 1. negat libri metaphoram ad præscientiam reproborum aptè pertinere, seu accommodari. nam inquit; *non est consuetum conscribi eos, qui repudiantur, sed eos, qui eliguntur. vnde reprobationi non respondet liber mortis, sicut prædestinationi liber vitæ. sic ait ad 3. in corp. etiam articuli, dicit: est consuetum apud homines, vt qui ad aliquid eliguntur vtpotè milites, vel consiliarij, qui olim dicebantur Patres conscripti, conscribantur in libro:* quæ sententia vera est, si intelligatur de vsu, & more loquendi Scripturæ, non enim vtitur ea metaphora ad significandum speciatim librum reproborum, licet totam præscientiam Dei tam circa bonos quàm malos appellarit aliquando librum absolutè vt Psal. 68. *Et in libro tuo omnes scribentur*, de quo libro Ecclesia ait: *liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, vnde mundus iudicetur.* etenim in eo libro, non personæ iudicandæ modò, verùm etiam omnia illarum opera siue bona, siue mala describuntur. Reperitur item in Scriptura nonnumquam liber absolutè positus pro præscientia electorum dumtaxat, vt Daniel. 12. 1. *& in tempore illo saluabitur populus tuus, omnis, qui scriptus fuerit in libro.* quamuis vt plurimum, cùm pro electorum præscientia, & notitia sumitur liber, addi aliquid soleat, vt vitæ, vel vitæ agni ad Philip. 4. *quorum nomina sunt in libro vitæ.* Loquitur enim Paulus de speciali prærogatiua eorum Sanctorum, de quibus verba faciebat, quæ profectò nulla esset, si etiam reprobi in illo libro scripti essent, numquam tamen Scriptura vsurpat metaphoram libri pro præscientia tantùm reproborum, & hoc tantũ voluit D. Thomas, cùm negauit librum mortis, vel reproborum.

Hinc fit dictionem, *vitæ*, significare non materiam, id est, essentiam diuinam instar chartæ, in qua scribi solet, sed obiectum, hoc est, personas, quæ in illo libro notantur, vitam, & salutem consequuturas, alioqui si per librum vitæ intelligas essentiam Dei, quæ ipsa vita est, etiam reprobi dicerentur scripti in libro vitæ; quamuis locum illum Lucæ 10. *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis*, quidam affirment non malè nomine cœlorum, essentiam diuinam intelligi posse, quæ cœlum est per metaphoram, vel certè per synecdochen, qua ponitur continens pro contento. videtur enim hoc facere ad laudem, & commendationem discipulorum, quorum gloriam apud DEVM ibi commemorat CHRISTVS.

9.

Quid per librum vitæ intelligatur.

Sed cur potius absolutè liber in Scriptura ponitur interdum pro præscientia speciatim electorum, numquam autem speciatim pro sola præscientia reproborum? Respondeo præter rationem D. Thom. loc. cit. desumptam ex consuetudine ferè communi hominum, assignari potest & hæc alia ratio, quia iuxta formam, & modum loquendi Scripturæ Deus dicitur speciatim electos cognoscere, 2. ad Timoth. 2. 19. *Cognouit Dominus qui sunt eius.* Rom. 11. 2. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscinit.* Psalm. 1. *Nouit Dominus viam iustorum.* Porrò reprobos ignorare potius dicitur, ac nescire, hinc illud: *nescio vos*, & de reprobis scriptum legimus Psalm. 68. *Cum iustis non scribantur.* etenim nouit Deus scientia, quam approbationis vocant, electos, sibiq; speciatim dilectos, & vt in illos propẽsam animi voluntatem, & magis peculiarem curam habere se declaret, in suo præcipuo libro describit. at reprobi, licet Dei scientiam non fugiant, nec possint, non tamen illis assignatur in Scripturis proprius aliquis liber, cum eorum scientia sit reprobationis scientia: hinc est, vt potiùs legamus deleri illos de libro, vt paulò post dicemus, iccircò reproborum nomina, tanquam deleta à peculiari illo & proprio approbationis libro Dei scripta dicuntur in terra Hierem. 17. contra ob contrariam rationem electorum

10.

nomina

nomina scripta dicuntur esse in cœlis hic apud Lucam. Addi potest & tertia ratio, nam licet DEVS scientiam habeat reproborum; non tamen illos per se, & sua quadam propensione illos inscripsit menti suæ, sed quod illi suo arbitrio tales futuri erant, iccircò eos præsciuit.

11. Sed iure mirabitur aliquis quomodo negemus in Scripturis præscientiam reproborum speciatim librorum nomine appellari, cùm Apocalyp. 20. 12. videamus mentionem fieri librorum, ex quibus iudicati sunt mortui, id est, reprobi, itemque libri vitæ numero singulari continentis prædestinatorum nomina, & opera: libri ergo eo loci tantùm reproborum sunt proprij, ac peculiares. Respondeo nomine mortuorum minimè ibi solos reprobos esse intelligendos, est enim sermo de his, qui iam vita functi sunt corporali, & ad viuos de morte reuocabuntur tempore communis resurrectionis, quorum aliqui surgent ad vitam, alij ad mortem. vide Diuum Augustinum 20. de Ciuitate capite 14. & 15. libri ergo illi non ad solos reprobos, sed etiam ad prædestinatos pertinent.

12. Sed vrgebis ad prædestinatos librum vitæ pertinere, qui seorsim ponitur à libris, ij ergo ad solos præscitos referuntur. Respondeo duplices hoc loco Apocalypseos distingui libros, qui in die iudicij aperientur. est enim liber personarum, est & alter factorum, vel rationum, in quo scribuntur bona, mala, beneficia, viuendi leges, ex his enim iudicabimur. nam continent ij hominum actiones, & facta; leges item Dei, vel neglectas, vel seruatas, beneficia benè, vel malè expensa. primus ille liber personarum dicitur vitæ, in quo, tamquam in præcipuo, ac proprio DEI libro scribuntur electi, & prædestinati, quatenus tales sunt, etiam antequam vlla eorum merita præuideantur, sicut enim electio non ex meritis est, ita neq; & descriptio, proinde hic liber antonomasticos vocatur, vel liber absolutè, vel liber Dei, vel vitæ, vel cœlestis, quia tamẽ non peruenient prædestinati ad gloriæ adoptionem nisi per merita; ideo ponitur & alius liber factorum, legum &cæt. in quem referuntur eorum opera, vel etiam demerita; hic liber multiplex est, sicut & multi homines sunt, quorum facta & actiones conscribenda sunt, & iudicanda.

13. Possunt verò hi libri dici vnus liber, si respicias notitiam Dei vnam, eamdemque simplicem, qua nouit omnium conscientias. at si aduertas respectus varios huius notitiæ ad plures hominum conscientias, sic dici possunt plures libri. igitur liber factorum, seu libri, & ipsa notitia Dei, qua cognoscit singulorum opera, per quam & iudicat; quomodo sunt in Deo propriè: possunt nihilominus dici libri conscientiarum, quatenus ea notitia extendit se ad singulorum conscientias, earumque facta, dicta, cogitata &c. complectitur. item respectu ipsorummet iudicandorum, quatenus singuli in singulis aliorum conscientijs, sicut & in suis quodammodò legent, Dei virtute communicata illis clara notitia eorum, quæ singuli gesserunt, quæ quisque mala, quæ bona egerit, quas leges fregerit, quid omiserit, quid dixerit, quid cogitauerit, idque statim fiet Dei virtute, ita vt singulis non sua modò facta &c. constent, sed aliorum quoque pateant conscientiæ, vt clarissimè omnibus appareat iustissimum Dei iudicium. Sic D. Hieronym. initio Psalm. 88. & Daniel. 7. immò & Augustinus libr. 20. de Ciuitate capite 14. hos libros conscientiarum nominat, ex quibus etiam iudicare potest dici Deus, quatenus singulorum conscientiæ in eius notitia continentur.

Nunc omnes hi libri etiam liber vitæ clausi, obsignatique sunt; nescimus enim quis sit prædestinatus, quæ huius, quæ illius siue bona, siue mala, licet leges non ignoremus, per quas nobis incedendum est. proinde monet Apostolus 1. Corinthiorum 4. 5. *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo*, & vt inquit Sybilla:

Cunctaq; cunctorum cunctis arcana patebunt;

Neque enim satis est singulis suam conscientiam esse conspicuam, alioqui, quid vniuersali iudicio opus erit, cùm in morte propria vnique facta constent? Hæc autem singularum conscientiarum cognitio breuissimo fiet tempore, sed Dei virtute. vt enim exoriente sole quicquid vel latissimè dissitum erat, vel propè patet, & innumera cernuntur vno momento, quæ in cœlis, quæ in terra; ita fiet iustitiæ sole conspecto.

14. Verùm passim Theologi ferè, & quidem congruenter Scripturæ sacræ librum vitæ ad diuinam prædestinationem transferunt, qua Deus diuinæ suæ prouidentiæ erga electos decreta quasi relegens, admirandum in modum cernit quid quibusque electis futurum sit ex suo irreuocabili decreto. hinc est vt dicat D. Augustinus libro 10. de Ciuitate capite 15. *Non Deum liber iste commemorat, ne obliuione fallatur, sed prædestinationem significat eorum, quibus aeterna debetur vita.* quibus verbis prædestinationem significat esse ipsum librum vitæ, & Diuus Thomas 1. parte quæstione 24 articulo 1. ad 4. opinatur prædestinationem per rationem tantùm distingui à libro vitæ, quod prædestinatio prior sit, eamque supponat liber vitæ. est enim prædestinatio tamquam materia, & argumentum, circa quam versatur liber vitæ. etenim in libro vitæ, hoc est, in notitia Dei scribuntur, hoc est, cognoscuntur, qui prædestinati iam sunt: hinc loco citato docet Diuus Augustinus: *Non nescit Deus, & in hoc libro legit vt sciat, sed potius ipsa eius praescientia de illo* (id est, prædestinatis) *qua falli non potest, liber est vitæ.* cùm ergo ita connexa inter se sint prædestinatio, & liber vitæ, videndum est accuratiùs quomodo inter se differant.

15. Quomodo prædestinatio & liber vitæ inter se differant.

Respondeo igitur ex Diuo Thoma librum vitæ esse certam, atque euidentem prædestinatorum cognitionem. cogitandum namque est absoluta prædestinatione, concipi in Deo quasi reflexam mentis actionem, qua diuina mens omnes electos suo quemque tramite ad æternam vitam tendentes, quasi in

libro quodam descriptos aspiciat. Quamuis enim prædestinatio, vt Diuus Thomas sentit, ad intellectum propriè pertineat: tamen vt perfecta sit, & absoluta, non solùm ad mentem pertinet, atque intelligentiam, sed actionem etiam voluntatis exigit, hoc est, immobile eius decretum. at liber vitæ ad intelligendi solùm facultatem refertur, ac prædestinationem supponit. Neque enim est cognitio illa prior, quæ est prædestinatio, & refertur ad praxim: sed illa posterior, qua diuinus intellectus, quasi intuetur, ac præsentes legit, qui vitam æternam ex suę prędestinationis decreto cõsequuturi sunt: quare prædestinatio est libri quasi materia, & argumentum vt dixi num. 14.

16. Si igitur sic connexa est prædestinatio cum libro vitæ, quomodo verum esse poterit deleri aliquos de libro vitæ? Apostolus enim Romanorum 8. 30. affirmat: *Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* & 1. Ioan. 2. *Non erant ex nobis, si enim fuissent ex nobis, permansissent vtiq; nobiscum.* at ex Scripturis colligi videtur de libro vitæ expungi aliquos, vt videtur significari Exodi 32. Psalm. 68. & Apocal. 3. D. Thom. 1. parte quæstione 24. artic. 3. docet librum vitæ in Deo per metaphoram dici, inde translatam, quod qui ad aliquid seliguntur, vt milites & consiliarij, in librum referri soleant. dici verò librum vitæ ipsam Dei notitiam, qua firmiter retinet se aliquos ordinasse ad vitam æternam. & quoniam quod altiùs memoriæ insidet, inscriptum dicitur intellectui alicuius; ideo librũ vitæ conscriptionem ordinatorum ad vitam æternam dicere possumus. adhæc quoniam hic liber nomina continet electorum, ab alijs etiam nominari solet, liber nominum.

17. Bifariam aliqui in libro vitæ scribuntur.

Cæterùm obseruat Diuus Thomas articulo 2. & 3. bifariam aliquos scribi in hoc libro, vel simpliciter, vel quadamtenus, & secundùm quid. primo modo hi dumtaxat scribuntur, qui electi sunt, vel prædestinati ad vitam æternam. neque enim eligitur quispiam, nisi ad id, quod rationem habet finis; verbi gratia, miles non vt armis instruatur, scribitur, sed vt pugnet, & mercedem recipiat. quare qui gratiam habent, sed beatitudinem tandem non assequuturi sunt, absolutè, & simpliciter electi non dicuntur, atque adeò nec simpliciter scripti in libro vitæ, de eo ergo qui simpliciter scriptus est, legitur Apocalyp. 3. 5. *Non delebo nomen eius de libro vitæ*, at secundo modo, id est, quodammodò, & secundùm quid scripti sunt in hoc libro, qui propter præsentem iustitiam ius ad vitam æternam habent. Hi enim scripti sunt, vt habituri vitam æternam, non in seipsa, sed in sua caussa, id est, præsenti iustitia, secundùm quam ordinem habent ad vitam æternam. ita rem hanc præter Diuum Thomam intelligere videntur Anselmus, & Lyranus: significat ergo Diuus Thomas librum vitæ accipi pro libro, & conscriptione dumtaxat prædestinatorum ad vitam æternam, & ita inde neminem deleri; aliquando verò pro libro ordinatorum ad vitam æternam, & ita inde aliquem expungi posse; & isti sunt, quos

A diximus quodammodo, seu quadamtenus in libro vitæ scriptos esse. Hoc autem non fit, quia liber ipse, hoc est, notitia Dei mutetur, sed potius quia mutantur ij, qui conscripti in eo sunt: sicut etiam dicimus Deum nunc nescire quod antea sciebat, quia videlicet res ipsę variantur. nescit enim nunc esse iustum eum, quem antea sciebat esse iustum, quia nimirum ille in peccatum lapsus, & iustitiam amisit; & sic distinguunt aliqui, librum vitæ à libro iustorum, vt ille sit tantùm prædestinatorum; hic omnium qui aliquando iusti sunt.

Cæterùm hæc Diui Thomæ interpretatio non videtur multum congruere cum modo loquendi Scripturæ, quæ significat eos omnes salutem consequi, qui scripti sunt in libro B vitæ; ac propterea semper videtur sumi in Scripturis liber vitæ, pro libro prædestinatorum ad vitam æternam; nisi fortè sumatur interdum pro Scriptura sacra, vt notaui numero 2. hoc enim Scripturæ video esse conformius. quod etiam placuit Riberæ Apocalyp. 3. numero 9. & Francisco Suario libro 1. de prædestinatione capite 20. & constat Apocalyp. 13. *Adorauerunt eam* (bestiam) *omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ*, id est, omnes non prædestinati, sic cap. 20. & 21. Daniel. 12. 1. *Saluabitur populus tuus omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro*, idem probat locus ille ad Philipp. 4. videtur esse sententia Augustini, Ambrosij, Ruperti, & aliorum. Hinc S. Augustinus 20. Ciuitat. capite 15. ait: *Non Deum liber iste commemorat, ne obliuione fallatur, sed prædestinationem significat eorum, C quibus æterna dabitur vita. nec enim nescit eos Deus, & in hoc libro legit, vt sciat: sed potius ipsa eius præscientia de illis, quæ falli non potest, liber est vitæ, in quo sunt scripti, id est, præcogniti.* Lege eumdem in Psal. 68. *deleantur de libro viuentium*, & Ahimonem Apocalyp. 3. & 17. oportet ergo aliam inuestigare huiusmodi solutionem, quomodo dicantur deleri quidam de libro vitæ, seu prædestinatorum. Ansbertus & Ahimo Apoc. 3. opinantur non aliud esse deleri de libro vitæ, quam in eo non scribi. quod videtur non obscurè indicari Psalmo 68. cùm enim dixisset: *deleantur de libro viuentium*; quasi hoc declarans, subdit: *& cum iustis non scribantur.* interdum enim in Scriptura affirmationes loco negationum ponuntur, vt Exod. 7. *Ego indurabo cor Pharaonis*, id est, non emolliam.

D Diui tamen Augustini in Psalmum sexagesimumoctauum sententia est, quæ mihi magis probatur: dici aliquos deleri de libro vitæ secundùm spem, & opinionem suam. putabant enim ipsi se scriptos esse in libro vitæ: cùm ergo se ibi non esse cognoscent; tunc inde deleri dici possunt, nec ineptè, nimirum secundum spem, vel opinionem propriam. eodem ferè modo explicant hanc loquendi formulam Ambrosius Apocal. 3. & Rupertus libro 4. in Exodum capite 29. videlicet dici illos deleri de libro vitæ, qui hominum opinione iusti, & prædestinati putabantur; cùm nimirum iam eorum damnatio omnibus manifesta fiet. & confirmatur hæc sententia, quia solet interdum Scriptura de

18.

rebus

Interdum Scriptura loquitur de rebus, non prout reuera sunt, sed quatenus sunt in opinione hominum.

rebus loqui non prout reuera sunt, sed quatenus sunt in opinione hominum. sic Ioann. 5. 31. dicitur: *Ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* vtique opinione vestra, vide parte 2. dilucidationum caput 1. schol. numer. 135. sic eadem Scriptura vocat parentes Christi Iosephũ cum beatissima Virgine, quamuis reuera sola ipsa Virgo Domina nostra MARIA DEI parens esset. Rectè autem Ribera Diui Augustini, & Ambrosij sententias in vnam coniungit, hoc modo; vt illi deleri dicantur de libro vitæ, qui vel sibi ipsi putabant in eo esse scriptos, vel homines ex operibus, quæ videbant, ita iudicabant, sed postea DEI iudicio damnati, quia in libro non inueniuntur scripti, dicuntur deleri.

Cæterùm vt dissoluatur id, quod D. Thomas art. 3. loco citato affert contra sententiam Augustini, obseruãdum est, quod cùm non deleri de libro vitæ electis, & prædestinatis promittitur Apocal. 3. non aliquid in hominum opinatione positum promittitur, sed significatur quod homines eorum gloriam, & beatitudinem videbunt, nec cernent in pœnas eos incurrere, itemque dandum esse illis perseuerantiæ donum, eisdem verbis indicatur. plus enim intelligit Scriptura quam loquitur, neque est eadem ratio de reprobis; quamuis falsò omnium iudicio censeantur scripti in libro vitæ, & hæc de libro vitæ.

19. Quid liber iustorum.

Verùm quoniam de libro iustorum, cuius superius non semel facta est mentio, non idem est omnium iudicium, dicam quid probabilius mihi videatur. Putat Masius esse antiquos rerum gestarum commentarios, seu annales; idque alij etiam sentiunt. probabilis est etiam altera Ariæ Montani expositio librum esse recti, seu de recto, & æquo. Hebraicè enim vocatur liber Iasar, id est, recti; vel vt noster in plurali vertit, librũ iustorum, quia de iustis, equisq; rebus est: docet enim de summis Dei erga homines beneficijs, & de horum erga illum officijs, & cæremonijs. à septuaginta vocatur τὸ βιβλίον τῶν εὐθῶν, id est, recti: sicut apud nos, libri, *officiorum*, vocantur, qui de officijs sunt. scriptus proculdubio ab aliquo Israelitarum fuit: licet Arias à gentilibus potuisse esse exaratum dixerit. Hunc librum Serarius noster arbitratur vel ex versibus totum constitisse, vel magnam minimum partem. quia dum citatur 2. Reg. cap. 1. 18. eius ratio poëtica est, & versuum instar picta, & sonora, sicuti & quod citatur è bellorum libro, Numer. cap. 21. 14.

20.

Septuaginta duo discipuli fuerunt de numero prædestinatorum.

Restat antequam supremam manum huic Theoriæ imponamus, respondere dubitationi, quam quidam mouent circa illa verba: *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis*: an inde colligere possimus septuaginta duos discipulos omnes prædestinatos fuisse, ita vt hoc significent verba ista Christi. Fatetur id Caietanus, & hinc efficit, melius (quantum ad hoc) fuisse collegium septuaginta, quàm duodecim Apostolorum, quorum vnus Iudas æternis pœnis addictus fuit. Ianseníus, Salmeron, Maldonatus affirmant ipsa verba neutiquam nos cogere, vt hoc asseramus: neque enim ex illis clarè efficitur omnes septuagintaduos discipulos nemine excepto esse de numero prædestinatorum. id certè verba non significant, nam dictum est duodecim Apostolis, *sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum*, quæ in Iudam tamen non conueniunt. deinde vt Ianseníus mauult, hæc verba accipi possunt dicta esse discipulis non secundùm æternam prædestinationem, sed secundùm præsentem iustitiam. quomodo & illud Pauli ad Philippens. 4. interpretatur: *cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ*. Equidem opinor vel hic loqui nos posse de mente Christi proferentis ea verba: vel de vi verborum. si primum spectemus, non dubito Christi mentem fuisse, affirmare, discipulos omnes in libro prædestinatorum scriptos esse, sicut etiam accipio locum illum Pauli ad Philippenses 4. nec refert quod in collegio Apostolorum fuerit vnus præscitus, quia hoc nullum affert Apostolorum Senatui detrimentum. si verò de vi verborum agatur ex illis nihil reor certi posse nos elicere, vt rationes allatæ contra Caietanum ostendunt. Cæterùm cùm nesciamus aliquem ex septuagintaduobus discipulis præscitum fuisse; immò omnes Sanctos fuisse potiùs censeamus, putandum erit omnes eos fuisse de numero prædestinatorum, licet id ex verbis ipsis non omninò clarè habeatur.

THEORIA II.

An sola Dei voluntas reprobationis malorum aliquorum causa sit.

In versum 5. *Etiam Pater, quoniam sic placuit ante te.*

QUONIAM hoc loco non aliam Christus assignare videtur causam, quam Dei voluntatem, cur Deus aduentus sui Sacramenta, & diuina mysteria sapientibus absconderit, & reuelauerit ea paruulis, omnia ad Patris placitum referens, iccircò in vniuersum dubitamus hic, an quemquam Deus à regno, & cœlestibus mysterijs, quorum est cognitio ad salutem necessaria, sola sua voluntate excludat, vt constet hunc locũ hæreticis non fauere ad ipsorum dogmata stabilienda. duo verò in controuersiam vertimus.

Primum est, an Deus ex se aliquem vel destinet ad mortem, & ad mala, seu saltem excludat à regno, & gratiæ auxilijs efficacibus deltituat, vt illum ad sempiternam pœnam damnet?

Alterum verò erit inuestigare, an reprobationis sint causæ vllæ vel ex parte hominis reprobi, vel ex parte Dei, quæ duabus sequentibus Theorijs efficiemus, statutis aliquot propositionibus.

Prima propositio Deus sua absoluta volun-

Deus sua libera voluntate, ac decreto neminem voluit excludere à beatitudine.

tate, ac decreto neminem voluit excludere à beatitudine in eo primo signo rationis, in quo de salute hominis decreuit. Probo hanc propositionem primùm ex Scripturis. Genes. 5. legimus creasse Deum hominem ad imaginem, & similitudinem suam, & tam nomine imaginis, quam similitudinis continentur dona naturæ simul, & gratiæ, vt sit sensus creasse Deum hominem libero arbitrio præditum, & ornatum gratia, vt his munitus præsidijs beatitudinem si vellet, assequi posset, quod de tota etiam posteritate Adami accipi debet, quæ in ipso tanquam in capite, & radice omnium hominum continebatur. ergo quotquot ex Adamo futuri eramus in prima illius origine ad perpetuam beatitudinem fuimus destinati, ac proinde, non ad mortem, ac interitum aliquis ante lapsum primi parentis diuino decreto & voluntate addictus est.

2. Huic rationi vim adhuc maiorem tribuit Diuus Paulus, qui non rarò hortatur nos, vt per Christum reformemur instar illius status, vnde lapsu parentis nostri Adam corruimus. cùm igitur reformemur per Christum non aliter, quàm iustitia, & sanctitate in vitam æternam, hinc efficitur, vt talis fuerit status hominis, antequam corrueret. ait ergo Paulus Ephes. 4. 23. 24. *Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Docet hîc Apostolus, quomodo redire possimus ad pristinam illam nouitatem in statu innocentiæ, non quidem quantum ad corpus, vt in hac vita immortales, & incorruptibiles simus, sed quod attinet ad animum, vt innoxij, & Dei amici simus, & sancti. Hanc siquidem nouitatem amisimus corruente primo parente in peccatum, & cum eo in hanc decurrimus vetustatem, quam deploramus miseri. vult ergo Paulus, vt antiquam illam nouitatem recipiamus, quæ fuit in animo, proinde enim ait: *Renouamini*, non quidem corpore, *sed spiritu mentis vestræ.* quamuis & illam corporis recuperaturi simus in resurrectione mortuorum. modum autem, quo renouari animo debemus, hunc assignat: *induite nouum hominem*, q. d. renunciate pristinis peccatis, quæ ex Adami corruptione contraxistis, & in nouam transite vitam, quæ secundùm Christum est in iustitia, & sanctitate. Hoc enim modo non dubium, quin redituri sitis ad primam illam nouitatem spiritus, status innocentiæ propriam.

3. Idem confirmat non absimilis locus eiusdem ad Colossenses 3. 9. 10. *nolite*, inquit, *mentiri inuicem exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem secundùm imaginem eius, qui creauit illum.* vetus homo Adam est, quem exuimus, cùm in nostris actibus, & viuendi ratione, nulla apparet peccatoris Adami similitudo. nouus verò homo, Christus est, quem tunc induimus, cùm ita vitam traducimus vt Christi mores, & sanctitas, denique similitudo cernantur in nobis. iam sic ex vtroque allato Pauli loco ratiocinando colligere est: quoties per Christum renouamur, recuperamus id, quod in primo parente amisimus: atqui reparamus innocentiam, & sanctitatem, & Dei amicitiam: illam igitur amisimus. hinc quid aliud quæso efficitur, quàm quod ante Adami lapsum cuncti iusti, & sancti in illo fueramus. atq; ex his habemus ex diuinis literis constare hominem à Deo ad vitam æternam conditum esse.

Vetus homo Adam, nouus homo Christus.

Quod verò speciatim ad mortem DEI consilio non sit destinatus ex eadem Genesi non obscurè liquet cap. 2. vnde sic argumentari licet. Adam omnium posterorum suorum personam repræsentans seruare potuit Dei præceptum de non comedendo fructu ligni scientiæ boni, & mali: potuit & transgredi, ergo sicut transgrediendo in mortem nos omnes eius posteros præcipitauit; ita quoque si liberè præcepto Dei obtemperasset, & se, & nos omnes ab interitu vindicasset: ergo Deus ad interitum nequaquam hominem destinauit pro arbitrio suo, sed mors ex peccato consequuta fuit. audi iam Scripturam capite 2. Genes. 15. 16. 17. *Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum: præcepitq; ei dicens: ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Pelagiani locum hunc de morte animæ tantùm intellexêre ex Diuo Augustinus libro 1. de peccat. merit. & remission. capite 2. Diuus Augustinus verò loco citato, & Diuus Hieronymus quæstion. Hebraic. de morte corporis interpretati sunt, at idem Diuus Augustinus libro 13. de Ciuitate capite 12. de triplici morte dictum esse putat animæ, corporis, & damnationis per amissionem gloriæ, quæ ita copulatæ sunt inter se, atque connexæ, vt vna alterius causa sit. ex hoc ergo loco constat mortem non DEI voluntate in mundum esse ingressam, sed ex peccato consequutam. quod & Sapient. 1. 13. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* & capite 2. 23. *Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum, inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* & Diuus Paulus Romanorum 5. 12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit.* & 1. Corinthior. 15. 22. *in Adam omnes moriuntur.*

4. Deus nequaquam hominem ad interitum destinauit, vt patet efficacibus argumentis.

Perpetuatum mors.

5. Quare Diuus Augustinus lib. de prædestin. Dei capite 1. *creauit*, inquit, *Deus hominem, & prædestinauit, vt si obediens esset, ac à gustu vetiti pomi se abstineret, in vita permaneret: sin autem inobediens esset, sententiam mortis subiret*, & paulò post: *quia ergo peccauit homo, iustum erat vt moreretur, si non peccaret nullo vinculo prædestinationis diuinæ morti alligaretur.* idem Diuus Augustinus tom. 7. libro ad articulos sibi falsò impositos, cùm illi à Semi-Pelagianis falsò imponeretur, quasi affirmaret: quod Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, vt illam perdat in æternũ; quod à Caluino, & cæteris huius pestibus nostri temporis magna asseueratione asseritur, sic, vt videre est art. 3. loc. cit. reijcitur, nec pro suo partu agnoscitur, sed vt suppositicius repellitur.

Caluinus asseruit Deum maiorem partem generis humani ad perditionem creasse.

Nemo à Deo creatus est vt pereat,

Omnium quidem, ait, *hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ita creatus est, vt pereat; quia alia causa est nascendi, alia pereundi. vt enim nascantur, hominu est beneficium; vt autem pereant, prauaricatoris est vitium.*

6. Eandem primam propositionem tertia hac ratione stabilire possumus ex eisdem Scripturis deprompta, quæ nobis ita Deum describũt, vt magis illum semper suam misericordiam, & bonitatem circa humanum genus declarare significent, quam iustitiam, & seueritatem, vt dubitandum proinde non sit, hoc semper Dei propositum fuisse.

Misericordia & bonitas domini nostri erga peccatores.

Vniuersa viæ Domini misericordia, & veritas. Psal. 32. *misericordia Domini plena est terra.* Psalm. 135. *confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.* Psal. 144. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* item Tob. 3. *Non delectaris in perditionibus nostris.* Prou. 8. *delitiæ meæ esse cum filijs hominum.* Iiai. 1. *Heu consolabor super hostibus meis.* vbi Hieron. *plangit*, inquit, *delinquentes.* Iiai. 65. *expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* Ezec. 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impij.* Ose. 13. *perditio tua Israel: tantummodo in me auxiliũ tuum.* Matth. 11. *Venite ad me omnes*, &c. Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Rom. 2. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* 1. ad Tim. 2. *Vult omnes homines saluos fieri.* 2. Petri 3. *Patienter agit (Dominus) propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Apocal. 3. *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* quis ergo non videt falsò hæc dici, si Deus ex seipso, & non ob peccata reprobat, ac vult perire?

An plures sint reprobati, quàm prædestinati

7. Hinc etiam licet quartam formare: si Deus non propter peccata hominum, sed sua sponte, & ex se ipso homines reprobat, efficitur hinc vt pauciores sint homines reprobati, quã prædestinati, sed hoc consequens est falsum, ergo & antecedens. minor propositio patet Matth. 7. 22. *Multi sunt vocati, pauci verò electi, & spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam, & arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniũt eam.* Maior probatur. nam ex locis Scripturæ allatis constat Deum longè propensiorem esse ex se ad misereẽdum, & benefaciendum hominibus, quam ad deserendos, & perdendos; ergo si Deus ex se solo non modo prædestinauit, sed etiam aliquos reprobauit, omninò putandum esset eum longè pauciores reprobasse, quam prædestinauerit: præsertim cum in paucioribus etiam potuisset abundè satis ostẽdere suam iustitiam. Et cõfirmatur id ex Eccles. 15. 22. *Non cõcupiscit* (Deus) *multitudinem filiorum infidelium, & inutilium.*

8. Eadem propositio probari potest ex Conc. Arausic. can. 25. & Trid. sess. 6. can. 17. damnant enim affirmantes: Deum prædestinasse aliquos ad malum, sicut prædestinauit alios ad bonum: nec loquuntur Patres in his Concil. tantum de prædestinatione ad malum culpæ, sed si penetrentur, idem de prædestinatione ad æternam pœnam sentiũt, vt ex Prospero ad obiectiones Vincentianas respons. 11. constat. Hinc August. affirmat, *Deum non prius esse vltorem, quam homo in peccato sit.* vt in epist. 105. 106. lib. 3. & contra Iulian. cap. 18. & lib. 11. Genes. ad litteram cap. 11. patet.

9. Postremò est & quinta ratio: si Deus voluit excludere aliquos à beatitudine, vel id voluit facere sola potentia, vel iustitia. primum affirmari nequit, salua fide, alioquin eiusmodi homines reijciendi essent à beatitudine, quamuis nihil peccassent, cùm Deus id voluerit, absolutè ex sola potestate, & dominio, quod si secundum eligatur, cum illa iustitia sit vindicatiua, non vult illam Deus ex se, sed propter peccata hominum, & ex Damasceno patet lib. 2. de fide cap. 29. alioqui si vellet Deus absolutè exercere hanc iustitiam nondum præuisa culpa, virtute vellet ipsam culpam, vt diximus num. 2. sub finem, vbi etiam assignauimus discrimen inter voluntatem dandi gloriam, & exdendi ab illa, si tam illa quã ista antecedat præscientiam futurorum operum. possent multa ad stabiliendam hanc propositionem ex Augustino afferri, quæ tamen legere poteris apud Valentiam tomo primo, disputatione prima, quæstione vigesimatertia de reprobatione, punct. 3.

10. Et hæc propositio vera est siue loquamur de excluſis à regno ante præuisum peccatum primi parentis, siue de eisdem post illud præuisum; licet enim aliquando nonnulla dessensio fuerit, an aliqui reprobati sint propter peccatum originale, & in massa perditionis relicti; saltem loca illa, quæ allata sunt in tertia ratione de misericordia Dei, & propensa eius in hominum genus voluntate, etiam post lapsum Adami, locum habent: ita vt neminem excluserit à gloria ob solum illud peccatum, nisi viderit cum illo mori.

11. Altera propositio: Deus ex se, & sua bonitate hominem condidit cum omnibus suis posteris, eo fine, vt omnes salui fierent, ideoque dedit illi omnia ea præsidia naturæ, & gratiæ, quæ ad obtinendum illum finem necessaria videbãtur. quare quod multi eo fine exciderint, & reprobati sint, id non ex absoluto Dei decreto, sed nostro vitio factum est. hæc est Magnorum Patrum, & Doctorum sententia D. Thom. 1. par. quæst. 19. art. 6. ad 1. Damasc. lib. 2. cap. 29. Chrysost. hom. 3. in Genes. qui cum alijs duplicem in Deo agnoscunt voluntatem. vnam quam antecedentem, & primariam nominant, quæ ex solo Deo est, & antegreditur opera nostra: consequentem alteram, vel secundariam, quæ ex nobis occasionem sumit, & consequitur nostra opera. illa est voluntas bonitatis, hæc iustitiæ. igitur Deus primaria illa voluntate vult omnes homines saluos fieri, qui non supplicij causſa nos cõdidit; sed quo ipsius bonitatis participes esse possemus, vt ostendũt media, & auxilia sufficientia omnibus præparata, nulli denegata. ceterum voluntate secundaria vult aliquos damnare, & punire, iccirco quod peccando occasionem suæ damnationi præbuerunt. quod admirandum in modum pauciſsimis verbis expressit Tertull. lib. de resurrect. carnis, cùm dixit: *Deus de suo optimus, de nostro iustus*: illustrari potest id boni & iusti iudicis exemplo, qui voluntate prima-

Deus vult aliquos damnare & punire secundaria voluntate.

Digitized by Google

ria, cum bonus sit, vult omnes ciues saluos, & incolumes viuere. verum si videat quemquam peccare, voluntate secundaria, cùm iustus sit, vult illum punire.

12. Quomodo Deus prædestinatis det gratiam efficacem.

Tertia propositio: Post hanc voluntatem omnibus hominibus communem, & quæ omnium peccatorum præscientiam absolutam præcesit, intelligere debemus in altero quasi signo Deum voluisse prædestinatis gloriã dare vt finem, & gratiam efficacé, vt medium etiam ante eandem præscientiam absolutam. circa reprobos verò tunc nec habuisse voluntatem efficacem dandi gloriam, nec excludendi ab illa, ita tamen vt tunc simul habuerit quendam actum positiuum voluntatis, quo voluit in eo signo non eligere reprobos ad gloriam. quare non merè negatiuè circa reprobos in eo signo se habuit. Probatur hæc propositio, quia licet voluntas posit non velle hoc, aut illud, tantum omittendo, vel continendo actum: tunc tamen omissio actus tantum virtute, seu interpretatiuè est voluntaria, quod videlicet tunc voluntas posit velle, & non velit, nec sine animaduersione intellectus. quod si tunc accedat voluntas positiua non agendi, vel non eligendi, tunc illa omisio erit directè, ac formaliter voluntaria. iam verò cum hic modus agendi, vel non agendi ex se nobilior sit, credibilius est, ita se gessisse Deum in non eligendis reprobis. idem censendum est de voluntate non præparandi gratiam congruam.

13. Adhæc quod Deus in tempore non tribuit, in æternitate non præparat. his autem hominibus non dat in tempore gratiam congruam, & auxilia specialia; ergo neque illa ab æterno præparauit. iterum quod Deus in tempore non facit, ab æterno voluit non facere, non tantum per carentiam actus, sed etiam per directè voluntarium vt præcedens ratio ostendit. ergo hanc etiam voluntaten habuit Deus circa hos homines, cùm verò hæc voluntas non necessario supponat culpam ex parte hominis, neque enim est voluntas puniens, sed pertinet ad quandam generalem prouidentiam gratiæ: igitur non est necessarium, vt supponat præscientiam absolutum futurorum, ergo habuit illam Deus in eodem signo postquam voluit non præeligere istos homines ad gloriam, licet iuxta Augustini sententiam credibile etiam sit, hunc positiuum actum suæ voluntatis non habuisse Deum, nisi post præuisum peccatum Adæ, non quod peccatũ sit ratio, vel conditio necessaria ad eiusmodi voluntatem habendam, sicuti apparet in Angelis non prædestinatis, circa quos habuit Deus eiusmodi voluntatem sine vlla præscietia peccati, & alioqui satis est ad hanc voluntatem habendam, quod Deus nulli debet gratiam suam: potius, supposita hac sententia, sumenda eius ratio esset ex modo prouidentiæ, quam Deo placuit tenere cum hominibus. nam ante præuisum originale peccatum nihil interesse voluit inter homines: sed omnibus sufficienter prouidit per iustitiam originalem, cuius amissione præuisa, electis ad gloriam voluit dare specialem gratiam congruam, alijs noluit.

14. Restat vt quæ contra primam præsertim propositionem obijciuntur, dissoluamus. po-

A tissimum firmamentum aduersariorum sumitur ex Paulo ad Romanos capite 9. primum ex vers. 11. 12. 13. *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (vt secundùm electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* deinde vers. 16. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Adhæc vers. 17. *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam:* & vers. 18. *ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* deinde ex v. 21. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*

15. Soluuntur obiectiones hæreticorũ de reprobatione.

Antequam respondeam, affirmo non modo epistolam ad Romanos nihil iuuare hæreB ticos, vel aduersarios, sed eorum etiam errorem maximè conuellere. quod ex tota disputatione Apostoli ostendo. primum quoniam reprobationem vocat odium: Deus autem nihil odit in homine, nisi peccata, vt Augustinus argumentatur epistola centesima quinta, & libro primo ad Simplician. q. 2. explicans illa: *Esau autem odio habui.* vbi tandem concludit; *non igitur Deus Esau hominem odit, sed odit Deus Esau peccatorem.* Secundo, quia significat Paulus, Deum cùm reprobat, velle indurare. hæc autem voluntas indurandi, peccata reprobi, in quibus is induratur, præsupponit. Tertio, quia affirmat Deum cùm reprobat velle ostendere iram, & vindictam, & sustinere in multa patientia; quæ certe omnia præsupponunt hominem, qui reprobatur præuideri à C Deo peccatis obstrictum. quod obseruauit D. Fulgent. lib. 1. ad Monimum. *Quæso*, inquiens, *Monime carissime, vt hũc locũ Apost. diligẽter attendas. notum namque est iram Dei dici non posse, nisi vbi creditur hominis iniquitas præcessisse.* Postremò, quia clarissimè docere videtur causam reprobationis Iudæorum fuisse infidelitatem illorum vers. 31. 32. *Israel verò*, inquit, *sectando legem iustitiæ in legem iustitiæ non peruenit. quare? quia non ex fide.* quo loco plures Patres affirmant indicari à Paulo solutionem quæstionis de causa reprobationis Iudæorum. quod ex verbis ad Rom. 11. 19. 20. confirmatur. *dices ergo: fracti sunt rami, vt ego inserar. benè, propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas. noli altum sapere,* D *sed time.* vide Valent. tom. 1. disp. 1. quæst. 23. de reprobat. pun 3.

16. Nomine odij quid significetur.

Respondeo iam eo loco odium non significat verum, ac proprium odium de quo scriptum est Sap. 11. 25. *nihil odisti eorum quæ fecisti.* hoc enim modo fieri nequit, vt Deus odio prosequatur quam condidit creaturam; præcipuè priusquam aliquid culpæ in ea præsciat. hoc ergo loco apud Paulum odium accipitur pro ea voluntate, qua Deus noluit amare speciali illo amore Esau, quo est prosecutus Iacob, & prædestinatos. & idẽ est quod alij dicunt sumi odium pro carentia istius amoris. itaq; dilectionem, & odium ad æternam prædestinationem, & reprobationem referri non negamus; sed dilectionem quidem voluntatem suppditandi auxilia efficacia: odium verò eorundem negationem interpretamur. eodem modo sumi videtur odium Luc. decimoquarto. *Qui non odit Patrem suum, aut Matrem,*

hoc

hoc est, qui non illos minus amat, quam me. & sic dicit Augustin. primo ad Simpl. quæstione secunda, dici Deum quempiam obdurare, tantum, quia non speciatim miseretur. Fateor Augustinum aliquando interpretatum fuisse locum hunc Pauli de odio vltricis iustitiæ, propter peccatum originale: quod adfirmat in Iacob & Esau præcognitum fuisse, & ideò dixisse Paulum, antequam quicquam boni, aut mali egissent, non verò antequam quicquam mali contraxissent. probabilis quidem est hæc interpretatio; sed non omninò necessaria. sed possent vrgeri illa verba. *In hoc excitaui te vt ostendam potentiam meam, & vt si Deus volens ostendere iram*, &c.

17. Sed enim, ais, hinc videtur colligi iccirco negatiuè reprobasse aliquos, quod intende ret aliquod malum interre his hominibus. Sed Respondeo neutiquam id ex hoc loco desumi posse, quin contrarium etiam elici præsertim ex illis verbis: *sustinuit in multa patientia vasa iræ*. igitur significat Paulus, fecisse se homines vasa iniquitatis, eosque Deum exspectasse, vt Paulus Romanorum 2. *Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*. vnde etiam habemus non sustinuisse ea vasa, vt puniret, sed vt parceret: Verum animaduertens homines nihil minus curare, quam emendationem morum, atque adeò thesaurizare sibi iram; tum demum voluit illos punire. vnde cùm ait, *In hoc excitaui te, vt ostendam*, &cæt. Vox illa, *vt*, non ita vsurpatur hic, vt significet finem, sed vt denotet consequutionem tantum aliquo alio posito. quomodo non raro sumitur in Scriptura.

18. Ostenditur loca D. Pauli ex epist. ad Rom. nihil Caluinum iuuare.

Becanus noster c. 1. prædes. Caluinistarum, affirmat, hæc loca ex epist. ad Romanos ab illo citata, nihil illum iuuare: quærit enim Caluinus, quare Deus aliquos prædestinauit ad damnationem? & respondet. meram Dei voluntatem causam esse, non aliam. igitur hoc illi probandum esset ex locis Pauli; quod tamen facere ipsum non posse, sic ostendit Becanus. Epistola ad Romanos scribitur ad eos, qui non modo ex gentibus, sed etiam Iudæis cõstabant. horum Iudæi ratione legis & circumcisionis acceptæ à Deo se supra gentes efferebant; vult Paulus hanc eorum elationem deprimere, iccirco cap. 9. 10. & 11. declarat Iudæos in noua lege admissis gentibus exclusos fuisse à gratia Euangelica. Quod si dicant Iudæi: cum facta sit nobis promissio, & non gentibus, quæ irritari nequit, quid est quod nos repellimur cooptatis gentibus? Promissio, inquit Paulus, firma est, si, prout oportet, accipiatur: credidit Abraham Deo affirmanti, quod in senectute esset filium accepturus. ob hanc fidem promisit illi Deus, fore aliquando vt ex ipso Messias nasceretur. hæc pollicitatio Abrahamo facta est propter singularem eius fidem. ergo pertinet ad filios illos Abrahæ, qui eius fidem sunt imitaturi, non ad eos, qui tantum carne ex Abraham sunt proseminati: Iam verò Iudæi, cum ex posteris Abrahæ natus est Messias, noluerunt in illum credere; igitur iam non ad eos pertinet promissio. quare saluo Dei verbo, & pollicitatione propter ipsorum incredulitatem ab Euangelij gratia meritò repelluntur. hic est

A Apostoli sensus; ex quo nihil pro suo errore decerpere possunt hæretici, quo affirmant, DEVM aliquos ad damnationem, & mortem prædestinasse, cum Iudæi, iuxta hanc expositionem, repulsi esse dicantur à gratia Euangelica; hæretici verò loquantur de reprobatione à gloria. deinde Iudæi delecti sunt, non sola Dei voluntate, sed propter incredulitatem.

Cetera quæ in eo capite nono continentur, eo tendunt, vt doceat Paulus DEVM pro sua voluntate inæqualiter distribuere sua dona. obijcere siquidem poterant Iudæi non se modo, sed gentes etiam peccato obnoxias esse; igitur in pari vtrorumque causa, nihil est, quod ipsi magis, quam gentes excludantur. Respondet Paulus, posse Deum, quamuis in pari causa, plus vni, quàm alteri B tribuere, exemplo id Iacob, & Esau illustrat: nam cùm par esset vtriusque causa, nihilominus DEVS Iacob in temporali benedictione Esau prætulit. sic visum Deo. affert & Pharaonis, & Nabuchodonosoris alterum exemplum: par erat vtriusque causa: grauibus vterque obnoxius erat peccatis, & huius tamen misertus est DEVS. alterum obduratum reliquit. neque hic alia quærenda est causa, quam DEI voluntas, cuius vult misereatur, & quem vult indurat. & ex duobus facinorosis hominibus, qui vilissimo luto abiectiores sunt, vnum assumit ad gratiam ex misericordia, alterum deserit in peccato ex iustitia.

19. Deus cuius vult miseretur.

Quod si quæras cur ex duobus sceleſtis hominibus, siue ex duobus infantibus sola originali noxa contaminatis, huic maiorem, C hoc est, efficacem, & congruam, gratiam exhibet, non item alteri. non aliud à Diuo Paulo accipies responsum, quam quod Dei voluntas huius sit discretionis causa. hinc illæ voces. *O Altitudo diuitiarum sapientiæ*, &cæt.

20.

Quod si pergas seorsim rogare cur DEVS hunc vel illum repellat à gratia, vel gloria? huius rei iam assignauimus causam, quia peccator, & impius est. non quod hunc Deus ex se ad malum destinarit. atqui hoc est in quo ab aduersarijs dissentimus, & cum Diuo Paulo conuenimus. quem si interrogaueris cur sint Iudæi repulsi ab Euangelij iustitia? Respondet capite vndecimo, D vers. 20. *propter incredulitatem*. conuenimus cum Augustino, à quo si sciscitaris, quare DEVS odio habuit Esau? respondebit libro primo ad Simplic. quæstione secunda, *Deus non odit Esau hominem, sed odit Esau peccatorem*: si pergas rogare cur huius, vel illius non misereatur? respondebit epistola centesimaquinta. *Quibus Deus misericordiam non impertitur, vt non impertiatur merentur*. si adhuc petas; cur DEVS indurat aliquos. Respondebit ibidem. *Quærimus meritum obdurationis, & inuenimus*. Postremò conuenimus cum CHRISTO ipso, qui ad extremum iudicij diem dicturus est impijs hominibus: *ite maledicti in ignem æternum*. cur ita? *esurijui enim, & non dedistis mihi manducare*.

Cur Deus hunc vel illum repellat à gratia vel gloria.

Deus aliquibus misericordiam nõ impertitur quia illam non merentur.

Porrò

21. D. Paulus c. 9. cùm dixit: ex operibus &c. ad solam prædestinationem Iacob, non autem ad reprobationē Esau respexit.

Porrò verba illa eiusdem cap. 9. v. 11. *Non ex operibus*, &c. optimè ad solam prædestinationem Iacob, non autem ad reprobationem Esau referri debent, si locum hunc de prædestinatione, & reprobatione intelligamus. quamuis Apostolus citans verba Malachiæ de prædestinatione Iacob simul meminerit reprobationis Esau, quod nimirum vtriusque prædestinationis, & reprobationis fiat ibi mentio. Confi matur hæc expositio. primum quidem ex verbis ipsis Apostoli. nam illud dicit fieri, *non ex operibus*, quod fieri dicit *ex vocante*, &, *secundùm propositum electionis*. quod prædestinatio est, non reprobatio. deinde patet idem ex mente Pauli eodem loco: ea enim erat mens Apostoli, vt indicaret ex gratia electionem fieri, sicut fuit electio gentium facta. neque eius institutum erat declarare reprobationem quoque fieri non propter peccata cum contrarium potius ex Paulo collegerimus num. 15. denique idem confirmat Diuus Augustinus, qui ex illo loco Apostoli contendit efficere tantum prædestinationem absque meritis fieri lib. 1. ad Simplic. quæstione secunda, & epist. 105.

22. Respondetur obiectioni contra primū dictum.

Sed dices, huic intelligentiæ officit obiectio, quam mouet ibi Paulus: *Numquid iniquitas apud Deum?* Respondeo, non esse sensum Pauli videri Deum iniustum, quia reprobarit Esau, vel alios sine illorum demeritis; sed sententia est: iniquum videri posse Deum (quamuis non nisi stultis) quia non item Esau, vel alios reprobos gratis, & absque meritis, sicut & Iacob prædestinauerit; sed respondet ad hoc Diuus Paulus: propterea Deum non esse hac in re iniquum, quia iure potest pro arbitrio, cuius vult misereri absque iniuria vlla, quæ illi fiat, cuius non miseretur, sed quem indurat.

23. Per Iacob & Esau intelliguntur prædestinati & reprobi.

Ex his quæ hactenus diximus, satis responsum arbitror esse ad omnia illa loca, quæ ex epist. ad Roman. adducebantur. Verum antequam ad alia veniamus, obseruandum, quod monet Hieronymus, sub horum duorum fratrum Esau, & Iacob nomine gentes, ac nationes significari, quæ ex illis ortæ sunt; in quibus duæ hominum classes indicantur, quorum altera prædestinatos, altera reprobos complectitur. & vt idem Hieronymus aduertit epistola ad Hedibiam, quæstione decima. Quamuis hæc propriè, atque historicè intelligantur, de bonis corporeis, atque adeò de hæreditate, ac possessione Palæstinæ; tamen sensu mystico, hoc est, prophetico, & quem Paulus ad Galatas allegoricum vocat, latet verò in rerum historia, & maximè proprius est, & à Spiritu sancto spectatur, ad spiritalia, ac cœlestia bona corporalia illa transferuntur ab Apostolo; quæ alioqui aptè illis caudicis bonis mysticè, ac propheticè significabantur. accommodantur autem hæc à Paulo potissimum ad significandam gratuitam gentium vocationem ad gratiam, & iustitiam, & derelictionem Iudæorum, quicquid sit de Esau, & Iacob prædestinatione, an reprobi fuerint, quamuis de prædestinatione Iacob non sit dubitandum, cùm recenseatur inter sanctos ad Hebræos 11. 21. &

A à Christo de eo dictum sit: *quod multi*, & cæt. *venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum.* denique verba Malachiæ accipere malim cum Hieronymo de terrenis, caducisque bonis, si historicum sensum spectes, in quo, quia latet propheticus, & mysticus; aptè Apostolus argumentatur cum de vocatione, & electione, vel etiam cum de prædestinatione agit, vide Hieronym. in Malachiam, & Bened. Iustin. in epistola ad Roman.

24. Soluitur obiectio contra primam eandem propositionem.

Iterum contra eandem primam propositionem est hæreticorum illa obiectio. nam asserunt reprobos ad peccatum à Deo incitari, nam Deus est, qui peccatum permittit, qui ordinat, & demum qui punit ergo signum est B ex se velle reprobos à regno excludere, quod est contra primam propositionem. abutuntur autem ad hæc impia ostendenda, Scripturis perperam intellectis, & falsò expositis, cùm Dauid dicat Psalm. quinto: *non Deus volens iniquitatem tu es.* & Ecclesiast. decimoquinto. *Nemini mandauit impiè agere*, & Hieremiæ decimonono, *ædificauerunt excelsa Baalim, quæ non præcepi, nec loquutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* & sanè ex tam impia sententia, vt rectè Becanus ait, fieret Deum fore auctorem peccati, si incitaret ad peccatum: fore mendacem, si verbis prohiberet, quod reipsa patrari vellet; fore crudelem, si aliquem ad peccandum impelleret, vt punire illum possit, fore iniustum, si hominem obtemperantem, & decreta sua exequentem, supplicijs deuoueret. C denique consequeretur vel solum Deum peccare, vel peccatum nullum esse; nam nemo peccat in eo, quod effugere non potest: atqui nequit homo eas actiones euitare, quas, Deo iubente, vel impellente agit. igitur homo suis actibus non peccabit, quare consequitur, vt vel nullum sit peccatum, vel si est, soli Deo tribuendum: quod vel audire aures horrent.

25. Deus punit peccata, sed non peccatos.

Iam ad tria illa, quæ proponuntur, veniamus. & incipiendo à postremo, fateor Deum peccata punire; sed hinc efficitur potius odisse summam illam, & infinitam Dei bonitatem ipsa peccata. neque admittendum est D Deum peccato peccatum punire, sed tantum posterius peccatum impropriè dici posse pœnam prioris peccati, vel quod Deus interdum deserat vt destituat hominem sua gratia, in pœnam præcedentis peccati: vnde fit vt homo iterum in peccatum labatur. itaque desertio est pœna peccati, & quidem à Deo iusto iudice illata, non autem ipsum peccatum. vnde Apostolus Romanorum 1. *propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum.* deinde quoniam sæpe accidit vt cum altero consequente peccato aliquid coniunctum sit infamiæ, vel labor aliquis, & tristitia vermisque conscientiæ, amissio bonorum, & dignitatum, persequutiones, morbi, &c. iccirco posterius peccatum ratione horum affectuum pœna dicitur prioris, non secundùm se spectatum, & ita Augustinus dixit 1. confession. capit. 12. *iusti es Domine, & sic est, vt pœna sua sit sibi omnis inordinatus animus.*

Quod

26. Deus permittit peccatum ad aliquod bonum efficiendum.

Quod verò attinet ad ordinationé affirmo, Deum ordinare peccatum, esse, dirigere, & ordinare peccatũ quod præuidit, & decreuit permittere pro sua bonitate, & prouidentia, ad bona aliqua efficienda, siue in vtilitatem eius, qui peccat, siue alterius, vt constat ex Gen. 50. 20. *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum vt exaltaret me.* & Gen. 45. 8. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* & Act. 2. 23. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis.* Actor. 4. 27. *Conuenerunt verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti. Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel facere quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri.* his indicatur Dei voluntate, ac consilio esse factum, vt ex peccatis, quæ futura præuidebat Deus, tam boni fructus & emolumenta elicerentur. similiter Prouerb. 16. 4. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum* (hoc est supplicij) seruat, vt habent septuaginta, idque cedit in Dei gloriam, quam inde ipse elicit. Vel potius sensus est, Deum, qui prænouit quosdam impiè acturos, nihilominus eos creare, & eorum scelera ad suæ iustitiæ manifestationem dirigere. itaque hoc decretum Dei non culpæ præuisionem antecedit, sed sequitur præuisa peccata, quæ suo consilio, ac prouidentia ad bonum ordinat.

27. Quid sit permissio peccati.

Venio ad tertium: Deum peccatum permittere, est, non impedire illud cum possit, idque ob sanctos & honestos fines. v.g. ad conseruandam libertatem hominis, ad ostensionem maioris gratiæ, iustitiæ &c. impedit autem Deus peccatum dando vberiorem gratiam, qua collata peccatum non eueniet, & hoc est propriè permissio peccati huc pertinens. est enim negatio alicuius gratiæ præuenientis, vel auxilij, quo præsciuit Deus peccatum impediendum si illud vellet elargiri: est autem duplex hæc permissio. altera, qua permittit aliquem ruere in primum peccatum; altera, qua permittit illum perseuerare in peccato. prima solet simpliciter vocari permissio; posterior frequentius dicitur obduratio, excæcatio, aggrauatio, despectio, reprobus sensus: & quamuis vtraque hæc permissio sit subtractio maioris gratiæ, & efficacis, nihilominus neutra necessarium, ac sufficiens auxilium aufert. Iterum prima potest esse sine vlla culpa creaturæ, altera semper aliquam supponit culpam, & ideo pœnæ rationem habet, & illa tota in negatione efficacis auxilij posita est, hæc aliquid amplius exigere videtur, neq; n. Deus ita propriè dicitur indurare hominem, quia efficax illi auxilium subtrahit, sed quia v.g. offert varias occasiones, quæ per se malæ non sunt, imò pertinent ad dona gratiæ sufficientis, vt sunt prædicatio veritatis, bonorum amissiones, vexationes flagella, miracula, &c. per quæ certò nouit hominem potius ad malum ex sua peruersitate, & libero arbitrio prouocãdum; non tamen Deus eo fine eas occasiones offert. *Deus enim intentator malorum est.* quin ad pœnitentiam vt inuitet ista facit. hinc nihil habent hæretici pro se, cùm tamen ad rauim vsque obdurationem, & excæcationem ineptè ex scripturis nobis obtrudant, neq; enim Deus quenquam per se obdurat, aut obcœcat, quasi hominem in peccato perseuerare velit, absit enim à cordibus infidelium tam impia cogitatio; sed indirectè hoc, aut negatiuè tantummodo facit, vel quod iustè neget illi auxilia gratiæ, vel quia simul offert varias occasiones benè agendi, quibus præter Dei intentionem infœlix homo abutitur. quam rem D. Augustinus paucissimis quidem, sed aptissimis verbis expressit epist. illa 105. *Non obdurat*, inquit, *Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* quare semper asserendum est in hominis manu, atque arbitrio esse obdurari, vel emolliri; nam potest benè si velit vti occasionibus à Deo immissis, neque enim caret sufficientibus auxilijs gratiæ, quæ satis reuera sunt ad benè agendum, dummodo velit. hinc Spiritus sanctus hortatur etiam istos Psalm. 84. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* est igitur in nostra situm potestate obdurari, vel emolliri, cum Dei vocem percipimus. quod Augustinus ostendit exemplo Pharaonis, & Nabuchodonosoris lib. de prædest. & grat. cap. 15. quomodo verò permissio sit effectus reprobationis negatiuæ lege apud Franciscum Suarium lib. 5. de reprobatione cap. 7. nobis satis fuit ostendere non esse Deum causam reprobationis hominum, nec destinare hominem ad mortem, vel mala culpæ, neque id vllo modo colligi ex v. 5. huius capitis vbi Dominus ait: *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: etiam Pater quoniam sic placuit ante te.*

In manu hominis est obdurari, siue emolliri.

THEORIA III.

An detur caussa reprobationis tam negatiuæ quàm positiuæ.

1. Quid sit reprobatio positiuè accepta.

PRINCIPIO prænosse hic oportet vocabulum reprobationis bifariam accipi. vno modo positiuè, vt significat punitionem æternam, seu potius voluntatem absolutam puniendi æternis pœnis reprobum. atque ita dubium non est reprobationem esse propter demerita. est enim actus iustitiæ punitiuæ, cuius obiectum est demeritum. quare exerceri nequit ille actus nisi circa tale obiectum, & hoc modo intelligitur illud: *Perditio tua ex te Israel.* nec de hoc vlla debet esse controuersia. quod si qui inter hæreticos putant Augu. hoc modo negasse dari caussam reprobationis huiusmodi, Augustinum vel non legerunt, vel non intellexerunt. altero modo negatiuè, vt significat negationem electionis in vitam æternam, hoc est, non velle eligere ad vitam æternam, cum qua negatione coniungitur actus positiuus voluntatis, quo vult non eligere, vel non dare efficax auxilium, & sic definitur: Reprobatio est voluntas permittendi aliquos deficere à vita æterna.

Quid sit reprobatio negatiuè accepta.

Deus vexat vt ad pœnitentiã inuiteț.

Quid sit obduratio peccatoris.

Porrò

2. Reprobatio negatiua nunquam est iniusta.

Porrò ista reprobatio negatiua, seu permissio nunquam est iniusta; nam homines possunt duobus modis considerari, vel in massa peccati originalis, & sic permittere illos deficere iustum est, quia ipsi merentur hoc propter peccatum, & demeritum, & sic intelligi potest Augustinus, considerat enim reprobationem respectu hominum in hoc statu, vt quod ait in epist. 105. ad Sixtum: *Quærimus meritum obdurationis, & inuenimus, quærimus meritum misericordiæ, nec inuenimus.* videtur verò Augustin. non considerare in Deo huiusmodi negatiuam reprobationem, seu voluntatem non dandi congrua auxilia perducentia ad vitam, nisi post præuisum peccatum originale. alio modo possunt cõsiderari homines in puris naturalibus, seu etiam ante præuisum peccatum originale, & ita permissio diuina, qua permittit deficere illos à fine, non est ex punitiua iustitia; quia nullum est demeritum in homine considerato in puris naturalibus, vel ante præuisum peccatum, potest tamen, quin etiam debet vocari non iniusta, quia Deus nihil denegat homini, quod ei debebat, vitam enim æternam non debebat illi; quia est finis supernaturalis, *gratia* namque *Dei vita æterna*. posset tamen dici quodam modo iusta, vel congruens, quatenus spectat ad rationem prouidentiæ, quod etiam censuit D. Thom. nam ad prouidentiam pertinet in rebus defectibilibus permittere aliquos deficere à suo fine; maximè quia ex hoc sequitur maius bonum; quæ est altera causa, nempe illustrior declaratio diuinæ perfectionis tam secundùm misericordiam in electis, quam secundùm iustitiam in reprobis, præcipuè cum huic statui in puris naturalibus, vel ante præuisum peccatum non respondeat pœna, nisi priuationis vltimi finis. Addi potest tertia causa, voluisse etiam Deum relinquere creaturas omnibus modis liberè operari, & ostendere debiles earum vires naturales.

Obserua tamen hanc rationem, quæ sumitur ex manifestatione iustitiæ Dei vindicatiuæ, non esse ita accipiendam, vt ante præscientiam absolutam futuri peccati, voluerit Deus absolutè manifestare hanc iustitiam. non enim DEVS ex se habet hanc voluntatem, vt benè docet Damascenus libro 2. de fide capite 29. alioqui vellet ipsam culpam. nam si vellet absolutè exercere hanc iustitiam nondum præuisa culpa, virtute ve let ac decerneret ipsam culpam, quod Deo repugnat. quare multum interest inter voluntatem illam, qua Deus vult dare gloriam, & alteram excludendi à gloria, vel puniendi æternis pœnis, si ponamus vtramque antegredi præscientiam futurorum operum. nam prior consentiens est diuinæ voluntati, neutiquam altera. Deus enim non modo velle, aut procurare non potest homini mala merita, sed nec permittere intentione vt homo cadat, ac beatitudinem amittat: si quidem eiusmodi intentio secundùm se spectata minimè Deo cõgruit; cõsentiunt nihilominus ambæ hæ voluntates in hoc quod sicut voluntas dandi gloriam, vt coronam iustitiæ, virtute continet voluntatẽ dandi bona merita, ita vt ex vi illius necesse sit, vt Deus illa det, & procuret: ita voluntas efficax excludendi à regno, virtute claudit voluntatem permittendi mala merita, quæ necessaria sunt, vt ita exclusio à regno vel punitio fiat ex vindicatiua iustitia, sicut præordinata esse dicitur: ergo ratio desumpta ex manifestatione diuinæ iustitiæ intelligenda est, ita vt Deus solùm habuerit voluntatem hanc declarandi iustitiam post præuisam culpam, licet prius præcognouerit se posse hoc bonum elicere ex peccato, si ab homine fieret, & tantum tunc habuerit hanc voluntatem ostendendi iustitiam, & ita se gerendi cum homine, posita conditione quod peccaret.

3. Sed enim quamuis permissio diuina vt deficiant aliqui, habeat sufficientem causam iustam, nempe peccatum, vel non iniustam, nempe indebitum naturæ, quia non debetur naturæ hominis, vt est in puris naturalibus, finis supra naturam, vt dixi; tamen si consideretur ista permissio comparatione electionis, id est, cur aliquos relinquat in massa perditionis, & permittit ipsos sibi abire in vias suas, alios verò educit ex ea ad vitam, tunc dico quod nulla est causa prædestinationis, & reprobationis negatiuæ, licet intelligantur factę post præuisum peccatum originale, nam cum omnibus hominibus æqualiter debeatur damnatio propter peccatum originale, quòd aliquos relinquat, alios assumat, non est ex parte ipsorum, sed ex voluntate sola Dei, & hæc videtur mens Augustini, iuxta quam expositionem accipienda videtur illa admiratio eiusdem Diui Augustini tractatu 26. in Ioannem. *Cur hunc trahat, & illum non trahat, noli iudicare, si non vis errare.* & epistola centesimaquinta. *Cur autem illum potius, quàm illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest iudiciorum eius tam magnum profundum, veruntamen caueat præcipitium. numquid enim est iniquitas apud Deum? absit. sed inscrutabilia sunt iudicia eius,* &c. vide item de corrept. gratiæ cap. 1. 8. vbi ait. *Cur eũ Deus perseuerantiã non dederit, qui eam, qua Christianè viuerent dilectionem dedit: me ignorare respondeo. non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apostolum: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo, &? O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius?* vide cap. 13.

4. Dicet aliquis: non esse quod moueamur hac Augustini admiratione. nam ille trahitur, qui à Deo mouetur, ipse verò cum diuina gratia se moueri sinit; alter verò ideò non trahitur, quia quamuis moueatur à Deo, proprio tamen ipse restitit arbitrio, nec se trahi patitur. cessat ergo omnis admiratio. Respondet Sotus lib. 1. de natura & gratia capit. 15. & paucis eius responsio his continetur. si respiciamus hos effectus, verbi gratia, tractionem, liberationem &c. prout in exequutione versantur, videtur dari causa ex parte hominum, cur iste trahatur, & ille non trahatur, vt ratio facta ostendit. si tamen respexerimus æternam ipsam Dei præelectionem, magnam sanè habet admirationem, quo hunc potius quàm illum præelegerit vocare, & congruè trahere, cuius nullam reperit Augustinus in hominibus causam. quod si affirmemus prædestinationem omnium, siue hominum, siue Angelorum fa-

ctam esse, quod longè verosimillimum est, ante præuisum peccatum, tũc non tantum huius comparationis non inuenietur causam, sed neque etiam non electionis. nam in eo signo quo prædestinati intelliguntur electi, & simul non electi qui prædestinati non sunt, nullam præuidebat Deus culpã siue in hominibus, siue in Angelis: ergo hi, qui prædestinati non sunt, ex parte sua nullam habuerunt causam non electionis.

Neq; illud non est hîc attentè considerandũ, antequam intelligamus actum aliquem diuinæ voluntatis, præcedere in Deo præscientiam quamdam tam malæ culpæ, quàm pœnæ, & vt posibilis, & vt futuri sub conditione. præscit enim Deus omnem culpam, quàm reprobus commissurus est, si in hac, vel illa occasione sibi relinquatur, atque adeò præscit durationem illius culpæ, & pœnam propter eam irroganda, si talis quoque conditio permittatur. ceterum tota hæc præscientia nequaquam pertinet intrinsece ad reprobationem, cùm similem habeat Deus etiam de prędestinatis. prę supponitur igitur toti solum prouidentiæ Dei. deinde aduertendum est tanquam certum diuinam Dei voluntatem ita se habere, vt malum culpæ, directè ac per se neutiquam vnquam velit; repugnat enim id summæ eius bonitati; at malum pœnæ directè vult Deus; quamuis non ex se, sed ratione iustitiæ, posita culpa quàm permittit quidem tantum Deus, malum enim culpæ non vult. his positis, tanquam iactis fundamentis aliquas superextruemus propositiones, quibus quid de proposita controuersia sentiam paucis aperiam sit igitur.

5. An detur causa reprobationis negatiuæ ratione voluntatis diuinæ.

Prima ꝓpositio: si reprobos intueamur, nulla videtur dari causa reprobationis negatiuæ, neque ratio voluntatis illius diuinæ, qua vult non præeligere hunc, vel illum efficaciter ad gloriam. hęc videtur mens D. Th. 1. p. q. 23. a. 5. vbi parem facit in hoc reprobationẽ prædestinationi. & colligitur ex Paulo ad Romanos 9. 11. *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (vt secundùm electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia maior seruiet minori; sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* & hoc modo locum habet illa admiratio Augustini: *cur hunc trahat, illum non trahat, noli iudicare.* saltem comparando inter se electos cùm non electis. est & ratio, quia cum electio facta fuerit ante præscientiam peccati originalis, vt ego pono, nulla erat culpa in eo signo, in quo electi sunt prædestinati, quæ esset præuisa in vllo hominum, siue electorum, siue non electorum; ergo ij qui electi non fuerunt, nullam habuerunt causam quod ad se attinet, cur non essent ipsi electi, & prędestinati. erant igitur æquales; quo applicari potest aptè exemplum D. Pauli de figulo, & luto; quamuis fortasis hoc exemplum magis quadraret si affirmaremus prædestinationem, & reprobationem negatiuam factam esse post pręuisum peccatum originale; & hæc propositio etiam in Angelis prædestinatis, & non prædestinatis locum habet, in quibus nulla prorsus præcesserat culpa, antequam eligerentur, vel non eligerentur ad gloriam.

A Quod si obijcias sententiam Prosperi 3. ad capitula Gallorum: vbi ait: *quod ergo huiusmodi in hac prolapsi mala, sine correctione pœnitẽtiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt; sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria præuaricatione præsciti sunt.* Respondeo; non loqui Prosperum de negatiua reprobatione, sed de positiua, de qua paulò post. quare cùm ait: *sed ideò prædestinati non sunt*, intellige reprobati sunt, nimirũ positiue. solet enim esse semper coniuncta non electio, non prædestinatio cum positiua reprobatione, ideò non electio vsurpatur à Prospero pro positiua reprobatione. 6.

Altera propositio: Eius quoque voluntatis, quam non voluit, vel noluit dare auxilia efficacia, vel gratiam congruam ad perseuerandum, & obtinendam salutem, non habet necessariam causam si reprobos attendamus. nulla enim est in illis culpa, vt dixi de voluntate nõ electionis, satis est sola Dei voluntas, sicuti patet etiam in Angelis reprobis, in quibus nulla præcesserat culpa in eo signo, in quo Deo placuit his dare gratiam congruam, alijs sufficientem. deinde idẽ constat ex prima peccati permissione, quæ nequit habere causam, quod attinet ad reprobũ. præcedit enim omne peccatum; atqui in permissione ista includitur negatio congrui, & efficacis auxilij. Cùm verò dicimus voluisse Deũ nõ dare congruam gratiam, aduertere oportet, ne quis decipiatur, nõ esse hoc ita accipiendum, quasi Deus directè voluerit, vt illa gratia, quam dat non sit congrua. hoc enim ad malum vsum gratiæ in homine spectat, & ad liberum arbitrium, quod renititur, vel resistit. & in paruulis, si in illis etiam hîc loqui velimus, pertinet ad impedimẽtum salutis, quorum neutrum vult Deus directè. ergo cùm affirmamus Deum voluisse non dari congruam gratiam, duo intelligi significamus contineri in hac Dei voluntate; alterum quod quamuis Deus præsciat alia quædam dona, seu gratias futuras esse congruas, si his hominibus concederentur, minimè tamen eas concedere vult, quia eas nõ debet, & iuxta cõmunem prouidentiæ modum, quem immutare non vult, non se offert occasio largiendi eas. Alterum est, quod præscit Deus gratias ordinario cursu, vt tali modo conferendas illis hominibus non esse futuras illis congruas, & tamen illas tantum dare vult, permittit verò vt quis deficiat à fine. 7.

D Ceterum de hominibus maior est difficultas. est. n. multum probabile, ac verosimile fuisse peccatum originale sufficientem causam non elargiendi efficacia auxilia his, quos non elegerat, vel prædestinauerat Deus ante prævisum peccatum originale. distributionẽ namque gratiæ prævenientis, etiã in diuina voluntate, factam esse credo post prænotionem peccati originalis, etsi electio, vel non electio præcesserit. sed enim licet æquales essent tunc omnes homines quod ad peccatum attinet originale, ita vt non potuerit esse causa hoc ipsum peccatum cur potius his, quam illis negarentur auxilia efficacia; nihilominus si absolutè loquamur, & citra comparationem, satis ex se sufficiens ratio esse poterat idem peccatum 8. Peccatum originale quibus efficacia ad salutem auxilia adimere dicatur.

cur negaretur gratia congrua, quibus vellet Deus non dare, & ita credere debemus Deum se gessisse, cùm voluit nō dare reprobis auxilia efficacia, vt ita hæc voluntas non tantum nitatur absoluta Dei potestate, sed & iustitia, vt tanto illustrior sit, quo plures in ea voluntate elucent virtutes. hoc puto etiam plerumque insinuasse Augustinū in discretione hominum ex massa illa perditionis. solet enim Aug. nonnunquam etiam absolute referre causſam, cur homines non adiuuentur per efficacem gratiā in peccatū originale, vt epist.106.& 107.& li. de correct.& gratia c.11.& alibi. quod Valen. tom.1.disp.1.quæs.23.pun.4.sub finem mauult intelligere verum esse in ijs tantū, quibus peccatum originale nondum est remissum, vt videtur, inquit, declarare Aug. lib. de correct. & gratia cap 6. alioqui solum potest esse remota, & occasionalis causſa eius rei peccatum originale, vt ipse ait, si accedant quoq; peccata propria, & non aliter. sed non mihi omninò placet hæc interpretatio: nam, quamuis multi sint homines reprobi, quibus peccatum originale remissum est, non tamen inde sequitur non posse puniri peccatū etiam remissum. quamuis enim non illud puniat Deus priuatione gloriæ, vel gratiæ iustificantis, vel auxiliantis, quæ sufficiens saltem sit, nonnunquam tamen propterea negat vberiorem gratiam nō debitam propter peccatum semel commissum, licet cōdonatum sit, vt docte docet Franciscus Suarius lib. 5. de reprobat. cap. 5. num. 10. neque enim cum culpa semper remittitur omnis pœna.

9. Tertia propositio: quamuis ex parte reprobi nulla sit causſa absolute negatiuæ reprobationis, nihilominus potest ex parte Dei assignari aliqua ratio loquendo vniuersim, & absolutè; nam si speciatim, & per comparationē loquamur, neq; respectu Dei potest esse causa, sicut nec in prædestinatione: si ergo quæras cur hos potius, quam illos, vel prædestinet, vel nō eligat, ceteris paribus, hoc est, cum pari dignitate, vel in dignitate personarū, nulla assignari potest ratio, quicquid enim assignes in vno, assignari poterit in alio. verum simpliciter loquendo, & vniuersim, procul dubio non defuere plures rationes, propter quas noluit cum omnibus eundem eligendi modum tenere. atque adeò voluit aliquos non eligere, harum rationum aliquas assignauimus superius num. 2. sunt autem tres, quarum vna pertinet ad declarandam diuinam misericordiā, & gratiam erga electos, quam indicauit Apostolus cùm dixit Rom. 9. 23. *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam*: Ad manifestandam iustitiam in reprobos, quo potest spectare illud Apostoli. *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suā, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum.* ibi. v. 22. denique ad conferuandam in creaturis libertatem. Vide num. cit.

10. An detur causſa reprobationis positiuæ ratiōe hominis

Quarta propositio; reprobationis positiuæ datur omninò causſa ex parte hominis reprobi. Est August. epist. 105. 106. lib. 3. contra Iulia. de bono perseuerant. capit. 8. & 14. & alibi. patet ex Scripturis, quæ manifeste docent Deū neminem punire, vel condemnare nisi propter peccatum. estque communis sententia. vt autē

A clarius hanc propositionem intelligas, aduerte positiuam reprobationem tribus actibus contineri, quorum primum locum obtinet absoluta quædam præscientia, vel prænotio, qua Deus præscit peccatum originale, vel peccata alia futura in hominibus reprobis vsque ad finem vitę. secundo loco, nostro modo intelligendi, est iudicium quoddam practicum ad intellectum pertinens, & velut sententia, qua decernit Deus dignum esse hunc hominem, qui æternæ morti addicatur, cœlesti regno exclusus, & hic aliqui constituunt positiuam reprobationem, cum iuxta leges diuinas ex vi huius iudicij, homo omninò cōsequi debeat æternam pœnam. verum quia pœna eiusmodi non est simpliciter futura priusquam illam Deus velit, ac præcipiat, & posita ea sententia, posset Deus absoluta potestate non damnare hominem. proinde arbitror ad perfectam reprobationis positiuæ rationem exigi tertium adhuc actum, qui constat absoluta voluntate damnationis impij, & hic est præcipuus actus reprobationis, ac vindicatiuæ iustitiæ. an autem ista voluntas sit verum odium, similiter & an ira Dei sit propria an metaphorica. docet Suar. lib. 5. de reprobatione cap. 4. num. 12. 13. Ex his probatur propositio. nam omnes isti tres actus supponunt causſam ex parte peccatoris reprobi. igitur reprobationis positiuæ datur causſa ex parte hominis; consequutio clara est, antecedens patet, quia absoluta p̄sciētia futuri peccati supponit illud peccatum esse futurum. iudicium item practicum, vel sententia, reprobi demeritis nititur. deniq; inde existit absoluta illa voluntas excludēdi reprobū à regno eumq; sempiternæ morti addicendi. constat ergo omnes actus, quibus continetur reprobatio causſam ex parte reprobi habere.

Propositio quinta. peccatum originale non potest esse prima ratio totius reprobationis. primo quia etiam inter Angelos aliqui fuerunt electi, aliqui reprobati, & tamen nullum erat in illis peccatum originale. vel igitur est fingenda alia ratio prædestinationis, & reprobationis in Angelis, & in hominibus, quod non est verosimile, quia respectu vltimi finis merēdi, vel demerendi non differunt Angelus, & homo. aut dicendum est, quod perfecta, & completa ratio reprobationis nō fundatur in massa originalis peccati. deinde D. Thom. qui erat sublimi ingenio præditus numquam videtur cōfugisse ad istā massam originalis peccati, sed ad Dei prouidentiam; quamuis August. videatur considerasse reprobationem, & prædestinationem erga homines, secūdùm statū in quo sunt, id est, prout de facto est. Tertiò videtur in ijs saltem hominibus, quibus peccatum originale in hac vita remissum est, affirmandum esse tanquam certum, non posse esse causſam plenā reprobationis. nam q̄ est causa reprobationis, est etiam causſa æternæ pœnæ, & quod non est causſa æternæ pœnæ non est causſa reprobationis; at peccatum originale hîc remissum nullo modo causſa est æternæ pœnæ propriè; ergo nec est causſa reprobationis in ijs hominibus, quibus remissum iam est, loquimur autem de positiua reprobatione.

11. Vtrum & qualis ratiō reprobationis sit peccatum originale.

Quod si dicas, originale peccatum licet re-

12.

missum

missum sit ante mortem alicuius; fons tamen est, & venenata radix omnium peccatorum. est item caussa mouens Deum, vt iustè velit nõ dare his, vel illis hominibus congrua auxilia ad non committenda talia peccata, vel ad non perseuerandum in illis vsque ad mortem, ita vt hac voluntate semper perseueret Deus, licet remittat originale peccatum. Respondeo hinc sequi summum peccatum originale esse quandam rationem remotam reprobationis positiuæ, & quasi occasionem remouentem prohibens, id est, auxilium efficax, seu gratiam congruã, quæ prohibet peccatum, vel obdurationem in eo, non autem esse caussam etiam partialem reprobationis. illa etenim negatio auxilij congrui non est caussa peccati, ergo nec est caussa reprobationis, cuius peccatum est propria caussa. ergo nec peccatum originale remissum dici potest caussa reprobationis, etiam si fuerit causa illius negationis auxilij. illud omninò affirmandum est; peccatum originale nunquam remissum caussam esse reprobationis positiuæ, etiam solum, vt in infantibus, qui cum illo moriuntur; non quatenus præcisè cõtractum, sed quatenus perseuerans ad mortem vsque, & eo modo à Deo præuisum, & perseuerans.

13. ccatum mquam t conditio ccessaria vt eus quos- im non e- gat.

Quamuis verò peccatum possit esse negatiuæ reprobationis aliquo modo caussa sufficiés in hominibus, nunquam tamen affirmandum est, peccatum esse rationem, vel conditionem necessariam, vt Deus aliquos non eligat, vel etiam velit non eligere, quamuis dixerimus esse sufficientem caussam non eligendi loquendo de hominibus. etenim in Angelis non prædestinatis habuit Deus similem voluntatem absque præscientia vllius culpæ. igitur satis superque est ad hanc voluntatem habendam, quod Deus nulli debeat gratiam suam, & prout illi libuerit, possit eam diuidere, ac conferre in hos, vel illos. neque verò illa voluntas, qua voluit omnes homines saluos esse, cogebat illum, vel obligabat, vt maiorem gratiam conferret. potius igitur si sequamur hanc sententiam, quod nonnisi post præuisum peccatum Adæ habuit Deus voluntatem non dandi congrua auxilia. dicendum est rationem huius sententiæ sumendam esse ex modo prouidentiæ, quã Deus tenere voluit cum hominibus. nam ante præuisum originale peccatum in prouidentia gratiæ ordinaria nihil interesse voluit inter homines, sed omnibus, quãtum satis erat, prouidit, communicata illis iustitia originali, cuius postea amissione præuisa, voluit electis ad gloriam dare specialem gratiam congruam, ceteris verò noluit eam præparare ex caussis supradictis.

14. eccata licet nt caussæ eprobatio- is non ta- ien sunt e- us effectus,

Propositio sexta: quamuis peccata sint caussæ totius reprobationis, atque adeò positiuæ, vt quarta propositione diximus, nullo tamen modo dici possunt effectus reprobationis. declarat hanc propositionem rectè Valen. punct. 2. quæst. illa 23. de reprobat. nam licet peccata necessario antecedere debeant æternam punitionem; nequeunt tamen esse reprobationis effectus, atque adeò cadere in voluntatem diuinam, quia non antecedunt tanquam media per se assumpta ad eum finem, sicuti merita ipsa præcedere dicimus beatitudinem: præcedunt igitur tantum vt aliquid præsuppositum, quod præter Dei intentionem contingit; & hoc exemplo id illustrari poterit: Iudex probus proponit, ac statuit punire peccata eorum, qui suæ ditioni subijciuntur, neque punire ea valet, nisi eueniant; non tamen iccirco vult peccata ciuium. ratio est, quia non habent se illa ad eum finem punitionis, qui propositus est Iudici, tanquam media, sed tanquam quiddam præsuppositum, quod euenit præter voluntatem Iudicis. idem est dicendum in reprobatione.

15. Verum contra ea, quæ diximus de peccato originis, videntur facere ea, quæ scribit Augustinus epist. illa 105. & in Enchirid. cap. 98. vbi videtur significare caussam reprobationis in omnibus, qui reprobantur esse peccatum originis. respondet Valen. pun. 3. nolle dicere August. peccatum originis solum esse in omnibus caussam proximam reprobationis. constat enim multis reproborum illud remitti, & damnari propter alia peccata actualia, quod non latuit Augustinum, significat ergo Augustinus peccatum originis esse velut caussam quandam remotam, & occasionem communem reprobationis omnium quatenus illud præcesserit in omnibus reprobatis.

16. Sed vrgebis Augustinum aliud insinuare cum peccatores qui reprobantur vocet massam quandam corruptam ob Adæ peccatum vt epist. eadem 105. & lib. 1. ad Smplician. quæst. 2. & alibi. Respondet idem auctor ad hanc massam eos etiam intelligi pertinere, qui actualibus peccatis obstricti sunt. vt cùm ait in illa quæst. 2. *Vna est enim ex Adam Massa peccatorum, & impiorum, in qua & Iudæi & gentes remota gratia Dei ad vnam pertinent conspersionem:* & epist. 105. de eadem massa ait: *Ac per hoc inexcusabiles es omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis.* & paulò post. *in ira*, ait, *vasis propter meritum massæ in contumeliam debitam factis.* (*id est, in omnibus propter vitia supplicio destinatis*) *iniquitatem damnare nouit Deus non facere.* vbi statim explicat se loqui de vitijs, quæ quis propria voluntate acquisiuit. vide item lib. de bono perseuerant. cap. 14. & Enchirid. cap. 29. vbi ait: *creatura rationalis, quæ in hominibus erat, peccatis, atque supplicijs, & originalibus, & proprijs tota perierat.* Posset adijci & quarta theoria in versi. 6. in ea verba: *nemo scit quid sit Filius nisi Pater, & quid sit Pater nisi Filius:* sed ea de re vide quæ diximus prima part. dilucid. cap. 1 digr. 2. sect. 1. & D. Thom. 1. par. q. 32. art. 1. Valent. tom. 1. disp. 2. quæst. 6. punct. 1. & Suares lib. 1. de Trinit. cap. 11.

nos ad digressiones transeamus.

DIGRESSIO MORALIS.

In varia capitis 20. loca.

1. Gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cœlis] Cyril. apte ad mores accommodat hunc locum lib. 4. de adoratione in spiritu declarans verba illa num. 1. 2. *Tollite summam vniuersæ congregationis filiorum Israel per cognationes, & domos suas, & nomina singulorum, quicquid sexus est masculini à vigesimo anno, & supra omnium virorum fortium ex Israel, & numerabitis eos per turmas suas, tu, & Aaron; eruntque vobiscum principes tribuum, ac domorum,* &c. ait ergo: *Qui igitur mas sit, & ad progeniem aptissimus, & ad tuendam peruenerit, id est, ad firmitatem spiritualem, & ad mensuram ætatis plenitudinis Christi, eum in descriptionem diuinam, & in librum Dei relatum esse perspicuum esse poterit, vel maximè ex his verbis, neque alia de causa numeratur, vt opinor, masculus & vigesimus annus, & supra natus, quam vt nos quoque intelligamus reijci à Deo, atque improbari, quod imbelle sit, atque sensu minimè perfecto, quorum vtrumque ineſſe dicimus eis, qui adhuc adolescentes sunt, necdum ad iuuentutis mensuram peruenerunt, quam quidem mensuram diuersa lex & nouit, & definit, isque est annus vigesimus. in pretio autem is est & in numero habetur, & à Deo cognoscitur per populum, & genus, & capita, & nomina, qui quis iam ætate adulta, & masculus est. sanctus enim Apostolis, qui eiusmodi iam virili ætate essent, & in eam peruenissent rationis mensuram dictum à Christo est. Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* idē ferè habet Cyrill. in collectaneis ex Num. c. 1. *Omnis enim qui puerilem excessit imbecillitatem, & mollitiē, & iam euasit vir, & fortis ad susci piendos labores pro virtute, & in virtute, & fortitudine exit aduersus dæmones, describitur, & in numerum refertur ad Dei aciem, & sit Dei miles. nam annus quidem vigesimus ijs quidem, qui in mundo militant sufficit ad intelligentiam, & fortitudinem, tempus autem quod est infra eam ætatem, imperfectum est ad vtrumq;. Moyses autem & Aaron eos quos diximus, describentes, præfigurabant amborum Christum legislatorem simul, & pontificē, & descriptorem eorum, qui ipsi militant.*

2. Quadruplex confessionis forma in Scripturis reperitur.

Confiteor tibi Pater] In Scripturis quatuor confessionis formas inuenire est. prima peccatorum confessio dici potest Psalm. 32. *Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino.* Matth. 3. *Baptizabantur in Iordane confitentes peccata sua.* secunda est fidei, de qua Apostol. Roman. 10. *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* 1. Ioann. 15. *Qui confessus fuerit quoniam Iesus Christus Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.* tertia appellatur confessio laudis Psalm. 48. 19. *Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei,* hoc est laudabit te. & Psalm. 106. 2. *confitemini Domino quoniam bonus.* postrema est cōfessio gratiarum actionis Psalm. 137. *Cōfitebor tibi Domine, quoniam exaudisti me.* Hieronym. Matth. 11. & Chrysostom. homil. 39. in Matthæum, hanc esse gratiarum actionis confessionem putant. Hilarius verò, & Augustinus sermone octauo de verbis Domini, & sermone quadragesimooctauo de tempore, hanc confessionem laudis appellant.

A vnde Augustinus, *hæc,* inquit, *confessio laudem habet, quia abscondisti hæc à prudentibus, & sapientibus, & reuelasti ea paruulis.* rectè. cùm enim Christus non potuerit habere peccata 1. Pet. 2. non poterit hic confessio sumi primo modo; sed nec secundo. nam Christus fidem non habebat, sed clare Deum intuebatur, quamuis esset auctor fidei; igitur vtramque Patrum sententiam amplectendam iudico, & vt sit confessio laudis, & gratiarum actionis.

Reuelasti ea paruulis] Augustinus sermone quadragesimooctauo de tempore. *Quid est ô fratres,* ait, *à contrario sensu intellige, abscondisti hæc,* inquit, *à sapientibus, & prudentibus, non dixit reuelasti ea stultis, & imprudentibus, sed ait abscondisti quidem à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Sapientibus, & prudentibus irridendis; arrogantibus falso grandibus, verè autem tumentibus opposuit non sapientes, non prudentes, sed paruulos. qui sunt paruuli? humiles. ergo abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, nomine sapientium, & prudentium superbus intelligi potest; ipse exposuit, cū ait: reuelasti ea paruulis. Ergo abscondisti nō paruulis. quid est non paruulis? non humilibus. quid est non humilibus, nisi superbis? Hæc via Domini, aut non erat, aut latebat, vt reuelaretur nobis. vnde Dominus exultauit, nisi quia reuelatū est paruulis? debemus esse paruuli: nam si voluerimus esse magni, quasi sapientes, & prudentes, non nobis illud reuelatur. qui sunt magni? sapientes, & prudentes. dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. habes remedium à contrario, si dicendo te esse sapientem stultus factus es. dic te stultum, & sapiens eris. sed dic; dic sed intus dic, quia est vt dicis. si dicis, noli coram hominibus dicere, & coram Deo non dicere.* & postea: *dic, quia tu tibi lumen non es, vt multum, oculus es, lumen non es. quid prodest patens, ac sanus oculus si lumen desit? ergo dic à te tibi lumen non esse, & clama quod dictum est: Tu illuminabis lucernam meam Domine, lumine tuo Domine illuminabis tenebras meas. mea enim nihil nisi tenebræ: tu autem lumen fugans tenebras, illuminans me, non à me mihi lumen existens, sed lumen non participans nisi in te.* & postea: *ergo confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus lumen se putantibus, & tenebræ erant, & eo quod tenebræ erant, & lumen se putabant, nec illuminari potuerunt: illi autem qui tenebræ erant, & tenebras se esse confitebantur, paruuli erant, & non magni, humiles erant, & non superbi.*

D. Gregorius cap. 3. lib. 4. exposi. in 1. Reg. in illa verba vers. 18. *Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ. si in ciuitate,* inquit, *tunc est prædicator, cum plana, & communia loquitur, quæ intelliguntur; porta ciuitatis huius, quæ est nisi humilitas? nam diuini verbi cognitio superbis absconditur, humilibus reuelatur, vnde in Euangelio Patri loquitur: Abscondisti hæc à prudentibus, & sapientibus, & reuelasti eà paruulis. sapientes quidem superbos, & alta de se sentientes, paruulos verò dixit humiles. quorum certè alia Scriptura meminit dicens: Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam* (1. Pet. 5.) *resistit namque superbis, ne æterna bona intelligant, sed paruulis gratiam dat, vt eadem bona æterna ipso reuelante cognoscant. electi ergo quia ad spiritualem sententiam per humilitatem veniunt, ad audiendos prædicatores, quasi per portam, venerunt. electus etiam prædicator quia spiritualia humiliter dicit, Samuel Sauli in eadem porta occurrit, quasi enum*

ambo in porta sunt, quando ea, quæ electus prædicator loquitur, ab electo alio humiliter audiuntur, &cæt.

5. Beati igitur paruuli quos inuitat sapientia ad cœlestes epulas Prou. 9. 34. *Sapientia proposuit mensam suam; misit ancillas suas vt vocarent,* &c. sed audi quem vocarent: *Si quis est paruulus veniat ad me.* quare merito Beda Luc. 11. ait: *clauis scientiæ humilitas est Christi, quam legis periti in lege, & Prophetis intelligere nolebant.* Verè diuinus Vates Ps. 118. v. 130. *declaratio sermonum tuorum,* inquit, *illuminat, & intellectum dat paruulis.* Nam superbis hæreticis scripturarum puteus altus est, ac immensam profunditatem diuinorum secretorum continet; habere igitur oportet in quo hauriamus, ne illud nobis obijciatur Samaritanæ: *puteus altus est, neq; in quo haurias habes,* sola humilitas situla est, vel vrna, qua diuinæ sapientiæ aquam haurimus, qua nos reficiamus; alioquin, obsignatus nobis erit, & obseratus hic cœlestium mysteriorum puteus; vnde vita emanat, & refocillatio animarum nostrarum. ijs verò, qui sanctæ humilitatis vrna destituti sunt, rectè illud Isa. 29. 11. dicetur, & quidem iure. *Erit nobis visio omnium sicut verba libri signati: quem cùm dederint scienti litteras, dicent; lege istum; & respondebit: non possum, signatus est enim.* & iterum Isa. 5. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.*

Scripturæ intellectu difficiles sunt.

6. *Venite ad me omnes, qui laboratis*] dixerat Dominus: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* & *neque Patrem quis nouit nisi Filius, vel cui voluerit Filius reuelare.* quoniam verò Dei cognitio vita æterna est. *Hæc est,* inquit Christus, *vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Ioan. 17. 3. proinde aptè nunc homines inuitat, & allicit, vt si illis felicitas, & beatitudo cordi est, ad eum accedant, qui solus hanc cognitionem, & beatitudinem præstare possit. si felices, inquit, esse vultis, si immensos gloriæ thesauros, & cœlestium donorum incomparabiles diuitias optatis, ecce, *omnia mihi tradita sunt à Patre meo:* venite ergo ad me; Deus vester sum, venite ad Deum vestrum: fons sum aquæ salientis in vitam æternam: venite ergo sitientes ad aquas. mos sum præparatus in montium omnium vertice: venite vt ibi doceamini verba Dei. signum sum eleuatum in nationes, venite ad me profugi. ego mons in quo sit conuiuium pinguium, vindemiæ medullatorum; venite ad edendum. ego fortitudo pauperi, spes à turbine, vmbraculum ab æstu, venite vt protegamini.

7. Exclamat Chrysost. homi. 1. de verbis Isai: *Vidi Dominum. quid hac voce possit esse desiderabilius? quid hac inuitatione iucundius? ad epulum te vocat, qui in Ecclesiam te vocat Dominus, ad releuationem pro laboribus adhortatur, ad releuationem à molestijs transfert, pondus peccatorum alleuans, delitijs animi molestiam, gaudio mœrorem sanat. O miram eius curam! ô vocationem cœlestem! festinemus itaq; dilecti, vt eandem alacritatem in longum tempus pro rectam exhibeamus.* Augustin. serm. 12. de verb. Apostoli. *Audiamus,* inquit, *& veniamus. quid est veniamus? credendo proficiamus, gratias agendo, accipiamus; perseuerando perueniamus. veniamus ad eum, qui dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis. & tu laboras, & ego laboro; illum audiamus, ad illum veniamus inter nos, quare litigamus? ambo audiamus, quia ambo laboramus; quare inter nos litigamus? an vt medicum vocantem nõ audiamus? O infelix infirmitas, ad se vocat medicus, & litibus occupatur ægrotus. vide quid dicat vacando: Venite ad me omnes, qui laboratis. vbi laboratis, nisi sub sarcinis peccatorum, nisi sub iugo malæ dominæ iniquitatis? venite ergo ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: ego qui feci reficiam: ego, inquit, vos reficiam, quia sine me nihil potestis facere. quomodo vos reficiã? tollite iugum meum super vos, & discite à me. quid discimus à te? nouimus te Domine in principio Verbum; omnia per te facta nouimus: quid discimus à te? non enim alium mundum discipuli tanquam discipuli artificis, & fabricatoris condituri sumus: vnum mundum condidisti, cœlum, & terram fecisti, vtrumque suis creaturis, ornamentisq; illustrasti. quid à te discimus: discite à me, inquit, cùm essem in principio apud Deum creaui vos: hoc nolo discatis à me; sed factus sum, quod feci, ne perirent quæ feci. vnde sum factus quod feci? semetipsum exinaniuit,* &c. *hoc discite à me: humiliauit enim semetipsum,* inquit, *discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* & postea: *Ecce propter te Deus factus est homo, & non te vis agnoscere cùm sis homo? ecce propter te Deus factus est homo sine peccato, & non vis te agnoscere cum peccato, vt venias ad illum, qui ait: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos?*

A Christo quid nobis discendũ sit.

Venite ad me omnes] omnes vocat, vt omnes reficiat; sed vide bone Iesu, vide quid pollicearis. sunt enim innumeræ calamitates, quibus affligimur, innumera mala, quibus torquemur. quis illa numerando persequi valeat? quis innumerabilibus morbis, quis tot miserijs medicinam facere queat? sanè, nullus nisi Deus Verbum: solus omnes reficere valet, in infinitum enim nostra omnia exsuperat mala; eo iubente, sedantur omnia, & conquiescunt. etiam si cor hominis, tanquam mare turgidum, & horribilibus fluctibus agitatum, rugiat, solo vno verbo, solo nutu omnis illico cadet turbatio, & tempestate disiecta optatissima aderit aura cœlestium voluptatum. *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, cuius liuore sanati sumus.* quoniam verò solus est Deus, qui hæc tam ingentia bona præstare potest, solus, qui cunctos reficere valet, solus, qui quæcumque obesse possunt auertere, & in nihilum redigere, iccirco satis apertè Deum hoc loco indicat se Christus. 8.

Verum tametsi omnes vocat, eos tamen intelligit, qui laborant, & onusti sunt. fœlix labor, & onus, per quæ ad Christum inuitamur; sed enim quidã sunt, qui laboribus quasi murum quendam opponunt, ne se contingant, qui in labore hominum non sunt, quorum sunt promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud, qui dixerunt, vt affluant delicijs, & fruantur bonis. hos non inuitat Dominus. *Venite ad me omnes,* ait, *qui laboratis, & onerati estis.* 9.

Nec solos bonos ad se aduocat, allicit etiam & inuitat peccatis onustos, qui tamen vehementer se tales esse dolent, & anguntur animo. &, quod nullam intra se requiem, ac pacem inueniant, hoc tã graui onere leuari cupiunt quam maximè. Accede totus qui talis es, te enim ad 10.

se vocat, te reficere, te ea molestia leuare cupit. neque enim illi hac vna re quicquam gratius esse poterit: nusquam à se repellet te, obuijs semper te vlnis excipiet, nunquam tædio eris, semper gratus accedes. Audi Chrysostom. homilia quinta de incõprehensibili Dei natura: *Etsi totum diem in communicandis cum eo tuis calamitatibus consumpseris, ita te magis magisq; diliget, & tuis precibus liberalius annuet. & quidem hoc ipse Dominus explicans, ita dicebat: Venite ad me omnes, qui laboratis,* &cæt. *vocat, obsequamur: inuitat, accedamus: si peccatis innumerabilibus detinemur, cursum ob eam rem maiorem in modum eò agamus. tales enim homines ad se vocat: non veni, inquit, iustos vocare, sed peccatores ad pœnitentiam: homines oneratos, oppressos, fessos, fatigatos pondere peccatorũ. Deus enim dicitur consolationis, Deus misericordiarum: quoniam hoc eius officium est perpetuum, vt homines dolentes, mœrentes, afflictos, consoletur, atque hortetur, etiam si peccata commiserint innumerabilia, modo nos ipsos ei dedamus, modo accedamus, nec negligamus, re ipsa experti sciemus eorum, quæ proposui veritatem omnium. nihil penitus nos dolore afficere poterit, si orationem intentam, exquisitamq; habeamus: quicquid enim acciderit, facilè per eius orationis facultatem repellemus.*

11. *Tollite iugum meum super vos*] non ait super colla, aut humeros vestros; sed super totos vos. etenim nulla Christiani pars, membrum nullum libera esse debent à iugo, & onere Christi: nam *quicumque totam legem seruauerit, offendet autem in vno, factus est omnium reus.* Iac. 2. iccirco Dauid cum supra se totum diuinæ legis onus, & iugum assumpsisset, dixit Psalm. 34. *Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi?* libenter enim se, & omnia sua diuinæ legi subiecerat. Vt autem tanto promptius sanctissimæ legis eius onus amplecteremur, non sine magno consilio legem suam, *iugum* nominauit, vt intelligeremus præsto ipsum nobis esse futurum suo auxilio, vt ferre onus non sine hilaritate possimus, quod eleganter expressit Ambrosius libro de Isaac, & anima capite tertio. *Deponitur*, inquit *sarcina, quibus manus tua fulcro est, & oleum tuum infunditur*, &cæt. adde quod non vnum tantum animal iugum portat, sed ab altero iuuatur, duorum est enim iugum, non vnius. iugalis noster, qui iugum fert nobiscum & socius laboris est, CHRISTVS ipse est. vide vt oret Salomon Sapien. 9. cum Sapientiam, quæ Verbum Dei est, à Deo petit: *mitte*, ait, *sapientiam de cœlis sanctis tuis, vt mecum sit, & mecum laboret.* audi Apostolum 1. Cor. 15. *plus omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum.* homo operatur, sed CHRISTVS cooperatur. *si non esses operator, Deus non esset cooperator*, ait Augustinus sermone decimotertio de verbis Apostoli. Hieronymus id quod nos Psalm. 67. 20. habemus: *prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum*, interpretatur: *portabit nos Deus salutis noster:* etenim portat nos Deus præsenti, ac potenti auxilio, & prosperum iter faciet in cœlum. suauiter equitat quem Dei manus portat, fœliciter nauigat, quem secunda aura diuinæ gratiæ impellit, *sine me nihil*, inquit, *potestis facere*, sed cum CHRISTO omnia possumus, vt Paulus docet ad Philip. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat:* quis ergo non libenter excipiat Christi iugum dicente ipso: *Tollite iugum meum super vos?*

Discite à me quia mitis sum, &cæt.] *Sicut turris Dauid collum tuum.* sponsæ collum humilis mens est, quæ capiti suo Christo immediate per humilitatem coniungitur, alioqui quis speret illi, qui dixit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, nisi per mediam humilitatem posse cohærere? Turris hæc Dauid sublimis nostri Redemptoris humilitas est, ipse hanc nobis turrim ædificauit fortitudinis à facie inimici; & quidem cum humilis, ac mitis inter nos versari dignatus est. Verum aduerte, ne te turris fallat, ad quam confugere debes. duæ enim sunt turres, vna superbiæ, altera humilitatis, quam vna sententia complexus est Dominus Mat. 23. 12. *omnis qui se exaltauerit humiliabitur*, en superbiæ turrim mox ruiturã; *& qui se humiliauerit exaltabitur.* en tibi turrim humilitatis ad cœlum vsq; exaltandam, primã illam Lucifer ædificauit olim cum suis Angelis, cùm dixit: *super astra cœli exaltabo solium meum, & ero similis altissimo*, Isai. 14. 13. sic cogitauit ille, sic dixit. sed ad inferna interim delapsus est. hanc turrim homines filij diaboli sæpe instaurare conati sunt. idque ab initio nascentis orbis. nam primi hominum parentes dum, ingrati, esse sicut dij scientes bonum, & malum, volunt, de loco sublimi voluptatis, in hanc vallem lacrymarum deciderunt. *Deus* enim est, *qui superbis resistit.* Procedente mox tempore, Adami posteri dixere post diluuium se ipsos adhortantes Genes. 11. 4. *Venite ædificemus nobis turrim, cuius cacumen pertingat vsque ad cœlum*; sed neque istis benè cessit tam superba cogitatio, quoniam Dominus spreuit eos. Ad has superbiæ turres solo æquandas Verbum Patris Dei Filius de cœlo in terram venit, & humilians semetipsum, formam serui accepit; ita inexpugnabilem humilitatis turrim proprijs sumptibus ædificauit, ac dixit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* sciebat enim nihil sic in nihilum redigere posse superbiam creaturæ, quam humilitatem creatoris; nihil ita munire redemptos, vt crucem Redemptoris.

12. Duæ turres, vna superbiæ altera humilitatis.

13. Huius turris quanta sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum, significauit Paulus Philippens. 2. 8. sic scribens: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit ei nomen quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* porrò olim per linguarum diuersitatem, & confusionem destructa est turris superbiæ, diuisis gentibus in varias terræ partes; at ad turrim hanc veri Dauidis, nempe turrim humilitatis, ædificandam, & constabilien-dam, diuersarum gentium nationes in præclaram quamdam vnitatem, & in vnum veluti labium Christianæ fidei conuenerunt; & ideò vt hoc innueret, subdidit Apostolus: *& omnis lingua cõfiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Ceterum, quoniam quod

stultum

Lex Christi quomodo iugum sit.

ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus 1. Corinth. 1. 25. iccircò turris iſta Dauid noſtri Chriſti ædificata eſt cum propugnaculis, vt omni prorſus telorum genere inſtructa, omnibus armis munita procul hoſtes à ſe propulſet. Vide Delrium in Cant.

14. *Et inuenietis requiem animabus veſtris*] Plerique ſunt, qui hanc quietis dulcedinem, quam CHRISTVS hîc pollicetur, negligunt: potiùs cum lachrymis, & laboribus, AEgypti cæpas, & porros ſuſpirantes. Audi Sanctum Gregorium propterea illachrymantem libro vigeſimo moralium capite decimoſexto. *Quid eſt*, inquit, *Dominum mitem ſe in magiſterio, atque humilem dicere: niſi relictis exercendæ elationis difficultatibus, plana quidem bene viuendi itinera demonſtrare? ſed quia prauorum mentes plus per aſpera elationis, quam per blanda humilitatis, ac manſuetudinis delectantur, eſſe ſub ſenſibus delicias deputant. dura enim præ amore ſæculi, quaſi quædam mollia, ac delectabilia ferre parati ſunt, dum in hac vita rerum culmina apprehendere conantur. ceſſationem Dominus à mundi laboribus imperat: ſancta quietis dulcedinem perſuadet: & tamen veſana iniquorum mens plus ſe aſſequi aſpera carnaliter, quàm tenere blanda ſpiritualiter gaudet; plus acerbitate fatigationis, quàm quietis dulcedine paſcitur. quod apertè in ſemetipſo nobis Iſraelitticus populus oſtendit: qui dum refectionem manna deſuper perciperet, ab AEgypto ollas carnium, pepones, porros, capaſq; concupiuit. quid enim ſignatur in manna, niſi eſca gratiæ ſuauè ſapiens, ad refectionem interioris vitæ beneuacantibus deſuper data? & quid per ollas carnium, niſi carnalia opera vitæ, in tribulationum laboribus, quaſi ignibus excoquenda? quid per pepones, ac cæpas exprimitur, quæ plerumque, qui comedunt, lachrymas emittunt, niſi difficultas vitæ præſentis, quæ à dilectoribus ſuis, & non ſine luctu agitur, & tamen cum lachrymis amatur? manna igitur deſerentes, cum peponibus, ac carnibus porros cæpaſq; quæſierunt; quia videlicet peruerſæ mentes dulcia per gratiam quietis dona deſpiciunt; & pro carnalibus voluptatibus laborioſa huius vitæ itinera etiam lachrymis plena concupiſcunt: contemnunt habere vbi ſpiritaliter gaudeant; deſideranter appetunt vbi & carnaliter gemant.*

Falſa peccatorum obiectamenta.

15. *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue*] Obſeruat hîc Ianſenius capite quadrageſimoſeptimo concord. eſſe triplex potiſſimum onus, quo leuat Dominus ad ſe confugientes.

Triplici onere Chriſtus nos leuat.

Primum.

Vnum moleſtiarum, calamitatum, & curarum huius vitæ: onus item carnis aggrauantis, ac deprimentis animam, & de hoc onere ſic Eccleſiaſt. 9. 40. 1. *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.* Hac tam graui ſarcina ſuos alleuat Dominus ſua doctrina, ac ſpiritu, quo facit, vt miſerias præſentis vitæ illi patienter, & æquo animo ferant, & curas vel omninò adimit, vel certè ita attemperat, & imminuit, vt oneri non ſint.

Secundum.

Alterum eſt onus peccatorum, & conſcientiæ malè ſibi conſciæ. de quo Dauid Pſalmo 31. 5. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Hinc eſt quod Zachariæ 5. *iniquitas ſedens in medio amphoræ, talento plumbi iacto ſuper eam deprimitur*, quam amphoræ ſimilitudinem, ac plumbi, eleganter explicat D. Gregorius libro moralium 14. capite 26. *Volens*, inquit, *Deus Prophetæ oſtendere humanum genus, ex quo ab eo maximè culpa delebatur, per imaginem amphoræ, quaſi patens os auaritiæ deſignauit. auaritia quippè velut amphora eſt quæ os cordis in ambitu apertum tenet.* quia verò ſubdit Zacharias de hac amphora: *hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra*, vt ſignificet huc ſpectare in tota terra ſua auaros, hoc omne conferre ſtudium, omnes cogitationes, omnem curam, omnem induſtriam conuertere, vt diuitias accumulent, ideo ſubdit Sanctus Gregorius: *Multos obtuſi ſenſus homines cernimus, & tamen eos in malis actibus aſtutos videmus: Propheta quoque atteſtante, qui ait: Sapientes ſunt, vt faciant mala, bene autem facere neſciunt* (Hieremiæ 4.) poſtea ſubdit Zacharias, *ecce talentum plumbi portabatur* &c. quod ſic explicat Sanctus Gregorius: *Quid eſt talentum plumbi, niſi ex eadem auaritia pondus peccati? & ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ: quam mulierem ne fortaſſis quæ eſſet, dubitare poſſimus, illico Angelus innotuit, nam illic mox ſequitur: & dixit: hæc eſt impietas, & proiecit eam in medio amphoræ. impietas in medio amphoræ proiicitur: quia nimirum in auaritia ſemper impietas tenetur. & miſit maſſam plumbi in os eius. maſſa plumbi in os mulieris mittitur: quia ſcilicet impietas auaritiæ peccati ſui pondere grauatur. ſi enim ea, quæ deorſum ſunt, non ambiret, erga Deum, ac proximos, impia nequaquam exiſteret.* Patet ergo ex ſententia Sancti Gregorij, auaros, & impios homines magno peccati pondere grauari, ac deprimi.

16. Ad vtrumque hoc onus reuocatur onus vltionis diuinæ, de quo plerumque apud Prophetas, cuius Dauid etiam meminit Pſalmo trigeſimoprimo: *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi.* Hoc ergo ſecundo onere nos exonerat Dominus, quoties condonatis peccatis, conſcientiam noſtram quietam, tranquillamque reddit, ita vt meritò cum Propheta dicere poſſimus Pſal. 114. *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.*

Tertium.

Tertium, ac poſtremum onus eſt, legis Moſaycæ iugum, de quo Sanctus Petrus Actorum 15. 10. *Quid tentatis*, inquit, *Deum imponere iugum ſuper ceruicem diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?* & ad Galat. 5. 1. *ſtate, & nolite iterum iugo ſeruitutis contineri.* hac nos tam graui ſarcinâ liberauit Chriſtus: *factus ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.* ad hoc poſtremum oneris genus referri poteſt onus Phariſaicarum traditionum, de quo Chriſtus Matthæi 23. 4. ait: *alligant onera grauia, & importabilia in humeros hominum.* iterum onus Philoſophicarum opinionum, quibus iamdiu gentes in veritatis inueſtigatione præ laſſitudine penè defecerant. Ait ergo Dominus, omnes quotquot eſtis vel anguſtijs, vel curis, vel peccatorum conſcientia, vel Moſaicæ legis onere degra-

degrauati, & afflicti ad me accedite, properate. ego reficiam, recreabo, refocillabo vos, lassos consolidabo, exonerabo onustos, denique tutos, pacatosque vos quiescere faciam. Hæc vero facilè obtinebitis, si persuadeamini, iugum meum promptè, alacriterque subire. *Tollite* igitur *iugum meum super vos*, subijcite vos Euangelicæ doctrinæ, ita enim fiet, vt quam quæritis requiem, inueniatis. *iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.*

17. Quo pacto iugũ Christi suaue & onus leue sit tempore tribulationis.

Diuus Augustinus sermone quadragesimo octauo de tempore hanc Christi sententiam expendens: *Iugum enim meum suaue est* &cæt. sic scribit: *Mirum quibusdam videtur, cùm audiunt Dominum dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis: & onerati estis, & ego reficiam vos. tollite iugum meum super vos* &cæt. *& inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue; & considerant eos, qui iugũ ipsum intrepida ceruice subierunt, & illam sarcinam mansuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari, & exerceri difficultatibus huius sæculi, vt non à laboribus ad quietem, sed à quiete ad laborem vocati videantur, cùm Apostolus dicat: Omnes qui volunt piè viuere in Christo* IESV *persecutionem patientur* (2. ad Timotheum 3.) *ait ergo aliquis, quomodo iugum eius suaue est, & sarcina leuis, quandoquidem illud iugum, & sarcinam ferre, nihil est aliud, quàm piè viuere in Christo? & quomodo dicitur: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: & non potiùs dicitur: Venite qui vacatis, vt laboretis? nam & vacantes inuenit, quos conduxit in vineam, vt ferrent æstum diei. & sub illo iugo leui, & sarcina leui, audiamus Apostolum dicentem: In omnibus commendantes nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis,* &cæt. (2. Corinthiorum 6.) *& alio loco in eadem epistola* (capite vndecimo) *à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte, & die in profundo maris fui. & cætera pericula, quæ enumerari quidem possunt, sed tolerari, nisi Spiritu sancto iuuante, non possunt.*

18. Respõsio D. Aug.

Iam verò respondens ad propositam quæstionem Diuus Augustinus ait: *Omnia ergo illa quæ commemorauit* (Diuus Paulus) *aspera & grauia, frequentius, & abundantius sustinebat, sed profectò aderat ei Spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione, interiorem renouaret de die in diem, & gustata requie spirituali in affluentia deliciarum Dei, in spe futuræ beatitudinis, omnia præsentia deliniret, aspera, & grauia omnia releuaret. ecce quàm suaue iugum Christi portabat, & quam leuem sarcinam, vt omnia illa, quæ superius enumerata, dura, & immania omnis auditor horrescit, leuem tribulationem diceret, intuens interioribus, & fidelibus oculis, quanto pretio temporalium emenda sit futura vita, & non pati labores æternos impiorum, & sine vlla solicitudine perfrui æterna fœlicitate iustorum* &c.

19. Similis obiectio & responsio D. Chrysost.

Eamdem dubitationem mouet etiam Diuus Chrysostomus homilia in Matthæum 39. ait enim; *Quomodo*, inquies, *leue hoc onus est, cùm dicatur: nisi quis odio habuerit patrem, ac matrem, & nisi quis tollat crucem suam, & sequatur me, non est me dignus? & nisi quis omnibus rebus suis renuntiauerit, non potest meus esse discipulus? cùm iubeat ipsam quoque animam esse tradendam?* & respondet: *Quomodo*, inquam, *leue est? doceat te Diuus Paulus, dicens: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, aut persecutio, an fames; an nuditas, an periculum, an gladius? &, quoniam non sunt condignæ passiones præsentis huius temporis ad reuelandam in nobis gloriam* (Romanorum 8.) *doceant te illi, qui à Synagogis Iudæorum post mille flagella, ac verbera summo gaudio affecti redibant, quia videlicet digni sunt inuenti, qui pro Christi nomine vexarentur* (Actorum 5.) *Quod si adhuc iugum, ac onus audiendo formidas nimium, atque perhorrescis, non natura rerum huiusmodi timorem, sed ignauiæ totum attribuas. nam si accinctus, & præparatus eris, & nulla desidia effeminatus, cuncta tibi facilia, leuissimaq; videbuntur. quapropter etiam Christus, vt quanta cura vigilandum esset, certiores nos redderet, non fluxit onera, nec suauia tacuit, sed vtrumque complexus, & iugum dixit, & suaue appellauit, onus apposuit, & leue adiecit: vt ne aut tamquam laboriosa nimium fugeres, aut tamquam nimium facilia contemptu prosequereris.*

20.

Quod si post hæc omnia, vehementer ardua, difficilisq; tibi virtus videtur, veniat in mentem, quanto difficilior vitiositas est; quod ipse occultius significat, cùm antequam de iugo suo aliquid dixerit: venite ad me omnes exclamauerit, qui laboratis, & onerati estis. Hic enim ostendere voluit, quantum laborem, quantum grauamen intolerabile peccatum hominibus afferat: iccirco non qui laboratis solummodò ait; sed etiam qui onerati estis: quod Psalmista significauit apertius (Psalm. 37.) *& naturam ipsius peccati descripsit, dicens: sicut onus graue grauata sunt super me. Zacharias quoque similiter plumbi talentum esse ait* (capit. 5.) Quoniam verò aliquis adhuc obijcere nihilominus poterat Chrysost. nihil intolerabilius videri, quam nihil penitus possidere, quod tamen maximè commendat lex Euangelica; nihil difficiliùs, quàm si vapules, non solùm vices non reddere, verùm etiam alteram vertere maxillam; nihil grauius, quàm mortẽ per vim obire, quod tamen lex Christi iubet. Respondet Chrysost. *Hæc omnia si rectè perpetiamur, leuia & facilia, & honestæ voluptatis efficacia constituuntur*, & ad primam obiectionem respondens, ait: *Verùm grauius atq; molestius esset, vnius habere ventris curam, an de mille sollicitum esse? vnico vestimento indui, nec plura desiderare, an plura, & pretiosa possidentem, die ac noctu cruciari de conseruatione ipsorum, atq; custodia metuentem, & sola memoria dolentem, ne fortè tinea corrodantur, ne, seruus furto auferat?* &c. *propterea nemo eorum vnquam, qui paupertatem amplectũtur, diuitias optat. sed ne diuites quidem, inquies, paupertatem eligerent, vt à multarum rerum curis perseuerentur. ecquid istud est? mentis enim ipsorum, ac ægroti animi, non iucunditatis rerum hoc signum est. nec alios huius rei testes citare volumus, quàm vos ipsos, qui quotidiè curu pressi, acerbam hanc vitam vobis putatis: non autem illi sic; sed gaudentes semper, sed exultantes semper, non minus paupertate, quam reges diademate gloriantur.*

21. Alteram quoque dubitationem sic dissoluit. *Maxillam*, inquit, *vertere multò facilius vapulanti, quam repercutere. Hinc enim bella, & dissidia originem trahunt, inde bellorum omnium, atque inimicitiarum caussæ soluuntur. & altero quidem modo maiorem flammam suscitasti, altero autem vtriusque incendium extinxisti. quod verò nullo incendio laborare suauius est, quàm igne peruri, nullus vnquam si de corporibus dicetur, dubitabit. quanto autem animus corpori præstat, tanto & incendium eius periculosius est, & suauitas certè iucundior.*

Respondet & tertiæ dubitationi: *Quid*, inquit, *leuius, atque facilius in luctamine concertare, aut corona donari? currere in stadium, vel brauium obtinuisse? fluctibus agitari, aut in portu deuehi? quare mori etiam melius, quam viuere censeo. à procellis enim atque periculis per mortem liberamur; vita verò & laborum cumulos exaggerat, & plurimorum peccatorum reos facit, & insidijs quotidie implicat, quibus efficitur vt mori melius, quam viuere mihi videatur, quod si mihi non credis, ab his audias, qui vultus Martyrum in tempore certaminis conspexerunt, quando flagellis cæsi, vncis ferreis laniati, in sartaginem immissi latabantur, gaudebant, & ceu in roſario constituti gestiebant. quare D. Paulus quoque hinc abiturus, & violenta morte obiturus* (Philippens. 2. 17. 18.) *Gaudeo*, inquit, *& congratulor omnibus vobis. id ipsum aut & vos gaudete, & congratulamini mihi. vides quanto conatu vniuersum orbem terrarum ad cognitionem gaudij conuocat? ita in magnam beatitudinem hinc abire putabat, ita mortem illam terribilem, atque violentam desiderandam existimabat.*

22. De iugo auaritiæ, & iracundiæ.

Postremò ex molestis peccati oneribus, & vitiorum, præsertim verò auaritiæ, iracundiæ, libidinis, superbiæ, docet quàm suaue, leueque sit virtutis iugum. Sic ergo ait. *Quid molestius hac re* (auaritia) *vnquam inuenitur? quot dolores, quot magnæ curæ, quot rerum offensiones, quanta pericula, insidiæ, pugnæ huiusmodi homines quotidie aggrediuntur? quæ turbationes, qui tumultus eos exagitant? nam quemadmodum sine fluctibus mare nunquam conspicitur, sic animos eorum absque sollicitudine, terrore, turbatione nunquam reperies. Sed antequam priora componant, alia inuaserunt, & adhæc rursus alia, atque alia subingressa ingentem cumulum montium instar erexerunt. Sed iracundi animum, atque contumelioſi fortè velles videre, quo quidem cruciatu quid peius? quid inteſtinis vlceribus asperius? quid fornace, qua vruntur quotidie & flamma, qua semper incenduntur, ardentius? At verò vita eorum, qui corporum formas admirantur, & pulchritudine aliorum tabescunt, quid miserius? quid hac deiectione animi formidoloſius? quid porrò turbulentius superbia & ceruicibus? aut quid tumore hoc animi furioſius? discite, inquit, à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Omnium enim bonorum fons, atque origo, innocentia est. non ergo pertimescas onus, nec ab eo iugo resilias, quo te Christus ab omnibus istis vendicati: sed omni alacritate animi iugum hoc subeas, & tunc quàm suaue sit, facilè cognoscès. nec enim teret ceruicem tuam, sed ornatus gratia imponitur.* Hæc Chryſoſtomus.

A D. Hieronym. etiam & ipse quæstionem mouet, *quomodo leuius lege Euangelium: cùm in lege homicidium, in Euangelio ira damnetur? qua ratione Euangelij gratia facilior, cùm in lege adulterium, in Euangelio concupiscentia puniatur?* & respondens subdit: *in lege multa præcepta sunt: quæ Apoſtolus non posse compleri plenissimè docet. In lege opera requiruntur, quæ qui fecerit, viuet in eis. in Euangelio voluntas quæritur: quæ etiam si effectum non habuerit, tamen præmium non amittit. Euangelium ea præcipit, quæ possumus: ne scilicet concupiscamus: hoc in arbitrio nostro est. Lex cùm voluntatem non puniat, punit effectum, ne adulterium faciat. finge in persequutione aliquam Virginem proſtitutam. hæc apud Euangelium, quia voluntate non peccat Virgo, suscipitur: in lege quasi corrupta repudiatur.* Hæc Hieron. Itaque quod ad punitionem pertinet, lex vetus rectè intellecta voluntatem puniuit, & damnauit: & quod ad corticem legis pertinet, vt inquit Ianſen. In hoc eius seueritas relucet, quod sicut effectum tantùm puniuit, ita effectum tantum præmio, & laude affecit; cùm Euangelium sicut voluntatem damnat, ita & eamdem coronat, si effectus propter impotentiam desit: & effectum malum non punit, si non adsit voluntas mala. & hoc est, quod superioribus verbis significat Hieronymus.

23. Euangelium quanto leuius sit lege veteri.

24. Causæ huius rei octo. Prima.

Denique quod Euangelium leuius sit lege, plures sunt caussæ. Prima quod in Euangelio non sint nisi necessaria ad salutem præcepta, ac ferè sunt illa, quæ natura ipsa docet: & quę verbo illo continentur: *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis* Mat. 7. 12. Vel si maius, omnia Euangelicæ legis præcepta duobus præceptis continentur, videlicet fidei, & dilectionis. Sed. n. in lege Mosis infinita erat præceptorum multitudo, quæ non ideo data fuerant, quod ad salutem natura sua essent necessaria, sed vt seueriore disciplina rudem populum exercerent, quod docuit Petrus Act. 15. 10. *Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neq; Patres nostri, neq; nos portare potuimus.*

Secunda.

Altera caussa est, quod spiritus legis, spiritus erat timoris, & seruitutis, *dentem pro dente, oculum pro oculo*, lex comminabatur. rectè Apoſtolus: *Lex*, inquit, *iram operabatur* Romanorum 4. 15. at aduenientе Euangelio, sublata illa grauissima supplicia, & in locum timoris & seruitutis, spiritus charitatis, benignitatis, & mansuetudinis succesſit. proinde verè dictum à Sancto Paulo est Romanorum 8. 15. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei.* quare volentes olim discipulos ignem de cœlo deuocare, vt Samaritanos, qui recipere Christum recusauerant, absumeret, increpans Christus, *nescitis*, ait, *cuius spiritus estis.*

25. Tertia.

Tertia est, quod in lege omnia fermè legis metu ac vi fiebant: vis autem res sæpè leuissimas, difficillimas, grauissimasque reddit: in Euangelio omnia charitate, & voluntate fiunt. quod autem ita fit, minimè graue, ac difficile videtur volenti. quare Ioannes epistola 1. capite 5. 3. 4. *Hæc*, inquit, *est charitas DEI, vt mandata eius custodiamus,*

& man-

Digitized by Google

& mandata eius grauia non sunt, quoniam omne quod natum est ex DEO, *vincit mundum.*

Quarta. Quarta: Lex quidem oneri erat, verùm vires non addebat, vt ferretur, nec iuuabat, at Euangelium ita onerat, vt simul cum onere spiritus conferatur. *Spiritus* verò *adiuuat infirmitatem nostram.* Has rationes habet etiam Maldonatus, & Iansenius.

Quinta. Sed præter eas est etiam quinta, quia leuius esse facit iugum Euangelij, Christi exemplum, & societas. nam si exemplum Abimelech humero gestantis arboris ramum, ita commouit cæteros eius socios, vt certatim arborum ramos præciderent, & in humeros imponerent; quanto magis id poterit præstare exemplum Christi summi omnium Imperatoris? audiat Lector quid Scriptura narret de Abimelech Iudic. capite 9. 48. 49. *ascendit in montem Selmon cum omni populo suo, & arrepta securi, præcidit arboris ramum, impositumq; ferens humero, dixit ad socios: quod me videtis facere, citò facite. igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem.* Ecce tibi ante oculos propositum Imperatoris nostri Christi exemplum. dixerat ille: *si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me.* Primus crucis lignum sustulit ipse, & in humeros imposuit, ac cæteris iter aperiens, & viam muniens vt se ducem sequerentur, sic hortatus est: *Tollite iugum meum super vos.* quis ergo ita ignauus erit, ita ingratus, vt non erubescat, otiosus sedere onusto imperatore? quin potiùs quis non libenter, magnaque animi propensione crucem excipiat, ac cõplectatur tanto Domini sui exemplo commotus?

26. Sexta. His sexta causa accedit, eiusdem Christi dulcissimi regis nostri amor. is enim si animo alicuius altius inhæreat, nihil erit vspiam adeò graue, adeò difficilè, quod non ille libenter ferat. audi Christi sponsam Canticorum 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus mihi,* quibus verbis insinuat ijs, qui Christi amore languent, hoc est, quibus Christus dilectus est, non esse eumdem ipsum Christum instar grauioris fascis, sed tamquam fasciculum videri, quicquid doloris vel laboris tolerandum immineat, præ nimia dilecti charitate; *propterea* (Sanctus Bernardus ait sermone 43. Cantic.) *non fascem, sed fasciculum, dilectum dixit; quod leue præ amore ipsius ducat, quicquid laboris immineat, & doloris* &cæt. iterum: non ait: *fasciculus myrrhæ dilectus meus, sed mihi, inquit, quæ diligo, fasciculus est, vnde dilectum nominat, monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam.* Hæc autem adiumenta non erant olim in lege veteri, nondum enim CHRISTVS aduenerat.

27. Septima. Adijce & septimam, si placet, causam Christi iugo hoc tamquam proprium inesse, vt nostris impositum ceruicibus, requiem parat; nec mirum, cùm à sanctissimis Christi membris magnas vires acceperit, cui se sponte subiecit, non coactus. experiuntur hoc hi, qui à mundi curis, molestisque animi perturbationibus ad suaue, ac leue Christi

A iugum transeunt, confestim enim, quasi in tutissimo portu conquiescunt. vt enim in alto, ac profundo mari iactatur nauis, & fluctuat, quod si subducatur ad litus, quiescit illicò; ita quamdiu mundani sumus, terrenisque cupiditatibus irretiti, tamdiu in medijs quasi fluctibus maris versamur. verùm ad Christi iugum tamquam ad portum si confugerimus, omnis statim conquiescet tempestas, testatur id Cyprianus libro 2. epistol. 2. *Vna,* inquit, *placida, & fida tranquillitas, vna solida, & firma, & perpetua securitas, si quis ab his inquietantis sæculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad cœlum oculos tollit à terris, & ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente iam proximus, quicquid apud cæteros in rebus humanis sublime, ac magnum videtur, intra suam conscientiam iacere gloriatur.* contra accidit ijs,

B qui depositi Christi iugo ad mundanos iterum fluctus reuertuntur, similes hi mihi esse videntur Cain, qui quoniam egressus est à facie Domini, vagus, ac profugus cœpit esse in terra Nod, vt hebraicè habetur, id est, in terra commotionis, ac fluctuationis animi; ita vagantur semper, ac nusquam conquiescunt, qui se à Christo separant. Hanc mentis quietem optabat inuenire sponsa, quæ dicebat Cantic. 1. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam.* in quem locum sic Sanctus Gregorius scribit: *Verè in quo Christus non cubat, vagatur; quia mens, quam ille suauis, & ponderosus Christi spiritus non implet, multis cogitationibus dissoluta circumfertur.* Neotica illa columba, quæ exijt ex arca, vt Genes. 8. legimus: *cùm non inueniret vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eam* (Noe) *in arcam.* ita accidit animæ, cùm paululum recesserit à CHRISTO, requiem non inuenit in caducis mundi huius rebus, sic discit pristinæ pacis, & tranquillitatis memor quantum bonum erat, quod amisit, dum cum CHRISTO versaretur. Hoc significat adultera illa mulier apud Osee capite secundo, quæ relicto viro suo, hoc est, DEO, dicebat intra se: *Vadam post amatores meos,* sed cùm sequeretur illos, & non apprehenderet eos, omni destituta animi quiete, & calamitatibus etiam vndique oppressa, ad se rediens, dicebat: *Vadam, & reuertar ad virum meum priorem: quia benè mihi erat tunc magis, quàm nunc.*

D Ad extremum numerare possumus octauam causam cæteris omissis, videlicet, spem futuri præmij: nam si agricolæ, militi, mercatori, nautæ suauis est labor propter solam futuræ mercedis recordationem, & spem lucri temporalis; quanto magis is, qui Christi iugum libenter amplectitur, & patienter portat ad finem vsque vitæ, gaudere debet medijs in laboribus ob lucrum sempiternum, ob præmium inexplicabile, quod sibi paratum non dubitat in cœlis esse? vide quid Diuus Paulus, cuius vita perpetuus quidam pro CHRISTO labor fuit, de illo præmio sentiat 2. ad Corinthios 4. *Id, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra*

28. Octaua.

modum

modum in sublimitate (excellenter) *æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* hoc est, parit. Quare si omnes vitæ huius calamitates, omnes labores & persequutiones in alteram iactarentur lancem, in altera verò æterni præmij pondus collocaretur, ita longè grauissimum appareret posterioris huius lancis pondus, vt alterum præ isto momentaneum, ac leue, & quasi nullum omninò sit. *Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur,* vt ait Apostolus, *spes hæc præmij gaudentes facit in tribulatione patientes.* Rom. 12. hæc est anchora, quæ in medijs mundi huius fluctibus nos stabiles, ac firmos efficit. Sic enim spem nominat Apostolus ad Hebr. 6. 19. *Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introijt Iesus.* pendent hæc verba ex superioribus, vt sit hæc sententia: cùm vellet Deus ostendere veris Abrahæ filijs, qui promissionis illius hæredes sunt, quàm firmum, & immutabile esset, quod Abrahæ, eiusque filijs promittebat, præter promissionem etiam iusiurandum interposuit, vt fortissimum solatium habeamus. Nos, qui contemptis rebus mundi huius caducis, confugimus ad hanc spem cœlestium bonorum obtinendorum, non vtcunque habendam, sed vt eam firmissimè amplecteremur, ne nos raperent huius sæculi turbines, & absorberent. Hanc porrò spem habemus, quasi anchoram animæ nostræ, & quidem tutam, ac firmam. nam vt anchora tempestatis tempore, firmas continet naues, ne à ventis iactentur, & conterantur, ita spes cœlestium præmiorum, firmat animas nostras, ac stabiles reddit inter medios huius sæculi fluctus ne pereant; quæ quidem spes tuta est, ac firma, quia Dei promissis innititur, & omnibus sæculi fluctibus fortior est. incedit autem, & progreditur vsq; ad Deum ipsum, quia non minora sperat, quàm Deum clarè videre, & cœleste domicilium adipisci. Sanè cœlum nominat, *interiora velaminis*, alludens ad sancta sanctorum, quod erat intra velamen. erat autem sanctum sanctorum figura cœli, & domicilij Beatorum. adeò verò firma est hæc spes, & immutabilis, vt per Christi in cœlum ingressum, possessionem iam habeamus cœlestium bonorum, & habitationis æternæ, neque ille ingressus est, vt solus ibi esset, præcursor pro nobis ipse præcurrit, vt nos sequeremur, & pro nobis introijt, vt nobis pararet locum.

(***)

CAPVT XXI.

DISCIPVLOS BEATOS PRAEDICAT, ET LEGISPERITVM SVB PARABOLA Samaritani docet, quis sit proximus.

C. 10. 23.

V. 1. ET conuersus ad discipulos suos dixit: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dom 12. post Pentecost.

2. *Dico enim vobis quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt.*

3. *Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?*

4. *At ille dixit ad eum: in lege quid scriptum est, quomodo legis?*

5. *Ille respondens dixit: Diliges Dominũ Deũ tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum.*

6. *Dixit q; illi: rectè respondisti, hoc fac & viues.*

7. *Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: & quis est meus proximus?*

8. *Suscipiens autem Iesus dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui & despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.*

9. *Accidit autem vt Sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo præteriuit.*

10. *Similiter & Leuita, cùm esset secus locum, & videret eum, pertransiit.*

11. *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum; & videns eum misericordia motus est.*

12. *Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit.*

13. *Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: curam illius habe: & quodcumq; supererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi.*

14. *Quis horũ trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?*

15. *At ille dixit; qui fecit misericordiam in illum, & ait illi Iesus: Vade & tu fac similiter.*

SCHOLIA.

SCHOLIA.

1. QVONIAM dixerat Dominus cœlestem Patrem diuina mysteria abscondisse sapientibus, & prudentibus, & reuelasse paruulis; iam conuersus ad discipulos tamquam ad paruulos, *beatos* eos compellat, propterea quod Messiam viderint, quem summis votis Prophetæ, ac sancti Reges præsentè intueri cupiebant. Hæc ferè eadē verba alio tempore à Christo prolata esse, scribit Mat. c. 13. post propositam seminantis parabolam, quando à discipulis rogatus cur parabolicè loqueretur cum turbis, respondit. *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum*, &c. *Vestri autem beati oculi quia vident, & aures vestræ quia audiunt. amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ, & iusti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt.* ex quo loco intelligere est, per Reges apud Lucam iustos reges intelligendos esse, quos Matth. sub nomine *iustorum* intellexisse videtur. etenim vocabulum, *iusti*, omnes iustos complectitur, nec solos Reges. Lucas autem cæteros iustos, qui non erant Reges, sub nomine *Prophetarum* videtur comprehendere. cæterùm improbi Reges, & idololatræ, licet fortè expectarent Messiam; non tamen ita videre peroptabant, sicut iusti, cum neque eam fidem in eum haberent, quam illi, nec totam suam spem in eo collocarent. Hoc desiderium Ecclesiæ significatum esse Cant. 1. illis verbis: *Osculetur me osculo oris sui*, plures Patres intelligunt.

Quinam Reges Messiæ aduentum desiderarint

1. *Cōuersus ad discipulos suos*] Codices quidam Græci sic habent: *conuersus ad discipulos seorsum*; & ita legit Euthym. sed non est necesse addere illud, *seorsum*. nam verosimile est Christum, quando confitebatur Patri oculis in cœlum suspexisse, cùm verò addidit: omnia sibi tradita esse à Patre, & neminem nosse Patrem, nisi filium, omnes respexisse, vt ostendunt illa verba ex Matth. subiuncta: *Venite ad me omnes qui laboratis* &cæt. quibus dictis videtur ad discipulos conuersus dixisse, quæ nunc interpretamur: *Beati oculi* &c. quæ proprie ad discipulos pertinebant. quare non erat vt subijceretur, *seorsum*, tum quia credibile est, coram alijs qui aderant, hæc dixisse Dominum conuersum ad discipulos; tum quia hæc verba satis indicant, hæc speciatim discipulis esse dicta. hinc sequitur, neque in cap. superiori v. 6. ante illa verba: *Omnia mihi tradita sunt* &c. præponenda esse hæc, *& conuersus ad discipulos dixit*, vt græca quædam exemplaria habent. fuerunt enim dicta, vt dixi, omnibus non solis discipulis.

2.

Beati oculi &cæt.] Hæc exposita fuêre à nobis part. 2. dilucidationum cap. 13. schol. numer. 21. 22. sicut & ea, quæ sunt versicul. 2. consule locum.

Qui vident, quæ vos vos videtis] Modestiæ caussa, maluit dicere: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis*, quam dicere, qui vident me, vel beati, qui me præsentem intuemini, quamuis hoc ipsum significet. Voluit autem his verbis & illos in fide magis confirmare. & hortari, vt Dei beneficium in se collatum agnoscerent.

2. *Dico enim vobis quod multi Prophetæ* &cæt.] Sensus horum duorum versuum hic est; beati oculi qui præsentem in carne Saluatorem videre potuerunt, & ex ore eius verbum accipere sicut vos: quod proculdubio multis olim iustis Prophetis & sanctis Regibus (etsi eorum Euangelista non meminit) in votis fuisse, arguit ingens Simeonis illius desiderium.

3.

3. *Et ecce quidā legisperitus*] Hæc historia quo tempore, quoue loco acciderit, vt & alia quædā, q̄ postea narrantur à Luca, nō omninò sciri potest. propterea satis esse iudicauimus eo ordine ista referre, quo à D. Luca digesta sunt, sed. n. eandē hanc historiam legisperiti non tunc contigisse, quando superiora dicebantur, censet noster Ioannes Delahaye, vt satis, inquit, ex Luca patet, nam tunc seorsim discipulis loquutum fuisse, Græci codices significant, cùm tamen quod nunc de legisperito dicitur, contigerit populo præsente, & quod credibile est, in synagoga: vbi sedentibus Doctoribus, & Domino cum eis disputante, surrexit ille legisperitus tentans eum. vide Ambros. libr. 7. in Lucam, sed licet hæc opinio mihi non displiceat, quod attinet ad legisperitum (neque enim Lucas aliquid habet, quod continuationem cum præcedentibus insinuet, nam licet dicat: *Et ecce*, non tamen dixit, *& ecce tunc*) verum illam rationem non probo ductam ex codicibus Græcis, vt dixi numer. 2. præcedenti. *Legisperitus*] Græcè dicitur νομικὸς. *Legista*. lex νόμος. est autem alius hic ab eo, de quo Mat. 22. 35. & Marci 12. 28. quod aduertit Iansen. quod ibi Dominus apud Matth. & Marc. respondet: duo maxima mandata. hic verò apud Lucam ipsemet legisperitus est qui respondet; & credibile est, Lucam alterius illius legisperiti non meminisse cum Matthæo, & Marco, quod hîc de alio legisperito similia narrasset; satis esse ducens duo prima legis mandata semel commemorasse & ille quidem Matthæi, & Marci interrogauit; *quod esset mandatum magnum in lege?* hic verò Lucæ rogat, *quid faciendo vitam æternam possidebo?*

A

B

C

D

Tentans illum] latet quidem in verbis huius legisperiti tentatio; verum non latuit eum, cui manifesta, & aperta sunt omnia. Intus erat in animo dolus, tametsi eum verba non exprimerent; nimirum experiri volebat, num aliquid Dominus diceret, quod vel legisperitorum interpretationibus, receptisque sententijs, aut legi ipsi contrarium esset. notauit autem D. Lucas, legisperitum hunc non discendi, sed tentandi animo Christum interrogasse, vt tacitè causam insinuaret, quambrem Christus legisperito, vt obseruauit Maldon, non simpliciter, rectaque responderit, sed vicissim eū interrogauerit: *In lege quid scriptum est? quomodo legis?* neque enim simplici responso dignus erat, qui non simpliciter interrogabat.

Magister] fingit superbia inflatus se salutis viam ignorare, & quasi esse cuperet discipulus Christi, *magistrum* appellat, qui se tamen nihil nescire existimabat. *Quid faciendo vitam æternam possidebo?*] Græcè verbum est κληρονομέω, quod idem est, ac hæreditare, seu hæreditate possidere; est ergo sensus, quid faciam, vt vitæ æternæ hæres sim? hæc quæstio bis Christo à diuersis proposita fuit. primum quidem hîc ab hoc legisperito, qui tentator erat, iterum verò Mat. 19. 16. Mar. 10. 17. Luc. 18. 18. & quidem qui posteriori loco interrogauit adolescens quidam dies erat, & quidem discendi, non tentandi animo.

4. *At ille dixit ad eum, in lege, &c.*] Cùm Christum hic scriba suis versutijs illaqueare tentat, seipsum suis inuoluit laqueis. dixerat scriba, quid facto opus est ad eam quam prædicas æternam vitam consequendam, seu hæreditare possidendam? illum Christus ad suam legem remittit, quam ad hunc finem assequendum seruare oporteat, quoniam igitur hic scriba Dominum de lege tentauit, commodè Dominus ad legem ipsum amandauit, vt ita conatum eius retunderet, dum se ostendit legi non aduersari; & simul tacitè redargueret, quod ea interrogaret ab alio, quæ ab ipso alij discere deberent. & interim notauit illum quasi nescire,

4

quod

Digitized by Google

quod ex nominis professione tenebatur, vel certè quasi sub dolo, non simplici animo interrogasset, quod non ignoraret. est ergo sensus verborum Christi: Non est quod arbitreris contraria te à me auditurum ijs, quæ in lege continentur. & sanè mirum est cùm scire hæc debeas, rogare quasi nescias.

5. *Diliges Dominum Deum tuum*] Diuus Matthæus capite 22. 37. & Marcus capite 12. 30. Lucas capite 10. 27. referentes præceptum dilectionis ex Deuteronomio 6. 5. non omninò conueniunt in numero & ordine illarum vocum, videlicet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, anima, viribus, mente* &c. in Deuteronomio enim dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota fortitudine tua.* Matth. habet: *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ex tota mente tua.* Marcus: *ex toto corde tuo, & ex tota anima, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua.* Lucas: *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* quare nihil videtur mysterij latere in illa enumeratione, atque adeò simplicior, & conformior textui Scripturæ videtur esse eorum expositio, hæc omnia idem significare; voluisse nihilominus Spiritum sanctum hac vocum varietate magis exprimere necessitatem, & dignitatem huius præcepti. itaq; idé esse videtur, diligere, corde, anima, mente &c. ac diligere verè, sincerè, non fictè, non simulatè, proinde nec Hilarius, nec Hieronymus, nec Chrysostomus in comment. in c. 22. Matt. nec Ambrosius in cap. 10. Lucæ, tametsi declarent ibi hoc præceptum, nihil tamen planè de harum vocum distinctione docent.

6. Quid significet diligere Deum ex toto corde, anima, viribus, & mente?

Sunt tamen quidam ex Patribus, quibus placet distinguere has voces, ita quidem, vt, *anima*, significet partem animæ vegetatiuæ; *cor* sentientem, *mens* intelligentem, vel quid simile. Lege Nyssenum lib. de creat. hominis cap. 8. Theophylact. & Anselmum in caput 22. Matth. D. Augustin. libr. 1. doctr. Christian. cap. 22. D. Bernardum sermone 20. in can. Diuum Thomam 2. 2. quæstione 44. art. 5. hunc exponendi modum sequitur Toletus annotatione 49. in Lucam, vbi ait: Diligere Deum corde, anima, viribus, & mente est ita Deum diligere, vt omnes partes nostras eius obsequio, accommodemus; & subdit has quattuor esse hominis partes: mentem, seu intellectum, voluntatem, seu affectum, qui dicitur cor: sensum, seu partem sentientem, in qua residet appetitus sensitiui, & sensus, & dicitur hæc pars, *anima*: denique corpus habens varia, & plura membra, & hoc significatur per vires, seu virtutem. hæc expositio probabilis est, cùm sit etiam præstantium Patrum, & Doctorum; quamuis præferenda fortassis sit prior intelligentia.

7. Nam præter auctoritatem Patrum, quos priùs citaui num. 5. videtur fauere modus loquendi Scripturæ. Nam 3. Regum 14. 8. de Dauide dicitur, se quutum fuisse Dominum *in toto corde suo*. de Iosia verò 4. Regum 23. 25. dicitur, quod sequutus fuerit Dominum *in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua*; nec tamen arbitror esset aliquis, qui propterea præferret Iosiam Dauidij. idem est ergo, *in toto corde suo*, ac in tota anima sua, & tota virtute, & toto corde. Similiter Deuteron. 4. 29. Moses exigit, vt homo quærat Deum *in toto corde, & in tota tribulatione animæ suæ*; quod est, in tota anima, si ipsum inuenire appetit. Verum Samuel 1. Reg. 7. 3. tantum requirit, vt quæratur Deus; *in toto corde*, signum est ergo, idem omnibus illis verbis semper significari, & tantum addi, maioris expressionis gratia, vt significetur quantū sit diligendus Deus, & qu ammēso amore dignus sit.

A *Ex omnibus viribus tuis*] Idem est, ac omni virtute, &, vt latinè dicimus, *pro viribus*; in græcis nāque codicibus non habetur, nisi ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου, quod interpres nunc vertit, *ex omni virtute* nunc, *ex omni fortitudine*, nunc, *ex omnibus viribus tuis*. Itaque vires hîc non significant omnes potentias animæ. proinde perperam hinc colligit Lutherus in assertione artic. 31. præceptum hoc impleri non posse, quia appetitus sensitiuus, qui vnus est inter animæ vires, non diligit Deum, cùm tamen præcipiamur ipsum diligere *ex omnibus viribus*. Notat Stapleto. sic diligendus est Deus, vt tota nostra voluntas, actio, intellectus in eum feratur, nec horum quidpiam mundo, carni, diabolo, aut peccato seruiat. Pharao Exod. 10. filios Israel tandem aliquando dimissurus ait illis: ite sacrificate Domino. *oues tantùm vestræ, & armenta remaneant.* Sed respondit Moses: *cuncti greges ibunt nobiscū. non remanebit ex eis vngula; quæ necessaria sunt in cultum Dei nostri.* Hoc in figura contingebat illis. diuino cultui totos nos mancipare debemus, diabolo nec vngula relinquenda est. omnia nostra; voluntas, intellectus, appetitus, potentiæ ad Dei cultum necessaria sunt; præsertim cùm ignoremus (vt subiecit Moses) *quid debeat immolari, donec ad ipsum locum venerimus*, id est, cùm nesciamus in quem Dei cultum, & ad quam Dei gloriam affectus, & vires nostras omnes conuertere debeamus, donec iuxta vocationem cuiusque, & occasionem virtutis Deo seruiendi tempus aduenerit. omnia igitur integra seruanda sunt Deo; ne alijs amoribus præoccupati, quum ad locum immolandi, id est, ad occasionem Deo seruiendi ventum fuerit, auersi, & impediti præstare id non possimus, quod præstare oportebat, quod Diuus Augustinus libro 1. de doctrina Christiana capite 22. ita monet: cùm dicit, *toto corde, tota anima, tota mente nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re frui velit: sed quicquid aliud diligendū occurrit, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit.* hoc est, nonnisi propter Deum diligatur.

B

C

Quod attinet ad vocem illam *ex toto*, vel *totâ* non eadem est Sanctorum expositio, vna D. August. libr. de Spir. & lit. cap. vltim. & libro de perfect. iustitiæ ante med. Bernardi serm. 50. in Cant. D. Thom. in 2. 2. quæstione 44. artic. 6. & quæstione 184. articul. 3. qui interpretantur particulam illam *ex toto*, vt significet præcipi nobis hoc mādato omnes gradus charitatis, quos vel in hoc, vel in altero sæculo assequi possumus, ita vt semper Deum amemus, neque sit in nobis motus aliquis cupiditatis, tametsi inuoluntarius, si cum Dei amore pugnat. hinc efficiunt hi Patres, hoc præceptum perfectè impleri in hoc sæculo non posse. cæterùm affirmant hoc mandatum nō facere præuaricatores, si non impleatur. itaque cauenda est æquiuocatio illius vocis, *implere præceptum*. nam vel opponi potest transgressioni, vel omissioni præcepti, & hoc modo impletur à pijs in hac vita; vel idem valet, quòd plenè, & secundùm absolutam perfectionem illud præstare, & hoc modo neutiquam in hoc sæculo, tantum in altero à Beatis impletur.

D

9.

Quod vt intelligas obserua, bifariam aliquid præcipi posse, vel vt solum ostendatur id, quod faciendum est; vel vt simul ostendatur præceptum, quod faciendum, & finis; cuius gratia id faciendum est, quòd hoc exemplo illustrari potest: si dicat strenuus aliquis dux militibus suis: Pugnate. aduersus exercitum illum. Hoc præcepto tantùm declararet militibus id, quod faciendum est; at si dicat: profligate exercitum, & victoriam ex hostibus reportate. hîc & indicatur quid faciendum

16.

Digitized by Google

dum sit militibus, & simul finis operis: est enim idem ac si diceret: pugnate ad hunc finem vt exercitum profligetis. plurimum autem interest inter vtrumque modum præcipiendi, cùm enim præceptum concipitur priori modo, prævaricatur illud, qui totum id non præstat, quod præcipitur: si verò proponatur posteriore modo, neutiquam prævaricatur illud, qui non totum exequitur, quod mandatur, sed is solum prævaricator est, qui non obit id, quod indicatur per modum medij ad finem. neque enim, propriè si loquamur, mandatum quodpiam obligat, quatenus finem ostendit; sed tantum, quatenus medium præcipit. Ergo in exemplo dato peccant milites, si non pugnét; non aût si exercitum non profligent, dûmodo pugnent quantum humano modo possunt aptè, & idoneè ad exercitum profligandum. & hæc est mens August. Bernard. D. Thom. quam lege in 2. 2. quæst. 44. artic 4. & artic. 6. consule item August. & Bernard. loco citato, sic enim se declarant.

11. Cæterùm longè verior, & Scripturis conformior est aliorum Patrum sententia, qui negant illud *ex toto corde*, vel *ex tota anima* &cæt. significare omnes actus cordis, omnemque intentionem possibilem; ita vt præcipiatur, vt semper Deum diligamus, idque summa animi contentione, & vi amoris; sed significari potiùs, vt diligamus Deum præcipuo amore, nihilque illi amando anteponamus, vel æquemus; atque adeò tantùm præcipi, quod faciendum est, non item finem, ob quem faciendum est? vnde efficitur, primùm non obesse obseruationi huius præcepti honestum affinium, & amicorum amorem; licet non referatur actu in Deum; ratio inde sumitur, quia non obligamur tantùm Deum amare, sed præcipuè. Præterea non aduersari eidem præcepto motus appetitus, qui voluntarij non sunt, nam charitati Dei, quæ in voluntate residet, non opponuntur, nisi motus voluntarij. quartò efficitur hoc mandatum perfectè in hoc sæculo seruari posse, cùm non aliud requirat, quàm vt amemus Deum plus, quàm creaturas, & ob id sequitur quintò: solùm huic præcepto obesse peccatum mortale, quo solo anteponitur creatori creatura. postremò fit posse Deum ex toto corde magis, & minus diligi. etenim qui se abstinet propter Deum à licitis, plus Deum diligit, quam qui tantùm cauet ab illicitis, licet vterque toto corde Deum diligat. Hoc verò significari, & non amplius per particulam illam *ex toto corde*, vel *ex tota anima* &c. ostendit ex modo loquendi Scripturæ Cardinalis Bellarmin. libr. 2. de monachis capit. 13. an verò possimus viribus naturæ Deum super omnia diligere, ad Theorias reijcimus.

12. *Proximum tuum sicut teipsum*] Hoc præceptum desumptum est ex Leuitic. 19. 18. *diliges amicum tuum sicut teipsum*, & per amicum intelligitur quicumque proximus, sic docuit Diuus Thomas 2. 2. quæstione 44. articulo 7. & patet Matth. 22. 38. *Hoc est maximum, & primum mandatum*; nimirum de dilectione Dei; *secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* vbi Dominus interpretatus est, præceptum illud Leuitici intelligendum esse de omni proximo; citantur enim ibi hæc præcepta ex Scriptura veteris legis. quare rectè septuaginta interpretes illud Leuitic. vertunt. *diliges* τὸν πλησίον. hoc est, *proximum tuum sicut teipsum.* nomen enim hebræum, *Reahh*, significat amicum, & proximum, quibus verbis & ratio diligendi significatur, nimirum quia proximi sunt homines, & secundùm naturalem Dei imaginem, & secundùm capacitatem gloriæ; & modus dilectionis, videlicet, illis verbis, *sicut teipsum.* vbi dictio *sicut*, non significat *æqualiter* ac teipsum, sed *similiter* ac teipsum; proinde non est dictum: *diliges proximum quantum teipsum.* plus enim tenemur nos diligere, quàm proximum: sed, *sicut*, hoc est, eo modo, quo teipsum diligis.

Particulam verò istam *sicut*, quid poscat, non facilè est videre, id est, in quo consistat modus diligendi proximum, similiter ac se. sunt enim qui his verbis materiam putent notari, quasi præcipiamur, vt ea omnia proximo velimus, quæ nobis volumus (sunt etiam qui qualitatem & modum notari arbitrentur) hoc est, vt propter Deum proximum diligamus, quomodo nos ipsi diligere debemus. Denique sunt, qui affectum designari censeant, videlicet vt eo affectu, & conatu proximum diligamus, quo nosipsos diligimus. & quidem hæc omnia significari possunt ea particula, *sicut*: Quod si dicas sæpè ipsi nobis mala volumus vt voluptates, & similia. Sæpè nos mala aut plus quam oportet diligimus. quomodo ergo iubemur proximum diligere sicut nos? respondendum est: statuendum esse, nos nonnisi bona nobis velle, vel velle debere, neque enim de amore naturali corrupto est hîc sermo. deinde cùm Deum *ex toto corde, ex tota anima* &c. diligere teneamur, si id facimus, non possumus nos diligere aliter, quam oportet. itaque præsupposita dilectione quam habemus, vel debemus erga nosipsos, datur hoc præceptum. quamquam Iansenius præsupponi dicat propriam dilectionem naturalem tantùm, & eius modum, hoc est, dilectionem talem, qua quis seipsum diligit naturaliter, ita vt velit sibi bonum, nolit sibi malum: velit alios sibi benefacere, nolit ipsos sibi malefacere. quæ continentur eo præcepto. *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis*, Matthæi 7. 12. & illo Tobiæ 4. 16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* quæ præcepta naturæ consentanea sunt: quo modo, quod dicitur, *sicut teipsum*, exponi debet, sicut teipsum diligis, de qua dilectione præceptum nullum datum est.

13.

14. Porrò hunc modum diligenter exposuit Diuus Gregorius libro moralium 10. *Proximi*, inquit, *dilectio ad duo præcepta deriuatur. cùm & per quemdam iustum dicitur; quod ab alio tibi oderis fieri, vide ne tu alteri facias, & per semetipsam Veritas dicit, quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. quibus duobus, scilicet vtriusque testamenti mandatis; per vnum malitia compescitur, per aliud benignitas prærogatur; vt malum, quod pati non vult quisque non faciens, cesset à nocendi opere; & rursum bonum, quod sibi fieri appetit, impendens, erga vtilitatem se proximi exerceat ex benignitate.* cæterum non solam arbitror hîc naturalem sui dilectionem intelligendam esse; sed etiam illam dilectionem, qua se propter Deum quis diligit. vtraque enim dilectio tam naturalis illa non corrupta, quæ continetur duobus illis naturæ præceptis, de quibus num. 13. præcedenti sub finem, quàm illa, qua diligit seipsum quis propter Deum, ad hunc modum pertinet, quo diligere præcipimur proximum, sicut nosipsos. quare Sanctus Gregorius homilia 38. in Euangel. ait de modo diligendi proximum: *sed nemo cùm quempiam diligit, habere se protinus charitatem putet, nisi prius ipsam vim suæ dilectionis examinet. nam si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, charitatem non habet, sed habere se putat. charitas autem vera est, cùm & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus. ille enim propter Deum diligit eos, quos diligit, qui iam & eos diligere,*

à quibus non diligitur, scit. probari enim charitas per solam odij aduersitatem solet. vnde & per semetipsum Dominus dicit, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, ille ergo securus amat, qui propter Deum illum amat, à quo se intelligit non amari. nec ab his aliena scribit Diuus Bernardus tractatu de diligendo Deo: *vt perfecta iustitia sit diligere proximum, Deum in causſa habere necesse est: alioquin proximum purè diligere quomodo potest, qui in Deo non diligit? Porrò in Deo diligere non potest, qui Deum non diligit. oportet ergo Deum diligi prius, vt in Deo diligi possit & proximus.* Ex his constat cur apud Matthæum 7.12. Dominus noster, & Diuus Paulus ad Roman. 13.8.10. & ad Galat. 6. 2. dicant, vna dilectione proximi totam legem perfici, nimirum: *Qui diligit proximum, legem implevit. plenitudo legis est dilectio, alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Ratio est, quia dilectio proximi cùm sit propter Deum, claudit in se dilectionem Dei; tamquam potiorem. nam si proximum propter Deum amas, efficitur, vt Deum magis ames, iuxta illud: *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis.*

Qua ratione per dilectionem proximi impleatur lex?

15. Triplex modus diligendi proximũ sicut seipsũ.

Diuus Thomas 2.2. quæstione 44. articulo 7. docet tribus præcipuè modis quempiam diligere suum proximum similiter ac seipsum ex vi huius præcepti.

Primum quidem ex parte finis, sanctè; vt sicut aliquis ex charitate seipsum diligit propter Deum, & secundum etiam bona supernaturalia; ita etiam proximum diligat: sic enim fiet, vt dilectio sancta esse possit, quomodo inquit Diuus Augustinus tractatu 65. in Ioannem 13.34. & 15. 12. in illa verba: *hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*, non sine causſa addidisse Dominum: *sicut dilexi vos*, vt intelligeremus dilectionem proximi, quam hîc præcepit, à carnali dilectione distinguere, quæ est propter rationes alias mundanas. iubet ergo vt diligamus inuicem. *Non sicut diligunt se homines* (ait Sanctus Augustinus) *quoniam homines sunt, sed sicut se diligunt, quoniam dij sunt, & filij altissimi omnes, vt sint filij eius, vnici fratres: ea dilectione inuicem diligentes, qua ipse dilexit eos, perducturus eos ad illum finem, qui sufficiat eis vbi satietur in bonis desiderium eorum.* tunc enim aliquid desiderio non deerit, quando *omnia in omnibus Deus erit* &cæt. propterea etiam vocatum est hoc præceptum *nouum*, loco citato 13.34. nimirum nouum est secundùm imitationem dilectionis Christi, vel vt Diuus Augustinus illic ait hoc eodem loco, quia cùm sit sancta, & supernaturalis hæc proximi dilectio, innouat hominem.

Deinde debet quis proximũ sicut seipsum diligere ex parte obiecti, seu regulæ bonæ dilectionis, quod est iustè diligere, videlicet non expetendo proximo mali aliquid, sed tantùm quod bonum sit, sicut sibi ipsi tantùm bona velle debet; & hic modus etiam diligendi continetur in supradictis verbis Domini; *sicut dilexi vos*, per quæ adhuc dilectionem, quam iussit, distinxit à *dilectione culpabili, atque damnabili* (vt ibidem Diuus Augustinus ait) *qua diligunt inuicem adulteri, & adulteræ, scortatores, & meretrices, & quoscumque alios non humana necessitudo, sed humana vitia noxia turpitudo coniunxit.*

Postremò ex parte rationis diligendi, quod est verè diligere, nimirum vt quis diligat proximum propter ipsius proximi commodum, amore scilicet veræ amicitiæ, quemadmodum se quisque propter se diligit: ergo ex his habemus modũ diligẽdi proximum, sicut nosipsos esse diligere sanctè, iustè, verè.

16. Interest autem plurimum inter hæc duo præcepta Dei, & proximi, nam primum illud sine gratia,

A & charitate non impletur; cùm enim Deus diligendus sit super omnia, qui hoc modo Deum diligit, à Deo vicissim diligitur, & charitas Dei manet in eo: verùm proximi dilectio impleri potest etiã ab eo, qui peccato obnoxius est. neq; enim proximus super omnia diligendus est, & ad eum amandum, tametsi amatur propter Deum, sufficit Deum aliquo modo diligere. qui enim scelere aliquo maculatus est, Deum diligit, & propter eum multa facit; quamuis iste amor imperfectus sit. neque enim est ex toto corde, anima, & cæt. atque adeò ex hoc imperfecto amore potest peccator diligere proximum, & stipem emendicanti elargiri etiam propter Deum.

Distinctio inter amorẽ Dei & proximi.

B 17. *6. Rectè respondisti, hoc fac & vives.*] Probat responsum; sed addit: *hoc fac & vives*, q.d. non fecisse te satis putes, quod quid sit optimum scias præ aliis, sed hoc quod optimè respondisti, etiam operibus præsta, & æternam vixeris vitam, de qua rogasti quid faciendo illam possideres: quæ quidem vita hîc incipit per gratiam, sed perficietur in cœlis per gloriam. neque enim ad vitam hanc satis est nosse legem, nisi illam obserues. Hoc ergo modo satisfecit Christus propositæ à Iurisperito quæstioni, simul se non legi aduersari, apertè declarãs, & supercilium quoq; ac tumorem Scribæ reprimẽs, dum illum à legis cognitione de qua sibi placebat, ad opera vocat. Nec dissimulandum quod Beda ait: *Dum legisperito respondet, perfectum nobis Saluator iter vitæ cœlestis ostendit.* Lepidè, sed verè ait hîc Mald. de Caluino: *Bonus scilicet interpres: Christus dicit de operibus loquens: hoc fac, & vives. iste dicit: hoc nec facere potes, nec si feceris, propterea vives.*

Quærit D. Augustinus 1. de doctr. Christ. cap. 25. 26. cur non constituerit Deus tertium charitatis præceptũ de diligendo seipso, cùm iusserit diligi proximum sicut seipsum? Respondet nihil opus fuisse præcepto hoc, quia cùm dicat Apostolus: *nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam. sicut Christus Ecclesiam* (Ephes 5.) *modus diligendi præcipiendus est homini, id est quomodo se diligat, vt prosit sibi. quin autem se diligat, & prodesse sibi velit dubitare, dementis est. præcipiendum etiam quomodo corpus suum diligat, vt ei ordinatè, prudenterq; consulat. nam quod diligat etiam corpus suum, æque manifestum est. ergo, quoniam præcepto non est opus, vt se quisque & corpus suum diligat. id est, quoniam id, quod sumus, & infra nos est* (corpus) *ad nos tamen pertinet, inconcussa naturæ lege diligimus, quæ in bestias etiam promulgata est* (nam & bestiæ se, atque corpora sua diligunt) *restabat vt de illo, quod supra nos est, & de illo, quod iuxta nos est, præcepta sumeremus. Diliges inquit Dominum Deum tuum &c. In his duobus præceptis vniuersa lex pendet, & Prophetæ. finis itaque præcepti est dilectio, & ea gemina, id est, Dei & proximi. quod si te totum intelligis, id est, animam tuam, & corpus tuum, & proximum totum, id est, animam, & corpus eius* (homo enim ex anima constat & corpore) *nullum rerum diligendarum genus in his duobus præceptis prætermissum est, cùm enim præcurrat dilectio Dei, eiusq; dilectionis modus præscriptus appareat, ita vt cætera in illum confluant, de dilectione tua nihil dictum videtur. sed cùm dictum est: Diliges proximum tuum, tãquam teipsum, simul & tui absque dilectio non prætermissa est. ille autem iustè, & sanctè viuit, qui rerum integer æstimator est. ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendũ, aut amplius diligat quod minus est diligendum, aut æquè diligat, quod vel minus, vel amplius diligendũ est, aut minus, vel amplius quòd æquè diligendum est.* vide reliqua ibid. cap. 27.

C

D

18. 7. *Ille autem volens iustificare seipsum*] Non satis constabit, si hæc dumtaxat verba attendas, an Scriba adhuc pergat animo ficto interrogare, & hoc quod sequitur: *& quis est meus proximus?* an non, sed quasi cupiens cognoscere, num illud præceptum compleſſet, sincerè roget, quis sit eius proximus, ita vt illud, *volens iustificare seipsum*, significet, cupiens ex animo sibi iustitiam accumulare, & vt ait Ianſen. iustus, aut iustior, quàm erat, fieri. Verùm communis est interpretum sententia, & meo iudicio verior, in malum hàc accipienda esse sensum. etenim postea Lucæ 16. Dominus obijcit Phariſæis, quod seipsos iustificarent: *Vos estis*, inquiens, *qui iustificatis vos coram hominibus.* itaque iustificare hîc, idem est, ac declarare, & ostendere se iustum. nam quemadmodum superiori respon so se doctum declarauerat, confirmante Domino eius responſionem; ita nunc voluit se iustum indicare. Sperabat enim fore, quod ſicut prior interrogatio cesſerat sibi in sapientiæ gloriam, ita quoque alteram hanc interrogationem sibi cesſuram esse ad laudem, & commendationem vitæ. proinde ait: *Et quis est meus proximus?* & quidem hac in re iustificare se voluisse videtur, quia voluit ostendere hac interrogatione solicitum se esse de legis diuinæ intelligentia, & custodia, quod est iustorum. credibile est enim olim inter Iudæorum peritos, quæstionem versari solitam, sicut de primis, & maximis mandatis, ita & de eo, quisnam proximi nomine esset intelligendus.

19. 8. *Suscipiens autem Iesus*] Sic legendum, non, *suspiciens*, Græc. ὑπολαβών à verbo ὑπολαμβάνω, quod suspicere, respondere significat. Sic Iob 1. 19. vertunt quidam ὑπολαβὼν ὁ διάβολος εἶπε. hoc est, *suscipiens diabolus dixit.* & AEneid. 6.

Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.

Accipitur ergo *suscipere* pro eo, quod est sermonẽ excipere, & in vicem respondendi succedere. quomodo dixit idem Virgilius, vt notat Ianſenius, *excipit Ascanius.* & Xenophon: ὁ δὲ κῦρος ὑπολαβὼν εἶπε. id est, *& Cyrus suscipiens dixit.* Itaque significatur hîc Dominum suscepiſſe propoſitam quæſtionem, & ad eam respondere instituiſſe, quod fortaſſis posuit Euangeliſta, ad significandum discrimen inter posteriorem, & priorem Scribæ interrogationem. nam priorem interrogationem non videtur suscepiſſe Dominus, videlicet vt illi responderet, ſed eam quæſtionem relecit in interrogantem.

20. *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho*] *In Iericho* autem dixit, eò, quòd ea via celeberrima esset, vel quod is locus, qui est inter Ieri cho, & Hieruſalem infamis erat ob frequentes cædes quas exercebant latrones. is locus dicebatur *adomim*, id est, sanguinum, de quo Hieronym. in Epitaphio Paulæ: *locus*, ait, *adomim, quod interpretatur sanguinum, quia multus in eo sanguis, crebris latronum fundebatur incursibus.* dixit autem: *descendebat ab Hierusalem in Iericho.* quod Hieruſalem in edito loco esset sita, cùm Iericho iaceret in conuallibus. Idem Hieron. ſcribens in Matth. c. 20. dicit multos latrones fuiſſe in Iericho, qui egredientes, & descendentes de Hieruſalem interficere, & vulnerare conſueuerunt. quare accommodatè hæc loca delegit Dominus in hac parabola: de qua quidam dubitant, num fuerit res gesta, nec ne: credibilius puto, parabolam esſe dumtaxat verosimiliter confictam.

21. Quamuis verò præcipuum institutum Domini sit, ostendere proximum non concludi Iudaicis terminis, ſed vnumquemq; hominum debere proximum cẽſeri: interim tamen arrepta hac occaſione, plura Docuit Dominus, quam quærebatur. nam ad reprimendam Iudæorum elationem, qui de religione, & pietate gloriabantur, ita vt etiam Samaritanos, tanquam minimè religioſos, & pios aſpernarentur, nec vt proximos haberent, illos etiam Samaritanis in vera pietate, & dilectione proximi inferiores esſe notare voluit. iterum quoniam Scribis maior erat cura intelligendi, quàm custodiendi legem, propterea hoc exemplo propoſito, vel parabola, non tantum docere voluit quis esſet proximus habendus, ſed etiam quomodo diligendus, & ideo ſub finem ad imitandum Samaritani exemplum hortatur hunc Scribam. *Vade & tu fac similiter.* Aduerte hîc inſinuari in hac parabola tres hominis ſtatus. Primum ante peccatum. nam conditus est homo in Hieruſalem, hoc aſt, cum iuſtitia originali, & gratia, ac interiore, & exteriore pace, & hîc ſtatus ſignificatur per Hieruſalem. Alterum, qui est ſtatus lapſi hominis, indicat, dum ait: *descendebat ab Hierusalem in Iericho*, cùm incidit in latrones, hoc est, in manus dæmonum, qui iuſtitia originali illum ſpoliauerunt, & atrocibus peccati vulneribus affecerunt. Poſtremò inſinuat ſtatum tertium reparati hominis, & gratiæ, quam non à Sacerdote, vel Leuita, hoc est, à lege veteri, ſed à Chriſto recepit. Sed de his tribus ſtatibus in Theorijs agendum. Porrò dicitur *ſpoliatus* primum, deinde *vulneratus*, ac *ſemiuiuus relictus*, vt ſignificetur derelictus fuiſſe in ſtatu longè miſerabili, & ſpoliatus, non tantũ pecunia, qua ſibi ſubuenire poſſet, ſed proprijs etiam veſtibus, ita vt nihil illi reliquerint latrones, quod poſſet vendere, Gr. est pro *ſemiuiuo relicto* ἡμιθανῆ, id est, ſemimortuo. ſic legit Euthym. & ante eum Orig. in prologo in Cant. licet D. Ambr. lib. de pœnit. c. 10. Aug. lib. 2. quæſt. Euang. c. 19. & Chryſ. ho. de hac parab. quæ habetur tom. 2. legunt *ſemiuiuo*, ſed idem est.

Tres hominis ſtatus inſinuantur per parabolã Samaritani.

Obſeruanda est & particula, *etiam. Qui etiam deſpoliauerunt eum*] Indicat enim aliquid præceſſiſſe propterea, quod latrones fecerint miſero homini, videlicet, quod pecunias primum omnium ſubripuerint. hoc enim antè reliqua ſolent damnum inferre, deinde veſtimentis priuant, vulneribus afficiunt, tandem ſine vlla opẽ derelinquunt. D. Baſil. hom. in aliquot Scripturæ locos prope finem, hunc Lucæ locum declarans, alio hoc ordine legit, nimirum: *plagis impoſitis deſpoliauerunt eum*: & docet myſterium hîc latere; prius enim ait peccati plagam fuiſſe in homine, deinde nuditatem, immortalitatis creptionem, & gratiæ priuationẽ, ſic ſcribens: *Poſt plagas ſpoliatus eſt, ſi corpora ſuiſſet veſtis, prius ſpoliaſſent deinde plagas addidiſſent, vt veſtis ſeruaretur, nunc autem plagæ præcedunt, vt planè diſcas, quemadmodum culpa, gratiæ priuationem, atq; amiſſionem præcedit.* Verùm omnia exemplaria, etiam græca præmittunt, quod deſpoliatus fuerit, & poſtea plagarum mentionem faciunt. quare Titus Boſtrenus nobiſcum legit, notat verò: *Dæmones hominem illum temperantia, ſortitudine, cæteriſq; virtutum indumentis miſere exuũ, peccatorum vulneribus ſauciatum ſemiuiuum reliquiſſe. neq; enim facile eſt illis letalia vulnera prius alicui inferre, quam virtutum præſidijs, & munimentis ipſum deſpoliarint. at vbi primum virtutum arma abſtulerant, ſtatim citra intermiſſionem cædunt, & ſæuiunt.* ſic ille.

22.

23. 9. *Accidit autem vt Sacerdos quidam &* cæt.] In tam miſerè affectum hominem inciderunt Sacerdos primum, deinde & Leuita, quorum imprimis intererat tam malè à latronibus accepti hominis miſereri; nulla tamen erga eum commiſeratione commoti ſunt. Loco *præterijt*, G. est, ἀντιπαρῆλθεν, quod maius quid ſignificat, nimirum quaſi, *ex aduerſo præterijt.* indicatur vero, veluti deflexiſſe à via, ne quaſi mortui contagione pollueretur, vel quaſi abhorreret ad ſemimortuum accedere.

10. *Pertransijt*] Græcè idem est verbũ hîc quod superius ἀντιπαρῆλθε quare videtur vterque à via deflexisse propter easdem causas.

11. 12. 13. *Samaritanus autem quidam* &cæt.] Sacerdoti, & Leuitæ, Iudæis in ciuem nulla misericordia motis, opponit Samaritanum, alienigenam, qui quoniam Samaritanus, malè apud Iudæos audiebat, vt tanto magis illorum crudelitas appareat. is igitur Samaritanus propè locum vbi miser ille iacebat, accedens, casu in illum incidit, & plenis misericordiæ visceribus commotus, omnia in illum charitatis officia exercuit; vulnera vino lauit, postea oleum infudit, tandem fascia ligauit, etiam medici officium vsurpans, neque his contentus, in iumentum suum vulneratum hominem imposuit, & duxit ad hospitium, ibi diligentiorem ei curam adhibuit; & verò abiens inde, denarios duos dedit stabulario, rogans vt curam eius haberet; se si quid præterea in eo curando expendisset, soluturum. Aduerte antequam vidisset seminecem illum hominem, venit secus eum iter faciens, & casu accidit, vt illum conspicaretur. iterũ quod hîc dicitur Samaritanus infudisse oleum, & vinum, intelligendum est, quod primò vinum ad abluendam, abstergendam, & consolidandam plagã infuderit: deinde verò oleum ad leniendam plagam, & minuendum dolorem.

24. Huius Samaritani exemplo docet D. Gregor. in pastor. part. 2. admonit. 29. aliquid, quod ad mores pertinet. *Plerumque*, ait, *actione secularium vita continentium confunditur, cùm illi vltra habitum assumunt opera; & isti iuxta ordinem proprium non excitant corda, vnde bene per Prophetam dicitur Esa. 23. Erubesce Sidon, aiebat mare, quasi enim per vocem maris ad iracundiam Sidon adducitur, quando per comparationem vitæ secularium, atque in hoc mundo fluctuantium, eius, qui munitus, & quasi stabilis cernitur, vita reprobatur.* Sic piè, ac verè Gregor. Quod habet interpres, *In stabulum*, Græcè εἰς πανδοχεῖον. significat autem hospitium, siue diuersorium meritorium. & paulò post, vbi habet, *stabulario*, Gr. est πανδοχεῖ, id est, hospiti meritorio; quamquam non malè vertit interpres, *stabulum*, & *stabulario*, non vt equorum, aut boum domicilium intelligat, aut eorum curatores; sed ipsum diuersorium meritorium dicitur stabulum à stando, & quiescendo, quomodo sumpsit D. Cyprian. lib. 3. epist. 13.

25. 14. 15. *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse* &c.] Gr. est πλησίον γεγονέναι τοῦ ἐμπεσόντος εἰς τοὺς λῃστάς. quamquam verò id parum ad rem faciat. si tamen ex Græco vertas, ita interpretabere: *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse eius, qui incidit in latrones?* non, *illi*. vt quemadmodum non est interrogatum, quis est mihi proximus, sed substantiuè, *quis est meus proximus?* ita per substantiuum Dominus responderit.

Illud *Vade*] imperatiuus est, Hebræorum more positus, inquit Iansenius, pro interiectione hortantis, *agedum*. vtitur autem Dominus interrogatione: *Quis horum trium videtur tibi* &c. vt ex responso ore proprio prolato magis respondentem euincat, dum suomet ore veritatem fatetur, nimirum, proximum esse quemcumq; hominem, quamuis extraneus, & aduersarius sit. contra ac putabãt Iudæi, qui proximos esse solos inter se hebræos cẽsebant, non autem externos homines, præsertim verò qui inimici essent.

26. Verùm hæc Domini interrogatio cum approbatione responsionis Scribæ, non vacat difficultate. nam significare videtur Dominus præter Samaritanum, reliquos, Sacerdotem, & Leuitam non fuisse proximos ei, qui incidit in latrones, A cùm illi nihil profuerint; quod si ita est, carent culpa, si in ipsum charitatis officia nõn exercuerunt. difficile est etiam intelligere, quisnam sit proximus, quia quod attinet ad verba Domini, videntur significare eum dumtaxat proximum esse nobis, qui beneficio nos afficit, ait enim: *quis videtur proximus fuisse illius, qui incidit in latrones?* & approbans responsum Scribæ, qui respondit, eum illius proximum fuisse, qui benefecit, subdit, *vade, & tu fac similiter*. vnde etiam fieri videtur, vt eũ tantùm diligere teneamur vt proximum, qui benefacit nobis, iuxta illud præceptum: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: cuius contrarium non rarò Dominus docuit.

Respondeo sententiam interrogationis Christi hanc esse: Quis horum trium tuo iudicio videtur exhibuisse se proximum, & proximi munus exercuisse in eum miserum hominem, qui in manus incurrit latronum? itaque noluit Dominus, dum sic B interrogauit, significare Sacerdotem illum, ac Leuitam proximos non fuisse malè accepti hominis; sed non gessisse se vt proximos, nec miserum illum agnouisse vt proximum, ita vt ex effectibus colligi velit, quis sit proximus. verùm vbi indicauit Dominus ex effectibus, hoc est, ex impensa charitate Samaritanum, etsi externum hominem, se proximum infelici illi exhibuisse, eumque rectè pro proximo agnouisse, & hoc ipsum vt v. 15. constat, legisperitus ipse asseueraasset, tum subdens: *Vade & tu fac similiter*, non obscurè declarauit omnem hominem, qui ope nostra indiget, habendum esse pro proximo, siue ille externus sit, siue non; siue cognatus, vel affinis, siue minimè talis fuerit; etenim si benefactor est proximus eius, cui benefacit, & iste erit illius proximus. sunt nãque hæc duo relatiua. omnis ergo homo, cui ego benefacere, & subuenire possum, meus est proximus, & ego illius. C neque id solùm declarauit Dominus, verùm etiam indicauit eam dilectionem, quam proximo debemus, id est, omni homini, opere repræsentandam esse, & comprobandam, atque adeò in huiusmodi misericordia, & caritate miseris exhibita sentiendum esse maiorem, & solidiorem consistere pietatem, quàm in sacrificijs illis legalibus, ob quæ Sacerdotes, & Leuitæ se religiosos putabant. Igitur eorum verborum: *Vade & tu fac similiter*: talis est sensus: quemadmodum Samaritanus, tametsi ab infelici illo genere alienus, se proximum tamen illi exhibuit, & pro proximo eum agnouit, sicut reuera erat; ita & tu proximum tuum agnoscito. in quemcumq; incideris ope tua egentem, nec sufficiat tibi eum agnoscere; sed vt dilectionis proximi præceptum perficias, quantum potes, vel necesse est, illi succurras; atq; adeò ad Samaritani huius exemplum crede meliorem religionem in eo sitam esse, vt iuuentur miseri, potiùs quàm in externorum sacrificiorum oblatione. Itaq; Leuita, & D Sacerdos proximi quidẽ erãt illi misero, sed nõ se gesserant vt proximi; Samaritanus & erat, & se, vt proximũ gesserat, quãuis minus proximus esse videretur. Hinc constat sic accepta Domini interrogatione, & postremo responso. *Vade & tu fac similiter*, Dominum hac parabola aptissimè, quod rogabatur, nimirum quis esset proximus, docuisse, & Sacerdotes, ac Leuitam tacitè notasse. videtur verò vis argumenti Domini in duobus posita esse: primum in correlatiuis, nimirum: si hic est proximus mihi, sequitur vt ego illi proximus sim, nam si proximus est qui benefacit etiam externo homini, etiam aduersario, quod legisperitus fateri coactus est, ergo externus, & inimicus, proximus etiam est benefacienti. correlatiua enim vltro citroque commeant, hoc est, simul se ponunt, ac simul se auferunt. vnde fit, vt omnis homo, in quem con-

ferri possunt beneficia cùm eget, proximus sit, & hoc scire optabat legisperitus. Secundò posita est in effectibus, is enim magis censendus est proximus, qui signa, & opera proximi, quando necessaria sunt, præstat. quod erga omnem hominem faciendum est. voluit enim Dominus hac parabola significare non esse proximos diligendos tantùm ad interiorem modo animi affectum; verùm etiam cùm necessitas poscit, quantum ad opera, vt reuera illis succurramus.

De hac parabola multa sancti Patres. adito Origen. homil. 34. in Lucam, Basilium homil. in aliquot Scripturæ locos. Gregor. Nanzianz. orat. 4. de Theolog. Chrysost. orat. 5. contra Iudæos, & homil. de hac parabola, quæ habetur tom. 2. Ambros. lib. 1. de pœnit. cap. 10. Hieronym. in epist. ad Fabiolam, & Matth. 20. August. libr. 3. Hypognosticon, & libr. 2. qq. Euang. cap. 19. & serm. 37. de verb. Domini, Gregor. l. b. 20 moral. cap. 8. Bernard. ser. 1. de Annunt. tantùm hìc referam breuem quam dam interpretationem huius parabolæ Athanasij in dictis, & interpret. parabolarum Euangel. q 51. *Homo*, inquit *quidam ab Hierusalem descendit in Iericho, & incidit in latrones: Homo ille est Adam: Hierusalem paradisus: Iericho mundus; latrones sunt malæ cogitationes, & transgressio; Sacerdos, Propheta; Leuita, Mosaica lex; Samaritanus est Christus; oleum & vinum, pretiosum corpus & sanguis, & sanctum baptisma: diuersorium autem est Ecclesia, & hospes S. Paulus: duo denarij sunt vetus, & nouum testamentum.* Sic Athanasius.

THEORIA PRIMA.

De quinque hominis statibus. Ac primum de duplici statu iustitiæ originalis, innocentiæ, & integræ naturæ quomodo inter se differant.

1. QVONIAM in hac parabola tacitè significari diximus schol. num. 21. tres præsertim hominis status, innocentiæ, hominis lapsi, & per gratiam Christi à peccato liberati. præter hos status tres etiam alij numerantur, videlicet 4. hominis habentis naturalem integritatem rationi congruentem. item quintus hominis sine gratia Dei, & sine peccato constituti, qui dicitur in puris naturalibus. sextus hominis iam beati, & vsque ad clarum DEI conspectum prouecti. Propterea vt sensus mysticus melius intelligatur, in hac Theoria de statu innocentiæ præsertim loquemur, qui magis ad rem facit, vt appareat vnde homo ceciderit per peccatum, & in quas miserias deuolutus sit, & vt id exactius intelligatur, conabimur assignare discrimen potissimum inter statum innocentiæ, integræ naturæ, & hominis in puris naturalibus.

2. Principiò pleraque habentur in Scripturis, quæ innocentiæ statum plurimum commendant, sed illa imprimis eximia, & præclara quæ habentur capite secundo Geneseos, vbi Moses scribit de Adamo & Eua: *erat vterque nudus, & non erubescebant*. vnde intelligere est singularem animi candorem, & simplicitatem, propter quam nullus hominì ex corporis nuditate pudor existebat, nulla partis alicuius corporis obscœnitas, nihil A quod legi mentis contrairet, apparebat. Iterum, vt nudum esset corpus, nullis tamen extrinsecus aëris, vel cœli molestijs afficiebatur.

Adhæc & illud multum ad eamdem rem facit, quod capite 6. Ecclesiastic. scriptum legimus: *Fecit DEVS hominem rectum, & ipse se infinitis miscuit quæstionibus.* Duplex autem in statu innocentiæ erat hominis rectitudo, quarum vna ad superiorem hominis partem spectabat: Erat enim DEO omninò subiecta; altera ad inferiorem, cuius omnes motus, siue sensus, siue appetitus ad nutum rationi parebant, & in eius erant potestate, quod ad eorum attinet excitationem, durationem, intensionem, & terminationem, & vtraque hæc rectitudo originalis iustitiæ effectus erat. Quod si quis attentè perpendat calamitates, & quibus post primorum parentum peccatum affecti sumus, mala; non obscurè coniiciet, quàm magna fuerint bona, quibus ante peccatum homines potiebantur. Sic enim ad pœnam commissi delicti, dixit DEVS Euæ: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios*, & ad Adamum conuersus dixit: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ: In sudore vultus tui vescêris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua assumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* ex quibus colligere est, in felici illo statu, nec conceptum fuisse laboriosum, vel ærumnosum fœminæ, nec partum cum dolore, nec viro subesse acerbum. Deinde terram tunc sponte sua citra hominis laborem, & molestiam cuncta victui necessaria affatim subministraturam, homines verò, nec interituros, nec in puluerem redigendos fore. etenim rectè Diuus Paulus ad Romanos 5. 12. scribit: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. & ita in omnes homines mors pertransijt.* mitto prudens, quæ etiam Scriptura continet de rerum omnium naturalium scientia homini collata; nam de his speciatim postea adijciemus.

3. Admirabilia sanè sunt, & innumera, quæ Patres de excellentia, & splendore illius status scribunt, quæ sponte prætereo. Lege Diuum Augustinum libro decimotertio de Ciuitate capite vigesimo, & libro decimoquarto capite decimo. Gregor. in prolog. tertij Psalm. pœnitent. Damascen. libro 2. de fide orthodox. cap. 11. tantùm vnum ego locum referam ex Augustino libr. 14. de Ciuit. cap. 26. *Viuebat*, inquit, *homo in paradiso, sicut volebat, quamdiu volebat, quod Deus iusserat: viuebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: viuebat sine vlla egestate, ita semper viuere habens in potestate. cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret: lignum vitæ ne illum senecta dissolueret: nihil corruptionis in corpore, vllas molestias, vllis eius sensibus ingerebat. nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus erat æstus, aut frigus, sic in eius habitatore nulla ex*

cupiditate, vel timore accedebat bona voluntatis offensio. nihil omninò triste, nihil erat inaniter lætum, gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: atque inter se coniugum fida ex honesto amore societas, concors mentis, corporisq; vigilia, & mandati sine labore custodia. non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat inuitum. in tanta facilitate rerum, & felicitate hominum, absit vt suspicemur non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo: sed eo voluntatis nutu mouerentur illa membra, quo cetera, & sine ardoris illecebroso stimulo, cum tranquillitate animi, & corporis, nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus vxoris. neque enim quia experientia probari non potest, ideò credendum non est: quando illas corporis partes non ageret turbidus calor, sed spontanea potestas, sicut opus esset adhiberet: ita tunc potuisse vtero coniugis salua integritate fœmineæ genitalis virile semen immitti: sicut nunc potest eadem integritate salua ex vtero Virginis fluxus menstrui cruoris emitti. eadem quippe via posset illud inijci, qua hoc potest eijci. vt enim ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus fœmnea viscera relaxaret: sic ad fœtandum, & concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius vsus naturam vtramque coniungeret. ita magnificè, ac splendidè censuit Augustinus de fœlici illo Innocentiæ statu, in quo homo conditus fuit.

Verum aduerte, sæpe Scripturam, & Patres loqui de statu Innocentiæ, quatenus etiam gratiam Dei complectitur, per quam homo ad finem supernaturalem dirigitur. at nos hîc vt singulorum statuum conditiones, & peculiares proprietates intelligamus, quid ve inter ipsos intersit; accipimus status hos Innocentiæ, & integræ naturæ, vt concipiuntur à gratiæ statu seiuncti, & vt possent esse in homine ad finem supernaturalem nõ eleuato. nam quamuis iustitia originalis, & integritas naturæ, in qua homo conditus fuit, (quod verosimilius est) nunquam à Dei gratia diuulsæ seiunctæq; fuerint; significat nihilominus secundùm se proprietates, & effectus quosdam formales distinctos ab effectu formali, & proprio gratiæ, ita vt nullam habeant coniunctionem cum illa absolutè necessariam: deinde intelligere oportet tribus his statibus, innocentiæ, naturæ integræ, & hominis in puris naturalibus spectati, commune, ac proprium esse, vt spectẽtur quatenus sunt absque peccato. potest enim homo sic considerari in singulis his statibus, & sic necesse est illum concipere, vt quæ sint eius vires in singulis his statibus constituti, doceamus. & quidem homo siue in statu innocentiæ, siue naturæ integræ omnem naturalem perfectionem, id est, rationi congruentem comprehendit, nimirum omnem perfectionem, quæ naturam iuuat, ac perficit in operibus naturalibus, neque eam eleuat ad opera vlla supernaturalia, tametsi est donum gratuitum.

5. Conditiones hominis in statu innocentiæ.

His ergo positis, vt qualiter distinguatur innocentiæ status à reliquis intelligamus, scire oportet, hominem in statu innocentiæ tres res extra se positas habuisse; habitationem videlicet paradisi terrestris, fructum arboris vitæ, & singularem DEI curam, hominem in eo statu ab omni malo admirandum in modum conseruantis. præter has quinque etiam aliæ res in ipso homine inerant. prima est perfecta duorum appetituum superioris, & inferioris concordia: obediret enim ad nutum appetitus inferior superiori. constat verò vtrumque appetitum hominis naturam necessario consequi, quatenus spiritu, & corpore continetur; vnde fit vt in omni statu habeat homo duplicem hanc appetendi vim, quod naturalis sit vtraque vis homini. hinc efficitur, vt pugna inter hos appetitus naturalis quoque sit; quod verò impediatur, neutiquam naturale homini est, nec illi debetur. quare si solum hominis naturam spectes, potuit illa initio cõdi cum hoc etiam defectu, vel naturæ vitio. neque enim tenetur auctor naturæ vt auctor naturæ est, hunc naturæ defectum ab homine tollere, cùm sit illi naturalis; sicut nec tenetur facere, vt homo morti obnoxius non sit, cum hoc naturæ vitium sit. quod si ex appetituum pugna peccata existerent, non tamen propterea Deo tribuerentur; occasio enim ista mere naturalis est, & consummata, atque perfecta culpa nunquam non est voluntaria, & libera. sed de hoc statu in puris naturalibus, inferius.

Altera res quæ inerat in statu innocentiæ homini, est falli non potuisse, antequam in culpam, vel peccatum incideret, quod est secundùm D. Thom. 1. part. quæst. 94. artic. 4. & videtur esse iuxta Augustini sententiam libr. 3. de libero arbitrio, capite decimooctauo de scientia, in qua conditus homo. Vide Pererium libro quinto de statu innocent. capite secundo, à numero decimooctauo, per aliquot quæstiones. Tertia res, quæ item homini inerat in eo statu innocentiæ, est, quod is status tantæ erat excellentiæ, & dignitatis, vt ne venialem quidem culpam admitteret: quare eo perseuerante non poterat homo veniale, vel leue peccatum committere, sed necesse erat vt lethale crimen præcederet; sic D. Thom. censuit 1.2. quæst. 89. art. 3. de sententia August. 14. de Ciuit. à. cap. 10. Rationem assignat D. Tho. & in argumento, *sed contra*, & in corpor. articul. Quarto inerat etiam in eodem statu homini, vt nullum experiretur dolorem, triste nihil pateretur, denique nullam animi perturbationem, vel, vt vocant, passionem ex his, quæ malum aliquod supponunt. neque enim hæc mala fœlix ille status patiebatur. passionum autem appetitus alij bonum respiciunt, vel absens, & parabile, vt desiderium & spes; vel partũ iam & præsens, vt gaudiũ; vel indifferenter ipsum bonum vt amor; & hæ fuissent tunc in homine, sed ita, vt ratione essent modificatæ, & in homine potestate. Aliæ spectant malum, vel absens, & impendens vt timor; vel præsens vt tristitia, & dolor; & his caruisset tunc homo habent enim molestiam, & pœnam. Vide Per lib. quinto de statu innocentiæ, capit. secundo num. 105. 106. postremò etiam & hoc habuisset in se homo in eodem statu, vt nunquam moreretur, vel vt posset nunquam mori, peccatum

enim mortem inuexit in orbem terrarum. ex his quinq; rebus, vel effectibus, tres medij non sunt omninò certi; sed longè probabiliſsimi, extremi verò duo, primus, & quintus, ita se habent, vt postremus certior quidem sit ceteris; ac primus omninò verus. hæc ergò omnia ad innocentiæ statum pertinebant, vt interim taceam ea, quæ ad gratiam, & finem supernaturalem spectabant.

7. Ceterum status naturæ integræ, in quo homò conditus etiam fuit, (continetur enim is, ac complicatur, & quasi conuoluitur cum innocentiæ statu) sic differt à statu innocentiæ, seu iustitiæ originalis, quod præcisè primum duntaxat effectum continet. reliqui verò quatuor effectus, seu res pertinent propriè ad statum innocentiæ, seu iustitiæ originalis. est verò hic non indiligenter aduertendum, hanc naturæ integritatem, quam positam esse affirmauimus numer. 5. in prima illa re, quæ homini inerat, hoc est in perfecta concordia vtriusque appetitus cum dominio superioris, & obedientia inferioris, & dici posse naturalem homini, & minimè naturalem. est enim obseruandum, quod etiam notat Cardinalis Bellarmin. libr. de gratia primi hominis capite quinto, pluribus modis dici posse aliquid naturale. primum id omne quod habetur à natiuitate, quomodo Paulus ad Ephes. 2. 3. dixit: Nos esse natura filios iræ, & ita iustitiam originalem rectè dixerit aliquis dici naturalem posse; sed hoc non excludit quo minus res aliqua verè supernaturalis sit. nam etiam supernaturalia dona possunt à natiuitate haberi. Itaque hac ratione naturale non opponitur supernaturali. Altero modo naturale dici potest, quod est naturæ congruum, ac consentaneum, quodque eam tantum abest, vt destruat, vt ornet magis, ac perficiat. & ita August. lib. de Spiritu, & litt. ca. 27. scribit: *Gentes, quæ legem nõ habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt.* Nam quoniam vitium contra naturam est, & gratia naturam sanat, cum ex gratia lex impletur, naturaliter impleri non ineptè quis dixerit, sed naturale hoc modo acceptum gratiæ, & vitæ æternæ competit.

Naturale quotupliciter dicatur.

8. Tertiò naturale vocari potest, quod naturam iuuat, ac perficit in operibus naturalibus tametsi donum sit gratuitum, ita vt naturam non eleuet ad opera vlla supernaturalia, & hoc modo iustitia ipsa originalis, si distincta esse intelligatur à gratia gratum faciente; prout etiam nos diximus num. 4. sumi posse, donum naturale rectè appellatur, quomodo Andreas Vega. lib. 2. in Concil. Trid. loquutus est. postremò naturale accipitur pro eo, quod est, vel pars naturæ, vel fluit à principijs naturæ, iuxta quam significationem materia, ac forma, & facultates nostræ tum sentiendi, tum intelligendi, & quæ inde existunt operationes, naturalia dicũtur. & hoc propriè sumitur naturale cùm opponitur supernaturali.

9. Supernaturale quoque aliquid bifariam dici potest, vel per se, & est illud, quod ex genere suo non est aptum fluere ex principijs naturæ sicut est robur Sampsonis, ascensus Eliæ in curru igneo, & similia; vel per accidens, & est illud, quod habetur diuino miraculo, A tametsi ex naturæ principijs proficiscì consueuerit. id genus fuit visus cœco nato restitutus.

10. Iam verò si de naturali loquamur primo ac secundo modo, non est dubium sic naturæ integritatem, & innocentiam, naturalem esse. nec de hoc potest esse vlla quæstio. si verò loquamur tertio modo, sic integritas naturæ donũ naturale dici potest, vt de iustitia originali diximus num. 8. quamuis donum gratuitum sit, nec naturæ debitum. denique quarto modo sicut nec iustitia originalis, ita nec integritas naturæ donum naturale est, & de hoc modo propriè intelligitur quæstio, qua quæritur an iustitia originalis, prout distinguitur à gratia gratum faciente, &c. similiter & naturæ integritas sit naturalis homini. sumitur enim hic naturale prout opponitur supernaturali per se, ita vt nec ex principijs naturæ fluxerit, nec fluere potuerit. rationem colligere possumus ex D. Thom. 1. par. quæst. 95. art. 1. nam si donum illud naturale esset, nobiscum profecto permansisset etiam post peccatum. neque enim peccatum naturalia subſtulit, quæ ratio est à posteriori. Rationem à priori assignat Franciscus Suarius tract. de gratia. nam potentiæ ex quibus oritur labor, difficultas, & pugna appetituum, habent propensiones suas à natura inditas: quin & appetitui sensitiuo hoc, tanquam proprium, in est, vt, quod ad se attinet, naturaliter semper moueatur ab ijs, quæ sensibus obijciuntur. porrò secundùm naturam nihil dari potest in homine, quod propensiones istas, vel adimat, vel imminuat; neque aliquid excogitari potest quod insit à natura homini, quo effrenatus, & indomitus impediatur appetitus.

B

C

11. Scito enim duobus modis comprimi, vel cohiberi posse appetitum, vel anticipando, & anteuertendo ne ea illi obijciantur, & occurrant, quæ illum queant ad malum aliquod incitare, vel ita vt obiecta rea aliqua, quæ posset alioqui illum ad malum propellere, vel excitare detineatur ne in actum prodeat, antequam à voluntate, quæ superior est appetitus, moueatur. Ex his duobus primum illud sub humanâ prouidentiam non cadit, cùm antegrediatur & anteoccupet omnem consultationem, & consilium, & rationis cognitionem, quę initium habet à sensu. alterum verò nequit omninò esse à natura. nam quod detineatur appetitus ne actum proferat, non potest aliter concipi, quàm quod Deus, aut cum appetitu cooperari, & in eius actum influere nolit, quod constat secundùm naturam non esse, aut quod præbeat habitum homini, qui ipsum impediat, ne prorumpat in actum ante imperium rationis. is autem habitus tametsi admittatur neque ex naturæ principijs oritur, neque naturę debitus esse potest, quare integritas illa naturæ, donum aliquod gratuitum est, & supra hominis naturam, iuxta modum, quem declarauimus numer. 9. & potest gratia quædam gratis data vocari.

D

12. Ex his ergo quæ hactenus diximus, constat, quid inter hunc statum, & innocentiæ interſit. nam si per integritatẽ naturę accipiamus præcisè, vt aiunt naturam citra fomitem, &

Differimen inter statum innocentiæ & naturæ integræ.

alia

alia priuilegia, quæ numerauimus numero sexto, per innocentiæ verò statum sumamus naturâ cum omnibus his priuilegijs, & cum vnione illa, vel cõcordia appetituũ inter se, hoc est, cũ priuatione fomitis, sic procul dubio distinguendi sunt ij status, & patet re vera separatos fuisse. nam in beatissima cœli Regina, ac Dei Matre Maria priuatio fomitis, non tamen amotio doloris, vel mortis fuit: verum si per naturæ integritatem concipiamus naturam non modo cum amotione fomitis, sed etiam cum alijs priuilegijs, de quibus num. 6. (videntur enim illi omnes spectare ad perfectam naturæ sanitatem) ita non dubium statum integræ naturæ, & iustitiæ originalis, vel innocentiæ vnum, & eundem esse, & sic passim vsurpant etiam Theologi

THEORIA II.

Prosequitur Auctor trium aliorum statuum explicationem, & differentiam, nimirum puræ naturæ, peccati, seu hominis lapsi, & gratiæ.

RELINQVITVR iam vt videamus, quis sit puræ naturæ status, seu status hominis in puris naturalibus, & quid differat à statu integræ naturæ. Affirmo igitur hunc statum includere carentiam peccati, & gratiæ, etiam secundùm debitum habendi illam; neque enim dubitari potest, quin possit Deus creare, si velit, Angelum vel hominem immunem à peccato, præsertim cùm non possit à Deo immediate condi homo in peccato, qui non trahat originem ab alio homine; esset enim tunc Deus Auctor peccati: constat item potuisse Deum condere hominem absque gratiæ donis, quomodo putant re vera initio conditum esse hominem nonnulli. Itaque de potentia Dei absoluta non est dubium, potuisse Deum in puris naturalibus hominem, vel Angelum condere. verum nulla creatura mente, vel ratione pollens condita est in puris naturalibus; ait enim Augustinus de Angelis 9. de Ciuitat. cap. 12. *Deus simul erat in eis condens naturam & largiens gratiam.* & homo, vt Tridentini Patres docuisse videntur sess. 5. in decr. de peccato originali, initio constitutus fuit in sanctitate, & iustitia, quam peccando amisit. de reliquis hominibus non est dubitandum, præsertim cùm omnes semper fuerint ordinati ad finem supernaturalem. quin addo, nec secundùm ordinariam potentiam de facto esse, vel fuisse vnquam, vel esse posse intellectualem creaturam à Deo creatam in puris naturalibus. nam omnis eiusmodi creatura à Deo primum immediate condita in gratia est, & nunc omnes homines post amissam gratiam in peccato concipiuntur & nascuntur, excepta Beata Virgine, quæ tamen in gratia concepta est. non est autem transitus à statu gratiæ, nisi ad statum culpæ, sicut nec à statu culpæ, nisi ad statum gratiæ de lege ordinaria.

1.

Ceterum dubitatum à Theologis est, an secundùm potentiam ordinariam Dei condi possit homo in puris naturalibus, idque iuxta debitum, & exigentiam naturæ humanæ. & quod hîc rem facit obscuram est quia contentio, & repugnantia, quæ inter carnem, & spiritum intercedit neutiquam potest humanis viribus superari, nisi Deus modo aliquo eam impediat, vel certè homini præsto sit gratia sua. non ergo videtur posse Deum taliter hominem condere nulla in eum collata gratia, alioqui necessitas peccandi, quæ inde oritur, Deo (quod absurdissimum est) tribueretur; sed constanter affirmandum est, potuisse hominem à Deo condi sine gratia Dei, & sine vllo peccato: quem statum in scholis appellant statum hominis *in puris naturalibus*. idque potuit non immutando naturam eius, neque aliquid ei negando, quod à natura illi debitum esset. nam quicquid Deus confert homini vltra naturam, gratiæ Dei tribuendum est, ac proinde minimè debitum. potuit igitur non illud conferre, tametsi seruatis legibus naturæ, quam rationem non parum illud iuuat, quod cum duplex sit finis vltimus hominis, naturalis vnus, supernaturalis alter, potuit Deus illum creare ad finem tantum vltimum naturalem, qui est ipsemet DEVS. quæ enim ratio iure cogere potest DEVM, vt propter finem supernaturalem, qui est clara ipsiusmet Dei visio, illum creare debeat?

2.

Quod verò de pugna, quæ inter vtrumque appetitum cernitur, obijciebatur num. præcedenti, facilè dissoluitur. quoniam cùm illæ facultates appetendi naturales sint, & nõ extrinsecus accedant, fit, vt pugna etiam naturalis sit, ergo non est secundum naturam hominis, nec illi debetur vt impediatur. vide quæ diximus num. 5. Fateor tamen credibile esse iuxta sapientiæ suæ ordinem non negaturum fuisse Deum modum aliquem maioris prouidentiæ homini sic creato, quàm cæteris creaturis ratione carẽtibus tribuit; potuit enim naturæ auctor homini ita prospicere in eo statu, vt posset homo, si vellet, naturalem suum finem assequi, vel subueniendo illi motu aliquo morali, qui supernaturalis non esset, vel eximendo illum à statu culpæ aliquo modo, qui esset illi statui congruus, tametsi non esset alienus à statu puræ naturæ. Ex his non est difficile differentiam colligere inter hunc statum, & duos superiores. addunt enim illi aliquod saltem gratuitũ donum supra hunc statum hominis in puris naturalibus, vt ex num. 11. 12. liquet. tantum ergo hic status ex se exigit, vt sine gratia Dei, & sine vllo peccato citra donum aliud gratuitum constitutus sit à Deo.

3. Conferitur status purè naturalis eũ natura integra & lapsa.

Porrò status hominis lapsi in hoc conuenit cum superiori, quod sicut hîc dicit peccatum illud, quo homo à Deo fine vltimo auertitur, ita & statui, quo homo in puris naturalibus cõstitueretur neutiquam repugnat commissio peccati per deflexũ ab ea naturæ puritate. atq; adeo etiam ibi locum haberet distinctio hominis lapsi, vel puræ naturæ, & quidem posito peccato, nihil ferè distinguerentur hi duo status, quod attinet ad promptitudinem, vel difficultatem bene operandi. nam peccatum non auferret bona naturæ; neq; enim potest

4.

naturaliter augere, vel conuertere, vel transmutare, vel imminuere naturales animæ facultates; summum posset habitum gignere, qui aliquam asperitatem, difficultatemque adduceret in benè operando.

3. Nihilominus interesset aliquid inter vtriusque status lapsum. etenim lapsus hominis in puris naturalibus tantum esset eius personæ, quæ laberetur; at lapsus Adami, qui pertinet ad statum naturæ lapsæ, toti naturæ tribuitur; sic enim Theologi sumunt statum hominis lapsi, considerant enim hominem secundùm illum statum, in quo relictus est ex vi peccati labente Adamo totius naturæ capite, nam quatenus consideratur homo, vt sanitati restitutus per gratiam, iam pertinet ad statum gratiæ, de quo hîc non loquimur.

Itaque ex his soluitur quæstio. si enim roges an sit maius aliquod discrimẽ inter hos status, ita vt homo lapsus propter Adami peccatum habeat naturales facultates, & vires magis fractas, & imminutas ad benè operandum, quam alioqui haberet si spectetur in puris naturalibus? nam ex parabola huius qui descendebat ab Hierusalem in Iericho, videtur posse colligi, debilitatas esse magis vires naturæ propter lapsum Adami, quàm alioqui fuissent in pura natura; sed ex his quæ diximus numer. 16. patet non esse magis debilitatas.

6. Ad id verò, quod obijcitur ex parabola. Respondeo; vulnera illa per peccatum, naturæ inflicta, per metaphoram sic appellari, quatenus ablata iustitia originali, tanquam amoto remouente prohibens, apparuit languor ille naturæ hominis, & per peccatum facta est scissio, seu diuisio vtriusque appetitus, qui prius erant vniti, atque ita illatum est vulnus naturæ hominis. nihil enim aliud est vulnus, quam scissio, vel diuisio partium corporis, de his verò vulneribus loquitur Diuus Thomas 1. secundæ quæstione 85. art. 3. & nos inferius aliquid dicemus. dicitur autem iustitia originalis remouens prohibens, nam iustitia originalis languorem illum impediebat, qui in natura humana existere potuisset ex conditione materiæ; ideò remoto originalis iustitiæ dono culpa hominis, languor ille apparuit; & factum est vulnus peccati, quod languor naturæ esse potuisset, culpa enim hominis factum est, vt iustitia originalis diuinitus data amitteretur. & hinc est vt in pura natura esset quidem languor ille, sed naturalis omninò defectus esset, non vulnus, quia nulla culpa hominis reperiretur in homine.

7. Quare ex hactenus dictis efficitur, vt non magis differat status hominis post lapsum Adę à statu eiusdem in puris naturalibus, quàm differat spoliatus à nudo; neq; deterior sit humana natura, si culpam originalem detrahas, neq; magis ignorantia, & infirmitate laboret, vt rectè docent passim Doctores Scholastici, quàm esset, & laboraret in puris naturalibus condita. Corruptio ergo naturæ non ex alicuius doni naturalis carentia, neque ex alicuius malæ qualitatis accessu; sed ex sola doni supernaturalis ob Adæ peccatum amissione profluxit. sic habet Bellarminus de gratia primi hominis capite quinto, & est sententia D. Thom. p. p. quæ-

A stione nonagesimaquinta, articulo primo, & 1. secundæ, quæstione octuagesimaoctaua, artic. primo ad tertium, & quæstione 87. articulo septimo, ex quibus locis patet, humanam naturam talem nunc esse ex sententia S. Thomæ, quod attinet ad intrinsecam difficultatem beneoperandi, vel propensionem ad malum; qualis fuisset, si donum illud supernaturale nunquam habuisset; eo excepto, quod nunc est pœna ex peccato inflicta, quod tunc ex natura, & conditione materię profluxisset; atque adeò id quod nunc est priuatio gratiæ, in statu puræ naturę esset mera negatio.

Cùm verò Diuus Thomas ait 1. secundæ 8.
quæstione 88. art. 3. ad primum, concupiscere esse homini naturale, in quantum est secundùm ordinem rationis; inesse autem homini
B contra naturam in quantum transcendit limites rationis: Item cùm ait quæstione 85. articulo 1. & 2. per peccatum non solũ priuari hominem donis supernaturalibus, sed etiam diminui bonum naturæ; hæc non obesse huic sententiæ quam tuemur, ostendit idem Bellarm. loc. citat. Quod si Patres affirmare videntur, amisisse hominem propter peccatum initium bonæ voluntatis, & facultatem sanctæ cogitationis, id accipiendum est tanquam de bono opere supernaturali dictum, quod appellare solent opus pietatis, & de sancta cogitatione illi aptè respondente; nam per peccatum homo indignus euasit, quod ad se attinet, his bonis; quæ si Deus postea præstat, ex misericordia est, & Christi meritis. iccirco dici aliquo modo potest, amisisse homo libertatem ad operandum bonum supernaturale, quatenus nequit sine
C gratiæ auxilio illud efficere; hinc tamen non fit amisisse propterea libertatem, quæ est à natura, nec capacitatem vt per auxilium gratiæ valeat libere efficere opera supernaturalia. restat vt de statu gratiæ loquamur.

Sanè statum gratiæ vocamus propriè sta- 9.
tum iustitiæ, & sanctitatis supernaturalis, in Status gratiæ.
quo constituitur homo per gratiam sanctificantem, sibique inhærentem, & per dona, quæ illam consequuntur. est autem duplex sta- Duplex.
tus, vel gratiæ consummatæ, seu gloriæ, de quo nihil nunc agendum est. vel gratiæ inchoatæ, seu viæ. & ex his facilè intelligere est, hoc interesse inter statum gratiæ, & puræ naturæ, quod ille perfectionem quandam intrinsecam & superioris, hoc est, supernaturalis ordinis huic addat. quæ perfectio secun-
D dùm Dei communem, & consuetam prouidentiam simul esse nequit cum hoc ipso statu naturæ lapsæ, quatenus perseuerat in peccato. verum si natura lapsa tantum spectetur quoad deperditam integritatem præscindendo à peccato, ita potest per gratiam, sanitatem obtinere; & tametsi est in statu naturæ lapsæ; simul esse potest in statu gratiæ. atque hac ratione potissimum, statum gratiæ hîc accipimus.

Sed hîc in præteritis relinquenda non est 10.
quæstio illa à compluribus Theologis agitata, an status hic gratiæ si conferatur cum statu naturæ integræ; ita se habeat ad illum, vt possit ab eo seiugari, ac diuelli? Et quidem Scotus 2. dist. 29. quæstione 1. putauit re vera in Adamo fuis-

Digitized by Google

mo fuisse seiunctos hos status: creatum enim Adamum arbitratur cum integritate, & innocentia naturæ, tametsi absq; gratia; sed passim aliter censent Theologi, si de eo quod factum est loquamur, nam quamuis potuerit ita homo creari à Deo; reuera tamen cum gratia, eiusq; donis conditus est. Sunt qui credant gratiã non esse distinguendam à iustitia originali, quin ipsammet sanctificãtẽ gratiam per seipsam formaliter, vt aiunt, contulisse affirmant primo homini iustitiam, seu integritatem naturæ. vnde efficitur, quod ad formam ipsam attinet, vtrumque statum eundem esse, eoque duntaxat nomine differre, quod gratia quatenus integritatẽ naturæ dabat, fortior, ac vegetior erat, quam sit modo cum solam sanctitatem efficit. verum huic sententiæ Philosophia repugnat, quæ docet effectum formalem alicuius formæ nec impediri, nec immutari perseuerãte, & afficiente eadem forma subiectũ: ergo cum gratia nunc etiam nobis insit, & quod ad se attinet, possit formaliter vtrumque statum conferre, prout huius sententiæ Auctores affirmant, non est cur non vtrumque conferat. & hæc sententia Soti est lib. 1. de natur. & grat.

II. Vt igitur quid sentiendum sit dicamus, iuxta Francisci Suarij doctrinam obseruandũ est, secundùm Dei legem consuetam statum gratiæ ita respicere statum innocentiæ, seu integræ naturæ, vt sit respectu illius quasi fundamentum eius: statum verò innocentiæ, seu integritatis, aliquid formaliter addere statui gratiæ, quod ex se, ac formaliter in ipsa gratia non continetur, fauet D. Thom. p. part. quæst. 100. art. 1. Caiet. eadem 1. part. quæst. 95. art. 1. affert Suarius optimam rationem. nam licet integritas, vel innocentia naturæ formaliter consistat in aliqua perfectione, quam gratia formaliter non confert, Deus tamen noluit eam perfectionem conferre in hominem nisi iustum, & sibi amicum. ergo verosimile, ac credibile est, secundùm Dei legem ordinariam, hos duos status habere inter se connexionem aliquam. vnde fit vt gratia aliquo modo sit fundamẽtum innocentiæ, seu iustitiæ originalis, integritatisue naturæ, quæ etiam reuera dona sunt supernaturalia, id est, non debita naturæ, vt ex numer. 9. 10. constat. Porrò ordinatio, vel directio in finem supernaturalem per gratiam perficitur, quæ omninò necessaria est ad eum finem assequendum; quod non item naturæ integritati competit, quæ data videtur ipsi naturæ vt gratiæ inseruiret, & naturam illi perfectè obedientem redderet.

12. Vnde confici ait, gratiam non vocari originalis iustitiæ, vel integritatis fundamentum quod attinet ad propriam eiusdem iustitiæ perfectionem, quasi ea perfectio ex gratia quodammodo naturaliter existat, vel ei secundùm naturam suam debeatur, prout de virtutibus per se infusis dici consueuit, quippe quę eiusdem ordinis sunt cum gratia; perfectio verò hæc originalis iustitiæ diuersi ordinis à gratia est, & ob necessitatem duntaxat, & indigentiam subiecti concessa est, & iccirco non mirum quod Angelis collata non fuit, tametsi in eis reperire fuit initio conditionis gratiam cum omnibus suis naturalibus proprietatibus. Igitur ideò gratia dicitur originalis iustitiæ fundamentum, quia secundùm congruum ordinem, ac dispositionem diuinæ prouidentiæ supernaturalis, concessa est homini vt gratiæ inseruiret. Hinc efficitur statum innocentiæ adiunxisse statui gratiæ perfectionem quandam formaliter, ac re distinctam à gratia, quod experientia ipsa docet. reperitur enim in nobis gratia absque ea perfectione, quæ tamen ablata est culpa hominis in pœnam eius peccati. Soluitur & hinc illa alia quæstio, an iustitia originalis gratiam in se includat? cui sic doctè respondet Suarius: si iustitia originalis sumatur, quatenus claudit, & amplectitur totam hominis rectitudinem, tunc non dubium, quin etiam gratiam complectatur, tanquam radicem, & basim reliquorum bonorum: at si iustitia originalis præcisè accipiatur pro integritate, & perfectione, quam addebat vltra gratiam, ita illam non includit, quamuis in illa innititur, tanquam in fundamento; & hæc de quinque hominis statibus dicta sufficiant.

THEORIA III.

De corruptione naturæ.

I. IN quas homo calamitates, ac miserias propter peccatum inciderit, & in quam incurrerit naturæ corruptionem, operæ pretium erit nunc explicare. hoc enim est quod homo iste de Hierusalem in Iericho descendens, ex Sãctorum Patrũ, & interpretum sententia, nobis ob oculos ponit. equidem opinor, magnam inesse naturæ nostræ corruptionem, dubitari nullo modo posse. hoc enim, vt interim Scripturas omittam, varia testimonia Philosophorum, Poetarum, & communis penè omnium consensus ita confirmat, vt in controuersiam vocari non sinat. nesciebant quidem Philosophi, & Gentiles vnde, aut ex qua causa humanæ naturæ hoc tantum malum accidisset; iccirco plurimi eorum ipsius hominis naturam deplorabant, & infœlicem eius vitæ conditionem lamentabantur, affirmantes; *non satis posse æstimari parens melior homini, an tristior nouerca fuerit natura*: vt Plinius ait lib. 7. itaque multi extitere, qui non nasci optimum censerent, aut quam ocyssime aboleri: & fuerunt item qui dicerent, animam inclusam, vel etiam immersam corpori excœcari illic, & quasi contenebrescere, & impediri, quo minus possit clare intelligere, & propria hominis munera obire, aut etiam obliuisci omnium, cum olim fuisset sapiens, vt affirmabat Plato. nec defuere qui crederent, tanquam in carcere animam, sic in corpore contineri; quin & ei pœnam esse ob malefacta præterita, quod sit in corpore, ac proinde in malefactorum supplicium, ita includi, & velut in vincula conijci, quod idem Plato, Pythagoras, & alij dixerunt. propterea complures Philosophorum veterum, mille opprobrijs, & contumelijs naturam afficiunt, & cum ea grauiter expostulant, quod tot calamitatibus, tot miserijs hominẽ mulctauerit,

quod

quod tam angustis finibus vitam circumsepserit, vt cum primum dispicere verum incipiat, intereat, cuius conquestionis, seu criminationis exitstit, ni fallor, libellus Theophrasti.

2. Plinij de corruptione humanæ naturæ lamentatio.

Sed præstat audire Plinium, qui breui compendio totius naturæ hominis corruptionem, & ob eam causam plenas querimoniæ voces eleganter complectitur in procemio li. 7. *Ante omnia*, inquit, (natura) *vnum animantium cunctorum, alienis velat opibus: ceteris variè tegumenta tribuit, testas, cortices, coria*, &c. *hominem tantum nudum, & in nuda humo, natali die abijcit ad vagitus statim, & ploratum, nullumq; tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ principio, ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus: itaque fœliciter natus iacet, manibus, pedibusq; deuinctis, flens, animal ceteris imperaturum: & a supplicijs vitam auspicatur. vnam tantum ob culpam, quia natum est. Heu dementiam ab ijs initijs existimantium ad superbiam se genitos. prima roboris spes, primumq; temporis munus quadrupedi similem facit. quando homini incessus? quando vox? quando firmum cibis os? quandiu palpitans vertex, summæ inter cuncta animalia imbecillitatis indicium? iam morbi, totque medicinæ contra mala excogitatæ, & hæ quoque subinde nouitatibus victæ. cætera sentire naturam suam, alia pernicitatem vsurpare, alia præpetes volatus, alia vires, alia nare: hominem scire nihil sine doctrina, non fari, non ingredi, non vesci: breuiterq; non aliud natura spōte. quàm flere. itaq; multi exstitere, qui non nasci optimum censerent, aut quam ocyssimè aboleri. Vni animantium luctus est datus; vni luxuria, & quidem innumerabilibus modis, ac per singula membra: vni ambitio, vni auaritia, vni immensa viuendi cupido, vni superstitio, vni sepulturæ cura, atq; etiam post se de futuro. Nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido maior, nulli pauor confusior, nulli rabies acrior. denique cetera animantia in suo genere probè degunt. congregari videmus, & stare contra dissimilia. leonum feritas inter se non dimicat; serpentum morsus non petit serpentes: ne maris quidem bellua, ac pisces, nisi in diuersa genera, sæuiunt. At Hercule homini plurima ex homine sunt mala.* hæc ille.

3. Quare omnium ferè consensu, & conquestione hominum constat, corruptam esse hominis naturam. est enim corruptionis huius indicium procul dubio tanta Philosophorum lamentatio, tametsi nesciũt quid dicant, aut quid hoc sit, aut quare, aut ex qua causa eis contigerit. de quibus rectè pronunciauit Aug. lib. 4. in Iulian. c. 12. eos rem vidisse, causam ignorasse. vide hęc Ethnicorum testimonia apud Theodoretum lib. 5. de curandis Græcorum affectionibus non procul ab initio. & August. lib. 4. in Iulian. cap. 12. 13. 14. 15. & sanè ipsa ratio tacitè indicat has omnes calamitates non permissurum fuisse Deum optimum, & nostri generis amantissimum, vt essent in natura humana, nisi peccati alicuius magnitudo, tale supplicium commeruisset: vnde non mediocriter ratio ipsa naturalis, & veterum Philosophorum auctoritas fidem ipsam nostram corroborat. nec mirum fuisse, qui per has omnes miserias puniri peccata animarum in alia vita commissa suspicarentur. Testimonia verò sacrarum litterarum, atque etiam Sanctorum Patrum innumera adduci possent, vt ab adolescentia hominem procliuem esse ad malum. *Sentio aliam legem in membris meis.* & quæ in Genesi de peccato primi Parentis narrantur, &c. quæ quia clariora sunt, & magis in promptu, quam vt narratione egeant, vel probatione, prudens omitto. breuiter, sed verè scriptum est in Concil. Arausican. can. 1. & in Trident. sess. 5. Totum hominem secundùm corpus, & secundùm animam per Adami præuaricationem in deterius esse mutatum.

4. Decem lapsi hominis miseriæ.

Age iam paulò diligentius lapsi hominis vulnera, & corruptionem expendamus. & quidem in vniuersum. in primis omnes miseriæ naturæ humanæ, & calamitates ad decem has reuocari possunt, quas pluribus explicat Bellarmin. lib. 6. de amission. gratiæ cap. 15. Vna est ignorantia in mente, de qua Dauid Psalm. 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Etenim in paradiso nullus fuisset error, nulla deceptio, nulla ignorantia earum rerum, quæ pro loco & tempore scienda fuissent. hæc enim omnia mala, & pœnæ sunt peccati, teste August. Enchirid. cap. 24. 25. & lib. 3. de liber. arb. cap. 18. Et nullum sanè malum in paradiso fuisset, si Adam non peccasset, vt idem docet lib. 14. de Ciuit. cap. 10. Altera est malitia in voluntate, quæ ex peccato orta est vt Ecclesiastes 7. testatur. *Hoc inueni quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuit quæstionibus.* Tertia præcipuè debet numerari concupiscentia in parte inferiori, quam Roma. 7. Apostolus peccatum nominat, quod ex peccato nata sit. Quarta labor & dolor in corpore Genes. 3. *In sudore vultus tui vescēris pane tuo.* & Ecclesiastici 40. *Iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris ipsorũ, vsq; in diem sepulturæ in matrem omnium.* Quinta merito numerari potest mors Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hũc mundũ intrauit, & per peccatum mors.* Sexto loco poni potest ira Dei; quam esse pœnam peccati, qui de iustitia Dei non dubitat, dubitare non potest. His accedit septimò captiuitas sub diabolo, quam ex peccato natam docet Petrus epist. 2. c. 2. *A quo quis superatus est, huius & seruus est.* Octaua hominum est crudelitas in alios homines, & ipsa ex peccato initium habuit. hoc docet Iacobus cap. 4. *Vnde bella, & lites in vobis? nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?* concupiscentiam verò pœnam esse peccati, nemo dubitare potest. quare peccatum concupiscentiam genuit: hæc verò lites, & bella peperit, & cetera opera carnis, quæ numerat Apostol. ad Galat. 5.

1. Ignorantia in mente.

2. Malitia in voluntate.

3. Concupiscentia carnalis.

4. Labor & dolor in corpore.

5. Mors.

6. Ira Dei.

7 Captiuitas sub diabolo.

8. Crudelitas in alios.

Adde & nono loco inimicitiam, & rebellionem bestiarum: amisit enim homo propter peccatum liberam illam de animalibus, ac rebus alijs disponendi facultatem. sed tale dominium rerum exteriorum, & animalium vt voluntati, & voci hominis obediant, videmus quodammodo in sanctis restauratum per Iesu Christi gratiam. namque sæpe leonibus imperarunt, vt D. Antonius, & serpentibus, & obedierunt eis. ita S. Franciscus, Martinus, & alij quam plurimi miram animantium, etiam ferocissimorum obedientiam habuerunt: quod certè

9. Bestiarum rebellio.

certè non aliundè fiebat, nisi qu ia in eis gratia Dei sanauerat magna ex parte naturam;&, ticut inobedientia primi hominis erga Deum effecerat, vt bestiæ imperium hominis detrectarent; sic etiam perfecta obedientia Sanctorum erga Deum faciebat, vt animantia bruta antiquum imperium recognoscerent. Quare gratia videtur hac in re reparare naturam; & certè probabiliter sic dici potest. nam si res omnes propter hominem factæ sunt, saltem hæ inferiores, etsi ipse est earũ finis, ratio postulabat, vt ei essent plenè subiectæ, & vt eis vti posset, vt vellet suam vtilitatem, suumque bonum. sic cõditos fuisse primos parentes sat docet caput secundum Geneseos vbi Dei nutu animantia omnia venerunt ad hominem, vt ab eo, tanquã à proprio Rege ac Domino, nomen acciperẽt; & seruitutem, ac fidelitatẽ eidem quodãmodo & testarentur, & iurarent. Restat decima calamitas, qua comprehenduntur omnia mala, quę à cœlo, terra, mari patiuntur homines inuiti. docet id lib. Sap. ca. 5. vbi legimus; *armari creaturam ad vltionem inimicorum Dei, & pugnare cum illo orbem terrarum contra insensatos.*

10. calamitates à cœlo, terra, mari, &c.

6. Aliæ hominis lapsi calamitates.

Sed præter has calamitates eadem etiã corruptio naturæ multimodis ostendi potest ex nostro operandi modo, multis rationibus, vt docuit olim doctor Ledesma Societatis nostrę vir doctrina, & sanctitate vitæ conspicuus. & primum quidem ex repugnantia rectè agendi, & propensione ad malum. etenim humana natura ad suum bonum repugnantiam habet, & quo malus est bonum, & maior virtus maioré ad id pugnam & difficultatem sentit. item propensa est ad malum, & plerumque, quo maius est malum, eò ad id propensior. ergo corrupta est. in nulla enim alia re, vel natura hoc videre est, sed cætera omnia suum bonum volunt, & quò maius est bonum, eò magis id cupiunt, & suum malum fugiunt, & quò illud maius est, tanto maiore odio prosequuntur. Quis ergo non videat naturæ corruptionẽ ostendi, quòd grauatè ad suam perfectionem feratur homo, quòd ad suum malum sit procliuis?

1. Rectè agendi repugnantia.

7. 2. Benè agendi perardua difficultas.

Deinde idem declaratur ex perardua rectè agendi difficultate, ex procliuitate ad peccandum. nam mancam, & debilem esse oportet naturam illam, quæ tanta cum asperitate, & labore virtutis opera, ac suum bonum operatur. verisimum est enim illud Pauli: *velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio*. nam necesse est, si integra est natura, fortiter, & suauiter vt operetur, suumque bonum assequatur, vt in ceteris alijs creaturis videre est. at homo facilè quidem quod paruum est agit, difficile autem quod rectum est, tametsi id velit. ergo indiciũ hoc est perspicuum infirmitatis, & debilitatis humanæ. etenim quid causse est, aut quæ id ratio postulat, vt peccatum, cùm sit operatio cõtra naturam, debeat esse facile, virtus verò, quę secundùm naturam est, debeat esse difficilis? hoc sanè rationi dissonum, & rectæ naturæ contrarium videtur.

8.

Sed fortasis Philosophus aliquis naturæ inuestigator dicat, habitus malos prius acquisitos causam esse huius repugnantiæ, & difficultatis, & malam omnium educationem, præsertim cùm à primis incunabulis, vsq; ad tredecimũ ferme annum sensu agamur solum, vt bruta, non ratione; Verum esto hoc aliquã ingerat difficultatẽ, non tamen omnem, habitus namq; cõtrarij per contrarios actus deleri, & superari queunt. at non ita fit, sed semper manet repugnantia totius vitæ tempore. etsi enim Nestorios annos viuas rectè semper agendo, vt facilius tunc opereris, quam initio, nihilominus qualem qualem semper tamen experieris repugnantiam, & difficultatem. huius ergo caussa non sunt solum habitus prius parti, sed aliud quid altius in natura insidens. quid quod etiam in ijs, in quibus nullum acquisiuimus vnquam, neque habuimus malum habitum, eandem difficultatem experimur, vt ad amorem Dei super omnia, ad timorem Dei, ad eius venerationem, cultum, iustitiam, &c.

9. 3. Diuturnã propriæ operationis priuatio.

Deinde idem declarat diuturna priuatio propriæ operationis. nam vt concedam malos habitus ante vsum rationis partes impedire: rogo, nũquid simile videat Philosophus in alijs creaturis, vt per duos, vel quatuor annos, ne dum per viginti, assuescant operibus cõtrarijs, in quibus se postea debent exercere, & cessent tamdiu proprias actiones exercere? Cur ergo homines, rationalia animalia, contrarijs operibus in initio delectantur? cur præcipua eorum vitæ pars vacat actione illis propria? an non hoc naturæ corruptionem aperte indicat?

10. 4. Inconstãtia in agẽdo.

Declarat item naturæ corruptionem ipsa in actione constantia, lætitia, ac tristitia; nam res aliæ constantes ac stabiles. perdurant in suis actionibus, quæ sunt præsertim naturæ ipsarum consentaneæ, vt ignis, aër, plantæ, cœlum, bruta in his, quæ ad eorum naturam pertinent, idẽ semper expetunt; at homo in bono inconstans, in malo videtur obstinatior. adhæc omnes homines, si naturam solam spectes, maiorem sentiunt voluptatem in praua, quàm in bona actione, quia etiam tristitiam, etiam dolorem in bona. an non igitur hoc naturæ corruptionem clare indicat? hoc ipsum ostendit affectuum contrarietas & oppositio, quam in se vno, eodemque tempore experitur homo. nunc aliquid cupit interdum, quod tamen rationem sequens non vult, vt accidit in continente, vnde manifeste intelligere licet incorrupta, ac dissoluta natura partes sibi inuicem contrarijs motibus aduersari. his accedit quod ipsa etiam voluntas distrahitur aliquando, & anceps est, ac perplexa, & huc illuc rapitur, vt ignoret quid ipsamet velit, cum alia res nulla sic anceps sit in suis operationibus.

5. quòd nemo sua viuat sorte contentus.

Postremò illud indubitanter tenendum est, certissimum deprauatæ naturæ, ac dissolutæ argumentum esse, quod nullus in hac vita contentus viuat, sed semper aliud cupiat, quàm quod habet. Verum hæc omnia naturæ mala, omnis hæc totius hominis corruptio tanquam ex primario fonte ex ipsa concupiscentia oritur. hæc est, quæ semper contra rationem stat contra Deum, idque per omnem vitam. hæc in cunctis se operibus immiscet. hinc ergo illæ lacrymæ, hoc est, illa quam dixi, agendi difficultas promanat. hæc est, de qua Paulus Romanorum 7. 23. *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege*

in lege peccati. & iterum 19. 20. *non quod volo bonum hoc facio; sed quod odi malum, hoc ago. si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud; sed quod habitat in me peccatum*, hoc est concupiscentia. hinc nascitur intestinum illud bellum, quod vsque ad mortem finiri non potest. propter quod exclamat Paulus Romanorum 7. 24. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* porrò quantum imperium aduersus rationem hæc pestis acceperit, & quam debiles sint rationis vires contra impetum huius indomitæ feræ, testatur adolescentium plurimorum interitus, qui incredibili fœdissimarum voluptatum incendio consumuntur; testatur nouæ, & inauditæ libidinum adinuentiones; testantur ieiunia, vigiliæ, sacci, humicubationes, spinarum aculei, quæ sanctissimi homines huic malo opponebant, testantur ea, quæ in sacris libris de Sampsone, Salomone, Dauide leguntur. quid quæris? testatur ipsa singulis penè momentis tam crudelis, & intestinæ pugnæ singulorum experientia. ecce tibi lector veluti ob oculos propositam tui ipsius corruptionem, quam tum ex querelis Philosophorum, tum ex enumeratione decem calamitatum, tum ex modo operãdi hominis hactenus demonstrauimus. hanc ergo corruptionem, hanc pestem aliud nihil poterit à nobis expellere, quam sola Domini nostri Iesu Christi gratia.

DIGRESSIO I. MORALIS.

Agitur de desiderio quo Patres olim Messiæ aduentum desiderabant, & quid dilectio, & quod ex timore fit.

1. Beatitudo videntium Christũ olim in carne præsentem.

Beati oculi, qui vident quæ vos videtis] quam dulce fuerit, quam suaue iustis, & non hominibus Christum in carne videre, docet Bernardus sermone sexto in Ascensione Domini. *Beati*, inquit, *oculi, qui videbant Dominum maiestatis in carne præsentem, auctorem vniuersitatis inter homines conuersantem, virtutibus coruscantem, infirmos curantem, mare calcantem, mortuos suscitantem, dæmonijs imperantem, & per omnia statem similem hominibus conferentem, mitem, & humilem corde, benignum, affabilem, misericordiæ visceribus affluentem, agnum Dei peccatum non habentem, & omnium peccata portantem; beatæ aures, quæ verba vitæ ab ipsius incarnati verbi ore percipere merebantur, quibus enarrabat vnigenitus, qui est in sinu Patris, & nota faciebat quæcumque audisset à Patre, vt fluenta doctrinæ cœlestis ab ipsius veritatis purissimo fonte haurirent, vniuersis postmodum gentibus propinanda, immò eructanda portarent.* sic piè Bernardus.

2. Quare minimè mirum videri debet, si omnes Patriarchæ, omnes Prophetæ, omnes iusti tanto desiderio, tam inflammato studio tenerentur olim præsentem videndi promissum Israeli Dominum gloriæ audiendi verba, exosculandi impressa terræ vestigia, hoc est, quod sponsa indicabat Canticorum primo, cùm diceret; *Osculetur me osculo oris sui*, vbi verbum, Nasak, & osculari, & erudire

A significat. nec sine causa ambigua voce vsus est Spiritus sanctus, vt admoneremur sub carnali verborum sono sensum spiritualis eruditionis refertissimum latere. *Osculetur me*, ait sponsa vel Ecclesia, *osculo* illo vsque adeò mihi expetito, tamdiu desiderato, & efflagitato. non est autem otiosum quod additur: *oris sui*; sed valde emphaticum, q. d. cæterorum repudio, illius, quem diligit anima mea solius osculum oris admisero. osculum autem rectè aliqui huiusmodi oris Verbum æternum intelligunt, quod ex ore altissimi prodiuit per ineffabilem, & minimè comprehensam genitum intellectionem. promissę olim erant Verbi, & Ecclesiæ nuptiæ, idque ab initio mundi, vt ex Adami verbis constat. *hoc nunc os ex ossibus meis*, Gen. 2. 23. *& erunt duo in carne vna*, v.
B 24. siquidem hæc de Christo & Ecclesia accipit Paul. Eph. 5. 32. quid plura. tẽpore legis naturæ, & legis Moysaicæ per internũtios Patriarchas, & Prophetas repetita isthæc nuptiarum promissio fuit, & varijs figuris repræsentata. sed interim ad quatuor annorum millia lapsa fuerant, proinde tanta mora, tam ardens, & exæstuans desiderium Ecclesiæ excitauit. iccirco rogat vt mittat cœlestis Pater, vel tandem aliquando Vnigenitum Filium suum, tædio sibi iam esse, ac nauseæ tot internuntios: veniat, inquit, ipse: *Osculetur me osculo oris sui*, vt vna secum caro efficiatur, humanæ naturæ in diuinam hypostasim assumptione.

Causæ tam inflammati desiderij plurimæ erant, indigebat sponsa Ecclesia in primis reconciliari, quam tamen pacem dato osculo
C redditam nuntiarunt Angeli canentes: *Pax hominibus bonæ voluntatis.* egebat Ecclesia ductore, & doctore propter densissimas errorum tenebras, quas non ignorabat per alium expelli posse neminem, quam per optati sponsi aduentum. adhæc desiderabat ijs frui bonis, quæ spõso inesse non dubitabat. nimirum pulchritudine, potentia, diuitijs, sciebat Regem Regum esse, & Dominum Dominantium, Regem gloriæ, & Principem Pacis. sciebat solarium, *cuius pulchritudinem sol & luna miratur, speciosum forma præ Filijs hominum.* nouerat totum esse desiderabilem, *in quem Angeli desiderant prospicere. desiderium collium æternorum*, quia ipsi colles æterni, hoc est, antiqui Patres ab initio nascentis mundi Messiam desiderabant. non ignorabat esse potentem; *potestas* enim *eius à mari vsque ad mare.* esse diuitem:
D *Gloria, & diuitiæ in domo eius*, & torrentes in eo esse voluptatis; legerat honorandum esse muneribus, *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent.* dicerat cunctas illi gentes obsequuturas fore; *omnes gentes seruient ei*; cuius futura erat laus immensa: omnes enim gentes magnificant eum. an non igitur tanti sponsi optandum erat osculum, in quo caro carni iungitur. & spiritus spiritui sociatur? vt sic & Christus per carnem Ecclesiæ iungeretur, & Ecclesia eius Diuinitati per spiritum sociaretur.

Accendebant, & inflammabant hæc Ecclesiæ vota, desideria diutissimè dilata, & vtrimque sponsi, sponsæque amor mutuus. qua de re

4. Quantopere Christi aduentus olim desideratus.

lege D. Ambro. ser. 1. in Psalm. 118. & D. Chrysost. homilia de turture tom. 5. hinc illę voces: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Isai. 45. & iterum: *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes.* Isai. 64. quapropter merito *desideratus cunctis gentibus* est appellatus Messias. Aggæi 2. *Veniet desideratus cunctis gentibus, vt intelligas,* inquit, Richardus Victorinus lib. de Incarn. parte 1. cap. 8. *In omni gente aliquos aliquando in eius desiderio flagrasse.* erat igitur eius aduentus à multis gentibus præcognitus, & ardenter desideratus, proinde non est dictum, *veniet* desiderandus, *sed desideratus cunctis gentibus*, quod ergo de Salomone dixit Regina Saba 3. Reg. 10. 8. multo verius dicebat Ecclesia sponsi aduentum suspirans: *Beati viri tui, & beati serui tui, qui stabunt coram te semper, & audient sapientiam tuam.* quâobrem vt ibidem dicitur: *Magnificatus est Rex Salomon super omnes Reges terræ, diuitijs, & sapientia, & vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius*; quanto magis Christi vultus, & sapientia desiderabilis erat, & expetenda.

5. Dauid ille egregius Dei Vates præ nimio desiderio sibi factæ promissionis de futuro Messia suo de sanguine propagando, quid dicat audi Psalm. 118. 81. *Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum superspraui.* quæ verba Ambrosius eleganter exposuit, & piè in eundem Psalm. serm. 11. *Vt de vsu*, ait, *capiamus exemplum, quicquid est, quod vehementer expetimus, nisi eius maturiorem habeamus effectum, id nos videtur longa quadam intentione lassare: amor impatiens diu, noctuq; si diutius potiendi desideria differantur, ipsa deficit expectatione, dum sperat; in quo vtiq; non finis amoris, sed incrementum est; & quicquid est desiderabile, si non cõtingat desideranti, deficit in illud, & quasi ipsam deponit animam, qui desiderat: si tamen spes propior assurgat, dat vires spes proxima: si autem absentia sit dilecti, eo ipso quo absentem desiderat, qui concupiuit, animæ suæ patitur defectionẽ. Itaq; quanto longius illud est quod desideratur, tanto magis deficit, qui desiderat: idem ergo deficere est, in id vnumquemq; tot studijs migrare, quod diligit; illud cogitat, illi adhæret, illud personat, quod receperit diligendum, in id quadam animæ defectione transfunditur: vt si mater filij exspectet præsentiam, quemadmodum expectabat Tobiæ vxor filium peregrinantem, deficiẽs à desiderio, & in angustijs constituta, & tanquam resoluta viribus. quid enim aliud, nisi defectum quendam eius verba significant? sed quo magis lassatur affectus, eo amplius amor crescit; quò diutius abest qui desideratur, eò expectantis desideria maiori quadam vi amoris igneſcunt; caro deficit, sed cupiditas alitur, & augetur. hinc ergò colligere possumus, quid sit, defecit in salutare tuum anima mea.* Hæc Ambros. his similitudinibus Dauidis, ac Patrũ desiderium exponens. de hoc eodem Patrum desiderio videat lector quæ diximus prima parte dilucidationum capite quinto, digressione sexta, nu. 1. 2. 3.

6. *Diliges Dominum Deum tuum*] de dilectione hic & sequenti digressi. agendum erit aptè ad mores: colligemus quæ magis vtilia videbuntur. & primus accedat Honorius, qui scribens in ea verba Canticorum 8. 7. *Aquæ multæ non potuerunt*, &cæt. docet quid sit dilectio, & quis eius auctor. *Videndũ*, inquit, *quid sit dilectio. Dilectio est magna appetitio alicuius rei perfruendæ, quã quis habere cupit. hæc diuiditur in duo, in dilectionem videlicet Dei, & proximi. dilectio Dei est, omnia commoda, & incommoda contemnere causſa perfruendi Deo. hac tribus verbis impletur, vt diligamus Deum ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute, id est, sensu, & ratione, & intellectu. dilectio proximi est priuata commoda postponere gratia perfruendi amico. hæc per duo præcepta impletur, scilicet quod tibi fieri non vis, alij ne feceris, & quod vultis vt faciant vobis homines, facite eis similiter. nemo vult damnum pati? nemini faciat. omnes volunt sibi in necessitate subueniri? alijs in necessitate subueniant. hoc totum per illud impletur, declina à malo, & fac bonum* (Psalm. 36. 37.) *proximo damnum non inferre, est à malo declinare; in necessitate proximo subuenire, est bonum facere. ideò lex scripta erat in duabus tabulis, quia continet in se duo præcepta Charitatis.* sic ille, qui cætera vlterius prosequutus docet timorem auctorem esse charitatis, sic scribens.

Dilectionis definitio.

Dilectio duplex est, Dei, & proximi, & quid vtraque.

Timor est auctor charitatis. est aũt timor anxietas periclitandi, qui diuiditur in duo, videlicet in seruilẽ & filialẽ timorem. seruilis timor est malum deuitare ne supplicium à Domino luat; filialis timor est bonum facere, ne offensam Patris incurrat. seruilis timor animam penetrat, vt ferrum acutum corium terebrat: timor, filialis dilectum animæ inducit, vt animam alliget Deo sicut seta linũ inducit, vt coriũ colliget; ferrum durum est seruilis timor, seta minus dura est filialis timor, linũ lene est dilectio. ferrũ, & seta exeũt, linũ intus permanet; sic charitas timorẽ expellit, ipsa intus remanet. item timor diuiditur in duo, est enim timor Dei, & timor seculi. de timore seculi dicitur: perfecta Christus foras mittit timorem 1. Io. 4. 18. *timor Dei est veneratio Dei, qui habet duas species cùm amator Dei timet se vel aliquid de mandatis Dei neglexisse, vel non ad placitum mandata Dei omnia impleuisse: timor autem seculi habet quatuor species, quæ sunt timor vilitatis, cum quis malum perpetrat, ne alijs vilis appareat, v. g. cum quis homicidium, vel adulterium facit, ne homicidis, & adulteris vilis sit. timor fragilitatis est, cum quis malum, scilicet homicidia, vel rapinas, vel incendia perpetrat, ne à Dominis suis temporalia beneficia perdat. timor mundanus est, cum quis malum deuitat, ne supplicium luat, vt puta cum quis deuitat furtum, quia timet suspendium; vel diuitat sacrilegiũ, quia timet crucifragium* (alioqui facturus.) *Timor seruilis, vel Iudaicus, cùm quis legis mandata facit, ne à lege damnetur. duæ species priores impellunt ad malum, duæ sequentes retrahunt à malo; quas omnes charitas foras mittit, quæ sola dilectione instituæ bonum facit.* sed aduerte cum hic auctor dicit timorẽ filialẽ esse vt setam, quæ exit inducto lino; id est dilectione, esse intelligendum id de timore filiali imperfecto, qui habet annexum seruilem adhuc, & dici solet initialis; is enim per perfectã charitatem quantum ad seruilem cum illo cõiunctum expellitur. alioqui filialis timor manet cum charitate; & ex illa oritur. seruilis quoque aliquis bonus esse potest, qualis est pœnarum inferni, vnde quis retrahitur ne velit malè agere, non quod in pœna ponat summum malum; stat cum imperfecta adhuc charitate, & multo magis initialis. hinc patet quid sit di-

7. Timoris definitio. Diuiditur in seruilem & filialem & quid vterq;.

Digitized by Google

dilectio,& quod timor charitatem inuehere in animam ſoleat. iam de dignitate charitatis dicamus.

DIGRESSIO II. MORALIS.

De dignitate,& præſtantia charitatis.

I. Confertur charitas cum gratia.

SVNT ſanè tot laudes,& encomia charitatis,tanta dignitas,tantus fulgor,vt nullum ſit inter dona Dei, vnam ſi demas gratiam, quod cum illa comparari poſsit. gratia enim, vt hoc obiter attingam, perfectiorem non dubito eſſe charitate, tum quod maior quædam eſt participatio diuinæ naturæ, quam ſit charitas; tum quod gratia charitatem reſpicit, ſicut natura proprietatem; tum denique quia formaliter conſtituit filium Dei adoptiuum, & hæredem,& quaſi Deum per participationem, cum reddat hominem diuinæ conſortem naturæ. cùm verò Ioannes dicit: *videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* non accipit charitatem pro principio diſponente,vel præparante hominem ad diligendum Deum, ſed quatenus ſignificat interdum integrum vinculum amicitiæ inter hominem & Deum; quomodo fortè & Paulus ſumpſit, dum dixit: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per inhabitantem ſpiritum eius in nobis*, ita enim complectitur non ſolum habitum, quo diligimus Deum, ſed etiam gratiam, qua nos diligit Deus, vel potius ad quam aliquo modo primo,& per ſe terminatur amor, & amicitia Dei erga nos. ſic Euſeb. lib. de præpar. Euang. cap. 1.& Bernard. homil. 83. in Cant. explicant hoc vocabulum charitatis aliquando ſumi: quamuis etiã ratione ſui actus dici poſsit charitas Filium Dei facere; diſponit enim dilectio ipſa ad hoc hominem vt diligatur à Deo, & ita dicitur Ioa. 14. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* formaliter tamen gratia eſt, quæ, vt dat eſſe diuinum, dat & eſſe Filium Dei adoptiuum.

2. Confertur charitas cum lumine gloriæ.

Porrò tanta eſt gratiæ excellentia, vt ſi conferatur cum lumine gloriæ,& clara Dei viſione, quicquid aliqui dixerint, arbitrer eam in genere, vt aiunt, entis, vel qualitatis eſſe perfectiorem, nam etiam reſpicit lumen ipſum gloriæ tanquam eſſentia potentiam; viſionem verò velut principium remotum ſuam operationem. quamuis non ſit negandum, quod in ratione actus ſecundi,& vltimi, viſio gratiam præcedat. adde, quod nondum conſtat, vtra perfectior affectio,& qualitas ſit, charitas ne, an lumen gloriæ, vnde fit, vt qua ratione præfertur gratia charitati, poſsit præferri & lumini gloriæ. hæc quæ de gratiæ dignitate diximus, eſſe de ſententia Franciſci Suarij viri doctiſsimi audio, in diſputationibus de gratia. qui etiam affirmat gratiam eſſe qualitatem ſumme perfectam, quæ fortaſſe de potentia abſoluta eſſe queat. nã vt ipſe ait, cũ viſio ſit ſumme perfecta in ſpecie viſionis creatæ, ſit, vt forma illa, cui talis viſio debetur, tanquam connaturalis beatitudo,& hereditas, hoc eſt, ipſa gratia, cui, quà dat eſſe diuinum, competit diuina filiatio formaliter, ac propterea beatitudo, & hæreditas; ſumme etiam perfecta ſit neceſſe eſt. Adde quod charitas ſola, non ſatis eſt vt faciat amicum Dei, niſi adſit gratia; nam amicitia præter mutuam beneuolẽtiam exigit proportionem, & æqualitatem quandam ex Ariſt. 8. Ethic. ca. 7.& lib. 9. cap. 8. ait enim inter alia, quod licet ſit aliqua amicitia excellentiæ, vt eſſe poſsit opus eſt, vt inferior ad conuenientem dignitatem attollatur, quo fiat congrua proportio, & communicatio bonorum, cuius rei optimum exemplum habes 1. Machab. 10. vbi Alexander volens contrahere amicitiam cum Ionatha, prius ad illũ miſit purpuram, & coronam auream. quare Hieron. dixit in Mich. 7. *amicitia pares aut accipit, aut facit.* cùm ergo proportio hæc, ſeu proportionalis æqualitas inter Deum, & hominem non fiat ratione amoris, cùm poſsit eſſe perfectus ex natura ſua amor,& non amicitia, (amat enim Herus vel dominus ſeruum fidelem, ſed non dicitur eius amicus, niſi extollat eum) hinc fit, vt niſi adſit gratia, per quã formaliter fit æqualitas (dat enim eſſe diuinum) non poſsit conſtare amicitia inter Deum,& hominem. Verum licet charitas inferior ſit gratia, hinc tamẽ incipit ei⁹ dignitas, quod nulla ſit magis cum gratia coniuncta, atque connexa, nulla magis indiuulſa eius comes, nulla certior nota præſentis gratiæ ſicut charitas.

3. Extollit charitatem auctoritate Patrum.

Veteres Patres innumeris,& incredibilibus encomijs hanc virtutem inprimis extollunt. Tertullianus de patientia vocat eam ſummum fidei Sacramentum, Chriſtiani nomini theſaurum, quam Apoſtolus totis viribus Spiritus ſancti commendat. Clemens Alexandrinus in Paren. præcipuum hominis Chriſtiani munus. Cyprianus de patientia: Fundamentum pacis, tenacitatem ac firmitatem vnitatis, quæ & opera, & martyria præcedit. Nazianzen. epiſt. 20. ad Euſeb. doctrinæ noſtræ caput. Hieron. ad Theophil. in Ioann. Hieroſ. cunctarum virtutum matrem. Emphrem. doctrin. de humil. omnium virtutum columnam. Chryſoſt. lib. 2. de ſacerd. antecellere omnibus Dei donis Auguſt. ſerm. 53. de tempore: arcem omnium virtutum; Proſper l. 3. ca. 13. affectionem omnium potentiſsimam in omnibus ſemper inuictam, actionum bonarum ſummam, ſalutem morũ, finem cœleſtium præceptorum, mortem criminum, vitam virtutum,&c. Cyrill. Alexand. in 13. Ioann. omni virtute conſtantem. Grego. lib. 6. epiſt. 60. Matrem,& cuſtodiam omnium bonorum. Bernar. epiſt. 2. hominum matrem, & Angelorum, non ſolum quæ in terris, ſed etiam quæ in cœlo ſunt pacificantem. Vide noſtrum Ioann. Buſæum in amœno illo ſuo viridario V. charitas.

Quod ſi ſummæ laudi iure tribui ſolet ſumma poteſtas, hinc quoque maximè commendãda eſt charitas. etenim incredibilis plãnè eſt huius virtutis potentia, inuictum ſanè robur, inexpugnabiles vires. audi quid Philo Carpathius de ea ſcribat in Cant. cap. 8. v. 7. *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, &c. *qui diuina*, inquit, *charitate vallati ſunt, atq; muniti. & ſi vi tentationum ſæpe premuntur, & diaboli inſidijs, ac mundi turbidinibus velut ingruentium imbrium,*

atq; fluuiorum impetu, patiuntur, nunquam tamen euelli, nusquam expugnari possunt; sed inuictam semper, atque inconcussam vim amoris tuentur illæsi, diuina gratia protegente. cum enim alias sponsæ veluti flammarum ignis esse dixit, ardore Spiritus sancti accensam animã nullis aquis, hoc est, perturbationibus, & viribus populorum, atque pressuris, non modo exstingui, sed ne quidem vinci posse declarat, adeò vi cœlestis amoris in Deo ipso roboratur, & crescit. hic enim cœlestis ignis non aquarum fluctibus, non fluuiorum impetu, non vllo ventorum turbine extingui potest, quin flatibus aduersis in dies magis ac magis accenditur, inflammaturq; vehementius, nec vlla quamuis maxima, rerum iniuria lædi potest; scriptũ est enim: Quicunque audierit verba hæc, & fecerit, comparabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super firmam petram, descendit enim pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, in eamq; impetum fecere, nec ipsa tamẽ corruit. fundata enim erat super petram (Matth. 7. 24.) hoc igitur igne salutari, qui consumit nec absumitur, qui ardet, nec amburit, inflammat, nec ladit, conflagremus oportet, de quo Saluator dixit: ego veni mittere ignem in genus humanum, & quid volo nisi vt ardeant? ex Luca 12. 49. Aduerte quod cum Philo alas sponsæ nominat veluti flammarũ ignis, respicit verba illa: *Lampades eius, lampades ignis, atq; flammarum.* vox enim hebræa, Risphe, significat prunas copioso lucentes, & candentes igne, & præcopia illius scintillãtes, & stricturas, scintillasq; emittentes: Vnde vox traducta fuit ad omnia missilia, atque volatilia. quare septuaginta loco, *lampades*, à volatus celeritate πτέρυγας, alas, seu volatilia verterunt.

5. Rectè proinde Cant. 8. 6. dicitur: *fortis est vt mors dilectio.* quod Augustin. in Psalm. 121. declarans; *Magnum*, inquit, *verbum, fratres, valida est sicut mors dilectio. magnificentius exprimi non potuit fortitudo charitatis. quis enim resistit morti? Resistitur ignibus, vndis, ferro, resistitur potestatibus, resistitur regibus. venit vna mors, quis ei resistit? nihil est illa fortius. propterea viribus eius, charitas comparata est. quia enim ipsa charitas occidit quod fuimus, vt simus, quod non eramus, facit in nobis quamdam mortem dilectio. ipsa morte mortuus erat, qui dicebat: Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. ipsa morte mortui erant, quibus dicebat. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* D. quoq; Greg. eadem verba expendens: *Fortis est vt mors dilectio. Benè*, inquit, *procul dubio fortis vt mors dilectio esse dicitur, quia dum per dilectionem à vitijs mortificamur, quod mors agit in sensibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. sunt enim nonnulli, qui sic diligunt Deum, vt omnia visibilia negligant, & dum in æterna, mente tendunt, ad omnia temporalia penè insensibiles fiunt. in his nimirũ vt mors dilectio fortis existit, quia sicut mors exteriores corporis sensus ab omni proprio, & naturali appetitu interficit, sic dilectio in talibus viris omnia terrena desideria contemnere mentem alias intentam compellit. huiusmodi mortuis, & vitis dicebat Apostolus: mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* Coloss. 3. 3. *hi procul dubio vitam suam cum Christo abscondunt, quia dum omnia, quæ videmus, postponant his, quæ non videmus, in beatitudine, scilicet Christi veraciter, & secretè viuunt. quia enim falsam vitam despiciunt, quæ visibiliter apparet, in vera vita se abscondunt, quæ non nisi inuisibilibus oculis se manifestat.* magna igitur est charitatis potentia, magnum robur.

6. Charitas militari vexillo assimilatur.

Verum quis verbis satis consequi possit quantum illa pro Christo certantibus roboris, & fiduciæ addat? Vexillum militare est charitas, quod incredibilem nostris hostibus metum injicit, quo conspecto, sicut illos ingens animæ defectio, ac virium inuadit, ita Christianis militibus incredibilem in modum animos addit, & vires sufficit. hoc significant ea verba Cant. cap. 2. 4. *Ordinauit in me charitatem*, in quẽ locum sic scribit Martinus Delrius: Quemadmodum milites in periculo ad suum sese vexillum recipiunt; sic quotquot in Ecclesia militant ad vnam charitatem omnes confluant necesse est: quia hac velut tessera filij Dei à ceteris dignoscuntur; & Deus tunc nos suæ militiæ ascripsit, quando charitatem in cordibus nostris diffudit: quisquis hoc vexillum repudiat, & mortuam fidem sequi mauult, transfuga est, infidelis est. hoc nobis hebræa verba significant. noster interpres loco vexilli ordines militum, licet obscure substituit. nam *ordinauit in me charitatem*, non aliud est, quam si dixisset, statuit me sub vexillo charitatis, iussit in me hoc ordine militare: in hoc ergo ordine, in hac amoris vexillatione, stationem nostram ne deseramus. etenim sub hoc vexillo positos fugient, quamuis innumeræ dæmonum phalanges, & à nobis auersæ in turpem fugam illico se conijcient.

7. Illud est aduertendum, hæc verba: *ordinauit in me charitatem*, rectè interpretari ita nos posse ex Heb. *Vexillum eius super me, amor.* vt fit sensus: dilectus meus sustulit super me vexillum suum, hoc est, charitatem. porrò eleuatio vexilli (quod benè obseruat Gisselius in hunc locum Cant.) in Scripturis sacris tribus modis solet vsurpari, vel ad designandam populi conuocationem vt Esai. 62. 10. *Præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, & eleuate signum ad populos*: vel ad indicendum bellum: Hierem. 51. 27. *Leuate signum in terra, clangite buccina in gentibus, sanctificate super eam gentes*; & Isai. 5. 26. *Et eleuabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter veniet.* vel ad significandum propositum itineris ducem, ita cùm mouebant castra Israelitæ in deserto, singulæ tribus erigebãt vexilla, vt vnusquisque proprium sequeretur; similiter, & cum castrametabantur singuli iuxtà proprium vexillum castra locabant Numerorum 2. 2. *Singuli per turmas, signa, atquẽ vexilla, & domos cognationum suarum castrametabuntur filiorum Israel per gyrum tabernaculi fœderis.*

8. Igitur cum sponsa, vel Ecclesia ait: *ordinauit in me charitatem.* i. ex hebræo, *vexillum eius super me, amor*; significat in primis se ad charitatem, tãquam ad proprium Christi vexillum à Christo esse conuocatam, quod Ioann. 15. 17. docemur illis verbis: *Hæc mando vobis vt diligatis inuicem.* & 13. 34. *mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* nimirum hoc præcepto charitatis, vt suo proprio vexillo, ad perfectionis apicem dux ipse Christus à Deo missus, suos milites aduocat, & inuitat, vt & alibi inquit, cũ de dilectione loqueretur Matth.

5.48. *Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* indicat deinde illis eisdem verbis eadem Ecclesia sponsa Christi, ad bellum se quoque vocari sublato charitatis vexillo. nam cum militia sit vita hominis super terrã, aptè satis charitas pro vexillo proponitur militanti Ecclesiæ vt quanto studio sit conseruãda, & ab hostium insidijs defendenda, quisque intelligat, nam quia nihil æquè est in bello, quod magis milites totis viribus seruare contendunt, ac vexillum (hinc enim vitam, hinc victoriam pendere arbitrantur) ideò vexillo charitatem, quam supra cætera omnia caram habere, & custodire decet, comparat.

9. Itaq; charitas pro vexillo proponitur Ecclesiæ militanti, vt tanto ardentiori studio accendatur ad dimicandum cum hostibus, qui ipsam maximè charitatem, è fidelium cordibus deprædari, ac demoliri pro viribus contendunt. consueuerant nonnunquam Romani duces in confertas hostium acies vexillum proijcere, vt ex Liuio lib. 34. vbi Romanorum bellum cum Gallis enarratur, colligere est; quod eo consilio faciebant, vt vehementius militum animos ad recipiendum, & recuperandum illud stimularent. ita Christus summus omnium Imperator, istud ipsum charitatis vexillũ tunc quasi in medias iniicit hostium turmas, cum milites suos charitate feruentes, tentationibus concuti sinit à diabolo, mundo carne; cum illos exponit pressuris, persequutionibus, spoliationibus bonorum, impiorum contumelijs, supplicijs, morti deniq; ipsi. & quidem nullo vnquam tempore veri Christi milites magis inflammato studio arma capiunt, bellum ineunt, hostem inuadũt, quam cum charitatis vexillum in discrimen, periculumque adduci vident; nimirum vt charitatis vexillũ, à quo toti dependent, & quo amisso sat sciunt omnium bonorum suorum simul iacturam fieri, tutentur. instar omniũ sit tibi Paulus egregius Christi miles. cum enim impeti se, atque bello ab hoste vrgeri conspicabatur, sumptis animis, ad vexillum accurrens, eiq; totus inhærens exclamabat. *Quis separabit nos à charitate Christi, an angustia, an fames, &c. certus sum, quia neque mors, neq; vita, neq; Angeli, &c. neq; alia creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Roman. 7. 35.

10. Postremò illis eisdem verbis: *ordinauit in me charitatem*, seu, *vexillum eius super me amor*; ostendit Ecclesia charitatem tanquam Christi ducis vexillum ante oculos sibi esse propositã, quam semper debeat intueri, sæpe sequi, si recto, ac securo tramite velit incedere. neque id mirum videri debet, quod ita velit Christus, vt charitati inhæreamus, vt cũ nulla alia re illi magis coniungamur, quam charitate nullo meliore modo ipsum præ nimio generis nostri amore crucem humeris gestantem, & præsertim imitemur. *estote*, inquit Paulus Eph. 5. 1. *imitatores Dei, sicut filij carissimi, & ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit nos.* vide igitur quanta sit charitatis fortitudo, & simul eius adorare dignitatem. hinc ergo liquet quanta sit charitatis fortitudo, & quanta propterea dignitas. neque hic finis.

11. Eandem huius virtutis præstantiam, varia

A nomina, illustres tituli, egregiæ similitudines, quibus vel à Scripturis, vel à sanctis exornatur manifestè declarant. est charitas excellentior illa via, quã demonstrat nobis Apost. 1. Cor. 12. *Excellentiorem*, inquit, *viam vobis demonstro.* Græc. καθ' ὑπερβολὴν, hoc est, *secundum hyperbolem, & excellentiam.* per hanc sanè viam semper incedendum, & neque ad dexteram, neque ad lævã deflectẽdum est, si ad cœleste domicilium tandem aliquando peruenire cupimus. *Ambulate*, inquit Apostolus Eph. 5. *in dilectione*; hæc est regia via, quam tenere debemus, quia lex est regalis, teste Iacobo cap. 2. *si tamen legem perficitis regalem secundùm Scripturas: diliges proximum tuũ sicut teipsum, benefacitis.* eia igitur Christi milites, agite, *via regia* simul gradiamur, *donec* huius vitæ nostræ *terminos transeamus*, Nu. 21. in hanc viam regiam reliquæ omnes virtutum viæ confluunt, ac ducunt. hæc eadem celsissima scala Iacob est, cui Deus innititur, Gen. 28. quæ à terra in cœlum vsque dirigitur, per quam Angeli, & qui inter homines Angelis sunt similes, ascendunt, primum ad Deum amandum, mox descendunt ad proximos iuuandos.

Charitas excellentior via dicitur.

B

12. Charitas, quæ Regina virtutum omnium est, cuius in ceteras incredibilis fulgor emanat, soli comparatur, quemadmodum ceteræ virtutes stellis similiores sunt, si cum illa conferantur, stellæ simul omnes sole destitutæ dẽ efficere minimè possunt, ita reliquę virtutes dempto sole Charitatis diuinũ animæ afferre splendorem non possunt. ipsa est, quæ ceterarum splendorem suã luce quodammodo obscurat, neque tamen eripit, sed lucem confert. ipsa est, quæ diem efficit virtutibus, tanquã fulgentissimis stellis circumdata, ipsa est, quæ tanquam virtutum mater, vt eam B. Iustin. lib. de ligno vitæ cap. 3. nuncupat, virtutes ceteras alit, refouet, roborat, sustinet. quæ si præmoriatur, protinus filiæ, occumbente matre, moriuntur, nam quamuis maneat ea abeunte fides infusa, maneat spes, maneant virtutes aliæ acquisitæ, vita tamen destitutæ relinquuntur. radix est virtutum charitas, viuunt rami, fructusque proferũt, modo viuat radix, ita quoque vna si viuat charitas in homine, & ceteræ viuant virtutes, fructusque pariant necesse est.

Charitati similes comparantur.

C

13. Ex hac radice merita proficiscuntur, quæ sine illa, nulla esse possunt, vt merito Apostolus dixerit 1. Cor. 13. *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita, vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, sine charitate*, inquit August. lib. 15. de Trinit. ca. 18. *potest fides esse, sed non & prodesse.* proinde iure optimo charitas Apo. 3. aurum vocatur: *suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum vt locuples fias*, qui charitate primatus dicit, *Diues sum & locupletatus, & nullius egeo*, nescit quia est, *miser, & miserabilis, & pauper*, &c. verè is diues est, qui Deo plenus est, at qui *plenius est charitate*, vt ait August. Psalmi 98. *plenus est Deo.* ergo opulentissimus est.

Sine charitate nihil sumus.

D

14. *Charitas vinum est, quo inebriatur anima*, inquit Guilhelmus Cant. cap. 8. in v. 2. *dabo tibi poculum ex vino condito, sed non simplex vinum. charitas enim, numquam sola est, nunquam sine aliis virtutibus est. vinum ergo conditum est patientia,*

Charitas vino comparatur.

humilitate, obedientia, castitate, cæterisq; virtutibus. Hæc pigmenta sunt, quibus conditur vinum charitatis. Itaque (inquit sponsa) *dabo tibi poculum ex vino condito, id est, gratiarum actionem ex sancti amoris feruore procedentem. non enim tepidè, vel insipidè gratias agam tibi. sed* (vt decet) *in multo feruore, & suauitate amoris. præterea dabo tibi mustum malorum granatorum. non enim tantummodo de feruore, & dulcedine animi gratias ago tibi in memetipsa, sed verbo & exemplo faciam in amorem tuũ spiritus feruere multorum: in tantum, vt moriendo pro te gloriosi martyres fieri valeant, qui per mala rubea figurantur, quod cùm factum fuerit, erunt mala granata mea, id est, ad gloriam meam in amore Christi rubentia. quotquot per me ad hanc excellentem profecerint charitatem.* Sic ille egregiè. vt habes apud Delrium eodem loco in Cant.

15. Verum illud proprium charitatis est, vt, tãquam cœlestis ignis semper, & ardeat, & luceat in cordibus sanctorum. idem Guilhelmus in eã Cant. verba: *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum. Lampades*, inquit, *charitatis, id est, in quibus ardet charitas, corda sanctorum sunt. in his sanè oleum gratia est, quo accenditur, aliturq; ignis charitatis: sine hoc oleo ignis iste friget, quoniam aliũde ardere non habet, quantum habet olei, tantum ardet, & ardendo non minuit sibi oleum, sed auget. Sic enim hoc loco ignis iste alitur, vt tamen ab hoc igne oleum istud nihil dispendij patiatur. itaq; quantũ est oleum in lampadibus, tantus est ignis; quantus ignis, tanta & flamma; id est, quanta est gratia in Sanctorũ cordibus, tanta charitas; quanta charitas, tantus & zelus. per flammas etenim rectè signatur, & erumpens zelus, flamma ex igne prodeunt. Zelus ex charitate: & sicut per erumpentes flammas ignis, ita per erumpentem zelum charitas declaratur: habent aũt erũpentes flammæ splendorem, & calorem, sic & zelus charitatis splendet enim proximis, id est, clarè innotescit; quos etiam ad amorem virtutis excitando calefacit. Lampades ergo charitatis, id est, corda sanctorum non sunt vacuæ, & frigida lampades, quales fuerunt virginum fatuarum: sed propter oleum gratiæ quo refertæ sunt, lampades ignis, atq; flammarũ, quia nimirum ardent in eis amor & zelus; quantum autẽ ardeant, ex eo quod sequitur intimatur. aquæ, inquit, multæ non potuerunt* &c. Hæc Guilhelmus.

Caritas igni comparatur.

16. Sanè charitatem esse ignem dicimus, quem Deus in altari semper ardere præcipiebat Leuitic. 6. 12. *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subijciens ligna.* hoc igne in ara cordis nostri accenso, omnia nostra desideria, omnemque voluntatem quotidie Deo immolare debemus. diuinus hic amor currus est igneus, quo ascendit Elias in cœlum. Nec dubitandum; quin nos etiam illuc asportaturus sit. quoniam verò Christi Euangelium, lex est amoris, rectè proinde Deuter. 23. scriptum est: apparuisse eum de monte Pharan legem igneam dextera tenentem, quia futurum profectò erat, vt cùm aliquãdo promulgandi Euangelij tempus aduentaret, apparerent Christi discipulis dispertitæ linguæ tanquam ignis, cùm repleti sunt Spiritu sancto. Hic est ignis de quo Christus Lucæ 12. *Ignem*, ait, *veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?* Hæc terra cor nostrum est. nam sicut frigidum hoc & infimum terræ elementum in media est mundi sede conglobatum, sic, inquit Stapletonus in promptuario morali Dominicæ 12. cor humanum in medio corporis est constitutum. iubet Deus, vt cor nostrum diuina concipiat, quæ illud immortalitatis studio accendant, & inflamment. *præbe mihi*, inquit Deus Prouerbiorum 14. *fili cor tuum.* totum cor postulat, totum meretur, nec nisi totum ei placere potest. væ qui alienum ignem in corde suo tamquam in thuribulo, ponit, propterea enim Aaronis filij Leuitic. 10. igne combusti sunt, quoniam in thuribulo alienum ignem posuerunt. quid verò aliud ignis alienus in thuribulo est, quàm mundi amor in corde? contra hos vehementer D. Iacobus reprehendit cap. 4. *Adulteri nescitis quod amicitia huius mundi inimica est Dei? quicumq; igitur voluerit amicus esse huius sæculi, inimicus Dei cõstituitur.* de his & Oseas cap. 10. 2. loquitur: *Diuersum est cor eorum, nunc interibunt.* verè hoc. nam cordis diuisio mors est animæ. non talis Paulus, cuius cor non alium quam charitatis ignem fouebat. *Mihi*, inquit, *mundus crucifixus est, & ego mundo.* & iterum: *iam non viuo ego, sed viuit in me Christus. sic est*, inquit Ansel. epist. 2. ad Vgonem, de corde hominis, & amore Dei, *quomodo de vase, & oleo, nam sicut vas, quanto magis habet aquam, aut alium similem liquorem, tanto minus capit oleum, ita cor, in quantum occupatur alio humore, excludit diuinum.*

DIGRESSIO III. MORALIS.

De dilectione Dei.

1. HACTENVS potiùs in vniuersum de caritate, & dignitate charitatis loquuti sumus. nunc quædam magis speciatim præsertim de dilectione Dei in vnum colligemus. Sunt enim duo charitatis præcepta. dilectio Dei, & proximi, de qua postea. quomodo verò non sit tertium præceptum de amore sui, diximus in scholijs num. 17. Porrò hæc duo præcepta sunt veluti duo crura illa, de quibus Cantic. 5. 15. *crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Gregorius Nyssenus homilia 14. duo charitatis præcepta interpretatur esse, mystici corporis Christi, & Ecclesiæ crura, quibus vniuersa Dei lex tamquam cruribus facilè percurritur; quæ etiam rectè columnæ marmoreæ appellantur, quia *in his duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ.* Matth. 22. 40. hæc item siue crura, siue columnas dici, ait Nyssenus fundatas; & innixas super bases aureas, nimirum super Dei, & proximi charitatem, cui innititur vniuersum vitæ spiritualis ædificium.

2. Sed enim primum illud præceptum charitatis Dei; *maximum, & primũ* vocatur à Christo Matt. 22. 38. & iure quidẽ multis de causis. primum quia præcipuè, & maximè à Deo præceptum; accuratè, ac sedulò à nobis quærendũ est, maximam in hac vita pacem, & tranquillitatẽ, in altera verò maximam mercedẽ affert, si impleatur; maximè verò in inferno puniendũ, si negligatur. deinde maximũ mãdatũ dicitur, quia sine eo reliqua nihil sunt; *qui* enim *non diligit,*

manet in morte 1.Ioan.2. maximum sanè præceptū est, quo præsente alioqui per se parua, magna euadunt, Matth.10. *Qui enim dederit calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, non perdet mercedem suam*, hoc est, amplissimam accipiet. 3.maximum præceptum charitas, quia mensura magnitudinis, tum hominum, tum Angelorum ipsa est. tanto enim maior, tanto præstantior est, siue homo, siue Angelus, quanto maiorem habet dilectionem. *Quantitas*, ait Bernard. cant. serm.37. *cuiusque animæ æstimatur de mensura charitatis, quam habet.* quod ex Paulo 1.Cor. 13. confirmari potest. Sit enim quispiam eloquentia maximus, linguis hominum, & Angelorum magna cū auditorum admiratione loquatur, careat autem charitate, paruus est, *æs sonans, & cymbalū tinniens.* sit alius maximus fide, prophetia, scientia, adde, si vis, mysteriorum omnium cognitionem; si sine charitate est, exiguus est; dicam clarius, nihil est sententia Pauli. Finge alium quantumuis largitate maximū, laborum, cruciatuum, mortisq; tolerantia illustrissimum, priuatus aūt sit charitate, pusillus est, nihil illi prodest, videlicet ad æternam gloriam consequendam. iunge simul omnes, & in vnum coge cunctos, diuitijs, nobilitate, honoribus, fortitudine, imperio, adde & quæcūq; in mentem venerint ornamenta, si charitate destituantur vna, non modò non maximi, verùm minimi habendi sunt.

3. Quartò verè maximum mandatum, sine quo nō modò vt dixi nihil magnum sit, nihil excelsum, sed ēt nihil quod Deo placeat: *si quis* enim, inquit Paul.1.Cor.16. 22. *non amet Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, maranatha.* i. à communi Ecclesiæ corpore alienus sit, vel dignus est qui excōmunicetur, seu perdatur. monet aūt Theodoret. hoc interesse inter eos, qui corpora amant, & eos, qui Deū caritatis amore prosequuntur, quod illi in amore socios, ac riuales non ferunt, hi verò nihil magis expetunt, quàm vt multi eumdem Deum secum ament. quare Apostolus: qui Christum non amat, ab Ecclesia resecat. D. verò Ambr. vult significari à Paulo Christum ipsum esse anathema ijs, qui ipsum non diligunt: *sicut illis*, inquit, *qui eum amant, redemptio venturus est Christus, ita qui eum nō amant, anathema sit*; id est, vt illos abominetur, & perdat. quod verò additur *maranatha*, magis Syrum est, quàm Hebræum, vt Hierony. ait, idem est, quod *Dominus noster venit*, vt sit sensus: Dominus quippè noster venit, & quicquid ad humanam salutem pertinet, cumulatissimè præstitit, & indigna pro hominibus passus, & tandem ignominiosissimam mortem pro eisdem subijt, vt iure optimo execratione digni sint illi, qui eum non diligunt, & tanto beneficio ingrati eius fidem aut non complectuntur, aut deserunt. Ambros. & alij de altero aduentu accipiunt ad extremum iudicij diem, ita vt more Scripturarum, quod certo futurum est, verbo præteriti temporis exprimatur, hoc modo: sit anathema vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi. Huc videtur respexisse Clemens epistola 2. dum ait: *Hæc igitur frater Iacobe de ore sancti Petri iubentis audiui, si quis præcepta hæc non integra custodierit, sit anathema vsque ad aduentum Domini nostri IESV*

A CHRISTI: sic Sanctus Augustinus epist.178. & alij.

D. Chrysostomus hoc vno verbo (*anathema*) *Vniuersos*, inquit, *perterruit Apostolus: qui membra sua faciebant membra meretricis, qui fratres idolothytorum vsu offendebant, qui certos sibi magistros deligebant, quos potissimùm sequerentur, qui denique de resurrectione quoquomodo dubitabāt: vt enim vehemens in Christum amor, & charitas omnia prorsus vitia, atq; peccata longissimè abigit; ita si refrigescat, viā pænè omnibus aditum parat. quocirca, qui Christum, inquit, non amat, sit anathema.*

Quintò maximum præceptum charitas est, & supremum locum in Scripturis obtinens, quod docuit Augustinus Psalm.103. qui ea verba: *qui tegis aquis superiora eius*, hoc est, cœli; de charitate interpretatus est. nam cœlum, Scripturam sacram, altissimam simul, ac profundissimam significare censet, aquas verò ipsam charitatem: *per Spiritum sanctum diffusam in cordibus nostris.* Romanorum 5. tegit ergo charitas superiora Scripturæ, quia eius præceptum reliqua omnia Scripturæ præcepta excedit. *Quæ sunt*, inquit Augustinus, *superiora sanctæ Scripturæ? quid inuenimus in Scripturis sanctis superius? Paulum interroga, supereminentiorem viam, si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* ibidem cap.131. sic Augustinus. vnde patet charitatem illis aquis, *quæ super cœlos sunt*, esse significatam, *quando enim iussit, vt fieret firmamentum*, inquit D. Augustinus, *inter aquas, & aquas factum est, vt sint aquæ inferiores, quæ perfundunt terras, & sint aquæ superiores remotæ ab affectibus, tamen fidei commendatæ.*

C Sextò maximum præceptum charitas, quia similimum Christo facit, veluti in Christum transferens hominem. quod explicans Guilhelmus Cant. 8. in illa: *Pone me vt signaculum* &c. *quam fortis*, inquit, *est mors? amicitias, iunctissimasq; substantias, & quas nihil aliud dirimere potest, animam scilicet, & corpus potenter dissociat. sic & virtus charitatis hominem & mundum, quantalibet sibi pace cohæreant, sola fortiter dirimit, atq; etiā eo ipso hominem Deo cohærere facit. & quidem homo quamdiu per amorem inhæret mūdo, proculdubio mūdum ponit vt signaculū super cor suum, vt signaculū super brachium suum; mundo se intus, & foris voluntate, & opere vt signaculo imprimit, & quanto magis illi per amorē imprimitur, tāto illi cōformior efficitur: sed caritas hominē mundo conformē transformat, quia* D *vt signaculū, ita & formā mutat. hominem ab amore mundi potenter auellens, insigniendū nouo signaculo Christo imprimit, & sic per expressionem nouæ formæ veterē expellit, & quanto magis hominem ab amore mundi separat, tanto magis illum per conformitatem Christi transformat: cùm aūt perfectè fuerit transformatus, hilari cōscientia cū Paulo dicit. Viuo ego iam nō ego, viuit verò in me Christus. & illud eiusdem Apostoli: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Septimò hinc fit, vt quoniam caritas Christo simillimum facit, & ipsa maxima pulchritudo sit, omnem aliam exsuperans virtutum pulchritudinem, & pulcherrimum efficiat eū, in quo est: id quod terreno amori nulli conceditur, vt proinde ob id tantùm maximum quoque dici debeat charitatis præceptum. quod

D.Au-

D. Auguſt. tract. 9. in epiſt. Ioa. egregiè docet: *diligendo pulchri efficimur*, inquit, *quid facit homo deformis, & diſtorta facie, ſi amat pulcram? aut quid facit fœmina deformis nigra, & diſtorta ſi amet pulchrum? numquid amando poteſt eſſe formoſus, quando in ſpeculo videt, erubeſcit faciem ſuam leuare ad illam formoſam, quam amat. quid facit vt pulcra ſit? expectat, & expectando ſenectus additur, & turpiorem facit, non eſt ergo quod des illi conſilium, niſi vt compeſcat ſe, & non audeat amare impar imparem. Anima noſtra fœda eſt per iniquitatem, amando Deũ pulcra efficitur. Qualis amor eſt, qui reddit pulchram amantem? Deus autem ſemper pulcher eſt, nunquam deformis: amauit nos prior, qui ſemper eſt pulcher: & quales amauit, niſi fœdos, & deformes? non ideo tamen, vt fœdos dimitteret, ſed vt mutaret, & ex deformi pulchrum faceret. Erimus pulchri amando Deum, qui pulcher eſt: quantum in te creſcit amor, tantum creſcit pulchritudo; quia ipſa charitas eſt anima pulchritudo.*

7. Iam verò conſideremus ea, quæ in nobis Dei amorem excitare poſſunt. imprimis ergo accendit Dei charitatẽ, eamq; exſuſcitat in nobis videre, quod naturæ noſtræ valdè conueniens, & maximè rationi conſentanea ſit. etenim natura vnicuiq; rei inſitum eſt, vt finem ſuum aliquo modo appetat. atqui Deus vltimus finis noſter, & tota noſtra beatitudo eſt, neq; eſt aliud, in quo hominis voluntas omninò cõquieſcat. eſt igitur hic appetitus Dei & amor noſtræ naturæ conſentiens, & maximè congruus; quamuis illum ſolis naturæ viribus conſequi minimè valeamus. Naturale item eſt, vt vnaquæq; pars ſuum totum diligat; at Deus quaſi totum quoddam noſtrum eſt, noſq; particula eius, non per naturam, ſed per gratiam, quę nos conſortes naturæ diuinæ fecit. Ad hoc, ſecundùm naturam fit, vt illud amemus, quod noſtrum eſt, amat enim vnuſquiſq; quod ſuũ eſt, pater filium, filius patrem, ſponſa ſponſum, ruſticus agrum &c. atqui hîc audiuimus: *diliges Dominum Deum tuum.* eſt enim pater noſter propter in nos collata beneficia innumera; eſt noſter Dominus poteſtate; Deus noſter electiõe. elegit enim nos in filio ſuo renatos in peculiũ. & populum ſuum, vt olim in Abraham, Iſaac, & Iacob dilectis amicis ſuis veterem populum elegerat; poſtea verò etiã nouo redemptionis beneficio filius ipſe Dei Deus, factus eſt caro noſtra, & frater noſter, cũ quo communem Patrem habemus in cœlis, quo eum nomine quotidie inuocamus. neq; nõ eſt naturale cur filius Patrem, ſeruus dominum, populus regem, frater fratrem ſuum, & carnem ſuam diligat. quis ergo negare audeat præceptum hoc dilectionis Dei valdè noſtræ naturę, ac rationi congruum, & conſentaneum eſſe?

Argumenta quædam ad amorem Dei excitandum.

8. Id quod & hac ratione confirmare poſſumus. Animaduertere ſiquidem eſt, quæcumque à Deo in lucem hanc edita ſunt, ſuum certum locum, ac finem ſortiri, in quo tamquam in ſuo centro tandem conquieſcant. ſi ergo quis attẽtè conſideret, intelliget ſanè nihil eſſe in rebus creatis, in quo tanquam in termino, & certo loco planè conquieſcat homo. cùm igitur nihil inter res creatas ſit, quod hominis appetitum explere poſſit, clariſſimũ hoc argumentum eſt, non eſſe propter cæteras res, quæ à Deo condi-

A tæ ſunt, factum hominem, ſed propter ſolum Deum. ipſum eſſe centrum, ipſum certum locum, ipſum finem, ac beatitudinem hominis, ipſum denique veram, ſolidamque hæreditatem, vt dicere poſſit. *Dominus pars hæreditatis meæ, & portio mea in terra viuentium.* Itaque quemadmodum auibus naturalis eſt aër, & piſcibus æquor, ſic proprius hominis locus eſt Deus, & fruſtra alibi quærit vbi quieſcat. *Feciſti*, inquit Auguſtinus, *nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec conquieſcat in te.* Auiculæ caueis incluſæ, tametſi optimis cibis copiosè nutriantur, numquam tamen quieſcunt, verùm perpetuò ſaltitant, egredi è cauea quærentes, vt ad proprium, & optatum aëris elementum tandem aliquando perueniant; ſic animus noſter, veluti quadam corporis cauea B incluſus, vtcumque falſis cupiditatibus deprauatus, & fluxis iſtis caduciſque bonis intentus, quietem tamen, & ſatietatem, niſi in ſolo Deo inuenire non poteſt. propterea Deus hominem ſolum ad ſuam imaginem, & ſimilitudinem creauit. videigitur, atque iterum diligenter attende, ô homo, cuius ſis imago, & inſcriptiõ, ſanè non alterius, quàm Dei. Redde ergo quæ Dei ſunt Deo; da te totum Deo, illum cole, illum toto corde, tota anima, totis viribus ama, extra quem nuſquam quietem, nuſquam verum gaudium, nihil quo perfectè explearis, deprehendes. Hæc pluribus Stapletonus proſequitur Domin. 12. poſt Pentecoſt.

9. Oſtendit ex Scripturis diuinum amorem erga nos.

Verùm diligens meditatio diuini erga homines amoris, maximum adiumentum eſt ad accendendam in nobis diuini amoris flammã. C audi igitur quid ſacræ literæ de propenſa Dei in nos voluntate contineant. Primum nobis proponunt ingens illud amoris opus, quo nos è nihilo eduxit, & creauit, cùm tamen nihil ipſe noſtri egeret, qui totus ex ſeſe aptus eſt, neque ab vllo vnquam pendere poteſt. Deut. 32. 6. *Numquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?* Sed neque quicquam iſto inferius eſt alterum amoris opus, quo nos ſemel conditos perpetuò conſeruat. Pſalm. 103. 28. 29. 30. *Dante te illis colligent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* eſt tertium maximum, & incomprehenſum amoris opus, quo à diaboli nos tyrannide exemit per redemptionem, & de eius poteſtate, & faucibus extraxit. D *Ecce*, inquit Iſai. 62. 11. *dicite filiæ Sion, ecce Saluator tuus venit: ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo, & vocabunt eos, populus ſanctus, redempti à Domino. tu autem vocaberis quæſita ciuitas, & non derelicta.* Verùm quis quatuor illa amoris opera ſatis explicet? prædeſtinationis dico beneficium, & vocationis, iuſtificationis, denique glorificationis, quę vna ſententia breuiter cõplexus eſt Apoſt. Rom. 8. 28. *quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ipſe ſit primogenitus in multis fratribus. quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.*

Cæterùm

10. Cæterùm tanta est diuini amoris magnitudo, vt omnem in se amorem cuiuscumque complectatur, & longo post se interuallo relinquat. hinc fit vt se patrem, & matrem omnium nostrum vocet in Scripturis Ier. 31. 9 *factus sum Israeli pater, & Ephraim primogenitus meus est.* & Isa. quoque 66. 13. *quomodo si cui mater blandiatur, ita & ego consolabor vos.* & cap. 49. 15. *numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Tantus est enim eius amor, vt in modum amantissimæ matris quodammodo nequeat filios obliuioni tradere. quin in hoc etiam matrum omnium amorem longè exsuperat, quia neutiquam instar plurimarum matrum filios suos nutricibus alèndos tradit; verùm ipse cum materno, paternoque amore etiam nutricij dilectionem filijs suis exhibet; hinc illæ voces amoris plenissimæ Oseæ 11. 3. *Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis, & nescierunt quod curarem eos.* Quid, quod etiam hominum se filium effecit, & hoc titulo non rarò gloriari visus est. hinc enim factum est, vt se filium hominis nuncuparit, ne hûc nobis amorem non exhibuisse, & superasse etiam crederetur, magno olim Ecclesia desiderio tenebatur, antequam Dei filius hominem indueret videndi illum, & tanquam fratrem habendi, quod desiderium ostendit sponsa Cantic. 8. 1 *quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te?* expleuit ex suo aduentu hoc Ecclesiæ desiderium Christus, nostram carnem iam indutus, vnde Apostolus Heb. 2. 11. *non confunditur*, inquit, *fratres eos vocare; dicens: nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te:* & v. 17. *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: vnde debuit per omnia fratribus similari*, & ne quid deesset tanto amori, etiam & se eiusdem Ecclesiæ amicum exhibuit fidelissimum; sit enim non rarò, vt amicitiæ amor tam magnus sit, tam constans, vt fraternum etiam excedat; ideo talem se amicum gessisse ipsum docuit sponsa Cantic. 5. 16. *talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus filiæ Ierusalem.* His ergo & similitudinibus, & nominibus ostendit Scriptura immensam illam diuini amoris magnitudinem, quàuis nullis quanta planè sit verbis, exprimi queat. Quis igitur ad tam dulcem patrem, ad tam carissimam matrem, fratrem, amicum, filium super omnia amandum non vehementer excitetur? quis suum Creatorem, Conseruatorem, Redemptorem, quis vt vno verbo dicam largissimum benefactorem suum non totis viribus amet, & magno studio complectatur.

11. Quod si non alia essent, quæ diuinum in nobis amorem exstimularent, certè vnum illud sufficeret argumentum, quod in DEO omnes rationes, omnes tituli cumulatè reperiantur, quibus excogitari potest amore aliquis esse dignus. Nam si sapientiam admiraris, & suspicis, nullibi eam magis inuenies, quàm in Deo, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Colossens. 2. 3. si pulchritudinem amas, *speciosus est forma præ filijs hominum, & claritas Dei illuminauit eam* (Ierusalem) *& lucerna eius est agnus*, & *in quem desiderant Angeli prospicere* 1. Petri 1. 12. *& adimplebis me lætitia cum vultu tuo* Psalm. 15. 10. si te potentia oblectat, si fortitudine delectaris ipse est *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.* si amore gloriæ, & diuitiarum tangeris, nonne *gloria & diuitiæ in domo eius*, nonne ipse est, *quem laudant astra matutina*? an non Cœli *enarrant gloriam eius*? fortassis voluptate caperis? non desunt illi veræ, & immensæ voluptates, cui dicitur. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* si cibi saturitas cordi est, si rerum abundantia placet, *inebriabuntur ab vbertate domus eius, qui possident eum.* Denique nihil est bonum, nihil pulchrum, nihil excelsum, quod non cumulatè, & suprema quadam ratione sit in Deo, vnde est quicquid boni esse, aut vspiam inueniri potest.

12. Quocirca propter seipsum Deus super omnia amandus est; sed si non propter seipsum, saltem propter teipsum, Deum ama. Proprium enim tuæ voluptatis obiectum, ipsum bonum est; insitum autem est omnibus natura, vt bonum appetant, ita vt nihil prorsus diligatur, nisi speciem habeat aliquem boni; cùm igitur Deus totius sit bonitatis fons, & cuiusque nostrum supremum bonum, necessario super omnia diligendus est. Si radium exiguum bonitatis eius in aliqua creatura amas, & guttula fontis huius admirandum in modum tibi placet; qui fit, vt solem ipsum iustitiæ, & perennem bonitatis fontem non admireris, ames, colas? satis ad rem nostram accommodatè Diuus Basilius allata etiam in medium similitudine hoc ipsum docuit lib. de vera Virginitate, *sicut is*, ait, *qui in sole magistrum alloquitur, non magnoperè curat intueri vmbram manuum ipsius motum consequentem, totiusq; formæ lineamenta imitantem, sed totus ex ore præceptoris pendet: ita anima humana omnem corpoream pulchritudinem nonnisi vmbram diuinæ reputans, ideoq; eam vel non inspiciens, vel certè negligens, ad præceptorem, sponsumq; suum Deum tota intentione conuersa huius tantum pulchritudinem admiratur, & præcepta exequitur.* Sic ille, & verè. Deus enim non modò bonus, sed ipsum bonum est. ob id rectè Augustinus. *bonum hoc*, inquit, *& bonum illud, tolle hoc, & tolle illud, & vide ipsum bonum si potes; ita Deum videbis non alio bono bonum, sed bonum omnis boni.* quare idem Aug. ait: *quid per multa vagaris homuncio quærendo bona anima tua, quærendo, & non inueniendo? ama vnum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit.* hoc intellexerat D. Franciscus, & ideo identidem repetebat: *Deus meus, & omne bonum meum.*

13. Cæterum plurima fiet ad amorem diuinum accessio in nobis, si ille cum aliarum rerum amatoribus conferatur; nam experientia ipsa constat, quod si quis amet, & persequatur mundi honores, & gloriam, si opes, ac prædia, si corporis, ac sensuum voluptates, si coronas, & imperia, si homines quoscumque diligat, non posse in eis pacem, & tranquillitatem, & cordis quietem inuenire. afferùt potiùs huiusmodi amores perturbationum, & amaritudinis plurimum: interdum satiant, numquam explent. cùm contra amoris Dei ea sit natura, vt plurimũ dulcedinis, ac suauitatis afferat; vt ille

Contra mũdi amorem.

agno-

agnouit, qui dicebat: *renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Psalm. 76. quemadmodum enim si ossa in humano corpore laxentur, numquam inuenire poterit homo requiem, quousque in suum restituantur locum; ita cum amoris nostri locus Deus planè sit, vt dictum est etiam nu. 8. solus ipse mentem explet; capacem enim Deitatis, omne quod Deo minus est, nequaquam implet, sic piè Carolus Regius libr. 9. oration. Christian. cap. 42. numer. 7.

14. Tres caussæ excitandi in nobis amorem.

Quocirca cùm tria sint in vniuersum principia, & caussæ, quæ amorem valeant in nobis excitare, hæc simul omnia in amādo Deo præcipuam quamdam efficacitatem habent. Prima caussa est ipsum amoris obiectum, videlicet bonum, hoc enim est quod omnia appetunt. atqui ostensum est superius num. 11. 12. Deum & fontem esse omnis bonitatis, & omnia complecti, quæ amorem excitare possunt. Altera caussa est similitudo aliqua inter personam, vel rem, quæ repræsentatur, & ipsum amantem, plurimum enim eiusmodi similitudo momenti habet in amando: sed & hanc non deesse inter Deum, & hominem satis indicatum est num. præsertim 10. Postrema caussa cùm quis se ab alio amari aduertit, est enim amor amoris incitamentum; ostensum verò est num. 9. & 10. quam magnus sit Dei erga nostrum genus amor; certe amor nulla meliori ratione, quam amore compensatur: redamandus est igitur præcipuè Deus; ad quod nos excitat Apostolus diuini amoris magnitudinem erga nos significans, *Deus*, inquit, *qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam*, vide amoris magnitudinem simul cum altissima amantis persona, *cùm essemus mortui peccatis conuiuificauit nos in Christo*, ecce indignitatem nostram; igitur si amare pigebat, saltem redamare non pigeat, lege plura apud eundem Carolum loc. cit.

15. De modo diligendi Deū.

Si fortassis roget quis, quomodo sit diligendus Deus, huic ego quæstioni nulla melius ratione occurri posse arbitror, quàm hac similitudine à Diuo Chrysostomo allata homilia 26. ex varijs in Matthæum locis: *ecce*, inquit, *si vir habeat vxorem, quomodo cognoscitur vxoris plena dilectio? vxor neminem debet sapientiorem putare, quàm virum suum; & si sit alter sapientior, tamen sapientiorem esse alterum intelligere non debet. vxor neminem fortiorem debet putare, quàm virum suum; & si sit alter fortior, tamen illa intelligere non debet esse alterum fortiorem. Vxor neminem debet formosiorem putare quam virum suum; & si sit alter formosior, tamen coràm oculis eius alter formosior non debet apparere. Perfectus enim amor, & perfectum odium verum iudicium non cognoscit: vt puta si perfectè odias aliquem, qualiacumque fuerint apud illum, omnia tibi displicent, siue quæ loquitur, siue quæ agit: & sunt bona, tamen tibi mala videntur; sic & si perfectè aliquem amas, quæcumque sunt apud eum tibi placent, siue quæ loquitur, siue quæ agit: & si mala sunt, tamen tibi bona videntur. Ergo & vxor si videns aliquem dixerit, quam sapiens vir, vtinam vir meus talis esset, iam amor eius minus habet de perfecto amore. Sic ergo & omnis anima Christiana, quæ sponsa est Christi, ita debet diligere Deum, vt nihil sit in mundo, quod amplius amet quàm Deum.* Sic D. Chrysostomus.

16. De nostra tepiditate in diligendo Deo.

Sed proh dolor quam paruus est noster erga Deum amor, quanta tepiditas, quanta frigiditas! *Pro amico*, inquit idem Diuus Chrysostomus homil. 3. in 1. ad Timotheum: *sæpius & contumelias & inimicitias suscipimus; Christi verò gratia nullus inimicitiam suscipit: amicum fame confectum nunquam omninò despicimus; Christum verò quotidiè venientem ad nos, neque pane dignamur: idq; cum crapula distenti ructemus, plurimique ex nobis meretricibus largiamur, alij parasitis, assentatoribus alij, alij item monstris, & fatuis, & nanis: quippe & hi naturæ defectus sunt, quibus pro delectatione vtimur. Amicis nunquam inuidemus: at in Christo hoc patimur; plusq; amicitiam valere, qui diligenter inspiciat animaduertet, quam timorem Dei. Nam stimulator, & fascinator, & inuidus homines plusquam Deum reueretur. Quo pacto? iam dicā; quod scilicet cùm Deus inspiciat cor, fraudes concinnare non desinit: sin verò hominem se intueri peruiderit, pallet, erubescit, atque confunditur. Rursus ad amicum, cum aliqua affectione vexatur, soliciti pergimus: & si modicum distulerimus, reprehensionem expauescimus. at verò cùm Christus sæpè in carcere in suis membris moriatur, eum ne visitamus quidem. ad amicos autem fideles, non ideo quod fideles sint, sed quia sunt amici, proficiscimur. Vides vt nihil Dei metu, nihilq; ipsius amore perpetretur à nobis, sed omnia partim amicitia, partim consuetudine facimus? amicum peregrè cùm proficisci cernimus, lugemus, ingemiscimus, illacrymamur: & si mortuum videre contigerit, plangimus; & quidem cum certo nouerimus ipsum à nobis non perpetuò esse separandum, propter resurrectionis Sacramentum. At cùm Christus quotidie separetur à nobis, immò cùm ipsum diebus singulis à nostro arceamus ingressu, neq; dolemus, neq; durū aliquid, & acerbum nos pati arbitramur.* sic meritò de nostra tepiditate & ingratitudine conqueritur Chrysost. verùm nos à primo, & maximo dilectionis Dei præcepto, ad alterum ei simile transeamus.

DIGRESSIO IV. MORALIS.

De dilectione proximi.

1. POst amorem Dei recto ordine sequitur amor proximi. nam quanto maior est caritas Dei, tanto magis vrget ad amandum proximum, & quo magis cohæret proximo, tanto magis cohæret Deo. nam vt Sanctus August. in Psa. 118. Concil. 8. ait: præceptum de diligendo Deo inducit dilectionem proximi, estque caussa illius. *Vt sciat*, inquit August. *homo diligere proximum tamquam seipsum prius debet diligendo Deum diligere seipsum.* ita & Bernard. l. de diligendo Deo ait: *vt perfecta fiat iustitia in dilectione proximi, Deum in caussa habere necesse est, alioquin proximum purè diligere non potest, qui Deum non diligit: Oportet ergo Deum diligi prius, vt in Deo diligatur & proximus.* sic ille. itaque dilectio Dei inducit dilectionem proximi. Rursum præceptum de diligendo Deo, ab altero de diligendo proximo munitur, roboratur, perficitur. quare August. tract. 17. in Ioannem sic scribit: *dilectio Dei prior est ordine præcipiendi,*

sed pro-

sed proximi dilectio prior est ordine faciendi. Neque enim qui præciperet tibi dilectionem illam in duobus præceptu, prius tibi commendaret proximum, & postea Deum, sed primò Deum, & postea proximum. Tu autem quia Deum nondum vides, diligendo proximum promereris, quem videas; diligendo proximum, purgas oculum ad videndum Deum euidenter, Ioanne dicente; si fratrem quem vides, non diligis, Deum quem non vides, quomodo diligere poteris? Ecce dicitur tibi, dilige Deum; si dicas mihi, ostende mihi quem diligam, quid respondebo, nisi quod ait ipse Ioannes? Deum nemo vidit vnquam, & ne te alienum omninò à Deo videndo esse arbitreris: Deus, inquit, *charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. dilige ergo proximum, & intuere in te vnde diligis proximum, ibi videbis vt poteris* DEVM. *Incipe ergo diligere proximum. Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto induc in domum tuam. si videris nudum, vesti; & tunc erumpet velut matutina lux tua. Lux tua Deus est, tibi matutina, quia post noctem sæculi tibi veniet, nam ille nec oritur, nec occidit, quia semper manet. Erit tibi matutinus redeunti, qui tibi occasum fecerat pereunti.* Tantum Sanctus Augustinus.

2. Vt scias ergo rectè diligere proximum, prius diligendus est Deus: sed vt perfectus sias amator DEI, exercere te debes in amore proximi. quare meritò hoc præceptum alteri de diligendo Deo simile est, quia similiter ad salutem necessarium; quia cognatum alteri, quia sic effectus prioris est, vt augmentum tamen suæ originis faciat. Quemadmodum enim, vt eleganter ait Stapletonus, calor corporis naturalis vestimenta illi imposita calefacit, quem calorem naturalem vestimenta postea ipsa fouent, conseruant, atque perficiunt; sic ignis amoris diuini ad proximum amandum cor accendit, & ipse amor proximi hunc postea ignem fouet, atque adauget; nam vt calor naturalis & internus, corporis exercitio fouetur, torpore flaccescit: sic externis in proximum charitatis operibus amor in Deum voluntati insitus mirificè excitatur, & feruet; absque externo charitatis exercitio marcescit, & paulatim extinguitur, vt rectè proinde Ioannes dixerit epistola 1. capite 3. 14. *translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*; quasi dicat, hoc argumento manifestè apparet, nos vitam gratiæ viuere: *qui non diligit, manet in morte.*

3. Beatus Dorotheus doctrina 6. *studeat*, inquit, *vnusquisque pro virili parte cohærere proximo suo. Quo enim magis proximo in amore, & benevolentia cohæserit, eo amplius & Deo cohærebit. Exponam vobis exemplum olim à patribus datum. Circulum fingite mundum esse; centrum autem circuli Deum; lineas autem à circulo in medium deductas, vias credite varias, negotiationesque mortalium. Quo magis penetrant sancti viri ad interiora, vt Deo appropient per rationem ingressus, eò magis appropiant Deo, & sibiipsis; quantoque sibiipsis tanto & Deo. Et quanto viciniores fiunt Deo, tanto & sibijpsis. considerate item recessum, & oblongationem, cùm scilicet recedunt à Deo, & ad exteriora sese effundunt: Quanto enim magis à* DEO A *recedunt, tanto & à seipsis, & quanto à seipsis, tanto à Deo. Hæc est enim charitatis vis, & natura.* Hæc Beatus Dorotheus. Vnde patet quàm connexa sint hæc duo charitatis præcepta, & quomodo proximi præceptum Matth. 22. dicitur simile primo, præsertim vt exponit Diuus Chrysostomus homilia 72. in Matthæum: *quoniam hoc illud inducit, & ab illo rursus munitur.*

Multa sanè sunt, quæ proximi dilectionem excitare possunt, sed ego vno tantùm ero contentus, quod videò à Diuo Paulo esse vsurpatum Romanorum 12. 5. *vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* præsertim verò 1. Corinthiorum 12. eadem corporis, & membrorum vtitur comparatione, qua & ad Romanos; sed alium in B finem, vult enim, cùm loquitur Romanis, hortari eos, ne quis suos fines egrediatur, & alieni muneris occupet partes: Corinthijs verò præcipit, ne quis alteri inuideat, aut se pauciora minorave à Deo percepisse queratur. Vt verò obiter hoc notem, eamdem similitudinem referente Liuio libro secundo, decade prima vsurpauit olim quidam Romanus ciuis, *tempore*, inquit, *quo in homine, non vt nunc omnia in vnum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium, sua sermo fuerit, indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore, ac ministerio ventri omnia quæri, ventrem in medio quietum nihil aliud, quàm datis voluptatibus frui; conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferret, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipsa vna membra, totumq; corpus ad extremam tabem venisse; inde apparuisse ventris quoque haud segne ministerium esse, nec magis ali, quàm alere, cùm reddentem in omnes corporis partes hunc, quo viuimus, vigemusq; diuisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem, comparando: hinc quàm intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in Patres flexisse mentes hominum.*

Præcipuum argumentū ad excitandum proximi amorem.

4.

Hac ergo comparatione humani corporis vsus Apostolus de Christianorum Ecclesia disserit, docetque vt in hominum corpore multa insunt membra; ita in vna fidelium Ecclesia, & congregatione alia, atque alia esse munera: & rursus, vt multa corporis membra nexum inter se, & corporis vnitatem retinent; ita in multitudine, ac varietate donorum, seruandam esse animorum consensionem, & vnitatem; ex hac verò comparatione vtilia quædam colligere est, retinendæ inter fideles concordiæ, & dilectioni valdè opportuna. imprimis sicut procul est à membris inuidia, quæ alienis gaudet malis, tristitiam verò ex bonis concipit; *si quid*, inquit Apostolus, *patitur vnum membrum compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra*, ita decet, quod idem Diuus Paulus ad Romanos 12. scribit: *fideles gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* & cōmunia esse omnia putare siue bona, siue mala aliorum. etenim destruit vera proximi dilectio *meum & tuum*, frigida illa verba, vt ea D. Chrysost. vocat in oratione de sancto Philogonio tom. 3. meritò: sunt enim frigoris causa, quod ardori charitatis aduersantur, neq; enim

5.

D

chari-

charitas quærit quæ sua sunt: quare cùm risum facit Dominus alicui ex proximis nostris, hoc est, bona largitur, quicumque audierit, si seriò perpendat se esse humani corporis membrum, corridebit illi ob bonum alteri collatum: vt illa dicebat Genes. 21. *risum fecit mihi Dominus: quicumque audierit, corridebit mihi.*

6. Deinde, & illud ex hac Apostoli similitudine ad nostram vtilitatem conuertemus; sicut inter membra videmus talem esse nexum, & colligationem, vt alia alijs opitulentur, & quæ firmiora sunt, imbecillioribus opem ferant, & quæ nullo extrinseco egent adminiculo, indigentibus necessaria suppeditent, multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse necessariora sunt: & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus; hinc vult Apostolus intelligant Corinthij, & fideles, qui inter ipsos minora accepisse videntur, non modò non esse despiciendos, sed benignius potiùs confouendos, humaniusque tractandos. Quin etiam rectè addidit OEcumenius, significare Apostolum, eos qui minora, seu pauciora dona sortiti essent, non esse iccirco ignobiliores censendos, cùm qui plura maioraque perceperint, non sint semper nobiliores, quin etiam miseri interdum habẽdi; quales sunt, qui dicturi sunt: *Domine Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus?* quibus nihilominus dicetur: *discedite à me operarij iniquitatis, numquam noui vos.* Hæc si quis altius animo infixerit, næ ille honore cætera membra prosequetur, neque persuaderi sibi poterit vt aliquem despiciat.

7. Tertiò, vt monet Chrysostomus, hanc prouidentiam adhibuit Deus in humano corpore non tantùm vt dissidium vitaretur, sed magis vt mira esset inter membra consensio, & conspiratio, & quædam quasi charitas. Etenim ita connexa, colligataque sunt, vt aliorum salus ab aliorum incolumitate pendeat. Hinc enim est vt quod ait Apostolus: *idipsum pro inuicem sollicita sint membra*, & vt maiora ac nobiliora minorum, imbecillioremque opera egeant. quare, vt rectè ait Theophylactus: *si spina planta infigatur, totum corpus quodammodo afficitur, & anxiè perturbatur*: caput sese demittit: dorsum inflectitur: venter, & femora contrahuntur: oculi curiosè lustrant, & vulneris locum inuestigant: manus denique eximere conatur, quod infixum est: cætera denique membra persimili doloris sensu afficiuntur.

8. Quartò demùm colligit idem Chrysostomus ex hac tanta membrorum conspiratione tria fidelium cœtui perneccessaria. Vnum est, vt nulla admittatur discordia, nullum dissidium, sicut inter membra, ita & inter fideles. Alterum, vt sese mutuò per reciprocam curam, & prouidentiam tueantur, & opem, subsidiumque sibi inuicem afferant. Tertium est, vt quæ singulis priuatim accidunt, communia ducant. Vides igitur quam multa ad fraternã dilectionem pertinentia hac vna comparatione contineantur.

A Si quis ergo ignotus Christianus à te beneficium petat, ne ei dixeris, vnde me nosti? etenim fidelis quilibet nosse debet quemuis fidelem eiusdem corporis Christi membrum esse, atque adeo magnam inter Christianos coniunctionem esse debere, vt inter membra eiusdem corporis. quare meritò Chrysostomus homilia 14. in Ioannem sub finem ait: *Quæ amicitia, quæ familiaritas tantam contrahere vnionem posset, quantam fidei cognatio; non enim quantam amicus amico debet propinquitatem; tantam nos habere inuicem oportet; sed quanta est membri ad membrum. Hac amicitia, & cura aliam maiorem nemo vnquam inuenire posset. Quemadmodum ergo is sanè ridiculus foret, qui vnde sibi secum familiaritas, vnde propinquitas percontaretur; ita is, qui vnde sibi cum fratre* &c. talis vox, Caim vox est; rogatus enim B Caim à Deo: *vbi est Abel frater tuus?* respondit, *nescio. num custos fratris mei sum ego?* non iste fratrem suum meminerat esse eiusdem corporis mystici membrum, cuius erat ipse, licet mortuum. nec huic absimilis fuit stultus ille Nabal 1. Regum 25. 11. dicens: *tollam panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio vnde sint?* verè stultus cùm ignoraret, non auferri, neque perdi bona, quæ in proximos conferuntur, sed seruari; quod enim manus erogat, charitas seruat. Verè fatuus cùm nesciret membra eiusdem corporis esse quemlibet, qui egeret. Nec minus stultus qui dicebat Luc. 12. 17. *quid faciã, quia non habeo quo congregem fructus meos?* & dixit; *hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, qua nata sunt mihi, & bona mea* &cæt. omnia bona quæ collegerat, C sua vocabat, nihil cum alijs membris commune esse debere censebat. ideo dignus fuit, vt simul omnia amitteret, dictum est enim illi: *stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt.*

9. Reliquum est vt modum quo diligere proximum tenemur, breuiter exponamus. & quidem quid sit diligere proximum, vt nosipsos, declarauimus in scholijs num. 12. 13. 14. 15. quibus nunc addenda sunt sequentia magis ad mores accommodata. est enim amicitia inter homines triplex, vt insinuat August. homil. 38. ex homil. 50. consuetudinis, rationis, pietatis, *amicitia*, inquit, *consuetudinis oritur ex occasionibus; cohabitandi, colloquendi, simul conuersandi, vt contristetur homo, quando deseritur ab amico, cum quo solet colloquí, & habere coniunctiones, & ista quadam amicitia dulcedo est; honesta quidem, sed habent illam & pecora. est & alia superior amicitia non consuetudinis, sed rationis, qua diligimus hominem propter fidem, & mutuam beneuolentiam in ista vita mortali, superius quicquid est, iam diuinum est: incipiat homo amare Deum, & non amabit in homine, nisi Deum.* & paulò inferius: *si omnis, qui amat, saluum vult habere quod amat, si intelligat quæ sit vera salus, incipit illam amare in se, & sic ipsam cogitur mox amare in amico. Quia ergo tu salutem desideras, quæ æterna est, ad illam salutem diligis amicum tuum, & totum quod vis amico tuo præstare, hoc est, vt illam tecum teneat salutem.* sic Augustinus. Hoc ergo est verè diligere proximum, sicut teipsum, hæc est dilectio non consuetudinis, non rationis, atque adeò non carnalis, non humana,

10. Amicitia triplex, consuetudinis, rationis, pietatis, &c.

mana, sed pia, liberalis, & diuina; ita qui diligit, vult vt omnes secum diligant Deum, & totum quo vel proximos adiuuat, vel adiuuatur ab eis, ad vnum illum finem refert.

11. *Si enim*, inquit idem Augustinus de doctrina Christian. libr. 1. cap. 29. *In theatris nequitiæ, qui aliquem diligit histrionem, & tanquam magno, vel etiam summo bono eius arte fruitur, omnes diligit qui eum diligunt secum, non propter illos, sed propter eum, quem pariter diligunt; & quanto est in eius amore feruentior, tanto agit, quibus potest modis, vt à pluribus diligatur, & tanto pluribus cupit eum ostendere; & quem frigidiorem videt, excitat eum quantum potest laudibus illius; si autem contrauenientem inuenerit, odit in illo vehementer odium dilecti sui, & quibus modis valet, instat vt auferat: quid nos in societate dilectionis Dei agere conuenit, quo perfrui, beatè viuere est, & qui se vult diligi, non vt sibi aliquid, sed vt eis, qui diligunt, æternum præmium conferatur.* sic ergo à nobis diligendus est proximus, vt ad Deum à nobis dilectum pertrahatur. *sic sanè cum Dei charitate simul intrat proximi dilectio.* ait Chrysost. hom. 37. ad populum Antiochenum, *& vna, eademq; charitate Deum, ac proximum diligimus.* vt docet Aug. lib. 8. de Trin. cap. 8.

12. Proximus diligendus corde, ore, opere. Quid corde diligere?

Sed magis presè, ac sigillatim explicemus, quibus modis proximum diligere oporteat. dicam paucis: diligendus est proximus, corde, ore, opere. Corde diligit, qui bonis eius gratulatur, tristatur malis, cùm proximum citra se magni facit, ad hæc qui bona illi desiderat, & facit cùm oportet, & potest, *alioqui coronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem,* vt ait Augustin. in Psalm. 103. Conc. 1. sub fin. sit Christiani hominis cor amplum, sit extensum, tanquam cor illud, de quo Apostolus 2. Corint. 6. *Cor nostrum dilatatum est, nõ angustiamini in nobis.*

Quid ore diligere?

Ore verò diligimus, cùm proximos nostros laudamus, cùm nos illis mites, cùm dulces exhibemus. etenim *verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* Ecclesiast. 6. nam verba charitatis dulcia, amicitiam gignunt. *Vitta coccinea labia* charitatis, *& eloquium eius dulce* Cant. 4. & Ecclesiastic. 18. 15. sic monet: *in omni dato non des tristitiam verbi mali:* quasi dicat, in beneficijs conferendis, & eleemosynis, dulcibus verbis vtere de charitatis fauo distillantibus: quod si corripiendus est proximus, nouit charitas corripere flagellis, non furore, sed amore plenis. *Sæuit amor,* inquit Aug. in 1. Ioa. tract. 7. *Charitas sæuit? Sæuit. Quomodo? sine felle, more columbino, non coruino.*

13. Tandem opere diligere oportet, *filioli mei,* inquit Ioan. ep. 1. cap. 3. *non diligamus verbo, neq; lingua; sed opere, & veritate. probatio enim dilectionis* ait Greg. hom. 10. in Euangelia *exhibitio est operis,* & idem Ioannes loc. cit. *Qui habuerit,* ait, *substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* præsertim verò iuuatur proximus opere, cum eius procuratur animæ salus. Quare meritò D. Chrysost. orat. 1. aduersus Iudæos: *propterea:* inquit, *Christianus es, ideo hoc nomen accepisti, vt Christum imiteris, eiusq; legibus operum exhibitione pareas.* Quid autem ille fecit? *Non Ierosolymis desidens vocauit ad se ægrotos, sed obambulabat ciuitates, ac vicos, ge-*

Quid diligere opere?

minos curans morbos, tum animi, tum corporis: attamen poterat eodem in loco sedens omnes ad se attrahere, non tamen hoc fecit nobis præbens exemplum vt obambulemus, & quæramus eos qui pereunt. An non vides medicos quoq; hoc ipsum facere? Non cogunt ægrotos lecto decumbentes ad ipsorum ades deferri, sed ipsi accurrunt ad eos. hoc & tu facito dilecte, sciens hanc præsentem vitam esse breuem, quodq; nisi hæc lucra parauerimus, nullam illic sumus habituri salutem. Hæc Chrysost.

14. Beneficijs maximè ostendi charitatem in proximos.

Postremò collatis præsertim in proximos beneficijs vera ostenditur charitas, quæ verum facit Christi discipulum: in hoc enim cognoscent homines quod discipuli Christi sumus, si amauerimus inter nos, si mutuis nos officijs iuuerimus, si inuicem dilexerimus. *Quemadmodum enim vestes,* inquit Chrysost. hom. 32. in 1. ad Corinth. *dicet aureæ sint, calceamenta aurea, aliud tamen quoddam indumentum requirimus, vt Regem agnoscamus: purpuram autem, & diadema vbi primum intuemur, iam regiæ maiestatis signum nullum aliud expectamus: ita sanè cui charitatis diadema incumbit, iam nihil obstat, quominus Christi discipulus verè existimari possit, non nobis solum, sed & impijs. in hoc enim, inquit, cognoscent quod discipuli mei estis, si dilexeritis inuicem.*

Simile optimum Chrysostomi de Rege.

DIGRESSIO V.
MORALIS.

Sensu mystico explicatur parabola hominis descendentis de Ierusalem in Iericho.

QVis literæ sensus sit, his scholijs ad hanc parabolam sat docuimus. nunc conabimur Christo duce hanc parabolam mystice exponere, quam Patres ad Christum, & Adamum accommodant; dicunt enim hominem illum, qui ab Ierusalem in Iericho descendebat, Adamum, & in eo totum hominum genus esse, qui à gratia Dei, tanquam ab Ierusalē, quæ visionem pacis significat, & ab illo honestissimo innocentiæ statu in humilem hanc, & vilem peccati conditionem, statumque descenderunt tanquam in Iericho, quæ lunam significat, cui stultus ab Ecclesiastico comparatur c. 27. 12. Nullus autem magis stultus quàm peccator. Aptè ergo Ierusalem gratiæ, atque innocentię statum; Iericho verò peccati significant; præsertim cũ illa in edito loco sit, hæc in valle posita fuerit. de statibus verò istis, & alijs satis multa dicta nobis sunt Theor. 1. & 2. Porrò latrones, in quorum manus miser homo incidit; nullos alios aptiùs intelligemus esse, quàm crudelissimos dæmones, in quorum venit potestatem cum peccato consentit, cùm tamen ab eis tutus fuerit, quamdiu sese in Ierusalem continuit. Hi ergo infelicem hominem primũ gratia spoliauerunt, deinde etiam grauiter vulnerauerunt, quia per peccatum naturam ipsam corruperunt, ita vt non quidem omninò mortuus, nec planè viuus, sed semiuiuus dumtaxat relictus sit. Viuus est, tùm quod peccati cõscientiam & liberum ad agendum habet arbitrium; mortuus, quia à peccati fœtidissimo monumẽto, nisi Christi virtute, surgere nõ valet;

vel cer-

Digitized by Google

vel certè semiuiuus relictus est homo, quia nõdum de eo, & si grauiter vulnerato, omninò conclamatum erat, vt cui adhuc spes vitæ, & sanitatis erat in Christo. vel 3. semiuiuus dici potuit, quia viuens vita corporali spirituale perdiderat: de hac naturæ corruptione per peccatum copiosè disseruimus theor. 3. quibus addemus nũc quædam de nuditate hominis, & quatuor vulneribus in eo relictis ex peccato.

2. Sed prius ex Cypriano non oscitanter considerandæ sunt illa verba *plagis impositis abierunt semiuiuo relicto*. monet enim magnam esse habendam curam eorum, quos diabolus vulnerauit, ne planè pereant; Pater, inquit epist. 52. c. 5. *Ecce sauius frater ab aduersario in acie vulneratus; inde diabolus conatur occidere quem vulnerauit: hinc Christus hortatur, ne in totum pereat quem redemit, cui de duobus assistimus? in cuius partibus stamus? vtrum ne diabolo fauerimus vt pereat, & semianimem fratrem iacentem sicut in Euangelio Sacerdos, & Leuites præterimus? an verò vt Sacerdotes Dei & Christi, quod Christus & docuit & fecit, imitantes, vulneratum de aduersarij faucibus rapimus, vt curatum Deo iudici reseruemus?* Sic Cyprianus. cuius hæc aurea verba altius cordi imprimenda censeo. Sed declaremus quomodo spoliatus homo fuerit, & quomodo vulneratus.

3. D. Bernard. in Annunciat. B. Mariæ serm. 1. *Videre*, inquit, *mihi videor quatuor virtutibus amictum primum hominem ab ipso suæ creationis exordio. Est enim in his quatuor illa salutis integritas. Acceperat ergo homo misericordiam, custodem scilicet, atq; pedissequam, vt ipsa præueniret, ipsa assequeretur eum, & conseruaret vbique. vides qualem nutricium contulit paruulo suo Deus. Sed erat illi necessarius etiam eruditor, cui sanè magisterio nemo poterat aptior inueniri, quàm veritas ipsa, quæ eum in agnitionem summa perduceret aliquando veritatis. Interim ne sapiens inueniretur vt malum faceret, essetq; peccatum ei tanquam scienti bonum, & minimè facienti; Iustitiam quoq; qua regeretur accepit. Adhuc autem & pacem qua foueretur, & delectaretur, addidit manus benignissima creatoris. Pacẽ vtiq; duplicem, vt nec intus pugna, nec foris timores, id est, nec caro concupiscaret aduersus spiritum, nec esset ei creatura vlla formidini. Quid huic deerat, quem misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat iustitia, pax fouebat? Sed heu homo iste ad multam perniciem, & insipientiam sibi descendit de Ierusalem in Iericho. siquidem incidit in latrones, à quibus & ante omnia legitur despoliatus. Annon despoliatus, qui Domino vemente nudum se esse conqueritur* (Genes. 3. 10.) *Nec verò poterat reuestiri, vel ablata sibi recipere vestimenta, nisi Christus amitteret sua. sicut enim viuificari in anima, nisi interueniente corporali morte Christi non potuit, ita nec reuestiri sine eius despoliatione. Et vide si non propter quatuor has partes vestimenti, quod amiserat primus & vetus homo, in totidem quoq; diuisa sunt secundi & noui hominis vestimenta. An forte quarie & tunicam inconsutilem, quæ non diuiditur, sed sorte prouenit? Ego diuinam arbitror esse imaginem, quæ nimirum non assuta, sed insita, atq; ipsi impressa natura diuidi, scindiq; non potest; Imago siquidem in gehenna ipsa vri poterit, nõ exuri, ardere, sed non deleri. Hæc ergo non scinditur, sed sorte prouenit. Et quocunq; peruenerit anima, simul & ipsa erit.* Declarat postea Bernard. quonã modo homo singulis his quatuor virtutibus sit

A spoliatus; imaginem verò in arbitrij libertate collocat, vide illum.

4. Iam ad vulnera veniamus. Theologi ex Ambrosij sententia lib. 7. in Lucam [illegible] & Augustini lib. de natura & gratia c. 3. & Bedę in hanc parabolam de Samaritano Luc. 10. affirmant hominem esse per peccatum vulneratum in naturalibus, & expoliatũ gratuitis. Vulneratus enim in naturalibus per metaphoram dicitur, quatenus priuatus est dono iustitiæ, quatenus facultatem ad actiones naturales rectas præbebat. Exspoliatus verò gratuitis, quatenus priuatus est eadem iustitia, vt complectebatur omnem hominis rectitudinem, atq; adeò etiam gratia; prout hæc dona præstabat facultatem ad actiones supernaturales, atq; reddebant hominẽ gratum Deo, siue realiter, siue formaliter tantùm

B distinctæ fuerint gratia, & iustitia. vide theo. 2. n. 11. 12. quamuis per hæc nõ negemus iustitiam ea etiam formali ratione, quia facultatem ad actiones naturales præbebat, fuisse donũ naturę superadditum, & gratuitum. vide theor. 1. n. 9. 10. sed per respectum ad ipsammet iustitiam, vt complectitur gratia, & extendit se ad actiones supernaturales, ita non vocamus eam donũ gratuitum, sed trahimus ab hac ratione; vel certè dicimus esse donum naturæ cum D. Th. 1. 2. quæst. 85. art. 3. vt naturæ vulnus à nuditate eiusdem naturę secundùm gratiam commodius distinguamus.

5. Iterum quoniam illa facultas, quam iustitia præstabat, inerat in quatuor potentijs, intellectu videlicet, voluntate, concupiscibili, & irascibili appetitu, iccircò quatuor vulnera affirmant doctores accepisse naturam nostram ex

C peccato, ignorantiam in intellectu, malitiã in voluntate, cõcupiscentiam in appetitu cõcupiscibili, infirmitatem in irascibili. lege D. Tho. art. 3. cit. Quàm verò aptè hæc dicantur vulnera, declarauimus. Theor. 2. n. 6.

6. Sed iam reliqua persequamur, quæ ad parabolam pertinent. Sacerdotem & Leuitam, qui eadem via præterierunt, totam veterem legem esse, quæ hominem no sanauerit, aptè intelligimus; vel certè in Sacerdote, & Leuita pertranseuntibus, & nihil curantibus, miseram hominis, qui in latrones inciderat, conditionem, rectè accipimus Iudæorum Sacerdotes, & Doctores suis potiùs rebus, & commodis incumbẽtes, quàm aliorum saluti, vt ita tacitè hi perstringantur tanquam despicientes hominum salutem. Samaritanum verò Christum interpretamur, qui misericordia motus nostri generis eadem via, id est, in eumdem hunc mundum descendit, in quo homo iacebat, quando

D per assumptam humanitatem post legem, & Prophetas; ac Iudęorum Sacerdotes venit è cęlesti Ierusalem in Iericho, hoc est, in vallẽ huius mundi, videnśq; humanæ naturæ calamitates, non tamen præteriit, aut neglexit: *Transiit* inquit Aug. serm. 37. de verb. Dom. *vtiq; genere proximus, præterijt iacentem; transiit Leuites, & hic genere proximus, iacentem etiam ipse contemnit; transiit Samaritanus genere longinquus, misericordia proximus, fecit quod nostis. in quo Samaritano se voluit intelligi Dominus noster Iesus Christus. Samaritanus enim custos interpretatur.* Et paulò post: *Ergo Dominus in proximo est: quia Dominꝰ nobis factus*

est in proximo. Quid tam longinquum, quid tam remotum quam Deum ab hominibus, immortalē à mortalibus, iustum à peccatoribus? non loco longè, sed dissimilitudine; non solemus etiam ita loqui, cùm de duobus hominibus dicimus, quando diuersi sunt mores; iste longè est ab illo, etiāsi iuxta steterint, etiamsi vicinius inhabitent, etiāsi vna catena colligātur; longè est pius ab impio, tōgè est innocēs à reo, iustus ab iniusto, si hoc de duobus hominibus dicitur, quid de Deo, & hominibus? cùm ergo longè esset à nobis immortalis, & iustus, tanquam à mortalibus & à peccatoribus: descendit ad nos, vt fieret nobis proximus ille longinquus, & quid facit? cùm haberet ipse duo bona, iustitiam, & immortalitatem; nos duo mala, iniquitatem, & mortalitatem; si vtrumque malum nostrum suscepisset, Pater noster factus esset, & liberatore nob: scum opus haberet. Quid ergo fecit, vt esset proximus nobis? proximus non hoc, quod nos, sed prope nos; duo attende, iustus est, immortalis est. in duobus tuis malis vna est culpa, altera est pœna. Culpa est quod iniustus es: Pœna est, quia mortalis es; ille, vt esset proximus, suscepit pœnam tuam, non suscepit culpam tuam: Et, si suscepit, delendam suscepit, non faciendam, iustus & immortalis longè ab iniustis, & mortalibus: Peccator mortalis, longè eras à iusto immortali; non est factus ille peccator, quod tu, sed factus est mortalis, quod tu; manens iustus, factus est mortalis; suscipiendo pœnam, & non suscipiendo culpam, & culpam deleuit, & pœnam. Dominus ergo in proximo est, nihil solliciti fueritis. Et si super omnes cœlos ascendit corpore, non recessit maiestate. Vbiq; præsens est, qui fecit omnia. Hæc Augustꝰ quibus ostendit Dei filium nobis proximum factum esse, atq; adeò nomine Samaritani mysticè, sed aptè intelligi in hac parabola iuxta mentem Christi.

7. Sed redeamus ad parabolam; hic Samaritanus Christus commiseratione generis nostri commotus, non nostris meritis; propius ad nos accedens, interq; nos agens, cœpit alligare vulnera nostra, doctrinæ, & gratiæ suæ vinculo, infundens oleum, & vinum, quæ solus ille secū in via assumpsit, ac solus nobis conferre valuit; atque ita gratia, & charismatibus Spiritus S. tāquam oleo, & sui sanguinis effusione, tanquam infuso, & effuso largiter vino, nostri curā egit; quorum vtrumque necessarium nostræ fuerat incolumitati, morbiq; curationi peropportunum. & sanè hæc aptè oleo, & vino intelliguntur, in quibus duabus materijs cuncta ferè Sacramenta, sanguinis Christi vasa, quibus sanamur; posita sunt; vel certè per oleum, & vinum lenitatem, & mordacitatem intellige doctrinæ Christi, quæ aliquando benignè procedit, & exhilarat, aliquādo pstringit, & mordet, vnde fit, vt sic aptè attemperata iuuet. Quod Ambr. significat, *constringit*, inquit, *vulnera austeriore præcepto; fouet vt oleo remissione peccati; compungit, vt vino denuntiatione iudicij.*

Bernar. ser. 16. in Cant. de hoc Samaritano agē.: *Veniebat*, inquit, *vngere cōtritiones nostras, ac lenire dolores. ideoq; venit vnctus, venit māsuetus* &c. *sciebat se ad infirmos descendere, exhibuitq; qualem oportuit: & quoniam multa erant infirmitates, multa quoq; prouidus medicus medicamina curauit afferre. attulit spiritum sapientiæ, & intellectus, spiritum consilij, & fortitudinis spiritum scientiæ, & pietatis, & spiritum timoris Domini. vides quot phialas plenas odoramentis cœlestis medicus præparauit ad sananda vulnera illius miseri, qui incidit in latrones? & spiritus vitæ erat in phialis. ex his infudit oleum meis vulneribus, infudit & vinum; sed minus quam olei. sic nempè congruebat infirmitatibus meis, vt misericordiam superexaltaret iudicio, quemadmodum vino oleum superfertur infusum. attulit proinde quinq; cados olei; vini nonnisi duos; vinum siquidem timor tantum, & fortitudo fuere, reliqua quinq; oleum propria suauitate designant.* Sic Bernardus.

8. Adiecit & aliud Samaritanus beneficium ægro, non his tantùm contentus; nam hominem ipsum imposuit in iumentum suum, dum scelera nostra suscepit in corpore suo, ac de suo depēdit quod nos commerueramus, vel in iumētum suum nos assumpsit, cùm nos membra sua fecit, suiq; corporis participes, vt vnum simus cum eo corpus. Discedens verò, id est, in cœlū reuersurus hominem detulit in stabulum suū, & diuersorium, hoc est, Ecclesiam, quæ rectè πανδοχεῖον vocatur, quod sine differentia quoscumq; admittat, sed tanquam hospites, & peregrinos; & stabulario, id est, Petro, tanquam Ecclesiæ principi, cæteris q; sub illo prælatis ægrū hominem commendauit, eorumq; curæ commisit, præmium illis daturus, si diligenter suo munere fungerentur. *quodcumq;*, inquit, *supererogaueris reddā tibi*, Porrò dedit duos denarios suis prælatis, videlicet duo testamenta, quæ vnius, & eiusdē cœlestis regis veluti impressam imaginem habent; Dei namq; continent eloquia. Doctores verò & Pastores tunc de suo quoq; aliquid supererogant ad hominum vtilitatem pertinens, dum explicāt, amplificant, ad mores accommodant, commentantur diuinas literas: vel etiam cùm pro conditione temporum, ac personarum quædam constituunt, & decernunt seruanda: vel deniq; supererogare idem est quod laborare, & seriò, ac diligenter incūbere in salutem animarū iuxta scripturarū intelligentiam, verumq; sensum, suæ curæ cōmissas oues pascendo. quod si fecerint illi fidēter dicere poterunt: *Domine duos denarios tradidisti mihi, ecce alios duos supererogaui.* Quibus ille dicet, singulos alloquens: *Euge serue bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui.*

9. Quid præstare debeant superiores in spiritualibus morbis subditorum.

Obseruat Bernar. lib. 4. de consideratione, non dixisse Samaritanum stabulario; sana illū; *sed: curam illius habe. En plaga*, inquit, *tibi incumbit: cura hæc; dissimulare non licet. Rides me, forsitan fore incurabilem persuasus. Noli diffidere, curam exigeris, non curationem. deniq; audisti: curam illius habe, & non cura, vel sana illum. Verùm dixit quidam: Non est in medico semper releuetur vt ager. At melius propono de tuis tibi. Paulus loquitur. Plus omnibus laboraui, non ait, plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificaui, verbum insolens religiosissimè vitās. Alias autem nouerat homo, quem docuit Deus, quia vnusquisq; secundùm suum laborem accipiet, non secundùm prouentum, & ab hoc in laboribus potius, quam in profectibus gloriandum putauit, sicut alibi quoq; habes ipsum dicentem, in laboribus plurimis. Ita quæso fac tu, quod tuum est, nam Deus quod suum est satu absq; tua solicitudine, & anxietate curabit Planta, riga, fer curam, & tuas explicuisti partes. sane incrementum vbi voluerit, dabit Deus, non tu. Vbi fortè noluerit, tibi deperit nihil, dicente Scriptura: Reddet Deus mercedē laborū sanctorū suorū. Securus labor, quem nullus valet euacuare defectus.*

Cæterùm

10.

Cæterùm exemplo huius Samaritani primũ discere debemus ad curãda fructuosè hominũ vulnera oleum, & vinum miscere necessarium esse, hoc est, attemperare simul oportere lenitatem cum asperitate; quam quia rem D. Greg. li. 1. Regist. ep. 24. & lib. 20. Mor. c. 8. egregiè allato in confirmationẽ hoc Euangelij loco declarat, totum adscribam, quia totus vtilis. *Disciplina*, inquit, *vel misericordia multum destituitur, si vna sine altera teneatur. Sed circa subditos suos inesse rectoribus debet, & iustè consolans misericordia, & piè sæuiens disciplina. Hinc est quod semiuiui illius vulneribus, qui à Samaritano in stabulum ductus est, & vinum adhibetur, & oleum: vt per vinum mordeãtur vulnera, per oleum foueantur; quatenus vnusquisque qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: per vinum mundentur putrida, per oleum sananda foueantur. Miscenda est ergo lenitas cum seueritate, faciendumq; quoddam ex vtraq; temperamentum: vt neque multa asperitate exulcerentur subditi, neq; nimia benignitate soluantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat; in qua cum tabulis virga simul, ac manna est: quia cùm Scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis. Hinc etiam Dauid ait: Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga enim percutimur, & baculo sustentamur. si ergo est districtio virgæ quæ feriat, sit & consolatio baculi quæ sustentet. sit itaq; amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderatè sæuiens: sit pietas, sed non plusquàm expediat parcens. Intueri libet in Moysi pectore misericordiam cum seueritate sociatã. Videmus amantem piè, & districtè sæuientem. Certè cùm Israeliticus populus ante Dei oculos penè inuenibilem contraxisset offensam, ita, vt eius rector audiret, descende, peccauit populus tuus: Ac si ei diuina vox diceret: Qui in tali peccato lapsus est, iam meus non est: atq; subiungeret: dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam; ille semel, & iterũ pro populo cui præerat, obicem se ad imperium Dei irascentis opponens, ait; aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Pensemus ergo quibus visceribus eumdem populum amauit, pro cuius vita de libro vitæ deleri se petijt: sed tamen ipse qui tanto eius populi amore constringitur, contra eius culpas pẽsemus, quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim, vt petitione prima, ne delerentur, tulpæ veniam obtinuit, ad eumdem populum veniens, ait; ponat vir gladium suũ super femur suum, ite, & redite de porta vsq; ad portam per medium castrorum, & occidat vsq; unusquisq; fratrem, amicum, & proximum suum; cecideruntq; in die illo quasi viginti tria millia hominũ. Ecce qui vitam omnium etiam cum sua morte petijt, paucorum vitam gladio extinxit. Intus arsit ignibus amoris, foris accensus est zelo seueritatis. Tanta fuit pietas, vt se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret: tanta seueritas, vt eos quos diuinitus feriri vetuerat, ipse iudicis gladio feriret. Sic amauit eos, quibus præfuit, vt pro eis nec sibi parceret: & tamen delinquentes sic persecutus est quos amauit, vt etiam Domino parcente prosterneret: Vtrobiq; legatus fortis, vtrobiq; mediator admirabilis, caussam populi apud Deum precibus, caussam Dei apud populum gladijs allegauit. Intus amans diuinæ iræ supplicando obstitit: foris sæuiens culpam feriendo consumpsit. Succurrit foris sæuiens culpam feriendo consumpsit. Succurrit citius omnibus ostensa morte paucorum. Et iccirco omnipotens Deus fidelem famulum suum citius exaudiuit agentem pro populo, quia vellit quid super populum acturus esset ipse pro Deo. In regimine ergo populi vtrumq; Moyses miscuit: vt nec disciplina deesset misericordiæ, nec misericordia disciplinæ.* Sic Greg. vide etiam quæ de hac re diximus, licet paucis part. 2. dilucid. cap. 4. schol. num. 54.

Virtutes superiorum erga subditos.

Hæ virtutes in Moyse quàm præclaræ.

11.

Habemus deinde ex eodem Samaritano, & aliud quod imitemur, nimirum ne viscera caritatis proximis nostris claudamus, quin cuiusque salutem spiritus, & corporis magno studio curemus. qua de re sic scribit Chrysost. de huius Samaritani exemplo verba faciens orat. 5. aduersus Iudæos. *Ne dixeris homo sum mundanus, vxorem, & liberos habeo; ista Sacerdotum sunt, ista Monachorum. Neq; enim Samaritanus ille hæc dicebat, vbi nunc Sacerdotes? vbi nunc Pharisæi? vbi Iudæorum Doctores? sed perinde quasi venatum quempiam maximum nactus esset, ita lucrum arripuit. Et tu igitur cùm videris aliquem egentem curatione vel corporis, vel animi, ne dicito apud te ipsum. Quare ille, & ille eum non curauerunt? sed à morbo libera. Si inueneris auram iacẽs, nõ dicis apud teipsum: Quare ille, aut ille hoc non sustulerunt? sed festinas ante alios rapere: Itidem & de fratribus collapsis cogita, putaq; te thesaurum inuenisse, nimirum occasionẽ illius medendi. Etenim si illustraueris illi velut oleum sermonis doctrinam, si obligaueris humanitate, temperantiaq; vulneratum, si sanaueris; ille te faciet ditiorem quouis thesauro.* Hactenus Chrysost.

Cuiq; curãda salus proximorum non solis Sacerdotibus.

Simile Chrysostomi elegantissimum.

12.

Verùm antequam supremam manum huic digressioni imponamus, monendi sumus omnes Adæ filij, vt edocti tam infœlici euẽtu huius miseri hominis, qui dum descenderet de Ierusalem in Iericho, incidit in latrones, qui multis eum vulneribus malè acceptum, & ante vestibus exutum, seminecem reliquerunt, diligẽter caueamus, nè in hanc viam, quæ ducit Iericho, incurramus, multis periculis expositam, & latronum incursibus infestam; vbi etiam innumeræ sunt dæmonum cateruæ, quæ per illã ingredientibus insidiantur in abscondito tanquam crudelissimi latrones in speluncis suis; quas, ne visæ transeuntes terreant, arborũ, florum, ac herbarum virore, & amœnitate contegunt; vt ita incautos alliciẽtes inuadant, strãgulent, ac tandem ore cruento deuorent. Latet enim anguis in herba. Quod si clarius intelligere vis quænam sit hæc via, quæ Iericho ducit, breuiter respondeo. non alia sanè est, quã mundana consuetudo, delitiæ huius sæculi, ac voluptates, diuitiæ, honores; quæ hominem præcipitem agunt in infernã baratri locã. est hæc via amœna quidem prima facie, sed multorum calamitatibus celebris, & plurimorum cædibus insignis, quàm innumeri dæmones interitum, exitiumque nostrum sitientes, perpetuò obambulant, & circumobsidẽt, quàm sexcentæ venenatæ viperæ tentationes infestant; nihil igitur tibi sit negotij in via hac. Quod si fortè te ingredientem incautum aliqua ex his venenatis bestijs inuaserit, quando mulierum species, fucati honores, diuitiarum amor, voluptatum appetitus tibi irrepserit, has viperas, has noxias bestias illicò in ignem injice, imitatus Paulum, qui similem bestiam in ignem excutiens, nihil mali passus est: cogita ignis æterni pœnas, Dei tribunal, ante mentis oculos re-

uoca quæ parata sunt legem Dei transgredientibus supplicia, & illæsus euades. Sequitur 22. caput.

CAPVT XXII.

EXCIPITVR IESVS HOSPITIO A MARTHA.

C. 10. 38.

In festo Assumptionis B Virg.

V. 1. *Factum est autem dũ irent, & ipse intrauit in quoddam castellum: Et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.*

2. Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.

3. Martha autem satagebat circa frequẽs ministerium: quæ stetit, & ait: Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, vt me adiuuet.

4. Et respondens dixit illi Dominus, Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima.

5. Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

SCHOLIA.

1. Connexio cum præcedentibus.

CVM in historia legisperiti, mẽtio facta fuerit caritatis Dei, & proximi, aptè post illam hæc de Martha sequitur, in qua exemplo, ac reipsa exhibetur, quod & ad charitatem Dei pertinet, & dilectionem proximi. Christus enim hospitio excipitur à Martha qui Deus erat, & homo; atque adeo in eo excipiendo vtrumque dilectionis præceptum optimè impletur. quanquam istud fortè caput cũ tota historia iurisperiti locari posset commodiùs cum ijs, quæ ante festum scenopegiæ contigerunt. est enim probabile euenisse ista eunte Domino ad illud festum, quod & adnotauimus cap. præcedenti num. 3. de eadem enim professione fortassis agit hîc Lucas, cuius mentionem fecerat cap. 9 v. 51.

2. 1 *Factum est autem dum irent*] Obserua, non dixisse Lucam, factum est, vt intraret in quoddam castellum, sed *dum irent, intrauit in quoddam castellum*, qua dicendi formula significasse visus est Euãgelista, non esse Christum profectum in illud castellum, vt ibi diu maneret, sed quasi transeundo, atque obiter dum Ierosolymam cogitaret: quod ij facere consueuerunt, qui in certum aliquem locũ proficiscentes ad loca quædam non multum ab itinere semota diuertunt. diuertit autem Dominus eò non sine suis discipulis, præsertim quia ad cibũ etiam capiendum eò digressus fuerat, & ita Euth. affirmat huic conuiuio interfuisse discipulos, licet Euangelista dixerit, *& ipse intrauit* &c. fortè vt indicaret castellum non occurrisse recta via eũtibus discipulis, atq; adeò præter opinionem eorum solus Christus eo loci secedere voluit.

Discipuli interfuerũt huic conuiuio.

3. *In quoddam castellũ*] G. εἰς κώμην in pagum quẽdam, videlicet in castellum Marthæ, & Mariæ sororum Lazari Ioan 11. 1. & constat fuisse Bethaniam ex eodem Ioanne propè Ierosolymam sitam. dicebatur castellum Marthæ, & Mariæ, non quod eius essent Dominæ, sed quod ibi habitarent. de hoc vico sic Hierony. scribit tom. 3. de locis Hebraicis: *Bethania villa est secundo ab Aelia milliario, in latere montis Oliueti, vbi Saluator noster Lazarum suscitauit: cuius monumentum Ecclesia nunc ibidem extructa demonstrat.* Intrauit autem Christus (ait P. Salmeron) *non tam accepturus, quàm daturus: accepturus quidem parua, hoc est corporalia, daturus verò pretiosissima, hoc est, spiritualia, & corporeis ipse egere voluit, quia se hominem fami, & siti, atq; aliis infirmitatibus obnoxiũ ex gratia fecerat, vt ita præberet ipsam alijs sibi aliquid subministrandi, & ipse acciperet occasionem, accepta compensandi beneficia: nam etsi ipse Dominus egeret poterat tamẽ multis modis inopiæ suæ succurrere. Sed vt Heliam Prophetam ad tempus per coruum pauit: & post ea ad viduam Sarepthanam illum misit quo illa ministrando Prophetæ meritum compararet, & Prophetam recipiendo magis amaret & gratus existeret: ita Christus, cui victori diaboli in deserto ministrarunt Angeli, ad huius castelli fœminas diuertit, quatenus ipsæ recipiendo Christum, bene de illo mererentur, & Christus maioribus donis cumularet illas. Tu ergo agnosce magnum esse beneficium, pauperi propter Christum porrigere: præstat siquidem dantis, quàm accipientis beneficium, beatius est enim magis dare, quàm accipere* Sic pie P. Salmeron.

Castellum Marthæ & Mariæ vnde dictum.

Cur Christus Dominus egere voluit

Et mulier quædam] Hîc mihi imprimis inquit Iansenius, aduerte miram Domini dignationem. in propria venit, & tamquam hospes suscipi dignatur: omnes pascebat, & ab alijs tamen pasci voluit, qui quo pasceretur, pascentibus præstitit. Dominus ergo à serua, creator à creatura suscipi hospitio non dedignatur; fœlix Martha quæ tanta clementia hospitis celebre nomen obtinuit. verùm ne quis doleat se huius fœlicitatis expertem esse, quasi hi soli beati sint, qui Christi personam suscipere intra domesticos parietes meruerunt, cogitet à Domino dictum esse, *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*; quare nouissimo die quibusdam dicturus est: *hospes eram, & collegistis me*, sic fermè Iansenius, quin tanto fœlicior quodammodò etiam esse poteris CHRISTI pauperes excipiendo, quàm ipsum Christum, quanto maior locus fidei, & maius charitatis argumentum in eo videri potest. Hinc est quod discipuli illi duo apud Emmaus castellum peregrinum cogentes, vt ad se diuerteret, tandem Dominum nouerunt in fractione panis: & Martinus adhuc Cathecumenus dum putat se vestis partem pauperi concessisse; Christo ipsi se illam fuisse largitum, didicit, dicente Domino: *Martinus adhuc Cathecumenus, hac me veste contexit*. neque aliter sanctissimis viris Abrahæ & Loth cõtigit, qui cùm homines cõpellerent, vt ad se diuerteret, Angelos hospitio suscepisse leguntur, & eo nomine plurimum in sacris literis cõmendantur. Sed cur, inquies, de sola Martha dicitur, quod Christũ excepit? Respõdeo, quia Marthæ domus erat, Maria vt soror illã comitabatur: Marthę aũt esse dicitur, quia hæreditario iure ad illã ptinebat, vel certè Martha excepisse Christũ maluit dicere Luc. qa natu maior

4.

Maius charitatis & fidei argumẽtum esse, pauperes propter Christum, quam ipsum Christum excipere hospitio.

2. *Et huic erat soror nomine Maria*] Sorores erant Martha, & Maria, non carne modò, sed hospitalitatis etiam fide, & affectu, sorores in diligẽdo Iesu concordes quidem, verùm in dilectionis ostensione diuersæ; nam cùm vna esset vtriusque pietas in Dominum, non vna tamen, sed diuersa fuit pietatis functio. sicut. n. in vno corpore varij sunt membrorum vsus, diuersę functiones; ita in Christi corpore q̃ est Ecclesia, multiplicia sunt dona Spiritus.

5.

Nulla hîc Lazari mentio fit, cuius rei sic assi-

6.

Cur nulla Lazari mentio fiat? mora lis expositio D. Bern.

gnat Bern. rationem: *intrat domũ Saluator quam Lazarus mundat, ornat Martha & Maria replet interna dedita contemplationi. sed fortè curiosus quidã requirat, cur in præsenti Euangelica lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat? arbitror sanè ne id quidẽ à proposita similitudine discedere: virginalẽ.n. domũ intelligi volens spiritus, siluit non incongruè pœnitentiam, quæ malum vtiq; comitatur; absit enim, vt proprij quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur.* hæc D. Ber. expositio moralis censenda est, nam re vera potius crediderim non adfuisse tũc ibi Lazarũ, præsens.n. si fuisset, & illũ nõ tacuisset Euangel. & erga tãtũ hospitẽ aliquod charitatis munus etiã ipse exhibuisset, à Luc. nõ prætermittẽdũ.

7. An Martha etiam ad Christi pedes adsederit.

Quæ etiam sedens] Tolet. Annot. 66. illa, inquit, particula, *etiam*, cogit nos affirmare Martham simul cum Maria ad pedes Domini assedisse ad audiendum verbum illius; licet Martha frequenter præparandis escis intenta surgeret, & abiret, moxque eodẽ reuerteretur, neq; n. credibile est Christo domum eius ingresso, & sedenti, ac docenti Martham, ne tantillum quidẽ tẽporis cõsedisse, vt partem al. quã sermonis exciperet, cum id maximè etiam in vitam actiuam aptè cõueniat, cuius Martha figuram gerebat. verum verosimilius arbitror, Martham ad Christi pedes non assedisse cum Maria ad audiẽdum Christi verbum, sed intentam operi huc illuc discurrisse, quod mihi Lucas nõ obscure significasse videtur, dum sequẽtibus verbis subdit: *Martha autẽ satagebat circa frequens ministerium.* ergo cum D. Lucas nullã sedentis Marthæ recordationẽ dederit, sed satagentis, ac sollicitæ, non videtur illud *etiam* Martham respicere, quasi indicare voluerit Euangelista Mariam etiã sedisse cum Martha; neq; placet illud *etiam* ad alias mulieres, vel viros, qui tunc fortè in domum Marthę venissent referri; neq; enim solã laborare se quereretur Martha, quasi omni prorsus destitutã auxilio; neq; n. id permisissent, si vicinæ ibi, & amicę mulieres interfuissẽt aliæ. Duæ mihi interpretationes huic loco applicari posse videtur vel vt particula *etiã* ad participiũ *sedẽs* pertineat, vt sit sensus, Maria nõ abiter, & quasi per transennã Christo aderat, sed etiam sedens secus pedes eius, omni alia cura depositã; ita vt significet Lucas mirã huius mulieris in audiendo auditatem, vt quæ attracta verborum Christi suauitate, & discendæ veritatis studio omniũ rerũ oblita, fixa, atque immobilis ad pedes Christi assederit, & hoc sequitur Maldon. vel vox *etiã* Gr. καὶ loco *vero* capitur, vt sit sensus, erat Marthæ soror Maria vocata: ea verò sedens ad Christi pedes audiebat verbum illius. vtramq; expositionẽ probat Barrad. quanquã & illud dici potest, Mariã sedenti Christo assedisse etiã, licet ille altiore loco sederet

8.

Audiebat verbum illius] de hac muliere discant auditores diuini verbi, quomodo sit illud audiendum. Duplicem.n. cõditionẽ in hac muliere notauit Euangelista, alterã tranquillitatẽ ab omni mentis, & corporis perturbatione hominẽ semouentẽ: alterã humilitatẽ & erga doctorẽ obseruantiã, & veneratiõnẽ, quarum primã indicat verbum, *sedebat*, secundùm illa alia, *sedens secus pedes Domini*, vtriusq; tanquã necessariæ ad benè, vtiliterq; audiendũ Dei verbũ meminit Scriptura: illius Psal. 45. 11. *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus*: huius 1. Pet. 5. 5. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* & Aug. ser. 27. de verb. Dom. *Quanto*, inquit, *humilius ad pedes sedebat, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem conuallis, denatat de tumoribus collis.*

9. Tranquillitas mentis, & humilitas mentis duæ conditiones necessariæ auditoribus verbi Dei.

10. Concionatores quomodo se gerere debent in hospitijs.

Habent & concionatores exemplo Christi quomodo se gerãt, cum ab auditoribus vel inuitantur, vel hospitio excipiũtur, vel deniq; alienas domos adeunt. ecce tibi Christũ intra alienas ædes admissum dum paratur mensa, dum coquitur cibus, non ibi otiosè egisse, verum cibo spirituali prius audientis animũ refecisse: hoc præstent Christi concionatores, hoc sacerdotes, hoc Religiosi cum aliorũ domos ingrediuntur, vt omnẽ à se procul expellãt lenitatẽ, eaq; magis loqui curẽt, quæ ad animorũ vtilitatẽ, vitæq; emẽdationẽ faciũt, sic monet Paulus 1. Tim. 4. 12. *exemplũ esto fidelibus in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.* possumus & per pedes Domini docentis concionatores mystice intelligere tanquã. n. pedes ad varias mundi gentes euangelũ deferũt Christi nomẽ portantes, sic Paulus insignis cõcionator à Christo dicitur *vas electionis* esse, vt portet nomen illius; ad hos igitur pedes sedere debent cum Christiana humilitate: & animo mundanis curis vacuo sedere oportet eos, qui Euangelicis doctrinis expoliri, & diuini verbi fructũ colligere cupiunt. cũ verò dicitur *sedebat*, frequens, ac perpetuũ quodammodo diuini verbi audiendi studium nõ obscurè significatur. etenim *gutta cauat lapidem, nõ vi, sed sæpe cadendo*, neque vno, aut altero ictu arbor procera cõcidit: sicut nec Ierichuntini parietes vnico circuitu sacerdotum tubis resonantium corruêre, sed pluribus, vt intelligas quanti momenti sit frequens, & iugis verbi Dei meditatio, atque auditus.

Pedes Christi concionatores significant.

11. Marthæ studium Christo gratificandi, & faciendi satis.

3. *Martha autem satagebat circa frequens ministerũ*] Gr. pro, *satagebat*, est περιεσπᾶτο, id est, anxiè torquebatur, distrahebatur, seu distendebatur. Deniq; valdè erat sollicita, totaq; negotiosa erat, & occupata. *circa frequens ministerium*] περὶ πολλὴν διακονίαν multũ ministeriũ appellat, inquit Maldo. non opiparum opinor cõuiuiũ, sed sollicitudinem mulieris quærentis, quibus rebus Christo gratificari posset, & suã erga illũ charitatẽ declarare. vtrumq; ex charitate proficiscebatur, & quòd satageret, i. tãto excepto hospite, sollicita esset, qua ratione illi satisfaceret; & quòd multo vteretur ministerio. sic Mal. sentit, quẽ ego verisimũ sensũ explicasse arbitror. *Quæ stetit, & ait*] Greg. li. 5. in li Reg. c. 4. sic in hæc verba scribit: *Martha quæ circa frequens ministeriũ satagebat, stetit, & loquuta est: quæ.n stetit, ei nimirum sedere non licuit. quia si ad audiendũ sederet, imparatum fortasse ministeriũ, & insufficiens impendisset; & notandum, quia transeundo, Dominum Martha vidit, non tamen transeundo, sed stando loquitur: nã Euangelista cautè expressit dicens: quæ stetit, & ait. quo perfecto exemplo instruimur, vt qui fratribus ministeria exhibemus, si per morã sedere ad Redemptoris pedes nõ possumus, per aliquantulã morã Redemptori assistere debeamus; sed benè ei assistimus si transeundo, & seruiẽdo videamus. Quid est autem transeundo Dominũ cernere, nisi in omni nostro bono opere ad ipsũ dirigere cordis intentionẽ? transimus.n. quãdo huc, illuc discurrẽdo in mẽbris suis Domino ministramus. sed transeundo Dominum cernimus, si per omne, quod agimus, præsentem nobis ipsum, cui placere cupimus, contemplemur.* Hæc piè Gregor.

12. Optimum documentũ Gregorij.

Domine non est tibi curæ] Adstitit Martha coram Christo quasi cõtã iudice, nõ Christum sed sororẽ apud Christũ accusatura, quod eã solã reliquisset ministrare, ipsa aũt sederet ad pedes Christi, sollicita. n. erat Martha, ne non posset sola tãto hospiti respondere, cui maximè vellet satisfacere. ait aũt: *Domine non est tibi curæ?* hoc est, tuæ curæ est, tibi incumbit, tanquã vtriusq; Domino, & Iudici, cui vtriusq; nostrũ munus est obtẽperare, tuũ inquã est prospicere, sorori meæ iubere, vt me minus tanto operi parẽ, & pluribus intẽtã adiuuet. Phrasis eiusmodi est apud Marc. 4. 38. Magister, nõ ad te pertinet, quia perimus? G. nõ est tibi curę. διδάσκαλε μέλει σοι vt hic apud Lu. est. porrò interrogationes hę affirmatiuis æquiualent. Audi nunc August. ser. 26. de verb. Dom. *Interpellat*, inquit, *Martha hospitem, ad iudicem deponit postulationem piarum querelarũ,*

13.

Digitized by Google

quod eam soror deseruerit, & sic laborantem in ministerio adiuuare neglexerit. Greg. item lo.cit.docet, quem sensum habeant hæc Marthæ verba. *notandum est*, inquit, *quia considenter Martha loquitur dicens: Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquerit me solam ministrare? quod certè perfectis quibusdam operarijs sanctæ Ecclesiæ conuenit, qui omnipotenti Deo preces tanto fiducialius offerunt, quanto laboriosius ei in membris suis se ministrasse meminerunt. sed quia in ipsis etiã, quæ actiuæ vitæ deseruiũt, nimietas sollicitudinis cohibẽda est, Martha reprehẽditur, quæ tã sollicita asseritur, vt erga plurima turbetur. actionis quidẽ seruor tũc rectè disponitur, cum sic insistimus operi, vt tranquille eum, cui opera nostra consecrare nitimur, videamus. Quid est ergo nimietas sollicitudinis, nisi confusio supernæ intentionis: quia dum se erga plurima diuidit, diuisa iam ad supernorum intuitum nõ assurgit. illud enim æternum, & simplex bonum æternæ visionis, anima quia vix vnita comprehendit, se nimirum ad id diuisa non erigit. Dicit ergo operum nostrorum dispositor, & receptor, vnum est necessarium, ne se mens ad multa diuidat, vt per tranquillitatem vnita ad summi boni intuitum potenter surgat.* Cassian. coll. 1. cap. 8. legit: Domine num tibi placet, quod soror mea reliquit me solam ministrare? quod superius dictis initio huius num. 13. multum fauet.

Recta actionis dispositio.

14. Mariæ in audiendo Christo pertinax auiditas.

Dic ergo illi] Rogabis cur Martha silentio sororem non vocauit, & vt se iuuaret monuit? nimirũ se nihil profecturam credebat, quia totam à Christi ore, verbisque pendere videbat, ideò ait, *dic*, iube, q.d. alioquin non hic auelletur, quin etiam vix me audiet, ita penitus absorptam video. Sunamitis illa non potuit ab Elisæi pedibus per Giezi diuelli, neque Cananæa à Christo per Apostolos, quanto ergo minus Magdalena à Christi pedibus abstrahi poterat, quibus tenacius inhærebat? Verum & huius rei alia potior causa assignari potest, quã docet Bern. ser. 5. de assump. *aduertenda est*, ait, *delatio quadam, & honorò obsequium circa Dominum; quod sc. ipso præsente nõ sit ausa Martha euocare Mariam; quin imo & apud ipsũ querelam deposuerit, ipsumq; Dominum vocauerit, in cuius potestate sit imperare sorori quicquid necesse fuerit.* sic Bern. igitur non est ausa Martha sine Domini facultate sororẽ de Christi pedibus auellere, neq; enim decebat sine eius imperio. sed mirare Mariæ modestiam simul, & silentium; nihil illa respondit, totam suam causam Christo commisit; qui eam propterea nunc excusauit; quemadmodum & postea imminente passione, cum de vnguenti pretiosi effusione reprehenderetur, ipsaq; taceret, eius rursus patrocinium suscepit, sic dicens: *finite eam, quid illi molesti estis? bonum opus operata est in me.*

Obtrectatõtum voces surdæ aure præterẽundæ sunt.

Hinc discе, cum ob bonorum operum studium argueris, tacere, cùm deridet te, quod diuinis rebus incumbis, quod orationi, Dei verbo audiendo, sacro Christi corpori participando. malorum hominum cõsuetudinibus fugiendis, pauperibus adiumandis vacas, discе ista propter Deum contemnere, solius Dei auxilio, & tuæ conscientiæ testimonio contentus. Memineris q̃ Moses filijs Israel de AEgypto egredientibus olim dixit, cum illos insequeretur Pharao, & à tergo premeret: *Dominus* ait: *pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Exo. 14. 14.

15.

Occasione horum verborum Marthæ, de sorore cum Christo expostulantis, solet, inquit Maldo. hoc hæreticorum ingenium, qui nihil fetunt iniquius, quàm Monachorum vitam, vt ipsi vocant otiosam, id q̃ & in quosdã Catholicos, à verò tamẽ Christi spiritu, & amore plurimum abhorrentes, aptè conuenit. Verum vtriq; discernere deberent quos accusant, qui. n. otiosi sunt, monachi nõ sunt, si veri monachi sunt, aut actiuam sequũtur vitam, A & tam occupati sunt, quam Martha; aut contemplatiuam, & tam occupati sunt quam Maria, pro qua Dominus sorore accusante respondit, aut vtrique vitæ studẽt cõtemplatrici, & actuosæ, & plusquam Martha, plusquam Maria, tantum, quantum vtraque simul occupati sunt. Ex *illorum persona*, inquit Beda, *loquitur* (Martha) *qui adhuc diuinæ cõtemplationis ignari, solum quod didicere fraternæ dilectionis opus Deo placitum dicunt, adeoq; cunctos, qui Christo deuoti esse velint, huic mancipandos autumant.* Hæc Beda. sed non ita sentiebat Maria, de qua sic Aug. ser. 27. de verb. Dom. *Cùm ergo*, ait, *Maria suauiter audiret verbum dulcissimum, & corde intentissimo pascereturinterpellato Domino à sorore sua, quomodo putamus eam timuisse ne diceret ei Dominus: surge, & adiuua sororem tuam? Mira enim suauitate tenebatur, quæ profectò maior est mentis, quam ventris, excusata est, sedit securior. Quomodo autem excusata est, attendamus, pascamur & nos.*

B 16. 4. *Martha Martha*] quod bis repetit nomẽ Marthæ, ad beneuolentiam pertinet, vel ad attentionem, Martha enim in multis occupata vix satis ad ea quæ dicerentur attendere poterat. hinc Augustin. ser. 26. de verb. Dom. *Repetitio nominis*, inquit, *est indicium dilectionis, aut forte mouendæ intentionis, vt audiret attentius ea vocata est: Martha Martha, audi, tu circa multa es occupata*, &c. Maldon. hanc repetitionem Epitasim, & Emphasim habere monet, quod verò ait: *sollicita es, & turbaris erga plurima*, duobus verbis expressit quod paulò ante vnduntaxat dixerat Euangelista. *Martha autem satagebat circa frequens ministerium.* Euthym. sic interpretatur, *turbaris circa multa, sc. quæ ad conuiuium, & obsequiũ necessaria sunt.* malim dicere quæ ad cõuiuium, & obsequium pertinent, licet re vera necessaria non sint. Græc. non legitur superlatiuus, *plurima*, sed multa. ita legit Augustin. ser. 27. de verb. Domini vt & Euthym.

C 17. Ih Martha quid Dominus reprehenderit.

Ceterum cõstat Dominũ reprehendisse Marthã, non quidem de opere quod bonum, & laudabile erat, sed de circumstantia quadam operis. *non ergo Dominus*, inquit Aug. lo. mox cit. *opus reprehendit, sed munus distinxit: Maria optimam partem elegit; non tu malã, sed illa meliorem.* Et iterum, *quid enim? putamus nos reprehensum esse ministerium Marthæ, quã cura hospitalitatis occupauerat, quæ ipsum Dominum hospitio receperat? quomodo rectè reprehendebatur, quæ tanto hospite lætabatur? si verum est, dimittant homines quod minsitrant egentibus, eligant sibi partem meliorem, quæ non auferetur ab eis; vacent verbo, inhient doctrinæ dulcedini*, &c. Reprehendit ergo circumstantiam quandam operis, quam rectè expressit Grego. cuius verba num. 13. recitauimus. quibus adde non solum nimietatem sollicitudinis, vt Greg. loquitur, & turbationis fuisse in Martha reprehensam, verumetiam in ipsis rebus ad escam præparatis redundantiã, quin hæc illius erat causa, & propterea dictum est illi: *turbaris erga plurima*; quamuis in Martha vtrumq; ex amore quodam & obseruantia in Christum proficisceretur, vt animaduerti hu. ii. sub finem, quare non videtur illud recipiendũ q̃ habet D. Chrys. hom. 43. in Ioann. sic enim scribit de hac reprehensione: *quod ad Marthan loquutus est Iesus non in operando reprehensionem dixit: sed quod tempus considerandum sit; & distribuendum, ne audiendi verbi Dei occasio in cæmalium rerum cura consumatur. non ergo desidiam laudat, sed ad audiendum allicit: Veni, inquit, vt vos docerem; tu autem circa prandium occuparis varijs cibo rum generibus me vis excipere; alijs cibũ para, sermonibus meis attende, sororis desiderium imitare. Neq; coarguebat Iesus hospitalitatem, absit, sed doctrinæ præferebat alijs nõ esse vacandũ negotijs, admonebat. Hæc tẽpore alijs nõ esse vacandũ est, eo q̃ tẽporis ratio habẽ-*

da sit,

Digitized by Google

da sit; verum huic loco non conuenit, cùm textus ipse significet, propterea Martham esse reprehensam, quod nimium sollicita esset, & plura quam necessarium foret, pararet; alioquin summouere debuisset Dominus Martham ab opere illo, quod non fecit, vt Titus Bostrenus obseruat.

18. 5. *Porrò vnum est necessarium*] Græcè loco *porrò est*, εἰ, *vnum autem*: seu, *atqui vnum est necessarium*. Augustin. 27. de verb. Domin. legit, *quando vnum est necessarium*, quid sit autem illud *vnum* ita exposuit Theophyl. *non hospitalitatem prohibet Dominus, sed varietatem, ac turbam, hoc est distractionem, & turbationem; laudat enim frugale hospitium. Quare enim, inquit, Martha sollicita es, & turbaris circa multa? hoc est distraheris, & turbaris? vno nobis opus est, nempe vt comedamus qualitercumque, non varijs*, sic ille. Monens Ecclesiæ prælatos, & doctores; vt cùm in cuiuspiam domum venerint, non quærant varijs, aut delicatis cibis frui, sed frugali mensa contenti sint. Eundem sensum Dionys. Carthu. tribuit Cyrillo, & Basilio: nec dissentit Hieronym. in epistola ad Eustochium de custodia Virginitatis, nec contemnendus est hic sensus: commendat enim, vt animaduertit Salmeron, victus frugalitatem, & sobrietatem: videlicet vt quis parce, continenter, sobriéque viuat, quod sanitatem sapientiam, & vitæ sanctitatē plurimum iuuat. Benè enim paruo viuitur, & natura paucis est contenta; vnde illud extitit Prouerbium: *Non oportet transgredi salem & mensam.*

ommenda-
ir frugali-
is.

1 Luc. 6. 10.

19. Non desunt tamen Patres alij, Ambros. Augustin. idem Basilius atque adeò Theophyl. qui *vnum necessarium*, verbi Dei auditionem interpretentur quo videlicet pascitur & curatur anima, & ad vitā reuocatur, & turbata lucem aspicit tranquillam; audito siquidem Dei verbo, vt audire par est, noster spiritus cum Christo copulatur, nam *qui adhæret Domino, vnus spiritus est* 1. Cor. 6. 17. eodem verbo fit vt à creaturis quæ plures sunt, nec animū explere queunt, ad vnum Deum, in quo omnia bona continentur, anima transferatur: *primùm quærite, inquit, regnum Dei, & iustitiā eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* & obserua hic obiter sex assignari verbi Dei gradus, quos notauit idem Salmeron, & primus quidem gradus est, audire verbum Dei; alter intelligere, tertius illud memoria retinere; quartus, mente frequenter reuoluere, & in memoriam reuocare; quintus opere complere; postremus propter verbum Dei libenter pati: quod qui præstat, iam is Religionis nostræ fastigium tenet, & ad sanctitatis culmen peruenit.

ex gradus
ercipiendi
Verbum Dei.

20. His adde Io. Cass. coll. 1. c. 8. interpretationem; sic enim ille hoc *vnū* declarat: *hic nobis principalis debet esse conatus hac immobilis destinatio cordis iugiter affectanda est, ac tenenda, vt diuinis rebus ac Deo mens inhæreat: quidquid ab hac diuersum est quamuis magnum, secundum tamen, aut etiam infernum, seu certè noxium iudicandum est.* Dionys. quoque Charthus. in hoc Lucæ caput, censet, *vnū*, esse, aut patriæ fœlicitatem, aut eius largitorem Deum, vel contemplationem, vel Dei in hac vita dilectionē, siue mauis mētis pacem in Deo, & perfectam cum illo vnionem; subdit verò: *quamuis autem ad obtinendam salutem multa sint necessaria, scilicet, fides, spes, charitas, sacramenta, impletio præceptorum: vnum tamen per antonomasiam dicitur necessarium, quia præ ceteris necessarium extat, vel necessitate finis, & propter se, atque simpliciter, alia verò per respectum ad finem & propter eius adeptionem sic ille.*

21. *Porrò vnum est necessarium*] Græcè ἑνὸς δέ ἐστι χρεία. Hoc est, *vnius verò est necessitas*, siue indigentia, siue vsus, quod rectè quadrat Marthæ, quę multis ferculis parandis intenta erat, atque adeò multis actionibus distracta: primam ego sententiam Theoph. maximè credo in hunc locum conuenire, licet alteram non improbem, sed reuerenter etiam amplectar.

A

B

C

D

Optimam partem elegit] Græc. τὴν ἀγαθὴν μερίδα 22.
illam bonam partem: ponitur more hebræo, positiuus pro comparatiuo, sicut 1. Cor. 7. 1. *bonum est homini mulierem non tangere*, & Psalm. 11. *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*. hoc est, melius est. quare Euthy. c. 37. in Luc. licet legat, *bonam*, interpretatur bonam partem dixisse, *non quod altera mala sit, sed bonam hic inquit appellauit eam, quæ melior est*. Augustin. de verb. Dom. serm. 26. 27. legit *meliorem*. *Ait enim, non tu malam, sed illa meliorem partem elegit*, sic Ambr. *Nec Martha tamē, inquit, in bono ministerio reprehenditur, sed Maria, quod meliorem partem sibi elegerit, antefertur.* Pagninus, Biblia regia, & Syriac. cod. *bonā partem* vertunt, & qui nullam volunt hic fieri comparationem, sic etiam vertūt: sed optimè ac plenissimè vertit interpres, nam quoniam Mariam Christus, eiusque institutum laudat, Marthæ præposuit institutō, nō dubium quin hic comparatio fiat, vt patet ex Aug. Ambr. locis citatis, & ex Cassiano coll. 1. c. 8. vbi *meliorem partem*, legit, & coll. 23. c. 3. *optimam partem*: quanquam Ambr. ser. 11. in Psalm. 118. vtroque modo habeat; quod verò superlatiuo vtatur interpres, aptissimè fecit, quia non inter Martham tantum, & Mariam, sed inter officium Marthæ, & Mariæ cōparatio fiebat respectu cuiusque; & non dubium hanc esse omnium optimam electionem inter eos omnes, qui vel illud Marthæ, vel hoc Mariæ officiū eligunt: & licet vita mista melior nunc sit, & Deo gratior, tamen cum vtramque vitam complectatur, sēper id quod in ea optimum est, contemplatio est. Quin etiam si simpliciter & absolute loquamur, vita ipsa contemplatiua est semper nobilior, quam mista; quia est vita Beatorum, & semper duratura, vita verò mista cessabit, quia desinet actionis necessitas.

Partem] vocabulum hoc sumptum est ex hæredibus: quorum maior natu apud veteres quosdam, vt apud Romanos hæreditatem in partes, quā maximè poterat æquales, diuidebat; minor verò eligebat primus, lege Senecam declam. 3. nomē etiam μερὶς *partis*, in sacris litteris propriè partem hæreditatis significat *pars mea Deus in æternum*, Psal. 72. 26. *& hæc est pars hominis impij* Iob 20. 29. *Quæ nobis pars in Dauid, vel quæ hæreditas in filio Isai?* 3. Reg. 12. 16. &, *si non lauero te, nō habebis partem mecum* Io. 13. 9. & *partemq; eius ponet cum hypocritis* Matth. 24. 51. & quod rectè quadrat in has duas sorores, quæ Christum quasi hæreditatem suam diuidebant. & altera eum in ipso, altera extra ipsum quærebat. Martha maior natu, inquit, Maldo. quodam modo fecerat partes; Maria minor natu elegit optimam, videlicet Christum, in ipso, non extra ipsum. Quod inde videtur sumptum, quia terra promissa diuisa est per duodecim partes, iuxta numerum tribuum, & per funes vnicuique familiæ sua pars obtigit: hinc factum, vt pars pro hæreditate ponatur. 23.

Elegit] significat, Mariam Magdalenam non solum nunc intentam esse Dei verbo, verumetiam id officij præsertim sibi delegisse, in quo vitam transigeret totam. An verò Martha in ea vita actiua semper perseuerauerit, nihil certi; sed puto à morte CHRISTI vitæ mistæ vacasse. Porrò quamuis eligere statum, siue vitæ conditionem Christi vocantis sit, iuxta illud. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Ioann. 15. 16. cuius est diuersos, ad diuersa iusta vocare: quia tamen hoc Dei donum assensum liberi arbitrij requirit, simul adiuuante Deo, hinc est vt etiam nos dica- 24.

mur

re eligere. Itaque per excitantem, ac præuenientem gratiam, solus Deus facit vt velimus vel eligamus, cætera verò omnia, quæ post gratiam excitantem dantur, vel libere fiunt, vel aliquo modo pendent ex liberi nostri arbitrij dispositione; idcirco dici possunt non à solo Deo, sed etiam à nobis fieri, nam verissimum est illud Augustini, *qui creauit te sine te, non saluabit te sine te*: quod ad gratiam adiuuantem præsertim pertinet: sicut illud ex eodem desumptum: *multa facit Deus in homine bona, quæ non facit homo; nullum autem bonum facit homo, quod non præstet Deus, vt faciat homo*, præsertim ob excitantem gratiam dictū est.

25. Gratia alia operans, alia cooperans.

Hinc est illa distinctio in gratiam operantem, & cooperantem. gratia enim operans eadem est, quæ excitans, sicut cooperans, eadem, quæ adiuuans; & quidem hæc diuisio desumpta est ex Augustino libro primo, de gratia & libero arbitrio capite 16. & 17. vbi inter plura alia hæc habet: *& cooperando perficit, quod operando incipit.* quibus verbis operandi, &, cooperandi, satis insinuat gratiam operantem & cooperantem, quas magis explicans addit: *vt velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur.* Hanc autem doctrinam sumpsit ex Paulo ad Philipp. 2. *Deus est, qui operatur in nobis, velle & perficere*, nam operari velle, pertinet ad gratiam operantem; perficere autem ad cooperantem, item illa ad Rom. 9. *non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*, vt sentit Augustinus Enchirid. cap. 32. operantis gratiæ sunt; similiter illa, *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis*, ad gratiam operantem pertinet, cuius est cogitatio sancta. At illud primo Corinth. 15. *non ego, sed gratia Dei mecum*, ad cooperantem refertur gratiam; Itaque Maria Deo cooperante & adiuuante, elegit optimam partem, vt autem eligeret solo Deo prius operante & adiuuante, & excitante factum est; ita verissimum est illud Augustini lib. 1. ad Simpli. quæst. secunda, vt velimus enim, suum esse voluit, & nostrum suum vocando, nostrum sequendo. De gratia vide quæ diximus p. 1. l. 2. cap. 4. digress. vnica, numero secundo, & libro tertio, capite 17. digress. 2. & digress. 3. num. 9. & digress. 6. 7. & c. 18. digress. 5. numero 6. & parte secunda, libro quarto, capite decimo, schol. numero 41. Theor. 1. n. 3. Theor. 2. & c. 14. digr. 7. & alibi.

26. Optima sanè pars, quam elegit Maria; fœlix quæ dicere potuit *mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam &, quid enim mihi est in cœlo, & à te quid voluit super terram? defecit caro mea & cor meū, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternū. Quæ non auferetur ab ea.* iuxta expositionē illā alterā eorū verborū: *Potrò vnum est necessariū*, de qua n. 19. sensus est ex Aug. & alijs, pars Mariæ non auferetur ab ea, quia æterna est: etenim in cœlo nequaquam desinet Dei contemplatio; pars verò Marthæ auferetur, neque enim ibi locum habet hospitalitas. Hinc August. de Trinitate l. 12. c. 10. *Illa pars, ait, quæ in ministerio indigentiæ est, cum indigentia ipsa transierit, auferetur. boni quippe operis transituri merces est requies mansura.* reijciendus sanè illorum est sensus, qui sic hæc verba interpretantur, *non auferetur ab ea*, hoc est, non patiar vt auferatur, non patiar, vt à me discedat soror tua, vt adiuuet te nimis ministrando sollicitam & occupatam; neque significat Christus fore vt propterea quod elegerat Maria, ab ea non auferretur, quod gratia illi auferenda non esset, quasi eam his verbis in gratia velit cōfirmare: etenim esto, vera sint hæc, vlterius tendebat Christus, volens ex effectu, & fine docere, quid inter Mariæ & Marthæ interesset partem, quod illa nimirum æterna, hæc temporalis esset.

A

DIGRESSIO I.

Quod contemplatrix vita actuosam superet, licet vtraque bona sit, quarum illa per Mariam, hæc per Martham significatur; vtramq; verò B. Virgo omnibus suis partibus cumulatè perfectam expressit.

CONTEMPLATRICEM vitā longè post se actuosam superare, eleganter docet Basilius in cōstit. Monast. c. 2. sic scribens *Agedum, igitur per duas mulieres duo mihi vitæ genera introduci animaduertite: vnum quidem quod se inferioribus vitæ huius muneribus occuparit, quanquam ipsum quoque mirificè commodum est; alterum nobilius & cum spiritu magis coniunctum; nimirum quod se se ad arcanas res contemplandas altius extulerit. Hæc tu qui audis, spiritus conuenienter interpretare; & vtrumuis magis placuerit, deligito, & si ministrare vis, in nomine Christi ministrato. Ipse enim dixit quatenus fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Nam siue hospites recipis, siue mendicos reficis, siue dolentium misericordia commoueris, siue necessitate aliqua, calamitateue oppressos auxiliatrici manu subleuas, siue aduersa valetudine laborantibus inseruis, omnia ista hæc officia perinde Christus habet, ac si in ipsum propriè conferrētur; quod si mauis Mariam imitari, quæ spreto corporis obsequio, altius ad rerum diuinarum contemplationem ascendit, legitimè, & vt par est, verè, negocium tractato, corporis curam abijcito, agricolationem deserito, apparatus etiā epularum & obsoniorum aspernator, ad Domini pedes assideto, & quæ ille dicat, auscultato, vt arcanorū diuinitatis particeps efficiare: siquidem officijs ijs, quæ corpori impenduntur, potior est dogmatum Christi contemplatio. Accepisti igitur charissimè exempla, & vna etiam rationem; vtram mauis sectare, aut videlicet agentium minister esto, aut Christi dogmatū studiosus inuestigator, quod si vtraq; simul potes imitari, vtrimq; omninò fructū salutis reportabis.* hæc Basil.

B

C

Greg. l. 6. mor. c. 28. *Quid*, inquit *per Mariam quæ verba Domini residens audiebat, nisi contemplatiua vita exprimitur? quid per Martham exterioribus obsequijs occupatam, nisi actiua vita designatur? sed Marthæ cura non reprehenditur, Mariæ verò etiam laudatur; quia magna sunt actiuæ vitæ merita, sed contemplatiuæ potiora, vnde nec auferri vnquā Mariæ pars dicitur. quia actiuæ vitæ opera cum corpore transeunt; contemplatiuæ aūt gaudia melius ex fine conualescunt.* quod benè, ac breuiter Ezech. Propheta exprimit, cum volantia animalia cōtemplatiuos ait, *& similitudo manus hominis subtus pennas eorū erat. Quid enim per pennas animalium, nisi contemplationes possumus sentire SS. quibus ad summa transuolat, & terrena deserentes se se in cœlestibus librant. Quid per manus nisi operationes accipimus? quia cum in proximi amore se dilatant, bona quæ præualent, etiā corporaliter administrant. sed manus eorum sub pennis sunt, quia actionis suæ opera, virtute contemplationis vincuntur.* de vtraque hac vita agit idem Greg. ibidem c. 25. 26. 27. & hom. 3. &c. & 14. in Ezech. & c. 4. l. 5. in 1. Reg.

D

Quare consultissimè factum est, vt hoc ipsū Euangelium ad assumptam in cœlum Virginem applicaretur, quod mirum in modum excellat in vtroq; vitæ genere; quam rem quia piè, & eruditè docet Pater Canisius in notis in hoc Euangelium, eius hic verba apponam. Certum,

3. Euangelium hoc cur ad assumptionē B. Virg. applicetur?

Petrus Canisius.

tum, inquit, & illud habendum est, Sanctissimam Virginem, tanto magis Deo summo placuisse, & excellentius in cœlo præmium recepisse, quanto perfectius, vel vt alteram Martham & Magdalenam in terris se præstitit, vt actiuæ simul, & contemplatiuæ partes, & prærogatiuas omnes absolueret, vel æque plena gratia diceretur & esset; vt autem ex multis huc spectantibus pauca quædam recenseam, quis obsecro actiuæ vitæ laudem illi non tribuat, quæ vt parentibus & amicis obsequeretur, Ioseph commendat sibi sponso nubere non dubitauit, multosq; annis in virginali coniugio cum eo vixit laboriosè simul, & arumnosè? quoties est illa suis pedibus peregrinata, quæ & cognatam grauidã officij caussa cum per montana proficisceretur, inuisit, & censum suum Augusto Cæsari persoluit in Bethlehem. Illa inopis puerperæ insolitam sustinuit calamitatem, humana ope & amicorum subsidijs destituta; illa purificationis legem in templo diligenter expleuit, fideliq; mater in educando filio mirè sollicita fuit illa triste cum eodem filio exilium in Ægypto perpessa est, & amissum illum duodennem valdè mœsta quæsiuit. Illa quotidianum victum vna cum Ioseph fabro suis manibus haud dubiè comparauit. Quantam illa curam habuit in tali filio educando, quo nihil vlli matri fuit vnquam carius, aut esse potuit desiderabilius? multa certè propter illum docentem vidit & audiuit à Iudæis agi, atque proferri, quæ, cum per se essent indignissima, pectus illud maternum & Christi amore vehementer incensum non potuerunt non commouere atq; affligere, sed & ei lacrymas exprimere; potissimũ verò, cùm ventum est ad horrenda filij sui vincula, supplicia, crucem, mortem & sepulturam. Ita demũ præacutus doloris gladius, quẽ illi prædixerat Simeon, animam eius mollissimam planè transfigit, adeoq;, vt sermone de assumptione Sophronius & ser. 2. de eadẽ Idelphonsus notant, plusquam martyrem effecit, in qua nimirum corporeæ sensum Passionis vt ser. 2. de eadem assump. excesserit compassionis affectus. & Bern. discipulus, Guerricus ser. 4. de eadem, admonet, Mariam fidam Christi assectatricẽ & ministram sedulã comitemq; indiuiduam fuisse vsq; ad mortem eius, à quo nulla persequutionis procella, nullus horror præsentis supplicij illam potuerit abterrere.

4. Tum verè scripsit Rupertus in Euang. Io. l. 13. non habuit hæc mulier hanc pœnam, vt in dolore pareret, sicut cæteræ matres, quando infans illi natus est, sed nunc dolet; cruciatum & tristitiam habet, quia venit hora eius, illa vltima hora propter quam de Spiritu S. concepit, propter quam grauida facta est, propter quam completi sunt dies vt pareret, propter quã omninò de vtero eius Deus homo factus est. Atq; huc pulchrè explicat Christi verba quibus prædicitur Apostolis fore, vt in die suæ passionis imaginem referant fœmina parturientis, Mulier, inquit, cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. habet igitur laudem suam officiosa Martha, quod Christum hospitem exceperit, ac fouerit, cibumq; illi & potum domi suæ subministrarit: Ideoq; iuxta promissum Euangelicũ retribuetur ei in resurrectione iustorum, Christumq; in iudicio dicentem audiet, hospes eram, & collegistu me. sed Maria Virgo plusquam Martha fuit, & inauditam exercuit hospitalitatem, quãdo Filium Dei de summo cœlo venientem prima excepit, & cum ille non haberet vbi caput reclinaret, ex vtero suo illi domicilium, in quo nouem mensibus habitaret, præbuit; sed & sua illum carne vestiuit; suis lactauit vberibus, suis reclinauit, & gestauit manibus & virginea genitrix, obstetrix & nutrix materna pietatis fida obsequia illi non minus amanter, quam sollicitè præstitit; sola cognouit & amauit hunc infantem, vt suum vnigenitum, ita vt Deum, atq; creatorem. hinc duplici nomine, naturæ nimirum, ac gratiæ, dilexit ipsum quem educauit vnice ac incomparabiliter. Quò dilexit autem eum vehementius, eo Iustius etiam doluit, & dolendi caussas habuit graviores, illo præsertim tempore, quo per mortem vt crudelissimam, ita & ignominiosissimam, tanto thesauro priuata est, & suas delitias ipsum q; Emmanuelem vidit à mundo ingratissimo eijci, atque in crucem suffigi, imò & hominum fieri opprobrium, & plebis abiectionem.

Neq; verò Mariæ Virgini satis fuit in actiua vita versari in qua Martham veluti pedissequam habuit, laude sollicita, & laboriosæ hospitalitatis vbique præditam, sed & contemplatiuæ vitæ magna documenta dedit, partim ante initum cum Iosepho coniugium, partim post gloriosũ Filij sui in cœlos ascensum. Nusquam reperies Virginem inde à pueritia religiosiorẽ, diuinoq; cultui & sacris studijs addictam magis præsertim cum hæc Virgo Dauidica in templo educaretur, & summum Deum perfecta fide, spe, & charitate supra æquales oẽs coleret, ac honoraret. Quæ orbata filio tam in cœlos assumpto, viduam Euangelicam, simulq; Apostolicam omni ex parte absolutam ostendit, dum à mundi curis, ac negotijs, siue domesticis, siue profanis libera, rebus diuinis Christiq; sacris mysterijs meditandis totam se tradidit, nihil habens familiarius, quam vt noctè ac die in corde suo ea conferret, quæ circa rem Euangelicam à Redemptore nostro tum dicta, tum facta perceperat. Hunc enim illa velut domesticum & priuatum ad trigesimum vsq; annũ habuerat institutorẽ à quo multa & præclara illam didicisse & in sui purissimi cordis scrinio retinuisse dubium non est. An quisquam hactenus fuit credentium, ac diligentium Deum, cui ad vitam contemplantem, tot tantaq; præsidia, sicut Mariæ suppetierunt? quæ ab omni peccati næuo semper integra, & in gratia Dei vsq; confirmata, in carne, sine carne, vixit, & conuersationem in cœlis firmam ac fixam habuit, diuinaq; charitatis præceptum maximum, vt nemo alius obseruauit? Nil illi facilius erat ac vsitatius, quam intellectu & affectu se cum Deo coniungere, & in cœlestem amorem rapi, vnumq; cum summo illo bono, quod votis ardentissimis exoptabat per amorem excellentem effici. proinde cum Idelphonso dicere nõ dubitabo: Domina nostra, imò Domini nostri, & Dei genitrix, & semper Virgo Maria, vtramq; vitam ad plenum exercuit, actiuam laudabilem, quam opere Martha excoluit, & contemplatiuam optimam, quam Maria audiendo & eligendo obtinuit.

5. Contemplatiuæ vitæ in Maria Virg. perfectio.

6. Maria Virgo rectè tabernaculo comparata.

Quoniam igitur B. Virgo vtriusque vitæ ornamentis eminuit aptissime veteri tabernaculo comparatur, nam sicut illud factum est ad exemplar, q Moysi in monte monstratũ fuerat, Exod. 25. & quidem ex lignis Sethim: Ita & alterum hoc diuinius tabernaculum q sanctificauit altissimus iuxta exemplar, quod in ęterno illo monte, hoc est, in excelsa Dei mente ab æterno inerat, magnificẽtissime exædificatum fuit. Hinc Damasc. lib. 4. fidei ca. 15. sic scribit; *Virgo æuo omni antiquiore & præsciente Dei consilio prædestinata, variisq; Prophetarum Imaginibus, ac sermonibus per Spiritum S. adumbrata & prædicata est.* Ita sanè. hanc. n. Rubus Mosaicus, Aaronis virga, hanc arca, Gedeonis vellus, Ezech. clausa porta, & 600. alia symbola multo ante significarunt,

Maria hospitalitatis officium, plus quam Martha exercuit.

ficarunt, cum adhuc in Dei mente lateret. Nec verò huic tabernaculo præstantiora ligna, vnde extrueretur defuere; an non Patriarchæ illi Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, instar insigniũ arborum fuere, ex quibus fœlicius, & augustius, ad hoc tabernaculum erigendum materies secta est, quam fuerit ex lignis setim vetus illud tabernaculum extructum.

7. Tribus omninò partibus constabat tabernaculum illud Moysaicum: quarum prima *Sacra Sanctorum*, altera, *sancta*, postrema, *vestibulum*, seu *atrium* vocabatur. & in Beatissima Virgine tanquam in augustiore tabernaculo tres eminebãt partes, suprema illa, in qua mens & ratio dominabatur; inferior altera, in qua appetitus inerat; denique tertia erat ipsa corporis species & externa actionum venustas, nec non ordinatissima omnium motuum pulchritudo non absimilis, quibus partibus omnia contemplantis, & simul actuosæ vitæ munera continentur; nam duabus primis partibus vis contemplatrix perfecta & absoluta cernitur. Tertia quæ ex illis duabus efficitur actuosa consistit, & illa quidem mentis portio arcam habebat præstantiorem, intus foriscque auro contectam cum duobus Cherubinis pernicibus alis præditis prout in Moysaico quoque illo tabernaculo cernere erat. Itaque in præcipua illa virginis parte voluntas residebat tanquam arca tota vndique auro circumuestita, hoc est, charitate admirandum in modum fulgens: in hac arca legis tabulæ recondebantur: nunquã enim non in lege Domini voluntas eius fuit. Aderant & duo Cherubim intellectus & memoria, in quibus Deus perpetuam sibi sedem collocauerat. Cherubinis Moysaicis alæ inerant, & virginis intellectus ac memoria per contemplationem rerumque sublimium recordationem, quasi alis quibusdam se se ad Dei vsque solium attollebant. scientia cognitioneque præstant Cherubini; & intellectus memoriaque virginis incredibili pollebant rerum cognitione; in propitiatorium conuersos vultus habebant Moysaici Cherubini. Exod. 25. & in Deum omnis propitiationis fontem memoria & intellectus virginis spectabant semper, dum vel illum intellectu perpetuò contemplaretur, vel memoria innumera ab eo in se collata beneficia repeteret. admirandi sanè erant hi de quibus loquimur, virginales Cherubini & longè præstantiores ijs, qui nunc in cœlis sempiterno æuo fruuntur.

Voluntas B. Virg. similis Arcæ Moysaicæ.

Intellectus & memoria, duobus eandem stipan-{tibus Cherubinis.

8. Nec mirum, tam enim integra, tam perfecta, tam admiranda erat in virgine contemplatio, qua vel arcana & profunda Dei intelligebat, vel immensa in homines beneficia commemorabat, vt ob actionem non minueretur, nam vt Petrus Dami. ser. 1. de natiuitate Virg. ait, *Vita actiua, & contemplatiua Virginem ambierunt, adeò vt nec actio contemplationem minueret, & contemplatio non desereret actionẽ*, quod confirmat Dionys. Carthus. l. 2. de laudibus Virginis articulo octauo, sic scribens: *nulla vnquam inordinata affectio, distractio, fragilitas mentem Virginis à contemplationis lumine reuocauit, neque occupatio vlla exterior.* Adhæc tam viuida, tam ardens, tam profunde attenta erat hæc contemplatio, tam perennis, vt ne somno quidem interrumperetur, aut lassesceret. S{
nardinus tomo secundo, sermone 51. a{
primo, capite secundo testatur, *licet*, inq{
*vtero matris dormiret, attamen somnus qui {
& sepelit in nobis rationis, & liberi arbitrij a{
per consequens actum merendi, non credo qu{
in virgine fuerit operatus, sed anima eius l{
meritorio actu tunc tendebat in Deum, vnde i{
pore erat perfectior contemplatrix, quam v{
fuerit aliquis alius dum vigilauit, quare &{
ticorum quinto ipsa ait, Ego dormio, & cor{
vigilat, scilicet in contemplatione perfecta,{
actione debilitata, Hoc tamen secundùm all{
post secundam sanctificationem, quod forte ver{
sic Bernardinus. & sermone eodem ar{
primo. Ad tam altam, & indefessam Vi{
contemplationem accommodat illud I{
1. *Virgam vigilantem ego video*, & articulo {
cap. 3. Illud Canticorum 4. *Vulnerasti cor{
in vno oculorum tuorum*, hoc est ipso lucidi{
contemplationis aspectu.

Neque alia ab his scribit Rupertus, qu{
quæ Canticorum 5. habentur, *Ego dormio{
cor meum vigilat*, piè & aptè ad Beatam Vi{
nem transfert libro quinto in Cantica, vbi{
ter cetera sic ait: *Multarum, quoque animar{
fuit, & est, non solum secundum similitudinem{
sancto dormire, id est, à terrenis curis vacare, {
cœlestibus per contemplationem corde vigilare: ve{
etiam eodem modo quo, & Iacob dormiuit, secun{
corpus dormire, & secundùm animam per somn{
cœlestia videre, iuxta illud Ioelis 2. Senes vestri{
nia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videb{
Sed tu ô cœlum Dei, vnica sedes Domini, in vtr{
vigilantia modo cunctis mortalibus longè emine{
exstitisti, longè studiosior ad contemplandum eu{
quem desiderant Angeli prospicere, atque aptior{
sti*; sed his vetustior Ambr. vir sanctissimi{
doctissimus libr. 2. de Virginibus, de ea{
Virgine eadem testatur: *Dormire non pri{
piditas, quam necessitas fuit, & tamen tùm quie{
ret corpus, vigilabat animus, qui frequenter in som{
nijs aut lecta repetit, aut somno interrupto conti{
at, aut disposita gerit, aut gerenda prænunciat*, l{
Canticum l. 1. cap. 13. & certè si Augustino di{
cere licuit de hominibus in statu Innocentiæ
lib. 5. contra Iulian. c. 9. *tam fœlicia erant somn{
dormientium, quam vita vigilantium*: cur non po{
tius de tam admiranda Virgine constanter af{
firmabimus, tam fœlicem fuisse dormiendo{
quam vigilando? etenim quidquid eo Inno{
centiæ statu perfectionis ac sanctitatis com{
municatum est homini, huic sanè Virgini de{
negatum non est. Quod si merito existimamus
sanctis Angelis datum esse, vt ab eo creationis
momento quo ad Deum conuersi sunt, nullo
quam amoris actum, quo in Deum semel ferri
cœperunt, intermiserint, quod quidem do{
num maximè ad perfectam quandam Dei cha{
ritatem & sanctitatem pertinet, cur non mul{
to magis credemus id tam excelsæ virgini tri{
butum esse? cui non dubito scientiã aliquam
per se infusam, vt vocant, à Deo concessam
esse quam sine vsu, & intuitu phantasmatum
vsurpare posset? vt propterea difficile non
intelligere, etiam in somnis potuisse illam
scientia vti, atque adeò per voluntatem me{
ri: neque enim voluntas ita à corpore pen{

Somno non interrupta.

vt o{

vt operari non possit, illo sopore correpto; modo intellectus promptus, & expeditus sit ad cogitandum, & proponēdum obiectum. sunt quidem hæc, quæ de merito & contemplatione Virginis inter dormiendum diximus, non omninò certa, verum adeò probabilia & verisimilia, vt nemo sit, qui non hæc facilè admittat, modo æquus velit esse Iudex. mitto adeò breue temporis spatium solitum fuisse Deiparam somno tribuere, vt magnam saltem noctis partem vigilijs & orationibus vacaret, hinc Bernardinus ac Bonau. & noster etiam Canis. locupletissimi testes referunt, aliquibus hominibus patefactum fuisse, Beatam hanc & potius cœlestem Virginem noctes ferme integras consueuisse insomnes ducere, quà meditando, quà orando; quin & eo ipso tempore quo dormiebat, credibile est præ nimia in Deum charitate frequenter soluto somno excitari consueuisse, statimque intellectu, & memoria tanquam duobus elatam Cherubinis ad Deum pernici volatu ascendere solitam.

10. Sed quibus vnquam verbis explicari poterit quam excelso, quam continenti contemplationis gradu, illa vteretur tum præsertim cum sedēs secus pedes filij audiebat verbum illius, neque enim illa vnquam ferè à filio discedebat, vt iure optimo Epiph. hær. 78. *perpetuam Iesu sectatricem*, eam vocauerit. Quod si audiendo verba Simeonis & aliorum, custodiebat ea *conferens in corde suo*, quid arbitrabimur feciſſe illam, dum aure simul corporis, & cordis dulcissimi filij cœlestia verba exciperet: & dubitabimus tam præstantem Virginis contemplationem cum cœlestibus Cherubinis conferre, quin etiam affirmare longo post se illos interuallo relinquere? Et hęc de prima tabernaculi nostri parte, in qua contemplatricis vitæ maximè vim & dignitatem spectauimus: sequitur, vt de altera dicamus inferiore parte, quæ ad appetitum pertinet & primā concludit commendat, ac perficit tanquam eius suauissimus fructus.

11. Etenim euanidam, & frigidam esse oportet eam contemplationem vnde nihil boni ad appetitum resultet, ea enim demum vera contemplatio est, quæ partem animi inferiorem ita moderatur, sibique subiectam tenet, vt nihil audeat contra rationem moliri. Porrò in sanctissima Virgine ita appetitus rationi subeˢrat, & obtemperabat, vt nihil nisi contemplatrice parte iubente ageret, & non modo non impediret supremæ illius partis functiones, verumetiam adiuuaret maximè, & quod illa præciperet præstaret appetitus. Vt autem hæc sigillatim magis intelligantur & exactius, & non recedamus à Moysaici tabernaculi similitudine assumpta, tria in secunda veteris tabernaculi parte fuisse memorantur, candelabrum, mensa, altare thymiamatis, in appetitu quoq; nostro tria insunt mala, tenebræ, esuries, morbidi, ac pestilentes afflatus; aduersus hæc tria illa necessaria sunt homini, nam ad depellendas tenebras, quibus pars ista inferior circumfunditur, candelabro; aduersus esuriem, quibus semper oblectamenta corporis appetit, mensa; aduersus morbidos halitus, Thymiamate opus est. In Virgine Deipara, nihil illorum

Confertur appetitus noster, cum candelabro, mensa, & altari tabernaculi Mosayci.

In Virg. nullæ tenebræ, nec esuries,

A trium malorum erat, non tenebrę quibus locum non præbebat lumen illud immensum, quo mens Deum semper intuens fulgebat, per altissimam contemplationem. Non esuries; nihil enim præter Deum illa appetebat, quē semper mentis oculo præsentem videbat; & sanè quid aliud illa esurire poterat, quæ propositū semper ob oculos panem propositionis habebat, qui de cœlo descendit? non halitus vllos morbidos, vel pestilentes afflatus pars huius Virginis inferior emittere poterat, de qua dicitur Can. 3. *Qua est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* & Cant. 4. *odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* de cuius item odoribus & virtutum fragrantia, sic scribit Carthusianus Cant. 4. *tanta*, inquit, *est*

B *suauitas virtutum matris Dei, quod cuncta mundi odoramenta transcendit, imò & totam perfundit Ecclesiam triumphantem; insuper Ecclesia militans in fœtoribus huius exilij degens, odore, & suauitate huius Deiferæ Virginis Dominæ suæ recreatur, fouetur, ac exhilaratur.*

Hæc verò omnia bona effectus erant & signa quædam clarissima immensæ illius lucis, quæ virginalem mentem colluſtrabat, cœlestium item gaudiorum, quæ omnem prorsus mundanarum rerum pellebant esuriem, denique diuinæ illius fragrantiæ, quæ ex suauissimis virtutum cœlestium floribus afflabatur. Hinc licet ad tertiam tabernaculi partem transire, quam respondere diximus atrio veteris tabernaculi; est autem ea externa corporis virginalis species, in qua maximè actuosæ vitæ perfectio visebatur, quæ non aliunde, quam ex præstantissima illa contemplatione

C & insigni appetitus moderatione, & obedientia proficiscebatur, neque enim sine his duabus rebus consistit actiuæ vitæ perfectio. Nam nisi quis mentem D E O subijciat, & appetitum rationi, fieri nequit, vt perfectè suas externas operationes moderetur, & vt par est, cum cæteris hominibus versetur, cùm igitur illæ duæ res summum locum habuerint in Virgine, non dubium quin etiam & vita eius, quatenus actuosa erat, sanctissima, perfectissimaque fuerit, vt merito dixerit Ambrosius libro secundo de Virginit. Ipsam virgineam corporis speciem mentis fuisse simulacrum. Quis quæso incredibilem illam totius

D hominis modestiam, quis admirabilem oculorum, manuum, oris, vultus, totiusque corporis motuum dicendo exprimat? quis in ambulando maturitatem incessus? quis in comedendo abstinentiam, & sobrietatem, in loquendo parcitatem, in conuictu charitatem, in agendo prudentiam vnquam verbis assequi poterit? Audi rogo Ambrosium libro eodem hac re sic scribentem; *Nihil torium in oculis Virginis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.* Audi Damascenum oratione prima de natiuitate Virginis, *quonam modo*, inquit, *honestissimum tuum, ô Virgo, incessum exprimam? Quonam modo amictum? quonam modo oris tui venustatem? senilem in iuuenili corpore prudentiam? honestum vestitus*

nec morbidi afflatus erat.

11. Quid per atrium tabernaculi designatur in Virgine.

Vitæ perfectio in quo sita sit.

Qualis fuerit corporis Virginalis species.

mollitiem

mollitiem omnem ac luxum fugiens, gressus honestus, ac sedatus, atque ab omni mollicie remotus, mores seueri, atque hilaritate temperati, sermo iucundus, ex leni animo progrediens; Hoc erat tabernaculi atrium & vestibulum, talis exterior facies, nam quod intus erat, foris quoque radiabat, quamuis omnis eius gloria ab intus, prætereo prudens quæ ad actiones reliquas in quibus est posita vita actiua, pertinent, nam de ijs luculentè satis dictum est à Canisio, superius numero tertio, & quarto. Merito igitur huius capitis historia de MARIA, & Martha ad Beatam Virginem accommodatur, in qua, & actiuæ, & contemplatiuæ vitæ apex summus expressus est.

DIGRESSIO II. MORALIS.

In qua hoc idem Euangelium ad mores accommodatur.

1. Quid intelligitur per castellum, si refertur ad mores?

IPSE intrauit in quoddam Castellum,] Bernardus sermone primo de Assumptione Beatæ Mariæ: quod Dominus, ac Saluator noster semel, & in vno loco visibiliter tunc temporis dignatus est operari: hoc etiam nunc vbique terrarum in cordibus electorum operatur quotidie inuisibiliter. Quod est autem hoc castellum, nisi cor humanum, quod priusquam Dominus ad illud veniat, cupiditatis fossa vallatur, muroq; obstinationis clauditur atque in interiori latitudine sua Babylonica turris erigitur? tria certè in omni oppido sunt maximè necessaria: victualia, quibus sustententur: munitio, qua protegantur: arma, quibus hostibus resistant. Sic ergo, & huius Castelli incolæ victum habent voluptatem corporis, & sæculi vanitatem, quibus pascuntur. Habent & quæ teguntur, proprij cordis duritiam: vt verbi Dei sagittis potentibus, vix aut nunquam penetrari valeant. Accincti sunt armis, carnalis scilicet sapientiæ argumentis, quibus contra hostes depugnant. Vnde scriptum est Lucæ decimosexto, filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. At verò CHRISTO visitante, & intrante, castellum hoc euertitur, & pro eo nouum aliud pulchrum, ac spirituale construitur, impleturq; quod dicitur secundæ Corinthiorum quinto, si qua in CHRISTO noua creatura, vetera transierunt, & ecce facta sunt omnia noua. Sublata quippe cupiditate expanditur ingens sinus desiderij: vt ad eius aduentum multo magis anhelet mens ad cœlestia, quam prius terrenis incubuerat, iam ponitur murus continentiæ, antemurale patientiæ, surgit autem hoc opus à fundamento fidei, & crescit per dilectionem proximi vsque ad charitatem Dei, quæ est in superiori tabulato, & in propugnaculis eiusdem muri: quia nimirum tunc perfecta est virtus continentiæ, quando in vnitate fidei cum proximis communiter viuentes non supplicij metu, vel humanæ laudis appetitu, sed solo diuini amoris obtentu à peccatis nos continemus; vel certè ideo charitas Dei, quæ scilicet nos diligit, super murum esse videtur, vt pro continenti suo pugnare significetur: & quia

A continentia crebris, validisque tentatoris ictibus resistere non possit, nisi eius gratia protegatur; Idcircò enim antemurale patientiæ ponitur, ne ad impugnandam continentiam facilis diabolo pateat accessus. Qui ergò protegente patientia continenter viuunt, ipsi bene cum Apostolo protestantur & dicunt. quis nos separabit à Charitate Christi? Tribulatio, an angustia.

Mulier quædam Martha nomine excepit illum] fœlix, in cuius domo ille qui lucem inhabitat inaccessibilem 1. Timoth. 6. ille de quo scriptum est Act. 17. cœli & terræ cùm sit Dominus non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam. Ille qui Isa. 66. ait, quam domum ædificabitis mihi, aut quis locus requietionis meæ est? Fœlix, inquam, cuius domo, hoc est, cuius mente excipitur, nam vt Philo ait li. de Cherub: etiam si tota terra aurum, aut si quid auro pretiosius est repente fieret, moxque per opificum artes in porticus, vestibula, aulas, areas, ædesque sacras impenderetur, ne scabellum quidem DEI pedibus posset fieri dignum, tamen ei domicilium anima est, modo sit idonea. Porrò tunc DEVM mente excipimus cum ex anima nostra lethale peccatum excludimus; habitauit arca DEI in domo Obededom Gethæi tribus mensibus, & benedixit Deus Obededom, & omnem domum eius; at multo præstantius, & copiosius omni nos benedictione, & amplissimis muneribus cumulabit Deus, si locum apud nos inuenerit vbi quiescat.

2. Quò modo anima excipit Deum.

C Iterum dum audis mulierem hanc Christum in domum suam excepisse, cogita prædictum à Ieremia 14. iuxta Hieronymi interpretationem de Christo, quod Peregrinus esset futurus in terra; quare futurus es, inquit, quasi colonus in terra, & quasi viator declinans ad manendum? ecce viator erat, sic enim ait Diuus Lucas: factum est autem dum irent, & ipse intrauit in quoddam castellum, ille factus est peregrinus pro nobis in terra sua, qui apud Isa. 66. ait, cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, vt nos in terra non nostra discamus hospites esse & peregrini, neque putemus aliquid nostrum esse in hac vita, libenter audiamus monentem Bernard. serm. 4. De aduentu: Quid vobis filij Adam cum terrenis diuitijs & gloria temporali, quæ neque vera neque vestra sunt? si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum, sed homo cum interierit non sumet omnia neque descendet cum eo gloria eius, Idcircò monet Apostolus vt qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur 1. Corinth. 7. sic quoque nos Petrus hortatur 1. c. 2. 11. Charissimi obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à Carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. Officium Peregrini est, nihil præter negotium suum agere, sic enim ait Cicero in libro offic. Igitur si verè peregrini sumus ad quod nos hortantur sacræ literæ, toti è cœlo pendebimus, nihil ista fluxa, ac caduca curabimus: sic fecêre sancti Dei homines, & Patriarchæ illi veteres; de quorum numero Abraam præcipuus fuit, de quo Paulus ad ad Hebræos 11. 8. 9. 10. Fide, qui vocatur

3. Christus est peregrinus.

D

Cur homines peregrini dicantur.

Abra-

Abraam, obediuit in locum exire, quem acceptu-
rus erat in hæreditatem, & exijt nesciens quò iret:
fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam
in aliena in casulis habitando cum Isaac, & Iacob
cohæredibus repromissionis eiusdem, quamobrem?
expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem:
cuius artifex, & conditor Deus. sic Dauid de se
fatetur Psalmo trigesimooctauo. *Quoniam aduena ego sum, apud te, & peregrinus sicut omnes*
Patres mei; & Psalmo centesimo decimonono. *Heu*
mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitaui
cum habitantibus cedar, multum incola fuit anima
mea; Denique vide quid scribat Paulus eodem
capite versu trigesimoseptimo de sanctis: *circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes,*
angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mun-
dus: in solitudinibus errantes, in montibus, & spe-
luncis, & in cauernis terræ. quibus Deus parauit
ciuitatem illam cœlestem, quia hanc illi patriam non aliam inquirebant.

4. Excipit Martha CHRISTVM, inquiet aliquis, quia eius tempore in terris agebat
Christus, & ego cum eo tempore non fuerim,
tanto sum beneficio priuatus; verum habes,
vnde tibi tantum hospitem intra domum
tuam excipias, si pauperem exceperis illique
ministraueris quæ necessaria sunt, & ne fig-
menta ista esse putes, vide quid Christus di-
cat Matth. 25. *Amen, dico vobis, quandiu feci-*
stis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.
Quod eleganter declarat Augustinus sermone
vigesimosexto de verbis Domini. *Ne quis ve-*
strum forsitan dicat, ô beati qui Christum susciperе
in domum propriam meruerunt, noli dolere, noli
murmurare; quia his temporibus natus es, quando
iam Dominum non vides in carne. Non tibi abstulit
istam dignationem cum vni, inquit, ex minimis meis
feciſtis, mihi feciſtis.

Qui excipit pauperem, excipit Christum.

5. Quid per Mariam, Martham & Lazarum moralites intelligitur.

Martha autem satagebat] Bernardus serm.
tertio de assumptione Beatæ Mariæ; *sed consi-*
deremus, fratres, quemadmodum in hac domo no-
stra tria hæc distribuerit ordinatio charitatis, Mar-
thæ administrationem, Mariæ contemplationem, La-
zari pœnitentiam; habet hæc simul quæcumque per-
fecta est anima: magis tamen videntur ad singulos
singula pertinere, vt alij vacent sanctæ contempla-
tioni, alij dediti sint fraternæ administrationi, alij
in amaritudine animæ suæ recogitent annos suos,
tanquam vulnerati dormientes in sepulchris. sic pla-
nè, sic opus est, vt Maria piè, & sublimiter senti-
at de Deo suo: Martha benigne & misericorditer
de proximo: Lazarus miserè, & humiliter de se
ipso, gradum suum quisque consideret, si inuenti
fuerint in ciuitate hac, Noe, Daniel, Iob, ipsi
iustitia sua liberabunt, ait Dominus: sed filium
aut filiam non liberabunt Exod. 14. nemini nos blan-
dimur, vtinam nec vestrum quispiam se sededucat.
Quibus enim nulla credita est dispensatio, administra-
tio nulla commissa; his omninò sedendum erit, aut se-
cus pedes Iesu cum Maria, aut certè cum Lazaro in-
tra septa sepulchri. Quid ni ergo multum turbetur
Martha, quæ sollicita est pro multis? tibi ergo, cui
necessitas hæc non incumbit, è duobus vnum est ne-
cessarium, aut non turbari penitus, sed delectа-
ri magis in Domino; aut si id necdum potes, turbari
non erga plurima; sed (vt de se Propheta loquitur)
ad te ipsum. Iterum dico, ne quis de ignorantia habe-
at excusationem: oportet te, frater, ad quem de fa-
bricanda seu regenda inter vndas diluuij arca nihil
spectat, aut virum esse desideriorum, vt Daniel erat;
aut cum Beato Iob virum dolorum, & scientem infir-
mitatem. Alioquin vereor, ne tepidum te, & nau-
seam prouocantem euomat ex ore suo, qui te inuenire
cupis, aut sui consideratione calidum, & charitatis
igne flagrantem; aut tui ipsius cognitione frigidum,
& aqua compunctionis ignita diaboli iacula restin-
guentem; sed & ipsam quoque Martham admoni-
tam esse necesse est, id maximè quæri inter dispensa-
tores, vt fidelis quis inueniatur. Erit autem fidelis, si
neque quæ sua sunt quærat; sed quæ Iesu Christi,
vt sit intentio pura: nec suam faciat, sed Domini vo-
luntatem, vt sit actio ordinata. sunt enim quorum
non simplex est oculus & recipiunt mercedem suam.
sunt qui feruntur proprijs motibus animorum; &
contaminata sunt vniuersa quæ offerũt quippe cum
voluntates eorum inueniantur in eis.

B *Quæ stetit & ait*] Bern. serm. 3. de assumpt. Beatæ Mariæ. *putas in domo in qua Christus susci-*
pitur, vox murmurationis audietur? fœlix domus &
beata semper congregatio est, vbi de Maria Martha
conqueritur: nam Mariæ Martham æmulari, prorsus
indignum, prorsus illicitum est. Alioqui vbi legi-
tur Mariam causantem, quia soror mea reliquit me
solam vacare? absit, absit, vt qui Deo vacat, ad tu-
multuosam aspiret fratrum officialium vitam. Mar-
tha semper insufficiens sibi, & minus idonea videa-
tur; alijsq; magis id operis quod administrat aptet
imponi.

6.

Soror mea reliquit me solam ministrare,] Sic
multos est inuenire præsertim inter hæreticos
non rectè de Sacerdotio & Religiosorum or-
dinibus sentientes. incusant enim illos quod
otiosi sint, quod ventris causſa ab officijs se
subducant vitæ præsentis, & huiusmodi alia
obijciunt, quæ illos cacodæmon & maledicen-
tia, ac religionis odium fingere compellit. qui-
bus nihil est, quod aliud respondeamus, præ-
ter id quod Christus Marthæ respondit, *Ma-*
ria optimam partem elegit. sunt meræ calumniæ,
& dæmonum figmenta, quæ isti sibi somniant
contra religiosum statum, qui orationis, con-
templationis, moderationisque affectuum sta-
tus est, & omnium virtutum perfectissima ex-
ercitatio, vbi Deo vacare, ad pedes Christi se-
dere, eius verbum audire datur, *quis non illos,*
inquit Augustinus, cap. 31. de Eccles. moribus,
miretur & prædicet, qui contemptis atque desertis
mundi illecebris in communem vitam castissimam
sanctissimamq; congregati, simul ætatem agunt, vi-
uentes in orationibus, in lectionibus, in disputationi-
bus, nulla superbia tumidi, nulla peruicacia turbu-
lenti, nulla inuidentia liuidi; sed modesti, verecundi,
pacati concordissimam vitam & intentissimam, in
Deum, gratissimum ipsi munus offerunt, à quo ista
posse meruerunt. Nemo quicquam possidet proprium;
nemo cuipiam oneroſus est. Patres verò non solum
sanctissimi moribus, sed etiam diuina doctrina excel-
lentissimi, nulla superbia consulunt ijs quos filios vo-
cant, magna sua in iubendo auctoritate, magna eo-
rum in obtemperando voluntate. Denique post
multa. *Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc*
institutum si laudare velim, neque digne valeo, &
vereor ne iudicare videar quod per se ipsum tantum-
modo expositum placere non possit. Adde & Ber-
nardum ad fratres de monte Dei: qui de lau-
dibus Religiosorum sic scribit. *Quos, quo nomine*

7. De statu Religioso contra hæreticos.

Digitized by Google

dignius appellem nescio, homines cœlestes, an Angelos terrestres, degentes in terris, sed conuersationem habentes in cœlis. &c.

8. Religiosæ vitæ encomia.

Non igitur mirum est, quod tam præclaris rebus à sanctissimis viris religio comparetur, munitioni, domui Salomonis, scalæ Iacob, monti Thabor, Palmæ, thesauro abscondito, melodiæ, claustro argenteo, terræ promissionis, perpetuo conuiuio, agro, naui, paradiso non terrestri modo, verumetiam cœlesti; dicitur religio, alter Baptismus, schola omnium virtutum, instrumentum ad perfectionem aptissimum, status pœnitentiæ; quare non mirum si tantopere à dæmone, toties ab hæreticis, ab improbis hominibus religiosorum ordines oppugnati fuerint; quippe, qui diaboli regnum euertunt, hæreticos profligant, malis moribus, & peccatis bellum indicunt; quorum varietas & multitudo Ecclesiæ ornamentum & commodum affert. Verum, aiunt, otiosi sunt Religiosi. at istud otium, cui vacãt, Religiosorum ordines, Mariæ otium est. Non ergo torpori, & negligentiæ, vel ignauiæ tribuendum. Nam si de ignauiæ otio loquaris, nunquam minus otiosi sunt Religiosi, quàm cum otiosi, eo otio cui ipsi ex vitæ instituto vacant; neque enim quicunque pluribus corporis laboribus franguntur, ij magis quoque præferendi sunt: sed qui sublimiori ac diuiniori operi studet, is demum anteponendus est. Hinc fit vt architectis qui operibus præficiuntur, nec manu sed mente laborant, maius pendatur stipendium, & honor, quàm cæteris qui manu seruiunt & administri operis sunt. Et oculus in corpore quamuis otiosus videatur, plus agit & sublimiorem impendit operam corpori, quàm manus externis operibus addicta; similes sunt sacerdotes, & Religiosorum familiæ Moysi, qui cùm in monte oraret vt est Exod. 17. Iosue Amalechitarum exercitum expugnabat cum quibus manus conferebat: Ita lanè accidit cum Religiosorum ordines in Cænobiorum clausuris, veluti in quibusdam montibus, Deum profusis lacrymis precantur, Dei populus, qui cum carne, mundo, cacodæmone perpetuo luctatur, victoriam obtinet, & verbi Dei præcones dum diuinarum Scripturarum studijs operam impendunt, & simul diuinæ contemplationi, vacant, & his muniti armis prælia Domini præliantur, insignem de cacodæmone, de hæresibus, de cæteris vitijs triumphum reuehunt; verum isti qui Religiosorum ordines otiari inuidiosè criminantur, turpi, & ignaro otio ipsi potius torpescunt, & cum perditis moribus homines sint, non modo proximis emolumentum nullum afferunt, sed plurimum etiam detrimenti in Christianam rempublicam inuehunt.

Obiectio & Responsio de Religiosorum otio.

9. Sed non video quid efficacius contra istos Religiosæ vitæ calumniatores obijci possit ea similitudine, quam elegantissime Bernard. serm. 63. in paruis habet, qua religiosos dentibus comparat, hinc enim, & religiosi otij plurimæ sanctissimæque exercitationes, innumeri fructus, & immensæ in totam Ecclesiam vtilitates clarissime constabunt. *Dentes*, ait, *candidi sunt, & fortes & carnem non habent, carent corio, nihil intra se pati possunt, non est dolor sicut dolor eorum, clausi sunt labijs ne videantur, indecens est cum videntur, nisi ridendo; toti corpori masticant cibum, nullum inde saporem habent, non facilè consumuntur, per ordinem positi sunt, superiores alij, & alij inferiores; & cum inferiores moueantur, superiores nunquam. Hos ait esse homines monasticæ professionis, quid enim illis candidius, qui totius immunditiæ spurtitias vitãtes, cogitationum, sicut actionum peccata deplorant? Quid fortius illis, quibus tribulatio pro solatio, contumelia pro gloria, inopia pro abundantia ducitur? Isti carnem non habent, quia in carne carnem obliti, audiunt ab Apostolo Rom. 8. 9. vos autem in carne non estis, sed in spiritu. Corio carent, quia nitorem, & distentionem mundanarum sollicitudinũ non habentes Psal. 4. 9. in pace in idipsum dormiunt, & requiescunt. Nihil morari intra se patiuntur, quia nec modicum offendiculum tolerabile reputant, aut intra se, aut in conscientijs singulorum. Non est dolor sicut dolor eorum, quia nihil tam horrendum, & horribile est, sicut murmur & dissensio in congregatione; clausi sunt labijs ne videantur: sic & nos materialibus vallis circumcingimur ne secularium oculis, & accessui pateamus. Indecens est si appareant, nisi interdum forte ad risum: quia nihil turpius est, quam monachus per vrbes, & castella discurrens, nisi cũ illa cogit, quæ operit multitudine peccatorũ 1. Pet. 4. 8. Charitas n. risus est, quia hilaris est, læta quidem non tamen dissoluta. Toti corpori masticant cibum dentes, quia ipsi pro toto Ecclesiæ corpore, videlicet tam viuis quam mortuis orare sunt constituti. Nullum inde saporem habere debent; nullam sibi gloriam assignare, sed dicere cum Propheta Psalm. 113. 9. non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Non facilè consumuntur, quia quanto annosiores, tanto feruentiores, & eo rapidius currunt, quo vicinius appropinquant ad Palmam. Per ordinem positi sunt; vbi enim aliquid ordinatum est, si hic non est? vbi cibus, & potus, vigilare, & dormire, laborare, & quiescere, ambulare, & cætera omnia in numero, & mensura, & pondere constituuntur? superiores & inferiores sunt, quia inter nos prælati, & subditi sunt; & sic superiores inferioribus iunguntur, vt inferiores à superioribus non discordent. cùm autem inferiores moueantur, superiores nunquam moueri debent; quia & si subditi quandoque turbentur, prælatorum est in mente composita perdurare. Quam benè monachi tonsis ouibus comparantur; quia re vera tonsi sunt, quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mundanum in proprietate relictum est. quæ ascenderunt de lauacro. lauacrum baptismus est, de quo ascendit, qui ait celsitudinem vitæ perfectioris intendit: descendit autem qui se vitæ mancipat inhonestæ. Omnes gemellis factibus, quia & verbo pariunt & exemplo. Et sterilis non est in eis, quia nullus est infœcundus. ita B. Pater.*

Qualitates dentium, & eorundem

comparatio cum Religiosis.

Monachi similes gregi ouium.

Digitized by Google

DIGRESSIO III. MORALIS.

Prosequitur author moraliter exponere cæteras capitis partes.

1. Rerum temporalium occupationes quantũ noceant.

Martha Martha sollicita es, & turbaris erga plurima] sunt ipsæ rerum temporalium occupationes, & nimia rerum externarum sollicitudo, turbarum & turbulentissimorum affectuum, quin & peccatorum occasiones & causſæ, nisi quis adhibito moderationis freno cohibere se nouerit; hinc est, vt qui rebus exterioribus tantum addicti totos sese alendo corpori tradunt, fordidum animum sub pingui, & obeso corpore tegunt. quam rem mihi præclare Clemens Alexand. lib. 3. Pædagogi cap. 2. assecutus videtur, dum vult à nimio corporis cultu homines reuocare: *non aduertunt*, inquit, *dum colunt id, quod est extrinsecus, quæ intus in profundo sita sunt esse plane inculta, horrida & sterilia*; Et elucidat appositissimo exemplo. *Cuiusmodi sunt*, inquit, *ornamenta AEgyptiorum: apud quos templa eorumq; porticus, vestibula, ac luci magnificè instructa, eorumq; atria multis columnis cincta sunt; parietes autem lapidibus externis, & artificiosè depictis resplendent, ita vt nihil desit: ædes autem auro & argento electo collucent, & ex India, ac AEthiopia varijs fulgentibus lapillis, adyta verò intextis auro obumbrantur peplis. Sed si penetralia templi ambitus subieris, & ad eius, quod est præstantius spectaculum properans, imaginem, quæ templum inhabitat quæsieris, sacerdos quispiam ex ijs, qui in templo sacrificant, graui & venerando vultu aspiciens, & AEgyptiorum lingua Pæanem concinens, cum veli aliquantulum contraxerit, tanquam Deum ostensurus, abunde nobis suppeditat occasionem irridendi numinis: neque enim intus inuenitur Deus, qui quærebatur, ad quem festinabamus; sed felis, vel crocodilus, vel serpens indigena, vel aliqua huiusmodi bellua, quæ templo quidem est indigna, sed antro, spelunca, aut cœno magis congruit*, sic ille.

Descriptio templorum AEgypti, quę extrinsecus egregium splendorem, interius verò horrenda spectacula ingredientibus exhibẽt.

2. Temporalis occupatio Salomonis describitur.

Hanc ipsam rem in Salomone notat Gregorius Nyssenus: dum Eccl. 2. ea omnia enumerantur, in quæ summo animi studio incubuit Salomon, cùm ait, *magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos & plantaui vineas, feci hortos & pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem syluam lignorum germinantium, possedi seruos, & ancillas, multamq; familiam habui: armenta quoque & magnos ouium greges, vltra omnes qui fuerunt ante me in Ierusalem: coaceruaui mihi argentum & aurum & substantias regum ac prouinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, scyphos & vrceos in ministerio ad vina fundenda: & supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Ierusalem: sapientia quoque perseuerauit mecum. & omnia quæ desiderauerunt oculi mei non negaui eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaueram: & hanc ratus sum partem meam si vterer labore meo. cumq; me conuertissem ad vniuersa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus fru-*

A *stra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi & nihil permanere sub sole*: & certè ipse Salomon illam multiplicis cupiditatis. sollicitudinisque suæ inconstantiam, quasi primam sui lapsus originem & causſam toto libro Ecclesiastæ persequitur, velut se ipsum accusans quod eam ob rem, *transuersus* sibi fuisset *sensus*, & corporearum ac corruptibilium rerum curis aggrauata anima, depressaq; mens *multa cogitans*, vt merito dicere potuerit quod olim parens ipsius Dauid Psal. 37. 11. *cor meum conturbatum est*, & hæc verba, vt turbatio, animique anxietas, non obscurè ostensa est in hac Marthæ turbatione, cui nimium sollicitæ ad parandos corpori cibos dictum est à Christo: *Martha Martha sollicita es, & turbaris erga plurima.*

3.

B Porrò de his qui tales sunt, Salomoni similes, ait Christus Luc. 8. 15. *à sollicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur*. Hi sanè sunt, qui omissa diuinarũ rerum meditatione & propriæ salutis cura plus nimio rebus externis sese dedunt: de quorum hominum sollicitudinibus sic scribit Chrysostom. libro sexto de Sacerdotio, *sollicitudines assiduæ mentis acumen hebetant: eumq; qui animo volucri ac pernice sit, plumbo grauiorem reddunt*. Quod si Beata Martha, quæ tamen Christi amore laborabat, nec sui corporis curandi causſa, sola dilassabatur, nimiæ sollicitudinis arguitur à Christo, quid quæso in illis dicendum erit, & quanta illi reprehensione & supplicio digni erunt, qui totos se voluptatum causſa tantum rebus

C externis Deo posthabito manciparunt?

4. Quid in actiua, quid in contemplatiua vita cauendum.

Cæterum vt ei qui actiuæ vitæ vacat cauendum est, ne ob nimiam sollicitudinem rerum externarum, mentis tranquillitatem amittat, & quæ Dei sunt, vel ad animæ salutem pertinent, obliuioni tradat, ita animæ, contemplatricis vitæ studiosæ, timendum, ne sic contemplationi rerum diuinarum & quieti mentis adeò addicta sit, vt salutis proximi curam cum necessaria est, prorsus abijciat. Solent enim aliquando his studijs dediti facilè semetipsas magis, quam Deum amare; quamuis id minimè ipsi aduertant, vnde fit, vt vmbratilis cuiusdã, pacis ac quietis studio, & dulcedine quadã inordinata rerum diuinarum allecti auersentur eam operam & laborem, qui in procuranda

D proximorum salute, & attrahendis ad Christum facinorosis hominibus positus est.

5. Contemplatiuorũ quorũdã perfuasio erronia.

Porrò duabus de causſis in hanc cogitationem veniunt. Primum quidem, quod expoliasse se dicant tunica sua, deponentes secundùm pristinam conuersationem veterem hominem nec iam decere arbitrentur, pro aliorum salute acquirenda suæ iacturam facere, & cum hominibus agere rursum tunicam illam pristinæ conuersationis induendo. atque illud Euangelij animo voluunt quo monemur, vt *qui in agro sunt* & seorsim à turbis, & hominum frequentia viuunt, *non reuertantur tollere tunicam suam*, quam semel deposuêre. sed & altera causſa huius erroris est, quod iam pedes affectuum suorum abluisse, hoc est veteres sordes rerum terrenarum absterssisse sibi videantur, quibus olim immundi erant.

Digitized by Google

6. Eorundem confutatio.

At cogitare isti deberent, longè aliud esse versari cum hominibus eo modo quo solent mundani homines, & aliud quod ij qui spirituales sunt faciunt, dum proximorum salutem procurant: nam sicut sordida vestimenta deponere dignum & iustum est; ablutis tamen & mundis iam ijs iterum circumuestiri laudabile; ita sanctum est, tunicam terrenæ consuetudinis sordidam à se abijcere, & nec illa amplius indui: at detersis iam sordibus pristinæ consuetudinis, tunica eadem circumdari, hoc est, quærendæ animarum salutis caussa iterum cum hominibus versari DEO gratissimum est: *Vnicuique enim mandauit Deus de proximo suo*, Ecclesiast. 17. 12. quod qui faciunt Apostolo obediunt, qui sic hortabatur Colossens. 3. 9. *nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem, secundùm imaginem eius qui creauit illum*, & versu duodecimo, qualis nam esse debeat tunica, id est, nostra cum hominibus ratio explicans subdit: *Induite vos ergo sicut electi Dei sancti, & dilecti viscera misericordiæ humilitatem, benignitatem, modestiam, patientiam supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut & Christus donauit vobis, ita & vos*, &cæt. nihil igitur momenti habet excusatio istorum, qui seipsos potius quærentes quàm CHRISTVM, aiunt, *expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* Canticorum 5. 3. hinc rursum excluditur, & altera caussa quam prætexunt ne proximorum saluti vacent, quod timere se dicant pedes iterum ne inquinent, quos laueruntˌ illud sponsæ vsurpantes, *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Hoc enim, etsi rectè dicitur ab his de mundana illa veteri, & nunquam repetenda cum hominibus versandi ratione, quam abiecerunt, malè tamen ab ijs vsurpatur, qui priuatæ cuiusdam quietis studio ducti omninò à procuranda proximorum salute, hac vna sponsæ sententia se tuentes, seiungunt sese, ac prorsus seiparant; alioqui non inquinari pedes eorum, qui hoc modo cum hominibus versantur, vt eos ad CHRISTVM adducant, indicat Isa. 52. 7. *quam speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona?*

7. Comparat animarũ cultores cum viatoribus.

Quamuis non negem cautos esse oportere eos, qui aliorum salutis studiosi sunt, ne dum cum hominibus agunt aliquid luti contrahant. Nam sicut accidit ijs, qui eandem lutosam viam terunt, vt qui paulo negligentiores sunt, facilè inde lutosi & impuri euadant, at qui diligentiores, ita pedem figant, vt vix quicquam sordium contrahant: ita inter eos, qui animarum salutis caussa inter homines degunt, sunt nonnulli, qui facilè ob negligentiam & teporem spiritus aliquid terrenorum affectuum sibi adhærescere patiuntur; contra ac ijs accidit qui paulo diligentiores sunt, ac se orationibus, sanctisque exercitationibus muniunt, familiariter cum DEO agentes, de quibus rectè dixeris, quod quamuis sint in carne, non secudùm carnem ambulant, quare cum Apostolo dicere possunt 2. Corinthiorum decimo, 3. *in carne ambulantes, non secundùm carnem militamus.*

Imitetur igitur quæ contemplationi addicta est anima sponsam, quæ Canticorum capite 3. 2. cùm quæsisset in lectulo, hoc est, in contemplationis quiete, nec dilectum inuenisset, intelligens hanc esse eius voluntatem vt prætermissa sanctæ contemplationis dulcedine surgeret, & ad proximorum salutem procurandam pergeret; statim sponsa morem gerens ait *surgam & circuibo ciuitatem*, hoc est, per studium vitæ actiuæ & opera misericordiæ quæram dilectum meum, hoc enim modo tandem compotem me diuinæ eius lucis ac præsentiæ futuram spero; docet verò quomodo sit vtiliter procuranda proximorum salus dum subdit, *circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea*. circumire enim oportet ac sollicite quærere peccatis implicitos homines & inuentos ad CHRISTVM adducere: quod qui præstare volunt obseruent oportet, quod Apostolus docuit Romanorum 12. 11. *sollicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes, necessitatibus sanctorum communicantes*. & ad Gallatas 6. 10. *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*. Porrò hanc diligentiam & in quærendis peccatoribus sollicitudinem significat verbum *circumeundi*. sic de CHRISTO Domino scripsit Matth. 9. 35. *& circumibat Iesus omnes ciuitates & castella docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem & omnem infirmitatem*. & Luc. 9. 6. de Apostolis scribit, *egressi circuibant per castella Euangelizantes & curantes vbique*.

8. Exemplo sponsæ docet proximorũ salutem procurandam esse.

Dum verò testatur sponsa, circumijsse se non ciuitates modo, verum etiam per vicos & plateas quæsiuisse dilectum, satis indicat omnia loca adeunda esse, nihilque intentatum relinquendum, vt inueniantur qui nostra ope indigent. Quærat ergo sedulus operarius, & inuestiget diligenter ciuitates in quibus optimates, & primarij viri esse solent, ac qui maximè sapientia & diuitijs florent: neq; his tantum contentus sit, sed lustret etiam cum CHRISTO, & Apostolis vicos in quibus ij reperiri frequentius solent, qui pauperes atque infirmi sunt, & rerum diuinarum ignari, afflicti, & varijs de caussis mœrore miserijsque confecti: adeat & plateas & compita, ad quæ conuenire solet magna hominum multitudo, sunt enim quos in templis raro inuenias, in compitis & plateis plerumque; quos nisi in publico doceas loco, non habebis in templo diuini verbi auditores: proinde pater familias Luc. 14. 21. ad hæc loca suum seruum delegauit, *exi cito in plateas, & vicos ciuitatis, ac pauperes & debiles, & cæcos, & claudos introduc huc*. sic circumeundum est Christi operarijs, nullus si fieri potest prætereundus locus vt omnes vbique iuuentur.

9. Quid sit circumire & quomodo sit circumeundum.

Sed duo maximè in hoc amfractu & circuitu locorum præ oculis habenda sunt; quod in

10. Duo præstandã à Christi operarijs.

circui-

circuitu CHRISTI scribit Matth. loco citato versiculo trigesimosexto: *videns autem turbas misertus est eis: quia erant vexati, & iacentes sicut oues non habentes pastorem*; sic animo angi oportet CHRISTI operarium ac compati magna amoris significatione illis, quos sub diaboli potestate positos esse videt, vel quos calamitatibus afflictos gementesque conspicatur. Habebat ergo duo illa vbera sponsæ, nimirum duplicem affectum maternum congratulationis & compassionis, de quibus Sanctus Bernardus sermone dicimo in Cantica; discat *gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus* Romanorum 12.15. pro varietate verò ac differentia illorum vberum, non vna est lactis species præbenda; nam congratulatio quidem exhortationis, compassio verò consolationis lac fundere debet: & vtramque lactis speciem vbertim cælitus pectori suo irrorari spiritualis mater sentiat oportet; quod obtinebit, si ardentibus precibus Christum adierit, rogaturus pro ijs, quos tanquam filios Christo parturit.

11. Alterum verò est, quod ex citatis sponsæ verbis colligitur: *per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea*, quo non obscurè sanctis operarijs insinuatur, eos qui seriò in hanc vnam salutis proximorum curam incumbunt, debere id non propriæ gloriæ studio, vel vtilitatis alicuius terrenæ desiderio facere, sed DEI solius charitate dumtaxat; ita enim fiet, vt dum hominum salutem quærant, DEVM simul quærant & inueniant.

12. Obiectio. Quod si obijcias quæsisse sponsam, nec tamen inuenisse dilectum, sic enim subdit: *quæsiui eum & non inueni*, noli mirari, noli concidere animo: nam sæpè accidit, vt qui misericordiæ opera exercerent, & CHRISTO animas lucrifaciunt, aridi ac sine DEO quodammodo esse sibi videantur; quin non rarò etiam per illos, quos vt ad Deū adducant, laborare non cessant, persequutionibus, & maledictis exercentur, ita vt dicere possim: *retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ*. Responsio. Verùm si patienter cuncta subeant aduersa, si æquo animo tolerent quæ accidunt mala, labores, molestias, persequutiones, fiet aliquando vt eos, quos aduersarios in via DEI experiebantur, habeant non sine magna spiritus voluptate socios & amicos, & Christo tandem iustitiæ sole, qui prius abesse videbatur, lucis suæ radios discussis nubibus immittente, rursus cœlestibus, verisque voluptatibus perfruantur.

13. Laudatur vnitas. *Porrò vnum est necessarium*] Diuus Augustinus sermone vigesimosexto de verbis Domini, *vnum inquit cogitate fratres mei, & videte in ipsa multitudine, si delectat nisi vnum. Ecce DEO propitio, quam multi estis. Quis vos ferret, nisi vnum saperetis? vnde in multis ista quies? Da vnum, & populus est; Tolle vnum & turba est. Quid est enim turba, nisi multitudo turbata? Sed audite Apostolum* I. *Corinthiorum* I. *obsecro autem vos fratres multitudini dicebat, sed omnes in vnum facere volebat: obsecro autem vos, fratres, vt idipsum dicatis omnes & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem scientia, & alio loco Philippen.* 2. *vnanimes, vnum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; & Dominus ad patrem de suis Ioann.* 17. *vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Et in Actibus Apostolorum (Actorum* 4.*) Multitudinis autem credentium erat anima vna & cor vnum. Ergo magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in vnum Psalm.* 33. *quia vnum est necessarium, vnum illud supernum, vnum vbi Pater, & Filius & Spiritus sanctus sunt vnum; videte nobis commendari vnitatem. Certè Trinitas est Deus noster; Pater non est Filius, Filius non est Pater: Spiritus sanctus nec Pater nec Filius. sed amborum Spiritus, & tamen ista tria non tres dij, non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens, ipsa Trinitas vnus Deus, quia vnum necessarium est. Ad hoc vnum, non omnes perducit, nisi multi habeamus cor vnum.*

14. *Optimam partem elegit sibi Maria*] Doctor Olauius volens ostendere, Episcoporum munus ad vitam contemplatiuam rectè interpretatam pertinere, docet quæ sit vita contemplatiua, cuius est pars melior, & quæ item actiua sic scribens. Diuus Thomas de vita actiua & contemplatiua latè differit 2.2. à quæstione centesima septuagesimanona vsque ad quæstionem centesimam octuagesimamtertiam. Durandus & alij scholastici in tertio distinctione trigesimaquinta. Qui primus autem doctrinā, quam illi sequūtur, præscripsisse videtur, Diuus Gregorius fuit 6. moral. Illi autem omnes vitam contemplatiuam ita in veritatis contemplatione videntur constituere, vt nihil illi aliud tribuant, nullius virtutis moralis actionem, nullam hominis operationem, quæ ad aliud pertineat, ne ipsum quidem docere; ita & reprimere impetum carnis & alijs affectibus, tum in nobis, tum in alijs moderari, ad vitam actiuam pertinere arbitrantur; hoc constituto, mirum non est, si Episcoporum vitam, cuius est oues suas pascere, & gubernare, actiuam vocent. Quod quamuis rectè sapienterque dicatur, præterea tamen dici posse videtur, si attendamus animum non tam ad significationes horum vocabulorum, *actiuum & contemplatiuum*, quàm ad ea Scripturæ loca, vnde hoc inter has vitas discrimen sumptum est, & ad ea, quæ multi sancti viri his duobus vitæ generibus tribuunt, paulò aliter definiri posse has vitas.

Tria loca, ex quibus discrimen vitę actiuæ & cōtemplatiuæ colligitur.

Tria enim loca sunt inter alia, quæ ex Scriptura citari solent, cùm de duobus huius vitæ generibus agitur. Imprimis istud Lucæ decimo affertur, vbi diuersa instituta Marthæ & Mariæ narrantur: Deinde illa 7. capit. 1. ad Corinthios epistolæ verba versiculo trigesimoquarto: *Mulier innupta & Virgo cogitat quæ DEI sunt, vt sit munda corpore & spiritu, quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Postremo etiam illud quod Actorum 6. habetur: *non est æquum relinquere nos Euangelium, & mensis ministrare.* Mihi autem duo vitæ genera quæ ex his locis sumuntur, vtcumque illa vocentur, discerni videntur pro diuersitate duarum partium, ex quibus omnes concreti sumus;

Locus 1. Cor. 7. 34.

Locus Act. 6.

Duo vitę genera & quod melius?

nam cùm ex anima & corpore omnes constemus, & animus sine ministerio corporis suo munere defungi nequeat, incumbit profectò nobis cura non solum quærendi ea, quæ animum pascant, & illi sint commoda, sed & quærendi ea, quæ vt benè habeat, corpus conducunt; & quamquam quisque de duobus ijs sibi prouidere debeat, alij tamen id vitæ institutum amplectuntur, vt præcipuam vitæ partem inquirendo & procurando pabulo spirituali tum sibi, tum alijs occupentur: cuiusmodi sunt Theologi, Doctores, Concionatores, Episcopi, Confessores.

Munus Episcoporum.

Alij maiorem vitæ partem ex officio consumunt in quærendis ijs, quæ tum ad suum, tum ad aliorum corpora pertineant, vt Medici, Agricolæ, seculares Principes, Mercatores, & quicunque officium aliquod in Republica exercent, quo aliquid ad corpus pertinens paratur; in monasterijs Procuratores, Priores, Custodes, quà tales sunt, hoc discrimine Martha à Magdalena discernebatur: sic mulier nupta, quà talis ab innupta à Diuo Paulo distinguitur; sic mensis seruientes ab euangelizantibus separantur; & hoc quidem pacto loquendo verè dicimus, longè præstare vitam contemplatiuam actiuæ, si contemplatiuam vocas, quæ pabulum procurat animo, actiuam quæ de vita corporali est sollicita, verè dices, Magdalenam optimam elegisse partem; alioqui si cum alijs Doctoribus hæc vocabula interpreteris, non video cur à sanctis viris vsque adeò vita contemplatiua extollitur, & tanto opere actiuæ anteponitur.

Diuo Paulo sufficit CHRISTVM scire & eum crucifixum: multa autem vult operari, opera enim charitatis sunt quæ nos DEO commendant, & ea quidem eo sunt gratiora, quo pluribus prosunt; contemplationem illam otio torpentem non ita DEVS probat, nec sic profectò nos CHRISTVS instruxit. Ergo si ad hunc modum vitam contemplatiuam interpretemur, munus Episcoporum totum esse vitæ contemplatiuæ ex illis quarti capitis verbis colligitur, *sic*, inquit, *nos existimet homo, vt ministros* CHRISTI, *& dispensatores mysteriorum* DEI. Non sunt igitur Episcopi constituti, vt panem, aut vinum aut vestes, aut quidpiam aliud ad corpus pertinens dispensent, sed vt ministeria DEI quæ ad animam pertinent, impartiantur. Sic ille. cuius ego sententiam, quia ijs quæ Diuus Thomas tradit hac de re non multum consentaneâ in censeo, ideò malim affirmare eam vitam, quem contemplatiuam hic interpretatur, potius esse mediam, & hanc esse Episcoporum & similium hominum, qui animarum salutem curant, quod est omnium præstantissimum viuendi genus: nec refert quod CHRISTVS Magdalenæ partem optimam vocarit; cùm tamen illa solis contemplatricis vitæ studijs inhæreret: loquebatur enim de vita contemplatiua cum actiua collata, vt indicant Sanctus Augustinus, & alij, qui legunt, *MARIAM meliorem partem* &cæt. vt non sit dubitandum comparationem hinc fieri inter has duas vitas.

DIGRESSIO IV.
MORALIS.

De Assumptione Beatissimæ Virginis Deiparæ.

QVONIAM hoc Euangelium DEI spiritu illustrata Ecclesia vsurpat sollemni die Deiparæ Virginis in cœlum assumptæ, decere omninò arbitror breuiter de Assumptione B. Virgin. pauca dicere, de qua inter alios nostræ familiæ Scriptores agit Franciscus Suarius in secundo tomo in tertiam partem Diui Thomæ, disputatione vegesimaprima, vbi sectione 1. docet vixisse annos septuagintaduos, agit item Barradius tomo primo, libro sexto, capite vndecimo, duodecimo, capite verò decimoquarto multa disputat de numero annorum, quos vixit in terris, vbi testimonium Dionysij capite tertio de diuinis nominibus, non vno modo interpretatur, Azor etiam pauca quædam attigit de hoc festo tomo secundo, libro primo, capite vigesimo, vbi quæstione quinta censet sexaginta tres annos, vt communis fert opinio, in terris vitam duxisse; licet non neget secundùm alios mortuam esse ætatis suæ anno septuagesimotertio, vel septuagesimosecundo, vel septuagesimoprimo, ita vt post necem filij vixerit annos vigintiquinque, aut vigintiquatuor, aut vigintitribus. His ergo prætermissis, principio asserimus Beatam Virginem verè obijsse, nec absque morte in cœlum esse translatam; non inficior tamen Diuum Epiphanium Hæresi septuagesimaoctaua obscuriùs hac de re loquutum esse, sic enim scribit: *Quærant vestigia scripturarum & inuenerint vtique neque mortem MARIAE, neque an mortua sit, aut non mortua, neque an sepulta sit aut non sepulta.* & inferius: *Ego enim non audeo dicere, sed silentium mihi impero, fortassis enim alicubi etiam vestigia inuenerimus sanctæ illius, ac beatæ, sicut nec inuenire datur mortem ipsius.* & iterum: *Non autem definio; hoc omninò, & non dico, quod immortalis manserit; sed neq; affirmo an mortua sit: excessit enim Scriptura mentem humanam, & in suspenso reliquit propter vas pretiosum, atque excellentissimum, vt ne quis ad suspitionem veniat carnalium de ipsa rerum. siue igitur mortua est non nouimus, siue sepulta est: neque enim datur inuenire mortem ipsius: alicubi enim Simeon dicit de ipsa Luc. 2. tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex corde multorum cogitationes: alicubi verò Apocalypsis Ioannis dicit, quod Draco festinauit ad mulierem quæ genuit masculum, & datæ sunt ipsi alæ Aquilæ, & assumpta est in desertum, vt ne ipsam acciperet Draco. Fortassis potest de ipsa accipi & impleri.* Hæc Diuus Epiphanius, disputans contra hæreticos qui eam immortalem & Deum esse affirmabant.

Epiphanij de morte ac sepultura B. Virg. dubitatio.

Sed

Digitized by Google

2. Verior sententia.

Sed omninò nullo modo dubitandum est, sed constanter affirmandum, iuxta Ecclesiæ sensum, & veterum Patrum vnanimem consensum Beatam Virginem mortuam fuisse; ita docuit Damascenus in sermonibus de dormitione sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ, ita Andreas Episcopus Cretensis apud Simeonem Metaphrast. in vita eius ad diem decimumquintum Augusti; ita Euodius Episcopus Antiochenus secundus post sanctum Petrum apud Nicephorum libro 2. capite 3. Ita Iuuenalis Episcopus Ierosolymitanus apud eumdem Nicephorum capite 23. Sic Epiphanius Presbyter Constantinop. in vita Deiparæ; & Simeon Metaphrast. in vita Dei Genetricis. Sic legere est in Martyrologijs Bedæ, Vsuardi, Adonis, Romano ad diem decimumquintum Augusti, his adde Nicephorum libr. 21. 22. 23. Id passim acceperunt ex Beato Dionysio Areopagita: cuius testimonium citat Nicephorus libro 2. capite 2. Ratio item facit, quia decuit Beatam Virginem similem esse Christo, qui tamen mortem suscepit: & accedit his omnibus, sic melius excludi errorem illorum, qui commenti sunt Virginem Deiparam fuisse naturæ cuiusdam Angelicæ seu cœlestis, vt præter Epiphanium refert Diuus Thomas in 3. distinctione 4. quæstione 2. articulo 1. Porrò Epiphanius hanc veritatem non negat: solum enim affirmat, nihil in Scripturis de eius morte Scriptum reperiri.

3. Liber de transitu B.V. apocryphus.

Verùm hoc quòd de obitu Beatissimæ Virginis diximus authoritate eius libelli confirmât aliqui, qui de transitu Virginis inscribitur, & à Tritemio falsò tribuitur Sancto Melitoni Sardensi Episcopo, qui Marci Aurelij tempore floruit, cui etiam Apologiam pro Christianis obtulit teste Eusebio libro quarto histor. capite vigesimoquinto, libellus tamen iste Apocryphus est ex Gelasio Papa Capitulo *Sancta Romana* distinctione decimaquinta, & nullo modo Melitonis, vt ex Diuo Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis colligi potest; dum enim refert scripta Melitonis, nullam huius libelli mentionem facit, & idem ex Beda in retractatione Actor. capite octauo constat: habetur hic libellus septimo tomo Bibliothecæ Sanctorum Patrum, edictione secunda. Alter verò liber, qui inter opera Sancti Hieronymi refertur de eodem transitu, seu Assumptione Virginis, non est Sancti Hieronymi, cùm in eo fiat mentio hæresum Nestorij & Eutychetis, quæ post Sanctum Hieronymum suppullularunt, & hinc etiam fit, neque esse Sophronij, qui videtur fuisse D. Hieronymo æqualis, vt ex libro eiusdem D. Hieronymi de Scriptoribus Ecclesiasticis constat: idcircò horum authoritate non sumus vsi.

4. Quo mortis genere B. V. obierit?

Sed quo genere mortis diem extremum clauserit videndum est; ex communi enim Patrum sententia constat Beatam Virginem absque Martyrio vitam absoluisse: hinc Diuus Ambrosius Lucæ 2. in vaticinium illud Simeonis *& tuam ipsius animam pertransibit gladius*: Nec littera, inquit, nec historia docet, ex hac

A vita Mariam corporalis necis passione migrasse: nec enim anima, sed corpus materiali gladio transuerberatur. Eamdem veriatem tradunt Isidorus libro de vita & morte sanct. capite 68. Beda Luc. 2. Damasc. oratione 2. de dormit. Deiparæ, quamuis eodem Isidoro teste quidam corporalis necis passione asseruerint illam ex hac vita migrasse, vaticinij Simeonis argumento: Sed constanter contrarium docet Ecclesia, & meritò, quia si Moysi Deuteronom. 27. 5. præcepit Deus, *ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus quos ferrum non tetigit*, quanto magis par erat, vt Virginis membra noluerit Deus ferro tangi. 3. item Regum 6. 7. *Malleus, & securis & omne ferramentū non sunt audita in domo cùm ædificaretur.* Ita sanè nec
B gladius, nec vllum ferramentorum tormentū vnquam in animata Dei domo exaudita sunt, cùm è vita recederet; neque enim decebat, vt sacrosanctum illud corpus impiorum manibus attrectaretur.

5. Extincta est, nullo mortis dolore.

Deinde statuendum est, absque vllo mortis dolore ex hac vita migrasse, quare Damascenus loco citato rectè ait: *vt enim antequam vllo partus dolore afficeretur, peperit, sic etiam ipsius è vita discessus doloribus caruit*. eadem est sententia Hugonis Victorini erudit. Theolog. li. 3. c. 125. adhæc nulla ægritudine, nullo morbi genere confecta obijt multo fœlicius quàm olim Aaron in monte Hor Nu. 33. & Moses in monte Nebo Deuteron. 34. 5. 7. vbi scriptum est: *mortuus est ibi Moyses seruus Domini iubente Domino non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt.*

Nulla confecta ægritudine.

6. Sed præ vehementia diuini amoris.

Præ amore igitur ex hac vita migrasse
C meritò censuit Albertus Magnus in suo Mariali, & Dionysius Carthusianus libro quarto de laudibus Vir. articulo 3. ait *ad intuitum dilecti filij cum incomparabili aspirauit ardore, diuinarum quoque rerum contemplationi erat profundissimè tunc intenta. Ergo præ spiritalis suauitatis experientissima ac feruentissima dilectione separabatur sine pœna à corpore.* Franciscus Suarez disputatione vigesimaprima, sectione prima, in tomo secundo, in tertiam partem scribit, quamuis Beata Virgo mortua non fuerit vi alicuius morbi corporalis; vi tamen amoris, & ardentissimi desiderij, & intensissimæ contemplationis obijsse. Fieri enim potest, vt mens tanta efficacitate atque animi contentione his actibus intendat, vt quasi corpus destituat, ita vt paulatim, eius dispositiones sensim flaccescant,
D ac tandem deficiant, ob quarum defectum, & priuationem nequeat anima in corpore diutius conseruari. & quidem de ardore, ac vehementia contemplationis Beatæ Virginis post mortem filij sic scriptum legimus in Reuelation. Sanctæ Brigittæ libro secundo, capite sexagesimo secundo: *paraui*, inquit Virgo, *me ad exitum circumiens omnia loca more meo, in quibus filius meus passus fuerat, cumque quadam die animus meus suspensus esset in admiratione diuinæ charitatis, tunc anima mea in ipsa cōtemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix se capere poterat. & in ipsa consideratione anima mea à corpore fuit soluta.*

De ardore contemplationis eius post Christi mortem ex Reuelat. S. Brigittæ.

Virgi-

Digitized by Google

7. Cuiusmodi priuilegijs Christus Dominus matris suæ obitum cohonestarit? Gabriel illum prænuntiat. Christus morienti cum Angelorum psallentium choris assistit.

Virginis obitum magnis prosequutus est honoribus CHRISTVS, misso imprimis Angelo, vt verisimile est Gabriele eius tutelari, qui diem mortis nuntiaret, palmamque adferret, vt ex Metaphraste, & Nicephoro licet intelligere; deinde morienti astitit Christus, omnibus sanctorum Angelorum choris & agminibus stipatus. Ita Nicephorus. *cælitus, inquit, filius eius cum innumerabili Angelorum exercitu descendit, animam Virginis assumpturus:* Angelos etiam adfuisse affirmant authores graues Iuuenalis, Damascenus, Nicephorus, & Hymnos, Psalmos, ac Laudes ceciniſſe, & sanctissimum corpus ad sepulturam fuisse comitatos; ex Patriarchis itidem, Prophetis, & alijs Sanctis cœli habitatoribus multos venisse, & Christum Dominum cum Virgine matre iam moritura loquutum fuisse testantur. 3. veterum Patrum testimonio constat Apostolos ad obitum & funus eius conuenisse: testis est Damascenus orat. 2. de dormit. Deiparæ, testis Iuuenalis Episcopus Hierosolym. orat. quam habuit ad Imperatorem Martianum in Concil. Chalcedon. quam loco citato Damascenus refert: testis Andreas Episcopus Cretensis, apud Simeon. Metaphrasten. testis Epiphanius Presbyter Constantinop. libr. de vita & obitu Deiparæ: testis Simeon Metaphrast. in vita eiusdem, Elycas in annalibus, Nicephorus lib. 2. cap. 21. 22. 23. quod acceptum creditur ex Diuo Dionys. Areop. de diuinis nominibus cap. 3. vbi sic habet: *nam & apud ipsos diuino spiritu plenos pontifices nostros, cùm & nos (vt nosti) & plerique è sanctis fratribus nostris ad contuendum corpus illud, quod authorem vitæ Deumq; cæperat, conuenissemus, aderat autem & frater Domini Iacobus, & Petrus supremum decus, & antiquissimum Theologorum columen, vbi post contuitum placuit, vt infinitè potentem diuinæ infinitatis bonitatem Pontifices laudarēt omnes, quisq; pro captu suo,* quæ verba de diuinissimo illo Deiparæ Virginis corpore, & non de sepulchro Christi, aut de domo Ioannis, in qua Christus cœnauerat, esse intelligenda, & ipsa per se verba indicant, & communis Sanctorum interpretatio. Lege inter alios Diuum Thomam, & Albertum Magnum locum illum Dionysij exponentes, præter paulò ante citatos authores. quod si interfuit Dionysius, cùm is non venerit ad fidem ante decimumoctauum annum à nece Christi, qui fuit quinquagesimus secundus ab eius Natiuitate (neque enim antea Paulus Athenas adiuerat) sequitur vt Beata Virgo mortua fuerit anno ætatis septuagesimo secundo, vt sensit Epiphanius Presbyter Constantinop. & Cedrenus in compendio historiæ: quamuis sint qui affirment Dionysium suscepisse fidem ante annum Domini quinquagesimum secundum ita vt potuerit interesse morti Beatæ Virginis, quamuis anno sexagesimo tertio dicatur esse mortua, sed de his obiter dictum sit.]

Moriturum alloquitur.

Apostoli ad obitum miraculosè cõgregantur.

8. Sed quomodo inquies ad funus Dei matris conuenere Apostoli, qui toto terrarum orbe dispersi erant? Respondet Damasc. orat. 2. *Diuino,* inquit, *imperio nubes retis cuiusdam instar ad Hierusalem vrgebat, veluti aquilas quasdam impellens atq; in vnum cogens, vbi enim fuerit corpus ait veritas, illic congregabuntur & aquilæ.* Idem Iuuenalis habet oratione illa cit. *Sancti,* ait, *omnes, & Apostoli, qui gentilium salutis causſa, terrarum orbem peragrabant temporis puncto per altum abrepti, Hierosolymam conuenerunt.* His consentit Niceph. l. 2. c. 21.

A

His accedit quartò, corpus illud ter sanctum immaculatæ Virginis à morte incorruptum & immaculatum permansisse, vnde Damascenus orat. 1. de dormit. Deiparæ, *nam cuius,* inquit, *in partu incolumis virginitas mansit, eadem è vita migrante corpus ita conseruatum est, vt non dissolutum, sed ad præstantiorem & diuiniorem vitam, quæq; non iam morte interrumpitur, verùm in infinita sæcula sæculorum permanet, translatum est.* Idem censet author libri de Assumptione Beatæ MARIAE Virginis, qui habetur tomo 9. inter opera Diui Augustini, & certè ratio hoc ipsum persuadet: in more positum est, vt nobilitate insignes, ac primarij viri, regum priuilegio, omni tributo liberi, & immunes sint, cur ergo negabimus Beatissimam hanc Virginem DEI matrem regio filij sui priuilegio immunem & vacuam fuisse, non mortis modò doloribus, verùm etiam corporis corruptione?

9. Corpus à corruptione seruatum.

B

Probatur ratione, & figuris Scripturarum.

L. Principes ff. de legibus asserit Vlpianus Iureconsultus; Principem legè solutum esse, Augustam autem licet legibus soluta non sit, Principem tamen eadem illi prius tribuere, quæ & ipse habet. non ignoramus arcam olim fœderis à Philisthæis captam integram & illæsam conseruatam esse, & in Phanum quidem Dagonis introductam; verùm non sine miraculo accidisse, vt Dagon coram illa ceciderit in terram, ita nunc euenit, vt Deipara Virgo sanctissima, quamuis morte capta fuerit, quamuis manibus & Apostolorum humeris deportata, & in sepulchrum illata, integro tamen, & incorrupto corpore semper fuerit, nec eam mors suis doloribus attigerit. Terra corpus quidem illius excepit, sed integrum seruauit & reddidit; sepulchrum, vt potuit, tanti corporis præsentiam timuit, coluit, honorauit. Porrò vt arca eadem testamenti Sacerdotum humeris delata per Iordanem fluuium transiuit, aquis hinc inde diuisis, ita purissima Virgo per mortem transijt, vt integro & illæso semper corpore fuerit, mortis doloribus hinc inde depulsis. Arca DEI ex lignis imputribilibus est fabricata, vt habent septuaginta Exhodi vigesimoquinto, & virginem arcam DEI vndique auro fulgentem ex carne, quæ nunquam putresceret coagmentari, & componi oportebat; non dedit DEVS sanctum suum Christum, nec sanctam suam CHRISTI matrem videre corruptionem, qualis enim filius, talis & mater.

10.

C

D

11. *Si Christus,* inquit author ille apud Diuum Augustinum tomo 9. serm. de Assumpt. *voluit integram matrem à virginitatis seruare pudore, cur non velit incorruptam à putredinis seruare fœtore?*

numquid

numquid non pertinet ad benignitatem Domini, matris seruare honorem, qui legem non soluere venerat, sed adimplere: lex enim sicut honorem matris præcipit, ita inhonorationem damnat, potuit eam à putredine & puluere alienam facere, qui ex ea nascens potuit Virginem relinquere. Putredo enim & vermis, humanæ est opprobrium conditionis. Item sacratissimum corpus, de quo CHRISTVS carnem assumpsit, & diuinam naturam humanæ vniuit, escam vermibus traditum in communi sorde putredinis, & futurum de vermibus puluerem, quia sentire non valeo, dicere pertimesco. Addit: *si eligit diuina voluntas inter flammas non solùm puerorum corpora seruare illæsa, verùm & ipsa vestimenta seruare inusta, cur abnuat, in matre propria quod eligit in veste aliena? Ionam seruare in ventre cæti voluit incorruptum sola misericordia, MARIAM incorruptam non seruabit gratia? Seruatus est Daniel ab intemperatissima fame Leonum, non seruanda est MARIA tantis dotata meritis dignitatum?* Sic ferè ille & plura; vt ergo deuorauit Ionam cætus, sed absumere & concoquere non valuit, ita planè vt deglutiuerit mors Virginis corpus, certè in cinerem conuertere non valuit: quod si Balsamo ea ineſt virtus, vt corpora incorrupta seruet, corpus illud quod nouem mensium spatium DEVM tulit, diuiniore perfusum Balsamo conseruatum negabimus.

12. Helena loci sepulturæ templo extructo condecorat.

Sepulchro illatam sanctissimam Virginem in Gethsemani prædio testantur Iuuenalis, Damascenus, Nicephorus, Andreas Cretensis, Metaphrastes eo loci postea ab Helena mirificum templum excitatum fuisse Genitrici DEI, & in eius sacrario viuificum eius sepulchrum firmiter inclusum scribit Nicephorus libro octauo capite trigesimo, & cùm decliuis hic locus esset, Helenam gradus marmoreos fieri curasse viatores ex sancta vrbe orientalem plagam versus ferentes. De eius diuinissimo sepulchro sic scribit Brochardus prima parte, capite septimo, paragrapho quadragesimo-septimo: *In valle Iosaphat non quidem in imæ profunditate, sed in pede montis Olueti parum tamen supra ipsam vallem locatum fuit Beatissimæ Virginis sepulchrum. Quod quidem ante subuersionem Ierusalem per Romanos supra terram eminens erat, nunc autem terra coopertum est, adeò quod Ecclesia ibidem in honorem Virginis constructa, cùm sit sublimium parietum nobilissimeque testudinata, nunc sit tota subterranea & repletionibus ruinarum templi, & atriorum omninò sit cooperta: Vallisque Iosaphat ibidem adeò repleta fuit, quod extat via publica transiens super prædictam Ecclesiam iam sub terra absconditam, est tamen ibidem in terræ superficie post vrbis reparationem constructa Ecclesia, vel ædificium per modum cappellæ, quod cùm ingressus fueris, descendens per gradus plurimos sub terra in Ecclesiam præscriptam, & ad sepulchrum Virginis, & credo, ni fallor, sunt gradus sexaginta. Est autem sepulchrum in medio chori ante altare marmoreum, & magnificè decoratum, quod & Saraceni deuotissimè venerantur osculantes prostrati, & sacra Virginis suffragia alta voce sub more implorantes. Ego fui in sepulchro ipso.* Hæc Brochardus. sed aduertit Barradius minimè verisimile esse eiusmodi templum, quod sub terra latet, per id temporis fuisse terra obrutum, quo Romani Ierosolymam expugnarunt; nondum enim exædificatum fuerat, sicuti nec templum sepulchri Christi Domini.

13. In sepulchro per dies dũtaxat tres iacuit.

In hoc sepulchro non quindecim dies, vt est in reuelationibus Diuæ Brigittæ libro sexto, capite sexagesimo secundo; nec quadraginta, vt est apud Diuum Antonium tertia parte historiæ, titulo decimo nono, capite vndecimo, sed dies tres tantùm iacuisse ter sanctum illud corpus longè probabilius est. huius rei extat testimonium dignum quod hic inseratur Iuuenalis Hierosolymitani Episcopi, sic enim scribit Nicephorus libro decimo quinto capite decimo quarto: *Iuuenalis respondit Martiano Imperatori, antiquissima & verissima traditione receptum est, instante Virginis obitu Apostolos sublimes in aere Hierosolymam venisse, visione auspicatiore hymnos diuinarum potestatum exauditos esse, & absque strepitu aliquo mirifico planè modo verbum, & filium Virginis aduenisse, atque in manus suas diuinum illius spiritum suscepisse; sacrosanctum autem corpus illius Angelica simul & Apostolica hymnodia illatum, in tumulo quodam in regione Gethsemani repositum esse, & in tertium vsque diem eo loco carmina Angelos perpetua, in honorem & laudem DEI Genetricis cecinisse. & cum eodem tertio die, ii qui in obitu Virginis matris, choro Apostolorum non adfuerat, aduenisset, & sacrum illum cætum, vt tumulum recluderet, quo & ipse Verbi matri debitum, supremumque persoluere honorem, precibus summoperè sollicitasset, atq; sigillo ablato sepulchrum apertum, esset, sacrum illius corpus prorsus repertum non esse, sed sepulchrales illius fascias tantùm suo loco intactas, atque inuiolatas perinde ac si eas corpus paulò ante reliquisset, repertas: & quidem inenarrabili odoris suauitate redolentes, eaque suauitate illos abundè afflatos, signaculo rursus tumulo impositio abijsse. Atq; illud solum pro eo ac decebat animo secum meditatos, Deum corpus virginis ante communem omnium resurrectionem immortalitate cohonestasse.*

Aperto sepulchro corpus non reperitur. Odor inexplicabilis.

14.

Et hæc quæ ex Nicephoro retulimus tamquam Iuuenalis verba, refert etiam Damascenus sub finem orationis secundæ de Assumptione, qui etiam affirmat Apostolum illum, cuius caussa sepulchrum reseratum est, Thomam fuisse; hic etiam author pieratis sepulchrum illud corpore iam vacuum his alloquitur: *Vbi nam est illud minimè adulterinum aurum, quod Apostolorum manus in te condiderunt? vbi inexhaustæ opes? vbi pretiosus ille thesaurus, qui vitam suscepit? vbi gratia abyssus? vbi curationum pelagus? vbi fons ex quo vita orta est? vbi amabilissimum DEI Genetricis corpus?* pulchrè verò & aptè satis respondet ad hæc sepulchrum: *quid in sepulchro queritis eam, quæ ad cœlestia tabernacula elata est? quid custodiæ rationem à me exposcitis? non ea mea vires sunt, vt diuinis iussis obluctler, relicto sindone sa-*

crum

Digitized by Google

crum illud corpus, postquam mihi sanctitatem impertiuit, atq; vnguento & suauissimo odore me compleuit, diuinumq; delubrum effecit, abreptum hinc abijt.

15. Ad augustissimum hoc sepulchrum si rõtum descendisse cœlum affirmauero, non mentiar, nimirum Angelos, & vniuersas cœlorum virtutes: etenim vt aurum illud purissimum, & thesaurum hunc inæstimabilis pretij secum inde afferrent, huc aduolarunt; quis enim Angelorum patienter ferret vterum illum, qui nouem mensium interuallo Deum gestauit, quis cœlestium ciuium carnem illam ex qua diuini verbi corpus assumptum & compactum est, quis vbera, quæ cœli terræque Creatorem virgineo lacte nutrierunt, quis brachia, quæ eumdem gestauerunt, in cinerem redigi? non sunt allata vltra in incertum tam multa aromata, nimirum tam multa merita, tam multi virtutum odores, tanta gratiarum multitudo, tam magnificæ opes gloriæ. quam cœlorum reginam è sepulchro surgentem pulchriorem Luna Soleque ipso lucidiorem in cœlum deduxerunt Angeli, & laudibus, hymnis, omniq; honorum genere prosequuti sunt, sed de Assumptione speciatim sequenti digressione pluribus differemus.

DIGRESSIO V.
MORALIS.

Prosequitur author cætera de festo Assumptionis eiusdem Deiparæ Virginis.

1. DICTVM est hactenus de obitu & sepulchro Beatæ Virginis, nunc quomodo in cœlum sit assumpta, paucis dicamus. Vetus & cõstans Græcorum Patrũ sententia est, Dei parentem & anima & corpore in cœlum migrasse, ita censet Athanasius, siue vt quidam malunt Cyrillus Alexandrin. orat. quæ legitur in Officio Assumptionis, sic Damascenus orat. 2. de dormitione Deiparæ, sic Iuuenalis Ierosolymitanus Episcopus, Andreas Cretensis Episcopus, Simeon Metaph. maximus Abbas in orationibus de dormit. Beatæ Mariæ, & Lycas, & Nicephor. idem docent Doctores scholastici, Diuus Thomas 3. parte quæst. 27. art. 1. & 8. Bonauentura speculo Beatæ Mariæ cap. 2. Antonius 1. parte titulo 6. capite 3. & ante eos Anselmus de excellentia Beatæ Virginis cap. 8. Rupertus in Cant. capite 6. Riccar. item in Cant. capite 40. Vgo libro 3. eruditionis Theologicæ capite 125. & ante hos omnes author libelli de Assumptione Beatæ Mariæ. Inter opera Diui Augustini tomo 9. hos refert Azor quæstione 6. loco citato. Sic decuit sanè, vt ter sanctum castissimæ Virginis corpus, quod erat ab omni corruptione alienum, eo loci constitueretur, qui corruptioni obnoxius non esset: quemadmodum solent etiam gemmæ & pretiosi lapides in aurea affabre elaborata theca custodiri & liquores suauissimi odoratissimique nonnisi in pretiosissimis vasis reponuntur.

A Ingressa est igitur hodie Maria totius mundi Imperatrix à Deo constituta cœlestem filij sui aulam cantantibus Angelis corpore simul & animo illustris & gloriosa; alioqui si tantùm animo, non item corpore esset ad cœlum translata, non diceretur assumpta; sicut cæteri sanctorum hominũ spiritus nequaquam dicũtur assumpti, quamuis corpore soluti ad cœlum euolarint; Christi verò Domini vocatur ascensio, quia propria virtute ascẽdit. At Beatæ Marię est assumptio, quia non illa propria virtute ascendit in cœlum, sed singulari Dei priuilegio est ad cœlestem patriam animo & corpore simul euecta: neque enim illi connaturalis est & propria vis illa ascendendi, vt Christo. Porrò cum dote agilitatis præditum esset illud Virginis corpus, Angeli, quos picturæ exhibent tamquam illam euehentes, reuera non euehunt, sed obsequium seruitutis, & lætitiæ atque honoris comitatum ostendunt; ingressa est multò quam Regina Saba præstantior Hierusalem, non hanc terrenam sed sublimem illam ac diuinam, aurum, argentum, & innumera aromata, hoc est, immensas virtutum & meritorum diuitias secum aduehens, quam ascendentem sponsus affatur: *quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!* Cant. 7. 1. nam cùm alij calceamentis spoliati intra cœli palatia admittantur, sola virgo non sine calceamentis, hoc est, non sine augustissimo illo corpore ingreditur, & quidem merito: etenim Regi, Reginæque solummodò datum equo vectis in regiam suam, suumque aureum palatium ingredi, cæteri verò, quamuis illustrissimi duces, vbi fores palatij attigerunt, domum Regis subeunt non equo delati, sed pedibus incedentes equo præ palatij foribus relicto: ita Christus, & Deipara; Rex nimirũ & Regina cœlum ingressi sunt animo simul & corpore conspicui; cæteri verò etiam sanctissimi viri, animo quidem solùm assumpto, sed deposito corpore cœlestis Regis palatium subiere. decuit sanè vt Beatissima Virgo corpore & animo gloriosa esset in cœlo, vt quemadmodum & Christi Domini corpus est in cœlo, ita esset & Beatæ Virginis; & sicut filius sedet ad dexteram Patris, cui sacratissimi corporis vulnera pro nobis accepta demonstrat, ita filij lateri adsisteret mater, à qua diuelli filius numquam pateretur, vt & ipsa pro nobis sacratissimi pectoris ostenderet vbera.

D Ergo hodie arca veri Noe vndis iactata diluuij tandem requiescit non super Armeniæ montes, sed super omnem omnium rerum conditarum altitudinem & potestatem collocata. Hodie reducitur arca à Philistæis in Bethsames, id est, domum solis vitulis mugientibus, quia eam non sequuntur. Hodie arca quæ hucusque in tabernaculis, & papilionibus habitauerat, reponitur in magnificentissimo Salomonis templo. Hodie Salomon considere facit matrem ad dexteram suam, promittens ei exauditionem in omnibus rebus. Hodie Esther corona regni insignitur, quia super omnes placuit mulieres. Hodie Iudith regreditur Bethuliam, & summo excipitur gaudio, quia caput amputauit Holophernis.

2. Assumptionis & ascensionis differentia.

Ascẽdit corpus virtute agilitatis, non Angelorum ministerio.

3.

Hodie

Hodie impletur illud Genes. 12. 15. laudauerunt Sarai Principes apud Pharaonem *& sublata est mulier in domum Pharaonis*. Hodie facta est pulchra vt Luna plena, quæ prius eclypsim dolorum passa fuit. Hodie quæ plus omnibus se humiliauerat, exaltatur super omnes, vt tantùm ascendat fons, quantum descenderat prius. Hodie fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit & in lucem solemque conuersus est.

4. Ascendit multo quam Esther pulchrior, innixa speciosissimis duabus famulis, quarum altera vita erat contemplatiua per Mariam significata, altera actiua per Martham. Quarum incredibili gloria circumamicta fulgebat, sub cuius pedibus luna visebatur, cuius etiam aureum caput incredibilis decoris corona circumdabat, duodecim stellis ornata, quarum prima trium diuinarum personarum est visio, altera incredibilis est ex visione resultans amor, tertia excellens gaudium, quarta mirifica rerum conditarum in verbo cognitio, quinta immensa corporis pulchritudo, ac fulgor, sexta impassibilitas, septima agilitas, octaua subtilitas, nona numerari potest quod supra omnes Angelorum hominumque choros in amplissimum honoris gradum elata sit; ea enim est in quam maximè conuenit illud: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Decima, decus illud admirandum, & solius ipsius dignitas illa, Virginis simul & Matris, cùm proinde præstans virginitatis aureola debeatur. vndecima est quod cùm esset creatura, mater simul sit Creatoris, atque adeò cœli Regina, terræ Domina, & vniuersorum Imperatrix. Postrema eximium illud decus & magnificentissimum priuilegium soli communicatum, quod cum filia sit Adæ, nullius tamen peccati labe fuerit vnquam conspersa. Egredimini igitur filiæ Syon, & videte Reginam vestram in diademate quo coronauit eam filius. contemplamini admirandam pulchritudinem; admiramini quod quasi cedrus exaltata sit in cœlesti libano, quasi Cypressus in monte Sion, quasi palma exaltata sit in Cades, hoc est, in loco illo sanctitatis plenissimo.

Stellæ 12. quibus assumpta B. Virgo circumornatur.

5. Meritò sic admiratur Sanctus Bernardus sermone primo de Assumptione: *quis cogitare sufficiat quam gloriosa mundi Regina processerit, & quanto deuotionis affectu tota in eius occursum cœlestium legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta, quam placido vultu, quam serena facie, quam diuinis amplexibus suscepta à filio, & super omnem exaltata creaturam!* Verè Anselmus libr. de excitio Virginis capite octauo: *contempletur*, inquit, *animo qui potest quo animo, qua festiuitate, quibus concentibus iubilabant omnes Beatorum spirituum ordines, quando & vnicam Domini sui matrem aduentare, & ipsum Dominum suum ei videbant omni sua gloria decoratum velle occurrere.*

6. Sanè stupebat vehementer cœlestis ciuium multitudo, cùm ascendentem illam tanta maiestate cerneret, ac secum hæc venerabunda, cogitabat, *quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Cantic. 6. 9. in quæ verba Rupert. lib. penult. in hunc modũ scribit: *quam pulcher ordo in ista laudatione, in ista tua pulchritudinis, ô Beatissima, prædicatione? primum consurgens vt aurora, pulcra deinde vt Luna, deinde electa vt Sol, quando nata es, ô Virgo Beata, tunc vera nobis aurora surrexit: aurora prænuncia diei sempiterni, quia sicut aurora quotidiana finis præteritæ noctis est, & initium diei sequentis; sic natiuitas tua, natiuitas ex semine Abrahæ, clara ex stirpe Dauid, ad quas cum iuramento Dei facta est repromissio benedictionis, finis dolorum, & consolationis fuit initium, finis tristitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium. Quando autem Spiritus sanctus in te superuenit, & filium virgo concepisti, virgo peperisti, tunc tu, & ex tunc pulchritudine diuina, pulchra inquam, non quomodocumque, sed vt Luna, sicut enim luna lucet, & illuminat luce non sua, sed ex Sole concepta: sic tu ô Beatissima hoc ipsum, quod tam lucida & non ex te habes, sed ex gratia diuina, ô gratia plena. Quando autem de hoc mundo assumpta, atque ad æthereum thalamum translata es, tunc tu, & ex tunc electa vt Sol, electa, inquam nobis, quia sicut ex te natum Dei filium Solem verum, Solem æternum adoramus & colimus vt Deum verum; sic & te honoramus, atque veneramur, vt veri Dei Genitricem: scientes, quia totus honor impensus matri sine dubio redundat in gloriam filij: & quidem non natura, tu idem es quod ille Sol; sed nihilominus tanta es, vt te honoret ipse Sol honore quo decet filios honorare parentes suos; Qui enim dixit: honora patrem tuum & matrem tuam, non dubium quin & ipse honoraret, & ab omnibus amicis suis velit honorari matrem.*

B. Virgo fuit aurora consurgens in Natiuitate.

Pulchra vt Luna in Annunciatione.

Electa vt Sol in Assumptione.

Hanc eamdem sententiam accommodat Guilhelmus assumptæ Virgini, *planè*, inquit, *progreditur, vt ingrediatur in gaudium Domini sui, in cubiculum sponsi regnum filij sui. nam tempus corporalis eius resolutionis instat clarificato iam filio, & ab hoc omni illi materna sollicitudine iam expleta. Sanè mitis mater non progreditur cum sonitu & strepitu, quasi in magnis ambulans, sed progreditur simpliciter & nihiloquinus confidenter, progreditur silenter, & nihiloquinus potenter, progreditur sicut aurora consurgens. Quid enim silentius & quid item potentius aurora prograde?* nam nec vmquam aliquis audiuit sonitum surgentis aurorę (Iob 3. 9.) nec vlla vis creaturæ potest impedire surgentem. *ipsa etiam est verè aurora, in qua finitæ sunt tenebræ & inchoata lux; finiuit mortem & diem inchoauit, eo ipso quo solem iustitiæ generauit. Itaque aurora fuit, ex quo lumen peperit; sed tamen ante clarificationem filij non progrediebatur sicut aurora consurgens, id est, manifestè, quod erat apparens,* &cæt. & paulò post subdit: *Clarificato iam Sole iustitiæ per triumphum resurrectionis & ascensionis, qui ante niger videbatur sicut saccus cilicinus* (Apocalyp. 6. 12.) *dum putaretur filius Ioseph; mater quoque eius progreditur sicut aurora consurgens, id est, non iam mater puri hominis, sed sicut est verè mater veri luminis manifestè apparens, pulchra vt Luna, electa vt Sol.* & post: *pulchra sanè dicitur propter flo-*

7.

Cur Maria dicatur pulchra, electa, & terribilis.

rem virginitatis, electa propter fructum fœcunditatis, & terribilis etiam, vt castrorum acies ordinata: nimirum quantum Angelis hominibusque amabilis, tantum etiam spiritibus malignis terribilis.

8. Sed & iterum in admirationem raptæ cœlestium agminum virtutes & potestates interrogant, quia & Ecclesia tota quasi hærens admirabunda tandem exclamat. *quæ est ista quæ ascendit de deserto delicijs affluens innixa super dilectum suum?* Cantic. 8. 5. in quem locum idem Guilhelmus. *Vox*, inquit, *Ecclesiæ Catholicæ est, quæ est ista, quæ mihi tam sublimis, & glorioſa apparet? quæ est ista quæ ascendit de deserto? per desertum rectè intelligitur genus humanum, quod nimirum gratia conditoris propter peccatum Adæ deseruit, & lugenda bonorum omnium sterilitate deserendo damnauit; atque ita genus humanum factum est quasi de loco voluptatis locus horroris, & vastæ solitudinis; in hoc horrore & squalore Virgo Maria nata est sicut & cæteri; ex hoc horrore & squalore beneficium gratiæ ascendit vsque ad solium regni. habes vnde ascenderit in eo, quod ascendisse dicitur de deserto. Porrò in eo quod dicitur ascendisse delicijs affluens, habes quantum, & quousque ascenderit. multi namque electione gratiæ, & Christianæ professionis pietatis ascendunt de deserto humani generis; sed nullus eorum ascendit delicijs affluens, ascendunt ad delitias, non autem in delicijs: euntes autem eunt cum fletu portantes manipulos suos: & quidem cum aliquantula delectatione, id est, quadam modica cœlestis gaudij prægustatione, vel potius quadam odoratione ascendunt; non tamen ascendentes delicijs affluunt, sed postquã ascenderit proueniuntq; quò tetenderunt. Quod ergo Dei Genitrix ascendit de deserto commune ei cum multis est; quod autem in delicijs ascenderit, singulare illi est: si quæris de delicijs istis, dicimus in magnis delicijs fuit, ex quo Deum verbum concepit, nam Spiritus sanctus in illam superueniens, dum ex eius carne hostiam reconciliationis humanæ reformaret, placido illapsu mentem eius illustrauit, atque inenarrabili suauitate interiora eius inebriauit, denique ex vicinitate illius ineffabilis Sacramenti, quod in eius vtero celebrabatur, cor eius mirè tangebatur, & suauissime afficiebatur. Tunc ergo delicijs affluere cœpit, cùm Dominum suauitatis de Spiritu sancto fœta concepit. nullus vnquam virorum, nulla fœminarum has in se delicias potuit experiri: quia singulares sunt matri verbi, itaque ex quo genuit Saluatorem, ascendebat pia Virgo de deserto delicijs affluens, in tanta autem excellentia, nisi custodem bonorum omnium humilitatem sollicitè tenuisset, procul dubio ab excellentia cecidisset. Proinde Ecclesia non tantùm excellentiam eius miratur, cùm dicit, quæ est ista &c. sed etiam in tanta excellentia cautissimam eius humilitatem veneratur cùm subdit: innixa super dilectum suum, dilectum dicit, cui nupsit in Spiritu secundùm illud Apostoli, desponsi vos vni viro Virginem castam exhibere Christo (2. Corinthiorum 11. 2.) innixa planè non super baculum arundineum, cui si innixus fuerit homo, confractus intrabit manum eius & perforabit eam (Isaiæ 36. 6.) super dilectum, stabilem vtique ad supportandum, quod sanè non ignorans Dauid (Psalm. 58. 10.) fortitudinem, inquit, meam ad te custodiam, id est, super te innitar qui numquam deficis, nec subtrahis te vt cadat, qui super te duxerit innitendum. Denique super baculos arundineos innituntur, qui confidunt in virtute sua & in multitudine diuitiarum suarum (Psalm. 51. 9.) quid enim fibi homo nisi baculus arundineus? vnde (Ierem. decimoseptimo v. quinto) maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* sic ille.

Genus humanum per desertum significatur.

Humilitas custos excellentiæ Mariæ.

Maria ex quo verbum concepit delicijs affluit.

Qui in propria virtute confidunt, innituntur super baculos arundineos.

9. Cæterùm Virgo sanctissima, etsi à diuini verbi conceptu ascendere cœpit de deserto delicijs affluens, tunc tamen sic ascendisse visa est, cum omni deliciarum spiritalium genere affluens, & innixa super dilectum filium suum euecta est ad ornatissimam cœli sedem, innumeris Angelorum stipata choris, & rectè Alanus ait: *descendit in desertum per natiuitatem, ascendit per desertum progrediendo de virtute in virtutem, ascendit super desertum omnem mundanorum contemnens sublimitatem, ascendit de deserto in æternam beatitudinem.*

10. Ingressus Mariæ in cœlum, ac honor ei impertitus.

Ingressæ in cœlum Reginæ positus est, ad dexteram filij thronus, qui dignus esset Dei matre 3. Regum 2. 19. scriptum est, Bethsabee Regis Salomonis matrem ad ipsum filium accessisse, subdit verò mox Scriptura: *& surrexit Rex in occursum eius, adorauitq; eam, & sedit super thronum suum: positusq; est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius:* quanto ergo magis potentior est Christus Salomone, tanto præstantiorem intelligere debemus exhibitum esse honorem à Christo aduentanti matri, Vgo libro 3. erudit. Theolog. capite 125. docet singularem post CHRISTVM Beatissimam Virginem gloriam esse in cœlo consequutam; hoc est, multò maiorem, quàm sit vel gloria Angelorum, vel cœlestium quorumcumque ciuium, vt iure canat Ecclesia: exaltatam super omnes choros Angelorum; nam sicut in terris fuit gratia plena, sic in cœlis plenissimam gloriam habet, quemadmodum verò longè plurima, quàm cæteri homines, in terris posita mala perpessa est, idque omnium patientissimè, ita in cœlis nunc multò omnium maximam gloriam adepta est; quoniam verò misericordia est, quæ cuique in cœlo locum assignat, qualem, ac quantum credimus Beatissimæ Virgini, quæ mater est misericordiæ, parasse thronum! recipit quisque sui laboris mercedem pro ratione laboris, & vt sementem quis fecerit, ita metet. At quis vnquam magis Dei Genitrice laborauit? quis vberiorem vmquam sementem fecit? flumina intrant in mare cumulatiora pleniorave, prout plus, minusque aquarum in suo cursu recipiunt; quantam, rogo, putabimus gloriæ consequutam esse Sanctissimam Virginem, quæ citra omnem peccati labem totum vitæ suæ cursum peregit, & indies maiorem, ac maiorem in virtute progressionem fecit, quę vel etiam dormiens mereri non destitit.

Maria gloriam multò maiorem quàm reliqui consequuta est.

11. Maria sola secundum sub Deo cõstituit hierarchiam.

Itaque minimè mirum videri debet, quod Gerson Parisiensis Doctor in ea, quam in *Magnificat* edidit interpretatione tr. 4. scripsit: *Beatam Virginem solam, constituisse hierarchiam secundam sub Deo Trino & Vno hierarcha primo & summo, apud quem hierarcham humanitas filij sui*

sola

sola sublimata sedet à dextris virtutis DEI *per vnitatem suppositi; Christi generationem*, inquit D. Bernardus sermone 1. de Assumptione: *& Mariæ Assumptionem quis enarrabit? si oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quod præparauit Deus diligentibus se, quod præparauit gignenti se, & diligenti præ omnibus quis loquatur? Salomonis thronum (3. Regum 10.) duæ exornabant manus, hinc atque inde tenentes sedile.* has manus aptè Petrus Damian. sermone 1. de Natiuitate Virginis actuosam, & contemplatricem vitam significare vult: *Duæ*, inquit, *manus actiuam & contemplatiuam vitam significant, quæ Virginem propensiori diligentia, ambierunt, adeò, vt nec actio contemplationem minueret, & contemplatio non desereret actionem. Recordare quia non erat ei locus in diuersorio, quomodo filium suum proprijs lactauerit vberibus, & omnes vagientis paruuli sustinuerit actiones, & tunc intelliges, quia plurimum ministrauit. considera quia ipsa est quæ in contemplatiuæ dignitatis superuecta dulcedinem in ipsius Dei substantiam lucidiores infixit obtutus. Laua eius inquit Cantic. 2. sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

Vita actiua, & contemplatiua Mariæ.

Quid igitur Dei matre præstantius, cuius dignitatem nemo est qui contempletur, & non in maximam rapiatur admirationem. etenim tanta est Mariæ dignitas, vt eam infinitam esse non dubitauerit Diuus Thomas dicere 1. parte quæstione 25. vbi in controuersiam vertit, potueritne Deus meliores, præstantioresque condere creaturas quàm effecerit, & cæteris quæ ibi doctè scribit omissis, art. 6. respondet, licet vniuersim si loquamur meliores creaturas condere valuerit, quasdam tamen ita insignes, ita præstantes effecit, vt meliores facere minime potuerit ita, vt neutiquam habuerit, quo vltra progrederetur infinita eius potentia; affirmat verò tria eiusmodi à DEO cõdita esse, 4. argumentũ dissoluens, *dicendum*, inquit, *quod humanitas Christi ex hoc quod est vnita Dei, & beatitudo creata ex hoc, quod est fruitio Deo, & Beata Virgo ex hoc quod est Mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus, & ex hac parte nõ potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.* Sic ille. quibus aliqui etiam gratiam addunt, qua diuinæ consortes naturæ euadimus, & filij Dei, atque adeò regni cœlestis hæredes efficimur. Nam quia infinitus, & immensus est Deus, nec magnitudinis eius est reperire finem, propterea tria illa meliora esse nequeunt, etenim melior possessione excogitari quidem non potest ea, qua Deus possidetur, & hæc est Beatorum gloria. præstantius quid Deo homine esse non potest, suppositum enim diuinum est; Nobilior Mater in ratione Matris, quam Beatissima Virgo Maria nequit esse, quia nobilior filius cuiuspiam esse non potest, quam Christus. Hinc verò videlicet à filij dignitate Matris amplitudo, & splendor dignitatis gradum sumit, quare si dixeris infinitam esse MARIAE amplitudinem, & dignitatem ob infinitam filij præstantiam næ tu verè dixeris.

Tria fecit Deus quibus meliora facere non potuerit.

Mariæ dignitas infinita.

Quare cùm tanta sit Dei Matris potestas, tantùm decus & ornamentum, est quòd illam vt Dei matrem cœli, terræque Dominam cuncti veneremur, & magnis votis potentissimæ Imperatricis opem frequenter, & auxilium imploremus, sanctissimum eius nomen corde, & ore simul vsurpemus, nam *velocior est nonnunquam*, inquit Anselmus libro de excellentia Virginis capite 6. *salus memorato nomine Virginis, quam inuocato nomine Domini Iesu*, cuius rei hanc subnectit rationem, nam, ait, filius eius Dominus est, & iudex omnium discernens merita singulorum, dum igitur ipse à quouis suo nomine inuocatus non statim exaudit, profectò id iustè facit, inuocato autem nomine matris, etsi merita inuocantis non merentur, vt exaudiatur, merita tamen matris intercedunt, vt exaudiatur. hoc deniq; vsus humanus quotidie probat, cùm quis proposito Dominico nomine, efficaciter ab alio aliquid impetrat, quod simpliciter sua prece nequaquam impetrare potest.

Velocius aliquando exaudimur inuocato nomine Mariæ quã Iesu.

Sed quomodo preces Deiparæ sint offerendæ Guilhelmus in Cantic. luculenter ostendit: *si pia mater tantum potest apud filium pro his, qui sanguinem eius tam impie fuderunt; quantum credenda est posse pro his, qui secundùm Apostolum in Christo baptizati Christum induerunt?* Galat. 3. 27. *Inde nimirum accidit, vt omnes Christiani sus in necessitatibus tanta fiducia ad eam recurrant, suasq; illi petitiones per eam filio offerendas commendent. Multi tamen minus honestè, vel ordinatè petunt, quàm oportet, quàm decet. Fadas autem petitiones Mater filio non offert, nec suscipit offerendas. Nonnulli honestè quidem petunt, & ea, quæ pertinent ad salutem animæ, sed tamen vel fratres non diligunt; vel suos mores non corrigunt. Nec horum petitiones pia mater dignatur admittere. Itaque non tantum honestas petitionis, sed etiam petentis exigitur.*

14. Quomodo, & quæ res sint à Maria petendæ.

Sic si accesserimus honestè, ac decorè, & magna cum fiducia ad thronum Maiestatis eius, nihil erit, quod à Clementissima Domina, & Aduocata nostra non obtineamus; *magna*, ait Sanctus Bonauentura specul. Virg. capit. 8. *fuit erga miseros misericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo, sed multo maior erga miseros est misericordia eius iam regnantis in cœlo. Maiorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miseriam, vnde pro splendore prioris misericordiæ fuit Maria pulchra vt Luna, pro splendore verò posterioris misericordiæ est electa vt Sol, nam quemadmodum Sol Lunam superat magnitudine splendoris, sic priorem Mariæ misericordiam superat magnitudo posterioris. Quis est super quem Sol non luceat? Quis est super quem misericordia Mariæ non resplendeat?* Hæc Sanctus Bonauentura, accommodat verò ad hoc ipsum illud Ruth 3. 10. *priorem misericordiam posteriore superasti.* D. Bernardus quoque immensam huius Virginis misericordiam sic describit sermone 4. de Assumptione: *Quis*, inquit, *misericordiæ tuæ ô Virgo benedicta longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profundum queat inuestigare? nam longitudo eius vsque in diem nouissimum inuocantibus eam subuenit vniuersis, latitudo eius replet orbem terrarum, vt tua misericordia plena sit omnis terra, sic & sublimitas eius ciuitatis superna inuenit restaurationem, & profundum eius sedentibus in tenebris, & in vmbra mortis obtinuit redemptionem.*

Magnã Mariæ in cœlo regnantis misericordia.

Maria omnibus eam inuocantib. subuenit.

13. Mariæ opem implorare debemus.

Quod facimus per Mariæ manus Deo est offerendum.

Postremò non oranda solum est Beatissima Virgo, sed quicquid omninò agimus, id totum per castissimas, dignissimasq; Aduocatę nostrę manus Deo imprimis offerendum est. id quod idem Diuus Bernardus sermone de Natiuitate Virginis docet, dum ait: *quicquid illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, vt eodem alueo ad largitorem gratia, gratia redeat quo influxit. Fortè manus tuæ aut sanguine plenæ, aut infectæ sunt muneribus, quod non eas ab omni munere excussisti, ideoq; modicum istud, quod offerre desideras, gratissimus illis, & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam.*

CAPVT XXIII.

MODVM ET ORANDI VIM IESVS DISCIPVLOS DOCET.

C. II. I.

V. 1. ET factum est, cùm esset in quodam loco orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eũ: Domine doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos.

2. *Et ait illis: Cùm oratis dicite: Pater sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum.*

3. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

4. *Et dimitte nobis peccata nostra, siquidẽ & ipsi dimittimus omni debenti nobis; & ne nos inducas in tentationem.*

5. *Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice commoda mihi tres panes.*

6. *Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum.*

7. *Et ille deintus respondens, dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi.*

8. *Et si ille perseuerauerit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi surgens eò quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.*

9. *Et ego dico vobis: Petite & dabitur vobis; quærite & inuenietis; pulsate & aperietur vobis.*

10. *Omnis enim qui petit accipit; & qui quærit inuenit; & pulsãti aperietur.*

11. *Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit ill.?*

12. *Aut si petierit ouum, numquid porriget illi scorpionem?*

13. *Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?*

SCHOLIA.

VEROSIMILE est Dominum bis hanc precandi formulam tradidisse, semel quidem in monte vniuersæ turbæ, & Apostolis, qui aderant, quamuis à nemine rogatum. Iterũ verò ad docendum discipulos illorum vno rogante, qui prolixo illi sermoni non interfuerat: vnde Euthy. Luc. 11. *Discipulus*, inquit, *hic erat ex septuaginta. Nam duodecim docuerat 6. c. Euangelij iuxta Matt. cùm videret enim præceptorẽ nouum vitæ institutũ, & exercere & admonere, nouam quoq; orationẽ quæsiuit vitæ studio conuenientem. at ille quam ipsos duodecim docuerat, hanc etiam nunc exponit.*

1. *Cùm esset in quodam loco orans*] Lat. sic diceremus, cũ oraret in quodã loco, quem videlicet in hunc finem sibi elegerat. *Vt cessauit*] Syr. vt finiuit. *Dixit vnus*] G. *vnus* quidam *ex discipulis eius*] Probabile quod dixit Euth. ex septuaginta vnum aliquẽ fuisse. *Doce nos orare*] Sumpsisse videtur petitionis huius occasionẽ, quod Christum orantem viderat. Aug. tract. 7. in Ioa. *qui habent*, inquit, *causã & volunt supplicare Imperatori, quærunt aliquem scholasticum iurisperitum, à quo sibi preces componantur: ne fortè si aliter petierint, quã oportet, non solum non impetrent quod petunt, sed & pœnam pro beneficio consequantur. cũ ergo quærerent supplicare Apost. & nõ inuenirent quomodo adirent ad Imperatorem Deũ dixerunt Christo, Domine doce nos orare, hoc est, iurisperite noster, assessor Dei, imò confessor, compone nobis preces; & docuit Dominus de libro iuris cœlestis quomodo orarent. Et in ipso quod docuit, posuit quãdã conditionẽ; dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, si non secũdũ legem peteris reus eris.* Videtur verò Aug. supradictis verbis, sicut & ser. 28. de verb. Dom. sentire petitionẽ hanc ab Apostolis fuisse factã, quorũ vnus nõ proprio nomine, sed cõmuni omnium Apost. Christũ interrogaret, atq; adeò significat Aug. quamuis nõ expressè semel tantum hanc orationem docuisse Christum, quam ẽt Mat. c. 6. habet, sed probabiliora sunt quæ scripsimus nu. 1.

Sicut docuit & Ioannes &c.] Dum inter nos ageret, nam Ioãnes sicut ieiunia quædã suis discipulis præscripserat Luc. 5. 33. ita & formulam precandi tradiderat, quæ accõmodata esset ad pœnitentiæ, & instantis regni cœlorũ doctrinã, quib. excitaret & perpoliret discipulorũ animos ad excipiendam Christi fidẽ, & spem redemptionis per Christũ cõcipiendã. Cæterũ quæ fuerit hæc orandi formula Script. non tradit: id quod Tertul. tract. de orat. affirmat. Cuius rei hanc causã reddit, *ideo*, inquit, *non extat in qua verba docuerit Ioãnes adorare, quod terrena cœlestibus cesserint*, q. d. cessit Euangelio lex, & id quod ad eam pertinebat, baptismus Ioannis, orandi modus &c.

2. *Et ait illis*] Nimirũ respondens interrogauerat quidẽ discipulus vnus, verũ non se solũ, sed oẽs doceri petebat. *Cùm oratis*] quasi dicat, cùm orare vultis. *Dicite*] hac vtimini formula, oẽm expetẽdorum summulam continente. D. Aug. ep. 121. c. 14.

1. Ib.

2. 2.

Conditio à domino posita in oratione.

3. 3.

4. 4.

petit

petit quomodo Paul. ad Ro. 8. 26. dixerit: *quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Neq; enim vllo modo credendum est, inquit, *Dominicā nescisse orationem*, & respondet: *quia molestiæ, tribulationesq; temporales plerūq; prosunt vel ad sanandum tumorem superbiæ, vel ad probandam exercendamq; patientiam, vel ad quæcunq; flagellanda, & abolenda peccata, tandē nos nescientes, quid ista prosint, ab hac tribulatione optamus liberari*, & id declarat exēplo ipsius Pauli. Apost. *ab hac*, inquit, *ignorantia ne seipsum Apost. ostendit alienū, nisi fortè quid oraret, sicut oportet sciebat, quādo in reuelationū magnitudine, ne extolleretur datus est illi stimulus carnis, propter quod ter Dominum rogauit, vt eum auferret ab eo, vtiq; sicut oportet nescies quid oraret; denig; Dei responsum audiuit, sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur, in his ergo tribulationibus quæ possint & prodesse & nocere. quid oremus sicut oportet nescimus*, & addit: *nonnullis impatientibus Dominus, quod petebant, cōcessit iratus: sicut contra Apostolo negauit propitius.* quod exemplis illustrat, vide illum.

Temporales tribulationes aliquando prosunt.

Deus aliquādo iratus cōcedit quod ab eo petitur, propitius negat. 5.

Pater] Gr. & Syr. additur, *noster qui es in cœlis*, sicut *& fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* & sub finem ēt addunt iidem codices Gr. & Syr. *sed libera nos à malo*; sed si quis consideret hæc quæ addūtur, continentur aliquo modo in præcedentibus, vel sequentibus, & quidē vox illa nostra significatur in consimili pronomine: *Panē nostrū da nobis, dimitte nobis peccata nostra* &c. est. n. cōmunis oratio; illa verò, *fiat voluntas tua* &c. in illis verbis insinuatur, *sanctificetur nomē tuū*. quo. n. sāctificari potest, nisi fiat voluntas eius? Deniq; pars illa *sed libera nos à malo*, satis includitur in præcedenti: *& ne nos inducas in tentationem.* Lat. Cod. qui veriores sunt, non habent hæc verba, quæ vident Gr. & Syr. ex Mat. in Luc. quæ deerant transtulisse, ne oratio Dñica apud Luc. imperfecta appareret, & non respōderet ei, q̄ à Mat. scribitur, & à fidelib. recitatur. D. Aug. c. 116. Enchir. dum exponit orationē Dñicam Luc. affirmat petitiones non septem, vt Matth. fecerat, sed quinq; complexum esse. quare ex sentent. Aug. Luc. hæc omisit, quamuis fortè Christus ea nō prætermiserit. Rupert. tamen vult etiam à Christo esse omissa, vt intelligeremus in orando non debere esse nos tam sollicitos de verbis, quam de rebus.

In orando debemus esse sollicitι de rebus nō de verbis. 6.

Sanctificetur nomen tuū] Quæ pertinent ad expositionē orationis Dñicæ petenda sunt ex par. 2. l. 4. diluc. c. 5. tum in sch. tum in th. hic tñ quædā addemus ad vberiorē doctrinā. Sanctificationi ergo nominis Dei opponitur eiusdē pollutio, seu *p*fanatio, vt notat Burgens. c. 6. in Matt. cùm sc. detrahitur, siue maiestati siue operibus eius, vel minus reuerenter & honorificè, quàm merentur ea homines suspiciunt *q*p solet Script. tribuere peccatis eorum, qui *p*fitentur se Dei populū esse Is. 52. 5. Ezec. 36. 20. & 43. 7. 8. Ro. 2. 23. quia reperire est vel ipsum Deum polluere nomen suum, sed tantū cùm profanari à sceleſtis hominib. permittit. Ezec. 94. 7. dū ergo petimus vt sanctificetur nomē Dei, ista omnia deprecamur, & vt modis omnibus agnoscatur, colatur, glorificetur oramus; & vt qui ipsū colūt bonis operibus luceāt &c. Nomē Dei intellige Deum ipsum iuxta id, *q*p inter homines nominatur, & cognoscitur ab operib. & virtutib. suis, potētia, sapiētia, iustitia, bonitate, misericordia. Hoc ergo numen, hanc Maiestatem in his virtutibus elucentem sanctificari petimus, non quod in se sancta fieri possit, cui nihil addi, nihil detrahi potest.

Quid petimus cùm oramus vt sāctificetur nomen Dei.

Adueniat regnū tuū] G. ἐλθέτω. veniat. est aūt triplex regnū Dei, vnū generale, quo in totum orbem dominatur summè potens Deus Ps. 144. 13. *Regnum tuum regnum omnium seculorum: & dominatio tua in omni generatione, & generationē.* Alterum peculiare, quo in iustis regnat per fidē, & mandatorum

7 Regnum Dei triplex.

A obseruationē, iustitiā, pacē, & gaudiū in Spiritu S. Hoc. n. Apost. Ro. 14. 17. *regnū Dei* appellat; deniq; regnum Dei per antonomasiam illud dicitur, quo in Sanctis suis absq; vlla hostiū impugnatione, & molestia Dei per oēm æternitatē regnat; nūc quidē à morte inchoatur in spiritib⁹ electorū, qui statim in cælū aduolāt, vel certè solutis purgatorij pēnis; perficiēdum aūt erit in omnib. electis hoc idē regnū post resurrectionē. Hoc ergo est, de quo explicanda est hæc secunda petitio. nā primū regnū Dei sicut sēper fuit, ita sēper pdurat; iccirco vt veniat optari nō potest: secūdū verò regnū augeri potius, & propagari peti debet, q̄ vt veniat, optari; & sanè eiusmodi augmentū, & *p*pagatio satis petitur. 3. 5 6. petitione: restat ergo vt de regno tertio modo hæc sit petitio intelligenda. Dū igitur obsecramus, vt adueniat regnū Dei, postulamus vt in spiritibus nostris corpore exutis regnet Deus in gloria:

B præcipuè verò optamus perfectū illud & absolutū regnū Dei post resurrectionē, cū Deus erit omnia in omnib. electis; & quāuis certi sim⁹ adfuturū esse aliqñ; nos tamē honoris Dei studiosi, qui tūc plenè sanctificabitur à nobis, oramus, & desideramus, vt citò in illud regnū admittamur à Patre Deo; cuius tanta est erga nos caritas, tanta dignatio, vt per orationes nostras, & iustitiæ opera dignetur nos sibi habere cooperarios in parando illo regno. Porrò huic regnū satanæ opponitur, de quo Ephes. 2. 2. & & 6. 12. 2. Cor. 4. 4. 2. ad Tim. 2. 26. quibus locis satā dicitur Princeps potestatis aēriæ, rector tenebrarū, huius sæculi Deus, & captiuos tenere eos, qui pereunt, ad suā voluntatem; hanc diaboli tyrannidem notat Iere. c. 17. 11. dum perdicis instar fouere, quæ non peperit dicitur. Dū ergo petimus adueniat regnū Dei hoc destrui consequens est, vt petamus; cēterū quoniā hoc Dei regnū nō aderit plenè, anteq̄ Christus ad iudicādū venerit, ideo simul hic oram⁹

C vt secundus Christi ad iudiciū aduentus citò adsit: omnium. n. vota sanctorū huc suspirāt, *expectāt. n. beatā spē, & aduentū gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi* Ro. 8. 23. ad Tit. 2. 13. ne tñ temerè hoc expectemus docuit nos Chr. prius petere, fieri in nobis Dei volūtatē, vt est apud Matth. dilucidè.

Diabolus appellatur perdix.

Sancti cupiunt vt cito veniat Dei regnum.

3. *Panem nostrum*] Panis nomine ea cōplectitur omnia quę ad transigendā hanc vitā necessaria sūt. *Nostrum*] Vitæ nostræ deputatū: nō quia noster sit *p*prio iure, quasi Deus illum nobis debeat; igitur alieno abstinēdum est cum pane nostro petam⁹ ali, *q*p & Apost. monet 2. Thess. 3. 11. 12. *Audiuimus inter vos quosdā ambulare inquietè, nihil operantes* &c. *Iis aūt* &c. *denuntiamus* &c. *vt cū silentio operātes suū panem manducent.* Eiusmodi ēt reprehendit 1. ad Tim. 5. 13 *Quotidianum*] τὸν ἐπιούσιον superiūstantialē vertit apud Mat. interpres. i. qui substantiæ ac naturæ nostræ nutriendæ satis sit, neutiquā curiosum, sed quotidianū, vel cibarium. D. Hier. transtulit, *supersubstantialem*, modum compositę vocis imitatus: est. n. conflata ea vox ex ἐπί, id est, *super*, vel, *ad*, & οὐσία *substantia*, seu natura: q. d. super seu ad substantiā nostrā scil. sustentandā sufficiēs; & q̄ naturæ satisfaciat, nō voluptati seruiat. Vide Basil. q. 252. inter breuiores & Aug. ep. 121. c. 11. *Da*] prius dictū est in alijs petitionibus, *adueniat, fiat*, quia ad Dei illa gloriam pertinere contendebamus, & ideò tanquā fidentius agentes imperatiuis vsi sumus; nunc verò modestius gratuitā ipsius beneficentia nos alat obsecramus. *Hodie*] Vide quæ scripsimus lib. 4. diluc. loc. cit.

D

Non debemus ali pāne alieno; sed nostro.

8.

4. *Et dimitte nobis peccata nostra*] Obserua in quocumq; peccato tria esse reperire, vt notat Lucas Burgensis Matth. 6. Actum qui sit peccatum; maculam quā ex actu contrahimus in animo; pœnā quā actus maculaq; digna sunt: horum actus transit, manet macula, pœna debetur. Macula ipsa est gra-

9. In peccato reperiuntur actus, macula, & pœna.

Digitized by Google

Macula peccati est priuatio gratię.

tiæ priuatio, per quã gratiã pulcher erat animus & diuina quadã luce ꝑfusus: qua pulsa maculã ei inurat necesse est: vnde fit vt immundus ac sordidus sit peccator, & ablui opus habeat. dimittit ergo Deus peccatũ q̃ eo loco habet actũ ac si nõ fuisset; maculã verò eluit restituto gratiæ nitore; deniq; pœnam debitã remittit. *siquidẽ & ipsi remittimus omni debẽti nobis.* Debitũ & peccatũ idẽ sunt Luc. apud Mat. legere est, *sicut & nos dimittimus*; apud Luc. verò *si quidẽ & nos dimittimus*: sed eundẽ sẽsum habẽt vtri usq; verba D. Greg. Nyss. de orat. expedit hic tria: primũ quidẽ diuinã bonitatẽ, qua vult aliquo modo efficere se imitatorẽ hominũ. ꝑinde. n. videtur esse, dicere, *dimitte nobis, sicut & nos dimittimus*, ac petere vt imitetur nos: q. d. fac sicut nos fecim⁹ nostra liberalitate, nã q̃ nos dimittimus minima sunt at q̃ dimitti nobis oram⁹, maxima; postremò diuinã æquitatẽ cõsidera. nã si rogamus clemẽtẽ Deum nobis esse, ac misericordẽ, æquum ꝑfectò est, vt & nos tales exhibeamus cũ proximis nostris, quæ. n. insania esset, si sic Deũ rogarem⁹, *dimitte mihi, licet dimittere nolim meo debitori. Et ne nos inducas in tẽtationẽ.*] Tẽtatio idẽ est hic, q̃ad peccatũ sollicitatio, ad q̃ impellimur, vel intrinsecus, siue ꝑsperis illecti, siue aduersis agitati vel extrinsecus à diabolo. itaq; oramus ne ꝑsperarũ rerũ dulcedine capiamur, vel aduersarum frãgamur molestijs; deniq; ne tẽremur supra id q̃ possumus. Porrò ne superemur tẽtatione quacũq; irruẽte facit De⁹ vel dũ infirmitatis nostrę cõsci⁹ tẽtari nos nõ sinit, vel dũ maiore nostro beneficio facit nos tentationem vincere.

Liberalitas Dei. Æquias Dei.

10.

Tribus modis Deus inducit homines in tentationem.

Ergo q̃ hic ꝑpriè petimus à Deo est ne nos inferat in tẽtationẽ. Dicitur autẽ inducere in tẽtationẽ Deus nõ q̃ faciat vt tẽtationi succũbamus, absit. n. sed vel quia iusto iudicio gratiã suã negat, qua vinceremus, vel id facit nõ deserẽdo tãtũ, sed & potẽtia ex doctrina Aug. cõtra Iul. l. 1. c. 3. vel quia concedit seu ꝑstat ea homini quæ tẽtationi futura sint: interdũ n. exaudit iratus preces, quas nõ exaudiret ꝑpitius. licet nõ eo fine faciat ista Deus, vt homo in peccatũ ruat: hoc. n. ꝑmittit tãtũ; qua in re, & bonũ se, & iustũ ostẽdit; bonũ q̃ a nõ se miscet peccato; iustũ q̃ a peccata punit modo quo fas est peccata puniri. petim⁹ ergo, vt nõ destituamur ei⁹ auxilio, ne eo destituti alicui tẽtationi vel cõsẽtiam⁹ decẽpti, vel cedam⁹ afflicti, itẽ vt si nos præuidet tẽtatione vincẽdos, parcẽs infirmitati nostrę tẽtationẽ nobis moueri non sinat. & hoc modo fortassis Patres illi intelligi possũt, q̃ affirmare videtur petere nos hic vt nõ tẽtemur: sc. cũ nos ꝑuidet Deus esse vincẽdos.

11.

Mat. vt n. ỿ. monui, addit: *sed libera nos à malo*, ita vt sint apud Mat. 7. petitiões, vt apud Luc. 5. expressæ. Aug. l. 2. de pec. mer. & rem. c. 4. declarat quẽ ordinẽ inter se habeãt 3. vlt. petitiones apud Matt. ac quo discrepẽt; *si desideriỿs*, inquit *cõcupiscẽtiæ carnis illicita volũtatis inclinatiõe cõsẽserimus, ad hoc sanãdũ dicimus, dimitte nobis debita nostra; adhibẽtes remediũ ex opere misericordiæ; in eo quod addim⁹, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vt autẽ nõ ei cõsẽtiamus. deprecamur adiutoriũ dicentes: & ne nos inferas in tẽtationẽ. Deinde addimus (quod perficietur in fine, cum absorbebitur mortale à vita) sed libera nos à malo. Tunc. n. nulla erit talis cõcupiscẽtia, cũ qua certare, & cui nõ cõsentire iubeamur.* Sic Aug. Ergo tria oramus in his postremis petitionib. vt dimittat nobis Deus ea in quib. peccauimus à cõcupiscẽtia illecti: deinde rogam⁹ ne ab eadẽ cõcupiscẽtia iterũ rapiamur ad peccata; deniq; vt ab omni prors⁹ malo liberemur, *cõprebẽdim⁹. n. aduersa cũcta*, vt Cyp. inquit, *qua cõtra nos in mũdo molitur inimicus: quod vbi diximus, nihil remanet quod vltra debeat postulari*: hoc autẽ in hac vita nõ omninò assequmur, sed in alia, & hoc vt fiat rogam⁹, interim dũ viuim⁹, fieri oramus eatenus, quatenus ad salutẽ nobis expedit.

Macula peccati est priuatio gratię.

In hac vita non sumus liberi ab ómnibus tentationibus.

12.

Subnectã hic breuẽ quãdã expositionẽ orationis

A Dñ. cæ, q̃ habet Aug. ep. 121. ad Prob. c. 11. *Nobis ergo* ait *verba necessaria sũt, quib. cõmoueamur, & inspiciamus quid petam⁹; nõ quib. Dominũ, seu docẽdũ seu flectẽdũ esse credamus. Cũ ergo dicim⁹: sãctificetur nomẽ tuũ, nosipsos admonemus desiderare, vt nomẽ eius quod sẽper S. est etiã apud homines sãctũ habeatur; i. nõ cõtẽnatur, quod nõ Deo, sed hominib. prodest. Et in eo quod dicimus: Adueniat regnũ tuũ, quod seu velimus, seu nolimus vtiq; veniet, desideriũ nostrũ ad illud regnũ excitemus; vt nobis veniat; atq; nos in eo regnare mereamur. Cũ dicim⁹, fiat volũtas tua, sicut in cœlo & in terra, nobis ab illo precamur ipsã obedientiã, vt sic in nobis fiat volũtas eius. quẽadmodũ fit in cœlestib. ab Angelis eius. Cũ dicimus: panẽ nostrũ quotidianũ da nobis hodie; per id quod dicitur, hodie significatur hoc tẽpore, vel illã sufficiẽtiã petimus, à parte qua excellit. i. nomine panis, totã significãtes; vel Sacramẽtũ fideliũ; quod in hoc tẽpore necessariũ est, nõ tamẽ ad huius tẽporis, sed ad illã æternã felicitatẽ assequẽdam.*

B *Cum dicimus: dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; nos admonemus & quid petamus, & quid faciam⁹, vt accipere mereamur. Cũ dicimus: ne nos inferas in tẽtationẽ, nos admonem⁹ hoc petere, ne deserti eius adiutorio, alicui tẽtationi, vel cõsentiamus decepti, vel cedamus afflicti. Cũ dicimus: libera nos à malo: nos admonem⁹ cogitare, nõdũ nos esse in eo bono, vbi nullũ patiemur malum. Et hoc quidem vltimum, quod in Dominica oratione positum est tam latẽ, tãq; euidenter, & manifestè patet, vt homo Christianus in qualibet tribulatione cõstitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fũdat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem. His n. verbis res ipsas memoriæ nostræ commendari opportebat.*

Breuis expositio orationis Dominicæ.

Honor Deo exhibitus, hominibus prodest.

Porrò c. 12. ostẽdit Aug. elegãter, & doctẽ oẽm petitionẽ ad orationẽ Dñicã referri. *Qui. n. dicit v. g. clarificare in omnib. gentib sicut clarificatus es in nobis, & prophetæ tui fideles inueniãtur: quid aliud dicit, quã sãctificetur nomẽ tuũ? qui dicit: Deus virtutũ cõuerte nos, & ostende faciem tuã, & salui erimus* Ps. 79. *quid aliud dicit, quã veniat regnũ tuũ? qui dicit: Itinera mea dirige secundũ verbũ tuũ, & ne dominetur mihi omnis iniquitas: quid aliud dicit, quã fiat volũtas tua, sicut in cœlo & in terra? qui dicit: paupertatẽ, & diuitias ne dederis mihi: quid aliud dicit: quã panem nostrũ quotidianum da nobis hodie? qui dicit: Memento Domine Dauid, & omnis mãsuetudinis ei⁹ i aut Dñe si feci istud, si est iniquitas in manib. meis, si reddidi retribuentib. mihi mala: quid aliud dicit, quã dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittim⁹ debitoribus nostris? qui dicit: aufer à me cõcupiscẽtias ventris, & desideriũ cõcubitus nõ apprehendat me. quid aliud dicit, quã ne nos inferas in tentationem? qui dicit Erue me de inimicis meis Deus, & ab insurgẽtib. super me libera me quid aliud dicit, quã libera nos à malo? Et si per omnia precationũ sãctarum verba discurras, quantũ existimo nihil inuenies, quod nõ ista Dominica cõtineat & includat oratio. vnde liberũ est in alijs, atq; alijs verbis, eadem tamen in orando dicere, sed nõ*

C

13. Quælibet petitio refertur ad orationem Dominicam.

D *debet esse liberum alia dicere.* & paulò post subdit: *Qui autẽ dicit in oratione, v. g. Domine multiplica diuitias meas; aut da mihi tãtas quãtas illi, vel illi dedisti: aut honores meos auge; aut fac me in hoc sæculo præpotentẽ, atq; clarentẽ, vel si quid huiusmodi est, & hæc dicit eorum habens concupiscentiã. non id attendens, vt ex his secundũ Deũ prosit hominib putet eũ nõ inueniſſe in orat. Dom. quo possit hæc vota coaptare.*

14. Quomodo est orandũ.

Perseuerãter & ardenter est orandũ.

5. *Et ait ad illos*] Sc. discipulos suos: docuerat, qua forma orãdũ esset; docet nũc quo orare deceat, nimirũ ardẽter, & pseuerãter, nõ remissè, & pigrè. Itaq; q̃ orat ne aĩo cõcidat, si nõ statim id assequatur quod optat, nec defatigat⁹ cesset; àderit. n. q̃ orãtẽ exaudiat. Bas. reg. bre. resp. 26 1. expressit scopũ huius parab. *si nõ audiamur*, inquit, *intelligendũ est opus esse perseuerãtia, aut cõtẽtione maiore, quẽadmodum admonemur ex ea parabola Domini, per quã docemur*

semper

semper oportere orare, & nō defatigari, quemadmodū alio in loco dictū est ab ipso eodē Domino, cum ait, propter improbitatē eius tamen surget & dabit quotquot habet necessarios, sic Basil. itaq; nō tantū perseuerātia opus est in oratione, sed etiā maiori semp contentione, vt hīc homo q̄ petebat tres panes primo verbo postulauit, verū nō exaudit⁹ pulsare instititit frequenter, vnde factum, vt q̄ optabat sit assecutus?

15. Deus nihil denegat cōstanter petenti.

Quis vestrū] quis ex vobis: maiorē hoc habet emphasim, quā si absolutè dictū esset, quis habet amicū; argumētatur. n. ex illis ipsis quibus cum loquatur, vt Maldo. notat, & ex seipsis cōiecturā faciens cōsiteri cogit nihil Deū cōtinēter & cōstanter orātibus negaturū. *Habebit amicū, & ibit ad illū si habeat, &c. eat media nocte*] tēpore maximè importuno & incommodo q̄ difficultatē obtinēdi q̄ postulatur auget. In hūc locū piè, & eloquenter sic scribit Ambr. *quis aūt amicior nobis eo, qui pro nobis corpus suum tradidit? petijt ab hoc media nocte panes Dauid; petijt, & accepit. Petijt. n. quando dicebat, media nocte surgebā ad cōfitendū tibi; ideò meruit hos panes, quos apposuit nobis edēdos. Petijt cū dicit, laudabo per singulas noctes lectū meū, nec. n. timuit ne excitaret dormientē, quē sciebat semper excubare vigilantē. Et ideò Scripturarū memores, noctibus ac diebus orationi instantes, peccatorū nostrorū veniā postulemus. Nam si ille tam S. & qui regni erat necessitatib. occupatus 7. in die Laudē Domino dicebat, matutinis & vespertinis sacrificijs sēper intentus: quid nos facere oportet, qui eo amplius rogare debemus, quo frequentius carnis, ac mentis fragilitate delinquimus, Amice*] facit, & benevola amici cōpellatio ad obtinendū nō parū. *Comoda*] mutuo da. cōmodare propriè de ijs dicitur, quæ restitui possunt eodē numero: at mutuo dantur, quæ vsu cōsumuntur. *Tres panes*] quorū vnus vni solet apponi, itaque tres petijt, vt vnum hospiti apponeret; alterum sibi; tertium, vel hospitis comiti vel si forte duo non satis essent.

16. *6. Quoniam amicus meus*] à necessitate qua premebatur vrget, amicus, inquit, quem deserere par nō est, cōcessit ad me de via, hoc est, ex itinere fessus & famelicus hospitandi causa. *Et nō habeo quod ponam ante illum*] nec panē habeo, quem ponā illi, Gr. παραθήσω αὐτῷ. panibus destituebatur, nec opportunum erat emere: fortassis obsonijs quibusdam non carebat.

17. *7. Et ille deintus*] si ille respondeat (per hypothesin. n. loquitur) hoc est quāuis ille ita respōdeat, nū nō erat verosimile ita amicum amico respōsurum, verum si id eueniret, & qui petit instet, & pulset extorquebit tamen. *Noli mihi molestus esse*] μή μοι κόπους πάρεχε, ne mihi molestiam exhibeas. *iam ostiū clausum est*,] affert omnia quæ excusare ipsum possunt, quod clausa esset, & pessulis, ac repagulis obfirmata ianua, quod non sine labore, & incōmodo, fortassis etiā non sine periculo intempesta nocte aperire posset, q̄ pueri hoc est filij, Gr. τὰ παιδία μου, hoc est *pueruli mei*, iam somno sopiti sint. itaq; nō famulos, sed filios intellige cum Tertul. l. 4. contra Marcio. & Theoph. & παιδία solent græci potius filios quā famulos vocare: quā expositione probabilē etiā facit, quia in eodē lecto, vt habet Syr. vel certè in cubiculo eodē erant: vtrumq; n. significat εἰς τὴν κοίτην εἰσίν, non possum surgere quin experge faciam filios; & quod ait Euthym. quia tota familia secum è somno excitanda, & turbanda foret. Emmanuel mecum, inquit, sunt in cubili, quasi dicat etiam ipsi cubant.

18. *8. Et si ille perseuerauerit pulsans*] hoc est, nō desiterit pulsare ostiū, in modū rogantis tū, nō quasi vi, aut iure volēs extorquere, & ne discedat excusatione amici territus, verum instet, pulset, vrgeat, &c. verba hæc nec græci, ne Syriaci textus habent: verū necessaria sunt ad explēdā sententiā. *Dico vobis*] prædico vobis q̄ per se quoq; cōstat. *Eo quod amicus eius sit*] amicitiæ præcipuè causa motus. *tamē*, γε, certè vel certè quidē, vel, at. *Propter improbitatē eius.* διὰ τὴν ἀναίδειαν αὐτοῦ hæc ἀναίδεια propriè impudentiā significat, seu inuerecundiā, verum optimè vertit interpres, *improbitatē*, hoc est, perseuerantē, atq; assiduū rogādi feruorē: improbus. n. dicitur q̄ nullo responso abigi potest quo minus molestè vrgeat. Hinc Aug. ser. 5. de ver. Do. *quid est*, inquit, *propter improbitatē? quia pulsare nō destitit: quia & cū esset negatum, nō se auertit; ille qui nolebat dare, quod petebatur fecit, quia ille in petendo nō defecit. quanto magis dabit Deus bonus, qui nos hortatur, vt petamus: cui displiceat si non petamus?* huius rei præclarū exemplum habes in Cananæa Matth. 15. v. 22.

19. *Dabit illi quotquot habet necessarios*] Etiā plures tribus istis si tot requirat, ne forte iterū ad lectū reuerso molestus fiat; significat ergo Dominus: si tātū valet apud homines rogādi importunitas vt extorqueat quod spōte nō esset quis facturus, quanto magis dubitare non debemus exorabilē nobis fore Deū, qui nō amicus modo, sed etiā Pater noster est, neq; inuitus exaudit, vt se fastidio liberet; & neq; vllū est ei importunū tēpus, dūmodo cōstanter & perseuerāter rogādo perstem⁹: q̄ sequēti v. indicat.

20. *9. Et ego dico vobis*] Cyril. vult hoc vim quandam iuramēti habere, vel idem est, *dico vobis*, ac suadeo, moneo, promitto; quæ sequuntur vsq; ad finē exposita sunt. p. 2. diluc. c. 6. in sch. à n. 28. ad 31. hic tātum paucula quædā adijciemus, & primū cur Deus non statim det dona sua; rationē assignat. Aug. ser. 5. de ver. Do. *Cùm aliquando*, inquit, *tardius dat, cōmēdat dona, nō negat; diu desiderata dulcius obtinentur: cito aūt data vilescunt; pete, quære, insta petendo, & quærendo crescis, vt capias: seruat tibi Deus, quod nō vult cito dare; vt & tu discas magna magnè desiderare.* & ser. 27. *quod dare vult differt, vt amplius desideres dilatū, ne vilescat cito datū; Non accipimus aliquando, vt meliora, quā petimus, accipiamus;* id quod docet idē Aug. l. 2. de ser. Dom. & ep. 34. ad Paulinū, *bonus aūt Dominus qui nō tribuit sæpe quod volum⁹, vt quod mallemus, attribuat;* rectè Chrysol. ser. 39. ait, *ô quā negare noluit, qui sibi etiam neganti qualiter extorqueretur ostendit*, verè quia si negare vellet dum differt, petere à negante non iuberet.

Cur Deus non concedit statim quod ab eo petitur.

21. *10. Omnis enim qui petit accipit*] accipiet. *inuenit*] inueniet. *aperietur*] vel aperiri solet: subintellige si vt debet petat, quærat, & pulset.

22. *11. Quis aūt ex vobis*] Gr. si ad verbū interpreteris, habetur. *Quē aūt vestrū patrē petet filius panē*, & Syriacè, *quis. n. ex vobis pater, quē petit eū filius eius panē.* Aug. ser. 29. de ver. Do legit: *quis est vestrū, à quo petit filius panē.* versio verò vulgata legit quis, pro quē, & omittit vocē, *filius*, sed præferenda videtur, quia fortè apud Luc. legerat noster interpres τίς ὑμῶν; ac propterea merito omisit vocē, *filius*, vt quæ satis ex voce *patrē*, intelligatur, vt verò sensus clarior sit, subintellige cōiunctionē *si*, & nomē, *pater* hoc modo; si quis *aūt ex vobis*, patrē petit panē nūquid lapidē dabit illi pater. *Aut piscē*] ἢ καὶ ἰχθύν, si & piscē, vel si etiam piscē, Syr. habet. *& si piscē rogauerit eum.* Matt. habet. *aut quis ex vobis homo*] q̄ videtur ex hebræorū idiotismo sumptum esse. licet eo loci habere videatur vim aliquam, vt patet ex conclusione quasi dicat homo tametsi malus, corruptione vtiquē non natura.

23. *12. Aut si petierit ouum*] oui & scorpionis similitudinē nō habet Matth. *scorpionē*] quo ictus intereat; solēt. n. interdū scorpij vacuo oui putamini inclusi insidiosè ijs dari; quorū mors quæritur, vt notat hic Brugen. sicut superius, serpentē dixit, qui nō vitam sustineat, sed mortem inferat; & lapidem quo se lædat potius quam famem pellat?

13. Si ergo vos cū sitis mali] plus respōdet q̄ oportebat; q̄a nō solū p̄bat, inquit Mal. Deū nobis peretibus opē laturum esse; sed bona etiā daturū: panem,

non lapidem, piscem, non serpentem, Chrys. hom. 24. Auctor Imperfecti 18. & Theoph. *data. G. δόσεις, dationes*, hoc est, dona. *de cœlo*] ὁ ἐξ οὐρανοῦ. qui ex cœlo, hoc est cœlestis. verũ interp. Latinus, & Syr. nõ reddiderunt articulum ὁ, & videntur iungere verba illa *de cœlo*, cum verbo, *dabit. spiritum bonum*] apud Matth. legimus, *quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se*. Cæterum quæ sequuntur apud Lucam à v. 14. vsque ad 37. ca. 11. exposita sunt p. 2. dilucid. l. 4. c. 12.

THEORIA PRIMA.

De oratione Dominica.

1. QVAMVIS de hac oratione multa dixerimus par. 2. dilucid. c. 5. in scho. & aliquot theor. addemus tamẽ hic quædã maioris declarationis causa; & primũ quidẽ an hæc oratio fiat in persona Ecclesiæ tm̃, & non in propria, ꝙ videtur D. Th. significare 2. 2. q. 83. ar. 16. ad. 3. ad quã disp. respõdeo bifariã intelligi posse orationẽ Dominicã dici in persona Ecclesiæ, vel vt sic dicã obiectiuè, hoc est, ꝙ fundi debeat ꝓ vniuersa Ecclesia, & hoc nõ est negandũ: idcirco. n. à D. Cypri. vocatur hæc oratio publica, nõ priuata, & hæc est mens D. Th. lo. cit. vt ex ar. 7. ad 1. cõstat. Cæterum hoc nõ facit, vt hæc precatio nõ possit à singulis fidelibus priuatim & in propria persona Deo offerri: nam & singuli debemus per omnibus orare.

Oratio Dominica pro tota Ecclesia debet fundi.

2. Vel dici potest hæc oratio fundi in persona Ecclesiæ, vt sic dixerim, subiectiue, vel repræsentatiue. quod tunc fit, quando Ecclesia ita instituit, ꝙ videre est in missæ sacrificio, & horis Canonicis, nõ est tamẽ id necessariũ, aut ex institutione Christi, ita vt non possit aliter fieri hęc oratio. nam quãdo Christus Dominus docuit sic orare *dicens, sic ergo vos orabitis* singulos alloquebatur, & consuetã, priuatãve orãdi formulã, seu in ꝓpria persona tradidit; quare hæc oratio, si fundatur ab eo, qui lethali crimine tenetur, non maiorẽ habet ab Ecclesia vim, vel authoritatẽ impetrãdi, quã aliæ priuatæ orationes eiusdem peccatoris. Nec ex voce *Amẽ* (de qua vide quid scribat Suar. to. 3. p. 3. disp. 83. sec. 1.) cõtrariũ elicitur, adhibita. n. est, nõ vt alter, vel plures alij respõdeant *Amen*, sed vt idẽ ipse, qui orat seipsum moueat, atq; excitet & affectũ ac desiderium suum singulis petitionibus obtinendi adiungat.

2. Oratio dominica non semper, sed quando ab illa constituitur, offertur in persona Ecclesiæ.

3. Deinde occasione illius partis, *dimitte nobis peccata nostra*, rogarẽ aliquis posset, an B. Virgo recitare hanc orationẽ potuerit: quã cõstat nullũ habuisse peccatũ, vt merito de ea dicat Aug. lib. de nat. & gratia, c. 36. se cum de peccatis agit nullũ de Virg. matre propter Reuerentiã Filij velle habere sermonẽ, quod Concil. Trid. tanquã fidei dogma decreuit declarãs nullũ illã toto vitæ suę curriculo actuale peccatũ cõtraxisse; idq; ex singulari priuilegio concessum esse, nõ ex cõsueta gratiæ mensura, vel efficacitate. sed in promptu est responsio vsam esse procul dubio B. Virginẽ hac precatione, verũ illis verbis *dimitte nobis peccata nostra*, non pro se orabat, sed pro corpore fideliũ. Etenim petitiones hæ cõmunes sunt, quibus generatim pro omnibus fidelibus postulamus & pro nobis si indigeam̃: & hinc etiã liquet, vt obseruat Chrys. ho. 20 in Matt. dari in Ecclesia peccatorũ remissionẽ;

B. Virgo nullum contraxit peccatũ.

Quomodo in oratione dominica B. Virgo dicebat dimitte nobis debita nostra.

A cõstat etiã ex eodẽ hãc eãdẽ precationẽ fideliũ esse, & Christianorũ propriam, qui iam fonte baptismatis renati Deũ appellant Patrẽ, hi sanè à baptismo in peccata incidentes veniam delictorum efflagitãt Christo obaudientes, qui nos docuit dicere, *dimitte nobis peccata nostra*.

4. Tertio licet D. Luc. non expresse, sed tacite tãtũ vel virtute, petitionis illius meminerit, *fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra*, eam tamen declarationis maioris causa iterũ hîc explicabimus. obseruãdũ igitur orare nos hic, nõ tãtũ vt faciamus Dei voluntatẽ, sed absolute vt fiat Dei voluntas, quod vidit Chrys. ho. 14. imperfecti, & Euthym. Matth. 6. Duo itaq; sunt quæ rogamus, vnũ vt fiat à nobis voluntas Dei quæ à Theologis *voluntas signi* nominatur, non omnis illa quidẽ, sed quã *cõplacentia* nominant, B vt ea est quæ per præceptum, vel consiliũ nobis significatur: nec tamẽ excluditur voluntas beneplaciti absoluta; est. n. duplex Dei voluntas; altera *beneplaciti*, & illa est propriè, quæ est absoluta, & efficax; altera quæ appellatur *signi*, hoc est, q̃ sese aperit per ea signa, quę sunt præceptum, Consilium, prohibitio, permissio, & si quæ sunt alia. Dixi igitur nõ omnẽ voluntatem signi hic intelligi. nam permissio ad voluntatẽ signi pertinet, nec tamen petimus, quin nec petere possumus, vt quidquid Deus permittit, à nobis fiat. Dixi præterea nõ oẽm volũtatẽ efficacẽ, & beneplaciti, hinc excludi. nã de volũtate beneplaciti intelligitur orasse Christus cum dixit Matth. 26. *non mea voluntas, sed tua fiat*: intelligebat enim illam voluntatem, qua Deus Pater decreuerat, vt ipse mortem pro nobis subiret. adhæc, iusti petunt, vt ea impleatur voluntas Dei, qua prædestinatos elegit, hæc tamẽ absoluta, & beneplaciti est licet enim volũtas absoluta Dei non sit necessaria ad præceptum, vel consilium, potest tamen cum illis esse, ita vt quamuis sit efficax per nos tamẽ implenda sit, & nõ raro oratio est medium à Deo ad hoc institutum. Deniq; dixi vniuersim voluntatem diuinæ complacentiæ intelligendã esse, quã hic petimus fieri à nobis. est autem voluntas complacentiæ, qua Deus aliquid fieri vult siue illa sit omninò absoluta, quæ solet vocari beneplaciti vel efficax decretum Dei, siue contineat conditionem ex parte rei obiectæ, & dici solet simplex complacentia, & voluntas antecedens.

Quid petimus quando dicimus, vt fiat volũtas dei.

Duplex Dei voluntas - altera signi altera beneplaciti.

5. 2. Non solũ oramus, vt voluntas Dei iam exposita fiat à nobis, sed etiã vt fiat in nobis, vel in mundo, quãuis per nos executioni mandanda nõ sit, & neq; à nobis pendeat: & idcirco annotat Chrys. hom. 20. in Matth. vt hæc omnia tam primum, quam secundum cõplecteremur, indefinite dictũ esse *fiat voluntas tua*: ergo vt semel dicã, rogamus vt fiat quidquid Deo placet, quomodocunq; illud placeat, si ex se & ex sola sua bonitate placet. hanc. n. voluntatẽ Dei Beati in cœlis appetunt impleri. Porrò hæc expositio complectitur præcipuas Patrum interpretationes, vt est illa Aug. ser. 135. de tempore, & l. 2. de ser. Dom. in monte, c. 6. & ep. 121. c. 11. intelligit enim hanc petitionẽ de voluntate præcipiẽte, ita vt petamus hic obseruationem præceptorum Dei. item illa Cassiani collat. 9. c. 20. de voluntate antecedente, qua Dominus vult omnes homines saluos fieri; adhæc illa Tertul.

de con-

de cõformitate cũ diuina voluntate in omnib. quæ nobis eueniunt. denique illa Ambrosij de voluntate qua Deus in omnibus hominibus cupit esse pacem in terra, similem illi quæ est in cælis. Vide quæ scripsimus parte 2. diluc. cap.5.schol.num.20.

6. Circa alterã etiã petitionẽ, *Ne nos inducas in tentationem*, non omittam animaduertere cõmunem esse Patrum expositionẽ, Cyrilli, Hilarij, Ambrosij, August. Cassiani, & aliorum rogare nos hic ne nos Deus permittat succũbere tentationi, hinc D. Thomas 2. 2. quæst 83. art.9. inquit, *per quod nõ petimus vt non tentemur, sed vt à tentatione non vincamur, quod est, in tentationem induci*, & Chrysost. hom.20. in Matth. ait, *docet non quidem nos recusare certamina, sed in ea audacius non insilire. alioqui fructuosum, atq; vtile nobis esse potest tentari; nã: Beatus vir qui suffert tentationem.* Iacobi 1. hinc Patres ex hac petitione necessitatem gratiæ ad superandas tentationes contra Pelagium colligunt.

Vtilis aliquando est tentatio.

7. Sunt tamen inter Patres, qui secus sentiant: nimirum vtrumq; peti, non hoc modo, quo hactenus dixi, verum etiam, ne nos Deus tentari permittat, nam licet malum non sit, nihilominus periculosum est: sic Tertullianus, Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, quod videtur eo dicto Cypriani confirmari *per hanc*, inquit, *petitionẽ admoneri nos infirmitatis, & imbecillitatis nostræ.* rectè, *spiritus siquidem promptus est, caro aũt infirma*: quãuis verò fortasis hæc dissensio sit potius in verbis; priorẽ tamẽ dicendi modũ magis probo; præsertim, quia nullas ferme vires haberet hoc testimoniũ cõtra Pelagianos si hîc peteremus nõ tentari; eo tñ plurimũ nititur August. si .n. petimus nõ tentari, certè id petimus q̃ in manu nostra nõ est, & hoc est q̃ Pelagiani cõtendebant: quare dicere possunt, ita satisfactũ esse huic petitioni; nã licet p̃ nos posimus (quod ipsi volebant) tentationi resistere, ne tamen nos succumbendi periculo exponamus, bonum est nõ tentari, & ideò id petimus, cum in nostra positũ nõ sit potestate. Satius est ergo affirmare quod hic petamus, ne nos sinat Deus tentationi succumbere; ac proinde aiunt Patres, admoneri nos hic infirmitatis nostræ, quia quamuis liberi simus, nisi gratia adiuuante fulciamur, tentatione prosternimur. Cętera vide in scho. vnde & intelliges quomodo Patres conciliari queant, &c.

THEORIA II.

De excellẽtia, & necessitate orationis.

I. SI Sacras litteras contemplemur apparebit statim in illis quã excellẽs & insignis sit orationis virtus, principio Exo.32. & 2. Cor.3.13. legimus ex sermone cum Deo habito ita illustratã esse Mosis faciẽ micãtibus radijs, vt Israelis populus in eum oculos intendere nõ valuerit; potuit porrò vt ibi narrat Scriptura Exo. 32.9. tãtum vnius hominis oratio, vt quasi Deũ cõpulerit ad remittendã populo culpã, quam cõtraxerat, sic.n. ibi scriptũ legimus: *cerno quod populus iste dura ceruicis sit dimitte me, vt irascatur furor meus contra illos, & deleam eos, faciamq; te in gẽtẽ magnã.* Dauid quoq; Ps.105.23. ait: *& dixit, vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in cõspectu eius.* est.n. tanta orationis

Moysis facies illustrata.

A potestas, vt quodã modo Deũ vincat, ac superet. hinc est quod Hiere. dixit Deus ca.7. 16. *tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudẽ, & orationẽ, & nõ obsistas mihi*, quę verba obseruãs Hiero. scribit, *quod dicit, & non resistas mihi, illud ostendit, quod SS. preces iræ Dei possunt resistere. vnde Dominus loquitur ad Moysem dimitte me*, & ad Gauden. scribens epist.12. ait, *quando dicit dimitte me, ostendit se teneri posse ne faciat, quod minatus est, Dei enim potentiam serui preces impediebãt*, quis quæso tantam orationis dignitatem non admiretur & suspiciat?

Oratio Deũ quodam modo vincit.

Preces Sanctorum iræ Dei resistũt.

Sed & illud incredibilẽ orationis virtutem, & efficacitatẽ apertè indicat, q̃ à Regio Propheta cõferatur oratio cũ sacrificio, cui⁹ quanta sit præstantia nemo est, qui nesciat, *dirigatur*, inquit ille Ps.140.2. *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuũ mearũ sacrificium vespertinũ*, quin vel Deus ipse Isa.56.7. dum ait, *domus mea, domus orationis vocabitur cũctis populis*, satis significat orandi munus præcipuũ esse eorum, quæ in tẽplo Dei exhibentur, ita vt propterea Dei populus ab alijs nationibus maximè discernatur. Illud quoq; nõ parum orationis excellentiã aperit, q̃ eo loco apud Angelos sit, vt in hoc esse toti illi videãtur, & vehementer incũbere, vt orationes nostras in cœlũ deferant. hinc est quod Tobiæ 12. 12. dixit Raphael Angelus: *quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos*, &c. *ego obtuli orationẽ tuã Domino*, & Actor.10.10. cũ Cornelius Deũ continenter deprecaretur, manifesto visu vidit, *Angelũ Dei introeuntẽ ad se, & dicentẽ sibi, orationes, & eleemosyna tuæ ascenderũt in memoriã in cõspectu Dei.* Christo quoq; Domino oranti in horto, *visus est Angelus de cœlo confortans eum*, vt habetur Lucæ 42. 23. de Petro quoq; Apostolorũ Principe scim⁹ cũ oratio sine intermissiõe ab Ecclesia ad Deũ pro eo fieret, astitisse illi Angelum magno circumamictum lumine, & è carcere eductum omni metu, & periculo liberasse. Act. 12.7.

B

C

Populus Dei per orationem discernitur ab alijs.

Angeli offerunt orationem hominum Deo.

Verum si nulla alia esset orationis laus, sola ea ipsam maximè illustraret, & omniũ oculis cõspicuam redderet, quod orare nihil aliud sit quã cũ ipso Deo versari, vnde fit, vt ex diuina cõsuetudine Dei etiã quædã similitudo efficiatur in nobis, quæ animos nostros quasi beatos efficiat: ad quã rem cõprobandã nõ alium, quã Paul.2.Cor.3.18. testem citabo; *nos verò omnes, reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu.* quod ostensum est in Christi transfiguratione: nam cùm per noctẽ orationi instaret in admirabilẽ maiestatis speciem cõmutatum fuisse narrat Euangelista. hic est igitur non paruus contemplationis assiduæ effectus, vt animus Deo euadat similimus; nec mirũ: vt. n. si quis præstanti vnguento delibutas chirothecas manibus induat, aut rem aliquã, vel pastillũ suaui odore refertũ manibus tractet, statim manus eius optimo illo ac suauissimo odore olẽtes refert, & ad alios quoque eã odorũ suauitatẽ ac fragrantiã transmittet, & oblectabit mirifice: sic sanè qui diuina semper animo versat, & tractat, qui cœlestes quodã modo flosculos odoratu, qui cõtinenter cũ Deo Patre luminũ versatur, ea odorum fragrãtia, eo fulgore imbuitur, vt vel ipsũ Deũ

D

3. Orare est eũ Deo versari.

Orando similitudo dei in nobis efficitur, & in eum trãsformamur.

Simile.

referre

Digitized by Google

referre videatur. Et vt in aqua cum tranquilla est videntis vultus effulget, sic in animo per orationem sedato ac mundo quasi quędā diuinæ maiestatis impressa imago relucet. hoc ostēdit illa pax, illa vultus trāquillitas, illa lætitia, illa morū suauitas, illa cęlestis magnorū Dei seruorū voluptas, qui perpetuo cū Deo loquuntur, eiusq; vultui cōtinēter assistunt. Quare nō mirū si Chrys. lib. 1. de orando Deū exclamat: *quis non obstupescat, & admiretur, tantā beneuolentiam erga nos Dei, vt mortalibus tantū honoris largiatur, vt dignos nos habuerit, qui cū ipso colloquamur, nostraq; vota apud ipsum deponamus? nam verè profecto cum Deo confabulamur quoties vacamus deprecationi: per quā simul & Angelis copulamur, & societatē, quā cū brutis animantibus habebamus, procul effugere videmur. Angelorū n. opus est deprecatio, superans interim etiā illorū dignitatē, si tamē maius est Angelorū dignitate, colloquiū miscere cū Deo: atqui quod id sublimius sit, ipsi nos docēt multo quidē cum tremore vota sua offerentes.* & in Gen. ho. 30. idē ait: *magna arma sunt preces, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus.* nec inferiora ijs cēset Nyss. l. de. orat. *Oratio*, inquit, *corporū robur est. abundantia domus, recta legū ac iuris in ciuitate cōstitutio, regni vires, belli tropheū, pacis securitas, dissidentiū cōciliatio, consumptorū cōseruatio. oratio virginitatis sigillū est, matrimonij fides, viatoribus scutū, dormientiū custos, vigilantiū fiducia agricolarū fertilitas, nauigantium salus, eiusdē cū Angelis honoris cōditio, præsentiū fructus, futurorū repræsentatio.* sed receptui canamus, nam singula persequi, quæ ad hunc locum pertinent, infinitum esset?

Oratio est opus Angelorum.

Encomium orationis.

4. Illud nō omisero merito dici orationē propter eximiā eius præstantiā, & dignitatē donū Dei. quis. n. Christianorū negauerit rē maximi momēti esse orare sicut oportet, quin & ad salutē in primis esse necessariū? quod paulo post ostendā. porrò hāc veritatē docēt S. literæ Ro. 8. 26. *Spiritus adiuuat infirmitatē nostrā. nā quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, q facilè explicari nō possunt, hoc est, postulare nos facit; *qui aūt scrutator corda* nimirū Deus, quē oram⁹, *scit*, videlicet approbat, D. Thoma interprete, *quid desideret spiritus*, hoc est, q desiderare nos facit, *quia secundū Deū postulat pro SS.* quatenus videlicet facit Sāctos, seu fideles iuxta Dei voluntatē postulare; & hoc est orare *sicut oportet*, vt sit sensus iuxta Toletū nescim⁹ postulare vt oportet: sæpe. n. petimus, quæ nobis noxia essēt si cōcedātur, Spiritus S. verò postulat pro nobis, *vt oportet* gemitibus inexplicabilib⁹, & nobis inenarrabilib⁹. verū q scrutator est cordiū Deus, approbat, & scit sensum p voluntatē Spiritus S. postulantis, nouitq; eū postulare vt oportet, & quæ Deo grata sunt; nō quidē p omnibus, sed p sanctis in quorū corde, & p quorū corda orat: vocat sanctos eos, quos diligentes Deum mox appellat, horum enim corda Spiritus sancti organa sunt.

Orare est donum Dei & ad salutem necessarium.

Spiritus S. postulat pro nobis vt oportet.

5. Liquet igitur ex his ad orādum perquā necessariū esse Spiritus S. præsidiū, vt nō sit dubitandū hāc rē certā ac firmā fide tenendā esse, q si Apost. dicere licuit 2. Cor. 3. *Nō sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex vobis*. p fecto id maximè locū habebit in oratione, q maximè opus pietatis est. Cōcilij etiā 2. Arausicani Patres damnant eos qui affirmare audent: *Misericordiā nō cōferri petentibus, quærentibus, pulsantibus.* decernunt verò: *per infusionem Spiritus S. in nobis fieri, vt hæc omnia ficut oportet agere valeamus.* quibus verbis non obscurè explicat quo sensu accipiēda sint ea Domini verba, quę hic habes. v. 9. *petite & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis.* Nimirū nō solū gratiæ Dei esse petita largiri, verumetiā auxilium ad petendū, sicut oportet, dare. vide Aug. ser. 171. vbi parabolam hanc hospitis ad amicum noctu venientis explicat.

Adorandum Spiritus sancti præsidiū est necessarium.

Hanc sententiam aperte Chrys. docet hom. 38. in Gen. asserens, *gratiā preces nostras semper præuenire.* & lib. 2. de orando Deū clarius adhuc idem explicans: *illud*, inquit, *ausculta, supra vires hominis est miscere cum Deo colloquium nisi adsit vis, & actus S. Spiritus, sed oportet illo præsente, sanctisq; conatibus auxiliante, ita domum ingredi; & flectere genua, postremo orare, ac deprecari:* ex hac ergo necessitate Diuini auxilij ad orandū, facile est colligere orationis actionem naturæ vires excedere. sic enim colligimus fidei quoq;, spei, & charitatis actus supernaturales esse, nimirū, quod sine præueniente Spiritus Sancti auxilio fieri, sicut oportet, non possint.

6. Orare est supra vires hominum.

Quā rem sicut & cætera docte explicat Frācis. Suar. to. 2. de religione l. 1. c. 8. docet. n. quōdē modo esse hæc intelligēda, quomodo accipiēda sunt ea verba Apost. 1. ad Cor. 12. 3. *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu S.* ait ergo, hic auctor: si consideremus materialē illā locutionē, actio quidē proferendi terminos illos, quod ad eorū entitatem attinet, supernaturalis non est, quamuis confiteretur Dominum fide quadā humana, vt in hæreticis patet; supponit quidē illa fides humana Spiritus S. reuelationē, sed qui sic loquitur, nō innititur illi reuelationi, sed suæ opinioni: iccirco in Spiritu S. nō loquitur, at si quis id cōfiteatur vera, diuinaque fide, quæ Spiritus S. testimonio inistit, tūc loquetur, ac dicet Dominum Iesum in Spiritu S. verum hoc facere nō poterit nisi eiusdē Spirit⁹ S. præsidio munitus. Ita ergo, quia locutio, quā intellectu nostro formamus dum quippiā petere à Deo volumus, si per se, &, vt aiunt, materialiter spectetur quod attinet ad cōcept⁹ quibus loquimur, naturæ limites nō excedit, sicut & verba ipsa, quæ ore proferimus, naturalia sunt; sed si quis spectet eam locutionē quatenus firma, & stabili fide cōstat, & nititur spe certa promissionis diuinæ, sic locutio, vel actio est naturæ fines transcendens; cōtinet. n. diuinæ fidei testificationem, & suo modo particeps est firmitatis spei: alioquin talis, qualē ipsā oportet esse. non est: vnde verè dixit Hilarius in Ps. 118. octon. 3. & 4. *Orationis clamorem in fide, & spiritu positum.*

7.

8. Oratio est necessaria necessitate medij.

Restat vt necessitatē orationis breuiter nunc declarem⁹ affirmo igitur tanquā rē certā, orationē simpliciter esse necessariā videlicet necessitate medij, quā vocant, ad salutē: primum testimonio D. Thomæ probo 2. 2. q. 83. a. 3. ad 2. vbi docet, orationē esse in præcepto, iuris videlicet diuini, q non videtur posse inniti, nisi in medij necessitate, declarat verò Diuus Thomas desiderium boni illius, propter quod necessaria est oratio, cadere sub præceptum charitatis

Digitized by Google

ritatis, petere autem illud, sub præceptum religionis; quia vt explicat doctissimus Suarius, licet religio non obliget ad petendum aliquid à Deo, nisi quando vrget aliqua necessitas, v. g. charitatis; vt si oratione opus sit ad assequendum auxilium aliquod necessarium, vt quis animæ salutem comparet; vel vt protinus liberetur à periculo, vel ad non offendendū Deū, ad hæc. n. omnia obligat charitas, & idē erit, si necessitas incūbat profitendæ fidei, vel quæ pertineat ad alias virtutes; nihilominus in his & similibus euentibus, nō solū orationis præceptū astringit nos ratione charitatis, fidei, vel aliarū virtutū, quarū tunc necessitas imminet, sed etiā ratione ipsiusmet religionis vt debitum Deo cultū reddamus. iccirco enim statuit Deus, vt petitio esset necessaria ad comparandum auxilium, vel remediū ab ipso, in eiusmodi necessitatibus; quò ipsæmet necessitates aliquo modo compellerent homines, vt ad Deum recurrentes eius opem implorarent; eumque per orationis cultum & venerationem colerent. ergo verosimile est præceptum colendi Deum obligare hominem in eiusmodi euentibus peculiari Dei consilio, & voluntate.

Deus vult vt ad ipsum recurramus cū necessitates nos premūt.

9.

Præceptum orationis est diuinum naturale.

Porrò hoc præceptū insinuatum nobis esse videtur illis verbis: *petite & accipietis*. nam iuxta cōmunem interpretū expositionem, præceptū aliquod continet, & vt ex modo loquendi, & vi verborum colligere est, præcipi illis maximè videtur proprius aliquis religionis actus, quo debitus Deo cultus datur per orationem, verū cū nō contineant ea verba præceptum diuinū more positiuū (præter præcepta. n. fidei, & sacramentorū nō aliud habemus in noua lege à Christo præceptū) sequitur vt contineat præceptū diuinū quidē, sed naturale, q̄ in quacunq; lege semper obligauerit homines. Nō tñ propterea præceptū hoc naturale dicimus, q̄ rationē naturalē solā ac per se spectatā comite turnec. n. ita est: cū hic de ea loquamur oratione, quæ mediū est necessariū ad salutem assequēdā, adeoq; naturæ vires excedit: sed loquimur potiꝰ de ratione per fidē infusā illustrata: talis. n. ratio dictat necessarium esse orationis præsidiū. Cæterū hæc precandi necessitas intelligēda est ex parte nostra, alioqui per eā nō priuatur Deus ea libertate, qua cōferre in quēlibet potest quodcūq; donū gratiæ etiā nō petenti, præsertim in ijs donis quæ supererogationis, seu, vt aiunt, ad melius esse faciūt. Nam vt Suar. docet lo. ci. c. 28. n. 7. in his quæ sunt simpliciter necessaria ad salutē nunquā ferè Deus illa largitur, nisi per orationē, nimirū quando quispiam Dei auxilio adiutus & præuētus, potest se illo modo iuuare si velit. Patet ergo habere nos præceptū diuinū naturale orationis; vnde intelligimus eā necessariā esse necessitate medij, ea. n. quæ hoc modo sunt necessaria ad salutem, habent annexum præceptum diuinū, vt patet in fide, & pœnitentia, &c.

Necessitas orationis est ex parte nostra non ex parte Dei.

10.

Pelagius gratiæ necessitatem tollit.

Eadē sanè orationis necessitas clarissime ostēditur auctoritate Aug. & Hie. qui Pelag. vel hoc nomine accusant, q̄ orationis necessitatē sustulerit ad obtinendam salutē, quæ est diuini auxilij necessitas. hinc Hiero. epist. ad Ctesiph. affirmare nō dubitat, Pelagiū dū gratiæ necessitatem è medio tollere conatur, simul auferre

A orationem. i. necessitatē orationis q̄ ipsum habet Aug. epist. 9. quare lib. de Eccleiast. dogm. c. 56. sic dicitur nomine Aug. *nullū credimus ad salutē, nisi Deo inuitante, venire, nullū inuitatū salutē suā, nisi Deo auxiliante, operari, nullum nisi per orationē auxiliū promereri*, quibꝰ. postremis verbis apertè necessitas medij insinuatur; merito igitur Aug. lib. de nat. & gra. c. 43. *Deus*, inquit, *impossibilia nō iubet, sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis*. & lib. 2. de bono perseur. c. 16. clarius hāc explicās necessitatē scribit: *Deū alia dare nō orātibus sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus præparasse sicut vsq; in finem perseuerantiæ*; quanta igitur est necessitas perseuerantię tanta est & orationis. Eandē veritatē multa, quæ de oratione in Scriptura traduntur stabiliūt, vt verba illa Luc. 18. *oportet semper orare*, quæ obseruās Chry. ait, *dū oportet dicit, necessitatē inducit*. idē efficiūt illa, *vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*. ait aūt Chrys. ser. de Moseto. 1. *ip̄e contra se tela ministrat, qui hostem precum instantia non fatigat*.

Nullus salutem consequitur nisi Deus inuitet & ei auxilietur ad operandum.

Perseuerantia non conceditur nisi orantibus.

B Nec cōtra ea quæ tāto sententiarū pondere muniuimus, mouere nos debet, q̄ mutari non possit per orationes nostras, q̄ semel ab æterno Deus decreuit vt fiat; neq; .n. (aiunt quidā) aliquid vult Deus q̄ ab æterno nō voluerit, nihil inq̄, hæc nos mouere debēt quæ ipsi perperam disputant, quia etiā posito decreto æterno Dei sæpe nō faceret sine oratione nostra, q̄ facere cōstituit, nā & hoc ipsū statuit interdum ipse, vt non aliter faciat. hinc legere est multa Deū fecisse nō aliter quā magna precū vi, & cōtentione rogatū. hinc est quod Ezechię oranti 15. annos adiecit. Isa. 38. Niniuitis orātibus pepercit, Ion. 3. itē 3. Re. 17. & Iac. 5. 16. dicitur: *multū valet deprecatio insti assidua*, & Matt. 17. *hoc genus dæmoniorū nō ejicitur nisi in oratione, & ieiunio*. imò vt docte obseruat Suar. li. 1. de orat. c. 6. absurdū nō est affirmare, aliqua effecta cum omnib. ferme cōmunis vel inferioris ordinis ante prę-uisam orationē, solū esse antecedenti, vt aiunt, simplici voluntatē à Deo volita; nihilominus propter perspectas iam alicuius preces efficaciter decerni, ac statui quāuis ab æterno. in primarijs tñ rebus, & quæ sublimiores sunt cēsendū est, quod licet nō sine oratione obtineantur sint tñ certo cōstitutę ante prę-uisam orationē. Atque adeò opus erit oratione vt eiusmodi res executioni mādentur iuxta diuinā dispositionē ratione posteriorē. v. g. diuina verbi Oeconomia prædefinita est ante præuisā orationem

C Patrū, sed nōnisi intercedentibus illis est executioni mandata. & ita docent Theologi prædestinationem iuuari precibus SS. & sic intelligit Sua. illud Aug. ser. 1. de S. Stephano. *si Stephanus non oraſſet, Ecclesia Paulū non haberet*, idēq; cēset Prosp. l. 2. de voca. gent. c. vlt. dū ait: *quāuis quod statuit Deus nulla possit ratione non fieri, studia tamē non tolluntur orādi, nec per electionis propositū liberi arbitrij deuotio relaxatur, cùm implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, vt per laborē operū, per instantiā supplicationū, per exercitia virtutū fiāt incrementa meritorum*. sic ille. adde quod & vult Deus, vt & nos cū illo operemur, vbi id fieri potest, alioquin solꝰ ipse operatur, & ideò sæpe non cōcedit nisi interueniente oratione, quod dare etiam decreuit.

D

II. Obiectio cōtra necessitatem orationis. Solutio. Deus ab æterno decreuit facere aliqua media oratione.

Deus vult vt cum illo cōperemur.

THEO-

THEORIA III.

Quę nam sint conditiones necessariæ vt Oratio, quod petit, omninò consequatur.

1. Habet oratio, præter innumeras alias vtilitates, quas affert, triplicem virtutem seu efficacitatem, si ijs vestiatur conditionibus, quas requirit, videlicet merendi vnam, alteram satisfaciendi, tertiam impetrandi. quod vt intelligas, aduerte, tres esse conditiones eiusmodi, ob quarum quamlibet, si in bono actu reperiatur, Deus aliquid promiserit. Vna est vt actus ex gratia viatoris proficiscatur. Secunda si actus ex tali gratia manans sit pœnalis. Tertia demum si vi & natura sua talis actus sit petitio. hinc triplex nascitur virtus in actibus bonis, merendi, satisfaciendi, impetrandi. Nam propter actum qui ex gratia proficiscitur, pollicetur Deus vitam se æternam esse daturum, tamquam propter meritum. Rursum super boni actus, vt sic dixerim, pœnalitatem, ex gratia tamé procedentis promisit Deus se iuxta debitam proportionem iustitiæ, pœnam in purgatorio alioqui soluendam remissurum, quod est actum satisfaciendi vim habere. denique si actus natura sua sit petitio, certis circumstantijs vestita, de quibus paulò post, promisit Deus se ex misericordia talem petitionem exauditurum, id quod est actum impetrandi virtutem obtinere. hæ autem omnes conditiones si quis aduertat in vnam orationem coëunt. Nam oratio potest à charitate, & gratia proficisci, non minus quam reliquarum virtutum actus; iterum ipsa est actus pœnalis, nam vt Ecclesiastæ 14.12. dicitur. *frequens meditatio carnis est afflictio.* denique constat orationem, vt à reliquis omnibus actibus distinguitur, suapte natura esse petitionem.

2. Nam petitio sua vi eò dirigitur, vt animum alterius inclinet & ad id concedendum, quod postulatur, non emptionis, nec solutionis, vel meriti alicuius titulo, sed tantum quia petitur, & rogatur, & consentaneum est bonitati, & liberalitati eius, qui rogatur, vt ad dandũ moueatur, eo duntaxat nomine, quia rogatur. Hoc ergo modo impetrandi potestas, & aptitudo solius orationis propria est. Nã licet cætera virtutũ opera orationẽ possint ad impetrãdũ iuuare (sic enim apud Patres legimus nõ raro, ieiunium, & eleemosynam esse quasi duas orationis alas, quibus cœlos penetrat) nihilminus in cæteris operibus non propriè est reperire immeditam impetrandi vim, citra orationem tamen hominem præparare queunt, vt facilius impetret & attentius oret, aut certè ad hoc ipsum aliquod auxilium per modum meriti obtineat, dum orantem gratiorem Deo reddunt, & proinde aptiorem vt à Deo eius preces admittantur.

3. Ex quibus omnibus efficitur triplicem illã virtutem, & quasi efficacitatem à Deo promissam bonis operibus, orationi simul inesse, si debitis conditionibus non priuetur. habet ergo oratio merendi, & satis faciendi vim, & propriam impetrandi efficacitatem. de primis duabus rebus nihil est quod hic dicamus, pertinent enim ad tractationem meriti, & satisfactionis: & de satisfactione quidem dictum à nobis satis est 1. parte dilucid. lib. 2. cap. 1. theo. 8. 9. 10. de merito alibi, si Deo placuerit, & B. Virgini, in cuius hæc laudem eduntur. Restat vt de circumstantijs ad impetrandum requisitis agamus, de quibus nonnulla diximus superius c. 16. dilucidationum theoria 2. & primum quidem negamus vnam ex conditionibus esse, vt aliquis pro se petat. putamus enim multo probabilius esse, Christi promissionẽ, qua vim certam ad impetrandum orationi promisit, si fiat vt oportet, eas etiam preces amplecti quæ pro alijs funduntur, quam sententiam rectè confirmat Toletus Ioann. 16. annotat. 30. & re vera eam sequitur Greg. Valentia 3. tom. dis. 6. quæst. 2. punc. 4. & Suar. lib. 1. de or. cap. 27. cui plurimum fauet Ioannes epist. 1. ca. 5. dum ait, *hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem eius audit nos.* & clarius paulò inferius. *qui scit fratrem suũ peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem,* fauet & Iacobus c. 5. 16. *Orate pro inuicem vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua.*

4. Sed qui huic sententiæ refragantur, Augustinum testimonio nituntur tractat. 73. & 102. in Rom. quem D. Thomas sequitur 2. 2. quæst. 83. art. 7. &. 15. sentit enim Augustinus non esse promissum audiendam esse omnino illam orationem quæ pro alijs funditur, & ideo dictum esse à Christo: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 16. itaq; inter alias orationis conditiones vt efficax sit, hanc etiam numerat, vt pro se fiat. Respondeo: Videri Diuum Augustinum ita sentire, cæterum posse intelligi, ideo sic esse loquutum, quia cùm alius est is qui petit, & alius pro quo petitur; oratio exaudietur quidem, si fuerit is, pro quo petitur, ad accipiendum aptus, &, vt aiunt, dispositus. nam sicuti dicitur, *fiet vobis & dabitur vobis,* ita etiam 1. Ioan. vlt. absolutè dicitur: *quidquid petierimus secundùm voluntatem Dei, audit nos,* & scimus iuxta voluntatem Dei etiam esse vt pro alijs postulemus. Cæterum quia frequenter accidit quando alius est petens, & alius pro quo petitur, vt is pro quo petitur sit ad accipiendũ ineptus & indispositus: contra vero vt quando petens est is pro quo petitur, eo ipso quo vult petere velit recipere, & sit ad id dispositus, idcirco à diuo Augustino, & diuo Thoma, & alijs doctoribus dicitur ad efficacitatem orationis oportere, vt quis pro se petat, ac si diceretur, oportere vt is pro quo petitur sit ad accipiendum dispositus. Quam conditionem nõ inficiamur ad efficaciter obtinendũ requiri: non tamen propterea dicendum absolute requiri ad certam efficacitatem orationis, vt pro se quis oret, non pro alio.

5. Vna ergo ex conditionibus est, vt qui orat non nisi bona, & honesta petat, est enim oratio petitio decentium à Deo, auctore Damasceno. Porrò *oratio* mala postulantis *fiet in peccatum eius,* qui orat Psalm. 108. 7. Etenim quoties aliquid à Deo nobis dari vel fieri postulamus, quod citra peccatum siue veniale, siue mortale

Conditiones orationis.

Opera bona præsertim eleemosyna & ieiunium iuuant orationem.

Oratio impetrat pro alijs efficaciter.

Contraria sententia & eius fundamentum.

Solultur. Oratio impetrat si is pro quo petitur est dispositus & aptus.

Bona & honesta debent peti. Poscere à Deo peccatũ aliquod est peccatum mortale.

Pósſe re à Deo peccatũ aliquod eſt peccatũ mortale.

mortale, fieri non poteſt, in peccatum incidimus. Igitur vt oratio efficax ſit iuxta Chriſti promiſsionem, debet de re honeſta eſſe, & quæ maius bonum animæ impeditura non ſit. quin D. Thom. loco citato art. 15. affirmat oportere rem poſtulatam neceſſariam eſſe ad ſalutem, vt oratio certam efficacitatem contineat; ſed ſub nomine neceſsitatis nonnulli etiam vtilitatem intelligunt: alioquin nimirum coarctaremus, inquiunt, Chriſti promiſsionem; & verò vt Auguſtinus ait, quod eſt vtile ad ſalutem aliquid eſt, & magni momenti ac ponderis apud Deum, & quod ad hanc partem attinet, hoc eſt, quantum eſt ex ſe, petitur in nomine Saluatoris. ergo illo promiſſo continetur, *quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*, cui conſonat quod habetur 1. Ioan. 5. *quodcunq; petierimus ſecundùm voluntatem eius, audit nos.* Mihi tamen non videtur à D. Thomæ ſententia recedendum.

6. Socratis dictum.

Socrates, vt refert Valerius Maximus l. 7. c. 2. *humana ſapientia quaſi quoddam terreſtre oraculum, nihil vltra petendum à dijs immortalibus arbitrabatur, quam vt bona tribuerent; quia ij demum ſcirent, quid vnicuiq; eſſet vtile: nos aũt plerũq; id votis expetere quod non impetraſſe melius foret*, ſubdit mox Valerius Maximus aduerſus eos, qui vana & inutilia petunt, ſequentem reprehenſionem, *etenim denſiſſimis tenebris inuoluta mortalium mens in quam late patentem errorem cæcas precationes tuas ſpargit? diuitias appetis, quæ multu exitio fuerunt? honores concupiſcis, quos complures peſſundederunt? regna tecũ ipſa voluis, quorũ exitus ſæpenumero miſerabiles cernũtur? ſplendidis cõiugijs inijcis manus: at hæc, vt aliquando illuſtrant, ita nonnunquam funditus domos euertunt? deſine igitur ſtulta, futuris malorum tuorum cauſis quaſi feliciſſimis rebus inhiare, teq; totum cœleſtium arbitrio permitte; quia qui tribuere bona ex facili ſolent, etiam exigere aptiſſima poſſunt.* hic ille. Cæterum vt hæc certo confirmant non eſſe vana, vel noxia à Deo petenda, ita non obſtant propter incertitudinem rerum humanarum, quo minus determinatè quoque aliqua à Deo peti poſsint, & debeant, quæ ad ſalutem conducibilia eſſe conſtat. Quæ omnia ſi quis diligenter aduertat, vna Dominica oratione continentur: veriſsime namque ſanctus Auguſtinus epiſt. 121. ad Probam, ca. 12. teſtatur. *ſi per omnia ſanctarum precationum verba diſcurras, quantum exiſtimo, nihil inuenies quod non iſta contineat, & concludat oratio.* Hæc ergo eſt prima conditio, qua petẽdum nobis eſt ſi certo audiri volumus.

Valerij Maximi dictũ.

7. Debemus petere ex fide.

Altera eſt, vt piè quis petat. quæ conditio plura continet. primũ vt ex fide poſtulet. Mar. 11. *quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis.* & Matth. 21. *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes accipietis.* Et Iacob. 1. *poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* ſciendum verò eſt non exigi abſolutam fidem; neq; enim aſtringitur quis dum orat certa fide credere, vel ſibi perſuadere obtenturũ ſe eſſe quod poſtulat: neq; enim Apoſtolus ita erat certus cum peteret à ſe auferri ſtimulum carnis, & tamen illa eius oratio fide non caruit: quin & hæſitauit Dauid 2. Reg. 12. quando ſic Deum pro filij ſalute orabat. *Quis ſcit ſi forte donet eum mihi Dominus?* & Niniuitę dicebant Ionæ 3. *Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat Deus?* quos tamen ex fide oraſſe rei euentus oſtendit. Denique cùm promiſsio de efficacitate orationis conditiones aliquas exigat, nec citra reuelationem eas adeſſe noſſe poſsimus, non poterit oratio abſoluta fide niti, ſi reuelationi non innititur. Affirmandum igitur eſt habenti cognitionẽ huius promiſsionis, neceſſariam eſſe fidem eius conſtantem, alioquin dubitaret, qui ſine hac fide orat, de Dei veritate & fide, & verò cùm Deus fuerit adeò largus in promittendo, iure ab homine exigit tam liberalis promiſsionis fidem.

8.

Verum non inficiabor quod ſi quis ſine culpa ſua ignoret talem promiſsionem, & petit certo ſibi perſuadendo Deum poſſe dare quod petitur, & eſſe bonum, ac liberalem in largiendo cum nobis expedit, & nullum apponit impedimentum obtinendæ petitioni, eiuſmodi fidem ſufficere ad impetrandum iuxta Chriſti promiſsionem. hanc enim fidem poſtulare viſus eſt Chriſtus, Matth. 9. cùm dixit: *creditis quia hoc poſſum facere vobis?* vt ergo paucis dicam, non ſola ea fides requiritur, vt non dubitet quis de poteſtate Dei, miſericordia, fidelitate, vel bonitate, ſed etiam fides explicita huius promiſsionis Chriſti, ex qua ad orandum moueri poſsint, petendumque quod piè volunt, qui ad orandum accedunt; quamuis non omninò arbitrer neceſſarium eſſe hanc fidem promiſsionis huius actum tunc haberi dum quis orat, dummodo virtute adſit: licet efficacior ſit oratio dum ea fides actu adhibetur. denique nunquam quis de Deo dubitare, vel formidare poteſt: eſto de ſe, vel rei conuenientia dubitet; & ex his patet hanc fidem eſſe conditionatam non abſolutam, hoc eſt, in ſe claudere cõditionem quam tacitè continet promiſsio Chriſti.

9. Ad piè petendum requiritur firmã ſpẽ.

Secundò pertinet ad piè petendum ſpes firma, & robuſta, quæ fiducia interdum vocatur, & non tam intellectus, quam voluntatis eſt, cui opponitur hæſitatio, cum quis quaſi hæret, & no audet, ſed timet petere, cum contra fiducia impellat ad opus & ſi magna ſit, in cauſa eſt, vt quis eum magna item efficacitate, & promptitudine petat; & hoc voluit Diuus Iacobus cùm dixit, *poſtulet in fide nihil hæſitans. qui enim hæſitat ſimilis eſt fluctui maris qui à vento mouetur, & circumfertur.* Fluctuare enim facit hæſitatio, atque inſtabilem reddit orantem in deſiderando, & petendo: idemque voluit Diuus Paulus Rom. 4. Cum de Abraam affirmauit: *contra ſpem in ſpem credidit*, quod declarans ſubiecit: *& non infirmatus eſt fide*, & inferius, *in repromiſsione Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide.* Porrò quia ſtabilitas ſpei in fide innititur idcirco dixit illum fuiſſe confortatum fide. hanc fiduciã poſtulabat Chriſtus. *confide fili* Matth. 9. ad hanc hortatur nos Paulus ad Hebræos 4. 16. *adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Græcè pro *cum fiducia* habetur μετὰ παῤῥησίας; hoc eſt, nõ trepidi, & quaſi diffidentes eius miſericordiæ, ſed cum libera quadam audacia. Exiſtimat aũt Ribera in hunc locum intelligere Apoſtolum παῤῥησίαν fiduciam, quæ etiam in verbis appareat, vt ſcilicet confidentes eius miſericordiæ (addo & ego eius promiſsioni) non quaſi alienum, aut durum, aut inexorabilem, ſed quaſi patrem bonum, & noſtri amantiſsimum

tissimum cum humili quadam, & pia libertate loquamur. sic Acto. 28. vtitur Scriptura eadem voce Græca docens, *quæ sunt de Domino Iesu Christo cum omni fiducia.* sic Actorum 4. *loquebantur verbum Dei cum fiducia.* &c.

10. Hanc orationis circumstantiam indicauit Dauid Psalm. 90. *quoniam in me speranit liberabo eum,* & Danielis 3. dixit Azarias, *non est confusio confidentibus in te.* verum aduerte diligenter cum dicimus sine hæsitatione petendum & cum fiducia, non excludi omninò nisi dubitationem in intellectu, quæ certitudini fidei repugnet, & quod attinet ad voluntatem, solum amoueri eum timorem, atque animi trepidationem, quę stare nequeat cum spe, quæ virtus est Theologica; atque adeò quoties oratio ex vera fide, & spe proficiscitur satis habere dicetur conditionem hanc, de qua loquimur; & quod ad hanc partem attinet, satis munita erit ad efficaciter obtinendum vi promissionis Christi, quàuis in intellectu sit aliquid formidinis, & dubitationis indeliberatæ, quæ non est infidelitatis peccatum, & quamuis in voluntate adsit nescio quis timor superuacaneus, & pusillanimitas quædam orta ex consideratione propriæ infirmitatis & defectionis humanæ; hi enim defectus non excludunt actum fidei, & spei: Cæterum non est vllo modo negandum, tam fidem, quam fiduciam posse esse maiorem, minoremve, atque adeò nunc magis, nunc minus per illas excludi posse hæsitationem. Hinc fit vt quo auctiores sunt fides, & spes, ac robustiores ad amouendam hæsitationem, eo efficaciores quoque sint ad obtinendum à Deo, quæ postulantur: id quod significauit Apost. 1. ad Cor. 13. scribens. *si habuero omnem fidem,* id est, perfectam fidem, *ita vt montes transferam,* &c. Potest ergo aliquis habere veram fidem, quæ satis sit ad salutem, quamuis non perfectam. videtur aũt Apost. alludere ad locum Matth. 21. 21. *si habueritis fidem, & non hæsitaueritis &c. si monti huic dixeritis: tolle, & iacta te in mare, fiet.* idem colligitur ex Matth. 17. vbi reprehendit Christus Apostolos de incredulitate, propter quam affirmauit illos non potuisse lunaticum curare; nec tamen credendum est caruisse Apostolos vera fide; potest igitur fides, vel fiducia hæsitationem aliquam habere, quamuis non oppositam ita fidei, & spei vt eas excludat, &c.

11. Quod verò non omnis hæsitatio spei tollat orationis efficaciam, dummodo non sit contraria spei, quæ virtus Theologica est, patet ex ijs, quæ diximus de fide num. 7. quam statuimus non ita requiri ad certò impetrandum, vt omnem prorsus dubitationem debeat excludere: cum enim spes, ac fiducia ex fide proficiscatur, & in illa fundetur, non poterit esse maior eius quam fidei certitudo; satis ergo erit illa fiducia quæ excludat illam hæsitationẽ hoc est, timorem illum quo quis anceps est, ac metuit, ne forte Deus non possit, aut nolit ex se dare, quod rogatur, quamuis nulla desit precationi conditio. hæc enim hæsitatio, seu timor, non potest esse cum fide; secus autem est de timore propriæ infirmitatis, aut quo quis timet ne defectus aliquis fortè orationi insit; neq; enim is omnino tolli potest, vel õnino reprehendi. Cæterum iuuat fiduciam attenta meditatio, non modo pro missionis Euangelicæ, sed etiam bonitatis, & liberalitatis diuinæ; hinc enim eo peruenire quis poterit vt concipiat ac formet iudicium tale ita credibile ac determinatum, vt excludat omnem actualem hæsitationem, & animum oranti pacatum reddat bene Spiritu sancto iuuante. Sicut cùm Deus vult per quempiam miraculum aliquod edere, consueuit ita animum illius mouere, vt nihil hæsitet, sed constanter credat illum impetraturum, signum illud à Deo; & hæc est, quæ fides miraculorum dici consueuit, & connumeratur cum gratijs gratis datis. Eadem igitur ratione solet Deus ad petendum interdum impellere, & talem in homine fiduciam excitare in orando, vt tollat plane omnẽ actualem hæsitationem. hinc verissimè dixit Cass. collat. 9. cap. 32. *signum futuræ impetrationis esse, quando spiritus sanctus monet ad petendum cum magna fiducia, & quasi securitate impetrandi.*

12. Debemus petere ex charitate.

Humilitas & reuerẽtia requiruntur ad orationem.

Attentio animi.

Ad eandem conditionem de piè petendo pertinet tertiò, vt quis ex charitate petat, de qua multa dixi superius cap. 16. theor. 2. vnde colligere est quomodo sit necessaria. huc accedit quartò reuerentia & humilitas ad eandem conditionem pietatis reuocandæ: illustrari id potest exemplo Publicani, & Pharisæi Luc. 18. eodem etiam quintò spectat vt oratio quoad modum attento animo fiat; ita nimirum, vt saltem initio precationis habeat quis in animo attendere, vel ad Deum quem orat, vel ad substantiam orationis, & rem quam petit, & ad verba, (si voce precatur, ne fortè indecorè erret) neq; id animi propositum postea inter orandum mutet, aut voluntariè mentem ad aliam rem conuertat, quæ attentionem impediat; quare dum se quis vestit orare potest cum id orationem non impediat, suadet id Basilius hom. in Martyrem Iulitam. & hæc mentis attentio necessaria est, vt oratio culpa vacet, vt impetret. Verum vt menti consolationem afferat, attentio perseuerans necessaria est. lege Diuum Thomam art. 13. loco citato. Porrò quid attentionem iuuet, docet Diuus Basilius reg. breui. in responsione ad interrogationem 201. rogat enim: *quomodo quis inter orandum non distrahetur.* & respondet, *si certo credat, Deum se ante oculos habere. si enim Principem aliquem, aut præsidem intuens, & cum eo loquens, oculos ab eo dimouere non solet, qui non tandem credibilius est, intentam mentem habiturum illum, qui Deo preces adhibeat, in eum, qui scrutatur corda, & renes, & illud facturum, quod scriptum est, leuantes puras manus sine ira, & disceptatione.* 1. ad Timot. 2. Eodem exemplo hortatur nos Diuus Chrysost. hom. 1. super illa verba Isaiæ cap. 6. *Vidi Dominum,* &c. *qui cum,* inquit, *terreno Rege loquitur, de ijs tantum verba facit, de quibus ille voluerit audire,* &c. *tu verò cum Rege Regum colloquens, cui cum horrore seruiunt Angeli, omisso cum illo sermone, de luto, de puluere, de telis aranearum loqueris. Nihil enim aliud sunt huius vitæ negocia. Et quomodo sustinebis istius contemptus pœnam? quis te liberabit ab hac vindicta?* quare merito Cyprianus in expositione orationis Dominicæ. *Quomodo te audiri postulas, cum te ipse non audias? vis esse Deum memorem tui, cùm rogas, quando tu ipse memor tui non sis.*

His

13. Feruorem requirit oratio.

His demum omnibus addendus est & feruor orationis, quem Diuus Macarius homilia quadragesima eleganti exemplo explicat: *Quemadmodum*, inquit, *igni circa vas aneum exterius apposito, si subieceris ligna, accenditur, & quod intra vas est coquitur, feruet, igne extrinsecus accenso: sin minus ligna submittas, incipit ignis tepescere, & propemodum extingui: ad hunc modum gratia, qua est ignis cœlestis, intra te est; postmodum si precatus fueris, & contuleris cogitationes tuas ad diligendum Christum quodammodo ligna subiecisti: & cogitationes tua conuertuntur in ignem, & desiderio Dei tinguntur. At verò si quis ignauia laborans, paulatim rebus sæcularibus, & occupationibus seipsum tradat, denuo vitium accedit, & complectitur animam, totumq; hominem incipit affligere*, &c.

14. Itemq; perseuerantiã.

Tertia conditio orationis est, vt perseueranter fiat; quam docuit nos CHRISTVS Dominus parabola eius qui tres panes ab amico postulauit vt hîc habes; ex parabola viduæ, quæ à Iudice vindictam petijt, Lucæ decimo-octauo. proinde idem Dominus hoc eodem loco Luc. monuit. *Oportere semper orare, & nunquã deficere*, idq; licet non statim quod petitur, concedatur. Egregiè Diuus Chrysostomus, cur non statim Deus nos exaudiat, docet homilia trigesima in Genes. *An non potest*, ait, *præstare Deus prius quam petamus? verum propter hoc differt, & expectat vt occasionem accipiat, qua iuste nos sua cura dignos faciat.* & paulò inferius; *relinquendum hoc est omnium conditori; magis enim scit, quid nobis prosit quam ipsi nos, ipse nouit quomodo salus nostra paranda. Nostrum ergo sit opus, continuis insistere precibus, & non ægrè ferre, si differatur, quod petimus, sed longanimes esse. Neq; enim renuens preces nostras differt, sed hac arte sedulos nos efficiens ad semetipsum attrahere vult.* similia etiam Nilus habet lib. de Oration. c. 32. *Ne petas à Deo imperiose, quod statim velis impetrare; vult enim te beneficio afficere in oratione perseuerantem. quid enim excellentius, quam cum Deo colloqui, & vsu eius detineri?* & hæc de tribus orationis conditionibus necessarijs vt efficax sit.

15. Quo Deus exaudiat orationem his conditionibus vestitam.

Cæterum antequam supremam manum huic theoriæ imponamus, duo quis rogare, quo ad vim impetrandi, de qua agimus, vtilia posset. primum. An Deus exaudiat orationem his conditionibus vestitam quas hactenus declarauimus ex debito iustitiæ; id enim videtur efficere promissio Christi, cum tamen vulgo dici soleat, & quidem verè, meritum iustitiæ orationem misericordia Dei niti, & hoc est q̃ docet Diuus Thomas art. 16. ad secundum, & ita censendum est; neque enim quælibet promissio satis est ad debitũ iustitiæ asserendum: sed requiritur vt sit promissio conferendi aliquid in compensationẽ operis iuxta proportionem iustitiæ saltem distributiuæ; qualis non est hæc promissio, de qua agimus, etenim precatio seu petitio auditur quidem, non tamen compensatur, vt petitio est. sentiendum ergo est, promisisse Christum Dominum largiturum se fore postulata; & quidem certò si orationem comitentur prædictę conditiones; verum tantum ex misericordia, non item ex iustitia & compensatione aliquâ ipsius orationis. Affert aptum exemplum Valentia, vt si aliquis promitteret sese stipem mendicantibus, is daret quidem semper ex promissione, & nihilominus nonnisi ex misericordia; hæc confirmantur illo dicto Danielis c. 9. 18. *non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis: exaudi Domine, placare Domine, & fac.*

16. An oratio pro multis & pro singulis fusa æquè impetret.

Iterum quod ad eandem vim attinet impetrandi, interrogare quis posset, an oratio pro multis fusa æquè impetret, ac si p̃ singulis illorum tantum fieret. Respondeo orationem figillatim pro aliquo factam, ex se, & quod attinet ad ipsam orationem efficaciorem esse, & vtiliorem illi pro quo fit, quam esset generatim pro aliqua hominum multitudine vel cõgregatione facta, cuius ille esset membrum aliquod. hanc sententiam sequitur Franc. Suarius 3. tom. partis 3. disp. 79. sect. 8. & tom. 2. de Relig. l. 1. c. 27. n. 6. Azor. tot. 1. l. 9. q. 7. qui plures citant. porrò ea ratio quæ ab aliquibus fit ad hoc probandum quod vis precationis ad impetrandum finita sit, & si diuidatur inter multos quid minus singulis obtingat oportet, maiorem vim habet ad satisfactionem applicata. nam vis impetrandi magis nititur fidei orantis & misericordiæ Dei, quæ non minuuntur propterea quod pro multis fiat oratio. Verum quoniam etiam impetratio fundatur aliqua ratione in ipsamet precatione, poterit & illa ratio hic habere locũ in impetrandi valore, quatenus precatio est etiam causa suo modo vt obtineatur id q̃ petitur, & in eam respicit Deus, vt petita largiatur. Iccirco censendum est non parum facere ad impetrandum valorem quoq; moralem ipsius orationis proportionem & analogiam ad rem quæ postulatur: quare ad impetrandum maiora & ampliora dona excellentior oratio potentior est; & ob id vna, eademque oratio fusa pro collegio vel societate aliqua, nõ tantam habet proportionem, atque adeò efficacitatem ad obtinendum pro singulis figillatim, quantam haberet si seorsum, vel speciatim funderetur pro singulis, vel pro vno aliquo.

17.

Quod si dicas: impetratio nititur Dei liberalitate, quæ infinita est & æquè expedita ad benefaciendum omnibus, ac singulis, non autem nititur bonitate, merito, vel labore precantis: Respondeo: non esse negandum fundari preces nostras in Dei liberalitate, quæ primaria est impetrandi caussa; verum ipsa oratio vires etiam suas habet ad impetrandum; atque adeò aliquid efficit. Iterũ vrgebis. Oratio pro multis facta videtur maioris esse caritatis; ergo efficacior est ad obtinendum. Patet responsio: esse quidem orationẽ illã pro multis si obiectum spectes, digniorem, & posse esse magis fructuosam ipsi oranti, sed hoc non impedit, quo ad impetrationem attinet, quo minus possit esse nõ ita efficax ad obtinendum quippiam alicui, vt esset si pro illo speciatim fieret. Adde quod licet caritas circa congregationem aliquam, vel Collegium nobilius operetur, magis tamen ac potentius attingit peculiarem aliquam personam quando circa illam immediate versatur, quã cum solum attingit illam, vt contentam in congregatione aliqua; At hoc sæpe caritatis ordo postulat, vt speciatim pro

Digitized by Google

aliquo, quem necessitas premit, oretur, & tunc perfectior charitas conferet magis ad maiorē efficaciam impetrationis. De conditionibus orationis etiam consule quæ scripsimus superius cap. 2. dig. 2.

DIGRESSIO I.
MORALIS.

De varijs orandi modis agitur, in illa verba: *Domine, doce nos orare.*

1. MVLTA quæ ad mores pertinent circa hoc caput habēt Origenes, & Cyrillus Alexandrinus lib. 5. in Leuit. August. ser. 29. de verb. Dom. secundùm Lucam, & lib. 2. qq. Euang. c. 22. Beda, Theoph. & Euthym. in Com. vide & Tertul. aduers. Marcionem l. 4. Chrysol. ser. 55. Nos quædā attingemus. *Domine doce nos orare.*] D. Bern. li. sententiarum quatuor orandi formulas docet, vnam vocat verecundā; puram alteram; tertiam amplam; postremam deuotam: quas species, seu orandi varietates cōprehendi ait illis Apostoli verbis 1. ad Tim. 2. 1. *Obsecro fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* obsecrationes enim verecūdo, orationes puro, postulationes amplo, gratiarum deniq; actiones deuoto fiunt affectu. Precatur ergo quis verecūdo affectu, quādo peccator nō audet per se ipsum adire Deū, sed quærit pium aliquem virum, & sanctū, qui sit in ora vestimenti Domini tāquam fimbria. Luc. 8. per quam habeat accessum. Exemplum huius orationis Hæmorrhoissa exhibet, dicēs; *si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salua ero.* Puro affectu precamur cum per nos ipsos cōfitentes, & detestantes crimina nostra accedimus ad Deum, sic nos docuit mulier illa peccatrix Luc. 7. quæ accessit ad Iesum lacrymis rigans sanctissimos pedes eius, & meruit audire: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Porrò amplo affectu funditur oratio cum qui pro se orauerat, orat etiā pro alijs, sic fecere Apostoli Matt. 11. qui pro muliere Cananæa Dominum rogarunt, *Dimitte illam, quia clamat post nos.* Postremo deuotam, hoc est, piā, & religiosam precationē ad Deum fundimus, quando de cordis puritate cum gratiarum actione illa depromitur. Eiusmodi orationem quam imitaremur suo nos docuit exemplo Dominus Ioan. 11. dum ad viuos Lazarum reuocauit: *Pater gratias ago tibi, quia audisti me.*

2. Hi omnes modi quos eleganter Bernar. expressit, magnam exposcūt manuum puritatē, quam rem maximè video significatam oratione Moysis, cùm præliaretur Iosue, & sublatis Moysis manibus vincebant Israelitæ, depressis vincebātur Exod. 17. Moysis manus in prælio loco vexilli fuisse quidam dixere, quod nisi metaphoricè accipiamus esse dictum, falsum est: multo verius alij sentiunt, his Moysis extensis manibus Christi Domini symbolum, ac typum referri, ita Serarius noster lib. 1. Iosue, c. 3. mihi, inquit, Moyses in monte stans pro populo suo deprecāt, brachia pandens, manus tollens, mirificam illam virgam tendens, Iesus meus Dominus, & Saluator meus in Caluariæ monte videtur, dum pro me totoq; terrarum orbe crucifixus, coram cœlesti Patre stetit, brachia grauissimis verberibus, patibuliq; sui ba-

Moyses extensis manibus orans refert Christi typum.

A iulatione prælassata dispandit, sacratissimas illas manus quibus tam multis salutarē opem attulerat, trabalibus iam clauis perfossas sursum subsstulit, ipsamq; suæ crucis virgam, vel truncū potius arctissimè cōplexus tenuit, cœlestiq; Patri obtulit, sic ille. *quemadmodum* ergo *seruo*, ait Theodoretus Exod. quæst. 34. *manus extēdente cecidit Amalech: ita cum Dominus manus extendit dissolutæ est acies diaboli.* Itaque hinc non obscure discimus quales manus extendere debeat ad Deum, qui orat; similes videlicet manibus crucifixi; quia talis esse debet, qui orat, qui Christum crucifixum magna corporis, & animi humilitate & omnium perturbationum moderatione repræsentet.

Præterea eadem manuum eleuatio bonorum operum cum oratione coniunctionem significat, id quod in Exod. ho. 11. Origenes docet, *Moyses eleuat manus suas, & cum eleuaret manus, vincebatur Amalech. Eleuare manus, hoc est, opera, & actus eleuare ad Deum, Deo placitos, & ad cælum erectos; Eleuat ergo manus qui thesaurizat in cælū, vbi enim thesaurus eius, ibi & oculus eius, tibi & manus eius. Eleuat manus & ille qui dicit: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Si ergo eleuentur actus nostri, & non sint in terra, vincitur Amalech. Sed Apostolus præcepit eleuare sanctas manus sine ira, & disceptatione. & ad quosdam dicebat. Demissas manus, & dissoluta genua erigite, & rectos gressus facite pedibus vestris, si ergo seruat populus legem, eleuat Moyses manus, & aduersarius vincitur: si non seruat legem, inualescit Amalech. Quia igitur & nobis pugna est aduersus Principes, & potestates mundi huius, rectores tenebrarum, si vis vincere, si vis obtinere, eleua manus, & eleua actus tuos, & conuersatio tua non sit in terris, sed sicut dixit Apostolus; super terram ambulantes, conuersationem habemus in cœlo; & ita poteris superare populū aduersantē tibi Amelach, ita vt dicatur de te etiam, quia in manu occulta expugnabat Dominus Amalech. Eleua & tu manus ad Deum, & imple mandatū, quo Apostolus ait: sine intermissione orantes; & tunc fiet quod scriptū est, quia sicut vitulus ablingit in campo herbam viridem, ita ablinget populus hic populū qui super terrā est. Per quod (vt à maioribus accepimus) indicari dicitur, quia populus Dei non tam manu, & armis quā voce & lingua pugnabat, id est, orationem fundens ad Deum, prosternebat inimicos. Ita ergo & tu, si vis vincere inimicos, eleua actus tuos, clama ad Deum, vt dicit Apostolus: orationi instantes, & vigilantes in ea. hæc enim est Christiani pugna, qua superat inimicum.*

3. B

C

D Vtrumque, & quod ad repræsentationem Christi in crucē sublati, nō eleuatis modo verūetiā extensis manibus, & quod ad bonorū operū per extensas manus significationē spectat, elegantissimè exposuit Aug. ser. 29. de tēpore: *Bibit de petra populus, & statim bellum iniit contra Amalech. Videte fratres, quia postea quā quis de petra biberit. i. Christi sacramenta susceperit, necesse est illi ad pugnā procedere; tamdiu enim aliquis diabolū foris a se pugnantē nō sentiet. quā diu operā illius exercere voluerit. Qui verò illā reliquerit, & de petra bibens Christū sequi elegerit, necesse est vt illā patiatur infestū, cui isto iudicio voluit præponere Christū. quisquis ergo Christo cōtēgitur; nō ad delicias, nō ad voluptates, sed ad prælium præparetur. quia oēs qui volūt piè viuere in Christo persecutionē patiuntur. &*

4.

iterũ, per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei: inierũt ergo bellũ filij Israel, & Moyses vocat Iesum & dicit ad eũ: Elige tibi viros, & pugna cõtra Amalech: vnde ad hunc locũ beati huius nominis mentio. i. Iesus, nunquã facta est: hic primũ vocabuli huius splendor obfulsit. Moyses vocat Iesum, lex inuocat Christũ: Elige, inquit, tibi viros potentes: nõ poterat Moyses eligere viros potentes: Iesus solus est qui potest viros potentes eligere. ipse vtiq; qui dixit Apostolis suis: Nõ vos me elegistis, sed ego elegi vos. Ipse est qui domũ fortis intrauit, & vasa eius diripuit. Moyses aũt ascẽdit in verticẽ collis: & factũ est cum eleuaret manus Moyses, vincebat Israel. Aduertite fratres: Moyses manus quidẽ leuat, non tamen extendit. Cui ergo seruabatur, vt manus extenderet, nisi Domino nostro Iesu Christo, qui extẽsus in cruce vniuersum orbẽ cõplexurus brachia pietatis expandit? Moyses ergo leuauit manus, & licet nõ expanderit tamen ipsa eleuatione mysteriũ crucis ostẽdit: Videte fratres iam tunc per sacramentũ crucis superatas esse aduersarias gentes. Et nos, fratres dilectissimi, si adiuuante Domino manus erigimus, diabolũ superamus. In manibus opera debemus accipere. si ergo talia sunt opera tua, vt illa possis in altũ in conspectu Domini leuare, potes etiã & sic in te ipso aduersarios tuos extinguere. Quis benè manus leuat, nisi qui per eleemosynã in cœlo iugiter thesaurizat? Quis ergo benè manus leuat, nisi qui assidue victũ ac vestitũ pauperibus subministrat? Quis benè manꝰ leuat? ille vtiq; qui implet illud Apostoli, eleuantes, inquit, puras manus sine ira, & disceptatione. Quia ergo quotidie nobis, & vobis pugna imminet contra aduersarias potestates, si volumus vincere, manus nostra. i. actus nostri, & cõuersatio nostra nõ sit in terris; sed sicut Apostolus dicit: Super terrã ambulantes cõuersationẽ habemus in cœlo, scriptũ est tamẽ, quia sicut vitulus ablingit in campis herbã viridẽ, ita populus Israel ablinget populũ Amalech super terrã. Per quod indicari videtur, quia populus Dei nõ tã manu, & armis, quã voce pugnabat, & lingua. i. oratione ad Deũ fundebat: ergo & tu si vis vincere, audi Apostolũ dicentem, orationi insistentes, & vigilantes in ea. Hac est Christiani pugna gloriosissima, non in suis viribus præsumere, sed semper Dei auxilium implorare, cui est honor, & imperium cum Patre, & Spiritu sancto, in secula seculorum.

5. Preces nostræ quomodo puræ efficiantur.

Idem D. Bern. lo. cit. tria monet nos aduertere debere, vt preces nostræ puræ sint, primũ id quod postulatur; Deus à quo postulatur; & nos ipsos qui postulamus. In eo qꝺ postulatur duo sunt attendenda, vt secundũ Deũ sit quod petitur, & vt hoc ipsum in summo affectus desiderio habeat; quare qui mortem inimici postulat nõ petit secundũ Deũ, cũ ipse dicat, *Diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos.* Si verò quis peccatorũ remissionẽ, si Spiritus S. gratiã, si iustitiã, & cætera spiritualia charismata quæsierit, & ea cogitando vehementer affectauerit, hæc secundùm Deũ est oratio, de qua Esaiæ 65. ait Dominus; *antequã clament ego exaudiã: adhuc illis loquentibus ego audiam.* In Deo à quo postulamus cõsiderare opus est bonitatẽ, & Maiestatẽ, illã qua gratis velit, hanc qua possit dare quidquid petitur. In seipso is qui petit cõsideret indignum se esse planè, cui aliquid concedatur, quare de Dei misericordia tantum quidquid rogauerit impetraturum speret. Tunc ergo dicitur cor purum, quando tria hæc quæ dicta sunt, & eo modo quo dicta sunt cogitat is, qꝺ orat: quisquis aũt hac puritate & intentione cordis orauerit, exaudiri se sciat. hinc Bern. Puritatem in filijs suis optabat Iob quoties orãdũ aut sacrificãdũ erat. qꝺ ex c. 1. nõ erit obscurũ intelligere: *cumq; in orbẽ transissent dies conuiuij, mittebat ad illos Iob, & sanctificabat illos: consurgensq; diluculo offerebat holocausta pro singulis; dicebat enim ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis,* &c. quamobrẽ id? videlicet, vt sancto & puro sacrificio, sanctè etiã ipsi, & purè, interessent, & mundi Deo supplicarent. sic Iacob ante sacrificij oblationẽ Gen. 35. hanc religiosam puritatẽ suis indixit: *abijcite Deos alienos qui in medio vestri sunt, & mũdamini, ac mutate vestimẽta vestra: surgite & ascendamus in Bethelem vt faciamus altare Deo.*

DIGRESSIO II.
MORALIS.

In Parabolã noctu adeuntis amicum, vt tres sibi panes mutuo daret. Et quantũ possit ad impetrandũ animi corporisque afflictio, & de nocturna oratione, & quomodo publica debet esse.

AVgust. ser. 171. de tẽpore hanc explicãs parabolã scribit hospitẽ illũ esse diuinã gratiã, quæ arrepta occasione etiã hominẽ in tenebris ambulantẽ, ad orandũ excitat, *quis est,* inquit, *iste hospes, qui nocte venit, & hospitẽ imparatũ inuẽit? Imò ideò nocte venit hospes in perpetua, & deficiente paupertate; in nocte venit hospes gratia in summa ignorantia, in magna egentia, immittit tristitiã, quando dicit nocturnus petitor in tribulatione inuocaui Dominũ & exaudiuit me in latitudine; & ideò multæ tribulationes iustorũ & de omnibus his liberauit eũ Dominus, quoniã proximus est. Ideò hospes superuenit improuisus subito cum quisq; tædio afficitur pressuraꝝ superuenit illi orandi desiderium, flendi arripiens votũ. Illa hora hospes venit gratia, vt cõpungat conscientiam. ne in sua moriatur egentia, sedeat, & petat ad diuitẽ. nõ suis meritis, sed meritis hospitis venientis, & accipiat tres panes, vt in Patre & filio, & S. Spiritu posit, & ipse pascere cæteros indigẽtes. Quidquid boni cogitauerit homo subito corde percussus, sciat quia hospes ille venit de cœlo, & bene venit qui nocte venit. in tribulatione subuenit, nõ ingerens tædiũ, sed affectũ. Et quia Dominus Christus ad discipulos suos clausis ostijs in tribulatione venit, nõ speratus, sed optatus, salutauit in pace. Nonne & iste hospes qui dicit: Ego sto & pulso: si quis aperuerit mihi, intrabo & cœnabo cum illo, ego & Pater meus? quã bona domus, vbi Pater, & filius ingreditur, hospes amicus qui & Spiritus S. Ipse ibi exhibet in domo pauperis in hospitio puritatis diuersa pulmentaria, propter cœnã Dominicã. Quæ sunt ista pulmentaria? Gaudiũ, Longanimitas, Continentia, Fides, Castitas: tantummodo non pigeat hospitẽ suscipere Dominum, ipse secũ portet dulcedines deliciarum, vt pascat ibi lætantes exercitus Angelorũ. Cum illo hospite pax est, & iucunditas, qui venit ad hospitẽ suũ non torquere, sed pascere; non expoliare, sed vestire; non percutere, sed sanare. Ipsum hospitẽ semper apertis cordis nostri ianuis suscipiamus, & nunquam nobis dominetur tyrannus inimicus, & in omnibus Christo donante eius mandata seruemus.*

Sed circa illa verba: *Et ibit ad illũ media no-*

Afflictatio corporis reddit orationē impetratoriam.

cle] plurimū ad obtinēdū q̄ petitur facit ipsa corporis afflictatio: q̄ eruditè Guil. Paris. docet c. 28. de diuina Rhetorica. *Est*, inquit, *adiutoriū orationis grande atq; fortissimū, ipsa afflictio, siue tribulatio, de qua, & propter quā clamatur ad Deū: propter quod à Spiritu S. edocti Patres affligebāt se cū orationibus suis impetraro vellent aliquid magnū à Domino.* cuius rei triplicē affert causā, primā ex Aug. *quia in tribulatione obnoxius clamat. ipsa. n. sua acerbitate insistit, & accēdit desideriū liberationis ab ea. desideriū aūt impetrandi quod petitur vox est orationis, & propter hoc muta est, & sine voce oratio, qua desideriū non habet huiusmodi: cum autem vehemens fuerit huiusmodi desiderium, erit clamor: ob id alibi dixit idem Augustinus. quia propter hoc immittit Deus tribulationes, vt tribulati clament ad ipsum, clamantes exaudiantur; exauditi liberentur; liberati glorificent misericordissimū liberatorē Deū. Et idem super Matth. dixit quod Christus tempestatem fecit oriri in mari, vt nauicula iactaretur fluctibus & metu tempestatis territi discipuli excitarent Dominū dormientem, & clamarent ad ipsum à facie tēpestatis, exauditiq; & liberati glorificarent ipsum, & ita factum est. deinde, adiuuat orationem ipse corporis & animi afflictus, quia miseria quadā est. Porrò miseria prouocatrix est miserationis apud clementissimum Deum. Postremò ipsa afflictatio quam quis patienter suffert, vel sponte sumit pars est iustificationis; quare fit, vt propter illam detrahat Deus, seu minuat de vindicta quam irrogaturus erat, & iterdum sententiam damnationis imminentis totam reuocat, & quam minatus fuerat pœnam condonat, quod fecisse nouimus cum Niniuitis, & ita Bern. ait: ideo affligere se debet orans coram Domino, vt parcat Deus saltem flagellato, qui nō parcit iustificato; quasi dicat, vt ipsa flagellatio misereordiam prouocet, quam iustitia, quia nulla est, prouocare non potest.* hæc ex Guil. Paris.

3. De alijs ad orationem impetratoriam facientibus.

Multū sanè facit ad impetrandū tribulatio, & angustia, & persecutio, *accedite*, inquit Psaltes Regius. Ps. 33. 6. 7. *ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur; iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eū, & de omnibus tribulationibus eius saluauit eū.* & de se quid testetur, audi Psal. 4. *Cùm inuocarem, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ; in tribulatione dilatasti mihi.* in nocte tribulationis, & angustiæ, inquit Deus Psal. 49. *in die tribulationis eruam te, & honorificabis me.* & Ps. 90. *clamauit ad me*, quasi dicat vndiq; tenebris circumfusus de nocte venit ad me petens panes; quid dicturum putas? *ego*, inquit, *exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiā eū & glorificabo eum.* De nocte Ezech. ille rex accessit ad amicū suū, panē petijt & obtinuit Isa. 38. 14. *sicut pullus*, inquit, *hirūdinis, sic clamabo, meditabor vt columba.* perseuerat clamādo pullus hirūdinis vsq; dum cibum obtineat; sic ergo sanctissimus rex orando perseuerabat, vsq; eò dum admitterētur preces ab amico. Columbæ propriū est gemitū pro fletu edere, illumq; sæpius repetere, ad quod respiciens Ezech. ait: Ego in gemendo talem me præstabo, qualem videmus columbam, quæ sine fine gemitum iterat, sanitatem, quam volebat, recepit, adiectis etiam 15. vitæ annis. De nocte vrgentis belli venit ad amicū suum Iosaphat item rex, petijt, quęsiuit, pulsauit; concesit amicus abundè quod ille petiuerat. 1. Paral. 20. *Iosapat timore perterritus, totum se*

A *contulit ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium. Clamauerūt ad Dominum*, inquit Dauid, cōplures alij, *cū tribularentur*, de nocte tribulationis venerunt ad amicū, pulsauerunt, *& de necessitatibus eorum liberauit eos, & eduxit eos de tenebris & vmbra mortis.*

Aprè qui Deum obnixè orat angustijs pressus turturi comparatur, dum solitarius ac gemebūdus, instar turturis, profusis lacrymis Deū deprecatur. de quo turtur ū genere dici verius potest illud Poetæ: *Nec gemere aeria cessabit turtur ab vlmo.* de quo etiam genere turtutum Ps. 73 ait Dauid: *Ne tradas bestijs animas confitentes tibi*; Heb. *Ne tradas bestijs animā turturis tui.* hos sanè turtures Spiritus S. facit, de quo Paul. Ró. 8. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Itaq; si per noctem tribulationem, & mūdi huius angustias intelligamus, rectè quæ hactenus dixmus ad hāc nocte accōmodantur, vt ad amicū accedētes postulata reportemus.

4. In angustijs orans turturi comparatur.

B

Iā verò si per nocte nocturnū tēpus accipias, multū etiā facit hęc nox ad efficacitatē orationis: plurima habet Chrys. ho. 42. ad populum & ho. 26. in Acta de vtilitate nocturnæ precationis hanc rectè tenebat Dauid, idcirco Psal. 118. dicebat, *media nocte surgebā ad cōfitendū tibi*: in quē locum Ambr. ait. *addidit Psalmista media nocte surgebā, docēs tibi surgendum esse media nocte. Nec otiosum est quod adiunxit, ad cōfitendū tibi, hoc est, vt illo maximè tempore deprecari Deum, & propria debeamus deflere peccata: nec solū præteritu veniā postulare, sed etiam præsentia declinare, futura cauere, multa. n. illo in tempore tentamenta proserpunt. tunc seruet carnis illecebra, tunc tentator illudit, coquitur cibus, potusq; digeritur. tunc tentator*

C *assistit, tunc retia iacit, quibus turbare possit mentem improuidā, quando nullus arbiter culpæ, nullus criminis conscius, nullus potest esse erroribus testis: & tenebræ circundant me, & parietes: quē vereor?* S. Paulus & Silas teste Luca Act. 16. 23. coniecti in carcerē, & vincula, nocte intermedia orantes laudabant Dūm, Christū imitantes, qui vt idē Lucas narrat c. 6. 52. nō nocte solū orabat, sed & pernoctabat in oratione. *Quod si Christus*, inquit Cyp. de orat. Dom. *orabat, qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare? & si ille per totam noctem iugiter vigilās cōtinuis precibus orabat, quāto nos magis in frequentando orationē debemus nocte vigiare?* Vetustissimū apud Aegyptios Christianos, vt ex Philone li. de vita cōtemplatiua intelligere est, hunc morē fuisse cōstat, vt nocte surgerent ad cōfitendū Domino; vide itē quid Plin. Secundus ep. 97. ad Traianū de Christianis scribat, q̄ ad nocturnas etiā & antelucanas preces attinet. Diuus Chrysologus sic scribit hac de re ser. 39. de nocturno orādi tēpore. *hoc*, inquit, *tempus est, quo inter præteritos & futuros labores ardens animus. (sed ad diuina) nihil indulget corpori, nil quieti, sed antequā finiat transacti diei opera, inchoat & anticipat iā futuri. Ista satis hora est efficax impetrādi: hoc sciēs Propheta, ipsū tēp' sua supplicationis asserit extitisse, cantando; media nocte surgebā ad cōfitendū tibi. In hac hora vigilantibus sē per spōsus ille lœlestis occurrit; qui dicit; Media nocte clamor factus est, ecce spōsus venit. Nō potuit nō impetrare quod voluit, qui vt reciperet hospitē, hospitē receret, totā sibi requiem denegauit, aut quomodo sic fuscepti, sic pulsanti nō respōderet ille, qui se in hospite*

5.

ſuſcipi cõſitetur; cũ dicit, hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me?

6. Sed priuſquam ad alia gradum faciamus, operęprecium erit conſiderare verba illa Eſa. c. 21. 8. *Et clamauit Leo ſuper ſpeculam Domini ego sũ, ſtans iugiter per diem; & ſuper cuſtodiam meam ego ſum, ſtans totis noctibus.* Leonem ſeipſum vocat Iſaias; quia intrepidè, quę vidit aduerſus Babylonem annunciauit; & moraliter hęc verba exponendo, ad Eccleſiæ præſules accommodari poſſunt, & interdiu ouium curæ inuigilent, noctu orationibus vacent, ſic enim ſtabunt iugiter per diem ſuper ſpeculam Domini, ſi totam diem cauſis pauperum, & paſtorali curæ aſſignauerint: totis verò noctibus ſtabunt ſuper cuſtodiam ſuam, ſi nocturnum tempus diuinis precibus & contemplationi aptiſſimum ſaluti, & cuſtodiæ animæ ſuæ deputauerint. *etenim in die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius* Pſal. 41.

7. *Amicus meus venit de via ad me*] Ex his verbis ſi coniungantur cum illis verſus 7. ſequentis, *& ille de intus reſpondens dicat: noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt &c.* non obſcurè liquet hunc qui rogabat tres ſibi panes mutuò dari, & orantis perſonam referebat, de publica via oraſſe: eum vero amicum quem rogabat intus fuiſſe clauſo oſtio, & in cubili. admirabitur ſanè hoc aliquis, cum contra is, qui orat in cubiculo eſſe debeat, clauſo ſuper ſe oſtio. Sic enim habes Matt. 6. 6. *cùm oraueris, intra in cubiculum tuum & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito; & Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Etenim ſecretus locus, & à communi hominum conſuetudine & tumultu ſegregatus maximè idoneus ad orandum eſt; eſt enim oratio dulcis animi quies; & quidam quaſi ſomnus quo deperditas, ac collapſas vires recipit animus, qui tamen facili negocio interrumpitur, & perturbatur. Hinc eſt quod ſponſus Cant. 2. 7. ait: *adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruoſq; camporum.* verba ſunt Chriſti, obteſtor vos per Angelos vel ſanctas animas: rectè enim ceruis & capreis comparantur ob celeritatem curſus in Deum, & dicuntur *camporum* propter libertatem, & latitudinem ſpiritus, *ne ſuſcitetis, neq; vigilare faciatis dilectam*, id eſt, ne orantem & contemplantem interpelletis, atq; adeò euigilare faciatis ad curas huius vitæ, quibus Sancti dormire videntur cœleſtibus intenti. *Verecũdus eſt*, inquit Bernard. *ſponſus: ſecretum quærit locum ibi animam amplexatur, & exoſculatur.* Sic Elias curru igneo rapiendus in cœlum ſolus eſſecurat, vt oſtendat ſanè nobis, quod ſi rapi volumus in cęlũ igneo curru ardentis contẽplationis, ſolos nos eſſe oportere: ſic Chriſtus ſæpè ſolus orat, ſic Moſes ſolus montem Deum viſurus conſcendit, & ad interiora deſerti minans gregem Deum videt in rubo Exhod. 34. & 3 Quomodo ergo inquiet aliquis hic nunc orans præter Domini conſilium de media via amicum intra cubiculum manentem clauſo ſuper ſe oſtio orat? quia videlicet, reſpondeo, vt prę clarè docuit Seneca, ſic cum Deo agendum, vt hoc ageremus, ſi ab hominibus videremur: ſic verò cum hominibus, quaſi à Deo videaris; etenim ita omninò agendum eſt cũ hominib⁹, ac ſi ante oculos noſtros Deũ cerneremus, quod quia nõ faciebat ille, de quo Dauid Pſal. 10. ait:

A *non eſt Deus in conſpectu eius*, proinde *inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* Porrò cum Deo ita in loco abſcondito & clauſo nobis agendum eſt, ac ſi in via publica eſſemus omnium oculis expoſiti; & accidit interdum vt tam parum reuerenter cum Deo agamus, & talia ab illo poſtulemus vt vix ab alijs videri nec audiri, æquo animo pateremur. Ergo & in cubiculo orandũ eſt, & in locis publicis, videlicet vt & quieti vel collecti ſimus, & ſumma interim reuerentia cum Deo verſemur; nec oratio noſtra fiat in peccato, & dolentes dicamus aliquãdo Deo: *quouſq; iraſceris ſuper orationem ſerui tui?*

DIGRESSIO III.
MORALIS.

In illa verba V. 11. 12. *Quis autem ex vobis patrem petit panem* &c.

B **Quid videlicet iſta tria ſignificent, panis, piſcis, ouum, & de orationis difficultate & fortitudine.**

HVNC locum egregiè Chryſologus accommodat ad Iudæos, de quibus Eſaiæ 1. dixerat olim Deus; *filios genui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. venerat*, inquit, *filijs venerat panis de cœlo, qui dixit, ego ſum panis qui de cœlo deſcendi, ſed Iudæis eſt conuerſus in lapidem offenſionis, & petram ſcandali, dicente Domino; ecce ponam in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali: quare petram? quia mordere petram, non panem à patre quærere geſtiebãt; circumdederunt me, inquit canes multi; denique poſtea quam illi ex hominibus in canes probantur eſſe conuerſi, cœleſtis illis in petram conuerſus eſt panis: non dantis vitio, ſed accipientis nequitia, qui illos non reficeret, ſed necaret. Erat, &* C *piſcis Chriſtus Iordanis leuatus ex alueo, qui carbonibus impoſitus paßionum, poſt reſurrectionem ſuis, id eſt, diſcipulis eſcam præbuit tunc vitalem: ſed Iudæus in ſerpentem piſcis iſte commutatur, dicente Domino, ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in eremo, ita exaltari oportuit filium hominis. Iudæus in ſerpente videbat Chriſtum, quia impius oculus Deum videre non poteſt: non poteſt videre pietatem: dixit & tertiam ſimilitudinem. Num ſi petierit ouũ, porriget illi ſcorpionem? Conſuetum eſt, & ſollemne ſemper paruulos ouum petere, & parentes ouum puſillis petentibus nõ negare: ſed quia Chriſtus venerat congregare, ſicut gallina pullos ſuos, ouum protulit verbi, per quod Eccleſia germina ſancta nutrirentur: ſed quia Iudæus per inuidiam effundere magis, quàm ſumere ouum id* D *volebat, reperit ibidem ſcorpionem: vt iuxta Apoſtolum Rom. 7. mandatum quod erat illis in vitam, hoc illi eſſet ad mortem. In commendationem pietatis tria Dominus protulit, & demonſtrauit exempla, vt tribus teſtimonijs, ſicut tribus teſtibus, & pios ad ſidem ſui amoris animaret: & confutaret impios, non patris, ſed ſuo vitio, charitatis gratiam non cœpiſſe.* Sic ille. 1.

Quæ conuenire etiam poſſunt Chriſtianis, & fidelibus non bonis; iſtis enim Chriſtus, qui eſt panis, qui de cœlo deſcendit, conuertitur in lapidem offenſionis & petram ſcandali. Idem etiam CHRISTVS piſcis ſimilitudinem gerens, in ſerpentem eiſdem commutatur; denique ouum cœleſtis illius gallinæ, quæ congregari vellet pullos ſuos ſub alis, hoc eſt, verbum eius, 2.

vel ſpem cœleſtium bonorum, quam ille de cœlo ſecum attulit. Iſtis eiſdem frigidis & improbis Chriſtianis tranſit in Scorpionẽ, qui eos pungat & interimat, idque ipſorum vitio non Chriſti.

3. Aliter Sanctus Auguſtinus hæc tria expoſuit ſermone vigeſimonono de verbis Domini: *tria ergo iſta conſideremus, ne fortè ibi ſint illa tria; fides, ſpes, charitas, maior autem horum eſt charitas. Pone ergo tria, panem, piſcem, ouum; maior horum panis: ideo panem benè intelligimus in his tribus charitatem: propterea pani lapidem oppoſuit, quia duritia contraria eſt charitati: piſcem fidem intelligamus; dixit quidam ſanctus, & nos dicere delectat, piſcis bonus pia eſt fides. Viuit in fluctibus, nec frangitur aut ſoluitur fluctibus: viuit inter tentationes tempeſtateſque huius ſeculi pia fides, ſauit mundus, & integra eſt. Tantum contrarium fidei ſerpentem illum obſerua: timeo, inquit Apoſtolus 2. Corinthiorum 11.13. Ne ſicut ſerpens ſeduxit Euam aſtutia ſua, ſic & veſtri ſenſus corrumpantur à caſtitate, quæ eſt in Chriſto, id eſt, quæ in fide Chriſti. habitare enim, inquit, Chriſtum per fidem in cordibus veſtris Epheſ. 3. diabolus ergo non corrumpat fidem, nec deuoret piſcem.*

4. *Reſtat fides quæ ouo comparatur: ſpes enim nondum peruenit ad rem, & ouum eſt aliquid, ſed nondum eſt pullus: ſpes ergo ad hoc nos hortatur, vt præſentia contemnamus, futura exſpectemus: & ea quæ retro ſunt obliuiſcentes cum Apoſtolo in anteriora extendamur Philippenſ. 3. Vnum autem quæ retro oblitus, in ea, quæ ante ſunt extenſus, ſecundùm intentionem ſequor ad palmam ſuperna vocationis in Chriſto Ieſu. nihil ergo tam inimicum ſpei, quàm retro reſpicere, id eſt, in eis rebus quæ præterlabuntur & tranſeunt ſpem ponere: ſed in his quæ nondum data ſunt. ſed danda, quando numquam tranſibunt, non ſperare. Quando autem ſcatet tentationibus mundus, velut pluuia Sodomæ ſulphurea, metuendum eſt exemplum vxoris Loth: retro enim reſpexit, & vbi reſpexit ibi remanſit. in ſalem conuerſa eſt, vt prudentes condiret exemplo. Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus: ouum eſt, & nondum pullus eſt, & teſtudine tectum eſt, non videtur quia operitur; cum patientia expectetur, feruefcat, vt viuefcat; ouo tuo ſcorpium time, vide quia de cauda percutit, quam retro habet. Non ergo ſcorpius perimat ouum tuum, mundus iſte ſpem tuam, nos ouum noſtrum ſub alis illius ponamus Euangelicæ gallinæ, quæ clamat: Hieruſalem, Hieruſalem &c. at. illa enim gallina diuina ſapientia eſt, ſed aſſumpſit carnem vt pullis congrueret, ouum ergo noſtrum, id eſt ſpem noſtram ſub alis ipſius gallinæ ponamus. Animaduertiſtis fortè, quomodo gallina concidat ſcorpionem. Vtinam ergo & iſtos blaſphemantes in terra reptantes, de cauernis prodeuntes, & malè pungentes, illa gallina concidat, & deuoret, in corpus ſuum trajciat, & in ouum vertat.* Hæc Sanctus Auguſt.

5. Fortis & perſeuerans ſit orans oportet.

Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis] Fortes nos ac robuſtos, perſeuerantesque in petendo debere eſſe docet hic Dominus. hanc ego fortitudinem oranti perneceſſariam, quia video ſimilitudine vituli ſignificari in Scripturis, ideo hanc ſimilitudinem explicabo, qua tamen non modò fortitudo, ſed aliæ etiam quædam orationis proprietates conſtabunt; ſumitur ea ſimilitudo ex vlt. cap. Oſe. v. 3. *reddemus vitulos labiorum noſtrorũ*, cui & illud Apoſt. reſpondet vlt. ad Hebr. v. 15. *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius*, certè aptiſſimè vitulus labiorum ipſa eſt oratio. Notat Guilie. Pariſ. c. 40. de Rhetorica diuina, quinque ad orationem maximè facientia ineſſe vitulo; eſt enim in eo intimum medulla, ſunt carnes, ſunt oſſa, eſt pinguedo, denique pellis; eſt ergo in oratione loco medullæ orantis pietas, & intentio, & vehemens deſiderium obtinendi, quæ Deo ſunt placita, qua de re ſatis dictum eſt th. 3. quanto autem feruentior erit eiuſmodi intentio, ac deſiderium, tanto fuerit medullata magis oratio, & oſſa eius medulla piuguiori referta, vt Guiliel. ait.

6. Porrò loco oſſium in oratione fortitudo eſt, qua defendi, ac fulciri eget oratio: eſt verò multiplex eiuſmodi fortitudo orationi neceſſaria, nam primũ quia difficillimum eſt muſcas irruentium cogitationum ab oratione abigere, eamq; ab impedimentis omnibus purã, tutamq; reddere, ac conſeruare, ideò opus eſt robore contra tædiũ prolixitatis, quo victi quidã vix inchoatam orationẽ intermittunt. Eſt, & aliud fortitudinis genus neceſſariũ, cùm non ſtatim conceditur quod petitur; differt enim Deus interdũ dare quod poſtulatur ipſa dilatione cor præparans, & aptans ad recipiendũ, vt Aug. ait in Pſ. 118. 20. *concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.* vt impleas ſaccum, diſtẽdis illum; atq; dilatas, vt capacioré efficias, ita Deus dum cor tuũ implere deſiderat, diſcindit illud, atq; dilatat longo deſiderio, vt tanto illud capacius efficiat eius, quod petitur, boni; & hæc fortitudo longanimitas vocatur. Eſt & tertium fortitudinis genus contra iram quandam, & impatientem animi motum, quo multi adeò exagitantur, & deficiunt, vt vix ad orandum proſtrati, quaſi vi quadam repulſi confeſtim inde reſiliant, quod videlicet gratia orationis, & ſpiritus deuotionis non ſtatim eis tribuatur, ſic ſe excuſantes: quid facerẽ hic aridus, & frigidus corde duro, & gratia deuotionis vacuo? Hi proculdubio ignorare videntur orationẽ, & deuotionem dona eſſe gratis à Deo homini conceſſa, & vt hoc ipſum addiſcant, non ſtatim eam cùm volunt obtinent, idcircò vt ea petere, & magis, ac magis cupere diſcant, & aſſuefcant: quam verò difficilè obtineatur, ipſa nos docet experientia. *quaſi enim præda quædam*, inquit Pariſien. *gratia orationis, & deuotionis rapitur à Deo, & de medio irruentium cogitationum, & duritia cordis, quadam vi rapitur: nam vt dicit Seneca vi datum prædam putato: improbitate igitur, & importunitate vult à ſe eripi gratiam orationis, & deuotionis miſericors Deus, vt obtenta gratior, & charior habeatur, iuxta illud: Gratior eſt fructus, quem ſpes productior edit.* Eſt & quarta orationis fortitudo, & eſt quaſi grauitas quædam contra leuitatem cordis, quæ ita ineſt quibuſdam ſtultis, & imperitis, vt non permittat eos illa diutius vti; cogit enim illos vt à precando ſurgant, cùm eſſet potiſſimum in oratione, immorandum, & inſiſtendum, quando videlicet datur eis orationis gratia lachrymis irrigua, ſuaui deuotione redundans,

Digitized by Google

& cum tot, tantisque bonis diu vti fruique deberent, ingrati, & impatientes, & indigni tanta spiritus munificentia statim orationem intercipiunt, ac quidnam hoc quæso aliud est, quàm silentium imponere, & vocem interrumpere aduocati illius eloquentissimi, ac potentissimi, spiritus, inquam, sancti, qui *pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus*, quanta rogo stultitia est, & insania, tunc à petendo cessare, cùm promptum habes, ac facilem, qui te audiat. Hæc ergo sunt vituli nostri ossa, quæ medullam piæ intentionis, ac orationis continent, fortiterque tuentur.

7. Porrò carnes huius vituli intellectus sunt, & cogitationes eorum, quæ etiam interdum verbis orationis significantur, vel calidis etiam affectibus exprimuntur; pinguedo carnium huiusmodi deuotio est, nec obstat quo minus verum sit id, quod habet Gregorius, inquit Parisiensis, super verbum illud Psalmi: *holocaustum tuum pingue fiat*, videlicet tunc holocaustum pingue fieri, cùm bonum opus, quod agitur, etiam lachrymis irrigatur. Lachrymæ namque non deuotio ipsa sunt, sed ex deuotione profluunt.

Postremò pellis huius vituli ipsa solertia ac diligentia est, & studium beneuiuendi simul cum oratione iungenda; hæc enim tamquam pellis orationis spiritum custodiunt, ne disperdatur, & quasi in inanem quemdam halitum resoluatur; vel certè pellis est dum quis deuotionis spiritum, & orationis feruorem abscondit, ne per inanem gloriam stultus amittat. Hunc ergo vitulum tamquam holocaustum medullatum Deo quotidiè diligenter offeramus.

DIGRESSIO IV.
MORALIS.

Quod oratio lucta quædam sit.

1. Orans cum Deo luctatur.

HAc de re quædam diximus superius cap. 2. digressione 2. numero 1. 2. 3. nunc alia adijciam.

Adeò fortis esse debet oratio, vt audeat cum potentissimo Deo luctari, nec ante cessare debeat, quam ipsum omnipotentem quodammodo vincat Genes. 32. in huius rei significationem legimus Iacob luctatum esse cum Angelo, & ea lucta illo inferiorem fuisse indicat Scriptura: ita vt extorserit, si fas est dicere, benedictionem ab eo: porrò is verus Angelus fuit secundæ personæ sanctissimæ Trinitatis personam gerens: quomodo intelligendi sunt Sancti, Iustinus Martyr, dialog cum Triphone. Clemens Alexandr. libr. 1. pædagogi capite 7. Tertullianus, Ambrosius, Cyrillus, Cassianus, Diodorus, Sulpitius, & alij: non enim volunt ipsam secundam personam fuisse in assumpto corpore luctatorem illum; sed in typo tantùm, vnde versiculo vigesimo octauo narratur dixisse Angelus: *nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?* Nec silentio prætereundum est luctam hanc nocturnis tenebris factam esse vsque ad lucem; & secundùm literam ideo voluit Deus huc vsque luctam extendere, vt ipsa mora magis animus Iacob firmaretur. mysticè verò ostenditur nocturnum tempus aptius esse, & congruentius orationi, in qua homo cum Deo luctatur: Cuius rei duæ sunt caussæ, quies, & solitudo; quies quidem, quia oratio cor liberum, & quietum requirit à cæteris impedimentis, & actibus, quod Salomonis exemplo didicimus Sapient. 8. 21. *adij Dominum & deprecatus sum illum, & dixi totis præcordijs meis*, quid verò dixerit, declarat cap. 9. 4. *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam*; huius autem Pater Dauid Psalm. 118. *clamaui*, inquit, *in toto corde meo, exaudi me Domine*: etenim, vt victor in hac lucta cum Deo sis, & compos voti fias, colligendæ tibi sunt omnes animi tui vires, quia cum fortissimo DEO pugnandum est; proinde non modò quies quærenda est, sed etiam solitudo cæteris exclusis omnibus, quæ impediunt, sic Matth. 6. docet nos Dominus orare in abscondito, & clauso cubiculo, ne corda nostra, vel inanis gloria, vel quæ circumstant, nos ad se rapiant, & nos nobis excutiant: nihil quippè nobis facilius excutitur, quam nos ipsi, nihil reliquit nos libentius vel aduersatur magis quàm cor nostrum.

2. Luctatoris artes orationi applicantur.

Cùm ergo oratio lucta sit, quæ cum DEO committitur, scire oportet cum Deo luctaturum luctatorum etiam artem & industriam, ne imparati accedamus; est autem triplex peritia, vel luctantium astutia ex Guiliel. Paris. c. 52. de Rhetorica.

3. Aduersarios supra humeros tollere.

Primùm ergo solent qui luctantur supra humeros suos aduersarios attollere, sic enim facilè est illis postea illos vincere; quod faciunt deprimendo, ac submittendo sese initio pugnæ: dum enim seipsum aduersario subijcit, apprehensum supra se extollit, ac tandem superat. Hoc eodem artificio semper vtendum est in lucta ista cum Deo: propterea enim scriptum est: *humiliamini sub potenti manu Dei*. Hac arte vsus est rex Achaz, vbi audiuit per Prophetam, quod comminatus esset illi Deus demessurum se esse posteriora eius, nec relicturum de stirpe eius mingentem ad parietem; humiliauit se coram Deo, & hac arte, si fas est dicere, in orationis lucta vicit quodammodo Dominum; ita vt dixerit Dominus: *quia humiliatus est in conspectu meo Rex Achaz, non inducam malum hoc, quod locutus sum contra Achaz in diebus suis*. itaque qui sentit aduersus se propter delicta, quæ commisit, iratum Deum vltionem parare, prosternat se intimo animi sensu, & cum omni submissione subijciat, & accuset se in oratione, Deumque iustum, ac sanctum clamet, alijsque titulis extollat, ita enim fiet, vt inuincibilem superet, & iustam iram DEI frangat.

4. Nec sanè melior, ac tutior via est subijciēdi, hoc est, placandi nobis Deum, quā si submisse, ac demisse de nobis sentiamus nosq; corā illo seriò demittamus, & deprimamus: ita illum nobis obediēte quodāmodo fore experiemur.

Nam

Nam vt Guilielmus ait, efficitur Deus omnipotens obediens obedientibus sibi, sicut scriptum est de Iosue: *steterunt Sol & Luna, obediente Deo voci hominis*. Hoc est ergo primum oratoris artificium, quo in orationis lucta cum Deo vtitur.

4. 2. Eosdem supplantare.

Alterum artificium luctatorum est supplantatio cum interiecto pede, vel extracto eo lapide, vel ligno, cui aduersarij luctantis pes innititur; hac astutia ad terram deijcitur; igitur vbi animaduerteris vitijs tuis, ac peccatis inniti Deum, & propterea aduersari tibi, & mortem suppliciumque æternum minari, hac vtere arte, qua nulla hac in parte præstantior; subtrahe peccata, eaque disijce, vt non habeat Deus, qui tecum luctatur, vbi pedem suum quodammodo figat; dole fusis lacrymis, ac seriò, peccasse te contra Dominum tuum, nec ab oratione prius surgas, quam peccata subtrahas, quibus ille innititur, vt te castiget, & aduersetur tibi; quibus subtractis, concidet illico omnis DEI ira, iustusque furor, qui contra te meritò exarserat: ipsa enim vitia nostra, & peccata sunt quasi fulcimentum quoddam, cui soli innititur DEVS cum aduersatur nobis, & iustam vltionem intentat.

5. 3. Aduersarios defatigare.

Est & tertium astutiæ genus, luctatoribus non minus solenne, ipsa nimirum aduersarij defatigatio; qui enim agiles sunt, & expediti corpore contra corpulentos, & corpore obesos hac arte vti solent: Deus quidem nostris vocibus, & orationibus delassari, ac defatigari nulla ratione potest, vult tamen vt ita perseueranter, ac frequenter oremus, ita instemus, ita illum vrgeamus, vt si lassitudinis capax, & defatigationis esset, delassaretur, nimirum, hoc est, quod ille toties repetit: *quærite, & inuenietis, petite, & dabitur vobis, pulsate, & aperietur vobis*, & de amico, *si ille perseuerauerit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi surgens eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius dabit illi quotquot habet necessarios.*

6. 4. Pes orantis vbi defigendus.

Præter autem hoc triplex artificij inter luctandum genus, non indiligenter obseruandum est oratori, vt inter luctandum, hoc est, inter orandum circumspiciat, vbi pedem figat, quo nitatur fulcimen, quo se sustineat adminiculo, ne fortè corruat: hoc declarat eleganter eodem loco Guilhelmus: *cauendum est tibi*, inquit, *in lucta ista, ne debili, aut fragili fundamento nitaris, quod ille proculdubio facit, qui de meritis suis confidit, & tanquam sibi debita petit in oratione dona Dei. Et hic est indubitanter pes superbiæ, de quo petebat Dauid dicens, non veniat mihi pes superbiæ* Psalm. 35. 12. *quo pede nullus fragilior, aut infirmior inueniri potest; si vis ergo stare in lucta ista innitere Domino, confide in ipso* Psalm. 34. *quia qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur qui habitat in Ierusalem.* ad hanc fiduciam in petitionibus præsertim nostris, & orationibus tenendam hortatur nos Diuus Petrus epist. 2. capite 5. 7. *omnes sollicitudinem vestram proijcientem in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

7. Orantes Deo arma detrahere debent vt orando vincant.

Cæterùm quoniam docet etiam Scriptura, quibusnam armis instructus Deus, aduersus peccatores pugnat, oportet eum, qui orat, ac cum illo luctatur, vt ea arma auferat, & spolia, vt sic dixerim, detrahat. Sunt autem arma Sap. 5. 19. 20. 21. expressa: *induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum: sumet scutum inexpugnabile æquitatem: acuet duram iram in lanceam.* In hac ergo lucta orantis cum Deo, primùm curare debet qui orat, vt duram illam lanceam, hoc est, iram Dei frangat, ac quantum fieri potest imminuat: faciet autem hoc si seruet quod Prouerb. 15. 1. monet Sapiēs: *responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem*, & verè quod mollius responsum excogitari potest contra duram iram Dei, quàm reatus proprij confessio, quàm iustæ contra se vindictæ comminatio, & æternæ pœnæ commeritæ agnitio? qui autem ita verè, & sincerè se gesserit, diuinam proculdubio confringet iram, & peccati veniam obtinebit; hac enim obtenta nihil est, quod diuinam hanc vltionis lanceam peccator pertimescat, si in accepta iustitia perseueret.

8.

Porrò quoniam pro thorace iustitiam induit Deus, si eidem eiusmodi arma auferre cupis, ne contra te aliquid iustè moliatur, indue teipsum lorica iustitiæ, & inter orandum peccatorum tuorum pœnitudine tangaris; etenim nihil habet iustitia Dei, quod aduersus iustos, vel eiusmodi peccatores efficiat. Tertium armorum genus, quod accipit Deus cōtra peccatores, galea est, hoc est, iudicium certum; tu ergo dijudica teipsum iudicio recto: testare aduersum te iniquitatem tuam dum oras, & sententiam contra teipsum pronuntia, & diuinam galeam detraxisti, ne mali aliquid inde tibi accidat, quod Apostolus non obscurè significat 1. Cor. 11. 31. *quod si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur.* Postremò pia æquitas scutum est inexpugnabile Dei, istud etiā auferes, si deponas iniquitates tuas, & à te procul abijcias; etenim æquitas Dei contra iniquitatem stat, quàm si deijcias, & à te longius amoueas non poterit Deus scutum suum contra te obtendere, vel opponere, sed de his hactenus.

DIGRESSIO V.
MORALIS.

Quod oratio nuntius sit ad Deum missus.

1. Collatio orationis cū nuncio.

HANC comparationem orationis cū nuncio pluribus prosequitur idem Guiliel. c. 38. quam ego breuiter attingam; est ergo oratio veluti quidam nuncius, qui ad Deū mittitur, ipsum adit, ad ipsum intrat intra secretum cubiculum palatij sui; *intret*, inquit Dauid, *oratio mea in conspectu tuo Domine.* Ibi Aug. *Mira*, inquit, *virtus orationis, quæ illuc intrat ad Deum quo caro pertenire nequit.* quod manifestissimè docemur illis Ecclesiast. verbis cap. 35. 21. *oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet non consolabitur*, id est, quiescet: *& non discedet donec altissimus aspiciat.* videamus igitur quæ sint boni nuncij proprietates, vt ijsdem orationem nostram ornatam ad Deum ad cœlestem curiam transmittamus.

Digitized by Google

2. Nuncij proprietates orationi applicantur, quarum 1. agilitas.

Prima igitur est agilitas quædam nuncij: nam quis obsecro est ita mentis inops, vt ad remotissimas regiones eum dirigat nuncium, qui non valeat incedere? huic similes multi sunt, qui sub ipsum precandi initium statim defatigantur, ac deficiunt, & ab orando cessant, ipsum orandi laborem, velut onus grauissimum à se proijcientes. Quod si quis roget, vnde in nobis hæc innascatur orandi infirmitas, & tanta debilitas, cùm tamen integrum diem cum amicis colloquendo non defatigemur, sermonibus etiam otiosis, & noctis tempus terentes? in promptu responsio est; nam quemadmodum cùm quis in excelsum montem ascendere conatur, multum laborat propter corporum nostrorum pondus nos deprimens; ita oratio, per quam ascendimus ad altissimum Deum (est enim oratio ascensus mentis in Deum) propter originariæ corruptionis grauitatem deorsum semper nos proterentem, & conculcantem, defatigat hominem, deijcit, & quasi prosternit; cæterùm per assuetudinem & laborem quotidianum, quem quis orando assumit, lenitur sensim hæc grauitas, & imbecillitas; & tandem qui prius erat grauis, & quasi intolerabilis labor, in dulcem, & suauem vertitur quietem.

3. 2. Ornatus vestium.

Iterum altera proprietas nuncij est, præsertim qui ad grauiora negocia tractanda mittitur ad regum curias, vt ornatis vestibus, & digno apparatu cohonestetur: nam qui minus splendidis, & decoris indumentis reges adeunt, contemnuntur non ab ipsis dumtaxat regibus, sed ab aulicis quoque; nec censetur is, qui sic mittitur ad magna, vel ardua negocia expedienda directus; neglexisse siquidem, ac parum curasse eiusmodi causas, & negocia reputatur, qui talem transmisit nuncium: alioquin ea si curæ illi fuissent, non pauperem, vel pannosum, sed diuitem, ac splendidum transmisisset nuncium ad ea gerenda: porrò præcipuus orationis ornatus recta intentione, attentione constanti, sanctis cogitationibus, accensisque desiderijs obtinendi id quod petitur ad maiorem Dei gloriam, & suam proximiq; vtilitatem continetur.

4. 3. Cautela ne in via spolietur vel occidatur.

Verùm tertiò cauendum est diligenter eiusmodi nuncio ne à prædonibus spolietur in via, vel etiam quod peius est, interficiatur: & habet oratio suos etiam latrones, qui illi insidias tendant, ac bonis omnibus priuare, eamque inanem, & vacuam reddere, vel etiam extinguere conentur. Sunt autem hi prædones improbæ cogitationes, quæ se orationis tempore ingerunt, eamque lachrymis pijs, sanctis desiderijs, & cogitationibus, denique attentione spoliant, ipsamque suauitatem vnguenti surripiunt, & tantùm non per vim rapiunt. Istis ergo obsistendum est fortiter, & perseueranter; & verò accidit nonnumquam (proh scelus) vt accedat aliquis oraturus ad templum, & ante sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum genibus innixus huc, illuc iactet oculos, & in mulierem aliquam incidat, cuius aspectu captus orationem cogitatione, atque impudico consensu interimat, & extinguat prorsus. Itaque cùm ad precandum

A accedimus diligenter curandum est, vt nuncium istum, orationem dico, tutum, securumque dirigamus ad Deum: accuratè videntes, ne quid sinistri ipso in itinere, & orandi decursu patiatur. Etenim orationes nostras mirum quantoperè satanas totis astutiæ suæ conatibus impedire, & in nihilum redigere omninò conetur; quia nimirum salutis nostræ causam, & operam implacabili semper odio persequitur; & hoc est quod petebat Dauid: cùm sic orabat Psalmo centesimoquarto: *dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*

Est & quarta proprietas nuncij, vt sit maximè diligens, ac sollicitus in conficiendis negotijs, quia nihil hac in parte periculosius est, quàm negligenter præsertim vitæ, ac salutis

B causam tractare, qua in re videndum est, ne nuncius, qui certum aliquem dirigitur in locum per diuersa loca curiosus vagetur, & otiosus discurrat, quod tunc nos quoque facimus, cùm inter orandum multitudine, ac varietate cogitationum huc, illuc distrahimur: eiusmodi oratio nihil ad nos referet emolumenti, nec coram iustissimo iudice causam nostram expediet.

5. 4. In cõficiẽdis negocijs sollicitudo.

Item quintò nuncius, vt laude dignus sit, non tantùm apud iudicem regemve instare debet, verum etiam assessores iudicis vrgere; denique omnes instigare, & sollicitare, qui iuuare causam, pro qua mittitur, possunt, quod tunc facit, qui orat, cùm sanctos aduocatos adhibet apud Deum, eos præsertim, qui plurimum apud ipsum valent; supra quos omnes est Beatissima semper DEI Mater MARIA; hinc enim maximam concipit homo spem, ac fiduciam certam vtiliter expediendi, quæ ad animæ suæ salutem pertinent.

6. 5. Iudicis assessorumque eius exoratio.

C

Videre sextò etiam diligenter debet nuncius ne fortè in curia aduersarios habeat, qui sibi contradicant, & cæptum causæ cursũ impediant. heu quot sunt, qui nobis orantibus, & veniam, & gratiam, & gloriam petentibus aduersantur! inter hos præcipui aduersarij sunt, qui nobis contradicant, ipsa vitia nostra, quib. premimur; hinc Gen 18. ait Deus, *clamor Sodomorum ascendit ad me*, quin etiã sancti, quos sæpè offendimus, vel persequendo, vel iniurijs, ac contumelijs afficiendo, vel eorum templa, & iura violãdo nobis aduersãtur. hi. n. cõtra suos contemptores se continenter opponunt, dicẽtes: *vindica Domine sanguinẽ nostrum.* Deniq; aduersarij sunt dæmones ipsi; sic. n. Apo. 12. de satana legimus; *proiectus est accusator fratrũ nostrorũ, qui accusabat eos die ac nocte.* Itaq; curandum nobis est, vt quantũ possumus contra vitia nostra clamemus, & ea corrigamus, imò ẽt interficiamus, ne orationes nostras imposterũ impedian; sanctos verò placemus, & dignis obsequijs amicos reddamus; deniq; cõtra dæmones acriter nos armemus, & humilitatis clypeo ac magna in Deũ fiducia ita debilitemus, vt cõtra nos ne mutire quidẽ audeant, ita oratio nostra his sublatis impedimẽtis, quod à Deo postulat, obtinebit, & nos voti cõpotes efficiet.

7 8. Aduersariorum causæ exterminatio.

D

Octauò imprimis requiritur in nuncio, ne impedimento aliquo teneatur, quo fiat, vt in cubiculum, vel concilium regis non ad-

8. 7. Impedimentorum ex iusio.

mitta-

mittatur, ad quem properat, nec audiatur; etenim ei qui anathemate percussus est, interdicitur ne coram iudice causas agere possit, vel iudicio contendere cum aliquo, vel etiam sua repetere, repelletur enim illico: talis est eorum oratio, qui pauperum, & inopum, ac miserorum commiseratione nulla tanguntur, de quibus Prouerbiorum 28. 9. *qui declinat aures suas, ne audiat legem oratio eius erit execrabilis*. Nec absimilis est illorum precatio, apud quos nullo loco sunt mandata Dei, quod ea seruare contemnant, de quibus Dauid: *maledicti*, inquit, *qui declinant à mandatis tuis*, quia nimirum ne ea quidem audire ferunt. eiusmodi sanè horum hominum oratio à Deo non auditur, sed repellitur statim, quasi quiddam cui satis interdictum sit.

9. Adhæc timendum est, ne qui orat nuncium mittat insipienté. i. orationem fundat stultam, ac fatuã: fatuus enim, ac stultus nuncius est, qui minimè petenda petit; huic similis est, inquit Beatus Augustinus, qui à Deo postulat, vt inimicum suum occidat: nam quæ maior stultitia esse potest, quam vt quis se ipse iudicem inimici faciat; DEVM verò tortorem, ac quasi carnificem efficiat suum? iudicis enim partes vsurpat, dum inimicum morte dignum censet, & in eum quasi mortis sententiam pronuntiat; qua in re nemo est, qui non videt, quanta appareat insania. Idem dici potest de stultitia eorũ, qui à Deo vilia, & terrena tantùm petunt, & quæ sæpè, si concederentur, postulantibus perniciem, certumque interitum afferrent. Porrò qui sic orat, atque adeò talem nuncium ad Deũ dirigit, comparatur à sapiente homini pedibus claudo, & iniquitatem bibenti Prou. 26. 6. *claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuncium stultum*, quasi dicat, imprudens est iste, qui tali vtitur nuncio, propterea quod negotium per infelicem successum quodammodo claudicat, & culpa ipsi eius auctori meritò imputatur.

10. Peruersitas orationis resecanda penitùs.

Est, & illud in nuncio valdè reprehendendũ, si sibi contradicat, quæ summa ordinis peruersitas est. Est autem illa maximè propria, & cõgruens orationi rectitudo, vt qui orat ad eum porrigat manum, ad quem dirigit sermonem, vt inde capiat quod petit; quod faciunt qui stipem inter nos mendicant. manu enim, & voce, ac toto corpore conuerso in eum intendunt, à quo beneficium efflagitant; iam verò non ignoramus manum in eam partem extendi solere, in quam tendit & operatio: similiter & faciem: qui ergo tantùm opera diaboli facit, ad eum proculdubio protensam extendit manum, eamque ab eo postulat impleri, cùm illam ad illum porrigat. hinc ergo fit eiusmodi hominem peruersè agere, ac sibi ipsi contrarium esse, qui voce à Deo beneficium petit, manu verò à diabolo; qua peruersitate quid sanè intolerabilius æstimari potest? Accedit & alia peruersitas, quod eiusmodi homo DEVM alloquens faciem, corpusque totum ad dæmonem, & vitia conuersa habet, humeris verò, ac dorso DEVM despicit potiùs, quàm aspicit: an non talis tibi videtur esse, qui cùm Deum orat, non tamen interim praua opera relinquit? similis est & huic ille, qui ante Deum positus

A nihil minus cogitat, quàm Deum; sed præsens corpore, mente peregrinatur ad ea, quæ appetitus suggerit, & peruersa rerum terrenarum libido suadet.

11. Oratio loquelæ defectũ refugiat necesse est.

Postremò nullo modo in nuncio tolerandum est vitium vocis, & loquelæ defectus; qualis est ea oratio, quæ desiderio cælestium bonorum vacua est, & deuotionis affectu destituta. Vox enim orationis, & loquela, desiderium est. mutam ergo oportet esse eam precationem, quæ hac voce caret; & verò etiam in desiderando debilitas, & infirmitas, raucedo quædam vocis orationis est; si igitur incredibilis stultitiæ est nuncium mutum, ac raucũ, ac sine voce ad præpotẽtis alicuius regis curiam dirigi pro maximis, & amplissimis negocijs conficiendis; multò certè maiorem cogita insaniam esse ad cælestem curiam eiusmodi mutam, & raucam orationem transmittere. Hæc hactenus de oratione.

B

CAPVT XXIV.

DOMINVS AD PRANDIVM VOCATVS REPREHENDIT PRAEPOSTERAM PHARISÆORUM MUNDITIAM.

C. 11. 37.

C *V. 1* ET cùm loqueretur, rogauit illum quidam Pharisæus, vt prandere apud se, & ingressus recubuit.

2. *Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium.*

3. *Et ait Dominus ad illum: Nam vos Pharisæi, quod deforis est calicis, & catini mundatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate.*

4. *Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id, quod intus est fecit?*

D 5. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

6. *Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium, & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.*

7. *Væ vobis Pharisæis qui diligitis primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro.*

8. *Væ vobis, quia estis vt monumenta, quæ non apparent; & homines ambulantes supra, nesciunt.*

9. Respon-

9. *Respondens autem quidam ex Legisperitis ait illi: Magister dicens hæc, etiam contumeliam nobis facis.*
10. *At ille ait: Et vobis Legisperitis væ: quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi vno aigito vestro non tangitis sarcinas.*
11. *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum; Patres autem vestri occiderunt illos.*
12. *Profectò testificamini quod consentistis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.*
13. *Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas & Apostolos, & ex illis occident & persequentur.*
14. *Vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi, à generatione ista, à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ qui periit inter altare & ædem. Ita dico vobis requiretur ab hac generatione.*
15. *Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis.*
16. *Cùm autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi, & Legisperiti grauiter insistere, & os eius opprimere de multis.*
17. *Insidiantes ei, & quærentes aliquid de ore eius, vt accusarent eum.*

SCHOLIA.

1. ET *cùm loqueretur*] Græcè ὡς δὲ τῷ λαλῆσαι, sensus est, cùm autem esset loquutus, neque enim interrupisse credendus est loquentis sermonem Augustinus lib. 2. de consen. Euang. c. 39. *terminato*, inquit, *isto sermone, in aliud pergit Lucas; in quo vtrum ordinem rerum gestarum seruauerit, incertum est. Ita enim connectit; & cùm loqueretur, rogauit eum quidam Pharisæus, vt prandere apud se. Non autem ait: cùm hæc loqueretur: sed cum loqueretur. Nam si dixisset; cum hæc loqueretur, necessario cogeret intelligere, hoc ordine non tantum à se fuisse narrata, verum & à Domino gesta.* Hæc Aug. quibus fit hanc historiam non fuisse sequutã post ea, quæ proximè hoc eodem cap. narrauerat Luc. Propterea ea nos tanquam huc non facientia reijcimus in cap. 12. lib. 4. diluc. vbi quæ hic omisimus, à nobis exposita sunt.

Ratio ordinis.

2. *Rogauit illum quidam Pharisæus*] Quantum colligere licet ex sequentibus non sincero animo; inuitatio hæc Pharisæi facta est. Titus in Luc. c. 11. reddit rationem cur Dominus apud Pharisæum ad prandium inuitatus non recusarit accedere: *cùm Pharisæi*, inquit, *malitia simul, & inuidia flagrarẽt, homines q. auari & fastu pleni essent; cur Christus Deus, & Dominus noster ab vno ex eorum grege, ad prandium vocatus, non recusauit, sed in domum illius ingressus, vna cum cæteris accumbit? Non ideo hoc fecit, quod illorum peruersitatem ignoraret; norat. n. ille omnia; verùm cùm eum docere, & erudire in animo haberet, voluit rem hanc in spiritalis institutionis materiam, & caussam conuertere.*

Et ingressus recubuit] Mensæ accubuit. Idem est hoc, ac si dicas, confestim, vt est ingressus, ne lotis quidem manibus, recubuit; nam hinc nata est illa Pharisæi imprudens admiratio. Verisimile est Dominum de industria illorum accubuisse, vt admirationis reprehensionisq; materiam subministraret Pharisæo, & inde ansam arriperet docendi, quã vana esset Pharisæorum illa cæremonia, & opinatio, qua contempta animi puritate interna in abluendis mundandisq; corporibus omnem religionem, & sanctimoniam collocarent.

3. *Pharisæus autem cœpit*] Græcè, & Syriacè legitur: cùm vidisset miratus est quod nõ prius esset ante prandium baptizatus: ὅτι φαρισαῖος ἰδὼν ἐθαύμασεν ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου & hoc modo clara videtur sententia; Latinè legimus, *cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandiũ*] vt sit hic sensus. *cœpit apud se reputans*] hoc est, cogitans, nõ sine animi offensione, *dicere*] id est, quærere, *quamobrem non esset ante prandium baptizatus*] hoc est, lotis saltem manibus; itaque *reputans* hic malam in partem accipitur, pro iudicare, seu condemnare temerè tanquam transgressorem traditionis Pharisaicæ. notat hic Mald. interpretem Græcum vocabulum baptizandi retinuisse, idque facere interdum, cùm de cæremonialibus illis Iudæorum lotionibus loquitur, vt Mar. 7. 4. cũ autem de Ioannis & Christi baptismo scribit, perpetuò vocem baptismi retinet, non sine caussa, quia sic Iudæi loquebantur, Græcanicum modum imitantes, & fortè ideò Ioannis, & Christi baptismus dictus est, quia religionis quædam cæremoniæ erant, & cæremoniales illæ Iudæorũ lotiones baptismi vocabãtur: vide hoc lib. 5. diluc. c. 1. sch. n. 15. *Quare non*] Græcè, & Syriacè additur πρῶτον, prius.

3.

4. *Et ait Dominus ad illum*] Perinde est, *ait*, atque respondet; intelligebat enim Dominus quid ille animo versaret; nam vt Prou. 24. 12. dicitur de Deo: *qui inspector est cordis ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit. Nunc vos Pharisæi*] Vniuersum Pharisæum ordinem alloquitur, non præsentes modò Particula illa *nunc* quid apprimè significet non est facilè intelligere. Mald. putat vim habere aduersatiuæ dictionis, quasi dicat, si quemadmodum, quæ foris, ita quæ intus sunt mundaretis, reprehensione vacaret mos iste vester, nunc verò, cùm id quod foris est, diligenter mundetis, & quod est intus malitia refertum sit, stulti & hypocritæ estis. Verùm propter vnam particulam *nunc*, nimis multa subaudire oportet, vt sensus hic teneatur. Barradius putat facilius, & simplicius explicari posse si dicatur: *Nunc*, hoc est, hoc tempore vos Pharisæi multas obseruatis ablutiones externas, quas olim patres vestri non obseruarunt, saltem cum tanta curiositate, & superstitione: internam verò animi puritatem non curatis. Cum Caietano & Toleto Lucas Brugensis tom. 2. in Luc. v. 39. arbitratur eam vim habere vocẽ. *nunc*, hic positam, vt non aliud, quam efferendi præsentis sermonis opportunitatem notet, vt sit sensus; iam opportunum est, vt vos huius rei admoneam, videlicet huius tam præposteræ, vanæque religionis: & hæ duæ interpretationes mihi probantur, præsertim verò tertia.

Primãrio interiora secundariò verò exteriora mundanda sunt.

5. *Quod de foris est calicis & catini mandatis*] Legimus ter Dominum hac de re Pharisæos reprehendisse; quod videlicet nimij essent, & præposteræ religiosi in eiusmodi lotionibus obseruandis in prandio; vel cæna; primum apud Matthæum 15. & Marcum 7. deinde hic apud Lucam. postremò

apud Matthæum 23. neque tamen vmquam moderatam abluendi se ante prandium, vel cænam consuetudinem redarguit: pertinet enim ad bonos mores, & laudabilis est; sed nimium hac in re Pharisæorum curiositatem, & diligentiam, & tantam animæ incuriam non sine dolore insectatur; vide quæ de his scripsimus huius libr. 5. dilucidation. capite 1. in schol. præsertim à numer. 4. ad 21.

Calicis] Poculi.

Catini] Patinæ, seu paropsidis, vt Matthæus notat, ex qua cibum sumebant, est enim paropsis patina, seu vas, in quo cibi & condimenta apponuntur mensis, dicta à flexu & rotunditate.

Paropsis quid & vnde sit dicta.

Deforis] Ἔξωθεν aduerbium quod est extra vtramque faciem, interiorem conuexam & concauam. *Quod autem intus est vestrum*] Duplex hic sensus esse potest: alter, vt *vestrum*, referatur ad id, quod intra calicem & catinum est; quasi dicat, potus & cibus vester plenus est rapina, & iniquitate; pronomen autem ὑμῶν, quidam clarius referunt ad rapinam & iniquitatem, sic vertentes, *quod autem intus est, vestra plenum est rapina, & iniquitate.* Itaque opponit calicem ipsum & patinam tamquam id quod deforis est, ijs quæ intra ipsa continentur: nam si cum his conferatur calix & catinus extra seu deforis sunt, quamuis concauam etiam & superficiem cum illis accipias, hoc aût dicit tacitè accusans, ea quæ comedebant, & bibebant per rapinam facta essent; Verùm dices hanc expositionem non stare cum simili reprehensione, apud Matthæum capite 23. & 25. sic legimus, *mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis, intus autem pleni estis rapina*, vbi, *pleni estis*, refertur ad Pharisæos, non autem ad id quod intra calicem & paropsidem est; & per calicem & paropsidem videtur symbolicè intelligere externa, videlicet manus, pectus, brachia, facies, vtensilia, & res denique externas. Verùm sunt qui aliter legant; loco enim *pleni estis*, reperitur in quibusdam libris, *pleni sunt*, quod latinè diceremus *plena sunt*; calix scilicet & paropsis, & fauet textus Græcus ὅ ἔξωθεν γέμουσιν. atque hoc modo rectè quadrat prior hæc expositio huius loci Lucæ cum verbis Matthæi capite 23. vel 25. sed iuxta nostram, quam sequimur Matthæi versionem possunt ea verba *pleni estis*, eumdem sensum facere in hunc modum: intus autem pleni estis, subaudiendo cum Maldonato τά, id est, quantum ad ea, vel propter ea quæ intus sunt, hoc est, potus, & edulium, malè acquisita pleni estis rapina & immunditia.

B. Alter sensus est, vt per verba illa: *quod autem intus est vestrum*] Intelligat Dominus interiora ipsorum, hoc est, internam animi faciem; vt sic sensus, *quod intus est vestrum*, hoc est, interiora vestra animi vestri, nobilior ac potior pars vestri sordida est, & rapina ac iniquitate infecta, & hic sensus est communior.

Verùm tam prior quam posterior eodem conincidunt, quia non est dubitandum per hunc parabolicum sermonem reprehendi à Domino generatim nimiam curam abluendarum rerum externarum; singularem verò contemptum interioris animi munditiei: hoc secundo modo si exponas, vt expositio simul conueniat loco Matthæi, supplendum aliquid est hic apud Lucam ex Matthæo, hoc modo, quod deforis est calicis & catini mundatis; intus autem pleni sunt rapina, & iniquitate; hoc est, quod intra vasa continetur: sic & quicquid deforis est vestrum mundatis; animos verò vestros negligitis, & hoc modo sub allegoria exterioris patinæ, ac calicis omnem externam speciem Dominum designasse dicendum est, etiam ipsorum corpora, & vtensilia. quasi dicat, vobis nulla mundities curæ est, nisi exterior corporis, & rerum externarum, quæ significantur per ablutionem catini, & patinæ exteriorem; at interiorem animi munditiem, quæ imprimis quærenda erat, omninò negligitis, omni genere vitij intus repleti, quæ immundities significatur per id quod intra calicem est.

A

Itaque per calicem & patinam ipsosmet parabolicè intelligit cum eorum rebus externis. Obserua pro eo quod hic habet Lucas: *rapina, & iniquitate*, habere Matth. *rapina & immunditia*. videtur enim apud Matthæum interpres legisse ἁρπαγίας, nunc legimus vel ἕλκους, iniustitia vel ἀκρασίας, intemperantia: iniustitia enim respicit rapinam; & omne genus iniustitiæ; intemperantia respicit abusum cibi, & potus, quasi notet illos iniustè acquirere, & intemperanter vsurpare cibum & potum; immunditia ad vtrumque pertinere potest, & ad iniustitiam, & intemperantiam, quasi dicat, plena sunt rapina, & omni iniquitate, quæ sola verè apud DEVM immunditiæ meretur nomen.

B

Stulti nonne &c.] *Stulti*, hoc est, amentes, insipientes, ac peruersi iudicij: est enim Græcè ἄφρονες. non conuitium reddit, sed corripit animo emendationis eorum cupido; reprehendit autem, quod tam absurdam, & ab omni prorsus ratione alienam sequerentur opinionem.

Qui fecit] Creauit.

Quod deforis est] Corpus, & externa bona.

Quod de intus est] Cibum ac potum, atque adeò animam hominis; igitur si DEI honor, & cultus vos mouet, vt tam curiosè, quæ deforis sunt, mundetis, quod gratum DEO sit creaturam, quam mundam DEVS creauit, mundè tractari; quare non idem DEI cultus, & honor excitat vos, vt interiorem animi munditiem eodem saltem studio quæratis, cùm res omnes à DEO non solum quo ad externam, sed etiam quo ad internam faciem creatæ sint.

C

Origenes moraliter ista interpretatur tractatu vigesimoquinto in Matthæum, cuius verba hic subnectam, quia vtilia esse possunt, & nullam ego subiecturus sum digressionem moralem, præsertim cùm hoc Euangelium non sit ex illis, quæ publicè in Ecclesia Catholica legi solent: alt ergo: *quare apud Matthæum quidem à foris calicis & paropsidis Scribæ, & Pharisæi mundare dicuntur: apud Lucam autem calicis, & catini mentio fit? vterque ergo vasa ponunt cibi, & potus, & calicem quidem ambo nominant, qui est ad potum, paropsidem autem non ambo, sed ille quidem catinum; hic autem paropsidem, vtrumque tamen vas cibi habetur; ergo sciendum vtrumque Euangelistam esse aliquid spiritalis potus, & spiritalis cibus, quem appetimus in sermonibus Scripturarum Legis, & Prophetarum; omnis itaque sermo, per quem potamur spiritaliter, vel omnis narratio, per quam enutrimur, vasa sunt potus, & cibi, admonemur vtrimur, vasa sunt potus, & cibi, admonemur vtrimur, vasa sunt potus, & cibi, admonemur vt

mundatus est, ab intus autem sordibus vanitatibusq; repletus: vnde Paulus, qui non solebat à foris calicem, & paropsidis mundare, sed ab intus imperitum se confitetur sermone, sed non scientia, & erit sermo ipsius rusticus quidem, tamen mundus propter scientiæ munditiam; illi autem qui in sapientia verbi loquebãtur, & per hoc crucem euacuabãt, à foris quidem mundos præbebant sermones suos, ab intus autem immunda scientia plenos, & rapinis, & intemperantia vitæ; item qui audiens verbum Dei, aut aliquam legis scripturam compositionibus eius exterioribus magis quam interioribus, & salutaribus sensibus delectatur, calicem vel paropsidem diligit à foris mundatum, ab intus autem sordidum. Addit & alteram expositionem moralem. *Dicimus quoniam litteræ legis & Prophetarum, calices spiritualium potuum animæ, & paropsides necessariarum escarum, sunt fidelium hominum, vel catini ciborum sapienter conditorum; quorum calicum & paropsidum & catinorum legalium, vel propheticorum Scriba quidem, & Pharisæi student sensum exteriorem, atque vulgarem, & hunc mundum & sanctum demonstrare festinãt; discipuli autem Christi sensum interiorem, & spiritalem mundare festinant, & sanctificare scientia, & demonstratione probabili, vt ab intus mundatam legem, & Prophetas manducent, & bibant, interiorem, & mysterialem sensum audire, & suscipere concupiscentes, & transcendentes sensus exteriores verborum.* Hæc Origenes.

7. *5. Verumtamen quod superest*] Ostendit modum, quo se legitimè mundare debeant, quod simul sit remedium immunditiæ, & iniquitatis ipsorum; est autem remedium eleemosynam erogare. quidam hoc ironicè dictum putant, quasi dicat, nec verò sufficit, vt putatis, dare eleemosynam, vt omninò mundi efficiamini, quæ mihi sententia, inquit Emanuel non displicet; quomodo enim isti sola eleemosyna mundarentur? & addit: Crediderim ergo, istam sententiam solitam ab ipsis vsurpari quam Christus irrideat. verùm quãuis doctissimo Emanueli sententia non displiceat, ego tamen, vt placere debeat, non video; cùm verba Christi nihil habeant pro ironia: faciant autem multum, si considerentur vt remedium continentia aptum, & idoneum ad sanandam auaritiam, & iniquitatem Pharisæorum; nihil enim ad hoc aptiùs eleemosyna, nec ratio Emanuelis vim habet, vt ex his, quæ dicam, mox apparebit.

Eleemosyna quæ mundat omnia ex sententia D. Aug. quæ.

Diuus Augustinus Enchiridij capite 74. ait eleemosynam, quæ mundat omnia, illam esse, qua homo animæ suæ misereretur iuxta illud Ecclesiastic. capite 30. *miserere animæ tuæ placens DEO.* posita est autem hæc eleemosyna in eo vt quis peccata corrigat per pœnitentiam, & conscientiam lachrymis abluat, *cum*, inquit, *Christus increpasset Pharisæos quod forinsecus se lauabant, intus autem rapina & iniquitate pleni essent, admonens quamdam eleemosynam, quam sibi homo primitus debet dare, & interiora mundare, verumtamen inquit, quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* hac de re agit Diuus Augustinus & libro vigesimoprimo de ciuitate, capite vigesimoseptimo, & sermone trigesimo de verbis Domini. Verùm hæc mystica potius, quamuis verissima sit expositio; vt intelligatur ergo sensus, videndum est, quid significent illa verba:

Quod superest] Quæ olim omissa fuerunt à quibusdam, fortassis ob obscuritatem, & quia si demantur, nulla videbitur fieri iactura sensus.

8. Quatuor ergo modis accipi possunt hæc verba: *quod superest*, primò videlicet quæ nobis supersunt facta rapinarum restitutione, sic Lyranus, iuxta illud Zachæi: *ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus; & si quid aliquem defraudaui reddo quadruplum*, neque enim quæ rapina & iniquitate sunt parta nostra sunt; nec tam eleemosynam quàm restitutionem requirunt; itaque iuxta hunc sensum idem est, *quod superest*, ac quod habetis vltra rapinam & iniquitatem, de istis enim facienda est eleemosyna. Secundò Beda, Strabus, Vgo & iuxta Gratianum 12. quæstione 1. capite quia tua, etiam Gregorius intelligunt, *quod superest*, videlicet victui vestro atque vestitui: vnde Beda, *quod superest*, inquit, hoc est, quod necessario victui & vestimento supersest. Tertiò Mald. citans Theophyl. & Euthy. quod dicitur Latinè *quod superest* & Græcè πλὴν τὰ ἐνόντα, pro πλὴν τὰ ἐνόντα, accipit, pro facultatibus vestris, prout quisque potest. Omnes isti sensus boni sunt & probabiles, sed mihi multum etiam placet accipere, *quod superest*, pro eo quod latinè diceremus, quod vnicum vobis remedium reliquum est, istud est vt detis eleemosynam; & hoc maximè probat Lucas Brugensis vir doctus. Itaque quod Græcè est τὰ ἐνόντα, *inexistentia*: significat quæ insunt scilicet rei Syrus legit, verùm id quod est, scilicet rei caput & conclusio, vt notat idem Diuus Lucas. iuxta tres primas interpretationes, vocem *eleemosynam* per appositionem iungere debes illis verbis, *quod superest*, in hunc modum; id quod superest date eleemosynam; hoc est, date in eleemosynam.

Quot modis accipiantur hæc verba (*quod superest*)

9. *Et ecce omnia munda sunt vobis*] Mirabitur aliquis quomodo possint omnia eleemosyna munda esse; annon potest aliquis peccator ac facinorosus vir eleemosynas dilargiri? Verùm si quis animaduertat quo sensu in Scripturis dicatur eleemosyna mundare, mirari desinet; legimus enim Isaiæ capite 1. 17. *subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam: si fuerint peccata vestra vt coccinum quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Tob. 4. 11. *quoniam eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat. & non patietur animam ire in tenebras.* & Tob. 12. 9. *ipsa est eleemosyna quæ purgat peccata. & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.* Ecclesiast. 3. 15. *eleemosyna patris non erit in obliuione.* & versiculo 33. *ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* & Lucæ 16. 9. *facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Cùm ergo Scriptura hæc de eleemosyna tam clarè & constanter affirmet, non est dubitandum si rectè intelligamus, sensum esse Spiritus sancti, eleemosynam animam mundare peccatis; neque enim tam nobilem effectum præstat sola: quasi fides & pœnitentia non requirantur: sed quod fidem & pœnitentiam adeò non difficilè impetret: pœnitentia verò in se restitutionem malè partorum claudit; quod exemplo Zachæi non obscurum erit rectè consideranti: denique intelligere debemus etiam eleemosynam prout est charitatis actus: *charitas* autem *operit multitudinem peccatorum* 1. Pet. 4. 8.

Quomodo eleemosyna ex Scriptura dicatur mundare.

Et ecce] Quamuis intus immundi sitis.

10. *Omnia*] Verbi gratia corpus & anima: vel etiam vniuersim omnia interiora, exteriora, calix, potus, catinus, cibus, anima, corpus etiam citra omnem lotionem: nihil enim apud Deum immundum est & coinquinatum si peccato infectum non est.

Munda] A rapina iniustitia & peccatis.

Sunt] Pro erunt.

Decimare quid?

6. Sed væ vobis Pharisæis quia decimatis] Idem habetur in Matth. 23. contra Scribas & Pharisæos: cùm apud Lucam de Pharisæis solum mentio fiat. est autem hic *decimare* decimas soluere, Græcè ἀποδεκατοῦτε *decimatis*, notat autem Toletus annotatione octuagesimanona hoc verbum duplicem habere significationem: significat enim, & decimas dare, & decimas exigere, & hoc secundo modo nonnulli in Matthæi 23. sumunt *decimare*; quod secutus videtur Diuus Augustinus in Enchirid. ad Laurent. capite 103. At Diuus Chrysostomus homilia septuagesimaquarta in Matthæum, Hilarius capite 24. in Matthæum, & idem Diuus Augustinus in Enchirid. ad Laurent. capite 76. & vt videtur Diuus Gregorius in past. part. 3. admon. 34. Beda hic & Euthymius modò accipiunt pro eo quod est soluere decimas; & hoc est verum; tum quia non erat Pharisæorum decimas capere, vel exigere, sed Sacerdotum & Leuitarum. Hinc Lucæ 18. Pharisæus dicebat: *decimas do omnium quæ possideo*, vbi Græcè habetur idem verbum quod hic; tum quia loquitur hic Dominus de operibus bonis, quibus se ostendebant Pharisæi, quod non in exactione, sed in solutione decimarum positum erat.

II. Debebantur autem decimæ ab his, qui erat ex alia tribu, quam Leui: tribui Leui; & ab his qui erant ex inferioribus familijs Leui summo Pontifici, ac Sacerdotibus; nam quod Diuus Hieronymus docet in cap. 45. Ezechiel. & notat Lucas Brugensis in caput vigesimumtertium Matthæi: λικάδα, *hoc est, decimam partem omnium frugum Leuiticæ tribui, Sacerdotibus inquam & Leuitis, cæterarum tribuum populus ex lege debebat: ac rursus ex ipsis suis decimis Leuitæ, hoc est, inferior ministrorum gradus, decimam dabant Sacerdotibus, & hæc est quæ appellatur* λικρολικάδη. lege cap. 28. Numeror. est ergo hic sensus: vt curiosam, & nimis exactam obseruationem minimorum ac faciliorum præceptorum, quæ potius ad mysterium aliquod significandum vel externam iustitiam, quam ad internam referebant, notare velit hic Dominus cum reprehensione neglectum in obseruandis maioribus præceptis, præsertim quæ ad eleemosynæ iustitiam & charitatem pertinent.

Mentham] De hac Plinius libro 19. capite 8. menthæ nomen, inquit, suauitas odoris (alludit ad vocem græcam εὐοσμός) mutauit apud Græcos, cùm alioqui μίνθη vocaretur, vnde veteres nostri nomen declinauerunt.

12. *Omne olus*] exactissimè decimatis omnia quæ possidetis, vsque ad vilissima olera, vt ait Augustinus capite 103. Enchirid. itaque perinde est, *omne olus*, ac omne genus oleris. Matth. capite 23. 23. addit. *anethum, & cyminum* de anetho Plin. lib. 20. capite 18. est odorifera herba, ructus mouens, tormina sedans, singultus cohibens; cyminum Latini verso v in u efferunt cuminum: sub his tribus herbarum generibus reliqua vilia, ac minimi pretij intellige; Earum enim decimam non solebat passim soluere populus, nec curabant Leuitæ ista minuta; at curabant Scribæ & Pharisæi, vt populo tantò religiosiores apparerent, & legis exactissimi obseruatores viderentur; notat Gregorius 3. part. Past. admonit. 34. factam esse mentionem decimarum in minimis quidem, sed benè olentibus: *vt profectò ostenderet*, inquit Diuus Gregorius, *quia simulatores cùm parua custodiant, odorem de se ostendere sanctæ opinionis quærunt: & quamuis implere maxima prætermittant, ea tamen minima obseruant, quæ humano iudicio longè lateq; redoleant.* Sic D. Gregor. Sed hæc spiritualem sensum continent.

Et præteritis] Et poni videtur loco, *sed*, præteritis, omittitis, negligitis. 13.

Iudicium] Lucas habet, *iudicium, & charitatem Dei*. horum loco Mat. habet *iudicium, & misericordiam, & fidem*: itaque apud Lucam amplectitur iudicium quod apud Matthæum iudicium, & misericordiam: est enim iudicium id quod iustum, & æquum est: quare etiam misericordia, seu beneficentia ad iudicium pertinet, & lege iubetur, tarquam iusta, & rationi consentanea: per charitatem verò amorem intellige quem Deo debemus; apud Matthæum ponitur fides. hoc verò loco charitas: est autem fides radix, charitas verò perfectio earum virtutum, quibus Deus colitur; vt proinde iudicium hic; & apud Matth. iudicium, & misericordia, id est, quidquid lex præcipit præstandum proximo secundæ; charitas verò seu fides primæ tabulæ decalogi mandata contineant; quare meritò Theophylact. ait dicendo iudicium indicat dilectionem erga proximum: dicendo verò charitatem Dei omninò significat generalem affectionem erga Deum; cùm ergo hæc grauiora legis contemnerent Scribæ & Pharisæi, & nec DEVM verè amarent, nec erga proximos æqui essent, nihil illis proderat quod obseruarent minora. Roget forte quis an rerum minimarum decimas lex præciperet? Respondeo ita videri posse, exactissimè legem interpretando, vt quæ habetur Leuitici 27. 30. *Omnes decimæ terræ siue de fructibus, siue de pomis arborum Domini sunt, & illi sanctificantur.* Hebraicè aduerbium est: *& omnis decima terræ de semine terræ, de fructu ligni Domino illa sanctitas.* Verùm hæc rigida interpretatio erit si menthæ, anethi, & similium parui pretij olerum minutam decimationem præcipi velis; verùm æqua & commoda interpretatione non præcipitur horum decimatio; quippè quæ ab eis parui fiebant (vt credibile est) quibus erant debita. Eodem modo intellige illud Deuteronom. 14. *decimam partem separabis de cunctis frugibus tuis, quæ nascuntur in terra per singulos annos.* Heb. *decimando decimabis omnem prouentum seminis tui quod producet ager annuatim.*

Iudicium quid?

Rerum minimarum decimæ an fuerint in præcepto?

Oportuit hæc facere & illa non omittere] ἔδει, *oportebat* imprimis grauiora legis exercere, id est, sectari charitatem, iudicium, & misericordiam facere; & illa interim leuiora non omittere: si quis verò obseruandæ legis studio, & non per simulatam sanctitatem ad ea præstanda moueatur: ita tamen vt suo loco habeatur grauioribus semper prælatis; si quis contra legem se facere omninò existimet, si leuiora illa non præstet, debet illa non omittere, dummodò grauiora præferat. & sic intelligo Dominum dicentē, *oportuit illa non omittere*: videlicet iuxta sensum Pharisæorum, qui sic legem interpretabantur: alioqui Lyranus Deuteronom. 26. Iansen. cap. 84. Salm. & alij quidā iudicant non sine magna probabilitate non fuisse Iudæos astrictos ad hæc minuta soluenda, nec legem loqui de his, sed de maioribus decimis, licet aliter Toleto videatur annotatione nonagesima. 14.

7. Væ vobis Pharisæis qui diligitis] Idem est hic diligere, quod optare, ambire vanos huiusmodi honores, eoque studia conferre.

Primas cathedras] Primos confessus; ambiebant enim in Synagogis primarum sedium tenere honores. Græcè τὰς πρωτοκαθεδρίας, quasi dicas, præsidentiam.

In Synagogis] Ad has enim conueniebat plurima hominum multitudo audiendæ legis studio; itaque in publicis his conuentibus primi apparere optabant: addit Matthæus c. 23. 6. *primos recubitus in cœnis*, hoc est, locum honoratiorem in capite

mensæ: cænæ autem nomine conuiuia intellige, ad quæ inuitabantur: & verò olim consueuerant solemnia conuiuia cænæ potius esse quàm prandia. Aptius enim est cænæ tempus ad diutius, & largius bibendum, & comedendum: nam deposita cura negotiorum in multam noctem etiã protrahi possunt potationes & comessationes. Hinc Paulus: *qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt.* observa reprehendisse Dominum Pharisæos, non quod obtinerent honestiorem locum; hoc enim malum non est, si dignitati personæ debetur ratione officij; sed id quod vituperat est, quod amarent, optarent, ambirent huiusmodi locum (quod Pharisæi faciebant) salutationes etiam in foro nimium affectarent, desiderantes magna cum honoris significatione & reuerentia ab hominibus salutari in foris & plateis vbicumque aliqua hominum frequentia esset. Matth. addit: *& vocari ab hominibus rabbi*, Græcè ῥαββεί: delectabantur enim vt sic frequenter nominarentur. Dicitur autem *Rabbi* à Rab; quod significat propriè magnum: tribuebatur autem ei, qui eruditione vel dignitate magnus erat: addito porrò, inquit Luc. Brug. primæ personæ pronomine, dignitas crescit. Atq; hæc erat Pharisæorum, & Scribarum olim ostentatio, & gloriæ vanitas.

Pharisæorũ arrogantia, & vani honoris studiũ.

15. 8. *Væ vobis quia estis vt monumenta*] Græc. & Syr. additur, *Scribæ & Pharisæi hypocritæ*: quæ procul dubio suppositicia sunt: præsertim cùm hactenus Scribas non sit allòcutus Dñs; & Luc. non tam Scribarum vocem, quàm iurisperitorum vsurpare solet. confert illos cum sepulchris quæ intus plena sunt ossibus, & omni spurcitia. D. Hieronym. Mat. 23. *quod in calice & paropside demonstrarat, eo quod foris loti essent, & intrinsecus sordidi, hoc nunc per exemplum sepulchrorum replicat; quod quomodo sepulchra forinsecus lita sunt calce, & ornata marmoribus, & auro coloribusq; distincta, intus autem plena sunt ossibus mortuorum: sic & peruersi magistri, qui alia docent, & alia faciunt, munditiam habitu vestiũ, & verborum humilitate demonstrant; intus aũt pleni sunt omni spurcitia, auaritia, & libidine. denicq; manifestius hoc ipsum exprimit inferens, sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti; intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate.* Hæc Hieron. *Quæ non apparent*] τὰ ἄδηλα, id est, quæ latent & minimè reserata sunt, quin occulta, quod attinet ad interiorẽ partem. *Et homines ambulantes supra, nesciunt*] Est Hebraismus: q d. qui ambulant super ea, nesciunt ea, hoc est, non nouerunt ea qualiter intus habeãt, quam sordida & defunctorum ossibus, & omni spurcitiæ genere plena sunt: itaq; hæc pars declarat præcedẽtem, hoc est, *quæ non apparent*, τὰ ἄδηλα. ratio verò cur homines ea nesciunt, est, quia foris apparent pulchra, & vt ait Ambr. *specie fallunt, visaq; decipiunt.* Explicat hunc locum Matth. fusius, & applicat Pharisæis, c. 23. 27. 28. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris quæ à foris patẽt hominibus speciosa, intus verò* (quod explicat vocem τὰ ἄδηλα) *plena sunt ossibus mortuorũ, & omni spurcitia: sic & vos à foris quidem apparetis homines iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.* est aũ verisimile eiusmodi monumenta fuisse etiam ampla, quod mihi videtur indicare verba Luc. *& homines ambulantes supra*, & ita vt possẽt homines super ea incedere: nec mihi placet exponere (τὰ ἄδηλα) sub terrã latentia: alioquin non benè applicaretur Pharisæis, qui à foris instar nitentium sepulchrorum apparebãt hominibus iusti: nam si non extarent, non item speciosa apparerent, & vt ait Matth. aspicerentur oculis.

Pharisæi & Scribæ sepulchris compa rantur.

16. D. Greg. p. 3. curæ pastoralis admon. 36. *rectè*, inquit, *sepulcra dealbata speciosa exterius, sed mortuorum ossibus plena, interius veritas vocat; quia vitiorũ mala intus contegunt; humanis verò oculis quorundã demonstratione operum de zelo foris iustitiæ colorũ blandiuntur.* D. etiam Chrysost. ho. 74. hac similitudine carpit eos qui exteriori corporis cultui dediti, animæ curam negligunt. *Multi*, inquit, *nunc huiusmodi homines inueniuntur, qui se deforis magnoperè exornãt, intus aũt sunt iniquitatis plenissimi: multæ namq; viæ in præsentiarũ etiam exterioris ornatus exhibentur, magna cura & magna vigilia eius rei multos exagitat, animæ verò decus & purgatio negligitur; nã si cõscientiã singulorũ cernere possimus, multos ibi vermes, multã saniẽ, atq; intolerabilẽ cõperiremus fœtorẽ: cupiditates dico à ratione alienas.* deniq; subdit: *si quis cadauer putridũ circũferens per ciuitatẽ vagaretur, nonne oẽs eum fugerent? hoc de te cogita, qui animã peccatis obrutã circumducis, quod multo est grauius.* hæc obiter moribus accõmodata.

17. 9 *Respondens aũt quidam ex legisperitis*] Erat is eidẽ mensæ accumbens. *Hæc dicens*] Contra Pharisæos. Legis Doctores, Gr. νομικοὶ dicuntur. i. legistæ. *Etiam nobis contumeliam facis*] Gr. ὑβρίζεις, iniuria afficis, & verborũ insolentia nomẽ nostrũ violas. benè habet, & sic est: malè sibi cõscius animus non fert aliorũ taxari vitia, quib. seipse obnoxiũ videt, perstringi. n. se eadẽ vocis libertate putat; idq; grauatè fert, verè inquit Cyril. in catena; Redargutio quæ mãsuetos trãsfert in melius, superbis intolerabilis esse solet. Sed cur dixit ét legisperitis & toti Scribarũ ordini, Christi verbis cõtumeliã fieri? Euthym. respondet, cũ similib. ipse affectibus esset obnoxius, cognouit q hæc aduersus homines diceret qui æqualiter errarẽt. alij respondent, sic locutum legisperitũ, q multi ex Pharisæis legisperiti & doctores essent, q ergo in Pharisæos dicebatur, in legisperitos redũdabat: præcipua causa cur iste sic loquutus fuerit, est, q Pharisæi non erant nisi rigidi obseruatores doctrinæ Scribarum, vt inquit Luc. Brug. Pharisæus. n. vt Pharisęus, nihil dicebat; Scribarũ erat legẽ explanare & obseruãda docere. cũ ergo ex doctrina & præscripto Scribarũ tot ablutionib. & tã curiosè manuũ & vtensilium munditiei studerent Pharisæi, & tã minutæ solutioni decimarũ, propterea videns iurisperitus corripi Pharisæos, ob eiusmodi obseruationes interpretatus est, perstringi nõ modò se, sed totũ ét Scribarũ ordinẽ: neq; ista solum tribui, sed & reliqua quoq; vitia exprobrari quib. non ignorabat legisperitus obnoxios eos esse, accusante conscientia: sed malè & falsò Christi obiurgationẽ, contumeliã appellat, neq;. n. ex odio, vel inuidia, vt probro Pharisæos afficeret hæc dicebat Christus; sed diuino zelo motus volebat corripere eos, & emendare volebat eorũ vitia; & simul docere ipsum non latere; præsertim verò illud agebat Christus, vt intelligeret vulgus Pharisæos ac Scribas, falsos esse doctores, & plurimis vitijs infectos, atq; adeò non esse audiẽdos, dũ à Christi fide homines auocarẽt.

Scribarum erat legem explanare non Pharisæorum.

18. 10. *At ille ait*] Respondit. *Et vobis legisperitis væ*] sensus est; ne arbitremini vos eisdem vitijs cõmaculatos non esse, ac similem obiurgationem publicè non mereri: neque enim solis Pharisæis, sed vobis simile exitium imminet, quia cùm oneretis multiplicibus & difficilibus ad portandum præceptis reliquos, ipsi vel vno digitorum vestrorum nõ attingitis, vel loco mouetis sarcinas, ea videlicet onera. (opponit enim digitum humeris.) id dicit quia suo alios exemplo promptiores, & alacriores ad portandum præcepta non modo non reddebant, sed ne digitum quidem adhibere dignabãtur, vt ea onera vel loco dimouerent. est autem sumpta similitudo ab his, qui libenter alios onerãt sarcinis quantumuis grauibus, seipsos verò oneri subtrahunt, & cum cæteros compellant, ad suppo nendos humeros illis sarcinis, ad eas vel dimouẽdas ipsi ne digitum quidem adhibere dignantur.

19. Breuiter ergo ſenſus eſt, nihil ex his faciunt, quæ alijs exactiſſimè imperant. Duplicem itaque inquit Chryſoſtomus in Matthæum, nequitiam eorum oſtendit, tum quia ſine venia exquiſitiſſimè multitudinē viuere volunt; tum quia nimium ſibi ipſis indulgentes magnam aſſumunt licentiam: quorū oppoſita in optimo principe requiruntur, vt aduerſus ſeipſum nulla vtatur venia, ſed ſeuerum ſe iudicem exhibeat; erga ſubiectos autem mitior, & ad dandam pronior veniam ſit. idem obiecit Chriſtus eiſdem Matth. 23. & 4.

D. Bonauent. Luc. 11. illa Deut. 25. *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera*; & Prouerbior. 20. *Pondus, & pondus; menſura, & menſura. Vtrumq; eſt abominabile apud Dominum*, ſic exponit ſenſu morali, hoc eſt, ait: *Homo ſibi eſt miſericors, & proximo vel ſubdito durus, cùm nihil portat, ſed totū alijs portandum imponit.* tales erant legiſperiti diuerſa pōdera in ſacculo geſtabant, & altera ſe trutina, altera ſubditos ponderabant, & examinabant, quippè qui erga ſe miſericordes, erga cęteros duros, & ſeueros ſe exhibebant, & legibus innumeris populū onerabant, eas verò ipſi negligebant. aliter docentur Principes Cod. de legib. l. digna vox. *Digna vox eſt maieſtate regnātis legibus alligatum ſe Principē profiteri; adeò de authoritate iuris noſtra pendet authoritas, & reuerā maius imperio eſt ſubmittere legibus principatum.*

20. 11. *Væ vobis qui ædificatis monumenta* &c.] Hoc nō in legiſperitos ſolos, ſed in oēs Iudęorū Principes dicere videtur, *qui ædificatis* &c. Gr. eſt ὅτι *quia*. ſed rectiùs Lat. legitur, *qui*; neq; n. reprehenduntur quia ædificarent, & ornarent ſepulcra. Mat. 29. addit: *væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ*, vocat. n. hypocritas, quia cū viuos iuſtos extinguere quærerent, oſtēdebat tñ ſe abhorrere ab effuſo ſanguine Prophetarum, quorum ſepulcra ædificabant, & ornabant.

12. *Profectò teſtificamini* &c.] Loco, *profectò* Gr. eſt, ἄρα nępe, docet cur illis væ, & ſuppliciū extremū imminere dixerit. *teſtificamini* &c.] Gr. ad verbum eſt *teſtificamini, & ſentitis*, q. d. q̄ ſentiatis, & approbetis, ſeu q̄ vobis placeant, *operibus*. i. cædib. & vitijs; ſed difficilè eſt verū ſenſum horū verſuū elicere; principio arbitror eodē modo interpretari nos debere Luc. & Mat. c. 23. 29. n. 30. 31. nā vtriuſque reuera ſenſus eodē recidit, licet nō eodē tempore, & loco, hæc & illa dicta ſint; duplex hic mihi imprimis probatur expoſitio, quarū prima eſt D. Chryſ. hom. 75. in Mat. nā cū bifariā intelligi poſſit aliqs ædificare ſepulcrū alteri; primū vt opus q̄dā miſericordiæ in mortuū, vel interfectū exerceat, ſeu vt illi honorē exhibeat; 2. quaſi in monumentū, & recordationē eximij operis patrati ab his qui hominē illū cui ædificatur ſepulcrū, interemerunt; hoc modo qui monumentū ædificat interfecto, manifeſtè teſtatur ſe cōſentire patratæ cædi, & approbare homicidarū ſcelus. ait ergo D. Chryſ. hoc poſteriore modo, non priore videri poſſe Phariſæos ædificaſſe ſepulcra Prophetarū, propterea meritò à Chriſt reprobari. *menti*, inquit Chryſ. *ac volūtati eorū qui ædificabant ſepulcra apertè detrahit; non n. vt ornarēt occiſos, ſed vt cæde illorū vires ſuorū oſtēderent; timētes ne ſi vetuſtate ſepulcra caderent, tanti facinoris, & audaciæ memoria caderet. Sic igitur ſepulcra Prophetarū quaſi trophæū cōſtituētes præclariis cōſtructionibus ædificabant, audaciā Patrum oſtētantes.* Verum non videtur veriſimile hoc animo illos ædificaſſe ſepulcra Prophetarū, qui interfecti fuerāt: &, ſi Matt. ſpectemus, apertè id cōſtabit: dicit. n. Dñs Mat. 23. 30. de Phariſæis & Scribis (*ædificatis ſepulcra Prophetarū, & ornatis monumēta iuſtorū & dicitis: ſi fuiſſemus* (. i. vixiſſemus) *in diebus Patrū noſtrorū nō eſſemus ſocij eorū in ſanguine Prophetarū.*

Duobus modis alter alteri ſepulcrū ædificare dicitur.

A Cæterū retineri poteſt hæc Chryſ. interpretatio ſi rectè intelligatur. Affirmo igitur rectè reprehēſos eſſe Phariſæos à Chriſto, quaſi ædificarēt monumēta Prophetarū, vt trophæa q̄dā eorū q̄ illos interfecerāt. nā licet reuera hęc ipſorū mēs & intētio nō fuerit, facto tñ ipſi ita ſe gerebāt, ac ſi hāc rē animo intēderēt; nā cū ꝓſequerētur iuſtos ac Prophetas, q̄ adhuc viuebāt, q̄n ēt ipſū Dñm Prophetarū, q̄uis dicerēt ædificare ſe monumēta in honorē Prophetarū à patrib. interfectorū, certè ſatis coargui, & cōuinci poterāt ex hac parte, q̄ nō ſincero animo, ſed ꝓ hypocriſim ædificarēt monumēta Prophetarū; atq; adeò ita ſe gererēt; ac ſi ap̄bare vellēt parētū ſuorū facinora; id. n. ſatis ꝓluadere poterat eorū aduerſus Chriſtū eiuſq; diſcipulos inueteratū odiū, & incredibilis inuidia, qua ꝓ ſummū ſcelus Chriſto mortē modis omnib. machinabātur tāq̄ veri homicidarū filij; vt appareret hæredes ſe eſſe crudelitatis illorū; & ſaltē reipſa fictè ac ſimulatè patrū ſuorū morib. cōtradicere, ſic declarare
B videtur Chryſ. cum eodē loco initio humiliæ ſic ſcribat. *Nō quia ædificāt, nec quia patres ſuos accuſant, væ illis dixit; ſed quoniā facientes, & ita dicentes patres ſuos cōdēnare audebant, cū ipſi peiora cōmittērēt.* ſic ille. Euth. in Mat. ait: *videremini ſiquidem vos Phariſæi & Scribæ in honorē eorū qui occiſi ſūt ornare monumēta & ad accuſationē patrū veſtrorū prædicta facere, niſi homicidiū eorū imitaremini.* Eādē hāc expoſitionē inſinuat Hiero. in Mat. & Hil. 24. in Mat. & clarius Ambr. c. 7. in Luc. vbi ait: *AEdificādo ſepulcra Prophetarū, patrū ſuorū facta dānabant, eosq; laudando aūt paterna ſcelera in ſeipſos ſententiā retorquebāt, non ergo ædificatio ſed æmulatio loco criminis æſtimatur.* hæc Amb. Cōſule & auctorē imperfecti ho. 45. & verò negari nō poteſt ficto iſtos ac ſimulato animo hac in re ſe habuiſſe, ꝑſertim q̄a volēbāt videri per hæc exteriora opera quib. ędificabāt monumēta Prophetarū, abhorrere plurimū ab effundēdo ſanguine Prophetarū; quos verè Prophetas &
C iuſtos reputabāt: vt ita poſſēt tāto liberius Chriſtū ꝓſequi; tāq̄ nō verū Prophetā & Meſsiā; ſic. n. affectata in iuſtos pietate videri poterāt populo Chriſtū ꝓſeq; nō tāquā iuſtū & Prophetā, ſed q̄ potius cōtrarī eſſet Moyſi & Prophetis, in quorū laudē & memoriā monumēta ædificarēt & hęc eſt. 1. expoſi.

Altera expoſitio hęc ſit, duob. modis intelligere hic poſſum⁹ quid ſit ædificare ſepulcra, vel vt idem ſit q̄ ornare ſepulcrū, ſeu certè collapſum reparare, quō in priori expoſitione ſumebamus: vel vt idē ſit ac conficere ſepulcra, eo q̄ is qui antiquo monumēto nouas moles, vel ſtructuras adijcit, licet fortaſſis im ꝓpriè, ſepulcrum tñ ædificare dici poteſt. Porrò ſepulcrū cōficitur mortuo alicui ſepeliēdo, & hoc modo nūc ſumimus monumēta ædificare; erit ergo hæc ſententa, vt exprobret Chriſt⁹ Phariſæis, q̄ ſepeliant Prophetas, vel certè, vt ſepeliātur, operā ſuā præbeant: cōſummatur aūt mors ſepulturā, eiuſdēq; criminis participes & ſocij cenſentur, tā qui interimunt, quā qui ſepulturā conficiunt vt ſepeliant; quaſi illi vitam auferant, iſti memoriā. ſic faciunt prædonū ſocij: ab illis enim interemptos, alio homicidij genere, ne inueniantur ſepulturæ tradunt: quare Dñs eo q̄ iſti ſepulcra conficerent, & quaſi ſepelirent, colligit eos, in eādem conſentire, eamq; quaſi ſuo calculo approbare: vnde apud Matt. *itaq; teſtimonio eſtis vobismetipſis, quia filij eſtis* &c. non tantū quia fatemini vos homicidarū filios, ſed etiā quia illos conſepeliētes, oſtenditis vos eſſe parentum veſtrorum ſocios in effundendo iuſtorum ſanguine: & clarius apud Luc. *profectò*, hoc eſt, nempè *teſtificamini quod conſentitis.* rectè aūt hoc illorum ſtudium ſic in malam partem interpretatur, non ex natura operis, nec quod talis fortaſſis eorum eſſet mens, & in-

22.

tentio,

Digitized by Google

tentio, sed quod merebatur eorum odium in Christum, & persecutio, vt hoc modo ipsorum opera in ipsos retorquerentur. porrò mereri hæc ipsos demonstrat Dominus per ea, quæ paulò post subijcit versu sequenti, *propterea sapientia Dei dixit, mittam ad illos Prophetas, &c.* vbi aperit quid facturi essent in Christum & Apostolos. hæc est aktera interpretatio quam amplectitur Lucas Brugensis in Lucam v.48.cap.11

Vtramque igitur complectentes interpretationem sic concludemus, vt dicat Dominus Pharisæis, vos ædificando, atque ornando sepulchra Prophetarum videri vultis Prophetas colere, & damnare parentes illorũ interfectores: atqui ego dico vos patrum vestrorũ operibus consentire, & eorum scelera approbare, & tanquam sepulchra parare sepeliendis Prophetis tanquam si gauderetis à patribus vestris interfectos. (quæ est secunda expositio) aut certè monumenta extruere, & tantum non trophæa erigere parentum vestrorum fortitudinis contra Prophetas (quæ prima expositio) hæc de vobis quiuis sentiet, qui vos penitius introspexerit, & æstimarit ex animo, quem non obscurè declaratis erga huius temporis Prophetas, Christum eiusque discipulos, in quos peiora molimini quam parentes olim vestri contra Prophetas, & iustos crimina commiserint: vtraque hęc expositio applicari potest ad Matthæi locum cap.23. v.29.30.31. vbi additur aliquid quod non habet Lucas expresse. nam non solum ex eo quod sepulchra ornarent, iuxta primam explicationem vel conficerent iuxta alteram, ostendit ipsos consentire operibus patrum, sed etiam ex eo quod dicebant vulgi fauorem captantes, *si fuissemus in diebus patrum nostrorum non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum.* ex his inquam verbis, quibus fatebantur se homicidarum filios esse, ostendit hoc eorum dictum in eos reijciens, verè ita loqui, filios esse homicidarum, atque adeò, vt solent filij, parentibus suis non absimiles; est ergo argumentum à correlatiuis, quo obiter perstringit eorum stoliditatem, quod dum se iactabant parentum crudelitatem accusantes, homicidarum interim se filios insipienter testarentur, quorum verè erant imitatores factis & vita, non verò Abrahæ: subdit Matthæus vers.32. *& vos implete mensuram patrum vestrorum*, quasi dicat, vos igitur permitto, non abnuo. *Implete*, & perficite peccatorum *mensuram*, quam statuit Deus, ne in infinitum excrescat gentis cuiusuis malitia. Cùm enim iniquitates populi alicuius præscriptum actigerit gradum, quem Deus permittere non vult vt excedant, tum infligitur extremum supplicium. est ergo, Implere mensuram absoluere impietatem, & quod restabat scelerum addere ad commouendam penitus diuinam iram, & maturandum supplicium: est ergo metaphora sumpta à rebus, quæ certa mensura venduntur, quarum pretium integrum tunc persoluitur, cum plena mensura cõsignatæ fuerint. vocat autem mensuram patrum, id est, à Deo genti illorum constitutam, vt non sit excedenda, quam patres illorum persecutionibus, & cædibus replere cœperant, cum merito dixerit Stephanus Actorum 52. 53. *quem Prophetarum non sunt prosecuti patres vestri, & occiderunt, &c.* porrò hanc mensuram tunc compleuerunt Pharisæi cum occiso Christo à Deo tandem prorsus derelicti sunt, & funditus deleti.

Implere mẽsuram peccatorũ quid in Scripturis significet.

24. 13. *Propterea, & Sapientia Dei dixit*] Matthæus habet, *serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas* &c. vbi cum dicit, *ideo*, non reddit causam cur Prophetas, Sapientes, & Scribas missurus

A sit: neque enim (vt notat Maldon.) propter Scribarum, & Pharisæorum nequitiam missurus erat: sed affert caussam cur eos essent interempturi, quia nimirum serpentes erant, & viperæ, quorum proprium est homines interficere. Hoc verò *propterea*, referri videtur ad versum præcedentem, *profecto testificamini quod consentitis operibus, &c.* nam quia consentiebant parentum suorum prauis operibus, & homicidijs, quia reuera, & ipso facto Prophetarum cædes approbabant, *propterea, & Sapientia Dei dixit*, &c. vbi, *&*, idem est ac, *etiam*, est autem Sapientia ipsemet Christus, aptè ac verè sic appellatus, tum quia secundùm diuinam naturam verbum Dei, hoc est, sapientia Dei est; iuxta humanam verò naturam rectè Sapientia dicitur, quia *in ipso omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei abscõditi sunt*, Coloss.2. 3. potissimum verò hic ab Euangelista oppositeSapientia nominatur, vt intelligeremus has exprobrationes, & comminationes non temere in Scribas, & Pharisæos esse prolatas, sed tanquam à sapientissimo rerum omnium præscio, & gubernatore. quod ergo Matth. dixit, *ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas*, &c. Lucas dixit, *propterea & sapientia Dei dixit, mittam ad illos Prophetas.* quod idem est ac si dixisset, *ecce ego mitto*, quia ipse Dei sapientia erat, & ex ambiguitate verbi inuidiam excitauit: est enim verisimile Christum, prout refert Lucas, loquutum esse, & Matthæum sensum posuisse. *Ad illos*] legisperitos, & Pharisæos, ac reliquos ludęos. *Dixit*] id est decreuit; est autẽ hebraismus, & ita possumus interpretari Matthęum, *ecce ego mitto*, decreui mittere. *Prophetas & Apostolos*] Prophetas nominat, generatim etiam complexus Scribas, quos addit Matthæus, hoc est, non tantũ eos qui futura vaticinantur, sed qui voluntatis etiam diuinæ sunt interpretes, quos Matthæus nomine Prophetarum, & Scribarum comprehendit, Apostolos nominat qui scientia mysteriorum fidei Christianæ præditi erant; vox verò sapientis videtur vniuersalior, sic 1.ad Cor.1.20. *vbi sapiens, vbi scriba, vbi conquisitor huius sæculi?* porrò patet ex Matthæo Apostolos, sic à Luca dici non modo Prophetas, sed etiam Scribas, quia Christus accommodate ad Iudæorum consuetudinem loqui voluit, qui suos legis Doctores Scribas vocabant. *& ex illis*] *&*, pro, *sed*, videtur positum: *ex illis*, videlicet aliquos occident, aliquos persequentur, Græcè ἐκδιώξουσιν, insectabuntur ita vt tandem aliquando grauibus affectos iniurijs expellant, quod est magis emphaticum, quam persequentur.

Christus rectè Sapientia dicitur secundum vtramque naturam.

25. 14. *Vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum*] Matthæus habet, *vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram*, hoc est, ita vt venturus sit & reuera veniet prout merita exigent vestra: *super vos* autem idem est, quod aduersus seu contra vos; ita vt vos apprehensurus sit, & funditus deleturus. *omnis sanguis*, est hic, *sanguis*, idem quod vindicta, & vltio respondens effusioni omnis sanguinis: dicitur autem venire super aliquem sanguis cum in caput eius redundat; quasi dicat, vt in vos recidat omnis sanguis & vltio capiatur de vobis pro omni effuso sanguine, vt rei sitis omnis effusi sanguinis. similem phrasim leges 2.Reg.1.16. & 3.Reg.2.32.33. & Matth. 27.25. *Iustus*, hoc est, Iustorum, quod Lucas vocat Prophetas pro, *effusus est*, Græcè ἐκχυνόμενον, qui effunditur, sed præsens ponitur pro præterito: vel in præsenti loquitur, vt expresse significet sanguinẽ illũ quẽ paulò post effusuri erant, suũ videlicet & discipulorum, super terram, hoc est ab orbe condito effundi: sic Matt. Luc. aũt habet: *vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum*] Græcè ἐκζητηθῇ, vt exquiratur, aut requiratur, hoc est, ita vt omninò

requirenda sit & exigenda pœna sanguinis. sic Psal. 9. v. 13. *quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est.* sic Ezech. c. 3. 18.

Sanguinem eius de manu tua requirã: Itaq; tam apud Matthæum, quam apud Lucam ἵνα, *vt*, (vt rectè monuit Euthymius) non causſam, ſed euentum ſignificat, ſeu cauſſam meritoriam & rei ipſius conſequutionem.

26. Abel quare appellatur iuſtus.

A ſanguine Abel] quem ob iuſtitiam inuidus frater peremit; quia verò in ipſo primum reperta iuſtitia eſt, ob quã eſt occiſus, per antonomaſiam dicitur *Iuſtus*: nam Adam licet iuſtitiam ante occiſum Abel recuperaſſet, peccato tamen ſuo celebris eſt. De Abele Apoſtolus ad Hebræos 11. 4. ait: *fide plurimam hoſtiam Abel, quã Cain obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt iuſtus.* Id eſt, per quam hoſtiam cum fide maiori factam, teſtimonium accepit à Deo quod iuſtus eſſet; quod fuit cum inflammauit Dominus ſuper Abel, & ſuper ſacrificium eius: ſuper Cain verò & ſuper ſacrificium eius non inflammauit, vt patet ex Theodotionis interpretatione. Hieronymus refert in traditionibus Hebraicis in Geneſim initio fere; & nũc iterũ Dominus apud Matt. & Luc. teſtimoniũ iuſtitiæ Abel reddidit. Porro Abel Propheta Dei lumine illuſtratus eo ſacrificio, quod obtulit, Chriſti necem præſignauit, & Adami familiam primus & verbis & vitæ ſanctitate ad Deum colendum incitauit. *Vſque ad ſanguinem Zachariæ*] Matth. addit, Barachiæ filium fuiſſe; quis autem is fuerit vberius docebimus in theoria; nunc breuiter dicimus fuiſſe vel patrem Ioannis Baptiſtæ, quẽ Hippolytus Matryr, teſte Nicephoro l. 2. hiſt. c. 3. Barachiæ filium fuiſſe teſtatur: cui expoſitioni rectè quadrat quod loquitur apud Matth. *quẽ occidiſtis*, id eſt, vos quos nunc alloquor: vel Zachariam illum, qui Ioiadæ filius fuit, de quo 2. Paralipom. 24. 21.

Eius ſacrificium Chriſti mortem præſignauit.

27.

Qui periit inter altare & ædem] Matth. habet: *inter templum & altare.* Obſerua templum ſeu domum nominari eam partẽ, quæ tecta erat, nam atria non erant omnino tecta: conſtabat autem ea pars veſtibulo ſancto, & ſancto ſanctorum: altare verò quod holocauſtorum vocabatur, in atrio ſacerdotum medio conſtitutum erat. Porro ipſum atrium occidentem verſus veſtibulo & templo interiore claudebatur: nam ex atrio per veſtibulum in templum interius patebat ingreſſus, id eſt, in ſanctum, & ſanctum ſanctorum. Meminit huius loci Saluator, vt tanto magis delicti atrocitas appareat eorum, qui vt homicidium patrarent, ne templi quidẽ religione abſterriti fuerãt. Græcè loco ædis eſt τοῦ οἴκου. Quæri poteſt cur dixerit Dominus exigendas eſſe pœnas etiam ſanguinis Abelis qui à Cainò fuſus eſt, cum Cain natura Iudæorum pater non fuerit? reſpondeo, enumeraſſe Abelum inter illos, qui à Iudæis interfecti fuerãt, quia Cain, & ſi natura inter Iudæorum Patres non fuit, cùm tamẽ omnium homicidarum caput extiterit, dici poteſt imitatione pater, atq; adeò cum maioribus Iudæorum connumerari, qui Prophetarum cædem perpetrarunt. quare Cain filij nunc appellantur Iudæi, eodem modo quo Io. 8. 44. diaboli filij eſſe prohibentur: vt merito dixerit Iudas v. 11. *væ illis qui in via Cain abierũt*: ſic rem hanc auctor Imperfecti diſſoluit: vel certè Cain nominauit, quia ad familiam Adę, pertinet, & populus Iudæorum ab illa primum familia, ſicut cæterum genus humanum, deſcendit: cui ſucceſſit familia Seth. deinde Enos, Gen. 4. 26. mox familia Noe tempore diluuij: à diluuio Sem, poſtea Heber, Abraham, Iſaac, tandem Iacob, cuius familia diuiſa fuit in duodecim tribus, totaq; manſit cultrix veri Dei: omnis ergo ſanguis Prophetarum, q

A

effuſus fuit in ſingulis ex his familijs, ab ijs, qui ad eas pertinebant, ſaltem antequam propriam conſtituerent familiam, cuius in Scripturis fiat mentio, dicitur exigendus à Iudæis, qui tempore Chriſti erant eumque ſunt perſecuti: iſti enim omnes Iudæorum maiores rectè cenſentur, qui illarum familiarum patres fuerunt aliquando, à quibus Iudæi oriundi ſunt.

Ita dico vobis] Græcè ναί, *certè profectò*. Matthęus habet, *amen dico vobis, venient hæc omnia*, &c. & verò hæc adduntur ad vehementiorem aſſeuerationem, & ad incutiendum maiorem metum nequis ad inanem & vmbratilem timorem inferendum pertineret iſta crederet. *hæc omnia*] hoc eſt crimina, homicidia, cædes: videlicet vindicta his debita *ab hac generatione* requirentur, omnis, videlicet, ſanguis ille exigetur ab hominibus generationis huius, ſiue ætatis, quod factum eſt quadrageſimo circiter anno à Chriſto paſſo: tũc enim deleti ſunt funditus Iudæi, quando non omnes illi quidem quos Chriſtus alloquebatur, vel qui Chriſtum interemerunt ſuperſtites erant, ſed vna tamẽ generatio cenſetur eſſe cum his illa, quo tempore Hieroſolymitani excidij reperta eſt: in qua non dubito plures fuiſſe ex his qui tempore Chriſti viuebant: præſertim quia excidium illud Hieroſolymitanum, quod ad initium eius attinet, fi ab initio belli Iudaici numeretur quadriennium & eo amplius durauit: de hac nouiſſima Iudæorum clade vaticinatus eſt Daniel capite nono, 26. *non erit eius populus qui eum negaturus eſt, & ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo: & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.* Iſai. cap 1. 8. *derelinqueturq; filia Sion vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas, quæ vaſtatur.* & Oſeæ c. 3. 4. *Dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine theraphim; & poſt hæc reuertentur filij Iſrael, & quærent Dominum ſuum, & Dauid regem ſuum, & pauebunt ad Dominum & ad bonum eius in nouiſſimo dierum:* quæ verba explicant id quod habet Matthæus c. 23. v. 38. 39. *ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta: dico enim vobis non me videbitis amodo donec dicatis: benedictus, qui venit in nomine Domini.*

28.

29. Clauem ſcientiæ tollere quid ſignificet.

15. *Væ vobis legiſperiti, quia tuliſtis clauem ſcientiæ*] ait Maldo. Luc. 11. clauem ſcientiæ tollere, eſſe ſcientiam ſalutis ita ſibi vſurpare, vt doceant, neminem, niſi viam ſe monſtrantibus, & per portam quam ipſi aperuerint, per ſuas legis & Scripturæ interpretationes, & præcepta, quæ impoſuerunt, in cœlum ingredi poſſe: videturq; ſumpta metaphora ab eo, qui domui alicui præeſt, & ianuæ clauem ſecum geſtat, ſine quo aperiente nemini licet domum ingredi vel egredi; hoc ergo eſt, quod iſti iuriſperiti faciebant: nam quaſi ianuæ cœleſtis clauem ipſi ſeruarent, præcepta Dei quibus ingredi oportebat in cœlum, nec ipſi ſeruabant, nec alios ſeruare permittebant, cùm tam multis, ijſque grauibus mandatis homines onerarent, vt eos ab ingreſſu cœli impedirent potius ac retardarent. hæc interpretatio probabilis eſt. Diuus Ambroſius ſerm. 8. Auguſt. lib. 2. qq. Euangel. 3. & lib. 2. contra aduer. leg. & Proph. cap. 5. Cyril. apud D. Thom. Beda, & Theophyl. clauem ſcientiæ interpretationem & cognitionem Scripturarum eſſe dicunt: hanc Phariſæi ſibi vendicabant, nec tamen ad Chriſtum veniebant, vel in Eccleſiam intrabant cum Scripturas non intelligerent, quæ de Chriſto loquebantur; alios verò ne intrarent, & ad Chriſtum venirent impediebant, cum falſo, ac peruerſo ſenſu Scripturas interpretarentur. Hæc expoſitio melior eſt; quod ſi accipiamus

verbum

Digitized by Google

verbum illud *tuliſtis* pro abſcondiſtis, ſuſtuliſtis, nihil meo iudicio huic interpretationi deerit, cum loco, *tuliſtis*, apud Græcos ſit ἤρατε, malunt Græci, & Diuus Ambroſius loco citato interpretari ſuſtuliſtis, abſcondiſtis, obſcuraſtis, ita vt ſubtracta clau i neceſſe ſit portam eſſe clauſam. Hæc eſt interpretatio Euthymij, Theophylacti, Cyrilli, qui in catena citantur, & confirmatur hæc expoſitio, quia quod dicit hic Lucas *tuliſtis claues*, dicit Matthæus capite 23. verſ. 13. *clauditis regnum cœlorum*, hoc modo. *væ autem vobis Scribæ, & Phariſæi, Hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines*, hoc eſt, coram & in os hominum, qui ingredi parabant Chriſti prædicationem audientes, *vos enim non intratis, nec introeuntes*, τὸν εἰσερχομένον, id eſt, qui Chriſti doctrinam aperto regno ingredi parabant, *finitis intrare*. quod ergo dixit Lucas, *tuliſtis clauem*, dicit Matthæus eodem ſenſu, *clauditis regnum cœlorum*, quia verò non clauditur, niſi quod apertum eſt, propterea ſignificatur per Chriſti aduentum, & prædicationem apertum eſſe regnum; ipſos verò Phariſæos falſis commentis conari claudere & reuera clauſiſſe multis, qui parati erant ingredi, id eſt, Chriſtum credere.

16. *Cùm autē hæc ad illos diceret, cœperunt Phariſæi, & legiſperiti*] alteri quod ſanctitatis æſtimationem ſuam minui, alteri quod doctrinæ authoritatem propriam eleuari illa oratione Ieſu metuerent: vtrique verò ſalutiferis verbis & libertate reprehendentis offenſi. *Diceret*, autem poſuiſſe videtur pro libere dixiſſet; *grauiter*] vegementer. *Inſiſtere*] Græcè συνέχειν, quod eſt continere, vrgere, comprimere, coarctare, aliqui codices habent ἐνέχειν, inſiſtere, inſidiari, vel imminere, inſtare, moleſti eſſe: ſed vtrouis modo legas, eodem recidit vtraque lectio *Et os eius opprimere de multis*] Arias Montanus ſic declarat hunc locum, *cœperunt os eius opprimere de multis, hoc eſt arguere verba eius multis deductionibus, & conſequentijs, quæ inde colligi argumentabantur: vt, quòd imperfectionem phariſaicam improbaret, quòd nullos magiſtros eſſe vellet, aut omnes docere poſſe diceret, quod ſepta, ab ipſis ita appellata legis euerteret, non diſtingueret inter ſacrum & prophanum, quod honorum, & dignitatum rationes peruerteret: hoc eſt os opprimere, & grauiter inſiſtere, inſidiantes ei, & captantes aliquem vel extortum errorem, vel verbum ſtultum, vel ambiguum quod in malam partē verti & formari poſſet: Inſtabant autē ſic. Ergo vis dicere hoc? Ergo illud ſignificas? &c.* Sic Arias. Græcè loco, *os opprimere*, eſt ἀποστοματίζειν, quod aliqui interpretantur eſſe, ab ore eius pendere, obſeruantes num quid illi excideret quod calumniari poſſent. Alij ab ore interrogare eum: alij ad loquendum allicere: alij captiosè eum interrogare: Denique alij frequenter interrogare, & perplexum facere. Quare non eſt ſenſus, *cœperunt os eius opprimere*, hoc eſt, occludere, aut obturare: ſed os eius obruere quodammodo, non vt fileret, ſed ita vt compelleretur ad plura ſimul reſpondere, vt perplexus & hæſitabundus aliquid, quod reprehenſione dignum eſſet, ex ore eius extorqueret. ἀποστοματίζειν Euth. ſignificat, inquit, extemporales, & non conſideratas reſponſiones doloſarum interrogationum repetere. Theophylactus quoq; interpretatur frequenter interrogare, & perplexum facere: id quod fieri ſolet quando plures interrogant vnum de alijs atq; alijs argumentis; ita vt perplexus reddatur, nec poſsit reſpondere: & iſte videtur mihi eſſe ſenſus verus, ſi ſimul addas expoſitionem Montani, quæ eodem tendit. Obruere ergo Chriſtum volebant multis interrogationibus, quod Euth. & Theophyl. dicunt, ſimul & verba eius arguere, quod habet Montanus, quibus eos reprehenderat, multis inde deductis conſequentijs, quas ſi conceſsiſſet, accuſationi fuiſſet obnoxius. Noſter interpres, inquit Maldonatus, videtur legiſſe ἐπισοφίζειν, os obſtruere, vt ad Titum 1. 11. quod mihi non multum placet, quia interpres vertit opprimere, quod aliud eſt quam claudere; ſed potius os premere ad extorquēdum reſponſum aliquod incautum, quod ſi voluiſſet per, *opprimere*, ſignificare obſtruere, clarius dixiſſet, & minus ambiguè, *claudere os*.

De multis] non ad ſequentia, ſed ad præcedentia hæc pertinent: intelligit enim multis varijſque quæſtionibus propoſitis, & illatis cōſequentijs.

17. *Inſidiantes ei*] Nil mirum, ſemper enim ſalutaria monita oderunt facinoroſi homines: enixè & cupidè ſtudentes reddere ei, qui monuit, malum pro bono.

30. Facinoroſi benè monē tes oderunt.

Et quærentes aliquid capere de ore eius] Et, videtur poſitum pro, id eſt.

Aliquid] verè *aliquid* dicit, quia accurate & curiosè nimis ſingula eius verba obſeruabant. *Capere*] θηρεύσαι. *venari*: interrogationum enim & obiectionum & conſequentiarum quaſi quibuſdam perplexis retibus & aucupijs inſidias moliebantur, ſed nihil miſeri profecerunt; nam vt rectè Euthym. notat, licet male ipſi cogitarent & proficere ſe aliquid poſſe ſperarent aduerſus eum, ille tamen ſapientiſsimè diſſoluebat omnia, facileque reſpondebat. Verè de iſtis dici poteſt illud Ierem. cap. 5. *percuſsiſti eos & non doluerunt, attriuiſti eos & renuerunt accipere diſciplinam: induruerunt facies ſuas ſupra petram & noluerūt reuerti*: quamuis autem tales, hoc eſt, inſanabiles, eſſe ſciret, voluit tamen acriter illos Chriſtus corrigere, quia etſi non ipſis, ſaltem populo futura erat reprehenſio vtilis & fructuoſa: vt ſibi caueret ab his, tam quam à peſte & fæce hominum, & vt à pertinaciſsimè ſibi infenſis.

Quam inſolenti diligentia Phariſæi carpendi Chriſtum occaſionem quæſierint.

THEORIA VNICA.

In verſum 14. quisnam ſit ille Zacharias, qui perijt inter altare, & ædem.

TRES omninò ſunt ſententiæ grauiorum auctorum, quiſnam fuerit iſte Zacharias, de quo hic Lucas, & Matthæus capite 23. 35. Prima eſt veterum ante Hieronymum, Zachariam iſtum eſſe, qui in numero Prophetarum minorum vndecimus eſt, & filius Barachiæ dicitur: his videtur Chryſoſtomus aſſentiri homilia de natiuitate Sancti Ioannis, quæ eſt in ſecundo tomo, quibus Varablus, & noſter Ribera in caput primum Zachariæ numero primo vſque ad quintum, & alij ex recentioribus conſentiunt: quam ſententiam confirmant primum quia Dominus, vt ex Luca conſtat, loquitur de ſanguine Prophetarum effuſo: ait enim: *Mittam ad illos Prophetas, & Apoſtolos*, qui etiam Prophetæ fuerunt. Et quidem à primo Propheta occiſo cæpit, id eſt, ab Abele: ergo & in vltimum deſinere debuit occiſum. ſecundo & illud non paruam fidem facit huic ſententiæ, quia iſte Propheta dictus eſt filius Barachiæ.

1. 1 Sententia. Zachariam de quo hic agitur fuiſſe filium Barachiæ.

Verum hæc opinio mihi nō probatur. pri-

mum

mùm quidem, quia non legimus Zachariam hunc illata vi de vita esse subtractum: Nihil enim huiusmodi narrant Scripturæ: nec credibile est rem ignoratam Iudæis Christum affirmare voluisse: quin etiam testatur Epiphanius libro de vita Prophetarum, Zachariam hunc senem iam, prouectæque ætatis è vita cessisse, & cum Aggæo in Indæa esse sepultum: quod idem confirmat Dorotheus libro de vita Prophetarum, obijsse videlicet annis iam grauem. Deinde est & alia ratio hanc refellens opinionem, quia Zacharias Propheta minime sacerdos erat: quare non videtur verosimile inter templum & altare, hoc est, in atrio sacerdotum de medio sublatum esse. Est & tertia ratio, quia non est credibile Iudæos eo ipso tempore, quo ex Babyloniæ captiuitate tot pœnis, & calamitatibus affecti, & quasi igne probati redierunt, ita fuisse sceleſtos & homicidas, vt vel Prophetam ipso in templo neci darent. His accedit quartò inter hunc Zachariam vsque ad CHRISTVM multos interlapsos fuisse annos, quibus Iusti non pauci persecutionem passi sunt inter Iudæos: & aliquos ex his probabile est fuisse per vim subtractos; nō ergo apparet cur vsque ad hunc sanguis occisorum requirendus diceretur; quorum necis quamuis nulla mentio fiat in Scripturis, certa tamen ad Iudæos & clara notitia procul dubio peruenerat, cum eorum cædes & memoria recentior esset: inter hos sanè interfectos, iuxta communiorem sensum Patrum, fuit pater dicti Ioannis Baptistæ, vt paulò post dicam.

3. Obijcit verò contra hanc sententiam Hieronymus in Matthæum, capite vigesimotertio, huius Prophetæ tempore vix templi ruinas fuisse: quare interfici non potuit inter ædem & altare. Verum hæc obiectio facilè dissolui potest: templum enim sexto anno Darij absolutum est, vt patet 1. Esd. 6. Zachariam verò etiam anno quarto eiusdem Darij Prophetasse ipsemet Zacharias capite septimo scriptum reliquit: Itaque si duos præterea annos vixit, non ruinas, sed integrum perfectumque templum vidit, quod facilè fieri potuit: nec si id dicatur poterit improbari.

4. Rationes quibus nituntur auctores huius sententiæ facilè dissoluuntur. Ad primam respondeo, pro nobis facere si vim aliquam habet: nam non erat cur Christus omitteret reliquos Prophetas, vel Iustos qui de medio sublati fuerant: inter quos saltem pater Ioannis Baptistæ in primis connumerandus est. Ad secundam non erit difficile respondere: nam non iste dumtaxat dictus est filius Barachiæ, sed & alij: Isaias namque capite octauo, testes adhibet Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ: quem quidē constat non fuisse Prophetam hunc vndecimum inter minores, quamuis id D. Chrysostomus significare videatur: pluribus enim post annis Zacharias Propheta vndecimus vaticinatus est post Isaiam. Isaiæ porrò tempore fuit Vrias, & Zacharias ille, cuius ipse meminit loco citato: ergo ex nomine Zachariæ filij Barachiæ nullum firmum ac certum sumitur argumentum. adde quod de parte Ioannis sunt, qui asserant Barachiam esse nominatum.

Hæc ergo reiecta sententia, altera est hūc Zachariam fuisse illum filium Ioiadæ Pontificis, quem in atrio domus Domini lapidibus obrui iussit Ioas Rex Iuda 2. Paralipom. 24. sequitur Hieronymus hanc sententiam; & ratio præcipua est, quod occisus referatur in Scripturis inter templum, & altare, in quam sententiam iuere Beda, Druchmarus & bona recentiorum pars. Sed neque hæc opinio placet; primum quia iste Zacharias nunquam nominatur Zachariæ filius, sed semper Ioiadæ, & verò quidam dicunt Ioiadam binominem fuisse, quod responsum refert Chrysostomus homilia 75. in Matthæum nulla fulcitur auctoritate: nam cum in Scriptura semper dicatur Ioiadas, non est credibile Christum non vsurum fuisse consueto Scripturæ vocabulo, sed alio non ita cognito si Ioiadam significare voluisset.

5. 2. Sententia. Zachariam de quo hic controuertitur fuisse filium Ioiadæ Pontificis.

6. Diuus Hieronymus duas alias adinuenit solutiones. *Quærimus*, inquit, *cur Barachiæ dicatur & non Ioiadæ? Barachias, lingua nostra, benedictus Domini dicitur, & sacerdotij Ioiadæ iustitia Hebræo nomine demonstratur.* subdit alteram: *In Euangelio quo vtuntur Nazarei, pro filio Barachiæ filium Ioiadæ reperimus scriptum.* Sed neutra solutio videtur tollere difficultatem non prima, tum quia Ioiadas non idem significat apud Hebræos quod Barachias, id est, benedictum Dominum; tum quia in Euangelio dicitur à Christo appellatus hoc nomine Barachiæ, quidquid sit de significatione nominis; non secunda, quia cum nostra lectio sit Canonica, & ea vtatur Ecclesia, ea retinenda est, non alia.

7. Deinde cum post Zachariam istum fuerint à Iudæis interempti Isaias, Hieremias, & alij plures, (nam ille serra sectus est, & alter apud Taphnos in AEgypto lapidibus est à populo interfectus) cur igitur hos omitteret Dominus? An quod non essent celebris nominis? an verò quod non essent ob eorum cædem etiam Iudæi puniendi? Respondet quidam, alios quidem occisos esse post filium Ioiadæ, sed ad eum vsque venisse Dominum, quod ceterorum nulla fieret mentio in Scriptura: sed parum ad rem facit, quod non commemorentur in Scriptura; cum à Iudæis per summum scelus neci datos publicè ac manifestissimè constaret. est & hoc amplius, quod nulla apparet causa, cur aliorum sanguis inquirendus erat multò ante fusus, non autem eorum, qui & sanctitate & prophetia multò erant clariores, quorum etiam cædes recentior, & magis in ore omnium versabatur.

8. Nec valet quod pro hac sententia scribit Iansenius c. 84. Concor. Scripturam explicare tantum voluisse petitionem vindictæ in Abele, & in Zacharia: In Abele, cum dicitur: *Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* In Zacharia, cum mortis tempore dixit: *videat Dominus & requirat* 2. Paralip. 24. an non etiam aliorū sanguis requirendus erat qui vindictā nō petierunt? quanquā nec Abel vltionē petijt; &, si petijt, quia eius sanguis clamabat ad Deū,

omnium

omnium etiam Prophetarum sanguis à Iudæi effusus magnis clamoribus vindictam petit. At non est, inquies, hoc in Scriptura legere. quid tum? numquid propterea clarè ad DEVM clamare non potest? Tertiò adhuc non constat omninò Ioiadæ filium inter templum & altare esse interfectum; tantum enim refert Scriptura in atrio interfectum esse.

9. Vltima & vera sententia, hunc Zachariam fuisse patrem Ioannis Baptistæ.

Restat tertia sententia: hunc Zachariam fuisse patrem Ioannis Baptistæ. hanc verò fuisse olim celebrem opinionem Græcorum, multis testimonijs tradit Baronius tom. 1. Annalium, anno Christi primo, nimirum Petri Alexandrini, Origenis, Basilij, Nysseni, Cyrilli, & aliorum.

Et quidem Chrysostomus tacitis nominibus tres prædictas sententias refert hom. 75. in Matthæum, nec satis constat quo propendeat: qui tamen Chrysostomum sequi solent, Euthymius & Theophylactus, licet non clarè, in hanc tamen magis vergunt sententiam, & sunt pro ea validæ rationes. Prima ducitur ex communi Græcorum Patrum consensu, Origenis c. 13. in Matthæum & tract. 26. in eúdem, Petri Marty. Archiepisc. Alexan. in suis Canonibus approbatis in 6. Synodo c. 9. Basilij in hom. de humana Christi generat. Greg. Nysseni in orat. de sancta Christi natiuit. Titi Bostreni in hunc locum Lucæ, Cyrilli Episcopi Alex. lib. aduersus Anthropomorphitas. hoc ipsum Valent. Imperator in Epist. ad Episcop. Asiæ, quam refert Theodor. lib. 4. hist. cap. 7. non obscurè significat. Epiphan. lib. de vita & interitu Proph. patrem Ioannis Zachariam scribit inter templum & altare interemptum esse: quin & Tertul. in Scorpiaco cap. 8. cũ agit de Zacharia, qui necatus est inter templum & altare, testatur perennes eius cruoris maculas silicibus impressas in templo indelebiles esse relictas. Est & in bibliotheca Vaticana codex manuscriptus de peregrinatione ad terram sanctam, in quo eadem de Zachariæ sanguine templi lapidibus indelebili nota inhærente, in sempiternam rei memoriam, scripta sunt; licet Hieronymus hæc ipsa vulgi potius opinione iactata, quam certa veritate constantia putet. Atqui dices, sumptam esse hanc traditionem ex Apocryphis libris; verum non nego Apocryphos esse, hoc est, non Canonicos, non tamẽ propterea fit omnia in eis contenta falsa esse & adulterina, sicut Iudas in sua Epistola ex Apocrypho libro citauit Prophetiam Enoch, & tamen certissimam. nec credibile est, antiquissimos Patres tam facilè fuisse recepturos hanc traditionem, nisi stabili plurimorum testimonio eius veritatem accepissent.

10. Secunda ratio pro hac sententia est, quia cum vna ex parte Christus mentionem fecerit primi Iusti, vel Prophetæ Abelis à mũdi exordio, consequi videbatur, vt ex altera parte in vltimum desineret; vt sub his duobus extremis reliquos omnes contineret iustos, ac Prophetas; quare rectè quadrat vt huius Zachariæ postremi fiat mentio.

Quid multa? ipse CHRISTVS (quæ tertia ratio esse potest) alloquens Scribas, & Pharisæos, qui tunc coram præsentes aderant, dixit: *quem occidistis inter templum & altare.* quibus verbis non obscure indicat hunc nostrum Zachariam, huic enim isti quibuscum loquebatur Zachariæ patri Ioanni Baptistæ manus attulerant: Quod si dicas satius fuisse nominare Ioannem Baptistam, qui interfectus fuit diu post Zachariam patrem: Respondet Origenes, quia satis constabat Scribas, & Pharisæos non occidisse Ioannem, sed Herodem auctorem fuisse necis. Verum è contra apertum est, & Scribas, & Pharisæos cum Herode in Ioannis necem consensisse: vt patet apud Matthæum 17. 12. Quare respondeo Ioannem connumerandum esse potius cum Iesu, Apostolis, & Discipulis, quibus interfectis perfecta, & consummata fuit malitia, & crudelitas Iudæorum: præsertim cum odio etiam Christi interfectus fuerit; reliqui verò qui ante hos occisi sunt, pertinent potius ad eos qui multò ante consummatam malitiam interfecti sunt; vel certè, qui non sunt interfecti ab ijs quibuscum tunc loquebatur Christus, sicut fuit Ioannes biennio ferme antea. Itaque exorsus est Christus ab Abele Iusto, & tacitè complectens omnes, qui à Patribus eorum, qui tunc viuebant, interfecti fuerant, descendit vsque ad Zachariam patrem Ioannis, qui recenti memoria non multis ante annis, de medio sublatus fuerat; & non proprie ab his, qui tunc superstites erant; intulit tandem ab ijs, qui superstites erant explendam esse crudelitatis mensuram, à quibus vniuersa pœna toti Iudæorum genti debita reposcenda esset. Quod si dicas ergo nihil tuæ sententiæ fauent verba illa *quem occidistis inter templum, & altare*, quibus dixisti significatos esse superstites, quasi ipsi Zachariam hunc interfecerint. Respondeo vt illud verum sit, non est necesse affirmare eos quibuscum loquebatur Christus manu propria interfecisse Zachariam: sed satis est, quod proximi eorum parentes, vel amici, vel eiusdem sectæ homines id fecissent.

Hanc igitur ego sententiam libenter amplector: cæterum de causa necis huius Zachariæ, non perinde inter se conueniunt veteres Græci; sunt qui dicant propterea interfectum à cæteris sacerdotibus, & in loco sacerdotum, quòd Mariam cœli terræque Dominam postquam Iesum peperisset, collocarit in loco virginibus ad orandum designato, affirmans eam perpetua virginitate conseruata CHRISTVM mundo peperisse. *quod*, inquit Basilius, *Maria perpetuò Virgo permanserit Zachariæ declarat historia quædam, quæ ex traditione ad nos vsque peruenit: Zacharias enim Mariam post Domini conceptionem in Virginum loco constituens à Iudæis inter templum, & altare interfectus est.* Verum obstat huic causæ, quod nõ sit verisimile Deiparæ virginitatem promulgatam fuisse, dum conuiueret illa Iosepho sponso; obstat & eidem causæ incredibilis tantæ Virginis modestia, quam non est credibile in loco virginum in templo à partu consedisse, quamuis sciret se virginem esse integerrimam: Etenim nescientibus diuinæ

11. B. Virgo à partu cum virginibus non sedit, & quare.

Oeco-

OEconomiæ mysteriũ, malo exemplo fuisset, si cum virum haberet Ioseph, in locum virginũ se recepisset. obstat & eidem caussæ Zachariæ prudẽtia: neq; enim prudentis viri fuisset, Virginẽ Deiparam cuius erat virginitas matrimonij velo contecta, inter virgines constituere, & ignarum huius rei populũ offendere. D. Petrus Archiepiscopus Alexan. & Martyr hanc aliam caussam reddit, *cum quibus innocentibus, & alium prius natum infantem cùm interfecturus quæsisset, & nõ inuenisset Herodes, patrem eius Zachariam interfecit inter templum, & altare, cùm effugisset filius cũ matre Elizabeth.* quæ ratio mihi probatur plurimum: etenim quemadmodum cùm tantus sacerdos offerens incẽsum in tẽplo diuina vi mutus est effectus, non ignorauit populus quod visum vidisset. mox verò restituta illi loquela, ac ministrante eo in templo tantę rei caussa neminem latuit. at quod sciebant omnes passim, velle affirmare, quod Herodem præterierit, hominis est perperam iudicantis; sicut & difficile est credere Herodem hęc tacitum dissimulasse, vel patienter tolerasse.

12. Quin etiam verosimillimum puto id quod Hierony. hanc sententiã recitans, nec probans, ait: quod propterea occisus sit, *quia Saluatoris prædicarit aduẽtum.* quis enim dubitet, quin promissum Christum verè, vt fama erat, aduenisse prædicauerit, & eos redarguerit qui ipsius filiũ reliquos q́ puellos innocentes impiè, crudeliterq́ue ad necem quærebant? cæterum quamuis Herodes alienigena occidi iusserit hunc Zachariam: Iudæi tamen proculdubio, qui Herodi ministrabant, eum neci dederunt, consentientibus aliquibus Scribis, Phariseis, & Sacerdotibus sine quorum auxilio, & potestate non facilè patuisset violentiæ locus in templo. Porrò Herodes interfector Ioannis fuit, non magnus Herodes, sed Herodes Tetrarcha, qui merito cum Iudæis connumerandus est: fuit enim non Proselytus modo vt parens, sed & Iudæus etiam, natus tam religione quàm patria.

Herodes tetrarcha occisor Ioannis fuit.

13. Causæ necis Zachariæ.

Metaphrastes de S. Iann. Baptist. die Augusti 29. tres videtur causas referre necis Zachariæ, vnam quod B. Virgini ingredi concessisset in Sancta Sanctorum, alteram quod regis summi aduentum prædicarit; tertiam ob absconditum infantem Ioannem cùm quæreretur ab Herode. sic ergo scribit; *Zachariã quidem senex, & Sacerdos, vt à patribus de eo tradita tenet narratio, cùm vitam produxisset vsq; ad ipsum Dei, & Saluatoris nostri ortum, secundùm carnem, & tum maternis vlnis (ô Diuinam submissionem) eum vidisset gestari, & sic ab ea sæpe in templum introduci, & eum esse Deum minimè ignorasset, propterea & concedit, vt ingrediatur in Sancta Sanctorum, cùm cognouisset eam esse Deiparam, & vt illic stet, ei largitur propter excellentiam. sed hæc quidem ita se habebant. Ea autem res clariores ex Iudæis (ita enim vult, quæ traditur narratio) ad iram accendit, & efficit, vt in senem grauiter inuaniant. Etenim audiebant,* inquit, *ab eo regem creatæ naturæ ad humanam venisse generationem. Metu ergo ne regi paterent, concipiunt laborem, vt ait Propheta, & pariunt iniquitatem: & cùm essent procliues ad malitiam, & ad effundendum sanguinem non minus quam aquam vna nocte in templum irrumpentes in conspectu (prô dolor) altaris occidunt Zachariam. deinde cum sanguis locum admodum cruentasset, & cædem factam planè argueret, terra effossa abscondunt mortuum parricidæ, vt qui cædis quoque scelus vellent abscondere. Hoc autem est reuera difficile. Est enim scelus factu quidem facilè, postquam autẽ factum sit cœlatu difficile. & sic quidem narratur fuisse occisus Zacharias. Aliud quoque traditur non minus receptum, quod propter puerorum cædem ab Herode factam is quoque fuerit interemptus; postquam enim in omnem partem peruasit edictum, quod iubebat interfici pueros in Bethleem simul, & in montanis; vt communi cæde horum puerorum, eum etiam vnà interimeret, qui erat suscitaturus mortuos, & sic ipse metum exueret principatus: ea enim de caussa omnes pueros fuerat aggressus occidere: (proh dolor, ad eiusmodi cæpta impelluntur homines propter gloriæ cupiditatem.) tunc quærebatur quidem filius quoque Zachariæ ad cædem, vt qui nuper esset natus: nõ inueniebatur autem. etenim quomodo Ioseph iubebatur fugere in Aegyptum, cum Maria, & puero, ita etiam Elisabeth quandam spelunçam ingressa, cum infante, in ea habitabat. quoniam ergo infans ab eis apprehendi non poterat totam iramij, qui puerum quærebant, effundunt in Zachariam: & cùm in templo inuenissent, (etenim rursus vice sua attendebat altari incensi) interficiunt calantem filiũ, vt qui eum nollet eo ad cædem tradere. & sic duplicem assequitur coronã, quod & Deo ministrans mactatur apud ipsum altare, & quod cum infantibus primus Christo sacrificatur.*

Principatus amittendi timor ad quanta flagitia Herodem impulerit.

14. Diuus Greg. Nyssen. ho. de Natiuit. Dom. reddit etiam duas cædis caussas, nam præter illam quod Deiparam à loco virginum non segregarit Zacharias, addit alteram, quod regis summi aduentum prædicarit. *Quoniam,* inquit, *audiebant regem naturæ ad natiuitatem humanam prodijsse, metu ne regi subditi fierent, Zachariam qui hæc testificabatur, interficiunt, iuxta altare sacerdotum sacrificantes.* Toletus annot. 100. dicit, interfectionem certam esse, incertam verò interfectionis caussam: quamuis probabile sit omnes simul caussas concurrisse. si reges qua parte templi erat locus ille virginibus assignatus? dicit Nyss. hic locus erat interuallum quod inter templum, & altare intercedebat. sed Barradius noster ait: ex his quæ de atrio sacerdotum scripta, probataque sunt, liquere, eo loci nulli fœminæ licuisse consistere.

Hactenus vir optimus, atque egregiè sapiens; qui cũ Euangelicas dilucidationes in octo partitus esset libros, quatuor priores primo, ac secundo tomo digessit; quintũ hoc tertio tom. nõ penitus absoluit; tres vltimos, quos in quartum tomum reiecerat, ne attigit quidem: absoluturũ vno, aut altero (vti sperabat) anno, si superstes fuisset. sed aliter visum Deo: qui eum citius quam optassemus, ad horum, aliorumque laborum, quos in Religiosę vitę exercitatione magna cum laude, atque omnium vtilitate obiuerat, coronam euocauit.

FINIS.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

Digitized by Google

INDEX SENTENTIARVM SACRAE SCRIPTVRAE.

C. V. GENESIS.

1.1. CREAVIT Deus cœlum & terram. c. 6. th. 3. n. 12. & c. 10. dig. 3.
2. Terra autem erat inanis & vacua, & spiritus Domini ferebatur super aquas. c. 6. th. 3. n. 12.
3. Dixitq; Deus fiat lux. c. 6. th. 3. n. 12.
20. Producat aqua reptile, & volatile. c. 1. dig. 3. n. 11.
31. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. c. 16. th. 2. n. 1.
2. 2. Complevit Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requievit die septimo &c. c. 7. dig. 1. n. 4.
7. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ. c. 17. dig. 3. n. 12.
15. 16. 17. Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum, præcepitq; ei &c. c. 20. theor. 1. n. 4.
23. Hoc nunc os ex ossibus meis. c. 21. dig. 1. n. 3.
25. Erat vterq; nudus, & non erubescebant. c. 21. th. 1. n. 2.
3. 3. De fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus: & ne tangeremus illud. c. 15. dig. 2. n. 2.
5. Eritis sicut Dij scientes bonū & malum. c. 10. dig. 2. n. 8.
8. Venit ad auram post meridiem. c. 12. dig. 2. n. 10.
10. Eò quòd nudus essem, & c. c. 21. dig. 5. n. 3.
4. 24. Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies. c. 11. sch. n. 36.
9. 22. Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis c. 1. d. 2. n. 10.
12. 15. Et sublata est mulier in domum Pharaonis. c. 22. dig. 5. n. 3.
14. 21. Da mihi animas, cætera tolle tibi. c. 12. schol. n. 20.
15. 15. Tu autem ibis ad patres tuos sepultus in senectute bona. c. 19 sch. n. 21.
17. 13. Erit testamentum meum super carnem tuam. c. 6. dig. 2. n. 10.
14. Delebitur anima illa de populo sub. c. 12 sch. n. 20.
18. 20. Clamor Sodomorum ascendit ad me. c. 23. dig. 5. n. 7.
20. 8. 9. 10. Statim enim de nocte consurgens Abimelech, vocauit omnes seruos suos: & locutus est vniuersa verba hæc &c. quid fecisti nobis? &c. c. 15. dig. 1. n. 4.
21. 10. Ejice ancillam hanc, & filium eius. c. 15. dig. 2. n. 2.
31. 7. Mutauit mercedem meam decem vicibus. c. 13. sch. n. 3.
40. Die noctuq; æstu vrebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis c. 18. d. 2. n. 2.
41. Immutasti quoq; mercedem meā decem vicibus c. 13 sch. n. 3.
32. 24. Et ecce vir luctabatur cum eo vsq; mane. c. 23. dig. 4. n. 1.
28. Si contra Dominū fortis fuisti, quanto magis cōtra homines prævalebis c. 2. dig. 2. n. 1.
35. 2. Abijcite deos alienos qui in medio vestri sunt. c. 23. dig. 1. n. 5.
38. 24. Producite eam vt comburatur. c. 15. d. 1. n. 6.
39. 9. Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum. c. 15. d. 1. n. 17.
12. Relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras. c. 15. dig. 2. n. 3.
46. 4. Ioseph ponet manus suas super oculos tuos. c. 1. dig. 2. n. 2.
48. 16. Angelus eruet me de cunctis malis. c. 10. d. 4. n. 1.
49. 18. Salutare tuum expectabo Domine. c. 13. dig. 1. n. 3.

C. V. EXODVS.

3. 1. Cùm minasset gregem ad interiora deserti &c. c. 3 dig. 2. n. 4.
7. Ego indurabo cor Pharaonis c. 20. th. 1. n. 18. & c. 16. dig. 4. n. 2.
12. 6. In quartadecima die mensis huius immolabit agnum vniuersa multitudo filiorum Israel. c. 16. dig. 2. n. 16.
18. Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma & c. c. 15. dig. 2. n. 2.
29. Percussit primogenita AEgypti. cap. 10. dig. 5. n. 1.
17. 11. Cumq; leuaret Moyses manus vincebat Israel & c. c. 23. dig. 1. n. 2.
18. 14. Quod cùm vidisset cognatus eius, omnia scilicet quæ agebat in populo, ait: Quid est hoc quod facis in plebe? cur solus sedes &c. c. 19. dig. 1. n. 9.
20. 5. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patris in filios &c. c. 17. th. 1. n. 6. & 14.
13. Non occides, non mœchaberis, non furtum facies c. 15. d. 1. n. 11.
22. 20. &c. Ecce ego mittam Angelū meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum quem paraui. c. 10. dig. 5. n. 10.
33. Non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me, &c. quod tibi certè erit in scandalum. c. 10. th 1. n. 5.
24. 10. Quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cœlum cum serenum est. c. 10 d. 2. n. 17.
30. 12. Quando tuleris summam filiorum Israel iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino. c. 9. th. 1. n. 5.
13. Hoc autem dabit omnis qui tranſit ad nomen, dimidium sicli. c. 9. th. 1. n. 7.
15. Dives non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuet. c. 9. th. 1. n. 7.
32. 9. Cerno quod populus iste dura ceruicis sit, dimitte me, & c. c. 23. th. 2. n. 1.
19. Cumq; appropinquans ad castra vidisset vitulū &c. projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis. c. 13. d. 1. n. 16.
31. 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti. c. 20. th. 1. n. 3.
33. 12. Nouit te ex nomine. c. 18. sch. n. 11.
18. Ostende mihi gloriam tuam. c. 7. th. 3. n. 3.
21. Est locus penes me, & stabis super petram. c. 6. th. 1. n. 8.
23. Et videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris. c. 7. th. 3. n. 3.
34. 29. Cumq; descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat quod cornuta esset facies sua & c. c. 7. dig. 2. n. 2.
68. 29. Deleantur de libro viuentium. c. 20. th. 1. n. 3.

C. V. LEVITICVS.

1.5. Immolabitq; vitulum coram Domino c. 6. dig. 2. n.7.
2.23. Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies &c.c. 10.sch.n.35.
5.2. Anima quæ tetigerit aliquid immundum, &c.rea est.c.13.d.2.n.2
6.12. Ignis autem in altari semper ardebit. &c.c.21. dig.2.n.16.
16.8. Non facietis opus.c.12.th.2.n.3.
17.11. Quia anima carnis in sanguine est.c.1.th.vnic. n.5.
19.14. Non maledices surdo,nec coram cæco pones offendiculum.c.10.th.1.n.1.
17. Non oderis fratrem tuum in corde, & publicè argue eum,&c.c.11.th.1.n.2.
20.10. Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, &c.c.15.sch.n.4.
23.3. Omne opus non facietis in eo, sabbatum Domini est c.12.th.2.n.3.
28. Omne opus non facietis in tempore diei huius c.12.th.2.n.3.
29. Et anima,quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo suo.c.12.th.2.n.3.
34. A quintodecimo die mensis huius septimi erunt feriæ tabernaculorum,&c.c.12.th.2.n.1.
39. A quintodecimo ergo mensis septimi,&c. celebrabitis ferias Domini septem diebus.c.12.th.2. n.10.
40. Sumetisq; vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ,&c.& lætabimini coram Deo vestro. c.12.th.2.n.11.
41. Mēse septimo festa celebrabitis,& habitabitis in tabernaculis.c.12.th.2.n.2.

C. V. NVMERI.

1.2. Tollite summam filiorum Israel per cognationes suas,&c.c.9.th.1.n.5.& c.20.d.vnic.n.1.
3. A vigesimo anno,& supra omnium virorum fortium ex Israel, & numerabitis eos per turmas suas,&c.c.20.d.vnic.n.1.
6.3. A vino & omni, quod inebriare potest, abstinebunt.c.15.d.2.n.2.
11.26. Quid æmularis pro me? quis retribuat, vt omnis populus prophetet,&c.c.10 sch.n.18.
12.8. Ore ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.c.7.th.3.n.3.
13.3. Mitte viros, qui considerent terram Chanā, quam daturus sum filijs Israel.c.19.d.3.n.3.
33.34. Terra quam lustrauimus deuorat habitatores suos,&c.c.19.d.3.n.3.4.
20.2.3. Qui cum indigerent aqua,conuenerunt aduersum Moysen,&c.c.14.d.2.n.16.
22.31. Ego veni vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua,mihiq; contraria. c.10.d.5.n.1
25.13. Ecce do ei pacem fœderis mei,&c. in pace & æquitate ambulauit mecum. c.19.sch.n.22.

C. V. DEVTERONOMIVM.

1.2. Et acceßistis ad me omnes, atque dixistis: mittamus viros qui considerent terram,&c.c.19.dig. 3.n.2.
23. Cumq; mihi sermo placuisset, &c.c.19.d.3.n.3.
43.44. Loquutus sum & non audistis, &c. itaque egressus Amorrhæus &c. persecutus est vos, sicut solent apes persequi,&c.c.19.d.3.n.5.6.7.
10.12. Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit à te,nisi vt timeas Dominum, &c.c.11. dig. 2.n.8.
13.6.7.8. Si tibi voluerit persuadere frater tuus,&c. clarè dicens:eamus & seruiamus dijs alienis c.10.sch.n.29.
14.22. Decimam partem separabis de cunctis frugibus tuis.c.24.sch.n.13.
16.13. Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies,&c.c.12.th.2.n. 10.
16. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini.c.12.th.2. n.1.
17.6. In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur.c.11.sch.n.7.
9.10.11. Ipsi indicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quodcumq; dixerint, qui præsunt loco, &c.c.11.th.5.n.16.
18.18. Ponam verba mea in ore eius,loquenturq; ad eos omnia quæ præcepero illi.c.18.sch.n.3.
22.20.21. Quod si verum est quod obijcit, & non est in puella inuenta virginitas:eijcient eam &c.c.15. sch.n.4.
22. Si dormierit vir cum vxore alterius &c.c.15. sch.n.4.
25.4. Non alligabis os boui trituranti.c. 19. schol. n. 27.
13. Non habebis in sacculo diuersa pondera.c. 24. sch. n.19.
28.6. Benedictus eris tu ingrediens, & egrediens. c.18. sch.n.29.
31.2. Centum & viginti annorum sum hodie, non possum vltra egredi & ingredi. c.18.schol.n. 29.
3. Dominus Deus tuus transibit ante te. c.18.sch.n. 28.
32.30. Quomodo prosequatur vnus mille,& duo fugent decem millia.c.13.sch.n.3.
33. Venenum aspidum insanabile.c.1.d.3.n.9.

C. V. IOSVE.

7.18. Da gloriam Domino Deo Israel,& confitere atq; indica mihi quid feceris.c.17.sch.n.25.

C. V. IVDICVM.

2.1. Ascendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium,& ait: eduxi vos de AEgypto &c.noluistis audire vocem meam:cur hoc feciſtis.c.01. d.5.n.1.

C. V. REGVM I.

1.16. Ne reputes ancillam tuam quasi vnum de filiabus Belial.c.16.d.6.n.3.
2.5. Donec sterilis peperit plurimos.c.12.th.2.n.3.
12.13. Filij Heli,filij Belial nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad Dominum.c.16. sch.n.59.
3.1. Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis. c. 19. d.1.n.1.
6.5. Dabitis Deo Israel gloriam.c.17. sch.n.29.
10.6. Mutaberis in virum alterum. c.17.d.3.n.16.
24. Non erat in populo Hebræo similis Sauli,quem Deus elegit.c.18.d.3.n.7.
11.2. In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dexiros.c.17.d.2.n.11.
17.34. Pascebat seruus tuus Patris tui gregem, & veniebat Leo vel Vrsus &c apprehendebam mentum eorum, & suffocabam interficiebamque eos.c.18.d.2 n.2.
18.21. Dixitq; Sauli:dabo eā illi vt fiat e in scandalum c.10.th.n.5.
20.1. Quid feci? quæ est iniquitas mea,& quod peccatum meum in patrem tuum quia quærit animā meam? c.16.d.8.n.1.
25.5.6. Salutabitis eum ex nomine meo pacifice,& dicetis: sit fratrib. meis & tibi pax,&c.c.19.sch. n.22.
11. Tollam ego panes,&c.& dabo viris,quos nescio vnde sint?c.21.d.4.n. 9.
17. Ipse est filius Belial,ita vt nemo possit ei loqui. c.16.d.6.n 3.

Digitized by Google

C. V. REGVM II.

1.16. *Sanguis tuus super caput tuum.* c.24.sch.n.24.
21. *Ibi abiectus est clypeus fortium.* c.18.d.3.n.14.
2.18. *Asael cursor velocissimus fuit, quasi vnus de capreis quæ morantur in siluis.* c.3.d.1.n.3.
3.25. *Ad hoc venit ad te, vt deciperet te, & sciret exitum tuum.* &c.c.18.sch.n.28.
29. *Non deficiet de domo Ioab leprosus.* c.13.dig.1. n.6.
11.12. *Accidit vt surgeret Dauid de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ: vidit q; mulierem,* &c.c.15.d.2.n.14.
12. 5. *Filius mortis est vir qui fecit hoc.* c.19.scho.n. 25.
10. *Non recedet gladius de domo tua vsq; in sempiternum, eò quòd tuleris vxorem Vriæ Hethæi,* &c.c.15.d.1.n.8.& c.17.th.1.n 6.
22. *Quis scit si fortè donet eum mihi Dominus.* c. 23.th.3.n.7.
18,28. *Estne pax puero Absalon.* c.19.sch.n.22.
22.5. *Torrentes Belial terruerunt me.* c.16.d.6.n.3.

C. V. REGVM III.

2.32.33. *Reddet Dominus sanguinem* &c. *& reuertetur sanguis illorum.* c.24.sch.n.25.
3.7. *Et nunc Domine Deus* &c. *ego sum puer parvulus & ignorans egressum & introitum meum.* c.18. sch.n.28.
26. *Nec mihi nec tibi, sed diuidatur.* c.7. dig.2.n. 11.
5.13.14. *Elegit q; rex Salomon operarios de omni Israel* &c. *mittebat q; eos in libanum.* c.19. dig.2. n.9.
7.23.25. *Fecit quoq; mare fusile* &c. *& stabat super duodecim boues, è quibus tres respiciebant ad Aquilonem, & tres ad occidentem.* &c.c.19. d.2. n.8.
29. *Et inter coronulas & plectas, leones & boues & Cherubim* &c.c.15.d.1.n.2.
10.19. *Duæ manus hinc atque inde tenentes sedile.* c. 22.d.5.n.11.
12.16. *Quæ nobis pars in Dauid.* c.22.sch.n.23.
17.18. *Quid mihi & tibi viri Dei? reuersus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ.* c.11.th.6. n.15.
18.9. *Non rectis oculis Saul aspiciebat Dauid.* c.1.sch. n.44.
26. *Qui inuocabant nomen Baal de mane,* &c.c.4. d.2.n.5.
19.11. *Ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis subuertens montes,* &c.c.12.d.2.n.10.
12. *Et post commotionem ignis,* &c. *& post ignem sibilus auræ tenuis.* c.12.d.2.n.10.

C. V. REGVM IV.

2.12. *Pater mi currus Israel & auriga eius.* c.18. d.6. n.8.
4.29. *Si occurrerit tibi homo non salutes eum.* c.19.sch n.19.
31. *Nō erat vox, neq; sensus* &c. *non surrexit puer.* c. 16.d.8.n.8.
5.13. *Et si rem magnam dixisset Propheta facere debuerat.* c.17.d.3.n.14.
6.16. *Noli timere, plures enim nobiscum sunt quam cum illis.* c.19.d.3.n.10.
12.4. *Omnem pecuniam Sanctorum quæ allata fuerit in templum* &c. *accipiant illam Sacerdotes* &c. c.16.d.1.n.5.
9. *Et tulit Ioiada Pontifex Gazophylacium vnū,* &c. c.16.d.1.n.1.
20.23. *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate.* c.16.th.2.n. 4.
21.25. *Non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est.* c.11.d.2.n.21.
22.18.19.20. *Pro eo quod audisti verbū voluminis, & perterritum est cor tuum* &c.c.13 d.1.n.11.

C. V. PARALIPOMENON I.

22.14. *Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domus Domini auri talenta centum millia,* &c.c.11.d.1.n 2.
27.23. *Noluit autem Dauid numerare eos à 20. annis inferius,* &c.c.9.th.1.n.6.
29 3. *Et super hæc quæ obtuli in domum Dei mei, de peculio meo aurum & argentum,* &c. c. 11.d.1. n.3.
6.7. *Principes familiarum, & proceres tribuum Israel,* &c. *dederunt q; in opera Domus Dei auri talenta quinque millia,* &c.c.11.d.1.n.4.

C. V. PARALIPOMENON II.

1.10. *Da mihi sapientiam & intelligentiam vt ingrediar, & egrediar cum populo tuo.* c.8.schol.n. 29.
20,2.3. *Venerunt q; nuncij, & indicauerunt Iosaphat, dicentes: venit contra te multitudo magna; Iosaphat aūt timore perterritus contulit se ad orandum,* &c.c.8.d.vnic.n.7.
32.3. *Qui obturauit superiorem fontem aquarum Gihon, & auertit eas subter ad occidentem orbis Dauid.* c.17.d.1.n.9.

C. V. ESDRAE II.

4.17. *Vna manu faciebat opus, altera tenebat gladium* c.18.d.3.n.9.
8.15. *Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi.* c.12.th.2.n.12.
16. *Egressus est populus, & tulerunt, fecerunt q; sibi tabernacula,* &c. *in platea portæ aquarum* &c. c.12.th.2.n.9.

C. V. TOBIAE.

3.13. *In tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te.* c.11.d.3 n.4.
5.15. *Ego ducam & reducam eum ad te.* c. 10.d.5.n. 4.
6.5. *Exentera hunc piscem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi.* c.15.d.2.n.7.& c.17.d.2.n.15.
12.15. *Ego sum Raphael Angelus, vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.* c.10.d.3.n.8.

C. V. IVDITH.

16.20.21. *Væ genti insurgenti super genus meum,* &c. *Dabit enim ignem & vermes in carnes eorum.* c.10.sch.n.31.

C. V. IOB.

1.15. *Cum q; in orbem transissent dies conuiuij mittebat illos ad Iob, & sanctificabat illos,* &c.c.23.d.1. n.5.
2.4. *Cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* c. 18.sch.n.36.
3.11.12. *Quare non vltra mortuus sum? egressus ex vtero non statim perij: cur conceptus sum genibus? cur luctatus vberibus?* c.16.d.7.n.8.
4.7. *Quis autem innocens periit? aut quando recti deleti sunt?* &c.c.17.th.1.n.2.
5.18. *Ipse vulnerat, & medetur; percutit & manus eius sanabunt.* c.17.d 3.n.6.
9.13. *Sub quo curuantur, qui portant orbem.* c.10. d.2. n.10.
14.1. *Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miseriis.* c.2.d.2.n.11.
2. *Et nunquam in eodem statu permanet.* c.16.d.2. n.3.

Digitized by Google

18.5.6. *Nonne lux impij extinguetur &c. & lucerna quæ super eum est extinguetur.* c.17.d.2.n.8.
19.17. *Halitum meũ exhorruit vxor mea.* c.16.d.8.n.9
20.11. *Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* c.16.d.4.n.3.
29. *Et hæc est pars hominis impij,* c.22.sch.n.23.
24.13. *Ipsi rebelles fuerunt luminis.* c.16.d.4.n.1.
15. *Oculus adulteri obseruat caliginem dicens: non me videbit oculus.* c 15.d.1.n.18.
28.10. *In petris riuos excidit.* c.14.d.2.n.20.
18. *Trahitur sapientia de occultis.* c.14.d.1.n.1
29.17. *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* c.14.d.2.n.1.
30.21. *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi.* c.2.d.1.n.7.
31.1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* c.15.d.2.n.15.
10.11. *Sortum alterius sit vxor mea, & super illã incuruentur alij, hoc nefas est & iniquitas maxima.* c.15.d.1.n.11.
13. *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea cum disceptarent aduersum me.* c. 11.th.4.n.4.
38.39. *Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius deflẽt si fructus eius comedi absq; pecunia.* c.19.d.4.n.10.
34.30. *Qui regnare facit hominẽ hypocritam propter peccata populi.* c.18.d.1.n.3.
36.32. *In manibus suis abscondit lucem, & præcepit ei vt rursus adueniat.* c.7.d.2.n.5.
33. *Annunciat de ea amico suo, quod possessio eius sit, & quod ad eam possit ascendere.* c.7.d.2.n.5.
37.11.12. *Frumentum desiderat nubes, nubes spargunt lumen suum: quæ illustrant per circuitum,* &c. c.19.d.2.n.4.
38.4.7. *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ,* &c. *cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* c.16.d.2.n.7. & c.10.d.3. n.15.
11. *Vsque huc venies, & non procedes amplius.* c.11. d.3.n.4.
35. *Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertẽtia dicent tibi, adsumus.* c.20.sch.n.1.
42.4. *Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.* c.17.d.3.n.2.

C. V. PSALMI.

1.6. *Non resurgent impij in iudicio.* c.7.d.1.n.17.
2.3. *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.* c.22.sch.n.33.
6.7. *laboraui in gemitu meo,* &c. c.20.sch.n.31.
7.13. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit; arcum suum tetendit, & parauit illum.* c.19.d. 4.n.7.
8.3. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudẽ.* c.10.sch.n.5.
21. *Adij Dominum* &c. *& dixi totis præcordijs meis* c.23.d.4.n.1.
9.11. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* c.10.d.4.n.1.
13. *Quoniam requirens sanguinem eorum.* &c.c.29. sch. n. 25.
35. *Quæretur peccatum illius & non inuenietur.* c. 14.sch.n.27.
17.10. *Inclinauit cœlos, & descendit, & caligo sub pedibus eius.* c.16.d.2.n.11.
42. *Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi.* c.14. sch.n.29.
18.6. *In sole posuit tabernaculum suum: & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* c.6.th. 5.n.14.c.16.d.2.n.10.
7. *Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio eius.* c.16.d.2.n.10.
14. *Et mundabor à delicto maximo.* c.10.d.2.n.3.
22.4. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* c.18.d.2.n.4.
24.8. *Dulcis & rectus Dominus.* c.20.sch.n.35.
26.2. *Appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas.* c.1.d.1.n.6.
30.10. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ.* c.20. sch.n.35.
31.5. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam Domino,* &c.c.11.d.1.n.3.
34.6. *Fiat via illorum tenebræ & lubricum; & Angelus Domini persequens eos.* c.3.d.1.n.2.
13. *Retribuebant mihi mala pro bonis sterilitatem animæ meæ.* c.13.d.3.n.15.& 16.
35.12. *Non veniat mihi pes superbiæ.* c.23.d.4.n.6.
36.9. *Quæres locum eius.* c.14.sch.n.27.
25. *Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* c.17. th.1.n.2.
37.3. *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* c.2.d.vn. n.16.
4. *Non est pax ossibus meis à facie peccatorũ meorum.* c.19 sch.n.22.
5. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* c.20. sch.n.38.
14. *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus* &c.c.3.d.1.n.11.
38.12. *Variè conturbatur omnis homo.* c.1.sch.n.28.
39.9. *In capite libri scriptum est de me.* c.20.th.1.n.2
40.9. *Verbum iniquum constituerunt aduersum me.* c.16.d.6.n.3.
43.22. *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* c.18.d.5.n.12.
44.3. *Speciosus forma præ filijs hominum; diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.* c.15.d.1.n.2.
4. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* c.15.d.1.n.2.
5. *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede & regna. Propter veritatem* &c. *deducet te mirabiliter dextera tua.* c.15.d.1.n.2
8. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ* &c. c.16. sch.n.53.
45.11. *Vacate & videte quoniam ego sum Dominus.* c. 3 d.2.n.4.
46.10. *Quoniam Dij fortes terræ vehementer elevati sunt.* 18.d.3.n.14.
48.5. *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* c.16.d. 3.n.9.
8. *Frater non redimit, redemit homo: non dabit Deo placationem suam,* &c. c.6.sch.n.47.
19. *Confitebitur tibi cùm benefeceris.* c.20.d.vnic. n.2.
50.5. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco & peccatum meum contra me est semper.* c.17.d.2 n.17.
7. *In peccatis concepit me mater mea.* c.16.sch.n. 21.
14. *Spiritu principali confirma me.* c.6.d.1.n.2.
51.4. *Tota die iustitiam cogitauit lingua tua.* c.3.d.2. n.8.
5. *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini.* c.1.d.1.n.6.
52.7. *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* c.13.dig.1. n.3.
54.20. *Non est illis commutatio, & non timuerunt Deum.* c.13.d.2.n.5.
55.9. *Deus vitam meam annunciaui tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo,* &c. c.4.dig.2. n.4.
57.5.6. *Furor illis secundùm similitudinem serpentis;* &c. *quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* c.16.d.8.n.8.

Digitized by Google

9. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ Rhamnum* &c. c.10.d.2.n.15.
53.10. *Fortitudinem meam ad te custodiam.* c.22.d.5. n.8.
63.6. *Firmauerunt sibi sermonem nequam.* c.16. sch. n.57.
65.3. *Quam terribilia sunt opera tua Domine, in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui* c.11.d.3.n.6.& c.17.sch.n.23.
67.20. *Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.* c.20.d.vn.n.11.
72.18. *Deiecisti eos dum alleuarentur.* cap.10.dig.2. n.4.
26. *Pars mea Deus in æternum.* cap.22.schol.n. 23.
73.19. *Ne tradas bestijs animas confitentes tibi.* c.23.d. 2.n.4.
77.39. *Spiritus vadens & non rediens.* cap.11.dig.2.n. 28.
78.8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.* c.11.th.6.n.15.
11. *Secundùm magnitudinem brachij tui, posside filios mortificatorum.* c.19.sch.n.25.
81.1. *Deus stetit in synagoga Deorum: in medio autem Deos dijudicat.* c.11.sch.n.33.
82.24. *Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti,* cap.10.dig.2.num. 5.
88.13. *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.* c.7.th.1.n.8.
94.2. *Præoccupemus faciem eius in confessione.* c.17.d. 3.n.19.
8. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* c.20.th.2.n.27.
95.6. *Confessio & pulcritudo in conspectu eius.* c.17.d.3 n.19.
101.5. *Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum.* c. 16.d.5.n.8.
7. *Similis factus sum pelicano solitudinis.* c.13.d.3. n.17.
103.3. *Qui tegis aquis superiora eius.* cap.21. dig.3. n.4.
106.2. *Confitemini Domino quoniam bonus.* c.20.dig. vn.n.2.
18. *Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsq; ad portas mortis.* c.16. d.4.n.6.
20. *Misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus.* c.13.d.1.n.2.
108.7. *Oratio eius fiat in peccatum.* cap.23.theor.3. n.5.
14. *In memoriam redeat iniquitas Patrum eius.* c. 11.th 6.n.15.
118.10. *Clamaui in toto corde meo exaudi me Domine* c.23.d.4.n.1.
20. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* c.23.d.3.n.6.
62. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* c. 23.d.2.n.5.
81. *Defecit in salutare tuum anima, & in verbum tuum superspraui.* c.21.d.1.n.5.
104. *A mandatis tuis intellexi.* cap.18.dig.3.num. 10.
120. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* c.20.d.vn.n.5.
165. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* c.10.th.1.n.12
119.3.4. *Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? sagitta potentis* &c.c.3.d.2. n.8.
120.8. *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum.* c.18.sch.n.29.
125.2.3. *Magnificauit Dominus facere cũ eis, magnificauit Dominus facere nobiscum.* c.19.d.1.n.2.
26.4. *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum.* c.19.d.4.n.3.
129.1. *De profundis clamaui ad te Domine.* c.2.d.2.n. 20.
130.2. *Si non humiliter sentiebam, sed exultaui animã meam: sicut ablactatus est super matre sua* &c. c.10.sch.n.5.
136.9 *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* c.1.d.3.n.8.
138.16. *In libro tuo omnes scribentur.* cap.20. theor.1. n.6.
139.4. *Acuerunt linguas suas sicut serpentis.* c.1.d.2. n.2.
6. *Funes extenderunt in laqueum, iuxta iter scandalum posuerunt mihi.* c.10.th.1.n.5.
140.9. *Custodi me à laqueo, quam statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem.* c.10.th.1. n.5.
146.8.9. *Qui operit cœlum nubibus & parat terræ pluuiam* &c. *qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* c.4. d.2. n.2.
147.20. *Non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauit eis.* c.19.d.4.n.12.
148.14. *Hymnis omnibus,* &c. *populo appropinquanti sibi.* c.1.sch.n.28.
149.3. *In tympano & psalterio psallant ei.* c.6.dig.2. n.2.

C. V. PROVERBIA.

5.8. *Longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.* c.18.d.5.n.8.
15. *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui: deriuentur fontes tui foras,* &c. cap.14. schol. n.32.
18. *Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ* & c c.14.sch.n.32
8.31. *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* c.16.d.2.n. 10.
38. *Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie. & obseruat ad postes ostij mei* c.18.sch.n.4.
9.8. *Noli arguere sapientem ne oderit te. Argue sapientem & diliget te.* c.11.th.1.n.5.c.11.th.2. n.1.
11.26. *Qui abscondit frumenta maledicitur in populis.* c.11.th 1.n.4.
13.25. *Iustus comedit, & replet animam suam, venter autem impiorum insatiabilis.* c.16.d 5.n.8.
16.4. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoq; ad diem malum.* c.20.th.2. n.16.
20.10. *Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque est abominabile apud Dominum.* c. 24.sch.n.19.
23.27.28 *Fouea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena. Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit interficiet.* c.12.d.2.num. 4.
29. *Cui væ? cuius patri væ?* &c. *nonne his qui commorantur in vino, & studeut calicibus epotandis.* c.4.d.3.n.8.
31. *Ne intuearis vinum quando flaueſcit &c. ingreditur blande, &c.* c.14.d.2.n.10.
24.15. *Ne quæras impietatem in domo iusti &c.* c.11. th.2.n.1.
20. *Lux iustis semper, lux autem impiorum extinguetur.* c.16.d.4.n.8.
24. *Qui dicunt impio, iustus es maledicent eis populi &c. qui arguunt eum laudabuntur.* c.11.th. 1.n.15.
25.12. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem,* c.10.sch. n.3.

Digitized by Google

20. Acetum in nitro qui cantat cordi pessimo. c. 10. sch. n. 3.
26.6. Claudus pedibus, & iniquitatem bibens: qui mittit verba per nuncium stultum. c. 23. dig. 5. n. 9.
27.23. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, gregesq; tuos considera. c. 18. sch. n. 15.
28.9. Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. c. 23. d. 5. n. 8.
30.2. Stultissimus sum virorum. c. 14. d 1. n. 4.
31.22. Byssus & purpura indumentum eius. cap. 6. d. 2. n. 8.
34. Linteum fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo. c. 2 th. 1. n. 8.

C. V. ECCLESIASTES.

1.5. Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur c. 16. d. 2. n. 6.
7. Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur. c. 13. d 1. n. 19. & c. 13 d. 3 n. 15. & c. 20. sch. n. 2.
15. Peruersi difficilè corriguntur. c. 11. th. 1. n. 1.
7.2.3. Discede ab iniquo &c. Filis non semines mala in sulcis iniustitiæ. c. 12. d. 2. n. 2.
14. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. c. 11 th. 1. n. 10.
10.11. Si mordeat serpens in silentio, nihil eò minus habet qui occultè detrahit. c. 1. d. 1. n. 5.
11.3. Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. c. 16. d. 3. n. 5.

C. V. CANTICA.

1.1. Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino. c. 14. d. 2. n. 9. & c. 20. sch. n. 1. & c. 21. d. 1. n. 2.
6. Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam. c. 20. d. vnic. n. 27.
12. Fasciculus myrrhæ dilectus mihi. c. 20. d. vnic. n. 26.
2.2. Sicut lilium inter spinas. c. 13. d. 2. n. 3.
3. Fructus eius dulcis gutturi meo. cap. 18. dig. 6. n. 7.
4. Ordinauit in me charitatem. c. 21. d 2. n. 6.
7. Adiuro vos filia Ierusalem per capreas ceruosq; camporum, ne suscitetis, neque vigilare faciatis dilectam. c. 23. d. 2. n. 7.
3.2. Surgam & circuibo ciuitatem &c. cap. 52. dig. 3. n. 8.
6. Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, & c. c. 22. d. 1. n. 11.
7.8. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, & c. vnius cuiusq; ensis super femur suum & c. c. 10. d. 1. n. 14.
4.2. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro. omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas. c. 19. d. 1. n. 4.
4. Sicut turris Dauid collum tuum, c. 20. dig. vnic. n. 12.
10. Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. c. 22. d. 1. n. 11.
5.2. Ego dormio & cor meum vigilat &c. Aperi mihi soror mea & c. cap. 3. d. 2. n. 3. & cap. 22. dig. 1. n. 9.
3. Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? & c. c. 3. d. 2. n. 3.
4. Dilectus misit manum suam per foramen & c. c. 3. d. 2. n. 3.
5. Surrexi vt aperirem dilecto meo. c. 3. d. 2. n. 3.
6. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat atq; transierat. c. 14. sch. n. 25. & c. 19 d. 4. n. 13.
10. Dilectus meus candidus & rubicundus. c. 16. d. 2. n. 5.
15. Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sũt super bases aureas. c. 21. d. 3. n. 5. & c. 6. th. 1. n. 9.
6.9. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens pulcra vt Luna, electa vt sol & c. c. 22. d. 5. n. 6.
7.1. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis. c. 22. d. 5. n. 2.
8.1. Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ. c. 21. d. 3. n. 10.
2. Dabo tibi poculum ex vino condito. c. 21. d. 2. n. 14.
5. Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum. c. 22. d. 5. n. 8.
7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem & c. c. 21. d. 1. n. 6. & d. 2. n. 3.
8. Soror nostra parua & vbera non habet, c. 6. th. 3. n. 12.
9. Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis c. 18. d. 6. n. 9.

C. V. SAPIENTIA.

4.6. Ex iniquis somnu filij qui nascuntur, testes sunt nequitiæ, & c. c. 3. d. 2. n. 14.
5.19.20.21. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum: sumet scutum inexpugnabile æquitatem; acuet duram iram in lanceam. c. 23. d. 4. n. 7.
9.10. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret c. 18. d. 3. n. 9.
12.1.2. O quam bonus & suauis est Spiritus tuus in omnibus, ideoq; eos qui exerrant patribus corripis & c. c. 16. d. 3. n. 12.
10. Sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans quoniam nequam est natio eorum & c. c. 16. th. 2. n. 2. c. 16. d. 3. n. 1. 2.
17. Virtutem ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus, & horum qui te nesciunt, audaciam traducis. c. 16. d. 3. n. 12.
16.13. Deducis ad portas mortis, & reducis. c. 17. dig. 3. n. 7.
27. Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat; vt notum omnibus esset & c. c. 16. d. 4. n. 5
17.2.3. Dum enim persuasũ habent, iniqui posse dominari nationi sanctæ, vinculis tenebrarum, & lõgæ noctis compediti &c. Et dũ putãt se latere in obscuris peccatis & c. c. 16. d. 2. n. 17.
18.24. In veste poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, & magnificentia tua in diademate capitis illius scripta erat. c. 18. d. 1. n. 7.

C. V ECCLESIASTICVS.

1.5. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. c. 14. dig. 1. n. 1.
3.13. Ex honore patris gloria hominis. c. 1. d. 2. n. 8.
5.17. Super furem enim est confusio, & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem, & c. c. 1. d. 1. n. 11.
7.6. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas irrumpere iniquitates. c. 14. d. 2. n. 1.
24. Pecora tibi sunt, attende illis, & c. c. 18. schol. n. 16.
10.15. Initium omnis peccati superbia. c. 10. d. 2. n. 3.
14.8. Nequam est oculus liuidi. c. 1. sch. n. 44.
17.19. Humilia valdè spiritum tuum: quoniam vindicta carnis impij ignis, & vermis. cap. 10. schol. n. 31.
26.27. Non demoreris in errore impiorum: ante mortem confitere, à mortuo quasi nihil perit confessio & c. c. 17. d. 3. n. 11.
18.6. Cùm consummauerit homo, tunc incipiet; & cùm quieuerit, aporiabitur. c. 14. d. 1. n. 6.

Digitized by Google

15. *In omni dato non des tristitiam verbi mali.c.* 21.*dig.*4.*n.*12.

19. 10. *Audisti verbum aduersus proximum tuum, commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet.c.*1.*d.*1.*n.*9.

11. *A facie verbi parturit fatuus, quasi gemitus partus infantis.c.*1.*d.*1.*n.*10.

13.14.15. *Corripe amicum ne fortè nõ intellexerit, & dicat non feci, ne iterum addat facere. c.*11. *th.*1.*n.*2.

26. *Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti.c.*1.*d.*1.*n.*8.

21. 18. *Verbum sapiens, quodcunque audierit scius laudabit, & ad se adijciet.c.*3.*d.*1.*n.*8.

23.25. *Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me &c.c.*15.*d.*1.*n.*18.

27.12. *Stultus vt luna mutatur.c.*8.*d vnic.n.*3.

28.28. *Sæpi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire c.*1.*d* 1.*n.*7.

31.18. *Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso. c.*11. *d.*3.*n* 8

35.21. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec appropinquet non consolabitur. c.*23.*dig.*5. *num.*1.

51.28. *Possedi cum ipsa cor ab initio.c.*1.*d.*3.*n.*3.

C. V. Isaias.

1.2.3. *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam locutus est Dominus: Filios enutrivi, &c. c.*13. *dig.*3 *n.*1. *& c.*23. *dig.*3.*n.*1.

8. *Derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, &c.c.*24. *sch.n.*28.

21. *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, &c. c.*13.*d.*2 *n.*9.

22. *Vinum tuum mistum est aqua c.*13.*d.*2.*n.*3.

2.12. *Quia dies Domini super omnem superbum, & excelsum, &c.c.*16.*d.*3.*n.*6.

3.6.7. *Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neq; vestimentum, nolite constituere me principem populi.c.*4.*d.*2.*n.*3.

5.6. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens. c.*13.*d.*1.*n.*1.

15. *Mihi curuabitur homo.c.*17.*th.*3.*n.*3.

5.26. *Et eleuabit signum in nationibus.c.*21.*d* 2 *n* 7.

6.1. *Et ea quæ sub ipso erant replebant templum c.*10. *dig* 2.*n.*16.

4. *Et commota sunt superliminaria cardinum. c.* 18.*dig.*6.*n.*8.

7.9. *Nisi credideritis non intelligetis c.*14.*sch n.*12.

8.6. 7. *Pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloe, &c.& assumpsit magus Rasin, & filium Roeliæ; propter hoc Dominus aducet super eos aquas fluminis fortes, &c.c.*17.*dig.*1.*n.*8.

9.5. *Vestimentum mistum sanguine erit in combustionem.c.*6.*dig.*2.*n.*9.

18. *Succensa est enim quasi ignis impietas.c.*11.*d.*2. *num.*22.

10.18. *In omnem terram exiuit sonus eorum. c.* 19.*di.* 2.*n.*7.

12. 3. *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris.c.*14.*d.*2.*n.*7.*& c.*18.*d* 6.*n* 4.

14.13 *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.c.*10.*d.*2.*n.*8.

16.5. *Et præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo Dauid iudicans, &c.c.*11.*d.*2.*n.*3.

18. 2. *Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam, &c.c.*19.*d* 4 *n.*8.

20.2. *Vade & solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis.c.*19 *sch.n.*14.

22.15. *Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, &c. c.*6. *th.*2.*n.*1.

21. *Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius, &c.c.*6.*sch.n.*33.*& c.*6.*th.*2.*n* 1.

23. 8. *Quis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatam.c.*2.*th.*1.*n.*4.

27.1. *Visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiathan serpentẽ tortuosum.c.*3.*d.n.*17.

8. *In mensura contra mensuram, cùm abiecta fuerit iudicabis eam c.*11.*d.*3.*n.*14.

28. 14.15. 18.22 *Propter hoc audite Verbum Domini, &c. flagellum inundans cùm transierit non veniet super nos, &c. Delebitur fœdus vestrũ cum morte, &c. Nolite illudere ne forte constringantur vincula vestra.c.*19.*d.*4.*n.*6.

29.13. *Appropinquat mihi populus hic ore suo.& c.cor autem eorum longè est à me.c.*1.*sch.n.*28.

36.6. *Ecce confidis super baculo arũdineo & c.cui si innixus fuerit homo, & c.c.*22 *d.*5.*n.*8.

37.28. *Habitationem tuam, & egressum tuum, & introitum tuum cognoui.c.*18.*sch.n.*29.

38.14. *Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba c.*23 *d.*2.*n.*3.

40.11. *Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, &c.c.*18.*dig.*5.*n.*4.

41.12. *Quares eos & non inuenies.c.*14.*sch.n.*27,

17. *Egeni & pauperes quærunt aquas & non sunt, lingua eorum siti aruit, ego Dominus exaudiam eos, &c.c.*18.*dig.*6.*n.*4.

18. *Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes, &c.c.*14.*sch.n.*33.*& dig.* 2.*n.*17.*& c.*18.*dig.*6 *n.*4.

42.19. *Quis cæcus, nisi qui venundatus est. cap.*11.*dig.* 2.*n.*21.

43.24. *Seruire me fecisti in peccatis tuis, c.*16.*sch. n.*21

44.3. *Effundam aquam super sitientem, & fluenta super aridam, &c.c.*14. *sch.num.*33.*& dig.*2. *num.*17.

46.18. *Omnibus his velut ornamento vestieris.c.*10.*d.* 2.*num.*16.

50. 1. *Quis est hic liber repudij matris vestræ quo dimisi eam? &c.c.*11.*d.*2.*n.*21.

53.8. *Propter scelus populi mei percussi eum.c.*17.*th.*1. *num.*5.

55.1. *Omnes sitiẽtes venite ad aquas, &c.c.*14.*di.*2.*n.*7

56. 7. *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.c.*2.*th.*2.*n.*2.

57.20. *cor impij quasi mare feruens.c.*1.*d.*4.*n.*6.

59.2. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deũ vestrum.c.*15.*d.*1.*n.*14.

5.6. *Ova aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt, & telæ eorum non erunt in vestimentum, &c.c.*14.*d.*1.*n.*3.*& c.* 17.*dig.*2.*num.*6.

19.20. *Cum venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit, & venerit Sion redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate Iacob, & c. c.*18.*schol.n.*18.

21. *Hoc fœdus meũ cum eis, &c. Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo non recedent de ore tuo, &c.c.*18.*sch.n.*18.

60.8. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas.c.*19.*d.*2.*n.*3.

62. 6. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes tota die, &c. in perpetuum non tacebunt. c.*10. *dig.*5.*num.*2.

10. *Præparate viam populo, &c. & eleuate signũ. c.*21.*dig.*2.*n.*7.

65.12. *Numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis, pro eo quod vocaui & non respondistis, locutus sum & non audistis.c.*16.*sch.n.*21.

24. *Antequam clament ego exaudiam: adhuc illis loquentibus ego audiam.c.*23 *dig.*1.*n.*5.

66.19. *Et ponam in eis signum, & mittam ex ijs, qui saluati fuerint ad gentes, &c.tendẽtes sagittam &c.*19.*dig.*2.*n.*7.

Digitized by Google

24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* c.10.sch.n.30.

C. V. IEREMIAS.

1.12.13. *Quid tu vides Ieremia? virgam vigilantẽ ego video. quid tu vides? ollam succensam,* &c. c.11. dig.2.n.7.

2.18. *Quid tibi vis in via AEgypti, vt bibas aquam turbidam,* &c. c.14. dig 2.num.18.

19. *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te.* c.14.dig.2.n.16.

24. *Omnes, qui quærunt eam non deficient: in menstruis eius inuenient eam.* c.14.dig.2.n.24.

31. *Nunquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina,* &c. c.4.dist.2.n.14.& c.c.13.dist.1.n.14.

36. *Quam vilis facta es nimis, iteras vias tuas, & ab AEgypto confunderis, sicut confusa es ab Assur.* c.13. dist.1.num.14.

4.1. *Si abstuleris offendicula tua à facie mea, nõ commoueberis.* c.10.th.1. num.1.

16. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, &c. & gratiam inueniamus in auxilio oportuno.* c. 3. dig .2.num.14.

5.30.31. *Stupor, & mirabilia facta sunt in terra: Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis,* &c.c. 18. d.5.n.10.

7.16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, &c. & non obsistas mihi.* c.23.th.2.n.1.

18. *Filij colligunt ligna, & Patres succendunt ignẽ, &c. vt faciant placentas,* &c.c.11.dig.2 n.25.

8.6. *Nullus est qui agat pœnitentiam, &c. omnes conuersi sunt ad cursum suum.* c.13.dig.1.n.10.

9.3. *De malo ad malum egressi sunt.* c.11.dig.3.n.7.

12.3. *Congrega eos quasi gregem ad victimã, & sanctifica eos in die occisionis.* c.18.d.g.5 n.12.

49. *Ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam,* &c.c.10.sch.n.22.

13. 16. *Date Domino Deo vestro gloriam antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos,* &c. c. 16.dig.4. n.7.& c.17.sch.n.29.

23. *Si mutare potest AEthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* c..15.dig.1.n.18.

14.8. *Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum.* c.14. th. vnic. num.4.

15 19. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* c.6.dig.2.n.14.

17. 1. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino.* c.13.dig. 2.n.5.

5. *Maledictus homo qui confidit in homine,* &c.c. 22.dig.5.n.8.

11. *Perdix fouit quæ non peperit,* c.18.sch. num.32. &c.23 schol.n.7.

13. *Domine recedentes à te in terra scribentur.* c. 15.sch.n.7.&c.20.th.1.n.7.

16. *Dies hominis non desideraui,* c.16. schol.n.60.

18. *Duplici contritione contere eos.* c.10.sch.n.30.

18.7.8 9. *Repente loquar aduersus gentem, &c. Si pœnitentiam egerit,* &c.c.11 dig.3.n.2.

20.20. *A sæculo confregisti iugum meum,* c.20.schol. num.33.

21.8. *Et clamauit leo: Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem, & super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus.* c.23.digr.2. n.6.

22.18. *Domine Deus, &c. Qui facis misericordiam in millibus, & reddis iniquitatem Patrum in sinum filiorum post eos.* c.17.th.1.n.7.

29.30 *Terra scribe virum istum,* &c. c. 15. schol. num.10.

23.21. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant; non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* c.18. schol.n.24.& c.19.schol.n.11.

31.19. *Postquam conuertisti me egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi percussi femur meum.* c.6 dig.2.n.11.

30. *Omnis homo qui comederit vuam acerbam obstupescent dentes eius.* c.13.dig.1.n.7.

35.4. *Et introduxi eos in domum Domini à Gazophylacio filiorum Hanan.* c.16.dig.1.n.3.

48.10. *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.* c.11.th.1.n.4.

50. 23. *Quomodo confractus est & contritus malleus vniuersæ terræ.* c.12 dig.2.n.7.

51.9. *Curauimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam.* c.10.dig.4.n.2.

27. *Leuate signum in terra clangite buccina,* &c. c.21.dig 2.n. .

39. *In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos vt sopiantur, & dormiant somnum sempiternum,* &c.c.4.dist.3.n.10.

52.11. *Et oculos Sedechiæ eruit, & vinxit eum cõpedibus, & adduxit eum rex Babylonis in Babylonẽ.* c.17.dig.2.n.10.

C. V. THRENI.

1.13 *De excelso misit ignem tribulationis.* cap.17.dig. 2.num.15.

3.51. *Oculus meus depradatus est animam meam.* c. 15.dig.2.n.16.

4.1.2.5. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij,* &c.c.13 digr.2.n.9.

20. *Christus Dominus captus est in peccatis nostris* c.16.ich.n.21.

C. V. BARVCH.

3.35. *Stellæ dederunt lumen in custodijs suis.* c.16.dig. 2.num.7.

C. V. EZECHIEL.

1.12. *Vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur.* c.6. dig.2.n.12.

2.6. *Fili hominis ne timeas eos.* c.12.dig.2.n.7.

3.16. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel.* c 18.dig.3.n.11.

18. *Sanguinem eius de manu tua requiram.* c. 24. schol.n.25.

26. *Linguam tuam adhærescere faciam palato tuo, nec quasi vir obiurgans: quia domus exasperans est.* c.19.dig.2.n.1.

13.5. *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, vt staret is in prælio in die Domini.* c.18.dig.2 n.8.

14.3.4.7. *Scandalum iniquitatis.* c.10.th 1.n.5.

16.38.40. *Iudicabo te iudicio adulterarum, &c. adducent super te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus.* c.15.schol.n.4.

18.2. *Quid est quod inter vos parabolam vertitis, &c. dicentes: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* cap.17.theo.1. num.7.

3. *Viuo ego, dicit Dominus Deus, si erit vltra vobis parabola hæc in prouerbium in Israel.* c.17.dig. 1.n.7.

4 *Ecce omnes animæ meæ sunt.* c.17.th.1.n.7.

13. *Non viuet, cũ vniuersa hæc detestanda fecerit, morte morietur,* &c.c.17.th.1.n.7.

20. *Anima quæ peccauerit ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris.* c.17. th.1.n.7. & c.8.schol.n.15.

22. *Si impius egerit pœnitẽtiam, &c. omnium iniquitatum eius non recordabor.* c. 11. theor. 6. num.2.

Digitized by Google

24. *Si auerterit se iustus à iustitia, &c. in præuaricatione, qua præuaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit in ipsis morietur.* c.11. th.6. num.2.
28.13. *Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt.* c.16.th.2.n.13.
33.6. *Sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.* c.18.dig.3 n.12.
12. *Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit,* &c.c.11.th.6.n.2.
13. *In iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur.* c.11.th.6.n.2.
34.2.3. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos* &c.c.18.sch.n.30.
8. *Facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri.* c.18. dig.5.n.12.
23. *Suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas seruum meum Dauid,* &c.c.18.sch.n.35.
36.25.26. *Effundam super vos aquam mundam, &c. & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri,* &c.c.14. dig.2.n.19.
39.7. *Non polluam nomen sanctum meum amplius.* c.23.sch.n.6.
44.1.2. *Porta facta cœli, ianua facta sum Filij Dei. illi facta sum ianua clausa, qui post resurrectionē ingressus est per ostia clausa.* c.18. dig.6.n.9.

C. V. DANIEL.

1.7. *Et ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortissima,* &c. *comedens atque comminuens,* &c.c.1.dig.1.n.14.
4.24. *Forsitan ignoscet delictis Deus.* cap.17.theor.2. num.5.
7.10. *Fluuius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius, millia millium ministrabant ei,* &c. c.7. dig.1.n.17.& c.10.dig.3.n.6.& 8. & c.20.th.1. num.6.
9.26. *Non erit eius populus, qui eum negaturus est.* c. 24.sch.n.28.
10.6. *Et quæ deorsum sunt vsque ad pedes, quasi species æris candentis.* c.10.dig.3 n.10.
13. *Princeps autem regni Persarum resistit mihi viginti & vno diebus, & ecce Michael.* &c.c.10 dig 3.n.3.& dig.6.n.10.
12.1. *In tempore autem illo, &c. saluabitur populus tuus, omnis, qui scriptus fuerit in libro.* c.10.d. 6.num.10.& n.12.c.20.th.1.n.8.& n.18.
13.9. *Qui euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum,* &c. c. 15. dig.1.n.18.
14.6. *Ait Daniel arridens: ne erres Rex: iste enim intrinsecus luteus est, & forinsecus æreus.* c.10.d. 2.n.12.

C. V. OSEE.

2.2. *Auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum.* c.15. digr.2. num.15.
5. *Vadam post amatores meos.* c.18.dig.5.n.10.
7. *Sequetur amatores suos, &c. quæret eos & non inueniet.* c.14.sch.n.27.
14. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* c.3. d 2.n.4.
3.4. *Dies multos sedebunt filij Israel sine rege.* c. 24. sch.n.28.
4.8. *Peccata populi mei comedent.* c.19.dig.4.n.10.
4.18. *Dilexerunt afferre ignominiam protectores eius.* c.18.dig.3.n.14.
5.6. *In gregibus suis, & in armentis suis vadent.* c.16. schol.n.21.
6.3. *Quasi diluculum præparatus est egressus eius, & veniet quasi imber nobis temporaneus, & serotinus terræ.* c.16.dig.4.num.4
6. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* c.20. sch.n.13.
7.1. *Fur ingressus est spolians, latrunculus foris.* c. 15. dig.2.n.4.
11. *Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor.* c.17.dig.2.n.3.
13. *Væ cùm recessero ab eis.* c.17.dig.3 n.1.
8.4. *Ipsi regnarunt, & non ex me, principes exstiterunt, & non cognoui.* c.18.dig.1.n.2.
6. *In aranearum telas erit vitulus Samariæ.* c.16. dig.2.n.6.
7. *Ventū seminabūt & turbinē metēt.* c.17 d.2.n.7.
9.7. *Scitote Israel stultum Prophetam, insanum virum spiritualem* [redacted] c.17.dig.2.n.4.
9.9. *Profunde peccauerunt sicut in diebus Zabaa.* c. 15.dig.1.n.11.
10.4. *Germinabit quasi amaritudo iudicium super sulcos agri.* c..10.sch.n 33.
12.4. *Et inualuit ad Angelum, & confortatus est: & fleuit, & rogauit eum.* c.10.dig.5.n.9.
14 3. *Reddemus vitulos labiorū nostrorū.* c.23.d.3.n.5.

C. V. AMOS.

4.2. *Iurauit Dominus Deus in sancto suo; quia ecce dies venient super vos,* &c. c.16.dig.3.n.6.
7. *Plui super vnam ciuitatem, & super alteram ciuitatem non plui,* &c.c.19.dig.2.n.3.
5.23. *Auser à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.* c.7.dig.2.n.4.
6.6. *Bibentes vinum in phialis.* c.4. dig.3.n 9.
6.13. *Nunquid enim currere potuerunt equi in petris.* c.5.dig.2.n.1.
8.13. *In illa die deficient virgines pulcræ, & adolescentes in siti.* c.19.dig.2.n.6.

C. V. IONAS.

3.9. *Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus.* c. 23. th.3 n.7.
4.6. *Lætatus est Ionas super hedera lætitia magna.* c. 12.dig.1.n.3.
7. *Et præparauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam & exaruit.* c. 12.dig.1.n.3.
8. *Cùm ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido & vrenti,* &c. *& petiuit anima sua, vt moreretur.* c.12.dig.1.n.3.

C. V. MICHAEAS.

7.19. *Proijciet in profundum maris omnia peccata nostra.* c.11.th.6.n.2.

C. V. NAHVM.

1.1. *Onus Niniue,* &c. *Dominus æmulator, & vlciscēs Dominus, & habens furorem,* &c. c.16. digr.3. n.7.& seq.
11. *Mente pertractās præuaricationē.* c.16.d.6.n.3.
2.3. *Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus in coccineis.* c.10.dig.3.n.16.

C. V. SOPHONIAS.

1.17. *Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt, & effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum vt stercora.* c. 16.dig.4.n.7.

C. V. ZACHARIAS.

1.3. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* c. 11.dig.3.n.3.
20.21. *Ostendit mihi Dominus quatuor fabros, & dixi: quid isti veniunt facere?* &c.c.10.di.5.n.5.
2.5. *Ego ero ei murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* c.18.dig.1.n.5.
4.10. *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram.* c.10.dig.3.n.8.
5.7. *Ita est oculus eorum in vniuersa terra.* c.20. digr. vnic.n.15.

Digitized by Google

8. *Iniquitas ſedens in medio amphoræ, talento plumbi iacto ſuper eam deprimitur.* c.20.digr. vnic.num.15.

11.15. *Adhuc ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti.* c.18. dig.5. num.12.

11.17. *Ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, &c. ô paſtor & idolum derelinquens gregem,* &c.c.18.dig.1.n.2.

13.1. *In die illa erit fons patens domui Dauid, &c. in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.*c.14.dig. 2.n.10.

C. V. MALACHIAS.

2.5.6. *Pactum meum fuit cum illo vitæ & pacis.* c. 19. ſch.n.22.

8. *Scandalizaſtis plurimos in lege.* c.10.th.1.n.5.

4.1. *Dies veniet ſuccenſa quaſi caminus.* c.16. dig. 4. num.8.

6. *Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* c.7.ſch.n.40.

C. V. MACHABAEORVM.

5.51. *Faciamus & ipſi nobis nomen, & eamus pugnare aduerſus gentes, quæ in circuitu noſtro ſunt.* c.19.dig.3.n.8.

61.62. *Qui non audierunt Iudam, & fratres eos, exiſtimantes ſe fortiter facturos,* &c. c. 19.dig. 3.num.9.

67. *In die illa ceciderunt ſacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum ſine conſilio exeunt in prælium.*c.19.dig.3.n.9.

6.39. *Refulſit ſol in clypeos aureos, & areos, & reſplenduerunt montes ab eis.*c.18.dig.3.n.14.

C. V. D. MATTHAEVS.

2.20. *Defuncti ſunt qui quærebant animam pueri.* c. 18.ſch.n.36.

38. *Hoc eſt maximum & primum mandatum.* c. 21.dig.2.n.2.

6.12. *Et dimitte nobis debita noſtra.*c.11.d.2.n.8. & 13.

22. *Nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus,* &c. c.11.ſch.n.31.

9.2. *Confide fili.*c.23.th.3.n.9.

13. *Miſericordiam volo & non ſacrificium.*cap.20. ſch.n.13.

21. *Si tetigero tantum fimbriam veſtimenti eius ſalua ero.*c.23.dig.1. n.1.

10.9 *Nolite poſſidere, &c. duas tunicas, neque calceamenta.*c.19.ſch.n.15.

34.35. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium.*c.19.ſch.n.22.

40. *Qui vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui miſit me.*c.19.ſch.n.31.

42. *Qui dederit calicem aquæ frigidæ, &c. non perdet mercedem.*c.21. dig.3.n.2.

11.16.17. *Cui ſimilem æſtimabo generationem iſtam? cantauimus vobis, & non ſaltaſtis,* &c.c.16.di. 4.num.6.

25. *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis,*c.17.ſch.n.35.

29. *Tollite iugum, &c. & inuenietis requiem animabus veſtris.*c.6.theor.4.n.4.

42. *Pater gratias ago tibi, quia audiſti me.* c. 23. dig.1.n.1.

12.30. *Qui non eſt mecum contra me eſt.* c. 10. ſchol. num.19.

13.34. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos.*c.21.ſch.n.15.

41. *Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala,* &c.c.10.th.1.n.5.

15.14. *Sinite illos, cæci ſũt & duces cæcorũ,*c.th.1.n.8.

23. *Dimitte eam: quia clamat poſt nos.*c.23.d.1.n.1.

16.23. *Scandalum es mihi.*c.10.th.1.n.9.

19.11. *Non omnes capiunt verbum iſtud.* cap. 16. ſch. num.36.

12. *Qui poteſt capere capiat.*c.16.ſch.n.36.

20.15. *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* c.1.ſch.n.44.

21.43. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti fructus eius.*c.17.ſch.n.2.

22.19. *Oſtendite numiſma cenſus: at illi obtulerunt denarium.*c.9.theor.1.num.9.

30. *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* c.10.di. 5.n.12.

23.2.3. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, omnia quæcumque dixerint vobis ſeruate & facite.*c.14 ſch.n.40.&c.c.18.ſch.n.25.

6. *Primos recubitus in menſis.*c.24.ſchol.n.14.

12. *Omnis qui ſe exaltauerit humiliabitur, & qui ſe humiliauerit exaltabitur.*c.20.digr.vn.n.12.

15. *Facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.* c. 19 ſchol.n.25.

35. *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram.*c.17.th.1.n.6.

24.4. *Alligant onera grauia, & importabilia in humeros hominum.*c 20.dig.vnic.n.16.

13. *Qui perſeuerauerit vſque in finem ſaluus erit.* c.16.th.2.n.8.

51. *Partemq; eius ponet cum hypocritis.* c.22. ſch. num.23.

25.12. *Neſcio vos.*c.18.ſch.n.9.

40. *Amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis mihi feciſtis.* c.22.di.2. num.4.

26.19. *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* c.23.th.1. num.4.

31. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte.*c.10.theor.1.n.5.

39. *Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire.*c.18. theor.1.n.4.

27.25. *Sanguis eius ſuper nos.*c.24.ſch n.25.

28.18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* c.20.ſchol.n.23.

20. *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.*c.11.ſchol.n.30.

C. V. D. MARCVS.

4.49. *Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.* c.19.dig.1.n.5.

6.2. *Vnde huic hæc omnia? & quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi?* c. 14.ſch.n.3.

8.20. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet* c.6.dig.2.n.18.

26.17. *In nomine meo dæmonia eijcient.*c.11.ſch.n.31.

C. V. D. LVCAS.

2.34. *Eccè poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem.*c.10.th.1.n.9.

3.5 *Omnis vallis implebitur.*c.14.dig.2.n.17.

7.47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*c.23.dig.1.n.1.

10.24. *Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.*c.16.ſch.n.62.

11.50. *Vt inquiratur ſanguis omnium Prophetarum, qui effuſus eſt à conſtitutione mundi, à generatione iſta.*c.17.th.1.n.16.

51. *Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.*c. 20.ſch.n.21.

12.5. *Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam: ita dico vobis hunc timete.*c.20.ſch. num.21.

49. *Ignem veni in terram mittere, & quid volo niſi vt accendatur.*c.21.dig.2.n.16.

Digitized by Google

13.31. *Herodes vult te occidere.* c.14.sch.n.24.
14.26. *qui non odit patrem suum, & matrem.* c.20. th.2.n.16.
17.34. *Dico vobis in illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus assumetur, & alter relinquetur,* &c. c.7. dig.1.num.5.
18.1. *Oportet semper orare.* c.23.th.2.n.10.
19.8. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus;* &c.c.24.sch.n.8.
43. *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo,* &c.c.16.dig.3.n.6.
21.38. *Omnis populus manicabat ad eum in templum, audire eum.* c.15.sch.n.1.

C. V. D. Ioannes.

1.1. *Omnia per ipsum facta sunt.* c.14.th.2.n.5.
5. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* c.16.dig.4.n.1.
3.8. *Omnis qui natus est ex spiritu, audit vocem spiritus.* c.18.sch.n.14.
11. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur.* c.14.th.vnic.n.2.
13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* c.14.th.vn.n.2.
15. *Vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* c.18.sch.n.26.
16. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suũ vnigenitum daret.* c.9.sch.n.6.
35. *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.* c.20.sch.n.23.& 24.
4.13. *Omnis qui bibit ex hac aqua sitiet iterum, sed aqua, quam ego dabo ei,* &c.c.14.d.2.n.8.
5.20. *Maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini.* c.14.sch.n.17.
22. *Pater non iudicat quenquam.* c.16.sch.n.55.
31. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso testimonium meum non est verum.* cap.20.theor.1. num.18.
43. *Ego veni in nomine Patris mei.* c.11.sch.n.30.
6.7. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est.* c.16.dig.6.n.3.
57. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* c.18.sch.n.47.
63. *Hoc vos scandalizat.* c.10.th.1.n.5.
7.26. *Ecce palam loquitur.* c.12.sch.n.3.
8.31. *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei estis.* c.16.sch.n.29.
38. *Ego, quod vidi apud Patrem loquor.* c.14.th. vnic.n.2.
9.29. *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus vnde sit.* c.14.sch.n.20.
34. *In peccatis natus es.* c.16.sch.n.21.
11.51. *Prophetauit quod Iesus moriturus erat pro gente,* &c.c.14.sch.n.29.
12.26. *Qui mihi ministrat, me sequatur, & vt vbi sum ego, illic & minister meus erit.* c.14.th.vn.n.2.
31. *Princeps mundi huius.* c.16.dig.5.n.3.
13.6. *Tu mihi lauas pedes.* c.17.sch.n.34.
9. *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* c.22.sch.n.23.
37. *Animam meam pro te ponam.* c.18.sch.n.36.
14.31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* c. 7.th.4.n.7.& c.18.th.1.n.3.
16.15. *Omnia quæcunq; habet Pater mea sunt.* c.20. sch.n.23.
25. *Veniet hora cùm iam non in Prouerbijs loquar vobis sed palam.* c.12.sch.n.3.
28. *Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* c.16. d.2. n.6.
29. *Ecce palam loqueris.* c.12.sch.n.3.
16.33. *In mundo pressuram habebitis.* c.17. theor.1. num.2.
17.2. *Dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* c.20.sch. n.23.
12. *Nemo ex ijs periit nisi filius perditionis.* c.19. schol.n.25.
24. *Volo vt vbi ego sum illi sint mecum.* c.14.theor. vnic.n.2.
18.20. *Ego palam locutus sum mundo.* c.12.schol.n.3
19.25. *Stabat iuxta crucem eius mater Iesu.* c.6.dig. 2.n.17.
20.17. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrũ, Deum meum, & Deum vestrum.* c.7. theor.4 num.7.
21. *Pax vobis: sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* c.11.schol.n.19.

C. V. Acta Apostolorvm.

2.33. *Dextera Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta à Patre effudit hunc quem vos videtis & auditis.* c.14.schol.n.37.
4.7. *In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos.* c.10.schol.n.31.
13. *Comperto quod homines essent sine litteris & idiota.* c.14.schol.n.3.
31. *Loquebantur verbum Dei cum fiducia.* c.23.th.3 n.10.
6.2. *Non est æquum relinquere nos Euangelium, & mensis ministrare.* c.22.dig.3.n.14.
8.22. *Pœnitentiam age, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio.* c.17.theor.2.n.5.
10.14. *Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune aut immundum.* c.1.sch.n.10.
12.7. *Et ceciderunt catenæ de manibus eius.* c.10.dig. 5.n.1
8. *Calcea te caligas tuas.* c.19.schol.n.15.
15. *Angelus eius est.* c.10.dig.4.n.1.
13.46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia illud repellitis,* &c. *ecce conuertimur ad gentes.* c.17.sch.n.2.
14.16. *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cœlo, dans pluuias,* &c. c.4.dig.2.n.1.
15.10. *Quid tentatis Deum imponere iugũ super ceruicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* c.20.sch.n.38.& digr.vnic.n.16.
18.4. *Erant autem scenofactoriæ artis.* c.12.theor.2. num.8.
20.24. *Nec facio animam meam pretiosiorem quam me.* c.6.sch.n.47.
26. *Mundus sum à sanguine omnium.* c.11.theo.1. num.4.
30. *Vt abducant discipulos post se.* cap.18. sch. num.31.
28.31. *Qua sunt de Domino Iesu Christo cum omni fiducia.* c.23.th.3.n.10.

C. V. Epistola Ad Romanos.

1.23. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis.* c.11.digr.2. num.16.
28. *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum.* c.20.th.2.n.25.
2.4. *Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* c.20.th.2.n.17.
6.17. *Gratias ago Deo meo, quoniam fuistis serui peccati: obedistis autem ex corde in quam traditi estis formam doctrinæ.* cap. 20. schol. num. 22.
18. *Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.* c.16.sch.n.31.
22. *Nunc verò liberati à peccato, serui facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem.* c.16.sch.n.31.

Digitized by Google

23. Stipendia peccati mors. c.16. d.5. n.7.
7. 23. Video aliā legem in membris meis. c.12. t.3. n.3.
8. 2. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. c.16. sch.n.31.
9. Qui spiritum Christi non habet, hic non est eius. c.16. d.5. n.3. & d.8. n.8.
12. Debiteres sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus. c.6. d.2. n.5.
21. Creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem filiorum Dei. c.16. sch.n.30.
26. Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. c.23. th.2. n.4.
27. Qui autem scrutatur corda scit quid desideret spiritus, &c. c.23. th.2 n 4.
28. Quos præsciuit hos & prædestinauit, &c. c.21. d.3. n.8.
30. Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, &c. c.20. th.1. n.16.
32. Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. c. 9. sch.nu.6. & c. 17. th.1. n.5.
9.3. Optabam & ego anathema esse à Christo, pro fratribus meis. c.20. th.1. n.4.
11. 12. 13 Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, &c. non ex operibus sed ex vocante dictum est ei: quia maior seruiet minori, &c. c.20. th.2. n.14 & th.2. n.21. & th. 3. n.5.
14. Numquid iniquitas apud Deum. c. 20. th. 2. n.22.
16. Non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei. c.20. th 2. n.14. & c.22. sch.n.25.
17. In hoc excitaui te, vt ostendam potentiam meam. c.20. th.2. n.16. 17.
22. Sustinuit in multa patientia vasa iræ. c. 20. th. 2. n.17. & th.3. n.9.
23. Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. c.20. th.3. num.9.
31. 32. Israel verò sectando legem iustitiæ in legem iustitiæ non peruenit. quare? quia non ex fide. c.20. th.2 n.15.
33. Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali. &c. th 1 n.5. & 9.
11. 2. Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit. c.20. th.1. n.10.
29. Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei. c.11. th.6. n.2.
12. 5. Vnum corpus sumus, alter autem alterius membra. c.18. dig 6. n.10.
14. 17. Non est enim regnum Dei, &c. c.23. sch.n.7.
16. 17 Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, & c. & declinate ab illis. c.18. dig.5. n.8.
19. 20. Non quod volo bonum hoc facio, &c. c.21. th.3. num.10.

C. V. Ad Corinthios I.

1. 20. Vbi sapiens, vbi scriba, vbi conquisitor huius sæculi. c.24. sch.n.25.
23. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum. c.10. th.1. n.5.
3. 11. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, &c. ca.6. th.1. n.2.
4. 3. Mihi pro minimo est, vt ab humano die iudicer c.16. schol.n.60.
5. Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum. c.20. th.1. n.13.
13. Tanquā purgamenta huius mundi facti sumus c.10 dig.2. n.17.
5. 11. Si quis frater nominetur in vobis, sit autem fornicator, aut auarus, &c. c.11. th.4. n.2. & 4.
22. Quid enim mihi de his, qui foris sunt iudicare. c.18. dig.6. n.15.
7. 1. Bonum est homini mulierem non aspicere. c. 22. sch.n.22.
21. Seruus vocatus es? non sit tibi curæ: sed etsi potes fieri liber, magis vtere. c.16. dig.5. n.10.
34. Mulier innupta cogitat quæ Dei sunt, innupta quomodo placeat viro. c.22. dig.23. n.14.
8. 1. Si quis viderit eum qui habet scientiam in idolio recumbentem. c.1. th. vnic. n.4.
8. Esca nos non commendat Deo, neque enim si manducauerimus, abundauimus: neque si non manducauerimus deficiemus. c.10. th.2. n.4. & c.18. sch.n.34.
9. Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. c.1. th. vnic. n.2.
10. 12. Qui existimat se stare, videat ne cadat. c. 16. th.2. n.4.
20. Quæ immolant gentes dæmonijs immolant, & non Deo, &c. c.1. th. vnic. n.3.
11. 10. Debet mulier potestatem habere super caput propter Angelos. c.10. dig.4. n.1.
18. Audio scissuras inter vos. c.17. sch.n.23.
29. Iudicium sibi manducat & bibit. c.10 schol. num.33.
12. 3. Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. c.20. sch.n.16. & c.13. th:2. n.7.
13. Omnes in vno spiritu potati sumus. c.18. dig.6. num.10.
31. Excellentiorem viam vobis demonstro. c.21. dig. 2. n.11.
13. 2. Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam. c.23. th.3. n.10.
14. 20. Nolite pueri sensibus effici. c.10. sch.n.12.
15. 10. Præ omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum. c. 20. dig. vnic. num.11. & c.22. schol. num.25.
16. 1. De collectis autem, &c. c.12. th.2. n.5.
22. Si quis non amet Dominum nostrum Iesum Christum anathema sit. c.21. dig.3. n.3.

C. V. Ad Corinthios II.

2. 17. Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo; coram Deo, in Christo loquimur. c.16. d.8. num.5
3. 5. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis. c.23. th.2. n.5.
18. Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur. c.7. dig.2. n.3.
4. 17. Id, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, &c. c.20. dig vnic. n.28.
5. 4 Qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati. c.12. dig.1. n.2.
10. Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, &c. c.17. th. 1. n.4.
21. Eum, qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit. c.16. dig.7. n.7.
6. 15. Quæ est conuentio Christi ad Belial? c.16. dig.6. num.3.
11. 29. Quis infirmatur & ego non infirmor: quis scandalizatur & ego non vror. c.10. th.1. n.12.
12. 15. Libentissime impendam & superimpendar ipse pro animabus vestris. c.18. dig.1. n.9.

C. V. Ad Galatas.

1. 16. Continuo non acquieui carni & sanguini. c. 6. sch.n.24.
2. 20. Quod autem iam non viuo in carne, in fide viuo filij Dei, &c. c.13. dig.1. n.11.
4. 4. Misit Deus Filium suum, factum est muliere, factum sub lege. c.9. sch.n.13.
7. Quod si filius & hæres per Deum. cap. 16. schol. num.29.

Digitized by Google

5. 1. *State & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* c.20.dig.vnic.n.16.
22. *Fructus autem spiritus est: caritas, gaudium, pax,* &c.c.14.dig.2.n.17.
6.5. *Vnusquisque onus suum portabit.* c.17. th.1.n.4.
6. *Communicet autem ù, qui catechizatur verbo ei, qui se catechizat in omnibus bonis.* cap.19. sch.n.27.

C. V Ad Ephesios.

1. 9. 10. *Vt notum faceret Sacramentum voluntatis suæ secundùm beneplacitum eius,* &c.c.20.sch. num.24.
22. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* c. 18.dig.6.n.10.
2. 3. *Et eramus natura filij iræ.* c.19.sch.n 25.
4. *Deus autem qui diues est in misericordia,* &c.c. 11.dig.3.n.3.
13. *Vos qui aliquando eratis longe, facti estis propè in sanguine Christi.* c.19.sch.n.21.
14. *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* c. 18.sch n.51.& c.19.sch.n.21.
3. 19. *Captiuantes intellectum in obsequium eius.* c. 14.dig.2.n.17.
4. 4. *Vnum corpus & vnus spiritus.* cap.18. digr.6. num.10.
11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, &c. ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* c.19. digr. 2.num.7.
19. *Qui desperantes semetipsos tradiderunt,* &c.c. 15.dig.1.n.10.
23. 24. *Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominẽ, qui secũdùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* c. 20.th.2.n.2.
5. 3. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia,* &c.c.15.dig.1.n.10.
16. *Redimentes tempus quoniam dies mali sunt.* c.16.dig.4.n.8.
27. *Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam.* cap.6. theo.5. num.7.
62. *Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum,* &c.c.1.dig.2.n.1.

C. V. Ad Philippenses.

1. 21. 22. 23. *Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum, &c. quid eligam ignoro. Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolui,* &c. c.20.th.1.n.4.
2. 8. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortẽ,* &c.c.16.dig.2.n.15.& c.20.dig.vni. num.12.
12.13. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere,* &c. c.19. dig.4.n.14.& c. 22.sch.n.25.
3. 20. 21. *Nostra conuersatio in cœlis est, vnde etiam Saluatorem exspectamus, &c. qui reformabit corpus humilitatis nostræ,* &c.c.7.d.1.n.12.
4. 3. *Cum Clemente & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina non sunt in libro vitæ.* c. 20. th.1.n.8. & 20.
22. *Salutant vos omnes sancti, maximè autem, qui in Cæsaris domo sunt.* c.19.th.2.n.1.

C. V. Ad Colossenses.

1. 13. *Filius dilectionis suæ.* c.19.sch.n.25.
2. 14. *Delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* c.16. digr.7. num.7.

C. V. Ad Thessalonicenses I.

2. 18. *Voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, & semel, & iterum, sed impediuit nos Satanas.* c. 19.dig.2.n.5.
4. 6. *Ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum.* c.15.dig.1.n.10.

C. V. Ad Thessalonicenses II.

2. 8. *Quis vt Deus? Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interfecit spiritu oris sui,* &c.c.10.dig.6.n.12.
3. 6. *Denunciamus autem vobis fratres, &c. vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè.* c.11.th.2.n.3.& c.15.dig.2.n.11.
11. *Audiuimus enim inter vos quosdam ambulare inquietos,* &c.c.15.dig.2.n.11.
12. *Iis autẽ qui huiusmodi sunt denunciamus, &c. vt cum silentio operantes, suum panem manducent.* c.15 dig.2.n.11.
14. 15. *Quod si quis non obedit verbo nostro, &c. ne commisceanimi cum illo, &c. nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem.* c.11.th.2.n.3.

C. V. Ad Timothevm I.

2. 1. *Obsecro fieri obsecrationes, orationes, postulationes gratiarum actiones.* c 23.digr.1.n.1.
3. 11. *Mulieres similiter pudicas non detrahentes.* c. 1. dig.1.n.13.
4. 12. *Exemplum esto fidelium in verbo,* &c.c.22. sc. num.10.
5. 20. *Peccantes coram omnibus argue,* &c.c.11.th.1. n15.& c.11.th.3.n.12.

C. V. Ad Timothevm II.

1.10. *Destruxit mortem, illuminauit autem vitam & incorruptionem.* c.16.sch.n.3.
2.17. *Sermo eorum tanquam cancer serpit.* c. 18. dig. 5.n.8.
19. *Cognouit Dominus qui sunt eius.* c. 18. sch.n.9. & c.20.th.1.n.10.
3.7. *Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.* c.16.dig.6.n.2.
4.2. *Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra.* c.11.th.4.n.3.

C. V. Ad Titvm.

1.7. *Oportet Episcopum esse, non percussorem.* c. 1.d. 1.n.2.
16. *Confitentur se nosse Deum factis autem negant.* c.16.sch.n.59.
3.10. *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita.* c.11.th.3.n.14.
11. *Sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit cùm sit proprio iudicio condemnatus.* c.18.dig.6.n.15.

C. V. Ad Hebraeos.

1.2. *Locutus est nobis in filio, quem constituit heredem vniuersorum.* c.7.th.4.n.4.
14. *Nonne omnes sunt administratorij spiritus.* c. 10.sch.n.38.
2.9. *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum.* c.16.sch.n.24.
14. *Qui habebat mortis imperium.* c.16.dig.6.n.6.
4.16. *Adeamus ergo cum fiducia,* &c.c.23.th.3.n.9.
5.4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* c.19.dig.3.n.1.
8. *Didicit ex his quæ passus est obedientiam.* c. 14. th.vnic.n.11.
6.6. *Rursus crucifigentes Filium Dei sibimetipsis, & ostentui habentes.* c.16.dig..7.n.7.
19. *Qui confugimus ad tenẽdam propositam spem,*

Digitized by Google

quam sicut anchoram habemus, &c. c.20.dig. vnic.n.28.
10.19. *Aufert primum, vt sequens statuat.* c.18.dig.6 num.8.
10. *In qua voluntate sanctificati sumus,* &c. c.14. th.vnic.n.6.
11.1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* c.8.sch.n 20.
4. *Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo.* c.24.sch.n.26.
37. *Lapidati sunt, sicti sunt, &c. quibus dignus non erat mundus.* c.17.th.1.n.2.
12.7. *In disciplina perseuerate, tanquam filijs vobis offert se Deus.* c.4.dig.2.n.8.

C. V. IACOBI EPISTOLA.

1.6. *Postulet in fide nihil hæsitans.* c.23.th.3.n.9.
2.10. *Quicunque legem seruauerit, offendat autem in vno factus est omnium reus.* c.1.th.6.n.5.
24. *Videtis, quomodo ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.* c.18.sch.n.26.
4.1. *Vnde bella & lites nonne ex concupiscentijs vestris,* &c. c.21.th.3.n.4.

C. V. D. PETRI I.

1.1. *Petrus Apostolus Iesu Christi, electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ,* &c. c.14.sch.n.38.
4.4. *In quo admiramini, non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem.* c.17.dig.3.n.18.
5.2.3. *Pascite qui in vobis est gregem, &c. forma facti gregis ex animo.* c.18.sch.n.17. & c.c.18.d.3.n.
5. *Deus resistit superbis, humilibus dat gratiam.* c. 20.dig.vnic.n.4.

C. V. D. PETRI II.

1.13. *Quamdiu sum in hoc tabernaculo,* &c. c.12.dig. 1.n.2
14. *Velox est depositio tabernaculi.* c.12. dig.1.n.2.
2.15. *Derelinquentes viam rectam errauerunt, sequuti viam Balaam de Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit.* c.18.dig.4.n.7.

C. V. D. IOANNIS I.

1.5. *Hæc est annunciatio quam audiuimus ab eo, quia Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* c.16. dig.2.n.1.2.
2.3. *In hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius seruemus.* c.16.sch.n.59.
5. *Qui seruat verbum eius verè in hoc caritas Dei perfecta est.* c.16.sch.n.29.
19. *Non erant ex nobis, si enim fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum* c.20.th.1.n.16.
3.10. *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli,* &c. c.16.sch.n.44.
14. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* c.21.dig.4.n.2.
18. *Non diligamus verbo, &c. In hoc cognoscimus quia ex veritate sumus.* c.16.th.2.n.4.
4.6. *Qui nouit Deum, audit nos: & c. in hoc cognouimus spiritum veritatis, & spiritum erroris.* c.18. sch.num.14.
18. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* cap.21. digr.1.n.7.

C. V. D. IOANNIS II.

4. *Gauisus sum valde, quoniam inueni de filijs tuis ambulantes in veritate.* c.16.th.2.n.4.
10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere,* &c. c.18.dig 5.n.8.

C. V. EPISTOLA III. IOANNIS.

4. *Maiorem horum non habeo gratiam, quam vt audiam filios meos in veritate ambulare.* c.16. th.2.n.4.

C. V. EPISTOLA IVDAE.

6. *Angelos verò qui non seruauerunt suum principatum, &c. vinculis æternis sub caligine reseruauit.* c.6.th 2.n.4.5.
9. *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus.* & c.c.10.dig.6.n.9.
22. *Et hos quidem arguite iudicatos: illos verò saluate de igne rapientes.* & c.c.19.dig.4.n.7.

C. V. APOCALIPSIS.

3.2. *Esto vigilans.* c.10.dig.4.n.2.
5. *Non delebitur nomen eius de libro vitæ.* c.20.th. 1.n.17.
11. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* c.17.dig.3.n.2.
19. *Collyrio iunge oculos tuos.* c.17.dig.2.n.12.
4.5. *Et septem lampades ante thronum.* c.10.d.3.n.8.
5.6. *Et vidi, & ecce in medio throni, &c. Agnum tanquam occisum habentem cornua septem,* & c.c. 10.dig 3.n.8.
12. *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem & diuinitatem.* c.7.dig.2.n.7.
6.17. *Abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni.* c.11.dig.3.n.5.
7.15. *Qui sedet in throno habitabit super illos.* c.18.d.6. num.2.
16.17. *Non esurient neque sitient amplius, &c. Quoniam agnus qui in medio throni est, &c. deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* c.18.dig.6.n.3.
12.7.8.9. *Factum est prælium magnum in cœlo, Michael & Angeli præliabantur cum dracone,* & c. c.10.dig.6.n 8. & 13.
13.8. *Adorauerunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ.* c.20.th.1.n.18.
14.6. *Vidi Angelum volantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum, vt Euangelizaret sedentibus super terram.* c.19.dig.4.n.3.
20.12. *Et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* c.20.th. num.6.

C. V. ESDRAE III.

9.8. *Date confessionem & magnificentiam Domino Deo.* c.17.schol.n.29.

Digitized by Google

INDEX
EVANGELIORVM, QVÆ DOMINICIS, FERIIS, ET FESTIS DIEBVS PER ANNVM IN TEMPLIS LEGVNTVR

(Et in quinque præcedentibus libris explicata sunt)
iuxta consuetudinem Germanicæ
& Romanæ Ecclesiæ.

IN QVO ANIMADVERTE, LITERAM R. QVAE VSVM Romanum ex decr. SS. Conc. Trid. restitutum significat, præpositam esse, vbi non conueniunt.

Cæterùm prior numerus librum; alter, caput; tertius denique columnam, seu paginam designat.

Dom. 2. Aduentus.

R. *CVM audisset Ioannes in vinculis opera Christi*, vsque, *Amen dico vobis.* Matth. 11. lib. 4. 10. 447

Dom. 3. Aduentus.

Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi, vsque, *Amen dico vobis.* Matth. 11. 4. 10. 447

R. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & Leuitas ad Ioannem.* Ioan. 1. 2. 4. 522

Feria 4. quatuor Temp.

Missus est Angelus Gabriel, vsque, *Exurgens autem.* Luc. 1. 1. 5. 142

Feria 6. quatuor Temp.

Exurgens autem Maria. vsque, *Quia respexit.* Luc. 1. 1. 6. 199

Sabbatho quatuor Temp.

Anno quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris. vsque, *dicebat ergo ad turbas.* Luc. 3. 2. 1. 426

Dominica 4. Aduentus.

Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vsque, *Altera die vidit Ioannes.* Ioann. 1. 2. 4. 522

R. *Anno Quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris*, vsque, *Dicebat ergo ad turbas.* Luc. 3. 2. 1. 426

In festo Natiu. Christi ad Gallicantum.

Exijt edictum à Cæsare Augu. vsque, *Et factum est.* Luc. 2. 1. 9. 262

In aurora.

Pastores loquebantur ad inuicem. vsque, *Et postquam consummati.* Luc. 2. 19. 274

Ad summam Missam.

In principio erat Verbum. vsque, *Ioannis testimonium.* Ioann. 1. 1. 1. 8

In festo SS. Innocentum.

Angelus Domini apparuit. vsque, *Defuncto autem.* Matth. 2. 1. 12. 381

Dominica infra octauam Natiuit.

Erat Pater, & Mater eius mirantes. vsque, *Et ibant Parentes.* Luc. 2. 1. 11. 357

In circumcisione Domini.

Postquam consummati sunt dies octo. vsque ad finem capitis. Luc. 2. 1. 9. 275

In vigilia Epiphaniæ.

Defuncto Herode, ecce Angelus Domini apparuit. vsque ad finem cap. Matth. 2. 1. 12. 387

In Epiphania Domini.

Cùm natus esset Iesus, vsque, *Qui cùm recessissent.* Matth. 2. 1. 10. 317

Domin. infra octauam Epiphaniæ.

Cùm factus esset annorum 12. vsque ad finem cap. Luc. 2. 1. 13. 407

Domin. 2. post Epiphan.

Nuptiæ factæ sunt in Chana Galilææ, vsque, *Post hac descendit.* Ioann. 2. 2. 6. 546

Domin. 3. post Epiphan.

Cùm descendisset Iesus de monte, vsque, *Et cùm venisset Iesus.* Matth. 8. 4. 366 / 4. 419

Domin. 4. post Epiphan.

Ascendente in nauiculam, vsque, *Et cùm venisset.* Matth. 8. 3. 14. 750

Domin. 5. post. Epiph.

Simile est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen, vsque, *Et factum est cùm consummasset.* Matth. 13. 4. 14. 658 / 4. 15. 711

Dom. 6. post Epiph.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Matth. 13. 4. 14. 659

Dominica in Sexagesima.

Exijt qui seminat seminare semen suum, vsque, *Nemo autem lucernam.* Luc. 8. 4. 13. 622

Feria 4. Cinerum.

Cùm autem ieiunatis, vsque, *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Matth. 6. 4. 5. 255

Feria 5. in cap. Ieiunij.

Cùm autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, vsque, *Et cùm venisset.* Matth. 8. 4. 9. 429.

Feria 6.

Audistis quia dictum est antiquis, vsque, *Et cùm oratis.* Matth. 5. 4. 4. 112

Sabbatho.

Cùm sero esset factum, erat nauis in medio mari, vsque ad finem cap. Marc. 6. 4. 20. 842

Domin. 1. Quadragesimæ.

Ductus est Iesus in desertum, vsque, *Cùm audisset.* Matth. 4. 2. 3. 4. 97

Feria 4.

Accesserunt ad Iesum Scribæ, & Pharisæi dicentes, Magister volumus à te signum videre, vsque ad finem cap. Matth. 12. 4. 12. 551

Feria 5.

Egressus Iesus secessit in partes Tyri, & Sidonis, vsque, *Et cùm transisset.* Matth. 15. 5. 2. 42

Feria 6.

Erat dies festus Iudæorum, vsque, *Propterea persequebantur.* Ioann. 5. 4. 1. 1

Digitized by Google

Sabbatho.

Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum, &c. vsque, *Et interrogauerunt.* Matth. 17. 5.7.203

Dom.2.Quadragesimæ.

Venit ad Iesum Leprosus deprecans eum. Marci 1. 4.7.366

R.Idem Euang. quod Sabbatho præced.

Feria 2.

Ego vado & quæritis me, vsque, *hæc illo loquente.* Ioann.8. 5.16.557

Feria 2. post tertiam Dominicam Quadragesimæ.

Vtique dicetis mihi hanc similitudinem, vsque, *Et descendit Capharnaum.* Luc.4. 4.16.733

Feria 3.

Si peccauerit in te frater tuus, vsque, *Ideò assimilatum est.* Matth.18. 5.11.357

Feria 4.

Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Matth.15. 5.1.1

Feria 5.

Surgens Iesus de synagoga introiuit in domum Simonis. vsque ad finem cap. Luc.4. 3.10.714

Feria 6.

Venit Iesus in ciuitatem Samariæ, vsque, *Post duos autem dies.* Ioann. 4. 3.4.630

Sabbatho.

Perrexit Iesus in montem Olueti, vsque, *Iterum ergo locutus.* Ioan.8. 5.15.529

Domin.4.Quadragesi.

Abijt Iesus trans mare Galilææ, vsque, *Iesus ergo cùm cognouisset.* Ioann.8. 4.19.823

Feria 2.

Propè erat Pascha, vsque ad finem cap. Ioan.2. 3.1.557

Feria 3.

Iam die festo mediante ascẽdit Iesus in templum, vsque, *Christus cùm venerit.* Ioan.7. 5.14.487

Feria 4.

Vidi cæcũ thominem à natiuitate, vsque ad finem cap. Ioann.9. 5.17.657

Feria 5.

Ibat Iesus in ciuitatem Naim, vsque ad finem cap. Luc.7. 4.10.447

Sabbatho.

Ego sum lux mundi, vsque, *Dixit ergo iterum.* Ioann.8, 5.16.556

Dominica in Passione.

Quis ex vobis arguet me de peccato, vsque ad finem capitis. Ioann.8. 5.16.557

Feria 2.

Miserunt Principes, & Pharisæi ministros, vsque, *Nondum enim erat spiritus datus.* Ioann. 7. 5.14.488

Feria 2.

Ambulabat Iesus in Galilæam, vsque, *Iam autem die festo mediante.* Ioan. 7. 5.12.435

Feria 5.

Rogabat Iesum quidã Pharisæus, vsque ad finem cap. Luc.7. 4.11.513

Domin.2.post Pascha.

Ego sum Pastor bonus, vsque, *Propterea me diligit.* Ioann.10 5.18.726

Feria 2.in Rogationibus.

Quis vestrum habebit amicum, vsque, *Et erat ejiciens dæmonium.* Luc.11. 5.23.1015

Feria 2. Pentecostes.

Sic Deus dilexit mundũ, vsq;, *Post hæc.* Io.3.3.2.589

Feria 3. Pentecost.

Qui non intrat per ostium, vsque, *Ego sum Pastor bonus.* Ioann.10. 5.18.726

Feria 4. quatuor Temp. post Pentecost.

Nemo potest ad me venire, vsque, *Litigabant ergo.* Ioann.6. 4.21.849

Feria 6, quatuor Temp.

Factum est vna dierum, vsque, *Et post hæc.* Luc.5. 3.17.780

Sabbatho quatuor Temp.

Surgens Iesus de Synagoga, vsque ad finem cap. Luc.4. 3.10.714

Domin.Sanctiss.Trinitatis.

Erat homo ex Pharisæis Nicodemus, vsque, *Non enim misit.* Ioann.3. 3.2.589

Item R. pro prima Dom.post Pentec.

Estote misericordes, vsque, *Non est enim.* Luc.6. 4.8.382

In festo Venerab.Sacram.

Caro mea verè est cibus, vsque, *Hæc dixit in Synag.* Ioan.6 4.21.849

Dom.4.post Pentecost.

R. *Cùm turba irruerent in Iesum,* vsque, *Factum est cùm esset.* Luc.5. 3.12.733

Dominica 5.post Pentecost.

Estote misericordes, vsque, *Non est enim.* Luc. 6.

R. *Nisi abundauerit iustitia vestra,* vsque, *Esto consentiens.* Matth.5. 4.4.112

Dominica 6.post Pentec.

Cùm turba irruerent in Iesum, vsque, *Factum est cùm esset.* Luc.5. 3.12.733

R. *Cùm turba multa esset cum Iesu,* vsque, *Et exierunt Pharisæi.* Marci 8. 5.4.97

Dominica 7. post Pentecost.

Nisi abundauerit iustitia vestra, vsque, *Esto consentiens.* Matth.5. 4.4.112

R. *Attendite à falsis Prophetis,* vsque, *Multi dicent.* Matth7. 4.6.321

Dominica 8. post Pentecost.

Cùm turba multa esset cum Iesu, vsque, *Et exierunt* Marc.8. 5.4.97

R. *Homo quidam erat diues.*

Dominica 9. post Pentecost.

Attendite à falsis Proph. vsque, *Multi dicent.* Matth. 7. 4.6.321

R. *Cùm appropinquaret Iesus Ierusalem.*

Dominica 11. post Pentecost.

Cùm appropinquaret Iesus Ierusalem, &c.

R. *Exiens Iesus de finib.Tyri,* vsque ad finem cap. Marc.7. 5.3.79

Dominica12. post Pentecost.

Dixit Iesus ad quosdam, qui in se confidebant. Luc. 18.

R. *Beati oculi qui vident, &c.* vsque, *Factum est autem.* Luc.10. 5.21.910

Dom.13.post Pentecost.

Exiens Iesus de finibus Tyri, vsque ad finem cap. Marc.7. 5.3.79

R. *Dum iret Iesus in Ierusalem,* vsque, *Interrogatus.* Luc.17. 5.13.460

Dominica 14.post Pentecost.

Beati oculi qui vident, vsque, *Factum est autem.* Luc.10. 5.21.910

R. *Nemo potest duob.Dominis seruire,* vsque, *Nolite ergo solliciti, &c.* Matth.6. 4.5.256

Dom.15.post Pentecost.

Dum iret Iesus in Ierusalem, vsque, *interrogatus.* Luc.17. 5.13.460

Digitized by Google

R. *Ibat Iesus in ciuit. Naim*, vsque ad finem cap. Luc.7. 4.10.447

Dominica 16. post Pentec.

Nemo potest Duob. Dominis seruire, vsque, *Nolite solliciti esse.* Matth.4. 4.5.256

R. *Cùm intraret Iesus in domum cuiusdam Principis Pharis.* Luc.14.

Dom.17.post Pentecost.

Ibat Iesus in ciuitatem Naim, vsque ad finem ca. Luc.7. 4.10.447

R. *Accesserũt ad Iesum Pharisæi*, &c. *quod est mandatum magnum in lege.* Matth.22.

Domin.18.post Pentecost.

Cùm intraret Iesus in domum cuiusdam Principis Phariseorum. Luc.14.

R. *Ascendens Iesus in nauiculam*, vsque, *Et cùm transiret.* Matth.9. 3.16.780

Domin.20.post Pentecost.

Ascendens Iesus in nauiculam, vsque, *Et cùm transiret.* Matth.9. 3.16.780

R. *Erat quidam Regulus*, vsque, *Hoc iterum.* Ioann.4. 3.5.656

Domin.21.post Pentecost.

Dicebat Iesus turbis parabolam. Matth. 22.

R. *Simile est regnum cœlorum homini Regi.* vsque ad finem cap. Matth.18. 5.11.357

Domin.22.post Pentecost.

Et quidam Regulus, vsque, *hoc iterum.* Ioann.4. 3.5.656

R. *Abeuntes Pharisæi Consilium inierunt.* Matth. 22.

Dom.23.post Pentecost.

Simile est regnum cœlorum homini Regi, vsque ad finem cap. Matth.18. 5.11.357

R. *Loquente Iesu ad turbas*, vsque, *Et transeunte inde.* Matth.9. 3.10.823

Dom.25.post Pentec.

Cùm subleuasset oculos Iesus, vsque, *Iesus ergo.* Ioann.6. 3.18.823

In dedicatione Ecclesiæ.

Non est arbor bona, vsque, *Qui autem audit.* Luc. 6. 4.8.382

R. *Ingressus Iesus perambulabat Iericho*, vsque ad finem cap.Luc.19.

PROPRIVM SANCTORVM.

In die sanct. Andreæ Apostoli.

Ambulans Iesus, vsque, *Et circumibat.* Matth.4. 3.8.697

In die Conceptionis B.Mariæ.

Liber generationis, vsque, *Omnes itaque.* Matth.1. 1.2.78

In Purificatione eiusdem.

Postquam impleti sunt, vsque, *Et erat Pater eius.* Luc.2. 1.11.347

In Cathedra S.Petri.

Venit Iesus in partes Cæsareæ, vsq; *Tũc Iesus dixit.* Matth.16. 5.6.127

In festo S.Matthiæ Apost.

Confiteor tibi Pater, vsque ad finem ca. 5.20.847

In festo Annunciationis B.Virg.

Missus est Gabriel, vsque, *Et discessit.* Luc.1. 1.5.141

In die S. Marci.

Post hæc autem designauit, vsque, *In quamcumque autem.* Luc.10. 5.19.862

In Inuentione S. Crucis.

Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus, vsque, *sic Deus dilexit.* Ioann.3. 3.2.589

In Natiu.S.Ioannis Baptist.

Elizabet impletum est, vsque, *Et dixit Zacharias.* Luc.1. 1.7.246

In die SS. Apost.Petri & Pauli.

Venit Iesus in partes Cæsareæ, vsque, *Tunc Iesus dixit.* Matth.16. 5.6.127

In Visitatione B.Mariæ.

Exurgens Maria, vsque, *Mansit autem.* Luc.1. 1.6.199.

In festo S.Mariæ Magdalenæ.

Rogabat Iesum quidam Pharis. vsque ad finem ca. Luc 7. 4.11.513

In die Vinculorum S.Petri. *vt supra.* in festo SS.Apost.Petri & Pauli.

In Assumptione B.Mariæ.

Intrauit Iesus in quoddam Castellum, vsque ad finem cap. Luc.10. 5.22.971

In festo S.Bartholomæi.

R. *Exiit Iesus in montem orare.* Luc. 6. 4.8.380

In Decollatione S.Ioan.Baptist.

Misit Herodes ac tenuit Ioannem, vsque, *Et cùm dies oportunus.* Marc. 6. 3.6. 688 / 4.18.815

In Natiuit.B.Mariæ Virg.

Liber generationis, vsque, *Omnes itaq;* Matth.1. 1.2.78

In festo S.Matthæi Apost.

Cùm transiret Iesus, vidit hominem, vsque ad finẽ cap. Matth.9. 3.17.790

In festo S.Michaelis Archang.

In illa hora accesserunt, vsque, *Venit enim filius.* Matth.18. 5.10.291

In festo S.Lucæ Euang. *vt supra*, in die S.Marc.

In Solemnitate omnium SS.

Videns Iesus turbas, vsque, *Sic enim persecuti.* Matth.5. 4.4.111

In Commemoratione omnium fidel. animar.

Dixit Martha ad Iesum Ioann.11.

R. *Venit hora & nunc est*, vsque, *Non possum ego.* Ioan.5. 4.1.3

COMMVNE SANCTORVM.

In festo vnius Apostoli.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Matth.10. 4.17.772

In festo vnius Martyris.

Si quis vult post me venire. Luc.9. 5.6.128

Item. *Qui vos audit me audit.* Luc.10. 5.19.802

Item. *Si quis vult post me venire.* Matt.10. 5.6.128

Item. *Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere.* Matth.10. 4.17.773

De plurib.Martyr.

Nihil opertum quod non reuelabitur. Matth. 10. 4.17.773

Descendens Iesus de monte. Luc.6. 4.8.381

Videns Iesus turbas, ascendit in montem. Matth.5. 4.4.111.

De Confessoribus.

Vos estis sal terræ. Matth.5. 4.4.112

De Virginibus.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito. Matth.19. 4.15.711

Euangelia, candide Lector, quæ in quinque hisce libris desiderantur, in tribus vltimis sequentibus, propediem, Deo auxiliante, in lucem proditurus, dilucidata reperies: eousque viue, & Vale.

INDEX
RERVM NOTABILIVM
TOMI TERTII.

ABbraham quando nam viderit diem Domini, cap. 16. sch. n. 60. 61. 62
Abrahæ veri filij qui sint ibid. à n. 36. ad 40.
Abel cur Propheta dicatur, c. 24. sch. n. 26.
Abimelech figura Christi ferentis crucem cap. 6. dig. 2. n. 20.
Abnegatio sui ipsius tympano & psalterio comparatur, c. 6. dig. 2. n. 2.
Abnegare se ipsum quid sit, c. 6. schol. n. 46. & dig. 1. n. 5. 6.
Aduentus primi signa de terra, secundi de cœlo facienda, c. 5. sch. n. 7.
Adulteros lapidandos esse, non ex lege, sed consuetudine erat, cap. 15. sch. n. 4
Adulteræ historia vera est & canonica, c. 15. tota Theoria 1.
Adulterium quam graue peccatum sit, c. 15. digr. 1. à n. 1. ad 5. & à 10. ad finem.
Adulterij pœnæ apud antiquos, ibid. n. 5. 6.
Adulterij, vel minimas occasiones vitãdas, ib. n. 7.
Adulterij incommoda, ibid. à n. 8. ad. 10.
Adorare & coadorare quid sit, c. 17. th. 3. n. 6.
Adorationes licet omnes Christo conueniãt, semper tamen adorandum esse latria, ibid. n. 20. 21.
Agnus genus fruticis, c. 12. dig. 1. n. 8.
Alexander Mag. exemplum vanitatis mundi, ca. 3. dig. 2. n. 15.
Allegoriæ variæ in miraculum septem panum, c. 4. tota dig. 1.
Ambulare idem ac consuetudine vti, c. 1. sch. n. 19.
Ambulatio idem ac consuetudo, ibidem.
Ambitio & superbia quantum sit malum, c. 10. di. 2. à n. 1. ad 5.
Ambitionis incommoda, ibid. n. 10.
Ambitiosorum similitudo ex Anselmo, ibid. n. 11.
Ambitiosus similis rhamno, ibid. n. 15.
Amor diuinus cur fontibus & vberibus comparetur, c. 14. dig. 2. à n. 5. ad 11.
Amor carnalis cur torrentibus & vino compare tur, ibidem.
Amare Deum ex toto corde, & anima, & viribus quid sit, c. 21. sch. à n. 5. ad 12.
Amoris diuini in nos magnitudo, ibid. d. 3. n. 10.
Amoris incitamenta, ibid. n. 14.
Amor Dei sine amore proximi stare non potest, ibid. dig. 4. n. 1. ad 4.
Ammonitarum pueri, quomodo sacrificabantur, c 3. dig. 1. à n. 6. ad 10.
Angelorum ordines & munera, cap. 10. sch. n. 38.
Angeli simul cum orbe creati sunt, ibid. dig. 3. n. 12.
Angelorum dotes ibid. n. 3 4. 5.
Angelorum numerus & ordo, ibid. n. 6. 7. 3.
Angelorum virtutes & officia erga hòmines, ibid. à n. 10. ad 15.
Angeli cur dicantur filij Dei, ibid. à n. 14. ad fin.
Angelos custodes dari probatur ratione & auctoritate, c. 10. tota dig. 4.
Angelum custodem an habuerit Christus, ibid. n. vltimo.
Angelorum custodia 12. parit vtilitates, c. 10. d. 5. à n. 1. ad 8.
Angeli custodis septem officia, ibid. n. 8.
Angelus custos quomodo colendus, ibi. n. 9. ad fin.
Angelos alio modo se habuisse erga homines in veteri ac in nouo testamen. c. 10. d. 6. à n. 1. ad 5.
Angeli an aliquem actum supernaturalem habuerint in primo instanti, c. 16. th. n. 7. 8. 13.
Angeli quamdiu fuerint in via, ibid. n. 10. 11. 12.
Animã saluã facere, & perdere quid sit, c. 6. sc. n. 47.
Appropinquare Deo idem est, ac Deum colere, c. 1. sch. n. 18.
Apostoli tribus modis sunt fundamenta Ecclesiæ, c. 6. th. 1. n. 2.
Apostolis cur non successerint in potestate super vniuersum orbem, ibid. th. 2. n. 3. 4.
Apostolorum cur tres tantum adfuerint in transfig. c. 7. sch. à n. 3. ad 7.
Apostoli cur rogauerint, an cæcus natus, an eius parentes peccauerint, c. 17. sch. à n. 5. ad 8.
Apostolorum & 72. discipulorum loco quinam successerint in Ecclesia, c. 19. th. 1. n. 10. 11.
Apostoli cur dicuntur filij excussorũ, c. 19. d. 4. n. 3.
Apes obedientiæ symbolum, ibid dig. 3. n. 7.
Appetitus duobus modis comprimi potest, ca. 21. th 1. n. 11.
Aquæ spiritualis vsus quadruplex. c. 14. dig. 2. n. 21.
Arbor pulcherrima & densarum frondium quid sit apud Hebræos, c. 12. th. 2. n. 12.
Asael currens figura peccatoris, c. 3. dig. 1. n. 3. 4.
Assumptio Mariæ Virginis, qualis fuerit, c. 12. dig. 5. tota.
Auarus cur surdo comparetur, c. 3. dig. 1. n. 15.

B.

Beatum esse neminem in hac vita, c. 3. dig. 2. n. 13.
Bersabee & Dan duo termini Iudææ, c. 6. sch. n. 3.
Bethsaida alio nomine dicitur Iulias c. 5. sch. n. 20.
Beniamin exemplum humilitatis, c. 10. dig. 2. n. 19.
Beneficia Dei in homines, c. 11. dig. 2. à n. 9. ad 16.
Bona æterna bonis temporalibus anteponenda esse, c. 7. dig. 2. à n. 11. ad 16.
Boues 12. maris ænei typus prædicationis Euangelicæ, c. 19. dig. 2. n. 8.

C

Carnem cum sanguine mãducare cur fuerit, c. 1. th. 1. n. 5.
Carnalis cur surdo similis sit, c. 3. dig. 1. n. 8.
Cælum rubicundum sanguine Christi signum primi aduentus ipsius, c. 5. sch. n. 6.
Cælum igne rubicundum signum secundi aduentus Christi, ibid.
Cæcum curaturus Christus cur extra Bethsaidam ducit, c. 5. sch. n. 20.
Cæcum cur paulatim curat Christus & iubet nemini dicere, ibid. 21. 22.
Caro & sanguis mystice quid sint. c. 6. sch. n. 24.
Cælum pro aere sumi, c. 7. th. 1. n. 9.
Cambisis regis pulcrum iustitiæ documentum, c. 11. d. 2. n. 4.
Cæci nati curatio moral. exponitur, c. 17. sc. n. 7.
Cæcus natus typus obedientiæ, ib. n. 19.
Cæcitatis mentis cõditiones tres, c. 17. d. 2. n. 9. 10. 11. eius remedia, ib. à n. 12. ad fin. & di. 3. n. 14.
Cain cur dicatur pater Hebræorum, ca. 24. sc. n. 27.
Christus cur quandoque timuit Iudæos, cap. 1. sch. n. 7. cur à Iudæis ad gentes transierit, c. 2. sc. n. 12. cur Chananææ non responderit, ibid. n. 16. eum sustinere quãti sit, c. 4. d. 2. n. 6. 7. 8. cur se filium hominis dicat, c. 6. sch. n. 7. quomodo solus sit Ecclesiæ fundamentum, c. 6. dig. 1. n. 1. 2. 3. eum quomodo sequi debeamus, c. 6. d. 2. n. 8. 19. 20. inquantum homo an sit naturalis Dei Filius, c. 7. th. 4. à n. 1. ad 7. quomodo sit Filius totius SS. Trinitatis, ibid. n. 7. 8.
Christus an sit Filius Dei adoptiuus, ib. à n. 8. ad fi.

Digitized by Google

Christus monti similis cap.8.sch. n.24.
Christus quomodo sit in medio eorum qui in eius nomine congregantur cap.11. sch.n.33.
Christus cur dixerit se nolle ascendere ad diem festum & tamen deinde ascenderit cap.12. th. 2.n.7.
Christus morti proximus cur varia morborum genera curauerit cap.13.dig.1.n.1.
Christus à primo instanti conceptionis fuit beatus,cap.24.th.1.à n.2.ad 5.
Christus beatificam scientiam habuit à primo instanti conceptionis ibid.à n.1.ad.5.
Christus fuit simul victor & comprehensor ibid. num.4.
Christus habuit scientiam infusam ibid.n.5.6.
Christus omnium artium cognitionem habuit ibid.à n.7.ad finem.
Christus quibusdam est fons quibusdam puteus c.14.d.2.à n.11.ad 17.
Christus fons est in quo peccator lauetur ib.n.24.
Christus quid scripsit in terra dum adultera accusaretur,cap.15.à n. 6.ad 13.
Christus cur solus mansit cum adultera in templo ibid.n.15.
Christum à se ipsō nihil facere quomodo sit intelligendum,c. 16.sch.n.25.
Christum ratione personæ fuisse impeccabilem, ibid.n.53.54.
Christus cur non negauerit se esse samaritanum ibid.n.15.
Christus cur abscōderit se à iudæis,c.16.7.n.10.11.
Christus cur sæpe vsus sit medijs contrarijs ad aliquid faciendum,c.17.sch.n.15.
Christus qua adoratione sit adorandus c. 17. th. 3. n.1.2.
Christus cum sole comparatur,c.16.d.2.à n. 4. ad finem.
Christum animam ponere & iterum sumere quid sit c.16.d.4.n.7.
Christus an acceperit à Patre præceptum moriendi,c.16.th.1.n.1.ad 10.
Christus cur ad Iudæos miserit 72.non vero 12.discipulos,c.19.sch.n.12.13.
Christus cur 72. discipulos vocauerit agnos 12. vero oues ibid.
Christus an nudis pedibus incesserit ibid.à n.13. ad 17.
Christi affectus quomodo non semper sed interdum mouerentur cum tam semper haberet obiecta præsentia, c. 20.sch.n.16.
Christus vt homo quæ nam dona à Patre acceperit ibid.n.24.
Christus vt homo quæ nam dona à Patre acceperit ibid.n.25.26.27.
Christus omnium laborantium refugium & socius est ibid.d.1.à n.7.ad 12.
Christus quam fuerit desideratus à Patribus veteris testamenti,c.11.d.1.à n.1.ad 6.
Chananæa de suis finibus egressa quid mystice significet,c.2.sch.n.12.
Chananæa venatico cani similis,c.2.sch.n. 18.
Chananæa gentilis populi figura ibid.d.1.n.1.
Chananææ encomia ibid.à n.2.ad 13.
Charitatis encomia,c.21.d.2.à n.3.ad fin.
Charitas est vexillum Dei ibid.à n.7.ad 11.
Charitas Dei & proximi sunt duo crura marmorea ibid.d.3.n.1.
Charitas quare sit maximum mandatum ibid.à n. 2.ad 7.
Charitas quibus rebus excitetur ibid.à num.7.ad fin.
Charitatis in proximum excitamenta, c.21.d.4.à n.4.ad 10.
Clauis significat principatum c.6.sch.n. 33.
Clauis Ecclesiæ duplex potestas scientiæ sc. & potentiæ ibid.th.à n.3.ad 11.
Clauem scientiæ tollere quid sit,c.24.sch.n. 29.
Claritas Christi in Transfiguratione quænam & vnde fuerit c.7.th.2.à n.3.ad 7.
Claritas Christi in Transfiguratione an fuerit in sola facie vel superficie corporis ibid.n.7.8.9.
Claritas Christi in Transfiguratione an fuerit eadem quæ in beatis ibid.à n.10.ad 14.
Claritatis Christi in Transfiguratione causa efficiens quænam fuerit ibid.à n.14.ad fin.
Cœcus & cœcitas &c.vide a ante e.
Commune sumitur pro immundo,communicare pro coinquinari,c.1.sch.à n.9.ad 13.
Cor bonum à corde malo in quo differat, c.1.d.3. n.1.2.3.
Cor hominis contra se ipsum pugnat ibid.n.7.
Cor hominis simile est terræ ibid.d.4.à n.1 ad 6.
Cor hominis mari omnino est simile ibid. à n. 6. ad fin.
Cogitationum malarum initijs resistendum,c.1.d. 3.n.6.9.10.
Contrarij inter se conueniunt in oppugnanda Christi lege, c.5.sch.n.2.
Conquirere idem ac disputare,c.8.sch.n.2. & 4.
Correctio quomodo sit facienda,c.10.sch.n.3.
Correctio quibus nam sit facienda, cap. 11. sch. n. 2.3.4.
Correctionis ordo ibid.à n.5.ad 17.
Correctio & Correptio in quo differant, c.11.th. 1.n.1.
Correctio est necessaria necessitate præcepti ibid. tota th.1.
Correctio quandonam potest licite omitti ibid. th.2.n.1.& th.3.à n.14.ad finem.
Correctionis tempus,materia & obligatio ibid.à n.2.ad finem.
Correctionis circumstantiæ quædam ibid.à n.1.ad finem.
Correctionis regulæ tres & aliæ circumstantiæ c. 11.th.4.à n.1.ad 4.
Correctio quando nam Prælatis & quomodo facienda sit ibid.à n.4. ad finem.
Concilia sacra an possint errare, c. 11. sch. à n. 25. ad 31.
Concilium generale quomodo comparetur ad sum. Pontificem ibid.th.5. n.1.2.3.
Concilium nullam potestatem habet in sum.Pontificem ibid.à n.4. ad 16.
Concilia tum generalia tū particularia quā auctoritatem habeant ibid.n.21.22.
Congregari in nomine Domini quid sit, c. 11.sch. n.31.
Consanguinei quantum damnum afferant homini, c.12.d.2.n.1.2.
Cognitio Dei vera coniuncta est cum obseruatione præceptorum,c.16.sch.n.59.
Confessio quadruplex,c.20.d.1.n.2.
Confundere apud hebræos idem ac negare alicui aliquid,c.6.sch.n.49.
Confessio peccatorum gloria Dei est, cap. 17. d. 3. n.19.
Consuetudinis vis quanta sit,c.16.d.4.n.3.
Concionatorum penuria vnde nam oriatur, c. 19. d.2.à n.1.ad 6.
Concionatores quales esse debeant ibid.n.11.
Concionatores nisi à Deo mittantur ire non debent,c.19.d.3.à n.1.ad 10.
Concionatores fluminibus similes esse debent c. 20.sch.n.2.
Concionator hospitio exceptus quid facere debeat,c.22.sch.n.9.10.
Creaturas viam esse ad creatorem c.4 d.2.n.1.2.
Crucem suam tollere quid sit, c. 6.d.1.à n.8.ad fin.

Digitized by Google

Crux quomodo sit ferenda ibid.d.2.n.16.17.
Credenti omnia sunt possibilia, cap. 8. sch. num. 16.17.

D.

Dæmon alios bene alios male vexat, cap. 2. sch. n.16.
Dæmoniacus cur vocetur lunaticus, cap. 8. sch. num.5.
Dæmon accedentes ad Deum magis quam alios tentat ibid. n. 12.13.
Dæmones cur vocantur montes ibid. num. 24. 26.
Dæmonum genus pessimum oratione & ieiunio pellitur ibid. n.28.
Da gloriam Deo formula obtestationis apud Hebræos fuit, cap. 17. sch. à numero 26. ad 30.
Deus differt quæ daturus est vt det cumulatius c.2. d.2.n.15.
Deo reddi non potest æquale c.9.d.1.n.3.
Deum relinquere quantum sit malum, cap. 11.d.3. num. 8.
Deus cur homines incidere in morbos patiatur, c. 17.sch.n.8.
Deus nemini facit iniuriam ibid.n.11.
Deus ita semper percutit vt sanare velit,c.17.d.3.à n.6.ad10.
Deus solus lux est sine tenebris, cap. 16. dig. 2. n.2.3.
Deo credentes pericula non curant, cap. 20. sch. n.12.
Deus quomodo dicatur abscondere quædam mysteria ibid.n.18.
Deus absoluta sua voluntate neminem excludit à beatitudine, cap. 20. th. 2.à n. 1. ad 11. & a 14. ad finem.
Deus voluntate primaria vult omnes esse saluos ibid.n.11.
Deus quomodo se habuit ab æterno circa prædestinatos & præscitos ibid.n.12.13.
Detractor non sibi tantum sed audientibus etiam nocet,c.1.d.1.n.2.3.
Detractor similis scabie infecto & sepulcro aperto ibid.n.5.6.7.
Decapolis vbi sit & quæ ipsius oppida,c.9.sch. n.3. ad 7.
Debilis idem ac manu captus, cap. 4. sch. num.2.
Debita quæ propter peccatum debemus quo modo solui possint,c.11.d.3.n.1.4.5.
Decem in sacris litteris maximum numerum significat,c.13.sch.n.3.
Discipuli cur bini mittantur à Christo, cap. 19. sch. n.8.
Discipuli cur inter manducandum non lauabant manus,c.1.sch.n.19.
Discipuli de qua manuum lotione notantur à Iudæis ibid. n.20.
Discipuli cur seorsim ab alijs reprehenduntur à Christo,c.8.sch.n.20.
Discipuli cur post passionis mentionem quærunt quis ipsorum sit maior, cap. 9. sch. num. 10. 11.
Discipuli cur rogauerint Christum vt ad festum scenopegiæ ascenderet,c.12.th.2.n.3.
Discipuli Christi vere qui nam sint,c.16.sch.à n.27. ad 31.
Discipuli Christi fuerint ne 70. an. 72. c.19. th.1.à n 1.ad 10.
Discipuli cur mittuntur sine sacculo &c. & iubentur neminem per viam salutare,c. 19. d. 4. à n.1.ad 5.
Discipulorum Christi triplex gaudium, cap. 20. sch.n.3.4.
Discipuils redeuntibus à missione cur narrat Christus casum diaboli ibid.à n. 7. ad 11.
Discipuli 72.an fuerint omnes prædestinati, c. 20. th 1.n.20.
Diligentia Christi in procuranda nostra salute, c. 3. d.1.n.2.
Digitus Christi sunt eius verba ibid.d.2.n.5.
Dicere apud Deum idem est ac facere,cap.6.sch.n. 27.
Dies sex ante Transfiguratione quid significent, c.7.d.1.à.n.1.ad 5.
Dignitatum gradus cur fugerint viri sancti, cap. 10.d.2.n.13.14.
Diuites similes fontibus & fluminibus,non puteis vel cisternis esse debere,c.14.d.2.n.25.
Diabolus cur dicatur homicida ab initio, cap.16. sch. n.42.44.& d.5.n.6.
Diabolum in veritate non stetisse quid sit ibid. n. 48.49.
Diabolus idem ac Belial,c.16.d.5.n.3.
Diaboli filij in quo distinguantur à filijs Dei ibid. n.4.5.
Diabolum non esse natura malum de fide est, cap. 16. th.2.n.1.2.
Diabolum habuisse aliquando gratiam supernaturalem certum est ibid.à n.3.ad 7.
Diabolus quare vocatur perdix, cap. 23. sch. num.7.
Doctrinam suam Christus cur dixerit non esse suam,c.14.sch.à n.4.ad 9.
Doctori Christiano doctoratus insignia moraliter applicantur ibid.d.1.à n.2.ad 8.

E.

Ebrietatis vitium vitandum multis exemplis probatur,c.4.d. 3,à n.6.ad finem.
Ecclesiæ prima acceptio,c.6.th.3.n.1.2.3.
Ecclesiæ secunda acceptio ibid.à n.4. ad 8.
Ecclesiæ tertia acceptio ibid.à n.8.ad 12.
Ecclesia similis lunæ decimæquartæ, cap. 6. th. 4. num.2.
Ecclesia est domus Dei ibid.n.3.
Ecclesia similis arcæ Noë ibid.à n.4.ad fin.
Ecclesiæ varia epitheta, cap. 6. th. 5. n. 1. 2.&c.
Ecclesia in hoc mundo non potest esse sine ruga ibid.n.6.7.8.
Ecclesia sancta est propter tres causas ibid. num. 9.
Ecclesiá esse visibilem ib. n. 10. 11.12.& cap. 11.sch. n.12.13.
Ecclesia quibus notis descernatur, ca. 6.th.5.n.13. ad finem.
Ecclesiæ nomine quid intelligatur in præcepto correctionis fraternæ,c.11.sch.à n.8.ad 17.
Ecclesia in suum pastorem nullam habet potestatem ibid.n.18.
Ecclesia vnum ouile est,c.18.sch.n.51.
Ecclesiam esse vnam ibid. d. 6. à num. 10. ad 15.
Egredi à turba quid mystice significet, cap. 3. d. 2. num.4.
Ego sum:nemo nisi Deus potest dicere proprie & vere,c.16.sch.n.24.
Elias accipitur pro IoanneBaptista,c.1.sch.n.39.& 40.
Electorum gaudia in hac vita semper admista sunt cum timore,c.7.d.2.n.16.
Eligendi vocabulum multipliciter accipitur, cap. 19.sch.n.4.5.
Eleemosynam spiritualem omnes tenetur facere, cap.17.d.3.à n.3.ad 6.

Digitized by Google

Eleemosyna quomodo liberat à peccatis, cap. 24. sch. n. 9.
Ephraim & Manasse obliuionem & prosperitatem significant, c. 13. d. 3. n. 10.
Episcoporum vita media est inter actiuam & contemplatiuam c. 22. d. 3. n. 14.
Euangelij inquisitio debet esse finita & determinata, c. 16. d. 5. n. 1. 2.
Euangelistę si quando inuicem contrarij videntur, quid sit faciendum, c. 4. sch. n. 5.
Excommunicati hæretici, schismatici & apostatæ manifesti non sunt in Ecclesia, c. 6. th. 3. à num. 9. ad 12.
Exaltari Christum quid sit, cap. 16. n. 24.

F.

Facienti quod suum est, Deus non denegat auxilium, cap. 3. sch. num. 9. & cap. 4. dig. 2. num. 12.
Facinorosi similes surdis, c. 3. d. 1. n. 5. 6.
Fermentum nunc bonam nunc malam doctrinam significat, c. 5. sch. n. 11.
Fermentum dupliciter massam corrumpit ibid. n. 11. 12. 13.
Filius hominis idem ac filius Adam, cap. 6. sch. num. 7.
Filij adulti si sint innocentes nunquam à Deo puniuntur propter peccata parentum, c. 17. th. 1. à n. 7. ad 12.
Filij adulti si sint peccatores puniri possunt propter peccata parentum ibidem à numer. 12. ad 17.
Filij paruuli quomodo puniantur propter peccata parentum ibid. n. 17. 18.
Filius pacis & similes loquendi modi quid significent, cap. 19. sch. n. 24. 25.
Fides quo modo sit Ecclesiæ fundamentum, cap. 6. th. 1. n. 5.
Fides duplex altera signorum altera dogmatum, c. 8. sch. n. 20. 21. 22.
Fidei triplex perfectio ducta ex grano sinapis, c. 8. sch. n. 23.
Fidei efficacitas, ibidem n. 24.
Fides oratione & ieiunio confirmatur, ibid. num. 27.
Fidei quanta sit vis, cap. 13. sch. numer. 5. 6. & 11.
Fidei addenda sunt bona opera, cap. 18. sch. num. 26.
Fideles qui nam & quomodo sint Ecclesiæ fundamentum, c. 6. th. 1. n. 1.
Fideles non omnes habent Ecclesiæ claues, ibid. th. 2. n. 2. & 5.
Firmare faciem seu vultum quid significet apud hebræos, c. 12. dig. 2. n. 7.
Flendum semper hominibus dum viuunt, cap. 3. dig. 2. à n. 9. ad 13.
Flumina aquæ viuæ de cordibus credentium fluentia quid sint, cap. 14. dig. 2. n. 17.
Fratris nomen Christiano tantum conuenit, cap. 11. sch. n. 1.
Fratris nomine apud hebræos omne genus cõsanguineorum significatur, cap. 12. th. 2. numer. 2.
Fur & latro in quo differant, cap. 18. sch. numer. 4.
Furis proprietates duæ, ibid. n. 7.
Fures gregis dominici veniunt & non sunt missi, ibid. n. 23. 24.

G.

Gazophylacium ad seruandas pecunias quod nam & vbi fuerit, cap. 16. dig. 1. numer. 1. & 2.
Gazophylacij duplex acceptio, ibidem. numer. 3. 4. 5.
Gazophyl. vbi Christus concionatus est quod nam fuit, ibid. n. 6. 7.
Gentiles quomodo imitati sunt baptismata Hebræorum cap. 1. sch. n. 17.
Gentium dispersio quid sit cap. 14. sch. num. 28. 29.
Ghion & Siloe an sit idem fons, cap. 17. dig. 1. à n. 1. ad 7.
Ghion seu Siloe non iugiter manat, sed bis in die, ibidem n. 7.
Gloriam Christi omnem in hac vita fuisse admistam cum aliqua aduersitate, c. 7. dig. 2. n. 8.
Gloriam mundi cito transire, ibid. n. 11.
Græcorum nomine gentiles omnes in scriptura vocari, c. 2. sch. n. 16.
Gratitudo quam sit laudanda, cap. 13. dig. 3. num. 7. 8.
Gratia etiam per indignos ministros conferri potest, c. 10. sch. n. 16.
Gratia ita homines mutat vt alij omnino videantur, cap. 17. dig. 3. à n. 16. ad 19.
Gratia est nobilior charitate & lumine gloriæ, c. 21. dig. 2. n. 1. 2.
Gratia operans & cooperans quid sit, cap. 22. sch. num. 24. 25.

H.

Hæretici etiam vera docentes non sunt audiendi, c. 5. sch. n. 15.
Hæreticorum doctrina ouis aspidum similis, cap. 14. dig. 1. n. 2.
Hæreticorum Episcopi fures sunt non pastores, cap. 18. sch. n. 31. 32. 33.
Hæretici vt à recta fide alieni vitandi sunt cap. 18. dig. 5. n. 7.
Hebræi cur cibos quosdam non manducabant c. 1. sch. n. 13.
Hebræi cur à foro reuersi non manducabant nisi lauarentur ib. n. 15.
Hebræi quando nam & quomodo lauarentur ib. n. 17. 18.
Hebræi cur à Christo vocantur filij diaboli c. 16. sch. n. 41. 42. 43.
Hedera Ionæ symbolum vitæ improborum cap. 12. dig. 1. n. 3.
Hedera Ionæ secundum 70. interp. fuit cucurbita c. 14. sch. n. 29.
Honor in parentes quanta afferat emolumenta, c. 1. dig. 2. a n. 1. ad 6.
Honores contemnentium exempla cap. 10. dig. 2. num. 12.
Hora sumitur pro tempore, cap. 10. sch. numer. 2.
Homo sumitur pro, quilibet, cap. 6. sch. numer. 6.
Homo sine gratia Dei nihil potest cap. 7. dig. 2. n. 19. 20.
Hominum septem genera ad Christi militiam inepta cap. 9. dig. 1. n. 1. 2.
Homines Deo dicati immunes sunt à tributis c. 9. dig. 1. n. 8. ad finem.
Homo per peccatum quomodo sit seruus diaboli c. 16. dig. 5. à n. 1. ad 6.
Hominum nomina dupliciter scribi possunt in cælis c. 20. sch. n. 14.
Homo in puris naturalibus creari potuit, cap. 21. th. 2. n. 2. 3.
Homo descendens de Hier. in Iericho quis sit mystice c. 21. dig. 5. à n. 1. ad 10.

Digitized by Google

Homines peregrinos esse in hac vita, cap. 22. d. 2. n. 2. 3
Hospitalitatis laudes, c. 22. sch. n. 4.
Humanæ res quam sint fragiles, cap. 3. d. 1. n. 13. 14. 15.
Humani generis status triplex c. 21. sch. n. 21. & tota th. 1. & 2.
Humanitas Christi vt à verbo dimissa qua adoratione sit adoranda c. 17. th. 3. n. 2.
Humanitas Christi vt vnita verbo quomodo sit adoranda ibid. à n. ad 11.
Humanitas Christi non per accidens sed per se adoratur ibid. n. 11. 12.
Humilitas & fides Chananææ quanta fuerit, c. 2. sch. n. 29. 30.
Humilitas est medicina ambitionis, cap. 10. d. 2. n. 16.
Humiles cælum implent, c. 10. d. 2. à. num. 16. ad finem.
Hypocrita, quandoque sumitur pro mimo.

I.

Iacob & Esau figura fuerunt populi iudaici & gentilis, c. 2. th. 2. n. 23.
Idolothytis etiam in idolijs vesci licet nisi scandalum immineat, c. 1. th. 1. tota. & cap. 10. th. 2. n. 4. 5.
Iesum solum remansisse post Tranfig. quid significet, c. 7. sch. n. 36.
Ieiunij fructus, cap. 8. d. 1. à n. 5. ad finem.
Ingrati maxima pœna puniuntur, cap. 4. sch. n. 4.
Ingratis sæpe melius est concedere quod petunt c. 13. d. 3. n. 3.
Ingratitudo quantum sit malum ibid. à n. 1. ad 7.
Ingratitudo cur sit fugienda ibid. à n. 11. ad finem.
Ingratitudo Christianorum maior est quam aliorum c. 19. d. 4. à n. 11. ad finem.
In, apud Hebræos sumitur pro postquam, c. 6. sch. nu. 4.
In, pro, propter, c. 16. sch. n. 12.
In pro, cum, c. 6. sch. n. 48.
Innocens non refugit iudicium, c. 16. d. 7. n 1.
Infideles, Hæretici, schismatici, excommunicati sunt extra ouile Ecclesiæ, c. 18. d. 6. n. 15. 16.
Iordanis ita dicitur à duobus fontibus Ior & Ian cap. 6. sch. n. 2.
Iudith cur in castris Syrorum sæpe se baptizabat, c. 1. sch. n. 16.
Iudicij finalis conditiones quinque, cap. 7. d. 1. nu. 8.
Iudicium Dei in hac vita quam differat à iudicio finali, c. 11. d. 2. à n. 1. ad 8.
Iudicium Christi duplex, c. 17. sch. n. 35.
Iudicia diuina non sunt temere discutienda, cap. 20. sch. n. 21.
Iudicare secundum faciem quid sit, cap. 14. sch. nu. 17.
Iudicare secundum carnem quid sit, cap. 16. sch. n. 5. 6.
Iudicis boni conditiones, c. 14. d. 2. n. 1. 2.
Iudices & prælati quales esse debent, cap. 16. d. 7. n. 3 4.
Iusti sunt vestimenta Christi, c. 7. d. 1. n. 9.
Iustitia originalis quomodo comparetur ad gratiam, c. 21. th. 2. à n. 10. ad finem.
Iustus quæcumque habet bona à Christo habet, c. 14. d. 2. à. n. 20. ad 24.
Iudæis leprosis cur licuerit couti Samaritanis non vero beneualentibus, c. 13. sch. n. 7.
Iudæi cur Christum quærebant in festo scenopegiæ, c. 14. sch. n. 1.
Iudæi cur Christi sapientiam admirarentur ibid. num. 3.
Iudæi quomodo Christū quærētes non erant inuēturi, c. 14. sch. n. 26. 27.
Iudæi quare adulteram duxerunt ad Christum c. 15. sch. n. 5. 6.
Iudæi cur Christum quinquaginta fere annorum esse duxerint, c. 16. sch. n. 63.

L.

Latria duplex, superior & inferior; quomodo christo conueniat, c. 17. th. 3. à non 13. ad 20.
Labores & lacrymas nostras à Deo numerari, c. 4. d. 2. n. 4.
Lex vetus grauis, lex Christi suauis est, c. 20. sch. n. 31. & 38.
Lex Christi cur dicatur iugum ibid. num. 33. 34. 35.
Lex Dei posita est inter zelum & mansuetudinem, c. 7. d. 2. n. 6.
Leo si qua re oculos obductos habeat nihil audet, c. 17. d. 2. n. 1.
Leo Symbolum boni pastoris est, cap. 18. d. 1. num. 13.
Lepra peccatorum à solo Christo curatur, cap. 13. d. 1. n. 2. 3 4.
Lepra peccatorum quanto studio curanda sit ibid. num. 8.
Leprosi 10. peccantes in decalogum significant ibi. n. 5. 6. 7.
Leprosorum duo genera & quod nam sit difficilius ad curandum ibid. à n. 9. ad 12. & d. 2. n. 5.
Leprosis lepra peccati quid agendum sit, c. 13. d. 2. n. 12. 13.
Leprosi vbi nam habitarent, cap. 13. sch. n. 3.
Leprosi 9. cur ad Christum non redierint, redierit vero vnus ibid. n. 6.
Lingua, mores & affectus notæ sunt ad discernendum vnde quisque sit, c. 1. d. 1. n. 1.
Lingua cordis, est deuotio, c. 3. d. 2. n. 6. 7.
Lingua maris Aegypti quid sit c. 3. d. 2. n. 8.
Linguarum varia genera ibid. à n. 6. ad 9.
Liberatus à Dæmone cur videretur mortuus, ca. 8. sch. n. 18.
Liberalitas Dei in lege noua quanta sit, cap. 19. d. 1. n. 1. 2. 3.
Liber absolute quid sit, quid liber vitæ & agni, ca. 20. th. 1. n. 2. 3. 9. 10.
Libri qui in die iudicij aperientur ibid. à num. 6. ad 10.
Libri nomine in scripturis cur prædestinatio iustorum, non vero præscientia improborum significetur ibid. n. 10. ad 14.
Liber vitæ idem ac prædestinatio ibid. n. 14. 15.
Liber vitæ quosdam continet simpliciter, quosdam quadantenus scriptos, c. 20. th. 1. n. 16. 17.
De libro vitæ deleri quid sit ibid. n. 18.
Liber iustorum quid sit ibid. n. 19.
Liber vitæ quos nam contineat scriptos, cap. 20 d. 1. n. 1.
Lunaticus mystice quid significet, cap. 8. dig. 1. n. 1. 2. 3.
Luxuriæ tria remedia, c. 15. d. 2. n. 7. ad 11.
Lumen vitæ quid sit, c. 16. sch. n. 3.
Luciferi peccatum quod nam fuerit ibid. num. 45. 46.
Lutum quo cæcus curatus fuit à Christo quid nam mystice significet, c. 17. d. 2. n. 16. 17. & d. 3. n. 12. 13.

M.

Manuum impositio quam habeat virtutem, cap. 3. sch. n. 8.

Digitized by Google

Manus Christi terra fertilis est, c. 4. d. 2. n. 13. 14. 15.
Maior accipitur pro maximo, c.10.sch.n.2
Martyres propriè qui sint, c. 6.d.3.n.12.
Martyrum dignitas, ib.n. 3. &c.
Martyres similes militibus Gedeonis, ib.n.5.
Martyrum passio est triumphus, ib.n.9.
Martyres quid timuerint, ib.n.7.
Martyres Ecclesiæ Principes sunt, ib.n.11.12.
Martyres semper à Deo exauditi fuerunt, ib.n.13.
Martyrium duplex spirituale & corporale, ib.n. 14.
Martyrium spirituale multiplex, ib.n.15.
Mansuetudinem Moyses, Elias zelum significat, c.7 d.2.n.6.
Mandatum & præceptum in quo differant, c.18.th. 1.n.1.
Maria Virgo cur ostium dicatur, c.18.d.6.n.9.
Maria V. Marthæ & Magdalenæ munus perfectè obijt, c.22.tota d.1.
Maria V. tabernaculo comparatur, ib.à n.6.ad fin.
Maria V. verè mortua est, c.22.d.4.à n.1.ad 4.
Maria V. quo genere mortis obierit, ib.à n.4. ad 7.
Mariæ V. corpus post mortem quantis priuilegijs ornatum fuerit à Christo, ib.à n.7.ad fin.
Mariæ V. dignitas quomodo sit infinita, c.22.d.5.n. 12.
Maria V. an potuerit in oratione Dominica dicere dimitte nobis &c. c.23.th.1.n.3.
Maria typus vitæ contemplatiuæ, Martha actiuæ, c.22.d.n.1.2.
Maria vt minor natu optimâ partem elegit, Martha vt maior diuisit hæreditatem, c.22.sch.n.23.
Messiam se dici Christus cur vetuerit, c.6. sch. à n. 37.ad 40.
Mercenarij pastores quinam sint, c.18.tota d. 4. & sch.n.35. 37.
Messis Domini quænam sit, c.19.sch.n.10.
Miracula minora micæ dicuntur à Chananæa, c.2. sch.n.15.16.
Miraculum surdi & muti cur voluerit Christus taceri, c.3.sch.n.19.
Miracula quæ Christus bis fecit quænam sint, c.4. sch.n.1.
Miracula quæ Christus non faciebat sine necessitate, c.4.d.2.n.11.
Misericordiæ flumina quattuor c.4.sch.n.7
Misericordia Dei quanta sit, c.11.dig.3.n.2.3.
Misericordia diuina est exemplar nostræ, ib.à n. 9. ad 13.
Misericordiæ nostræ respondet diuina, ib.n.13. 14. 15.
Misericordia diuina quàm liberalis sit erga nos, c. 13.d.1.n.14.15.16.
Ministri boni conditiones, c.14.d.2.n.3.
Michaelis nomen fuit tessera Machabæorum in bello, c.10.d.6.n.5.6.
Michaelis bella 4. quæ in Dei honorem gessit, ib.à n.8.ad 14.
Michael Princeps est omnium Angelorum, ibid.n. 10.11.
Michaelis in nos beneficia, ib.n.14.
Modi duo quibus Deus homines ad se trahit, c.4. sch.n.1.
Mortificatio carnis in qua re consistat, c.6.d.2.à n. 2. ad fin.
Montes significant virtutes, c.7.sch.n.7.
Montes omnes in quibus Deus aliquid egit, ibi.n. 8.9.
Montes interdum translati sunt per fidem virorũ sanctorum, c.8.sch.n.25.
Montes duo alter Dñi, alter diaboli, c.10.d.2.n.8.9
Moysem & Eliam quomodo cognouerunt Apost. in Transfig.c.7.sch.n.26.
Moysem & Eliam non adfuisse in Transfig, cùm venit vox de cœlo, ib.n.29.
Moysem & Eliam cur voluerit Christus adesse in Transfig.c.7.th.3.n.1.& d.1.n.10.
Moysem & Eliam verè adfuisse in Transfig. ibid. à n.3.ad fin.
Moyses & D. Paulus quomodo optarit esse anathema, c.20.th.1.n.4.5.
Morituri sunt omnes & resurrecturi, c.7. dig. 1.n. 11.
Mors Christi varijs vocabulis significatur, c.12.th. 2.n.10.
Mortis tempus non est expectãdum ad conuersionem, c.17.d.3.n.10.11.
Mola asinaria mysticè quid significet, c.10.sch.n 25.
Munus seu sacrificium genus iuramenti solemne apud Hebræos, c.1.sch.n.26.
Mutos & surdos quosdam esse laudabiles, c. 3.d.1. n.11.12.
Musca symbolum est diaboli, c.3.d.2.n.17.
Mundum & carnem suis amatoribus esse infideles c.4.d.2.n.5.
Mundi vanitas quàm magna sit, c.12.d.2.n.4.5.

N.

Naturæ humanæ corruptio quanta sit ex ethicorũ sententia, c.21.th.3.à n.1.ad 4.
Naturæ humanæ corruptæ decem mala, ibidem n. 5.
Naturæ humanæ alia quædam mala, ibid.à n.6.ad fin.
Nisi, idem, ac verè, c.5.sch.n.7.
Noe figura Christi, c.6.th.4.n.4.
Nomen Dei sanctificare quid sit, c.23.sch.n.6.
Nomina quædam discipulorum Christi 72. c.19.th. 2. tota.
Nubes lucida in Transfig. significat SS. Trinitatem c.7.d.1.n.16.
Numerus 12. & 70. vel 72. in honore fuit apud Hebræos, c.19.th.1.n.1.
Numeri maiores semper ponuntur, minores verò sæpè negliguntur in sacris Literis, c.19.th.1.n.9.

O.

Oblinio beneficiorum comes est prosperitatis, c. 13.d.3.n.10.
Obediendum non est cùm quid contra Dei voluntatem præcipitur, c.14.d.2.n.3.
Oculus, manus & pes qui nos scandalizant quid sint, c.10.sch.n.28.29.& d.1.n.2.3.
Occasiones bonas semper esse arripiendas, c.16.d. 4 à n.3.ad 7.
Onera tria à quibus per crucem Christi liberamur c.20.d.1.n.[illegible]6.
Onus Christi leuius onere legis veteris, ibid. à n. 17.ad fin.
Operarij non sunt mercede fraudandi, c.4.d.2.n.9.
Oratio frequens ab indigno facit dignum, c.2.d.1. n.13.
Oratio hominem in alterum mutat, c.7.sch.n.10.
Oratio & ieiunium quantum valeant, c.8.sch.n. 28.29.
Oratio & ieiunium à quo fieri debet vt dæmon pellatur, ib.n.29.
Oratio cõueniẽs efficacior est priuata, c.13.sch.n.4
Oratio remedium est libidinis, c.15.d.2.n.8.9.10.
Orationis Dominicæ expositio, c.23.sch.à n.5. ad 14.& tota th.4.
Oratio debet esse perseuerans, c.23.sch.à n.14.ad fi.
Oratio Dñica publica est & priuata, ibi.th.1.n.1.2.
Orationis Dñicæ excellentia, c.23.th.2.à n.1.ad 4.

Digitized by Google

Oratio sine Spiritus sancti præsidio vana est, ibid. à n.4. ad 8.
Oratio necessaria est necessitate medij, ib. à n.8. ad fin.
Orationis conditiones vt exaudiatur, c.23.th.3. à n. 1. ad fin.
Oratio magis impetrat si fiat speciatim pro aliquo quam si pro pluribus, ibid.n.16.17.
Orationem Deus potius ex misericordia quam ex iustitia exaudit, ib.n.15.
Oratio bonis operibus fulciri debet, ibid.dig.1.n. 3.4.
Orationis tres circumstantiæ, c.23.d.1.n.5.
Oratio debeatne fieri in priuato loco an publico, c.23.d.2.n.7.
Oratio in afflictione & tribulatione efficacior est, c.23.d.2.n.2.3.4.
Oratio nocturna quam sit necessaria, idid.n.5.6.
Oratio similis esse debet holocausto vituli, 23.d.3. n.5.6.7.
Oratio lucta est, & quomodo in ea luctandum cum Deo sit, c.23.d.4. tota.
Oratio omnes boni nuncij partes debet habere, ibid.tota dig.5.
Orationi vacabat Christus etiam dum iter face ret, c.6.sch.n.4.5.
Orandi modus & orationis effectus, c.7.d.2.n.2.3. 4.
Orandi quatuor modi, c.23.d.1.n.1.2.
Orare per se vtilius quàm per alios, c.2.d.1.n.14.
Ostiũ ouilis Domini quodnam sit, c.18. sch. n.4. & d.6.n.8.9.
Osculum sponsi incarnationem verbi significat, c. 21.d.1.n.2.
Os alicuius opprimere quid sit, c.24.sch.n. 29.
Otium, visus, & tactus præcipuæ sunt causſæ libidinis, c.15.d.2. à n.11. ad fin.
Ouis perdita à Christo & 99. relictæ quæ sint, c.10. sch.n.38.
Oues Christi quænam sint, cap.18.num.9. & dig. 5. tota.
Oues Christi non audire Pseudopastores quid sit, c.18.sch.n.14.
Oues Christi egredi & ingredi quid sit, ib.n. 27.28. 29.
Ouis obedientiæ symbolum, c.18.d.5. n.3.
Ouium Christi notæ & signa, ibid.tota d.5. & sch. n.19.
Ouium Christi pascua & fontes, c.18.d.6. à n.1. ad 8.
Ouile Christi quodnam sit, c.18.sch.n.5.
Ouile Christi duplex, ibid.n.50.

P.

Panem manducare apud Hebræos idem ac prandere vel cænare, c.1.sch.n.14.
Panes 7. à Christo multiplicati quid mystice significent, c.4.d.3.n.5.
Paneas, & Cæsarea eadem est ciuitas, cap.6. schol. n.3.
Pacis vocabulum quomodo sumatur in Scripturis c.9.sch.n.21.21.
Parabola non tantùm similitudinem, sed rem obscuram significat, c.1.sch.n.39.
Paruulorum nomine humiles intelliguntur, c.20. d.1.n.5.
Passionem cur prædixerit Christus post quam agnitus est vt Deus. c.16.sch.n.40.
Passionis mentio cur facta fuerit in transfiguratione, c.9.d.2.n.7.8.
Passionis mẽtionem cur sæpè fecerit Christus post res lætas, c.9.sch.n.3.4.5.
Passionis Dominicæ fructus triplex, c.16.d.7.n.2.
Paruulos à dæmone vexari cur Deus permittat, c. 8.sch.n.15.
Paruulus cur typus sit humilitatis, c.10.sch.n.4.
Paruuli quibus in rebus sint imitandi, ibid.à n.8.ad 13.
Pastoris boni conditiones, c.18.sch.à n.8.ad 15.
Pastoris boni munera Episcopis sunt obeunda, ib. n.15. & 35.36. & à n. 46. ad 50.
Pastores & Reges quàm aptè comparentur inter se, c.18.sch.n.35.37.
Pastor mercenarius quinam sit, ibid.n. 38.39.40. & tota d.4.
Pastori quandonam liceat fugere, c.18.sch.n.42.
Pastores mercenarij tolerandi sunt, ib.n.44.
Pastoris mali descriptio, c.18.d.1. à n.1. ad 6.
Pastoris boni partes quænam sint, ib. à n.6. ad fin. & tota d.2. & 3.
Pastoris insignia quænam sint, c.18.d.2.n. 2.3.
Peccator conuerti nequit, nisi à Deo trahatur, c.3. d.2. à n.1. ad 4.
Peccatorum pericula, c.19.d.4 à n.5. ad 9.
Peccator similis iumento onusto, c.3.d.1.n.2.
Peccatum omne causſa est surditatis, ib.n.10.
Peccatores quomodo sint Ecclesiæ membra, c.6.th. 5.n.8.
Peccator non semper est statim puniendus, c.12.th. 2.n.18.
Peccator sæpè fictè conuertitur, c.11.d.3.n.6.7.8.
Peccata semel remissa quomodo redeant ad nouũ peccatum, c.11.th.6.tota.
Peccata ob quæ præcipuè dicuntur redire remissa scelera, ib.n.14.
Peccata sunt quædam debita, c.11.d.2. à n.8. ad 14.
Peccata cur dicantur debita nostra, ib.n.14.15.
Peccatorum supplicia, ibid. à n.20. ad 25.
Peccatores bibere aquam turbidam quid sit, c.14. d.2.n.18.19.
Peccatores in terra, iusti in cœlo scribuntur, c. 15. sch.n.8.
Peccatorum occasiones vitandæ, c.15.d.2. à n.1. ad 5
Peccatorum causſæ tollendæ, ibid.n.5.
Peccatum multis rebus comparatur, c.16.d.6.n.1.
Peccati effectus, ibid.n.2.3.4.
Peccati fœditas quanta sit, c.16.d.6. à n.5. ad fin.
Peccatorem quomodo Deus non exaudiat, c.17. sch n.33. & tota th.2.
Peccatorum status triplex, c.17.th.2.n.3.
Peccatores quos Deus audit qui sint, ib.n.4.5.
Peccatores quos Deus difficilè audit, ib.n.6. ad fi.
Peccator cur similis sit columbæ seductæ, c.17.d.2. n.3.
Peccatores sunt sibi falsi Prophetæ, ibid. n.4.5.
Peccatorum opera inania sunt, ibid.n.6.7.
Peccatum simile trunco ligneo quod per aquam trahitur, c.16.d.3.n.4.
Peccatorum mors quàm sit periculosa, cap.16. tota d.3.
Peccatores cæci sunt & in tenebris, c.17.d. 2. à n.3. ad 9.
Pericula ita cauenda sunt vt Dei gloria non prodatur, c.1.sch.n.4.
Perseuerantiæ fructus, c.13.d.2. à n.7. ad fin.
Perseuerantium tria præmia, c.16.sch.n.31.32.
Pellicani amor in suos pullos, c.13.d.3.n.17.
Petrus Apostolorum os est & pro omnib. loquitur, c.6.sch.n.18.
Petrus prius à Christo laudatus cur statim vocetur satanas, c.6.sch.n.42.44.45.
Petrus quomodo sit petra super quam fundatur Ecclesia, c.6.th.1. à n.6. ad fin.
Petrus solus potestatem habuit à Christo sub nomine clauium, c.6.th.2.n.18.
Petrus, Iacobus & Ioannes columnæ Apostolorum sunt, c.8.sch.n.15.

Digitized by Google

Phariſæi & Scribæ cur ipſi & non alij ad Ieſum conuenerunt, c.1.ſch.n.8.
Phariſæorum ſapientia qualis fuerit, c.20.ſchol. n.19.
Phariſæi cur reprehendantur à Chriſto, quod ſepulchra Prophetarum ædificent, cap.24.ſch.à n. 20.ad 24.
Phœnices & Chananæi ſæpè eidem ſunt, c.2.th.2.n. 6.7.8.
Phariſæi quomodo fuerint Pſeudopaſtores, c.18. ſch.n.25.
Pietatis in parentes exempla tria, c.1.d.2.à n.8.ad 12.
Piſcis à Petro captus cum ſtatere quid ſignificet, c. 9.d.1.à n.3.ad 8.
Piſcis Tobiæ dictus eſt Callionymus, cap.17.dig. 2.n.15.
Pincerna Pharaonis typus ingratitudinis, c.13.d.3. n.9.
Plantatio ſumitur pro doctrina Phariſaiſmo & Phariſæis, c.1.ſch.n.33.
Portæ inferi quænam ſint, c.6.ſch.n.31.
Pontifices ſummi à Chriſto proximè poteſtatem habent, c.6.th.n.6.
Pontifex ſummus Chriſti infallibilitatem in rebus fidei, c.11.th.5.n.6.
Pontifex ſummus in rebus grauibus conſilio ſapiẽtum vti debet, ib.à n.17.ad 21.
Poteſtas ordinis duplex eſt, c.6.th.2.n.11.
Poteſtas clauium multiplex quoad actus, ib.n.16.
Poteſtas ſub nomine clauium ſoli Petro data eſt à Chriſto, ib.n.18.
Poteſtas remittendi peccata quando fuerit data Apoſtolis, c.6.th.2.n.18.
Poteſtas ordinis & iuriſdictionis cuinam, & quãdo conceſſa ſit, c.11.ſch.n.17.18.19.
Poſſe ſæpè idem ac velle, non poſſe idem ac nolle, c.1.ſch.n.6.
Pœnæ duplex acceptio, c.17.th.1.n.2.
Propoſitiones 5. quomodo Chriſtus non potuerit latere, etiamſi voluerit, c.2.th.2.à n.2.ad fin.
Prædicatores quales eſſe debent, c.7.d.2.n.23.
Prælato non ſolum vt patri ſed etiam vt iudici deferendus eſt peccator, c.11.th.3.à n.3.ad 4.
Prælatus non verbo ſolum, ſed exemplo præire debet ſubditis, c.18.d.3.à n.7.ad 13.
Prælatus ſimilis clypeo eſſe debet, ib.n.14.
Prælatus cur ſali, ſoli, & ciuitati comparetur, ib n.13.
Principes mali cauſſa ſunt omnium malorum, c.14 ſch.n.23.& 40.
Principij vocabulum quomodo ſumendum in illis verbis [principium qui & loquor &c.] c.16. ſch.à n.16.ad 21.
Principij nomen diuerſo modo competit Patri, Filio & Spiritui S. c.16.th.1.à n.1.ad 5.
Principij acceptiones variæ, c.13.th.1.n.8.
Prædeſtinatorum & præſcitorum ſigna, c.16.d.7.n. 6.ad 10.
Præcepti vis directiua & coactiua, c.18.th.1.n.10. 11.
Præceptum Chriſto impoſitum de obeunda pro nobis morte, ibid.à n.3.ad 10.
Præceptum Chriſto datum nõ minuebat eius libertatem, c.ibid.tota th.2.
Prophetæ nomine apud Hebræos omnes iuſti appellabantur, c.17.ſch.n.24.
Productio in diuinis cur nullum dicat defectum perſonæ productæ, c.16.th.1.n.5.ad fin.
Protectio Dei in iuſtos, c.19.d.3.n.10.11.13.
Proximum diligere ſicut ſeipſum quid ſit, c.21.ſch. à n.12.ad 17.
Proximus quomodo ſit diligendus, c.21.d.4.n.10. ad fin.
Proximorum ſalus non negligenda eſt propter cõtemplationem, c.22.d.3.n.4.ad 13.
Puſilli qui ſcandalizantur quinam ſint, c.10.ſch.n. 13.14.

R.

Rami in feſto ſcenopegiæ quid ſignificent, c.12.d. 1.n.1.
Rationes ſex cur Chriſtus transfigurari voluit, c.7. th.1.à n.1.ad 5.
Regis veri partes quænam ſint, c.4.d.2.n.6.
Regnum cœlorum quid ſit, c.6.ſch.n.34.
Regnum cœlorum quotuplex ſit, c.6.th.2.n.8. & c. 19.ſch.n.19.
Regis boni Symbola, c.5.d.1.n.2.13.
Regnum Dei triplex, c 23.ſch.n.7.
Reuelationes diuinæ ſine neceſſitate non ſunt aperiendæ, c.1.d.2.n.22.
Remedia triain lunaticos ſpirituales, c.8.d.1.n. 5.
Remedia ad vitandum ſcandalum, c.10.d.1.n.14.ad fin.
Regulæ tres ad intelligendos hos loquendi modos filius hominis, filius iniquitatis, c.19.ſch. n.25.
Reſpondere, ſæpè idem eſt ac ſermonem exordiri, c.20.ſch.n.15.
Religioſorum ordinũ encomia, c.22.d.2.à n.7.ad fi.
Reprobatio negatiua & poſitiua quid ſit, & an cauſam habeat, c.20.th.3.à n.1.ad 5.
Reprobatio negatiua nullã ex parte hominis habet cauſam aliquã verò ex parte Dei, ib.à n.5. ad 10.
Reprobationis poſitiuæ cauſa ſunt peccata, ib.à n. 10.ad 24.
Reprobationis cauſa non eſt ſimpliciter peccatum originale, ib.à n.11.ad 12.15.16.
Rhamnus electa in regem arborum quid ſignificet, c.10.d.1.n.15.

S.

Sacerdos vt abſoluat debet habere poteſtatem ordinis & iuriſdictionis, c.6.th.2.n.11.
Sacerdos non quẽcũq; poteſt abſoluere, ib.n.12.13.
Sacerdos reuera abſoluit non tantùm declarat abſolutos peccatores, ib.n.14.
Sacerdos non tantũ abſoluit à reatu pœnæ temporalis, ſed etiam culpæ & pœnæ æternæ, ibd.n.14 15.
Sacerdotũ nouę legis maior eſt poteſtas in peccata quàm fuerit veterum in lepram, c.13.d.1.n.17.18.
Salus Chriſti meritis haberi à nemine poteſt, c.1.d. 1 n.6.
Salutem ex omni hominum ſtatu ſemper aliquis conſequitur, ib.n.5.
Saluti aliorum qui vacant, debent etiam proprię rationem habere, c.8.ſch.n.1.
Salutationem in via quomodo Chriſtus diſcipulis 12.prohibuerit, c.19.ſch.n.18.19.20.
Sale & igni, ſeu ſale ſaliri quid ſit, c.19.ſch.num.35. 36.37.
Samaria vbinam ſita ſit, c.12.ſch.n.3.th.1.n.3.
Samaritani cur Chriſtum non receperunt tranſeũtem, c.12.th.2.n.14. 15.
Sanctitatis ſignum nõ eſt ſtatim exaudiri & è contra, c.2.d.1.n.16.
Scandalum datum & acceptum quid ſit, c.1.ſch.n. 35.36.37. & c.10.th.1.n.8.9.
Scãdalũ quid ſit, & q̃ fugiẽdũ, c.10.ſch.à n.21.ad 26
Scandala quomodo neceſſe eſt vt veniant, ib.n.26.
Scandali ethymologia & multiplex acceptio, c. 10.th.1.à n.1.ad 6.
Scandali diuiſio in actiuum & paſſiuum, ib.n.7.
Scandali diuiſio in datum & acceptum, ib.n.8.9.& c.1.ſch.n.35.36.37.
Scãdalũ pfectorũ & puſillorũ, c.10.th.2.à n.1.ad 4.
Scandalum quando & quomodo ſit vitandum, c. 10.th.3.à n.1.ad fin.
Scandali multa genera, c.10.d.1.à n.5.ad 14.

Digitized by Google

Scenopegia quodnam festum sit, c.12.th.2.n.1.2.
Scenopegiæ dies octauus cur vocabatur dies collectæ seu cœtus, ibid.à n.5.ad 3.
Scripturæ sacræ intelligentia pendet ab obseruatione præceptorum, c.14.sch.n.10.11.12.
Scire se reputans nihil scit, c.14.dig.1.n.8.9.
Scenopegiæ festum quomodo mysticè à iustis & improbis celebretur, c.12.dig.1.à n.1.ad 5.
Sex aduertenda in curatione surdi & muti, c.3.sch. à n.10.ad 19.
Sententia Christi in extremo iudicio, c.7.dig.1.n. 17.
Seruitus duplex, c.16.d.5.n.6.
Seruitutes Hebræorum sub diuersis Dominicis, c. 16.sch.n.33.
Seruus conari debet ad libertatem, c.16.dig.4.n. vlt.
Seruitus peccati quam sit grauis, ib.n.7.&c.
Septuagies septies peccata dimitti quid sit, cap.11. sch.à n.36.ad 40.
Sidon & Tyrus omnium ciuitatum antiquissimæ, c.2.th.1.n.1.
Sidon dicta à Sidone filio Chanaan, ib.n.3.
Singularitatis vitium vitandum, cap.4.dig.3.n.1. 2.3.
Si, sæpè accipitur pro non, apud Hebræos, c.1.sch. n.7.
Siclus, stater, & tetradrachmus idem valent, cap.9. th.1.à n.7.ad 13.
Siloe quare interpretatur missus, cap.17.schol.n. 18.
Siloe pro regno Israel accipitur, c.17.dig.1.n.8.
Siloe aquæ fœtorem corporum humanorum minuunt, ibid.n.10.
Solitudo mater est orationis, c.7.sch.n.7.
Sportula, genus numismatis erat, cap.4.schol.n. 11.
Splendor in Christi transfiguratione cuius rationis fuerit, c.7.sch.n.19.20.
Spes & timor duo mundi cardines, cap.7.dig.2. n.1.
Spiritus nouæ, & veteris legis in quo conueniant vel differant, c.12.à n.17.ad 20.
Spiritus Domini mansuetus est, cap.12.dig.2.n. 10.
Spiritus S. quomodo datus fuerit ante Pentecostē, c.14.sch.à n.36.ad 39.
Status innocentiæ conditiones, cap.21.theo.1.à n.1. ad 7.
Status integræ naturæ quid sit, ibid. à n.7. ad finem.
Status puræ naturæ quid sit, c.21.th.2.n.1.
Status hominis post Adæ peccatum, c.21.th.2.à n.4. ad 9.
Status gratiæ quid sit, ib.à n.9.ad fin.
Stellæ 12. quib. Mariæ caput ornatur mysticè quid sint, c.22.d.4.n.4.
Supernaturale dupliciter se habet, cap.21.theor.1. n.9.
Sum Deo soli conuenit, fieri verò creaturis, c.16. sch.n.64.
Surdus & mutus mysticè quis sit, cap.3.schol.n. 20.
Surdi, claudi, & mutili mysticè qui sint, c.4.schol. n.3.
Surditatis causæ 4.c.3.d.1.n.5.
Superbus surdo est similis, c.3.d.1.n.9.
Superbia mons est, c.8.sch.n.24.26.
Superbia quantum sit malum, c.10.d.2.à n.6.ad 10.
Superiores non debent spernere inferiorum consilia, c.4.sch.n.6.
Synagoga quomodo castigata est à Deo, c.11.sch.n. 14.

T.

Tangere Christum quid sit, c.5.sch.n.20.
Tabernaculorum materia & tempus apud Hebræos, c.12.th.2.n.8.9.10.
Talentum Hebræum & Atticum quam pecuniæ summam conficiat.
Testes in correctione adhibendi quales esse debēt, c.11.th.3 n.3.4.
Tempus Christi quodnam fuerit, c.12.th.2.n.5. & d.2.n.3.
Testimonium Christi de seipso quomodo efficax fuerit, c.16.sch.n.6.7.8.
Timor discipulorum triplex in transfiguratione, c.7.sch.34.n.7.
Tintinnabula malogranata in ore vestimenti sacerdotalis quid significarent, c.19.th.1.n.7.
Titulus duplex vnde filij puniri possint per peccata parentum, c.17.th.1.n.4.5.6.
Thabor mons vbi situs sit, c.7.th.1.n.5.
Traditiones à Christo damnatæ quænam sint, quæ non probatæ, c.1.sch.n.21.27.
Traditio Christi multiplex, c.9.sch.n.6.
Triduo Dominum sustinere quid sit, c.4.sch.n.8.9. & d.1.n.6.
Trinitas sancta lumine naturali cognosci non potest, c.6.sch.n.26.
Transfiguratio figura regni Christi, c.6.schol.n. 49.
Transfiguratio Christi quomodo facta fuerit, c.7. sch.n.12.13.& th.2.n.1.2.
Transfiguratio de nocte facta est, c.7.sch.n.22.
Transfigurationem cur voluit Dominus nemini dici, ibid.n.38.
Transfiguratio cur per solam claritatem facta sit, c.7.th.2.n.1.
Transfiguratio Christi triplex, c.1.d.1.n.7.
Tributum soluere neque Christus neq; discipuli tenebantur.
Tributum cur soluerit Christus pro se & Petro, ibid.n.14.15.16.
Tributum cur non soluerit Christus de suis loculis ibid.n.17.18.
Tributum vectigal, & censum quomodo differant, c.9.th.1.à n.1.ad 5.
Tributum soluere & censeri quinam non tenerentur apud antiquos, ib.n.6.
Tributum Hebræi Romanis an singulis annis an viritim soluerent, ib.n.13.14.
Tributum Hebræi quando, cui, & vbi soluerent, ib. n.16.17.
Turris duplex, superbiæ altera, altera humilitatis, c.20.d.1.n.12.13.
Tyrus vnde dicta & cur ab Esaia vocatur coronata, c.2.th.1.n.4.
Tyrus quondam insula ab Alexandro continens facta, c.2.th.1.n.5.

V.

Vestimentum pro corpore accipitur, cap.6.dig.2. n.9.
Vestimenti Christi in transfiguratione quam lucē habuerint & colorem, c.7.sch.n.14.15.
Vermes qui corpus & animam damnatorum torquebunt quinam sint, c.10.sch.à n.30.ad 35.
Venter pro mense accipitur, c.14.sch.n.35.
Verbum Dei quomodo sit audiendum, cap.22.sch. n.9.
Virtutes quibus tres hominis hostes superantur, c. 1.d.3.n.4.5.6.
Vinum Apostoli non solebant bibere, cap.4.sch. n.11.
Virtutibus singulis quæ præmia respondeant, c.1. d.1.n.12 13.14.
Vigilandum in oratione, c.7.d.2.n.9.10.

Digitized by Google

Vita Christi diei comparatur, & mors nocti, c.17. sch.n.12.13.
Vitam abundantius habere quid sit, cap. 18. schol. n.24.
Vita contemplatiua omnium optima, c.22.schol. n.22.
Vita actiua semper aliquid contemplatiuæ habere debet, c.22.dig.3.à n.1.ad 4.
Vita actiua propter contemplatiuam non est negligenda,ibid.n.4.&c.
Vita actiua & contemplatiua in quo distinguãtur, c.22. d.3.n.14.
Via de Hierusalem in Iericho significat prauam consuetudinem,c.21.dig.5.n.12.
Votum Hebræorum duplex quo iuramento sancie batur c.1.sch.n.26.
Voluntas in Christo efficax,& complacentiæ, humana & diuina,quid sint c.2.th.1.n.23.
Voluntas Christi à voluntate beatorum in quo differat,c.2.th.. n.4.5.6.
Voluntate efficaci humana Christus aliquid voluit quod non obtinuit, ibid.n.12.13.14.
Voluntas Dei duplex signi & beneplaciti,c.23. th. 1.n.4.5.
Vxores sæpè sunt causſa peccandi suis viris,c.11.d. 2.n.25.

Z.

Zara & Phares nascentes sunt typus populi hebrei & gentilis,c.6.th.3.n.14.
Zacharias de quo Christus meminit non est nisi pater Ioannis Baptistæ,c.24.th.1.n.9.
Zacharias quamobrem mortuus est,ibid.n.9.ad finem.
Zacharias de quo Christus loquitur non est de Prophetis minoribus,c.24.th.1.à n.1.ad 5.
Zacharias de quo Christus meminit non fuit filius Ioiadæ,ibid.à n.5.ad 9.
Zelum Elias,Moyses mansuetudinem significat,c. 7,dig.1.n 6.
Zelus mansuetudine leniendus est,c.21.dig.5.n.10.

FINIS.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google